In Lib. Cat

HVGONIS GROTII

OPERA OMNIA THEOLOGICA,

IN

TRES TOMOS DIVISA.

Ante quidem per partes, nunc autem conjunctim
& accuratiùs edita.

*Quid porro huic editioni præ cæteris acceſſerit, Præfatio
ad Lectorem docebit.*

INDEFESSVS AGENDO

LONDINI,
Proſtant venalia apud MOSEM PITT,
ad inſigne Angeli in Cœmiterio Pauli.
M DC LXXIX.

Thomas Wright.

Sereniſſimo & Potentiſſimo
PRINCIPI AC DOMINO,
CAROLO II,
D. G.
MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ
ET HYBERNIÆ
REGI,
FIDEI DEFENSORI,
PETRUS GROTIUS.

AUt nulli mortalium, aut ſoli Tibi, CAROLE REGUM AUGUSTISSIME, debetur hujus operis inſcriptio. Quippe ſi hinc materiarum quæ in eo tractantur excellentiam, inde auctoris in iisdem explicandis diligentiam, judicium & fidelitatem ſpectamus, ſola ſe dignitate ſua, & unius veritatis clypeo tueri abunde poterit. Si verò depravatiſſimi ſeculi malignitatem, maximorum in ſanctiſſima etiam facultate virorum invidiam, & inimicorum, quos idem auctor bene de Patria & tota Rep. Chriſtiana merendo ſibi & ſuis excitavit, odium intuemur, jam non ſimplici, aut privata tantùm, ſed publica, ſed eminenti, id eſt, Regia protectione ac defenſione indigebit. At cujus ſe fidei, cujus ſe protectioni, cujus ſe defenſioni committet tutiùs, quam Tuæ Rex idem terra marique potentiſſime, &, ſi puritatem reformati Chriſtianiſmi conſideramus, etiam Chriſtia-

27607

niſſime. Tu enim inter omnes Reges unus ille es quem protectorem ſuum pars Chriſtiani orbis ſi non major, ſanior certè jam diu agnoſcit. Tu idem ille cujus ſe fidei ac defenſioni ipſa ſe Fides Chriſtiana non invita ſubjecit, cujus potiſſimùm in regnis is ſacrarum literarum intellectus, is divini Numinis cultus, is in exercenda nimia illa diſputandi de arcanis Fidei dogmatibus licentia receptus eſt modus, quibuscum convenire ſe auctor idem & parens meus jam pridem teſtatus & publicè ſcriptis ſuis profeſſus eſt. Accipe itaque Rex Sereniſſime & Majeſtatis Tuæ radiis tuere opus tot Tibi, & quidem ſoli Tibi, nominibus debitum. Deus Opt. Max. qui Sacram Majeſtatem Tuam pro jure imperii ſui fortiſſimè dimicantem inter mille pericula incolumem præſtitit, vitam è faucibus mortis ereptam non ſine miraculo ſervavit, regnum avitum à perduellibus occupatum manu reſtituit, nunc pacis inter potentiſſimos Chriſtiani orbis Principes & populos arbitrum elegit, eandem illam vitam, idem illud regnum Tuum eâdem Tibi benignitate ſuâ porrò conſervet ac protegat. Regimen, ſubditos, omnes denique actiones, omnes conatus Tuos ſoſpitet. Inchoatum auſpiciis Tuis pacis negotium ad optatum finem ſub nomine Tuo perducat. Et ne quid gloriæ Tuæ deſit, majoris etiam illud pacificationis opus tam diu ab omnibus verè Chriſtianis deſideratum, à tam multis tentatum, à nullo confectum Tibi ſoli reſervatum, Te ſolo auctore perfici ſinat; adeò ut poſt conciliatos Reges, pacatos populos, redditam agris culturam, commerciis libertatem, omnibus otium & quietem, pacem etiam Eccleſiarum, concordiam animorum & veram illam charitatem tantopere à Domino & Servatore noſtro commendatam, tam diu per diſſidia nihil minùs quàm Chriſtiana oppreſſam, Tuæ tandem Majeſtatis curâ & labore reſtitutam omnes boni ſentiant, omnis terrarum orbis agnoſcat.

Prid. Kal. Febr.
M DC LXXVIII.

LECTORI S.

PRodeunt tandem in publicum univerſa Hugonis Grotii Opera, quæ quidem ad Theologiam ſpectant; eóque auctiora & ornatiora, quò diutiùs à multis expetita. Variis ea cum calamitatibus luctata fuêre, ut non diſſimilis parenti ſuo proles videatur. Cùm enim publica hujus belli calamitas, quæ patriam hanc noſtram juxta ac univerſam Europam concuſſit, magnam huic novæ editioni moram injecerit, tum publicæ huic privata clades acceſſit, quòd idem ille, qui celeberrimam toto orbe Parentis noſtri τȣ̃ μακαρίτȣ typographiam in cineres redegit, feralis ignis etiam partem hujus editionis abſumpſerat, quam nunc è flammis ereptam & fati faucibus reſtitutam vides. Fuere hæc ante aliquot annos tum apud nos tum apud alios per partes excuſa, quibus ſuus ſemper honos & pretium conſtitit apud omnes, qui eruditionem cum pietate, pacem cum veritate ſectantur. Solent qui Cl. Virorum ſcripta in lucem proferunt, multa de auctoribus eorumque ſcriptis præfari, quò ea Lectoribus commendent: verùm, cùm hic Scriptor ſatis ſuperque omnium eruditorum manibus tritus ſit, & nominis ſui famam longè latéque diffuderit, nos meritò huic labori ſuperſedemus. Enimverò quid de eo ſenſerit, & quanto eum in honore habuerit literatus orbis, teſtimonia Scaligeri, Rutgerſii, Voſſii, Barlæi, utriuſque Heinſii aliorumque tàm apud Batavos, quàm apud exteros abundè ſatis oſtendunt. *Grotius es*, (ſcribebat Auctori noſtro literatorum ocellus Erycius Puteanus) *maximus es, & hoc ſatis eſt, ut intelligas nihil tibi deeſſe.* Et verè: nam, cùm D. O. M. omnibus ſapientiæ donis perfuderit ferè neminem, noſter hic Scriptor omnium ſcientiarum capax omne punctum tulit, & omnes eruditionis numeros implevit. Erat enim juriſprudentiæ & hiſtoriarum peritiſſimus, in linguis verſatiſſimus, ad poëſin natus, ſtilo cultus, eloquentiâ promptus. His omnibus accedit, quòd tam profundo humanarum artium ſtudio immerſus, & mundanis honoribus cinctus, & tantùm non obrutus, tantam tamen rerum divinarum ſcientiam ſibi comparaverat, ut cum ſummis ævi noſtri Theologis certare, imò multorum judicio palmam iis præripere videretur. Antequam verò te ad legendum accingas, paucis à nobis de iterata hujus editionis præſtantiâ præmonendus es, amice Lector. Nimirum ubi ſua in Sacras Literas annotata in lucem edidiſſet Auctor, nonnihil videbat obſtare, quò minùs hæc ab omnibus æquali cum fructu volverentur, cùm enim multa illis loca Hebraica, multa Græca inſeruiſſet, quæ undique è Rabbinis & Græcis Auctoribus collegerat, nec omnes idem cum ipſo eruditionis faſtigium attigiſſent, paucique admodum in linguis Orientalibus eſſent verſati, ſtatuit ipſe peregrina loca Latinitate donare totique præterea operi ultimam manum adhibere. Id cùm in Vetus Teſtamentum & quatuor Euangelia peregiſſet, mors finem vitæ impoſuit & labori. Exinde parens noſter p. m. tum ipſe, tum impulſu ampliſſimi viri Petri Grotii digniſſimi tanto patre filii, in animum induxit opera prædicta denuò prælo ſubjicere. Itaque cùm primùm reſcivit, in Germaniâ latere Annotationum in Vetus Teſtamentum & quatuor Euangeliſtas exemplum Auctoris ipſius manu emendatum, qui & peregrina loca latinè verterat, non deſtitit, priusquam exemplo hoc potiretur, & voti compos factus illicò excudendum curavit. Jamque ad primum Euangelii Johannis caput pervenerat, cùm ecce flamma typographiam & bonam impreſſi operis partem abſumpſit, Deus autem, qui Grotium in vivis non ſemel ab interitu vindicaverat, non ſivit id opus hoc incendio totum perire. Cùm enim impreſſorum exemplar unum, quod formando indici inſerviret, penes alium eſſet depoſitum, nihil ex iis periit, quæ Auctor verterat & emendaverat, præter duo aut tria Lucæ capita, quæ tum fortè ſub prælo deſudabant. Ea nos ex priori editione ſuppleri & Latinam verſionem ſubjungi curavimus. Eandem operam adhibuimus circa loca peregrini idiomatis quæ in Actis & Epiſtolis Apoſtolorum ſe offerebant, impensè annixi, ut in omnibus Auctoris ſcopus tangeretur, quinimò in multis verſionem ipſius Auctoris ſumus ſecuti, undecunque ea ex aliis ejus ſcriptis hauriri poſſet. Carminum Græcorum Grotianam verſionem ex Stobæo & excerptis ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis collectam Cl. Viro Petro Waſſenario debemus, qui Ultrajecti ad Rhenum ſummâ cum laude Medicinam exercet. In vertendis S. Scripturæ locis Vulgatæ editioni, quod & Auctor fecerat, niſi cùm ab eâ ipſe diſſenſit, adhæſimus. Cæterorum locorum translationes ex aliis interpretibus conquiſitæ, & ſicubi opus viſum, emendatæ, quæ reperiri non potuêre, quantâ potuit fide, adornatæ; quotquot porrò huic editioni, præ cæteris, acceſſere his notis [ ] diſtinctæ. Opera hæc Theologica in tres tomos diviſimus. Primus Annotata in V. Teſtamentum & ſingularem Decalogi explicationem comprehendit. Alterum, cùm nimiam in molem excreſceret titulis in duo volumina ſubdiviſimus, quorum prius notas in Euangelia & Acta, poſterius in Epiſtolas Apoſtolorum & Apocalypſin complectitur. Tertius reliqua ejus opuſcula Theologica continet, partim antea, partim nunquam excuſa, quorum ſeriem inverſa tituli pagina docebit. His omnibus acceſſêre, unà cum Auctoris vita varii & copioſi Indices, qui præclaro operi non exiguum nitorem ſuperaddunt. Ita nec ſumtui nec labori pepercimus, ut tibi, Lector, prodeſſemus. Quòd ſi laboribus noſtris faveris, calcar addes, ut & quæ Ill. Vir ediderat, pari nitore recudamus quo hæc edidimus, & quæ ejus etiamnum inedita nacti ſumus, in lucem demus. Vale, amice Lector, & quò magis ad legendum accendare, Grotium te legere memento.



HUGO GROTIUS,

Reginæq; Regniq; Suedici Conſil. eorundemq; ad Reg. Chriſtianiß. Legat. ord. Quondam Synd. Roterod. ejusdemq; Urb. in Conv. Ord: Hollandiæ & Weſtfr. delegatus.

Depositum cæli, quod iure Batavia mater
Horret, et haud credit se peperiſse sibi

Talem oculis, talem ore tulit se maximus Hugo.
Justar crede hominis, cætera crede Dei.

D. Heinsius d.

VITA
HVGONIS GROTII.

FUiſſe ante ſecula aliquot plures in agro Delphenſi, vulgò Delphlandia, illuſtrium familiarum arces, ſeu domos gentiles, quæ per injurias bellorum, tam finitimorum, quàm civilium, partim incendiis, partim devaſtationibus periêre, apud eos conſtat, qui illorum temporum res ſcriptis ſuis complexi ſunt. Neque dubium illis eſt, fuiſſe inter eas & arcem Crayenburgiam, cognomini genti propriam, Delphos inter & Hagam ſitam ad orientem illius foſſæ, quæ Corbulonis creditur & Lugdunum Batavorum ducit, eodemque vel non longè ab illo loco, ubi hodie ea conſpicitur domus, quæ Crayeneſta vulgò dicitur, & à viro ampliſſimo Herberto Beaumontio, Proceribus Hollandiæ & Weſtfriſiæ à Secretis poſſidetur. Ut & hanc domum, Crayenburgicam puta, illam fuiſſe, ex qua originem ſuam traxit, vel potiùs una eademque cum illa fuit ea familia, quæ hodie Grotiana dicitur, ex non obſcuris indiciis colligitur, deſumto Grotii nomine ex Belgico *de Groot*, quod propriè Magnum ſignificat, & jam quadringentis abhinc annis illi familiæ inditum fuit ob eximium aliquod, uti credibile eſt, in patriam meritum; nam fuiſſe eos jampridem, qui ex eo ſtemmate nati ſunt, ut patriæ ſuæ amantiſſimos, ita & juris publici ſtrenuiſſimos, vel cum periculo ſuo aſſertores, ex publicis monumentis ſatis conſtat. Hi, deſtructâ cum pluribus aliis arce Crayenburgiâ, cùm tutiores ſibi ſedes quærerent, in proximam tandem urbem, Delphos dictam, ſe recepere, ibique honorificè excepti, & ad primarias urbis dignitates admiſſi, perceptos honores, ſub eodem Magni cognomento in poſteris ſuis ad ætatem usque noſtram continuavere, retentis ſemper Crayenburgicæ gentis inſignibus, quæ etiamnum familiæ Grotianæ, & quidem ei ſoli propria ſunt, tanquam certiſſimis originis ſuæ documentis. Ex hac progenie ortus Hugo Grotius, apud Belgas, *de Groot*, natus eſt in urbe Delphis Batavorum, quæ inter primas eſt earum civitatum, penes quas eſſe jus ſupremæ in Hollandia poteſtatis, extra conttoverſiam eſt. Natalis ei fuit dies decimus menſis Aprilis anni milleſimi quingenteſimi octuageſimi tertii, reſurrectioni Dominicæ eo tempore ſacer. Patrem habuit Joannem de Groot, ejusdem urbis Conſulem, & Academiæ Lugduno-Batavæ Curatorem, ad quem exſtant Lipſii epiſtolæ, illuſtris Viri Jani Douſæ verſus, & non pauca aliorum monumenta ejus nomini inſcripta. Matrem habuit Alitam ab Overſchie, ex primoribus ejusdem civitatis ortam. Avus ei fuit ille Hugo de Groot, qui ex illuſtri Cornetziorum gente prognatus, primus Grotianum nomen in familiam ſuam tranſtulit. Quippe cùm circa annum trigeſimum ſeculi decimi quinti in Diderico de Groot ejusdem itidem civitatis Conſule, & non paucis deputationibus ſatìs claro, defeciſſet ſtirps maſculina, filia ejus Ermgarda de Groot, domûs ſatis opulentæ hæres, viro Nobiliſſimo Cornelio Cornetzio, qui genus ſuum ex ea Cornetziorum proſapia ducebat, qui ſub Ducibus Burgundiæ ex Gallia in Belgium migraverant, nuptura, matrimonium non iniit, niſi factâ conditione, ne, qui ex eo naſcerentur maſculini ſexûs liberi, alio quàm Grotiano nomine nuncuparentur; ita natus Hugo de Groot, ejus Hugonis, de quo loquimur, avus, vir ſupra quam ea tempora ferebant, Latinarum, Græcarum & Hebræarum quoque literarum ſciens. Utriusque familiæ Grotianæ ſcilicet & Cornetzianæ, nomina, inſignia, facultates & honores conjunxit, redintegratisque in eo priſtinis Grotianæ domus dignitatibus, quæ jam ante tria ſecula in ea familia velut hæreditaria fuerant, & in parentem ejus, extra Hollandiam natum, conferri non potuerant, Senatoria & Conſularia munia magno cum populi applauſu accepit & geſſit. Uxorem duxit Elſelingam Heemskerkiam, ex ea Heemskerkiorum domo ortam, quæ antiquitus inter nobiliſſimas Hollandiæ habita, præter alios eminentes viros & Jacobum Heemskerkium patriæ dedit, qui rem ſtrenue gerendo ad Calpen occubuit. Per liberorum ſuorum matrimonia nobiliſſimis etiam domibus, ut ſunt Almundana, veniens è Toparchis Stridenis in Hollandia, Reneſſia atque Utenengia apud Trajectinos ſe innexit. Sed ut ab avo ad nepotem, id eſt, Hugonem noſtrum redeamus; vix credi poteſt, quàm ingentia à prima infantia ſua liberalis indolis, eminentis ſpiritûs, & indefeſſæ induſtriæ ſpecimina dederit: neque à parente viro literatiſſimo in tanta ſpe neglectus, ſed ante ſeptimum ætatis annum præceptoribus erudiendus datus, tantos apud eos profectus fecit, ut ante nonum vitæ ſuæ annum verſus fundere inceperit, ante duodecimum in Academiam Lugduno-Batavam deductus fuerit, ubi non tantùm Philoſophiæ, Aſtrologiæ & Matheſeos, ſed & Theologiæ, & Jurisprudentiæ tam fidelem navavit operam, ut tribus annis ibidem tranſactis, omnibusque, quibus ſe applicuerat ſtudiis abſolutis, vix quindecennis in comitatum Illuſtriſſimi viri Joannis Oldenbarneveldii Reipublicæ Hollandiæ Aſſeſſoris, & ad invictiſſimum tunc Principem Henricum Magnum Legati in Galliam proficiſcentis ſe dedit. Ibi gradum in Jure conſecutus, & ab Auguſtiſſimo Rege non torque tantùm aureâ, ſed & effigie regiâ, ob incomparabilem in iſta ætate eruditionem donatus, ingentem ſui & profuturam aliquando exiſtimationem reliquit; in patriam reverſus forenſibus ſe rebus admovit. Ante decimum ſeptimum ætatis annum cauſas publicè egit, & ante vigeſimum quartum ad Fiſci advocationem ab Hollandiæ Zelandiæque Ordinibus vocatus eſt. Eo in munere tantâ ſe prudentiâ, curâ atque integritate geſſit, ut non tantùm auctum ei à Proceribus Hollandiæ ſalarium, ſed & ultrò in ſuperiore Judicum conſeſſu locus promiſſus ſit. Sed ad altiora natus, & Majorum uti apparuit exemplo, rebus publicis deſtinatus, vacantem per obitum Eliæ Oldenbarneveldii, qui fratri Joanni Oldenbarneveldio tunc Procerum Hollandiæ Aſſeſſori in hoc munus ſucceſſerat, adſeſſuram Civitatis Rotterodamenſis à Rectoribus ejuſdem urbis, quæ ſecundum Amſtelodamum plurimum in ærarium publicum confert, oblatam ex amicorum conſilio & aſſentientibus Hollandiæ Proceribus, accepit anno poſt mille ſexcentos decimo tertio, & ætatis ſuæ trigeſimo. Diviſerat jam tunc temporis, non plebis tantùm, ſed & Magiſtratuum, Procerumque animos, orta ante annos aliquot de prædeſtinatione & annexis ei quæſtionibus controverſia, aliis abſolutam ex Joannis Calvini, aliis conditione ſubnixam ex Eraſmi, Caſtalionis, Philippi Melanchthonis & aliorum ſententia amplectentibus. Fovebaturque non Paſtorum tantùm, ſed & aliorum hominum res novas molientium artibus ea diſſenſio, adeò ut non obſcurè pateret, magni aliquid per diſcrepantias illas tentari & non minùs Reipublicæ quàm Eccleſiæ vim intendi: quibus perpenſis & collatis cum iis, quæ in caſu non abſimili Lyceſtrianis temporibus agitata erant, oblati ſibi miniſterii functionem exercere recuſavit vir perſpicaciſſimus, niſi ſub conditione, ne in poteſtate Magiſtratûs Rotterodamenſis foret, eum unquam invitum ab eodem removere. Hac lege initam adſeſſuram tantâ diligentiâ tantâque fidelitate exercuit, ut neque legitimi, id eſt, veteres, neque novi Magiſtratus quidquam in miniſterio ejus invenerint, quod carpere aut accuſare poſſent. Per eam functionem non in conventum tantùm Ordinum Hollandiæ introductus, ſed & pars factus eſt conſeſſûs Curatorum Reipublicæ, qui velut vicariam Ordinum Hollandiæ poteſtatem exercent, eorumque nomine, & Fœderatorum Conventum frequentare ſolent. Cùmque jam ante annos aliquot in gratiam navigationis Indicanæ de jure iſtius commercii libellum ſcripſiſſet, maximæque ſuper ea re contentiones Anglos inter & Batavos mercatores ortæ eſſent, 1613. componendis eorum controverſiis, in Britanniam miſſus eſt; ubi & ab ipſo Rege Jacobo ſapientiſſimo ſui ſeculi Principe, & ab eruditis ejus inſulæ viris non exigua benevolentiæ ſigna accepit, propioremque amicitiam contraxit cum viro doctiſſimo Iſaaco Caſaubono, quem hactenus non niſi per literas ſuas coluerat. Gliſcebant interim creſcebantque indies ſuper diverſitate dogmatum diſcrepantiæ. Jam pervenerant factioſæ diſſenſiones à Paſtoribus ad plebem, à plebe ad Magiſtratum, à Magiſtratu ad Ordines Hollandiæ veros & ſummos Reipublicæ Rectores, ab Ordinibus ad Principem Mauritium, (cujus parens Guilhelmus Arauſionenſium Princeps in eadem præfectura conſtitutus, quoties ad eum ſimiles de Religione quæſtiones delatæ erant, ſemper teſtatus erat, earum cognitionem non ad ſe, ſed ad Ordines cujuſque Provinciæ pertinere;) à Mauritio ad Delegatos fœderatorum, quibus nihil juris eſſe in ſingularum nationum ſubditos, jam ſæpe demonſtratum erat, & demonſtratum eſt apertiùs, nemine poſtea contra nitente. Neque deerant inter ipſos Magiſtratus, ipſoſque Reipublicæ Proceres, qui inconteſtabile in res Eccleſiaſticas Ordinum Hollandiæ arbitrium ad eoſdem Delegatos deferrent. Illi auctoritate Principis Mauritii nixi, omnia jura in ſe trahere, Proceres Hollandiæ, qui plus quàm dimidiam partem ſubſidiorum in ærarium publicum conferebant, quorumque opibus nonnulli eorum ad commune fœdus perducti erant, ſubditorum inſtar habere, optimum & fidiſſimum quemque è ſede Magiſtratûs depellere, Oldenbarneveldium, 29 Aug. 1618. Hogerbetium & Grotium hunc noſtrum, illum univerſæ Hollandiæ, horum alterum civitatis Lugdunenſis, alterum Rotterodamenſis Aſſeſſores in cuſtodias trahere, delegatos illis judices dare, illegitimo modo accuſare, indefenſos damnare; Oldenbarneveldium ſeptuageſimum ſecundum ætatis annum agentem capitali ſupplicio plectere, reliquos duos ad perpetuos carceres mittere, & omnia eorum bona publicare: nitentibus contra & vim auctoritati ſuæ inferri fruſtra clamantibus ipſis Hollandiæ Ordinibus, donec optimis quibuſque à muneribus ſuis dimotis, noviſque in eorum loca contra leges impoſitis, omnia pro libidine eorum agi cœpêre qui iſtius novitatis auctores erant. Ita captus Hugo Grotius, vir innocentiſſimus & patriæ ſuæ, libertatiſque publicæ amantiſſimus, poſtquam novem per menſes detentus Hagæ fuiſſet, eorumque ſex elapſi eſſent in conquirendo infenſiſſimos quoſque, quibus judicum munus tutò committerent, treſque reliqui in formandis accuſationum capitibus eſſent conjuncti, interdicto interim uxori, liberis, parentibus, conſanguineis & amicis, ne adire, alloqui aut ullam operam præſtare captivo, quamvis periculosè ægrotanti, ne quidem 18 Maji 1619. coram ipſis judicibus liceret. Damnatus tandem ad carceres perpetuos, bonaque ejus publicata ſunt. Quod cùm oſtenſum judicibus eſſet per leges patriæ non licere, niſi in damnatos Majeſtatis, anno 6 Jun. 1620. poſt latam ſententiam pronuntiatum ab iis eſt, ſibi, dum ferrent ſententiam, nullam aliam mentem fuiſſe, quàm Grotium, alioſque Majeſtatis fuiſſe reos. Inde Lupeſteynium Hollandicæ ditionis 6 Jun. 1619. caſtellum in confinio Geldriæ inter flumina Moſam & Vahalim ſitum, finiendæ in pedore carceris vitæ tranſportatur. Ubi poſtquam ultra ſeſquiannum ſuſtentatus bonis uxoris, aſpernantis judicum largitionem, qui vicenos & quatuor in diem aſſes alendo captivo, totique ipſius familiæ aſſignaverant, ſtudiis præcipuè impendiſſet, plurimaſque ab iis, qui cuſtodiæ ejus præerant injurias perpeſſus fuiſſet, tandem Dei Opt. Max. indignam viri ſortem miſerantis beneficio, & uxoris Mariæ Reygerſbergiæ, ex primariis Zelandiæ familiis ortæ, Petrique Reygerſbergii Veriani Conſulis, qui non

inutilem Patriæ & Naſſaviæ domui navaverat operam, eamque ob cauſam Lyceſtrianis temporibus ab inimica factione ejectus oppido exulaverat, filiæ, virilis animi, & ſupra ſexum ſapientis Matronæ, operâ priſtinæ libertati redditus eſt; incluſus quippe ciſtæ quæ transportandis libris jam aliquoties inſervierat, & à cuſtodibus ipſis in navem deductus Gornichemum proximum caſtello oppidum vectus, 22 Mar. 1621.
& in domum delatus eſt optimi ibidem civis Davidis Daetzelarii, digniſſimi vel ob hoc unum in perditiſſimis temporibus factum, cujus nomen omnibus bonis innoteſcat. Ibi ſumtis cœmentarii cujusdam veſtibus, primùm Antverpiam, inde Lutetiam ſe recepit, ubi per abſentiam Regis ab ipſius Miniſtris, poſtea & à Rege ipſo benigniſſimè exceptus, & annuo donativo honeſtatus, ſedem quieti & ſtudiis ſuis poſuit, ſemper intentus patriæ & popularibus ſuis, ubi quid negotii illis apud aulam eam eſſet, conſilio, operâ, & quâ pollebat apud nonnullos Miniſtros regios gratiâ inſervire ac prodeſſe; quamvis non ignoraret, eos, qui ibi res Federatorum curabant, nihil intentatum relinquere, quo Regis animum ipſi infeſtum redderent, ſed fruſtra laborabant apud Principem nihil ignorantem eorum, quæ annis cIↃ IↃc XVIII & cIↃ IↃc XIX in Hollandia acta erant: quin dixiſſe non ſemel fertur, mirari ſe virtutem hominis, qui tam malè in patria habitus, non deſineret tamen ei, ſubditisque ejus benevelle, imo quocunque etiam poſſet modo benefacere. Primum operum, quod poſt receptam libertatem edidit, fuit Apologeticus ſive defenſio, non tam ſua, qui non potuerat peccare in exſequendis iis, quæ ſibi à Superioribus ſuis mandata erant, quàm eorum, qui legitimo modo creati, legitimo jure Reip. Hollandicæ annis decimo octavo & nono præfuerant. Quo comperto Federatorum Delegati, neque ignorantes ſuas in eo libro artes, illatamque Hollandiæ vim detegi, cùm nihil haberent, quo expreſſam in eo veritatem redarguere aut refutare poſſent, uſitatâ jam diu violentiâ utentes, proſcriptionibus eum perſecuti ſunt: quod brutum fulmen, cùm per Chriſtianiſſimi Regis tutelam, qui eum in fidem ſuam receperat, evanuiſſet, nihil aliud eo actum eſt, quàm quod Grotio vita ſecurior reddita, typographorum eos libros vendentium duplicatum lucrum, & aucta adeò ſit legentium curioſitas, ut, defæcatis multorum regentium oculis, eorum auctoritas non tantum publica, ſed & in conventu ipſorum Procerum, imo & contra ipſos federatos poſtea valuerit. Manſit ibi per annos undecim, amatus univerſim, conſultusque ſæpe à Prioribus regni ſuper rebus maximi momenti. Donec pertæſus vitæ nimis otioſæ, poſtquam plus ſemel ad miniſteria publica, non à Sereniſſimo tantùm Daniæ Rege Chriſtiano Quarto, ſed & à Guſtavo Magno vocatus eſſet: certus ſedes mutare, primùm in patriam redire conſtituit, ubi mortuo Mauritio Arauſionenſium Principe, frater ejus Fredericus Henricus ad gubernaculum Reipublicæ admotus, non mitioris tantùm regiminis, ſed & priſtinæ in adminiſtranda Republica libertatis ſpem dederat, ipſique jam pridem Grotio animi ſui affectum per literas teſtatus erat, credebaturque à non paucis, quæſiturus ſibi gloriam ex tanti viri tam injuſtè damnati in integrum reſtitutione; ſed ut plerumque apud animos eorum, qui Principum conſiliis præſunt, utilia honeſtis prævalent, neque deeſſent, qui ipſi ante oculos ponerent, quàm periculoſum rebus ſuis foret, hominem, tam pertinaciter libertatis ac patriæ ſuæ amantem, iterum ad Rempublicam admittere, potentiæ ſuæ quàm exiſtimationi conſulere maluit, & Proceribus ſuper manſione Grotii, in Hollandiam reverſi circa finem anni cIↃ IↃc XXXII deliberantibus, iis acceſſit, qui interdicendam illi in patria habitationem opinabantur: ita coactus iterum patriâ ſuâ excedere illuſtris exul Hamburgum Hanſeaticarum urbium præcipuam ſe contulit, manſitque ibi, captus amœnitate loci, & affluentium undique eruditorum virorum allocutionibus, donec, poſt multas diverſorum Germanici Imperii Principum requiſitiones honeſtis modis excuſatas, tandem, ſed mortuo jam Guſtavo Magno, Reginæ regnoque Sueciæ operam ſuam ſub nomine Conſiliarii Regis, & ad Chriſtianiſſimum Galliarum Regem Ludovicum decimum 1634.
tertium Legati obſtrinxit. Sic iterum in Galliam reverſus eſt, non tam dignitate legationis, quàm eruditionis & virtutum famâ conſpicuus. Invitis quidem & contra nitentibus, quos in patria habebat, adverſariis, qui omnes vires apud Regem, ejusque Miniſtros intendebant, ne damnati apud ſe ho- 1635.
minis actiones per admiſſionem in eam dignitatem juſtificarentur; ſed fruſtra, ut jam dictum eſt. Laborabant apud aulam, non ignaram eorum, quæ ſuper hac re contra ipſius Regis conſilia, toties per Legatos ſuos patefacta, apud Batavos acta erant. Neque adeò obſcurè ſcriptus erat ipſius Grotii Apologeticus, ut quenquam, vel mediocriter humanarum rerum gnarum, latere poſſet, quàm iniqua in eum ſententia lata eſſet. Et tunc quidem officii ſui credidit Rotterodamenſis urbis Rectores acceptæ à ſe Legationis certiores reddere, quò ſcilicet liberati ab iis, quas cum eo pepigerant conditionibus, vacanti ab eo demum tempore urbis ſuæ adſeſſuræ providere poſſent: uti fecere, eligendo in ejus locum ampliſſimum ac diſertiſſimum virum Simonem Beaumontium, Herperti Beaumontii, de quo ſupra locuti ſumus, patrem. Manſit itaque ibi, & iis, à quibus, & ad quos miſſus erat pariter gratus, præcipuum tempus ſuum impendebat partim miniſterio Legationis, partim ſtudiis, partim allocutionibus eorum, qui videndi eum & conſilia ſua cum eo ſociandi gratia ab omnibus Europæ partibus confluebant. Omnibus fores, omnibus menſa, omnibus officia ipſius patebant, ne iis quidem exceptis, quorum parentes, poſt multas illatas ipſi injurias, & carceris & exſilii authores fuerant. Ibat in annum undecimum ejus Legatio, cùm Majorenni jam & ad Regni adminiſtrationem vocatæ Chriſtinæ Guſtavi Magni filiæ miniſterii ſui rationem redditurus in Suediam proficiſcens Grotius per Hollandiam iter carpſit, jamque Rotterodamum veterem habitationis ſuæ ſedem pervenerat, magno ibi civium applauſu & favore exceptus, cùm inimici non contenti iis, quibus eum

tamdiu perſecuti opprobriis & injuriis erant, obire ſuarum partium domos, quos poterant ad ſe trahere, omnem lapidem movere, ne Ordines Hollandiæ, tunc fortè congregati, per terras & urbes ſuas transire Grotium impunè paterentur: ſed mutata erat rerum facies. Plurimi eorum, qui anno cIↃ IↃC XVIII ſtatum Reip. concuſſerant, jam è vivis deceſſerant, nonnulli eorum, qui eodem anno à dignitatibus ſuis dimoti fuerant, moderatione Principis Frederici Henrici revocati ad priſtina miniſteria erant, quique novi ad Remp. acceſſerant, ut factionibus non interfuerant, diſcernendæ veritati magis capaces erant. Ita factum eſt, ut referenti in conventu Procerum Hollandiæ Jacobo Catſio, eorum tunc adſeſſori, quid ſibi ſuper ea re dictitatum eſſet, reſponſum à Proceribus ſit, vano timore liberaret homines, nimiùm meticuloſos, ipſis curæ fore, ne quid Reſpublica detrimenti caperet. Amſtelodamum interea pervenerat Grotius, inde Hamburgum petiturus; neque enim affectabat ullis ſe civitatibus videndum præbere, niſi quarum tranſitum evitare non poterat. Conſulatum in ea civitate eo tempore obtinebant viri ſapientes & moderati Petrus Haſſelarius, Andreas Bickerus, Gerbrandus Pancratius, & Guilhelmus Backerus, qui de adventu in urbem ſuam Grotii certiores facti, neque diſſimulare cupientes, quanti facerent virum, tam ſolidè eruditum, tam bene de patria meritum, tamque illuſtri per totum terrarum orbem famâ celebrem, ſine cunctatione eum adiere, optima quæque officia ei obtulere, publico convivio excepere, & navem itineri ipſius aptari curavere: ita rurſum patriâ nunquam ſibi poſtea videndâ exceſſit vir excellentiſſimus. Hamburgum maritimo, terreſtri itinere Lubecam petens, honorificè à Magiſtratibus utriusque civitatis exceptus fuit. Inde Wiſmariam Pomerani Ducatûs oppidum, Suedicis præſidiis occupatum, pervenit. Erat eo tempore non longè ab ejus portu cum ingenti claſſe Wrangelius Comes, Regni Suedici Architalaſſus, qui de adventu tendentis in Suediam Grotii certior factus, continuò navem bellicam, promovendo ipſius itineri, ad eum miſit, eà Calmariam Grotius venit, inde Holmiam petiturus; quo comperto Regina, quæ tunc forte Upſaliæ erat, magnoque jam diu videndi Grotii deſiderio tenebatur, reditum ſuum in eandem urbem, Imperii ſui ſedem, properavit. Poſterâ die ad alloquium Reginæ admiſſus Grotius, poſtquam multa, rebus ac tempori convenientia, diſſeruiſſet, Legationis ſuæ partes expoſuit, actionum ſuarum rationem reddidit, pro ſavore tamdiu percepto gratias egit, dimiſſionemque à miniſterio ſuo petiit. At Chriſtina, ut erat omnium rerum, cognitionem ſuam merentium, gnara, literarumque & literatorum amantiſſima, ipſiusque Grotii, editorumque ab eo operum perſpicaciſſima æſtimatrix, ad reliquæ orationis ipſius capita benigniter, ad ultimum, ubi de dimiſſione ſua locutus erat, non niſi per ambages reſpondit. Adeò ut non obſcurè pateret circumſtantibus, mentem Reginæ eſſe, Grotium apud ſe detinere, propiusque conſiliis ſuis admovere: ſenſit hoc & ipſe Grotius, neque dubitavit hoc unum ſufficere ad irritandam invidiam illam, quam à principio adventûs ſui in nonnullis regni Proceribus animadverterat. Quare, cùm nihil minùs propoſitum ei eſſet, quàm in ea terrarum parte habitationis ſuæ ſedem figere, ubi non minùs cum ingeniis hominum tam malè ſibi volentium, quàm cum aëris inclementia luctandum quotidie foret, non deſtitit coram Regina, quoties ad eam accederet, dimiſſionem ſuam & veniam ad ſuos revertendi efflagitare. Illa, quæ neque diverſas terrarum regiones, neque diſcrepantes hominum mores ignorabat, eoque minùs dubitare poterat, quàm difficile eſſet, animum non avaritiâ, non ambitione diſtractum, ſed ſolis ſtudiis & virorum eruditorum collocutionibus contentum, ex eo, ſub quo tamdiu reſpiraverat cœlo, in eam mundi plagam trahere, quæ vix ipſi, ibi natæ, ibi educatæ, ibi regnanti, imo ne vix quidem placeret, ſtatuit tandem deſiderio ipſius morem gerere, virumque non malè de ſe meritum, laudibus, muneribus, ſingularisque affectûs demonſtrationibus cumulatum dimittere: ita, quamvis ægrè conſentiente Reginâ Holmiâ deceſſit Grotius, corpore jam minùs validus, contractâ, uti credebatur, infirmiore valetudine, partim ex tædio tardati tamdiu itineris, partim ex rigore aëris, minùs naturæ ſuæ convenientis: ſed ſperabant, qui ei aderant, tam validam in eo futuram ſpem reviſendæ propediem conjugis & familiæ ſuæ, ut præcipuam partem doloris, quam ex eorum abſentia contraxerat, diſſipare poſſet. Cœlo ſereno, ventisque ſatìs faventibus è portu Dalerenſi ſolvit navis, quæ transvehendum Lubecam Grotium ſusceperat, ſed brevis fuit illa aëris ſerenitas, ſequenti quippe die vehemens tempeſtas contrahere vela juſſit, ingraveſcensque magìs magisque circa veſperam majorem malum disjecit, ejusque pondere ſubmerſum penè navigium, adeò contrariis undique ventis concuſſit, ut fracto & altero malo tandem ad oram Caſſubiæ lacerum & perfluum littori impegerit. Octavo, poſtquam è portu ſolverat, die, deſcendit in arenam cum comitatu ſuo Grotius, non longè à vico Lyba dicto, decem & quatuor milliaribus Germanicis à Dantiſco ſito, non minùs animo, quàm corpore æger: cùmque ne unum quidem diem curando ac reficiendo corpori à feſtinante ad ſuos redire animo obtinere poſſet, ruſtico, quod ægrè ibi nactus erat, vectabulo, iter per medios imbres & ventos continuavit per aliud octiduum, donec conſumtis per nimias agitationes & laſſitudinem viribus, tandem Roſtochium pervenit, & lecto non reſurrecturus incubuit. Poſtero die accerſitus ad eum venit Medicinæ Doctor Stockmannus, qui pulſu venæ obſervato ejusque debilitatem ſoli laſſitudini imputavit ac requie & nutrientibus cibis reficiendum eum judicavit; aſt ubi idem ſequenti die rediit, auctamque debilitatem, 28Aug. 1645. ſudoremque lethalem, & reliqua deficientis naturæ ſigna agnovit, actum eſſe de ejus vita, jamque in agone mortis verſari pronunciavit, in eo cùm eſſet ſtatu circa nonam veſpertinam vocatus ad eum acceſſit Theologiæ Doctor ac Profeſſor, nec non Verbi Divini ibidem Miniſter Joannes Quiſtorpius, qui poſt habitos aliquos cum eo ſermones ſuper fragilitate humana, multifariis mortalium peccatis, neceſſariâ eorum pœnitentiâ, Deique Opt. Max. in iisdem condonandis propter merita Chriſti immensâ clementiâ, quæque his ſimilia morientibus proponi ſolent, ad preces ſe convertit, quarum verba complicatis manibus, ſubmiſſâ voce ſecutus Grotius, paulatim deficere, auditumque primò, mox & viſum perdere incepit, nec multò poſt ſub ipſo puncto mediæ noctis placidè exſpiravit. Inteſtina ejus æneo vaſi incluſa ibidem in loco honoratiſſimo Eccleſiæ cathedralis ſepulta ſunt. Corpus ipſum balſamo conditum in urbem patriam Delphos Batavorum transportatum, ibique non ſine ingenti exſequiarum pompâ proavûm ſepulchro, quod in choro ædis novæ à dexteris celeberrimi Arauſionenſium Principum monumenti reperitur impoſitum eſt. Erat formâ corporis vulgarem non multùm excedente, facie ſatis pulchrâ, colore nitido, naſo in aquilinum verſo, oculis ſplendidis, vultu ſereno, membris compactis, & robuſtis adeò, ut in ambulando, currendo, ſaltando, in eâ quâ erat ætate, vix quenquam ſibi parem reperiret. In rebus agendis ſerius, apud amicos hilaris, apud omnes affabilis erat: quâ verò induſtriâ, quo ingenio, quo judicio, quâ pietate in Deum, amore in proximum, charitate in patriam præditus fuerit, apertiùs ex ipſius ſcriptis, quàm ex aliorum teſtimoniis colligetur. Liberos diſcedens reliquit quatuor, filios tres, & filiam unicam, quorum Cornelius ac Didericus, ille natu maximus, hic minimus poſt obitos in militiâ Tribunatus, aliasque cum laude dignitates ambo jam olim cœlibes obiere. Filia Cornelia, etiamnum ſuperſtes poſt obitum patris nupſit Joanni Barthoni Vicecomiti de Mombas, primariæ apud Pictones nobilitatis & illuſtriſſimis Galliæ familiis inſito. Hic à primâ adoleſcentiâ, more Gallicæ nobilitatis, nomen ſuum militiæ dedit, & poſt varios geſtos in patriâ honores ac dignitates tandem ad Tribunatum equeſtrem evectus, in gratiam uxoris, aërem Gallicum non ferentis, in Hollandiam migravit. Ubi vir ingenio pollens, manu ſtrenuus, rei militaris longâ experientiâ ſubactus, inter primos equitum Magiſtros adſcitus ad majores dignitates aſſurgebat, ſed incertùm, ſuo an ejus, cui ſe per matrimonium innexerat, familiæ 1672. fato, captus, damnatus, vix difficili fugâ capitali ſe periculo ſubduxit. Petrus de Groot ejusdem Hugonis filius ſecundus, patriæ ſuæ luctuoſo funere nuper admodùm ereptus apud bonos triſte ſui deſiderium reliquit. Hunc parens à teneris patriæ ſuæ ac togæ dicaverat, idcirco ut gentis ſuæ moribus ac genio imbueretur, eum in Hollandiam anno CIↃ IↃC XXIX. miſit, illic ſub Theodoro Schrevelio, Scholæ Lugdunenſis Rectore, ſtudiorum ſuorum fundamenta jecit, deinde adultior in Philoſophia Caſparum Barlæum, in Hiſtoriis & Politica Gerardum Voſſium, & in Jurisprudentia Joannem Corvinum audivit. Poſthæc anno CIↃ IↃC XXXVII. omnigenâ eruditione inſtructus in Galliam ad patrem reverſus eſt; ubi non tam annis, quàm præcoci ingenio ac judicio rebus agendis maturior, non inutilem parenti ſæpe præſtitit operam, tam in viſitandis amicis & expiſcandis aulæ arcanis, quàm componendis legationis literis, cum temporis anguſtia aut abſentia patris id exigerent. Anno ſequenti in patriam reverſus, aliquamdiu rebus forenſibus animum admovit, publicis tamen commodis quàm privatis inſervire propenſiorem. Sed nulla ſpes erat, ut ad Reipublicæ clavum tantorum ſtemmatum patritius juvenis admitteretur ab iis, qui parentem virum integerrimum, ad perpetuos carceres damnaverant. Idcirco vitam privatam egit, donec pace Monaſterienſi reſtitutus in Palatinatum ſuum Sereniſſimus & Sapientiſſimus Princeps Carolus Ludovicus, Sacri Romani Imperii Elector hoc noſtro uti voluerit, qui res ſuas apud Præpotentes Fœderati Belgii Proceres adminiſtraret. Cùm paulatim in patriâ verteretur rerum facies, tandem anno CIↃ IↃC LX oblatam ſibi adſeſſuram civitatis Amſtelodamenſis ſeptem annos ſummâ fide ac induſtriâ geſſit. Anno LXVIII à Fœderatis Ordinibus Legatus ad Reges Septentrionales miſſus, primùm Hafniam appulit. Poſtquam Ordinum mandata eſſet exſecutus, à Daniæ Rege Frederico Tertio, benigniſſimè exceptus & dimiſſus, Holmiam pervenit. Hîc à Carolo XI, & univerſo regni Senatu, magno honore habitus, ultra annum permanſit, cùm mortuo in Galliâ Legato Guilielmo Boreel ad Chriſtianiſſimum Regem ab Ordinibus Delegatus domum evocaretur, ubi Adſeſſuram Civitatis Rotterodamenſis, paternam olim provinciam, à Rectoribus ejus oblatam, ſuſcepit. Legationes omnes, præcipuè Gallicam, ſummo labore, ſummâ induſtriâ, & mirificâ vigilantiâ, non ſine magno Fœderatorum Procerum applauſu obivit, quibus utpote ſpectata erat ejus fides & ſedulitas, hoſtium arcana, & inſidias, vimque, quam in patriam molirentur, indagare ſagax, ac patriæ Rectoribus ſignificare prompta. Tandem in patriam reverſus, & in Conventum Fœderatorum Delegatus, ex eo honorum culmine à fatali illo Bataviæ turbine, quem rabida, & tumultuans plebs conciverat, deturbatus, & cum optimis & ſapientiſſimis patriæ Rectoribus dignitatibus ſuis eſt exutus. Nec ſic ſatiatus eſt furor; nam vix eluctatus manibus ſicariorum, qui pugiones in necem ejus acuerant, amicorum conſilio, & circumſtrepentibus undique periculis, perſuaſus eſt tempori cedere, & aliquamdiu, donec iſtæ conſileſcerent turbæ, patriam relinquere. Primùm Antverpiam celeberrimam Brabantiæ Civitatem ſe contulit, & non ſine ingenti vitæ diſcrimine vixit ſub præſidio Illuſtriſſimi Comitis Monteræi, Regis Hiſpani Gubernatoris, qui non ſemel ipſum monebat, ne manendo diutiùs in urbe, Hollandiæ tam vicinâ, irritaret animos eorum, qui in cædem ejus conjuraverant; itaque ne ſe diutiùs adverſariorum telis exponeret, primò Leodium, inde Aquisgranum, poſtremò Coloniam Agrippinam, urbem non tantùm naturâ, ſed & propter Legatos pacis ibi negotia tractantes, tutiſſimam, profectus eſt; ubi partium arcana expiſcando, & perferendo ad Legatos Fœderatorum, non inutilem patriæ ſuæ operam præbuit. Poſt exactum biennium reverſus eſt, cùm non pauci paulatim furore defœcati ac ſedatiores, rectæ rationi ac veritati oculos aperirent. Jam innocentia ejus gaudebat vultum erectum & pectus nullius flagitii conſcium adverſariis offerre; pertæſa etiam more maleficiorum diutiùs extorris à patrio ſolo, de quo tam præclarè meruerat, fugitivam vitam trahere. Primò tranquillè, nemine obſtante, in villâ ætatem agebat; ſed cùm ſe Hagam conferret, à Fiſci procuratore accuſatus, quod cum Abrahamo Vicquefortio, Sereniſſimi Ducis Brunſvicenſis ad Fœderatos Proceres publico miniſtro, literarum commercia habuiſſet, quodque detecta hoſtilium Legatorum ſecreta de pacis negotio ad Legatos Fœderatorum detuliſſet, ſolâ judicum integritate, vitam, famam, facultates, quibus ſimul inhiabant inimici, conſervavit. Sic tandem bona cauſa triumphavit, muſſante plebe. Poſthæc ne adverſarios adſpectu ſuo ureret, migravit cum familiâ in villam, quam non procul Harlemo ſitam habebat; ubi liberos ſuos educando, auctores bonos terendo & amicos excipiendo Scipionis Africani & illuſtrium aliquot virorum exemplo, vitam nemini gravem, ſibique nec injucundam nec indecoram coluit. Cùm ſic privatus quietè ac tranquillè ætatem ageret, morbo correptus, annum agens ſeptuageſimum, mortem conſtanti ac hilari vultu excepit, utpote, quæ in tutam ſtationem deduceret à teneris jam plurimis vitæ procellis agitatum. Ubi livor, qui paſcitur in vivis, ſeſe conſumſerit, & partium ſtudia deferbuerint, honoribus intaminatis fulgebit hujus viri decus, ejus virtutes ac geſta, quæ ſummatim attingimus, poſterorum annales loquentur, idcirco pauca quædam de corporis habitu, & mentis dotibus delibare animus eſt. Corpore erat procero & obœſo. Papulæ, quas parens ejus ad Benj. Maurerium de noſtro ſcribens, ait fuiſſe velut abortivum partum effœtæ peſtilitatis, faciem ejus deformaverant, & alterum pedem ita contraxerant, ut totam vitam claudicaret. Ulyſſem ferunt non formoſum, ſed facundum fuiſſe, & in Periclis labris Suadæ Deam ſeſitaviſſe, quæ verè in noſtrum competebant. Animo autem erat candido & niveis moribus, in proſperis ejus comitas, in adverſis conſtantia, in omnibus vitæ actionibus intemerata fides elucebat. Poſt divinam ſuprema illi lex erat ſalus patriæ. De Republica benemereri, amicos colere, inimicos beneficiis ſibi devincire, illi ſumma voluptas & ſtudium fuit.

De Illuſtriſſimo viro Hugone Grotio, Petro Grotio filio, & reliqua ejus familia hæc ſummatim attigimus; ut autem, quæ de Hugone Grotio, de quo præcipuus hic ſermo, diximus, majorem habeant fidem, adjunximus literas Frederici Henrici Arauſionenſis, Fœderati Belgii Gubernatoris, ac Reginæ Chriſtinæ, quorum ampliſſima teſtimonia effœtæ jam ſenio & lumine veritatis præſtrictæ maledicentiæ prævalebunt.

COPIE

de la lettre eſcritte le IV d'Aouſt 1622. par F. Henry Prince d'Orange, au S^{r}. Hugo de Groot.

MONSIEUR,

Je vous remercie des bons offices que vous m'avez rendu par delà vers quelques-uns du Conſeil du Roy: ce que je vous ſupplie de continuer tant vers les ſuſdits, que autres que vous jugerez à propos, vous aſſeurant que je recognoiſtray cette bonne volonté en toutes occaſions, où j'auray le moyen de vous ſervir. Je vous ſupplie auſſi de faire eſtat de mon affection: & vous aſſeurer, que je vous la continueray touſiours, y eſtant obligé par celle que vous m'avez teſmoignée de tout temps. J'ay prié voſtre beau-frere le Sieur Reigersberg de vous eſcrire particulierement ſur quelque ſujet, ſur lequel je ſeray fort aiſe d'entendre voſtre advis: vous m'obligerez fort de me l'envoyer, comme vous avez deſja faict par le memoire que vous m'avez envoyé, dont je vous remercie bien fort. Je ſouhaiterois de pouvoir eſtre utile en vos affaires par deçà, & m'y employerois de tout mon cœur, mais vous ſçavez la conſtitution des affaires eſtre telle, que ny moy, ny vos autres amys, ne pouvons vous y ſervir, comme nous deſirerions bien. Je veux eſperer que le temps y pourra apporter du changement, & que je vous pourray revoir en ce pays eſtimé & honoré comme vos rares qualitez le meritent: dequoy je ne recevray pas moins de contentement que j'ay fait de voſtre liberté. Cependant je vous ſouhaite en voſtre éloignement de voſtre patrie tout le contentement, heur & proſperité que vous ſçauriez deſirer. Ce que je prie à Dieu de vous donner, & à moy l'occaſion de vous faire paroiſtre par effect que je ſuis,

MONSIEUR,

De la Haye le
IV d'Aouſt 1622.

Voſtre tres-affectionné à vous faire ſervice

FR. HENRY DE NASSAV.

DOMINE,

Ago gratias pro bonis iis officiis, quæ mihi apud quoſdam præſtitiſti, qui Regi ſunt à conſiliis; rogoque ut ſic pergas tam apud eoſdem, quàm alios, quos non inidoneos judicabis, meam dans fidem, me non immemorem futurum hujus benevolentiæ, ſed qualiſcunque ſe occaſio offerat, operam tibi daturum. Oro etiam, ut perſuaſum habeas meum erga te favorem, quo te ſemper proſequar, inductus eo affectu, quem mihi omni tempore feciſti teſtatiſſimum. Rogavi affinem tuum D. Reygersbergium, ut ad ut ad te definitè & diſtinctè de rebus quibuſdam ſcriberet, ad quas intelligere ſententiam tuam geſtio, hanc ſi miſeris, magno beneficio me tenebis obligatum, ſicut nuper, cùm memoriale ad me mitteres, pro quo gratias ago maximas. Utinam hîc poſſem rebus tuis utilem operam afferre, eam ſane ex animo impenderem; ſed nihil te fallit eum nunc eſſe rerum ſtatum, ut aut ego aut reliqui amici commodis tuis ex voto inſervire nequeamus. Spero tamen, quòd tempus mutationem hiſce inferet, quodque te brevi videbo exiſtimatione & honoribus iis florentem, quos eximiæ dotes tuæ requirant. Unde non minor mihi voluptas ſuborietur, quàm olim ex tua libertate. Interim dum extorris à patria vivis, exopto tibi omnia grata, fauſta, proſpera, ipſi tibi quæ optare poſſis. Precor Deum, hoc ut tibi donet, mihique occaſionem, ut tibi queam reipſa oſtendere, quòd ſim

Omni affectu tibi inſervire pronus

F. HENRICVS à NASSAV.

Reſponſe de la Reyne Chriſtine à feu Madame Grotius.

MADAME,

J'ay appris de voſtre lettre du 16 Juillet, comme quoy mon Ambaſſadeur a executé les ordres, que je luy avois donné touchant les livres de feu Monſieur Grotius voſtre Mary; & que nonobſtant les offres, que des autres avoyent faictes, pour s'en rendre poſſeſſeurs, vous avez eu plus de conſideration pour mes deſirs, que pour les avantages, que l'on vous faiſoit eſperer de ce coſté la, J'advoüe, que dans le plaiſir, que je prens à la lecture des bons autheurs, je ſuis tellement amoureuſe des eſcrits de Monſieur Grotius, que je ne m'eſtimerois pas contente, ſi je me voyois deſcheuë de l'eſperance de les aſſocier à ma Bibliotheque. Mon Ambaſſadeur vous peut avoir dict une partie de la haute eſtime, que je fais de ſon admirable intelligence, & des bons ſervices qu'il m'a rendu: mais il ne ſçauroit vous exprimer parfaictement à quel poinct ſon ſouvenir m'eſt cher, & les effects de ſes travaux conſiderables. Que ſi l'or & l'argent pouvoyent contribuer quelque choſe à rachepter une ſi belle vie, il n'y auroit rien en mon pouvoir, que je n'employaſſe de bon cœur pour cet effect. Jugez de là, que vous ne ſçauriez mettre ces beaux monumens & reliques entre des mains, dont ils ſoyent mieux receus & traictez, que les miennes: & puiſque la vie de leur autheur m'a eſté ſi utile; ne ſouffrez pas, que ſa mort me prive entierement des fruicts de ſes illuſtres peines. J'entens, qu'avec les livres, que d'autres ont faicts, vous me faſſiez tenir tous ſes memoires manuſcripts & extraicts, ſuivant la promeſſe, que vous m'en faites dans voſtre lettre. Vous ne me ſçauriez jamais mieux teſmoigner voſtre bonne volonté, qu'en ce rencontre, & j'ay, Dieu mercy, dequoy le recognoiſtre, & vous en recompenſer, ainſi que mon Ambaſſadeur vous donnera à entendre plus particulierement, auquel me remettant, je prie Dieu, qu'il vous maintienne en ſa ſaincte grace.

à Stocholme ce
12 d'Aouſt, 1648.

CHRISTINE.

Reſponſio Reginæ Chriſtinæ ad Mariam Reygersbergiam piæ memoriæ, H. Grotii uxorem.

EX litteris tuis decimo ſeptimo Kal. Aug. ad me datis, intellexi quo pacto Legatus meus juſſa mea ſit executus in conciliandis mihi mariti tui Domini Grotii p. m. libris, quodque neglectis aliorum, qui eorum poſſeſſores eſſe ambiebant, oblatis, majorem habueris rationem, meis deſideriis ut morem gereres, quàm propriis commodis, quorum ſpes ab altera parte affulgebat. Equidem inter voluptates iſtas, quas ex bonorum authorum lectione capio, D. Grotii ſcripta ita depereo, ut ſi ſpe mea fruſtrata nequeam iſta Bibliothecæ meæ adjungere, nunquam me voti compotem arbitratura ſim. Legatus meus fortaſſe tibi retulit partem ſummæ illius exiſtimationis, qua vigent apud me ejus admirabile ingenium, & egregia, quæ mihi præſtitit, officia; ſed perfectè non potuit exprimere, ejus memoria mihi quàm ſit cara, & ſcriptorum monumenta quàm ſuſpicienda. Sane ſi in auro & argento aliquid eſſet momenti ad redimendam vitam tam claram, quidquid eſſet in manu mea animo lubenti in hunc finem conferrem. Ex hiſce colligas, quòd egregia hæc monumenta & reliquias non poſſis committere manibus, à quibus meliùs excipiantur, & habeantur, quàm meis. Cùm horum author vivus mihi fuerit adeo utilis, ne patiare, ut ejus morte illuſtrium ejus laborum fructu planiſſimè priver. Sic intelligo, ut unà cum aliorum libris mihi omnium memorialium manuſcriptorum & breviariorum facias copiam, ſecundùm promiſſa per literas tuas mihi facta. Nunquam mihi poſſes teſtatiorem facete tuam benevolentiam, quàm hac occaſione; nec deeſt mihi, gratia Deo, unde hanc gratiam rependere teque remunerari queam, quorum Legatus meus te certiorem faciet, cui acquieſcens Deum rogo, ut te ſanctiſſimâ ſuâ gratiâ protegat.

Holmiæ prid. Idus
Auguſti 1648.

CHRISTINA.

HVGONIS GROTII
ALLOQVIVM
ad Arcam, quâ è carcere elatus eſt.

DVlces latebræ, temporis domus parvi
Anguſta, laxo quæ viam facis cœlo,
Clauſum parumper ſpiritum manumittens;
Onus quod ægrè congregum manu multâ
Interquieſcens pertulit ſerus miles,
Tandemque cœcum tradidit rati pignus,
Lati vehendum Vahalis impetu prono;
Quas Arca grates, quas tibi feram laudes?
Tibi fugata victa ſervitus ceſſit,
Tolerata ſeptem poſt biennium menſes.
Quod celſa tueor oſtia libero vultu,
Quod durus aures non ferit ſeræ ſtridor,
Obicesque multi, barbariquè cuſtodes:
Sed læta turba comiter ſalutantium,
Blandique amici, tincta litteris corda,
(Quales Thuanus, quo probatior nemo,
Puteanus, & mens erudita Tileni)
Faſtidioſas ire non ſinunt luces:
Tibi hæc, & aliud ſi quid eſt boni nobis,
Et ſi quid ultra reſtat, Arca, debemus.
Quæ merita verbis ſi libêret æquare,
Opus tot eſſet, ferre quot ſoles, libris.

Ejusdem Scazontes Albo cujusdam inſcripti.

QUos matris alvus Carcer edit in lucem,
Queis corpus animum more Carceris vincit,
Quos morte functos terra Carcer exſpectat,
Nunquam nimis timere Carcerem debent.

27 Martii 1621.

Idem in SILVA ad

FRANCISCVM AVGVSTVM THVANVM,
JAC. AVGVSTI F.
cIↃ IↃc XXI ſcripta.

NOs quoque, ſi quisquam, multum debere fatemur
Conjugio. memini, poſt tot tua vota precesque,
Cynthia cum nonum capto mihi volveret orbem,
Qualem te primum, conjunx fidiſſima, vidi
Carceris in tenebris: lachrymas abſorpſerat ingens
Vis animi, neque vel gemitu te luctus adegit
Conſentire malis. rurſus nova vincula, ſed quæ
Te ſocia leviora tuli, dum milite clauſos
Nos Moſa & triſti Vahalis circumſtrepit unda.
Heic patriam toties & inania jura vocanti
Et proculcatas in noſtro corpore leges,
Tu ſolamen eras. heic jam te viderat alter,
Et poſt ſe media plus parte reliquerat annus,
Cum mihi jura mei per te, ſolerte reperto,
Reddita. tu, poſtquam jam cæca acceperat alvus
Dulce onus, oppoſitis libabas oſcula clauſtris:
Atque ita ſemoto foribus cuſtode locuta es.
Summe Pater, rigido ſi non adamante futurum
Stat tibi, ſed precibus potis es gaudesque moveri,
Hoc quod noſtra fides lucem ſervavit in iſtam
Accipe depoſitum, tantisque exſolve periclis.
Conjugii teſtor ſanctiſſima jura, meæque
Spem ſobolis, non huc venio pertæſa malorum,
Sed miſerata virum: poſſum ſine conjuge, poſſum
Quamvis dura pati. ſi poſt exempla ferocis
Ultima ſæviciæ nondum deſerbuit ira,
In me tota ruat: vivam crudele ſepulchrum
Me premat & triplicis cingat cuſtodia valli,
Dum meus ætheriæ ſatietur paſtibus auræ
Grotius, & caſus narret patriæque ſuosque.
Dixerat, atque oculis fugientia vela ſecutis
Addit: Abi conjunx, neque te niſi libera cernam.
Quod mea ſi auderet famam ſpondere Comœna,
Acciperet quantis virtutem laudibus iſtam
Poſteritas? nomen non clarius illa teneret,
Admeto regina ſuos quæ tradidit annos,
Quæque ſuper cineres jecit ſe arſura mariti,
Dignaque tam Bruti thalamis quam patre Catone
Porcia, & in letum magno comes Arria Pæto.

LIBERATO GROTIO.

HActenus invisâ detentus carceris umbrâ
Ereptum ulterius non tulit Hugo diem.
Fata viam inveniunt. tabulis concluditur arctis,
Quemque capax mundus non capit, arca capit.
Navigat, & liber, ſimul & captivus, & inter
Spemque metumque ſuum laudat & odit opus.
Aut Solem mihi reddet, ait, fraus iſta priorem,
Aut iterum ingenio ſum miſer ipſe meo.
Quid fortuna ſtupes? toti mirabilis orbi
Non niſi vult miris liber abire modis.

LIBERATRICI GROTIÆ.

DIſcite jam Belgæ Pietas quid poſſit & uxor,
Quam faciat gratas docta virago vices.
Fœmina capta manet dimiſſo læta marito,
Miraturque ſuos ingenioſa dolos.
Non humeris fert illa virum. fraus vilior iſta eſt.
Aſſeribus tantas mancipat uxor opes.
Devehit impoſitum fatalis machina pondus,
Jamque minor parvâ Grotius æde latet.
Non audita canam. ignaro portatur ab hoſte,
Ipſaque cuſtodum dextera præbet opem.
Capta fuit ligno fallacis Breda carinæ;
Liberat hic captum lignea ciſta virum.
Secula magnanimas ſileant antiqua maritas,
Omnibus his majus Grotia nomen habet.

Raptim, C. BARLAEVS.

JOHANNIS RVTGERSII
Epigrammata de
HVGONE GROTIO.

Dies 29 Auguſti menſis Grotiano carcere nefaſtus.

HÆc eſt illa dies, quæ tanti conſcia luctûs
Grotiacas vidit vincula ferre manus:

Nec flevit ſcelerata nefas, ſed lumine ſicco
  Admiſit radios, aurëe Phœbe, tuos.
Deſine felices inter, Lux impia, luces
  Formoſo nebulam ſpargere velle die,
Sed qualis Latiis damnata eſt Allia faſtis,
  Inviſum populis tu quoque nomen habe.

In Liberationem
GROTII.

QVam bene conveniunt ſimili duo numina fato,
  Iſacidum ductor, Grotiadeſque meus?
Evaſit latitans anguſtâ Grotius arcâ:
  Servatus texto viminis ille fuit.
Huic Vahalis placidas ſubſtravit fluminis undas:
  Hoc Nilus, Moſe, fecerat ante tibi.
Excipit hunc Celtes; illum regina Canopi:
  Et reus hic patriæ eſt; & fuit ille, ſuæ.
Par quoque principium ſimilis fortuna ſequetur:
  Nam populo leges hic dabit, ille dedit.

ARCA.

HÆc ea, quæ Domini ſolita eſt portare libellos,
  Grotiadæ fuerat pondere facta gravis:
Mutatum neque ſenſit onus. Quod enim illa ferebat,
  Id quoque, ſed ſpirans, bibliotheca fuit.

JOH. RVTGERSIVS.

DAN. HEINSIVS
DE
HVGONE GROTIO,
ab uxore carceri, in quo ad vitam damnatus erat, erepto.

COnjugis auſpicio ſuperas effertur in auras
  Grotius, & geminum munus amantis habet.
Pro tenebris lucem, cum lucis munere vitam;
  Quæ cum luce ſimul penè negata fuit.
At vos, ô Proceres, jam pœnam mittite & iras,
  Sub vobis pereat ne pietatis amor.
Æneæ licuit medios geſtare per ignes
  Intactum Grajis dulce parentis onus.
Eripuit tenebris proſcriptum caſta maritum
  Thuria: nec fraudi res fuit illa viro.
Jam mortem, morti modo non vicinus, & ipſo
  In tenebris letho non leviora tulit.
Poſt vitam ſuus eſt. è morte renaſcitur ipſa.
  Naſcenti legem dicere nemo ſolet.

NIC. HEINSIVS
in Elegia ſua ad J. Aug. Thuanum
DE
HVGONE GROTIO.

TU quoque dura minus, mea patria, vatibus eſſes.
  Fallor? an admonitâ ſtat tibi fronte rubor?
Quis color excuſet, quæ dedecus eluat unda?
  Sit precor hac faſtis ne ſua parte fides.
Ille tui plauſus, certæque, Batavia, laudes
  Grotius, ille lyrâ maximus, ille togâ:
Cui nil poſt æquale dabis, nil ante dediſti,
  Actus ab auſterâ tene parente reus?
Nec ſtetit hoc in fine nefas. non digna jubentur
  Tam tibi devotæ vincula ferre manus.
Unde novercalis labem tibi, patria, noxæ?
  Heu oblita tui, nunc pia mater ubi eſt?
Mater ubi eſt? ad te fugitiva revertere mater;
  Pectora ſi nomen ferrea mite trahit.
Ne ſciat hoc infenſus Iber. odioſior hoſte es.
  Cæca ſubis partes illius, ille tuas.
Materno elapſum vix carcere fovit, & ultro
  Obtulit hoſpitium come cruentus Iber.
Nobile fers noſtri ſpolium, gens victa, pudoris:
  Maxima de ſalvo gloria vate tibi eſt.
Sed melius domui mox creditur ille Thuanæ,
  Qua patet adflictis jam vetus ara reis.
Exſulis hæc cæpere fugam penetralia magni;
  Totque ſacrum meritis detinuere caput.

IN OBITVM
HVGONIS GROTII.

SIſtite cantandi rabiem, celeberrima, Muſæ,
  Numina & afflictam dilacerate chelyn.
Pegaſeos ſubverte apices & culmina & omnes,
  Queis paſſim coleris, ſubrue, Phœbe, domos,
Et Claron & Pataram Tenedonque, & quicquid amœnum
  Et toto ſacrum Vatibus orbe fuit.
Vile poëtarum eſt, proſtrato Principe, nomen,
  Et tuus Illuſtri funere marcet honos.
Diva Themis, ſileant leges & roſtra, feroxque
  Damnet & attonitos negligat hora reos.
Jam Minöe carent. juſtique interpres & æqui
  Vult tibi, vult profugis legibus ire comes.
Gallia, quæ Gothicis miſces tua tela ſariſſis,
  Jam cauſſas, Gothico cum Jove, litis habes.
Cur, Tethys maleſana, furis? tibi nexa refringens
  Vincula, liberius per Mare ſtravit iter.
Nunc jus omne tuum, Mavors, reſcinde. furori
  Do veniam. tanti deſtina juris obit.
Optima Pax, terris nimium crudelibus exi.
  Ille tuus, læſo Numine, doctor abit.
Belgica, Hyperboreis iraſcere fluctibus. & tu
  Æole, flagranti crimine, conde caput.
Barbarus es. docto claram Pharon eripis orbi.
  Sceptraque præcelſæ mentis egere facis.
Infelix Europa, tuo pars iſta dolori
  Additur & decori deficis ipſa tuo.
Nec laudum jam vecta tubâ per regna, per urbes,
  Gentibus hunc monſtras, DELFA ſuperba, virum.
Doctrinæque facem cunctis oſtendis Athenis,
  Et noſtro exortum grande ſub axe jubar.
Exequias comitatur Arabs, Chaldæus & Aſſur,
  Hebræuſque ſuum ſuſpicit autor opus.
Cunctorum vox hujus erat. tot ſcripſerat annis,
  Et puer hæc dixit, quæ ſtupuere ſenes.
Quo quondam latuit tenebroſo carcere, fulgens
  Et celebris captæ Palladis Aula fuit.
Hic ſecura ſuas mens exſpatiata per artes,
  Tot veterum ſecum ſola recoxit opes.

Reddita libertas. anguſtis finibus, ingens
  Quem Famæ ſpatium non capit, arca capit.
Tunc Batavûm ſpiſſis Solem latuiſſe tenebris
  Vidit & obſtupuit Sol pater iſta geri.
Tunc Vahalis, tunc Moſa ipſi juraſſe ſalutem
  Creditur, & ventos increpuiſſe truces;
„ Et dixiſſe: vehis contractum capſula Magnum,
„ Qui mox, in Sueonum commoda, major erit.
Et fuit, & tantæ motus ac pondera cauſſæ,
  A ſera voluit poſteritate legi.
Poſthuma naſcentes ibunt in ſecula libri.
  Et tua prælustris prælia, Belga, leges,
Excuſſumque Tagi Dominum, partoſque triumphos,
  Aſſertamque inter buſta neceſque Fidem.
Lux Priſci, lux ille Novi, ſe ſubtrahit Ævo.
  Scriptoremque necant tempora ſcripta ſuum.
En, Moſes ſine nube patet, ſine tegmine Chriſti
  Pagina, & hoc totus diſcitur ore Deus.
Non, GROTI, me teſte, viges. te purpura dudum
  Extulit & Regum crevit honore tuus.
In te Borbonius noſtræ miracula terræ,
  Et Patriæ potuit fata notare tuæ.
Docta Caledoniæ tetigiſti ſceptra coronæ,
  Parrhaſiumque tibi, Maxime, favit ebur.
Quem venerata fuit totis Sapientia caſtris,
  Vndique tot mundi Regibus horror eras,
Et ſacrum caput Auguſtis. quo ſoſpite forſan
  Bella ſuum poterant dedidiciſſe nefas.
Indoluit ſors læva tuiſque aſperrima rebus,
  Invidiam in partes traxit iniqua ſuas.
Subductumque ſuis, non jam ſubduxit Olympo.
  Vnius ſpolium ſed ſinit eſſe Dei.

C. BARLÆVS.

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS

PRIVILEGIVM.

FERDINANDVS TERTIVS, *divinâ favente clementiâ, electus Romanorum Imperator, ſemper Auguſtus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex; Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtenbergæ, Comes Tyrolis, &c. Agnoſcimus & notum facimus tenore præſentium univerſis; quòd cùm Nobis Noſter & Sacri Imperii fidelis dilectus* Petrus Grotius, *humillimè exponi curarit, Patrem quondam ſuum* Hugonem Grotium *diverſa opera tam in Eccleſiaſticis quàm Politicis ſcripſiſſe, partem etiam eorum in publicum dediſſe, daturum etiam reliqua niſi fata invidiſſent. Cùm igitur ipſe à compluribus requiſitus omnia ejusdem opera in diverſos tomos diſtributa, videlicet:* Tomo primo, Annotationes ad Vetus Teſtamentum. Tomo ſecundo, Annotationes ad Novum Teſtamentum. Tomo tertio, continente diverſa Opuſcula Theologica, ut ſunt de Veritate Religionis Chriſtianæ. Pietas Ordinum Hollandiæ, Eorundem Ordinum Decretum cum notis. De Satisfactione Chriſti contra Socinum. Disquiſitio an ea Dogmata ſint Pelagiana, &c. De Fato. De Cœna celebranda ubi Paſtores non ſunt. Notæ ad Caſſandrum. Animadverſiones in Animadverſiones Riveti. Votum Pacis. Discuſſio Apologetici Rivetiani de Pace. Notæ ad Decalogum. De Fide & Operibus. De Antichriſto. Appendix adversùs Borboritam. Tomo quarto Politica, Tractatus de Jure Belli & Pacis. Apologeticus Rectorum Hollandiæ. De Imperio Summarum Poteſtatum circa Sacra. Oratio ſuper hac materia Amſtelodami habita. Tomo quinto Juridica; Introductio ad Jurisprudentiam Batavicam. Florum ſparſio ad Jus Juſtinianæum. De Mari Libero. Tractatus alii varii. Tomo ſexto Hiſtorica; Annales, & Hiſtoria Belli Belgici. De Antiquitate Reipublicæ Batavicæ. Obſidio Grollæ. Notæ ad Procopium. Disquiſitio de Origine Americana. Tomo ſeptimo Philologica; Notæ ad Martianum Capellam. Ad Arati Phœnomena. Ad Lucanum. Ad Senecam Tragicum. Ad Tacitum. Tomo octavo Poëtica; Anthologiæ Græcorum Epigrammatum. Excerpta ex Stobæo. Excerpta ex Tragœdiis & Comœdiis Græcis. Tragœdiæ Phœniſſa, Electra, & Supplices. Tomo nono Poëmata Latina tam edita hactenus, quam nondum edita, cum Epiſtolis. *in inferioris Germaniæ Provinciis ſub uno typo & formâ excudenda curare decreverit; Id autem cùm operis & laboris tum ſumptuum, qui eò requiruntur, neque ipſe nec quivis alius in ſe recepturus ſit, niſi Privilegio Noſtro prohibitivo munitus, quòd nemo alius dicta Opera intra quindecim annos in Sacro Romano Imperio recudere, vel alibi excuſa eodem venalia importare debeat: Atque idcirco demiſsè Nos rogarit, ut ſuæ hoc loci indemnitati privilegio Noſtro Cæſareo conſulere dignaremur: Nos ſanè humillimis id genus precibus deeſſe nolentes, omnibus & ſingulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis quamcunque librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis ſupra memorata* Hugonis Grotii *Opera per quindecim annorum ſpatium à primâ editionis die computandum, intra Sacri Romani Imperii, Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum fines ſimili aut alio quopiam charactere, vel formâ, ſive in toto, ſive in parte recudere, aut alii recudenda dare vel etiam impreſſa adducere, vendere, diſtrahere apertè vel occultè citra voluntatem & conſenſum præfati* Petri Grotii *ejusque hæredum præſumat. Si quis verò ſecus faciendo Privilegium hoc Noſtrum Cæſareum ſpernere, negligere, violare aut transgredi conatus fuerit, eum non ſolùm hujusmodi libris, perperam quippe recuſis & adductis; (quos quidem ſupradictus Petrus Grotius hæredesque ipſius ubicunque deprehenſos vel propriâ auctoritate vel Magiſtratus loci illius auxilio ſibi vendicare poterunt;) de facto privandum, ſed & pœna inſuper triginta marcarum auri puri, Fiſco Noſtro Cæſareo fraudis vindici, & injuriam paſſi ſeu paſſorum uſibus ex æquo pendenda decernimus irremiſſibiliter plectendum. Hac tamen lege ne in dictis operibus aliquid bonis moribus aut legibus Imperii contrarium aut noxium contineatur. Ac præterea declarantes quod ſi quid in iisdem doctrinæ unius veræ, ſalvificæ, Catholicæ Romanæ Religionis adverſum contineatur, id nequaquam per hoc Privilegium approbare, ſed in hoc pacis religioſæ placitis ſolummodo inhærere intendamus. Dummodo etiam prædictus Petrus Grotius ſive ejus hæredes ad minimum quaterna dictorum Operum exemplaria vel pretium eorundem, quod in electione Noſtra erit, quamprimum ſuis ſumptibus ad Imperialem cancellariam Noſtram ejusdem deſtinato Taxatori transmittant. Quod ſi neglexerint, hac Noſtrâ gratiâ & privilegio neutiquam gaudere poterint, ſed eo ſtatim privati & exuti eſſe cenſeantur. Proinde mandamus univerſis & ſingulis, Noſtris & Sacri Imperii Regnorumque & Dominiorum Noſtrorum hæreditariorum ſubditis & fidelibus dilectis cujuscunque ſtatûs, gradûs, conditionis atque præeminentiæ extiterint, præſertim verò iis qui in Magiſtratu conſtituti ſunt, ac vel ſuo vel ſuperiorum ſuorum nomine & loco juris & juſtitiæ adminiſtrationem exercent, ne quenquam hoc privilegium impunè violare patiantur, ſed ſi quos dolosè vel contumaciter eidem contravenire compererint, præſcriptâ pœnâ plecti & quibuscunque rectè fieri poteſt modis coërceri curent, quatenus & ipſi graviſſimam Noſtram & Sacri Imperii indignationem ac eandem mulctam incurrere noluerint. Harum teſtimonio literarum manu Noſtra ſubſcriptarum & ſigilli Noſtri Cæſarei impreſſione munitarum. Datum in Civitate noſtra Imperiali Ratisbonæ, die altera menſis Octobris, Anno Domini milleſimo, ſexcenteſimo, quinquageſimo tertio, Regnorum Noſtrorum, Romani, decimo ſeptimo; Hungarici vigeſimo octavo, Bohemici verò vigeſimo ſexto.*

FERDINANDVS.

V^{t}. FERDINANDVS COMES CVRTIVS.

Ad mandatum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis proprium

I. WALDERODE.

PRIVILEGE
DE
SA MAJESTÉ
TRES-CHRESTIENNE.

LOUIS, par la grace de Dieu Roy de France & de Navarre, au premier noſtre Huiſſier ou Sergeant ſur ce requis, Salut. Le Sieur de Groot, Reſident de Noſtre Couſin l'Electeur Palatin en Hollande, Nous a faict remonſtrer, qu'ayant communiqué à pluſieurs de ſes amis divers livres & manuſcripts, compoſez par le feu Sieur Grotius ſon pere, Ambaſſadeur de la Reyne & Couronne de Suede prés le feu Roy Noſtre tres-honnoré Seigneur & Pere, il auroit appris, que quelques libraires auroient ſurpris des copies de quelqu'uns d'iceux, lequels ils ont deſſein de faire imprimer à l'inſçeu de l'expoſant, & ſans ſon conſentement, ce qu'il deſireroit empeſcher, Nous requerant humblement Nos lettres ſur ce neceſſaires. *A ces Cauſes*, voulant gratifier & favorablement traicter le dit Sieur de Groot, Nous deffendons & tres-expreſſement enjoignons par ces preſentes à tous libraires, imprimeurs & autres Nos ſubjects, de quelque qualité & condition qu'ils ſoient, d'imprimer, ou faire imprimer en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, aucune des œuvres du dict feu Sieur Grotius, ſans avoir obtenu lettres de permiſſion de Nous, & ſans le conſentement du dit Sieur de Groot ſon fils, à peine de confiſcation des exemplaires, de trois mil livres d'amande, & de tous depens, dommages & intereſts envers l'expoſant, & pour l'execution des preſentes Nous te commandons faire tous exploicts neceſſaires, ſans pour ce demander autre permiſſion. *Car tel eſt* noſtre plaiſir, donné à Paris le xxiv Jour d'Aouſt, l'an de Grace mil ſix cens cinquante huict, & de Noſtre Regne le ſeizieſme.

Par le Roy en ſon Conſeil.

SALMON.

SVMMA PRIVILEGII
D. D. ORDD. BELG. FOEDERATÆ.

CAutum eſt auctoritate Sereniſſ. *D.D. Ord. Fœderatæ Belgicæ*, ne quis *Opera Hugonis Grotii*, omnia, vel aliquam eorum partem, citra voluntatem & conſenſum *P. Grotii* per annos quindecim imprimat, aut excudat; vel de alibi impreſſis in Fœderatam Belgicam inferat, atque divendat: ſub omnium librorum & alia inſuper pecuniæ mulcta, quemadmodum latiùs in diplomatis patet, datis Hagæ Comitis iv Novembris Anno cIↄ Iↄc lvi. Signatis

HANS van WYCKEL v^{t}.

ad mand. Ordd.

N. RUISCH.

Ex lege quam Cæſar, Rex Chriſtianiſſimus, & Ordines Belg. Fœd. ſupra præſcribunt, ne quis præter Joannem Blaeu Privilegiis eorum utatur fruatur cupiens ego jus omne in ipſum transſcripſi,

PETRVS GROTIVS.

HVGONIS GROTII

OPERVM
THEOLOGICORVM

TOMVS PRIMVS,

continens

ANNOTATIONES

AD

Vetus Teſtamentum.

LECTORI

H. GROTIVS.

Conſilium initio fuerat, ea tantùm quæ ad oram librorum veteris Inſtrumenti meos ad uſus notaveram, facere publici juris. Sed dum contextum relego, ſtudium juvandi poſteros provexit me longiùs, ut quæcunque obſcuritatis aliquid habere viderentur, iis quantùm poſſem lucis adferrem. Annotavi autem quæ annotanda duxi ad Latinam verſionem, pridem receptam, quam ſemper feci plurimi, non modò quòd nulla dogmata inſalubria contineat, verùm etiam quòd multùm in ſe habeat eruditionis, quanquam in dicendi genere ſatis horrido, ad cujus explicationem verbis interdum uſus ſum nitidioribus: interdum etiam ſenſum ſtudui reddere clariorem ex Hebraïcis libris, ſive quales nunc habemus opera Maſoreticorum, ſive quales olim habuere LXX Interpretes, aſſumpto etiam auxilio eorundem & aliorum Græcorum interpretum, non rarò & Chaldæorum, inſpectis & recentioris ævi verſionibus, quarum præcipuæ ſunt Tigurina ac Tremelliana. Veterum qui Commentarios ſcripsêre utiliſſimum reperi Hieronymum, ob linguæ Hebrææ locorumque ac hiſtoriarum notitiam. Et tamen in quibusdam plus ipſo vidit Chryſoſtomus, Judæorum ope quos Antiochiæ noverat. Sunt & noſtræ ætatis non ſpernendi labores Vatabli, Franciſci Junii, atque eorum quos multos legit, contractosque nobis, additis & ſuis præclaris cogitatis, ob oculos poſuit Joannes Stephanus Menochius. Ex his nunc hunc, nunc illum ſecutus ſum aliquando, aliquando ea quæ mihi videbantur, additis rationibus. In Lege ſenſum & cauſas præceptorum & mores eò pertinentes, ab antiquis Judæorum magiſtris maximè ſumpta, addidi. In Prophetiis plurimùm poſui operæ, ut ſingulas ad reſpondentes ipſis hiſtorias referrem: in quo quid præſtiterim, æqui Lectoris erit æſtimatio. In hac parte locos nonnullos, quos veteres ad Chriſtum & Euangelii tempora retulêre, retuli ad hiſtorias ævo Prophetarum propiores, ſed quæ tamen involutam habent Chriſti & Euangelicorum temporum figuram. Feci autem hoc, quòd, ni id fieret, viderem malè cohærere verborum rerumque apud Prophetas ſeriem, quæ cæteroqui pulcherrima eſt. Et talia quidem loca nobis Chriſtianis Dei conſilium patefaciunt, qui non per verba tantùm, ſed & per res nobis Meſſiam, & beneficia per ipſum exhibenda, adumbraverit. Judæis autem convincendis vel pauca, Chriſtum & tempus quo is venturus erat directè deſcribentia, ſufficiunt. Sententiis Hebræorum moralibus aut civilibus ſimiles addidi ex præſtantiſſimis Scriptoribus Græcis & Latinis. Attuli etiam ex hiſtoriis externis quicquid ad Sacræ hiſtoriæ confirmationem aut explicationem pertinet. Si qui autem ad ſibi nota, aut eadem repetita ſæpius nauſeabunt, eos oro ne mihi ſuccenſeant, ſi quamplurimorum profectus adjuvare, labores autem minuere ſtudui. Si quis verò hæc noſtra utiliter legere volet, is neceſſe eſt ſibi comparet quæ de Veritate Religionis Chriſtianæ ſcripſimus cum annotatis, item de Jure Belli ac Pacis cum annotatis, & quæ ad Euangelia annotavimus; ſæpe enim Lectorem ad iſta rejicimus. Calendis Martiis anni CIↃ IↃC XLIV.

Continentur hoc Tomo

ANNOTATIONES

AD

Geneſin, 1
Exodum, 28
Decalogum, 34
Leviticum, 60
Numeros, 72
Deuteronomium, 83
Joſuen, 103
Librum Judicum, 109
Librum Ruthis, 117
Librum priorem Samuelis apud Hebræos, primum Regum apud Latinos, 119
Librum poſteriorem Samuelis apud Hebræos, ſecundum Regum apud Latinos, 131
Librum priorem Regum apud Hebræos, tertium Regum apud Latinos, 143
Librum poſteriorem Regum apud Hebræos, quartum Regum apud Latinos, 158
Librum priorem Paralipomenon, 175
Librum poſteriorem Paralipomenon, 181
Librum Eſdræ. 190
Librum Nehemiæ, qui aliis Eſdræ poſterior, 193
Librum Eſther, 198
Librum Job, 203
Librum Pſalmorum, 221
Librum Proverbiorum, 247
Eccleſiaſten, 258
Canticum Canticorum, 267
Lamentationes Jeremiæ, 271
Eſajam, 275
Jeremiam, 343
Ezechielem, 401
Danielem, 453
Oſeen, 486
Joëlem, 504
Amoſum, 509
Abdiam, 518
Jonam, 519
Michæam, 522
Nahumum, 531
Habacucum, 535
Sophoniam, 541
Aggæum, 545
Zachariam, 548
Malachiam, 565
Tobiam, 573
Judithem, 578
Eſtheris additamenta, 586
Librum Sapientiæ Salomonis, 588
Eccleſiaſticum ſive Sapientiam Jeſu filii Sirach, 610
Librum Baruch, & Epiſtol. quæ dicitur Jeremiæ, 713
Adjecta ad Danielem, 721
Maccabaicum I, 723
Maccabaicum II, 762
Maccabaicum III, 789

AD GENESIN.

CAPVT I.

1. IN principio creavit Deus] Melius *in principio creare Deum*, id eſt, priuſquam crearet ſive formaret Deus. Bene autem legibus præpoſuit Moſes hiſtoriam à Mundo condito. Mundus enim legi, lex Mundo concinit, ut ait Philo.

Cælos & terram] id eſt univerſum hoc quale nunc eſt. Id enim Hebræi duabus illis vocibus exprimunt. Vnde & Mundus futurus hoc nomine appellatur II Petri III. 13. At ſequente verſu terra dicitur ipſa abyſſus, ſive prima moles; Ἰλὺς [*Vorago*] Phœnicibus: qua de re totaque creatione vide quæ à nobis congeſta ad librum primum de Veritate religionis Chriſtianæ.

Terra autem erat] *tunc terra erat*, &c. Terram vocat totam molem ex parte nobis notiore, quam ſtatim dicet ἄβυσσον [*abyſſum*].

2. *Inanis & vacua*] Ita rectè explicari voces תהו ובהו apparet ex Ieremia IV. 23. Sic de Mundi interitu Sophocles: γῆ δενδρέων ἔρημος [*tellus inanis arborum*].

Spiritus Dei] ἡ δύναμις ἡ διαπλαστική [*vis formativa*], ſive ut Chryſoſtomus loquitur ἐνέργεια ζωτική [*efficacia vivifica*]. Vide quæ ad dictum librum de Veritate religionis Chriſtianæ, & adde Iobum XXVI. 13.

Ferebatur] מרחפת, id eſt, ſupervolitabat, ut hic interpres hanc vocem vertit Deut. XXXII. 11. Ἐμφέρεσθαι [*ſuperferri*] hoc ipſum dixit Numenius, Tertullianus *ſupervectari*.

Super aquas] Quæ ut leviores obtegebant terram. Vide Strabonis locum à nobis productum. Ex his attenuatis aër: unde aquæ pro aëre infrà 20. Moſi οὐρανὸς νότειος καὶ ὑετώδης [*cælum humidum & imbriferum*], ait Ioſephus. Cicero de Natura Deorum ſecundo aërem eſſe ait vaporem ex aquis.

3. *Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux*] De his verbis vide Dionyſii Longini locum, quem in dictis Annotatis protulimus. Τὰ πρῶτα τρία σώματα, γῆ, ἀὴρ, πῦρ [*Tria prima corpora, terra, aër, ignis*]. Plut. & illa Parmenidis principia *lucidum* & *tenebroſum*.

4. *Quod eſſet bona*] id eſt propoſito ſuo congruens. Pherecydes: Ζὰς ποιεῖ φάρος μέγα τε καὶ καλὸν, καὶ ἐν αὐτῷ ποικίλλει γῆν καὶ ὤγηνον καὶ τὰ τοῦ ὠγήνου δώματα [*Iuppiter fecit velum magnum & pulchrum, in quo pinxit terram & Oceanum & Oceani domos*]. ubi Oceani domos inſulas intellige. Platoni καλὸς ὁ κόσμος [*pulcher eſt mundus*]. Seneca epiſtola LXV. de Deo: *bonus eſt, bona fecit*.

5. *Veſpere & mane*] vide dicta Annotata ad librum primum de Verit. relig. Chriſt.

6. *Fiat firmamentum*] Vox רקיע propriè redditur τάσις [*extenſio*], qua voce Plato in Timæo hac ipſa de re utitur. Videtur autem ſimilitudo ſumpta à tentorio, quod funibus quibuſdam ſuſtinetur ne decidat. Vide Pſal. CIV. 2. dicitur autem non tantum de cœlo aſtrifero, ſed & de cœlo qui dicitur aër, ut Lucretii verbis utar. Prior ſignificatio apparet infra 14. altera infra 21. apud Chaldæum Paraphraſten Pſal. XIX. Kimchi ad Pſalm. LXXVII.

Aquas ab aquis] Plinius libro 31. *Quid eſſe mirabilius poteſt aquis in cælo ſtantibus?*

7. *Super firmamentum*] Quod ſupra cœlos dixit Pſal. CXLVIII. 4. Hinc catarractæ cœli, infrà VII. 12.

9. *Dixit vero Deus*] Hebræi exponunt: *Cùm dixiſſet Deus*, ut ſit ἐπάνοδος [*Retrogreſſio*]. Putant enim hoc factum die ſecundo. Hebræis idem Præteritum modò perfecti, modò imperfecti, modò pluſquamperfecti habet ſignificationem. Sic mox II. 2. *complevit*, id eſt *compleverat*.

12. *Herbam virentem*] in Hebræo eſt רשא עשב quorum hoc tenellam herbam, illud robuſtiorem ſignificat.

Facientem ſemen] מזריע ſementantem, ut Plinius loquitur.

14. *In ſigna*] Homerus:

Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν, ἐν δὲ θάλασσαν·
Ἐν δὲ τὰ τείρεα πάντα τά τ' οὐρανὸς ἐστεφάνωται.
[*Fecit ibi mare fluctivagum terraſque virentes,*
Fecit ibi cælum cælique ardentia ſigna.]

Aratus de Deo:

Αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξε.
[*Ipſe etenim in magno defixit ſidera mundo.*]

Idem:

Αἱ μὲν ὅμως ὀλίγαι καὶ ἀφεγγέες· ἀλλ' ὀνομασταὶ
Ἠέριαι καὶ ἑσπέριαι, Ζεὺς δ' αἴτιος, εἱλίσσονται,
Ὅς σφισι καὶ θέρεος καὶ χείματος ἐρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσεν, ἐπερχομένου τ' ἀρότοιο.
[*Illæ non multo cum lumine, ſed bene notæ*
Veſpere (nam voluit Deus hoc) & mane feruntur.
Idem illas hyemis venientis juſſit & æſtus
Signa dare, & quando terras ſit tempus arandi.]

Et tempora] Sidera ὄργανα τοῦ χρόνου [*inſtrumenta temporis*], vocat Proclus Theologiæ VI.

16. *Vt præeſſet diei*] ἥλιος ἄστρον ἡμεροφανές [*Sol aſtrum de die lucens*]. Ariſtoteles Top. VI. 3.

20. *Reptile*] νηκτὸν [*natatile*].

26. *Faciamus*] Mos eſt Hebræis de Deo, ut de Rege loqui. Reges res magnas agunt de conſilio Primorum. I Reg. XII. 6. II Paral. X. 9. Sic & Deus I Reg. XXII. 20. Vid. & infra XI.

Ad imaginem & ſimilitudinem noſtram] Frequens Hebræis jungere voces idem ſignificantes ἐξηγητικῶς [*explicando*], ut Homerus πολεμίζειν ἠδὲ μάχεσθαι [*bellare atque edere pugnas*]. Vtrumque conjunctum etiam de humana generatione quæ liberos producit parentibus congeneres, legas infrà V. 3. Seorſim autem ad ſimilitudinem Dei. Gen. V. 1. ad imaginem Dei. IX. 6. *ad effigiem* dixit Ovidius. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμὲν [*nos genus illius*], Aratus. Sic & nova creatio, κατ' εἰκόνα τοῦ κτίσαντος [*ſecundum imaginem ejus qui creavit illum*]. Coloſſ. III. 10. id eſt κατὰ θεὸν [*ſecundum Deum*]. Eph. IV. 24. In quo autem homo creatus ſit ad Dei inſtar, explicant ſequentia, ut & apud Ovid. *Et quod dominari in cætera poſſet.*

Nimirum διὰ τὸ ἐπιστημονικὸν [*ob ſcientiarum capacitatem*], de quo vide Galenum in exhortatione ad artes, & Baſilium hoc loco. Antiphon:

Τέχνῃ κρατούμεθ᾽ ὧν φύσει νικώμεθα.
[*Natura quorum ſuperat, arte hæc vincimus*].

Euripides:

Βραχύ τοι σθένος ἀνέρος,
Ἀλλὰ ποικιλίαις πραπίδων
Δαμᾷ φῦλα πόντου,
χθονίων τ᾽ αἰθερίων τε παιδεύματα.
[*Vis exigua eſt, quamcunque homini*
Natura dedit, ſed conſiliis
Variis artes, quæ nata mari,
Et quæ terra cæloque domant.]

Latius id explicatum legere qui volet, adeat Plutarchum de Fortuna, & Oppianum de Piſcatu quinto. Homo Dei ſimulacrum etiam Platoni. Vide Lucianum de Imaginibus.

27. *Maſculum & feminam creavit eos*] Mirum quam conveniant Rabbinorum ſuper hac re explicationes, & ea quæ Plato habet in Convivio: quæ tamen, undecunque profecta ſunt, vana eſſe non dubito. Eſt enim πρόληψις [*Anticipatio*] ejus, quod dicitur infra II. 21. quæ figura ut aliis ita his libris frequens.

29. *Vt ſint vobis in eſcam*] Cætera alimenta homini cum animantibus aliis communia. Sed quæ de arboribus naſcuntur, homini propria.

30. *Vt habeant ad veſcendum*] Herbas nempe, quod hîc in Hebræo additur. Non ergo ab initio animantia animantibus veſcebantur, ſed tum demum id cœptum fieri, cum non homines tantum, ſed & alia animantia viam ſuam corruperunt. Gen. VI. 7. 12.

31. *Dies ſextus*] Qui numerus φύσεως νόμοις γεννητικώτατος [*naturæ legibus maxime genitalis*], ut ait Philo: Veneri ob id attributus, ut ait Capella. Adde τὰ θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς [*librum: quæ ad Arithmeticam Theologica dicuntur*], ubi in hoc numero dicitur ἐνεψυχῶσθαι καὶ καθηρμόσθαι τὸν κόσμον, τυχεῖν τε ὁλότητος καὶ διαμονῆς [*animatum & ordinatum mundum adeptumque ſuam integritatem ac durationem*]. addit idem liber hunc numerum vocari κόσμον [*mundum*].

CAPVT II.

2. *ET omnis ornatus eorum*] צבא שמים *exercitus cælorum* modo ſunt ſtellæ Deut. IV. 19. Eſaiæ VII. 26. modo Angeli I Reg. XXII. 19. Hic prior ſignificatio præferenda, quia Moſem non niſi de rerum quas conſpicimus conditu agere probabilior ſententia eſt.

3. *Vt faceret*] id eſt, faciendo ἐξηγητικῶς [*per explicationis modum*]. Sæpe enim עשה *facere* ponitur pro ברא *creare*. Sic ὁ ποιήσας [*qui feciſti*] Act. IV. 24.

4. *In die quo fecit Dominus Deus cælum & terram*] Dies hîc tempus ſignificat. Sic ביום [*in die*] Num. VIII. 17. de tempore nocturno.

5. *Omne virgultum agri*] שיח [*planta*] etiam arbores comprehendit. Et ſic interpres hîc vertit Gen. XXI. 15. ubi Græci ὑποκάτω ἐλάτης [*ſub abiete*].

6. *Sed fons aſcendebat è terra*] In antiquiſſimo codice, quo uſus eſt Saadias, appoſita hîc erat negans particula, quod non improbem, ſi adſit plurium codicum conſenſus, ut rationem reddat Moſes cur hortum illum, de quo jam aget, Deus inter magna flumina conſtituerit, nempe quia de cœlo adhuc ſuam puritatem retinente, non cadebant imbres, & recens facta aquarum à terris in ſuos alveos diſceſſione, nullæ novæ ſcatebræ è terra ebulliebant. Nam quod hîc in Hebræo eſt אד, πηγὴ eſt LXX. interpretibus, & fons Latinis: ἐπιφλυγμὸς [*ebullitio*], ut hîc poſuit Aquila, aut ἐπιβλυσμὸς [*ſcatebra*], ut Symmachus, Iob XXX. 12. & Prov. I. 26. Frequens autem eſt illis LXX. ut & Novi Teſtamenti ſcriptoribus, πηγὴν [*fontem*] ponere pro qualicunque humoris eruptione. Vide quæ dicta nobis ad Marcum V. 29.

7. *De limo terræ*] *Lutum* dixit Martialis, πηλὸν Callimachus bis: Heſiodus γαῖαν ὕδει φύρειν [*tellurem lymphæ miſcere*].

Aſpiravit in faciem eius ſpiraculum vitæ] Quanquam & aliorum animantium ſpiritus à Deo eſſe aliquo ſenſu dici poteſt, non tamen ſine cauſa ſpeciatim hoc de hominis ſpiritu, ut diviniore, dixit Moſes, & Iob XXXIII. 4. Neque vero hic ſpiritus in nares inditus dicitur, ſed in faciem totam, mentis indicem, & loquendi capacem, qua de cauſa ſpiritum loquentem hîc poſuit Paraphraſtes Chaldæus. De immortalitate vero animi ſeparatim hîc non agi videbit qui contulerit inter ſe, & conſideraverit loca Iobi XXXIV. 14. Pſal. CIV. 29. Actor. XVII. 25. Eccleſ. XII. 7. Nimirum hoc non primæ, ſed novæ eſt creationis: ſive ad ſtatum ſæculi futuri pertinet.

9. *Lignumque ſcientiæ boni & mali*] Vide quæ hac de re annotavimus ad cap. II. libri II. de Iure belli ac pacis. φυτὸν ὀξύτητος διανοίας [*plantam ad ſubtilitatem mentis*], vocat Ioſephus. Scientiam homo ſecum non adfert, nec ideo miſer eſt. quin dicere auſus Euripides:

Ἐν τῷ μαθεῖν γὰρ οὐδὲν ἥδιστος βίος,
Ἕως τὸ χαίρειν καὶ τὸ λυπεῖσθαι μάθῃς.
[*Nil quippe ſcire, vita jucundiſſima eſt,*
Diſcas priuſquam gaudia & luctus pati.]

qui & alibi:

Ὁ μηδὲν εἰδὼς, οὐδὲν ἐξαμαρτάνει.
[*Qui nil ſcit, is profecto delinquit nihil.*]

Cicero tertio de natura Deorum, prudentiam conſtare ait ex ſcientia rerum bonarum & malarum, & nec bonarum nec malarum: cui autem mali nihil eſt, ei nihil opus delectu bonorum & malorum. Et poſtea dicit, calliditate perpaucos benè uti, qui tamen ipſi ſæpè à malè utentibus opprimantur: innumerabiles autem malè uti, ut donum hoc ad fraudem hominibus, non ad bonitatem impertitum eſſe videatur. At naturaliter homo ſicut ſciens non eſt, ita omnis etiam non neceſſariæ, ſæpe nec utilis, ſcientiæ eſt appetens. Vide Ariſtotelem initio τῶν μετὰ τὰ φυσικὰ [*eorum quæ poſt Phyſica tractantur*]: & Plutarchum libro, Non poſſe ſuaviter vivi ſecundum Epicurum. Illo igitur tempore, rebus cæteris affluentibus, nulla potuit homini adferri tentatio efficacior.

10. *Et fluvius egrediebatur*] Fluvius hîc ponitur pro magna aquarum copia. ſunt enim alioqui amnes quatuor, ut jam ſequitur. Apparet id evidenter commate 14.

Dividitur in quatuor capita] In Hebræo magis proprie *dividitur, & eſt in quatuor capita*. Vbi *in* abundat, ut Matth. XIX. 6. Apparet autem ex duobus

bus non dubiis amnibus Euphrate & Tigride hos hortos illis in locis fuiſſe, de quibus Dionyſius Periegetes:

> Ὅσση δ᾽ Εὐφρήτου καὶ Τίγριδος ἔνδοθι γαῖα,
> Τήνδε περικτίονες μέσσην ποταμῶν ἐνέπουσι.
> Οὐ μὲν τοι κείνης γε νομοὺς ὀνόσαιτο βοώτης,
> Οὐδ᾽ ὅστις σύριγγι κερώνυχα Πᾶνα γεραίρων
> Μήλοις ἀγραύλοισιν ἐφέσπεται. οὐδὲ μὲν ὕλην
> Παντοίην φυτοεργὸς ἀνὴρ ἀθερίσσατο καρπῶν·
> Τοίη ἐπὶ κείνης ἄροσις πέλει. ἐν μὲν ἀέξειν
> Ποίην, ἐν δὲ νομοὺς εὐανθέας· ἐν δὲ καὶ ἀνδρῶν
> φύτλην καλλίστην τε καὶ ἀθανάτοισιν ὁμοίην.
> [*Quæ jacet Euphrate contenta & Tigride tellus,*
> *Hanc inter fluvios priſci dixere coloni.*
> *Bubſequa non ejus contemnat paſcua terræ,*
> *Nec qui Pana canens & arundine lætus agreſti*
> *Nocturnas cuſtodit oves. non conſitor horti*
> *Omnigenûm ingentes pomorum ſpernat acervos.*
> *Tanta illic meſſis. felicia paſcua florent,*
> *Et frondent herbæ, & forma ſupereminet omnes*
> *Gens ea pulchra virûm, Dîs immortalibus æqua.*]

Curtius lib. v. *Inter Tigrim & Euphratem jacentia tam uberi & pingui ſolo ſunt, ut à paſtu repelli pecora dicantur, ne ſatietas perimat. Cauſa fertilitatis eſt humor, qui ex utroque amne manat, toto ferè ſolo per venas aquarum reſudante.* Vbertatem ejus ſoli & Plinius prædicat libro v. cap. 26. libro autem XVIII. 17. *Babylone tamen bis ſecant, tertio depaſcunt, alioquin folia tantum fierent. Sic quoque cum quinquageſimo fœnore meſſes reddit exilitas ſoli: verum diligentioribus cum centeſimo. Neque eſt cura difficilis. Quàm diutiſſimè aquari gaudent, ut prœpinguis & denſa ubertas diluatur. Limum autem non invehunt Euphrates & Tigris, ſicut in Ægypto Nilus. nec terra ipſa herbas gignit. Vbertatis autem tantæ ſunt, ut ſequente anno reſtibilis fiat ſeges impreſſis veſtigio ſeminibus.* Hieronymus notat in Meſopotamia oves bis parere. Inde toti illi tractui nomen Heden, id eſt ἡδονῆς [*voluptatis*]. II Regum XIX. 12. Ezech. XXVII. 23.

11. *Phiſon*] Hunc, quia Tigridi jungitur, ſervatâ nominis antiquitate Paſitigrin vocant. Vide Plinium libro VI. 29. Curtium dicto libro v. Strabonem libro XV.

Omnem terram Hevilath] In Hebræo eſt החוילה *Chavila.* ſed Syri pro ה ponunt ת ut ſit חוילת [*Chavilath*], & ſæpè addito א dicunt חוילתא [*Chaviltha*]: unde Χαυλοταῖοι Eratoſtheni apud Strabonem. Phiſonis fluminis inter Niſibim & Aſpam meminit Haitho.

12. *Bdellium*] Rectiùs *margarita* ut voluit Kimchi & Benjamin, ubi Catipham deſcribit.

13. *Gehon*] גיחון Nomen eſt quod non uno in loco reperitur. Vide I Reg. I. 33. II Paralip. XXXII. 30. XXXIII. 14. Significat enim ἐκβολὴν, id eſt, divertigium fluminis. Eſt autem aut Armalca Plinio, ſed corruptè, nominatus libro v. cap. 26. rectiùs Ammiano Marcellino Naarmalcha נהר מלכא [*flumen regis*] duobus locis libris XXIII. & XXIV. Straboni ex Syriaco in Græcum tranſlato nomine βασίλειος ποταμὸς, & ſic eidem illi Marcellino dicto libro XXIII. ſed alio loco, flumen regium: aut ſi id minus placet, quod à regum aliquo factus is credatur alveus, & inde nomen habere, Chaboras: quem cum Euphrate conjungi Ptolemæus teſtatur. Vide & Strabonem. Flumen Gichon nomine cum Tigride nominat Perſica hiſtoria. Vide Teixeram.

Æthiopiæ] Hebræis כוש [*Chus*], unde Κίσσιοι [*Ciſſii*], Æſchylo apud Strabonem.

14. *Tygris*] In Hebræo חדקל [*Hidekel*], unde cum additamento Syriaco, de quo jam aliquid diximus, factum חדקלתא [*Hidiklito*], & prima gutturali, quæ facile perit, extrita, Diglito, quod nomen eſt apud Plinium libro v. 27. Inde Græci corrupta pronuntiatione Tigridem fecere. Vide quæ dicemus ad II Reg. XV. 29.

Ipſe vadit contra Aſſyrios] In Hebræo קדמת אשור id eſt, in conſpectu Aſſyriæ, quo ſenſu κατέναντι [*contra*], quod hîc LXX. Interpretes habent, ſæpe ſumitur: ideo aliis in locis vertunt ἐνώπιον [*in conſpectu*].

Euphrates] In Hebræo הוא פרת [*ille Pherath*], ille eximius amnis nomine Pherath aut Phrahatis dictus. nam ſunt & alibi amnes eo nomine, à fœcunditate appellati. Ex illo articulo excellentiam deſignante, & ex nomine illo communiore, factum Græcum nomen, Euphrates.

15. *Tulit*] ſuaſione. Rabbi Solomo hîc. Sic ἀνήχθη [*abductus eſt*] Matth. IV. 1.

16. *Ex omni ligno paradiſi comede*] Homerus:

> ——— ἐσθλὰ δὲ πάντα
> Τοῖσιν ἔην. καρπὸν δ᾽ ἔφερε ζείδωρος ἄρουρα
> Αὐτομάτη, πολλόν τε καὶ ἄφθονον.
> [——— *Illis cuncta fluebant*
> *Proſpera: frugem etiam tellus inarata ferebat*
> *Sponte ſua, multam, egregiam.*]

17. *In quocumque enim die comederis*] id eſt: cùm primum comedes. Simile loquendi genus Dan. III. 5. 15.

Morte morieris] Vires tuæ, ſuſtentatæ ante per arborem vitæ, deficient: quæ via eſt ad mortem. Syri interpretes hîc habebant, *mortalis eris*: quod notant Ambroſius & Hieronymus.

18. *Adjutorium ſimile ſibi*] Hebraice כנגדו coram ipſo, id eſt ut miniſtret ipſi. Sic ponitur I Sam. XXIX. 8. I Reg. X. 8. Senſum expreſſit Paulus I Cor. XI. 9. vide & infra III. 12. Cicero ex Oeconomicis Xenophontis: *Maritale conjugium ſic comparatum eſt natura, ut non ſolum jucundiſſima, verum etiam utiliſſima vitæ ſocietas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret. propter hoc mas cum femina eſt conjunctus: deinde ut ex eadem hac mortalitate adjutoria ſenectutis, nec minus propugnacula præparentur.* Vbi vides ipſam adjutorii vocem.

19. *Vt videret quid vocaret ea*] Eſt id dominii ſignum, ut recte notavit Chryſoſtomus. Manifeſtum id ex Pſal. CXLVII. 4.

21. *De coſtis ejus*] Chaldæus vocem צלע expoſuit *partem*: ut obſervavit Maimonides: ſic & Græci μέρος [*partem*] verterunt Exodi XXVI. 26. 35. XXXVI. 27. Ægyptii coſtas in ſomniis ad uxores referebant, teſte Achmete.

23. *Os ex oſſibus meis*] Velut de me genita. Servius ad illud IV. Æneidos:

> *Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor.*

Sane Punici ex oſſibus dicunt oriri poſteros: quos nos ex ſanguine. Punica lingua Hebrææ proxima, ut notatum & aliis, & nobis alibi. Adde I Cor. XI. 8.

Virago] Viras Romani olim feminas vocabant. Notatum Feſto. Sic veteribus Germanis à *man*, quod virum ſignificat, *minne*, id eſt femina, quomodo nunc nutrices vocantur. Inde *meerminne*, femina maris, Siren ſive Nereis: inde verbum *minnen*, γυναικοφιλεῖν, quod poſtea laxius uſurpatum. Symmachus cum in Græca lingua nihil reperiret ſimile, finxit vocem ἀνδρίδα. Hoc rectius quam quod Theodotion אשה derivat à נשא, quod interdum ſignificat aſſumere.

24. *Adhærebit*] Græci magis proprie προσκολληθήσεται [*agglutinabitur*], ut & Matthæi interpres XIX. 5. Marcus X. 7. Paulus Epheſ. V. 31.

Et erunt duo in carne una] Illud *duo*, quod hîc habet Latinus, ad ſenſum plenius exprimendum addendum cenſuere & Græci, & Samaritanus, & Matthæi interpres XIX. 5. Socratis ſententiam ſic refert Ariſtoteles II. Polit. IV. ἐρῶντας συμφύεσθαι ἐκ δύο ὄντων ἀμφοτέρους ἕνα [*Qui ſe amant mutuo, eos ambos ex duobus unum quid fieri*]. Plutarchus Sympoſiacis: ὥστε δύο ὄντας ἕνα γεγονέναι [*Ita ut qui duo fuerant, unum fiant*]. Ovidius Triſtium IV. 4.

Qui duo corporibus, mentibus unus erant.

CAPVT III.

1. S*Erpens*] Hinc, puto, ille ſerpens malorum aureorum cuſtos apud Poëtas. לחש Ægyptiis Νειός.

Callidior] Sic & Aquila, πανοῦργος ἀπὸ παντὸς ζώου [*callidior omni animali*]. Sic πανουργίαν [*aſtutiam*] ſerpenti tribuit Paulus I Cor. XI. 3. & Hebræum ערום per πανοῦργον [*callidum* ſive *aſtutum*] vertunt Græci ubique in Iobo & Proverbiis. At LXX. hîc φρονιμώτερος [*prudentior*]. Solet enim vox φρονίμου [*prudentis*] & in bonam & in malam partem ſumi, ut apparet Luc. XVI. 8. in ſenſu medio ponitur Matt. X. 16. ubi Chriſtiani jubentur eſſe φρόνιμοι [*prudentes*] ut ſerpentes. Vide de aſpide Pſal. LVIII. 5. 6. Notandum vero quod Servius notat ad II Georgicon, ſerpentium alios repere toto corpore, alios erigi corporis parte, ubi & Lucani hunc verſum citat:

Et contentus humum cauda ſulcare pareas.

Iaculum, ſerpentis genus, ex arborum ramis vibrari tradit Plinius libro VIII. c. XXIII. Hic Arabum *volucer ſerpens* dicitur Lucano libro VI. eidem libro IX. *Iaculique volucres.* Eodem libro:

Ecce procul ſævus ſterilis ſub robore trunci
Torſit & immiſit (Iaculum vocat Africa) ſerpens,
Perque caput Pauli tranſactaque tempora fugit.
Nil ibi virus agit. rapuit cum vulnere fatum.
Deprenſum eſt quæ funda rotat, quam lenta volarent,
Quam ſegnis Scythicæ ſtrideret arundinis aër.

Græce dicuntur ἀκοντίαι. apud Agatharchiden, Strabonem, Diodorum Siculum. Paulùm alatos dixit Herodotus. Reſpondet imago rei ſuæ. nam & diabolus, Samaël Iudæis, נחש [*Serpens*], ὁ ὄφις ὁ ἀρχαῖος [*Serpens antiquus*] Apoc. XII. 9. XX. 2. callidiſſimus II Cor. II. 11. XI. 14. Epheſ. VI. 11. 12. Apoc. XII. 9. & ſuperbus I Tim. III. 8. & celer I Petri V. 8. Pherecydæ Syro ὀφιωνεὺς [*ophioneus* id eſt *Serpentinus*] mali princeps.

3. *Et ne tangeremus illud*] Male recitat legem, nam de tactu nihil Deus dixerat: mox tactum experta innoxium, idem de guſtu ſperavit.

4. *Nequaquam morte moriemini*] quaſi dicat, nihil in eo pomo eſt mortiferum.

5. *Scit enim Deus*] Eſt in Hebræo כי, ſed ejus particulæ ſæpe adverſativa eſt ſignificatio, ut recte per *ſed* vertas.

Eritis ſicut dii ſcientes bonum & malum] Divinum eſt ſcire quamplurima. Homerus de Iove: πλείονα ᾔδει [*plurima norat*]. Et alibi: θεοὶ δέ τε πάντ' ἴσασιν [*omnia namque ſciunt Dii*]. Epicharmus:

Ὁ δέγε τὰς τέχνας ἅπασι συνέπεται θεῖος λόγος.
[*At divina ratio eſt artis opifex & comes omnibus*].

Scientia, Deorum vita Ciceroni in Hortenſio. Hoc donum, quantum opus erat, à Deo precibus impetrare debuerant ad uſum imperii ſibi divinitus dati, non autem id per ſe ſumere. Pro hac arbore ignem ſubſtituerunt Poëtæ; inſtrumentum quippe artium prope omnium & victus delicatioris. Conjunxit utrumque Claudius Neapolitanus apud Porphyrium libro de Abſtinentia primo. Adde Moſchionis carmen apud Stobæum titulo de Tempore.

6. *Aſpectuque delectabile*] In Hebræo נחמד להשכיל [*gratum conſideratu*], in Græco ὡραῖόν ἐστι τοῦ κατανοῆσαι, id eſt, ſalubre, quantum ex aſpectu conjectari poterat.

7. *Cumque cognoviſſent ſe eſſe nudos*] Id eſt, didiciſſent quis maris, quis feminæ uſus. Nuditas Hebræis τὰ γεννητικά [*partes genitales*]. Vide I Corint. XII. 23. & dictum locum de Iure belli ac pacis. Pudorem non eſſe viri perfecte boni dicit Ariſtoteles fine quarti Nicomacheorum.

Conſuerunt folia ficus] Ferme ut Vlyſſes Homericus Odyſſeæ Z'.

Ὣς εἰπὼν θάμνων ὑπεδύσετο δῖος Ὀδυσσεύς·
Ἐκ πυκινῆς δ' ὕλης πτόρθον κλάσε χειρὶ παχείῃ
φύλλων, ὡς ῥύσαιτο περὶ χροῒ μήδεα φωτός.
[*Hæc ubi fatus erat de luco prodit Vlyſſes,*
Frondoſumque manu decerpſit ab arbore ramum,
Vt partes tegeret quas nudas ferre vetat mos].

8. *Ad auram*] Cum motu quodam aëris inſolito, qui ſignum divinæ præſentiæ. I Reg. XIX. 12. Act. II. 2.

Poſt meridiem] Aut ipſo meridie היום *de die*: ſolet enim pars potiſſima totius nomen induere. Eo tempore viſa & Græci expectabant. Theocritus Idyllio I.

Οὐ θέμις, ὦ ποιμὰν, τὸ μεσαμβρινὸν, οὐ θέμις ἄμμιν
Συρίσδεν. τὸν Πᾶνα δεδοίκαμες.
[*Non nobis calamos animare in carmina, Paſtor,*
Sole licet medio. Pan eſt metuendus].

Ovidius Faſtorum IV:

Nec Dryadas, nec nos videamus labra Dianæ,
Nec Faunum medio cum premit arva die.

11. *Quis enim indicavit tibi*] Id eſt, indicaverat. Vide ſupra I. 9.

14. *Super pectus tuum gradieris*] Repreſſa illa agilitate.

Et terram comedes] id eſt, ſolo pulvere paſceris Eſaias LXV. 25. Ejectus è paradiſo non ultra arborum pomis frueris. Allegoricum ſenſum vide Micheæ VII. 17. Pſal. LXXII. 9. Eſaiæ XLIX. 23.

15. *Inter te & mulierem*] Mulier enim ad talia vi-

ro magis meticuloſa. Senſum allegoricum vide Apoc. XII.

Et ſemen tuum] Omne ſerpentum genus. Allegorice impii. Ioh. VIII. 44. Act. XIII. 10. I Ioh. III. 8. Sic Cananæi ſemen ſerpentis, Abarbanieli ad hunc locum.

Et ſemen illius] Semen mulieris, ſive nati ex muliere ſunt homines extra Adamum omnes. Iobi XIV. I. XV. 14. XXV. 4. Matth. XI. 11. Luc. VII. 28. Sirachidæ X. 17. Idem eſt σπέρμα [*ſemen*] quod γέννημα [*progenies*], diciturque etiam de mulieribus, ut infra IV. 25. Sicut allegorice mulier Eccleſia, ita ſemen mulieris, ſinguli qui ad Eccleſiam pertinent. Gal. IV. 26.

Ipſa conteret caput tuum] Quaſi de muliere ageretur, ſenſu non malo. Sed Hebræus textus, quem nunc habemus, maſculinum præfert, tum in pronomine, tum in verbo, ut appareat referri ad ſemen זרע quod Hebræis eſt generis maſculini. Et ſic hunc locum explicat Irenæus III. 38. LXX. αὐτὸς [*ipſe*] poſuere ex Hebræo, quanquam apud Græcos σπέρμα [*ſemen*] neutrius eſt generis. Itaque ſic conſtructionem fecere, quaſi præceſſiſſet non σπέρμα, ſed, quod idem ſignificat, σπόρος [*ſatus*]. Eos ſequitur Irenæus IV. 78. Et Cyprianus Teſtimonio XI. libri II. adverſus Iudæos. Tales ubique multæ ſunt conſtructiones πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad ſignificatum relatæ*]. conteret caput tuum ישופך ראש συντρίψει [*conteret*]. Rom. XVI. 20. Caput calcare eſt contemtus nota, Ezech. XXXIV. 18. inde qui præſidio divino confidunt, dicuntur aſpidem calcare Pſal. XCI. 12. πατεῖν ἐπάνω ὄφεων [*calcandi ſupra ſerpentes*] Luc. X. 19. Poteſtatem calcandi ſuper colubros & ſcorpios dixit Tertullianus adverſus Marcionem IV. Idem *urgere beſtiam calce*, in Scorpiaco. In capite enim ſerpentis vis maxima mali. Eccleſiaſtici XXV. 21. Sic Chriſto duce, diabolo facile reſiſtunt, eumque ſuperant Chriſtiani. Iac. IV. 7. I Petr. V. 9. I Ioh. II. 13. 14.

Et tu inſidiaberis calcaneo ejus] Ita ſolent ſerpentes. Geneſ. XLIX. 17. Nicander de chelydro:

Ἤ τοι ὅτ' ἐν κώληπος ἢ ἐν ποδὸς ἴχνει τύψῃ.
[*Si talum pupugit, pedis aut veſtigia læſit*].

Ovidius Metam. X:

Occidit in talum ſerpentis dente recepto.

Inde nomen ſolpugæ. Claudius Neapolitanus: οἱ ὄφεις πατηθέντες δάκνουσι [*ſerpentes calcati mordent*]. Sic diabolus poſtquam de Imperiis & vi cogente decidit, ex inſidiis maxime agit. II Cor. II. 11. XI. 3. 14. Epheſ. VI. 11. Illud vero *inſidiaberis* videtur eſſe ex lectione Græca τηρήσεις, pro quo alii codices habent πειρήσεις, id eſt, mordebis, quod propius accedit ad Hebræum תשופנו.

16. *Multiplicabo ærumnas & conceptus tuos*] Id eſt, ærumnas ex conceptu, prægnantium ſcilicet mala. Frequens ſacris literis figura ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*]. Vide quæ notavimus ad Ioh. III. 5.

In dolore paries filios] Nam ſi legi divinæ obſecuta eſſet, arbor vitæ faciliores ei feciſſet partus quam ulla ariſtolochia. Nunc inter omnia feminini ſexus animantia maxime in partu vexatur mulier: quod notatum Ariſtoteli de Hiſtoria animantium VII. 9.

Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tibi] Hebræum illud אל-אישך תשוקתך ad verbum *ad virum appetitus tuus*, optime expreſſit hîc interpres, ut & Abeneſdra: ſignificat enim ea locutio libertatis ejus quam homo naturaliter appetit imminutionem, ut infra de jure primogenitorum IV. 7. Senſus eſt: non ſemper cum mulieribus mariti agent amice, & κατὰ συγκατάβασιν [*ſemet accommodando*]. Sæpe imperabunt quæ uxoribus diſplicent: tamen parendum erit ex lege generali humani generis. Libertas eſt facultas ejus quod cuique facere libet, ut Romani definiunt. Zeno libertatem definit ἐξουσίαν αὐτοπραγίας [*facultatem pro ſua voluntate agendi*]. Perſius:

An quiſquam eſt alius liber, niſi ducere vitam
Cui libet ut voluit?

Dion Pruſæenſis oratione XIV. τὸ ἐλεύθερον, τὸ μηδενὸς ὑπήκοον, ἀλλὰ πράττειν ἁπλῶς τὰ δοκοῦντα ἑαυτῷ [*Liberum eſt quod nemini paret, ſed plane agit quod ipſi viſum eſt*]. Et mox: ἔχων αὐτὸς τὴν ἐξουσίαν τοῦ πράττειν ὡς βούλεται, ἢ μὴ ἐλεύθερος; [*Qui facultatem habet agendi quæ vult, quomodo non ſit liber?*] Arrianus in Epictetcis: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὐκ ἀναγκάσαι ἐστὶν, οὔτε κωλῦσαι, οὔτε βιάσασθαι [*Liber eſt qui vivit ut vult, quem nemo poſſit cogere, aut prohibere, aut vi compellere*]. Ariſtoteles Politicorum VI. 2. τὸ ζῆν ὡς βούλεταί τις· τοῦτο γὰρ τῆς ἐλευθερίας ἔργον εἶναί φασιν, εἴπερ τοῦ δούλου ὄντος, τὸ ζῆν μὴ ὡς βούλεται [*Ita vivere ut lubet, id enim dicunt eſſe opus libertatis; ſicut contra ſervi, non ita vivere uti vult*]. Eſt ſane aliqua ſervitus, non poſſe facere quod velis, quia nolit id alius: ſed hæc ſervitus, poſt amiſſam illam primævam ſimplicitatem atque innocentiam, humano generi perquam neceſſaria eſt, & ob id placide ferenda. Vide de mulieribus Paulum I Cor. XI. 3. 8. 9. Epheſ. V. 22. 23. 24. Col. III. 18. I Petri III. 1. de civili obedientia. Rom. XIII. I Petr. II. 13. 17. de domeſtica Epheſ. VI. 12. Col. III. 20. de Eccleſiaſtica. Hebr. XIII. 17.

17. *Maledicta terra*] Non erit qualis Paradiſus, qui te ſponte natis alebat vegetumque præſtabat, ſed ſubacta multo labore ne ſic quidem puras fruges proferet, ut ſequentia exponunt: & Hebr. VI. 8. Habet enim κατάρα [*devotio*] terræ, ut & rerum aliarum, ſuos gradus. Vide infra III. 17. Lev. XXVII. 24. 38. 39. 40. 42.

In opere tuo] Ex Græco ἐν τοῖς ἔργοις σου [*in operibus tuis*]. Hebraïce בעבורך, id eſt, quod ad te attinet, moleſta tibi erit. Heſiodus:

——— Οὐδέποτ' ἦμαρ
Παύσονται καμάτου καὶ ὀϊζύος, οὐδέ τι νυκτὸς
Γινομένης· χαλεπὰς δὲ θεοὶ δώσουσι μερίμνας.
[——— *Illis ærumna laborque*
Non ſurgente die, non declinante recedent:
Quippe graves curas dî perpetuaſque dederunt].

18. *Comedes herbam terræ*] עשב quod χόρτον [*fœnum*] vertunt Græci, Latini herbam, etiam frumentum in ſe comprehendit, opponiturque illis beatarum arborum fructibus.

19. *In ſudore vultus tui veſceris pane*] Plerumque pœna peccato reſpondet. qui in cibo peccaverat, in cibo punitur. Notatum id Maimonidæ.

Quia pulvis es] Infra XVIII. 27. Pſal. CIII. 14. Eccleſiaſtæ XII. 7.

Et in pulverem reverteris] Pſal. CIV. 28. CXLVI. 4. XXII. 16. Sic Homerus:

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.
[*At vos in tellurem omnes abeatis & undam.*]

Euripides Hypſipyle:

——— Εἰς γῆν φέροντες γῆν.
[——— *Reddenda terræ terra.*]

Idem Supplicibus:

——— Πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα,
Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν.
[——— *Spiritus cælo redit,*
Corpuſque terræ.]

Quæ eadem prope verba cum illis Eccleſiaſtæ. Cicero de Republica libro III. *Neque enim natura pateretur, ut id quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.* Ergo Deus tunc amota vi ſuperna naturæ res ſuas agere permiſit.

20. *Heva*] Græci bene ζωὴ [*Zoe* id eſt *vita*], quod nomen muliebre apud Græcos. At Philo Byblius vertit αἰῶνα [*Ævum*] ubi in Sanchoniathone fuit, חוא.

22. *Ait*] Angelis. Vide ſupra I. 26.

Quaſi unus ex nobis] Eſt enim ſcire multa, ut diximus, divinum & angelicum: ſed homines id plerumque à potioribus diſtrahit. Eccleſ. XII. 12. 13.

Nunc ergo ne forte] Apoſiopeſis properantis. Intelligitur proſpiciendum nobis erit. Generatione reperta, ſi ſimul adfuiſſent contra mortem remedia, nimis ſibi placiturum, hæſurumque rebus terreſtribus fuerat humanum genus.

23. *Ejecitque Adam & collocavit*] Id eſt, ejecto verò eo collocavit.

Cherubim & flammeum gladium] Mos Hebræis omnia Dei opera quibus extra ordinem Deus utitur, appellare Angelos, ut ventos & ignem Pſal. CIV. 4. ſic quod in Pſal. XVIII. 11. Deus inſidere Cherubino dicitur, Pſal. CIV. de ventis exponit. Eſt ergo & hîc ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*]. Cherub & flammeus gladius, pro Cherub, id eſt flammeus gladius. Pro flammeo gladio Hebræus textus habet להט החרב, id eſt, flammam machæræ. Machæra autem hîc ſignificat diviſionem, ut Matthæi X. 34. collato loco ejuſdem dicti Lucæ XII. 51. Nam quod ibi eſt, μάχαιραν [*machæram*], hîc eſt διαμερισμόν [*ſeparationem*]. Solent autem Græci promiſcue pro חרב ponere μάχαιραν [*machæram*], aut ῥομφαίαν [*rhomphæam*]. Senſus ergo eſt; igne impervio obſeptum paradiſum. Eſt in Babylonia campus interdiu flagrans Plinio memoratus libro II. c. CIX. & in eadem Babylonia tractus naphthæ plenus, cui magna ignium cognatio, ut præcedente capite dixerat idem Plinius. Curtius iiſdem in locis cavernæ meminit ingentem vim bituminis effundentis. Id bituminis genus ignis rapidiſſimum Naphtha vocabant Babylonii: de quo vide Strabonem libro XV. Multa de eo Plutarchus in vita Alexandri: hæc inter alia: Οὕτω δὲ εὐπαθὴς πρὸς τὸ πῦρ ἐστιν, ὥστε πρὶν ἢ θιγεῖν τὴν φλόγα, δι' αὐτῆς τῆς περὶ τὸ φῶς ἐξαπτομένης αὐγῆς τὸν μεταξὺ πολλάκις ἀέρα συνεκκαίει [*Ita autem igni cognatum eſt, ut ſæpe cum flammam non attigerit, concepto tantum lucis ſplendore vicinum aerem accendat*]. Addit: καὶ γάρ ἐστιν ἡ Βαβυλωνία σφόδρα πυρώδης, ὥστε τὰς μὲν κριθὰς χαμόθεν ἐκπηδᾶν καὶ ἀποπάλλεσθαι πολλάκις, οἷον ὑπὸ φλεγμονῆς τῶν τόπων σφυγμοὺς ἐχόντων [*Adeo ignita eſt omnis Babylonia ut hordeum ſæpe de terra exſiliat atque evibretur, locis illis ſcilicet ob internum ardorem pulſus quoſdam patientibus*]. In illis igitur locis paradiſus fuerit, eſtque bitumen ibi, non minus quam apud Sodoma, ignis divinitus immiſſi reliquiæ.

CAPVT IV.

1. PEr Deum] Sic & Græci hoc loco את, per διὰ vertunt. Dei enim beneficium ſingulare eſt fœcunditas. infra XXX. 2.

2. *Abel Paſtor ovium & Cain agricola*] Antiquiſſima duo vitæ genera, ut notat Dicæarchus apud Porphyrium de Abſtinentia IV. & Servius initio ad Virgilium.

3. *Vt offerret Cain*] non ullo Dei juſſu, ſed dictante ratione honorem Deo etiam conſpicuum habendum, idque optime fieri poſſe datis Deo iis quæ homini ſunt cariſſima. Vide reſponſum ad Orthodoxos inter Iuſtini opera CXIX. & quæ nos ad librum V. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

De fructibus terræ] Sagmen forte, cujus antiquiſſimus apud omnes gentes uſus in ſacris. Vide Porphyrium de Abſtinentia ſecundo.

Obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum] Cum nihil Deo ſacrari ſoleat, niſi quod in uſu ſit hominum, animantibus autem veſci ante diluvium, ut probabilior fert ſententia, permiſſum non fuerit, dici poſſet, oblatam lanam & lac pinguiſſimum, quod hîc חלב [*pinguedo*] vocetur. Nam חלב per γάλα tranſtulere LXX. Geneſ. XVIII. 8. XLIX. 12. Exod. III. 8. 17. XXIII. 19. Levit. XX. 24. Num. XIII. 28. XIV. 8. Deuter. VI. 3. XIV. 21. XXVI. 9. 15. 27. XXXI. 20. XXXII. 14. & in aliis libris ſæpe. Vetuſtiſſimum autem morem fuiſſe lanam & lac offerendi, ex multis hiſtoriis docet Porphyrius. De lacte habes apud Virgilium: de lana locus eſt Sophoclis Polyido:

Ἦν μὲν γὰρ οἰὸς μαλλὸς, ἦν δὲ κ' ἀμπέλων
Σπονδή τε καὶ ῥὰξ εὖ τεθησαυρισμένη.
[*Veſti inerat ovium vellus: inerat vitium*
Latex, & uva cui ſuus perſtat vigor.]

Pauſanias de Cerere Phygalienſi: Ἔθυσαν τῇ θεῷ καὶ καθὰ οἱ ἐπιχώριοι νομίζουσιν οὐδέν. τὰ δὲ ἀπὸ τῶν δένδρων τῶν ἡμέρων τά τε ἄλλα καὶ ἀμπέλου καρπὸν, καὶ μελισσῶν τὰ κηρία καὶ ἐρίων τὰ μὴ εἰς ἐργασίαν που ἥκοντα, ἀλλ' ἔτ' ἀνάπλεα τοῦ οἰσύπου, ἃ τιθέασιν ἐπὶ τὸν βωμὸν ᾠκοδομημένον πρὸ τοῦ σπηλαίου. θέντες δὲ καταχέουσιν αὐτῇ ἔλαιον [*Offerebant Deæ nihil eorum quæ alii earum regionum homines ſolent: ſed à manſuetis arboribus tum alia, tum vitis fructum, & apum favos, & lanam nondum laboratam ſed adhuc ſuccidam: quæ omnia imponunt aræ ante ſpeluncam ſtructæ: impoſitis vero ſuperfundunt oleum*]. Simile quid habet Plato VI. de legibus: Θύματα δὲ οὐκ ἦν τοῖς θεοῖσι ζῶα, πέλανοι δὲ καὶ μέλιτι καρποὶ δεδευμένοι, καὶ τοιαῦτα ἄλλα ἁγνὰ θύματα [*Offerebantur autem diis non animalia, ſed mola ſalſa, & fructus melle delibuti, & quæ ſunt alia ſacrorum pura*]. Empedocles de temporibus antiquiſſimis:

Ταύρων δ' ἀκρίτοισι φόνοις οὐ δεύετο βωμός.
[*Sanguine taurorum innocuo nondum ara madebat.*]

Primogenita autem quæ hîc dicuntur ex Hebræo בכרת liceat interpretari ea quæ eximiæ erant magnitudinis ac formæ. Sic בכור מות morbus maxime lethalis,

thalis, בכורים ficus maxime fructiferæ, בכרה camelus velociſſimus. Hæc quidem ſic non improbabiliter dici poſſunt: At Thalmudiſtæ omnino illis primis temporibus antequam carnibus homines veſcerentur holocauſta in uſu fuiſſe putant, unde nihil ad homines perveniret, & per quæ Deus rerum omnium vitæque ac necis Dominus agnoſceretur. Itaque & poſt legem ab alienigenis incircumciſis victimas ad holocauſta tantum accipiebant, non ad ſacra alia per legem inſtituta.

4. *Reſpexit Dominus*] Theodotion ἐνεπύρισεν [*inflammavit*], id eſt, igne de cœlo immiſſo oblata conſumpſit, ac ſic grata ſibi eſſe probavit. Probabilis ſane interpretatio, quæ & Iuliano placuit. Confer hiſtoriam Levit. IX. 24. Iud. VI. 21. I Reg. XVIII. 38. II Paralip. VII. I. Servius ad XII Æneidos: *Apud majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria.* Scriptor ad Hebræos XI. 4. μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δώροις αὐτοῦ τοῦ θεοῦ [*Teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo*].

5. *Concidit vultus ejus*] Signum pudoris, cui opponitur infra 7. שאת vultus erectus, bonæ conſcientiæ ſignum.

7. *Recipies*] In Hebræo שאת. id autem non minus erectionem quam acceptionem ſignificare poteſt, & ſenſum quem jam diximus facile admittit.

Statim in foribus peccatum aderit] *Culpam pœna premit comes*, ait Horatius. Nam peccati nomine μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] pœnam ſignificare frequens Hebræis. Longe aliter Hebræa hæc legêre Græci, οὐκ ἐὰν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον [*Nonne ſi recte obtuleris, non recte autem diviſeris, peccaſti? tace*:] quam interpretationem ſequitur & Iulianus, niſi quod pro ἥμαρτες [*peccaſti*], recitat ἁμάρτημα [*peccatum*] ſenſu eodem. Senſiſſe autem videntur illi, oblata quidem à Caino quæ fas erat offerri, ſed non ſui generis optima, aut certe minus decima, quæ ab antiquiſſimis ſæculis Dei portio: infra XIV. 20. XXVIII. 22. Veſtigia manent etiam in Græcis Latiniſque hiſtoriis paſſim.

Sed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis ei] Repetendum ex eo quod præceſſit: *Si bene egeris*: ut ſenſus ſit, ſi bene egeris Abelis voluntas tuo imperio ſubjecta erit, ut fratris minoris. Ita illa: *Sin autem male, ſtatim præ foribus peccatum aderit*: erunt dicta παρενθετικῶς [*per parentheſin*], qualia & in his libris multa occurrunt. Vide Exod. XXXV. 29. & Numer. IV. 7. Pſal. XCIX. 6. 7. Primogeniti enim per patris aut mortem aut abſentiam, paternam quodammodo auctoritatem in fratres habebant: ſed hoc jus peccato amitti poterat, ut apparet infra XLIX. 3. 4. I Paral. V. I. Adde I Reg. I. 25. & ſequentia.

8. *Egrediamur foras*] Græce διέλθωμεν εἰς τὸ πεδίον [*eamus in campum*], quod addidit & Samariticus, ut notatum & Hieronymo & Cyrillo. Addidere & Syrus & Hieroſolymitanus & Ionathan. In Hebræo per compendium id omittitur, quia ex his quæ ſequuntur, quid Cain dixerit ſatis intelligi poteſt. Reticentias tales ſupplendi libertatem non inutilem ſæpe ſibi ſumunt interpretes. Convenit huic hiſtoriæ illud Ovidii:

Fratrum quoque gratia rara eſt.

9. *Num cuſtos fratris mei ſum ego*] Id eſt, παιδαγωγὸς [*pædagogus*, ſive *pueri ductor*], quo ſenſu apud Horatium eſt,

Imberbis juvenis tandem cuſtode remoto.

12. *Vagus & profugus eris ſuper terram*] Oreſtes in Iphigenea Taurica apud Euripidem:

——— Διαδοχαῖς δ᾽ Ἐριννύων
Ἠλαυνόμεσθα, φυγάδες, ἔξεδροι χθονὸς,
Δρόμους τε πολλοὺς ἐξέπλησα καμπίμους.
Ἐλθὼν δὲ σ᾽ ἠρώτησα, πῶς τροχηλάτου
Μανίας ἂν ἔλθοιμ᾽ εἰς τέλος, πόνων τ᾽ ἐμῶν,
Οὓς ἐξεμόχθουν περιπολῶν καθ᾽ Ἑλλάδα.
[——— *Furiarum impetu*
Agitabar exſul, patrio extorris ſolo:
Multosque flexus curſuum impleram miſer,
Cum te rogavi, quomodo finem aſſequi
Poſſem vagi furoris & cruciatuum
Quos Græciæ omnis terminos obiens tuli.]

Minerva eidem Oreſtæ:

——— πόνων τε σῶν
Οὓς ἐξεμόχθεις περιπολῶν καθ᾽ Ἑλλάδα
Οἴστροις Ἐριννύων.
[——— *Ærumnis tuis*
Quas pertuliſti Græciam circumvagans
Erinnyum œſtris.]

14. *Omnis igitur qui invenerit me, occidet me*] Ex naturæ dictato:

Εἴ κε πάθοι τά κ᾽ ἔρεξε, δίκη κ᾽ ἰθεῖα γένοιτο.
[*Quæ fecit ſi quiſque ferat, jus fiet & æquum.*]

Vide quæ de hoc loco, & iis quæ ſequuntur dicta à nobis libro primo de Iure belli ac pacis cap. II. § 5. & in Annotatis.

16. *In terra*] Omiſſum hîc nomen terræ נוד Græcis Ναῖδ [*Naid*]. Factum autem hoc poſtquam Deus pœnam perpetuæ fugæ in mitiorem exſilii ſedentarii mutavit, ſed aſſcriptis illi locis durioribus, qualis erat Arabia deſerta: ubi latrocinari cœpiſſe primus omnium dicitur Ioſepho.

17. *Vxorem ſuam*] Eandemque ſororem, quæ Save ſeu Azaa Epiphanio; at Chryſoſtomo, Ripha.

19. *Ada*] Nomen muliebre quod apud Caras manſit.

21. *Et Organo*] Hebraïce עוגב, Græci κιθάραν [*citharam*]. At Chaldæus אבובא [*abuba*]. Scholiaſtes Horatii: *Ambubajæ dicuntur mulieres tibicinæ lingua Syrorum. Etenim Syris tibia ſive ſymphonia ambubaja dicitur.*

25. *Vocavitque nomen ejus*] Mater ſcilicet. Eſt enim verbum quod femininis jungitur.

26. *Iſte cœpit invocare nomen Domini*] Aut *cœpit appellari nomine Dei*. Quem ſenſum Cyrillus probat, ut velut Dei ad homines legatus, propterea Dei nomen acceperit, ut Angeli ſolent. Et ideo infra VI. 2. & 4. Filios Dei idem Cyrillus interpretatur Enochi poſteros. Aquila videtur hoc voluiſſe, cum tranſtulit: τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι κυρίου [*Tunc cœpit vocari Dei nomine*]. Favet huic ſenſui Irenæus. IV. 30.

CAPVT V.

18. C*Entum ſexaginta duobus annis*] De multis diſcrepantiis quæ in hoc & ſequentibus capitibus circa numeros annorum apparent in codicibus Hebræis, Samaritanis, Græcis, nihil melius quod dicam habeo, quam quæ dixit in Critico ſacro eruditiſſimus Capellus.

22. *Et ambulavit Enoch cum Deo*] Id eſt, ut Græci, & hîc & verſ. 24. vertunt εὐηρέστηκεν Ἐνὼχ τῷ θεῷ [*placuit Enoch Deo*]. Idem ſenſus apud Syrum. Scriptor ad Hebræos XI. 5. μεμαρτύρηται εὐηρεστηκέναι τῷ θεῷ [*teſtimonium habuit placuiſſe Deo*].

24. *Et non apparuit quia tulit eum Deus*] Samaritanus: *Accepit eum Angelus ejus.* Onkelos: *Non occidit eum Deus:* id eſt, non paſſus eſt mori. Ionathan: *Sublatus fuit, & aſcendit in cælum ex mandato coram Domino.* Scriptor ad Hebræos: πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον, καὶ οὐχ εὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ θεός [*Fide Enoch translatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus*]. Ioſephus, ἀνεχώρησε πρὸς τὸ θεῖον [*receſſit ad Deum*]. Idem de Enocho & Elia: ὅτι γεγόνασιν ἀφανεῖς [*factos fuiſſe extra conſpectum*]. *Tranſlatus eſt in Paradiſum,* ait Arabs dicto ad Hebræos loco.

27. *Nongenti ſexaginta novem anni*] Præter teſtimonia hujus longævitatis quæ apud Ioſephum exſtant, etiam Varro ex hiſtoriis notavit antiquos ad mille annos victitaſſe, ſed male ipſe pro annis accepit menſes; in quo nihil eſſet mirandum. Vide Lactantium Inſtitutionum libro II. c. 13.

29. *Iſte conſolabitur nos*] Senſus idem, ſed etymologia nomini non reſpondet: itaque rectius Græci pro ינחמנו legerunt יניחנו: verterunt enim διαναπαύσει [*quieſcere faciet*], quod originem nominis exacte oſtendit. Sic & Philo citat libro, Pejorem inſidiari meliori. In Hieronymiano nominum indice: *Noe, ceſſatio, requies.* Samaritanus paraphraſtes: *Suſtentabit opera noſtra, & oppreſſionem manuum noſtrarum*, id eſt, erit ad ruris opera vicarius noſter.

Et laboribus manuum noſtrarum] Chaldæus *à laſſitudine.* ſic vocem עצב recte ſumi apparet Prov. X. 22. & XIV. 23.

CAPVT VI.

2. Q*Vod eſſent pulchræ*] Oculis magis quam auribus de uxore judicantes. Xenophon: Κἄπειτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεί, μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι [*Deinde fieri genus humanum pejus indies, ideo quod miſceatur meliori id quod deterius eſt*].

3. *Non permanebit*] Id eſt, nolo diu permaneat. Græci οὐ μὴ καταμείνῃ [*ne maneat*], vel οὐ καταμενεῖ. Spiritus à me datus homini non manebit in homine diu incluſus velut in vagina, quippe nulli bono uſui non magis quam enſis tectus. Nam נדן eſt vagina, I Paralip. XXI. 27. & corpus Chaldaïcè ſic dicitur, Dan. verſ. 15. nempe quod ſpiritum intra ſe contineat. Hinc interpretari liceat illud I Petri III. 19. τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι [*ſpiritibus in vagina*] illis ſpiritibus humanis, quos velut in vagina detineri inutiles Deus querebatur: ut ad πορευθεὶς [*profectus*] ſubintelligas ex ſequentibus, Νῶε [*Noë*]: Sic *animam* ex ſequente ſubintelligitur Pſal. CIX. 31. Philargyrus ad II Georgicon: *Syllepſis ex aſſumtione caſus, nam ex ablativo aſſumendus nominativus.* Spiritus Chriſti ita in Noë fuit, ut in Prophetis, I Petri I. 11.

In homine] Græci ἐν τοῖς ἀνθρώποις τούτοις [*in his hominibus*], in hujus ævi hominibus.

In æternum] לעולם, id eſt, per multa tempora.

Quia caro eſt] Carni paſcendæ & oblectandæ ſtudet ſine Dei timore. Hoc de humano genere illius ætatis, paucis valde exceptis, dicitur. Vide Matth. XXIV. 38.

Eruntque dies illius centum viginti annorum] Vulgo interpretantur de curtato vitæ humanæ ſpatio. Et hinc fama etiam inter Gentes prodita; Moſi à Deo id patefactum, neminem ultra id temporis ſpatium provicturum. Vide Ioſephum capite VII. libri primi Antiquæ Hiſtoriæ, & vitam Cæſaris Claudii ejus qui poſt Gallienum imperavit. At Græci hîc: ἔσονται δὲ αἱ ἡμέραι αὐτῶν ἑκατὸν εἴκοσιν ἔτη [*Erunt autem dies eorum centum & viginti anni*]. Quod ſenſum facit optimum, non ultra tot annos Deum dilaturum τὴν πανωλεθρίαν [*internecionem*] ejus ætatis adeo corruptæ hominum.

4. *Gigantes autem erant*] Tales homines quales Græci ſub Gigantum aut Titanum nomine deſcribunt. Symmachus non male οἱ βίαιοι [*violenti*]. Aquila, qui origines addicte ſequitur, οἱ ἐπιπίπτοντες [*invaſores*]. Lucianus in Dea Syria de iiſdem hominibus: ὑβρισταὶ κάρτα ἐόντες ἀθέμιστα ἔργα ἔπρασσον. οὔτε γὰρ ὅρκια ἐφύλασσον, οὔτε ξείνους ἐδέχοντο, οὔτε ἱκετέων ἀνείχοντο, ἀνθ' ὧν σφισιν ἡ μεγάλη συμφορὴ ἀφίκετο [*Valde contumelioſi cum eſſent iniqua facta edebant. Nam neque jusjurandum ſervabant, neque excipiebant hoſpites, neque curabant ſupplices; ob quæ magna eis calamitas ſupervenit*].

Iſti ſunt potentes] הגברים quod mutatione levi literæ affinis poteſt dici הכבירים οἱ κάβειροι [*Cabiri*], dii magni Virgilio, ut Servius notat, Græcis θεοὶ δυνατοὶ [*dii potentes*], in augurum libris, ut Varro notat libro IV. divi potes: repertores navigationis, & ob id in Samothrace culti, tanquam ventorum mariſque domini: piratæ haud dubie, quales poſterioribus ſæculis, Iupiter Cretenſis & filius ejus Minos.

6. *Pænituit eum*] Onkelos & Ionathan ותב במימריה *reverſus eſt ad verbum ſuum:* id eſt, *in ſe.* Ita enim loquuntur Chaldæi: Symmachus ἀπέστρεψεν [*redit*]. At Aquila μετεμελήθη [*pænitentia ductus fuit*].

Repleta eſt iniquitate] Rapinis, Chaldæus.

12. *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam*] Fœdis libidinibus.

14. *Fac tibi arcam*] Id antiquiſſimum navium conſtratarum nomen ex ſimilitudine ad quam factæ erant: κιβωτὸν [*arcam*] dixêre hîc LXX. & Matthæi interpres XXIV. 38. & Lucas XVII. 27. & Petrus I. III. 20. At λάρνακα eodem planè ſenſu Apollodorus in Bibliotheca, Lucianus in Dea Syria, Alexander Polyhiſtor productus à Cyrillo, & Ioſephus. Sic de Danaë navigante Simonides: λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ [*in arca bene fabricata*]. De his,

déque omni hiſtoria Diluvii, vide quæ ex omnium gentium monumentis congeſſimus ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

16. *Cœnacula & triſtega facies in ea*] Cœnaculum nomen eſt generis. Id hîc interpres poſuit pro contignatione ſub tabulato navis, triſtegon pro infimo. incipit enim à ſummo. In Actis XX. 9. τρίστεγον, id eſt ab imo tertia contignatio, tertium cœnaculum interpreti dicitur. Symmachus hoc loco κατὰ δίστεγα καὶ τρίστεγα [*per contignationes ſecundas & tertias*]. In Hebræo ad verbum, *inferiora ſecunda & tertia.*

CAPVT VII.

2. D*E animantibus verò immundis*] Non ex lege Moſis quæ nondum data, ſed ex iis quæ carne paſci cœperant. Sic animalia fœda, profana dixit Tacitus Hiſtoriarum IV.

4. *Et delebo omnem ſubſtantiam*] יקום quod hîc in Hebræo eſt, interpretibus Abeneſdra & Kimchi, ſignificat quicquid vivit: ad originem ſi ſpectes, eſt quod ſe erigit: unde ἀνάστημα [*erectionem*] hîc vertêre Græci. At alibi ὑπόστασιν [*ſubſiſtentiam*].

11. Et *cataractæ cœli apertæ ſunt*] Non diſſimilis apud Senecam διατύπωσις [*delineatio*] lib. III. cap. XXVII. *Sed movet me locus ut quæram, cùm fatalis dies diluvii venerit, quemadmodum magna pars terrarum undis obruatur, utrùm Oceani viribus fiat, & externum in nos pelagus exſurgat: an crebri ſine intermiſſione imbres, eliſâ æſtate hyems pertinax immenſam vim aquarum ruptis nubibus dejiciat: an flumina tellus largiùs fundat, aperiátque fontes novos: aut non ſit una tanto malo cauſa, ſed omnis ratio conſentiat, & ſimul imbres cadant, flumina increſcant; maria ſedibus ſuis excita percurrant, & omnia uno agmine ad exitium humani generis incumbant.* Dicam de hoc Senecæ loco ipſius verbis, *Concepiſti imaginem quantam debebas, obrutis omnibus terris, cœlo ipſo in terram ruente.*

CAPVT VIII.

4. S*Vper montes Armeniæ*] Generali nomine contentus fuit hic interpres. Sunt autem ii montes qui vetus nomen habuêre *Ararat*, quod hîc eſt in Hebræo, dicti poſteà Gordyæi, quod nomen hîc habet Ioſephus, duo Chaldæi interpretes, & Arabs, ſed literâ unâ corruptâ. Mentio eorum apud Strabonem, Curtium, Plinium, ut ad librum I. pro Veritate Chriſtiana notavimus. Eadem Καρδοῦχα ὄρη Agathiæ: Καρδούχια Xenophonti, Salluſtio montes Corduini. Nomen ipſum Ararat ad ſua tempora apud Armenios manſiſſe ait Philoſtratus.

7. *Qui egrediebatur: & non revertebatur*] Sic & Græci omnes: καὶ ἀνελθὼν οὐκ ἀνέστρεψε [*& abiens non eſt reverſus*], unde apparet olim hîc variaſſe codices. Hebræa lectio ſic exponi poteſt, ut *corvus* dicatur modò longiùs avolaſſe ab arca, modò eam propiùs advolaſſe, ſic tamen ut in arcam non intraret. Corvus in montibus quanquam humentibus cadavera reperiebat quibus paſceretur. *Olea* ſiccum amat & humile.

9. *Quæ cùm non inveniſſet, ubi requieſceret pes ejus*] Nullam in campis ſiccam planitiem.

13. *Viditque quòd exſiccata eſſet ſuperficies terræ*] Ita ut virgulta conſpici poſſint: nondum plenè, ut menſe altero. Ideò Græci hîc poſuêre ἐξέλιπε τὸ ὕδωρ [*defecit aqua*]: in ſequenti verò ἐξηράνθη [*ſiccata eſt aqua*]. In Hebræo quoque verba differunt חרבו & יבשה.

20. *Ædificavit autem Noë altare Domino*] In locis montanis, in quibus prima poſt diluvium habitatio. Plato de Legibus III.

21. *Et ait*] In Hebræo hîc additur *ad cor ſuum:* πρὸς τὴν καρδίαν ἑαυτοῦ, ad verbum Theodotion: pro quo Symmachus πρὸς ἑαυτόν [*ad ſeſe*]. Maimonides explicat: nemini hoc ſuum propoſitum eo tempore patefecit.

Senſus enim & cogitatio humani cordis in malum prona ſunt ab adoleſcentia ſua] Id eſt, non ob id quod corrupti ſunt homines, poſthac puniam univerſos, ſed ſceleratiores. Benè fert hunc ſenſum Hebræa conſtructio.

Ab adoleſcentia ſua] ἐκ νεότητος αὐτοῦ [*à juventute ſua*], quomodo plerumque vertunt hanc vocem LXX. Onkelos מצעירה à parvitate. Rabbi Salomo, *ex quo exceptus eſt è viſceribus matris ſuæ*, hyperbole tali qualis eſt Pſ. LVIII. 4. LXXI. 6. Eſaiæ XLVIII. 8. Iob XXXI. 18.

CAPVT IX.

3. O*Mne quod movetur & vivit erit vobis in eſcam, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia*] Videtur planè hic locus, & quæ ſequitur exceptio de ſanguine, indicare quod antè diximus, ante diluvium jus quidem homini fuiſſe in animantia, ut ſcilicet lacte, lana, & mortuorum ſuo fato exuviis uteretur, non ut in cibum ea verteret: de quo jure antiquiſſimo, à quibuſdam etiam gentibus poſt diluvium ſervato, vide quæ ex omnibus hiſtoriis congeſſit Hieronymus II. adverſus Iovinianum, cui adde Porphyrium hujus argumenti libro, & quæ nobis dicta de Iure belli ac pacis libro II. c. XX. § 9. & in annotatis ad eum locum. Oſtendit hîc Deus homines à ſe curari ſingulos, aliorum animantium ſola tantùm genera, & imperfectiora à ſe ordinari in uſum perfectiorum.

4. *Excepto quod carnem cum ſanguine non comedetis*] In Hebræo eſt, *tantùm carnem in anima ejus cum ſanguine ipſius non comedetis.* Græci, πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε [*tantum carnem in ſanguine animæ non edetis*]. Aquila, ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ [*in anima ipſius ſanguinem ipſius*]. Symmachus, οὗ σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ [*cujus ſanguis cum anima*]. Hebræi recentiores, &, ut credo, Chriſtianorum odio, ſentiunt vetari hîc eſum membri rapti de animali vivo, quales delicias & Americanis quondam placuiſſe video. Faciunt ejus jam olim uſitati mentionem & Arnobius & alii. At certè vetuſtiores Hebræorum non ita interpretatos ſatis docet Ioſephus, qui ait χωρὶς αἵματος· ἐν τούτῳ γάρ ἐστιν ἡ ψυχή [*excepto ſanguine, in eo enim eſt anima*]: quem ſenſum iiſdem propè verbis hîc expreſſit Rabbi Saadias, & quidem ſequuntur non ignobiles Hebræorum magiſtri:

giſtri: nimirùm ut Moſes primùm dixerit, carnem cum anima non comedendam, deinde ſemet exponens addiderit, id eſt cum ſanguine. Sanguini datur nomen animæ, quia, ut Empedocles ſentiebat, ψυχὴ ἐν τῆ τοῦ αἵματος συστάσει [*anima in ſanguinis compage*]. Eſt id animæ vitali ſanguis, quod oleum lychno. Plutarchus de Homerica Poëſi, τὸ αἷμα νομὴ καὶ τροφή ἐστι τοῦ πνεύματος [*ſanguis pabulum & alimentum eſt ſpiritus*]. Servius ad illud: *Purpureos flores: ſanguis aut anima aut animæ ſedes.* Carnem cum ſanguine comedere, eſt comedere botulos cruore diſtentos, ut Tertullianus loquitur in Apologetico, ſectione IX. & ſi qua his ſunt ſimilia. Non ſinit nos de ſenſu dubitare locus apertus Deuter. XXIII. ubi ſanguinem comedere, explicatur, animam comedere cum carnibus. Sic intellexêre Moſis locum Apoſtoli Actorum XV. 29. Nimirùm ut Tertullianus loquitur libro de Monogamia: *In Chriſto omnia revocantur ad initium, ut & fides reverſa ſit à circumciſione ad integritatem carnis illius, ſicut ab initio fuit: & libertas ciborum & ſanguinis ſolius abſtinentia, ſicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, ſicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit.* Idem de jejunio de hac lege agens: *Æquè poſt diluvium in reformatione generis humani, ſuffeciſſe unam interim legem à ſanguine abſtinendi, permiſſo uſu cæterorum.* Sulpitius Severus in hac hiſtoria: *Dei præceptum accepit ne ſanguine veſceretur.* De botulis illis, id eſt de ſanguine inteſtinis, tanquam tunicis, infarcto, vide & Leonem Novella LVIII. His æquant Apoſtoli τὰ πνικτὰ [*ſuffocata*], ut & Hebræi. vide librum Chulin. meritò, quia ἐν πνικτοῖς [*in ſuffocatis*] ſanguis omnis ſtudioſè aſſervabatur, & in carne elixabatur. vide Athenæum. Sanguine ſimul cum lacte uſi Troglodytæ, gens effera, ut Strabo nos docet. Idem de Scythis, Concanis, aliiſque barbaris proditum. Mitioribus gentibus id improbatum: Plinius libro XXVIII. in principio de ſanguine agens: *Cùm è plagis hunc ne ferarum quidem admoveri ori fas ſit humano.* Cauſa præcepti partim phyſica eſt, ut infrà dicemus, partim moralis, ſignificans vitandam ultionis cupidinem, quæ ſanguine ſe paſcit.

5. *Sanguinem enim animarum veſtrarum requiram de manu cunctarum beſtiarum*] Id eſt, ajunt Hebræi, puniam eos qui homines beſtiis objecêre.

Fratris ejus] Cognationem enim quandam inter nos natura conſtituit, ait Florentinus l. Vt vim. ff. de juſtitia & jure.

6. *Quicumque effuderit humanum ſanguinem fundetur ſanguis illius*] In Hebraïco, *Effundens ſanguinem hominis in homine ſanguis ejus effundetur.* Vbi *in homine*, per hominem interpretantur Hebræi, trahúntque ad ſequentia, ut ſenſus ſit ex teſtium teſtimonio, judicum pronuntiato mortem homicidæ inferendam. At cùm lex hæc lata eſt, nondum conſtituta erant judicia. Itaque naturale jus talionis hîc indicari veriùs, quòd aucto humano genere, & in gentes diſtributo, meritò ſolis judicibus permiſſum fuit, extra caſus quoſdam exceptos, in quibus manſit jus illud primævum. Vide quæ nos de Iure belli ac pacis libro I. c. II. § 5. & libro II. c. XX. § 8. Non malè igitur illud *per hominem* ſic interpreteris, ut morti devotus intelligatur, non is tantùm qui manu ſuâ perpetravit homicidium, ſed & is qui mandavit.

13. *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & terram*] Etiam apud Poëtas Iris Deorum nuntia. Tres in Iride colores ſignificant Dei ſeveritatem, clementiam, & beneficentiam.

25. *Servus ſervorum erit fratribus ſuis*] Iure naturæ ſervitus pœna peccati gravioris. Imprudenti expedit eſſe ſub alio. Philo in libro, omnem virum bonum eſſe liberum.

CAPVT X.

1. C*Ham & Iaphet*] De omnium in hoc capite nominum veſtigiis veteribus, vide quæ notavimus ad librum I. de Veritate Relig. Chriſtianæ.

9. *Robuſtus venator coram Domino*] Felix in venatu, quia prædæ partem Deo dabat. Abeneſdra. Coram Deo fieri dicuntur aut quæ Deo pergrata ſunt, aut quæ ei diſplicent.

CAPVT XI.

1. E*Rat autem terra labii unius*] Eam linguam Hebræi ſuam dicunt: Syri ſuam. At Hebræa lingua, lingua eſt עברים advenarum è Chaldæa. Hæc enim origo nominis Hebræorum, non ab Hebero. vide Ioſue XXIV. 2. 3. Lingua igitur illa Hebræa Abrahami & ejus poſterûm incolatu in Cananæa, ad Cananæam propiùs ſemper propiúſque acceſſit, nec differt à Punica, niſi dialecti quibuſdam proprietatibus, ut à viris eruditiſſimis oſtenſum eſt. Quare veriùs primævam linguam nullibi puram exſtare, ſed reliquias ejus eſſe in linguis omnibus: nomina autem propria Adami, Evæ, & cætera Hebraïco ſermone à Moſe expreſſa Hebræorum cauſâ eodem ſignificatu qui in primæva lingua fuerat. Sic Curtius milites quoſdam ait à Perſis vocatos immortales, aditum Ciliciæ ab incolis Pylas dici: qui ſingulis militum millibus præerant, eos vocatos à Perſis Chiliarchos: anguſtias alias à Perſis Suſidas Pylas vocari: multaque ejus generis paſſim apud hiſtoricos occurrunt. Euſebius perperam quoſdam à Phœnicibus ait vocari ἀγαθοὺς δαίμονας [*bonos Genios*]: Venerem ab Afris Οὐρανίαν [*Cæleſtem*], Herodianus. In Africa Pithecuſæ & Ampeluſiæ nomina ſunt in Græcum ex Punico tranſlata, teſte Diodoro libro XX. Mela libro I. Sic quæ Aſpis Græcis, Clupea Latinis. Athenæus libro VI. Κελτοὶ περιάγονται μεθ' ἑαυτῶν καὶ πολεμοῦντες συμβιωτὰς, οὓς καλοῦσι παρασίτους [*Galli domi militiæque comites & convictores ſecum ducunt, quos paraſitos vocant*]: id eſt, appellant eos Gallicâ voce, quæ paraſitos ſignificat. Gibbus Marcellino eſt quem Procopius Κυρτὸν vocat. Idem Procopius pro Venetis aurigis, dicit κυανέους. Amnis Diana, Græcis Λύκος. Et nos Latinè ſcribentes urbem Brabantiæ vocamus Silvam ducis, & Græci interpretes ſacrorum librorum, locorum nomina haud pauca Græcè ponunt, ut Δρῦν ὑψηλὴν, Βάλανον πένθους, Πόλιν γραμμάτων, Σιαγόνα [*Quercum altam, Glandem luctus, Vrbem literarum, Maxillam*].

3. *Dixitque alter ad proximum ſuum*] Pars major id cepit conſilium.

Lateres pro ſaxis] Coctiles muri Babylonis, Ovidio: fragili circumdata teſta mœnia, Lucano: figulis munita urbs, Iuvenali.

4. *Cujus culmen pertingat ad cœlum*] Sic celſæ arbores οὐρανομήκεις [*templis cœleſtibus æquæ*] Homero. Idem loquendi genus Deut. I. 28. tales ſubſtructiones inſanas dixit Cicero.

Antequam dividamur in univerſas terras] An quòd Deus diſcedere illos juſſerat, ut vult Ioſephus, an quòd proſpiciebant exundaturam multitudinem aliquando, & inde inopiam venturam, ſi omnes uno in loco coarctarentur.

9. *Iccircò vocatum eſt nomen ejus Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ*] Videtur hæc vox ſervata è lingua primæva, unde maneant iſtæ in linguis variis, βαβάλιον [*cunæ*], balbus, babil. Græcorum autem fabulas, qui Babylonis fabricam Semiramidi aſſcribunt, benè refutat ex Beroſo Ioſephus contra Appionem I. ex Philone Byblio, & ex Dorotheo Sidonio Iulius Firmicus. Quia verò confuſum eſt labium, ex hac cauſa homines Græcis Poëtis μέροπες [*diverſivoces*].

12. *Et genuit Sale*] de Cainane hîc inſerto, vide quæ notavimus ad Luc. III.

26. *Genuit Abram*] Hic primus ponitur, non ætatis, ſed dignitatis privilegio, ut & ſuprà Sem.

31. *Vr Chaldæorum*] Manſit loco nomen ad Ammiani Marcellini uſque tempora, quem vide libro XXV.

Vſque Haran] חרן Carræ Romanis, quem locum nunc etiam honorant Saraceni, quòd ab Abrahamo fuerit habitatus. Vide Benjaminem.

CAPVT XII.

1. *VEni in terram quam monſtrabo tibi*] Dictum Pythagoricum ἕπου θεῷ [*Deum ſequere*], cujus mentio apud Senecam de Vita beata c. 15. apud Hippodamum, Epictetum, Arrianum libro II. M. Antoninum, Boethium, laudant & ex hoc loco explicant Clemens Alexandrinus Strom. II. & Ambroſius ad hunc locum.

3. *In te benedicentur univerſæ cognationes terræ*] *In te*, id eſt per te *benedicentur*, id eſt ſumma bona accipient. Hoc autem ideo, quia ex Abrahami poſteris erat futurus is qui gentibus omnibus ea bona erat præſtiturus. Vide infrà XXII. 18. XXVI. 4.

5. *Animas quas fecerant in Haran*] Mancipia quæ ſibi comparaverant. Sic Apoc. XVIII. 13. ψυχαὶ ἀνθρώπων [*animæ hominum*] ſervi, quos poſterior Græcia ψυχάρια [*animulas*] vocavit.

8. *Bethel*] πρόληψις [*Anticipatio*], quales multæ in his libris. Vide infra XXVIII. 19.

Ab occidente habens Bethel] Et ad eum locum verſus Deum orabat, ut quam longiſſime diſcederet à more Chaldæorum, qui ſolem orientem ſuperſtitioſe venerabantur. Contra Chriſtiani ad orientem verſi orabant, ad exprimenda loca quædam Scripturæ de Chriſto agentia, tum & ut à Iudæis ſe diſcernerent.

11. *Novi quod pulchra ſis*] Sic & Græci omiſſo illo הנה־נא [*agedum*], quod audientiam ſibi conciliantis eſt. Male ergo ex his verbis Hebræi colligunt Saram ante id tempus intactam Abrahamo. Rectius notes moleſtam peregrinanti ſarcinam formoſam mulierem.

Et nuntiaverunt principes Pharaoni] Vt ſolent aulici etiam lenocinio gratiam ſibi regum quærere. Pharaonis autem nomen Ægypti regibus manſit ad tempora Ezechielis, quem vide XXXII. 2. Forte hinc inſula Pharos. commune nomen apud Herodotum uni datur Φέρων [*Pheron*]. Scribitur hoc nomen & Φαραώθης [*Pharaothes*], & Φερεθώνης [*Pherethones*].

CAPVT XIII.

7. *VNde facta eſt rixa inter paſtores*] Dicæarchus apud Porphyrium IV. de Abſtinentia, ubi vetuſtiſſimam paſtorum vitam deſcribit: ἤδη γὰρ ἀξιόλογα κτήματα ἦν ὑπάρχοντα. οἱ μὲν ἐπὶ τὸ παρελέσθαι φιλοτιμίαν ἐποιοῦντο, ἀθροιζόμενοί τε καὶ παρακαλοῦντες ἀλλήλοις, οἱ δ᾽ ἐπὶ τὸ διαφυλάξαι [*Iam enim res illorum alicujus erant pretii; unde factum eſt ut alii operam ponerent in rapiendis alienis, multi coacta manu & hortamentis excitata, alii vero in ſervandis ſuis*]. Muſonius ait, maxime convenire philoſopho vitam paſtoralem.

9. *Ecce univerſa terra coram te eſt*] Major dividat: minor eligat: lex vetus.

Si ad ſiniſtram] id eſt, ad ſeptentrionem.

Ad dextram] Id eſt, meridiem verſus. Ita Chaldæus, ex familiari Hebræis & eorum vicinis locutione. Non enim illi erant Ariſtotelici, quibus ortus eſt dextrum, occaſus ſiniſtrum, Polus auſtralis ſurſum, ſeptentrionalis deorſum. Ægyptiis ſeptentrionalia fuiſſe dextra, docet nos in Iſide Plutarchus, auſtralia læva: orientalia anteriora, occidentalia poſteriora.

10. *Sicut paradiſus Domini*] Sicut Meſopotamia. Hæc enim & Ægyptus terræ ſunt fœcunditatis eximiæ.

11. *Ab oriente*] Sic & Græci ἀπὸ ἀνατολῶν. Sed notandum particulam מן Hebræis ſæpe poni pro præpoſitione verſus: ut ſupra II. 8. I Sam. XIV. 5. II Sam. II. 2. collato huic loco altero I Paralip. XIII. 6.

16. *Sicut pulverem terræ*] Sic Græci ὅση κόνις [*quantus eſt pulvis*], & ψαμμακόσια [*pulverena*].

17. *Surge & perambula terram*] Dicis cauſa poſſeſſionem ſume. Poſſeſſio ambulando ſignificatur, l. poſſideri §. I. de acq. poſſ.

CAPVT XIV.

1. *ARioch rex Ponti*] Ita Aquila. In Hebræo אלסר qui videntur eſſe Eliſari in Arabia Ptolemæo nominati.

Rex Elamitarum] Vide ſupra XI. 22. & annotata à nobis ad librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Rex gentium] Id eſt, convenarum, cui reſpondet vox Græca hîc à Symmacho poſita, παμφυλίας [*omnipopulanæ*]. Putem autem hos convenas fuiſſe in Syria Palæſtina, ubi Galilæa poſtea, idque argumento loci Ioſuæ XII.23. Adde quæ ad Matth. V. 14. Vide quam vetus ſit reges majores minoribus negotium facere, ut balænæ faciunt piſcibus.

3. *Mare ſalis*] Sic Plutarchus de alia terra in libro de Virtutibus virorum & mulierum. πᾶν τὸ πεδίον ἐξήνθησεν ἁλμυρίδα καὶ διέφθαρτο, παντάπασι τῆς γῆς πικρᾶς γινομένης [*Totus campus ſalſuginem exundavit, planeque corruptus eſt per amaritiem terræ*]. Confer Deut. XXIX. 23.

4. *Receſſerunt ab eo*] Pertæſi ſervitutis.

5. *Raphaim*] Græci τοὺς γίγαντας [*gigantas*], Chaldæus גבריא. vide ſupra VI.4. Erant hi homines latrocinantes, quales illi Arabes & Chaldæi Iob I.

Zuzim] Ex Hebræo, ut nos nunc legimus זוזים. At LXX. legerunt עוזים ἔθνη ἰσχυρά [*gentes validas*].

Cum eis] בהם. Sic & Græci ἅμα αὐτοῖς. Chaldæus autem ut nomen loci accepit, & Syriacum in morem producta terminatione extulit בהמתא [*Behemtha*].

6. *Ad campeſtria Pharan*] Quæ ſedes poſtea Iobi fuiſſe creditur.

7. *Ad fontem Miſpath*] Apud quem judicia inter vicinos exercebantur: id ſonat vox Hebræa, & ſic interpretantur Chaldæus & Rabbi Salomo.

13. *Et ecce unus qui evaſerat*] Ex prælio ſcilicet, ut Iob.I.15. & 17. LXX. τῶν ἀνασωθέντων τις [*eorum qui ſervati fuerant*]. Symmachus τῶν διαφυγόντων [*eorum qui effugerant*]. At Rabbini, homines nimis ſæpe ridiculi, hunc ajunt fuiſſe Ogum gigantem beneficio magnitudinis ſuæ ſervatum è diluvio, è cujus poſteris fuerit ille Ogus memoratus Num. XXI. 33. & alibi.

Abram Ebræo] Bene Græci τῷ περάτῃ [*tranſamnati*], Aquila περαΐτῃ. Non enim, ut multi exiſtimant, ab Hebero id nomen, cum tot alii parentes interceſſiſſent, ſed ita dictus Cananæis, eorumque vicinis Abraham, quod ex locis Transeuphratenſibus veniſſet.

Pepigerant fœdus cum Abraham] Multi tum patresfamilias erant αὐτόνομοι [*ſui juris*].

17. *In valle Save*] Vbi rex & principes ſe exercebant. שוה enim etiam καταρτίζεσθαι [*præparari*] vertitur. Hic occurſus, honoris ſignum.

18. *Proferens panem & vinum*] ἐξήνεγκεν ἄρτους καὶ οἶνον [*attulit panem & vinum*]. Abrahamo ſcilicet: alimenta dedit Abrahamo exercituique ejus, ut hîc interpretatur Ioſephus & Rabbi Salomo: & Rabbi Samuel citatus in Bereſchith Rabba. Id enim facere mos finitimis. Deut.XXIII.4. Iud. VIII.5. 6.15. Sic explicant Epiphanius & Ambroſius, referuntque illud de ſacerdotio Melchiſedeci ad ſequentia, non ad præcedentia. Neque tamen improbabilis ſententia, factum hoc ſacrificio præcedente: ἐπινίκια ἔθυε [*ſacra fecit victoriæ ergo*] ait Philo. Nam & è ſimila oblatio Hebræis מנחה [*ſacrificium*], Græcis θυσία [*hoſtia*] dicitur, Levit. II. ut late explicatum à nobis ad Marci IX.49. & vinum ante menſam Deo libare mos omnium gentium. Vide quæ infra ad cap. XLIV.

Erat enim ſacerdos Dei altiſſimi] Virgilius III. Æneidos.

Rex Anius, rex idem hominum Phœbique ſacerdos.

Vbi Servius: *Sane majorum hæc erat conſuetudo, ut rex eſſet etiam ſacerdos vel pontifex.* Hinc domus in qua pontifex habitabat regia dicebatur, docente eodem Servio ad VIII. Æneidos, qui & ſæpe notat à Virgilio omnia jura ſacerdotalia tribui Æneæ.

Quo protegente hoſtes in manibus tuis ſunt] Credidit ergo Melchiſedecus non minus quam Abrahamus unum Deum; ut cœli & terræ, ita & armorum ac belli potentem.

22. *Levo manum meam*] Geſtus jurantium.

23. *Non accipiam ex omnibus quæ tua ſunt, ne dicas: Ego ditavi Abraham*] Similis majori Catoni animus, in cujus vita Plutarchus: εἰς δὲ αὑτὸν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει, πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε, καὶ οὐκ αἰτιῶμαι, φησὶ, τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι [*Ad ſe dicebat de præda nihil venturum præter quæ ediſſet aut bibiſſet. Nec culpo, inquit, eos qui ex talibus lucrum facere volunt: ſed malo de virtute cum optimis, quam de fortuna cum ditiſſimis certare*]. Talis & ante Catonem Timoleon, qui eodem Plutarcho narrante cenſuit: οὐ τὸ λαβεῖν ἐκ τοιούτων αἰσχρὸν, ἀλλὰ τὸ μὴ λαβεῖν κρεῖττον, καὶ περιουσία τῆς ἀρετῆς ἐν οἷς ἔξεστιν περιδεικνυμένης τὸ δεόμενον [*Non eſſe turpe accipere de talibus, ſed melius non accipere: nam in rebus licitis abundantia virtutis oſtendit quid deſit cæteris*]. Et ante eum Pittacus Mitylenæus, de quo Valerius Maximus VI.I. cum recuperati agri dimidia pars conſenſu omnium offerretur, avertit animum ab eo munere; deforme judicans virtutis gloriam magnitudine prædæ minuere. De Paulo Æmilio idem Plutarchus: οὐδενὸς δ' ἧττον αὐτοῦ τὴν ἐλευθερότητα καὶ τὴν μεγαλοψυχίαν ἐπῄνουν οἱ ἄνθρωποι, πολὺ μὲν ἀργύριον, πολὺ δὲ χρυσίον ἐκ τῶν βασιλικῶν ἠθροισμένον οὐδ' ἰδεῖν ἐθελήσαντος, ἀλλὰ τοῖς ταμίαις εἰς τὸ δημόσιον παραδόντος [*Eximie vero animum ejus magnum ac liberalem laudabant homines, ideo quod ingentem vim auri & argenti collectam ex gaza regia nec videre voluerit, ſed quæſtoribus dederit ut in ærarium perferrent*]. De Mummio Latinus vitarum Scriptor: *Mummius Corinthum ſignis tabuliſque ſpoliavit, quibus cum totam repleſſet Italiam, in domum ſuam nihil contulit.* Plinius libro XV. *Manius Curius juravit ſe è præda nihil attigiſſe, præter guttum faginum quo ſacrificaret.*

24. *Exceptis his quæ comederunt juvenes, & partibus virorum*] Non erat ergo in rebus talibus jus poſtliminii. An in hominibus id jus tum fuerit dubitari poteſt ob comma 21. ſupra.

CAPVT XV.

1. *Per viſionem*] quod plus, quam per afflatum.

Et merces tua magna nimis] Mercedem facti egregii quam ex præda accipere noluiſti, à me habebis.

2. *Filius procuratoris*] LXX. משק [*Meſec*] hîc pro nomine proprio ejus qui pater aut progenitor Eliezeris fuerit accepere. Nec aliter Iulianus apud Cyrillum. Latinus Aquilam & Theodotionem ſequi maluit.

3. *Heres meus erit*] Ex teſtamento, cum alium cariorem non habeam. Sic & apud Græcos vetuſtiſſimum fuiſſe teſtandi morem oſtendimus ex Sophocle, Euripide, Homero ad finem capitis VI. li-

bro II. de Iure belli ac pacis. Malum eſt orbitatis, heredem habere non ſuum.

5. *Eduxitque eum foras*] Spiritu agente, ut Matth. IV. I. Luc. IV. I.

Numera ſtellas ſi potes] Catullus: *Aut quam ſidera multa cum tacet nox:* Ovidius: *quot cœlum ſtellas.*

9. *Vaccam triennem*] Non aliter Græci. At Chaldæus *tres vaccas*, parique modo vocem משלש in ſequentibus interpretatur. Sequitur Rabbi Salomo. Et certe vox illa in ſignificatione trimi non reperitur alibi, ſed in ſignificatione rei triplicis, ut Ezech. IV. 26. Eccleſiaſtæ XLVI. 6.

Et columbam] In Hebræo גוזל, id eſt pipionem. Hinc periſtereon herba Pœnis *azirgozol*, apud Apulejum: חציר גוזל.

10. *Diviſit ea*] Significatur hîc diſparatio poſterûm Abrahami in ſedes diverſas, Cananæam, Arabiam, Idumæam, Gerarem, Ægyptum, Æthiopiam.

11. *Deſcenderuntque volucres*] Ægyptii rapaces.

Abigebat eos Abraham] Sufflando. Ita textus Hebræus quo utimur. Sic & Aquila ἀπεσόβησεν [*muſcario abigere*]. At LXX. συνεκάθισεν αὐτοῖς Ἀβράμ [*ſedit apud eas Abraham*], facta derivatione à ישב, non à נשב. quod non improbandum, ut indicetur mora diutina Abrahami poſterûm in Ægypto. Auctores enim generis pro ſuo genere ſumuntur.

12. *Sopor*] Ea eſt originaria hujus vocis ſignificatio, à qua non abeunt Aquila qui καταφορὰν [*veternum*], Symmachus qui κάρον [*gravem ſoporem*] vertunt. At LXX. ad ſimile deducto ſignificatu ἔκστασιν [*mentis alienationem*] poſuere, quibus conſentit & Maimonides Ductore dubitantium II. 41. II. 45. Confer. Actor. X. 10. XI. 5. XXII. 17.

Et horror magnus & tenebroſus invaſit eum] Significans poſtremam illam ac graviſſimam poſterûm ipſius in Ægypto vexationem.

13. *Annis quadringentis*] Id eſt, uſque annum ferme quadringenteſimum ab hoc tempore.

16. *Generatione autem quarta*] nempe Amorrhæorum, quod ex ſequentibus ſubintelligendum.

Necdum enim completæ ſunt iniquitates Amorrhæorum] Menſura judicii, ut Hebræi loquuntur. Ea ubi conſummata eſt, mutantur regna.

17. *Clibanus fumans & lampas ignis tranſiens inter diviſiones illas*] Significans ardentem Dei vindictam in Ægyptios jam indicatam ſupra 14. Accommodavit autem ſe Deus mori illorum temporum, cujus veſtigia & ſerius manſere. Peleus enim occiſa uxore Acaſti, διελὼν τὰ μέλη διήγαγε τὸν στρατὸν [*membris in duas partes diſtributis exercitum traduxit medium*], ut ex veteri hiſtoria docet Apollodorus. Eumque morem Chaldæis fuiſſe notat Cyrillus decimo contra Iulianum. Vide talem pecudum diſpartitionem I Sam. XI. & Ierem. XXXIV. 19. Zenobius: οἱ Μολοττοὶ ἐν τοῖς ὁρκωμοσίοις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τοὺς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο [*Moloſſi pacta jurata ſanciebant bubus in fragmenta diſſectis*]. Livius lib. XXIX. *Caput mediæ canis præciſæ & prior pars ad dextram, poſterior ad lævam viæ ponitur. Inter hanc diviſam hoſtiam copiæ armatæ traducuntur.* Plutarchus quæſtionibus Romanis: Βοιωτοῖς δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν [*Bœotis publicus expiandi mos eſt tranſire inter partes canis in duo ſecti*]: nimirum à Phœnicibus hoc hauſerant nati ab ipſis Bœoti.

18. *Dabo terram hanc*] Optimus acquirendi titulus donum à domino rerum omnium.

19. *Cinæos*] Qui aliter dicti Salmæi, teſte hîc Chaldæo. Salmas in Arabia tres ponit Ptolomæus. Salmani & Meaſæi Arabes apud Plinium libro V. cap. XXVI.

Cedmonæos] id eſt ad ortum poſitos, Hevæos ſcilicet, ut hic Chaldæus. Eorum ſedes Hermon.

20. *Pherezæos*] Sic dicti qui non in oppidis, ſed vicatim habitabant.

CAPVT XVI.

I. A*Gar*] Vnde Agra urbs quam in Arabia ponit Plinius. Ἀγραῖον ἔθνος Ἀράβιον [*Agræa gens apud Arabas*] Straboni & Stephano.

3. *Dedit eam viro ſuo uxorem*] Potius *pro uxore:* ita enim ל Hebræum ſæpe ſumitur: id eſt, viceconjugem, ut habent inſcriptiones veteres. Vxorem imitatur concubina, ait Iulianus anteceſſor.

5. *Inique agis contra me*] חמס quod hîc in Hebræo eſt, Chaldæus querelam vertit, & Græci interdum ὄνειδος [*exprobrationem*]. Habeo quod de te conquerar, quod tibi objiciam. Partus ſuperbas ſolet facere feminas.

6. *Vtere ea ut lubet*] Ius enim vitæ ac necis eo tempore domini ac dominæ in ſervos & ancillas habebant.

9. *Humiliare ſub manu illius*] Quippe &
Τὰς τῶν κρατούντων ἀμαθίας χρεὼν φέρειν.
[*Quippe & regentum perferenda inſcitia eſt.*]
Ferenda regum ingenia, ait Tac. Annal. XII.

12. *Manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*] In Hebræo *in omnes* & *in eum*. Negotium omnibus faceſſet, & alii ipſi. Talis poſteritas Agaris Saraceni Arabeſque alii.

E regione omnium fratrum ſuorum figet tabernacula] In Hebræo *coram omnibus fratribus ſuis*, id eſt, aſpectantibus Cethuræ liberis, neque impedire valentibus extendet fines ſuos.

13. *Vocavit autem nomen Domini qui loquebatur ad eum*] Chaldæus, *oravit in nomine Domini loquentem ad ſe*, id eſt, Deum ipſum invocavit velut in Angelo præſentem: Tu me vides ô Deus. Hieroſolymitanus: *Deus ſe etiam mihi, & quidem in deſerto per Angelum patefecit.*

CAPVT XVII.

I. P*onamque fœdus*] Circumciſionem ut infra 10. nempe externam κατὰ πόδας [*verbotenus*]: internam μυστικῶς [*myſtico ſenſu*].

6. *Regeſque ex te egredientur*] Ab omni ævo nullus eſt qui cum Abrahamo comparari poſſit multiplice regum progenie. Ab illo fuere reges Hebræi duodecim tribuum, duarum tribuum, decem tribuum. Ab illo reges Idumæi veteres, & longo intervallo ab Herode geniti reges. Ab illo in Africa reges Cethuræ genus. Ab illo reges Saraceni in Arabia, Babylone, Ægypto, tot in Africa, tot in

Hiſpania gentis ejuſdem reges. Ab illo denique Meſſias rex omnium regum Chriſtianorum.

7. *Et inter ſemen tuum*] Sunt enim fœdera quædam perſonalia: alia, ut hoc, ad ſucceſſores tranſeuntia.

12. *Octo dierum*] Quia ante eum diem infirmior infans quam ut par ſit dolori, ut notat Maimonides. Ariſtoteles lib. VII. c. VII. de Hiſtoria animalium, agens de infantibus, τὰ πλεῖστα γὰρ ἀναιρεῖται πρὸ τῆς ἑβδόμης· διὸ καὶ τὰ ὀνόματα τότε τίθενται, ὡς πιστεύοντες ἤδη μᾶλλον τῇ σωτηρίᾳ [*plerique moriuntur ante diem ſeptimum: unde & tunc induuntur ipſis nomina, quippe majore jam fiducia concepta de ipſorum ſalute*]. Hæc cauſa, cur pecudum partus ante octavum diem Deo non conſecrentur, Exodi XXII. 30. Fiebat autem circumciſio de die, ut res eſſet notior. Præputium in pulverem projiciebatur. Poterat fieri circumciſio per ſacerdotes, per Levitas, per privatos, etiam per mulieres, non tamen per exleges.

Tam vernaculus quam emptitius] Incircumciſus in terra quidem Hebræis data vivere poterat ſub bonis legibus: non item in domo Hebræi alicujus, ne mores exemplo diverſo confunderentur.

14. *Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo*] Chaldæus: *qui non præciderit carnem præputii ſui*: id eſt, qui non curaverit ſe circumcidi, ubi ad juſtam ætatem pervenerit, annum puta XIII. ut volunt Hebræi interpretes: ex eo enim tempore, ſi parentes & publici parentes, id eſt, magiſtratus, neglexerint, ipſe obligari incipit. Male hîc neſcio à quo additum in Græco τῇ ἡμέρᾳ τῇ ὀγδόῃ [*die octava*], quomodo ſæpe citat Auguſtinus. De circumciſis populis vide quæ ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ dicta.

20. *Duodecim duces generabit*] Ab his ſunt duodecim Arabum φύλαρχοι [*tribuum principes*] apud Strabonem. Iidem Saracenorum Phylarchi apud Menandrum Protectorem.

21. *Pactum vero meum ſtatuam ad Iſaac*] Nempe gentilitium: non mere perſonale aut exigui temporis.

22. *Aſcendit Deus ab Abraham*] Fulgor Dei. Chaldæus.

CAPVT XVIII.

2. *Apparuerunt tres viri ſtantes juxta eum*] Homerus Odyſſ. ρʹ.

Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι,
Παντοῖοι τελέθοντες, ἐπιστρωφῶσι πόληας,
Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντες.
[*Sæpe etiam ſimiles errantibus hoſpitibus dî*
Sub variis formis hæc atque illa oppida viſunt,
Aſpiciuntque hominum tam non bona quam bona facta.]

quæ confer cum Hebr. XIII. 2.

3. *Domine*] Sic & Græci κύριε. Vnum alloquitur eminentem, cui alteri velut comites ac miniſtri aderant. Eſt tamen hoc plurale, ſed honoris cauſa: ut אדנים [*domini, pro dominus*] Eſaiæ XIX. 4. ideo ſequitur verbum numeri unitatis.

5. *Ponamque buccellam panis*] Abraham, ut vir bonus, paullum pollicetur, dat multa: vide infra 8.

Iccirco enim declinaſtis ad ſervum veſtrum] על-כן hîc eſt quandoquidem. quando huc divertiſtis, æquum eſt ut cibum ſumatis mecum.

6. *Ad Saram, dixitque ei*] Relinquens matrifamilias ſuas in domo partes.

10. *Vita comite*] Vivos reperiam.

18. *Benedicendæ ſunt in illo omnes nationes terræ*] Ab ipſo poſteriſque ejus diſcent unum eſſe Deum rerum omnium auctorem.

Vt cuſtodiant viam Domini, & faciant judicium & juſtitiam] Iuſtitia cum à judicio diſtinguitur beneficentiam ſignificat. His verbis comprehenditur lex illa ante legem Moſis.

19. *Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis*] Aut potius: *Scio eum præceptorem eſſe filiorum ſuorum*, id eſt, ſcio hunc morem eſſe illi, ut quæ didicit ipſe ea doceat ſuos. Ideo participem eum conſilii mei faciam.

21. *Deſcendam*] Per Angelos. Omnia hæc loquendi genera ad formam judiciorum humanorum interpretantur.

Clamorem qui venit ad me] Homerus:

Τῶν ὕβρις τε βίη τε σιδήρεον οὐρανὸν ἵκει.
[*Quorum viſque nefaſque poli petit ænea tecta.*]

Opere compleverint] Chaldæus: *ceſſare fecerint*, id eſt pœnitentiam oſtenderint. Non male, ſæpe enim כלה ſignificat ἀπέχειν, παύειν, ἀναπαύειν [*abſtinere, deſinere, quieſcere*]. Multa ſunt loca: ſufficiet videre Num. XVII. 10.

An non eſt ita ut ſciam] In Hebræo: *Si non, ſciam*, id eſt, Chaldæo interprete: ſi nondum reſipuerint, norim quid mihi agendum ſit. Decima generatione immiſſum orbi diluvium: decima poſt id generatione punita Sodoma: ſigna longanimitatis.

22. *Converteruntque ſe inde*] Nempe duo illi ſtipatores Angeli.

Abraham vero ſtabat coram Domino] Id eſt, orabat, ut hîc interpretatur Chaldæus. עמדה [*ſtatio*] enim eſt oratio, ait Maimonides. Vide quæ notata ad Matth. VI. 5. coram Domino לפני יהוה [*coram Deo*], apud Angelum qui Dei perſonam referebat: unde infra XXXII. 30. Angelus appellatur פניאל [*Phaniel*], πρόσωπον θεοῦ Ioſepho. Sic mox commate 26. & 33. Iud. VI. 19. & alibi Angelus dicitur יהוה [*Deus*].

30. *Non faciam*] Id eſt, non percutiam; ex eo quod præceſſit.

CAPVT XIX.

3. *Et coxit azyma*] Vt in magna feſtinatione, non ſufficientibus qui familiæ parati erant panibus.

Abutimini eis] ex Græco χρᾶσθε αὐταῖς [*utimini eis*]. Hebræi עשו [*facite*]. Sic & Latinis ſumitur *facere*. Erat in Lotho bonitas laudabilis, ſed fides tenuis. ideo Philoni dicitur ἀβέβαιος, ἐπαμφίβολος [*inſtabilis, ſubdubius*].

8. *Ingreſſus es, inquiunt, ut advena, numquid ut judices?*] Sic Ciceronem inimici vocabant Romulum Arpinatem.

11. *Percuſſerunt cæcitate*] Scotomate quale habes II Reg. VI. 18.

14. *Et viſus eſt eis quaſi ludens loqui*] Non putabant Deum tam ſevere ac ſubito vindictam ſumturum. Peccant & qui Dei miſericordiam ultra quam rectum eſt extendunt.

15. *Duas filias quas habes*] Non elocatas, ſed quæ virgines in tuo ſunt lare.

17. *Noli reſpicere poſt tergum*] In dictis Pythagoricis: ἀποδημῶν τῆς οἰκίας μὴ ἀποστρέφου [*à domo peregre proficiſcens ne reſpice*]. Eodem ſpectat de Orpheo fabula. Annibal quoque à ſpectro vetitus reſpicere: Cicero teſtis de divinatione primo.

Sed in monte ſalvum te fac] Simile illud Metamorphoſ. VIII.

——— Meritaſque luet vicinia pœnas
Impia, dixerunt: vobis immunibus hujus
Eſſe mali dabitur: modò veſtra relinquite tecta,
Ac noſtros comitate gradus, & in ardua montis
Ite ſimul.

19. *Vt ſalvares*] Hebraïce להחיות ad vivificandum. Græci τοῦ ζῆν τὴν ψυχήν μου [*ut vivat anima mea*]. Quia enim Græci Hiphil non habent, Græci interpretes activo Græco pro eo utuntur. Sic dicunt βασιλεύειν [*regnare*], pro facere regnare. Symmachus expreſſius ζωῶσαι [*vivificare*].

21. *Suſcepi preces tuas*] Hebraïce *ſuſcepi faciem tuam*, id eſt, reſpectum tui habui.

22. *Segor*] Ex Græco Σηγώρ. Hebraïce צוער. Zoara forte Ptolemæo in Arabia.

24. *Dominus pluit*] יהוה, id eſt, Angelus is qui Dei perſonam, ut diximus, ſuſtinebat.

Pluit] In Hebræo, *fecit pluere.*

A Domino] Poteſtate ſibi divinitus conceſſa.

De cælo] Sic & Lucæ XVII. 29. Nimirum ignis ille ſulfureus non aliunde quam ex cœlo veniebat. Vrbes has igne cœleſti flagraſſe, ait Tacitus Hiſtòriarum V. ante dixerat *fulminum jactu.* Nam & fulmen vim habet ſulfuris, & inde Græcis ſulfur, θεῖον [*divinum*] dicitur, ὕδατα ἀσφαλτώδη καὶ θειώδη [*aquæ bituminoſæ ac ſulfuratæ*], dicit Strabo.

In ſtatuam ſalis] Id eſt, columnam. Ita enim ſtatuæ vocem ſæpe hic interpres uſurpat. Sal autem cum igne de cœlo deciderat. Vide ſuprà XIV. 3. Deut. XXIX. 23. Hanc columnam ſuo tempore extitiſſe ait Ioſephus. Semper manſuram ait Paraphraſis Hieroſolymitana. Vide & Burchardum, & alios qui ibi fuere.

28. *Quaſi fornacis fumum*] Signum iræ divinæ. Vide ſuprà XV. 17.

30. *Et manſit in ſpelunca*] Quales multas eſſe in ea regione docet nos Strabo.

33. *Bibere vinum nocte illa*] Nox & vinum nihil ſuadent moderabile.

Dormivitque cum patre] Licitum id arbitrata quod ab Arabibus vicinis fieri quotidie intelligebat. Non enim Perſis tantùm, ſed & Arabibus hunc fuiſſe morem ex Strabone diſcimus. Moris ejus apud Perſas vicinaſque gentes meminere Clemens, & Bardeſanes.

37. *Moab*] Hinc nomen habet Characmoba in Arabia apud Stephanum, ex quo corrigenda Ptolemæi lectio. حوت سواب laceratio Moab, quòd ibi cæſi Moabitæ.

CAPUT XX.

3. *Habet enim virum*] Hebræi quidam interpretantur, *concubuit cum marito.* Ita enim ante legem gentium jure nuptiæ perficiebantur.

9. *Induxiſti ſuper me & ſuper regnum meum peccatum grande*] Id eſt, prope me peccare feciſti meo & regni malo. Sic Alexander adducta ad ſe puella, cùm ea dixiſſet expectaſſe ſe donec maritus dormiret, ἐπετίμησε παισὶν, ὡς μικροῦ δι' αὐτοὺς μοιχὸς γενόμενος [*increpuit miniſtros quod ipſorum culpa parum abfuiſſet quin adulter factus*]. Gentes ſcilicet, quæ præter naturæ dictata legem à Deo nullam acceperant, adulterium quidem turpe eſſe norant, ſcortari non putabant eſſe flagitium, non magis quam apud Terentium Mitio, aut apud Horatium Cato. Ideo ea de re ſerio admoneri ab Apoſtolis opus habuere. Act. XV. 29. & alibi.

11. *Forſitan non eſt timor Dei in loco iſto*] Vbi timor Dei non eſt, ibi omnia vitia regnant. Eſt autem hæc cogitatio Abrahami non diſſimilis iſti Vlyſſis apud Homerum Odyſſeæ Z'.

Ὤ μοι ἐγὼ, τέων αὖτε βροτῶν εἰς γαῖαν ἱκάνω;
Ἦ ῥ' οἵγ' ὑβρισταί τε καὶ ἄγριοι, οὐδὲ δίκαιοι,
Ἦε φιλόξεινοι, καί σφι νόος ἐστὶ θεουδής;
[*Me miſerum, qui ſunt in quorum littora veni?*
Suntne feri legum ignari, vi cuncta ferentes:
Aut verò hoſpitibus fidi, memoreſque Deorum.]

12. *Non filia matris meæ*] Nam apud gentes quaſdam in vitandis nuptiis genus maternum, ut certius, magis attendebatur. Philo de ſpecialibus legibus, agens de ſororibus ducendis: ὁ μὲν οὖν Ἀθηναῖος Σόλων ὁμοπατρίους ἐφιεὶς ἄγεσθαι, τὰς ὁμομητρίους ἐκώλυσεν [*Athenienſis Solon permiſit ex eodem patre ſorores ducere, ex eadem matre vetuit*]. Scholiaſtes ad illud in Nubibus Ariſtophanis,

——— ὡς ἐκεῖνος
Ἀδελφὸς, ὦ 'λεξίκακε, τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.
[——— *Auſus ille, proh dî!*
Frater ſubigere matre eadem proſatam ſororem.]

ait ἐπειδὰν παρ' Ἀθηναίοις ἔξεστι γαμεῖν τὰς ἐκ πατέρων ἀδελφάς [*quia apud Athenienſes licebat ducere ſorores ex ſolis patribus*]. Scriptor Latinus vitæ Cimonis: *Habebat autem in matrimonio ſororem germanam ſuam nomine Elpinicen, non magis amore quam patrio more ductus. Nam Athenienſibus licet eodem patre natas uxores ducere.* Vide Deut. XIII. 6. ubi frater ex matre ponitur ut conjunctior. Hunc morem Phœnicibus tribuit Achilles Tatius libro I. Multa autem à Phœnicibus ad Athenienſes venere, ut oſtendimus alibi. Et moribus Noæ liberûm volunt Hebræi interdicta matrimonia cum ſororibus ex matre conjunctis, non cum iis quæ ex ſolo patre. Sara, ſi Hebræos pleroſque ſequimur, Tharæ fuit filia ex altera uxore. Vt verò alii cenſent, Sara ſoror Abrahami dicitur more Hebræo, cum non eſſet ἀδελφὴ [*ſoror proprie dicta*], ſed ἀδελφιδῆ [*conſobrina*]. De more Ægyptiorum in hac re vide Diodorum Siculum.

13. *Eduxit me Deus*] Verbum eſt plurale, unde, אלהים liceat angelos vertere, ut fecere Græci, Geneſ. XXXI. 24. Iobi XXXVIII. 7. Pſalm. VIII. 6. XCVI. 8. CXXXVII. 1. quos ſequitur Scriptor ad

Hebræos 11.7. Vide infra xlviii. 16. Proprie *palabundum me fecerunt.*

16. *Mementoque te deprehenſam*] נכחת, id eſt, recta. Quod Chaldæus ſupplet *fuiſti.* lxx. vero *eſto.* πάντα ἀλήθευσον [*in omnibus verax eſto*]. hoc malim.

17. *Et pepererunt*] ילדו hoc quidem loco rectius vertas *conceperunt*, aut *gravidæ factæ ſunt*, ut Chaldæus.

CAPVT XXI.

3. I*ſaac*] Γέλωτα dixit Eupolemus. Quod adde his quæ ſupra xi.1.

Ludentem] Rectius, *irriſui exponentem:* eſt enim nominis alluſio. Vide verbum idem infra xxxix.7.14. Videtur autem irriſiſſe pietatem Iſaaci. Sic Hebræi.

13. *In gentem magnam*] Ex Græco. At Ionathan לעם לסטם in populum prædatorem. Non male, nam גוי [*gens*] de nationibus barbaris magis dicitur, de bene moratis אמים [*populus*]. Sic λαὸς populus ſanctus, cæteri ἔθνη [*gentes*], unde ἐθνικοί [*gentiles*]. Ita quod præcedit וגם erit adverſativa. Et illud *Iſaac tibi ſemen* ſignificabit *morum quoque filius.*

16. *E regione*] Ex Græco. At Hebræum מנגד recte vertas eminus, ut adparet Pſal.xxxvii.12. collato Pſalmi implemento. Matth.xxvi.58. xxvii.35. Marci xiv.54. xv.40. Luc.xxii.54. xxiii.49. Sic & ii. Reg.ii.7. & iv.25.

CAPVT XXII.

2. T*olle filium tuum*] In Hebræo appoſitum eſt נא [*age*], quod eſt adhortantis, ut ſæpe νῦν apud Græcos.

Vnicum] μονογενῆ [*unigenitum*], id eſt, ἀγαπητὸν [*dilectum*], ut Aquila interpretatur. Solent enim hi duo ſignificatus miſceri apud Hebræos & apud Græcos. Sic Solomon Davidi unicus, id eſt, dilectiſſimus dicitur, 1 Paral.xxix.1. Vide quæ dicta ad Ioh.1.14.

In terram viſionis] Ex Aquila, qui מריה recte tranſtulit ὀπτασίας [*viſionis*]. Oſtendit id alluſio ad id nomen infra 14. Hîc poſtea fuit area Araunæ Sebuſæi in qua ſacrificavit David ii Sam. xxiv. in fine: ac poſt id templum Solomonis. Ita magno conſenſu Hebræi: qui & Abelem ibidem ſacrificaſſe ajunt.

9. *Cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum*] Mos enim antiquiſſimus ligari victimas. Notat Servius ad illud Æneidos, *& vincula rupi.* Ovidius iii. de Ponto Elegia ii. de Oreſte & Pylade in Tauris:

Protinus immitem Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad ſua terga manus.

12. *Nunc cognovi quod times Deum*] Decimo hoc, & omnium maximo experimento: poſt quod tentatus Abraham ultra non fuit. Decem autem tentationes Abrahami ſunt: exitus è patria: fames quo in Ægyptum expellitur: uxor abducta: bellum cum quatuor regibus: deſperatio prolis unde ad Agarem ſe applicuit: circumciſio: uxor abducta iterum: expulſio Agaris jam matris: ablegatio Iſmaëlis: oblatio Iſaaci.

Propter me] Additum hoc ex Græco, Samaritano & Syriaco: qui conſenſus oſtendit in Hebræis codicibus id olim fuiſſe.

14. *In monte Dominus videbit*] Hebrææ voces optime ferunt ſic verti: *In monte Domini proſpicietur:* id eſt, ut Euripidis utar verbis,

Τῶν ἀπορήτων πόρον εὗρε θεός.
[——— *reperit*
Deus ad quamvis inopina viam].

17. *Portas inimicorum ſuorum*] Vrbes etiam munitiſſimas.

Sicut ſtellas cœli, & velut arenam quæ eſt in littore maris] Ovidius Triſtium 1.

——— *Quot in æthere ſidera lucent,*
Parvaque quot ſiccus corpora pulvis habet.

21. *Buz fratrem ejus*] Vnde Buſan caſtellum non longe à Singaris, cujus meminit Ammianus Marcellinus libro xviii.

Camuel patrem Syrorum] Rectius *patrem Arami.* Nam Syri, qui Ἄραμοι veteribus & Ἔρεμβοι Homero, ſunt ab Aramo vetuſtiore, nominato ſupra ix. 22. Dictus ergo hic Nachoris filius *Aram*, quod natus eſſet inter Syros Meſopotamienſes: ſicut & Iacobus Aram, id eſt, Syrus dicitur, quod ibi habitaſſet. Deut.xxvi.5. Ab hoc autem Aramo Nachoris filio credibile eſt nomen habuiſſe caſtellum caſtello Buſan propinquum, dictumque Reman Ammiani dicto loco, nimirum omiſſa litera tenuiſſima, ſicut Syri ipſi, qui aliis ארם [*Aram*], dicuntur רם [*Ram*], Iobi xxxii. 2. & ii. Paral.xxii. 6. Et alius Aram Eſronis filius Lucæ iii. 33. in Hebræo רם [*Ram*], tum Ruth iv.18. tum 1 Paral.ii. 9. addita præterea ad finem litera ן perinde ut in Buſan.

CAPVT XXIII.

2. I*N civitate Arbe*] Hebraicè קרית ארבע. Vox prior quam Syri קרתא [*Cartha*] enuntiant, urbem ſignificat, unde Tigranocerta urbs Tigranis, Τιγρανούπολις, ut Quadratus explicat apud Stephanum. Carathiocerta, Vologeſocerta apud Plinium, Arceſicerta apud Stephanum, Cartachadta urbs nova, unde corrupte Καρχηδὼν & Carthago, Cariara in Hetruſcis, & in Arabia Carthara urbs Lunæ, pro Carthiara, Carteja Pœnorum colonia in Hiſpania, urbs inſularis, Cartennæ in Mauritania urbs fontis, Carcome pro Carthcome ibidem urbs alta, Carepula pro Carthpula urbs obſcura ibidem. In hac ergo voce medium י additum eſt ab Hebræis, aut omiſſum à Syris, quomodo עליון Dei nomen עלון Alon fuit Pœnis, teſte Siſenna & Plauto. Et ſine י invenitur Iobi xxix.7.

12. *Adoravit Abraham coram populo terræ*] Honoris ſignum eis exhibuit, quale apud Græcos erat manum admovere ori, προσκυνεῖν Græcis, adorare Latinis. Hebræis autem multi gradus: flectere caput, quod eſt קדד, flectere tibiam, flectere corpus totum, in genua ſe ponere, quod eſt ברך, proſternere ſe humi. Hîc in Hebræo eſt ישתחו, in Hithpael, à שחח quo ſignificatur flexio corporis, honor nec familiaris nimium, nec plane ſubmiſſus. Vide infra xxxiii. 3. Erat enim Abraham nulli ſubditus ac ſui juris, ſupra xiv. & hîc commate 6. Ideo βασιλεῦσαι [*regnaſſe*] dicitur Nicolao Damaſceno, rex vocatur Iuſtino lib. xxxvi. unctus Dei Pſal. cv. 15. Nota autem regna antiquiſſima ejuſmodi fuiſſe, ut populo aliquod jus maneret, ut notat Ariſtoteles Politic. iii.14.

111.14. Apparet idem in Alcinoo apud Homerum Odyſſ. Θ'. Euripides de Pliſthene:

Δήμῳ δὲ μήτι πᾶν ἀναρτήσης κράτος,
Μήτ' αὖ κακώσης.
[*Nec tota vulgo fræna permitte imperî,*
Nec habeto dure.]

18. *Videntibus filiis Heth*] Hæc eſt in jure ceſſio.

19. *In ſpelunca agri duplici*] Vide Benjaminem Tudelenſem.

CAPVT XXIV.

2. P*One manum tuam ſubter femur meum*] Mos jurandi eo tempore apud illas gentes receptus, ut Ioſephus notat. Vide infra XLVIII.29. quaſi dicerent, ſi fallam enſe tuo peream. Nam ad femur locus enſis. Iud. III.16.21. Pſal. XLIV.4. At Abneſdra homagii ſignum fuiſſe dicit, ſedenti dextram ſupponere. Sic Romanis poſſidere à ſedendo.

3. *Vt non accipias uxorem filio meo de filiabus Cananæorum*] Non recte ex hoc loco colligit ſcriptor Perſa Hama al zel tranſlatus à Rabbino Chomer, Labanem, cujus filias duxit Iacobus, non fuiſſe idololatram, neque Teraphim idola, quia conjugia tantum cum Cananæis ob idololatriam vitari voluerit Abrahamus. At vero potuit Laban melior eſſe Cananæis, & filiæ ejus ſanabilioris ingenii; ideo quod Laban cultum ſummi Dei, quanquam admixtis quibuſdam non probandis, retinebat, infra XXXI.49. 53.54. Cananæi autem à ſummo Deo plane defecerant, vitamque multis flagitiis inquinaverant. De malis minimum.

8. *Sin autem mulier noluerit ſequi te, non teneberis jurejurando*] Tanta erat veterum in juramentis religio, ut etiam quæ tacite excepta intelligi debebant, nominatim exciperent. Vide ſimile in Iphigenia Taurica Euripidis.

15. *Habens hydriam in ſcapula ſua*] Munus id erat virginum eo tempore. Vide Exodi II.16. Homerus,

Κούρῃ τε ξύμβλητο πρὸ ἄστεος ὑδρευούσῃ.
[*Obvia fit quærens laticem extra mœnia virgo.*]

47. *Inaures*] Monile impoſitum naſo. Sic in Hebræo: & ita ſupplenda ἔλλειψις [*defectio verbi*] ſupra, 22. Sunt adhuc apud Indos ornamenta talia.

48. *Filiam fratris domini mei*] id eſt, neptem, quomodo & Romani ſæpe loquuntur: l. Filii, D. de verborum ſignific.

49. *Ad dextram*] Vbi Iſmaëlitæ.

Ad ſiniſtram] Vbi Loth cum ſuis.

50. *Laban & Bathuel*] Matris & puellæ ipſius nulla hîc mentio. Tantum valebat jus paternum eo tempore, vide 1 Cor.VII.36.

53. *Prolatiſque vaſis argenteis & aureis*] Nam heroïcis temporibus viri nuptis dotem dabant, non nuptæ viris. Notat ad Euripidis Medeam Scholiaſtes.

55. *Decem dies*] Ex Græco ἡμέρας ὡσεὶ δέκα [*dies ferme decem*]. Melius forte Ioſephus per ימים [*dies*] intelligit annum, quomodo ea vox ſumitur Lev. XXV. 29. & Amos IV.4. & per ἔτη [*annos*], vertitur II Reg. XX.6. Iob.XXXVIII.21. עשור autem, id eſt, decada, intelligit menſium. Nec aliter Salomon Iarchius.

60. *Soror noſtra es*] Hebræum אחתנו את recte vertas *ô ſoror noſtra*. Eſt enim illis ſecunda perſona vice vocativi.

63. *Ad meditandum*] Non malè qui vertunt ad orandum. Vide Pſal.CII.1.

65. *Ipſe eſt dominus meus*] Herus minor. Filii etiam vivente patre quodammodo domini rerum paternarum.

Tollens citò pallium operuit ſe] Pro pallio in Hebræo eſt הצעיף, Græci θέριστρον [*pallium æſtivum*] verterunt. Operuit autem vultum more matronarum, 1 Cor. XI.10. vide ſupra XX.16. & quæ Hieronymus habet de Arabiæ ac Meſopotamiæ feminis ad Eſaiæ cap. III. & Alcoranus Azoara XXIV. editionis Latinæ. Ex eo velandi more dictas nuptas & nuptias tradit apud Feſtum Cincius.

67. *In tabernaculum Saræ matris ſuæ*] Habebant enim feminæ tentoria ſua ſeorſim, quaſi γυναικωνῖτιν [*feminarum conclave*]: vide ſupra XVIII.10. XXIII.2.

CAPVT XXV.

1. V*Xorem*] Pactis quidem dotalibus factis, ſed ancillam tamen, ut docent Hebræi. ideo & uxor vocatur, & tamen liberi ejus dona tantum accipiunt, quale apud Germanos matrimonium impar, ad Morgengabicam. Vide quæ dicta nobis lib. II.cap.V §.15. de Iure belli ac pacis, & in annotatis. Concubina apud Hebræos eſt ancilla, aut vilis alia ad concubitum data ſine ſcriptura, ſine arrhis, ſine ritibus.

4. *Ofer*] Græcis Ὠφείρ. A quo Afri & Africa. Vide quæ producta à nobis ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

8. *Deficiens mortuus eſt*] Verbum גוע apud Hebræos dicitur de morte ſine dolore.

Plenus dierum] Sic & Græci. In Hebræo eſt שבע ſatur, dierum ſcilicet, quod explicandi cauſâ addidere Samaritæ & Syri. Plena locutio Hebræa infrà XXV.8. XXXV.29. 1 Paral.XXIII.1. XXIX.28. Iob. XLII.16.

2. *In ſpelunca duplici*] Sepulchro gentilitio.

13. *Nebajoth*] Hic Ναβάτης [*Nabates*], apud Stephanum. Vnde Nabathæi Plinio & Poëtis propè omnibus.

Cedar] Vnde Cedreni Plinio lib.V. c.XI. Cedareni Lampridio.

Maſma quoque & Duma & Maſſa] Bona nomina: ſignificant enim audientiam, ſilentium & patientiam. Duma cum additamento frequenti דומתא, Δούμαθα πόλις Ἀραβίας [*Dumatha, urbs Arabiæ*] Stephano.

Thema] Vrbis nomen apud Ptolemæum. Tamna eſt apud Strabonem.

Iethur] Vnde Ituræi, ut apparet 1 Paral.V.19. Meminit Strabo libro XVI. Plinius libro V.XXIII. Cicero, Virgilius, Lucanus, alii.

16. *Duodecim principes tribuum ſuarum*] Vide quæ ſupra XVII.20.

20. *Cùm quadraginta eſſet annorum duxit uxorem Rebeccam*] Ariſtoteles viros vult ad conjugium ſe applicare circa annum ætatis ſuæ ſeptimum & triceſimum, Polit.VII.16.

Collidebantur in utero ejus parvuli] Simile aliquid narrat Bibliothecæ II. Apollodorus: Ἀκρίσιος καὶ Προῖτος. οὗτοι καὶ κατὰ γαστρὸς μὲν ἔτι ὄντες ἐστασίαζον πρὸς ἀλλήλους [*Acriſius & Prœtus. hi etiam cum in utero adhuc eſſent inter ſe diſſidebant*].

Vt conſuleret Dominum] Per os Heberi, qui etiam tunc vixiſſe putatur. Ita Maimonides, Rabbinus Salomon & alii.

Major ſerviet minori] Ioſephus: Φερώνυμα ἔσεσθαι τοῖς παισὶν ἔθνη· τοῦ δὲ μείζονος προτερήσειν τὸ δοκοῦν ἔλασσον εἶναι [*gentes fore pueris illis cognomines: tamen qui minor videretur prælatum iri majori*].

Hiſpidus] Quod ſignum fortis animi notat Ariſtoteles, & alii qui Phyſiognomonica tractant.

25. *Plantam fratris tenebat manu*] Id allegorice patientiam ſignificat. Proteſilai umbra, ut narrat Philoſtratus, athletæ roganti ὅ, τι πράττων ὑπερέσοιτο τῶν ἀντιπάλων, πατούμενος ἔφη [*quid agendo adverſarium ſuperaret, dixit, calcantem ſe ferendo*]. Ille ex eo dicto reperit τὸ ἀποπτερνίζειν [*ſupplantare*], עקב, unde יעקוב ὁ πτερνιστὴς [*ſupplantator*] Philoni, id eſt, ut idem Philo interpretatur, τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀκονιτὶ κτώμενος [*qui virtutem non citra pulverem acquiſiverit*].

27. *Habitabat in tabernaculis*] Paſtoralem vitam agebat, nunc huc nunc illuc ſe & ſua transferens. Ingenia conveniebant vitæ generi. Iacobus bonus, ut paſtor: Eſavus ſævus, ut venator.

31. *Primogenita tua*] Ius ſacerdotii. Vide Iob. I. 5. XLII. 8. Num. III. 12. 40. VIII. 16. Ius primæ genituræ amitti delinquendo poterat, ut ſupra notavimus IV. 7. Erat autem & hoc delictum, jus tam ſanctum contemnere: unde profanus dicitur Eſau, Hebr. XII. 16. Myſticum hujus loci ſenſum non male explicuit Philo: πρεσβύτερα ὁ μὲν φαῦλος ἡγεῖται τὰ σώματος, ὁ δὲ ἀστεῖος τὰ ψυχῆς, ἃ καὶ πρὸς ἀλήθειάν ἐστιν οὐ χρόνῳ ἀλλὰ δυνάμει καὶ ἀξιώματι πρεσβύτερα καὶ πρῶτα ὄντως [*Qui vitioſus eſt ſenior, judicat ea quæ ſunt corporis; at vir probus ea quæ ſunt animi: quæ & vere ſunt ſeniora, non tempore, ſed vi ac dignitate, ac reapſe prima*].

CAPVT XXVI.

8. IOcantem *cum Rebecca uxore ſua*] παίζοντα [*ludentem*], quod Hebræo bene reſpondet, id eſt, attrectantem eam liberius quam mos ferebat in alienam.

10. *Induxeras ſuper nos grande peccatum*] At LXX. ἄγνοιαν [*ignorantiam*]. quomodo vox Hebræa אשם vertitur II Paral. XXVIII. 13. Ezech. XL. 40. XLIV. 29. quæ alibi πλημμέλεια, πλημμέλημα, πλημμέλησις [*negligentia*], interdum ἁμαρτία [*peccatum*]. Vocem igitur ſatis generalem reſtrinxere Græci interpretes ad ſpeciem eam de qua hîc agebatur, plane quaſi poſitum eſſet שגגה [*error*].

11. *Præcepitque omni populo*] Hoc barbari dicerent: dedit illi ſalvagardiam.

12. *Invenit in ipſo anno centuplum*] Cum centeſimo fœnore in illis locis meſſes interdum reddi ex Plinio ſupra oſtendimus.

16. *Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde*] Oſtraciſmus. Vide Ariſtotelem Politic. III. 13.

18. *Servi patris ſui Abraham*] Sic Samaritanus, Syrus, LXX. qui omnes pro בימי [*in diebus*] videntur legiſſe עמי, quod interdum παῖδες [*pueri*], interdum δοῦλοι [*ſervi*] vertitur.

20. *Calumniam*] Græci ἀδικία [*injuſtitia*]. Id eſſet עשק cum ſchin dexteri puncti. At nunc in Hebræo ſiniſtrum ſcribitur. Apparet ea diſcrimina olim non fuiſſe.

33. *Abundantiam*] Hîc quoque Latinus legit ſchin ſiniſtrum. at Græci dextrum, ut Hebræi codices nunc habent: legerunt enim Φρέαρ ὅρκου [*Puteus jurisjurandi*], ut ſupra 24. ſit nomen κατὰ πρόληψιν [*anticipando*]. Idem nomen ex pari cauſa loco alteri ſupra XXI. 33. באר puteus: unde Beryto nomen facit Stephanus, & ex eo Heſychius.

35. *Offenderant animum Iſaac & Rebeccæ*] Quod abhorrerent à doctrina pietatis.

CAPVT XXVII.

27. PLeni] Hæc vox ex Hebræis codicibus excidiſſe videtur. Eſt enim & in Græco & in Samaritano & in Syriaco veteri, referente Diodoro. Plinius lib. XVII. c. 5. de terra agens: *Et cum à ſiccitate continua immaduerit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum divinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuavitas nulla poſſit.*

29. *Serviant tibi populi*] Idumæi.

Et adorent te tribus] In Hebræo לאמים. regna Chaldæus: LXX. ἄρχοντες [*Principes*]. regna Arabiæ & Syriæ, orta ex Agare, Cethura, Labano.

Qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus] Vt Balaam.

Et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur] Vt Moſes.

40. *Cum excutias & ſolvas jugum ejus*] Implementum vide I Reg. VIII. 20. Notant autem Hebræi hanc fuiſſe voluntatem Dei ἑπομένην [*conſequentem*], ideo quod eo tempore Iſraëlitæ excuſſiſſent jugum legis.

CAPVT XXVIII.

12. VIditque *in ſomniis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cælum*] Simile ſomnium apud Ariſtiden ſacrarum orationum tertio: ἐν οἷς ἄρτι δὴ κλίμακες ἦσαν αἳ τὸ ὑπὸ γῆς καὶ ὑπὲρ γῆς ἀφορίζουσαι, καὶ ἑκατέρωθι κράτος τοῦ θεοῦ [*in quibus erant ſcalæ diſterminantes id quod ſub terra, & quod ſupra terram eſt: & utrinque potentia Dei*].

Angelos quoque Dei] Qui quatuor venti Zach. VI.

Aſcendentes & deſcendentes] Mandata accipientes & exſequentes. Confer Ioh. I. 51.

13. *Et Dominum innixum ſcalæ*] Inſigniorem Angelorum, qui Dei perſonam referebat.

Eritque ſemen tuum quaſi pulvis terræ] Gentem Iudæorum πολυανθρωπότατον [*hominum fæcundiſſimam*], vocat Hecatæus, merito.

18. *Erexit in titulum*] Columnæ in morem. Tales lapides erecti aut congeſti tunc erant pro altari. Vide infra XXXI. 46.

Fundens oleum deſuper] Mos illorum locorum, qui & ad Græcos devenit. Clemens Alexandrinus Strom. VII. πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον, λιπαρὸν προσκυνοῦντες.

κυνοῦντες [*omnem lapidem, ut dicitur, unctum adorantes*]. Primo Floridorum Apuleji: *Lapis unguine delibutus.* Arnobius lib. I. *Si quando conſpexeram lubricatum lapidem, & ex olivi unguine ordinatum, tanquam ineſſet vis præſens adulabar.* Minutius: *In lapides impingere, effigiatos ſane & unctos & coronatos.*

19. *Bethel*] Hinc βαιτύλια [*bætylia*] apud Phœnicas. Vide Philonem Byblium in Euſebio.

Quæ prius Luza vocabatur] Accepit אולם pro mera affirmatione, ut & Aquila. At LXX. & alii pro parte nominis: καὶ Οὐλαμλοὺζ ἦν ὄνομα τῇ πόλει τὸ πρότερον· [*prius autem nomen oppidi erat Vlamluz*]. id eſt, porticus nucum. Infra Luza tantum dicitur XXXV. 5.

20. *Si fuerit Deus mecum*] Si auxilio mihi fuerit, ut recte exponit Chaldæus. Vide quæ ad Matth. XXVIII. 20.

Et dederit mihi panem ad veſcendum, & veſtimentum ad induendum] Id eſt, etiamſi nihil habeam præter ea quæ naturæ ſunt neceſſaria.

CAPVT XXIX.

8. *ET amoveamus lapidem de ore putei*] *Amoveant*, ſcilicet paſtores. Sic LXX. ἀποκυλίσουσι [*devolvant*]. Confer Marcum XVI. 3. ubi idem verbum ἀποκυλίσει [*devolvet*]. Gravius id erat, quam ut à feminis præſtaretur.

14. *Os meum es & caro mea*] Propinquus ſanguine. Vide quæ ſupra 11.23.

26. *Imple hebdomadam dierum hujus copulæ*] Dies ſeptem nuptiali lætitiæ dicatos, ex more illarum regionum. Iud. XIV. 15.

Et hanc quoque dabo tibi] Cum novo convivio nuptiali poſt illos ſeptem dies, ſed ſub lege operarum ſeptennii.

32. *Nunc amabit me vir meus*] Ob id Latini liberos pignora vocant.

CAPVT XXX.

2. *NVm pro Deo ego ſum*] Hebræi inter Deo reſervata ponunt fœcunditatem, pluviam, mortuorum excitationem.

3. *Famulam*] παιδίσκην Græci. Miniſtram fuiſſe ingenuam, & hanc & Zelpham tradit Ioſephus. Et ſic ſumitur vox Hebræa Exod. 11.5.

Et habeam ex illa liberos] Id eſt, eos tanquam meos curem.

11. *Feliciter*] Græci alii ἐν τύχῃ [*cum fortuna*], alii, εὐτύχηκα [*fortunata facta ſum*]. גד proſperitatem ſignificat, quo nomine Cedreni Arabes ſtellam nominabant, quæ צדק [*juſtitia*] Hebræis Aſtrologis, Græcis Iovis, quod ea feliciſſima ab Aſtrologis crederetur. Notat Abarbaniel: & adde Eſaiam LXV. 11.

14. *Mandragoras*] Semen mandragoræ potum vulvam purgat. Plinius XXV. 15.

30. *Ad introitum meum*] In Hebræo ad verbum, ut in Græco, ἐπὶ τῷ ποδί μου [*ad pedem meum*], id eſt, quocunque ego greſſum tuli.

Erit merces mea] Sicut coloni, ita & paſtores ſunt quidam partiarii.

38. *Poſuitque eas in canalibus*] Magna aviditate pecudes iſtæ aquas hauriebant, & ſimul oculis imagines rerum vicinarum.

39. *Et in aſpectu earum conciperent*] Simile de equis & columbis apud Oppianum primo de Venatu:

Ὢ πόση κραδίη, πόση μερόπεσσι πέλει φρήν.
Ἔρξαν ὅπως ἐθέλουσι, θέσαν πολυειδέας ἵππους
Μητρὲς ἐπὶ γλαγερῆσι περισχομένους λαγόνεσσι.
Ὁππότε θηλυτέρην γὰρ ἕλῃ φιλοτήσιος ὁρμή,
Ἵππον δ' ἐγγὺς ἰόντα κλυτὸν μεγαλήτορα μίμνῃ,
Δὴ τότε δαιδάλλουσι πόσιν καλόν. ἀμφὶ δὲ πάντῃ
Πᾶν δέμας εὐκύκλοισι περὶ χροιῇσι γράφουσι,
Καὶ ποτὶ λέκτρον ἄγουσιν ἐπ' ἀγλαΐῃ κομόωντα.
Ὡς δέ τις ἠϊθέων ὑπὸ νυμφοκόμοισι γυναιξὶν
Εἵμασιν ἀργεννοῖσι καὶ ἄνθεσι πορφυρέοισι
Στεψάμενος πνείων τε Παλαιστινοῖο μύροιο
Εἰς θάλαμον βαίνῃσιν, ὑμὴν ὑμέναιον ἀείδων·
Ὣς ἵππον σπέρχοντα γαμήλιά τε χρεμέθοντα
Πρόσθεν ἑῆς ἀλόχοιο κλυτὸν πόσιν ἀφρεόωντα
Δηρὸν ἐρητύουσι φίλης λελιημένον εὐνῆς.
Ὀψὲ δέ τοι μεθίασιν ἐπήρατον εἰς φιλότητα·
Ἡ δ' ὑποκυσσαμένη πολυανθέα γείνατο παῖδα·
Νηδύϊ μὲν πόσιος γόνιμον θορὸν ἀείρωσα,
Δεξαμένη μορφὴν δὲ πολύχροον ὀφθαλμοῖσι.
Τοῖαι κἀκεῖνοι τοῖσιν δόνακες μεμέληνται
Μησάσθην πυκινοῖσι νοήμασιν ἰξευτῆρες,
Ὁππότε δαιδάλλωσι πελειάδεσσι νεοσσούς.
Εὖτε γὰρ εἰς φιλότητα θοαὶ τρήρωνες ἴωσι,
Μιγνύμεναι στομάτεσσι βαρυφθόγγοις ἀλόχοιο,
Δὴ τότε μῆτιν ὕφαινε κλυτὴν πιθασότροφος ἀνήρ.
Ἄγχι δὲ θηλυτέρῃσιν ἐθήκατο δαίδαλα πολλὰ
Εἵματα πορφύρεα. ταὶ δὲ κλιδὶν ὄσσε βαλοῦσαι
Θυμὸν ἰαινόμεναι τίκτουσ' ἁλιπόρφυρα τέκνα.

[*O quanta eſt hominum ſapientia & ingenii vis!*
Quod libuit faciunt, variant & corpora equorum,
Tunc cum matris adhuc fœcundo in ventre tenentur.
Nam Veneris ſtimulos ut primum femina ſentit,
Magnanimumque expectat equum, tunc arte maritum
Ingenioſa cohors pingunt, cunctoſque per artus
Puncta ſuper ponunt diverſicolore figura.
Hac ſpecie exſultantem ad amicta cubilia ducunt:
Qualis adhuc vernans juvenis quem pronuba turba
Floribus ornavit pulchris & veſte decora,
Omne Palæſtinos ſpirat cui corpus odores
Ad thalamum feſtinat Hymen cantans Hymenæe:
Cornipedem haud aliter, complentem hinnitibus auras
Conjugis ante oculos, & ſpumis ora madentem,
Ardentemque, diu prohibent ab amore cupito,
Et ſero ad Veneris dimittunt gaudia tandem.
Illa parit multo gratum diſcrimine fœtum:
Quippe maris ſemen cepit genitalibus arvis,
Aſt oculis formæ diverſos hauſit honores.
Nec minus exercet, cui victus arundinis arma,
Admiranda animi meditamina ſedulus auceps,
Dum picturata fœcundat prole columbas:
Nam Paphiæ volucres ubi connubialia quærunt
Federa, clamoſoque os miſcent conjugis ori,
Monſtrat ibi ingenium qui pennigera agmina nutrit:
Matribus apponunt ſubtilia texta futuris
Purpureas veſtes: in quas dum lumina figunt
Lætanturque animis ſoboles fit concolor oſtro].

Eadem quæ hîc Oppianus, habet Iſidorus Originum XII. cap. 1. Quædam ejus generis habet & Hieronymus ad hunc locum.

CAPVT XXXI.

7. DEcem vicibus] Aquila δέκα ἀριθμοὺς [*ad decem numero*]. Symmachus, δεκάκις ἀριθμῷ [*decies numero*]. Bene Euſebius, ὁ Σύρος δεκάκις, ἀντὶ τοῦ πολλάκις [*Syrus decies pro ſæpe*]. Exempla habes hujus ſignificatus in numero denario Lev. XXVI. 26. Zach. VIII.2. Eccleſ.VII.20. Apoc.II.10.

15. *Et vendidit*] Elocavit, non noſtrum, ſed ſuum reſpiciens commodum.

Quaſi alienas] Nam liberi, ſui heredes.

19. *Idola*] Teraphim. Sic & Græci. Infra dicuntur dii Labanis, 30. τύποι τῶν θεῶν [*deorum ſigna*] Ioſepho. Imagines ad certum ſtellarum poſitum factæ cum ſtellarum figuris, ex veteri Syrorum, & Arabum ſuperſtitione. Abſtulit hæc Rachel, ne ex iis Laban conſilium fugæ diſceret. Sic Abeneſdra. At Ioſephus, ut perfugium haberet contra patris iram, ſi forte in fuga deprehenderentur.

32. *Apud quemcumque inveneris*] Poteſtatem illi facit inquirendi, qui mos & apud Romanos, Inſtit. de furtis, §. concepti. Gellius XI. ultimo.

Necetur] Multi enim eo tempore vivebant eo jure, de quo Homerus,

——— θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
παίδων ἠδ' ἀλόχων.
[——— *Dant conjugibus jus*
Quiſque ſuis ſobolique].

Pœnam autem mortis indicit Iacobus, ut in ſacrilegio, ſecundum opinionem Labanis.

35. *Iuxta conſuetudinem feminarum*] Sic & Græci κατ' ἐθισμὸν τῶν γυναικῶν. Sic Ariſtoteles Animalium hiſtoriæ libro VI. cap.XXI. menſium in animalibus tributa τὰς συνηθείας [*conſuetudines*] vocat, σεμνῶς [*honeſte*]. Vide & ſupra XVIII.11.

39. *Ego damnum omne reddebam*] Dura lex quam Laban impoſuerat Iacobo, ut pro cuſtodia mercedem non aliam recipiens quam fœtuum partem, caſus omnes præſtaret.

42. *Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac*] Non dicit Deus Iſaaci, quia vivebat adhuc Iſaac. Non cognominatur autem Deus à quoquam mortalem adhuc agente vitam.

46. *Tumulum*] βουνὸν [*collem*] hîc Græci. κολωνὸν [*acervum*] tale monumentum vocat Xenophon Aſcensûs quarto.

53. *Deus Nachor*] בעל-שמין [*Beelſamen*] Sol maximo apud Syros in honore, ut pulcherrimum & utiliſſimum eorum quæ ſpectantur.

CAPVT XXXII.

11. MAtrem cum filiis] Proverbialis locutio, id eſt, internecionem faciat.

23. *Traductiſque omnibus*] Illud *omnibus* videtur fuiſſe in codicibus Hebræis quibuſdam, ob tantum conſenſum Samaritani, Syri, Græci, Latini.

24. *Ecce vir*] φάντασμα [*ſpectrum*] Ioſepho: quam vocem & in Gedeonis & Manoæ hiſtoria uſurpat.

25. *Et ſtatim emarcuit*] Id myſtice ſignificat συστολὴν οἰήσεως [*contractionem elationis animi*]. Philo, περὶ ἄθλων [*de præmiis*].

28. *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum*] Sic & infra XXV.10. Senſus eſt: non tantum Iacob vocaberis, ut antehac, ſed & Iſraël, auguſtiori nomine. Simile Ieremiæ XXIII.7.

Si contra Deum fortis fuiſti] Contra Angelum. Hinc nomen Iſraëlis: nam jod eſt proprii nominis nota. שרית Græcis varie vertitur ἐνίσχυσας, ἦρξας, ἦρξω ἰσχύϊ [*valuiſti, præfuiſti, præfuiſti per potentiam*]. myſtice precum vis ſignificatur. Vide Luc.XVIII.6. & ſequentibus.

31. *Ortuſque eſt ei ſtatim ſol*] Vide ſupra 26. Iupiter Plautinus:

Exire ex urbe priuſquam luceſcat volo.

Anchiſes Virgilianus Æneidos quinto:

Iamque vale: torquet medios nox humida curſus,
Et me ſævus equis oriens afflavit anhelis.

Sic Achilles ad galli cantum abit apud Philoſtratum, vita Apollonii: quod & Euſebio notatum contra Hieroclem: Chryſis apud Lucianum. Et generale hoc in nocturnis viſis obſervat Æneas Gazæus Theophraſto.

CAPVT XXXIII.

10. QVaſi vidiſſem vultum Dei] Id eſt, Angelum. Confer ſupra XXXII. 30. & II Sam. XIV. 17.

14. *Et ego ſequar paulatim veſtigia ejus, ſicut videro parvulos poſſe*] Hebraïcè, *ad pedem gregis ante me, & ad pedem natorum.* Vbi pes pro pedato, ut Latini veteres dicebant. מלאכה autem & opus ſignificat, & ea quæ poſſidentur, in quibus tunc præcipuum erant pecora.

19. *Agnis*] Imo pecunia erat, Act.VII.16. Diſce igitur ex Hebræis agnos nomen fuiſſe pecuniæ agnum valentis, & ob id agni habentis figuram. Sic bos apud Græcos: & pecunia à pecu: & opes olim oves, ut opilio pro ovilio.

CAPVT XXXIV.

21. PAcifici] Sic fert origo vocis שלמים. At Aquila, ſolitus alioqui origines anxie exprimere, maluit κατηρτισμένοι [*conſummati*], quia ſæpe ea vox id quod in ſuo genere perfectum eſt ſignificat; ideoque verti ſolet ὁλόκληρος, πλήρης, τέλειος [*integer, plenus, perfectus*], etiam δίκαιος [*juſtus*]: qui hujus loci videtur eſſe ſenſus.

22. *Ritum gentis imitantes*] Melius coaleſcunt populi rituum paritate.

25. *Quando graviſſimus vulnerum dolor eſt*] Hebraicè, *cum eſſent dolentes.* Sic & Græci: ὅτε ἦσαν ἐν τῷ πόνῳ [*cum eſſen[illegible]n cruciatu*], nimirum quia eo die ſæpe febres naſcuntur ex inflammatione.

27. *Depopulati ſunt urbem*] Vnus facto, alii auxilio aut receptu.

30. *Odioſum feciſtis me*] Piſiſtratus filiis ſuis ſæviſſima meditantibus in raptores ſororis: Quid, ait, faciemus hoſtibus, ſi hæc amatoribus facimus?

CAPVT XXXV.

2. D*eos alienos*] Teraphim iſta. quorum unum Gedalia ait multo poſt tempore erutum cultumque à Samaritis.

4. *Inaures quæ erant in auribus eorum*] Dicatas ſcilicet alicui fictitio numini: qui mos olim Syrorum per Syros Phœnicas in Africam venit. Ideo Auguſtinus de Doctrina Chriſtiana lib.II. inter ſuperſtitioſa numerat *inaures in ſummo aurium ſingularum.* Idem latius epiſtola LXXIII. *Exſecranda autem ſuperſtitio ligaturarum, in quibus etiam inaures virorum in ſummis ex una parte auriculis ſuſpenſæ deputantur, non ad placendum hominibus, ſed ad ſerviendum dæmonibus adhibetur. Quis autem poſſet ſpeciales nefariarum ſuperſtitionum prohibitiones in ſcripturis invenire, cum generaliter Apoſtolus dicat: Nolo vos ſocios fieri dæmoniorum:* & iterum: *Quæ enim congruentia Chriſti ad Belial? niſi forte quia Belial nominavit, & generalem ſocietatem dæmoniorum prohibuit, licet Chriſtianis ſacrificare Neptuno: quia nihil proprie de Neptuno vetitum legimus. Moneantur interim miſeri, ut ſi obtemperare nolint præceptis ſalutaribus, ſaltem ſacrilegia ſua non defendant, ne majori ſe ſcelere implicent. Quid autem cum eis agendum ſit, ſi ſolvere inaures timent, & corpus Chriſti cum ſigno Diaboli accipere non timent?* Erant autem in illis inauribus notæ quædam ſiderales, unde talia σφραγῖδες [*ſigilla*] dicebantur. Luctatius ad Statium: *licèt magis frigidas habent:* legendum *licèt magi ſphragidas habent.* Tales & annuli partim ad mira perpetranda, ut ille Gygis Platoni de Republica II. Ciceroni de Officiis ſecundo, Plinio libro XXXIII. memoratus, partim valere crediti dæmonibus pellendis, teſte Luciano in Philop~~atride~~seude, partim contra morbos, teſte Alexandro Tralliano, Marcello Empirico, & aliis. Sic & comas diis dicatas ex poëtis diſcimus, & cirros in comis, ex Ammiano libro XXII.

7. *Ibi enim apparuit ei Deus*] *Apparuerunt ei Angeli.* Eſt enim verbum plurale in Hebræo. Solet autem cum uno Angelo principe apparere Angelorum aliorum comitatus, ut & ſupra notavimus, & videri poteſt Lucæ II.9.13.

19. *Benjamin, id eſt filius dextræ*] Aut potius Syriaco ſermone, cujus multum adhuc retinebat Iacobus, filius dierum, id eſt, ſenectutis. Convenit id optime cum eo quod infra eſt XLIV.20.

20. *Erexitque Iacob titulum*] Id eſt, columellam, ut Cicero vocat I. de Legibus, & quinto Tuſculanarum. στήλω Homerus & Epigrammatarii Græci. quos & hic ſecuti LXX.

22. *Erant autem filii Iacob duodecim*] Iuſtinus libro XXXVI. *Iſraëlem felix decem filiorum proventus majoribus ſuis clariorem fecit.*

CAPVT XXXVI.

1. H*Æ ſunt autem generationes Eſau*] Obiter hoc attexere Moſes rebus Iacobi voluit, ut Iacobi poſteritas Idumæorum fines noſſet, eiſque abſtineret, exceptis eis qui erant Amalecitarum. Vide infra XVII.14. & Deut.XXIII.7.

21. *Ana*] Nomen eſt maſculinum & femininum, ut & Thamna.

24. *Invenit aquas calidas*] Legit מים, aut חמים: at nos ימם, id eſt, mulos. Græci Hebræam vocem retinuêre ἰαμείν.

31. *Reges autem qui regnaverunt in terra Edom*] Hi qui ſequuntur reges non ab Eſavo ſunt, ſed gentis alterius. Ita Maimonides. Reges autem à ducibus eo differebant, quod coronam habebant. Horum autem regum gravis memoria documentum erat Iſraëlitis, ne ſibi alienigenam imponerent.

Antequam haberent regem filii Iſraël] Priuſquam Iſraëlis poſteri terram Cananæam ac vicinas ſunt adepti, ante quod tempus regem ipſis facere non licuit. Deut.XVII.14.

38. *Balanan*] בעל־חנן plane idem nomen quod Hannibal, ſed inverſum.

41. *Theman*] Vnde populus Themanæi Herodoto.

CAPVT XXXVII.

2. E*T hæ ſunt generationes ejus*] Res ab eo ejuſque liberis geſtæ. Vide ſupra VI.9. & Num. III.1. ubi eadem vox תלדות [*generationes*]. notavit & Abeneſdra.

Ioſeph cum ſedecim eſſet annorum] In Hebræo eſt XVII. quod ſequuntur Græci. Sed filius anni hujus vel illius eſſe dicitur qui eum annum agit, ut apparet Exodi XII.5. Senſum ergo recte expreſſit Latinus.

Paſcebat gregem] Regimini populorum præludens. Ab hoc gradu ad familiam gubernandam perductus eſt, inde ad regni curam, Deo per gradus hæc diſponente.

Accuſavit fratres ſuos] Vt à patre moniti reſipiſcerent. Eſt enim in Hebræo יבא דבה quod in bonam partem dicitur, ut יוצא in malam.

Crimine peſſimo] Vt κτηνοβάτας [*jumentorum initores*].

Quaſi ſolem & lunam & ſtellas undecim adorare me] Achmes Onirocriticon cap.CLXVIII. ex Perſarum & Ægyptiorum diſciplina: ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐδέσπωσε τῶν ἄλλων ἀστέρων πάντων, δεσπώσει πάντων λαῶν [*Siquis ſomniaverit ſe dominari aſtris omnibus, dominabitur populis omnibus*].

Et mater tua] Bala Rachelis liberûm educatrix. Sic Plauto, *mater quæ mammam dedit.*

25. *Iſmaëlitas*] Onkelos Saracenos poſuit, recte. Erat συνοδία, ſive, ut nunc loquuntur, Caravana, ex variis Arabum populis, unde mox Madianitæ vocantur.

35. *Ad filium meum*] Propter filium meum. R.Salomon Iarchi & Hiſcuni. ſic enim ſumi particulam אל & alibi apparet, & II Sam.XXI.2.

In infernum] εἰς ᾅδου. Vide quæ ad Lucam XVI.23.

CAPVT XXXVIII.

5. Q*Vo nato parere ultra ceſſavit*] Hebraïce: *Erat in Chezib, cum ipſa eum pareret.* Græce, αὕτη δὲ ἦν ἐν Χασβὶ, ἡνίκα ἔτικεν αὐτοὺς [*ipſa erat in Chasbi cum eos pareret*]. Locum eſſe apparet Ioſ. XV. 44. Mich. I. 14. ubi ſcribitur propoſito א quod in nominibus

propriis frequens. Hic autem ſic appellatur is locus per πρόληψιν [*anticipationem*]. Dictus enim ſic videtur quod ibi Sue parere ceſſaverit, ut hîc dicit Latinus. Nam כזב inter alia & ceſſare ſignificat, ut Eſaiæ LVIII. ubi in Græco ἐξέλιπε [*deſiit*].

6. *Her*] ער in Hebræo. Et Armenium nomen apud Platonem de Republica x.

14. *In bivio itineris*] Extra urbem ſolitas ſe habere victimas publicæ libidinis, & Hebræi notant, & Chryſippus in Iſagoge bonorum & malorum: πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις· εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν [*Primum extra urbem & perſonatæ vulgabant ſe meretrices volentibus. Poſtea audaciores factæ abjecere perſonas, & per legem prohibere urbem ingredi, extra eas degebant*]. Hinc Chaldæis meretrix, vagatrix dicitur: devium ſcortum Horatio.

18. *Annulum tuum*] Nempe ſignatorium, quod ſignificat vox חתם, pro quo σφραγῖδα [*ſigillum*] dixit Aquila. quomodo & LXX. vertunt aliis in locis.

Et armillam] ἑρμίσκον [*monile*] LXX. στρεπτὸν [*tortile*] Aquila. Videtur fuiſſe aliquid ex auro ad modum fili contorti. Id enim proprie ſignificat פתיל, ut apparet Exod. XXXIX. 3. Iud. XV. 9. Ezech. XL. 3. id de collo fuiſſe ſuſpenſum Græci interpretes crediſſe videntur.

21. *Vbi eſt mulier quæ ſedebat in bivio*] In Hebræo קדשה, quod πόρνη [*meretrix*] vertitur à LXX. & hîc & Deut. XXIII. 17. Sic & ſcortum maſculum קדש Deut. XXIII. 17. Cauſa nominis ex ſimili: nam ut ſacra nemini ſunt propria, uſu communia, ſic illæ feminæ. Apud Plautum ſimilis tranſlatio: *Non ego ſum polluctа pago:* pollucere enim eſt ſacrare. Vide Feſtum & Macrobium.

23. *Habeat ſibi: certe mendacii nos arguere non poteſt*] In Hebræo, *Habeat ſibi, ne ſimus ludibrio.* Græci μήποτε καταγελασθῶμεν [*ne irrideamur*]. Non male: nam ἐπονείδιστος καὶ αἰσχρὰ ἡ πρὸς ταύτας ὁμιλία [*turpis & exprobrabilis eſt cum eis conſuetudo*], ait de meretricibus agens Porphyrius IV. de Abſtinentia.

24. *Vt comburatur*] Erat enim filia ſacerdotis illorum locorum, ut ajunt Hebræi. Multæ Moſis leges ex antiquis moribus. Sic & illa Levit. XXI. 9. Alii putant legem fuiſſe peculiarem iſtius familiæ.

29. *Quare diviſa eſt propter te maceria?*] Proverbiale, id eſt, quare prævertendo fratrem qui naſci cœperat, litem de primogenitura infers in domum?

CAPVT XXXIX.

1. **E**Vnuchus] Sic & ſupra XXXVII. 36. ubi Græca verſio τῷ σπάδοντι [*ſpadoni*], quod obſtat quominus εὐνοῦχον [*eunuchum*] hic, ex origine magis quam ex uſu, cubiculi præpoſitum intelligamus. Fuerit ergo aliquis ex exoletis Ægyptii regis, quales deinde ad diverſas dignitates promoveri ſolebant. Vide II Reg. VIII. 6. I Sam. VIII. 15. ubi mores vicinorum regum deſcribuntur: & Ierem. XXXIV. 19. moribus Hebræorum jam corruptis. Chaldæus vertit רבא, quaſi dicas megiſtana.

2. *In cunctis proſpere agens*] LXX. ἀνὴρ ἐπιτυγχάνων [*vir adipiſcens*]: Aquila κατευθυνόμενος [*bene directus*]. Symmachus εὐοδούμενος [*proſpere incedens*], non male omnes. Senſus in illo Homerico verſu,

Ὅς οἱ πολλὰ κάμῃσι, θεὸς δ' ἐπὶ ἔργον ἀέξῃ.

[*Cui multus labor, atqui operi Deus addit honorem.*]

quæ interpretatio ipſius nominis Ioſephi.

6. *Nec quicquam aliud noverat niſi panem quo veſcebatur*] Securus rerum omnium epulis tantum indulgebat.

11. *Vt intraret Ioſeph domum*] Nomen Ioſeph ad ſenſum clariorem addendum hic cenſuêre & LXX. Samarites quoque, & Syrus.

15. *Cumque ego ſucclamaſſem & audiſſet vocem meam, reliquit pallium*] Simile illud in Hippolyto Senecæ:

——— en præceps abit,
Enſemque trepida liquit attonitus fuga.

Sequitur ibidem:

Pignus tenemus ſceleris.

Nimirum, ut Iuvenalis utar verbis ex Satyra x.

Erubuit nempe hæc ceu faſtidita repulſa;
Nec Sthenebœa minus quam Creſſa excanduit, & ſe
Concuſſere ambæ. mulier ſæviſſima tunc eſt,
Cum ſtimulos odio pudor admovet.

Similem enim calumniam Bellerophonti intentavit Sthenebœa, ut & Aſtydamæa Peleo.

CAPVT XL.

17. **E**T *in uno caniſtro quod erat excelſius, portare me omnes cibos, aveſque comedere ex eo*] Simile huic ſomnio augurium in Homeri Odyſſeæ β'.

——— τὼ δ' αἰετὼ εὐρύοπα Ζεὺς
Ὑψόθεν ἐκ κορυφῆς ὄρεος προέηκε πέτεσθαι.
Τὼ δ' ἕως μέν ῥ' ἐπέτοντο μετὰ πνοιῇς ἀνέμοιο,
Πλησίω ἀλλήλοισι τιταινυμένω πτερύγεσσιν·
Ἀλλ' ὅτε δὴ μέσσην ἀγορὴν πολύφημον ἱκέσθην,
Ἔνθ' ἐπιδινηθέντε τιναξάσθην πτερὰ πολλά.
Ἐς δ' ἰδέτην πάντων κεφαλάς, ὄσσοντο δ' ὄλεθρον,
Δρυψαμένω δ' ὀνύχεσσι παρειὰς ἀμφί τε δειρὰς
Δεξιὼ ἤϊξαν, διά τ' οἰκία καὶ πόλιν αὐτῶν.

[——— *aquilas deſcendere juſſit*
Iuppiter excelſo geminas de vertice montis.
Hæ pariter primùm vento vectante volabant,
Altera ad alterius latus ut protenderet alas:
Aſt ubi devenere forum ſuper impete magno,
Circum ſeſe agitant quatientes undique pennas.
Inque hominum capita intentæ lugubre canebant:
Vnguibus imo etiam lacerant collumque genaſque,
Tranſque domos urbemque ferunt ſe limite dextro].

Mox augur explicans:

Μνηστῆρσιν δὲ μάλιστα πιφαυσκόμενος τάδε εἴπω·
Τοῖσιν γὰρ μέγα πῆμα κυλίνδεται.

[*Præcipue quæ dico procos hæc omina tangunt:*
Namque illis clades gravis imminet].

13. *Recordabitur Pharao miniſterii tui*] Eadem plane locutio infra 19. quare eodem modo utrobique recte verteris: *Exputabit Pharao rationes tuas.* Sic ſumitur vox ראש [*caput*] Num. I. 49. Exod. XXX. 12. Sic fermè & Græci κεφάλαιον uſurpant.

19. *Et lacerabunt volucres carnes tuas*] Quod Horatius dixit: *Paſces in cruce corvos.*

20. *Dies natalitius*] Herodotus Calliope in Perſarum rebus: τοῦτο τὸ δεῖπνον κατασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο βασιλεύς [*hoc epulum ſemel quotannis exhibetur qua die natus fuit rex*]. Adde Matth. XIV. 6.

CAPVT XLI.

2. *IN locis paluſtribus*] LXX. ἐν τῷ Ἄχει [*in Achi*]: voce haud dubiè uſitatâ in Ægypto, ubi ſcribebant LXX. Arbitror ſignificari campos virentes, ſtagnante in iis Nilo. Nam & Arabibus اجام [*Acham*] ſtagna. Vocem Ægyptiam ſervavit in Græco Sirachides XL. 16. ubi in Latino viriditas. Exſtat illa vox & in Hebræo Iobi VIII. 11. reddita ibi à Græcis πάπυρος [*papyrus*], Latino ſcirpus. In ripis nimirùm ab amne madentibus papyrus naſcebatur. Ita סוף transfert Ioſephus in Hiſtoria quæ eſt Exod. II. 4. Hieronymus VII. libro ad Eſaiam: *Pro junco papyrum* LXX. *tranſtulerunt, de quo charta fit: addentes de ſuo* Ἄχει τὸ χλωρὸν, *quod in Hebraico non habetur. Cumque ab eruditis quærerem quid hic ſermo ſignificaret, audivi, ab Ægyptiis hoc nomine omne quod in palude viride naſcitur appellari.*

3. *De flumine*] Depreſſo ſcilicet intra alveum & non irrigante agros, quod famis ſignum. Plinius lib. XVIII. 18. Contra, ἐὰν ἴδῃ τις ὅτι ἐπλήμμυρεν ὁ ποταμὸς, εὑρήσει ὁ κατοικῶν χαρὰν καὶ εὐφορίαν [*ſiquis viderit exundaſſe amnem, inveniet ubi habitat gaudium & fertilitatem*] Achmes cap. CLXXVI. Onirocriticon ex Ægyptiorum diſciplina.

In ipſa amnis ripa] Non inundatâ ſcilicet. Quod additur hîc *in locis virentibus*, neque in Hebræo eſt, neque in Græco. Error inde ortus quòd ubi in Græco eſt παρὰ τὰς βόας [*apud boves*], Latinus παρὰ τὰς πόας [*apud herbas*] legit. Per vaccas annos ſignificari eſt in Onirocritico Aſaph Setha. Item in Achmete, cujus verba ſunt cap. CCXXXIX. ex Ægyptiorum diſciplina: τὰ βοΐδια θήλεια εἰς χρόνους· καὶ εἰ μὲν εἰσι πίονα, χρόνους εὐφόρους δηλοῦσιν· εἰ δὲ πτωχὰ καὶ λεπτὰ, χρόνους δυσφόρους [*Boves feminæ ad tempora pertinent: & ſi pingues ſunt, tempora fœcunda ſignificant: ſin exilia & tenuia, ſterilitatem temporum*]. Similia ex Perſis habet.

4. *Rursùm dormivit*] Somnia divinitùs immiſſa ſolent rem eandem bis exprimere, ut infrà 32. Sic apud Danielem idem arbor & imago. Sic de ſomnio Ptolemæi Tacitus Hiſt. V. *Eadem ſpecies terribilior jam & inſtantior.*

Septem ſpicæ] Vide aliud ſomnium apud Ioſephum lib. XVII. 15. antiquæ hiſtoriæ, & de bello Iudaïco II. c. XI. ubi ſimiliter per ſpicas ait annos ſignificari. Apud Tacitum Annalium XI. in ſomno itidem viſæ ſpicæ retrò converſæ gravitatem annonæ prædicere creditæ.

8. *Conjectores*] Vox חרטמי non Hebraïca eſt, ſed Ægyptiaca. LXX. vertunt ἐξηγητὰς [*interpretes*]. Aquila κρυφιαστὰς [*latebroſos*], Symmachus μάγους [*magos*]. At in Exodo & Daniele dicuntur ἐπαοιδοὶ [*incantatores*], alibi in Exodo φαρμακοὶ [*venefici*]: cum quibus nominibus benè conveniunt magorum inſtituta Plinio & aliis memorata.

Et accerſitis narravit ſomnium] Mos diu in Ægypto retentus. Tacitus Hiſtoriarum IV. de Ptolemæo: *Ptolemæus omine & miraculo excitus, ſacerdotibus Ægyptiorum, quibus mos talia intelligere, nocturnos viſus aperit.*

14. *Veſte mutata*] Lugentes enim aut ſordidati regem adire non poterant. Vide infrà L. 4. & Eſther IV. 4.

16. *Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni*] Symmachus habuit, *non ego ſed Deus:* quæ locutio interpretanda ut illa ſimilis Matth. X. 20.

17. *Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis*] Repetuntur verba ipſa quæ ſuprà fuêre: quod frequens & ſacris literis & Homero. Macrobius lib. V. Saturn. cap. XVI. *Neſcio quomodo Homerum repetitio illa unicè decet: & eſt genio antiqui poëtæ digna.* Simile vide ſuprà XXIV. 37.

25. *Somnium regis unum eſt*] Vtriuſque eadem ſignificatio. eſt metonymia. Somniis benè uti, non dormientium tantùm, ſed & vigilantium, politici eſt. Philo.

Quæ facturus eſt Deus oſtendit Pharaoni] Apertiùs & planiùs quàm Magi putant, qui per vaccas putabant intelligendas Pharaonis filias. Sic Hebræi.

34. *Præpoſitos*] ἐπιτρόπους [*curatores*] Græcam vocem hîc uſurpant Ionathan & Hieroſolymitanus. LXX. τοπάρχας [*locorum præſides*]. Onkelos מהימנין, quo modo Syrus ſolet interpretari εὐνούχους [*eunuchos*]. Sicut in pace de bello, ſic in fœcundis annis de ſterilitate cogitandum.

35. *Omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate condatur, ſerveturque in urbibus. Et præparetur futuræ ſeptem annorum fami*] Simile apud Caſſiodorum lib. XII. 25. *De veteribus frugibus prudentia tua futuram vincat inopiam: quia tanta fuit anni præteriti felix ubertas, ut etiam futuris menſibus proviſa ſufficiant.* Vide, ſi placet, & quæ ſequuntur.

Ad tui oris imperium cunctus populus obediet] In Hebræo, *ſupra os tuum oſculabitur omnis populus:* id ſignum ſubjectionis.

43. *Vt omnes coram eo genu flecterent*] Quæ hîc in textu eſt vox אברך & ipſa Ægyptia eſt, credo παιανισμὸς [*jubilatus*] quidam, ideoque omiſſus à LXX. Onkelos ex Syriaco interpretatur *Pater regis;* nam רך pro rege Syriacum. Sed alia lingua Ægyptia, alia Syriaca. Sunt qui *Pater tener* transferunt, quaſi duæ voces eſſent Hebrææ. Sunt qui ab Hebræa voce ברך [*genua flectere*] formant, ut hîc Latinus, parùm probabiliter.

44. *Abſque tuo imperio non movebit quiſquam manum*] Id eſt, arma.

Aut pedem] Nemo expeditionem ſuſcipiet.

46. *Salvatorem mundi*] Vocem hîc Ægyptiam quæ Hebraïcè ſcribitur צפנת פענח LXX. & Ioſephus ſcribunt ψονθομφανήχ [*pſonthomphanech*]. Interpretantur autem Ioſephus idem, & Philo, Onkelos, Ionathan, Rabbi Solomo, Rabbi Levi omnes κρυπτῶν εὑρετὴν [*arcanorum repertorem*]. quare ab hac ſententia diſcedendum non eſt.

51. *Manaſſes*] Quod nomen & in Africam per Pœnos venit. Teſtis Appianus Civilium quarto.

CAPVT XLII.

11. *Pacifici venimus*] כנים. LXX. εἰρηνικοί [*pacifici*], Aquila ὀρθοί [*recti*], Symmachus ἁπλοῖ [*ſimplices*]. Senſus eſt, viri bonæ fidei, ut apparet infrà 19. 31. 34. Quàm non vera eſſet hæc ipſorum de ſe prædicatio, norat Ioſephus: norant Emor & Sichem.

15. *Per ſalutem Pharaonis*] Graviſſimum apud Ægyptios juramentum, ſi quis violaret pœnam capitis ſecum trahens; Abeneſdra ex ſcriptoribus Ægyptiis. Sic Romani per genium Principis jurabant.

22. *Et non audiſtis me*] Sic & Latinè dicimus: *Si me audias.*

CAPVT XLIII.

32. *Illicitum enim eſt Ægyptiis comedere cum Hebræis, & profanum putant hujuſcemodi convivium*] Quod Abeneſdra putat omni animalium eſu abſtinuiſſe Ægyptios, nullum teſtem habet antiquum. Ab ovillo pecore eos abſtinuiſſe multi docent: excepto, quod Strabo addit, Nomo Nitriote. Hæc verò cauſa non erat ſatis gravis cur Ægyptii omnem menſæ communicationem cum Hebræis defugerent. Obſtitêre ergo ſpecialia quædam Ægyptiorum in cibis parandis inſtituta: ob quæ Ægyptii Græcorum nec cultro nec ollâ utebantur, ut nos docet Herodotus. Erant autem illa inſtituta ita Ægyptiis propria, ut eadem extraneis apud ſe habitantibus, qualis erat Ioſephus, non imponerent.

CAPVT XLIV.

2. *Scyphum autem meum argenteum*] LXX. τὸ κόνδυ, quod poculi Attalici genus eſſe ait Athenæus. Aquila σκύφον [*ſcyphum*], Symmachus φιάλην [*phialam*]. Simile quid Æſopo factum narrat Scholiaſtes ad Ariſtophanis Veſpas: οἱ Δελφοὶ χαλεπήναντες φιάλην ἱερὰν τοῖς Αἰσώπου σκεύεσιν ὑπέβαλον. ὁ μὲν οὖν οὐκ εἰδὼς τὴν εἰς Φωκίδα φέρουσαν ὥρμησεν ὁδόν. οἱ δ' ἐπιδραμόντες καὶ φωράσαντες ἱεροσυλίας αὐτοῦ κατηγόρουν [*Delphi irati ſacram phialam ſarcinis Æſopi inſeruere. ille rei ignarus viam inibat quæ fert in Phocidem. illi vero accurrentes quaſi deprehenſum accuſant ſacrilegii*]. Sicut hîc Ioſephus fratres tentat, ita fermè Eumæum Vlyſſes apud Homerum.

5. *Ipſe eſt in quo bibit dominus meus, & in quo augurari ſolet*] Quanquam vox נחש in lege de ſuperſtitioſis augurationibus ſumitur, credam tamen olim fuiſſe vocem mediam, & ſumi hîc & infrà 15. pro immiſſis divinitùs præſagiis, ad quæ Ioſephus ſe ſacrificio præparabat: in ſacrificiis autem uſus phialæ, ut jam ex Scholiaſte audivimus. Idem Scholiaſtes ad illud Pacis Ariſtophanicæ:

> ——— πρῶτον δέ σοι
> Δῶρον δίδωμι τὴν δ' ἵνα σπένδειν ἔχῃς.
> [——— *primum tibi*
> *Hanc dono, ut habeas vinum quo libes diis*].

Τοῦτο παρεπιγραφή· τοῦτο γὰρ εἰπὼν δίδωσιν αὐτῷ φιάλην χρυσῆν [*Hic nota aſſcribitur: nam hoc dicens dat phialam auream*]. In hunc ſenſum & σπονδεῖα [*libatoria*], Eccleſiaſtici 1. 15. quæ cum phialis conjungit ſcriptor 1. Macch. 1. 23. & Philo in legatione. Meminêre σπονδείου [*libatorii*] Ioſephus ſæpè, Athenæus quoque, Pollux, & Plutarchus Catone. Tale fuit Manio Curio guttum faginum quo ſacrificaret, Plinius libro XVI. Statius 1. Thebaidos:

> *Iaſides pateram famulos ex more popoſcit*
> *Qua Danaus libare diis, ſeniorque Phoroneus*
> *Aſſueti.* ———

Apulejus de Platone: *patera qua diis ſupplicabat*. Crateris uſum in auſpiciis apud Homerum habes, & apud Clementem Alexandrinum Strom. VI. Vide Num. XV. 5. & 10. Iud. IX. 13. Ioſephum Antiquæ hiſtoriæ XII. 2

16. *Quid reſpondebimus?*] Subitæ calamitates etiam diſertis ſermonem adimunt.

17. *Qui furatus eſt ſcyphum, ipſe ſit ſervus meus*] Servitus pœna furti.

21. *Et ponam oculos meos ſuper illum*] Favebo illi.

31. *Eum non eſſe nobiſcum*] Ex Græco, qui ad ſenſum explendum μεθ' ἡμῶν [*nobiſcum*] addidit. *Mecum*, Samaritanus & Syrus.

CAPVT XLV.

5. *Pro ſalute enim veſtra*] In Hebræo propriè *ad vivificationem.* quod & Aquila vertit εἰς ζώωσιν. Vivificare autem Hebræis etiam in vita ſervare eſt.

12. *Os meum loquatur ad vos*] Hebræo ſermone, quem Ægyptii non intelligebant. itaque explicatum Ægyptiis, veniſſe fratres Ioſephi. At illi à fratribus olim admiſſa ignorarunt.

CAPVT XLVI.

1. *Deo patris ſui Iſaac*] Iam mortui. Vide ſuprà XXXV. 29.

2. *Mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac, audivit eum per viſionem noctis vocantem ſe*] Nempe per Angeli miniſterium.

3. *Ait illi Deus. Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui*] In Hebræo, *& dixit* (Angelus nempe) *Ego Deus, Deus patris tui*, ubi ἔλλειψιν [*defectum in ſermone*] agnoſcit Maimonides; quaſi diceret Angelus, *Hæc Deus mandavit dicenda tibi: Ego ſum Deus patris tui*, &c.

4. *Et ego inde adducam te revertentem*] In poſteris tuis, qui cum progenitore iidem cenſentur.

Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos meos] quod ſugillare oculos dicunt Latini. id officium parentibus morituris exhibebant liberi.

Qui ingreſſi ſunt in Ægyptum] Sic & Hebræus codex & Græci. Sed annumerandi & illi quos in Ægypto reperit Iacob, Ioſephus, & filii ejus duo, tum verò & ipſe Iacobus familiæ caput. Eſt ergo συνεκδοχή [*Complexio*].

21. *Et Echi & Ros & Mophim*] In Hebræo אחי וראש מפים. vetus in libris error, ut ex Græco apparet. At ſi quis conferat locum Num. XXVI. 38. & 39. videbit hîc ſcriptum olim fuiſſe אחירם ושופם. [*Ahi-*

ram & Supham]. Faciles tales lapſus in nominibus propriis.

34. *Quia deteſtantur Ægyptii omnes paſtores ovium*] Nimirùm quia paſtores pecori vitam adimebant, & carne veſcebantur. Vide quæ de ſacrificiis infrà, Exod. VIII. 26. Ex hac diverſitate vitæ inter paſtores, qui Hycſos dicebantur, & Ægyptios alios, graviſſima olim bella inter eos exſtitiſſe ex Manethone apud Ioſephum diſcas. Hæc ergo odii cauſa, qualis Iuvenalis tempore inter Copton & Tentyram. De Iudæis Tacitus, ubi ipſorum inſtituta Ægyptiis opponit: *Cæſo ariete velut in contumeliam Ammonis. Bos quoque immolatur, quem Ægyptii Apim colunt.* Manethon de Moſe, quem & Oſarphiphum vocat: ὁ δὲ πρῶτον μὲν αὐτοῖς νόμον ἔθετο μήτε τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θεμιστευομένων ζώων ἀπέχεσθαι μηδενός [*Is primam illis legem poſuit, nullo animalium abſtinere eorum quæ in honore habent Ægyptii*]. Abſtinentiam ab eſu animalium ruris, veterem fuiſſe non miror. Idololatriæ tamen nulla adhuc Ioſephi ſæculo, in Ægypto quidem, certa veſtigia reperio. A Syris cœpit is morbus, paulatimque propagatus eſt. Pecora autem & Ægyptii illi ſuperſtitioſiores habebant, ſed lanæ & lactis causâ, infrà XLVII. 6.

CAPVT XLVII.

2. *EXtremos quoque fratrum ſuorum*] Meliùs Græci hîc: ἀπὸ δὲ τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ παρέλαβε. [*à fratribus ſuis accepit*]. Nam קצה Hebræum ſæpè per μέρος [*partem*] vertitur.

6. *Trade eis terram Geſſen*] An huc pertinet illud in Manethonis hiſtoria: τὴν τότε τῶν ποιμένων ἐρημωθεῖσαν Ἄβαριν συνεχώρησεν [*dedit eis Abarim tunc à paſtoribus vacuam*].

12. *Præbens cibaria ſingulis*] Græci σῖτον κατὰ σῶμα [*cibaria ad quodque corpus*]. In Hebræo, *ad os parvuli*, id eſt, alimenta illis dedit pro numero liberûm quos habebant.

21. *Subjecítque eam Pharaoni, & cunctos populos ejus à noviſſimis terminis Ægypti uſque ad extremos fines ejus*]. Plus eſt in Hebræo: *tranſmovit eos in urbes*, nempè longè à natali ſolo eos tranſtulit, ac inter ſe cognatos notóſque ſegregavit, ut ſeditionibus, quæ graviſſimæ fuerant, materiam ſubtraheret: veteriſque dominii memoriam, & ex memoria dolorem aboleret. In Africa Vandalorum feminæ atrociſſimam ſeditionem commoverunt, quòd hærere permiſſæ eſſent in fundis, quorum jus bello amiſerant.

26. *Quinta pars ſolvitur*] Manſit hic mos diutiſſimè. Vide Ioſephum.

Abſque terra ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit] A conditione vectigali, ſive emphyteutica. Meminit ejus immunitatis Diodorus Siculus. Sacerdotum autem nomine comprehendebantur omnes qui Aſtrologiæ, Medicinæ, rerum naturalium cognitioni, menſoriæ, numerariæ, hiſtoriis operam dabant. Vide eundem Diodorum & Clementem Alexandrinum.

31. *Adoravit Iſrael Deum converſus ad lectuli caput*] Id eſt, ſuper lectum proſtratus cervicali ſuo incubuit ad agendas Deo gratias pro ſepultura ſibi promiſſa. Sic & David legitur adoraſſe in lecto ſuo I. Reg. I. 47. ubi ſimiliter ſubauditur Deum, quod hîc interpres ad Hebræum addidit.

CAPVT XLVIII.

QVi confortatus ſedit in lectulo] Hebræa vox המטה pro diverſitate punctorum vocalium, quæ olim nulla ſcribi, ſæpè & variè pronuntiari ſolebant, tam lectum poteſt ſignificare, quàm baculum, quali ſuſtentare ſe ægroti ſolent, ubi eos cubandi cœpit tædium: & ſic ſumſit ſcriptor ad Hebræos XI. 21.

16. *Angelus qui eruit me de cunctis malis*] LXX. ὁ ῥυόμενός με ἐκ πάντων τῶν κακῶν [*qui vindicavit me à malis omnibus*]. Sic Meſſias גואל [*Vindex*] dicitur Eſaiæ LIX. 19. Quidam verterunt hîc ὁ ἀγχιστεὺς [*propinquus*], quia גואל in legibus Hebræis is dicitur, qui jure propinquitatis aliquam ducit in uxorem, & ſic eam ab opprobriis incommodiſque cœlibatus liberat. Poſt Deum, Angelum nominat, ut Dei miniſtrum.

Invocetur ſuper eos nomen meum] Id eſt, quanquam nepotes ſunt, vocabuntur filii mei adoptionis jure, ac perinde ut filii ſingulas partes ferent: in capita ſuccedent, non ſtirpis nomine.

19. *Frater ejus minor major erit eo*] Propter regnum decem tribuum quod in Ephraimi poſteritate cœptum, diuque conſedit. Vide I. Reg. XI. 26. Itaque Prophetæ illud regnum Ephraimi nomine appellant.

20. *Faciat tibi Deus ſicut Ephraim & Manaſſe*] Solitum id dici pueris Hebræis: puellis verò: Ponat te Deus ſicut Saram & Rebeccam.

22. *Do tibi partem unam extra fratres tuos*] Id eſt, Latinè, do tibi hoc præcipuum. Vox *partem* in Hebræo שכם ſimul ipſum locum ænigmaticè ſignificat, Sicima ſcilicet, quod nomen proprium hîc poſuêre LXX.

Cepi] Capiam per poſteros meos. Mos Prophetarum verbis præteriti vel præſentis temporis futura, tanquam non minùs certa, enuntiare. Servius ad illud XII. Æneidos, *Video concurrere: pro concurſurum eſſe: licet quaſi dea benè præſenti uſa ſit tempore, quæ etiam futura cernebat.* Dicuntur autem patres facere quod liberi faciunt, ob ſanguinis nominiſque communionem. ſuprà XLVI. 4. Id rectiùs quàm referre hoc ad perfidum factum Simeonis & Levi, quod & ſuprà deteſtatus eſt Iacobus, XXXIV. 30. & mox deteſtabitur XLIX. 5.

CAPVT XLIX.

1. *IN diebus noviſſimis*] Id eſt, ſecuturis temporibus multum remotis à mea ætate. Ita אחרית, non per ἔσχατον [*ultimum*] tantùm, ſed & per ὕστερον [*poſterius*] vertitur. Et Exodi IV. 9. vocem illam Hebræam alii Græcè vertunt δευτέρου [*ſecundi*], alii ἐσχάτου [*ultimi*], alii ἑπομένου [*ſequentis*].

3. *Prior in donis, major in imperio*] Fuiſſes ſcilicet, niſi te eo jure privaſſes delinquendo. Primogenitorum erat pars major in hereditate & principatus. Hic datur Iudæ: illa Ioſepho: ſacerdotium autem, quod jus tertium, datum Levi.

5. *Vaſa iniquitatis bellantia*] Variè exponitur מכרתיהם, alii ſubaudito ב in habitationibus, alii ex pactis ut מ ſit præpoſitio. Maximè probabile eſt vocem eſſe Perſicam, quæ à Perſis in Græciam venerit, *μάχαιρα*. Gladios enim Perſicos Xenophon machæras vocat. *Machæræ eorum inſtrumenta iniquitatis*, nimirùm ob ea quæ narrata ſunt ſuprà c. XXXIV.

6. *In cœtu illorum non ſit gloria mea*] Meliùs Chaldæus, *cùm illi inter ſe coirent, non deſcendit gloria mea.* Legit תחת [*deſcendat*], non תחד [*uniat*], & ſumſit tum hoc, tum quod præceſſit תבא [*venit*] in ſenſu præterito. Senſus eſt : Non contaminavi famam meam, conſentiendo ipſorum coitioni.

Suffoderunt murum] Græci & Hieroſolymitanus, *exciderunt taurum*, id eſt, occidere voluerunt Ioſephum. XXXVII. 20. Bos erat in vexillo Ephraimi, ideò quod Ioſephus agriculturam reſtituerat. Præterea ταῦρος οὐ τὸν τυχόντα σημαίνει [*taurus hominem ſignificat non vulgarem*], ait Artemidorus : nimirum quia taurus inter manſueta animantia principatum habet, ut ait Macarius. Præterea in Hieroglyphicis Ægyptiorum virum ſimul fortem & temperantem, qualis eximiè fuit Ioſephus, tauri imagine deſignari notat Horapollon. Et quidam Apidis venerationem apud Ægyptios hinc ortam putant. Vide Theophilum Antiochenum, & librum I. de mirabilibus Scripturæ, c. 15. in operibus Auguſtini.

7. *Dividam eos*] Mala coitio diviſione punitur.

9. *Catulus leonis Iuda*] Refer ad generoſum ejus animum, qui apparuit Gen. XXXVII. 26. & in omni hiſtoria rerum in Ægypto. Hoc initium eſt excellentiæ ipſius.

Ad prædam fili mi aſcendiſti, requieſcens accubuiſti ut leo] Hoc refer ad incrementum tribus Iudæ. Iud. I. Davidis maximè temporibus cùm vicinorum plerique ſubacti. Vide Num. XXIV. 17. Pſ. II. & LIX. II. Sam. VIII. X. XII. De viris fortibus qui fuêre eo tempore vide II. Sam. XXIII.

Et quaſi leæna] Hebraicè, quaſi leo major : quo tertius gradus excellentiæ ſignificatur impletus.

10. *Non auferetur ſceptrum de Iuda*] οὐκ ἐκλείψει [*non deficiet*]. יסור vox eſt & in Zacharia, & quidem conjuncta cum voce שבט, id eſt, ſceptri, ubi Græci, καὶ σκῆπτρον Αἰγύπτου περιαιρεθήσεται [*& ſceptrum Ægypti tolletur*], qui locus hunc egregiè illuſtrat, & Iudæorum recentiorum cavillationes refellit. Chaldæus יסור per עבר [*tranſibit*] benè expreſſit. Inter Iudæos, qui à Iuda nomen habent, manſit imperium, quod ſceptri nomine indicatur, ad Chriſti tempora. Iudæ hoc potiùs tribuitur quàm tribubus aliis, quia decem tribus abductæ à Chaldæis non rediêre. rediit Iudas cum Benjamine, quæ tribus Benjamin Iudæ fuit acceſſio, unde terra Iudæa dicta, gens Iudæi. Imperii vis primùm in ductu militari, Iudic. I. quo loco Ioſephus, Ἰουδαίᾳ φυλῇ ἡ ἡγεμονία παρέχεται [*tribui Iudæ datur ducatus*] : deinde in nomine regio, pòſt Ethnarcharum, iterumque regio, donec Archelao ereptum regnum ac Iudæa, provincia Romanorum facta, nunquam poſteà ſceptrum recuperavit. Sub Aſmonæis & Herode imperium penes Iudam fuit, non minùs quàm penes Romam Gallis aut Thracibus in imperium electis. Interciſiones fuêre breves, ſi ad ſpatium annorum prope mille & quingentorum comparentur, ſub tyrannis externis in Iudicum hiſtoria memoratis, ſub Saule ; LXX. annis exſilii vix computandis, quia Prophetæ reſtituendi imperii Iudæ ſpem certam fecerant. Illo autem quod diximus ſpatio reveriti quidem Iudæi interdum magnitudinem Perſicam, Macedonicam, Ægyptiam, Romanam, ſed ſalvo ipſis manente imperio, quod non malè oſtendit Chryſoſtomus oratione, Chriſtum eſſe Deum. Abeant ergo Iudæi cum ſuis commentis novis, quæ per שבט aut tribum aut caſtigationes volunt intelligi, contra interpretes veteres omnes : quorum Aquila verborum retinens, σκῆπτρον [*ſceptrum*] dixit : ubi LXX. ἄρχων [*princeps*], Symmachus ἐξουσία [*poteſtas*], Chaldæi שלטן, ſenſu planè eodem.

Et dux de femore ejus] Ex Græco : Καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ [*& præpoſitus ex femoribus ejus*]. Pro duce Hebræus textus habet מחקק, quod optimè explicat Chaldæus Scribæ, id eſt, doctoris vocabulo. Tales autem & duces populi rectè dicuntur, ad ſcientiam ſcilicet. Verbum חקק, unde id nomen aut participium fluit, Græcis vertitur ἀφορίζειν, γράφειν, διαγράφειν, ἐξερευνᾶν, διατάττειν [*determinare, ſcribere, deſcribere, inquirere, ordinare*]. unde Aquila מחקק ἀκριβαστὴν [*ſcrutatorem*] vertit non incommodè. Pro illo *de femore ejus*, in Hebræo eſt *de inter pedes ejus* : ubi illud *inter pedes* eſt honeſta circumlocutio genitalium, ut Deut. XXVIII. 57. Sic Latini eandem partem interfeminium vocant, & operam ipſam pedes tollere non apud Martialem tantùm, ſed & apud Ciceronem. Senſus ergo eſt, doctores ex Iudæ poſteritate præituros populo ad tempora uſque Meſſiæ, qui ſummus & imperator & doctor futurus ſit, nec Iudæorum tantùm, ſed & omnium gentium. Florebant ad Chriſti tempora Sameæ & Hillelis ſcholæ.

Donec veniat qui mittendus eſt] Verba quæ hìc ſunt Hebræa Iudæi poſteriorum temporum mirè diſtorquent, alii Silo locum interpretantes, alii Saulem, alii Nabuchodonoſorum. Repugnat & hic illis veterum conſenſus, eorum qui magnam apud ipſos auctoritatem habent. Onkelos, Ionathan, Hieroſolymitanus, Paraphraſtæ, Thalmudici, Bereſith Rabba, Rabbi Salomo, Echa Rabthi : omnes Meſſiam hîc indicari conſentiunt : ſed horum vocem ipſam alii interpretantur aliter. Alii enim Silo exponunt בנו filium ejus, à ſecundinis deducto vocabulo ; alii pacificum à שלה verbo, alii compoſitum cenſent ex relativo & dativo caſu pronominis demonſtrativi, ut ה ſit pro ו poſitum, quod non caret exemplis : ex quibus particulis, ut ſenſum elicerent Græci addidêre participium τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ [*repoſita ipſi*] : quod cùm durius ſit, & Hebræam phraſin magis ſapiat, alii itidem Græci interpretes clariùs poſuêre ᾧ ἀπόκειται [*cui repoſita ſunt*], nempe πάντα [*omnia*], cui omnia ſervantur : cujus eſt regni jus, ait Rabbi Salomo poſt Hieroſolymitanum Paraphraſten. Vtriuſque expoſitionis ſenſus idem, niſi quod illud magis Hebraiſmum ſapit. Vnde apparet immeritò à Iuliano Chriſtianos accuſari mutatæ hîc verſionis, cùm ipſorum nihil id interſit. Itaque Iuſtinus adverſus Tryphonem modò his, modò illis verbis utitur, affirmatque codices LXX. ſui temporis habuiſſe ᾧ ἀπόκειται [*cui repoſita ſunt*], quod de quibuſdam codicibus facilè credo. Priori autem modo hunc locum pro ſe adducunt Clemens Alexandrinus, Cyprianus, Origenes, Euſebius, Cyrillus. Mihi maximè ſe probat verſio Latina, ut ſit שילח pro שילה. Quid enim facilius, quàm aut variante dialecto, aut ſcripturâ aberrante, mutari inter ſe litteras tam vicinas & ſoni & figuræ? Eſt ergo Siloh *ἀπεςαλμένος* [*miſſus*] nomen maximè Meſſiæ proprium, qui ſumma cum poteſtate atque auctoritate à Deo miſſus eſt. Vide Matt. X. 40. IX. 34. X. 16. Ioh. III. 17. 34. commate 36. VI. 57. VII. 29. 36. XI. 42. XVII. 3. 8. 18. XVII. 21. 23. 25. Act. IX. 17. 1 Ioh. IV. 9. 10. 14. Hebr. III. 1. in quibus locis ubique eſt verbum *ἀποςέλλειν* [*mittere*], aut inde derivata. Idem alibi exprimitur verbo *πέμπειν*, Ioh. IV. 34. commate 23.24.30.37. VI. 37. 40.44. VII.16.18.28.33. VIII.16.18.26.29. IX. 4. XII.44. 45.49. XIII.20. XIV. 24.XV.21. XVI.5. Rom. VIII. 3. quæ omnia loca, ſed maximè illud de Siloa, quod eſt Ioh. IX.17. ut ubi diximus, hoc vaticinium reſpicere videntur.

Et ipſe erit exſpectatio Gentium] יקהת pro diverſo ſignificatu in Hebræa viciniſque linguis diverſis modis vertitur, putà *προσδοκία* exſpectatio, obedientia, aggregatio. Senſus eſt quem jam attigimus, Meſſiam eximio modo & regem fore & doctorem, non Iudæorum modo, ſed & omnium gentium. Hieroſolymitanus hic: *Ei ſervitura ſunt regna terræ.* Vide Dan. VII. 14. Eſai. XI. 10. XLIX. 6. LV. 4. LX.3. & vaticinia alia. Bereſchith Rabba hoc loco: Futurum eſt, ut Gentes ſæculi deferant munera Meſſiæ filio David.

11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam*] Tanta erit in ejus ſorte vitium abundantia.

12. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino*] Meliùs vertas: *Rubebunt oculi ejus ex vino:* & ſic quod ſequitur, *& candidi erunt dentes ejus ex lacte*, nimirum quòd illa terræ portio ut vinetis ita & paſcuis abundet.

In ſanguine uvæ] ſic & Deut. XXXII. 14. Sic & Tyriis vinum *αἷμα βοτρύων* [*ſanguis uvarum*], ut ex Achille Tatio colligimus.

13. *Pertingens uſque ad Sidonem*] Id eſt Phœnicen, cujus caput Sidon. Ideo pro Sidoniis Phœnicas, pro Sidone Phœnicen ponunt Septuaginta, Deut. III.9. Eſaiæ XXIII. 2.

14. *Iſſachar aſinus fortis*] חמר גרם. At LXX. qui vertunt *τὸ καλὸν ἐπεθύμησεν* [*deſideravit id quod pulchrum eſt*], legiſſe חמד ſatis apparet: alteram vocem quomodo legerint non expedio. Non longè habet גרש, quod fructus ſignificat.

Suppoſuit humerum ſuum ad portandum] Ad portanda arma.

Factuſque eſt tributis ſerviens] מס poteſt ſignificare liquefactos, conſumtos, ut ſenſus ſit: Reliquias Cananæorum ſibi ſubegit: & hoc Hebræi præferunt ut glorioſius.

16. *Dan judicabit*] Alluſio ad nominis originem. Impletum in Samſone, qui judicis, id eſt, interregis functus officio. Eodem refer ſequentia: ſignificant enim ultionem de Philiſtinis ſumtam.

19. *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipſe accingetur retrorſum*] Hîc quoque ad nominis originem fit alluſio, ſed גדד ſuperare optimè vertas, & עקב tandem; ut ſenſus ſit, ſuperabitur ab exercitibus, ſed tandem ipſe eos ſuperabit, ut prædicatur hîc quod narratur Iud. X. XI. Nam Galaad Gadis portio. I. Par. V. 16.

22. *Et decorus aſpectu*] Pro עלי עין [*ſuper fontem*] videtur legiſſe עליון [*eximius*], ut & LXX. qui vertunt *ζηλωτός* [*admirabilis*].

Filiæ diſcurrerunt ſuper murum] Rami ejus latè ſuper mœnia ſe fundebant, ut in arboris ſimilitudine maneatur. At LXX. pro בנות צערה עלי שור legêre בני נער עלי שוב, *υἱός μȣ νεώτατος πρός με ἀνάςρεψον* [*filius meus minimus natu ad me rediit*], unde apparet quanta fuerit codicum diverſitas.

23. *Iurgati ſunt*] Legit & hic interpres & Rabbi Salomo, quaſi eſſet à רוב [*litigare*], non à רבב [*multiplicare*], ut nunc legimus. Sed quod habet Hebræus codex cum ſequentibus meliùs convenit. Et ſic legêre Græci, *ἐνεῖχον* [*inſidiati ſunt*].

27. *Benjamin lupus rapax manè comedet prædam, & veſperi dividet ſpolia*] Impletum in Saule maximè. At Hebræi ad ſacrificia matutina & veſpertina trahunt, ideò quòd pars Templi in ſorte fuerit Benjaminis.

CAPVT L.

2. *VT aromatibus condirent Patrem*] Vide quæ diximus ad Matth. IX. 23.

5. *Quod fodi mihi*] Sic & Græci. Meliùs alii *emi*, quomodo כרה ſumitur Deut. II. 6. Oſeæ III. 2. & inde מכר & מכרה pretium. Sumendum autem videtur *emi* pro *ex emto acquiſivi*. Emerat enim Abrahamus ab Hemore. Act. VII. 10. Titulus auctoris eſt titulus heredis.

19. *Num Dei poſſumus reſiſtere voluntati?*] In Hebræo nunc eſt, *Numquid pro Deo ego?* Quod Symmachus interrogatione retentâ vertit: *μὴ γὰρ ἀντὶ θεοῦ εἰμι ἐγώ;* Aquila interrogatione per negationem explicatâ, *ὅτι μὴ ἀντὶ θεοῦ ἐγώ* [*nam non ſum ego pro Deo*]. At olim pro התחת [*an pro*] fuit in codicibus Samaritanis vetuſtioribus, quàm quæ nunc habemus, החתת [*timens*], unde eſt quod Scholiaſtæ Græci vertunt, *καὶ γὰρ φοβούμενος θεόν εἰμι ἐγώ.* [*nam timeo Deum ego*]. quod non eſt cur diſpliceat. Nam ſic & Chaldæus.

21. *Blandè ac leniter locutus eſt*] Græci Hebraïſmo retento, *ἐλάλησεν αὐτῶν εἰς τὴν καρδίαν* [*locutus eſt illis ad cor*].

24. *Vobiſcum*] Hoc aut ad ſenſum implendum, aut ex codicibus aliis apponunt Samaritanus, Syrus, LXX. quos Latinus ſequitur.

AD EXODVM.

CAPVT I.

8. Qvi ignorabat Ioſeph] Immemor erat eorum quæ Ægypto præſtiterat & conſuluerat Ioſephus, & eorum quæ ipſi promiſſa fuerant. Verè dicitur:

φεῦ· τῶν θανόντων ὡς τάχ' ὄλλυται χάρις.

[*Heu! mortuorum gratia ut ſubito interit.*]

Quid mirum beneficia humana facilè excidere animis, cùm & divinis beneficiis idem eveniat? Vide Iudicum 11. 10.

10. *Ne fortè multiplicetur*] Triplex eſt metus à peregrinis, ubi multùm increſcit eorum multitudo, ne conſpiratione indigenas opprimant, ne hoſtibus ſe adjungant, ne vi exitum quærant.

11. *Vt affligerent eos oneribus*] Manethos in hiſtoria Ægyptia de hac re: τῶν δὲ ταῖς λατομίαις ὡς χρόνος ἱκανὸς ταλαιπωρούντων [*cum vero illi in latomiis diu miſere agerent*]. Pyramidum faciendarum cauſa regibus Ægypti, ne plebs eſſet otioſa. Plinius libro XXXVI. c. 12. Ariſtoteles Politic. V. c. 11. καὶ τὸ πένητας ποιεῖν τοὺς ἀρχομένους τυραννικὸν, ὅπως μήτε φυλακὴ τρέφηται, καὶ πρὸς τῷ καθ' ἡμέραν ὄντες ἄσχολοι ὦσιν ἐπιβουλεύειν [*Eſt & hoc tyrannorum, ſubditos pauperes reddere, ne neceſſe ſit præſidium alere, & ut illi in victum quotidianum intenti ad inſidias faciendas tempus non habeant vacuum*]. Pari de cauſa Tarquinius plebem Romanam in foſſas cloacaſque exhauriendas demerſit. Tacitus de Germania: *Otioſa armatorum manus facilè laſciviunt.* Idem Annal. 1. *Intermiſerat ſolita munia. Eo principio laſcivire miles.* Vita Agricolæ: *Diſcordia laboratum, cùm aſſuetus expeditionibus miles otio laſciviret.* Huic malo remedia quæſita à principibus. Ita vallum, foſſas, aliaque, non ex neceſſitate ſemper, ſæpè adverſus otium caſtrorum quæſita, idem ille Tacitus Annalium 1. memorat: alibi amphitheatro pontes adjicit.

Phithom] Quæ Pathomus ad Bubaſtim Herodoto. Vnde Pathmeticum oſtium Ptolemæo in deſcriptione Ægypti.

16. *Et partus tempus advenerit*] Quod in Hebræo eſt אבנים, videntur eſſe fores uteri משבר.

21. *Ædificavit eis domos*] Sobolem eorum auxit, quòd Hebrææ ſoboli peperciſſent. Ita Ambroſius rectè. Sic בנה [*ædificare*] ſumitur Gen. XVI. 2. & 30. 3. quibus in locis Græci utuntur verbo τεκνοποιεῖν [*ſobole augeri*], & inde בן [*filius*]. Plautus:

Primum dum parentes fabri liberûm ſunt.

CAPVT II.

2. Fiſcellam ſcirpeam] Vocem Hebræam ſervarunt hîc Græci. Significat λάρνακα [*arcam*], quâ voce utitur Strabo in narratione de Auge & Telepho, Simonides de Danaë & Perſeo. Strabonis verba libro XIII. Εὐριπίδης δ' ὑπ' Ἀλέου τοῦ τῆς Αὔγης πατρὸς εἰς λάρνακα τὴν Αὔγην κατατεθεῖσαν ἅμα τῷ παιδὶ Τηλέφῳ [*Euripides ait Augen à patre ſuo Alea cum filio Telepho in arcam incluſam*], &c. Simonides: ὅτε λάρνακι ἐν δαιδαλέᾳ ἄνεμος βρέμῃ πνέων, κινηθεῖσα δὲ λίκνα δείματι ἔρειπεν [*Cùm jam fremeret ventus in arcam,&c.*]. Scirpeam, id eſt, ex papyro. Lucan. lib. IV.

Conſeritur bibula Memphitis cymba papyro.

16. *Sacerdoti*] Veri Dei, qualis & Melchiſedech. Nondum enim idololatria ſe tam latè diffuderat.

18. *Ad Raguelem patrem ſuum*] Id eſt, avum, ut colligitur Num. X. 29. confer quod Gen. XXIV. 48.

23. *Ad Deum*] Quem invocare tunc plerique cœperunt, Num. XX. 16. relictis idolis Ægypti, Ezech. XX. 8.

CAPVT III.

2. Qvòd rubus arderet, & non combureretur] Imago populi Iſraëlitici.

4. *Vocavit eum de medio rubi*] Citantur verſus ex Tragœdia Græca de Deo:

Οὐκ οἶσθα δ' αὐτόν· ποτὲ μὲν ὡς πῦρ φαίνεται
Ἄπλαστον ὁρμῇ.
[*Ignotus ille eſt: nunc ut implacabilis*
Apparet ignis].

Tale viſum videnti magnam gloriam portendere perſuaſio erat gentium eo tempore, ut hîc notat Ioſephus.

5. *Solve calceamentum*] Pythagoras imitatus apud Iamblichum de vita ejus, c. XXIV. ἀνυπόδητος θῦε καὶ προσκύνει [*liber à calceis fac ſacra & adora*]. Marinus de Proclo: ὑπολυσάμενος αὐτόθι ἃ ἦν αὐτῷ ὑποδήματα ὁρώντων ἐκείνων, τὴν θεὸν ἠσπάζετο [*ibidem ſolutis quæ habebat calceamentis ardentibus illic deam ſalutavit*]. Nudi pedes ad religionem pertinent. Perſius de regibus Iudæis:

Exercent ubi feſta mero pede ſabbata reges.

8. *In terram bonam & ſpatioſam*] Hecatæus de Iudæis ait: τριακοσίας μυριάδας ἀρουρῶν σχεδὸν τῆς ἀρίστης καὶ παμφορωτάτης χώρας νέμονται [*ter millies mille ſemijugera poſſident terræ optimæ ac fertiliſſimæ*].

15. *Hoc nomen mihi eſt in æternum*] *Erit.* Maimonides rectè. Nam in benedictionibus ſacerdotalibus in Templo pronuntiatum fuit nomen illud יהוה, quod vim continet ejus quod præceſſit, אשר אהיה [*qui eſt*], factum ad normam humanorum nominum quibus י præponi ſolet, & littera י media inter duo ה mutata in ו, ut ſæpè, εὐφωνίας [*ſoni ſuavioris*] cauſa.

19. *Niſi per manum validam*] Sic & Græci, ἐὰν μή [*niſi*]. Et ſenſus id exigit, ut apparet infrà VI. 1. Videtur ergo fuiſſe in Hebræo בלא [*niſi*], non ולא [*& non*] quod ſenſum faceret ab hiſtoria alienum. Manus autem valida intelligenda eſt occiſio primogenitorum: ultio maxima, ἐκδίκησις μεγάλη, VII. 4.

Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis] Faciam eos gratioſos.

CAPVT IV.

1 Ab heri & nudiuſtertius] Id eſt, hactenùs. Græci, χθὲς καὶ πρώην [*heri & nudiuſtertius*] de re tantùm recenti uſurpant.

13. *Mitte quem miſſurus es*] Græci meliùs: προχείρισαι δυνάμενον ἄλλον ὃν προχειριεῖς: id eſt, mitte aliquem qui idoneus ſit mitti. Nam יד Hebræis ſæpè quamvis aptitudinem ſignificat. Apparet hîc modeſtia Moſis prædicata infrà Num. xii. 3. ſed cogitare debuit, qui à Deo mittuntur, ab eo & idoneos reddi: quod in Apoſtolis maximè emicuit.

14. *Aaron frater tuus Levites ſcio quòd eloquens ſit*] Sic magnæ auctoritatis legatis addi interpretes aut oratores ſolent. Moſes Aarone præſtantior, quantum mens ſermone.

16. *Tu autem eris ei in his quæ ad Deum pertinent*] Hebraïcè, *Tu eris ipſi in Deum*, id eſt, jus gladii habebis in ipſum, & alios. Nunquam enim hoc nomen hominibus datur, niſi ad ſignificandum jus vitæ ac necis. Vide infrà vii. 1.

24. *Occurrit ei Dominus*] יהוה. Aquila θεὸς [*Deus*], Symmachus & Theodotion κύριος [*Dominus*]. At LXX. ad ſenſum magis quàm ad vocem ἄγγελος [*angelus*]. de qua re alibi dictum ab aliis & nobis.

26. *Et dimiſit eum poſtquam dixerat, ſponſus ſanguinum ob circumciſionem*] Senſus in Hebræo facilior, *Et diſceſſit ab eo*: (Sephora à Moſe) *dixerat autem ſponſus ſanguinum, ob circumciſiones*, id eſt, ob morem circumciſionis qui Madianitidi mirus videbatur. Vide infrà xviii. ubi Sephora ad maritum redit.

27. *In montem Dei*] Vbi Deus per Angelum Moſi apparuerat.

29 *Seniores*] Numero LXX. Exod. xxiv. 1. 9. Num. xi. 16.

CAPVT V.

3. *VT eamus viam trium dierum*] Benè verteris, *liceat nobis ire*; nam נא ſæpè eſt precantis.

7. *Sicut priùs*] Ex Symmacho, καθάπερ καὶ πρότερον. Benè ad ſenſum, quanquam & Græci dicunt χθὲς καὶ πρώην [*heri & nudiuſtertius*]: ſed paulò alio ſenſu, ut modò diximus.

8. *Valent enim & iccircò vociferantur*] Otio laſciviunt. Vide quæ initio hujus libri.

16. *Et injuſtè agitur contra populum tuum*] Hebraïcè, *peccat populus tuus*: id eſt, injuriam nobis faciunt Ægyptii tui. Sic enim ſolemus loqui, ubi de regibus ipſis conquerimur, κατὰ χαριεντισμὸν [*locutione ſuaviore*], ut notavit Abeneſdra. Græci neglecto hoc ſchemate, ἀδικήσεις οὖν τὸν λαόν σου [*injuriam igitur facies populo tuo*].

21. *Fætere feciſti odorem noſtrum coram Pharaone*] Ita ab ingratis populis excipi ſolent libertatis auctores, ubi ſucceſſus non ſunt pro voto. Vide & infrà xiv. 11.

CAPVT VI.

5. *IN Deo omnipotente*] Vt qui poſſem præſtare promiſſa.

Nomen meum Adonai non indicavi eis] Adonai pro יהוה, ut Hebræi legunt, ad ſervandam reverentiam nomini præcipuo. Senſus autem eſt, ut cohærentia indicat, non oſtendi me eum eſſe qui reipſa promiſſa implerem. Eò enim ſpectat vox אהיה [*ſum*], & inde facta יהוה: verba mea res ſunt. Vidit hoc Rabbi Solomo.

4. *Vt darem eis*] Id eſt, poſteritati eorum. Communicant enim inter ſe nomina parentes & liberi: præſertim cùm liberis benè fit ob parentes.

9. *Propter anguſtiam ſpiritus*] Anguſtias pectoris dixit primâ Philippicâ Cicero, quod explicat egeſtatem animi: ſed hoc loco magis anxietas ſignificatur, ut ſequentia indicant. LXX. ἀπὸ τῆς ὀλιγοψυχίας [*ob impatientiam*]. At alia vetus verſio ad corporis vitium ex laboribus contractum retulit, dicens ἀπὸ κολοβότητος πνεύματος [*ad ſpiritum interciſum*], ſicut Plutarchus in vita Demoſthenis γλώττης ἀσάφεια καὶ πνεύματος κολοβότης ἐπιταράττουσα τὸν νοῦν τῶν λεγομένων [*linguæ difficultas & ſpiritus interciſio eorum quæ dicebat ſenſum obſcurabant*].

Et opus duriſſimum] Hîc addunt codices Samaritani hujus temporis: *Et dixerunt Moſi: deſiſte à nobis ut ſerviamus Ægyptiis, quia melius eſt nobis ſervire Ægyptiis, quàm mori in deſerto*. Cauſa hujus additionis & multarum aliarum ſatis eſt frigida, quia infrà talium ut antè dictorum fit mentio. Sumtum enim hoc ex eo quod infrà, xiv. 12. quaſi verò aut ſingula cujuſque dicta in hiſtoriis referantur, aut nullæ ſint in eis ex occaſione ἐπάνοδοι [*retrogreſſiones*]. Hæ ſtultæ ſunt in magno otio tranſſcribentium περιεργίαι [*curioſitates*].

20. *Patruelem ſuam*] Sic & Græci θυγατέρα τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ [*filiam fratris patris ſui*]. Revera fuit amita, idque vox Hebræa ſignificat. Mutarunt qui quod lege vetitum eſt ſemper putarunt nefas fuiſſe. Vide quæ dicta de Iure belli ac pacis lib. ii. c. iv. §. 14.

CAPVT VII.

1. *ECce conſtitui te Deum Pharaonis*] Eſt hîc in Hebræo vox אלהים quæ, ut notat Kimchi aliique Hebræi, ſive de Deo ſumatur, ſive de Angelis, ſive de hominibus, judiciariam poteſtatem ſignificat. Senſus ergo eſt, poſitum Moſem ut judicia divina in Pharaonem exerceat, velut rex regis ipſius. Onkelos principem tranſtulit: Ionathan timorem Pharaonis, ac ſi Deus eſſet: Rabbi Solomo judicem, optimè, ſcilicet Dei mandatu magnis prodigiis teſtato.

10. *Tulitque Aaron virgam coram Pharaone & ſervis ejus, quæ verſa eſt in colubrum*] Vide an hinc ad finitimas primùm gentes, deinde ad Græcos Romanoſque mos venerit legatis ferendi caduceum.

14. *Ingravatum eſt*] In Græco, βεβάρηται ἡ καρδία τοῦ Φαραώ [*grave factum eſt cor Pharaonis*]. Præceſſit, *obfirmavit ſe cor Pharaonis*. Hoc ipſum quod Pharao intra ſe fecerat, Deus patefacit Moſi: vide mox 32. Fuit in Pharaone, ut notat Ioſephus, ἀφροσύνη μετὰ πονηρίας καὶ κακίας [*imprudentia ſimul cum pravitate & malitia*].

22. *Incantationibus ſuis*] Et hîc vox Ægyptia eſt לטי, quam LXX. in Ægypto verſati transferunt, ταῖς φαρμακίαις [*veneficiis*]: Alii ἐν ἠρεμαίοις [*in ſecretis*]: alii, διὰ τῶν ἀποκρύφων, arcanis artibus, quales magorum eſſe ſolebant. Fortè λιτή [*ſupplicationes*] Græcum ab Ægypto venit.

CAPVT VIII.

2. R*Anis*] Eſt & hîc Ægyptia vox צפרדעים. genus eſt ranarum, aut ranis ſimile Ægypto proprium, ut alibi rubetæ. Manet nomen apud Arabas, extritâ *r* litterâ.

15. *Videns autem Pharao, quòd data eſſet requies, aggravavit cor ſuum*] Deus plerunque eis quos corrigere vult immittit adverſa, quibus ſi non rectè utantur, traducit eos per proſpera.

16. *Sciniphes*] Emollita pronuntiatio, pro Græco σκίφες, σκνίπες, κνῖπες. nam tot modis ſcribitur. Culicum genus arboribus infeſtum.

19. *Digitus Dei hîc eſt*] Hoc miraculum à Deo eſt, ut hîc explicat Chaldæus.

21. *Omne genus muſcarum*] Vox ערב, quæ hîc apparet, eſt & ipſa Ægyptiaca κυνομύιαν [*muſcam caninam*] ſignificans, ut vertunt LXX. Philo, alii. Qui ad Hebræam originem hanc vocem referre voluêre, alii à miſcendo eam derivant, ut hîc Latinus: alii mutatis vocalibus corvum interpretantur, ut vetus interpres Samaritanus.

26. *Abominationem enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro*] Græcè, τὰ γὰρ βδελύγματα τῶν Αἰγυπτίων θύσομεν κυρίῳ τῷ θεῷ ὑμῶν. Noli interpretari cum quibuſdam, βδελύγματα [*abominationes*], idola: is enim ſermo neque loco huic, neque tempori conveniret: ſed intellige hoc de re de qua agitur: offeremus ea Deo quæ occidi; ac proinde Deo ſacrari nefas habent Ægyptii. Vide ſuprà Gen. XLIII. 32.

32. *Et ingravatum eſt cor Pharaonis*] Clariùs hîc Græci: καὶ ἐβάρυνε Φαραὼ τὴν καρδίαν αὐτοῦ [*& gravefecit Pharao cor ſuum*].

CAPVT IX.

15. N*Vnc enim extendens manum percutiam te*] Rectiùs, *Nunc ſi extendiſſem manum meam, percuſſiſſem te.* Et ſequentia: *Verùm ideò te ſuſtentavi, ut oſtendam robur meum.*

29. *Extendens palmas meas*] Mos orantium apud omnes ferè gentes. Lucretius:

Nec procumbere humi proſtratum & pandere palmas
Ante Deûm delubra.

Seneca Oedipode:

Teſtor licet jam tollere ad cœlum piè
Puras nec ulla ſcelera metuentes manus.

Confer 1. Tim. II. 8. Tertullianus Apologetico: *Illuc ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis.* Et adverſus Iudæos, *Expanſis manibus orabat.* Idem dixit, *manus aperire* libro de Baptiſmo.

35. *Et ingravatum eſt cor ejus*] Græci, καὶ ἐβάρυνε Φαραὼ τὴν καρδίαν αὐτοῦ [*& gravefecit Pharao cor ſuum*].

CAPVT X.

7. N*Onne vides, quòd perierit Ægyptus*] Nondum vides periiſſe Ægyptum? nempe, ſi ita agitur. Aquila benè, ἄρα οὔπω οἶδας [*an nondum cognoſcis*].

10. *Cui dubium eſt*] Benè expreſſit ſenſum verbi *videte*, quod in Hebræo eſt, id eſt, quivis videat.

19. *Mare rubrum*] Id eſt Erythræum, ab Erythra qui Eſavus. Sed Hebræis mare algoſum dicitur: eſt enim algæ plenum, ut conſtat ex Agatharchide, Diodoro Siculo, & Artemidoro apud Strabonem.

CAPVT XI.

5. A *Primogenito Pharaonis, qui ſedet in ſolio ejus*] Id eſt, qui ſeſſurus erat, ex jure illo gentium, de quo teſtimonia vide libro de Iure belli & pacis II. c. VII. 13.

7. *Non mutiet canis*] Proverbiale.

8. *Et omnis populus qui ſubjectus eſt tibi*] Græcè, καὶ πᾶς ὁ λαός σου οὗ σὺ ἀφηγῇ [*& omnis populus tuus cui tu præes*]. Hebræa verbo tenus: *qui in pedibus tuis.* Agrætius, *circumpedes ſunt officia ſervorum:* niſi fortè hîc fuerit, ante literæ unius valdè ſimilis factam mutationem, ברגליך *ſub vexillis tuis.*

CAPVT XII.

5. A*Gnus abſque macula*] שה tam de caprugno quàm de ovillo genere partum ſignificat. Itaque unâ voce Latinâ reddi nequit. LXX. laxiùs nomen ſumsêre πρόβατον [*pecus*]. תמים τέλειον [*perfectum*] LXX. alii ἄμωμον [*ſine vitio*]. Eodem ſenſu ἐντελῆ θυσίαν [*perfectam victimam*] dixit Lucianus de ſacrificiis. Explicationem hujus vocis habes Levit. XXII. 22. 23. 24. Deut. XV. 21. XVII. 1. Maculam enim hîc Latinus dixit corporis vitium, aut morbum, ut in Ædilitio erat edicto. Ægyptii, teſte Chæremone, non admittebant ὅσα δίδυμα, ἢ κατάσπιλα, ἢ ἑτερόχροα, ἢ παραλλάσσοντα τῇ μορφῇ [*quæ gemina, aut maculoſa, aut verſicoloria, aut formæ præter naturam*]. Porphyrius II. de Abſtinentia: οὐθὲν γὰρ μᾶλλον οὕτω ἢ τὰ ἀνάπηρα θυτέον [*id nihilo eſt melius quam ſacrificare mutila*]. Ariſtophanis Scholiaſtes ad Acharnenſes, & ex eo Suidas: τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται, καὶ καθόλου ὅπερ ᾖ μὴ τέλεον καὶ ὑγιὲς οὐ θύεται τοῖς θεοῖς [*mutila enim in ſacrificiis non offeruntur, ac in univerſum quod non integrum & ſanum diis non ſacratur*]. Athenæus ex Ariſtotelis Sympoſio: οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς θεοὺς, ἀλλὰ πάντα τέλεια καὶ ὅλα [*nihil mutilum Deo offerimus, ſed integra & perfecta omnia*]. Hinc mos probandi victimas apud Philonem, apud Ariſtotelem, laudante Athenæo libro XV. apud Ciceronem II. contra Rullum. Lucianus de Sacrificiis: στεφανώσαντες τὸ ζῶον καὶ πολύ γε πρότερον ἐξετάσαντες εἰ ἐντελὲς, ἵνα μηδὲ τῶν ἀχρήστων τι κατασφάττωσι, προσάγουσι τῷ βωμῷ [*animal coronatum, multoque prius exploratum an ſit integrum, ut nequid mactetur inidoneum, admovebunt altari*].

6. *Et ſervabitis eum*] Vt ejus aſpectus homines ſacris præpararet.

Ad veſperam] In Hebræo, inter duas veſperas, id eſt, inter initium & finem, circa horam diei decimam.

8. *Aſſas igni*] Veru mali Punicæ, quæ frequens Ægypto, ut Plinius nos docet lib. XIII. c. 19. in hujus ſacri uſu manſit.

10. *Nec remanebit quicquam ex eo uſque mane; ſi quid reſiduum erit, igne comburetis*] Paſcha eſt διαβατήριον [*profectivum*] Philoni. Id rectè Latinè ver-

tas, propter viam, id eſt, proficiſcendi gratiâ, Feſto interprete. In ſacris autem propter viam etiam gentibus uſurpatum quod hîc dicitur. Macrobius Saturn. II. c. 2. *Sacrificium apud veteres fuit, quod vocabatur propter viam; in eo mos erat, ut ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. hinc Catonis jocus eſt: nam & Albidium quendam, qui ſua bona comediſſet, & noviſſimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, propter viam feciſſe dicebat, quod comeſſe non potuerat id combuſſiſſe.* Apparet hinc Paſcha naturam habere εὐχαριστικοῦ [*ſacrificii ad agendas gratias*], cujus lex eſt ne quid manè ſit reliquum. Levit. VII. 15. de aliis victimis comburitur, ſi quid ſupereſt non comeſum, die tertiâ. Levit. VII. 17.

11. *Renes veſtros accingetis*] Quæ hoc commate dicuntur, item ut ſanguinis aſperſio, tantùm pro illo tempore imperata ſunt: ideoque in legibus anniverſarii Paſchatis non repetuntur.

15. *Septem diebus azyma comedetis*] *Flamines farinam fermentatam contingere non licebat.* Servius ex codice Fuldenſi ad I. Æn. Nimirum ἄζυμα [*non fermentata*] ſignificationem habent puritatis, I. Cor. V. 7. & animi ſubmiſſi: nam fermentum eſt ἔπαρσις [*elatio*]. Sed Hebræi herbas amaras ad ſervitutis, azyma ad libertatis partæ ſignificatum malunt trahere. Tacitus: *raptarum frugum argumentum panis Iudaïcus nullo fermento detinetur.*

Peribit anima illa de Iſrael] כרת. Mortem immaturam id ſignificat; quæ pœna ſuprà Gen. XVII. 14. præcepto circumciſionis invenitur appoſita: præterea aliis præceptis XXIII. ſed quæ omnia ſunt ex vetantium genere.

16. *Nihil operis facietis in eis*] מלאכה LXX. hîc & in Levitico & in Numeris vertunt ἔργον λατρευτὸν [*opus ſervile*], nimirùm ex Levit. XXIII. ubi additur explicandi causâ מלאכת עבדה. id vetus Romanorum jus Pontificium vocabat opus famulum. Cicero de Legibus II. *Feriis jurgia amovento, eaque in famulis operibus patratis habento.* Opus ſervile vertit Tertullianus adverſus Iudæos, & Hieronymus ad XXVIII. Eſaiæ. Vide & Servium ad I. Georg.

26. *Et cùm dixerint vobis filii veſtri*] Anno XII. filii à parentibus ad Templum ducebantur, Luc. II. 42. Ab eo tempore incipiebant de Paſchate & aliis ſacris veſci. Confer quæ infrà XIII. 8. & 14. Hyrcanus apud Ioſephum XII. 4. ὅτι νόμος ἐστὶ παρ᾽ αὐτοῖς κωλύων τὸν γεννηθέντα γεύσασθαι θυσίας, πρὶν εἰς τὸ ἱερὸν ἔλθῃ καὶ θύσῃ τῷ θεῷ [*Lex eſt apud ipſos vetans ne quis natus de victimis edat, priuſquam in templum eat, & Deo ſacrificet.*]

29. *Primogenitum captivæ quæ erat in carcere*] Sic & Græci. In Hebræo eſt *captivitatis:* quòd rectè intelligas de ſervis peſſimæ conditionis, id eſt, in piſtrinum datis. Confer ſuprà XI. 5.

37. *Sexcenta ferè millia peditum virorum*] Minùs mirabitur duobus ſæculis ſic auctam Iacobi progeniem, ſi quis conſideret in Ægypto mulieres eſſe valdè εὐεκφόρους [*fæcundas*], ut Ariſtoteles affirmat de Hiſtoria animantium lib. VII. c. 4. ita ut multæ uno partu ſeptenos edant, ut teſtatur Paulus l. Antiqui. D. ſi pars hereditatis petatur. Adde Gellium libro X. c. 2. Valdè autem hic numerus convenit cum eo qui eſt in loco Chæremonis apud Ioſephum. Is enim priùs ponit millia ducena quinquagena, deinde millia tercentena octogena.

39. *Coxeruntque farinam*] In Hebræo, ut vertit Pagninus: *Et coxerunt conſperſionem quam eduxerunt ex Ægypto, placentulas infermentatas, quia non fermentatum fuerat, quia expulſi fuerunt ex Ægypto, & non demorari potuerunt, & etiam eſcam non ſibi fecerant.* Senſus eſt: quia placentæ ob feſtinationem exitus fermento mixtæ non fuerant, ideò eas non coxerant Hebræi in exitu. Sed ubi Succothas venerunt, addito quod ſecum attulerant fermento, coxêre eas, ut & cibos alios.

40. *Habitatio autem filiorum Iſrael qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentornm triginta annorum*] Cùm ultra ducentos & decem annos in Ægypto non fuerint Iſraëlitæ; aliquid hîc interpretamenti vice addendum cenſuêre interpretes. LXX. addunt poſt Αἰγύπτῳ, καὶ ἐν τῇ γῇ Καναάν [*Ægypto, & in terra Canaan*]: in quibuſdam libris additur etiam poſt κατῴκησαν, καὶ οἱ πατέρες αὐτῶν [*habitarunt, & patres eorum*]. Agnoſcit utrumque additamentum Auguſtinus libro II. in Exodum, quæſtione 47. Aliter hîc habere LXX. quàm Hebræos codices notatum in utroque Thalmude. Illud *& in terra Canaan* ex LXX. additum & Samaritano. Rabbi Salomon Iarchi vult ſubintelligi *& in terris aliis.* Senſus non malus erit, ſi interpreteris exſilium illud Ægyptiacum duraſſe ad annum uſque quadringenteſimum & triceſimum, ex quo Deus id Abrahamo præſignificaverat. Gen. XV. 13. & ſequentibus. Eo autem ſpatio annorum elapſo, Deum vindictam in Ægyptios, ita ut tunc prædixerat, exercuiſſe; quò pertinent ea quæ ſtatim ſequuntur.

45. *Advena & mercenarius non edent ex eo*] Nempe niſi ſponte velint circumcidi; neque enim eos cogendi jus erat. Intelligitur id tum ex præcedentibus verbis, tum Num. IX. 14.

48. *Voluerit tranſire coloniam, & facere Phaſe Domini*] LXX. ἐὰν δέ τις προσέλθῃ πρὸς ὑμᾶς προσήλυτος ποιῆσαι τὸ πάσχα κυρίῳ [*ſiquis vero venerit ad vos proſelytus, & fecerit tranſitum Domino*]. In Hebræo: *Cùm peregrinatus fuerit tecum peregrinus & fecerit tranſitum Domino:* id eſt, divinæ legi ſe ſubjecerit, factus ſit גר צדק [*advena juſtitiæ*].

CAPVT XIII.

12. *ET quod primitivum eſt*] In Hebræo, כל-פטר .שגר. vox prior Hebræa per Chaldæam alteram explicatur.

Mutabis ove] Agno vel hœdo. Nam שה eſt in Hebræo, quod, ut diximus, utrumvis ſignificat.

13. *Quòd ſi non redemeris, interficies*] Id additum, ne omitteretur redemtio.

14. *Cras*] In poſterum. Vide Matt. VI. 34.

16. *Frontalia*] Vide Deut. VI. 8.

17. *Ne fortè pœniteret eum, ſi vidiſſet adverſum ſe bella conſurgere*] Longa enim ſervitus frangit animos.

18. *Armati aſcenderunt*] In Hebræo חמשים quintati. Theodotion πεμπταΐζοντες [*quinctantes*]. Id LXX. interpretantur *generatione quintâ.* At Kimchi: ac-

cincti quintam coſtam militariter : nam nomen חמש pro quinta coſta eſt II. Sam. II. 23. Hunc ſenſum ſecuti Aquila & Symmachus, verterunt hîc καθωπλισμένοι [*armati*], & ipſi LXX. Ioſue I. 14. εὔζωνοι [*expediti*], & eodem libro IV. 12. διεσκευασμένοι [*præparati*].

CAPVT XIV.

B*Eelſephon*] Idolum erat finibus cuſtodiendis, & ad impediendam fugam è regno. Ideò nominatur, ut appareat quàm nihil contra Iſraëlitas potuerit.

13. *Ægyptios enim quos nunc videtis*] Legit ut nos, כי אשר. At LXX. כאשר, ὃν τρόπον [*quo modo*].

22. *Per medium ſicci maris*] Maris ſiccati & deinde redditi memoriam in his locis conſervarunt accolæ Ichtyophagi, teſte Diodoro Siculo libro III.

24. *Reſpiciens Dominus*] Angelus ſuprà dictus, 19. Dei perſonam referens.

CAPVT XV.

1. T*Vnc cecinit*] Eſt in Hebræo verbum futuri temporis, אז ישיר: ſed notat Abeneſdra אז particulam, quæ tunc ſignificat, hanc vim apud Arabas habere ut futuri verbum in præteriti ſignificationem convertat. quod & Hebræi interdum ſequuntur, ut Deut. IV. 41. Ioſue X. 12.

4. *Principes ejus*] Eos intelligi quos Romanæ hiſtoriæ poſterioris ævi vocant protectores, apparet collatis locis II Reg. VII. 2. & IX. 25. ſed cur à ternario numero illis nomen? Origenes inde id ortum cenſet, quòd illorum locorum reges in curribus prælia inirent. Erant autem in curru rex, auriga, & protector.

11. *Quis ſimilis tui in fortibus Domine?*] Non diſſimile Heſiodeum illud :

> Αὐτὸς γὰρ πάντων βασιλεὺς καὶ κοίρανός ἐστιν
> Ἀθανάτων. ἕο δ' οὔτις ἐρήρεισται κράτος ἄλλος.
> [*Omnibus ille herus eſt dîs immortalibus, & rex.*
> *Nec quiſquam eſt illi qui vi contendere poſſit.*]

22. *Per medium ſicci maris*] Semicirculo in mari facto : non à littore ad littus oppoſitum.

25. *Oſtendit ei lignum*] Amarum, ut Hebræi ajunt, quo magis in effectu contrario virtus Dei appareret.

Conſtituit ibi præcepta & judicia] De ſabbati otio hoc accipiunt Hebræi, & de parentum honore, idque ob verba illa, *ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus:* quæ bis reperiuntur Deut. XV. commate 12. & 15. Alii etiam judicia tunc ajunt inſtituta.

26. *Quod rectum eſt coram eo feceris*] Quod per ſe & ubique rectum ipſa docet ſana ratio.

Et obedieris mandatis ejus] Datis Noë, Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, in quibus non erat lex de ſacrificiis, quæ ſua ſponte homines invenêre. Reſpicit ad hunc locum Ieremias VII. 22. *Quia non ſum locutus cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti de verbo holocautomatum & victimarum : ſed hoc verbum præcepi eis dicens : Audite vocem meam & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via, quam mandavi vobis ut benè ſit vobis.* Apparet hæc hinc ſumta. *In die qua eduxi*, interpretare cùm primùm eduxiſſem. Lex de ſacrificiis (excepto Paſchate, quod convivium magis eſt commemorativum quàm ſacrificium legale) data non eſt niſi ex occaſione idololatriæ à populo commiſſæ. Non poterat is morbus ſanari niſi multo rituum, ad victimas maximè pertinentium, onere.

27. *Duodecim fontes*] Pro numero tribuum, ſi Ioſephi poſteros in unam conjungas.

Septuaginta palmæ] Pro numero ſeniorum. Eoſdem numeros in miniſtrorum ſuorum delectu ſervavit Chriſtus.

CAPVT XVI.

13. A*Scendens coturnix*] Græci, ὀρτυγομήτρα [*matrix coturnix*]. Non tamen exploratum ſatis an ea avis fuerit. Rabbini Salomo & Kimchi contenti ſunt dicere avem pinguem. At Ionathan & hîc & in Pſal. CV. phaſianos interpretatur. Tales autem aves quales hîc deſcribuntur, nullas viſi ad Arabicum ſinum notat Ioſephus in ſignum miraculi.

15. *Manhu? quod ſignificat, quid eſt hoc?*] מן pro מה eſt Ægyptiacum, ut notat Hiskuni. Ex eo ſermone multa adhuc retinebant Hebræi. Sic & Græci interpretantur & Onkelos & Ionathan. Ioſephus itidem, addens κατὰ τὴν ἡμετέραν διάλεκτον [*ſecundùm noſtram locutionem*], nempè Hieroſolymitanam ſui temporis, quæ multùm à vicinis gentibus iterùm traxerat.

Ignorabant enim quid eſſet] Mirabantur ו litteram ei inſcriptam. Sic Hebræi. Auxit poſteà miraculum multiplicatio collecti ad ſatietatem pro quaque familia, corruptio aſſervati, deliquium ejus in ſabbato, ſapor minimè vulgaris, Dei haud dubiè opera. Alioqui manna in Arabia reperiri omnes veteres & novi ſcriptores teſtantur. Id Iſidorus vocat mel in Arabia coagulatum ramis inhærens in ſimilitudinem ſalis.

23. *Requies ſabbati*] Quæ hinc in legem ivit. Anteà obſervatum ſine otio.

31. *Quaſi ſemen coriandri*] Coriander hic in Hebræo גד. id γοὶδ ſcribitur in Dioſcoridis Auctuario.

Quaſi ſimilæ] ὡς ἐγκρὶς ἐν μέλιτι [*ut placenta mellita*] LXX. Sunt autem ἐγκρίδες, teſte Athenæo libro XIV. πεμμάτιον ἑψόμενον ἐν ἐλαίῳ [*edulium in oleo coctum*]. Aquila צפיחת vertit ἄμυλον [*non molitum*]. Oryzam malunt alii, quæ vox Arabica ארז. Succi eſt optimi, ut notat Abeneſdra, & norunt qui Orientem luſtrarunt.

CAPVT XVII.

6. V*Enit autem Amalec*] Cui populo ſedes in Gobolitide & Petra ſecundùm Ioſephum.

9. *Egreſſus pugna contra Amalec*] Prævertendi hoſtium conatus priuſquàm invaleſcant.

10. *Hur*] Is Mariammen duxerat ſororem Moſis & Aaronis.

16. *Manus ſolii Domini*] Id eſt, manus divinæ potentiæ. Sic כסא θρόνος [*ſolium*] ſumitur Thren. V. 19. Implerunt hoc Saul I Sam. XV. David ibidem c. XXX. Mardochæus in Hamane.

CAPVT XVIII.

1. C*Vmque audiſſet Iethro*] Dat nobis egregium exemplum Moſes nominandi eos per quos profecimus.

11. *Quòd ſuperbè egerint contra illos*] Sic & quidam Græci: ὑπερηφανεύσαντο. Origo alienationem ſignificat, ſenſus hoſtilem animum, ut videre eſt infrà XXI. 14. ubi LXX. verbum hoc, ut & hîc per ἐπιθέσθαι inſidiari exponunt. Tranſlatione ducitur ad eos qui cum Dei contemtu peccant, ut Deut. I. 43. Ierem. L. 29.

21. *Viros potentes*] חיל opulentos ſignificat: Tales enim & dignitatem tuentur meliùs, & longiùs abſunt ab inhoneſti quæſtus ſuſpicione.

Tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos] Numerum Hebræi ſic ineunt:

Chiliarchæ	600.
Centuriones	6000.
Præfecti quinquaginta	12000.
Decuriones	46000.
	64600.

Horum in locum ſucceſsêre judices urbani: Synedrium autem in ipſius Moſis locum. Num. XI. 14. 15. 16.

22. *Referant ad te*] Sicut Romani præſides de rebus gravioribus relationem inſtituebant ad imperatorem.

24. *Quæ illi ſuggeſſerat*] Hîc Samaritanus codex inſerit verſus qui infrà ſunt Deut. I. & 9. ad 17. pari de cauſa ei quam ſuprà in ſimili additione obſervavimus. Vetus hoc eſſe in Samaritano ex Procopio Gazæo ad Deuteronomii locum apparet. Qui autem ſequitur hîc verſus, is in eodem codice omittitur, ut non neceſſarius, quia ex ſuperioribus 21. & 23. ſenſus idem ſatis intelligitur: verùm neque additione, neque detractione opus.

CAPVT XIX.

1. V*Enerunt in ſolitudinem Sinai*] *Montem Synan occupat.* Iuſtinus ex Trogo de Moſe. Σιννᾶν [*Sinnan*] vocat Strabo libro XVI. Appion Moſem εἰς τὸ μεταξὺ τῆς Αἰγύπτου καὶ τῆς Ἀραβίας ὄρος, ὃ καλεῖται Σιναῖον, ἀναβάντα φησὶν ἡμέρας τεσσαράκοντα κρυφθῆναι, [*ait, cum aſcendiſſet in montem qui inter Ægyptum & Arabiam ſitus Sinai dicitur, occultum ibi fuiſſe per dies* XL]. Leges Dei diſcendæ in deſerto, id eſt, animo purgato ab iis affectibus quos turba gignit ac nutrit, ut Philo notavit.

4. *Ægyptiis*] Sic & Græci & Samaritanus. Quare lectio recepta in Hebræo melior, quàm quæ eſt in aliis libris במצרים [*in Ægypto*].

Quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum] Nube ſcilicet, quæ non minùs obtegebat Iſraëlitas, quàm aquila alis ſuam pullitiem.

In regnum ſacerdotale] Græcè inversâ conſtructione, βασίλειον ἱεράτευμα [*regale ſacerdotium*]: ut 1 Petr. II. 9. In Hebræo regnum ſacerdotum. Chaldæus interpretatur reges & ſacerdotes, ut Apoc. V. 10. quæ idem alibi I. 6. extulit βασιλείαν καὶ ἱερεῖς [*regnum & ſacerdotes*]. Omnes Iſraëlitæ reges aliquatenus ante reges conſtitutos. Sacerdotes autem in Paſchate: Philo tertio de Moſe: ἐν τῷ πάσχα σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερᾶται [*Paſchate tota gens ſacerdotio fungitur*]. Chriſtiani, reges quòd devicerint carnem, peccatum, mundum, diabolum: ſacerdotes precibus, eleemoſynis, martyrio in re aut propoſito.

13. *Sive homo*] In Hebræo איש [*vir*], ſed id Chaldæus benè interpretatur per אנשא [*homo*]. Sic & LXX. ἐάν τε ἄνθρωπος [*ſive homo*]. Maſculinum nomen pro communi uſurpare frequens apud omnes gentes.

Ne appropinquaretis uxoribus veſtris] In caſto eſſe dicerent Romani. Pars hæc ſanctificationis. 1 Sam. XXI. 5. 1 Cor. VII. 5. Chæremon Stoïcus de Ægyptiis ſacerdotibus: ἀπείχοντο καὶ ὁμιλίας γυναικείας [*abſtinebant & à mulieribus*]. Vide & Servium in Eclogam tertiam, & Porphyrium de Abſtinentia ſecundo.

19. *Sacerdotes quoque*] Id eſt, primogeniti. Vide Num. III.

24. *Ne tranſeant terminos, nec aſcendant*] Græci: καὶ βιαζέσθωσαν ἀναβῆναι [*ne vim faciant ad aſcendendum*]. optimè. Et huc reſpicit quod legimus Matth. XI. 12. Luc. XVI. 16. Quod olim in montem non licuit, id nunc in cœlum licet. Proprietas vocis הרס eſt perrumpere.

CAPVT XX.

1. L*Ocutúſque eſt Dominus*] Per Angelum. Actor. VII. 38. cui alii minores Angeli aderant, unde per Angelos data lex dicitur Ioſepho: Hebr. I. 1. II. 2.

2. *Qui eduxi te de terra Ægypti*] Magna beneficia auctoritatem conciliare debent præcipienti.

3. *Coram me*] Id eſt, præter me: πλὴν ἐμοῦ. Quo ſenſu hic על-פני [*ad faciem meam*], eodem alibi אם-פני [*cum facie mea*] II Sam. III. 13. & 35. Eſt autem πλεονασμὸς [*abundans ſermo*] Hebræis frequens, ut ἕτερος εἰ μή [*alius niſi*]. 1 Cor. III. 11.

4. *Sculptile*] Imaginem eminentem.

Neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra] Græci interpretes & Philo hoc ita videntur accepiſſe, quaſi & picturæ animalium vetarentur. At Chaldæus & Iudæi ו [*&*] quod in textu eſt, ſumunt ἐξηγητικῶς [*explicative*], nempe ut ſenſus ſit vetari imagines eminentes eas quæ formam habeant animalium, ſub quibus Hebræi & aſtra comprehendunt. Aquæ ſub terra eſſe dicuntur, quia Deus terram excavavit, ut ibi aquæ continerentur. Pſal. CIV. 6. & ibi Hebræi. Vide Annotata noſtra ad librum I. pro Veritate Religionis Chriſtianæ circa initium.

5. *Non adorabis ea*] Vox Hebræa geſtum honoris indicem ſignificat. Etiamſi talia ſimulacra alius fecerit, nullum, qualicunque tandem animo, honorem ei exhibebis, quod curvato corpore apud Hebræos fieri ſolebat. Hæc cautiones ſunt adverſùs contagia ex gentibus.

Neque coles] Victimis, libamine, incenſo. Hæc enim ad עבדה [*cultum*] referuntur.

Zelotes] Conſortis impatiens, ut mariti.

In tertiam & quartam generationem] Exſiliis poſterorum, ut factum in Babylonica deportatione.

6. *In millia*] Non mille, ſed multa millia: ita oſtenditur quanto largior ſit Deus in benefaciendo, quàm in puniendo.

7. *Non aſſumes*] Nempe in os tuum. Id autem fit non tantùm proprio Dei nomine expreſſo, ſed etiam quovis vocabulo quo Deus intelligitur.

In vanum] Id eſt, falsò: non pejerabis. Idem enim eſt שוא [*vanitas*, & *in vanum*] & שקר [*mendacium*], ut in præcepto nono apparet collato hoc Exodi capite cum altero Deuteronomii, ubi Græci ponunt utroque loco μαρτυρίαν ψευδῆ [*teſtimonium falſum*].

8. *Sanctifices*] Sanctè colas gratias agendo Deo, quòd homines & mundum hominum causâ condiderit.

10. *Omne opus*] Famulum, ut ſuprà diximus, ubi de Paſchate agebatur. De hac rigida quiete ſabbati Iudaïci, vide Dionem Caſſium, Senecam apud Auguſtinum, Poëtas Satyrarum & Epigrammatum, poſt eos Rutilium.

Filius tuus & filia tua] in ea ætate quæ parentum imperiis gubernatur.

Advena qui eſt intra portas tuas] Nulli extranei lege iſtâ otii ſabbatici tenentur, niſi ex cohabitatione cum Iſraëlitis, turbaſſet enim ordinem civilem & damnum attuliſſet Iſraëlitis, ſi alii inter ipſos viventes permiſſi eſſent opus facere.

11. *Cœlum & terram*] Vniverſum hoc, ut initio Geneſeos.

Et omnia quæ in eis ſunt] Herbas, arbores, animalia.

Iccircò benedixit Dominus diem ſabbati, & ſanctificavit eum] Ac propterea cùm etiam ad temperandas ſerviles operas diei alicujus otio opus eſſet, hic dies, ut ab initio ſpecialiter Deo dicatus, prælatus eſt aliis. Benè autem convenit otium Heptadi, quæ παρθένος καὶ ἀμήτωρ [*virgo & matre carens*], ut Philo loquitur, & ſcriptor θεολογουμένων τῆς ἀριθμητικῆς [*Theologicorum ad Arithmeticam pertinentium*]. Vide & Capellam.

Honora] Tum aliis reverentiæ ſignis, tum ad vitam neceſſaria illis exhibendo, quod ſub voce τιμᾶν [*honorare*] comprehenditur, ut 1. Tim.v.3.17. Ajunt Hebræi vel in piſtrino laborare filium debere, ut ſubveniat parentibus.

Patrem tuum & matrem tuam] Vt terreſtres deos, à quibus originem trahitis.

12. *Non occides*] Mutatus hic ordo ad ordinem qui in Deuteronomio. Nam Græcos codices adulterii interdictionem ante illam homicidii poſitam habuiſſe, & Philo & Tertullianus non uno loco nos docent. Matrimonium totius civilis ſocietatis fundamentum eſt.

15. *Non loqueris*] In Hebræo: *non reſpondebis*. quia adjurati & interrogati perhibebant teſtimonium.

16. *Non concupiſces*] In hoc loco Hebraïcè לא תחמד, in Deuteronomio תתאוה. Significat ea vox & actus doloſos quibus alienum intervertitur, &, ſenſu ſublimiore, appetitus etiam. Hunc ſenſum quia fermè negligebant Hebræi, ideò Chriſtus oſtendit talem appetitum non modò Deo diſplicere, ſed &, ſi foveatur, gehennæ obnoxium.

18 *Videbat voces*] Audiebat. de omni enim ſenſu uſurpatur vox videndi.

24. *Altare de terra facietis mihi*] Ceſpite de viridi, ut Ovidius, Silius & Poëtæ alii loquuntur. Tales aras utpote ſubitarias ſtruere mos iter facientibus.

25. *Si enim levaveris cultrum ſuper eo polluetur*] Ferrum à ſacris amoveri vetus lex eſt, quam ſequitur in ſuis legibus Cicero. Hecatæus de Templo Hieroſolymitano: ἐν ᾧ βωμός ἐστι τετράγωνος, οὐκ ἐκ τμητῶν ἀλλ' ἐκ τῶν ἀργῶν λίθων οὕτω συγκείμενος [*In quo altare eſt quadratum non, ex ſectilibus ſed ex rudibus lapidibus fortuito congeſtum*].

26. *Non aſcendes per gradus ad altare meum*] Simile aliquid in jure Pontificio Romano vetere, ex quo Servius hoc adfert ad IV. Æneidos. *Apud veteres ſcalas plus tribus gradibus, niſi Græcas, ſcandere non licebat, ne ulla pars pedum ejus crurúmve ſubter conſpiceretur, eóque nec pluribus gradibus, ſed tribus, ut aſcenſu duplices niſus non paterentur extolli veſtem, aut nudare crura. Nam ideò & Græcæ ſcalæ dicuntur, quia ita fabricantur, ut omni ex parte compagine tabularum clauſæ ſint, ne adſpectum ad corporis aliquam partem admittant.*

EXPLICATIO DECALOGI

Exod. xx.

Vt Græce exſtat, & quomodo ad Decalogi locos Euangelica præcepta referantur.

1. Καὶ ἐλάλησε Κύριος, *Locutuſque eſt Dominus.*] Κύριος [*Dominus*], Græcum modo reſpondet Hebræo אלהים, ut hoc loco, quia ubi ea vox cum ſingulari conſtruitur eſt ἐλλειπτικὴ [*defectiva*], pro אלהה אלהים, id eſt, Deus deorum, ut בהמות ponitur pro בהמת בהמות, id eſt, fera ferarum, ſive excellentiſſima fera, חכמות pro חכמת חכמות id eſt doctrinarum præcipua: modo vero nomini proprio veri Dei, quod ſcribitur יהוה, efferri autem ne olim quidem ſolebat, niſi in ſacerdotali ad populum benedictione, hodie autem efferri non poteſt, quia vocales ignorantur. Nam quas ſcripſere Maſorethæ, ſunt commodatæ ex voce ארוני, tantum Patach Schevato mutato in Scheva per compendium, quia & revera vocales Schevatæ nihil aliud ſunt quam ipſum Scheva εὐφωνίας [*concinnioris ſoni*] cauſa aliquantulum variatum ob difficultatem pronuntiationis, puta ſub gutturali, aut ubi duo Scheva concurrunt. Sic quoties præcedit aut ſequitur ארוני, eadem vox יהוה in textu quo utimur Hebræo vocales commodatas ſumit ab אלהים. Idem autem ſignificant aut nomen proprium, aut nomen elatum κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*]: ut Homerus aut Poeta. Cur autem Græci interpretes Κύριος [*Dominus*], in hoc ſenſu dicere maluerint quam Θεός [*Deus*], puto hanc eſſe cauſam, quod cum ſcriberent Græcis, inter quos numerandi & Ægyptii reges Macedonico è ſanguine, Hebræis dicti reges Græci, מלכי יון [*reges Græciæ*], apud Græcos autem etiam qui plus ſapiebant, ut Platonici, cujus inſtituti fuere Ptolemæi reges, θεοῦ [*Dei*], appellationem etiam de illis quos ipſi δαίμονας [*dæmones*], Hebræi מלאכים & inde Græci ἀγγέλους [*angelos*]

los] vocant, uſurparent, aperte teſtatum voluerunt ſe de eo agere, qui ipſis illis dictis diis ſummo jure imperaret: ſicut inter mortales reges rex Perſa βασιλεὺς βασιλέων [*rex regum*] vocabatur. Quanquam vero hæc verba quæ ſequuntur elocutus dicitur Κύριος, id eſt, ſummus ille Deus, tamen pro certo habendum, non id eum feciſſe ἀμέσως [*immediate*], ſed per Angelum legatum, ſummi Dei agentem nomine; quod & de aliis viſis ſimilibus, quæ viris ſanctis evenere, pari ratione debet intelligi. Angelus enim Moſi & populo in Sina locutus eſt, Actor. VII. 38. Sic & Ioſephus ſenſit libro XV antiquæ hiſtoriæ: ἡμῶν γὰρ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι᾽ ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ μαθόντων [*cum nos dogmatum potiſſima, & ſanctiſſimam legum partem per Angelos à Deo acceperimus*]. Errant graviter qui hic per Angelum intelligunt ſecundam Dei hypoſtaſin, ob illud nomen יהוה. Variis enim multiplicibuſque modis Deus locutus eſt Patribus: at per Filium ultimis demum temporibus ad nos cœpit loqui, Hebr. I. I. Lex data per Angelos miniſterio internuntii, Moſis ſcilicet, ut valeret, donec veniret ſemen promiſſum, Galat. III. 19. Et ad Hebræos ſcriptor Euangelium eo præfert legi, quod Euangelium per Dominum Ieſum datum eſt, lex per Angelos tantum, Hebr. II. 2. quibus in locis multitudinis numero Angeli nominantur, cùm Angelum dixerit Stephanus; quia ita mos habet viſorum ejuſmodi, ut unus ſit Angelus Dei perſonam nomenque ſuſtinens, alii autem ei adſint velut apparitores. Vide Gen. XVIII. Luc. II. 13. confer I Theſſ. IV. 16. cum Matth. XIII. 39. 41. 49. Quomodo igitur is qui legem pronuntiavit Angelus dicit, ego יהוה, ita & alii qui ad res magnas à Deo legati ſunt Angeli loquuntur, ſicut verba Iudicis præco enuntiat, ut ait Auguſtinus II. de Trinitate, c. II. & ſimili modo compellari ſe ferunt. Sic Moſes in rubo ſibi locutum dicit Deum יהוה. Exod. III. 15. & is qui locutus erat ſe dixerat eſſe, אשר אהיה [*Qui ſum*] quæ vocis יהוה [*Exiſtens*] eſt explicatio. At Stephanus Actor. VII. 30. viſum ait Moſi in flamma rubi Angelum Κυρίου [*Domini*], idque ipſo Moſe auctore, Exod. III. 2. Athanaſius oratione VI. καὶ ἐκάλεσε Κύριος Μωσῆν ἐκ τῆς βάτου λέγων· ἐγώ εἰμι ὁ θεὸς τοῦ πατρός σου, ὁ θεὸς Ἀβραάμ, καὶ ὁ θεὸς Ἰσαάκ, καὶ ὁ θεὸς Ἰακώβ. ἀλλ᾽ οὐκ ἦν ὁ ἄγγελος ὁ θεὸς Ἀβραάμ· ἐν δὲ τῷ ἀγγέλῳ λαλῶν ἦν ὁ θεός· καὶ ὁ μὲν φαινόμενος ἦν ἄγγελος, ὁ δὲ θεὸς ἐν αὐτῷ ἐλάλει [*Et vocavit Dominus Moſem ex rubo, dicens. Ego ſum Deus patris tui: Deus Abraham, Deus, Iſaac, & Deus Iacob, at Angelus ille non erat Deus Abraham, ſed in Angelo loquebatur Deus: & qui conſpiciebatur erat Angelus: Deus autem in illo loquebatur.* Vide Riberam in Epiſtolam ad Hebr. num. 104. Neque aliter Hebræorum doctiſſimi explicant loca ſimilia, ubi & Angeli apparet nomen, & is tamen Angelus ut יהוה loquitur, & ut יהוה compellatur. vide Geneſ. XVIII. 13. & 33. collato loco ad Hebr. XIII. 2. Geneſ. XXII. 15. 17. Ioſu. V. 14. collato VI. I. Iud. VI. II. collato 14. & XIII. 3. collato 8. II Sam. XXIV. 16. collato 17. Philoni in Decalogi enarratione dicitur Deus locutus non per ſe, ſed ψυχὴν λογικὴν ἀνάπλεων σαφηνείας καὶ τρανότητος, ἣ τὸν ἀέρα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα, καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν [*mentem quandam rationalem implens perſpicua cognitione, quæ aërem formans atque attenuans velut in ignis flammantis ſpeciem, tanquam ſpiritus per tubam, vocem edidit diſtinctam*]. ubi & alia ſequuntur ejus argumenti. Vide, ſi vacat, Ioſephum Album Fundamentorum libro II. c. 28. aut ſi Chriſtianum mavis, audi ſcriptorem reſponſionum ad Orthodoxos: τῶν ἀγγέλων ὅσοι ἐν τάξει θεοῦ ὤφθησαν, ἢ ἐλάλησαν τοῖς ἀνθρώποις, ἐσχήκασι καὶ αὐτοὶ τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν, ὡς ὁ λαλήσας τῷ Ἰακὼβ καὶ τῷ Μωυσῇ. ἐκλήθησαν γὰρ καὶ οἱ ἄνθρωποι θεοί. ἑκατέροις γὰρ διὰ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτοῖς χρείαν ἐδόθη τοῦ θεοῦ τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχειν. πληρωθείσης δὲ τῆς χρείας παύονται τοῦ καλεῖσθαι θεοὶ οἱ χρείας τινὸς ἕνεκεν εἰληφότες τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν [*Angelorum, qui Dei loco viſi aut locuti ſunt hominibus, Dei vocabulo nominati ſunt, ut ille qui Iacobo quique Moſi eſt locutus. Etiam homines dii vocantur. Vtriſque ob officium ipſis injunctum datum eſt, & Dei vicem & nomen obtinere. Expleto autem officio deſinunt vocari dii qui tantum operæ alicujus cauſa id nomen acceperunt*]. Et nominatim legem datam dici per Deum, cùm revera per Angelos data ſit, ait Dionyſius de Cœleſti hierarchia cap. IV. Sic Phanuel πρόσωπον θεοῦ [*faciem Dei*] exponunt & Ioſephus, & Gerundenſis. Sciendum autem eſt quæ in Exodo hoc loco habentur verba, per Angelum, Dei nomine, prolata: quæ vero ſunt Deuter. 5. eſſe Moſis eadem memoriter referentis, & quidem ea libertate, ut voces transponat interdum, quaſdam cum idem ſignificantibus commutet, omittat quædam ſatis nota ex prioribus, addat alia interpretamenti vice. Eſt enim Deuteronomium, ſive, ut Philo loquitur, Epinomis, nihil aliud quam lex & hiſtoria ſummatim repetita in eorum gratiam qui promulgationi legis rebuſque illis non interfuerant. Par mutandi verba libertas, & aliis in locis ſacræ Scripturæ non indiligenti ejus lectori apparet, ut Geneſ. XVII. 4. collato 7. Geneſ. XXIV. 17. collato 43. Exod. XI. 4. collato XII. 28. Exod. XXXII. II. & ſeqq. collato Deuter. IX. 27. & ſeqq. Pertinet autem hæc obſervatio eo, ne in ſacris literis ſuperſtitioſi ſimus vocularum aucupes, ut Iudæi quidam, qui & illa quæ in Exodo ſunt, & quæ in Deuteronomio ſunt verba pariter uno eodemque puncto temporis prolata, ſimulque ubi tranſpoſitio eſt, inverſo ordine quæ prius dicta fuerant dicta & poſterius, poſteriora ſenſum eundem continentia prius etiam dicta ſomniant. Satis multa ſunt in ſacris hiſtoriis miracula, ut nova extra neceſſitatem nullique uſui comminiſci nihil ſit opus.

Πάντας τοὺς λόγους τούτους, λέγων, *cunctos ſermones hos, dicens:*] Hæc ipſa, ne quis poſterûm putaret, additum aliquid aut demtum. Deuter. V. non reperiuntur iſta tam expreſſa: ideoque ſufficit ibi ſenſum ſignificari, ut modo diximus.

2. Ἐγώ εἰμι ὁ Κύριος ὁ Θεός σου, ὅστις ἐξήγαγόν σε ἐξ Αἰγύπτου ἐξ οἴκου δουλείας, *Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis.*] Reſpondet Κύριος [*Dominus*] Hebræo יהוה, ut plerumque, ob eam quam diximus cauſam. θεός σου [*Deus tuus*] autem in Hebræo אלהים. Vbicunque eſt ם אלהים in Hebræo, ſignificatur imperium. Eſt vox attributa & Angelis, ut Pſal. LXXXII. 2. & magiſtratibus eximiis, ut

Exod. xxi. 6. xxii. 26. ita ut in Pſal. lxxxii. i. & cxxxi. i. dubium ſit inter Hebræorum doctiſſimos, Angeli, an magiſtratus intelligantur. At quoties cum ſingulari conjungitur plurale κτ̃ πρόθεσιν [*per appoſitionem*], ſed ἐλλειπτικὴν [*defectivam*], non dubium eſt eum intelligi, qui & Angelis & Magiſtratibus cunctis præſidet ſummo cum imperio. Solet autem ei voci addi ſæpe caſus poſſeſſivus, quo ſignificatur ei ſummo Deo, præter jus quod in cunctos habet, jus aliquod peculiare in hos aut illos competere per beneficia non communia. Eſt enim ea beneficiorum natura, ut ſemper in eum qui beneficium accepit, det aliquid novi juris ei qui beneficium præſtitit. Et hæc cauſa eſt, cur hic non conditi humani generis fiat mentio, ſed earum rerum quæ Iacobi poſteros proprie ſpectabant, & quidem maxime recentium, quorum memoria firmius & efficacius animis inhæret. confer cauſam ſervandæ legis, quam parentes tradere filiis jubentur, Deut. xxvi. 20. & ſequentibus. Eſt autem quod hoc loco dicitur, non lex, ſed legis præfatio. Seneca non probat legem cum prologo, quod imperare ea nata ſit, non ſuadere. At aliter cenſuere philoſophi, Zaleucus, Charondas, Plato, Philo. media via optima eſt, ut breve ſit quod præmittitur, auctoritatem non diſputationem præferens. Numerus denarius gentibus ferme cunctis numerandi finis eſt. qui enim ſequuntur numeri compoſita habent nomina, aut ſono, ut undecim, duodecim, aut ſignificatu, ut centum, mille. Nimirum per digitos numerare mos antiquiſſimus, qui homini decem. Quare & in his præceptis, quæ ſupra cætera memoriæ inſigenda erant, hunc numerum elegit Deus, in quo omnes numerorum diverſitates, omnes ἀναλογίας, omnes quæ ad numeros referuntur figuras geometricas reperiri, late oſtendit Philo de decem præceptis. & Martianus Capella: *Decas vero ultra omnes habenda, quæ omnes numeros diverſæ virtutis ac perfectionis intra ſe habet.* Neque alia de cauſa, in decem claſſes, quæ vulgo categoriæ vocantur, rerum genera Pythagorici & eos ſecuti Peripatetici retulere. Tum vero non in lege tantum, ſed & ante legem Decimæ Deo votæ, qui mos ad gentes etiam tranſiit. Vide Livii & Plutarchi hiſtoriam de Camillo. meminit ejus moris ut antiquiſſimi & Herodotus. Data autem lex in locis incultis, ut & remotus ab urbium contagio populus, & rebus duris purgatus, & per miracula doctus à Deo non à rebus conditis pendêre, ad eam quam Deus moliebatur rempublicam præpararetur. dicit autem lex σου [*tuus*], & deinceps imperans ac vetans unitatis numero ſingulos alloquitur, ut oſtendat non aliam hic eſſe viri principis, quam minimi de plebe Hebræi conditionem.

Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ [*Non habebis Deos alienos coram me.*] Recte illud על-פני Græci explicuere per πλήν. ſic אם לפני ii Reg. iii. 13. & 35. eſt extra quam, niſi: ubi לפני ſimiliter exceptionis vim addit conditionali locutioni. פנה eſt perſona: פני circumlocutio, pro eo quod ſimpliciter diceremus *me*, על-פני [*ſuper me*]. ſic & Latinis ſuper pro præter ſumitur. In Græco Deuteronomii non male: πρὸ προσώπου μου [*ante faciem meam*]. Eſt autem & πλεονασμὸς [*oratio abundans*], *Alius præter me.* nam ſuffecerat *præter me.* ſimilis locutio ἕτερος εἰ μὴ [*alius niſi*], i Cor. viii. 4. & ἄλλον παρὰ [*aliud præter*], i Cor. iii. ii. ſenſus eſt: non pro vero Deo ſubſtituendos alios, ſed nec aſſumendos ad eum alios, quod multi faciebant, ut ii Reg. xvii. 33. Dii hic vocantur non tantum ii qui in ſcriptis ſacris vocantur אלהים, Angeli & eximii judices, dum ſuo funguntur munere; verum etiam ii quos eo nomine, quamvis ſine cauſa juſta, Gentes appellabant: οἱ λεγόμενοι θεοὶ [*qui dicuntur dii*], i Cor. viii. 5. ſic Prophetæ dicuntur qui ſe venditant pro talibus, Ierem. xxviii. i. Tale & illud ii Sam. xxviii. 15. Videamus primum de falſis diis, viſuri poſtea de iis qui dii non ſine cauſa dicuntur. Primos quos homines pro diis venerati ſunt, ignes fuiſſe cœleſtes ſentiunt doctiſſimi Hebræorum Abeneſdras, Moſes Maimonides, alii. Favet huic ſententiæ traditio de Abrahamo, qui eum cultum fugiens migraſſe dicitur, & hiſtoria de Iobo ex temporibus ſumta antiquiſſimis, xxxi. 26. 27. 28. Adde Deut. iv. 19. & xvii. 3. Sunt autem aſtra falſi dii, non quod non magna ab ipſis bona ad homines perveniant, ſed quod neque precum intellectum, neque libertatem huic magis quam illi benefaciendi habeant, quæ duo conjunctim ad implendam nominis iſtius Dei veram ſignificationem requiruntur, Hebræor. xi. 6. Quare cum dicitur: Deus iſta aſtra חלק, ἀπένειμε [*diſtribuit*], ut eſt in Græco, cæteris gentibus, quod Iuſtinus cum Tryphone diſputans ſic interpretatur, τὸν ἥλιον ὁ θεὸς ἐδεδώκει πρότερον εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτὸν [*ſolem Deus dedit ante adorandum*], interpretandum eſt ſinendi, non approbandi ſenſu, quomodo dicit Paulus Apoſtolus, Act. xiv. 16. εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν [*dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*]. quomodo & Chryſoſtomus quod eſt ad Rom. i. 24. παρέδωκεν [*tradidit*], interpretatur εἴασεν εἶναι [*ſivit eſſe*], & ad c. xi. ejuſdem epiſtolæ: τὸ ἔδωκεν ἐνταῦθα μὴ ἐνέργειαν νόμιζε, ἀλλὰ συγχώρησιν [*illud dedit hic non efficaciam interpretare, ſed permiſſum*]. & ad Eph. iv. παρέδωκεν [*dedit*] interpretatur συγκεχώρηκεν [*permiſit*]. neque vero ſimpliciter, ſed comparate: quia nimirum poſtquam primæ illæ veræque notiones malis moribus atque inſtitutis erant obliteratæ, non miſit ad eos cum divina auctoritate leges, ac nuntios qui eos ad priora & rectiora retraherent, ac per definitas quaſi lineas ducerent. Poſt aſtra, imo ſimul cum aſtris & in aſtris, dii vocati, diviniſque culti honoribus reges & reginæ, poſterorum arte, quo ipſi auguſtiores apud populos fierent, & eruditorum in eos adulatione: οὕτω γὰρ εἰδωλολατρεῖαι τὴν ἀρχὴν ἐκράτησαν, τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων [*ſic enim idolorum cultus primum obtinuerunt, cum homines ſupra meritum in admirationem venirent*], ait Chryſoſtomus ad xii. caput ſecundæ ad Corinthios. Azaeli & Adero regibus divinos honores à Syris habitos narrat Ioſephus. ab Ægyptiis veniſſe hunc morem cenſet Athenæus. ſed vetuſtiſſima ejus rei memoria apud Sanchuniathonem eſt, qui nos docet regem Phœnicum קרן Κρόνον, in eam ſtellam quam Græci à Phœnicibus edocti Κρόνου, Latini Saturni vocabant, conſecratum. idem eſt qui per excellentiam מלך, id eſt rex dictus eſt, cui Phœnices liberos ſacrificabant, qui mos à Tyriis ad Carthaginienſes aliosque Africæ populos venit. Sic Aſtarte conſecrata in Veneris ſtellam. Et aliquanto poſt apud Ægyptios Oſiris in Solem, Iſis in Lunam. Sic Hammon in Arietem, Derceto in Piſcem. At de Mauris Cyprianus: *Manifeſte reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt*. Quia autem ſidera in animantium figuram pridem ab hominibus formata ſunt, ob ſimilitudinem aut unius aut plurium ſtellarum, aut etiam quia quædam animantia cognationem quandam habere cum ſideribus eorumque vim efficacius percipere credita, ideo ea animantia ab Ægyptiis in deos relata. bos dictus Apis, ob Lunam ſive Lunum potius: nam maſculino nomine magna pars Orientis id ſidus appellabat: Phœnix ob Solem: alibi ob eundem lacerta, leo, draco, accipiter. Ibis ob Mercurium: canis ob Sirium: parique modo cætera animantia, quorum ad formas τοὺς ἀστερισμοὺς [*ſtellarum congeries*] figuravere aliter Chaldæi, aliter Perſæ, Indi rurſus aliter. Proceſſit res longius, ut etiam in deos referrentur animantia unde magnæ ad homines utilitates venere, quales recenſet Diodorus Siculus apud Euſebium, citatus in præparatione Euangelica: Plinius lib. VIII. cap. XXVII. Philo ad præceptum ſecundum, & Porphyrius de Abſtinentia IV. Vide de his animalium formis Moſem Maimoniden ductore dubitantium parte III. c. XXXII. & Salluſtium de Diis, capite quarto. Ægyptii, ut loquitur Arnobius lib. VI. *mutorum animantium formas cauſis inſeruere divinis*. Adde locum Philonis quo mox utemur. Adjuverunt hunc errorem dæmones, hic hujus, ille illius animantis ſpecie ſe hominibus oſtentando, unde alii ὀφιόμορφοι, alii ταυρόμορφοι, alii τραγόμορφοι, ὀρνιθόμορφοι alii, atque ita deinceps. Vide de ſerpentibus, quos κνὴφ vocabant, Euſebium Præparatione, ubi de Taaute, Plutarchum Alexandro, Servium ad Virgilium, & adde Gen. III. I. de hirco, Eſaiæ XXXIV. 14. hac forma Aſimam colebant Samaritani: ut Nergalem gallinæ ſilveſtris effigie. De aliis animantium formis vide Iamblichum de myſteriis Ægyptiorum, & Pſellum. κυνώδη φάσματα [*ſpectra canina*] etiam ad Heſiodum Proclus nominat. Vide & Athanaſium in vita Antonii. De his animalibus multo magis dicendum quod de ſtellis diximus, cum ad preces ſurda ſint, neque libertate eligendi ſint prædita, falſo iis deorum imponi nomen. Non poteſt idem dici de Angelis, qui & intelligere preces poſſunt, & beneficia ex animi quadam libertate præſtare. Hos ergo qui honore proſequitur aliquo, qui etiam aliquid eorum beneficio ſe ſperat poſſe conſequi, non peccat in hanc legem, ſed is demum qui eis ea tribuit quæ ſummo Deo ſunt propria. Nam vox Dei in hoc præcepto in ſummitatis ſenſu ſumenda eſt. exempla rem illuſtrabunt. Non peccarunt qui Angelos, quoties ipſis conſpicui apparuere, venerati ſunt procumbendo, ut Ioſue V. 14. quippe, cùm & Prophetis idem honos exhibitus ſit ſine peccato; ut ei qui putabatur Samuel, I. Sam. XXVIII. 15. Eliæ, II Reg. I. 13. Danieli II. 46. qui munus & libamina vetat, reverentiæ ſignum non vetat, ut ibi notatum ab Ioſepho Iachiade. Nam quod in Apocalypſi Angelus eum honorem à ſe amovet, non inde venit, quod in eo eſſet quid illiciti, ſed Apoſtolum ſibi æquat Angelus, quod ambo Chriſti, jam Angelorum capitis, miniſtri eſſent (vide locum Coloſſ. I. 16. 18.), & Apoſtolica legatio ad hominum ſalutem comparata nulla parte Angelica eſſet inferior. Non ſolent autem pares inter ſe iſta ſubmiſſionis ſigna uſurpare. Eſt autem hæc illius loci explicatio non nova, ſed ab Ambroſio & Gregorio Magno tradita. Origenes VIII. adverſus Celſum concedit θεραπεύεσθαι [*veneratione honorari*] poſſe Angelos, ſi modo repurgetur ejus vocis ſignificatio. Neque peccaturum putem, ſi quis Angeli ſibi apparentis commendationem apud Deum imploret, quo Maimonides trahit ea quæ apud Iobum leguntur XXXIII. 23. qui cum conſentit quod Philo ſæpe ἀγγέλους μεσίτας [*Angelos mediatores*] vocat. Sed in utroque hoc diligenter videndum, ne dæmon malus ſit qui ſub Angeli ſpecie appareat, quod fieri interdum ſolere non Paulus tantum Apoſtolus docet II Cor. XI. 14. ſed & Porphyrius, citatus à Cyrillo contra Iulianum, & ſecundo de Abſtinentia, ubi hæc habes: ὥσπερ ὑποδυόντες τῶν ἄλλων θεῶν πρόσωπα τῆς ἡμετέρας ἀβουλίας ἀπολαύουσι [*aliorum deorum velut vultum induti noſtra imprudentia fruuntur*]. & Iamblichus de myſteriis Ægyptiorum, lib. III. c. 32. & lib. IV. c. 17. quibus addi poteſt Arnobii illud IV. adverſus Nationes: *ſi magi haruſpicum fratres, ſuis in actionibus memorant antitheos ſæpe obrepere pro veris: eſſe autem hos quoſdam materiis ex craſſioribus ſpiritus, qui Deos ſe fingunt*. Pro talibus autem habendi ſunt, qui aut à veri Dei cultu homines avocant, aut ei ſe æquant. Præter hos multis aliis modis in Angelorum honore peccari poteſt. Primum ſi ea illis venerationis ſigna exhibeantur quæ conſenſus gentium divini cultus eſſe propria voluit, puta ſacrificium, libamen, ſuffitus. vide Iudic. XIII. 16. & confer eum quem modo dixi Danielis locum. deinde ſi per eos vota aut juramenta faciamus, ab eis ea poſcamus quæ à Deo ſolo, aut in Novo federe à Deo & Chriſto ex Dei mandatu, peti debent, qualia ſunt remiſſio peccatorum, Spiritus ſanctus, vita æterna. id vero eſt, ut recte hic ait Philo ἴσα διδόναι ἀνίσοις, οὐκ ἐπὶ τιμῇ τῶν ταπεινοτέρων, ἀλλ' ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ κρείττονος [*æqualia dare inæqualibus, qui non eſt inferiorum honos, ſed ſuperioris depreſſio*]. Pertinet huc & Origenis locus adverſus Celſum lib. I. ἴδωμεν δὲ, τίνα τρόπον συκοφαντεῖ Ἰουδαίους ὁ πάντ' ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι Κέλσος, λέγων αὐτοὺς σέβειν ἀγγέλους καὶ γοητείᾳ προσκεῖσθαι, ἧς ὁ Μωϋσῆς αὐτοῖς γέγονεν ἐξηγητής. ποῦ γὰρ τῶν γραμμάτων Μωϋσέως εὗρε τὸν νομοθέτην παραδιδόντα σέβειν ἀγγέλους, λεγέτω ὁ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι τὰ Χριστιανῶν καὶ Ἰουδαίων [*Videamus autem quomodo calumnietur Iudæos is qui omnia ſe noſſe prædicat Celſus, dicens eos Angelorum eſſe cultores & deditos præſtigiis quas à Moſe didicerint. Vbi enim in Moſis libris invênit, illum legum conditorem præcepiſſe Angelos coli? hoc nobis dicat is qui jactat ſe cuncta noſſe & Iudæorum & Chriſtianorum*]. Et lib. V. ubi de Angelorum miniſterio in precibus offerendis & in beneficiis procurandis diſſeruerat, addit: τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτοὺς διὰ τὸ θείους εἶναι καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ' οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ θεοῦ σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ [*Hos Angelos ab operi-*

Exod. xxi. 6. xxii. 26. ita ut in Pſal. lxxxii. 1. & cxxxi. 1. dubium ſit inter Hebræorum doctiſſimos, Angeli, an magiſtratus intelligantur. At quoties cum ſingulari conjungitur plurale κατὰ πρόσθεσιν [*per appoſitionem*], ſed ἐλλειπτικὴν [*defectivam*], non dubium eſt eum intelligi, qui & Angelis & Magiſtratibus cunctis præſidet ſummo cum imperio. Solet autem ei voci addi ſæpe caſus poſſeſſivus, quo ſignificatur ei ſummo Deo, præter jus quod in cunctos habet, jus aliquod peculiare in hos aut illos competere per beneficia non communia. Eſt enim ea beneficiorum natura, ut ſemper in eum qui beneficium accepit, det aliquid novi juris ei qui beneficium præſtitit. Et hæc cauſa eſt, cur hic non conditi humani generis fiat mentio, ſed earum rerum quæ Iacobi poſteros proprie ſpectabant, & quidem maxime recentium, quorum memoria firmius & efficacius animis inhæret. confer cauſam ſervandæ legis, quam parentes tradere filiis jubentur, Deut. xxvi. 20. & ſequentibus. Eſt autem quod hoc loco dicitur, non lex, ſed legis præfatio. Seneca non probat legem cum prologo, quod imperare ea nata ſit, non ſuadere. At aliter cenſuere philoſophi, Zaleucus, Charondas, Plato, Philo. media via optima eſt, ut breve ſit quod præmittitur, auctoritatem non diſputationem præferens. Numerus denarius gentibus ferme cunctis numerandi finis eſt. qui enim ſequuntur numeri compoſita habent nomina, aut ſono, ut undecim, duodecim, aut ſignificatu, ut centum, mille. Nimirum per digitos numerare mos antiquiſſimus, qui homini decem. Quare & in his præceptis, quæ ſupra cætera memoriæ infigenda erant, hunc numerum elegit Deus, in quo omnes numerorum diverſitates, omnes ἀναλογίας, omnes quæ ad numeros referuntur figuras geometricas reperiri, late oſtendit Philo de decem præceptis. & Martianus Capella: *Decas vero ultra omnes habenda, quæ omnes numeros diverſæ virtutis ac perfectionis intra ſe habet.* Neque alia de cauſa, in decem claſſes, quæ vulgo categoriæ vocantur, rerum genera Pythagorici & eos ſecuti Peripatetici retulere. Tum vero non in lege tantum, ſed & ante legem Decimæ Deo votæ, qui mos ad gentes etiam tranſiit. Vide Livii & Plutarchi hiſtoriam de Camillo. meminit ejus moris ut antiquiſſimi & Herodotus. Data autem lex in locis incultis, ut & remotus ab urbium contagio populus, & rebus duris purgatus, & per miracula doctus à Deo non à rebus conditis pendêre, ad eam quam Deus moliebatur rempublicam præpararetur. dicit autem lex σου [*tuus*], & deinceps imperans ac vetans unitatis numero ſingulos alloquitur, ut oſtendat non aliam hic eſſe viri principis, quam minimi de plebe Hebræi conditionem.

Οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ [*Non habebis Deos alienos coram me.*] Recte illud על-פני Græci explicuere per πλήν. ſic אם לפני ii Reg. iii. 13. & 35. eſt extra quam, niſi: ubi לפני ſimiliter exceptionis vim addit conditionali locutioni. פנה eſt perſona: פני circumlocutio, pro eo quod ſimpliciter diceremus *me*, על-פני [*ſuper me*]. ſic & Latinis ſuper pro præter ſumitur. In Græco Deuteronomii non male: πρὸ προσώπου μου [*ante faciem meam*]. Eſt autem & πλεονασμὸς [*oratio abundans*], *Alius præter me*. nam ſuffecerat *præter me*. Similis locutio ἕτερος εἰ μὴ [*alius niſi*], i Cor. viii. 4. & ἄλλον παρὰ [*aliud præter*], i Cor. iii. 11. ſenſus eſt: non pro vero Deo ſubſtituendos alios, ſed nec aſſumendos ad eum alios, quod multi faciebant, ut ii Reg. xvii. 33. Dii hic vocantur non tantum ii qui in ſcriptis ſacris vocantur אלהים, Angeli & eximii judices, dum ſuo funguntur munere; verum etiam ii quos eo nomine, quamvis ſine cauſa juſta, Gentes appellabant: οἱ λεγόμενοι θεοὶ [*qui dicuntur dii*], i Cor. viii. 5. ſic Prophetæ dicuntur qui ſe venditant pro talibus, Ierem. xxviii. 1. Tale & illud ii Sam. xxviii. 15. Videamus primum de falſis diis, viſuri poſtea de iis qui dii non ſine cauſa dicuntur. Primos quos homines pro diis venerati ſunt, ignes fuiſſe cœleſtes ſentiunt doctiſſimi Hebræorum Abeneſdras, Moſes Maimonides, alii. Favet huic ſententiæ traditio de Abrahamo, qui eum cultum fugiens migraſſe dicitur, & hiſtoria de Iobo ex temporibus ſumta antiquiſſimis, xxxi. 26. 27. 28. Adde Deut. iv. 19. & xvii. 3. Sunt autem aſtra falſi dii, non quod non magna ab ipſis bona ad homines perveniant, ſed quod neque precum intellectum, neque libertatem huic magis quam illi benefaciendi habeant, quæ duo conjunctim ad implendam nominis iſtius Dei veram ſignificationem requiruntur, Hebræor. xi. 6. Quare cum dicitur: Deus iſta aſtra חלק, ἀπένειμε [*diſtribuit*], ut eſt in Græco, cæteris gentibus, quod Iuſtinus cum Tryphone diſputans ſic interpretatur, τὸν ἥλιον ὁ θεὸς ἐδεδώκει πρότερον εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτὸν [*ſolem Deus dedit ante adorandum*], interpretandum eſt ſinendi, non approbandi ſenſu, quomodo dicit Paulus Apoſtolus, Act. xiv. 16. εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν [*dimiſit omnes gentes ingredi vias ſuas*]. quomodo & Chryſoſtomus quod eſt ad Rom. i. 24. παρέδωκεν [*tradidit*], interpretatur εἴασεν εἶναι [*ſivit eſſe*], & ad c. xi. ejuſdem epiſtolæ: τὸ ἔδωκεν ἐνταῦθα μὴ ἐνέργειαν νόμιζε, ἀλλὰ συγχώρησιν [*illud dedit hic non efficaciam interpretare, ſed permiſſum*]. & ad Eph. iv. παρέδωκεν [*dedit*] interpretatur συγκεχώρηκεν [*permiſit*]. neque vero ſimpliciter, ſed comparate: quia nimirum poſtquam primæ illæ veræque notiones malis moribus atque inſtitutis erant obliteratæ, non miſit ad eos cum divina auctoritate leges, ac nuntios qui eos ad priora & rectiora retraherent, ac per definitas quaſi lineas ducerent. Poſt aſtra, imo ſimul cum aſtris & in aſtris, dii vocati, diviniſque culti honoribus reges & reginæ, poſterorum arte, quo ipſi auguſtiores apud populos fierent, & eruditorum in eos adulatione: οὕτω γὰρ εἰδωλολατρεῖαι τὴν ἀρχὴν ἐκράτησαν, τῶν ἀνθρώπων ὑπὲρ τὴν ἀξίαν θαυμαζομένων [*ſic enim idolorum cultus primum obtinuerunt, cum homines ſupra meritum in admirationem venirent*], ait Chryſoſtomus ad xii. caput ſecundæ ad Corinthios. Azaeli & Adero regibus divinos honores à Syris habitos narrat Ioſephus. ab Ægyptiis veniſſe hunc morem cenſet Athenæus. ſed vetuſtiſſima ejus rei memoria apud Sanchuniathonem eſt, qui nos docet regem Phœnicum קרן Κρόνον, in eam ſtellam quam Græci à Phœnicibus edocti Κρόνου, Latini Saturni vocabant, conſecratum. idem eſt qui per excellentiam מלך, id eſt rex dictus eſt, cui Phœnices liberos ſacrificabant, qui mos à Tyriis ad Carthaginienſes alioſque Africæ populos venit. Sic Aſtarte conſecrata in Veneris ſtellam. Et aliquanto poſt apud Ægyptios Oſiris in Solem, Iſis in Lunam. Sic Hammon in Arietem, Derceto in Piſcem. At de Mauris Cyprianus: *Manifeſte reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen obtexunt.* Quia autem ſidera in animantium figuram pridem ab hominibus formata ſunt, ob ſimilitudinem aut unius aut plurium ſtellarum, aut etiam quia quædam animantia cognationem quandam habere cum ſideribus eorumque vim efficacius percipere credita, ideo ea animantia ab Ægyptiis in deos relata. bos dictus Apis, ob Lunam ſive Lunum potius: nam maſculino nomine magna pars Orientis id ſidus appellabat: Phœnix ob Solem: alibi ob eundem lacerta, leo, draco, accipiter. Ibis ob Mercurium: canis ob Sirium: parique modo cætera animantia, quorum ad formas τοὺς ἀστερισμοὺς [*ſtellarum congeries*] figuravere aliter Chaldæi, aliter Perſæ, Indi rurſus aliter. Proceſſit res longius, ut etiam in deos referrentur animantia unde magnæ ad homines utilitates venere, quales recenſet Diodorus Siculus apud Euſebium, citatus in præparatione Euangelica: Plinius lib. VIII. cap. XXVII. Philo ad præceptum ſecundum, & Porphyrius de Abſtinentia IV. Vide de his animalium formis Moſem Maimoniden ductore dubitantium parte III. c. XXXII. & Salluſtium de Diis, capite quarto. Ægyptii, ut loquitur Arnobius lib. VI. *mutorum animantium formas cauſis inſeruere divinis.* Adde locum Philonis quo mox utemur. Adjuverunt hunc errorem dæmones, hic hujus, ille illius animantis ſpecie ſe hominibus oſtentando, unde alii ὀφιόμορφοι, alii ταυρόμορφοι, alii τραγόμορφοι, ὀρνιθόμορφοι alii, atque ita deinceps. Vide de ſerpentibus, quos κνὴφ vocabant, Euſebium Præparatione, ubi de Taaute, Plutarchum Alexandro, Servium ad Virgilium, & adde Gen. III. 1. de hirco, Eſaiæ XXXIV. 14. hac forma Aſimam colebant Samaritani: ut Nergalem gallinæ ſilveſtris effigie. De aliis animantium formis vide Iamblichum de myſteriis Ægyptiorum, & Pſellum. κυνώδη φάσματα [*ſpectra canina*] etiam ad Heſiodum Proclus nominat. Vide & Athanaſium in vita Antonii. De his animalibus multo magis dicendum quod de ſtellis diximus, cum ad preces ſurda ſint, neque libertate eligendi ſint prædita, falſo iis deorum imponi nomen. Non poteſt idem dici de Angelis, qui & intelligere preces poſſunt, & beneficia ex animi quadam libertate præſtare. Hos ergo qui honore proſequitur aliquo, qui etiam aliquid eorum beneficio ſe ſperat poſſe conſequi, non peccat in hanc legem, ſed is demum qui eis ea tribuit quæ ſummo Deo ſunt propria. Nam vox Dei in hoc præcepto in ſummitatis ſenſu ſumenda eſt. exempla rem illuſtrabunt. Non peccarunt qui Angelos, quoties ipſis conſpicui apparuere, venerati ſunt procumbendo, ut Ioſue V. 14. quippe, cùm & Prophetis idem honos exhibitus ſit ſine peccato; ut ei qui putabatur Samuel, I. Sam. XXVIII. 15. Eliæ, II Reg. I. 13. Danieli II. 46. qui munus & libamina vetat, reverentiæ ſignum non vetat, ut ibi notatum ab Ioſepho Iachiade. Nam quod in Apocalypſi Angelus eum honorem à ſe amovet, non inde venit, quod in eo eſſet quid illiciti, ſed Apoſtolum ſibi æquat Angelus, quod ambo Chriſti, jam Angelorum capitis, miniſtri eſſent (vide locum Coloſſ. I. 16. 18.), & Apoſtolica legatio ad hominum ſalutem comparata nulla parte Angelica eſſet inferior. Non ſolent autem pares inter ſe iſta ſubmiſſionis ſigna uſurpare. Eſt autem hæc illius loci explicatio non nova, ſed ab Ambroſio & Gregorio Magno tradita. Origenes VIII. adverſus Celſum concedit θεραπεύεσθαι [*veneratione honorari*] poſſe Angelos, ſi modo repurgetur ejus vocis ſignificatio. Neque peccaturum putem, ſi quis Angeli ſibi apparentis commendationem apud Deum imploret, quo Maimonides trahit ea quæ apud Iobum leguntur XXXIII. 23. qui cum conſentit quod Philo ſæpe ἀγγέλους μεσίτας [*Angelos mediatores*] vocat. Sed in utroque hoc diligenter videndum, ne dæmon malus ſit qui ſub Angeli ſpecie appareat, quod fieri interdum ſolere non Paulus tantum Apoſtolus docet II Cor. XI. 14. ſed & Porphyrius, citatus à Cyrillo contra Iulianum, & ſecundo de Abſtinentia, ubi hæc habes: ὥσπερ ὑποδυόντες τῶν ἄλλων θεῶν πρόσωπα τῆς ἡμετέρας ἀβουλίας ἀπολαύουσι [*aliorum deorum velut vultum induti noſtra imprudentia fruuntur*]. & Iamblichus de myſteriis Ægyptiorum, lib. III. c. 32. & lib. IV. c. 17. quibus addi poteſt Arnobii illud IV. adverſus Nationes: *ſi magi haruſpicum fratres, ſuis in actionibus memorant antitheos ſæpe obrepere pro veris: eſſe autem hos quoſdam materiis ex craſſioribus ſpiritus, qui Deos ſe fingunt.* Pro talibus autem habendi ſunt, qui aut à veri Dei cultu homines avocant, aut ei ſe æquant. Præter hos multis aliis modis in Angelorum honore peccari poteſt. Primum ſi ea illis venerationis ſigna exhibeantur quæ conſenſus gentium divini cultus eſſe propria voluit, puta ſacrificium, libamen, ſuffitus. vide Iudic. XIII. 16. & confer eum quem modo dixi Danielis locum. deinde ſi per eos vota aut juramenta faciamus, ab eis ea poſcamus quæ à Deo ſolo, aut in Novo federe à Deo & Chriſto ex Dei mandatu, peti debent, qualia ſunt remiſſio peccatorum, Spiritus ſanctus, vita æterna. id vero eſt, ut recte hic ait Philo ἴσα διδόναι ἀνίσοις, οὐκ ἐπὶ τιμῇ τῶν ταπεινοτέρων, ἀλλ᾽ ἐπὶ καθαιρέσει τοῦ κρείττονος [*æqualia dare inæqualibus, qui non eſt inferiorum honos, ſed ſuperioris depreſſio*]. Pertinet huc & Origenis locus adverſus Celſum lib. I. ἴδωμεν δὲ, τίνα τρόπον συκοφαντεῖ Ἰουδαίους ὁ πάντ᾽ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι Κέλσος, λέγων αὐτοὺς σέβειν ἀγγέλους καὶ γοητείᾳ προσκεῖσθαι, ἧς ὁ Μωσῆς αὐτοῖς γέγονεν ἐξηγητής. ποῦ γὰρ τῶν γραμμάτων Μωύσεως εὗρε τὸν νομοθέτην παραδιδόντα σέβειν ἀγγέλους, λεγέτω ὁ ἐπαγγελλόμενος εἰδέναι τὰ Χριστιανῶν καὶ Ἰουδαίων [*Videamus autem quomodo calumnietur Iudæos is qui omnia ſe noſſe prædicat Celſus, dicens eos Angelorum eſſe cultores & deditos præſtigiis quas à Moſe didicerint. Vbi enim in Moſis libris invênit, illum legum conditorem præcepiſſe Angelos coli? hoc nobis dicat is qui jactat ſe cuncta noſſe & Iudæorum & Chriſtianorum*]. Et lib. V. ubi de Angelorum miniſterio in precibus offerendis & in beneficiis procurandis diſſeruerat, addit: τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτοὺς διὰ τὸ θείους εἶναι καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ποτε ὀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ᾽ οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ θεοῦ σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ [*Hos Angelos ab operi-*

bus quæ faciunt nominare aſſueti, didicimus eos & deos eſſe & ita in ſcripturis vocari: non autem imperari nobis, ut eos qui miniſtrant Deo & ad nos Dei beneficia perferunt, pro Deo colamus atque adoremus]. Alibi: εὐφημοῦμεν καὶ μακαρίζομεν, ἐγχειρισθέντας ὑπὸ τοῦ θεοῦ τὰ χρήσιμα τῷ γένει ἡμῶν· οὐ μὴν τὴν ὀφειλομένην πρὸς θεὸν τιμὴν τούτοις ἀπονέμομεν [*Laudamus & beatos prædicamus eos quibus Deus commiſit illa quæ humano generi ſunt utilia: verum debitum Deo honorem ipſis non impedimus*]. Angelici Epiphanio inter hæreticos memorantur, ſed eorum quale fuerit inſtitutum ait ſe neſcire. Maxime credibile eſt tale fuiſſe quale eſt Cabaliſtarum inter Iudæos, probatum quibuſdam, improbatum Ioſepho Albo lib. III. Fundamentorum, cap. XVIII. Cenſent illi, cum Pythagoricis & Platonicis, quorum ſententiam nobis Iamblichus exprimit, per Angelos inferiores ſuperioribus, atque ita per multos gradus ſummis illis homines commendari debere, & illis dant ſua nomina, dant officia, & diſpenſandorum beneficiorum facultatem. Alios ſtatuunt paredros: alios oniropompos, ut Irenæus docet. De his qui talia ex Iudaiſmo in Chriſtianiſmum inferrent agere videtur Apoſtolus II. Coloſſ. 18. mitius enim de eis loquitur quam ut eos intelligat qui Angelos, aut honoris proprie divini ſignis, aut effectuum mere divinorum expetitione, Deo æquabant. Sic ergo ait, μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω nemo vobis honorem auferat, nempe eum qui proprius eſt Chriſtianorum, ut jus habeant Deum invocandi διὰ τοῦ λόγου [*per Verbum*], ut ſæpe notat Origenes, apertiſſime vero lib. V. οὐ περισπώμενοι πρὸς τῷ θεῷ καὶ ἄλλῳ τινὶ δουλεύειν μετ' αὐτοῦ [*non avocari nos ſinentes ut præter Deum & alteri ſerviamus*], ut ait idem lib. VII. addit Paulus, ἐν ταπεινοφροσύνῃ [*in humilitate*]. Videtur enim eſſe quædam animi ſubmiſſio non audere niſi per tot gradus Deum accedere: at tale revera id non eſt, cum, ut recte ait Origenes, in Dei honore ſatis comprehendatur honos ipſi miniſtrantium, neque ex uſu ſit ita περισπᾶσθαι, & ab eo quod maxime neceſſarium eſt avocari. Pergit: καὶ θρησκείᾳ ἀγγέλων [*& cultu Angelorum*], ubi καὶ, ut ſæpe, poſitum eſt κατ' ἐπεξήγησιν [*ad explicationem*] verborum præcedentium. θρησκεία [*cultus*] vox mediæ eſt ſignificationis, nam & in bonam partem uſurpatur, ut Act. XXVI. 5. Iac. I. 27. & in malam, ut Sap. XI. 16. & IV. 16. & eo ſenſu qui inter utrumque eſt, ut Iac. I. 26. & hoc loco. Explicat quod cœpit dicere Apoſtolus: ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων penetrans in ea quæ non vidit. is enim eſt ſenſus vocis ἐμβατεύειν [*penetrare*], ut apparet I Macch. XII. 25. XIII. 20. XV. 3, I. 40. Neſciunt enim Angelorum, qui non ſine cauſa mitti dicuntur Hebr. I. 14. qui ipſis adſint, aut non adſint: neſciunt quid poſſint, quid valeant. quod latius etiam ſequentibus explicat εἰκῆ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ [*fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ*], quo loco νοῦς eſt cogitatio, ut Rom. I. 28. & XIV. 5. Epheſ. IV. 17. I. Tim. VI. 5. II Tim. III. 8. Tit. I. 15. illud autem σαρκὸς [*carnis*] opponitur patefactioni divinæ, ut Matth. XVI. 17. Quæ uſurpant nomina Angelorum, in Scripturis nuſquam poſita, qualia multa ſunt in libro Enochi falſum nomen præferente: quæ munia ipſis attribuunt, quibus verbis, quoque modo quemque alloqui, quid à quoque poſcere debeant: hæc non accepere à Deo aut ab ipſis Angelis, ut certi eſſe poſſint, ſed ex humanis commentis quorum diſciplina ſibi placent, ſeque cæteris præferunt, unde Γνωστικῶν [*Gnoſticorum*] nomen. Sequitur, καὶ οὐ κρατῶν τὴν κεφαλὴν, ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα διὰ τῶν ἁφῶν καὶ συνδέσμων ἐπιχορηγούμενον καὶ συμβιβαζόμενον, αὔξει τὴν αὔξησιν τοῦ θεοῦ [*& non tenens caput, ex quo totum corpus, per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum, creſcit in augmentum Dei*]: non tenent ſe Chriſto, id eſt, Chriſti cultum omittunt, aut eum reformidant, qui tamen eſt caput & coagulum totius Eccleſiæ: unde fit, ut illi homines alii aliis Angelis ſe velut mancipando, paullatim & ab Eccleſia, ſpecie majoris ſcientiæ, ſe ſubducant, & inter ſe dividantur, nimirum per gradus quoſdam devoluti ad illam εἰδωλολατρείαν [*idololatriam*] quam propter hoc κεκρυμμένην [*occultam*] vocat Laodicena Synodus. Congruunt cum jam dictis ea quæ ad dictum Pauli locum attulere Chryſoſtomus, Theodoretus, Oecumenius, Theophylactus. A præſidibus humanæ pacis, quin ea peti poſſint quæ humanæ ſunt opis, dubitandum non eſt. Neque vero flexo aut proſtrato corpore eos honorare illicitum eſt, ubi mos talis obtinet: fecit id Nathan coram Davide, I Reg. I. 23. Scriptor vitarum illuſtrium in Conone: *neceſſe eſt ſi in conſpectum veneris, venerari te regem quod* προσκυνεῖν *illi vocant*. Græci ſæpe pro eo dicunt προσπίπτειν [*procumbere*]. Livius de Legatis Carthaginienſium: *more adorantium (accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant) procubuerunt*. A Phœnicibus intelligit vicinis Hebræorum, quorum morem Phœniſſis Euripides ſic expreſſit:

> Γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω
> Σ', ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.
> [*Supplex te, rex, venerans genubus*
> *Patrio advolvor de more tuis.*]

Philo in Legatione hoc προσκυνεῖν [*procidere*] vocat βαρβαρικὸν ἔθος [*barbarum ritum*], Ioſephus de Davide Saulem venerante: προσκυνεῖται πεσὼν πρόσωπον, ὡς ἔθος [*veneratur eum pronus cadens, ut moris eſt*: At ſi qua in gente is geſtus tantum in re divina uſurpetur, jam eum coram rege uſurpare licitum non erit. Ob id Græci quibus proſterni niſi in ſacris mos non erat, eo more venerari Perſarum regem noluere, ut paſſim ex hiſtoriis diſcimus. Et Chriſtianus, apud Sozomenum, Perſarum regem veneratus, deſtitit poſtea, ubi id aliovorſum interpretando trahi videt. Etiam coram imaginibus Imperatorum procumbere non alienum à ſua religione arbitrati ſunt Chriſtiani. At poſtquam ſuis imaginibus falſorum deorum imagines addi juſſerat Iulianus, prudentiores mala quævis potius toleranda duxere quam ut ibi procumberent. Narrat Gregorius Nazianzenus. Tertullianus ad Scapulam: *colimus ergo Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt à Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem.* idem adverſus gentes: *Temperans majeſtatem Cæſaris infra Deum: magis illum commendo Deo, cui ſoli ſubjicio: ſubjicio autem cui non adæquo.* & mox: *dicam plane imperatorem dominum, ſed quando non cogor ut dominum Dei vice dicam.* Hoc præceptum de quo huc uſque egimus, & Philo & eum ſecuti Chriſtiani vocant, τὸ περὶ μοναρχίας [*de unius imperio*], aut etiam καθαίρεσιν τῆς πολυθείας [*deſtructionem multitudinis deorum*]. Hanc tollere præcipuum legis propoſitum eſſe ait Maimonides, non Dei certe, ſed hominum cauſa ut explicat Philo, quorum felicitas in eo ſita eſt, ut ab ſenſibilibus ad illud inſenſibile, à rebus aut caducis, aut quæ initium habuere, ad illud æternum deducantur. ſimul ad federandum inter ſe populum nihil utilius: φίλτρον ἀνυσιμώτατον καὶ δεσμὸς ἄλυτος εὐνοίας ἐρωτικῆς, ἡ τοῦ ἑνὸς θεοῦ τιμή [*amatorium vehementiſſimum, & vinculum inſolubile benevolentiæ atque amoris, cultus unius Dei*], ait ille libro de Monarchia primo. Et de fortitudine: αἴτιον τῆς ὁμονοίας τὸ ἀνωτάτω καὶ μέγιστον, ἡ περὶ τοῦ ἑνὸς θεοῦ δόξα, ἀφ' ἧς οἷα πηγῆς ἑνωτικῇ καὶ ἀδιαλύτῳ φιλίᾳ κέχρωνται πρὸς ἀλλήλους [*cauſa concordiæ & ſumma & maxima, de uno Deo perſuaſio, à quo velut fonte procedit amicitia firma & inſolubilis hominibus inter ſe*].

4. Οὐ ποιήσεις σεαυτῷ εἴδωλον, οὐδὲ παντὸς ὁμοίωμα, ὅσα ἐν τῷ οὐρανῷ ἄνω, καὶ ὅσα ἐν τῇ γῇ κάτω, καὶ ὅσα ἐν τοῖς ὕδασιν ὑποκάτω τῆς γῆς, *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra*]. Pro εἴδωλον [*imago*], alii Græci interpretes habent γλυπτὸν [*ſculptile*]: & hi ipſi Deut. v. In Hebræo פסל [*ſculptile*], origo eſt פסל [*dolavit, ſculpſit*], quod Græci vertunt λαξεύειν, πελεκίζειν, γλύφειν [*lapidem polire, ſecuri formare, ſcalpere*]: ipſum nomen quod hic apparet ſæpe γλυπτὸν, aut γλύμμα [*ſculpturam*], alibi εἴδωλον, ἄγαλμα, εἰκόνα [*ſimulacrum, ſtatuam, imaginem*]. cenſentque Hebræi ſignificari ea quæ eminentibus figuris expreſſa ſunt. quod autem ſequitur οὐδὲ ὁμοίωμα [*neque omnem ſimilitudinem*], videri poſſet novum eſſe præceptum, & ita acceptum ab Hebræis Alexandrinis, ut à Philone qui libro de legatione dicit: μὴ ἄγαλμα, μὴ ξόανον, μὴ γραφὴν [*non effigiem, non ſimulacrum, non picturam*]. & in eod. lib. de legatione: γραφικὴ καὶ πλαστικὴ βλαβεραὶ δημιουργοί [*pictura, & fictura, noxiæ artifices*]. & in libro de Gigantibus: ὁ Μωσῆς τὰς δοκίμους καὶ γλαφυρὰς τέχνας ζωγραφίαν καὶ ἀνδριαντοποιΐαν ἐκ τῆς καθ' αὐτὸν πολιτείας ἐξήλασε [*Moſes illas ſpecioſas & magni pretii artes ſtatuariam & picturam ex ſua republica excluſit*]. ſed, cum ו [*&*] quod Græci per οὐδὲ [*neque*] hic transferunt abſit in Deuteronomio, in Chaldæa vero interpretatione etiam hoc loco, eo ivit conſenſus Hebræorum ut ו hic non novum præceptum inchoet, ſed explicationis cauſa ſit additum, ut intelligatur, non omnia ſculptilia prohiberi, ut vitem auream quæ in Templo fuit, ſed quæ ſimilitudinem animantis alicujus referrent. Primi homines iis quos pro diis habebant monumenta excitabant, arborem, ſtipitem, ſaxum. Venerem & Bacchum in quadrato lapide cultos docent Pauſanias, Clemens Alexandrinus, Maximus Tyrius. De columnarum ac ſtipitum uſu ad cultum, teſtimonia ſunt ex Philone Byblio apud Euſebium. Cùm nulla natura ad Deum propius homine accedere crederetur, cœpere qui putabantur dii fingi humana effigie, quæ βρέτας dicta & δείκελον [*ſtatuæ & ſimulacra*], ut notat Clemens Alexandrinus libro contra Nationes, & ex eo Arnobius, quibuſcum in hac re conſentit Maximus Tyrius in ea quæ de imaginibus eſt diſſertatione. At Ægyptiis placuere animantium figuræ:

Omnigenumque deûm monſtra & latrator Anubis:

nimirum, ut ante diximus, ob ſiderum ſimilem figurationem aut naturam ſideri congruentem, aut utilitatem eximiam. Εἴδωλον Græcis ſcriptoribus ſæpe φάσμα & oſtentum aliquod ſignificat. verùm hoc ſignificatu in libris ſacris non ſumitur, ſed idem eſt, ut modo diximus, εἴδωλον, γλυπτὸν, εἰκών [*idolum, ſculptile, effigies*]. Hieronymus Eſaiæ xiv. פסל vertit idolum, deinde ſculptile, deinde imaginem, rurſus idolum. II Paral. xxxiii. 19. & 22. ut & Deut. xii. 3. alibi ſimulacrum. ſic vitulus ille in Horeb factus εἴδωλον Lucæ Act. vii. 42. qui id venerati ſunt Paulo εἰδωλολάτραι [*idololatræ*]. I Cor. x. 7. Reſpondetque plane Græca vox εἰδωλολατρεία Hebrææ עבודה זרה quo ſignificatur cultus à lege alienus, non quod εἴδωλον per ſe mali aliquid ſignificet, ut quidam exiſtimant, ſed quod poſt legem nullum erat piorum & ſuperſtitioſorum evidentius diſcrimen, quam quod hi omnes imagines ſculptas haberent, illi non haberent. itaque non vox voci reddita eſt, ſed ſenſus perſpicue ſatis expreſſus. Neque vero imagines tantum faciebant οἱ πολύθεοι [*multorum deorum cultores*] diis ſuis, ſed & magico ritu exiſtimabant ſpiritum quendam ætherium in eas deduci imagines, ut & in Dialogo Triſmegiſti, quiſquis tandem ille eſt qui id ſibi nomen impoſuit, cum Aſclepio, & apud Moſem Maimoniden multis locis ductoris dubitantium, & hoc loco apud Abeneſdram videre eſt. Non male de illis Tertullianus libro de Idololatria: *Rapere ad ſe dæmonia & omnem ſpiritum immundum per conſecrationis obligamentum.* idem libro de Spectaculis: dæmones ait operari in ſimulacris. Minutius Felix: *iſti impuri ſpiritus ſub ſtatuis & imaginibus conſecratis deliteſcunt.* Cyprianus de idolorum vanitate: *Hi ergo ſpiritus ſub ſtatuis atque imaginibus conſecratis deliteſcunt: hi afflatu ſuo vatum pectora aſpirant.* Tales fuiſſe imagines quæ in Iacobi hiſtoria תרפים vocantur cenſent Abeneſdras, Moſes Maimonides, & Kimchius, quanquam vox ipſa videatur eſſe media, & interdum pro Cherubinis ſumi, ut Iud. xvii. 5. & Oſeæ iii. 5. Vide mira quæ de imaginibus à Thammuſo convocatis ſcribit idem ille Moſes dicti libri parte iii. cap. xxix. Nec dubitant tradere, imagines quaſdam locutas: qualium quoque meminit ille Triſmegiſtus. Talem icunculam ſi non habuit, habere credi voluit Nero, cujus monitione dicebat ſe futura prænoſcere, ut ex Suetonio diſcimus. Sic Memnonis ſtatua in Ægypto ſonora. Locuta ſimulacra Iunonis Monetæ, Fortunæ Muliebris, Silvani, in hiſtoriis & apud Valerium Maximum legimus. meminit talium & ſcriptor reſponſionum ad Orthodoxos. Et Moſes Maimonides parte iii. cap. 29. ductoris dubitantium duos ſibi libros lectos ait de Imaginibus loquentibus. Et huc pertinet ni fallor locus Zach. x. 2. Ob hanc opinionem incluſi Spiritus divini, Labani, illa quæ modo nominavimus תרפים, vocantur אלהים Dii Labanis: Dii gentium dicuntur eſſe aurum & argentum, & paſſim apud Græcos Latinoſque ſcriptores ipſa ſimulacra dii dicuntur. Arnobius lib. vi. *Quinimo Deos eſſe ſigillaria ipſa cenſetis, nec præter hæc quicquam vim creditis habere divinam.* quod mox explicat: *in ſimulacris præſto ſunt atque habitant dii ſuis.* Hinc ejuſdem crediti numinis imagines aliæ aliis prælatæ, ut Epheſia Dianæ aliis ſimulacris & alia ejuſmodi. Hæc opinio, quia apud Orientis populos late jam invaluerat, eâque pravi dæmones ad fallendos

lendos homines abutebantur, Deus edicto hoc ſuo omnia ſculpta animalis alicujus formam habentia inhibuit. facilius enim ſpiritus capacia illa ſimulacra videbantur ob receſſus abditos. Notandum enim, non tantum Hebræis vetitum eis venerationem exhibere verbis ſequentibus, ſed ne facere quidem ulla ſimulacra permitti. Deut. IV. 16. inſuper aboleri jubentur Exod. XXXIV. 13. Numer. XXXIII. 52. Deut. VII. 5. Cum Pilatus clupeos in Templo fixiſſet, Iudæi non quievere donec tollerentur, quia in iis erant πρόσωπα [*vultus*] Cæſarum. Et trophæa Herodes cum ſtatuiſſet, non prius iram populi effugit quam iis nudatis oſtendit nullas ibi latere effigies. Aquila etiam aurea ſupra portam Templi ab Herode poſita, tanquam legi repugnans, dejecta eſt: ut narrat Ioſephus libro XVII. Neque vero in templo tantum, quod Dioni notatum, ſed quovis alio in loco habere ſculptas animantium imagines Iudæis interdictum. Vide, ſi libet, Moſem de Kotzi in libro de præceptis jubentibus & negantibus, & Ioſephum belli Iudaici libro II. Tacitus: *nulla ſimulacra urbibus, nedum templis ſunt*. Contra hanc legem, quamdiu manſit legis ſanctitas, venire nemini licuit, niſi Deo ipſi, legis conditori, qui ſibi ipſi exceptionis poteſtatem non ademerat. Is ſuo jure in Templi ipſo penetrali locari juſſit Cherubinos, alatas humano effigies vultu, eo in loco quo ſolus Pontifex Maximus ſemel anno intrabat, gnarus non ineſſe illis divini aliquid: ſed ſignificari aut, ut Philo cenſet, celerrimas Dei actiones in benefaciendo bonis & in puniendo malos, aut quod Angelorum ad quæcunque vellet paratiſſimo miniſterio Deus uteretur, ut Moſes Maimonides aliique cenſent. Talis exceptio fuit etiam cum ſerpentis imaginem Deus juſſit erigi. *Extraordinario præcepto ſerpentis ſimilitudinem induxit*, ait Tertullianus de idololatria. Quod vero labro æneo boves & leones adjecit Solomo, id aut Deo fecit præcipiente, aut, ſi Dei veniam non habuit, initium fuit & gradus quidam ad alia quæ peccavit poſtea, quæ poſterior magis placet Ioſepho & aliis Hebræis ſententia. Animantium ſculptas imagines cum dixi vetitas, etiam ſidera comprehendo, quia motum ſuum habent. Non enim orbes, ſed in cœlo liquido moveri ſidera, vetuſtiſſima Hebræorum ſententia eſt, ut nos docet Gemara ad initium Geneſ. גלגל קבוע ומזלות חוזרין [*orbes fixi, ſed ſidera mobilia*]. Figura autem ſiderum aut formam exprimebant ſingularem ſtellæ, Solis puta, Lunæ, Saturni, Luciferi, Iovis, (vide Act. VII. 43.) aut corpus è pluribus ſtellis conformatum redactumque ab hominibus in ſpeciem hominis, feræ, ſerpentis, aliusve animantis. Apparet eſſe hæc de ſculptis deque animantium figuris interdicta ex eorum genere quæ natura ſua illicita non ſunt, ſed quæ ad mali alicujus cautionem prohibentur. At talia eſſe pleraque in Moſis lege, per ſe ἀδιάφορα [*indifferentia*], ſed oppoſita directe inſtitutis Ægyptiorum, Phœnicum, Arabum, quo longius ἀπὸ τῆς πολυθείας [*plurium deorum cultu*] arcerentur Hebræi, notavit prudenter Maimonides. Præter autem cautionem quam dixi, eſt & alius egregius uſus imaginum interdicti, ut eo ipſo moneantur homines Deum eſſe à viſu ſenſibusque noſtris remotiſſimum. *Effugit oculos: cogitatione viſendus eſt*, ait Seneca Nat. quæſt. VIII. 30. qua de cauſa & Antiphanes philoſophus dicebat de Deo: ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, διόπερ αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος οὐδεὶς δύναται [*oculis non aſpicitur: nemini eſt ſimilis: unde nemo eum ex effigie poteſt cognoſcere*]. Hæc cauſa legis hujus & à Philone traditur ſæpe, ut cum dicit in libro de legatione: τὸν ἀόρατον εἰκονογραφεῖν ἢ διαπλάσσειν οὐχ ὅσιον [*Eum qui inaſpicuus eſt in ſimulacro aut fictili opere oſtendere nefas*], & ab extraneis etiam ſcriptoribus non eſt præterita. Diodorus Siculus de Moſe: ἄγαλμα οὐ κατεσκεύαζε, διὰ τὸ μὴ νομίζειν ἀνθρωπόμορφον εἶναι τὸν θεόν [*imaginem ſtatuit nullam, ideo quod non crederet Deum homini eſſe ſimilem*]. Strabo de eodem: ἔφη γὰρ ἐκεῖνος καὶ ἐδίδασκεν, ὡς οὐκ ὀρθῶς φρονοῖεν οἱ Αἰγύπτιοι θηρίοις εἰκάζοντες καὶ βοσκήμασι τὸ θεῖον· οὐδ᾽ οἱ Λίβυες. οὐκ εὖ δὲ οὐδ᾽ οἱ Ἕλληνες ἀνθρωπομόρφους τυποῦντες [*dixit enim ille, docuitque non recte facere Ægyptios qui feris aut pecudibus aſſimularent Deum, ut & Libyas: ſed nec Græcos recte qui eos facerent hominibus ſimiles*], & quæ ibi ſequuntur. Tacitus: *Iudæi mente ſola unumque numen intelligunt. profanos qui Deûm imagines mortalibus materiis in ſpeciem hominum effingunt*. Dion. lib. XXXVI. οὐδ᾽ ἄγαλμα οὐδὲν ἐν αὐτοῖς ποτε Ἱεροσολύμοις ἔσχον. ἄρρητον δὲ καὶ ἀειδῆ αὐτὸν νομίζοντες εἶναι [*nullam effigiem in Hieroſolymis habuere, quod Deum crederent ut ineffabilem ita inaſpicuum*], &c. Eandem cauſam cur Numa ſimulacra de templis ſuſtulerit reddunt Halicarnaſſenſis & Plutarchus, cujus quidem ea de re hæc verba ſunt: ὡς οὔτε ὅσιον ἀφομοιῶσαι τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν, οὔτε ἐφάπτεσθαι θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει [*quod non ſanctum ratus aſſimulare meliora pejoribus, neque ad Deum accedi aliter poſſe quam cogitatu*]. Varro ſcriptum reliquerat Romanos plus quam annos CLXX deos ſine ſimulacro coluiſſe, addens, quod ſi adhuc manſiſſet, caſtius dii obſervarentur, teſtem etiam proferens ſententiæ ſuæ gentem Iudæam; atque ita eum locum concludens, ut diceret, qui primi ſimulacra deorum populis poſuerunt, eos civitatibus ſuis & metum demſiſſe & errorem addidiſſe. Vſum hunc quem indicavimus præcepti hujus non imprudenter animadvertit Auguſtinus de moribus Eccleſ. Cath. *Tali etiam amore plerumque decipitur, ut aut nihil putet eſſe niſi corpus, aut etiamſi auctoritate commotus fateatur aliquid eſſe incorporeum, de illo tamen niſi per imagines corporeas cogitare non poſſit, & tale aliquid eſſe credere, quale fallax corporis ſenſus infligit. Ad hoc etiam valet quod præcipitur cavendum eſſe à ſimulacris.* ſuppar eſt illud ejuſdem epiſtola XLIX. *Et idola quidem omnia ſenſu carere quis dubitet? Verumtamen cùm his locantur ſedibus, ut à precantibus atque immolantibus attendantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum atque ſenſuum, quamvis inſenſata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur, accedente præſertim convocatione multitudinis.* mox: *cùm eis velut præſentibus preces allegant, victimas immolant, vota perſolvunt, ſic afficiuntur ut ea ſenſu carentia putare non audeant.* Ipſe Deus quo longius Iudæos ab imaginum ſculptarum uſu retraheret, ait ab eis qui eas venerabantur, ſe aſſimulari homini, vitulo, aliiſque animantibus, aut etiam materiæ unde effigies fingerentur. Vide Eſaiam XL. 18. XLVI. 5. 6. Act. XVII. 29. Rom. I. 23. Iuſtinum Apolog. II. unde non abit Heracliti illud: ὅμοια ὡς εἴ τις τοῖς δόμοις λεσχηνεύοιτο ποιέουσιν οἱ προσιόντες, ὡς θεοῖς, τοῖς ἀψύχοις [*qui ad res ratione carentes quaſi ad Deos accedunt, paria faciunt ac ſi domos alloquerentur*]. Exemplum figuræ cœleſtis eſt aſtrum Veneris: item, aves, vultur, accipiter: terreſtris, vitulus, ichneumon, ovis, canis: aquaticæ, dagon, Phagrus, Mœotes, Oxyrynchus. de quibus vide Clementem Alexandrinum oratione ad gentes. Philo libro de legatione ſic loquitur de Ægyptiis: οἱ κύνας, λύκους, καὶ λέοντας, καὶ κροκοδείλους, καὶ ἄλλα πλείονα θηρία, καὶ ἔνυδρα καὶ χερσαῖα, καὶ πτηνὰ θεοπλαστοῦντες [*qui canes, lupos, leones, crocodilos aliaſque feras, & terreſtria, aquatica, volucria animantium Deos faciunt*]. Dicuntur autem Hebræis aquæ eſſe ὑποκάτω τῆς γῆς [*ſub terra*], quia cùm natura ſua aquæ leviores ſint terra, & vi materiæ debuiſſent ſupernatare terris, Deus in uſum animantium hominiſque maximè, ita excavavit alveos mari, circumpoſuitque montes, & rupes & littora eminentia, ut aquæ iis continerentur, ac ſic unum cum terra globum facerent: quod notatum Iudæ Levitæ ad Pſalm. CIV. *6*. ſed & ante eum Straboni. eſtque id indicium veteris ſapientiæ non ſpernendum. Quid ergo dicemus de picturis aut formis inciſis animantium, vetitæ ſint nec ne? Hoc certè loco, ut jam ex Deuteronomio & Chaldæo interprete oſtendimus, credam de iis non agi. Nec omnes picturas fuiſſe vetitas argumento ſint vexilla Hebræorum præferentia hominem, taurum, leonem, aquilam. Sunt tamen quædam vetitæ, ſed aliis locis. nimirum omnes illæ quibus idololatræ ad cultum ſuum utebantur, Levit. XXVI. I. & Num. XXXIII. 52. in Hebræo. quibus accenſendas putem illas figuras inciſas per quas adhibitis etiam verbis magicis arceri hoſtes, ſcorpiones, leones, ſerpentes credebantur, quarum meminit Maimonides parte III. c. 37. ductoris dubitantium. quam opinionem ſecuti Græci dixere opera talia τετελεσμένα aut τελέσματα [*opera perfecta*], ut ſcriptor reſponſionum ad orthodoxos inter opera Iuſtini: unde Arabum corrupta vox Taliſman. alii στοιχεῖα [*principia*] dixere aut στοιχειώσεις [*elementorum traditiones*], ut Tatianus. multa eorum mentio in hiſtoria Conſtantinopolitana. Vide & quæ de iis habet Scaliger in poſthumis ex Coſmographo Arabe. Vt ad Chriſtianos veniam, illi nec aliis Hebræorum legibus πῶς ἐν θέσει [*indeterminatè*] obligatos ſe credidere, nec illa de non habendis formis ſculptilibus animantium. Nam & Imperatorum & virorum eruditorum tales imagines paſſim exſtitere. Inciſis verò aut pictis figuris, ut quæ nec Hebræis ſine diſcrimine interdictæ erant, uſi ſunt etiam liberiùs, ut nos docet memorata Tertulliano figura Paſtoris in calice. Imò ne Chriſti quidem figura abſtentum, poſtquam Imperatores Chriſtiani fuere.

Chriſtus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum, clypeorum inſignia Chriſtus
Scripſerat, ardebat ſummis crux addita criſtis.

ait Prudentius lib. I. contra Symmachum: qui & in monumentis martyrum expreſſam eorum quæ pertulerant imaginem fuiſſe in Paſſione Caſſiani nos docet. in Eccleſias tamen diu nec picturas admiſſas ex Eliberino canone, & decantato illo Epiphanii facto apparet. Imagines exſtantes ſeriùs etiam in Eccleſias admiſſæ, nec ſine multorum reniſu, non quaſi lege vetitæ, ſed quia errori anſam dare exiſtimabantur, quæ ratio manente adhuc paganiſmo non levis momenti erat.

5. Οὐ προσκυνήσεις αὐτοῖς, *Non adorabis ea*] Non ſatis habuit Deus Iſraëlis populo conſulere adverſus pravas ejus ſæculi ſententias & mores, in id tempus quo victuri erant in ſocietate popularium, ſed in longum proſpiciens, adhibere cautiones voluit etiam illis Hebræorum, qui extra ſuum populum erant peregrinaturi. Namque ibi, cùm impedire non poſſent quo minus exſtarent ſculptæ animantium aut aſtrorum imagines, remedium aliud adhibendum eis fuit ne pravæ opinionis ac inſtituti ad eos contagium perveniret: id autem meliùs fieri non potuit quam ſi prohiberentur geſtus cum eis habere communes, quibus error ille nutriebatur. οὐ προσκυνήσεις in Hebræo eſt לא תשתחוה. Vox Hebræa שחה [*inclinavit*] ſatis eſt generalis: neque verò animi actum deſignat, ſed corporis: ſive is fiat caput inclinando, ſive inclinando corpus totum, ſive curvandis genibus, ſive ſubſidendo in poplites, ſive, qui maximus eſt honos, procumbendo. Græci interpretes per προσκυνεῖν [*adorare*] hanc vocem ſolent vertere: non ſine cauſa. Nam ſicut apud Orientis populos, veneratio oſtendebatur variis flectendi corporis formis: ita apud Græcos, & nonnullas gentes alias, manum ad os admovendo, quod propriè eſt προσκυνεῖν à κύω [*in utero fero. &, ſuavior*]; & inde κυνέω quod eſt oſculor: Nec aliud ſignificat Latinum adorare, non ab orare, id eſt precari, factum, ut imperiti homines exiſtimant, ſed ab eo quod manus admoveatur ori. Hieronymus Apologia contra Ruffinum priore: *qui adorant ſolent deoſculari manum.* In Gloſſis: *adorat,* προσκυνεῖ. Alibi προσκύνησις [*adoratio, adveneratio*]. manum ori admovere, aut ad oſculum referre, dixerunt Plinius, Tertullianus, Apulejus: idem Apulejus admovere ori dexteram: idque tum Plinius, tum Apulejus vocant adorare. φιλῆσαι δεξιὰν [*manum oſculari*] Lucianus περὶ θυσιῶν [*de ſacrificiis*]. Idem περὶ ὀρχήσεως [*de Saltatione*] libro, κύσας χεῖρα [*manum oſculans*]; idem in Demoſthenis encomio apertè quod dixerat oſculari manum, mox dixit προσκυνεῖν. Euſtathius ad v. Od. προσκυνεῖν παρὰ τὸ κύειν, ὅ ἐστι φιλεῖν [*ab oſculando*]. Quod in epigrammate veteri eſt:

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat:

idem eſt quod apud Phædrum: *jactat baſia tibicen.* Mos hic venerationis quàm ſit antiquus ex Iobo apparet XXXI. *26*. Sed quod in pleriſque vocibus evenit, ut non maneant in ſenſu originis ſuæ, quinimo ut adoptivus ſenſus prævaleat, idem huic Græcæ voci προσκυνεῖν accidit. cœpit enim uſurpari de quovis geſtu reverentiam quandam teſtante. itaque id quod προσκυνεῖν [*adorare*] dixit Matthæi interpres VIII. 2. idem eſt πεσεῖν ἐπὶ τὸ πρόσωπον [*procidere in faciem*] Lucæ v. 12. ſic quod apud eundem Matthæi interpretem eſt προσκυνεῖν [*adorare*] XIX. 18. id Marcus dixit πίπτειν πρὸς τοὺς πόδας [*procidere ad pedes*] v. 22. Interdum apertioris ſignificatus causâ alterum altero addito explicatur, ut πεσόντες προσεκύνησαν [*procidentes adoraverunt*] Matth. II. II. ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι [*ſi cadens adoraveris me*] Matth. IV. *9*. πεσὼν ἐπὶ τούς πόδας προσεκύνησεν [*procidens ad pedes ejus adoravit*] Actor. x. 25. πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον προσκυνήσει τῷ θεῷ [*cadens in faciem adorabit Deum*] I. Cor. XIV. 25. Chryſoſtomus ad cap. v. epiſtolæ ad

Ephesios προσκυνεῖν exponit per κάμπτειν ἑαυτὸν [*ſe flectere*]. Sic in hiſtoria honorati ab Iacobo Eſavi, ubi eſt in Hebræo ישתחו Ioſephus & Græci ponunt προσεκύνησε [*adoravit*], idemque faciunt in hiſtoria umbræ Samuelis quam honore afficiebat Saul. Atque inde factum, re externa ad internam relata, ut interdum, ſed rarius, animi actum ea vox ſignificaret, ut voces θυσία [*ſacrificium*], προσφορὰ [*oblatio*], aliæque ſimiles. Vide Ioh. Euang. IV. 23. Hoc vero loco haud dubie ſignificatur omnis actus quo honos habitus demonſtrari ſolet. ſicut enim alibi vetantur Hebræi nomina uſurpare Deorum falſorum, Exod. XXIII. 13. ita etiam imaginibus ullum ſignum honoris, quocunque tandem animo id fieret, exhibere prohibentur, ut notat Moſes de Cotzi præcepto vetante XIX. quæ omnes ſunt προφυλακαὶ [*cautiones*] contra τὴν πολυθεΐαν [*deorum multitudinem*]. idem autem valent hæ locutiones, imagini ſe flectere, aut flectere ſe coram imagine. itaque quod in Matthæi IV. 9 eſt προσκυνήσῃς μοι [*adoraveris me*], id Lucas dixit IV. 7 προσκυνήσῃς ἐνώπιόν μου [*adoraveris coram me*]. Sic quod per dativum exprimitur Ier. XXII. 9. id per לפני [*coram*] enuntiatur, II. Paralip. XXV. 14. & per על quod idem valet, Levit. XXVI. 1. Et quod in dativo eſt, I. Reg. XIX. 8. & Rom. XI. 4. id Latina interpretatio explicat per præpoſitionem coram. Cæterum hoc præcepto de non flectendo apud imagines corpore, cùm conſtituti ſit juris, alienigenas quantumvis pios, ut Nahamanem, negant obligatos fuiſſe Hebræi. Neque vero indiſtincte ſe eo obligari credidere Chriſtiani veteres, ſed tantum quatenus in teſtimonio habiti honoris apud imaginem inerat falſi numinis veneratio, quæ per ſe & omni modo mala eſt: quod intelligi poteſt ex loco Iobi modo nobis indicato: ex loco Actor. X. 25. ex ea hiſtoria quam de Nazianzeno modo promiſimus. In precationum vero locis, an rectum eſſet in honorem, aut Chriſti, aut Sanctorum coram eorum imaginibus flectere corpora, quod σχετικὴν προσκύνησιν, id eſt, ſignum amoris & reverentiæ erga viros ſanctimonia eminentes Græci vocant, diſputatum diu, nec ſine ſeditionibus in Oriente. Germaniæ & Galliæ diu viſum id malo aut mali ſpecie non carere, ut ex Francofurtenſi & Pariſienſi ſynodis, quæ Caroli Magni liberorumque ejus temporibus habitæ ſunt, apparet. Notandum tamen, in illis ſynodis tractatos inclementius Græcos, quod occidentales Epiſcopi ſententiam Græcorum expreſſam in Nicæna ſynodo ſecunda, in duriorem partem, quam ipſa per ſe erat, interpretarentur, decepti ſcilicet Actis Nicænæ illius Synodi in Latinum ſermonem adeo non fideliter verſis, ut interdum ſenſum Græco contrarium exhiberent, quod cùm alibi obſervari poteſt, tum vel maxime in iis quæ de imaginibus dixerat Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus. Nam Græca ſic habent Actione Synodi tertia: Κωνσταντῖνος ὁ ὁσιώτατος ἐπίσκοπος Κωνσταντείας τῆς Κύπρου εἶπεν· Ἐν μηδεμίᾳ παραλλάττοντα καὶ τὰ νῦν ἀναγνωσθέντα γράμματα τὰ ἐκ τῆς ἀνατολῆς πεμφθέντα πρὸς Ταράσιον τὸν ἁγιώτατον ἀρχιεπίσκοπον καὶ οἰκουμενικὸν πατριάρχην τοῦ ὑπ' αὐτοῦ προομολογηθέντος ὅρου τῆς πίστεως εὑρὼν κἀγὼ ὁ ἀνάξιος, τούτοις συντίθημι, καὶ ὁμόφρων γίνομαι, δεχόμενος καὶ ἀσπαζόμενος τιμητικῶς τὰς ἁγίας, καὶ σεπτὰς εἰκόνας· καὶ τὴν κατὰ λατρείαν προσκύνησιν μόνῃ τῇ ὑπερουσίῳ καὶ ζωαρχικῇ Τριάδι ἀναπέμπω. καὶ τοὺς μὴ οὕτω φρονοῦντας μήτε δοξάζοντας τῆς ἁγίας καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἐκχωρίζω, καὶ τῷ ἀναθέματι ὑποβάλλω, καὶ τῇ μερίδι τῶν ἀρνουμένων τὴν ἔνσαρκον καὶ σωματικὴν οἰκονομίαν Χριστοῦ τοῦ ἀληθινοῦ θεοῦ ἡμῶν παραπέμπω [*Conſtantinus ſanctiſſimus Epiſcopus Conſtantiæ Cypri urbis dixit: Cum ea ſcripta quæ ex Oriente miſſa ſunt ad Taraſium ſanctiſſimum Archiepiſcopum & univerſalem Patriarcham, & modo ſunt lecta, videam nihil differre à formula fidei, quam ille antehac profeſſus eſt, ego quoque indignus eiſdem conſentio & concors ſum, ſuſcipiens & cum honore amplectens ſanctas & venerabiles imagines: Adorationem vero Latriæ ſoli ſuperſubſtantiali ac vivificæ Trinitati defero: quique non ſic ſentiunt ac docent ab Eccleſia Catholica & Apoſtolica excludo & anathemati ſubjicio, & parti eorum qui negant Chriſti veri Dei noſtri in carne & corporalem adventum accenſeo*]. Ea autem ſenſu plane inverſo ſic recitantur in Capitulari Caroli Magni Imperatoris de non adorandis imaginibus, lib. III. c. 17. *Quam præcipitanter, & ut ita dixerim inſipienter, Conſtantinus Conſtantiæ Cypri Epiſcopus, cæteris conſentientibus, ſe ſuſcepturum & amplexurum honorabiliter imagines dixerit, & ſervitium adorationis, quod conſubſtantiali & vivificatrici Trinitati debetur, eis ſe redditurum garrierit, non eſt plurimum noſtra diſputatione diſcutiendum: quoniam omnibus qui hoc vel legunt vel audiunt, liquido patet, illum non modici erroris voraginibus immerſum: quippe qui ſervitium ſoli debitum Creatori exhibere ſe fatetur creaturis, &, dum cupit favere picturis, reluctatur cunctis ſacris ſcripturis. Quis ergo unquam ſani capitis talem abſurditatem vel dixerit, vel dicenti conſenſerit, ut in tanto honore habeatur picturarum varietas, quanto ſancta vivificatrix & omnium creatrix Trinitas? & tale impendatur ſervitium picturæ, quale exhibetur Domino totius creaturæ? aut quis illum talia nauſeantem potius quam loquentem pateretur? quoniam quidem perverſum eſt, ut quibuslibet rebus inſenſatis tale impendatur ſervitium adorationis, quale Deo omnipotenti, cui non eſt ſimilis, cui per Solomonem dicitur: Domine non eſt tibi ſimilis in cælo ſurſum, nec in terra deorſum. cum qua ergo fronte, ut de cæteris taceam, hoc unum comma divinæ legis audit, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, qui hoc ſpreto non ſolum creaturis ſervit, ſed earum ſervitium ſervitio Dei æquiparare contendit? ſtet namque Epiſcopus in Eccleſia & legat: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies: & mox ut in conventu ſederit, dicat; ſuſcipio & amplector honorabiliter ſanctas & venerandas imagines, & illis ſervitium adorationis quod conſubſtantiali & vivificatrici trinitati debetur, impendo.* Periculum non omnino abeſſe jam ſuo tempore notavit Auguſtinus, ubi de Chriſtianis loquens ait: *Novi multos eſſe ſepulchrorum & picturarum adoratores.* Hodie Græci picturas, quod in iis minus periculi eſſe exiſtiment, ſimulacris ſculptis præferunt, ut & Abyſſini: Armenii utroque abſtinere ſolebant.

Οὐδὲ μὴ λατρεύσεις αὐτοῖς, *neque coles ea*]. Si honorem qui hominibus eminentibus præſtari ſolebat, nullo modo, non jam dicam imaginibus, ſed apud imagines exhiberi hac lege non permiſerat Deus, multo magis vetandum cenſuit apud imagines ea fieri, quæ mos gentium propria fecerat divini numinis veri aut crediti talis honori: עבד quod hic eſt in Hebræo vox quidem eſt generalis, quæ quoties enuntiatur πρός τι [*cum relatione ad aliquid*], verti à Græcis ſolet, non minus per δουλεύειν [*ſervire*] quam per λατρεύειν [*obſequi*]: interdum & per λειτουργεῖν [*miniſtrare*]. Sed quia, ubi de rebus divinis ſermo eſt, frequentiùs iidem interpretes uſurpant verbum λατρεύειν, inde illud natum eſt diſcrimen, quod Latini Chriſtiani magis quam Græci uſurpant. Alioqui, ſi proprietas ſpectetur, non plus eſt in voce λατρεύειν, quam in voce δουλεύειν, ut apparet expenſis locis, Pſal. II. 11. 1. Theſſ. 1. 9. in quibus locis eſt δουλεύειν [*ſervire*], quod Hebr. IX. IV. eſt λατρεύειν. At verò ubi de rebus divinis ſive veris, ſive ita putatis agitur, עבד [*ſervivit*] apud Hebræos, & inde deductum nomen עבדה [*ſervitus*] ſolet ſignificare illa quæ proprie receptiſſimo more per Orientem, qui & per Græciam atque inde latiùs manavit, in divini numinis, veri aut crediti, honore uſurpari ſolebant, id eſt, ſacrificia, libamina, ſuffitus. ut hîc notat Abeneſdra. de ſuffitu vide II. Reg. XVIII. 4. Hæc enim ſunt quæ quoties non in veri Dei cultum adhibentur Hebræi vocant עבדה זרה, quod ut ante diximus, εἰδωλολατρείαν vertunt Iudæi Græcè loquentes, & eos ſecuti tum Apoſtoli, tum Apoſtolici viri, ob eam quam modo indicavimus cauſam. Eſt autem in Apoſtolico ſenſu idololatria, ut cum Tertulliano loquar, *quicquid ultra humani honoris modum ad inſtar divinæ ſublimitatis attollitur.* Ideo autem & ritus de quibus locuti jam ſumus, & flexio omnis apud imagines prohibentur Hebræis, quia præceptum de confringendis imaginibus in terris quæ ditionis ipſorum non erant, locum non habebat, ut Hebræorum doctores recte explicant. Videri poteſt Moſes de Cotzi præcepto jubente XIV. quicum convenit illud Concilii Eliberini I. canone LX. *Si quis idola fregerit & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Euangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur ſub Apoſtolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi martyrum.* Chryſoſtomus circa finem capitis VI prioris ad Corinthios, de tribus adoleſcentibus in Danielis hiſtoria memoratis loquens: οὔτε κατέστρεψαν τὴν εἰκόνα· τὸν γὰρ ἀνδρεῖον τοιοῦτον εἶναι χρὴ σώφρονα καὶ ἐπιεικῆ, καὶ μάλιστα ἐν τοῖς κινδύνοις [*neque deſtruxerunt imaginem. Virum enim talem qui verè ſit fortis decet eſſe & modeſtum & lenem, præſertim in periculis*]. Auguſtinus locum Deut. VII. 5. explicans: *cùm acceperitis*, inquit, *poteſtatem, hæc facite. Vbi non eſt nobis data poteſtas, non facimus: ubi data eſt non prætermittimus. multi pagani habent abominationes iſtas in fundis ſuis. Nunquid accedimus & confringimus? Prius enim ut idola in eorum cordibus confringamus. quando & Chriſtiani facti ſunt ipſi, aut invitant nos ad tam bonum opus, aut præveniunt nos.* idem Auguſt. II. contra literas Petiliani: *Non enim auferenda idola de terra, quod tanto ante futurum prædictum eſt, poſſet quiſquam jubere privatus.* idem ſenſit Africana Synodus ſub Honorio & juniore Theodoſio, quæ Imperatores orat, ut idolorum per Africam reliquiæ tollantur.

Ἐγὼ γάρ εἰμι Κύριος ὁ Θεός σου, Θεὸς ζηλωτὴς, *Ego enim ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes*] Hæc clauſula non ad ſecundum tantùm præceptum, ſed & ad primum pertinet, & quidem principaliter: ad ſecundum quatenus primo inſervit. illud κύριος hic ut plerumque eſt pro Hebræo יהוה [*Dominus*]. Θεός σου eſt, pro אלהיך [*Deus tuus*], id eſt, qui in te ſummum jus imperiumque habeo. Alterum Θεὸς eſt pro אל, quod validum, fortem, potentem ſignificat: appoſitè, quia vindictæ ſequitur mentio. קנא ζηλωτὴς proprie eſt æmuli impatiens, ut apparet in lege de marito zelotypo, Num. V.

Ἀποδοὺς ἁμαρτίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, *viſitans iniquitatem patrum in filios*] Pro ἀποδοὺς [*reddens*] in Hebræo eſt פקד [*viſitans*], quod ſenſu vindicandi ſolet accipi, & ob id ſæpiſſime verti Græcè per ἐκδικεῖν [*ulciſci*]. Non autem de omnibus peccatis hîc agitur, ſed de peccato quod admittitur circa falſa numina, id enim & præcedentia & ſequentia oſtendunt. Hoc ergo peccatum, ut contra ſuam commiſſum majeſtatem, Deus non in ipſis tantùm qui admiſere vindicat, ſed & in poſteris, nempe tradendo illos in miſeram ſervitutem. quod ipſe jure dominii, quod in omnes homines habet, facere ſine ulla injuſtitia poteſt. Interpretationis hujus auctoritatem nobis præſtat locus Levitici XXVI. 39. ubi futurum dicitur, ut poſteri in peccatis parentum tabeſcant, in terra hoſtili. Vide exemplum Thren. V. 6.

Ἕως τρίτης καὶ τετάρτης γενεᾶς, *in tertiam & quartam generationem*] Ad abnepotes uſque. Eſt autem proverbialis locutio. Etiam Plato: εἰς τετάρτην γενεὰν διαβιβάζει τὴν τιμωρίαν [*in quartam generationem vindictam tranſmittit*]. ſic dicunt Poëtæ:

Καὶ παῖδες παίδων, οἵ κεν μετόπισθε γένωνται.
[*Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*]

Τοῖς μισοῦσί με, *eorum qui oderunt me*] Quia propriè malum quidem eſt etiam poſteriorum, ſed pœna parentum. Chryſoſtomus Homilia XXIX. ad IX. Gen. οὐ λυποῦσα μᾶλλον ἑτέρα κόλασις, ἢ τοὺς ἐξ ἑαυτῶν κακὰ πάσχοντας δι' αὐτοὺς ὁρᾶν [*Nulla pœna plus adfert doloris, quàm ſi quis ex ſe natos ſui causâ in malis eſſe videat*]. Tertullianus: *Duritia populi ad talia remedia compulerat, ut vel poſteritati ſuæ proſpicientes legi divinæ obedirent.* Deum autem odiſſe, in ſacris literis peculiariter illi dicuntur, qui falſos deos colunt: ita ut neget Maimonides alio ſenſu id loquendi genus reperiri.

6. Καὶ ποιῶν ἔλεος εἰς χιλιάδας, *Et faciens miſericordiam in millia*] עשה חסד eſt benignè facere. Non dixit ad mille uſque, ſed ad millia, oſtendens quantò ſit in benefaciendo Deus quàm in puniendo largior. Hoc eſt quod ſignificant Hebræi, cum ajunt Michaëlem una ala volare, Gabriëlem duabus. confer Pſal. CIII. 17.

Τοῖς ἀγαπῶσί με, *his qui diligunt me*] In his qui me colunt, & ob id vocantur חסידים [*pii*].

Καὶ τοῖς φυλάσσουσι τὰ προστάγματά μου, *& cuſtodiunt præcepta mea.*] Qui attenti ſunt ad obſervanda omnia præcepta, ſed illa præcipuè quæ ad arcendas pravas ſuperſtitiones pertinent. Hi vocantur צדיקים [*juſti*].

7. Οὐ λήψῃ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, *non aſſumes nomen Domini Dei tui*] In Hebræo: *non feres*, nempe in ore tuo, quod idem eſt cum illo, non ſumes, in os ſcilicet. Etiam hîc pro Κυρίου eſt יהוה [*Domini*], non quod illud nomen ſpecialiter & ſolum hic deſignetur, ſed quòd eo optime intelligi detur Dei tremenda majeſtas. Notandum obiter, mutari hic locutionem. Nam uſitata oratio fuiſſet *nomen meum.* ſed frequens hoc Hebræis, ut pro pronomine ponant nomen.

vide ſimilem tranſitionem Exod.xxiii. 18.19. Talis & Geneſ. ii.20. iv. 3. xix.24. Exod.xxiv. 1.2. Num. x. 29. Pſal.lxxxii. 1. i Sam.xii. 1. Zach. 1. 16. Lucæ iii. 19.

Ἐπὶ ματαίῳ, *in vanum*], Aquila non male εἰς εἰκῆ [*temere*] Hebraice לשוא. Hanc vocem vertere Græci ſolent per μάταιον, ματαιότητα, μάτην, κενόν: ſæpè etiam per vocem ψεύδους [*mendacii*], ut Deuter.v. 18. Ezech.xii.24. xiii.6.7.8.9.23. Oſeæ x.4. xii.11. Ionæ ii.9. Zach.x.2. Et ſane pro eodem ſolere ſumi שוא quod propriè ſonat vanum, & שקר quod propriè ſonat mendacium, oſtendit præceptum nonum, ubi in Exodo eſt שקר, in Deuteronomio שוא, pro quo Græci utroque loco poſuere μαρτυρίαν ψευδῆ [*teſtimonium falſum*]. Philo in hujus loci explicatione cum & ipſe dixiſſet, μὴ λαμβάνειν ὄνομα θεοῦ ἐπὶ ματαίῳ [*non ſumendum nomen Dei in vanum*], explicat μάρτυρα γὰρ καλεῖν ἐπὶ ψεύδει θεὸν, ἀνοσιώτατον [*Deum enim teſtem advocare ad mendacium, res ſumme impia*]. Nec aliter hic explicat Abeneſdra. ſic Exodi xxiii. 1. pro שוא quod eſt in Hebræo, Hieroſolymitanus interpres habet רשקר, ubi Græci interpretes ponunt ἀκοὴν ματαίαν [*vocem vanam*]. Sic & in Pſal. xii. 3. שוא ידברו, Græce μάταια ἐλάλησεν ἕκαστος [*vana unus quiſque locutus*], id eſt, mentiti ſunt. Sequitur enim χείλη δόλια [*labia doloſa*]. Zach.x.2. חלמית השוא [*ſomnia vana*], Græci vertunt ἐνύπνια ψευδῆ [*ſomnia falſa*]. Sic & Pſal. xxiv. in deſcriptione ejus qui in montem Domini eſſet aſcenſurus, cum dixiſſet, לא-נשא לשוא נפשי, οὐκ ἔλαβεν ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*qui non accepit in vano animam ſuam*], (reſpicitur formula jurisjurandi: ita vivam) id ipſum explicat hoc modo, ולא ישבע למרמה, καὶ οὐκ ὤμοσεν ἐπὶ δόλῳ [*nec juravit in dolo proximo ſuo*]. Hieronymus etiam Hebræum שוא ſæpe vertit voce mendacii. Omnino ſenſum horum verborum compendio expreſſum habemus Matth. v. 33. nec dubito quin Chriſtus hæc ipſa legis verba uſurpaverit, ubi Syrus poſuit דלא תדגל במומתך, id eſt, non mentieris in jurejurando tuo. Illud tantùm notandum, non hic propriè agi de teſtimonio, qua de re præceptum nonum ſequetur, ſed de juramento promiſſorio: quod oſtendunt ſequentia apud Matthæum: ἀποδώσεις δὲ τῷ κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου [*reddes autem Domino juramenta tua*], deſumta ex Num. xxx. 2. Et illa Philonis: τί λέγοις εἴποιμ' ἂν πρὸς τὸν ἐπίορκον [*quid dicas, dicam perjuro*]. Proprie autem, ut Chryſippo notatum, ἐπιορκεῖν eſt irritum facere quod juraveris: non ſtare jurato. Oſtendit Philo gravitatem criminis, quod qui id faciat aut Deum non credat curare res humanas (πηγὴ δὲ πάντων ait ἀδικημάτων ἀθεότης [*fons omnis injuſtitiæ, Dei abnegatio*].) aut ſi id credit, minoris eum faciat quam quemvis probum hominem, quem falſum admittere volens in ſocietatem falſi non auderet vocare. Addit Abeneſdra in cæteris delictis ſpectari commodi aliquid quo abripiantur homines, hic vero commodum ſæpe eſſe nullum: cætera crimina non ſemper committi poſſe, hoc ſemper.

Οὐ γὰρ μὴ καθαρίσῃ ὁ Κύριος ὁ Θεός σου τὸν λαμβάνοντα τὸ ὄνομα Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου ἐπὶ ματαίῳ, *Nec enim habebit inſontem Dominus eum qui aſſumſerit nomen Domini Dei ſui fruſtra*]. Græco more bina negatio, quæ una in Hebræo. Vox ינקה eſt in Hiphil, cujus generis voces ſæpe ſignificant non facere talem, ſed tractare quaſi talem. Sic dicitur non tantum הצדיק tractare ut juſtum, ſed & הרשיע tractare ut impium. ita hic καθαρίζειν eſt tanquam inſontem tranſire: ſenſus eſt: non eum relinquet impunitum, quæ eſt λιτότης [*extenuatio*], qualis Matth. xii. 32. & alibi ſæpe: pro eo quod diceretur, graviſſime puniet. Vide exemplum in Sedecia, & quæ de eo dicit Ezechiel xvii. Hoc & gentibus creditum, ſevere à Deo vindicari τὰ ἐπιορκήματα [*perjuria*]. Heſiodus:

Ὅρκον θ' ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίους ἀνθρώπους
Πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
[*Et Iuramentum, clades mortalibus unde*
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.]

Apud Herodotum hoc oraculum refertur:

Ἀλλ' Ὅρκου πάϊς ἐστὶν ἀνώνυμος, οὐδ' ἔπι χεῖρες
Οὐδὲ πόδες· κραιπνὸς δὲ μετέρχεται, εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὴν καὶ οἶκον ἅπαντα.
[*At Iuramento quædam eſt ſine nomine proles,*
Trunca manus & trunca pedes: tamen impete magno
Advenit, atque omnem vaſtat ſtirpemque domumque].

Tibullus: *Ah miſer! Et ſi quis primo perjuria celat,*
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.

meritò ſanè. eſt enim juramentum affirmatio religioſa, ut Cicero. μαρτυρία θεοῦ ἐπὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου [*teſtimonium Dei ſuper re dubia*], ut Philo loquitur. Clementi Alexandrino, ὁμολογία μετὰ προσπαραλήψεως θείας [*affirmatio aſſumto Deo*]. Dionyſio Halicarnaſſenſi, τελευταία πίστις [*fides ultima*]. Procopio ὕστατον καὶ ἐχυρώτατον πίστεως ἐνέχυρον [*ultimum ac certiſſimum fidei pignus*]. quare etiam ubi excuſatio ſpecioſa afferri poterat, veteres omnino religionis ſuę duxere quæ jurati promiſerant implere. Vide Iudic. xxi.1. i Sam.xiv.24.26. 27.39. Ioſu.ix.15. 19. 20. ii Sam. xxi. 2.6.7.8. Pſal.xv. 4. ideo autem Deus falſos deos colentibus aut nomen ſuum perjurio violantibus pœnas à ſe minatur, ut norint qui talia committunt, etiamſi homines aut ignorent, aut vindicare negligant, Deum ſe non effugituros vindicem.

8. Μνήσθητι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων, *Memento diem ſabbati*]. In Deuteronomio, φύλαξαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων [*obſerva diem ſabbati*]. Similis in Hebræo differentia. hoc loco זכור, in Deuteronomio שמור Moſes expoſuit quid vox memento ſignificet, nempe attende ſabbato. Sic ii Petr. iii. 17. i Iohan. v. 21. itaque ſæpe שמר vertitur per vocem προσέχειν [*attendere*], addito dandi caſu, ut Geneſ. xxiv. 6. Exod. x. 28. xxiii. 21. xxxiv. 12. Deuter. iv. 9. vi. 12. viii.11. xii. 13. 19. xv. 9. xxiv. 8.

Ἁγιάζειν αὐτὴν, *ut ſanctifices eum*]. In hoc ut eum ſancte colas. id fit læta grataque recordatione Mundi à Deo conditi. Veriſſima enim ſententia eſt Rabbini Iudæ Barbeſalhelis & Rabbini Ephraimi in Keli Iacar, aliud hic, aliud ſequentibus verbis præcipi. Sanctus ille cultus cauſam habet mundum conditum. otium quod mox præcipitur, Ægyptiacam ſervitutem. illud ad genus humanum pertinet, hoc ad Hebræos ſolos. Exodi xxxi. 13. quæ & Irenæi ſententia libro iv. cap. xxx. & Euſebii i. hiſtoriæ c. iv. Et ſic optimè expones illud Geneſ. ii. εὐλόγησεν ὁ θεὸς τὴν ἡμέραν τὴν ἑβδόμην καὶ ἡγίασεν αὐτήν [*Benedixit Deus diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*], quod quidem Hebræi per πρόληψιν [*anticipationem*] dictum volunt, quaſi dicat Moſes hanc ceſſationem à conditu rerum fuiſſe cauſam cur poſtea Moſis tempore Sabbati cultus præceptus fuerit. ſed rectior eſt interpretatio quæ pii cultus præceptum ab otii præcepto diſtinguit, ut cauſis, ita temporibus. Et huc reſpicere videtur in Deuteronomio Moſes cùm ad verba, φύλαξαι τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων ἁγιάζειν αὐτὴν [*Obſerva diem Sabbati, ut ſanctifices illum*], addit ὃν τρόπον ἐνετείλατό σοι κύριος ὁ θεός σου [*ſicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*], nimirum jam olim ab orbis initio. Itaque cùm Iuſtinus apud Tryphonem ait pios ante legem μὴ σαββατίσαντας [*non ſabbatizaſſe*], Deo tamen caros fuiſſe, per σαββατίζειν, quod ſabbatizare eodem ſenſu vertit Tertullianus, adverſus Iudæos, ipſe Iuſtinus alibi dicit, σάββατα φυλάττειν [*ſabbata obſervare*], intelligit, non laudes Deo perhibere, ſed otiari. Alioqui cognitionem aliquam venerationemque ſabbati ad alias etiam perveniſſe gentes, & per ſæcula aliquot manſiſſe, oſtendit Clemens Alexandrinus Strom. v. & in Præparatione Euſebius, Heſiodi verſibus in quibus ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ [*ſeptimus ſacer dies*] dicitur, ſuntque Ioſephi, Philonis, Theophili, Antiocheni, ac Lucani eodem pertinentes loci. quamobrem etiam Chriſtiani, qui à Chriſto revocata omnia ad initium credebant, ut docet Tertullianus in Monogamia, Sabbatum pie coluere, eoque ſuos cœtus habuere, quibus in cœtibus lex ipſis prælegebatur, ut patet Actor. xv. 21. qui mos manſit ad tempora Synodi Laodicenæ, cui viſum rectius, ut & Euangelia eo die legerentur. Non male Balſamo: παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξισώθησαν διόλου σχεδὸν ταῖς κυριακαῖς τὰ σάββατα [*à ſanctis patribus pæne per omnia æquati ſunt dies Sabbati Dominicis diebus*], quos duos dies fratres vocat Gregorius Nyſſenus, & καλὴν τὴν συνωρίδα τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς [*pulchram bigam Sabbati & Dominicæ diei*] Aſterius. Liber antiquus conſtitutionum Clementis lib. VII. cap. XXIV: τὸ σάββατον μέν τοι, καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε, ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως [*diem Sabbati & diem Dominicam feſtas habete, quoniam illa creationis, altera reſurrectionis memoriæ dicata eſt*]. idem libro VIII. ἐργαζέσθωσαν οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας. σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας [*laborent ſervi dies quinque. Sabbato vero & dominica die vacent doctrinæ ad pietatem facienti in Eccleſia*]. Et hæc eſt cauſa cur ab Eccleſia vetuſtiſſima introductus mos fuerit, ne ſabbato jejunaretur, quod lætitiæ is eſſet dies. itaque ἡμέρας τῶν ἑορτῶν [*feſtos dies*] in canone Apoſtolico LIII. bene de dominica die & ſabbato exponit Zonaras. probatque id ipſum canon LXV. qui vetat jejunari die dominico aut ſabbato, uno ſolo demto, id eſt ſabbato ante Paſcha ob ſepulturam Domini luctuoſo. In Ignatii epiſtola ad Philippenſes: εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν [*ſi quis aut dominica aut ſabbato jejunet, excepto uno ſabbato, is Chriſtum occidit*]. Tertullianus de jejuniis: *Sabbatum nunquam niſi in Paſcha jejunandum eſt.* Idem adverſus Marcionem libro IV. *meminerat enim & ille hoc privilegium donatum ſabbato à primordio, quo dies ipſe compertus eſt, veniam jejunii dico.* ubi nota morem hunc, ut lætitiæ conſentaneum, ab initio mundi deduci. vide Moſem de Cotzi præcepto jubente XX. Nec aliunde venit quod Conſtantinus, permiſſa Chriſtianis ſui cultus libertate, ſimul vetuit eos in jus vocari in ſabbatum, non minus quam in dominicum diem, quod ii dies ſacris cœtibus dicati eſſent. Edictum eſt apud Euſebium. Hæc cognita refellunt eos qui μίαν σαββάτων, id eſt diem dominicam, ſurrogatam putant in locum ſabbati: nuſquam enim ejus rei à Chriſto, nuſquam ab Apoſtolis facta mentio. Et Apoſtolus, cùm dicit non damnandos Chriſtianos ob ſabbata aut interlunia, Coloſſ. II. 16. liberos eſſe eos oſtendit ab illa otiandi lege, quæ libertas nihili eſſet, ſi manente lege mutatus eſſet dies. quod ergo diem illum, quo Dominus reſurrexerat, non minus quam ſabbatum, ad ſuos cœtus uſurpavere Chriſtiani, non ex ullo fecere Dei Apoſtolorumve præcepto, ſed vi datæ ſibi libertatis, ex conſenſu voluntario. vide Iuſtinum Apologetico II. καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται [*& die illo qui Solis dicitur, conventus fit omnium qui in urbibus aut agris habitant*], & confer cum plurimis locis, ubi Chriſtianos iis qui ante legem pii fuere in eo confert quod non ſabbatizent. Talem autem conſenſum, ubi in morem abiit, violare non eſt ſocialiter viventium. Sed is mos otium non ultra indixit quam quatenus ad cœtus agendos erat neceſſarium. Rebus enodatis illud auctarii loco ad voces pertinens adjiciamus: Sabbata apud Græcos vocem eſſe inter eas, quæ multitudinis numero enuntiatæ ſæpe unitatis ſignificatu contentæ ſunt. Et ſic plerumque hæc vox invenitur in Græco Pentateucho: ſic & Matth. XII. 1. 5. 10. 11. 12. XXVIII. 1. Marci I. 21. II. 23. 24. III. 2. 4. XVI. 2. Lucæ IV. 16. VI. 2. 9. XIII. 10. contra Iohannes ubique ſingulariter extulit, ut & interpretes Græci librorum extra Pentateuchum. Latini ſæpe id quod hic eſt ſequuntur. Horatius:

Sunt hodie triceſima Sabbata.

Iuvenalis: *Quidam ſortiti metuentem Sabbata patrem.*

9. Ἓξ ἡμέρας ἐργᾷ, καὶ ποιήσεις πάντα τὰ ἔργα σου, *Sex diebus operaberis & facies omnia opera tua.*] Hic jam incipit ea conſtitutio quæ non humano generi eſt communis, ſed Hebræorum propria. Quod autem hic per imperativum, & qui ſæpe pro imperativo ſumitur, futuro, enuntiatur, ſenſum tantum ſinendi habet. Ne enim nimium modi multiplicarentur, viſum eſt omnibus propè gentibus ſinendi ſenſum, ut & precandi, eodem ſono exprimere quo ſenſum præcipiendi: Talia illa: *I, ſequere Italiam ventis:* apud Maronem. *Vbi nos laverimus, ſi voles, lavato. ſi placuerit facitote: ſexcentas mihi ſcribito dicas, nihil do;* apud Terentium. apud Græcos ſimiliter, ut in tragœdia vetere:

Πίμπρη, κάταιθε σάρκας,

[*Vre hæc cremaque membra*], & quæ ſequuntur citata tum aliis tum Philoni libro, ὅτι πᾶς ὁ σπουδαῖος ἐλεύθερος [*Quod omnis ſtudioſus virtutis, ſit liber*]. Ἔργον in Hebræo eſt מלאכה, ut & Exod. XII. 16. Lev. XXIII. 7. Num. XXVIII. 18. ubi Græci ἔργον λατρευτὸν, Cicero dixit famula opera de legib. II. *Feriis jurgia amovento, eaque in famulis operibus patratis habento.* opus ſervile dixit Tertull. contra Iudæos, & Hieron. ad XXVIII. Eſa. Explicat Tertull. humanum opus quotidianum, quod quiſque ex artificio, vel negotio ſuo exſequitur.

10. Τῇ δὲ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ σάββατα Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου, *Septimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt*] Dies eſt Deo ab initio dicatus. Optimè autem Maimonides & Hebræi alii diſtinguunt cauſam cur quies imperata ſit, & cur hoc die: prior cauſa in Deuteronomio aperte exprimitur: nempe quia liberati ope divina ex Ægypto cogitare debebant quàm dura eſſet ſervitus, ac proinde ſervos alioſque ſuo imperio traditos humane tractare; ut Dido apud Poëtam:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

ita & Abeneſdra in præfatione ad Decalogum. Poſterior hoc loco, quo ſignificatur, cùm ad quietem quilibet poſſet ſumi dies, hunc à Deo electum, quod ab initio jam dicatus eſſet gaudio & gratæ de condito orbe memoriæ: atque ipſe Deus res hujus mundi condere eo die deſiiſſet: unde ſabbato nomen. ſic Iſaacus Arania, aliique.

Οὐ ποιήσεις ἐν αὐτῇ πᾶν ἔργον, *non facies omne opus in eo*] Multis verbis hoc de ſabbato præceptum Deus inculcat, ut perpetua ejus obſervatione imprimeretur omnium animis firma notitia mundum non ab æterno fuiſſe, quæ ad impietatem via eſt, ſed à Deo conditum. Quid ſit ἔργον [*opus*] jam diximus.

Καὶ ὁ υἱός σου, καὶ ἡ θυγάτηρ σου, *& filius tuus & filia tua*] Intelligit eos qui ob ætatem legis intellectum nondum habent, quos arcere ab operis debent parentes. Nam qui provectioris ſunt ætatis pro ſeipſis lege tenentur. idem in lege circumciſionis.

Ὁ παῖς σου, καὶ ἡ παιδίσκη σου, *ſervus tuus & ancilla tua*] De ſervis & ancillis ſumendum. Eſt εὐφημισμὸς [*blandiloquentia*] Græcorum. Sic & Latinis ſervi dicti pueri, ut Servius notat ad illud Maronis: *Claudite jam rivos pueri.* Hinc nomina antiquorum ſervorum Marcipor, Quintipor. Simile eſt quod domini patresfamilias, dominę matresfamilias vocantur, ut ipſo illo nomine admoneantur humanitatis. Epicurus ſervos amicos vocabat, ut refert Seneca epiſtola CVII. Centenis aliquot in locis עבד [*ſervum*], ut hic, παῖδα [*puerum*] verterunt Græci, alibi οἰκέτην, δοῦλον, ὑπηρέτην [*vernam, ſervum, miniſtrum*]. Sic & אמה [*ancillam*] παιδίσκην [*puellam*] ſæpe, interdum δούλην, θεράπαιναν, οἰκέτιδα [*ſervam, famulam, vernulam*]. Reperitur utraque vox & in Novo Teſtamento ſæpe eo ſenſu. παιδίσκη & παιδισκάριον etiam in comœdiis frequentia. Obſtringit autem hoc præceptum dominos, non modò ne labores ſabbato ſervis ancilliſque injungant, verùm etiam ne eos eo die laborare patiantur.

Ὁ βοῦς σου, καὶ τὸ ὑποζύγιόν σου, καὶ πᾶν κτῆνόν σου, *bos tuus & jumentum & omnis beſtia tua*] Lex aliquam bonitatem etiam in muta animantia voluit exerceri, quo longius homines à ſævitia in homines amoveret. vide ſimile Deuter. v. 4. Parem cauſam ἀποχῆς τῶν ζώων [*abſtinentiæ ab animatis*] reddit Porphyrius. ſic bovem aratorem ne occidere liceret lex fuit Phrygiis, Cypriis, Atticis, Peloponneſiis, Romanis, ut nos docent Nicolaus Damaſcenus, Varro, Plinius, Columella, Porphyrius, Ælianus, Dion Chryſoſtomus, Vegetius. Athenienſes mulam publico ſumtu alendam cenſuere ~~, quam ip~~ſa defecta ſenio, cæteras onera trahentes promto, ſed inutili ſtudio, comitabatur. ab iiſdem relegatus puer qui aviculis oculos eruebat. ὑποζύγια [*jumenta*] ſunt præter boves, aſini, mulæ. κτήνη [*beſtiæ*] etiam canes aliæque quadrupedes. Sunt autem hæ voces huc à Græcis tranſlatæ ex Deuter. v. nam in Hebræo hoc loco eſt tantum בהמתך generale nomen quo omnia muta animantia ſignificantur. Græci modo κτήνη vertunt, modo τετράποδα [*quadrupedia*]. interdum ex loci ſenſu θηρία [*feras*].

Καὶ ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοί, *& advena qui eſt intra portas tuas.*] Προσήλυτοι [*advenæ*] ſunt duûm generum: alii qui ſe toti legi ſubjecere, ut connubiorum honorumque participes fierent: alii, qui cùm externi eſſent ſanguinis, habitare inter Hebræos ſinebantur, dum Deum unum colerent, & leges obſervarent perpetuas omniumque gentium communes, additis legibus de inceſtis, & de non comedendo ſanguine. De poſteriori hoc genere hic agi notat Abeneſdra. Hi ſunt גרי תושב Levit. XXV. 47. ubi Chaldæus dixit incolam incircumciſum. ita eam vocem Levitici ſumit & interpretatur Maimonides de idololatria c. X: dicens eum eſſe qui ſuſcepit pręcepta filiorum Noæ. iidem dicuntur חסידי אומות in titulis Thalmudicis de lege & Synedrio, quod optimè vertit Lucas σεβομένους Ἕλληνας [*colentes Gentiles*] Act. XVII. 4. quia Hebræis Græci vocantur quicunque Hebræi non ſunt. Quæri poteſt cur incola talis, cùm aliis legibus per Moſem datis non teneatur, ut videre eſt Deut. IV. 21. quietem tamen Sabbati ſervare teneatur. Cauſa eſt, quod ſi quo die Hebræi otiabantur extraneis promiſcue licuiſſet ſua agere negotia, quæſtum avertiſſent ab indigenis, quod iniquum erat. παροικῶν proprie eſt qui Latinis incola, qui in ſolo non natali ſedem figit. Sic παροικεῖς [*peregrinus es*] Lucæ XXIV. 18. & nomen παροικία [*commoratio*] Act. XIII. 17.

11. Ἐν γὰρ ἓξ ἡμέραις ἐποίησε Κύριος τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὴν θάλασσαν καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς, *Sex enim diebus fecit Dominus cælum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt*] Deſcriptio univerſi ut Act. IV. 24. Primum fuit terra rudis & incondita, ἰλὺς [*limus*] Phœnicibus, intermiſta ſuperfuſaque vi aquarum, quæ ἄβυσσος [*vorago*] dicitur: Ex his fecit Deus terram ſiccam, collegit maria, aërem diſtinxit in partem inferiorem, & ſuperiorem in qua poſuit aſtra: aëri inferiori, terræ, mari & aquis aliis ſua addidit animantia: terræ herbas, arbores, aliaque: deinde fecit hominem. Et hæc ſex diebus, cùm citius poſſet, ut hominibus exemplum daret cuncta conſilio agendi, καὶ τοῦ σπεύδειν βραδέως [*utque feſtinarent lente*].

Καὶ κατέπαυσε τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ, *& requievit in die ſeptimo*] Senſus ſumtus ex Gen. II. 2. Irridebant hanc hiſtoriam hoſtes Hebraici nominis. Videre id eſt ex Rutilii itinerario:

Septima quæque dies turpi damnata veterno
Vt delaſſati mollis imago Dei.

Ideo Iudęi opponentes huic pravæ interpretationi Eſaię locum XL. 29. qui Deum fatigari negat, oſtendunt voces ינח [*depoſuit*] quæ hic legitur, & שבת [*ceſſavit*] quæ in Geneſi, aliis etiam in locis, ſumi ἐλλειπτικῶς [*defectivè*] cùm ſignificetur aliquis finem impoſuiſſe huic vel illi actioni, ut videre eſt Iob. XXXII. 1. & 1 Sam. XXV. 9. Significatur ergo Deus ab actu illo condendi mundi verſus ad operis pulcherrimi contemplationem, ut Philo hic obſervat. Ad ejus exemplum & Hebræi contemplationi rebuſque ſacris ediſcendis & commemorandis hunc diem impendere jubebantur.

bebantur. Vide hujus moris teſtimonium antiquum II Reg. IV.23. Numerus ſeptem ἑπτὰς Græcis, olim σεπτὰς, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι [*à colendo*]: ſicut Hebræis נשבע jurare à שבע quod eſt ſeptem. virginitati ſacer numerus, ut Capella notat. Septem planetæ & ad eos ſignificandos ſeptem in Templo lampades. ſeptem Lunæ ſpecies: ſeptem ætates. Vide plura de hoc numero apud Philonem περὶ κοσμοποιΐας [*de Creatione mundi*], apud Gellium ex Varronis hebdomadibus, apud Macrobium. Sic in diebus feſtis & expiatoriis, in victimis quoque ſæpiſſime videas exigi in lege hunc numerum. ſic & ſeptimus annus quieti terræ datus, & ſepties ſeptimus Iubilæus. ſic ſeptem columnæ, Prov. IX. I. ſeptem oculi, Zach. III.9. ſeptem panes, Matth. XV. 26. ſeptem Diaconi, Act. VI.3. ſeptem ſpiritus Apoc. I.4. ſeptem ſtellæ, Apoc. I. 20. ſeptem ſigilla, V. I. ſeptem Angeli, VIII. 6. ſeptem tubæ, VIII. 2. ſeptem tonitrua X. 3. ſeptem phialæ, XVII. I. Plura habet Cyprianus de exhortatione martyrii, & libro I adverſus Iudæos cap. XX.

12. Τίμα τὸν πατέρα σου καὶ τὴν μητέρα σου, *Honora patrem tuum & matrem tuam*] Proximi Deo ſunt parentes, & veluti in terris dii quidam, quorum miniſterio Deus uſus eſt, ut nos in hoc pulcherrimum Templum ſuum introduceret. ſic & in aureo carmine poſt divina, ſequitur, τοὺς τε γονεῖς τίμα [*Parentes honora*]. Ergo & honori Dei ſecundus eſt honos qui parentibus debetur, & merito cætera inter homines officia antecedit, ἐν μεθορίῳ [*in confinio*] æternæ mortaliſque naturæ poſitus, ut hic ait Philo. Menandri eſt illud ab hac re non alienum.

Ὁ λοιδορῶν τὸν πατέρα, δυσφημεῖ λόγῳ·
Τὴν εἰς τὸ θεῖον ἢ μελετᾷ βλασφημίαν.
[*Qui patrem incilat, voce maledicit patri:*
At in hoc ſe parat ut ipſi maledicat Deo.]

eſtque totius prope humanæ ſocietatis coagulum hæc lex. Nam qui parentes reveretur amatque, is optimam illis vicem reddit liberos bene educando, is fratres amat ut iiſdem ortos parentibus: alios propinquos ob avos proavoſque communes, unde tota illa fluit neceſſitudinum ſeries, eademque antiquiſſima civitatum ac pagorum origo. Deinde cùm ex multis locis convenere homines, cœpere fieri ad exemplum naturale parentum reges aliique tutores civilis ſocietatis, quibus & patrum nomen veteres indidere. Qua ergo de cauſa in Romanis aliarumque gentium legibus crimen majeſtatis ante cætera crimina ponitur, ob eandem & hæc præceptio de venerandis parentibus cæteris edictis humanam ſocietatem ſpectantibus præponitur. Nominavit Deus, ut naturæ opifex æquiſſimuſque judex matrem non minus quam patrem. Leges à viris factæ ferme ſolis conſulunt patribus, ut Perſica memorata Ariſtoteli, Romana deſcripta in Digeſtis ac Inſtitutionibus, Græcis etiam philoſophis Epicteto primum, deinde & Simplicio memorata, neque minus Philoni Iudæo libro de legatione. At ut patris jus in colliſu ſit potius ob prævalentiam ſexus, propter quam & Deus marito in uxorem imperium dedit, obſequium certe & reverentia, quæ honoris vocabulo hic explicantur, debentur utrique. In eo comprehenditur & gratiæ relatio quantum fieri poteſt; plene enim nunquam poteſt, ut & Ariſtoteli & Philoni notatum. cujus hæc verba ſunt egregia: πῶς ἂν ὁ γεννηθεὶς ἀντιγεννῆσαι δύναιτο τοὺς σπείραντας; [*quomodo ab aliquibus genitus eos viciſſim generare poſſit*]? Ac ſicut Deus omnium prope virtutum juſtitiæ, clementiæ, caſtitatis, fidei, amicitiæ veſtigia, non univerſarum, ſed ſingularum, apparere etiam in mutis voluit animantibus, ita ciconias exemplum dedit hominibus, quæ parentes ſenes viciſſim alunt. Eſt enim & hoc comprehenſum ſub verbo τιμᾶν [*honorare*], adeo quidem, ut vel id præcipue ſæpe numero eo verbo ſignificetur, ut apparet I Tim. V. 3.17. Itaque id quod in Matthæo eſt οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα [*non honorificabit patrem ſuum*], in Marco eſt οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ [*non dimittitis eum quicquam facere patri ſuo*]. Et ſic Hebræi interpretantur Num. XXII. 17. & XXIV. 11. Cicero offic. I. ubi de propinquis agit: *Neceſſaria*, inquit, *præſidia vitæ debentur his maxime.* Hierocles: Γονέας τιμήσωμεν ὑπερβαλλόντως, σώματος ὑπηρεσίαν καὶ χρημάτων χορηγίαν αὐτοῖς ὑπέχοντες ὅτι μάλιστα προθυμοτάτην [*Parentes eximie honorabimus, ſi & corporis miniſterium & pecuniæ adminiculum ipſis præſtemus quam promtiſſime*].

Ἵνα εὖ σοι γένηται, *ut bene tibi ſit*] Hoc ex Deuteronomio hic additum eſt, explicationis cauſa: aut forte aſſcriptum margini ex loco ad Eph. V. 1. 3. qualia non pauca reperire eſt.

Καὶ ἵνα μακροχρόνιος γένῃ, *& ut ſis longævus*]. Notat hic Abeneſdras ſolere Deum, ubi quid vetat pœnam addere, ut modo bis: ubi quid imperat præmium, ut hoc loco. Paulus autem Apoſtolus dicto ad Epheſios hoc amplius notat, hoc primum inveniri præceptum cum promiſſo. Lex verbis directis felicitatem temporalem promittit tantum; ut notat Hieronymus lib. II. commentarior. in Epiſtolam ad Galatas, & I Dialogo contra Pelagium: Auguſtinus epiſt. CXX. quæſt. ſuper Exod. quæſt. XCII. Expoſitione epiſt. ad Gal. c. III. X. cap. 6. de civitate Dei X. c. XV. XVIII. 6. XI. contra adverſarium legis & prohetarum lib. I. cap. XVII. & alibi ſæpe, ut & alii. Felicitatis autem temporalis præcipuum, & cui ſuperſtruuntur cætera, eſt longævitas. ea generaliter promittitur legem ſervantibus, ut videre eſt Levit. XVIII. 5. XXV. 18. Deut. VI. 17. 18. XXI. Ezech. XX. 11. Atque in eo apparet hujus præcepti excellentia quod ei eximie tribuitur, quod generaliter legis præceptis competit. Quidam Hebræa verba exponunt, *ut prolongent dies tuos*: ſcilicet parentes ipſi ſuo favore & ad Deum precibus. Sed vereor ne id nimis ſubtile ſit, & rectius Græci aliique interpretes vocem quanquam formæ activæ, ſumant in ſenſu paſſivo aut reciproco, nimirum *ut prolongentur* aut *prolongent ſe dies tui*. quomodo & latine ſumi ſolent verba augere, vertere, geminare, movere, mutare, paſcere, præcipitare, tendere, turbare, vehere, volvere & alia ſimilia. Abſolomo hoc præceptum violanti curtati ſunt dies. Pompelus Pythagoricus: Ὁπόταν γὰρ ἀγάλλῃ τις γέρασι καὶ τιμαῖς τοὺς γεννήτορας, ἀγαθὰ τίθησι θεός [*Si quis parentes præmiis & honoribus decoret, ei Deus bona proponit*].

Ἐπὶ τῆς γῆς, *ſuper terram*] Vita in exſilio vitalis non eſt. Ideo pollicetur Deus vitam & longam & in patria. Ezechiel inter cauſas commeriti exſilii adfert contemtos parentes, XXII. 7.

Τῆς ἀγαθῆς, *bonam*] Hoc additum eſt ex Deut. VIII.7. Verè bona terra quam Deus illis largitus eſt, lacte, melle, frugibus, pomis abundans: ſola præterea terrarum balſamum ferens ad Plinii uſque tempora, cui id notatum.

Ἧς Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι, *quam Dominus Deus tuus dabit tibi*] Præſens pro futuro. ſic ὁ ἐρχόμενος qui veniet, Matth. III. II. παραδίδοται, tradetur IX. 31. multáque alia ejuſmodi. Magnum oportet aliquid ſit, quod Deus donat poſteris eorum quos maxime dilexit, quibuſque id ipſum pollicitus eſt. Sicut autem magna promittit Deus hoc præceptum obſervantibus: ita pœnam atrocem lex minatur iis qui in parentes ſunt contumelioſi, mortem ſcilicet ex judicis decreto, ſi res ſit manifeſta, Exodi XXI. 15. & 17. ſi autem in publicam notitiam res non devenerit, iram divinam, Deuter. XXVII. 16.

13. Οὐ μοιχεύσεις, *Non mæchaberis.*] In Hebræo præcedit de non occidendo præceptum, quem ordinem & Græci codices in Deuteronomio nunc habent. cæterum ne quis recens hoc putet, Philo jam ſuo tempore legit ut hic legimus, ordinatimque progrediens ait de Deo: τὴν ἑτέραν ἀναγραψάμενος (nempe πεντάδα) περιέχουσαν ἀπαγορεύσεις τῶν πρὸς ἀνθρώπους, ἀπὸ μοιχείας ἄρχεται [*ſecundum numerum quinarium ſcripturus, continentem ea interdicta quæ ad homines pertinent, initium ab adulterio facit*]. & cauſam addit: μέγιστον ἀδικημάτων τοῦτο εἶναι ὑπολαβών [*inter injuſta facta hoc maximum exiſtimans*], & quæ ibi ſequuntur. Et rurſum poſtea cum mala ex adulterio ſequentia facundè expoſuiſſet: εἰκότως συγητὸν καὶ θεομίσητον πρᾶγμα μοιχεία πρῶτον ἀδικημάτων ἀνεγράφη [*meritò Deo hominibuſque exoſa res adulterium inter crimina ordinem ducit*]. Nec aliter legêre Chriſtiani veteres, qui codices Græcos ſequebantur: ut Tertullianus de Pudicitia: *Eo amplius præmittens, Non mæchaberis, adjungit, non occides. oneravit utique mæchiam, quam homicidio anteponit. In prima itaque fronte ſanctiſſimæ legis, in primis titulis cæleſtis edicti, principalium utique delictorum, proſcriptione ſignata, de loco modum, de ordine ſtatum, de confinio meritum cujuſque dignoſcas. Eſt & mali dignitas, quod in ſummo aut in medio peſſimorum collocatur. Pompam quandam atque ſuggeſtum adſpicio mæchiæ, hinc ducatum idololatriæ antecedentis, hinc comitatum homicidii ſubſequentis. Inter duos apices facinorum eminentiſſimos ſine dubio digne conſedit, & per medium eorum, quaſi vacantem locum, pari criminis auctoritate complevit. Quis eam talibus lateribus incluſam, talibus coſtis circumfultam, à cohærentium corpore divellet, de vicinorum criminum nexu, de propinquorum ſcelerum complexu?* &c. Quare quoties veteres alio ordine adducunt hæc præcepta, ex Deuteronomio adducunt, non ex hoc Exodi loco. Exodi Græcum ſequuntur Marcus X.19. Lucas XVIII. 20. Deuteronomii, is qui Matthæum Græcè reddidit XIX. 18. Chryſoſtomus ad initium capitis V. ad Epheſios, & alii. Contrà, ut mox videbimus, in præſcripto ultimo Deus hîc domum præpoſuit uxori, Moſes in Deuteronomio uxorem domui. Adeò inter ea quæ pariter interdicta ſunt, parum refert qui ſervetur ordo. Nos, quod ſine injuria Maſoreticæ diligentiæ fiat, Græcam nunc, quam in manus ſumſimus, ἔκδοσιν [*editionem*] ſequamur, quæ non vetuſtate tantùm, ſed & ratione probabili defendi poteſt, quod pudicitiam vitæ multæ Hebræorum mulieres prætulerint, quodque, Ariſtotele judice, graviora ſint crimina quæ ex voluptatis deſiderio quam quæ ex ira veniunt. Nec illud Cleanthis ſpernendum:

> Πόθεν ποτ' ἄρα γίνεται μοιχῶν γένος;
> Ἐκ κριθιῶντος ἀνδρὸς ἐν ἀφροδισίοις.
> [*Adulterorum natio unde naſcitur?*
> *Ex luxuriante Venerea libidine.*]

Putat Abeneſdra per vocem נאף [*adulteratus eſt*] omnem venerem illicitam, etiam ſcortationem, ſignificari. ſed video ubique eam vocem apud Hebræos in ſolo ſenſu adulterii ſumi, & ſic tranſlatum hoc aliiſque locis à Græcis, Latinis, aliiſque interpretibus. Verum eſt, in lege Moſis vetari ne ſcorta ſint in populo Hebræo: prohiberi & inceſtus & conjugia cum falſorum deorum veneratricibus, & quæ Veneris portenta ſunt. ſed nihil neceſſe fuit in tam brevi decalogo omnia crimina, quæ poſt interdicenda erant, memorari, cùm ſatis eſſet attingi ea quæ aut pietatem aut ſocietatem humanam maximè læderent. Sic non fit hic mentio inflictorum vulnerum, ſed cædis, quod in genere nocumenti corporibus illati maximum eſt. Comprehenditur ergo propriè his vocibus & uxor quæ alii quàm marito ſui uſuram dat, & is qui alienam uxorem polluit. Vterque mortis damnantur Levitico XX. 10. quam pœnam in Romanum Imperium introduxere Chriſtiani Principes Conſtans & Conſtantius, ut ex Codice Theodoſiano apparet. Neque gravior æquo hæc pœna putanda eſt, ſi quis conſideret ex conjugiis naſci conſervarique civitates, earum fundamenta convelli adulterio, conjugalem amorem in odium verti, ſupponi heredes, domos totas impleri probris atque inimicitiis, quæ ſæpe & in pernitiem publicam erumpant.

15. Οὐ φονεύσεις, *Non occides.*] Malè in codicibus noſtri temporis præponi huic præcepto illud, Μὴ κλέψεις [*non furaberis*] oſtendit Philo, oſtendit Tertullianus, oſtendunt alii. Recte Philo eum qui homicidium perpetret ſacrilegum eſſe ait, quòd hominem, Dei imaginem, violet: deinde peccare eum atrociſſimè in ſocietatem ad quam geniti ſunt homines, quæ conſiſtere non poſſit ſi innocentum vita in tuto non ſit. Cùm cognationem quandam inter nos natura inſtituerit, conſequens eſt hominem homini inſidiari nefas eſſe, ait optime Florentinus. Tum vero civiles leges violat is qui in quamvìs nocentem ſibi ſumit partes, quas lex judici attribuit. cæterum verbo φονεύειν [*occidere*] hic non actus omnis, ſed illicitus ſignificatur, qui ſolet eſſe ſignificatus vocis Hebrææ רצח [*occidit*]. ideo exemptum eſt ab hac lege, quod vitæ tutandæ pudicitiæve causâ fit, Exod. XXII. 2. Deut. XXII. 26. Tum & alia quæ lex Moſis permittit, ut interfectio ſollicitantis ad deos ignotos cuivis permittitur, Deut. XXV. 6.7.8. interfectio homicidæ permittitur propinquis interfecti, de qua re vide quæ diximus ad Num. XXXV. Deuter. XIX. I. Idem dicendum de iis qui ſpeciale mandatum interficiendi aut populos, aut homines aliquos à Deo accepere. Nulla enim injuria eſt in eo quod imperat

is qui vitæ omnium neciſque pleniſſimum, etiam ſine cauſa, dominium habet.

14. Οὐ κλέψεις, *Non furtum facies*] Hoc nomine comprehenditur alieni ſubductio, ſive ea vi, ſive dolo fiat. Societas, ad quam genitos homines jam diximus, conſtare non poteſt, niſi poſſeſſiones cujuſque tutæ ſint. quare qui privato aliquid eripit aut ſubripit, lædit ſimul rempublicam, ejus vinculum diſſolvendo: nec dubium eſt quin qui id ſibi indulget, ſi poſſet, omnia omnium ſit invaſurus, ipſamque rempublicam vi facturus ſuam. injuſtitia enim vires nacta maximas, fit tyrannis. ideo tanti mali opprimenda fuere ſemina, excitandaque ſingulorum ad labores diligentia, fide ipſis facta retenturos quæ ſibi honeſta arte pepererint. Furtum naturali lege prohibitum eſt admittere, ait Paulus Iuriſconſultus l. 1. D. de furtis: Et Vlpianus l. Probrum. D. de verborum ſignificatione, furtum, inquit, & adulterium natura turpe eſt. Euripides:

Μισεῖ γὰρ ὁ θεὸς τὴν βίαν· τὰ κτητὰ δὲ
Κτᾶσθαι κελεύει πάντας, οὐκ ἐς ἁρπαγάς.
Ἐατέος δ' ὁ πλοῦτος, ἄδικος ἄν τις ὤν.
Κοινὸς γάρ ἐστιν οὐρανὸς πᾶσι βροτοῖς
Καὶ γαῖ', ἐν ᾗ χρὴ δώματ' ἀναπληρουμένους
Τ' ἀλλότρια μὴ 'χειν μηδ' ἀφαιρεῖσθαι βίᾳ.
[*Namque odit ipſe vim Deus: nec divites*
Nos eſſe rapto, ſed probè partis cupit.
Spernenda, ſi non jure veniat, copia eſt.
Communis æther hominibus, tellus quoque,
In qua ampliare cuique ſic fas eſt domum,
Vt ab alienis rebus ac vi temperet.]

Et cætera quidem furta pro ſui diverſitate diverſas in lege Moſis pœnas habent. rei autem pretioſiſſimæ furtum, id eſt hominis, quod Plagium Latini vocant, ad mortis pervenit pœnam, Exodi XXI. 16. Deuter. XXIV. 7. quod intelligendum de puero aut eo qui fari nequit, notat hic Abeneſdra.

16. Οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τὸν πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ, *Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.*] In Hebræo propriè eſt: *Non reſpondebis in proximum tuum teſtis falſimoniæ.* eſt autem conſtructio κατὰ πρόσθεσιν [*per appoſitionem*], ubi ὢν [*exiſtens*] ſubauditur, frequens & Græcis & Latinis. Et ubi hic eſt שקר [*falſum*], in Deuteronomio eſt שוא [*vanum*], quæ idem valere jam ſupra annotavimus. Proximus hic eſt, popularis Iſraelita, ut apparet expenſo loco Exod. II. 13. & Levit. XIX. 18. cui opponitur ὁ ἐχθρὸς hoſtis ſcilicet, Matth. V. 43. In Euangelio proximus eſt homo quivis, ut Lucæ X. 33. ac ſequentibus, quomodo & ante Moſis legem Gen. XI. 3. ענה id eſt reſpondere, ſæpe apud Hebræos quovis modo eloqui ſignificat. itaque verti nonnumquam ſolet per ἔπω, εἴρω, λαλέω, λέγω, φθέγγομαι [*dico, loquor, vocem edo*] & ſimilia. & eo ſenſu in ſacris ſcriptis reperitur etiam verbum ἀποκρίνεσθαι [*reſpondere*]. cæterùm hic melius eſt ſumere in proprio ſignificatu. Solebant enim teſtes à judice ὁρκίζεσθαι, id eſt, religione per Dei nomen injecta excitari ad perhibendum teſtimonium: deinde ei reſpondere, Levit. V. 1. ubi in Hebræo ושמעה קול אלה [*& audierit vocem adjurationis*], in Græco καὶ ἀκούσῃ φωνὴν ὁρκισμοῦ. Solebat ὁρκίζεσθαι [*adjurari*] & reus, cujus moris exempla habemus Ioſuæ VII. 19. & Matth. XXVI. 63. Formula interrogandi erat, δὸς δόξαν τῷ θεῷ [*da gloriam Deo*], ut dicto Ioſuæ loco, & Iohan. IX. 24. aut verbis aliis, ſenſu manente eodem, ὁρκίζω σε ὅπως λαλήσῃς πρὸς ἐμὲ ἀλήθειαν ἐν ὀνόματι Κυρίου [*adjuro te ut loquaris mihi veritatem in nomine Domini*], ut 1 Reg. XXII. 16. Eſt autem grave & quod hîc prohibetur crimen. primùm, quia veritas læditur quæ velut alter ſol eſt inter homines: deinde, quod noxii adjuvantur, læduntur innoxii, contra juſtitiæ regulas: poſtremo, quòd judici, Dei vicem gerenti, illudit falſus teſtis, idem Deo facturus ſi eum poſſet fallere. Appoſitiſſima autem lege Moſis in falſidicum teſtem pœna conſtituta eſt talio, id eſt, par malum ei malo quod alter ex teſtimonio ferre potuerat, ita ut etiam ad mortem, ſi de eo periclitabatur reus, pœna poſſit pertingere.

17. Οὐκ ἐπιθυμήσεις τὴν γυναῖκα τοῦ πλησίον σου, οὐκ οἰκίαν τοῦ πλησίον σου, *Non concupiſces uxorem proximi tui, nec domum proximi tui*] Hic eſt ordo in Hebræo Deuteronomii. At in Hebræo hoc loco præcedit de domo, ſequitur de uxore. ordo Exodi naturalis eſt, juxta illud Heſiodeum:

Οἶκον μὲν πρώτιστα, γυναῖκά τε, βοῦν τ' ἀροτῆρα.
[*Eſt tibi habenda domus: tum fœmina: bos quoque*
arator.]

At Moſes præpoſuit eam cupiditatem quæ & ardentior eſſe ſolet & annis prior: Iuventus enim amoribus obnoxia:

Converſis ſtudiis ætas animuſque virilis
Quærit opes.

Quod hîc in Græco bis eſt ἐπιθυμήσεις [*concupiſces*], id hic in Hebræo bis eſt לא תחמד, in Deuteronomio verò loco poſteriore תתאוה. utramque vocem non his tantùm locis, ſed & alibi per ἐπιθυμεῖν [*deſiderare*] ſolent vertere Græci. Significari autem non raro his vocibus ſolent non qualiſcunque motus animi, φαντασία διεγείρουσα τὴν ψυχὴν [*viſum, animum excitans*], ut hic Philo loquitur, ſed ipſum πάθος [*ipſe animi morbus*], ubi jam homo

Vulnus alit venis & cæco carpitur igne.

Seneca de ira lib. II. cap. 4. illud vocat motum non voluntarium, ictum animi qui ratione effugi non poſſit. Alterum motum ait judicio naſci, judicio tolli. Hujus quoque duos facit gradus: primum, qui nondum ſit contumax: alterum, jam impotentem, quique rationem vicerit. Video autem in veteri fœdere vocibus illis Hebræis quas diximus, plerumque non motus ſolos, ſed permanens ſtudium propoſitumque ſignificari: vide Michææ II. Imò præter propoſitum videntur hîc actus notari, per quos indirectè uxor aut res aliena appetitur: puto jurgia ſerendo, unde ſequitur divortium, lites intendendo, & quæ alia ſunt obtectæ iniquitatis. Ea enim cauſa eſſe videtur, cur hoc præceptum expoſuerit Marcus per μὴ ἀποστερήσῃς [*ne fraudem feceris*] X. 19. quod & ordo legum ibi memoratarum oſtendit, & quia Μὴ κλέψῃς [*Non furtum facies*] jam præceſſerat. Quanquam verò hic ſenſus eſſe videatur hujus præcepti κατὰ τὸ σαρκικὸν [*modo craſſiore*], tamen etiam ſine actu propoſito peccari rectè ſentiunt philoſophi meliores. Ælianus ait: οὐ μόνον ὁ ἀδικήσας κακός, ἀλλὰ καὶ ὁ ἐννοήσας ἀδικῆσαι παρά γε ἐμοὶ κριτῇ [*non ſolùm malus eſt qui injuriam fecit, ſed & qui facere voluit, me quidem judice*]. Ovidius:

Quæ quia non licuit non facit, illa facit.
Vt jam ſervaris bene corpus, adultera mens eſt.

Seneca pater: *inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprum.* filius: *non immeritò in numerum peccantium refertur quæ pudicitiam timori præſtitit, non ſibi.* idem alibi: *omnia ſcelera etiam ante effectum operis, quantum culpæ ſatis eſt, perfecta ſunt.* Alibi: *fecit quiſque quantum voluit.* quod Ariſtophanes ſic extulerat: δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν. ſic adulterum Tryphoninus Iuriſconſultus ait dici ex animi propoſitione ſola, etſi nunquam alienam matremfamilias corruperit: & Dioni Pruſæenſi oratione LXVII. οὐχ ἧττον ὁ φόβῳ τοῦ κλέπτειν ἀπέχεσθαι δοκῶν, ἀλλὰ μὴ μισῶν τὸ πρᾶγμα καὶ καταγινώσκων κλέπτης τῶν ὑφαιρουμένων ἐστί [*Etiam ille rerum fur eſt qui non odio furti, ſed metu aliquo à furto abſtinet*]. Porphyrius libro de Abſtinentia primo: ἀπόδυσις ἡ μὲν διὰ τῶν φανερῶν, ἡ δὲ διὰ τῶν ἀφανεστέρων· τὸ μὲν γὰρ μὴ φαγεῖν, φέρε, ἢ μὴ λαβεῖν διδόμενα χρήματα, τῶν φανερῶν ἦν τὸ ἐκκείμενον· τὸ δὲ μηδὲ ἐπιθυμεῖν, τῶν ἀφανεστέρων. ὥστε μετὰ τῶν ἔργων ἀποστατέον καὶ τῆς πρὸς αὐτὰ προσπαθείας καὶ τοῦ πάθους· τί γὰρ τὸ ὄφελος τῶν ἔργων ἀφιστάμενον, ταῖς αἰτίαις, ἀφ' ὧν καὶ τὰ ἔργα, προσηλῶσθαι; [*Exuimur malis aut conſpicuis aut inconſpicuis. Non edere, non accipere oblatas pecunias conſpicuorum eſt, & omnibus patet. At nec concupiſcere, inconſpicuum eſt. Poſtquam autem factis abſtinueris, abſtinendum & motibus ac maximè ipſis animi morbis. Quid enim prodeſt factis abſiſtere, ſi cauſis unde ea procedunt adſtrictus maneas?*] Plus videre hac in parte iſti Philoſophi, quam Iudæorum magiſtri qui Chriſti tempore & paullò antè ac poſt eum fuere: qui ideo, quod pœna nulla cogitationi intervertendæ uxoris reive alienæ appoſita eſt, negant peccari ſola voluntate, niſi ubi de falſo deorum cultu agitur, quia tali conſilio ac propoſito pœna dicta eſt. ita pleriſque Hebræis viſum notat ad initium Decalogi Abeneſdra: & ſequitur ita ſentientes apertiſſimè David Kimchi in Pſal. LXVI. 18. Ioſephus ubi de Antiochi cogitato ſacrilegio agit: τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον [*Non erat pœnæ obnoxium conſilium ſine effectu*]. Sub talibus magiſtris inſtitutus Paulus non credidiſſet peccari concupiſcendo, niſi exactior & πνευματικωτέρα [*ſpiritualior*] legis conſideratio ei id perſuaſiſſet, Rom. VII. 13. Quid verò dicemus Chriſtiani, de iis quæ Chriſtus nobis præſcribit verbis recitatis Matth. V. An legem hanc quam nunc tractamus à prava duntaxat interpretatione vindicatam, an etiam additum aliquid, ut in aliis ita in hac parte? Poſterius magis credibile eſt, ut non tantùm machinationem aut etiam firmum propoſitum prohibuerit Chriſtus, ſed & præceperit motus ſimul atque ſentiuntur opprimi, vitando occaſiones omnes quibus ali poſſent, quod παροιμιωδῶς [*parabolicè*] pedis, manus, oculi abjectione, id eſt eorum quæ nobis plurimùm cara ſunt damno, ſignificanter admodum explicat. Neque vero quovis modo hæc præcepiſſe contentus pœnam aliter agentibus addit graviorem, quàm ulla ſit in lege veteri prodita, Gehennæ ſcilicet: cùm talibus delictis nullam pœnam lex Moſis proderet, quod & à magiſtris notatum. certè perfectius aliquid in Euangelio exigi, quàm de quo lex diſertè agit, cenſuere veteres Chriſtiani. Tertullianus: *Nos ergo ſoli innocentes? quid mirum, ſi neceſſe eſt. Enimvero neceſſe eſt: innocentiam à Deo edocti, & perfectè eam novimus, ut à perfecto magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus, ut ab incontemtibili diſpectore mandatam.* Exemplo ſit illud de femina non appetenda, quod ſic explicant veteres. Iuſtinus ad Zenam & Serenum etiam ἀναθυμιωμένην ὄρεξιν [*primum appetitus veluti fumum*] ait à Chriſto nobis interdici. Athenagoras: ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπεχόμεθα, ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι [*nobis tantum abeſt talia indifferenter habere, ut ne aſpicere quidem nobis ad cupiditatem liceat*]. Clemens Alexandrinus: ἐὰν εἰς κάλλος σώματός βλέψῃ τις, ὁ λόγος φησὶ, καὶ αὐτῷ ἡ σὰρξ εἶναι κατ' ἐπιθυμίαν δόξῃ καλὴ σαρκικῶς, ἰδὼν καὶ ἁμαρτητικῶς δι' οὗ τεθαύμακεν, κρίνεται [*Si quis ad corporis formam reſpiciat, & ei caro ad appetendum pulchra videatur, is, ut dicit Dei verbum, jam quia videt carnaliter & cum peccato admiratus eſt, ob id ipſum judicatur*]. Tertullianus de Velandis virginibus: *Chriſtianus ſalvis oculis feminam videt: animo adverſus libidinem cæcus eſt.* Minutius: *Vos ſcelera admiſſa punitis: apud nos & cogitare peccare eſt.* Lactantius: *Non tantùm adulterium eſſe vitandum præcepit, ſed etiam cogitationem, ne quis aſpiciat alienam & animo concupiſcat.* Adeóque novum ſimul & grave viſum eſt Iudæis hoc præceptum & quæ huic ſunt congenera, ut dicere non dubitaverit Iuſtino doctiſſimus illorum Tryphon: ὑμῶν δὲ καὶ τὰ λεγόμενα ἐν εὐαγγελίῳ παραγγέλματα θαυμαστὰ οὕτως καὶ μεγάλα ἐπίσταμαι εἶναι, ὡς ὑπολαμβάνειν μηδένα δύνασθαι φυλάξαι αὐτά [*Veſtra autem illa in Euangelio præcepta adeò ſcio eſſe magna & mirabilia, ut putem neminem ea poſſe obſervare*]. Nimirum non cogitans παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, παρὰ δὲ θεῷ πάντα δυνατά ἐστι [*Apud homines hoc impoſſibile eſt: apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*], Matth. XIX. 26. Vitæ ſcilicet æternæ certiorem fidem & ſpiritum multò majorem, quàm datus unquam fuerat, in ſe credentibus Chriſtus impetravit: tum verò & cruce ſua exemplum nobis abſolutiſſimum dedit: nihilque tam durum initio eſt, quod non exercendo ſuave fiat, ut plerique veterum notant ad Matth. XII. 30. Hac repugnandi conſuetudine fit paullatim, ut motus illi, velut debellati, non audeant reſurgere. Hæc eſt pulchra illa per fidem victoria, de qua agit Iohan. epiſt. c. V. 4. 5.

Οὔτε τὸν ἀγρὸν αὐτοῦ, οὔτε τὸν παῖδα αὐτοῦ, οὔτε τὴν παιδίσκην αὐτοῦ, οὔτε τοῦ βοὸς αὐτοῦ, οὔτε τοῦ ὑποζυγίου αὐτοῦ, οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ, οὔτε ὅσα τῷ πλησίον σου ἐστί [*neque agrum ejus, neque ſervum ejus, neque ancillam ejus, neque bovem ejus, neque jumentum ejus, neque omnem beſtiam ejus, neque omnia quæ proximi tui ſunt*]. illud ἀγρὸν αὐτοῦ [*agrum ejus*] ex Deuteronomio huc irrepſit. Deinde eſt ἔλλειψις [*defectus*]: intelligendum enim τὶ τοῦ βοὸς αὐτοῦ, τὶ ὑποζυγίου αὐτοῦ, τὶ κτήνους αὐτοῦ [*aliquid de bove, de jumento, de beſtia*], ut maneat eadem conſtructio per accuſativum, quanquam alioqui rectè etiam genitivum regat τὸ ἐπιθυμεῖν [*concupiſcere*]. ſed frequens eſt ut τὶ [*aliquid*] & τινὲς [*quidam*] ſubticeatur. Similis locutio Apoc. XVIII. 13. Illud etiam οὔτε παντὸς κτήνους αὐτοῦ [*neque omnem beſtiam ejus*], non eſt hic in Hebræo, ſed additum eſt ex his quæ ſuprà in ſabbati præcepto dicta. Exigui momenti ſunt hæ differentiæ. Tertullianus compendio & præcedentia & hæc eſt elocutus, cùm dixit *alienum non concupiſces,* adverſus Iudæos : item adverſus Marcionem ſecundo, Nec minima excipi debent, nec maxima. minima ne paulatim ad majora fiat gradus. quo illud pertinet in comœdia Græca :

Μηδὲ βελόνης ἔναμμ᾽ ἐπιθυμῇς Πάμφιλε.
[*Ne acuis filum Pamphile concupiveris.*]

Et alibi : μηδὲ βελόνης
Ὦ φίλτατ᾽ ἐπιθύμησον ἀλλοτρίας ποτέ.
[*ne tu vel ad aciculam*
[*Vnquam alienam animum adjexis, mi cariſſime.*]

in maximis verò maximè elucet juſtitiæ virtus. Philemon :

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ᾽ ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλετο.
Οὐδ᾽ ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχετο,
Ἀλλ᾽ ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
Ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
Οὐδ᾽ ὅσγε ταῦτα πάντα διατηρεῖ μόνον,
Ἀλλ᾽ ὅς τις ἄδολον γνησίαν τ᾽ ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος κ᾽ οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.
[*Non juſtus, omnis abſtinens injuriæ eſt,*
Sed qui nocere cùm poteſt tunc abſtinet :
Nec qui recuſat parva, ſed qui maximis
Tentatus, animi robur invictum gerit :
Nec quiſquis iſta quolibet præſtat modo :
Sed qui doloſi neſcius fuci, integra
Probitate, juſtus eſſe, non credi ſtudet.]

Ariſtides interrogatus quid eſſet τὸ δίκαιον [*juſtum*]? dixit, τὸ μὴ ἀλλοτρίων ἐπιθυμεῖν [*non concupiſcere aliena*]. Quod autem notat Philo, morem fuiſſe Iudæis quæcunque in Moſis lege ſunt ad hæc decem capita referre, non quòd illa his verbis ineſſent, ſed quod quæ hic habuimus ad genera quædam actionum pertineant ad quæ referri memoriæ adjuvandæ cauſa poſſent cætera, ſicut in decem κατηγορίας [*prædicamenta*] res omnes à Philoſophis digeruntur, idipſum multò pleniùs perfectiuſque fecere Chriſtiani, ſicut majore donati ſpiritu, ita & ſublimiorum virtutum debitores. itaque ad caput primum quod eſt περὶ μοναρχίας [*de unius imperio*], rediguntur ab eis non modò ea omnia quæ ſpeciem vel minimam præberi probantis falſorum deorum cultus vetant, de quibus vide Act. xv. 20. & 29. 1. Cor. viii. 10. 1. Ioh. v. 21. Tertullianum in Apologetico & Canones veteres : verùm inſuper quæ ſervari Eccleſiæ unitatem jubent, Ioh. xvii. 3. 21. 1. Cor. viii. 6. xii. 2. 18. 19. 25. Eph. iv. 5. Ad ſecundum quod eſt de ſimulacris, ea quibus prohibemur nos mancipare rebus ſubjectis ſenſui, & ſic illa ipſa Deo præferre aut æquare, Matth. vi. 24. Eph. v. 5. Col. iii. 5. Phil. iii. 19. Rom. xvi. 17. de quo argumento vide egregia apud Chryſoſtomum in caput quintum epiſtolæ ad Epheſios. Ad caput de juramento referunt reverentiam eximiam divini nominis Matth. vi. 9. & tantam, ut ob eam etiam jurejurando omni, extra res ad Deum ſummè pertinentes, abſtineatur, Matth. v. 34. Iac. v. 12. Ad illud de ſabbato, ſpem certam de ventura vita tranquilla Hebr. iv. ab initio ad 11. cujus interim guſtus quidam datur in conſcientiæ pace, Rom. v. 1. Ad caput de parentibus refertur à Chriſtianis omnis honos & obedientia quæ intra limites divinorum imperiorum exhibentur regibus ac ducibus, Rom. xiii. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 1. Tim. ii. 1. 2. 3. 1. Pet. ii. 13. dominis, Eph. vi. 5. Coloſſ. iii. 22. maritis, 1. Cor. xi. 3. Eph. v. 22. Coloſſ. iii. 18. 1. Tim. ii. 12. Tit. ii. 9. 1. Pet. iii. 1. 2. & ſequentibus. item paſtoribus, 1. Tim. v. 17. Heb. xiii. 17. 1. Pet. v. 5. aliiſque eximii aliquid habentibus, Rom. xiii. 7. 8. Ad prohibitionem adulterii accenſentur non modò libidines ἄρρητοι [*nefandæ*], ſed & ſcortatio omnis atque impuritas Matth. xv. 19. Marci vii. 21. Actor. xv. 20. Rom. i. 19. 1. Cor. vi. 13. ii. Cor. xii. 21. Gal. v. 19. Eph. v. 3. Coloſſ. iii. 3. 1. Theſſ. iv. 3. Rom. vi. 10. 1. Theſſ. ii. 3. iv. 7. & divortia extra adulterii cauſam, Matth. v. 32. xix. 9. Ad interdictum de homicidio refertur omnis ira atque odium, pugnarum cædiumque ſemina, Matth. v. 22. 43. 44. 45. 46. 47. Eph. iv. 31. Col. iii. 8. 1. Tim. ii. 8. Iac. i. 20. 1. Ioh. iii. 15. Ad caput de furto illa rediguntur præcepta quæ non modò quicquam noceri aliis vetant, ſed etiam id omni modo à nobis agi jubent ut proſimus quàm plurimis, 1. Cor. vi. 7. 8. ii. Cor. vii. 2. Col. iii. 25. Matth. v. 44. Luc. vi. 35. Eph. iii. Ioh. ii. 1. Petri iv. 18. Rom. v. 14. Gal. v. 22. ii. Theſſ. i. 11. Ad illud quod de falſo teſtimonio eſt, contribuitur in omni ſermone mendacii fuga, curaque perpetua veracitatis & optimæ fidei, Ioh. viii. 44. Epheſ. iv. 24. 25. 26. 1. Ioh. ii. 21. Coloſſ. iii. 9. Rom. iii. 4. 1. Tim. i. 10. 1. Cor. v. 8. Vltimum autem de non concupiſcendo eouſque extenditur ut nulla mora concedatur motibus animi ad illicita ducentibus, ſed ut ii, ſimul atque deprehendi poſſunt, vigili ſtudio exſtinguantur, ut apparet tum ex iis quos jam ante adduximus locis, tum Marci iv. 19. Gal. v. 24. 1. Petr. ii. 11. Id ipſum vocatur crucifigere, occidere, exuere veterem hominem. Coloſſ. iii. 5. & 9. Rom. vi. 6. Epheſ. iv. 22. Hoc eſt quod ait Lactantius vi. 18. *Prius tamen quàm commotio illa proſiliat ad nocendum, quoad fieri poteſt maturiùs ſopiatur.* Sunt autem illecebræ illorum motuum tres, voluptas, faſtus, opulentia, 1. Ioh. ii. 16. 17. cui conſentiens Philo mala omnia naſci ait, ἀπὸ μιᾶς πηγῆς, ἐπιθυμίας ἢ χρημάτων, ἢ δόξης, ἢ ἡδονῆς [*ab uno fonte, cupiditate ſcilicet aut pecuniarum, aut honoris, aut voluptatis*]. Summa verò omnis præceptorum, legalium quidem obſcuriùs & umbris multis intercedentibus, Euangelicorum autem apertiſſimè & lucidiſſimè, huc tendit, ut Deus ſummè ametur, deinde verò hominum quilibet, Pſal. xv. Eſai. xxxii. 15. Mich. vi. 8. Matth. xxii. 37. 38. 39. 40. Marci xii. 30. 31. Luc. x. 27. Rom. xiii. 8. 9. 10. 11. 1. Cor. viii. 3. xiii. 2. Gal. v. 14. 1. Tim. i. 5. 1. Petr. i. 22. Iac. ii. 8. 1. Ioh. ii. 10. iii. 17. iv. 7. 8. 9. 11. 12. 20. Per hanc dilectionem fides eſt ἐνεργουμένη [*operans*], Gal. v. 6. καὶ τετελειωμένη [*perfecta*], Iac. ii. 22. ſine ea, ejuſque operibus mortua, 20. Hanc det in nobis augeatque Deus, propter Filium ſuum, per Spiritum ſanctum.

CAPVT XXI.

2. S*I emeris ſervum Hebræum*] Ex cauſa furti addictum.

Egredietur liber gratis] In Hebræo : *Si in corpore ſuo ingreſſus fuerit, in corpore ſuo egredietur :* ubi *in corpore ſuo* benè LXX. interpretantur *ſolus.* Opponitur enim id ei quod ſequitur de habente uxorem & liberos.

4. *Sin verò dominus dederit ei uxorem*] Ex ancillis extraneis.

Mulier & liberi erunt domini ſui] Serviles enim nuptiæ voluntate domini ſolvebantur.

6. *Diis*] Sic ab Hebræis vocantur Iudices, ut qui divina vice judicia legis exerceant. Et qui pecuniâ dignitatem emiſſent, vocantur dicterio dii aurei & argentei.

In ſæculum] Semiſæculum Latinè, id eſt, annos quinquaginta. Vide Hieronymum ad Galatas 1. 4. עלם [*ævum*] durationem ſignificat, quantam fert materia ſubjecti. Liberari præterea poterat ſervus talis inſtrumento manumiſſionis, aut redemtione. Liberabatur & morte domini, quamvis dominus filium reliquiſſet.

7. *Si quis vendiderit filiam ſuam*] Patri id conceſſum in ſumma neceſſitate: non ipſi filiæ. Et intelligitur hoc de filia adhuc impubere. Ipſa pubertas non minus quàm manumiſſio per inſtrumentum, redemtio, jubilæus, aut mors domini, quamvis & filium haberet, hanc ſervitutem ſolvebat: neque auris perforatio ad hanc pertinebat.

Non egredietur ſicut ancillæ exire conſueverunt] In Hebræo, *ſicut ſervi exire conſueverunt*: id eſt, non utetur dominus ejus opera extra domum, ut ſervis fieri ſolet, ſed domi eam honeſtè pudicéque continebit. Ita ſcriptor Hiskuni.

8. *Dimittet eam*] In Hebræo: *ſi nec deſponſavit eam* (ſibi ſcilicet, aut filio) *nec redimi eam fecit*. *Et* enim poſt *non* Hebræis pro *nec* ponitur. Puellæ ſemper jus erat ſe redimendi, ſi facultas eſſet. Tot ſextæ de pretio deducebantur quot annos ſervierat.

Populo autem alieno vendendi non habebit poteſtatem] Populus alienus hîc intelligitur quilibet qui non ſit de domo emtoris. Nam aliis gentibus ne ſervus quidem Hebræus vendi poterat, ut notat Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ libro XVI. ubi Herodem culpat quòd contrarium ſtatuerit. Pari ſenſu vox populi ſumitur Deuteronomii XVII. 16. Extranei autem vox pro re ſubjecta diverſas habet ſignificationes.

9. *Iuxta morem filiarum faciet ei*] Hebraïcè: *ſecundùm tempus filiarum faciet ei.* Nam ita משפט [*mos*] ſæpè ſumitur. Deſpondebit eam filio ſuo eâ ætate quâ patres filiabus de nuptiis proſpicere ſolent, ut nec ſit ἄωρος [*acerba*], nec ὑπέρακμος [*exoleta*].

10. *Quòd ſi alteram ei acceperit*] Abundat hîc *ei*. Senſus eſt, ſi alteram præterea uxorem duxerit, ſupple filius. Ita Hebræi & Græci.

Nuptias] Hebraïcè, *carnem ejus*, id eſt, alimenta, ut hîc Chaldæus interpretatur. Et hoc Græci volunt, cùm dicunt τὰ δέοντα [*quæ opus*].

Pretium pudicitiæ] Græci rectè τὴν ὁμιλίαν αὐτῆς [*conſuetudinem ejus*]. Sic Abeneſdra, Rabbi Levi, Salomo, Kimchi & Moſes de Kotzi, quorum quidam adjiciunt, *ſuis temporibus*. Heſychius: Γόνατα τὸ ὅριον, Φοίνικες [*Gonata, terminus: ſic Phœnices*]. quod conſuetudo interpretata eſt, ut in Solonis poſteà lege poſitum: τρὶς ἑκάστου μηνός [*ter quolibet menſe*]. Ad quam legem Plutarchus in vita Solonis: καὶ γὰρ εἰ μὴ γίγνοιντο παῖδες, ἀλλὰ τιμή τις ἀνδρὸς αὕτη πρὸς σώφρονα γυναῖκα καὶ φιλοφροσύνη, πολλὰ τῶν συλλεγομένων ἑκάστοτε δυσχερῶν ἀφαιροῦσα, καὶ ταῖς διαφοραῖς οὐκ ἐῶσα παντάπασιν ἀποστραφῆναι [*Nam etſi non generent liberos, honos tamen hic qualisqualis à marito caſtæ mulieri habitus & benevolentia, multas abſterget undique collectas acerbitates, nec permittit amorem jurgiis planè exſtingui*]. Quod hîc φιλοφροσύνην [*comitatem, benevolentiam*] dixit Plutarchus, idem Apoſtolus εὔνοιαν 1 Corinth. VII. 3. Tria hæc expreſsè debet vir quiſque uxori ex lege divina. His adjecêre ſapientes non malè, ut ægrotæ curam habeat, liberet ſi fortè captivam, ſepeliat mortuam, viduæ proſpiciat de alimentis ac domicilio, & ut ex paternis bonis vivat filia, donec nubat.

11. *Si tria iſta non fecerit*] Id eſt, ſi eam non deſponderit ſibi, nec filio, nec redimi ſit paſſus.

Egredietur gratis abſque pecunia] Tempore pubertatis, & quidem cum donis ex lege, Deut. XV. 14.

12. *Qui percuſſerit hominem, volens occidere*] Non addendum *volens occidere*, quod nec in Hebræo eſt, nec in Græco. Et aliter habet jus Thalmudicum, ut ſufficiat voluntas percutiendi cum morte ſecuta. Nam, ut ait Seneca, *ex toto noluiſſe debet qui imprudentiâ defenditur.* Cæterùm lex & mos & æquitas exceptiones legi addidêre, ſi vulneratus aliquo tempore meliùs ſe habuerit, ut credi poſſit magis medicorum aut ſuâ negligentiâ mortuus, quàm ex vulnere, aut ſi in turba facta ſit cædes, nec ſciatur certus auctor: in his enim minuitur pœna.

Qui non eſt inſidiatus] Vbi eſt levis culpa. Fugere non tenetur magiſtratuum apparitor qui reum reſiſtentem, nec magiſter qui diſcipulum, aut pater qui filium caſtigans occiderit, nec ſi quis eum qui monitus ad locum, quò accedere ipſi non licebat, acceſſerit. Incircumciſus advena ſi quid tale per levem culpam admiſiſſet, à judicibus ad mortem non damnabatur, ſed cavendus ei erat vindex ſanguinis: aſyla enim ei non patebant, nempè ſi Hebræum occidiſſet.

14. *Ab altari meo avelles eum*] Ex contrario intelligunt Hebræi altare pro perfugio fuiſſe iis qui φόνον ἀκούσιον [*cædem inconſultò*] commiſiſſent, ut fermè apud omnes gentes. Verùm apud Hebræos ibi morari non poterant, ſed deducendi erant ad urbem perfugii.

15. *Qui percuſſerit patrem ſuum aut matrem, morte moriatur*] Strangulatione.

16. *Et vendiderit eum*] In Hebræo: *ſive vendiderit eum, ſive apud eum inventus fuerit.* Nam copula ibi, ut ſæpè, pro disjunctivâ ponitur. Senſus eſt, plagium eſſe capitale, ſive plagiarius ſubreptum alienaverit, ſive non. Mortem, ubi ſine additamento dicitur, intellige ſtrangulationem: ubi additur, ſanguis ejus ſuper ipſo, lapidationem.

19. *Ita tamen ut operas ejus & impenſas in medicos reſtituat*] Injuriæ in hominem quinque ab Hebræis genera referuntur: amiſſio membri, decubitus, dolor, medicatio, contumelia.

22. *Sed ipſa vixerit*] Hebraïcè: ולא יהיה אסון, *& non fuerit mors.* Et verſu ſequente: אם אסון יהיה, *ſi fuerit mors.* Quod videtur intelligendum ſi fuerit mors aut matris aut infantis, quanquam de matre

tantùm accipiant Hebræorum magiſtri. At Græci legerunt utroque loco אסון: vertunt enim ἐξεικονισμένον [*figuratum*], diſtinguúntque inter abortum partus humanam jam figuram habentis, & non habentis, ut ille capital faciat, non verò hic, ſecuti eà in re Græcorum leges, quæ tunc & in Ægypto vigebant. Ariſtoteles Politicorum VII. 16. πρὶν αἴσθησιν ἐγγενέσθαι καὶ ζωὴν, ἐμποιεῖσθαι δεῖ τὴν ἄμβλωσιν· τὸ γὰρ ὅσιον καὶ τὸ μὴ, διωρισμένον τῇ αἰσθήσει καὶ τῷ ζῇν [*antequam ſenſus & vita adſit, procurandi abortus: nam in hac re fas & nefas vita & ſenſu diſtinguitur*]. Sic & Hippocrates ſenſit: nec aliter hunc locum interpretatur Auguſtinus quæſtione LXXXVI. ad Exodum. At Chriſtianis, ut Tertulliani utar verbis in Apologetico, *etiam conceptum utero, dum adhuc ſanguis in hominem deliberatur, diſſolvere non licet. homicidii feſtinatio eſt prohibere naſci. Nec refert natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt & qui futurus eſt: etiam fructus omnis jam in ſemine eſt.* Paria habet idem Tertullianus in exhortatione caſtitatis circa finem, & de Virginibus velandis.

Et arbitri judicaverint] In Hebræo, *in judicibus*, id eſt, judicum arbitratu.

27. *Similiter dimittet eos liberos*] Hæc lex de libertate, ob membrum ruptum, ſervis circumciſis proderat, non aliis. Alii ex gentibus nonniſi pretio dato, aut per inſtrumentum manumiſſionis liberabantur.

29. *Quòd ſi bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius*] Bos cornu petere ſolitus, ut verba habent XII. tabularum relata in Inſtitutiones, tit. Si quadrupes.

Occideritque] Aliud ſi dente aut pede nocuerit: quæ inſolita.

Et conteſtati ſint dominum ejus] Denuntiationem interpoſuerint damni infecti, ut Romano loquar more: vide l. Qui foveas. §. 1. D. ad l. Aquil.

Et Dominum ejus occiderit] In Hebræo: *& dominus ejus moriatur*. culpa lata morte punitur. Sed ſi heredes velint, permittitur hîc redemtio. Ideò non dictum eſt, *moriendo morietur*, id eſt, omninò morte afficietur.

32. *Triginta ſiclos*] Dimidium æſtimationis hominis liberi. Vide quæ ad Matth. XXVI. 15.

33. *Si quis aperuerit ciſternam & foderit*] Si alius foveam providere non potuerit, ut ait l. Qui foveas. D. ad l. Aquil.

CAPVT XXII.

2. *SI effringens fur domum, ſive effodiens*] Directarius Latinè.

Et accepto vulnere mortuus fuerit] Vulnerari eum ita demum poſſe ſi non fugiat, aut teſtes haberi non poſſint, notat Maimonides. Vide quæ nos hac de re lib. II. de Iure belli ac pacis, cap. I. §. XII. & in Annotatis. Si teſtes adſint, jam diurno furi æquiparatur.

3. *Venundabitur*] Ad ſervitutem non longiorem ſexennio: contractiorem verò ſi antè operæ ejus tantum valuiſſent, quantum res furto ſublata; nam ob mulctæ debitum in ſervitute retineri non poterat. Intelligendum hoc de maribus: feminæ enim ob furtum non addicebantur. Ioſephus libro XVI. Antiquæ Hiſtoriæ.

4. *Si inventum fuerit apud eum qui furatus eſt vivens ſive bos, ſive aſinus, ſive ovis*] In Hebræo: *ſi inveniendo inventum fuerit in manu ejus furtum:* id eſt, ſi furtum non ipſius voluntariâ confeſſione, ut præcipitur Levit. VI. ſed alio modo ad notitiam pervenerit. Nam qui ſe defert, neque occîdit, aut vendidit quod furatus eſt, non tenetur duplione.

6. *Si egreſſus ignis invenerit ſpinas*] Si quis in ſtipulam ſuam vel in ſpinam comburendæ ejus cauſa ignem immiſerit, & ulteriùs evagatus & progreſſus ignis alienam ſegetem, vel vineam læſerit. Verba ſunt l. Qui occidit. §. in hac. D. ad l. Aquiliam.

Reddet damnum qui ignem ſuccenderit] Cùm deberet vel ignem exſtinguere, vel ita munire ne evagetur, ait l. Si ſervus. §. ſi fornicarius. D. ad l. Aquiliam. In crimine eſt qui non obſervavit, ne ignis longiùs procederet, ait l. Qui occidit. §. in hac. D. eo tit.

8. *Ad deos*] Ad tres judices quibus manus impoſita.

Quòd non extenderit manum in rem proximi ſui] Extendere manum eſt arripere.

9. *Ad deos*] Ita vocantur ſummi Iudices, qualis Moſes, & eo abſente Aaron & Hur. infrà XXIV. 14. Poſteà Senatores Synedrii, qui olim his de cauſis judicavêre. Sed creſcente litium numero, introductum ſeriùs, ut tres quibus impoſitæ à Synedrio manus, judicare de iis poſſent.

Et ſi illi judicaverint, duplum reſtituet proximo ſuo] Nempè depoſitarius, ſi dolus adfuerit: depoſitor, ſi iniquam actionem intenderit. Nam de mero caſu teneri depoſitarium iniquum eſt. Vide Inſtitutiones, Quibus modis re contrahitur obligatio.

Quòd ſi furto ablatum fuerit, reſtituet damnum domino] Nempè ſi lata culpa adfuerit, quæ à dolo non longè abeſt.

Vel captum ab hoſtibus] Hoſtium enim incurſus non præſtat is qui rem commodatam accepit: nempè ſi re commodatâ ex præſcripto fuerit uſus: quod hîc addunt Hebræi. Ita & Gajus l. In rebus commodatis. D. commodati. Adde l. Si ut certè. §. quod verò. D. eodem tit. Et Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. 2.

15. *Quòd ſi impræſentiarum dominus fuerit, non reſtituet*] Poterat enim & dominus adhibere diligentiam. Talis eſt caſus communi amico ad cœnam invitato, & in id commodato argento, in d. l. In rebus.

Maximè ſi conductum venerat pro mercede operis ſui] Alia hîc ſententia in Hebræo: *Si mercenarius ipſe venit propter mercedem ſuam.* Græcè: ἐὰν ᾖ μισθωτὸς ᾖ, ἔσται αὐτῷ ἀντὶ τοῦ μισθοῦ αὐτοῦ [*ſi conductus fuerit, erit id ipſi pro mercede ſua*]. id eſt, ſi is qui cuſtodit rem, pro cuſtodia mercedem ſit ſtipulatus, jam in damnum veniet propter illam mercedem: tenebitur etiam de caſu, ſive dominus adfuerit, ſive non adfuerit. Vide l. 1. §. ſæpè evenit. D. depoſiti. & Mynſingerum ad dictum tit. Inſtit. Quibus modis re contrahitur obligatio. §. Præterea & ii.

16. *Si ſeduxerit*] Pellexerit ſine vi: LXX. ἐὰν ἀπατήσῃ

τις παρθένον [*ſiquis deceperit virginem*]. Differt enim hæc facti ſpecies ab illa quæ eſt Deuteronomii XXII. 28. 29. ibi matrimonium cum mulcta imponitur: hîc patri virginis optio datur mulctæ aut matrimonii.

18. *Maleficos*] LXX. φαρμακοὺς [*veneficos*]. Verùm in Hebræo vox feminina eſt, non quòd non idem ſit puniendum in viris, ſed quòd muliebris ſexus magis huic crimini obnoxius. Vide Pharmaceutriam tum Theocriti, tum Virgilii, & quæ de Medea ac Circe narrant Poëtæ.

21. *Pecunia illius eſt*] Poſſeſſio.

Pauperi qui habitat tecum] Vox pauperis hîc non reſtringit legem, ſed exempli causâ poſita eſt, quia plerumque ita accidit, ut illi magis egeant opis alienæ.

25. *Nec uſuris opprimes*] Hoc præceptum non creditorem tantùm, ſed & ſcribam & fidejuſſores & teſtes contractus obligat. Vſura autem נשך [*morſus*] dicitur, quia ut morſus ſerpentis ab initio exiguo in immenſum procedit.

26. *Si pignus à proximo tuo acceperis*] Sive ex prima conventione, ſive ex pignoriſcapione ob moram. Vide Deut. XXIV. 10.

29. *Decimas tuas & primitias tuas*] Plenitudinem & lacrymam tuam: id eſt, primitias frugis matureſcentis, aut rerum liquidarum, ut vini & olei.

CAPVT XXIII.

3. P*Auperis quoque non miſereberis in judicio*] Imponit enim multis falſa ſpecies miſericordiæ, aut etiam famæ talis aucupatio. Quintilianus XII. 7. *Summovendum verò utrumque eſt ambitus genus vel potentibus contra humiles venditando operam, vel illud etiam jactantius, minores utique contra dignitatem attollendi. Non enim fortuna cauſas vel juſtas vel injuſtas fecit.* Idem IV. I. *Nam ſola rectum quoque judicem inclinat miſeratio.* Sunt non pauci Iudices, qui, ut Terentianis utar verbis, propter miſericordiam addunt pauperi. Propterea Philo requiri hîc ait τὸ ἀνένδοτον πρὸς ἱκεσίας καὶ οἴκτους [*animus qui nec precibus nec miſeratione vinci ſe ſinat*].

9. *Scitis enim advenarum animas*] Scitis quomodo animati ſint peregrini; ut Dido:

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

11. *Anno autem ſeptimo dimittet eam*] Tacitus de Iudaïcis moribus Hiſt. v. *Septimum quoque annum ignaviæ datum.* Quod ſabbati dies hominibus, hoc annus ſeptimus terræ. Dictum eſt Philonis.

13. *Nomen externorum deorum non jurabitis, neque audietur ex ore veſtro*] Ne nomen quidem falſorum deorum pronuntiare ipſis permiſſum, quò longiùs à veneratione abeſſent. Itaque pro בעל שמין [*Baalſemin, deus cæli*] dicebant בעל זבוב [*Baalzebub, deus muſcarum*], pro בית אל [*Bethel, domus Dei*] dicebant בית און, [*Bethaven, domus vanitatis*], & ita in cæteris. Quomodo in hujus legis explicatione Romanis blanditus ſit Ioſephus monuimus lectores libro III. de Iure belli ac pacis, cap. VI. §. 2.

16. *Quando congregaveris omnes fruges*] Hebræis id חג האסף [*ſolenne comportationis frugum*], id eſt, ad verbum ἑορτὴ τῆς συγκομιδῆς, quæ Θαλύσια vocabant Græci. Vide Theocritum in Idyllio θαλυσίων, & ibi eruditos. Hoc apud Hebræos aliter vocatur σκηνοπηγία [*tabernaculorum fixio*]. Vide Levit. XXIII. 33. Num. XXIX. 12. Deut. XVI. 13. & ſequentibus, & quæ ibi notata.

19. *Primitias frugum terræ deferes in domum Domini*] Idem feciſſe Ægyptios docet nos Diodorus. Plinius de antiquis: *Ne deguſtabant quidem novas fruges aut vina, antequam ſacerdotes primitias libaſſent*, libro XVIII. 20. Tantâ autem religione hoc ſervatum ab Iudæis, ait Ioſephus, ut etiam in fame illa quæ fuit Claudio Romæ imperante, hæ fruges, aliæque Deo dicatæ intactæ ab omnibus in Templum pervenerint.

Non coques hædum in lacte matris tuæ] Hoc, ut multa alia, vetitum ideò quia ad idolorum honorem id fieri à vicinis ſolebat.

20. *Mittam Angelum meum*] Meum hîc non eſt in Hebræo, ſed infrà, 23. Rectè tamen inde huc tranſlatum, & ſignificat in meo nomine ac poteſtate, ut jam ſequetur. Hunc, ut docet Nehemanides, Deus poſt cultum vituli ab Iſraëlitis abſtulit, & minorem Angelum illis dedit cum poteſtate merè Angelica. Vide infrà XXXIII. 3. & 4.

21. *Ne contemnendum putes*] In Græco μὴ ἀπείθει αὐτῷ [*ne inobſequens ei ſis*]. Propriè *ne irrita eum.*

Quia non dimittet cùm peccaveris] Nempè contumaciter, qualia nec Deus condonat, Ioſue XXIV. 19.

Et eſt nomen meum in illo] In Hebræo: *quia nomen meum in illo.* Sic & Græci. Senſus eſt: habebit enim in ſe non longè petendam vindictæ poteſtatem: nam nomen ſæpè ἐξουσίαν [*poteſtatem*] ſignificat.

22. Quòd ſi audiens vocem ejus] Schemo Rabba hîc rectè: *Si ab illo acceperitis, à me accipietis.* Vide ſimile Ioh. v. 23.

25. *Panibus tuis & aquis*] Cibo & potui.

26. *Numerum dierum tuorum implebo*] Ad eos annos pervenies quos fert corporis temperatura, quod multum eſt.

CAPVT XXIV.

1. A*Scende ad Dominum*] Ad Angelum illum Dei poteſtate armatum.

Titulos] Columnas.

10. *Et viderunt Deum Iſraël*] Formam quandam valdè lucidam, velut hominis tergum obvertentis. Chaldæus, gloriam Dei: Græcè, τὸν τόπον οὗ εἱστήκει ὁ θεός [*locum in quo ſteterat Deus*].

Et ſub pedibus ejus] Quaſi ſolum dignum tanto inceſſore.

11. *Nec ſuper eos qui procul receſſerant de filiis Iſraël*] Hebræus codex: *ſuper ſeparatos*, id eſt, electos, ut Græci rectè ſumsêre, τῶν ἐπιλέκτων τοῦ Ἰσραήλ [*eminentium Iſraëlis*], ut ſunt Moſes, Aaron, Nadab, Abiu, & LXX. Ezech. XLII. 6. נאצל, quod verbum eſt ejuſdem originis, cujus hoc nomen, vertitur ἐξείχοντο [*eminebant*].

Miſit manum ſuam] Id eſt, nihil illis nocuit. Sic eadem locutio ſumitur Eſtheræ II. 21. In Græco eſt, οὐ διεφώνησεν οὐδὲ εἷς, id eſt, nemo eorum deſideratus eſt, ut Num. XXXI. 49. οὐ διαπεφώνηκεν ἀπ' αὐτῶν οὐδὲ εἷς, ſenſu eodem, alio tamen verbo Hebræo. Et rursùs aliud nomen Hebræum eſt Ezech. XXXVII. 11. διαπεφωνήκαμεν, id eſt, periimus. Non autem ſine cauſa id additum, quia recepta erat opinio illorum temporum, talia viſa non obtingere, niſi jamjam morituris. Vide Iudic. XIII. 22.

16. *Tegens illum nube*] Tanquam miniſtrum ſuum, ut exponit Maimonides: ſolent enim in ſynagoga operiri, חזנים [*miniſtri*], qui Epiphanio Ἀζανῖται, quibus reſpondent in Eccleſia diaconi, ferentes orarium. Nubes hîc ſignificat imbecillitatem intellectûs noſtri circa divina.

CAPVT XXV.

2. *VT tollant mihi primitias*] תרומה hîc non ſunt primitiæ, ſed ſponte facta oblatio.

4. *Hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum & byſſum*] Quatuor colores in velis quatuor elementorum imagines: coccinum ignis, hyacinthus aëris, purpura maris, byſſus telluris. Vt enim intimum adytum Mundi ſupercæleſtis, ita Templi pars maxima Mundi aſpectabilis ferebat imaginem: ſeptem lychni planetarum: duodecim panes Zodiaci ſymbola. Vide quæ ad Matth. XXVII. 50.

5. *Et ligna Setim*] Σήττα [*Setta*] Symmacho, Dioſcoridi ζήπινον δένδρον [*arbor Zetina*], سنط Arabibus, ut notavit ad Cebetem Salmaſius.

8. *Habitabo in medio eorum*] Inde reſponſa dabo. infrà 22.

16. *Poneſque in arca teſtificationem quam dabo tibi*] Decalogum. Vide ſuprà XVI. 34. Arca autem vicem præſtitit omnium imaginum quas habebant gentes.

18. *Cherubim*] Angelos μοσχομόρφους [*forma vitulina*] ſterilitatis & fœcunditatis præſides, idque in Ioſephi memoriam. Videbit verum eſſe quod dico qui contulerit Ezech. I. 10. & X. 14. Nam quod illo loco eſt שור [*bos*], hoc loco eſt כרוב [*cherub*]. Vide quæ ſuprà Gen. XLIX. 6. Hinc natum quod infrà de vitulo habebimus, & in Ieroboami hiſtoria, cui origo à Ioſepho. Hæc præcipua forma: ſed videtur ei vultus fuiſſe hominis, alæ aquilinæ, leonis jubæ, quæ ſunt quatuor פנים [*ſpecies*], φάσεις Ezechieli, qui compoſitam illam formam modò חיות [*animalia*], ut I. 5. modò חיה [*animal*] vocat, ut X. 15. Hæ quatuor formæ non aliud ſignificant, quàm quod Deus Moſi viſus inſidere Cherubinis voce explicat infrà XXXIV. 6. eſſe nimirùm celerem ſe ad benefacta: tardum ad vindictam. Homo bonitatis ſymbolum: aquila celeritatis: leo vindictæ: pedes bovini tarditatis; unde Græcum βοείῳ ποδὶ [*bovillo pede*]. Philo non malè ſignificari ait Dei ἀγαθότητα καὶ ἐξουσίαν [*bonitatem & poteſtatem*].

23. *Facies & menſam*] Qualis Delphica fuit: unde & aliæ ſimiles menſæ nomen accepêre.

31. *Facies*] Sic & Græci, ſubaudito את [*nota accuſativi casûs*] ante nomen candelabri: Item Chaldæus, Syrus, LXX. Hieronym. in libris, & Rabbini multi. Ergo littera jod, quæ in hoc verbo ſecundo loco ponitur, abundat. Puto id natum ex duabus lectionibus, quarum altera habebat תעשה [*facies*], velut ad Moſem loquente Deo, alia יעשה [*faciet*], velut de fabro. quomodo infrà 39. & XXVI. 31. Nam facit & qui jubet fieri, & qui juſſa exſequitur. Candelabri in Templo Hieroſolymitano poſiti meminit Hecatæus apud Ioſephum contra Appionem I.

CAPVT XXVI.

1. *VAriatas opere plumario facies*] Græci ſimpliciùs, ἐργασίᾳ ὑφάντου [*opere textoris*], id eſt, ſicut veſtes è ſerico fiunt, ut Abeneſdra loquitur ad hunc locum.

5. *Ita inſertas ut anſa contra anſam veniat, & altera alteri poſſit aptari*] Exponit quomodo cortinæ illæ quinæ ubi ab itinere ceſſabatur, connecti debuerint. Græci: ἐκ τοῦ ἑνὸς μέρους εἰς τὴν συμβολήν [*ex una parte ad commiſſuram*]. In Samaritano vetere fuit, ut Græci referunt: διαδεχόμεναι συμβολαὶ μία πρὸς μίαν ἀντιπροσώπως κατὰ τὸ προσέχειν ἀλλήλαις [*commiſſuræ ita ex adverſo poſitæ ut altera alteri congruat*], ſatis perſpicuè.

17. *Duæ incaſtraturæ fient*] Id eſt, cardines, ut hîc Chaldæus & Syrus. LXX. dixêre ἀγκωνίσκους [*conflexus*], ut ἀγκῶνας II. Paral. IX. 18. At Symmachus κατοχεῖς

33. *Quo & Sanctuarium, & Sanctuarii ſanctuaria dividentur*] Græcè, ἀναμέσον τοῦ ἁγίου καὶ ἀναμέσον τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων [*inter ſanctum & ſanctum ſanctorum*]. Confer Hebr. IX. 23. & quæ dicta ad eum quem modò citavimus, Matthæi locum.

CAPVT XXVII.

1. *FAcies & altare*] Locum Hecatæi de hoc altari holocauſtorum ſuprà produximus, XX. 25.

3. *Omnia vaſa ex ære fabricabis*] Sic & Græci. Abundat ergo hîc particula ל [*nota dativi casûs*] aut in ſcriptura, aut in ſenſu, ut & infrà 19.

9. *Tentoria*] In Hebræo *fundas*, id eſt, cortinas foraminibus diſtinctas, quæ aditum arcerent, non aſpectum. Sic ſumſit & Chaldæus.

21. *Vt uſque mane luceat*] In Hebræo, *à veſpera ad mane*: nam mane exſtinguebatur. I. Sam. III. 3. Aliter tamen exiſtimavit Hecatæus, ἐπὶ τούτων, φῶς ἐστιν ἀναπόσβετον καὶ τὰς νύκτας, καὶ τὰς ἡμέρας [*in his erat lumen quod nec noctibus, nec diebus exſtinguebatur*]. Talis fuit lychnus in templo Ammonis, teſte Plutarcho, Cur oracula defecerint.

CAPVT XXVIII.

4. *CIdarim*] Pileolum Hieronymus ad Zachariam: Sic & Græci quidam πίλιον [*pileum*], alii mitram. Sic *flamines in capite pileum habebant, in quo erat brevis virga, deſuper habens lanæ aliquid, quod cùm per æſtus portare non poſſent, filo tantùm capita religare cœperunt: nam nudis penitùs eos capitibus incedere, nefas fuerat*. Ita Servius ad VIII. Æneid. Habet ejus aliquid & ad decimum. Notandum verò Pontificis maximi ornamenta fuiſſe σύστοιχα

reſpondentia] Templi ornamentis. Colores quatuor iidem. Septem veſtimenta, ſi laminam annumeres, pro ſeptem lychnis. Duodecim gemmæ pro duodecim panibus. Cum his autem ornamentis Pontifex ille non procedebat extra urbem, niſi in graviſſimo periculo, ut Alexandri Macedonis temporibus.

11. *Cælatura gemmarii*] LXX. γλύμμα σφραγῖδος [*ſcalptura ſigilli*], id eſt, eo modo quo gemmæ annulorum ſignatoriorum ſcalpi ſolent. cælare propriè ἐκτύπων [*ex ipſis typis formatorum*], ſcalpere ἐντύπων [*impreſſis veſtigiis formatorum*]: ſed ſolent iſta confundi. In Hebræo pro γλύμμα eſt פתוחי [*ſculptura*] quod Phœnicibus Πάταικος [*Patæcus, idolum*] apud Herodotum, & Heſychium.

18. *Carbunculus*] ἄνθραξ LXX. quos ſequitur Chryſoſtomus oratione, Veteris & Novi Teſtamenti unum eſſe Deum.

19. *Lyncurius*] Hîc hyacinthum habet Chryſoſtomus.

20. *Chryſolitus*] Chryſoſtomo beryllus.

Iaſpis] ὀνύχιον Chryſoſtomo. In hac lapidum recenſione cum Hieronymo congruit Ioſephus belli Iudaïci v. 15.

30. *Doctrinam & veritatem*] Δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν [*Manifeſtationem & veritatem*]. Ad verbum: lumina & integritatem, φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις: quomodo & Aquila & Theodotion. In doctore, qualis eſſe debebat ſupra alios ſummus ſacerdos, duo requiruntur, ſcientia & vitæ puritas. Hinc Ægyptii ſumsêre morem ſummo Iudici appendendi monile, quod vocabant ἀλήθειαν [*veritatem*]. Id ex gemmis pretioſis admodum fuiſſe ait Diodorus Siculus, ex Sapphiro Ælianus. Loca attulimus ad 1. librum de Veritate Religionis Chriſtianæ. Conſulebatur Vrim & Thumim à rege aut principe in rebus ad ſtatum publicum maximè pertinentibus, aut à Synedrio in difficillimis de jure controverſiis.

Ad pedes ejuſdem tunicæ, & per circuitum] In LXX. ὑπὸ τὸ κράσπεδον τοῦ ἱερέως τὸ λεγόμενον λῶμα [*ſub fimbria ſacerdotis quod dicitur Loma*]. Neque tantùm ſic transferunt LXX. quod hîc eſt שול, ſed & פתיל, quod eſt infrà XXXIX. 31. Crediderim & hanc vocem eſſe Ægyptiacam.

34. *Ita ut tintinnabulum ſit aureum, & malum punicum*] Quorum illud ſono, hoc colore tonitrua & fulmen referrent. Ita Ioſephus.

38. *Portabitque Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt & ſanctificarunt filii Iſraël*] In Hebræo: *Et portabit Aaron iniquitatem ſanctificationum quas ſanctificabunt filii Iſraël in omnibus donis ſanctificationum earum.* Quomodo & Græcus. Senſus eſt, ſi quid in offerendo aut immolando minùs ritè factum ſit, hoc quoque ab Aarone expiabitur.

40. *Porrò filiis Aaron tunicas lineas parabis*] Sic & Ægyptii ſacerdotes veſtibus uſi lineis intrinſecùs & extrinſecùs.

42. *Facies & feminalia*] Oppoſitum & hoc gentibus vicinis, quarum flamines tegendas partes coram Pehore idolo nudabant.

CAPVT XXIX.

5. **E***T ſuperhumerali*] Plus eſt in Hebræo, nempè *& ſuperinjectum humerali.* quod ſic exprimit Theodotio: τὸν ἐπενδύτην τῆς ἐπωμίδος.

6. *Et pones tiaram in capite ejus*] Lanam capiti circumplicatam. Plutarchus IV. Sympoſiacôn, habitum ſummi apud Iudæos Sacerdotis ſic deſcribit: ὁ ἱερεὺς μιτροφόρος, νεβρίδα χρυσόπαστον ἐνημμένος, χιτῶνα δὲ ποδήρη φέρων καὶ κοθόρνους· κώδωνες δὲ πολλοὶ κατακρέμανται τῆς ἐσθῆτος [*Sacerdos mitram ferens, nebrida indutus intertextam auro, præterea tunicam ferens talarem & cothurnos: è veſte autem pendebant undique tintinnabula*].

Et laminam ſanctam ſuper tiaram] Benè נזר, quod coronam ſignificat, hoc loco laminam explicavit, ex collatione locorum aliorum.

7. *Et oleum unctionis fundes ſuper caput ejus*] Super frontem faciendo decuſſim, ſive χιασμόν. Ita Rabbini omnes.

16. *Tolles de ſanguine ejus, & fundes circa altare*] Sanguinem in ara fundi ait Servius II. Georg. Lucianus libro de Sacrificiis: τὸ αἷμα τῷ βωμῷ περιχέων [*ſanguinem aræ circumfundens*]. Vide & Levit. I. 5. XVII. 6.

24. *Et ſanctificabis eos*] Imo *ea* oblata ſcilicet. ἀφοριεῖς αὐτὰ [*definies ea*] LXX. ſed vox Hebræa propriè agitationem ſignificat dextrorſum & ſiniſtrorſum: ſicut quæ prorſum & retrorſum fit eſt תרומה [*elatio*]. His motionibus ſignificabatur Dei dominium in omnes mundi partes.

33. *Alienigena*] גר ἀλλογενής. Intelligendus hîc qui non eſt ex ſanguine Aaronis, ut & infrà XXX. 33.

38. *Veſpere*] Id eſt, horâ nonâ, ut explicat Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ lib. XIV. 8. Matutino hoc & veſpertino ſacrificio agnoſcitur Deus noctis & diei creator.

CAPVT XXX.

1. **F***Acies quoque altare ad adolendum thymiama*] Hujus quoque altaris aurati meminit Hecatæus. Suffitum autem adhibere ſacris mos gentium fermè omnium, ut ſolebant cuncta hominibus grata in divino honore uſurpari. ob id ἀρώματα [*aromata*] dicta παρὰ τοῦ ἀρᾶσθαι [*à precibus*]. & θύειν [*ſacrificare*] primo ſignificatu fuiſſe ſuffire notavit Porphyrius, & inde thus Latinum. Sed & uſus aderat aliquis ad diſcutiendum nidorem ex animantibus; purgandumque aërem. Myſtica ſignificatio eſt, ſurſum habenda corda.

5. *Tam craticulam ejus*] Græci ἐσχάραν [*focum*]. At Hebræa vox tectum ſignificat, quod hîc convenientius, id eſt, οὐρανίσκον [*umbellam*], quali tegebatur altare ſuffituum: alterum autem holocautomatum, ſine tecto erat.

10. *Semel per annum*] Caſtimoniâ & ſobrietate ſeptem dierum præparatus. Modum expiandi vide Levit. XVI.

12. *Pretium pro animabus ſuis*] Optimè. Sic & LXX. λύτρα ψυχῆς [*redemtionem animi*]. Eâ capitatione teſtabantur Iſraëlitæ ſe à Deo redemtos. Faciendum autem quoties cenſus agebatur populi, quod à Davide omiſſum magno ei ſtetit, II. Reg. XXIV.

19. *Lavabant in ea Aaron & filii ejus manus ſuas ac pedes*] Etiam gentibus mos lavandi ante ſacrum. Meminêre Heſiodus, Homerus, Plautus Rudente.

In id poſita labra ante Templum, de quibus Vitruvius libro 11. Cincius dicebat delubrum eſſe locum ante Templum, ubi aqua currit, à diluendo; ut nos docet Servius ad 11. Æneidos. Hanc lotionem etiam ſanctificationem Hebræi vocant.

23. *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ*] Rectiùs ex Hebræo vertas: *Sume tibi aromata præcipua, nempe myrrhæ non adulteratæ quingentos ſiclos*, &c. Nam מר דרור eſt myrrha libera à mixtura, ſcilicet ἑτερογενέων [*rerum generis alterius*].

Cinnamomi] Sic & Græci, & vox Hebræa planè idem ſonat. Attamen Kimchi Aloen interpretatur, ut & Rabbi Salomo, qui additum ait בשם [*aromatis*] ut notetur Aloe non illa medica, ſed aromatica, εὐώδης [*odorata*] Oribaſio. At eadem Aloe à קנמן [*cinnamomo*] manifeſtè diſtinguitur, ſuoque nomine appellatur Cant. IV. 14. Quare non eſt quod ſerioribus illis Rabbinis in gemmarum, herbarum, arborum interpretamentis nimiùm fidamus. Quæ ad jus pertinent, librorum quadam ſucceſſione ſatis benè ſervata ſunt: de phyſicis intercidit per tot ſæcula traditio, ideóque conjecturas ſequuntur; non mirum, ſi interdum aberrantes.

34. *Stacten & onycha, galbanum boni odoris & thus*] Philo ſtacten ad aquam refert, onycha ad terram, galbanum ad aërem, thus ad ignem.

Æqualis ponderis erunt omnia] ἴσον ἴσῳ ἔσται [*æquale æquali erit*], Græci. Hebraïcè: *ſolum cum ſolo*, id eſt, ſeorſim quæque ponderabuntur, ut ſint æqualia.

CAPVT XXXI.

4. E*Tære*] Plus hîc eſt in Græco, quàm in Hebræo, vel Latino: καὶ τὴν ὑάκινθον, καὶ τὴν πορφύραν, καὶ τὸ κόκκινον τὸ νηστὸν [*& hyacinthum, & purpuram, & coccinum netum*]*:* addunt quidam codices, καὶ τὴν βύσσον τὴν κεκλωσμένην [*& byſſum glomeratam*]. Confer ſuprà XXV. 4. ubi eadem in Græco verba, niſi quod διπλοῦν [*duplex*] pro νηστὸν [*netum*].

8. *Candelabrum puriſſimum*] Mundum à ſanguine, quod ἐπίθετον [*epithetum*] & ad menſam, & ad vaſa utriuſque pertinet.

CAPVT XXXII.

1. V*Idens autem populus*] Tota hæc hiſtoriæ pars abeſt à Ioſepho, verito, credo, Romanos offendere, qui & ſerpentem pro Æſculapio coluêre, & Apidos cultum in Ægypto probabant ac tutabantur.

5. *Quod cùm vidiſſet Aaron*] Addunt Rabbini: & Hurem coram ſe jugulatum.

Solennitas Domini eſt] Sperabant Dei quem colebant ſpiritum in eam imaginem venturum, ſicut de aſtrorum ſpiritibus gentes aliæ ſentiebant.

6. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*] Ludere hîc eſt ſaltare, Virgilius Sileno:

> *Tum verò in numerum Faunoſque feraſque videres*
> *Ludere.*

Eſt autem quod hîc deſcribitur πανδαισία [*plena lætitia*], qualem actam Ægyptiis in Apidis honorem Suidas nos docet. Vide infrà 18.

18. *Vocem cantantium*] Rectè ex Hebræo. Minùs rectè Samaritani codices עונות, quod Græci Scholiaſtæ vertunt φωνὴν ἁμαρτιῶν [*vocem delictorum*].

20. *Quem ſparſit in aquam*] Projecit in torrentem, Deuter. IX. 21. quod Apide fieri ſolebat per ſuperſtitionem, id comminuto fecit in pœnam. Papinius propemptico Metii Celeris:

> ——— *aut quo ſe gurgite Nili*
> *Mergat adoratus trepidis paſtoribus Apis.*

22. *Quòd pronus ſit in malum*] In Hebræo: *noſti populum quod in malo eſt.* ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται [*in malo poſitus eſt*]. 1. Ioh. V. 19.

25. *Nudatus*] Inermis.

33. *Qui peccaverit mihi, delebo eum de libro meo*] Mihi, id eſt, adversùm me, me contemto, quod Græci benè exprimunt ἐνώπιόν μου [*coram me*].

CAPVT XXXIII.

7. M*Oſes quoque tollens tabernaculum extendit*] *Sibi*, addit textus Hebræus. Tentorium Moſis intellige; quod vice fuit ſacri Tentorii nondum facti.

12. *Novi te nomine*] Novi te nominatim, id eſt, eximiè, περὶ πάντα [*ſuper omnia*] ut hîc Græci.

13. *Oſtende mihi faciem tuam*] Id eſt, δόξαν [*gloriam*], ut quidam Græci: ſed in Hebræo eſt: *Fac mihi notam viam tuam:* quod Rabbini de proprietatibus divinis interpretantur, quas מדות vocant: ſed locus oſtendit agi hîc de modo quo Deus cuncta gubernat, quem imitari volebat Moſes. Plutarch. vitâ Dionis: ὅπως διακοσμηθεὶς τὸ ἦθος εἰς ἀρετὴν λόγων, καὶ πρὸς τὸ θειότερον ἀφομοιωθεὶς παράδειγμα τῶν ὄντων καὶ κάλλιστον, ᾧ τὸ πᾶν ἡγεμόνῳ πειθόμενον, ἐξ ἀκοσμίας κόσμος ἐστὶ, πολλὴν μὲν εὐδαιμονίαν ἑαυτῷ μηχανήσεται, πολλὴν δὲ τοῖς πολίταις [*ut ſermonibus mores excultus ad virtutem, & effictus ad illud rerum divinum exemplar, & pulchrum illud per quod hoc univerſum imperatori ſuo obediens ex rudi mole Mundus exiſtit, multam ſibi beatitudinem, multam item civibus pararet*].

18. *Oſtende mihi gloriam tuam*] Splendorem vultus tui: cui opponitur mox tergum. Significat autem vultus & partes priores, cauſas ac rationes, ſecundùm quas Deus beneficia ſua diſpenſat, tergum ipſa beneficia. Hæc ſentimus, illas magna ex parte nos nunc ignoramus, Rom. XI. 33. 34. 35. multò pauciora autem norant veteres, Rom. XVI. 25. 26. Hunc ſenſum monſtrant quæ ſequuntur.

19. *Oſtendam omne bonum tibi*] Bona quæ populo Iſraëlis facturus ſum.

Vocabo in nomine Domini coram te] Locutio Hebræa, pro qua dicere liceat: Clamabo nomen meum יהוה pronuntiando, quo magis ſcilicet certus ſis conſtantem me fore in promiſſis implendis, quod nomine יהוה ſignificatur. Vide ſuprà VI. 3.

Miſerebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit] Peccata quædam condonabo, quædam non condonabo: & eadem peccata his condonabo, non illis, ob cauſas latentes hominibus, mihi cognitas. Benè autem Latinus tranſtulit: *miſerebor cujus miſerebor*, pro *miſerebor cui voluero*. Nam, ut Servius ait ad initium III. Æneidos: *Quotieſcumque ratio vel judicium non apparet,* Sic viſum *interponitur*. Habet idem Donatus ad Terentium, & Abarbaniel ad

Eſaiæ LIII. hanc ſignificationem eſſe dicit in voce חפץ [*placiti*]. Proverbium eſt Hebræorum: *Non eſt curioſè quærendum poſt opera Dei: omnia enim ſapienter fecit, tametſi abſcondita ſunt ab oculis ſapientum.* Origenes contra Celſum : εἰσὶ γάρ τινες εἱρμοὶ καὶ ἀκολουθίαι ἄφατοι καὶ ἀνεκδιήγητοι περὶ τῆς κατὰ τὰς ἀνθρωπίνας ψυχὰς διαφόρου οἰκονομίας [*Sunt enim nexus quidam & cohærentiæ ineffabiles atque inexplicabiles variæ diſpenſationis circa hominum animos*]. Arnobius libro II. *Neque enim promtum eſt cuiquam Dei videre mentem, aut quibus modis ordinarit res ſuas, homo animal cæcum, & ipſe ſe neſciens ullis poteſt rationibus conſequi. Quid oporteat fieri, quando, vel quo genere, ipſe cunctarum rerum pater, moderator & Dominus ſcit ſolus.* Salvianus : *Non ideò non juſtum eſt quod divinitas agit, quia capere vim divinæ juſtitiæ homo non valet. Sicut plus eſt Deus, quàm humana ratio: ſic mihi plus eſſe debet quàm ratio, quod à Deo agi cuncta cognoſco.*

20. *Non enim videbit me homo & vivet*] Confer Iud. VI. 23. & XXIII. 22. Pauſanias Phocide : τὸ ἔπος οὖν ἀληθεύειν ἔοικε τοῦ Ὁμήρου, σὺν οὐδενὶ αἰσίῳ τοὺς θεοὺς τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων ἐναργῶς ὁρᾶσθαι [*Videtur ergo verum eſſe dictum Homeri, nullo cum bono Deos clarè ab hominibus conſpici*]. Callimachus:

Κρόνιοι δ' ὧδε λέγοντι νόμοι,
Ὅς κε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.
[*Saturni ſcita vetuſta jubent,*
Ne quem cælicolûm damno ſine cernere quiſquam
Poßit homo, niſi quem legerit ipſe Deus.]

21. *Eſt locus apud me*] Locus propinquus viſo.

22. *Cumque tranſibit gloria mea*] Pars prior ejus quod apparet. Credunt autem Hebræi eandem formam apparuiſſe hîc Moſi, Eſaiæ cap. VI. Ezechieli c. I. & X.

Protegam dextra mea] Poteſtas divina in nos curioſitatem inhibet. quis prior dedit illi? Rom. XI. 35.

23. *Videbis poſteriora mea : faciem autem meam videre non poteris*] Perſuaſum id gentibus cunctis. Homerus Iliados Γ.

Ἴχνια γὰρ μετόπισθε ποδῶν ἠδὲ κνημάων
Θεῖ' ἔγνων ἀπιόντος.
[*Nam divina pedum vidi veſtigia retro*
Et crurum cum jam diſcederet.]

Servius ad illud X. Æneid. *Pone ſequens. Hoc quidam ideò dictum tradunt, quod adverſa videri nolunt: unde Ecloga* VIII. *Ne reſpexeris.* Idem in Fuldenſi codice ad II. Æneidos : *Abſceſſu plerunque numina demonſtrantur fuiſſe, cùm ſubitò apparere deſierint.*

CAPVT XXXIV.

5. *STetit Moſes cum eo invocans nomen Domini*] Meliùs in Hebræo : *Deſcendit Dominus in nube, & ibi ſtetit cum eo, & clamavit in nomine* יהוה, ut & ſtetit, & clamavit, de Deo dicantur congruenter iis quæ ſuprà XXXIV. 19. Sic & LXX.

6. *Quo tranſeunte coram eo ait*] Coràm, hîc non conſpectum, ſed ſenſum ſignificat. Tranſitum enim viſi illius percipiebat Moſes ex obumbratione ſibi prædicta, ſuprà XXXIII. 22. Sic על פני [*ad faciem* vel *coràm*] etiam de auditu dicitur Gen. XIX. 13. & de olfactu Exod. XXX. 8. Cæterùm & hîc rectiùs Hebræi codices : *Et tranſivit Deus coram eo, & clamavit, Dominus, Dominus.* Vt & hæc quæ ſequuntur à Deo clamata ſint: quomodo & LXX.

Dominator Domine Deus] Rectiùs, ut dixi, in nominativo : *Dominus Dominus Deus.*

7. *Miſericors & clemens, patiens & multæ miſerationis ac verax, qui cuſtodis miſericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, ſcelera atque peccata*] In Hebræo, *cuſtodit* & *aufert* : multis autem verbis exprimuntur proprietates Dei beneficæ, quòd illæ in Deo multùm prævaleant : Iac. II. 13. Ideò dicunt Hebræi מדות, ſive proprietates Dei eſſe XIII. in quibus una tantùm ſit vindicativa.

Nulluſque apud te per ſe innocens eſt] Græcum : καὶ οὐ καθαριεῖ τὸν ἔνοχον [*& non purificabit ſontem*]. In Hebræo : purificando non purificabit, id eſt, non parcet, ut hîc Chaldæus, nempè contumaci. Tertullianus II. adverſus Marcionem : *Deus mitior pro rebus edomitis, qui retrò auſterior pro indomitis.*

In tertiam & quartam progeniem] Non in omnibus criminibus, ſed in iis quæ in Dei majeſtatem directè feruntur. qualia ſunt imprimis, defectio à Deo, & cultus falſorum deorum. In iis enim puniendis Deus non illo tantùm judiciali, ſed & dominico in poſteros jure utitur. Vide quæ ſuprà XX. 5. & quæ diximus de Iure belli ac pacis libro II. cap. XIII. §. 1. & XXI. §. 14. Adde Plutarchum in Pericle, non longe à fine.

10. *Quæ nunquam viſa ſunt ſuper terram*] Græci : ἃ οὐ γέγονεν ἐν πάσῃ τῇ γῇ [*quæ non facta ſunt in ulla terra*]. In Hebræo : *quæ non creata ſunt in omni terra.* Micula enim divina velut creationes quædam ſunt.

13. *Aras eorum deſtrue : confringe ſtatuas*] Nempè in locis quæ veſtræ erunt ditionis, ut Moſes de Kotzi explicat, ac Auguſtinus ad Deuteron. VII. 5.

14. *Confringe ſtatuas*] Columnas ſeorſim extra ædificia poſitas.

26. *Primitias frugum terræ tuæ offeres in domo Domini Dei tui*] Feres in ædem ſacram, ſuccollando in memoriam ſervitutis Ægyptiæ. Ita factum notat Maimonides. Adde Deut. XXVI. 2.

29. *Cumque deſcenderet Moſes de monte Sinai*] Citat hunc locum Græcè Chryſoſtomus ad II. Cor. III.

Ignorabat quòd cornuta eſſet facies ſua] LXX. ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ [*quod clarificatus eſſet conſpectus coloris faciei ſuæ*]. Et mox : ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ [*erat clarificatus conſpectus coloris faciei ejus*]. quia vox קרן, unde קרן cornu, radiare etiam ſignificat. Favet huic Græcæ interpretationi Paulus II. Cor. III. 8. & ſequentibus, ubi δόξαν προσώπου [*gloriam vultus*] nominat, & ad eam tegendam velo uſum Moſem oſtendit. Nihil tamen eſt quod vetet credere, radios illos ſurrexiſſe in cornuum ſpeciem, indeque factum ut Mneves, qui apud Ægyptios cum cornubus colebatur, ipſi Abeneſdræ ad caput Exodi II. credatur eſſe non alius à Moſe, ſicut & Iuſtinus Martyr, aut quiſquis eſt ſcriptor Admonitionis ad Græcos, ubi in Diodoro Siculo eſt Μνεῦιν [*Mneven*], poſuit Moſen. quo in loco idem ſcriptor pro ἀγράφοις [*non ſcriptis*] habet ἐγγράφοις [*ſcriptis*], & pro κοινότατον [*communiſſimum*] habet ἱκανώτατον [*maximè idoneum*], ſenſu meliore. Nimirum Moſes alter erat Ioſephus populi paſtor. Ioſephus autem, ut diximus, bovis nomine ac figurâ ſignificatus. Videtur autem Deus, cùm in Moſe hoc præſtitit, reſpexiſſe ad Vituli cultum, quaſi diceret: Vultis aliquid ταυρόμορφον [*tauro ſimile*]. Habete,& experimini an ferre poſſitis. Apud Macrobium primo Saturnalium, c. 21. *apud Heliopolim taurum Soli conſecratum, quem Noton cognominant.* Lege *Mnevin.*

CAPVT XXXV.

3. NOn *ſuccendetis ignem in omnibus habitaculis veſtris per diem ſabbati*] Hinc ducto argumento à levi ad grave, id eſt à minori ad majus, docuêre Hebræorum magiſtri, pœnas publicas in ſabbatis non exercendas.

21. *Mente promtiſſima atque devota*] In Hebræo: *quem extulit cor ſuum, quem ſpontaneum fecit (* Chaldæus, *implevit) ſpiritus ejus.* Celſi corde & pleni ſpiritu dicuntur liberales.

22. *Dextralia*] כומז, ſi Hebræis credimus, neque dextrale eſt, neque, ut alibi Latinus vertit, murænula, ſed ſubligar muliebre auro plerumque & gemmis ornatum.

CAPVT XXXVI.

1. VT *ſcirent fabrè operari quæ in uſus ſanctuarii neceſſaria ſunt*] In Hebræo: *ad opus miniſterii ſanctimoniæ.* LXX πάντα τὰ ἔργα κατὰ ἅγια καθήκοντα, ubi rectiùs legas: πάντα τὰ ἔργα ἅγια κατὰ τὰ καθήκοντα [*omnia opera ſancta ita ut oportet*]. præſertim cùm tres poſtremas voces, ſed omiſſo ἅγια [*ſancta*], habeant libri aliqui.

6. *Nec vir nec mulier quicquam offerat ultra in opere ſanctuarii*] Fecit Moſes quod ſapientis erat Principis, modum imponendo rerum conſecrationi.

8. *Feceruntque omnes corde ſapientes ad explendum opus tabernaculi*] Eſt hîc tranſpoſitio in Græco: ſequuntur enim hîc illa quæ in Hebræo & Latino faciunt caput XXXIX. uſque ad verſum 30. Deinde porrò ea quæ in Hebræo ac Latino hîc habemus ad verſum 37. Poſteà additamenta quædam & verſus 21. cap. XXXVIII. Inde caput XXXVII. ubi in initio quædam deſunt in Græco. Fini ejus capitis addita labri mentio. Poſt id ea quæ ſunt nobis capite XXXVIII. 24. ad finem. Deinde, poſt additamenta quædam, ſequuntur ea quæ habemus XXXIX. 31. ad finem uſque. Caput verò libri ultimum in Græcis eſt, ut in Hebræis & Latinis. Prætereà in harum partium particulis mira diſcrepantia.

CAPVT XXXVIII.

8. QVæ *excubabant in oſtio tabernaculi*] Nempè per vices, non eædem perpetuò: ut & viri, Num. III. 25. Hæ mulieres abdicatâ cultus ſui curâ, inſtrumenta ſua in ſacros uſus adferebant. Vide quæ ad Lucam II. 37.

10. *Capita columnarum*] Vnci ad quos pecudibus cutis detrahebatur, dicti ווים [*vavim*] à figura ſimili ejus nominis literæ.

CAPVT XXXIX.

29. SCripſeruntque *in ea opere gemmario*] Qualia ſolent eſſe ἔντυπα [*impreſſa*]. quam ob cauſam hîc in LXX vir maximæ lectionis Salmaſius legendum putat, non ἐκτετυπωμένα [*expreſſa*], ſed ἐντετυπωμένα [*impreſſa*].

CAPVT XL.

13. ET *unctio eorum in ſacerdotium æternum proficiat*] Satis eſt illos fuiſſe unctos, ut opus non ſit & poſteros ungi: quibus ſufficiebat eſſe ἀπὸ τοῦ τῶν χριστῶν ἱερέων γένους [*ex genere unctorum ſacerdotum*]. II. Macc. I. 10. Aliud in ſummis Sacerdotibus ſuprà XXIX. 29. XXX. 30. Levit. IV. 3. & XXI. 10. Excipe & eum ſacerdotem, qui caſtra comitabatur, hortator ad virtutem. Eum enim ad hoc ipſum ungi mos habuit. ſed & has unctiones fieri deſiiſſe ſtante Templo ſecundo, docet nos Ioſephus, nimirùm quia oleum illud primitivum, unde unctio fieri debebat, interciderat. Ex eo duæ ex antiquo reſtitêre cæremoniæ, per quas ſummi ſacerdotes inaugurarentur, ſeptenis diebus veſtium indutus, & ſacrificium ei rei dicatum.

36. *Et ignis in nocte*] Eadem nubes nocte igneſcebat. Nubes protectio contra ardorem: ignis auxilium contra tenebras. Nubes vehiculum Dei Pſ. CIV. 3. & apud Heſiodum ἠέρα ἑσσάμενοι [*induti nebulam*]. Ignis naturæ divinæ ſymbolum, teſte Porphyrio.

AD LEVITICVM.

CAPVT I.

1. **H**Omo qui obtulerit ex vobis Hoſtiam Domino*] Privatus nempè, ſuapte voluntate, non ex præcepto legis. Vide Deut. XXIII. 22.

De bobus & ovibus] In omni lege victimali videas Deum contentum animantibus parabilibus valdè, bubus, ovibus, hœdis, aviculis: & ſi cui nec horum eſſet copia, libo vel ſimilâ.

3. *Maſculum*] Ægyptii quoque ſacerdotes teſte Chæremone, τῶν βοῶν τὰς θηλείας παρῃτοῦντο [*boum feminas recuſabant*].

Ad placandum ſibi Dominum] In Hebræo: *ad ſuam voluntatem coram Domino*, id eſt, quandocunque voluerit ad Deum accedere.

4. *Ponetque manum ſuper caput hoſtiæ*] Pro hoc more mos erat apud Græcos vinum fundendi inter cornua victimæ. Mentio apud Virgilium, Ovidium, alios.

In expiationem] כפר quod Latinè vertitur expiare, hîc eſt Deo aliquem commendare.

6. *Detracta pelle*] Deo nuda omnia. Id ritus hic ſignificat: Ideò τετραχηλισμένα [*decervicata*] dixit ſcriptor ad Hebræos IV. 13. nuda & aperta volens ſignificare. A collo enim incipiebat pellis detractio.

Artus in fruſta concident] Sacerdotes II Paralip. XXIX. 24.

Ignem] De cælo, infrà IX. 24.

8. *Et cuncta quæ adhærent jecori*] Imò truncum corporis: id enim eſt פדר.

9. *In holocauſtum*] De holocauſtis Iudæorum vide egregium locum Theophraſti qui eſt apud Porphyrium ſecundo de Abſtinentia: Euſebium ἐν προπαρασκευῇ [*in Præparatione*]. Integras interdum victimas immolari ait Servius ad II. Georgicôn, adfértque Virgilii verſum:

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

Ad quem locum, qui eſt in ſexto Æneidos, idem Servius: *Ergo ſolida viſcera, holocauſtum ſignificat.*

Seneca in Oedipode:

Solidáſque pecudes urit.

Holocauſti veteris apud Cyprios meminit Porphyrius. Herodotus de Ægyptiis libro II. ἀγαγόντες τὸ κτῆνος πρὸς τὸν βωμὸν πυρὰν καίουσι. ἔπειτα δὲ ἐπ' αὐτοῦ οἶνον ἐπισπείσαντες καὶ ἐπικαλέσαντες τὸν θεὸν σφάζουσι [*pecude ad aram adducta rogum accendunt, deinde vino ſuperfuſo, & Deo invocato mactant*]. Idem Polymniâ: ὁ δὲ Εὐμίλκας ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ ἔθυετο καὶ ἐκαλλιερεῖτο ἐπὶ πυρῆς μεγάλης, σώματα ὅλα καταγίζων [*Eumilcar eo tempore ſacrum fecit libavitque, tota victimarum corpora magno rogo imponens*]. Sed gentes diſtributis divinitatis officiis holocauſta diis inferis, ut cuncta abſumentibus, ſacrabant: Hebræi cuncta ad unum referebant Deum, ut vitæ neciſque dominum in holocauſtis, in cæteris ut ad bonorum datorem, vitiis infeſtum, laude digniſſimum. Ad hæc enim capita videbis ſacrificia referri. Porphyrius II. περὶ ἀποχῆς [*de abſtinentia*] ſic ait: τριῶν ἕνεκα θυτέον θεοῖς· ἢ γὰρ διὰ τιμὴν, ἢ διὰ χάριν, ἢ διὰ χρείαν τῶν ἀγαθῶν [*tribus de cauſis ſacrificandum Deo, aut honoris cauſa, aut ad agendas gratias, aut quia bonis egemus*]. Et mox: τιμῶμεν δὲ τοὺς θεοὺς ἢ κακῶν μὲν ἀποτροπὴν, ἀγαθῶν δὲ παρασκευὴν ἡμῖν γενέσθαι ζητοῦντες, ἢ πεπονθότες εὖ, ἢ ἵνα τύχωμεν ὠφελείας τινὸς, ἢ κατὰ τὴν ψιλὴν τὴν τῆς ἀγαθῆς αὐτῶν ἕξεως ἐκτίμησιν [*Honoramus Deos quærentes aut malorum depulſionem & bonorum largitionem, aut quia beneficium accepimus, aut ut utilitatem aliquam conſequamur, aut ſimpliciter ut optimam naturam veneremur*]. Sacra ἀποτροπῆς Plinio *depulſoria*, ὠφελείας *commendationis*, gratiæ agendæ *impetrita*. XXVIII. 2. Sicut autem fines ſacrificiorum diverſi ſunt, quos & apud Arnobium & apud Iamblichum reperias, partim & apud Macrobium III. Saturnalium, ex Trebatio: ita & ritus, qui aut ab Hebræis ad gentes alias venêre, aut, quod credibilius eſt, à Syris & Ægyptiis uſurpati correcti ſunt ab Hebræis, & ab aliis gentibus ſine ea emendatione uſurpati. Servius ad III. Æneidos: *Sunt autem hæ animales hoſtiæ quæ tantùm immolantur, & caro ſacerdotibus proficit.* (hæc ſunt שלמים [*pacifica*].) *Alibi tantùm ſanguinem in aras fundi ſignificat, ut ſanguinis & ſacri pateras:* (אשם & חטא [*pro peccato & delicto*].) *alibi partem corporis: ut, Extaque ſalſos Porriciam in fluctus.* (תורה [*confeſſio*] Lev. XXII. 29.) *Alibi integras victimas, ut*

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.

Id eſt עלה [*holocauſtum*], nam עלה inter alia conſumere ſignificat: unde & κάρπωμα [*conſumtio*] vocatur hoc ſacrificium. Adde quæ adferemus infrà Levit. XVII. 11. Mirum eſt quàm vetuſtiſſima ſacra inter ſe congruant. Omnibus autem ſacris Hebræorum ſuæ aderant formulæ laudum, precum, benedictionum, unde de iis Theophraſtus: διὰ τῶν εὐχῶν θεοκλυτοῦντες [*cum precibus Deum venerantes*].

11. *Sanguinem verò illius fundent ſuper altare*] Vide quæ Exodi XXIX. 16.

15. *Retorto ad collum capite*] Non in holocauſtis tantùm, ſed in omnibus ſacrificiis avium corpora collo connexa relinquebantur.

CAPVT II.

1. **S**Imila erit ejus oblatio, fundetque ſuper eam oleum, & ponet thus*] Virgilius in VI. Æneidos:

——— *congeſta cremantur*
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Pontifex Maximus quotidie offerebat Μαναά [*oblationem è ſimila*].

4. *Coctum in clibano*] Mola, far toſtum, Feſtus. Plinius libro XVIII. 2. *à Numa ſtatutum*, ait, *non eſſe far purum ad rem divinam, niſi toſtum.*

11. *Abſque fermento*] Vide quod ſuprà diximus Exodi XII. 15. Excipe ſacrificium gratiarum actionis, in quo licebat offerre victum familiarem, id eſt, fermentatum, infrà VII. 13.

Ac mellis] Quia mel uſurpabatur in ſacris λεοντικοῖς [*Leoninis*], ut nos docet Porphyrius ad antrum Nympharum. Ea autem ſacra erant Mithræ, ut videbis ſi inſpicias eundem Porphyrium quarto de

Abſtinentia, & Scholiaſten Papinii ad finem primi Thebaidos. Melli interpretatio accenſet ficus & dactylos. myſticus ſenſus, diſplicere Deo nimias voluptates. Malè Theophraſtus mel ſacris Hebræorum admixtum putat. Meliùs Plutarchus Sympoſiacis de iiſdem Hebræis: μέλι οὐ προσφέρουσι ταῖς ἱερουργίαις [*mel non adhibent ſacris*].

13. *Quicquid obtuleris ſacrificii*] Vertit ex Græco θυσία [*ſacrificium*]: quæ vox hoc loco non cruentas victimas, ſed oblata ex ſimila ſignificat. In Hebræo: קרבן [*oblationem*], ut initio capitis. Vide quæ ad Marcum XIX. 49. Græci talia vocabant πόπανα & ψαιστὰ, quibus admixtum oleum vides apud Porphyrium de Abſtinentia ſecundo. Latini à libando liba dixêre. Horum pars adolebatur ſuper altare: ſuprà 9. Menander Dyſcolo:

Ὁ λιβανωτὸς εὐσεβὴς καὶ τὸ πόπανον·
Τοῦτ' ἔλαβεν ὁ θεὸς ἐπὶ τὸ πῦρ ἅπαν τεθέν.
[*Libum atque thuris pollen relligioſa ſunt:*
Hæc igni impoſita ſibi Deus tota accipit.]

Sale condies] Inde mola ſalſa, quæ & caſta. Servius ad VIII. Eclogam, ad II. Æneidos: item ad IV. & ad ultimum ejuſdem operis. Plinius de ſale agens libro XXXI. c. VII. *Maximè tamen in ſacris intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa.* Sal fœdus ſignificat II Paralip. XIII. 5. hinc ſal fœderis hoc ipſo loco, nimirùm ob diuturnitatem. Philoſophi per ſalem etiam animam intelligunt corporis conſervatricem: Varro, Philo, Porphyrius.

CAPVT III.

1. *QVòd ſi hoſtia pacificorum fuerit*] שלמים à שלום, quod eſt pax: ſed pacem pro beneficio poni etiam Latinis docet nos Servius ad IV. Georgicôn. Chaldæis hoc ſacrum dicitur ſanctificatorium, ut Græcis τελεστικόν: Hebræis alio nomine מלא, id eſt, τελείωσις [*perfectio*]. Erant autem hæc trium generum תורה αἴνεσις [*confeſſio*, ſive *laudatio*], ob acceptum beneficium; voti ſolutio; aut meræ liberalitatis; ut videre eſt infrà VII. 12. De his licebat poſt effuſum ſanguinem privatis qui obtulerant, eorúmque uxoribus & liberis epulari, in ſignum amicitiæ cum Deo. Id in oblatione ſimilæ non licebat, quia id inter privilegia erat ſacerdotalia: nec in victimis pro peccato ac delicto, ne de culpa lætarentur. Eadem de cauſa Pontificis victima comburitur. Infrà IV. 12.

9. *Caudam totam*] Quæ offa penita apud Feſtum. Quæ autem hîc non jubentur adoleri, ea cedebant ſacerdoti. Infrà VII. 31. Sic apud Græcos: νόμος ἦν τὰ ἀπολειπόμενα τῆς θυσίας τὸν ἱερέα λαμβάνειν [*lex erat, ſacerdotem accipere quæ de victima reſtabant*], ait Scholiaſtes ad Plutum. mox: τὸ δέρμα καὶ τὰ κῶλα [*pellem & crura & brachia*], quas idem Scholiaſtes ad Pacem vocat ἀπαρχάς. Apud Hebræos cedebant ſacerdoti de capite maxilla, de pedibus armus dexter, de corpore ſtomachus. Ea redimere non licebat: ſignificatur ſacrandos Deo ſermones, actus, appetitus.

5. *Adolebúntque ea ſuper altare*] Quod reddere exta Latinis. Servius ad I. Georgicôn. Myſticus ſenſus eſt, interimendas in Dei honorem cupidines, quarum inſtrumenta adeps, renes, jecur.

CAPVT IV.

2. *PEr ignorantiam*] ἐν ἀγνοίᾳ, Aquila. LXX minùs propriè ἀκουσίως [*involuntariè*]. Eſt quidem omne δι' ἀγνοίας ἀκούσιον [*per ignorantiam involuntarium*]: at non contrà.

Delinquere faciens populum] Doctrinâ aut exemplo populum in errorem inducens. Vide I Paral. XXI. 3. ubi idem loquendi genus.

Quæ præcepit ut non fierent] Contra præcepta vetantia, quæ לא תעשה [*Non facies*] Hebræis. Nam ſi quid per errorem merum omiſſum eſſet eorum quæ jubentur, id adhuc impleri poterat. Idem loquendi genus 13. & 22. & 27. hoc capite.

3. *Vitulum*] In gravibus peccatis levis victima, ne ſumtus magnus impetraſſe veniam crederetur. quam opinionem in Græcis Plato reprehendit. Confer quod infrà IX. 8.

13. *Si omnis turba Iſraël*] πᾶσα συναγωγὴ Ἰσραήλ [*omnis congregatio Iſraëlis*], LXX. Populus omnis, dum is congregari ſolebat. Ejus locum implevit poſteà Senatus LXX virûm, ac propter eà hac lege tenetur. Excuſatur autem error in Synedrio, quia neminem alium ducem habet quem ſequatur: in ſingulis autem non, quia acquieſcere debent judicio Synedrii, pacis causâ, quâ de re lex eſt Deuter. XVII. 8. & ſequentibus. Quia verò in Pontificem maximum & Senatum, non putantur cadere poſſe peccata graviora, ideò ſola pro illis expiatio fit ignorantiæ.

22. *Si peccaverit princeps*] ὁ ἄρχων, nimirùm rex, interrex, vel ethnarcha: in bello putà, ubi Synedrii conſulendi non eſt copia.

CAPVT V.

1. *SI peccaverit anima*] Peccatum חטא culpa in omittendo. אשם delictum in committendo. quod dolo fit eſt פשע [*facinus*]. ſed אשם & חטא ſæpè confundi apparet infrà 5. Tenebatur autem hac lege etiam qui dubitabat an peccaſſet. In dubiis enim ſumenda pars tutior, neque nocet abundans cautio.

Audiens vocem jurantis] Adjurantis: id eſt, ſi quis monitus verum ſuppreſſerit. Vide Prov. XXIX. 24. & quæ ad Matth. XXVI. 63. ubi latè hac de re. Conjunctio hîc vim habet exempli poſiti ſub genere ſuo. Latinè per *puta* benè redderetur. Nam judex ſi crimen vidiſſet, judicatu abſtinebat, ut teſtimonium diceret.

4. *Et protulerit labiis ſuis*] Aliter non cenſebatur obligare jusjurandum.

Vt vel malè quid faceret] Intellige de nocumento lege permiſſo: ut de poſtulatione talionis, vindicta in homicidam.

Agat pœnitentiam pro peccato] In Hebræo: *& confeſſa fuerit* (anima) *id in quod peccavit.* Sic & Græci: ἐξαγορεύσει τὴν ἁμαρτίαν [*enuntiabit peccatum*]: ſed illi confeſſioni aderat hæc clauſula: *Ecce pœnitet me & pudet me operum meorum. nunquam revertar ad iſtam rem.* Idem faciebant morituri. In ſacris τελεστικοῖς [*ſanctificatoriis* ſive *pacificis*] non erat delicti confeſſio, ſed preces, gratiæ, laudes.

11. *Quòd ſi non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem Ephi decimam*] Porphyrius II. περὶ ἀποχῆς [*de abſtinentia*]. μᾶλλον τὸ δαιμόνιον πρὸς τὸ τῶν θυόντων ἦθος ἢ πρὸς τὸ τῶν θυομένων πλῆθος βλέπει [*magis deus ad mores offerentium quàm ad multitudinem eorum quæ offeruntur ſpectat*]. Perſius Satyrâ II.

Compoſitum jus fáſque animi, ſanctóſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto:
Hoc cedo ut admoveam templis & farre litabo.

Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet] Vt in luctu, ornamentis & odoramentis abſtinebit. Confer Num. V. 15.

12. *In monumentum ejus qui obtulerit*] Vt qui obtulit hujus memor in poſterum ſibi caveat.

15. *Si prævaricans cæremonias*] Pro *prævaricans* in Hebræo eſt כי תמעל מעל. apud Græcos quoſdam παραβῇ παραβάσει [*tranſgreſſus ſit tranſgreſſione*]. Largiore enim ſignificatu hîc מעל [*prævaricatus eſt*] ſumitur,ut & culpam ſine dolo comprehendat. Itaque & LXX alibi vertunt παραβαίνειν [*tranſgredi*], alibi πλημμελεῖν [*negligere*]. Agitur autem hîc de peccato contra legem jubentem: ut oſtendit oppoſitio commatis 17.

Qui emi poteſt duobus ſiclis] In Hebræo eſt: *ſecundùm æſtimationem tuam pecuniæ ſiclorum:* Vbi Abeneſdra, minimùm duorum: quia enim dualis numerus in paucis vocibus locum habet apud Hebræos, ideò apud eos, ut apud gentes alias, pluralis numerus duorum ſignificatione contentus eſt. Sic poſt annos liber eſſe juſſus, poſt biennium liber fit Romano jure, l. Libertas. in fine. D. de manumiſſis teſtamento. Et datâ conditione, illud facito in diebus, ſi nihil prætereà fuiſſet adjectum, in biduo conditionem impleri oportet, l. Inter, D. de verb. ſignif.

CAPVT VI.

1. *COntemto Domino*] Societatis humanæ auctore & præſide. Vide Num. V. 6.

2. *Depoſitum quod fidei ejus creditum fuerat*] Omiſit hîc Latinus quod in Hebræo eſt ובתשומת יד in poſitione manus. Quidam Græci: ἐν πιστώσει χειρός [*in fiducia manus*]. LXX ἢ περὶ κοινωνίας [*aut de ſocietate*]. Sic & Kimchi ad Exod. XXIII. 1. rectè. Vide Ierem. L. 15. Galat. II. 9.

Aut calumniam fecerit] Vox עשק [*concusſio*] ἀναγκασμός eſt, ubi quis cogitur ſolvere quod non debet. Diſtinguitur à גזל [*vi*] & hîc & Eccleſiaſtæ V. 7. Ita ut Latinis concuſſio à vi bonorum raptorum. Vide quæ dicta ad Lucam III. 14.

5. *Quintam inſuper partem*] Pro expiatione. Maimonides.

6. *Iuxta æſtimationem menſuramque delicti*] Pro כיום [*in die*] legit כרם [*pro æſtimatione*]. Nam רם ſæpè eſt æſtimatio. At Græci ita ut nunc in Hebræo habemus: & explicant ᾗ ἡμέρᾳ ἐλεγχθῇ [*qua die detectus fuerit*], cùm primùm peccaſſe ſe cognoverit. Benè.

12. *Semper ardebit*] *Non extinguetur*, habet Hebræus codex. οὐ σβεσθήσεται. Virgilius in II. Æneidos,

Æternúmque adytis effert penetralibus ignem.

Vbi Servius: *Veſtæ ignis æternus eſt.* Vide quæ notavimus ad Marcum IX. 49.

17. *Sicut pro peccato atque delicto*] Vide ſuprà III. 1.

CAPVT VII.

16. *SI voto vel ſponte quiſpiam obtulerit hoſtiam*] εὐχὴ ἢ ἑκούσιον [*votum* ſive *ſponte datum*] LXX. ſive præcedente voti obligatione, ſive ex mera liberalitate. Illud נדר vocatur, hoc נדבת à verbo נדב, quod eſt donare. Itaque נדבה δόμα [*datum*] vertitur Deuter. XXIII. 24. II Paral. XXXI. 14. Et ſic diſtinguit Maimonides in Maaſe Karbanoth, qui & hoc notat, ubi nullo addito נדבה [*datum*] dicitur intelligi holocauſtum.

23. *Adipem ovis & bovis & capræ non comedetis*] Quia nocet ſtomacho. Maimonides.

26. *Sanguinem quoque omnis animalis non ſumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus*] Vox בהמה latiùs patet quàm pecora. Significat omnia quæ ſuper terram incedunt. Et hinc intellexêre Hebræi piſcium ſanguinem non eſſe vetitum. Vide Moſem de Kotzi præcepto vetante CXXXVII. Hinc apparet cauſam naturalem ſubeſſe interdicto. Non æquè enim inflammat corpora piſcium ſanguis. Plutarchus de carnium eſu ſecundo: οἱ δὲ οὔθασι συῶν ἐπιτέκων ἐναλλόμενοι καὶ λακτίζοντες, ἵνα αἷμα καὶ γάλα καὶ λύθρον ἐμβρύων ὁμοῦ συμφθαρέντων ἐν ὠδῖσιν ἀναδεύσαντες (ὦ Ζεῦ καθάρσιε) φάγωσι τοῦ ζώου τὸ μάλιστα φλεγμαῖνον [*illi verò uberibus ſuum incientium inſultant calcibûs, ut ſanguinem & lac & fœtus ſaniem in partitudine corrupta miſceant, ac ſic (proh Deum piacularem!) edant de animante id quod maximè inflammat*].

CAPVT VIII.

12. *VNxi eum*] Vt qui à Deo deus factus eſſet tum populi, tum Aaronis, Exod. IV. 16. Moſes ὁ τέλειος [*perfectus*], Aaron ὁ προκόπτων [*proficiens*], Philoni.

CAPVT IX.

2. *VItulum pro peccato*] In memoriam cultus vituli.

7. *Deprecare pro te & pro populo*] בעד hoc loco ut & II Paral. XXX. 18. pro eo quod plerumque על [*pro*] ut ſuprà 10. 20. 26. 51. & alibi.

CAPVT X.

2. *EGreſſuſque ignis à Domino devoravit eos, & mortui ſunt*] Nempè intùs eos uſſit ignis ad mortem uſque: nam corpora mansêre & extra caſtra deportata ſunt, ut ſequitur. Et hinc Hebræi morem ſumsêre, ut ubi pœna ignis eſt in lege, plumbum fervens damnato in os funderent, quo intùs uſtus periret.

6. *Capita veſtra nolite nudare*] Gentes pileos deponebant, & ibant veſtibus ſciſſis. At Thalmudici hoc loco & infrà XXI. 10. intelligunt vetitum comam promittere, ex Ezech. XLIV. 20. ſummo Pontifici ſemper, cęteris tempore ἐφημερίας [*vicis ſuæ*]. Promittere autem eis dicitur qui per XXX. dies comam alit.

Fratres veſtri & omnis domus Iſrael plangant] Id eſt, quamvis illi lugeant, vos eorum exemplar ne ſequimini. Sicut Romano jure non ſolent lugeri hoſtes, vel perduellionis damnati. l. Liberorum. §. 3. D. de his qui notantur infamiâ : ita Hebræo jure ii quos Deus interfecerat.

8. *Vinum & omne quod inebriare poteſt non bibetis tu & filii tui quando intratis in tabernaculum*] Id eſt, dum ſtolam feretis. Ioſephus. Chæremon de Ægyptiis : ὁ δὲ χρόνος οὗτος ὁπότε συντελεῖν τι περὶ τὴν ἱερὰν μέλλοιεν θρησκείαν περιλαμβάνων ἡμερῶν ἀριθμὸν, οἱ μὲν δυοῖν καὶ τετταράκοντα, οἱ δὲ τούτων πλείους, οἱ δὲ ἐλάσσους, οὐδέποτε μὲν τις τῶν ἑπτὰ λειπομένας [*Tempus autem quo circa ſacra occupari debent comprehendit modò dies quadraginta duos, modò plures, modò pauciores, nunquam minùs ſeptem*]. Hecatæus cùm de Templo Iudaïco egiſſet : διατελοῦσι δ' ἐν αὐτῷ καὶ τὰς νύκτας, καὶ τὰς ἡμέρας ἱερεῖς ἁγνείας τινὰς ἁγνεύοντες, καὶ τὸ παράπαν οἶνον οὐ πίνοντες ἐν τῷ ἱερῷ [*verſantur in eo ſacerdotes die noctuque caſtimonias quaſdam obſervantes, nihilque vini bibentes in templo*]. Cauſa vini eo tempore interdicti, ut & rationis uſus conſtet, & abſint libidinis incitamenta. Quas cauſas cur Ægyptii ſacerdotes vino abſtinuerint adfert idem ille Chæremon, productus à Porphyrio de Abſtinentia quarto.

11. *Doceatisque filios Iſrael omnia legitima mea*] Nempè ea quæ ad cæremonias pertinebant. Hæc enim cura propriè erat ſacerdotum.

Per manum Moyſi] Id eſt, meam. Frequens Hebræis nomen ponere pro pronomine.

CAPVT XI.

3. Q*Vod habet diviſam ungulam*] Multa horum ab Ægyptiis tranſlata cauſas habent naturales: ex bono vel malo alimento, ut notat Maimonides. Chæremon apud Porphyrium de ſacerdotibus Ægyptiis : ἰχθύων τε ἀπείχοντο πάντων, καὶ τετραπόδων ὅσα μώνυχα ἢ πολυσχιδῆ ἢ μὴ κερασφόρα· πτηνῶν δὲ ὅσα σαρκοφάγα [*omnibus piſcibus abſtinebant, quadrupedum iis quæ ſolidungula ſunt, aut multifida, aut non cornigera : avium iis quæ carnibûs aluntur*]. Vbi quod ait non cornigera, idem valet quod ſolidungula. Nam ſolidas habent ungulas quæ non ſunt cornigera, teſte Plinio libro XI. qui & addit : *ſolida ungula, & bicorne nullum.* Idem notat coitum totâ die eſſe tantùm iis omnibus quibus ſolida ungula : & fœtus minùs numeroſos : libro X. Porphyrius vetitum ait Iudæis veſci τι τῶν μωνύχων ζώων [*ullum animal ſolidungulum*].

Et ruminat] Ruminantium ſevum ſalubre, Plinio teſte libro XXVIII. c. IX. hinc ruminales hoſtiæ apud Coruncanum, memorante Plinio libro VIII.

4. *Sicut camelus*] Camelo biſulcus pes diſcrimine exiguo. Plinius libro XI.

7. *Sus*] Et hac Ægyptii abſtinebant, ut meminit Herodotus. Apud Anaxandriden quidam rationem reddens cur Ægyptiorum commilitium detrectet :

Οὐκ ἐσθίεις ὕει'· ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι
Μάλιστα τούτοις.
[*Non veſceris ſuilla : mihi nulla eſt caro*
Quæ ſapiat melius.]

Cauſam putat Tacitus quòd ſcabiei obnoxium id animal. Verius puto quòd illis in locis multa comeſta caro ſuilla, quam ſuaviſſimam eſſe dixit Plato comicus, & Cajus princeps apud Philonem, abundantia alimenti ſcabiem faciat. Nam & Plutarchus in cauſam hujus abſtinentiæ inquirens, ait, qui lac ſuillum bibunt, ἐξανθεῖν τὰ σώματα λέπραν καὶ ψωρικὰς τραχύτητας [*ſcatere corpora lepra & aſperitatibus ſcabioſis*]. Moris autem hujus Iudaïci, præter eos quos dixi, mentio apud Iuvenalem & Macrobium, & Porphyrium de Abſtinentia ſecundo in fine, & quarto.

9. *Quod habet pinnulas & ſquammas tam in mari quam in fluminibus & ſtagnis comedetis*] Piſces qui ſquammoſi non eſſent, ne pollucerentur, lex Numæ apud Plinium libro XXXII. c. 2. In Feſto quoque inter merces quas pollucere liceat, piſces, quibus eſt ſquamma, præter ſcarum. Porphyrius de Iudæis: ἀπηγόρευτο ὑὸς ἐσθίειν ἢ ἰχθύων τῶν ἀφολιδώτων ἃ σελάχια καλοῦσιν Ἕλληνες [*vetitum illis veſci de ſue aut de piſcibus ſquammâ carentibus quæ Selachia Græci vocant*]. Iudæos tamen garum feciſſe ex piſcibus ſquammâ carentibus, diſco ex eodem Plinio libro XXXI. 8.

13. *De avibus*] Omnes aves vetitæ & rapaces ſunt, & aliarum avium voratrices.

17. *Et Ibin*] Sic Græci. At Rabbini eam avem eſſe volunt quæ in agro Patavino Chus dicitur. Mirum in modum in his nominibus variant interpretes, ita ut pauca ſint de quorum ſignificatu conveniat.

34. *Si fuſa fuerit ſuper eum aqua*] Nempè quæ immundo cibo contacta fuerit : illa enim aqua immunda fit, & immunda facit alia.

35. *Sive clibani ſive chytropodes deſtruentur*] Meliùs alii : *furnus & focus diruentur.* A majori ad minus collegit interpretatio, frangenda vaſa fictilia in quæ ceciderit animal immundum, ut in quo minus ſit damni.

Fontes verò & ciſternæ & omnis aquarum congregatio munda erit] Ob earum rerum in illis locis infrequentiam.

CAPVT XII.

2. I*Mmunda erit*] Habet & hoc cauſam naturalem illis in locis, unde ad alias etiam gentes pervenit. Meminit Euripides Iphigenia in Tauris. Fuit & in Chryſippi libris ejus mentio.

Iuxta dies ſeparationis menſtruæ] Id eſt, ita ut & alios contactu ſuo impuret.

4. *Triginta tribus diebus*] Cenſorinus aliquot dies adjicit. *Prægnans ante diem quadrageſimum non prodit in fanum.* Cauſam addit : *Et poſt partum pleræque fœtæ graviores ſunt, nec ſanguinem interdum continent.* His diebus, poſt ſeptem illos primos, puerpera tantùm à ſanctuario abſtinet.

5. *Sexaginta ſex diebus*] Duplicatur numerus dierum in ea quæ feminini ſexûs partu ſoluta eſt. Non ſine cauſa : nam minùs calent αἱ θηλυτόκοι [*quæ feminas peperere*], eoque & tardiùs purgantur. Eadem cauſa eſt cur in utero fœtus feminini generis perficiantur ſeriùs : quod notatum Ariſtoteli de Hiſtoria animantium VI. 22. & VII. 3. Vnde & Hippocrates,

περὶ φύσιος παιδίου. Καὶ γὰρ ἡ κάθαρσις γίνεται τῇσι γυναιξὶ μετὰ τὸν τόκον ὡς ἐπιτοπολὺ, ἐπὶ μὲν τῇ κούρῃ ἡμέρῃσι τεσσαράκοντα καὶ δύο· οὕτως ἡ χρονιωτάτη τελέη. ἀκίνδυνος δ᾽ ἂν εἴη, καὶ ἐν εἴκοσι καὶ πέντε ἡμέρῃσιν εἰ καθαίροιτο. ἐπὶ δὲ τῷ κούρῳ ἡ κάθαρσις γίνεται ἡμέρῃσι τριάκοντα· οὕτως ἡ χρονιωτάτη τελέη. ἀκίνδυνος δ᾽ ἂν εἴη καὶ ἐν εἴκοσιν ἡμέρῃσιν εἰ καθαίροιτο [*de natura infantis. Purgatio evenit mulieribus poſt partum plerúmque. Poſt filias editas per dies quadraginta & duos : hæc eſt longiſſima & perfectiſſima purgatio. Vacat tamen periculô etiamſi per dies tantùm viginti & quinque purgetur. Poſt filios editos quæ per trigintadies fit purgatio, ea & longiſſima & perfectiſſima eſt. Vacat autem periculo etiamſi per viginti tantùm dies fiat purgatio*]. Mox idem repetit : Ἱστορίη, ἡ κάθαρσις τῶν λοχίων, ὅτι ἐπὶ μὲν τῇ κούρῃ γίνεται ἐν τεσσαράκοντα καὶ δυοῖν ἡμέρῃσιν, ἐπὶ δὲ τῷ κούρῳ ἐν τριάκοντα ἡμέρῃσιν ἡ χρονιωτάτη [*Obſervatum, purgationem puerperarum poſt editam filiam fieri per dies quadraginta & duos : poſt filium per dies triginta : & has purgationes eſſe longiſſimas*].

CAPVT XIII.

2. H*omo in cujus cute & carne ortus fuit diverſus color*] Præclarè de his legibus diſſerit Ioſephus contra Appionem primo, ubi refutat Ægyptiorum fabulas de Moſe ob lepram exacto : τοῖς γὰρ λεπρῶσιν ἀπείρηκε, μήτε μένειν ἐν τῇ πόλει, μήτ᾽ ἐν κώμῃ κατοικεῖν, ἀλλὰ μόνους περιπατεῖν κατεσχισμένους τὰ ἱμάτια· καὶ τὸν ἁψάμενον αὐτῶν ἢ ὁμώροφον γενόμενον, οὐ καθαρὸν ἡγεῖται. καὶ μὴν κἂν θεραπευθῇ τὸ νόσημα, καὶ τὴν αὐτοῦ φύσιν ἀπολάβῃ, προείρηκέ τινας ἁγνείας, καθαρμοὺς πηγαίων ὑδάτων λουτροῖς, καὶ ξυρήσεις πάσης τριχὸς, πολλάς τε κελεύει καὶ παντοίας ἐπιτελέσαντα θυσίας, τότε παρελθεῖν εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν [*Leprâ contractâ vetuit aut in urbe aut in vico habitare, ſed ſolos ambulare voluit, & quidem conſciſſis veſtibus. Et qui eos tetigerit, aut eodem uſus fuerit tectô, eum cenſet impurum. Præterea ſi ſanetur morbus, & corpus ad ſuam naturam redeat, imperat purificationes quaſdam per ablutiones in fontanis aquis, per abraſiones omnium pilorum : multiſque & multiplicibus ſacris peractis tum demum eis permittit redire ad ſacram urbem*]. Similia habet idem ſcriptor Hiſtoriæ antiquæ libro III. c. 5. Cenſent autem Hebræi lepram domuum & veſtium repertam in ſola Iudæa.

3. *Et pilos in album mutatos colorem*] Tenebantur enim pilos in ulcere relinquere, ut dignoſci poſſet incrementum aut decrementum mali.

6. *Quia ſcabies eſt*] Theodotion, ἔκβρασμα. Hieronymus ad Nahum II. ἐκβρασμός. *ebullitio, quæ ſignificantiùs in Græco dicitur : ſiquidem ἐκβρασμὸς in iſtiuſmodi rebus ponitur, cùm quod latebat intrinſecus, erumpit in faciem : unde papulæ quoque, quæ poſt ægrotationem naſcuntur in labiis, vocantur ἐκβράσματα.* Hæ papulæ tales ſunt, ut tranſitione non noceant, quod facit lepra.

12. *Sin autem effloruerit diſcurrens lepra in cute*] Lepra non diffluens pertinacior, ut flumina arcta ſunt profundiora.

46. *Extra caſtra*] Et poſt terram poſſeſſam, extra urbes, quæ in caſtrorum locum ſucceſſerant.

51. *Si lepra perſeverans eſt*] LXX ἔμμονος [*permanens*]. Alii ex vetere Samaritano φιλόνεικος [*pertinax*]. مارة id eſt, מארת eſt *dominans* Arabibus.

CAPVT XIV.

4. L*ignum cedrinum vermiculumque & hyſſopum*] Lepra ſuperbiæ pœna, ut apparet in Mariamme Moſis ſorore, Giezi, Ozia. Hanc ſuperbiam cedrus ſignificat : vermiculus, ſive coccinum, peccatum, & hyſſopus oppoſitam virtutem ταπεινοφροσύνην [*modeſtiam*]. Humi enim naſcitur, & vim habet purgatricem hyſſopus, ut Ægyptiis creditum ex Chæremone docet Porphyrius de Abſtinentia quarto.

7. *Septies*] Qui numerus perfectioni ſacer. Vide & infrà 51.

CAPVT XV.

2. V*ir qui patitur fluxum ſeminis*] Cujus genitura perpetuò effluit, immundus eſt, dum manet id vitium. Sunt autem hîc in Hebræo expreſſa tria ejus genera, per modum ſtillæ, per modum ſalivæ, per craſſius coagulum : quæ Rabbinis טפה ריר עב. Sciendum autem in Syriæ locis & vicinis non minùs τὴν γονόῤῥοιαν [*fluxum ſeminis*], quàm τὰ ἔμμηνα [*menſtrua*] habere aliquid contagio nocens ; unde iſta legibus, quæ à lepræ legibus non longè abeunt, conſtringuntur. Etiam lecti, ſedes, menſæ quas contigerint, pro impuris habentur.

16. *Vir de quo egreditur ſemen coitus*] id eſt, erumpit. Is ad veſperam immundus eſt. Id dicitur קרי [*accidens*], cujus ſpecies ὀνειρωγμός [*pollutio in ſomnis*]. Chæremon de Ægyptiorum ſacerdotibus : εἰ δέ ποτε συμβαίη καὶ ὀνειρωχθεῖεν, παραχρῆμα ἀπεκάθαιρον λουτρῷ τὸ σῶμα [*ſi verò contingeret genituræ emiſſione aliquem in ſomnis fœdari, is è veſtigio lavacrô corpus mundabat*].

18. *Mulier cum qua coierit*] Nempè eo die is cui tale quid evênit, quod repetendum ex præcedentibus. At Græcis & Romanis feminis mos aquam ſumere poſt qualemcumque Venerem, quò & hanc legem vult trahere Ioſephus. Rectiùs Theano, quæ feminam à mariti ſui congreſſu ſtatim puram eſſe dicebat.

CAPVT XVI.

4. T*unica linea veſtietur*] Sic Ammonis ſacerdotes apud Silium :

——— *velantur corpora lino.*

Niveus color ſacris proprius apud gentes omnes. Plato de Legibus XII. Cicero de Legibus II. Notandum autem ſummum ſacerdotem in die Expiationis non omnia habuiſſe ſolita ſibi ornamenta, ſed tantùm qualia habebant ſacerdotes alii, tanquam in mœrore.

8. *Capro emiſſario*] Ex Græco, ἀποπομπαίῳ [*ablegatitio*], quod LXX habent, & inde Chriſtiani Græci ſæpè. Vox compoſita ex עז, quod caprum capràmve ſignificat, & אזל, quod eſt abire ; unde alii vertêre ἀπερχόμενον [*abeuntem*]. LXX Levitici XVI. 26. διεσταλμένον εἰς ἄφεσιν [*diſcretum ad dimiſſionem*]. Aquila : ἀπολελυμένον εἰς τὴν ἔρημον [*ablegatum in deſer-*

deſertum] Significabat hic hircus peccata illa per victimam expiata non redire in conſpectum Dei : ἀποτροπιασμὸν [*averruncationem*] id vocat Ioſephus. Id autem intelligunt Hebræi de peccatis, quibus neque mortis, neque ἐξολοθρεύσεως [*exciſionis*] pœna eſt addita. Hæc enim, etiamſi judices lateant, non expiari niſi per ærumnas graves. Quod autem dicit divinus ad Hebræos ſcriptor x. 2. manſiſſe in Hebræis poſt ſacrum illud peractum conſcientiam peccati, intellige relapſos illos ſæpè in eadem aut paria peccata, quam fragilitatem lex non aufert terrena pollicens, ſed verbum & ſpiritus Euangelii.

12. *Vltra velum intrabit in ſancta*] Vltra velum ſecundum in Sancta Sanctorum. Philo II. de Monarchia, Origenes IX. ad Leviticum, meminêre hujus foculi.

14. *Tollet quoque de ſanguine vituli, & aſperget digito*] Simile quid apud Romanos obſerves in Zoſimo, & in Prudentii hymno de ſancto Romano.

17. *Nullus hominum*] Eorum ſcilicet quibus aliis temporibus ingredi Ædem licebat, id eſt, Sacerdotum & Levitarum.

21. *Iniquitates filiorum Iſraël & univerſa delicta atque peccata eorum*] Græci, ἀνομίας, ἀδικίας, ἁμαρτίας [*exlegitates, injuſtitias, peccata*]. Horum poſtremum חטאת ea ſignificare videtur quæ *non deliberatò* fiunt : cætera duo ea quæ *deliberatò* : prius illud, id eſt עונת contra *leges vetantes*, poſterius פשעים contra *jubentes*, ſed ita tamen, ut non comprehendantur ea quibus pœna qualem diximus diſertè appoſita eſt.

22. *Et dimiſſus fuerit in deſerto*] Vbi de monte præcipitabatur.

24. *Tam pro ſe quam pro populo*] Pro bono aëre, pro bono regimine, & ne exaudirentur preces privatæ utilitatis causâ factæ contra publicam. Sic Chriſtiani orabant pro omnibus Imperatoribus *vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum*, ut Tertullianus in Apologetico loquitur.

27. *Aſportabunt foras caſtra & comburent igni*] Id ſignificabat omnem memoriam criminum, ejus generis quibus expiatio conſtituta erat, à Deo longè projectam.

28. *Quicumque combuſſerit ea, lavabit veſtimenta ſua*] Simile infrà Numerorum XIX. I. Sic & apud gentes victimæ ἀποτρόπαιοι [*piaculares*] polluere credebantur qui eas attigiſſent. Porphyrius de Abſtinentia ſecundo : πάντες γὰρ ἐν τούτῳ ὡμολόγησαν οἱ θεολόγοι, ὡς ὅτι ἀπτέον ἐν τοῖς ἀποτροπαίοις θυσίαις τῶν θυομένων, καθαρσίοις τε χρηστέον. μὴ γὰρ ἴοι τις εἰς ἄστυ, μηδ' εἰς οἶκον ἴδιον μὴ πρότερον ἐσθῆτα καὶ σῶμα ποταμοῖς ἢ πηγῇ ἀποκαθήρας, φασὶν, ὥστε καὶ οἷς ἐπέτρεψαν θύειν, ἀπέχεσθαι τῶν θυομένων τούτοις παρήγγειλαν [*Omnes in eo conſentiunt Theologi, in ſacris piacularibus non tangendas à ſacrificantibus victimas; & purificatione utendum: neque enim, ajunt, quis in urbem eat, aut domum redeat, niſi priùs & veſtem & corpus omne aquâ flumineâ aut fontanâ abluerit. itaque & quibus permiſerunt offerre his ipſis præceperunt abſtinere ab oblatis*].

32. *Sacerdos qui unctus fuerit*] Summus ſcilicet. Vide quæ ſuprà Exodi XL. 13.

CAPVT XVII.

3. *Si occiderit bovem aut ovem, ſive capram*] Nempe *oblationem Domino*, quod ex verſu ſequenti hîc ſubintelligitur, καθ' ὑπόζευγμα [*per zeugma à conſequenti*], aut per trajectionem.

4. *Et non obtulerit ad oſtium tabernaculi*] Quod hîc addunt LXX, ὥς τε ποιῆσαι αὐτὸ εἰς ὁλοκαύτωμα ἢ σωτήριον Κυρίῳ δεκτὸν εἰς ὀσμὴν εὐωδίας [*ut facias id in holocauſtum, aut in pacificum acceptum, Domino in odorem ſuavitatis*], poni debuerat poſt illa, ἔξω τῆς παρεμβολῆς [*extra caſtra*] : & deinde ſequi, καὶ ἐπὶ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου μὴ ἐνέγκῃ αὐτὸ, ὥς τε προσενέγκαι δῶρον τῷ Κυρίῳ ἀπέναντι τῆς σκηνῆς Κυρίου, καὶ λογισθήσεται τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ αἷμα [*& ad fores tabernaculi teſtimonialis non portaverit illud, ita ut id offerat donum Domino ante tabernaculum Domini, & imputabitur ei homini ſanguis*]. Sed confuſæ ſunt duæ verſiones : altera quæ interpretamentum commodum generalibus illis verbis adhibuerat, altera quæ Hebræum κατὰ πόδας [*verbo tenus*] ſequebatur : unde ſecuta repetitio inanis quæ & ex Græco LXX in Samaritanum fluxit. Nam Samaritani quos nunc habemus codices facti ſunt ad Græca exemplaria, ex quo Samaritani ab Iuſtiniano coacti ſunt ſuſcipere Chriſtianiſmum.

7. *Nequaquam ultra immolabunt hoſtias ſuas dæmonibus*] Nempe τραγομόρφοις [*hirciformibus*], qui Hebræis שעירים [*Saarim*], unde fortè nomen *Satyrorum*. Sic & Chaldæus hîc accepit : & Abeneſdra & Maimonides. Sic & Kimchi Eſaiæ VIII. 20. Eſt τράγου φάσμα [*hirci ſpectrum*] apud Iamblichum.

10. *Et de advenis qui peregrinantur inter eos*] Eſt enim hoc præceptum inter ea quæ Noæ liberis ſunt data : ut diximus ad Geneſeos VI. 4.

Obſirmabo faciem meam contra animam illius] Iraſcar illi vehementer. Sic & infrà, XX. 3.

11. *Quia anima carnis in ſanguine eſt*] Vide quæ ſuprà Geneſeos IX. 4. Hinc animales hoſtias exponit Macrobius Saturn. III. c. 5. ex illo Virgilii,

Sanguine placaſtis ventos.

& eo quod ſequitur,

Sanguine quærendi reditus, animâque litandum.

Ad quem locum Servius : *Videtur ſanè peritiâ Iuris Pontificalis animalis hoſtiæ mentionem feciſſe, cùm dicit, animâque litandum Argolicâ. nam & animam dixit & litare, verbo pontificali uſus.* Idem ad III. Æneidos : *Anima ſine ſanguine nunquam eſt.* & ad initium quarti : *In ſanguine anima eſt.* & poſteà : *Duo enim genera hoſtiarum ſunt : unum in quo voluntas Dei per exta exquiritur, alterum in quo ſola anima Deo ſacratur. Vnde etiam aruſpices animales hoſtias appellant.* & ad quinti Æneidos illud : *Meliorem animam pro morte Daretis. Nam animalem hoſtiam dat.* & lib. IX. *Purpuream vomit ille animam, ſecundùm eos qui animam ſanguinem dicunt.* & libro X. in fine : *In arma undanti cruore animam diffundit, cujus ſedem plerique ſanguinem eſſe volunt.* Hebræorum mos eſt id quo corpus viget ac ſentit vocare נפש [*animam*], quo intelligimus רוח [*ſpiritum*]. Philo : αἷμα τῆς ψυχῆς οὐσία ζωτικῆς, καὶ πνεῦμα τῆς ψυχῆς οὐσία λογικῆς.

ſanguis ſubſtantia animæ vitalis, ſpiritus ſubſtantia animæ ratione utentis].

Vt ſuper altare in eo expietis pro animabus veſtris] Ovidius Faſtorum VI.

Hanc animam vobis pro meliore damus.

15. *Anima quæ comederit morticinum*] Hinc ſumſit Pythagoras, θνησειδίων κρεῶν ἀπέχεσθαι [*morticinis carnibûs abſtinendum*]. Meminêre Laërtius, Ælianus IV. 17. & Iamblichus. Flaminicæ non licebat ſoleas morticinas habere. Morticinæ autem dicuntur quæ de pecudibus ſuâ ſponte mortuis fiebant. Ita Servius ad IV. Æneidos: ſed & alios à morticinis abſtinuiſſe docet nos Porphyrius libro III. de Abſtinentia ab animalibus, qui & libro IV. idem ſpeciatim prodidit de iis qui Eleuſiniis initiabantur. Hebræi præter has θνησιμαίοις [*morticinis*] accenſebant animantes non ritè jugulatas, ex lege Deuteronomii XII. 15. Cauſam hujus legis affert medicam Maimonides, dicens θνησιμαῖα [*morticina*] difficulter concoqui.

CAPVT XVIII.

2. Ego *Dominus Deus veſter*] Cui jus legem ferendi. Vbi loquitur lex divina, ſileant mores humani.

5. *Vivet in eis*] Vitam longam. Chaldæus hîc.

6. *Ad proximam ſanguinis ſui non accedet*] Non hoc ita generaliter ſumendum, ut fecêre Græci Chriſtiani, quorum hac de re ſententiam explicat Baſilius ad Diodorum, ſed de iis feminis quæ ſunt comprehenſæ verbis ſequentibus. Vide quæ à nobis dicta libro II. de Iure belli ac pacis, cap. 5. §. 13.

Turpitudinem] ערוה, id eſt, *nuditatem*, Hebræi vocant partes quæ nudæ dedecent. Ideò LXX ἀσχημοσύνην [*inhoneſtatem*]. Paulus I Cor. XII. 23. τὰ ἀσχήμονα [*inhoneſta*].

Turpitudo enim patris tui eſt] Pater nudavit.

9. *Quæ domi vel foris genita eſt*] Id eſt, ſive mater eam genuerit ex tuo patre, ſive ex alio matrimonio, quod ſimiliter de patre ſumendum, ut non tantùm ſorores ex utroque parente, ſed & ex altero prohibitæ intelligantur, ut hîc Chaldæus. Foris genitam quidam interpretantur ex ſtupro.

11. *Turpitudinem filiæ uxoris patris tui non diſcooperies*] Adeſt in Hebræo, *natæ patris tui*: quia verò περὶ ὁμοπατρίας ἀδελφῆς [*de ſorore communem patrem habente*], ut hîc loquuntur LXX, ſatis cautum erat ſuprà 9. ideò Sadducæi vocem מולדת [*natura*] hîc ſumebant de patris privigna quam pater adoptaſſet. quomodo & ילד [*gignere*] & γεννᾶν ſumi interdum notavimus ad Lucæ III. Sanè & Romano jure vetamur ſorores per adoptionem factas ducere, quamdiu manet adoptio, l. *Per adoptionem.* D. de Ritu nuptiarum. Inſtitutionibus de Nuptiis. §. *Inter eas.*

18. *Sororem uxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec revelabis turpitudinem ejus adhuc illâ vivente*] Pellicem hîc impropriè ſumit pro altera conjuge: quam Græci hic feliciùs ἀντίζηλον [*æmulam*] vocant. Iacobo id malè ceſſerat. Sicut acerrima dicuntur eſſe fratrum odia, ſic & æmulationes ſororum. Reprehendit hîc Peſictha non immeritò Caraitarum ſententiam, qui volebant vetari hîc duas habere eodem tempore uxores, quia *ſoror* ſæpè apud Hebræos alterum aliquid ejuſdem generis ſignificat. Eamque ſententiam & noſtro ſæculo renovarunt viri non ineruditi, nempe quia nolunt quicquam in Euangelio eſſe vetitum quod in lege licuerit: quibus refellendis ſufficient quæ dicta in libro de Iure Belli ac Pacis II. cap. V. §. 9. Lex in Deuteronomio ſatis clara eſt, plures uxores permittens. Accedit optima legis interpres conſuetudo.

21. *Vt conſecretur idolo Moloch*] Per ignem. Vide quæ dicentur Deuteronomii XVIII. 10.

23. *Quia ſcelus eſt*] Hebraïcè, *confuſio*, optimé. Non abominatio tantùm eſt, ut quæ præceſſere, ſed in vterum humanum effuſio γονῆς ἀλλογενοῦς, unde portenta naſcuntur.

24. *In omnibus his quibus contaminatæ ſunt univerſæ gentes*] Hoc de contaminatione gentium refer ad poſtrema illa: aut, ſi vis, adde & inceſtus juris gentium. Sunt enim & inceſtus juris civilis ideò vetiti, ne nimia licitorum vicinitas ad illicita duceret. Vide quæ nos dicto jam loco.

30. *Cuſtodite mandata mea*] In Hebræo: *Cuſtodite cuſtodiam meam.* quomodo & infrà XXII. 9. ubi LXX φυλάξονται τὸ φύλαγμά μου [*cuſtodient cuſtodiam meam*]. Trahunt hoc Hebræi ad receptas in lege interpretanda ſententias, ne quis ab eis privatæ opinionis amore diſcedat. Ego potiùs putem hoc innui, non modò ſervanda quæ juris ſunt naturalis, ſed & ea quæ velut antemuralia interjectu ſuo jus naturale longiùs à contemtu ſemovent. Sic apud Chriſtianos, canones προφυλακὴ [*prætenturæ*] vocantur τῶν θείων νόμων [*legum divinarum*].

CAPVT XIX.

2. Sancti *eſtote*] Caput hoc omnia ferme officia comprehendit.

3. *Vnuſquiſque patrem ſuum, & matrem ſuam timeat*] In Hebræo mater præponitur, quia naturaliter magìs timetur pater. Et quia naturaliter mater amatur magìs, ideò in honore, id eſt, amore, pater priore loco ponitur.

7. *Profanus erit*] Rectiùs profanum erit, id eſt, ἄθυτόν ἐστι, ut optimè hîc vertunt LXX. Sacrificium tuum erit irritum: nihil tibi proderit: oppoſita hæc lex mori gentium, quæ de victimis faciebant προκόμματα [*minutalia*].

9. *Non tondebis uſque ad ſolum ſuperficiem terræ*] In Hebræo, *Non conſummabis metendo angulum agri tui*: id eſt, angulum aliquem agri conſiti relinques indemeſſum vel indecerptum. Is angulus ex moribus erat pars ſexageſima.

11. *Non facietis furtum*] Id fit non tantùm cùm quis alteri bona ſubtrahit, ſed & cùm quis videt, aut novit, & tacet.

Non mentiemini] In Hebræo: *Non negabitis*, nempe depoſitum. Etiam hîc ſontes habentur qui vident, aut norunt, & tacent: neque teſtimonio juvant eum qui fraudatur.

Nec decipiet unuſquiſque proximum ſuum] שקר [*fraudare*] quod hîc eſt in Hebræo, interpretantur *poſcere non debitum.*

13. *Non facies calumniam proximo tuo*] עשק [*concu-*

[*concutere*] quod hîc in Hebræo eſt, propriè eſſe volunt *retinere quod alteri debeas.*

Nec vi opprimes eum] גזל [*vim facere*] eſt quod Romani *vim bonorum raptorum* vocant.

14. *Nec coram cæco pones offendiculum*] Comprehendit hæc lex omnes qui mala dant conſilia, præſertim ſimplicioribus.

15. *Nec injuſtè judicabis*] Ita ut ſententia per errorem juris non controverſi à judice lata revocari ab ipſo poſſet.

16. *Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui*] Id eſt, non patieris innocentem per vim aut judicii ſpecie interimi, ſi eum liberare auxilio aut teſtimonio poſſis. Sic Moſes de Kotzi, Maimonides, & alii. Proximum hîc, ut & in omnibus Moſis legibus, Iſraëlitam ſolùm aut extraneum legi ſubjectum intelligunt Hebræi.

17. *Non oderis fratrem tuum in corde*] Vt ultioni privatæ ſtudeas extra caſus permiſſos.

18. *Non quæras ultionem*] Verbum quod hîc נקם [*ulciſci*] locum habet propriè, ut Hebræi volunt, cùm quis ob acceptam injuriam beneficium alteri negat.

Nec memor eris injuriæ] Hoc verbum eſt נטר [*retinere*], quod in eum ajunt competere qui beneficium dat quidem, ſed additâ exprobratione ob acceptam olim injuriam.

Civium tuorum] Eorum qui legi ſubjecti vivunt. Et ita vox רע [*proximi*] quæ hîc ſequitur in lege ſumi ſolet. Ante legem de quovis homine intelligebatur, ut Geneſeos XI. 3. Exodi II. 13. XI. 2. Nimirum creſcente hominum multitudine & malitiâ, leges ſcriptæ ſunt quæ civibus ſaltem conſulerent, interdum & iis gentibus, quibuſcum neceſſaria erant commercia. Vide quæ hac de re habet Hermachus apud Porphyrium libro primo de Abſtinentia ab animalibus.

19. *Agrum tuum non ſeres diverſo ſemine*] Quod hîc in arvo dicitur, idem in vinea locum habet. Deuteronomii XXIX. 9. Vtrâque mixturâ uſos ad multa magica Ægyptios notat Maimonides. Senſu myſtico ſchiſmata hîc vetari tradunt Hebræi. Et egregiè conjunxit duo interdicta, ne commiſceantur ἑτερογενέα [*diverſigenera*], ne dividantur ὁμογενέα [*congenera*].

Veſte quæ ex duobus texta eſt non induêris] Eſt hîc vox, ni fallor, Ægyptiaca שעטנז, quam Hebræi interpretantur, *ex lana & lino*. Sic Romani credidêre, ſi Flaminica inventa eſſet, tunicam laneam lino habuiſſe conſutam, ob eam cauſam piaculum eſſe commiſſum. Docet id Servius ad ultimum Æneidos. Hæc omnia commendant τὸ ἀκίβδηλον [*ſinceritatem*].

20. *Etiam nubilis*] In Hebræo, *deſponſata*. Græci idem volunt, cùm dicunt διαπεφυλαγμένη ἀνθρώπῳ [*cuſtodita viro*]. Agi hîc volunt Hebræi de ancilla ſemilibera domini indultu, quales *ſtatu liberi* apud Romanos.

Vapulabunt] In Hebræo, *vapulatio*. Senſus eſt, ipſa vapulabit, nervo nempè bubulo; nam vir victima expiatur, ut jam dicetur. Ea animadverſio ſufficere viſa: nulla ex hoc facto actio datur, ſicut nec ei qui læſus eſt juramento teſtimonii aut depoſiti. Vide ſuprà VI.

Quia non fuit libera] Ancillarum nuptiæ non plenè nuptiæ ſunt, nec ſponſalia plenè ſponſalia. Maimonides.

23. *Auferetis præputia eorum*] Præputii nomine vocant Hebræi quicquid ut inutile aufertur.

Poma quæ germinant immunda erunt vobis] *Per tres annos:* quod additur in Hebræo. Primi agrorum incultorum fructus ferum aliquid habent & inſalubre. Multa præcepta valetudini conſulunt. quarti anni fructus Deo dicantur. quinti demùm domino proſunt. Maimonides addit legem hanc oppoſitam moribus Idololatrarum.

25. *Quinto autem anno comedetis fructus*] Tribus adhibitis teſtibus, ut conſtare poſſit de impleta lege.

26. *Non comedetis cum ſanguine*] Nempe victimas. Eæ vetantur edi quamdiu ſanguis è pelvibus effuſus ablatuſque non eſt. Ita Ionathan & Maimonides. Cauſa vetandi, quòd profanæ nationes apud ſanguinem epularentur, eum pro alimento eſſe dæmonibus putantes: qua de re vide νεκυίαν [*partem de mortuis agentem*] Homeri. Videtur apud Ægyptios דם [*ſanguis*] aliud ſignificaſſe, nempe aut montem, aut ſolarium, aut utrumque. Nam Græcæ verſiones aliæ habent, ἐπὶ τῶν ὀρέων [*ſuper montibus*], aliæ ἐπὶ τοῦ δώματος [*ſuper ſolario*]. Mos ſacrificandi ac ſimul victimas edendi in locis excelſis & cœlo propioribus antiquiſſimus eſt, ut & Abrahami hiſtoria nos docet, & Strabo. Vetitus autem lege, ad impedienda ſchiſmata.

Non augurabimini, nec obſervabitis ſomnia] Prius verbum quod eſt נחש [*ominari*] per οἰωνίζεσθαι vertunt LXX. Significat autem vox Hebræa & Græca ſimilis Latinæ *augurari*, non ex origine, ſed ex uſu omen qualecunque captare, putà ex ſternutatione, ex oculi ſubſultu, ex corrigia rupta, ex nomine hominis qui nobis occurrat. Alterum autem verbum vertunt per ὀρνιθοσκοπεῖν [*auſpicari*], quod propriè ad auſpicia pertinet. Videtur verbum Hebræum ductum à nubibus. Deus per ſomnia ſæpè voluntatem ſuam ſignificavit: non autem per illa omina, aut per auſpicia. Vide egregiam de Moſollamo Iudæo auſpicii à Græcis captati irriſore hiſtoriam apud Ioſephum. Cæterùm φυσικὰς προγνώσεις [*prædictiones naturales*] hîc non vetari, rectè notat R. Levi.

27. *Neque in rotundum attondebitis comam*] Quem morem eſſe Saracenorum notant hîc ſcholia Græca. Quare Chœrilus, cùm in verſibus qui apud Ioſephum ſunt Iudæos dixit τροχοκουράδας [*tonſos in orbem*], confudit eos, ut homo Græcus, cum Arabibus vicinis eorum, & tunc commilitibus. Nam & in exercitu Pompeji Appianus Civilium primo ſic ait: καὶ τὸ Ἑβραίων γένος καὶ Ἄραβες οἱ τούτων ἐχόμενοι [*& Hebræa gens, & his conjuncti Arabes*]. Herodotus Thalia, de Arabibus: κείρονται δὲ ὑποτρόχαλα περιξυροῦντες τοὺς κροτάφους [*tondentur autem in orbem circumraſis temporibus*]. Etiam Plutarchus in Theſeo ait: οἱ Ἄραβες ἐκείροντο τῆς κεφαλῆς τὸ πρόσθεν [*Arabes tondebantur ſinciput*]. Quod convenit cum eo quod dicit Theodorus Mopſueſtenus: οἱ Σαρακηνοὶ τὴν κόμην κατὰ τὸ ὄπισθεν μέρος ἐῶντες μόνον ἀποκείρονται τὸ μέρος τὸ ἐπὶ τὸ μέτωπον, οἵ εἰσιν οἱ νῦν λεγόμενοι Γεντίλιοι [*Saraceni comam in occipite relinquentes in*

ſincipite tondentur. Hi ſunt qui nunc dicuntur Gentiles]. Idem de Amorrhæis dicunt Hebræi. Quod autem hîc in Græco nomen eſt *comæ rotundatæ*, σισόη, Phaſelitis uſitatum fuiſſe docet nos Heſychius: id eſt, ציצית voce Phœnicum, è quibus orti Phaſelitæ.

Nec radetis barbam] Sic & Pheſictha: & inter Græcos Heſychius. Cyprianus quoque libro III. Teſtimoniorum hinc probat, barbam non vellendam. In Hebræo eſt: *Non corrumpes extremitatem barbæ tuæ.* Barbam radere mos Babyloniorum ſacerdotum. Vide epiſtolam quæ Ieremiæ dicitur fine Baruchi.

28. *Super mortuo non incidetis carnem veſtram*] Sumſit נפש pro *cadavere*, dicitúrque mos fuiſſe Amorrhæorum, lugere mortuos inciſo corpore. Poſſis ſumere נפש pro *ſanguine*, ut vetetur inciſio ſanguinem eliciens quo pagani utebantur, ut

——— *quos ſectis Bellona lacertis*
Sæva movet.

Quæ verba Lucani ſunt primo. & Galli, de quibus Martialis:

Alba minus ſævis lacerantur brachia cultris,
Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.

Vide de hoc more 1 Reg. XVIII. 28. & Ierem. XVI. 6. 15. mos & nunc manet apud quaſdam barbaras gentes. Alii hîc ajunt agi de laceratione quæ fit per ungues; Deut. XIV. 1. de ea quæ fit per cultros.

Neque figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis] *Victuris in cute punctis*, ut ait Horatius: Atramento aut ſtibio id fieri ſolitum notat Thalmud titulo de Synedrio. Talibus autem punctis in fronte, aut manu ſcribebantur, nomina deorum, aut numerus nominum, aut hieroglyphicæ deorum notæ. Vide Apocalypſin c. XIII. in fine. Idem & ferro ignito fiebat. Philo: περὶ δὲ τῶν εἰς δουλείαν τῶν χειροκμήτων ἑαυτοὺς καταστιζόντων σιδήρῳ πεπυρωμένῳ [*de iis qui ut operibus humanarum manuum ſerviant, ignito ferrô ſemet notant*].

29. *Ne proſtituas filiam tuam*] Quod in honorem deorum factum à Babyloniis & vicinis gentibus diſcas ex Herodoti libro I. Strabone libro XVI. epiſtolâ illâ quæ Ieremiæ aſcribitur: ubi *funes* ſunt ſigna votivæ obligationis, ſicut alibi deditionis 1 Reg. XX. 31. Hic mos à Phœnicibus ad Cyprios devenit: ideò hîc additur: *Ne contaminetur terra, & impleatur piaculo.*

30. *Sanctuarium meum ne polluite*] Hæc ſanctitas non ad Templum tantùm, ſed & ob Templum ad totam urbem Hieroſolymorum pertinuit: in qua nemo ſepultus præter Davidem: non manebat per noctem corpus mortui: non transferebantur per eam oſſa: non habitabat quiſquam niſi qui legem ſuſcepiſſet: nulli erant paradiſi, hortive.

31. *Ad magos*] In Hebræo אבת, alibi pleniùs אובות. Id LXX derivant ab אוב, quod *utrem* ſignificat Iob XXXII. 19. & per tranſlationem *ventrem*; unde vertunt ἐγγαστριμύθους [*ventriloquos*], quæ vox & apud Galenum in Gloſſis Hippocratis. στερνομάντεις [*fatidicum ſpiritum in pectore habentes*] dixit Sophocles. Id rectiùs quàm quod alii θελητὰς [*voluntarios*] vertunt à verbo אבה.

Ab ariolis] ἐπαοιδοῖς οὐ προσκολληθήσεσθε [*incantatoribus non agglutinabimini*]. Eos intelligit qui carminibus ſe poſſe morbos immittere ac depellere pollicebantur. Meminêre Sophocles, Polybius, Medici, & ante omnes Homerus. Nomen ab inſigni ſcientia quam venditabant. At Rabbini ab animali id deducunt, cujus oſſibus inter dentes ſumtis divinaculos illos futura prædixiſſe volunt. Id animal ita deſcribunt, ut planè idem videatur cum eo quod Scythis *Boramet* dicitur, ζωόφυτον ἀμνόμορφον [*plantanimal agniforme*].

35. *In regula*] In decempeda, ſive in agri menſione.

36. *Iuſtus modius*] *Epha*, in aridis.

Æquus ſextarius] *Hin*, in liquidis. Vox hæc à Phœnicibus Athenas pervenit. Dimidium ejus ἡμίνη [*hemina*, id eſt *ſemihin*], ut notat Euſtathius.

CAPVT XX.

3. E*T ego ponam faciem meam*] Id eſt, ſi res ad judices non devenerit, aut judices neglexerint; ego puniam per כרת id eſt, *mortem immaturam.*

Contaminaverit ſanctuarium meum] *Contaminat*, id eſt, contemnit ſanctuarium qui alio in loco ſacrificat.

Et polluerit nomen ſanctum meum] *Polluere nomen Dei* dicitur, qui alium colit.

4. *Dimiſerit hominem*] Qui non punit lege devotum morti is dicitur *obfirmator*, סער Chaldæo, חוק Maimonidæ.

11. *Qui dormierit cum noverca*] Non omnes inceſtus morte puniebantur, ſed ii quibus id hîc aut alibi additur.

20. *Abſque liberis morientur*] ערירים: ſic & Græci, ἄτεκνοι [*illiberes*]. Rectè, ut apparet Geneſ. XV. 2. At Sadducæi legêre עריים, & interpretati ſunt, *nudi morientur*: ut pœna culpæ reſpondeat.

CAPVT XXI.

1. N*E contaminetur ſacerdos in mortibus civium ſuorum*] Ne interſit funeri niſi valde propinqui, quod ſequitur. in ſepulchretis quoque reſidere ei non licebat. Pontifex verò maximus nulli funeri intereſſe permittitur, infrà 10.

Scortum & vile proſtibulum] Vix differunt hæc inter ſe. At in Hebræo ſecunda vox eſt חללה quod βεβηλωμένην [*pollutam*] vertunt LXX. Hebræi per זנה hîc intelligunt omnes externas feminas, item eas quæ concubuiſſent cum iis quibuſcum nuptiæ Divino jure interdictæ ſunt. per חללה verò feminas natas ortáſve ex ea quæ ſacerdotibus interdicta eſt. At Ioſephus per זנה ſimpliciùs intelligit eam quæ proſtiterit: per חללה eas quæ caſtæ vix creduntur, quales ſunt ancillæ, captivæ, cauponæ, ſtabulariæ.

Nec eam quæ repudiata eſt à marito] Pari cum hac jure cenſetur ea quæ affini calceum exuit, ex lege quæ eſt Deut. XXV. 9.

9. *Sacerdotis filia*] Nupta aut deſponſata alicui. Sic Rabbini intelligunt.

Flammis exuretur] Nempe in corpus immiſſis, ut diximus ſuprà: corruptor autem ejus ſtrangulari ſolebat.

10. *Veſtimenta non ſcindet*] Nempe in funere. Vide quæ dicta ad Matth. XXVI. 65.

11. *Ad omnem mortuum non ingredietur*] Sacerdos Cretenſis apud Euripidem ſuos ritus deſcribens ait: καὶ νεκροθήκης οὐ χριμπτόμενος [*non attingens funereas res*]. Porphyrius II. de Abſtinentia: καὶ οἱ τῶν τῇδε ἱερεῖς καὶ ἱεροσκόποι καὶ τάφων ἀπέχεσθαι κελεύουσιν αὐτοῖς, καὶ ἀνδρῶν ἀνοσίων, καὶ ἐμμηνίων, καὶ συνουσιῶν, καὶ θέας ἤδη αἰσχρᾶς καὶ πενθικῆς [*tum qui ibi ſunt ſacerdotes & aruſpices præcipiunt eis abſtinere à ſepulchris, & hominibus profanis, & à menſibus, & à Venere, & ab omni conſpectu fœdo ac funebri*]. Sic Flamen Dialis locum in quo buſtum eſſet, nunquam ingrediebatur, mortuum nunquam attingebat, Gellius X. 15. Servius ad III. Æneidos: *Moris Romani fuerat, ramum cupreſſi ante domum funeſtam poni, ne quiſquam Pontifex per ignorantiam pollueretur ingreſſus.* Libro VI. de Ænea: *Funeſtatus fuerat morte Palinuri.* Idem in Manuſcripto Fuldenſi ad I. Æneidos: *Cautum eſt ne ſacerdos ejus domum ingrediatur, in qua ante quintum diem funus fuerit.* Et ad XI. Æneidos: *Conſuetudo Romana fuit, ut polluti funere minimè ſacrificarent.* Tacitus Annalium I. *Neque imperatorem auguratu & vetuſtiſſimis cæremoniis præditum, attrectare feralia debuiſſe.* Exceptionem addunt Hebræi, ſi quem Pontifex maximus in via inhumatum repeririſſet. Eum enim humare poterat, Moſes de Kotzi præcepto vetante CCXXXVII. Idem ex jure Pontificio Romano notavit Servius ad VI. Æneidos his verbis: *Cùm Pontificibus nefas eſſet cadaver videre, tamen magìs nefas viſum fuerit, ſi inſepultum relinquerent.*

12. *Oleum ſanctæ unctionis*] In Hebræo, נזר שמן משחת, τὸ ἅγιον ἔλαιον, τὸ χριστὸν τοῦ θεοῦ [*ſanctum oleum, unguen Dei*], LXX. Illud נזר ἁγίασμα [*ſanctificatio*] vertitur infrà XXV. 5. II Reg. XI. 13. Pſalm. LXXXIX. 40. Pſal. CXXXII. 18. Zach. VII. 3. Magìs propriè ἀφόρισμα [*ſeparatio*], Exod. XXXIX. 30.

13. *Virginem ducet uxorem*] Hæc pleríque de Pontifice maximo intelligunt: at de quovis ſacerdote intelligenda docet nos Ezech. XLIV. 22. Quare connectenda hæc cum initio capitis, ut quæ de Pontifice maximo dici cœpêre commate 10. ſumantur παρενθετικῶς [*per parentheſin*], redeátque unde digreſſa erat oratio. Demoſthenes in Neæram poſt Theſei tempora regem ab Athenienſibus factum ait ſacrorum causâ tantùm, addítque: τὸν μὲν βασιλέα ὁ δῆμος ᾑρεῖτο ἐκ προκρίτων κατ' ἀνδραγαθίαν χειροτονῶν· τὴν δὲ γυναῖκα αὐτοῦ νόμον ἔθετο ἀστὴν εἶναι καὶ μὴ ἐπιμεμιγμένην ἑτέρῳ ἀνδρί, ἀλλὰ παρθένον γαμεῖν [*eum regem populus ſuffragiis eligebat ex virtute præſtantibus. Regem autem fecere ut uxor ejus civis eſſet, nec alteri viro cognita, ſed quæ virgo nupſiſſet*]. Vbi & illud nota ἀστὴν [*civem*] quod hîc ſequitur *de populo ſuo*, ut omnino jus id Atticum, ut multa alia, ad Athenienſes à Phœnicibus, ad hos ab Hebræis venerit.

CAPVT XXII.

9. CVſtodiant præcepta mea] *Cuſtodias meas* eſt in Hebræo, id eſt, functiones obeant. Eas functiones inchoant ætatis anno XVII. Teſtis Ioſephus libro XV. Antiquæ Hiſtoriæ.

10. *Inquilinus ſacerdotis*] תושב [*inquilinus*] hîc dicitur ſervus perforatus, & opponitur ſervo nonniſi ad ſexennium obligato, qui hîc dicitur שכיר [*mercenarius*], quia parum diſtat à mercenario. Sic Heracleotæ ſervos appellabant δωροφόρους, ἀφαιροῦντες τὸ πικρὸν τῆς προσηγορίας [*doniferos, auferentes vocabuli acerbitatem*], ait Athenæus VI. 18.

22. *Si cæcum fuerit*] Vel planè, vel oculo altero: quod & Ægyptiis obſervatum notat Chæremon apud Porphyrium de Abſtinentia quarto.

Si fracto pede] שבור συντετριμμένον [*contritum*] ponunt hîc LXX. Plin. VIII. 45. *Vitulos ad aram humeris hominis allatos non litare; ſicut nec claudicante, nec alienâ hoſtiâ deos placari.*

Si cicatricem habens] חרוץ [*deciſum*]. γλωσσότμητον [*linguâ fiſſum*] vertunt LXX. Obſervatum ne victimæ linguam fiſſam haberent notat Servius ad illud Æneidos VI. ——— *lectas de more bidentes.* At Hebræi per חרוץ hoc loco intelligunt id cui deſciſſæ palpebræ, aures, aut nares.

23. *Aure & cauda amputatis*] ὠτότμητον, ἢ κολοβόκερκον [*aure ſciſſa, aut caudâ mutilum*] LXX. Servius dicto loco obſervatum ait, ne habeant caudam aculeatam. Plinius libro VIII. cap. XLV. victimarum probationem in vitulo ait eſſe, ut articulum ſuffraginis cauda contingat. Vide quæ ſuprà XII. 5.

24. *Et in terra veſtra hæc omnino ne faciatis*] Ne caſtretis aut hominem aut animal ullum. Ita Hebræi.

25. *De manu alienigenæ non auferetis panes*] Panes hîc intellige, non victimas, aut μαναὰ [*oblationem è ſimila*], ſed propriè panes illos, nempe τῆς προθέσεως [*propoſitionis*]. quos Hebræi ipſi ſerere, ipſi demetere, ipſi molere, ipſi coquere debebant, ut nos docet Hieronymus ad Malachiam I. At Thalmudici cum ſuperioribus hæc connectunt, & notant victimas vitioſas ne tum quidem accipiendas ubi ab alienigena offeruntur. Victimam *Dei cibum* vocari non caret exemplo.

27. *Die autem octavo & deinceps offerri poterunt Domino*] Plinius libro VIII. cap. 3. *pecoris fœtum ſacrificio purum* dicit *die ſeptimo.*

28. *Non immolabuntur una die cum fœtibus ſuis*] Non occidentur: nam שחט de quavis occiſione ſumitur. Græci, οὐ σφάξεις [*non mactabis*]. Cauſa legis, quia & στοργὴ [*naturalis affectus*] & vis imaginatrix etiam in illis eſt. Porphyrius de Moſe: οὐδὲ νεοττοῖς ἐπέτρεψεν ὁ νομοθέτης τοὺς γονέας συνεξαιρεῖν [*neque permiſit legum auctor unà cum pullis parentes occidi*]. Attamen hæc lex neque de feris neque de avibus loquitur. Eſt lex alia de pullis quibus incubatur, Deuter. XXII, 6.

CAPVT XXIII.

14. CVnctíſque habitaculis veſtris] Id eſt, etiam extra terram promiſſam. Id ſpeciale huic præcepto, comitante prece pro futura meſſe.

15. *Manipulum primitiarum*] Mergitem Latinè.

17. *Panes primitiarum*] Gratiarum actio pro meſſe.

24. *Memoriale clangentibus tubis*] Signum gaudii ob Iſaacum à morte liberatum: unde & aries tunc mactabatur. in ea autem liberatione intelligebatur liberatio futura per Meſſiam: Zach. IX. 14.

27. *Decimo die menſis hujus ſeptimi*] Ad avertendos morbos qui in autumno frequentes.

Affligetiſque animas veſtras] Iejunio aliiſque dolendi indiciis, eo tempore quo crimen vituli culti Deus remiſerat.

28. *Opus ſervile non facietis*] Vide quæ dicta ſuprà ad Exod. XII. 16.

29. *Omnis anima quæ afflicta non fuerit die hac peribit*] Difficillimum erat in tanto præceptorum numero non alicubi impegiſſe. Præterea etiam alii aliorum crimina lugebant, ut pars ejuſdem corporis, Daniel. IX. 5.

33. *Quintodecimo die menſis hujus ſeptimi*] κτ̀ τὴν μετοπωρινὴν ἰσημερίαν [*ad æquinoctium autumnale*], Philo adverſus Flaccum.

34. *Feriæ tabernaculorum*] Gratiarum actio pro Nubis ductu. Sic & Romæ feſtum diem fuiſſe, quo tentoria & è fronde caſæ ponerentur, vides Ovidii Faſtorum III.

36. *Eſt enim cœtus atque collectæ*] Dies ultimus Tabernaculorum עצרת, id eſt, *retentio*; quia ad eum diem nec ampliùs populus retinebatur. Vide ad Ioannis XXIII. 36. Eodem die pecunias populus conferebat ad ſacrificia publica.

40. *Fructus arboris pulcherrimæ*] Id eſt, fructus maximè obvios in illa terra, & qui virorem diu conſervent. Maimonides. Ioſephus: ἐκ φοινίκων καὶ κιτρείων [*ex palmis & citris*]. Similis apud Athenienſes ὀσχοφορία [*ramiferiæ*]. Meminêre interpres Nicandri, Ariſtodemus apud Athenæum, & alii. Ipſi rami tales εἰρεσιώνη [*termes*] Græcis, quâ voce & hîc Ioſephus utitur.

C A P V T XXIV.

5. D*Vodecim panes*] חלות ſunt *placentæ*. Sed vox Græca ἄρτοι [*panes*] etiam ad eas ſe extendit.

11. *Cúmque blaſphemâſſet nomen, & maledixiſſet ei*] In Hebræo priori loco eſt יקב, quod Chaldæus explicat פרש, id eſt, *diſertè extulit*. Græci ἐπονομάσας [*exprimens*]. Nomen intellige illud ſanctiſſimum, Græcis hîc τὸ ὄνομα [*illud nomen*], id enim gravat culpam. Itaque infrà ejus qui quoquomodo Deo maledicit pœna eſt arbitraria pro modo culpæ; qui illo nomine pronuntiato, pœna mortis. 15. 16.

14. *Extra caſtra*] Neque enim fiebat lapidatio in loco judicii.

Et ponant omnes qui audierunt manus ſuas ſupra caput ejus] Quia populus ejus morte tanquam victimâ expiatur.

16. *Qui blaſphemaverit nomen Domini*] Nomen illud. In Hebræo eſt, *pronuntiaverit*; Chaldæus itidem ut ſuprà, & Græci ὀνομάζων [*nominans*]. Sed ex eo quod præcedit intelligitur *maledicendo*. In eos qui maledixiſſent non illo nomine expreſſo, pœna erat verberum.

18. *Reddet vicariam*] Id eſt, paris generis animal. In Hebræo eſt tantùm quod ſequitur, *animam pro anima*. Sed mos erat pro animali dare pretium. Nota verò, redimi animal mutum ut rem poſſeſſam; Hominem verò qui omnia poſſidet non redimi, ſed cædem cæde penſari. Tanto, etiam Deo judice, pluris eſt homo.

19. *Qui irrogaverit maculam*] מום Hebræi, & inde Græci hîc μῶμον [*vitium*] vocant quicquid eſt quo corpus hominis deterius redditur. Vide quæ ad Exodi XII. 5.

C A P V T XXV.

4. S*Eptimo autem anno ſabbatum erit terræ, requietionis Domini*] Eo anno etiam remiſſa ajunt debita, niſi de quibus conveniſſet ut ad Iubilæum duraret obligatio: id ipſum autem pro convento haberi, ſi pignus redditum eſſet ex lege. Exodi XXII. 16. Alexander Magnus cùm Iudæis conceſſit ſuis uti legibus, addit τὸ ἕβδομον ἔτος ἀνείσφορον εἶναι [*ut ſeptimus annus liber à tributis eſſet*].

5. *Vvas primitiarum tuarum*] Quidam Græci τῆς ναζιραίας [*ſeparatæ*], ex Hebræo nempè γῆς [*terræ*], *terræ* illius *requietæ*, ut Plinius loquitur. Samaritanus Græcis citantibus τῶν χέρσων, benè: ſunt enim οἱ χέρσοι *agri inculti*. LXX non malè τοῦ ἁγιάσματος [*ſanctificationis*], terræ eo tempore ſepoſitæ extra uſum, quod ſæpè deſignatur voce ἁγιάζειν [*ſanctificandi*], & propria eſt ſignificatio Hebræi נזר.

6. *Sed erunt vobis in cibum, tibi & ſervo tuo*] Non ſingulis jure communi, ſed populo omni, & iis qui cum populo habitant.

8. *Hebdomadas*] Vox & apud Ariſtotelem Polit. V. & apud Varronem reperitur.

10. *Remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ*] Σεισάχθειαν [*novarum tabularum indulgentiam*], medicam inæqualitatis quam mala fortuna induxerat.

Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam] Erant enim Iſraëlitæ uſufructuarii ſive feudatarii, Deus ſive lex ejus, Dominus, infrà 23. 38. 42. 55. Diodorus libro XL. de Iudæis agens, dicit non licuiſſe eis τοὺς ἰδίους κλήρους πωλεῖν [*vendere ſuos fundos*].

17. *Nolite affligere*] μὴ θλιβέτω ἄνθρωπος τὸν πλησίον [*ne affligat vir proximum*], LXX. Ex antecedentibus apparet pertinere hanc legem ad ſervandam æqualitatem inter rem mobilem venditam, & pretium rei. Ita Moſes de Kotzi ad præceptum jubens LXXXII. Vide quæ nos libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XII. 11. Æqualitas autem ita ſpectari ſolita eſt, ut quod infra ſextam partem erat pretii juſti inſuper haberetur.

Contribules veſtros] Ius hoc advenæ non proderat.

23. *Non vendetur in perpetuum*] Id ſi fieret, erat זמה [*ſcelus*] κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*]. quòd alioqui in genere ἀνομίαν [*factum legi contrarium*] ſignificat. Et benè vertitur ἀπαλλοτρίωσις [*alienatio*] Ierem. XIII. 27.

27. *Computabuntur fructus ex eo tempore quo vendidit*] Non habebatur ratio pretii quod datum eſt, ſed ejus quod res valuiſſet ſtatim à Iubilæo. quot autem annis emtori licuerat re frui, totidem detrahebantur quinquageſimæ.

29. *Qui vendiderit domum intra urbis muros*] Domus in urbibus, niſi intra annum pœniteat venditorem, in jus perpetuum etiam ultra Iubilæum tranſeunt, quia facilius eſt habitationem alicubi reperire quàm alimenta: villæ autem agrorum, quibus ſerviunt, jure cenſentur.

32. *Ædes Levitarum quæ in urbibus ſunt ſemper*

poſſunt redimi] Æterna horum auctoritas adversùs populares.

35. *Et ſuſceperis eum quaſi advenam & peregrinum*] Verte: *opitulare ei* (ut &) *peregrino & incolæ qui tecum vivet*. Hîc & infrà 47. ו [*&*] in ותושב [*& incolam*] eſt ἐξηγητικὸν [*explicativum*], quod manifeſtum fit infrà 45. Significatur autem is qui idololatriâ & pravis moribus abdicatis , Deum colebat, quamvis non cum ritibus Iudaïcis, ut hîc oſtendit Chaldæus. Si advenæ miſereri debes, multò magis tui popularis. Talibus advenis debebatur ſtipis aliquid, non item decimæ pars, racematio, & alia.

36. *Nec ampliùs quàm dediſti*] Hoc ad fructus datos mutuos ſub augmento pertinet,ut oſtendit comma ſequens, & Deut.XXIII. 19. uſura hîc ſtrictè de pecunia ſumitur , in loco Deuteronomii generaliùs ; ut hîc תרבית [*augmentum*] aut מרבית.

39. *Si paupertate compulſus*] Aliter enim non licebat : & ad mares hoc pertinet. Feminæ non niſi à parente vendi poterant.

40. *Tanquam mercenarius*] *Servus eſt perpetuus mercenarius*. Chryſippi dictum laudatum Senecæ libro III. de Benef. c. 22. Vide ſuprà XXI. 10.

43. *Ne affligas eum per potentiam*] οὐ κατατενεῖς αὐτὸν ἐν τῷ μόχθῳ [*non conficies eum labore*] Lxx hîc, & mox infrà. Κατατείνειν eſt labore conficere. Hoc Philo dicit: κατακόρως χρῆσθαι ταῖς ἐξουσίαις κατὰ τῶν οἰκετῶν [*ſupra modum uti poteſtate in famulos*]. Vide quæ nos libro III. de Iure Belli ac Pacis, c. XIV. §. 4.

45. *De advenis qui peregrinantur apud vos*] Nempe incircumciſis , ſed præcepta Adamo & Noæ data obſervantibus: ii enim dicuntur תושבים [*incolæ*]. Vide Chaldæum hîc , & quæ à nobis congeſta lib. I. de Iure Belli ac Pacis, cap. I. 16.

47. *Si invaluerit apud vos manus*] *Si aſſecuta ſit manus* , in Hebræo , id eſt, *ſi opes creverint*. Cujus contrarium quod ſequitur מך labaſcere , quod Latinus hîc per *attenuari* reddidit.

CAPVT XXVI.

1. INſignem lapidem] Nempè picturis , quod Hebræa vox indicat : vetitum id etiam extra columnas , non ut per ſe malum , ſed ut à Cananæis in idolorum cultu uſurpatum.

4. *Gignet germen ſuum*] יבולה. ἰεβὰλ Afris *germen*, in Dioſcoridis auctario.

13. *Vt incederetis erecti*] Vt homines liberi , non aſſueti jugo. Græcum proverbium eſt,

Οὔποτε δουλεία κεφαλὴ εὐθεῖα πέφυκεν,
Ἀλλ᾽ αἰεὶ σκολιή, κ᾽ αὐχένα λοξὸν ἔχει.
[*Erecto nunquam ſpectantur vertice ſervi:*
Sunt obliqua illis colla, caputque ſimul.]

25. *Peſtilentiam*] Benè vertit vocem מות [*mortem*] & Græcam λοιμὸν [*perniciem*] ex uſu frequenti, de quo ad Matth. XXIV. 7.

30. *Excelſa veſtra*] Mos illarum gentium ſacrificare ἐπὶ ὑψηλοτάτων ὀρέων [*in altiſſimis montibus*], Herodotus Clio. Vide quæ ſuprà XIX. 26. & Numerorum XXXIII. 52.

Et ſimulacra confringam] חמנים [*ſimulacra*].Si quis conſideret Eſai.XVII.8.Ezech.VI.4. non tam *ſimulacra* quàm loca fuiſſe videntur, nempe in quibus ſacri ignes facti , quod origo videtur ſignificare : πυραθεῖα [*loca in quibus ignis ardebat*] Straboni libro XV. πυρεῖα aliis. Ab Ammone qui חם [*Ham*] Hebræis veniſſe & nomen & inſtitutum putant quidam. Cogitemus an ab hac voce dictus deus *Omanus* & rex *Achæmenes*. Ait Rabbinus Beckai primos iſtos ignes non fuiſſe idololatricos, ſed inſtitutos ad Deo gratias agendas pro ſole. Mox ex malo uſu ſecuto vetitos , ut multa alia. πυρείου [*Igniarii*] talis luculenta deſcriptio in Procopii libro I. Perſicorum , ita ut plenior editio exſtat in Vaticano codice : ἐτύγχανε δὲ ὁ Χοσρόης ἐξ Ἀσυρίων εἰς χωρίον Ἀρδαβιγάνων ἥκων πρὸς βορρᾶν ἄνεμον , ἔνθεν διενοεῖτο εἰς τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν διὰ Περσαρμενίων ἐσβάλλειν. τὸ μέγα πυρεῖον ἐνταῦθά ἐστιν , ὃ σέβονται Πέρσαι θεῶν μάλιστα, οὗ δὴ τὸ πῦρ ἄσβεστον φυλάσσοντες μάγοι τά τε ἄλλα εἰς τὸ ἀκριβὲς ἐφοσιοῦνται , καὶ μαντείῳ εἰς τῶν πραγμάτων τὰ μέγιστα χρῶνται [*Choſroes ab Aſſyriis proficiſcebatur ad terram Ardabiganorum,quæ ad ſeptentrionem poſita eſt. inde cogitabat per Perſarmenios Romanum imperium invadere. Hic eſt magnum Igniarium quod ſupra Deos alios venerantur Perſæ , ubi magi ignem aſſervantes perpetuum exactiſſimas ſanctimonias peragunt : & ad res maximas eo utuntur oraculo*]. Alteram πυρείου [*Igniarii*] deſcriptionem habes in Benjamine , ubi Chenaragam deſcribit , aitque eum ignem vocari אלהותא , id eſt, *divinitatem*. Vide & Theodoretum X. 29. 30. & hiſtoriæ V.38. Teixera etiam ſuo tempore hunc morem Perſis quibuſdam ait manſiſſe.

36. *Terrebit eos ſonitus folii volantis*] Lucanus libro VIII. de Pompejo fugiente :

——— *pavet ille fragorem*
Motorum ventis nemorum.

37. *Corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes*] *Fratres* intellige populares. Solet id fieri in præliis , ubi turbati ſunt ordines , ut commilites à commilitibus obruantur. At Rabbini באחיו [*ob fratres ſuos*] interpretantur *fraterno crimine :* id eſt , unius partis delictum omnibus imputabitur , qui non obſtiterint ſecundùm mutuas jurationes factas in montibus Garizim & Hebal. Vide quæ allata à nobis libro II. de jure Belli ac Pacis, cap.XXI. §. 11. & in Annotatis.

41. *Tunc orabunt pro impietatibus ſuis*] Lxx τότε εὐδοκήσουσι τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν [*tunc placebunt ſibi in peccatis ſuis* , id eſt , *in pœnis peccatorum*]. Et mox : προσδέξονται τὰς αὐτῶν ἀνομίας [*ſuſcipient peccata ſua*, id eſt, *pœnas peccatorum*]. Videtur עון hîc,ut ſæpè,pro pœna peccati ſumi. Eam , inquit ,patiente ac volente animo ferent, quo citiùs impetrent veniam.

44. *Non penitus rejeci eos*] Id eſt, rejiciam. Cætera decreta ſunt conditionata , hoc abſolutum. quò reſpicit Paulus Rom. XI. 29.

CAPVT XXVII.

9. ANimal autem , quod immolari poteſt Domino , ſi quis voverit,ſanctum erit] Extra uſum communem. nulli operi adhibebitur à voti tempore.

13. *Quintam addet*] Ad exemplum legis ſuprà poſitæ, VI.5. Hoc ideò conſtitutum ne facilè permutatio fieret.

14. *Conſiderabit eam ſacerdos utrùm bona an mala ſit*]

ſit] Vox ערך ubique hîc *æſtimationem* ſignificat, ut & Iobi xxviii. 17. & xxxvi. 19. Bene ergò vetus verſio Samaritana referentibus Græcis: διατιμήσεται αὐτὴν ὁ ἱερεὺς, εἴτε καλὴ εἴτε σαπρά [*æſtimabit eam ſacerdos, probáne ſit an improba*]. *Sacerdos*, id eſt, aliquis ſacerdotum, qui inter alia & computationem didicerant.

21. *Et poſſeſſio conſecrata*] Meliùs Lxx ὥσπερ ἡ γῆ ἀφωρισμένη [*tanquam terra limitata*], tanquam terra de hoſtibus capta, Deóque devota, & ſic extra commercium poſita, quod dicitur חרם, ſive ἀνάθεμα [*anathema*]. Vide quæ infrà 28.

29. *Et omnis conſecratio quæ offertur ab homine, non redimetur, ſed morte morietur*] *De homine*, id eſt, de hoſtibus, aut militiæ deſertoribus: nam in aliis hæc lex locum non habet. Exempla vide Num. xxi. 2. Ioſue vi. 17.

30. *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum Domini ſunt*] Nempe ex moribus antiquiſſimis, quorum nullum apparet initium. Vide ſuprà iv. 7.

31. *Addet quintam partem earum*] Pro mulcta: quia decimæ nec vendi poſſunt, nec redimi.

32. *Quæ ſub paſtoris virga tranſeunt*] Tranſibant agni per oſtium caulæ, ubi ovis eorum mater ſtabat: & decimum quemque ſignabat decimator.

AD NVMEROS.

CAPVT I.

18. *Recenſentes eos per cognationes*] Hebræa vox, *fecerunt eos generari*: id eſt, in tabulas publicas retulerunt eorum origines. Lxx ἐπηξονοῦσαν [*in axes retulere*] voce Atticâ.

CAPVT II.

2. *Signa atque vexilla*] Vide infrà x. 10.

17. *Per officia Levitarum & turmas eorum*] In Hebræo: *Metatio Levitarum in medio caſtrorum*: caſtra erant quadrata: in horum medio ſacra, ut apud Romanos.

CAPVT III.

1. *Et Moyſi*] Atqui nihil hîc de Moſis ſobole. Nam Gerſon iſte memoratus commate 17. ante Moſem fuit, ut apparet Exodi vi. 16. Nimirum Moſes Aaronis filios velut ſibi adoptaverat, inſtituerátque ad omnia quæ ad ſacerdotium obeundum erant neceſſaria, illos, ut Abrahamidas ex utroque ſanguine, aptiores ſacerdotio judicans, quàm quos ipſe ex Æthiopiſſa genuerat. Vox enim תולדה [*generatio*] huc uſque porrigitur, ut dictum alibi. Vide Gemaram ad titulum de Synedrio.

36. *Erunt ſub cuſtodia eorum tabulæ*] In Græco propiùs ad Hebræum: ἡ ἐπίσκεψις τῆς φυλακῆς υἱῶν Μεραρὶ, τὰς κεφαλίδας [*inſpectio cuſtodiæ filiorum Merari in capitella*], &c. Vox Hebræa פקדה *functionem* ſignificat, quam hîc ἐπίσκεψιν [*inſpectionem*], reddunt, Pſal. cix. 8. ἐπισκοπὴν, quomodo & Lucas Actorum 1. 20.

49. *Qui fuerant ampliùs*] Qui ſorte factâ reſtabant.

CAPVT IV.

3. *A Triceſimo anno*] Minores tamen operas quaſdam videntur præſtitiſſe ab anno viceſimo, 1 Paral. xxiii. 24. 27. Deinde paulò majores ab anno quinto & viceſimo, infrà viii. 24.

14. *Et inducent vectes*] Omnino videtur hîc ab exſcriptoribus illis quos ſecuti ſunt Maſoretæ omiſſum aliquid, nempe quod eſt in Lxx ſecundùm quaſdam editiones: Καὶ λήψονται ἱμάτιον πορφυροῦν, καὶ συγκαλύψουσι τὸν λουτῆρα καὶ τὴν βάσιν αὐτοῦ, καὶ ἐμβαλοῦσιν αὐτὸ εἰς κάλυμμα δερμάτινον ὑακίνθινον, καὶ ἐπιθήσουσιν ἐπὶ ἀναφορεῖς [*Et ſument amictum purpureum, & eô operient labrum & baſim ejus, includentque in velamen ex pellibus hyacinthinis, & imponent vectibus*]. Vetus eſſe hoc apparet tum ex Samaritano antiquo, tum ex Origene Homiliâ iv. ad Numeros.

25. *Velamen ianthinum*] Hebræi hîc habent מכסה quod κάλυμμα ſolet verti, id eſt, *operculum*. At vetuſti codices habuêre מסכה pro מסך, quod eſt *oppanſum*, ἐπίσπαστρον. Et ſic Græci quidam codices ex Samaritano. Sic & quos nunc habemus codices Hebræi Samaritanâ literâ.

32. *Ad numerum accipient*] Sub inventario.

CAPVT V.

3. *CVm habitaverim vobiſcum*] Lxx ἐν οἷς ἐγὼ καταγίνομαι ἐν αὐτοῖς [*per quos ego eis interſum*]. In Hebræo ad verbum: *in quorum medio ego*, ubi pro *ego*, Chaldæus poſuit שכינתי ἡ ἐμὴ σκήνωσις [*mea inhabitatio*, ſive *numen meum*]. Significat hæc vox curam Dei ſpecialem & permanentem.

6. *Ex omnibus peccatis quæ ſolent hominibus accidere*] Lxx τῶν ἁμαρτιῶν τῶν ἀνθρωπίνων [*de peccatis humanis*], Chaldæus de *mendacio* intellexit: quomodo ſæpè vox מעל ſumi ſolet. Neque hîc tantùm Chaldæus ſic ſumit, ſed & Ioſue xxii. 20. Ezechielis xvii. 20. Intellige autem mendacium juratum: nam in furto & rapina ſimplum reſtituebatur. Si autem in ſacris peccatum eſſet, accedebat quinta, Levitici v. 16. juramentum autem res ſacra eſt.

8. *Sin autem non fuerit qui recipiat*] In Hebræo: *Si nullus ſit propinquus cui reſtituatur*: id eſt, ſi nec is vivat qui damnum paſſus eſt, nec habeat heredes: quod intelligendum de Proſelytis: nam Iſraëlitæ heres deeſſe non poterat. Notant hîc Hebræi non dimitti peccatum, niſi reſtitutione factâ, & petitâ veniâ. Providè autem conſtitutum, ne quis ullo caſu quid ex delicto lucretur.

12. *Vxor erraverit*] Quæ ſcilicet tempore aliquanto cum viro non ſuo ſola fuerit.

13. *Et dormierit*] Pro, *vel dormierit* : id eſt, ubi vel ſuſpicio eſt, vel crimen.

15. *Non fundet ſuper eam oleum*] Quippe formæ adminiculum.

Nec imponet thus] Vt in mœrore. Sic & ab omni ſacrificio pro peccato aberant oleum & thus, Levit. v. 11.

17. *Aſſumétque aquam ſanctam*] Mirari non debemus ſi Deus in ſuo populo in graviſſimo & difficillimæ probationis crimine miri aliquid effecerit, cùm & apud alias gentes, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*maxima ex parte*] innocenter vivebant ſimilia apparuerint. Polemon in libro de miris Siciliæ, ubi de crateribus Palicorum : Οἱ δὲ ὁρκωταὶ γραμμάτιον ἔχοντες ἀγορεύουσι τοῖς ὁρκουμένοις περὶ ὧν ἀπαιτοῦσι τὸν ὅρκον. ὁ δὲ ὁρκούμενος θαλλὸν κραδαίνων, ἐστεμμένος, ἄζωστος καὶ μονοχίτων, ἐφαπτόμενος τοῦ κρατῆρος ἐξ ὑποβολῆς δίεισι τὸν ὅρκον· καὶ ἂν μὲν ἐμπεδῶσι τοὺς ῥηθέντας ὅρκους, ἀσινὴς ἄπεισιν οἴκαδε· παραβάτης δὲ γινόμενος τῶν θεῶν ἐμποδὼν τελευτᾷ [*Adjuratores ſcripturam habentes præeunt adjuratis ea de quibus juramentum expoſtulant. Qui adjuratus eſt, ramum oleæ vibrans, coronatus, diſcinctus, ſolâ indutus tunicâ, tangens cratera, dictatum ſibi juramentum enuntiat. Et ſi quidem Dii probent quæ jurata ſunt, abit ſine damno. at qui Deos contemſerit, moritur illico*]. In mirabilibus quæ Ariſtotelis nomen circumferunt, eadem de re ſic legimus : Ἔστι δὲ καὶ ὅρκος ὃς ἅγιος αὐτόθι δοκεῖ εἶναι· ὅσα γὰρ ὄμνυσί τις, γράψας εἰς πινακίδιον, ἐμβάλλει εἰς τὸ ὕδωρ· ἐὰν μὲν οὖν εὐορκῇ, ἐπιπολάζει τὸ πινακίδιον· ἐὰν δὲ μὴ εὐορκῇ, τὸ μὲν πινακίδιον βαρὺ γινόμενον, ἀφανίζεσθαί φασι, τὸν δὲ ἄνθρωπον πίμπρασθαι [*Eſt autem & ibi mos jurandi, qui ſanctiſſimus creditur. Quæ enim quis jurat ea ſcribit in tabella ; tabellam aquæ immittit. ſi rectè juret, ſupernatat tabella ; ſi non, ajunt tabellam gravem fieri, ita ut mergatur : hominem verò incendi*]. Adde Diodorum Siculum libro XI. Simile ſed alibi habet Plinius libro XXXI. c. 2. *Amnis Olachas in Bithynia Brietium alluit : hoc eſt & Templo & Deo nomen, cujus gurgite perjuri notantur pati velut flammam urentem.* Porphyrius de Styge idem prodidit libro ejus argumenti : Οἱ δὲ πάντες ὕδωρ ἱστόρησαν τὴν Στύγα ἐπίγειον, φύσιν ἔχον ἀμύνεσθαι τοὺς κατ' αὐτοῦ ψευδῶς ὀμόσαι τολμήσαντας [*Ajunt omnes Styga aquam eſſe ſubterraneam, quæ eam vim habeat ut puniat eos qui per ipſam falſum jurare audent*]. Solinus de veteris Sardiniæ fontibus : *Coarguendis valent furibus : nam quiſquis ſacramento raptum negat, lumina aquis attrectat. ubi perjurium non eſt, cernit clarius : ſi perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admiſſum tenebris fatetur.* Imitati hæc vera in fabulis ſuis Achilles Statius libro VII. cap. 20. & Euſtathius libro VII. & XI.

21. *Det te Deus in maledictionem*] Contrariam planè precationem habes Ruth IV. 11. 12.

24. *Dabit ei bibere*] Si bibere nollet, dote mulctabatur.

27. *Computreſcet femur*] Et adulter eodem modo eadem die moriebatur.

CAPVT VI.

3. *A Vino & omni eo quod inebriare poteſt abſtinebant*] Plutarchus quod votivum erat pœnale eſſe retulit, Sympoſiacôn IV.

5. *Novacula non tranſibit per caput ejus*] Comam alere voti ſignum. *Votivum obligatúmque virtuti oris habitum* dixit Tacitus in Germania. Ratio ſimilitudinis in eo quod coma longa onus eſt : ſic & votum. Ita & funes voti ſigna, quia utrúmque ligat.

7. *Ne ſuper patris quidem & matris & fratris ſororíſque funere contaminabitur*] Planè ut Pontifex maximus, cui Nazaræus tempore caſtûs ſui æquatur.

8. *Omnibus diebus ſeparationis ſuæ ſanctus erit Domino*] Ità ut ſiqua interveniſſet pollutio repetendi eſſent votivi dies.

18. *Tunc radetur Nazaræus ante oſtium tabernaculi*] Stante Templo & in Palæſtina viventibus, in Templo complendum erat votum, ut fecit Paulus Actor. XXI. 26. Samſonis & Ioannis Baptiſtæ vota alterius erant generis, perpetua, ex præcepto ſingulari, multa tamen trahentes à Nazaræatu.

Tollétque capillos ejus & ponet ſuper ignem] Etiam Græci comas diis ſacrabant, ut Achilles Sperchio : Earinus Æſculapio, alii aliis, de quibus videndi Poëtæ.

23. *Sic benedicetis*] Stando, expanſis manibus, clarâ voce.

26. *Convertat Dominus vultum ſuum ad te*] Sit tibi favens.

CAPVT VII.

11. *D Ixitque Dominus ad Moſem*] Solum, non audiente, quod interdum fiebat, populo. Vox autem ſonabat è propitiatorio inter duos Cherubinos.

CAPVT VIII.

14. *V T ſint mei*] Nempe ut ſint liberi ab oneribus, bellique muniis, cuſtodes ſanctuarii, janitores, cantores. Hæc enim Levitarum officia. Expiare, ſolis ſacerdotibus datum.

17. *Ex die quo percuſſi*] Dies hîc, ut ſæpè, pro tempore. Alioqui cùm id ageretur, cujus hîc mentio, nox fuerat.

26. *Erúntque miniſtri fratrum ſuorum*] Id eſt, conſiliarii.

CAPVT IX.

10. *S Ive in via procul*] Romani id vocabant ſtultorum ferias, quo die ſacrificabant ii qui ſolenni die aut non potuerant rem divinam facere, aut ignorarant. docet Feſtus.

14. *Peregrinus quoque & advena ſi fuerint apud vos, faciant Phaſe*] Meliùs & Hebræo convenientiùs Græci: Ἐὰν δὲ προσέλθῃ πρὸς ὑμᾶς προσήλυτος ἐν τῇ γῇ ὑμῶν, καὶ ποιήσῃ τὸ πάσχα Κυρίῳ, κατὰ τὸν νόμον τοῦ πάσχα καὶ κατὰ τὴν σύνταξιν αὐτοῦ ποιήσει αὐτό [*Si venerit advena ad vos in terram veſtram, & Paſcha fecerit Domino, ſecundùm legem Paſchatis & ſecundùm conſtitutionem ejus id faciet*]. Incola non cogitur paſchatizare : ſed ſi velit id facere, debet id facere ſecundùm legem, ac proinde & circumcidi. Vide quæ ſuprà diximus ad Exodi XII. 45.

20. *Et non proficiſcebantur quot diebus fuiſſet nubes ſuper tabernaculum*] In Hebræo illud : *non proficiſcebantur*

bantur ad præcedentem ſenſum pertinet. Sequitur deinde : *Et cùm eſſet nubes diebus numeri ſuper tabernaculum, juxta ſermonem Domini caſtra metabantur*, &c. Vbi *dies numeri* ἡμέρας ἀριθμῷ, ut habent Lxx, intellige dies paucos oppoſitos multis, de quibus præcedenti commate. Oſtendit id collatio locorum Geneſ. XXXIV. 30. Deuteronom. IV. 27. Ezech. XII. 16. Iob XV. 20.

CAPVT X.

1. F*Ac tibi duas tubas*] Erant parvæ Iudæorum tubæ, quod & Plutarchus notavit in Sympoſiacis.

5. *Si autem prolixior atque conciſus clangor increpuerit*] Sic apud veteres Romanos alius erat tubæ ſonus ad pugnam, alius ad receptum : quod diſcrimen poſteris temporibus malè omiſſum docet Procopius Gotthicorum II.

Ego Dominus Deus veſter] Hîc inſerta quædam habet codex Samaritanus minimè neceſſaria, deſumta ex Deuteronom. VI. I. ut jampridem ad eum Deuteronomii locum notavit Procopius Gazæus.

15. *In tribu filiorum Iſachar fuit princeps*] Vt hic locus & is qui ſuprà eſt capite II. intelligatur, ſciendum eſt exercitum Iſraëlitarum in quatuor agmina fuiſſe partitum. Agmen quodque trium erat tribuum. Ductum primi agminis obtinebat tribus Iuda cum vexillo figuram habente Leonis. Secundi agminis Ruben, vexillo Hominis. Tertii Ephraim, vexillo Bovis. Quarti Dan, vexillo Aquilæ. Hæc quatuor magna vexilla dicuntur hîc דגלי מחנה *vexilla caſtrenſia*, τάγματα παρεμβολῆς Græcè, reſpondentia Aquilis Romanorum. Prætereà ſicut cohortes Romanæ ſua propria habebant ſigna, ita & hîc tribus illæ quæ ductum agminis non habebant. Ea ſigna vocantur hîc מטה quaſi *baculum* dicas, & ex iis ſignis ipſis tribubus idem nomen adhæſit. Lxx hæc ſigna vocant δυνάμεις [*copias*].

21. *Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum*] Videtur aliud dicere textus Hebræus, ſed locutione inversâ, nempe à Cahathitis portatum tam diu ſanctuarium, donec venirent illi quorum erat erigere tabernaculum, Gerſonitæ ſcilicet & Meraritæ, quorum id fuiſſe munus apparet ſuprà III. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. IV. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. Hoc capite, 17. Sanctuarium autem ſtatui non poterat, niſi ſtatuto & tabernaculo. Exodi XXVI. 33.

31. *Eris ductor noſter*] Benè ſenſum vertit. in Hebræo, *Eris nobis pro oculis.* Vide Iob XXIX. 15. ſapientia eſt imperatoris habere ſecum gnaros itinerum, & magno eos redimere.

39. *Cumque elevaretur*] Quod hîc & in initio capitis ſequentis in Hebræo textu appoſitum eſt נ inverſum, nihil aliud quàm rem eximiè notandam, ac memoriæ infigendam ſignificat. Sic & litteræ in textu grandiuſculæ ſæpè.

CAPVT XI.

2. O*Ravit Moſes ad Dominum*] Chriſti hac in re imago. Vide mox XII. 13. XIV. 19. & alibi.

4. *Vulgus quippe promiſcuum*] Quos Græci ἐπιμίκτους [*admixtos*] vocant : multi ex Ægypto, multi in itinere ſe Hebræis aggregaverant. Vide Ægyptios ſcriptores apud Ioſephum contra Appionem.

15. *Ne tantis afficiar malis*] In Hebræo nunc eſt, ואל אראה ברעתי. Græcè : ἵνα μὴ ἴδω τὴν κάκωσίν μου [*ut non videam vexationem meam*]. Sed fuit olim ברעתך κάκωσίν σου [*vexationem tuam*], *te malè tractari:* quia verò id de Deo ſonabat duriùs, ideò à poſterioribus mutatum eſt, ut & alia quædam.

16. *Septuaginta viros de ſenibus Iſrael, quos tu noſti quod ſenes populi ſint ac magiſtri*] Inſpectionem quandam in populum jam in Ægypto habuerant, Exod. XXIV. 4. 9. collatis locis Exodi I. 11. III. 16. V. 6. Placuerat is numerus, quòd totidem Iacobi liberi in Ægyptum veniſſent, ex eóque exſtitit etiam apud exſules Hebræos in Ægypto, & alibi paris numeri collegium. Hi autem de quibus hoc loco agitur Lxx conſilio hactenus præerant, non judicandi poteſtate, quam mox accipiunt, fiuntque אלהים, id eſt, *dii*.

17. *Vt ſuſtentent tecum onus populi*] R. Iuda אתך quod hîc *tecum* vertitur explicat, *exemplo tuo, ita ut tu feciſti.*

20. *Vſque ad menſem dierum*] Id eſt, menſem exactum. Sic δύο ἔτη ἡμερῶν [*duo anni dierum*] ſunt duo anni pleni, I Macc. I. 30.

Vertatur in nauſeam] Græci εἰς χολέραν [*in bilem*]: nempè ſicut זר πικρίαν [*amaritiem*] vertunt Eſaiæ XXVIII. 21. Et hi quidem à זור derivant, quòd *abalienationem* ſignificat. At Symmachus à זרה quod eſt *diſpergere*. Vertit enim ἀπεψίαν [*cruditatem*], quæ nimiam voracitatem conſequi ſolet, cibíque malè cocti reliquias per corpus diffundere : unde & illud ſequitur quod dixêre Græci & Latinus, *bilis* ac *nauſea.* Tertullianus de jejuniis utrumque conjunxit: *uſque ad choleram ortygometras cruditando.*

25. *Nec ultra ceſſaverunt*] Hebræum cum Græco hîc convenit : οὐκ ἔτι προσέθεντο [*non ultrà addiderunt*]. Poſt id tempus non habuêre ſpiritum propheticum, quem ſemel tantùm illis Deus dederat, ut auctoritatem novæ poteſtati neceſſariam ipſis adderet. vide ſimile I Sam. X. 10. Nimirum, ut notat Maimonides, alii plerúmque habuêre ſpiritum propheticum, alii ex longis intervallis, alii ſemel.

28. *Domine mi Moſes prohibe eos*] Simile vide Lucæ IX. 49.

Quis tribuat ut omnis populus prophetet] Moſes ut valde bonus ab omni vacabat invidia, Dei totus & populi.

CAPVT XII.

1. P*Ropter uxorem ejus Æthiopiſſam*] Nempe quòd vellent eum dimiſsâ extraneâ maritum Iſraëlitidis alicujus fieri, quare & contumelioſè pro *Madianitide* appellant *Æthiopiſſam.* malè : nam cùm ea legi ſe ſubjeciſſet habenda erat pro Iſraëlitide, ut Rahab & Ruth.

3. *Vir mitiſſimus*] Legit ענו [*manſuetus*], non עני [*afflictus*], ut Hebræi quidam. Et cum ipſo Græci hîc & Samaritanus, Bemidbar Rabba, Abeneſdra,

Kimchi. Cauſa redditur cùr Deus injuriam Moſis ulciſcendam crediderit, quia ipſe in ſuis injuriis ferendis erat leniſſimus. Rudimenta hæc ſunt ad Euangelium.

6. *In viſione*] Nempe ænigmaticâ, ubi aliud videtur, aliud ſignificatur, ut alibi currus, alibi oſſa apud Ezechielem, & alia apud Prophetas alios.

Per ſomnium] Quæ ipſa plerúmque erant αἰνιγματώδη [*ænigmatica*], ut ſcala Iacobi, boves Pharaonis, panis ſubcinericius in Gedeonis hiſtoria, ſtatua Nabuchodonoſori.

8. *Ore enim ad os loquor ei*] Apertè mea decreta ipſi ſignifico, ut amicus amico ſolet.

Viſione] Apertâ ſcilicet, ἐν εἴδει [*in ſpecie*] Græcè, ut diſtinguatur ab eo quod præceſſit. Talis illa viſio Exodi XXXIV. 4. unde LXX hîc, καὶ τὴν δόξαν Κυρίου εἶδε [*& gloriam Domini vidit*].

Per ænigmata & figuras] Id eſt, ut ex ſuperioribus apparet per ὀπτασίας [*viſa*] aut ſomnia aliud exhibentia, aliud occultantia. Privilegium autem de quo hîc agitur datum Moſi ajunt Hebræi pro eo quòd præ reverentia Deum in Angelo ſibi apparentem videre defugerit Exodi III. 6. Simile diſcrimen ſomniorum apud Artemidorum: ait enim alia eſſe θεωρηματικὰ [*contemplativa*] quæ futuras res ita ut erunt offerunt, alia ἀλληγορικὰ [*occultativa*], quæ per figuras.

10. *Lepra*] Pœna propria ſuperbiæ & maledicentiæ, ut alibi dicemus.

12. *Ne fiat hæc quaſi mortua, & ut abortivum*] *Et* abundat: ſenſus eſt, ne ſit ſimilis fœtui putrefacto, qui dimidiâ ſui parte conſumtus ex utero exit. Fuit hîc in antiquis codicibus אמנו [*matris noſtræ*],& בשרנו [*carnis noſtræ*],non malè;quia ut mater Mariæ eadem quæ Moſi & Aaroni, ita & caro quodammodo: ſed meliùs fluit quod nunc legitur comparativè.

14. *Si pater ſpuiſſet in faciem ejus*] Allegoricum pro graviter increpare.

Separetur ſeptem diebus extra caſtra] Ad hoc exemplum inſtituti ἀφορισμοὶ [*ſeparationes*] à Synagoga, & inter Chriſtianos ab Eccleſia.

CAPVT XIII.

17. A*D conſiderandam terram*] De exploratoribus vide quæ dicta de Iure Belli ac Pacis libro III.c.IV.18. Formam autem eorum quæ mandari exploratoribus ſolent, egregiam habes in ſequentibus.

23. *Filii Enac*] Græcis *Inachidæ*. Eos enim antiquiſſimis temporibus ab Oriente in Græciam veniſſe conſtat.

Ante Tanim] Sic & Chaldæus & Græci. nempe צ modò per S modò per T vertitur, ut צין *Sinæ*, צור *Sarra* & *Tyrus*. Gutturalis autem omiſſio in pronuntiatione perfrequens. Vide quæ ad Matth.I.21.

24. *Pergentéſque uſque ad torrentem Botri*] Anticipatio nominis poſt dati, ut explicant ſequentia, & Deuteron.I.24.

CAPVT XIV.

9. O*Mne præſidium*] In Hebræo metaphoricè, *Vmbra*. Vide Luc.I.35.

16. *Pro qua juraverat*] Hebraicè, *quàm juràvit eis*, ἣν ὤμοσεν αὐτοῖς. Sed notandum juraſſe hoc Deum Iſraëlitico populo, qui ſemper idem cenſetur, non his vel illis de populo. Quare juramentum hoc plenè implevit Deus Ioſuæ temporibus. Vide infrà XXX. & quæ notata nobis de Iure Belli ac Pacis libro II. c. XIII. §. 4.

24. *Secutus eſt me*] In Hebræo: *Implevit poſt me*: quod Chaldæus interpretatur, *perfectè ſecutus eſt timorem*, id eſt, religionem in Deum.

30. *Vt habitare vos facerem*] Vos ad totum populum referendum eſt, ſine temporis reſtrictione. Loca ſimilia vide de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. IX. §.3.

33. *Filii veſtri erunt vagi*] Ob peccata parentum exſulant liberi. Id evenit Nabuchodonoſoro deportante.

34. *Annus pro die*] Sic Ezech.IV. 6.

CAPVT XV.

4. O*fferet quicumque immolaverit victimam ſacrificium ſimilæ*] Nulla victima ſine mola ſalſa & vino: ſic & apud Græcos. Eſt enim ſacrificium quaſi convivium, vocatúrque *cibus Domini*, infrà XXVIII. 2.

13. *Tam indigenæ quàm peregrini eodem vino offerent ſacrificia*] *Peregrinos* hoc loco Hebræi intelligunt, qui legi ſe ſubjecerant. Nam aliis holocauſta tantùm permiſſa, & quidem ſine libamine.

20. *Sicut de areis*] De tritico, hordeo, vineto, ficubus, malis punicis, olivis, dactylis.

Ita & de pulmentis] In Hebræo eſt עריסה, quod φύραμα [*maſſam*] ſignificat, & חלה, quod *placentam*, κολλύραν.

30. *Quæ per ſuperbiam*] In Hebræo: *in manu excelſa*, pro quo Chaldæus poſuit בריש, quaſi dicas *capitosè*, *cerebrosè*. Intellige de eo qui præfractè negat eſſe Deum, aut legem à Deo datam, quod indicant ſequentia. Eodem nomine appellatur qui monitus in legem committere pergit.

Peribit de populo ſuo] In Hebræo: הכרת תכרה, *exterminio exterminabitur*: ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτῆς [*exſcindetur anima illa ex populo ſuo*] Græcis. Ea locutio alibi interitum à Deo infligendum indicat. Cæterùm hîc ex collatione loci Deuter. XIII. 13. Ioſue XXII. 31. 33. intelligenda hoc modo, ut qui ſic Deum offendit non ducatur ad judices, ſed occidatur ab iis qui eum in crimine deprehendunt, ut à Phinea Zambris; Bona autem ejus fiant ἀνάθεμα [*anathema*]. Sic Maimonides Duce dubitantium III. 41. Adde quæ diximus de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XX. §. 9.

38. *Fimbrias*] Vide Deuteron. XXII. 12. & ad Matth. IX. 20.

39. *Nec ſequantur cogitationes ſuas & oculos*] In Hebræo: *Non inquiretis poſt cor veſtrum & poſt oculos veſtros, quos ſequentes fornicaremini*. *Cor* & *oculi* ſignificant animi lubitum. Inquirere hîc eſt διακρίνειν [*diſcernere*], curiosè & audacter diſputare de ratione legis, neque niſi eâ intellectâ velle obedire. Quæ res Solomonem, ut ajunt, per gradus quoſdam in gravia induxit peccata, cùm ductis uxoribus

externis facilè tamen ſe cauſam legis, id eſt idololatriam, vitaturum credidiſſet. Hoc eſt quod Philo ait adverſus Flaccum, etiam quæ minima videantur legis ſolicitè ſervanda: διὰ τὸ καθάπερ ἐπὶ τῶν οἰκοδομημάτων ὑφαιρέσει ἑνὸς, καὶ τὰ ἔπι παγίως ἑστάναι δοκοῦντα συμπίπτειν πρὸς τὸ κενωθὲν χαλώμενα καὶ καταῤῥέοντα [*quia, ut in ædificiis uno lapide ſubducto etiam cætera quæ firma ſtare videbantur concidunt, ad partem vacantem laxata & diffluentia*]. Benè Tacitus Hiſtoriarum libro I. *Si ubi jubeantur, quærere ſingulis liceat, pereunte obſequio etiam imperium intercidit.* Idem libro Hiſtoriarum II. culpat milites, qui juſſa ducum interpretari quàm exſequi mallent. Exemplum habebimus capite ſequenti. זנה quod per fornicari vertit Latinus, in ſenſu metaphorico eſt fœderis cum Deo vinculum abrumpere, quod maximè fit idolorum cultu.

CAPVT XVI.

1. *Ecce autem Core*] In Græco: καὶ ἐλάλησε Κορέ [*& locutus eſt Core*]. In Hebræo: *& aſſumſit Core*, nempè illos de quibus agitur commate ſequenti. Core, ut primogenitus, veteri jure ſacrificandi jus ſibi vindicabat. Vide infrà 3.

De filiis Ruben] Qui concoquere non poterant Rubeni, ut Iacobi primogenito, ablatum jus ſacerdotii.

2. *Proceres ſynagogæ*] Hebraïcè, *principes cœtus*: ἀρχηγοὶ συναγωγῆς [*principes congregationis*] in Græco. Cœtus hìc eſt numerus hominum mille aut centum. Vide ſuprà Exod. XVIII. 2.

Qui tempore concilii per nomina vocabantur] Sicut in tribubus dicuntur קריאי העדה ἐπίκλητοι τῆς συναγωγῆς [*eximii congregationis*], eximii inter ſuos, Num. I. 16. ſic & in millenariis cohortibus & in centuriis. Nam ne de Synedrio LXX virûm intelligi hic locus poſſit, ſatis impedit numerus ducentorum quinquaginta. Core partim collegit eos qui capita erant cohortium, partim eos qui auctoritate apud ſuos plurimùm valebant. Illud prioribus, hoc poſterioribus indicatur; ideóque additur poſterioribus ἄνδρες ὀνομαστοὶ [*viri clari*], quæ ἐπεξήγησις [*explicatio*] eſt vocis ἐπίκλητος [*eximii*], quæ & diebus nobilioribus tribuitur infrà XXVIII. 18. 25. XXIX. 1.

14. *An & oculos noſtros vis eruere*] Præſtigiis uti in thuribulis.

15. *Quòd ne aſellum quidem unquam acceperim ab eis*] Nihil mutandum. Vide ſimilem obteſtationem 1 Sam. XII. 3. LXX tamen legerunt חמוד [*deſiderabile*] οὐκ ἐπιθύμημα αὐτῶν οὐδενὸς εἴληφα [*nullam rem deſiderabilem à quoquam eorum accepi*]. Et eos ſecutus, ut ſæpè, Samaritanus Chriſtianorum codex.

21. *Separamini de medio congregationis hujus*] Bonorum ſubditorum eſt ſegregare ſe à ſeditioſis.

30. *Sin autem novam rem fecerit Dominus*] Hebræi: *ſi creationem creaverit Dominus*. Legunt enim אם בריא יברא: At Græci legerunt אם בארה יבאר, ἀλλ' ἢ ἐν χάσματι δείξει κύριος [*at ſi per hiatum oſtenderit Dominus*]. Nam באר vertitur διασαφεῖν [*clarum facere*], & בארה idem eſſe quod באר monſtrat plurale בארות, φρέατα, λάκκοι [*putei, foveæ*]. Legendum autem in LXX χάσματι [*hiatum*], non ut quidam libri habent φάσματι [*ſpectrum*], oſtendunt & libri antiquiores, & Auguſtinus in quæſtionibus ad hunc locum.

In infernum] שאלה, εἰς ᾅδου, ſupple loca. Vox tum Hebræa, tum Græca de corpore propriè dicitur; & loca ſignificat quæ intra terram ſunt, ut plerúmque ſepulchra, viſui hominum ſubducta, unde nomen ἀΐδου [*inconſpicui*]: inde ad animum humanum factâ tranſlatione, ut ſolemus à rebus notis vocabula ſumere ad ſignificandas res nobis ignotas, pro ea regione ponitur quæ Deo cognita, incognita nobis, ſpiritus humanos ad tempus judicii ſervat tum eorum qui benè, tum eorum qui malè vixerunt. Nullum enim in hac voce eſt ejus rei diſcrimen: quod manifeſtius fiet ei qui noſtra legerit ad Matth. XI. 23. Luc. XVI. 23. XXIII. 24.

35. *Sed & ignis egreſſus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros*] Corpore integro. Ita cenſent Hebræi. Vide quæ ſuprà Levit. X. 2.

38. *In mortibus peccatorum*] Hebraïcè: *Sanctificata ſunt thuribula iſtorum peccatorum in animabus eorum*: ὅτι ἡγίασαν τὰ πυρεῖα τῶν ἁμαρτωλῶν τούτων ἐν ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν [*quia ſanctificarunt thuribula peccatorum qui peccarant in animas ſuas*]. ubi activum imperſonale more Hebræo pro paſſivo. Senſus eſt: non minùs iſto crimine Deo conſecratæ ſunt res ipſorum quàm vita. Peccare in animam ſuam dicuntur qui capitali culpâ ſe mortis reos faciunt. 1. Reg. II. 23.

CAPVT XVII.

8. *Germinaſſe*] Fuit *gemmaſſe* פרח: ſequitur ציץ flos: deinde פרי, fructus: is ubi maturuit, tranſlatione ab infantibus ſumtâ, dicitur ablactari גמל, quaſi à matre depelli.

In amygdalas deformati ſunt] Ad ſignificandum vigilantiam imprimis requiri in ſummo Sacerdote. Vox enim שקד & fructum illum & hanc virtutem ſignificat.

CAPVT XVIII.

1. *Tu & filii tui*] Omnes Sacerdotes filii Aaronis: ideóque omnes excepto eo qui Aaroni ſuccedebat, inter ſe æquales. Sic in Eccleſia preſbyteri myſticè ab Epiſcopis generati.

Portabitis iniquitatem ſanctuarii] Si quid in ceremoniis peccabitur, vos luetis, quos talia ſcire & monſtrare aliis æquum eſt.

10. *In ſanctuario*] Sanctum Sanctorum hîc in Hebræo dicitur, non ut alibi, intimum illud adytum, ſed pars illa Templi ſacerdotum officiis dicata, ut externâ parte Templi ſanctior.

14. *Omnis conſecratio*] חרם [*anathema*]. Id in bello fit.

21. *Filiis autem Levi dedi omnes decimas*] Hecatæus: οἱ πάντες ἱερεῖς τῶν Ἰουδαίων οἱ τὴν δεκάτην τῶν γινομένων λαμβάνοντες, καὶ τὰ κοινὰ διοικοῦντες, περὶ χιλίους μάλιστα καὶ πεντακοσίους εἰσίν [*omnes ſacerdotes Iudæorum qui de rebus enatis decimas ſumunt, & communia adminiſtrant, ſunt ad mille quingentos*].

27. *Vt reputetur vobis in oblationem primitivorum*] In Hebræo: *Et reputatur vobis veſtra elevatio*

ſicut frumentum de area, תרומה, id eſt, elevatio, *ἀφαίρεμα*, dicitur ipſa decima ſive privatorum, ſive Levitarum. Sicut privati de fructibus dabant decimam Levitis: ita Levitæ de percepta decima decimam ſacerdotibus. Hæc decima decimæ eodem modo ipſis proderat, quo decimæ primæ privatis, nempè ut ſoluti eo nexu, reliquo veſci utique liberè poſſent, infrà 31. Sic vox נחשב [*reputari*] & infrà ponitur, & ſignificat ſæpè adæquationem rei unius cum re altera. Dicunt autem Hebræi, ſacerdoti qui compertæ ſit in ſacris ceremoniiſque negligentiæ, non dandam decimam, ne ipſi exitialis fiat ex lege Levitici XXII. 9.

28. *Aaron ſacerdoti*] Aut liberis ejus qui iidem cum ipſo cenſentur.

CAPVT XIX.

2. I*Sta eſt religio victimæ*] Hebraïcè: *Hæc eſt conſtitutio legis*. Græcè: αὕτη ἡ διαστολὴ τοῦ νόμου. Hebraïcè חקת [*præcepta*], Græcè διαστολαὶ, ἐντολαὶ, ἐντάλματα ea dicuntur quæ non ex evidenti ratione naturali, ſed ex Dei voluntate ortum habent, ut diximus de Iure Belli ac Pacis libro 1. cap. 1. §. 9. Talia ſunt omnia de ſacrificiis, præſertim hoc de vacca rufa: cur enim vacca hæc rufa potiùs eſſe debuerit quàm alterius coloris, ne Solomoni quidem patuiſſe dicunt Hebræi: ſunt tamen qui putant rubedine ſignificari peccatum, cujus pœna ſanguine ſumitur.

3. *Immolabit in conſpectu omnium*] Græci & Hebræi: *in conſpectu ejus*, ſupple ſacerdotis. immolabit, id eſt, immolari faciet is qui offert ſcilicet, quod Græci per plurale extulêre, σφάξουσιν [*immolabunt*].

Lignum quoque cedrinum, & hyſſopum, coccumque] De horum ſignificatu vide Levit. XIV. 4.

9. *Aquam ex aſperſione*] Aqua cineri mixta oſtendit homini ex quibus conſtet. Optima purgatio, ſemet noſſe. Vitulorum cinere purgari populum, habes & apud Ovidium Faſtorum IV.

10. *Et advenæ*] Peculiare huic legi & paucis aliis, ut etiam hoſpites non circumciſos obliget.

11. *Qui tetigerit cadaver hominis, & propter hoc ſeptem diebus fuerit immundus*] Euripides in Taurica:

Ἥ τις βροτῶν μὲν ἤν τις ἅψεται φόνου,
Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν,
Βωμῶν ἀπείργει.
[*Quæ, ſiquis ulla cæde fœdavit manus,*
Vel inane corpus, vel puerperium attigit,
Hunc arcet aris.]

In Chryſippi libris vetitum dicitur, προελθεῖν ἀπὸ λέχους ἢ θανάτου πρὸς ἱερόν [*prodire à puerpera aut mortuo in templum*].

9. *Et veſtimenta ſua*] Servius ad IV. Æneidos: *In ſacris pura veſtis appellatur, quæ neque funeſta ſit, neque maculam habeat ex homine mortuo.*

CAPVT XX.

1. E*T manſit populus in Cades*] Diligenter tum hoc & ſequenti capite, tum Deuteronomii duobus primis, loca itineris ex Ægypto in Iordani adſita deſcribuntur, ne quis fortè exſiſteret, qui ea loca aut frugifera, aut aquoſa fuiſſe diceret, ac ſic miraculorum vim eluderet.

6. *Clamaveruntque ad Dominum, Domine Deus,* &c.] Totum hoc de clamore non eſt in Hebræo, nec in Græco, ſed nec in Chaldæis, quæ quidem nunc habemus.

9. *Virgam quæ erat in conſpectu Domini*] Virgam quæ erat Aaronis, ſignum imperii in Levitas.

10. *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere*] *Num* illud eſt dubitantis, ut apparet 12. Simile *Num* vide Geneſ. XVIII. 13.

11. *Percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ*] Percuſſio per virgam myſticè afflictiones ſignificat: Aqua conſolationem quæ eas ſequitur. Sic petra fuit Chriſtus.

12. *Vt ſanctificaretis me*] Vt apertè prædicaretis populo omnipotentiam meam.

16. *Miſeritque angelum qui eduxerit nos de Ægypto*] Nulla Angeli mentio in eductione ex Ægypto. Ideò Maimonides intelligit Dei miniſtrum, ipſum ſcilicet Moſem. Sic Iudicum II. 1. illud מלאך יהוה [*Angelum Domini*] Hebræi interpretantur Phineam. Et II Paralip. XXXVI. 16. מלאכי האלהים [*Angeli*, ſive *nuntii Domini*] ſunt Prophetæ, ut ſequentia oſtendunt. Et Aggæus I. 13. ſe locutum dicit במלאכות יהוה in legatione Dei, ubi LXX. καὶ εἶπεν Ἀγγαῖος ἄγγελος κυρίου [*& dixit Aggæus Angelus* ſive *nuntius Domini*].

17. *Vt nobis tranſire liceat per terram tuam*] Hoc eſt quod ὁδὸν καὶ ἀγορὰν αἰτεῖν [*viam & forum poſcere*] dicunt Græci: & ita hîc Ioſephus. Vide quæ nos libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. 11. §. 13. & 19.

25. *In montem Hor*] In quo Petram fuiſſe urbem Ioſephus dicit. De ea vide Plinium.

26. *Colligetur*] Ibit ad plures. Geneſ. XXV. 8.

CAPVT XXI.

6. I*Gnitos ſerpentes*] Lucanus libro IX.

Oráque diſtendens avidus ſpumantia Preſter.

Et poſteà vulneratum à Preſtere ſic deſcribit:

Naſidium Marſi cultorem torridus agri
Percuſſit Preſter. illi rubor igneus ora
Succendit, tenditque cutem, pereunte figurâ,
Miſcens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egreſſa modum ſuper omnia membra
Efflatur ſanies latè tollente veneno;
Ipſe latet penitùs congeſto corpore merſus,
Nec lorica tenet diſtenti corporis auctum.
Spumeus accenſo non ſic exundat aheno
Vndarum cumulus: nec tantos carbaſa coro
Curvavêre ſinus. tumidos jam non capit artus
Informis globus & confuſo pondere truncus.
Intactum volucrum roſtris, epulaſque daturum
Haud impunè feris, non auſi tradere buſto,
Nondum ſtante modo creſcens fugêre cadaver.

Sunt boni Angeli Seraphim: ſunt mali Angeli Seraphim, quos nulla figura meliùs quàm Preſtere exprimas. Et tali uſum primum humani generis ſeductorem putat Bachai.

8. *Serpentem æneum*] Æs naturaliter nocet

ὀφιοδήκτοις [*à ſerpente morſis*]. Sed Deus cùm vim ſuam eximiè vult oſtendere, operatur per contraria.

Pone eum pro ſigno] Græci: Θὲς αὐτὸν ἐπὶ σημείου [*pone eum ſuper ſigno*]. Rabbi Salomo vocem נם, quæ in Hebræo eſt, interpretatur per Latinam פרקה *furca*. Vide quæ dicta ad Ioann. III. 14.

13. *Arnon terminus eſt Moab*] Fluvii vetuſtiſſimi gentium termini. Sehon hucuſque Emoræorum fines protulerat: non ille hujus temporis, ſed vetuſtior aliquis.

14. *In libro bellorum Domini*] Poteſt ספר verti *narratio*, ut intelligamus carmina quædam vetuſta, quibus res geſtæ inſignes celebrabantur. Dicuntur autem res ab Emoræis geſtæ *bella Dei*, quia illi, ut videtur, eo tempore de quo hæc narratio eſt, Deum opificem mundi colebant, Moabitæ eorum hoſtes Chamoſum, infrà 28.

Sicut fecit in mari rubro] Hebræa hîc obſcura ſunt, credo unius literæ facto diſpendio, alteràque paullum mutatâ. Senſus enim exigit את מואב בסופה, [*contra Moabum in Supha*], ſupple *feliciter bellatum eſt*. את pro *contra* eſt Ierem. XV. 11. & alibi. In Moabitarum autem regione eſt *Supha* Deuteron. I. 1. ubi malè *mare Rubrum* vertitur, ἐξ ὁμωνυμίας [*ex vocabulo ambiguo*]. Ab hoc loco populus *Sophanitæ* Ptolemæo. Confer quæ infrà 26. Variâſſe hîc Scripturam etiam ex LXX diſcas, qui pro והב [*Wahab*] habent Ζωὸβ [*Zoob*], niſi & ibi olim Μωὰβ [*Moab*] fuerit.

16. *Ex eo loco apparuit puteus*] In Hebræo: *Indè in Beer, hic eſt puteus*. Id eſt, locus ille dictus eſt *Beer*, quòd eo uſque à rupe perductus ſit ſulcus, per quem aquæ ad caſtra ſequebantur. Omne quod foditur dicitur באר.

25. *In Heſebon*] Hinc *Esbonitæ* Arabes Plin. V. 11.

Et viculis ejus] In Hebræo: *In omnibus filiabus ejus*. Ita vocantur Hebræis caſtella & vici, & oppida minora acceſſiones magnarum urbium. Nota autem bello acquiri etiam quæ hoſtis noſter bello ſibi quæſiverat. Vide de Iure Belli ac Pacis libro III. cap. VI. §. 7.

30. *Vſque Medaba*] Quæ Ptolemæo Μήδαυα.

33. *Rex Baſan*] Id eſt, Galadenæ & Gaulonitidis. Ioſephus.

CAPVT XXII.

5. A*Riolum*] Nomen proprium faciunt LXX, Φαθουρὰ [*Phathoura*], quæ Euſebio Φεθαιρὰ [*Phethaira*], ut ſit nomen patriæ Balaami, adſita Euphrati, quod jam *flumen* vocabit, καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*]. Id ita eſſe evincit quod infrà eſt XXIII. 7. Videtur autem is locus Syriæ nomen habuiſſe, indè quòd ſedes eſſet eorum qui ſe ὀνειροκρίτας [*ſomniorum interpretes*] profitebantur. Vide Geneſ. XL. 5. 8. 12. 18. & quæ ſuprà X. 15.

7. *Perrexerúntque ſeniores Moab & majores natu Madian*] Populi inter ſe ſemper inimici odio Iſraëlitarum conſpirant. Simile vide Luc. XXIII. 12.

Habentes divinationis pretium in manibus] In Hebræo: *divinationes*, id eſt, omnem apparatum, qui vati neceſſarius putabatur: nempe ſedem & ſortes. Vide Euripidem in Phœniſſis de Tireſia.

12. *Dixítque Deus*] Per Angelum infrà 22. 31. Notatum id Maimonidæ Duce dubitantium II. 41.

22. *Stetítque Angelus Domini in via*] Hæc omnia Maimonides facta putat in viſione: ut Gen. XXXII. 24. Ioſue V. 13. 14. Neque tamen ſimilium portentorum deſunt hiſtoriæ. Agnus locutus Bocchoride in Ægypto regnante apud Euſebium. Bos locutus apud Livium ſæpè, & apud Euſebium. Meminêre & Plinius, Polybius, Plutarchus.

27. *Cúmque vidiſſet aſina ſtantem angelum concidit ſub pedibus ſedentis*] Hinc ſumſêre Pythagorici, non pergendum in via ubi aſinus procubuerit. Meminit Hermippus, & ex Hermippo Ioſephus. Senſus allegoricus eſt, non tentanda ea quæ ſupra noſtras ſunt vires. Id aliter dicitur, μὴ πρὸς κέντρα λακτίζειν [*non recalcitrandum ſtimulo*]: quod proverbium Æſchylo & Euripidi, & poſteà multis tritum, Chriſtus ad Saulum uſurpat Actor. IX. 5.

31. *Adoravítque eum pronus in terram*] In Hebræo eſt, ויקר וישתחו [*flexit ſe, & ſtravit*] id eſt, capite primùm inclinato, deinde & toto corpore, reverentiæ ſignum ipſi exhibuit.

38. *Niſi quod Deus poſuerit in ore meo*] Angeli miniſterio, ut ſuprà; ſic & XXIII. 5.

CAPVT XXIII.

10. Q*Vis dinumerare poſſet pulverem Iacob*] Ingentem illam multitudinem. Confer Geneſ. XIII. 16. XXVIII. 14. Scholiaſtes ad Acharnenſes Ariſtophanis: τὸ ψαμμακόσια ἐπὶ πλήθους ἐτίθετο [*pulverena pro multitudine poſuit*]. Eupolis: ἀριθμεῖν θεατὰς ψαμμακοσίους [*numerare ſpectatores in arenæ modum*].

Et noſſe numerum ſtirpis Iſraël] In Græco: καὶ τίς ἐξαριθμήσεται δήμους Ἰσραήλ; [*& quis numerabit populos Iſraël?*] At Hebræus textus habet: *Et numerum quartæ partis Iſraël*: id eſt, non modò numerum totius exercitûs nemo poſſit comprehendere, ſed nec unius vexillationis, quæ pars quarta exercitûs. Vide quæ ſuprà X. 15.

Moriatur anima mea morte juſtorum] Id eſt, morte nec violentâ, nec immaturâ, quod Iſraëlitis promiſſum, legem obſervantibus. Gemara hoc loco. Latet tamen altior ſenſus myſticus.

19. *Vt mentiatur*] Vt decreta ſua, ſive pura, ſive conditionalia, conditione impletâ, mutet. LXX διαρτηθῆναι [*intercipi*], alii σαλευθῆναι [*concuti*]: Philo διαψευσθῆναι [*falli*]. Et fortè hunc locum reſpicit Iudith VIII. 12. ubi nunc διαιτηθῆναι [*judicari*] legitur, quod fortè fuit διαρτηθῆναι [*intercipi*]. Quatuor ſunt cauſæ cur homines promiſſis non ſtent, quia fallaciter promiſerunt: aut quia promiſſi pœnitet: aut quia improviſum quid ſupervenit: aut quia res eſt ſupra vires. Hæc omnia abſunt à Deo longiſſimè.

21. *Clangor victoriæ Regis in illo*] Triumphus perpetuus.

CAPVT XXIV.

3. C*Vjus obturatus eſt oculus*] Nam afflati abalienantur à ſenſibus, ſpiritu bono aut malo eos

gubernante. Iamblichus de myſteriis Ægyptiorum ſegmento II. cap. 24.

7. *Tolletur propter Agag rex ejus, & auferetur regnum illius*] Meliùs in Hebræo: *Exaltabitur præ Agag rex ejus, & elevabitur ejus regnum. Agag* nomen regum Amalecitarum. Implementum vide I Sam. xv. 8. Lxx & Symmachus pro מאגג [*præ Agag*] legerunt מגוג [*præ Gog*]. Habent enim illi: ὑψωθήσεται ἡ Γὼγ βασιλεία [*attolletur regnum Gog*]. Symmachus propiùs ad Hebræum: ὑψωθήσεται ὑπὲρ Γὼγ βασιλεὺς αὐτοῦ [*rex ejus ſuper Gog attolletur*]. Sed veriùs quod in Hebræo legitur.

14. *Pergens ad populum meum*] Priuſquam redeam in Meſopotamiam. At Gemara *ad gehennam*, parum probabiliter.

17. *Videbo eum, ſed non modò*] Rectiùs: *Video eum, ſed non tammodò*. Eum, id eſt, res ejus magnas: Iſraëlitici ſcilicet populi.

Stella ex Iacob] Sidera vocantur viri illuſtres.

Et conſurget virga de Iſraël] In Hebræo שבט, id eſt, *ſceptrum*, ut Geneſ. XLIX. 10. *Regem* benè interpretatur Chaldæus. David deſignatur, illuſtris inter reges, qui Moabitas partim interfecit, partim ſibi ſubjecit, II Sam. VIII. 2. vide & Pſal. LX. 10. CVIII. 10. Myſticè de Meſſia interpretatur & Maimonides, cujus ſummam victoriam omnes veteres victoriæ adumbrarunt.

Vaſtabitque omnes filios Seth] Nihil vero propius quàm Seth nominatum fuiſſe regem aliquem eximium inter Moabitas.

18. *Et erit Idumæa poſſeſſio ejus*] Eadem res prædicta xxv. 3. Implementum vide II Reg. VIII. 14.

20. *Aſſumens parabolam*] Loquens ἀποφθεγματικῶς [*ſententioſé*].

Cujus extrema perdentur] In Hebræo: *ultima ejus ad exitium*. Quod rectè interpretantur Lxx τὸ σπέρμα αὐτῶν ἀπολεῖται [*ſemen eorum peribit*]. Excelluit diu inter vicinas gentes: ſed veniet tempus cùm exitio dabitur. Impletum id I Sam. xv. 7. Confer vaticinium Exod. XVII. 14.

21. *Cinæum*] *Salmæum* Chaldæus. Vide ſuprà Geneſeos xv. 19. Hinc fuit Iethro, cujus propinqui *Iſraëlitis* ſe adjunxêre. Iud. I. 16. IV. II. I Sam. xv. 6.

Nidum tuum] קנך alluſio ad nomen *Cinæi*.

22. *Et fueris electus de ſtirpe Cin*] Qui princeps generis: malè *Kain* legunt Hebræi. Legit Latinus בחור [*electus*], non לבער [*ad depaſcendum*]. At Lxx legerunt כי אם יהיה לבער קן ערמה. Vertunt enim, καὶ ἐὰν γένηται τῷ Βεὼρ νοσσιὰ πανουργίας [*& ſi fiat Beori nidus aſtutiæ*]. Senſus in Hebræo eſt: *attamen erit Cin depaſtui*. paulatim imminuetur is populus, donec cum Iſraelitis avehatur. Iam tempore Saulis apparet modicas fuiſſe eorum res, I Sam. xv. 6.

23. *Aſſumtaque parabola*] Plus hîc legêre Græci. Præmittunt enim, καὶ ἰδὼν τὸν Ὤγ [*& videns Ogum*], id eſt, *conſpiciens regnum Baſan*. Vide ſuprà XXI. 33.

Quis victurus eſt] Quanta tunc erit internecio?

24. *Venient de trieribus in Italia*] Voce כתים [*Chittim*] primò dicti Cyprii, apud quos Κίττιον [*Cittium*] Phœnicum colonia: & ab iis omnes Græci: itaque Alexander dicitur fuiſſe ἐκ τῆς γῆς Χεττιίμ [*ex terra Chettiim*], I Macc. I. I. qui rex יון, id eſt *Græcorum* Danieli. Hi autem ſunt qui & Aſſyrios & eorum ſucceſſores Medos ac Perſas armis ſuis ſubegêre, tranſvecti Helleſpontum.

Vaſtabuntque Hebræos] עבר eos qui *trans flumen* ſunt ſignificat. Flumen Euphratem intellige. Etiam Euphratem tranſgredientur Macedonum ſive Græcorum arma. Et hoc ad Alexandrum pertinere nemo non videt.

Et ad extremum etiam ipſi peribunt] Græci: καὶ αὐτοὶ ὁμοθυμαδὸν ἀπολοῦνται [*& ipſi pariter peribunt*]. In Hebræo: *& ipſe etiam in exitium*, ſupple *ibit*. Senſus eſt, illam victricem gentium Macedoniam cum Græcia omni ſuccubituram Romanorum armis.

25. *Surrexitque Balaam, & reverſus eſt in locum ſuum*] Domum quidem iit: ſed mox rediit ad Madianitas, infrà XXXI. 8. Ante abitum autem dedit conſilium, cujus exſecutio in ſequenti eſt capite. id habetur ex traditione, quam probat Petrus II. Ep. II. 15. Iudas II. Ioannes in Apocal. II. 14.

CAPVT XXV.

4. T*olle cunctos principes populi*] Aſſume tibi Chiliarchos, centuriones, ac cæteros.

Et ſuſpende eos] Fac ut illi magiſtratus eos qui deliquerunt faciant ſuſpendi. Forma Hiphil plerúmque duplicem actionem ſignificat: hîc verò triplicem: eſt enim hoc verbum hôc loco יוצא לשנים פועלים, ut Hebræi loquuntur, id eſt, *tranſiens in duo paſſiva*. Suſpenſio autem ex more Hebræo requirit ut ſupplicium præcedat, Deuteronomii XXI. 22.

8. *In locis genitalibus*] Hoc referendum ad mulierem tantùm אל קבתה. *Ciſterna, quam gentili ſermone Syri Cubam vocant*, Hieronymus in Vita Pauli Vide Eſaiæ LI. I.

9. *Occiſi ſunt viginti quatuor millia hominum*] Partim hominum manibus, partim morte immiſsâ divinitus.

12. *Pactum ſacerdotii ſempiternum*] Diuturnum admodum, nempe poſt Sadoci tempora. Vide Sirach. XLV. 24.

CAPVT XXVI.

1. A *Viginti annis & ſupra*] Nec minoribus eâ ætate, nec mulieribus dati fundi, ſervato tamen illis ſecundùm leges ſuccedendi jure.

10. *Et factum eſt grande miraculum, ut Core pereunte, filii illius non perirent*] Meliùs Græci cum Hebræo illud καὶ ἐγενήθησαν εἰς σημεῖον [*& facti ſunt in ſignum*] referunt ad priora. Quod autem de Core filiis dicitur, diſcrimen oſtendit inter eos & inter filios Dathan & Abiram, nimirum indè ortum quòd filii Core paternum crimen deteſtati ſint, ac propterea Moſis preces ad Deum fuſæ ipſis profuerint, ſuprà XVI. 22.

39. *Hupham, ex quo familia Huphamitarum*] Non eſt in Græco. ſed qui hic eſt חופם [*Hupham*] Gen. XLVI. 21. eſt חפים [*Huphim*], & I Paralip. VIII. חורם [*Huram*], utrúmque corruptè, qualia multa in nominibus propriis.

51. *Sexcenta millia & mille ſeptingenti triginta*]

Diviſione factâ magìs ſecundùm quod valebant terræ, quàm ſecundùm ſpatia in partes duodecim, altera diviſio facta eſt in tot quot hîc refert numerus, non tamen planè in capita, ſed per repræſentationem & primogenituram eorum qui ex Ægypto exierant.

53. *Iuxta numerum vocabulorum*] Quæ ſcripta in ſchedulis, ut & terrarum nomina: ſic duæ ſchedæ pariter trahebantur.

59. *Iochabed*] An hæc *Iochabeta* Plinio Naturalis Hiſtoriæ lib.xxx. cap.1?

CAPVT XXVII.

1. *Filiæ Salphaad*] Confer Ioſuæ XVII. 4. & ſequentibus.

7. *Et ei in hereditatem ſuccedant*] In Hebræo: *tranſire facietis*: quod Samaritanus interpretatur *dabitis*.

8. *Cùm mortuus fuerit abſque filio*] Apud alias gentes pleráſque filiæ cum filiis ſuccedunt. Apud Hebræos non admittuntur, niſi filiis deficientibus, ut in feudis quibuſdam. Et revera terra Iſraëlitica Deo feudi more devincta erat. Filius moriens jus futurum in ſuos filios, aut ſi filii non eſſent, filias tranſmittebat.

9. *Si filiam non habuerit, habebit ſucceſſores fratres ſuos*] Pater fratribus præfertur, excepto fratre qui viduam ducit. Sed vitandi mali ominis causâ hanc ſucceſſionem, ut quæ *contra votum ſit parentum*, ut Papinianus loquitur l. *Iulianus* D. *Si quis omiſsâ causâ*, ſilentio præteriit Moſes. Papinianus alibi in l. *Nam & ſi parentibus*. D. *De Inofficioſo*, hanc hereditatem ait *dari turbato ordine mortalitatis*. Ideò *luctuoſa* dicitur & *triſtis*, l. Liberi. C. De Inofficioſo. l. ult. C. De Inſtitutionibus. & §. 2. Inſt. de Senatuſconſulto Tertulliano. *duræ fortunæ ſolatium*, l. *Si qua*. C. ad Senatuſconſ. Tertullianum. Plinius in Panegyrico: *Sic quoque abundè miſera res eſt, pater filio ſolus heres*. Philo libro III. de vita Moſis his congruenter ſic ait: Ἐπειδὰν ὁ νόμος τῆς φύσεώς ἐστι κληρονομεῖσθαι τοὺς γονεῖς ὑπὸ παίδων, ἀλλὰ μὴ τούτους κληρονομεῖν, τὸ μὲν ἀπευκταῖον καὶ παλίμφημον ἡσύχασεν, ἵνα μὴ πατὴρ καὶ μήτηρ προσδέεσθαι δοκῶσι τὰ ἐπὶ ὠκυμόροις τέκνοις ἀπαρηγόρητα πένθη· πλαγίως δ' αὐτοὺς ἐκάλεσε τοὺς θείους ἐφιείς [*Cùm lex ſit naturæ ut parentibus ſuccedant liberi, non liberis parentes, id quod erat triſte ac mali ominis tacuit, ne pater & mater lucrum appetere videantur ex luctu inconſolabili ob immaturam liberorum mortem. At per obliquum ſatìs eos ad ſucceſsionem vocavit, nominatis patruis*].

10. *Quòd ſi & fratres non fuerint*] Supple *nec ſorores*. quod ex præcedente *filiarum* mentione intelligitur: *nec avus*, qui patris loco eſt.

Fratribus patris ejus] Nota Hebræo more *patruos* fratrum filiis præferri, ut propiores ei à quo bona venerunt. Idem mos per Phœnicas in Africam venit. vide quæ à nobis notata de Iure Belli ac Pacis libro II. §. 24.

11. *His qui ei proximi ſunt*] Nempe agnati. Nulla enim eſt משפחה [*familia*], quâ voce hîc Moſes utitur, materna: *Mulier* enim *familiæ ſuæ & caput & finis eſt*, l. *Pronuntiatio*. D. de verborum ſignific. hinc uxori ſuccedebat maritus, præter dotem quæ ibat ad liberos, aut unde venerat. משפחה eſt pars tribûs, Græcis πατριὰ à paterno genere, interdum & communiori nomine συγγένεια [*cognatio*]. Ergo poſt ſorores nec feminæ nec mares per feminas conjuncti admittuntur ad ſucceſſionem jure Hebræo. filias & ſorores miſeratio introduxit. In cæteris familiarum jura ſervantur. Proinde fratres intelligendi hîc ex patre, rejectâ communiter opinione Abeneſdræ qui uterinos admittit. Græci interdum φυλὴν [*tribum*] ponunt, ubi περὶ πατριᾶς [*de familia*] agitur, ut hoc loco: δώσετε τὴν κληρονομίαν τῷ οἰκείῳ τῷ ἔγγιστα αὐτοῦ ἐκ τῆς φυλῆς αὐτοῦ, κληρονομήσαι τὰ αὐτοῦ [*dabitis hereditatem agnato ejus ex eadem familia proximo, ut heredis jure eam poſsideat*]. quam improprietatem ſecutus collator vetus legum Moſis & Romanarum, *Homo ſi deceſſerit & filios non habuerit, dabitis hereditatem proximo ejus de tribu ejus & poſsidebit omnia ejus*. Sic lege XII. tabularum, ſi quis ſine liberis maribus aut feminis, ac ſine fratribus ac ſororibus ex eodem patre deceſſiſſet, ad agnatum, & quidem proximum veniebat hereditas, D. de ſuis & legitimis heredibus, & Inſtit. de legitima agnatorum ſucceſſione. Vlpianus Inſtitutionibus titulo de legitimis heredibus. Sic & jure Attico poſt fratres & ſorores vocantur ἄῤῥενες ἐξ ἀῤῥένων [*mares ex maribus*]. Poſt verba hæc *his qui ei proximi ſunt*, additur explicandi causâ in Hebræo, *& hereditabit eam*. Græcè, κληρονομήσαι τὰ αὐτοῦ, quod Samaritanus explicat, *eam ut heres accipiet*: id eſt titulo heredis eam habebit, ut ſuccedens in omne jus defuncti, ac proinde & onera agnoſcens. Nati ex ancilla aut peregrina neque agnati neque cognati cenſebantur. Proſelytus verò, niſi Iſraëlitam genuiſſet, non habebat heredem, ſed bona fiebant occupantis. Ità quod juris gentium fuerat, lex ad cives redegerat, ut & Romana, quæ cum peregrinis noluit eſſe teſtamenti factionem.

17. *Sicut oves abſque paſtore*] Etiam Græcis principes ποιμένες λαῶν [*Paſtores populorum*].

21. *Conſulet Dominum*] In Hebræo clariùs: *Conſulet pro eo reſponſum Vrim coram Domino*: id eſt, apud propitiatorium.

CAPVT XXVIII.

2. *Oblationem & panes*] Meliùs in Hebræo: *Oblationem meam cibum meum*. Vide quæ ſuprà XV. 4. Leges repetendæ, ubi deſuetudo intervenit.

10. *Quæ rite funduntur per ſingula ſabbata in holocauſtum ſempiternum*] In Hebræo alius eſt ſenſus: *Holocauſtum ſabbaticum cum ſuo libamine in ſabbato fiet ſuper holocauſtum juge*. Id eſt, præter holocauſtum quotidianum addetur & alterum proprium ſabbati. Sic & Græci: ὁλοκαύτωμα σαββάτων ἐν τοῖς σαββάτοις ἐπὶ τῆς ὁλοκαυτώσεως τῆς διαπαντὸς, καὶ τὴν σπονδὴν αὐτοῦ [*holocauſtum ſabbatorum in ſabbatis ſuper holocauſtum quotidianum, & libamen ejus*].

15. *Hircus quoque offeretur Domino*] Non Lunæ, ut fieri à vicinis gentibus ſolebat. Maimonides.

30. *Præter holocauſtum*] Oblationum enim in idem tempus concurrentium nulla ob id omittitur.

CAPVT XXX.

3. *Votum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento*] Votum fit Deo, juramentum per Deum. Vota non cenſebantur obligare niſi verbis prolata: ut hîc & Deuteronomii XXIII. 23. Voveri autem nihil debebat, niſi quod ad Dei honorem aut pietatem pertinebat, ut Naziræatus, victimæ, pecuniæ in uſus Templi aut pauperum, jejunia, ſimiléſque σκληραγωγίαι [*duræ ſui tractationes*].

4. *Quæ eſt in domo patris ſui*] Idem in filio. Sed filia donec maritum haberet ſolebat in patris manere domo: filius quamdiu patri placeret. quæ autem ſic in domo erant patris, cibo patris alebantur. pleraque autem vota de cibo. Requiritur autem ut votum valeat, juſta etiam ætas voventis, quæ eſt annorum XIII in mare, XII in femina.

Si cognoverit pater votum] Appoſitè ad hanc rem Servius ad illud XI Æneidos,

Alma, tibi hanc, nemorum cultrix Latonia virgo,
Ipſe pater famulam voveo.

Bene, ipſe pater: quia auctoramenti poteſtatem niſi patres non habent.

Et tacuerit] Euripides Iphigenea in Aulide:

Αὐτὸ δὲ τὸ σιγᾷν ὁμολογοῦντός ἐστι σοῦ.
[*Signum fatentis eſt tuum ſilentium.*]

Taciturnitas conſenſionem imitatur. Cicero de Inventione primo. Vide l. *Qui tacet.* D. de reg. juris. Paulum Sententiarum libro I. tit. 9. de Minoribus. Facundus libro VIII. *At hoc ipſum quòd tacuerunt in tempore, cùm eis ad intelligendum magna ſcientia, & ad reſpondendum ſermo non defuiſſet idoneus, pro conſenſu teneri meritò poteſt.*

CAPVT XXXI.

7. *Cumque pugnaſſent contra Madianitas*] In Hebræo: *Caſtra poſuêre contra Madianitas, ita ut Dominus Moſi præceperat.* Nempe aliquâ parte liberâ relictâ à caſtris, per quam Madianitæ, ſi vellent, effugerent. Ità volunt Hebræi. Vide quæ diximus libro III. de Iure Belli ac Pacis, XI. 14.

8. *Reges eorum*] Reges ſuorum populorum, ſed ſub rege Madianitarum: quales multi in Perſide. Æſchylus Perſis:

Βασιλεῖς βασιλέως ὕποχοι μεγάλου.
[*Reges regis magni ſubices.*]

Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio] Qui in Syriam profectus cùm intellexiſſet occidionem XXIV millium Iſraëlitarum, ſuorum conſiliorum hunc fructum venditans, mercedem à Madianitis petitum venerat. Sic Hebræi, quibuſcum conſentit Apoc. II. 14.

11. *Prædam & univerſa quæ ceperant tam ex hominibus quàm ex jumentis*] Sic ferme & Græci. In Hebræo tria ſunt nomina, quorum השבי homines captivos ſignificat, מלקוח animalia capta, שלל res captas.

23. *Quicquid autem ignem non poterit ſuſtinere, aqua expiationis ſanctificabitur*] Duo credita vim habere purgantem: ignis exurendo, aqua eluendo. Ità & Ægyptios cenſuiſſe docet nos Porphyrius.

35. *Animæ hominum ſexûs feminei*] Notatur hîc nomen אדם [*hominis*] ad utrumque ſexum pertinere.

53. *Vnuſquiſque enim quod in præda rapuerat, ſuum erat*] *Prædam* hîc ſtrictè intellige: exceptis captivis & animantibus, de quibus ſuprà.

CAPVT XXXII.

3. *Et Beon*] Sic & in Hebræo, בען*:* ſed cogitandum an non ſcriptum fuerit מען [*Meon*], ut infrà 38. & Ioſue XIII. 17.

6. *Fratres veſtri ibunt ad pugnam, & vos hîc ſedebitis?*] Iniquum eſt mel à fucis edi, ait in ſimili re Beliſarius apud Procopium.

11. *Si videbunt*] Formula jurandi. Subauditur, *ne pro Deo habear.*

Et noluerunt ſequi me] In Hebræo: *non compleverunt poſt me:* id eſt, non perfectè me ſecuti ſunt. Vide ſuprà XIV. 24.

33. *Et dimidiæ tribui Manaſſis*] Hæc ſubintelligenda ex hoc loco ubi ſuprà Rubenis & Gadis fit mentio. Neque novum ſolidas partes commemorari, præteriri verò particulas. Samaritanus, ut in aliis ità hîc nimiæ diligentiæ, etiam locis ſuperioribus dimidiam hanc tribum ſemper addidit, quod & in ſcholiis Græcis hîc annotatum.

38. *Verſis nominibus*] Vt ſolent facere victores.

CAPVT XXXIII.

31. *Et de Moſeroth caſtrametati ſunt in Benejaacan*] In Benejaacan erant putei, unde pleniùs hic locus vocatur בארת בני יעקן [*putei Benejaacan*]. Sed contrarium planè iter deſcribitur nobis Deuteronomii X. 6. 7. Verùm ea duo commata exſcriptoris errore ibi poſita dicemus, ubi ad eum locum ventum fuerit.

55. *Quaſi clavi in oculis veſtris*] Meliùs *ſtimuli*, nempe ad peccandum; σκόλοπες [*ſudes*], Græci. In oculis veſtris, id eſt, cùm ipſos ipſorumque ritus conſpicietis.

Lanceæ in lateribus] Græci, βολίδες [*tela*].

——— *Hæret lateri lethalis arundo.*

Gravia mala indè vobis evenient.

CAPVT XXXIV.

5. *Per gyrum terminus*] Limes obliquus. Ad auſtrum Iudææ objacent Idumæa, Moabitis, Ægyptus.

11. *Ad mare Cenereth*]De quo vide ad Matth. XIV. 34. Fuit olim portio regni Amorrhæorum.

CAPVT XXXV.

5. *Et foris ſuburbana*] Spatium mille cubitorum, acceſſio urbium.

6. *Sex erunt in fugitivorum auxilia*] Naturalis æquitas hujus inſtituti cauſa. Ideò perfugia etiam advenis patebant. Viæ erant complanatæ, & lapides pro viæ indicio. Comitabantur fugientem viri eruditi, qui vindicem, ſi fortè in eum incidiſſent, blandis

verbis mitigarent. Locus ipſe perfugii aquis abundans. arma ibi fabricare vetitum. opificio aliquo vitam ſibi quærere debebat is qui perfugerat. Nemo fugere impediebatur qualecumque fuiſſet homicidium. Sed cum præſidio ex urbe perfugii reus deducebatur ad judices loci, ubi homicidium erat perpetratum. Si appareret malum conſilium, puniebatur: ſin caſus aut levis culpa, ſub præſidio in perfugii urbem reducebatur. Confer Deuteron. IV. 42. IX. 2. & ſequent. Ioſue XX. Etiam extra has, aliæ Levitarum urbes volentibus pro perfugio erant: ſacerdoti ſiquid tale eveniſſet, pro aſylo erat templi baſilica. Etiam apud Græcos exſilio fortuiti caſus luebantur, ut exemplo Phœnicis ex Homero probat Claudius Saturninus l. *Aut facta.* §. *Eventus.* D. de Pœnis. Adde exſilia Cephali & Herculis apud Apollodorum. Porphyrius de abſtinentia ab animantibus primo: Ἐπεὶ καὶ τὸν ἀκούσιον φόνον οὐκ ἔξω πάσης ζημίας κατέστησαν οἱ νομοθέται, ὅπως μηδεμίαν ἐνδῶσι πρόφασιν τοῖς ἑκουσίως τὰ τῶν ἀκουσίως δρώντων ἔργα μιμεῖσθαι προαιρουμένοις [*Nam etiam cædem ſine conſilio perpetratam, non extra omnem pœnam eſſe voluerunt legum auctores; ne ulla daretur occaſio aliis deliberatò imitandi, quæ illi non deliberatò fecerant*]. Mox idem ἀκούσια [*non deliberata*]benè diſtinguit: τῶν μὲν παρὰ τὴν ἀστάθμητον αἰτίαν καὶ ἀφύλακτον γιγνομένων ἀνθρωπίνῃ φύσει, τῶν δὲ παρὰ τὴν ἡμετέραν ἀμέλειαν [*cùm quædam fiant per cauſam incogitatam & humanæ naturæ inevitabilem, alia verò per noſtram negligentiam*]. Ad poſterius genus ſpectat lex quam hîc tractamus.

16. *Si quis ferro percuſſerit*] Mos Hebræorum multis verbis rem circumloqui. Senſus eſt, mortis eſſe pœnam qualicunque telo (ut Romani eam vocem uſurpant l. *Hi qui.* D. ad l. Iuliam de vi publica) quis hominem occiderit. Ex telo præſumitur malum conſilium, niſi contrarium appareat.

17. *Si lapidem jecerit, & ictus occubuerit*] In Hebræo: *Si lapide manuali unde quis mori poſſit eum percuſſerit.* Idem volunt Græci: Ἐὰν ἐν λίθῳ ἐκ χειρὸς ἐν ᾧ ἀποθανεῖται ἐν αὐτῷ, πατάξῃ αὐτόν [*Si percuſſerit eum manuali lapide, de quo quis mori poſſit*]. *Lapis manualis* eſt qui manum impleat, non lapillus quali opus novum prohibetur l. *De pupillo.* §. *Meminiſſe*: de operis Novi nuntiatione.

19. *Propinquus occiſi*] Hebraïcè גאל הדם, *vindex ſanguinis.* Græcè, ὁ ἀγχιστεύων τὸ αἷμα [*qui jure propinqui ſanguinem vindicat*]. Proximum ſanguine intelligunt Hebræi.

25. *Liberabitur innocens de ultoris manu*] In Hebræo: *Et conventus abſolverit homicidam à poteſtate ejus qui ultum it cædem, reducetur*, &c. *Conventus* Hebraïcè עדה, Græcè συναγωγή. Eſt autem עדה Hebræis fermè idem quod *turba* Latinis. Vlpianus in l. *Prætér.* D. de Vi bonorum raptorum, negat duos *turbam* propriè dici: ſed ſi decem fuerint aut quindecim homines *turbam* ait dici. Sic Hebræi עדה vocant numerum hominum ſupra decem. Ne quid autem ad numerum juſtum deeſſet, ſumſerunt hîc ter ſeptem, & tot conſtituerunt in urbibus judices homicidiorum, rerúmque aliarum non exceptarum Synedrio. Olim verò totus loci populus judicabat: ſicut & pro Synedrio aliquamdiu fuit populus omnis, Moſe eum edocente.

27. *Abſque noxa erit qui eum occiderit*] Non propinquus tantùm, ſed quivis. Ita conſuetudo hunc locum interpretata eſt ex ſequentibus.

Donec ſacerdos magnus qui oleo unctus eſt moriatur] Sacerdos magnus homo ſanctiſſimus eſſe debebat, & talis credebatur: ſolet autem Deus ob mala à viris ſanctis piè tolerata aliorum peccatis ignoſcere. Vide Ezech. cap. V. & quæ huc pertinentia congeſſimus ad Matth. XX. 28. Tum verò propinqui luctus ſui ſolatium magnum habebant in luctu publico tanto. Reſtituebatur autem tunc reus etiam ad bona & honores. Et quia Sacerdos magnus expiator erat talium culparum; ideò nec ipſi ſi homicidium feciſſet dabatur reditus, nec ei qui ipſum occidiſſet.

28. *Debuerat enim profugus uſque ad mortem Pontificis in urbe reſidere*] In Hebræo, *manebit*, id eſt, *manſiſſet.* quia enim Hebræi modum optantem & potentialem non habent, utuntur pro eo indicativo. Manſiſſet autem eſt ſimile iſti Virgiliano:

At tu dictis Albane maneres.

Fuit & hujus moris veſtigium aliquod apud gentes. Nam in Templo Aricino fugitivus morte ſacerdotis à fuga liberabatur. Teſtis Servius ad VI. Æneidos.

30. *Ad unius teſtimonium nullus condemnabitur*] Ad mortem ſcilicet.

31. *Non accipietis pretium*] Pro vulneris talione mulcta accipi poterat, non pro pœna homicidii.

32. *Exſules & profugi ante mortem pontificis nullo modo in urbes ſuas reverti poterunt*] Senſus minùs plenus. At in Hebræo: *Ne accipiatis redemtionem* (id eſt, mulctam aut pecuniam judici oblatam) *ut fugiat ad ſui receptûs urbem, ut revertatur ad habitandum in terra ante mortem ſacerdotis.* In Græco: οὐ λήψεσθε λύτρα τοῦ φυγεῖν εἰς πόλιν τῶν φυγαδευτηρίων, τοῦ πάλιν κατοικεῖν ἐπὶ τῆς γῆς ἕως ἂν ἀποθάνῃ ὁ ἱερεὺς ὁ μέγας [*non accipietis redemtionem ut fugiat ad urbem perfugii, ut rurſum habitet in terra, donec moriatur magnus Sacerdos*]. Locum obſcuriorem fecit omiſſa particula disjunctiva, quod & aliis locis evênit. Senſus eſt, nullâ mulctæ perſolutione, nullâ mercede perducite ſines, ut is qui ab urbe receptûs ſub præſidio publico ad judicium perductus eſt, ſi cognoſcatur deliberatò feciſſe homicidium, remittatur ad urbem receptûs, aut ut ei qui eſt in urbe receptûs permittatur alibi habitare ante mortem Pontificis maximi.

CAPVT XXXVI.

6. T*Antùm ut ſuæ tribûs hominibus*] Imò & *ſuæ familiæ.* Græci: ἐκ τοῦ δήμου τοῦ πατρὸς αὐτῶν [*ex populo patris ſui*]. Vide quæ ſuprà diximus de voce משפחה, XXVII. 11. Sic & in lege Iubilæi, Levitici XXV. 10.

8. *Omnes enim viri ducent uxores de tribu & cognatione ſua*] Alius ſenſus legis. Verba Hebræa: *Omnis filia quæ ſuccedit in hereditatem in familia quacumque Iſraëlitarum, alicui qui ſit originis familiæ ejuſdem paternæ uxor erit.* Græcè non malè: πᾶσα θυγάτηρ ἀγχιστεύουσα κληρονομίαν ἐκ τῶν φυλῶν υἱῶν Ἰσραὴλ, ἑνὶ τῶν ἐκ τοῦ δήμου τοῦ πατρὸς αὐτῆς ἔσονται γυναῖκες [*omnis filia jure proxi-*

proximitatis hereditatem adepta in tribubus filiorum Iſraël, uni ex familia patris ſui erunt illæ uxores]. Hæc lex per Phœnicas ad Athenienſes pervênit. בת ירשת נחלה [*filia hereditatem conſequens*] eſt Græcè ἐπίκληρος [*filia heres unica*]. Lex eſt apud Sopatrum & apud Diodorum Siculum libro XII. τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικαζέσθω ὁ ἀγχιστεύς [*filiam heredem jure ſibi vindicet proximus*]. Donatus ad Terentium ſic expreſſit, *Orba proximo nubat ; Orbam proximus ducat, lex Attica eſt.* Vide multa quæ ex Græcis & Terentio ad hanc rem attulimus ad Matth. I. 16. ἀγχιστεὺς eſt הגאל [*vindicans ſanguinis jure*], unde verbum ἀγχιστεύειν fecêre LXX. Falluntur Hebræi qui putant legem fuiſſe temporariam ante ſtabilitas poſſeſſiones. Aliter Ioſephus duobus locis: aliter Tobiæ ſcriptor VI. 13. 14. 15. VII. 14. ubi σοὶ ἐπιβάλλει ἡ κληρονομία αὐτῆς eſt לך משפט הנחלה [*ad te pertinet illa hereditario jure*].

AD DEVTERONOMIVM.

CAPVT I.

1. H*Æc ſunt verba*] Eſt hic liber משנה *repetitio* præcipuarum legum ac monitorum in eorum gratiam qui tempore promulgatæ Legis, aut nondum nati, aut per ætatem intelligendi incapaces fuerant. ſimul rationem reddit Moſes actionum Dei & ſuarum.

4. *Aſtaroth*] Vide quæ dicemus ad Iudicum II. 13.

13. *Sapientes & gnaros*] Rectiùs, *& prudentes. Sapiens* eſt qui didicit: *prudens* qui uti novit. Itaque de Ioſepho utrumque dicitur Geneſ. XLI. 39. Requiri præter hæc in Iudice ajunt Hebræi ταπεινοφροσύνην [*modeſtiam*], timorem Dei, odium avaritiæ, amorem veri, φιλανθρωπίαν [*humanitatem*], bonam famam, ætatem vegetam, opes honeſtas.

16. *Ac Decanos*] Deſideratur hîc ושטרים, quod hîc γραμματοεισαγωγεῖς τοῖς κρίταις [*ſcripturæ monſtratores judicibus*] dixêre Græci, alibi γραμματεῖς [*ſcribas*]. Proverb. VI. 7. LXX ἀναγκάζοντα [*coactorem*], Aquila ἐκβιαστήν [*exactorem*]. Sub eo nomine comprehenduntur viatores & alii qui apparent magiſtratibus, & eorum juſſa ac ſententias exſequuntur. David de Pomis Gallicè *Geolliers* dicit, ſpeciem ponens pro genere. ſumebantur è Levitis II Paral. XIX. 11. & Nehem. VIII. 11.

17. *Nulla erit diſtantia perſonarum*] In Hebræo: *non agnoſcetis facies. Faciem*, id eſt, ea quæ in homine apparent, & ad cauſam non faciunt.

Referte ad me] Id eſt, ad Moſem Prophetam meum, qui meo nomine reſpondebit. Vide Exod. XVIII. 22.

19. *Cúmque veniſſemus in Cadesbarne*] Loca nominat ubi monitiones factæ erant.

27. *Odit nos Dominus*] Noxia perſuaſio Deo ſe credere exoſum.

39. *Et filii qui hodie boni ac mali ignorant diſtantiam*] Hoc eſt quod in Iona dicitur: *qui neſciunt quid ſit inter dextram & ſiniſtram* : Homerus Odyſſeæ Υ′.

——— οἶδα ἕκαστα,
Ἐσθλά τε καὶ τὰ χέρεια· πάρος δέ τι νήπιος ἦα.
——— [*Omnia novi*
Quæ bona, quæ mala ſunt : fueram puer inſcius antè].

Ætas adultior dicitur ea, quæ novit malum rejicere, bonum verò eligere, Eſaiæ VII. 14. 15. 16.

CAPVT II.

5. I*N poſſeßionem Eſau dedi montem Seir*] Nondum impleta erat menſura peccatorum gentis Idumeæ.

7. *Novit iter tuum*] Græci in imperativo, διάγνωθι [*reminiſcere*].

11. *Tam excelſus ut de Enacim ſtirpe, quaſi gigantes, crederentur*] Senſus eſt: ſicut Inachidæ dicebantur *Rephaini*, ſic & iſti Emim habebantur ſuppares Rephainis. *Inachidas* dico cum Græcis, ad quos illi advenêre, quos Ἄνακας vocant Cicero, Pollux, alii. Ἄναξ apud Pauſaniam *terræ filius*. Sicut & femina armata, *Pallas* dicta Græcis, linguâ Tyriâ Ὄγκα ענקה dicebatur. *Rephaim* vox videtur eſſe linguæ primævæ, quam Symmachus ſolet vertere θεομάχοις [*Deo pugnantes*], alii Τιτᾶνας [*Titanas*], alii γίγαντας [*Gigantas*], aut γηγενεῖς [*terrigenas*]. Nominis vetuſtiſſimum veſtigium eſſe videtur in *Raphaneís* Syriæ, & aliis aliquot locis paris ferme ſoni.

14. *Hominum bellatorum*] Ità vocantur qui vigeſimum ætatis annum expleverunt.

23. *Hevæos quoque*] In Hebræo עוים, ut & Ioſuæ XIII. 4. quare diverſi à חוים qui inter poſteros Canaanis.

Cappadoces] Sic & Chaldæus & Græci. In Hebræo: כפתרים, quorum fuiſſe puto urbem Caparorſam. Vide Ptolemæum.

25. *Incipiam mittere terrorem*] Qualem Græci *Panicum* vocant.

31. *Ecce cœpi tibi tradere*] In Hebræo: *coram te*, id eſt ut tuæ ſit poteſtatis.

CAPVT III.

3. P*Ercußimúſque eos*] Aquila: ἀναθεματίσαμεν [*anathematizavimus*]. Ita delevimus, ut ſolent deleri illi populi qui facti ſunt חרם ἀνάθεμα [*anathema*].

11. *Novem cubitorum longitudo ejus*] Fuiſſe ipſum ſexcubitalem putat Maimonides. Lectos enim tertiâ parte longiores hominibus fieri ſolere.

23. *Precatúſque ſum*] חנן ſignificat *ſupplicem precationem*. Vide Prov. XXVI. 25.

28. *Præcipe Ioſuæ*] Boni Principis eſt etiam ſucceſſorem bonis præceptis inſtruere, non autem ex deterrima comparatione gloriam ſibi quærere.

CAPVT IV.

2. *Non addetis ad verbum quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*] Hoc dictum neque traditionibus ſcriptum interpretantibus, neque præceptis humanis legem ſepientibus repugnat. *Diminuere* eſt, non facere quod jubetur: *addere*, aliter quàm juſſum eſt facere, infrà XII. 32.

6. *Dicant, En populus ſapiens*] Ex legibus de populis fit judicium: oraculum vetus,

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι,
Αὐτογένεθλον ἄνακτα σεβαζόμενοι Θεὸν ἁγνῶς.
[*Soli Chaldæi ſapiunt & Hebræa virûm gens,*
Qui puro haud genitum venerantur pectore numen.]

8. *Iuſtáque judicia*] κρίματα [*judicia*] ſive משפטים dicuntur hîc leges de contractibus, æquitati convenientiſſimæ.

15. *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem*] Eâdem ratione imagines oppugnat Empedocles:

Οὔτε γὰρ ἀνδρομέῃ κεφαλῇ κατὰ γυῖα κέκασται,
Οὐ μὲν ἀπαὶ νώτων γε δύο κλάδοι ἀΐσσουσι,
Οὐ πόδες, οὐ θοὰ γοῦν', οὐ μήδεα λαχνήεντα·
Ἀλλὰ φρὴν ἱερὴ καὶ ἀθέσφατος ἔπλετο μοῦνον
Φροντίσι κόσμον ἅπαντα καταΐσσουσα θοῇσι.
[*Non illi caput humanum eſt quod corpus honeſtet,*
Non illi ex humero rami tenduntur utroque,
Non genua atque pedes illi, non maſcula pubes;
Sed rebus cunctis ſublimior & ſacra mens eſt
Quæ mundi Domino conſulta inopina miniſtrat].

Citat Ammonius ad Ariſt. περὶ ἑρμηνείας [*de Interpret.*] Tacit. Hiſt. v. *Iudæi mente ſolâ, unúmque numen intelligunt. Profanos qui Deûm imagines, mortalibus materiis, in ſpeciem hominum effingunt.* Idem de Germanis: *Neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimulare ex magnitudine cæleſtium arbitrantur.* Par cauſa Numæ cur ſimulacra ſuſtulerit, docente Plutarcho: Οὔτε γὰρ ἐκεῖνος (nempe Pythagoras) αἰσθητὸν ἢ παθητὸν, ἀόρατον δὲ καὶ ἀκήρατον καὶ νοητὸν ὑπελάμβανεν εἶναι τὸ πρῶτον. οὗτος δὲ ἐκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα Θεοῦ Ῥωμαίοις νομίζειν. οὐδ' ἦν παρ' αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν, οὐδὲ πλαστὸν εἶδος Θεοῦ πρότερον· ἀλλ' ἑκατὸν καὶ ἑβδομήκοντα τοῖς πρώτοις ἔτεσι ναοὺς μὲν οἰκοδομούμενοι διετέλουν καὶ καλιάδας ἱερὰς ἱστῶντες, ἄγαλμα δὲ οὐδὲν ἔμμορφον ποιούμενοι διετέλουν· ὡς οὔτε ὅσιον ἀφομοιοῦν τὰ βελτίονα τοῖς χείροσιν, οὔτε ἐφάπτεσθαι Θεοῦ δυνατὸν ἄλλως ἢ νοήσει [*Neque enim ille id quod primum eſt, exiſtimavit eſſe aut tale ut ſenſibus percipi, aut ut pati poſſet; ſed inaſpicuum quid, purum & intellectu percipiendum. Numa verò vetuit Romanis ullam habere Dei imaginem, ſive hominis ſive alterius cujuſquam animantis figurâ: neque erat apud eos olim ulla dei effigies ſive picta, ſive ficta. Imò per annos centum & ſeptuaginta primos in eo more perſtiterunt, ut templa quidem & fana ſtruerent; at nullius formæ ſimulacrum facerent: nimirum quòd exiſtimarent neque pium eſſe aſſimulare meliora pejoribus, neque ad Deum accedi poſſe niſi ſolâ mente*]. Antiphanes de Deo: Ἀπὸ εἰκόνος οὐ γνωρίζεται, ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε· διόπερ αὐτὸν οὐδεὶς ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος δύναται [*Ex effigie non cognoſcitur, oculis non videtur, nemini eſt ſimilis: quare nec quiſquam eum ex imagine poteſt cognoſcere*]. Xenophanes Colophonius:

Εἷς Θεὸς ἔντι θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισι μέγιστος·
Οὔτι δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος, οὐδὲ νόημα.
[*Vnus enim Deus eſt hominum ſimul atque deûm rex,*
Par hominum nullus cui corpore; ſed neque mente.]

Idem:

Ἀλλ' εἴ τοι χεῖρας εἶχον βόες ἠδὲ λέοντες,
Ἢ γράψαι χείρεσσι καὶ ἔργα τελεῖν ἅπερ ἄνδρες,
Ἵπποι μέν θ' ἵπποισι, βόες δέ τε βουσὶν ὁμοίας,
Καί κε θεῶν ἰδέας ἔγραφον, καὶ σώματ' ἐποίουν
Τοιαῦθ' οἷόν περ κ' αὐτοὶ δέμας εἶχον ὁμοῖον.
[*At data ſi bubus manus atque leonibus eſſet,*
Vt quæ nos facimus facere ac ſic pingere poſſent,
Quales ſunt in equis & bubus equique boveſque:
Tales efficerent formas & corpora divûm,
Atque ſuis illos vellent ſimulare figuris.]

16. *Maſculi*] Vt Beli ſive Baalis.

Feminæ] Vt Aſtartes, & ejus quam *Atagartim* Græci vocant.

17. *Similitudinem jumentorum*] Vt bovis in Apide, arietis in Hammone, hirci in Aſima.

Vel avium] Vt gallinæ ſilveſtris in Nergale: vulturis, accipitris.

Reptilium] Vt ſerpentis cui nomen Κνήφ [*Cneph*].

Piſcium] Vt crocodili, phagri, mæotis, oxyrynchi. Vide Clementem ad Gentes.

19. *Adores ea & colas*] Græci: πλανηθεὶς προσκυνήσῃς [*deceptus adores*]. Sic. & Chaldæus hoc loco. Alii non minùs probabiliter: *Dejicias te & incurves te*, poſito *&* pro *aut*: id eſt, non modò non toto corpore procumbas, ſed nec inclines corpus, quod minus eſt. nempe nè talibus geſtibus paulatim eò adducerentur Iudæi, ut pro Deo iſta colerent. Vide Iobum XXXI. 26. 27.

Quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt] Latinus hîc addidit *in miniſterium*, ne data ad cultum putarentur. LXX Hebræum ſequuntur: ἃ ἀπένειμε Κύριος ὁ Θεός σου αὐτὰ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι τοῖς ὑποκάτω τοῦ οὐρανοῦ [*quæ diſtribuit Dominus Deus tuus cunctis gentibus quæ ſub cælo ſunt*]. Neque verum eſt adjectum ab iis *ad lumen præbendum*; quod ajunt Thalmudici, decepti fortè ab aliis verſionibus. Nam conſtanter ita legêre Chriſtiani veteres, & hoc loco adducti dixêre gentibus ante Euangelii tempora permiſſum cultum aſtrorum: addit enim Iuſtinus Dialogo cum Tryphone, εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτόν [*ad adorandum eum*, nempe *Solem*]. qualia habent & Clemens & alii: apud quos aut verbum *dedit* interpretandum per *ſinere*, ſicut Paulus dicit *Deum ſiviſſe gentes ire in viis ſuis*, quia ſcilicet Deus nullâ lege morem illum poſtquam ſemel invaluerat repreſſit; aut intelligendum excuſaſſe in illis minùs rectè inſtitutis, non quòd aſtra colerent, ſed quòd Deum in aſtris potentem, quod ipſum tamen Iſraëlitis interdixit ob periculum: ſicut quos eximiè caros habemus, eos non à noxiis tantùm rebus, ſed ab iis quæ nocere poſſent dehortamur.

25. *Et morati fueritis in terra*] Ad annos ferme octingentos. Nam ad Salmanaſaris & Nabuchodonoſori tempora hæc referenda conſentiunt Hebræi.

26. *Citò*] Poſt impletam peccatorum menſuram.

29. *Cúmque quæſieris ibi Dominum Deum tuum*] Populo Hebræo ducto pœnitentiâ Deus ſemper ignoſcit. Singulis non ſemper.

39. *Deus in cælo ſurſum, & in terra deorſum*] Vnus cuncta gubernans.

CAPVT V.

4. F*Acie ad faciem locutus eſt nobis*] Ità ut homines cum hominibus colloquentes ſolent: quod refer ad vocum perceptionem diſtinctam: non ad conſpicuum aliquid. Nihil enim viderunt.

6. *Ego Dominus Deus tuus*] Senſum contentus eſt hîc referre Moſes. Verba ipſa ſunt in Exodo, quem locum vide & ibi dicta.

12. *Sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*] Verba Moſis interpoſita. Et *præcepit*, intellige in monte Sinai, verbis quæ in Exodo. Et hæc eſt cauſa cur hîc creationis non meminerit Moſes, auditores ad id quod perſcriptum erat rejiciens. Cauſam autem alteram tunc non expreſſam, ſed quæ ex verbis Dei intelligi aliquatenus poterat, manifeſtiùs exprimendam duxit, *Vt requieſcat ſervus tuus, & ancilla tua.*

16. *Vt longo tempore vivas*] Præmium addi ſolet præceptis jubentibus, vetantibus pœna. Abeneſdra.

20. *Falſum teſtimonium*] שקר [*falſum*] quod eſt in Exodo explicatur per שוא [*vanum*]. In utroque eſt *falſi* ſignificatio.

21. *Non concupiſces*] Sive *non deſiderabis.* Idem enim valent חמד [*concupiſcere*], & אוה [*deſiderare*].

22. *Hæc verba locutus eſt Dominus*] Non dixit, *Hæc verba omnia*, ut Exodi xx. quia hîc non voces ſingulas, ſed ſenſum expreſſit.

29. *Quis det talem eos habere mentem*] Notat ex his verbis Maimonides, nolle Deum eo modo quo per cauſas naturales agit movere hominum voluntates, ſed alliciendo ſuadendóque: additque loca Deuter. XI. 20. XXX. 13.

CAPVT VI.

5. D*Iliges Dominum Deum tuum*] Vide quæ ad Matth. XXII. 37. Deum colunt quidam metu pœnæ: alii ob mercedem in lege promiſſam: optimi ex amore, ut fecit Abrahamus: ideo dictus amicus Dei. Eſaiæ XLI. 8.

8. *Movebuntur inter oculos tuos*] Erunt vobis pro conſpicillis: id enim ſignificat vox טטפת. Vide an Latinus ſcripſerit, *non movebuntur.* Nam in Græco eſt ἀσάλευτα [*immobilia*].

11. *Vineta & oliveta quæ non plantaſti*] Secundùm Græcum proverbium,

Ἄλλοι μὲν σπείρουσ', ἄλλοι δ' αὖ ἀμήσονται.
[*Alter ſementem fecit, quam demetet alter.*]

21. *Dices ei: ſervi eramus*] Tres cauſas adfert cur Iſraëlitæ parêre Deo debeant, beneficia accepta, utilitates promiſſas, & gratiam apud Deum, in qua tacitè involvi majora promiſſis, id eſt æterna, Hebræi putant.

24. *Cunctis diebus vitæ noſtræ ſicut eſt hodie*] In Hebræo: *ad vivificandum nos ſecundùm diem hanc*: id eſt, ut conſervemur viventes, ſicut nunc vivimus. Græci, ἵνα ζῶμεν ὥσπερ καὶ σήμερον [*ut vivamus ſicut hodie*].

CAPVT VII.

2. N*On inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum*] Hæc in odium Iudæorum indiſcriminatim arripiunt Ægyptii in Moſis inſtitutis. Manethos: συνάπτεσθαι δὴ μή τινι πλὴν τῶν συνωμοσμένων [*converſari cum nullo extra conjuratos*]. Chæremon: μήτε ἀνθρώπων τινὶ εὐνοήσειν [*nec homini cuiquam bene velle*]. Tacitus ſecutus Ægyptios ſcriptores: *Apud ipſos* (Iudæos) *fides obſtinata, miſericordia in promtu, ſed adversùs omnes alios hoſtile odium.* Vide quæ ad hanc rem à nobis congeſta libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XV. §. 9. Accedat Dion Caſſius de Iudæis: κεχωρίδαται ἢ ἀπὸ τῶν λοιπῶν ἀνθρώπων ἐς τὰ ἄλλα τὰ περὶ τὴν δίαιταν πάνθ' ὡς εἰπεῖν [*inſtitutis vivendi per omnia, ut ita loquar, à cæteris hominibus diſpeſcuntur*].

3. *Neque ſociabis cum eis conjugia*] Ne converſis quidem ad legem. Vnde Rahabam colligunt non fuiſſe ex VII. populis.

5. *Aras eorum ſubvertite, & confringite ſtatuas*] Hecatæus de Iudæis: τῶν γε μὴν εἰς τὴν χώραν πρὸς αὐτοὺς ἀφικνουμένων, καὶ βωμοὺς καὶ νεὼς κατασκευασάντων ἅπαντα ταῦτα κατέσκαπτον [*cùm ii in terram ad ipſos venirent, quæ templa & aras ſtruxerant, omnia ea diruerunt*]. Chæremon autem ubi Moſis inſtituta recitat: θεῶν τε ναοὺς καὶ βωμοὺς οἷς ἂν προστύχωσιν ἀνατρέπειν [*deorum templa, & aras quaſcunque reperiſſent evertêre*].

8. *Cuſtodivit juramentum quod promiſit patribus veſtris*] Amat Deus Iſraëlitas, memor eorum è quibus orti ſunt; infrà x. 15. Hæc eſt ἐκλογὴ [*electio*] Rom. XI. 28.

10. *Reddens odientibus ſe ſtatim*] In Hebræo: *ad facies ejus*, id eſt, palàm.

22. *Paulatim atque per partes*] Quomodo à Chriſtianis appetitus debellantur.

CAPVT VIII.

2. V*T affligeret atque tentaret*] Non enim ſolis rebus duris, ſed & proſperis Deus homines tentat, ut jam ſequetur. Vide & infrà XXXII. 15.

3. *Dedit tibi cibum manna*] Valde vegetantem cibum.

In omni verbo quod egreditur de ore Dei] Vide ad Matth. IV. 4.

4. *Veſtimentum tuum quo operiebaris nequaquam vetuſtate defecit*] Non tantùm non attrita fuiſſe, ſed & cum ſtatura creviſſe veſtimenta tradunt Hebræi.

Pes tuus non eſt ſubtritus] לא בצקה, *non conſperſus fuit pes tuus*, id eſt, non fuit diſcalceatus. Sic in Nehem. IX. 21. vertitur: τὰ ὑποδήματα αὐτῶν οὐ διεῤῥάγησαν [*calcei eorum non fuere dirupti*].

10. *Benedicas Domino Deo tuo*] δι' ἐπαίνων καὶ ὕμνων [*per laudes & hymnos*]. Philo, περὶ φυτουργίας [*libro de Agricultura*]. Ioſephus vocat, γεραίρειν τὸν Θεὸν ὡς χορηγὸν τῆς τροφῆς [*honorare Deum ut alimenti præbitorem*].

16. *Et poſtquam afflixit ac probavit, ad extremum*

miſertus eſt tui] In Hebræo: *Vt affligeret te ac tentaret animo poſtea bene faciendi tibi.* Huc enim tendunt Dei tentationes, ſi quis rectè utatur. Quomodo autem iſta bene cedere Iſraëlitis potuerint, explicant ſequentia.

18. *Quòd ipſe vires tibi præbuerit*] Additur in Hebræo: *ad acquirendas opes.* Sic חיל ſumitur & Num. XXIV. 18. & Prov. XXXI. 3. & 29. Iob. XX. 18. & alibi, ac ſæpè Græcè vertitur πλοῦτος [*opulentia*]: alibi δύναμις [*facultates*], ut hîc.

CAPVT IX.

3. *IGnis devorans atque conſumens*] Quæ vis Dei per holocauſta ſignificatur.

5. *Neque enim propter juſtitias tuas*] Prima Dei beneficia ſine meritis contingunt: illis introductio in terram: nobis ipſa fides. Vide & ſuprà VII. 7.

13. *Duræ cervicis*] Vt cum Horatio loquar,

Nondum ſubactâ ferre jugum valens
Cervice.

21. *Peccatum autem veſtrum*] Tam occaſiones, quàm pœnæ peccatorum peccata vocantur Hebræis.

CAPVT X.

6. *FIlii autem Iſraël moverunt caſtra ex Beeroth filiorum Iacan in Moſera*] Hoc comma & quod ſequitur videri poteſt errore quodam Librarii, nolentis ſibi inutile exemplar reddere aliquid delendo (talia enim exemplaria habere non licebat) irrepſiſſe in locum alienum: Neque enim huc quicquam pertinent. Et iter non ab habitatione filiorum Iacan in Moſera, ſed contrà à Moſeris illuc directum fuit, ut monuimus ſuprà, Num. XXXIII. 31. neque Aaron mortuus eſt in Moſera, ſed in Hor: poſt multa dierum itinera à Moſera, Num. XXXIII. 38. Veterem tamen errorem eſſe ex Græco cognoſcas. Sed in his & ſimilibus ſuſtineamus ſententiam, donec meliores codices Græci prodierint, quorum editio in Anglia adornatur.

9. *Ipſe Dominus poſſeſſio ejus eſt*] Quod myſticè impletur in Chriſtianis.

12. *Quid Dominus Deus tuus petit à te, niſi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum, ac ſervias Domino Deo tuo in toto corde tuo & in tota anima tua*] Omnia præcepta huc tendunt: hic finis eſt Legis, quem efficit gratia Euangelii.

13. *Vt bene ſit tibi*] Non Deo, cui noſtra obſequia nihil conferunt, quanquam ipſe velut ſibi collata largè repenſat.

14. *Cælum cæli*] Cœlum cœlorum, id eſt, ſupremum cœlum ſupra aërem ætherémque: cœlum tertium: ſedes Angelorum & Divinæ Majeſtatis.

16. *Circumcidite igitur præputium cordis veſtri*] Chaldæus: *Auferte ſtultitiam.* Confer Ierem. IV. 4. Idem opus & homini aſſcribitur ut hîc, & Deo ut infrà XXX. 6. Deo ut cauſæ principi, homini ut cauſæ intervenienti.

17. *Deus deorum*] Id eſt, Angelorum. Atque hinc apparet quoties אלהים [*deorum*] ſingulari jungitur, eſſe ἔλλειψιν [*defectum*] vocis אלהה [*Deus*], ut in בהמות [*ferarum*], & חכמות [*doctrinarum*], & ſimilibus. Plena locutio hîc eſt.

Dominus dominantium] Regum aliorúmque inter homines eminentium, ut 1 Tim. VI. 16. Hebræi quidam *dominantes* interpretantur aſtra, quorum in res humanas magna vis.

18. *Facit judicium pupillo & viduæ*] Id eſt, vindicat eos.

CAPVT XI.

6. *ET univerſa ſubſtantia eorum*] Græci: πᾶσαν αὐτῶν τὴν ὑπόστασιν [*omnia quæ eorum erant*], ut Num. XVI. 30. Pari modo ὑπόστασις ſumitur ad interpretandum מובא [*introitum*] Ezech. XLIII. 11. & pro כנעה [*acquiſitione*] Ierem. X. 16.

10. *Aquæ ducuntur irriguæ*] In Hebræo, *pede tuo irrigas:* quod quid ſit optimè explicat Philo qui in Ægypto vixit: ὥσπερ ἡ ἕλιξ τὸ ὑδρηλὸν ὄργανον ἔχει· κατὰ γὰρ μέσον αὐτῆς γεγόνασι βαθμοί τινες, ὧν ὁ γεωπόνος, ὅταν ἐθελήσῃ ποτίσαι τὰς ἀρούρας, ἐπιβαίνει μὲν, περιολισθαίνει δὲ ἀναγκαίως. ὑπὲρ δὴ τοῦ μὴ πίπτειν συνεχῶς πλησίον ἐχυροῦ τινος ταῖς χερσὶ περιδράττεται, οὗ ἐνειλημμένος τὸ ὅλον σῶμα ἀπῃώρηκεν αὐτοῦ. ἀντὶ μὲν γὰρ ποδῶν χερσὶν, ἀντὶ δὲ χειρῶν ποσὶ χρῆται· ἵσταται μὲν γὰρ ἐπὶ χειρῶν, δι' ὧν εἰσιν αἱ πράξεις· πράττει δὲ ἐν ποσὶν, ἐφ' ὧν εἰκὸς ἵστασθαι [*Sicut ſe habet helix inſtrumentum aquaticum. Nam ejus in medio gradus quidam, quibus agricola, ubi terras vult irrigare, inſiſtit; circumvolvitur autem neceſſariò: At ne decidat ſemper firmum aliquid quod propè eſt manibus amplectitur, quo ſuſtentatur, totum corpus habens pendulum: nam pedibus manuum vice, manibus pedum vice utitur. ſtat enim manibus per quas agere ſolemus, agit autem pedibus per quos ſolemus ſtare*]. Vitruvius obiter meminit, cùm ait *pinnas quaſdam cogere verſari rotam, & ſine operarum calcatura ipſius fluminis impetu verſatas, præſtare quod opus eſt ad uſum.* De illa operarum calcatura hîc agitur.

14. *Temporaneam*] Rectiùs tempeſtivam, ſementis tempore.

Et ſerotinam] Adultâ ſegete.

21. *Vt daret eis*] Nempe in ipſorum poſteris, qui cum parentibus iidem cenſentur.

22. *Si enim cuſtodieritis*] Animo, ut Lucæ 11. 51.

Et feceritis] Opere.

CAPVT XII.

3. *IDola*] Græci Hebræas voces bene expreſsêre, τὰ γλυπτὰ τῶν θεῶν [*deorum ſculptilia*].

8. *Non facietis quæ nos hîc facimus hodie*] Non offeretis victimas quibuſvis in locis, ſed in uno. Is locus fuit primùm Silo: deinde Templum Hieroſolymis. medio tempore ceſſavit hæc lex, quòd nullus ſacro tentorio certus eſſet locus. Fuit enim Maſphatæ, Gilgale, Nobæ, Gibeone, in domo Obededomi.

11. *Et primitias*] תרמת ידכם. Eſt תרמה nomen ſatìs latè patens: at hîc ſignificat oblationes voluntarias, non votivas: nam de votivis ſequitur. Vide Levitici VII. 16.

15. *Occide & comede*] Actor. X. 13. θῦσον, καὶ φάγε.

זבח θύειν [*mactare*], eſt *rite ſecare venas colli.* Id autem præcipitur ut faciant de manſuetis animalibus, non de feris ut cervo & caprea: quibus quomodocumque interfectis veſci licebat.

Sive immundum fuerit, hoc eſt maculatum & debile, ſive mundum] In Lege non vocatur *immundum* animal quod maculam habet. Rectiùs ergo textus Hebræus: *mundus & immundus comedet eam.* Sic & Græci: ὁ ἀκάθαρτος ἐν σοὶ καὶ ὁ καθαρὸς ἐπὶ τὸ αὐτὸ φάγεται αὐτό [*immundus & mundus pari jure de eo edet*].

16. *Effundes*] Et obteges, ita ne conſpiciatur.

23. *Non dabis animam comedere cum carnibus*] Id eſt, carnes ſimul cum ſanguine. Vide quæ dicta Geneſ. IX. 4. Eſt enim hoc præceptum non noviter per Moſem datum, ſed ex antiquo repetitum, quod locorum collatio manifeſtum facit.

31. *Omnes enim abominationes quas averſatur Dominus fecerunt diis ſuis*] Sacrilegium veriùs quàm ſacrum, Curtio lib. IV. *cruentam ſacrorum religionem, & ſcelus pro remedio*, Iuſtino libro XVIII.

CAPVT XIII.

6. S*I tibi voluerit perſuadere frater tuus filius matris tuæ*] Quæ cognatio ut certior, ita ſtringit arctiùs. Vide Geneſ. XX. 12. Non dixit *pater tuus:* neque enim ullum jus ex qualicumque cauſa filio in patrem dari decuit. Nota *voluerit*. Hoc enim crimen ob ſui gravitatem etiam non conſummatum punitur. quod in aliis aliter ſe habet.

Diis alienis quos ignoras tu & patres tui] Non illis Tharæ, non Vitulo, ſed de vicinia deſumtis. Gravat enim culpam ipſa novitas.

8. *Neque parcat ei oculus tuus*] Ità ut in hoc ſolo crimine etiam dolis uti liceret ad detegendum reum. etiam abſolutus ſemel iterum accuſari poterat: neque cauſa facti inquirebatur.

9. *Statim*] Cùm in aliis criminibus ſoleret reus ſervari poſt ſententiam diem ac noctem; ut ſi quid ampliùs pro ſe adferre poſſet, adferret: excepti ſunt ab hoc beneficio pſeudoprophetæ, & is qui ſollicitat Iſraëlitas ad deos novos. Nec hoc tantùm, ſed cuilibet permittebatur exſecutio, non exſpectato judice. idem uſurpatum in ſacrilegos Templi: ſacerdotes qui polluti ſacris operam dabant: & in eos qui Deo per idoli nomen maledicebant: item in eos qui cum idololatride femina concumbebant: maximè verò in eos qui legem per Moſem datam à Deo profectam negabant. Fieri autem hoc debebat coram populo, id eſt, hominibus non minùs decem, quod ipſi dicunt עדה [*turbam*]. Vide Numer. XV. 30. & quæ ibi dicta. LXX ut alias leges ita hanc, quæ durior Græcis videri poterat, emollire voluerunt, & pro *ſtatim interficies*, poſuêre ἀναγγέλλων ἀναγγελεῖς [*annuntians annuntiabis*], contra verba & morem verborum interpretem. Vide Chaldæum hoc loco. Non mirandum hoc in tam gravi crimine, cùm & homicidam extra receptûs loca interficere impunè potuerit proximus interfecti. Talibus remediis opus habebat ille populus, illis locis atque temporibus. Vide & quæ jam ſequentur.

12. *Si audieris in una urbium tuarum*] Non in ſingulis tantùm punienda idololatria, ſed & in univerſitate, verùm præmonita priùs.

13. *Egreſſi ſunt filii Belial*] Leges omnes pœnales reſtrictam interpretationem deſiderant: maximè verò quæ in univerſitatem feruntur, ubi neceſſe eſt multos non planè malos malorum pœnis involvi. Ideò interpretes omnes occaſiones captârunt ad arctandam hanc legem. Ac primùm cùm ישבי [*habitantes*] poſſet ſumi tanquam adjectivum commune utrique ſexui, ſumsêre de ſolo maſculino, cui plus ad ſeducendum alios verſutiæ & auctoritatis. Audi quæ ſequentur.

De medio tui] Non ergò porrigenda lex, ajunt, ad urbes in limite, quibus exciſis urbes & agri interiùs ſiti munimenti non parùm amitterent.

Averterunt habitatores urbis ſuæ] Non ergò idem, ajunt, ſi peregrinus aliquis id fecerit.

14. *Et abominationem hanc opere perpetratam*] A majori parte, ex qua cenſeri ſolet univerſitas.

15. *Et omnia quæ in illa ſunt*] In aliis criminibus (exceptâ blaſphemiâ) bona ſervantur. In hoc crimine bona etiam innocentium qui in tali urbe manſerunt, igne pereunt: bona verò eorum qui crimen admiſêre, quocumque loco reperta fuerint. Ità mos legem interpretatus eſt.

16. *In medio platearum ejus*] In forum.

Domino Deo tuo] In Dei honorem, ut præcepto ejus obedias.

Ita ut univerſa conſumas Domino Deo tuo] Profana ſine pretio: ea quæ Deo ſacrata fuerant, pretio ejus priùs perſoluto. Neque enim æquum erat Deum jus ſuum amittere.

Non ædificabitur ampliùs] An horti in tali loco fieri potuerint, juris eſt controverſi.

CAPVT XIV.

1. N*On vos incidetis*] Vide quæ ad Levit. XIX. 28. Græci libri hîc habuerunt οὐ φοιβήσεσθε [*non agetis ut fanatici*], ut ex Cyrillo & Theodoreto apparet.

Nec facietis calvitium ſuper mortuo] Omiſit hîc quod in Hebræo eſt, *inter oculos veſtros.* Græcè, ἀναμέσον τῶν ὀφθαλμῶν [*in medio oculorum*]. Nimirum gentes vicinæ capillum in luctu promittebant, ſed inciſum in media fronte. Legis magna pars id agit, ut Iſraëlitæ quàm longiſſimè abſint ab idololatrarum moribus, etiam in rebus ἀδιαφόροις [*mediis*]: quia non ſtant iſta ubi incipiunt. Hoc eſt quod ſequitur, *quia populus ſanctus tu*, ſeparatus ab aliis gentibus pietatis cauſâ. Luctus Hebræorum erat per ſeptem dies nec lavari nec ungi.

21. *Non coques hædum in lacte matris ſuæ*] Hoc paritas rationis & ad agnos & ad vitulos produxit.

22. *Decimam partem ſeparabis de cunctis fructibus tuis*] Hæc eſt δευτεροδεκάτη [*decima ſecunda*]: de qua epulum fiebat in Templo, quomodo & de primitiis Exod. XXIII. 19. & XXXIV. 26.

26. *Sive ex armentis ſive ex ovibus*] Nulla enim lætitia ſine carnibus, ajunt Thalmudiſtæ.

29. *Et peregrinus & pupillus & vidua*] Hæc decima tertio anno & ſexto hebdomadis annalis ſuccedebat in locum decimæ ſecundæ: & vocatur hæc

decima *conſummatio decimarum*, ut in qua dilectio proximi apertiùs appareret.

CAPVT XV.

1. S*Eptimo anno*] Quod hîc in Hebræo eſt מקץ ſonat quidem *à fine:* ſed Hebræis etiam initium *finis* dicitur. Itaque קצה per ἀρχὴ [*initium*] interdum vertitur Græcis.

2. *Repetere non poterit*] Nè exacto quidem anno, niſi clauſula perpetuans adjecta ſit contractui.

3. *A peregrino & advena exiges*] Vna vox eſt in Hebræo, נכרי [*alienigena*]. Græcè, τὸν ἀλλότριον ἀπαιτήσεις [*ab extraneo poſces*]. Eæ voces ſignificant, non idololatram, ſed incircumciſum, qui inter Iſraëlitas vivebat, ut videre eſt Exod. XII. 43. Levit. XXII. 25. Talibus incolis debebantur ob humani generis cognationem ea quæ ſunt juris naturalis; non etiam ea quæ majoris ſunt bonitatis, ut angulus agri, racematio, ſpicilegium, acini relicti, decimæ: quæ lex iſta exhiberi vult popularibus, & proſelytis circumciſis, qui popularibus hac in re pares.

8. *Et dabis mutuum*] Sub pignore: id enim fert vox Hebræa.

11. *Non deerunt pauperes*] Vide ad Matth. XXVI. 11.

Vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi] Non ſunt iſta adjecta nomini *fratris*, ſed per copulativam conjunctionem diſtincta in Hebræo: ità ut ordo oſtendatur optimus, ut primùm liberalitas exerceatur in eum qui maximè propinquus eſt ſanguine, quicum convenit Eſaias LVIII. 7. deinde ut detur ei qui miſer ſit admodum, poſtremò cuivis tenuis fortunæ homini & auxilium poſtulanti.

12. *Cùm tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus vel Hebræa*] Sic & Græci: ἐὰν δὲ πραθῇ σοι [*ſi venditus ſit tibi*]. Intellige ſive ſuo facto ſive ab alio cui jus quæſitum fuerit, addictione ſcilicet ob furtum. Benè autem *tibi*; nam extraneo vendi non poterat, ut Ioſephus notat Antiquæ Hiſtoriæ XV. idem de nexis ob noxam, & de vernis natis ex Hebræo. Aliud jus in iis qui bello capti, venditi à Cananæis, aut ab iis nati. Horum enim, domino volente, perpetua erat ſervitus, niſi à domino læſi aliquod membrorum præcipuorum amitterent.

Servierit tibi] Vel auctori tuo. nam inter auctorem & emtorem continuantur tempora.

18. *Quoniam juxta mercedem mercenarii ſex annos ſervivit tibi*] Meliùs in Hebræo: *quia duplex merces mercenarii*, ſupple *illi debetur: ſervivit tibi ſex annis.* Mercenarii in triennium operas locabant, Eſaiæ XVI. 14. Ne grave tibi ſit ſervum anno ſeptimo liberum cum donis dimittere. Cogita quid mercenario per triennium daturus fueris: & cogita hunc alterum tantum temporis tibi inſerviiſſe, & invenies te multum lucri feciſſe.

CAPVT XVI.

2. I*Mmolabiſque Phaſe Domino Deo tuo de ovibus & de bobus*] In Hebræo: *Immolabis Domino Deo tuo Paſcha, ovem & bovem.* quæ diſtinctè accipienda; ut die Paſchatis, & Paſchalis victima immoletur, agnus ſive hœdus, & præterea ὁλοκαυτώματα [*holocauſta*], ut aliis diebus ex lege Levitici VI. 12. manifeſtum id facit locus II Paralip. XXX. 15. in Hebræo, Græco, & Latino. Item Rabbi Salomo hoc loco, Maimonides in קרבן הפסח [*oblatione Paſchali*].

10. *Oblationem ſpontaneam manûs tuæ*] Græcè, καθὼς ἡ χείρ σου ἰσχύει [*prout pollet manus tua*]. Vox quæ hîc eſt in Hebræo מסה [*quod ſufficit*] non Hebraïca eſt propriè, ſed Chaldaïca, planè idem valens quod Hebræum די quæ vox Hebræa à Chaldæo per מסה transfertur Exod. 11. 4. Prov. XXX. 8. Sic & Rabbi Salomo & Kimchi hoc loco interpretantur, optimè: Senſus enim eſt, ut det quiſque anno ſabbatico quantum ſufficit voluntariæ oblationi. Illud autem *quod ſufficit*, τὸ ἱκανὸν ut Græci די ſolent vertere, intelligendum pro facultatibus à Deo conceſſis, ut in textu ſequitur.

13. *Quando cellegeris de area & torculari fruges tuas*] Nam ἑορτὴ σκηνοπηγίας [*ſolenne tabernaculorum fixorum*] eſt ἑορτὴ συντελείας [*ſolenne comportationis, frugum* ſcilicet] LXX, Aquilæ συλλογῆς, Symmacho συγκομιδῆς [*collectarum frugum*], Exod. XXIII. 16. Σκηνοπηγίας [*ſolennis tabernaculorum fixorum*] vox eſt etiam apud Plutarchum Sympoſiacis, ubi de Iudæorum agit ritibus. vocat & θυρσοφορίαν [*Thyrſiferium*].

18. *Iudices & magiſtratus conſtitues in omnibus portis tuis*] His aderant duo ſcribæ: præcones totidem: totidem eleemoſynæ collectores. Ad pedes ſedebant diſcipuli, ut ipſo uſu jus addiſcerent, & in morientium aut decrepitorum locum ſurrogarentur. Eunuchi non permittebantur judicare: creduntur enim crudeliores, etiam Ariſtoteli. Claudianus primo in Eutropium:

Omnia ceſſerunt eunucho Conſule monſtra.

Deinde:

Adde quòd eunuchus nullâ pietate movetur,
Nec generi natiſve cavet. clementia cunctis
In ſimiles, animoſque ligant conſortia damni.

21. *Non plantabis lucum*] Hecatæus de Hieroſolymis: οὐδὲ φύτευμα παντελῶς οὐδὲν, οἷον ἀλσῶδες, ἤ τι τοιοῦτον [*nec ibi plantarium aliquod, aut nemoroſum, aut ſimile quid*]. oppoſitum & hoc mori idololatrarum, qui apud templa lucos habebant. Vide I Reg. XV. 13.

22. *Statuam*] Lapidem ingentem, in hiſtoriæ alicujus monumentum, ad quem concurſus fieri ſolebat. Id ante legem licuit, Geneſ. XXVIII. 18. XXXI. 52.

CAPVT XVII.

2. T*Ranſgrediantur pactum illius*] *Tranſgredi pactum* dicuntur qui à religione deficiunt. Confer Hebr. X. 29.

5. *Ad portas civitatis tuæ*] Ad judices urbis cujuſque, numero XXIII, aut minimùm XXI. Nam ad hos ſpectabat cognitio de criminibus, extra ea quæ excepta erant Synedrio, qualia erant pſeudoprophetia, & crimen totius tribûs. Aliud in ſollicitante ad deos novos. Is enim ad judices non ducebatur.

6. *In ore duorum aut trium teſtium*] Bonæ famæ. Ius teſtimonii moribus Hebræis non habent amentes, pueri ante annum XIII, fures etiam poſt reſtitutionem, qui de alea victitant, publicani qui plus æquo exigunt, caprarii, & ſi qui alii ea factitant quæ verberibus digna ſunt. Rejici etiam poſſunt qui valde propinqui aut familiares, aut inimici ſunt partium alteri.

8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris*] Hanc legem intelligi tantò magis opus quòd ab ea pendeat coagmentatio omnium Iſraëlitarum, ut ſæpè notavit Maimonides. In Græco: ἐὰν δὲ ἀδυνατήσῃ ἀπὸ σοῦ ῥῆμα ἐν κρίσει [*ſi verbum in judicio apud te impoſſibile factum ſit*]. Nam פלא [*abſcondi*] ἀδυνατεῖν [*impoſſibile fieri*] ſæpè vertunt. Senſus eſt: ubi controverſia aliqua inciderit obſcurior, quàm ut de ea omnibus urbis alicujus magiſtratibus liqueat. Non de facti ſed de juris quæſtionibus hîc agitur. Quas obſcuritatis cauſas habent leges humanæ, eas Divinæ humano modo enuntiatæ non evitant; partim ob voces aut locutiones πολυσήμους [*plures ſignificatus admittentes*], quæ ſunt in omnibus linguis multæ, in Hebraïca plurimæ; partim quia ubi leges loquuntur generaliter, diſputatur quæ factorum ſpecies rariores excipi debeant; partim quia ubi loquuntur ſpecialiter, non ſemper in aperto eſt, an lex intra eam ſtet ſpeciem, an verò ad ea quæ paria videntur debeat extendi: multæque aliæ ſunt cauſæ, cur eadem verba non ab omnibus, aliis craſſioribus, aliis, quàm opus eſt, ſubtilioribus, eodem modo accipiantur.

Inter ſanguinem & ſanguinem] An cædes hujus vel illius generis mereatur locum receptûs, an non mereatur. Nam in culpa multi ſunt gradus: eſt lata, media, minima.

Cauſam & cauſam] Intelligendum hoc de litibus pecuniariis, & de verborum injuriis, quorum pœna erat arbitraria: & in uno eodémque genere propter legis τὸ ἀόριστον [*indefinitam locutionem*] poterat probabiliter ab altero major, ab altero minor irroganda cenſeri. Quod hîc dicitur דין κρίσις [*judicium*], infrà XXV. 1. dicitur ריב ἀντιλογία [*lis*].

Lepram & lepram] Eſt quidem vox נגע quæ in Hebræo eſt ſatis generalis, quæ omne gravius malum ſignificat, quod μάστιγα [*flagellum*] ſæpè vocant Græci interpretes, ut & Novi Fœderis ſcriptores Marc. III. 10. V. 29. 34. Luc. VII. 21. Sed ἀντονομαστικῶς [*eminenter*] lepram ſignificat, eoque ſenſu quinquagies ſumitur in uno capite Levit. XIII. Sæpè & Medici dubitant, lepra quæ has aut illas habet notas, ſit an non ſit contagio metuenda.

Et judicum intra portas tuas] In urbium ſingularum tribunalibus, quæ in portis erant more Hebræorum & vicinorum, ut apparet Gen. XXXIV. 20. Ruth. IV. 1. 11. Prov. XXII. 22. XXXI. 23. 31.

Videris verba variari] Hebræum, *verba contentionum:* id eſt, ſi eouſque procedat Iudicum contentio, ut pars minor tueri ſententiam ſuam velit contra majorem, & inter diverſa ſentientes ſciſſura quædam civitatem illam ac vicinas diſtractura oriri poſſit. Ad ſchiſmata enim præcavenda data eſt hæc lex.

Surge & aſcende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus] Id eſt, primis temporibus in Silo, Ioſue XVIII. 1. XXII. 12. Iudic. XVIII. 31. XX. 18. 1 Reg. 1. 3. Ierem. VII. 12. XXVI. 6. Poſt Davidis tempora, Hieroſolyma; 1 Regum VIII. 11 Paralipom. VI. 7. & alibi.

9. *Veniéſque ad ſacerdotes Levitici generis*] Sic & in Græco: πρὸς τοὺς ἱερεῖς τοὺς Λευίτας [*ad ſacerdotes Levitas*]. Sed bene intelliges tum Sacerdotes tum Levitas, qui quòd pingue haberent otium, non tantùm omnia Legis, ſed & Medicinæ, aliarúmque artium diligenter ediſcebant, ut & Ægyptii ſacerdotes: ideóque primis ſeculis ex illis, ut eruditioribus, Senatus LXX virûm legi maximè ſolebat: unde & hîc ex potiori parte Senatus ille intelligendus eſt. Philo libro de Vita Moſis: Συνήδρευον οἱ ἱερεῖς [*Conſidebant Sacerdotes*]. & in libro de Principe conſtituendo: Ὅταν οὖν ἀμαυρὰν ποιῆται τὴν ἀντίληψιν τῶν πραγμάτων ἀσάφεια καὶ πολὺ σκότος ἀπεργαζομένων, παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεστέρους δικαστάς· οὗτοι δὲ τίνες ἂν εἶεν ἢ ἱερεῖς, καὶ ὁ τῶν ἱερέων ἔξαρχος ἡγεμών; [*Vbi igitur obſcuritas & tenebræ offuſæ rebus dubiam faciunt perceptionem, excuſet ſe à judicatu, & mittat ad peritiores Iudices. Hi autem qui eſſe poſſent niſi Sacerdotes, & Sacerdotum princeps ac dux?*] Ioſephus adverſùs Appionem II. Καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν [*Omnium enim rerum inſpectores & controverſiarum Iudices conſtituti ſunt Sacerdotes*]. Opes nimiæ & indè luxus ac pigritia effecêre, ut ſæpè poſteà eruditiores eſſent in tribubus aliis, ac propterea, & Sacerdotibus & Levitis præteritis, imò interdum præterito & ſummo Sacerdote, à Senatoribus in Senatum cooptarentur. Ita Maimonides libro יד החזקה [*Manus roborans*] titulo de Synedrio, cap. 11. Hîc verò ratio habetur meliorum temporum, cùm Sacerdotes & Levitæ eſſent quales eſſe debebant. Cùm ergo talis orta eſſet controverſia civitatem unam pluréſve in diſſidium perductura, jubebantur ire diſſentientes ad Sacerdotes & Levitas, qui in Senatu erant, & eruditiſſimi habebantur. Qui ſi ipſis ſatisfeciſſent aut rationum pondere, aut teſtando rem hoc vel illo modo in moribus ac rebus judicatis definitam, rectè. Sin tale nihil erat, iidem viri eruditi rationes partis utriuſque referebant ad Synedrium, & ex ejus decreto reſpondebant, quod in poſterum legis erat loco. Sic à Chriſtianis in gravibus controverſiis conſuli ſolebat Synodus Romana ex LXX itidem Epiſcopis conſtans, olim optimis & rerum divinarum peritiſſimis.

Et ad judicem] Illud *&* hîc ſumendum pro *vel*, ut ſæpè alibi: locutione & Latinis uſitatâ, ut probat Servius ad illud Æneid. II.

Præcipitare jubent ſubjectiſque urere flammis.

allegans & illud:

Saxum ingens volvunt alii, radióſque rotarum, &c.

oſtendit quod ſequitur infrà 12. Sic Exodi XXI 15. & 17. pro ו [*&*] Latinus poſuit *vel*. Et ità ſumenda copula Num. XXX. 5. 6. & Matth. XII. 37. *Iudices* cùm multitudinis numero dicuntur, rectè intelligi poſſunt vel illi urbanorum tribunalium, vel ſummi etiam Senatores, ut Deuteronom. I. 16. XVI. 18. XIX. 17. 18. XXI. 2. Vbi autem in ſingulari ponitur numero, ſolet ſignificari Interrex divinitus conſtitutus, quales ſunt qui nominantur in libro שפטים [*Iudicum*]. Tales Interreges & apud Tyrios fuêre eodem nomine שפטים, quod nomen Ioſephus Acta Tyriorum in Græcum vertens adversùs Appionem libro priore vertit δικαστάς [*Iudices*]. Nam poſt Ithobalum & Baalem Reges, ſic ait: μετὰ τοῦτον δικασταὶ κατεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν αὐτοὶ, Ἐκνίβαλος Βασλάχου μῆνας δύο, Χέλβης Ἀβδαίου μῆνας δέκα, Ἄββαρος ἀρχιερεὺς μῆνας τρεῖς, Μύτγονος καὶ Γεράστρατος τοῦ Ἀβδηλίμου δικασταὶ ἔτη ἕξ [*poſt hunc Iudices conſtituti rexere hi: Ecnibalus Baſlachi menſes duos: Chelbes Abdæi menſes decem: Abbarus ſummus Pontifex menſes tres: Mutgonus & Geraſtratus Abdelimi Iudices per annos ſex*]. A Tyriis idem nomen venit ad Carthaginenſes Tyriorum traduces, apud quos ſummi magiſtratus dicti *Suffetes*, ut ex Calidio nos docet Feſtus. *Summum magiſtratum* dixi cum Livio, qui & alibi *Iudices* dixit, & eorum imperium ait fuiſſe *velut Conſulare*. Quales *Suffetes* non Carthagine tantùm fuiſſe, ſed & aliis civitatibus, Africæ, ut Themetrenſi, Timiligenæ, Stagitanæ, Apiſæ, docemur ex Inſcriptionibus. *Suffetes* pro שפטים [*Schophetim*] eſt aut ex molliori pronuntiatione, qualis erat Ephrathæorum Iud. XII. 6. aut corruptum per Latinos ſcriptores. Iſti verò apud Hebræos שפטים [*Iudices*] planè ſimiles erant Romanis Interregibus, ac poſtea Dictatoribus, neque à Regibus Hebræis ullâ re differebant, præter quòd ſatellitium & pompam regiam non habebant: ac propterea nec tributa nec vectigalia exigebant. Cæterùm erant, ut Ioſephus loquitur, ἡγεμόνες αὐτοκράτορες [*Duces cum ſumma poteſtate*]. Itaque & Reges vocantur Iud. IX. 6. *Conſtituerunt Regem Abimelech*, id eſt, δικαστήν [*Iudicem*]. Iud. XVIII. 1. mortuo Samſone, *In diebus illis non erat Rex in Iſraël*: id eſt, Δικαστής [*Iudex*]. Ac ſicut Reges abſque Synedrio jus interficiendi habebant, ut docet Thalmudicus titulus de Rege, & II. Sam. I. 15. & loca alia: ſic & iſti δικασταὶ [*Iudices*] ſive Interreges, ut apparet exemplo Gedeonis Iud. VIII. 16. 17. & Iephtæ Iud. XII. 6. quæ rectè notata Abarbanieli ad initium libri Iudicum. Tales autem δικασταὶ [*Iudices*] cùm à Deo dati eſſent, ac ob id donis inſtructi Propheticis; unde & *Prophetas* eos vocare ſolet Ioſephus (etiam hoc loco), tutò ſanè conſuli poterant: ſed quia non omni tempore tales erant futuri (hoc enim vult quod adjicitur, *qui erit illo tempore*, id eſt, ſi quis erit) voluit Deus pro illis, conſuli Synedrium, compoſitum ex hominibus eruditiſſimis, totum populum referens.

Qui indicabunt tibi judicii veritatem] Aut ex traditione certa ipſis cognita, aut ex decreto Synedrii, ſi res non antè fuerat definita.

10. *Et facies quodcunque dixerint qui præſunt loco quem elegerit Dominus*] Quia Synedrium perpetuò erat duraturum, non autem Interreges illi, ideo in illis maximè ſermonem figit.

Et docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum, nec declinabis ad dextram nec ad ſiniſtram] Meliùs Græci: Καὶ φυλάξῃ ποιῆσαι πάντα ὅσα ἂν νομοθετηθῇ σοι. Κατὰ τὸν νόμον καὶ κατὰ τὴν κρίσιν ἣν ἂν εἴπωσί σοι ποιήσεις· οὐκ ἐκκλινεῖς ἀπὸ τοῦ ῥήματος οὗ ἐὰν ἀναγγείλωσί σοι δεξιὰ οὐδὲ ἀριστερά [*Et obſervabis ut facias omnia quæ tibi præceperint. Secundùm legem & ſententiam quam dixerint tibi facies: non deflectes à verbo quod dicent tibi in dextram aut ſiniſtram*]. Non enim eſt illud *juxta legem* adſtrictivum præcepti, quaſi tum demum obligentur ſinguli parêre decreto Synedrii, ſi Synedrium congruentia Legi reſpondeat: id enim fuerat interpretationem cujuſque arbitrio ſubmittere, ac proinde dare occaſionem diſſidiis, quibus cavendis hæc lex poſita eſt. Totus locus ſic habet in Hebræo verbotenus: *Et facies ſecundùm ſermonem* (os enim ſermonem ſignificat) *verbi quod annuntiabit tibi* (aliquis ſcilicet Sacerdotum, aut ſi ii abſint, aliquis Levitarum) *è loco ipſo quem elegerit Dominus*: (id eſt, de ſententia conſeſſûs ejus, qui, ut diximus, Siloæ fuit primò, deinde Hieroſolymis) *& attendes ut facias ſecundùm omnia ipſorum documenta, ſecundùm ſermonem legis* (id eſt, interpretationem Legis) *quam te docebunt, & ſecundùm judicium quod tibi dicent* (id eſt, præſcriptum quod in judicando ſequi Iudices debeant) *facies, neque deflectes ab eo quod tibi indicabunt ad dextram aut ſiniſtram.* Non ergò cuique permittit Lex Legis interpretationem quam vult ſequi, & aliquo probabili colore ſectam facere; ſed regulam ſtatuit neceſſariam ſervandæ unitati. Ergo Synedrium errare non poterat, aut in teſtanda traditione veteri, aut in explicanda Lege è ſua ſententia? Poterat ſanè, poterat: & ſi re poſtea meliùs cognitâ, putà per homines valde pios & eruditos commoniti Senatores viderent ſe à vero ſenſu Legis aberraſſe, prodita Lege erat ratio errorem expiandi, Levit. IV. 13. At ſingulis, non credere omnia quæ Synedrium diceret, imperabatur, ſed non contrà agere, non contrà docere. Vide Ioſephum hoc loco & Maimoniden Ductore Dubitantium III. 41. & libro Manoim capite L. §. 4. & Moſem de Kotzi præcepto jubente XLVI. Quæ enim in controverſiam vocari poterant, qualia erant? An avicula hoc vel illo modo eſſet diſcindenda: quæ ineunda supputatio ad Paſcha: an huic culpæ paulò major vel minor eſſet imponenda pœna, & ejus generis alia: in quibus non tanti referebat utrum fieret, quanti erat ſervare compagem Hebraïci corporis ſine ullo divortio. In rebus magni momenti fieri ſanè non poterat, ut Synedrium ab initio compoſitum ex viris optimis & eruditiſſimis & perpetuâ cooptatione continuatum falli poſſet, niſi longo ſæculorum lapſu, corruptâque diſciplinâ: quod ſi eveniſſet, Deus, amans unitatis, ad eos admonendos aut convincendos reſponſurus erat per Vrim & Thummim, vel excitaturus erat Prophetam aliquem veris miraculis nobilem, & poſtremò daturus Meſſiam ipſum Moſe majorem, quo miſſo auctoritas Synedrii evanuit. Notandum præterea ſcita Senatûs nonnulla ſive Legi interpretandæ, ſive præmuniendæ facta evanuiſſe, non modò ſi Senatus ante receptum ubique morem ſententiam mutaſſet, verùm etiam ſi vel ab initio populus ea non ferret, vel ſi irent in deſuetudinem.

12. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire*] Græcè, ὁ ἄνθρωπος ὃς ἂν ποιήσῃ ἐν ὑπερηφανίᾳ ὥστε μὴ ὑπακοῦσαι [*homo qui fecerit per ſuperbiam ut non obediat*]. Vox illa ſuperbire aut facere in ſuperbia, in Hebræo eſt בזרון quod *temeritatem* ſignificat. Nec malè ἰταμίαν vertitur Græcis, Ierem. XLIX. 15. Temeritatis

certè eſt in rebus diſputationem recipientibus tam pertinaciter amare ſuas ſententias, ut propterea pax rumpatur, quæ niſi per auctoritatem quandam omnibus præſidentem retineri nequit humanitus. Deus autem miracula rarò facit: plerumque res humanas conſervat modis humanæ naturæ congruentibus. Superbiæ verò illud elogium non omnibus convenit, ſed iis demum qui Doctoris ſibi perſonam imponunt, & populum diſtrahunt. Talis qui eſt vocatur in Thalmudicis libris זקן ממרא *ſenex*, id eſt, *doctor contumax*. Doctores non erant niſi majores XL annis.

Sacerdotis imperio qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo] Qui dicturus eſt quid ſit receptum, aut Synedrium conſulet, & ex ejus decreto reſpondebit: ut jam ſuprà dictum eſt.

Et decreto judicis] In Hebræo: *vel judicis*. Et Græci, ἢ τοῦ κριτοῦ [*aut judicis*]: qui non malè addiderunt ex ſuperioribus, ὃς ἂν ᾖ ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις [*qui erit in diebus illis*], id eſt, ſi quis tuo tempore talis à Deo datus fuerit. Non enim ſemper tales dat Deus.

Morietur homo ille] Gravis pœna, ſed ad vitandum periculum omnium graviſſimum. Ad Chriſtiana tempora ut hoc applicemus, appoſitum eſt Auguſtini illud quæſtionibus ſuper Deuteronomium libro V. cap. 38. *Hoc nunc agit in Eccleſia excommunicatio, quod agebat tunc interfectio.* Et de Fide & operibus cap. VI. *Phinees Sacerdos adulteros ſimul inventos ferro ultore confixit. Quod utique degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum hoc tempore.*

Et auferes malum de Iſraël] Sic impedies ſchiſma, ingens malum. Eadem de cauſa cognitio de pſeudopropheta ſoli Synedrio permiſſa, & pœna per literas omnibus civitatibus ſignificata.

13. *Cunctuſque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumeſcat ſuperbiâ*] Cavebit ſe facere auctorem dogmatis, publicâ auctoritate improbati, ac proinde partium ducem. Hoc enim eſt זדון [*temeritas*], ut jam diximus. Vide Ioſephum, & Præcepta jubentia.

14. *Et dixeris: Conſtituam ſuper me regem*] Licebat ergo ipſis Regem expetere, ſed non quo tempore Interregem habebant à Deo conſtitutum. Leges autem de Rege, de Templo, & excidio Amalecitarum pertinent ad tempora poſſeſſæ terræ. Et opus erat Regem conſtitui, antequam locus Templo diſpiceretur, ne ex contentione tribuum bellum ob id civile naſceretur.

15. *Quem Dominus Deus tuus elegerit*] Approbaverit per Prophetam. Sic per Samuelem unctus Saul & David: per Nathanem Solomon, & in Solomone omnes ejus poſteri. in ipſo enim Regnum factum eſt ſucceſſorium eâ lege quam Franci *Salicam* vocant. Antè erat perſonale.

De numero fratrum tuorum] Variant Magiſtri in hujus loci interpretatione. Receptior ſententia eſt ſuffeciſſe ut ex juſtis nuptiis matris Hebrææ natus eſſet. Atque ita credidêre illi qui Agrippam minorem fratrem ſuum dixêre.

Non poteris alterius gentis hominem regem facere] Malè hoc zelotæ eò trahebant, quaſi externis Regibus parere non liceret. Lex agit de voluntaria electione, non de eo quod indixit neceſſitas. Vide Ierem. XXXVIII. 17. Ezech. XVII. 12. 13. 14. 15. Vide de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. IV. §. 14. & quæ ad Matth. XXII. 17.

16. *Non multiplicabit ſibi equos*] In Iudæa aſinorum erat copia, equorum inopia. Itaque & viri principes aſinis vehebantur, Iud. X. 4. XII. 14. 1 Paralip. XXVII. 30. Vetat Deus Regem multos equos in Regnum ſuum acceſſere, ne ſcilicet indè populus equis aſſueſceret.

Nec reducet populum in Ægyptum equitatûs numero ſublevatus] Meliùs in Hebræo: *Ne redire faciat populum in Ægyptum ad multos equos habendos. Redire faciat populum*, id eſt, occaſionem det popularium multis pro terra promiſſa expetendi habitationem Ægyptiacam, & eò migrandi amore equorum. Nam Ægyptus equis ferax, 1 Reg. X. 28. multis autem de cauſis nolebat Deus Iſraëlitas habitationem in Ægypto figere, Exod. XIV. 13. infrà XXVIII. 68. Intelligendum hoc de eo tempore, quo in terra promiſſa habitare ipſis licebat. nam indè expulſis tam in Ægypto quàm alibi exſilii ſedem licuit quærere, ut multi ſapientes exemplo ſuo ſentire ſe probarunt. Ideo addit, *per eandem viam*.

17. *Non habebit uxores plurimas*] Vt multi in Oriente Reges, multa millia feminarum ipſis inutilia, aliorum honeſtis uſibus ſubtrahebant faſtûs causâ. ſapientum auctoritas permiſit Regi habere ad octodecim.

Neque argenti & auri immenſa pondera] In theſauris ſcilicet. Pari conſilio Lycurgus tantum terræ Regibus attribuit, ὥστε μὴ δεῖσθαι τῶν μετρίων, μήτε πλούτῳ ὑπερφέρειν [*ut nec indigerent mediocribus, nec opulentiâ ſupra cæteros eminerent*]. Cauſam addit Plutarchus: οὐ γὰρ ἐβουλήθη οὔτε τοῖς βασιλεῦσι τυραννικὸν φρόνημα παρασχῆσαι, οὔτε τοῖς πολίταις φθόνον ἐμποιεῖσθαι τῆς δυνάμεως [*neque enim volebat aut Regibus tyrannicos addere ſpiritus, aut civium invidiam ei creare ex potentia*]. Hoc eſt quod hîc ſequetur: *Nec elevetur cor ejus in ſuperbiam ſupra fratres ſuos.* In Iudæa nulli theſauri niſi Deo dicati. Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ XII. 12.

18. *Deſcribet tibi Deuteronomium*] Rectiùs משנה, *exemplum* verteris. Totum enim Pentateuchum tenebatur deſcribere, primùm ut Iſraëlita quivis, deinde iterum, ut Rex: ut ſciret & in privatis & in publicis negotiis Legem ſibi ſequendam. Sic & legere eam debebat & ſibi privatim, & in Templo, audiente populo, ut ſciret populus neminem à Lege excipi.

20. *Vt longo tempore regnet ipſe & filii ejus ſuper Iſraël*] Quod Davidi contigit, non Sauli.

CAPVT XVIII.

4. PRimitias *frumenti, vini & olei*] ראשית in Hebræo, alibi תרומה, quod Græci vertunt ἀφαίρεμα. Dabatur ante decimam, debebàtque non minus eſſe parte fructuum ſexageſimâ.

5. *Vt ſtet & miniſtret nomini Domini ipſe & filii ejus*] Cùm pauci eſſent numero, ſimul omnes miniſtrabant. poſtquam magna fuit Sacerdotum

multitudo, ſapienter à Davide inſtitutæ claſſes & vices, 1 Paral. xxiv. Vide quæ ad Lucam 1. 5.

8. *Excepto eo quod in urbe ſua ex paterna ei ſucceſſione debetur*] Poterant enim Levitæ bona aliqua mobilia ſibi comparare in urbibus illis, quarum mentio Num. xxxv. Suburbani illarum quas dixi urbium agri tribûs erant totius, & non alienabiles.

10. *Nec inveniatur in te qui luſtret filium ſuum aut filiam per ignem*] Sic & LXX, οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρί [*Non invenietur in te qui luſtret filium ſuum & filiam ſuam in igne*]. Vnde apparet מעביר [*tranſire facere*] hoc loco ſumtum ab interpretibus in ſenſu molliore, cùm alioqui vox ſit ambigua, & interfectionem quoque notare poſſit, ut apparet Ezech. xvi. 20. 21. ubi pro eodem ponuntur אכול [*perdere*] & העביר [*tranſire facere*], additúrque זבח [*immolare*] : quæ tria verba in eodem ſignificatu reperias apud eundem Ezechielem xxiii. 37. 38. 39. Ex quibus locis & Pſal. cvi. 37. ubi eſt זבחו [*immolabant*], & apertiſſimè Ierem. xix. 5. ubi eſt שרף [*comburere*], apparet Cananæos & eorum vicinos ſolitos morti dare liberos ſuos in deorum ſuorum honorem. Ità Sepharvæos in honorem Adramelechi & Hanamelechi liberos ſuos igni comburendos dediſſe teſtatur Hiſtoria II Reg. xvii. 31. Cananæi maximè Molochum colebant, & eorum imitatione non rarò Hebræi. oſtendit id Amos v. 26. collatus cum Act. vii. 43. Levit. xviii. 21. *Cananæos* & ſibi & vicinis dictos, qui *Phœnices* Græcis, oſtenſum eſt ad Matth. xv. 22. *Moloch* non dubitandum quin ſit Saturnus, cujus ſtella & nunc eo nomine ab Hebræis vocatur : nimirum *quòd è ſeptem ſideribus, queis mortales reguntur, altiſſimo orbe & præcipuâ potentiâ ſtella Saturni feratur*, ut loquitur Tacitus Hiſtor. v. Nomen hoc ei aſtro datum à rege cui nomen Ἶλ [*Il*], ſed qui, ut eximius inter Reges, ἀντονομαστικῶς [*vocabulo poſito vice nominis*] dictus מלך [*Rex*]. Narrat ex Sanchuniathone antiquiſſimo rerum Phœnices ſcriptore Philo Byblius, morem fuiſſe gentibus illius tractûs; ut cùm maximæ calamitates publicæ metuerentur, populorum reges filium, quem diligerent maximè, morti darent ad placandam deorum iram. Neque verò communi morte, ſed ſolenni veterique ceremoniâ hoc ſacrificium peractum. Ei mori obſequentem regem Phœnicum, qui poſt mortem in ſidus Saturni à ſuis fuit conſecratus (nam Phœnices, ut Philonis utar verbis, ἐξαιρέτως ἀπὸ τῶν σφετέρων βασιλέων τοῖς κοσμικοῖς στοιχείοις τὰς ὀνομασίας ἐπέθεσαν [*mundi elementis à ſuis regibus propria dedere nomina*].) cùm maximum ex bello periculum immineret, filio quem habebat unicum regio cultu in aram impoſito atque inibi ſacrificato publicum exitium domeſtico avertiſſe. Quo in loco Philonis Byblii ſcribitur : Κρόνος ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι [*Saturnus quem Phœnices Iſraël cognominant*]. ubi quidam viri egregii Ἰσραὴλ [*Iſraëlem*] pro *Abrahamo* nominatum, & Iſaaci immolati hiſtoriam cum quadam depravatione indicari exiſtimant. At credibilius mihi videtur exſcriptorem Euſebii, qui Philonis Byblii verba recitat, erraſſe, qui, ubi ἰλ [*Il*] erat ſcriptum, putavit compendium eſſe pro Ἰσραὴλ [*Iſraël*], quale ſæpè in manuſcriptis Græcorum Chriſtianorum occurrit. Regi enim illi qui in ſidus illud altiſſimum conſecratus à ſuis eſt, nomen fuiſſe Ἶλ [*Il*], ut Enocho nomen יהוה, ipſe ille Philo ex Sanchuniathone nos docet his verbis : Ἶλον τὸν καὶ Κρόνον [*Ilum qui & Saturnus*]. Syri enim id quod Hebræi dicunt אל [*El*], pronuntiabant איל [*Il*], quomodo & Ezech. xxx. 11. xxxii. 21. cujus Prophetæ multa ad Syriacam dialectum declinant. Quia verò rex ille patriam filio immolato maximè demeritus credebatur, ideò qui in ſimili periculo poſteà erant, eidem illi regi in deos ſub aſtri illius nomine relato ſuos liberos ſacrificabant. Docet hoc ex eodem Sanchuniathone & ejus interprete Philone Byblio, quos auctores laudat, Porphyrius περὶ ἀποχῆς [*de Abſtinentia*] ſecundo: *Phœnices*, inquit, *in maximis periculis ex bello, frugum inopiâ, peſtilentiâ, cariſſimorum aliquem publicis ſuffragiis ad id delectum ſacrificabant Saturno.* Addit Porphyrius talium victimarum plenam fuiſſe Sanchuniathonis hiſtoriam. Is autem Ἶλ [*Il*], ut dixi ἀντονομαστικῶς [*vocabulo poſito vice nominis*] מלך [*Rex*] dictus, quod aliis nunc Hebræi efferunt, aliis vocibus olim efferebatur, aliquando & cum additamento מלכם [*Melchom*], ut in Amoſo v. 26. ubi LXX τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ [*tabernaculum Moloch*], Aquila Μελχὸμ [*Melchom*], quomodo & Syrus & Arabs in Actis vii. 43. poſuêre: ſic & Ierem. xlix. 3. At Symmachus ubi LXX habent Μολὸχ [*Moloch*], vertit aut βασιλέα [*regem*], aut ἄρχοντα [*principem*]. *Dare filios Molocho* Levitici xx. 2. rectè videtur de combuſtione accipi, quia mortis pœna ibi additur, quæ hîc non eſt, nec Levit. xviii. 21. Sophocles Andromedâ:

> Νόμος γάρ ἐστι τοῖσι βαρβάροις Κρόνῳ
> Θυηπολεῖν βρότειον ἀρχῆθεν γένος.
> [*Is namque multos barbaros mos obſidet*
> *Dare victimas mortale Saturno genus*].

Ioſephus de Achazo: ἴδιον ὡλοκαύτωσε παῖδα κατὰ τὰ Κανανaίων ἔθη [*filium ſuum holocauſtum fecit ex more Cananæorum*]. meminit ejus moris & Hieronymus ad Ierem. vii. 31. Phœnicum ſive Cananæorum præcipui Tyrii, apud quos vetuſtiſſimum fuiſſe morem, *immolare puerum ingenuum*, docet nos Curtius, aítque *ſacrum Carthaginenſes à conditoribus* (Tyriis ſcilicet) *traditum uſque ad excidium urbis ſuæ feciſſe.* Carthaginenſes Pœni, id eſt, Φοίνικες [*Phœnices*] *:* ſicut Horatio *uterque Pœnus* eſt Syrophœnix & Libyphœnix. Ennius de Pœnis:

> *Pœni ſunt ſoliti ſos ſacrificare puellos.*

Plato Minoe: Ἡμῖν μὲν οὐ νόμος ἐστὶν ἀνθρώπους θύειν, ἀλλ' ἀνόσιον. Καρχηδόνιοι δὲ θύουσι, ὡς ὅσιον ὂν καὶ νόμιμον αὐτοῖς· καὶ ταῦτα ἔνιοι αὐτῶν υἱεῖς τῷ Κρόνῳ, ὡς ἴσως καὶ ἀκήκοας [*Nobis mos non eſt homines ſacrificare, quinimo nefas habetur. At Carthaginenſes id faciunt, faſque & legitimum arbitrantur. quin & quidam eorum filios ſuos Saturno ſacrificant, ut fortè & ipſe audiiſti*]. Iuſtinus ex Trogo libro xviii. de Carthaginenſibus eiſdem : *Cùm inter cætera mala etiam peſte laborarent, cruentâ ſacrorum religione & ſcelere pro remedio uſi ſunt. quippe homines ut victimas immolabant : & impuberes (quæ ætas etiam hoſtium miſericordiam provocat) aris admovebant, pacem deorum, ſanguine eorum expoſcentes pro quorum vita dii* *rogari maximè ſolent.* Idem de iis habet Plutarchus libro de Superſtitione. Silius autem Italicus:

Mos fuit in populis quos condidit advena Dido
Poſcere cæde deos veniam, ac flagrantibus aris,
Infandum dictu, parvos imponere natos.

Lactantius libro I. cap. XXXI. *Peſcenius Feſtus in libro Hiſtoriarum per ſaturam refert, Carthaginenſes Saturno humanas hoſtias ſolitos immolare, & cùm victi eſſent ab Agathocle rege Siculorum, iratum ſibi deum putaviſſe: itaque ut diligentiùs piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe.* Minutius Octavio: *Saturno in nonnullis Africæ partibus à parentibus infantes immolabantur, blanditiis & oſculo comprimente vagitum, ne flebilis hoſtia immoletur.* Auguſtinus de Civitate Dei VII. 19. *Ideo à quibuſdam pueri Saturno ſoliti ſunt immolari, ut à Pœnis.* Tertullianus Scorpiace: *Afrorum Saturnum hominum victimâ placari apud ſæculum licuit.* Idem Apologetico: *Cùm propriis filiis Saturnus non pepercerit, extraneis utique non parcendo perſeverabat, quos quidem ipſi parentes ſui offerebant, & libenter reſpondebant, & infantibus blandiebantur, ne lacrymantes immolarentur.* Vbi nota illud hiſtoriæ Tyriorum congruens, Saturnum ſuis liberis non peperciſſe, nimirum quòd eos ipſe immolaverit: unde eos comediſſe dicitur à Græcis, qui vocem ambiguam לאכול, quæ & comedere & igne conſumere ſignificat, uſitatiore illo ſenſu accepêre. Morem ejus ſacrificii ſic explicat Siculus Diodorus. Ait Carthagine æneam fuiſſe Saturni ſtatuam, (qualem ſcilicet & Molochi apud Cananæos fuiſſe Iudæi affirmant) quæ manus haberet ſupinas ſupra terram, ſed quibus ignis ſubeſſet: cujuſmodi ſtatuas omnes Hiſpani teſtantur repertas in illis Americæ inſulis quæ Africam contra ſpectant, &, ut credibile eſt, inde habitatores & ritus accepêre, quod aliis quoque indiciis, ſi id opus eſſet, poſſet confirmari. Addunt Iudæi, dum comburebatur puer choreis ac tympanis circumſtrepuiſſe ſpectatores, ne ploratus exaudiretur: quod ipſum in maris Indici inſula, quam Chenaragam vocat, factitatum memorat Iudæus Benjamin, accepto, ut credibile eſt, à Tyriis qui eum Oceanum jam olim navigârunt, ritu. Etiam in Creta inſula plurimæ Phœnicum coloniæ: inter quas *Cittium.* Hîc quoque ſacrificatos pueros, & quidem Saturno, Iſter in collectione Creticorum ſacrorum prodidit, teſtante Porphyrio. Hinc Athenagoras: Φοίνικες καὶ Κρῆτες τὸν Κρόνον ἐν ταῖς τεκνοφονίαις ἐθρήσκευον [*Et Phœnices & Cretes Saturnum colebant liberos immolando*]. Hæ ſunt τεκνοφόνοι τελεταί [*puericidales ceremoniæ*]: quarum meminit ſcriptor Sapientiæ XIV. 23. propter quas illos qui terram promiſſam Hebræis ante Hebræos tenuêre, idem ſcriptor vocat τέκνων φονέας ἀνελεήμονας [*immiſericordes liberûm interfectores*], XII. 5. Philo de iiſdem libro de Abrahamo: βαρβαρικὰ δὲ ἔθνη μέχρι πολλοῦ παιδοκτονίαν ὡς ὅσιον ἔργον καὶ θεοφιλὲς προσέσθαι [*barbaricas autem gentes olim interfectionem ſobolis ſuæ ut rem piam & Deo gratam uſurpâſſe*]. Apud Blemyas qui inter Arabicum ſinum ac Nilum colebant, talia ſacra ad Iuſtiniani manſiſſe tempora, teſtis eſt Procopius. De Dumætiis in Arabia idem apud Porphyrium habes. Hos imitati ſæpè corruptis moribus Hebræi, maximè in Topheth, quæ & *Vallis filiorum Hinnom*, II Reg. XXIII. 10. II Par. XXVIII. 3. Ierem. VII. 31. XIX. 5. Quod ergò aliis temporibus aut locis liberi à parentibus tantùm per ignem traducti aut igne luſtrati ſunt, veſtigium eſt & imitatio ſæviſſimi moris: qualia temperamenta aut σοφὰ φάρμακα [*ſubtiliter inventa remedia*] paſſim ſerior ætas invênit. Sic in Laodicea Syriæ pro virginis ſacrificio cervam ſubſtitutam docet Porphyrius dicto jam libro: in Cypro pro homine bovem: in Ægypto cereos factos ad humanam effigiem. Sic Pelaſgi olim Saturno hominem ſacrificabant ex oraculo veteri,

Καὶ κεφαλὰς Κρονίδῃ καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.
[*Ferte Iovi capita, aſt hominem date patris honori.*]

Poſteà exſtitêre qui dixêre defungi eos poſſe ſi facem jacerent. Meminêre Ovidius, Lactantius, Macrobius, qui & alias ſimiles ſacrificiorum emendationes commemorat lib. I. Saturnalium, cap. 7. Arnobius eandem rem narrans, ait ab eis *morem fraude callidulâ & nominum ambiguitate mutatum.* Sic pro hominibus veris, miſſos in Tiberim homines ſtramineos, habes apud Ovidium Faſtorum V. Tale aliquid & apud Phœnicas accidit. Cùm enim oraculum vetus juberet pueros תעביר באש [*tranſire facere per ignem*], diúque verbum illud ambiguum acceptum eſſet in ſenſu *conſumendi*, benignior interpretatio Molochum ſive Saturnum contentum eſſe voluit, *traducto corpore flammâ*, ut Tertullianus loquitur, ubi Valentini ritus è paganica ſuperſtitione hauſtos deſcribit. Eundem morem trajiciendi per ignem pueros vidiſſe ſe in ora Indiæ Aſiaticæ maritima narrat Ferdinandus Mendes Pinto Luſitanus, acceptum ut credibile eſt & hunc à Phœnicibus. Nam in Chenaraga Indiæ inſula, (legendum eſſe *Chingara*, & ſic à Paulo Veneto appellari *Taprobanen* monent eruditi) is quem dixi Benjamin repertum dicit ritum utrumque, & comburendi filios, & alterum eos luſtrandi per ignem traductos. Maimonides itidem, rectiùs quam Iudæi alii ſapiens, utrumque morem agnoſcit de idololatria cap. 6. ſectione 3. Sic & Rabbi Simeon libro Ialkuth. Venit mos trajiciendi per ignem per Phœnicas in Siciliam, (nam Phœnicas in Sicilia fuiſſe Scylax & alii nos docent) inde Romam. Varro apud Scholiaſten Horatii: *Palilia tam privata quàm publica ſunt apud ruſticos, ut cùm fœno conjectis ſtipulis ignem magnum tranſiliant, his Palilibus ſe expiari credentes.* Manſit idem mos diu in Africa, teſte Leone Afro. nec aliunde, ut puto, in Braſiliam tranſiit. Ab Afris, an à Romanis Chriſtiani acceperint, dubitari poteſt: ſed memorant & damnant Chryſoſtomus in Nativitate S. Ioannis, Theodoretus in ultimum librum Regum cap. 16. Synodus in Trullo canone LXV. Et de hoc more hîc agi verius ob ea quæ jam diximus.

Aut qui ariolos ſciſcitetur] Græcè, μαντευόμενος μαντείαν [*divinans divinationem*]. Hujus ſpecies βελομαντεία [*divinatio per ſagittas*], de qua dicemus ad Ezech. XXI. ubi קסם קסם [*divinare divinationem*], ut hîc.

11. *Nec incantator*] Græcè, ἐπαείδων ἐπαοιδήν [*incantans incantationem*]. חבר חבר, quod hîc eſt etiam Pſalm. LVIII. reperitur, ubi de eo agitur

quod apud Virgilium eſt, *cantando rumpitur anguis.* Plinius libro xxviii. 2. *Figulinarum opera multi rumpi credunt tali modo. non pauci etiam ſerpentes ipſos recantare. Et hunc unum eſſe ex ipſis intellectum, contrahique Marſorum cantu, etiam in nocturna quiete.*

15. *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, ſicut me, ſuſcitabit Deus*] Sæpè ſcilicet, ubi magna neceſſitas aut evidens utilitas id exegerit. Cùm autem ait *ſicut me*, non loquitur de munere νομοθέτου [*Legum conditoris*], ſed de prophetico, & vox *ſicut* communitatem quandam nominis atque auctoritatis, non omnimodam æqualitatem notat, ut apparet infrà xxxiv. 10.

Ipſum audies] Ipſi per omnia pare, etiamſi quid contra Legem jubeat. Poteſt enim Deus mutare Legem quâ vult parte, quo vult tempore. Et quia notæ omnes veri Prophetæ, de quibus agetur infrà, in Ieſum Nazarenum congruunt, ideo parendum ei fuit, etiamſi is Meſſias promiſſus non fuiſſet, Actor. iii. 23.

21. *Hoc habebis ſignum*] Signum quod jam dabit ad ſuperiorem ſpeciem pertinet, ubi Propheta dicit ſe ab unico Deo miſſum. Nam ſi agat nomine falſorum deorum, nullo ſigno exſpectato illico interficiendus eſt: imò etiamſi ſigna quædam ſpecioſa dederit, ſuprà xiii. 1. Eſt enim hæc tentatio à Deo permiſſa, facilis ſuperatu ab iis qui id credunt, quod & ratio dictat, & Moſis tot miracula, ad lxxiv ut ajunt Hebræi, nempe Deum unum eſſe.

22. *Quod in nomine Domini Propheta ille prædixerit, & non evenerit*] Hoc non referendum ad promiſſa aliquibus bona aut pœnas denuntiatas. utrumque enim hoc cùm ſuſpenſum ſit ab aliqua conditione aliquatenus poteſtativa, fieri poteſt ut re mutatâ eventu careat, quemadmodum videre eſt Ieremiæ xviii. 1. 8. 9. 10. Ionæ iii. 4. 9. ſed referendum ad ea quæ per naturam fieri non poſſunt, & quæ futura prædixit Propheta, ut Moſes, virgam converſum iri in colubrum. Talia enim ſi prædicantur in Dei nomine, non permittet ea fieri Deus, ne tentationem inferat inſuperabilem.. Poteſt præterea falſi argui aliquis etiam ex ſucceſſu prædicto, ſi rebus iiſdem manentibus is ſucceſſus non evenerit, Ierem. xxviii. 9. Non autem contrà ex ſolo ſucceſſu verbis reſpondente cognoſci Propheta poteſt, niſi ſucceſſu multas addiderit circumſtantias quas nulla humana prudentia proſpicere poſſit. Verùm hîc non de talium rerum, ſed de prodigiorum prædictione agi oſtendit collatio initii cap. xiii. ſuprà. Notandum & hoc, ab eo qui tantùm hortatur homines ad implenda Legis juſſa, nulla ſigna requiri. Sunt enim pro illo ſigna olim facta cùm Lex prodita fuit. Cognitio autem de vero aut falſo Propheta ad Synedrium pertinebat, ut antè diximus. Falſi convictus in Paſchate ſupplicio afficiebatur, quo tempore maximus erat populi conventus, idque ex lege quæ ſuprà eſt cap. xvii. 13. argumento ducto à minore ad majus. Plus enim eſt falsò fingere mandata Divina, quàm ex humana opinione dogma pertinaciter tueri. Itaque זדון ibi quidem ὑπερηφανίαν [*temeritatem*], hîc verò ἀσέβειαν [*impietatem* vertunt Lxx.

CAPVT XIX.

3. E*T in tres æqualiter partes totam terræ tuæ provinciam divides*] In Hebræo: *Tripartieris terminum terræ tuæ.* Græcè, τριμερεῖς τὰ ὅρια τῆς γῆς σου. Erant hæc oppida medio itinere à finibus terræ ad meditullium. Tres autem intellige, in terra quæ tunc ipſis erat trans Iordanem. Nam cis Iordanem aliæ tres itidem erant, quanquam in minore terræ ſpatio, ut apparet Num. xxxv. 14. Cauſam adferunt Hebræi, quòd crebriora illic homicidia ob ferociam Galaaditarum. Vide Iud. x. & xi. & Oſeæ vi. 8.

4. *Qui heri & nudiustertius nullum contra eum odium habuiſſe comprobatur*] Hoc argumento & Taurinus Ignatius Proconſul Bæticæ in conſultatione ad Hadrianum Imperatorem miſſa utitur, nè homicidium dolo commiſſum credatur: *apparebat nulla inimicitia quæ cum Euariſto fuiſſet.* Exſtat ea conſultatio in Moſaïcarum & Romanarum legum collatione, quam edidit P. Pithœus titulo i.

6. *Ne forſitan proximus ejus, cujus effuſus eſt ſanguis, dolore ſtimulatus perſequatur*] Quare ſi in via homicidam deprehendiſſet proximus, & occidiſſet, ferebat impunè.

14. *Non aſſumes & transferes terminos proximi tui*] Severè id vetitum apud quieti publicæ conſulentes populos, Iob. xxiv. 2. Plato viii. de Legibus; Digeſta, titulo de Termino Moto: Collatio vetus legum Moſaïcarum cum Roman. titulo xiii. Paulus Sententiarum i. xvi. & v. xxii. 2.

Quos fixerunt priores] *Fixerint* vult dicere. Factum enim id per Ioſuam & Eleazarum.

15. *Quicquid illud peccati & facinoris fuerit*] In Hebræo eſt, עון [*perverſitas*] & חטאת [*peccatum*], quorum illud eſt contra Deum, hoc contra hominem, hoc quidem loco.

16. *Si ſteterit teſtis mendax*] Vnus teſtis ſufficit non ad damnandum, ſed ad inquirendum: & in pecuniariis, ad deferendum reo jusjurandum purgatorium. Maimonides. At in mutuo non damnabatur quis ex contractu, niſi coram teſtibus facto.

18. *Invenerint falſum teſtem dixiſſe contra fratrem ſuum mendacium*] In cauſa capitali & ſecuta ob id ſententia. ita uſus reſtrinxit legem.

20. *Vt audientes cæteri timorem habeant*] Nota finem publicarum pœnarum, quam Demoſthenes ſic expreſſit: ἵνα ἄλλοι πρόνοιαν ποιῶνται ϗ φοβῶνται [*ut alii cautiores fiant & metuant*]. Vide libro ii. de Iure Pacis & Belli, cap. xx. §. 9.

21. *Non miſereberis ejus*] Iudici Lex loquitur.

CAPVT XX.

2. S*Tabit ſacerdos ante aciem*] Sacerdos ad hoc unctus, qui & tubâ canebat.

3. *Non pertimeſcat cor veſtrum*] Mos fuit crura amputare fugientibus.

5. *Et non dedicavit eam*] Non habitavit per annum.

6. *Nec dum fecit eam eſſe communem*] Nondum eam à ſacris liberavit, quod fiebat ſub annum quintum.

7. *Quis eſt homo qui deſpondit uxorem, & non accepit eam? Vadat & revertatur in domum ſuam*] Vide infrà XXV. 5. ἵνα μὴ στρατεύοιτ᾽, ἀλλὰ βινοίη μένων [*Ne militet, ſed ſe oblectet manens domi*], ait Ariſtophanes in Acharnenſibus. Sed notandum has ἀλειτουργησίας [*immunitates*] locum non habuiſſe in bellis Dei, id eſt, contra ſeptem populos, ſed in bellis aliis, ut notavit Maimonides.

8. *Vadat & revertatur in domum ſuam, ne pavere faciat corda fratrum ſuorum*] Hac ipsâ de causâ eos quibus militia cordi non erat in Macedoniam remiſit Alexander. Vide Arianum lib. VII. Curtium lib. 10.

9. *Suos ad bellandum cuneos præparabit*] In Hebræo, פקדו, quod eſt *recenſebunt*.

10. *Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem*] Nimirum ut Terentius ait:

Omnia priùs experiri quàm armis ſapientem decet.

Et Apollonius:

Μηδ᾽ αὔτως ἀλκῇ πρὶν ἔπεσσί γε πειρηθῆναι.

[*Nec vi rem tentare priùs quàm verba ſerendo.*]

Valuit hoc etiam in terra Canaan. Itaque lex quæ eſt Exod. XXIII. 32. 33. & hoc libro VII. 1. 2. intelligenda eſt cum benigna exceptione, niſi ſiqui ad primam denuntiationem paruerint. Ita Maimonides & Moſes de Kotzi Præcepto jubente XV. Vide rationes pro hac ſententia libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 4. Iuſtæ autem belli cauſæ apud Hebræos cenſentur, in civitatem Hebræam colentem idola: in civitatem Hebræam deficientem à Lege: ob fidem Regi violatam, II Reg. III. ob rebellionem, II Regum XX. ob defenſum nocentem, Iudic. XX. ob injuriam Regi aut Reipublicæ illatam, II Sam. 10. ſi res ſuas repetant Hebræi: ad repellendum hoſtem: ad hoſtem præveniendum, Num. XXI. contra auxiliatorem hoſtis, II Reg. (ſeu II. Sam.) VIII. ad amicum hoſtibus eripiendum, Geneſ. XIV. adversùs tyrannidem: talia bella ſumebantur ex decreto Synedrii LXX virûm.

11. *Et ſerviet tibi ſub tributo*] Vide quæ dicta libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. XV. §. 6. Sub tributo intelliguntur & operæ, ut apparet. III Reg. IX. 15. II Paralip. VIII. 7. Simul debebant hi populi ditioni Hebræorum ſe ſubjicere, ac proinde & præcepta Noæ data amplecti.

13. *Percuties omne quod in ea generis maſculini eſt*] Pœna magnæ contumaciæ, infrà 16.

14. *Abſque mulieribus & infantibus*] *Puerum ætas excuſat, feminam ſexus.* Seneca lib. III. de Ira, c. 24. Adde ſcriptores productos à nobis libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. XI. §. 9.

19. *Non ſuccides arbores de quibus veſci poteſt*] Pythagoras apud Iamblichum: ἥμερον φυτὸν καὶ ἔγκαρπον μήτε βλάπτειν μήτε φθείρειν [*plantam manſuetam & frugiferam nec læde nec perde*]. Thalmudici extendunt à ſimili hanc legem ad rem quamvis ſine cauſa perituram: Porphyrius libro II. περὶ ἀποχῆς [*de Abſtinentia*], ubi mores Iudaïcos deſcribit, producit eam etiam ad animantia ruris operi inſervientia. Excipiendæ autem arbores, quæ telis obſidentium in urbem obſtant. Vide quæ dicta libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. XII. §. 2.

Lignum eſt & non homo] Sumit כי pro אלה [*an*] quod manifeſtius in Græco: μὴ ἄνθρωπος τὸ ξύλον; [*an lignum eſt homo?*] an vim habet hominis, ut tibi obſidenti reſiſtere poſſit? Nec aliter accepit Philo de Principis conſtitutione: Τί γάρ φησι τοῖς ἀψύχοις μὲν, τὴν δὲ φύσιν ἡμέροις, καὶ ἡμέρους καρποὺς ἀπογεννῶσι μνησικακεῖς; [*Cur enim, inquit, infenſus es rebus animâ carentibus, naturâ autem manſuetis, & fructus manſuetos ferentibus?*] Et libro De humanitate: Ἄδικον τὴν πρὸς ἀνθρώπους ὀργὴν ἀποσκήπτειν εἰς τὰ μηδενὸς αἴτια κακοῦ [*Injuſtum eſt iram in homines conceptam effundere in ea quæ nulli malo cauſam dant*]. Idem ſenſus & apud Ioſephum hoc loco.

20. *Inſtrue machinas*] In Hebræo, מצור; quod Græci benè vertunt χαράκωσιν [*munitionem*], vallum caſtrenſe, turres ligneas, & ſimilia.

CAPVT XXI.

2. *Egredientur majores natu & judices tui*] *Senum* nomen modò ætatem, modò dignitatem ſignificat: ideo ἐξηγητικῶς [*explicativè*] additur *Iudices*: qui ad hanc rem ſumpti numero impare, tres aut quinque.

Et metientur à loco cadaveris] Hoc pertinet ad excitandam inquirendi diligentiam.

3. *Vitulam de armento quæ non traxit jugum, nec terram ſcidit vomere*] Chæremon inter victimas prohibitas in Ægypto ponit: τὰ δεδαμασμένα, ὡς ἤδη καθωσιωμένα τοῖς πόνοις [*animantia jam domita, ac proinde laboribus dicata*]. Euripidi in Phœniſſis laudatur τετρασκελὴς μόσχος, ἀδάμαστον πέσημα [*quæ jugum neſcit quadrupes juvenca*]. Seneca de eadem re:

——— *vaccæ quam non flexerat*
Vomer, aut tardi juga curva plauſtri.

5. *Omne negotium & quicquid mundum vel immundum eſt, judicetur*] In Hebræo eſt: *Lis omnis, & plaga omnis.* Vox univerſalis intelligenda ex ſubjecta materia de victimis, oblationibus & lepra. de his enim notio erat Sacerdotum. Vide de lepra infrà XXIV. 8.

6. *Ad interfectum*] Ad locum ubi facta cædes, qui poſt id nec coli nec conſeri poterat.

Lavabúntque manus ſuas] Ad teſtandam ſuam in hac re innocentiam. Vide quæ ad Matth. XXVII. 24.

8. *Propitius eſto populo tuo*] Sic & Draco conſtituerat, homicidio facto cujus auctor ignoraretur, καθᾶραι τὸν δῆμον αὐθήμερον [*luſtrare populum eâ ipsâ die*]. meminit Demoſthenes.

11. *Et adamaveris eam*] Græcè, καὶ ἐνθυμηθῇς αὐτῆς. Hebræum חשק eſt *adhærere, conjungi*, quod Hebræi in Thalmude, Moſes Gerundenſis & Maimonides, aliíque omnes σεμνῶς [*honeſtè*] dictum volunt pro *concubueris cum ea*: quod & firmat vox *humiliandi* quæ ſequetur. Sic Homerus dicit, ἐν φιλότητι μιγῆναι. Lex hæc non de feminis Cananæorum, aliarúmque gentium, quæ poſt denuntiationem ſpretam jubentur interfici, intelligenda eſt, ſed de aliis feminis alienigenis, quarum matrimonium, ſi Legem ſcilicet ſuſciperent, & in id baptizarentur, interdictum Iſraëlitis non erat, ſed Sacerdotibus ſolis. Ne tamen ſæpè ac temere id fieret, Lex multas adhibet cautiones. Primum congreſſum indulget licentiæ militari ac juri victoriæ, ſi

forte

fortè eâ ſatiatus abſtineat ſe ab ea Hebræus. Secundum congreſſum non permittit, niſi ſolenniter conjunx facta ſit; ſed antequam id fiat Lex aufert feminæ omnes Veneres, amœnitates atque delicias per quas vir poſſet allici, quò rariora ſint conjugia talia.

12. *Radet cæſariem*] Comas radet, ut in luctu gravi mos eſt feminis. Eſt autem in hoc deformitas quædam:

Quod ſolum formæ decus eſt, cecidêre capilli.

Contrà viri poſt ſeptem primos luctûs dies non radebantur.

Et circumcidet ungues] In Hebræo, *faciet ungues ſuos*, id eſt, faciet eos longos, creſcere ſinet, ut interpretatur Rabbi Akiba. Vngues præcidere eſt pars munditiæ quæ in luctu negligebatur, ita ut ſeptem diebus primis veſtes viles ſumerentur, neque eluerentur: nec lotio uſurparetur niſi faciei & manuum: nec unctio ulla.

13. *Deponet veſtem in qua capta eſt*] Veſtem libertatis, pro qua ſumet veſtem captivitatis & luctûs, id eſt ſordidam, ſi vel hac ratione refrigerari amor poſſit. Veriſſimum enim eſt quod nimiùm peritus talium dixit,

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima eſt ipſa puella ſui.

Vno menſe] In Hebræo, *luna dierum*, id eſt, donec luna in eundem ſtatum redeat.

Poſtea intrabis ad eam] Baptizatam & junctam conjugio.

14. *Si autem poſtea non ſederit animo tuo*] Omitte illud *poſtea*. Hoc enim vult, ſi conſpectâ iſtâ cultûs deformitate ducere eam nolueris. Græci: ἐὰν μὴ θέλῃς αὐτὴν [*ſi non voles eam*].

Dimittes eam liberam] Sic & Græci, ἐλευθέραν. In Hebræo, *animæ ſuæ*, id eſt, ut ſui ſit arbitrii.

Nec opprimere per potentiam] Græcè: οὐκ ἀθετήσεις [*non contemnes*]. In Hebræo, לא תתעמר, id eſt, non utêris eâ pro ancilla. ita ſumitur hæc vox & infrà XXIV. 7.

Quia humiliaſti eam] Sic & Græci: διότι ἐταπείνωσας αὐτήν. Græci elegantiores dicerent, ὅτι ἐφύβρισας αὐτὴν [*quia ei illuſiſti*]. Hoc ſignificatu vox ענה reperitur infrà XXII. 24. & 29. Item II Sam. XIII. 22. de Thamare cui illuſerat Abſalom: quibus omnibus in locis Græci, ut hîc, verbum ταπεινοῦν [*humiliare*] uſurpant. Eſt hæc qualiſcunque expletæ libidinis pœna, quòd dominus belli jure factus feminam cognitam nec vendere poterat, nec ad ſerviles operas adigere: ſed aut ducere eam debebat, aut liberam è manu emittere.

16. *Volueritque ſubſtantiam inter filios ſuos dividere*] Ius ergò pater habebat aſſignandi cuique liberûm ſuas portiones, donando ſive teſtando: quæ valebant uſque ad Iubilæum. quod & Sirachidæ docet locus XXXIII. 24. Vide de Iure Belli ac Pacis lib. II. cap. VI. §. 14. Olim ante Legem etiam extranei heredes relinqui poterant, Geneſ. XV. 3.

17. *Dabítque ei*] In Hebræo לו [*ei*] maſculinum, ut & Græcè, αὐτῷ [*ipſi* filio]. Femina enim τῶν πρωτοτοκείων [*juris primogenituræ*] capax non eſt.

De his quæ habuerit] Quæ reipsâ poſſederit. Ità enim vox מצא [*inveniendi*] in Iure ſumi ſolet.

Et huic debentur primogenita] Ex jure antiquiſſimo ante Legem, quod primogenitis, nempe maribus, ut jam diximus, dabat principatum in familia, duplam hereditatem in bonis à patre poſſeſſis, & ſacerdotium ſacrorum familiæ. Dupla hereditas uſum habebat ad facienda convivia & ſacrorum ſumtus. Indè merum lucrum *ſine ſacris hereditas* apud Plautum. Hæc πρωτοτοκεῖα [*privilegia primogenituræ*] pater gravibus de cauſis transferre ad pòſt natum poterat. Verùm eam libertatem Lex adimit plures ſimul uxores habenti, ne unius delinimentis captus pater cauſas in primò natum aut fingat falſas, aut captet leves. Eadem ratio redditur in lege Langobardica II. XX. 3.

18. *Si genuerit homo filium contumacem*] Et hæc Lex, quia ſatis dura eſt, interpretationem accepit ſtrictiorem: quia enim filium nominat Lex, non producitur ad filiam: & quia contumaciam requirit, excluditur ætas prima malitiæ nondum capax. Excluditur & is qui plenioris eſt ætatis, & ſeorſim à patre res ſuas agit. De quantitate verò eſculentorum vel poculentorum, quam opus ſit prodactam eſſe ut Legi locus ſit, variant interpretes. Requiri etiam volunt ut pater & mater vivant: quia patre aut matre qui orbus eſt, plerumque bona habet aliqua, unde damnum datum ſarciri poſſit.

20. *Dicéntque ad eos: Filius noſter iſte protervus & contumax eſt*] Ritum exprimit Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ XVI. Πάτριος νόμος ὃς ἐκέλευσεν εἰ τοῦ κατηγορηθέντος οἱ γονεῖς ἐπιθοῖεν τῇ κεφαλῇ τὰς χεῖρας, ἐπάναγκες εἶναι τοῖς περιεστῶσι βάλλειν καὶ τοῦτον ἀποκτείνειν τὸν τρόπον [*Lex avita erat quæ jubebat ſi parentes filio accuſato manus in caput injicerent, adſtantes in eum lapides mitterent & ſic eum occiderent*]. Nulla ergò hîc, ut nec in aliis quibuſdam criminibus, Iudicis requirebatur auctoritas. Sopater de lege quæ patri permittit liberos interficere: Ὁ νόμος τοῦτο εἰδὼς ὡς εἰλικρινὴς γένοιτ' ἂν δικαστὴς ὁ πατὴρ, τοῦτο προσέταξεν [*Lex ſciens patrem fore rectum judicem hoc ei juris conceſſit*]. Vide quæ de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. V. §. 1. & 28. quod hîc eſt *contumax*, in Hebræo eſt סורר; quod *protervus*, ibi מורה. illa vox ei convenit, qui imperata facere detrectat: hæc ei qui facit prohibita.

Comeſſationibus vacat & luxuriæ atque conviviis] In Hebræo, זולל וסבא [*helluo & potator*]. Ex illo verbo סבא [*potare*] eſt Phrygium σαβάζειν [*bacchari*]. Multæ voces Phrygum & Lydorum à Syris.

22. *Adjudicatus morti ſuſpenſus fuerit in patibulo*] Fiebat id oſtentui in iis qui lapidati fuerant ob idololatriam, vel blaſphemiam. Non enim pœna erat ſuſpenſio. Strangulabantur enim ſtantes apud Hebræos, non ſuſpendio. De uſtione, gladio, lapidibus, ſatis apparet pœnas has remotas à ſuſpendio.

23. *Quia maledictus à Deo eſt qui pendet in ligno*] Satìs eſt ad breve tempus exponi eum, ut populo appareat ſatisfactum legi. Cæterùm non protrahenda eſt ejus pœna, qui antequam ſuſpendatur pœnam tulit à Deo impoſitam. קללה κατάρα [*maledictio*] ſæpè *pœnæ* habet ſignificationem, ut εὐλογία [*benedictio*] *beneficii*, ſignificatione à verbis ad res tranſlata. Vide Gen. VIII. 21. Ierem. XLIV. 22. Deuteronom. XXIX. 27. Pſal. CIX. 17.

Nequaquam contaminabis terram] Contaminatur terra ubi corpus humanum, divinæ quondam imaginis domicilium, tabeſcens in terram defluit, datúrque pecoribus

Vellere ſurgentem de noſtris oſſibus herbam,

ut Lucanus loquitur. Hæc lex de ſepultura non ad lapidatos tantùm, ſed & ad omnes ſupplicio capitali mortuos pertinet. Sepeliebantur autem tales non in ſepulchris majorum, ſed in publicis ſepulchretis.

CAPVT XXII.

2. *Erunt apud te quamdiu quærat ea frater tuus & recipiat*] Vide ad hanc rem pertinentia libro II. de Iure Belli & Pacis, cap. X. Inventionis titulus locum non habet niſi in rebus ἀδεσπότοις [*hero carentibus*].

5. *Non induetur mulier veſte virili, nec vir utetur veſte feminea: abominabilis enim Deo eſt qui facit hæc*] Præceptum per ſe honeſtum & utile. Attamen occaſionem datam ait Maimonides ab idololatris, apud quos mos erat in honorem Martis feminas armis indui, viros muliebribus veſtibus in honorem Veneris. Verum dicit, & auctores citat. Hæc eſt γενέσεως ἐναλλαγὴ [*ſexûs permutatio*], quam inter idololatrarum ritus ponit Sirachides XIV. 27. Philochorus Venerem affirmabat eſſe Lunam, & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili; ideo quòd Venus & mas eſſet & femina. Locus eſt apud Macrobium Saturnalium III. c. 12. Sic & Servius ad II. Æneid. in chartis Fuldenſibus: *Veneris in Cypro ſimulacrum corpore & veſte muliebri, cum ſceptro & natura virili, quod* ἀφρόδιτον *vocant: cui viri in veſte muliebri, mulieres in virili veſte ſacrificant.* In Cypro autem multæ coloniæ Phœnicum, unde is mos venerat. Quare & nomen Ἀφροδίτης ego à Græcis corruptum arbitror ex אפעורית [*Apheorith*] quod femininum ſit maſculini פעור [*Pheor*], qui deus turpitudinum Moabitis, Num. XXV. 3.

7. *Abire patieris*] Porphyrius de inſtitutis Iudaïcis: Ἀπηγόρευτο δὲ καὶ μὴ τὰ ἱκετεύοντα καὶ οἷον προσφεύγοντα ταῖς οἰκίαις ἀναιρεῖν [*Interdictum illas etiam quæ ſupplicum modo ad ædes confugiunt interficere*]. Sed agit lex tantùm de pullis quibus incubatur, & quidem in via repertis, non avium quæ domi aluntur, ut gallinarum & columbarum.

8. *Facies murum*] στεφάνην [*coronam*] Græci, Philo θωράκιον [*loriculam*]. Vide quæ ad Matth. IV. 4. & XXVIII. 2. Onkelos hîc habet תיקה quod eſt ex Græco θήκη [*theca*]. Sic Græci & alia vocant, & ambitum ſepulchri. Altitudo eſſe debebat minimùm ad tres pedes cum dimidio.

Ne effundatur ſanguis in domo tua] Paritas rationis vetat habere ſcalas fractas, & canes mordaces. Confer Exod. XXI. 29.

10. *Non arabis in bove ſimul & aſino*] Bene Calphurnius declamatione XXIX. *Ne pecora quidem jugum niſi paria ſuccedunt.* Plurimùm autem diſtant bos & aſinus. Plautus Aululariæ actu II.

——— *in mentem venit*
Te bovem eſſe & me aſellum.

Senſus myſticus apud Paulum II Cor. VI. 14. Fundamentum ſenſus myſtici, quòd bos eſt animal mundum, aſinus immundum. Præterea lex hæc occaſiones tollit, nè quid fiat contra legem, quæ eſt Levit. XIX. 19.

14. *Objiciens ei nomen peſſimum*] הוציא [*educere*] ſignificat hîc & alibi *vulgare*. *Vulgare* autem nomen malum, uno verbo eſt *diffamare*. Vide Num. XIV. 36.

17. *Expandent veſtimentum*] τὸ ἐκμαγεῖον [*abſtergimentum*]. Iſidorus Philoſophus citante Photio: Φυλακεῖα οἱ Ἀλεξανδρεῖς ἐκάλουν τὰ ἐκμαγεῖα τῶν γυναικείων μολυσμῶν. (nempe in primo congreſſu.) οὐκ ἦν δὲ γνήσιος ὁ γάμος εἰ μὴ ὁ ἱερεὺς ὁ τῆς θεοῦ ἐν τοῖς γαμικοῖς συμβολαίοις ὑπεσημειώσατο χειρὶ τῇ ἑαυτοῦ [*Aſſervationes quaſdam vocabant Alexandrini abſtergimentum mulierum è primo concubitu. Neque verò legitimum erat matrimonium, niſi id ſacerdos deæ in pactis nuptialibus ſua manu probaſſet*]. Apud Hebræos non à Sacerdotibus hæc ſervabantur, ſed à paranymphis qui ipſis שושבנים.

19. *Centum ſiclis*] In duplum dotis. Vide infrà hîc 29.

Et non poterit dimittere eam] Hæc illi pœna eſt, non talio. Ignoſcitur enim zelotypiæ, ut hîc notat Auguſtinus.

21. *Extra fores domus patris ſui*] In qua vivere puellæ ad nuptias uſque ſolebant. Ante eam domum in qua peccaverat, lapidabatur.

Quoniam fecit nefas in Iſrael] In Hebræo, נבלה [*ſtultitiam.*] Græci, ἀφροσύνην.

23. *Et concubuerit cum ea*] Concubitum Hebræi non intelligunt niſi cum viripotente, id eſt, quæ duodecimum annum impleverit.

24. *Quia non clamavit*] Ad intellectum hujus legis vide Annotata ad librum II. de Iure Belli ac Pacis, cap. I. §. 12.

26. *Sicut latro conſurgit*] Pudicitia vitæ æquiparatur. Vide librum II. de Iure Belli ac Pacis, cap. I. §. 7. & 12. Docet hoc exemplo lex parcendum iis qui vi adacti aliquid peccaverint.

29. *Habebit eam in uxorem, quia humiliavit illam: non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ*] Vis in puellam quàm pellacia duriùs punitur. Quid enim fœdius quàm hoſtili more in civem agere? itaque hujus pœna gravior. Qui pellexit, ſi eam permittitur uxorem ducere, non dat dotem, nec dimittere vetatur. Vide quæ ſuprà Exod. XXII. 6. Diffamator virginis par habetur vim inferenti.

CAPVT XXIII.

2. *Non ingredietur mamzer, hoc eſt de ſcorto natus, in Eccleſiam Domini*] *Mamzer* eſt natus ex congreſſu cui pœna mors, vel כרת [*exſciſio*]. *Ingredi* בקהל εἰς ἐκκλησίαν [*in cœtum*], ut hîc & paulò ſuprà vertunt LXX, eſt jus accipere connubii in populo Dei. Ità hîc Maimonides. Id jus communiter proſelytis, modò liberæ eſſent conditionis, Legem ſuſcipientibus dabatur, accenſebantúrque illi tribui unde uxorem duxerant. Excipiuntur ſpadones, ſpurii, ex ſpuriis, & ex quibuſdam malè meritis gentibus orti, è queis proſelytis nati alii nunquam, alii tertio demum gradu ad jus connubii admittebantur. Spadones in Ægypto conjuges ſumere ſolebant, ut

non omnis voluptatis in Venere expertes Geneſ. XXXIX. 1. Lex verò ſancta Hebræas non ſinit nubere ſine ſpe prolis. excipiebantur ancillæ, libertinæ, in gentem adſcitæ.

3. *Ammonites & Moabites etiam poſt decimam generationem non intrabunt*] Id eſt, nunquam. Hoc ideo quia Moabitæ adjuvantibus, ut oſtendit Nehemias XIII. 1. vicinis Ammonitis, peccare populum fecerant: quod pejus eſt quàm vitæ inſidiari, quod fecerant Ægyptii & Idumæi. Agit lex de maribus: nam mulieres ex his populis ad Deum converſæ, ut Ruth, nubere Iſraëlitæ poterant. Ita Maimonides & Moſes de Kotzi.

6. *Non facies cum eis pacem*] In Hebræo: *Non quæres eorum pacem*: non petes ab illis pacem. Vide de Iure Belli ac Pacis lib. II. cap. XV. §.9.

8. *Tertia generatione*] Nepotibus jus erit connubii. Ita Hebræi.

10. *Qui nocturno pollutus ſit ſomnio*] Chæremon de Ægypti ſacerdotibus, εἰ δέ ποτε συμβαίη καὶ ὀνειρώττειν, παραχρῆμα ἐπεκάθηρεν λουτρῷ τὸ σῶμα [*ſi quis ſomnians pollueretur, illico corpus aquâ luſtrabat*].

13. *In balteo*] In Hebræo eſt אזן, ex Chaldæo זין, unde Græcum ζώνη [*zona*] quod hîc habent Lxx.

Cúmque ſederis, fodies per circuitum] De Eſſenis Ioſephus, & ex eo Porphyrius: Ἄλλως οὐ θακεύουσιν ἢ βόθρον ὀρύξαντες εἰς βάθος ποδιαῖον, περικαλύψαντές τε θοιματίῳ [*Aliter alvum non exonerant niſi ſcrobem effoderint ad pedis altitudinem, obtexeríntque ſe pallio*].

14. *Nihil in eis appareat fœditatis*] In Hebræo: *turpe dictu*: id eſt, ſcortationes, quales ubique in aliarum gentium caſtris. Ita Maimonides Duce Dubitantium III. 41.

15. *Domino ſuo*] Extraneo. Sic terra Iſraëlitica aſylum fit. multùm favent Moſis leges libertati: ſed domino dabatur publicitus pretium: & alteri dominorum, ſi alter ſervum liberaſſet. Vide Moſem de Kotzi Præcepto jubente CLXXX.

17. *Meretrix*] קדשה, de qua voce vide Geneſ. XXXVIII. 21.

Scortator] In Hebræo: קדש [*catamitus*]. Græcè, πορνεύων eodem ſenſu. nam πορνεύειν Græcis dicuntur qui ſe vulgant. Sic Xiphilino πεπορνευκώς, qui *ſpintria* Tranquillo. Abeneſdra bene vertit הנשכב; quod verò hîc in Lxx additur: οὐκ ἔσται τελεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ, καὶ οὐκ ἔσται τελισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ [*non erit initiatrix inter filias Iſrael, nec initiatus inter filios Iſrael*], ex alia verſione irrepſit eorum interpretum qui קדשה & קדש ſumebant ſenſu *initiationis idololatricæ*. Itaque Theodoretus τελεσφόρον interpretatur τὴν μυσταγωγοῦσαν [*initiatricem*], τελισκόμενον verò τὸν μυσταγωγούμενον [*initiatum*]: quas voces malè intellectas Chriſtiani quidam ad vectigalium libertatem traxêre.

18. *Nec pretium canis*] Vile id animal Hebræis, 1 Sam. XVII. 43. XXIV. 15. Eccl. IX. 4.

[illegible]. *Sed alieno*] Sive extra fines habitanti, ſive intra fines, ſed Legi non ſubdito.

21. *Cùm votum voveris*] Nempe de re licita, & quæ tuæ ſit poteſtatis. Vide & ſupra XXX. 3.

Non differes reddere] Ità ut etiamſi res promiſſa perierit, propter moram debeatur æſtimatio: optimâ ratione. Poſt moram enim rei interitus debitorem non liberat, l. *Nemo*. §. *Si poſt*. D. de Verb. oblig. l. *Si homines certi*. C. de Vſuris & fructibus legatorum.

24. *Comede uvas quantum tibi placuerit, foras autem ne efferas tecum*] *Ne pomum ex alieno legatur in armum*, in veteri lege Laurentium apud Feſtum.

CAPVT XXIV.

3. *DEderítque ei libellum repudii*] Coram עדה [*turba*], id eſt, teſtibus non minùs decem, quot teſtes etiam ad matrimonium & ad circumciſionem adhibebantur. Dato autem divortii libello, bonorum quæ uxor in matrimonium contulerat, quorúmque poſſeſſio & fructus ſtante matrimonio penes maritum fuerat, reſtitutio fiebat mulieri perinde ut marito mortuo. Ea bona Hebræi vocant נדוניא [*dotem*], ſicut quæ vir dat uxori כתבה [*antipherna*]. Quòd ſi maritus bona uxoris æſtimatò accepit, reddet æſtimationem de qua convênit. Vir autem uxorem repudiare poterat; non etiam ut apud Romanos, uxor virum: quod prima contra Legem fecit Salome, notante Ioſepho.

4. *Quia polluta eſt*] Hebraïcè, *poſtquam eſt polluta*, id eſt, immunda facta priori marito per concubitum cum altero marito. omnis res alicui prohibita dicitur טמאה [*polluta*], ut Iud. XIII. 7. Sic & Græci: μετὰ τὸ μιανθῆναι αὐτήν [*poſtquam polluta fuit*]. Antequam id factum ſit, recipere eam non vetatur.

Et abominabilis facta eſt coram Domino] Meliùs in Hebræo: *Quia abominatio iſta eſt coram Domino*, id eſt, res iſta Deo diſplicet; βδέλυγμά ἐστιν ἐναντίον Κυρίου [*abominatio eſt coram Domino*] Lxx. Diſplicet autem ideo, quia ſpeciem habet uxoris alteri in uſum datæ: omniáque lenocinia eo velo obtegi potuiſſent. Quidam miranti quòd apud Lacedæmonios adulteria non audirentur, dixit ipſa matrimonia adulteria eſſe, ob morem commodandarum uxorum.

6. *Non accipies loco pignoris inferiorem & ſuperiorem molam*] μύλον ἢ ἐπιμύλιον, Philo. *Molam & catillum* vocat Paulus Iuriſconſultus l. *Cùm de Lanionis*. §. *Idem conſultus*. D. De inſtructo vel inſtrumento legato. Pari ratione à Romanis vetitum pignoris causâ abſtrahere boves aratorios, vel inſtrumentum aratorium.

8. *Quæcunque docuerint te ſacerdotes levitici generis*] Qui & Medicinæ dabant operam.

11. *Et ille tibi proferet quod habuerit*] *Quod habuerit*, non eſt in Hebræo. Senſus eſt: debitor eligat quod pignus dare velit, non creditor.

13. *Et habeas juſtitiam coram Domino Deo tuo*] In Hebræo, *Et erit tibi juſtitia coram Domino Deo tuo*; id eſt, hoc pro re magna Deus ducet.

19. *Et oblitus manipulum reliqueris*] Tam tu quàm meſſores.

21. *Non colliges remanentes racemos*] Poſt vindemiam racematio, ait Tertullianus Apologetico. Eſt idem quod in meſſe ſpicilegium. Lxx hîc, οὐκ ἐπανατρυγήσεις [*non revindemiabis*], ut & Lev. XIX. 10. Aquila, οὐκ ἐπιφυλλίσεις [*non minuta colliges*]. Hoc eſt τρυγητῶν κατάλειμμα [*reliquum vindemitorum*] in

Græco Ierem. XLIX. 8.9. Impropriè καλάμη [*ſpicilegium*] Eſaiæ XVII. 6. & καλαμᾶσθαι [*ſpicilegium facere*] pro ἐπανατρυγᾶν [*racemationem facere*] Ierem. VI. 9.

CAPVT XXV.

1. I*Vdicabunt*] Non unus, ſed ad tres minimùm: quot numero erant in minoribus oppidis. Hinc apparet quod mox dicitur השפט [*judex*] eſſe numeri ἐναλλαγὴν [*permutationem*], quomodo & Græci & Latinus accepêre.

Illi juſtitiæ palmam dabunt] In Hebræo, *juſtificabunt*, quod ſæpè eſt non effectionis, ſed æſtimationis aut declarationis ſignificativum: cui opponitur id quod ſequitur הרשיע, quod ſignificat *improbum aliquem declarare, tractare ut improbum.*

2. *Sin autem eum qui peccavit, dignum viderint plagis*] Hoc autem fit ubicunque alia pœna aut mulcta in Lege expreſſa non eſt, peccatúmque eſt contra præceptum vetans, non mente, aut verbo, ſed facto. Etiam ubi eſt כרת, id eſt, ἐξολόθρευσις [*exſciſſio*] pœna Deo reſervata, mortis mentione non additâ, Iudices, ſi ad ipſos res devenerit, & monitio præceſſerit, verberibus eum expiant. Ea verbera, accedente confeſſione, credebantur valere ad evitandam pœnam θεήλατον [*à Deo immiſſam*]. Qui in gravioribus ter, in minoribus quater ad eadem delicta relabebatur, poſt inediam paſcebatur hordeo ad mortem uſque.

Proſternent] In Hebræo, הפילו [*cadere facies*]. LXX καθιεῖς αὐτόν, Inclinabis eum ad humilem columnam.

3. *Vt quadragenarium numerum non excedant*] Mos εἰς προφυλακὴν νόμου [*ad præmunimentum legis*] unam detraxit. Vide II Cor. XI. 24. Iudicum unus minas Legis recitabat: alter numerabat plagas: tertius ferire lictorem jubebat.

Ne fœdè laceratus ante oculos tuos abeat frater tuus] ἀσχημονήσῃ [*dedeceat*] Græcè; caſtigatio enim hæc erat velut paterna, nullam infamiam infligens.

4. *Non ligabis os bovis*] Non capiſtrabis. Ita enim Plinius loquitur & Columella. Idem obſervandum in animantibus cæteris operam homini præbentibus. Eò autem erit paratior in homines miſericordia, ſi etiam in animantes alias ſe prætentaverit. Sic & Pythagorici, τὴν πρὸς τὰ θηρία πρᾳότητα μελέτην ἐποιήσαντο τοῦ φιλανθρώπου καὶ φιλοικτίρμονος [*lenitatem in muta animantia faciebant exercitationem bonitatis & miſericordiæ in homines*], ut Porphyrius loquitur de Abſtinentia ſecundo.

5. *Quando habitaverint fratres ſimul*] In terra eadem.

Abſque liberis] Sæpè apud alias etiam gentes maſculinum pro communi ſumitur. Apud Hebræos autem, Chaldæos, Syróſque alios maximè id neceſſarium facit vocum communium penuria. Quare quod in Hebræo eſt בן [*filius*] bene Græci transferunt σπέρμα [*ſemen*], quomodo זרע [*ſemen*] ſumitur Gen. XXXVIII. 8. Latinus hîc *liberos*, τέκνα Matthæi interpres XXII. 24. Rectè autem Latinus interpres hoc loco verbo Iuris uſus eſt, cùm *abſque liberis* dixit. *Non eſt* enim *ſine liberis, cui vel unus filius unáve filia eſt. Hæc enim enuntiatio*, Habet liberos, Non habet liberos, *ſemper plurativo numero profertur, ſicut & pugillares & codicilli*, ait Cajus L. *Non eſt*. D. De Verborum ſignif. Valet ergò *abſque liberis* idem quod apud Lucam XX. 28. ἄτεκνος [*illiberis*]. Vbi filiam reliquerat mortuus, non opus erat ad hanc legem veniri, cùm ex filia nepos in avi familiam adoptari poſſet. Imò etiam aliunde adoptata proles faciebat, ne ad legem hanc veniretur.

Vxor defuncti] Malè Sammai & Samaritani hoc de deſponſata tantùm interpretantur. obſtant tum alia, tum Gen. XXXVIII. 6.

Non nubet alteri] In Hebræo: *Non nubet foras extraneo.* Bene Græci: οὐκ ἔσται ἡ γυνὴ τοῦ τεθνηκότος ἔξω ἀνδρὶ μὴ ἐγγίζοντι [*non erit uxor defuncti extra familiam apud virum ſibi non propinquum*]. *Extraneus* hîc *fratri* opponitur, ut in Romano Iure *filio*. Mos verò idem produxit ad alios propinquos, ubi fratres non exſtabant, Ruth. IV.7. ſed hoc גאל [*proximare*] dicitur ἀγχιστεύειν, non יבם [*levirare*] ἐπιγαμβρεύειν. Inter mortem & novas nuptias viduæ tres menſes interponebantur.

6. *Et primogenitum ex ea filium*] Vocem hanc maſculinam rectè hîc addidit etiam Samaritanus.

Nomine illius appellabit] Non nomine proprio defuncti, ſed vocabit eum defuncti filium & heredem. Sic natus ex Rutha non dicebatur *Mahalon*, ſed *Obed filius Mahalon.* nomen ſecum trahit hereditatem: ideóque & pro hereditate ponitur Num. XXVII. 4.

Vt non deleatur nomen ex Iſrael] Hoc eſt quod Demoſthenes ait ad Macartatum: ἵνα μὴ ἐξερημωθῇ ὁ οἶκος [*ne familia intereat*]. Alioqui, ut Ioſephus de defuncto loquitur, ἀνώνυμος ἔσται [*erit ſine nomine*].

9. *Coram ſenioribus*] Coram Iudicibus tribus. Vnus jubet calceamentum ſolvi; duo alii acclamant: *ſic fiet homini*, &c. Calceamentum ſignum obligationis; excalceatio liberationis.

Qui non ædificat domum fratris ſui] בנה [*ædificare*], unde בן [*filius*], hîc eſt *prole implere.* Vide ſuprà Exod. I. 21.

11. *Et apprehenderit verenda ejus*] Adverſarii. Ita Hebræi rectè: nam contorquere genitalia mos luctantibus. Invenies id in vita Imperatoris Claudii ſecundi.

12. *Abſcindes manum illius*] Non feminæ. Sed ſenſus eſt: licebit illi ad maritum ſervandum & hoc facere, & ampliùs, nempe vel manum præſcindere adverſario: id eſt, quidvis tentet ut & maritum eximat periculo, & aggreſſori, ſi modò id fieri poteſt, vitam relinquat. *Abſcindes* poſitum hîc imperſonaliter, ut ſæpè alibi.

Nec flecteris ſuper eam ulla miſericordia] *Super eam* non eſt in Hebræo: ſed *Non parcet oculus tuus*: id eſt, non eſt quòd talis femina de incolumitate membrorum aggreſſoris ſit ſollicita. impunè feret hanc pro mariti ſalute curam.

18. *Quomodo occurrerit tibi*] Vocem Hebræam קרך obſcœnam eſſe ait Iarchi. vult intelligi *perciderit te*, id eſt, aliquos Hebræorum.

Extremos agminis tui, qui laſſi reſidebant, ceciderit] Hîc quoque vox Hebræa יזנב à Bachai aliiſque in alium ſenſum ſumitur, nempe penes abſciſſos Iſraëlitis volunt. Sed pro verſione Græca & Latina facit locus Ioſue x. 19. ubi verbum idem. Et locutio eadem apud gentes alias, quoties extremum agmen cæſum dicunt.

Et non timuerit Deum] Irridendo legem circumciſionis, ut Hebræi volunt.

CAPVT XXVI.

2. T*Olles de cunctis frugibus tuis primitias*] Quæ ob id junco ſignabantur.

In cartallo] Vox Græca ex Græca verſione. Recte verteris *in cophino*. Vide infrà xxviii. 5.

5. *Syrus perſequebatur patrem meum*] In Hebræo: *Syrus miſer pater meus.* Syrum vocat ob habitationem in Syria Meſopotamienſi. Latini *Syrienſem* dicerent, ut *Hiſpanienſem*. אבר verti *miſerum*. nam & Græci vertunt τὸν ἐν λύπαις [*in mærore poſitum*] Proverb. xxxi. 6. & verbum, unde hoc participium factum eſt, Iobi vi. 18. vertitur ἀπωλόμην [*perii*], & explicatur ἔξοικος ἐγενόμην [*extorris factus ſum*]. Optimè hoc elogium Iacobo convenire oſtendit ejus hiſtoria.

13. *Abſtuli quod ſanctificatum de domo mea eſt*] בער ſæpè eſt *abolere*: ſed hoc loco *removere*, ut apparet & infrà 14. Lxx hîc ἐξεκάθαρα τὰ ἅγια ἐκ τῆς οἰκίας μου [*expurgavi ſancta è domo mea*]. Sic eandem vocem per καθαρίζειν [*purificare*] verterunt ſuprà, xix. 13.

CAPVT XXVII.

1. P*Ræcepit autem Moſes & ſeniores Iſraël populo*] Moſes Sacerdotibus, Sacerdotes Senibus, Senes populo.

12. *Hi ſtabunt ad benedicendum populo*] Potiores tribus natæ ex juſtis matribusfamilias, excepto Rubene ob culpam, & Zabulone ut poſtremo ex Lea; qui ad implendum numerum adjecti poſteris miniſtrarum.

16. *Maledictus qui non honorat patrem ſuum & matrem*] In Hebræo eſt vox poſitiva מקלה, in Græco, ἀτιμάζων, id eſt, *indignitate afficiens.* Intellige hoc de eo cujus crimen ignotum eſt: alioqui morte plectebatur, Levit. xx. 19. Idem judicium de aliis criminibus quibus Lex mortem indicit.

18. *Maledictus qui errare facit cæcum in itinere*] Diphilus: ——— ἀγνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς
Ὅτι ἐστὶν, εἴτις μὴ φράσαι ὀρθὴν ὁδόν.
[——— *Neſcis in dirarum carmine*
Hoc eſſe, ni quis rectam monſtraſſet viam.]

Ad hoc caput referenda culpa eorum qui prava dant conſilia.

26. *In ſermonibus legis hujus*] Addunt Græci, ἐν πᾶσι [*in omnibus*]. Sequitur Græcos ut plerumque quem hodie habemus Samaritanus. Sic & Paulus Gal. iii. 10. Dicta hæc adversùs eos qui moniti pertinaciter, ſive elatâ manu agunt contra præceptum aliquod ſpeciale.

CAPVT XXVIII.

2. V*Niverſæ benedictiones iſtæ*] Quæ ſimul cum maledictionibus prælectæ populo in Terræ ingreſſu, Ioſue viii. in fine.

4. *Benedictus fructus ventris tui*] Eximiè impletum in Maria matre Chriſti.

5. *Benedicta horrea tua*] Chaldæus pro טנא poſuit סלא, quod eſſe *caniſtrum* ſive *cophinum* apparet Geneſ. xl. 17. Cophino multùm uſos Iudæos apparet ex Matth. xiv. 20. xvi. 9. Marci viii. 19. vi. 43. Luc. ix. 17. Ioan. vi. 13. & ex Iuvenali. Id κάρταλλον non malè dixêre Lxx ſuprà hoc libro xxvi. 2. 4. ubi in Hebræo טנא. Eâdem voce Græcâ reddunt סל reſpondens illi Chaldæo סלא Ierem. vi. 9. At alibi κανοῦν [*caniſtrum*], ut dicto loco Gen. xl. Exod. xxix. 3. 23. Levit viii. 2. 25. 31. Num. vi. 15. 17. 19. Iud. vi. 9. Ἀποθῆκαι [*apothecæ*] quod hîc habent Lxx, nomen eſt generis.

22. *Et frigore*] Sic & Lxx ῥίγει. At Hebræum planè contrarium ſonat: venit enim à verbo דלק, quod eſt *incendere*: unde febrim hîc interpretatur Kimchi. Græcum καύσων, quod febris eſt genus, optimè Hebræo reſpondet. At vox præcedens קדחת à verbo paris ſignificatûs veniens, hic quidem πυρετὸς, & Latino *febris*; at Levit. xxvi. 18. ἴκτερος [*aurugo*] vertitur, ubi generale nomen *ardoris* poſuit Latinus.

33. *Fructus terræ & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras*] Virgilius Eclog. 1.

Impius hæc tam culta novalia miles habebit,
Barbarus has ſegetes.

36. *Et regem tuum*] Vide ii Reg. xxv. Ierem. xxxix. & lii.

48. *Servies inimico tuo in fame, & ſiti, & nuditate, & omni penuria*] Hæc per Chaldæos eis contigiſſe, & quidem in pœnam idololatriæ, oſtendit Ieremias v. 15. 16. 17. 18. 19. & totis Threnis. Notant autem ex Prophetis Hebræi eſſe certas pœnas certis peccatis velut proprias: Famem ex ſiccitate, ob decimas non æqualiter perſolutas, & falſa teſtimonia: famem ex tumultu, ubi ſaturi decimas non ſolvunt: peſtilentiam, ubi non interficiuntur qui debent, aut negliguntur pauperes: malas beſtias ob perjuria & blaſphemias: exſilium & captivitatem ob idololatriam, Venerem illicitam, effuſionem injuſtam ſanguinis, violationem anni ſabbatici.

57. *Et illuvie ſecundarum*] Græci, τὸ χόριον αὐτῆς [*fœtum ſuum*]. Sic & Rabbi Solomo בנים קטנים [*parvos filios*]. Idem viſum Chaldæo.

Comedent enim eos] Implementum vide Thren. iv. 10. & confer ii Reg. vi. 28. & quæ apud Ioſephum in obſidione Hieroſolymitana.

66. *Erit vita tua quaſi pendens*] Quaſi à filo pendens, ut & Latini loquuntur.

Et non credes vitæ tuæ] Non eris certus vitæ tuæ. Ita enim optimè verti poteſt תאמין [*confides*]. Hoc eſt quod ἀστατεῖν [*jactari*] dixit Paulus 1 Cor. iv. 11. in continuis periculis & anxietate jactari.

68. *Reducet te Dominus claſſibus in Ægyptum*] Sub ſucceſſoribus Alexandri ingens Iudæorum multitudo immigravit Alexandriam. Hecatæus: Οὐκ ὀλίγαι δὲ (μυριάδες Ἰουδαίων) καὶ μετὰ τὸν Ἀλεξάνδρου θάνατον εἰς Αἴγυπτον καὶ Φοινίκην μετέστησαν διὰ τὴν ἐν Συρίᾳ στάσιν [*Non pauca Iudæorum millia poſt Alexandri mortem in Ægyptum & Phœnicen immigrarunt, ob ortas in Syria ſeditiones*]. Meminêre & Philo in Flaccum, &

Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ XII. 2. 3. XIII. 4. 5. 6. 7. 8. XIV. 17. XVIII. 10.

CAPVT XXIX.

4. N*On dedit vobis Dominus cor intelligens*] Id eſt, non accepiſtis. Sic *datum* in Iure ſæpè intelligitur quod & acceptum eſt. Sic Maimonides hîc interpretatur. Sic vox *dandi* ſumitur & II Tim. II. 25. Sic ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς [*implevit Satanas*] pro *ſiviſti impleri à Satana*, Act. v. 3. Sic multa verba ſumuntur eo ſignificatu qui non propoſitum tantùm & vim efficiendi, ſed & eventum includant, ut, *revelare* Eſai. LIII. 1. *dare* Ioan. VI. 39. *mittere* Matth. x. 34.

5. *Adduxit vos*] In Hebræo eſt, *adduxi vos*, mutatâ perſonâ. Subauditur enim, *ait Dominus*, ut Eſaiæ LIII. & alibi ſæpè.

15. *Cunctis præſentibus, & abſentibus*] Id eſt, cum iis qui nati ſunt, & qui naſcentur. Fedus enim eſt ad gentem totam pertinens. Sic dicunt Reges ſe dare feuda huic & poſteris ejus, qui nondum nati ſunt. neque tamen cùm hoc agunt προΰπαρξιν [*præexiſtentiam*] credunt animarum, quam ex hoc loco adſtruere laborant Iudæi.

18. *A Domino Deo noſtro*] In unum Deum fides, fundamentum veræ pietatis & concordiæ. Ideo Iacobus ſolitus ſæpè interrogare familiam ſuam, an ſecum crederent unum Deum. memorat Maimonides.

Radix germinans fel & amaritudinem] ῥίζα ἄνω φύουσα ἐν χολῇ ϗ πικρίᾳ [*radix supernè germinans in felle & amaritie*], Græci; unde ſumta verba ad Hebr. XII. 15. Pro χολὴν ϗ πικρίαν [*felle & amaritie*] dixit Lucas χολὴν πικρίας [*fel amaritudinis*], Act. VIII. 23. Eſt enim alterum alterius ἐξήγησις [*explicatio*]. *Radix* eſt cogitatio, ut hîc rectè Chaldæus; *amarities fellea*, opera mala.

19. *Et abſumat ebria ſitientem*] In Hebræo: *ut addat ebriam ſitienti*: id eſt, *ebria ſobriam ſecum trahat ad ſaltandum*: quo allegoricè indicantur vitanda, quamvis levia malorum initia, ne ſemper longiùs ſerpant. Sic Latini dicunt, *Vara vibiam*. Hebræi quidam *ſitientem* interpretantur intellectum malè irrigatum, *ebriam* verò partem concupiſcentem.

23. *Nec virens quippiam germinet, in exemplum ſubverſionis Sodomæ & Gomorræ*] De quibus locis Tacitus: *terram ſpecie torridam vim frugiferam perdidiſſe.* Vide & quæ ſequuntur, & Solinum.

28. *Et ejecit eos*] Disjecit eos ob violatum fedus: ſicut pecus disjicitur inter quam medii incedunt qui fedus faciunt, Geneſ. XV. 10. Vide quæ ad Matth. XXVI. 28.

29. *Abſcondita, Domino Deo noſtro: manifeſta ſunt nobis & filiis noſtris*] Aptior ſenſus in Hebræo: *Abſcondita Domino Deo noſtro & revelata nobis.* quæ antè penes ſe retinuerat Deus illa nobis patefecit, ut haberemus normam ad quam componeremus vitam.

CAPVT XXX.

6. E*T circumcidet Deus cor tuum, & cor ſeminis ad diligendum Dominum Deum tuum*] Beneficiorum ſcilicet incredibilium magnitudine, quod & aliquamdiu effectum ſuum habuit Zorobabelis tempore & temporibus proximis, quæ rudimenta erant ad Euangelium: ne quis cum Iudæis quibusdam hæc pertinere putet ad ſæcula poſt reſurrectionem. Bachai refert ad tempus Meſſiæ.

12. *Nec in cælo ſitum*] Ad hanc ſapientiam conſequendam nihil opus eſt Aſtrologiâ, qualem requirebant Magi & Chaldæi.

13. *Neque trans mare poſitum*] Non opus eſt ejus adipiſcendæ causâ adire gentes longinquas, ut Ægyptii & Phœnices facere ſolebant.

CAPVT XXXI.

2. E*Gredi & ingredi*] Id eſt, fungi Ducis munere.

6. *Confortamini*] Hebræum, *roborate vos.* Obedientia Dei auxilium impetrat.

9. *Tradidit eam ſacerdotibus filiis Levi*] Vt convocarent populum & Legem docerent; archetypum autem ſervarent in Sanctuario, infrà 28. Ioſuæ XXIV. 26.

Et cunctis ſenioribus Iſraël] Magiſtratibus, ut pœnis coërcerent malè obſequentes, & ut exemplo præirent. Rex ipſe ſolitus Legem prælegere populo, non in ea parte in qua erant Sacerdotes, ſed in ſubdiali.

12. *Et in unum omni populo congregato*] Hæc eſt inſtitutio Synagogarum.

6. *Conſurgens fornicabitur poſt deos alienos*] Bene Rabbini hîc præſcientiæ Divinæ teſtimonium notant: in qua multa eſſe non niſi ſapientibus ſcrutanda, ait Maimonides.

26. *In latere arcæ*] Ionathan בקופסא, id eſt, *in capſa.* Vox enim hæc ut multæ aliæ, ex Latino ſermone in Hebræum devênit.

CAPVT XXXII.

1. A*Vdite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei*] Teſtes advocat ſemper manſuros, & eos per quos Deus judicia ſua erat exſecuturus. Vide ſuprà IV. 26. XXVIII. 12. & 23. Æneas apud Virgilium libro XII.

Eſto nunc ſol teſtis & hæc mihi terra precanti.

Deinde Latinus:

Hæc eadem, Ænea, terram, mare, ſidera juro.

2. *Concreſcat ut pluvia*] legit יערף ut Maſoretæ. At Chaldæus & Græci, יערב *grata ſit*, προσδοκάσθω [*exſpectetur*]. Alibi id verbum vertunt ἐκδέχεσθαι, ἡδὺ γίνεσθαι, ἀρέσκειν [*ſuſcipi, dulceſcere, placere.*]

5. *Peccaverunt*] ἡμάρτησαν. Explicatio eſt Hebræi, *corruperunt ſibi*, ſupple *viam ſuam.* Id eximiè de idolorum cultu dicitur.

8. *Conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſraël*] Tam longè eos diſperſit, ut nuſquam tam multi eſſent quin Iſraëlitæ illis poſſint prævalere. LXX pro ישראל [*Iſraël*] tribus literis omiſſis legêre אל [*Dei*], & indè Chriſtiani materiam ſumſêre multa incerta diſſerendi de Angelis, quos hîc *filios Dei* dici arbitrabantur.

10. *Invenit eum in terra deſerta*] Sic & Aquila &

Theodotio; at Lxx αὐτάρκησεν αὐτὸν [ſatis ei dedit], quæ altera eſt vocis מצא interpretatio, unde & per ἀρέσκειν [placere] vertitur Iud. XXI. 14.

15. *Incraſſatus eſt dilectus*] Pro *dilecto* in Hebræo eſt, ישרון [*Iſron*], quod diminutivum eſt curtatum ex ישראל [*Iſraël*], quomodo infantes alloqui ſolemus. ſic & XXXIII. 5. & 26.

17. *Immolaverunt dæmoniis*] שרים Hebræis eſſe dicuntur dæmones ἔνυδροι [*aquatici*].

21. *In eo qui non eſt populus*] Iuris conſociatio populum facit. Eo nomine indigna multitudo, quæ aut nullas aut malas habet leges.

22. *Vſque ad inferni noviſſima*] Flamma non ædificia & ſolum tantùm, ſed & penetralia terræ peruret. Accepto loco in ſenſum reconditum ſumſere hinc Hebræi nomen שאול תחתית [*Infernum inferiorem*], quo graviſſimarum poſt hanc vitam pœnarum regionem aut ſtatum appellant. Sic etiam myſticè interpretantur *ultionem*, cujus mentio infrà 35. & oppoſitam ei *vitam* 47. Pari ſenſu dicunt hoc canticum eſſe fundamentum & perfectionem Legis.

26. *Dixit, ubinam ſunt*] Rectiùs Græci, διασπερῶ αὐτοὺς [*disjiciam eos*]. quomodo & Abeneſdra interpretatur. Et hinc dictæ Iſraëlitarum διασποραὶ [*diſperſiones*] in Babylonia, Media, Ægypto, Græcia, & alibi. Verbum eſt deductum ab *angulo*, quaſi dicat, *In omnes angulos disjiciam.*

29. *Vtinam ſaperent & intelligerent*] Propriè, *intelligere facerent*, ſupple *ſeſe*. Ideo Aquila vertit ὄφελον συνετίσθησαν [*utinam prudentes fiant*], quâ voce & Lxx alibi hoc Hebræum exprimunt.

36. *Videbit quòd infirmata ſit manus*] Ad verbum, *abierit manus.* Eſt enim vox Syriaca quæ apparet Dan. II. 17. VI. 18. Eſdræ IV. 23. V. 8. 15. Senſus eſt, cùm videbit vires illis ademtas eſſe.

Clauſi] Id eſt, captivi.

Reſidui [Qui captivitatem evaſerint.

43. *Laudate*] Eſt in Hiphil. Ideo Aquila vertit, αἰνοποιήσατε [*laudificate.*]

47. *Vt ſinguli in eis viverent*] Vitâ illâ quæ in Lege promiſſa eſt, longâ ac ſuavi.

CAPVT XXXIII.

3. O*Mnes ſancti*] Sic vocantur Iſraëlitæ etiam in Daniele VII. 25. Vide ſuprà Exod. XIX. 6. Num. XVI. 3.

Et qui appropinquant pedibus ejus] In Hebræo: *Ipſi juncti ſunt ad pedem tuum:* id eſt, diſcipuli tui ſunt. Mos enim diſcipulorum ſedere inter pedes magiſtri. Philo: Νέοι ὑπὸ πρεσβυτέροις καθέζονται [*juvenes ſub ſenioribus ſedent*]. Adde Act. XXII. 3. Sequitur explicatio: *accipient de eloquiis tuis.*

5. *Rex*] Non quidem nomine & pompâ, ſed jure Regio populum gubernavit. Vide quæ dicta ſuprà XVII. 9.

6. *Vivat Ruben & non moriatur, & ſit parvus numero*] Vtcunque decreſcat ejus tribûs multitudo, numquam tamen ea tribus tota interibit.

9. *Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ, Neſcio vos*] Vide ad hanc rem pertinentia lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XXVI. §. 3. & in Annotatis ad eum locum.

12. *Amantiſſimus Domini habitabit*] Imò *dilectiſſimus Domino*, ἠγαπημένος ὑπὸ Κυρίου κατασκηνώσει πεποιθώς [*dilectus à Domino habitabit cum fiducia*]. Quæ verò ſequuntur explicant Græci additâ voce Θεὸς [*Deus*]. Significatur Benjaminis habitatio firma, Hieroſolymis ſcilicet, & Sanctuarium in ejus parte. Vide Geneſ. XLIX. 27.

Quaſi in thalamo tota die morabitur] Legit non חפף [*texit*], ſed חפה. At Græci legerunt ut Maſoritæ: ὁ θεὸς σκιάζει ἐπ᾽ αὐτῷ πάσας τὰς ἡμέρας [*Deus obumbrabit eum per omnes dies.*]

14. *De pomis fructuum Solis ac Lunæ*] Principia generationis, Sol calore, Luna madore.

17. *Cornua rhinocerotis*] At Græci, κέρατα μονοκέρωτος τὰ κέρατα αὐτοῦ [*cornua monocerotis cornua ejus*]. Et ità ſemper vertunt Græci. Aliud eſſe animal rhinocerota, aliud monocerota oſtenſum multis. Monoceroti *cornu mediâ fronte cubitorum duûm eminet*, Plin. VIII. 21. Bos Ioſephi inſigne, Geneſ. XLIX. 6. Sed bos ita validus ut unumquodque ejus cornu æquet cornu monocerotis. Et Syris & Arabibus רים *monoceros.*

19. *Populos vocabunt ad montem: ibi immolabunt victimas juſtitiæ*] Exemplo ſuo præibunt cæteris, victimas ad templum liberaliter adferendo.

Inundationem maris quaſi lac ſugent] In Hebræo: *affluentiam marium ſugent:* id eſt, Zabulon & Iſachar *ex maris copia diteſcent.* Græci, πλοῦτος θαλάσσης θηλάσει σε [*opulentia maris lactabit te.*]

20. *Benedictus in latitudine Gad: quaſi leo requievit*] Vide 1 Paralipomen. V. 18. & ſequentibus.

23. *Nephthali abundantia perfruetur*] Symmachus ad Hebræum expreſſiùs, πλησμονὴ εὐδοκίας [*plenitudo benedictionis*]. Idem eſt cum eo quod ſequitur, *plenus benedictione.* Amant enim Hebræi oſtentare verborum copiam in lingua ſatìs inope.

25. *Ferrum & æs calceamentum ejus*] Portio Aſeris proxima Sidoni, quæ πολύχαλκος [*æris dives*] Homero.

Sicut dies juventutis tuæ, ita & ſenectus tua] Sumſit nempe רבא pro זבא à זוב, quod eſt *fluo.* dies fluxûs ſunt ſenectus. Græci, ὡς αἱ ἡμέραι σου ἡ ἰσχύς σου [*ſicut dies tui, ita robur tuum*], id eſt, quo diutiùs durabit tribus iſta, eò fiet valentior. Congruit hoc Hebræo quod habemus. Alii legerunt רבריך *fama tua.* Alii רבעך pro זבעך *colores tui.* Optima eſt interpretatio Græca.

27. *Habitaculum ejus ſurſum*] Verus ſenſus eſt: *Refugium ejus Deus æternus.* מענה σκεπάσει σε [*obteget*], benè Græci: nam & alibi nomen מעון, ſive מענה vertunt καταφυγὼ [*perfugium*]. אלהי קדם, non Θεοῦ ἀρχὴ, ſed Θεὸς ἀρχῆς [*Deus initii*], quomodo fortè ſcripſerunt Lxx. Vox קדם [*ab initio*] vertitur πρὸ αἰώνων [*ante ſecula*] Pſal. LV. 20. & alibi: nam Hebræi vocem propriam non habent, qua æternitatem exprimant: itaque tranſlatione aut circumlocutione utuntur. Sic Deus dicitur עתיק יומין [*Senex dierum*] Dan. VII. multáque ſunt alia ad eam formam.

29. *Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis*] In Hebræo: *Mentientur tibi:* id eſt, ſi populi ſubacti fidem fallant, edomabis eos.

CAPVT XXXIV.

6. ET *ſepelivit eum*] Operâ Angelorum quorum princeps Michaël: idque ne Iudæi aliquando tanti viri reliquiis ſuperſtitioſum cultum deferrent.

7. *Moſes centum & viginti annorum erat*] Vide quæ dicta ſuprà Geneſ. vi. 3.

8. *Triginta diebus*] Quot dies etiam Aaronis & Mariammes luctui impenſos narrat Ioſephus. In luctu ſuper communis ſortis hominibus ſufficiebant dies ſeptem. Sirachides xxii. 13. Ioſephus fine ſexti Antiquæ Hiſtoriæ, Ammianus Marcellinus lib. xix.

Dies planctûs] Triginta; Ioſephus.

AD IOSVEN.

CAPVT I.

1. AD *Ioſue filium Nun*] Quomodo nomen יהושע [*Iehoſua*] Græcè mutatum ſit in Ἰησοῦς [*Ieſus*], vide quæ ad primum caput Matthæi diximus. Patris nomen Ναυῆ [*Nave*] videtur ſcribarum eſſe vitium pro Ναυῶ [*Naun*]. Fuit Ioſue ad belli imperium peridoneus, ingenio ſollers, fortis animo, Moſe ſeverior. Huic ſiquis ex aliis gentibus comparandus ſit, ſalvo pietatis & divini afflatûs diſcrimine, ſumam Catonem majorem.

3. *Omnem locum quem calcaverit veſtigium pedis veſtri, vobis tradam*] Sicut in rebus quæ nullius ſunt poſſeſſio jus dat, ita hîc, quia pro nullis habendi quos Deus pœnæ damnavit. Vide Deuteron. xi. 24.

4. *Fluvium magnum Euphraten*] Vide quæ ad Geneſin ii. 14.

7. *Et facias omnem legem, quam præcepit tibi Moſes*] Quæ lex manere debebat ad Magnum uſque Iubilæum, id eſt, ad tempora Meſſiæ.

9. *Ecce præcipio tibi, Confortare*] Οἱ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ πάντων [*Leges de omnibus rebus edicunt*], ait Ariſtoteles de Moribus v. cap. iii. Etiam de fortitudine, τὰ τοῦ ἀνδρείου ἔργα ποιεῖν, οἷον μὴ λείπειν τὴν τάξιν, μηδὲ φεύγειν, μηδὲ ῥίπτειν τὰ ὅπλα [*facere ea quæ ſunt viri fortis, ut non deſerere aciem, non fugere, non projicere arma*], ut idem adjicit.

14. *Vos autem tranſite armati ante fratres veſtros*] Inter cives omnes ut juris, ita & armorum eſt ſocietas. Verba autem hæc Moſis non reperiuntur alibi, ſed ſenſus eſt Num. xxxii. 6.

17. *Tantum ſit Dominus Deus tuus tecum*] De nobis ne ſis ſollicitus, Deus modò tibi faveat, omnia ſe bene habebunt. Optantium hoc eſt, non, ut quidam putant, reſtipulantium. Locutio hæc, *Dominus ſit tecum*, quid valeat videbis Iudicum vi. 12. Ruth. ii. 4. Ierem. i. 8. Malach. xxviii. in fine Act. xviii. 10.

18. *Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis ſermonibus quos præceperis ei, moriatur*] *Contradixerit aut non obedierit*, nempe contumaciter. Hæc eſt lex Regis Hebræorum: nam Rex à Principe apud ipſos, ut alibi diximus, pompâ, ſatellitio & opibus diſtinguebatur, pari de cætero jure. Qui ex hac lege damnatur, dicitur apud Hebræos damnari *cauſâ Regni*, ſicut apud Romanos *Majeſtatis*, apud Græcoromanos καθοσιώσεως. In hoc uno crimine bona confiſcabantur, ut bona Saulis poſterorum, Davidis tempore ii Sam. ix. 7. & hoc obtentu, quanquam falſo, uſi Iudices in Nabuthem i Reg. xxi. 14. 15. Mirum verò de hoc crimine ad Regum injuriam pertinente, tam Reges per præventionem, ut in foro loquuntur, quàm publicos Iudices judicaſſe: ut apparet iii Reg. ii. 29. 30. 31. 33. 34. & ibi notatur à Levi Bengerſon & Davide Kimchi. Tanta fuit Hebræorum de Regum ſuorum probitate exiſtimatio.

CAPVT II.

1. MIſit igitur] *Miſerat*. Ità facilè conciliantur loca, ſuprà i. ii. & hîc infrà 22.

Exploratores] Exploratio, ut hîc & Num. xiii. receptatio hoſtium, ut mox 4. conſiliorum hoſtilium nuntiatio, ut ii Sam. xvii. 5. res ſunt odioſæ, & ſi deprehendantur gravibus pœnis obnoxiæ, non improbæ tamen adversùs hoſtes Dei, aut ejus qui à Deo unctus eſt: cum talibus enim nulla eſt juris gentium communio. Itaque receptatio quæ jam ſequitur celebratur ut actus fidei, Hebr. xi. 31. animi ſcilicet πολυθεΐαν [*deorum multitudinem*] abdicantis ob audita miracula. Vide mox 9. 10. 11.

Meretricis] Quod vitæ genus eo tempore apud illas gentes vile magis quàm flagitioſum habebatur: cùm longè alia fuiſſet Hebræorum etiam ante Legem diſciplina, Geneſ. xxxviii. 24. Rahabæ non malè Aſpaſiam compares, quæ ex meretrice ad magnam potentiam venit: poſterioribus autem ſeculis Theodoram, nuptam Iuſtiniano. Videtur autem Rahab habitaſſe Ierichunte: ſed non fuiſſe ex ſeptem populis: quia nupta fuit Salmoni Hebræo, ut apud Matthæum habemus, imò & antè ipſi Ioſuæ, ut volunt Hebræi.

4. *Neſciebam unde eſſent: cúmque porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt*] Ante Euangelium mendacium viris bonis ſalutare culpæ non ducebatur. Vide quæ collegimus de Iure Belli ac Pacis libro iii. cap. i. §. xvi. & in Annotatis. Laudatur hoc factum ut illi tempori congruens, tum dicto ad Hebræos loco, tum Iac. ii. 25.

12. *Iurate mihi*] In talibus quæ publicum ſtatum non violant miſſi à populo populum obſtringunt. Quare & ſervata hæc eſt fides, infrà vi. 25. & Matth. i. 5. ſimilem hiſtoriam vide Iud. i. 25.

17. *Innoxii erimus à juramento hoc quo adjuraſti nos*] *Cujus verba nobis præiviſti*, ᾧ ὥρκισας ἡμᾶς, Theodotion. Vide quæ ad Levit. v. 1. & Matth. xxvi. 63. Innoxii erimus, niſi ea quæ jam ſequentur pactā

incontinenti adjecta præſtes. Similis illa exceptio Pyladæ in Taurica Iphigenea Euripidis:

Ἐξαίρετόν μοι δὸς τόδ᾽, ἢν τι ναῦς πάθῃ,
Χ᾽ ἡ δέλτος ἐν κλύδωνι χρημάτων μετὰ
Ἀφανὴς γένηται, σῶμα δ᾽ ἐκδώσω μόνον,
Τὸν ὅρκον εἶναι τόνδε μηκέτ᾽ ἔμπεδον.
[*Vnum mihi concede, ſi fracta rate*
Hæc charta pereat reſque vi ſævâ maris,
Corpuſque ſolum incolume ſervetur mihi,
Iurata nè me teneat obſtrictum fides.]

19. *Qui oſtium domûs tuæ egreſſus fuerit, ſanguis ipſius erit in caput ejus*] Iure belli cadunt qui in urbe capta à reſiſtentibus ſe non abjungunt.

CAPVT III.

4. *Sitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duûm millium*] Confer Num. 11.2. Cùm è caſtris ad arcam ſabbatis maximè iri deberet, hinc ſumsêre argumentum ſapientes definiendi iter ſabbati, in ipſa Lege non definitum. Inter labores ſunt magna itinera, quæ non permitti ſabbato ſatis conſtabat, Matth. xxiv. 20. Ovidius:

——— *invitos currere coge pedes.*
Nec pluvias opta: nec te peregrina morentur
Sabbata.

Omnem egreſſum vetare, durum fuerat: nec eum ſenſum eſſe legis de ſabbato, ex hac lege conſtabat. Vide Act. 1. 12.

7. *Incipiam exaltare te coram omni Iſraele*] A Moſis temporibus ad Saulis tempora, Deus aut miraculis aut factis humanam ſpem excedentibus monſtrabat, quos Principes eſſe populi ſui vellet. Vide infrà iv. 14. & paſſim in Iudicum libro.

16. *Steterunt aquæ*] Quidni Deo facile quod Magis tribui ſolet? Ovidius:

Inque caput liquidas arte recurvat aquas.

Lucanus:

——— *de rupe pependit*
Abſciſsâ fixus torrens, amniſque cucurrit
Non quà pronus erat.

In mare ſolitudinis] *Mare campeſtre* potiùs, quòd camporum in locum ſucceſſit. Nam ערבה ἄραβα, quod hîc ponitur, loca ſignificat plana, πεδινὴν ἀοίκητον [*terram campeſtrem non habitatam*] Aquilæ, non tamen ſterilia: in iis enim pabulum naſcitur, quod μίγμα [*miſcellum*] dicitur.

CAPVT IV.

5. *Singuli ſingulos lapides*] De hoc genere monumentorum vide Geneſ. xxxi. 46. & infrà 21.

11. *Tranſivit & arca Domini, Sacerdoteſque pergebant ante populum*] Id eſt, poſt tranſitum Iordanem Arca & Sacerdotes in primo fuerunt agmine, non in medio agmine, ut in deſerto.

13. *Incedebant*] In Hebræo additur, *coram Domino*, id eſt, *Arca*.

25. *Vt diſcant omnes terrarum populi*] Dubitari non debet, quin vehementer perculſæ fuerint vicinæ gentes auditis oſtentis quæ contigerant in Ægypto, in exitu, in deſerto, & in terræ introitu. Vide Iob. xii. in fine.

CAPVT V.

3. *Circumcidit filios Iſrael*] Boni principis eſt ritus intermiſſos revocare. Vide ii Reg. xxiii.

7. *Horum filii in locum ſucceſſerunt patrum*] Adepti ſunt ea promiſſa quibus patres exciderant.

8. *Donec ſanarentur*] Vide Geneſ. xxxiv. 25. μετὰ χαλεπῶν ἀλγηδόνων [*cum gravibus doloribus*], Philo περὶ περιτομῆς [*de Circumciſione*].

12. *Defecitque manna*] *Ceſſant extraordinaria ubi ordinariis locus eſt*, ajunt Iuriſconſulti.

13. *In agro urbis Iericho*] Bene explicavit quod in Hebræo eſt, *in Iericho*, id eſt, apud Iericho. Sic Lucæ xiii. 33.

14. *Sum princeps exercitûs Domini*] Michaël, Dan. xii. 1.

CAPVT VI.

2. *Dixitque Dominus*] Per Angelum.

5. *Conclamabit omnis populus*] Is clamor ἀλαλαγμὸς Græcis, *barritus* Vegetio & Tacito.

17. *Sitque civitas hæc anathema*] Ex voto: ſicut ex Lege punitur civitas à Deo deficiens, Deuter. xiii. 12. & ſequentibus.

20. *Muri illico corruerunt*] Sponte, quod alioqui magnâ vi oppugnantium quæri ſolet: nec ex parte, ſed undique facta ruina, ultimum urbibus malum.

Et aſcendit unuſquiſque per locum qui contra ſe erat] Coronâ factâ.

23. *Et extra caſtra Iſrael manere fecerunt*] Donec ſcilicet Rahab & feminæ per baptiſmum, mares de domo ejus per circumciſionem populo aggregarentur.

25. *Et habitaverunt in medio Iſrael uſque in præſentem diem*] Simile ſuprà iv. 9. A Ioſua hoc, an ab Eſdra additum?

26. *Maledictus vir coram Domino qui ſuſcitaverit & ædificaverit civitatem Iericho*] Nempe ut tam celebris victoriæ memoria ſemper in conſpectu eſſet. Hoc καταρᾶσθαι [*devovere*] dicunt Græci. Strabo libro xiii. de Ilio: Εἴπε καὶ κατηρασμένου τοῦ Ἀγαμέμνονος κατὰ παλαιὸν ἔθος, καθάπερ καὶ ὁ Κροῖσος ἐξελὼν τὴν Σιδήνην εἰς ἣν ὁ τύραννος κατέφυγε Γλαυκίας, ἀρὰς ἔθετο κατὰ τῶν τειχούντων πάλιν τὸν τόπον [*Fortè etiam quòd eam urbem devoviſſet Agamemnon ex more veteri, quomodo & Cræſus, cùm Sidenen cepiſſet, in quam tyrannus confugerat Glaucias, diras conſtituit in eum qui id oppidum rurſus ædificaret*]. Appianus Civilium primo: Οἱ δὲ τῇ ἀποικίᾳ τὴν πόλιν διέγραφον, ἔνθα ποτὲ ἦν ἡ Καρχηδονίων· οὐδὲν φροντίσαντες ὅτι Σκιπίων αὐτὴν ὅτε κατέσκαπτεν, ἐπηράσατο εἰσαεὶ μηλόβοτον εἶναι [*Illi verò coloniam fecere eo in loco ubi urbs Carthaginenſium fuerat, non curantes quòd cùm eam urbem dirueret Scipio, locum ſolitudini paſcuæ devoverat*]. Ioſuæ autem diras ratas Deus habuit, ut apparet 1 Reg. xvi. 34.

CAPVT VII.

1. *Filii autem Iſrael prævaricati ſunt mandatum*] Ex crimine unius in Deum commiſſo tenetur populus donec punierit. Sic apud Virgilium exuritur claſſis Achiva

Vnius ob noxam & furias Ajacis Oïlei.

nempe quia cùm Caſſandram Ajax raperet,

Οὐδὲν γ' Ἀχαιῶν ἔπαθεν, οὐδ' ἤκουσ' ὕπο,

[*Nilque audiit, nil paſſus à Græcis mali eſt,*]

ut Euripides loquitur.

10. *Surge, cur jaces pronus in terra*] Nullus hîc deprecandi locus: neque niſi pœnâ ſontis expiari populus poteſt.

15. *Comburetur igni*] Hominibus priùs lapidatis, infrà 25.

19. *Fili da gloriam Domino Deo Iſrael*] Videtur hinc rectè colligi ſpes aliqua de animorum permanſione poſt mortem. Quâ enim aliâ ſpe adductus hic homo eſt ut crimen capitale fateretur? Eſt autem ſententia Iudæorum, confeſſione & morte criminum talium veniam à Deo impetrari. Formulam hîc habèmus examinis reorum. Sic & teſtes interrogabantur. Vide quæ notata ad Ioan. IX. 24.

21. *Pallium coccineum*] In Hebræo: אדרת שנער, id eſt, *pallium Babylonicum.* nam שנער *Babylonia.* Vide Geneſ. XI. 2. Σεναὰρ τῆς Βαβυλωνίας [*Senaar Babyloniæ*] apud Hiſtiæum Mileſium, *Singara* Ptolemæo & Plinio, *Singarana* Sexto Rufo. *Colores diverſos picturæ intexere Babylon maximè celebravit, & nomen impoſuit,* ait Plinius libro VIII. c. 48. Hinc *Babylonica* etiam Poëtis.

Et concupiſcens abſtuli] Bene. nam ἡ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα τίκτει ἁμαρτίαν [*concupiſcentia ubi concepit parit peccatum*] Iac. I. 15.

24. *Filias quoque & filios ejus*] Poteſt exponi eos adductos ut cum omni populo ſimul ab Ioſua erudirentur, monerentúrque ſibi à talibus cavere; non ut interficerentur cum patre. Qui ſic ſentiunt, id quod ſequitur *lapidarunt eos* (ità enim habet textus Hebræus, non *eum*) intelligunt de Achane & jumentis ejus.

25. *Quia turbaſti nos*] Eſt in Hebræo alluſio vicinarum vocum עכן [*Achan*] & עכר [*Achar* id eſt *turbare*] Ab hoc dicto Ioſuæ locus nomen accepit.

26. *Acervum magnum lapidum*] ταφὴν ἄτιμον [*ſepulchrum inhonorum*] ut hîc loquitur Ioſephus.

CAPVT VIII.

2. P*One inſidias*] Nam

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Vide quæ dicta nobis libro de Iure Belli ac Pacis tertio, cap. I. §. 6. & ſequentibus.

12. *Bethel*] Sic & Hebræi libri quibus utimur. At Orientales libri בית און [*Beth-aven*], & Græci quidam codices Βηθαυῶν, quod nomen probri loco datum Betheli ex quo profanis ritibus ſerviit. Ideo ubi in Oſea LIV. 15. eſt in textu בית און [*Beth-aven* vel *Beth-on*] Ionathan poſuit *Bethel*, quam expoſitionem firmat Amoſus V. 5.

Ex Occidentali parte ejuſdem civitatis] Ex Hebræo quo utimur, in quo לעיר [*urbis*]. At Orientales codices לעי [*Hai* vel *Gai*] ut ſuprà 9. Sic & Græci, ἀπὸ τῆς θαλάσσης τῆς Γαὶ [*à mari Gai*]. nec aliter hîc Chaldæus.

13. *Et ſtetit in vallis medio*] Meditandi & precandi causâ, vt videtur, extra caſtra, quæ in eadem valle erant, progreſſus. Vide Geneſ. XXIV. 62.

18. *Leva clypeum*] ἀσπίδα Ioſephus hîc, & Symmachus. Et certè videtur ea eſſe propria vocis כידון ſignificatio ex loco 1 Sam. XVII. 6. & Ierem. VI. 23. Alii tamen vertunt γαισὸν [*gæſum*], & explicant quidam ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον [*telum ex ſolido ferro*], aut κόντιον [*contum*].

23. *Apprehenderunt viventem & obtulerunt Ioſue*] Mos populorum eſt ut Rex captus cedat Regi aut duci exercitûs, qui præmium perſolvit captoribus: imò & ſupellex Regis victi victori cedebat, ut notant Thalmudiſtæ titulo de Rege. Vide quæ ad hanc rem adducta de Iure Belli ac Pacis libro III. cap. VI. §. 24.

25. *A viro uſque ad mulierem*] Non uſitatum id, niſi in pœnam magnæ impietatis. Num. XXXI. 15.

28. *Fecit eam tumulum*] In loco ubi urbs fuerat lapidum congeriem poſuit.

29. *Regem quoque ejus ſuſpendit in patibulum*] Interfectum priùs. Neque enim ſuſpenſio pœna ibi erat, ſed corpora eum in modum oſtentui exponebantur, ut dictum ad Deuteron. XXI. 22. ſic etiam interpretare quæ infrà X. 26.

30. *Altare Domino*] Tunc quidem in ſacrificii uſus, in poſterum verò monumenti causâ, ut infrà XXII. 22. & ſequentibus.

32. *Et ſcripſit ſuper lapides Deuteronomium legis Moyſi*] Imò *exemplum Legis*, quomodo vox משנה ſumitur Deuter. XVII. 18. *Legem* verò hîc intellige id quod Legis præcipuum eſt, Decalogum.

33. *Majores natu ducéſque*] זקנים [*Senes*]. *Majores natu* ſive *Senes* ſunt Senatores LXX, γερουσία [*Senatus*] Ioſepho. שטרים, quos hic *duces* vertit, Græci γραμματεῖς [*ſcribas*], ſunt qui Senatui apparebant; שופטים [*Iudices*] hoc loco illi qui millenis & centenis præfecti, minores cauſas dijudicabant, Ioſepho modò φύλαρχοι [*tribuum principes*], modò ἀρχαί [*magiſtratus*].

CAPVT IX.

7. N*E fortè in terra quæ nobis ſorte debetur habitetis*] Fama jam longè pervenerat à Deo terras illas ſeptem populorum Hebræis datas.

Et non poſſimus fedus inire vobiſcum] Nempe fedus ſociale, quo terræ & plena libertas ipſis relinquerentur. Vide de tota hac re quæ diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 4.

11. *Dixerúntque nobis ſeniores & omnes habitatores terræ noſtræ*] Senatoribus προβούλοις [*præconſultantibus*] ſecutus populi conſenſus. Multæ erant eo tempore δημοκρατίαι μετ' ἀριστοκρατίας [*Reſpublicæ mixtæ ex Optimatium & populari ſtatu*].

15. *Pollicitus eſt quòd non occiderentur*] In deditionem eos accepit, ut ſubditi eſſent Iſraëlitis: quod licuiſſet etiam ſi veritas rei fuiſſet cognita. Nihil ergò factum hîc contra Legem. Vide II Sam. XXI. & 1 Reg. IX. 20.

18. *Eò quòd juraſſent eis principes multitudinis*] Eleazarus μετὰ γερουσίας [*cum Senatu*], ut hîc ait Ioſephus, auctore nempe Ioſue ſupra 15. qui vel ſolus jus habuerat in talibus populum obligandi. Cavillari hîc aliqua potuiſſent Hebræi: Sed ut Livii ex libro tertio utar verbis, *Nondum hæc quæ nunc*

tenet ſeculum negligentia Dei venerat, nec interpretando ſibi quiſque jusjurandum & leges aptas faciebat, ſed ſuos potius mores ad eos accommodabat.

23. *Non deficiet de ſtirpe veſtra ligna cædens aquáſque comportans*] Deditos puniendi jus eſt victori, ut ſubditos factos. Si dolus abfuiſſet, ſubditi tantùm manſiſſent, ob dolum operis ſervilibus addicuntur, ut olim à Romanis Bruttii, à quorum ſimilitudine *Brutiani* dicti, qui officia ſervilia Magiſtratibus præſtabant, eò quòd Bruttii Hannibali ſe tradidiſſent, & cum eo perſeveraſſent uſque dum recederet de Italia. Vide Feſtum. Aquam portare, ſervile. Athenæus, Ὁ Ἐπιὸς ὑδροφορεῖ τοῖς Ἀτρείδαις, ὡς καὶ Στησίχορός φησιν· ——— ᾤκτειρε γὰρ αὐτὸν
Ὕδωρ αἰεὶ φορέοντα Διὸς κούρα βασιλεῦσι.
[*Epeus aquam ferebat Atridis, quod & Steſichorus ſignificat:* ——— *quem dea nata Iovis miſerata*
Aſſiduò Grajis portantem Regibus undam.]

C A P V T X.

3. *MIſit ergo Adoniſedec rex Ieruſalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Serimoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon*] Commune periculum cauſam dat federibus. Vide infrà cap. XI. in principio, & epiſtolam Mithridatis ad Regem Arſacem in fragmentis Hiſtoriarum Salluſtii.

6. *Ne trahas manus tuas ab auxilio ſervorum tuorum*] Subditi defendendi. Livius libro VII. *Fides agi viſa, deditos non prodi.*

11. *Dominus miſit ſuper eos lapides magnos*] *Lapides pluit*, ſæpè in hiſtoriis.

13. *Nonne ſcriptum eſt hoc in libro juſtorum?*] Videtur poëma aliquod fuiſſe ἐπινίκιον [*in memoriam victoriæ*], in quo ישראל [*Iſraël*] contractæ ישר [*Iſar*] dicebatur, quaſi cæteris gentibus æquitate præſtans.

Spatio unius diei] Hebræi, *ut in perfecta die:* id eſt, æſtivâ, qualis tunc erat illa illis in locis. Ita Maimonides & Hebræi quos citat Maſius, nullum hìc miraculum agnoſcentes, ſed phraſim poëticam, quaſi Sol exſpectaſſet, donec occidio hoſtium perfecta foret, cùm potiùs Iſraëlitæ non deſtiterint inſiſtere hoſtibus, quamdiu aut Sol aut Luna lumen præbebant: ſicut ſæpè in hiſtoriis inſequendi finem nox adfert. Scriptor ad Hebræos fidei præmia ingentia referens cap. XI. dejectæ Hierichuntis meminit: mutati cœleſtis curſûs, quod multò majus fuerat, non meminit. Et jam ſequetur, *Deum voci hominis ſe accommodaſſe*, non quidem Solem ſiſtendo, ſed pugnando, id eſt, pugnantibus vires & invictum contra labores animum ſubminiſtrando, immittendo præterea lapides pro grandine. Hæc ità non improbabiliter dici poſſunt, quanquam impoſſibile Deo non eſt Solis curſum morari, aut etiam poſt Solis occaſum ſpeciem ejus in nube ſupra horizontem exſtanti per repercuſſum oſtendere.

15. *In caſtra Galgale*] In æſtiva.

17. *Quinque reges latentes in ſpelunca*] *Quidam deſerere vicos & in avia degredi: ac fuere qui ſe ſpeluncis, & cariſſima ſecum abderent.* Tacitus Annalium XIV. in rebus Armeniæ. Vide Iud. VI. 2.

18. *Ad os ſpeluncæ*] *Ora & exitus ſpecuum* dixit Tacitus eodem loco.

19. *Extremos quoſque fugientium cædite*] Id זנב Hebræis, *carpere agmen* Tacito & aliis. καταλαμβάνειν τὴν οὐραγίαν [*deprehendere poſtremum agmen*] Græcis hoc loco.

21. *Vbi tunc erant caſtra*] Stativa ſive ſubitaria.

28. *Et omnes habitatores ejus*] In Hebræo: *Omnem animam quæ in eo:* πᾶν ἐμπνέον [*omne ſpirans*] Græci hìc. Confer ſuprà VI. 21.

C A P V T XI.

10. *INter omnia regna hæc principatum tenebat*] Vbi regna ſunt exigua, ſolet unus Regum deligi, qui belli ductum habeat: quod & in Iapane, Iava, aliiſque locis Orientis fieri teſtantur hiſtoriæ.

13. *Abſque urbibus quæ erant in collibus & tumulis ſitæ, cæteras ſuccendit Iſraël*] *Quia nec teneri ſine valido præſidio: nec id nobis virium erat, quod firmando præſidio & capeſſendo bello divideretur*, ait in re ſimili Tacitus Annal. XIII.

14. *Prædam iſtarum urbium ac jumenta diviſerunt*] Neque enim præceſſerat חרם ἀνάθεμα [*anathema*, ſive *devotatio*].

20. *Domini ſententia erat ut indurarentur corda eorum*] Non immiſit in eos Deus qualem potuit terrorem: imò & prudentiæ multum ademit.

23. *Cepit ergo Ioſue omnem terram*] Debellavit.

C A P V T XII.

1. *HI ſunt reges*] Summa hìc colligitur Regum quos Moſes & Ioſue cis & ultra Iordanem devicerant. *Intra ſuam cuique patriam regna finiebantur*, ait de antiquiſſimis temporibus Iuſtinus. Speciatim autem de his populis Strabo: Τὸ παλαιὸν μὲν οὖν οἱ Ἀράδιοι καθ' αὑτοὺς ἐβασιλεύοντο παραπλησίως, ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων ἑκάστη πόλεων τῶν Φοινικίδων [*Olim igitur Aradii ſeorſim Reges ſuos habebant, quomodo & aliæ urbes Phœniciæ ſingulæ*].

C A P V T XIII.

3. *A Fluvio turbido qui irrigat Ægyptum*] In Hebræo: *à Sichor qui ſupra Ægyptum eſt. Sichor* fluvium quemvis *nigrum*, id eſt turbidum, non liquidum ſignificat. Crediderim indè à Pœnis dictum in Hiſpania *Sicorim*. Nilum hoc nomine vocat Ieremias II. 18. Dionyſius Afer:

Σεῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται· οἱ δὲ Συήνης
Ἐνναέται στρεφθέντι μετ' οὔνομα Νεῖλον ἔθεντο.
[*Æthiopes Sirim vocitant: dixere Syenes*
Indigenæ hunc amnem mutato nomine Nilum.]

Et hinc *Sirio* nomen, quòd eo ſidere moveatur Nilus. At Græci pro שיחור [*Sichor*] videntur legiſſe שאון [*Schaon* id eſt *deſertum*]. Vertunt enim, ἀπὸ τῆς ἀοικήτου τῆς κατὰ πρόσωπον Αἰγύπτου [*à terra non habitata quæ eſt ante Ægyptum*].

Regulos] Satrapas ſub Regibus poſitos: quales alibi סרנים, ut hìc, alibi נשאים, alibi נסיכים vocabantur, ut infrà 21.

Philiſthiim] Terræ modò à noviſſimis poſſeſſoribus, ut hîc, modò ab antiquioribus, ut infrà 22. nominantur.

4. *Ad meridiem verò ſunt Hevæi*] Bene illud והעוים [*Et Hevæi*] trahit ad novam periodum, contrà quàm habet Hebræa diſtinctio, quæ cùm promiſiſſet ſe quinque numeraturam, numerat ſex.

6. *Vniverſique Sidonii*] *Sidon* gentis nomen, antequam urbis, Geneſ. x. 15. *Sidones* Curtio, *Sidonii* Stephano aliiſque.

17. *Heſebon*] Hæc loca communiter data Rubenitis & Gaditis. Vide infrà XXXI. 39.

20. *Aſedoth, Phaſga*] Poſteriorem hanc vocem pro epitheto Azoti accipit Aquila. Vertit enim λαξευτὴν, id eſt, *è lapide munitam.*

CAPVT XIV.

1. *Eleazar ſacerdos & Ioſue filius Nun & principes familiarum*] Vide ſuprà VIII. 33. IX. 15. 18. & infra XIX. 51.

Sorte] Vide quæ dicta ad Numerorum XXXIV.

4. *Suburbana earum ad alenda jumenta & pecora ſua*] Non arva, non vineta, ſed paſcua, eaque ipſa uſui magis quàm fructui.

6. *Locutúſque eſt ad eum Caleb*] Nè nomen bonum non interpellando malum fieret.

7. *Quod mihi verum videbatur*] *Ex animi ſententia,* ut Romani loquebantur.

12. *Et potuero delere eos*] Vult publicâ auctoritate privatis viribus bellum ſuſcipere, ut Romanorum Fabii. Ioſue autem æquum cenſuit ut publica fides publicis opibus liberaretur. Eſt enim hîc ἐπάνοδος [*retrogreſſio*] ad id quod dictum ſuprà x. 36. Vt Caleb, ità Ioſue urbem habuit ἐξαίρετον [*eximiam*], infrà XIX. 50.

17. *Ante vocabatur Cariath-Arbe*] Vide quæ dicta ad Gen. XXIII. 2. & infrà XV. 13.

Adam maximus ibi inter Enacim ſitus eſt] Homo magnus etiam inter gigantes. Verſio hæc quæ nomen proprium pro communi poſuit, mirum quantis fabulis originem dederit. Vide mox XV. 14.

CAPVT XV.

1. *Igitur ſors filiorum Iudæ*] Valde accuratè termini deſcribuntur tribûs Iudæ, ut tribuum principis, ubi futura erat urbs regia, unde Reges, nè quis eos terminos tranſgrediendo popularibus injuriam faceret. Facta autem diviſio non æquali menſurâ, ſed pro eo quod terræ valebant: τιμητοὺς μᾶλλον ἢ μετρητοὺς τοὺς κλήρους [*partes magis ex æſtimatione quàm ex menſura factas*] dixit Ioſephus.

3. *Contra aſcenſum Scorpionis*] Græci עקרבים & hîc & Num. XXXIV.4. vertunt, ut proprium Ἀκραβίν. Sed nomen etiam hoc proprium videtur factum à frequentia ſcorpionum. Vide Deuter. VIII. 15. Eſt pars Idumææ, dicta Ἀκραβαττίνη [*Acrabattina*] ſcriptori Maccabæorum l. I. c. V. 3. Ptolemæus in Meſopotamia ponit *Acrabam.*

8. *Per convallem filii Ennom*] Vnde *Gehennæ* nomen ex ſimilitudine incendii quo pueri necabantur.

13. *Cariath-Arbe*] Non ipſam urbem, ſed agrum. Vrbs enim ipſa Levitarum erat, Ioſ. XXI. 13.

14. *Tres filios Enac*] Reliquias eorum quos Ioſue interfecerat, ſuprà XI. 21.

15. *Cariath-Sepher*] Id eſt, *Civitas literarum.* Chaldæo כרית ארכי *Vrbs bibliothecarum. Gymnaſium Phœnicum* Xenophonti.

16. *Dabo ei Axam filiam meam in uxorem*] Ingens poteſtas patria apud illas gentes in filiarum matrimoniis. Vide Iud. I. 13. I Sam. XVII. 25. Similia in Græcorum hiſtoriis habes de Oenomao, Schœneo, & aliis.

18. *Suſpiravítque ut ſedebat in aſino*] Meliùs alii videntur vertere: *deſcendit de aſino.* Id enim reverentiæ ſignum. Geneſ. XXIV. 64. Vide Valerium Maximum libro II. cap. X. num. 4.

19. *Arentem dediſti mihi*]

Sicca domus queritur nullo ſe rore foveri.

Martialis libro IX. Epigr. 18.

Dedit itaque ei Caleb irriguum] In dotem, neque id ex lege aut more, ſed ex liberalitate, qualem Agamemnon Achilli pollicetur.

21. *Ab extremis partibus filiorum Iuda*] Poſſis vertere, *partim filiorum Iuda:* nam partim erant Simeonis infrà XIX. 29. ita ut XXIX oppida fuerint Iudæ, ut dicitur infrà 31. novem autem quæ reſtant Simeonis.

32. *Et Aen, & Remon*] Quæ in unam urbem coaluêre proceſſu temporis & ædificiorum, Nehem. XI. 29.

38. *Iecthel*] Hoc nomen urbi Arabum datum non ante Amaſiæ tempora diſcas II Reg. XIV. 7.

63. *Vſque in præſentem diem*] Hinc quoque apparet, neque à Ioſue, neque prope ejus tempora ſcriptum aut certè conſummatum hunc librum.

CAPVT XVI.

3. *Iephleti*] Qui *Phelethi* II Sam. VIII. 18. XV. 18.

10. *Tributarius*] Sic & infrà XVII. 12. I Reg. IX. 16. Credibile eſt impoſitas eis leges Adamo & Noæ datas.

CAPVT XVII.

1. *Ipſe enim eſt primogenitus Ioſephi*] Res quidem aliquando majores Ephraimo vaticinatus erat Iacobus Geneſ. XLVIII. 19. ſed jus primorum natalium Manaſſi non abſtulerat: neque id meritus erat Manaſſes.

4. *Et Dominus præcepit per manum Moſi*] Vide Numer. XXVII. 3.

5. *Et ceciderunt funiculi Manaſſi decem*] Sex pro Abiezeri, Heleci, Ezrielis, Sechemi, Hepheri, Semidæ familiis. Selophcadi filiæ quatuor partes cepêre, duas pro avo, utpote primogenito: unam pro patre, unam pro patruo, qui omnes ex Ægypto egreſſi jus ad poſteros tranſtulerant. Sic Hebræi quidam.

18. *Succides tibi atque purgabis ad habitandum ſpatia, & poteris ultra procedere cùm ſubverteris Cananæum*] Qui de finium anguſtiis queruntur, non

populares ſed hoſtes debent expellere, aut loca vacua occupare & colere. Adde quod XIX. 47.

CAPVT XVIII.

4. *TErnos viros*] γεωδαίτας [*terrarum diviſores*]. Vide infrà 8. 9.

28. *Quæ eſt Ieruſalem*] Vetus urbs in parte Benjaminis, ſed acceſſio facta ex parte Iudæ.

CAPVT XIX.

2. *ET Sabee*] שבע in Hebræo nunc legitur; ſed שמע legiſſe LXX apparet, qui vertunt Σαμαά [*Samaa*]. Et שבע hic locus vocatur ſuprà XV. 26. ubi in Græco malè Σαλμαά ſcribitur pro Σαμαά. Videtur idem eſſe locus qui Nehemiæ XI. 26. ſcribitur ישוע, ubi fortè fuerit ישמע [*Iſmaa*] præpoſitâ ad vocem Iod literâ, ut ſuprà XVI. 3. & alibi.

6. *Villæ*] Bene vertit חצרים. LXX κώμας [*vicos*]. Rectiùs fuerat ἐπαύλεις [*villas*].

9. *In poſſeſſione & funiculo filiorum Iuda; quia major erat*] Adæquatio. Vide quæ dicta ad Num. XXXIV.

27. *Ad lævam Cabul*] Quod nomen terra illa vicina Tyriis ab Hiromo accepit tempore Solomonis, 1 Reg. IX. 13. unde de tempore quo ſcriptus hic liber conjectura capi poteſt.

29. *Ad civitatem munitiſſimam Tyrum*] Palætyrum.

47. *Aſcenderúntque filii Dan*] Poſt mortem Ioſuæ hæc facta. Vide Iudicum XVIII. Accedat hoc ad conjecturas temporis, quo ſcriptus hic liber, de quo aliquid diximus ſuprà ad XV. 63.

Ex nomine Dan patris ſui] Id eſt, ex nomine tribûs victricis, quæ à generis ſui principe nomen ferebat.

CAPVT XX.

3. *PErcuſſerit neſcius*] בשגגה [*per ignorantiam*] Græci vertunt ἀκουσίως [*non voluntariè*]. Vide quæ dicta Num. XXXV. 4. Deuter. XIX. 2.

CAPVT XXI.

4. *DE tribubus Iuda & Simeon & Benjamin*] Territorium manebat penes tribus; habitatio verò in oppidis, & agri juxtà paſcui Levitis cedebant. Sic apud Siculum: *Iuriſdictio in agris qui aſſignati ſunt, penès eos remanſit ex quorum territorio ſumti ſunt.* Vide de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. III. §. 4.

36. *De tribu Ruben*] Duo hæc commata in antiquiſſimis Hebræorum codicibus non fuêre: itaque nec Maſora hos numerat. Quare adjecti videntur ex Paralipomenis, ut cenſet Kimchi: unde venêre in verſiones Græcam, Syram, Latinam, & in Chaldaïcorum codicum quoſdam. Reperiuntur & in libris quibuſdam voces paulùm mutatæ, ut מגרשיה pro מגרשה [*ſuburbana ejus*], item קדמת [*Cadmath*] aut קדימת [*Cadimath*] pro קדמות [*Kedemoth*].

39. *Fuerunt quadraginta octo*] Nempe ſex illæ ab initio confugio dicatæ, & deinde hæ XLII. quæ & ipſæ jus confugii habuêre, ſed ita ſi habitatores urbium vellent, & ſumptu confugarum.

CAPVT XXII.

2. *FEciſtis omnia*] Ex Hebræo: שמרתם [*obſervaſtis illa*]. At שמעתם legêre Græci, vertunt enim ἀκηκόατε [*audiiſtis*].

8. *Dividite prædam hoſtium cum fratribus veſtris*] Id eſt, læti abite cum ea parte prædæ quæ vos contingit.

11. *Quod cùm audiiſſent filii Iſraël*] Vniverſitati jus eſt in ſuas partes, & major pars jus habet univerſitatis: ut dictum de Iure Belli ac Pacis lib. II. cap. V. §. 17. & Deuter. XIII. 12.

16. *Hæc mandat omnis populus Domini*] Denuntiatio ſicut jure gentium inter duas gentes requiritur, ità etiam orto inter cives diſſidio ex æquo uſurpatur, vel ut civitas accuſata ſe purget, aut ſatisfaciat, vel ut innocentes à nocentibus ſe ſeparent.

18. *Et cras in univerſum Iſraël ira ejus deſæviet*] Vide ſuprà VII. 1.

27. *In teſtimonium*] Vide ſuprà VIII. 30.

30. *Et principes legationis Iſraël qui erant cum eo*] In Hebræo, *& principes cœtûs & Chiliarchi.* Græcè, πάντες οἱ ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς [*omnes principes Conventûs*], id eſt, Senatus & minorum magiſtratuum ſummi. Hi προβούλευμα [*præconſultum*] faciunt, quod ſequitur populus infrà 33. Vide ſuprà VIII. 33. IX. 11.

CAPVT XXIII.

2. *ET magiſtros*] In Hebræo. שטריו [*magiſtros ejus*] Vide ſuprà VIII. 33. infrà XXIV. 1.

7. *Iuretis in nomine deorum eorum*] In Hebræo: *Ne commemoretis nomen deorum earum, neque juretis.* Vide Exod. XXIII. 13.

12. *Miſcere connubia atque amicitias copulare*] Contra legem Exod. XXXIV. 15. 16. Deuter. VII. 2. In has poſt Ioſuæ tempora peccarunt Iſraëlitæ, Iud. III. 5.

13. *Offendiculum ex latere veſtro*] Hebraïcè: *Flagellum in veſtris lateribus.* Loro enim latera cædi mos erat, Eccleſiaſt. XXX. 12. & XLII. 5.

CAPVT XXIV.

1. *IN Sichem*] Silunte. Qui locus in Sicimitarum terra.

9. *Pugnavit contra Iſraëlem*] Non vi ſed dolis, quod & ſequentia explicant, & ipſa hiſtoria oſtendit.

11. *Pugnaverúntque contra vos viri civitatis ejus, Amorrhæus, & Pherezæus, & Cananæus, & Hethæus, & Gergezæus, & Hevæus, & Iebuzæus*] Græci bene, ἐπολέμησαν πρὸς ἡμᾶς [*bellum in nos fecere*]. nam לחם ſæpè non *pugnam*, ſed *bellum* ſignificat: & populorum qui hic nominantur quidam nihil aliud quàm portas clauſerunt.

13. *Dedíque vobis terram in qua non laboraſtis, & urbes quas non ædificaſtis, ut habitaretis in eis, vineas & oliveta quæ non plantaſtis*] ex Deuteronomio VI. 11. Antiphanes: Τοῖς πολεμίοις εὔχεσθαι δεῖ τἀγαθὰ

παρεῖναι χωρὶς ἀνδρείας· γίνεται γὰρ οὕτως οὐ τῶν ἐχόντων, ἀλλὰ τῶν κρατούντων [*Optanda hoſtibus omnia bona ſine fortitudine: ita enim illa fient non eorum qui habuere, ſed eorum qui capient*].

19. *Dixítque Ioſue ad populum*] Stipulatio.

21. *Dixítque populus ad Ioſue*] Sponſio. Confer II Paral. XXXIV. 32.

26. *Scripſit quoque omnia hæc in volumine legis Domini*] Codici iſti qui apud Arcam cuſtodiebatur (Vide Deuter. XVII. 18. & XXXI. 26.) hæc promiſſa aſſcribi juſſit.

Subter quercum] Illam ipſam cujus mentio Gen. XXXV. 4. in hiſtoria Iacobi, & Iud. IX. 6. Is locus in honorem Iacobi diu pro templo fuit. Malè autem Samaritani, qui poſt conſtitutum auctoritate regiâ Hieroſolymis Templum, moris obliterati obtentu ſchiſma fecerunt, quod in hæreſin erupit.

30. *Thamnathſare*] תמנת סרח. At Iudicum II. 9. idem dicitur תמנת חרס [*Thamnathares*]. In altero horum locorum literæ ſunt tranſpoſitæ. Latinus utrobique *Thamnathſare*. Græci codices variant.

31. *Cunctis diebus Ioſue & ſeniorum qui longo vixerunt tempore poſt Ioſue*] Nempe eorum qui Ioſuæ participes fuerant in populo regendo. Neque enim diutiùs manſiſſe in Dei obſequio populum ex Iudicum libro apparebit: ubi oppoſita his verbis verba habes II. 8. 9. 10. Tantum valet benefactorum recens memoria, & virorum ſpectatorum auctoritas. Vide ſimile II Paralipom. XXIV. 2. 16. 17. 18. Apparet hinc poſt Ioſuam aliquanto tempore ſcriptum hunc librum, ut ſuprà monuimus.

32. *Oſſa quoque Ioſeph quæ tulerant filii Iſraël de Ægypto, ſepelierunt in Sichem*] Ex promiſſo Geneſ. L. 24.

33. *Quæ data eſt ei in monte Ephraim*] Nempe per uxorem. nam Levitæ ſuo nomine privatos agros non habebant. Vide ſimile II Paralip. II. 21. 22. 23.

AD LIBRVM IVDICVM.

CAPVT I.

Hebræis, Tyriis & Carthaginenſibus שופטים dicebantur καθ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] (alioqui enim vox latiùs patet, ut jam ſæpè obſervavimus) ſummi Magiſtratus, quos Græci hîc κριτὰς [*Iudices*], Ioſephus in Tyriorum rebus δικαστὰς vocat, Latini in Punica hiſtoria, ſervato Punico vocabulo, *Suffetes*; αὐτοκράτορες ἡγεμόνες [*Duces cum ſumma poteſtate*] Ioſepho. Vide de his quæ ad Deuter. XVII. 9. Adde locum infrà v. 13. Videtur autem his temporibus omiſſa per incuriam creatio Synedrorum LXXII, quemadmodum & ante Ioſaphati tempora II Paralip. XIX. 5. Itaque ubi tales extra ordinem viros Deus non excivit, erat diſſolutum reipublicæ corpus, nec quicquam in commune agebatur. Tribus ſingulæ ſuas res ſuo periculo ac commodo agebant, niſi ſi quæ ex uſu temporum fedus inter ſe fecerant, infrà 3. Ioſephus: Συνέβαινεν ἤδη τὴν ἀριστοκρατίαν διεφθάρθαι· καὶ τὰς γερουσίας οὐκ ἀπεδείκνυσαν, οὐδ᾽ ἀρχὴν ἄλλην οὐδεμίαν τῶν πρότερον νενομισμένων [*Corrumpi jam cœperat ille Optimatium ſtatus: nam neque Senatus legebatur, neque alii quales antè fuerant magiſtratus*]. Item: μετακινηθέντος τοῦ κόσμου τῆς πολιτείας ὑπ᾽ ἀναρχίας ἐνόσει τὰ πράγματα [*Remoto eo qui fuerat reipublicæ ordine cuncta ob diſſolutionem imperii malè ſe habebant*]. Talis fuit Græciæ ſtatus Concilio Achaico Romanorum artibus diſſoluto, & Galliæ ante Cæſaris tempora: Germaniæ verò & Britanniæ multò etiam ſeriùs.

4. *Tradidit Dominus Chananæum & Pherizæum in manus eorum*] Eſt hîc ἐπάνοδος [*retrogreſſio*] ad ea quæ narrantur Ioſue XV. Itaque verti poſſent per plusquamperfectum. Cauſa redditur cur Iudæ tribui ductus datus ſit.

7. *Septuaginta reges, amputatis manuum ac pedum ſummitatibus colligebant ſub menſa mea ciborum reliquias*] De Seſoſtri rege Plin. XXXIII. cap. 3. *Seſoſtri Ægypti rege tam ſuperbo, ut prodatur annis quibuſque ſorte reges ſingulos è ſubjectis jungere ad currum ſolitus, ſicque triumphare.* Lucanus libro X.

Venit ad occaſum, mundíque extrema Seſoſtris,
Et Pharios currus regum cervicibus egit.

Bajazethem Turcarum Imperatorem captum Tamerlanus in cavea vexit, déque menſæ ſuæ fragmentis dedit quod ederet. Lyſimachus Teleſphorum Rhodium, undique decurtatum, cùm aures illi naſúmque abſcidiſſet, in cavea velut novum animal aliquod & inuſitatum diu pavit, cùm oris detruncati mutilatíque deformitas humanam faciem perdidiſſet; narrat Seneca de Ira libro III. c. 17. Numerum autem LXX regum ne quis miretur, videat quæ ſuprà dicta ad Ioſue XII.

10. *Percuſſit Seſai, & Ahimam, & Tholmai*] *Percuſſerat* duce Calebo, vivente adhuc Ioſua, Ioſ. XV. 14. ſic & ſtatim *abierat*.

16. *Filii autem Cinæi*] שלמי [*Salmæi*] & hîc Chaldæus, ut Geneſ. XV. 19. & alibi.

Cognati Moſi] In Hebræo: *ſoceri Moſi*, id eſt, illi Cinæi qui Iethroni aderant, infrà IV. 11. nam alioqui gens hæc inter damnatas.

Aſcenderunt de civitate palmarum] Hierichuntino agro, quem Cinæi tenuêre uſque ad ædificationem Templi. Rabbi Salomo.

Et habitaverunt cum eo] Hebræus textus: *cum populo*, Iſraëlitarum ſcilicet. Ità videmus eo tempore proſelytis ſortem datam non minus quàm civibus.

19. *Nec potuit delere habitatores vallis*] In Hebræo *non ad expellendum habitatores vallis*. Incipit hîc aperiri fons magnorum deinceps malorum, deſidia aut miſericordia contra Dei Legem.

20. *Hebron*] Vide quæ dicta Ioſue XV. 13.

24. *Dixerúntque ad eum: Oſtende nobis introitum civitatis*] Et Iſraëlitæ hujus hominis operâ rectè uti

potuerunt, & ipſe homo nihil peccavit ſi notum habuit Dei de illis populis decretum. Vide Ioſ. 11. 1. & infrà IV. 17.

28. *Fecit eos tributarios*] Non converſos ab idololatria, & poſt primam denuntiationem ab ipſis ſpretam; quorum neutrum licuit.

CAPVT II.

1. A*Scenditque Angelus Domini de Galgalis*] Locus additus facit ut Hebræi hominem aliquem hic Angeli nomine deſignari intelligant, quem putant fuiſſe Phineam, cujus mentio infra XX. 28. Sic Propheta Angelus dicitur Agg. 1. 13. & Sacerdos Malachiæ II. 7. ubi quæ dicemus vide. Eſt autem in hoc capite ſumma hiſtoriæ ſequentis valde dilucida: quæ utilitatem Regiæ poteſtatis populo rebus ipſis oſtendit, ac ſic defectionibus fræнum imponit.

Bahal] Qui plenè בעל שמין Βεελσαμήν [*Dominus cœli*], Sol ſummus deorum illis gentibus, unde *Iupiter* Aſſyriis dicitur. Vide Macrobium libri 1. Saturn. cap. XXIII.

13. *Aſtaroth*] אשרים [*Aſarim*] & אשרות [*Aſaroth*] ſunt luci, ut Exod. XXXIV. 13. Deuteronomii VII. 5. XII. 3. hoc libro III. 7. ubi אשרות conjungitur cum *Bahalim*: unde liquet עשתרות [*Aſtaroth*] eſſe aliam pronuntiationem, idem ſignificantem. quare & 1 Sam. VII. 4. עשתרות Græci vertunt ἄλση [*lucos*]. In talibus autem lucis Terra colebatur, quæ inde dicta עשתרות, & Græcis res Syras exprimentibus *Aſtarte*. Is mos ſub Cybeles nomine ad Phrygas gentéſque alias tranſiit. Ovidius ſeptimo Metamorphoſeon:

Templa Deûm matri quæ quondam clarus Echion
Fecerat ex voto nemoroſis abdita ſilvis.

Sic caſtum nemus Terræ dicatum à Germanis Tacitus nos docet. Alibi autem meri luci dicati Terræ, alibi addita ſimulacra, ut ovis ſpecie apud Moabitas, narrantibus Rabbinis. Alii Aſtarten Lunam eſſe, alii Venerem, alii Iunonem conjectant; ſed quod dixi maximè credibile eſt. Tum verò Venus rerum genetrix quod Terræ convenit: & Luna ἀντίχθων [*altera terra*] veteribus; & Iuno ἀὴρ qui circa Terram.

21. *Et ego non delebo gentes*] Citò ſcilicet.

CAPVT III.

3. Q*Vinque Satrapas*] Vide Ioſue XIII. 3.

4. *Vt in ipſis experiretur Iſraëlem*] Cùm eos non ſtatim deleſſent Iſraëlitæ ut debuerant, Deus hac uſus occaſione, ſervandos eos diu cenſuit, ut ſi eorum mores non imitarentur Iſraëlitæ, probitas Iſraëlitarum appareret: ſi imitarentur, improbitas. Præterea Deus illis populis miniſtris uti voluit ad puniendos Iſraëlitas, ſi diu aut gravia delinquerent.

8. *Servierúntque ei octo annis*] Id eſt, coacti ſunt pacem gravibus tributis redimere, non tamen ut præſidia ab eo Rege acciperent. Simile mox 12. 13. 14. itaque facile illis fuit reſumto animo onus tale exuere, ut ſequentia oſtendunt.

15. *Suſcitavit eis ſalvatorem vocabulo Aod*] Dei juſſus qui & infrà exprimitur 28. efficit ne in exemplum hoc trahi poſſit, ubi talis Dei juſſus non eſt; non magìs quàm quòd Abraham de filio juſſus eſt facere, & quòd Iſraëlitæ res Ægyptiorum abſtulêre. Brutus qui Cæſarem occîdit, paris videtur fuiſſe animi, ſed ei ut divinum imperium, ità & ſucceſſus defuit.

21. *Surrexit de throno*] Tanquam Prophetæ honorem habens.

CAPVT IV.

2. I*Pſe autem habitabat in Haroſeth*] Nempe Siſara.

4. *Erat autem Debora prophetis*] Dux femina facti. Ità viris exprobrata ignavia infrà 19.

6. *Præcepit tibi Dominus Deus tuus*] In Hebræo: *Nonne præcepit?* quâ locutione utuntur Hebræi, ut valde affirment etiam quod alter antè neſciebat. Sic & infra 14.

11. *Heber autem Cinæus receſſerat quondam à ceteris Cinæis fratribus ſuis*] Medium ſe in hoc bello fecerat, non auſus ſibi partem de terra bello parta vindicare. Vide infrà 17.

18. *Opertus ab ea pallio*] Hebraïcè, בשמיכה. Chaldæus vertit גונכא, quæ καυνάκη Græcis, ſed Babylonicâ origine, ut teſtantur Ælianus de Animalibus XVII. 17. & Pollux VII. 13. eſt veſtis alterâ ſui parte villoſa, ut Heſychius nos docet; quanquam Varro amphimallum eſſe credidit. Eſt eadem vox Chaldæa II ſive IV Regum VIII. 15.

CAPVT V.

6. Q*Vieverunt ſemitæ*] Rectiùs vertas *itinera publica*: iis deſertis Iſraëlitæ devia ſectabantur, ut ſequitur. Significat commercia abrupta.

7. *Ceſſaverunt fortes*] In Hebræo: פרזון, id eſt, *pagi*. Et villæ & agri deſerti jacebant ob rapinas Cananæorum.

9. *Propria voluntate*] Animo promto in Dei obſequium, ut ſuprà 2.

10. *Qui aſcenditis ſupra nitentes aſinos*] Vide infrà X. 4. XII. 14. Id factum ob equorum in illis terris penuriam, de qua diximus ad Deut. XVII. 16.

11. *Ibi narrentur juſtitiæ*] Vox hîc eſt Chaldaïca à תנה [*narrare*].

20. *Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo adversùs Siſaram pugnaverunt*] Id eſt, Angeli, velut de loco ſuperiore in eos pugnaverunt. Confer II Maccab. X. 29. XI. 8. מסלות ſunt *loca celſa*. Angeli ſtellarum nomine appellantur ob naturam cœleſtem & ſplendorem.

23. *Maledicite habitatoribus ejus, quia non venerunt ad auxilium Domini*] Infames ſint. Grave erat Athenis ἀστρατίου, id eſt, *detrectatæ militiæ*, crimen, ut ex Demoſthene, Scholiaſte ejus Vlpiano, & Harpocratione diſcimus. Multo juſtiùs infames habendi qui bello defuerant imperato Divinitus.

25. *In phiala*] In Hebræo hîc & infra VI. 39. eſt ספל, unde ſi *ſimpuli* nomen ad Lydos, à Lydis ad Etruſcos, indè ad Romanos venit. *Cyathum* interpretatur Varro libro IV. nec aliter Feſtus & Gloſſæ

Græcolatinæ. meminit & Plinius libro xxxv. c. 12.

28. *Per feneſtram reſpiciens*] Oſtendit vel hic unus locus illis gentibus ἐννοίας [*conceptiones animi*] valde poëticas fuiſſe.

CAPVT VI.

4. *ET apud eos figentes tentoria ſicut erant in herbis cuncta vaſtabant*] Clariùs in Hebræo: *Caſtra ponebant adversùs eos, & vaſtabant fruges terræ:* quotannis ſcilicet dato tempore vacuo ad novam ſementem, ſub meſſis tempus revertebantur, vide infrà 33. Planè ſimile artificium Alyattæ contra Mileſios narrat Herodotus Clio: Ἐπολέμησε Μιλησίοισι, παραδεξάμενος τὸν πόλεμον παρὰ τοῦ πατρός· ἐπελαύνων γὰρ, ἐπολιόρκησε τὴν Μίλητον τρόπῳ τοιῷδε. ὅκως μὲν εἴη ἐν τῇ γῇ καρπὸς ἁδρὸς, τηνικαῦτα ἐσέβαλε τὴν στρατιήν· ἐστρατεύετο δὲ ὑπὸ συρίγγων τε καὶ πηκτίδων καὶ αὐλοῦ γυναικείου τε καὶ ἀνδρείου· ὡς δὲ ἐς τὴν Μιλησίην ἀπίκοιτο, οἰκήματα μὲν τὰ ἐπὶ τῶν ἀγρῶν, οὔτε κατέβαλεν, οὔτε ἐνεπίμπρη, οὔτε θύρας κατέσπα, ἔα δὲ κατὰ χώρην ἑστάμεναι. ὁ δὲ τά τε δένδρεα καὶ τὸν καρπὸν ἐν τῇ γῇ ὅκως διαφθείρειεν, ἀπαλλάσσετο ὀπίσω· τῆς γὰρ θαλάσσης οἱ Μιλήσιοι ἐπεκράτεον, ὥς τε ἐπ' ἕδρης μὴ εἶναι ἔργον τῇ στρατιῇ. τὰς δὲ οἰκίας οὐ κατέβαλεν ὁ Λυδὸς τῶνδε εἵνεκα, ὅκως ἔχοιεν ἐντεῦθέν τε ὁρμεώμενοι τὴν γῆν σπείρειν τε καὶ ἐργάζεσθαι οἱ Μιλήσιοι· αὐτὸς δὲ ἐκείνων ἐργαζομένων, ἔχοι τι καὶ σίνεσθαι ἐσβάλλων. ταῦτα ποιέων, ἐπολέμεε ἔτεα ἔνδεκα [*Bellum quod pater inceperat in Mileſios continuavit, quorum fines ingreſſus obſedit Miletum hoc modo. Cùm eſſet adulta in terris ſeges ducebat eò exercitum; ducebat autem cum fiſtulis, pſalteriis, & tibiis tum virilibus tum muliebribus. Vbi in Mileſiorum terram pervenerat domicilia ruſtica neque demoliebatur, neque incendebat, neque fores frangebat, ſed ſinebat ea ſtare ſuo loco. at poſtquam arbores & terræ fruges corruperat, ducebat retro: nam mare tenebant Mileſii, ut ità nulli uſui eſſet adſidere urbi. Ideo autem domicilia non deſtruebat Lydus, ut eſſet unde irent Mileſii ad terras conſerendas & colendas; ubi verò eas illi bene coluiſſent, ipſe illuc profectus ea corrumperet. Et hunc in modum bellum geſſit per annos undecim*].

12. *Apparuit ei Angelus Domini*] In ſomnio hoc factum putat Maimonides.

14. *Reſpexitque ad eum Dominus*] יהוה. Sic vocatur Angelus, quia Dei vices ac poteſtatem gerebat, ut jam ſæpè annotatum eſt.

15. *Ego minimus in domo patris mei*] Deus ubi vim ſuam vult apparere, hominibus utitur contemtis. Gedeoni comparare poſſis Cincinnatum, ab aratro Dictatorem, virtutis oſtendendæ non imperii appetentem.

19. *Obtulit ei*] Vt ederet, infrà XIII. 16. oſtendit Angelus ſe Angelum eſſe, non hominem, eò quòd cibo non egeret.

20. *Pone ſuper petram illam*] Quæ tibi hoc tempore, Deo ſic permittente, erit pro altari. Vide infrà XIII. 16. 19.

21. *Aſcendit ignis de petra*] Immiſſus cœlitus, ut infrà XIII. 20. Vide quæ dicta ad Geneſ. IV. 4.

23. *Non morieris*] Vetuſtiſſimus hic hominum metus ne morte aut malo aliquo gravi afficerentur, conſpecto cœlitum aliquo, quòd indignos ſe tali ſpectaculo crederent. Vide infrà XIII. 22. Callimachus:

——— Κρόνιοι δ' ὧδε λέγουσι νόμοι·
Ὅς κέ τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.
[——— *Saturni ſcita vetuſta jubent,*
Ne quem cœlicolûm damno ſine cernere quiſquam
Poſſit homo, niſi quem legerit ipſe Deus.]

25. *Dixit Dominus ad eum*] In hoc ſacrificio multa ſunt contra Legem: ſed mandatum Dei Gedeonem defendit, ut & Eliam, 1 Reg. VIII. 36.

30. *Produc filium tuum*] Dede eum nobis ut ſontem. De poſtulata deditione vide quæ dicta lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XXI. §. 4.

31. *Si Deus eſt, vindicet ſe de eo, qui ſuffodit aram ejus*] Sic Tertullianus Apologetico: *Omnes dii veſtri ab omnibus colebantur, cùm ipſum Capitolium Senones occupaverunt. Et bene, quòd ſi quid adhuc adverſi urbibus accidit, eadem clades templorum quæ & mœnium fuerunt, ut jam hoc revincam non à deis evenire, quia & ipſis evênit.* Multa ejus ſenſus apud alios ſcriptores Chriſtianos.

35. *Miſitque nuntios in univerſum Manaſſem*] Ius populi convocandi ſummum imperium oſtendit.

37. *Si ros in ſolo vellere fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſraël*] Non ut incredulus, ſed ut nonnihil de iſto, ſive oſtento, ſive ſomnio dubitans, confirmari expetit, ferme ut in ſuis rudimentis Apoſtoli, Lucæ XVII. 5. Marc. IX. 24. conſidera & quæ hîc ſequuntur.

CAPVT VII.

3. *QVi formidoloſus & timidus eſt, revertatur*] Vide Deut. xx. 8.

5. *Sicut ſolent canes lambere*] Proverbium eſt Ægyptium, *Canis bibit & fugit.* Meminit Macrobius Saturnalium II. 2. Poterat ad feſtinationis magìs, quàm ad formidinis ſenſum trahi quod hîc dicitur. Sed Ioſephus planè id quod dixi proverbium in animo hîc habuit, ait enim: Ὅσοι δ' ἂν ἐσπευσμένως καὶ μετὰ θορύβου πίνοντες τύχοιεν, τούτους νομίζειν ὑπὸ δειλίας τοῦτο πάσχειν καὶ καταπεπληγότας τοὺς πολεμίους [*At ſi qui cum feſtinatione & tumultu biberent hos crederet id facere præ metu ob terrorem ab hoſte*]. Et ait id præceptum à Deo datum ut crederent non ſuæ virtuti, ſed Dei ex ſolido victoriam deberi. Ità non numerum tantùm ad tertiam primùm partem, deinde hanc tertiam ad minus parte triceſimâ, redigere voluerit Deus, ſed ſimul eos ſibi aſſumere de quorum virtute minima ſpes erat. Et hi trecenti, non quaſi cohors Leonidæ, ſed homines ingenio trepidi, CXXXV hominum millia disjecerunt.

8. *Et tubis*] Nempe tubis etiam eorum qui abierant, ità ut ſinguli tubam haberent, infrà 18. Similes artes, majores quàm erant copias viſu ac ſtrepitu ſimulantium, paſſim in hiſtoriis habes.

Bellandum eſt aſtu; levior laus in duce, dextra.

ait Silius Italicus.

11. *In partem caſtrorum*] In Hebræo: *ad extremum quintatorum.* Vide dicta ad Exodi XIII. 18.

13. *Vidi ſomnium*] Pavorem Deus hoſtibus ſuis

etiam per ſomnia immittit. Vide Caſſii Parmenſis ſomnium apud Valerium Maximum libro I. cap. 7. Significat autem hoc ſomnium Iſraëlitas ſub vi Madianitarum malè ac velut hordeo paſtos, erupturos flammæ modo in ſubitam perniciem Madianitarum.

18. *Domino & Gedeoni*] Supple, *feliciter.* ἀλαλαγμός [*acclamatio*]. Vide Ioſ. VI. 5.

20. *Tenuerunt ſiniſtris manibus lampadas*] Faliſci & Tarquinienſes compluribus ſuorum faces & angues furiali habitu præferentibus aciem Romanorum turbaverunt. Idem Vejentes & Fidenates facibus arreptis fecerunt. Notat Frontinus libro II. cap. 4.

22. *Et mutua ſe cæde truncabant*] Proditionem inter ſe ſuſpicantes.

24. *Occupate aquas*] Flumina hoſtibus eripere magni uſus. Vide Frontinum libro tertio, cap. 7.

25. *Interfecit Oreb*] Nulla erant belli commercia quæ captivos vetarent interfici. Vide Iuris Belli ac Pacis librum tertium, cap. IV. §. 10. vide & infrà VIII. 18.

CAPVT VIII.

2. *QVid enim tale facere potui quale vos feciſtis?*] Fortes animi placantur conceſſione gloriæ.

5. *Date obſecro panes populo qui mecum eſt*] Qui in iiſdem ſunt partibus alimenta militi in neceſſario tempore negare non debent: alioqui puniuntur, 16.

16. *Tulit ergo ſeniores civitatis*] Senatores. Mite eſt principes auctores mali punire, multitudini ignoſcere, libro tertio de Iure Belli ac Pacis, c. X. §. 5.

21. *Tu ſurge & irrue in nos*] Aliqua eſt conſolatio, *Æneæ magni dextrâ cadis.* Vide mox IX. 54.

Tulit ornamenta & bullas] Exuvias detraxit. In Hebræo eſt, *lunulas*, inſigne Iſmaëlitarum, quorum pars Sarraceni ad Turcas mores tranſmiſêre.

22. *Dominare noſtri tu & filius tuus & filius filii tui*] Id eſt, hereditarium ei principatum detulêre ob virtutem & merita.

23. *Dominabitur vobis Dominus*] Is vobis principes deſignabit, quod quamdiu faciebat Deus, Regem populus ſuopte arbitratu facere non debebat, I Sam. VIII. 7. multóque minus uni ſe familiæ ſubjicere.

24. *Date mihi inaures ex præda veſtra*] Solebat enim Ducibus aliquid dari ἐξαίρετον [*præcipuum*], libro tertio de Iure Belli ac Pacis, cap. VI. §. 17.

27. *Fornicatúſque eſt omnis Iſraël in eo*] πρόληψις [*anticipatio*]. nam poſt mortem demum Gedeonis id quod monumentum victoriæ fuerat, verſum eſt in uſum idololatriæ, infrà 33.

30. *Eò quod plures haberet uxores*] Cauſa cur conceſſæ fuerint viris plures uno tempore uxores, ſpes fuit uberioris ſobolis.

31. *Concubina autem illius*] Non erat vetitus eo tempore concubinatus: neque concubina à matrona niſi dignitate diſtabat. Solebant autem ſumi de ancillis, aut de humilioribus feminis.

35. *Nec fecerunt miſericordiam cum domo Ierobaal Gedeon, juxta omnia bona quæ fecerat Iſraëli*] Sophocles:

φεῦ τοῦ θανόντος, ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
χάρις διαῤῥεῖ καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται;
[*O quàm celeriter antè partæ gratiæ*
Præcipite caſſos luce deſtituunt fugâ!]

Simile vide Exod. I. 8.

CAPVT IX.

2. *VT dominentur veſtri ſeptuaginta viri*] Tanquam principes civitatis, πρωτοπολῖται.

An ut dominetur unus vir] Hic verò non id duntaxat peccabat quod modò diximus VIII. 23. verùm etiam quòd partem populi à populo abſtrahebat. Acceſſit idololatria non vulgaris, infrà 46. Bene Ioſephus hoc tempore: πάντα τὰ τῶν Ἑβραίων εἰς ἀκοσμίαν καὶ ὕβριν τῶν νόμων ἐφέρετο [*Omnes Hebræorum res ad perturbationem ordinis & legum contemtum ferebantur.*]

3. *Frater noſter eſt*] Carnalis affectus, à quo Moſes multùm abfuit.

4. *Qui conduxit ſibi ex eo viros inopes & vagos*] *Purgamenta urbium ſuarum*, ut Curtius loquitur. Sic Piſiſtratus quem decepto populo obtinuerat dominatum, ſatellitio munivit. Herodotus libro I. Diodorus Siculus libro XIII. Plutarchus Solone. Iuſtinus libro II. Valerius Maximus lib. VIII. c. 9. Ælianus VIII. 16. χρῆσθαι ξενικοῖς μᾶλλον ἢ πολιτικοῖς τυραννικόν [*externis potiùs uti quàm civibus tyrannicum*], Ariſtoteles libro V. Polit. cap. XI. de Germanis Neronis ævo Tacitus, *quibus princeps fidebat ut externis.*

5. *Occidit fratres ſuos*] Vt nunc Turcæ.

6. *Conſtituerunt regem*] *Regnare fecerunt*, in Hebræo: nempe ſupra leges.

8. *Ierunt ligna ut ungerent ſuper ſe regem*] Hoc genus docendi Heſiodus αἶνον, poſteriores *Apologum* dixêre. Similem vide II Paral. XXV. 18.

13. *Numquid poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines*] Plinius libro XIV. cap. 22. *Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intus vini, foris olei, arborum è genere ambo præcipui.*

14. *Ad Rhamnum*] Hebræum nomen eſt ex אטד. Vnde *Atadim* Afris apud Dioſcoriden.

20. *Sin autem, egrediatur ignis ex eo & conſumat habitatores Sichem*] Solet Deus implere imprecationes eorum qui per vim opprimuntur. Vide infrà 57.

21. *Quæ cùm dixiſſet fugit*] Tyrannidem ſequitur virorum principum fuga, infrà 41. Solent enim tyranni πολεμεῖν τοῖς γνωρίμοις καὶ διαφθείρειν λάθρα καὶ φανερῶς, καὶ φυγαδεύειν ὡς ἀντιτέχνους καὶ πρὸς τὴν ἀρχὴν ἐμποδίους [*inſidiari nobilibus & eos tollere clàm vel palàm, aut in exſilium agere, ut æmulos & dominatûs impedimenta*], ait Ariſtoteles loco modò dicto.

23. *Qui cœperunt eum deteſtari*] Nihil inſtabilius populari aurâ malis artibus collectâ; tum verò ſcelera etiam quibus proſunt inviſa.

25. *Exercebant latrocinia*] Vt ſolent ſæva eſſe bellorum civilium initia.

28. *Clamante Gaal filio Obed, quis eſt Abimelech?*] *Inſerendo ſæpius querelas & ambiguos de Galba ſermones, quæque alia turbamenta vulgi*, Tacitus Hiſtoriarum I.

34. *In quatuor locis*] In Hebræo, *quatuor capita.* Græci, τέτρασιν ἀρχαῖς [*quatuor principibus*]. Sic Civilis quatuor agminibus Romana præſidia aggreditur apud Tacitum Hiſtor. v.

45. *Ità ut ſal in ea diſpergeret*] Cauſa hujus moris apud Plinium lib. XXXI. cap. 7. *Omnis locus in quo reperitur ſal ſterilis eſt, nihílque gignit.*

49. *Vt fumo & igne mille homines necarentur*] Loca in plano ſita neque vallo defenſa facillimè oppugnantur admotis ignibus. Vide infrà 52.

53. *Fragmen molæ deſuper jaciens illiſit capiti Abimelech*] Similis ferme Pyrrho finis, tegula à muliere jacta, quæ caput ei confregit. Plutarchus in ejus vita. Ioab, vir bello egregius, ex hoc caſu Abimelechi documentum dedit Regibus nè oppugnationibus intereſſent, II Sam. XI. 21. Idem ille Plutarchus in Sullæ vita ideo τειχομαχίας [*mœnium oppugnationes*] ait Spartanis improbatas, quòd in illis vel à muliere interficeretur vir fortiſſimus.

54. *Nè fortè dicar quòd à femina interfectus ſum*] Seneca Oetæo:

O turpe fatum! femina Herculeæ necis
Auctor feretur.

CAPVT X.

3. IAir] Non hic ille eſt de quo agitur Numer. XXXII. 41. ſed alius Segubi filius indicatus etiam I Paralip. II. 22.

4. *Principes triginta civitatum*] Septem erant ab Heſrone avo, viginti tres ab avia Machiris filia. Ità colligi videtur ex Num. XXXII. 40. Deuter. III. 14. & dicto Paralipomenon loco.

7. *Tradidit eos in manus Philiſthiim & filiorum Ammon*] Vexandos ſcilicet multis malis, non ut planè eis ſervirent. Eſt enim hæc introductio ad ea quæ de Iephthe & Samſone dicentur.

10. *Dereliquimus Deum noſtrum*] Contra præcepta תעשה [*facies*].

Et ſervivimus Baalim] Contra præcipuum præceptorum, לא תעשה [*Non facies*].

14. *Ite & invocate deos quos elegiſtis*] Ἐμφατικῶς [*efficaciter*] dictum. Illos quos nullis beneficiis cognitos mihi tot bonorum vobis auctori prætuliſtis. Deus non ſtatim confitentibus peccata remittit, ſed pœnam ſuam alicujus temporis patientiâ approbantibus, & facta edentibus contraria, ut apparet hîc 10. & infrà 15. 16.

16. *Qui doluit ſuper miſeriis eorum*] Græci proximè ad Hebræum: ὠλιγώθη ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν κόπῳ Ἰσραήλ [*contracta eſt anima ejus ob miſeriam Iſraëlis*]. Hoc ut malè ſonans omiſit Ionathan. At ſenſus eſt, ut notat Maimonides, ceſſavit Deus eos affligere, vúltque ב [*ob*] hîc poni pro מ [*à, de*], ut Levitic. VIII. 32. XXV. 52.

CAPVT XI.

2. QVia de adultera matre natus es] Extraneâ, ut hîc Ioſephus. Apud gentes aliquas matre non cive nati νόθοι [*nothi*] dicebantur, ut ex Ariſtophane oſtendimus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. V. §. 15. Apud Hebræos verò mater quę Legi ſe ſubjecerat non maculabat natales, neque ad hereditatem capeſſendam obſtabat. Quare meritò Iephthes de hac injuria queritur, infrà 7.

3. *Viri inopes*] ריקים in Hebræo & Chaldæo, ἄνδρες κενοὶ [*homines inanes*] in Græco. Illis temporibus interdum oppreſſa innocentia ad talia præſidia decurrebat. Vide I Sam. XXII. 2.

Et latrocinantes] Privato conſilio, adverſùs hoſtes tamen publicos Ammonitas. Iephthæ Viriatum non malè compares.

9. *Ego ero veſter princeps?*] Agnoſcetis me ut Iudicem à Deo populo datum?

15. *Hæc dicit Iephthe*] Sollicitè à ſe infamiam belli injuſti amolitur, ut decebat bonum Principem.

21. *Poſſedit omnem terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, & univerſos fines ejus*] Etiam quæ Amorrhæus per vim bellicam aliis eripuerat, facta ſunt eorum qui Amorrhæum devicerant jure gentium, quod & hîc indicatur & I Sam. XXX. 20. Nec aliter ſenſiſſe Græcos & Romanos oſtendimus libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. VI. §. 7. & in Annotatis ad eum locum.

26. *Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis?*] Per annos, ut jam dixit, trecentos, id eſt, circiter. Nam, ut doctiſſimi ſentiunt, deficiunt aliquot anni. Sed hic modus exprimendi numeros frequens Scripturis, ut videre eſt Num. I. 46. & II. 32. & XI. 21. & alibi ſæpè. Τὰς κτήσεις καὶ τὰς ἰδίας καὶ τὰς κοινάς, ἢν ἐπιγένηται πολὺς χρόνος, κυρίας καὶ πατρῴας ἅπαντες εἶναι νομίζουσι [*Poſſeſſiones & privatas & publicas, ſi multum temporis acceſſerit, firmas eſſe ac perpetuas omnes ſentiunt*], ajunt Lacones apud Iſocratem Archidamo. Nimirum ſicut eſſe aliquod tempus quo actiones excluderentur publici boni causâ ſtatuunt civiles leges: ità inter gentes, ſed longiore temporum ſpatio, idem valet, recepto jure, de quo egimus libro ſecundo de Iure Belli, cap. IV.

27. *Iudicet Dominus arbiter hujus diei, inter Iſraël & inter filios Ammon*] Ioſephus libro XV. μεθ' ὧν τὸ δίκαιόν ἐστι, μετ' ἐκείνων ὁ Θεός [*quibuſcum eſt jus, cum eis & Deus*]. Totilas apud Procopium: Οὐ γάρ ἐστιν, οὐκ ἔστι τὸν ἀδικοῦντα καὶ βιαζόμενον ἐν τοῖς ἀγῶσιν εὐδοκιμεῖν, ἀλλὰ πρὸς τὸν βίον ἑκάστου ἡ τοῦ πολέμου πρυτανεύεται τύχη [*Fieri non poteſt, fieri, inquam, non poteſt ut qui injuſtè ac per meram vim agat in præliis felix ſit; ſed prout cujuſque vita eſt, ita ei belli fortuna diſpenſatur*]. Vide plura ad hanc rem in Prolegomenis de Iure Belli ac Pacis.

29. *Spiritus Domini*] Qui ſupra humanum modum fortitudinem ei ac ſucceſſus daret.

30. *Votum vovit Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domûs meæ, mihíque occurrerit revertenti cum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino*] Simile aliquid de Idomeneo narratur. Servius ad III. Æneid. *Idomeneus de ſemine Deucalionis natus Cretenſium Rex, cùm poſt everſam Trojam reverteretur, in tempeſtate devovit diis ſacrificaturum ſe de re quæ primùm occurriſſet. Contigit ut filius ejus primùm occurreret: quem cùm immolaſſet, ut alii verò, immolare voluiſſet, & poſt orta eſſet peſtilentia, à civibus pulſus eſt regno.* Idem ad lib. XI. *Idomeneus Rex Cretenſium fuit, qui cùm tempeſtate*

laboraret, vovit ſe ſacrificaturum Neptuno de re quæ primùm ei occurriſſet. Caſu cùm ei primùm filius occurriſſet, eúmque ut alii dicunt, immolaſſet, ut alii, immolare voluiſſet, ob crudelitatem regno à civibus pulſus eſt. Immolatam etiam ab Iephthe filiam multi credidêre Hebræorum Chriſtianorúmque. Sed id de homine, cujus fides prædicatur Hebr. xi. 32. mihi credibile non fit. quare notandum quod hîc in maſculino ponitur *quicunque* in Hebræo eſſe אשר, quod eſt omnis generis, & optimè hîc per neutrum verti, ſicut Ioſephus vertit, πᾶν ὅτι καὶ πρῶτον αὐτῷ συντύχῃ [*quodcunque ei primum occurreret*]; deinde verò frequens eſſe Hebræis ut conjunctiva particula disjunctivæ ſenſum habeat, ut & alibi notavimus: & illa והיה ליהוה והעליתיהו עולה ſic optimè transferri, *Erit Domino, aut aſcendere faciam holocauſtum*; nempe ſi id animal holocauſti ſit capax. Holocauſta enim per Legem fieri non poterant niſi ex bubus, avibus, capris, turture, columba. Quid ſi aſinus aut canis occurriſſet, debuitne holocauſtum fieri? non ſanè. Ergò nec humani generis quicquam; ſed dedicandum id ad ea miniſteria quæ homines Deo exhibent, putà in Sanctuario, ſi mas eſſet: ſi femina, ad preces, vini abſtinentiam, & vitam μονάζουσαν [*ſolitariam*]. Nam in Homine *erit Domino* ſenſum habet parem illi 1 Sam. 1. 28. *feci eum Domino*. Cœlibatûs feminis indicti, ídque ſub cuſtodia, exemplum habes & II Sam. xx. 3.

34. *Vnigenita*] Μονογενὴς Lxx hîc & Ioſephus. Aquila ποθητή [*dilecta*]. Sic יחיד [*unigenitus*] alibi vertitur ἀγαπητὸς & ἀγαπώμενος [*dilectus*]. Vide ad Matth. iii. 17.

Cum tympanis & choris] Simile 1 Regum vi. 6. *Sed quia Sacerdotes eorum tibiâ tympaniſque concinebant.* Tacitus de Iudæis.

35. *Heu me filia mea*] Deplorat amiſſam ſpem poſteritatis ex filia.

37. *Et plangam virginitatem meam*] Deo enim ſervire ſoli, ſi marito ſubjecta fuiſſet, non poterat. Ei enim jus in uxorem. Sic apud Græcos diis dicata animalia vocantur ἄφετα [*dimiſſa*] quòd nemini ſervirent, ſed in deorum honorem ſervarentur. Aliud in viris, qui quamvis Templo dicati uxores habere poterant, à quarum tamen congreſſu miniſterii tempore abſtinebant. viri enim ſui juris manent.

40. *Et plangant filiam Iephthæ*] Alii, *conſolentur filiam Iephthæ*. Sed veriùs Chaldęam eſſe vocem תנות quæ *diſſerere* ſignificat: & ל, quod ſequitur, pro *de* poſitum, ut ſæpè. Senſus eſt in memoriam victoriæ, ſervatæque Deo fidei, quater anno ad eum locum veniſſe virgines, & colloquio aut etiam carminibus rem celebraſſe. quod ad ſua quoque tempora à Samaritis eodem in loco factum narrat Epiphanius.

CAPVT XII.

4. P*Vgnabat contra Ephraim*] Nimirum quia benignis verbis, ut olim Gedeonis tempore (ſuprà viii. 2. 3.) ſatisfieri ſibi non patiebantur, jure Principis in eos uti coactus fuit Iephthes.

6. *Scibboleth, quod interpretatur ſpica*] Hoc de interpretatione Latinus addidit. ſed notant Hebræi nomen amnis fuiſſe illis in regionibus.

CAPVT XIII.

5. E*rit enim Nazaræus Dei*] Deo ſacer ad modum Nazaræorum. tenebatur autem ad ea quæ hic expreſſa ſunt, non ad omnia Nazaræorum; ſed hic perpetuò, illi ad tempus. Vide quæ dicta ad Num. vi.

Non tanget caput novacula] Promiſſus capillus votivæ obligationis nota, ut ad dictum locum Numerorum diximus.

20. *Angelus Domini pariter in flamma aſcendit*] διὰ καπνοῦ ὥσπερ ὀχήματος [*fumo uſus loco vehiculi*], Ioſephus.

22. *Morte moriemur*] Vide ad hæc & quæ præcedunt ſimilem hiſtoriam ſuprà vi. & ibi dicta.

Vidimus Deum] Per Angelum ſe nobis patefacientem.

25. *In caſtris Dan inter Saraa & Eſthaol*] Danitarum poſſeſſio hoc loco ſe inſinuabat intra fines Iudæ. Vide 1 Paral. ii. 54.

CAPVT XIV.

4. N*Eſciebant quod res à Domino fieret*] Neſciebant illum ſpeciale habere mandatum ducendi Philiſthinam contra Legem. Simile vide Oſeæ 1. ſecundùm quoſdam.

6. *Dilaceravit leonem*] Indè ſibi ad majora auſpicium faciens, ut David 1 Sam. xvii. 34.

11. *Sodales triginta*] Honoris causâ, ut fieri novis maritis ſolebat (vide infrà 20. & quæ dicta ad Ioan. iii. 29.); revera ut eum cuſtodirent.

12. *Proponam vobis problema*] Mos vetus virorum excellentium de ingenio inter ſe certandi propoſitis ænigmatibus. Vide loca ex hiſtoria Dii & Menandri de ænigmatis inter Solomonem Iromúmque mutatis apud Ioſephum contra Appionem libro priore. Adde 1 Reg. x. 1. Habes & apud Herodotum exempla: & apud ſcriptorem convivii ſeptem Sapientum inter opera Plutarchi, & apud eos qui de Æſopi vita ſcripſère.

Si ſolveritis mihi intra ſeptem dies convivii, dabo vobis triginta ſindones & totidem tunicas] Solebant enim ſponſiones tales de ænigmatibus fieri, ut apparet dictis Dii & Menandri locis. Simile in tertia Virgilii Ecloga. Mos autem per ſeptem dies convivia nuptialia celebrari. quidam duplicabant hunc dierum numerum, Tob. viii. 22.

15. *Blandire viro tuo*] Muliebres blanditiæ parentum imperio ſæpè validiores. Herculem Thebanum Samſoni non malè compares, ingenti robore corporis animíque, mulieribus addictum. Vide & infrà xvi. 15. 16.

17. *Flebat ante eum*] Nimirum,

> *Vt flerent oculos erudiere ſuos.*

ait talium magiſter.

> *Hæc verba, mehercule, una falſa lacrymula,*
> *Quam oculos terendo miſerè vix vi expreſſerit*
> *Reſtinguet,* — —

ait in Eunucho Terentiana Parmeno.

18. *Die ſeptimo ante ſolis occubitum*] Intra dies ſeptem fit quod die fit ſeptimo. Vide l. *Si quis ſic*

dixerit. D. De verborum ſignificationibus, & quæ dicta libro tertio de Iure Belli & Pacis, c. XXI. §. 4. & in Annotatis ad eum locum. Solis occaſus finis νυχθημέρου [*dienoctii*] apud Hebræos vicináſque gentes.

19. *Aſcalonem*] Quæ urbs Philiſthinorum, II Sam. I. 20.

20. *Vxor autem ejus*] Non exſpectato repudio, infrà XV. 2.

CAPVT XV.

1. A*Ttulit ei hædum de capris*] De capris ideo additur, quia גדה vox Hebræa etiam agnos comprehendit, ut notavit David Kimchi. Erat hoc illis opibus munus non ſpernendum, Virgilio teſte:

> *Præterea duo nec tutâ mihi valle reperti*
> *Capreoli, ſparſis etiam nunc pellibus ambo,*
> *Bina die ſiccant ovis ubera, quos tibi ſervo.*

3. *Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſthæos: faciam enim vobis mala*] Vide & infrà II. & XVI. 28. Apud Thucydiden Platæenſes: Ὀρθῶς ἐπιμωρησάμεθα κατὰ τὸν πᾶσι νόμον καθεστῶτα τὸν ἐπιόντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι [*Rectè pænas de eis ſumſimus ſecundùm legem omnibus datam quæ permittit hoſtem ulciſci*]. Civilis apud Tacitum: *ad ſupplicium petitus jure gentium pænas repoſco*. Vide de Iure Belli ac Pacis, libro II. cap. XX. §. 8. Neque jus naturæ, neque jus gentium prohibet ſe ulciſci; ſed quia modus excedebatur, deinde etiam nè ex quavis cauſa rixæ orirentur, prohibuit id Ius civile, quale eſt etiam Ius Hebræis à Deo quidem, ſed valde ad modum legum humanarum, datum, quo Iure de extraneis ulciſci ſe nemo prohibetur: de civibus non prohibetur, niſi in rebus minoribus & quotidianis. Alia eſt ratio ſermonis per crucem ſanciti, in quo ſicut rerum æternarum aperta eſt ſponſio, ità & rerum caducarum, ex quibus ultio oritur, contemtus exigitur. Malè hæc confundunt multi, minùs nocentes ſi legi Hebrææ pluſquam ſatìs eſt tribuant; magìs verò, ſi ex iſtis temporibus ad noſtra Dei indulgentiam extendant. Heroes apud Homerum & Græcos alios, ut notatum Scholiaſtis, dediti amoribus, dediti iræ. Alios Heroas nobis dedit Euangelii lux, de qua dicam cum ſene Terentiano,

> *Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat.*

4. *Trecentas cepit vulpes caudáſque earum junxit ad caudas, & faces ligavit in medio*] Planè ſimilem hiſtoriam Carſeolanam, de vulpibus & facibus, ac per eas incensâ meſſe, habes apud Ovidium Faſtorum IV.

6. *Et combuſſerunt tam mulierem quàm patrem ejus*] Ingens crudelitas in eos qui malo occaſionem tantùm, nec id providentes dederant.

11. *Imperent nobis*] Hebræum: *dominentur in nos*, id eſt, *prævaleant nobis*. Vide quæ ſuprà X. 7.

19. *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini*] Græci, τὸν λάκκον [*cavernam*], alii τὸ τραῦμα [*vulnus*]. Credibile eſt ſignificari hiatum, quem in maxillâ projecta fecerat dens eâ vi excuſſus.

CAPVT XVI.

1. M*Vlierem meretricem*] Lex vetat Iſraëlitidas eſſe meretrices. Extraneis talem vitam profitentibus uti non vetat. Aliud eſt in Euangelica lege, quæ gentium diſcrimina ignorat. Vide quæ dicta ad Deut. XXIII. 17. & XXI. 11.

5. *Principes Philiſthinorum*] Satrapæ ut ſuprà. Vide & infrà 27.

7. *Cui reſpondit Samſon*] Iniquum poſtulatum mendacio eludens, ut inter amantes fieri ſolet.

17. *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea*] Quippe fœdere violato quod ei cum Deo intercedebat, qui roboris tam immenſi donator erat. Non diſſimile eſt quod de fato Niſi Megarenſium Regis narrant non Poëtæ tantùm, ſed & Pauſanias:

> *Nam capite à ſummo regis, mirabile dictu,*
> *Candida cæſaries, florebant tempora lauro,*
> *Et roſeus medio fulgebat vertice crinis:*
> *Cujus quàm ſervata diu natura fuiſſet,*
> *Tam patriam incolumem Niſi, regnúmque futurum*
> *Concordes ſtabili firmarunt numine Parcæ.*

21. *Clauſum in carcere molere fecerunt*] Piſtrinum & hîc carcerem vocat, ut Exodi XII. 29. Oculi autem adimi in piſtrinum damnatis ſolebant, ne vertigo labori obſtaret; qua de cauſa & ſervis lac verſantibus, & vas in quo lac erat circumcurſantibus, ademtos oculos narrat Herodotus Melpomene.

23. *Dagon deo ſuo*] Sunt piſces supernè hominem præferentes, unde gentes numina fecêre quæ *Tritones* Græcis, *Dagon* Phœnicibus, à דג quod eſt *piſcis*, non à דגן quod eſt *frumentum*, ut putavit Philo Byblius ambiguo vocis deceptus. Tales in feminino ſexu *Nereides* & *Sirenes*: quâ ſpecie dea Phœnicum erat Derceto vel Dercetis, aliis Atargatis. Meminit Lucianus de dea Syria: Diodorus Siculus apud Aſcalonem cultam ait. Meminêre & Plinius & Arati Scholiaſtæ Græci & Latini. Puto Græcos literam *r* interpoſuiſſe; nomen autem ejus Phœnicium fuiſſe דגתא [*Dageto*], piſcis femina.

30. *Moriatur anima mea cum Philiſthiim*] Id apud Hebræos abiit in proverbium, par iſti Latino:

> *Pereant amici dum unà inimici interbitent.*

Hebræi autem non tantas edocti patientiæ leges, quantas Chriſtiani, aliquas eſſe mortis ſibimet conſciſcendæ cauſas ſatìs graves exiſtimarunt, ut multis demonſtratum eſt libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. IX. §. 5.

CAPVT XVII.

2. S*Vper quibus me audiente juraveras*] καί με ἠράσω [*& me devoveras*]. Græci, id eſt, diris devoveras eum qui pecuniam illam haberet.

5. *Et Theraphim*] μορφώματα [*ſimulacra*], quæ Cherubinorum habuiſſe formam cenſet Hieronymus ad Marcellam, & I Sam. XXII. & II Sam. VI. 14. quomodo accipiendum etiam videtur Oſeæ III. 4. Eſt enim vox media ad bonas maláſque imagines pertinens. Hanc interpretationem ſi ſequimur, hæc Teraphim dicemus infrà vocari אלהים, id eſt, *Angelos*, quia Angelos ſignificabant. Sculptilia autem

& fictilia erunt, altaria, candelabrum, aliáque ejuſmodi minuta, vice magnorum quæ erant in Sanctuario, ſicut

Torquatus nitidas Pario de marmore thermas
Exſtruxit, cucumam fecit Otacilius.

5. *Et factus eſt ei Sacerdos*] Nimirum quia publicè Sacerdotes officio non fungebantur, per culpam, aut loca infeſta latrociniis, exiſtimavit Michas vel privatâ religione Deum ſibi colendum: ideóque cùm primùm filium ſuum voluiſſet ſibi eſſe ſacerdotem, mox repertum Levitam ei prætulit, ut quàm proximè ad Legis conſtituta accederet. Colebat enim verum Deum יהוה, hîc 3. & 13. XVIII. 5. Et Deus conſulenti vera reſpondet, infrà XVIII.

6. *In diebus illis non erat rex in Iſraël*] Poſt Samſonis mortem. Vox *regis* hîc latiùs ſumta, ut & *Iudicem* ſive *Dictatorem* comprehendat, ut Geneſ. XXXIII. 5. & infrà fine hujus libri.

7. *De Bethlehem Iuda ex cognatione ejus, erátque ipſe Levita*] In Hebræo, *de familia-Iuda*: quod referri poteſt ad denotationem Bethlehem, nam erat & aliud oppidum eo nomine.

CAPVT XVIII.

1. V*Sque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat*] Non potuerat eripere Cananæo ſortem quam Ioſue ipſi aſſignaverat. Ioſue XIX. 40.

7. *Venerunt Lais*] Colonia videtur fuiſſe Sidoniorum; ſed à Sidone longè abſita, nulli vicinorum juncta federe, mirè ſecura, ac dives. quæ omnia incitamenta hoſtibus.

Magnarúmque opum] In Hebræo: *poſſidens theſauros*.

19. *Vt habeamus te patrem*] Ità honoris causâ appellari ſolebant Sacerdotes, ſuprà XVII. 10. Sic ex ſacro privato tribule factum eſt.

26. *Videns autem Michas quòd fortiores ſe eſſent, reverſus eſt in domum ſuam*] Bene ſanè:

Ἄφρων δ᾽ ὅς κ᾽ ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν.
[*Qui contendere amat potioribus, is ſine mente eſt.*]

28. *In regione Rohob*] בית quod in Hebræo eſt pro communi nomine ſumſit; ut & Græci, ἐν τῇ κοιλάδι τοῦ οἴκου Ῥαάβ [*in valle domûs Raab*]. Alii nominis proprii partem cenſent, ut regio dicta fuerit *Betrahab*.

29. *Quæ priùs Lais dicebatur*] אולם ſumſit pro adverbio affirmantis. At LXX pro nomine, ut dicta ſit urbs אולם ליש, id eſt *porticus Laiſchi*. Simile habuimus Geneſ. XXVIII. 19. ubi vide.

30. *Filium Gerſam*] Id eſt, è poſteris Gerſami.

Filii Moyſi] Legit interpres משה, non מנשה [*Manaſſæ*] ut Hebræi codices habent, ſed emendatiores Nun ſuſpenſo, quo Maſoretæ indicarunt hanc literam eſſe παρένθετον [*interjectam*]. Gerſamus Moſis filius, Exod. XVIII. 3. 1 Paralip. XXVI. 24.

Vſque ad diem captivitatis ſuæ] In Hebræo, *Vſque dum caperetur terra*: id eſt, magna pars terræ: à Philiſthinis nempe, 1 Sam. IV. 10. Nam tunc Arca deſiit eſſe in Silo, ut hîc ſequitur. Vide & Pſalm. LXXVIII. 60.

CAPVT XIX.

1. A*Ccepit uxorem*] In Hebræo, *feminam concubinam*: nàm nomen פילגש honeſtius eſt quàm Græcum παλλακή, & Latinum *pellex*, quæ tamen indè venerunt. *Pellex* eſt uxorem habentis, *concubina* poteſt eſſe cœlibis; neque talis conjunctio contra legem aut bonos mores erat illis temporibus.

2. *Quæ reliquit eum*] Sic LXX. ἐπορεύθη ἀπ᾽ αὐτοῦ [*abiit ab eo*]. In Hebræo eſt תזנה עליו; ſed תזנח [*longè ſe fecit*] videntur legiſſe iſti interpretes. Poteſt tamen & זנה, quod propriè *ſcortari* ſignificat, tranſlatè ſignificare *abalienationem animi*: quo ſenſu quidam Græci codices habent ὠργίσθη αὐτῷ [*irata eſt ei*]. Hieronymus in Michæam cap. V. *Et irata eſt ei concubina ſua.*

15. *Nullus eos recipere voluit hoſpitio*] Non erant eo tempore illis in locis diverſoria omnibus patentia. Mira hominum feritas hîc deſcribitur ab Abrahami τοῦ ξενοδόχου [*hoſpitalis*] moribus, ad Sodomi civium mores deflexo ingenio.

21. *Poſtquam laverunt pedes ſuos*] Qui mos ante cœnam. Vide Ioan. XIII. 5.

24. *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos*] Simile vide Geneſ. XIX. 8.

Vt humilietis eas] De hujus vocis ſignificatu vide quæ dicta ad Deuter. XXI. 14.

26. *Et ibi corruit*] Stupratarum ad mortem uſque exempla etiam in Moſcovitarum & Turcarum hiſtoriis habemus.

29. *Et cadaver uxoris ſuæ cum oſſibus ſuis in* XII. *partes, ac fruſta concidens, miſit in omnes terminos Iſraël*] Atrocitas facti ad atrocia remedia eum compulit. Nec falſus ſpei fuit; nam hic conſpectus fecit ut omnes tribus in commune conſulerent, quod pridem factum non fuerat.

CAPVT XX.

2. I*N Eccleſiam Dei*] קהל Hebræum & Græcum, ἐκκλησία, idem hîc valet quod Græcum σύνοδος, Latinum *conventus* aut *concilium*. Hanc vocem de Gallia uſurpat Cæſar, Tacitus de Germania.

10. *Et reddere ei pro ſcelere quod meretur*] Repete quæ dicta ſuprà Ioſue XXII. 11.

12. *Miſerunt nuncios ad omnem tribum Benjamin*] Vide quæ dicta Ioſue XXII. 16.

13. *Tradite homines de Gabaa*] Dedite illos noxæ, ut vos liberemini. Vide quæ dicta de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XXI. §. 4. 5.

18. *Conſuluerúntque Deum atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Benjamin?*] Priùs conſulere Deum debuerant an bellum ſuſcipiendum eſſet in Benjaminem. Ejus enim rei causâ præcipuè datum erat Vrim & Thummim. Vide 26. ubi hæc culpa corrigitur.

23. *Et flerent*] Piè admodum, quod in excommunicationibus ſecuti Chriſtiani. Ac ſic veteres interpretantur illud 1 Cor. V. 2. ἐπενθήσατε [*luctum habuiſtis*].

26. *Et obtulerunt ei holocauſta atque pacificas victimas*] Reſtituerunt decreto publico cultum publicum intermiſſum ob negligentiam non Phineæ, ſed aliorum Sacerdotum, aut ob loca non tuta. Vide ſuprà XVII. 5.

28. *Aſcendite, cras enim tradam eos in manus veſtras*] Victoriam eo die promiſit Deus & præſtitit, non antè tamen quàm populum valde corruptum peſſimorum interitu purgaſſet: quod & ipſum beneficii erat genus.

29. *Poſuerúntque filii Iſraël inſidias*] Vide Ioſuæ VIII. 2.

35. *In illo die viginti quinque millia & centum viros*] Bene *in illo die:* nam & prioribus præliis quanquam ſuperiores Benjaminitæ, ſuorum amiſerant ferme mille. Vide ſuprà 15.

44. *Fuerunt autem qui in eodem loco interfecti ſunt decem & octo millia virorum*] In ipſo pugnæ æſtu. Eſt enim ἐπάνοδος [*retrogreſſio*]. Itaque rectè vertas, *fuerant interfecti.*

46. *Viginti quinque millia*] Et quod excedit. Vide ſuprà 35. Commune gentibus omnibus majores numeros exprimere, reticere minores ubi parum ad ſummam conferunt.

CAPVT XXI.

2. *ET magno ululatu cœperunt flere*] Expletâ ultione ſubit miſeratio.

7. *Ablata eſt tribus una de Iſrael*] Vncia ex aſſe.

10. *Ite & percutite habitatores Iabes Galaad*] Pœna ἀστρατείας [*deſertæ militiæ*]. Vide ſuprà v. 23.

21. *Rapite ex eis ſinguli uxores ſingulas*] Sic Romulus, & qui cum eo erant Magnis Circenſibus Sabinas rapuêre. Defendit aut excuſat hoc factum Benjaminitarum Ambroſius loco quem protulimus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 5. Seneca in excerptis: *Lex eum tenet qui juvat exſulem, non qui patitur juvari.* Symmachus: *Inanem metum divino animo veſtro tentat incutere, ſi quis aſſerit conſcientiam vos habere præbentium niſi detrahentium ſubieritis invidiam.* Certè illi innocentes erant qui conſilium rapiendi non dederant: quod ipſum factum non fuiſſet, ſi Princeps cum imperio fuiſſet in populo. Vide finem hujus capitis.

AD LIBRVM RVTHIS.

CAPVT I.

1. IN *diebus unius Iudicis*] Sub Heli Sacerdote ac Iudice. Ioſephus.

Facta eſt fames] Cujus miniſterio Deus ſæpè magna efficit.

4. *Altera verò Ruth*] Proneptis Balaci ex Eglone, ut tradit Gemara. Hanc ego feminam conferre ſoleo Ocriſiæ Corniculanæ. peregrina utraque. Ocriſia Regem urbi Romæ genuit, Ruth Hebræorum Regum maximi Davidis progenitorem. Meritò autem Rahabam & Ruthem in genealogia Meſſiæ poſuit Matthæus, tanquam præludia vocationis gentium, quæ per Meſſiam facienda erat.

8. *Sicut feciſtis cum mortuis*] Impropria locutio, ſed intellectu facilis: id eſt, maritis veſtris qui nunc ſunt mortui.

13. *Si eos exſpectare velitis donec creſcant*] Non quòd lege quæ exſtat Deuter. XXV. 5. obligentur nondum nati, ſed quòd hoc quoque meritæ videbantur. Sic Hebræi.

16. *Deus tuus, Deus meus*] Multum erat tempore tam latè regnantis idololatriæ unum Deum credere, infrà II. 11. 12. Amicitia aliqua eſſe poteſt etiam inter diverſi cultûs homines, ſuprà 8. At ea demum firma atque individua eſt, quæ veræ religionis habet vinculum.

17. *Hæc mihi faciat Dominus, & hæc addat*] Mala ipſa expreſſit, putà egeſtatem, famem, peſtem, aut alios morbos, quæ exprimere hiſtoriam hanc ſcribenti nihil fuit neceſſe.

CAPVT II.

4. *DOminus vobiſcum*] Mos erat bene precari opus facientibus, Pſal. CXXVI. 5. 6. CXXVIII. 7. 8. De formula ipſa, vide quæ ad Lucam I. 28.

10. *Adorans ſuper terram*] Quo major honor non poterat exhiberi. Vide ad Matth. II. 11. VIII. 2.

12. *A Domino Deo Iſrael, ad quem veniſti*] Magna Boozi pietas apparet, qui feminæ extraneæ pietatem & miratur, & liberaliter repenſat. Tam regalis animi vir dignus erat ex quo Rex naſceretur. Talis Cimon Athenis, qui macerias agrorum ſuorum diruit, ut qui vellent rebus ibi natis uterentur.

14. *In aceto*] Aut in lora, de qua vide Varronem De re ruſtica lib. I. c. 54. Columellam XII. 40.

15. *Etiamſi vobiſcum manere voluerit, ne prohibete eam*] Multò plus præſtat quàm quod jubet Lex, Levit. XIX. 10. XXIII. 22. Deuteron. XXIV. 19. Nimirum præcepta illa ſpecialia Legis rudimenta tantùm erant earum virtutum ad quas feruntur illuſtres animæ.

18. *Et dedit ei de reliquiis cibi ſui*] De apophoretis.

20. *Servavit & mortuis*] Mortuis videtur benefieri, cùm eorum causâ benè fit iis quos illi caros habuêre. Claudianus de laudibus Stiliconis II.

Non vivis annexus amor, meminiſſe ſepultos
Deſinit: in prolem tranſcurrit gratia patrum.
Hac tu Theudoſium, tenuit dum ſceptra, colebas:
Hac etiam poſt fata colis: nec pignora curas
Plus tua, quàm natos dederat quos ille monendos
Tutandoſque tibi.

Michaël Epheſius ad v. Nicomachiorum: ὃ γὰρ ἡ γυνὴ ἢ οἱ παῖδες ἢ οἱ συγγενεῖς τοῦ φονευθέντος ἔλαβον, τρόπον τινὰ ἐκείνῳ δέδοται [*nam quod uxor aut liberi aut propinqui hominis occiſi accipiunt, id quodammodo ipſi datur*]. Moriturus apud Procopium primo Perſicorum: τὰ παιδία ὠφελῶν ὠφελήσεις ἐμέ [*liberis meis benefaciens mihi benefeceris*]. Sic Valentiniano mortuo gratiam in filio ejus reddidit Theodoſius, teſte Zoſimo.

20. *Propinquus eſt noſter*] In Hebræo additur מגאלנו, ἐκ τῶν ἀγχιστευόντων ἡμῖν ἐστι [*ex iis eſt qui vindicare nos debent*]. Vide Levitici xxv. 25. Putatur Booz patruus fuiſſe Machlonis, ſed non maximus natu patruorum.

CAPUT III.

1. *Quæram tibi requiem*] Vitam tutam ſub mariti præſidio.

3. *Lavare igitur, & ungere*] Formæ adminicula. Vide ad Matth. vi.17.

9. *Expande pallium tuum ſuper famulam tuam*] Sub tutelam tuam ut maritus me recipe. Vide Eſaiæ iv.1. Euripides Peliaſi ad virginem:

Ὅταν δ' ὑπ' ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς.
[*At ſi ſubieris conjugis clari togam.*]

10. *Quia non es ſecuta juvenes*] Rarum in juvenculis ſenilem gravitatem juvenilibus amœnitatibus antehabere: id honeſtum facit conſilium, quod alioqui turpe videretur.

12. *Eſt alius me propinquior*] Non gradu, ſed naſcendi ordine prior.

CAPUT IV.

2. *Tollens autem Booz decem viros*] Quod eſt עדה [*turba*], adhiberi ſolita ad actus legitimos, ut matrimonii, divortii, mancipationis, ceſſionis in jure.

5. *Ruth quoque Moabitidem, quæ uxor defuncti fuit debes accipere*] Nimirum lege quæ eſt Deuteron. xxv. 5. & ſequentibus, auctore conſuetudine à fratribus productâ ad propinquos alios, ut ad eum locum diximus. Hebræi tamen hîc de agro tantùm agi ajunt qui à marito Ruthæ donatus fuerit. At quæ igitur connexio, Si agrum habere vis, debes & viduam habere? & excalceatio nonne hîc planè, ut in Deuteronomio? Tum verò Ioſephus legum patriarum non ignarus, ità ut nos diximus explicat hunc locum. Verba ejus ſunt: Κἀκεῖνος (Boozus) ἤδη μεσούσης τῆς ἡμέρας κατελθὼν εἰς τὴν πόλιν, τήν τε γερουσίαν συνῆγεν, καὶ μεταπεμψάμενος Ῥούθην, ἐκάλει καὶ τὸν συγγενῆ· καὶ παραγενομένου φησὶν, Ἀβιμελέχου καὶ τῶν υἱῶν αὐτοῦ κλήρων κρατεῖς; ὁμολογήσαντος δὲ συγχωρούντων τῶν νόμων κατὰ τὴν ἀγχιστείαν, Οὐκοῦν φησὶν ὁ Βόοζος ἐξ ἡμισείας δεῖ μεμνῆσθαι τῶν νόμων, ἀλλὰ πάντα ποιεῖν κατ' αὐτοὺς μᾶλλον· ἰδοὺ γὰρ δεῦρ' ἥκει γύναιον, ὅπερ, εἰ θέλεις τῶν ἀγρῶν κρατεῖν, γαμεῖν σε δεῖ κατὰ τοὺς νόμους. ὁ δὲ Βοόζῳ καὶ τοῦ κλήρου καὶ τῆς γυναικὸς παραχωρεῖ, συγγενεῖ μὲν ὄντι καὶ αὐτῷ τῶν τετελευτηκότων· εἶναι δὲ καὶ γυναῖκα λέγων αὐτῷ καὶ παῖδας ἤδη. μαρτυράμενος οὖν ὁ Βόοζος τὴν γερουσίαν ἐκέλευσε τῇ γυναικὶ ὑπολῦσαι αὐτὸν προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον καὶ τύπτειν εἰς πρόσωπον· καὶ γενομένου τούτου, Βόοζος γαμεῖ τὴν Ῥούθην [*Et ille ipſo meridie deſcendens in urbem fecit ut Senatus coiret, Ruthâque accitâ advocavit & propinquum. qui cùm acceſſiſſet, dixit ei: Abimelechi & filiorum ejus bona poſſides? illo fatente & addente id ſinere leges ob propinquitatem, Non ergò, ait Boozus, ex parte dimidia legum meminiſſe oportet, ſed omnia facere ſecundum leges. Ecce adeſt mulier quam ex legibus ducere debes ſi fundos retinere vis. Ille autem Boozo & mulierem & fundos ceſſit, quandoquidem & ipſe foret defunctorum cognatus, dicens eſſe jam ſibi uxorem & liberos. Teſtificatus ergò Senatum Boozus mulieri præcepit ut accedens calceum ei ſolveret & in faciem ſpueret. Eâ re peractâ ducit Rutham Boozus*]. ubi pro τύπτειν legendum πτύειν [*ſpuere*]. Lxx in illa lege Deuteronomii, Καὶ προσελθοῦσα ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ ἔναντι τῆς γερουσίας, καὶ ἀπολύσει τὸ ὑπόδημα αὐτοῦ τὸ ἓν ἀπὸ τοῦ ποδὸς αὐτοῦ, καὶ ἐμπτύσεται κατὰ τὸ πρόσωπον αὐτοῦ [*Et accedens uxor fratris coram Senatu ſolvet alterum de calceis à pede ejus, & in faciem ei reſpuet*]. Ipſe verò Ioſephus: ὑπολύσασα δ' αὐτὸν ἡ γυνὴ τοῦ ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύουσα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον, ἄξιον εἶναι παρ' αὐτῆς λεγέτω τυγχάνειν ὑβρίσαντα τὴν τοῦ κατοιχομένου μνήμην [*uxor autem fratris ſolvens ei calceamenta & in faciem ſpuens, dicet dignum eum qui hoc pateretur, ideo quòd defuncti memoriam dehoneſtaſſet.*]

6. *Neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo*] In Hebræo: *ne fortè corrumpam hereditatem meam.* quaſi dicat, malo aliam uxorem ducere, ut mihi, non mortuo, heredes ſint. At Ioſephus pútat, ut vidimus, huic homini fuiſſe uxorem & liberos; itaque hæc verba, puto, ſic intellexit: Nolo mihi aliam uxorem ſuperaccerſere, & alios in domum liberos adducere, ne pacem turbem familiæ meæ, & alienis rebus intentus meas negligam.

11. *Faciat Dominus hanc mulierem quæ ingreditur domum tuam ſicut Rachel & Liam*] Formula fauſtæ apprecationis in nuptiis, nunc etiam Iudæis uſitata.

AD LIBRVM PRIOREM SAMVELIS
APVD HEBRÆOS,
QVI APVD LATINOS
PRIMVS REGVM.

Libri qui jam ſequuntur quatuor, Βασιλειῶν dicuntur Græcis ; & ſic à Latinis etiam quibuſdam veteribus, Græco nomine appellantur, id eſt, *Regnorum:* quia primùm de XII tribuum Regno agunt : deinde de Regno Iudæ,& Regno Iſraëlis jam intet ſe diviſis. Latini *Regum* dicere maluerunt. Et ſanè hiſtoriam ſatis fuſam continent rerum geſtarum à Regibus,præpoſitâ tantùm Samuëlis hiſtoriâ , quæ ipſa ad noſcendam originem inſtituti regni erat perneceſſaria. Hebræi tamen poſteriores ex quatuor nominant *Regum libros ;* priores autem duos *Samuëlis :* quod mirum videri poteſt , cùm prior tantùm , & quidem parte ſui Samuëlis res contineat. Neque tamen defuit illis,quam ſequerentur , ratio. Nam Saülis exitus oſtendit vera fuiſſe quæ Saüli Samuel prædixerat : & quæ liber alter de Davidis rebus narrat, Samuëlis ejuſdem vaticinia Davidi facta comprobant. Accedit quòd unxit utrumque Samuël, & conſiliis inſtruxit, quæ ſpreta à Saüle vindicavit Deus, Davidi iiſdem parenti res dedit valde proſperas atque magnificas. Si quis externorum aliquos his velit comparare , inveniet Samuëlem juſti ac recti ſemper tenacem , opum contemtorem , qualis Ariſtides. Saülem ex virtutibus vitiiſque mixtum, & in utriſque inconſtantem , qualis Alcibiades. Davidem ex privato Principem, fortem , ingenioſum, bello felicem, victoriis inclytum, gentium domitorem , clementem admodum, ſed mulieroſum, qualis Cæſar Dictator. Scriptor horum librorum quatuor, Hebræorum eruditiſſimis creditur eſſe Ieremias. ſermonis forma non diſcrepat : vide quæ dicemus ad I Reg.VI.2. Eum verò credibile eſt uſum commentariis illis Nathanis & Gadis Prophetarum, quorum mentio I Paralip. XXIX. 29. Et ſub Ieremiæ nomine citat hos libros Concilium Francofurtenſe.

CAPVT I.

3. STatutis diebus] In Hebræo : *diebus in dies.* Græcè , ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας [*ex diebus in dies*] . id autem eſt *quotannis.*

4. *Deditque Phenennæ uxori ſuæ & cunctis filiis ejus & filiabus partes*] Qui offerebant שלמים [*ſacra pacifica*] , iis Sacerdos, detractis ſuis partibus , cætera reddebat , de quibus inſtruebatur convivium. convivator autem convivis dabat partes quas vellet , ut Geneſ. XLIII. 34.

Annæ autem dedit partem unam triſtis] Pro *triſtis* in Hebræo eſt אפים , quod interpretantur *honorabilem.* quid ſi intelligamus maxillam alteram ? nam alteram habebat Sacerdos.

Quia Annam diligebat , Dominus autem concluſerat vulvam ejus] Teneriùs amari ſolent infelices. Tam autem ſterilitas quàm fœcunditas Deo aſſcribuntur. Vide quæ dicta Geneſ. XXX. 2.

6. *Æmula ejus*] ἡ ἀντίζηλος Græcè. Raró contingit domus tranquilla iis qui plures uxores habent. Itaque δίδυμα λέκτρα [*binos lectos*] Euripides in Andromacha dicit eſſe ἔριν οἴκων , δυσμενεῖς τε λύπας [*odii & diræ ſemina rixæ*] .

8. *Numquid non ego melior tibi ſum quàm decem filii*] In concorde matrimonio plus boni eſt quàm in ipſa fœcunditate.

11. *Domine exercituum*] In Hebræo eſt , יהוה צבאות. At plus videtur fuiſſe in codicibus aliis. nam LXX vertunt Κύριε ἐλωὲ σαβαώθ [*Domine Deus Sabaoth* ſive *exercituum*],& Chryſoſtomus in VI. ad Epheſios citat , Ἀδωναὶ ἐλωὶ σαβαώθ , ubi ἀδωναὶ eſt pronuntiatio recepta vocis יהוה, Κύριε [*Domine*] autem ejus interpretatio.

Dabo eum Domino] Vt in Templo ſerviat , ſicut diximus ad Iud. XI.31. ſed hoc matris votum ratum tum demum eſſe cœpit , cùm id probavit pater, Num. XXX.7. infrà 21.23.

Et novacula non aſcendet ſuper caput ejus] Votum non eſſe Nazaræatûs , ſed aliquid indè imitari diximus ad Num. VI. vide & Iud. XIII.

13. *Tantùmque labia ejus movebantur*]Ità fieri præcipiunt Iudæi , quòd precationem ſolo cogitatu nimis frigidam arbitrentur.

16. *Nè reputes ancillam tuam quaſi unam de filiabus Belial*] *Servus tuus , ancilla tua* , ſunt verba honoris apud Hebræos , ut Geneſ. XXXIII. 5. XLII. 10. Ruth. III. 9. Homines בליעל, id eſt , *ſine jugo* , ut interpretatur Hieronymus , dicuntur qui vivendi legem nullam habent : itaque Græci modò vertunt παράνομοι [*legirupæ*] , modò λοιμοὶ [*peſtilentes*], modò ἀσεβεῖς [*impii*] , modò ἄφρονες [*mente capti*] . Et hoc loco LXX habent , εἰς θυγατέρα λοιμήν [*ut filiam peſtilentem*] . Theodotio , ὡς μίαν τῶν ἀπαιδεύτων [*ut unam malè inſtitutarum*] .

17. *Deus Iſrael det tibi petitionem tuam*] Sacerdotis verba ſæpè Deus regit. Vide Ioan. XI. 51.

18. *Vultúſque ejus non ſunt ampliùs in diverſa mutati*] Adeò erat plena bonæ ſpei.

CAPVT II.

4. ARcus fortium ſuperatus eſt] Providentiam Dei ea maximè oſtendunt quæ inopinata eveniunt.

5. *Donec ſterilis peperit plurimos*] In Hebræo, *ſeptem.* Sed ſenſus rectè expreſſus eſt ; is enim

numerus multitudinem ſignificat. Prov. XXIV. 16. Pſal. CXIX.164. Levit.XXVI.18.

7. *Humiliat & ſublevat*] Heſiodus:

Ῥέα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει·
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει·
Ῥεῖα δέ τ' ἰθύνει σκολιὸν καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης, ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει.

[*Nam facilè attollit quenquam elatúmque revellit,*
Et facilè illuſtrem minuit, clarátque latentem,
Corrigit & curvum facilè attenuátque ſuperbum
Iuppiter altitonans qui ſummas incolit arces.]

8. *Domini enim ſunt cardines terræ, & poſuit ſuper eos orbem*] Habet terra ſuos polos quibus aut ſuſtinet ſe in quiete, aut, ut alii volunt, in motu ſe librat: quod imitatur magnes.

10. *Dabit imperium regi ſuo, & ſublimabit regnum cornu Chriſti ſui*] Latiſſimè propagaturus eſt fines Regi illi quem uncturus eſt Samuël, id eſt, Davidi. Myſticè tamen ad Euangelium hæc rectè referuntur.

12. *Porrò filii Heli, filii Belial neſcientes Dominum*] Virorum excellentium ſæpe filii peſſimi exſtiterunt. Cauſæ, præter phyſicas, hæ ſunt: quòd viri illi eminentes toto animo ad publica ferantur, ut digna magno animo pabula, privatámque rem ideo negligant; deinde quòd liberis ex paterno honore accedat ſuperbia, & pigritia ex ſpe facili dignitatum. Accedit interdum ut in Heli, bonitas, quæ ubi nimia eſt nomen ſuum amittere, & diſſolutio potiùs diſciplinæ vocari meretur.

13. *Neque officium Sacerdotum*] Connectit hæc interpres cum præcedentibus. Alij משפט δικαίωμα interpretantur *conſuetudinem*, quamvis malam; & referunt ad ſequentia.

17. *Quia retrahebant homines à ſacrificio Domini*] Peccata manifeſta Sacerdotum populum à vera religione avertunt, & propterea graviter ea Deus punit, & in iis qui admittunt, & in iis qui connivent, III. 12. Neque tamen per hoc impuratur Sacerdotium, cui & talibus temporibus pii piè inſerviunt: ut oſtendunt jam jam ſequentia.

24. *Nolite filii mei: non enim eſt bona fama quam ego audio*] Qui puniendi jus habent ii monendo tantùm non defunguntur officio. Nihil opus hîc repeti quæ congeſta libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap.XXX.11. & in Annotatis. Vide infrà III. 13.

25. *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus; ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?*] Omnia quidem peccata Deum offendunt, ſed maximè ea quæ directè contra ejus Majeſtatem feruntur. Vide Act. V. 5. & quæ dicta nobis ad Matth. XII. 31. In talibus autem criminibus Deus deprecationes non ſemper audit, ut apparet infrà III. 14. Ezech. VIII. 18. Ierem. VII. 16. 1 Epiſt. Ioan. V.16.

Et non audierunt vocem patris ſui, quia Deus voluit occidere eos] Iis qui & gravia & diu & ſæpè moniti peccant Deus prudentiam adimit, ut ante pœnam improbitas eorum aperta fiat. Hæc eſt induratio peremtoria. Hoc eſt quod voluit Æſchylus:

——— Θεὸς μὲν αἰτίαν φύει βροτοῖς
Ὅταν κακῶσαι δῶμα παμπήδην θέλῃ.
[——— *Culpam hominibus inſertat Deus*
Cùm vertere illi ſtirpitus viſum domos.]

Vellejus Paterculus de Varo, *Prævalebant jam fata conſiliis, omnémque animi ejus vim præſtrinxerant: quippe ità ſe res habet, ut plerumque, qui fortunam mutaturus eſt, conſilia corrumpat.* Ammianus Marcellinus libro XIV. ait, *manum injicientibus fatis hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Vera hæc, vera. vide II Paralip. X.15.

27. *Venit autem vir Dei ad Heli*] Prophetæ in exercitio muneris ſui & Regibus & Sacerdotibus majores.

30. *Loquens locutus ſum*] Id eſt, planè propoſueram.

Nunc autem dicit Dominus] Decreta Dei non omnia ſunt abſolutè definita, qualia illa de quibus egimus ſuprà 25. ſed multa conditionem in ſe continent, quâ deficiente deficiunt.

31. *Vt non ſit ſenex in domo tua*] Id eſt, dignitate præditus. Vide infrà 36.

32. *Et videbis æmulum tuum in Templo*] Hebraïcè: *oppreſſorem in Sanctuario.* Impletum hoc vide IV.11.

In univerſis proſperis Iſrael] Cæteris rebus proſperis, ut appareat accidere hoc malum ob profanata ſacra.

33. *Sed ut deficiant oculi tui, & tabeſcat anima tua*] Ideo vivent ad tempus aliquod, ut tibi ſummo dolori ſint, quod verbis ſequentibus apertiùs explicatur.

35. *Et ſuſcitabo mihi Sacerdotem fidelem*] Quomodo? inclinando corda Regum, quibus jus erat eligere ſummum Sacerdotem, ſed ex Aaronis familia, quamdiu ea exſtabat. Idem jus Synedrio fuit, quoties Reges non erant. Propriè autem hîc de Sadoco agitur. Vide hiſtoriam 1 Reg. II.34. 1 Paral. XIX.22.

Et ambulabit coram Chriſto meo] Coram Solomone in Regem ſolemniter uncto. Vide dictum jam Paralipomenon locum.

36. *Veniat ut oretur pro eo*] In Hebræo: *veniat incurvatum ſe.* Erit inter Sacerdotes minimus, cui nihil aliud quàm Deum orare liceat, non majora peragere.

Offerat nummum argenteum] In Hebræo: *minutum argenti*, præ paupertate. *offerat*, nempe in gazophylacium.

Et tortam panis] Pro peccato, non bovem aut pecudem, ac ne avem quidem, præ eadem paupertate ſcilicet, Levit. V.11. 12.

Mitte me obſecro ad unam partem ſacerdotalem] In Hebræo: *adjunge me quæſo uni ſacerdotiorum.* Græcè: παράρριψόν με ἐπὶ μίαν τῶν ἱερατειῶν [*projice me in aliquam functionum ſacerdotalium*], id eſt, fac me vel minimæ alicujus operæ adjutorem, vt victum merear.

Vt comedam buccellam panis] Alimenta tenuia, qualia dari ſolebant Sacerdotibus à munere fungendo prohibitis, II Regum XXIII.9. Ezech. XLIV. 13. Videntur autem hæc intelligenda de Abiatharis ob crimen majeſtatis à ſummo Pontificatu demoti poſteris.

CAPVT III.

1. *Sermo Domini erat pretioſus in diebus illis*] Rarum erat ut cuiquam ſe Deus revelaret. Vide infrà 21.

Non erat viſio manifeſta] *Viſio* hìc generaliter ſumitur, pro quavis revelatione.

7. *Necdum ſciebat Dominum*] Non ſciebat Dominum cum Prophetis ſuis agere voce tam ſubmiſsâ, quæ ob id בת קול [*filia vocis*] dicitur. Sic Maimonides.

13. *Noverat indignè agere filios ſuos*] In Hebræo: מקללים להם [*maledicentes ſemetipſos*], ſed notant Hebræi pro להם [*ſemetipſos*] olim fuiſſe לי [*me*], & ſic legerunt Lxx. vertunt enim ὅτι κακολογοῦντες τὸν θεὸν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ [*quia maledicentes Deo filii eius*].

17. *Hæc faciat tibi Deus & hæc addat, ſi abſconderis ſermonem*] ἐξορκισμὸς [*adjuratio*], ſive Latinorum ſenſu, obſecratio. Vide Iud. XVII. 2. Ruth. II. 17.

18. *Dominus eſt : quod bonum eſt in oculis ſuis faciat*] Laudabile exemplum patienter ſe ſubmittentis Deo punienti. Laudabile & infrà, quod ſenſu publicæ calamitatis magìs quàm privatæ tangitur. IV. 18.

21. *Iuxta verbum Domini*] In Hebræo, *in verbo Domini* ; id eſt, per verbum : non in ſomnio, aut aliter.

CAPUT IV.

3. *Afferamus ad nos de Silo arcam federis Domini*] Non purgati à peccatis ſuis fruſtra ſpem in Deo collocant.

8. *Hi ſunt dii qui percuſſerant Ægyptum*] De Deo Hebræorum, non ut de Deo univerſi, ſed ut de Deo populi illius loquuntur. Confer I Reg. XX. 23. 28. II Reg. XIX. 12.

21. *Tranſlata eſt gloria de Iſrael*] Arca ſuper quam Deus glorioſè apparere ſolebat.

CAPUT V.

5. *Propter hanc cauſam non calcant ſacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediuntur templum ejus, ſuper limen Dagon in Azoto*] Voluit Deus miraculi à ſe dati monumentum exſtare in ipſis idololatrarum ritibus.

6. *In ſecretiori parte natium*] In Hebræo ſcribitur עפלים, legitur טחרים [*anus*, aut *ejus plaga*], ut & Deut. XXVIII. 27. quibus locis Lxx εἰς τὴν ἕδραν, & εἰς τὰς ἕδρας [*ſedes*]. Symmachus, περιελύθησαν αὐτῶν αἱ ἕδραι [*perturbatæ ipſorum ſedes*]. fici aut mariſcæ videntur intelligi. At Ioſephus δυσεντερίαν [*tormina*] fuiſſe putat; Aquila, referente Theodoreto, φαγέδαιναν [*ulcus ſerpens*].

8. *Congregaverunt omnes Satrapas Philiſtinorum*] Fuêre ergo Philiſthini ὀλιγαρχούμενοι [*ſub regimine paucorum*].

9. *Et computreſcebant prominentes extales eorum*] In Hebræo ſenſus videtur eſſe, *Et antè ignotæ illis fuerant mariſcæ;* ut ipſa novitas morbi oſtentum augeat.

CAPUT VI.

3. *Reddite ei pro peccato*] Nimirum ex idololatrarum ſententia:

Munera crede mihi placant hominéſque deóſque.

Quod apud Homerum ſic poſitum,

Δῶρα θεοὺς πείθει, δῶρ' αἰδοίους βασιλῆας.

[*Dona deos placant venerandáque nomina reges*]. reprehendit Plato III. de Republica.

7. *Vaccas fætas*] *Fordas* vocabant Itali veteres, teſte Varrone libro V.

Quibus non eſt impoſitum jugum] ἀδμῆτας vocant Græci; *injuges* Latini, Feſto teſte. Vide quæ dicta Num. XIX. 2.

9. *Et ſiquidem per viam finium ſuorum aſcenderit contra Betſames*] Οἰωνισμός [*augurii captatio*].

11. *Et ſimilitudines anorum*] Simile quid ab Atticis factum docet nos ad Acharnenſes Ariſtophanis Scholiaſtes: Μηνίσαντος γὰρ τοῦ θεοῦ, (de Libero patre ſermo) νόσος κατέσκηψεν εἰς τὰ αἰδοῖα τῶν ἀνδρῶν, καὶ τὸ δεινὸν ἀνήκεστον ἦν. ὡς δὲ ἀπεῖπον πρὸς τὴν νόσον κρείττονα γενομένην πάσης μαγγανείας καὶ τέχνης, ἀπεστάλησαν θεωροὶ μετὰ σπουδῆς· οἳ δὴ ἐπανελθόντες ἔφασαν ἴασιν εἶναι μόνην ταύτην, εἰ διὰ πάσης τιμῆς ἄγοιεν τὸν θεόν. πειθέντες οὖν τοῖς ἠγγελμένοις οἱ Ἀθηναῖοι, φαλλοὺς ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ κατεσκεύασαν καὶ τούτοις ἐγέραιρον τὸν θεὸν, ὑπόμνημα ποιούμενοι τοῦ πάθους [*Irato deo* (Libero patre) *morbus occupavit verenda virorum gravis & inſanabilis. Cùm verò intermiſſis arte & præſtigiis ſanandi morbi quoſdam qui oraculum conſulerent ſollicitè ablegaſſent, hique retuliſſent : unam ſalutis ſpem eſſe ſi deum quàm maximo afficerent honore. Fidem habentes reſponſo Athenienſes, phallos privatim & publicè erexerunt, ſicque & deum honorarunt, & monumentum mali ſtatuerunt*].

18. *Uſque ad Abel magnum*] Legitur nunc in Hebræo אבל, ſed Lxx legerunt אבן : vertunt enim λίθον [*lapidem*].

19. *Eò quod vidiſſent arcam Domini*] Apud omnes gentes nefas habitum myſteria conſpici niſi ab initiatis.

CAPUT VII.

3. *Præparate corda veſtra Domino*] Hoc in pœnitentia præcipuum.

5, *In Maſphath*] Vide Iud. XX. 1.

6. *Hauſerunt aquam & effuderunt in conſpectu Domini*] Aqua effuſa lacrymas ſignificat.

10. *Intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſtiim, & exterruit eos*] Ovidius:

——— *Et humanas motura tonitrua mentes.*

Indè Græcè ἐμβρόντητοι, & Latinè *attoniti.*

13. *Et humiliati ſunt Philiſtiim, nec appoſuerunt ultrà ut venirent in terminos Iſraël. Facta eſt itaque manus Domini ſuper Philiſtæos cunctis diebus Samuelis*] Id eſt, ad regnum uſque Saülis Philiſthæi non auſi cum exercitu intrare fines Iſraëlitarum. Poſtea verò invaluêre iterum, ut apparet infrà XIII. 19.

14. *Erátque pax inter Iſrael & Amorrhæum*] Id eſt, abſtinebatur ab omni actu hoſtili, non ex federe, ſed ex mutuo metu.

15. *Iudicabat quoque Samuel Iſraelem cunctis diebus vitæ ſuæ*] Nempe à morte Helis ad regnum uſque Saülis.

16. *Ibat per ſingulos annos circuiens Bethel & Galgala*] In Hebræo eſt בשנה בשנה : Græci, κατ' ἐνιαυτὸν, ἐνιαυτὸν, id eſt, *quotannis.* At Ioſephus : Δὶς τοῦ ἔτους ἐπερχόμενος τὰς πόλεις, ἐδίκαζεν αὐτοὺς [*bis anno urbes obiens judicia exercebat*].

CAPVT VIII.

1. P*oſuit filios ſuos judices Iſrael*] Vice ſua.

Acceperúntque munera, & perverterunt judicium] Heſiodus:

> Τῆς δὲ δίκης ῥόθος ἑλκομένης, ᾗ κ' ἄνδρες ἄγωσι
> Δωροφάγοι, σκολιαῖς δὲ δίκαις κρίνωσι θέμιστας.
> [*Iuſtitiæ gravis eſt ſonus huc cùm fertur & illuc,*
> *Quò libitum eſt illis qui jus ob munera curvant.*]

4. *Majores natu*] Tribuum primores.

5. *Filii tui non ambulant in viis tuis: Conſtitue nobis regem*] Potuerant à Samuele poſtulare, ut demoveret filios à vicaria functione, & ipſe, non terras obiens, ſed domi res controverſas dijudicaret. Id æquius fuerat, quàm ſenem & Prophetam optimè meritum detrudere.

Vt judicet nos] Vt vindicet nos ab hoſtibus. Nam & hoc שפט dicitur: & hunc ſenſum magìs requirunt ſequentia infrà 20.

Sicut & univerſæ habent nationes] Vicinæ. Putabant enim, ut ait Ioſephus, οὐδὲν ἄτοπον εἶναι τῶν πλησιοχώρων βασιλευομένων τὴν αὐτὴν ἔχειν αὐτοὺς πολιτείαν [*nihil abſurdi in eo eſſe ſi cùm vicini regnarentur ipſi ſimili in ſtatu viverent*].

7. *Audi vocem populi*] Aliud eſt velle aliquid ut fiat, aliud ſinere fieri. Vide Oſeam XIII. 11.

Non enim te abjecerunt, ſed me, nè regnem ſuper eos] Exponitur hoc x. 19. Deus regnat per eos quos ſpiritu ſuo afflat, quales erant Iudices illi. Samuelem ergò cùm deſtituunt, Θεὸν ἀποχειροτονοῦσι τῆς βασιλείας [*Deo ipſi regnum abjudicant*], ut loquitur hîc Ioſephus. Similis locutio Lucæ x. 16. Et hinc interpretare quod eſt infrà XII. 17. 19. Alio tempore Regem ſibi facere ſine culpa potuiſſent, Deuter. XVII. 14. Vide quæ ibi dicta.

11. *Hoc erit jus regis*] De ſignificatu vocis משפט [*jus*] hoc loco vide quæ dicta de Iure Belli ac Pacis libro primo, cap. IV. §. 7. Summam eorum quæ ſequuntur explicat Ioſephus, dicens fore ut Rex eos tractet tanquam pretio emtos ſervos. Vicini enim Reges ſubditis ſuis imperabant quæ vellent, ut ἀνυπεύθυνοι [*nemini obnoxii*]. *Syros ſervituti natos* ait Livius; *de libertate eos nihil cogitare* Apollonius; *manûs patientes eſſe*, Iulianus: ut oſtendimus ad cap. III. §. 20. libri primi de Iure Belli ac Pacis. ideóque ſubditi paſſim in his libris ſervi Regum dicuntur. Dominatus autem hic regius ſecum ferebat ut pro arbitrio Reges dilectus facerent, capitationes & operas hominibus, tributa agris, mercibus vectigalia imponerent, contradicente nemine. Illud enim ibi locum habebat,

> *Rex ſum. nil ultrà quæro plebejus.*

Et impunè quidvis facere, id eſt Regem eſſe. Si peccarent graviter in Dei legem, ad Deum ultio pertinebat, non ad ſingulos, ac ne ad populum quidem. Vide quæ ſequuntur; & infrà XXVI. 10. 23.

18. *Non exaudiet vos Dominus in die illa, quia petiſtis vobis regem*] Multa ab initio ſunt voluntatis, deinde neceſſitatis. Exedendum eſt quod intriſti.

19. *Noluit autem populus audire vocem Samuelis*] Vulgus capitur inanibus, & mutationes amat. Pulchrum iis videbatur conſpicere hominem auratum & gemmatum, ſplendidè habitantem & epulantem, procedentem cum ingenti ſatellitio, καὶ μετὰ πολλῆς φαντασίας [*cum multa ambitione*].

CAPVT IX.

2. E*Lectus & bonus*] בחור, alibi *eximium*, hîc potiùs *juvenem* ſignificat, ut ſæpè alibi. Græci hîc habent εὐμεγέθης [*magnæ ſtaturæ*]. illud *bonus* noli ad animum referre. Significat enim hîc *pulchrum*. Itaque Ionathan hîc vertit שפיר, David Kimchi explicat טוב בתאר ובמראה [*bonus formâ & aſpectu*]. ſic oppoſitum רע [*malus*] pro deformi habemus Geneſ. XLI. 3.

Ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnem populum] Sic Diana apud Virgilium,

> *Gradiénſque deas ſupereminet omnes.*

pro quo Homerus:

> Πασάων δ' ὑπὲρ ἥγε κάρη ἔχει, ἠδὲ μέτωπα.
> [*Eminet illa ſuper cunctas frontemque caputque.*]

Vide infrà x. 23. 24. Amabant etiam hoc in Regibus ſuis Orientis populi, ità ut apud Æthiopes honores mandatos ex corporis magnitudine dixerit Ariſtoteles Polit. IV. 4. & Spartæ mulctatus Rex quòd exigui corporis uxore ductâ reges minutos daturus diceretur. Nec ſpernit Euripides,

> Εἶδος ἄξιον τυραννίδος.
> [*Formam regio dignam loco.*]

3. *Vade & quære aſinas*] Poteſt hæc hiſtoria in egregium proverbium verti. Quæſivit aſinas & invenit regnum.

7. *Quid feremus ad virum Dei*] Prophetæ, ut Philoſophi ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἐλάμβανον τὰ πρὸς τὰς χρείας [*à diſcipulis accipiebant quæ ſibi erant neceſſaria*], ut ait contra Celſum Origenes. Vide 1 Reg. XIII. 9. & quæ dicta ad Matth. x. 8.

9. *Vadens conſulere Deum*] Habes hanc locutionem Geneſ. XXV. 22.

Qui enim Propheta dicitur hodie, appellabatur olim Videns] Apparet multò poſt iſta tempora ſcriptum librum, quo firmatur conjectura poſita hujus libri initio. Etiam Græcis προορᾶν, Latinis *prævidere*, de vatibus dicitur. Confer Num. XXIV. 4.

11. *Egredientes ad hauriendam aquam*] Vide Geneſ. XXIV. 11. 15. 43. 45. Exod. II. 16.

13. *Ipſe benedicit hoſtiæ*] Eo enim tempore ob crebras migrationes nullus erat certus ad ſacrificium locus. Vide quæ dicta Deut. XII. 8.

16. *Ducem ſuper populum meum*] Antiquitus Rex erat ἡγεμὼν τῶν πρὸς τὸν πόλεμον [*Dux ad belli res*]. Ariſt. Polit. III. 14. Homerus:

> Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
> [*Ex æquo validus pugnare & rex bonus idem.*]

Et Tacitus: *Cætera utcunque diſſimulari; ſed boni ducis imperatoriam* (adde, aut regiam) *eſſe virtutem.*

Salvabit populum de manu Philiſthinorum] Novit Deus etiam ex malis conſiliis bonum elicere.

21. *De minima tribu Iſrael, & cognatio mea noviſſima inter omnes familias de tribu Benjamin*] Eò in minore futurus erat invidia Rex primus.

24. *Levavit autem coquus armum*] Siniſtrum. nam dexter erat Sacerdotis, Lev. VII. 32. Hic ergo armus portio erat ejus qui in convivio præcipuæ

eſſet dignitatis, ac proinde Regis, ubi is aderat; unde hanc partem μερίδα βασιλικὴν [*portionem regiam*] vocat Ioſephus.

CAPVT X.

1. D*Eoſculatus eſt eum*] Reverentiæ causâ, ut futuri Regis, manum oſculatus eſt. Vide Gen. XLI. 40. Pſal. II. 12.

Ecce unxit te Dominus] Sacerdotum exemplo uncti ſunt & Reges Hebręi, non Sacerdotes quidem, ſed multum habentes ſacerdotale, ſedem & jus loquendi in Sanctuario, inſpectionem in ſacra, jus eligendi aut deſtituendi Pontificis Maximi, aliorúmque Sacerdotum, & alia ejuſmodi; alio tamen modo: Sacerdotes in fronte decuſſatim; Reges in vertice ad coronæ modum illito oleo. Deus unxiſſe Saülem hîc, & infrà 24. eum elegiſſe dicitur: nempe κατὰ τὸ θέλημα ἑπόμενον [*ſecundùm voluntatem conſequentem*], non τὸ προηγούμενον [*antecedentem*]. Ità enim diſtinguunt veteres.

2. *Iuxta ſepulchrum Rachel*] Geneſ. XXXV. 19. Deus ſe nonnihil accommodans populi ſui ingenio, ſæpè ſuis vera dabat omina, qualia ſuperſtitioſi inaniter captabant. Vide Gen. XXIV. 14. & ſequentibus.

5. *Vbi eſt ſtatio Philiſthinorum*] Meliores erant Philiſthini, quàm nunc multi Chriſtianorum. Parcebant enim iis locis in quibus degebant viri ſtudiis divinis dediti. Vide quæ diximus de jure Belli ac Pacis libro tertio, cap. XI. §. 10.

Gregem Prophetarum] Solebant Prophetę à turba ſe ſegregare, & ibi juventutem ad pietatem inſtituere.

Et ante eos pſalterium, & tympanum, & tibiam, & citharam] Quibus mos erat uti, ubi Deo gratiæ de beneficio aliquo agebantur. Vide quæ dicta Iud. XI. 34. Præterea ea vis eſt quorundam ſonorum ut animum concitatum tranquillent, infrà XVI. 16. Alii torpentem excitant, & rebus magnis præparant, II Reg. III. 15. Sic ferocientes animos mollivit Pythagoras, ſeditiones accenſas inhibuit Aſclepiades, Damon ebrios ac petulantes juvenes ad modeſtiam reduxit, lymphaticos morbo liberavit Xenocrates. de quibus vide Capellam Saturæ libro X.

9. *Immutavit illi Deus cor aliud*] Fecit eum ſolito fortiorem ac prudentiorem; &, ne dubitaret ſe regno deſtinatum, etiam momentaneum Prophetiæ donum ei Deus contulit, II. Simile infrà XIX. 20. Spiritum autem illum regno adminiſtrando idoneum poſtea in pœnam peccatorum ei abſtulit Deus, infrà XVI. 14. Confer Pſal. LI. 14.

12. *Num & Saul inter Prophetas?*] Ex facto pari repetita hujus proverbii memoria infrà XIX. 24. quaſi dicerent: quis hoc ſperaſſet in homine militari? At nimirùm

> Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπε.
> [*Sæpe eſt & cuſtos olerum non ſtulta locutus.*]

Et ſpiritus ubi vult ſpirat, Ioan. III. 8.

16. *De ſermone autem regni, non indicavit ei, quem locutus fuerat ei Samuel*] Prudenter rem ſinit matureſcere, ne ambitus ſuſpectum ſe faceret.

19. *Et dixiſtis: Nequaquam*] Apparet hunc interpretem pro לו [*illi*] legiſſe לא [*non*], quomodo legerunt & LXX. & Abeneſdra.

20. *Et cecidit ſors tribûs Benjamin*] Ariſtoteles libro VI. Polit. cap. II. ait populare eſſe inſtitutum, τὸ κληρωτὰς εἶναι τὰς ἀρχάς [*ut magiſtratus ſortitò obtingant*]. id mos quarundam gentium vetus etiam in ſacerdotiis recepit. Virgilius libro ſecundo Æneidos:

> *Laocoon lectus Neptuni ſorte ſacerdos.*

Vide Actor. I. 26.

24. *Vivat rex*] Vivere hîc & alibi eſt proſperè agere.

25. *Locutus eſt autem Samuel ad populum legem regni, & ſcripſit in libro*] Hebraïcè: משפט המלכה [*jus regni*]. Græcè, δικαίωμα τοῦ βασιλέως, quod Ioſephus interpretatur mala eventura ex ſueta Regibus licentia. Vide ſuprà II. 13. Alii malunt fuiſſe bene regnandi præcepta, ὑποθήκας [*admonitiones*], quales habet egregias Iſocrates & Stobæus. Fuit ædificium exſtructum ſuper fundamentis quæ ſunt Deut. XVII. 16. & ſequentibus.

26. *Quorum Deus tetigerat corda*] Quos Samuëlis Prophetæ moverat auctoritas.

27. *Filii verò Belial*] Homines omnis jugi impatientes. Vide ſuprà I. 16.

Non attulerunt ei munera] Sine quibus Reges Orientis adiri non ſolebant. Vide Matth. II. 11.

Diſſimulabat ſe audire] Nempe quia *novum imperium inchoantibus utilis clementiæ fama*, ut Tacitus ait Hiſtor. IV. vide & XI. 13.

CAPVT XI.

2. V*T eruam omnium veſtrûm oculos dextros*] Nempe ut inutiles eos bello faceret; nam ſiniſter oculus ſub ſcuto latere ſolebat.

3. *Concede nobis dies ſeptem*] Talium deditionum factarum in diem ſub conditione exempla quædam poſuimus in Annotatis ad librum tertium de Iure Belli ac Pacis, cap. XXIV. §. 14.

7. *Sic fiet bobus ejus*] Pœna ἀστρατείας [*deſertæ militiæ*]. Vide Iud. XXI. 10.

10. *Et dixerunt*] Supple *Ammonitis*.

11. *Ingreſſus es in media caſtra*] Quæ credibile eſt in parte quæ ab urbe averſa erat non bene fuiſſe munita, quod Ammonitæ indè nihil tam repentinum metuerent.

13. *Non occidetur quiſquam in die hac*] Regi condonare ea tantùm licebat quæ ad ſuam injuriam pertinebant: quod & Philoſophi laudant. Seneca libro primo de Clementia, cap. 20. de Principe loquens: *Longè ſit in ſuis quàm in alienis exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non eſt magni animi qui de alieno liberalis eſt, ſed ille qui quod alteri donat, ſibi detrahit; ità clementem vocabo, non in alieno dolore facilem, ſed eum qui cùm ſuis ſtimulis agitatur, non proſilit: qui intelligit magni animi eſſe, injurias in ſumma potentia pati, nec quicquam eſſe glorioſius principe impunè læſo.* Livia ad Auguſtum: τοὺς ἄρχοντας νομίζουσιν οἱ πολλοὶ τοὺς μὲν τὸ κοινὸν ἀδικοῦντας ἐπεξιέναι χρῆναι, τοὺς δ' ἰδίᾳ τι εἰς αὐτοὺς πλημμελεῖν δοκοῦντας φέρειν [*Plerique ſic exiſtimant, principes pœnas exigere debere de eis qui publicum lædunt; placidè autem ferre eos qui in ipſos quid videntur peccaſſe*]. Exempla Antonini & Theodoſii attulimus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, capite XXIV. §. 3. Habebat

autem culpa de qua agitur, excuſationis aliquid in hominibus regno inſuetis. Bene autem Saül occaſionem miſericordiæ arripit ex die partæ victoriæ. *Quem diem vacuum pœnâ ubi inter ſacra & vota, quo tempore verbis etiam profanis abſtineri mos eſſet, vincula & laqueus inducuntur?* ajunt patres de Tiberii ſævitia querentes apud Tacitum Annalium IV. Simile planè factum Davidis habebimus II Samuël. XIX. 22.

15. *Fecerunt ibi regem Saul*] Communi conſenſu Regem eum declararunt. Simile vide II Sam. V. 1. 2. 3. 4.

CAPVT XII.

2. E*cce præſtò ſum: loquimini de me*] De magiſtratu abiens, cenſuræ quam ferre non tenebatur, ultro ſe ſubjicit, & optimæ conſcientiæ fiduciâ accuſatores provocat. Pari fiduciâ Pericles de ſeſe, ὃς οὐδενὸς ἥσσων οἴομαι εἶναι γνῶναί τε τὰ δέοντα καὶ ἑρμηνεῦσαι ταῦτα, φιλόπολίς τε καὶ χρημάτων κρείσσων [*qui nemine inferiorem me exiſtimo ad cognoſcenda ea quæ civitati ſunt utilia, eáque eloquenda; tum verò amantem civitatis, & ad pecunias invictum*].

17. *Numquid non meſſis tritici eſt hodie?*] Dies ſerenus qualem meſſores optent.

Voces] Aut *ſonos* potiùs, unde & *tonandi* vox Latinis. Varro Eumenidibus:

Tibi tympana non inani ſonitu matris deûm tonimus.

Id eſt, *ſonamus*, ait Nonius.

19. *Addidimus enim univerſis peccatis noſtris malum, ut peteremus nobis regem*] Nempe ad demovendum ab imperio Prophetam, eundémque virum innocentiſſimum.

21. *Quia vana ſunt*] De Magicis agi putat Maimonides, quæ περίεργα rectè dicuntur Actor. XIX. 19. res nullius profectûs, Ierem. XVI. 19. Nam ut non aliud adſit mali, tempus, res tam pretioſa, in illis inutiliter perit.

25. *Et vos & Rex veſter pariter peribitis*] Occidione aut captivitate. Vtriuſque habemus exempla.

CAPVT XIII.

1. F*ilius unius anni erat Saul cùm regnare cœpiſſet*] Id eſt, cùm iſta acta ſunt quæ jam narrata ſunt, annum ferme in regno egerat Saül.

Duobus autem annis regnavit ſuper Iſrael] Hæc connectenda cum ſequentibus, ut intelligatur biennio demum regni exacto, contraxiſſe copias illas militares.

4. *Percuſſit Saul ſtationem Philiſthinorum*] Græci nomen proprium putant Νασίβ. At Aquila, quem ſequitur hîc Latinus interpres, ὑπόστημα. ſic alibi *ſtatio* ὑπόστασις.

5. *Triginta millia curruum*] Nimium hoc præ numero equitum qui ſequitur. Itaque ſunt qui poſtremas duas litteras abjiciendas cenſent, ut ſint *tria millia* שלש אלף.

8. *Et exſpectavit ſeptem diebus juxta placitum Samuelis*] Senſus eſt: voluerat Samuel conventui & ſacrificio ſuperſederi, donec ipſe adveniſſet. Saül verò cùm poſt ſeptem dies eum exſpectaſſet, ultrà exſpectare Prophetam Divinæ voluntatis indicem noluit, quod ei pro peccato gravi imputatum eſt.

13. *In ſempiternum*] Id eſt, quamdiu Saülis poſteritas viveret.

19. *Caverant enim Philiſtiim ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam*] Extorto federe, cui non diſſimilis lex quam Porſena in federe cum Romanis poſuit, *nè ferro niſi in agricultura uterentur*. Tacent id Hiſtorici, ut pudendum victori poſtea gentium populo; at Plinius ingenuè fatetur lib. XXXIV. 14.

CAPVT XIV.

1. I*onathas*] Fuit is fortis, comis, minimè ambitioſus: Talis ferme Germanicus.

Armigerum ſuum] Vide infrà 14. & XVI. 21. Talis Automedon Achilli, Æneæ Achates. vulgus *ſcutarium* vocat.

6. *Non eſt Domino difficile ſervare in multis, vel in paucis*] Sententia in uſu apud Hebræos. Apparet II Paral. XIV. 11. & I Macc. III. 18. II Macc. XV. 27. Exempla vide Iud. VII. 4. infrà XVII. 47. II Paralip. XXV. 8. Similis ſententia Pſal. CXLVII. 10.

19. *Et ait Saul ad ſacerdotem: contrahe manum tuam*] Ità ferme Capaneus Thebaïdos Papinianæ tertio ad Amphiaraum:

——— *ſed prima ad claſſica cùm jam*
Hoſtilem Iſmenon galeis Dircénque bibemus,
Nè mihi tunc moneo lituos atque arma volenti
Obvius ire pares, ventíſque aut alite viſa
Bellorum proferre diem. procul hæc tibi mollis
Infula, terrificíque aberit dementia Phœbi.
Illic augur ego & mecum quicunque parati
Inſanire manu.

21. *Reverſi ſunt ut eſſent cum Iſraël*] Sæpè factum ut calente prælio captivi ad ſuos transfugerent.

24. *Maledictus vir qui comederit panem*] לחם hic & alibi non *panem* ſpeciatim, ſed *quemvis cibum* ſignificat, ut apparet infrà 43. 44. Edictum hoc Saülis hominis & imperioſi & προπετοῦς [*præcipitis*] imprudentiam arguit: nam & diu pugnantibus opus cibo refici, & pœna gravior tali delicto. Præterea excipi debent ignorantes.

27. *Et illuminati ſunt oculi ejus*] Nam ex inedia tenebræ oboriuntur, ut Plautus ait Curculione.

33. *Iam nunc*] Valde bene interpretatus eſt Hebræum היום, quia יום [*dies*] apud eos ſæpè tempus ſignificat, Pſal. LXXXII. 2. Num. III. 13. Eſaiæ XXX. 26. Oſtendunt ſequentia jam noctem fuiſſe.

34. *Et non peccabitis Domino comedentes cum ſanguine*] Qui ſuas leges rigidè vult obſervari, Divinas pro temporibus flecti vult. Inter lege Dei vetita eſt edere coram ſanguine, id eſt, non amoto aut obtecto pecudis ſanguine, Lev. XVII. 13. XIX. 26. Bene hic Ioſephus: Συμβαίνει μὴ κρατεῖν λογισμοῦ τοὺς εὐτυχήσαντας [*Conſtat, non moderari rationi proſperè agentes*].

35. *Ædificavit autem Saül altare Domino: túncque primùm cœpit ædificare altare Domino*] Melius eſt hæc poſteriora ſumere ἐξηγητικῶς [*explicativè*]. *Ædificavit Saül altare Domino, id eſt cæpit ædificare*, primus lapidem jecit ad ædificandum altare.

44. *Morte morieris Ionatha*] Miri ingenii homo, qui Regi impio quàm bono filio mallet parcere. Vide cap. ſeq.

45. *Liberavit ergò populus Ionathan*] Non imperio, ſed deprecando, quomodo populus Romanus Fabium Rutilianum apud Papirium Dictatorem, quæ hiſtoria apud Livium eſt libro VIII. Neque hìc obſtare debebat jusjurandum Saülis, ut quod injuſtam in ſe atrocitatem contineret. Vide quæ dicta libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 6. Attamen peccavit Saül προπετῶς ὀμνύων [*temere jurando*], & diræ ab ipſo pronuntiatæ tandem in ipſum reciderunt.

52. *Quemcumque viderat Saül virum fortem & aptum ad prælium, ſociabat eum ſibi*] Belli temporibus viri fortes ſuo pretio æſtimantur.

CAPVT XV.

5. *Recedite atque deſcendite ab Amalec*] Qui medii haberi volunt ſegregare ſe ab hoſtibus debent, & æquos ſe præſtare utriſque. Vide quæ dicta lib. III. de Iure Belli ac Pacis, cap. XVII.

22. *Numquid vult Deus holocauſta & victimas, & non potiùs ut obediatur voci Domini?*] Comparatè hæc intelligi debere ſequentia oſtendunt. Ioſephus hæc ſic explicat: ὁ προφήτης οὐχὶ θυσίαις ἔλεγεν ἥδεσθαι τὸ θεῖον, ἀλλὰ τοῖς ἀγαθοῖς καὶ δικαίοις. Οὗτοι δέ εἰσιν οἱ τῇ βουλήσει καὶ ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ κατακολουθοῦντες, καὶ μηδὲν ἄλλο πραχθήσεσθαι καλῶς ὑφ' ἑαυτῶν νομίζοντες, ἢ ὅ, τι ἂν ποιήσωσι τοῦ Θεοῦ κεκελευκότος [*Propheta dixit non victimis oblectari Deum, ſed viris bonis & juſtis. Hi verò ſunt qui illius voluntati & juſſis obſequuntur, nihilque credunt rectè à ſe fieri, niſi quod Dei juſſu fecerint*].

23. *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare*] Ariolationem Latinus vocat, quam Græci alii οἰώνισμα [*ominationem*], alii μαντείαν [*divinationem*], quæ opponitur τῇ προφητείᾳ [*Prophetiæ*] ut idola Deo. Vide Levit. XIX. 26. 31. XX. 6. 27. Deuteronomii XVIII. 10. 11. Bene dictum ab antiquis οὐκ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγου [*non paulum eſt quod paulatim fit*].

Quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere] In Hebræo: *Vanitas Teraphim*, ubi vox *Teraphim* quæ media eſt, ut alibi diximus, per adjunctum *vanitatis* oſtenditur ſumi in malam partem. Bene vertit Symmachus, ἀνομία τῶν εἰδώλων τὸ ἀπειθεῖν [*non obedire eſt iniquitas idolorum*].

25. *Porta quæſo peccatum meum*] In Hebræo, שא; id eſt, *aufer*: nempe apud Deum deprecando.

33. *Sicut fecit abſque liberis mulieres gladius tuus, ſic abſque liberis erit inter mulieres mater tua*] Ius Rhadamanthi. Vide de Iure Belli ac Pacis libro I. cap. II. §. 5.

Et in fruſta concidit eum Samuel] Ceſſantibus in officio Regibus, ſæpè per Prophetas Deus legis ſuæ ſanctiones exſequebatur. 1 Reg. XVIII. 40.

CAPVT XVI.

1. *Vſquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum*] Orare pro peccatoribus licet antequam definitum in eos decretum Dei innotuit.

2. *Audiet enim Saul & interficiet me*] Et meritò, niſi Divinum mandatum adfuiſſet.

Ad immolandum Domino] Auctoritas Prophetæ facit, ut ſacrificium, ubicunque is adeſt & imperat, ritè fiat. Subſunt enim Prophetæ imperio leges rituales, fatentibus Hebræis.

6. *Nunc coram Domino eſt Chriſtus ejus*] Extra revelationis tempus accidit ut errent Prophetæ, II Sam. VII. 3.

7. *Dominus autem intuetur cor*] Idem facere debent, ut Dei imitatores, ii quibus eligendi Regis jus contigit. Vide quæ hac de re Ariſtot. Polit. III. cap. 13.

12. *Pulcher aſpectu*] Solet pulcher animus etiam in vultu apparere. Vide Platonis Convivium.

Vnge eum] in Hebræo, משחהו. Auguſtinus libro II. contra literas Petiliani: *Vnde & Punicè Meſſe dicitur unge*.

13. *Vnxit eum*] Hæc unctio Davidi non regnum dedit, ſed regno eum deſtinavit, juſque ei dedit ſemet conſervandi quibus poſſet modis ad tempus uſque adipiſcendi regni.

14. *Spiritus autem Domini receſſit à Saul*] Spiritus ille regius. Vide ſuprà X. 9.

Et exagitabat eum ſpiritus nequam] Exteriùs oſtendens quod intùs latebat. Δαιμονίων ταραχὴν, πονηρὸν πνεῦμα, δαιμόνια ἐγκαθεζόμενα [*perturbationem à dæmonibus, malum ſpiritum, dæmones inſidentes*], dixit hoc loco Ioſephus.

17. *Aliquem bene pſallentem*] Vide quæ dicta ſuprà ad hunc librum X. 5. Marinus de Proclo: παρεκελεύετο οὖν ἑκάστοτε ὕμνους λέγειν· καὶ λεγομένων τῶν ὕμνων, πᾶσα εἰρήνη τῶν παθῶν ἐγίγνετο καὶ ἀταραξία [*juſſit igitur hymnos dici; & cùm hymni dicebantur quieſcebant animi motus, iis ſuccedebat tranquillitas*]. Apollonius de Miris: ἰᾶται ἡ καταύλησις τῆς διανοίας ἐκστάσεις [*tibiarum cantus medetur mentis alienationi*]. ubi & alia ad hanc rem. *Pythagoreis moris fuit*, ait Quintilianus libro IX. cap. 4. *cùm ſomnum peterent, ad lyram priùs lenire mentes, ut ſi quid fuiſſet turbidarum cogitationum componerent*.

23. *Quandocunque ſpiritus Domini malus arripiebat Saul*] Solent enim talibus malis eſſe ſua intervalla. Vide quæ ad Matth. IV. 24. & XVII. 15.

CAPVT XVII.

4. *Et egreſſus eſt vir ſpurius*] Variæ ſunt interpretationes vocis הבנים quæ hoc loco in Hebræo apparet. At hic interpres ſumſit quaſi diceretur hic homo unus filiorum, id eſt ſine patre, σποράδην [*ſatu promiſcuo*] conceptus. LXX, quaſi diceretur excellens inter filios, nempe Philiſtinorum: vertunt enim δυνατός [*potens*]. Alii a בין, quod eſt *inter*, putant intelligi proceſſiſſe eum εἰς τὸ μεταίχμιον [*ad medium inter caſtra locum*], ut & Homerus & Euripides loquuntur. Sic in medium inter caſtra pontem proceſſit Gallus ille provocator quem interfecit Manlius Torquatus, narrante Livio libro VII. Prima interpretatio maximè mihi probatur, addito, quod & Hebræorum nonnulli notarunt, cognomen hoc eſſe gigantum, qui legum omnium & matrimonii contemtores, ob id incerto patre naſcebantur.

9. *Si quiverit pugnare mecum & percuſſerit me, erimus vobis ſervi*] Frequentes tales ſponſiones illis ſeculis, ut inter Lacedæmonios & Argivos Othrya-

dis tempore; inter Romanos & Albanos, cùm Horatii & Curiatii decertarunt.

12. *Et grandævus inter viros*] Non ſenex tantùm, ſed & inter ſenes maximè provectæ ætatis. Pro באנשים libri quidam habent בשנים [*in annis*] quod non malè loco convenit.

25. *Et filiam ſuam dabit ei*] Vt Creon Iocaſten ſororem ſuam pollicitus eſt ei qui Sphingem ſuperaret, feminam quæ ex inſidiis, quæ ænigmata vocabant, multa mala inferebat Thebanis, arce defenſa. Hæc eſt ejus fabulæ veritas, quam optimè intellexerunt Attici in carmine ad Demetrium, quod eſt apud Athenæum.

Et domum patris ejus faciet abſque tributo in Iſraël] Inter jura Regis erat ſicut tributa imponere, ità à tributis quem vellet virtutis ergô liberare. Græci hoc ἀτέλειαν vocant, Latini *immunitatem*, barbari *Franciſiam*.

28. *Quare dereliquiſti pauculas illas oves in deſerto?*] Atqui olim ——— *coluerunt Dî quoque ſilvas;* Id eſt, Regum filii.

Ego novi ſuperbiam tuam] Frequens eſt ut virtuti nomen aliquod detur affinis vitii.

At nos virtutes ipſas invertimus, atque
Sincerum cupimus vas incruſtare. Probus quis
Nobiſcum vivit? multum demiſſus homo: illi
Tardo cognomen pingui damus. hic fugit omnes
Inſidias, nullíque malo latus obdit apertum,
Cùm genus hoc inter vitæ verſetur, ubi acris
Invidia atque vigent ubi crimina; pro bene ſano
Ac non incauto fictum aſtutúmque vocamus.

Horatius Satyr. iii. lib. i.

36. *Et leonem & urſum interfeci*] Venatus egregiè homines bello parat.

40. *Et tulit baculum ſuum*] Hiſtoria non diſſimilis eſt apud Strabonem libro viii.

Et fundam manu tulit] *In omnibus autem veterum prœliis funditores militaſſe nullus ignorat*, Veget. lib. i. de re militari, cap. vi. ubi & multa alia ad laudem fundarum.

43. *Numquid ego canis ſum?*] *Canis* nomen vilitatis habet ſignificationem. Vide infrà xxiv. 15. ii Sam. iii. 8. ix. 8. xvi. 9. ii Reg. viii. 13. Sic apud Homerum Helena,

Δᾶερ ἐμεῖο κυνές.
[*Levir care mihi quæ ſum canis.*]

47. *Ipſius enim eſt bellum*] Bella Dei dicuntur ea quæ geruntur in populos illos à Deo damnatos. Cætera bella regni vocantur.

54. *Arma verò ejus poſuit in Tabernaculo*] Trophæum.

55. *De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens?*] In Hebræo: *Cujus filius iſte adoleſcens?* Ad quam interrogationem reſponſum ſequitur infrà 58. Viderat eum, & genus ejus audierat Saül jam antè, ſuprà xvi. 20. Sed facilè talium oblivio ſubit Reges in tantis negotiis, in tanta eos adeuntium multitudine, præſertim ſi & morbi accedant.

CAPVT XVIII.

1. *ANima Ionathæ conglutinata eſt animæ David*] Egregia amicitiæ deſcriptio. Ità amicos μίαν ψυχὴν [*unam animam*] dici notavit Ariſtoteles Nicomacheorum ix. 8. Significat idem Latinè *concordiæ* vox, & Græca ὁμονοίας. *Ligari pectora* dixit Papinius. Adde quod infrà xx. 17.

3. *Inierunt autem David & Ionathas fedus*] Id eſt, perpetuam amicitiam mutuò promiſêre. Vide infrà xx. 3.

5. *Maximéque in conſpectu famulorum Saul*] Exceptis paucis quos gloria ejus urebat.

6. *Chorósque ducentes*] Vt in publico gaudio. Vide quæ ad Matth. xi. 17.

8. *Iratus autem eſt Saul nimis*] Vt Nero Corbuloni, Domitianus Agricolæ. Vide Tacitum.

10. *Et prophetabat in medio domûs ſuæ*] Chaldæus, *& inſaniebat* vertit. Kimchi, *loquebatur verba inſaniæ;* ut ſit metaphora in voce יתנבא [*vaticinabatur*], qualis ſæpè apud Latinos in voce *limfari*.

17. *Sit ſuper eum manus Philiſthinorum*] Pari animo Euryſtheus Herculem objecit periculis.

25. *Non habet rex ſponſalia neceſſe*] Id eſt, dote quam mariti novis nuptis dabant, ut alibi diximus.

CAPVT XIX.

12. *ET aufugit*] Contra Regis iram nihil tutius fugâ.

23. *Et prophetabat*] Donum enim hoc interdum etiam impiis concedit Deus, ut Balaamo. Vide Matth. vii. 22.

24. *Cecidit*] Id eſt, de mentis ſtatu exceſſit. Num. xxiv. 4.

Nudus] In interula, ut Eſaias xx. 2. Vide de hoc loquendi genere ad Ioan. xxi. 7.

CAPVT XX.

3. *VNo tantùm, ut ita dicam, gradu*] Paſſu. Symmachus: ὅσον βῆμα ἀναμεταξὺ ἐμοῦ καὶ θανάτου [*tanquam paſſus inter me & mortem*]. Tales paſſus bis mille in Sabbati itinere.

6. *Victimæ ſolennes*] Intellige convivium quod inter ſe habebant cognati poſt ſacrificium pro ipſorum ſalute. Simile convivium ſolenne apud Romanos *Chariſtia* dictum, *cui præter agnatos & affines nemo interponebatur*, ut loquitur Valerius Maximus lib. ii. cap. i. Ovidius Faſtorum ii.

Proxima cognati dixêre Chariſtia cari,
Et venit ad ſocios turba propinqua deos.

9. *Neque enim fieri poteſt, ut ſi certè cognovero completam eſſe patris mei malitiam contra te, non annunciem tibi*] Non in omnia filii patribus parere debent: quam materiam latè tractavimus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. xxvi. §. 3. Davidi apud Ionathanis animum proderat & innocentia ipſius, & Dei promiſſa Ionathani non incognita. Id clarum infrà xxiii. 17.

11. *Egrediamur foras in agrum*] Iurare enim ſub dio ſolebant.

14. *Et ſi vixero, facies mihi miſericordiam Domini*] Hoc ſtipulatur ob mores malos vicinorum Regum, qui Regum antecedentium liberos & propinquos interficiebant, nè quid ſuſpectum circa ſe viderent. Eodem reſpicit Saülis poſtulatio infrà xxiv. 22.

20. *Quaſi exercens me ad ſignum*] Quem σκοπὸν Græci vocant; quâ voce hîc uſi Symmachus & Aquila: quomodo hoc nomen ſumitur Iob. XVI. 13. & Lam. III. 12. At LXX εἰς τὴν Ἀματταρὶ, quaſi proprium loci eſſet nomen.

23. *Sit Dominus inter me & te*] Teſtis, & ſi quis fallat, vindex, quod omni jurijurando tacitè ineſt, ut diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 10.

26. *Quod fortè eveniſſet ei, ut non eſſet mundus*] Vox קרי quæ hîc in Hebræo eſt propriè ad eam ſpeciem pertinet, de qua egimus Levit. XV. 16.

Nec purificatus] Quod fiebat lotione & adventu veſperæ.

30. *Fili mulieris virum ultro rapientis*] Videtur ſenſus Hebræarum vocum eſſe: *Fili mulieris pravæ ad ſummam uſque contumaciam.* Solent filii parentibus eſſe ſimiles. Saül qui ſe accuſare non vult, culpam duri ingenii in matrem rejicit.

CAPVT XXI.

2. R*Ex præcepit mihi ſermonem*] Nimirum paria ſentiens cum Euripide,

Ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀλήθει' ἄγει,
Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστι καὶ τὸ μὴ καλόν.
[*At vera certam ſi cui peſtem ferunt,*
Huic danda venia eſt, ſi facit quod non decet.]

Et cum Diphilo:

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.
[*Quod pro ſalute dicitur mendacium,*
Me judice habere nîl poteſt incommodi.]

Condonandum aliquid illis temporibus, latente multùm vitâ æternâ.

4. *Tantum panem ſanctum*] Leges rituales facilè ab aliqua neceſſitate aut utilitate magnâ vinci ſe patiuntur. Vide quæ dicta ad Matth. XII. 4.

Si mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus] Quod in ſacris exigi ſolebat. Vide Tibullum I. 3. Propertium II. 22. Ovidium Amorum I. 8. III. 8. & 9. Metam. X. Vide quæ dicta ad Exodum XIX. 15.

9. *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi*] Seneca in controverſiis: *Pro republica plerumque templa nudantur.* Vide & alia allata libro tertio de Iure Belli ac Pacis, cap. V. §. 2. & in Annotatis. Adde §. *Sacra res.* Inſtit. De rerum diviſione, & quæ nobis dicta eodem illo libro cap. XX. §. 23. Iolaus in Heraclidis Euripidis, arma de Templo ſumens,

Ἔστ' ἐν δόμοισιν ἔνδον αἰχμάλωθ' ὅπλα,
Τοῖς δ' οἶσι χρησόμεσθα κἀποδώσομεν
Ζῶντες· θανόντας δ' οὐκ ἀπαιτήσει θεός.
[*Captiva ſunt hîc arma, queis uti jubet*
Res ipſa; quæ, ſi vivimus, redhibebimus:
Si morimur, at nîl mortuos poſcet Deus.]

10. *Venit ad Achis regem Geth*] Ἀνεπίφθονον δὲ ὅσοι ὡς καὶ ἡμεῖς ὑπὸ τῶν Ἀθηναίων ἐπιβουλευόμεθα, μὴ Ἕλληνας μόνον ἀλλὰ καὶ βαρβάρους προσλαβόντας διασωθῆναι [*Non eſt odioſum, ſi nos, quibus Athenienſes inſidiantur, aſſumtis non Græcis tantùm ſed & barbaris ſaluti noſtræ ſtudeamus*], ajunt Græcorum quidam apud Thucydiden.

11. *Rex terræ*] Id eſt, Dux. Vox enim hæc impropriè interdum ſumitur, ut Deuteronom. XXXIII. 5.

13. *Et immutavit os ſuum coram eis*] Hebraïcè את.טעמו; id hîc eſt *geſtum ſuum.* Eadem verba in hac ipſa re in inſcriptione Pſalmi XXXIV.

Et collabebatur inter manus eorum] In Hebræo: *Finxit ſe furere in manibus eorum*, id eſt, circumdatus ab ipſis. Sic Vlyſſes apud Græcos

——— *furere aſſimulavit.*

Vide Ciceronem de Officiis tertio.

Et impingebat in oſtia portæ] *Pingebat.* Ita Rabbi Salomo. תוה eſt γράφειν tam *pingere* quàm *ſcribere.*

Defluebántque ſalivæ ejus in barbam] Vide Marc. IX. 18. 20. Luc. IX. 39. & quæ ibidem dicta.

CAPVT XXII.

2. E*T oppreſſi ære alieno*] Vide quæ diximus ad Iudic. XI. 3.

5. *Proficiſcere, & vade in terram Iudæ*]

Θεοῦ θέλοντος κἂν ἐπὶ ῥιπὸς πλέῃς.
[*Deo volente naviges in vimine.*]

Magnam pro Davide curam oſtendit Deus, nunc per Prophetas, nunc per Vrim & Thummim eum inſtruens.

9. *Doeg Idumæus*] *Delatores genus hominum publico exitio repertum*, ait Tacitus Hiſtor. IV. Deſcriptionem Doegi vide Pſal. LII.

14. *Et quis in omnibus ſervis tuis, ſicut David, fidelis & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & glorioſus in domo tua?*] Similis purgatio M. Terentii apud Tacitum Annal. VI. *Fatebor & fuiſſe me Sejano amicum, & ut eſſem expetiſſe, & poſtquam adeptus eram lætatum. Videram collegam patris, regendis prætoriis cohortibus; mox urbis & militiæ munia ſimul obeuntem. Illius propinqui & affines honoribus augebantur: ut quiſque Sejano intimus, ità ad Cæſaris amicitiam validus. contrà, quibus infenſus eſſet metu ac ſordibus conflictabantur. Nec quenquam exemplo aſſumo: cunctos qui noviſſimi conſilii expertes fuimus, meo unius diſcrimine defendam. Non enim Sejanum Vulſinienſem, ſed Claudiæ & Iuliæ domûs partem, quas affinitate occupaverat, tuum Cæſar generum, tui Conſulatûs ſocium, tua officia in republica capeſſentem colebamus. Non eſt noſtrum æſtimare quem ſupra cæteros, & quibus de cauſis extollas. Tibi ſummum rerum judicium dii dederunt: nobis obſequii gloria relicta eſt.*

17. *Scientes quòd fugiſſet, & non indicaverunt mihi*] Mali Reges ſuſpicaces, idque ſæpè innocentiſſimis exitiale.

Noluerunt autem ſervi regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini] Reveriti & innocentiam, & ordinis ſanctimoniam. quod de parentibus antè diximus, de Regibus repetendum, piè interdum detrectari imperia ſæva atque impia:

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε.
[*Nam juſſa non hæc Iuppiter dederat mihi.*]

ajebat Apollonius contra Neronis edictum. quod Tertullianus dixit *ſubditos nos eſſe debere Principibus intra limites diſciplinæ.* Vide de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XXVI. §. 3.

18. *Convertere tu, & irrue in ſacerdotes Domini*]

Talia ex cauſa imperare in poteſtate Regum erat comprehenſum. Vide II Reg. I. 15. verùm cogitandum & illud fuerat,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Iovis.

20. *Fugit ad David*] Eſt προύληψις [*anticipatio*], ut apparet XXIII. 6.

CAPVT XXIII.

2. N*Vm vadam & percutiam Philiſthæos iſtos?*] Magnus amor patriæ in Davide, qui à Rege perduellis judicatus, patriæ tamen non modò non nocet, ſed & prodeſt, de hoſtico vivens. Talis inter Romanos Sertorius.

8. *Præcepit Saul omni populo ut in pugnam deſcenderet*] Erat hoc inter jura regia.

12. *Et dixit Dominus, Tradent*] Ingrati homines qui viri tam præclarè meriti deditione periculo ſe ſubducere olebant. Quantò meliùs Athenienſes, qui Demoſthenem & Oratores alios dedere noluerunt, idque poſcenti Alexandro?

22. *Recogitat enim de me quod callidè inſidier ei*] David, ut ingenio valens, ex noto in ſe Saülis animo facilè ejus conſilia conjectabat, ſuprà 15. prætereà crebris exploratoribus utebatur, ut ſolent Duces providi, infrà 25.

27. *Infuderunt ſe Philiſthiim ſuper terram*] Ità ſæpè hoſtis externus malis civilibus adfert ſpiramenti aliquid. Exempla apud Livium multa.

CAPVT XXIV.

4. D*Avid & viri ejus in interiore parte ſpeluncæ latebant*] Simili modo in ſpelunca latuit aliquando Maſiniſſa. Vide Appiani Punica.

7. *Quia chriſtus Domini eſt*] Regum perſona omnibus ſancta eſſe debet, XXVI. 9. 11. Deus enim eorum judex, 13. 16. Vide quæ dicta libro I. de Iure Belli ac Pacis, cap. IV. §. 6.

12. *Pater mi*] Sic ſoceros vocare generi ſolent. Et Rex pater populi eſſe debet.

14. *In proverbio antiquo dicitur: Ab impiis egredietur impietas*] Simile Græcorum illud, κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν [*mali corvi malum ovum*]. Solent actiones eſſe prout eſt animi qualitas.

15. *Quem perſequeris, rex Iſraël? quem perſequeris? canem mortuum perſequeris*] Valde παθητικὴ oratio & index ſummæ Davidis modeſtiæ, de qua vide Pſalm. CXXXI.

18. *Iuſtior tu es quàm ego*] Confeſſio extorta invito, animo nihil emendato. Vide & infrà XXVI. 21.

CAPVT XXV.

1. S*Epelierunt in domo ſua*] Solebant privatæ eſſe ſepulturæ eo tempore. Vide Gen. XXIII. 9. L. 5. Matth. XXVII. 60.

3. *Erâtque mulier illa prudentiſſima*] Qualis Tanaquil.

6. *Sit fratribus meis & tibi pax*] Legit hîc interpres לאחי [*fratribus meis*]; at noſtrum Hebræum habet לחי [*ad vitam*], quod Græci vertunt εἰς ὥρας, id eſt, *longa ſit tibi proſperitas.*

8. *Quodcunque invenerit manus tua da ſervis tuis*] Mavult David quæ ſibi ſunt neceſſaria, ac proinde & ipſi, ut à Deo deſtinato Regi, debita, petere quàm rapere. *Quod invenerit manus tua*, id eſt quod facilè ex tanta copia dare poteris. Vide hoc loquendi genus Levit. XII. 8.

9. *Et ſiluerunt*] In Hebræo, *& quieverunt*: id eſt, nihil locuti ſunt ampliùs quàm mandatum ipſis erat.

16. *Pro muro erant nobis*] Contra Philiſthinos.

22. *Hæc faciat Deus inimicis David*] Dixit David, *Hæc faciat Deus mihi*; ſed κατ' εὐφημισμὸν [*per emollitionem*] immutata eſt locutio. Vide Ruth. I. 17. Magnæ injuriæ interdum etiam ſummam manſuetudinem expellunt.

24. *In me ſit, Domine, hæc iniquitas*] Mihi hoc crimen imputa. Simile illud Catonis apud Lucanum II.

——— *hac cæde luatur*
Quicquid Romani meruerunt pendere mores.

25. *Stultus eſt*] Euripides:

Δεινόν γε, τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον
Σκαιοῖσιν εἶναι.
[*Res miſera, verùm propria divitibus tamen*
Carere mente.]

Et Menander:

——— ὁ δὲ πλοῦτος τυφλόν·
Τυφλοὺς δ' ἐς αὐτὸν ἐμβλέποντας δεικνύει.
[——— *cæca res pecunia eſt;*
Quique aciem in ſe defigunt, hos cæcos facit.]

26. *Qui prohibuit te nè venires in ſanguinem*] Davidi nondum regnum adepto licebat ſe tueri, non etiam ſe regio more ulciſci, infrà 39.

28. *Quia prælia Domini, domine mi, tu prœliaris*] Prælia Domini ſunt, ut diximus alibi, quæ in Philiſthinos paríſque conditionis gentes alias geruntur. His nocebat David, civibus parcens.

38. *Et mortuus eſt*] Præ metu; quam & Mario ſepties Conſuli cauſam fuiſſe mortis multi prodiderunt.

42. *Quinque puellæ*] Miniſtræ ingenuæ. Vide quæ dicta Geneſ. XXX. 3.

44. *Saul autem dedit Michol filiam ſuam, uxorem David, Phalti filio Lais*] Malè, à Davide non repudiatam. Quare, velut non facto divortio, recepit eam David II Regum III. 14.

CAPVT XXVI.

5. C*Vmque vidiſſet locum*] Eſt hoc egregii Ducis, explorare locorum ſitus, unde magna ſæpè momenta rerum.

Dormientem in tentoriis] LXX, ἐν λαμπήνῃ. ità vocabatur currus regius, teſte Polluce; optimè. nam Reges ſolent, ubi domus non ſunt, dormire in curribus; & vox עגלה ab eadem origine *currum* ſignificat plurimis in locis: & apud Arabas eadem vox eundem ſignificatum retinet.

12. *Sopor Domini irruerat ſuper eos*] Deus ſuâ vi ſomnum & profundiorem fecerat & continuaverat: quod interdum & Medici faciunt.

16. *Filii mortis eſtis vos*] Qui excubias palatii deſeruerit, capite punitur. l. Qui excubias. D. de re militari.

17. *Numquid vox tua hæc, fili mi David*] Lenitas eximia aut ex inimicis amicos facit, aut, ſi durities eſt nimia, facit ut ipſi ſe intus damnent; ſæpè & verbis id prodant. Vide ſuprà XXIV. 18. & hîc infrà 21.

19. *Si Dominus incitat te adverſùm me, odoretur ſacrificium*] Si juſta eſt hæc ira, non deprecor quin morte meâ, velut victimæ, expietur.

Vt non habitem in hereditate Domini, dicentes: Vade, ſervi diis alienis] Cordatè dictum. Nam primùm culpam à Rege ad Doegum, & ejus ſimiles conſiliarios derivat, ut faciunt prudentes. Deinde oſtendit ſi parum ſit auferre Ducem, auferre militem Regi, certè quemvis de plebe Iſraëlitam non debuiſſe conjici in eas anguſtias, quibus preſſi multi, etiam non Idumæi, à Deo & Lege eſſent receſſuri. Illa enim fœcunda martyrum tempora nondum venerant.

20. *Non effundatur ſanguis meus in terram coram Domino*] Deo inſpectante & vindice futuro, II Paralip. XXIV. 22. Sic vox *coram* ſæpè in his libris ſumitur.

CAPVT XXVII.

1. *FVgiam ergò manus ejus*] Vide quæ ſuprà dicta XIX. 12. XXI. 2.10.

6. *Dedit itaque ei Achis in die illa Siceleg*] Magna oportet fuerit fama & exſpectatio de Davide, quòd ei ad ſecuritatem urbs in ſolo peregrino conceſſa eſt.

Propter quam cauſam facta eſt Siceleg regum Iudæ] Bello ſcilicet poſtea ſuborto, XXXI. 1. nam quæ tali tempore apud nos deprehenduntur, noſtra fiunt, l. Transfugæ. §. 1. D. de Acq. rerum dominio. L. In bello. D. de Capt. & Poſtlim. reverſis.

8. *Et agebant prædas de Geſſuri, & de Gerzi, & de Amalecitis*] Geſſuritæ erant reliquiæ Cananæorum, Ioſ. XII. 5. Gerzitæ autem tranſpoſitis literis iidem qui *Gezritæ*, qui & ipſi portio Cananæorum, Ioſ. XVI. 3. Ergò nec hoſpitibus ſuis nocuit David, nec popularibus. Vide quæ ſuprà XXIII. 2.

9. *Nec relinquebat viventem virum aut mulierem*] Nempe ne ab ipſis proderetur, & religionis odio apud hoſpites in periculum veniret, infrà 11. Metus homines alioqui mites, ſæpè ſæviores facit. Vide exempla de Iure Belli ac Pacis l. III. c. IV. §. 9. & 10.

10. *Contra meridiem Iudæ, & contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni*] Ierameel pars Iudæ, I Paralip. II. 9. 26. Cenæi autem ex Iethronis domo vicini Iudæ, & plerumque federati. Perplexè locutus hîc David, ut Achis quidem crederet eum Iudæis eorúmque ſociis damna intuliſſe; ipſe autem ſentiret ſe invaſiſſe finitimos eorum. Vide quæ ſuprà XXI. 2. & de Iure Belli ac Pacis libro III. cap. I. §. 10.

12. *Credidit ergò Achis David*] Vt Babylonii Zopyro, teſte Herodoto libro tertio, Plutarcho in Apophthegmatis regum, & Iuſtino; & Gabii filio Tarquinii, de quo videri poſſunt Livius, Dionyſius Halicarnaſſenſis, & Florus.

CAPVT XXVIII.

2. *NVnc ſcies quæ facturus eſt ſervus tuus*] Egregiam meam operam contra Hebræos experieris. Promittit hoc

——— ἑκὼν ἀνέκοντί γε θυμῷ,
[——— *pariter nolensque volensque,*]

ut olim Themiſtocles Perſis.

3. *Samuel autem mortuus eſt*] Meliùs *erat*, & ità ſequentia. Repetit enim ſcriptor quod ſuprà dictum erat XXV. 1. ob connexionem hiſtoriæ ſequentis.

Et Saul abſtulit magos & hariolos de terra] Et hîc intellige *abſtulerat*. Fecerat hoc autem ſecundùm legem Levit XIX. 31. XX. 6. 27. Deut. XVIII. 11.

5. *Expavit cor ejus nimis*] Multorum malorum facinorum ſibi erat conſcius.

6. *Et non reſpondit ei*] Contemnens hominem profanum & tot Sacerdotum ſanguine pollutum.

7. *Mulierem habentem Pythonem*] Græci, ἐγγαστρίμυθον [*ventriloquam*], ex Hebræo. Tales autem erant apud Græcos quæ *Pythiæ* dicebantur à *Pytho*, quod nomen urbi Delphorum.

11. *Samuelem mihi ſuſcita*] Νεκυΐα [*per mortuos divinatio*] omnium divinationum antiquiſſima, & ſignum creditæ τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς [*animarum permanſionis*]. Frequenter id factitatum in Oriente diſcimus ex Æſchylo Perſis & Herodoto. Quanquam autem ubique id quod hîc apparet vocatur *Samuël*, etiam apud Ioſephum, tum *Samuël* ἐξ ᾅδου [*ex inferis*] *vocatus*, tum *Samuëlis* ψυχὴ [*anima*], credibilius tamen eſt, fallacem ſpiritum fuiſſe, ejus generis de quo Porphyrius ſecundo de Abſtinentia animantium, γένος ἀπατηλῆς φύσεως παντόμορφόν τι καὶ πολύτροπον, ὑποκρινόμενον καὶ θεοὺς καὶ δαίμονας καὶ ψυχὰς τεθνηκότων [*genus fallacis naturæ multiforme & verſutum, ſimulans nunc deos, nunc dæmonas, nunc animas mortuorum*]. Videtúrque id ipſa mulier ſatìs ſignificare, cùm dicit אלהים *deos aſcendiſſe de terra*, ità appellans ſpiritus illos, quorum unus Samuëlis figuram induerat, cæteri ei velut comites erant. Vide Tertullianum de Anima, circa finem.

17. *Scindet regnum tuum de manu tua*] Etiam malos ſpiritus Deus ſæpè cogit verum dicere. Vide Matth. VIII. 29. Tertullianus Apologetico: *Ità de contactu déque afflatu noſtro, contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inviti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes. Credite illis cùm verum de ſe loquuntur, qui mentientibus creditis,*

CAPVT XXIX.

3. *NVm ignoratis David*] Vt Rex Perſa, *Themiſtoclem habeo.*

4. *Et dixerunt ei: Revertatur vir iſte*] Mirè Deus per hoſtes ipſos efficit ne David ſe Hebræo ſanguine contaminet, ac ſic ſe minùs idoneum regno faciat.

Ne fiat nobis adverſarius cùm præliari cœperimus] Tacitus Hiſtor. IV. de ala Batavorum: *Quæ jam pridem corrupta fidem ſimulabat, ut, proditis in ipſa acie Romanis, majore pretio fugeret.*

8. *Dixítque David ad Achis: Quid enim feci?*] Benè agit David quam cœperat fabulam.

9. *Sed principes Philiſthinorum dixerunt: Non aſcendet nobiſcum in prælium*] Coguntur ſæpè in bellis Reges aptare ſe eorum deſideriis, quorum operâ indigent.

CAPVT XXX.

2. *ET non interfecerant quenquam*] Miro Dei diſpoſitu, qui neque Davidi quicquam perire voluit, neque aliis propter Davidem.

6. *Volebat enim eum populus lapidare*] Cladem acceptam ſæpè ſeditio ſequitur. *Proſperis rebus certaturi ad obſequium, adverſam ejus fortunam ex æquo detrectabant*, ait Tacitus Hiſt. II.

7. *Applica ad me Ephod*] Obverte mihi pectorale, ut ex fulgore literarum Dei voluntatem intelligam.

Dixítque ei Dominus: Perſequere] Hæ tres literæ effulſerunt רדף, putà in nominibus ISACHAR, DAN, NEPHTHALI; cætera ἐξηγητικῶς [*ad explicationem*] adduntur.

15. *Et juravit ei David*] Indicia impunitate remuneratur, ut Tacitus loquitur Annal. XV.

16. *Ecce illi diſcumbebant ſuper faciem univerſæ terræ, comedentes & bibentes*] *Securum hoſtem ac ſucceſſu rerum ſocordiùs agentem invadunt: cæſi vigiles, perrupta caſtra*, Tacitus Hiſt. II. qui & alibi eodem libro nimiâ fortunæ indulgentiâ ſolutos in luxum deſcribit. *Ferme res ſecundæ negligentiam creant*, ait Livius libro XXVI. Titus Martius eques Romanus hoſtem victoriæ fiduciâ incompoſitum aggreſſus, ne nuntios quidem cladis reliquit. Frontinus id narrat libro II. cap. X.

20. *Greges & armenta*] In quibus poſtliminii jus non erat, quod locum habebat in capitibus liberis. Vide de Iure Belli ac Pacis libro tertio, cap. IX. §. 5. 14.

24. *Æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium & remanentis ad ſarcinas*] Prudens conſtitutio, ne ægrè reperirentur qui caſtra cuſtodirent. Piſidæ partem prædæ dabant his qui domos ſervabant. meminit Chalcocondylas libro V. Intelligenda autem hæc lex de parte dimidia prædæ; nam altera dimidia Regis erat. Sunt qui omnia hæc veniſſe ajunt ab Abrahami temporibus. Aſſerunt enim Eſcolem & Mambrem manſiſſe ad impedimenta, Abrahamum autem jus ſuum remiſiſſe. Terræ bello captæ totæ erant in Regis arbitrio.

26. *Accipite benedictionem de præda hoſtium Domini*] Seneca de Beneficiis III. 33. *Militaribus viris ſpecioſiſſimum eſt divitem aliquem ſpoliis hoſtilibus facere.*

CAPVT XXXI.

3. *ET vulneratus eſt vehementer à ſagittariis*] Dictio hæc המורים videtur hîc non incommodè repeti ex voce paulò antè præcedente, quæ ſagittarios aut jaculatores ſignificet. Cæterùm cogimur credere aliter hîc legiſſe Græcos, quorum LXX vertunt hîc εἰς τὰ ὑποχόνδρια [*in partes ſupra umbilicum*]: Theodotio, εἰς τὸ μέρος ἐγγὺς τοῦ ἥπατος [*in partem proximam jecinori*]. Quomodo legerint, quæramus.

4. *Ne fortè veniant incircumciſi iſti & interficiant me*] De hac re quid judicaverint Doctores Hebræi diximus libro de Iure Belli ac Pacis ſecundo, cap. XIX. §. 5. quæ tamen à Chriſtianis, majoris patientiæ debitoribus, & in conſpectu habentibus exempla Apoſtolorum, & Apoſtolicorum virorum, in exemplum trahi non debent.

Et noluit armiger ejus] Veritus Regi manum inferre, quamvis volenti,

——— περὶ γὰρ δίε ποιμένι λαῶν,
[——— *nam pro populi Paſtore timebat,*]

ut eſt apud Homerum. Vide libro mox ſequente I. 14. Non ſtultè Homerus,

——— δεινὸν ἢ γένος βασιλήϊόν ἐστι
Κτείνειν.
[——— *occidere Regum*
Progeniem, res plena mali.]

Nam, ut mox videbimus, *ultor eſt quiſquis ſucceſſit*, ut nos docet Tacitus Hiſtor. I.

7. *Reliquerunt civitates ſuas*] Vide quàm illis opus fuerit Rege.

9. *In templo idolorum*] Propriè in Hebræo: *Terricularum.* Lucilius:

Terriculas Lamias, Fauni quas Pompiliíque
Inſtituêre Numæ.

10. *In templo Aſtaroth*] LXX benè εἰς τὸ Ἀσταρτεῖον [*in Aſtarteum*]. Sic enim dicunt Græci, Ἡραῖον, Ποσειδώνιον [*Iunonium, Neptunium*]. Arma ab hoſtibus capta in locis ſacris ponebantur. Vide ſuprà XXI. 9. Virgilius Æneidos I.

Multáque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, & criſtarum ingentia clauſtra;
Spiculáque, clypeíque, ereptáque roſtra carinis.

Corpus verò ejus ſuſpenderunt in muro Bethſan] Sic corpora extra vallum abjecta oſtentui ait Tacitus Annal. I. Talia corporum ludibria illis temporibus ac locis fuiſſe non infrequentia, apparet ex hiſtoria Ioſuæ VIII. 29. X. 26.

13. *Iejunaverunt ſeptem diebus*] Vt in luctu publico fieri ſolebat, libro ſequente I. 12.

AD LIBRVM POSTERIOREM SAMVELIS
IVXTA HEBRÆOS,
QVI APVD LATINOS
SECVNDVS REGVM.

CAPVT I.

10. ET *tuli diadema*] Coronam quali utebantur Reges Hebræi,quam hîc Lxx τὸ βασίλειον [*Regnum*] vocant.

Et armillam] Hoc ornatu etiam viri uſi illis in gentibus. Num. xxxi. 50.

15. *Accedens irrue in eum*] Simile huic facto Davidis fuit illud Canuti, occiſo æmulo ejus Everhardo, de quo vide hiſtorias Danicas.

16. *Os enim tuum locutum eſt adverſum te*] Tacitus Hiſtor. 1. poſt narratam cædem Galbæ: *Plures quàm* cxx *libellos præmia expoſcentium ob aliquam notabilem illo die operam Vitellius poſteà invenit, omnesque conquiri & interfici juſsit, non honore Galbæ, ſed tradito principibus more, munimentum ad præſens, in poſterum ultionem.* Oedipus apud Sophoclem de Laii cæde agens:

Ὅς τις γὰρ ἦν ἐκεῖνον ὁ κτανὼν, τάχ᾽ ἂν
Κἄμ᾽ ἂν τοιαύτῃ χειρὶ τιμωρεῖν θέλοι.
Κείνῳ προσαρκῶν οὖν ἐμαυτὸν ὠφελῶ.
[*Quicunque tandem eſt, Laïus per quem perît*
Facilè ille eadem me trucidaret manu.
Ità ſi peremtum vindico, proſum mihi].

Seneca in ejuſdem argumenti tragœdia:

Regi tuenda maximè eſt regis ſalus.

Non diſſimile quod C. Iulius Cæſar ſtatuas Pompeji reponens ſuas ſtabiliſſe dictus eſt. Ambroſius de hoc facto Davidis: *quia honeſtatem prætulit utilitati, utilitas honeſtatem ſecuta eſt.*

18. *Et præcepit ut docerent filios Iudæ arcum*] Curavit ut inter exercitamenta militaria hi verſus cantarentur. Oſtendit hoc carmen figuras poëticas non minùs apud illas gentes, quàm apud Græcos aut Latinos floruiſſe.

Sicut ſcriptum eſt in libro juſtorum] Vide quæ diximus Ioſue x. 13.

19. *Inclyti*] הצבי *decor.* At Græci legêre צב à יצב, vertunt enim Lxx Στήλωσον [*ſcribe in columna*]. Aquila, Ἀκρίβασον [*diligenter obſerva*].

20. *Nolite annuntiare in Geth.*] Quæ urbs *Gitta* Polybio in fragmentis. Nec aliter appellatur Ioſepho & Stephano.

21. *Montes Gelboe*] Tale illud Ciceronis: *Vos enim Albani tumuli atque luci.*

26. *Amabilis ſuper amorem mulierum*] Confer planctum Achillis in morte Patrocli.

CAPVT II.

4. VEnerúntque viri Iuda, & *unxerunt ibi David*] Tribus eximia, ſed una, Regem facit pernicioſo exemplo, niſi Dei voluntas cognita omnem legem perfringeret.

5. *Benedicti vos Domino, qui feciſtis miſericordiam hanc cum Domino veſtro Saul*] Non ergò omnes αὐτόχειρες ἄταφοι [*ſui interfectores inſepulti*] apud Hebræos. Et nota ſepeliendi officium miſericordiæ tribui, quomodo & à Seneca, Philone, Quintiliano, Vlpiano, quos vide libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. xix. §. 1.

8. *Circumduxit eum per caſtra*] Militibus eum commendans, ut Othonem ſui apud Tacitum.

10. *Et duobus annis regnavit*] Tranquillè ſcilicet, priuſquam David ei arma inferret.

13. *Ioab filius Sarviæ*] Vir fortis & militiâ bonus,ſed ambitioſus, iracundus, ultionis ſupra modum cupidus, non diſſimilis Achilli, qui apud Horatium

Iura negat ſibi nata, nihil non arrogat armis.

Sed utilium proſpectu præſtabat Achilli: Muciano ut hac parte, ità arrogantiâ non diſpar, qui imperium Veſpaſiano tradidit, ut hic Davidi.

14. *Ludant coram nobis*] Pari numero concurrant. Viri inter arma educati civium ſanguinem effundere, vel animi causâ, parvi ducebant.

23. *Qui audire contemſit*] Non ſemper tuta temèritas.

In inguine] In Hebræo: *ad quintam*, ſupple *coſtam*, qua in parte jecur & fel, ut ajunt Hebræorum magiſtri. Græci, ἐπὶ τὴν ψόαν [*ad lumbum*].

26. *Num uſque ad internecionem tuus mucro deſæviet*] Bruti dictum hinc non longè abit, bella civilia acriùs eſſe prohibenda, quàm in ſuperatos iracundiam exercendam; & Cæſaris illud in pugna Pharſalica, *Parce civibus.*

CAPVT III.

2. N*Atíque ſunt filii David*] Euripides:

——— τύραννοι παῖδες, ἔρυμα δώμασι.
[*Domuum columnæ Regibus nati mares.*]

Tacit. Hiſtor. v. *Non legiones, non claſſes æquè firma imperii munimenta, quàm numerus liberorum.*

3. *Cheleab de Abigail*] Cui alterum nomen *Daniel*, 1 Paralipom. iii. 1.

5. *De Egla uxore David*] Hanc eandem eſſe quæ alio nomine *Michol* dicitur, volunt Hebræi.

9. *Niſi quomodo juravit Dominus Davidi, ſic faciam cum eo*] Hoc antè cogitatum oportuit, quàm bellum civile ſuſciperetur.

11. *Quia metuebat illum*] Et David Ioabum, iii. 39. Sic *Othoni nondum auctoritas inerat ad prohibendum ſcelus*, ait Tacitus Hiſtor. 1. ubi principatûs Othoniani initia deſcribit.

14. *Redde uxorem meam Michol*] Sunt enim etiam in bello quædam quæ Tacitus poſt Virgilium *commercia* vocat, Homerus συνημοσύνας.

16. *Sequebatúrque eam vir ſuus plorans*] Vt Achilles abductâ Briſeide , Homerus Iliad. α. Metu Davidis intactam à Phaltiele manſiſſe Micholem ajunt Hebræi.

21. *Vt congregem ad te dominum meum regem omnem Iſraël*] Multum ſæpè unus homo apud ingentem multitudinem valet. minùs id mirum in Duce, *cùm duo manipulares ſuſceperint imperium populi Romani transferendum, & tranſtulerint*, ut Tacitus loquitur Hiſtor. I.

24. *Quare dimiſiſti eum?*] Vrebat eum gloriâ militari par & æmulus. Talem æmulationem & invidiam inter duces Vitellianos Tacitus obſervat Hiſtoriarum ſecundo.

27. *Vt loqueretur ei in dolo*] *Perfidè*, ut Livius in facto ſimili loquitur libro XXXVIII. Vide quæ dicta nobis libro tertio de Iure Belli ac Pacis, cap. XXIV. §. 3.

28. *Mundus ego ſum*] Prudenter David auctoritatem defugit, & adverſus conſcientiæ ſuſpiciones ſe purgat de eo crimine, quod ob regni novitatem, & belli civilis reliquias punire non poterat. Vide infrà 37.

29. *Nec deficiat de domo Ioab fluxum ſuſtinens & leproſus*] Diris defigere facinoroſorum poſteros mos erat illorum. Vide Pſal. CIX. 10. 12.

Et tenens fuſum] Imò ſcipionem. Græci, κρατῶν σκυτάλης [*tenens baculum*]. Aquila *cæcum* explicat.

30. *Ioab & Abiſai frater ejus interfecerunt Abner*] Ioab manu, Abiſai conſenſu & auxilio.

31. *Rex David ſequebatur feretrum*] Nam ante feretrum ibant mulieres. Reges autem non ſolebant funeri intereſſe. Sed David præter morem intereſſe voluit, quò longiùs ſuſpicionem à ſe amoliretur.

34. *Manus tuæ ligatæ non ſunt*] Non is tu eras, qui ſine delectu rerum manus tuas alteri commodares. Ita Hebræi; qui id referunt ad conſtantiam Abneri, cùm ad imperium Saülis Sacerdotes occidere noluit.

39. *Ego autem delicatus & unctus rex*] Duo notat, quòd recens eſſet regnum ſuum (id enim vult vox רך), & quòd non natus eſſet Rex. Adductiùs enim imperant qui hereditate ad regnum veniunt, aut certè quorum potentia longo tempore firmata eſt. Culpâ vacat qui ſcit, ſed prohibere non poteſt. Vide quæ dicta libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. XXXII. §. 2.

CAPVT IV.

2. P*Rincipes latronum*] Meliùs Græci, ἡγούμενοι συστρεμμάτων [*cohortium duces*].

Siquidem & Beroth reputata eſt in Benjamin] Iure ad Benjaminitas pertinebat, quanquam vi à Philiſthinis tenebatur. 1 Sam. XXXI. 7.

4. *Filius debilis pedibus*] Non fruſtrà hoc loco iſtud refertur. Fecit enim percuſſores audaciores, quòd is ad quem vindicta ſanguinis Isboſethi ſpectabat, membrorum ſuorum compos non erat.

7. *Interfecerunt eum*] Frequenter talia accidunt in bellis civilibus, ſpe veniæ ac præmiorum.

11. *Virum innoxium*] Non dicit *regem* : neque enim jure factus rex erat, ſed hominem qui ipſis nihil nocuerat, & propterea nihil tale ab ipſis exſpectabat.

In domo ſua] Super lectum ſuum.

12. *Interfecerunt eos*] Etiam in hoſtes noſtros admiſſa, ſi atrocitatem facinoris habeant, cum laude à nobis puniuntur; ut Beſſi ſcelus ab Alexandro. Sic & Romani impunitam non ſivêre perfidiam ludimagiſtri Faliſci.

CAPVT V.

1. E*T venerunt univerſæ tribus Iſraël*] Victæ non armis, ſed quæ pulchrior victoria, juſtitiâ ac pietate Davidis.

Ecce os tuum & caro tua ſumus] Non peccabimus in legem Deut. XVII. 15. ſi Regem ſumamus ex popularibus.

2. *Dixit autem Dominus ad te: Tu paſces populum meum*] *Occultâ lege fati & oſtentis ac reſponſis deſtinatum Veſpaſiano liberíſque ejus imperium, poſt fortunam credidimus*, ait Tacitus Hiſtor. I.

3. *Venerunt quoque & ſeniores*] Senatores magni Synedrii.

Et percusſit cum eis rex David fedus] Omnis conventio Hebræis ברית [*fedus* ſive *pactum*] vocatur, qualis hæc fuit, quâ David illis indulgentiam anteactorum promiſit, ipſi verò Regi obedientiam.

4. *Quadraginta annos regnavit*] Solidos, omiſſis menſibus, quorum ſequetur mentio.

6. *Non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos & claudos, dicentes: Non ingredietur David huc*] Senſus eſt: Iebuſæi fidentes loco per irriſum dixêre, homines cæcos & claudos ſuffecturos repellendæ oppugnationi.

8. *Propoſuerat enim David in die illa præmium*] Bene ſupplevit quod ſubauditur in Hebræo.

Et tetigiſſet domatum fiſtulas] Aquis corruptis cepit arcem. Similia exempla vide apud Frontinum libro tertio, cap. 7.

Cæcus & claudus non intrabunt in templum] In Hebræo: *in domum hanc*, id eſt, in arcem Sionis. Conſtituit David nè eò quis ingrederetur cæcus aut claudus, in antedictæ hiſtoriæ memoriam.

11. *Miſit quoque Hiram rex Tyri nuncios ad David*] Exſtabant horum Regum inter ſe epiſtolæ in Tyriorum archivis Ioſephi tempore.

13. *Concubinas*] Vide quæ ſuprà Iud. VIII. 31.

21. *Quæ tulit David*] Abſtulit incendio, 1 Paral. XIV. 12. ex lege Deut. VII. 5.

23. *Gyra poſt tergum eorum*] Vnde minimè venturus puteris. ſtratagema.

Ex adverſo pyrorum] Arborum nomen eſt; idque ſatìs habuit exprimere Chaldæus. Plures, *moros* interpretantur. At alii *ſtillas* accipiunt *cadentes lacrymarum more*, ut ſit א pro ה, nam בכה *flere.* Græci hîc: τοῦ κλαυθμῶνος [*loci flentium*]. Heſychius Βάκχον, κλαυθμὸν Φοίνικες [*bacchum Phœnices dicunt pro fletu*]. An hinc βάκχοι; [*bacchi?*]

CAPVT VI.

1. T*Riginta millia*] Græci *ſeptuaginta millia* ponunt. Vera lectio videtur eſſe *ccc millia*, quò nos trahit cap. XII. cum initio capitis ſequentis, Para[illegible] 1.

2. *De viris Iuda*] *De Bahala Iuda.* Nomen eſt loci, 1 Paral. XIII. 6. cui loco nomen aliud *Cariathiarim*, & ibidem in Paralipomenis, & Ioſ. XV. 9. & 60. In eo autem loco ad hoc tempus fuit Arca. 1 Sam. VI. 21. VII. 1.

Super quam invocatum eſt nomen Domini exercituum] Id eſt, Arcam, quam Hebræi appellabant figuratè, *Dominum exercituum.* Vide Pſalm. XXIV. Bis hîc in Hebræo eſt שֵׁם [*nomen*], ſed priori loco fortè fuerit שָׁם [*ibi*].

3. *Super plauſtrum novum*] Mendoſè. Humeris enim portanda fuit. Numer. IV. 15. hîc infrà 13. 1 Paral. XV. 15.

4. *In Gabaa*] Chaldæus & Græci non proprium, ſed commune nomen putarunt, ἐν βουνῷ [*in colle*].

5. *Ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis*] Vide quæ dicta Iud. XI. 34.

6. *Extendit Oza manum ad Arcam Dei*] Et hoc contra Legem. Erat enim hoc Levitarum ex Cehathi familia. Vide dicto loco Numerorum.

13. *Immolabat*] Subitario altari ex ceſpitibus excitato.

14. *Erat accinctus Ephod lineo*] Depoſita, tanquam coram Deo, regiâ majeſtate & ornatu.

16. *Michol filia Saul*] De paterno ingenio nonnihil trahens, & natalibus ſuperba.

18. *Benedixit populo*] Erat hoc inter jura regia, 1 Reg. VIII. 55.

19. *Et partitus eſt univerſæ multitudini Iſraël, tam viro quàm mulieri, ſingulis collyridam panis unam, & aſſaturam bubulæ carnis unam, & ſimilam frixam oleo*] Hæc eſt ſportula Iuvenali, Martiali, & aliis.

22. *Et ero humilis in oculis meis*] Multum eſt in regia poteſtate hanc retinere virtutem.

23. *Non eſt natus filius*] Non leve pœnæ genus in regia conjuge.

CAPVT VII.

2. A*D Nathan Prophetam*] Vir hic fuit prudens, lenis, & quod Ioſephus addit, ἀστεῖος [*urbanus*], id eſt ſuavitate quadam gravitatem temperans, & qui etiam cum Regibus noſſet vivere. Talis apud Tacitum Annal. IV. Manius Lepidus, *Hunc ego Lepidum*, ait, *temporibus illis gravem ac ſapientem virum fuiſſe comperio. Nam pleraque ab ſævis adulationibus aliorum in melius flexit, neque tamen temperamenti egebat, cùm æquabili auctoritate & gratiâ apud Tiberium viguerit. Vnde dubitare cogor, fato & ſorte naſcendi, ut cætera, ità principum inclinatio in hos, offenſio in illos; an ſit aliquid in noſtris conſiliis, liceátque inter abruptam contumaciam & deforme obſequium, pergere iter ambitione ac periculis vacuum.* Talis & libro VI. Annal. L. Piſo Pontifex: *Nullius ſervilis ſententiæ ſponte auctor, & quoties neceſſitas ingrueret, ſapienter moderans.* Nimirum non omnino falſum illud Eprii Marcelli, quod idem Tacitus habet Hiſtor. IV. *Quomodo peſſimis imperatoribus ſine fine dominationem, ità quamvìs egregiis modum libertatis placere.* Itaque laudatus eidem Agricola: *Non contumaciâ, neque inani jactatione libertatis famam fatúmque provocabat.*

Vidéſne quòd ego habitem in domo Cedrina] Talis & Cadmi regia apud Euripidem Phœniſſis:

Κέδρου παλαιὰν κλίμακ᾽ ἐκπέρα ποδί.
[*Iam ſcande pedibus vetere de cedro gradus.*]

Et Arca Dei poſita ſit in medio pellium] Propoſitum hoc Davidis, Deo templum magnificum ſtruendi, quanquam eventu ipſo caruit, non caruit mercede: ideo enim Deus promittit ſe ipſi domum ædificaturum, infrà 11. velut vicem rependens.

3. *Dixit Nathan ad regem: omne quod eſt in corde tuo, vade fac*] Loquebatur hîc ut homo prudens, non ut Propheta. Vide quæ ſuprà 1 Sam. XVI. 6.

12. *Suſcitabo ſemen tuum poſt te*] Suſcitare hîc eſt in ſolio collocare.

De utero tuo] Id eſt, de uxore tua.

13. *Ipſe ædificabit domum nomini meo*] Pax ſacris aptior, 1 Paral. XXII. 8.

Et ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum] עד עולם [*in ævum*] apud Hebræos tempus non infinitum, ſed pro materia de qua agitur bene longum ſignificat. Itaque in poſſeſſionibus privatis ad L annos porrigitur, in Regnis longiùs. Duravit autem in poſteritate Davidis regnum per annos plus quingentos, ſucceſſorum ſerie ultra viginti: quod ſatis rarum.

14. *Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium*] Hoc non de primo tantùm, id eſt Solomone, ſed de ſingulis Regibus è Davidis ſanguine intelligendum putem: velle ſcilicet Deum paternè, id eſt valde clementer, cum illis agere ob Davidis memoriam.

Arguam eum in virga virorum] Morbos immittam.

Et in plagis filiorum hominum] Agrorum ſterilitatem.

15. *Miſericordiam autem non auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amovi à facie mea*] Regnum in tam longo tempore illis non auferam, ut Saülis poſteritati abſtuli. Hæc interpretatio optima, Ioſephi eſt, & aliorum Hebræorum.

19. *Iſta enim eſt lex Adam, Domine Deus*] Græci: οὗτος ἢ ὁ νόμος τοῦ ἀνθρώπου Κύριέ μου Κύριε [*hæc eſt lex hominis, Domine mi, Domine*]. Verus ſenſus eſt: familiariter mecum agis, quomodo homines cum hominibus agere ſolent.

21. *Propter verbum tuum*] Eſt in Hebræo בעבור דברך. At in Paral. XVII. ubi cætera eadem, eſt בעבור עבדך [*propter ſervum tuum*], quomodo & hîc legerunt in ſuis libris LXX. vertunt enim διὰ τὸν δοῦλόν σου.

23. *Propter quam ivit Deus*] Nulla gens quæ de iis quos Deos putat idem poſſit prædicare.

CAPVT VIII.

1. T*Vlit David frenum tributi de manu Philiſthiim*] In Hebræo מתג האמה, id eſt, *clauſtra*

montis Ammæ. ibi erat Gitta oppidum, II Paralip. XVIII. I.

2. *Et percuſſit Moab*] Hîc impleri incipiunt promiſſa illa magnifica, Gen. XV. 18. Num. XXIV. 17.

Menſus eſt eos funiculo] Tres deſignavit partes terræ Moabiticæ, in quarum una tantùm indigenas reliquit ſuperſtites, occiſis cæteris, ne difficilis eſſet cuſtodia.

Serviens ſub tributo] Vide mox. 6. 14.

3. *Quando profectus eſt ut dominaretur ſuper flumen Euphratem*] In Hebræo: *cùm iret ipſe* (David) *ad repellendam manum ejus* (euntem) *ad flumen Euphratis.* Rex ille Sobæ Philiſthinis vicinus, ut colligere eſt I Sam. XIV. 47. in Euphratis accolas bellum ferens, non poſtulato innoxio itinere, fines Iſraëlitarum vi invaſerat; ejúſque rei pœnas dedit. Soba videtur eſſe *Saba* Ptolemæi.

4. *Mille ſeptingentis equitibus*] Græci: *χίλια ἅρματα καὶ ἑπτὰ χιλιάδας ἱππέων* [*mille currus & ſeptem millia equitum*], quomodo eſt in I Paralip. XVIII. 4. At Ioſephus item *ἅρματα χίλια* [*mille currus*]; at *ἱπποτῶν πεντακισχιλίους* [*equitum quinque millia*]. Ità in his non minus quam in aliarum hiſtoriarum codicibus jam olim variavit numerorum ſcriptura. Confer quod infrà x. 18. videbis hæc Græcorum aut Ioſephi magis ſervare proportionem.

Subnervavit omnes jugales curruum] Id eſt, *ſuffragines ſuccidit.* Sic hominibus Romanis Annibal ſuccidit femina & poplites, Livius libro XXII. Valerius Maximus quoſdam ab eo relictos ait *infimâ pedum parte ſucciſâ*, IX. II.

5. *Venit quoque Syria Damaſci*] De hac Davidis victoria habes Damaſceni locum apud Ioſephum, qui Regis Syriæ nomen, quod Damaſceno Ἄδαδος [*Adadus*], alibi eodem modo, alibi Ἄδερ [*Ader*] extulit; nimirum quia literæ illæ ד & ר non modò formam perſimilem habent, ſed & ob ſoni aliquam affinitatem facilè inter ſe mutantur: ſicut Latinis *aqua Arſeria* ab *adferendo.*

6. *Poſuit præſidium*] Vide mox 14.

10. *Vaſa aurea, & vaſa argentea, & vaſa ærea, quæ ipſa ſanctificavit David rex Domino, cum unguento & auro quæ ſanctificaverat de univerſis gentibus quas ſubegerat*] Suprà 7. 8. De hoc more prædæ partem ſacrandi vide Geneſ. XIV. 20. & libro tertio de Iure Belli ac Pacis, cap. VI. num. 20.

13. *Cæſis decem & octo millibus*] Partim Syrorum, partim Idumæorum qui eis erant ſocii. Horum ſex millia occidit Abiſai, deinde Ioab duodecim millia, I Paralip. XVIII. 12. Pſalm. LX. I.

14. *Et poſuit in Idumæa cuſtodes*] Et præfectum qui jus redderet, ut I Reg. XXII. 48. ut Romani Capuæ & alibi. Vide ſecundo libro de Iure Belli ac Pacis, cap. IX. §. 6. & in Annotatis ad eum locum.

15. *Faciebat quoque David judicium*] Ius adminiſtrabat ſecundùm Legem.

Et juſtitiam] Præmia dabat bene meritis.

18. *Super Cerethi & Phelethi*] Hieronymus alicubi putat hæc nomina, ut & quod proximè præceſſit, eſſe eximiorum Senatorum magni Synedrii, quomodo & Græci ſenſiſſe videntur; dicunt enim *καὶ Βαναίας υἱὸς Ἰωδαὲ σύμβουλος· καὶ ὁ Χελεθὶ, καὶ ὁ Φελεθί* [*& Benajas filius Iodae conſiliarius; item Chelethi, & Phelethi*]. At Hebræorum alii familias Iſraëliticas fuiſſe cenſent; Chaldæus ſagittarios, à qua ſignificatione non abit Corytus: rurſum alii partes Philiſthinorum: quod ſi admittimus, fortè horum כרתי, poſteri erunt *Cretes.* certè milites fuiſſe ſatis apparet XX. 23.

Filii autem David ſacerdotes erant] Fieri id non potuit per Legem. Sed error eſt in voce. Verbum כהן [*miniſtrare*], unde id nomen venit, ſignificat *λειτουργεῖν*; indè participium in verbalis ſignificationem tranſiens, ſi ad Deum expreſſè aut tacitè referatur, ſignificat *λειτουργὸν τοῦ Θεοῦ* [*miniſtrum Dei*], *Sacerdotem:* ſi ad Regem, ejus miniſtrum, putà *αὐλάρχην* [*aulæ præpoſitum*], ut hîc poſuêre LXX. quomodo & Chaldæi hîc ſumunt & Hebræi, qui addunt indignatum Abſalomum, quòd non & ipſi talis *αὐλαρχία* [*aulica præfectura*] obtigiſſet. Nec aliter nomen כהן [*miniſtri*] ſumi videtur infrà XX. 26. Et in Paralipomenis explicatur per *primos ad manum regis*, I. XVIII. 17. Videtur idem officium I Reg. IV. 5. vocari על הנצבים, ubi Græci, *ἐπὶ τῶν καθεσταμένων* [*ſuper adſtantes*].

CAPVT IX.

7. **R***Eſtituam tibi omnes agros Saul patris tui*] Confiſcatos ideo quòd Saülis poſteri in partibus fuerant Isboſethi. Talium bonorum penes Regem erat arbitrium. Vide infrà XII. 8.

Et tu comedes panem in menſa mea ſemper] Ità Rex eum ſolvit lege à ſe conſtitutâ, ne claudi in regiam intrarent.

10. *Operare igitur & terram tu*] Iure coloni partiarii, ut videtur.

11. *Comedet ſuper menſam meam quaſi unus de filiis regis*] Si apud me divertere voluerit, honor ei erit ut Regis filio.

CAPVT X.

2. **F***Aciam miſericordiam*] חסד Hebræum omne benignitatis genus ſignificat.

Conſolans eum per ſervos ſuos ſuper patris interitu] Mos amicorum Regum inter ſe.

3. *Putas quod propter honorem patris tui miſerit ad te David conſolatores, & non ideo ut inveſtigaret*] Non malè hîc aptaverim illa ex Oedipode Senecæ:

CR. *Quid ſi innocens ſum?* OED. *Dubia pro veris*
ſolent
Timere reges. CR. *Qui pavet vanos metus*
Veros fatetur.

Nihil eſt tam bonum, quod non in aula pravos interdum interpretes recipiat.

4. *Raſitque dimidiam partem barbæ eorum*] Sic barbam vellere inter contumelioſa maximè.

Præſcidit veſtes eorum medias] Nempe à medio ad imum, ut ea nudarentur quæ tegi vult honeſtas.

7. *Miſit Ioab & omnem exercitum bellatorum*] Ob legatos contumelioſè habitos Romani bella ſumſère in Tarentinos, Illyrios, Ligures, Senonas, Iſſios, Corinthios; ut notavimus ad librum ſecundum de Iure Belli ac Pacis, cap. XVIII. in fine. Etiam Germanos & Turcas olim pari de cauſâ bella ſuſcepiſſe

legimus. nec mirum, cùm & jus gentium violaretur, quod ſanctiſſimum eſſe debet, & ejus qui miſit dignitas. Vide graves pœnas de hoc crimine exactas fine capitis ſequentis.

14. *Quia fugiſſent Syri*] Vt ſæpè ſolent qui nullo cauſæ reſpectu, mercede ſolâ militant. *Vt quibus temere collectis, neque in victoria decus eſſet, neque in fuga flagitium*, ait Hiſtor. 11. Tacitus: quare prudenter Ioab, antequam conjuncti eſſent hoſtium exercitus, externos & pretio conductos priùs impugnandos cenſuit.

15. *Congregati ſunt pariter*] Metuentes ne, ut fieri ſolet, ab auxiliatore hoſtium ſuorum pœnas David depoſceret, quod & factum eſt. Vide infrà 19.

18. *Septingentos currus*] Rectiùs 1 Paral. xix. 18. *ſeptem millia curruum.* Error numeri hîc commiſſus ab exſcriptoribus.

Sobach] שובך; at 1 Paral. xix. 18. שופך [*Sophach*]: utrum rectius, non dixerim.

19. *Et ſervierunt eis*] Vectigales facti ſunt.

CAPVT XI.

1. EO *tempore quo ſolent reges ad bellum procedere*] Vere, ut hîc interpretatur Kimchi. Sic 1 Paral. xx. 1.

Obſederunt Rabba] Quæ *Rabathamana*, id eſt, Ammonis Polybio.

David autem remanſit in Ieruſalem] Ovidius:

> *Quæritur Ægiſthus quare ſit factus adulter:*
> *In promptu cauſa eſt, deſidioſus erat.*

2. *Se lavantem*] Habebant enim in hortis balnea; imprudenter.

4. *Dormivit cum ea*] Fruſtra & hoc & cædem Vriæ malo conſilio procuratam excuſant Iudæi, contrà quàm Nathan ei oſtendit, & ipſe agnovit Pſal. LI. & Ioſephus qui πταῖσμα δεινὸν [*grave delictum*] meritò vocat, & Deus judicavit infrà 27. XII. 11. Nimirum etiam optimos Reges facilè longa potentia & adulatores corrumpunt. *Indulgentiâ fortunæ & pravis magiſtris diſcunt audéntque*, ait Tacitus Hiſtor. 11. qui & alibi *diuturnitate eos in ſuperbiam mutari* dicit.

Statímque ſanctificata eſt ab immunditia ſua] In Hebræo: *& ipſa tunc purgabatur ab immunditia ſua.* Hoc ideo additum, ne miraremur illico eam concepiſſe. φύσει μὲν οὖν ἡ σύλληψις γίνεται μετὰ τὴν τούτων ἀπαλλαγὴν ταῖς γυναιξὶ [*Conceptus quippe mulieribus à profluvio menſtruorum ſuapte naturâ contingit*], ait Ariſtoteles de Hiſtoria Animantium lib. VII. cap. 2. Videtur Bethſabea fuiſſe femina non impudica, ſed quæ ſpe dominationis, ut Agrippina mater Neronis, nihil abnueret. Adeò *cupido dominandi cunctis affectibus flagrantior eſt*, ut ait Tacitus Annal. XV. 53.

9. *Et non deſcendit ad domum ſuam*] Deo volente patefieri hoc Regis tam bene inſtituti flagitium.

11. *Arca Dei*] Quæ in caſtra ferri ſolebat, ut teſtimonium Dei faventis.

Dominus meus Ioab] Magiſter militum.

Super faciem terræ manent] Humi cubant, ut fit in caſtris. oſtendit ſe ut bonum militem abeſſe à deliciis.

14. *Scripſit David epiſtolam ad Ioab, miſitque per manum Vriæ*] Sic Prœtus Bellerophonti dedit literas ad Iobaten, quibus Bellerophontis nex mandabatur. Meminit Homerus & alii.

15. *Et derelinquite eum ut percuſſus intereat*] Licet quidem Regi ſubditorum operâ in periculis uti, ſed qui ideo id facit ut uxore alterius potiatur, etiamſi adulterium non præceſſiſſet, committeret in legem, *Non concupiſces.* Deinde ſi peccant qui talibus in periculis bonos commilites deſerunt, quid qui deſeri jubet? Tiberius Germanicum ſibi inviſum dolo & caſibus objectabat; Tacitus narrat Annal. 11.

21. *Quis percuſſit Abimelech?*] Vide Iud. IX. 53. & ibi notata.

Filium Ierobaal] Ierobaal alterum nomen Gedeonis, Iudic. VII. At in Hebræo hic ירבשת. Nimirum quia is qui Baal idolololatris, is Hebræis per irriſum dicebatur בשת, id eſt, *pudefactio*, ſicut Bethel בית און [*domus vanitatis*]: & multa ſimilia.

26. *Et planxit eum*] Lacrymis qualibus Cæſar Pompejum. De quo Lucanus:

> ——— *tutúmque putavit*
> *Iam bonus eſſe ſocer.*

Sic *periiſſe Germanicum nulli jactantiùs mœrebant quàm qui maximè lætabantur.* Verba ſunt Domitii Celeris Annal. 11. Taciti.

27. *Et diſplicuit verbum hoc*] Id eſt, res, nempe adulterium nuptiis conglutinatum, XII. 9. Neque tamen irritæ fuêre eæ nuptiæ, neque filius poſtea natus ob id minùs legitimus. Multa enim in hoc genere non probè fiunt quæ tamen rata ſunt. Nec fruſtra Bethſabea in genealogia Chriſti diſertè nominatur, ut ejus exemplo moniti Iudæi minùs averſarentur illos alienigenas qui vitiis quondam obſiti vitam emendaverant.

CAPVT XII.

1. DVo *viri erant*] Eſt αἶνος [*apologus*] & appoſitus & prudens. Nam quia ut in vetere proverbio eſt,

> *Semper homo aliud in ſe fert, aliud in alio judicat,*

ideo itâ rem propoſuit, ut non opus haberet Propheta Regem damnare, ſed Rex ſemet ipſe damnaret.

5. *Filius mortis eſt*] Mortem meruit, ob ſummam improbitatem, quæ facit ut ſæpè etiam ſupra leges pœna intendatur.

7. *Tu es ille vir*]

> ——— *mutato nomine, de te*
> *Fabula narratur.*

ut ait Horatius.

8. *Dedi tibi domum Domini tui*] Titulo confiſcationis, ob partes Isboſethi.

Vxores Domini tui in ſinu tuo] Viduæ Regis niſi Regi nubere non poterant ex moribus.

9. *Interfeciſti eum gladio filiorum Ammon*] Quaſi diceres: *feris eum objeciſti.* Interficit qui injuſtam morti occaſionem dat.

10. *Non recedet gladius tuus de domo tua uſque in ſempiternum*] Dum vives. Itâ enim vox עד עולם [*in ævum*] ſumitur pro ſubjecta materia diverſè. Referenda hæc ad mortes violentas filiorum David, Ammonis, Abſolomi, & ſub ipſum finem Davidis, Adoniæ.

11. *Suſcitabo ſuper te malum de domo tua*] Deus

facere dicitur quod non impedit. Sic & *tollere* & *dare* in ſequentibus.

Tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo] Id eſt hîc, filio tuo, infrà XVI. 21.

13. *Peccavi Domino*] Confeſſio pœnitentiæ grata comes.

Non morieris] Erat quidem David ſupra legis pœnas, ut Rex, & poſt ipſum etiam Regina. Sed Deus eorum quæ Magiſtratus punire non poterant aut nolebant, ſe vindicem fore minatus erat Levitici XXVI. 14. Non eo tamen ſibi ademerat ignoſcendi poteſtatem, quâ hîc ità utitur, ut ſolâ mortis pœnâ & amittendi regni Davidem liberet, multa alioqui mala alia ei inflicturus.

14. *Quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini*] Gravis ad peccatum acceſſio, occaſionem dare impiis gentibus malè ſentiendi de lege Divina, quam ſperni à primis Hebræorum videant.

16. *Iejunavit jejunio & ingreſſus ſeorſum jacuit ſuper terram*] Iejunium, ſecubatio ab uxore, illuvies, χαμευνία [*humi cubatio*], viles veſtes, fletus, alimenta ſunt precationis. Vide infrà 20.21.24. Fuiſſe Davidem φιλόστοργον [*liberûm ſuorum peramantem*], non ex hac tantùm hiſtoria, ſed & ex indulgentia circa Abſalomum & Adoniam apparet.

23. *Nunc autem quia mortuus eſt, quare jejunem?*] Non leve ſignum pœnitentiæ, in pœnis quas Deus ob peccata immiſit, acquieſcere.

Ego vadam magis ad eum] Romani dicebant, *Vale; nos te ordine quo natura permiſerit, cuncti ſequemur*, teſte Servio ad III. Æneidos & in inſcriptionibus. Antiphanes:

——— τὴν αὐτὴν ὁδὸν
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἐστ' ἀναγκαίως ἔχον
Προεληλύθασιν.
[——— *eam quam neceſſitas*
Cunctis indixit anteverterunt viam.]

28. *Cape eam*] Curtius rem ſimilem de Cratero narrat in Artacacnæ obſidione: *Ille omnibus præparatis Regis exſpectabat adventum, captæ urbis titulo (ſicut par erat) cedens.*

30. *Impoſitum eſt ſuper caput David*] In Hebræo, *fuit ſupra caput David*; quod interpretantur: ità benè convênit Davidis capiti, quaſi ei propriè fuiſſet deſtinata. Regis victi non corona tantùm, ſed omnis ornatus ac ſupellex Regi victori cedebat, ut Thalmudiſtæ notant. Simile illud apud Macedonas, *Tradito more ut victorem victi Regis tabernaculo exciperent*, apud Curtium. Vide quæ annotavimus ad librum tertium de Iure Belli ac Pacis, cap. VI. §. 24. & adde 1 Paralipom. XX. 2.

31. *Serravit*] Non incognitum iſtis terris ſupplicium, quo & Eſaiam affectum à Manaſſe ajunt Hebræi. Vide Hebr. XI. 37. Idem in milites quoſdam uſurpavit Valens Imperator. Sunt ejus ſupplicii exempla & in Hiſtoria Suedica, Turcica, & Neapolitana.

CAPVT XIII.

2. *ET deperiret eam valde*] Amor ex forma ſola conceptus, quò magis eſt inhoneſtus, eò ſolet eſſe validior, nitente in vetitum humano ingenio. Ammon, ut Domitianus apud Tacitum, ſtupris & adulteriis filium Principis agebat.

Vt ægrotaret] Nam & Medici morbis accenſent eum qui ex amore contrahitur,

Pallidus in Lyricen ſilvis errabat Orion.

Cùm eſſet virgo] Id eſt, bene cuſtodiretur, ut ſolebant virgines. Vide ad Matth. 1. 23.

Difficile ei videbatur ut quippiam inhoneſtè ageret cum ea] In Hebræo eſt *facere*, quod in ea lingua non minùs quàm Latina id ſignificat, quod interpres hîc per circumlocutionem expreſſit. Sic Geneſ. XIX. 8.

5. *Cui reſpondit Ionadab*] Vnus eorum, *quibus omnia Principum, honeſta atque inhoneſta, laudare mos eſt*, ut Tacitus loquitur tertio Annalium.

12. *Neque enim hoc fas eſt in Iſrael*] Satìs audierat populum hunc ſanctiorem aliis populis eſſe debere.

13. *Ego enim ferre non potero opprobrium meum*] τὴν ὕβριν [*contumeliam*], ut Græci loquuntur. LXX τὸ ὄνειδός μου [*dedecus meum*].

Et tu eris quaſi unus de inſipientibus in Iſraël] εἷς τῶν ἀφρόνων hîc LXX. Nam ἀφροσύνη [*inſipientia*] proprio quodam jure de rebus Venereis dicitur. Hecuba in Troaſin Euripidis:

Τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς,
Καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.
[*Stultè quod agitur id homines Venerem vocant,*
Ipſumque nomen teſtis inſipientiæ eſt.]

Quin potiùs loquere ad regem, & non negabit me tibi] Puella minimè perita juris, tantum eſſe jus Regis exiſtimavit, ut connubium non jure gentium inceſtum poſſet permittere; aut etiam putavit non interdictas nuptias fratrum & ſororum qui non eſſent ὁμομήτριοι [*ex eadem matre*]; aut quidvis dixit ut ſe præſenti periculo ſubtraheret. Hebræi natam volunt Thamarem ex primo concubitu Davidis cum bello capta: ità autem genitis nullam eſſe cognationem.

15. *Et exoſam eam habuit Ammon odio magno nimis*] Idem de amore poſt cupiditatem expletam in odium mutato Honorii in ſororem Placidiam narrat Olympiodorus, cujus excerpta habemus Photii beneficio.

18. *Quæ induta erat talari tunica*] Quod hîc *talarem* vertit eſt פסים in Hebræo. פס & *particulam* ſignificat & *volam*. qui ad priorem ſignificatum reſpexêre, verterunt *variam*, id eſt πολύμιτον; qui ad poſteriorem, intellexêre *manuleatam*, quam Græci, ut & Gellius teſtatur, & hîc Symmachus verterat, dixêre χειριδωτόν. Aquila originum ſectator, hoc loco καρπωτόν [*brachiatam*].

Ejecit itaque eam miniſter illius foras] Iuvenalis:

Collige ſarcinulas, dicit libertus, & exi.

19. *Quæ aſpergens cinerem capiti ſuo, ſciſſâ talari tunicâ, impoſitíſque manibus ſuper caput ſuum, ibat ingrediens & clamans*] Similis Lucretiæ mœſtitia apud Livium libro 1.

20. *Sed nunc ſoror tace: frater tuus eſt*] Domeſtica mala ſilentio obtegenda; non malè hoc dictum. Neque tamen hoc ſentiebat Abſalomus, ſed altè abditum ulciſcendi conſilium prodere ante occaſionem nolebat.

21. *Et noluit contriſtare ſpiritum Ammonis filii ſui, quoniam diligebat eum, quia primogenitus erat ei*] Hæc ſunt in Græco, non in Hebræo.

22. *Non eſt locutus Abſalom ad Ammon nec malum nec bonum*] De ea re ſcilicet. Biennio toto eam rem ità diſſimulavit, quaſi nihil ejus ſciret.

23. *Et tonderentur oves Abſalom*] Cato ſenex interrogatus *quid in re familiari eſſet primum*, reſpondit *Bene paſcere*, ut Cicero nos docet. Is tum quæſtus Regum filios dedecere non putabatur.

> ——— *habitarunt Dî quoque ſilvas,*
> *Dardaniúſque Paris.*

ut apud Virgilium eſt Eclogâ ſecundâ.

24. *Ecce tondentur oves ſervi tui*] Sicut puerorum in urbibus erat κουρεῶτις ἑορτή [*ſolennis dies tonſuræ*], ità ovium ruri. Numerabantur enim tunc pecudes, & de incremento gaudebatur.

28. *Percutite eum & interficite*] Inceſtus traxit parricidium, ut inter Thyeſten & Atreum.

Ego enim ſum qui præcipio vobis] Filius Regis, Regi carus, & Ammone mortuo regni heres. Ex his omnibus impunitatem & ſibi & adjutoribus pollicebatur. Vide XIV. 7.

37. *Abiit ad Tholomai filium Ammiud regem Geſſur*] Ad avum maternum confugit, ubi leges Dei locum non habebant. Nam urbes receptûs non texiſſent deliberatò parricidam, quanquam datâ iræ causâ. Sola cædes vindicari privato auſu impunè ab occiſi proximo poterat: non & aliæ quantumvis graves injuriæ.

39. *Ceſſavit rex David perſequi Abſalom*] Lxx: ἐκόπασεν ὁ βασιλεὺς Δαβὶδ τοῦ ἐξελθεῖν πρὸς Ἀβεσσαλώμ, ὅτι παρεκλήθη ἐπὶ Ἀμνὼν ὅτι ἀπέθανε [*laboravit Rex David exire ad Abſalomum; conſolari enim ſemet cœperat de eo quòd mortuus eſſet Ammon*]. Sic Chaldæus, *Cupiit anima Davidis egredi.* Et vox Chaldæa, כלה, unde hîc eſt תכל ſic interdum ſumitur.

CAPVT XIV.

1. *INtelligens autem Ioab*] Qui beneficio hoc eum quem ſperabat heredem regni fore ſibi devincire voluit, ut poſtea Adoniam. Et hinc ortum hoc conſilium; David, ut erat ſolers, facilè olfecit, infrà XIV. 19.

9. *In me, domine mi rex, ſit iniquitas*] Si quid hac in re mali eſt, ego mater luam.

10. *Et ultrà non addet ut tangat te*] Vt moleſtus ſit tibi. Subitâ quâdam miſericordiâ motus hoc dixit David, non ſumto ad legem recogitandam ſpatio. Nam etiamſi vindex ceſſaſſet, Senatûs erat inquirere de homicidio, & pœnas exigere; & ſi Senatus ceſſaſſet, ejus qui gladium gerit, id eſt, Regis.

17. *Vt fiat verbum domini mei regis ſicut ſacrificium*] Potiùs optantis eſt, ut Lxx ſumsêre: εἴη δὴ (non εἰ ἤδη, ut vulgò legitur) ὁ λόγος τοῦ κυρίου μου τοῦ βασιλέως εἰς θυσίας [*eſto verbum Domini mei Regis pro ſacrificio*]. ubi vox θυσίας [*ſacrificii*] reſpondet Hebrææ מנחה quæ eſt *oblatio ex ſimila*, de qua Levit. II. id enim Lxx ſæpè θυσίαν [*ſacrificium*] vocant. Senſus eſt, ſit Deo hoc reſponſum tam acceptum, ut ſolet eſſe munus è ſimila.

Sicut enim Angelus Dei, ſic eſt dominus rex] Ità clementer locutus eſt, ut Angeli ſolent Divinæ bonitatis nuntii. Hæc omnia eò pertinent, nè Rex ſe legi adſtringat, quod quàm malè ei ceſſerit ſequens hiſtoria oſtendet.

30. *Ite igitur & ſuccendite eum igni*] Simile habuimus ſuprà Iud. XV. 5. Apparet audax & violentum fuiſſe Abſalomi ingenium, ad hæc ipſum magnificum, popularem, eloquentem, ac per hæc omnia ad ſeditiones etiam excitandas validum, ut Gracchos ei comparare poſſis.

CAPVT XV.

1. *FEcit ſibi Abſalom currus, & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum*] Satellitium ſibi comparavit cùm ſe ad res novas accingeret. Non dubito quin miraturi ſint lectores rerum humanarum non imperiti, quomodo Abſalomus tantam populi partem concitare potuerit in Regem tantis meritis ac victoriis, adde & virtutibus præclarum. Ii igitur conſiderent fuiſſe in populo multos Saüli quondam caros, nunc non pari in honore & gratia. Multos qui Isboſethi partes ſecuti fuerant, ſibi aut metuiſſe, aut certè de profectu deſperaſſe. Tum verò, ut ait Tacitus, *unius invidiâ ab omnibus peccatur.* Ioabi ſuperbia & in atroci facinore impunitas Regem onerabat, qui eum impunè ſineret in cives graſſari. Cæteris quoque Davidis miniſtris, ſicut prudentia non aberat, ità ex longa poteſtate, & diu blandiente fortunâ elatiores minúſque populares facti erant animi. Davidis ipſius pauca quidem erant peccata, ſed illa in Vriam gravia: poſt adulterium cædes, poſt cædem nuptiæ omnes homines incertos reddiderant rerum omnibus cariſſimarum, conjugii & vitæ. Apud feminas quoque infame fuiſſe Bethſabeæ nomen, inviſam potentiam, credibile eſt. Ad has odii cauſas acceſſit vindex Deus, ferri quà vellent ſinens accenſos ſemel animos. Bene dictum Euripidis in Erechtheo:

> Ἐξουσίᾳ ἢ μήποτ᾿ ἐντυχὼν τέκνον,
> Αἰσχροὺς ἔρωτας δημοτῶν διωκάθειν.
> Ὃ καὶ σίδηρον, ἀγχόνας τ᾿ ἐφέλκεται,
> Χρηστῶν πενήτων ἄν τις αἰσχύνῃ τέκνα.
> [*Ad dignitatis alta vectus culmina;*
> *Ne civium corporibus illudas cave.*
> *In ſeſe & enſes acuit & laqueum vocat,*
> *Quicunque honeſti pauperis ſpurcat domum.*]

Libido Piſiſtratidas, libido Tarquinios regno evertit, multóſque alios, quorum mentio apud Ariſtotelem libro primo Politicorum, cap. X.

2. *De qua civitate es tu?*] Nimirum, ut Horatius ait:

> *Hic multum in Fabia valet, ille Velina.*

Ex una tribu Iſrael, ego ſum ſervus tuus] Id eſt, ſum de tribu Iudæ, Benjamin, aut alia.

3. *Videntur mihi ſermones tui egregii & juſti*] Ex arte. ita Demea in Adelphis:

> *Paulatim plebem primulùm facio meam.*

Et quod ſequitur *dignos arbitror.* Et *frugi homo es.* Manlius Capitolinus apud Livium libro VI. *Ego nequicquam hac dexterâ Capitolium arcémque ſervaverim, ſi civem commilitonémque meum, tanquam Gallis victoribus captum, in ſervitutem ac vincula duci videam.*

Sed non eſt qui te audiat conſtitutus à rege] Præcipuè accuſat fratres ex matre alia, qui aulæ & deſideriis civium ad Regem referendis præpoſiti erant.

5. *Extendebat manum ſuam & apprehendens oſculabatur eum*] *Prenſabat*, ut Latinè loquar. Sic Otho non deerat *protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula, & omnia ſerviliter pro dominatione*, Tacitus Hiſtor. I.

7. *Poſt quadraginta autem annos*] Haud dubius hîc error ſcripturæ additis ad vocem ארבע [*quatuor*] literis duabus. Quatuor enim annos interceſſiſſe dixit Ioſephus, nec aliter Theodoretus. Et hoc verum eſſe res ipſa loquitur.

10. *Miſit autem Abſalom exploratores*] Id eſt, concitores vulgi, Saturninos, Peſcenninos, & alios ejus artificii, in quibus fortè erant & Sacerdotes & Levitæ, genus hominum ad res turbandas, ubi ſuis indulgerent affectibus, maximè idoneum.

Dicite: Regnavit Abſalom in Hebron] Id eſt, pro Rege eſt agnitus. *quod in re tali difficillimum, prima vox*, Tacitus Hiſtoriarum ſecundo.

11. *Euntes ſimplici corde*] Multi apud hoſtes ſunt, qui hoſtes non ſunt. Non opus hîc repeti quæ dicta libro tertio de Iure Belli & Pacis, cap. XI. §. 3.

12. *Accerſivit quoque Abſalom Achitophel Gilonitem*] Plurimum nocere Regibus ii poſſunt, quibus nota ſunt Regum conſilia.

Cúmque immolaret victimas] *Cùm immolaſſet* potiùs, id eſt in convivio. Sic *Civilis primores gentis & promtiſſimos vulgi, ſpecie epularum ſacrum in nemus vocatos, ubi nocte ac lætitiâ incaluiſſe videt, à laude gloriáque gentis orſus, injurias & raptus, & cætera ſervitii mala enumerat*, Hiſt. IV. Taciti.

14. *Surgite, fugiamus*] Pavor ingens qualis Pompeji, de quo Lucanus:

> ——— *urbem populis victiſque frequentem*
> *Gentibus, & generis, coeat ſi turba, capacem*
> *Humani, facilem venturo Cæſare prædam*
> *Ignavæ liquêre manus. cùm preſſus ab hoſte*
> *Clauditur externis miles Romanus in oris,*
> *Effugit exiguo nocturna pericula vallo,*
> *Et ſubitus rapti munimine ceſpitis agger*
> *Præſtat ſecuros intra tentoria ſomnos.*
> *Tu tantùm audito bellorum murmure Roma*
> *Defereris: nox una tuis non credita muris.*

15. *Dixerúntque ſervi regis ad eum: Omnia quæcumque præceperit dominus noſter rex, libenter exſequemur ſervi tui*] Sic *omnium ſententia fit quæ Regis fuerat*, Seneca I. de Clementia, cap. XV.

18. *Cerethi & Phelethi*] Vide ſuprà VIII. 18.

Et omnes Gethæi] Pars Philiſthinorum quos David ſubegerat.

23. *Tranſgrediebatur torrentem Cedron*] Et torrens hic & clivus Olivarum dolores Meſſiæ præfigurant. Vide Ioann. XVIII. 1. Matth. XXVI. 36.

27. *Ad Sadoc ſacerdotem*] Qui erat, ut videtur, eo tempore סגן, id eſt, *Vicarius ſummi Pontificis.*

O videns] Rectiùs: *nonne vides*, quo loco ſint res ſcilicet.

30. *Nudis pedibus incedens & operto capite*] Vt miſericordiam ſui moveret, ut Agrippina Germanici uxor apud Tacitum Annal. I. 40. *Incedebat muliebre & miſerabile agmen*, &c.

32. *Summitatem montis in quo adoraturus erat Dominum*] Arcæ locum reſpiciens.

34. *Si autem in civitatem revertaris, & dixeris Abſalomo, ſervus tuus ſum, rex, ſicut fui ſervus patris tui, ſic ero ſervus tuus, diſſipabis conſilium Achitophel*] Non deſerebant in tantis malis Davidem ſuæ artes: ſed ubi leonina non proderat, aſſumit vulpinam, verè ἀγχίνους [*perſpicax*], & quæ ex uſu erant reperire ſolers.

CAPVT XVI.

3. RESpondítque *Siba regi: Remanſit in Ieruſalem dicens: Hodie reſtituet mihi domus Iſrael regnum patris mei*] Ingens calumnia, ut apparet infrà XIX. 26. Sunt quædam ità ſpecioſæ calumniæ, ut etiam prudentiſſimo Regi poſſint imponere. Attamen vel ſola Ionathanis memoria, & debilitas Miphiboſethi retinere Davidem debuerant, ne quid temere crederet. Vetus dictum, Principibus imprimis utile, Νῆφε καὶ μέμνησ' ἀπιστεῖν [*Vigila, neve quid temere credas*]. Nec minùs efficax dictum Mardonii in Polymnia Herodoti: Διαβολὴ γάρ ἐστι δεινότατον· ἐν τῇ δύο μέν εἰσι οἱ ἀδικέοντες, εἷς δὲ ὁ ἀδικεόμενος. ὁ μὲν γὰρ διαβάλλων ἀδικέει, οὐ παρεόντων κατηγορέων· ὁ δὲ ἀδικέει ἀναπειθόμενος πρὶν ἀτρεκέως ἐκμάθῃ· ὁ δὲ δὴ ἀπεὼν τοῦ λόγου τάδε ἐν αὐτοῖσι ἀδικέεται, διαβληθείς τε ὑπὸ τοῦ ἑτέρου καὶ νομισθεὶς πρὸς τοῦ ἑτέρου κακὸς εἶναι [*Calumnia res eſt peſſima, in qua duo faciunt injuriam, patitur unus. Injuriam enim facit calumniator, abſentes accuſans; ſed & alter qui credit, priuſquam bene rem didicerit. At is qui ſermoni non adeſt, graviſſimam patitur injuriam, ab altero infamatus, ab altero creditus eſſe malus*].

4. *Tua ſint omnia quæ fuerunt Miphiboſeth*] Nempe ex confiſcatione ob crimen perduellionis, *Multa interim Reges, in bello præſertim, opertis oculis donant*, ut apud Senecam eſt de Beneficiis lib. IV. 37. *Sic delatores, genus hominum publico exitio repertum, & pœnis quidem nunquam ſatis coërcitum, per præmia eliciebantur*, Tacitus Annal. IV.

5. *Semeï filius Gera*] Homo impudens, & qui Cynicos maledicentiâ facilè viciſſet.

10. *Dominus enim præcepit ei ut maledicat David: Et quis eſt qui audeat dicere quare ſic fecerit*] Meliùs כי, quod hîc in Hebræo eſt per *ſi* vertitur, ut & aliis in locis, ut ſenſus ſit: Si fortè præceptum à Deo habet me maledictis puniendi, quis jus habebit ut id impediat? David verorum criminum conſcientiâ tactus, ſi cum Deo res ſit, ſcit magna probra ſe meritum. Semeï autem cùm nullum haberet à Deo præceptum, graviſſimè hîc peccavit contra legem Exodi XXII. 28. ità ut morte affici eo nomine poſſet, infrà XIX. 20. 21. I Reg. II. 9.

12. *Si fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam*] Legit בעוני, ut & LXX. Libri alii habent בעיני, id eſt, *in oculum meum.* Sed notant Hebræi fuiſſe olim בעינו, ut dicatur, *Si fortè reſpiciat Dominus in oculum ſuum*, id eſt, ad ſe redeat. Mutatum hoc, quia videbatur ſonare duriùs.

18. *Quia illius ero quem elegit Dominus*] Huſai ut fidem ſibi inveniat apud Abſalomum liberat ſe à ſuſpicione in Davidem duobus modis: primò, quòd vox populi ſit vox Dei, & ideo jure regnet

Abſalomus: deinde, quia etiamſi hoc non eſſet, nihil peccet in Regem qui filium Regis bonis conſiliis inſtruat.

21. *Ingredere ad concubinas patris tui*] Homo vafer ſcit nihil magìs timere eos qui Principes ſanguinis regii in factione ſequuntur, quàm ne ii Principes reconcilientur cum Rege, & ſic Rex compos iterùm regni factus, occaſiones ſemet vindicandi quærat. Itaque ſolent hoc agere qui in tali parte ſunt, ut res perducantur ad abrupta, nullámque ſanationem recipientia. Thorum autem patris qui violat, is planè creditur nullum ſibi receptum ad gratiam ejus relinquere. Sic Artabanes Perſarmenius multos Perſarum occîdit, ut ad Romanos tranſiens fidem apud eos inveniret, ut narrat Procopius Gotth. IV. Quantus autem ſit dolor patri ex ſtuprata per filium concubina, ex Iacobi animadverſione in Rubenem intelligi poteſt; nec minùs ex Phœnicis hac de ſuo peccato narratione Iliados Ι′.

Οἷον ὅτε πρῶτον λίπον Ἑλλάδα καλλιγύναικα,
Φεύγων νείκεα πατρὸς Ἀμύντορος Ὀρμενίδαο,
Ὅς μοι παλλακίδος πέρι χώσατο καλλικόμοιο,
Τὴν αὐτὸς φιλέεσκεν, ἀτιμάζεσκε δ' ἄκοιτιν
Μητέρ' ἐμήν· ἡ δ' αἰὲν ἐμὲ λισσέσκετο γούνων
Παλλακίδι προμιγῆναι, ἵν' ἐχθήρειε γέροντα.
Τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα· πατὴρ δ' ἐμὸς αὐτίκ' ὀϊσθεὶς
Πολλὰ κατηρᾶτο, στυγερὰς δ' ἐπεκέκλετ' Ἐριννῦς.
[*Vt cùm de Græcis exivi finibus, iram*
Devitans genitoris Amyntoris Ormenidaï:
Qui mihi formoſâ de pellice ſuccenſebat,
Quam miſerè ardebat, contemtâ conjuge contrà
Matre meâ, quæ me genubus defixa rogavit
Vt me miſcerem cum pellice, de ſene ſemet
Vlciſcens; fecique. Pater tum ſæva precatus
Eſt mihi, quinetiam Furias in vota vocavit.]

23. *Conſilium autem Achitophel quod dabat in diebus illis quaſi ſi quis conſuleret Deum*] Poterat dici Achitopheli quod Vlyſſi dicit Hecuba apud Euripidem:

Τὸ δ' ἀξίωμα κἂν κακῶς λέγῃ τὸ σὸν,
Πείσει· λόγος γὰρ ἔκ τ' ἀδοξούντων ἰὼν
Κἀκ τῶν δοκούντων αὐτὸς οὐ ταυτὸν σθένει.

quæ Ennius ita vertit:

Hæc etſi tu perverſè dices, facilè Achivos flexeris:
Nam quum opulenti loquuntur pariter atque ignobiles,
Eadem dicta eadémque oratio æqua non æquè valet.

CAPVT XVII.

1. *ET conſurgens perſequar David hac nocte*] Frequenter in bellis omnibus, maximè verò in civilibus, incidit illa deliberatio, Feſtinare rectius ſit, an bellum ducere & majores copias opperiri; qualis conſultatio egregia inter Othonianos duces Taciti Hiſtor. II. At in hoc tempore de quo nunc agimus, haud dubiè dies pro legitimo Rege erat. primùm fuga ex urbe magnum pavorem in ſectantes ipſum intulerat, quo recente facilè opprimi ille potuit; deinde locum hîc habebat illud quod idem ille Tacitus habet Hiſtoriarum primo, *daret malorum pœnitentiæ, daret bonorum conſenſui ſpatium: ſcelera impetu, bona conſilia morâ valeſcere.* Livius *nunquam defuturos* ait *qui gratiam melioris partis bono publico velint quæſitam.*

3. *Vnum enim virum tu quæris*] Bellum civile ſæpè unius hominis ſanguine tranſigitur, ut in Galba, Othone, Vitellio. Piſone occiſo, levata Othoni omni ſolicitudine mens. Præcipuè verò id locum habet ubi proximus ad regni ſucceſſionem regnum ſenectâ patris detineri non patitur. Talis enim ipſo crimine, unde damnandus eſſet, abſolvitur.

Honeſta quædam ſcelera ſucceſſus facit.

Mira olim res viſa, quòd Rex Antigonus filium Demetrium cum telo ad ſe paſſus eſſet accedere. Nam ſicut Geometræ, ut ait in ea hiſtoria Plutarchus, αἰτήματα [*poſtulata*] quædam habent: ſic Regum αἴτημα [*poſtulatum*] eſt, ut ſuæ ſecuritatis causâ quemvis ſibi liceat occidere. ſed ridet impia hominum cogitata Rex regum.

8. *Velut ſi urſa raptis catulis in ſaltu ſæviat*] Sæpè Poëtæ iram deſcribunt ſimilitudine leænæ aut tigridis furentis ob raptos catulos. Nec magìs tutò

Fumantem vivi naſum tentaveris urſi.

9. *Forſitan nunc latet in foveis*] Erat enim David, ut Lyſander, ἀπάταις τὰ πολλὰ διαποικίλλων τοῦ πολέμου [*multa in bello fraudibus interpolans.*]

Et cùm ceciderit unus quilibet in principio, audiet quicunque audierit, & dicet: facta eſt plaga in populo qui ſequebatur Abſalom] Hoc volebat quod Tacitus dixit Hiſt. II. *uti initia belli proveniſſent, famam in cætera fore.*

11. *Congregetur ad te univerſus Iſrael*] Sic illi apud Othonem, *Duceret bellum: paucis diebus quartamdecimam legionem magnâ ipſam famâ cum Mœſiacis copiis affore: ſi prælium placuiſſet, auctis viribus certaturos.*

12. *Operiemus eum ſicut cadere ſolet ros ſuper terram*] Sic Claudius Marcellus in declamatione pro trecentis ad Thermopylas: *Non vincent nos ſed obruent.* Seneca de Benef. VI. 31. de his qui Xerxi adulabantur: *Alius ajebat non laturos nuntium belli, & ad primam adventûs famam terga verſuros; alius, nihil eſſe dubii quin illâ mole non vinci ſolùm Græcia, ſed obrui poſſet.*

13. *Circumdabit omnis Iſrael civitati iſti funes*] *Vincula ac libramenta tormentorum* Tacitus Hiſtor. III.

Trahemus eas in torrentem] Omnes ruinæ reliquias aut cineres in amnem deportabimus tot manuum facili labore, ut ità in mare ferantur nunquam conſpiciendæ ampliùs.

14. *Domini autem nutu diſſipatum eſt conſilium Achitophel utile*] Bene Ammianus libro XIV: *Manum injicientibus fatis, hebetari ſenſus hominum & obtundi.* Sic Homerus:

——τῷ γὰρ φρένας ἐξέλετο Ζεύς.
[—— *mentem Deus abſtulit illi.*]

16. *Mittite citò & nunciate David*] Bene ſucceſſit Davidi commentum ſuum, quod habuimus ſuprà XV. 35. 36.

19. *Ptiſanas*] הרפות, quam vocem ut obſcuram LXX hîc reliquerunt.

20. *Tranſierunt feſtinanter guſtatâ paululùm aquâ*] Legit hîc interpres מאכל [*guſtata*]. At Græci מיכל [*rivum*]. Nam quod nunc in Hebræo habemus מיכל pro *rivo* nuſquam alibi comparet.

21. *Tranſite citò fluvium*] Infirmioribus utile eſt amnem inter ſe & hoſtes interponere.

23. *Suſpendio interiit*] Vox חנק quæ *ſuſpendium*, eadem & *indignationem* ſignificat : & ſic Arabes uſurpant. De voce Græca ἀπήγξατο vide quæ diximus Matth. XXVII. 5.

24. *Venit in caſtra*] Græci putant nomen eſſe loci Μαναΐμ [*Manaim*].

25. *Iethra de Ieſraeli*] Vnâ literâ mutatâ videtur hîc olim fuiſſe poſitum ישמעאלי [*Iſmaëlita*] ut in Hebræo, Græco, & aliis interpretibus I Paralip. II. 17.

Ad Abigail filiam Naas] Aliam ab illa cujus mentio I Paralip. II. 16.

29. *Obtulerunt ei ſtratoria, & tapetia, & vaſa fictilia, frumentum & hordeum*] Multa in beneficii nomen veniunt ob tempus quo dantur. *Quanti æſtimas in ſolitudine hoſpitium, in imbre tectum, in frigore balneum aut ignem?* ait Seneca de Beneficiis VI. 15. Darius Syloſonti in Thalia Herodoti : Ὦ γενναιότατ' ἀνδρῶν, σὺ κεῖνος εἶ ὃς οὐδεμίην ἔχοντί μοι δύναμιν ἔδωκας εἰ καὶ σμικρὰ, ἀλλ' ὦν ἴση γε ἡ χάρις ὁμοίως ὡς εἰ νῦν κόθεν τι μέγα λάβοιμι; [*O vir præclare, tu ergò ille es qui mihi nullâ prædito potentiâ dediſti exigua quidem, ſed pro quibus non minor tibi debetur gratia quàm ſi nunc magni quid acciperem.*] Fuit hic Barzillaius pro ſua copia liberalis in Davidem & ejus milites, ut Pythius in Xerxem & milites ejus. Sed Barzillaius gratiorem invenit hoſpitem : Barzillaio profuit filium dediſſe Davidi, Pythio nocuit non dediſſe. Vide infrà XIX. 38.

CAPVT XVIII.

1. I*Gitur conſiderato David populo ſuo*] Sic & Græci : Καὶ ἐπεσκέψατο Δαβὶδ τὸν λαὸν τὸν μετ' αὐτοῦ [*Et conſideravit David populum qui ſecum erat*]. Reſpondent hæc optimè Hebræo יפקד, id eſt, cùm videret copias ſuas non minores hoſtilibus.

3. *Non exibis*] Sic *Tiberio fixum neque ſe neque rempublicam in caſum dare*, Taciti Annal. I. Diſtinctione tamen hic opus, quam idem ſcriptor nobis dictat Muciani verbis fine Hiſtor. IV. *Si ſtatus imperii aut ſalus Galliarum in diſcrimen verteretur, debuiſſe Cæſarem in acie ſtare : Caninefates Batavóſque minoribus ducibus delegandos.* Ideo Hiſt. II. cùm narraſſet, dubitatum intereſſe pugnæ Imperatorem Othonem, an ſeponi melius foret, perpulſúmque tandem ut Brixellum concederet, ac dubiis præliorum exemtus, ſummæ rerum & imperii ſeipſum reſervaret, addit : *Is primus dies Othonianas partes afflixit.* Tantum refert quo tempore aut loco quidque fiat. Davidi erant commeatus, urbes, & trahendi artes.

Tu unus pro decem millibus computaris] *Rariſſimum nec niſi ratione diſciplinæ conceſſum, plus reponere in duce, quàm in exercitu*, ait Tacitus ubi Cattos laudat. Virgilius de Apibus :

——— rege incolumi mens omnibus una,
Amiſſo rupêre fidem.

4. *Quod vobis videtur rectum hoc faciam*] Sic Claudius unum ſe civium & conſenſui imparem dicebat, Annalium Taciti XII. Præcipuè verò *civilibus bellis plus militibus quàm ducibus licet*, ut eſt Hiſtor. II.

5. *Servate mihi puerum Abſalom*] Nimis indulgenter, & cum publica pernicie. Atqui Romanis antiquis non populi tantùm ſalus, ſed & diſciplina caſtrorum antiquior fuit, quàm caritas liberorum, L. Poſtliminium §. Filius. D. de captivis. Cicero de finibus primo de Manlio Torquato agens, ait eum *ipſi naturæ, patrióque amori prætuliſſe jus majeſtatis atque imperii.*

6. *In ſaltu Ephraim*] Vbi cæſi olim Ephraimitæ, Iud. XII. 5. 6.

8. *Multo plures erant quos ſaltus conſumpſerat de populo*] Qui in latebris interfecti ſunt pecorum ritu.

Quam hi quos voraverat gladius] Id eſt, acies.

14. *Tulit ergò tres lanceas*] In Hebræo שבטים, quod גיסא, id eſt *gæſa* interpretatur Chaldæus.

15. *Et percutientes interfecerunt eum*] Quoties heres futurus regni in Regem arma ſumit, illum interire bonorum omnium intereſt, ne quod ex officio fecerunt luant pro crimine, quia

Nulla manus belli mutato judice pura eſt.

Ioabus autem non quid præcepiſſet David, ſed quid præcipere debuiſſet ſpectavit, putavitque minus in hoc facto eſſe periculi, quàm ſi Abſolomum Regem pati aliquando coactus eſſet.

16. *Retinuit populum ne perſequeretur fugientem Iſrael*] Bene. Vide ſuprà II. 26. & adde hoc Ciceronis libro IV. epiſtolâ VII. ad familiares : *Sapientem & bonum civem initia belli civilis invitum ſuſcipere, extrema non libenter perſequi.*

17. *Et comportaverunt ſuper eum acervum lapidum magnum nimis*] Id illis temporibus pro trophæo erat.

18. *Dixerat enim : Non habeo filium*] Habuerat, ſuprà XIV. 27. ſed eo vivente erant mortui. Ità hîc Chaldæus, & alii.

Manus Abſalom] Aut potiùs *locus*, ut Deut. XXIII. 12. & alibi.

21. *Et ait Ioab : Chuſi vade & nuncia regi quid vidiſti*] Æthiopi cuidam, cui etiamſi quid triſte accidiſſet à Rege, leve damnum exiſtimabat.

24. *Speculator verò qui erat in faſtigio portæ*] Speculatores collocari in locis excelſis mos eſt, II Reg. IX. 17. Ezech. XXXIII. 2.

32. *Fiant ſicut puer inimici Domini regis, & univerſi qui conſurgunt adversùs eum in malum*]

Οὕτως πᾶς ἀπόλοιτο ὅ, τις τοιαῦτά γε ῥέζοι.
[*Sic pereat quiſquis cæptarit talia poſthac.*]

33. *Fili mi Abſalom*] Nimis περιπαθὴς [*affectuoſus*] David.

CAPVT XIX.

5. C*Onfudiſti hodie vultus omnium ſervorum tuorum qui ſalvam fecerunt animam tuam*] Ioab, qualis in Tacito Annalium IV. C. Silius. Hiſt. III. & IV Primus Antonius, *immodicus linguâ, obſequii inſolens, nimius commemorandis quæ meruiſſet.* Beneficia tam immodicè jactata pro gratia odium accerſunt. Et vitam nemo libenter debet.

7. *Nè unus quidem remanſurus ſit tecum nocte hac*] Vt qui viſuri ſibi tot periculis offenſam Regis partam, alium quærent cui iſta imputent.

11. *Cur veniſtis noviſſimi ad reducendum regem in domum ſuam*] Prudenter fidem facit non veniæ tantùm, ſed & redditæ benevolentiæ. *Bellorum egregii fines, quoties ignoſcendo tranſigitur*, ait Tacitus XII. Annalium. Præterea æmulatu tribuum ſtudia in ſe accendit.

13. *Si non magiſter militiæ fueris coram me omni tempore pro Ioab*] Manſit quidem Ioabo ſua legio, XX. 7. ſed ſumma belli Amaſæ concredita eſt, XX. 11. quam eo mortuo, Ioab metu magìs quàm favore Davidis recuperavit, XX. 23. XXIV. 2.

19. *Ne reputes mihi, Domine, iniquitatem*] LXX, μὴ δὴ λογισάσθω ὁ Κύριός μου ἀνομίαν [*nè reputet mihi Dominus meus iniquitatem*]. Eſt in hoc ſenſu λογίζεσθαι [*reputare*], contrarium τῷ ἀφιέναι id quod eſt *dimittere* Rom. IV. 7. Idem alibi κρατεῖν [*retinere*] *pænam expetere.*

22. *In Satan*] Vide Matth. XVI. 23.

Ergóne hodie interficietur vir in Iſrael] Dies lætus ob recuperatum regnum clementiæ potiùs quàm ſeveritatis exempla poſcit.

23. *Iuravítque ei*] Iuramentum ubi alia cauſa non ſubeſt, perſonam jurantis non egreditur, neque heredem obligat. Vide libr. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 17. & I Reg. II. 8. & 46.

24. *Illotis pedibus, & intonſâ barbâ, veſtéſque ſuas non laverat*] Vt in publico luctu.

28. *Neque enim fuit domus patris mei, niſi morti obnoxia Domino meo regi*] Ex ſummo illo rigore, quo omnes qui apud hoſtes ſunt pro hoſtibus habentur.

29. *Tu & Siba dividite poſſeſſiones*] Quidam putant Sibæ reſtitutum jus illud colonarium, de quo ſuprà IX. 10. At Hebræi peccaſſe hîc Davidem arbitrantur, ſive quòd prius decretum ſuum quod circumventus fecerat, ſuprà XVI. 4. noluit ex omni parte reſcindere, nè nimis apertus eſſet ipſius error, ſive quòd nimias Miphiboſethi opes ſuſpectas habuit. Ajúntque Deum ad hoc quoque peccatum reſpexiſſe cùm Roboami regnum bipertivit.

41. *Quare te furati ſunt fratres noſtri Iuda*] Honeſtum certamen, & ex ſpe Davidis; quod tamen accenſum acerbitate verborum occaſionem præbuit res novare volentibus. *Honeſta quidem, ſed ex quibus deterrima orirentur*, ait Tacitus fine Annal. I.

CAPVT XX.

2. *ET ſeparatus eſt omnis Iſrael à David, ſecutúſque eſt Seba filium Bochæ*]

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.
[*Ortâ ſeditione refert & pravus honorem.*]

3. *Erant clauſæ uſque in diem mortis ſuæ in viduitate viventes*] Ignovit quidem timori, ſed à filio tactas neque tangere ipſe voluit ut ſibi impuras, neque tangi ab aliis, quippe regias concubinas.

6. *Perſequere eum ne fortè inveniat civitates munitas, & effugiat nos*] *Feſtinandum antequam creſceret invalida adhuc conjuratio paucorum*, Tacitus Hiſtor. I.

8. *Qui fabricatus levi motu egredi poterat & percutere*] Rectiùs Græci, καὶ ἡ μάχαιρα ἐξῆλθε· καὶ αὐτὴ ἐξῆλθε καὶ ἔπεσε [*& gladius exivit, atque ità exivit ut caderet*]. Ità pendebat in vagina gladius, ut facilè de vagina excideret, quod & Ioabo, leviter adjuvante, evênit; ità ut Amaſa crederet delapſum humi gladium ab eo tolli, ut eum in vaginam reponeret.

9. *Mi frater*] Id eſt, collega. Æmulum ferre Ioab non poterat.

10. *Qui percuſſit eum in latere*] Ioab omnia videns impunè ſibi cedere, plura audet. Eſt autem in hoc facto atrox perfidia. Simile factum Mithridatis, qui Ariobarzanis filius, in Datamem habes apud Probum, qui hoc addit: Ità *ille vir qui multos conſilio, neminem perfidiâ ceperat, ſimulatâ captus eſt amicitiâ.* Eumenis haud multùm diſſimilis exitus.

12. *Ne ſubſiſterent tranſeuntes propter eum*] Idque ſpectaculum odia omnium in Ioabum vehementiùs concitaret.

15. *Circumdederunt munitionibus civitatem*] LXX ἐξέχεαν πρόσχωμα πρὸς τὴν πόλιν [*effuderunt aggerem ad urbem*]. id eſt, complanarunt foſſam.

Et obſeſſa eſt urbs] In Hebræo, *& ſtetit in propugnaculo*, nempe civitas, ἔστη ἐν τῷ προτειχίσματι.

Moliebatur deſtruere muros] Id eſt, ὑπορύσσειν, ut hîc Ioſephus, *ſubruere*, ſecuribus nempe & dolabris, ut Hiſtor. II. Tacitus nos docet.

18. *Qui interrogant, interrogent in Abele: & ſic perficiebant*] Non malè quidam cenſent referri à muliere quod ab initio inter ſe dixerant oppidani, *Mittent ad nos obſeſſores, & percunctabuntur an pacem velimus: & ſic brevi conficit negotium.*

19. *Nónne ego ſum quæ reſpondeo veritatem in Iſrael*] Meliùs: *Ego una ſum pacem amantium & populo toto fidelium.*

21. *Tradite illum ſolum*] Deditionis poſtulatio. Vide de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XXI. §. 4.

22. *Abſciſſum caput Seba filii Bochis projecerunt ad Ioab*] Plus fecerunt quàm poſtulabatur. Sic Scribonianus ſub Claudio interfectus finem bello impoſuit.

CAPVT XXI.

2. *RElìquiæ Amorrhæorum*] Ità ex parte validiori vocantur decem populi, Geneſ. XV. 16. Propriè enim Gabaonitæ erant ex Hivæis, Ioſue IX. 7. in Hebræo.

Voluit Saul percutere eos] Et percuſſit quoſdam, ut jamjam ſequitur, & narrat Ioſephus.

Zelo, quaſi pro filiis Iſrael & Iuda] ζῆλον Θεοῦ ἔχων, ἀλλ᾽ οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν [*æmulationem Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam*], ut Paulus loquitur Rom. X. 2. Nullo enim obtentu violari debuit fides publica. De qua vide Ioſ. IX.

3. *Quid faciam vobis*] Æſtimate litem.

Vt benedicatis hereditati Domini] Vt bene precemini Iſraëlitis.

6. *Vt crucifigamus eos Domino*] ἐξηλιάσωμεν αὐτοὺς [*Soli exponamus*], LXX hîc; id eſt, ſub dio palàm eos de ligno ſuſpendamus, nempe priùs interfectos; quod tacitè intelligitur, ut Numerorum XXV. 4.

Et ait rex, ego dabo] Conſultis Prophetis, quod hîc disertè adjicit Ioſephus; & fames θεήλατος [*à Deo immiſſa*] exigebat. Et certè aliter ſi eſſet, non tantùm peccaſſet David in legem ſatis apertam Deuteron. XXIV. 16. ſemper obſervatam à bonis Regibus, II Reg. XIV. 6. II Paralip.XXV.4. & in legem alteram Deuteron. XXI.23. verùm etiam apud omnes prudentes ſuſpicione ſe oneraſſet, quaſi qui prætextus quæreret ut ſe & poſteros ſuos liberaret à poſteris Saülis, uno tantùm eóque debili ſervato. Vide quæ de hoc argumento dicta libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap.XXI. num. 14.

8. *Et quinque filios Michol filiæ Saul*] Atqui Michol filios non habuit, ſuprà VI.23. Hebræi quidam & Chaldæus hîc interpres cenſent *Micholis filios* impropriè dici, quos ex Merobe ſorore natos ipſa educavit, quale loquendi genus apparet Ruth IV. 17. I Chron. IV. 18. Alii verò non incredibile putant ſcribam libri, unde multa exemplaria fluxêre, ſcripſiſſe מיכל [*Michol*] pro מרב [*Merob*]. De Merobe vide I Sam.XIV. 49. XVIII. 17. & ſequentibus.

10. *Donec ſtillaret aqua ſuper eos de cælo*] Et ſic appareret Deum eſſe placatum; nam fames per ſiccitatem evenerat. Ioſephus hoc loco: ἤρξατο γὰρ ὕειν παραχρῆμα ὁ Θεὸς, καὶ τὴν γῆν πρὸς γονὴν καρπῶν ἀνακαλῶν ἀπολῦσαι τοῦ πρότερον αὐχμοῦ [*ſubitò enim cœperat pluere Deus, & terram ad fructuum productionem revocare liberatam ab ea quæ fuerat ſiccitate.*

Et non dimiſit aves lacerare eos per diem, neque beſtias per noctem] Piè. Ambroſius libro de Tobia: *Nihil hoc officio præſtantius: ei conferre, qui jam tibi non poteſt reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à beſtiis conſortem naturæ.*

14. *Sepelierunt ea cum oſſibus Saul & Ionathan*] Honos aliquis eſt condi in monumentis majorum potiùs quàm alibi. Vide ſuprà II. 31. II Paralipomen. XXXV. 24.

16. *De genere Arapha*] Id eſt, gigantum, ut apparet I Paralip.XX.4. & 6.

17. *Iam non egredieris nobiſcum in bellum*] Vide quæ ſuprà XVIII.3.

20. *Qui ſenos in manibus pedibúſque habebat digitos*] Plinius Hiſt. Natur. XI. c.XLIII. *Digiti quibuſdam in manibus ſeni. Caji Horatii ex patritia gente filias ob id ſedigitas appellatas accepi: Volcatium ſedigitum illuſtrem in Poëtica.*

CAPVT XXII.

2. *Dominus petra mea*] Hic hymnus in multis convenit cum Pſal. XVIII.

11. *Aſcendit ſuper Cherubim, & volavit*] In Hebræo: *Aſcendit ſuper Cherub & volavit*, id eſt, velociſſimè advenit velut in alato animali. Sic alibi nube leviſſimâ vectari dicitur, Eſaiæ XIX.1.

CAPVT XXIII.

1. *Hæc autem ſunt verba David noviſſima*] Nempe verba Prophetiæ. nam alia multa non prophetica poſt id locutus eſt, ut capite ſequenti, & libro ſequenti apparebit.

3. *Dixit Deus Iſrael mihi, locutus eſt Fortis Iſrael*] Per Nathanem. Vide ſuprà cap.VII.

8. *Fortium David*] Heroum ejus temporis, quorum virtus modum humanum viſa excedere.

Quaſi tenerrimus ligni vermiculus] Eſt nomen proprium, *Hadinus Heſnita.* Ità Græci & Hebræi.

11. *Ager lente plenus*] Alius hic ager ab illo *pleno hordei*, I Paralip.XI. 13. nam & bellatorum nomina differunt.

16. *Et ille noluit bibere*] Sic Alexander in pari neceſſitate *poculo pleno, ſicut oblatum erat reddito, Nec ſolus, inquit, bibere ſuſtineo; nec tam exiguum omnibus dividere poſſum.* Narrat Curtius libro VII. Lucanus de Catone in ſiticuloſa Africa:

> *Vltimus hauſtor aquæ, cùm tandem fonte reperto*
> *Indiga cogatur latices potare juventus,*
> *Stat dum lixa bibat.*

39. *Omnes triginta ſeptem*] Qui hîc ab Aſaële ad hunc numerum deſunt, ii fuere filii Iaſſen ſuprà memorati commate 33.

CAPVT XXIV.

1. *Commovítque David in eis*] In eis nempe diebus commovit David, activum pro paſſivo, ut ſæpè, id eſt, commotus eſt, nempe à diabolo, ut expreſsè habemus I Paralip.XI.1. Diabolo autem locum facit incuria ac negligentia circa meditationem Legis ac preces.

Vade, numera Iſrael & Iudam] Nempe non perſoluto cenſu, qui Deo quoties luſtrabatur populus debebatur ex lege Exod.XXX.12. Erat autem non leve peccatum in tanta rerum opulentia Deum ſuo jure velle fraudare. Sic interpretantur hanc hiſtoriam Ioſephus, & Hebræorum alii.

4. *Obtinuit autem ſermo Regis verba Ioab & principum exercitûs*] Imò *apud Ioab & principes exercitûs*; id eſt, nihil ultrà contradictum eſt.

7. *Tranſierunt prope mœnia Tyri*] Rectiùs Græci nomen loci proprium hîc ponunt Μαψαρτύρου, quod eodem modo reſtituendum in Græco Ioſ. XIX. 29. quo loco Græci pro עיר [*oppidum*] malè videntur legiſſe עין [*fons*], & copula in Græco abundat.

Et Cananæi] Phœnicum. Vide quæ dicta nobis ad Matth. XV.22. & in Annot.ad libr.I. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

9. *Octingenta millia virorum fortium qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pugnatorum*] Nempe extra legiones ordinarias quæ ſub XII erant Ducibus, ut colligas ex I Paralip.XXVII. 1.

10. *Et dixit David ad Dominum: Peccavi valde in hoc facto*] Non ſtatim ad pœnitentiæ profeſſionem tolluntur pœnæ.

13. *Aut ſeptem annis veniat tibi fames in terra tua*] *Septem annos* habet & Ioſephus. At *tres* hîc LXX. quomodo & in Hebræo I Paralip. XXI.12. Videntur numeri olim per notas ſcripti, ut & apud gentes alias, & indè facilis mutatio. Bene autem cum hoc loco convenit illud Heſiodi:

> Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ,
> Ὅστις ἀλιτραίνει καὶ ἀτάσθαλα μηχανάαται·
> Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων
> Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν. ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.
> Οὐδὲ γυναῖκες τίκτουσιν· μινύθουσι δὲ οἶκοι
> Ζηνὸς φραδμοσύνῃσιν Ὀλυμπίου· ἄλλοτε δ' αὖτε
> Ἢ τῶν γε στρατὸν εὐρὺν ἀπώλεσεν, ἢ ὅγε τεῖχος
> Ἢ νέας ἐν πόντῳ Κρονίδης ἀποτίννυται αὐτῶν.

[Sæpe urbs tota luit pœnas unius iniqui
Qui violat leges & res molitur iniquas.
Quippe illic Deus è cœlo mala plurima mittit:
Esuriem, & pestem populos consumere natam:
Quin nec matronæ pariunt, totique penates
Tabescunt magni curâ Iovis. agmina sæpe
Tota perire facit, muros aut diruit idem;
Aut etiam magno demergit in æquore naves.]

15. *Septuaginta millia virorum*] In Carthaginensium exercitu cùm Syracusas obsideret brevi tempore centum hominum millia periêre. Narrat Diodorus libro XIV.

16. *Cúmque extendisset manum suam Angelus Domini*] Qui gladio armatus apparebat in signum iræ divinæ, ut colligere est I Paral. XXI. 16.

17. *Ego sum qui peccavi, ego iniquè egi: isti qui oves sunt, quid fecerunt*] Simile illud apud Virgilium:

Me, me, adsum qui feci: in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis, nihil iste nec ausus,
Nec potuit.

Neque tamen innocens planè populus, qui silentio factum Davidis probaverat. Præterea ipsius Regis maxima pœna, damnum populi. Vide quæ diximus de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XXII. §. 17.

18. *Area Araunæ Iebusæi*] Vir fuit pius, sed ex Regum Iebusæorum sanguine; unde *rex* infrà appellatur, 23.

21. *Vt emam à te aream*] Nam alienum solum consecrare nefas. In hac area ædificatum postea Templum.

24. *Emit ergo David aream*] Hîc ponendum colon: emit autem *siclis auri sexcentis*, I Paral. XXI. 25. Quod sequitur pretium est multò minus, victimarum scilicet.

AD LIBRVM PRIOREM REGVM

IVXTA HEBRÆOS,

QVI APVD LATINOS

TERTIVS REGVM.

HIc Liber à Solomonis rebus incipit, additâ tantùm pro initio narratione ostendente quomodo Solomon ad regnum pervenerit. Solomoni ego Numam comparo. Vterque fato quodam perductus ad regnum: sapiens uterque: templum struxit uterque: ceremonias externas uterque introduxit. Numa filios privatos post se reliquit, Solomon filium Regem ex sextante. Bipartito regno videbis Israëlis Reges omnes malos, Iudæ Reges malos aliquot, mediocres satis multos, bonos tot quot facilè in annulo inscribi possent.

CAPVT I.

2. ET *foveat eum*] Vox סכנת eam significat *quæ alicui prodest*; quomodo autem profuerit explicant sequentia. Iosephus dixit βοήθημα πρὸς τὸ ῥῖγος [*auxilium contra frigus*]. Calor à corpore juvenili ac sano maximè prodest senibus.

Plautus Sticho:

Dabitur homini amica, noctu quæ in lecto accendet senem:
Namque edepol aliud quidem illi quid amica opus sit nescio.

5. *Elevabatur*] ἐπήρετο LXX. id est, se in imperii possessione constituere voluit.

Dicens, Ego regnabo] Iam nunc regnare volo. Non semel id evênit, ut filii patris mortem exspectare nollent. Exempla habemus in Sennacheribi filiis duobus, Darii filio Artaxerxe, Philippi Macedonis Perseo, Ptolemæo Euergete, & aliis multis.

Et quinquaginta viros qui currerent ante eum] Eâdem viâ grassabatur quâ Absolomus suprà II Reg. XV. 1.

6. *Nec corripuit eum pater suus*] Ad illam naturalem Davidis & immodicam στοργὴν [*affectionem in suos*] accesserat senectus, quæ homines incuriosos rerum & segnes facere solet. Herodes mimiambis:

—— τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει
Τὸν νοῦν.

[—— *hebescit cùm nives caput spargunt*
Et mentis acies.]

Secundus natu post Absalom] Optimè sensum Hebræorum expressit, ubi est, *pepererat eum* (Hagith) *post Absalomum*, nempe natum ex alia matre. Putabat pridem regnum sibi deberi Adonias, quòd Absalomus, qui solus eum ætate præcederet, patrem offendisset.

7. *Cum Ioab filio Sarviæ*] Qui regnum volebat esse sui beneficii.

9. *Iuxta lapidem Zoheleth*] *Speculæ*. Chaldæus.

Qui erat vicinus fonti Rogel] Prope hortos regios, Iosephus.

Vocavit universos fratres suos] Convivia apta conjurationibus, II Reg. XV. 12.

10. *Nathan autem prophetam, & Banajam, & robustos quosque, & Salomonem fratrem suum non vocavit*] Partim contemtu, partim quòd eos suis consiliis adversos crederet, ut amicos Bethsabeæ.

12. *Salva animam tuam filiique Solomonis*] Prudenter; quasi dicat cum Muciano, *Confugiendum tibi est ad imperium*: quod gloriosissimum idem tutissimum hîc erat.

13. *Nonne tu, domine mi rex, jurasti mihi ancillæ tuæ, dicens: Salomon filius tuus regnabit post me*] Haud dubiè Deo auctore per Nathanem Prophetam,

quod fatetur Adonias infrà II. 15. & apertiſſimè I Paral. XXVIII, 5.

14. *Ego veniam poſt te, & complebo ſermones tuos*] *Ità digerit omnia Calchas.*

18. *Te, mi domine rex, ignorante*] Tam interpres hîc quàm Græci legerunt אתה [*tu*], ubi nunc in Hebræo legimus עתה [*nunc*].

21. *Erimus ergò ego & filius meus Salomon peccatores*] Rei mortis crimine regni affectati.

23. *Et adoraſſet eum pronus in terram*] Non enim veniebat jam ut Propheta, ſed ut amicus Regis.

34. *Vngat eum ſibi Sadoc ſacerdos*] Vicarius ſummi Sacerdotis in ejus abſentia omnia ejus munia fungebatur. Quod autem hîc fecit David, idem poſt eum fecit Artaxerxes, qui ad præſcindenda inter fratres certamina vivus Darium filium Regem fecit. Idem fecêre & Perſæ reges alii, Imperatorum Romanorum multi. Apud Hebræos, Reges extra controverſiam regni heredes ungi non ſolebant, ſed exortis controverſiis adhibita unctio ad majorem cautionem.

35. *Sedebit ſuper ſolium meum*] Legitima in poſſeſſionem introductio.

41. *Audivit autem Adonias & omnes qui invitati erant ab eo*] Vide quantam feſtinationem huic negotio adhibuerit Nathan. conſilium enim erat quod laudari non poterat niſi peractum.

47. *Et adoravit rex in lectulo ſuo*] Deum precatus eſt, ut cœpta hæc bene Solomoni, bene populo verterent.

50. *Tenuit cornu altaris*] Ad aram confugit, non ex Legis inſtituto, ſed ex gentium more, ut & Ioab II. 28. Vide quæ dicta de Iure Belli ac Pacis lib. II. cap. XXI. §. 5. & Comœdias paſſim.

52. *Dixitque Salomon: ſi fuerit vir bonus, non cadet nè unus quidem pilus ejus in terram*] Magna ſe ab initio oſtendit ſapientia Solomonis, haud dubiè ſuſtentata virorum magnorum Nathanis, Sadoci, & Banajæ conſiliis: nam

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.
[*Dat ſapere regi turba ſapientum comes.*]

Condonat enim crimen rerum novarum, quod punire in fratre & quidem primogenito odioſum ſatis fuerat; ſed eâ lege ſi nihil faciat in poſterum quo ſuſpectum ſe poſſit facere. quæ lex aut frænum futurum erat Adoniæ, aut honeſta πρόφασις [*prætextûs anſa*] Solomoni. Non diſſimile eſt quod in cauſa Semeis infrà conſtituit Solomon.

Ἀεὶ γὰρ εὖ πίπτουσιν οἱ θεῶν κύβοι.
[*Semper bene cadunt quas dî jaciunt aleas.*]

CAPVT II.

3. *Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſis*] Deut. XVII. 18.

6. *Facies ergò juxta ſapientiam tuam*] Viri audaces & apud milites auctoritate valentes periculoſi ſunt in regno novo Regis adoleſcentis.

Et non deduces canitiem ejus pacificè ad inferos] Neque enim remiſerat illi crimen David, nec per Legem remittere poterat, ſed diſtulerat pœnam hominis & potentis, & in bello utilis. Tale illud apud Tacitum Hiſtor. III. *Nec illis aut honorare eam cædem jus hominum, aut ulciſci ratio belli permittebat.* & Annal. XV. *Attilla mater Annæi Lucani, ſine abſolutione, ſine ſupplicio diſſimulata.*

9. *Vir autem ſapiens es ut ſcias quæ facies ei*] Facilè homo ingenii inquieti dabit tibi εὔλογον αἰτίαν [*ſpecioſam cauſam*]. Vide infrà 37.

15. *Sed tranſlatum eſt regnum, & factum eſt fratris mei: à Domino enim conſtitutum eſt iſtud*] Quominus putetur id ægrè ferre, & nomen *fratris* poſuit, & rei *Deum* inſcripſit auctorem. Tale illud,

——— *tua eſt Lavinia conjunx:*
Vlteriùs nè tende odiis.

17. *Vt det mihi Abiſag Sunamitidem uxorem*] Multæ ſatis erant in Iudæa feminæ; ſed hanc voluit quòd Regis fuiſſet. Non ferebat autem mos Hebræorum, ut aut qui in miniſterio fuerant regio, alterius ſe quàm Regis ſucceſſoris miniſterio addicerent, aut quæ uxores aut concubinæ fuerant, privato ſocientur. Hanc ergo cupiens, jus ad ſe regni pertinere oſtendit, tentátque animum Solomonis, ut ſi metu juvenili hoc ei conceſſiſſet, auderet mox majora. Mulierem autem aggreditur ut regnandi ignaram, ità amoribus facilem.

19. *Quæ ſedit ad dexteram ejus*] Qui locus poſt Regis locum honoratiſſimus. Vide quæ dicta ad Matth. XX. 21.

22. *Et habet Abjathar ſacerdotem, & Ioab filium Sarviæ*] Quorum conſilio adjutus & auctoritate fretus gradum ſibi ad regnum ſtruit, niſi fortiter obſtiterim.

25. *Miſitque Rex Solomon per manum Banajæ filii Iojadæ*] Sic ferme Romulus Remum occidit per centurionem Fabium Celerem. Sicut autem Romæ eo tempore omnia manu à Regibus gubernabantur, ità & apud Hebræos olim. Vide II Sam. I. 15. & hîc infrà 29. 46. Tum verò nihil in diſcordiis civilibus feſtinatione tutius, *ubi facto magis quàm conſulto opus*, Tacitus Hiſtor. I. Et ſunt quæ moram non recipiunt, *non pœnæ feſtinatione, ſed præveniendi periculi cauſâ*, L. Si quis. D. de injuſto, rupto, irrito teſtamento. *Nec ſe exſpectari jubent leges, cùm ei qui exſpectare velit antè injuſta pœna luenda ſit quàm juſta repetenda*, ut Cicero ait pro Milone.

27. *Ejecit ergò Salomon Abjathar, ut non eſſet ſacerdos Domini*] Summi ſacerdotes apud Hebræos, ſicut à Regibus inſtituebantur, ut alibi diximus, ità & ab iiſdem gravi ex culpa deſtitui, imò & morte puniri poterant; erant enim ſubditi: ideóque ſedente Rege ſtabat ſummus Sacerdos.

Vt impleretur ſermo] Hebraïcè, *ad implendum ſermonem*: ubi *ad* eſt ἐκβατικὸν [*ſignificativum eventûs*], non τελικόν [*ſignificativum propoſiti*]. neque enim hoc reſpiciebat Solomo.

28. *Et apprehendit cornu altaris*] Quod homicidæ prodeſſe non debebat per legem Exod. XXI. 14. Euripides:

Ἐγὼ γὰρ ὅστις μὴ δίκαιος ὢν ἀνὴρ
Βωμὸν προσίζει, τὸν νόμον χαίρειν ἐῶν,
Πρὸς τὴν δίκην ἄγοιμ' ἄν, οὐ τρέσας θεούς·
Κακὸν γὰρ ἄνδρα χρὴ κακῶς πάσχειν ἀεί.
[*Hunc, qui facinorum conſcius, nec legibus*
Fidens ad aras volvitur ſupplex deûm,
Trahere ad tribunal nulla relligio mihi.
Mala ſemper æquum ferre, qui fecit mala.]

31. *Amovebis ſanguinem innocentem, qui effuſus eſt à Ioab, à me & à domo patris mei*] Sumtum ex Lege Num. XXXV. 31. & Deuter. XIX. 13. Non diſſimile illud Livii libro I. *Illorum pœnam in ſe vertit.*

34. *Sepultúſque eſt*] Ex Lege Deut. XXI. 23.

35. *Sadoc ſacerdotem poſuit pro Abjathar*] Iure regio. Sic Sacerdotium ad Phineæ poſteritatem rediit.

36. *Et non egredieris indè huc atque illuc*] Credibile erat hominem contumacem & omnia ſibi licere volentem non obtemperaturum diu præcepto. Pœna hęc ea eſt, quam Marcianus, l. Exſilium. D. de interdictis & relegatis, inter cęteras poſuit, ubi omnibus locis præter unum interdicitur, valdè apta coërcendis hominibus qui in turba turbas facere poſſent.

46. *Percuſſit eum, & mortuus eſt*] Iuſta pœna duplici ex cauſa, quia & vetus crimen condonatum ei non fuerat niſi ſub conditione cui non ſtetit; & quia etiam ſine eo ſpeciale pręceptum Regis violare capital erat, non minùs quàm ſi quis ſtatione diſceſſiſſet. Poteſt autem huic Semeï bene aptari quod dicitur περὶ Δίκης [*de divina ultione*] ab Euripide:

——— σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρπτει τοὺς κακοὺς ἀεὶ βροτῶν.
[——— *greſſu neutiquam obſervabili*
Tergis nocentum ſemper adfigit pedem.]

& hoc:

——— οὐδέ τις κακοῦργος ὢν,
Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς
Νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν τέλος
Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.
[——— *Quiſquis eſt ergò malus*
Nè prima ſi curricula bene confecerit
Victor putetur ultionis cælitum,
Dum ſpatia reſtant aliqua & ad metam labor.]

Et à Theodecte:

Ὅταν γὰρ φωραθῶσιν ὀφθέντες κακοὶ
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.
[*Sed deprehenſi poſtea in piaculis,*
Vtcunque ſerò, quod ſat eſt pœnas luunt].

CAPVT III.

1. ACcepit namque filiam ejus*] Factam Legi ſubjectam: nam in hoc matrimonio eum non peccaſſe apparet ex Pſal. XLIV. & ex Cantico in ſacros libros relato.

3. *Excepto quòd in excelſis immolabat*] Non videtur eſſe exceptio de integritate Solomonis eo tempore; ſed quòd de populo dictum fuit, idem dictum de Solomone, nempe quia nondum ſtructum erat Templum, ſacrificia ab eo facta duobus in locis, ubi erat tabernaculum, id eſt, Gabaone, II Paral. I. 3. & Hieroſolymis ubi erat Arca, infrà VIII. I.

5. *Apparuit autem Dominus Salomoni per ſomnium nocte*] Angelus in Dei nomine loquens ei in ſomnio apparuit.

9. *Cor docile*] Sapientiam & intelligentiam II Paral. I. 10. *ſapientiam* circa agenda, *intelligentiam* Legis.

11. *Sed poſtulaſti tibi ſapientiam*] Nimirum,

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.
[*Pretioſa res eſt nulla præ ſapientia*].

Et ut Sophocles ait:

——— Προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.
[——— *Quæſtus non poteſt major dari*
Quàm mens ſubacta regulis prudentiæ.]

Menander verò:

Οὐκ ἔστιν οὐδέν, πάτερ, ἐν ἀνθρώπου φύσει
Μεῖζον λογισμοῦ· τῷ διαθέσθαι πράγματα
Ἕκαστός ἐστιν καὶ λογίσασθαι κατὰ τρόπον,
Ἄρχων, στρατηγός, ἡγεμὼν δήμου, πάλιν
Σύμβουλος· ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει.
[*In ætate hominum nil, pater, præſtantius*
Ratione eſt & conſilio; nam res qui ordinat
Vitaſque agendi rectè diſponit, ſibi
Eſt princeps, imperator, conſiliarius,
Tribunus plebis: cuncta habet cui mens adeſt.]

13. *Sed & hæc quæ non poſtulaſti dedi tibi*] Velut ἐπίμετρον [*corollarium*], Matth. VI. 29.

16. *Duæ mulieres meretrices*] LXX γυναῖκες πόρναι [*mulieres meretrices*]. Ioſephus, ἑταῖραι τὸν βίον [*vitæ genere impudicæ*]. extraneæ ſcilicet, non comprehenſæ Lege Deut. XXIII. 17.

Ad regem] Nam & Rex judicabat, erátque inter eum & Senatum præveniendi jus.

24. *Afferte mihi gladium*] Apparet hinc ἀγχίνοια [*ſolértia*] Solomonis egregia. Non diſſimile illud Ariopharnis Regis Thracum, qui de tribus filios ſe Cimmeriorum Regis dicentibus, eum pro filio habuit, qui juſſus cadaver pàtris jaculis noluerat inceſſere; quæ hiſtoria eſt apud Siculum Diodorum. Item illud Galbæ, qui cùm de proprietate jumenti quæreretur, levibus utrinque argumentis & teſtibus, ideóque difficili conjecturâ veritatis, ità decrevit, ut ad locum, ubi adaquari ſolebat, duceretur capite involuto, atque ibidem revelato, ejus eſſet ad quem ſponte ſe à potu recepiſſet, narrante Suetonio: qui & Claudii minimè ſpernendum judicium refert, qui feminam non agnoſcentem filium ſuum, dubiâ utrinque argumentorum fide, ad confeſſionem compulit, indicto matrimonio juvenis. Hæ ſunt illæ fraudes quibus uti magiſtratum bono ſubditorum & medicamenti vice vult Plato de Republica quinto. Inter illa ſigna quæ εἰκότα [*probabilia*] vocant Rhetores, validiſſimum eſt ad matrem indagandam στοργή [*naturalis affectus*].

CAPVT IV.

3. A *Commentariis*] In Hebræo: מזכיר, quod LXX vertunt ὁ ἀναμιμνήσκων [*à memoria*]. qui id munus obit μνήμων [*à memoria*] Ariſtophanis Scholiaſtæ in Nebulis; *Magiſter memoriæ*, l. Eos qui. C. de Excuſationibus munerum, libr. X. Anglis, *Rememorator*. Gallis, *Magiſter libellorum ſupplicum.*

4. *Super exercitum*] *Magiſter militum.*

Sadoc autem & Abjathar ſacerdotes] Sadoc re, Abjathar ſolo nomine, ut *Vacantes* in imperio Conſtantinopolitano.

5. *Super eos qui aſſiſtebant Regi*] על הנצבים, ἐπὶ τῶν καθεσταμένων [*ſuper adſtantes*]. Ii autem הנצבים erant, ut jam intelligemus, curatores menſæ regiæ. His qui præerat id munus habebat quod Conſtantinopoli *Comes ſacri patrimonii.*

Amicus regis] Qui in aula Conſtantinopolitana, *Patricius.*

6. *Præpoſitus domûs*] *Comes rei privatæ*, Conſtantinopoli.

Super tributa] *Comes ſacrarum largitionum.*

13. *Civitatibus magnis atque muratis, quæ habebant ſeras æreas*] Ex more antiquo, ad quem reſpiciens in Phœniſſis Euripides:

Ἄρα πύλαι κλείθροις, χαλκόδετά τ' ἔκβολα
Λαϊνέοις Ἀμφίονος ὀργάνοις
Τείχεος ἥρμοσται;
[*Sua num portas clauſtra coercent,*
Gravéque æris onus ſuperimpendens
Amphionium tutatur opus?]

19. *Super omnia quæ erant in illa terra*] Vnus procurator Regis in terra quæ fuerat duorum Regum.

21. *A flumine terræ Philiſthiim*] Rectiùs, *à flumine terram Philiſthiim*, id eſt, ab Euphrate, quomodo hîc flumen accipiendum apparet ex ſequentibus.

24. *A Thapſa*] In Hebræo תפסח, haud dubiè id oppidum quod olim *Thapſacum* vocatum dicit Plinius, ubi Euphratem deſcribit, lib. v. 24.

Ad Gazam] Vide Iud. I. 18.

Et cunctos reges illarum regionum] Erant illi Reges in Solomonis fide atque tutela, & ob id certi aliquid penſitabant.

29. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni & prudentiam*] In Hebræo, quod hîc *prudentia* redditur eſt *intelligentia*, ut ſuprà III. 12. Vide Deuter. I. 13.

30. *Sapientiam omnium Orientalium*] Id eſt, Arabum, qui præclari jam olim in omni parte Philoſophiæ. Arabia autem ad Orientem Iudææ. Vide quæ dicta ad Matth. II. I.

Et Ægyptiorum] Apud quos ſacerdotes ſiderum cognitioni, Mathematicis artibus, rerúmque naturalium cognitioni eximiam operam dabant.

31. *Sapientior Ethan Ezrahita*] Qui hîc nominantur philoſophi, filii fuêre Zaræ, nepotes Iudæ, ut apparet I Paral. II. 6. Vnde credibile eſt *Machol* eſſe feminæ eruditæ nomen, & legendum in Paralipomenis, ut hîc, דרדע [*Darda*].

Et erat nominatus in univerſis gentibus per circuitum] Eccleſiaſtici XLVII. 16. 17.

32. *Locutus eſt quoque Salomon tria millia parabolas*] Id eſt, γνώμας [*ſententias*], quarum excerpta habemus in libro משלי [*Proverbiorum*], de cujus vocis uſu diximus ad Matth. XIII. 3. & in Prolegomenis ad dicta poëtarum apud Stobæum. Dicemus ſuo loco γνώμας [*ſententias*] illas non omnes Solomonem habuiſſe repertorem, ſed collectas ex hiſtoricorum & poëtarum ſcriptis.

Et fuerunt carmina ejus quinque & mille] Non Philoſophus tantùm fuit, ſed & Poëta inſignis. *Carmina* intellige qualia Horatii, aut *Idyllia* qualia Theocriti. Eorum Idylliorum Solomonis unum eſt quod nobis reſtat, quod ὀαριστὺν [*garritum conjugalem*] dixiſſent Græci, Hebræi שיר השירים [*Carmen carminum*] vocant.

33. *Et diſputavit ſuper lignis*] Tractavit hiſtoriam Plantarum, & quod jam ſequetur, Animantium, egregias naturæ partes.

CAPVT V.

1. M*Iſit quoque Hiram rex Tyri ſervos ſuos ad Salomonem*] De epiſtolis & ænigmatis inter hos Reges mutatis, vide quæ congeſſimus in Annotatis ad librum tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ. Qui hîc *Hiram*, is eſt Εἴρωμος Menandro, & veterum aliis.

4. *Et non eſt ſatan*] *Adverſarius.* ἐπίβολον [*inſidiatorem*] hîc vertunt LXX, alibi ἀντικείμενον [*adverſatorem*].

6. *Non eſt in populo meo vir qui noverit ligna cædere ſicut Sidonii*] Propter vicina nemora.

9. *Servi mei deponent ea de Libano*] *Materies ex Libano monte ratibus & turribus faciendis vehebatur.* Curtius libro IV. Menander Epheſius de eodem hoc Hiromo: ὕλην ξύλων ἀπελθὼν ἔκοψεν ἀπὸ τοῦ λεγομένου ὄρους Λιβάνου, κέδρινα ξύλα εἰς τὰς τῶν ἱερῶν στέγας [*materiem ex Libano cædi curavit, cedrina ligna ad tecta templorum*].

Ad mare] Nempe internum, quod Phœnicen Iudæámque attingit. id enim intelligendum ubi ſimpliciter *mare* nominatur.

7. *Deus*] In Hebræo eſt יהוה. Hoc nomine etiam Tyrii & gentes aliæ vocabant Deum Iſraëlis. Vide infrà x. 9. Dii Tyriorum erant *Belſamen*, quem Græci *Iovem Olympium* vocant, *Aſtarte* quam illi *Venerem*, *Melicartus* quem illi *Herculem*.

12. *Dedit quoque Deus ſapientiam Salomoni*] Quæ in amicitiis ac ſocietatibus bene deligendis maximè elucet.

Et percuſſerunt ambo fœdus] Ad utilitates mutuas: unde & fratres alter alterum vocabant, infrà IX. 13.

16. *Abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus*] Qui erant trecenti. Hi additi ad numerum *ter mille trecentorum* qui hîc ſequuntur, faciunt *ter mille ſexcentos*, ut eſt II Paralip. II. 18.

18. *Porro Giblii*] Phœnices qui Gabala tenent. *Gabalen promontorium* nominât Plinius libro v. cap. 20.

CAPVT VI.

1. Q*Vadringenteſimo & octogeſimo anno egreſſionis filiorum Iſrael de terra Ægypti*] Multi putant in numero erraſſe ſcribam, & notam quadringenteſimi poſitam pro quingenteſimo. Nam ab exitu quadraginta annos in locis deſertis actos conſtat: Ioſuæ principatus non minùs ſeptemdecim habuit annis. Indè ad Regis electionem annos putandos CCCCL docet nos Paulus Actor. XIII. 20. Saül annos ferme duodecim regnaſſe creditur: Davidem annos regnaſſe quadraginta conſtat ex iis quæ ſuprà cap. II. 11. Iam Solomonis regnum aliquot duraverat annos priuſquam Templi fundamenta jaceret. Verùm hæc alii, quibus otium eſt ſubtiliùs expendant. Mihi ſæpè in mentem venit quod apud Plutarchum in Solone legi: Οὔ μοι δοκῶ προσήσεσθαι, χρονικοῖς τισι λεγομένοις κανόσιν, οὓς μυρίοι διορθοῦντες ἄχρι σήμερον εἰς οὐδὲν αὑτοῖς ὁμολογούμενον δύνανται καταστῆσαι τὰς ἀντιλογίας [*Non videor debere me addicere canonibus Chronicis, quos vocant; quos corrigere aggreſſi*

ad hunc diem innumeri non potuere ea quæ diſputantur ad certum aliquid perducere]. Sic & Templi menſuram atque formam libenter aliis inquirendam relinquo.

Menſe Zio] Nomen hoc menſis ut & *Bul* infrà 38. Chaldaïcum eſt. Eóque convincitur ſerò ſcriptum hunc librum, ac fortè ab Ieremia, ut alibi diximus.

7. *Et malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo cùm ædificaretur*] Ajunt Hebræi fiſſos lapides à verme dicto שמיר [*Schamur*], de quo ſpecialem librum ſcripſit Maimonides.

12. *Domus hæc quam ædificas*] Id eſt, in Templo hoc quod ædificas promiſſa mea (id enim ſequitur) præſtabo, reſponſa hinc reddam, Templum & Vrbem tuebor, ſi tu ſucceſſoréſque tui ſecundùm Legem meam & vivatis & regnetis.

18. *Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur*] Vide quæ dicta ſuprà II Sam. VII. 2.

19. *Oraculum autem in medio domûs*] Id eſt, intimum erat hoc penetrale. Tacitus: *Templum intimis clauſum.*

20. *Et viginti cubitos in altitudine*] Erat adytum decem cubitis depreſſius Baſilicâ Templi. Vide ſuprà 2. Viginti autem cubitos intellige ſine paſtophoriis ſuperſtructis aliis ſuper alia. Vide II Paralipomen. III. 4.

23. *Duos Cherubim*] Vide quæ dicta Exodi XXV. 18.

29. *Et fecit in eis Cherubim*] Nempe cælatos, quod Lex non vetat. Vide infrà 32. & Ezechielem XLI. 18. 20. 25.

CAPVT VII.

2. *Domum ſaltûs Libani*] Qui ſaltus qualis fuerit diſci ex Hieronymo poteſt ad Zachariam & ad Canticum. Item ex Brocardo in deſcriptione Terræ ſanctæ.

8. *Et domuncula in qua ſedebatur ad judicandum*] In ea Rex penè clauſus ſedebat, ut tutior eſſet ab inſidiis. qualia fuiſſe & veterum Latinorum Regum ſolia notat Servius.

13. *Hiram de Tyro*] Habitantem Tyri.

14. *Filium mulieris viduæ de tribu Nephthali*] Id eſt feminæ Danitidis, ſed quæ vidua erat Nephthalitæ, II Paralipomen. II. 14.

15. *Decem & octo cubitorum altitudinis columnam unam*] Paulum deerat: nam materia unde iſtæ columnæ ſumtæ erant habebat in altum cubitos XXXV, II Paralipom. III. 15.

16. *Quinque cubitorum altitudinis capitellum unum*] Quorum quinque cubitorum tres erant figuris ornati, II Regum XXV. 17.

25. *Et ſtabat ſuper duodecim boves*] Hoc erat contra Legem: ideóque Ioſephus & Hebræi hinc initium ſumunt culparum Salomonis. Alii conjectant interceſſiſſe juſſum Dei qui ſupra Legem eſt.

26. *Duo millia batos capiebat*] Ad ſummum poterat *continere ter mille*; ſed non ſolebat impleri niſi ad *bis mille*, II Paralip. IV. 5.

29. *Leones & boves & Cherubim*] Cælati. *Cherubim* hîc *aquilas* interpretatur Ioſephus, ſed addenda & hominis figura. Ex his enim quatuor conſtabat Cherub. Eſt autem συνεκδοχή [*complexio*]. nam pars Cherubis *Cherub* dicitur, ut bos eſt *Cherub* Ezechieli X. 13.

CAPVT VIII.

1. *Majores natu Iſraël*] In Hebræo: זקני [*ſeniores*], ii ſunt Senatores magni Synedrii.

8. *Non apparebant ultrà extrinſecus*] In baſilica Templi non ſpectabantur, intercedente velo, cui nomen פרכת [*obductum*].

10. *Nebula implevit domum Domini*] Teſtis divinæ præſentiæ ac tutelæ, Exod. XVI. 10. XXIV. 15. 16. Num. IX. 15. Adde Pſal. CV. 39.

27. *Cælum & cæli cælorum te capere non poſſunt*] Virgilius: *Iovis omnia plena.* Vide & principium Arati. Lucanus:

Eſtne Dei ſedes niſi terra, & pontus, & aër,
Et cælum, & virtus?

30. *Quodcumque oraverint in loco iſto*] Ideo Templum dicitur *Domus orationis* Matth. XXI. 13. Etiam in exſilio Templum verſus directâ facie orabant, infrà 48. Dan. VI. 10.

31. *Propter juramentum coram altari tuo*] Tacto altari jurare mos omnium propè gentium. Sumtis in manus altaribus ait Iuſtinus libro XXIV. in Plauti Rudente: G. *Tange aram hanc Veneris.* L. *Tango.* G. *Per Venerem hanc jurandum eſt tibi.* Cicero pro Flacco: *Si aram tenens juraret.* Iuvenalis: *Tangens arámque fidémque.* & alibi:

Intrepidi quicunque altaria tangunt.

Martialis:

Hunc puer ad Libycas juraverat Annibal aras.

35. *Si clauſum fuerit cælum*] Hæc & ſequentia confer cum Deuteron. XXVIII.

42. *Et oraverit in hoc loco*] In loco piis incircumciſis ſepoſito, qui ab Iſraëlitarum locis loricâ interpoſitâ diſtinguebatur, Meminêre ejus Ioſephus & Rabbini.

66. *Et in die octava dimiſit populos*] Id eſt eis valedixit. Sed quia is dies erat עצרת [*clauſula feſti temporis*] profecti ſunt poſtridie, II Paralip. VII. 9. 10.

CAPVT IX.

3. *Et erunt oculi mei & cor meum ibi cunctis diebus*] Nempe ſi hoc Templum piè colatur. Ità hîc Chaldæus.

11. *Tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ*] Oppida bello capta, qualia donari à Regibus ſolere multis exemplis oſtendimus lib. primo de Iure Belli ac Pacis, capite III. §. 12. & in Annotatis ad eum locum. Adde quod infrà 16.

13. *Terram Chabul*] Id Phœnicum linguâ ſignificare *diſplicentem* docet Ioſephus. Arabibus خبل eſt *perturbare.* Reddita autem ab Hiromo Solomoni hæc oppida diſcimus II Paralip. VIII. 2. Vide Ioſuam XIX. 27.

16. *Dedit eam in dotem filiæ ſuæ*] Sic apud Homerum Agamemnon oppida in dotem filiæ ſuæ daturum ſe pollicetur.

18. *Palmyram in terra ſolitudinis*] *Palmyrenæ*

ſolitudines apud Plinium nominantur libro v. c. 24. & 26. *Thadamoram* autem à Syris vocari quæ Græcis ſit *Palmyra*, etiam Ioſephus nos docet.

Vt ædificaret in Ieruſalem] Quæ *clariſſima urbium Orientis* Plinio, *urbs famoſiſſima* Tacito.

21. *Fecit Salomon tributarios*] Servavit eos: nempe quia non repugnaverant, ſed ſe Solomoni dediderant. Vide quæ ad Deuteron. xx. 10. & de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XIII. §. 4. Iuſſit autem eos θητεύειν αὐτῷ καὶ οἰκετικὰς χρείας ἐκτελεῖν [*inſervire ſibi & famulares præſtare operas*], ut hîc Ioſephus.

22. *De filiis autem Iſraël non conſtituit Salomon ſervire quenquam*] Operis vilibus eos non addixit.

23. *Super omnia opera Salomonis præpoſiti quingenti quinquaginta*] Nempe Iſraëlitæ, ſub quibus erant alii ἐργοδιῶκται [*exactores operum*], peregrini trecenti, ut colligimus ex II Paralip. VIII. 10. & ibid. II. 18. ſi conferas locum hujus libri v. 16.

24. *Tunc ædificavit Mello*] Domum conjunctam mœnibus Hieroſolymorum, in quam conſilii causâ coibatur. Sic David Kimchi.

26. *In Aſiongaber*] Quæ *Berenice* dicta poſtea, Ioſepho teſte.

Iuxta Ailath in littore maris rubri] κόλπος Αἰλὰ [*Sinus Aïla*] apud Stephanum; *Ælaniticus ſinus* Plinio. Vrbs Ἀειλὰν [*Aïlan*] Straboni, ſinus Ἐλανίτης [*Elanites*]. Philoſtorgius Ἀειλὰ [*Aïla*] dicit antiqui nominis eſſe urbem, in ea parte maris Rubri quæ ad Palæſtinam accedit. Ἀϊλὰ [*Aïla*] ſcribitur & in Notitia Imperii; Ἀΐλας [*Aïlas*] apud Procopium Perſicorum I. Vide Deuteron. II. 8.

In terra Idumææ] Hinc videmus ad mare Rubrum uſque pertinuiſſe Idumæos fines. Et ex nomine *Edomi* in Græcum verſo mare illud *Erythræum* dictum eſt. quod malè Latini *Rubrum* vertêre, cùm *Erythram* Regis antiqui eſſe nomen rectè notent Strabo, Arrianus, Cteſias apud Photium, Solinus, Curtius, Stephanus. Cùm Idumæam omnem perdomuit David, etiam hoc oppidum maritimum ad eum devênit. At unde Tyrii navigarunt? A Tyro inſula in ſinu Arabico Tyriorum colonia, de qua videndus Strabo libro XVI. & Stephanus. Nec aliter nomen hujus inſulæ ſcribunt Manuſcripti libri Ptolemæi. Alii verò *Tylon* vocant, ut & Stephanus monuit, per tempora corruptâ pronuntiatione. ſed coloniam Tyriorum eſſe apertè dicit Strabo. Quidam hanc inſulam in Perſico ponunt ſinu; Theophraſtus in Arabico; Plinius modò in Perſico, modò in Arabico, niſi plures inſulæ fuêre ejuſdem nominis.

28. *In Ophir*] Pro אופיר & Lxx & Ioſephus legerunt סופיר [*Sophir*] hîc & ubi in ſequentibus idem nomen occurrit. Vbi verò dicemus hanc fuiſſe terram, an ad dextram egredientibus mare Rubrum, id eſt in Africa? an ad ſiniſtram, id eſt in Aſia? In Aſiam & quidem in partem Indiæ, quæ *Aurea* dicitur, nos ducunt & Ioſephus & Hieronymus. Luſitanorum, quibus ea ora maximè pernotuit, eruditiſſimi ajunt in eam partem Indiæ quæ ultra Gangem eſt & regnum *Peguſiæ* nunc dicitur, congruere omnes quas hîc & infra x. 11. & 22. habemus notas. Eſſe enim ibi auri & argenti magnam copiam, gemmas optimas, elephantos, ſimias, pavones, præterea ligna pulcherrima, unde citharæ fiunt. Et fortè *Sapphiri* nomen habent ab ea terra, & *Sambra* urbs apud Ptolemæum. Cogitemus tamen an fortè non in Indiam uſque iverint naves Phœniſſæ & Iudaicæ, ſed ad oppidum adſitum Arabico ſinui, quà is ad Oceanum ſpectat, quod *Aphar* vocat Arrianus, Plinius *Saphar*, Ptolemæus *Sapphara*, Stephanus *Sapphirinam*, ut Indi nempe ſuas res huc tulerint, indè autem petierint longiùs ab India abſiti.

Sumptum indè aurum quadringentorum viginti talentorum] Auri depurati: nam maſſa fuerat CCCCL talentorum, II Paralip. VIII. 18.

CAPVT X.

1. **R**Egina *Saba*] Meroës, ut videtur, in qua multis ſæculis feminæ imperarunt, aſſumto *Candaces* nomine, ut Strabo nos docet libro XVI. & XVII. Plinius autem VI. 29. Sub hujus regno erant & Sabritæ, teſte Strabone, quod nomen à *Saba* non longè abit.

In nomine Domini] Lxx hîc ל pro copula ſumsêre, ut ſenſus ſit, Auditâ famâ Solomonis & Dei quem is colebat.

Venit tentare eum in ænigmatibus] Ludus Regum eo tempore. Vide Iudicum XIV. 12. Hanc feminam Abyſſini falsò ſibi vendicant, in famam quoque ejus injurioſi, cùm veniſſe eam dicunt ad Solomonem eo animo, quo Thaleſtris ad Alexandrum.

8. *Beati viri tui & beati ſervi tui qui ſtant coram te ſemper, & audiunt ſapientiam tuam*] Plutarchus Numâ: Μία κακῶν παῦλα καὶ λύσις ἀνθρώποις ἐστὶν ἔκ τινος τύχης θείας εἰς ταυτὸ διανοίᾳ φιλοσόφῳ βασιλικὴν συμπεσοῦσαν δύναμιν ἐγκρατῆ καὶ ὑπερδέξιον τῆς κακίας τὴν ἀρετὴν καταστῆσαι· μακάριος μὲν γὰρ αὐτὸς ὁ σώφρων ὡς ἀληθῶς, μακάριοι δὲ οἱ συνήκοοι τῶν ἐκ τοῦ σωφρονοῦντος στόματος τούτων λόγων [*Vna malorum finis ac requies hominibus eſt, ubi Dei beneficio cum philoſophico ſenſu conjuncta vis regia virtutem reddit vitio ſuperiorem ac validiorem; felix enim ille verè, prudens: felices & qui audiunt ſermones ex ore tam prudenti proficiſcentes*].

9. *Conſtituit te regem ut faceres judicium & juſtitiam*] Regum eſt & jus ſanctè dicere & prodeſſe quamplurimis. De illo Heſiodus:

> Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες οὕνεκα λαοῖς
> Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελοῦσι.
> [*Namque ideo inventi reges, ut ſede curuli*
> *Sublimes læſis ereptum reſtituant jus.*]

De hoc Homerus:

> Ὥς τέ τευ ἢ βασιλῆος ἀμύμονος, ὅστε θεουδὴς
> Ἀνδράσιν ἐν πολλοῖσι καὶ ἰφθίμοισιν ἀνάσσων,
> Εὐδικίας ἀνέχῃσι· φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
> Πυροὺς καὶ κριθάς· βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ·
> Τίκτει δ' ἔμπεδα μῆλα· θάλασσα δὲ παρέχῃ ἰχθῦς·
> Ἐξ εὐεργεσίης· ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ.
> [*Qualis rex culpâ vacuus gnarusque deorum,*
> *Qui populis multis & fortibus imperat unus,*
> *Tutatur pia jura manu: parit hordea tellus*
> *Triticeaſque dapes, pomis ſcatet arbor ubique,*
> *Fœcundum eſt validumque pecus, dant æquora piſces,*
> *Totáque gens felix ipſius munere floret.*]

14. *Sexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri*] Id eſt, tantum valebant ei tributa.

15. *Viri qui ſuper vectigalia erant*] Publicani: *ſcrutatores* Hebræis.

Et negotiatores univerſique ſcruta vendentes] In Hebræo: *negotiationem aromatariorum*, id eſt, lucrum ex ſeplaſia.

Et omnes reges Arabiæ, ducéſque terræ] Solent enim minutiores Principes à magnis Regibus aut pacem aut ſui tutelam annuâ quadam penſitatione redimere. Vide librum primum de Iure Belli capite III. §. 22.

19. *Et duo leones ſtabant juxta manus ſingulas: & duodecim leunculi ſtantes ſuper ſex gradus hinc atque indè*] Et hoc contra Legem: cujus religioſâ obſervatione cùm ſemel exſolvere ſe cœpiſſet, Solomon paulatim in pejora prolapſus eſt.

21. *Non erat argentum*] In illis potoriis eſcariiſque vaſis.

Nec alicujus pretii putabatur in diebus Salomonis] Argentum eviluerat ob tantam auri copiam.

22. *Quia claſſis regis*] In Hebræo: *navis Tharſiſch*, id autem eſt *navis Oceanica.* nam Oceanum ſic vocant Hebræi ab urbe antiquiſſima *Tarteſſo* ad Oceanum frequentata jam olim Phœnicum commercio, qui eandem, ut quidam volunt urbem, ut alii vicinam, *Gadir* dixêre, id eſt *ſepem*, ut Plinius, *locum undique ſeptum*, ut Avienus interpretatur גדר.

Per tres annos] Meliùs alii: *tertio quoque anno.* Lxx μία διὰ τριῶν ἐτῶν [*una intra tres annos*]. Satìs id viſum, cùm ſic quoque ſatìs magna afferretur rerum omnium copia.

Et ſimias] In Hebræo קופים, ſimiæ genus, quod eadem voce κήπους vocant Agatharchides & Diodorus Siculus. At Straboni ſi credimus, κῆποι non ſimiæ fuerint, ſed *feræ leoni ſimiles aſpectu, corpore pantheræ, damæ magnitudine.* Ità enim ille libro XVI. qui tamen libro XVII. aliam nobis dat κήπου formam, *faciem Satyri*, (ea à ſimia non longè abit) *cætera inter canem & urſum*, ità ut nomen videatur fuiſſe generale monſtroſorum animantium.

26. *Congregavítque Salomon currus & equites, & facti ſunt ei mille & quadringenti currus, & duodecim millia equitum*] Ecce alia prætergreſſio legis Deuteron. XVII. 18. Nimiâ prudentiæ ſuæ fiduciâ putabat ſe illis cautionibus Legis non egere: ità in illas primùm, deinde in præcipua Legis impegit.

28. *Et de Coa*] Fila talia, qualia erant *Coa* Græcis & Latinis notiſſima. Sed מקוה, aut ut in Paralipomenis legitur מקוא, alii interpretantur id quod Perſæ *Caravannam* vocant, & hæc omnia ad equos referunt.

Statuto pretio perducebant] Id eſt, equi ex Ægypto venientes cùm tranſirent per Iudæam in Syriam aut ad Hethæos, vectigal pro tranſitu magnum pendebant Solomoni, ſicut pro turis tranſitu dabatur vectigal, ut notavimus de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. II. §. 14.

29. *Atque in hunc modum cuncti reges Hethæorum & Syriæ equos venundabant*] Imò *per eos educebant*, ut in Hebræo eſt. ſenſum benè expreſſerunt Lxx: καὶ οὕτως πᾶσι τοῖς βασιλεῦσι χεττιιν καὶ βασιλεῦσι Συρίας κατὰ θάλασσαν ἐξεπορεύοντο [*& ſic omnibus Regibus Chettiin & Regibus Syriæ trans mare egredi faciebant*]. Nempe illi mercatores qui pro tranſitu Solomoni vectigal pendebant.

CAPVT XI.

1. *Adamavit mulieres alienigenas multas*] Duplex crimen: primùm quòd multas, ingenti numero, barbarico more, contra interdictum Deuteron. XVII. 17. deinde quòd *Sidonias*, id eſt, Cananæas, & *Hethæas*, contra interdictum Deuteron. VII. 3. Hic fons maximorum malorum fuit Solomonis poſteris populóque Hebræo, ſapienter præviſus Moſi.

Ex illo fluere ac retrò ſublapſa referri
Spes Solymûm: fractæ vires, averſa Dei mens.

2. *Super quibus dixit Dominus*] Hoc refer ad *Sidonias*, ut dixi, & *Hethæas.* apparet id in ipſa lege. Cæteræ feminæ obiter nominantur, ut intelligatur unde iſtam multitudinem feminarum ſibi Solomon comparaverit, & quàm variarum formarum fuerit appetens, verè φιλογυνὴς [*mulieroſus*], ut hîc habent Lxx. quanquam & ex aliis gentibus feminas ducere non licuit, niſi Legi ſubjectas, Neh. XIII. 23. Ex ſeptem autem populis ne tales quidem, ne latens malum erumperet.

3. *Quaſi reginæ ſeptingentæ*] Id eſt, matronæ. Auxit numerum & harum & concubinarum; poſt ſcriptum Canticum, ubi vide cap. VI. 7.

4. *Cúmque jam eſſet ſenex*] Poterat ei dici:

Cœpiſti meliùs quàm deſinis: ultima primis
Diſtant.

Et quod apud Tacitum: *Initia pleriſque meliora, ſed finis inclinat, & multi diuturnitate in ſuperbiam mutant.*

Vt ſequeretur deos alienos] Primùm in occulto permiſit feminis illis uti avitis ritibus: deinde exemplo earum & ipſe corruptus palàm idem fecit.

5. *Moloch*] Saturnum, ut alibi diximus.

9. *Qui apparuerat ei ſecundò*] Gravior culpa ob tantum Dei favorem. Vide ſuprà III. 5. IX. 2.

11. *Dixit itaque Dominus Salomoni*] Per Ahiam Silonitam. non enim ultrà ei apparuit. Vide infrà 29.

Scindam regnum tuum, & dabo illud ſervo tuo] *Illud*, id eſt, majorem partem: *ſervo*, id eſt, ſubdito.

13. *Tribum unam dabo filio tuo*] Iudæ ſcilicet. Nam Benjaminis tribus non integra fuit Roboami.

14. *Adad*] Is *Ader* & Ioſepho & Lxx.

27. *Et hæc eſt cauſa*] Initium potiùs. Cùm Solomon undique urbem mœnibus clauſit, omnia quæ ſub Davide hiaverant obſtruens, tributum ad id opus indixit populo: ei tributo impoſuit Ieroboamum. Non raró malum Regibus ab iis qui pecunias regias tractant. Talis fuit Philetærus, unde orti Reges Attalici, memorante Strabone libro XIII.

30. *Apprehendénsque Ahias pallium ſuum novum quo coopertus erat ſcidit in duodecim partes*] Virgilius Æneid. VIII.

Et ſciſſâ gaudens vadit Diſcordia pallâ.

31. *Dabo tibi decem tribus*] Non permittam tantùm, ſed & jus in te conferam. Apparet id infrà 37. XII. 24. XIV. 8.

32. *Porrò una tribus remanebit ei*] Iudæ integra, cum parte Benjaminis. Vide infrà XII. 21. Similis locutio II Regum XVII. 18.

39. *Affligam ſemen David ſuper hoc, verumtamen non cunctis diebus*] Videtur referendum hoc ad Meſſiam, qui Rex futurus erat omnium tribuum Iſraëliticarum & gentium.

CAPVT XII.

1. AD *conſtituendum eum regem*] Vt primogenitum Solomonis. Ea enim lex in Iuda poſt hæc tempora ſemper valuit.

4. *Pater tuus duriſſimum jugum impoſuit nobis*] tributa gravia.

Imminue paululùm] *Tributi levamentum*, ut Tacitus Hiſtoriarum primo loquitur, *petunt*.

6. *Iniit conſilium rex Roboam cum ſenioribus qui aſſiſtebant coram Salomone patre ejus dum adhuc viveret*] Hos & longa ætas, & perpetuus uſus negotiorum, & Regis tam ſapientis conſuetudo idoneos dandis conſiliis fecerant. Ovidius:

——— *non omnia ſerior ætas*
Quæ fugiamus habet; longis venit uſus ab annis.

Euripides Erechtheo:

Ὁμιλίας τε τὰς γεραιτέρας θέλε.
[*Aſſueſce ſenibus: utile eſt commercium.*]

Et in Phœniſſis:

——— οὐχ ἅπαντα τῷ γήρᾳ κακά,
Ἐτεόκλεες, πρόσεστιν· ἀλλ' ἡ 'μπειρία
Ἔχει τι δεῖξαι τῶν νέων σοφώτερον.
[*Eteocles, audi, Nonnihil fert commodi*
Senecta ſecum; multa quæ membris virens
Neſcit juventus, monſtrat experientia.]

Antiphanes:

Σοφόν γε τοί τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πολλ' ἰδόν τε καὶ μαθόν.
[*Multùm ſenectus ad conſiliandum valet,*
Quoniam res vidit atque didicit plurimas.]

Deinde ut Cicero ait II. de Oratore: *Ad conſilium de republica dandum, caput eſt noſſe rempublicam.*

7. *Si hodie obedieris populo huic & ſervieris, & petitioni eorum ceſſeris, locutúſque fueris ad eos verba lenia, erunt tibi ſervi cunctis diebus*] Initia Principatuum difficillima: & opportuni motibus tranſitus rerum, quod apparuit ſeditione Pannonicâ & Germanicâ initio principatûs Tiberii. ità ut non mirer Veſpaſianum prudentem & ſenem deſcribi à Marcello apud Tacitum Hiſtor. IV. *novo principatu ſuſpenſum, & vultus quoque ac ſermones omnium circumſpectantem.* Ideo conſilia ſunt prudentum, in illis teneris principiis cedere nonnihil conſenſui; & ſi ὑπερβολὴν [*ſuperjectionem*] admittimus, ſerviliter facere omnia pro dominatione. Tempore opus eſt ut adoleſcat Principis auctoritas. Tum verò etiam rerum triſtitia verbis lenienda eſt.

8. *Adhibuit adoleſcentes qui nutriti fuerant cum eo*] Frequens id novis Regibus, ut conſiliis adhibeant potiùs familiares ſuos, quàm eos quorum operâ patres ſunt uſi. Cauſa hæc, quòd oſtendere potentiam ſuam volunt omnia mutando, & vetera illa obſequia, ſæpè non honeſta, de publico quamprimùm repenſare, gravi ſæpè & ſuo & patriæ malo. Morum quoque ſimilitudo habet ἑλκυστικόν τι [*vim quandam attrahentem*]. At vera ſunt iſta Euripidis in Supplicibus:

——— ἀπώλεσας πόλιν,
Νέοις παραχθεὶς, οἵτινες τιμώμενοι
Χαίρουσι· πολέμους τ' αὐξάνουσ' ἄνευ δίκης,
Φθείροντες ἀστούς· ὁ μὲν ὅπως στρατηλατῇ,
Ὁ δ' ὡς ὑβρίζῃ δύναμιν εἰς χεῖρας λαβὼν,
Ἄλλος δὲ κέρδους οὕνεκ', οὐκ ἀποσκοπῶν
Τὸ πλῆθος, εἴ τι βλάπτεται πάσχον τάδε.
[——— *perdidiſti urbem tuam*
Iuvenum ſequens conſilia, qui calido ambitu
Sanguinea quærunt arma ſine fine ac modo;
Plebem aucupantes, hîc ut in bello imperet,
Ille inſolenter ut poteſtatem gerat:
Pars cupida lucri, nilque habens penſi interim
Quanta indè populi rebus immineant mala.]

Similiter juvenum conſiliis magno ſuo malo uſum Hieronymum Syracuſanum Principem, diſcimus ex fragmentis Diodori Siculi.

11. *Ego autem cædam vos ſcorpionibus*] Id eſt, flagellis aculeatis ad modum ſcorpionum. Hæc juvenes illi dicebant accommodatè ad Regis ingenium, ut adulantes ſolent. Fuit autem ingenium Roboami apud Hebræos, quale apud Romanos Appii Claudii, quem *vehementi trucique ingenio fuiſſe* ait Livius, *ideóque perpelli nunquam quiſſe, ut apud populum ex conſueta aſperitate orationis aliquid leniret atque ſubmitteret*. Hujus ſunt illa, *Licentiâ tantum concitum turbarum: & laſcivire magìs plebem quàm ſævire.* Ejus & illud, *Carcerem eſſe plebis Romanæ domicilium.* Talibus hominibus ſæpè inſuſurranda Sophoclis iſta in Antigone:

Ἀλλ' ἄνδρα κἄν τις ᾖ σοφὸς, τὸ μανθάνειν
Πόλλ' αἰσχρὸν οὐδὲν, καὶ τὸ μὴ τείνειν ἄγαν·
Ὁρῇς παρὰ ῥείθροισι χειμάῤῥοις ὅσα
Δένδρων ὑπείκει, κλῶνας ὡς ἐκσώζεται·
Τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται;
[*Nec turpe, quamvis maximè ſapias, tamen*
Didiciſſe plura, nec nimis pertendere:
Vides ut arbor amnis adverſum impetum
Cedendo vincat & ſuum ſervet decus,
At interit de ſtirpe ſiqua obnititur.]

16. *Quæ nobis pars in David*] Per Davidem poſteros ejus intellige. Hoc dicit populus, Contemnimur ab illis tanquam extranei.

Vade in tabernacula tua Iſraël] Puto rectè correctum; olim legebatur לאלהיך *ad deos tuos*, vel *ad Deum tuum.*

Vide domum tuam David] Tu Davidis nepos, ſine nobis proſpice rebus tuis.

18. *Et lapidavit eum omnis Iſraël*] Frequentiſſima ſeditionum cauſa tributorum gravitas: quia hæc res ad omnes pertinet, cùm pœnarum ſævitia ad paucos ſoleat pertingere. materia autem prima popularis iræ ſunt illi avaritiæ regalis magiſtri & miniſtri. Plenæ exemplorum omnes hiſtoriæ veteres & recentes.

26. 27. *Nunc revertetur regnum ad domum David, Si aſcenderit populus iſte ut faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem, & convertetur cor populi hujus ad dominum ſuum Roboam regem Iuda*] Philo: Αἴτιον τῆς

ὁμονοίας τὸ ἀνώτατον καὶ μέγιστον ἡ περὶ τοῦ ἑνὸς Θεοῦ δόξα, ἀφ' ἧς οἷα πηγῆς ἑνωτικῇ καὶ ἀδιαλύτῳ φιλίᾳ κέχρηνται πρὸς ἀλλήλους [*Cauſa concordiæ ſumma ac maxima eadem de uno Deo ſententia, à qua, velut fonte, arcta & indiſſolubilis oritur amicitia, quæ alios aliis colligat*]. Tum verò potior videbatur cauſa Templum poſſidentis, & Rex ejus portionis venientes ad ſe ex religionis occaſione alios multis modis devincire poterat.

28. *Vitulos aureos*] Δαμάλεις χρυσᾶς ἐπωνύμους Θεῷ [*juvencas aureas à Dei dictas nomine*], Ioſephus. volebat Deum coli in ea figura quæ Ioſepho Dei miniſtro, unde ortus erat Ieroboamus, dicata olim fuerat, & quæ in Cherubinis partem faciebat præcipuam: ut vel illo aſpectu populus retineretur in veneratione poſteritatis Ioſephi, faciliúſque crederet eis regnum deberi qui orti eſſent ab eo, cujus maxima in omnes Iſraëlitas fuerant beneficia. Sic Iulia domus Æneæ laudes per omnes poëtas cani voluit, ut eo leniùs ferret populus imperium illud velut fatis datum. Sic ſolent Principes etiam ſacra ad ſuas utilitates torquere. Non debuerat autem Ieroboamus decurrere ad ejuſmodi vaframenta, ſed Deo, qui regnandi ipſi auctor erat, confidere, & facere quod ſui erat officii. At ille non in eo contentus peccare, quòd exſtantem imaginem erexiſſet contra Legem, quódque apud eam ſacra feciſſet, plura pro uno fecit templa, & ſacerdotes non ex ea familia quam Deus elegerat.

33. *Super altare quod exſtruxerat in Bethel*] Velut exemplo Iacobi, Geneſ. XXVIII. 19.

CAPVT XIII.

2. *Ioſias nomine*] Ingens Divinæ gubernationis ac præſcientiæ indicium, quod & nomen ejus qui rem præſignificatam effecturus erat, prædicitur. Simile Eſaiæ XLIV. 28. Ad hæc nihil ſunt omnia gentium oracula.

4. *Et exaruit manus ejus*] Prodigium velut arrhabo eventuræ prophetiæ.

17. *Locutus eſt Dominus ad me in ſermone Domini*] Hebraïcè: *Verbum ad me in verbo Domini*, id eſt, Præceptum mihi hoc eſt Dei nomine atque imperio. Sic & verſu ſequente: *Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini*, id eſt, mandato.

19. *Fefellit eum*] Et ipſe ſe: magìs enim debebat credere revelationi ſibi factæ, cujus erat certus; ideo dicitur infrà 22. *præcepit tibi* ἐμφατικῶς [*efficaciter*]. Virorum laudatorum facta non laudanda quoties adferuntur in ſacris literis, ſolet aliquid addi unde intelligamus id non probari: quod & ab Homero fieri ſolere notavit Plutarchus De legendis Poëtis.

24. *Invenit eum leo in via, & occidit*] Deo id ſinente, partim ut Prophetæ diſcerent deſtrictè parêre mandatis, partim ut Ieroboamus in idololatria magìs magiſque obdureſceret, & ſic pœnarum, quas pridem erat commeritus, juſtitia magìs appareret.

31. *Sepelite me in ſepulchro in quo vir Dei ſepultus eſt*] *Vt oſſa mixta unà requieſcant*, eſt in inſcriptione quæ Romæ reperta. Similia mandata aut vota apud poëtas.

33. *Implebat manum ſuam*] Id eſt, conſecrari ſe faciebat. idem loquendi genus Exod. XXVIII. 41. & XXXII. 29.

34. *Et propter hanc cauſam peccavit domus Ieroboam*] Hebraïcè, *Fuit in verbo hoc in peccatum domus Ieroboam.* Id eſt, hac re in crimen incidit.

Et everſa eſt & deleta de ſuperficie terræ] Incidit in πανωλεθρίαν [*internecionem*]. Vide XIV. 10.

CAPVT XIV.

1. *In tempore illo ægrotavit Abia*] Tota hæc hiſtoria uſque ad comma 21. non fuit in LXX. ſed fuit in aliis quibuſdam verſionibus. Sic hiſtoria de cultu vituli deeſt in Ioſepho.

2. *Commuta habitum*] In Hebræo: *muta te ipſam*, diſſimula te nè quæ ſis noſcaris: ut liberiùs loquatur Propheta.

3. *Tolle quoque in manu tua decem panes*] Munuſcula, 1 Sam. IX. 7. 8.

6. *Durus nuncius*] Μάντις κακῶν [*vates malorum*], ut apud Homerum.

9. *Me autem projeciſti poſt corpus tuum*] Me poſthabito.

10. *Clauſum & noviſſimum*] In Hebræo: *concluſum & derelictum*, ut Deuter. XXXII. 36. id eſt, quicunque is in ſtatu fuerit.

Sicut mundari ſolet fimus uſque ad purum] Sicut ſtercus auferri ſolet ut nihil reſtet.

12. *Morietur puer*] Id eſt, adoleſcens. Sic enim & ילור pro *adoleſcentia* ſumitur Eccleſiaſtæ XI. 9. 10.

13. *Quia inventus eſt ſuper eo ſermo bonus à Domino Deo Iſrael*] Rectiùs: *quia inventa eſt in eo cogitatio bona erga Dominum Deum Iſraël.* Nam *loqui* Hebræis, ſæpè *cogitare* ſignificat.

15. *Percutiet*] Id eſt, agitabit perpetuis motibus civilibus, ut explicat ſequens ſimilitudo.

Ventilabit eos trans flumen] *Diſperget*, in Hebræo: quod factum per Salmanaſſarem.

16. *Et peccare fecit Iſrael*] Cicero III. de Legibus: *Quo pernicioſiùs de republica merentur vitioſi Principes, quòd non ſolùm vitia concipiunt ipſi, ſed ea infundunt in civitatem; neque ſolùm obſunt, quòd illi ipſi corrumpuntur, ſed etiam quòd corrumpunt: plúſque exemplo quàm peccato nocent.* Xenophon VIII. Inſtitutionis Cyri: ὁποῖοι γάρ τινες οἱ προστάται ὦσι, τοιοῦτοι καὶ οἱ ὑπ' αὐτοὺς ἐπιτοπολὺ γίγνονται· ἀθεμιστότεροι ἢ νῦν ἢ πρόσθεν ταύτῃ γεγένηνται [*quales enim ſunt Principes, tales ſunt plerumque & eorum ſubditi; ideóque nunc pejores facti quàm antehac unquam*]. Papinius:

——— *Et caſtra ſimillima regi.*

Proximè ad noſtrum argumentum Lactantius libro V. Inſtitutionum, cap. 6. *Et quoniam mores ac vitia Regis imitari genus obſequii judicatur, abjecerunt omnes pietatem, nè exprobrare ſcelus Regi viderentur ſi piè viverent. Sic aſſiduâ imitatione corrupti divinum fas reliquerunt.* Ioſephus hîc: συνδιαφθείρεται τὰ τῶν ἀρχομένων ἤθη τοῖς ἡγεμόνων τρόποις [*cum præſidentium moribus corrumpuntur ſimul mores ſubditorum*].

21. *Quadraginta & unius anni erat Roboam cùm regnare cœpiſſet*] Putant viri docti errorem eſſe numeri, & ſcriptum fuiſſe XXI. afferúntque in argumentum ſuæ ſententiæ 1 Reg. III. 7. 1 Paralipomen. XXII. 5. II Paral. X. 8. XI. 17.

Decem & ſeptem annos regnavit] Omittit menſes excurrentes. Confer infrà xv. 1.

Nomen autem matris ejus Nahema Ammanitis]Quæ ſuo exemplo & pravâ inſtitutione filium corrupit, poſt tres regni annos, ii Paralip. xi. 17.

23. *Super omnem collem excelſum*] More patrum veterum, ſed contra Legem, concordiæ in populo cuſtodem, Deuteronomii xii. 5.

24. *Sed & effeminati fuerunt in terra*] Catamiti. quod genus flagitii divino permiſſu plerumque idololatriam ſequitur, infrà xv. 12. ii Reg. xxiii. 7. Rom. 1. 21.22.23.24.25.26.

25. *Seſac rex Ægypti*] Σασύγης hic Diodoro Siculo. Hunc Ioſephus putat ab Herodoto *Seſoſtrin* dici, qui teſte eodem Herodoto, tum alia tum Palæſtinam Syriam ſubegerit.

26. *Scuta quoque aurea quæ fecerat Salomon*] Suprà x. 16.

27. *In manum ducum ſcutariorum*] *Præfectorum curſoribus* in Hebræo, qui apud Lxx οἱ ἡγούμενοι τῶν παρατρεχόντων.

CAPVT XV.

4. DEdit Dominus ei lucernam] Id eſt, regnum Davidi dedit etiam in poſteris ipſius. Confer ſuprà xi. 36. & iv Reg. viii. 19. ii Paralipomen. xxi. 7.

5. *Et non declinaſſet ab omnibus quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ*] Exorbitaverat quidem & aliis rebus nonnullis, ſed de tota via pietatis non deceſſerat, niſi uno illo tempore cùm adulterium cæde cumulavit.

12. *Purgavítque univerſas ſordes idolorum*] In Hebræo, *abſtulit idola omnia;* quæ quidem idola quia impurant animum, Hebræis גלולים [*retrimenta*] dicuntur.

13. *Amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus quem conſecraverat*] Rectiùs ſic: *Amovit eam ab honore Auguſtæ, quòd feciſſet Terriculam in luco.* Quia autem in hortis Græciæ & Italiæ poni ſolebat forma Priapi; ideo ex ſimili hanc vocem hîc poſuit interpres. Amovit ab honore Auguſtæ, id eſt, excubias militares abſtulit, ut matri Nero.

14. *Excelſa autem non abſtulit*] In Hebræo: *excelſa non ſunt remota.* id eſt, non ſatis auctoritatis viriúmque habuit ut hoc malum tam latè diffuſum tolleret, cùm ipſe (ut ſequitur) in rebus Dei optimè eſſet animatus. Interdum *meliùs omittere prævalida & adulta vitia, quàm hoc aſſequi ut palàm fiat quibus flagitiis impares ſimus*, ut verbis utar Taciti ex Annal. iii.

15. *Quæ ſanctificaverat pater ſuus, & voverat in domum Domini*] In Hebræo: *ſanctificationes patris ſui, & ſanctificationes domûs Domini.* Senſus eſt: *tum quæ pater, tum quæ ipſe Templo voverat.*

17. *Vt non poſſet quiſquam egredi vel ingredi de parte Aſa regis Iuda*] Id eſt, exitus è ſuo regno in regnum Aſæ, & ex regno Aſæ in ſuum obſtruxit, nempe nè mutua illa commercia ſuis deficiendi occaſionem darent.

18. *Tollens itaque Aſa omne argentum & aurum quod remanſerat in theſauris domûs Domini*] Excuſatur hæc rerum ſacrarum uſurpatio ſummi mali metu. Vide 1 Sam. xxi. & de Iure Belli ac Pacis libro iii. cap.v. §.2. & cap.xxi. §.23.

Miſit ad Benadad] Idem nomen quod *Adad*, & aliis *Ader*, quo de nomine egimus ſuprà, & ad tertium librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

21. *Reverſus eſt in Therſa*] Sic & Lxx ἀνέστρεψεν εἰς Θερσὰ, mutatis punctis, ut ſit à שוב [*reverti*],non à ישב [*habitare*].

22. *Nemo ſit excuſatus*] Vbi adversùs hoſtem muniendi ſunt limites, omnis immunitas ceſſat, l.ult.C. de quibus muneribus nemini liceat ſe excuſare.

23. *Verumtamen*] In Hebræo eſt *tantùm* : id eſt, caruit morbis, niſi quòd extremâ ætate ſenſit podagram.

28. *Et regnavit pro eo*] In decem tribubus multi ad regnum pervenerunt vi,non ſucceſſione. In Iudæ parte nullus regnavit niſi ſanguinis jure, ſecundùm promiſſa Davidi facta.

33. *Anno tertio Aſa regis Iuda*] Id eſt, anno tertio poſtquam ei ſuſceptum erat bellum in Iſraëlem : id enim repetendum ex ſuperioribus. Confer ii Paralip. xvi. 1.

CAPVT XVI.

3. POſteriora] Id eſt, poſteros.

4. *Comedent eum canes*]Verba repetita ex loco qui ſuprà xiv. 11. in pari culpa par pœna.

7. *Cùm autem in manu Iehu filii Hanani prophetæ verbum Domini factum eſſet*] Meliùs vertas ex Hebræo: *Nempe per Iehu filium Hanani verbum Dei fuerat contra Baaſam & domum ejus.* Oſtendit ſcriptor impletam planè prophetiam, de qua agere cœperat capitis hujus initio.

Ob hanc cauſam occîdit eum, hoc eſt, Iehu filium Hanani Prophetam] Meliùs in Hebræo, *& quòd percuſſiſſet eum*; nempe Ieroboamum Regem ſuum: nam & hoc crimen pœnam à Deo merebatur, cùm nullo Dei juſſu id feciſſet. Nec aliud voluêre Lxx : ὑπὲρ τοῦ πατάξαι αὐτόν [*eò quòd percuſſiſſet eum*].

8. *Regnavit Ela filius Baaſa ſuper Iſrael in Therſa duobus annis*] Non plenis, ut colligimus infrà 10.

9. *Et rebellavit*] Rectiùs, *conjuravit.*

Dux mediæ partis equitum] Imò *curruum* falcatorum ſcilicet. Metuendi Regibus illi maximè qui milites habent ſibi obnoxios, quales Præfecti Prætorio, Magiſtri militum, Magiſtri Equitum, & ſimiles.

Bibens, & temulentus] Tales præcipuè occaſiones captant Regum aut Principum percuſſores. Vide Dan.v.30. & Gontharidis cædem ſecundo Vandalicorum Procopii. Hoc conſilium & Piſoni datum videbis apud Tacitum Annal. xv.

10. *Et regnavit pro eo*] Nam ob id ſolùm eum occiderat.

11. *Percuſſit omnem domum Baaſa*] Ex illo præcepto, quod non niſi tyranni probant,

Νήπιος ὃς πατέρα κτείνας υἱοὺς καταλείπει.
[*Deſipit occîdens qui patrem pignora ſervat.*]

Et propinquos & amicos ejus] Quinque proximas domos, ut moris fuiſſe in illis locis ait Philo Vitâ Ioſephi.

12. *Delevítque Zambri*] Etiam malís hominibus in malos Deus ſæpè utitur ad judicia exſequenda.

13. *In vanitatibus ſuis*] In diis imaginariis.

15. *Porrò exercitus obſidebat Gebbethon*] Sic Othonem ſibi Principem fecerant qui in Vrbe erant; exercitus verò Vitellium: & cùm Vitellium Vrbs recepiſſet, exercitus Imperatorem fecit Veſpaſianum, multáque talia ſunt in Hiſtoria Romana. Et olim exercitus deſtruxit decemvirale imperium. Sunt enim tali tempore quaſi duæ civitates, & pars validior infirmiorem trahit.

16. *Fecit ſibi regem*] ἀντιβασιλέα [*contraregem*].

18. *Succendit ſe cum domo regia*] Sic poſtea Saguntini *excitant rogum: tum deſuper ſe ſuóſque cum omnibus opibus ſuis ferro & igni corrumpunt*, ait Florus. Et poſt eos Numantini.

19. *In peccatis ſuis*] In Hebræo, *ob peccata ſua:* & Lxx ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ. Bene.

21. *Diviſus eſt populus Iſrael in duas partes*] Inter pœnas quas Deus infligit contumacibus populis non minima eſt Diviſio. Sic ex aſſe Hebræo fecerat ſextantem, & dextantem; nunc ex dextante duos quincunces.

24. *Emítque montem Samariæ*] Bene: *nam omnia Rex imperio poßidet, ſinguli dominio*, ut ait Seneca lib. VII. de Beneficiis, c. 4. Sequitur de Rege c. 6. *& accipere munus, & debere, & emere, & conducere poteſt.*

Duobus talentis argenti] Hodie modicam domum ægrè emas tanti.

25. *Super omnes qui fuerunt ante eum*] Quia non exemplo tantùm, ſed & legibus homines ſibi ſubditos coëgit ad malos cultus, Mich. VI. 16.

31. *Iezabel*] Feminam & imperioſam & crudelem. Vide Apoc. II. 20. Talis Tullia Tarquinii uxor, Fulvia Antonii, Eudoxia Arcadii.

Filiam Ethbaal] Ε᾽ιθωβάλου. Sic nomen hoc ſcribit Menander Epheſius in Phœnicicis, & Acta Tyriorum.

Servivit Baal] Soli, Sidoniorum deo primo.

33. *Et plantavit lucum*] Qui mos Phœnicibus, & vicinis gentibus. ob id vetitus lege Exod. XXXIV. 13. Deuteron. VII. 5.

Addidit Achab in opere ſuo] Impietate priores ſuperavit.

34. *In manu Ioſue filii Nun*] Servavit Hebraïſmum, ut ferè Lxx ſolent. Alioqui planius fuerat *per Ioſuen.* Verba repetita ex Ioſuæ libro VI. 26. ubi dicta vide. Egregium providentiæ Divinæ documentum.

CAPVT XVII.

1. Elias *Thesbites*] Vir fuit excelſi animi, & acer legum vindex, cui (ſalvo pietatis & prophetiæ privilegio) inter Græcos Timoleontem conferam, inter Romanos Scipionem Naſicam.

Si erit annis his ros & pluvia] *Triennium & ſex menſes*, Iac. v. 17. Hujus ingentis ἀνομβρίας [*ſiccitatis*] memoria exſtitit apud Menandrum in Phœnicicis, teſte Ioſepho. Eſt talis temporis deſcriptio in declamatione Quintiliani, quæ inſcribitur PASTI CADAVERIBVS: *Nullus imber ſitientis ſoli pulverem terſit, nulla ſupra arentes campos ſaltem umbra nubium pependit. calidi ſpiravêre venti.*

Niſi juxta oris mei verba] Ad meas imprecationes incipiet malum, ad meas precationes deſinet: Iacobus dicto loco. ideo *dare pluviam* ſe dicit, XVIII. 1. ἐπήγαγε λιμὸν [*induxit famem*] ait Sirachides XLVIII. 2. quale genus loquendi habes & Ieremiæ I. 10. & alibi.

3. *Abſcondere in torrente Carith*] Id eſt, παρὰ τῷ χειμάῤῥῳ [*ad torrentem*], ut hîc rectè Ioſephus.

4. *Corvíſque præcepi ut paſcant te ibi*] Rapaci imprimis volucri. ità ſolet Deus oſtendere ſe naturæ ut artificem ità mutatorem. Paulo Eremitæ idem eveniſſe narrat Hieronymus. Quos lupæ, equæ, cervæ, vulpes aluerint exempla ſunt apud poëtas & Ælianum. Ægiſthum à capra educatum quò magìs credamus, facit hiſtoria pueri quem ſic educatum vidit Procopius, narrátque Gotthicorum ſecundo.

9. *In Sarephtha Sidoniorum*] Quæ *Sarepta* Plinio, V. 19.

15. *Abiit & fecit juxta verbum Eliæ*] Fides Euangelicæ fidei non diſpar.

16. *Hydria farinæ non defecit*] Deo adjiciente incrementum latens, ut Matth. XIV. 19. XV. 36. & ejuſdem argumenti locis.

18. *Quid mihi tecum?*] Quid tibi nocui? Vide Ioh. II. 4.

Vt rememorarentur iniquitates meæ] Quia Propheta es, facile tibi eſt in omni vita mea aliquid reperire pœnæ obnoxium.

21. *Expandit ſe*] Sic & Eliſæus II Reg. IV. 34. Hic contactus hunc uſum habuit, ut ſciretur non tantùm Deum hoc facere, ſed & facere propter Eliam. Simile vide Ioh. IX. 6.

Revertatur, obſecro, anima pueri hujus in viſcera ejus] Cùm graves imminerent vexationes ob religionem, magìs in dies piis aperire Deus aliquid voluit, περὶ τῆς τῶν ψυχῶν διαμονῆς [*de animarum permanſione*].

CAPVT XVIII.

3. Abdiam] Hic Α᾽βδιοὺ [*Abdiu*] Lxx. Ω᾽βεδίας [*Obedias*] Ioſepho. & paſſim variant nomina.

4. *Abſcondit eos quinquagenos & quinquagenos in ſpeluncis, & pavit eos pane & aquâ*] Beneficentia in pios viros omni modo etiam contra Regum edicta exercenda eſt, quia à Deo præcipitur, maximè in Prophetas. *Servitutem non in totum hominem deſcendere* ait Seneca de Beneficiis III. 20. Eſt ubi dicere liceat:

Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τάδε.
[*Nam juſſa non hæc Iuppiter dederat mihi.*]

7. *Qui cùm cognoviſſet eum, cecidit ſuper faciem ſuam, & ait*] Nempe Abdias Eliam ut Prophetam venerans. Sic & Lxx: καὶ Α᾽βδιοὺ ἔσπευσε καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ [*& Abdiu feſtinavit & cecidit ſuper faciem ſuam*]. Malè Ioſephus Eliam putat procubuiſſe. Ait enim: Μονωθέντι δ᾽ αὖ ἀπὸ τοῦ βασιλέως Ω᾽βεδίᾳ, συνήντησεν αὐτῷ ὁ προφήτης Ἠλίας· καὶ πυθόμενος παρ᾽ αὐτοῦ τίς εἴη, προσεκύνησεν αὐτόν· ὁ δὲ πρὸς τὸν βασιλέα βαδίζειν ἐκέλευσε [*Cùm abſceßiſſet à Rege Obedias, occurrit ei Pro-*

Propheta Elias; & percunctans eum quis eſſet, adoravit eum: ille autem ipſi præcepit ut ad Regem veniret].

9. *Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me ſervum tuum in manu Achab, ut interficiat me?*] Libertate noſtrâ ſic uti debemus, nè ea obſit aliis. Vide 1 Cor. x. 24.

12. *Spiritus Domini aſportabit te*] Id eſt, imperabit tibi ut eas aliò, quomodo ἀνήχθη ὑπὸ τοῦ πνεύματος [*ductus eſt à Spiritu*] dicitur Matth. IV. 1. Ioſephus hoc loco: εὐλαβεῖσθαι αὐτὸν ἔφασκε μὴ τοῦ Θεοῦ φανέντος αὐτῷ πάλιν εἰς ἄλλον ἀπέλθοι τόπον [*metuere ſe dicebat nè ille in alium tranſiret locum, Deo fortè iterum ipſi conſpecto*].

Servus autem tuus timet Dominum ab infantia ſua] Noli me putare talem eſſe, quales cæteri aulæ noſtræ. Eſt aliquod tempus etiam de ſe vera prædicandi.

15. *Vivit Dominus exercituum, ante cujus vultum ſto, quia hodie apparebo ei*] Sic Tireſias Oedipodi Regi apud Sophoclem:

> Εἰ καὶ τυραννεῖς, ἐξισωτέον τὸ γοῦν
> Ἴσ᾽ ἀντιλέξαι· τοῦδε γὰρ κἀγὼ κρατῶ.
> Οὐ γάρ τι σοὶ ζῶ δοῦλος, ἀλλὰ Λοξίᾳ.
> [*Quamquam ipſe Rex es, attamen nobis vices*
> *Debes loquendi: namque in hoc jus & mihi eſt,*
> *Qui vivo dictus non tibi, ſed Apollini.*

17. *Túne es ille qui conturbas Iſrael?*] Ioſephus, ὁ τὸν Ἑβραίων λαὸν κακώσας [*qui populo Hebræo malorum cauſa es*]. At LXX, Εἰ σὺ εἶ αὐτὸς ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ; [*An tu es qui ſubvertis Iſraëlem?*] quâ ipsâ voce in Dominum noſtrum utuntur Sacerdotes, Luc. XXIII. 2.

18. *Non ego turbavi Iſrael, ſed tu*]

> Πόλεως δ᾽ ἁπάσης τοὔνομ᾽ ἕν, πολλοῖς δ᾽ ἔνι
> Νόμοισι,
> [*Tum civitatis nomen unum; in legibus*
> *Res poſita multis,*]

ait in Erechtheo Euripides, quod ſi verum de legibus quas homines dedêre, quantò magìs de iis quas Deus dedit? Has qui violat, non qui tuetur, turbat rempublicam. Præcipuè verò οἱ καινά τινα δαιμόνια ἀντισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν [*qui nova numina introducentes multos ad nova inſtituta transferunt*] ait apud Dionem Mæcenas.

21. *Vſquequo claudicatis in duas partes?*] quod Græci dicerent ἐπαμφοτερίζετε [*alternatis*]. Semel conſtituendum eſt quomodo vivendum ſit. Alioqui ſemper fluctuatur.

24. *Et Deus qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus*] Solet Deus ubi nova religio inſtituenda eſt, ut Moſis & Chriſti tempore, aut ubi generalis quædam depravatio religionem invaſit, uti miraculis. Vide infrà 36.

26. *Tranſiliebántque altare quod fecerant*] עשה [*fecerat*] pro עשו [*fecerant*], enallage. LXX, καὶ διέτρεχον ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου οὗ ἐποίησαν [*& curſitarunt ad altare quod fecerant*]. Senſus eſt, Saltabant circum altaria, ut Salii. Tale & illud in Epigrammate:

> Ἔλθετε πρὸς τέμενος γλαυκώπιδος ἀγλαὸν Ἥρας
> Λεσβίδες, ἁβρὰ ποδῶν βήματ᾽ ἐρεισάμεναι,
> Ἔνθα καλὸν στήσασθε θεᾷ χορόν· ὔμμι δ᾽ ἐπάρξει
> Σαπφὼ χρυσείην χερσὶν ἔχουσα λύρην.
> [*Lesbides ite ſimul dominæ Iunonis ad aram,*
> *Suſpenſo teneræ molliter ite gradu:*
> *Docta gradum nobis ſacrata per atria Sappho*
> *Inchoet, auratâ conſpicienda lyrâ.*]

27. *Clamate voce majore*] Διασυρμὸς [*ſermo inſultans*], non iniquus in homines veræ pietatis hoſtes, populi corruptores.

28. *Incidebant ſe juxta ritum ſuum cultris & lanceolis*] Martialis:

> *Alba minùs ſævis lacerantur brachia cultris,*
> *Cùm furit ad Phrygios enthea turba modos.*

Vide Deuter. XIV. 1. & ibi dicta.

29. *Et illis prophetantibus*] Quod Græci dicerent φοιβαζόντων αὐτῶν [*cùm illi lympharentur*].

31. *Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Iacob*] Oſtendens omnem populum uno contineri debere religionis vinculo.

32. *Et ædificavit de lapidibus altare*] Iure prophetico minoribus legibus exſolutus, ut majores ſervaret.

38. *Cecidit autem ignis Domini*] Iulianus: Πῦρ γάρ, φησιν, οὐ κάτεισιν ὥσπερ ἐπὶ Μωσέως τὰς θυσίας ἀναλίσκον· ἅπαξ τοῦτο ἐπὶ Μωσέως ἐγένετο, καὶ ἐπὶ Ἡλίου τοῦ Θεσβίτου πάλιν μετὰ πολλοὺς χρόνους [*Ignis enim, ait, non deſcendit ad conſumendas victimas, ut Moſis tempore; & rurſum multò pòſt Eliæ Thesbitæ tempore*]. Vide quæ diximus ad Geneſ. IV. 5.

40. *Interfecit eos ibi*] Iuſſit interfici ut legirupas.

42. *Et pronus in terram poſuit faciem inter genua ſua*] Precibus imbrem impetraturus. Simile illud apud Tertullianum contra Scapulam: *Marcus quoque Aurelius in Germanica expeditione Chriſtianorum militum orationibus ad Deum factis imbres in ſiti illa impetravit.*

46. *Manus autem Domini facta eſt ſuper Eliam*] Id eſt, Deus illi ad currendum vires humanis majores dedit.

CAPVT XIX.

3. *Et ſurgens abiit*] Eſt enim & fugæ tempus. Vide quæ dicta ad Matth. IV. 12.

5. *Et obdormivit in umbra juniperi*] Valetudinis incurioſus, nam

> *Iuniperi gravis umbra,*

Marone teſte.

6. *Subcinericius panis & vas aquæ*] Frugalitatem hoc exemplo commendat Deus.

> *Satis eſt populis fluviúſque Ceréſque,*

ait Lucanus.

8. *Quadraginta diebus*] Moſis exemplo Exod. XXXIV. 28. Vide quæ ad Matth. IV. 2.

10. *Prophetas tuos occiderunt gladio*] Quos tales eſſe norunt: nam centum illi de quibus ſuprà XVIII. 4. ad notitiam aulæ non venerant.

12. *Poſt ignem ſibilus auræ tenuis*] Euangelii figuratio, quod non venit cum vento, terræ motu, fulminibus ut Lex, Exod. XIX. 16. Hebr. XII. 18. 19. 20. 21. ſed cum magna lenitate. Hæc eſt illa ἄνωθεν σοφία, εἰρηνική, ἐπιεικής, μεστὴ ἐλέους [*de ſurſum ſapientia pacifica, modeſta, plena miſericordiæ*]. Iacobi III. 17. Obiter admonetur Elias ut ſibi ab ira caveat, ad quam natura ſuapte ferebatur.

13. *Operuit vultum ſuum pallio*] Reverentiæ ſignum. Sic Helenus Æneæ,

Purpureo velare comas adopertus amictu.

15. *Vnges Hazael regem ſuper Syriam*] Lxx Ἀζαὴλ [*Azaël*], Ioſephus Ἀζάηλον [*Azaëlum*] vocant; *Azelum* Iuſtinus ex Trogo xxxvi.2. Hunc ut deum cultum à Damaſcenis dicit Ioſephus ix. 2. Nota item Deum populum quidem ſuum præcipuè curaſſe, ſed non ut non & aliis populis interdum raræ providentiæ teſtimonia largiretur, ut hîc Syris.

16. *Iehu filium Namſi*] Fuit hic vir fortis, minimè ad culpas indulgens, ingenio quali Cato Vticenſis.

Vnges Prophetam pro te] Deſignabis eum tibi ſucceſſorem. Vngebantur Reges, Prophetæ, Sacerdotes, in ſignum donorum quæ Deus illis effundebat, ſi officium facerent. Fuit Eliſæus opum contemtor, in multos beneficus, ſed facinorum acer vindex: cui Fabricium non malè compares, ſi animum ſpectes, non quæ obierunt munera.

18. *Derelinquam mihi in Iſraël ſeptem millia virorum*] *Manere faciam.* Conſtantiæ, ut & aliarum virtutum Deus auctor, quanquam non ſine conſenſu voluntatis; ſed ſicut liberi à patribus magis quàm à matribus nominantur, ità & actiones à Deo magis ſerente quàm ab anima concipiente. Et vide quàm pauci fuerint retinentes pietatis; quid enim ſeptem millia in decem tribubus, in quibus qui arma ferrent fuêre decies centena & centum millia, 1 Paral. xxi. 5.

Quorum genua non ſunt incurvata ante Baal] Vocem כרעו ſatìs per ſe generalem de genuum flexione ſumunt hîc Lxx, qui habent οὐκ ὤκλασαν γόνυ [*non curvarunt genu*]: Paulus Apoſtolus, οὐκ ἔκαμψαν γόνυ [*non flexerunt genu*] Rom. xi. 4. Frequens id in Dei veri aut falſi cultu. Vide Rom. xiv. 11. Epheſ. iii. 14. Philipp. ii. 10.

19. *Arantem*] Romani ab aratro Dictatores & Conſules habuêre: Hebræi Prophetas. Vide & Amos 1.1.

Miſit pallium ſuum ſuper illum] Habitum ei propheticum dedit, & ſic eum velut inauguravit. Vide infrà ii (iv) Reg. 1. 8.

20. *Oſculer oro patrem meum*] Valedicam ei: Ioſephus, τοὺς γονεῖς ἀσπάσασθαι [*parentes ſalutare*]. Vide quæ ad Lucam ix. 61.

Quod enim meum erat, feci tibi] In Hebræo: *quia quid feci tibi?* Id eſt, cogita ad quantum munus te vocaverim. In ſacris dici ſolebat: *Hoc age.*

21. *Coxit carnes & dedit populo*] Viſcerationem dedit.

CAPVT XX.

1. **B***Enadad Rex Syriæ*] Hunc & Ἀδάδου υἱὸν [*Adadi filium*] & Ἄδαδον [*Adadum*] vocat in textu Ioſephus; in titulo capitis eſt Ἄδερ [*Ader*]: apud Lxx υἱὸς Ἄδερ [*filius Ader*]. *Adores* apud Iuſtinum ex Trogo. De hac literarum mutatione, aut ſoni aut ſcripturæ affinitate diximus & ſuprà ii Sam. viii. 5.

Triginta duos reges ſecum] Qui in clientela ipſius erant. ſed per hos non tam bene bellum geritur quàm per ſubditos, ut apparet infrà 24. Norunt enim illi non ſuam rem agi,

Armeniósne movet Romana potentia cujus
Sit ducis?

ait apud Lucanum Cæſar. Cerialis apud Tacitum Hiſtoriarum iv. *dilectus per Galliam habitos in civitates remittit, ac nuntiare jubet, ſufficere imperio legiones: ſocii ad munia pacis redirent, ſecuri velut confecto bello quod Romanæ manus excepiſſent.*

4. *Tuus ſum ego & omnia mea*] Do me meáque in tuam fidem; ſic hæc verba Achabus intelligebat. Benadad autem de rerum proprietate. Simile ambiguum inter Romanos & Ætolos memorant Polybius & Livius. Vide librum iii. de Iure Belli ac Pacis, cap. xx. §. 50.

7. *Omnes ſeniores terræ*] Solent id facere Reges etiam minimè populares, ubi pericula ingruunt. promtiùs enim ea ſubeuntur, ubi communis conſenſus præiit.

Quoniam inſidietur nobis] Id eſt, cavillatur verba noſtra.

8. *Non audias neque acquieſcas illi*] Simile illud apud Tacitum Annalium xv. *Conſuluit inter primores civitatis Nero, bellum anceps, an pax inhoneſta placeret: nec dubitatum de bello.*

10. *Si ſufficerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui ſequitur me*] Audax hyperbole. Si milites ſinguli pugillum auferant, de terra Samariæ nihil remanebit. Ab exercitu Xerxis flumina ſiccata, Græciámque omnem vix capere exercitum ejus potuiſſe narrant Hiſtorici.

11. *Nè glorietur accinctus æquè ut diſcinctus*] Noli triumphum canere ante victoriam, quâ partâ donuntur arma. Ξυνὸς Ἐνυάλιος [*Mars communis*].

13. *Ego tradam eum in manu tua hodie*] Nimirum,

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

Hanc Divinæ providentiæ partem *Nemeſim* Græci vocant.

14. *Per pediſſequos*] Per turbam imbellem.

18. *Apprehendite eos vivos*] Ζωγρεῖτε [*vivos capite*]. Non dicit *pugnate*, ſed *capite*, aut *occidite*, planè quaſi in ſua manu haberet victoriam.

22. *Vide quid facias*] Inſta quantum potes victoriæ: deinde rebus tuis in poſterum proſpice.

23. *Dii montium ſunt dii eorum*] Deum Vniverſi non agnoſcebant Syri. Deum autem Iſraëlis putabant eſſe ὀρειβάτην [*montambulonem*], quo nomine Pan à Græcis vocatur. Audierant nimirum Legem in monte datam.

Vt pugnemus contra eos in campeſtribus] Bene cogitatum: nam & equitatu præpollebat Syria. Vide infrà 25.

26. *In Aphec*] Vrbs eſt partis Aſeritarum. Ioſuæ xix. 30. quæ hoc bello Syrorum facta fuerat.

31. *Saccos in lumbis noſtris*] Signum luctûs.

Et funiculos in capitibus noſtris] Signum devotionis.

32. *Frater meus eſt*] Fortuna quidem communis Reges Regibus commendat, ſed cavendum nè id fiat cum malo publico.

34. *Civitates quas tulit pater meus à patre tuo reddam*] Solent quos ſuperiores belli fortuna fecit, ſua recipere.

Et plateas fac tibi in Damaſco] Solent & ſecuritati ſuæ in futurum proſpicere. Quod hîc Latinus dixit *plateas*, חצות, Lxx vertunt ἐξόδους [*exitus*], origine non abnuente. Intellige munitiones quibus reprimerentur Damaſceni, nè in terras Iſraëlitarum poſthac irrumperent. Confer II Sam. VIII. 16.

35. *Percute me. At ille noluit percutere*] Malè: nam leges ejus generis non valent contra dictum Prophetæ.

37. *Qui percuſſit eum*] Nam antiqui non verbis tantùm, ſed rebus loquebantur. Confer infrà XXII. 11. II Paral. XVIII. 10. Vide quæ dicta à nobis ad Matth. XXI. 19.

38. *Aſperſione pulveris*] אפר, quod hìc in Hebræo eſt, pro *velo* accepere Chaldæus & Græci & Rabbinorum præſtantiſſimi.

39. *Servus tuus egreſſus eſt ad præliandum*] Ars egregia, ſuppoſitis nominibus aliis convincere Reges ex ipſorum confeſſione. Vide II Sam. XII. & XIV. Sic olim, ut ait Phædrus,

> ——— *ſervitus obnoxia*
> *Quia quæ volebat non audebat dicere,*
> *Affectus proprios in fabellas tranſtulit,*
> *Calumniámque fictis eluſit jocis.*

40. *Hoc eſt judicium tuum quod ipſe decreviſti*] Patere legem quam tuleris.

42. *Quia dimiſiſti virum dignum morte*] Hoſtem Iſraëlis pertinacem. Achabus victoriam non ſuâ virtute, ſed ſingulari Dei dono nactus, non debuerat de Adado aliquid ſtatuere, niſi Deo conſulto per Vrim aut Prophetas. Confer I Sam. XV.

Erit anima tua pro anima ejus] Morte lues hanc lenitatem inconceſſam. implementum ſequitur capite hujus libri ultimo.

43. *Audire contemnens, & furibundus*] In Hebræo: *contumax & furibundus*. Ioſephus, συγκεχυμένος [*confuſus*]; quomodo & Lxx, qui addunt ὁ ἐκλελυμένος [*languens*]. Tam autem apud Ioſephum quàm apud Lxx hiſtoria hæc poſterior eſt hiſtoriâ de Nabuthe, contrà quàm in Hebræo.

CAPVT XXI.

2. *DA mihi vineam tuam*] Ad Iubilæum uſque. Vltra enim certum erat non licere.

3. *Nè dem hereditatem patrum meorum tibi*] Neque lex id permittebat, niſi egeſtate gravi preſſo. Vide Lev. XXV. 15. 25. deinde naturaliter amamus res avitas.

7. *Grandis auctoritatis es*] Planè ut Poppæa *pupillum* vocabat Neronem, *qui juſſis alienis obnoxius, non modò imperii, ſed libertatis etiam indigeret*. Ità Tacitus Annalium XIV.

8. *Ad majores natu & optimates*] Id eſt, ad oppidi Iudices, qui etiam de capite judicabant. Cur ipſe Rex eum non judicavit? Primùm quia decem tribuum Reges ſatis habebant ipſi judiciis eximi; cæterùm judicia relinquebant popularibus à quibus ad regnum erant evecti: cùm Reges Iudæ & judicarent ſæpè, & in rebus civilibus judicio Senatûs ſe ſiſterent. Deindè verò ſpeciem majorem juris minúſque odii habebat iſta agendi ratio. *Imaginem cognitionis* dixit Tacitus Annalium III. & Hiſtoriarum IV. *Sævitiam Neronis per hujuſmodi imagines illuſiſſe*.

9. *Prædicate jejunium*] Vt in gravi delicto quo populus attaminabatur; quò magis credat populus rem piè agi.

Sedere facite Naboth inter primos populi] Id eſt, in ſynagoga date ei locum honorificum. εἶναι γὰρ αὐτὸν γένους ἐπιφανοῦς [*eſſe enim eum ex illuſtri genere*] addit Ioſephus. Hoc ideo, nè odio damnaſſe crederentur, quem ipſi honoraverant, ſed religione teſtium coacti cum ſummo ſuo dolore.

10. *Et ſubmittite duos viros*] Sic Lxx. At Ioſephus tres poſuit; non malè, ſi faverent libri Hebræi: nam adverſùs inſignis famæ virum tres teſtes requirebantur. Malis autem Regibus nunquam deſunt talia injuſtitiæ inſtrumenta.

Filios Belial] Lxx παρανόμων [*de legum contemtoribus*]. Ioſephus, τολμηροὺς τινὰς [*temerarios homines*].

Benedixit Deum & regem] Ioſephus, ὡς τὸν Θεὸν τι εἴη βλασφημήσας καὶ τὸν βασιλέα [*ut qui & Deo maledixiſſet & Regi*]. Habes hoc loquendi genus ex contrario ductum Iobi I. 5. & II. 9.

Et educite eum] Extra portam, ut in ſuppliciis fieri ſolebat.

Et lapidate] Ex lege Levit. XXIV. 16.

15. *Et poſſide vineam Naboth*] Titulo confiſcationis, quæ apud Hebræos locum habebat in omnibus delictis adverſùs Regiam majeſtatem. Vide II Sam. IX. 7. Hæc ſententia quam ſequuntur Levi Bengerſon & David Kimchi probabilior eſt, quàm quod fingunt alii, Nabuthem agnatum fuiſſe Regis, & liberos cum eo interfectos, ut participes criminis, quorum hoc probari videtur II Regum IX. 26. illud verò alterum non item.

19. *Occidiſti, inſuper & poſſediſti*] Paucis verbis explicatur facinoris immanitas. Tale illud in Agricola, *trucidare, rapere, falſis nominibus imperium appellant*. Et Plinius ærarium ſub Domitiano ait fuiſſe *ſpoliarium civium, cruentarúmque prædarum ſævum receptaculum*.

In loco hoc] Meliùs, *loco ejus quòd linxerunt canes ſanguinem Naboth*, id eſt, *propterea quòd*. Cauſa enim judicii indicatur, non locus. linxerant autem canes ſanguinem Nabothis ibi ubi lapidatus fuerat.

Lambent quoque ſanguinem tuum] Effuſum in currum ſcilicet, infrà XXII. 38.

20. *Num inveniſti me inimicum tibi*] Legit איבך [*inimicum tibi*]; non ut nos in Hebræo legimus איבי [*inimice mi*], quomodo & Græci legêre, Εἰ εὕρηκάς με ὁ ἐχθρός μου; [*an inveniſti me, inimice mi?*]

Eò quòd venumdatus ſis ut faceres malum in conſpectu Domini] Id eſt, mancipium es teterrimorum vitiorum. Sic infrà 25. Romanor. VII. 14. Horatius:

> *Vrget enim dominus mentem non lenis, & acres*
> *Subjectat laſſo ſtimulos.*

21. *Et clauſum & ultimum*] Clauſum & relictum. Vide ſuprà XIV. 10.

23. *In agro Iezrael*] In eo territorio in quo injuſtè damnatus fuerat Naboth. Simile vide II Reg. IX. 25. 26.

27. *Iejunavitque, & dormivit in ſacco, & ambulavit demiſſo capite*] Pœnitentiâ ductus, ſed quæ non permanſit, ut apparet capite ſequente. Aliquid tamen de commerita pœna ob hoc detractum eſt.

CAPVT XXII.

1. *Tranſierunt igitur tres anni*] Non pleni, II Paralip. XVIII. 1.

2. *Deſcendit Ioſaphath rex Iuda ad regem Iſrael*] Achabum, cujus hominis mali filiam duxerat, ut colligere eſt II Paralipom. XVIII. 1. quæ cauſa videtur præcipua cur eum Propheta reprehenderit II Paral. XIX. 2.

6. *Prophetas, quadringentos circiter viros*] Idololatras, qui nomine Dei Amorræorum vaticinabantur. oſtendit hoc oppoſitio ſequens, *Propheta Domini quiſpiam.*

8. *Quia non prophetat mihi bonum, ſed malum*] Sic Calchanti Agamemnon:

Μάντι κακῶν, οὐ γάρ πω ἐμοί τι κρήγυον εἶπας.
[*Dirorum vates, nunquam mihi fauſta locute.*]

10. *Vnuſquiſque in ſolio ſuo*] Vt pares.

11. *Cornua ferrea*] Vide ſuprà XX. 37.

12. *Omnéſque prophetæ ſimiliter prophetabant*] Velut uno ore: quod ipſum ſuſpectum eſſe debebat.

His ventilabis Syriam] Arietabis.

15. *Aſcende, & vade proſperè, & tradet eam Dominus in manu regis*] Hoc non dixit ſerio vultu ac voce, ſed per irriſum, imitans pſeudoprophetarum verba. Tale illud in Terentio,

—— *parvola*
Hinc eſt abrepta, &c.

17. *In montibus*] In iſtis montibus, nempe propinquis Ramothæ.

Quaſi oves non habentes paſtorem] Num. XXVII. 17. Matth. IX. 36.

In pace] Id eſt, de bello nihil cogitent ampliùs, Regibus qui hoc bellum ſuſcitaverant, deſtituti. Vide capitis ſequentis initium.

19. *Et omnem exercitum cæli aſſiſtentem ei*] Similis διατύπωσις [*delineatio*] Iobi I. 6.

21. *Egreſſus eſt autem ſpiritus*] Aliquis ex Satanæ familia. Sic inter Angelos etiam Satan apparet dicto Iobi loco. At Hebræorum nonnulli ſpiritum hunc putant fuiſſe ſpiritum Nabuthis vindictam quærentis de Achabo.

22. *Decipies, & prævalebis*] Permiſſio qualis illa Matth. VIII. 31. Vide & Apocalypſin XX. 3.

23. *Dominus locutus eſt contra te malum*] Decrevit te perdere.

27. *Pane tribulationis*] Pane plebejo.

Donec revertar in pace] Victor.

30. *Sume arma*] Imò, *Mutabo me.* Græcis, Συγκαλύψομαι [*obtegar*], *Ego me diſſimulabo, tu autem retine tuum habitum.* Sciebat in Reges maximè vim hoſtium intendi, quare volebat ipſe latere hoſtes, Ioſaphatum autem periculis objicere.

31. *Non pugnabitis contra minorem & majorem quempiam, niſi contra regem Iſraël ſolum*] Vt cauſam belli.

32. *Et exclamavit Ioſaphat*] Ad Deum.

34. *Inter pulmonem & ſtomachum*] In Hebræo: *inter conjuncturas & inter loricam*, id eſt, in ea parte ubi lorica cum inferiori armatura connectitur. Nam דבק *junctura* eſt etiam Eſaiæ XLI. 7. σύμβλημα. At LXX ἀναμέσον τοῦ πνεύμονος καὶ ἀναμέσον τοῦ θώρακος [*inter pulmonem & thoracem*], & hîc & in Paralipomenis. Ioſephus, διὰ τοῦ θώρακος κατὰ τοῦ πνεύμονος [*per thoracem in pulmonem*].

36. *Præco inſonuit*] In Hebræo: *tranſivit præconium*, id eſt, ſignum datum eſt receptui.

38. *In piſcina Samariæ*] In collectione aquarum lapidibus circumdata, quam κρήνην [*fontem*] impropriè hîc vocant Ioſephus & LXX.

Et habenas laverunt] Cingulas, ni fallor, dicere voluit, quaſi ab אזן quod *zonam* ſignificat Deuter. XXIII. 13. quanquam alii & ibi & hîc *arma* malunt vertere. At LXX & Ioſephus ſimpliciùs הזנות interpretantur *meretrices*, & *laverunt* ſcilicet ſeſe, in iſta piſcina ſanguine polluta, ut hoc etiam ad contemtum Achabi acceſſerit; quod non improbo. Alii in ipſo curru meretrices pictas fuiſſe credunt. alii הזנות interpretantur *viſiones* Eliæ & Michææ in eodem curru depictas, quod vix putem.

Iuxta verbum Domini quod locutus fuerat] Hoc refer ad illud quod de canibus dictum eſt.

39. *Reliqua autem ſermonum*] Id eſt, rerum.

41. *Ioſaphat verò filius Aſa regnare cœperat ſuper Iudam anno quarto Achab regis Iſraël*] Impleto ſcilicet. Ità colligimus collatis locis ſuprà XVI. 29. & XXII. 4.

44. *Verumtamen excelſa non abſtulit*] Adeò invaluerat is error, ut ei evellendo Rex par non eſſet.

45. *Pacémque habuit Ioſaphat cum rege Iſrael*] Id eſt, ut erat bonus, mortem Achabi captare noluit, ut filio ejus Ochaziæ regnum veteris juris obtentu eriperet.

47. *Reliquias effeminatorum*] Catamitorum qui reliqui facti fuerant.

48. *Non erat tunc Rex conſtitutus in Edom*] Addi debet ex Hebræo, *Præfectus erat rex*, id eſt, Præfectus ab Hieroſolymis miſſus velut regio jure imperabat, ut Præfectus Romanus Capuæ. De quo vide quæ dicta libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. IX. §. 6. Hic mos à Davidis temporibus cœptus, ut vides II Sam. VIII. 14. ad Ioſaphati tempora duravit: non autem multò pòſt ſecuta eſt Idumæorum defectio, II Reg. VIII. 20.

49. *Claſſes in mari*] *Naves Tharſis* in Hebræo, id eſt, Oceanicas. Vide ſuprà X. 22.

Quæ navigarent in Ophir] Ioſephus qui ſuprà *Ophir*, aut, ut ipſe legit, *Sophir* dixerat eſſe partem Indiæ dictam τὴν χρυσῆν γῆν [*Auream terram*], & quidem duobus in locis, hîc eandem vocem interpretatur *Pontum & Thraciæ emporia.* Miror inconſtantiam interpretationis.

50. *Et noluit Ioſaphat*] Id eſt, ſocietatem quam antè cùm impio Rege contraxerat, de qua vide II Paral. XX. 35. malo eventu, & ſimul Eliezere Prophetâ deterrente prorogare noluit. Non diſcrepat ab hoc ſenſu Ioſephus hoc loco.

52. *Regnavítque ſuper Iſrael duobus annis*] Non plenis, II Reg. III. 1.

AD LIBRVM POSTERIOREM REGVM APVD HEBRÆOS, QVI APVD LATINOS

QVARTVS REGVM.

CAPVT I.

1. *PRævaricatus eſt autem Moab in Iſrael*] Defecit ab eo imperio, quod à Davidis temporibus agnoverat, II Samuëlis VIII. 2.

2. *Conſulite Beelzebub*] θεὸν μυῖαν [*deum muſcam*], Ioſephus; ſed veriſimilius, eſt vocatum hunc deum à Palæſtinis ſive Philiſtinis illis, ut & à Phœnicibus aliis, בעל שמין [*Beelſamen*, id eſt, *deum cæli*], ab Hebræis verò deridiculi cauſâ בעל זבוב [*Beelzebub*] *dominum muſcarum*, quia templum ejus propter victimas plenum erat muſcis, quas ad Templum Hieroſolymitanum, ubi tot mactabantur victimæ, nunquam adventâſſe narrant Hebræi. Simili modo paganos irridet Arnobius: *Ità, inquam, non videtis ſub iſtorum ſimulacrorum cavis ſtelliones, ſorices, mures, blattáſque lucifugas nidamenta ponere atque habitare?* Et pòſt: *Non in ore aliquanto ſimulacri ab araneis ordiri retia, atque inſidioſos caſſes, quibus volatus innectere ſtridularum poſſint impudentiúmque muſcarum. Non hirundines denique intra ipſos ædium circumvolantes tholos?* Eſt autem graviſſimum crimen, & Deo auferre honorem præſcientiæ, & iis dare qui non habent, Lev. XIX. 31. XX. 6. 27. Deut. XVIII. 10. 11. 14. 15. quare nec mirum ſi talia Deus graviſſimè punit, ut apparet tum alibi, tum hîc 16. 17.

8. *Vir piloſus*] Δασὺς [*hirtus*] promiſſo capillo ac barbâ, ut Græci Philoſophi, & Cato apud Lucanum:

Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mæſtámque genis increſcere barbam.

Zonâ pelliceâ accinctus renibus] Vide quæ dicta ad Matth. III. 4.

9. *Rex præcepit ut deſcendas*] Prophetæ facientes quæ ſui ſunt muneris, regio imperio non tenentur. Aliud in Sacerdotibus. Confer quod infrà 15. ubi à Deo juſſus facit quod antè abnuerat.

10. *Deſcendat ignis de cælo & devoret te*] Quod dicit Vlpianus l. 1. D. *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, omnibus Magiſtratibus conceſſum eſſe juriſdictionem ſuam defendere pœnali judicio;* idem de Prophetis, qui velut Magiſtratus ſunt ipſis Magiſtratibus à Deo impoſiti, rectè dicitur. Vide mox 12. Actor. v. 5. 10. VIII. 24. 1 Corinth. v. 5. 1 Tim. I. 20. 1 Cor. IV. 21.

13. *Curvavit genua contra Eliam*] Coram Elia, in honorem ejus ut Prophetæ. Vide ſuprà I (III) Regum x. VIII. 7. infra II. 15.

17. *Anno ſecundo Ioram*] Imò quinto, ut habemus infrà VIII. 16. quicum bene congruit id quod habebimus mox III. 1. An ex notis numerorum natus error? An verò varietas indè quòd filii interdum cum patribus regnarunt, quod & Perſicam Chronologiam confudit?

CAPVT II.

1. *CVm levare vellet Dominus Eliam*] Ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη [*ex hominibus ſublatus eſt*], ait Ioſephus.

2. *Vivit Dominus, & vivit anima tua*] Id eſt, tu. Senſus eſt, Quàm verè vivit Deus, & ità vivas tu. De hoc jurandi genere vide quæ non ſpernenda diximus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 11.

3. *Numquid noſti quia hodie Dominus tollet dominum tuum à te?*] Deus eos qui cum Prophetis vivebant paulatim aſſuefaciebat prophetiæ, nunc hoc, nunc illud de conſiliis ſuis ipſis aperiens.

8. *Quæ diviſæ ſunt in utramque partem, & tranſierunt ambo per ſiccum*] Vide quæ ſuprà ad Ioſ. III. 16.

9. *Obſecro ut fiat in me duplex ſpiritus tuus*] Putant quidam poſcere Eliſæum ut duplam habeat vim ſpiritûs ad ſpiritum Eliæ, quod ſuperbum fuerat; cùm contrà id poſtulet, ut ſit velut primogenitus inter diſcipulos ejus. Primogeniti enim de hereditate duas ferebant partes, cùm cæteri ferrent ſingulas. Et פי quod hîc eſt in Hebræo pro *portione* ſumi apparet Deuteron. XXI. 17. ubi de jure primogenituræ ſermo, ſed & Zachariæ XIII. 8. Vide mox 15.

11. *Currus igneus & equi ignei*] Angeli eâ ſpecie apparentes. infrà VI. 17.

Aſcendit Elias per turbinem in cælum] Cum Enocho confert Ioſephus.

12. *Currus Iſrael & auriga ejus*] In Hebræo: *Currus & equites ejus.* Alludit ad id quod videbat, & metaphorico loquendi genere oſtendit ipſum fuiſſe robur populi per preces & doctrinam.

14. *Etiam nunc*] Miris modis vertitur quod hic in Hebræo eſt אפ הוא. LXX ipſam vocem Hebræam poſuerunt ἀπφώ [*appho*]. quidam voce illâ הוא putantes aliquid arcanum & excellens ſignificari, verterunt κρύφιος [*abſconditus*]. Senſus eſt: *Vbi nunc ille Deus Eliæ?* id eſt, adſit.

21. *Miſit in illum ſal*] Quod per naturam aquas reddit minimè potabiles. Ità Deus, ubi vult, oſtendit ſe naturæ Dominum.

23. *Illudebant ei*] Vt in idololatria educati, veri Dei contemtores.

24. *Maledixit eis in nomine Domini*] Vide ſuprà I. 10.

CAPVT III.

1. *Ioram verò filius Achab regnavit ſuper Iſrael*]

——— multò majoribus impar

Noſſe modum juris, tali tamen utilis ævo.

ut Catonem apud Lucanum de Pompejo loquentem imiter.

4. *Porrò Meſa rex Moab nutriebat pecora multa*] In Hebræo verbo ad verbum *erat pecuarius*, ut Cicero Verrinâ iv. loquitur. Reges minores majoribus vectigal dabant ex iis rebus quibus abundabant. Abundabant autem Moabitæ ovibus, unde & deæ eorum in ovium forma.

5. *Prævaricatus eſt fœdus*] Exuerat reverentiam majoris imperii : vertendum enim non *eſt*, ſed *erat*, κατ' ἐπάνοδον [*per retrogreſſionem*], ſuprà 1. 1. Semel dictum repetitur ad cohærentiam hiſtoriæ ſequentis.

7. *Populus meus, populus tuus*]Suprà 1 Reg.xxii.5.

9. *Et rex Edom*]Id eſt, Præfectus vice Regis, quales Præfecti καταχρηστικῶς [*per abuſionem*]hoc nomine vocantur,ut ſuprà 1 (iii)Reg.xx.1. ubi eadem vox in eodem commate bis diverſo ſenſu uſurpatur. Vide & Deuter.xxxiii.5. Iud.xviii. 1. xxi.24. & dicta ibi.

11. *Qui fundebat aquam ſuper manus Eliæ*] Qui ipſi miniſtrabat. ſpecies pro genere.

13. *Quid mihi & tibi eſt ?*] Quid mihi negotium exhibes ?

15. *Adducite mihi pſalten*] Ad ſedandum animum commotum. Vide quæ dicta 1 Sam.x. 5. xvi.17.

Cúmque caneret pſaltes facta eſt ſuper eum manus Domini] Ioſephus, πρὸς τὸν ψάλλοντα ἔνθεος γινόμενος [*ad pſallentis ſonum entheatus*]. Ajunt Hebræi שכינה [*divinum numen* ſive *inhabitationem*] non intervenire inter animi angores. contrarium in novo Federe.

19. *Et univerſum lignum fructiferum ſuccidetis*] Prophetæ etiam contra leges ſpeciales aliquid præcipienti parendum ſuprà diximus : id hîc evênit. Vide Deuter. xx.19.

22. *Rubras*] Rubentes adverſo Sole.

25. *Ità ut muri tantùm fictiles remanerent*] In Hebræo : *Donec reliquit lapides in pariete Cheroſeth*, id eſt, nulli lapides conſtructi reperiebantur niſi in muris unius urbis Chareſeth.

Et circumdata eſt civitas à fundibulariis] Puto intelligi eos quos *libratores* vocat Tacitus Annal.ii. & xiii. qui balliſtis aliiſque id genus machinis quaſſant mœnia.

26. *Vt irrumperent ad Regem Edom*] Id eſt, per caſtra hoſtilia perrumperent eâ parte ubi curabat Idumææ Præfectus.

27. *Arripiénſque filium ſuum primogenitum qui regnaturus erat pro eo*] τὸν υἱὸν πρεσβύτερον, ὃς μετ' αὐτὸν βασιλεύειν ἔμελλεν [*filium natu maximum qui poſt eum erat regnaturus*], Ioſephus. Suum, inquam, non Idumææ Præfecti, ut quidam colligunt ex Amoſo ii.1. ubi alia reſpicitur hiſtoria.

Obtulit holocauſtum] Nempe Deo Iſraëlitarum, ut hîc habet Ioſephus, velut Abrahami factum, quanquam ab eo non completum, imitans.

Super murum] Vt aſpicerent Hebræi.

Et facta eſt indignatio magna in Iſrael] Quod extra præceptum Dei tale quid fieret, invidiáque ejus facti in religionem Abrahamidarum recideret.

Statímque receſſerunt ab eo] Solverunt obſidionem, nè quid tale iterum fieret.

CAPVT IV.

1. *Et ecce creditor venit ut tollat duos filios meos ad ſerviendum ſibi*] Vt in nexum ducat. Liberi jure Hebræo res parentum. Vide quæ dicta ad Matth. xviii. 25. Etiam alibi in Aſia liberos venditos à parentum creditoribus diſcas ex Plutarcho in Lucullo : idem jus olim Athenis obtinuiſſe ex eodem Plutarcho in Solone. Etiam Romæ ex Dionyſio Halicarnaſſenſi libro vi.

4. *Et mitte indè in omnia vaſa hæc*] Incrementum latens à Deo factum, ut ſuprà xvii.12.13.14.

13. *Et vis ut loquar regi, ſive principi militiæ ?*] Non indigna res eſt ut Prophetæ ità & Epiſcopi officio miſerabiles perſonas commendare Principibus. In Canonibus Africanis habemus : *Honeſtum eſt ut Epiſcopi interceſſionem his præſtent qui iniquâ vi opprimuntur, aut ſi vidua affligatur, aut pupillus exſpolietur.* Deinde, *Vt de qualibet provincia Epiſcopi ad eum fratrem & Coepiſcopum noſtrum preces mittant, qui in metropoli conſiſtit : ut ille & diaconum ejus & ſupplicationes deſtinet, tribuens commendatitias epiſtolas : pari ratione ad fratres & Coepiſcopos noſtros, qui in illo tempore in his regionibus & urbibus morantur, in quibus felix & beatus Auguſtus rempublicam gubernat. Si verò habet Epiſcopus amicos in palatio, qui cupit aliquid, quod tamen honeſtum eſt, impetrare, non prohibetur per diaconum ſuum rogare ac ſignificare his, quos ſcit benignam interceſſionem abſenti poſſe præſtare, ſi tamen opportunum fuerit.* Rurſum : *Qui verò Romam venerint, ſicut dictum eſt, ſanctiſſimo fratri & Coepiſcopo noſtro Romanæ Eccleſiæ preces, quas habent, tradant : ut & ipſe priùs examinet, ſi honeſtæ & juſtæ ſunt, & præſtet diligentiam atque ſollicitudinem ut ad comitatum perferantur.*

In medio populi mei habito] In limite ſunt milites graves plerumque pauperibus.

14. *Et vir ejus ſenex eſt*] Vide Geneſ. xviii. 11. 12.

23. *Non ſunt calendæ, neque ſabbatum*] His diebus pii homines ad Prophetas ibant, quo tempore quibuſque locis alii conventus non erant. Vide Geneſ. xxv. 22.

24. *Mina*] Veteres *baculo minari* dicebant pro *propellere bovem* aut *aſinum* ; poſteriores *minare*, unde Galli *mener*, & par vox apud Italos & Hiſpanos ex recentiori Latinitate.

27. *Anima enim ejus in amaritudine eſt*] In mœrore eſt ipſa.

Et Dominus celavit à me] Hactenus id ignorabam. Simile ii Sam.vii. 3.

29. *Si occurrerit tibi homo, non ſalutes eum : & ſi ſalutaverit te quiſpiam, non reſpondeas illi*] Id eſt, nihil huic negotio præverte. Vide quæ ad Luc. x. 4.

Et pones baculum meum] Deus plerumque ſigna quædam in oculos occurrentia adhibet, quò magis pateat ſe Prophetarum precibus & ad auctoritatem ipſis conciliandam facere quæ facit. Vide infrà 34.

cui par hiſtoria ſuprà 1 Reg.xvii.21. Vide & mox v. 10. Suffecerat baculus ſi mulier id credidiſſet. Confer Matth.ix. 18. & ſimilia.

33. *Oravit ad Dominum*] Petens quod in ſe non habebat.

35. *Et oſcitavit puer ſepties*] Rectiùs alii, *ſternutavit* : quod ſignum ad ſanitatem eſt.

37. *Corruit ad pedes ejus,& adoravit ſuper terram*] Summo honore Prophetam venerans, ut 1 Reg. xviii. 7. & ſuprà 1.13.

38. *Et filii prophetarum habitabant coram eo*] Rectiùs, *ſedebant* : is enim mos diſcipulorum, Act.xxii. 3. καθ᾽ ἡλικίαν ἑξῆς καθέζονται [*ordine ſedent pro ætate cujuſque*], Philo de vita contemplatrice.

39. *Vitem agreſtem*] Id eſt, colocynthida viti non diſſimilem.

40. *Mors in olla*] Quod nimium alvus cieretur. Habet enim eam vim colocynthis, damnata à Chryſippo medico, & à Democrito in cibis, ut notat Plinius xx. 3.

42. *Deferens viro Dei panes primitiarum*] Xenia: de quibus ſuprà 1 Reg.xiv. 3.

44. *Comederunt, & ſuperfuit*] Confer Matth.xiv. 20. Luc.ix.17. Ioh.vi.12.13.

CAPVT V.

1. *PEr illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ*] nam ut ait ſcriptor libri de Vocatione Gentium : *Confitemur quòd nunquam univerſitati hominum Divinæ providentiæ cura defuerit : quæ licèt exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem duxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum bonitatis ſuæ dona ſubtraxit.* Oroſius: *Mea ſemper hæc eſt & indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum, non ſolùm in corpore ſuo quod eſt Eccleſia, cui ſpecialia ob credentium fidem gratiæ dona largitur, ſed etiam univerſis in hoc mundo gentibus inſuper longanimem ſui æternámque clementiam adminiſtrare.*

5. *Mutatoria veſtimentorum*] Εἵματά δ᾽ ἐξημοιβά [*veſtes alternas*] Homero.

7. *Scidit veſtimenta ſua*] Vt in gravi mœrore.

Vt occidere poſſim, & vivificare]Eſt enim lepra velut mors cutis, Num.xii.12. Eſaiæ xxii.18. ubi quæ dicemus vide.

Videte quòd occaſiones quærat adverſùm me] προφάσεις, σκήψεις, προκαλύμματα [*prætextus, commenta, obtentus*]. de quibus vide quæ diximus libro ſecundo cap. xxii initio de Iure Belli. Sophocles Trachiniis :

> Ἔγκλημα μικρὸν αἰτίαν θ᾽ ἑτοιμάσας
> Ἐπεστράτευσε.
> [*Cauſam nocendi crimine exiguo ſtruens*
> *Infenſus infert arma.*]

Mos hic improbus multorum Principum eleganter ſub lupi nomine deſcribitur fabulâ primâ Phædri, cujus hoc eſt ἐπιμύθιον [*affabulamentum*],

> *Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,*
> *Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.*

10. *In Iordane*] Iordanis & humus infrà 17. reſpectum habent ad Deum illis locis præſidentem.

12. *Abana*] Fortè *Chryſorrhoas* Plinii.

Pharphar] Eſt ejuſdem nominis in Sabinis fluvius, Ovidio : ——— *amœnæ Farfarus undæ.*

13. *Certè facere debueras*]Nè domino quidem imperanti ſervus dicere debet, *Cur*? multò minùs Deo homines, Rom. xi.34.

15. *Obſecro igitur ut accipias benedictionem*] Id eſt, munera. Nam ברך Hebræum non *benedicere* modò, ſed & *benefacere* ſignificat.

16. *Non accipiam*]Non quòd hoc non ſæpè liceret, & in uſu eſſet,ut jam plus ſemel notavimus,ſed quòd non omnia omnibus temporibus conveniant. Cavendum erat nè tener in pietate animus de Prophetis Dei tale aliquid conciperet, quale eſt quod apud Sophoclem Creon Tireſiæ objicit :

> Τὸ μαντικὸν γὰρ πᾶν φιλάργυρον γένος.
> [*Inhiare lucris natio vatum ſolet.*]

Confer ſimile factum Abrahami Geneſ.xiv. 22.23. præterea vide quæ ad hanc rem diximus ad Matth. x. 8.

17. *Onus duorum burdonum*] *Mulorum* in Hebræo, ἡμιόνων in Græco. Verùm Iſidorus ità diſtinguit, ut *mulum* eſſe dicat ex equa & aſino, *burdonem* ex equo & aſina.

18. *Templum Remmon*] Is videtur eſſe Saturnus, cujus in Oriente ſparſus latè cultus. Nomen indè quòd ſit, ut Tacitus loquitur, *altiſſimo orbe*. Græci hîc Ῥεμμὰν [*Remman*] mutatis ut fit vocalibus. Et fortè Lucas Act.vii.43. ſcripſerit Ῥεμμὰν[*Remman*], ubi nunc Ῥεμφὰν [*Remfan*] legitur. Nam in Amoſi loco quem reſpicit, eſt כיון [*Kiun*] pro כיואן [*Kivan*], quomodo & Perſis & Arabibus vocari Saturnum nos docuit Abeneſdra.

Si adoravero] Eſt hîc in Hebræo והשתחויתי, nomen verbale formâ Chaldæâ. Eſt autem extenſio quædam manuum ac pedum. Talem geſtum coram ſimulacro ullo exhibere Iſraëlitis Lege erat vetitum, ſine ulla exceptione animi aut interpretationis. At alienigenæ lege iſtâ non tenebantur. Cùm verò hic Syrus nunquam ingrederetur idolium, niſi Regis causâ, ipſe verò profiteretur ſe cultorem Dei ſummi, & in ejus honorem etiam humum Iſraëliticam ad ſacrificia ſibi attuliſſet, facilè intelligebant adſtantes, Syrum hunc flexionem illam corporis Regi præſtare, non Saturno, aut ſimulacro ejus. Vide quæ ad hanc rem pertinentia diximus ad Luc.iv.27.

Vt ignoſcat mihi Dominus] Græci, ἱλάσεται δὴ Κύριος τῷ δούλῳ σου [*propitius ſit Deus ſervo tuo*] : id eſt, ut Deus eâ re non offendatur, verùm eam boni & æqui conſulat.

19. *Vade in pace*] Securus hac parte eſto. Non delinques in Legem quæ tibi dicta non eſt.

23. *Melius eſt ut accipias duo talenta*] Quaſi non deceret tantum Satrapam minus dare.

26. *Nonne cor meum in præſenti erat?*] Videbam iſta intus in animo. Simile loquendi genus 1 Cor. v. 3.4.

Nunc igitur accepiſti] In Hebræo, *an tempus erat accipiendi?* multa non tam rebus quàm temporibus fiunt bona & mala. Et accipiendum eſt, ut ait Vlpianus L. Solent. D. de officio Proconſulis, οὔτε πάντα, οὔτε πάντοτε, οὔτε παρὰ πάντων [*neque omnia, neque ſemper, neque ab omnibus*].

27. *Lepra Naaman adhærebit tibi*] Pœna hæc fuit non modò intempeſtivæ δωροδοκίας [*acceptionis mune-*

munerum], ſed vel maximè mendacii. Nam qui Prophetam circa ea quæ ad munus ipſius pertinent circumvenire vult, mentiri dicitur Spiritui ſancto, cujus inſtrumenta ſunt Prophetæ. Vide Act.v.3.5.

CAPVT VI.

2. *VT ædificemus nobis ibi locum*] *Tabernaculum:* nam hæc vox, ut & *tabernæ*, à tabulis venit, ut Feſtus nos docet. Et multæ gentes in talibus ædificiis habitant.

5. *Et hoc ipſum mutuò acceperam*] Impropriè locutus eſt: dicere enim voluit *commodatò*. Meritò autem dolet hic quiſquis eſt de amiſſa re commodata. Religiosè enim cavendum eſt nè quis ex beneficio ſuo damnum ſentiat.

9. *Quia ibi Syri in inſidiis ſunt*] Prophetia non res futuras tantùm aperit, ſed & hujus temporis eas quæ latent. Vide quæ dicta Matth. xxvi. 68.

16. *Plures enim nobiſcum ſunt quàm cum illis*] *Caſtra Dei*, Geneſ.xxxii.1. *legiones Angelorum*, Matth. xxvi.53. Confer quæ dicta ſuprà ii.11.

17. *Aperi oculos hujus*] Sententia eſt veterum, Angelos apparere ſimul atque volunt, non apparere ubi nolunt. illa ἐπιφάνεια [*apparitio*] hîc dicitur *apertio oculorum*, ob effectum ſimilem.

18. *Percute, obſecro, gentem hanc cæcitate*] Scotomate, ut Geneſ.xix.11.

19. *Non eſt hæc via, neque iſta eſt civitas*] Dolus in hoſtem licitus habebatur illo tempore. Vide de Iure Belli ac Pacis librum iii. cap.1.§.17.

21. *Pater mi*] Sic etiam Epiſcopos ſæpè compellarunt Chriſtiani Imperatores.

22. *Neque enim cepiſti eos gladio & arcu tuo, ut percutias*] In Hebræo eſt: *An quos cepiſſes gladio & arcu tuo eos interficeres?* Hoſtium qui paulò leniores ſunt captivis ſolent parcere. In Heraclidis Euripidis cum dixiſſet nuntius:

Τί δὴ τόδ᾽; ἐχθροὺς τοῖσι δ᾽ οὐ καλὸν κτανεῖν;
[*Hoſtem perimere veſtra lex ergò vetat?*]

reſpondet chorus:

Οὐχ ὅντιν᾽ ἄν γε ζῶνθ᾽ ἕλωσιν ἐν μάχῃ
[*Quem Mars reliquit prælio ſuperſtitem.*]

Et in Troadibus Senecæ dicenti Pyrrho:

Lex nulla capto parcit aut pœnam impedit.

Agamemnon reſpondet:

Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Æqui bonique natura parcere etiam captivis jubet, ait Seneca de Clementia i.18. Eſt autem argumentum à majori. Parceres tuis captivis, quantò magis iis quos Dei benignitas tibi in manus dedit?

23. *Et ultrà non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael*] *Latrones* vocat excurſores גדודי. Ioſephus, κρύφα μὲν οὐκέτι διέγνω τῶν Ἰσραηλιτῶν ἐπιχωρεῖν βασιλεῖ [*conſtituit non ultra clàm impetere Regem Iſraelitarum*]. Ergò juſto exercitu opus fuit, ut ſequitur.

25. *Factáque eſt fames magna*] *Cunctantibus ſolita inſolitáque alimenta deerant*, ait Tacitus Hiſtor.iv. de iis qui in Veteribus erant obſeſſi.

Caput aſini octoginta argenteis] Nam & in Caſilino ab Annibale obſeſſo *murem ducentis denariis veniſſe* teſtantur Plinius viii. 57. Valerius Maximus vii. cap.vi. *centum denariis* ait Frontinus.

Et quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis] Ex Græco. In Hebræo textu hîc eſt חריונים, ſed quia ea vox longo uſu facta erat ſpurcior, legitur pro ea hîc רביונים [*excrementa*], ac Eſaiæ xxxvi.12. צואתהם: qualis mutatio paribus de cauſis & alibi facta. Fame autem compulſos homines ad ejectamenta columbarum eo minùs mirandum eſt, quòd & humana alvi ejectamenta tali neceſſitate uſurpata & Eſaiæ ille locus & hiſtoriæ aliæ nos doceant.

27. *Non te ſalvat Dominus*] In Hebræo: *Nè te ſalvam faciat Dominus*: quomodo & Lxx, μή σε σώσαι Κύριος. Senſus bene apud Ioſephum, ὀργισθεὶς ἐπηράσατο αὐτῇ τὸν Θεόν [*iratus Deum ei imprecatur infenſum*]. Nimirum gravia mala ut edomant quoſdam, ità efferant alios. Sic Oedipus in Phœniſſis Euripidis:

——— πρὸς δὲ τῆς τύχης νοσῶν
Ἀρὰς ἀρᾶται παισὶν ἀνοσιωτάτας.
——— [*æger infortunio*
Diras tremendas in genus cumulat ſuum.]

29. *Coximus ergò filium meum & comedimus*] Sic impletæ ſunt Dei minæ, Deuteron.xxviii.56.57. Accidit idem Hieroſolymis à Veſpaſiano obſeſſis, teſte Ioſepho: Româ obſeſsâ à Vitige; & alibi. Quintilianus in declamatione PASTI CADAVERIBUS, *Pater liberos eſurit & oppreſſa decimo menſe mater ſibi parit: redit in uterum laceratus infans.*

30. *Vidítque omnis populus cilicium quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus*] Apparuit cilicium veſte diſciſsâ. Sic & Græci hîc.

31. *Si ſteterit caput Eliſæi filii Saphat ſuper ipſum hodie*] Sic Romani Imperatores omnium calamitatum publicarum reos faciebant Chriſtianos, ut Apologetici horum libri omnes teſtantur.

32. *Et ſenes ſedebant cum eo*] Diſcipuli ipſius, ut hîc habet Ioſephus.

Filius homicidæ] Achabi προφητοκτόνου [*propheticidæ*] etiam ingenio filius.

Et non ſinatis eum introire] Bene ſenſus expreſſus eſt: nam illud לחצתם παραθλίψατε [*comprimite*] ſignificat *retinete*.

33. *Quid ampliùs exſpectabo à Domino*] Multos in impietate retinet malorum facinorum conſcientia, & deſperatio veniæ.

CAPVT VII.

1. *DIxit autem Eliſæus*] Nempe Regi, ità ut Eliſæus prædixerat nuntium illum ſubſequenti. Vide vi.32. & hoc cap.16.

2. *Vnus de ducibus*] τριστάτης [*triarius*] Lxx. τρίτης μοίρας ἡγεμὼν [*tertiæ partis dux*] Ioſepho.

Super cujus manum rex incumbebat] Quem honorem Reges habebant cariſſimis ſibi. Suprà v.18.

Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo] Feneſtras per quas depluat frumentum.

Videbis oculis tuis, & indè non comedes] Idem eveniet iis qui promiſſis vitæ æternæ non credunt.

3. *Quatuor leproſi juxta introitum portæ*] Putant Hebræi hos fuiſſe Giezin & tres filios ejus, quod ego nec affirmem nec refellam. Morabantur autem leproſi non intra, ſed extra portam urbium, ut olim extra caſtra, Num.v.2.3. Levit.xiv.3. Vide quæ diximus ad Luc. xvii.12. & Ioſephum hîc.

5. *Ad principium caſtrorum Syriæ*] Ad vallum.

6. *Dominus ſonitum audiri fecerat*] θόρυβον Πανικὸν [*tumultum Panicum*], ut in ſimili re Diodorus Siculus loquitur.

9. *Sceleris arguemur*] Officium enim civium eſt ea indicare quæ ad ſalutem publicam pertinent.

Nunciemus in aula regis] Efficiemus ut in aulam tantæ rei notitia perveniat: nam ipſis urbem intrare, multóque magìs in aulam ire non licebat. Vide ſequentia.

12. *Latitant in agris*] Quod Græci ad Trojam fecêre. ſuſpicax eſt miſeria.

17. *Quem conculcavit turba in introitu portæ*] Mirè cauſas diſponit Deus per quas ſua decreta exſequatur.

CAPVT VIII.

1 *Vade tu & domus tua, & peregrinare ubicunque repereris*]

Γαστὴρ ἄσιτος καὶ νεῶν εὕροι δρόμον.
[*Inanis venter reperit & navi viam.*]

Septem annis] Numerus idem annorum qui Geneſ. XLI. Per quem numerum multa à Deo digeſta reperies.

2. *In terra Philiſtiim*] Exemplo Davidis 1 Sam. XXVII. 1. Neceſſitas cogit & barbarorum ope uti.

3. *Pro domo ſua & pro agris ſuis*] Mos ergò hic fuit in decem tribubus, qui & alibi reperitur, ut qui patriâ exirent, eorum bona confiſcarentur.

4. *Loquebatur cum Giezi*] Eminus, ut cum leproſo. Vide quæ dicta ad Lucæ XVII. 12.

Magnalia] הגדולות, quod μεγαλεῖα transfertur interdum in Pſalmis & Paralipomenis, & à Luca in Euangelio, I. 49. & Act. II. 11. Sic ſæpè voces non bene Græcæ & non bene Latinæ faciendæ fuerunt, ut propiùs exprimeretur vis ſermonis Hebræi.

6. *Reſtitue ei omnia quæ ſua ſunt, & univerſos reditus agrorum à die qua reliquit terram uſque ad præſens*] Leges iſtæ quæ pœnas graves inferunt publicæ alicujus utilitatis causâ, multum egent ἐπιεικείας [*æquitatis*], ut diſcernantur perſonæ, cauſæ, tempora. In his ſæpè ſummum jus, ſumma crux, ſumma injuria. Laudandus autem hic Rex, quòd cùm bona redderet feminæ, quæ ob paupertatem ſolum mutaverat, ſimul & fructus reddidit, nè quid ipſe ex ejus feminæ calamitate lucraretur. *Reſtituere eſt poſſeſſorem facere, fructúſque reddere*, ait Cajus L. Plus eſt. D. de Verborum ſignificationibus, cui addi poteſt Pauli dictum in L. *Reſtituere* titulo eodem.

7. *Benadad*] Sive Adad, ſive Ader, de quo ſuprà 1 (III) Reg. XV. 20. & hoc libro VI. 24.

8. *Hazael*] De quo ſuprà 1 (III) Reg. XIX. 15.

9. *Filius tuus*] Vt ſuprà VI. 21.

10. *Dic ei, Sanaberis: porrò oſtendit mihi Dominus, quia morte morietur*] Legit לו [*ipſi*], ut Critici Hebræi notant in margine, non לא [*non*], ut eſt in textu. Sic & Lxx ζωῇ ζήσῃ [*vitâ vives*]. Ioſephus: τὸν μὲν Ἀζάηλον ἐκέλευσε μηδὲν ἀπαγγέλλειν τῷ βασιλεῖ κακόν [*Azaeli præcepit nequid ſiniſtrum Regi nuntiaret*], quicum convenit quod infrà ſequitur 14. Si hanc lectionem ſequimur, fuerit hîc non diſſimulatio ſola, qualem ponit Ioſephus, ſed plus aliquid, quod tunc adversùs extraneos & idololatras habebatur pro licito.

12. *Quia ſcio quæ facturus ſis filiis Iſraël mala*] Et Prophetæ erat quæ mandata habebat dicere, & boni civis moveri malis popularium. Vtroque officio bene perfunctus eſt Eliſæus.

Et prægnantes divides] *Findes*, ἀναῤῥήξεις Lxx. quomodo & Ioſephus. Sic Homerus:

——— μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ
Κοῦρον ἐόντα φέρῃ, μηδ' ὃς φύγῃ αἰπὺν ὄλεθρον.
[——— *nec qui latet abditus intra*
Viſcera matris adhuc fugiet crudelia fata.]

Exercita hæc atrocitas tum alibi, tum in Veſperis Siculis.

13. *Servus tuus canis*] Submiſſum loquendi genus. Vide 1 Sam. XXIV. 15.

15. *Tulit ſtragulum*] In Hebræo, ככבר: quam vocem hîc retinuêre Lxx. Alii interpretes, quibus uſus eſt Theodoretus, στρῶμα [*ſtragulam*], Ioſephus δίκτυον διάβροχον [*rete madidum*]. Tacitus in exitu Tiberii: *Macro intrepidus opprimi ſenem injectu multæ veſtis jubet, diſcedíque ab limine. ſic Tiberius finivit. Pulvinum injectum* dicit in eadem hiſtoria Suetonius. Nimis feſtinavit Azael ad vaticinii exitum.

18. *Filia enim Achab erat uxor ejus*] Adde quod infrà 27. Bene in Antiopa Euripidis:

——— πᾶσι δ' ἀγγέλλω βροτοῖς
Ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν εὐγενῆ σπείρειν τέκνα.
[——— *moneo nunc omnes ſimul*
Vt ex honeſto genere progeniem ſerant.]

20. *Receſſit Edom nè eſſet ſub Iuda*] Defecit juxta vaticinium Geneſ. XXVII. 40.

22. *Tunc receſſit & Lobna illo tempore*] Non factum probatur, ſed oſtenditur divina ultio, quæ etiam actionibus non probis adversùs improbos utitur. Confer II Paralipom. XXI. 10.

25. *Anno duodecimo Ioram*] Non impleto. Vide infrà IX. 29.

26. *Athalia filia Amri*] Id eſt, neptis. Vide ſuprà 18. Adde 1 Reg. XVI. 29.

CAPVT IX.

2. *Iehu*] De quo ſuprà 1 Reg. XIX. 15.

3. *Et fugies*] Vide 1 Reg. XIX. 3.

6. *Super populum Domini*] συνεκδοχικῶς [*per complexionem*], ob pios qui erant in iſto populo.

11. *Inſanus iſte*] Sic furorem Amphiarao objicit Capaneus Thebaïdos tertio.

Noſtis hominem, & quid locutus ſit] Bene conjectaſtis inſanire hominem. Sic Ioſephus.

13. *Vnuſquiſque tollens pallium ſuum poſuerunt ſub pedibus ejus*] De quo more diximus ad Matth. XXI. 7.

In ſimilitudinem tribunalis] In Hebræo: *ad os*, ſive *oſſa*, *graduum*. in ipſo graduum faſtigio. Hebræam vocem ſervarunt Lxx, ἐπὶ τὸ γαρὲμ τῶν ἀναβαθμῶν [*ad garem graduum*]. גרם [*garem*] quidam putant fuiſſe lapidem in ſublimi poſitum ad diei tempus indicandum. Alii ex Arabico *corpus graduum*, id eſt, gradus ipſos interpretantur.

Cecinerunt tubâ atque dixerunt, Regnavit Iehu]

Confer ſuprà 1 Reg. I. 40. *Regnavit*, id eſt, Rex factus eſt.

17. *Speculator*] Vide II Sam. XVIII. 24.

20. *Eſt autem inceſſus quaſi inceſſus Iehu filii Namſi: præceps enim graditur*] Animo ejus concitato par erat greſſus.

25. *Projice eum in agro Naboth Iezrahelitæ*] Sic Cæſar ad ſtatuam Pompeji confoſſus eſt.

Quòd Dominus onus hoc levaverit ſuper eum] Impoſuerit ei hoc onus. *Onera* vocant Prophetæ lævas prædictiones.

26. *Et pro ſanguine filiorum ejus*] Id eſt, in pœnam ob filios Nabuthis injuſtè in paupertatem redactos: nam omnis pœna חרם Hebræis, Levit. XVII.4.

27. *Etiam hunc percutite*] Vt qui in culpa pares eſſent, pares eſſent & in pœna. Vide ſuprà VIII. 26. Videtur autem hac in re Iehu modum exceſſiſſe: nam de hoc Rege occidendo mandatum non habebat.

30. *Depinxit oculos ſuos ſtibio*] Κοσμησαμένη ἡ Ἰεζαβέλα [*Ornans ſe Iezabela*], ait Ioſephus. LXX, ἐστιμμίσατο τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς [*oculos ſuos ſtibio infecit*]. In Ieremia IV. 30. ἐὰν ἐγχρίσῃς στίβι τοὺς ὀφθαλμούς σου [*ſi illinas oculos tuos ſtibio*]. ubi aliæ verſiones εἰς πιμλὼ, ſed mendosè, pro εἰς στίμμιν. nam στίμμις, ſive στίμμι *ſtibium* etiam Dioſcoridæ. Ion quoque in Tragœdia Omphale:

> Καὶ τὴν μέλαιναν στίμμιν ὀμματογράφον.
>
> [*Oculique pingi quo ſolent ſtibium nigrum.*]

Vbi ſtibii uſum vides in conciliando oculis nigrore, qui pulcher habebatur. Heſychius: Ὑπογράμματα, στίμμισμα τῶν ὀφθαλμῶν [*Suppictiones, oculorum illitio per ſtibium*]. Et David Kimchi in libro Radicum פוך [*ſtibium*] explicat הכחול השחר [*pigmentum nigrum*]. Strabo de Troglodytis: στιβίζονται δ᾽ ἐπιμελῶς αἱ γυναῖκες [*diligenter ſtibio pinguntur mulieres*]. Nicolaus Damaſcenus de Rege effeminato: καθυπεστιβισμένος τὼ ὀφθαλμώ [*oculos ſubtèr pictus ſtibio*]. Apollonius adversùs κατὰ Φρύγας [*illos qui ſecundùm Phrygas*], Προφήτης, εἰπέ μοι, βάπτεται; προφήτης στιβίζεται; προφήτης φιλοκοσμεῖ; [*Propheta, dic mihi, tingitur? propheta ſtibio linitur? propheta comitur?*] Cyprianus De diſciplina & habitu Virginum: *Oculos circumducto nigrore fucant.* De opere & eleemoſynis: *Inunge oculos tuos non ſtibio diaboli, ſed collyrio Chriſti.* Verùm præter nigrorem alius quoque uſus ſtibii ad dilatandos oculos. Plinius de eo agens XXXIII. 6. *Ideo etiam plerique platyophthalmum id appellavêre, quoniam in calliblepharis mulierum dilatat oculos.* Huc ſpectant illa Varronis apud Nonium,

> *Oculi ſuppætuli, nigellis pupulis*
> *Quandam hilaritatem ſignificantes animitus,*
> *Quos calliblepharo naturali palpebræ*
> *Tinctæ vallatos mobili ſepto tenent.*

Hinc Tertullianus: *Oculos fuligine porrigunt.* Item: *illum ipſum nigrum pulverem quo oculorum exordia producuntur.* Et Cyprianus De lapſis: *qui nigri pulveris ductu oculorum lineamenta depingis.* Nimirùm laudatæ multis gentibus mulieres μεγαλόφθαλμοι [*magnis oculis præditæ*]. unde Iuno βοῶπις [*grandibus oculis*] Homero. Ideo inventa, ut Plinius meminit, medicamina glutinandis replicandíſque palpebris. In his præcipua vis ſtibii, quia ut Galenus ait de Simplicibus libro IX. στίμμι πρὸς τῇ δυνάμει τῇ ξηραντικῇ καὶ στύψιν ἔχει [*ſtibium præter vim exſiccantem adſtringit etiam*]. Hac ergò vi palpebras contrahit & in ſe replicat, inferiorem maximè, unde ὑπογράμματα [*ſuppictiones*] dixit is quem modò citavimus Heſychius, & Pollux, & ὑπογράφειν ὀφθαλμοὺς [*ſuppingere oculos*] in hac re eſt apud Athenæum de Sardanapalo, apud Lucianum, Pollucem, Herodianum, Chryſoſtomum. Etiam ſanitati oculorum proſunt τὰ στυπτικὰ [*adſtringentia*], ut æs, notante Mirabilium ſcriptore, ſive is Ariſtoteles eſt, ſive alius, item Macrobio in Saturnalium fine.

31. *Numquid pax poteſt eſſe*] In Hebræo, *Num pax?* id eſt, An omnia ex voto?

Zambri] Alter Zambri. Vide ſuprà 1 Reg. XVI. 10. Tale illud,

> *Et nunc ille Paris.* de Ænea.

32. *Quæ eſt iſta?*] Græci, Τίς εἶ σύ; [*Quæ es tu?*] legerunt מי את. At nos in Hebræo habemus מי אתי [*Quis mecum?*] Id eſt, nemóne ibi eſt mearum partium? Favent ſequentia.

CAPVT X.

3. *ELigite meliorem & eum qui vobis placuerit de filiis domini veſtri, & pugnate pro domo domini veſtri*] Bellum eis indicit cum irriſu, tanquam de eventu ſecurus.

7. *Et poſuerunt capita eorum in cophinis, & miſerunt ad eum in Iezrahel*] Hoc dono pacem redemerunt. Simile II Sam. XX. 21.

9. *Si ego conjuravi contra dominum meum, & interfeci eum*] Concedam hæc eſſe vera quæ mihi exprobravit Iezabel, ſuprà IX. 31.

Quis percuſſit omnes hos?] Tam mirabilis eventus oſtendit hæc non humanitus ſed Divinitus diſponi.

11. *Et univerſos optimates ejus, & notos, & ſacerdotes*] A calvo ad calvum, ut dici ſolet.

12. *Ad cameram paſtorum*] Hebræam vocem retinuêre LXX ἐν βαιθακὰθ [*in bæthacath*], ut facere ſolent, ubi hærent. Significant eæ voces *locum ligationis*; nempe, ut Hebræi exiſtimant, quòd ibi oves tondendæ pedibus ligabantur.

14. *In ciſterna*] Pro *ad ciſternam.* Hoc quoque fecit Iehu ſine mandato:

> Δεινὸς ἀνὴρ τάχα κεν καὶ ἀναίτιον αἰτιόῳτο.
>
> [*Durus & innocuos etiam accuſare paratus.*]

19. *Faciebat hoc inſidiosè*] Norat vulpinâ non minùs quàm leoninâ uti, homo ἀμφιδέξιος [*ambidexter*].

20. *Diem ſolennem*] In Hebræo, עצרת [*retentionem*]: quomodo vocabatur dies ultimus maximè feſtus Tabernaculorum, Levit. XXIII. 36.

24. *Anima ejus erit pro anima illius*] Idem loquendi genus in re non diſpari 1 Reg. XX. 39.

26. *Et protulerunt ſtatuam de fano Baal, & combuſſerunt & comminuerunt eam*] Ex lege Deuteronomii VII. 25. & XII. 3.

27. *Deſtruxerunt quoque ædem Baal*] Et hoc ex lege Deuteronomii VII. 5. XII. 2.

Et fecerunt pro ea latrinas] In perpetuum contemtûs monumentum. Simile Eſdræ VI. 11.

30. *Egiſti quod rectum erat*] Nempe ex parte, ut

apparet & ſuprà & in ſequentibus. ideo regnum ejus poſteris datur, ſed non diuturnum.

31. *Non enim receſſit à peccatis Ieroboam*] Coluit non Baalem ſed Deum; verùm coluit in vitulis, quæ culpa, ſed levior.

34. *Fortitudo ejus*] Facta ejus fortia: τὰς συνάψεις ἃς συνῆψεν [*pugnas quas pugnavit*] Lxx.

CAPVT XI.

1. ATHALIA *verò mater Ochoſiæ*] Lxx & Ioſepho Γοθολία [*Gotholia*]. nam ע interdum omitti, interdum per γ reddi ſolet. Femina violenta, & dominationis cupida, qualem nobis Agrippinam Neronis matrem deſcribit Tacitus.

2. *Furata eſt eum*] Sic Electra fratrem Oreſten. Vide Senecam Agamemnone. Sic domus Davidis ſervata in uno puero, ut olim Gedeonis domus Iud. IX.

De triclinio] In Hebræo non eſt *de* ſed *in*. Ioſephus, βαστάσασα μετ' αὐτῆς εἰς τὸ ταμεῖον [*ſecum eum portans in conclave*]. Lxx, ἔκλεψεν αὐτὸν ἐκ μέσου τῶν υἱῶν τοῦ βασιλέως τῶν θανατουμένων, αὐτὸν καὶ τὴν τροφὸν αὐτοῦ ἐν τῷ ταμείῳ τῶν κλινῶν [*furata eſt eum è medio filiorum Regis qui occidebantur, ipſum, inquam, & nutricem ejus in conclavi lectorum*]. Ergò priùs in cubili feminarum occultatus eſt, deinde in Templo, loco ἀσυλίας.

3. *Porrò Athalia regnavit ſuper terram*] Vi merâ, nullo jure. Nam Hebræi fratres ſuos habebant Reges, non ſorores, Deuteronomii XVII. 15. Quare non mirandum eſt ſi Iojada & civis bonus, & in magno magiſtratu conſtitutus (nam in illo populo etiam pontificium erat magiſtratus) ac per affinitatem obſtrictus ad curam Regis pupilli, cujus ſororem in matrimonio habebat, vi regnantem vi depulit. Fuit is vir magni animi, φιλόπατρις [*amans patriæ*], quales duo Bruti.

4. *Et aſſumens centuriones & milites*] Hîc quoque Septuaginta ſervarunt voces Hebræas, τοὺς ἑκατοντάρχους τῶν Χορρὶ καὶ τῶν Ῥασίμ [*Centuriones hominum Chorri & hominum Raſim*]. Quinque eos fuiſſe ait Ioſephus (nempe ex II Paralipomenon XXIII. 1.) quibuſcum magnum hoc conſilium communicavit Iojadas, Præfectos ſcilicet alios gravi armaturæ, alios velitibus. Aſſumſit autem, ad Sacerdotes & Levitas qui Iojadæ ſuberant, & quibus ſimul præcepit quæ ſequuntur. Sic Ioſephus rectè admodum & convenienter dicto loco Paralipomenon II. 2.

6. *Tertia pars veſtrûm introeat ſabbato*] Id eſt, per ſeptem dies ſuam obeant ἐφημερίαν [*temporis vicem*]. Vide quæ ad Lucam I. 8.

Et obſervet excubias domûs regis] Senſus eſt: illius primæ partis tertiæ homines excubias agent ad partem Septentrionalem Templi, in qua Rex educabatur.

Tertia autem pars ſit ad portam Sur] Ad portam Orientalem, versùs urbem.

Et tertia pars ſit ad portam quæ eſt poſt habitaculum ſcrutariorum] In Hebræo, *poſt curſores*, id erat ad meridiem: quæ pars ſpectabat regiam unde venire debebat Athalia. legendum hîc in Latino *ſcutariorum*, ut infrà 19.

Et cuſtodietis excubias domûs Meſſa] Rectiùs illud μεσσὰς [*meſas*] Theodoretus explicat ἀπὸ διαφθορᾶς [*à pernicie*], additque ὥστε μηδεμίαν γενέσθαι βλάβην ἐν τῷ οἴκῳ τῷ θείῳ [*ità ut nihil damni adveniat Templo Dei*]. Id eſt, dabitis operam nè quid à regia mali Templo adveniat.

7. *Duæ verò partes è vobis*] Id eſt, ex Sacerdotibus & Levitis, ut hîc habet Ioſephus ex loco illo II Paralipomenon 23. 7.

Omnes egredientes ſabbato] Quorum ἐφημερία [*functio per vices rediens*] erit completa.

Cuſtodiant excubias domûs Domini circa regem] Id eſt, Regi ex ſuo illo temporario habitaculo in atrium prodeunti ſtipatores ſunto. Pulchrè proviſa omnia contra quaſvis Athaliæ molitiones.

9. *Et aſſumentes ſinguli viros ſuos*] Ex Sacerdotibus & Levitis.

10. *Haſtas & arma*] Pro haſtis in Hebræo eſt החנית, quod *lanceas* interpretantur Rabbini, & Latinus in Paralipomenis, Lxx σειρομάστας [*ſiromaſtas*], Ioſephus δόρατα [*haſtas*]. Pro eo quod *arma* hîc habemus in Hebræo eſt השלטים, quod *clypeos* interpretantur Rabbini, Ioſephus *pharetras*. Lxx legerunt שלשים, vertunt enim τριστοὺς [*trinos*]. intellexerunt fortè loricas trilices.

12. *Et poſuit ſuper eum diadema*] Hîc quoque Hebræam vocem νεζέρ [*nezer*] ſervarunt Lxx. Ioſephus rectè interpretatur τὸν στέφανον βασιλικόν [*coronam regiam*].

Et teſtimonium] Oleum unctionis, ſi Ioſepho credimus: ſi aliis, librum Legis ex præcepto Deuteronomii XVII. 18. Mihi illorum explicatio non diſplicet, qui cenſent intelligi hoc nomine phylacteria, quæ annexa erant coronæ per cavernulam in corona relictam in ea parte quæ futura erat ſupra frontem. Ea autem dicuntur eſſe לזכרון [*in memoriam*] Exod. XIII. 9.

Vivat rex] Vt 1 Reg. 1. 25. & 39.

14. *Vidit regem ſtantem ſuper tribunal*] In ſuggeſto illo de quo II Paralipom. VI. 13. & hîc infrà XXIII. 3. Lxx hîc ἐπὶ τοῦ στύλου [*in columna*]. At Ioſephus, ἐπὶ τῆς σκηνῆς [*in tabernaculo*], quod corruptum videtur pro ἐπὶ τῆς στήλης [*in columna*].

Clamavítque, Conjuratio, conjuratio] Vox uſurpata in tumultu, ut apparet Eſaiæ VIII. 12.

15. *Extra ſepta Templi*] Etiam hîc Hebræam vocem, σαδηρώθ [*Saderoth*], ob ſignificationis incertum retinuêre Lxx. Ioſephus hunc locum eſſe dicit ad vallem Cedronis.

16. *Per viam introitûs equorum juxta palatium*] Ad eam partem per quam introduci ſolebant equi & muli (nam hos Ioſephus hîc nominat) Regis.

17. *Pepigit ergò Iojada fedus inter Dominum & inter regem & populum, ut eſſet populus Domini*] Id eſt, auctor tum fuit, ut tam Rex quàm populus ſanctè promitterent ſe legibus Dei, pro ſua quemque parte, parituros. Vide quæ hac de re dicta de Iure Belli ac Pacis lib. 1. cap. IV. §. 6. & Ioſephum hoc loco.

Et inter regem & populum] Populus promiſit Regis ſalutem ſibi curæ fore. Ità hîc idem Ioſephus. Nam ut Rex populo quicquam promitteret, moris apud Hebræos non fuit. Tum ubi is mos eſt, ante coronationem, non eâ jam peractâ id fieri ſolet.

18. *Mathan quoque ſacerdotem Baal occiderunt coram altari*] Ex lege Exod. XXII. 20.

Et poſuit ſacerdos cuſtodias in domo Domini] Ex Levitis janitores poſuit, obſervaturos nè quis immundus intraret. Ità hîc Ioſephus ex II Paralipomen. XXIII. 19.

19. *Et Cerethi & Phelethi legiones*] Errore quodam hæ voces in hunc locum irrepſerunt. Nam in Hebræo eſt : את הכרי ואת הרצים [*homines Chorri & homines Razim*]. Et in Græco τὸν Χορρὶ καὶ τὸν Ῥασὶμ, retentis Hebræis vocibus, ut ſuprà 4 ubi dicta vide. In Paralipomenis pro his vocibus aliæ ſunt ואת אדירים ואת המושלים : ubi Latinus, *fortiſſimos viros ac principes populi*. Græci : τοὺς δυνατοὺς καὶ τοὺς ἄρχοντας τοῦ λαοῦ [*potentes & principes populi.*]

Et ſedit ſuper thronum regum] In ſolio avito quod fecerat Salomo I Reg. x. 18.

20. *In domo regis*] Id eſt, non procul à regia. Vide ſuprà 16.

CAPVT XII.

1. *ANno ſeptimo Iehu regnavit Ioas*] Ineunte. Vide ſuprà x. 36. infrà XIII. 1.

2. *Fecitque Ioas rectum coram Domino cunctis diebus quibus docuit eum Iojada ſacerdos*] Sic bonus Nero, quamdiu Senecâ uſus eſt magiſtro.

4. *Dixítque Ioas ad ſacerdotes*] Regum eſt non profanarum tantùm rerum, ſed & ſacrarum habere curam: efficere ut Sacerdotes ſecundùm Legem officium faciant, ut ædes ſacræ ſuum retineant ſtatum, atque in id & operas & pecunias indicere.

Omnem pecuniam ſanctorum quæ illata fuerit in templum Domini à prætereuntibus] Triplici pecuniâ vult reparare Templum, quod ſub Athaliæ imperio neglectum multis partibus conciderat. Primum genus eſt id quod pii alienigenæ dabant, qui Deum in ambitu Templi adoraturi venerant, quorum mentio I Reg. VIII. 41.

Quæ offertur pro pretio animæ] Alterum genus eſt capitatio, quam pendere Iſraëlitæ ſinguli debebant in uſus Templi, ubi opus eſſe judicaretur: id eſt, didrachmum, de quo egimus Matth. XVII. 24. dimidium ſicli, ut loquitur Moſes in ipſa lege, ubi hic cenſus inſtituitur Exodi XXX. 13. & Ioſephus tum ibi, tum hoc loco: qui etiam nos docet ſiclum valuiſſe quatuor drachmas Atticas. Ergò dimidium ſicli eſt δίδραχμον [*didrachmum*].

Et quam ſponte & arbitrio cordis ſui inferunt in Templum Domini] Tertium pecuniæ genus eſt, quod ab Iſraëlitis nemine cogente ultro ac liberaliter datur: ad exemplum ejus quod habemus Exodi XXV. 2. XXXV. 5. XXXVI. 5. 6.

5. *Iuxta ordinem ſuum*] In Hebræo, *à notis ſibi*; tum hîc, tum infrà 7.

Inſtaurent ſarta tecta domûs] Latini dicerent, *præſtent ſarta tecta*, ut loquitur Macer in L. Lex Iulia. D. de L. Iulia Repetundarum. Vox *ſartorum tectorum* eſt apud Livium ſæpè, apud Feſtum vocibus *ſarta* & *produit*, & apud alios.

6. *Igitur uſque ad vigeſimum tertium annum regis Ioas non inſtauraverunt ſacerdotes ſarta tecta Templi*] Minùs rectè curantur quæ committuntur multis: & magis latent fraudes.

7. *Nolite ergò ampliùs*] Poſthac.

Sed ad inſtaurationem templi reddite eam] Quam jam accepiſtis.

8. *Prohibitíque ſunt ſacerdotes ultrà accipere pecuniam à populo, & inſtaurare ſarta tecta domûs*] Meliùs & ad Hebræum expreſſiùs Græci : Καὶ συνεφώνησαν οἱ ἱερεῖς τοῦ μὴ λαβεῖν ἀργύριον παρὰ τοῦ λαοῦ, καὶ τοῦ μὴ ἐνισχύσαι τὸ βεδὲκ (nam hanc vocem Hebræam retinuêre hîc & ſuprà LXX) τοῦ οἴκου [*Et convenerunt inter ſe Sacerdotes nè acciperent pecuniam à populo, & nè ſarta præſtarent*]. Senſus eſt, in hoc paruerunt Regi, ut pecuniam poſt id tempus non acciperent; at non item ut nè jam acceptâ pecuniâ ſartum tectum facerent Templum. βεδὲκ [*bedec*] Theodoretus interpretatur τῶν ἐφθαρμένων θεραπείαν [*corruptorum reſtitutionem*].

9. *Et tulit Iojada pontifex gazophylacium unum*] Exiſtimans, ut Ioſephus ait, oblationes quas ſponte facturus eſſet populus ſuffecturas, ſi ex fide curarentur, neque opus fore adjungi capitationem. *Gazophylacium* hîc arcam intellige, unde & pars Templi, ubi ea erat, nomen accepit. Vide quæ dicta nobis ad Marcum XII. 41.

10. *Aſcendebat ſcriba regis*] Quem Pontifex inſpectorem ſibi adeſſe voluerat, nè quâ & ipſe, poſt tot minorum ſacerdotum culpas, ſuſpicione aſpergeretur. Præterea Rex ipſe aderat, ut diſcimus II Paralipom. XXIV. 12. & ex Ioſepho hoc loco.

Effundebántque] In Hebræo, *ligabant*. LXX καὶ ἔσφιγξαν, id eſt, in ſacculos reponebant bene numeratam, idque diebus ſingulis quanta obvenerat.

11. *In manum eorum qui præerant cæmentariis*] Redemtorum, non, ut ante, Sacerdotum. Iam tum ordo ſacerdotalis, per ſe venerandus, in vitium labi cœperat, ità ut in plebe plus fidei reperiretur. Neque tamen ob id ſchiſma aut factum eſt, aut fieri debuit.

13. *Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ templi Domini & fuſcinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum*] Optimus ſenſus eſt, quem habent LXX: πλὴν οὐ ποιηθήσονται [*nè fierent*]. Supplendum autem eſt, *Rex præceperat*, nempe nè pecuniæ liberaliter contributæ pars ulla erogaretur in vaſa Templi, priuſquam ædificium ipſum Templi ſuam integritatem accepiſſet. Ità hic locus optimè conciliabitur cum illo II Paralipomen. XXIV. 14. Neque aliter accepit Ioſephus. In verſione LXX pro θύραι ἀργυραῖ [*portæ argenteæ*] legendum videtur θύαι, id eſt, *thuribula*, quas θυΐσκας dixêre interpretes Paralipomenon.

15. *Et non fiebat ratio iis hominibus qui accipiebant pecuniam ut diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam*] Senſus eſt: non exigebatur à redemtoribus ratio pecuniæ, quia ſuâ fide ſuóque periculo opus probatum exhibere debebant. Hoc eſt quod & LXX voluerunt, ὅτι ἐν πίστει αὐτῶν ποιοῦσιν [*quia ſuâ fide id faciebant*]. ipſis credebat Rex.

16. *Quia ſacerdotum erat*] Ex lege Lev. v. 16.

17. *Pugnabat contra Geth*] Vrbem Philiſtinorum, II Sam. I. 20. quam David bello ſuam fecerat, II Sam. VIII. 1.

Et direxit faciem ſuam ut aſcenderet in Ieruſalem] Id eſt, omnia fecit per quæ crederetur iturus contra Hieroſolyma. Vide quæ ad Lucam IX. 51.

18. *Tulit Ioas Rex Iuda omnia ſanctificata*] Simile habuimus ſuprà 1 Reg. XV. 18. ubi quæ dicta ſunt vide.

Miſitque Hazaeli regi Syriæ: & receſſit ab Ieruſalem] Sic ſæpè Romani Imperatores externas gentes à finibus ſuis magnâ vi pecuniæ amoverunt.

20. *Surrexerunt autem ſervi ejus*] Pœna occiſi Zachariæ filii Iojadæ. Vide Paralipomena.

In domo Mello] De qua ſuprà 1 Reg. IX. 24. *In domo*, id eſt, apud domum, ut ſuprà.

In deſcenſu Sella] Quà deſcenditur ex domo in viam publicam, quæ cum adjectitia litera alibi dicitur מסלה.

21. *Ioſachar namque filius Semaath & Iozabad filius Somer*] Amici Iojadæ, ut vult Ioſephus.

Et ſepelierunt eum cum patribus ſuis] Id eſt, more ſolito, in civitate David, in Sione, non in ſepulchris Regum, quod hîc ex Paralipomenis notat Ioſephus. Aliquis illi honos habitus, non ſummus; quia ſuprema pars vitæ à recto declinaverat. Vide quæ diximus libro primo de Iure Belli ac Pacis, capite tertio, §. 16.

CAPVT XIII.

1. *Anno vigeſimo tertio Ioas*] Ineunte. Vide ſuprà XII. 1.

Regnavit Ioachaz filius Iehu ſuper Iſrael in Samaria decem & ſeptem annis] Id eſt, ità ut annum decimum & ſeptimum inchoaret. Vide infrà 10.

4. *Deprecatus eſt autem Ioachaz faciem Domini, & audivit eum Dominus*] *Quia nec mirum erit diverſitas temporalis, ſi poſtea Deus mitior pro rebus edomitis, qui retro auſterior pro indomitis*, ait Tertullianus. Ioſephus hîc de Deo, τὴν μετάνοιαν ὡς ἀρετὴν ἐκδεχόμενος [*pœnitentiam loco virtutis acceptans*]. Hæc una Deo cauſa miſerandi; ad quam acceſſit altera, virtutum avitarum memoria, infrà 23.

10. *Anno trigeſimo ſeptimo Ioas regis Iuda*] Poſt eum annum impletum. Vide ſuprà 1.

14. *Elizæus autem ægrotabat*] *Ægrotaverat*; & mox, *deſcenderat*, eſt enim retrogreſſio.

Currus Iſraëlis & auriga ejus] Vide ſuprà II. 12.

17. *Aperi feneſtram Orientalem*] Quia pars Syriæ ad Orientem objacet terræ Iſraëlis.

In Aphec] Sic & Græci. Nihil tamen vetat verti *vehementer*.

18. *Tolle ſagittas*] Sume ſagittas, ſupple *alias*. Victoriam quidem inſignem ei prædixerat Eliſæus; ſed quoties victor futurus eſſet cùm nondum ſciret, monebatur à Deo ex hoc ſigno diſcere.

21. *Revixit homo*] Major indies lux ad ſpem vitæ alterius. Et oſtendit Deus quàm ſibi cari ſint ſancti, etiam mortui. Eadem cauſa fuit cur ad martyrum monumenta tam multa mira Deus ſiverit fieri, agnoſcente etiam Porphyrio, ut ad tertium librum de Veritate Religionis Chriſtianæ annotavimus.

24. *Regnavit Benadad filius ejus pro eo*] Qui vetus Syriæ Regum nomen renovavit, materno fortè genere ortus ex priſcis illis Regibus.

CAPVT XIV.

3. *Iuxta omnia quæ fecit Ioas pater ſuus, fecit*] Egregiam laudem fine turpi maculavit, ut Regum multi.

5. *Percuſſit ſervos ſuos qui interfecerant regem patrem ſuum*] Puniunt talia facinora etiam qui ſucceſſu fruuntur.

6. *Sicut præcepit Dominus, dicens*] Deut. XXIV. 16.

7. *Ipſe percuſſit Edom*] Solus, repudiatâ, quam magno emerat, Iſraëlitarum ſocietate: de qua re in Paralipomenis.

Et apprehendit Petram in prælio] Arabiæ urbem, unde *Arabiæ Petrææ* nomen. Hebræis & Arabibus ea urbs *Sela* dicitur. Captivos ab ea rupe, quæ Græcum nomen urbi dedit, præcipitatos addunt Paralipomena, & hîc Ioſephus.

Vocavítque nomen ejus Iectehel] *Obedientia Deo*, idque ideo quia in capta urbe jura Moſis conſtituit.

8. *Veni & videamus nos*]

Δείξας ἐν ἀνθρώποισι τὴν ἀβουλίαν
Ὅσῳ μέγιστον ἀνδρὶ πρόσκειται κακόν,
[*Factoque docuit, impetu temerario*
Nullum eſſe generi gravius humano malum,]

ait in Antigone Sophocles. At in Supplicibus dicenti Theſeo,

Εὐψυχίαν ἔσπευσας ἀντ' εὐβουλίας,
[*Animoſa quàm conſulta curaſti magìs*,]

bene reſpondet Admetus ſuo malo edoctus:

Ὃ δή γε πολλοὺς ὤλεσε στρατηλάτας.
[*Quæ culpa multis ducibus exitio fuit*,]

9. *Carduus Libani miſit ad cedrum*] Αἶνος [*apologus*] qualis Iud. IX. 8.

10. *Percutiens invaluiſti ſuper Edom, & ſublevavit te cor tuum*] Nam

Fortuna multum quos fovet, ſtultos facit.

Et *rebus ſecundis*, ut ait Tacitus, *etiam egregii duces inſoleſcunt.*

Quare provocas malum?] Bene Seneca,

Non expedit concutere felicem ſtatum.

12. *Percuſſúſque eſt Iuda coram Iſrael, & fugerunt unuſquiſque in tabernacula ſua*] Panicus illos terror invaſit, cujus alibi exempla jam aliquot habuimus: id eſt, φόβος αἰφνίδιος καὶ κατάπληξις οἵαν Θεὸς οὐκ εὐμενὴς ὢν τίθησι [*timor ſubitus & conſternatio, qualem Deus non propitius ſolet immittere*], ut hîc valde prudenter loquitur Ioſephus.

13. *Et interrupit murum Ieruſalem à porta Ephraim, uſque ad portam anguli, quadringentis cubitis*] Vt urbs hoſtibus ſemper patêret. Idem Romæ fecit Totilas.

19. *Factáque eſt contra eum conjuratio in Ieruſalem*] Vox קשר [*factio*] quæ hîc eſt in Hebræo, non ſolet ſumi in bonam partem. Non ergò probatur hoc facinus; ſed oſtendit Deus ſe etiam malorum opera uti noſſe ad judicia ſua exſequenda.

Miſerúntque poſt eum in Lachis] Nempe percuſſores clancularios qui Regem interficerent, ut hîc Ioſephus, multò rectiùs quàm qui, quaſi participes ejus conjurationis fuiſſent, quam laudant, à conjuratis Regi ajunt dictum diem. Simile factum habuimus ſuprà XII. 20. & infrà XV. 10. 15. in quibus locis eſt idem verbum קשר [*factio*].

21. *Tulit autem univerſus populus Iudæ Azariam natum annos ſedecim, & conſtituerunt eum regem pro patre ejus Amazia*] Id non feciſſent conjurati illi. Vnde apparet eorum factum diſplicuiſſe populo, ut & ſuprà XIII. 1. Similem conjurationem pariter improbatam habemus infrà XXI. 24.

22. *Ipſe ædificavit Elath, & reſtituit eam Iudæ*] Ereptam Idumæis. Vide Deut. II. 8.

25. *Ipſe reſtituit terminos Iſrael ab introitu Emath*] Vide Num. XXXIV. 8.

Vſque ad mare ſolitudinis] Lacum in locis illis campeſtribus Idumææ, quorum mentio Deuteronomii II. 8.

Per ſervum ſuum Ionam filium Amathi Prophetam] Hinc diſcimus quo tempore vixerit Ionas ille, cujus librum inter minores Prophetas habemus.

26 *Ad clauſos carcere & extremos*] Idem hîc in Hebræo loquendi genus quod habuimus I Regum XIV. 10. & XXI. 21.

27. *Nec locutus eſt Dominus ut deleret nomen Iſrael de ſub cælo, ſed ſalvavit eos in manu Ieroboam filii Ioas*] Id eſt, cùm non conſtituiſſet delere populum, vindicem ei excitavit.

28. *Et quomodo reſtituit Damaſcum*] Id eſt, olim à Davide poſteriſque ejus poſſeſſam, ut videre eſt II Sam. VIII. 6. poſtea amiſſam prævalentibus Syrorum armis, ſuprà XIII. 3. Iſraëlis regno iterum ſubjecit.

Et Emath Iudæ] Quam Iudæ regno olim adjecerat David, II Sam. VIII. 14. Eam Idumæi rebellantes ſuam fecerant: nunc Rex Iſraëlis eripit Idumæis. Ità ambulatoriæ ſunt urbium poſſeſſiones, non minùs quàm agrorum, de quorum aliquo hoc eſt Luciani Epigramma:

Α᾽γρὸς Α᾽χαιμενίδου γενόμην ποτὲ, νῦν δ᾽ ὁ Μενίππου,
Καὶ πάλιν ἐξ ἑτέρου βήσομαι εἰς ἕτερον.
Καὶ γὰρ ἐκεῖνος ἔχειν με ποτ᾽ ᾤετο, καὶ πάλιν οὗτος
Οἴεται· εἰμὶ δ᾽ ὅλως οὐδενὸς, ἀλλὰ τύχης.

[*Fundus Achæmenidæ fueram priùs, indè Menippi,*
Fiamque alterius rurſus & alterius.
Credidit ille ſuum me, ſic & credidit iſte;
At mihi fortuna eſt ſola nec alter herus.]

CAPVT XV.

1. A*Nno vigeſimo ſeptimo Ieroboam*] Viri valde docti putant erratum in numeris, nec plus ſcribendum quàm XVII. argumento eorum quæ ſuprà habemus XIV. 2. & 23. iidem infrà 8. ſcriptum olim putant non XXXVIII. ſed XXVIII.

Regnavit Azarias] Rex hic hoc loco in Hebræo vocatur עזריה [*Azarias*], in Græco Α᾽ζαρίας. At in Paralipomenis עזיהו [*Ozihu*], in verſione Lxx Ο᾽ζίας [*Ozias*], quomodo & Ioſepho ſemper vocatur. Si auferatur ab iſto poſteriùs nobis dicto nomine ו ſæpe παραγωγικὸν [*adjectitium*], idem erit nomen, exceptâ literâ ר interpoſitâ, quæ addita aut demta de ſignificatione nominis nihil immutat. Crediderim verum ejus nomen fuiſſe עזיה per dageſch, olim, antequam id compendium dictionis inventum eſt, ſcriptum עזזיה, litera autem ז ſecunda facilè in ר mutari potuit ob formæ vicinitatem. Eſtque id eo credibilius, quòd Ioſephus, qui utroſque libros legit, eum ſemper Ο᾽ζίαν [*Oziam*] vocat, Pontificem autem qui eodem vixit tempore Α᾽ζαρίαν [*Azariam*], quomodo & Lxx, qui in Hebræo Paralipomenon cum pari adjectitio ו eſt עזריהו [*Azarihu*].

5. *Percuſſit autem Dominus regem, & fuit leproſus*] Cauſa eſt in Paralipomenis, quòd adolendi jus proprium Sacerdotibus ſibi uſurpaſſet contra Legem, & cui nè intrare quidem baſilicam Templi in qua erat altare ſuffitûs licuerit, Numer. III. & cap. XVIII. 1. 2. 5. 7. Lepra & maledicentiæ & ſuperbiæ pœna.

Et habitabat in domo libera ſeorſum] Ruri. Vide quæ diximus ſuprà VII. 3.

Ioathan verò filius regis gubernabat palatium] Vicarius erat Regis, qui ab omni populo ſegregatus fungi regiam poteſtatem non poterat.

8. *Anno trigeſimo octavo Azariæ regis Iudæ*] Vide quæ dicta ad initium hujus capitis.

12. *Iſte eſt ſermo Domini, quem locutus eſt ad Iehu*] Suprà X. 30.

14. *Et interfecit eum, regnavítque pro eo*] Vide dicta ſuprà I Reg. XV. 28. Adde mox 25. 30.

16. *Noluerunt enim aperire ei*] Sic Cæſar Maſſilienſibus portas ſibi recludentibus,

—— *dabitis pœnas pro pace petita,*
Et nihil eſſe meo diſcetis tutius ævo,
Quàm duce me bellum.

Et ſcidit eas] Suprà VIII. 12.

19. *Et dabat Manahem Phul mille talenta argenti*] Eâ pecuniâ & bellum redemit, & ſocietatem emit.

20. *Indixítque Manahem argentum ſuper Iſrael cunctis potentibus & divitibus*] Optima tributi ratio quæ divites tantùm onerat, & quidem pro divitiarum modo.

29. *Theglath-phalazar*] Θεγλαφαλάσηρ [*Theglaphalaſſer*] Ioſepho: Θαλγαθφελλασὰρ [*Thalgathphellaſar*] Lxx. In Hebræo Paralipomenon literâ additâ תלגת פלנאסר [*Thelgathphalnaſar*]: prior pars hujus nominis à Tigride fluvio venit, qui *Diglito* accolis.

Et Galilæam] Cujus cives in captivitate tractati duriùs quàm Nephthalitæ, Eſaiæ IX. 2.

Et tranſtulit eos in Aſſyrios] Hoc initium fuit μετοικεσιῶν [*deportationum*], per quas Deus punivit Hebræum populum, ex parte primùm, deinde totum.

30. *Regnavítque pro eo vigeſimo anno Ioathan filii Oziæ*] Id eſt, ex quo regnare cœperat Ioathan: non enim regnavit Ioathan niſi annos ſedecim.

32. *Regnavit Ioathan*] In Hebræo, *Iotham*. Lxx Ι᾽ωάθαμ [*Ioatham*]. Ioſepho Ι᾽ώθαμος [*Iothamus*], qui hujus temporibus vixiſſe autumat Nahumum Prophetam.

CAPVT XVI.

2. V*Iginti annorum erat Achaz*] Et quod excurrit. Vide infrà XVIII. 2.

3. *Transferens per ignem*] *Luſtrans*, ut Latinus interpres in eadem hac hiſtoriâ loquitur II Paralipomen. XXVIII. 3. de quo more vide quæ dicta nobis ad Deuteron. XVIII. 10.

4. *Immolabat quoque victimas, & adolebat incenſum in excelſis, & in collibus, & ſub omni ligno fron-*

frondoſo] Non ferebat hæc tantùm, ut antehac fecerant multi Reges non mali, turbæ impares, ſed exemplo ſuo præibat cæteris, & augebat contrariam legibus licentiam.

5. *Tunc aſcendit Raſin rex Syriæ, & Phaſee filius Romeliæ rex Iſrael*] Confer Eſaiam cap. VII.

In Ieruſalem] Id eſt, contra Hieroſolyma.

6. *Ailam*] *Elath*, de qua ſuprà XIV. 22.

Et Idumæi venerunt in Ailam] Legit אדומים [*Adomim*, id eſt, *Idumæi*], ut LXX. At verius eſt ארומים [*Aromim*, id eſt, *Syri*], ut habet Hebræus textus; & Ioſephus, ἐγκατῴκισεν αὐτῇ Σύρους [*Syros cohabitatum deduxit*]. Non ſolent Reges potentes quæ ab hoſtibus ceperunt iis reddere quorum olim fuerunt.

7. *Servus tuus & filius tuus ego ſum*] Latini dicerent: *Populum, urbem, agros, delubra, divina humanáque omnia in tuam ditionem dedimus.* Vide quæ dicta nobis de Iure Belli ac Pacis libro primo, capite tertio, §. 8. & libro tertio, capite XX. §. 49.

8. *Argentum & aurum quod inveniri potuit in domo Domini*] Vt ſuprà XII. 18.

9. *Et tranſtulit habitatores ejus Cyrenen*] In Hebræo eſt קירה, quæ Cyrene Africæ eſſe non poteſt, quæ ſub Aſſyriis non fuit. Ioſephus partem eſſe ait Mediæ, in qua Cyrrhus fluvius Plinio, & Ptolemæo, huic etiam oppidum *Cyrena*.

11. *Exſtruxítque Vrias ſacerdos altare*] Malè contra Legem Regi paruit, qui quidvis potiùs perferre debuit quàm miniſterium ad rem illicitam præbere; ut Iudæi qui ſub Alexandro Babylone ad Beli templum exſtruendum materiam aggerere noluerunt. Rectè Tertullianus, *oportere nos in omni obſequio eſſe ſubditos Magiſtratibus, Principibus & poteſtatibus, ſed intra limites diſciplinæ.* Forma altaris holocauſtorum (de eo enim hîc agitur) præſcripta eſt Exod. XXVII. 1.

15. *Super altare majus*] Factum ad inſtar Damaſceni altaris.

Et ſacrificia eorum] Id eſt, oblationes è ſimila, aut etiam munera quæ victimas comitabantur. מנחה enim utrumque ſignificat.

Altare verò æreum] Ære obductum; illud vetus ex Moſis præſcripto.

18. *Muſach quoque ſabbati quod ædificaverant in Templo*] Tranſitum quendam ſub tecto quem ædificaverant (nam ſic eſt in Hebræo) nempe Sacerdotes, ut illac ſabbati die intrarent in Templum ad inchoandam ἐφημερίαν [*functionem vicis ſuæ*].

Et ingreſſum regis exteriùs] Id eſt, primam portam, per quam Rex ingredi ſolebat in Templum.

Convertit in Templum Domini] In Hebræo: *circuire fecit domum Domini.* Græcè, ἐπέστρεψεν ἐν οἴκῳ [*tranſtulit in Templo*], id eſt, in aliam partem Templi vertit, nè ingredientes aut Rex aut Sacerdotes tergum obverterent Aſſyriæ, eôque regem Aſſyrium minùs revereri viderentur: nam ingreſſus iſti ad Orientem ſpectabant.

CAPVT XVII.

1. A*Nno duodecimo Achaz regis Iuda, regnavit Oſee filius Ela in Samaria*] Nempe pleno jure. Sic accipe & quod infrà eſt XVIII. 1. regnaverat & antè, ſed ut cliens Aſſyrii, ſuprà XV. 30.

3. *Contra hunc aſcendit Salmanaſſar rex Aſſyriorum*] Hujus nomen in Tyriorum exſtitiſſe Annalibus docet nos Ioſephus.

Et factus eſt ei ſervus] Id eſt, fidei ejus ac tutelæ ſe dedit, obſequiúmque promiſſo tributo teſtatus eſt.

4. *Quòd rebellare nitens*] Id eſt, deficere à fide.

6. *Cepit rex Aſſyriorum Samariam*] Quam ſub Φοινίκης nomine comprehendit Menander Epheſius, in loco quem produximus ad librum tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ. Vide & quod infrà XVIII. 10.

In Hala] In Hebræo, חלח. Hæc eſt *Calacina* pars Aſſyriæ Adiabenen tangens apud Ptolemæum, *Calachene* eadem apud Strabonem.

Et in Habor] Hebraïcè חבור. Hæc eſt *Chabora* apud Euphraten eidem Ptolemæo. Alii verò per חלח *Colchos*, per חבור *Iberos* Aſiæ, tum hîc, tum 1 Paralipomen. V. in fine interpretantur; & qui eo deducti ſunt putant eos eſſe, quos *Colchos è Syris ortos & circumciſos fuiſſe* narrat Herodotus, *Ponticos* illos ſcilicet etiam in Actis & Petri epiſtola memoratos. Certè Ponti oram poſt hæc tempora ſub Regibus Chaldæis fuiſſe diſcimus ex Abydeni loco de Nabuchodonoſoro, quem produximus ad tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Iuxta fluvium Gozan] Vnde regio *Gauzanitis* eidem Ptolemæo in Meſopotamiæ deſcriptione.

In civitatibus Medorum] In Hebræo: *& civitatibus Medorum.* Nam priora illa loca partim in Aſſyria, partim in Meſopotamia erant; Media autem ſub eodem erat imperio.

7. *Factum eſt enim cùm peccaſſent filii Iſrael Domino Deo ſuo*] Gravis αἰτιολογία [*recitatio cauſarum*] tam gravium malorum.

8. *Iuxta ritum gentium quas conſumſerat Dominus in conſpectu filiorum Iſrael*] Chananæorum, Amorrhæorum, vicinorúmque.

9. *Et offenderunt filii Iſrael verbis non rectis Dominum Deum ſuum*] In Hebræo: *Occultarunt filii Iſrael* (id eſt, clam locuti ſunt) *verba non recta contra Dominum Deum ſuum.*

A turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam] Proverbiale, ſignificans idem factum in locis habitatis, & in locis deſertis. *Turres cuſtodum* intellige ὀπωροφυλάκια [*ſpeculas in pomariis*].

12. *Et coluerunt immunditias*] Sic idola vocant Hebræi per contemtum.

13. *Et teſtificatus eſt Dominus in Iſrael & in Iuda per manum omnium Prophetarum & Videntium*] Auget culpam contumacia adverſùs tot monitores Divinitus miſſos.

Et ſicut miſi ad vos in manu ſervorum meorum Prophetarum] In Hebræo: *& quam*, ſupple *legem*, *miſi ad vos*: id eſt, commendavi vobis per Prophetas. Valde his conſonant quæ ſunt apud Nehemiam cap. X.

16. *Adoraverunt univerſam militiam cœli*] Aſtra, præcipuè Saturnum, Iovem, Venerem, Lunam.

Servierúntque Baal] Soli, ut alibi diximus.

17. *Conſecraverunt*] Luſtraverunt, ut ſuprà.

Et divinationibus inſerviebant & auguriis] Contra Legem Levit. XIX. 26. 31. XX. 6. 27. Deuteronom. XVIII. 10. 11. 12.

18. *Abſtulit eos à conſpectu ſuo*] A terra Sancta, nunquam redituros.

Et non remanſit niſi tribus Iuda tantummodo] Illa ſola integra remanſit: ei autem adhæsêre pars Benjaminitarum & Levitarum.

19. *Sed nec ipſe Iuda cuſtodivit mandata Domini Dei ſui, verùm ambulavit in erroribus Iſrael*] Præparatio ad hiſtorias ſequentes. Confer Ezech. XVI. & XXIII.

21. *Quo ſciſſus eſt Iſrael à domo David*] Ἐπάνοδος [*retrogreſſio*] ad oſtendendam malorum originem.

24. *Et de Cutha*] Ait Ioſephus *Chuthum* eſſe Perſidis fluvium, indè urbs *Cotamba* apud Ptolemæum. Ab hac regione major pars fuit ejus coloniæ, quæ in Samariam & vicina loca deducta eſt: hinc factum ut qui ibi vivebant κατ᾽ ἐπικράτειαν [*ex parte potiore*] dicerentur כותים Χουθαῖοι [*Chuthæi*], ut hîc notat Ioſephus.

Et de Avath] עוא [*Ava*] hîc & XVIII. 34. quanquam ibi punctis aliis. Hinc dictus populus עוים [*Avim*] mox 31. quos *Avadias* vocat Ptolemæus in Bactriane.

Et de Emath] Sic & infrà 30. & XVIII. 34. Videtur eſſe *Amathus* Syriæ, bis nominata Herodoto.

Et de Sepharvaim] Eſt urbs Ptolemæo Σιπφάρα [*Sipphara*], dicta Syris numero binionis, quòd eam Euphrates interlueret. Σιππαρηνῶν πόλις [*Sipparenorùm urbs*] Abydeno.

27. *Legitima Dei terræ*] Nam Deum Iſraëlis putabant eſſe aliquem ἐπιχώριον θεὸν [*regionalem deum*], ut notavimus ſuprà 1 Reg. XX. 23. & apparebit infrà XVIII. 35.

29. *Et unaquæque gens fabricata eſt deum ſuum*] Præter Deum Iſraëlis quem unà colebant, ut habebimus infrà. Quidam tamen fuêre qui unum Deum colerent, ſed ſeorſim à Iudæis, neque planè ex Lege.

30. *Viri enim Babylonii fecere Sochothbenoth*] Fecerunt tentoria in quibus virgines in honorem Veneris cupientibus ſui copiam facerent, qui mos Babyloniis, ut diximus ad Levit. XIX. 29. סכות [*Sochoth*] ſunt, ni fallor, quas καμάρας [*Cameras*] vocat Herodotus.

Viri autem Chuthæi fecerunt Nergel] Colebatur hæc dea in forma gallinæ ſylveſtris.

Et viri de Emath fecerunt Aſima] In forma hirci. Vide Eſaiam XXXIV. 14.

31. *Hi autem qui erant de Sepharvaim comburebant filios ſuos igni, Adramelech & Anamelech diis Sepharvaim*] *Adramelech* videtur eſſe idem qui *Melech*, *Moloch*, *Melcham*, Saturnus ſcilicet, addito titulo *potentis* אדיר. *Anamelech* verò Iovis ſtella, quòd eſſet *nubes*, id eſt protectio, *contra Molochum*, benignum ſidus maligno oppoſitum.

32. *Fecerunt autem ſibi de noviſſimis*] In Hebræo: *Et fecerunt ſibi quidam eorum.*

Et ponebant eos in fanis ſublimibus] In Hebræo, *Et fuerunt facientes eis in domo excelſorum*: id eſt, Sacerdotes illi ſacra faciebant in illorum hominum gratiam, idque in collium fanis.

34. *Neque cuſtodiunt ceremonias ejus*] Illud *neque* eſt ex Hebræo, quod nunc legitur אינם; ſed apparet LXX legiſſe איתם Chaldaïco more, id eſt, *ipſi*. deinde bene verterunt חקתם non *ceremonias ejus*, ſed *ſuas*, patrias & avitas. Et ſenſus ſanè cum prioribus rectiùs ſic cohæret. Obſervabant, ait, & ritus ſuos veteres, & illos ſanctos ritus quos Deus Iſraëlitis præſcripſerat, cum aliis ritibus minimè miſcendos. Vide & quæ infrà 41. Rectiùs feciſſent ſi unum verum Deum coluiſſent ſine ritibus Hebraïcis.

40. *Illi verò non audierunt*] Non obedierant illi de decem tribubus, & ità peſſimum exemplum dederant venturis in loca ubi recentia erant corruptæ religionis veſtigia.

CAPVT XVIII.

1. REgnavit *Ezechias*] Vir ſanè bonus, ſed ingenio timidiore, qualis apud Romanos Fabius ille, aliis *Cunctator*, aliis *Ovicula* dictus, cui de Græcis Periclem confert Plutarchus.

2. *Viginti quinque annorum erat*] Inibat annum vigeſimum quintum. Vide ſuprà XVI. 2.

4. *Ipſe diſſipavit excelſa*] Rem magnam fecit. ſed pœna decem tribuum ante oculos, Iudæ tribum magis quàm antè morigeram Legi fecerat.

Confregitque ſerpentem æneum quem fecerat Moſes] Nota, *quem fecerat Moſes*. Egregium documentum Regibus, ut quamvis bene inſtituta, ſed non neceſſaria, ubi ὡς ἐπιπολὺ [*plerumque*] malè uſurpantur, è conſpectu tollant, nè ponant offendiculum cæcis.

Adolebant ei incenſum] Quod inter illa erat, quæ Dei ſolius honori reſervata extra Templum uſurpare non licebat, Exod. XXX. 38.

Vocavitque nomen ejus Noheſtan] Quo impenſiùs id colebatur, eò magis depretiandum putavit, quaſi diceret: *Æs eſt, prætcrea nihil.*

5. *In Domino Deo Iſraël ſperavit*] Ingens teſtimonium, & quod omnes virtutes vi ſuâ continet. Nam μόνῳ Θεῷ χωρὶς προσπαραλήψεως οὐ ῥᾴδιον πιστεῦσαι διὰ τὴν πρὸς τὸ θνητὸν, ᾧ συνεζεύγμεθα, συγγένειαν, ὅπερ ἡμᾶς καὶ χρήμασι καὶ δόξῃ καὶ ἀρχῇ καὶ φίλοις, ὑγείᾳ τε καὶ ῥώμῃ σώματος, καὶ ἄλλοις πολλοῖς ἀναπείθει πεπιστευκέναι· τὸ δὲ ἐκνίψασθαι τούτων ἕκαστον καὶ ἀπιστῆσαι τῇ γενέσει, τῇ πάντα ἐξ ἑαυτῆς ἀπίστῃ, μόνῳ δὲ πιστεῦσαι Θεῷ, τῷ καὶ πρὸς ἀλήθειαν μόνῳ πιστῷ, μεγάλης καὶ ὀλυμπίου διανοίας ἔργον ἐστὶ, πρὸς οὐδενὸς οὐκέτι δελεαζομένης τῶν παρ᾽ ἡμῖν [*Soli Deo, nullâ re aſſumtâ aliâ, credere non eſt facile; ob cognationem quam habemus cum parte mortali, cui ſociati ſumus: quæ nobis ſuadet ut & pecuniæ, & gloriæ, & imperio, & amicis, & bonæ valetudini, & robori corporis fidamus. Hæc omnia eluere & diffidere rebus genitis, omnino per ſe infidis, ſoli autem Deo credere, qui revera & ſolus eſt fidelis, magni ac cœleſtis animi eſt opus, & talis quod nullis ultrà rebus quales hîc ſunt pellici ſe patiatur*]. Quæ Philonis verba libro, *Quis rerum divinarum Heres.*

7. *Rebellavit quoque contra regem Aſſyriorum*] Infrà culpam in hac re agnoſcit & pœnam luit. XVIII. 14.

8. *A turre cuſtodum uſque ad civitatem munitam*] Vide ſuprà XVII. 9.

9. *Aſcendit Salmanaſar rex Aſſyriorum in Samariam*] Rem ſuprà jam dixerat. Hîc quo Ezechiæ regnantis anno id evenerit notat.

13. *Anno quartodecimo regis Ezechiæ aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum*] Hujus Aſſyriorum Regis meminiſſe Beroſum teſtatur Ioſephus, in quo delenda illa: λέγων οὕτως [*dicens ſic*]. nam quæ poſt id ſequuntur manifeſtum non Beroſi eſſe ſed Ioſephi. Meminit Sennacheribi & Herodotus Euterpe. Miror autem ab Ioſepho erroris notari Herodotum, quòd Sennacheribum dixerit non Aſſyriorum, ut Beroſus & ſacræ literæ, ſed Arabum Regem; cùm Herodoti codices, quibus utimur, habeant: Σαναχάριβον βασιλέα Ἀραβίων τε καὶ Ἀσυρίων [*Sanacharibum Regem Arabum & Aſſyriorum*]. Etiam illa verba apud Ioſephum: ὡς οὗτος ὁ βασιλεὺς ἐπὶ τὸν τῶν Αἰγυπτίων βασιλέα ἐλθὼν ἱερέα ὄντα τοῦ Ἡφαίστου [*quomodo Rex ille in Ægyptiorum Regem, qui Vulcani erat ſacerdos, exercitum duxerit*], cum ſuperioribus non cohærent, & ex marginali annotatione aliquâ in textum irrepsêre. tota hæc hiſtoria iiſdem propè verbis eſt apud Eſaiam XXXVI.

15. *Dedítque Ezechias omne argentum*] Ità bona cauſa ad Ezechiam tranſiit, ut notavimus II. de Iure Belli ac Pacis, capite I. §. 18. Sic Deus ubi ſuos liberare vult, cauſam etiam honeſtam ipſis præſtat.

17. *Rabſacen*] Quem Iſraëlitam fuiſſe, ſed Legis & populi ſui deſertorem, putant Hebræi. Credibile id facit lingua Hebræa quâ locutus eſt, & quod ad verba ejus in Deum maledica proceres & Rex Ezechias veſtem ſuam conſciderunt XIX. I. quod fieri non ſolebat, niſi quoties talia verba ab Iſraëlitarum aliquo pronuntiata fuerant.

21. *In baculo arundineo atque confracto*] Videtur hîc הרצוץ magìs *fragilem* quàm *fractum* ſignificare. Conſidera ſequentia.

22. *Nonne iſte eſt cujus abſtulit Ezechias excelſa & altaria?*] Nempe omnia quæ extra Templum erant, atque ità impediit nè pluribus in locis coleretur.

23. *Et videte an habere valeatis adſcenſores eorum*] Nam propter equorum penuriam pauci erant inter Hebræos qui artem equitandi didiciſſent.

25. *Sine Domini voluntate*] יהוה, id eſt, Dei veſtri: ità enim eum æſtimabat Rabſaces, ut Salmanaſar XVII. 27.

26. *Syriacè*] Quam linguam primorum quidam intelligebant, non autem populus.

27. *Ad viros qui ſedent ſuper murum*] Qui urbes obſident, ſi quas conditiones ferre volunt, omnem dant operam, ut earum notitia non ad duces tantùm perveniat, ſed & ad populum, qui faciliùs talibus moveri ſolet.

Vt comedant ſtercora ſua] Vide quæ dicta ſuprà VI. 25.

Et bibant urinam ſuam] Quod pluribus in locis factum, aquâ deficiente.

29. *De manu mea*] Legit מידי [*de manu mea*], ut habent Orientalium Iudæorum libri, non מידו [*de manu ejus*], ut noſtri & ii quibus uſi ſunt LXX.

34. *Deus Emath*] Suprà XVII. 24.

Et Arphad] Conjungitur cum Emath Ieremiæ XLIX. 23. Idem nomen, literâ mutatâ, ſono penè eodem ארודי [*Arvadi*], Gen. X. 18. ubi Latinus *Aradios* poſuit, rectè.

Ana] Fortè *Ange*, in Arabia Felice poſita Ptolemæo. Nam urbis eſſe nomen apparet infrà XIX. 13. ut mirer Symmachum *Ana* & *Ava* quaſi verba eſſent, non propria nomina, interpretatum. At *Avæ* nomen etiam ſuprà habuimus XVII. 24.

CAPVT XIX.

2. *AD Eſaiam Prophetam filium Amos*] Huic ego Græcorum Demoſthenem comparo. puritas Hebraïſmi in Eſaia, Atticiſmi in Demoſthene: magnificus utrique dicendi character: frequentia ſchemata, maximè verò illa quâ Demoſthenem excelluiſſe ait Quintilianus, δείνωσις [*vehementia*] rebus indignis, aſperis, invidioſis vim addens. Sed Eſaiam etiam natalium dignitas & regia affinitas ornabant.

3. *Venerunt filii uſque ad partum, & vires non habebat parturiens*] Non diſſimilis comparatio apud Homerum Iliados Λ'.

Ὡς δ' ὅταν ὠδίνουσαν ἔχῃ βέλος ὀξὺ γυναῖκα,
Δριμύ, τό, τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι
Ἥρης θυγατέρες πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι·
Ὣς ὀξεῖ' ὀδῦναι δῦνον μένος Ἀτρείδαο.
[*Vt cùm parturiens urgetur femina telis*
Acribus, immittunt quæ duriter Ilithyiæ
Iunonis ſoboles triſti comitata dolore:
Sic curæ anxiferæ mergebant pectus Atridæ.]

4. *Pro reliquiis*] Pro una tribu & duarum tribuum partibus, quæ ſola reſtant de tam copioſa Iacobi poſteritate.

7. *Ecce, ego immittam ei ſpiritum, & audiet nuncium, & revertetur in terram ſuam*] Eſt loquendi genus Hebraïcum, pro quo nos diceremus: indam ei hunc animum, ut audito belli Æthiopici nuntio domum redeat.

8. *Expugnantem Lobnam*] Quæ à Lachiſa non longè aberat, Ioſ. X. 29. 31.

9. *De Tharaca*] Qui *Thearchon* Straboni.

12. *Gozam*] Vide ſuprà XVII. 6.

Haran] חרן *Carras* Aſſyriæ.

Et Reſeph] *Reſapha* in Palmyrene Ptolemæo.

Et filios Eden] Meſopotamiæ. Vide Gen. II.

Qui erant in Thelaſſar] Contractè *Thelda* Ptolemæo, *Thilutha* Ammiano.

15. *Oravit in conſpectu Domini*] Τῷ πατρίῳ νόμῳ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον τὸν Θεὸν ἱκέτευε [*Patrio more in faciem cadens Deo ſupplicavit*], Ioſephus.

Tu es Deus ſolus regum omnium terræ] Hæc & quæ ſequuntur directè oppoſita ſunt opinioni Aſſyriorum, ſuprà XVII. 27. & XVIII. 35.

21. *Virgo filia Sion*] Ità vocat ejus plebem in ſuperiori parte habitantem ubi erat regia.

Poſt tergum tuum caput movit] Mos irridentium. Pſal. XXII. 7. Matth. XXVII. 39.

Filia Ieruſalem] Plebem urbis inferiùs ſitæ deſignat.

22. *Contra ſanctum Iſraël*] Familiare Eſaiæ loquendi genus, ut XLV. 11. XLVII. 4. XLVIII. 17.

23. *Et dixiſti in multitudine curruum meorum*] Egregia deſcriptio Regis ſucceſſibus elati.

Et ſaltum Carmeli ejus] Non eſt hic *Carmel* nomen proprium, ſed loca frugifera ſignificat. Ità enim utitur Eſaias X. 18. XVI. 10. XIX. 23.

24. *Et bibi aquas alienas*] De Seſoſtri Lucanus:

Ante tamen veſtros amnes Rhodanúmque Padúmque
Quàm Nilum de fonte bibit.

Et ſiccavi veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas] Tranſii flumina magnis aggeribus munita, aquis nimirum abactis. ποταμοὺς περιοχῆς [*fluvios aggerum*] habent hîc Lxx. Exempla ſimilia vide apud Frontinum libro III. cap. VII. Adde quæ de Cyro attulimus ex Herodoto ad librum III. pro Veritate Religionis Chriſtianæ.

25. *Nunquid non audiſti quid ab initio fecerim?*] In Hebræo: *Nonne audiſti jam olim me id feciſſe?* Nempe cùm Iſraëlitas deduxi per Arabicum ſinum.

Ex diebus antiquis plaſmavi illud] Feci hoc vi meâ, ſine naturæ aut humanæ artis ope. ità enim eximiè uſurpatur verbum יצר Gen. II. 8. & alibi.

Et nunc adduxi] Nunc quoque tu id non feciſſes, niſi mihi libuiſſet permittere.

Erántque in ruinam collium pugnantium civitates munitæ] In Hebræo: *Hoc erat ad vertendum civitates munitas in cumulos ruinarum.* Id eſt, ideo hoc permiſi ut civitates mihi exoſas punirem excidio: ideo tibi complanavi viam.

26. *Et qui ſedent in iis*] Habitatores earum civitatum quas nominaſti ſuprà 12. 13.

Humiles manu] In Hebræo, *contracti manu.* apud Lxx ἠσθένησαν τῇ χειρὶ [*manu impotentes erant*], id eſt, imbelles.

27. *Ego præſcivi*] In Hebræo: *ad me,* id eſt, mihi patuit.

28. *Ponam itaque circulum in naribus tuis*] Rectiùs *hamum* verteris, ut Græci ἄγκιστρα. Similitudo à more piſcatorum, Iob XL. 21.

Et camum in labiis tuis] Vt equis & mulis fieri ſolet, Pſal. XXXII. 9.

Et reducam te in viam per quam veniſti] Retro te agam.

29. *Comede hoc anno quæ repereris*] In Hebræo, ספיח: quod & hîc & alibi τὰ αὐτόματα [*ſponte nata*] vertunt Lxx.

In ſecundo autem anno quæ ſponte naſcuntur] Eſt in Hebræo סחיש, aut שחיש, quod ἀνατέλλοντα [*ortiva*] vertunt Lxx. Hæc ea ſunt quæ ex ſemine alicubi demerſo ſine cultura erumpunt.

Porrò in tertio anno ſeminate & metite] Vt in alta pace, longè remoto non hoſte tantùm, ſed & hoſtis metu.

30. *Et quodcunque reliquum fuerit de domo Iuda, mittet radicem deorſum & faciet fructum ſurſum*] Firmas habebit ſedes & ſoboleſcet. Tranſlatio à ſatis ſumta.

31. *De Ieruſalem quippe egredientur reliquiæ*] Idem eſt ſenſus qui in illis Virgilii:

Ergò omnis longo ſolvit ſe Teucria luctu;
Panduntur portæ: juvat ire, & Dorica caſtra
Deſertóſque videre locos.

32. *Nec mittet in eam ſagittam*] Ad dejiciendos defenſores.

Nec occupabit eam clypeus] Id eſt, non aggredietur eam factâ teſtudine, qui συνασπισμὸς Græcis.

Nec circumdabit eam munitio] Hebræi סללה interpretantur *balliſtam.* Non effundet in eam ſaxa balliſtaria.

35. *Venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octogintaquinque millia*] Mentio hujus hiſtoriæ Tobiæ I. 21. Eccleſiaſtici XLVIII. 24. I Macch. VII. 41.

37. *Cúmque adoraret in templo Neſroch deum ſuum*] Lxx Μεσεράχ [*Meſerach*]. At Ioſephus: τῷ ἰδίῳ ναῷ Ἀράσκῃ λεγομένῳ [*in templo ipſius Araſca dicto*].

Adramelech & Saraſar filii ejus] Maximi natu; qui ad hoc facinus impulſi dicuntur, quòd pater cùm in periculo eſſet, voto ſe obſtrinxiſſet illos immolandi.

Fugerúntque in Terram Armeniorum] Ad Cordyæos. Vide Geneſ. VIII. 4. Atque ità exciderunt ſucceſſione regni, ut hîc notat Ioſephus.

Et regnavit Aſar-haddon filius ejus pro eo] Ptolemæo Ἀσσαραδῖνος [*Aſſaradinus.*]

CAPVT XX.

1. PRæcipe domui tuæ] Da ſuprema mandata. Plutarchus de Homeri Poëſi: τὸ δὲ τοὺς ἐξιόντας ἐπὶ πόλεμον, ἢ ἐν κινδύνῳ καθεστῶτας ἐντέλλεσθαί τι τοῖς οἰκείοις εἰθισμένον παρὰ πᾶσιν, οὐκ ἠγνόησεν ὁ ποιητής· ἡ μὲν γὰρ Ἀνδρομάχη στένουσα τὸν Ἕκτορά φησιν,

Οὐ γάρ μοι θνήσκων λεχέων ἐκ χεῖρας ὄρεξας·
Οὐδέ τί μοι εἶπας πυκινὸν ἔπος, οὗ τέ κεν αἰεὶ
Μεμνήμην νύκτας τε καὶ ἤματα δακρυχέουσα.

ἡ δὲ Πηνελόπη τῶν τοῦ Ὀδυσσέως ἐντολῶν μνημονεύει, φήσαντος ὁπότε ἐξῄει,

Τῷ οὐκ οἶδ᾽ ἤ κέν μ᾽ ἀνέσῃ θεὸς, ἤ κεν ἁλώω
Αὐτοῦ ἐνὶ Τροίῃ· σοὶ δ᾽ ἐνθάδε πάντα μελόντων,
Μεμνῆσθαι πατρὸς καὶ μητέρος ἐν μεγάροισιν,
Ὡς νῦν, ἢ ἔτι μᾶλλον, ἐμεῦ ἀπονόσφιν ἐόντος.
Αὐτὰρ ἐπειδὰν παῖδα γενειήσαντα ἴδηαι,
Γήμασθ᾽ ᾧ κ᾽ ἐθέλῃσθα, τεὸν κατὰ δῶμα λιποῦσα.

[*ut qui ad bellum irent, aut in aliquo periculo eſſent conſtituti, præcepta darent ſuis, mos fuit ubique receptus: neque id ignoravit poëta. ait enim Andromacha plangens Hectorem,*

Non porrexiſti de lecto tu mihi dextram,
Nec ſapiens verbum dixti mihi, cujus in omnes
Noctes atque dies eſſem memor illacrymando.

ſed & Penelope meminit mandatorum Vlyſſis, qui abiens ipſi dixerat,

Méne redire velit Deus, ad Trojámne manêre
Ignoro; verùm tibi ſint hîc omnia curæ,
Vt cùm longè abero matremque patremque meum tu
Intra tecta tenens obſerves, ut facis, aut plus.
Aſt ubi Telemacho barbam cecidiſſe videbis
Primam, nube viro cui vis, regnumque relinque.]

Exemplum talium mandatorum egregium habes apud Stobæum titulo de Prudentia ex Erechtheo Euripidis.

Morieris enim tu & non vives] In hac denuntiatione latebat tacita quædam conditio, ut Ionæ III. 4.

3. *Memento, quæſo, quomodo ambulaverim coram te in veritate & in corde perfecto*] Prædicabant illi, generosâ quâdam conſcientiæ fiduciâ, Deo opera ſua, ut Nehemias XIII. 14. In Novo federe non æquè id videmus fieri; quia & vis gratiæ multò major eſt, & profectus indies major requiritur, ut de Chriſtiano dici poſſit:

Nilque putans actum, dum quid ſupereſſet agendum.

Flevit igitur Ezechias fletu magno] Minùs clarè revelatâ ſpe vitæ æternæ, mors etiam magìs timebatur.

6. *Addam diebus tuis xv annos*] Iis annis quos vixiſſes ſecundùm conſtitutum in natura ordinem.

7. *Afferte Maſſam ficorum*] Non quòd in ficubus vis eſſet medendi morbo deplorato, ſed ſignum divinæ efficaciæ. Simile vide Ioh. IX. 6.

11. *Quibus jam deſcenderat in horologio Achaz*] Erat gnomon conſtans, ut ait Eliahou Chomer, ex ſemicirculo, in cujus cavo erat globus, in quem cadens umbra reſpondebat cæſuris factis in ſemicirculo ad numerum, ut ajunt, XXVIII. Eæ cæſuræ hîc vocantur מעלות, id eſt, *gradus*. Per eorum decem retroacta eſt umbra. Eam umbram *Solem* vocat Eſaias XXXVIII. 8. quia à Sole fieri ſolebat. Nihil autem opus erat Vniverſi curſum immutari, tantùm ſigni causâ. Simili figurâ feneſtræ Solis nomine appellantur Ieremiæ XV. 9.

12. *Filius Baladan*] Hujus nomen exſtitiſſe in Chaldaïcis Beroſi teſtis eſt Ioſephus.

Audierat enim quòd ægrotaſſet Ezechias] Miſit ei σωτήρια [*dona recuperatâ valetudine*].

13. *Oſtendit eis domum aromatum, & aurum & argentum*] Periculoſum, opulentiam ſuam oſtentare externis: quæ ſola res ſæpè barbaros in Romanum Imperium attraxit.

17. *Auferentur omnia quæ ſunt in domo tua*] Impletum infrà XXIV. 13.

18. *Et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis*] Erunt palatini. Impletum infrà XXIV. 15. XXV. 7.

19. *Bonus ſermo Domini quem locutus es. Sit pax & veritas in diebus meis*]

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
[*Me terra flammis miſceatur mortuo.*]

20. *Piſcinam*] De qua vide Nehemiam III. 16.

Et introduxerit aquas in civitatem] Arcanis viis, ut & hoſtibus eas interciperet, & urbi aquæ non deeſſent, II Paralipom. XXXII. 3. 4. 30. Tacitus ubi Hieroſolyma deſcribit, *Fons perennis aquæ, cavati ſub terra montes, & piſcinæ ciſternæque ſervandis imbribus. præviderant conditores ex diverſitate morum crebra bella: indè cuncta quamvis adversùs longum obſidium.* Arcani aquæductus egregium ſpecimen habes apud Procopium IV. Gothicorum in obſidione Petræ Lazorum.

Nonne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum regum Iuda?] In Diurnis, unde multa excerpſit Eſdras in Paralipomena, non omiſſis tamen potiſſimis rebus quæ in his ſunt Annalibus. Id diſcrimen bene notavit Tacitus Annalium XIII. *Nerone ſecundùm, L. Piſone Conſulibus, pauca memoriâ digna evenêre; niſi cui libeat, laudandis fundamentis & trabibus, queis molem amphitheatri apud Campum Martis Cæſar adſtruxerat, volumina implere: cùm ex dignitate populi Romani repertum ſit, res illuſtres annalibus, talia diurnis urbis actis mandare.* Nominat alibi *diurna actorum ſcripta, diurna populi Romani*, ut & Vopiſcus Probo. *Diurnorum Alexandri Magni* mentio eſt apud Plutarchum.

CAPVT XXI.

1. **M***anaſſes*] Sanguinarium ingenium, Caji Caligulæ & Neronis ingenio non diſſimile.

4. *Exſtruxitque aras*] Diis illis gentium vicinarum.

7. *Idolum luci*] Telluris, ut conjecimus Iud. II. 13.

12. *Vt quicunque audierit, tinniant ambæ aures ejus*] Vt I Sam. III. 11.

13. *Extendam ſuper Ieruſalem funiculum Samariæ*] Eâdem menſurâ eam metiar quâ Samariam menſus ſum. LXX, τὸ μέτρον Σαμαρείας [*menſuram Samariæ*]. Hebræa vox propriè *amuſſim* ſignificat, quâ ad dirigendas menſuras utuntur architecti.

Et pondus domûs Achab] καὶ τὸ στάθμιον οἴκου Ἀχαάβ [*pondere domûs Achabi*], id eſt, non pluris mihi valebit. Vide Danielis V. 26.

Et delebo Ieruſalem ſicut deleri ſolent tabulæ] Meliùs Græci, καὶ ἀπαλείψω τὴν Ἱερουσαλὴμ καθὼς ἀπαλείφεται ὁ ἀλάβαστρος: *Abſtergam Hieroſolyma, quomodo abſtergi ſolet alabaſtrum*, aut potiùs *ſcutella*.

Et delens vertam, & ducam crebriùs ſtylum ſuper faciem ejus] In Hebræo: *& vertit ſuper faciem ſuam.* LXX: καὶ καταστρέφεται ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ [*& vertitur in faciem ſuam*]. Solent alabaſtra aut ſcutellæ bene abſterſæ ore deorſum verſo reponi.

16. *Vſque ad os*] In Hebræo, פה לפה. LXX ad verbum στόμα εἰς στόμα [*os ad os*]. id ſignificat *confertim*, ut ſuprà X. 21. Similitudo ſumta ab aridis aut liquidis, quorum ſummitas vaſis ſummitatem adæquat.

17. *Et univerſa quæ fecit*] In captivitate & poſt reditum.

In libro ſermonum dierum] In Diurnis, unde ea excerpſit Eſdras II Paralipomen. XXXIII. 11. & ſequentibus.

18. *Sepultus eſt in horto domûs ſuæ*] Dicitur id ipſe voluiſſe, quòd malis factis ſuis meritus eſſet extra regia ſepulchra poni.

19. *De Ietheba*] Quæ *Iethebatha* Num. XXXIII. 33. & Deuteronomii X. 7.

24. *Percuſſit autem populus terræ omnes qui conjuraverant*] Vide quæ dicta ſuprà XIV. 21.

CAPVT XXII.

1. **O***cto annorum erat Ioſias*] φύσιν ἄριστος καὶ πρὸς ἀρετὴν εὖ γεγονώς [*indolem optimus & ad virtutem bene natus*], ait Ioſephus. Ariſtoteles dicit eſſe quaſdam impropriè dictas virtutes, agnatas aliquibus, φυσικὰς ἀρετάς [*nativas virtutes*]. Talibus inſtructum fuiſſe Iſaacum putat Philo. In Græcis talis præcipuè mihi videtur fuiſſe Epaminondas, infelix tamen & ipſe, non minùs quàm Ioſias, populi magìs meritis quàm ſuis.

2. *Non declinavit ad dexteram, ſive ad ſiniſtram*] Præſtitit omnia quæ ab homine ſperari poterant. Vide infrà XXIII. 25.

4. *Vt conſletur pecunia*] Colligatur. LXX σφράγισον τὸ ἀργύριον. Similem hiſtoriam habuimus ſuprà cap. XII. ubi dicta vide.

5. *Per præpoſitos domûs Domini*] Id eſt, ni fallor, redemptores operis.

7. *Sed in poteſtate habeant, & in fide*] Suo periculo opus faciant, quippe probandum poſtea.

8. *Librum Legis reperi in domo Domini*] αὐτόγραφον [*archetypum*] Moſis, ut intelligere eſt II. Paralipomen. XXXIV. 14.

10. *Quem cùm legiſſet Saphan coram rege*] Dicitur, Deo ità diſponente, incidiſſe in locum Deuteronom. xxviii. 36. quibus verbis ſibi lectis Rex territus fuerit.

13. *De verbis voluminis iſtius*] Non ergò deſcripſerat Rex ſibi exemplum, ut debuerat ex præſcripto Deuteron. xvii. 18. ità deſuetudo interdum etiam optimas leges obliterat. Confer quod eſt infrà xxiii. 2.

14. *Quæ habitabat in Ieruſalem in Secunda*] Græci retentâ Hebræâ voce, ἐν τῇ Μεσενᾷ [*in Meſena*]. Chaldæum puto rectè interpretari בבית אולפנא ἐν τῷ διδασκαλείῳ [*in ſchola*]. nam משנה Hebræis eſt *traditio* Legis interpres.

17. *Indignatio mea in loco hoc, & non exſtinguetur*] ὅτι τὸ θεῖον κατ' αὐτῶν ψῆφον ἐξήνεγκεν, ἣν οὐχ ἱκεσίαις ἄν τις ἄκυρον ποιήσειεν, ἀπολέσαι τὸν λαὸν καὶ τῆς χώρας ἐκβαλεῖν [*Quia Deus ſententiam adverſùs eos tulerat, nullis ſupplicationibus mutabilem, ut populus partim periret, partim è patria ejiceretur*], Ioſephus hoc loco.

20. *Vt non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum*] Sæpè tempeſtiva mors beneficium eſt.

Incolumi Trojâ Priamus veniſſet ad umbras
Aſſaraci magnis ſolennibus, Hectore funus
Portante ac reliquis fratrum cervicibus, inter
Iliadum lacrymas, ut primos edere planctus
Caſſandra inciperet, ſciſſâque Polyxena pallâ,
Si foret extinctus diverſo tempore: quo non
Cœperat audaces Paris ædificare carinas.
Longa dies igitur quid contulit? omnia vidit
Everſa, & flammis Aſiam ferróque cadentem.

& quæ ſequuntur apud Iuvenalem Satyrâ x.

CAPVT XXIII.

3. *Stetítque rex ſuper gradum*] In eo loco de quo ſuprà xi. 14.

Et fedus percusſit] Vide ſuprà xi. 17.

Et ſuſcitarent verba federis hujus] In Hebræo idem verbum eſt quod infrà 24. vertitur *ſtatuere*; id verò eſt rebus ipſis effectum dare.

4. *Sacerdotibus ſecundi ordinis*] Vicario ſummi Pontificis, & τῷ στρατηγῷ τοῦ ἱεροῦ [*Prætori Templi*].

Omnia vaſa quæ facta fuerant Baal] Ex lege Deuteron. vii. 25.

Et tulit pulverem eorum in Bethel] Vt illum locum omnino profanum redderet, & indè longè arceret eos qui Deum colere vellent. Erat autem Bethel in ditione Regum Iudę jam ab Abię temporibus, ii Paralipom. xiii. 19.

5. *Et delevit aruſpices*] In Hebræo: הכמרים, *Camillos*. Sic & Sophoniæ i. 4. *Camilli* deorum miniſtri. Servius ad xi. Æneidos; & ante eum Varro de lingua Latina lib. vi: Feſtus quoque, ac Dionyſius Halicarnaſſenſis, & Plutarchus, qui *Camillum* ἀπὸ τῆς διακονίας [*à miniſterio*] dictum ait. Phœnices in Samothraciam hanc vocem intulêre; iidem, ut puto, in Ethruriam, unde Romam venit. R litera in L ſæpè mutatur: ſic ex πάρος [*ante*] factum eſt *pallium*, ex λείριον *lilium*, ex puerulo *puellus*, & multa alia.

Baal & Soli] Rectiùs in Hebræo *Baal Soli*. Eſt enim idem.

Et duodecim ſignis] In Hebræo: למזלות, quod à נזל [*fluere*] videtur deduci & ſignificare *influxus ſiderum*, pro quo, ל mutato in ר, ut modò in voce כמר & *Camilli* notavimus, Iob habet מזרות xxxviii. 32. & מזרים mutato genere xxxvii. 9. Alii Iovem, alii Venerem, alii planetas omnes præter Solem & Lunam intelligunt. Lxx ut ſolent in incerta ſignificatione vocem Hebræam reliquerunt.

6. *Super ſepulchra vulgi*] Quæ ex Lege impura.

7. *Ædiculas effeminatorum*] Catamitorum.

Pro quibus mulieres texebant quaſi domunculas luci] Id eſt, tentoria, ſicut illa mulierum סכות בנות [*tentoria puellarum*] ſuprà xvii. 30. illa tentoria in lucis diſponebantur.

8. *Contaminavit excelſa*] Reliquias mortuorum illuc inferendo, ut infrà 14. & 16. & 20.

9. *Non aſcendebant ſacerdotes excelſorum ad altare Domini in Ieruſalem, ſed tantùm comedebant azyma in medio fratrum ſuorum*] Ad exemplum eorum in quibus erat legalis immunditia Levit. xxi. 18. Simile apud Ezech. xliv. 10. & ſequentibus. Aliæ culpæ, pœnitentiâ ſequente, non amovebant reos à functione Sacerdotii; idololatria & cultus in loco illicito amovebant.

10. *Vt nemo conſecraret*] Id eſt, luſtraret, quod in locum vetuſti moris eos comburendi ſucceſſerat, ut diximus ad Deuter. xviii. 10.

11. *Abſtulit quoque equos quos dederant reges Iuda Soli*] Nam per omnem Orientem ſacrum Soli id animal, ut docet Xenophon Inſtitutionis Cyri libro viii. & Aſcenſûs quarto: Pauſanias in Laconicis, Iuſtinus in Darii hiſtoria.

Currus autem Solis] Quadrigas Soli ſacras, de quibus agit Heliodorus Æthiopicorum x.

12. *Altaria quoque quæ erant ſupra tecta*] In ſolario poſita ad cultum aſtrorum, Ierem. xix. 13. Soph. i. 5.

13. *Ad dexteram partem montis Offenſionis*] Mons Oliveti, aliàs משח ab *unctione*, per alluſionem à temporibus Solomonis dici cœptus mons משחית *corruptionis*.

17. *Quis eſt titulus ille?*] Columella, qualis ſepulchris imponi ſolebat, Geneſ. xxxv. 20.

Prædixit verba hæc] i Reg. xiii. 2.

18. *Cum oſsibus Prophetæ qui venerat de Samaria*] i Reg. xiii. 31.

20. *Occîdit univerſos ſacerdotes excelſorum*] Qui contra Legem Regum beneficio ſacerdotium invaſerant.

22. *Nec enim factum eſt Phaſe tale*] Tanto concurſu & tot victimis. Ezechiæ temporibus multi emanſerant, multi ſe non mundaverant.

A diebus judicum qui judicaverant Iſraël] Id eſt, poſt tempora Samuelis ii Paral. xxxv. 18.

24. *Pythones & ariolos*] Vide Levit. xx. 27.

Et figuras idolorum] In Hebræo *Theraphim*, quod, ut alibi diximus, *imagines* ſignificat.

Et immunditias & abominationes] Eſt explicatio prioris vocis, ut intelligantur imagines falſorum deorum, quas Hebræi, ut res maximè impuras, abominari jubebantur.

25. *In omni corde ſuo, & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua*] Vide quæ dicta ſunt ad Matth. xxii. 37.

26. *Propter irritationes quibus provocaverat eum Manaſſes*] Quia is idololatriæ ingentem ſævitiam addiderat, approbante magnâ populi parte, infrà xxiv. 3. Et ipſum Ioſiam multi metu magìs quàm verè emendati animi propoſito ſectabantur, Ezech. xxiv. 6.

27. *Quam elegi*] Quam omnibus aliis urbibus prætuli, Templum meum ibi ſtatuendo.

29. *Nechao rex Ægypti*] *Necos* Herodoto, ut diximus ad iii. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Contra regem Aſſyriorum] Babylonium qui tunc & Aſſyriam tenebat. Ità hîc Ioſephus.

Occiſus eſt in Mageddo] Ἐν Μαγδόλῳ [*in Magdolo*] Herodotus, corruptâ nonnihil pronuntiatione. Vide Iud. i. 27. Idem locus, quia in monte poſitus Ἀρμαγεδών [*Armageddon*]. Sic Garizin Ἀργαριζίν [*Argarizin*] apud Euſebium & alios. Et alius locus Plinio & Tacito *Arſamoſata* הר שמשתא, id eſt, *mons Solis*. Ajunt Hebræi hoc malum eveniſſe Ioſiæ ideo quòd Ieremiam non conſuluiſſet.

Cùm vidiſſet eum] Λιτότης [*extenuatio*], id eſt, pugnaſſet cum eo, ut ſuprà xiv. 8.

30. [*Ioachaz*] Qui & *Sellum* Ierem. xxii. 11.

33. *Vinxítque eum Pharao Nechao*] Nempe nè quid ſe ad Cercuſſum abſente Ioachaz novaret.

In Rebla] Apameæ, ut vult Paraphraſtes Hieroſolymitanus Num. xxxiv. 11.

34. *Conſtituit Pharao Nechao Eliacim filium Ioſiæ*] Hominem ingenii quietioris quàm erat frater. Vide ſimile xxiv. 17.

Vertítque nomen ejus Ioakim] Eadem eſt ſignificatio cum *Eliacim* in Hebræo. Sed quia Syris Saturnus אל [*Il* vel *El*] vocabatur, ut oſtendimus ad primum de Veritate Religionis Chriſtianæ, ideo nomen Dei Iudæorum, quàm ſui dei, ponere in victi Principis nomine maluit.

35. *Vnumquemque juxta vires ſuas exegit*] Pro modo patrimonii.

36. *Viginti quinque annorum erat Ioakim cùm regnare cœpiſſet*] Nempe jure non controverſo, poſt mortem captivi fratris.

CAPVT XXIV.

1. *IN diebus ejus aſcendit Nabuchodonoſor*] Ναβουχοδονόσορος [*Nabuchodonoſorus*] Beroſo, & in Actis Tyriorum. Ναβουκοδρόσορος [*Nabucodroſorus*] Abydeno. Ναυοκοδρόσορος [*Navocodroſorus*] Straboni ex Megaſthene, ut ad tertium librum de Veritate Religionis Chriſtianæ annotavimus. Aſcendit autem poſtquam Ægyptium prælio vicerat, Ierem. xlvi. 2.

Factus eſt ei Ioakim ſervus] Se in fidem ejus dedit.

Et rurſum rebellavit contra eum] Credibile id factum cùm Ægyptus à ſuo malo reſpirare cœpiſſet: quod tamen non diu duravit, ut apparet mox 7.

2. *Immiſitque ei Dominus latrunculos Chaldæorum, & latrunculos Syriæ*] Rectiùs dixeris *agmina*. Id enim ſignificare ſolet vox Hebræa גדודי. Græci, τοὺς μονοζώνους [*zonâ tantùm accincti*]. Ex omnibus his gentibus quas hîc nominat conſtabat exercitus Nabuchodonoſori.

Iuxta verbum Domini quod locutus fuerat per ſervos ſuos Prophetas] Per Holdam ſuprà xxii. 16. Eſaiam ſuprà xx. 17. 18. Ieremiam capitibus xiv. & xv.

6. *Dormivit Ioakim cum patribus ſuis, & regnavit Ioachim filius ejus pro eo*] Qui & *Iechonias* nonnullis. Vide quæ ad Matth. i. 11.

7. *Et ultrà non addidit rex Ægypti ut egrederetur è terra ſua*] Ad tempora uſque Sedeciæ, Ieremiæ xxxvii. 6.

A rivo Ægypti uſque ad fluvium Euphratem] Quæ Nilum & Euphratem interjacebant juris Ægyptiorum.

10. *Circumdata eſt urbs munitionibus*] Caſtris obſeſſa eſt. Lxx hîc, ἦλθεν ἡ πόλις ἐν περιοχῇ [*venit urbs in obſidionem*]. χάρακα περιέβαλον αὐτῇ [*vallo eam circumdederunt*], ut Lucas loquitur xix. 43. Confer infrà xxv. 1.

12. *Et eunuchi ejus*] Cœperant Reges Hebræi vicinorum Regum malos mores & in hoc imitari.

14. *Et tranſtulit omnem Ieruſalem*] Id eſt, potiſſimos, ut apparet xxv. 18. In his fuit Ezechiel. τοὺς αἰχμαλώτους Ἰουδαίων [*captivos Iudæorum*] Beroſus dixit. Meminit hujus deportationis & inſequentis Hecatæus apud Ioſephum, & Demetrius apud Clementem Alexandrinum.

Et omnes fortes exercitûs decem millia] Septem millia ex tribu Benjaminis, de quibus infrà 16. Tria millia & quod excurrit ex tribu Iuda, Ierem. lii. 28.

Et omnem artificem & cluſorem] Sic & Ieremiæ xxiv. 1. Græci, πάντα τέκτονα καὶ συγκλείοντα [*omnem fabrum & cluſorem*]. חרש, Deut. xxvii. 15. eſt *ſculptor*, ut & Eſaiæ xl. 19. Ierem. x. 3. Oſeæ viii. 6. xiii. 2. uſurpatur & de *fabris ferrariis* 1 Sam. xiii. 19. Eſai. xliv. 12. *lignariis* & *cæmentariis* ii Sam. v. 11. ii Regum xii. 11. xxii. 6. ii Paral. xiv. 12. *ærariis* 1 Reg. vii. 14. Ierem. x. 9. At מסגר hîc Chaldæo eſt *janitor*. Kimchi & alii intelligunt *viros doctos qui aliis obturant os, & ea proponunt quæ ab aliis ſolvi nequeunt*.

17. *Et conſtituit Mathaniam patruum ejus pro eo*] Vt reliquiarum illarum Rex eſſet ſub imperio Regis Babylonici.

Impoſuítque nomen ei Sedeciam] *Dei juſtitiam*, nempe cognitam in punita rebellione, quam Ioakimus cœperat, & in qua filius ejus perſtiterat.

20. *Receſſitque Sedecias à rege Babylonis*] Fidem exuit, immemor cauſæ mutati ſibi nominis.

CAPVT XXV.

4. *ET interrupta eſt civitas*] Ruina in mœnibus facta eſt, Ierem. xxxix. 2.

6. *Qui locutus eſt cum eo judicium*] Damnavit eum ut ſubditum & rebellem.

7. *Oculos ejus effodit, vinxítque eum catenis, & adduxit in Babylonem*] Ità duorum vaticiniorum quæ edita ei fuerant, ac pugnare inter ſe videbantur, ut Ioſephus narrat, quorum alterum erat eum iturum in Babylonem, alterum non futurum ut videret Babylonem, utrumque eventu comprobatum eſt.

8. *Nabuzaradan princeps exercitûs, ſervus regis Babylonis*] Ipſe enim Nabuchodonoſor, intellectâ patris morte, citato itinere Babylonem verſùs ſe contulerat, ut ex Beroſo diſcimus. De hac omni

hiſtoria vide Ieremiam. Hunc Nabuzaradanem proſelytum factum ajunt Iudæi.

9. *Et ſuccendit domum Domini*] Templum quod ſteterat per annos CCCCLXX & quod excurrit, ut vult Ioſephus.

14. *Ollas quoque æreas, & trullas*] Vide ſuprà I Regum VI. & VII.

22. *Præfecit Godoliam*] Virum ingenii placidi & ad præſentem fortunam bene ſe aptantis. Solent viri boni eſſe creduli, ídque ei exitio fuit. Vide Ieremiæ XL. XLI.

25. *De ſemine regio*] Iudæorum: id ei animos fecerat contra potentiam cui par non erat. Itaque regno non diu lætatus ad Ammonitas coactus fuit fugere, Ierem. XLI. Similis fuit Athenienſium imprudentia cùm adverſùs Macedonas jam prævalidos in Græcia ſe commoverunt. Videndum quid tempus ferat.

27. *Vigeſima ſeptima die menſis*] Biduo poſtquam eâ de re decretum factum fuerat. Ierem. LII. 31.

Evilmerodach rex Babylonis] Εὐιλμαράδουχος [*Euilmaraduchus*] Beroſo, Εὐιλμαλούρουχος [*Euilmaluruchus*] Abydeno; in Ptolemæi libris corruptiùs Ἰλουαρόδαμος [*Iluarodamus*]. Vide notata ad librum tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ. Ioſepho eſt Ἀβιλαμαρώδαχος [*Abilamarodachus*], LXX Εὐιαλμαρωδέκ [*Euialmarodec*]. Facilè in externis & duri ſoni nominibus variat pronuntiatio.

28. *Poſuit thronum ejus ſuper thronum regum*] Multos enim Reges Babylonis ſub ſe habebant, quibus regium nomen aut dabant, aut relinquebant. Erant hi βασιλεῖς βασιλέως ὑπήκοοι μεγάλου [*Reges Regis magni ſubices*], ut alibi diximus. Sic Euagoras Cypri Rex ſub Perſa fuit, Porus & Taxiles Reges ſub Alexandro. Prætulit autem Ioachimum Rex Evilmeroduchus aliis Regibus, ob inſignem famam Davidis & Solomonis, unde ille genus ducebat.

29. *Et mutavit veſtes ejus quas habuerat in carcere*] Simile Geneſ. XLI. 42.

Comedebat panem ſemper in conſpectu ejus cunctis diebus vitæ ſuæ] Id eſt, frequenter cum ipſo eſitabat, ut Crœſus cum Cyro.

30. *Annonam*] Diaria ei dedit ad victum, veſtitum, domicilium, familiam.

AD LIBROS
PARALIPOMENON.
AD PRIOREM.

AB Eſdra ſcriptos hos duos libros ut nunc diſtinguuntur (ad Hieronymi enim tempora unus fuit apud Hebræos liber) conſtans ſemper fuit apud Hebræos fama; qui hos libros vocant VERBA DIERUM, id eſt, ut alibi diximus, Excerpta ex Regum Diurnis. Propoſitum autem Eſdræ fuit res narrare Davidis, poſterûmque ejus uſque ad umbram quandam regni reſtitutam in Zorobabele, qui & ipſe ex Davidis fuit poſteris. Sed ut meliùs intelligeretur, quædam anteloquenda ſibi cenſuit, nempe recenſionem faciendam auctorum humani generis; deinde majorum Davidis & ex ipſo deſcendentium; deinde tribuum omnium: quibus præſtructis, ut ad Davidis regnum perveniat, Saülis extrema commemorat, planè ut Auguſti Tacitus, res Tiberii narraturus. Et quia res eorum qui in decem tribus regnârunt, per bella, federa, affinitates cum rebus Regum ex Davide genitorum cohærent, eæ quoque omitti non debuerunt. Cùm verò Diurnorum mos ſit multa λεπτομερέστερον [*attenuatiùs*] narrare quàm ferat Annalium ratio, eò factum eſt, ut his non pauca debeamus, quæ in Annalibus, quos Hebræi SAMUELIS & REGUM libros ob cauſas alibi à nobis proditas vocant, non inveniuntur: eàque ipſa cauſa fuit cur hos libros Græci appellaverint Παραλειπομένων [*Prætermiſſorum*] nomine, ex parte ſcilicet maximè neceſſaria, cùm alioqui multa hîc ſint eadem quæ in Annalibus, verborum mutatione modò nullâ, modò exiguâ. Idem Eſdras his libris attexuit ſuarum ipſe rerum, id eſt, Hieroſolymorum urbis inſtauratæ hiſtoriam, quam ſcripſit ipſe, & alteram hiſtoriam repoſiti Templi ac ſacrificiorum, quam ſcripſit Nehemias, Eſdrâ etiam tunc vivente. Addidit præterea hiſtoriam Eſtheris, quæ medio tempore eorum quæ duobus illis libris poſtremis narrantur, contigerat, ſcriptam, ut Hebræi tradunt, & ipſe liber teſtari videtur, à Mardochæo viro perilluſtri. Et hîc deſinunt hiſtoriæ quæ in Canone ſunt Hebræo, nimirum quia quæ hucuſque pertingunt eæ aut ſcriptæ ſunt à Prophetis, aut probatæ à Prophetis, ut poſtremi illi libri à Zacharia, Malachia, Aggæo, qui Eſdræ σύγχρονοι [*coævi*] & conſilio adjutores fuêre. Poſt id autem tempus deſiit apud Hebræos prophetia uſque ad Chriſti tempora.

CAPUT I.

1. ADam, Seth, Enos] Duobus modis fit γενεαλογία [*recenſio generis*], aut deſcendendo, ut hîc, aut aſcendendo, ut apud Lucam.

7. *Dodanim*] LXX & hîc & in Geneſi legerunt רודנים. Vertunt enim Ῥόδιοι [*Rhodii*], ſatis probabiliter. At Latinus & hîc & in Geneſi דודנים, quomodo & Hieroſolymitanus Interpres legit. Diximus alibi has literas non in ſcribendo tantùm ſed & in

pronuntiando permutari ſolere. Mihi hîc Græca lectio, quæ eadem in Hebræo hoc loco, magìs probatur.

CAPVT II.

15. *Septimum David*] Octo fuerant filii Iſai, ſed eorum unus erat mortuus, priuſquam David ad regnum perveniret, I Sam. XVI. 10.

17. *Iether Iſmahelites*] Videtur hinc corrigi debere ſcriptura II Sam. XVII. 25.

22. *Et poſſedit viginti tres civitates in terra Galaad*] Vide quæ diximus Iudic. X. 4.

34. *Et ſervum Ægyptium nomine Ieraa, deditque ei filiam ſuam in uxorem*] Nempe manumiſſo priùs.

51. *Salma pater Bethlehem*] Nam ex familiis vici & oppida. Vide Ariſtotelem initio Politicorum.

CAPVT III.

5. *Et Salomon*] Hunc poſtremum nominat è Bethſabeæ liberis, quia ad eum rediturus eſt ſermo.

6. *Eliſama & Eliphaleth*] Hæc duo nomina impoſita fuêre pueris qui in prima ætate ſunt mortui; deinde eadem data aliis pòſt natis. Illi in prima ætate mortui omittuntur II Sam. V. 15.

7. *Noge*] Qui & Eliſua dicto Samuëlis loco.

16. *De Ioakim natus eſt Iechonias & Sedecias*] In Hebræo: *filii Iehojachim, Iechonia filius ejus*, nempe Ioachimi; *Sedecias filius ejus*, nempe Iechoniæ: quo loco poſteriore *filius* ſumitur pro *heres*. Vide quæ dicta nobis ad III. Lucæ. Illud autem *filii* plurale eſt pro ſingulari; fortè ideò ſic poſitum, ut ſi quis plures reperiret eos adjungeret. Sic infrà IV. 15. *filii Elah, Cenez*.

17. *Filii Iechoniæ fuerunt Aſir, Salathiel*] Et hîc in Hebræo aliter: nempe, *filii Iechoniæ*, id eſt filius, *Aſſir, Salatiel filius ejus*, id eſt, heres rurſum: nam filius erat Neri, ut ad dictum locum diximus.

19. *Moſollam*] Hoc nomen & ille Iudæus habuit, auguriorum irriſor, cujus mentio ex Hecatæo apud Ioſephum.

CAPVT IV.

10. *Si benedicens benedixeris mihi*] Votum fuit conditionale: quid verò promiſſum ſit eo voto, reticetur.

17. *Genuitque Mariam*] Ialon, ut videtur.

18. *Hi autem filii Bethiæ filiæ Pharaonis, quam accepit Mered*] Videtur vacare nomen Meredi ex Bechia filiorum aut filii: itaque velut ampliùs inquiſiturus ſcriptor ſpatium reliquit vacuum. At Hebræi per *Mered* Calebum intelligunt, quòd exploratoribus obſtiterit, & יהודיה [*Iudæa mulier*], quod præceſſit, ſumunt pro gentilitio, & ajunt Iochebedam intelligi, quæ peperit filios antè dictos, quos educaverit pro ſuis filia Pharaonis. mihi hæc duriora videntur.

22. *Et qui ſtare fecit ſolem*] Hæc & quæ ſequuntur nomina ſunt propria.

Qui Principes fuerunt in Moab] Terræ Moabiticæ dominati ſunt.

23. *Hi ſunt figuli*] Nunc ſcilicet in Babylonia; quaſi dicat, *Sed hæc priùs fuêre:*

Πάλαι ποτ' ἦσαν ἄλκιμοι Μιλήσιοι.
[*Fortes fuerunt antehac Mileſii.*]

Item:

Σὺ δ' ὦ τὸ λαμπρὸν φῶς ἀποσβεννὺς γένους
Ξαίνεις, ἀρίστου πατρὸς Ἑλλήνων γεγώς;
Tun' generis altum lumen exſtinguens trahis
Hîc penſa, genitus optimo Grajûm patre?]

40. *In qua antè habitaverant de ſtirpe Cham*] De ſtirpe quam Noë devoverat, & velut proſcripſerat: unde nullius juris capaces cenſebantur. Apparet hinc & V. 10. 19. multa bella à privatis aut à tribubus geſta, quæ inſtituto ſuo minora vetus hiſtoria prætererat.

43. *Reliquias quæ evadere potuerant Amalecitarum*] Quæ evaſerant Saülis & Davidis manus.

CAPVT V.

2. *Primogenita autem reputata ſunt Ioſeph*] Ius πρωτοτοκίων [*primogenitorum*] non totum hic intellige, ſed duplicem in hereditate portionem.

10. *Contra Agarenos*] Qui & *Iſmaëlitæ*, à matre Iſmaëlis Agare.

20. *Eo quòd credidiſſent*] Eò quòd pio animo in Deo fiduciam poſuiſſent.

21. *Ceperúntque omnia quæ poſſederant*] Nempe eo jure de quo agit Ariſtoteles I Politic. 4. ᾧ τὰ κατὰ πόλεμον κρατούμενα τῶν κρατούντων εἶναί φασι [*quo ea quæ bello capiuntur eſſe ajunt capientium*].

26. *In Lahela & in Habor*] In Hebræo: *in Hala & in Habor*, ut II Reg. XVII. 6. ubi vide quæ de his locis diximus.

Et Ara] Quidam ex loco XVII. 6. libri II Regum putant Mediæ montana intelligi, quòd vox Syriaca eam interpretationem recipiat. Apparet autem hic eadem loca exſilii Hebræorum attribui facto Theglathphalaſari, quæ dicto loco Regum tribuuntur facto Salmanaſari; credo quòd ambo victos à ſe populos in eas tranſtulerint regiones quæ ab hominibus vacabant maximè. Mediæ autem plurima erant montana, ut & Strabo & Ptolemæus teſtantur: & quod Beroſus narrat Nabuchodonoſori uxorem montium aſpectu delectatam plurimùm, quòd in Mediæ locis educata eſſet. Fortè ab eadem origine dicti *Arii* in Media, quorum mentio apud Herodotum & Pauſaniam.

CAPVT VI.

10. *Ipſe eſt qui ſacerdotio functus eſt in domo quam ædificavit Salomon in Ieruſalem*] Pontificis partes contra Solomonis ſucceſſorem, in ipſo illo Templo quod Solomon ædificaverat, egregiè tutatus eſt, II Paralipom. XXVI. 17.

28. *Filii Samuel, primogenitus Vaſſeni, & Abia*] Mirum nomen apud Hebræos *Vaſſeni*. Credibile eſt ſcriptum fuiſſe ושני אביה [*& ſecundus Abia*], ut ſenſus ſit: *Filii Samuel fuêre, primogenitus ejus* (nempe *Ioël*, I Sam. VIII. 2. cujus nomen, quia minùs clarus

fuit, hîc reticetur) *& ſecundus Abia :* quod convenit cum dicto Samuelis loco.

31. *Iſti ſunt quos David conſtituit ſuper cantores*] Tanquam κορυφαίους χοροῦ [*principes chori*], ut loquitur ſcriptor de Mundo.

65. *Dederúntque per ſortem ex tribu filiorum Iuda, & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Benjamin*] Nempe Sacerdotibus, ut ſuprà 54. 60. Ioſuæ XXI. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19.

70. *His videlicet qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant*] Id eſt, qui non Aaronidæ ac proinde Sacerdotes erant, ſed meri Levitæ, Ioſ. XXI. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

CAPVT VII.

1. I*Aſub*] Sic nominatur & Num. XXVI. 24. unde conjectura omiſſum per incuriam ש Geneſ. XLVI. 13.

2. *Numerati ſunt in diebus Davidis*] Quo tempore Ioabus recenſionem incepit, ſed non perfecit.

4. *Multas enim habuerunt uxores*] Cauſa πολυγαμίας [*plures habendi eodem tempore uxores*] illo tempore, ſpes multæ ſanctæque ſobolis, corruptis gentibus aliis. Confer quod infrà 40.

15. *Nomen autem ſecundi Selphaad*] Id eſt, nomen pronepotis ex ſecundo filio.

21. *Quia deſcenderant ut invaderent poſſeſſionem eorum*] In Hebræo : *ad capiendos greges eorum.* Sic & Græci : ὅτι κατέβησαν τοῦ λαβεῖν τὰ κτήνη αὐτῶν [*quia deſcendêre ad capienda eorum pecora*]. Notatur hîc, ni fallor, culpa Ephraimitarum in Ægypto agentium, qui vicinis moleſti fuêre, planè ut ſocii Vlyſſis Ægyptiis, quibus res non minùs malè ceſſit. Homerus Odyſſ. Ξ'.

Οἱ δ' ὕβρει εἴξαντες, ἐπισπόμενοι μένεϊ σφῷ,
Αἶψα μάλ' Αἰγυπτίων ἀνδρῶν περικαλλέας ἀγροὺς
Πόρθεον, ἐκ δὲ γυναῖκας ἄγον καὶ νήπια τέκνα,
Αὐτούς τ' ἔκτεινον· τάχα δ' εἰς πόλιν ἵκετ' ἀϋτή.
Οἱ δὲ βοῆς ἀΐοντες, ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι
Ἦλθον· πλῆτο δὲ πᾶν πεδίον πεζῶν τε καὶ ἵππων,
Χαλκοῦ τε στεροπῆς. ἐν δὲ Ζεὺς τερπικέραυνος
Φύζαν ἐμοῖς ἑτάροισι κακὴν βάλεν, οὐδέ τις ἔτλη
Μεῖναι ἐναντίβιον· περὶ γὰρ κακὰ πάντοθεν ἔστη.
Ἔνθ' ἡμέων πολλοὺς μὲν ἀπέκτανον ὀξέϊ χαλκῷ,
Τοὺς δ' ἄγαγον ζωούς.

[*Illi animo morem ſcelerata ad facta gerentes
Continuò Ægypti populus quæ poſſidet arva
Vaſtant, captivos rapiunt puerоſque nuruſque,
Occiduntque viros. citus it ſed rumor in urbem;
Illi, manè novum cùm ſeſe oſtenderet, adſunt :
Implentur campi peditumque equitumque catervis,
Ære refulget ager. Sociorum ibi corda meorum
Perculit immiſſus timor ab Iove, nemo manere
Auſus ibi : facies circumſtat tanta malorum.
Noſtrorum ergò alios ferro victore trucidant,
Vivos abducunt alios.*]

24. *Quæ ædificavit Bethoron*] Repoſuit urbem in veteri ſolo, quam Cananæis ereptam Iſraëlitæ deſtruxerant.

CAPVT VIII.

7. N*Aaman autem & Achia, & Gera ipſe tranſtulit eos*] Zeugma, pro *tranſtulerant* : id eſt, iſti tres coloniæ deducendæ principes fuêre, quos Græci dicerent ἀρχηγοὺς τῆς ἀποικίας. Erat autem Manaheth in ſorte quidem Iudæ & Benjaminis, ſed ex parte nondum habitata. Huic ſententiæ favet quod ſuprà eſt, ubi de Iudæ poſteris agitur, הראה חצי המנחות, ſi cum quibuſdam vertas, *ei qui proſpexit dimidiæ parti Manahoth*, id eſt, curavit nè ea pars vacaret.

CAPVT IX.

1. V*Niverſus ergò Iſrael dinumeratus eſt*] Id eſt, hactenus ſummatim recenſui tribus omnes ex Actis publicis.

2. *Et Nathinæi*] Gabaonitæ, Ioſuæ IX. 27.

16. *Qui habitavit in atriis Netophati*] In Hebræo: *in villis Netophati.* ſic & Græci, ἐν ταῖς κώμαις Νωτεφατί. Eæ erant in ſorte Iudæ 11. 54. Vnde apparet regno diviſo, Levitas receptos à Sacerdotibus in eas habitationes, quæ ſolis ſacerdotibus in ſorte Iudæ obvenerant.

19. *Et familiæ eorum per vices caſtrorum Domini cuſtodientes introitum*] In Hebræo, *& patres eorum in caſtris Domini cuſtodes introitûs :* Græcè, καὶ πατέρες αὐτῶν ἐπὶ τῆς παρεμβολῆς Κυρίου φυλάσσοντες τὴν εἴσοδον. Id eſt, iſti Coritæ ità nunc ſervabant limen, ſicut olim majores eorum Cahathithæ in caſtris fecerant, Numer. IV. 4.

20. *Phinees autem filius Eleazari erat dux eorum*] Et pater & filius nomina habebant antiqua. Noli enim credere hunc illum fuiſſe Phineen Moſi coævum.

33. *Hi ſunt principes cantorum*] Hi Cahathitæ.

Vt die ac nocte jugiter ſuo miniſterio deſervirent] Ideo in exhedris illis manebant, ne quâ re contaminarentur, & inutiles fierent miniſterio.

35. *Et nomen uxoris ejus Maacha*] Sic & Græci : καὶ ὄνομα γυναικὸς αὐτοῦ Μοωχά [*& nomen uxoris ejus Moocha*]. Legerunt ergò non אחתו [*ſoror ejus*], ut nunc habent editi codices Hebræi, ſed אשתו [*uxor ejus*]. Nec deſunt libri Hebræi qui ſic habeant : ut dubitari non debeat quin multæ ſint lectiones diſcrepantes etiam non annotatæ à Maſoretis.

CAPVT X.

13. M*Ortuus eſt ergò Saul propter iniquitates ſuas, eò quòd prævaricatus ſit mandatum Domini*] 1 Sam. XV. 21.

Sed inſuper etiam Pythoniſſam conſuluerit] 1 Samuel. XXVIII.

14. *Nec ſperaverit in Domino*] Quod ſatis apparebat ex illa conſultatione Pythoniſſæ. In Hebræo, *& non quæſivit in Domino :* id eſt, nullam Dei curam habuit.

Propter quod interfecit eum, & tranſtulit regnum ejus ad David filium Iſai] Regna ubi transferuntur videbis præcedere injuſtitiam & impietatem.

CAPVT XI.

10. **H**I *principes virorum fortium David, qui adjuverunt eum ut Rex fieret ſuper Iſrael*] *Magna negotia magnis adjutoribus egent*, ut dixit Vellejus. Adde quæ infrà XII. 23.

25. *Poſuit autem eum David ad auriculam ſuam*] Minimè convenit ea functio homini ad bella nato. Aliter legerunt Græci, καὶ κατέστησεν αὐτὸν Δαβὶδ ἐπὶ τὴν πατριὰν αὐτοῦ [*poſuit eum David ſuper familiam ſuam*], nempe משפחתו. Viri pereruditi putant ſcriptum duabus literis mutatis משמרתו, *ſuper cuſtodiam ſuam*: præfecit eum corporis ſui cuſtodibus.

CAPVT XII.

8. **S**Ed *& de Gaddi*] Quòd Gaditarum tribus vicina eſſet locis illis deſertis, in quibus David ſe tenebat.

Facies eorum quaſi facies leonis] Vegetius: *Sit adoleſcens Martio operi deputandus vigilantibus oculis.*

Et veloces quaſi capreæ in montibus] Vide II Samuel. II. 18. Idem Vegetius, *Militaris alacritatis ſaltus & curſus antè tentandus eſt, quàm corpus ætate pigreſcat: velocitas animi eſt quæ percepto exercitio ſtrenuum facit bellatorem.*

CAPVT XIII.

1. 2. **I**Niit *autem conſilium David cum tribunis & centurionibus & univerſis principibus, & ait ad univerſum cœtum Iſrael: Si placet vobis*] Vbi de ſacris aliquid conſtituturus eſt Rex, rectè faciet ſi non Sacerdotum tantùm, ſed & populi concilium advocet, eorúmque etiam conſenſum obtineat, quod Regi rectè monenti non eſt difficile. Religio enim vix ulla eſt ubi non eſt voluntaria. De hoc legum genere rectè dixeris illud quod apud Tertullianum eſt: *Nulla lex ſibi ſoli conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed eis à quibus obſequium exſpectat.*

9. *Ad aream Chidon*] Videtur hîc כידון [*Chidon*] ſcriptum pro נכון [*Nachon*,] quod eſt II Sam. VI. 6. Abeſt hæc vox hîc in Græcis.

CAPVT XIV.

2. **E**T *ſublevatum eſſet regnum ſuum ſuper populum ejus Iſrael*] In Hebræo & Græco, *propter populum ejus Iſraël*: ut intelligas Reges à Deo dari populi causâ. Καὶ γὰρ ὁ βασιλεὺς αἱρεῖται οὐχ ἵνα ἑαυτοῦ καλῶς ἐπιμελῆται, ἀλλ' ἵνα καὶ οἱ ἑλόμενοι διὰ τοῦτον εὖ πράττωσι [*eligitur enim Rex non ut ſua bene curet, ſed ut & illis bene ſit qui eum elegerunt*], ait Xenophon.

CAPVT XV.

12. **S**Anctificamini *cum fratribus veſtris*] Præparare ſe debent obituri ſacra.

> Μηδέποτ' ἐξ ἠοῦς Διῒ λείβειν αἴθοπα οἶνον
> Χερσὶν ἀνίπτοισιν,
> [*Nunquam manè Iovi vinum libare memento*
> *Illotis manibus*,]

ait Heſiodus.

20. *Arcana cantabant*] In Hebræo: על עלמות, quod optimè verti videtur *præpoſiti virginibus*, nempe chorum celebrantibus, ut Pſalm. LXVIII. 26. I Samuel. XVIII. 6.

21. *In citharis pro octava*] *Citharis octochordis.* Ità Chaldæus & Hebræi. Similiter in Pſal. XXXIII. 2. עשור vertunt δεκάχορδον [*decem chordarum*].

26. *Immolabantur ſeptem tauri & ſeptem arietes*] *Immolabant*, ipſi nempe Levitæ de ſuo, præter eas victimas quas Rex offerebat, de quibus II Samuel. VI. 13.

27. *Porrò David erat indutus ſtolâ byſſinâ*] Nam λευχειμονεῖν [*albis veſtibus uti*] proprium ſacris.

David autem etiam indutus erat Ephod lineo] Depoſito Regis faſtigio, Levitis in hac opera ſe æquaverat.

CAPVT XVI.

2. **B**Enedixit *populo in nomine Domini*] Fauſta populo precatus eſt. Vide I Sam. VI. 18. & ſequentibus.

4. *Et recordarentur operum ejus*] Qui mira Dei facta narrarent populo.

7. *In illo die fecit David principem ad confitendum Domino Aſaph & fratres ejus*] Meliùs ex Hebræo: *Hoc autem imprimis eo tempore David conſtituit, ut per Aſaphum & collegas ejus laudaretur Deus.* In eum ſcilicet modum qui ſequitur, unde non abeunt Græci. David ex duobus quos fecerat hymnis, qui in codice hymnorum obtinent numerum CV & XCVI unum fecit, quem primum poſt introductam Arcam cani voluit, ut ad exprimendas Dei proprietates & laudes aptiſſimum.

11. *Quærite Dominum & virtutem ejus*] Robur ejus, id eſt, Arcam, ut II Paralipom. VI. 41. Pſalmo LXXVIII. 61.

22. *Nolite tangere chriſtos meos*] Sic eos vocat, quòd in ſua familia jus Regium haberent, unde & regnaſſe dicuntur Nicolao Damaſceno & Iuſtino, ut notavimus ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

26. *Omnes enim dii populorum idola*] In Hebræo: אלילים, id eſt, *res vanæ*, ſive *imaginariæ*.

36. *Dicat omnis populus Amen*] Vertere potes ex Hebræo, *& dixerunt omnis populus Amen.* Eâ voce teſtati ſunt omnes ſe toto corde ea approbare quæ canebantur. Qui mos à Synagoga ad Eccleſiam tranſiit, I Cor. XIV. 16. Auſonius:

> *Et reſonaturis ferit æthera vocibus Amen.*

CAPVT XVII.

19. **D**Omine *propter famulum tuum*] Vide quæ diximus II Sam. VII. 21.

CAPVT XVIII.

3. **Q**Vando *perrexit ut dilataret imperium ſuum uſque ad flumen Euphratem*] Vide quæ diximus II Sam. VIII. 3.

CAPVT XIX.

10. I*Gitur Ioab intelligens bellum ex adverſo & poſt tergum contra ſe fieri*] Nihil territus tam inopinato periculo, rem ſervavit conſtantiâ & ſolertiâ. Vide quæ dicta ad II Sam.x.

CAPVT XX.

2. C*Oronam Melchom*] Rectiùs vertas communi nomine *regis eorum*, ut II Sam.XII. 30. In Græcis duæ verſiones diverſæ in unum textum coaluère.

CAPVT XXI.

1. C*Onſurrexit autem Satan contra Iſrael, & concitavit David*] Vide quæ de hac re dicta II Sam.XXIV. I.

6. *Eò quòd Ioab invitus exſequeretur regis imperium*] ——— ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ·
[——— *ſimul nolenſque volenſque ;*]
quod ſæpè evenit Regum miniſtris. Talis mœrens Burrhus ac laudans apud Tacitum Annalium XIV. Hinc factum ut non impleretur tota recenſio, lentè rem adminiſtrante Ioabo, & ſuperveniente malo θεηλάτῳ [*Divinitus immiſſo*]. Vide infrà XXVII. 24.

CAPVT XXII.

1. D*Ixítque David, Hæc eſt domus Dei*] Cùm Deus ſtatim inhibuiſſet ultricem manum, ſimulatque David victimas obtulerat in area Areunæ, indè collegit David hunc locum à Deo electum ad ſacrificia, ac proinde ibi faciendum Templum.

4. *Ligna quoque cedrina non poterant æſtimari quæ Sidonii & Tyrii deportaverant ad David*] Typus hic fuit Gentium ſervituraram Chriſto.

8. *Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella bellaſti*] Confer quod infrà XXVIII.3. Etiam illis temporibus pax Deo gratior bellis quamlibet non injuſtis. Ioſephus in hac hiſtoria : οὐκ ἐπέτρεπε πολλοὺς πολέμους ἠγωνισμένῳ καὶ φόνῳ τῶν ἐχθρῶν μεμιασμένῳ [*non permiſit hoc ei qui multa bellaſſet bella, & ſanguine ſe polluiſſet quanquam hoſtis*]. Æneas apud Virgilium Æneid. II.

> *Tu, genitor, cape ſacra manu, patrióſque Penates :*
> *Me bello è tanto digreſſum & cæde recenti*
> *Attrectare nefas.*

14. *Ecce ego in paupertate mea præparavi*] Modeſta locutio, quâ ſe excuſat quod non plus heredi relinquat : ut apud Romanos *C. Aſinio Gallo, C. Martio Quirinio Conſulibus* (id ſub Auguſto fuit) *C. Cæcilius Claudius Iſidorus teſtamento ſuo dixit, Quamvis multa civili bello perdidiſſet, tamen relinquere ſervorum quatuor millia* CXVI. *juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris* CCCVII *millia centum ſexdecim, in numerato HS. ſexcenties.* Meminit Plinius Hiſtoriæ Naturalis XXXIII. 10.

CAPVT XXIII.

1. R*Egem conſtituit Salomonem filium ſuum*] Quod & alii Orientis Reges ſæpè fecerant. Confer I Regum I.39.43.

3. *A triginta annis*] Ex quo tempore pleno miniſterio fungebantur, Num. IV.3.

Inventa ſunt triginta octo millia virorum] Præter Sacerdotes. Magnus ſanè numerus pro iſto populo, ut facilè intelligas multos ornatui magis ſerviiſſe quàm neceſſitati.

4. *Præpoſitorum autem & Iudicum ſex millia*] Id eſt, apparitores & Iudices : ſurgit enim oratio.

27. *Iuxta præcepta quoque David noviſſima*] Hoc teſtamento ſuo caverat David, ut Levitæ à viceſimo anno aliqua obirent miniſteria ; neque enim erant tam gravia ut olim, cùm portandum eſſet Tabernaculum & omnia ejus inſtrumenta : ideóque nec plena miſſio data, ut olim anno ætatis quinquageſimo. Regum etiam hoc erat, ex conſilio Synedrii declarare quæ leges perpetuæ eſſent, quæ temporariæ.

CAPVT XXIV.

5. E*Rant enim principes Sanctuarii & principes Dei*] Poſtremum hoc rectè vertas *Principes Iudicum.* Cùm ex utraque familia tam Eleazari quàm Ithamaris viri eſſent maximas dignitates conſecuti, tum in Templo, tum in Republica, diſtribui illis functiones ſine magna invidia aliter quàm ſorte nequierunt. Vide infrà 19.31.XXV.8.XXVI.13.

6. *Vnam domum, quæ cæteris præerat, Eleazar, & alteram domum, quæ ſub ſe cæteros habebat, Ithamar*] Alternis ſumebantur familiæ Eleazaris, & familiæ Ithamaris, quod Græci Hebraïco loquendi genere ſic exprimunt : εἷς εἷς τῷ Ἐλεάζαρ, καὶ εἷς εἷς τῷ Ἰθάμαρ [*unus unus Eleazaro, & unus unus Ithamari*]. unde apparet legiſſe eos bis אחד אחד [*unus, unus*], pro quo nunc legitur priùs אחד אחז [*una adjuncta*], deinde אחז אחז [*adjuncta, adjuncta,*] minùs commodè.

19. *Sub manu Aaron patris eorum*] Sub inſpectione ſummi Sacerdotis qui in locum Aaronis ſucceſſerat.

27. *Filius quoque Merari, Ozian, & Soam, & Zachur, & Hebri*] Græcè : υἱοὶ αὐτοῦ Ἰσοὰμ, καὶ Σακχοὺρ, καὶ Ἀβαΐ [*filii ejus Iſoam, & Sacchur, & Abaï*]. Sed has voces omnes errore quodam huc irrepſiſſe ſunt qui cenſent, ducti argumento loci ſuprà poſiti XXIII. 21. 22. 23.

CAPVT XXV.

1. Q*ui prophetarent in citharis*] Id eſt, modos adhiberent propheticis carminibus convenientes, ut & commate ſequenti. Sic etiam accipit Latinus vocem alteram Hebræam ; ſuprà XV. 22.

2. *Prophetantis juxta regem*] In Hebræo, *ad manus regis :* id eſt, qui canenda præſcribebant ex Regis imperio.

5. *Videntis Regis*] Prophetæ qui Regi plerumque aderat.

In ſermonibus Dei] Ad prædicanda Dei promiſſa.

Vt exaltaret cornu] De magnitudine regni Davidici.

CAPVT XXVI.

5. *Qvia benedixit illis Dominus*] Obededomo ſcilicet, cui ſobolem multam largitus eſt ob Arcæ hoſpitium in ejus domo.

20. *Erat ſuper theſauros domûs Dei*] Præpoſitus illis pecuniis quas Templo faciendo David deſtinaverat, ſuprà XXII. 14.

27. *De bellis & manubiis præliorum quæ conſecraverant*] More vetuſto, Geneſ. XIV. 20. qui mos etiam gentium. Virgilius:

——— *ipſúmque vocamus*
In partem prædámque Iovem.

29. *Ad opera forinſecus ſuper Iſraël, ad docendum & judicandum eos*] In Hebræo: *in apparitores & judices*, id eſt, præerant omni operi publico extra urbem, & juriſdictionem à Rege mandatam habebant in operas illas: quidam etiam eorum apparitores erant.

30. *In cunctis operibus Domini*] Ad parandum ligna & lapides Templo. Vide ſuprà XXII. 14.

Et in miniſterium Regis] Ad colligenda tributa regni uſibus deſtinata.

32. *In omne miniſterium Dei & Regis*] In Hebræo, *ad omnem rem Dei & rem Regis:* quod interpretare ut præcedentia, ad materiam Templi, & ad tributa.

CAPVT XXVII.

1. *Principes familiarum*] Qui XXIV millibus præerant. Tanta erat multitudo virorum militaris ætatis, ut ſine incommodo, menſe quoque vicena quaterna millia in armis eſſent, quibus exacto menſe ſuccedebant alii atque alii: nec redibat labor ad quenquam, niſi anno exacto.

16. *Tribubus præerant*] Non militantibus.

23. *Noluit autem David numerare eos à viginti annis inferiùs, quia dixerat Dominus ut multiplicaret Iſrael quaſi ſtellas cæli*] Nimii laboris fuerat juniores numerare; ità multi quotidie ſuccreſcebant ex Dei promiſſo.

25. *Super theſauros autem Regis fuit Azmoth filius Adiel*] Is Gazophylax fuit qui à minoribus quæſtoribus accipiebat pecunias, eáſque aut erogabat, aut ſervabat.

His autem theſauris qui erant in urbibus & in vicis & in turribus præſidebat Ionathan filius Oziæ] Id eſt, tributis.

26. *Operi autem ruſtico & agricolis qui exercebant terram*] Agros ſcilicet regios. Sic & ſequentia intellige.

30. *Super camelos verò Vbil Iſmaelites*] Nam Iſmahelitæ ob camelorum in ſua terra copiam ad eos tractandos peritiſſimi.

32. *Ionathan autem patruus David conſiliarius, vir prudens & litteratus*] Id eſt, Legis peritus. Id enim propriè ſignificat Hebræum סופר.

CAPVT XXVIII.

1. *Convocavit igitur David omnes principes Iſraël, duces tribuum, & præpoſitos turmarum qui miniſtrabant Regi, tribunos quoque & centuriones*] Vide quæ dicta initio capitis XIII.

8. *Cuſtodite & perquirite cuncta mandata Domini Dei noſtri*] Servate cognita, & ut cognoſcatis, date operam. Neque enim tuetur quenquam ſupina ignorantia.

9. *Tu Salomon fili mi, ſcito Deum patris tui*] Verbis rebúſque agnoſce unum eſſe verum Deum quem ego colui, mundi opificem.

Et ſervito ei corde perfecto & animo voluntario] Deus non factis tantùm coli vult, ſed vel præcipuè animo, quippe animi inſpector, ut ſequitur. quod omnibus quidem, ſed maximè tamen Regibus cogitandum. Diogenes Stoïcus: δεῖ γὰρ τὸ ἄριστον ὑπὸ τῶ ἀρίστω τιμᾶσθαι, καὶ τὸ ἀγεμονοῦν ὑπὸ τοῦ ἀγεμονοῦντος [*oportet id quod optimum eſt ab optimo coli, & quod imperat ab imperante*].

Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & univerſas mentium cogitationes intelligit] Seneca epiſtolâ LXXXIV. *Nihil Deo clauſum eſt: intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit.*

Si quæſieris eum invenies: ſi autem dereliqueris eum, projiciet te in æternum] Agit Deus cum hominibus decretis conditionatis.

11. *Dedit autem David Salomoni filio ſuo deſcriptionem*] In Hebræo plus eſt, *quod fuerat in ſpiritu cum eo:* id eſt, dedit ei formam conſpicuam, qualem Deus animo ipſius inſcripſerat, ut dicitur infrà 19.

17. *Et leunculos aureos*] Rectiùs alii hîc & in verbis ſequentibus vertunt κρατῆρας [*crateras*]. Græci, ut ſæpè in obſcuris, ſervârunt Hebræam vocem κεφουρὶ [*kephuri*], quod Theodoretus interpretatur σκεύη τινὰ χρυσᾶ ἐν οἷς ἔφυρον τὴν σεμίδαλιν τῷ ἐλαίῳ [*vaſa quædam aurea in quibus ſimilam miſcebant oleo*]. Kimchi cochlearia intelligit. Leonum & boum formæ, initia culparum Solomonis.

CAPVT XXIX.

2. *Et quaſi ſtibinos*] Stibio ſimiles.

4. *Tria millia talenta*] Totidem è monumentis Davidis abſtulit Hyrcanus ab Antiocho Pio obſeſſus, teſte Ioſepho.

De auro Ophir] Hîc etiam LXX habent ἐκ Σουφὶ [*ex Suphir*]. Vide quæ dicta 1 Reg. IX. 28.

8. *Per manum Iahiel Gerſonitæ*] Qui cum filiis ſuis huic rei erat præpoſitus, ſuprà XXVI. 22.

9. *Lætatúſque eſt populus cùm vota ſponte promitterent*] *Hilarem datorem amat Deus*, II Cor. IX. 7.

14. *Quis ego & quis populus tuus, ut poſſemus hæc tibi univerſa promittere?*] Vnde nobis materia hujus liberalitatis, niſi abs te?

Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi] Sic Chriſtiani Græci in oblationibus dicunt, τὰ σὰ ἀπὸ τῶν σῶν [*tua de tuis*].

15. *Peregrini enim ſumus coram te*] Non proprietarii, ſed tui coloni.

18. *Cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis*

eorum, & ſemper in venerationem tui mens iſta permaneat] Facere id dicitur Deus, cùm nihil à ſua parte deſiderari patitur, dans bonos magiſtros, & auxilia non neceſſaria tantùm ſed & affluentia.

20. *Adoraverunt Deum, & deinde Regem*] Pari geſtu, animo diſtincto. Ioſephus de poſteriori iſta veneratione: εὐχαρίστησαν δὲ καὶ Δαβίδῃ περὶ πάντων ὧν αὐτοῦ τὴν βασιλείαν παραλαβόντος ἀπέλαυσαν [*gratias etiam egerunt Davidi de omnibus bonis quæ perceperant ipſo regnante.*]

22. *Et unxerunt ſecundò Salomonem filium David*] Vt jam pleno jure Regem & parentem nemini: nam hoc poſt mortem Davidis infrà narrandam contigit.

24. *Dederunt manum & ſubjecti fuerunt Salomoni Regi*] Poſtrema hæc addidit Latinus interpres, ut Hebræum loquendi genus, *dederunt manus ſuas ſub Solomonem Regem*, rectiùs intelligeretur. Etiam apud gentes è Germanis ortas manus inter genua ponere ſubjectionis ſignum.

25. *Dedítque ei gloriam regni*] Majeſtatem & opes.

26. *Regnavit*] *Regnaverat*, & mox, *mortuus erat*: nempe cùm Solomon, ut antè dictum eſt, pleno jure regnaret.

29. *In libro Samuelis Videntis, & in libro Nathan Prophetæ, atque in volumine Gad Videntis*] Vnde ſumpti ſunt libri illi quatuor, quos Samuelis duos & duos Regum Hebræi appellant.

30. *Sive in cunctis regnis terrarum*] Nempe in Philiſtina, Moabitide, Amalecitide, Syria Damaſcena, quæ bello ſubegit, in Ammonitide & aliis Syriæ partibus quarum res bello accîdit.

AD POSTERIOREM PARALIPOMENON.

CAPVT I.

2. *Præcepitque Salomon*] In Hebræo: *dixit Solomon*: Hortatus eſt eos. Solebant enim in ſacris maximè Reges conſenſum adhibere populi, ut diximus ad librum ſuperiorem XIII. 1.

5. *Erat ibi coram tabernaculo Domini*] Ante fo-es, ut & poſtea in Templo.

Quod & requiſivit Salomon] Id eſt, adiit.

CAPVT II.

7. *Et qui ſciat ſculpere cælaturas*] Opera intus refugientia.

14. *Filium mulieris de filiabus Dan, cujus pater fuit Tyrius*] Licebat enim feminis Hebræis nubere marito extraneo, ſalvâ religione ſuâ. Lex faciliùs putavit viros poſſe à feminis depravari, quàm feminas à viris.

16. *Ratibus*] In Hebræo, רפסרות: ex Græco ῥαψωδία, quod *contexturam carminum* ſignificat, translatum ad ratium contexturam. Non Eſdræ tantùm, ſed & Danielis temporibus Græca quædam vocabula in Hebræum Chaldæúmque ſermonem commercio penetraverant.

17. *Numeravit igitur Salomon omnes viros proſelytos*] In Hebræo: הגרים, id eſt, *advenas*. Eos intellige qui Legi ſe non ſubjecerant, ſed præcepta Noæ data ſervabant. Nam qui Legi ſe ſubjecerant pari jure cum civibus agebant.

CAPVT III.

7. *Porrò aurum erat probatiſſimum*] In Hebræo: פרוים [*Parvaim*]. Interpretantur Hebræi quidam aurum tale fuiſſe quod juvencorum (qui פרים [*pharim*] Hebræis) ſanguinem colore referret. At LXX regionis nomen eſſe credidêre: ponunt enim ἐκ Φαρουΐμ [*ex Pharuim*]. Quidam conjiciunt eſſe *Parbatiam* Suſianes, diſtinctam fortè olim in duas urbes, nam forma nominis in Hebræo textu eſt dualis. Graviter errant qui Americæ partem *Peruanam* intelligunt ſolo nominis ſono ducti. Ea verò regio illis temporibus cognita non fuit, nec ut ego credo, habitata: & nomen illud indigenis ignotum accepit ab Hiſpanis qui primum hominem ſibi obvium eo nomine repererunt.

CAPVT IV.

9. *Fecit etiam atrium ſacerdotum*] In ambitu baſilicæ Templi, ubi & cellæ ſtructæ Sacerdotibus.

Et baſilicam grandem] In Hebræo, *& atrium magnum*: id eſt, ſubdiale in uſum populi.

CAPVT V.

13. *Confitemini Domino quoniam bonus*] Canebant enim Pſalmum CXXXVI ſolitum adhiberi rebus lætis. Vide & VII. 3. & XX. 21.

CAPVT VI.

13. *Fecerat Salomon baſim æneam*] Id eſt, ſuggeſtum, in modum conchæ, ut ajunt Hebræi.

Et poſuerat eam in medio baſilicæ] Intellige, in medio *atrii*, ſive *ſubdialis*: nam baſilica propriè היכל [*Ædes ſacerdotum*].

29. *Si quis de populo tuo Iſrael fuerit deprecatus*] Ampliùs in Hebræo: *Omnem orationem, omnémque ſupplicationem quæ facta fuerit ab homine quocunque, aut ab univerſo populo tuo Iſrael.* Copulativa enim

conjunctio hîc, ut alibi ſæpè, poſita eſt pro disjunctiva. Senſus eſt : exaudi quæ hîc fient preces ſive privatas ſive publicas.

42. *Ne averteris faciem chriſti tui*] Aliæ editiones Latinæ *averſeris* rectiùs, id eſt, rogo nè me Regem abs te factum averſêris.

C A P V T VII.

1. IGnis deſcendit de cælo] Ità Deus in hoc Templo duobus modis ſe teſtatum fecit, per *nebulam* (ſuprà v. 14.) & per *ignem*, ut olim in deſerto. Adde quæ dicta ad Geneſ. IV. 4.

3. *Et corruentes proni in terram ſuper pavimentum ſtratum lapide adoraverunt*] Hebtææ voces magìs ſignificare videntur *vultus humi dejectos, & corpus inflexum.*

C A P V T VIII.

6. E*T urbes equitum*] In quibus equos alebat ex Ægypto advectos, 1 Reg. X. 28. Hoc libro I. 14. & infrà IX. 25. Vide Baſilium 1 Macchab. III. 39.

9. *Porrò de filiis Iſrael non poſuit ut ſervirent operibus regis*] Nempe perpetuis operis ut extranei; ſed horum alii aliis ſuccedebant, 1 Regum V. 13.

11. *Non habitabit uxor mea in domo David regis Iſrael eò quòd ſanctificata ſit; quia ingreſſa eſt in eam arca Domini*] Senſus eſt, Regia anguſtior eſt, quàm ut Regis familiam & Reginæ capiat: quod autem ſoli adjacet, id ob reverentiam Arcæ iſthac portatæ purum ſervari debet.

13. *Iuxta præceptum Moſis*] Rex Legis cuſtos.

14. *David homo Dei*] Deo tum in rebus aliis, tum in hac præcipuè acceptiſſimus, 1 Samuelis XIII. 14. Nehemiæ XII. 24. Actor. VII. 46. XIII. 22.

15. *Nec prætergreſſi ſunt de mandatis Regis tam Sacerdotes quàm Levitæ*] Regiæ curæ pars eſt efficere ut & Sacerdotes ſuum faciant officium.

C A P V T IX.

5. D*E virtutibus & ſapientia tua*] Quæ in iſta etiam domeſticæ rei εὐταξίᾳ [*recta ordinatione*] apparebat.

22. *Magnificatus igitur eſt Salomon ſuper omnes reges terræ præ divitiis & gloria*] Nempe ſapientiæ, ut explicat locus huic reſpondens 1 Regum X. 23. Poterat ei dici,

Dî tibi divitias dederunt, artémque fruendi.

25. *Quadraginta millia equorum in ſtabulis*] In Hebræo, *quater mille ſtabula equorum* : nempe ſingula ſtabula equis denis. Vide 1 Reg. IV. 26.

26. *Exercuit etiam poteſtatem ſuper cunctos reges*] Græci: ἦν ἡγούμενος πάντων τῶν βασιλέων [*erat præcipuus omnium Regum*]. Rerum erat arbiter.

29. *In verbis Nathan Prophetæ, & in libris Abiæ Silonitæ, in viſione quoque Addo Videntis*] Vide ſuprà 1 Paralipom. XXIX. 29.

C A P V T X.

15. E*Rat enim voluntatis Dei*] In Hebræo: *erat hoc effectum à Deo*, nempe cor obdurando. Græci, ἦν μεταστροφὴ παρὰ τοῦ Θεοῦ [*erat mutatio à Deo*].

16. *Populus autem univerſus rege duriora dicente*] In Hebræis codicibus eſt : *Rege non audiente illos.* quidam codices addunt ראו [*videbant*] ante כי [*nam*], id eſt, cùm videret populus ſe à Rege non audiri. Sic & 1 Reg. XII. 16.

C A P V T XI.

5. Æ*Dificavit civitates munitas in Iuda*] Limitem munivit contra Decem tribus.

11. *Ciborúmque horrea*] Apothecas, ut in bello fieri ſolet.

12. *Sed & in ſingulis urbibus fecit armamentarium*] Vnde armaret militem. Nota tria hæc ſuſpectis temporibus neceſſaria ſervando regno.

13. *Sacerdotes autem & Levitæ qui erant in univerſo Iſrael venerunt ad eum*] Memores promiſſorum Davidi factorum. Horum exemplum ſecuti & alii eximiè pii, infrà 16.

21. *Vxores decem & octo duxerat, concubinas autem ſexaginta*] Modum exceſſit. Vide Deuteronom. XVII. 17.

22. *Conſtituit verò in capite Abiam filium Moachæ ducem ſuper omnes fratres ſuos; ipſum enim regem facere cogitabat*] Quia ipſi ut primogenito Regnum debebatur (ut infrà XXI. 3.) ideo eum aſſuefecit imperio, ſummam ſub ſe rerum ei credens.

23. *Quia ſapientior fuit & potentior ſuper omnes filios ejus, & in cunctis finibus Iudæ & Benjamin, & in univerſis civitatibus muratis*] Aliter in Hebræo: *Et erudire faciebat & diſpergebat de omnibus filiis ſuis in cunctis terris Iudæ & Benjamin, in omnibus urbibus munitis.* Filios minores natu noluit unà eſſe in uno loco, nè fortè factionem aliquam inciperent, ſed per varia oppida limitanea eos diſtribuit, additis magiſtris & inſpectoribus.

Præbuítque eis eſcas plurimas] *Dedit illis Panagia,* ut loquuntur Galli, exemplo Abrahami Gen. XXV. 6. quod & Ioſaphatus ſecutus legitur infrà XXI. 3.

C A P V T XII.

3. E*T Troglodytæ*] סכיים in Hebræo, quos σκηνίτας [*tentoria habitantes*] verbum verbo reddens dixit Ptolemæus. Verùm vox Hebræa interdum pro τρώγλαις id eſt *ſpeluncis* ponitur, ut Pſalm. X. 9. Iob. XXXVIII. 4. Apud Plinium in his locis eſt oppidum Suchæ.

7. *Quia humiliati ſunt, non diſperdam eos*] Simile vide 1 Reg. XXI. 29.

8. *Vt ſciant diſtantiam ſervitutis meæ, & ſervitutis regni terrarum*] Diſcimus hinc pœnam non ſemper tolli, ſed ſæpè minui tantùm, culpam agnoſcentibus: deinde, in ſervitute minus mali eſſe quàm in internecione : qua de re egimus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, XXIV. 6. Et Deo ſervire nolentibus hanc pœnam imponi ut duris Regibus ſerviant.

15. *Et Addo Videntis, & diligenter expoſita*] In Hebræo eſt, *dum genus recenſet.* Librum ſuum Addo inſcripſerat Γενεαλογίαν [*Generis recenſionem*], & ſingulis quorum nomina recenſebat addiderat rerum geſtarum ab ipſis breviarium. Quod hîc reperitur התיחש, id γενεαλογεῖν [*genus recenſere*] vertunt Græci 1 Paral. v. 1. vii. 40. ix. 1. Eſdræ 11.62.

CAPVT XIII.

2. M*ichaia*] In Hebræo, מיכיהו [*Michaiahu*]; ſed credibile eſt olim ſcriptum fuiſſe מעכה [*Maacha*], quomodo eſt ſuprà, & in libris Regum. Eadem Aſæ mater dicitur 1 Reg. xv. 10. ubi *mater* ſignificat *aviam.*

Filia Vriel] Cui alterum nomen *Abſalom*, ſuprà xi. 20. 21. 1 Reg. xv. 2. 10.

3. *Cúmque iniiſſet Abia certamen*] Id eſt, infeſto exercitu ingreſſus eſſet fines hoſtiles, ut ex ſequentibus apparet.

4. *Qui ait: Audi, Ieroboam, & omnis Iſrael*] Oratio hæc appoſitè facta & ad terrendos hoſtes, & ad ſuos cohortandos. Oſtendit enim Abia pro ſe eſſe ſucceſſionem legitimam, ſacra & Sacerdotes apud ſe. Non erat Abia religioſus, ut apparet 1 Regum xv. 3. ſed religionis velo uti norat, ut multi Reges.

8. *Habetíſque grandem populi multitudinem, atque vitulos aureos, quos fecit vobis Ieroboam in deos*] Illud poſterius ו, quod Latinus hîc vertit *atque*, rectiùs verti per adverſativam poteſt. Magna quidem veſtra eſt turba; ſed habetis imagines contra Legem, propter quas Deus vobis iraſcitur. Vide Iudith v. 18. 19. Hoc erat fundamentum conſilii, quod dedit Balaamus.

13. *Ignorantem Iudam ſuo ambiebat exercitu*] Nam qui numero præpollent id agere ſolent, ut hoſtem undique includant. conſidera verba ſequentia. Exemplum vide apud Frontinum 11. capite 111. num. 16. apud Tacitum Annal. 11. ubi de Cariovalda ſermo. Venatores in ſuo adverſùs feras bello *indaginem* id vocant.

18. *Et vehementiſſimè confortati filii Iuda eò quòd ſperaſſent in Domino Deo patrum ſuorum*] Erat hic populus melior Rege. Sæpè Deus populo parcit ob Regem; ſæpè & Regi ob populum.

CAPVT XIV.

5. E*T abſtulit de cunctis urbibus Iuda aras & fana, & regnavit in pace*] Abſtulit ex locis publicis. Ex locis privatis poſtea, infrà xv. 8. Sic & Chriſtiani Imperatores orbem paganiſmo purgarunt per gradus quoſdam.

7. *Dixit autem Iudæ: Ædificemus civitates iſtas, & vallemus muris, & roboremus turribus & portis & ſeris, donec à bello quieta ſint omnia*] Tempore pacis de bello cogitandum eſt.

9. *Zara Æthiops*] Æthiopes, numero hominum validi, ſæpè ad mare uſque Syriacum bellando venêre, ut olim Cepheus.

11. *Domine non eſt apud te ulla diſtantia, utrùm in paucis auxilieris an in pluribus*] Eadem ſententia 1 Sam. xiv. 6. Vide quæ ibi diximus.

13. *Tulerunt ergò ſpolia multa*] Nempe de interfectis; nam Hebræa vox hîc eſt שלל, unde σκῦλα [*exuviæ*] Græcis, eodem ſignificatu.

14. *Et multam prædam aſportaverunt*] *Præda* hîc in Hebræo בזה, id Græci elegantiores dicerent λάφυρα. ſed noſtri interpretes ſæpè διαρπαγὴν [*direptionem*] vertunt, ſæpè & προνομὴν [*pabulatum*]; quorum illud de urbibus, hoc de agris dici ſolet.

15. *Sed & caulas ovium deſtruentes*] אהלי מקנה, quod retinuêre Græci, Ἀλιμαζονεῖς, ſignificat *tentoria pecuariorum*, id eſt, Arabum Scenitarum, qui federati Æthiopibus Scenitis.

CAPVT XV.

1. A*Zarias autem filius Oded*] Vocatus & ipſe, ut pater, *Oded*, ut apparet infrà 8. in Hebræo; ſed ab eo diſtinctus altero *Azariæ* nomine.

2. *Dominus vobiſcum quia fuiſtis cum eo*] In Hebræo, *dum vos fuiſtis cum eo.* Græci, ἐν τῷ εἶναι ὑμᾶς μετ᾽ αὐτοῦ. Bene admodùm; nec longè abit illud Salluſtii, *Namque mihi pro vero conſtat, omnium mortalium vitam divino numine inviſi: neque bonum neque malum facinus cujuſquam pro nihilo haberi, ſed ex natura diverſa præmia bonos malóſque ſequi.*

3. *Tranſibunt autem multi dies in Iſraele*] In Hebræo non eſt illud *tranſibunt*; unde rectiùs quod deeſt impleas per *fuerunt. In Iſraële*, id eſt, in Decem tribubus: *fuerunt*, ſub Ieroboamo.

Abſque Deo vero] Abſque vera pietate in Deum.

Abſque ſacerdote doctore] Nam Sacerdotes omnes tribui Iudæ ſe adjunxerant.

Et abſque lege] Nam Decem tribus cùm multa alia contra Legem, tum & Theraphim habebant.

4. *Cúmque reverſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominum*] Rectiùs, *ſi converſus fuiſſet.* neque enim id evênit.

5. *In tempore illo*] Hoc tempore, quamdiu Deum aſpernantur.

Non erit pax ingredienti & egredienti, ſed terrores undique in cunctis habitatoribus terrarum] Nuſquam tuta erit ſedes: ità infeſta erunt omnia non externis tantùm bellis, ſed & internis diſcordiis. Impletum hoc vaticinium vide 1 Regum xv. xvi. xx. 11 Regum ix. x. xv.

6. *Pugnabit enim gens contra gentem*] *Gentem* intellige tribum. Et vide quæ dicta Matth. xxiv.

Et civitas contra civitatem] Fieri non poterat quin id eveniret, ubi nulla certa erat regni ſucceſſio, ſed quiſquis Regem occidiſſet regnum ſperabat, ſæpè non ſine adverſario, qualia Romæ tempora ante Veſpaſianum.

Quia Dominus conturbabit eos in omni anguſtia] Committet eos inter ſe multo cum ſanguine, ac malis omnibus quæ bella civilia comitari ſolent.

7. *Vos ergò*] Vos ex tribu Iudæ & Benjaminis cum Sacerdotibus & Levitis.

Confortamini] Animos ſumite. Res vobis eſt cum hominibus Deo exoſis.

Et non diſſolvantur manus veſtræ] Nè pigramini.

Erit enim merces operi veſtro] Magna erunt ~~militiæ~~ in illos veſtræ præmia; ſi nempe Deum colatis ex Lege.

8. *Abſtulit idola*] Vide ſuprà xiv. 5.

Ex urbibus quas ceperat montis Ephraim] Vrbes ad tribum Benjaminis pertinentes à Rege Decem tribuum bello captas receperat Aſa, ſuprà XIII. 19. Eas ad Legis obſervationem reduxit,ut æquum erat.

Dedicavit altare quod erat ante porticum Domini] In Hebræo pro *porticus* eſt אולם, unde Latinum *aula*. Sic autem propriè dicitur *quod concluditur porticibus quatuor*, ut Servius ait ad tertium Æneidos. Erat autem altare holocauſtorum Sacerdotibus ex baſilica venientibus in parte prima ſubdialis ſive aulæ.

11. *Immolaverunt Domino in die illa de manubiis & præda quam adduxerant*] Non ſunt duæ voces in Hebræo, ſed una שלל, quæ alibi, ut diximus, σκῦλα [*ſpolia*], at hîc per κατάχρησιν [*abuſionem*] quandam τὴν λεῖαν [*rapta pecora*] ſignificat.

13. *Si quis autem non quæſierit Dominum Deum Iſraël, moriatur*] Si quis aut publicè aut privatim deos coluerit alios, moriatur, ex lege Deuteron. XVII. 2.

16. *Amovit nè eſſet domina*] Nè honorem Auguſtæ obtineret. Vide quæ dicta 1 Reg. XV. 13.

17. *Excelſa autem derelicta ſunt in Iſraël*] In fundis privatis.

Attamen cor Aſa erat perfectum cunctis diebus ejus] Etiam optimi Reges non ſtatim omnia quæ improbant corrigere poſſunt, ut alibi quoque indicavimus: ſunt *quibuſdam flagitiis impares*, ut Tacitus loquitur.

19. *Bellum non fuit uſque ad trigeſimum quintum annum regni Aſa*] Quia libro 1 Reg. XV. 16. dicuntur toto vitæ ſuæ tempore inter ſe bellaſſe Aſa & Bahaſa; ideo quidam hîc legunt *quintum annum*, omiſsâ *triceſimi* notâ.

CAPVT XVI.

1. *ANno autem trigeſimo ſexto regni ejus*] Alii legendum putant viceſimo.

Muro circumdabat Rama] Munimenta circa eam urbem multa fecit. Vide 1 Reg. XV. 17.

7. *Quia fiduciam habuiſti in rege Syriæ, & non in Domino Deo tuo*] Qui Deus tibi rectè agenti victoriam de Iſraëlitis per Azariam promiſerat, ſuprà XV. 7.

8. *Nonne Æthiopes & Libyes multò plures erant?*] Suprà XII.

Quadrigis & equitibus] Libyes, & nominatim Cyrenæi, antiquitus nobiles pugnâ equeſtri, & ex curribus: teſtes Pindarus, Xenophon, Dionyſius Periegetes & ad eum Scholiaſtes, & alii.

9. *Adversùm te bella conſurgent*] Id eſt, adverſùs filium tuum. Vide mox XVIII. & XX.

10. *Iuſſit eum mitti in nervum*] Tanquam læſæ majeſtatis reum, malè: Prophetarum enim officium erat caſtigare etiam Reges.

11. *Scripta ſunt in libro regum Iuda & Iſrael*] Non in illis libris quos nos habemus, ſed in amplioribus quos ſcripſerant Prophetæ ſuprà nominati, XII. 15.

12. *Et nec in infirmitate ſua quæſivit Dominum, ſed magis in medicorum arte confiſus eſt*] Non reprehenditur quòd medicorum uſus ſit operâ, ſed quòd Deum ſeriâ pœnitentiâ ac prece non adierit, ſine quo nihil valet medicorum auxilium.

14. *In ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in civitate David*] In caverna quam ſibi novam juxta aliorum Regum monumenta fecerat.

Et unguentis meretriciis] Putavit eſſe maſculinum pro feminino זונות [*meretrices*], ſed eſt vox Chaldæa, terminatione tantùm Hebræa, ſignificátque *varia genera* cujuſque rei, uſurpatúrque de *penu* Pſalm. CXLIV. 13. de *cantu vario* Dan. III. 5. & ponitur pro Hebræo מין [*ſpecies*] apud Chaldæos interpretes Geneſ. I. 11. 12. Græci hîc non malè γένη μύρων [*genera unguentorum*].

CAPVT XVII.

2. *COnſtituítque militum numeros in cunctis urbibus Iuda*] Magnam curam habuit muniendi limitis, tum augendo præſidia, ut hîc & infrà 19. tum nova munimenta exſtruendo infrà 12.

3. *Ambulavit in viis David patris ſui primis*] Talis fuit, qualis David ante viſam Bethſabeam.

5. *Et dedit omnis Iuda munera Ioſaphat*] Vt mos erat in Oriente, præſertim in regni auſpiciis, 1 Samuel. X. 27.

6. *Cúmque ſumſiſſet cor ejus audaciam propter via Domini*] Audentior factus eſt ad cogendam plebem in obſequium Legis.

Etiam excelſa & lucos de Iuda abſtulit] Legit ועד [*& adhuc*], ut nunc habent Hebræi codices. Eruditi tamen viri exiſtimant ſcriptum hîc olim fuiſſe ולא [*& non*], ut conveniat hæc hiſtoria cum eo quod eſt 1 Reg. XXII. 44. & infrà XX. 33. quaſi dicat: nè hic quidem, quanquam multò cæteris audentior, auſus eſt amovere excelſa è locis privatis.

7. *Miſit de principibus ſuis Benhail & Obdiam & Zachariam & Nathanael & Micheam, ut docerent in civitatibus Iuda*] Docere & explicare Legem non tantùm Sacerdotum erat & Levitarum, quorum ſequetur mentio, ſed omnium eruditorum, quod & nunc obſervatur apud Iudæos. Peritiſſimi autem legum eſſe debebant qui Regi à conſiliis erant.

9. *Habentes librum legis Domini*] Quem interpretabantur populo, Nehem. VIII. 9.

CAPVT XVIII.

3. *VT ego, & tu: ſicut populus tuus, ſic & populus meus: tecùmque erimus in bello*] Contra præceptum Dei per Azariam, ſuprà XV. Ideo meritò reprehenditur infrà XIX. 2. & XX. 37.

CAPVT XIX.

4. *VSque ad montem Ephraim*] Ad urbes quas Aſa bello ceperat, ſuprà XV. 8.

5. *Conſtituítque judices terræ in cunctis civitatibus Iuda munitis per ſingula loca*] Id eſt, in urbibus aut noviter ſtructis, aut bello acquiſitis, effecit, ut eſſent Iudices XXIII: qui de cauſis civilibus & capitalibus, non exceptis, cognoſcerent.

6. *Non enim hominis exercetis judicium, ſed Domini*] Deuteron. I. 17.

8. *In Ieruſalem quoque conſtituit Ioſaphat Levitas & Sacerdotes & principes familiarum ex Iſrael*] Cùm numerus ad paucos recidiſſet, omiſſâ cooptatione

metu Regum, quibus ſuſpecta erat Synedrii auctoritas (de quo vide dicenda infrà xxi. 4.) more legitimo impleri numerum juſſit, partim ex Sacerdotibus & Levitis (qui quòd ab aliis laboribus vacarent Legis ſtudio erant aptiſſimi) partim ex eruditis aliarum tribuum. Vide omnino quæ diximus ad Deuteronomii xvii.

10. *Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum*] Nam oppidani iſti judices in cauſis difficilioribus relationem faciebant ad Synedrium, tum quòd ibi eſſent homines doctiores, tum nè ſuper paribus rebus variè judicaretur, & indè naſcerentur diſcordiæ.

Inter cognationem & cognationem] Vbi quæritur quis mortuo ſuccedere debeat.

Vbicunque quæſtio eſt de lege] Præmittit nomen generis, jubjecturus deinde ſpecies.

De mandato] De iis præceptis quæ evidentem in ſe honeſtatem habent. id enim מצוה [*præceptum*].

De ceremoniis] De præceptis poſitivis ad ritus pertinentibus.

De juſtificationibus] De præceptis quæ ad modum exercendorum judiciorum pertinent.

Oſtendite eis] Docete eos quid facere debeant.

11. *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent præſidebit*] In Hebræo: *Amaria Sacerdos caput ſuper vos in omni verbo Domini.* Is Amarias eo tempore נשיא fuerat, id eſt, *princeps Senatûs.* Ejus erat ſententiâ ſuâ præire cæteris in omnibus eis quæ Lege Dei erant definita.

Porrò Zabadias filius Iſmaël, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit quæ ad regis officium pertinent] Is Zabadias fuerat ſecundus in Senatu, quem אב בית דין [*Patrem domûs judicii*] vocabant. Cùm autem tribum Iudæ diu ſub Rege rexiſſet, aptiſſimus erat qui ἐν πολιτικοῖς σκέμμασι [*in politicis deliberationibus*] cæteris præiret ſuâ ſententiâ. Synedrium non tantùm judiciis maximis præerat, & ad aliorum Iudicum relationes reſpondebat, ſed & Regi in rebus magnis, putà de bello ſuſcipiendo aut non ſuſcipiendo, conſilium dabat, ut notatur Thalmude titulo de Rege cap. v. §. 3. & apud Maimoniden titulo de Rege cap. v. 2. Ioſephus in explicatione Legis de Rege: πρασσέτω δὲ μηδὲν δίχα τοῦ ἀρχιερέως καὶ τῆς τῶν γερουσιαστῶν γνώμης [*nihil agat ſine ſummi Sacerdotis & Senatorum ſententia*].

Habetíſque Levitas magiſtros coram vobis] In Hebræo, *apparitores Levitæ coram vobis:* id eſt, parati erunt illi ad juſſa veſtra exſequenda. Apparitores Magiſtratuum & judiciorum exſecutores è Levitis ſumebantur,

CAPVT XX.

3. PRædicavit jejunium] Id enim accendit preces.

6. *Domine Deus patrum noſtrorum*] Egregia oratio, quæ & fiduciam in Deum & cauſæ juſtitiam breviter exponit.

10. *Declinaverunt ab eis, & non interfecerunt eos*] Deuteron. ii.

14. *In medio turbæ*] Solebant Prophetiæ recitari præſente populo, ut & in Novo Federe.

15. *Omnis Iuda & qui habitatis Ieruſalem & tu rex Ioſaphat*] Eum qui præcipuus eſt poſtremo loco nominat. de loquendi hoc genere egimus ad Marcum xvi. 7.

19. *In excelſum*] Altiſſimâ voce.

20. *Credite Prophetis ejus*] Tum aliis, tum Iahazieli.

21. *Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia ejus*] Vide quæ dicta ſuprà v. 13.

23. *Namque filii Ammon & Moab conſurrexerunt adversùs habitatores montis Seir, ut interficerent, & delerent eos: cúmque hoc opere perpetraſſent, etiam in ſemetipſos verſi mutuis concidêre vulneribus*] Potuêre tunc dicere Iudæi de Ammonitis, Moabitis & Idumæis, quod de Bructeris, Chamavis & Angrivariis dicit Tacitus in Germania: *Nunc Chamavos & Angrivarios immigraſſe narratur, pulſis Bructeris ac penitus exciſis, vicinarum conſenſu nationum, ſeu ſuperbiæ odio, ſeu prædæ dulcedine, ſeu favore quodam erga nos deorum. nam ne ſpectaculo quidem prælii invidêre. Super* LX *millia, non armis teliſque Romanis, ſed quod magnificentius eſt, oblectationi oculiſque ceciderunt. Maneat, quæſo, durétque gentibus, ſi non amor noſtri, at certè odium ſui.*

25. *Venit ergò Ioſaphat & omnis populus cum eo ad detrahenda ſpolia mortuorum*] Hæc erant *Salmacidûm ſpolia, ſine ſanguine & ſudore.*

33. *Veruntamen excelſa non abſtulit*] Vide ſuprà xvii. 6.

37. *Quia fedus habuiſti cum Ochoſia, percuſſit Dominus opera tua*] Vide ſuprà xviii. 3.

CAPVT XXI.

4. O*Ccidit omnes fratres ſuos gladio*] More vicinorum Regum, de quibus Plutarchus Demetrio, τὸ μὲν γὰρ ἀδελφοὺς ἀναιρεῖν, ὥσπερ οἱ γεωμέτραι τὰ αἰτήματα λαμβάνουσιν οὕτω συνεχωρεῖτο, κοινόν τι νομιζόμενον ἄιτημα καὶ βασιλικὸν ὑπὲρ ἀσφαλείας [*nam fratres occidere pro conceſſo habebatur, quaſi commune Regibus pro ſecuritate ſua poſtulatum, ſicut Geometræ ſua quædam habent poſtulata*]. Tacitus de poſterioribus Iudæorum Regibus: *Fugas civium, urbium everſiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliáque ſolita Regibus auſi.*

Et quoſdam de principibus Iſrael] De Synedrio, ut credibile eſt, homines Legis amantes & eximiæ apud populum auctoritatis. Nam talibus Regibus, ut Salluſtii verba uſurpem, *boni quàm mali ſuſpectiores ſunt, ſempérque aliena virtus formidoloſa eſt.* Tacitus *non minus periculum eſſe* ait *ex magna fama quàm ex mala; & ob virtutes certiſſimum exitium.* Hæc fuit cauſa cur Herodes totum Synedrium tolleret.

12. *Literæ ab Elia propheta*] Ioſephus: κομίζεται παρ᾽ Ἠλίου τοῦ προφήτου ἐπιστολή [*mittitur epiſtola ab Elia Propheta*], & poſt recitata verba, ταῦτα μὲν ἐδήλου διὰ τῆς ἐπιστολῆς ὁ Ἠλίας [*hæc dicebat per epiſtolam Elias*]. LXX: ἦλθεν αὐτῷ ἐν γραφῇ παρὰ Ἠλίου τοῦ προφήτου λέγων [*venit illi ab Elia Propheta quod ſcripto diceret*], ubi ſupplendum πίναξ [*pugillar*], vel ſimile quid. Credidêre ergò ab Elia poſtquam humanis rebus ereptus eſt ſcriptam hanc epiſtolam: quod non eſt cur magis miremur, quàm quod Iudas Macchabæus ſomnio Divinitùs immiſſo vidiſſe ſcribitur

11 Macc. xv. Oniam Sacerdotem & Ieremiam Prophetam pro populo orantes.

15. *Donec egrediantur vitalia tua paulatim per ſingulos dies*] Qui ſolet eſſe longæ δυσεντερίας [*exulcerationis inteſtinorum*] exitus. Hunc interitum habuêre impii Reges duo, Antiochus illuſtris & Agrippa: Εἰς τί τὰ σπλάγχνα τοῖς οὐ σπλαγχνιζομένοις; [*Quorſum viſcera non miſerantibus ?*]

17. *Niſi Ioachaz qui minimus natu erat*] Idem eſt hoc nomen cum nomine Ochozias, particulis tranſpoſitis.

19. *Non fecit ei populus ſecundùm morem combuſtionis exſequias*] Vt Aſæ fecerant ſuprà xvi. 14. Egregium inſtitutum ut mortuis Regibus pro meritis major minórve honor haberetur.

20. *Sepelierunt eum in civitate David*] In honorem patris Ioſaphati, ut infrà xxii. 9.

Verumtamen non in ſepulchro Regum] Seorſim, in memoriam culparum ejus.

CAPVT XXII.

1. *COnſtituerunt autem habitatores Ieruſalem*] Id eſt, in ſolio locarunt, ut infrà xxiii. 20. nam regnum jure ipſi debebatur, ſine ullis populi ſuffragiis.

2. *Quadraginta duorum annorum erat Ochozias*] Vix videtur id conſiſtere poſſe cum eis quæ habemus 11 Regum viii. 26. Rectior ergò lectio Lxx, ἐτῶν εἴκοσι καὶ δύο [*annorum viginti & duorum*].

3. *Mater enim ejus impulit eum ut impiè ageret*] Solent apud Reges imbecillis judicii multùm valere matres.

6. *Ochozias filius Ioram Rex Iuda*] Sic & Græci, Ὀχοζίας. Nec aliter hoc nomen ſcribitur in eadem hiſtoria 11 Regum viii. 25. & 29. quare per errorem videtur hîc in Hebræo irrepſiſſe עוריהו [*Azariahu*] pro אחזיהו [*Ochoziahu*].

7. *Quem unxit Dominus ut deleret domum Achab*] Id eſt, in hoc eum excitavit, cùm eum per Eliſæum juſſit ungi, 11 Reg. ix. 6.

10. *Et interfecit omnem ſtirpem regiam domûs Ioram*] Vix eſt ut דבר reperiatur pro *perdere*; nam in Pſalm. 11. 4. nihil vetat verti *loquetur*. hinc quidam præferunt eos codices qui hîc habuêre ותאבד [*& perdidit*], quomodo 11 Reg. xi. 1.

CAPVT XXIII.

2. *ET principes familiarum Iſrael*] Per Iſraëlem hîc intellige Iudam & Benjaminem συνεκδοχικῶς [*per complexionem*].

3. *Filius regis regnabit*] Ei jure debetur regnum.

5. *Ad portam quæ appellatur Fundamenti*] Ità dicta fuit quòd in loco declivi ſita eſſet, per quam è regia in Templum ſcandebatur. Eadem *Scutariorum* in libro Regum.

18. *Iuxta diſpoſitionem David*] Memoratam 1 Paralipomen. xxvi. 18. Hanc ille diu neglectam in uſum revocavit.

CAPVT XXIV.

6. *PEcuniam quæ conſtituta eſt à Moſe ſervo Domini*] In Hebræo, *munus Moſis ſervi Dei:* id eſt, talem oblationem qualis uſurpata fuit Moſis temporibus.

17. *Qui delinitus obſequiis eorum, acquievit eis*] Παραφράζει [*circumloquitur*] illud quod in Hebræo eſt *audivit rex eos. Regum opes ſæpius aſſentatio quàm hoſtis evertit*, ait Curtius. *Multorum* autem *Principum aures*, ut cum Tacito loquar, *nihil accipiunt niſi jucundum & læſurum.*

20. *Filium Iojadæ*] Qui Iojada cur in Euangelio *Barachia* dicatur, vide quæ notavimus ad Matthæi xxiii. 35.

Et ſtetit in conſpectu populi] In Hebræo, *ſuper populum*: id eſt, concionatus eſt ex loco ſuperiore, unde faciliùs ab omnibus exaudiretur.

22. *Ait, Videat Dominus & requirat*] Quod fecit Deus per bella externa, & domeſticam conjurationem.

24. *In Ioas quoque ignominioſè exercuere judicia*] Id eſt, graviter illum Syri torſerunt. omnis vindicta *judicii* nomine apud Hebræos ſignificatur. Illud *ignominioſè* præter Hebræum addidit hîc Interpres.

CAPVT XXV.

6. *MErcede quoque conduxit de Iſraël centum millia robuſtorum*] Bis peccavit Amaſias, priùs quòd ſocietatem cum Decem tribubus iniit, contra interdictum Prophetæ Azariæ ſuprà xv. deinde quòd eos bello impetivit ipſe non laceſſitus, contra interdictum Dei, 1 Reg. xii. 24. Debuerat illos ſuis diſcordiis relinquere, & bellum, ſi ab illis inferretur, repellere.

7. *Venit autem homo Dei ad illum*] An Amos pater Eſaiæ, ut ſentiunt Hebræi?

9. *Habet Dominus unde tibi dare poſſit multò his plura*] Satis dives eſt qui Dei causâ pauperatur.

12. *Ad præruptum cujuſdam petræ*] Illius à quo nomen habet urbs Arabiæ *Petra*, Ioſephus hîc. Vide 11 Regum xiv. 7.

16. *Non conſiliarius regis es*] Sanè erat, & quidem à Deo Regi datus. Nihil faciebat alienum à ſuo munere. Vide Ieremiæ 1. 10.

20. *Noluit audire Amaſias eò quòd Domini eſſet voluntas ut traderetur in manus hoſtium*] Quos Deus vult perdere eis mentem excæcat.

24. *Et apud Obededom*] Poſteros ejus intellige, qui progenitoris nomine hîc appellantur. Sic dicimus Iſraëlem, Iudam, aliáque.

CAPVT XXVI.

4. *FEcitque quod erat rectum in oculis Domini, juxta omnia quæ fecerat Amaſias pater ejus*] Id eſt, factis Legem ſecutus eſt, non tamen ſolidâ pietate, ſuprà xxv. 2.

5. *In diebus Zachariæ intelligentis & videntis Deum*] In Hebræo, *intelligentis in viſionibus Dei:* id eſt,

periti in explicandis veterum prophetiis : hæc eſt ἑρμηνεία ἀποκαλύψεων [*interpretatio revelationum*] 1 Cor.XIV.26.

6. *Deſtruxit murum Geth*] Si hæc & quæ ſequuntur deinceps ad comma uſque 15. rectè conſideremus, videbimus hunc Regem non tantùm agriculturæ, quod infrà dicitur, ſed & rei bellicæ fuiſſe bene peritum, & pro populi ſui ſalute ſollicitum. Nam hoſtium in limite munimenta deſtruit, ſuos fines bene munit, operibus, præſidiis, armis, machinis.

15. *Quas in turribus collocavit & in angulis murorum*] Bene admodum Vegetius libro IV. cap. 11. *Ambitum muri directum veteres duci noluerunt, nè ad ictum arietis eſſet diſpoſitus, ſed ſinuoſis anfractibus, jactis fundamentis, clauſêre urbes, crebrioréſque turres in ipſis angulis ediderunt, propterea, quia ſi quis ad murum tali ordinatione conſtructum vel ſcalas vel machinas voluerit admovere, non ſolùm à fronte, ſed etiam à lateribus, & propè à tergo, veluti in ſinum circumcluſus opprimitur.* Tacitus in deſcriptione Hieroſolymorum: *Sed urbem arduam ſitu opera moléſque firmaverant, queis vel plana ſatìs munirentur. Nam duos colles immenſum editos claudebant muri per altum obliqui, aut introrſus ſinuati, ut latera oppugnantium ad ictus pateſcerent.* Valerius Flaccus ubi ejuſdem urbis ſub Tito oppugnationem deſcribit:

——— Solymo nigrantem pulvere fratrem
Spargentémque faces, & in omni turre furentem.

18. *Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed Sacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron*] Ex lege Exod. XXX. 7. 38. Regis erat non adolere, ſed facere ut Sacerdotes adolerent. Vide infrà XXVII. 2.

20. *Et feſtinatò expulerunt eum*] In Hebræo eſt, *feſtinare fecerunt*: Græci non aliter, κατέσπευσαν αὐτὸν ἐκεῖθεν [*fecerunt ut indè feſtinaret*]. Non vi uſi ſunt, ſed monitis ex Lege quæ leproſos in urbe, nedum in Templo, conſpici nolebat. Hanc interpretationem firmant ſequentia. Et ipſe etiam *perterritus acceleravit egredi*, nempe nè Deum graviùs offenderet.

21. *Habitavit in domo ſeparata*] Extra urbes & oppida, ut lex Moſis jubet, cui & Reges ſuberant, niſi ſicubi æquitas exceptionem dictaret.

CAPVT XXVII.

3. *ET in muro Ophel multa conſtruxit*] Sic & Græci. Videtur ſignificare fauces quaſdam ſive anguſtias; unde σκοτεινὸν [*obſcurum*] & ἄδυτον [*penetrale*] alibi ea vox vertitur: & per ſimilitudinem ſic appellatur pars humani corporis per quam fit egeſtio, ut 1 Sam. V. 6. 9. 12. VI. 4. 5.

6. *Corroboratúſque eſt Ioatham*] Proſperè egit.

7. *Et omnes pugnæ ejus*] Contra Syros & Decem tribus, II Reg. XV. 37.

CAPVT XXVIII.

3. *IN Valle Benennom*] Quæ & *Gihinnom*, id eſt, *Vallis Hinnomi*, unde *gehennæ* nomen ad ſignificanda tormenta vitæ alterius.

Et luſtravit filios ſuos in igne] Vox יבער eſt ambigua; nam & *conſumtionem* & *tranſitum* ſignificare poteſt. Græci hîc διῆγε [*tranſtulit*]. de utroque ſignificatu egimus ad Deuteron. XVIII. 10.

4. *Et ſub omni ligno frondoſo*] Non in lucis tantùm, ſed & ſub magnis arboribus ſacra faciebant gentes Hebræis vicinæ, Deuteronom. XII. 2.

5. *In manus regis Syriæ*] Poſteriùs id accidit quàm quod narratur II Regum XVI. 5.

7. *Elcanam quoque ſecundum à rege*] LXX, τὸν διάδοχον τοῦ βασιλέως [*Vicarium Regis*].

9. *Occidiſtis eos atrociter*] Bella cum popularibus quàm cum externis leniùs gerenda.

10. *In ſervos & ancillas*] Vt mancipia extranea illos habetis.

Quod nequaquam facto opus eſt, peccaſtis enim ſuper hoc Domino Deo veſtro] In Hebræo: *Nonne verè vos, vobiſcum peccata contra Deum veſtrum?* Ità incepit ſermonem quaſi dicturus eſſet *vos peccaſtis*: ſed mutavit conſtructionem κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ſecundùm id quod ſignificatur*]. Peccaſſe eos indicat contra legem Deuteron. XV. 12. 43.

14. *Dimiſerántque viri bellatores prædam & univerſa quæ ceperant*] In ſignum pœnitentiæ plus fecêre quàm juſſi erant: nam & captivos ſtatim dimiſerunt, & res bello captas reddiderunt.

15. *Vnxiſſéntque propter laborem*] Fatigationi ſubvenit unctio. notat Celſus libro I. cap. 3.

20. *Adduxítque contra eum Thelgathphelnaſar regem Aſſyriorum, qui & afflixit eum, & nullo reſiſtente vaſtavit*] Non bene conveniunt hæc cum hiſtoria II Reg. XVI. 7. 8. 9. Quare putant eruditi על [*ſuper*] hîc poſitum pro אל [*bono ejus*], ut Geneſ. XXXVIII. 12. & alibi. præterea duas literas לא [*non*] hîc abundare, ut ſenſus ſit: *Et venit ad eum Thelgathphelnaſar rex Aſſyriæ, & ipſum in anguſtiis conſtitutum ſuſtentavit*, quod ſi recipimus etiam verſu ſequente delendum erit לא [*non*].

22. *Ipſe per ſe rex Achaz immolavit diis Damaſci*] In Hebræo illud *ipſe rex Achaz* finit præcedentem periodum, & notat Kimchi illud הוא [*ipſe* ſive *ille*] ſæpè cum deſpectu dici, ut Geneſ. XXXVI. ult. Numer. XXVI. 9. Addit Kimchi locum Geneſ. V. 5. Eſther I. 1. de quibus dubitari poteſt.

24. *Clauſit januas templi Dei*] Vt ſacra ubivis potiùs quàm in loco legitimo peragerentur, infrà XXIX. 7. Eas fores aperuit filius, infrà XXIX. 3.

CAPVT XXIX.

5. *AVferte omnem immunditiam à Sanctuario*] Omnia quæ ad idololatriam pertinent. Simul dictum, ſimul factum: eóque inſignior fuit hæc in melius mutatio, infrà 36.

8. *Tradidítque eos in commotionem & in interitum*] In Hebræo: *in commotionem & ſtuporem.* Græci: εἰς ἔκστασιν καὶ εἰς ἀφανισμὸν [*in alienationem mentis & deliquium*], id eſt, terrores illis panicos immiſit, ut ſuprà XX. 22.

16. *Ad torrentem Cedron*] *In Topheth*, ſive *vallem Hinnomi*, ut II Reg. XXIII. 10. 12.

21. *Et hircos ſeptem pro peccato*] Septem hircos ob multitudinem & diuturnitatem peccatorum. Heptas ſacris propria.

22. *Suſceperunt ſanguinem Sacerdotes, & fuderunt ſuper altare ſanguinem*] Ex lege Levit. VIII. 15.

23. *Impoſuerúntque manus ſuas ſuper eos*] Ex lege Levit. VIII. 22.

24. *Vt holocauſtum fieret*] Quo Deus ut omnium rerum Dominus agnoſceretur.

Et pro peccato] Ad expiationem.

25. *Secundùm diſpoſitionem David Regis & Gad Videntis & Nathan Prophetæ*] I Paralipom. XXIII. 5. II Paralipomen. VIII. 14. XXIII. 18. Rex id inſtituerat approbantibus ejus conſilium Prophetis.

31. *Impleſtis manus veſtras Domino*] Conſecraſtis vos miniſterio, ut Exodi XXVIII. 41.

34. *Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant ſufficere ut pelles holocauſtorum detraherent*] Id enim Sacerdotum erat, Levit. I.

Vnde & Levitæ fratres eorum adjuverunt eos] Exemplum hoc illuſtre eſt auctoritatis Regiæ (conſulto, ut credibile eſt, Synedrio) in relaxando legis Divinæ vinculo ex neceſſitate. Simile habemus infrà XXX. 2. 3. Notatum hoc Maimonidæ Doctoris dubitantium III. 41.

C A P V T XXX.

2. I*Nito ergò conſilio regis & principum & univerſi cœtus Ieruſalem*] Vide quæ dicta ſuprà I Paralipom. XIII. 1. Vniverſum cœtum intellige συναγωγὴν μεγάλην [*Congregationem magnam*] conſtantem ex Synedrio gentis, ex Senatu urbano Hieroſolymorum, & ex Senatoribus aliquot aliunde evocatis. Vide quæ dicta ad Matth. X. 17.

5. *In univerſum Iſrael*] Etiam ad Decem tribus miſſi, non qui juberent Regis nomine, ſed qui eos quoque, utpote legi Divinæ obſtrictos, ſui officii commonefacerent. Vide mox II. 25. 26.

Multi enim non fecerant ſicut lege præſcriptum eſt] In Hebræo: *pridem enim non fecerant ut ſcriptum eſt.* Excuſati ab hac ceremonia fuerant ob Regum minacia interdicta, ſicut olim ob continua per deſertas terras itinera Ioſue V.

7. *Nolite fieri ſicut patres veſtri & fratres, qui receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum, qui tradidit eos in interitum*] In Hebræo eſt לשמה, ut ſuprà XXIX. 8. ibi ἀφανισμὸν [*deletionem*], hîc ἐρήμωσιν [*vaſtitatem*] vertunt LXX. Duobus modis Rex Iudæos docet bene uti conſanguineorum calamitatibus, cavendo nè per eaſdem culpas in eadem mala incidant, & Deum precando ut illi ſubleventur. Vide ſequentia.

12. *In Iuda verò facta eſt manus Domini, ut daret eis cor unum*] Simile Act. IV. 32.

17. *Eò quòd multa turba ſanctificata non eſſet: & idcirco immolarent Levitæ Phaſe his qui non occurrerant ſanctificari Domino*] In Hebræo: *Multi enim erant in cœtu qui non erant ſanctificati, & Levitæ inſiſtebant immolationi Paſchatum pro omni qui non erat mundus ut ea ſanctificarent Deo. Paſchata* vocat victimas illas quæ fieri ſolebant XIV. menſis Niſan, nunc autem, ob cauſam quæ inciderat, fiebant XIV. menſis ſequentis. In primo exitu quiſque mactavit agnum vel hœdum Paſchalem; poſteà verò ſemper id fuit Sacerdotum, ut ex Ioſepho diſcimus non uno in loco, ut notavimus ad Matth. XXVI. 18. ſed hîc auctoritate regiâ Levitæ participes facti muneris ſacerdotalis, ut ſuprà XXIX. 34.

18. 19. *Magna etiam pars populi de Ephraim & Manaſſe & Iſſachar & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit Phaſe, non juxta quod ſcriptum eſt. Et oravit pro eis Ezechias dicens : Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum, & non imputabit eis quòd minùs ſanctificati ſunt*] Ecce alia relaxatio Legis Lev. XV. 31. XXII. 4. Num. IX. 6. cauſa eſt quòd Lex ea tempora reſpexit quibus non ità multi eſſent immundi, atque nunc erant. Ritualia inſtituta facilè cedunt non neceſſitati tantùm, ſed & utilitati publicæ.

22. *Et locutus eſt Ezechias ad cor omnium Levitarum*] Id eſt, benignè ac blandè eos eſt allocutus.

27. *Surrexerunt autem Sacerdotes atque Levitæ, benedicentes populo*] Sacerdotes quidem extenſâ manu, verbis ſolennibus, Levitæ autem accinendo fauſta omina.

C A P V T XXXI.

1. I*N Ephraim quoque & Manaſſe*] Id eſt, in illis oppidis quæ Reges Iuda per bella ſibi acquiſiverant: nam extra loca ſuæ ditionis idola frangendi legem non habebant, ut notant & Hebræi & Auguſtinus ad locum Deuteron. VII. & XII. ſic interpretare & quod ſequitur de *filiis Iſrael, 6.*

11. *Præcepit igitur Ezechias ut præpararent horrea in domo Domini*] Novas cellas addi juſſit ad eas quas ſtruxerat Solomon. Hunc ſenſum colligimus ex Græcis: Καὶ εἶπεν Ἐζεκίας ἔτι ἑτοιμάσαι παστοφόρια εἰς οἶκον Κυρίου [*Et dixit Ezechias ut adhuc cellæ fierent in domo Domini*].

12. *Fuit autem præfectus eorum*] Gazophylacas Templi nominat majoris ac minoris gradûs.

13. *Ex imperio Ezechiæ Regis & Azariæ Pontificis*] Nam & regiæ curæ pars eſt efficere ut Deo dicata rectè adminiſtrentur. Vide II Reg. XXII.

C A P V T XXXII.

4. E*T obturaverunt cunctos fontes & rivum qui fluebat in medio terræ, dicentes: Ne veniant Reges Aſſyriorum, & inveniant aquarum abundantiam*] Hoſti aquarum uſum eripere inter belli artes ponitur. Vide Frontinum III. 7. & hiſtorias paſſim.

7. *Viriliter agite*] Boni Imperatoris eſt in bello militum virtutem verbis accendere. Maximi autem momenti eſt, ſi militi perſuadeatur Deum ejus armis favere. Facit id ſemper Beliſarius apud Procopium.

26. *Humiliatúſque eſt poſteà*] Nihil magìs Deo diſplicet quàm ſuperbia, quæ per gradus quoſdam ſe promovens tandem ad Dei contemtum pervenit: nihil contrà Deo gratius quàm ſi homines ſe Deo comparatos res nihili eſſe agnoſcant, & culpas etiam leviores ſubmiſsè deprecentur. Vide Michæam VI. 8. Græca ſententia eſt:

> Ὁ Ζεὺς κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων.
> [*Quiſquis ſuperbit, vindicem exſpectet Deum.*]

Nec ſpernenda iſta Philemonis:

Ὅταν ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ,
Λαμπρῶς τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον,
Ὀφρῦν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
Τούτου ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα·
Ἐπαίρεται γὰρ μεῖζον, ἵνα μεῖζον πέσῃ.
[*Sublimè ſi quem ferri ſuſpicias malum,*
Superbè qui divitiis utatur ſuis,
Superciliumque ſupra fortunam erigat,
Exſpecta quàm mox illi pœna impendeat:
Namque altiùs levatur ut graviùs ruat.]

Videtur autem ea maximè fuiſſe culpa Ezechiæ, quòd coram legatis Babyloniis honorem Deo quem debebat non habuerit, infrà 31.

31. *Vt interrogarent de portento quod acciderat ſuper terram*] De ſtrage illa in caſtris Sennacheribi II Regum XIX. 35.

CAPVT XXXIII.

2. F*Ecit autem malum coram Domino*]Hic aliorum Regum peccata unus commiſit univerſa, nihílque reliquum fecit quo Dei Legem cultúmque poſſit evertere.

5. *In duobus atriis domûs Domini*] In atrio Iſraëlis & in atrio Gentium. Sic Hebræi.

14. *Vſque ad Ophel*] Vide XXVII. 3.

15. *Et abſtulit deos alienos & ſimulacrum de domo Domini*] Dici de eo poterat, ὁ τρώσας καὶ ἰάσεται [*Qui vulneravit, is medebitur*].

17. *Attamen populus immolabat in excelſis Domino Deo ſuo*]

Pauca tamen priſcæ ſuberant veſtigia fraudis.

Multi de populo Deum verum colebant] Sed in locis illicitis.

19. *Contemtus*] מעלו, quod Græci vertunt ἀποστάσεις αὐτοῦ [*defectiones ejus*].

In ſermonibus Hozai] Græci חוזי ſumunt pro communi nomine. vertunt enim ἐπὶ τῶν λόγων τῶν ὁρώντων [*in verbis Videntum*], id eſt, in ſcriptis Prophetarum. Idem nomen ſuprà XIX. 2. XXIX. 30. & infrà, XXXV. 15. interpretes vertunt προφήτης [*Propheta.*]

20. *Et ſepelierunt eum in domo ſua*] In horto aliquo; non in ſepulchris Regum.

CAPVT XXXIV.

3. O*Ctavo autem anno regni ſui, cùm adhuc eſſet puer cœpit quærere Deum patris ſui David*] Id eſt, cùm annorum eſſet ſexdecim. *puer*, id eſt, adoleſcens jam regiæ adminiſtrationis factus compos: nam tutela durabat ad finem anni XIII.

Duodecimo autem anno poſtquam regnare cœperat] Cùm jam ad viceſimum ætatis annum perveniſſet, & plus auctoritatis eſſet conſecutus.

6. *Sed & in urbibus Manaſſe & Ephraim*] Vide quæ ſuprà XXX. I.

33. *Fecit omnes qui reſidui erant in Iſraël ſervire Domino Deo ſuo*] Quantum potuit repreſſit populum, ne palàm quid in Legem committeret. Alioqui populi depravatio ab hoc tempore cœpit gliſcere, Ieremiæ III. 6. 8. XXV. 3. Ezech. IV. 6.

CAPVT XXXV.

3. L*Evitis quoque, ad quorum eruditionem omnis Iſraël ſanctificabatur Domino, locutus eſt*] Legit המבונים [*inſtituentibus*]. Alii codices habent המכונים [*præparantibus*], Levitis, quorum erat præparare in uſum Iſraëlis res ſacras: quod cum ſequentibus bene cohæret. Nec aliter legêre Græci, quanquam aliter vertunt, nempe δυνατοί [*potentes* aut *poſſe facientes*]. Habet enim participium illud etiam iſtam ſignificationem.

6. *Immolate Phaſe*]Confer quæ ſuprà XXX. פסח [*Paſcha*] ſemper Theodotion vertit Φασὲκ, non ut alii interpretes πάσχα. Theodotionis autem interpretationem in Paralipomenis & aliis quibuſdam libris recepit Græca Eccleſia. In Græcis quibus utimur libris initio Eſdræ poſitum eſt caput XXXV. Paralipomenon, & magna pars XXXVI. ex LXX, ubi ſemper πάσχα non Φασέκ.

20. *In Charcamis*] Putant quidam eſſe *Cercuſium* apud Ammianum libro XXIII.

21. *Quid mihi & tibi eſt Rex Iuda?*] Nihil inter nos controverſiæ eſt. Noli negotium quærere, καλὸν ἀσυχία [*Pulchrum eſt quieſcere.*]

Contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinatò ire præcepit] Per Ieremiam, ut credibile eſt. nam Deus per Prophetas ſuos etiam alienis à vera pietate Regibus ſæpè dabat mandata, ut II Regum IX. 7.

25. *Ieremias maxime; cujus omnes cantores atque cantatrices uſque in præſentem diem lamentationes ſuper Ioſiam replicant*] Fuit ergò Ieremias Hebræis quod aliquantò pòſt Simonides Græcis, de quo Catullus,

Triſtius lacrymis Simonideis. Et Horatius,

Ceæ retractes munia næniæ.

Alia autem fuit hæc Ieremiæ nænia ab ea quam nos habemus de excidio Vrbis.

CAPVT XXXVI.

9. O*Cto annorum erat Ioachin cùm regnare cœpiſſet*] Cùm regnare inciperet pater ejus, cujus ſuprà mentio. Hunc ſenſum poſtulat locus II Regum XXIV. 8.

13. *A rege quoque Nabuchodonoſor receſſit, qui adjuraverat eum per Deum*] Etiam malis & irreligioſis Principibus fides data ſervanda eſt; non enim ſunt extra humanam ſocietatem. Quòd ſi & jusjurandum acceſſerit, ut hîc, ejus violationem Deus ut ſuam injuriam vindicat. Vide quæ diximus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. §. 15. 16. libro III. XIX. §. 2. 5. & 13.

20. *Donec imperaret Rex Perſarum*] Cyrus qui Iudæos in patriam reſtituit.

21. *Et celebraret terra ſabbata ſua*] Quia Iudæi tum cæteras leges, tum illam de anno ſabbatico non obſervaverant; ideo Deus ſabbatum longum, id eſt, LXX annorum indixit terræ. Vide Ierem. XXV. & XXIX.

22. *Anno autem primo Cyri Regis Perſarum*] Hæc verba ad finem uſque eadem ſunt, unde ſuorum temporum hiſtoriam Eſdras incepit. Is mos libros continuandi eſt antiquus, quem & Procopius ſequitur fine Vandalicorum & Gotthicorum initio.

AD LIBRVM ESDRÆ.

Apparet & ex hoc ſcripto & ex fama apud Hebræos recepta, Eſdram virum fuiſſe & valde eruditum, & mirè φιλοπάτριδα [*amantem patriæ*]; cui comparari fortè poſſit Sempronius ille Romanis dictus σοφός [*Sapiens*].

CAPVT I.

1. *Ex ore Ieremiæ*] Cap. XXV. XXIX. XLV.

Suſcitavit Dominus ſpiritum Cyri Regis Perſarum] Regum benevolentia unum ex inſtrumentis Dei optimis per quæ piis bene facit.

Etiam per ſcripturam] Ad ſenſum melius, *idque ſcripto.*

Traduxit vocem in omni regno ſuo] Publicari fecit per omnia regna ſua.

2. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli*] Magna ſanè imperia; Perſarum, jure naſcendi; Medorum & Chaldæorum, jure victoriæ. Tanta autem eſt evidentia hujus veritatis, unum eſſe Deum ſummæ hujus artificem, ut etiam ii Reges ac Principes qui non tam animi conſenſu, quàm quòd receptis erroribus non auderent contrà ire, multitudinem deorum colebant, ſæpè tamen ad veri illius Dei confeſſionem conſcientiæ vi adigerentur. Exemplum illuſtre habemus in Nabuchodonoſoro, Danielis II. 47. III. 95. IV. 31. 32. 33. 34. Et Cyrus & Darius pro ſe orari in Templo Hieroſolymitano voluêre, ut notat Ioſephus. Alexander Magnus Deo Iudæorum victimas obtulit, teſte eodem. Fecêre idem Ptolemæus Philadelphus, Auguſtus quoque & Tiberius, & Caji tempore Vitellius, ut ex eodem Ioſepho & Philone diſcimus. Reges plurimi dona Templo dedêre, etiam Soſius coronam auream. Neque verò Iudæi in Templo cum ſacrificiis preces pro ſuis tantùm popularibus obtulêre, ſed pro omni humano genere, ut notat Philo, ſpeciatim pro Lacedæmoniis & Romanis. Non erant ergò eorum Sapientes ἄμικτοι, ἀσύμφυλοι [*inſociabiles, abſciſſi à conſortio*], quales habebantur, partim malà extraneorum interpretatione, partim ob culpam vulgi rudis. Vide quæ diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis, XV. §. 8. 9.

3. *Quis eſt in vobis de univerſo populo ejus? ſit Deus illius cum ipſo*] Efficax locutio: quis eſt Iſraëlitarum qui tanti Deum facit ut iſthuc redeat? Deus ei ſit propitius. A me nihil deſiderabitur.

4. *Excepto quòd voluntariè offerent*] In Hebræo eſt עם [*cum*], quod hîc non exceptivum eſt, ſed declarativum. Græci vertunt σὺν τοῖς ἄλλοις τοῖς κατ' εὐχὰς προστεθειμένοις [*cum aliis quæ ex voto offeruntur*]. Cùm jure recepto non liceret collectas facere impermiſſu Regis, permittit hic Rex, ut qui Iudæorum redire in patriam nollent (neque enim ulli imponebat neceſſitatem) contribuerent ad reponendum Templum Dei, quantum vellent, de argento, auro, de rebus mobilibus (id enim eſt רכש) déque aliis rebus quæ Deo offerri jus fáſque eſt. Interpretanda hæc ex loco Exodi XXXV. Nullam cuiquam contribuendi neceſſitatem Cyrus imponit, ſed contribuendi dat licentiam: qualem & Macedones Reges poſtea & Romani dedêre. Vide quæ diximus Matth. XVII. 24.

5. *Et omnis cui Deus ſuſcitavit ſpiritum*] Eadem locutio cum illa apud Livium VI. *Dii prohibebunt hæc, inquies; ſed nunquam propter te de cœlo deſcendent: tibi dent mentem oportet ut prohibeas.* Verba enim talia divinum quidem beneficium ſignificant, ſed bene acceptum.

7. *Rex quoque Cyrus protulit vaſa Templi Domini quæ tulerat Nabuchodonoſor de Ieruſalem & poſuerat ea in Templo Dei ſui*] Multum hoc in Rege Perſâ, quod Deum mundi opificem diis patriis, id eſt, hominum commentis, præferre auſus eſt.

8. *Mithridatis*] Nomen frequens apud Perſas, à deo *Mithra.*

Annumeravit ea Saſſabaſar principi Iudæ] Προστάτῃ τῆς Ἰουδαίας. Vnde nonnulli hunc eundem exiſtimant, qui poſtea *Zorobabel* dicitur III. 2. 8. IV. 1. Nam plurimi primores Iudæi, dum ſub Chaldæorum agebant dominatu, nomen habebant aliud patrium ſive domeſticum, aliud Chaldaïcum ſive aulicum. Vide Danielem 1. 7. Vide & quæ de Nehemiæ altero nomine jam mox dicemus. ששבצר nomen boni ad divitias ominis ex *byſſo* & *auro* compoſitum. At זרבבל [*peregrinus in Babel*] ſignificat miſeriam populi Iſraëlitici eo tempore *exſulantis in Babylone.* Ità viri pii inter aulæ honores (nam Zorobabel regii corporis cuſtos fuit, σωματοφύλαξ, ut Ioſephus loquitur XI. 4.) admonebantur nè exuerent συμπάθειαν [*commiſerationem*] adversùs ſuos populares.

9. *Phialæ aureæ*] Σπονδεῖα [*Libatoria*] hîc Græcus interpres. Vide quæ diximus ad Gen. XLIV. 2. Ioſephus ψυκτῆρας [*refrigeratoria*] vertit.

10. *Scyphi aurei triginta*] In Hebræo כפורי [*Chephure*, id eſt *expiatoria*], quod retinuêre Græci quidam. Vide 1 Paralipom. XXVIII. 17.

CAPVT II.

1. *Hi ſunt autem provinciæ filii*] Id eſt, homines Iudæi gente, ſed nati in Chaldæis partibus. Recenſio hæc ſæpè numeris differt ab ea quæ eſt Nehemiæ VII. & in quibuſdam Græcis exemplaribus hîc deeſt, ut & caput ſequens. Fortè ex Nehemiæ libro huc tranſlata eſt à deſcriptoribus iſta recenſio, & quæ ſequuntur ad comma 68. Nam & qui infrà nominatur *Atherſata* eſt ipſe Nehemias, ut apparet Nehemiæ VIII. 9. & quod ſcribitur hic dixiſſe, id ſecundo demum itinere, cùm poſt Templum urbs ædificaretur, evênit, ut cognoſcere eſt Nehemiæ VII. 70. Præterea Mardochæus, cujus hîc nomen exſtat, fuit in comitatu poſterioris itineris, non prioris, ut Hebræi conſentiunt.

69. *Auri ſolidos*] In Hebræo Græca vox דרכמונים,

id eſt, *drachmas*, ut & Nehem. VII. 70. Non id mirum, cùm, ut alibi diximus, jam à Danielis temporibus multæ Græcæ voces in Chaldæum ſermonem penetraſſent. contrà *mina* vox & *hinis* ex Syriaco ſermone in Græciam venêre.

CAPVT III.

2. *Ædificarunt altare*] Nolentes ſcilicet, dum Templum ſtruitur, à ſacrificiis vacare.

7. *Vt deferrent ligna cedrina de Libano ad mare Ioppe*] Confer II Paralipom. II. 16.

11. *Concinebant in hymnis & confeſſione Domino, Quoniam bonus, quoniam in æternum miſericordia ejus ſuper Iſraël*] Vide II Paralipom. V. 13. & ibi dicta.

12. *Qui viderant Templum prius cùm fundatum eſſet, & hoc Templum in oculis eorum*] Diſtingue ſic: *Qui viderant Templum prius, cùm fundatum eſſet & hoc Templum in oculis eorum.* In Hebræo nihil opus niſi accentum trajicere. Non reſpondebat hoc Templum magnitudini ejus quod Solomon ſtruxerat, Agg. II. 4. Aberat præterea Vrim & Thumim, Nehem. VII. 65. in Hebræo.

CAPVT IV.

1. *Audierunt autem*] Etiam hujus capitis commata ſex prima in Græcis deſunt.

Hoſtes Iudæ & Benjaminis] Chutæi maximè, intus inimici, ſed amicitiam ſimulantes interdum, ut Ioſephus nos docet.

2. *Ecce nos immolavimus victimas*] Deo veſtro ſcilicet, II Regum XVII. 32. 41.

A diebus Aſor-Hadan] Idem eſt qui nominatur II Reg. XIX. 37.

3. *Nos ipſi ſoli ædificabimus*] Nam illi Chutæi ità Deum colebant, ut fictitios etiam deos colerent; ideóque ad communionem Templi admitti non poſſent.

6. *In regno autem Aſſueri*] Editiones quædam Latinæ hîc adjiciunt *Ipſe eſt Artaxerxes.* Sic in Eſtheræ libro qui אחשורוש [*Axwerx*] Hebræis, Græcis interpretibus & Ioſepho eſt Ἀρταξέρξης, quanquam Ioſephus hunc etiam *Cyrum* vocatum dicit. Videtur poſt Cyrum illum Magnum nomen gentilitium fuiſſe Perſarum Regibus Ξέρξης & Ἀρταξέρξης, præter nomen quod habebant ante imperium. Omnes Reges poſt illum Memorioſum dictos *Artaxerxas* ait Diodorus Siculus libro XV. Etiam Darius ab Alexandro devictus Iacchiadæ ad Danielem VII. 5. dicitur *Artaxerxes.* Id unde ſit, dicam: ש litera Græcis ξ verti ſolebat, ut השום Ἄξυμα. eſt enim utriuſque literæ idem ferme ſonus, ſed tranſpoſitus, quomodo Dores pro συρίζω [*fiſtulâ cano*] dicunt συρίσδω, & adſpiratio ex media voce *Abraham* à Græcis in frontem tranſlata eſt. Tum verò gutturales ſæpè omittuntur, ut multis exemplis oſtendimus annotatis ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ, ubi de Ammone agimus. Ergò אחשורוש [*Axwerx*], omiſſis gutturalibus, eſt *Xwerx*: & quia *w* durior eſt in media voce, maximè poſt conſonantem per ſe duram, ideo & hæc omiſſa eſt à Græcis, factúmque *Xerx*, & cum Græca terminatione *Xerxes*. *Art* verò eſt additamentum quoddam honorificum, ut *Sa* apud Perſas poſteriores. Significat *magnum*, interprete Herodoto libro VI: *Heroa*, interprete Heſychio. Apparet ex nominibus plurimis, qualia ſunt *Artabanus*; *Artavaſdes*, qui & *Artabazus*; *Artochmes*; *Artochetes*, qui & *Artayctus*; *Artanes*; *Artagenes*; *Artaphernes*; *Artembanes*. *Artaxerxis* in Perſide nomen, etiam Romanorum Imperatorum temporibus apud Herodianum & Lampridium invenias. Idem *Xerxes* dicitur Aurelio Victori. Ex hoc ergò tam communi nomine, quis hic Rex fuerit ſciri non poteſt, niſi adſint temporum argumenta, quæ quàm ſint obſcura oſtendunt eruditiſſimorum, qui ætatem in iis rebus triverunt, in hunc diem certamina. Eum de quo hîc agitur Cambyſen eſſe volunt multi, alii Smerdim magum; Eſtheræ maritum, alii Cambyſen, alii Darium Hyſtaſpis, alii Artaxerxem Memorioſum, alii Artaxerxem Longimanum. Horum omnium operoſis ac litigioſis diſputationibus perlectis, quid eſt quod dicat aliquis, ex iis maximè quibus non eſt multum ad iſta otii, niſi illud Terentianum, *Feciſtis probè: incertior ſum multò quàm dudum.*

5. *Conduxerunt adversùs eos conſiliatores*] Frequens aulis malum. *Adferebant venalia cuncta præpotentes liberti*, ait Tacitus Hiſtoriarum V.

8. *Reum Belteem*] Hic Prætor erat regius, qui cum aliis vice Regis res trans Euphratem curabat. Vide infrà v. 6.

9. *Apharſatachæi*] Hi ſunt Περσοσκύθαι [*Perſoſcythæ*].

10. *Quas tranſtulit Aſenaphar*] Nomen alterum Salmanaſſaris, ut videtur.

12. *Civitatem rebellem & peſſimam*] Credibile id fiebat ob inſtituta Iudæorum diverſa ab aliis. ob id *teterrimam gentem* dixit Tacitus, qui & hoc habet: *præviderant conditores ex diverſitate morum crebra bella.* Item, *Emto jure muniendi, ſtruxêre muros in pace tanquam ad bellum.*

13. *Tributum & vectigal & annuos reditus*] Vide hæc tria & infrà 20. Videtur intelligi *tributi* nomine quod in capita datur, *vectigalis* quod in merces, *redituum* quod de agris.

14. *Memores ſalis quod in palatio comedimus*] Quia ſalarium habemus à Rege. At Chaldæus, *propter demolitionem Templi quod demoliti ſumus.* Nam מלח ſæpè ſignificat *conſumere.* Vide quæ dicta ad Marc. IX. 49.

19. *Et recenſuerunt inveneruntque*] Iuſſerat Rex perquiri quæ de Iudæis erant in Regum commentariis. Vide v. 17. VI. 2. Eſtheræ II. 23. VI. 1.

20. *Et dominati ſunt omni regioni quæ trans fluvium eſt*] Nempe David & Solomon.

21. *Prohibeatis viros illos, ut urbs illa non ædificetur*] Non eſt è re Regum ut populi ab ipſis devicti urbes habeant populo plenas, munimentis validas.

Donec ſi fortè à me juſſum fuerit] Edictum hoc à ſola Regis voluntate pendebat: non erat inter leges Perſarum immutabiles.

24. *Tunc intermiſſum eſt opus Domini*] Neque enim contra imperium Regis fieri quicquam debebat, niſi expreſſo Dei juſſu, qualem habemus v. 1. 2.

Ei autem Divino juſſui poſtea & Regis juſſus acceſſit VI. 7. Græci poſt hæc inſerunt ea quæ ſunt in libro apocrypho, qui *Eſdræ tertius* dicitur, cap. III. quæ & Ioſephus habet.

CAPVT V.

5. *OCulus autem Dei eorum factus eſt ſuper ſenes Iudæorum*] Deus eis favit, ità ut & regiorum in illis partibus miniſtrorum animos illis conciliaret.

6. *Exemplar epiſtolæ*] Conſultationis.

8. *Lapide impolito*] גלל *marmor* intelligunt Hebræi; Græci, διὰ λίθων ξυστῶν πολυτελῶν [*lapidibus terſis pretioſis*].

17. *In bibliotheca*] In tabulario.

CAPVT VI.

2. *VOlumen*] Τόμος, ut & Eſaiæ VIII. 1. Alibi κεφαλὶς dicitur, ut & Hebr. X. 7.

8. *Scilicet ut de arca Regis, id eſt, de tributis quæ dantur de regione trans flumen, ſtudioſè ſumptus dentur viris illis*] Hac beneficentia Cyrum vicit. Cyrus Iudæis conferre ad opus permiſerat: hic Rex etiam de ſuo ſumptum facit. Vide infrà VII. 20. 21. 22. & Nehem. XI. 23. in Hebræo.

10. *Orêntque pro vita Regis*] Vide ſuprà I. 2. Etiam pro Lacedæmoniis orarunt Iudæi.

11. *Vt omnis homo qui hanc mutaverit juſſionem*] *Mutaverit*, id eſt, contrà fecerit.

Tollatur lignum de domo ipſius & erigatur] Mos erat Perſarum de damnati domo lignum ſumere de quo ſuſpenderetur.

21. *Et omnes qui ſe ſeparaverant à coinquinatione gentium terræ ad eos*] Id eſt, plenè proſelyti, qui ſe Legi ſubjecerant. Aliis enim de Paſchate manducare non licebat.

22. *Quoniam lætificaverat eos Dominus, & converterat cor Regis Aſſur ad eos*] Confer VII. 27.

CAPVT VII.

6. *ET ipſe ſcriba velox in lege Moſis*] Græcè, γραμματεὺς εὐφυὴς ὢν ἐν τῷ Μωϋσέως νόμῳ [*ſcriba ingenioſus in lege Moſis*]. מהיר ſæpè *diligentem* ſignificat. *Scriba* eſt Doctor Legis: in eo ſtudio comprehendebatur notitia rerum divinarum, juriſque pontificii ac civilis. Horum eruditiſſimus erat Eſdras, VII. 10. 11. 12. Exſtabat ergò Lex toto exſilii tempore inter Iudæos, ut apparet & Dan. IX. 13. Eſdras allatis optimis exemplaribus accuratam Legis dedit ἔκδοσιν [*editionem*], addiditque hiſtorias ſequentium temporum, cum Propheticis libris, & iis poëticis qui auctoritatem obtinebant.

12. *Rex regum*] Non immeritò ſic ſe appellabant Reges Perſiæ: habebant enim etiam Reges in obſequio ſuo, ut ex Æſchyli Perſis alibi notavimus. Tales erant Armeniæ, Cypri, Cariæ, Sidonis Reges, & alii.

14. *Et ſeptem conſiliariorum ejus*] Hi erant Satraparum præcipui, qui Regi ſemper aderant. Eſther I. 14. Qua de re vide quæ notavimus ad Matthæi XVIII. 10.

Vt viſites Iudæam & Ieruſalem in lege Dei tui] His verbis αὐτονομία [*legum liber uſus*] Iudæis conceditur, & αὐτοδικία [*libertas judicandi*] infrà 25. 26.

18. *Sed & ſi quid tibi & fratribus tuis placuerit*] Eſdræ auctoritatem Rex dedit: ille aliorum quoque Sacerdotum conſilium adhibebat.

24. *Vt vectigal & tributum & annonas non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos*] Hîc Sacerdotibus, Levitis, & Templi miniſtris omnibus datur ἀτέλεια [*immunitas*], à multis poſtea Regibus confirmata, ut ex Ioſepho diſcimus.

26. *Et legem Regis*] Nempe hanc legem quæ Iudæis ſuarum legum exercendarum facit jus.

CAPVT VIII.

15. *AD fluvium qui decurrit ad Ahava*] Græci, Θεερὰν ποταμόν [*Theran amnem*]. Putant eruditi אהוא [*Ahava*] eſſe *Adiabenam*, ſic dictam ab *Adiava* fluvio, ſi Marcellino credimus. A nomine Θεερὰν [*Theran*] non abludit *Therſara* illis in locis, cujus apud Ptolemæum mentio.

17. *In Chaſpiæ loco*] *In Caſpiis*; nam & indè evocandi erant Iudæi. At LXX vertunt τόπον γαζοφυλακίου [*locum gazophylacii*], à nomine כסף, quod *argentum* ſignificat.

21. *Et prædicavi ibi jejunium*] Tanquam deductor coloniæ à Rege conſtitutus.

22. *Erubui enim petere à rege auxilium*] Prudenter, nè Rex minùs edoctus res divinas, vana crederet quæ de Dei in ſe benevolentia & vaticiniis ſibi editis Iudæi publicabant.

34. *Deſcriptúmque eſt omne pondus in tempore illo*] Omnium mobilium ad Templum datorum factus eſt inventarius: quod & in privatis familiis faciendum cenſent qui œconomica præcepta dederunt.

35. *Vitulos duodecim pro omni populo Iſraël*] Vnum pro quaque tribu.

CAPVT IX.

2. *TVlerunt enim de filiabus eorum ſibi & filiis ſuis*] Quod ſine exceptione vetitum de feminis Cananæis, Hethæis, Pherezæis, & Iebuſæis. De cæteris autem idem conſtitutum à Sapientibus, niſi feminæ iſtæ Legem ſuſciperent. Vide quæ diximus ad 1 Reg. III. 1.

Manus etiam principum & magiſtratuum fuit in tranſgreſſione hac prima] Bene, ut Sophocles,

Κοὐκ αἰτιῶμαι κεῖνον, ὡς τοὺς ἐν τέλει.
[*Nec judico illum tam reum quàm principes.*]

3. *Scidi pallium meum & tunicam, & evelli capillos capitis mei & barbæ, & ſedi mærens*] Veſtem lacerare mos Iudæis, ubi Deum offendi vident: diximus ad Matth. XXVI. 65. Comas verò vellere, lacerare, laniare, mos omnium propè gentium, cujus mentio apud Homerum, qui dixit

——— τίλλοντό τε χαίτας,
[——— *vellunt à vertice crines,*]

Virgilium, Ovidium, Senecam, Martialem. Aliud eſt radere comam, quod in luctu ob mortuos fieri ideo Lex vetat, quòd vicinæ gentes id uſurpabant.

6. *Deus meus confundor & erubeſco levare faciem meam*]

meam] Egregia confeſſio & deprecatio. Viri pii κατὰ κοίνωσιν [*per communicationem*] loquuntur de culpis, nè nimium arroganter ſe cæteris eximere videantur: quale illud eſt Bruti, *Quòd ſi Romanos nos eſſe meminiſſemus.* Item: *quoniam vivere & pecunias habere, & dici Conſulares volumus.* Vide infrà x. 2. & Dan. ix. Nehem. 1. *6*.

CAPVT X.

3. *Percutiamus fedus cum Domino Deo noſtro*] Id eſt, reconciliemur Deo.

Vt projiciamus univerſas uxores & eos qui de his nati ſunt] Ergò vigebat apud Hebræos jus illud quod apud Romanos conſtituit Theodoſius L. Non dubium C. de Legibus & Conſtitutionibus Principum; ut ea quæ lege prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolùm inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur. Cur ergò Paulus Apoſtolus conjugia Chriſtianorum aut Chriſtianarum cum paganis diſſolvi ex parte Chriſtiana non vult, 1 Corinth. vii? Corinthiis loquitur, & his qui cum Corinthiis pari jure erant, apud quos talibus conjugiis nulla lex aut Dei aut hominum obſtabat. Filii autem hîc jubentur matrem ſequi, ut in illicitis nuptiis fieri ſolet, accedente & hac causâ, nè educati in ſuperſtitionibus alios pueros corrumperent.

4. *Tuum eſt decernere*] Qui & ſummam habes Legis peritiam, & à Rege Perſarum poteſtatem habes.

5. *Adjuravit*] Dei nomine adhibito eos officii monuit.

8. *Iuxta conſilium principum & ſeniorum*] Eſdras poteſtate quam à Rege acceperat non uſus niſi ad monendos populares, deinde decernendi libertatem Senatui reliquit.

Auferetur ſubſtantia ejus, & ipſe abjicietur de cœtu tranſmigrationis] *Auferetur*, intellige, ità ut Deo ſacra fiat. Id enim ſignificat verbum יחרם [*conſecrabitur*]. Lxx, ἀνιερωθήσονται τὰ κτήματα αὐτῶν, καὶ αὐτὸς ἀλλοτριωθήσεται ἀπὸ τοῦ πλήθους τῆς αἰχμαλωσίας [*ſacra fient quæ poſſidet, & ipſe ſemovebitur à multitudine eorum qui captivi fuere*]. Ioſephus: ἀπαλλοτριώσεσθαι τοῦ πλήθους, τὴν οὐσίαν κατὰ τὴν τῶν πρεσβυτέρων κρίσιν ἀφιερωθήσεσθαι [*eum à multitudine ſemotum iri, ſubſtantiam verò ejus ſacram fore ex decreto Seniorum*]. Exſilium non erat inter pœnas Legis, ſed licebat Senatui novis decretis novas pœnas addere.

14. *Et cum his ſeniores per civitatem & civitatem, & judices ejus*] Delegati ab oppidorum Senatoribus ad communem Senatum veniant, & atteſtentur facta divortia.

15. *Igitur Ionathan filius Azahel, & Iaaſia filius Thecue ſteterunt ſuper hoc*] Id eſt, ex Sacerdotum ordine hi duo iſti negotio præfecti fuêre, nimirum inter illos principes quos conſtitutos modò dixit.

AD LIBRVM NEHEMIÆ,

QVI ALIIS

ESDRÆ POSTERIOR.

CAPVT I.

1. *Verba Nehemiæ*] Hujus profectio annis evênit lxxii. poſt illam Eſdræ. Vidit Eſdram eique ſupervixit. ראשי הגולה *capita deportatorum* vocantur Zorobabel, Mardochæus, Ioſua Ioſedecides, & Nehemias. Hi, ſimúlque Prophetæ Aggæus, Zacharias, Malachias, eminuerunt in magno illo conventu cxx virorum, qui Hebræis dicitur συναγωγὴ μεγάλη [*Congregatio magna*]. Huic Nehemiæ Camillum comparo: Ambo magnæ virtutis, ſeditionibus agitati, patriæ ſuæ reſtituti. Ioſephus hoc ei reddit elogium: Ἀνὴρ ἐγένετο χρηστὸς τὴν φύσιν, καὶ δίκαιος, καὶ περὶ τοὺς ὁμοεθνεῖς φιλοτιμότατος, μνημεῖον αἰώνιον αὐτῷ καταλιπὼν τὰ τῶν Ἱεροσολύμων τείχη [*Vir fuit indole bonus, ac juſtus, & popularium gloriæ amans, quibus æternum reliquit monumentum Hieroſolymorum mœnia*].

In Suſis caſtro] Suſa urbs nota per Hiſtoricos & Poëtas, ſic dicta ob amœnitatem ex nomine *lilii*, quod שושן [*ſuſan*] Hebræis, σοῦσα Perſis, ut notant Athenæus, Stephanus, & Etymologicus magnus: unde & σούσινον μύρον, ſive χρῖσμα, *unguentum è lilio*, memoratum eidem Athenæo, Theophraſto, Dioſcoridi, Plinio.

9. *Etiamſi abducti fueritis ad extrema cæli, indè congregabo vos*] Deuteron. xxx. 3. 4.

11. *Ante virum hunc*] Regem intelligit, velut digito eum monſtrans.

Ego enim eram pincerna Regis] Latinè dicas, *poculorum miniſter*. Multis Hebræis multæ apud Reges exteros non modicæ dignitates obtigere, ut Danieli & ſociis ejus, Zorobabeli. Idem & poſteris temporibus eveniſſe videas apud Mahumetanos Reges in Hiſpania, Africa, Ægypto, Perſide, & Turcarum imperio.

CAPVT II.

1. *Et levavi vinum*] Non antè vices miniſterii ad ipſum redierant.

3. *Civitas domûs ſepulchrorum patris mei*] Multum moventur animi monumentis majorum. Nihil de religione, nihil de cultu addit: ſcit cui loquatur.

4. *Et oravi Deum cæli, & dixi ad Regem*] Qui

preces ad Regem perferre vult, priùs ad Deum perferat, cujus in manu corda ſunt Regum.

8. *Ad Aſaph cuſtodem ſaltûs Regis*] *Paradiſi*, ut habet textus Hebræus. Sic autem vocabatur regio illa quæ à Libano ad Antilibanum ſe porrigit.

Portas turris domûs] Regia videtur intelligi: nam Templum Eſdras perfecerat. non vocat autem Regiam, ne Regi ſuſpicionem injiciat rerum novarum. Ea ipſa Regia infrà indicari videtur in Hebræo, per *ſolium Principis*, III.7.

10. *Et audierunt Sanaballat Choronites*] Regulus in Moabitide, cujus pars *Choronaim*, Eſaiæ XV. 5. Ieremiæ XLVIII. 3.5. & 34. Hic Sanaballetes is eſt qui poſtea Alexandro Magno conſilium dedit excitandi Templum Garizitanum ad dividendos Hebræos.

Et Tobias ſervus Ammonites] *Servum* intellige ſubditum Regi Perſarum.

12. *Et non indicavi cuiquam quid Deus dediſſet in corde meo ut facerem*] Nehemias, ut aulicus, didicerat & tacere & loqui in tempore.

13. *Murum Ieruſalem diſſipatum*]Eſt & hîc in Hebræa voce המ litera מ qualis initio aut mediâ voce ſcribi ſolet poſita in fine, non minùs quàm Eſaiæ IX. 17. Non putem ſubeſſe myſterium, ſed primi ſcriptoris licentiam imitatos exſcriptores.

16. *Magiſtratus autem neſciebant quò abiiſſem*] Illi qui hucuſque illas ruinas Perſarum Regis nomine ſervaverant. oſtendit id oppoſitio ſequentium.

Iudæis & ſacerdotibus & optimatibus & magiſtratibus] Numero CL. infrà V.17. Vide & IV.14.19.

20. *Vobis autem non eſt pars & juſtitia & memoria in Ieruſalem*] Simile vide 1 Eſdræ IV.3. Hoc dicit: neque in labore partem habebitis, neque in merito, neque in fama.

CAPVT III.

1. P*ortam gregis*] προβατικὴν [*Pecuariam*] Ioan. V. 2.

5. *Optimates autem eorum non ſuppoſuerunt colla ſua in opere Domini*] Tacitus Annalium III. *Præcipuum munus Annalium reor, ne virtutes ſileantur, utque pravè dictis factiſque ex poſteritate & infamia metus ſit.*

9. *Princeps vici Ieruſalem*] In Hebræo: *princeps dimidiæ partis Ieruſalem*, & eodem modo infrà 12. ità ut intelligi debeant duo fuiſſe præfecti operibus, ad duo ſcilicet Vrbis latera. Vide infrà IV. 19.

12. *Sellum filius Alohes*] Alii לוחש commune eſſe nomen putant, & hunc Sellum filium fuiſſe incantatoris, id eſt, alicujus periti ad ſerpentes incantandos.

30. *Poſt eum*] Quidam Hebræi codices habent hîc & paulò pòſt אחרי [*poſt me*], ut ſuum quoque laborem Nehemias modeſtè magìs innuat quàm arroganter jactet: ut & infrà IV. 16. V.16. Ioſephus, ὑποσχόμενος ἢ καὶ αὐτὸς μετὰ τῶν οἰκετῶν συλλήψεσθαι πρὸς τὴν οἰκοδομίαν [*pollicitus & ipſe cum domeſticis ſuis collaboraturum ad exſtructionem*]. Magnum hoc in tantæ auctoritatis viro.

CAPVT IV.

3. S*I aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum lapideum*] Vt Remus Romana mœnia. ità contemtum opus tutiùs crevit, Deo hoc dirigente.

9. *Et poſuimus cuſtodes ſuper murum*] Iuſta defenſio ex Regis edicto contra Satrapas edictum Regis frangere parantes. Vide prudentiam Nehemiæ, qui diu noctúque cuſtodias non intermittit; partem populi opponit hoſti, alios operi intentos eſſe jubet, & ne hos quidem inermes, planè ut in caſtris muniendis fieri ſolet.

12. *Factum eſt autem venientibus Iudæis qui habitabant juxta eos*] Magni in bello uſus eſt habere apud hoſtes qui nobis faveant.

14. *Domini magni ac terribilis mementote*] Cujus Prophetas hujus operis habemus auctores.

20. *In loco quocunque audieritis clangorem tubæ, illuc concurrite ad nos*]Τὸ ἐγκελευστικὸν[*hortatorium*]. Vide Procopium Gotthic. III.

23. *Vnuſquiſque tantùm nudabatur ad baptiſmum*] In Hebræo: *Vnuſquiſque dimittebat illud* (nempe veſtimentum) *ad aquas.* Exceptio eſt ejus quod præceſſerat: *non deponebamus veſtimenta noſtra*, nempe niſi καθαρισμοῦ ἕνεκα [*purificationis causâ*] ob ablutiones aut Lege præceptas, aut moribus inductas. Vide Marcum VII. 4.8.

CAPVT V.

3. A*Ccipiamus pro pretio eorum frumentum*] Licebat enim patri in neceſſitate filium aut filiam vendere. Exodi XXI.7.

4. *Mutuò ſumamus pecunias*]Nempe ſub onere uſurarum, ut apparet infrà 7. contra legem Exodi XXII. 25. Levit. XXV.36.37. Deuteron. XXIII. 19.20.

In tributa regis] Vt habeamus unde tributa pendamus Regi Perſarum. Simile illud Taciti de Friſiis, quibus à Romanis tributum impoſitum, *Ac primò boves ipſos, mox agros, poſtremò corpora conjugum aut liberorum ſervitio tradebant.* Annal. IV.

5. *Sicut carnes fratrum noſtrorum, ſic carnes noſtr ſunt*] Non minùs nos homines ſumus, non minù circumciſi.

Nec habemus unde poſſint redimi, & agros noſtros, & vineas noſtras alii poſſident] Luere liberos non poterant, quia & bona eorum pignori tenebantur. Ideo Cæſar *per arbitros factâ æſtimatione, quant res ante bellum fuiſſent, eas creditoribus tranſdi voluit, ut & timorem novarum tabularum tolleret, & debitorum tueretur exiſtimationem*, Tertio de Bello civili.

6. *Et iratus ſum nimis*] In Hebræo, *& conſultavit cor meum in me:* nam eo ſignificatu vox מלך [*conſultare*] Chaldæa ſæpè reperitur in Thargumin.

8. *Nos, ut ſcitis, redemimus fratres noſtros Iudæos*] Nos, Zorobabel, Eſdras, Nehemias, omnem dedimus operam apud Regem, ut populares noſtros ex ſervitute in libertatem ac patriam reſtitueremus. In Hebræo, pro *redemimus* eſt *acquiſivimus.*

Vendetis fratres veſtros]Id enim exſpectandum erat, cùm non luerentur. Videte quæ ad Matth. XVIII. 25.

10. *Æs alienum concedamus quod debetur nobis*] In Hebræo, *remittamus quæſo hoc onus* : id eſt, uſuras, ut intelligi datur ex ſequentibus.

11. *Reddite eis hodie agros ſuos & vineas ſuas*] Quaſi in Iubilæo, cui parem lætitiam hoc tempus habebat.

13. *Et dixit univerſa multitudo, Amen*] Quaſi dicerent: *volumus ac jubemus*.

14. *Annonas quæ ducibus debebantur*] *Duces* intellige eos quos Rex Perſarum regioni iſti & habitatoribus præfecerat, ut diximus 11.16.

15. *Et miniſtri eorum depreſſerunt populum*] In Græco Sixtinæ editionis hîc eſt ἐξουσιάζονται [*dominatum exercent*], ut apud Lucam XXII. 25. Nehemiæ valde ſimilis fuit Cato major, qui ſociis nulla in parte gravis fuit, ac nè ea quidem accepit, quæ mos ferebat, quòd diceret *malle ſe cum optimis de virtute, quàm cum ditiſſimis de pecunia certare*.

17. *In menſa mea erant*] Id quoque dignum viro Principe, viros nobiles, ſive populares, ſive extraneos magnificè excipere.

CAPVT VI.

3. *Miſi ergò ad eos nuntios, dicens: Opus grande facio, & non poſſum deſcendere*] Dolos vitare ac diſſimulare ſatìs eſt. Calumniæ autem animosè refutandæ ſunt, ut facit in ſequentibus Nehemias.

11. *Num quiſquam ſimilis mei fugit?*] Tyrtæus:

Ξυνὸν δ' ἐσθλὸν τοῦτο πόληΐ τε παντί τε δήμῳ,
 Ὅστις ἀνὴρ διαβὰς ἐν προμάχοισι μένῃ
Νωλεμέως, αἰσχρᾶς δὲ φυγῆς ἐπὶ πάγχυ λάθηται,
 Ψυχὴν καὶ θυμὸν τλήμονα παρθέμενος.

[*Res populi, commune bonum vir robore præſtans,*
 Immotus primis qui ſtat in ordinibus,
Oblituſque fugæ venit in certamina Martis,
 Adjiciens animum, projiciens animam.]

Et quis ut ego ingredietur Templum, & vivet?] Id eſt, vitæ tuendæ causâ. *Templum* intellige baſilicam illam, in quam Sacerdotibus ſolis ingredi jus erat.

12. *Quòd Deus non miſiſſet eum*] Habebat enim pro ſe Prophetas indubitatos Ieremiam, Aggæum, Zachariam, Malachiam.

14. *Memento mei, Domine, pro Tobia & Sanaballat*] In Hebræo: *Memento, mi Domine, Tobiæ & Sanaballatæ*. Redde illis paria.

18. *Multi enim erant in Iudæa habentes juramentum ejus*] Arcano federe cum Tobia colligati.

19. *Et Tobias mittebat epiſtolas ut terreret me*] Pari tenore quo ſuprà 6.

CAPVT VII.

3. *Non aperiantur portæ Ieruſalem uſque ad calorem ſolis*] Id eſt, ante clarum manè.

Cùmque adhuc aſſiderent clauſæ ſunt portæ & oppilatæ] Claudebantur portæ præſentibus Hanane & Hananiâ.

5. *Vt recenſerem eos*] Et veteres urbanas familias in Vrbem revocarem.

Inveni librum cenſus eorum qui aſcenderant primùm] Cum Eſdra: unde factum eſt, ut hæc recenſio Eſdræ libro ſatìs incommodè, & non ſine mutatione quadam inſereretur, ut diximus Eſdræ II.

6. *Iſti filii provinciæ*] Nati in Chaldæa.

64. *Hi quæſierunt ſcripturam ſuam in cenſu, & non invenerunt, & ejecti ſunt de ſacerdotio*] Paria enim ſunt, ut ajunt Iuriſconſulti, *non eſſe & non apparere*. Et qui in qualitate jus ſuum fundat, probare eam debet. Debebant autem docere & ſe eſſe ex Aaronis gente, & uxores ſuas cives. Notat id hîc Ioſephus.

65. *Dixítque Atherſata*] Id eſt, Nehemias, ut apparet VIII. 9.

Donec ſtaret Sacerdos doctus & eruditus] In Hebræo, *Sacerdos cum Vrim & Thumim* : quod & Græci volunt cùm dicunt ἱερεὺς φωτίζων [*Sacerdos illuminans*]. *Vrim & Thumim*, ut alibi meminimus, in ſecundo Templo non erat. Sperabat Nehemias aliquando futurum ut Deus ea reſtitueret, & ſic ad obſcura reſponderet.

Hucuſque refertur quid in commentario ſcriptum fuerit; exin Nehemiæ hiſtoria texitur] Hoc neque in Hebræo eſt, neque in Græco, neque vero ſuo loco eſt poſitum: nam à commate 6 hiſtoria Nehemiæ eſt.

CAPVT VIII.

1. *Et dixerunt Eſdræ ſcribæ ut afferret librum legis Moyſi*] Vrbe ſtructâ, & impletâ civitate, reſtabat, ut in memoriam revocarentur leges ſecundùm quas vivendum erat.

2. *Et mulierum*] Quæ ſeorſim ſuum locum habebant.

5. *Super univerſum enim populum eminebat*] Legebat de loco ſuperiore.

7. *Silentium faciebant in populo ad audiendam legem*] Hoc eſt quod Romani dicebant: *Favete linguis*.

8. *Et legerunt*] Eſdras aliique diverſis in locis plateæ, ut hîc 9. & IX. 4. Simile habes Act. 11.

Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè, & apertè ad intelligendum, & intellexerunt cùm legeretur] In Hebræo: *Et legerunt in libro in lege Dei expoſita, ponendo intellectum, & intellexerunt in lectione*. Quorum primum illud Thalmudiſtæ ſic interpretantur, *Lectum fuiſſe librum ſermone Chaldaïco, quem populus meliùs intelligebat*; alterum, *diſtinctè lectum per periodos & commata*; tertium, *etiam accentus pronuntiatos*.

10. *Nolite contriſtari: gaudium enim Domini eſt*] Ovidius:

Nunc dicenda bono ſunt bona verba die.

& Horatius:

——— *malè ominatis*
Parcite verbis.

Ariſtides: εὐφημεῖν ταῖς πανηγύρεσι [*feſtis diebus dicenda bona verba*].

12. *Et mitteret partes*] Sportulas pauperioribus.

13. *Congregati ſunt principes Familiarum univerſi populi, Sacerdotes & Levitæ ad Eſdram ſcribam*] Nempe ut ipſe rituum peritus indicaret quomodo Lex ad iſtud tempus pertinens implenda eſſet.

CAPVT IX.

3. L*Egerunt in volumine legis Domini Dei ſui quater in die, & quater confitebantur*] Alternis *legebant* & *confitebantur*, id eſt, laudabant Deum (vide infrà 5.) idque temporibus quatuor diei, à prima hora ad tertiam, à tertia ad ſextam, à ſexta ad nonam, à nona ad duodecimam.

6. *Tu feciſti cœlum & cœlum cœlorum*] Duo tribuit Deo, quod & Opifex ſit, & Servator univerſi.

Et tu vivificas omnia hæc] Sata, animantia, homines.

7. *De igne Chaldæorum*] De *Vr*. Nomen proprium loci, quod & apud Ammianum exſtare monuimus. Oratio hæc Nehemiæ egregia eſt & ἐμπαθής [*plena affectuum*] tum in beneficiis Dei, tum in culpis populi prædicandis; & haberi poteſt pro compendio omnis hiſtoriæ ad hæc tempora.

10. *Cognoviſti enim quia ſuperbè egerant contra eos, & feciſti tibi nomen ſicut & in hac die*]

> Ζεὺς γὰρ κολαστὴς τῶν ἄγαν ὑπερφρόνων.
> [*Quiſquis ſuperbit, vindicem exſpectet Iovem.*]

Nec ulla materia dignior in qua vim ſuam oſtentet.

17. *Et non ſunt recordati mirabilium tuorum quæ feceras eis*] Eò notabiliùs ingrati erant Iudæi, quòd multa miracula ipſis, non & aliis gentibus, Deus exhibuerat. Vide Matth. XI. 21.

20. *Et ſpiritum tuum bonum dediſti qui doceret eos*] Spiritum propheticum qui in Moſe fuit.

28. *Cùmque requieviſſent reverſi ſunt ut facerent malum*] Catullus:

> *Otium & cives priùs & beatas*
> *Perdidit urbes.*

Iuvenalis:

> *Nunc patimur longæ pacis mala: ſævior armis*
> *Luxuria incubuit.*

Salluſtius: *Quòd ſi Regum atque Imperatorum animi virtus in pace ità ut in bello valeret, æquabiliùs atque conſtantiùs ſeſe res humanæ haberent; neque aliud aliò ferri, neque mutari, ac miſceri omnia cerneres. Nam imperium facilè iis artibus retinetur, quibus initio partum eſt; verùm ubi pro labore deſidia, pro continentia & æquitate lubido atque ſuperbia invaſère, fortuna ſimul cum moribus immutatur.*

36. *Terra quam dediſti patribus noſtris, ut comederent panem ejus, & quæ bona ſunt ejus, & nos ipſi ſervi ſumus in ea*] Ipſa patria nobis patria non eſt: nam αὐτονομία [*libertas ſuis utendi legibus*] aliqua à Perſis conceſſa ipſos imperio Perſico non eximebat.

37. *Et fruges ejus multiplicantur regibus*] Gravia pendunt tributa: de quibus Eſdra VI. 8. VII. 24.

Et jumentis noſtris] Per angarias, quod repertum ut & vox ipſa Perſica.

38. *Percutimus fedus, & ſcribimus*] Renovamus patrum promiſſa.

CAPVT X.

1. S*Ignatores autem fuerunt*] Fuit πολιτεία ἀριστοκρατικὴ μετ' ὀλιγαρχίας [*regimen Optimatium mixtum cum paucorum potentia*] ab hoc tempore ad tempora Aſmonæorum. Pauci Principes ut Zorobabel, Nehemia, Eſdras regebant populum de conſilio Senatûs & aliorum Magiſtratuum. Poſtea magìs ad δημοκρατίαν [*ſtatum popularem*] flexit ſtatus, ut notat Ioſephus, & indè, ut fieri ſolet, tyrannides.

27. *Et reliqui de populo*] Σπέρμα τι καὶ λείψανον ἐκ τῆς συμφορᾶς [*ſemen aliquod & reliquiæ ex calamitate*], Ioſephus.

28. *Omnes qui poterant ſapere*] In Hebræo: *Omnis ſciens, intelligens.* Id eſt, omnes qui ad rationis uſum pervenerant.

29. *Spondentes pro fratribus ſuis, optimates eorum, & qui veniebant ad pollicendum & jurandum ut ambularent in lege Dei*] In Hebræo: *Hi ſe aſſociabant popularibus ſuis optimatibus per diras & juramentum* (obligantes ſcilicet ſe) *ad incedendum in lege Dei.* Senſus eſt, Quod illi duces & Senatores ſignaverant, id ipſi verbis adhibitis, etiam diris in peccantes, & jurisjurandi religione, ratum fecerunt. Ità Principum erat προβούλευμα [*præconſultum*], ſcitum omnium.

30. *Et ut non daremus filias noſtras populo terræ, & filias eorum non acciperemus filiis noſtris*] Præter promiſſum generale de implendis legibus univerſis, quædam leges ſpeciatim exprimuntur, quia difficiliores obſervatu videri poterant; De non ſumendis uxoribus ex vicinis populis, addito etiam ob rationem præſentis temporis interdicto; De filiabus in eorum matrimonium non dandis; De ſervando ſabbato, & anno ſabbatico; & De collectis ad uſus Templi ac ſacrificiorum: item De primogenitis, primitiis, decimis. De ſervando ſabbato præceptum vide quàm diligenter obſervari fecerit Nehemias XIII. 15. & ſequentibus.

38. *Erit autem Sacerdos filius Aaron cum Levitis in decimis Levitarum*] Id eſt, ubi decimæ dabuntur Levitis, è Sacerdotibus quidam inſpectores aderunt, ut ipſam decimam deciment, ex lege Num. XVIII. 26.

CAPVT XI.

1. R*Eliqua plebs miſit ſortem, ut tollerent unam partem de decem qui habitaturi eſſent in Ieruſalem*] Præter quòd veteres urbanæ familiæ in Vrbem revocatæ ſunt, etiam ex aliis oppidis & vicis pars decima eò deducta, quò frequentiùs habitaretur, meliúſque defenderetur.

3. *Principes provinciæ*] Id eſt, qui è Chaldæa venerant.

Habitavit autem unuſquiſque in poſſeſſione ſua in urbibus ſuis, Iſrael, Sacerdotes, Levitæ, Nathinæi] Id eſt, recenſebo jam præcipuos eorum qui Hieroſolymis habitarunt; cùm alii ex populo, nonnulli etiam ex Sacerdotibus & Levitis, in aliis oppidis habitarent, quos non recenſeo.

Et filii ſervorum Salomonis] I Reg. IX. 21. Eſdr. II. 55.

11. *Achitob princeps domûs Dei*] Στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Prætor Templi*], nam Pontifex maximus erat Eliaſib.

22. *Et epiſcopus Levitarum in Ieruſalem, Azzi filius Bani*] פקיר Hebræum ἐπίσκοπος [*inſpector*] vertitur, ut & Num. IV. 16. XXXI. 14. Iud. IX. 28. II Reg. XI. 15. 19. II Paralip. XXXIV. 12. 17. bene

admodum. Sic Athenis ἐπίσκοπος vocabatur *Præfectus juri dicundo ad oppida ditionis Athenienſium miſſus*. Et in rebus Indorum Arrianus eos qui cognita ad Magiſtratus referrent eodem vocat nomine. Cicero ad Atticum à Pompejo ſe ait conſtitutum ἐπίσκοπον *oræ maritimæ*. Digeſtis titulo De muneribus & honoribus, *epiſcopi* vocantur *qui præſunt pani & venalibus rebus*. Eſt nomen curæ magìs quàm dignitatis. Ideóque id maluerunt Chriſtiani Eccleſiarum præſides, quàm Iudaïcum ἀρχισυναγώγου ראש הקהל [*principis ſynagogæ*.

CAPVT XII.

9. V*Nuſquiſque in officio ſuo*] Suis vicibus miniſtrabat: id enim hîc שמרה [*cuſtodia*], & infrà שמר, 22. Græci hîc εἰς τὰς ἐφημερίας [*per dierum vices*], & infrà ἐφημερίαν πρὸς ἐφημερίαν [*vicibus poſt vices*]. Vide quæ dicta Lucæ I. 8.

11. *Genuit Ieddoa*] Τὸν Ἰαδοῦ [*Iadu*] LXX, & hîc & infrà, 22. Idem eſt Ἰαδδοῦς [*Iaddûs*] Ioſepho, quem narrat occurriſſe Alexandro Tyri & Gazæ victori. Sic hiſtoria Canonis Hebræi finit in ipſa luce temporum, id eſt in Alexandri Magni rebus, unde omnia jam clara, etiam de Iudaïcis rebus per tot Græcos ſcriptores, quorum multi nunc interciderunt, ut apparet ex Hieronymi ſcriptis ad Danielem.

22. *In regno Darii Perſæ*] Codomanni quem vicit Alexander.

30. *Et mundati ſunt Sacerdotes & Levitæ, & mundaverunt populum*] Prius enim erat ut Sacerdotes ſe mundarent, quàm ut mundare alios poſſent. Idem ſenſu ſublimiore de Sacerdotibus Chriſtianis intellige.

46. *Et ſanctificabant Levitas, & Levitæ ſanctificabant filios Aaron*] Id eſt, ſacras res, puta decimas, dabant Levitis, & Levitæ de ſuis decimas dabant Sacerdotibus.

CAPVT XIII.

1. E*T inventum eſt ſcriptum in eo*] Deut. III. 3.

3. *Separaverunt omnem alienigenam ab Iſraël*] Id eſt, natos ex gentibus, quibus Lex noluerat eſſe jus connubii & honorum.

6. *In omnibus autem his non fui in Ieruſalem, quia anno triceſimo ſecundo Artaxerxis regis Babylonis veni ad regem*] Rediit ad officium ſuum aulicum: & poſt aliquod tempus iterum à Rege impetravit veniam eundi Hieroſolyma.

7. *Quod fecerat Eliaſib Tobiæ*] Ob affinitatem, homini alienigenæ, non tantùm intrare intra ſepta Iſraëlitica, quod vel ipſum nefas fuerat, ſed & ſervare res ſacras permiſerat. Vide ſuprà VI. 18. & infrà 28.

8. *Et projeci vaſa domûs Tobiæ*] Domeſticam ipſius ſupellectilem. Fecit hoc pro poteſtate ſibi à Rege Perſarum conceſſa, ut in facto extraordinario.

9. *Sacrificium*] מנחה [*Manaa, Oblationem è ſimila*]; de quo Levit. II.

13. *Quoniam fideles comprobati ſunt*] In Hebræo, *habiti ſunt*. Fama eos commendabat quæ non errat ſemper, ſæpè eligit: conſenſu monſtrabantur: nemo omnes decepit.

14. *Memento mei Deus meus pro hoc*] Sic & infrà 22. 29. 31.

18. *Numquid non hæc fecerunt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper civitatem hanc*] Reſpicit ad Ierem. XVII. 21. & ſequentibus.

21. *Manum mittam in vos*] Agam pro meo jure, ut ſuprà 9.

25. *Et objurgavi eos, & maledixi*] Per illud *maledixi* Abeneſdras intelligit duo excommunicationis genera, נדוי [*ſeparationem*] & חרם [*anathema*]; ſed ea crediderim in exſilio uſurpata, cùm jus vitæ neciſque penes Perſas eſſet, atque iterum cùm capitalia judicia ad Romanos deveniſſent. Nam in Lege nulla earum pœnarum mentio, neque in veteri hiſtoria populi illius. Verius ergò eſt Nehemiam gravibus verbis, etiam cum iræ divinæ comminatione, uſum in iſtos legirupas.

28. *De filiis autem Iojada filii Eliaſib ſacerdotis magni gener erat Sanaballatta Horonites*] Imò *gener erat Sanabelletæ Horonitæ*. Id enim Hebræa exigunt, ſed & Græca.

Quem fugavi à me] Non Sanabelleten Satrapam in Moabitide, ſed illum nepotem Eliaſibi juſſi abire, ex decreto Eſdræ X.8.

31. *Et in oblationibus lignorum in temporibus, & in primitivis*] Effeci ſcilicet ut ſervaretur decretum memoratum ſuprà X. 34. 35. In cujus rei memoriam inſtitutus ſolemnis dies ξυλοφορίων [*Ligniferii*], cujus meminit Ioſephus II. Belli Iudaïci.

AD LIBRVM ESTHER.

Vide quæ diximus ad initium Paralipomenon. Sæpe mulieres Hebræis plurimùm profuerunt: etiam in Polonia quædam *Eſther* nomine. Eſtherem, de qua hic eſt liber, comparo Herſiliæ, quæ Sabinis popularibus ſuis pacem & civitatem Romanam optimis legibus obtinuit. LXX huic hiſtoriæ ſomnium quoddam Mardochæi præmittunt, quod non eſt in Hebræo.

CAPVT I.

1. *IN diebus Aſſueri*] De Aſſuero nihil ampliùs quod dicam habeo, quàm quod dixi Eſd. IV. 6. Darium Perſam hujus Aſſueri, ſive, ut Græci interpretes & Ioſephus efferunt, Artaxerxis & Eſtheris filium fuiſſe Hebræi ſentiunt.

Ab India] הדו; pro quo Thargum hoc loco, & alibi Hebræi, הנדי.

2. *Suſan*] Vide Nehem. I. 1.

3. *Fecit grande convivium cunctis principibus & pueris ſuis*] In Hebræo, *ſervis ſuis:* quomodo vocare ſubditos mos eſt Orientis. Græci hîc poſuêre, τοῖς φίλοις καὶ τοῖς λοιποῖς ἔθνεσι [*amicis & cæteris gentibus*]. Vide infrà 5. Etiam Romani Imperatores ſæpè epulo excepêre cum Senatu etiam plebem. In epulo Domitiani Statius:

Hîc cùm Romuleos proceres, trabeatáque Cæſar
Agmina mille, ſimul juſſit decumbere menſis.

Et præfectis provinciarum] Provincia hîc in Hebræo, מדינה [*Medina*], quod nomen etiam nunc in Hiſpania quibuſdam regionibus manet.

8. *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum*] Quod alioqui apud Reges fieri ſolet.

Reges dicuntur magnis urgere culullis,
Et torquere mero.

Etiam apud Romanos bibendi modimperatores erant & magiſtri. Græci interpretes hoc loco: ὁ δὲ πότος οὗτος οὐ κατὰ προκείμενον νόμον ἐγένετο. οὕτως δὲ ἠθέλησεν ὁ βασιλεὺς, καὶ ἐπέταξε τοῖς οἰκονόμοις ποιῆσαι τὸ θέλημα αὐτοῦ καὶ τῶν ἀνθρώπων [*potatio autem fiebat nullâ lege propoſitâ: ità enim rex voluerat, & juſſerat diſpenſatoribus ſuis facere tum quod ipſe, tum quod alii vellent*]. Similis huic Regi Cleomenes, in cujus vita Plutarchus: ἄκοντι δ' οὐδεὶς ποτήριον προσέφερε [*Nolenti poculum nunquam præbuit*].

9. *In palatio*] Sub tecto, non in hortis, ut Rex. id feminarum pudori erat convenientius.

10. *Itaque die ſeptimo, cùm rex eſſet hilarior, & poſt nimiam potationem incaluiſſet mero*] Nam & quæ ſequuntur plus impetûs habent quàm rationis. At Deo jus eſt decreta ſua etiam ſic exſequendi. voluit Rex oſtentare Perſis formam uxoris ſuæ, quod nec feminæ decorum, nec Regi tutum erat; ſed Reges quicquid velint facilè inveniunt ſententiæ ſuæ approbatores: neque deeſt his luſciniolis ſua cantio.

Præcepítque Mauman] Hîc eſt Aman in Græco.

Septem eunuchis qui in conſpectu ejus miniſtrabant] Vox סריסים *ſpadones* ſignificat; talibus autem hominibus etiam nunc Orientis Reges ad miniſteria feminarum uti ſolent. Heptas celeber apud Perſas numerus. Vide infrà 14.

12. *Quæ renuit*] Fortè ſuperbioribus verbis quàm oportebat, ut quæ Regem præ amore ſibi putabat obnoxium. Alioqui erat contra mores quod Rex juſſerat; nàm de Perſis Plutarchus Themiſtocle: οὐ μόνον τὰς γαμετὰς ἀλλὰ καὶ τὰς ἀργυρωνήτους καὶ παλλακευομένας ἰσχυρῶς παραφυλάττουσιν, ὡς ὑπὸ μηδενὸς ὁρᾶσθαι τῶν ἐκτὸς, ἀλλ' οἴκοι μὲν διαιτᾶσθαι κεκλεισμένας· ἐν δὲ ταῖς ὁδοιπορίαις, ὑπὸ σκηνῆς κύκλῳ περιπεφραγμένας ἐπὶ τῶν ἁρμαμαξῶν ὀχεῖσθαι [*Non ſolùm uxores, verùm & pretio emtas, & concubinas ità aſſervant ut ab extraneo nullo videantur, ſed domi quidem vivant incluſæ; in itineribus verò curribus vehantur in quibus ſint tabernacula quæ eas undique circumdent*]. Ioſephus hoc loco: φυλακῇ τῶν παρὰ Πέρσαις νόμων, οἳ τοῖς ἀλλοτρίοις βλέπεσθαι τὰς γυναῖκας ἀπηγορεύκασι [*reverentiâ Perſarum legum, quæ ab alienis ſpectari mulieres vetant*].

Et nimio furore ſuccenſus] Vbi ad vinum ira acceſſit, haud facilè retinet modum. Multa talia in Alexandri hiſtoria.

13. *Interrogavit Sapientes*] Magos: ità huic mori aſſueverat, ut nè ebrius quidem ejus obliviſceretur.

Qui ex more regio ſemper ei aderant, & illorum faciebat cuncta conſilio, ſcientium leges ac jura majorum] Ioſephus: τοὺς ἑπτὰ τῶν Περσῶν οἳ τὴν τῶν νόμων ἐξήγησιν ἔχουσι παρ' αὐτοῖς [*ſeptem è Perſis quibus apud ipſos commiſſa eſt legum interpretatio*]. Multùm ſpectatur in iis qui conſilium Regi daturi ſunt cognitio juris patrii. *Ad conſilium de republica dandum caput eſt noſſe rempublicam*, ait Cicero II. de Oratore. Sic Imperator Severus Alexander clariſſimorum in jure virorum uſus eſt conſiliis, Vlpiani, Pomponii, Celſi, Modeſtini, Pauli, Proculi, Venuleji.

14. *Qui videbant faciem Regis*] Vide quæ diximus ad Matth. XVIII. 10.

16. *Reſpondítque Mamuchan*] Primus fortè ſententiam à Rege interrogatus.

18. *Atque hoc exemplo omnes principum conjuges Perſarum atque Medorum parvipendent imperia maritorum*] Nam ut Regis ità Reginæ vitia imitari genus obſequii judicatur. Ioſephus hoc loco: οὐδὲ μία γὰρ τοῦ συνοικοῦντος ἀνδρὸς αἰδῶ ποιήσεται, παράδειγμα τὴν τῆς βασιλίσσης ὑπερηφανίαν πρὸς σὲ τὸν κρατοῦντα ἁπάντων ἔχουσα [*nulla mulier maritum ſuum verebitur, exemplum habens Reginæ arrogantiam adverſùs te qui omnibus imperas*].

19. *Scribatur juxta legem Perſarum atque Medorum, quam præteriri illicitum eſt*] Apparet quandam fuiſſe formam legum faciendarum apud Perſas, ſecundùm quam factæ leges omnino erant immutabiles, ut illæ quæ ſacræ apud Romanos vocabantur. Vide Daniel. VI. 8. 12. 15. & Procopium, ubi agit περὶ Λήθης φρουρίου [*de caſtello Oblivionis*]. Videtur autem forma quæ leges faciebat immutabiles, hæc fuiſſe, ut non Regis tantùm, ſed & principum ſignis muniretur. Vide Dan. VI. 17.

Sed regnum illius altera quæ melior eſt illâ accipiat] Gravis pœna pro culpa levi, ſi tamen culpa.

22. *Diverſis linguis ac literis*] Nam ad quemque populum linguâ cujuſque Rex ſcribebat, infrà III. 12.

CAPVT II.

2. *QVærentur regi puellæ virgines ac ſpecioſæ*] Nam
Succeſſore novo vincitur omnis amor.

3. *In domum feminarum*] In domum puellarum. Nam alia erat domus earum quæ jam mulieres factæ eſſent, infrà 14.

Accipiant mundum muliebrem & cætera ad uſus neceſſaria] In Hebræo una vox מרקים, quæ & *mundum* & *ornatum* continet. Apparet id infrà 12.

5. *De ſtirpe Iemini*] Id eſt, Benjamini, ut hîc Græci & Ioſephus.

6. *Qui tranſlatus fuerat de Ieruſalem*] Id eſt, cujus majores trànſlati fuerant: ſępè enim Hebręi parentum & liberorum nomina inter ſe mutant. Confer Eſd. 1. 2.

7. *Qui fuit nutritius filiæ fratris ſui*] Imò *patrui*, ut eſt in Hebræo. Græci: θυγάτηρ Ἀμιναδὰβ ἀδελφοῦ πατρὸς αὐτοῦ [*filia Aminadabi fratris patris ſui*]. Nutritium τὸν τροφὸν, ſive θρεπτῆρα etiam Cæſar dixit Belli civilis III. *Erat in procuratione regni, propter ætatem pueri, nutritius ejus eunuchus.*

Quæ altero nomine vocabatur Eſther] Hanc eſſe Amiſtrin quidam putant.

Sibi eam adoptavit in filiam] *Accepit ſibi in filiam*, eſt in Hebræo: id eſt, eo affectu eam educabat ac ſi filia eſſet, infrà 20. Ioſephus: ἔστεργε γὰρ αὐτὴν ὡς αὐτοῦ θυγατέρα [*amabat enim eam quaſi filiam*].

9. *Quæ placuit ei*] Præfecto gynæconitidos, docto ſpectatori formarum.

15. *Quæ non quæſivit muliebrem cultum*] *Tanta eſt fiducia formæ.*

17. *Et poſuit diadema regni in capite ejus*] Fecit Sultanam.

18. *Et dedit requiem univerſis provinciis*] Levamenta aliqua onerum ipſis conceſſit, ut Reges in nuptiis facere ſolent. Græci bene: ἄφεσιν ἐποίησε [*remiſſionem conceſſit*].

Ac dona largitus eſt juxta magnificentiam principalem] Dedit Eſtheri ἀνακαλυπτήρια [*dona pro detectione*]. Anthyllam urbem Regis Perſarum uxoribus in calceamentum datam ait Herodotus lib. II.

19. *Cúmque ſecundò quærerentur virgines*] Eſt ἐπάνοδος [*retrogreſſio*]. referendum enim hoc ad illa quæ ſuprà II. 2.

20. *Necdum prodiderat Eſther patriam ſuam & populum ſuum juxta mandatum ejus*] Nè aut ipſi ex gente odium, aut genti ex ipſius fortuna invidia crearetur.

Et ità cuncta faciebat, ut eo tempore ſolita erat, quo eam parvulam nutriebat] Rarum planè in Regina, ità obſervare propinquum. Pleræque nolunt meminiſſe quid fuerint.

21. *Irati ſunt Bagathan & Thares duo eunuchi*] Nempe quòd timerent nè per hoc conjugium Mardochæus ad magnam potentiam perveniret.

Qui janitores erant, & in primo palatii limine præſidebant] Erant ἀρχισωματοφύλακες [*Præfecti cuſtodibus corporis*], ut hîc habent Græci.

22. *Quod Mardochæum non latuit*] Indicium ei faciente Barnabazo ſervo alterius eunuchorum. Sic Ioſephus.

23. *Quæſitum eſt*] Quæſtio habita eſt. Græci: ὁ βασιλεὺς ἤτασε τοὺς δύο εὐνούχους [*Rex quæſtionem habuit in duos eunuchos*].

Et appenſus eſt uterque eorum in patibulo] Ἀνεσταύρωσε [*crucifixit*], ait Ioſephus minùs propriè, quomodo & Græci interpretes infrà VII. 10. At hîc iidem interpretes, ἐκρέμασε [*ſuſpendit*]. Pœna frequens in Perſide, V. 14. VII. 9.

Mandatúmque eſt hiſtoriis & annalibus traditum coram rege] Breviùs in Hebræo: *Et ſcriptum eſt in libro verborum dierum coram rege.*. Id eſt, ſcripta hæc res eſt in diurnis quæ apud Regem aſſervabantur. Vide infrà VI. 1. 2.

CAPVT III.

1. *POſt hæc Rex Aſſuerus exaltavit Aman filium Amadathi qui erat de ſtirpe Agag*] Ortus ex regibus Amalecitis, cum qua gente Deus & ſibi & Hebræis bellum eſſe voluerat internecinum, Exod. XVII. 14. 15. 16. neque unquam ſeponi ex animo contumelias, quas ea gens Hebræis intulerat Deuteron. XXV. 17. 18. 19. ac proinde nulla cum illis eſſe amicitiæ commercia.

Et poſuit ejus ſolium ſupra omnes principes quos habebat] Ius προεδρίας [*præſidendi*] ipſi inter Satrapas dederat. Simile vide II Reg. XXV. 28.

2. *Flectebant genua & adorabant*] Honorem ei exhibebant, præcipuè genua flectendo, ut olim Ægyptii Ioſepho Geneſ. XLI. 45. minores alii proſtrato corpore, quomodo Regem venerari mos Perſis, ut Plutarchus nos docet Themiſtocle; ſcriptor verò Latinus de Vitis imperatorum Conone.

4. *Dixerat enim ſe eſſe Iudæum*] Ac proinde ex ſua Lege nefas ſibi ullum honorem exhibere homini nato è ſtirpe devota divinitùs: nam alioqui Iudæis non illicitum erat Reges & principes eo modo venerari, quem mos Orientis receperat. Sic David Saulem προσεκύνησε πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, ὡς ἔθος [*veneratus eſt in faciem cadens de more*], narrante Ioſepho.

6. *Pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus ſuas*] Id eſt, parum ſe dignum putavit ſe in uno homine ulciſci, niſi & omnem gentem genti originis ſuæ inimicam everteret.

7. *Miſſa eſt ſors in urnam quæ Hebraïcè dicitur Phur*] Imò *Perſicè* ſic dicitur: *Hebraïcè*, ut textus hic habet גורל [*Goral*, id eſt *ſors*]. Mos erat Perſarum & vicinarum gentium, ſortibus certo modo jactis explorare dies rei propoſitæ proſperos aut adverſos: id in hac re ſæpè fecit Aman: tandémque invenit diem, quem ſortes proſperum promittebant. at Deus exemplum dedit ingens quàm iſta ſint inania. Ab hoc ſuperſtitioſo jactu ſortium dies iſti פרים, ut infrà legimus IX. 31. unde corrigendus Ioſephi codex, in quo legimus: διὰ ταῦτα μὲν Ἰουδαῖοι τὰς προειρημένας ἡμέρας ἑορτάζουσι, προσαγορεύοντες αὐτὰς Φρουραίους [*propter hæc Iudæi dictas dies feſtas agunt, vocantes eas Phuræas*, id eſt *ſortium*]. legendum Φουραίους. Idem error in additamento Græco ad hanc hiſtoriam: τὴν προκειμένην ἐπιστολὴν τοῦ Φρουραί [*prædictam epiſtolam Phurai*, id eſt *ſortium*]. legendum Φουραί. Ità autem vocat totum hunc librum, qui à Mardochæo ad Iudæos miſſus fuerat, poſtea verſus in Græcum à Lyſimacho. Eoſdem dies alio nomine ab Amane *Aman* vocatos diſcimus Codicis

Theodoſiani L. Iudæos, titulo de Iudæis. nam in Codice Iuſtinianeo ea vox corrupta eſt.

8. *Et à ſe mutuò ſeparatus*] Voluit dicere *ab aliis ſeparatus.* Ioſephus hoc loco: ἔθνος ἄμικτον, ἀσύμφυλον, ὅτι θρησκείαν τὴν αὐτὴν τοῖς ἄλλοις ἔχον, ὅτι νόμοις χρώμενον ὁμοίοις, ἐχθρὸν ἡ καὶ τοῖς ἔθεσι, καὶ τοῖς ἐπιτηδεύμασι τῷ σῷ λαῷ καὶ ἅπασιν ἀνθρώποις [*gens ſegrex & inſociabilis, neque religionem cum aliis communem habens, neque paribus utens legibus, ſed & moribus & inſtitutis pugnans cum tuo populo, hominibuſque cæteris*]. Et in ipſo edicto quod ſequitur: δυσμενὲς ἔθνος καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλλόκοτον [*gens infenſa & averſa ab omnibus*]. Quæ quid in ſe veri, quid falſi habeant faciliùs intelliges, ſi videas quæ diximus de Iure Belli ac Pacis libro II. cap. XV. §. 19. Tacitus de Iudæis: *Separati epulis, diſcreti cubilibus.* Cicero pro Flacco: *Stantibus Hieroſolymis, pacatiſque Iudæis, tamen iſtorum religio ſacrorum à ſplendore hujus imperii, gravitate nominis noſtri, majorum inſtitutis abhorrebat.* Iuvenalis de iiſdem Iudæis:

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Iudaïcum ediſcunt & ſervant, & metuunt jus.

9. *Et decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ*] Exercebat pretioſa odia.

10. *Tulit ergò Rex annulum quo utebatur de manu ſua*] Vt Alexander detractum annulum digito Perdiccæ tradidit.

12. *Vt quæque gens legere poterat*] Vide quæ ſuprà I. 22.

13. *Miſſæ ſunt per curſores regis*] Græci, διὰ βιβλιοφόρων [*per literarum portatores*]. Intellige *Angaros,* quos *veredarios* infrà vocat Latinus interpres VIII. 10. ubi pariter Græci, διὰ βιβλιοφόρων. Suidas ἀγγάρους [*angaros*] interpretatur γραμματοφόρους ἐκ διαδοχῆς [*qui alii poſt alios literas ſuſcipiebant ferendas*].

Vt occiderent & delerent omnes Iudæos] Sic *Mithridates unâ epiſtolâ octoginta millia civium Romanorum in Aſia per urbes negotiandi gratiâ diſperſa interemit.* verba ſunt Val. Maximi lib. IX. cap. II. n. 3. Extern. Appianus rem eandem ſic refert: Μιθριδάτης σατράπαις ἅπασι καὶ πόλεων ἄρχουσι δι᾽ ἀπορρήτων ἔγραφε, τριακοστὴν ἡμέραν φυλάξαντας, ὁμοῦ πάντας ἐπιθέσθαι τοῖς παρὰ σφίσι Ῥωμαίοις καὶ Ἰταλοῖς, αὐτοῖς τε καὶ γυναιξὶν αὐτῶν, καὶ παισὶ, καὶ ἐλευθέροις ὅσοι γένους Ἰταλικοῦ, κτείναντάς τε ἀτάφους ἀπορρῖψαι, καὶ τὰ ὄντα αὐτοῖς μερίσασθαι πρὸς βασιλέα Μιθριδάτην [*Mithridates ſatrapis omnibus & urbium Magiſtratibus in arcano ſcripſit, ut obſervato die trigeſimo omnes ſimul inſidias facerent Romanis & Italis, viris & feminis, & pueris, & omnibus hominibus liberis generis Italici, & interfectos projicerent, res autem eorum dividerent cum Rege Mithridate*]. Florus, *Quid atrocius uno edicto ejus: cùm omnes qui in Aſia forent Romanæ civitatis homines interfici juſſit?*

15. *Pependit edictum*] Sic Tertullianus adverſus Marcionem IV. *Auguſtianis cenſibus adhuc tunc fortaſſis pendentibus.*

Et cunctis Iudæis qui in Suſan erant flentibus] Senſum magis expreſſit quàm verba quæ in Hebræo ſic habent: *& civitas Suſa erat perplexa.* Intelliguntur enim per Suſa Iudæi qui plurimi Suſis erant.

CAPVT IV.

1. *QVæ cùm audiſſet Mardochæus ſcidit veſtimenta ſua, & indutus eſt ſacco, ſpargens cinerem capiti*] Nullum omiſit ſignum, quo ſuam non tam pro ſe quàm pro popularibus ſollicitudinem teſtaretur.

Voce magnâ clamabat] Adjiciunt Græci, quid clamaverit: αἴρεται ἔθνος μηδὲν ἠδικηκός [*interficitur gens quæ nemini fecit injuriam*]. Sic & Ioſephus, ὅτι μηδὲν ἀδικῆσαν ἔθνος ἀναιρεῖται [*interfici gentem quæ injuriam fecit nemini*].

2. *Non enim erat licitum indutum ſacco aulam regis intrare*] Id eſt, lugentem, ut apparet infrà 4.

3. *Crudele regis dogma*] Id eſt, edictum, ut Lucæ II. 1.

11. *Auream virgam*] Id eſt, ſceptrum.

13. *Nè putes quòd animam tuam tantùm liberes, quia in domo Regis es præ cunctis Iudæis*] In Hebræo: *Nè imagineris tibi fore ut temet* (unam ſcilicet) *de Iudæis omnibus ſerves, ídque in domo regis.* Vbi tot inimici, tot obſervatores.

14. *Si enim nunc ſilueris, per aliam occaſionem liberabuntur Iudæi: & tu & domus patris tui peribitis*] Quippe

Tam malum eſt ſemper tacere, quàm malum eſt
ſemper loqui.

Quis novit utrùm iccirco ad regnum veneris] Simile Geneſ. XLV. 5.

16. *Non comedatis & non bibatis tribus diebus*] Bene hoc interpretatur Ioſephus, τροφῇ καὶ πότῳ τοῖς ἡδέσι ἀποταξαμένη [*cibo & ſuavi potu abdicatis*]. Ità enim ibi legendum. Tales erant Xerophagiæ iſtæ Tertulliano memoratæ, in quibus abſtinebatur omni jurulentiâ & uvidioribus quibuſque pomis, nè quid vinoſitatis vel ederetur vel potaretur.

Et ego cum ancillis meis ſimiliter jejunabo] In Hebræo, *cum puellis meis:* ſic & LXX καὶ αἱ ἅβραι μου. Eæ ſunt, ut alibi diximus, miniſtræ comites. Harum altera dominam prodeuntem manu ſuſtentabat, altera portabat ſyrma. Ioſephus hîc. Vide ea quæ dicemus ad Iudith VIII. 26.

Et tunc ingrediar ad regem, contra legem faciens] Sunt quædam tam violentæ περιστάσεις [*circumſtantiæ*], ut in iis legem ſervare velle ſit in leges præcipuas peccare. Addam quædam ex Valerio Maximo. *L. Scipio, cùm ad neceſſarium reipublicæ uſum pecuniam ex ærario promi opus eſſet, ídque quæſtores, quia lex obſtare videretur, aperire non auderent, privatus claves popoſcit, patefactóque ærario legem utilitati cedere coëgit.* III. cap. VII. n. 1. *Vbi domeſtica quies ſeditionum agitata fluctibus eſt, priſcæ conſuetudinis auctoritas convellitur.* III. cap. VIII. n. 6. *Ageſilaus cùm adverſùs rempublicam Lacedæmoniorum conjurationem ortam noctu comperiſſet, leges Lycurgi continuò abrogavit quæ de indemnatis ſupplicium ſumi vetabant: itaque ut ſemper eſſe poſſent leges aliquando non fuerunt.* VII. cap. II. n. 12. Sic & Lacedæmonios cùm ad Pylum captos infamiæ eximerent, dixiſſe ait Appianus, κοιμάσθων οἱ νόμοι τήμερον [*Dormiant leges hodie*].

Tradénſque me morti & periculo] In Hebræo, *& ſi moriar, moriar:* magnanima vox feminæ. Græci, ἐὰν καὶ ἀπολέσθαι με δέῃ [*etiamſi perire me oporteat*]. Ioſephus: ὑπισχνεῖτο, κἂν ἀποθανεῖν δέῃ, τοῦτο ὑπομένειν [*promittebat ſe hoc auſuram etiamſi mori deberet*]. Loquendi genus huic geminum Geneſ. XLIII. 14. in Hebræo.

CAPVT V.

1. I*Nduta eſt Eſther regalibus veſtimentis*] Ovidius, ——— *Auferimur cultu.*

2. *Oſculata eſt ſummitatem virgæ ejus*] In Hebræo, *tetigit*: id eſt, manum ſceptro ſubmiſit.

3. *Etiamſi dimidiam partem regni petieris, tibi dabitur*] Sic & infrà VII.2. mos loquendi Regibus: ſic & Marci VI. 23. Vide quæ ad Matth. XIV. 7.

4. *Vt venias ad me hodie & Aman ad convivium quod paravi*] Poſt preces opus eſt prudentiâ, quæ Eſtheri non defuit. Non ſtatim promit animi cogitata; ſed diſponit occaſiones.

10. *Et Zares uxorem ſuam*] Euripides Andromachâ:

Πολλὰς ἂν εὕροις μηχανάς· γυνὴ γὰρ εἶ.

[*Artes reperies mille, quando femina es.*]

13. *Quamdiu videro Mardochæum*] Non ſciebat Eſtheri tam propinquum; at ſciebat mortem non meritum. Erat Aman talis, qualem ſcriptor Oetæi Herculis ob oculos ponit:

Colit hic reges, calcet ut omnes,
Perdátque aliquos, nullúmque levet.
Tantùm ut noceat cupit eſſe potens.

Egregia & rara illa laus in Senecæ conſolatione ad Polybium: *Nemo potentiam ejus injuriâ ſenſit.*

CAPVT VI.

1. I*Vſsitque ſibi afferri hiſtorias & annales*] Diurna, ut diximus ſuprà II. 23. γράμματα μνημόσυνα τῶν ἡμερῶν [*literas memoriales dierum*], Græci hoc loco. mos autem erat Perſarum libris inſcribere nomina eorum qui Regi operam navaſſent egregiam. Herodotus Vraniâ: Φύλακος δὲ εὐεργέτης βασιλῆος ἀνεγράφη [*Phylacus verò perſcriptus fuit ut bene de Rege meritus*]. Xerxes in epiſtola ad Pauſaniam: κείσεταί σοι εὐεργεσία ἐν τῷ ἡμετέρῳ οἴκῳ εἰσαεὶ ἀνάγραπτος [*manebit tibi hoc beneficium ſemper perſcriptum in domo noſtra*]. exſtat apud Thucydidem I. Procopius Gotthicorum II. φίλον μὲν αὐτὸν ἐν τοῖς μάλιστα Χοσρόῃ βασιλεῖ ἐκ τοῦ ἔργου τούτου ἰσχυρισάμενος ἔσεσθαι, Πέρσαις δὲ ἀνάγραπτον ἐπ᾽ εὐεργεσίᾳ εἰς τὸν πάντα αἰῶνα [*affirmans eum ex hoc facto amicum fore Regi Choſroæ, nomen autem ejus cum hoc beneficio manſurum ſemper ſcriptum in Perſarum libris*].

3. *Quid pro hac fide honoris ac præmii Mardochæus conſecutus eſt?*] Digna cura Regum magnitudine, nullum inſigne benefactum ſine præmio relinquere. Turpe Regi, beneficiis vinci.

6. *Cogitans quòd nullum alium rex niſi ſe vellet honorare*] Specimen egregium hominis ſuperbi & dulci fortunâ ebrii.

8. *Debet indui veſtibus regiis*] Vide Gen. XLI. 42. infrà VIII. 15.

Et imponi ſuper equum qui de ſella regis eſt] Quo Rex uti ſolet.

Et accipere regium diadema ſuper caput ſuum] Tiaram inflexum qui Regulis concedebatur, cùm rectum, qui & cidaris, ſolus Rex magnus geſtaret, Herodotus lib. VII. כתר, quod hîc in Hebræo eſt, ſatìs latè patet, & qualecunque inſigne honoris ſignificat, ità ut Ioſephus tranſtulerit περιαυχένιον χρυσοῦν [*torquem auream*]. ſuprà, ubi de Auguſtæ ornamento agitur, eadem eſt vox, I. 11. & II. 17.

9. *Clamet & dicat : Sic honorabitur quemcunque voluerit rex honorare*] Simile vide Gen. XLI. 43.

13. *Cui reſpondebant ſapientes quos habebat in conſilio*] Quorum operâ in ſortibus jaciendis uſus erat, III. 7.

Si de ſemine Iudæorum eſt Mardochæus, ante quem cadere cœpiſti, non poteris ei reſiſtere] Ex fato populorum de ſingulorum fatis judicabant. Iudæi graviſſimè oppreſſi, à Cyri temporibus contra ſpem omnem reſurgere cœperant. de Amalecitis audierant oraculum eſſe, eos Iudæorum manu perituros.

14. *Et citò eum*] Cunctabundum ob mala iſta omina.

CAPVT VII.

2. P*Oſtquam vino incaluerat*] Quod amoribus ſuſcitabulum eſt.

3. *Dona mihi animam meam pro qua rogo*] Quid poterat dici ingenioſius? nam & ipſa Iudæa erat.

4. *Cujus crudelitas redundat in regem*] Multa enim tributa Rex capiebat è Iudæis. Qui Regi proponit vel honeſtiſſima, rectè fecerit, ſi etiam de utilitate aliquid addat.

8. *Super lectulum corruiſſe in quo jacebat Eſther*] Cœnabant ergò in lectulis, ut Græci & Romani.

Etiam reginam vult opprimere] Vide quàm ſit lubricus in aula viventium ſtatus, ut ſuſpiciones, ſæpè etiam non veræ, ad eorum perniciem valeant. Aman tamen hoc malum à Deo erat meritus: etenim Reginam opprimere voluerat, quanquam alio ſenſu.

Statim operuerunt faciem ejus] Nempe adſtantes aulici caput obnupſerunt, quod fieri ſolitum iis quibus Rex iratum ſe oſtenderat, notavit Abeneſdra.

9. *Dixítque Harbona*] Hîc in Græco eſt Βουγαθάν [*Bugathan*], in Ioſepho Σαβουχάδας [*Sabuchadas*]. unde apparet quantum in nominibus propriis variaverint codices.

Appendite eum in eo] Ex vetere verbo:

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
[*Qui mala vult aliis ſæpe eſt ſibi peſſimus ipſi.*]

& illo, ——— τοῖς αὐτῶν πτεροῖς
Ἁλισκόμεσθα.
[——— *noſtris aves*
En capimur alis.]

10. *Suſpenſus eſt itaque Aman*] Ταῦτ᾽ ἔστι τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας [*talia ſunt præmia amicitiæ regalis*], dicebat Aratus Sicyonius.

CAPVT VIII.

1. D*Ie illo dedit rex Aſſuerus Eſther reginæ domum Aman adverſarii Iudæorum*] Totam confiſcationem criminoſi dedit Eſtheræ. Ius erat Regum Perſarum, ut & Hebræorum, elargiri confiſcata. Nulli autem æquius erat hæc bona dari, quàm ei quæ per Amanem in ſummum adducta periculum fuerat.

Confeſſa eſt enim ei Eſther quòd eſſet patruus ſuus] Patruelis: vide ſuprà II. 7. id in aula ignotum hactenus, quanquam aliquid ejus rei ſciviſſe videntur duo iſti eunuchi, de quibus ſuprà II. 21. fortè & ille de quo habuimus mentionem IV. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13.

2. *Conſtituit Mardochæum ſuper domum ſuam*] Summum fecit rei domeſticæ ſuæ inſpectorem.

5. *Effice ut novis epiſtolis veteres Aman literæ inſidiatoris & hoſtis Iudæorum, quibus eos in cunctis regni provinciis perire præceperat, corrigantur*] Non erat illud edictum factum eo more quo leges ſacræ & immutabiles, qualis illa ſuprà I. 19.

8. *Vt epiſtolis quæ ex Regis nomine mittebantur, & illius annulo ſignatæ erant, nemo auderet contradicere*] Idem fecerat antea Aman, III. 12. Talibus literis omnes parebant, tanquam plenam voluntatis regiæ pro eo tempore fidem facientibus. Sic Græci: οὐκ ἐστιν αὐτοῖς ἀντειπεῖν [*non licebat eis contradicere*]. Ioſephus: τοὺς γὰρ ἀναγνωσομένους τὰς ὑπὸ τοῦ βασιλικοῦ σημαντῆρος ἠσφαλισμένας ἐπιστολὰς, οὐδὲν περὶ τῶν ἐγγεγραμμένων ἐναντιώσεσθαι [*eos enim qui lecturi eſſent literas Regis ſigillo ſignatas non ituros contra in iis ſcripta*].

10. *Et miſſæ per veredarios*] In Hebræo: *In manu curſorum in equis qui vectabantur ſumtu regio, & Aſtandarum qui in mulis.* רכש *ſumtum de regiis facultatibus* interpretatur & Rabbi Abraham. Deſunt autem, ut ſæpè, hîc in Hebræo illud *&*, item *qui*, addita à nobis ad ſenſum implendum. Ἀστάνδαι [*Aſtandæ*] vox Perſica quâ ſignificantur οἱ γραμματοφόροι ἐκ διαδοχῆς [*tabellarii alii excipientes alios*], qui aliàs ἄγγαροι [*angari*]. Ea vox hîc & infrà 14. plenè ſcribitur אחשתרנים [*Axtarnim*]; Græcè autem contractior exſtat apud Plutarchum Alexandro, Heſychium, Suidam, Euſtathium.

11. *Vt ſtarent pro animabus ſuis*] Ius naturæ munit auctoritate regiâ. Simile edictum Valentiniani I. *Liberam reſiſtendi cunctis tribuimus facultatem, ut quicunque militum vel privatorum ad agros nocturnos populator intraverit, aut itinera frequentata inſidiis aggreſſionis obſederit, permiſſâ cuicunque licentiâ digno illico ſupplicio ſubjugetur, ac mortem, quam minabatur, accipiat, & quod intendebat incurrat. Melius enim eſt occurrere in tempore, quàm poſt exitum vindicari. Veſtram igitur vobis permittimus ultionem, & quod ſerum eſt punire judicio, ſubjugamus edicto, ut nullus parcat militi, cui obviare telo oporteat ut latroni.* Et Arcadii: exſtat codice Iuſtinianeo titulo, *Quomodo liceat unicuique ſine judice ſe vindicare, vel publicam devotionem.*

17. *Et feſtus dies*] Cujus memoria apud Iudæos in hunc diem durat. Vide & IX. 17.

In tantum ut plures alterius religionis & ſectæ eorum religioni & ceremoniis jungerentur] Id eſt, fierent גרי צדק [*hoſpites juſtitiæ*] pleni proſelyti. Græci interpretes hic: περιετέμνοντο καὶ ἰουδάϊζον [*circumcidebantur & Iudaïzabant*]. ſed & hi & Ioſephus à multis extraneis ajunt ſuſceptam circumciſionem, ut ſibi ſecuritatem hoc modo pararent, metuentes & libertatem edicto datam, & potentiam Mardochæi: quod & quæ in textu ſequuntur verba videntur innuere, & quæ legimus infrà IX. 2. 3. 4.

CAPVT IX.

3. *Nam & provinciarum judices & duces & procuratores, omniſque dignitas, qui ſingulis locis ac operibus præerant, extollebant Iudæos*] Temporum erant homines, ut ſunt ejus generis plerique.

4. *Quem principem eſſe palatii*] In Hebræo, *magnum eſſe in domo Regis:* quippe ſummum inſpectorem domûs Reginæ: quæ non modica dignitas, præſertim ſub Rege ſatìs uxorio.

Fama quoque nominis ejus creſcebat quotidie, & per cunctorum ora volitabat] Non miror; nihil enim citiùs cognoſcitur, quàm quis in aula plurimùm valeat. Adeò ad id omnium arrectæ ſunt aures.

6. *Extra decem filios Aman Agagitæ hoſtis Iudæorum*] Mutavit interpres ordinem qui in Hebræo eſt, ubi nomina propria præcedunt, ſequitur id quod commune eſt. Planè in hoc libro major quàm in aliis libris fuit interpretum libertas, fortè & librorum inſcribendo varietas.

10. *Prædas de ſubſtantiis eorum tangere noluerunt*] Nam habebant hi ſua bona præter paterna, de quibus ſuprà VIII. 1. Abſtinuerant Iudæi à direptione bonorum, quæ Rex ipſis conceſſerat, VIII. 11. nè cupiditatis magìs ſuæ quàm ſalutis rationem habuiſſe viderentur. Simile eſt Geneſ. XIV. 22. & infrà 15. 16. Et antiquitus ſententia illa apud Hebræos obtinebat, Si quis Iſraëlitam aut bona ejus prodere voluiſſet gentibus, aut ſi quis totam Iudæorum univerſitatem magnâ affeciſſet contumeliâ, nihil mali facturum Iſraëlitam, ſi ei perniciem procuraret, bonis tamen ejus relictis heredi.

13. *Et decem filii Aman in patibulo ſuſpendantur*] Id eſt, corpora eorum mortua ponantur oſtentui, more Hebræo.

23. *Suſceperúntque Iudæi in ſolemnem ritum*] Vide & infrà 31. Neque enim prohibitum erat populo Iudaïco præter dies feſtos in Lege inſtitutos alios inſtituere in beneficiorum à Deo acceptorum memoriam. Sic & jejunia quædam poſt Legem inſtituta, II Reg. XXV. 28. Ieremiæ XLI. Zachariæ VII. 3. 5. VIII. 19. Mardochæus & Eſther hac in re auctoritate præiverunt, non imperio.

26. *Atque ex iſto tempore dies illi appellati ſunt Phurim*] Quod nomen & nunc manet. Vide ſuprà III. 7.

30. *In centum viginti ſeptem provinciis*] Vide ſuprà I. 1.

32. *Et omnia quæ libri hujus, qui vocatur Eſther, hiſtoriâ continentur*] In Hebræo, *& ſcriptum eſt in libro:* id eſt, tota hæc res in Acta publica relata eſt.

CAPVT X.

1. *Rex verò Aſſuerus omnem terram & cunctas maris inſulas fecit tributarias*] Id eſt, novum quoddam tributum provinciis impoſuit, auctore Mardochæo. Sunt enim Iudæi magni artifices talium. Vide mox 3.

2. *In libris Medorum atque Perſarum*] In Hebræo: *In diurnis Regum Mediæ & Perſidis.*

3. *Secundus à Rege Aſſuero*] Id eſt, cujus conſiliis Rex plurimùm utebatur, ſuprà VIII. 2. IX. 4.

AD LIBRVM IOB.

Habuimus hiſtoricos libros: ſequuntur Poëtici, qualis eſt hic de Iobo maximâ ſui parte, id eſt à capite III. ad comma ſeptimum capitis XXII. Res verè geſta eſt, ut apparet Ezech. XIV. 14. Iacobi V. 21. ſed poëticè tractata. Contigit autem, ut mea eſt conjectura, agentibus in deſerto Hebræis. Nulla hîc uſquam Legis niſi per manus traditæ mentio: & quæcunque hîc veterum hiſtoriarum attinguntur, antiquiorum ſunt temporum. Vita quoque ad ducentos producta annos iiſdem temporibus convenit. Regio ubi contigit, eſt Arabia, ubi *Hus*, id eſt Ἀυσῖτις ſive Ἀυσανῖτις, Geneſ. X. 23. ubi *Themar*, Geneſ. XXXVI. 11. ubi *Suha* ſive *Saccæa*, Geneſ. XXV. 2. oſtendunt idem frequentes hîc Arabicæ voces. Scriptor ignoratur; at quiſquis eſt, credibile eſt fuiſſe ante Ezechielem, ob eum quem dixi Ezechielis locum: poſteriorem autem Davide ac Solomone, ex quorum libris & ſententiæ & loquendi quædam genera videntur huc tranſlata. Sunt & quædam loquendi genera, quæ non reperias niſi apud Danielem, Eſdram & Paraphraſtas Chaldæos. Videtur autem propoſitum fuiſſe ſcriptori poſteros Eſavi à Babyloniis tranſportatos tam illuſtri exemplo confirmare ad retinendum unius Dei cultum, vitam ſanctam, & patienter ferenda adverſa. Hebræum autem fuiſſe qui ſcripſit indè etiam colligo, quòd Hebræorum mos eſt Arabiam vocare *Orientem*, ut oſtendimus ad Matthæi II. 1.

CAPVT I.

4. V*Nuſquiſque in die ſuo*] Natali, ut mos illis gentibus, ut diximus ad Geneſ. XL. 20.

5. *Et ſanctificabat illos*] Pro illis Deum precabatur, addito jejunio.

6. *Affuit inter eos etiam Satan*] Solent Dei decreta, Angelorum bonorum miniſteria, malorum machinationes, exprimi ad formam judiciorum aut conſiliorum Regis, 1 Regum XXII. 19. Zachariæ III. 1.

15. *Et irruerunt Sabæi*] Plurimi ſemper in Arabia latrones in hunc uſque diem. Plinius in ejus deſcriptione libro VI. 28. *Mirúmque dictu ex innumeris populis pars coæqua in commerciis aut latrociniis degit.* Chaldæus hîc habet ורנן, quam vocem pro *Sabæis* etiam Ionathan poſuit Gen. X. 7. Eam partem eſſe Sabæorum ait Elias Levita. Sabæorum incurſus in vicinos memorat & Strabo.

19. *A regione deſerti*] Ità videtur appellare loca quæ Latini vocant *ſubſeciva*.

CAPVT II.

1. V*Eniſſet quoque Satan*] Nimirum non vocatus.

2. *Circuivi terram*] Nam in cœlum, ubi pura omnia, nihil ei juris.

6. *Animam illius ſerva*] Nolo vitam ei eripias: ità Deus malo ſpiritui circumſcribit licentiæ cancellos, Matth. VIII. 31. Apocal. XX. 2. At Maimonides per animam mentem intelligit, quam Iobo turbari nolit Deus.

11. *Audientes tres amici Iob omne malum*] Nempe ut eſt in Iphigenia Taurica Euripidis:

——— τὰ γὰρ τῶν βασιλέων παθήματα
Ἴσασι πάντες ὧν ἐπιστροφή τις ἦν.
[——— *omnibus Regum mala*
Perfacile noſſe eſt illa quos cura attinet.]

Eliphaz Themanites] Habuit ea pars Arabiæ ſemper Philoſophos præſtantiſſimos, Ierem. XLIX. 7. Baruch. III. 22. Meminit & Alcoranus.

CAPVT III.

3. P*Ereat dies in qua natus ſum*] Natalis meus inter dies atros habeatur. Ovidius Elegiâ XIII. libri III. Triſtium:

Ecce ſupervacuus (quid enim fuit utile naſci?)
Ad ſua natalis tempora noſter adeſt.
Dure, quid ad miſeros veniebas exſulis annos?

Vide & quæ ſequuntur.

5. *Et involvatur amaritudine*] Eruditi quidam putant כמרירי hîc poni reſch repetitâ pro כמרי [*Sacerdotes*], ut ſenſus ſit: *Sacerdotes diei*, id eſt, qui dierum fata diſtinguunt, *hunc terrificent*, id eſt, annotent tanquam terribilem.

8. *Maledicant ei*] Poteſt eſſe *perfodiant* à נקב, id eſt, ὀβελίζωσι [*vericulo* ſeu *obeliſco notato configant*].

Qui parati ſunt ſuſcitare Leviathan] Id eſt, qui magicis cantibus monſtra ſuſcitant. Eſt metaphora. Sic רפאים, & *manes* ſignificat, & *monſtra marina*.

13. *Dormiens ſilerem*] Mors, *ſomnus corporis* Hebræis dicitur.

14. *Qui ædificant ſibi ſolitudines*] LXX: οἱ ἐγαυριῶντο ἐπὶ ξίφεσιν [*qui lætantur in gladiis*]. Nam חרבות etiam *gladios* ſignificat. Sic & Pſal. IX. 7. חרבות alii vertunt *ſolitudines*, ubi LXX αἱ ῥομφαῖαι [*rhomphææ*].

CAPVT IV.

1. R*Eſpondens autem Eliphaz Themanites dixit*] Parum ei in mentem venit ſententia, quam ſic effert Euripides:

Ἐν τοῖς κακοῖσι συγγενεῖ' ὅταν παρῇ
Τραχεῖα κ' ὀξύθυμος, ἀμαθίαν ἔχει.
[*Quoties amici rebus aliorum in malis*
Sunt aſperi iratique, res ea dedecet.]

Apud Æſchylum dicenti Oceano,

Οὔκουν Προμηθεῦ τοῦτο γινώσκεις, ὅτι
Ὀργῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι;
[*Atqui, Prometheu, ſcire quod te exiſtimo,*
Oratio medicatur iracundiæ.]

Reſpondet Prometheus:

Ἐάν τις ἐν καιρῷ γε μαλθάσσῃ κέαρ,
Καὶ μὴ σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνῃ βίᾳ.
[*Si tempore apto ſaucium cor mulceas ,*
Non ſi tumentem premere vis animum paret.]

10. *Rugitus leonis & vox leænæ & dentes catulorum*] His ſimilibus denotari ſolent homines improbi ac rapaces, Pſal. XXXIV. 10. LVIII. 6.

16. *Et vocem quaſi auræ lenis audivi*] Ea eſt בת קול [*filia vocis*], per quam Deus illis temporibus ſæpè voluntatem ſuam piis hominibus patefaciebat. Vide 1 Reg. XIV. 12.

CAPVT V.

1. E*T ad aliquem ſanctorum convertere*] LXX: εἴ τινα ἀγγέλων ἁγίων ὄψῃ [*ſi quem ſanctorum angelorum videbis*]. Solent nomine ſanctorum intelligi Angeli, Dan. VIII. 13. Zach. XIV. 5. Iactat ſe Eliphaz ob viſa cœleſtia, ſuprà IV. 16. Et vide, ait, an quid tibi ſimile ſit eventurum; quaſi dicat, indignus es.

3. *Ego vidi ſtultum firmâ radice*] Senſus idem qui in Pſalmo XXXVII.

Et maledixi pulchritudini ejus ſtatim] Id eſt, malèdici ominatus ſum.

4. *Conterentur in porta*] Cauſâ cadent in judicio. Pſal. CIX. 7.

10. *Qui dat pluviam ſuper faciem terræ*] Signum divini favoris.

13. *Qui apprehendit ſapientes in aſtutia eorum*] Suis eos retibus capit. Græci hîc: ὁ καταλαμβάνων σοφοὺς ἐν τῇ φρονήσει [*qui capit ſapientes in prudentia*]. Paulus 1 Cor. III. 19. ὁ δρασσόμενος τοὺς σοφοὺς ἐν τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν [*comprehendens ſapientes in aſtutia eorum*].

16. *Iniquitas autem contrahet os ſuum*] Eadem verba in Pſalm. CVII. 43.

17. *Beatus homo qui corripitur à Deo*] Simile apud Iacobum I. 12. ſed ibi magìs de adverſis per quæ pii explorantur, hîc de iis per quæ pravi corriguntur, ſermo eſt.

21. *A flagello linguæ*] Meliùs, *cùm graſſabitur lingua:* id eſt, calumnia. ità ſequitur de vaſtatore, *cùm venerit.*

23. *Cum lapidibus regionum pactum tuum*] Lapides agri te quamvis nudis pedibus incedentem non lædent.

CAPVT VI.

2. E*T calamitas*] In Hebræo הותי: quæ vox neque in Lege exſtat, neque in vetuſtioribus Prophetis. Ideóque poteſt accedere ad indicia temporis quo ſcriptus hic liber.

7. *Quæ priùs nolebat tangere anima mea, nunc præ anguſtia cibi mei ſunt*] כדוי vertit *præ anguſtia*, ex Hebræo דוה, quod *infirmitatem* ſignificat. Alii malunt Chaldaïcam eſſe vocem quæ per *vice* reddi poſſit; ut ſenſus ſit: quæ olim non eram toleraturus, ea nunc mihi apponuntur vice cibi, id eſt, pro ſolatio.

13. *Et neceſſarii quoque mei receſſerunt à me*] תושיה quod hîc *neceſſarios* vertit, *vim ſubſiſtendi* potiùs videtur denotare.

14. *Qui tollit ab amico ſuo miſericordiam, timorem Domini derelinquit*] In Hebræo, *derelinquet*. Senſus eſt: qui amicum infelicem tam crudeliter tractant, facilè etiam Dei omnem reverentiam excutient.

16. *Qui timent pruinam irruet ſuper eos nix*] Senſus in Hebræo commodior. Dixerat amicos ſimiles torrentibus qui diu turbidi incedunt præ glacie ac nive in ipſos reſoluta; ſed (quod verſus ſequens vult) ubi æſtas venerit planè deficiunt. Egregia ſimilitudo ad eos pertinens qui in rebus adverſis amicos ſe non oſtendunt.

25. *Quare detraxiſtis ſermonibus veritatis*] In Hebræo: *quàm firma ſunt eloquia recti*. Oppoſitio ſequitur: *quam vero vim docendi habent quæ vos attuliſtis?*

30. *Nec in faucibus meis ſtultitia perſonabit*] In Hebræo: *Certè palatum meum bene dijudicabit ea quæ corrupta ſunt*. id eſt, recto judicio expendam non minùs quæ pravè quàm quæ rectè dicuntur.

CAPVT VII.

1. M*ilitia eſt vita hominis ſuper terram*] Hierocles: ὡς βίος ἡμῖν κινδυνεύει μακρός τις εἶναι καὶ πολυετὴς πόλεμος [*Videtur vita noſtra eſſe longum ac diuturnum bellum*]. Arrianus in Epictetеis III. 24. στρατεία τίς ἐστιν ὁ βίος ἑκάστου [*vita cujuſque militia eſt*]. Maximus Tyrius Sermone III. στρατηγὸν μὲν τὸν Θεὸν, στρατείαν δὲ τὴν ζωήν [*Deum imperatorem, vitam militiam*]. Marcus Antoninus II. de Vita: ὁ δὲ βίος πόλεμος καὶ ξένου ἀποδημία [*vita bellum eſt, & peregrinatio*]. Seneca dixit *ſine miſſione naſcimur*. Ex miſeriis vitæ humanæ vult oſtendere Iobus non fruſtra abs ſe mortem optari.

3. *Habui menſes vacuos*] Menſes mihi fuêre ità ſteriles bonarum rerum, ut ſolent eſſe hyberni.

6. *Et conſumpti ſunt abſque ulla ſpe*] Videtur continuari ſimilitudo à tela ſumta, & תקוה ſignificare *glomum*, & אפס ejus *defectum*.

12. *Aut cetus, quia circundediſti me carcere*] תנין vox eſt ſatìs generalis, quæ feras non marinas tantùm, ſed & terreſtres ſignificat, ut apparet Ierem. IX. 11. ubi de Hieroſolymis agitur, urbe à mari ſatìs remota; & in eodem Propheta LI. 37. ubi de Babylone ſermo. Et certè feris terreſtribus conveniunt repagula, non marinis.

16. *Deſperavi, nequaquam ultrà jam vivam*] Meliùs vertas ex Hebræo: *Tædet me, ne diutiùs vivam.*

Parce mihi] Meliùs ex Hebræo: *Abſtine à me*, ſupple *ſpiritum tuum*, ut Pſ. CIV. 29. infrà XXXIV. 29. A Deo eſt vita, qui etiam ſine cauſis naturalibus aufert eam ubi vult. Sic infrà: *quouſque non recedes à me?* id eſt, quouſque me ſines vivere?

20. *Et factus ſum mihimetipſi gravis*] Hanc ſcripturam non eſſe illam antiquiſſimam etiam Maſoretæ fatentur. Vetuſtiſſima enim ſcriptio fuit non עלי, ſed עליך [*ſuper te*]: unde Græci, εἰμὶ δὲ ἐπὶ σοὶ φορτίον [*ſum autem ſuper te onus*]. Senſus eſt, *Cur tibi gravis ſum? quando me inviſum habes, tolle me.* At magiſtris hoc viſum eſt κακόφωνον [*durè ſonare*]. Itaque mutarunt: quaſi non multa ſint ejuſdem κόμματος [*generis*] in ſacris literis.

CA-

CAPVT VIII.

12. *CVm adhuc ſit in flore*] Meliùs, *in virore*. Nam & nomen indè menſi אביב [*Abib*], cùm virent ſpicæ, interprete Hieronymo.

14 *Sicut tela aranearum fiducia ejus*] Proverbiale, ut Eſaiæ LIX. 5.

17. *Et inter lapides commorabitur*] Id eſt, etiamſi eouſque excreverit, ut altiſſimas *domos deſpiciat*, (ità enim eſt in Hebræo) tamen brevi diſparebit.

18. *Negabit eum*] Nempe locus in quo conſpiciebatur. Elegans προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*].

21. *Donec impleatur riſu os tuum*] Mutatur ſermo & fit ἀποστροφὴ [*converſio ſermonis*] ad impium aliquem, ut non raro in Pſalmis.

CAPVT IX.

4. *QVis reſtitit ei, & pacem habuit?*] Pro *reſtitit ei*, in Hebræo eſt : *induravit ſe contra eum.* Hi ſunt τὰ σκληρὰ λαλοῦντες κατὰ Θεοῦ [*dura loquentes contra Deum*], Iudæ 15.

9. *Et interiora Auſtri*] Sidera illa quæ ad polum Auſtrinum vergunt, & Arabibus ſunt conſpicua, non etiam longiùs in Septentrionem ab Æquinoctiali ſitis. Vide Plinium 11.72.

15. *Qui etiam ſi habuero quippiam juſtum*] In Hebræo: *qui ſi juſtus fuero.*

Sed meum judicem deprecabor] Id eſt, ſuppliciter cum eo agerem ut faciunt Angeli, Eſaiæ VI. 2.

20. *Pravum me comprobabit*] In Hebræo : *pravum me faciet*. Id eſt, pravus vobis videbor in hac jactatione.

21. *Etiamſi ſimplex fuero hoc ipſum ignorabit anima mea*] Etiamſi planè nullius maleactæ rei mihi conſcius fuero, tamen de memetipſo mihi judicium non aſſumam. 1 Corinth. IV. 3.4.

23. *Si flagellat, occidat ſemel & non de pœnis innocentium rideat*] Dictum hoc κατὰ φάσιν [*ſecundùm id quod eſſe videtur*], id eſt, nè ità agat quaſi pœnis bonorum delectetur.

24. *Vultum judicum ejus operit*] Nempe corruptor donis. Exod. XXIII.8. Deuteron. XVI.19. operit nè verum videat.

Quòd ſi non ille eſt, quis ergò eſt?] In Hebræo : *Si non, ubi, quis ipſe?* Id eſt, ſi quis neget verum me dicere, oſtendat ubi ille ſit, nempe Princeps juſtè agens. Vide quæ infrà XXIV.

27. *Cùm dixero, nequaquam ità loquar; commuto faciem meam, & dolore torqueor*] In Hebræo: *ſi dixero, Obliviſcar meditationis meæ, deponam vultum*, ſupple *triſtem, ac recreabor*.

CAPVT X.

3. *ET conſilium impiorum adjuves*] In Hebræo, *illuſtres :* id eſt, ſucceſſu glorioſum id facias. Græci: βουλῇ δὲ ἀσεβῶν προσέσχες [*conſilio antem impiorum faviſti*].

8. *Manus tuæ fecerunt me*] Deo aſſcribuntur ea etiam quæ per naturam fiunt, ab ipſo ſcilicet inſtitutam. Confer Pſalmum CXXXIX. 4.

10. *Me coagulaſti*] Propriè admodum. Plinius VII. cap.XV. agens de ſanguine menſtruo, *Quando hæc eſt generando homini materia ſemine è maribus coaguli modo hoc in ſeſe glomerante: quod deinde tempore ipſo animatur, corporatúrque.*

11. *Pelle & carnibus veſtiſti me; oſſibus & nervis compegiſti me*] Hic ordo eſt in genitura. Primùm pellicula fit, deinde in ea caro : duriora paulatim accedunt. Contrarium ordinem in Reſurrectione futurum ajunt Hebræi.

15. *Saturatus afflictione & miſeriâ*] In Hebræo, *en miſeriam*; ſed poteſt puncto mutato legi, *videns miſeriam :* nihil aliud circum me aſpiciens, quàm mala maxima.

16. *Et propter ſuperbiam quaſi leænam capies me*] שחל, quod hîc & alibi *leænam* vertit Hieronymus, alii *pantheram* eſſe malunt. Ad verbum: *ſi attollat ſe*, nempe caput meum, *venêris me quaſi panthera*, pecudem ſcilicet.

20. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi?*] Vide Pſalm. XXXIX.6.

22. *Sed ſempiternus horror inhabitat*]In Hebræo, *ubi illuxit, eſt ſicut caligo:* id eſt, *nox ibi perpetua eſt*, ut loquuntur Poëtæ.

CAPVT XI.

3. *TIbi ſoli tacebunt homines*] Legit בידך [*in manu tua*]; at noſter textus Hebræus habet בריך, *Nugæ tuæ hominibus ſilentium imponent*. Græci legêre ברוך, vertunt enim εὐλογημένος [*benedictus*].

4. *Dixiſti enim, purus eſt ſermo meus*] In Hebræo, *doctrina mea :* quæ vocabatur לקח [*acceptio*], quòd per manus acciperetur, ſicut à tradendo dicitur קבלה [*traditio*].

6. *Et quòd multiplex eſſet lex ejus*] Intellige Legem Noæ datam. Alii intelligunt rationum paginam.

12. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat*] Videtur hic eſſe ſenſus : *Vir inanis fiet cordatus, quanquam homo naſcitur ut pullus onagri.* id eſt, *ſine actuali ſcientia*, ut explicat Maimonides.

18. *Et defoſſus ſecurus dormies*] Imò *ubi foderis.* Nam Arabes fodiebant puteos, & ad eos ponebant tentoria, Geneſ. XXVI. 15.18.

19. *Deprecabuntur faciem tuam plurimi*] Multi tibi blandientur, tuam amicitiam expetent, ut Abrahami & Iſaaci, Geneſ. XXI. XXVI.

CAPVT XII.

4. *QVi deridetur ab amico*] In Hebræo, *Ridere amicum.* Senſus eſt : hoc quod vos agitis, eſt ridere amicum. dicitis, *clama ad Deum, ut Deus reſpondeat tibi.* (vide ſuprà XI. 5.) Hoc verò, inquam, ridere eſt.

5. *Lampas contemta*] Videntur præcedentia duo verba ad hanc ſententiam pertinere hoc ſenſu. Homo juſtus & integer lucerna quidem eſt, ſed quam contemnunt eorum animi quibus res ſunt ſecundæ, ac facilè ab his evertitur.

11. *Nónne auris verba dijudicat, & fauces comedentis*

ſaporem?] Hac geminâ tranſlatione ſignificatur intellectus humani vis κριτικὴ [*dijudicativa*].

19. *Ducit ſacerdotes inglorios*] כהנים & *Sacerdotes* dicuntur tanquam Dei *miniſtri*, & *miniſtri Regum*, quomodo hîc ſumsêre Chaldæus & Rabbi Levi: vertunt enim שרים [*principes*].

20. *Commutans labium veracium*] נאמנים videntur hîc dici non tam veraces, quàm *homines auctoritate magnâ præditi*.

CAPVT XIII.

4. C*Vltores perverſorum dogmatum*] In Hebræo: *Medici inutiles vos omnes.* quòd rectè interpretaberis ex verſibus Æſchyli, quos ad caput IV. produximus.

8. *Numquid faciem ejus accipitis?*] Vultíſne Deo gratificari me opprimendo, ut ſoletis facere apud Principes? Græci: ὑποστελεῖσθε [*ſubibitis*] hoc loco. ſic & ſuprà VI. 7. οὐ γὰρ ὑποστελεῖται πρόσωπον ὁ πάντων δεσπότης [*non ſubibit faciem Dominus omnium*].

10. *Quoniam in abſcondito faciem ejus accipitis*] Legit פניו [*faciem ejus*]: nec aliter Chaldæus, Symmachus, Theodotion.

12. *Redigentur in lutum cervices veſtræ*] Meliùs: *arces veſtræ erunt ut lutei tumuli.*

14. *Quare lacero carnes meas dentibus meis*] Cor præ mœrore maceror? Sic de Bellerophonte apud Ciceronem:

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Et huc pertinet Pythagoræ præceptum, καρδίαν μὴ ἐσθίειν [*cor nè ede*].

Et animam meam porto in manibus meis] Id eſt, in graviſſimis periculis verſor. Habes hoc loquendi genus Iudicum XII. 3. I Sam. XIX. 5. XXVIII. 21. Pſalmo CXIX. 109.

15. *Etiamſi occiderit me, in ipſo ſperabo*] Legit לו [*ipſi*], cùm Hebræi codices habeant לא [*non*] hoc ſenſu, *Etiamſi Deus me vellet interficere, ità ut vitæ mihi nulla eſſet ſpes, hoc tamen peterem ut audirer.*

16. *Cùm in ejus conſpectum nullus hypocrita veniat*] חנף, qui hìc *hypocrita* dicitur, Chaldæo & hîc & infrà XVII. 8. eſt דלטור Latinâ voce *delator.* Apud Deum falſi delatores non audiuntur: nemo illi falſa crimina adferens imponet.

26. *Scribis enim contra me amaritudines*] Acerba in me decreta condis. Sic Iudæ 4. προγεγραμμένοι εἰς τοῦτο τὸ κρίμα [*præſcripti in hoc judicium*].

28. *Et quaſi veſtimentum quod comeditur à tinea*] In Hebræo: *Vt veſtimentum comedet hoc tinea*: hoc cùm dicit, corpus ſuum monſtrat. Sic Paulus I Corinth. XV. 53. τὸ φθαρτὸν τοῦτο [*corruptibile hoc*]: quem locum explicans Tertullianus adversùs Marcion. V. *Oportet enim corruptivum hoc, tenens utique carnem ſuam dicebat Apoſtolus.* Confer quod infrà XIX. 25.

CAPVT XIV.

2. Q*Vi quaſi flos egreditur*] Homerus:

Οἵη γὰρ φύλλων γενεὰ τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
[*Eſt ſimilis planè foliis humana propago.*]

3. *Et adducere eum tecum in judicium*] Legit אתו [*eum*], ubi nos habemus אתי [*mecum*], hoc ſenſu, *Velíſne mecum ſummo jure ac rigidiſſimè agere?* Pſalmo CXLIII. 2.

4. *Quis poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine?*] In Hebræo: *Quis dabit mundum ex immundo?* Vt ſevera nimis judicia effugiat, objicit communem naturæ humanæ infirmitatem: de qua nonnulla adduximus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, XX. 19.

5. *Conſtituiſti terminos ejus*] Vetuiſti eum in plura ſæcula, ut olim, vitam producere, Pſal. XXXIX. 4.

6. *Recede paululùm ab eo, ut quieſcat, donec optata veniat, ſicut mercenarii, dies ejus*] Senſus eſt: parum eſt ut eum ſine cruciatibus ſinas ætatem agere. Iam veniet ſenectus quæ mortem ei faciet deſiderabilem.

11. *Quomodo ſi recedant aquæ de mari*] *Mare* intellige lacum, quomodo *ſeptem maria ad Padum* dicta Latinis. De lacu Albano emiſſo Camilli tempore narrat Livius libro V. de Fucino lacu Suetonius Claudio. Pomptinas paludes ſiccavit Auguſtus; meminit in Arte Horatius, & ad eum Scholiaſtes.

14. *Cunctis diebus quibus nunc milito exſpecto donec veniat immutatio mea*] Senſus eſt: ſi alia vita in his terris agenda daretur, ſolarer præſentia mala ſpe ſtatûs aliquando melioris. Similis cogitatio apud Euripidem eſt in Supplicibus:

Οἴμοι· τί δὴ βροτοῖσιν οὐκ ἔστιν τόδε,
Νέους δὶς εἶναι καὶ γέροντας αὖ πάλιν;
Ἀλλ' ἐν δόμοις μὲν ἤν τι μὴ καλῶς ἔχῃ,
Γνώμαισιν ὑστέραισιν ἐξορθούμεθα·
Αἰῶνα δ' οὐκ ἔξεστιν· εἰ δ' ἦμεν νέοι
Δὶς, καὶ γέροντες, εἴ τις ἐξημάρτανεν,
Διπλοῦ βίου λαχόντες, ἐξορθούμεθ' ἄν.
[*Proh fata! cur non eſt datum mortalibus*
Duplici juventâ, duplici ſenio frui?
Intra penates ſiquid habet incommodè
Fas ſeriore corrigi ſententiâ;
Hoc vita non permittit: at qui bis foret
Iuvenis ſenexque, ſiquid erratum foret
Priore id emendaret in curſu altero.]

17. *Sed curaſti iniquitatem meam*] In Hebræo, *& adſuis aliquid iniquitati meæ*: in examine pondus aliquod adjicis culpis, ſi quæ ſunt, meis.

19. *Lapides excavant aquæ*] *Gutta cavat lapidem.* Ovidius.

Et alluvione paulatim terra conſumitur] Rectiùs ex Hebræo, *inundabit germina terræ pulvis*: id eſt, Syrtes obruunt herbas & arbores.

20. *Roboraſti eum paululum, ut in perpetuum tranſiret, immutabis faciem ejus, & emittes eum*] Senſus videtur eſſe, Aliquid homini dediſti virium ad vitam hanc exigendam, quâ exactâ, nihil ei reſtat niſi ut totâ facie habitúque corporis immutato abeat ex hac luce. At Maimonides putat de Adamo hæc dici, qui poſtquam propoſitum ſuum mutaverat, à Deo expulſus eſt.

CAPVT XV.

4. Q*Vantum in te eſt, evacuaſti timorem*] Id eſt, deſtruxiſti religionem verbis tuis.

20. *Cunctis diebus ſuis impius ſuperbit*] Meliùs Græci hanc ſententiam, quam Eliphaz à majoribus

acceperat enunciant, Πᾶς ὁ βίος ἀσεβοῦς ἐν φροντίδι [*Omnis vita impii in cura*]. Ad verbum ex Hebræo: *Totâ vitâ impius eſt* ἑαυτὸν τιμωρούμενος [*ſemet puniens*].

Et numerus annorum incertus eſt tyrannidis ejus] Ex Hebræo ſic fortè rectiùs vertas: *Et quamdiu durat numerus annorum ejus, abſcondit ſe timendo.* Vide Eſaiam XLVIII. 22. LVII. 20. Adde & quæ Deuteronom. XXVIII. 65.

22. *Circumſpectans undique gladium*] Optima deſcriptio tyranni. Nota Dionyſii & Damoclis hiſtoria, ad quam alludit Horatius III. 1.

Deſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem;
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

23. *Cùm ſe moverit ad quærendum panem*] In Hebræo: *Vagabitur ad panem, ubinam?* Errabit exſul, incertus vitæ, ut Oedipus apud Sophoclem:

Τίς τὸν πλανήτην Οἰδίπουν καθ᾽ ἡμέραν
Τὴν νῦν σπανιστοῖς δέξεται δωρήμασι;
[*Quis eſt, quis eſt qui tenue palanti Oedipo*
Hodie trahendam munus ad vitam dabit?]

Novit quòd paratus ſit in manu ejus tenebrarum dies] *In manu ejus*, id eſt, proximè ſe. ſentit advenire ſibi miſerias inevitabiles.

24. *Et anguſtia vallabit eum, ſicut regem qui præparatur ad prælium*] Duæ hîc ſunt voces Chaldaïcæ, תתקפהו & עתיד. Poſterius hoc exponi ſolet voce Græcâ in Chaldaïſmum recepta, אטימוס, id eſt, ἕτοιμος [*paratus*]. Videtur autem meliùs כמלך verti *ut Rex*, quàm *ut Regem*. Agit enim quaſi de minuto Satrapa, cui Rex magnus occurrit. כידור autem videtur eſſe *acies conferta*. Nam & Arabibus كنورة eſt *tumultus*.

25. *Tetendit enim adversùs Deum manum ſuam*] Minatus eſt Deo. Locutio eadem Eſaiæ LVIII. 9.

26. *Cucurrit adversùs eum erecto collo*] In Hebræo, *incurrit ei in collum:* nempe Deus, aut infortunium à Deo immiſſum.

Et pingui cervice armatus eſt] In Hebræo, *indenſatos umbones ſcutorum ejus:* id eſt, nihil ei proderit ferre

——— σάκος ἑπταβόειον
[——— *clypei ſeptemplicis orbem.*]

27. *Et de lateribus ejus arvina dependet*] פימה, quod hîc eſt, Chaldæus vertit רוטבא, id eſt, *pinguedinem.* Simile loquendi genus infrà XXI. 23. Pſal. XVII. 10. LXXIII. 7. Adde & quæ Deuteronom. XXXII. 15.

28. *Habitavit in civitatibus deſolatis*] *Tyranni enim ubi ſolitudinem fecerunt, pacem vocant*, ut loquitur Tacitus.

30. *Non recedet de tenebris*] Non amovebitur à malis.

Et auferetur ſpiritus oris ſui] *Oris ejus*, nempe Dei: de quo actum ſuprà. Deus eum difflabit.

31. *Non credet fruſtra errore deceptus, quòd aliquo pretio redimendus ſit*] Rectiùs ex Hebræo, *Nè credat vanitati qui decipitur; nam vanitas erit merces ejus.*

34. *Devorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt*] Δωροδεκτῶν [*dona capientium*], ut hîc Græci. In Hebræo, *tabernacula munerum:* id eſt, ex malè partis exſtructa.

35. *Concepit dolorem & peperit iniquitatem*] In Hebræo, *peperit vanitatem:* ut & in Pſal. VII. 14. & Eſaiæ LIX. 4. Senſus eſt: magno conatu nihil efficit.

Et uterus ejus præparat dolos] Vtcunque ſæpè malè res ceſſerit, tamen non deſinit animo novas fraudes moliri.

CAPVT XVI.

4. *Atque utinam eſſet anima veſtra pro anima mea*] Illud לו, quod hîc per *utinam* vertitur, rectiùs verteretur per *ſi*, ut Iud. XIII. 23. Senſus eſt: ſi vos meo eſſetis loco, poſſem vobis ſimilia dicere. Sic in Andria Terentius:

Facilè omnes cùm valemus recta conſilia ægrotis damus.
Tu, ſi hîc ſis, aliter ſentias.

5. *Et moverem labia mea quaſi parcens vobis*] In Hebræo, *motus labiorum meorum cohiberet:* nempe dolores veſtros. Similitudo ſumta videtur ab his qui venena excantant. De Pſyllo Lucanus lib. IX.

Plurima tum volvit ſpumanti carmina linguâ
Murmure continuo, nec dat ſuſpiria curſus
Vulneris, aut minimum patiuntur fata tacere.

7. *Nunc autem oppreſſit me dolor meus*] In Hebræo, *Iampridem ærumnabilem me facit*, Deus ſcilicet; quanquam mox mutat perſonam: quod frequens his ſcriptis.

8. *Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me*] קמט, quod hîc per *rugare* à nonnullis vertitur eſt vox judicialis, quæ ſignificat *prehendere aliquem, & in jus velut obtorto collo trahere.* Exſtat in Chaldæis interpretibus, ut Prov. IV. 4. & V. 22. & in Gemara. nec aliter intellexêre Græci, ἐπελάβου μου [*prehendiſti me*].

Et ſuſcitatur falſiloquus adversùs faciem meam, contradicens mihi] Pergit in ſimilitudine judiciali. כחשי quod *maciem* vertunt quidam, meliùs vertitur *mentiens in me.* Symmachus optimè: ἀνέστη μοι καταψευδόμενος κατὰ πρόσωπόν μου ἀντιλέγων μοι [*ſurrexit mihi mendax, in faciem contradicens mihi*].

11. *Concluſit me Deus apud iniquum*] Vinctum me Deus iniquo tradidit. perſeverat in judiciorum ſimilitudine.

13. *Circumdedit me lanceis ſuis*] Vox רבים *ſagittarios* ſignificat, Ierem. L. 29. Ῥάμφαι in hiſtoria Carthaginis apud Polybium videntur eſſe ſagittæ. Alia comparatio à bello ſumta.

Effudit in terra viſcera mea] מררה hîc & infrà XX. 14. videtur ſignificare id quod inteſtinis continetur.

15. *Super cutem meam*] גלד, quod hîc *cutis* vertitur, vocem eſſe Scenitarum diſcimus ex Miſchna. Vtuntur eâ & nunc Arabes, & ſcribunt جلد

Operui cinere carnem meam] In Hebræo, *cornu meum:* id eſt, gloria mea dejecta eſt. Græci: τὸ δὲ σθένος μου ἐν γῇ ἐσβέσθη [*robur meum in terra exſtinctum eſt*].

18. *Hæc paſſus ſum abſque iniquitate manûs meæ*] In Hebræo: *Non ideo rapina in manibus meis.*

19. *Terra, nè operias ſanguinem meum*] Si tale quid patravi, quale hi exiſtimant, tum ſanguinem meum lingant canes. Vide 1 Reg. XXI. 23.

Neque inveniat in te locum latendi clamor meus] In He-

Hebræo: *Nè ſit locus clamori meo.* Querelas has meas nemo curet.

20. *Conſcius meus in excelſis*] שהד *teſtem* ſignificat Syriaco idiomate, ut apparet Geneſ.xxxi. 47. Arabes etiam nunc ساهد dicunt.

22. *Ecce enim breves anni tranſeunt*] In Hebræo, *Anni numeri venient:* id eſt, pauci admodum, ut apparet ex contrario Geneſ.xli.49. Vox יאתיו [*venient*] eſt Chaldaïca, frequens apud Danielem & Eſdram.

CAPVT XVII.

1. D*Ies mei breviabuntur*] Exſtinguentur, נועכו pro נדעכו, ut hìc habet Chaldæus & Rabbi Salomo. דעך pro *exſtinguo* aliquoties eſt apud hunc ſcriptorem, & in Eſaia, & in Proverbiis, & in Pſalmis.

6. *Et exemplum ſum coram eis*] Hebræi, *Tympanum ipſis ſum*: ità maledictis obtundor. ut תפת ſit idem quod תוף [*tympanum*], & Arabibus دف ex ſoni imitatione ducto nomine.

12. *Noctem verterunt in diem*, *& rurſum poſt tenebras ſpero lucem*] Ex Hebræo ſic liceat interpretari, *Noctem efficiunt velut diem* (nempe cogitationes meæ quæ nullam mihi requiem indulgent) *& auroram propinquam tenebris:* id eſt, tenebricoſam ob calamitates.

16. *In profundiſſimum infernum deſcendent omnia mea*, *putáſne ibi ſaltem erit requies mihi?*] Propiùs ex Hebræo ſic vertas, *Veſtibus ſepulchralibus deſcendent;* nempe ſpes iſtæ quas mihi proponitis: *ſi tamen quies erit mihi, vel tunc cùm pulveri miſcebor.*

CAPVT XVIII.

4. Q*Vi perdis animam tuam in furore tuo*] In Hebræo, *Rapiens animam ſuam in furore ſuo:* id eſt, Audi tu qui temetipſum dilaceras iracundiâ.

7. *Arctabuntur greſſus virtutis ejus*] Id eſt, potentiæ ejus. Legit hìc interpres ità ut nos in Hebræo habemus. At Græci pro יצרו legerunt יצרי θηρεύσωσιν [*venentur*], & pro צערי legerunt צערי, quod vertunt ἐλάχιστοι [*minimi*], minùs commodè.

12. *Attenuetur fame robur ejus*] Id eſt, ſemen, poſteritas, ut Geneſ. xlix. 3.

Et inedia invadat coſtas illius] In Hebræo, *Exitium paratum ſit coſtæ ejus:* id eſt, mulieri.

13. *Devoret pulchritudinem cutis ejus*, *& conſumat brachia illius primogenita mors*] In Hebræo, *Voret ramos cutis ipſius*, *voret ramos primogenitus mortis. Rami cutis* ſunt *brachia*, ut rectè hìc poſteriore loco Latinus interpres. *Primogenitus mortis* eſt putredo.

14. *Calcet ſuper eum quaſi rex interitus*] In Hebræo: *Adducétque eum* (ſupple *id quod dixi*) *ad regem terrorum. Rex terrorum* videtur eſſe angelus mortis, de quo multa mentio in Bababathra, apud Iacobum Rabinum in Caphthor: ὁ κράτος ἔχων θανάτου [*qui mortis habet imperium*], Hebr. ii. 14. illud בלהות Aquila & Symmachus vertunt ἀνυπαρξίαν [*non exſiſtentiam*].

15. *Habitent in tabernaculo illius ſocii ejus qui non eſt*] Meliùs, *Habitet in tabernaculo ejus qui nihil ad eum pertinet:* homo extraneus. Alii: *habitet in tabernaculo*, *quia non ei*, eſt domus ſcilicet. Prius illud præfero.

Aſpergatur in tabernaculo ejus ſulfur] An ad Sodomitarum pœnam alluditur, de qua vide Gen.xix.24. & ibi dicta: an *ſulfuris* voce fulmen intelligitur? Plinius libro xxxv. cap. xv. *Fulmina & fulgura quoque ſulfuris odorem habent*, *ac lux ipſa eorum ſulfurea eſt.*

20. *In die ejus ſtupebunt noviſſimi*] Iuniores.

Et primos invadet horror] Coævos intelligit. Nam קדמון etiam *præſentem* ſignificat.

CAPVT XIX.

7. E*Cce clamabo vim patiens*] In Hebræo, *Si clamavero vim:* indicat enim ipſam clamantis vocem. Hic locus & qui ſequitur planè convenit cum Threno Ierem. iii. 8. 9.

10. *Deſtruxit me undique*] Radicitus evulſit me. Eſt enim ab arbore ſumta ſimilitudo, & vicina ſunt נתץ [*demoliri*] & נתק [*eradicare*].

Quaſi avulſæ arbori abſtulit ſpem meam] Latinus Poëta ex Homero,

Vt ſceptrum quod ab arbore eſt reciſum
Nullâ jam poterit virere fronde.

12. *Simul venerunt latrones ejus*] Exercitus ejus. Similitudo eſt ducta ab urbe obſeſſa. Μονόζωνοι [*ſolo gladio armati*] Theodotioni. Symmacho λόχος [*agmen*].

15. *Et ancillæ meæ*] Chaldæus, ולחנתי [*concubinæ meæ*]. Sic & 17. *filios uteri mei*, Græci interpretantur υἱοὺς παλλακίδων μου [*filios concubinarum mearum*].

24. *Et plumbi lamina*] Ait Iarchi *in marmore ſolitas fieri inciſuras*, *& eas plumbo in formam literarum repleri.* Sequitur in Hebræo לעד, quod alii vertunt *in perpetuum.* Græci meliùs, εἰς μαρτύριον [*in teſtimonium*].

Vel celte ſculpantur in ſilice] *Celte*, γλυφίῳ [*ſcalpro*].

25. *Scio quòd Redemtor meus vivit*, *& noviſſimo die de terra ſurrecturus ſum*] Hæc verba & quæ ſequuntur Iudæi nunquam ad Reſurrectionem retulêre, cùm tamen omnia rimentur, quæ aliquam in ſpeciem eò trahi poſſunt. Chriſtiani non pauci eo uſi ſunt ad probandam reſurrectionis fidem, ſed ut id facerent coacti ſunt in verſionibus ſuis multùm ab Hebræo diſcedere, ut notatum Mercero aliiſque. Hebræa ſic ſonant: *Scio ego Redemtorem meum vivere*, *& illum poſtremò ſtaturum in campo. Etiamſi non pellem tantùm meam*, *ſed & hoc* (nempe arvinam quæ ſub pelle eſt) *conſumerent* (morbi ſcilicet), *in carne tamen mea Deum videbo* (id eſt, propitium experiar); *Ego*, *inquam*, *hiſce meis oculis: ego non autem alius pro me.* Deus *Redemtor* dicitur, quia pios ex multis malis liberat, Pſalm. lxxviii. 35. Eſaiæ xli. 14. xliii. 14. xliv. 6. xlvii. 4. xlviii. 17. xlix. 7. *Poſtremum in campo ſtare* eſt victoris. Sic Deum dicit victorem fore adverſariorum ſuorum. neque verò ei eſſe impoſſibile corpus ejus putredine propè exeſum reſtituere in priorem formam; quod & fecit Deus. De voce hac ſuprà diximus xiii. 28.

27. *Repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo*] In Hebræo, *Defecerunt renes mei in ſinu meo:* id eſt, intima mea vorantur ex indignatione ob maledicta veſtra. Vide ſequentia.

28. *Quare ergò nunc dicitis, perſequamur eum*] Meliùs *dicatis*, ſupple *aliquando*, *Cur perſecuti eum ſumus?*

Et radicem verbi inveniamus contra eum] In Hebræo: *Verbi radix inventa eſt in me.* Hoc ideo dicetis, quia cauſa mea bona habet fundamenta. *Verbum* pro *cauſa* Iohan. VII. 15.

29. *Fugite ergò à facie gladii*] Timete gladium quo Deus ulciſci ſolet homines iniquos, ut ſequitur.

Vt ſciatis quòd judicium] Deus in vos ſeverè animadvertet, ut experimento diſcatis non omnia caſu fieri.

CAPVT XX.

1. *RESpondens autem Sophar Naamathites dixit*] Multa in hujus verbis de Pſalmis deſumta.

5. *Quòd laus impiorum brevis ſit*] In Hebræo, *de propinquo*: ut torrentes ex propinquo nati non diu durant. flumina ab alto & longinquo ruunt, Ieremiæ XVIII. 14.

6. *Si aſcenderit uſque ad cælum ſuperbia ejus*] *Sublimitas ejus:* ſumta ſimilitudo ab arbore.

15. *Extrahet eas Deus*] Ἄγγελος [*Angelus*] Græci. Deus Angeli miniſterio.

18. *Luet quæ fecit omnia*] Ex Hebræo, *Reſtituet retentam mercedem laboris* (id eſt, in judicio cogetur reſtituere) *nè eâ frui poſſit*: *pro facultate compenſabit omnia* (damna data) *nè furto lætetur:* יגיע vel יגע eſt *merces laboris*, Geneſ. XXXI. 41. Pſal. CXXVIII. 2.

19. *Domum rapuit, & non ædificavit*] Confer Pſal. CXXVII. 1.

20. *Poſſidere non poterit*] *Non ſatiabitur*. Ità hîc Chaldæus; non erit contentus obtentis.

21. *Non remanſit de cibo ejus*] Nihil de ſuis epulis reliquum fecit in uſus pauperum, ut ſolebant facere viri boni. Ità hîc Iarchi. Vide Matth. XIV. 20. Lucæ IX. 16. Ioh. VI. 12. 13.

22. *Cùm ſatiatus fuerit, arctabitur, æſtuabit*] Meliùs: *Cùm ſe impleverit ad ſatietatem concupiſcet.* Nam יצר Hebræi dicunt pro *concupiſcentia*, Gen. VIII. 21. Eſaiæ XXVI. 3.

Et omnis dolor irruet ſuper eum] In Hebræo, *Omnis manus laborantis invadet eum:* feſſus erit quaſi multùm laboraſſet.

23. *Vtinam impleatur venter ejus, ut emittat in eum iram furoris ſui, & pluat ſuper illum bellum ſuum*] Rectiùs, *Impleat ventrem quantum velit: & immittet Deus fervorem iræ ſuæ, & depluet ſuper ipſum*, id eſt, *carnem ejus.* לחם quod Arabes ſcribunt لحم eſt *caro*. Et ſic etiam victimæ vocantur in Lege. Poſſes etiam vertere *ad devorandum ipſum.*

24. *Fugiet arma ferrea, & irruet in arcum æreum*] Latinè diceres:

Incidet in Scyllam, cupiens vitare Charybdim.

25. *Eductus & egrediens de vagina ſua*] Pro *vagina* Chaldæus vocem Græcam θήκην [*thecam*] poſuit. Senſus videtur eſſe, Educet aliquis ſagittam, & ea è corpore ejus exibit coruſcans de fæcibus inteſtinorum ejus. Si evaſerit, perpetuò eum comitabitur terror. De voce מררה [*id quod in inteſtinis*] vide ſuprà XVI. 13. de gladio tincto è viſceribus vide Iud. III. 22.

26. *Omnes tenebræ abſconditæ ſunt in occultis ejus*] Adverſa eum exſpectabunt, etiam ubi maximè tutum ſe putabit.

Devorabit eum ignis qui non ſuccenditur] Peſtilentia.

Affligetur relictus in tabernaculo ſuo] *In tabernaculo ejus.* Quicunque de ejus domo ſupererit, eâdem peſtilentiâ abſumetur.

28. *Apertum erit germen domûs illius, detrahetur in die furoris Dei*] Rectiùs ſic: *Proventus domûs ejus migrabit ut fluentes aquæ, in tempore divinæ iræ.*

29. *Et hereditas verborum ejus*] Hebræi ſub *verbis* etiam actiones comprehendunt. Diximus aliquid Lucæ II. 34.

A Deo] Græci, παρὰ τοῦ ἐπισκόπου [*ab inſpectore*]. An Deum intellexerunt omnia inſpicientem, an Magiſtratum qui Dei vice fungitur ubi punit crimina?

CAPVT XXI.

4. *NVmquid contra hominem diſputatio mea eſt, ut meritò non debeam contriſtari?*] In Hebræo, *An hominem ego alloquor? quòd ſi* (ſupple cum Deo mihi ſermo eſt), *cur non breviabitur ſpiritus meus?* id eſt, cur Deus non ſtatim vitam mihi adimit, ſi nempe, ità ut vos dicitis, nec malum evenit ſine culpa, nec culpa ulla manet impunita? Loquendi genus idem Pſal. LXXXIX. 46.

5. *Superponite digitum ori veſtro*] Vt Latini,

——— *Digito compeſce labellum.*

Habes hoc loquendi genus Michææ VII. 16. Proverbiorum XXX. 32.

12. *Ad ſonitum organi*] Chaldæus hîc אבובה [*Abuba*], unde dictas *Ambubajas* notavimus alibi. Græci עגב variè vertunt, κιθάραν, ψαλμοὺς, ψαλτήριον, ὄργανον [*citharam, pſalmos, pſalterium, organum*].

13. *Ducunt in bono dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt*] Hæc eſt illa εὐθανασία [*mors felix*] quam optabat Auguſtus, Suetonius cap. XCIX.

17. *Quoties lucerna impiorum exſtinguetur*] כמה hîc eſt non *quoties*, ſed *quàm facilè.*

24. *Viſcera ejus plena ſunt adipe*] Sic & Græci: τὰ ἔγκατα αὐτοῦ πλήρη στέατος. Hebræi ſicut *lactis* nomine adipem ſignificant, ità *mulctralium* nomine intimos corporis receſſus.

26. *Et tamen ſimul in pulvere dormient*] Tam dives quam pauper; nam

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regúmque turres.

30. *In diem perditionis ſervatur malus*] Imò *in die perditionis.* multi mali ſubducuntur communi exitio. Non ergò omne judicium hîc peragitur.

32. *In congerie mortuorum vigilabit*] Manebit aſſiduè, ut qui pervigilia agitant.

33. *Dulcis fuit glareis cocyti*] In Hebræo, *Dulceſcunt ei ceſpites vallis.* In vallibus eſſe ſepulchra ſolebant. ibi placidâ compoſtus pace quieſcit.

Et poſt ſe omnem hominem trahit] Omnes eum ſuo ordine ſequentur. Antiphanes:

——— τὴν αὐτὴν ὁδὸν
Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἐστ' ἀναγκαίως ἔχον,
Προεληλύθασιν· εἶτα χ' ἡμεῖς ὕστερον
Εἰς ταυτὸ καταγώγιον αὐτοῖς ἥξομεν,
Κοινῇ τὸν ἄλλον συνδιατρίψοντες χρόνον.
[——— *eam quam neceſſitas*
Indixit cunctis anteverterunt viam:
Et nos citati mox ſuo quiſque ordine
Cogemur omnes in idem diverſorium,
Pariterque cum illis ævum agemus alterum.]

34. *Cùm reſponſio veſtra repugnare oſtenſa ſit veritati*] In Hebræo: *Cùm reſponſionibus veſtris inſit malitia.* Optimè.

C A P V T XXII.

2. *NVmquid Deo poteſt comparari homo?*] In Hebræo: *An homo ſapienter ſe gerens Deo ob id prodeſt?* Pſal. XVI. 2. infrà XXXV. 2. Rom. XI. 35.

3. *Quid prodeſt Deo ſi juſtus fueris?*] In Hebræo: *An cupit omnipotens ut juſtus ſis?* nempe ſuæ utilitatis cauſâ, aut quaſi indè aliquid ſibi accedat.

6. *Nudos ſpoliaſti veſtibus*] *Nudos* intellige tenuiter veſtitos, ut explicavimus alibi.

9. *Viduas dimiſiſti vacuas*] Similes querelas vide Pſal. XCIV. 6. Graves, ſi veræ fuiſſent.

16. *Qui ſublati ſunt ante tempus ſuum*] Græci hîc eleganter: συνελήφθησαν ἄωροι [*comprehenſi ſunt ante tempus*]. Sic *ante diem* dixit Virgilius.

19. *Videbunt juſti & lætabuntur*] Idem eſt in Pſalmo CVII. 42.

20. *Nónne ſucciſa eſt erectio eorum*] In Hebræo: *Quia non exciſa eſt ſubſtantia noſtra.* קים ὑπόστασιν [*permanſionem*] vertunt Græci. Iuſtitiam Dei indè probare vult Eliphaz, quòd poſteri Eſavi ad iſta tempora ſemper in ſuis ſedibus manſerant.

Et reliquias eorum devoravit ignis] *Illorum* dicit, monſtrans regionem in qua impii Sodomitæ vixerant.

21. *Acquieſce igitur ei*] Adjunge te illi, nempe viro bono, de qualibus actum ſuprà:

Χρηστῶν μὲν ἄπο χρηστὰ μαθήσεαι.
[*Iunctus quippe bonis diſces bona.*]

24. *Dabit pro terra ſilicem*] Rectè admodum David Kimchi & hîc & in ſequente verſu בצר ait eſſe *aurum*. Senſus eſt: *Aurum tuum nè pluris fac quàm pulverem, & aurum ex Ophir nè pluris quàm lapides torrentis: ità Deus tibi erit & aurum & argentum fortiſſimum.* Pro *Ophir* etiam hìc Græci habent Σωφίρ [*Sophir*]. Vide quæ dicta ad 1 Reg. IX. 28.

30. *Salvabitur innocens*] In Hebræo, ימלט אי נקי [*Liberabit ſe quiſque innocens*]; illud אי quidam *inſulam* exponunt: alii ſumunt pro negativa, ut ſit, *non innocens.* ſed verum eſt אי eſſe Arabicam vocem quæ ſignificat *quivis.*

C A P V T XXIII.

2. *IN amaritudine eſt ſermo meus*] מרי שחי, id eſt, ex Arabiſmo, *alieniſſima videtur querela mea.* At Græci pro מרי legerunt מידי ἐκ χειρός μου [*ex manu mea*].

Manus plagæ meæ aggravata eſt ſuper gemitum meum] Id eſt, quo magis queror, eò à vobis magis vapulo. Sed pro ידי [*manus mea*] Græci legerunt ידו [*manus ejus*].

3. *Vſque ad ſolium ejus*] Sic תכונה [*ſolium*] vertunt etiam Symmachus & Iarchi.

7. *Proponat æquitatem contra me*] In Hebræo: *Ibi cum eo diſputans, rectus*, ſcilicet apparerem. Longè aliter hæc & alia legêre Græci.

8. *Si ad Occidentem*] Hebræis Occidens dicitur אחור [*poſticum*], quod à tergo ſit in Orientem obverſo. Simili ratione Septentrio dicitur *ſiniſtra*, & Auſter *dextra.*

10. *Probavit me quaſi aurum*] 1 Petr. 1. 7.

12. *Et in ſinu meo abſcondi verba oris ejus*] In Hebræo: *Pluſquam dimenſum meum aſſervavi verba oris ejus.*

13. *Ipſe enim ſolus eſt*] Meliùs ex Hebræo, *ipſe in uno:* id eſt, in propoſito ſuo perſtat.

14. *Et alia multa ſimilia præſtò ſunt ei*] Multa alia facit pro ſuo arbitrio, quorum rationes nobis ſunt incognitæ.

16. *Deus mollivit cor meum*] Infregit mihi animum, quod & ſequentia oſtendunt.

17. *Non enim perii propter imminentes tenebras*] Per tot ærumnas me circumſtantes.

Nec faciem meam operuit caligo] Rectiùs ex Hebræo, *& à facie mea operit caliginem:* id eſt, Deus mihi mortem invidet.

C A P V T XXIV.

4. *SVbverterunt pauperum viam*] Iuſſerunt eos ſibi de via decedere. In declamatione apud Senecam *Pauper adverſùs Divitem: Interdiu publico nobis interdicitur.* Deinde: *ambulare mihi meo arbitrio non licet.* Iterum, *Facinus indignum commiſſum eſt: dives & pauper per eadem veſtigia incedunt.*

5. *Alii quaſi onagri in deſerto egrediuntur ad opus ſuum*] Bene addidit illud *quaſi*, quod & aliis in locis multis reperitur. Prædones onagris pulchrè comparat. Deliteſcunt enim in locis ſolitariis.

Vigilantes ad prædam] In Hebræo, *manè ſurgentes.* Horatius:

Vt jugulent homines, ſurgunt de nocte latrones.

Vide quod ſequitur 14.

Præparant panem liberis] In Hebræo: *Solitudo ei alimentum liberis.* Sed & LXX & Symmachus aliis vocalibus legerunt ערבה: vertunt enim ἡδὺς [*dulcis*] & ἡδύνθη [*dulcis fuit*].

6. *Agrum non ſuum demetunt*] Pro בלילו, quod vertitur *pabulum ejus*, legit diviſis vocibus בלי לו [*non ſuum*]. Nec aliter Chaldæus & LXX. ità ut de hac lectione quin ſit verior dubitandum non arbitrer.

10. *Nudis & incedentibus abſque veſtitu & eſurientibus tulerunt ſpicas*] In Hebræo: *nudum* (id eſt, tenuiſſimè veſtitum, ut ſuprà XXII. 6.) *ambulare fecerunt ſine veſte* (id eſt, interulâ) *& famelicos eſſe eos qui portant manipulum:* id eſt, meſſoribus nihil dederunt prò labore.

12. *Et Deus inultum abire non patitur*] In Hebræo: *Et Deus non ponit prohibitionem.*

13. *Ipſi fuerunt rebelles lumini*] Lucifugæ.

15. *Operiet vultum ſuum*] Capite involuto incedit.

18. *Levis eſt ſuper faciem aquæ*] Pirata myoparonibus celerrimè vectatur.

Maledicta ſit pars ejus in terra] Imò *eſt*, id eſt, ab omni terra timetur.

19. *Ad nimium calorem tranſeat ab aquis nivium, & uſque ad inferos peccatum illius*] Rectiùs ex Hebræo ſic vertes: *Vt terra torrida & calor abſumunt aquas nivales, ità mors eos qui peccarunt.* Id eſt, cùm tam atrocia egerint, morte tamen defunguntur facili, non violentâ. Vide Pſal. LXXIII. 4. ſuprà XXI. 13.

20. *Obliviſcatur ejus miſericordia*] Rectiùs *miſericors* (id eſt, Deus) *ejus obliviſcitur:* quaſi nihil mali feciſſet.

Dulcedo ejus vermes] Id eſt, vermibus eſca dulcis eſt, ut cæteri.

Sed conteratur quaſi lignum infructuoſum] In Hebræo: *confringitur, velut arbor, iniquitas.* Id eſt, ſicut arboris in particulas diſſectæ nulla eſt memoria, ità nec ſcelerum ipſius.

21. *Frangens ſterilem nè pareret*] Explicat Rabbi Salomo de iis qui uxorum duarum alteri dabant medicamenta conceptum impedientia, quo diutiùs ejus formâ fruerentur.

22. *Non credet vitæ ſuæ*] Hic eſt in textu בחיין [*in vitis*] cum ן in fine pro ם more Chaldaïco, ut & ſupra XII. 11. qualem formam & in Threnis & in Daniele reperias. Poteſt id adjici ad conjecturas temporis quo ſcriptus hic liber.

CAPUT XXV.

4. *Numquid juſtificari poteſt homo comparatus Deo?*] Bene vertit illud *cum Deo. Iuſtificari*, id eſt, laudari ut juſtus.

CAPUT XXVI.

5. *Ecce gigantes gemunt ſub aquis*] Tritones videtur indicare. Pro *gemunt* in Hebræo eſt *formantur.*

Et qui habitant cum eis] Ingentia cete, velut armenta Tritonum.

6. *Et nullum operimentum perditioni*] Gremio terræ, quod cuncta animantia mortua abſcondit.

7. *Qui extendit Aquilonem ſuper vacuum*] Ex polo Arctico ut notiore totum axem ſignificare videtur. Is univerſum ſuſtinet; ipſe verò à nulla re nobis nota ſuſtinetur.

Et appendit terram ſuper nihilum] Ovidius VI. Faſtorum:

> *Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa.*

8. *Qui ligat aquas in nubibus ſuis, ut non erumpant pariter deorſum*] Aquas in nubibus pendulas diu detinet. omnia hæc niſi quotidie apparerent, miraculis accenſerentur.

9. *Qui tenet vultum ſolii ſui*] Pro *tenet*, in Hebræo eſt *conſtringit. Solium Dei, cœlum:* Eſaiæ LXVI. 1. ejus *facies* obverſa nobis, aër. Eum Deus velut funibus tenſum continet; diximus ad 1 Geneſeos.

10. *Terminum circumdedit aquis*] Mare incluſit littoribus. In Hebræo magìs poëticè, *Metam aquis circumſcripſit, velut circino.*

11. *Columnæ cœli contremiſcunt*] Poëticè *columnas cœli* dicit montes altiſſimos, qui cœlum quaſi ſuſtinere videntur; unde de Atlante fabula.

Et pavent ad nutum ejus] In Hebræo: *ad increpationem ejus.* Sic Hebræi vocant tonitru.

12. *In fortitudine ejus repente maria congregata ſunt*] In Hebræo, *Vi ſuâ ſcidit mare:* nempe Erythræum, ut Hebræi tranſirent.

Prudentia ejus percuſſit ſuperbum] Pharaonem. In Hebræo רהב [*ſuperbiæ*], ſed ſubintelligitur איש [*vir*], ut ſæpè.

13. *Manu ejus eductus eſt coluber tortuoſus*] Eruditiſſimi Hebræorum intelligunt Galaxiam, qui ſerpentis more ambitioſus funditur. Poſſet hoc ad draconem, qui inter Arctos eſt, referri, ſi tam veteres eſſent ii quibus nunc utimur ἀστερισμοί [*eæ ſiderum figuræ*].

CAPUT XXVII.

15. *Viduæ illius non plorabunt*] Infames magnorum criminum lugere vetitum apud multas gentes. L. Liberorum. D. de his qui notantur infamiâ. Suetonius Tiberio 61. *Interdictum nè capite damnatos propinqui lugerent.*

18. *Ædificabit quaſi tinea domum ſuam*] Domus quam ædificabit ità facilè peribit, quàm tineæ domicilium, quod ipſa corrodit.

Et ſicut cuſtos fecit umbraculum] Non durabilior erit domus ejus quàm pergula, quam ad tempus breve ſibi facit ὀπωροφύλαξ [*pomorum cuſtos*]. Vide Ionam IV. 5. & ſequentibus.

19. *Dives cùm dormierit nihil ſecum auferet*] In Græco: πλούσιος κοιμηθήσεται καὶ οὐ προσθήσει [*Dives dormiet & non apponet*]. ſed legendum videtur προσθήσεται [*apponetur*]. Nam προστίθεσθαι [*apponi*] Græcum, & אסף [*collectus*] Hebræum dicitur de iis qui cum honore in monumentis majorum ſepeliuntur, II Reg. XXII. 20. Ierem. VIII. 2. & XXII. 19.

Aperiet oculos ſuos & nihil inveniet] Sæpè etiam dum vivit à ſuis deſeretur ob morbos contagio formidandos.

21. *Tollet eum Eurus*] Peſtilens aura. Vide Exodi X. 13. ſuprà XV. 2. Ionæ IV. 8.

22. *De manu ejus fugiens fugiet*] Omnia molietur, ut effugiat.

23. *Stringet ſuper eum manus ſuas*] Quiſquis aderit plaudet præ gaudio.

Sibilabit ſuper eum, intuens locum ejus] Exſibilabitur mortui nomen.

CAPUT XXVIII.

3. *Tempus poſuit tenebris*] Græcè meliùs: τάξιν ἔθετο σκότει [*ordinem poſuit tenebris*]. Etiam in ipſis terræ viſceribus, quæ & *caligo & mortis umbra* meritò nominantur, ordinem rerum diſpoſuit.

Et univerſorum finem ipſe conſiderat] Scit quouſque hæc vel illa metalla & ſubterranea alia pertingant.

Lapidem caliginis] Gemmas abſtruſas penitus.

5. *Terra de qua oriebatur panis in loco ſuo, igni ſubverſa eſt*] Locus paradiſi fertiliſſimus flammâ obſidetur. *Panis*, id eſt לחם, omne quod editur.

7. *Nec intuitus eſt eam oculus vulturis*] Sic & Græci. Alii *picam* eſſe volunt, alii *graculum*, alii *cornicem*.

8. *Non calcaverunt eam filii inſtitorum*] In Hebræo, *filii ſuperbiæ:* & Græcè, υἱοὶ ἀλαζόνων [*filii ſuperborum*]. Ità Chaldæus Paraphraſtes in Pſalmis appellat leones.

14. *Abyſſus dicit, Non eſt in me: & mare loquitur, Non eſt mecum*] Apud nautas non ſolet habitare ſapientia.

17. *Non adæquabitur ei aurum vel vitrum*] Sic & Græci & Chaldæi. Alii Græci ponunt κρύσταλλος [*cryſtallus*]. Solent ob ſimilitudinem ſæpè miſceri iſta nomina. Vitrum non longè ab Arabia in Iudæa repertum: Tacitus Hiſtor. v. 7. Plinius XXXVI. 26.

Nec commutabuntur cum ea vaſa auri] Senſum optimè expreſſit. in Hebræo negativa ἐκ κοινοῦ [*ex voce communi*] intelligitur.

18. *Excelſa & eminentia non memorabuntur comparatione ejus*] Vox prima in Hebræo eſt ראמות: eam *coralia* interpretatur Kimchi & Hebræorum alii. Alteram vocem γαβὶς retinuêre Græci. Eſt haud dubiè id ipſum quod Arabes ſcribunt حبيس, & *carbunculum* ſive *pyropum* ſignificat. In vetere dicto Latino eſt, *Probitas eſt carbunculus.*

Trahitur autem ſapientia de occultis] In Hebræo, *Attractio ſapientiæ præ margaritis*; id eſt, ſapientia propendet: quod Græci dicunt ἄγει.

19. *Non adæquabitur ei Topazius de Æthiopia*] Sic & Græci. Videtur hîc *Æthiopiæ* nomine intelligi aut inſula maris Rubri, aut India, unde topazios Plinius nos eſſe docet.

22. *Perditio & mors dixerunt, Auribus noſtris audivimus famam ejus*] Quòd omnes res compoſitæ in ſua principia redeunt, ingens eſt ſapientiæ Divinæ teſtimonium.

25. *Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit in menſura*] Rerum maſſas in certa proportione conſtituit. Confer Prov. VIII. 27. 28.

28. *Et dixit homini; Ecce timor Domini ipſa eſt ſapientia: & recedere à malo intelligentia*] De Dei ſapientia locutus, oſtendit quæ ſit pars ſumma humanæ ſapientiæ. Confer Prov. I. 7. IX. 10. Eccl. XII. 13. Ierem. IX. 23. 24.

CAPVT XXIX.

2. Q*Vis mihi tribuat ut ſim juxta menſes priſtinos*] Optat audientiam ſibi præberi, ut olim cùm auctoritate floreret.

4. *Sicut fui in diebus adoleſcentiæ meæ*] Sic & Symmachus diligens interpres. Eſt autem חרף [*adoleſcentia*] in hoc ſignificatu vox Syriaca.

Quando ſecretò Deus erat in tabernaculo meo] Meliùs, *Cùm arcanum Dei* (id eſt oraculum) *eſſet in tentorio meo:* id eſt, cùm mea reſponſa pro oraculis haberentur.

6. *Et petra fundebat mihi rivos olei*] Olea etiam in ſaxoſis locis Syriæ & Arabiæ provenit, Deuteronom. XXXII. 13.

7. *Quando procedebam ad portam civitatis*] In curiam.

Et in platea parabant cathedram mihi] In foro.

8. *Senes aſſurgentes ſtabant*] Signum reverentiæ. Iuvenalis:

Si juvenis vetulo non aſſurrexerat.

9. *Principes ceſſabant loqui, & digitum ſuperponebant ori ſuo*] Vt apud Virgilium Æneâ loqui orſo:

Conticuêre omnes intentíque ora tenebant.

13. *Benedictio perituri*] Vox אובר *pauperem* ſive *miſerum* ſignificat Prov. XXXI. 6.

15. *Oculus fui cæco & pes claudo*] Simile loquendi genus in Epigrammate de cæco & claudo:

Ἀνέρα τις λιπόγυιον ὑπὲρ νώτοιο λιπαυγὴς
Ἦγε, πόδας χρήσας, ὄμματα χρησάμενος.
[*Damnati tenebris humeros pede mancus utroque*
Inſidet, hic oculos commodat ille pedes.]

16. *Cauſam quam neſciebam diligentiſſimè inveſtigabam*] Confer Prov. XXIX. 7.

18. *Sicut palma multiplicabo dies*] Ex Græco, ὥσπερ στέλεχος φοίνικος [*tanquam caudex palmæ*]. At Hebræi multi φοίνικα hîc intelligunt, non arborem, ſed avem quæ aliter ארשניה ipſis dicitur miræ vivacitatis, ſed quam auxerunt Poëtarum fabulæ.

20. *Arcus meus*] Id eſt, robur meum, μεταφορικῶς [*per tranſlationem*].

23. *Quaſi ad imbrem ſerotinum*] *Serotinum* intellige ſero anni tempore, ὄψιμον Theophraſto & aliis. Iacobus v. 7. diſtinguit ὑετὸν πρώϊμον καὶ ὄψιμον *maturum & ſerotinum. Maturus imber* מורה Ioël. II. 23. eſt in autumno, cùm incipit annus naturalis; *ſerotinus*, fine ejuſdem anni, מלקוש.

24. *Si quando ridebam ad eos, non credebant*] Etiam joca mea putabant aliquid occultare ſerii.

Et lux vultûs mei non cadebat in terram] In Hebræo, *& lucem vultûs mei non faciebant cadere:* auctoritas mihi mea apud ipſos conſtabat.

25. *Cúmque ſederem quaſi rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator*] Cùm reſpicerer quaſi Rex, aptabam me tamen etiam minimis: eram συμπαθὴς, συγκαταβατικός [*condolens, accommodans me*]. Illud בגדוד Græci vertunt ἐν μονοζώνοις [*in ſolo gladio accinctis*]. Habuimus hanc vocem jam aliquoties: κατασκόπους ἢ μαχίμους [*exploratores aut pugnaces*] interpretatur Heſychius: ἀσυντάκτους καὶ ὡσανεὶ λῃστὰς [*incompoſitos & quaſi latrones*], Suidas: στρατιωτικὰ τάγματα [*militaria agmina*], Iſidorus: *latrunculos* interdum Hieronymus. Puto eſſe *velites.*

CAPVT XXX.

1. Q*Vorum non dignabar patres ponere cum canibus gregis mei*] Similis locutio apud Martialem:

Diſpeream ſi tu Pyladi præbere matellam
Dignus es, aut porcos paſcere Pirithoi.

3. *Egeſtate & fame ſteriles qui ſedebant in ſolitudine*] Propiùs ſic, *Qui inopiâ & fame erant deſolati, ac fugiebant in loca deſerta:* nempe ut obtegerent ibi inopiam ſuam. Et vox כפן, quæ hîc *famem* ſignificat: & ערק *quæ fugere*, Syriacæ ſunt.

Squallentes calamitate & miſeria] In Hebræo eſt:

Qui heri erant in vaſtitate & ſquallore. אמש propriè *noctem quæ jam exacta eſt* ſignificat.

4. *Et mandebant herbas*] מלוח videtur ſignificare *herbas ſalſuginoſas & ſapore ingratas*, quas nemo niſi valde eſuriens comederit.

8. *Filii ſtultorum*] נבל hîc potiùs *vilem* quàm *ſtultum* ſignificare videtur ob ſequentia: *filii vilium*, id eſt, homines viles. Locutio Hebræis, Chaldæis & Arabibus uſitata.

Et in terra penitus non parentes] נבאו quod hîc vertit *non parentes*, propriè ſignificat *contriti erant*, ut Pſal. xxxv. 15.

11. *Et frænum poſuit in os meum*] In Hebræo, *frænum dimiſerunt me præſente :* id eſt, effræni licentiâ in me invecti ſunt.

12. *Ad dextram orientis calamitates meæ illico ſurrexerunt*] In Hebræo: *Ad dextram adoleſcentes inſurgunt*, ut falſi teſtes in judicio.

Pedes meos ſubverterunt] Everterunt me ut luctatores ſolent.

Et oppreſſerunt quaſi fluctibus ſemitis ſuis] *Struxerunt contra me vias exitioſas*, nempe ut ſolent obſeſſores.

13. *Diſſipaverunt itinera mea*] Omnem amicis ad me aditum obſtruxerunt. Hoc quoque de obſidionibus ſumtum.

14. *Quaſi rupto muro*] Hoc jam ab urbium oppugnationibus trahitur. illud quod ſequitur *aperta janua*, non eſt in Hebræo.

Et ad meas miſerias devoluti ſunt] Irruerunt globato agmine in perniciem meam.

17. *Et qui me comedunt non dormiunt*] Aliter in Hebræo: *Arteriæ meæ non conquieſcunt.* Pulſus eſt turbidus. ערק eſt vox Arabica عروق ſignificat autem aut *venam*, aut *arteriam.* Hîc de *arteriis* ſumenda.

29. *Frater fui draconum*] Sibilum edunt dracones ubi ab elephantis opprimuntur: ideo & hîc & Michææ i. 8. pariter junguntur dracones cum ululis ob ſonum lugubrem.

CAPVT XXXI.

1. *FEdus pepigi cum oculis meis*] Nam, ut Poëta,

——— *Oculi ſunt in amore duces.*

In Pirke Aboth legimus: *Aſpectus oculi, initium criminis.* Vide Matth. v. 28. 29.

Vt nè cogitarem quidem de virgine] Multò minùs de nupta.

7. *Et ſi ſecutum eſt oculos cor meum*] Nam *oculus & cor ſunt proxenetæ peccati*, ut eſt in Hebræo vetere proverbio.

Et ſi manibus meis adhæſit macula] In Hebræo, *& ſi manibus meis quidquam adhæſit :* ſi donis corrumpi me ſum paſſus.

10. *Scortum alterius ſit uxor mea*] Videtur *molat*, quod in Hebræo eſt, ſumſiſſe in ſenſu obſcœno, quomodo de viris, non autem de feminis, eam vocem uſurpant Græci & Latini. Sed ea locutio non eſt moris Hebræi, multóque rectiùs interpreteris, *molat alteri uxor mea :* id eſt, ancilla ſit viliſſimi miniſterii. Vide Exodi xi. 5. Eſaiæ xlvii. 2. Sic & Græcus poëta:

——— παχυσκελὴς ἀλετρὶς πρὸς μύλην κινουμένη.
[— *cruribus ceu famula craſſis ad molam ſeſe movens.*]

Quod autem ſequitur, rem turpem honeſtè enuntiat. Sic in imprecatione Iliados Γ′

——— ἄλοχοι δ᾽ ἄλλοισι μιγεῖεν.
[——— *uxores aliis ſua corpora jungant.*]

11. *Iniquitas maxima*] In Hebræo, *iniquitas judicum :* id eſt, quæ ad judices publicos perduci ſolet. Eorum enim eſt in bene moratis populis non adulteria tantùm, ſed & ſtupra punire.

18. *Quia ab infantia mea crevit mecum miſeratio* [Illud כאב [*miſeratio* } bene ſumſit, non ut voces duas, ſed ut unam, quæ *dolorem* ſignificat *ex malo alieno*, quod frequentiùs חסד dicunt. Sed גדלני malim vertere *educavit me*, quàm *crevit mecum.*

Et de utero matris meæ egreſſa eſt mecum] Meliùs, *Ab utero matris meæ deduxi eam :* id eſt, comitem habui. *Ab utero matris* ὑπερβολὴ [*ſuperjectio*] pro *à prima ætate, quæ boni aut mali capax eſt.* Sunt tamen & in prima infantia bonitatis quædam ſemina, qualem in ſua filiola obſervavit Plutarchus.

21. *Si levavi ſuper pupillum manum meam*] Si verbera ei intuli. Vide Eſai. x. 32. Zach. ii. 9.

26. *Si vidi ſolem cùm fulgeret*] Benè אור [*lucem*] vertit *ſolem.* Nam Ægyptiis Sol Ὧρος vocabatur: ut nos docet Macrobius Saturnal. i. cap. 21.

27. *Et lætatum eſt in abſcondito cor meum*] In Hebræo, *& ſeduxit ſe in abſcondito cor meum :* id eſt, ſubrepſit mihi hæc opinio, ut Solem aut Lunam ſummos Deos rerúmque omnium arbitros crederem, contrà quàm Abrahamus poſteros ſuos & in his Eſavum docuerat. eundem ſenſum hîc ſequitur Chaldæus.

Et oſculatus ſum manum meam ore meo] Nempe eo quo dictum eſt animo. Manum alicujus oſculari ſignum reverentiæ. Cùm manum alterius oſculari non liceret, ſuam pro aliena eodem ſignificatu oſculabantur. Hoc eſt *baſia jacere, adorare.*

28. *Negatio contra Deum altiſſimum*] Quia Dei loco habetur id quod Deus non eſt, imò quod à Deo datum in uſum præcipuè hominum, & motu præditum eſt, non intellectu.

29. *Quòd inveniſſet eum malum*] Nam, ut Mimus ait,

Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando invenit.

Magna eſt hæc bonitas, non lætari inimici malo, Prov. xxiv. 17.

35. *Et librum ſcribat ipſe qui judicat*] Meliùs in Hebræo, *Librum ſcribat vir litis meæ :* id eſt, ſcriptam accuſationem tradat adverſarius meus.

36. *Vt in humero meo portem librum illum*] Non abſcondam illum librum, ſed omnibus eum oſtentabo.

40. *Pro hordeo ſpina*] באשה eſt herba frugibus nocens, qualis hordeo ægilops, quæ & *feſtuca* Plinio.

CAPVT XXXII.

2. *DE cognatione Ram*] Id eſt, Syrus origine. Nam Buzus Nachoris Syri filius. *Ram* & *Aram* inter ſe commutantur: diximus de eo ad Lucam iii. 33.

3. *Sed tantummodo condemnaſſent Iob*] Sic

emendarunt Legiſperiti, poſuerúntque את איוב [*Iobum*], cùm olim legeretur יהוה [*Deum*].

6. *Iccirco demiſſo capite veritus ſum*] In textu, *expavi & timui.* In Chaldæo דחל eſt *timere.* Literæ autem ד & ז ſunt affines, faciléque inter ſe commutantur. Non longè abit Arabicum زحل quod *retro cedere* ſignificat.

21. *Deum homini non æquabo*] In Hebræo: *Hominem non agnominabo.* Sic & commate ſequente. Senſus eſt, Non tribuam illi magnifica ἐπίθετα [*agnomina*]. Non dicam, *Vir optime*, *Vir ſapientiſſime*, *Vir admirande.* אל [*ad*] hîc præpoſitio eſt.

CAPVT XXXIII.

6. E*Cce & me ſicut & te fecit Deus*] In Hebræo, *Ecce ego ſecundùm os tuum Deo:* Id eſt, ità ut tu ipſe poſtulaveras ſuprà cap. XIII. loquar pro Deo, ſed vera.

7. *Et eloquentia mea non tibi ſit gravis*] In Hebræo, *Manus mea non erit gravis apud te.* Sic & Græci: οὐδὲ ἡ χείρ μου βαρεῖα ἔσται ἐπὶ σοί [*neque manus mea gravis erit ſuper te*]. Nimirum א in אכפי eſt προσθετικόν [*appoſititium initio*].

13. *Quòd non ad omnia verba reſponderit tibi*] Ideo te victorem putas, quòd ille juſta ſua non propoſuit?

14. *Semel loquitur Deus, & ſecundùm id ipſum non repetit*] Meliùs: *Semel loquitur Deus aut bis, fitque ut non curet*, is nempe quem Deus alloquitur.

15. *Per ſomnium in viſione nocturna*] Oſtendit quomodo Deus illis temporibus alloqui homines ſoleret. Vide Geneſ. xx. 6. xxxi. 24.

19. *Et omnia oſſa ejus marceſcere facit*] In Hebræo, *Vtut multitudo oſſium ejus fortis:* id eſt, etiamſi robuſtiſſimâ ſit corporis compage.

23. *Si fuerit pro eo Angelus loquens*] מליץ quod hîc *loquens* vertitur, ſignificat μεσίτην [*advocatum*]: & ſic hîc explicat Maimonides. Alii quoque Hebræi putant reſpici hiſtoriam Abimelechi, qui per Angelum admonitus fuit. Angeli duobus modis μεσῖται [*mediatores*] ſunt, & monendo homines, & pro eis orando. Hic eſt aſcenſus & deſcenſus in ſcala Iacobi.

Vt annuntiet hominis æquitatem] Vt hominem officii ſui commoneat.

24. *Miſerebitur ejus*] Meliùs vertes: *ſupplicet ei*, nempe Deo. firmant hoc ſequentia.

Invéni in quo ei propitier] In Hebræo, *Invéni redemtionis pretium:* id eſt, invéni in eo pœnitentiam. ἐξιλασμὸς ἀποστῆναι ἀπὸ ἀδικίας [*propitiatio abſiſtere ab iniquitate*], Eccleſ. xxxv. 5.

26. *Videbit faciem ejus in jubilo*] Deus ipſum benignè reſpiciet.

Et reddet homini juſtitiam ſuam] Emendatum eum eo loco habebit, quaſi numquam peccaſſet. Idem jus ſanati quod forti.

29. *Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus per ſingulos*] Hæc Cabaliſtæ ad Pythagoricam ſuam μετενσωμάτωσιν [*tranſincorporationem*] referunt. At Maimonides multò rectiùs ait Deum aliquoties experiri an ſanabile ſit hominis ingenium; quòd ſi ſæpè monitus in gravia peccata recidat, tunc omittere ejus curam, & habere eum pro deplorato: quod eſt judicium obdurationis, bonitatem Dei ſæpè contemtam ſubſequens.

CAPVT XXXIV.

5. Q*Via dixit Iob, Iuſtus ſum*] Suprà XXVII. initio.

6. *In judicando enim me, mendacium eſt*] In Hebræo, *judicio meo mentiri faciam eum:* id eſt, mendacii convincam. Sic idem verbum uſurpatum ſuprà XXIV. 25. nec aliter hîc accepit Chaldæus.

Violenta ſagitta mea abſque ullo peccato] In Hebræo, *Sagitta mea dolorifera, ſed citra injuriam.* Dicam verba minimè ipſi blandientia, ſine odio tamen aut iniquitate.

7. *Quis eſt vir ut Iob, qui bibit ſubſannationem quaſi aquam*] Videtur hîc שתה, quod *bibere* plerumque ſignificat, poſitum pro *facere bibere. Quis unquam ità Deo potanda præbuit ludibria, ut Iob?*

12. *Verè enim Deus non condemnabit fruſtra*] Bene ירשיע vertit *condemnabit.* Supplendum autem *fruſtra*, ut hîc ſupplevit Latinus interpres, aut *innocentem*, ut infrà 17.

14. *Si direxerit ad eum cor ſuum*] *Si poneret ad ſe cor ſuum*, id eſt, ſi Deus vellet ſibi tantùm bonus eſſe: εἰ γὰρ βούλοιτο συνέχειν [*ſi enim vellet ſe continere*] Græci hîc.

Spiritum illius & flatum ad ſe trahet] Vita omnium animantum à Deo eſt: ſi revocet, cuncta moriantur. Idem loquendi genus Pſal. CIV. 29.

17. *Numquid qui non amat judicium ſanari poteſt?*] حبس id eſt חבש apud Arabas eſt & *vincire*, & *in carcerem dare.* Nónne ii qui judicio reſiſtunt vinciri & in carcerem dari ſolent? Talem vult eſſe Iobum.

Et quomodo tu eum qui juſtus eſt in tantum condemnas?] In Hebræo: *& quomodo tu condemnas juſtum potentem?* Si Iudici alicui mortali te opponeres, in carcerem dareris: & quomodo audes ejus actus damnare, qui & juſtiſſimus eſt & potentiſſimus, ità ut nec Reges vereatur nec principes.

19. *Qui non accipit perſonas principum*] Vide Eccleſ. xxxv. 15. 1 Petr. I. 17. Rom. II. 11. Gal. II. 6. Epheſ. VI. 9.

Nec cognovit tyrrannum cùm diſceptaret contra pauperem] שוע rectè, ut puto, accepit pro *potente.* Nam & à Græcis vertitur δυνάστης ſuprà XXIX. 12. Pſalm. LXXII. 11. Optimè hæc & ſequentia referas ad judicia Dei in Pharaonem qui Iſraëlitas oppreſſerat.

20. *Subitò morientur, & in media nocte turbabuntur populi*] Vide Exod. XII. 29.

Et auferent violentum abſque manu] Nempe Angeli. Aut eſt activum ſine perſona pro paſſivo, ut ſæpè: ut ſit, *auferetur violentus ille abſque manu.*

23. *Neque enim ultrà in hominis poteſtate eſt, ut veniat ad Deum in judicium*] In Hebræo: *Non ponet ſuper aliquem ampliùs ut ad Deum in jus ambulet.* Græci: ὅτι οὐκ ἐπ' ἄνδρα θήσει ἔτι [*non ponet ampliùs ſuper virum*], id eſt, ubi aliquem in jus vult rapere, non

ampliat, non patitur diffindi diem. Confer ſequentia.

24. *Conteret multos & innumerabiles*] In Hebræo: *Conterit inſignes ſine inveſtigatione.* Non habet opus longâ inquiſitione, cui omnia aperta ſunt.

Ac ſtare facit alios pro eis] Dignitates eorum tradit aliis.

25. *Novit enim opera eorum*] In Hebræo: *Sic cognita facit opera eorum.* Nam homines cùm potentem aliquem tam durè à Deo tractari vident, quærunt quæ ejus vita fuerit, & inveniunt merita pœnæ paria.

26. *Quaſi impios percuſſit eos in loco videntium*] Tanquam impios quales erant, eos tractavit, idque palàm: quod Græci elegantiores dicerent, ἐθεάτρισεν αὐτοὺς [*ſpectaculum eos præbere voluit, oſtentui miſit*].

29. *Ex quo abſconderit vultum, quis eſt qui contempletur eum, & ſuper gentes, & ſuper homines?*] *Abſcondere vultum* in ſermone Orientali eſt *averſari.* Senſus eſt: Si quem Deus averſatus fuerit, ſive hominem, ſive populum, eum nemo reſpicit. Ex adverſo poſitum illud Pauli Rom. VIII. 33. *Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?*

30. *Qui regnare facit hominem hypocritam*] Meliùs & cohærentiùs cum iis quæ præceſſerunt: *Nè regnet homo hypocrita.*

Propter peccata populi] Meliùs & hîc מ pro *nè* ſumas, ut ſenſus ſit, Nè diu regnans populum peccare faciat ſuo exemplo: id enim qui faciunt dicuntur מקש [*offendiculum ponere.*]

31. 32. *Quia ergò ego locutus ſum ad Deum, te quoque non prohibebo. Si erravi tu doce me*] Rectiùs ſic, *Oportuit enim Deo dici, Pertuli pœnas: non agam perversè. Si quid prætervidero, tu me doce.*

33. *Numquid à te Deus expetit eam, quia diſplicuit tibi? tu enim cœpiſti loqui & non ego*] Videtur facillima fore hæc expoſitio: *An verò abs te?* ſupple *profecta eſt talis oratio, qualem dixi. Vicem tibi reddet quòd eum abjeciſti. Tu hanc feciſti optionem, non ego.*

36. *Pater mi*] Potiùs illud אבי ſignificat *velim*, vel *utinam.*

CAPVT XXXV.

3. D*Ixiſti enim, Non tibi placet quod rectum eſt: vel quid tibi proderit, ſi ego peccavero*] Meliùs ſic: *Quaſi dicas, quid aut tibi proderit, aut quid ego utilitatis accipiam expiando peccatum?* חטא ſæpè eſt μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] peccati expiatio.

9. *Propter vim brachii tyrannorum*] רבים, id eſt, *potentum.*

10. *Qui dedit carmina in nocte*] Qui in mediis calamitatibus ſubitò dedit lætandi materiam.

11. *Qui docet nos*] Sic & Origenes: διδάσκων ἡμᾶς ὑπὲρ τὰ κτήνη τῆς γῆς [*qui nos docet ſuprà quàm beſtias terræ*]. Nimirum ut omiſſa ſit per compendium ſcribendi litera א poſt מ. Dedit nobis Deus animum ſcientiarum artiúmque omnium capacem, eóque nos animantibus cæteris plurimùm prætulit.

12. *Ibi clamabunt*] In calamitatibus poſiti.

13. *Non ergò fruſtra audiet Deus*] In Hebræo: *Virum mendacium* (id eſt virum mendacii) *non audit Deus.* Senſu eodem qui eſt apud Ioannem in Euangelio IX. 31.

14. *Etiam cùm dixeris, Non conſiderat*] Suprà XXIII.

16. *Et abſque ſcientia verba multiplicat*] Coacervat. id enim ſæpè ſignificat כבר.

CAPVT XXXVI.

2. S*Vſtine me paulùm, & indicabo tibi*] Tam vox כתר [*ſtare*] quàm vox חוה [*indicare*], quæ hîc exſtant, Chaldaïcæ ſunt.

7. *Non auferet à juſto oculos ſuos, & reges in ſolio collocat*] Meliùs, *cum Regibus.* Nam de Ioſepho agi innuunt & ſequentia, *etſi fuerint in catenis.* Græci hîc: μετὰ βασιλέων εἰς θρόνον [*cum Regibus in thronum*]. Numeri mutatio frequens, ubi ex uno exemplo intelligenda & ſimilia.

10. *Revelabit quoque aurem eorum, ut corripiat*] Latini pro eodem dicerent *vellet aurem.*

11. *Si audierint & obſervaverint, complebunt dies ſuos in bono*] Sic & Græci: συντελέσουσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν ἐν ἀγαθοῖς [*implebunt dies ſuos in bonis*]. Legerunt, ut nos, יכלו [*complebunt*] non malè, quanquam alii codices habuêre יבלו, id eſt, *vetuſtiſcent dies eorum.*

13. *Simulatores & callidi provocant iram Dei*] In Hebræo, *Falſi corde ponent iram:* ubi *ponere* eſt id ipſum quod θησαυρίζειν [*theſaurizare*] dixit Apoſtolus Rom. II. 5.

Neque clamabunt cùm vincti fuerint] Non dabitur illis tempus ad agendam pœnitentiam: ità ſubitò opprimentur.

14. *Vita eorum inter effeminatos*] Sic intercipietur eorum vita, quomodo Sodomitis intercepta fuit.

16. *Igitur ſalvabit te de ore anguſto latiſſimè, & non habente fundamentum ſubter ſe, requies autem menſæ tuæ erit plena pinguedine*] Commodiùs ſic, *Longè te amoviſſet Deus ab ore anguſtiæ, prope latitudinem ſub qua nulla anguſtia: & quod imponitur menſæ tuæ plenum fuiſſet pinguedine.* Nempe ſi ità egiſſes, ut jam dixi. oſtendit autem ſequentibus, ſe aliter de Iobo opinari.

17. *Cauſa tua quaſi impii judicata eſt: cauſam judiciúmque recipies*] Meliùs, *Etſi tu quidem improbo judicium impleviſti,* id eſt, quale optabat dediſti; *attamen cauſa & judicium cohærebunt,* nempe apud Deum.

18. *Non te ergò ſuperet ira ut aliquem opprimas: nec multitudo donorum inclinet te*] Meliùs ſic: *Quare ira vide nè in te plùs ſatìs incitetur, ità ut eam nè maximo quidem oblato pretio poſſis effugere.*

19. *Depone magnitudinem tuam abſque tribulatione & omnes robuſtos fortitudine*] Meliùs ſic: *An ille æſtimaret opes tuas? nè aurum quidem & omnem potentiæ vim.*

20. *Ne protrahas noctem, ut aſcendant populi pro eis*] Rectiùs ſic: *Nè nocte id mediteris quomodo populi exturbentur de locis ſuis.* Nam nocte, cùm maximè vacat cogitationibus animus, ſolent homines rationes quærere ad ea implenda quæ maximè deſiderant.

22. *Et nullus ei ſimilis in legiſlatoribus*] Græci non malè, τίς γάρ ἐστι κατ' αὐτὸν δυνάστης; [*quis enim eſt ad*

eum dynaſta ?] nam מורה Chaldæis *dominum* ſignificat. Ab eadem radice ניר *regnum* ſignificat, teſte Rabbino Solomone.

29. *Si voluerit extendere nubes quaſi tentorium ſuum*] Meliùs ſic, *An intelliget* (nempe homo, ex eo quod præceſſit ſuprà 24.) *expanſiones nubis* (quomodo aquæ in cœlo pendeant) *& fremitum tentorii ipſius*, id eſt, tonitru: nam tentorium Dei ſunt ipſæ nubes, Pſal. XVIII. 12.

31. *Per hæc enim judicat populos*] Id eſt, punit.

Et dat eſcas multis mortalibus] Nutrit homines: nam imbres ex nubibus aliàs exitioſi ſunt, aliàs ſalutares.

32. *In manibus abſcondit lucem*] Obtegit eam velut manu.

Et præcipit ei ut rurſus adveniat] *Vt occurrat*, in Hebræo. Senſus bene expreſſus eſt.

33. *Annuntiabit de ea amico ſuo*] Imò *annuntiabit de ea ſodalis ejus*, id eſt, Lucifer diei prævius.

Quòd poſſeſſio ejus ſit, & ad eam poſſit aſcendere] Rectiùs, *pecori & proventui terræ:* quæ ſcilicet lucis adventu gaudent. Seneca in Hercule furente antelucanum tempus ſic depingit:

Paſtor gelidâ cana pruinâ
Grege dimiſſo pabula carpit.
Ludit prato liber aperto
Nondum ruptâ fronte juvencus.
Vacuæ reparant ubera matres.
Errat curſu levis incerto
Molli petulans hædus in herba.

CAPVT XXXVII.

7. QVi in manu omnium hominum ſignat] Rectiùs, *in manu omnes homines recludet* : id eſt, imbre effuſo (continuat enim præcedentem ſermonem) ab omni ruris opere eos intercludet.

Vt noverint ſinguli opera ſua] Meliùs, *ut noverint omnes homines opus* (nempe ruſticum) *eſſe ipſius:* id eſt, in ipſius arbitrio ac poteſtate. Vide Pſalmo CXXVIII. 1.

8. *Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur*] Pſalm. CIV. 18.

9. *Ab interioribus egredietur tempeſtas*] *A penetralibus*, id eſt, ab Auſtrino polo, qui nobis inconſpicuus. Confirmatur hæc interpretatio ex loco qui ſuprà IX. 9. Auſter *imbricitor* Ennio, *imbricus* Plauto, *imbrifer* aliis.

Ab Arcturo frigus] Ab Arcto puto ſcripſiſſe interpretem. Ea enim pars Auſtro directè opponitur. Ob varias interpretationes Græci quidam ipſam vocem Μαζούρ, & infrà XXXVIII. 32. Μαζουρώθ retinuêre. *Arctos gelidas* etiam Poëtæ vocant. Notat Ariſtoteles Meteor. II. cap. IV. pleroſque ventos ab Arcto aut ab Auſtro flare.

11. *Frumentum deſiderat nubes*] Ex Hebræo optimè vertas, *Etiam ſerenitas premit nubem*, nempe ut rorem emittat qui ſerenis noctibus manat.

Et nubes ſpargunt lumen ſuum] Iridem faciunt lumine vario.

12. *Quæ luſtrant per circuitum*] Huc illuc vagantur nubes. Hîc ante מסבות [*circuitus*] deficit particula ב [*in*], ut ſæpè.

Quocunque ſe voluntas gubernantis duxerit] Rectiùs verti putem, *volvit ſe montibus ſuis*. Nam حبل Arabicè *mons* eſt. Habent autem nubes montium ſpeciem.

13. *Sive in una tribu*] Sæpè enim pluit in urbe una, in altera ſatis vicina non pluit, Amos IV. 7.

Sive in terra ſua] *Terram Dei* vocat indiviſam, quæ nulli adhuc hominum in proprietatem obvenit. Sic alibi *mare Dei* eſſe dicitur, comparatione factâ ad terram.

15. *Numquid ſcis, quando præceperit Deus pluviis ut oſtenderent lucem nubium ejus?*] Id eſt, poteſne tu prædicere, quando futura ſit Iris? Vide quæ ſuprà II.

16. *Numquid noſti ſemitas nubium, magnas & perfectas ſcientias?*] Meliùs ſic: *Noſtíne libramenta nubium, admiranda opera ejus qui perfectiſſimus eſt in ſcientiis?* In voce מפלשי [*libramenta*] eſt permutatio ש pro ס frequens Hebræis & Arabibus.

18. *Tu forſitan cum eo fabricatus es cælos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſint*] In voce quæ hîc eſt לשחקים [*æthera*] particula ל uſum habet ſatis rarum pro את [*nota accuſativi caſûs*]. Ipſa vox modò *aëreas regiones*, modò *æthereas* ſignificat, ut & שמים [*cæli*]. Pro eo, *quaſi ex ære fuſa ſint*, Chaldæus habet *quaſi ſpecularia*, è vitro ſcilicet. At quomodo his convenit חזקים *fortes?* vir quidam pereruditus putabat ſcriptum fuiſſe חלקים, id eſt, *læves*. Conſulant libros veteres ii quibus copia eſt.

21. *At nunc non vident lucem, ſubitò aer cogetur in nubes, & ventus tranſiens fugabit eas*] Rectiùs ſic: *En nunc non vident Solem ſplendentem in æthereis regionibus: ſubitò venit ventus qui eas junget*, nempe & Solem rurſus conſpici faciat. אור eſſe *Solem* diximus ſuprà XXXI. 26. illud בהיר [*lucidum*] eſt Arabicum بهر.

22. *Ab Aquilone* [*aurum veniet*] Serenum: nam βορέας αἰθρηγενέτης [*Aquilo ſerenans*].

Et ad Deum formidoloſa laudatio] Senſus eſt: *& Deo illi venerando ob id laus.* Græci omnes non malè: ἐπὶ τούτοις μεγάλη ἡ δόξα καὶ τιμὴ τοῦ παντοκράτορος [*ob hæc omnia magna gloria & honos Omnipotentis*]. Alius, ἐπὶ τῷ Θεῷ μεγάλῳ ἡ δόξα [*ob id Deo magno gloria*]. Alius, περὶ τοῦ Θεοῦ φοβερὸς αἶνος [*de Deo terribilis laudatio*].

23. *Dignè eum invenire non poſſumus*] Rectiùs, *Omnipotens eſt incomprehenſibilis*, ἀκατάληπτος.

Magnus fortitudine & judicio & juſtitiâ, & enarrari non poteſt] Hæc ultima rectiùs vertas, *& non reſpondebit :* id eſt, nemini rationes reddet ſuarum actionum. Conſidera ſequentia.

24. *Et non audebunt contemplari omnes qui ſibi videntur eſſe ſapientes*] In Hebræo eſt: *Minimè curat eos qui ſuâ opinione ſapientes ſunt.* Valde appoſitè ad ſententiam Eliu.

CAPVT XXXVIII.

1. RESpondens autem Dominus Iob de turbine dixit] Iob rectè quidem ſe non ob ſcelera puniri dixerat, neque ſe ulla ex parte pejorem eſſe iis qui occaſione calamitatum ejus acerbiſſimè eum tractabant. Attamen præ impatientia interdum

ebulliente quædam ei exciderant quæ caſtigationis egebant. Itaque & Iob hæc tanquam ad ſe pertinentia agnoſcit capite XLII. *Dominus*, id eſt, Angelus Domini nomine. *De turbine*, id eſt, de nube aliqua præter naturæ ordinem facta.

5. *Quis tetendit ſuper eam lineam*] *Amuſſim.* Similitudo ab architectis ſumta, ut diximus II Regum XXI. 13.

6. *Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt*] Perſeverat in ſimilitudine ædificii. Videtur autem obſcurè ſignificari centrum, quod terræ pro fundamento eſt.

Aut quis demiſit lapidem angularem ejus] Videntur obſcurè deſignari poli terræ.

7. *Cùm me laudarent ſimul aſtra matutina*] Aſtra lucidiſſima: nam בקר ſæpè idem quod אור [*lux*]. Intelligit Abeneſdra planetas, qui כוכבי אור [*aſtra lucis*] Pſal. CXLVIII. 4.

Et jubilarent omnes filii Dei] Id eſt, Angeli, ut hîc habet Græca verſio, quæ confirmatur ex eo quod ſuprà eſt I. 6.

8. *Quis concluſit oſtiis mare?*] *Quis protexit in valvis mare?* סכך ſæpè eſt *protegere.* Quis mari pro obſtetrice fuit? nam tota ſimilitudo à partu ſumitur. דלתים *valvæ* ſunt τὰ χείλη [*labra*] uteri.

9. *Cùm ponerem nubem veſtimentum ejus*] Aër enim mari impendet.

Et caligine illud quaſi pannis infantiæ obvolverem] Græci optimè: ὁμίχλῃ δὲ αὐτὴν ἐσπαργάνωσα [*nebulâ autem illud quaſi faſciis cunalibus involverem*]. multæ enim nebulæ ſolent oriri ſupra mare.

10. *Circumdedi illud terminis meis*] Eadem locutio Proverb. VIII. 29.

Et poſui vectem & oſtia] Nempe littora, ut oſtendit locus Ieremiæ V. 22.

11. *Et dixi, Vſque huc venies*] Hebræi פה pro termino ponunt, ut apparet Ezech. XLI. 15. ideo rectè עד פה vertit *hucuſque*.

13. *Et tenuiſti concutiens extrema terræ, & excuſſiſti impios ex ea*] Rectiùs, *Vt obtineat extremas partes terræ;* ut ſubitò ſe in omnes terræ partes diffundat: aurora ſcilicet, de qua præceſſit.

Et excuſſiſti impios ex ea] Id ideo quia manè judicia exercebantur.

14. *Reſtituetur ut lutum ſignaculum*] In Hebræo: *vertet ſe ut argilla ſignatoria.*

Et ſtabit ſicut veſtimentum] Non magìs ſibi conſtabit quàm veſtis verſicolor. Rei ſolent ſubinde mutare vultum & colorem.

15. *Auferetur ab impiis lux ſua, & brachium excelſum confringetur*] Damnabitur ad mortem, & quidem cruciabilem, qualis eſt in rota fractio.

16. *Numquid ingreſſus es profunda maris?*] In Hebræo: *An perveniſti ad guttas maris?* Noſtine quot in mari ſint guttæ?

17. *Numquid apertæ tibi ſunt mortis portæ, & oſtia tenebroſa vidiſti?*] Abditiſſima terræ.

21. *Sciebas tunc quòd naſciturus eſſes*] Adeò iſta Dei opera neſciebas, ut nè quidem ſcires te unquam exſtiturum. Hoc ad προΰπαρξιν [*præexiſtentiam*] animarum detorquent Hebræorum quidam.

23. *Quæ præparavi in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli*] Vt adversùs Ægyptios, Exod. IX. 23.

25. *Quis dedit vehementiſſimo imbri curſum*] In Hebræo: *Quis diſtribuit inundationi elices?* ſic vocat eas partes cœli per quas imber erumpit.

30. *Et ſuperficies abyſſi conſtringitur*] Mare in nonnullis partibus gelaſcit.

31. *Numquid conjungere valebis micantes ſtellas Pleiadas*] كوم Arabicè *acervum* ſignificat: unde videntur bene conjeciſſe qui כימה interpretantur *Pleiadas*, ἀθροισμὸν [*cumulum*] quendam clarorum ſiderum. Senſus eſt: potéſne impedire flores vernos Virgiliarum?

Aut gyrum Arcturi poteris diſſipare] Græci: καὶ φραγμὸν Ὠρίωνος ἤνοιξας· [*& clauſuram Orionis aperies?*] Sic etiam כסיל Hieronymus ſuprà IX. 9. vertit Orionem, hybernum ſidus labores impediens. كسل Arabibus *otium.* Senſus eſt: poteríſne tu ruſticis facultatem dare laborandi ubi labores Orion inhibet?

32. *Numquid producis Luciferum in tempore ſuo?*] Arctum, ut ſuprà XXXVII. 9. *ſuo tempore*, nocte ſcilicet.

Et Veſperum ſuper filios terræ conſurgere facis?] Suprà·עש, quod idem eſt cum עיש, *Arcturum* reddidit IX. 9. عيس Arabicè *robur.* Pro illo *ſuper filios terræ*, Hebræum habet *cum filiis ſuis*, id eſt, cum aliis ſignis Septentrionalibus, quæ circa Arcturum ſunt.

36. *Quis poſuit in viſceribus hominis ſapientiam?*] In Hebræo & Chaldæo, *in renibus:* in quibus vim conſilii collocant Hebræi.

37. *Concentum cæli quis dormire faciet?*] Meliùs: *Hydrias cœli quis ſiſtit?* Id eſt, imbres.

38. *Quando fundebatur pulvis in terra, & glebæ compingebantur*] Nempe quo tempore pulvis terræ concreſcit in glebas imbre fermentante.

39. *Numquid capies leænæ prædam?*] Hic tranſitus fit ab ætheriis aëriiſque rebus ad animantium hiſtoriam.

Animam catulorum ejus implebis] Id eſt, famem, Pſal. XXXIV. 10. CIV. 21.

40. *Quando cubant in antris*] Vide Pſal. X. 9.

41. *Quando pulli ejus clamant ad Deum*] Eadem ἔννοια [*animi conceptio*] Pſal. CXLVII. 9.

CAPVT XXXIX.

1. N*Vmquid noſti tempus partûs ibicum*] Id ideo, quia in rupibus inacceſſis pariunt.

Vel parturientes cervas obſervaſti?] An obſtetricari potes cervis feminis? ſunt enim earum partus difficiles, Plinius VIII. 32.

5. *Vincula ejus quis ſolvit?*] Sic & Græci. Attamen in Hebræo præceſſit פרא [*onager*], ſequitur ערוד, quod proinde aliud videtur animal ab onagro, non tamen multum differens.

7. *Clamorem exactoris non audit*] Angariatoris qui ad operas cogit aſinos cicures. Simile quid de hominibus mortuis habuimus ſuprà III. 18.

9. *Numquid volet rhinoceros ſervire tibi?*] רים Syris eſt monoceros; & ſic ſolent vertere Græci interpretes, ut diximus Deuteron. XXXIII. 17.

10. *Aut confringet glebas vallium poſt te?*] Occabit.

13. *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris*] Græci has voces reliquêre ut in Hebræo ſunt. Alii interpretes multùm variant. maximè probabilis verſio hæc eſt: *Alámne exſultabundam* (ſupple *tu dare poſſes*, ut infrà 19.) *pavoni, aut pennam ciconiæ aut ſtruthocamelo?* רננים *pavones* eſſe ſentit & R. Abraham, & alii. חסידה *ciconia*, ob pietatem. & ſic Græci quidam verterunt, quanquam alii avem dicunt eſſe Indicam. נצה autem eſſe *ſtruthocamelum* evincunt ſequentia ei animali propriè convenientia.

14. *Quando dereliquit ova in ſua terra, tu forſitan in pulvere calefacies ea*] Ex Hebræo meliùs Græci, ὅτι ἀφήσει εἰς γῆν τὰ ὠὰ αὐτῆς καὶ ἐπὶ χοῦν θάλψει [*quia relinquet in terra ova ſua, & in pulvere ea fovebit*]. Sed כי [*quia*] eſt pro אשר [*qui*], *Qui humi relinquit ova ſua, & in pulvere ea calefacit.*

15. *Obliviſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat*] Plurima ova pariunt ſtruthiocameli, ut docet nos Plinius x. 52. Itaque facilè fit ut aliqua à feris conculcentur, quod non fieret ſi loca ſolitaria ad incubationem ſibi deligerent. Idem volunt ſequentia, quæ ſic optimè vertas, *Durè habet* (ἀστοργεῖ) *pullos ſuos. Labor ejus evaneſcet per incuriam.*

17. *Privavit eam Deus ſapientiâ, nec dedit illi intelligentiam*] Pone *eum*, id eſt, ſtruthocamelum; de quo Plinius xi. *Mira natura: ſed non minùs ſtoliditas, in tanta reliqui corporis altitudine cùm colla frutice occultaverint latêre ſe exiſtimantium.*

18. *Cùm tempus fuerit in altum alas erigit: deridet equum & aſcenſorem ejus*] Hoc ipſum eſt quod dicit Plinius: *Sequitur natura avium, quarum grandiſſimi & penè beſtiarum generis ſtruthocameli. Africi vel Æthiopici altitudinem equitis inſidentis equo excedunt, celeritate vincunt.*

19. *Circumdabis collo ejus hinnitum*] Bene expreſſit quod in Hebræo poſitum eſt μεταφορικῶς [*per tranſlationem*], *tonitru.*

20. *Numquid ſuſcitabis eum ut locuſtam?*] Túne illi agilitatem dare poſſes, qualem oſtendit, cùm locuſtæ modo ſubſultat?

Gloria narium ejus terror] Virgilius:

Collectúmque premens volvit ſub naribus ignem.

21. *Terram ungulâ fodit*] Virgilius:

Pulverulenta putrem ſonitu quatit ungula campum.

Exſultat audacter: in occurſum pergit armatis] Virgilius:

——— *tum, ſiqua ſonum procul arma dedêre,*
Stare loco neſcit.

25. *Vbi audierit buccinam dicit, Vah*] Rectiùs, *Euge*; quod Græci hîc poſuêre: id enim valet Hebræum האח.

26. *Numquid per ſapientiam tuam plumeſcit accipiter?*] In Hebræo pro *plumeſcit* eſt *volat. Per ſapientiam tuam*, id eſt, abs te datam. *Accipiter* hîc eſt *haliæetus* נץ, *Niſus* Græcis & Latinis.

Expandens alas ſuas ad Auſtrum] Calorem enim captat.

27. *Et in arduis ponet nidum ſuum*] Hic eſt *Melanæetus* Plinio.

28. *In petris manet*] Plinius: *Nidificans in petris*, x. 2. Ariſtoteles Hiſtoriæ Animantium ix. Ποιοῦνται νεοττιαὶ οὐκ ἐν πεδινοῖς τόποις, ἀλλ' ἐν ὑψηλοῖς, μάλιστα μὲν ἐν πέτραις ἀποκρήμνοις [*Fiunt ab eis nidi non in campeſtribus locis, ſed maximè in præruptis rupibus*].

29. *Et de longè oculi ejus proſpiciunt*] Horatius:

——— *tam cernis acutum*
Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius.

30. *Vbicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt*] Matthæi xxiv. 28. Proprium id γυπαιετῷ [*vultur aquilæ*]: docet Ariſtoteles Hiſtoriæ Animalium ix. 32.

32. *Numquid qui contendit cum Deo tam facilè conquieſcit?*] Meliùs ſic: *Satíſne à parte Dei argumentorum?* Supple, *allatum eſt.*

34. *Qui leviter locutus ſum, reſpondere quid poſſum?*] Meliùs, *Ecce vilis ſum, quid reſpondeam?*

CAPVT XL.

2. *Accinge ſicut vir lumbos tuos*] Metaphorica locutio, id eſt, para te labori. Vide Lucæ xii. 35.

4. *Et ſi*] *Et ſi* hîc poſuit pro *an.*

5. *Et ſpecioſis induere veſtibus*] Indue majeſtatem.

7. *Contere impios in loco ſuo*] Vbicunque habitant.

8. *Et facies eorum demerge in foveam*] Ex ſepultura mortem vult intelligi.

9. *Et ego confitebor quòd ſalvare te poſſit dextera tua*] Si iſta potes, agnoſcam te mei auxilii non egere.

10. *Ecce Behemoth quem feci tecum*] בהמות pro בהמת בהמות [*fera ferarum*], id eſt, *fera excellentiſſima.* Elephantem intelligunt omnes Hebræi. *Feci tecum*, id eſt, talem feci ut quantumvis ferus manſueſcere & homini inſervire poſſit.

Fænum quaſi bos comedet] Rectiùs, *herbam.* Cùm tantus ſit támque validus, non tamen rapto vivit, ut multa animantia, ſed ex terræ fructibus, ut jumenta.

11. *Fortitudo ejus in lumbis ejus*] Dorſum intelligit. Plinius: *Duriſſimum dorſo tergum.*

Et virtus illius in umbilico ventris ejus] Vox אונו rectiùs hîc de *dolore* quàm de *virtute* intelligetur, & ſæpè ſic ſumi conſtat. *Ventres molles elephanto*, docente Plinio: ideo facillimè vulnerantur. Præterea elephanti *alvi profluvium, nec alia morborum genera ſentiunt*, eodem teſte.

12. *Stringit caudam ſuam quaſi cedrum*] Proboſcidem intellige. Pro *ſtringit* in Hebræo eſt יחפץ, nimirum צ poſito, ut ſæpè, pro ו; eſt autem חפץ *movere*: hoc eſt quod ἑλίττειν [*verſare*] dixit Ariſtoteles de Hiſtoria Animantium ii. 16.

Nervi teſticulorum ejus perplexi] *Intricati ſunt*: nam teſticulos intus abſconditos habet, Ariſtoteles de generatione Animalium lib. xii.

13. *Oſſa ejus velut fiſtulæ æris*] Per *oſſa* intellige quæ aliis *cornua*, aliis *dentes* vocantur. Vide Plinium viii. 3.

Cartilago illius quaſi laminæ ferreæ] Etiam quæ hîc in Hebræo eſt vox גרמיו *oſſa ejus* ſignificat. Rurſus ergò dentes intellige.

14. *Ipſe eſt principium viarum Dei*] *Vias Dei* vocat

opera. *principium*, id quod præcipuum eſt. Sic ראשית [*capita*, id eſt *primores*] ſumitur Amos VI.1. Num. XXIV.20. Sic ἀρχὴ [*principatus*] Eccleſiaſtici XI.3.

Applicabit gladium ejus] *Cornu rhinocerotis perfodi elephas ſolet*, Plinius VIII. cap. 20.

15. *Huic montes herbas ferunt*] *Edit uno paſtu modios Macedonicos novem*, Ariſtoteles Hiſtoriæ Animantium VIII. cap. 9.

Omnes beſtiæ agri ludent ibi] Tanta eſt elephanti clementia: Ariſtoteles Hiſtor. Animal. I. 1. & IX. cap. 46.

16. *Et in locis humentibus*] Ariſtoteles de elephante, dicto loco IX. cap. 46. ἔστι δὲ τὸ ζῶον παραποτάμιον [*eſt autem animal amans juxta amnes vivere*], & II. 16. ἑλῶδες ζῶον [*animal amans loca uda*]. Plinius VIII. cap. X. *Gaudent amnibus maximè, & circa fluvios vagantur*. idem prodidit Ælianus.

18. *Ecce, abſorbebit fluvium*] Simile illud:

——— *epotáque flumina Medo*
Prandente.

Cæterùm ingentem eſſe elephantis ſitim etiam Polybius Hiſtoriarum III prodidit. Ariſtoteles dicto loco VIII. 9. *amphoras menſuræ Macedonicæ quatuordecim ab elephanto uno potu* dicit *hauſtas*.

19. *In oculis ejus quaſi hamo capiet eum*] Rectiùs ſic: *An quis in oculis ejus*, id eſt palàm & ſine inſidiis, *eum capiat?* quaſi dicat, minimè verò; elephantes tantùm inſidiis capi ſolent: de quibus vide Plinium VIII. cap. 8.

Et in ſudibus perforabis nares ejus] Vnco, quòd minutis piſcibus fieri ſolet, ut infrà 21.

20. *An extrahere poteris Leviathan hamo?*] A terreſtribus ad maritima tranſit. Multæ ſunt in Oceano Indico ingentes belluæ, quædam *quaternûm jugerum*. Vide Plinium IX. cap. 3. Videntur autem quæ hîc de Leviathane dicuntur optimè convenire in eam cui nomen *Muſar*. Leviathani autem comparari ſolent tyranni qui minutiores ſui generis comedunt: Eſaias XXVII. 1. ubi de Rege Ægypti ſermo; Pſalm. LXXIV. 14. Vocem hanc Græci modò κῆτος [*cetum*] vertunt, modò ex ſimili δράκοντα [*draconem*]. Refert autem hîc Deus omnes modos quibus piſces capi ſolent, ut oſtendat marinum hoc animal immenſo eſſe majus, ut nequeat ullo talium modorum capi.

Et fune ligabis linguam ejus] Hamus à linea pendens modò linguam piſcis, modò naſum, modò aliam partem apprehendit. Vide ſequentia.

21. *Numquid pones circulum in naribus ejus?*] Quomodo capti piſces retineri ſolent. κρίκον [*annulum*] hîc Græci quidam.

Aut armillâ perforabis maxillam ejus] Quod hîc *armilla* dicitur & ψέλλιον Græcis, idem eſſe videtur quod modò *circulus*.

22. *Numquid multiplicabit ad te preces?* Hæc & quæ ſequuntur ducta ſunt à populis infirmis, qui adventante magno exercitu precibus agunt ut deditionem moliantur, ut Gabaonitæ.

24. *Numquid illudes ei quaſi avi, aut ligabis eum ancillis tuis?*] Meliùs ex Hebræo, *puellis tuis*. Solent puellæ delectari paſſeribus, ut Lesbia; aut columbis, ut Violantilla.

25. *Concident eum amici, divident illum negotiatores?*] Prior pars in Hebræo habet, *Cænabunt propter eum ſocii*. An cœna venditionalis propter ipſum celebrabitur? Sic Chaldæus quoque & Græci. illud *negotiatores* in Hebræo eſt *Cananæi*, Φοινίκων ἔθνη [*Phœnicum gentes*] Græcis hîc, nempe συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] ſpecies pro genere. Phœnices mercatu notiſſimi.

26. *Numquid implebis ſagenas pelle ejus, & gurguſtium piſcium capite illius?*] Si Rabbino Levi credimus, & שכות, quod hîc vertit *ſagenas*, & צלצל, quod *gurguſtium*, inſtrumenta ſunt, quibus confodi piſces ſolent: quaſi dicas, *An implebis fuſcinis pellem ejus, aut cultro piſcatorio caput illius?* Solent fuſcinis primùm feriri piſces, ut & Ariſtoteles docet de Hiſtoria Animal. IV. cap. X. & poſtea cultris aperiri.

27. *Pone ſuper eum manum tuam: memento belli, nec ultrà addas loqui*] Meliùs ſic ex Hebræo, *Pone ſuper eum manum tuam, belli nè ultra memineris*: id eſt, quando vi eum capere non vales, vide an dolo poſſis, eum demulcendo, & amicitiam ſimulando.

28. *Ecce ſpes ejus fruſtrabitur eum*] In Hebræo: *Ecce ſpes ejus* (id eſt de eo) *mentita eſt*. Id eſt, etiam hæc ſpes dolo eum capiendi non ſuccedet.

Et videntibus cunctis præcipitabitur] Rectiùs: *ad aſpectum ejus concidet*, ſupple *quilibet*. Nemo auſurus ſit tam propè ad eum accedere, ut dolos tentet.

CAPVT XLI.

1. *Non quaſi crudelis ſuſcitabo eum*] Continuatio eſt prioris ſermonis malè diſcerpta capitibus. Verus ſenſus eſt hujus loci, *Nemo ità eſt audax ut eum* (dormientem ſcilicet) *ſuſcitare audeat*; nedum ut vigili ei ſe oſtendat.

Quis enim reſiſtere poteſt vultui meo?] Particula ו [*&*] rectiùs per *ergò* quàm per *enim* vertetur. Si Leviathan adeò eſt terribilis, quis eſt qui mihi opifici ejus poſſit reſiſtere?

2. *Quis antè dedit mihi ut reddam ei?*] Quis me beneficio prævênit? Hunc locum reſpexit Paulus Rom. XI. 35. τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; [*quis prior dedit ei, & retribuetur illi?*] Hoc verò dictum velut παρενθετικῶς [*per parentheſim*]. reditur enim ſtatim ad priorem ſermonem.

3. *Non parcam ei, & verbis potentibus, & ad deprecandum compoſitis*] Rectiùs ſic ex Hebræo: *Non ſilebo ramos ejus* (fiſtulas in fronte), *& rem omnem virium ejus & concinnitatem commensûs* (ità Vitruvius vocat συμμετρίαν, quam Gellius *competentiam*) *ipſius*. Eſt hîc חין [*gratiam*] pro חן, quia Iod antiquitus etiam pro Tſere ſcribebatur.

4. *Quis revelabit faciem indumenti ejus?*] Simile ab equo ſumtum. Quis ei detrahet ſtragulas aut ephippia?

Et in medium oris ejus quis intrabit?] In Hebræo: *cum lupato ejus quis adveniet?* quis veniet ut lupatum ei injiciat? id fræni genus aſperrimum eſt: ideo *duplicitas fræni* dicitur Hebræis.

5. *Portas vultûs ejus quis aperiet?*] Maxillas ad inſerendum lupatum.

Per gyrum dentium ejus formido] Ipſi ordines dentium ejus formidabiles ſunt.

6. *Corpus ejus quaſi ſcuta fuſilia*] *Corpus ejus* vertit & Aquila. Pro *ſcuta fuſilia* rectiùs ponas, *fortitudines ſcutorum*, id eſt συνασπισμὸς, *teſtudo*, cui ſimillimus ſquammarum ille connexus, quem & ſequentia explicant.

9. *Sternutatio ejus ſplendor ignis*] Flatu ejus colliſæ aquæ igneſcunt. Idem pluribus verbis ac poëticâ ubertate explicant quæ ſequuntur.

13. *In collo ejus morabitur fortitudo*] Alacritas.

Et faciem ejus præcedit egeſtas] *Et ei vertetur in lætitiam dolor:* gaudebit metu nautarum, quorum ſæpè naves evertit. Vide infrà 15.

14. *Membra carnium ejus cohærentia ſibi*] Pulpæ.

Mittet ad eum fulmina, & in locum alium non ferentur] In Hebræo: *Solidæ ſunt, ideóque non commoventur.*

15. *Et ſtringetur quaſi malleatoris incus*] Durum eſt *ut incus*, ut hîc habent Græci, aut, ut alii vertunt, *molæ meta.*

16. *Cùm ſublatus fuerit timebunt Angeli*] Cùm ſe ſupra aquas extulerit, timebunt etiam fortiſſimi. אילים vertitur ἄρχοντες [*principes*] & ἡγούμενοι [*duces*], Exod. xv. 15. Ezech. xvii. 13.

Et territi purgabuntur] *Præ confractione* (id eſt præ metu naufragii) *ſe purgabunt*, id eſt, ſolvetur eis alvus. Sic Rabbi Levi.

20. *Quaſi ſtipulam æſtimabit malleum*] Alii meliùs, ut puto, *catapultam*, quâ tela ejiciuntur, ut conveniat cum ſequenti membro.

21. *Sub ipſo erunt radii Solis, & ſternet ſibi aurum*] Meliùs ſic: *apud ipſum erunt* (haſtæ illæ catapultâ ejectæ, de quibus egerat) *ut teſtarum fragmina* (ità à dura cute reſilient), *& acutum* (ferrum nempe) *ille dejiciet in lutum*, id eſt, in fundum maris.

22. *Ferveſcere faciet quaſi ollam profundum mare*] Spumas tantas excitabit. Plinius ix. cap. iii. *Ab imo vertunt maria.* cap. vi. *fluctus verò ad anhelitus ictúſque quanti nulli turbines volvunt.*

Ponet quaſi cùm unguenta ebulliunt] *Faciet eam ut ahenum pigmentarii* quod ἐξάλειπτρον Lxx. Aquilæ & Symmacho μυρεψητήριον. Olympiodorus interpretatur τρυλλίον μύρου [*trullam unguenti*].

23. *Poſt eum lucebit ſemita, æſtimabit abyſſum quaſi ſeneſcentem*] Senſus eſt: *poſt ſe albicantem relinquet ſemitam, ità ut putet* (nempe qui videt) *pelagus caneſcere.*

25. *Omne ſublime videt*] Id eſt, deſpicit.

Ipſe eſt rex ſuper univerſos filios ſuperbiæ] Lxx, αὐτὸς δὲ βασιλεὺς πάντων τῶν ἐν τοῖς ὕδασιν [*ipſe rex ſuper omnia quæ ſunt in aquis*]. Vox شحص quæ hîc in Hebræo שחץ ſcribitur, Arabibus *emergere* ſignificat: *regnum obtinet in omnia quæ è mari emergunt.*

CAPVT XLII.

1. Reſpondens autem Iob Domino, *dixit*] Agnoſcens jam quædam ſibi excidiſſe minùs bene cocta, vidénſque cùm tanta Dei ſapientia in omnibus rebus conditis appareat, nihil ab eo fieri abſque ratione.

3. *Quis eſt iſte qui celat conſilium abſque ſcientia?*] Id eſt, quis eſt hominum qui tam imperitus ſit, ut negare audeat Dei conſilio ſapientiſſimo cuncta adminiſtrari? Approbat quod Deus dixerat xxxviii. 2.

Ideo inſipienter locutus ſum] xix. 6. & alibi.

5. *Auditu auris audivi te*] Perfectiùs jam te cognoſco ex hac revelatione, ut illi qui hominis vocem primùm audierunt, deinde eum conſpiciunt.

6. *Iccirco ipſe me reprehendo*] Muto factum.

Et ago pœnitentiam in favilla & cinere] *In pulvere & cinere*, ut lugentes ſolent. Hîc eſt finis metricorum.

7. *In te & in duos amicos tuos*] Elihu hîc non nominatur, ut nec ſuprà ii. 11. fortè quòd aſſecla eſſet alicujus trium.

Quoniam non eſtis locuti coram me rectum ut ſervus meus Iob] Iob pleraque vera dixerat, maximè de vita ſua; at illi ex præſente infortunio innocentem calumniabantur.

8. *Et offerte holocauſtum pro vobis*] Nempe per Iobum, quem ut mihi amiciſſimum vobis eſſe volo pro Sacerdote. Græci hîc rem περιφραστικῶς [*circumloquendo*] explicant, λάβετε ἑπτὰ μόσχους καὶ ἑπτὰ κριοὺς, καὶ πορεύθητε πρὸς τὸν θεράποντά μου Ἰώβ, καὶ ποιήσει κάρπωσιν ὑπὲρ ὑμῶν [*ſumite ſeptem vitulos & ſeptem arietes, & ite ad famulum meum Iobum, & faciet pro vobis conſumtionem*]. Holocauſtum eò pertinet, ut Dei dominium liberrimum in res omnes agnoſcatur. Et id ſolum fuiſſe ſacrificii genus ante legem Moſis putant Hebræi. Heptas autem ſacrificiis dicata, Levit. xxiii. 18.

Vt non imputetur vobis ſtultitia] In Hebræo, *Nè afficiam vos ignominiâ:* id eſt, pœnâ aliquâ prodigioſâ. Græci, εἰ μὴ γὰρ δι' αὐτὸν, ἀπώλεσα ἂν ὑμᾶς [*niſi per ipſum ſtaret perdidiſſem vos*].

9. *Et ſuſcepit Dominus faciem Iob*] Eum exaudivit pro aliis deprecantem. Lxx, καὶ ἔλυσε τὴν ἁμαρτίαν αὐτοῖς διὰ τὸν Ἰώβ [*& ſolvit peccatum ipſis propter Iobum*]. Iob hîc figura Chriſti.

10. *Dominus quoque converſus eſt ad pœnitentiam Iob*] In Hebræo, *ad converſionem Iob:* id eſt, ut eum reſtitueret in priorem fortunam. Lxx, ὁ δὲ Κύριος ηὔξησε τὸν Ἰώβ [*Dominus auxit Iobum*].

Cùm oraret ille pro amicis ſuis] Eo ipſo tempore id facere cœpit Deus, quo Iob amicorum cauſam apud Deum agebat. Addunt Lxx ἀφῆκεν αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν [*remiſit eis peccatum*].

Et addidit Dominus omnia quæ fuerant Iob duplicia] Hoc de poſſeſſionibus intellige, non de liberis, ut apparet infrà 13. Cauſam reddunt Hebræi, quia & liberi priores ei manebant apud Deum.

11. *Et moverunt ſuper eum caput*] Geſtu ipſo oſtenderunt quàm dolerent de malis quæ ipſi obvenerant.

Et dederunt ei quiſque ovem unam] Nummum intellige ovis ſigno percuſſum, ut Geneſ. xxxiii. 19. & Ioſuæ xxiv. 32. Apparet hinc quàm vetus ſit mos ἐρανισμοῦ [*collectam faciendi*].

Et inaurem auream unam] Sic & Aquila & Theodotion. At Symmachus ἐπίρρινον [*monile naſo imponendum*], quo modo vox Hebræa manifeſtè ſumitur Prov. xi. 22.

14. *Nomen unius Diem*] *Dies* Hebræis eſt felicitas. Id nomen oppoſitum *tenebris* illis in quibus verſari ſe conqueſtus erat Iob XIX. 8. & alibi.

Nomen ſecundæ Caſſiam] Optimè olens aroma. oppoſitum id nomen *putredini* & *fætori*, de quibus idem Iob queſtus erat VII. 5.

Et nomen tertiæ Cornu-ſtibii] Stibio oculi pulchriores fiunt, ut diximus alibi. Id nomen oppoſitum *fletui* quo intumuerant oculi Iobi XVI. 17. *cornu* abundantiam ſtibii ſignificat. Hæc nomina monumenta erant Iobo familiæque ejus, ex quibus miſeriis quantæ felicitati eos Deus reddidiſſet.

15. *Dedítque eis pater ſuus hereditatem inter fratres earum*] Ob ingentes divitias filiabus non paulùm aliquid pro dote, ſed de hereditate decimas cuique partes dedit, præter morem. Vide Num. XXVII. 8.

16. *Et plenus dierum*] Quæ hîc ſequuntur in Græcis codicibus parum certæ ſunt fidei.

AD LIBRVM PSALMORVM.

ODæ iſtæ Davidis dicuntur, quòd is multas veteres collegerit, multas ipſe, pſallendi ſciens, addiderit, aut per homines idoneos addi fecerit. Cæterùm dubitari non debet, quin multa acceſſerint carmina poſteriorum temporum, Eſdrâ addente. Nam quin Pſalmus CXXXVII (Hebraïcos numeros nunc ſequor, non quòd multùm referat, ſed quia ità incepi, & eos ſequitur Hieronymus in verſione ex Hebræo) ſcriptus ſit in exſilio Babylonico, Pſalmus autem CXXVI & alii quidam in reditu, ſtultum ſit dubitare. Horum autem Pſalmorum inter ſe diſtinctio jam olim non eadem eſt. Exempli causâ, primus Pſalmus in multis exemplaribus cum ſecundo cohæſit. Itaque vetera Scholia Græca ad ſecundum habent, ἐν τῷ Ἑβραϊκῷ συνημμένοι [*in Hebraïco cohærent*]. Et Actor. XIII. 33. pro eo quod nos habemus ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ [*in Pſalmo ſecundo*], multi veteres libri habent πρώτῳ [*primo*].

PSALMVS I.

1. QVi non abiit in conſilio impiorum] Tres hîc gradus deſcribuntur malè viventium, eorum qui incipiunt, eorum qui perſtant, eorum qui planè jam in mala vita acquieſcunt. Præterita autem hæc rectiùs per præſens vertentur: *abit*, *ſtat*, *ſedet*.

In cathedra peſtilentiæ] Aquila optimè, ἐν καθέδρᾳ χλευαστῶν [*in ſede irriſorum*]. לצים apud Hebræos ſunt *homines arrogantes eouſque ut pios irrideant*.

3. *Et folium ejus non defluet*] Sic in Epigrammate Græco:

Οὕτω καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα πᾶσαι
Ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι.
[*Sic etiam ſtirps ſacra Iovi radicibus omnes*
Stant quercus: venti ſicca ferunt folia.]

4. *Tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terræ*] Bene verteris, *tanquam acus*. Nam frumentum manet.

5. *Ideo non ſurgent impii in judicio*] Mira hinc inferunt Kimchi & Hebræi. Senſus eſt: futurum ut causâ cadant, ubi vita ipſorum ſine affectu examinabitur. Nam קום eſt *ſubſiſtere*, ut Ioſuæ VII. 12. Nahum. I. 6. Eſdræ IX. 15. Vſurpatúrque ſæpè in re judiciali, ut σταθῆναι [*ſtare*] Lucæ XXI. 36.

6. *Novit Dominus viam juſtorum*] Id eſt, approbat.

Iter impiorum peribit] Id eſt, in exitium eos ducet.

PSALMVS II.

1. QVare fremuerunt gentes?] Philiſthini, Moabitæ, Sabæi, Damaſceni, Ammonitæ, Idumæi, II Sam. VIII. & X. Senſus enim primus & apertus ad Davidem pertinet: myſticus & abſtruſior ad Meſſiam, ut hîc agnoſcit David Kimchi, & ad Danielem Saadias Gaon, quomodo ſumsêre Apoſtoli.

2. *Adſtiterunt reges terræ*] Nominati in dicta jam Hiſtoria II Samuëlis.

Adversùs Dominum] Nam gentes illæ ab unius Dei cultu defecerant, ideóque oderant Iudæos.

Et adversùs Chriſtum ejus] Davidem, ſolenniter unctum divino juſſu, I Sam. XVI. 13. II Sam. II. 4. & V. 3.

3. *Dirumpamus vincula eorum*] Subintellige *dicentes*: ſunt enim hæc verba illorum Regum ac populorum. *Eorum*, id eſt, Iſraëlitarum, *vincula* & *jugum*, id eſt, legem Moſis cum ſuis ritibus.

6. *Prædicans præceptum ejus*] *Narrabo conſtitutionem ipſius.*

7. *Filius meus es tu: ego hodie genui te*] Optimè vertas, *O fili mi*, *hodie* (id eſt, hoc tempore) *ego te genui*: novam vitam, regalem ſcilicet, tibi contuli. אתה [*ô tu*] Hebræis ſæpè nihil aliud quàm nota vocativi. Apparet Geneſ. XLIX. 8. Reges dicuntur *filii Dei*, & qui inter eos excellunt *primogeniti*, Pſalm. LXXXIX. 27.

8. *Dabo tibi gentes in hereditatem tuam*] In proprietatem ex belli jure. Vide dicta jam capita II Sam. & Pſal. CVIII.

9. *Reges eos in virga ferrea*] In Hebræo, *Conteres eas virgâ ferreâ*: id eſt, gladio.

12. *Oſculamini filium*] בר pro בן Chaldaïcum reperitur & Eſdræ V. 1. & 2. & in Paraphraſtis Chaldæis ſæpè: interdum & ביר. Sic hoc loco ſumſit & Abeneſdra. Aquila, καταφιλήσατε ἐκλεκτόν [*oſculamini electum*]. ità enim legendum videtur pro ἐκλεκτῶς [*eximiè*]. Oſculum ſignum ſubjectionis ſive homagii. Sic Geneſ. XLI. 40. ישק [*oſculabitur*] Græci vertunt ὑπακούσεται [*obediet*]. Hoc eſt quod dicit, Vos alii vicini Reges, interfectorum Regum exemplo territi, in tempore venite ad fedus obſequioſum.

13. *Beati omnes qui confidunt in eo*] Qui fidei ejus Regis (id eſt meæ) ſe permittunt.

PSALMVS III.

P*ſalmus David cùm fugeret à facie Abſalom filii ſui*] Non quòd hæc dixerit, ſed quòd talia dicere potuerit luctuoſo illo tempore, II Sam. xv. 14.

2. *Quid multiplicati ſunt qui tribulant me?*] *Quàm multi ſiunt hoſtes mei?* qui Abſalomum ſequuntur. Vide II Sam. xv. 13.

3. *Dicunt animæ meæ*] Dicunt de me.

In Deo ejus] Hic ſequitur in Hebræo סלה [*Selah*], nota quæ cantum hîc intendendum ſignificat: quod modò in mœrore, modò in gaudio fit.

5. *De monte ſancto ſuo*] De Sione, ubi tunc Arca.

6. *Ego dormivi*] Dormio ſecurus, Deo fidens.

8. *Tu percuſsiſti omnes adverſantes mihi*] Saülem primùm, deinde progeniem ipſius, eorúmque ſectatores.

PSALMVS IV.

I*N finem in carminibus*] Illud למנצח Τῷ νικοποιῷ ἐν ψαλμοῖς [*victori in Pſalmis*] vertit Aquila originum ſectator. Sed Rabbi David Kimchi rectè, ni fallor, ità vocari ait *eum qui in cantu princeps erat.* Sequitur בנגינות, id eſt, *in iis inſtrumentis quæ pulſu ſonant:* nam ſunt alia quæ ſonant flatu.

3. *Filii hominum uſquequo gravi corde?*] Ex Græco: ἕως πότε βαρυκάρδιοι; [*quouſque gravicordes?*] Apparet eos legiſſe in Hebræo כבדך [*aggravatio veſtra*]. Sic & Chaldæus hîc. *Aggravare cor ſuum* dicuntur qui pigri ſunt & ignavi ad diſcendum. Senſus qui nunc eſt in Hebræo talis eſt: *Quouſque gloriam meam in dedecus*, ſupple, *vertere laboratis?*

4. *Sanctum ſuum*] Vnctum.

5. *Iraſcimini, & nè peccate*] Poteſt verti: *Iraſcimini? at ne peccate.* Dolet vobis quòd ego regno deſtinor? ſed videte nè ex eo dolore Deum offendatis. Ita רגזו [*iraſcimini*] ſcribendum erit, cum punctis indicativi.

Quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini] Meliùs: *Cogitate in corde veſtro, in cubili veſtro*, nempe quæ egeritis, *& ſilete.* Id eſt, *pœnitentiam agite*, ut explicat hîc Arabs. quod ait *in cubili veſtro* optimè convenit cum iſto præcepto Pythagorico:

Μήδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι προσδέξασθαι
Πρὶν τῶν ἡμερινῶν ἔργων τρὶς ἕκαστον ἐπελθεῖν·
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα; τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη;
Ἀρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι· καὶ μετέπειτα
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ἐπιπλήσσεο· χρηστὰ δὲ, τέρπου.
[*Ne priùs in dulcem declines lumina ſomnum,*
Quàm bene perpendas ter totius acta diei,
Quò prætergreſſus, quid geſtum in tempore, quid non,
Lucis ab exortu ſupremam ad veſperis horam:
Triſtitiam curvis impende & gaudia rectis.]

7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine, dediſti lætitiam cordi meo*] Meliùs ſic: *Si extuleris ſuper nos lumen vultûs tui, Domine* (id eſt, nos benignus aſpexeris) *dabis lætitiam cordi meo.*

8. *A fructu frumenti, vini & olei ſui multiplicati ſunt*] Senſus eſt: *Majorem* (ſcilicet lætitiam) *quàm eſſe ſolet, ubi frumentum, vinum & oleum ubertim proveniunt.*

9. *In pace in idipſum dormiam*] Eâ ſpe dormiam ſecurè, ut ſuprà III. 6.

PSALMVS V.

I*N finem pro ea quæ hereditatem conſequitur*] Vox prima למנצח quid ſignificet dictum jam eſt. De altera voce הנחילות nihil probabilius reperio quàm quod Hebræi complures dixêre נחיל *eſſe bombum quem edunt apes, & ex ejus ſoni ſimilitudine dictum inſtrumentum muſicum.* Etiam Arabibus نحل eſt *apis.*

4. *Manè adſtabo tibi & videbo*] Τοπρωῒ παραστήσομαί σοι καὶ ἐπόψομαι. Nempe ut ſaluta tores matutini apud dominos ſolent. Prius illud verbum ערך vertitur in Pſalmis aliquoties ἑτοιμάζειν [*præparare*], in Ezechiele κοσμεῖν [*ornare*].

9. *Domine deduc me in juſtitia tua*] Quaſi dicat: *hic verus eſt cultus qui tibi placet.*

Propter inimicos meos dirige in conſpectu tuo viam meam] Legit לפניך דרכי [*coram te viam meam*], ut & Græci: κατεύθυνον ἐνώπιόν σου τὴν ὁδόν μου [*dirige coram te viam meam*]. Fac ut eam vitam vivam quæ tibi placet, nè quid habeant inimici mei quod carpant. Simile infrà XXVII. 11. in noſtro Hebræo eſt, לפני דרכך [*coram me via tua*], id eſt, *reſpice ad me meáque facta.* Ego illud præferam.

PSALMVS VI.

P*Ro octava*] *Super octochordo:* ità hîc Chaldæus. Adde quæ diximus ad I Paralip. xv. 21.

7. *Laboravi in gemitu meo*] *Confectus ſum.* Sic verbum hoc ſumitur Eccleſiaſtæ XII. 12. Græci hîc ἐκοπίασα [*fatigatus ſum*].

8. *Turbatus eſt præ furore oculus meus*] *Tabuit:* ηὐχμώθη [*ſqualluit*] hîc Aquila. Sic & infrà XXXI. 10. Hebræa vox ſumitur, & eodem modo vertitur ab Aquila.

Inveteravi inter omnes inimicos meos] In Hebræo, *ſenuit*, nempe *oculus* ſive *vultus.*

PSALMVS VII.

P*Salmus David*] שגיון, quod hîc in Hebræo eſt, initium Hebræi ajunt fuiſſe cantici veteris, ad cujus modulos facta ſit hæc Oda.

Pro verbis Chuſi filii Iemini] Meliùs: *ob verba*, minacia ſcilicet. Chuſus videtur fuiſſe aliquis ducum Saülis, cui mandatum fuit datum perſequendi Davidis. *Filii Iemini*, id eſt, è tribu Benjaminis, ut I Sam. XXII. 7.

4. *Si feci iſtud*] Quod Saülis comites mihi exprobrant. Vide I Sam. XXIV. 10. XXVI. 10.

5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala*] Optimè ſic: *Si malum reddidi ei qui mihi fecerat.* Nam שלם ſenſu *faciendi* reperias apud Eſaiam XLIV. 26. & ità hîc cepêre interpretes Syrus & Arabs.

Decidam meritò ab inimicis meis inanis] Rectiùs ſic: *Et oppreſſi eum qui mihi infeſtus erat ſine cauſa.* Nam חלץ interdum ſignificat *opprimere*: & ità LXX Iobi XXXVI. 15. חלץ עני verterunt ἔθλιψαν ἀσθενῆ [*oppreſſi infirmum*]. Neque aliter hîc accepit Syrus. Eundem ſenſum habebat, mutatâ gutturali אלץ. Et fortè olim hîc ſcriptum fuerit אלצר. Reſpicit hiſtoriam quæ eſt 1 Sam. XXIV. & XXVI.

8. *Et exſurge Domine Deus meus*] Legit hîc אלי cum Chiric non cum Patach ſub Lamed. Græci quoque ſic legerunt. Vertunt enim: ἐξεγέρθητι Κύριε Θεός μου [*ſurge domine Deus mi*]. Nec aliter aut Syrus aut Arabs.

11. *Iuſtum adjutorium meum à Domino*] Ex Græco, ut propè omnia in hac verſione: nam aliam ex Hebræo fecit Hieronymus, ſed ea in Eccleſias recepta non eſt: δικαία ἡ βοήθειά μου παρὰ τοῦ Θεοῦ. Illud *juſtum* huc tranſtulêre Græci, cùm nunc in Hebræo comma præcedens finiat. מגני *adjutorium meum* etiam Syrus & Arabs interpretantur. Ergo על quod ſequitur eſt pro מן [*à*], ut & infrà XXII. 10. & alibi.

15. *Ecce parturiit injuſtitiam; concepit dolorem & peperit iniquitatem*] Meliùs, *En parturit vanitatem: concepit enim moleſtiam & pariet inania.* Succeſſu carebit omnis ille labor. Vide Iob. XV. 35.

PSALMVS VIII.

1. *PRo torcularibus*] In tempore vindemiæ cantandum. Sed Chaldæus exiſtimat גתית eſſe inſtrumentum muſicum petitum à Philiſthinis, quorum urbs *Geth.*

3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem*] Ex mirabili ſtructura mammarum ad alendos infantes eo alimento cui in utero aſſueverunt, quas mammas ſine ullo magiſtro attrahunt infantes, quibus id initium eſt στοργῆς [*affectûs naturalis*].

Propter inimicos tuos] *Ad deſtruendos*, id eſt, confundendos *inimicos* eos qui Deum negant eſſe, aut res noſtras curare. Lxx hîc bene, τοῦ καταλῦσαι τὸν ἐχθρόν [*ad deſtruendum inimicum*]. Idem verbum Ezech. XXX. 10. vertitur ἀπολῶ [*perdam*].

Et ultorem] καὶ ἐκδικητὴν Græci: id eſt, τὸν πολεμοῦντά σοι [*bellantem adverſùm te*], ut hæc vox vertitur Eſtheræ VIII. 13. Videtur tacitè Saül ſignificari.

6. *Minuiſti eum paulò minùs ab Angelis*] Id eſt, dominantem in res has inferiores eum feciſti. In primo enim ſtatu omnia ei ſponte parebant. Ea felicitas per peccatum amiſſa per Chriſtum redditur: id & Hebræos de Meſſia ſperaſſe oſtendunt Rabbi Iuda, & Rabbi Iacob in libro Caphthor.

PSALMVS IX.

1. *IN finem pro occultis filii*] Rectiùs, *Principi cantorum: ſuper morte Laben;* id eſt Nabal: voluit enim ἀναγραμματικῶς [*tranſpoſitis literis*] occultare nomen illius.

18. *Convertantur peccatores in infernum*] Malè pereant. myſticè ad pœnas poſt hanc vitam referunt Rabbini.

19. *Patientia pauperum non peribit in finem*] Benè ſupplevit negativam particulam, quæ in Hebræo ex ſuperioribus tacitè intelligitur.

PSALMVS X.

3.4. *QVoniam laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Exacerbavit Dominum*] Optimè videtur mihi ſic poſſe verti: *Quia gloriatus eſt impius in deſideriis ſuis & impletione* (nempe *deſideriorum ſuorum*), *propterea maledixit Deo, & eum irritavit.* ברך propriè eſt *benedicere;* ſed κατ' ἀντίφρασιν [*per enuntiationem contrarii*], aut εὐφημισμόν [*emollitionem*] ſumitur pro *maledicere*, ut Iob. 1.5. 11. & 11. 5. בצע [*implere*] autem vertitur συντελεῖν Prov. 1. 19. Eſaiæ X. 12. Ierem. VI. 13. Thren. II. 17. Ezech. XXII. 12. 13.

4. 5. *Peccator ſecundùm multitudinem iræ ſuæ non quæret. Non eſt Deus in conſpectu ejus*] Meliùs, *Peccator ob ſuperbiam vultûs ſui non quærit* (ſupple *Deum*, ex ſequentibus); *neque Deus eſt in ulla cogitatione ejus.*

PSALMVS XI.

1. *IN Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ*] Meliùs, *Deo confiſus ſum: quid eſt quod mihi dicitis?* Eſt enim dialogus inter Davidem & comites ejus, qualis in Horatio libro III. Ode IX.

Tranſmigra in montem velut paſſer] Amici loquuntur. Legit autem hîc interpres, & Græci quos ſequitur, נודו הר כצפור [*vagare ad montem ut paſſer*], non ut nos nunc legimus נודו הרכם צפור [*tranſi montem veſtrum paſſer*].

3. *Quoniam quæ perfeciſti deſtruxerunt*] Meliùs, *Fundamenta deſtructa ſunt:* id eſt, leges & jura nihil valent. Confer Pſalm. LXXXII. 5.

4. *Dominus in templo ſancto ſuo*] Reſpondet David, cùm omnes humanæ ſpes ſe deſtituant, in Deo ſibi ſpem eſſe poſitam.

PSALMVS XII.

4. *DIſperdat Dominus univerſa labia doloſa*] Syrus, *labia diviſionum:* quam interpretationem optimè recipit vox Hebræa. Et videtur David agere de iis qui Abſalomum contra ſe incitaverant.

9. *In circuitu impii ambulant, ſecundùm altitudinem tuam multiplicaſti filios hominum*] Meliùs Græci quidam: ὅταν ὑψωθῶσιν οἱ εὐτελεῖς τῶν υἱῶν τῶν ἀνθρώπων [*cùm exaltati fuerint viles filiorum hominum*].

Aſperius nihil eſt humili cùm ſurgit in altum.

Id autem maximè evenit in diſcordiis civilibus.

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ ὁ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.
[*Sæpe malos motus civilis honoribus auget.*]

PSALMVS XIII.

6. *CAntabo Domino qui bona tribuit mihi*] Τῷ εὐεργετήσαντί με [*qui bene mihi fecit*]. Sic & Syrus. Verbum גמל per εὐεργετεῖν [*benefacere*] vertitur etiam infrà CXVI. 7.

PSALMVS XIV.

1. *DIxit inſipiens in corde ſuo, Non eſt Deus*] *Inſipientes* vocat, more Platonico, eos qui improbi ſunt, etiamſi ſapere ſibi plurimùm videantur.

Vult autem dicere, Seculum eſſe tam depravatum quàm fuerat ante diluvium.

2. *Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominum*] Ex Gen. VI. 5. unde &, quoad ſenſum, ſumta quæ ſequuntur.

3. *Non eſt qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum*] Hyperbole, quâ & Paulus de temporibus ante prædicatum Euangelium utitur: quæ occaſio fuit cur & quæ ſequuntur Rom. III. τάφος ἀνεῳγμένος [*ſepulchrum apertum*] uſque ad τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν [*oculos eorum*], hîc in quoſdam codices Græcos, item Latinos, Arabicos, Æthiopicos inſerta ſint.

7. *Quis dabit ex Sion ſalutare Iſraël?*] Id eſt, Vtinam ex Sione, ab Arca Domini, ſalus nobis obveniat. Sic ſumitur מי יתן [*quis dabit*] Pſal. LV. 6. Ieremiæ IX. 1. II Sam. XVIII. 33.

Cùm averterit Dominus captivitatem plebis ſuæ] Meliùs, *Cùm reduxerit Deus reducem populum ſuum:* id eſt, cùm nos vi Abſalomi fugatos Hieroſolyma ſalvos reverti fecerit.

PSALMVS XV.

1. D*Omine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requieſcet in monte ſancto tuo?*] In Sione, regia Davidis, ubi tunc erat Arca.

3. *Et opprobrium non accepit adversùs proximos ſuos*] Ὀνειδισμὸν οὐκ ἔλαβε ἐπὶ τοὺς ἔγγιστα αὐτοῦ· *non accepit*, nempe *in os ſuum*, ut Exod. XX. 7. At Syrus pro חרפה [*opprobrium*] legit חרמה, id eſt, ἀνάθεμα [*anathema*].

4. *Qui jurat proximo ſuo, & non decipit*] Ex Græco: τῷ πλησίον αὐτοῦ [*proximo ſuo*]. Alii, *qui juravit ſe affligere:* id eſt, votum fecit jejunandi, *& non mutat*. Eſt enim inter piorum officia vota talia perſolvere, Num. XXX. 3. Deut. XXI. 21.

PSALMVS XVI.

T*ituli inſcriptio*] Ità vertit quod in Græco eſt στηλογραφία [*columnæ inſcriptio*], per *titulum* intelligens columellam aliquam marmoream, cui has ſententias inſcribi voluit David, ut ſuas Iob, XIX. 24. legerunt enim מכתב [*inſcriptio*], non ut nos מכתם, quod Arabicâ voce *abſconditum* ſignificat, id eſt, *rem dignam ſervatu.*

2. *Dixi Domino*] Legit אמרתי [*dixi*], ut & Græci, non אמרת [*dixiſti*].

Quoniam bonorum meorum non eges] Senſus eſt non malus; ſed meliùs & cohærentiùs cum iis quæ ſequuntur vertas: *Quia bonum meum non eſt apud te*, ſcilicet reconditum: non invides mihi cognitionem rerum ſalutarium. על pro *apud* habes Geneſ. XVIII. 2. Exodi XIV. 2. & alibi.

4. *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum*] In Hebræo: *Multiplicentur falſi dii illorum.* Δεικτικῶς [*deſignando*], id eſt, Syrorum, Moabitarum, Ammonitarum.

Poſtea acceleraverunt] Meliùs, *Alienum* (ſupple *Deum*) *cupidè ſectentur.*

Non congregabo conventicula eorum de ſanguinibus] In Hebræo: *Non libabo libamina eorum quæ ſunt de ſanguine.* Potabant enim gentes iſtæ ſanguinem ſacrificiorum, ſæpè & humanum, ut diximus ad Matth. XXVI. 28.

Nec memor ero nominum eorum per labia] *Eorum*, id eſt, falſorum deorum, de quibus ſuprà egerat. Vide legem Exodi XXIII. 13.

5. *Dominus pars hereditatis meæ*] Id regnum mihi obtigit, in quo verus ille Deus colitur.

6. *Funes ceciderunt mihi in præclaris*] Optima terra mihi velut ſorte obtigit.

9. *Et exſultavit lingua mea*] Ex LXX, qui videntur pro כבדי [*gloria mea*] legiſſe non levi differentiâ לשני [*lingua mea*], quomodo & Lucas Act. II. 26.

Caro mea requieſcet in ſpe] *Requieſcit:* ſolatur ſe bonâ ſpe.

10. *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*] *Animam meam* pro *me*, Hebraïcè. שאול *ſepulchrum* pro morte, conſequens pro antecedente. Senſus hiſtoricus (latet enim myſticus ſublimior, ut in pleriſque Pſalmis) eſt hic, Quanquam undique opprimor à Saüle, tamen certus ſum ex promiſſione regni mihi facta, non fore ei poteſtatem me interficiendi.

Nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem] *Sanctum tuum*, id eſt, me. In hac voce Hebræa poſt ר abundat י quod & ſcheva præcedens oſtendit. *Videre corruptionem* eſt corrumpi. LXX hîc: οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθορὰν [*non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*], quomodo & Lucas Act. II. 27. nec aliter XIII. 35. Sic Threnorum IV. 20. בשחיתותם vertunt LXX, ἐν ταῖς διαφθοραῖς αὐτῶν [*in corruptionibus eorum*]. Sic & Pſal. CVII. משחיתותם, ἐκ τῶν διαφθορῶν αὐτῶν [*ex corruptionibus eorum*]. Nec aliter Prov. XXVIII. 10. Ierem. XIII. 14. XV. 3. Ezech. XIX. 4. XXI. 31. Danielis X. 8. Oſeæ XIII. 9. Senſus idem qui in priore membro, more Hebræorum.

11. *Notas mihi feciſti vias vitæ*] *Notas facies*, id eſt, oſtendes mihi viam quâ liberer ab his periculis.

Delectationes in dextera tua uſque in finem] Gaudebo fretus auxilio tuo uſque ad vitæ finem, nempe ubi in regno ero collocatus.

PSALMVS XVII.

3. E*T non eſt inventa in me iniquitas*] Illud זמתי [*iniquitas mea*] non pro verbo, ſed pro nomine ſumſerunt, & cum præcedentibus connexuêre Græci, quos hîc ſequitur & Syrus & Arabs. Sic ſumitur זמה Levit. XIX. 29. ubi ἀνομίαν [*injuſtitiam*] vertêre Græci.

4. *Ego cuſtodivi vias duras*] In Hebræo: *Cavi ſemitas latronis.* שמר pro *cavere*, ut Ioſuæ VI. 18. & eſt defectus voculæ מן [*à*], ut Ruth III. 2. I Regum XVIII. 32.

10. *Adipem ſuum concluſerunt*] Arabs & Syrus explicant, *condenſati ſunt adipes eorum.* Vidi qui mallet legi סגרו, id eſt, *fune ſuo me vinctum tenent.*

13. *Et ſupplanta eum*] Verbum כרע etiam *tollere* ſignificat, ut apparet Pſalm. LXXVIII. 31. Eſt enim כרע inter alia *cadere*, ut Eſaiæ LXV. 12. & indè uſurpatur pro *facere ut quis cadat*.

14. *Saturati ſunt filiis*] Ex Græco, ἐχορτάσθησαν υἱῶν, *prole abundant*. Vitio ſcriptorum factum eſt ut

pro υἱῶν irreperet ὑῶν [*porcorum* ſive *ſuum*] aut ὑείων [*ſuillarum carnium*], quod & in Arabicum & in Romanum Pſalterium fluxit: eſtque ejus corruptæ lectionis apud Arnobium, Paulinum, & Auguſtinum mentio.

PSALMVS XVIII.

IN *die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, & de manu Saül*] II Sam. XXII.

6. *Præoccupaverunt me laquei mortis*] Rectiùs vertas, *ambierunt me.* Nam קדם ſæpe eſt *circumdare*, ut Iobi XXX. 27. II Sam. XXII. 19. Sic quod in Pſal. LIX. eſt יקדמני, idem eſt in Pſalm. XXXII. יסובבנו [*circumdederunt*].

11. *Et adſcendit ſuper Cherubim, & volavit*] Videtur olim pro כרוב [*Cherub*] ſcriptum fuiſſe רכוב, quod *currum* ſignificat, ut in loco perſimili CIV. 3. Simile Platonis illud in Phædro, ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος [*Magnus in cœlo Imperator Iuppiter volucrem currum agitans primus it, omnia ordinans & curans*].

22. *Nec impiè ceſſi à Deo meo*] Id eſt, *contra Deum meum.* Sic particula מ ſumitur interdum pro *contra*, ut Cant. III. 8. & alibi.

27. *Cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris*] *Cum candido agis candidè, cum obliquè incedente obliquè incedis.* Ex Levit. XXVI. 23.

35. *Et poſuiſti ut arcum æreum brachia mea*] Ex Græco, ἔθου τόξον χαλκοῦν τοὺς βραχίονάς μου [*poſuiſti arcum æreum brachia mea*]. Legerunt nimirum נחת [*dediſti* ſive *poſuiſti*], non ut nos nunc נחתה [*conteritur*].

46. *Filii alieni mentiti ſunt mihi*] Blanditi mihi ſunt animo invito.

Et claudicaverunt à ſemitis ſuis] In Hebræo, *Paveſcent à penetralibus ſuis:* ipſa ſua ſuffugia ſuſpecta habebunt. Quidam malunt in Hebræo, מסגרותיהם, id eſt, *à gladiis ſuis.* Nam & infrà XXXV. 3. סגור quidam vertunt *gladium*, Σαγάρεις vel σάγαροι *gladii Perſici* Herodoto, Xenophonti & aliis.

PSALMVS XIX.

4. NOn *ſunt loquelæ neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*] Meliùs, *Non eſt illis ſermo neque verba; at ſine* (his ſcilicet) *intelligitur vox eorum:* nempe ſignificatio Divinæ ſapientiæ.

5. *In omnem terram exivit ſonus eorum*] Apparet olim duplicem fuiſſe lectionem; קום [*linea*], quod nunc in Hebræo habemus, unde ὁ κανὼν [*regula*] eſt apud Aquilam, metaphorâ ab architectis ſumtâ; & קולם [*vox eorum*], unde LXX poſuêre ὁ φθόγγος αὐτῶν, quos ſequitur, ſimilitudine quadam ab aſtris ad Apoſtolos deſumtâ, Paulus Rom. X. 18. quomodo & hîc Syrus & Arabs, ambo Chriſtiani. Chryſoſtomus, ità ut hîc in Græco legitur, citat totum hunc locum, oratione *Chriſtum eſſe Deum.*

In Sole poſuit tabernaculum ſuum] In Hebræo: *Soli poſuit tabernaculum in eis*, ſupple *cœlis.* magnificam ei habitationem dedit. Par ſimilitudo Pſalmo CIV. 2.

6. *Tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo*] De lecto nuptiali, cujus ſimilitudinem refert umbraculum illud, ſub quo ſponſus & ſponſa benedictionem in ſynagoga accipiunt, indè dictum חפה [*velum*].

Exſultavit ut gigas ad currendam viam] In Hebræo: *ut potens*, id eſt, ſicut viri principes equis celeribus currunt.

11. *Et lapidem pretioſum multum*] פז, quod hîc eſt, pro auro ſumunt interpretes Iob XXVIII. 17. *Ophirinum* hîc Chaldæus, unde *Obriſum* dictum putat Hieronymus ad Eſaiam. At hîc LXX vertunt λίθον τίμιον [*lapidem pretioſum*], in Pſalm. CXIX. 127. τοπάζιον [*topazium*]. Indè Heſychius, πάζιον, ὃ καὶ τοπάζιον, λίθος πολύτιμος [*Pazium, quod & topazium, lapis pretioſus*].

14. *Et ab alienis parce ſervo tuo*] Legit זרים [*alienis* ſive *extraneis*], ubi rectiùs eſt זדים. Senſus eſt, Arce me à peccatis quæ ſcienter & volenter committuntur. Nam ea ſunt Hebræis זדים, ὑπερήφανα [*facta ſuperba*] Symmacho. Sic verbum זוד Exod. XVIII. 11. vertunt quidam ὑπερηφανεύσαντο [*ſuperbierunt*]. nec aliter in recepta verſione Dan. V. 20. Nehem. IX. 10. 16. alibi ἀσεβεῖν [*impiè agere*]; ut Deut. XVII. 13. XVIII. 20. Eſt & ubi vertitur per ἐπιτίθεσθαι [*inſidiari*], ἀνθίστασθαι [*obſiſtere*], παραβιάζεσθαι [*vim facere*], ut dicto loco Exod. XVIII. 11. Ierem. L. 29. Deuter. I. 43. Et adjectivum quod hîc habemus זד vel זדון vertitur ὑπερήφανος [*ſuperbus*], θρασὺς [*arrogans*], ἄνομος [*iniquus*], παράνομος [*prætergreſſor*].

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo] Senſus eſt: ſi illa ſuperbia ſive contumacia me non abripiat, tunc à te pro innocenti habebor, libérque ero à delictis ſaltem gravioribus.

PSALMVS XX.

PRecatio eſt & bona omina, quibus Regem in bellum euntem populus proſequitur.

4. *Et holocauſtum tuum pingue fiat*] *Pro pingui habeatur*, id eſt acceptum ſit, ut Dan. III. 40.

6. *Magnificabimur*] Μεγαλυνθησόμεθα. Apparet legiſſe eos נגדל, non נדגל [*vexillum erigemus*]. Sic & Syrus & Arabs.

7 *Nunc cognovi quoniam ſalvum fecit Dominus Chriſtum ſuum*] Id eſt, nunc pro certo habeo futurum ut Deus Regi det victoriam.

9. *Ipſi obligati ſunt & ceciderunt*] *Prolapſi ſunt & ceciderunt.* Nam כרע inter alia *prolabi* ſignificat, ut diximus XVII. 13. Sunt autem hîc præterita more Hebræo pro futuris.

10. *Et exaudi nos in die qua invocaverimus te*] Apparet Græcos, quos hîc ſequitur, legiſſe תעננו [*exaudies*], non, ut noſtri codices Hebræi habent, יעננו [*exaudiet*]; quanquam alioqui non infrequens Hebræis eſt ut de ſecunda perſona in tertiam tranſeatur, & contrà. poſſes etiam μεταφορικῶς [*per tranſlationem*] interpretari illam quam in Hebræo habemus lectionem: *Sentiat Rex opem à precibus noſtris.* Nam in Hebræo non eſt illud *te.*

PSALMVS XXI.

4. QVoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis] Meliùs in Hebræo: *Circumdediſti eum beneficiis bonitatis.* Nam ſæpè קדם pro *circumdare* poni diximus ſuprà XVIII. 6.

PSALMVS XXII.

P*Ro ſuſceptione matutina*] Ὑπὲρ τῆς ἀντιλήψεως τῆς ἑωθινῆς, id eſt, ad implorandum manè Dei auxilium. Videntur Græci interpretes pro eo quod habemus אילת [*cervam*] legiſſe עזרת, nam עזרה ἀντίληψις [*ſuſceptio*] vertitur hoc ipſo Pſalmo commate 20. Si receptam nunc lectionem ſequamur אילת השחר videtur eſſe, *initium auroræ.* Eò enim nos ducit Arabiſmus cognatus Hebraïſmo. Ode hæc Davidis profugi calamitates deſcribit. Neque tamen id impedit quominus ſenſu ſublimiore ad Meſſiam reſpiciat, quod & Hebræorum Scholia, quæ *Midras* vocant, ad hunc locum indicant. Et ſæpe evenit ut verba in ſenſu myſtico ſignificationem habeant apertiorem, minúſque figuratam.

2. *Deus Deus meus*] Vox אל per ſe *fortitudinem* ſignificat, & in eo ſenſu de Deo uſurpatur: quapropter Aquila vertere ſolet ἰσχυρέ μου [*mi fortis*].

Reſpice in me] Πρόσχες μοι. Sumſerunt illud ſecundum אלי quaſi præpoſitionem cum pronomine ſignificantem *ad me.*

Quare me dereliquiſti?] למה עזבתני, quod Syriacè eſt למה שבקתני, rectè verteris, *quouſque me deſeres?* nam & למה pro *quouſque* ſæpè ſumitur, & præterita pro futuris apud Hebræos frequentia.

Longè à ſalute mea verba delictorum meorum] Apparet Græcos, qui habent οἱ λόγοι τῶν παραπτωμάτων μου [*verba delictorum meorum*], fine hujus commatis legiſſe שגגתי [*ignorantiæ meæ*]. At rectiùs textus quo utimur שאגתי, quod Aquila vertit, ut ſolet, addictè, τοῦ βρυχήματός μου [*mugitûs mei*]. Symmachus ad ſenſum non malè, τῶν ὀδυρμῶν μου [*lamentationum mearum*], alii, τῆς βοήσεώς μου [*clamoris mei*], alii, τῆς δεήσεώς μου [*precationis meæ*]. Senſus eſt: *Longè abes à ſalute mea, & à verbis gemituum meorum,* ſupple *exaudiendis.*

8. *Locuti ſunt labiis*] Propriè in Hebræo, *Hiatum fecerunt labiis ſuis:* qui mos irridentium, ut apparet Iobi XVI. 10. hoc ipſo Pſalmo 14. & XXXV. 21.

12. *Ne diſceſſeris à me*] Nè longiùs te à me removeas.

18. *Foderunt manus meas & pedes meos*] Hîc quoque duplex fuit antiquitus lectio, quam utramque Chaldæus in verſione ſua conjunxit. Iacob Ben Chaiim ait fuiſſe כארו [*foderunt*] per ἐπένθεσιν [*inſertionem*] literæ א; idem teſtatur Moſes Hadarſan: in quibuſdam exemplaribus ſic fuiſſe agnoſcunt Maſoretæ. LXX ὤρυξαν [*foderunt*], quomodo ex eis citat Iuſtinus & alii; Aquila ᾔσχυναν [*pudefecerunt*]. Nulla ergò hîc fraus Chriſtianorum: inter quos eſt & interpres Æthiops. Video quidem & Maſoreticam lectionem poſſe defendi; ſed altera loco magìs convenit, tum ob alia, tum quia *leonis* comparatio non multò antè poſita eſt 13.

19. *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea*] In Davide hoc intelligendum μεταφορικῶς [*per tranſlationem*], id eſt, fortunas meas ut confiſcatas inter ſe partiti ſunt. Sic & Latini *ſpolia* dicunt de re quavis; cùm propriè *ſpolia* ſint veſtes, unde *ſpoliarium* in balneo, & Gallicum *deſpoüiller.*

PSALMVS XXIII.

1. D*Ominus regit me*] Chaldæus putat eſſe Oden factam nomine Iſraëlitarum qui in deſerto fuerunt. Nam ſolent Poëtæ ſæpè fingere quæ olim dici potuerunt, quale eſt vaticinium Nerei apud Horatium.

5. *Paraſti in conſpectu meo menſam*] Non ligneam, aut lapideam, ſed facilem ex ceſpitibus ſubitò aggeſtis.

Impinguaſti in oleo caput meum] Pro *oleo* rectè verteris *pinguibus*, ut hîc Chaldæus. Sic enim שמן ſumitur Proverb. XXI. 20. Pſalm. CIX. 24. Eſaiæ V. 1. Intellige autem hîc cum Chaldæo aves illas pinguiſſimas quibus paſti ſunt in deſerto Iſraëlitæ, ſive illæ ὀρτυγομήτραι [*coturnicis matrices*] fuêre, ſive aliæ.

PSALMVS XXIV.

2. I*Pſe ſuper maria fundavit eum*] Hebræus textus *eam*, nempe *terram.* Secundùm materiæ rationem, quod hîc Abeneſdra dicit כדרך התולדת, aqua deberet totam terram circumdare. At Deus depreſſit mare, ut terra exſtaret. Vide quæ ex Strabone & aliis ad hanc rem attulimus initio Teſtimoniorum ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Vide & Exod. XX. 4. & oppoſitum ſtatum Geneſeos VII. 17. 18.

7. *Introibit Rex gloriæ*] Arca. Hiſtoria eſt II Samuel. VI. 12.

9. *Attollite portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales*] In Hebræo: *Attollite, portæ, capita veſtra, & elevamini vos fores longævæ. Longævæ*, quia ex cedro factæ. Videntur autem portæ iſtæ Sionis fuiſſe eo ex genere, quas καταρράκτας, aut ἐπιρράκτους Græci vocant: Livius *pendulas, recidentes.* quæ ubi amovendæ ſunt, attolluntur in ſublime. Non diſſimilis ἔννοια [*conceptio animi*] Sapphûs:

Ὕψι δὴ τὸ μέλαθρον ἀείρατε, τέκτονες ἄνδρες,
Γαμβρὸς ἔρχεται ἶσος Ἄρηϊ,
Ἀνδρὸς μεγάλου πολλὸν μείζων.
[*Altiùs limen ſuperum jam tollite, fabri,*
Sponſus advenit æquus Marti,
Magnoque viro quovis major.]

PSALMVS XXV.

1. A*D te Domine levavi animam meam*] Eſt & hic Pſalmus alphabeticus, ut multi alii in uſum puerorum qui ſcribere diſcebant. Sed commata non bene diſtincta ſunt: nam ſecundum comma debet incipere ibi בך [*in te*], & quintum ibi ולמדני [*& doce me*]. & initio commatis 17 deeſt vox קום [*ſurge*]. Verba autem illa פדה [*redime*] ad finem uſque, acceſſio eſſe debent commatis præcedentis, non novum comma.

5. *Dirige me in veritate tua*] Deus bene viventes, &

& ſollicitè precantes (qualem hîc ſe oſtendit David) magis magíſque illuſtrat.

PSALMVS XXVI.

6. L*Avabo inter innocentes manus meas*] In Hebræo, *in innocentia:* id eſt, ut innocens. Lavabant manus populi illi cùm ſe puros à ſcelere teſtabantur, ut Deuteron. XXI. 6. Vide & quæ allata ad Matth. XXVII. 24.

PSALMVS XXVII.

P*Salmus David priuſquam liniretur*] Πρὸ τοῦ χρισθῆναι [*antequam ungeretur*] Græci. Hebræi hoc non habent. Pertinet hoc ad tempus de quo II Samuel. II. 4.

13. *Credo videre bona Domini in terra viventium*] Id eſt, in terra hominum felicium, Hieroſolymis, non in his ſpeluncis & quaſi ſepulchretis. In Hebræo eſt: *Niſi credidiſſem viſurum me* (id eſt, experturum) *bonitatem Domini in terra viventium, per* ἀποσιώπησιν [*reticentiam*]; adintelligitur enim: *pridem ſuccubuiſſem his malis.*

PSALMVS XXVIII.

1. D*Eus meus nè ſileas à me*] Meliùs: *Ne recedas à me.* quomodo חרש ſumitur infrà XXXV. 22. I Samuel. VII. 8. παρῆκας [*abſiſtas*] vertunt Græci Eſth. VII. 4.

PSALMVS XXIX.

I*N conſummatione tabernaculi*] Hoc in Hebræo non eſt, ſicut nec omnia Græca habent ἐξόδου σκηνῆς [*exitûs tabernaculi*]. Videtur pertinere ad id quod eſt fine II Samuelis.

5. *Confringet Dominus cedros Libani*] Syros Libano vicinos. Scripta hæc eo tempore cujus hiſtoria II Samuel. VIII.

6. *Et dilectus quemadmodum filius unicornium*] Senſus eſt: *Et Hermonem montem ut juvenes monocerotes.* Ità fugere faciet incolas Hermonis, *quem Sidonii vocabant Sarion*, Deuteron. III. 9.

8. *Et commovebit Dominus deſertum Cades*] Id eſt, Moabitas.

9. *Vox Domini præparantis cervos*] In Hebræo, *Cruciatu afficiet cervas:* id eſt, perterrebit Moabitas quaſi cervas. חול verti ſolet modò ὠδίνειν [*párere*], modò πονεῖν [*laborare*], κοπιάζειν [*defatigari*], ἀλγεῖν [*dolere*], φοβεῖσθαι [*timere*].

In templo ejus omnes dicent gloriam] Quilibet in Templo Deum laudabit verbis iis quæ jam annectet.

10. *Dominus diluvium inhabitare facit, & ſedebit Dominus Rex in æternum*] In Hebræo, ad verbum: *Dominus in diluvio ſedit, & ſedebit Dominus Rex in perpetuum. Sedere* eſt Iudicis. Hoc ergò dicit: *Sicut Deus humanum genus judicavit tempore diluvii, ità & in poſterum judicare perget.*

PSALMVS XXX.

I*N dedicatione domûs David*] Id eſt, cùm David domum ſuam ab Abſalomo fœdatam repurgavit.

8. *Præſtitiſti decori meo virtutem*] Ex Græco, παρέσχες τῷ κάλλει μου δύναμιν. Apparet legiſſe eos non להררי, id eſt *in monte meo*, ſed להדרי à דור vel הדר, quod eſt *dominari. Regno meo vires addidiſti.* Nec aliter Syrus & Arabs.

PSALMVS XXXI.

12. S*Vper omnes inimicos meos factus ſum opprobrium*] Rectiùs: *Coram omnibus inimicis meis.* Nam particula מ pro *coràm* ſumitur Iob XXXII. 12. XXXV. 2. Eſaiæ XVIII. 1.

13. *Foràs fugerunt à me*] *Procul.* Sic interpretatur Chaldæus חוץ Num. XXXI. 19.

16. *In manibus tuis ſortes meæ*] In Græco fuit καιροί μου [*tempora mea*], quod Hebræo convenit, quomodo legerunt Apollinaris, Arabs, Æthiops. & in Pſalterio Romano vetere, *tempora mea.* Librarii quidam pro καιροί μου [*tempora mea*] ſcripsêre κλῆροι μου [*ſortes meæ*], & indè hæc verſio.

20. *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſti timentibus te? perfeciſti iis qui ſperant in te in conſpectu filiorum hominum*] Senſus eſt, Quanta eſt multitudo bonorum quæ reſervas piis, ac ſuo tempore coram omnibus etiam exhibes? ſolet verti צפן per φυλάττειν [*cuſtodire*], τηρεῖν [*aſſervare*], θησαυρίζειν [*theſaurizare*].

23. *Ego autem dixi in exceſſu mentis meæ*] Dum paveo: nam חפז vertitur δειλιάζειν [*pavere*] Pſalmo CIV. 7.

PSALMVS XXXII.

I*Ntellectus*] משכיל LXX vertunt συνέσεως [*intelligentiæ*] vel εἰς σύνεσιν [*ad intelligentiam*] id eſt, *Carmen eximiè* διδακτικόν [*aptum ad docendum*].

1. *Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates*] Videtur Pſalmus eſſe in id factus, ut in die Expiationum cantaretur. Eo enim tempore generalis quædam fiebat peccatorum confeſſio.

3. *Inveteraverunt oſſa mea*] Aquila, κατετρίβη [*contrita ſunt*]. Sic & Syrus. Idémque verbum בלה per κατατρίβειν [*conterere*] vertitur Deuter. VIII. 4. XXIX. 5. ſolent enim quæ vetuſtiſcunt, atteri atque conſumi.

4. *Quoniam die ac nocte gravata eſt ſuper me manus tua*] Opponit ſtatum præteritum huic præſenti.

6. *Pro hoc orabit ad te omnis ſanctus in tempore opportuno*] In Hebræo: *Ob id deprecabitur te pius quivis in tempore inveniendi.* Id eſt, quamprimum, dum adhuc inveniri Deus poteſt. Non enim ſemper manet inveniendi eum tempus, Eſaiæ LV. 6. ubi Abeneſdra, *dum inveniri poteſt*, id eſt, *antequam decreta damnatoria obſignentur.* Vide quæ dicta ad Lucam XIX. 44.

Verumtamen] Illud רק meliùs vertas *certè*, quomodo ſumitur Geneſ. xx. 15. ubi Græci ἄρα [*certè*], & 1 Reg.xxi. 25.

9. *In camo & fræno maxillas eorum conſtringe qui non approximant ad te*] In Hebræo, *Lupato & fræno obſtringendum illis os, quia non accedunt ad te:* nempe ſuâ ſponte. Illud ל verbo infinitivo præpoſitum exponitur per δεῖ [*oportet*] vel ἔδει [*oportebat*], ut apparet 11 Sam.v.10. Simile ל Oſeæ ix. 13. & alibi.

PSALMVS XXXIII.

6. V*Erbo Domini cæli firmati ſunt*] In Hebræo: *facti ſunt*. Ex Geneſ. 1. 6.

Et ſpiritu oris ejus omnis exercitus eorum] Sidera. *Spiritus oris Dei* קול פי יה [*vox oris Dei*] Phœnicibus. Et de Verbo ſive Ratione rerum opifice & de hoc Spiritu videri poſſunt quæ diximus ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

7. *Congregans ſicut in utre aquas maris*]Ex Græco, συνάγων ὡσεὶ ἀσκὸν ὕδατα θαλάσσης [*congregat ſicut utrem aquas maris*]. Legerunt interpretes non כנד [*ſicut acervum*] ut nos, ſed rectiùs כנד, vel כנאד [*ſicut in utre*]. nec Græci tantùm, quos plerumque ſequuntur Syrus & Arabs, ſed & Chaldæus. Deus mare in littoribus velut in utre conſtrinxit.

Ponet in theſauris abyſſos] Rectiùs, *ponit*. aliâ comparatione idem dicitur: nam ἄβυσσος [*abyſſus*] ſunt maria. Ea Deus velut in apothecis recluſa tenet. ſic *theſauros* ſive *apothecas nivis* dixit Iob xxxviii. 22.

8. *Timeat Dominum omnis terra*] Nam quis dubitat quin in terra faciat quæ velit, qui tam indomitam naturam maris domat?

9. *Ipſe dixit & facta ſunt*] Vt Latinè dicimus, *dictum factum*, nullâ morâ interpoſitâ. Panegyriſtes Flavienſis in Panegyrico ad Conſtantinum : *Sic denique divina illa mens, quæ totum mundum hunc gubernat, quicquid cogitavit illud fecit*.

15. *Qui finxit ſigillatim corda eorum*] κατὰ μόνας [*ſigillatim*] Græci. Legiſſe videntur יחיד [*ſigillatim*], non יחד [*pariter*].

PSALMVS XXXIV.

C*Vm immutavit vultum ſuum*] Cùm fugere ſe ſimulavit. 1 Sam. xxi. 13.

Coram Achimelech] In Hebræo, *Abimelech*, quod ab antiquo nomen Regum illius tractûs, ut apparet Geneſ. xx. & xxvi. unde & ſucceſſoribus adhæſit, ut *Cæſarum* nomen Romanis Imperatoribus. Nam proprium Regis, de quo hîc agitur, nomen fuit *Achis*.

6. *Accedite ad eum : & illuminamini*] Illud & debuit incipere novum comma, quod incipit à litera ו.

21. *Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum, unum ex eis non conteretur*] Vide quæ ad Iohannem xix. 36. Rabbini de oſſe quod *Lutz* vocant mira hîc nugantur.

PSALMVS XXXV.

3. E*Ffunde frameam, & conclude*] Verti poteſt: *frameam & ſagarim*, ut admonuimus ſuprà xviii. 46.

7. *Quoniam gratìs abſconderunt mihi interitum laquei ſui*] Non malè ſic Græci, δωρεὰν ἔκρυψάν μοι διαφθορὰν παγίδος αὐτῶν [*ſine cauſa abſconderunt mihi perniciem laquei ſui*]. hîc δωρεὰν eſt *immeritò*. שחת διαφθορὰν [*corruptionem* ſive *perniciem*] verti jam ſuprà notavimus. Eſt autem Hebraïſmus διαφθορὰ παγίδος [*pernicies laquei*] pro *laqueo exitiali*. ab aucupio ſumta ſimilitudo.

Supervacuè exprobraverunt animam meam] *Supervacuè* dixit, pro *ſine cauſa*. quod autem vertit *exprobraverunt*, in Hebræo eſt חפרו [*inſidiati ſunt*]. Eſt autem חפר propriè *fodere*, & per metaphoram *inſidiari*, quod hîc poſuit Chaldæus.

15. *Et adversùm me lætati ſunt*] In Hebræis : *In miſeriis meis lætati ſunt*. Nam ità ſumi ſolet צלע, quod propriè eſt *claudicare*.

Congregata ſunt ſuper me flagella] Meliùs, *Congregati ſunt adversùs me homines viles* : demtâ in Hebræo interpunctione poſt עלי [*adversùs me*]. Bene autem נכים verti *viles* apparet ex loco ſimili Iob xxx. 8.

Et ignoravi, diſſipati ſunt, nec compuncti] Optimè ſic vertas : *Ii quos ignorabam proſciderunt me indeſinenter*. קרע eſt *probris afficere* apud Arabes. Apparet enim id verbum eo ſenſu aliquoties in verſione Arabica libri hujus. דמם pro *deſinere* ponitur, & vertitur παύειν. At Chaldæus & Rabbini quidam : *Si proſcinderent me, non educerent ſanguinem*, nimirum quòd macie factum exſangue eſſet corpus.

18. *In populo gravi laudabo te*] *In populo numeroſo*. עצום per πολὺς [*multus*] vertitur Geneſ. xviii. 18. Num. xiv. 12. Deuteron. vii. 1. Ioel ii. 5. Zach. viii. 22. & verbum עצם per πληθύνεσθαι [*multiplicari*] Ierem. xv. 8. xxx. 14. 15.

21. *Dilataverunt ſuper me os ſuum*] Irriſerunt hiantibus labiis, ut ſuprà xxii. 8. Alioqui *os dilatare* etiam eſt audacter loqui, 1 Sam. ii. 1.

25. *Non dicant in cordibus ſuis*] Id eſt, toto animi affectu. Sic Eſaiæ xlvii. 8. ſuprà xiv. 1. Apocalypſ. xviii. 7.

PSALMVS XXXVI.

4. N*Oluit intelligere ut bene ageret*] Diſcimus hinc etiam voluntatem aliquid poſſe in intellectum, nempe ut imperet intellectui, ut is in hac vel illa re ſe occupet ac laboret.

PSALMVS XXXVII.

2. Q*Voniam tanquam fænum velociter areſcent*] *Fænum* poſuit, quia in Græco reperit ὡσεὶ χόρτος [*velut herba*]. ſed mos eſt Iudæis Græcè loquentibus χόρτον dicere pro *herba*. Itaque Petrus 1. 1. 24. & Iacobus 1. 10. dixêre ἄνθος χόρτου [*herbæ virorem*]. Sicque bis hîc idem dicitur more Hebræo.

3. *Et paſcêris in divitiis ejus*] In Hebræo eſt רעה אמונה, & אמונה quidem aut *fidem* ſignificare poteſt, aut *veritatem*. Illud autem רעה difficilem ideóque variam habet ſignificationem. Alii vertunt *roborare veritate*; alii *nutri te in fide*, ſicut Abacuco *juſtus* dicitur *ex fide ſua vivere*; alii *paſce*, id eſt, doce

fidem.

ſidem. At Syrus legit בערה, & ſenſum reddit facillimum, *inquire veritatem.*

20. *Inimici verò Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient*] Quod hîc in Hebræo eſt כרים ſæpè *agnos* ſignificat, interdum *viros principes.* Sic II Reg. XI. 4. כרי alii vertunt ἑκατοντάρχους [*Centuriones*], alii ἡγεμόνας [*Duces*]. Ezech. XXI. 22. כרים Chaldæus vertit אמרורין voce Arabicâ, niſi reſcribas אמרנין, quod *agnos* ſignificat. ſed ſimpliciſſima expoſitio eſt, *Et inimici Domini ſicut pinguedo agnorum evaneſcit in fumo, ità evaneſcent.* Comparatio ab holocauſtis ad impios frequens. diximus ad Marc. IX. 49.

21. *Quia benedicentes ei hereditabunt terram ; maledicentes autem ei diſperibunt*] Sic LXX, οἱ εὐλογοῦντες [*benedicentes*] & καταρώμενοι [*maledicentes*]. At Symmachus, οἱ εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ [*benedicti ab eo*] & καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ [*maledicti ab eo*]; ut ſit in Hebræo conſtructio talis qualis מכה אלהים [*percuſſus Dei*] Eſaiæ LIII. 5. & in lingua Helleniſtarum, διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ, διδακτὸς πνεύματος ἁγίου, εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς [*dociles Dei, dociles Spiritûs ſancti, benedicti Patris*], ubi ὑπὸ [*à*] tacitè intelligitur. Vide quæ ad Ioh. VI. 45.

23. *Apud Dominum greſſus ejus dirigentur, & viam ejus volet*] Hebraïſmus eſt, pro quo communis locutio diceret: *Deus greſſus ejus dirigit, cujus viam approbat.*

24. *Cùm ceciderit non collidetur*] Mala ejus ſunt temporaria, Eſaiæ XXII. 17. Rom. XI. 11. ubi hæc ſententia aptatur illis Iudæorum qui errore magìs quàm malitiâ peccabant.

27. *In ſeculum ſeculi*] In Hebræo: *in ſeculum*, id eſt, diu. Sic & infrà.

28. *In æternum conſervabuntur*] In Hebræo eſt & hîc *in ſeculum*, id eſt, diu. Incipere autem hîc debet novum comma, & ל [*in*] auferri. Sic & Pſalm. LXXXIX. 3. eſt עולם [*ſeculum*] poſitum pro לעולם [*in ſeculum*]. Talia qui annotat nullam Maſoretis facit injuriam. Niſi quod diximus admittatur, deerit in Alphabeto hoc ע, quod quis crediderit?

35. *Et elevatum ſupra cedros Libani*] Legerunt Græci non ut nos אזרח [*laurus*], ſed ארזה [*cedrus*], quod tam longè non abit quàm quòd pro רענן [*viridis*] legerunt לבנן [*Libani*].

36. *Et tranſivi*] Græci, unde hoc ſumtum eſt, legerunt ואעבר, quos ſequuntur, ut ferme ſemper Syrus & Arabs. Senſus ſic melior eſt ob ſequentia.

38. *Injuſti autem deperibunt ſimul*] יחדו potiùs ſignificat *penitus*, ut in Græcis ſcriptoribus ἀπαξάπαξ. Habet hunc ſenſum vox eadem Hebræa ſuprà IV. 9. XIX. 10. infrà XLIX. 10. & alibi.

PSALMVS XXXVIII.

IN *rememorationem de ſabbato*] Illud *de ſabbato* in Hebræo non eſt, ſed in Græco. Nec ſanè ad ſabbatum hoc carmen pertinet, ſed ad inculcandam perpetuò Davidi & peccati ſui & indultæ veniæ memoriam.

11. *Cor meum conturbatum eſt*] Ἐταράχθη. Propriè, *à me evagatur*, ut mercatores facere ſolent. Vide quod ſequitur.

12. *Amici mei & proximi adverſùm me appropinquaverunt*] In Hebræo: *eminùs à plaga mea conſtiterunt.* Sic ſumitur מנגד [*ex adverſo*] II Samuël. XVIII. 13. II Reg. II. 7. & alibi.

18. *Quoniam ego in flagella paratus ſum*] Ὅτι ἐγὼ εἰς μάστιγας ἕτοιμος, LXX, quos ſuo more ſequuntur Syrus & Arabs. צלע, quod hîc eſt, pro *miſeriis* poni notatum ſuprà XXXV. 15. ubi quædam verſiones habent, ἐν τῇ ἀσθενείᾳ μου [*in infirmitate mea*]. Aquila ibi, ἐν σκασμῷ μου [*in claudicatione*]. Symmachus, σκάζοντός μου [*me claudicante*]. Idem Symmachus hîc, εἰς τὸ σκάζειν [*ad claudicandum*].

20. *Inimici autem mei vivunt & confirmati ſunt ſuper me*] Syrus pro eo quod habemus חיים [*viventes*], videtur legiſſe חוים [*ſpectantes*], ut ſenſus ſit, *Inimici mei ad me ſpectantes intumuerunt.* Vide ſimilem uſum verbi חזה Micheæ IV. 11. XXV. 3.

PSALMVS XXXIX.

IN *finem ipſi Idithun*] Principi cantorum Idithuno, cujus mentio I Paralip. XVI. 42. II Paralipomen. V. 12.

2. *Poſui ori meo cuſtodiam*] *Capiſtrum.* Ità hîc bene Symmachus.

Cùm conſiſteret peccator adverſùm me] Meliùs, *Dum ſeditio obverſabatur mihi:* illa ſcilicet quam Abſalomus ſuſcitaverat. Verbum רשע, ut notant Hebræi, primitivâ ſignificatione eſt *inquietum eſſe.* לנגדי pro *obverſatur* habes & Pſal. LI. 5.

3. *Silui à bonis*] Abſtinui ab omnibus rebus lætis. Nam verba Hebræa quæ *ſilere* ſignificant, ſumuntur & in ſenſu *abſtinendi, ceſſandi, deſinendi:* itaque & per παρορῶ [*negligo*] hoc verbum vertitur Eſai. LVII. 11. Simile habuimus ſuprà XXVIII. 1.

6. *Ecce menſurabiles poſuiſti dies meos*] Fuit haud dubiè in Græco παλαιστὰς [*palmâ comprehenſiles*] pro παλαιστιαίας, tam exiguos ut palmo quaſi comprehendi poſſint, quod Symmachus aliter vertit, ὡς σπιθαμὰς [*velut dodrantes*]. Idem vult Hebræum. Ex hac bona lectione fluxit corrupta παλαιὰς [*veteres*], quam ſequuntur Ambroſius, Apollinaris, Pſalterium Romanum, Arabicum & Æthiopicum. Nec magìs rectè Chryſoſtomus & alii quidam παλαιστὰς ſumunt pro πλήρεις πάλης [*plenas luctæ*].

7. *Veruntamen*] אך meliùs vertas *certè*, ut Geneſ. XXIX. 14. & alibi.

In imagine pertranſit homo] Alii libri pro בצלם [*in imagine*] habent כצלם [*quaſi imago*]. Abit homo velut imago ſomnii. Hanc interpretationem firmat locus infrà LXXIII. 20. & illud Sophoclis Ajace:

> Ὁρῶ γὰρ ἡμᾶς οὐδὲν ὄντας ἄλλο πλὴν
> Εἴδωλ', ὅσοι περ ζῶμεν, ἢ κούφην σκιάν.
> [*Nam video nîl nos eſſe mortales niſi*
> *Imaginoſa ſomnia, aut umbram levem.*]

12. *Et tabeſcere feciſti ſicut araneam animam ejus*] עש *tinea* intelligitur Hebræis, & huic interpreti Iobi IV. 19. & XXVII. 18. Rectè ergò vertes, *Ità vitam ejus tabe conſumſiſti quomodo tinea:* ſupple, *veſtem ſolet.* At Syrus, *ut ſtipulam* vertit.

PSALMVS XL.

5. BEatus eſt vir cujus eſt nomen Domini ſpes ejus] Ex Græco: οὗ ἐστι τὸ ὄνομα Κυρίου ἐλπὶς αὐτοῦ. Fuit ergò illis Schin forte cum Tſere in voce שם, cùm Hebræi Schin lene cum Cametz habeant, & exponant *poſuit*.

7. *Aures autem perfeciſti mihi*] כרה *perfodere* ſignificat propriè, interdum & *perficere*. *Perfodiſti mihi aures*, id eſt, me tibi perpetuo jure mancipatum tenes. Alluſio ad morem, de quo Exod. XXI. 6. Apparet ex hac interpretatione, quæ ſequitur LXX Senes, in eorum verſione fuiſſe ὠτία [*aures*], quod & Scholia multa oſtendunt. Qui repoſuerunt σῶμα [*corpus*], verſionem aptarunt ad locum divini ſcriptoris ad Hebr. x. 5. At is ſcriptor, ut & alii, ſæpe loca citat magis κατὰ διάνοιαν [*ſecundùm ſenſum*] quàm κατὰ λέξιν [*verbotenus*], niſi quis putet in quibuſdam exemplaribus fuiſſe גויה, quod eſt *corpus* Chaldæis & Syris.

9. *In capite libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam*] LXX ἐν κεφαλίδι [*in pagina*]. Aquila & Symmachus magìs accuratè, ἐν εἰλήματι [*in volumine*]. Mos eſt Hebræis contractus ſuos ſcribere in membrana volubili, & voluminis modo eos aſſervare. indè ſumta ſimilitudo, non à libro Legis, quem itidem in voluminis formam compingunt. Contractum velut perſcriptum dicit inter ſe & Deum, ut ipſe quidem Deo ſerviat, Deus autem ipſum tueatur.

PSALMVS XLI.

7. EGrediebatur foràs & loquebatur] Nempe in triviis, quomodo Latini dicunt,

Omnibus in triviis vulgatur fabula paſſim.

& Græci: ——— ἐν τριόδοισιν ἀκούει.

[——— *in triviis id protinus audit.*]

· *Adverſùm me ſuſurrabant omnes*] In Hebræo præcedit יחד *unà*, ſcilicet *congregati*, in circulis: quam vocem Latina verſio annectit verbis præcedentibus.

PSALMVS XLII.

INtellectus filiis Core] In Hebræo, *Principi cantorum inſtruenti poſteros Core*: qui ad hilarandum animum aptos modos habebant.

1. *Quemadmodum deſiderat cervus*] In Hebræo eſt ערג, quæ vox propria cervorum. Videtur autem hoc carmine David ſibi renovaſſe memoriam malorum, quæ olim pertulerat extorris, procul ab Vrbe & ſacris, Saüle eum quærente ad exitium.

8. *Abyſſus abyſſum invocat in voce catarractarum tuarum*] Comparatio ſumta à magno diluvio, cùm *apertæ ſunt catarractæ* ſive *emiſſaria cœli*, Gen. VII. 11. & abyſſus maris invocavit, ſive attraxit, velut alteram abyſſum è nubibus. Huic diluvio ſuas calamitates comparat.

PSALMVS XLIII.

1. DE gente non ſancta] Comitatum Saülis indicat.

Ab homine iniquo & doloſo] Saüle.

Et in tabernacula tua] Tentorium & Arcam.

PSALMVS XLIV.

13. VEndidiſti populum tuum ſine pretio, & non fuit multitudo in commutationibus eorum] In Hebræo: *Vendidiſti populum tuum pro nihilo, neque lucrum feciſti ex pretio eorum.* Adeò contemſiſti populum tuum, ut ſine ullo lucro tuo eos in ſervitutem traderes, modò Moabitis, modò Cananæis, modò Philiſtinis, quæ hiſtoriæ ſunt in libro Iudicum. Solent domini quos nullius faciunt ſervos vili vendere, neque tam ſpe lucri, quàm ut liberentur ab inutilibus mancipiis. Diodorus ad hunc locum: πέπρακας ἡμᾶς τοῖς ἔθνεσι τοῦ μηδενός· τοῦτο γὰρ λέγει ἀντὶ τιμῆς, ὡς ἀχρήστους δούλους καὶ οὐδενὸς ἀξίους [*vendidiſti nos gentibus pro nihilo. Hoc vult dicere, Non accepto pretio, velut ſervos inutiles & nihili homines*]. Quod hîc eſt in LXX, ἐν τοῖς ἀλλάγμασιν αὐτῶν, ſignificat *in pretio eorum*. Nam *ἄλλαγμα juxta idioma Scripturarum pretium dicitur*, ait Hieronymus ad v. Amoſi. Corruptè quidam codices habuêre, ἐν ἀλαλάγμασι [*in barritibus*], quod vitium in Pſalterium Romanum & Æthiopicum fluxit, & in Auguſtinum, qui vertit *jubilationibus*.

23. *Æſtimati ſumus ſicut oves occiſionis*] Trucidamur ut victimæ.

PSALMVS XLV.

IN finem pro iis qui commutabuntur] LXX על ששנים vertunt ὑπὲρ τῶν ἀλλοιωθησομένων [*pro commutandis*]. Significat hæc vox & *lilia*, ſed origo eſt à שש, quod *ſex* ſignificat: unde *hexachordum* ſignificare videtur quod ſex fides habet, non minùs quàm lilium ſex folia.

Canticum pro dilecto] In Hebræo, *Carmen dilectarum*; ità vocabantur virgines quæ novam nuptam cingebant: ſicut is qui novo marito aderat, vocatur ὁ φίλος τοῦ νυμφίου [*amicus ſponſi*], Ioh. III. 29. Eſt ergò hoc carmen ad modulos filiorum Core cantatum à virginibus in honorem Solomonis novi mariti, & novæ nuptæ filiæ Regis Ægypti. Solebant enim in nuptiis tum à virginibus tum à juvenibus cani carmina etiam apud Græcos & Romanos, ut ex Catullo diſcimus. Cæterùm μυσικῶς [*ſublimiore ſenſu*] hoc carmen ad Meſſiam pertinere etiam Chaldæus Paraphraſtes agnoſcit.

7. *Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi*] Poteſt ex Hebræo verti: *Sedes tua, Deus, durans in ſecula & ætates. Sedes*, id eſt, firmitas.

14. *Omnis gloria ejus, filiæ regis, ab intus*] Nativâ pulchritudine prædita eſt, ità ut opus non habeat à veſtibus & gemmis commendari: quæ tamen ipſi ubertim adſunt, ad fimbrias uſque.

17. *Pro patribus tuis*] Id eſt, pro parentibus tuis, patre & matre quos reliquiſti: ſuprà 11. Nam Hebræi maſculinis utuntur pro communibus. Sic & Hebræor. XI. 23.

18. *Confitebuntur tibi*] Id eſt, laudabunt te.

PSALMVS XLVI.

PRo arcanis] על עלמות [*ſuper puellas*]. Senſum eſſe puto, *qui puellis præerant*, id eſt, qui chorum puellarum docebant canere, ut Paral. xv. 20.

PSALMVS XLVII.

10. PRincipes populorum congregati ſunt cum Deo *Abraham*] Legerunt Græci עם cum Chiric, non ut nos, cum Patach. Senſus in Hebræo eſt, *Primores populorum adjunxerunt ſe populo Abraham:* id eſt, fœdera noſtra ambierunt. Vide & Pſalmum ſequentem, & quæ diximus ad Pſalmum 11.

PSALMVS XLVIII.

SEcundâ ſabbati] Non eſt in Hebræo; non tamen id fruſtra annotatum eſt: nam alii Pſalmi diebus feſtis, alii certis diebus hebdomadis canebantur.

15. *Ipſe reget nos in ſecula*] Variæ lectiones varias hoc loco & verſiones peperêre. Lxx & Symmachus legêre עלמות per Holem ad Ayn, & putarunt eſſe pro עלמים [*ſecula*], ſubaudito, ut & alibi ל [*in*]. Alii iiſdem literis, ſed cum Patach ſub Ayn, & Schurech ante ultimam, *à pueritia*. Alii iiſdem literis, vocalibus aliis, vertunt *in abſcondito*. Alii dividunt voces על מות, & על ſumto pro עד [*uſque ad*], interpretantur *ad mortem*. Et hoc in verſione ex Hebræo ſequitur Hieronymus, ut & Kimchi.

PSALMVS XLIX.

13. ET homo cùm in honore eſſet non intellexit] Legerunt יבין; at noſtri codices ילין, id eſt, *non pernoctavit*, pro *non perſtitit*. Alii curioſiùs hinc inferunt Adamum primo die peccaſſe.

PSALMVS L.

2. EX Sion ſpecies decoris ejus] In Hebræo: *Ex Sione perfectæ pulchritudinis* (loco ſcilicet) *Deus illuceſcet*. Pro *perfecta pulchritudine* Syrus hîc poſuit *coronam glorioſam*.

4. *Advocabit cœlum deſurſum & terram, diſcernere populum ſuum*] Cœlum claudet, & terram ſterilitate damnabit, propter hominum peccata. Videtur hic Pſalmus memoriam recolere illius temporis, de quo 11 Sam. xxi. Myſticè Iudæi hoc referunt ad animam & corpus, quæ cùm unà peccaverint, unà & judicabuntur.

13. *Numquid manducabo carnem taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo?*] Inſtituta hæc fuêre pro eo tempore, hominum, non Dei causâ. Euripides,

> Δέεται γὰρ ὁ Θεὸς, εἴπερ ἔστ᾽ ὄντως Θεὸς,
> Οὐδενός· ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.
> [*Deus aut eget nullius, aut non eſt Deus;*
> *Quare iſta vatum miſera ſunt mendacia.*]

PSALMVS LI.

CVm venit ad eum Nathan] Id eſt, de hoc argumento ſcriptus, quanquam non eo tempore.

Quando intravit ad Bethſabee] Exponendum per pluſquam-perfectum, *Poſtquam congreſſus eſſet cum Bethſabee.*

5. *Peccatum meum contra me eſt ſemper*] In Hebræo, *Peccatum meum quotidie mihi obverſatur:* ſe mihi oſtendit, & pœnæ metu me exterret.

6. *Tibi ſoli peccavi*] A te ſolo pœnas metuere poſſum. Nam *liberi ſunt Reges à vinculis delictorum*, ut ait Ambroſius ad hunc locum. Harmenopulus: ὁ βασιλεὺς ἁμαρτάνων οὐ κολάζεται [*Rex, ſi peccet, non punitur*]. Vide quæ in hanc rem protulimus de Iure Belli ac Pacis libro 1. cap. 111. §. 1. ubi & dictum illud poſuimus Rabbinorum: *Nulla creatura judicat Regem, ſed Deus benedictus.* Alioqui nomine, non re Rex fuiſſet.

Vt juſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cùm judicaris] Illud בדברך quod hîc vertitur *in ſermonibus*, optimè vertas *in actionibus:* id eſt, ut quidquid de me ſtatueris, & ego, & omnes alii mecum nullam mihi fieri injuriam ſint profeſſuri. *Vincas*, habent Lxx, & Syrus, & Paulus Rom. 111. 4. In Hebræo eſt *purgeris:* nam verbum in Cal ſæpè pro *eſſe* ſignificat *apparere*.

7. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*] Illud *enim* abeſt in Hebræo. Senſus eſt: *Non nunc tantùm, ſed & à pueritia mea, ſæpius peccavi.* Eſt enim loquendi genus ὑπερβολικὸν [*ſuperjectivum*], ut oſtendit collatio locorum Iob xxxi. 18. Pſal. xxii. 10. 11. lviii. 4. lxxi. 5. 6. Eſaiæ xlviii. 8. Occaſione hujus gravis criminis, meminit & antecedentium quamlibet non tam gravium. Pro *concepit* in Hebræo eſt *fovit*.

8. *Ecce enim veritatem dilexiſti*] Etiam hîc *enim* in Hebræo deeſt, & rectiùs verteris, *Attamen certè veritatem tu diligis in renibus:* id eſt, intimè. non amas facinoroſos.

Incerta & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi] In Hebræo: *In abstruſo ſapientiam mihi cognitam feciſti.* Quominus excuſatio mihi de peccato ſuppetat, noram ego qualis tu eſſes, quàm averſus à dolo malo & injuſtitia omni. Lex tua hanc notitiam cordi meo inſcripſerat.

9. *Aſperges me hyſſopo*] Id eſt, aſperge. Precatur ut à pœnis quas commeritus erat, Deus ſe liberet, ſicut leproſi per hyſſopum vitæ ſociali reddebantur, Levit. xiv. 6.

12. *Cor mundum crea mihi Deus*] Nè viam mihi ad pœnitentiam præclude. Ità Maimonides, docens non omnibus id beneficii à Deo contingere, teſtimoniis Exod. vii. 3. Eſai. vi. 9. 10. 11 Paralipomen. xxxvi. 16. Iob. xi. 28.

14. *Et ſpiritu principali confirma me*] Lxx, πνεύματι ἡγεμονικῷ στήριξόν με [*Spiritu ducali firma me*], quomodo & Chryſoſtomus citat oratione de Spiritu ſancto. Optima verſio videtur, *Spiritu liberali* (id eſt, liberaliter in me effuſo) *confirma me.*

16. *Libera me de ſanguinibus*] Hebræorum mos eſt ſanguinem pluraliter efferre. intelligit autem

homicidii crimen. Sic eadem vox pluralis ſumitur Exod. xxII. 3. Levit. xx. 9. 11. 27. Num. xxxv. 27. Deuteron. xIx. 10. Ioſ. 11. 19.

18. *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique*] Nulla erat in Lege conſtituta hoſtia quæ tam grave crimen expiaret. Pœna aut ab homine aut à Deo erat exſpectanda, niſi Deus ſupra Legem ignoſceret. Vide quæ diximus in libro de Satisfactione Chriſti, capite de ſacrificiis expiatoriis.

PSALMVS LIII.

P*Ro Maheleth intelligentiæ David*] Illud quod hìc eſt מחלת ſignificat *carmen in choro cantandum.* Id apparet ex Pſal. xxx. 12. CXLIX. 3. Cant. vI. 12. & Iudicum xxI. 13. de voce משכיל diximus ad initium Pſalm. xxxII.

PSALMVS LIV.

I*N carminibus*] בנגינות: de qua voce diximus ad initium Pſalmi quarti.

PSALMVS LV.

24. V*Iri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos*] Οὐ μὴ ἡμισεύσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν. Non pervenient ad ætatem ad quam hominum multi perveniunt, & ipſi pervenire potuerant. Idem loquendi genus infrà Pſal. CI. 25. Res autem Exodi xx. 12. Si hæc pœna talibus Legis tempore fuit præſtituta, quantam exſpectare debent qui poſt lucem Euangelii tales ſunt?

PSALMVS LVI.

P*Ro populo qui à ſanctis longè factus eſt, David in tituli inſcriptionem, cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth*] Videntur Lxx pro יונה [*columba*] legiſſe אמה [*populo*], & pro אלם [*mutam*] legiſſe אלים [*deos*], & eâ voce intellexiſſe *Dei filios*: quomodo multi interpretantur בני אלהים [*filios Dei*] Geneſ. vI. 2. præterea pro מכתם [*abſconditum*] legiſſe מכתב [*inſcriptio*], ut ſuprà xvI. Ex Hebræo verſio ſic optimè fluet: *Principi cantorum, de columba muta, Davide* ſcilicet, *carmen columnæ inſcribendum de eo tempore quo tenebatur à Philiſthinis in Geth. Columbam mutam* eleganter ſe vocat, quòd & innocens eſſet adverſùs populum ſuum, & tamen hanc ſuam innocentiam Philiſthinis prodere non auderet.

PSALMVS LVII.

N*E diſperdas*] Id eſt, deprecatio.

PSALMVS LVIII.

10. P*Riuſquam intelligerent ſpīnæ veſtræ rhamnum, ſicut viventes, ſic in ira abſorbet eos*] Optima verſio ad Hebræum videtur, *Priuſquam caldaria veſtra* (ſive *lebetes*) *ſentiant rhamnum* (id eſt, ignem ex rhamno, qui celerrimè ardeſcit & calefacit), *ſic vos quaſi viventes abſorbebit ira* (Dei) *turbine* (id eſt rapidiſſimè). סירות ſunt *caldaria*. Apparet id Eccleſ. vII. 7. ubi pariter *ignis è ſpinis* mentio. Vide & Exod. xvI. 3. ubi & aliis multis in locis λέβητα [*lebeta*] vertunt Græci, alibi χαλκεῖον [*ahenum*].

PSALMVS LIX.

I*N tituli inſcriptionem quando miſit Saül*] Carmen inſcriptum columnæ in memoriam iſtius rei poſitæ eo loco ubi id evenerat.

PSALMVS LX.

C*Vm ſuccendit Meſopotamiam Syriæ*] In memoriam omnium victoriarum quæ hîc breviter indicantur, latiùs autem deſcribuntur in libris Samuëlis & Paralipomenon. Verbum נצח quod hìc per ἐμπυρίζειν [*incendere*] verterunt Græci, quos hæc verſio ſequitur, alibi vertitur per μάχεσθαι [*pugnare*], quod huic loco optimè convenit, ut ſenſus ſit: *cùm bellum gereret adverſùs Syriam duorum fluminum* (ſic habet lectio Hebræa) id eſt, Meſopotamiam ab Euphrate & Tigride ità dictam. Eò autem uſque prolata arma Davidis apparet II Sam. vIII. 3. & I Paralip. xvIII. 3.

Et Sobal] Scripsêre Lxx Σουβὰ [*Suba*] non Σοβὰλ [*Sobal*]. nam ſic habent dictis jam locis. In Hebræo hîc eſt *adverſùs Syriam Soba*, id eſt, partem Syriæ hoc nomen habentem, de qua vide II Samuel. vIII. 5. 12. x. 6. & I Paralip. xvIII. 3. 9.

Et convertit Ioab] Meliùs: *& reverſus eſt Ioab*, nempe à cæde in Syros edita II Sam. vIII. 13. Feciſſe autem dicitur Ioab quod per Abiſai fratrem ſuum fecit, quia Ioabi ſub Davide ſummum erat imperium, II Sam. vIII. 16. I Paralip. xvIII. 15.

Idumæam] In Hebræo, *Edom*, id eſt, Idumæos.

In valle Salis] II Sam. vIII. 13. & 14.

Duodecim millia] Nempe uno prælio, præter ſex alia millia in minoribus conflictationibus interfecta, I Paralip. xvIII. 12.

9. *Iuda rex meus*] *Legifer* in Hebræo. Senſus idem: vult enim dicere populus, *Regem ſibi eſſe è tribu Iudæ.*

10. *Moab olla ſpei meæ*] Græci cùm ſcripſerunt, Μωὰβ λέβης τῆς ἐλπίδος μου [*Moab lebes ſpei meæ*], in animo habuerunt vocem Syriacam רחץ, quæ ſignificat *confidere*, ut Dan. III. 28. Sed vera interpretatio ex Hebræo eſt, *lebes lotionis meæ*: id eſt, *pollubrum*, ποδόνιπτρον. Aquila, λέβης λουτροῦ μου [*lebes lotionis meæ*]. Hoc volunt dicere: *ſe imperaturos Moabitis & Idumæis, ut ſervis.*

In Idumæam extendam calceamentum meum] *Idumæo extendam calceum meum*, nempe ut eum mihi detrahat, ut viles ſervuli ſolent. Vide quæ ad Matth. III. 11.

PSALMVS LXI.

3. A *Finibus terræ ad te clamavi*] Nempe ultra Iordanem, quò profugerat Abſalomi metu II Samuel. xvII. 22.

PSALMVS LXII.

12. *Semel locutus eſt Deus, duo hæc audivi*] Semel Deus in Sinai locutus eſt majoribus noſtris; indè duo colligo longè certiſſima: Deum & potentiſſimum eſſe ad vindicandas injurias ſuas, & in pios mirè benignum. Exod. xx. 5. 6. 7.

13. *Quia tu reddes unicuique juxta opera ſua*] Roman. II. 6.

PSALMVS LXIII.

1. *Cvm eſſet in deſerto Idumææ*] Scribendum hîc & in exemplaribus Græcis *Iudææ*, tum ex textu Hebræo, tum ex hiſtoria 1 Sam. XXII. 5. XXIII. 14. 15.

2. *Quàm multipliciter tibi caro mea*] Putarunt Lxx כמה eſſe compoſitum ex כ [*ſicut*] & מה [*quid?*]. At meliùs Hebræi pro uno verbo ſumunt, quod *deſiderare* ſignificat. Itaque Aquila vertit ἐπεπόθη [*tetendit*], Symmachus ἱμείρεται [*deſiderat*].

PSALMVS LXIV.

7.8. *Scrutati ſunt iniquitates: defecerunt ſcrutantes ſcrutinio: accedet homo ad cor altum, & exaltabitur Deus: ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*] Apparet Lxx pro וירם *& telis confixit* legiſſe וירום καὶ ὑψωθήσεται [*& exaltabitur*]. Cæterùm cùm תמנו ſimiliter legatur Threnorum III. 22. ubi ſignificat *conſumti ſumus*, per ἐπένθεσιν [*inſertionem*] non infrequentem נ literæ: videtur ſenſus, ſupplendo voculas quæ omitti ſolent, ſic optimè poſſe ſarciri, *Inveſtigarunt illi iniquitates* (vias nobis nocendi): *conſumti eſſemus. Sed inveſtigatio perfectiſſima* (ſupple, *Dei eſt*, ex ſequentibus) *& ad intimum hominis & profundum cor* (ſupple *pervenit*). *Confecit* igitur *eos Deus telo: ſubitò exſtiterunt vulnera eorum.*

PSALMVS LXV.

Canticum Ieremiæ & Ezechielis populo tranſmigrationis cùm inciperent exire] Non eſt hoc in Hebræo, nec in interpretibus aliis, ſed in quibuſdam exemplaribus verſionis Lxx. Cæterùm non malè conveniunt hæ querelæ, & ſimul preces iſti tempori: & multa eſſe hîc ævi poſt Davidem initio libri notavimus.

2. *Te decet hymnus*] In Hebræo, *Tibi ſilentium, laus:* id eſt, ſileant alia omnia, ubi de te laudando agitur, Favete linguis.

5. *Beatus quem elegiſti & aſſumſiſti*] Beatos præ ſe prædicant illos quos, ut nulli uſui homines, Chaldæi in Iudæa reliquerant. II Reg. XXV. II.

PSALMVS LXVI.

Canticum pſalmi reſurrectionis] Non eſt hoc in Hebræo, neque fuit in Hexaplo. Videtur Græca Eccleſia id addidiſſe.

18. *Iniquitatem ſi aſpexi in corde meo, non exaudiet Dominus*] Senſus eſt: *Si animo meo ſpectaſſem ad conſilia improba, non exaudiſſet me Dominus.* Nunc autem cùm me exaudierit, apparet omnibus me non tali fuiſſe animo. Peſſimè hoc ex loco infert Kimchi, Deum cogitationibus malis, dum actu non impleantur, non offendi: quæ ipſa eſt ſentina Phariſaiſmi, quam & Chriſtus & Paulus ſæpe repurgatum eunt.

PSALMVS LXVII.

6.7. *Confiteantur tibi populi omnes: terra dedit fructum ſuum*] Laudant te gentes omnes, terrâ ſuum fructum dante.

PSALMVS LXVIII.

2. *Exſurgat Deus*] Argumentum hujus carminis eſt exitus populi ex Ægypto.

5. *Iter facite ei qui aſcendit ſuper occaſum*] Id eſt, viam ei munite, ὁδοποιήσατε, ut hîc habent Lxx. *Super occaſum* ἐπὶ δυσμῶν, in Hebræo בערבות, quod Aquila vertit ἐν τῇ ἀοικήτῳ [*in terra non habitata*], unde Hieronymus in altera verſione *per deſerta*. Kimchi & Hebræorum alii ſummum orbem cœleſtem intelligunt: & receptum hinc apud Hebræos in eo ſignificatu uti voce *Araboth*. Sed cùm vetuſtiſſimi Hebræorum nullum orbium diſcrimen in cœlo agnoverint, ut & ex Gemara diſcimus ad initium Geneſeos, verius eſt hac voce nihil aliud ſignificari quàm quod ἀπρόσιτον [*inacceſſibilem*] dixit Paulus I Timoth. VI. 16.

9. *Terra mota eſt, etiam cœli diſtillaverunt*] Illud נטפו optimè verti poteſt, *conturbati ſunt*. Eſt enim idem verbum Iud. V. 4. ubi Græca verſio ὁ οὐρανὸς ἐταράχθη [*cœlum conturbatum eſt*].

A facie Dei Sinai, à facie Dei Iſraël] Meliùs illud prius *à facie Dei* conjungas cum præcedentibus, ut ſequatur deinde *Sinai à facie Dei Iſraël:* ſupple ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto*], *motus & conturbatus eſt.*

10. *Pluviam voluntariam*] Liberalem, ut ſuprà LI. 14.

Hereditati tuæ] Populo Iſraël.

11. *Animalia tua habitabunt in ea*] Intelligunt Hebræi Angelorum præcipuos, qui חיות Ezechieli; ſed poteſt חית intelligi pro *conventu*, ſicut infrà 31. pro eodem poni videntur חית & עדת. Nam conventus veri Dei colendi causâ in ſolo populo Iſraël frequentabantur.

12. *Dominus dabit verbum euangelizantibus, virtute multâ*] Lxx, Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ. Et ſic citat Chryſoſtomus oratione *Chriſtum eſſe Deum*, & ad Euangelium applicat. Senſus hiſtoricus eſt, *Dominus dabat ſermonem* (id eſt, materiam loquendi uberem) nempe *ut feminarum prædicantium* (victorias) *multum agmen* diceret, ſcilicet ea quæ ſequuntur.

13. *Rex virtutum dilecti, dilecti*] ידדון quod bis hîc ponitur à דוד [*diligere*] derivarunt Lxx, cùm verius ſit eſſe à נדד [*fugere*], ut hoc ſit quod cantabant feminæ: *Reges exercituum fugerunt, fugerunt.*

Et ſpeciei domûs dividere ſpolia] Meliùs: *Habitatrix domûs dividet ſpolia.* Id eſt, tanta erit prædæ multitudo, ut etiam mulieres οἰκουροὶ [*domi ſe continentes*] in ejus partem ſint venturæ. Simile vide Iudic. v. 30.

14. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi ejus in pallore auri*] Optimè ſic vertas ex Hebræo: *Etiamſi dormiſſetis inter cremathras*, eritis *ut alæ columbæ quæ ſunt velut argentatæ, & ejus pennæ velut ex auro*, ſplendent ſcilicet à ſole. שפתים *cremathras* eſſe, id eſt uncinos unde carnes pendent, apparet Ezech. XL.43. Apud eas qui cubant fœdari undique ſolent, & in talibus anguſtiis vixerant in Ægypto Iſraëlitæ. Splendent tamen velut columbæ: tam pulchrè diſtinctus ac bene ornatus erat ipſorum exercitus. שפתים alio ſenſu *limites* ſignificat, ut Geneſ. XLIX. 14. ad quem ſignificatum reſpicientes LXX, verterunt κλήρων [*ſortium*].

15. *Dum diſcernit cæleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon, mons Dei, mons pinguis.* 16. *Mons coagulatus, mons pinguis*] Sic ex Hebræo ſenſus fiet commodior: *Vbi disjecerit omnipotens reges* (ut Sehonem & Ogum) tunc *niveus eris* (nitebis pulchrè ô popule Iſraël) *in Salmon monte Dei* (id eſt, excelſiſſimo) *& in monte Baſan, monte caſeorum, in monte, inquam, Baſan:* id eſt cis & uls Iordanem latè regnabis, tenebíſque loca opima. גבינה *caſeus* Iob x. 10. Montana Baſanis plena paſcuis.

17. *Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos?*] Ex Hebræo: *Cur ſaltatis vos montes pleni caſeo?* qua de cauſa lætamini? Reſpondent montes iſti, κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*]: *In hoc monte vult Deus habitare, & habitabit perpetuò.* Cultum ſui inſtituet ac retinebit in terra Iudæa.

18. *Currus Dei decem millium multiplex*] Ex Hebræo ſic, *Curruum Dei duæ ſunt myriades & millia plurima.* Angelos comparat exercitui; pars autem validiſſima exercituum erant currus. Exodi XV. 4. II Regum II. 2. & VI. 17.

Dominus in eis in Sina, in ſancto] Per talem exercitum Deus in Sinai majeſtatem ſuam oſtendit. Vnus erat Angelus Deum referens: multi ei aderant ſtipatores. Apparet id collatis locis Act. VII. 38. Gal. III. 19. Hebr. II. 2. Vide quæ ad Lucam II. 13.

19. *Aſcendiſti in altum*] A Sinai in cœlum, ut ſolent Reges judicia exercituri tribunal conſcendere. Vide Matth. XXVII. 19.

Cepiſti captivitatem] Ad captivitatem damnaſti populos complures, inter eos Madianitas. Numerorum XXXI.

Accepiſti dona in hominibus] Id eſt, *propter homines: accepiſti dona* ad uſum Sacerdotum & Levitarum. Putet fortè aliquis pro לקחת, quod eſt *accepiſti*, ſcriptum fuiſſe חלקת [*dediſti*], quod pro *dare* ſumi ſolet, ut Deuteron. IV. 19. Iob XXXIX. 17. & indè eſſe ἔδωκε [*dedit*], quo utitur Paulus, μυστικῶς [*myſticè*] ad Chriſtum hoc referens Epheſ. IV. 8. quomodo & Iuſtinus hunc locum citat; idémque ſequitur Pſalterium Romanum hoc loco, & Hilarius: item Arabs & Æthiopicus, ſed alii ſecundâ, alii tertiâ perſonâ ex Paulo. Sed ſciendum etiam *accipi* rectè dici quæ in hoc accipiuntur, ut dentur: ſicut videre eſt Exodi XXV. 2. & I Reg. XVII. 10.

Etenim non credentes inhabitare Dominum Deum] In Hebræo: *Etiam rebelles* (ſupple, *accepiſti*, ex ſuperioribus) *ut inhabitaret in illis Dominus Deus.* id eſt, Vt tu inhabitares in illis, nomine poſito pro pronomine, ut apud Hebræos ſæpè. Intelligendum hoc de Gabaonitis & eorum ſimilibus, qui diu rebelles Deo facti ſunt proſelyti. Ità hîc Chaldæus, & Rabbi Solomo. Quantò autem hæc eminentiùs per Chriſtum ſint impleta, nemo non videt.

28. *Ibi Benjamin adoleſcentulus in mentis exceſſu*] ἐν ἐκστάσει [*in alienatione mentis*]. Sumſerunt רם pro una voce, cùm verius ſit eſſe à רדה, quod eſt *dominari*, & affixo quod *eis* ſignificat. *Benjamin parvulus dominatus eſt eis.* Tribus Benjaminitica exigua, I Sam. IX. 20. tamen ex ea Rex exſtitit Saül.

31. *Increpa feras arundinis*] Agmina ſagittifera Intelligi videntur Ammonitæ. Vide Sam. XI. 20.

Congregatio taurorum in vaccis populorum, ut excludant eos qui probati ſunt argento, diſſipa gentes] Rectiùs vertas: *Cœtum taurorum qui in vitulis populorum gloriantur, ut veniant cum fragmentis argenti, diſſipa gentes quæ bella volunt.* Per *tauros* intelligendi duces, per *vitulos* milites qui eos ſequuntur, ut Pſal. XXIII. 3. ut veniant cum fragmentis argenti, nempe ad redimendam pacem.

32. *Venient legati ex Ægypto*] Vox חשמנים [*proceres*] eſt Ægyptia; ſed & Hebræis pòſt uſitata, unde nomen genti Aſmonæorum. Iudæi Cardinales Romanos hoc nomine appellant. Arabibus حشم חשם [*divitiæ*]. Vult dicere viros maximæ dignitatis venturos ex Ægypto in Iudæam, nempe cùm Solomoni pactam adducerent.

Æthiopia præveniet manus ejus Deo] In Hebræo: *Æthiopia currere faciet manus ſuas Deo. Manus ſuas*, id eſt dona feſtinabit ad Deum afferre, ut fecit [illegible]gina Sabæ, quæ Æthiopiæ accenſetur I Reg. X. infrà LXXII. 10. Impleta hæc eminentiùs cùm & Ægyptii & Æthiopes oblationes, quas Chriſtiani ſolent, in Eccleſia obtulêre.

PSALMVS LXIX.

28. NOn intrent in juſtitiam tuam] Bonitatis tuæ nè participes ſint. Nam Hebræis frequens per צרק ſignificare beneficentiam.

29. *Deleantur de libro viventium, & cum juſtis non ſcribantur*] *Viventes* hîc dicuntur qui bonâ fruuntur valetudine, quod Legem ſervantibus Lex promittit. Sic contrà mortis nomine ſæpe intelliguntur morbi. חי [*vivus*] ὑγιὴς [*ſanus*] vertitur in Levitico aliquoties, nec aliter Eſai. XXXVIII. 21.

PSALMVS LXX.

IN rememorationem quòd ſalvum fecerit eum Dominus] Hæc *quòd ſalvum fecerit eum Dominus*, interpretamenti causâ addidêre LXX. Sunt autem quæ in hoc Pſalmo ſunt, eadem cum poſtremis Pſal. XL. Et hic, & qui ſequitur Pſalmus repræſentat mala quæ

Abſalomus excitavit. Videntur autem Pſalmum ſequentem uſurpaſſe, & illi qui cum Rege Ioachimo in Babylonem abducti ſunt, II Reg. XXIV. 12. quod indicat Græca & Latina ejus inſcriptio, quæ in Hebræo deeſt.

PSALMVS LXXI.

5. *QVoniam tu es patientia mea, Domine*] LXX, ὅτι σὺ εἶ ὑπομονή μου Κύριε [*quoniam tu es exſpectatio mea Domine*], id eſt, *ſpes mea.* Sunt autem valde conjuncta ſpes & ὑπομονὴ [*exſpectatio*], ut Romanor. v. 4.

15. *Os meum annuntiabit juſtitiam tuam: toto die ſalutare tuum, quoniam non cognovi literaturam*] Meliùs, *Quamvis numerum* (nempe bonitatum tuarum) *non novi*: ut ſenſus ſit idem qui XL. 6. Symmachus hîc, οὐ γὰρ οἶδα ἐξαριθμῆσαι [*neque enim valeo numerare*]. Græci ספרות ſumsêre pro arte numeraria quâ utuntur mercatores. Itaque verterunt πραγματείας, & indè Romanum Pſalterium *negotiationes.* Alii γραμματείας [*literaturas*]. utriuſque Græcæ verſionis mentio apud Auguſtinum.

PSALMVS LXXII.

IN Salomonem] Id eſt, celebrandæ memoriæ temporis illius, quo primùm unctus eſt Solomon 1 Reg. I. 39. ſublimiore tamen ſenſu pertinere hæc ad Meſſiam agnoſcunt vetus Scholiaſtes Hebræus hoc loco, & R. Saadia Gaon ad Dan. VII. 14. & Salomon Iarchi.

5. *Et permanebit cum Sole & ante Lunam in generationem & generationem*] In Hebræo: *Timebunt te cum Sole, & dum apparebit Luna ſoboles ſobolis.* Id eſt poſteri Solomonis. Simile illud Ovidii:

Cum Sole & Luna ſemper Aratus erit.

16. *Et erit firmamentum*] Legit in Græco στήριγμα [*firmamentum*]: quæ lectio pridem invaluit, cùm corrupta ſit ex σίτου δράγμα [*pugillus frumenti*]. Id enim פסת בר, ut Chaldæus hîc interpretatus eſt, *particula frumenti.* Solemus autem minimam quantitatem deſignare pugilli nomine; ut apparet 1 Regum XVIII. 44.

In terra in ſummis montium] In ſolo verticis montani, qualia loca ſolent eſſe ſaxoſa, ac proinde ſterilia.

Superextolletur ſuper Libanum fructus ejus] Sic & Græci, ὑπεραρθήσεται ὑπὲρ τὸν Λίβανον ὁ καρπὸς αὐτοῦ. Sed Hebræum magìs ſonat, *Movebitur ut Libanus fructus ejus.* Id eſt, tam pauxillum frumenti ſatum in ſolo infeliciſſimo ſegetem producet, quæ concuſſa vento ſtrepat non minùs quàm arbores Libani. deſcriptio ſummæ fœcunditatis, quæ futura erat ſub Rege Solomone. Ità Abeneſdra & Kimchi. Homerus in boni Regis deſcriptione:

——— φέρῃσι δὲ γαῖα μέλαινα
Πυροὺς καὶ κριθὰς, βρίθῃσι δὲ δένδρεα καρπῷ.
[——— *parit hordea tellus*
Triticeáſque dapes, pomis ſcatet arbor ubique.]

Et florebunt de civitate ſicut fœnum terræ] De civitate ἐλλειπτικῶς [*defectivè*] dictum pro *homines de civitate*: id eſt, cives. Et *fœnum* rurſus dixit, ut Græci χόρτον, herbam virentem ſignificans. Vide ſuprà XXXVII. 2.

17. *Sit nomen ejus benedictum in ſecula, ante Solem permanet nomen ejus*] Illud *benedictum* neque in Hebræo eſt, neque fuit in Hexaplo. Senſus Hebræi eſt, *Nomen ejus erit perpetuum coram Sole* (id eſt, dum Sol lucebit, eodem loquendi genere quod ſuprà de Luna habuimus): *ſoboleſcet nomen ejus*, id eſt, poſteri ipſius per ipſius memoriam erunt celebres. נין *filius.* Vox eſt Philiſthinorum, Geneſ. XXI. 23. & Arabum, Iob XVIII. 19. Hinc Ægyptii ſumsêre nomen νόννου [*nonni*].

Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ] Dicetur enim apud omnes gentes: *Sit regnum tuum ſimile regno Solomonis.*

20. *Defecerunt laudes David filii Ieſſe*] In Græco, Ἐξέλιπον οἱ ὕμνοι Δαβὶδ τοῦ υἱοῦ Ἰεσσαί. Sic & in Hebræo: *Finiunt preces Davidis filii Iſai.* Ideſt, finitur hîc collectio Pſalmorum ab ipſo Davide facta. qui ſequuntur, eos Aſaph aliique, poſtremò Eſdras addiderunt. Sunt tamen inter eos etiam quidam à Davide facti, ſed poſt concluſum volumen illius collectionis.

PSALMVS LXXIII.

1. *QVam bonus Iſraël Deus*] *Certè bonus Iſraëli Deus.* Sic habet Hebræum.

24. *Et cum gloria ſuſcepiſti me*] *Et cum honore excepiſti me.* Feciſti me Regem. Nam Aſaphus hæc compoſuit in laudem Davidis. אחר per σὺν [*cum*] vertitur, ſuprà XLIX. 18.

PSALMVS LXXIV.

6. *QVaſi in ſilva lignorum ſecuribus exciderunt januas ejus in idipſum: in ſecuri & aſcia dejecerunt eam*] Nempe tentorium Siloh, ubi erat Arca. Repræſentatur hîc hiſtoria quæ eſt 1 Sam. IV. פתוחיה *januas ejus*, non, ut quidam, *ſculpturas ejus. Ejus* in Hebræo femininum eſt, quia ſubauditur ex ſuperiùs dicto 4. עדה, quod eſt generis feminini: & primò quidem *conventum*, deinde verò & *conventûs locum* ſignificat, ut apud Græcos ἐκκλησία [*eccleſia*]. Hæc quanquam, ut puto, de illo dicta tempore, mirè tamen conveniunt in ea quæ ſub Nabuchodonoſoro & Tito evenerunt. Vox כילפות, quam *aſciam* transfert Latinus, alii meliùs *malleum*, eſt Philiſthina, ad notandum tempus: manet apud Arabas.

13. *Tu confirmaſti in virtute tua mare*] Vt tranſirent Iſraëlitæ.

Contribulaſti capita draconum in aquis] Regem & principes Ægyptios. Nam mos eſt Scripturæ Reges humanitatis immemores deſcribere ſub nominibus ferarum terreſtrium aut marinarum. Hic autem maluit marinam feram nominare, quia Rex Ægypti ad duo maria imperium ſuum protendebat.

14. *Dediſti eum eſcam populis Æthiopum*] In Hebræo: *incolenti deſerta*, illis ſcilicet qui oram Arabici ſinûs obtinebant, & piſcibus veſcebantur, qui piſces ſolent ſe paſcere carnibus ſubmerſorum hominum. Hieronymus contra Iovinianum: *Porrò*

Iththyophagi, gens errans in litore maris Rubri, ſupra petras Solis calore ferventes aſſant piſces, & hoc ſolo alimento victitant. Meminit & Strabo lib. xv. & Agatharchides & Diodorus Siculus.

15. *Tu dirupiſti fontes & torrentes*] Eſt μετάληψις [*tranſſumptio*] pro *dirupiſti rupes ut fontes ac torrentes emanarent.* Nota hiſtoria.

Tu ſiccaſti fluvios Ethan] Solent ſæpè Senes LXX voces dubias in Hebræo ſermone relinquere. Cæterùm איתן bene Aquila reddidit στεῤῥοὺς [*rigidos*], rapidos nimirum amnes, qualis eſt Iordanes.

PSALMVS LXXV.

3. C*Vm accepero tempus ego juſtitias judicabo*] Supple, *dicet Deus. Cùm accepero tempus*, nempe opportunum. Vbi menſura iniquitatum fuerit impleta.

4. *Liquefacta eſt terra, & omnes qui habitant in ea*] Totus ſtatus Iudææ conturbatus fuit factione Iſboſethi.

Ego confirmavi columnas ejus] Ego fortitudinem dedi Davidi, Ioabo, aliiſque earum partium.

6. *Nolite attollere in altum cornu veſtrum*] Contra Davidem.

9. *Calix in manu Domini vini meri plenus mixto*] Quaſi dicat, habet in eo calice & bonum & malum. *Vinum*, quia iram accendit, vindictam ſignificat, Eſaiæ LI. 22. Ieremiæ XXV. 16. Apocalypſeos XIV. 10. XVI. 19. XVIII. 3. XIX. 15. Non longè abit illud Homeri:

Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει,
Κηρῶν ἔμπλειοι, ὁ μὲν ἐσθλῶν, αὐτὰρ ὁ δειλῶν.
[*Dolia namque Iovis duo ſunt in limine, quorum*
Hoc adverſa tenet, tenet illud proſpera fata.]

PSALMVS LXXVI.

C*Anticum ad Aſſyrios*] In Hebræo hoc non eſt, neque fuit in veteri editione LXX, neque in aliis multis editionibus, ut notant Græci ad hunc locum. Scriptus videtur Pſalmus devictis Ammonitis; ſed eo uſus poſtea Ezechias liberatus ab Aſſyriis, quale quid & ſuprà annotavimus ad Pſalm. LXX. & LXXI.

11. *Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi*] Ex Hebræo, *Hominis furor in laudem tuam cedet: ſi quid irarum reſiduum eſt, id conſtringes.* Siquid adhuc in Ammonitis reſtat malæ voluntatis id facilè impedies. Potuit Ezechias hoc optimè aptare Aſſyriis, eorúmque ſociis.

PSALMVS LXXVII.

17. V*Iderunt te aquæ & timuerunt & turbatæ ſunt abyſſi*] Etiam hæc ad exitum ex Ægypto pertinere res ipſa loquitur.

19. *Vox tonitrui tui in rota*] Rota hîc aërem, alibi ætherem ſignificat: quia hæc omnia circum nos volvi communis eſt opinio.

PSALMVS LXXVIII.

49. I*Mmiſſiones per Angelos malos*] Per Angelum percuſſorem, Exodi XII. 23. Vni Angelo plures adfuiſſe velut apparitores ſuprà diximus. Alii intelligunt *prænuntios malorum*, Moſem & Aaronem, μάντεις κακῶν [*vates malorum*].

PSALMVS LXXIX.

VIdetur hic Pſalmus eſſe ejuſdem argumenti cujus LXXIV. Salem ſive Hieroſolyma videtur fuiſſe in diviſione prima populo Iſraëlitico facta, Ioſuæ XV. 8. Sionem arcem videntur ſemper tenuiſſe Iebuſæi, II Sam. V. 6.7. Itaque cùm Philiſthini ceperunt Arcam (quæ hîc היכל קדש [*baſilica ſacra*],) nihil mirum ſi & Hieroſolyma, ſive Salemum, urbem tunc exiguam nec bene munitam, ceperint. Cæterùm optimè hunc Pſalmum ſuis temporibus aptare potuerunt homines temporum Nabuchodonoſoris.

2. *Poſuerunt Ieruſalem in pomorum cuſtodiam*] LXX εἰς ὀπωροφυλάκιον [*in pomarii cuſtodiam*]. Et ſic ſolent vertere עיים, quod alii *acervos* vel *tumulos*. In tumulis autem excubare ſolebant magnorum pomariorum cuſtodes.

PSALMVS LXXX.

2. Q*Vi ſedes ſuper Cherubim*] Id eſt, qui te oſtendis oraculis & ſplendore ſuper Arcam.

PSALMVS LXXXI.

S*Vper torcularibus*] Vide ſuprà VIII. 1.

PSALMVS LXXXII.

D*Eus ſtetit in Synagoga deorum*] In Hebræo, *In Synagoga Dei*: id eſt *ſua*, more Hebræo. Sic Num. X. 29. ſic & Lucæ III. 19. & alibi ſæpè. Senatus Iudicum, *ſenatus Dei* dicitur, quia Dei nomine judicia exercet, II Paralip. XIX. 6. Deus primis illis temporibus per ſe graviter ſontes puniebat, ut Caïnum, ætatem diluvii, Sodomitas, alios. Poſtea ſubſtituit ſuum in locum Iudices legitimè conſtitutos, in Iudæa maximè.

In medio autem deos dijudicat] Id eſt, Iudices: ſemper enim eam ſignificationem habet אלהים, etiam cùm de Deo ponitur.

2. *Vſquequo judicatis iniquitatem?*] Vt illi qui Abſalomum fuerant ſecuti.

6. *Dii eſtis*] Iudices eſtis, eminenti in dignitate ſecundùm legem meam conſtituti.

Et filii excelſi omnes] *Filii* dicuntur qui aliqua ex parte alicui ſunt ſimiles.

7. *Vos autem, ſicut homines, moriemini, & ſicut unus de principibus cadetis*] Illud *autem* hîc valet *nihilominus. Moriemini nihilominus*; hæc enim ſors communis eſt plebejis (talem enim vox אדם [*homo*] in Hebræo ſæpè ſignificat) & ſummatibus:

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regúmque turres.

8. *Surge Deus judica terram*] Per Regem Davidem.

Quoniam tu hereditabis in omnibus gentibus] Tu per eum imperium legémque tuam longè latéque proferes.

PSALMVS LXXXIII.

7. 8. *TAbernacula Idumæorum & Iſmaelitæ, Moab & Agareni, Gebal & Ammon & Amalec, alienigenæ cum habitantibus Tyrum*] Non dubito quin hæc pertineant ad tempora quæ deſcribuntur II Samuel. VIII. De Gebale ſive Gybliis vide I. Reg. V. 18.

9. *Etenim Aſſur venit cum illis*] In Hebræo, *Etiam*. Aquila & Theodotio καίγε [*etiam*], Symmachus ἔπι καί [*præterea*]. Hiſtoria horum non ſpecialiter meminit; ſed dubitandum non eſt quin ab omnibus vicinis auxilia petierint.

11. *Diſperierunt in Endor*] Supple *qui*. Endor eſt in parte Manaſſis, Ioſue XVII. 11. 1 Sam. XXVIII. 7. ibidem erant Thanach & aquæ Mageddo memoratæ Iud. V. 19. ut apparet Ioſue dicto loco, & Iud. I. 27.

12. *Pone principes eorum ſicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana*] Iud. VII. 25. VIII. 21.

14. *Deus meus pone illos ut rotam*] Devolve eos ut rotam de loco declivi. Alii *pappos*, id eſt lanuginem carduorum interpretantur.

PSALMVS LXXXIV.

CReditur ſcriptus Pſalmus in memoriam ejus temporis quo majorem Iudææ partem tenebat Abſalomus.

6. *Beatus vir cui eſt auxilium abs te: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit*] *Auxilium* intellige, facultatem eundi ad Templum. Cætera ſic optimè vertas, *Viæ ſunt ſtratæ in medio eorum.* In omnibus locis in quibus habitant, viæ ſunt bene ſtratæ quæ Hieroſolyma deducunt.

In valle lacrymarum in loco quem poſuit, etenim benedictionem dabit legiſlator] Multæ hîc voces ſunt πολύσημοι [*plura ſignificantes*]. Sed optima interpretatio hæc videtur eſſe, *Tranſituri per vallem mororum, fontem facient eam* (eâ utentur tanquam aquoſo loco): *nam benedictio* (ſupple *divina*) *operiet eum imbre*. Mori naſcuntur in locis ſiticuloſis. Dicit ergò, Etiamſi in itinere occurrant loca ſiticuloſa, Deus illis pluviam dabit pro fontibus. Vide Ezech. XXXIV. 26.

8. *Ibunt de virtute in virtutem*] Ex Græco, πορεύσονται ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν [*ibunt ab agmine in agmen*, id eſt *agminatim*]. Δυνάμεις his ſcriptoribus, ut Hebræis חיל, *agmina* ſignificant. *ibunt diſtincti in agmina*, ut in magnis συνοδίαις [*comitatibus*] fieri ſolet.

PSALMVS LXXXV.

2. *AVertiſti captivitatem Iacob*] Deſcriptio eſt reditûs in Vrbem, devicto Abſalomo. *Captivitatem* appellat exſilium illud ultra Iordanem, ubi David, & qui eum ſequebantur obſeſſi erant, partim à popularibus adverſariis ſuis, partim ab infeſtis gentibus. Optimè potuit hic Pſalmus uſurpari ab Eſdra & Nehemia.

PSALMVS LXXXVI.

ORatio ipſi David] Vſurpata, ut Hebræi nos monent, ab Ezechia.

13. *Eruiſti animam meam ex inferno inferiori*] ἐξ ᾅδου κατωτάτου. Senſus eſt, *ex ſpecu profundiſſima*: id eſt, graviſſimo periculo.

PSALMVS LXXXVII.

4. *MEmor ero Rahab & Babylonis ſcientium me: Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populi Æthiopum, hi fuerunt illic*] Rahab eſt Ægyptus, ob *ſuperbiam* ſic dicta, ut apparet infrà LXXXIX. 11. Eſaiæ LI. 9. Deus autem loquitur, & ait: *Si quæram ex Ægyptiis vel Babyloniis, vel Palæſtinis, vel Tyriis, vel Æthiopibus, qui eorum me noverint*, dicent, *Hi tales nati apud nos ſunt.*

5. *Numquid Sion dicet, Homo & homo natus eſt in ea?*] An in eum modum dicent Hieroſolyma, *Hic & ille* (id eſt, unus & alter pius) *natus hîc eſt*?

Et ipſe fundavit eam Altiſſimus] *Imò verò hanc civitatem totam formavit Altiſſimus: ſuis moribus imbuit.* כון ſolet verti πλάττειν [*formare*].

6. *Dominus narrabit in ſcripturis populorum ac principum horum qui fuerunt in ea*] Repetit aliis verbis quæ dixerat: *Deus in matricula populorum facilè numeret* (nempe pios, ex ſuperioribus, dicens,) *Hic ibi natus eſt.*

7. *Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te*] In Hebræo, *Sicut præcentor ita chorus: omnes ſcaturigines meæ in te.* Senſus eſt, Longè aliter apud te, ô Sion, res ſe habet: *qualis eſt præcentor talis eſt chorus* (proverbiale hoc, ſignificans maximos minimóſque in hac re eſſe ſimiles): *abundantia mea* (quæ per *aquas* ſignificatur) *apud te eſt*.

PSALMVS LXXXVIII.

INtellectus Eman Ezrahitæ] Hic Eman is eſt, ni fallor, qui nominatur inter cantores ſive poëtas 1 Paralip. VI. 33. qui διδακτικὸν [*plenum doctrinæ*] hoc carmen compoſuiſſe videtur, & *canendum tradidiſſe Coræ poſteris.*

PSALMVS LXXXIX.

EThan] Videtur hic Ethan fuiſſe tempore μετοικεσίας [*deportationis*].

28. *Et ego primogenitum ponam illum*] Nempe inter Reges, quod clariùs eloquuntur verba ſequentia: *Excelſum præ Regibus terræ.*

32. *Si juſtitias meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodiverint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*] Repetit Poëta ea quæ Deus de Salomone poſteriſque ejus dixerat II Samuel. VII. 14. ubi dicta vide.

39. *Diſtuliſti Chriſtum tuum*] In Hebræo, *Iratus es*

uncto tuo, nempe Sedeciæ, qui oculis orbatus; & vinctus ductus eſt in Babylonem II Reg. XXV.

46. *Minoraſti dies temporis ejus*] In Hebræo, *Præcidiſti dies juventutis ejus* : feciſti ut ante tempus ſeneſceret malorum tædio. Et ſic poterunt hæc intelligi de eodem Sedecia. Hebræi malunt de Ioachimo hæc intelligere, qui per tres tantùm menſes regnavit: & juvenis, id eſt annorum XVIII ad regnum pervenerat, II Reg. XXIV. 8.

48. *Memorare quæ mea ſubſtantia*] In Græco, μνήσθητι τίς ἡ ὑπόστασίς μου [*memento quæ ſit mea duratio*]. In Hebræo: *quantilli ævi ſim.*

PSALMVS XC.

ORatio *Moſi hominis Dei*] Non ab ipſo facta, ſed ejus rebus animóque conveniens. Τίνας ἂν λόγους εἴποι ὁ Μωσῆς [*qualia verba Moſes dicere potuerit*]. Idem dicendum videtur de Pſalmis ſequentibus decem, quos Hebræi Moſi tribuunt.

2. *Priuſquam montes fierent, aut formaretur terra & orbis, à ſeculo uſque in ſeculum tu es Deus*] Illud *Deus* ex Hebræo additum videtur. Nam in Græco eſt, Πρὸ τοῦ ὄρη γενηθῆναι, καὶ πλασθῆναι τὴν γῆν καὶ τὴν οἰκουμένην, καὶ ἀπὸ τοῦ αἰῶνος ἕως τοῦ αἰῶνος σὺ εἶ [*Priuſquam montes gignerentur, & fingeretur terra, & orbis habitatus, & à ſeculo uſque ad ſeculum tu es*]. Quod autem in Hebræo ſequitur אל non cum Tſere legerunt Græci interpretes, ſed cum Patach, & retulerunt ad comma ſequens, verſum per μὴ [*nè*].

8. *Seculum noſtrum*] *Abſcondita noſtra* : id eſt, peccata hominibus incognita tu vides.

9. *Anni noſtri ſicut aranea meditabuntur*] Τὰ ἔτη ἡμῶν ὡς ἀράχνη ἐμελέτων [*anni noſtri ut aranea meditati ſunt*]. Fortè pro כמו [*tanquam*] legerunt שמם [*aranea*] ſubaudito כ [*ſicut*], & הגה [*meditari*] ſumſerunt ut verbum: noſter autem textus Hebræus ut nomen quod *ſermonem* ſignificat. *Vita volat, ut* ἔπεα πτερόεντα [*volucria verba*].

10. *Dies annorum noſtrorum in ipſis ſeptuaginta anni*] Id eſt, in omni tempore annorum noſtrorum (nempe quos in ſanitate agimus) non ampliùs eſt quàm LXX anni.

Si autem in potentatibus octoginta anni] *Si autem viribus* (ſupple *eximiis præditus aliquis fuerit, eximiâ corporis temperaturâ*) *octoginta anni*. Solon apud Herodotum libro I. ἐς γὰρ ἑβδομήκοντα ἔτεα οὖρον τῆς ζωῆς ἀνθρώπῳ προτίθημι [*ad ſeptuaginta enim annos homini vitæ terminum ſtatuo*].

Et amplius eorum labor & dolor] In Hebræo: ורהבם, id eſt, *ipſum robur ejus*. Sic vocari juventam cenſent Abeneſdra & Rabbi Salomo; illam quoque ait *laboris & pœnæ* (quam Hebræo more *iniquitatem* vocat) *eſſe plenam*. Græci legerunt ורבם τὸ πλεῖστον αὐτῶν, quod hîc Latinus vertit, *amplius eorum*.

11. *Quis novit poteſtatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare*] למנות [*recenſere*] non ad initium ſequentis, ut Maſoretæ, ſed ad hujus commatis finem retulêre. Senſus eſt, Quis plenè novit omnia ſeveritatis tuæ exempla, & ſi quis noſſet, quomodo præ timore & anxietate auderet ea recenſere, & verbis exſequi?

12. *Dexteram tuam ſic notam fac*] Legêre hîc Græci non ימנו [*dextram ejus*] ſed ימינך [*dextram tuam*], rectè, ni fallor: rectè etiam interpretati ſunt τὴν δεξιάν σου [*dexteram tuam*]. Auxilium tuum nobis oſtende, ut antehac feciſti.

Et eruditos corde in ſapientia] Rectiùs: *Et venire faciemus cor ad ſapientiam*. Hæc erit ad nos emendandos via optima.

PSALMVS XCI.

5. NOn *timebis à timore nocturno*] A latronibus.

6. *A ſagitta volante in die*] Ab apertis præliis.

6. *A negotio perambulante in tenebris*] דבר & *negotium* & *peſtem* ſignificat. Videtur hîc intelligi peſtis & alii morbi, quorum cauſæ latent.

Ab incurſu & dæmonio meridiano] Apparet Græcos in Hebræo legiſſe מקטב ושד צהרים [*à vaſtatione & dæmone meridiei*]. Nam שד δαιμόνιον [*dæmonium*] vertere ſolent, ut Deuteronom. XXXII. 17. & infrà CVI. 37. Nos in Hebræo habemus, מקטב ישוד צהרים, *ab excidio vaſtante in meridie* : id eſt, ab ardore Solis, qui multis eſt lethalis, iter facientibus, maximè in locis illis Syriæ & vicinis.

PSALMVS XCII.

CAnticum *Adami*] dicitur ab Hebræis, quòd talia dicere Adamus potuit, cùm res à Deo primùm conditas aſpexit.

In die ſabbati] Qui dicatus memoriæ creationis. Hebræi tamen nonnulli hæc de fecilitate quam per mille annos duraturam putant intelligunt.

11. *Et ſenectus mea in miſericordia uberi*] In Hebræo eſt, בלתי בשמן רענן [*delibutus ſum oleo viridi*]. At LXX pro בלתי legerunt בלחי, & verterunt τὸ γῆράς μου ἐν ἐλαίῳ πίονι [*ſenectus mea in oleo pingui*]. Et ſic legit Auguſtinus. Librarii quidam pro ἐλαίῳ [*oleo*] ſcripſerunt ἐλέῳ [*miſericordiâ*], quòd illæ voces non modò ſcriptione ſint vicinæ, ſed & illâ ætate paris pronuntiationis. Et hinc fluxit hæc verſio.

15. *Et bene patientes erunt*] Vertit κατὰ πόδας [*verbo tenus*], quod in Græco eſt εὐπαθοῦντες ἔσονται [*in rebus bonis erunt*]. ubi εὐπαθεῖν eſt ἀκμάζειν *florere*, *bene agere*, quæ ipſa eſt ſignificatio adjectivi Hebraïci רעננים. Quod præcedit in Hebræo, דשנים [*pingues*], id cum voce præcedenti שיבה, quæ *canitiem* ſive *ſenectutem* ſignificat, Græci conſtruxêre.

PSALMVS XCIII.

IN *die ante ſabbatum quando fundata eſt terra*] Græci meliùs, ὅτε κατῴκισται ἡ γῆ [*cùm habitata eſt terra*], *cùm habitari cæpit terra*, nempe ab animantibus & homine. In Hebræo hoc non eſt, ut nec quod ſequenti Pſalmo præfigitur.

PSALMVS XCIV.

9. QVi *plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum, non conſiderat?*] Egregia argumentatio: Quicquid perfectionis eſt in rebus conditis à Deo eſt. Eſt ergò in ipſo eminenti modo.

PSALMVS XCV.

L*Aus cantici ipſi David*] Non eſt hoc in Hebræo.

PSALMVS XCVI.

C*Anticum ipſi David*] Nec hoc. Credibile tamen à Davide factum hoc carmen in commemorationem Arcæ introductæ in Sionem.

Quando domus ædificabatur poſt captivitatem] Nec hoc in Hebræo eſt; ſed ſenſus, Vſurpatum hoc carmen Davidis peropportunè ab Eſdra cùm jam reſtitutum eſſet Templum.

10. *Dicite in gentibus, quia Dominus regnavit*] Hîc libros quoſdam veteres Græcos addidiſſe ἀπὸ ξυλοῦ [*à ligno*] affirmat contra Tryphonem Iuſtinus : & urget hunc locum ut de Cruce prophetiam continentem Tertullianus adversùs Iudæos duobus locis, & adversùs Marcionem libro III. quos ſecuti ſunt & alii. Fortè quidam Librarii pro מלך [*regnavit*] ſcripſerunt מעץ [*à ligno*] poſteà verò utraque lectio coaluit.

PSALMVS XCVII.

H*Vic David, quando terra ejus reſtituta eſt*] Non eſt in Hebræo. Senſus eſt: ſcriptum hunc Pſalmum in memoriam ejus temporis quo Abſolomo mortuo regnum recuperavit totum.

7. *Adorate eum omnes Angeli ejus*] Hic eſt locus quo ſcriptor ad Hebræos utitur applicans Chriſto, ut fit in Novo Federe, id quod de Deo dictum eſt in vetere: προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι Θεοῦ [*adorent eum omnes Angeli Dei*], mutatâ perſonâ, quod in allegandis locis nihil refert. Nam in Græco hîc eſt, προσκυνήσατε αὐτῷ πάντες ἄγγελοι αὐτοῦ [*adorate eum omnes Angeli ejus*]. Sæpe Lxx אלהים vertunt ἀγγέλους [*Angelos*], ut ſuprà VIII. 6. & infrà CXXXVIII. 1. Cæterùm hoc loco legerunt non אלהים, ſed cum affixo אלהיו [*Angeli ejus*].

PSALMVS XCVIII.

V Idetur hic Pſalmus ſcriptus breviter, ejuſdem argumenti eſſe, cujus majus carmen Exodi XV.

PSALMVS XCIX.

5. E*T adorate ſcabellum pedum ejus*] Id eſt, vertite vos versùs Arcam, ut mos Iſraëlitis, Pſalmo CXXXVIII. 2. 1 Reg. VIII. 44. Daniel. VI. 10. & hoc ipſo Pſalmo, 9. Arca verò dicitur *ſcabellum pedum Dei* 1 Paralip. XXVIII. 2. infrà Pſal. CXXXII. 7. comparatione cœli ſcilicet, cujus reſpectu & terra, maximè verò Iudæa, *ſcabellum pedum Dei* dicitur Eſaiæ LXVI. 1. Matth. V. 35. Thren. II. 1.

6. *Moſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*] *Inter miniſtros ejus*: nam vox כהן valde generalis eſt, etſi plerumque per ἀντονομασίαν [*nominis adſtrictionem*] quandam de *Sacerdotibus* uſurpatur. Vide II Samuel. VIII. 19.

PSALMVS C.

H*Ic Pſalmus in confeſſione*] Id eſt, adhiberi ſolitus ſacrificiis תודה, quod αἰνέσεως [*laudis*] vertunt Græci. Vide Levit. VII. II Paralip. II. 9.

PSALMVS CI.

1. 2. P*Sallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me*] Illud *pſallam* rectiùs, ni fallor, Maſoretica lectio ad comma præcedens refert. *Intelligam in via perfecta*, id eſt, animi vim intendam ad vitæ integritatem. *quando venias ad me* poſitum hîc pro *donec ad me venias*, id eſt, me liberes atque evehas. Eſt enim hoc votum Davidis de ratione regnandi, quam ſibi in animo propoſuerat, longè optimam, & cujus modum pauci implent Reges, etiam ii qui plus Deo debent quàm David, id eſt, Chriſtiani.

8. *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ*] Eſt in Hebræo futurum, ut præcedentia, *excîdam*. Hoc ideo dictum, quia manè judicia exercebantur, ut diximus ad Iob XXXVIII. 13.

PSALMVS CII.

1. O*Ratio pauperis*] לעני propriè eum ſignificat *qui in miſeriis eſt conſtitutus*. Videtur ſcriptum hoc carmen in exſilio Babylonico.

21. *Vt ſolveret filios interemtorum*] Ex Græcis qui ſuprà ſic tranſtulerunt, ubi eædem voces, LXXIX. 11. ſed utrobique in Hebræo meliùs *filios mortis*. Eo loquendi genere ſignificantur ii qui jam ab aliis, bene aut malè, morti deſtinati ſunt. Apparet id II Samuel. XII. 5. Ioh. XVII. 12. II Theſſ. II. 3. Simile XLIV. 22. צאן טבחה, ubi Lxx ὡς πρόβατα σφαγῆς [*tanquam pecora occiſionis*], nec aliter Apoſtolus Roman. VIII. 36.

PSALMVS CIII.

3. Q*Vi propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas*] In Hebræo illud *tuis* & *tuas* non eſt ך, ſed כי, quod redolet Chaldaïſmum.

5. *Renovabitur ut aquilæ juventus tua*] Aquilæ enim novas pennas aſſumunt. Eſaiæ XL. 31. ubi Græci, πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί [*pennas accipient ut aquilæ*].

17. *Miſericordia autem Dei ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum*] Id eſt, diutiſſimè durat, ut Exod. XX. 6. Verba tamen ſunt talia quæ in ſenſu ſublimiore ad æternitatem rectè applicentur ab Abeneſdra & aliis.

PSALMVS CIV.

I*Pſi David*] Non eſt in Hebræo: ſed cujuſcunque eſt hic Pſalmus, eſt Poëtæ egregii.

2. *Extendens cœlum ſicut pellem*] Ὡς δέῤῥιν [*ſicut pellem*] in Græco hîc; nec aliter citat ſcriptor Dialogi Philopatridis qui additur Luciani operibus:

quanquam antiquior videtur eſſe, & ſcriptus temporibus Trajani. Eſt autem יריעה pars tentorii, quod ex pellibus fieri ſolebat. Hinc δέῤῥιν [*pellem*] dixêre Græci. Tales partes funibus ſuſtineri ſolebant. Sic & cœlum Deus ſuſtinet arcanis modis. Vide Geneſ. I. 6. & ibi dicta.

4. *Qui facies Angelos tuos ſpiritus, & miniſtros tuos ignem urentem*] Sunt enim Angelorum alii aërei, alii ignei, qui, tam boni quàm mali, dicuntur ***Seraphim***. Eſſe Angelis corpora, ſed ſubtiliſſima, non Pythagoræ tantùm & Platonis Schola ſenſit, ſed & Iudæi veteres & veteres Chriſtiani. Intelligentiarum ab omni materia ſecretarum faber eſt Ariſtoteles, quem nimis προπετῶς [*præcipiti curſu*] in rebus Theologicis multi ſequuntur.

15. *Et vinum lætificet cor hominis: ut exhilaret faciem in oleo*] Magna hæc dona, quorum excultores Græci in deos retulêre. Plinius XIV. 22. *Duo ſunt liquores corporibus humanis gratiſſimi, intùs vini, forìs olei, arborum è genere ambo præcipui, ſed olei neceſſarius.* Confer ea quæ ſunt Iud. IX. 8. 9. 12. 13.

26. *Draco iſte*] *Leviathan*. De quo Iobum vide.

29. *Auferes ſpiritum eorum*] Sic Græci. At in Hebræo eſt *ſpiritum tuum*. Omnis vita à Deo. Hebr. XII. 9. Eam ubi adimit, dicitur *eam ad ſe recipere*. Eccleſ. XII. 7. Iob XXXIV. 14.

30. *Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur*] Id eſt, naſcentur. Par loquendi genus ut id quod præceſſit, & ex pari cauſa. Sublimiori ſenſu ad Reſurrectionem hoc referunt etiam Hebræi.

PSALMVS CV.

25. *Convertit cor eorum, ut odirent populum ejus*] Id eſt, vertit cor Ægyptiorum in odium populi ſui. Fecit autem hoc Deus, multiplicando populum ſuum. Prout ſunt animi hominum, ità Dei opera eos meliores vel pejores faciunt:

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Vno eodémque igni.

PSALMVS CVI.

20. *Mutarunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fænum*] Τὴν δόξαν αὐτῶν [*gloriam ipſorum* id eſt *ſuam*]. Et ſic nunc in Hebræo eſt כבודם. At teſtantur Hebræi veteres olim fuiſſe כבודו *gloriam ejus*. Cæterùm mutatum id eſt, quia poſterioribus ſæculis כבוד cœpit ſignificare conſpicuum quid Dei Majeſtatem referens; nè ſcilicet ea vox hac comparatione vileſceret.

PSALMVS CVII.

10. *Vinctos in mendicitate & ferro*] In Hebræo: *Captivos afflictionis & ferri. Afflictionem* vocat ipſum carcerem, *ferrum* verò compedes.

23. *Deſcendentes ad mare in navibus*] Hoc ideo, quia moles altæ ſunt ad portus, ex quibus in naves deſcenditur. Vide Ionam I. 3.

26. *Aſcendunt uſque ad cælos, & deſcendunt uſque ad abyſſos*] Id eſt, ad maris intima. Ovidius libro Triſtium I.

Me miſerum! quanti montes volvuntur aquarum?
Iamjam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles?
Iamjam tacturas Tartara nigra putes.

Lucanus Pharſaliæ V.

Quantum Leucadio placidus de vertice pontus
Deſpicitur, tantum nautæ videre trementes
Fluctibus è ſummis præceps mare: cúmque tumentes
Rurſus hiant undæ, vix eminet æquore malus.

42. *Et omnis iniquitas oppilabit os ſuum*] Tacere cogetur. Idem loquendi genus habuimus Iob V. 16.

PSALMVS CVIII.

Eadem materia quæ Pſalmi LX. Eadem quoque verba ab illo loco, *ut liberentur dilecti tui*. Anteloquium duntaxat mutatum eſt, ſumtúmque ex Pſalmo LVII. 8. mutati, ut credo, & moduli.

PSALMVS CIX.

Hoc carmen poſſumus appellare Ἀρὰς, ſive, ut Virgilius, *Diras*. multum habet hoc de ſpiritu Legis. In Euangelio & Apoſtolis nihil tale. quin & pro illo ἀποδώη αὐτῷ ὁ Κύριος [*reddat ipſi Dominus*] II Tim. IV. 14. ſummæ vetuſtatis & auctoritatis manuſcripti habent ἀποδώσει [*reddet*]. Vſurpavit nihilominùs & has voces Eccleſia in depoſitionibus Epiſcoporum, ſenſu ἀλληγορουμένῳ [*obtecto*], & ut peccatoribus horrorem incuteret ipſis ſalutarem: vocavítque hunc *Pſalmum Iſcarioticum*, quòd in Achitophelem, ut credibile, ſcriptus eſſet, cui multa cum Iuda Iſcariote communia, cui propterea verba quæ hîc poſita ſunt commate 8. aptarunt Apoſtoli Actor. I. 20.

8. *Et Epiſcopatum ejus accipiat alter*] פקד inter alia ſignificat *curare, inſpicere*. Indè פקדה, quod ἐπισκοπὴν [*epiſcopatum* id eſt *inſpectionem*] tum hîc tum alibi verterunt LXX. Ipſam vocem Græcam retinuit Latinus interpres, ſicut vocem ἐπισκόπου Cicero, cùm ſe dicit *maritimæ oræ* ἐπίσκοπον [*curatorem*] à Pompeio conſtitutum.

11. *Scrutetur fenerator omnem ſubſtantiam ejus*] Quærat undique bona in rem judicatam. Apparet legiſſe Græcos יבקש, cùm verterunt ἐξερευνάτω [*inquirat*]. Nos hodie legimus ſcriptione valde vicinâ ינקש, id eſt *teneat obſtrictum*, hypothecæ ſcilicet jure.

PSALMVS CX.

1. *Pſalmus David*] In Hebræo: לדוד, ut ſuprà ſæpè. Et quibus id adſcriptum eſt eos pro Pſalmis à Davide factis, aut ab eo approbatis accipiunt Hebræi: quia ל particula ſæpè genitivum ſignificat, ut לרגליך Græci vertunt τῶν ποδῶν σου [*pedum ſuorum*], quos hæc Latina interpretatio ſequitur. Sic Malachiæ I. 2. ליעקב Græci vertunt τοῦ Ἰακὼβ [*Iacobi*]. & I Sam. I. 3. pro ליהוה in Græco eſt τοῦ Κυρίου [*Domini*], & multa alibi talia.

Dixit Dominus Domino meo] Variè interpretantur Iudæi hunc Pſalmum, ut ejus ſenſum Chriſtianis eripiant, quâ de re egimus ad Matth. XXII. 42.

& ſequentibus. Cæterùm de Meſſia hunc interpretatur ad Danielem Rabbi Saadia Gaon.

Sede à dextris meis] Securus eſto fiduciâ mei auxilii.

Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum] Mos erat in Oriente, ut victores victos pedibus ſuis ſubjicerent: Ioſue x. 24. Intelligenda hæc in Meſſia de peccato, diabolo, imperiis multis, poſtremò de morte ipſa, ut diſcimus Corinth. xv. 25. 26.

2. *Virgam virtutis tuæ*] Id eſt, *ſceptrum*, quomodo Græci vocem מטה tranſtulerunt I Sam. xiv. 43. Abac. iii. 8.

Dominare in medio inimicorum tuorum] *Dominare*, id eſt, dominaberis *intra fines hoſtiles*.

3. *Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus Sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te*] Ἡ ἀρχὴ quod hîc in Græco eſt, & *principatum* ſignificat & *principium*. Sumſit ergò hîc interpres ſignificationem alteram pro altera, niſi *principium* dixerit pro *principatu*, ſicut *pontificium* dicitur. Præterea legerunt Græci עמך [*tecum*] cum Chiric ſub prima litera, quod nos cum Patach legimus. Illud חילך [*exercitûs tui*] interdum quidem *fortitudinem*, ſed ſæpius *exercitum* ſignificat. Senſus ex Hebræo ſic optimè exprimetur: *Populus tuus promtiſſimus erit in die prælii pulcherrimè præparatus. Ros* (id eſt, ſemen) *prolis tuæ* (id eſt, unde proles tibi naſcetur) *erit ut ros ab utero auroræ.* Non minùs erit fœcundum ſemen tuum quàm ros matutinus. קדש non *ſanctificare* tantùm, ſed & *præparare* ſignificat, ut Num. xi. 18. & ſpeciatim de præparatione ad bellum uſurpatur Ierem. vi. 4. ubi קדשו Græci vertunt παρατάξασθε [*ſtruite aciem*]. *Roris* nomine ſemen eleganti tranſlatione appellant Hebræi: indè σεμνὴ [*ſancta*] illa κρύψις [*abſconſio*] Cantic. v. 3. Vide & Eſaiæ xxvi. 29. Iidem non minùs aptâ tranſlatione *uterum* tribuunt auroræ, ut & rebus aliis Iob xxxviii. 8. 28. 29.

4. *Iuravit Dominus*] Quod non facit niſi eorum causâ quos valde amat: Geneſ. xxii. 16.

Et non pœnitebit eum] Non mutabit hoc decretum.

Tu es Sacerdos in æternum] Aut *miniſter*, ut antè diximus. Chaldæus: *Dominus futuri ſeculi.*

Secundùm ordinem Melchiſedech] Id eſt, *ad inſtar Melchiſedeci*. Lxx, κατὰ τὴν τάξιν Μελχισεδὲκ [*ſecundùm conſtitutionem de Melchiſedeco*]. quomodo & divinus ſcriptor ad Hebræos v. 6. 10. vi. 20. vii. 11. 17. 21. Ex quibus apparet legiſſe hos interpretes על דברת. Noſter textus Hebræus habet על דברתי. מלכי צדק [*Secundùm meam conſtitutionem, ô Rex mi juſte*]. Vide Prov. xxix. 14.

5. *Dominus à dextris tuis*] Adjutor tibi eſt, & velut παραστάτης [*adſtes*]. Ità ſuprà xvi. 8. & alibi.

Confregit in die iræ ſuæ Reges] Id eſt, *confringet*; ut fecit Geneſ. xiv. Exod. xiv. Num. xxi. Ioſuæ viii. x. xii. Iud. iii. I Sam. xv. II Sam. viii.

6. *Iudicabit in nationibus*] Id eſt, *vindictam in gentes exercebit*. Ità enim ſæpe ſumitur דין [*judicare* pro *vindicare*] apud Hebræos.

Implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum] Quia in Græco eſt πτώματα, ideo *ruina* vertit, cùm Hebræus textus habeat גויות *cadavera*, quæ & ipſa Græcis πτώματα. *Implebit cadavera*, id eſt, ingentem eorum cumulum faciet. *Conquaſſabit*, in Hebræo מחץ, in Græco συνθλάσει. *Franget caput ſuper terram multam.* id eſt, Principem aliquem latè regnantem, qualis eximiè eſt diabolus, ὁ ἄρχων τȣ̃ κόσμȣ τȣ́τȣ [*princeps mundi hujus*].

7. *De torrente in via bibet*] Deſcriptio bellatoris alacris, qui dum hoſtes perſequitur, non quærit diverſoria aut cauponas ut vino ſe refoveat, ſed aquâ contentus eſt, quam obiter & raptim ſumit ex quovis quem reperit non fluvio tantùm, ſed & torrente. Sic Chriſtus nullum tempus omiſit quo opera diaboli deſtruere poſſet.

Propterea exaltabit caput] Id eſt:

Sublimi feriet ſidera vertice.

Idem loquendi genus eſt Iudicum vi. 28.

PSALMVS CXI.

HOc carmen alphabeticum eſt, ſed per breviſſimos verſiculos, quaſi dimetros dicas, & ſic diſtinguendus eſt.

PSALMVS CXII.

ET hic Pſalmus talis eſt qualis qui præcedit, parique modo dirigendus.

PSALMVS CXIII.

4. S*Vper cœlos gloria ejus*] Ἐν τοῖς ἐπȣρανίοις [*in ſupercœleſtibus*], ut interdum Paulus loquitur.

7. *Suſcitans à terra inopem*] Hæc ſumta ſunt ex Annæ cantico, ad cujus hiſtoriam pertinet & is qui hunc Pſalmum claudit verſus.

PSALMVS CXIV.

7. A *Facie Domini mota eſt terra*] Reſponſio ad quæſtionem quæ præceſſit.

PSALMVS CXV.

3. O*Mnia quæcunque voluit fecit*] Et ideo homo libertatem habet, quia Deus voluit.

16. *Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filiis hominum*] In cœlo eximiè *habitare* dicitur Deus, quòd Sol & ſidera majeſtatem ejus mirificè demonſtrent; terræ autem uſus conceſſus hominibus.

PSALMVS CXVI.

1. D*Ilexi*] Nempe *Dominum*, quod ex ſequenti intelligitur.

Quoniam exaudiet] Futurum pro præterito: *quia exaudivit.*

10. *Credidi propter quod locutus ſum*] Quia firmam in Deo ſpem habui, ideo dixi id quod jam præcedit, *fore ut redirem Hieroſolyma ſoſpes ac florens.*

Ego autem humiliatus ſum nimis] In Hebræo: *Ego afflictus* (ſupple, *tunc eram) valdè*. Spem illam ſervavi in maximis calamitatibus.

11. *Ego dixi in exceſſu meo*] Vox Hebræa חפזי *pavorem* ſignificat. Etiam in ſummo pavore retinui fiduciam in Deum.

Omnis homo mendax] Id eſt, *omnis ſpes in homine poſita fallere poteſt.* Intellige ex oppoſito; *at quæ in Deo poſita eſt nequit fallere.*

13. *Calicem ſalutaris accipiam*] *Calicem ſalutis* vocat calicem gratiarum actionis pro accepta ſalute, quem paterfamilias ſolebat familiæ ſuæ προπίνειν [*propinare*]. כום הלל ποτήριον εὐλογίας [*poculum benedictionis*]. Vide quæ ad Matth. xxvi. 27.

15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*] Senſus eſt: Non facilè Deus impiis concedit ut pios occidant. quæ pretioſa ſunt non facilè largimur. Si aliter ſumas, non cohærebit cum prioribus.

PSALMVS CXVII.

2. *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia ejus*] In Hebræo eſt *excelluit.* Plus nobis boni fecit, quàm gentibus aliis.

PSALMVS CXVIII.

22. *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes*] Saül & aula ejus.

25. *O Domine ſalvum me fac*] In Hebræo, *Domine ſerva, quæſo*: nempe Regem. Nam prima Pſalmi ſunt, Regis recens uncti ii Sam. ii. poſteriora, populi ac Sacerdotum bene ominantium Regi. Ex hoc loco ſumpta vox ὡσαννὰ [*Hoſanna*] Matth. xxi. 9.

26. *Benedictus qui venit in nomine Domini*] Felix ſit Rex à Deo nobis datus.

Benediximus vobis de domo Domini] Etiam nos qui de domo Domini ſumus, id eſt, Sacerdotes, fauſta precamur Regi ac populo.

27. *Conſtituite diem ſolennem in condenſis uſque ad cornu altaris*] חג quidem propriè *diem ſolennem* ſignificat, ſed per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*] ſumitur pro *victima diei ſolennis*, ut apparet Eſai. xxix. 1. & ità hîc accepit Chaldæus interpres. Illud בעבתים quod Græci vertunt ἐν τοῖς πυκάζουσι, Latinus *in condenſis*, *funes* potiùs ſignificat: & vox prima אסרו, *ligate*, ut ſenſus ſit, *Ligate agnum funibus* (& ligatum ducite) *ad cornua uſque altaris*, ubi mactandus erat.

PSALMVS CXIX.

Eſt alphabeticus, unaquaque literâ octies repetitâ.

28. *Dormitavit anima mea præ tædio*] In Hebræo דלפה, id eſt, *ſtillavit anima mea:* hoc eſt, *liquefacta eſt ut cera.* Id Græci verterunt ἔσταξε, ut notavit Ambroſius, qui vertit *ſtillavit.* Sic & Hilarius. Ex eo librarii, additis duabus literis, fecêre ἐνύσταξε, quod eſt *dormitavit.*

33. *Legem pone mihi Domine viam juſtificationum tuarum, ac exquiram eam ſemper*] In Hebræo: *Doce me viam ſtatutorum tuorum.* Illud עקב, in Græco διὰ παντὸς, Chaldæus vertit ער גמירא [*ad conſummationem uſque*] : David Kimchi כל ימי [*omnibus diebus*]. Eſt eadem vox Hebræa infrà 112. ubi Chaldæus eodem ſenſu vertit סופא [*ad finem*]. At Græci ibi δι' ἀνταμείψιν [*propter retributionem*] : quomodo & hîc accepit Abeneſdra. Et ſuprà xix. 12. eandem vocem LXX verterunt ἀνταποδόσεις [*retributiones*].

109. *Anima mea in manibus meis ſemper*] Loquendi genus Hebræum, quod ſumma pericula ſignificat: quia quod manu tenemus, facilè eripi nobis poteſt. Sic 1 Sam. xxviii. 21. Iob xiii. 14. Defendit hanc lectionem in epiſtola Hieronymus, & Ambroſius aliquos codices ſic habuiſſe agnoſcit. At quibus ignotum fuit id loquendi genus, μου [*meis*] mutarunt in σου [*tuis*], quod ſequitur Apollinaris, Æthiops, Arabs, Pſalterium Romanum.

PSALMVS CXX.

Canticum graduum] Eadem inſcriptio Pſalmorum ſequentium ad cxxx uſque, quòd cantari ſolerent à Levitis de gradibus Templi: de quibus vide Ezech. xl.

4. *Cum carbonibus deſolatoriis*] In Hebræo: *Cum prunis juniperorum*, quas eſſe ardentiſſimas ſcribit ad Fabiolam Hieronymus.

5. *Cum habitantibus Cedar*] Qui *Cedareni* Lampridio, *Cedræi* Plinio.

6. *Multùm incola fuit anima mea. cum his qui oderunt pacem eram pacificus: cùm loquebar illis impugnabant me gratìs*] Hebræa diſtinctio hunc ſenſum facit: *Multùm ſibi habitavit* (id eſt, habitare viſa eſt) *anima mea cum his qui oderunt pacem. Ego* (vir) *pacis*, (ſupple *eram) & cùm loquebar* (pacifica,) *illi* (*loquebantur* ſcilicet) *ad bellum.*

PSALMVS CXXI.

Levavi oculos meos in montes] Verſus Sionem. Videtur ſcriptus Pſalmus de tempore quo bellum erat cum Abſolomo.

5. *Dominus protectio tua*] Σκέπη σου. In Hebræo, *umbra tua.*

6. *Per diem Sol non uret te, neque Luna per noctem*] In Hebræo eſt, *percutiet te.* Sol urit, Luna ſupra modum humectat: qua de re vide Macrobium Saturnalium vii circa finem.

8. *Dominus cuſtodit introitum tuum & exitum tuum*] Actiones tuas domi foriſque proſperat. Sic Numer. xxvii. 17. 1 Regum iii. 7. ii Paralipomenon i. 10.

PSALMVS CXXII.

5. *Quia illic ſederunt ſedes in judicio, ſedes ſuper domum David*] *Ibi eſt* magnum Synedrium, jus dicens toti regno, quæ eſt velut domus Regis.

6. *Quæ ad pacem ſunt*] Id eſt, ſalutaria.

7. *Fiat pax in virtute tua*] In Hebræo, *in antemurali tuo:* quod Græci quidam ἐν προτειχίσματί σου verterunt.

Abundantia in turribus tuis] Ἐν πυργοβάρεσί σου [*in domibus turritis*], quomodo vocari domos turrium inſtar ſtructas, ait Hieronymus. Hebræi quoque ארמנות exponunt *palatia.*

PSALMVS CXXIII.

4. *QVia multum repleta eſt anima noſtra in opprobrium abundantibus, & deſpectu ſuperborum*] Meliùs ex Hebræo ſic: *Tædio enim affecta eſt anima noſtra, opprobrio abundantium & deſpectu ſuperborum.* שאננים πλουσίους [*divites*] vertunt LXX Eſai. XXXII. 9. XXXIII. 20.

PSALMVS CXXIV.

5. *TOrrentem pertranſivit anima noſtra*] Rectiùs ex Hebræo, *Torrens ſuperaſſet animam noſtram*, id eſt, nos merſiſſet: quod & ſequentia exponunt.

7. *Laqueus contritus eſt*] *Ruptus eſt.*

PSALMVS CXXV.

5. *DEclinantes autem in obligationes*] In Hebræo: *Declinantes ad tortuoſa.* Symmachus: εἰς σκολιότητας [*ad obliquitates*]. Theodotio: εἰς διεστραμμένα [*ad diſtorta*].

PSALMVS CXXVI.

1. *IN convertendo Dominus captivitatem Sion*] Eſdræ videtur eſſe, aut alicujus coævi.

Facti ſumus ſicut conſolati] Ὡσεὶ παρακεκλημένοι, *ut illi qui ex morbo ſubitò ſaneſcunt.* Chaldæus hîc interpretatur *convaleſcentes.* Nam חלם eam ſignificationem habet Eſaiæ XXXVIII. 16. ubi Græci παρακληθεὶς ἔζησε [*conſolatus*, id eſt *ſanatus, vixit*]. Eundem ſenſum habet idem verbum Iobi XXXIX. 4. & apud Syrum Novi Teſtamenti interpretem aliquoties. Syrus hîc: *qui lætantur.*

PSALMVS CXXVII.

4. *SIcut ſagittæ in manu potentis, ità filii excuſſorum*] Illud quidem הנעורים hanc expoſitionem patitur, quam LXX vertunt ἐκτετιναγμένων [*excuſſorum*], alii τῶν πεδητῶν [*vinctorum*], nonnulli exponunt ἠκονηθέντος νοῦ [*mentis quæ acuta reddita eſt*]. Sed optima eſt interpretatio Symmachi, qui vertit τῆς νεότητος [*juventutis*]. oppoſitum habemus Geneſ. XXXV. 18. & XXXVII. 3. Filii in juventute geniti robuſtiores eſſe ſolent.

5. *Non confundetur cùm loquetur inimicis ſuis in porta*] Nemo illi audebit injuſtas lites impingere præ metu tot ultorum. Hæc ſunt ſpiritûs Legis veteris.

PSALMVS CXXVIII.

2. *LAbores manuum tuarum quia manducabis*] Vives honeſto labore partis, nemini ſupplex.

PSALMVS CXXIX.

1. *SÆpe expugnaverunt me*] Voluit dicere *oppugnaverunt*; ἐπολέμησάν με [*bellum mihi fecerunt*].

3. *Supra dorſum meum fabricaverunt peccatores*] In Hebræo, *araverunt.* Aquila & Theodotion benè ἠροτρίασαν, *laceraverunt me ut terram quæ proſcinditur.*

Prolongaverunt iniquitatem ſuam] Legerunt LXX למעלותם [*iniquitatem ſuam*]. In Hebræo meliùs למענותם, continuatâ metaphorâ; *protraxerunt ſulcos ſuos*, diu me vexarunt.

4. *Dominus juſtus concîdit cervices peccatorum*] Domuit eorum ferociam.

6. *Fiant ſicut fœnum tectorum*] Fiant ſimiles herbæ (id enim χόρτον vocant Helleniſtæ) quæ in tectis naſcitur, & humore deſtituta citò admodum perit.

8. *Et non dixerunt qui præteribant, Benedictio Domini ſuper vos*] Vt mos erat in agris, Ruth. II. 4.

PSALMVS CXXX.

1. *DE profundis clamavi ad te*] Id eſt, merſus malis. Hanc interpretationem confirmat Pſalm. LXIX. 2. & 3.

3. *Si iniquitates obſervaveris Domine, Domine quis ſuſtinebit?*] Multa in illo tempore, ut imperfectiore, diſſimulabantur quæ non diſſimularet Deus ſub federe Chriſti, ubi tanta eſt certitudo vitæ æternæ, tanta exemplorum & præceptorum ſanctitas, tanta vis Spiritûs; ſed in utroque tempore, cum diſtinctione, tamen verum eſt quod dicit Philo libro Ὅτι ἄτρεπτον τὸ θεῖον [*Deum eſſe immutabilem*], ad hanc rem appoſitè: Εἰ γὰρ βουληθείη ὁ Θεὸς δικάσαι τῷ θνητῷ χωρὶς ἐλέου, τὴν καταδικάζουσαν ψῆφον οἴσει, μηδενὸς ἀνθρώπων τὸν ἀπὸ γενέσεως μέχρι τελευτῆς βίον ἄπταιστον ἐξ ἑαυτοῦ δραμόντος, ἀλλὰ τοῦ μὲν ἑκουσίοις, τοῦ δὲ ἀκουσίοις χρησαμένου τοῖς ἐν ποσὶν ὀλισθήμασιν [*Si enim Deus vellet de mortali genere judicare ſine miſericordia, certè damnantem ferret ſententiam, cùm nemo ſit hominum qui ab ortu ad finem viam ſine lapſu per ſe decurrerit, ſed partim voluntarias, partim non voluntarias paſſus ſit lapſationes*].

4. *Quia apud te propitiatio eſt*] כי ſæpe valet *ſed*: & ità hîc ſumi par eſt. הסליחה eſt *venia, indulgentia.*

4.5. *Et propter legem tuam ſuſtinui te Domine*] Connectunt finem commatis 4. cum initio quinti, ut eſt in Hebræo, & pro תורא (*timeberis*) legerunt תורה [*legem*]. Senſus Hebræi eſt, *ut timearis*; (quaſi dicat, non immeritò enim bonus es: quia deſperatio veniæ homines à pœnitentia abſtraheret) *Exſpectavi Dominum*, &c.

5. *A cuſtodia matutina uſque ad noctem*] Hoc in Hebræo non novum comma incipit, ſed cum ſuperioribus cohæret, neque noctis eſt mentio, ſed ſic habent verba: *Anima mea* (intenta eſt) *ad Dominum, magìs quàm excubitores matutini, excubitores* (inquam) *matutini:* qui ſcilicet attentè diem exſpectant, ut ab excubiarum labore & inſomnia leventur. Repetitio autem vocum in canticis ſuavitatem quandam habet.

8. *Et ipſe redimet Iſraël*] Liberabit Iſraëlem.

Ab omnibus iniquitatibus ejus] A pœnis peccatorum. Peccatis populi totius faciliùs ignoſcit Deus. Neceſſaria venia eſt ubi totus peccavit exercitus.

PSALMVS CXXXI.

MVltum de Euangelico ſpiritu trahit hic Pſalmus. Et ſanè inter Davidis virtutes fuit magna quædam modeſtia.

1. *Neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus ſuper me*] In Hebræo: *Non arrogavi mihi magna & inconceſſa.* Id eſt, non affectavi regnum meopte inſtinctu. Theodotio: ἐν μεγαλωσύναις, ὐδὲ ὑπερβάλλȣσιν ὑπὲρ ἐμέ [*in rebus magnis & quæ ſupra me erant*].

PSALMVS CXXXII.

1. MEmento Domine David] Solomonis eſt carmen patri deſtinata implentis. Vide II Sam. VII. Confer verſum 8. & 16. cum II Paralip. VI. 41. videbis eadem eſſe verba.

6. *Ecce audivimus eam in Ephrata*] *Audivimus de eo* (ſupple *tabernaculo*) *in Ephrata*: id eſt, Bethleemi puer cùm eſſem audiveram ubi aſſervaretur Arca. Verba hæc ſunt Davidis quæ Solomo repetit.

Invenimus eam in campis ſilvæ] In Hebræo: *In campis Iahar*, id eſt, in urbe à *locis ſilvoſis* dicta *Cariathiaharim*, ubi habitabat Abinadab I Paralipomen. XIII. 6.

11. *De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam*] Id eſt, aliquem natum ex aliqua uxorum tuarum. Nam בטן in hoc ſenſu de feminis dici ſolet. Vterus autem uxoris ad maritum pertinet cum omni ſuo fructu.

15. *Viduam ejus benedicens benedicam*] Meliùs, *Eſcæ ejus.* Aquila, ἐπισιτισμὸν αὐτῆς [*victum ejus*]: Symmachus τὴν σίτησιν αὐτῆς. Vox Hebræa צידה, & *eſcam & venationem* ſignificat. Lxx in poſteriori ſignificatu ſumſerunt & verterunt θήραν [*venationem*], ut citat Hieronymus. Sed librarii literâ unâ mutatâ fecerunt χήραν [*viduam*], quod ſequuntur Hilarius, Apollinaris, Arabs, Æthiops, Pſalterium Romanum & Gallicum. Tam facilè fluunt errores.

16. *Et ſancti ejus exſultatione exſultabunt*] Ad hunc locum videtur reſpicere Chriſtus apud Iohannem V. 35.

17. *Paravi lucernam Chriſto meo*] Id eſt, poſteros regnaturos; qui dicuntur genitorum *lucerna*, quod ab eis lucem, id eſt, dignitatem trahant, I Reg. XI. 36. XV. 4.

PSALMVS CXXXIII.

ECce quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum] Menander,

Ὡς ἡδύ γ᾽ ἐν ἀδελφοῖσιν ὁμονοίας ἔρως.
[*Quàm dulcis eſt res fratrum concordans amor.*]

3. *Sicut ros Hermon qui deſcendit in montem Sion*] At longè Hermon à Sione, non minùs quàm

Πόῤῥω τὰ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα.
[*Myſûm Phrygumque diſſident fines ſatìs.*]

Sion eſt Hieroſolymis; Hermon prope lacum Galilææ: quomodo ergò ros hinc illuc defluit? Eruditi probabile putant vocem minùs frequentem שיאן [*Schion*] mutatam in vocem ſimilis ſoni ציון [*Tſion* aut *Sion*]. Eſt autem mons שיאן idem qui Hermon Deuter IV. 48. Bis ergò hîc idem dixit ut ſæpe Hebræi. De rore in vertice montium vide Deuteronom. XXXIII. 13. 14. 15.

PSALMVS CXXXIV.

1. 2. IN *noctibus extollite manus veſtras*] Nam Iſraëlitæ multi dies noctéſque in Templo continuabant, ut apparet ſuprà XCII. 3. & CXIX. 147. Vide quæ ad Lucam 11. 37. In horum gratiam factus hic Pſalmus & ſequens.

PSALMVS CXXXV.

7. EDucens nubes ab extremo terræ] Id eſt, ab omni parte horizontis.

PSALMVS CXXXVI.

1. QVoniam in æternum miſericordia ejus] *Benignitas ejus*, in Hebræo.

5. *Qui fecit cœlos in intellectu*] Miro ordine res cœleſtes diſpoſuit.

6. *Qui firmavit terram ſuper aquas*] Depreſſit maris fundum, ut mare littoribus contineri poſſet.

15. *Et excuſſit Pharaonem*] Id eſt, præcipitavit. *Et virtutem ejus*] *Exercitum ejus.*

23. *Quia in humilitate noſtra*] In miſeria noſtra. *Qui dat eſcam omni carni*] Omni animanti.

PSALMVS CXXXVII.

IEremiæ] Non eſt in Hebræo: nec Ieremias in illis locis fuit, ſed potuit abituris dediſſe hunc hymnum, ſanè περιπαθῆ [*plenum affectuum*].

1. *Super flumina Babylonis*] Alii ad Tigrim, alii ad Euphraten, alii ad Eulæum aut Chaboram. Nam *Babylon* totum imperium Babylonicum ſignificat.

3. *Et qui abduxerunt nos, hymnum*] In Hebræo, *Qui nos in acervos redegerunt*: id eſt, urbem noſtram. illud *hymnum* in Hebræo eſt שמחה, id eſt, *lætum carmen.*

5. *Oblivioni detur dextera mea*] Meliùs ex Hebræo, *Obliviſcatur dextera mea*: ſupple artem *pſallendi.*

6. *Si non propoſuero Ieruſalem in principio lætitiæ meæ*] In Hebræo, *Si non aſcendere fecero Ieruſalem ſuper caput lætitiæ meæ.* id eſt: ſi non pluris fecero recordationem urbis noſtræ everſæ, quàm ſumma quæ mihi in exſilio obtingere poſſint gaudia.

7. *Memor eſto Domine filiorum Edom, in die Ieruſalem, qui dicunt, Exinanite, exinanite uſque ad fundamentum in ea*] *In die Ieruſalem*, id eſt, cùm Ieruſalem exſcinderetur. Idumæi Eſavi ſoboles genuina lætati ſunt in malis Iſraëlitarum, ut apparet Ezech. XXV. 12. Iudicia autem Dei in Idumæos propter hanc ἐπιχαιρεκακίαν [*lætitiam ex alienis malis*] habes Ieremiæ XLIX. 7. Thren. IV. 21. 22.

8. *Beatus qui retribuet tibi retributionem tuam*] Simile LXXIX. 12.

9. *Beatus qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram*] Ex more illius ſeculi ſatìs inclemente, ſed qui odio impiarum gentium pro illo tempore excuſabatur. Vide quæ diximus de Iure Belli ac Pacis libro III. cap. IV. §. 9.

PSALMVS CXXXVIII.

HIc in Græco additur quod nec in Hebræo eſt, nec in Latino, Ψαλμὸς τῷ Δαβὶδ, Ἀγγαίου καὶ Ζαχαρίου [*Pſalmus Davidis, Aggæi & Zachariæ*], ſignificans hunc Davidis eſſe Pſalmum, ſed uſurpatum etiam Aggæo & Zachariæ: quales inſcriptiones & ſuprà habuimus.

1. *In conſpectu Angelorum pſallam tibi*] אלהים, quod hîc in Hebræo eſt & *Angelos* poteſt ſignificare, & *magni Synedrii Senatores*. Ego hoc præferam.

6. *Et alta à longè cognoſcit*] Meliùs, *& altus è longinquo cognoſcit*: ut bis idem dicatur aliis vocibus.

PSALMVS CXXXIX.

2. TV *cognoviſti ſeſsionem meam & reſurrectionem meam*] Senſus eſt, *ſive ſedeam, ſive ad eundum ſurgam*: id eſt, omnia mea otia & negotia mea noſti.

3. *Et funiculum meum inveſtigaſti*] רבעי *cubatum* ſignificat. Itaque Lxx credibile eſt κοίτην [*cubile*] vertiſſe, pro quo librarii σχοῖνον [*funiculum*] ſcripſerint, unde hæc verſio.

4. *Quia non eſt ſermo in lingua mea: Ecce, Domine, tu cognoviſti omnia*] Optimè vertas, *Cùm nondum ſermo in lingua mea, ecce jam omnia tu noviſti.* Non opus eſt ut cogitationes eloquar: jam in animo conceptas tu vides. Hîc quoque λόγος [*ſermo*] ſcripſerunt Lxx, quomodo legendum docet nos Hieronymus in epiſtola. Aquila λαλιά [*loquela*]. ſed librarii pro λόγος [*ſermo*] ſcripsêre δόλος [*dolus*], quod ſequuntur Pſalterium vetus, Hilarius, Auguſtinus.

5. *Noviſsima & antiqua: tu formaſti me*] In Hebræo, *Retro & antè tu me formaſti*, vel *circumſediſti*; nam צור utrumque ſignificat: & poſterior ſignificatio magìs huic loco convenit. Rabbini qui *formaſti* interpretantur, referunt hoc ad ſuam quam ſomniant animarum προΰπαρξιν [*præexiſtentiam*].

6. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*] Pro *ex me*, rectiùs ponas *præ me*; ut ſenſus ſit, *Admirabilior eſt ſcientia tua, quàm ut ego ei lateam.* Hoc optimè convenit cum ſequentibus.

15. *Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ*] *Os meum* intellige *oſſa*. Ità enim habet Hebræum, quanquam & *corpus* verti poteſt. Lxx pro רקמתי [*acu pictus ſum*] legêre רכשי [*facultates meæ*]. At רקמתי bene huic loco convenit: ſignificat enim velut *acu pictus ſum.* diſtinctionem pulcherrimam membrorum comparat operi Phrygionico. Illud *in inferioribus terræ* ſignificat *in utero*, ut Epheſ. IV. 9. Eſt mutua metaphora; nam & inferiora terræ *uterus* dicuntur & *cor terræ*.

17. *Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis confortatus eſt principatus eorum*] Οἱ φίλοι σου [*amici tui*]. ità verterunt רעיך: & fert quidem vox illum ſenſum. Sed & alterum *cogitationes tuæ*, quod loco huic magìs convenire videtur: ut ſenſus ſit, *quàm ſunt ſublimes ſupra me cogitationes tuæ, quàm numeroſæ ſunt earum ſummæ?* nam ראשיהם quod Græci verterunt αἱ ἀρχαὶ [*principia* vel *principatus*] vertitur per ἀριθμὸν [*numerum*] Numer. I. 49. συλλογισμὸν [*computationem*] Exodi XXX. 12.

18. *Dinumerabo eos, & ſupra arenam multiplicabuntur*] Eſt futurum pro ſubjunctivo. *Si numerem*, nempe *illas cogitationes tuas, numerum ſuperabunt, ut arenæ.*

PSALMVS CXL.

4. VEnenum *aſpidum ſub labiis eorum*] Romanor. III. 13.

10. *Caput circuitûs eorum, labor labiorum ipſorum operiet eos*] ראש & *caput* & *venenum* ſignificat. Senſus ſuperioribus bene congruet talis: *Venenum circumvenientium me, opus labiorum ipſorum ipſos operiat.* id eſt, In ipſos recidant calumniæ quibus exitium mihi ſtruunt.

11. *Cadent ſuper eos carbones*] *Cadant*, nempe ut ceciderunt ſuper Sodomitas.

PSALMVS CXLI.

5. OLeum *autem peccatoris nè impinguet caput meum*] Videntur Lxx pro ראש [*capitis*] legiſſe רשע [*impii*], & pro יני [*frangat*] legiſſe יניף [*impinguet*]. Vt nos nunc Hebræum legimus, videtur hæc interpretatio optima. *Contundat me juſtus* (caſtigationibus ſuis:) *& benignitas* (à me habebitur:) *increpet me &* (erit ut) *oleum optimum: non franget caput meum* (non dolebit mihi:) *imò oratio mea* (nempe ad Deum perſtabit) *in malis eorum*: id eſt, dum mala mihi dicent. שמן ראש [*unguentum præcipuum*] hîc *unguentum præſtantiſsimum*, ut Cantic. IV. 14. ראשי בשמים [*præcipuis aromatibus*], & Ezechielis XXVII. 22. ראש כל בשם [*præcipuum aromatum*].

6. *Quoniam potuerunt*] Legit in Græco ἠδυνήθησαν. cùm nunc ibi rectè legatur ἡδύνθησαν נעמו [*dulcia fuere*].

PSALMVS CXLII.

CVm *eſſet in ſpelunca oratio*] Ità & in Hebræo & in Græco. Repræſentatur hiſtoria quæ eſt 1 Samuel. XXIV.

5. *Conſiderabam ad dextram, & videbam*] Supple, *ad ſiniſtram.* Reſpectabam in omnem partem, num quis mihi eſſet adjutor: nemo erat.

8. *Educ de cuſtodia animam meam*] De carcere hoc. Ità appellat ſpecum in qua latebat.

PSALMVS CXLIII.

QVando *perſequebatur eum Abſalom filius ejus*] Græci hoc argumentum ſatìs convenienter appoſuerunt.

5. ***Memor fui dierum antiquorum***] In memoriam mihi revocavi pericula, è quibus olim divino beneficio evaſeram. Vide 1 Sam. XVII. 34. 35. 36. 37.

PSALMVS CXLIV.

Adverſùs Goliath] In Hebræo non eſt; ſed fuit olim in Hexaplis, & eſt nunc in Græco quo utimur. Memoriam iſtius periculi hoc carmine poſtea celebravit David.

5. *Domine inclina cælos tuos*] Vide II Sam. XXII. 10. quaſi dicat, Complana tibi viam.

13. *Promtuaria eorum plena, eructantia ex hoc in illud*] Sic Græci: ἐκ τούτου εἰς τοῦτο [*de hoc in hoc*], id eſt, *de ſpecie in ſpeciem*, quomodo optimè hîc interpretantur Abeneſdra & David Kimchi. Chaldæus mavult *de anno in annum*. Pro illo *eructantia* in Hebræo eſt *emittentia*, ſive *de ſe edentia*.

PSALMVS CXLV.

Est alphabeticus per verſus ſingulos.

13. *Fidelis Dominus in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*] Ex Græco, πιστὸς Κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ. Idem habent & Syrus & Arabs. Non eſt dubitandum quin verſus hic in Hebræis codicibus librariorum culpâ exciderit: nam deeſt verſus qui à litterâ Nun incipiat. Is autem fuerit:

נאמן יהוה בדבריו וקדוש במעלליו.

[*Fidelis Dominus in verbis ſuis, & ſanctus in operibus ſuis.*]

Quomodo ad hoc reſpondebunt qui nos jubent per omnia Maſoretarum ſtare decretis?

PSALMVS CXLVI.

Alleluja] Hæc vox erat velut ſuſcitabulum cantantium in ſumma lætitia. Tobiæ XIII. 22. Apocal. XIX. 1. 3. 4. 6.

Aggæi & Zachariæ] Hoc quoque ex Græco. Et fuit in Hexaplis.

7.8. *Dominus ſolvit compeditos: Dominus illuminat cæcos: Dominus erigit eliſos*] Mirè hæc congruunt in Chriſti tempora: nam *compediti* dicuntur qui morbis tenentur, Luc. XIII. 16. Pro *eliſos* in Hebræo eſt *curvatos*, quales ſunt παραλυτικοὶ [*ſiderati*], item ἡ συγκύπτουσα [*illa inclinata*] Luc. XIII. 11. & alii.

PSALMVS CXLVII.

2. *Ædificans Ieruſalem, diſperſiones Iſraëlis congregabit*] Optimè congruit in tempora Nehemiæ.

10. *Nec in tibiis viri beneplacitum erat ei*] Non curat celeres curſores.

PSALMVS CXLVIII.

4. *Aquæ omnes quæ ſupra cælos ſunt*] Nam etiam aër hic infimus *cælum* Hebræis. Vide Geneſeos 1. 7.

5. *Ipſe mandavit & creata ſunt*] Omnia quæ jam nominata ſunt. Etiam Angeli: contrà quàm ſentiunt Rabbini quidam. Ideo in Nicæna Synodo additum eſt: *Creatorem viſibilium & inviſibilium.*

PSALMVS CXLIX.

8. *Ad alligandos reges in eorum compedibus*] Vt factum Adonibeſeco, Iud. 1. 7.

9. *Vt faciant in eis judicium conſcriptum*] Similitudo ſumta ex ſententiis quæ deſcriptæ recitari ſolebant. Deus *deſcribere* dicitur quod decernit. Iudæ 4. Apocal. XIII. 8. XX. 15.

PSALMVS CL.

Laudate Dominum in Sanctis ejus] *In ſanctuario ipſius*: id eſt, in Templo.

4. *Et organo*] In Hebræo, עגב: de qua voce vide quæ ad Geneſ. IV. 21.

AD LIBRVM PROVERBIORVM.

CAPVT I.

GRæcè dicitur hic liber Παροιμίαι [*Proverbia*]. nimirum Hebræum מָשָׁל propriè *comparationem* ſive παραβολὴν ſignificat. Et quia ex comparationibus curtatis plerumque fiebant Proverbia, indè cœpit ſumi in ſignificatu παροιμίας [*proverbii*]: deinde latiùs, ut fit, protendente ſe vocis uſu, omnis Γνώμη [*ſententia*] ſic cœpit dici. Non repetemus hîc quæ de ea re diximus tum in Prolegomenis ad dicta Poëtarum è Stobæo, tum ad Matth. XIII. 3. Videtur autem hic liber eſſe ἐκλογὴ [*ſelectio*] optimarum ſententiarum ex plurimis qui ante Solomonem fuêre ſcriptoribus, quales ἐκλογὰς [*ſelectiones*] multi Imperatorum Conſtantinopolitanorum conſcribi in ſuos uſus fecêre. Sunt autem quæ hîc ſunt ἠθικὰ [*moralia*] omnia, pertinentia aut ad morum, aut ad prudentiæ præcepta, ſic tamen ut hæc & illa ſemper ad Dei cultum reſpiciant; quæ virtus cæteras omnes ex ſe parit, neglecta multis gentibus, maximi autem facta ab Hebræis ſapientibus, ut Ioſepho notatum eſt. Atque hinc initium ducitur hujus libri.

3. *Iuſtitiam, & judicium, & æquitatem*] צדק [*æquitas*] eſt id quod bonitati convenit. משפט [*judicium*] jus συναλλακτικὸν [*commerciorum*], quod circa contractus & delicta exerceri ſolet. quidquid præter hæc rectum eſt & ad aliquam virtutem pertinet, venit ſub nomine מישרים [*rectitudines*].

6. *Ænigmata eorum*] Αἴνους [*apologos*] multùm frequentes Orientalibus. Vide quæ in dictis jam Prolegomenis, & in Annotatis ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

32. *Averſio populorum interficiet eos, & proſperitas ſtultorum perdet eos*] Hoc ex Symmacho ſumſit Interpres: ὅτι ἀποστροφὴ νηπίων ἀνελεῖ αὐτοὺς [*incuria inſipientium perdet eos*], ubi ἀποστροφὴ eſt id quod Græcis elegantioribus dicitur ἀπερισκεψία [*incuria*]. פתים ſunt ἄνοι [*amentes*]. Oſ. VII. 11. κεπφωθέντες [*leviter circumacti*] infrà VII. 22. Et quia tales eſſe ſolent pueri, ideo ſæpe vertitur νήπιοι [*pueri*].

CAPVT II.

16. VT *eruàris à muliere aliena, & ab extranea*] Id eſt, à femina non Hebræa, quales ferè omnes à vera pietate alienæ erant, & facilè juvenum animos poterant corrumpere, ut olim Madianitides.

17. *Et relinquit ducem pubertatis ſuæ*] Adoleſcentiæ ſuæ. Deum qui ipſi vitam dedit & alimenta à prima ætate.

Et pacti Dei ſui oblita eſt] Pacti ejus quod Deus cum Noa & poſteris ejus iniit, in quo pacto comprehenditur unius Dei cultus, fuga adulteriorum, homicidiorum, & alia ejuſmodi.

18. *Inclinata eſt enim ad mortem domus ejus*] Ità viventibus Deus nè in hac quidem vita quicquam boni eſt pollicitus.

Et ad inferos ſemitæ ejus] In Hebræo: *& ad vitâ caſſos ſemitæ ejus*. Id eſt, currit ad idola, in quibus nihil eſt vitæ.

CAPVT III.

5. E*T nè innitaris prudentiæ tuæ*] Quaſi ſcilicet omnes eventus indè pendeant, & non à Deo.

7. *Nè ſis ſapiens apud temetipſum*] Nè ſis δοκησίσοφος [*tuâ opinione ſapiens*].

12. *Et quaſi pater in filio complacet*] Bene ex Hebræo. Neque enim noſter interpres LXX Senes addictè ſequitur, niſi in Pſalmorum verſione ea quæ nunc recepta eſt. At LXX legerunt non וכאב [*velut pater*], ſed ויכאב: id enim eſt μαστιγοῖ [*flagellat*], & inter בן [*filium*] & ירצה [*diligit*] ſubintellexerunt *quem*, quales ἐλλείψεις [*defectus*] frequentes Hebræis.

15. *Pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia quæ deſiderantur huic non valent comparari*] פנינים, quòd hîc *opes* tranſtulit, aliis ſunt *margaritæ*, aliis *gemmæ*. Facit locus Thren. IV. 7. ut gemmæ rubentis genus eſſe credam.

16. *Longitudo dierum in dextra ejus*] Ambabus manibus Sapientia hominibus bona largitur. Ac primùm per prudentiam multa evaduntur pericula, ſuprà 2.

Et in ſiniſtra illius divitiæ & gloria] Sic Græci; Menander,

——— Ὁ διαφέρων λογισμῷ πάντ' ἔχει
[——— *Cuncta habet cui mens adeſt.*]

Chæremon:

Ὁ γὰρ φρονῶν δὲ πάντα συλλαβὼν ἔχει
[*Qui ſapere didicit, cuncta complexus tenet.*]

18. *Lignum vitæ eſt his qui apprehenderint eam*] Arbor vitæ in Paradiſo non à morte tantùm, ſed & à morbis ſervabat. Confer quod infrà XIII. 12. XV. 4.

28. *Nè dicas amico tuo*] *Proximo tuo*, id eſt, homini cuivis tuæ opis egenti.

Vade & revertere, cras dabo tibi] Nè ſis ὁ δώσων [*daturus*]. Multi ſemper differunt beneficia; & ut non ſemper differant,

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.
[*Quod ſerò bene fit non fit bene.*]

30. *Nè contendas adverſùs hominem fruſtra, cùm ipſe tibi nihil mali fecerit*] Noli eſſe vitilitigator.

CAPVT IV.

3. E*T unigenitus coram matre mea*] Id eſt, *quaſi unigenitus, tenerrimè dilectus*. Nam plures ex

Davide liberos habuit Bethſabea. Notæ comparationis ſæpe ſubticentur.

7. *Principium ſapientiæ, poſſide ſapientiam*] Meliùs: *Per principium ſapientiæ* (id eſt, timorem Domini, ſuprà 1.7.) *acquire ſapientiam.*

Et in omni poſſeſſione tua acquire prudentiam] Quovis pretio redime.

16. *Non enim dormiunt, niſi maleſecerint*] Virgilius:

Et ſi non aliquà nocuiſſet, mortuus eſſet.

CAPVT V.

3. F*Avus enim diſtillans labia meretricis*] Pro *meretricis* in Hebræo eſt זרה, id eſt, *alienæ*, ſcilicet *uxoris*. Vide infrà 18.19.20. & VI. 29.

5. *Pedes ejus deſcendunt ad mortem*] Menander:

Οὐκ ἔστι μοιχοῦ πρᾶγμα τιμιώτερον·
Θανάτου γάρ ἐστιν ὤνιον.
[*Adulter eſt res, crede, pretioſiſſima:*
Nam morte conſtat.]

15. *Bibe aquam de ciſterna tua*] Fruere voluptate licitâ. *Ciſterna* hîc dicitur σεμνῶς [*honeſtè*], ut *fons ſignatus* Cant. IV. 12. λάκκον [*ciſternam*] hîc habent Aquila, Symmachus, Theodotion. Diphilus Gnathænæ, ψυχρὸν ἔχεις τὸν λάκκον [*frigidum habes puteum*]. Vide & infrà XXIII. 27. & Num. XXV. 8. Eſai. LI. 1.

16. *Deriventur fontes tui foràs*] Ibi ſere ubi prolem metas.

17. *Habeto eas ſolus, nec ſint alieni participes tui*] *Eas* nempe *aquas*, id eſt, uxorem. Diligens eſto tui matrimonii cuſtos. Rabbini ἀλληγορικῶς [*per ſenſum reconditum*] interpretantur de abſcondita Theologia, quam מרכבה [*Amorem*] vocant.

19. *Cerva cariſſima, & gratiſſimus hinnulus*] Multi enim talia animalia in deliciis habent. Indè illæ ſimilitudines Cant. II. 9.

Vbera ejus inebrient te] Hebræi *ubera* דוד [*amorem*] vocant, ut amorum ſedem.

In amore ejus delectare jugiter] In Græco, ἐν γὰρ τῇ ταύτης φιλίᾳ συμπεριφερόμενος πολλοστὸς ἔσῃ [*nam in ejus dilectione verſans eris magni*]. Apparet legiſſe LXX Senes שגה cum ſiniſtro puncto in prima littera; ſic enim ſignificat *multiplicari*. At cum puncto dextro inter alia *delectari* ſignificat. Et ſic vertunt quidam שגיונות *delectationes* Hab. III. 1.

CAPVT VI.

1. D*Efixiſti apud extraneum manum tuam*] In Hebræo, *comploſiſti*. Eo enim ritu apud Hebræos fiebant ſponſiones. Infrà XVII. 18. XXII. 26.

2. *Illaqueatus es verbis oris tui*] Græca ſententia, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτα [*ſponde, præſtò malum eſt*]. infrà XI. 15.

3. *Et ſuſcita amicum tuum*] *Appella mandatorem tuum.* Licebat enim, ni id fieret, creditori convenire fidejuſſorem non convento principali: infrà XX. 16. XXVII. 13.

6. *Vade ad formicam, ô piger*] Horatius:

Parvula (nam exemplo eſt) magni formica laboris,
Ore trahit quodcunque poteſt, atque addit acervo
Quem ſtruit, haud ignara, ac non incauta futuri.
Quæ ſimul inverſum contriſtat Aquarius annum
Non uſquam prorepit, at illis utitur antè
Quæſitis patiens.

7. *Quæ cùm non habeat ducem*] Sicut in apibus regni formam molita Natura eſt, ità in formicis δημοκρατίας [*popularis regiminis*].

10. *Paululùm dormies*] Οὐκ ὀλίγον τὸ παρ' ὀλίγου [*Non paullum eſt quod paulatim fit*].

22. *Cùm ambulaveris gradiantur tecum; cùm dormieris cuſtodiant te; & evigilans loquere cum eis*] In Hebræo verba ſunt ſingularis numeri, & futuri temporis, hoc ſenſu, *Cùm ambulaveris tecum ibit* (nempe lex Dei quam à patre & matre diſces); *cùm dormieris cuſtodiet te; & cùm experrectus fueris te alloquetur*. In omni actu vitæ tibi proderit. Cæterùm liber Pirke Avoth intelligit hæc tria tempora, vitæ hujus, mortis, & reſurrectionis.

26. *Pretium enim ſcorti vix eſt unius panis*] In Hebræo: *Propter ſcortum* (id eſt, adulteram, ut præcedentia & ſequentia oſtendunt) *ad buccellam panis* (id eſt, ad ſummam egeſtatem, ſupple, *devenitur*).

Mulier autem viri pretioſam animam capit] *Mulier viri*, id eſt, alteri nupta. Ea cauſa ſæpe eſt cur adulter vitam amittat. Ac viciſſim adulter adulteræ, ut modò dicentem Menandrum audivimus.

30. *Non grandis eſt culpa cùm quis furatus fuerit*] In Hebræo, *Non afficitur probro fur*; non cæditur flagris, ſed compellitur ad reſtitutionem cum augmento. At adulter occiditur.

31. *Deprehenſus quoque reddet ſeptuplum*] Ex Hebræo meliùs vertas, *Deprehenſus rependit ſepties*: id eſt, etiamſi ſepties furti convincatur, non ultrà tenetur quàm ad reſtitutionem, qualem jam diximus. Sic vox שבעתים [*ſepties*] ſumitur Pſal. XII. 7.

Et omnem ſubſtantiam domûs ſuæ tradet] Quamdiu res habebit unde ſolvat non ducitur in nervum.

34. *Quia zelus & furor viri non parcet in die vindictæ*] Sive ex dolore, deprenſo fortè adultero:

exigit autem
Interdum ille dolor plus quàm lex ulla dolori
Permiſit,

ut ait Iuvenalis Satyrâ X: ſive etiam re in judicium adductâ, ubi convictus adulter non repetet crimen, quod fures interdum faciunt, ſed ſtatim capite luet.

CAPVT VII.

10. G*Arrula & vaga*] Sic *vagum ſcortum* dixit Horatius.

12. *Nunc juxta angulos inſidians*]

Cunctis in triviis & angiportis,

ut ait Catullus.

14. *Victimas pro ſalute vovi*] Pro tua ſalute.

16. *Aſperſi cubile meum myrrhâ & aloe & cinnamomo*] Odoravi illud. אהלים quod hîc *aloe* vertitur, *ſandalum* interpretantur Iudæi.

20. *In die plenæ lunæ reverſurus eſt in domum ſuam*] Sic vocem hanc vertit ex Hebræo Hieronymus Pſalm. LXXX. 4. in verſione ex Græco, *neomeniam*. Et eodem modo hîc interpretatur Abeneſdra. Propius vero eſt eſſe à כסס *ſupputare*, & ſignificari *tempus*

ſupputatum, ſive *certum, condictum, conſtitutum.* Hoc dicit mœcha, nè adulter deprehendi metuat.

CAPVT VIII.

1. N*Vmquid non Sapientia clamitat*] Hæc de ea ſapientia quæ in Lege apparet exponunt Hebræi: & ſanè ei, ſi non ſoli, at præcipuè, hæc attributa conveniunt.

4. *O viri*] Proceres.

Ad filios hominum] Plebeios.

14. *Meum eſt conſilium*] Mihi debetur.

22. *Dominus poſſedit me initio viarum ſuarum*] Græcum Aquilæ eſt ἐκτήσατό με [*poſſedit*], ut & Symmachi & Theodotionis, reſpondétque bene Hebræo קנני, & corrigendus ex eo locus Chryſoſtomi in Ambiguis Tomo VI. At Chaldæus habet ברא, & LXX ἔκτισε [*creavit*], ſenſu non malo, ſi *creare* ſumas pro *facere ut appareat*. *Viæ Dei* ſunt operationes ipſius. Senſum hujus loci & ſequentium non malè exprimas cum Philone De Coloniis: ὁ λόγος ὁ πρεσβύτερος τῶν γένεσιν εἰληφότων, οὗ καθάπερ οἴακος ἐνειλημμένος ὁ τῶν ὅλων κυβερνήτης πηδαλιουχεῖ τὰ σύμπαντα, καὶ ὅτε ἐκοσμοπλάστει χρησάμενος ὀργάνῳ τούτῳ πρὸς τὴν ἀνυπαίτιον τῶν ἀποτελουμένων σύστασιν [*Verbum primum inter ea quæ genita ſunt, quod tanquam gubernaculum apprehendens Gubernator omnium cuncta dirigit, & hoc ipſo uſus eſt inſtrumento cùm Mundum finxit, ut res omnes faceret exſiſtere ſine vitio*].

25. *Ante colles ego parturiebar*] Chaldæus, *genita eram.*

27. *Quando præparabat cælos aderam*] Id eſt, ἦν πρὸς τὸν Θεὸν [*erat apud Deum*], ut infrà 30. Ioh. Euangelio I.1.

CAPVT IX.

1. S*Apientia ædificavit ſibi domum*] Corpus humanum.

Excidit columnas ſeptem] Quot erant poſtes in Templo ſub gazophylaciis. Intelligit autem quinque ſenſus, & duos præterea quos addunt alii, vocem & memoriam.

2. *Immolavit victimas ſuas*] Plurima bona præparavit hominibus, ſi uti norint. Hæc ſenſu eminentiore ad Euangelium optimè referuntur. Matt. XXII. 4.

8. *Noli arguere deriſorem*] Planè impium. *Deſperatis non adhibendam medicinam*, ait Hippocrates. Vide quæ ad Matth. VII.6.

13. *Mulier ſtulta & clamoſa*] Voluptas.

18. *Et ignoravit quòd ibi ſunt gigantes*] רפאים potiùs *exanimes* ſignificat hoc loco & aliis.

PARABOLÆ SALOMONIS] Quæ præceſſerunt exhortationes ſunt generales ad ſapientiam & ducem ejus pietatem. Sequuntur nunc præcepta ſpecialia, pleraque per antitheta: quia oppoſita inter ſe comparata magìs luceſcunt.

CAPVT X.

7. N*Omen impiorum putreſcet*] Frequens in ore Hebræorum ſententia, quod breviatum ſic ſcribunt. ש. ר. י.

12. *Vniverſa delicta operit charitas*] Condonat quidquid condonari poteſt, 1 Petri IV. 8. 1 Corinth. XIII. 7.

25. *Iuſtus autem quaſi fundamentum ſempiternum*] Aquila, Symmachus, Theodotion, ὁ δὲ δίκαιος, θεμέλιος αἰώνιος. Maimonides intelligit *fundamentum mundi*, & dicit *mundum ſtare ob juſtos.*

CAPVT XI.

1. S*Tatera doloſa abominatio eſt apud Deum*] Similia infrà XX. 10. & 23. in una ſpecie omne genus injuſtitiæ vetatur. Omnis enim injuſtitia ἀνισότης [*inæqualitas*].

10. *In bonis juſtorum exſultabit civitas*] Euripides Hecubâ:

Ἐν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ὅταν τις ἐσθλὸς καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ
Μηδὲν φέρηται τῶν κακιόνων πλέον.
[*Hinc civitatis publica ægrotat ſalus,*
Virtute quoties clarus & conſtans fide
Nîl præmiorum peſſimos ſupra refert.]

14. *Vbi non eſt gubernator, populus corruet*] In Hebræo: *Sine induſtriis corruet populus.*

——— οὐ γὰρ οἱ πλατεῖς,
Οὐδ' εὐρυνῶτοι φῶτες ἀσφαλέστατοι,
Ἀλλ' οἱ φρονοῦντες εὖ κρατοῦσι πανταχοῦ,
——— [*Non populi ſita eſt*
In mole vaſta corporis ſecuritas,
Sed mente quiſquis præſtat imperium obtinet,]

ait Sophocles Ajace.

17. *Qui autem crudelis eſt, etiam propinquos abjicit*] In Hebræo, *Crudelis verò carnem ſuam turbat*: id eſt, rationem nullam habet propinquitatis. Vide Deuteron. XXIII. 7. & quæ allata nobis de Iure Belli ac Pacis II. cap. VII. §. 10. & in Annotatis.

22. *Circulus aureus in naribus ſuis*] Id eſt, *porcæ.* Habebant feminæ monilia ἐπίρρινα [*ad nares*]. Vide Iobum XLII. 11. & ibi dicta.

24. *Alii rapiunt non ſua, & ſemper in egeſtate ſunt*]

Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι·
Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις,
[*Aliena namque pro ſuis qui vindicant,*
Perſæpe non tantùm improbâ ſpe decidunt
Victi, ſed apponunt & alienis ſua,]

ait Menander.

26. *Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis*] Id eſt, *qui flagellat annonam, Dardanarius.*

Benedictio autem ſuper caput vendentium] In Hebræo *frangentis*: id eſt, aliis communicantis non iniquo pretio. Exemplum in Ioſepho Ægypti Præſide.

29. *Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit ventos*] Qui neque ordinem neque modum ſervat in adminiſtratione rei familiaris.

CAPVT XII.

10. N*Ovit juſtus jumentorum ſuorum animas*] N[illegible]vit, id eſt, curam gerit, ut Pſalm. I. 6. Laudabile eſt etiam adversùs animantia muta aliquâ uti bonitate, quo longiùs à feritate in homines

abſtineatur. Vide quæ diximus ad Deuteron. xxv. 4. & ad Levit. xxii. 28.

16. *Qui autem diſſimulat injuriam callidus eſt*] In Hebræo ſic potiùs: *Cautus injuriam diſſimulat.* Apud potentes id maximè neceſſarium, ubi ad ſenectutem non pervenitur, niſi accipiendo injurias, & diſſimulando. Sed & apud alios,

Profeſſa perdunt odia vindictæ locum.

20. *Qui pacis ineunt conſilium, ſequitur eos gaudium*] Sic Euripides cogitari jubet:

Ὅσῳ τι πολέμου κρεῖττον εἰρήνη βροτοῖς,
Ἣ πρῶτα μὲν Μούσαισι προσφιλεστάτη,
Γόοισι δ' ἐχθρὰ, τέρπεται δ' εὐπαιδίᾳ,
Χαίρει δὲ πλούτῳ.
[*Quantóque potior Marte pax mortalibus,*
Quæ docta nutrit ſtudia, quæ luctus fugat,
Fœcunditate gaudet, opulentat domum.]

24. *Manus fortium dominabitur; quæ autem remiſſa eſt, tributis ſerviet*] רמיה non malè tranſtulit *remiſſa.* nam רמה eſt *projicere.* Sic *projecta patientia* apud Tacitum. Erinna in hymno Fortitudinis:

Σοὶ μόνα πρέσβιστα δέδωκε Μοῖρα
Κῦδος ἀρρήκτω βασιληῖον ἀρχᾶς.
[*Nam tibi ſoli tribuêre Parcæ*
Sceptra non unquam peritura regni.]

C A P V T XIII.

7. *Eſt quaſi dives cùm nihil habeat*] In Hebræo: *Eſt qui ditat ſe,* (id eſt, ditem jactat ac prædicat) *& non eſt ei quicquam.* Hi ſunt quos Græci πτωχαλάζονας [*in mendicitate ſuperbos*] vocant. Vide Theophraſtum, περὶ ἀλαζονείας [*De arrogantia*], & oſtentatoris characterem in libro iv. ad Herennium.

Et eſt quaſi pauper cùm in multis divitiis ſit] Hic eſt εἴρων Ariſtoteli, *diſſimulator opis propriæ* Horatio.

8. *Redemtio animæ viri, divitiæ ipſius: qui autem pauper eſt increpationem non ſuſtinet*] Poſtrema hæc apud Lxx ſic ſunt: πτωχὸς δὲ οὐχ ὑφίσταται ἀπειλήν [*at pauper non ſuſtinet minas*]. Alii οὐ φέρει ἐπιτίμησιν [*non fert objurgationem*]. Videntur pro שמע legiſſe חנך hoc ſenſu: *Vir dives, ſi quid ei ab inimico periculum immineat, pecuniis id à ſe avertit: & pauper, ſi quis ei minetur, non manet, ſed fugit.* Poteſt & vulgata lectio ſic exponi: *non audit*, id eſt, *non ſuſtinet audire.*

20. *Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit*] Vt Græci dicunt:

Σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ.
[*Dat ſapere Regi turba ſapientum comes.*]

Theognis:

Ἐσθλῶν μὲν γὰρ ἀπ' ἐσθλὰ μαθήσεαι· ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
[*Sæpe bonis junctus diſces bona: ſi comiteris*
Sæpe malos perdes quod tibi mentis erat.]

Amicus ſtultorum ſimilis efficietur] Nam

Φθείρουσιν ἤθη χρήσθ' ὁμιλίαι κακαί.
[*Colloquia mores prava corrumpunt bonos.*]

quod ex Menandro deſumſit Paulus Apoſtolus.

24. *Qui parcit virgæ odit filium ſuum*] Id eſt, eundem habet exitum quaſi eum odiſſet. Sic multa dicimur velle, non quòd propriè ea velimus, ſed quòd ea agimus, unde talia conſequuntur. Exempla vide Matth xxvi. 12. Iohan. xii. 7. Lucæ xi. 48. Ezechiel. xviii. 31. xxxiii. 11. ubi *moriemini* eſt poſitum pro *vultis mori.* Simile Pſalm. cvi. 24. ſuprà hîc viii. 36. infrà xvii. 19.

C A P V T XIV.

1. *Sapiens mulier ædificat domum ſuam*] Auget rem familiarem. ſic ſæpè ſumitur Hebræum בנה [*ædificare*].

9. *Stultus illudet peccatum, & inter juſtos morabitur gratia*] *Stulti excuſant* alii aliorum *peccata*, & *inter juſtos* eſt (verè ſcilicet) *benevolentia.* Idem velle atque idem nolle inter malos factio, inter bonos amicitia eſt: illos jungit vitiorum ſimilitudo: hos par honeſti ſtudium. Τελεία δ' ἐστὶν ἡ τῶν ἀγαθῶν φιλία καὶ κατ' ἀρετὴν ὁμοίων [*Perfecta amicitia ea eſt demum quæ inter bonos eſt & virtute ſimiles*], Ariſtotel. Ethic. viii. 4.

28. *In multitudine populi dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis*] Scriptor quæſtionum ad Orthodoxos: Πικροτάτη τιμωρία τῶν ἡμαρτηκότων βασιλέων ἡ τιμωρία τοῦ λαοῦ [*Acerbiſſima Regibus qui peccarunt pœna eſt pœna quam populus patitur*], Vide ii Samuel. xxiv.

30. *Putredo oſſium invidia*] *Putredo* in Hebræo nomen eſt generale, ſub quo comprehenditur & *teredo.* Menander:

Μειράκιον, οὔ μοι καταvoεῖν δοκεῖς ὅτι
Ὑπὸ τῆς ἰδίας ἕκαστα κακίας σήπεται,
Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεστιν ἔνδοθεν·
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον, ἂν σκοπῇς,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες, ἡ δὲ θρὺψ ξύλον·
Ὁ δὲ τὸ κάκιστον τῶν κακῶν πάντων φθόνος
Φθισικὸν πεποίηκε καὶ ποιήσει καὶ ποιεῖ
Ψυχῆς πονηρᾶς δυσεβὴς παραστάτης.
[*Adoleſcens, id quod res eſt non intelligis;*
Vitio ſuopte conſumuntur ſingula,
Et rei cujuſque pernicies intus latet:
Hoc eſt ferrugo ferro, ſi conſideres,
Ligno teredo, tineæque veſtibus:
Invidia verò, quod malorum peſſimum eſt,
Tabem creavit, & creabit, & creat,
Vera ſatelles animi corrupti impia.]

32. *In malitia ſua expelletur impius: ſperat autem juſtus in morte ſua*] *Malitiam* hîc intellige res adverſas, ut Matth. vi. 34. Nec aliud hîc intelligitur *mortis* nomine; quanquam latet ſenſus ſublimior, quem Chriſtiani optimè intelligunt.

34. *Iuſtitia elevat gentem, & miſericordia populorum peccatum*] Optima verſio hæc eſt: *Iuſtitia exaltat gentem, & beneficentia expiatio eſt populi.* Prius comma idem eſt cum illo quod eſt in veteri oraculo Græco:

Ἀνδρὸς δ' εὐόρκου γενεὰ μετόπισθεν ἀμείνων.
[*Felix progenies ſanctè jurantibus orta.*]

Alterum hoc vult, operibus illis quæ non debentur, non jam dico lege naturali, ſed nec lege Moſis, quæ alioqui multa officia in populares præcepit, multa peccata expiari. Nam *expiatio* non minùs quàm *crimen* ſignificatur voce חטא. de diſcrimine vocis

צדק [*æquitatis*] & חסד [*miſericordiæ*] diximus quædam de Iure Belli ac Pacis II. c. XIV. 6. Nè idem repetamus, vide quæ diximus ad Lucæ XI. 41.

CAPVT XV.

8. V*ictimæ impiorum abominabiles Domino*] Plato Alcibiade II. Οὐ γάρ, οἶμαι, τοιοῦτόν ἐστι τὸ τῶν θεῶν, ὥστε ὑπὸ δώρων παράγεσθαι, οἷον κακὸν τοκιστήν· ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς εὐήθη λόγον λέγομεν, ἀξιοῦντες Λακεδαιμονίων ταύτῃ περιεῖναι. καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ. πολλῷ μᾶλλον, οἶμαι, ἢ πρὸς τὰς πολυτελεῖς ταύτας πομπάς τε καὶ θυσίας, ἃς οὐδὲν κωλύει πολλὰ μὲν εἰς θεοὺς, πολλὰ δ᾽ εἰς ἀνθρώπους ἡμαρτηκότας, καὶ ἰδιώτην καὶ πόλιν ἔχειν ἀν᾽ ἕκαστον ἔτος τελεῖν. οἱ δὲ, ἅτε οὐ δωροδόκοι ὄντες, καταφρονοῦσιν ἁπάντων τούτων, ὥς φησιν ὁ θεὸς καὶ θεῶν προφήτης. κινδυνεύει γοῦν καὶ παρὰ θεοῖς καὶ παρ᾽ ἀνθρώποις τοῖς νοῦν ἔχουσι δικαιοσύνη τε καὶ φρόνησις διαφερόντως τετιμῆσθαι [*Neque enim exiſtimo tale diis eſſe ingenium ut donis ducatur, quomodo ſolent mali creditores; ſed & nos rem ſtultam dicimus cùm per eam rem volumus eſſe Lacedæmoniis ſuperiores. Res enim eſſet dura, ſi ad dona & victimas noſtras ſpectarent dii, & non ad animam, id eſt, an quis juſtus ſanctuſque ſit. Imò verò, ut ego arbitror, multò magis illi reſpiciunt, quàm ſpecioſos ludos & ſacrificia, multa quidem Diis, frequenter verò etiam hominibus hallucinatis fieri ſolita, quæ facilè quotannis exhibere poſſunt tam civitates quàm privati. At dii, ut qui non ſint donis ineſcabiles, contemnunt talia, ut ait Deus & deorum propheta. Videtur ergò apud deos & apud homines mente præditos juſtitia & prudentia maximum obtinere honorem*].

11. *Infernus & perditio coram Domino*] Ea quæ dicuntur eſſe ἐν ᾅδου [*in inferno*], quia oculis noſtris non apparent, tamen Deo ſunt conſpicua.

16. *Melius eſt parum cum timore Domini, quàm theſauri magni & inſatiabiles*] Hinc ſumtum videtur illud Pauli 1 Tim. VI. 6. Ἔστι δὲ πορισμὸς μέγας ἡ εὐσέβεια μετ᾽ αὐταρκείας [*Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia*]. Vide infrà XVI. 8. & XVII. 1.

17. *Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio*] In Hebræo ad verbum ſic: *Melius convivium oleris & dilectio ibi, præ bove ſaginato & odium ibi.* Illa *& ibi* ſunt pro *ubi*. Olerum cœna pauperum eſt.

Ὡς κῆπον τεθυκὼς δεῖπνον παρέθηκεν Ἀπελλῆς,
Οἰόμενος βόσκειν ἀντὶ φίλων πρόβατα.
Ἦν ῥαφανὶς, σέρις ἦν, τῆλυς, θρίδακες, πράσα, βολβὸς,
Ὤκιμον, ἡδύοσμον, πήγανον, ἀσπάραγος.
[*Convivas, hortum quaſi ſacrificaſſet, Apelles*
Excipit: an ſolas fortè vocavit oves?
Ponit enim mentam, lactucas, ocyma, bulbos,
Intubáque & raphanos, allia & aſparagos.]

Contrà *bos* aut *vitulus ſaginatus* inter optimas epulas. Lucæ XV. 23.

23. *Lætatur homo in ſententia oris ſui: & ſermo opportunus eſt optimus*] *Et* pro *at*. Senſus eſt, *Facilè quilibet ſibi placet ob ea quæ dixit; ſed illa verè bene dicta ſunt, quæ dicta ſunt* ἐν καιρῷ [*in tempore*].

24. *Semita vitæ ſuper eruditum, ut declinet de inferno noviſſimo*] In Hebræo: *Via vitæ ad ſuperna* (ſupple *tendit*) *intelligenti, ut deflectat ab inferno qui ſubter eſt.* id eſt, Homo ſapiens in omnibus actionibus ſuis Deum reſpicit, ut à periculo ſervetur.

27. *Conturbat domum ſuam qui ſectatur avaritiam: qui autem odit munera vivet*] *Vivet*, id eſt, florebit. Heſiodus:

Οὐδέποτ᾽ ἰθυδίκαισι μετ᾽ ἀνδράσι λιμὸς ὀπηδεῖ,
Οὐδ᾽ ἄτη· θαλίῃς δὲ μεμηλότα ἔργα νέμονται.
Τοῖσι φέρει μὲν γαῖα πολὺν βίον· οὔρεσι δὲ δρῦς
Ἄκρη μέν τε φέρει βαλάνους, μέσση δὲ μελίσσας·
Εἰροπόκοι δ᾽ ὄϊες μαλλοῖς καταβεβρίθασι·
Τίκτουσιν δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσιν·
Θάλλουσιν δ᾽ ἀγαθοῖσι διαμπερές.
[*Nunquam dira fames juſtos cladeſque ſequuntur,*
Sed celebrant lætis convivia feſta diebus.
Terra illis fruges glebâ parit ubere; glandes
Quercubus in ſummis, mediis examina pendent;
Incedunt pecudes veſtitæ vellere multo;
Laudatur ſimili generoſa puerpera prole:
Largáque cuncta fluunt illis bona.]

Poſtea verò:

Ταῦτα φυλασσόμενοι, βασιλεῖς, ἰθύνετε μύθους,
Δωροφάγοι, σκολιῶν δὲ δικῶν ἐπιπάγχυ λάθεσθε.
Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμὸς καὶ πάντα νοήσας,
Καί νυ τάδ᾽, αἴκ᾽ ἐθέλησ᾽, ἐπιδέρκεται, οὐδέ ἑ λήθει
Οἵην δὴ καὶ τήνδε δίκην πόλις ἐντὸς ἐέργει.
[*His moniti, Reges, queîs ſumere dona fuit mos,*
Parcite judiciis curvis, edicite recta.
Lædere ſe ſolet ipſe alios qui lædere quærit;
Qui malus eſt aliis ſæpe eſt ſibi peſſimus ipſi.
Omnia conſpiciens oculus Iovis, omnia curans,
Hæc, ſi vult, quæ dico videt bene, nec fugit ipſum
Qualia nunc noſtram reddantur jura per urbem.]

33. *Timor Domini, diſciplina ſapientiæ: & gloriam præcedit humilitas*] *Humilitas* hîc modeſtiam ſignificat. Gloria fugientem ſequitur. Hebræam lectionem qualem nos habemus ſecutus hîc eſt Interpres, non Græcorum qui vertunt ἀποκριθήσεται αὐτῇ [*reſpondebit ipſi*], ab ענה, quod eſt *reſpondere*. Tum verò & capita apud Græcos in hoc libro diſtincta aliter, & multæ ſententiæ aut omiſſæ aut additæ, ut in Eclogis fieri ſolet, quæ cauſa eſt cur & eædem ſententiæ in hoc libro diverſis in locis inveniantur poſitæ, quia ad plures quaſi titulos referri poterant.

CAPVT XVI.

4. V*Niverſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*] Senſus non eſt malus, ſi *propter ſemetipſum* intelligas non quòd opus quoquam Deus habeat, ſed ut proprietates ſuas notas faciat, & impium non fieri talem à Deo, (abſit hoc) ſed fieri ſive poni ad mala. Verùm melior erit hæc interpretatio: *Singula Deus facit* (id eſt, ordinat) *ad id quod ſingulis convenit. Etiam impius ad diem calamitoſum* (ſupple *ordinatus à Deo*). Nam ענה inter alia, ut & vox *reſpondendi* Latina, ſignificat τὸ συστοιχεῖν [*eâdem ſerie locari*]. ſic Eccleſ. x. 19. יענה eſt *compenſat*. Neque ſanè aliter ſumsêre hunc locum LXX. Πάντα τὰ ἔργα τοῦ Κυρίου μετὰ δικαιοσύνης

φυλάσσεται δὲ ὁ ἀσεβὴς εἰς ἡμέραν κακήν [*Omnia opera Dei cum juſtitia. ſervatur autem impius ad diem malum*].

7. *Cùm placuerint Deo viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*] Exemplum in Ioſepho & fratribus.

10. *Divinatio in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus*] קסם [*divinare*] vox eſt media, & differt à *prophetia*, ut apparet Eſaiæ III. 2. Senſus eſt, Deum Regibus, piis ſcilicet, inſignem largiri ἀγχίνοιαν [*ſolertiam*], ut in judiciis miris modis verum reperiant. Exemplum vide 1 Reg. III. 16. & ſequentibus. Heſiodus in Theogonia de Rege:

——— οἱ δέ νυ λαοὶ
Πάντες ἐς αὐτὸν ὁρῶσι διακρίνοντα θέμιστας
Ἰθείῃσι δίκῃσιν· ὁ δ᾽ ἀσφαλέως ἀγορεύων,
Αἶψά τι καὶ μέγα νεῖκος ἐπισταμένως κατέπαυσε.
[——— *Omnis in illum*
Ora ſimul vertit populus cùm limite vero
Ambiguum cauſæ ſecat, & certamina magna
Compeſcit, ſubitò ſapientia verba profatur.]

11. *Pondus & ſtatera judicii, Domini ſunt: & opera ejus omnes lapides ſacculi*] *Statera judicii* hîc eſt ſtatera juſta. Lapidibus Hebræi & vicinæ gentes utebantur pro ponderibus, & eos reponebant in ſacculos, Deut. XXV. 13. Theodotion hîc, πάντα στάθμια μαρσίππου [*omnia pondera ſacculi*]. Senſus eſt: juſtitiæ cognitionem hominibus à Deo, ut eximium munus, datam; ut & Heſiodus dixit,

Ἀνθρώποισι δ᾽ ἔδωκε δίκην. ———
[*Iuſtitia humano generi data.* ———]

14. *Indignatio Regis, nuntii mortis*] *Cujus iræ nihil obſtat, cujus graviori ſententiæ ipſi qui pereunt aſſentiuntur, quem nemo interrogaturus eſt, imò, ſi vehementiùs excanduit, nè deprecaturus quidem.* Senecæ hæc ſunt libro de Clementia primo, cap. V.

15. *In hilaritate vultûs Regis, vita*] *Bonâ ſpe omnes implet. Non prodit, ſed oritur*, ait Seneca.

Quaſi imber ſerotinus] Vide Deuteronom. XI. 14. Iac. V. 7. מלקוש eſt meſſis tempore. יורה vel מורה veris tempore, cujus circumſcriptio Amoſi IV. 7.

21. *Qui ſapiens eſt corde, appellabitur prudens, & qui dulcis eloquio, majora percipiet*] In Hebræo: *Dulcedo labiorum addet doctrinam*, id eſt, doctrinam faciet pretioſiorem, pondus ei adjiciet. Euripides in Hecuba:

Πειθὼ δὲ τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην.
[*Flexanima rerum Suada regina omnium.*]

29. *Vir iniquus lactat amicum ſuum, & ducit eum per viam non bonam*] Pro *iniquus* eſt in Græco παράνομος [*legis tranſgreſſor*]: & pro *lactat* Aquila & Theodotion habent ἀπατήσει [*decipiet*]. Critias:

Ὅστις δὲ τοῖς φίλοισι πάντα πρὸς χάριν
Πράσσων ὁμιλεῖ, τὴν παραυτίχ᾽ ἡδονὴν
Ἔχθραν καθίστησ᾽ εἰς τὸν ὕστερον χρόνον.
[*Quicunque amico cuncta quæ placeant agit*
Dicitque ſemper, gratiam in præſens emit;
Sed quæ ſtet odio poſt futuro in tempore.]

Vide Plutarchum, Quomodo adulator & amicus internoſcantur.

32. *Melior eſt patiens viro forti, & qui dominatur animo ſuo expugnatore urbium*] Idem dicit quod Ovidius:

Fortior eſt qui ſe quàm qui fortiſſima vincit
Mœnia, nec virtus altiùs ire poteſt.

33. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*] Nempe ſortes quas Lex præcipit, ut in hereditatum diviſione; aut Prophetæ, ut Samuël in electione Regis: idem in electione Apoſtoli Actor. I. 24. 25. 26.

CAPVT XVII.

2. S*Ervus ſapiens dominabitur filiis ſtultis*] Manumiſſus, tutor filiis relinquetur. Galat. IV. 1. 2. Τὸ ἄρχειν κρείσσονος [*imperare eſt melioris*], ajunt Philoſophi.

Et inter fratres hereditatem dividet] Tutorio officio.

10. *Plus proficit correptio apud prudentem, quàm centum plagæ apud ſtultum*] In Hebræo pro *plus proficit* eſt *deſcendit*: id eſt, in animum penetrat. *Sapienti dictum ſat eſt.*

11. *Angelus autem malus mittetur contra eum*] Nuntius qui ei mortem denuntiet.

14. *Qui dimittit aquam caput eſt jurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, judicium deſerit*] Meliùs ſic ex Hebræo, *Aperit aquas, qui principium eſt contentionis: propterea antequam lis commiſceatur, deſere.* Vt qui incile facit in ripa amnica, neſcit quouſque amnis ſit penetraturus: ità qui jurgia incipit, quare priuſquam incaleſcant, incidenda ſunt.

15. *Qui juſtificat impium*] Id eſt, eum abſolvit, aut illi cauſam injuſtam adjudicat. *juſtificare* eſt tractare ut juſtum.

16. *Qui altam facit domum ſuam quærit ruinam, & qui evitat diſcere occidet in malo*] Hoc ex Græco eſt, non ex Hebræo.

17. *Omni tempore diligit qui amicus eſt*] Qui verè amat, mutatâ fortunâ amicum non deſerit. Menander:

Χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί·
Ἡ δ᾽ ἐν φίλοις εὔνοια καιρῷ κρίνεται.
[*Aurum explorari ſolet admotis ignibus;*
At amicus quis ſit verus docet occaſio.]

Et frater in anguſtiis comprobatur] Amicus in rebus adverſis velut frater apparet, imò plus quàm frater, ut mox dicitur XVIII. 24. nec aliter cenſet Euripides Oreſte:

Ὡς ἀνὴρ, ὅστις τρόποισι συντακῇ, θυραῖος ὢν
Μυρίων κρείσσων ὁμαίμων ἀνδρὶ κεκτῆσθαι φίλος.
[*Namque morum copulatus fœdere, externus domo*
Longè amicus ante amicos quos dedit cognatio.]

Bene autem, *in anguſtiis.*

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum
Tempore ſic duro eſt experienda fides,

ait Ovidius. Pro *comprobatur* in Hebræo eſt *naſcitur*, pro *oſtendit ſe.*

19. *Qui meditatur diſcordias, diligit rixas, & qui exaltat oſtium quærit ruinam*] Senſus meliùs cohærebit ſi ex Hebræo vertas: *Diligit iniquitatem* (id eſt, omne peccati genus) *qui diligit jurgium, & ampliat januam ejus* (nempe iniquitatis) *qui quærit fracturam*, id eſt diſſidia. Diſcordia multis peccatis viam aperit.

23. *Munera de ſinu impius accipit, ut pervertat ſemitam judicii*] Vide quæ ſuprà XV. 27. & Deuteronom. XVI. 19.

28. *Stultus quoque ſi tacuerit, ſapiens reputabitur*] Sicut cuidam dictum eſt: *Si tacuiſſes, philoſophus fuiſſes.*

CAPVT XVIII.

1. *Occaſiones quærit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis*] Hebræorum verborum ſenſus hic videtur eſſe: *Quantum lubet inquirit* (ſupple *rerum naturam*, ex ſequentibus) *is qui ſabducit ſe turbæ: in omni rerum natura miſcet ſe.* Sequitur jam ἀντίθετον [*membrum oppoſitum*].

2. *Non recipit ſtultus verba prudentiæ, niſi ea dixeris quæ verſantur in corde ejus*] Ex Hebræo ſic: *Non amat ſtultus intelligentiam, niſi ut manifeſtet ſe cor ejus.* Duorum horum ἀντιθέτων [*oppoſitorum*] hic ſenſus eſt, Philoſophum non quærere quibus ſe jactet, ſed delectari rerum cognitione per ſe: at vanos homines nihil addiſcere, niſi ut pro lubitu ſe oſtentent aliis.

5. *Accipere perſonam impii non eſt bonum*] Perſonam, ſive, ut Hebræi loquuntur, *faciem accipere* dicitur qui qualitatibus ad cauſam nihil pertinentibus movetur, putà divitiis, amicitiâ, propinquitate. Hæc enim apparent; cauſa ſcrutanda eſt.

9. *Qui mollis & diſſolutus eſt in opere ſuo, frater eſt ſua opera diſſipantis*] In Hebræo: *Etiam qui piger eſt in opere, frater eſt* (id eſt, par eſt) *domino* (ſua) *diſſipanti.* Eundem exitum habent piger & prodigus. ad egeſtatem deveniunt.

17. *Iuſtus prior eſt accuſator ſui: venit amicus ejus & inveſtigabit eum*] Senſus eſt ex Hebræo: *Qui prior cauſam dicit* (ἐν πρωτολογίᾳ [*in prima cauſæ dictione*] Græci hîc) *is juſtus eſt* (id eſt videtur) *in cauſa ſua; ſed mox venit alter, & inquirit in illum*, id eſt, omnia illius dicta expendit, & quantum poteſt refellit. Hoc enim præceptum, ut & ſequens, ad lites pertinet.

18. *Contradictiones comprimit ſors, & inter potentes quoque dijudicat*] Lites accenduntur inter multos non tam habendi ſtudio, quàm quòd alter alteri nolit cedere. Ad eam rem optimum eſt remedium ſors. Diximus hac de re lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XXXIII. §. IX. & in Annotatis.

19. *Frater qui adjuvatur à fratre quaſi civitas firma*] Ex Græco, Ἀδελφὸς ὑπὸ ἀδελφοῦ βοηθούμενος [*Frater à fratre adjutus*]. Videntur legiſſe non נפשע [*rebellans*], ſed נפח [*roboratus*], ſono accedente.

Et judicia quaſi vectes urbium] Bene tranſtulit כדינים *judicia*; ſicut Aquila, καὶ δικασία [*& judicatio*].

22. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum*] ſupple, *rarum & eximium*, infrà XXXI. 10.

CAPVT XIX.

1. *Melior eſt pauper qui ambulat in ſimplicitate ſua*] Id eſt, in integritate.

Quam dives torquens labia ſua] *Perverſus labiis.*

Et inſipiens] In Hebræo, *& ipſe deſipit.* Putat ſe ſapere, ſed deſipit, ut improbi omnes. Antiphanes:

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς.
[*Sis pauper honeſtè potiùs quàm dives malè.*]

Euripides:

——— ἐγὼ δὲ πολλάκις σοφωτέρους
Πένητας ἄνδρας εἰσορῶν τῶν πλουσίων.
[——— *ſæpe ego pauperes*
Sapientiores eſſe divitibus ſcio.]

4. *Divitiæ addunt amicos plurimos*] Ovidius:

Donec eris felix, multos numerabis amicos.

Sophocles Aleadis:

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισιν εὑρίσκει φίλους.
[*Divitiæ amicos comparant mortalibus.*]

8. *Qui poſſeſſor eſt mentis diligit animam ſuam*] Id eſt, ſemetipſum. Hoc ſenſu Ariſtoteles Nicomacheorum IX. cap. VIII. ὥστε τὸν ἀγαθὸν δεῖ φίλαυτον εἶναι· καὶ γὰρ αὐτὸς ὀνήσεται τὰ καλὰ πράττων καὶ τοὺς ἄλλους ὠφελήσει. τὸν δὲ μοχθηρὸν, οὐ δεῖ· βλάψει γὰρ ἑαυτὸν καὶ τοὺς πέλας, φαύλοις πάθεσιν ἑπόμενος. τῷ μοχθηρῷ μὲν οὖν διαφωνεῖ ἃ δεῖ πράττειν καὶ ἃ πράττει· ὁ δὲ ἐπιεικὴς ἃ δεῖ ταῦτα καὶ πράττει· πᾶς γὰρ νοῦς αἱρεῖται τὸ βέλτιστον ἑαυτῷ [*Virum bonum oportet ſui eſſe amantem: nam & ſibi & aliis proderit, rectè faciens. Virum autem malum non oportet ſui eſſe amantem: nam & ſe & alios lædet, pravis affectibus obſequens. In malo igitur homine differunt quæ facere debet & quæ facit; at vir bonus quæ debet facere ea & facit. mens enim quævis eligit id quod ipſi optimum eſt*].

9. *Falſus teſtis non erit impunitus, & qui loquitur mendacia peribit*] Senſus idem eſt, verbis parum differt ab eo quod ſuprà 5. Talia multa apud Stobæum.

12. *Sicut fremitus leonis, ità & Regis ira*] Τὸ θηρίον [*fera*], id eſt *leo*, βασιλέα δηλοῖ [*regem ſignificat*], Zeno in Leone Iconomacho. Sic Nabuchodonoſor *leo* Amoſo V. 19. Nero Paulo Apoſtolo II Timothei IV. 17. & Senecæ, cujus dictum recitat Scholiaſtes ad Iuvenalis Satyram quintam. De ira Regis vide quæ diximus ſuprà XVI. 14.

13. *Dolor patris filius ſtultus*] Euripides Oenomao:

Ἀμηχανῶ δ' ἔγωγε κοὐκ ἔχω μαθεῖν,
Εἴτ' οὖν ἄμεινόν ἐστι γίγνεσθαι τέκνα
Θνητοῖσιν, εἴτ' ἄπαιδα καρποῦσθαι βίον.
Ὁρῶ γὰρ οἷς μὲν οὐκ ἔφυσαν, ἀθλίους·
Ὅτοισι δ' εἰσὶν οὐδὲν εὐτυχεστέρους.
Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, ἐχθίστη νόσος.
[*Ambiguus animi cernere haud valeo ſatis,*
An ſit propago liberûm mortalibus
An ſterilis ævi vita fortunatior.
Conſpicio miſeros nulla queîs proles domi eſt;
Sed nec parentum major eſt felicitas:
Nam dira peſtis moribus proles malis.]

14. *Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem propriè uxor prudens*] In Hebræo: *Domus & opes hereditas patrum. Propriè*, id eſt, peculiari quadam Dei providentiâ. Tobias VI. 22.

17. *Fœneratur Domino qui miſeretur pauperis*]

Bona comparat præſidia miſericordia.

18. 19. *Erudi filium tuum nè deſperes: ad interfectionem autem ejus nè ponas animam tuam. Qui impatiens eſt, ſuſtinebit damnum; & qui rapuerit, aliud apponet*] Ex Hebræo ſic optimè fiat verſio: *Caſtiga filium tuum dum ſpes eſt, ſed ad exitium ejus nè erigas cogitationem tuam. Qui plurimùm iraſcitur fert pœnam: quòd ſi impunitum eum reliqueris, adhuc addet* (id eſt, perget peccare). Senſus eſt, modum adhibendum qui inter Manlianam ſeveritatem & diſſolutam lenitatem ſit medius.

CAPVT XX.

3. *Honor eſt homini qui ſeparat ſe à contentionibus*] Rixari indignum eſt viro magnanimo.

8. *Rex qui ſedet in ſolio judicii ſui, diſſipat omne malum intuitu ſuo*] Excitat Reges ut ipſi jus dicant, non per alios. Ità enim omnibus malis, quippe ſibi percognitis, remedia inventuros. *Iuſtitiæ fruendæ causâ primùm Reges conſtitutos* dixit Herodotus; & probat id dictum Cicero. Sed & multò antè Heſiodus dixerat:

> Τοὔνεκα γὰρ βασιλῆες ἐχέφρονες, οὕνεκα λαοῖς
> Βλαπτομένοις ἀγορῆφι μετάτροπα ἔργα τελεῦσι.
> [*Namque ideo inventi Reges ut ſede curuli*
> *Sublimes læſis ereptum reſtituant jus.*]

11. *Ex ſtudiis ſuis intelligitur puer*] Ex eis quibus maximè delectatur.

Si munda & recta ſint opera ejus] *An mundæ & integræ actiones ejus*. ſupple, *futuræ ſint ubi adoleverit*.

12. *Aurem audientem & oculum videntem Dominus fecit utrumque*] Hoc ideo adjunxit, ut à prima ætate pueri & audiant & videant honeſta.

13. *Noli diligere ſomnum, nè te egeſtas opprimat*]

> Ἀργὸς γὰρ οὐδεὶς, θεοὺς ἔχων ἀνὰ στόμα,
> Βίον δύναιτ' ἂν συλλέγειν ἄνευ πόνων,
> [*Nam nemo, ut omnes voce compellet deos,*
> *Vitam parare non laborando poteſt,*]

ait Euripides Melanippâ.

14. *Malum eſt, malum, dicit omnis emtor, & cùm receſſerit, tunc gloriabitur*] *Vile eſt hoc*, dicit; at ubi emerit, jactat ſe bene emiſſe. Hoc eſt καπηλεύειν [*cocionari*]. *Emtor viliore comparandi, venditor cariore diſtrahendi votum gerentes ad hunc contractum accedunt, víxque poſt multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emtore autem huic quod obtulerat addente, ad certum conſentiunt pretium*, ait L. Si voluntate. C. de reſcindenda venditione.

18. *Gubernaculis tractanda ſunt bella*] In Hebræo, *per induſtrias*. Græci:

> Γνῶμαι πλέον κρατοῦσιν ἢ σθένος χερῶν.
> [*Conſilia pollent cauta plùs validâ manu.*]

& Euripides:

> Γνώμη γὰρ ἀνδρὸς εὖ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
> Εὖ δ' οἶκος· εἴς τ' αὖ πόλεμον ἰσχύει μέγα.
> Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας
> Νικᾷ.
> [*Conſilia ſunt queîs nititur domuum ſalus*
> *Et urbis: eadem plurimùm in bello valent,*
> *Vnumque mentis providæ multas manus*
> *Vincit repertum.*]

21. *Hereditas ad quam feſtinatur in principio, in noviſſimo benedictione carebit*] *Hereditatem* vocat more Hebræo omne jus quod ad liberos tranſmitti poteſt. Eſt ſenſus idem qui ſuprà XIII. 11. Nec aliud voluit Menander, cùm dixit:

> Οὐδεὶς ἐπλούτησε ταχέως δίκαιος ὤν.
> [*Nemo & repente dives & juſtus fuit.*]

Cui ſententiæ compar infrà eſt hîc XXVIII. 20. adde, ut plenam ſententiam, quæ hîc eſt, habeas, Heſiodeum illud:

> Μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι.
> [*Nè malè lucreris: mala lucra æqualia noxæ.*]

Euripides Erechtheo:

> ——— οὔτε γὰρ πλοῦτός ποτε
> Βέβαιος ἄδικος.
> [——— *Non habent ſolidam diu*
> *Malè parta ſedem.*]

22. *Nè dicas, Reddam malum: Exſpecta Dominum, & liberabit te*] Multa ſunt in his libris monita, quæ in Euangelio ſunt divina præcepta. Aliqua ultio & in Lege vetita; ſed non omnis.

25. *Ruina hominis eſt devorare ſanctos, & poſt vota retractare*] Optimè ſic vertes: *Tendicula eſt homini devorare ſanctificatum, & poſt vota perplexari.* Multi homines in mala gravia incidunt, quòd Deo dedicata in ſuos uſus vertant, aut ubi quid voverint, adepti quod ſperabant, votum cavillando infringant aut imminuant. Cogitate, Principes.

CAPVT XXI.

1. *Sicut diviſiones aquarum, ità cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*] *Aſſyriam ſententiam* hanc vocat Themiſtius. Notant Hebræi non de communiore illa providentia, quæ ad omnes homines pertinet, hîc agi, ſed de ſpecialiore illa, quâ Regum & bonorum & malorum cogitata ità dirigit, ut eis utatur ad eos quos ſibi propoſuit eventus. Vide Ierem. cap. x. circa finem. Similitudo ab agricola ſumta, qui rivos per prata quò vult ducit.

25. 26. *Deſideria occidunt pigrum: noluerunt enim quicquam manus ejus operari. Totâ die concupiſcit & deſiderat: qui autem juſtus eſt tribuet & non ceſſabit*] Cupit habere & non habet piger, quia laborare non vult. Hebræi non malè aptant eis qui ſcire volunt, nolunt autem diligentiam adhibere ad diſcendum requiſitam.

CAPVT XXII.

1. *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ*] Bonum nomen eſt bona fama. Eccleſiaſtæ VII. 1. Ovidius:

> *Omnia ſi perdas famam ſervare memento.*

2. *Dives & pauper obviaverunt ſibi*] Vtiles ſunt alter alteri:

> Καί τοι σμικροὶ μεγάλων χωρὶς,
> Σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται·
> Μετὰ γὰρ μεγάλων βαιὸς ἄριστ' ἂν,
> Καὶ μέγας ὀρθοῖθ' ὑπὸ μικρῶν·
> Ἀλλ' οὐ δυνατὸν τοὺς ἀνοήτους
> Τούτων γνώμας προδιδάσκειν,
> [*Plebs nuda tamen, tolle potentes,*
> *Haud præſidii ſatis ipſa ſibi eſt:*
> *Modicus validi, validuſque iterum*
> *Modici ſeſe ſuſtentant ope.*
> *Sed non poſſunt mentes ſtupidæ*
> *Tam provida dicta doceri,*]

ait Sophocles Ajace.

7. *Qui accipit mutuum ſervus eſt fenerantis*] Quaſi ſervus: nam

> Δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

quod Mimus ſic tranſtulit:

> *Alienum æs homini ingenuo acerba ſervitus.*

16. *Qui calumniatur pauperem*] Id eſt, vi opprimit. Vide Lucæ III. 14.

Dabit ipſe ditiori] Cogetur dare.

Ab alio exſpectes, alteri quod feceris.

Et apud Senecam:

Quidquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis dominus minatur.

20. *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter*] Sapientia apud Hebræos dividitur in משלים, in ברשית, in מרכבה, quod Græcè dicas εἰς ἠθικὰ, φυσικά, θεολογικά [*in Moralia, Naturalia, Theologica*]. De his omnibus plurima ſcripſit Solomon, quæ nunc non exſtant. Vide 1 Reg. IV. in fine. Quæ in hunc librum congeſta ſunt, & Eccleſiaſtes, ad Ethica pertinent: libri de Satis & Animalibus ad Phyſica: Canticum Canticorum ſenſu allegorico ad Theologica.

CAPVT XXIII.

4. N*oli laborare ut diteris, ſed prudentiæ tuæ pone modum*] Pro *laborare* rectiùs verteris *fatigari*. Ità enim ſæpe ſumitur יגע. Aquila hìc μὴ κοπία [*nè te defatiga*]. Et *prudentiam* intellige, conſilia rei augendæ. Eſt idem ſenſus qui apud Lucillium in Græco Epigrammate:

Εἰ μὲν ζῇς ἐλάφου ταναὸν χρόνον ἠὲ κορώνης,
Συγγνώμη πλεῖστον πλοῦτον ἀγειρομένῳ·
Εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν οὓς αὐτίκα γῆρας ἰάπτει,
Μή σέ γ' ἀπειρεσίων οἶστρος ἕλῃ κτεάνων·
Μὴ σὺ μὲν ἀτλήτοισιν ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀλέσσῃς,
Χρήσωνται δ' ἄλλοι σοῖς ἀγαθοῖς ἀνέδην.

[*Tantas unus opes. ſed poſſem ignoſcere, cervi*
Corniciſve dies ſi tibi fata darent;
At ſi hominum è numero es, quibus eſt feſtina ſenectus,
Diſtendi immenſis parce cupidinibus:
Nè tua carnifices conſumant corda dolores,
Deque tibi partis vivere des aliis.]

6. *Nè comedas cum homine invido*] In Hebræo, *Nè comedas panem oculi mali*. Vide quæ ad Matth.XX. 15.

10. *Nè attingas parvulorum terminos*] In Hebræo: *Nè moveas terminum ſeculi*. Id eſt, veterem, ut XXII. 28. Ovidius ad Terminum:

Omnis erit ſine te litigioſus ager.

27. *Fovea enim profunda eſt meretrix*] Vide quæ ſuprà v. 15. Anaxilaus:

Ἡ δὲ Φρύνη τὴν Χάρυβδιν οὐχὶ πόῤῥω που ποιεῖ;
Τόν τε ναύκληρον λαβοῦσα καταπέπωκ' αὐτῷ σκάφει.

[*At Charybdin nonne Phryne longè poſt ſe poſtumat?*
Quæ naviculatorem abſorpſit totum cum navi ſua.]

Puteus anguſtus aliena] Adultera. Difficiles exitus.

33. *Oculi tui videbunt extraneas*] Meliùs *extranea*. res miras videre tibi videberis:

Et geminum ſolem, & duplices conſurgere Thebas.

34. *Et eris ſicut dormiens in medio mari, & quaſi ſopitus gubernator amiſſo clavo*] In Hebræo: *Et eris ſicut dormiens in medio mari* (id eſt, in inſula fluctibus undique concuſſa) aut *ſicut jacens in ſummo mali*: id eſt, ut nunc loquuntur, *in galea navis*, ubi maxima eſt agitatio.

CAPVT XXIV.

11. E*rue eos qui ducuntur ad mortem*] Qui per vim ad mortem trahuntur, ut Pſal. LXXXII. 4.

15. *Neque vaſtes requiem ejus*] Id eſt, nè turbes ejus quietem.

16. *Septies enim cadet juſtus & reſurget: impii autem corruent in malum*] Ejuſdem ſenſûs proverbium eſt alterum apud Hebræos: *Septem foveæ pacifico* (ſupple *ſtruuntur*, *quas evadit*;) *at una operanti malum*, ſupple, *ſufficit*: ſtatim ruit. nam *cadere* hìc eſt adverſis premi. Similis ſententia Pſal. XXXIV. 20. & XXXVII. 24. Cave de peccatis hæc accipias. Nuſquam enim Hebræis נפל eſt *peccare*. Sed נפל [*cadere*] & קום [*ſurgere*] inter ſe opponuntur ubi de calamitatibus agitur, Mich. VII. 8. Amos VIII. 14. Ierem. XXV. 27. Eſaiæ XXIV. 20.

21. *Time Dominum, fili mi, & Regem*] Sophocles Ajace:

Τοὶ γὰρ τὸ λοιπὸν εἰσόμεσθα μὲν θεοῖς
Εἴκειν, μαθησόμεσθα δ' Ἀτρείδας σέβειν·
Ἄρχοντές εἰσιν.

[*In poſterum dîs cedere immortalibus*
Diſcemus ergò, colere & Atridas duos:
Nam Principes ſunt.]

23. HÆC QVOQVE SAPIENTIBVS] Meliùs ל per genitivum transferas, ut ſæpe, HÆC QVOQVE SAPIENTVM, ut, καὶ τάδε Φωκυλίδεω [*Hæc quoque Phocylidis*]. Quæ ſequuntur ſententiæ adjectæ ſunt è ſapientum libris poſt Solomonem ante Ezechiæ tempora.

29. *Nè dicas, Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei*] Suprà XX. 22.

CAPVT XXV.

1. QVAS TRANSTVLERVNT] Id eſt, *congeſſerunt*. VIRI EZECHIÆ REGIS IVDÆ] Eclogarii, Eliacim, Sobna, Ioahe memorati II Reg. XVIII. 26.

2. *Gloria Dei eſt celare verbum*] *Verbum*, id eſt, rem, putà naturam ſuam & decreta multa. *Sanctius enim de Deo credere quàm ſcire*, ut cum Tacito loquar. Philemon:

Θεὸν νόμιζε καὶ σέβου· ζήτει δὲ μή·
Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.

[*Credi Deum colique non quæri decet:*
Nam præter ipſum quærere acquires nihil.]

Idem:

Τί ἐστιν ὁ Θεός, οὐ θέλει σε μανθάνειν.

[*Quid ſit Deus, te ſcire non voluit Deus.*]

Pindarus:

Τὰ θεῶν βουλεύματα ἐρευνῆσαι
Βροτέᾳ φρενὶ δύσκολον· θνατᾶς
Δ' ἀπὸ μητρὸς ἔφυς.

[*Quod ſit conſilium deis*
Scrutari tenuis vetat
Humani modus ingenî:
Mortalis tibi mater eſt.]

Sophron:

Ὡς μᾶλλον ὅστις εἰδέναι τὰ τῶν θεῶν
Ζητεῖ, τοσούτῳ μᾶλλον ἧσσον εἴσεται.

[*Quò quiſque noſtrum valdiùs res cælitum*
Scire expetiſcit, hoc eas ſcibit minùs.]

Vide Rom. XI. 33.

Et gloria Regum inveſtigare ſermonem] Id eſt, res ſubditorum ſuorum: opes, actiones, conſilia.

3. *Cœlum ſurſum & terra deorſum, & cor Regum inſcrutabile*] Sicut nec cœli altitudo, nec terræ profunditas comprehendi à nobis poteſt, ità nec Principum arcana. *Abditos Principis ſenſus, & ſiquid occultius parat, exquirere illicitum, anceps, nec ideo aſſequare,* Tacitus Annal. VI.

8. *Quæ viderunt oculi tui nè proferas in jurgio citò*] Etiam quæ videris noli prodere; multò magis quæ non videris. Bene Interpres hoc connectit, quæ alii malè dividunt.

9. *Cauſam tuam tracta cum amico tuo*] Id eſt, conſilia quæ velis latere, vide cui credas.

16. *Mel inveniſti: comede quod ſufficit tibi, nè fortè ſatiatus evomas illud*] *Philoſophandum, ſed paucis.* Ità hunc locum explicat Maimonides.

17. *Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui, nequando ſatiatus oderit te*] Bene interpretantur LXX, Σπάνιον εἴσαγε σὸν πόδα πρὸς σεαυτοῦ φίλον [*Raro infer pedem tuum ad amicum tuum*]. Arabes dicunt: *Viſita rarò & augebis amorem.* Martialis:

Nulli te facias nimis ſodalem.

27. *Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum: ſic qui ſcrutator eſt majeſtatis, opprimetur à gloria*] Propiùs ad Hebræum accedit hæc verſio: *Vt comedere multum mellis non eſt ſuave, ità nec venari honorem eſt honor illis,* nempe venantibus. Hìc negativam particulam in poſteriore membro addidi, quia mos ſæpe eſt Hebræis eam intelligere ex præcedenti, ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto*], ut Græci loquuntur. ו [*&*] hìc ut alibi eſt pro כן [*ſic*]. Gloria fugientem ſequitur.

C A P V T XXVI.

2. S*Icut avis ad alia tranſvolans, & paſſer quolibet vadens: ſic maledictum fruſtra prolatum in quempiam ſuperveniet*] Optimè ſic vertetur: *Sicut avis eſt vagari, & hirundinis volare, ſic exſecratio ſine cauſa facta eventum non habebit.* Pari modo ut aves, in ventos abit. Hebræi hoc ad injuſtos ἀναθεματισμοὺς [*anathematiſmos* ſive *devotiones*] referunt, quos ajunt in caput ἀναθεματιζόντων [*anathema pronuntiantium*] recidere.

4. *Nè reſpondeas ſtulto*] At ſequitur, *Reſponde ſtulto.* Sic Pythagorici dicebant, Λεωφόρῳ βαδίζειν [*Viâ regiâ incedere*], &, Λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν [*Viâ regiâ non incedere*]. Sunt tales ſententiæ ἐναντιοφανεῖς [*in ſpeciem pugnantes*], ſed quæ adhibitâ temporum & rerum diſcretione facilè conciliantur. Vide quæ diximus ad Matth. XII. 30.

8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii: ità qui tribuit inſipienti honorem*] Acervi tales in quos per ſuperſtitionem viatorum quiſque lapidem mittebat, Græcis dicuntur Ἑρμαῖοι λόφοι [*cumuli Mercuriales*], ut Homero Odyſſeæ Π. Didymo interprete: Ἑρμαῖα [*Mercurialia*], ut Straboni lib. XVII. aut Ἕρμακες, quos Scholiaſtes Nicandri interpretatur λίθους σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ [*lapides congeſtos in honorem Mercurii*]. Ac ſicut eæ voces à Græco ſunt nomine, ità à Latino vox Rabbinis eodem ſenſu uſitata מרקולים [*Mercolim* ſeu *Mercurius*] occurrit in Thalmude titulis de Idololatria, & de Synedrio. Anyta in Epigrammate:

Ἱερὸν Ἑρμείῃ με παραστείχοντες ἔχευαν
Ἄνθρωποι λίθινον σωρόν.
[*Turba viatorum lapidum me fudit acervum*
Mercurio ſacrum.]

Eſt & in falſis Sibyllinis mentio horum acervorum. Apud Indos & Arabas fuiſſe hunc morem notat Vincentius Bellovacenſis. In America eundem morem obſervat Acoſta.

11. *Sicut canis qui revertitur ad vomitum, ſic imprudens qui iterat ſtultitiam ſuam*] Eandem ſimilitudinem habes II Petri cap. II. 22. ubi vocat ἀληθοῦς παροιμίας [*verum proverbium*].

25. *Quoniam ſeptem nequitiæ ſunt in corde ejus*] *Septem*, id eſt plurimæ, ut ſuprà 16. & XXIV. 16.

C A P V T XXVII.

8. S*Icut avis tranſmigrans de nido ſuo, ſic vir qui derelinquit locum ſuum*] Facilè capitur avis à nido avolitans: ſic & qui domo relicta longè peregrinatur, multis ſe objicit periculis.

10. *Melior eſt vicinus juxtà, quàm frater procul*] Heſiodus:

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέο ἐγγύθι ναίει·
Εἰ γάρ τοι καὶ χρῆμ' ἐγχώριον ἄλλο γένηται,
Γείτονες ἄζωστοι ἔκιον, ζώσαντο δὲ πηοί.
Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσον τ' ἀγαθὸς μέγ' ὄνειαρ.
[*Illum ſæpe voca tibi quem vicinia jungit:*
Nam ſiquid ſubitum eveniat, vicinia nondum
Cincta aderit, contrà affines ſe cingere quærent.
Vicinus malus exitium, bonus optima res eſt.]

20. *Infernus & perditio nunquam implentur*] Eodem ſenſu regnum Ditis *inſatiabile* vocant Poëtæ.

C A P V T XXVIII.

2. P*Ropter peccata terræ multi Principes ejus*] Transferuntur Imperia de familia in familiam per ſeditiones, conjurationes, cædes, ut ſæpè evênit in Decem tribubus.

8. *Qui coacervat divitias uſuris & fœnore, liberali in pauperes congregat eas*] Opes improbè partas, putà fœnore, Rex aufert iis qui ſic eas peperêre, dátque eas beneficis.

13. *Qui autem confeſſus fuerit*] Et quidem *ſpecitim*, ut ait Maimonides.

17. *Hominem qui calumniatur animæ ſanguinem, ſi uſque ad lacum fugerit, nemo ſuſtinet*] Senſus eſt: qui alios per vim opprimit, ità ut & fundat ſanguinem innoxium, ſi aduſque latentes foveas cucurrerit, nemo eum retinebit, nemo ejus curam geret. Immanitate enim flagitiorum omnem miſericordiam perdidit.

21. *Qui cognoſcit in judicio faciem, non bene facit: iſte & pro buccella panis deſerit veritatem*] Qui priùs magno pretio inductus jura violavit, conſuetudine peccandi eò devenit, ut minimâ datâ lucrandi occaſione idem faciat. Partem priorem hujus ſententiæ jam bis habuimus XVIII. 5. XXIV. 23.

CAPVT XXIX.

4. *Rex juſtus erigit terram, vir avarus deſtruet eam*] In Hebræo: *Rex in judicio* (id eſt, qui judicium rectè exercet) *confirmat ditionem. At vir oblationum* (qui munera ſibi vult offerri, quaſi ſacerdos eſſet) *deſtruit eandem.*

11. *Totum ſpiritum ſuum profert ſtultus; ſapiens differt & reſervat in poſterum*] *Spiritum ſuum*, id eſt, quicquid in animo habet. Sapiens abſcondit cogitata donec rebus ea promat. Iis præſertim quibus commiſſa eſt reſpublica, neceſſariam eſſe diſſimulationem dixit non uno loco Cicero.

14. *Rex qui judicat in veritate pauperes, thronus ejus in æternum firmabitur*] Hebraïſmus: *Rex* & *ejus*, pro *Regis*. *Veritas* hîc juſtitiam ſignificat.

18. *Cùm prophetia defecerit, diſſipabitur populus*] Nam Prophetarum inter alia munia erat, Legis præcepta inculcare populo.

24. *Qui cum fure participat odit animam ſuam: adjurantem audit, & non indicat*] Deeſt copula, *& qui adjurantem audit:* Par furi eſt qui à Magiſtratu adjuratus furem ſibi notum non indicat. Vide legem Levitici v. 1. Talis illa adjuratio in Oedipode Rege Sophoclis:

Ὑμῖν προφωνῶ πᾶσι Καδμείοις τάδε·
Ὅστις ποθ' ὑμῶν Λάϊον τὸν Λαβδάκου
Κάτοιδεν ἀνδρὸς ἐκ τίνος διώλετο,
Τοῦτον κελεύω πάντα σημαίνειν ἐμοί.
[*Indico cunctis genere Cadmeo ſatis:*
Quicunque veſtrûm Laïo de Labdaci
Novit, perierit cujus is cæſus manu,
Hunc jubeo cuncta dicere extemplo mihi.]

Poſteà:

Εἰ δ' αὖ σιωπήσεσθε, καί τις ἢ φίλου
Δείσας ἀπώσῃ τοὔπος, ἢ χ' αὑτοῦ, τάδε
Ἁ 'κ τῶνδε δράσω ταῦτα χρὴ κλύειν ἐμοῦ.
Τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ, γῆς
Τῆσδ' ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
Μήτ' εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα,
Μήτ' ἐν θεῶν εὐχαῖσι, μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.
[*Quòd ſi tacetis, nempe quòd metuens ſibi*
Quiſquam aut amico veritatem abſconderit,
Quid deinde ſim facturus audiri volo.
Hunc nequis hominem, terra quàm latè patet
Cujus poteſtas in mea poſita eſt manu,
Aut alloquatur, aut ſuo excipiat lare,
Nec in deorum honore, nec de victimis
Participet illum, nec lavet pariter manus.]

CAPVT XXX.

1. *Verba Congregantis filii Vomentis*] Tranſtulit nomina quæ ſunt propria: *Aggur filii Iache*. Fuit is aliquis illorum temporum Theognis aut Phocylides.

Viſio quam locutus eſt vir cum quo eſt Deus, & qui Deo ſecum morante confortatus ait] Hîc quoque nomina propria tranſtulit, quibus ſervatis ſic vertas optimè. Pro eo quod hîc eſt *viſio* Hebræum eſt המשא, quod alibi quidem *vaticinia dira* ſignificat, ſed poteſt & ſignificare συλλογὴν ſive συναγωγὴν [*collectionem*], ut intelligamus ex Agguris ſcriptis hæc eſſe ſelecta. Deinde *locutus eſt vir* (ſupple *ille*) *ad Ithiel, ad Ithiel, ad Vcal*, diſcipulos nimirum aut amicos ſuos: qualis Theognidi Cyrnus & Onomacritus.

4. *Quis aſcendit in cælum?*] Nempe hominum, ut ſcilicet audeat mutare Dei leges: quod ſequentia exponunt. Confer Eſaiam XL. 12.

6. *Nè addas quicquam verbis illius*] *Addit*, qui aliter quàm Deus imperat facit, ut dictum ad Deuteronom. IV. 2.

8. *Mendicitatem & divitias nè dederis mihi*] Senecæ chorus in Oedipo:

Fata ſi liceat mihi
Fingere arbitrio meo,
Temperem Zephyro levi
Vela, nè preſſæ gravi
Spiritu antennæ tremant;
Lenis ac modicum fluens
Aura, nec vergens latus
Ducat intrepidam ratem.
Tuta me mediâ vehat
Vita decurrens viâ.

Alexis:

Ὡς ἡδὺ πᾶν τὸ μέτριον, οὐδ' ὑπεργέμον.
[*Quàm dulce quod ſatis eſt, nec eſt plus quàm ſatis.*]

Adde quæ apud Horatium de Aurea mediocritate.

15. *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes, Affer, affer*] Πλεονεξίαν [*habendi cupidinem*] deſcribit ſub hirudinis imagine, quæ duobus linguæ ramis ſanguinem ſugit.

19. *Viam viri in adoleſcentia*] Scripſiſſe interpretem puto *in adoleſcentula*: nam ſic in Hebræo eſt. ſignificat incerta eſſe virginis aut corruptæ indicia.

20. *Tergens os ſuum*] Σεμνολογία [*honeſta elocutio*]. aliud dicitur, aliud intelligitur. Vide ſuprà 16.

22. *Per ſervum cùm regnaverit*] Menandri dictum eſt:

Δούλῳ γενομένῳ δοῦλε δουλεύειν φοβοῦ·
Ἀμνημονεῖ γὰρ ταῦρος ἀργήσας ζυγοῦ.
[*Servire, ſerve, ei metue qui ſervus fuit:*
Iugo abſoluti ſemet non norunt boves.]

nam

Aſperius nihil eſt humili cùm ſurgit in altum.

Et per ancillam cùm heres fuerit dominæ ſuæ] Heſiodus:

Μήποτε δουλεύουσα γυνὴ εἰς λέκτρον ἵκοιτο.
[*Iungatur nunquam thalamo quæ ſerviit antè.*]

27. *Regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas*] Eſt animal ἀγελαῖον [*gregale*] quidem, ſed ἀβασίλευτον [*ſine rege*], quod & de formica habuimus ſuprà VI. 7. *Magnâ cohorte ire locuſtas* dixit Plinius.

28. *Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus Regis*] Sic & Græci, καλαβώτης [*ſtellio*]. id animal hodie Græci vocant σαμιάμινθον. Id planè eſt ex Hebræo quod hîc habemus שממית [*Samamith*]. *Manus* vocat pedes, quibus ea pro manibus utitur. *Moratur in ædibus regis*, id eſt, in oſtiis & feneſtris, ut docet Plinius XXX. 3.

CAPVT XXXI.

1. VERBA LAMVELIS REGIS] Plerique de Solomone hoc accipiunt, quem ajunt fuiſſe πολυώνυμον: nimirum ſicut apud Poëtas

Πολυώνυμός ἐστιν Ἀπόλλων.
[*Phœbo ſunt nomina multa.*]

At certè cùm hæc ſequantur collectionem Ezechiæ juſſu factam, quantò probabilius eſt hæc eſſe collecta (משא, ut jam diximus ad XXX. 1.) ex iis quæ mater ipſius Abi vel Abija, Zachariæ viri haud dubiè ſapientis filia, ipſum docuerat à patre accepta.

Quæ erudivit eum mater ſua] Sic Euripides:

Οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος, ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα.
[*Non hic meus ſed matris eſt ſermo meæ.*]

Sunt enim & multi μητροδίδακτοι [*à matre edocti*].

3. *Nè dederis mulieribus ſubſtantiam tuam, & divitias ad delendos Reges*] Videtur eſſe ἔλλειψις [*defectus in dicendo*], ut ſenſus ſit, *& divitias tuas* illis quæ valde aptæ ſunt *ad evertendos Reges:* nam certè

Πολλοὶ γυναικῶν δυστυχοῦσιν εἵνεκεν.
[*Multi in miſerias incidunt per feminas.*]

& puto præcipuè reſpici errores Solomonis.

4. *Noli Regibus dare vinum*] In Hebræo, *vinum bibere*, id eſt quod Græci dicunt οἰνοποτεῖν.

6. *Date ſiceram mœrentibus*] לאבר, id eſt, *alicui miſero.* De voce שכר [*ſicera*] vide quæ dicta ad Lucæ I. 15.

10. *Mulierem fortem quis inveniet?*] Id eſt, bonam. *Forte* dicitur quod in ullo genere alia excellit. Sic *fortem mulierem* dici modò pro *pulchra*, modò pro *dotata* notavit Nonius. *quis inveniet?* oſtendit rem raram. Græcum eſt proverbium:

Γυναικὸς ἐσθλῆς ἐπιτυχεῖν οὐ ῥᾴδιον.
[*Bonam invenire feminam perquam arduum eſt.*]

Eſt carmen alphabeticum in laudes bonæ feminæ.

Procul & de ultimis finibus pretium ejus] In Hebræo eſt: *præ gemmis pretium ejus.* Græci: τιμιωτέρα δέ ἐστι λιθῶν πολυτελῶν [*plus valet pretioſis lapidibus*].

11. *Et ſpoliis non indigebit*] Ità dives erit ſupellectile ut miles ſpoliis.

13. *Quæſivit lanam & linum*] In Hebræo *lina*, id eſt, varia genera linorum.

14. *Facta eſt quaſi navis inſtitoris*] Vendax magìs quàm emax.

15. *Et de nocte ſurrexit, dedítque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*] *Præda* hîc eſt cibus per metaphoram, ut modò *ſpolia.* Quod hîc eſt *cibaria*, in Hebræo eſt *ſtatutum*, id eſt, penſum. Comparemus cum hac gnavæ mulieris notatione ſimilem Virgilii,

——— *ceu femina primùm,*
Cui tolerare colo vitam tenuíque Minervâ,
Impoſitum cinerem & ſopitos ſuſcitat ignes,
Noctem addens operi, famuláſque ad lumina longo
Exercet penſo, caſtum ut ſervare cubile
Conjugis, & poſſit parvos educere natos.

19. *Manus ſuas miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum*] כישור quod hîc explicat *fortia*, eſt *verticillus*, ut quidem cenſet diligens vocum indagator Rabbinus David Kimchi. origo à כשר, quod eſt *quaſſare* Arabibus. פלך autem, quod hîc *fuſum* vertit, videtur potiùs eſſe *colus*, à ſimilitudine baculi aut navis; nam vox iſta Hebræis *baculum*, Arabibus *navem* ſignificat.

23. *Nobilis in portis vir ejus quando ſederit cum ſenatoribus terræ*]Nempe ob veſtem Senatore dignam. *Veſtis ad curiam* etiam Homerus meminit. Sic bona mulier apud Plautum,

——— *eme, mi vir, lanam unde tibi pallium*
Malacum & calidum conficiatur, tunicæque hybernæ bonæ.

AD ECCLESIASTEN.

CAPVT I.

HIc Liber קהלת eſt in Hebræo. Solent nomina ejus formæ plerumque eſſe muliebria; ſed quia Hebræis communia deſunt, uſurpantur interdum pro communibus. Et ità hîc ſumi apparet ex conſtructione cum maſculino I.1.2. 12. VII. 28. XII. 8. 9. 10. Ac propterea Græci Ἐκκλησιαστὴν [*Concionantem*] vertêre. Meliùs fortè vertetur Συναθροιστὴς [*Coacervator*], quomodo verbum קהל per συναθροίζειν verti ſolet, ut intelligamus redactas in hunc librum varias hominum, qui ſapientes apud ſuos quiſque habebantur, opiniones περὶ τῆς εὐδαιμονίας [*de beatitudine*], planè ſicut liber Iobi omnes ferme quæ fuerunt aut eſſe poſſunt de divina rerum humanarum gubernatione, aut contra eam, ſententias complectitur. Quare mirari non debemus, ſi quædam hîc legimus non probanda; omnes enim ſententias cum ſuis argumentis recitanti, ut Ariſtoteles facere ſolet priuſquam quid definiat, neceſſe erat id accidere: ſed cùm & initium & finis ſatìs monſtrent quod ſit ſcriptoris propoſitum, ob eas cauſas (ut ajunt Hebræi) meritò in canonem receptus eſt. Ego tamen Solomonis eſſe non puto, ſed ſcriptum ſeriùs ſub illius Regis, tanquam pœnitentiâ ducti, nomine. Argumentum ejus rei habeo multa vocabula, quæ non alibi quàm in Daniele, Eſdrâ & Chaldæis interpretibus reperias.

4. *Generatio præterit, & generatio advenit*] Φασὶ γὰρ κύκλον εἶναι τὰ ἀνθρώπινα πράγματα [*ajunt enim orbem eſſe res humanas*], Ariſtoteles IV Phyſicorum, cap. XIV. Seneca: *In orbem nexa ſunt omnia, fugiunt & ſequuntur.* Tacit. Annal. III. *Rebus cunctis ineſt quidam velut orbis.* Vide & Syneſium epiſtolâ CCCLXXIV. Vide eandem ſententiam tractatam Eccleſiaſtici XIV. 18.

Terra autem in æternum ſtat] Non hîc agitur de terræ aut ſtatu aut motu, ſed de duratione oppoſita ſingulorum hominum durationi: ideo dicitur, ——— Πάντων ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.

[——— *Rerum ſedes immobilis ævo.*]

6. *Et flectitur ad Aquilonem*] Id eſt, ad Medinoctij loca, à quibus Septentrionem & Germani appellant. Oſtendit hic locus Hebræis terram creditam σφαιροειδῆ [*globoſam*], & circa eam verti Solem.

Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur] De Sole quidam continuari ſermonem volunt, qui *ſpiritus* dicatur, quòd nihil habeat inferioribus his corporibus ſimile. Alii de aëre accipiunt : de quo Plinius II. 38. *Tot animalium hauſtus ſpiritum è ſublimi trahit. At ille contrà nititur, tellúſque, ut inani, cælo ſpiritum infundit : ſic ultro citrò commeante naturâ, ut tormento quodam mundi celeritate diſcordia accendatur. nec ſtare pugnæ licet, ſed aſſiduo raptu involvitur : & circa terram immenſo rerum quaſi globo tendit, ſubinde per nubes cælum aliud obtexens. Ventorum hoc regnum.*

7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat : ad locum unde exeunt flumina revertuntur, ut iterum fluant*] Nempe cum mari intrant meatus ſubterraneos, & ibi colati in fontes erumpunt. Apertiſſimum id in Caſpio mari, quod nuſquam in aperto cum Oceano eſſe continens ſatis jam conſtat. Habet ergò mare canales ſuos, ſicut multa flumina terris abſorpta ex longo intervallo reſurgunt.

9. *Quid eſt quod fuit ? ipſum quod futurum eſt. Quid eſt quod factum eſt ? ipſum quod faciendum eſt*] Hoc ſenſu Platonici omnia dicunt eſſe ἓν καὶ ἕτερον [*unum & alterum*]. Vide infrà III. 15. M. Antoninus libro XII. πᾶν τὸ γινόμενον οὕτως ἀεὶ ἐγίνετο, καὶ γενήσεται, καὶ νῦν πανταχοῦ γίνεται [*omne quod fit ſic ſemper factum eſt, & fiet, & nunc ubique fit*]. & alibi : πάντα τροποὶ οὐχ ὥστε φοβηθῆναι, μήτι καινὸν, πάντα συνήθη.

13. *Propoſui in animo meo quærere & inveſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub Sole*] Hiſtoriam animalium & ſatorum diligentiſſimè inquiſivi.

Hanc occupationem peſſimam dedit Deus filiis hominum] רע Hebræum, quod hîc *peſſimam* vertit, ſæpè *rem laborioſam ac moleſtam* ſignificat, quod jam nunc dicet *afflictionem ſpiritûs*. Labor eſt in illis ſtudiis, non quies, non ipſa beatitudo.

CAPVT II.

1. DIxi ego in corde meo : vadam & affluam divitiis, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoque eſſet vanitas] Non primo Epicuro aut Epicureis in mentem venit in voluptate ea quæ ſenſibus percipitur beatitudinem eſſe poſitam. Sed jam olim multis hominibus ea cogitatio incidit, quæ tamen vana rectè inſtituto judicio comperitur.

2. *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis ?*] Cùm potior hominis pars ſit Ratio, malè felicitas ſumma ponitur in parte deteriore. Vide infrà 25.

12. *Quid eſt inquam homo ut ſequi poſſet Regem factorem ſuum ?*] Suppleto levi defectu, quales multi ſunt apud Hebræos, ſenſus ſic optimus fiet : *Quis eſt homo, qui inſequi Regem poſſet in iis quæ jam facta ſunt*, ſcilicet cognoſcendis ? Quis tantam ſibi poteſt comparare veteris hiſtoriæ cognitionem quantam Rex facultatibus abundans ? Ac proinde quis meliùs judicare poterit de effectibus φρονήσεως καὶ ἀφροσύνης [*prudentiæ & imprudentiæ*] ? Eſt quidem diſcrimen inter hæc aliquod, ſed ἐφήμερον [*momentaneum*]. Eſt hîc in Hebræo מה poſitum non pro *quid*, ſed pro *quis*, ut & I Samuel. IV. 6. II Regum I. 7.

18. 19. *Habiturus heredem poſt me quem ignoro utrùm ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis quibus deſudavi & ſollicitus fui : & eſt quicquam tam vanum ?*] Contra eos qui in divitiis felicitatem collocant. In Epigrammate Græco eſt,

——— ——— ἂν δὲ φυλάττῃς
Ἀλλοτρίοις, ἀπὸ νῦν γίγνεται ἀλλότρια.
[——— ——— *Heredibus autem*
Quæ ſervas, jam nunc hæc aliena puto.]

Et in altero :

Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.
[*Heredi dives, pauper at ipſe tibi.*]

Vide & infrà 22. & VI. 2. Id maximè apparet in orbis,

Orbitas omni fugienda niſu
Quam premit votis inimicus heres.

Sed etſi quis liberos habeat, aliquando tamen ſtirps ejus deficiet.

24. *Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis ?*] In Hebræo ſenſus hic eſſe videtur, *Nullum eſt homini bonum, niſi ut comedat & exhibeat animæ ſuæ ea quæ delectant, labore ſuo comparata.*

Et hoc de manu Dei eſt] Non eſt ſemper in noſtra poteſtate.

25. *Quis ità devorabit*] In Hebræo, *Quis enim comedet ?* Id eſt, quis juſtiùs partis fruetur, quàm qui ſuo labore ea peperit ?

Et deliciis affluet ut ego ?] In Hebræo, *Et quis plus feſtinavit quàm ego ?* id eſt, *Quis plus me laboravit ?* cohæret hoc cum priori.

26. *Homini bono in conſpectu ſuo*] Ei quem amat Deus.

Dedit ſapientiam & ſcientiam & lætitiam] Lætitiam intellige τὴν εὐεστὼ [*tranquillitatem*] Democriteam. Vide III. 12. 13.

CAPVT III.

1. OMnia tempus habent] *Vt enim terra variis mutatíſque ſeminibus, ità ingenia noſtra nunc hac, nunc illâ meditatione recoluntur*, ait Plinius in Epiſtolis VII. 9. Similia habes apud M. Antoninum libro V.

5. *Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus*] Timon :

Ὥρα ἐρᾶν, ὥρα δὲ γαμεῖν, ὥρα δὲ πεπαῦσθαι.
[*Tempus habent amor, & connubia, & eſſe ſine iſtis.*]

7. *Tempus tacendi, & tempus loquendi*] Heſiodus : — καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος [— *In re omni tempus longè optima res eſt*]. Plutarchus Ageſilao, τοῦ γὰρ καλοῦ καὶ καιρὸν δεῖ οἰκεῖον εἶναι καὶ ὥραν [*Rei honeſtæ oportet & tempus & ætatem ſumi convenientem.*]

11. *Cuncta fecit bona in tempore ſuo*] עשה hîc eſt *ordinavit*. Cuncta ſuis temporibus diſpoſuit Deus.

Et mundum tradidit diſputationi eorum] In Hebræo, *Etiam mundum dedit in eorum corde.* Multa quæ in mundo apparent novit homo, aliis animantibus ignota, ut appareat mundum ipſius causâ creatum.

Vt non inveniat homo opus quod operatus eſt Deus ab initio uſque ad finem] Ex Hebræo optimè vertas: *Sic tamen ut non norit homo à capite ad calcem operationem Dei.* Multa videt, quæ non ſcit quo propoſito à Deo facta ſint, & quis ſit ſecuturus eventus: τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο [*Quis conſiliarius ei fuit*]? Roman. XI. 34.

14. *Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus perſeverent in perpetuum*] Putà magnæ rerum maſſæ, cœlum, terra, aqua, deinde & animantium rerúmque aliarum genera.

15. *Quod factum eſt ipſum permanet, quæ futura ſunt jam fuerunt, & Deus inſtaurat quod abiit*] Optimè ſic vertas ex Hebræo, *Quid eſt quod fuit? idipſum* (quod) *jam* (eſt:) *& quod futurum eſt idipſum fuit. Deus quærit id quod ſequitur.* Id eſt quaſi advocat id quod rem quamque ſequi debet, ut hyemem autumno exacto. Chaldæus *requirere* ſumſit pro *ulciſci*, & נרדף pro *homine vexato;* ſenſúmque eſſe putat, *Deum ultorem eſſe iis qui injuſtè malè tractati ſunt*: ut opponatur hoc humanis judiciis, quæ ſæpe iniqua ſunt, de quibus jam aget.

18. *Dixi in corde meo de filiis hominum, ut probaret eos Deus, & oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis*] Contra illam cogitationem de judicio futuri ævi, de qua ſermo præceſſit, alia mihi cogitatio ſuborta eſt, *permittere Deum homines ferino more inter ſe vivere, ut eò meliùs declaret & oſtendat homines pares eſſe beſtiis.* huic cogitationi addit argumenta.

21. *Quis novit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum?*] Id eſt, an permaneat, ſicut cœleſtia.

Et ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum] Pereat, ut ipſa corpora ſub humum defoſſa? Homo ſolâ nativâ ratione nihil de eo comperti habet. oſtendunt id Socratis, Tullii, Senecæ dubitationes.

22. *Quis enim eum adducet?*] Id eſt, in hanc vitam reducet.

CAPVT IV.

1. *Verti me ad alia*] Alia rurſus mihi cogitatio incidit, *mortem vitâ eſſe meliorem.*

2. 3. *Et laudavi magis mortuos quàm viventes: & feliciorem utroque judicavi qui necdum natus eſt*]Dictum hoc fuiſſe Satyri narravit Ariſtoteles. Id ſic expreſſit Chalcidamas:

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον·
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι.
[*Optima ſors homini non edi in luminis oras,*
Aut natum ſubitò penetralia Ditis adire.]

Theognis verò in hunc modum:

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Μηδ' ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου·
Φύντα δ' ὅπως ὤκιστα πύλας Ἀΐδαο περῆσαι,
Καὶ κεῖσθαι πολλὴν γῆν ἐπαμησάμενον.
[*Optima ſors homini natum non eſſe, nec unquam*
Aſpexiſſe diem flammiferumque jubar:
Altera jam genitum demitti protinus Orco,
Et preſſum multâ mergere corpus humo.]

Poſidippus verò his verbis:

Ἦν ἄρα τῶν πάντων τόδε λώϊον, ἠὲ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἠὲ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.
[*Nil igitur ſatius quàm nunquam cernere lucem;*
Vel modò conſpectâ luce repente mori.]

8. *Vnus eſt & ſecundum non habet*] Nemo eſt ei ſanguine propinquus, cujus causâ laboret.

Nec ſatiantur oculi ejus divitiis] Aviditatis egregia deſcriptio. Bene *oculi*: ii enim ſoli fruuntur divitiis apud avaros.

Et fraudo animam meam bonis] *Genium defraudo,* diceret Terentius.

9. *Melius eſt ergò duos eſſe ſimul quàm unum*] Ex Homero Ariſtoteles laudat,

——— σύν τε δύ' ἐρχομένω.
[——— *cùm duo ſunt unà.*]

14. *Quòd de carcere caten'iſque interdum quis egrediatur ad regnum*] Vt Agrippa Iudææ Rex.

Et alius natus in regno inopiâ conſumatur] Sic Telephum mendicantem in Tragœdia introduxit Euripides. In ejuſdem Helena ſic Menelaus:

Κακῶν ᾗ θ' ἡμῖν ἔσχατον τοῖς ἀθλίοις
Ἄλλους τυράννους αὐτὸν ὄντα βασιλέα
Βίον προσαιτεῖν.
[*Malum meis hoc deerat extremum malis*
Reges ut alios, ipſe Rex olim, prece
Alimenta peterem.]

15. *Vidi cunctos viventes qui ambulant ſub Sole cum adoleſcente ſecundo qui conſurget pro eo*] *Secundum* hîc intellige heredem regni, ut ſuprà 9. Senſus eſt idem qui in dicto vetere, quod Pompeius uſurpavit, deinde Tiberius, *à pleriſque adorari Solem orientem.* Papinius:

Et qui mos populis venturus amatur.

Ità in regnis quoque ſunt tormenta & metus.

16. *Infinitus numerus eſt populi, omnium qui fuerunt ante eum*]Non evenit hoc Regis culpâ; nam ab omni ætate populi eo fuêre ingenio:

——— *nec impoſitos unquam cervice volenti*
Ferre duces,

ut ait Papinius.

Et qui poſtea futuri ſunt non lætabuntur in eo] In illo quem nunc Regem ſibi optant, quem amant præ Rege regnante.

17. *Melior eſt obedientia quàm ſtultorum victima*] 1 Samuel. XV. 22.

CAPVT V.

1. *Iccirco ſint pauci ſermones tui*] Contra morem paganorum, de quo egimus Matth. VI. 7.

3. *Si quid voviſti Deo, nè moreris reddere*] Deuteron. XXIII. 21.

5. *Ne dederis os tuum, ut peccare facias carnem tuam*] Noli blanditiis uti ad adulteria perpetranda.

Neque dicas coram Angelo non eſt providentia] In Hebræo, *Neque dicas coram Angelo eſt ignorantia.* In Græco: μήτι εἴπῃς πρὸ προσώπου τοῦ Θεοῦ ὅτι ἄγνοιά ἐστι [*neque dicas coram facie Dei quòd ignorantia eſt*]. Coram Angelo inſpectore ſcilicet tuarum actionum, &, ſi malæ ſint, pœnæ exactore: quem Angelum πρόσωπον τοῦ Θεοῦ [*faciem Dei*] Græci vocant, ut

Geneſ. xxxii. 30. quia ex nomine ac perſona Dei agit. Noli, inquit, excuſationes quærere, quaſi leve ſit tale peccatum. Adſtat Angelus vindex.

6. *Vbi multa ſunt ſomnia, plurimæ ſunt vanitates & ſermones innumeri*] Senſus videtur ità rectiùs reddi: *Sicut multa ſunt ſomnia & in ſomniis vanitates, ità multa verba*, vana ſunt ſcilicet, ea præſertim quibus homines peccata gravia extenuant.

7. *Quia excelſo excelſior eſt alius, & ſuper hos quoque eminentiores ſunt alii*] Hic videtur ſenſus: Iſti minuti ſatrapæ alios vexant, ipſos verò majores alii, ut Seneca ait:

Quicquid à vobis minor extimeſcit,
Major hoc vobis dominus minatur:
Omne ſub regno graviore regnum eſt.

At poſtremum illud rectiùs verteris: *Et excelſus excelſorum ſuper eos.* Nam ſicut dicunt Hebræi κατ' ἔλλειψιν [*defectivè*] אלהים [*deorum*] pro אלהי אלהים [*Deus deorum*], & חכמות [*doctrinarum*] pro חכמת חכמות [*doctrina doctrinarum*], & בהמות [*ferarum*] pro בהמת בהמות [*fera ferarum*]: ità hîc dicitur גבהים [*excelſorum*] pro גבה גבהים [*excelſo excelſorum*]. Senſus eſt, *Deum eſſe ſupra omnes ſummates hominum.*

8. *Et inſuper univerſæ terræ Rex imperat ſervienti*] Videtur hîc ו [*&*] eſſe pro כ [*ſic*], ut dicatur ſic Deus univerſo imperare, quomodo Regi ſervitur de agro etiam in terra quæ cæteris plurimùm præſtat.

9. *Avarus non implebitur pecuniâ*] Hoc per Midæ fabulam oſtendunt Poëtæ. Pecunia niſi erogetur nulli eſt uſui.

Et qui amat divitias fructum non capiet ex eis] In Hebræo eſt המון, quod *multitudinem* ſignificat, & ex vi ſubjectæ materiæ hîc de *multitudine pecuniarum* debet intelligi. At Gemara explicat: *qui amat turbas.* Alii legunt: ומי אהב במעלו תבואה: *& qui amat ſocietatem proficiet*: ſcilicet in Lege. Ego quod primùm dixi præferam.

10. *Et quid prodeſt poſſeſſori, niſi quòd cernit divitias oculis ſuis*] Martialis de villis & agris longinquis:

O janitores villicique felices!
Dominis parantur iſta, ſerviunt vobis.

18. *Et fruatur parte ſuâ*] Quod Horatius dicit:

Dî tibi divitias dederunt, artémque fruendi.

19. *Non enim ſatis recordabitur dierum vitæ ſuæ*] Non ſentit abire vitam.

O vita miſero longa, felici brevis!

CAPVT VI.

3. Q*Vòd melior illo ſit abortivus*] Impropria locutio, ut Matth. xxvi. 24.

6. *Nonne ad unum locum properant omnia?*] Εἰς τὸν ᾅδην [*ad generalitatem* ſive *ad inconſpicuum*].

7. *Omnis labor hominis in ore ejus*] Vſus omnis in victu eſt: natura autem paucis contenta eſt.

Sed anima ejus non implebitur] Cupiditas eſt inexplebilis. Solon:

Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.
[*Divitiis nullus modus eſt nec finis habendi.*]

8. *Quid habet ampliùs ſapiens à ſtulto, & quid pauper, niſi ut pergat illuc ubi eſt vita?*] Senſus videtur, *Quod (*in iis quæ natura deſiderat*) privilegium ſapientis præ ſtulto? quid pauperi* (ſupple *deeſt*) *ſi norit ambulare* (bene ſe gerere) *cum viventibus*, cum ſui ævi hominibus?

9. *Melius eſt videre quod cupias, quàm deſiderare quod neſcias*] In Hebræo, *Meliùs eſt viſio ocularis quàm curſus animæ.* Id eſt, præſtat frui quàm ſperare.

Sed & hoc vanitas eſt] Tamen & hoc, frui ſcilicet, res eſt non permanens.

Et præſumtio ſpiritûs] In Hebræo, *afflictio ſpiritûs.* Nam quò quis hîc ſibi videtur felicior, eò magis mortem metuit.

10. *Qui futurus eſt jam vocatum eſt nomen ejus*] In Hebræo, *Quod eſt, vocatum eſt nomen ejus*; id eſt, Id quod exſiſtit, notum jam eſt: quod ſperatur, ignotum.

Et ſcitur quòd homo ſit, & non poſſit contra fortiorem ſe in judicio contendere] In Hebræo, *Scitur quòd ſit homo, & quòd non poſſit contendere cum fortiori ſe.* Id eſt, non poſſe ab eo ſuperari agnatas rebus vices.

11. *Verba ſunt plurima, multámque in diſputando habentia vanitatem*] In Hebræo, *multæ ſunt res quæ augent vanitatem* (id eſt, incertitudinem rebus futuris additam:) *quid ergò utilitatis homini?* nempe à ſpe. Nam hæc poſtrema verba quæ Latinus capiti ſequenti annectit, finem hujus capitis in Hebræo faciunt. *Spem pretio non emo*, ait Terentius: & alter, *Neſcis quid ſerus veſper vehat.*

CAPVT VII.

1. Q*Vod velut umbra præterit*] Pindarus, σκιὰ ἄνθρωπος [*umbra homo*]. Vide 1 Paralip. xxix. 15. Iob viii. 9.

2. *Melius eſt nomen bonum quàm unguenta pretioſa*] Eſt hîc in Hebræo παρονομασία [*vocum alluſio*] vocum שם [*Schem*] & שמן [*Schemen*]. Eadem alluſio Cant. i. 3.

Et dies mortis die nativitatis] Valerius Maximus ii. 6. *Thraciæ verò illa natio meritò ſibi ſapientiæ laudem vindicaverit, quæ natales hominum flebiliter, exſequias cum hilaritate celebrans, ſine ullis doctorum præceptis, verum conditionis noſtræ habitum pervidit.* Mela de iiſdem Thracibus: *Lugentur apud quoſdam puerperia, natique deflentur. funera contrà feſta ſunt, &, veluti ſacra, cantu luſúque celebrantur.* De iiſdem Solinus, *Apud plurimos luctuoſa ſunt puerperia; denique recens natum fletu parens excipit: contraversùm læta ſunt funera, adeò ut exemtos gaudiis proſequantur.* Hanc ſententiam Euripides in Creſphontem ſuam ſic tranſtulit:

Ἐχρῆν μὲν ἡμᾶς σύλλογον ποιουμένους
Τὸν φύντα θρηνεῖν εἰς ὅσ' ἔρχεται κακά·
Τὸν δ' αὖ θανόντα καὶ πόνων πεπαυμένον
Χαίροντας εὐφημοῦντας ἐκπέμπειν δόμων.
[*Nam nos decebat celebre cum cætu modò*
Lugere gemitum, tanta qui intraret mala;
At qui labores morte finiſſet graves
Hunc laude amicos atque lætitiâ exſequi.]

3. *Melius eſt ire ad domum luctûs quàm ad domum convivii*] Hîc venit ad meliores ſententias, quæ in animo bonum collocant: Prov. xvi. 19.

Et vivens dabit ad cor ſuum] Vt Homerus loquitur, — σῷ ἐνὶ κάτθεο θυμῷ [— *tuæ, precor, inſere menti*]. Pertinet & huc illud, Γνῶθι σεαυτόν [*Naſce temet*].

4. *Melior eſt ira riſu*] Melius eſt amicum habere qui peccanti tibi ſuccenſeat quàm qui arrideat.

Quia per triſtitiam vultûs] Amici ſeverioris.

Corrigitur animus delinquentis] יטב [*fit melior*].

7. *Sub olla*] *Sub caldario*, ut Pſalm. LVIII. 10. Vox eſt Syriaca. Eſt & hìc παρονομασία [*vocum alluſio*].

8. *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*] In Hebræo, *Nam oppreſſio ſapientem ad inſaniam redigit, & animum evertunt dona.* Pergit oſtendere incertitudinem rerum humanarum, cùm etiam ſapientiſſimi de ſtatu mentis ſuæ deturbari ſoleant, aut per injurias, aut per beneficia.

9. *Melior eſt finis orationis quàm principium*] Rectiùs dicas *finis jurgii*, nam ſic Hebræum דבר ſumitur etiam Proverb. XVII. 9. Et ſic optimè cohærebit ſenſus cum ſequentibus.

11. *Ne dicas, quid putas cauſæ eſt, quòd priora tempora meliora fuere quàm nunc ſunt?*] Nè dicas, *ô mores! ô tempora!* Multi ſunt queruli, qui ſemper ſeculum accuſant.

13. *Sicut enim protegit ſapientia, ſic protegit pecunia*] In Hebræo eſt nomen *umbræ* pro *protectione*, ut & alibi.

14. *Conſidera opera Dei*] In Hebræo, *Vide* pro *admirare*.

Quod nemo poſſit corrigere quem ille deſpexerit] In Hebræo, *quem ille curvaverit*: id eſt, *Eum qui natus ſit cum aliquo corporis vitio quis ſanabit?* Ità hìc Chaldæus.

Malam diem præcave] Hebræum : *& in die mala vide.* Quære exitum.

15. *Sicut enim hanc, ſic & illam fecit Deus, ut non inveniat homo contra eum juſtas querimonias*] In Hebræo, *Rem hanc ex adverſo rei iſtius fecit Deus, nè homo quicquam inveniret poſt eam.* Id eſt, nè obloqui Deo poſſet, ut Pſalm. LI. 6. Fecit omnia ἀντίστοιχα [*inter ſe oppoſita*]. Diſplicet tibi lux? en tenebræ. Diſplicent tenebræ? en lux. Mortem accuſas? data eſt & vita. Vitam non laudas? mors ſequetur. Sirachides XLII. πάντα δισσὰ, ἓν κατέναντι τοῦ ἑνός· καὶ οὐκ ἐποίησεν οὐδὲν ἐλλεῖπον [*omnia bina fecit, hoc contra illud; & nihil defectivum*].

16. *Iuſtus perit in juſtitia ſua, & impius multo vivit tempore in malitia ſua*] Nempe viri boni ſæpe eripiuntur malis futuris:

Ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ' ἀποθνήσκει νέος.
[*Ætate moritur juvene quem dî diligunt.*]

& contrà malis ad graviorem pœnam vita prorogatur. Vide II Reg. XXII. 20. Eſai. LVII. 1.

17. *Noli eſſe juſtus multùm*] Id eſt, noli plus tibi arrogare de *probitate*, aut, quod ſequitur, de *ſapientia*, quàm par eſt. Μὴ ὑψηλοφρόνει [*Noli altum ſapere*], Rom. XI. 20.

Nè obſtupeſcas] In Hebræo eſt, *Quare te ires perditum?* Eſt enim Hithpahel, ſed cum defectu ת literæ.

20. *Sapientia confortavit ſapientem ſuper decem principes civitatis*] Super decem fortes.

Cedant arma togæ. ———

21. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*] כי, quod verti ſolet *enim*, hìc poſitum eſt pro *attamen*. Nemo ſemper ſapit. Seneca de Clementia I. 6. *Peccavimus omnes, alii gravia, alii levia, alii ex deſtinato, alii fortè impulſi, aut aliena nequitiâ ablati, alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdidimus.* Vide quæ annotavimus ad lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XX. §. 19.

22. *Sed & cunctis ſermonibus qui dicuntur nè accommodes cor tuum*] Noli curiosè nimis ſcrutari quid quiſque dicat.

23. *Scit enim conſcientia tua, quia & tu crebrò maledixiſti aliis*] Seneca, *Faciet nos moderatiores reſpectus noſtrî, ſi conſuluerimus nos: numquid & ipſi aliquid tale commiſimus? numquid ſic erravimus? expedítne nobis iſta damnari?* Locus eſt de Ira II. 28. Similia habet de Ira I. 14. & de Clementia I. 6.

25. *Multò magìs quàm erat, & alta profunditas quis inveniet eam?*] *Remotum eſt* (id eſt, effluxit) *id quod fuit* (quod præteritum eſt)., *& profundum profundum* (futurum latens) *quis inveniet?* Præteritorum magna eſt oblivio: de futuris conjecturæ incertæ. Hæc difficilem faciunt ſapientiæ adeptionem.

26. *Et rationem*] *Rerum cauſas.* Id enim eſt חשבון.

27. *Et inveni amariorem morte mulierem*] Introducit hìc ſcriptor, ut diximus, Solomonem ut tactum conſcientiâ malè actorum, quorum præcipuè auctores ipſi feminæ fuerant.

Qui placet Deo effugiet illam] Nam Dei favore fit ut decipulæ iſtæ evitentur.

28. *Dixit Eccleſiaſtes*] Sic & Græci: εἶπεν ὁ ἐκκλησιαστής [*dixit concionator*]. Palàm eſt legiſſe eos אמר הקהלת, non ut nunc in Hebræo eſt, אמרה קהלת [*locuta eſt concionatrix*].

Vt invenirem rationem] Id eſt, cauſam cur mulieres pleræque viris eſſent pejores.

29. *Mulierem ex omnibus non inveni*] Id eſt, in mille mulieribus, quas mihi adſcivi, nullam inveni ſincerè probam.

30. *Solummodo hoc inveni quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuerit quæſtionibus*] *Rectum* hìc ſignificat *ſimplicem*, ſicut puto & alios rectè expoſuiſſe, & nos cum illis libro II., de Iure Belli ac Pacis, cap. II. §. 2. Pro illo *quæſtionibus* hìc in Hebræo eſt חשבונות. id ſignificat *rationes* ac *cauſas* multas cur à primæva iſta ſimplicitate deflecterent.

Quis talis ut ſapiens eſt? & quis cognovit ſolutionem verbi?] Videtur hoc πύσμα [*interrogatum*] rectiùs ab aliis referri ad caput ſequens: ut ſenſus ſit, *Quis tanti habendus eſt quanti vir ſapiens, & qui ſolutionem rei* (cujuſque propoſitæ) *intelligit?* פשר pro *ſolvere* eſt vox Syris & Chaldæis familiaris. Vide Dan. V. 12. 16. Vſurpant & Arabes.

CAPVT VIII.

1. S*Apientia hominis apparet in vultu ejus*] פנים apud Hebræos non *vultum* tantùm, ſed & *geſtum, greſſum, ſonúmque vocis* ſignificat.

Et potentiſſimus faciem illius commutabit] Rectiùs ſic: *& duritiem* (id eſt, arrogantiam) *vultûs ei immutabit*. Per *ſapientiam* longè fiet etiam in vultu modeſtior.

2. *Ego os Regis obſervo*] Non *obſervo*, ſed *obſerva* legendum eſt. In Græco: στόμα βασιλέως φύλαξον [*os Regis obſerva*]. ſed in Hebræo præcedit אני, quod ſupplendum ex ſequentibus. *Ego*, ſcilicet Rex ſum, & propterea vos moneo.

Et præcepta juramenti Dei] Optimè ex Hebræo vertas: *maximè propter juramentum Dei.* על דבר vel על דברת eſt *propter*, ut Pſalm. XLV. 5. LXXIX. 9. & alibi. *Iuramentum Dei*, ſicut Latinis *jusjurandum Iovis*, dicitur id quod fit appellato Dei nomine.

3. *Nè feſtines recedere à facie ejus*] Id eſt, noli properato conſilio aliquid agere, quod vel nutu oſtenderit ſibi diſplicere.

Neque permaneas in opere malo] Si quâ re eum offendiſti, noli pertinaciâ culpam facere graviorem.

Quia omne quod voluerit faciet] Vt ait Æſchylus,

Τραχὺς μόναρχος κ' οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ.
[*Rex eſt ſuo utens jure, nulli obnoxius.*]

Talia erant in Oriente imperia.

4. *Et ſermo illius poteſtate plenus eſt*] Qualiſcunque ſermo, etiam prèces. Plato epiſtolâ VII. τὰς δὲ τῶν τυράννων δεήσεις ἴσμεν ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις εἰσίν [*Scimus tyrannorum preces admixtam habere neceſſitatem*].

Nec dicere ei quiſquam poteſt, Quare ità facis?] Non poteſt ad rationes vocari.

5. *Qui cuſtodit præceptum, non experietur quicquam mali*] Non honeſtiſſimum modò, ſed & tutiſſimum eſt ſequi edicta & decreta Regum.

Tempus & reſponſionem cor ſapientis intelligit] Siquid in Rege corrigendum, id quomodo & quando fieri debeat norunt ſoli ſapientes, qualis erat Nathan.

6. *Omni negotio tempus eſt & opportunitas*] Καιρὸς [*commoda rebus occaſio*] inventu difficilis.

Et multa hominis afflictio] Multus in eo reperiendo labor: κάκωσις [*vexatio*] Symmachus. At LXX pro רעה legerunt דעת, & verterunt γνῶσις [*cognitio*].

7. *Quia ignorat præterita, & futura nullo ſcire poteſt nuntio*] Sumſit illud שיהיה [*quod erit*, vel *quod fuit*] in ſignificatione præteriti, ut ſæpe tempora apud Hebræos commutantur, præſertim poſt particulas quaſdam. Vide ſimilem ſententiam ſuprà VII. 25.

8. *Non eſt in hominis poteſtate prohibere ſpiritum*] Iram Regis, ut ſuprà VII. 10.

Nec habet poteſtatem in die mortis] Si eum Rex occidi juſſerit, nullum effugium eſt. Vide Proverbior. XVI. 14.

Nec ſinitur quieſcere ingruente bello] Id eſt, ſi bellum quis contra Regem ſuſceperit, pugnandum ſine miſſione: id enim propriè משלחת [*miſſio*].

Neque ſalvabit impietas impium] רשע varias habet ſignificationes. Hîc *rebellionem* ſignificat: eam negat vel victoribus impunitam fore.

9. *Interdum dominatur homo homini in malum ſuum*] Quippe

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt reges, & ſiccâ morte tyranni.

Thales, τί δύσκολον εἴη τεθεαμένος, γέροντα ἔφη τύραννον [*rogatus, Quid rarum vidiſſet; Senem, ait, tyrannum*]. Vt hoc abſit, tamen, ut Tacitus ait, *Facinora atque flagitia ſua ipſis in ſupplicium vertunt.* Vtrumque reſpiciens Silius:

Quàm vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis?

10. *Vidi impios ſepultos, qui etiam cùm adhuc viverent in loco ſancto erant, & laudabantur in civitate quaſi juſtorum operum*] *Laudabantur*, ut in Græco ἐπῃνέθησαν. Apparet eos legiſſe וישתבחו [*laudabantur*], pro quo nos habemus וישתכחו [*oblivioni tradentur*]. Non improbo hanc Græcorum lectionem, ut ſenſus ſit: *Vidi ego impios ſepultos, qui cùm ambularent* (id eſt, viverent,) *venerant ad locum ſanctum.* Id eſt, jam tum divinis honoribus colebantur, ut Auguſtus, de quo Virgilius:

Namque erit ille mihi ſemper deus.

& Horatius:

Præſenti tibi divinos largimur honores,
Iurandáſque tuum per nomen ponimus aras.

Et laudabantur in civitate in qua ſic fecerant. Id eſt, in qua contra jus & æquum imperaverant: de qualibus ſermo præceſſit.

Etiam hoc vanitas] Illa gloria violentis parta imperiis nullius eſt pretii.

11. *Etenim quia non profertur citò contra malos ſententia, abſque timore ullo filii hominum perpetrant mala*] Egregia admonitio, quam latiùs explicatam videas Pſalm. XXXVII. & LXXIII. Cæſar in reſponſo ad Helvetios, quod eſt belli Gallici lib. I. verè dixit, etiam adverſùs ſemetipſum: *Conſueſſe deos immortales, quò graviùs homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelére eorum ulciſci velint, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere.* Theodectes:

Ὅστις δὲ θνητῶν μέμφεται τὰ θεῖ', ὅτι
Οὐκ εὐθύς, ἀλλὰ τῷ χρόνῳ μετέρχεται
Τοὺς μὴ δικαίους, πρόφασιν εἰσακουσάτω.
Εἰ γὰρ παραυτίκ' ἦσαν αἱ τιμωρίαι,
Πολὺς διὰ φόβον, οὐ δι' εὐσεβῆ τρόπον
Θεοὺς ἂν ηὔξατο· νῦν δὲ τῆς τιμωρίας
Ἄπωθεν οὔσης, τῇ φύσει χρῶνται βροτοί.
Ὅταν δὲ φωραθῶσιν, ὀφθέντες κακοί,
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.
[*Calumniari qui Deos audes, homo,*
Quòd prava facta protinus non vindicant,
Sed punienda differunt, cauſam accipe.
Si pæna ſupera non daret culpæ diem,
Pietate nullâ, ſed metu ſolo, deos
Pars magna colerent; pænâ nunc longè ſitâ
Omnes ſuo permittit ingenio frui:
Sed deprehenſi poſtea in piaculis,
Vtcunque ſerò, quod ſat eſt, pænas luunt.]

Salluſtius Philoſophus: Εἰ τοῖς ἡμαρτηκόσιν εὐθὺς ἠκολούθουν αἱ δίκαι, φόβῳ δικαιοπραγοῦντες ἄνθρωποι ἀρετὴν οὐκ ἂν εἶχον [*Si eos qui delinquunt illico pænæ ſequerentur, homines neceſſitate juſti eſſent, ac ſic virtutem non haberent*]: Addam & hoc ex Euripidis Electra:

—— ὧδέ τις κακοῦργος ὢν
Μή μοι τὸ πρῶτον βῆμ' ἐὰν δράμῃ καλῶς,
Νικᾶν δοκείτω τὴν δίκην, πρὶν ἂν τέλος
Γραμμῆς ἵκηται, καὶ τέλος κάμψῃ βίου.
[—— *quiſquis eſt ergò malus,*
Nè prima ſi curricula bene confecerit
Victor putetur ultionis cælitum,
Dum ſpatia reſtant aliqua & ad metam labor.]

Tacitè autem datur intelligi, Si Deus tyrannos tam patienter tolerat, quantò magìs id eos debere facere qui ſub eorum vivunt imperio.

12. *Attamen peccator ex eo quòd centies facit malum*] Id eſt, quantumvis peccator centies impunè peccet.

13. *Non ſit bonum impio*] *Non erit*. Prædicit, non imprecatur.

Nec prolongentur dies ejus] *Nec prolongabuntur*. Violenta non durant.

14. *Sunt juſti quibus mala proveniunt, quaſi opera egerint impiorum*] In Hebræo: *Sunt juſti ad quos ea pertingunt quæ conveniunt operibus impiis*.

16. *Et intelligerem diſtentionem quæ verſatur in terra*] In Hebræo, *negotium quod fit ſuper terram*: id eſt, τὴν πολιτικὴν [*artem Politicam*], quam Hebræi vocant דרך ארץ [*viam terræ*].

17. *Et intellexi quòd omnium operum Dei nullam poſſit homo invenire rationem*] Senſus eſt, Non omnium Dei operum rationem homini apparere. ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ [*inveſtigabiles viæ ejus*], Rom. XI. 33.

CAPVT IX.

1. *VT curioſè intelligerem*] ולבר את כל זה, pro quo Græci legerunt: ולב ראה את כל זה, καρδία μου σύμπαν εἶδε τοῦτο [*cor meum omne hoc vidit*].

Sunt juſti atque ſapientes, & opera eorum in manu Dei] Aliam opinionem aggreditur, quæ fato omnia tribuit. *In manu Dei eſſe dicuntur Hebræis illa in quæ homo nihil poteſt. Vult ergò hæc opinio & juſtitiam, & ſapientiam, & actiones omnes eſſe fatales.* Chaldæus כלא במזליא תלי [*omnia à fato pendent*]. Explicat מן שמיא אתגזר [*cælitus conſtitutum eſt*].

Et tamen neſcit homo utrùm amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta] In Hebræo, *Etiam amorem, etiam odium neſcit homo, omnia ad facies eorum*: ſupple *hominum*. eſt mutatio numeri frequens, ubi de generibus agitur. Hoc vult: *de quavis re quæ homini occurrit, neſcit homo an ea proveniat ex amore Dei in ſe, an ex odio*.

2. *Eò quòd univerſa æquè eveniant juſto & impio*] Tam bona quàm mala utriſque eveniunt, mors omnibus.

——— Omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via leti.

ait Horatius.

Immolanti victimas, & ſacrificia contemnenti]

——— nec pietas moram
Rugis & inſtanti ſenectæ
Afferet, indomitæque morti:
Non ſi trecenis, quotquot eunt dies,
Amice, places illacrymabilem
Plutona tauris.

ut idem Horatius; qui & alibi,

——— non te facundia, non te
Reſtituet pietas.

Vt perjurus] In Hebræo: *jurans*, nempe non conſilio, ſed temere.

Ità & ille qui verum dejerat] In Hebræo: *qui juramentum timet*. ſic & Græci virum bonum vocant εὔορκον [*bene jurantem*].

3. *Et poſt hæc ad inferos deducentur*] In Hebræo, *& poſt hoc ad mortuos*: ſupple *eundum eſt*. Confer Ezech. XXXII. 30. & Eſaiam XIV. 10.

4. *Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam*] In Hebræo: כי מי אשר יבחר אל כל החיים יש בטחון [*quia quiſquis eligatur ad omnes viventes, eſt ſpes*], ſed monent nos Hebræi pro יבחר reſcribendum יחבר. *Quiſquis ſociatur viventibus de eo ſpes eſt*, nempe poſſe res ejus in melius mutari.

Melior eſt canis vivus leone mortuo] Nempe, ut ait Euripides:

Πανταχοῦ ζῆν ἡδὺ μᾶλλον ἢ θανεῖν τοῖς σώφροσι.
[*Suavius lucem tueri quàm mori prudentibus.*]

Hæc ſententia pugnat cum altera quam ſuprà habuimus; ſed non mirum id, cùm, ut ſuprà diximus, cumulentur huc omnia quæ hominibus in mentem venire ſolent.

7. *Quia Deo placent opera tua*] Rectiùs verteris, *quia Deus favet laboribus tuis*: nempe cùm eos ità proſperavit, ut cuncta quæ vitam delectant abunde tibi ſuppetant.

8. *Oleum de capite tuo non deficiat*] Horatius:

Preſſa tuis balanus capillis.

Balaninum oleum vetuſtiſſimum unguentorum Plinio XIII. 1. indè non hîc tantùm ſed & Cant. I. 1. שמן, id eſt, *oleum* pro *unguento*, & balſamum eſt בעל שמן *princeps oleorum*, id eſt, unguentorum.

10. *Quodcunque facere poteſt manus tua inſtanter operare*] In Hebræo: *Quicquid invenerit manus tua* (id eſt, quicquid tibi faciendum obtigerit), *id fac pro viribus*.

Σπάρταν ἔλαχες· ταύταν κόσμει.
[*Spartam tibi quæ contigit orna.*]

Quia nec opus, nec ratio, nec ſapientia, nec ſcientia erunt apud inferos] *Vita vigilia.*

Longa quieſcendi tempora fata dabunt.

11. *Nec velocium eſſe curſum*] Hoc eſt quod dicit Homerus,

Κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.
[*Celerem quit prendere tardus.*]

Nec fortium bellum] Id eſt, victoriam. Non ſemper vincunt quibus plus eſt virtutis. Eſt quædam & in bellis alea.

12. *Neſcit homo finem ſuum*] In Hebræo: *tempus ſuum*, mortis ſcilicet privatæ, aut cladis publicæ. Vide II Paral. XIII.

13. *Hanc quoque ſub ſole vidi ſapientiam*] Politicam: de ea enim nunc agere incipit. Et hæc eſt illa quâ excelluit Solomo, I Reg. III. 9. 12.

15. *Vir pauper & ſapiens, & liberavit urbem per ſapientiam ſuam*] Vt femina illa urbem Abelum II Samuel. XX. 22.

17. *Verba ſapientum audiuntur in ſilentio plus quàm clamor Principis inter ſtultos*] In Hebræo: *Verba ſubmiſſa ſapientum audienda potiùs quàm clamor dominantis inter ſtultos*. Id eſt, δημαγωγοῦ [*plebicolæ*] alicujus, *turbulenti tribuni*, ut Tacitus loquitur. Vide Prov. XXIX. 8. Iobi XXX. 8.

18. *Melior eſt ſapientia quàm arma bellica*] Senſum hùnc & ſuprà habuimus VII. 20. Tractat eundem & Ariſtoteles Politicorum VII. 13. & 14. Cicero de Officiis libro I. *Sed cùm plerique arbitrentur res bellicas majores eſſe quàm urbanas, minuenda eſt hæc opinio*. Vbi & quæ ſequuntur vide.

CAPVT X.

1. *MVſcæ morientes perdunt ſuavitatem unguenti: pretioſior eſt ſapientia & gloria, parva & ad tempus ſtultitia*] Sic rectè vertas, *Sicut muſcæ immortuæ putere faciunt & fœtere unguentum ſeplaſiæ: ità egregium ſapientiâ & honore, modicum ſtoliditatis*. Cavendum eſt iis qui famæ ſuæ curam habent nequid vel minimum peccent.

2. *Cor ſapientis in dextera ejus, & cor ſtulti in ſiniſtra illius*] Dextera eſt via virtutis, ſiniſtra via vitiorum, ut in litera Pythagoræ. Apparet id collatis locis Deuteron. I. 39. & Ionæ IV. in fine.

3. *Sed & in via ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat*] In Hebræo, *Etiam cùm per vias incedit ſtultus cor ei abeſt, dicítque omnibus, En ſtultum*: id eſt,

— Vultu morbum inceſſúque fatetur.

4. *Si ſpiritus poteſtatem habentis aſcenderit ſuper te*] Si apud Regem in magna fueris gratia.

Locum tuum nè dimiſeris] Serva priorem modeſtiam. Propertius ad Mæcenatem:

Mæcenas eques Hetruſco de ſanguine Regum,
Intra fortunam qui cupis eſſe tuam.

Quia curatio facit ceſſare peccata maxima] Eſt quidem מרפא *curatio*; ſed in hoc libro & Proverbiorum frequens eſt ut א pro ה ponatur. Ità ſignificabit hîc *otium* ſive *vitam privatam*, quæ minùs obnoxia eſt peccandi occaſionibus.

6. *Poſitum ſtultum in dignitate ſublimi, & divites ſedere deorſum*] Regibus multis ſuſpecti qui excellunt ſive ſapientiâ, ſive nobilitate, aut opibus. *Aliena illis virtus formidoloſa eſt*, ut ait Salluſtius. *Pellunt ergò ſapientiæ profeſſores, & omnes bonas artes in exſilium agunt. Siniſtra illis erga eminentes interpretatio, nec minus periculum ex magna fama quàm ex mala. Nobilitas, opes pro crimine*: quæ omnia habet Tacitus. Exemplum in Roboamo.

7. *Vidi ſervos ſuper equos*] *Enimvero neque nobilem, neque ingenuum, nec libertinum quidem armis præponere, regia utilitas eſt.* Sic Tacitus in Germania.

Et principes ambulantes ſuper terram, quaſi ſervos] *Principes* intellige viros nobiles.

8. *Qui fodit foveam incidet in eam*] Nempe

Malum conſilium conſultori peſſimum.

Idem proverbium Proverb. XXVI. 27. XXVIII. 10. Pſalm. VII. 16. Eſt autem גומץ vox Chaldaïca, quam ſæpe uſurpat interpres Chaldæus, ubi in Hebræo eſt בור [*fovea*].

Qui diſſipat ſepem, mordebit eum coluber] Qui in ſentibus latere ſolet. Allegoria Hebræorum hoc aptat ad eos qui ſapientum traditiones contemnunt.

9. *Qui transfert lapides, affligetur in eis*] Qui alieni eſt cupidus, & propterea terminos revellit. Et hoc per allegoriam applicatur eis qui ſemel definita temere commovent.

Et qui ſcindit ligna, vulnerabitur ab eis] Qui alienas arbores cædit. Allegoria hoc deducit ad eos qui factiones & ſeditiones ſerunt.

10. *Si retuſum fuerit ferrum, & hoc non ut priùs, ſed hebetatum fuerit, multo labore exacuetur, & poſt induſtriam ſequetur ſapientia*] *Si hebetatum* (nempe longo ſitu ac rubigine) *fuerit ferrum, & ipſe* (dominus) *aciem ejus* (pridem) *non terſerit, tum vires* (ſuas) *excitabit* (id eſt, omni vi nitetur auferre vitium inolitum): *& plus multò rectificationis* (id eſt, polituræ) *ſapientia*, requirit ſcilicet. Hæc eſt interpretatio Maimonidæ longè optima.

15. *Labor ſtultorum affliget eos qui neſciunt in urbem pergere*] Multi quæſtionibus arduis ſe fatigant, cùm nè obvia quidem norint, quale eſt iter ad urbem.

16. *Væ tibi terra cujus Rex puer eſt*] Multa mala evenire in regnis ſolent, ubi ſucceſſio ad puerum devoluta eſt. Tutores enim ſæpe non ex fide rem gerunt, aut inter ſe diſcordant: neque puero ſatis auctoritatis eſt ad retinendos in officio populos. Exemplum in Ioaſi temporibus II Reg. XI. & poſt Ancum Martium Romæ: Arcadii & Honorii ætate in Imperio Romano.

Et cujus Principes manè comedunt] Convivia intempeſtiva agitant; nam

——— corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat.

17. *Beata terra cujus Rex nobilis eſt*] In Hebræo: *filius candidorum*, id eſt, illuſtrium. Nam familiæ vetus ſplendor multum dignitatis addit Regi.

Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus.

Euripides Temeniſi:

Φεῦ φεῦ· τὸ φῦναι πατρὸς εὐγενοῦς ἄπο
Ὅσην ἔχει φρόνησιν, ἀξίωμά τε.
[*Proh! quanta res eſt, quàm valens ad gratiam*
Claro parente ducere excelſum genus.]

Et in Hecuba:

Δεινὸς χαρακτὴρ κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
Ἐσθλῶν γενέσθαι.
[*Egregia, ſiqua eſt genere in humano, nota eſt*
Bonis creari.]

Et cujus Principes veſcuntur in tempore ſuo ad reficiendum, non ad luxuriam] In aureo carmine eſt:

Ἀλλὰ ποτοῦ τε μέτρον, καὶ σίτου, γυμνασίων τε
Ποιεῖσθαι· μέτρον δὲ λέγω τόδ᾽, ὃ μή σ᾽ ἀνιήσει.
[*Eſt modus, hunc ſerva, potûs, dapis, atque laborum:*
Quem ſi noſſe cupis, modus eſt nocitura cavere.]

19. *Et pecuniæ obediunt omnia*] In Hebræo, *Omnibus reſpondebit argentum*: id eſt, erit vice rerum omnium.

20. *In cogitatione tua Regi nè detrahas*] Id eſt, nè occultiſſimè quidem.

Et in ſecreto cubiculi tui nè maledixeris diviti] *Divitem* hîc vocat virum ſummatem.

Quia & aves cœli portabunt vocem tuam] Vt Ibyci aves notæ in Græca hiſtoria. Verùm hîc per *aves* intelliguntur delatores, aves verè infauſtæ.

CAPVT XI.

1. *MItte panem tuum ſuper tranſeuntes aquas*] Id eſt, ubi nulla ſpes ſit recipiendi: Luc. XIV. 12. 13. 14.

Quia poſt tempora multa invenies illum] Deus pro iſta beneficentia nova in te beneficia conferet.

2. *Da partem ſeptem*] Nempe pauperibus.

Quia ignoras quid futurum ſit mali ſuper terram] Quod ſcilicet ſicut benefaciendo avertitur, ità per immiſericordiam attrahitur. Famem enim ſæpe ea de cauſa immitti teſtantur Prophetæ.

3. *Si repleta fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent*] Nullo ſcilicet diſcrimine, ſuper omnem humum. Sic & tu noli ſollicitè inquirere qualis ſit cui des: homo eſt.

Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit] Eſt proverbium vulgare, ſignificans eas res in quibus delectu opus non eſt. Neque enim qui arborem exſcindit multùm curat in quam partem ea cadat, nihil enim refert. Sic etiam beneficia illa minora velut cæcâ manu ſpargenda ſunt.

4. *Qui obſervat ventum non ſeminat*] Avaris, nè dent, quilibet prætextus ſufficit.

5. *Quomodo ignoras quæ ſit via ſpiritûs*] *Vnde veniant, quò eant venti*, Iohan. III. 8. ubi quæ dicta vide.

Sic neſcis opera Dei qui fabricator eſt omnium] Neſcis quàm miris ac latentibus modis Deus repenſet benigna facta. Is ſenſus convenit cum eo quod dictum ſuprà initio hujus capitis.

6. *Neſcis quid magìs oriatur, hoc aut illud*] Neſcis ubi optimè locatum ſit beneficium.

7. *Dulce lumen, & delectabile eſt oculis videre Solem*] Euripides Hippolyto:

Ὦ λαμπρὸς αἰθὴρ, ἡμέρας ἁγνὸν φάος,
Ὡς ἡδὺ λεύσσειν.
[*O lucide æther, Solis ô purum jubar,*
Quàm dulce vos conſpicere!]

Idem in Iphigenia in Aulide:

——— ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς
βλέπειν.
[——— *Lux aurea*
Quàm grata viſu.]

8. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita*] Propiùs ad Hebræum ſic vertas: *Etiamſi plurimos annos egerit homo, & lætatus fuerit perpetuò, ubi tamen cogitabit tempora tenebrarum* (id eſt, mortis) *longa fore, quicquid ei obvenit, id vanitas*, ſcilicet ei apparebit.

9. *Et ſcito quòd pro omnibus his adducet te Deus in judicium*] Si licitis uſus fueris voluptatibus, bene te tractabit Deus: ſi illicitis, pœnas tibi inferet ſuo tempore.

10. *Aufer iram à corde tuo*] Μεμψιμοιρίαν [*querelam de ſorte quæ obtigit*].

CAPVT XII.

2. A*Ntequam tenebreſcat ſol & lumen & luna*] Poëticis locutionibus, multis interſertis metaphoris, deſcribit ſenectutis incommoda. *Sol & luna deficere* illis dicuntur quibus etiam illa quæ per naturam gratiſſima ſunt hominibus grata eſſe deſinunt. Vide quæ diximus ad Matthæum XXIV. 29.

Et revertantur nubes poſt pluviam] Durat adhuc generalis malorum deſcriptio. *Nubes poſt pluviam*, ut alibi *abyſſus poſt abyſſum*, eſt perpetua ſucceſſio incommodorum.

3. *Quando commovebuntur cuſtodes domûs*] Manus trement.

Et nutabunt viri fortiſſimi] Crura, Atlantes corporis.

Et otioſæ erunt molentes in minuto numero] In Hebræo: *Et ceſſabunt molitrices* (id eſt, molares dentes), *quia vi ſuâ defecti ſunt.*

Et tenebreſcent videntes per foramina] Propriè *per feneſtras*: οἱ παρακύπτοντες [*tranſpectantes*]. intelligit oculos quibus intervalla palpebrarum ſunt quaſi feneſtræ.

4. *Et claudent oſtia in platea in humilitate vocis molentis*] *Et claudentur egreſſus forum versùs, ob infirmitatem vocis, quæ antè ut mola ſonabat.* LXX, Καὶ κλείσουσι θύρας ἐν ἀγορᾷ (activum pro paſſivo), ἐν ἀσθενείᾳ φωνῆς τῆς ἀληθούσης [*Et claudentur januæ in foro, per imbecillitatem vocis quæ moluit*], (ſupple πρίν [*antè*]). Symmachus, ἀχρειωθείσης τῆς φωνῆς [*voce inutili factâ*]. occluſum illi erit forum, ob vocis tenuitatem.

Et conſurgent ad vocem volucris, & obſurdeſcent omnes filiæ carminis] In Hebræo: *Et ſurget (* homo ſcilicet *) ad vocem avis, & deprimentur filiæ omnes carminis.* Excitabitur ex ſomno ad ſonum minimæ avis, & nullo in pretio illi erunt Muſæ. Poſterius hoc membrum optimè explicat locus de Barzillaio II Sam. XIX. 35.

5. *Excelſa quoque timebunt & formidabunt in via*] In Hebræo: *Timebunt & quæ eminent, & quæ fracta ſunt in via.* Si in viam ſe dent, metuent nè offendant in exſtantia aut depreſſa. Ab utriſque enim periculum eſt ſenibus.

Florebit amygdalus] Albeſcet caput, ut flores amygdali.

Impinguabitur locuſta] In Hebræo, *Oneri erit locuſta*: id eſt particula ſalax herniam contrahet.

Et diſſipabitur capparis] Optimè vertas ex Hebræo, *Peribit libido*, quod cum præcedenti optimè cohæret. Et ſic Chaldæi hanc vocem uſurpant.

Quoniam ibit homo in domum æternitatis ſuæ] Sicut Catullus ait,

Nox eſt perpetua una dormienda.

Ibit, id eſt, magìs magìſque accedet.

Et circuibunt in platea plangentes] Præficæ funus undique ambibunt, ut tunc erat moris. Vide quæ ad Matthæi XI. 17.

6. *Antequam rumpatur funiculus argenteus*] In Hebræo, *Antequam non elongetur* (id eſt, contrahatur) *argenteus funis*: id eſt, marceſcat medulla dorſi, unde fit ut dorſum curvetur. ὁ γὰρ χρόνος μ' ἔκαμψε [*me tempus incurvavit*], ait Crates. Sic Hebræi.

Et recurrat vitta aurea] In Hebræo, *Et frangatur phiala aurea*: intelligendum videtur de bile quæ in ſenecta minùs ſolet vaſis ſuis contineri.

Et conteratur hydria ſuper fontem] Veſica minùs contineat ſibi creditum humorem.

Et confringatur rota ſuper ciſternam] Alvus minùs reſpondeat temporibus ſuis, modò citatior, modò adſtrictior.

7. *Et revertatur pulvis in terram ſuam, unde erat*]

Τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν — [*Corpuſque terræ* —], ait Euripides in Supplicibus. Lucretius:

Cedit idem retro de terra quod fuit antè.

Vide quæ diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XIX. § II. & ad Geneſin III. 9.

Et ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum] Euripides dictâ Tragœdiâ, — πνεῦμα μὲν πρὸς αἰθέρα [— *ſpiritus cœlo redit*]. Vide quæ diximus ad Iob. XXXIV. 14.

8. *Vanitas vanitatum, dixit Eccleſiaſtes, & omnia vanitas*] Redit ſcriptor ad id unde initium fecerat, evolutiſque opinionibus omnibus, quæ homini in mentem venire poſſunt, ait cæteris quidem rebus uti nos poſſe cum modo; cum autem beati nomen, quatenus hæc vita capit, mereri qui in omnibus id agit, ut Deo placeat: in eo enim eſſe ſummam tam ſapientiæ quàm tranquillitatis. Θεῷ ἕπου [*Deum ſequere*] dicebant Pythagorici.

Docuit populum] Multis orationibus, multis etiam ſcriptis, quæ non exſtant.

Et inveſtigans compoſuit parabolas multas] Egregias γνώμας [*ſententias*] collegit ex variis ſcriptoribus, quaſdam & ipſe de ſua experientia addidit.

11. *Verba ſapientum tanquam ſtimuli*] Κέντρον ἐγκαταλείπουσι [*ſtimulum relinquunt*], quod de Pericle dictum olim. *Verba ſapientum*, αἱ χρηστομάθειαι [*pulchrè dicta*].

Et quaſi clavi in altum defixi] Ità hærent memoriæ ob breviloquentiam & auctoritatem.

Quæ per magiſtrorum conſilia data ſunt à paſtore uno] In Hebræo: *auctores collectionum* (οἱ συλλογεῖς [*collectores*]) *dati ſunt à paſtore uno*: id eſt, qui hæc colligerent, ac ſub perſona Solomonis in unum corpus congererent, mandatum habuêre *ab uno Paſtore*, id eſt, ut puto, Zorobabele, qui, ob res tenues Iudæorum, & Perſici imperii reverentiam, *Regem* ſe dicere non auſus, quanquam inter ſuos pro Rege habebatur, nomen uſurpavit modeſtius *Paſtoris*.

12. *His amplius fili mi nè requiras*] In Hebræo, *cave*; ſed intelligitur, *nè quæras*. Hæc tibi ſufficient. Abiudem videtur hîc alloqui Zorobabel.

Faciendi libros nullus eſt finis] Si hoc eâ ætate dixit, quid nunc diceret, ſi noſtras bibliothecas inſpiceret?

Frequênſque meditatio] Lectio.

Carnis afflictio] Si nimia eſt, nocet ſanitati.

13. *Finem loquendi pariter omnes audiamus*] In Hebræo, *Finis rei totius quæ nunc audita eſt* (abs te) *eſt*: hoc ſcilicet quod ſequitur. Hæc ſumma eſt, quo tam vaga diſſertatio te ducet.

Deum time] Id eſt, Cole ac reverere.

Et mandata ejus cuſtodi] Fac quæ juſſit aut in primæva illa lege, aut in Lege Moſis.

Hoc eſt enim omnis homo] *In eo eſt totum hominis*, ſcilicet bonum.

14. *Et cuncta quæ fient*] In Hebræo: *opus omne*.

Adducet Deus in judicium] Citiùs aut tardiùs, ut ipſi videbitur. Vide ſuprà XI. 9.

Pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit] In Hebræo: *Etiam omne occultum, ſive bonum, ſive malum ſit*. Thales interrogatus, An quis latere Deo poſſet aliquid faciens, *Nè cogitans quidem*, inquit. Αὐτὸς ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης — [*Noſter eſt inſpector ipſe* —], juxta Epicharmum.

AD CANTICVM CANTICORVM.

CAPVT I.

Carmen hoc vocatur Hebræis *Excellentiſſimum carmen*, ob multas elegantias, quæ in alium ſermonem tranſlatæ non idem ſapiunt. Eſt autem ὀαριστὺς [*garritus conjugum inter ſe*] inter Solomonem & filiam Regis Ægypti, interloquentibus etiam choris duobus tum juvenum, tum virginum, qui in proximis thalamo locis excubabant. Nuptiarum arcana ſub honeſtis verborum involucris hîc latent: quæ etiam cauſa eſt cur Hebræi veteres hunc librum legi noluerint niſi à jam conjugio proximis. Creditur autem Solomon, quo magis perennaret hoc ſcriptum, eâ arte id compoſuiſſe, ut ſine multa diſtortione ἀλληγορίαι [*latentes ſenſus*] in eo inveniri poſſent quæ Dei amorem adverſùs populum Iſraëliticum exprimerent: quod & ſenſit & oſtendit Chaldæus hîc Paraphraſtes: nec aliter accepit Maimonides. Ille autem amor typus cùm fuerit amoris Chriſti erga Eccleſiam, Chriſtiani ingenia ſua ad applicanda ad eam rem hujus carminis verba exercuerunt, laudabili ſtudio. Nam & Apoſtoli Chriſti cum Eccleſia conjunctionem matrimonio comparaverant, Epheſ. V. 32. II Cor. XI. 2. Apoc. XIX. 7. 9.

5. *Sicut tabernacula Cedar*] Ægyptus multum trahit de Arabia finitima: & fortè mater hujus Reginæ fuerit Arabiſſa.

6. *Poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodivi*] Deſtinaverunt me cœlibatui: ego verò matrimonium prætuli.

7. *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*] Hoc joco dicitur, ut illud Catulli:

Ne quæſitum aliunde eat.

8. *Paſce hædos tuos*] Exple appetitum, unde verbum τραγίζειν [*hircum imitari*]. Horatius:

Laſcivæ ſimilem ludere capreæ.

Iuxta tabernacula paſtorum] Τῶν διδύμων [*teſtium*]. Vide & III. 3.

9. *Equitatui meo*] Rectiùs dicas, equitio.

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exſultim.

ait Horatius.

12. *Nardus mea dedit odorem ſuum*] Videtur נרדי

non eſſe *nardus mea*, ſed *nardinum*: ut dicat mariti ſui in ſomno reſpirantis halitum etiam nardino eſſe ſuaviorem.

CAPVT II.

1. E*Go flos campi*] *Roſa Saron.* Saron terra eſt feraciſſima, Eſai. LXV. 10. — ἁ ῥοδόχρως Ἑλένα [— *ora roſis compar Helene*], apud Theocritum.

2. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias*]

> Τῶν δ' οὐδ' ἄν τις ἄμωμος, ἐπεί χ' Ἑλένα παρισωθῇ.
> [*At non eſt Helenæ quæ ſeſe conferat ulla.*]

3. *Sicut malus inter ligna ſilvarum*] Similis illa apud Theocritum comparatio ad Helenam pertinens:

> ——— ἅτ' ἀνέδραμεν ὄγμος ἀρούρᾳ,
> Ἢ κάπῳ κυπάρισσος.
> [——— *quantum eminet arvis*
> *Cupreſſus, campiſque ſeges.*]

Gutturi meo] Vide Proverb. XXX. 20.

4. *Introduxit me in cellam vinariam*] Vt biberem. Vide Proverbior. V. 15.

Ordinavit in me charitatem] In Hebræo, *Vexillum ejus ſuper me eſt dilectio*: quaſi dicat, *milito ſub ejus vexillo, cui inſcriptum eſt, Amor.*

5. *Fulcite me floribus*] *Lagenis* vini optimi, ut fieri ſolet τοῖς λιποθυμοῦσι [*animo deficientibus*].

Stipate me malis] *Roborate me malis*, nempe Punicis, aut ſimilibus.

Quia amore langueo] Nympha apud Theocritum:

> Ναρκῶ νὴ τὸν Πᾶνα.
> [*Marcida ſum. ſic me Faunus juvet.*]

6. *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*] — *Liveſcant brachia nexu*, Claudianus.

7. *Ne ſuſcitetis, neque evigilare faciatis dilectam*] — Ἔγρεσθε ἢ πρὸς ἀῶ [— *ſurgite lucis Eoo*], Theocritus. Vide & III. 5.

9. *Poſt parietem*] Crura.

11. *Iam enim hiems tranſiit*]

> *Diffugêre nives redeunt jam gramina campis.*

12. *Flores apparuerunt*] Virgilius:

> *Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbor,*
> *Nunc frondent ſilvæ, nunc formoſiſſimus annus.*

Ver tempus amorum.

14. *Oſtende mihi faciem tuam*] Pulchritudinem tuam, συμμετρίαν [*commenſum*] corporis.

15. *Capite nobis vulpes parvulas*] Pulicellos.

CAPVT III.

2. S*Vrgam & circuibo civitatem*] Allegoricè Paraphraſtes hoc explicat de Iſraëlitis mutuò ſe excitantibus ut eant ad Tabernaculum conventûs.

4. *In domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ*] Sic Theocritus, — καὶ ἐς τὸν ἄντρον ἱκοίμαν.

6. *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi*] Eſt tranſpoſitio. Vult enim dicere, *cujus odores ſic aſcendunt ut vapor ex agro.* Nam מדבר verti ſolet & ἀγρὸς [*ager*], & πεδίον [*campus*], & ὄρος [*mons*].

7. *En lectulum Salomonis*] Cubiculum. Magnificentia novi mariti prædicatur.

9. *Ferculum ſibi fecit*] In Hebræo, אפריון; id eſſe Græcum φορεῖον credidit Hieronymus: & ſic vertunt LXX. φορεῖον eſt *lectica*, aut ſimile quid.

10. *Reclinatorium aureum*] Pavimentum.

Aſcenſum purpureum] Camera lecticæ.

Media charitate conſtravit propter filias Ieruſalem] *Media ejus ſtrata amore à mulieribus Hieroſolymitanis.* Id eſt, media lecticæ amorum hiſtorias habent mulierum Iudæarum acu pictas.

CAPVT IV.

1. A*Bſque eo quod intrinſecus latet*] Videntur legiſſe Græci & hîc & bis infrà עלמרך [*abſcondita tua*]. At in Hebræo noſtro, *intra comam tuam*: coma enim ferme ad oculos pervenit.

Capillus tuus ut grex caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad] In Hebræo: *Quæ manè ſurgunt de monte Galaad.* Sic & Arabibus גלש [*manè ſurgere*] ſumitur. Monti pulcherrimo *Galaad* confertur caput: *capreis* capilli ſubſultantes in capite.

2. *Omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eas*] In Hebræo: *Omnes geminæ, & abortiens non eſt inter eas.* Dentes æquali ordine inter ſe reſpondent, nec ulla pars vacat.

3. *Sicut fragmen mali punici*] *Ita genæ tuæ.*

Abſque eo quod intrinſecus latet] In Hebræo iterum: *inter comam tuam.* Hoc vult: *genæ tuæ rubent ut acini in malo Punico.*

4. *Mille clypei pendent ex ea*] Clypeis illis de turre pendentibus confert uniones pendentes de collo.

6. *Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*] Sic vocat mammas ob ſuaviſſimum odorem.

7. *Veni de Libano ſponſa mea, veni*] Hoc vult dicere, Deducam te per amœniſſima regni mei; à *Libano* in *Amana*, indè in *Hermonem*, cujus pars *Sanir*, Deuter. III. 9. Saltum in Libano habebat Solomon, I Reg. VII. 2. II Paralip. VIII. 6. De Hermonis amœnitate vide Pſalm. LXXXIII. Vndique corollas tibi decerpemus. Sic in Epithalamio Helenæ:

> Ἄμμες δ' ἐς δρόμον ἦρι καὶ ἐς λειμώνια φύλλα
> Ἑρψοῦμες, στεφάνως δρεψεύμεναι ἁδὺ πνέοντας,
> Πολλὰ τεῦ, ὦ Ἑλένα, μεμναμέναι.
> [*Nos, ubi manè novum, procul in viridantia prata*
> *Ibimus, & carpemus olentes ſuave corollas,*
> *Multa tui memores, Helene.*]

9. *Vulneraſti cor meum*] Theocritus de Amore: — τὺ δὲ τραύματα ἁλίκα ποιεῖς; [— *ah qualia vulnera figis!*]

Soror mea] Sic & Latini amicas vocabant. Meminit Tibullus, Martialis, & alii.

In uno oculorum tuorum] Meleager de Amore:

> ——— οὔ με λέληθας,
> Τοξότα, Ζηνοφίλας ὄμμασι κρυπτόμενος.
> [——— *an me ſperabas fallere, nequam,*
> *Spicula Zenophiles qui jacis ex oculis.*]

Et in uno crine colli tui] Silentiarius:

> Χρυσῆς εἰρύσασα μίαν τρίχα Δωρὶς ἐθείρης
> Οἷα δορυκτήτους δῆσεν ἐμὰς παλάμας.
> [*Traxerat aureolum Doris de fronte capillum:*
> *Hoc mihi captivam ſtrinxit utramque manum.*]

10. *Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ, ſoror mea ſponſa*] In Epigrammate Græco:

Καὶ μαζοὶ γλαγόεντες, εὔζυγες, ἱμερόεντες,
Εὐφυέες, πάσης τερπνότεροι κάλυκος.
[*Lacteolæque pares tumidæ, res blanda, papillæ,*
Major purpureis queîs decor eſt foliis.]

Odor unguentorum tuorum] Id eſt, halitus tui meliores unguento.

11. *Favus diſtillans labia tua*] Sic labia in Græco Epigrammate:

——— ςόματος νεκταρέου πρόθυρα.
[——— *oris limina nectarei.*]

Mel & lac ſub lingua tua] Hinc poſt Baptiſmum lactis & mellis prægustatio. Meminit Tertullianus de Corona, & adversùs Marcionem 1.

12. *Hortus concluſus*] Hoc ſenſu & Græci κῆπον dicunt. Vide Diogenem Stilpone. Sic & v. 1. & *hortus* in Lampſaceno carmine, & *hortulus* apud Apuleium. Significat autem eam fuiſſe bene custoditæ virginitatis. Et hunc in ſenſum Iudæi hæc verba uſurpant.

Fons ſignatus] Pari ſenſu *ſignatam virginem* dixit Lucilius.

16. *Surge Aquilo, & veni Auſter*] Ὠφελεῖ γὰρ τοῦτο πρὸς τὸ οὐρητικὸν [*facit enim hoc ad fluxum*], ut ſequitur.

CAPVT V.

1. V*Eni in hortum meum*] Loquitur maritus. nec eſt vocantis, ſed ſibi gratulantis: εἰσῆλθον [*intravi*].

Comedat fructum pomorum ſuorum] *Comedere & bibere*, pro *re quavis frui* frequens Hebræis.

Comedite amici & bibite, & inebriamini cariſſimi] Invitat maritus ſodales ſuos, ut ipſum imitentur.

2. *Ego dormio & cor meum vigilat*] Eſt quædam ſemivigilia & ſemiſomnus.

Aperi mihi] Admitte.

Caput meum plenum eſt rore] De hoc rore diximus alibi.

3. *Exſpoliavi me tunicâ meâ, quomodo induar illâ?*] Sunt hæc verba ἀκκιζούσης [*fictè recuſantis*]. Per *tunicam* intellige noctis habitum, qui exuitur ubi diurna veſtimenta ſumunt mulieres. Propertius:

Quæ cùm Sidoniæ nocturna ligamina mitræ
Solveret.

Lavi pedes meos] *Sumſi aquam* dicerent feminæ Romanæ. Habes id apud Ovidium ſæpiùs. *Pedes* quo ſenſu hîc dicantur, videbis ad Geneſ. XLIX. 10.

4. *Intremuit*] *Commotus eſt.*

7. *Invenerunt me cuſtodes qui circumeunt civitatem*] Manus quæ totum corpus palpando circumeunt. Ψηλαφῶσι, κλειτορίζουσι [*tractant, rimantur*].

Vulneraverunt me] Vdam ſe factam dicit.

Tulerunt pallium meum mihi] Sulpitia,

Vt me cadurcis deſtitutam faſciis.

8. *Adjuro vos*] Sæpe incipiunt novæ Odæ, ut hoc loco.

CAPVT VI.

3. P*Vlchra es amica mea, ſuavis*] In Hebræo, *Vt Thirſa*; nomen urbis.

Terribilis ut caſtrorum acies ordinata] Βλοσυρὰ aut σοβαρὰ [*ferox*] dicerent Græci.

6. *Abſque occultis tuis*] Rurſum in Hebræo: *intra comam.*

7. 8. *Sexaginta ſunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus: una eſt columba mea*] Deeſt *attamen*. Senſus eſt, Quamvis in gynæconitide mea tot ſunt uxores legitimè ductæ, tot aliæ minùs ſolenniter adſcitæ, multæ præterea virgines quæ mihi ſervantur, una tamen eſt unicè dilecta.

9. *Quaſi aurora exſurgens*] Sic Latinus Poëta:

Adſtiteram exorientem auroram fortè ſalutans,
Cùm ſubitò à læva Roſcius exoritur:
Pace mihi liceat, cæleſtes, dicere veſtrâ,
Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.

10. *Et inſpicerem ſi floruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica*] An nupta eſſet ἐν ῥύσει [*in profluvio*]. Similis ἀλληγορία [*ſenſus occultus*] & eodem tendens in libro Kethub, *Omnis vitis producit vinum: in qua non eſt vinum ea eſt ſterilis.* Explicatur autem illud יין [*vinum*] per דם בתולים [*ſimilitudinem virginitatis*].

11. *Neſcivi*] Non cogitaveram.

Anima mea conturbavit me propter quadrigas Aminadab] *Propter currus Aminadab.* Nomen videtur fuiſſe Ducis bene noti, cui currus eſſet purpureus.

12. *Revertere, revertere Sulamitis*] Refugientem revocat. *Sulamitis*, id eſt, Solomonis uxor,

CAPVT VII.

1. Q*Vid videbis in Sulamite niſi choros caſtrorum*] Cohæret cum ſuperioribus. Negat ſe velle inſpectari. Neque enim hoc ſpectaculum ſuavius fore quàm cruenti exercitus.

Quam pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia Principis] Hæc ad Synedrium κατ' ἀλληγορίαν [*per ſenſum occultiorem*] referunt Hebræi.

Iuncturæ femorum tuorum] Femoris ambitus.

2. *Vmbilicus tuus crater tornatilis*] Bona comparatio: nam umbilicus & rotundus eſt ut crater, & cavus, & intus orbiculos quoſdam habet.

Nunquam indigens poculis] Nam umbilicus balſamo & rebus ſimilibus perfundi ſolebat, partim valetudinis, partim deliciarum causâ.

Venter tuus ſicut acervus tritici, vallatus liliis] Modii tritici applanari ſolent. Sic

Quàm caſtigato planus ſub pectore venter.

ut ait talium magiſter. *Lilia* hîc ſunt latera.

4. *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon*] Sereni, non turbidi.

5. *Comæ capitis tui, ſicut purpura Regis vincta canalibus*] Sic apud Poëtas purpurea Niſi coma: *vincta in canalibus*, nempe purpurariorum, id eſt, iterum tincta, δίβαφος.

8. *Aſcendam in palmam*] Ἐπιβήσω.

9. *Guttur tuum ſicut vinum optimum dignum dilecto meo ad potandum, labiiſque & dentibus illius ad ruminandum*] Illud indicat quod Tibullus:

——— *queîs livor abiret,*
Quem facit impreſſo mutua dente Venus.

Item:

——— *& in collo figere dente notas.*

Longè aliter hæc ultima legerunt Græci quàm nunc in Hebræo eſt, nempe ſic למשתים רובר שפת ושנים [*ad potum, bene inſtructum labiis & dentibus*]. Nam רבר per ἱκανοῦν [*idoneum facere, inſtruere*] vertitur 1 Reg.xx. 11. & Lxx hîc habent ἱκανούμενος [*ſufficiens*]. At Symmachus, προστιθέμενος [*adhærens*], legit igitur is רובק non malè. In Hebræo quod nos habemus mirus eſt ſenſus : *ad rectitudines faciens loqui labia dormientium.*

13. *Mandragoræ dederunt odorem*] Id eſt, ſigna video conceptûs : nam ad eum utilis mandragora, ut diximus Geneſ. xxx. 14. Eodem pertinent quæ ſequuntur. Neque ignoro quæ de mandragora ſcribant Græci. Sed multa ſunt herbarum genera nominis ejuſdem : & eædem in alio natæ ſolo, & alio paratu, aliud valent.

CAPVT VIII.

1. Q*Vis mihi det te fratrem meum*] Id eſt, Vtinam frater meus eſſes.

Sugentem ubera matris meæ] Frater parvulus adhuc, qualibus ſolent ſorores libare oſcula.

Vt inveniam te foris, & deoſculer te, & jam me nemo deſpiciat] Vt etiam palàm nemine improbante oſcula tibi dem.

2. *In domum matris meæ*] Vide ſuprà 111. 4.

5. *Quæ aſcendit de deſerto*] Quæ tam dulcè halat quàm ager à pluvia recens.

Sub arbore malo ſuſcitavi te : ibi corrupta eſt mater tua : ibi violata eſt genitrix tua] In Hebræo, *Sub arbore malo nudavi te* (id eſt, devirginavi) *: ibi concepit te mater tua, ibi concepit te genitrix tua*, id eſt, eodem modo. *Malum* quid intelligat, non obſcurum ex 11. 3.5. Vide Servium ad illud Virgilii :

Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.

Sed & Græci dicunt ἱστοβοῆα [*temonem*].

6. *Pone me ut ſignaculum ſuper cor tuum*] Ità cordi tuo ſim proxima ut monile quod ſuper cor ponitur.

Vt ſignaculum ſuper brachium tuum] Ità tibi adhæream ut annulus manui.

Fortis eſt ut mors dilectio] Inſuperabilis amor meus.

Dura ſicut infernus æmulatio] Ζῆλος in Græco. Id autem ſignificat *amorem ardentem.*

Lampades ejus lampades ignis atque flammarum] In Hebræo, *prunæ ejus, prunæ ignitæ* (ut) *flamma Dei :* id eſt, holocauſti. in nomine hoc שלהבתיה abundat ש, ut apud Chaldæos ſæpe.

7. *Aquæ multæ non potuerunt exſtinguere caritatem*] Non poſſent exſtinguere hunc amorem. Antipater :

Πυρσὸς ἔρωτος ἀεὶ αἰώνιος· ἐσβέσθη ἢ
Οὐδὲ ποτ' ἐν πολλῷ κυματόμενος πελάγει.
[*Semper flagrat amor ; reſtingui neſciit ille*
Tunc etiam magno cùm ſatus in pelago eſt.]

Zenodotus :

Τίς γλύψας τὸν Ἔρωτα παρὰ κρήνῃσιν ἔθηκεν,
Οἰόμενος παύσειν τοῦτο τὸ πῦρ ὕδατι;
[*Ad fontem puerum poſuit quis ſculptor Amorem,*
Exſtingui ſperans flumine poſſe faces?]

Æditυus Poëta Latinus :

Quid faculam præfers, Phileros, quâ nil opus nobis?
Ibimus : hoc lucet pectore flamma ſatìs.
Iſtam nam potis eſt vis ſæva exſtinguere venti,
Aut imber cœlo candidus præcipitans :
At contra hunc ignem Veneris, niſi ſi Venus ipſa,
Nulla eſt quæ poſſit vis alia opprimere.

Si dederit homo omnem ſubſtantiam domûs ſuæ præ dilectione quaſi nihil deſpiciet eam] Tibullus :

Ite ſub imperium ſub titulúmque lares.

8. *Vbera non habet*] Mammæ ejus nondum ſororiant.

Quid faciemus ſorori noſtræ in die quo alloquenda eſt] In Hebræo, *cùm de ea ſermo fiet* : cùm de ea maritanda agetur.

9. *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea : ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis*] Senſus eſt : egregium illi inveniemus maritum. Id geminâ ſimilitudine lepidè illuſtratur : nam pinnæ ſuperponi muris ſolent, & oſtium claudi immiſſâ fore.

10. *Ego murus*] Ait nupta, ſe jam talem eſſe murum.

Et ubera mea ſicut turris] Quæ de muro prominet.

Ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens] Sum, inquit, murus, ad uſum non belli, ſed amoris.

11. *Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos*] Ex Hebræo ſic : *Vinea eſt Solomoni in Bahalamon.* Is locus erat non longè ab Hieroſolymis.

Tradidit eam cuſtodibus] Elocavit eam iis qui eam diligenter aſſervarent.

Vir affert pro fructu ejus mille argenteos] Quiſque conductor dat pro uſu vineæ ſiclos mille.

12. *Vinea mea penes me eſt*] *Vinea* hîc quod *hortus* ſuprà. Ego meam non eloco.

Mille tui pacifici, & ducenti his qui cuſtodiunt fructus ejus] In Hebræo, *Mille tibi, ô Solomon, & ducentos* (ſupple *dabo ego, pro*) *cuſtodientibus fructum ejus.* Ego tibi plurimam pecuniam dotalem dabo, unde filio qui mihi naſcetur miniſtros, & cuſtodes conducas. Hæc dicit poſtquam conceperat.

13. *Quæ habitas in hortis*] Eſt quidem Hebræa vox in ה deſinens, ſed tales ſæpe communiter ſumi diximus ad inſcriptionem *Eccleſiaſtæ.* Alloquitur Salomon infantem in utero latentem : dicítque omnes Iudæos valde optare ut vocem ejus exaudiant.

14. *Fuge dilecte mi*] Effuge ex utero velociter. Tale illud : *Naſcere Dardanio promiſſum nomen Iülo.*

AD LAMENTATIONES IEREMIÆ.

HIc quoque Liber Poëticis addendus. Scriptus eſt enim metris, quæ & per Alphabetum digeſta ſunt omnia, excepto ultimo capite. Sed & in prioribus hæc eſt differentia, quòd primum, ſecundum, & quintum caput ſingulis literis ſingulos dant verſus, caput tertium ternos. Valde fuit aptus ad tractanda τὰ παθητικὰ [*ea quæ ſunt plena affectuum*] Ieremias. Apparet id & ex ſcriptis ejus Propheticis, & indè quòd in Ioſiæ Regis mortem leſſum fecit, ut didicimus II Paral. xxxv. 25. Eſt autem horum Θρηνῶν [*Lamentorum*] argumentum, ut & Lxx in capite annotarunt, Excidium urbis Hieroſolymorum, & Deportatio per Nabuchodonoſorem facta. Notandum autem in ſecundo, tertio & quarto capite inverſum ordinem literarum Phe & Ayn. Nam cùm ſoleat apud Hebræos Ayn præcedere, Phe ſequi; hìc contrà fit ut Phe præcedat, Ayn ſequatur; cujus rei non aliam conjectare poſſum rationem, quàm quòd Chaldæi alio ordine ſunt uſi quàm Hebræi: ſicut & Arabes aliter digerunt literarum ordinem. Et in Phœnicum Alphabeto Koph litera præceſſit literam Tſade. Itaque primo capite loquitur Ieremias ut Hebræus; ſequentibus ut Chaldæorum ſubditus.

CAPVT I.

1. QVomodo ſedet ſola civitas] Reſpondet huic deſcriptioni nummus temporibus factus ſimilibus, id eſt, Veſpaſiani, ubi Iudæa ſedet plorans ſub palma, in forma captivæ.

Princeps provinciarum] Illa urbs quæ Ammonitis, Moabitis, aliiſque imperaverat.

2. *Omnes amici ejus ſpreverunt eam*] Vt Idumæi. Vide Pſal. cxxxvii. 7. & quæ ibi dicta.

3. *Migravit Iudas propter afflictionem & multitudinem ſervitutis*] מ particula non hìc *præ* ſed *per* ſignificat.

4. *Quòd non ſint qui veniant ad ſolemnitatem*] Ad Paſcha, ad Pentecoſten, ad σκηνοπηγίαν [*feſtum tabernaculorum*].

5. *Facti ſunt hoſtes ejus in capite*] Deuteronomii xxviii. 45.

6. *Vt arietes*] In Hebræo, *ut cervi.*

7. *Recordata eſt*] Recordatur.

Dierum afflictionis ſuæ] Quam nunc patitur.

Et prævaricationis] Quæ cauſa malorum.

Deſiderabilium ſuorum] Supplendum hìc *&*: id eſt, ſimul tempora felicitatis ſuæ cum his temporibus comparat.

Cùm caderet] Vertas rectè nunc, *dum cadit populus*, &c.

Viderunt eam hoſtes, & deriſerunt ſabbata ejus] Vt Agatharchides libro priore contra Appionem, ubi vocat φαῦλον ἐθισμόν [*ſtultam conſuetudinem*]: Seneca apud Auguſtinum de Civitate Dei lib. vi. cap. 11. qui *ſeptimam partem* ait *ſic perdi vacando*: Plutarchus de Superſtitione, & Rutilius in Itinerario. Mirum verò non intellexiſſe eos quantæ eſſet utilitatis aliquos eſſe conventus ad docendam veram pietatem, cùm alibi templa eſſent ſine ulla inſtitutione, ſcholæ ſine ulla pietate.

8. *Propterea inſtabilis facta eſt*] In Hebræo, *ut ſeparata:* id eſt, ἡ ἐν ἐμμηνίοις [*quæ menſtrua patitur*]. Nam impuritates legales figuram habent impuritatum animi. Vide infrà 17.

Quia viderunt ignominiam ejus] In Hebræo, *nuditatem:* id eſt, ità contumelioſè tractatam, ut mulieres quibus omne tegumentum detrahitur.

Ipſa autem gemens converſa eſt retrorſum] Vt ſolent feminæ verecundæ.

9. *Sordes ejus in pedibus ejus*] *In fimbriis ejus*, habet Hebræum. Id eſt, undequaque manat, & conſpici ſe dat profluvium ejus. Perſtat in comparatione.

Vide Domine afflictionem meam] Supplendum hìc *ait*, ut ſæpe alibi. ſic & infrà 11.

10. *Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſiderabilia ejus*] Id eſt, ad Templi donaria.

Quia vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum] Coacta videre fuit.

De quibus præceperas nè intrarent in Eccleſiam tuam] Qui nec connubii jus nobiſcum habebant. Vide quæ dicta Deuteron. xxiii. 1.

11. *Dederunt pretioſa quæque pro cibo ad refocillandam animam ſuam*] In obſidione. Vide ſimile II Regum vi. 25.

12. *O vos omnes*] לאו non ſemper eſt deprecantis, ſed ſæpe optantis, ut apparet Geneſ. xvii. 18.

Vindemiavit me] In Hebræo, *Dolore me affecit.*

13. *De excelſo*] *E cælo*, ut hìc habet Chaldæus. Nam Aſſyrius virga furoris Dei.

14. *Vigilavit jugum*] Legit Schin dextratum. At in textu Hebræo quo utimur meliùs eſt ſiniſtratum, ut ſenſus ſit, *impreſſum eſt jugum.*

Convolutæ ſunt] *Contortæ* ut funes, qui graviter collo inſidunt.

15. *Omnes magnificos*] Proceres.

Vt contereret electos meos] Iuvenes.

Torcular calcavit Dominus virgini filiæ Iudæ] Id eſt, Expreſſit ei ſanguinem, ut vinum ſolet exprimi in torculari.

19. *Vocavi amicos meos, & ipſi deceperunt me*] Ægyptios: Ierem. ii. 18. & xxxvii. 5.

Conſumti ſunt quia quæſierant ſibi cibum] Id eſt, *poſtquam quæſierant.*

20. *Conturbatus eſt venter meus*] In Hebræo, *Viſcera mea conturbata ſunt.*

Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt] *Quaſi mors*, id eſt, fames eſt in urbe: deſcriptio temporis ejus, quo obſeſſa fuit urbs Hieroſolyma, II Regum xxv. 3. Ierem. lii. 6. quare rectiùs hæc per præteritum vertentur.

21. *Lætati ſunt: quoniam tu feciſti*] Rectiùs כי hîc vertitur per *ſed*: quaſi dicat, Ferenda mihi ſunt tua judicia.

Adduxiſti diem conſolationis] *Adduces. diem conſolationis*, ſcilicet meæ.

Fient ſimiles mei] Imminet & Babyloni captivitas, Pſalm.cxxxvii. 8. 9. Ier.li. 20.30.31.32. Adde quæ ex Herodoto produximus Annotatis ad librum iii. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

22. *Vindemia eos, ſicut vindemiaſti me*] Poteſt etiam verti: *Fac eis ut mihi feciſti*. Eſt enim verbum ambiguum.

CAPVT II.

1. P*Rojecit de cælo in terram inclytam Iſrael*] A ſummis ad ima. Confer Matth.xi. 23.

Scabelli pedum ſuorum] Arca ſæpe ſic vocatur reſpectu cæteræ terræ Iudææ. Sed & Iudæa tota ſic vocari poteſt reſpectu aliarum terrarum.

2. *Omnia ſpecioſa Iacob*] In Hebræo, *habitacula*.

Polluit regnum & Principes ejus] Infamavit, tradens & terram & populum in ditionem profanarum gentium.

3. *Confregit in ira furoris ſui omne cornu Iſrael*] *Cornu*, id eſt, gloriam, ut 1 Sam.11.1. præcipuè Regia majeſtas hoc nomine indicatur.

5. *Replevit in filia Iuda humiliatum & humiliatam*] Secutus eſt Græcam verſionem. Alii ex Hebræo vertunt, *luctum & mærorem*.

6. *Et in opprobrium & in indignationem furoris ſui Regem & Sacerdotem*] In Hebræo, *Sprevit in ira furoris ſui Regem & Sacerdotem*.

7. *Vocem dederunt in domo Domini, ſicut in die ſolenni*] Hoſtes ſcilicet ità triumphum cecinerunt in Templo, ſicut ibi Deo à nobis gratiæ agi ſolebant.

8. *Tetendit funiculum ſuum*] In Hebræo, *Tetendit regulam*: id eſt, omnia ſolo æquavit quaſi ad libellam.

9. *Regem ejus & Principes ejus in gentibus: non eſt lex*] Vertas optimè, *ſine lege*: id eſt, amiſſo jure αὐτονομίας [*utendi ſuis legibus*].

10. *Abjecerunt in terram capita ſua virgines Ieruſalem*] Hoc eſt quod Græci dicunt κατηφεῖν vel κατηφᾶν [*mæſto eſſe vultu*]. Cæſar: *triſtes capite demiſſo terram intueri*.

11. *Effunditur in terram jecur meum*] Id eſt, deſideria mea omnia conciderunt. Eorum enim ſedes jecur.

Cùm deficeret parvulus] *Præ fame*, ut ſequitur.

13. *Magna eſt enim velut mare contritio tua*] Legit ut nos in Hebræo habemus כים [*ut mare*]. At Lxx legerunt כוס [*calix*], ποτήριον συντριβῆς σου [*calix contritionis tuæ*].

14. *Prophetæ tui*] Non Dei Prophetæ, ſed tui, tibi adulantes, Ierem. xxiii. 16.

Viderunt autem tibi aſſumtiones falſas] In Hebræo משאות [*onera*], quod de *vaticiniis triſtibus* dici ſolet. Talia illi canebant adversùs Babylonem.

Et ejectiones] Vaticinabantur tibi fore ut Babylonios longè diſpelleres.

15. *Moverunt caput ſuum*] Per ludibrium, ut ii Regum xix. 21.

16. *Aperuerunt ſuper te os ſuum*] Vt hiantes feræ. Pſalmo xxii. 14.

17. *Quem præceperat à diebus antiquis*] Quem minatus erat in ſanctione Legis ſuæ, Levit. xxvi. 25. Deuteron. xxviii. 36.48.

19. *Conſurge, lauda in nocte*] In Hebræo, *clama*.

Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum] Vt Deus, ſi non te, illos ſaltem in vita conſervet.

20. *Ergóne comedent mulieres fructum ſuum, parvulos ad menſuram palmæ?*] Factum & hoc ſecundùm minas Legis Deuteron. xxviii. 53.

22. *Vocaſti quaſi ad diem ſolennem qui tenerent me de circuitu*] Ab omni regione hoſtes in me advocaſti, non aliter quàm ad feſtum diem homines convocari ſolent.

CAPVT III.

1. E*Go vir videns paupertatem meam*] Cum publicis malis ſimul & ſua deplorat Ieremias, præcipuè cùm obſeſsâ urbe in diro carcere concluſus fuit.

5. *Ædificavit in gyro meo*] Vndique me incluſit. Vide infrà 9.

8. *Cùm clamavero & rogavero*] Cùm clamarem & rogarem.

11. *Semitas meas ſubvertit*] Ademit mihi ambulandi libertatem.

Poſuit me deſolatam] In Hebræo eſt *deſolatum*.

16. *Fregit ad numerum dentes meos*] Quia in Græco eſt, ἐξέβαλε ψήφῳ ὀδόντας μου, putavit hic interpres ψῆφον eſſe *calculum*. At Græci per ψῆφον intellexêre *lapillum*. Et ſic in Hebræo eſt, *Fecit confringi lapillis dentes meos*, id eſt, *pane lapidoſo*, ut Seneca loquitur.

Cibavit me cinere] In Hebræo: *immerſit me cineri*. Sed *cinerem* pro *luto* ſæpe ſumunt Hebræi. Hiſtoriam vide Ierem. xxxviii. 6.

17. *Et repulſa eſt à pace anima mea*] Scribæ poſuerunt נפשי [*anima mea*], ſed fuerat נפשך [*anima tua*], ad Deum verſo ſermone, cujus cogitationes longè à ſua proſperitate abfuiſſe querebatur Ieremias.

20. *Memoriâ memor ero, & tabeſcet in me anima mea*] In Hebræo, *Recordando recordabitur*: id eſt, quotieſcunque animus meus illius temporis reminiſcitur, totus contabeſcit.

21. *Hæc recolens in corde meo, in Deo ſperabo*] *Hæc*, id eſt, ſtatum præſentem, liberationem meam ex lacu lutoſo, ſimul mihi ob oculos ponens, id argumentum habebo, quo in poſterum quoque Deo confidam.

22. *Miſericordiæ Domini quia non ſumus conſumti*] Meliùs: *Quia miſericordiæ Dei non ſunt conſumtæ*. Nam תמנו [*conſumtæ ſunt*] per ἐπένθεσιν [*inſertionem*] literæ נ, pro תמו, eſt forma Chaldaïca. Et hîc ità ſumſit Chaldæus interpres. Etiam Lxx: ὅτι οὐκ ἐξέλιπέ με [*non me dereliquerunt*].

23. *Novi diluculo*] Scribe *novæ*, & refer ad *miſerationes*. Quotidie, inquit, aliæ alias ſequuntur.

26. *Cum ſilentio*] Id eſt, patientia.

28. *Quia levavit ſuper te*] Iugo ſe accommodat; non jactat jugum, οὐ ζυγομαχεῖ.

29. *Ponet in pulvere os ſuum*] Deum adorat in terram pronus. Sic 1 Cor. XIV. 25.

30. *Dabit percutienti ſe maxillam*] *Os præbere contumeliis* dixit Tacitus Hiſtoriar. III. Vide quæ ad Matth. v. 39. & de Iure Belli ac Pacis libro 1. cap. 11. § 8.

33. *Non enim humiliavit*] *Afflixit.*

Ex corde ſuo] Non quòd bonis malè velit, ſed ut eos aut exploret, aut in exemplum patientiæ proponat. Vide ſequentia

38. *Ex ore altiſsimi non egredientur nec mala nec bona*] Meliùs connectas cum illis ſuperioribus: *Quis dixerit ex ore Altiſsimi non procedere & mala* (id eſt, adverſa) *& bona?* id eſt, proſpera.

39. *Quid murmuravit homo vivens vir pro peccatis ſuis?*] *Cur murmuret homo quiſquam ob peccata ſua?* Id eſt, pœnas peccatorum ſuorum. Si ob peccata affligitur, corrigat ſe.

44. *Oppoſuiſti nubem tibi, nè tranſeat oratio*] Peccatorum recentem memoriam.

45. *Eradicationem & abjectionem poſuiſti me in medio populorum*] In Hebræo: *Ejectamentum & ſordes poſuiſti nos* (non enim ſpecialiter de ſe hîc, ſed toto de populo Propheta loquitur) *inter populos.* סחי propriè eſt quod Paulus Apoſtolus dixit περίψημα [*purgamentum*] 1 Corinth. IV. 13.

46. *Aperuerunt ſuper nos os ſuum*] Suprà II. 16.

47. *Formido & laqueus facta eſt nobis vaticinatio & contritio*] Meliùs ex Hebræo: *Formido & fovea evênit nobis, vaſtatio & contritio.*

48. *Diviſiones aquarum deduxit oculus meus*] Meliùs: *Rivis aquarum manat oculus meus.*

49. *Nec tacuit*] *Nec quievit.* Ità enim דמה ſæpe ſumitur.

51. *Oculus meus deprædatus eſt animam meam*] Chaldæus rectè explicat: *Tantus fuit fletus meus, ut noceret vitæ* (id eſt, valetudini) *meæ.*

In cunctis filiabus urbis meæ] Cùm oppida circum Hieroſolyma ſita undique caperentur.

52. *Venatione ceperunt me*] Ierem. XXXVII. 12. 13.

Gratis] Sine ullo meo crimine.

53. *Lapſa eſt in lacum vita mea*] Vide locum adductum ſuprà 16.

Et poſuerunt lapidem ſuper me] Quo puteus obſtruebatur. Vide ſimile in hiſtoria Danielis.

54. *Inundaverunt aquæ ſuper caput meum*] *Aquam* dixit pro *luto.*

55. *De lacu noviſſimo*] Rectiùs: *profundiſſimo.*

56. *Nè avertas aurem*] Rectiùs: *non avertiſti.*

63. *Seſſionem eorum & reſurrectionem eorum vide*] Per *ſedere* & *ſurgere* Hebræi omnia hominum otia & negotia intelligunt. Vide Pſalm. CXXXIX. 2.

65. *Dabis eis ſcutum cordis laborem tuum*] Meliùs: *abſconſionem cordis.* nam חגין eſt *abſcondere.* Facies ut cor ipſis refugiat. Quod verò hîc eſt *laborem*, in Hebræo eſt, *exſecrationem*, תאלתך. At Græci & Latinus legerunt תלאתך [*labores*], tranſpoſitis literis.

CAPVT IV.

1. Q*Vomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus?*] Per *aurum* Principes intelligendi.

Diſperſi ſunt lapides Sanctuarii] Id eſt, Sacerdotes & Levitæ.

2. *In vaſa teſtea*] In fictilia nullius pretii.

3. *Sed & lamiæ nudaverunt mammam, lactaverunt catulos ſuos*] תנין, quod hîc eſt in Hebræo, modò *draconem*, modò quodvis *monſtrum marinum* ſignificat, vertitúrque Græcè alibi κῆτος [*cetus*], alibi σειρὴν [*Siren*], ut & hîc à Symmacho.

Filia populi mei] Hieroſolyma.

Quaſi ſtruthio in deſerto] Sic & Græci στρουθίον. & Scholiaſtæ interpretantur στρουθοκάμηλον [*ſtruthocamelum*]. Videtur hîc in Hebræo per ſcriptoris vitium elapſum י nam יענים ſunt στρουθοὶ vel στρουθία [*ſtruthiones*], Levit. XI. 16. XIV. 15. Ioſ. XXX. 29. Eſaiæ XXXIV. 13. XLIII. 20. Struthiones ova ſua negligunt. vide Iob. XXXIX. 15.

4. *Adhæſit lingua lactentis ad palatum ejus in ſiti*] Quia feminæ fame exhauſtæ lac non habebant.

5. *Amplexati ſunt ſtercora*] Quæſierunt an in ſimetis aliquid eſſet alimenti. Vide II Reg. XVIII. 27.

6. *Major effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum*] *Quia Prophetæ nulli ad Sodomorum cives miſſi fuerant*, ut hîc notat Chaldæus. Confer Matthæi XI. 23.

Subverſa eſt in momento, & non ceperunt in ea manus] In Hebræo, *Non ſederunt in eam manus:* non paſſa eſt obſidionem ab hoſtili exercitu antequam dirueretur.

7. *Candidiores Nazaræi ejus nive*] Ob crebras otiones.

Nitidiores lacte] Bene habiti.

Rubicundiores ebore antiquo] פנינים, quod hîc eſt in Hebræo, verti ſolet λίθοι πολυτελεῖς [*lapides pretioſi*]. Hîc intelligendi pyropi, ſive carbunculi: unde Græci hîc bene, ἐπυῤῥώθησαν [*rutilarunt*].

Sapphiro pulchriores] In Hebræo, *Sapphirus exciſio eorum:* erat polities eorum qualis ſapphiri.

9. *Melius fuit occiſis gladio quàm interfectis fame*] Feliciores fuêre qui gladio perierunt, non autem lentâ ac cruciabili morte, quam *peſſimam omnium* dixit Homerus.

10. *Manus mulierum miſericordium coxerunt filios ſuos*] Vide ſuprà II. 20. Simile II Reg. VI. 28. 29. & in hiſtoria Ioſephi de obſidione per Titum Veſpaſianum.

13. *Propter peccata Prophetarum ejus*] Nota iterum *ejus.* Falſos enim Prophetas indicat, quos populus ſibi adſciverat.

Et iniquitates ſacerdotum ejus] Id eſt, *etiam ſacerdotum:* adeò omnes ordines invaſerat morum corruptio.

14. *Erraverunt cæci in plateis*] Id eſt, *ut cæci.* Sacerdotes qui ſanguinem injuſtum effuderant, undique ſanguine aſperſi fuêre cùm Vrbs caperetur. *Erraverunt ut cæci*, curſitarunt huc illuc, incerti quò ſe verterent præ multitudine cadaverum.

Polluti ſunt in ſanguine, cúmque non poſſent tenuerunt lacinias ſuas] Cùm aliter ſanguinem vitare non poſſent, oram veſtium manibus tenuêre.

15. *Recedite polluti, clamaverunt eis*] Illi qui omnes pollutiones religioſiſſimè vitare debebant, ab ipſis gentibus habiti ſunt pro pollutis. Nam gentium erat opinio, pollutos eſſe quibus adhæreret ſanguis.

Iurgati quippe ſunt, & commoti inter gentes] Id eſt, Multi ex gentibus gravi irâ in tam miſeros commoti dixerunt.

Non addet ultrà ut habitet in eis] Nempe, Deus apud tam pollutos verſari nolet. Legerunt לא יוסיף [*non addet*]. At noſtri codices Hebræi habent לא יוסיפו, *non habitabunt ultrà*, nempe Iudæi in patria ſua.

16. *Facies Domini diviſit eos*] *Ira Dei diſperſit eos.* At Græci חלקם [*diviſit*], legerunt cum aliis punctis, vertunt enim μερὶς αὐτῶν [*pars eorum*].

Facies Sacerdotum non erubuerunt] Hæc gentes exprobrabant Hebræis. Nulla dicebant ſpes eſt illis reditûs. Etiam in bonos Sacerdotes ſævierunt. Vide exemplum II Paralip. XXIV. 22.

Neque ſenum miſerti ſunt]

Οὐκ ὄπιδα φρονέοντες ἐνὶ φρεσὶν, οὐδ' ἐλεητύν.
[*Qui nec opem divûm ſoliti curare, nec iram.*]

Vt ait Homerus Odyſſeæ Ξ.

17. *Cùm adhuc ſubſiſteremus, defecerunt oculi noſtri ad auxilium noſtrum vanum: cùm reſpiceremus attenti ad gentem quæ ſalvare non poterat*] Id, eſt, cùm adhuc ſtarent res noſtræ, reſpeximus ad Ægyptios, ſed fruſtra. Vide II Reg. XVIII. 21.

18. *Lubricaverunt veſtigia noſtra*] Non ſatis video quomodo legerit Latinus interpres. At duplex ab antiquo fuit lectio, צדו & צרו. Hanc ſequuntur Abeneſdra & alii interpretantes, *Arctaverunt greſſus noſtros*, id eſt, egreſſus omnes clauſerant; illam Chaldæus, *Venaticè inſtiterunt veſtigiis noſtris.* Vide II Reg. XXIV. 5. Græci longiùs abeunt, legerunt enim צדנו צעירינו, Ἐθηρεύσαμεν μικροὺς ἡμῶν [*Venati ſumus parvos noſtros*].

Appropinquavit finis noſter] Vrbis & ſtatûs civilis.

Completi ſunt dies noſtri, quia venit finis noſter] Id eſt, tempus illud exitio gentis deſtinatum.

19. *Velociores fuerunt perſecutores noſtri aquilis cæli*] Repræſentat ultima illa tempora quæ anteceſſerunt captæ Vrbis tempus. Nuſquam erat effugium, in montibus, in planis, ubique erant qui interciperent ob famem fugere volentes.

20. *Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris*] Rex, ait, captus eſt ob peccata noſtra. Retrò trahunt hoc ad Ioſiam Hebræorum nonnulli; ſed qui præcedentia rectè conſideraverit, videbit multò hæc rectiùs ad Sedeciam aptari.

Cui diximus, In umbra tua vivemus in gentibus] Sub cujus tutela ſperaveramus nos tutò victuros, etiam invitis gentibus.

21. *Gaude & lætare filia Edom*] Id eſt, Idumæa, gaude dum licet. Eſt συγχώρησις [*Conceſſio*].

Ad te quoque perveniet calix] Id eſt, pœnæ portio. Nam ſicut calicem paterfamilias convivis porrigitut quiſque ſuam partem bibat; ſic Deus adverſa diſpartitur ubi opus id judicat: Ier. XXV. 15. 16. 17. De Idumæorum malis vide Ier. XLIX. 7. & ſequentib. Pſ. CXXXVII. 7.

Inebriaberis, atque nudaberis] Nam ebrios qui vult deſpoliat, Geneſ. IX. 22. mihi tamen Græci rectiùs ſenſum percepiſſe videntur, μεθυσθήσῃ καὶ ἀποχεεῖς, *euſque bibes ut evomas*: nam ערה etiam hanc ſignificationem habet.

22. *Completa eſt iniquitas tua filia Sion*] Præteritum pro futuro more Hebræo. Et *iniquitas* pro *pœna iniquitatis.* Veniet tempus, ô Iudæi, cùm pœna veſtra ceſſabit.

Non addet ultrà ut tranſmigret te] Eſt verbum in Hiphil, qualia verba ſæpe permiſſionem ſignificant. Senſus eſt: *poſt id non ultrà te relinquet in exſilio.*

Viſitavit iniquitatem tuam filia Edom] Iterum eadem enallage quæ modò notata eſt. Haud dubiè Deus animadvertet in malitiam Idumæorum, quibus mala noſtra gaudium attulêre.

Diſcooperuit peccata tua] Ex pœnis graviſſimis intelligent homines quantum peccaveris. Confer Ieremiæ XLIX. 10.

CAPVT V.

1. ORATIO IEREMIÆ PROPHETÆ] Ex Græcis quibuſdam libris aſſcriptus eſt hic titulus, argumento conveniens.

2. *Hereditas noſtra verſa eſt ad extraneos*] Terra dono tuo nobis quondam conceſſa.

3. *Pupilli facti ſumus abſque patre*] Te patre noſtro nos deſerente.

Matres noſtræ quaſi viduæ] Matres familias etiam quæ maritos habent nihil in illis reperiunt præſidii.

4. *Aquam noſtram pecuniâ bibimus*] Aditus ad fluvios & fontes vectigal pendunt.

Ligna noſtra pretio comparavimus] *Comparamus*: nam in patria quiſque in ſylvas ibat lignatum ſine pretio.

5. *Cervicibus noſtris minabamur*] Id eſt, agebamur ut pecudes. Vox eſt illius ſeculi.

6. *Ægypto dedimus manum*] Vide ſuprà. Poſt captam Vrbem alii in Ægyptum ivêre, Ierem. XLIII.

Et Aſſyriis, ut ſaturaremur pane] Magna enim pars in regiones Aſſyriæ tranſportati ſunt.

7. *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt*] Mors eos exemit his miſeriis.

Et nos iniquitates eorum portavimus] Quas illi morte effugerunt pœnas, eas nos longis ærumnis luimus.

8. *Servi dominati ſunt noſtri*] *Sicut in familia recentiſſimus quiſque ſervorum & conſervis ludibrio eſt, ſic in hoc orbis terrarum vetere famulatu novi nos & viles in excidium petimur.* Hoc quod apud Tacitum dicit dux Britannus de Romanorum imperio, idem de Babylonico dicere Iudæi poterant.

9. *In animabus noſtris*] Cum ſummo vitæ noſtræ periculo.

Afferebamus panem nobis] Hoc de illis dicitur quos Chaldæi in Vrbe reliquerant.

A facie gladii in deſerto] Id eſt, præ metu militum qui agros tenebant.

10. *Pellis noſtra quaſi clibanus exuſta eſt à facie tempeſtatum famis*] Id eſt, atratæ ſunt ob famem vehementiſſimam.

11. *Mulieres in Sion humiliaverunt, & virgines in civitatibus Iuda*] Et mulieres & virgines quarti hîc ſunt caſus. ענה autem ubi de feminis agitur eſt *conſtuprare.* Diximus Deuteronom. XXI. 14. *conſtupraverunt*, ſcilicet Chaldæi.

12. *Principes manu ſuſpenſi ſunt*] *Manu* nempe eorundem Chaldæorum. Pœna ſuſpenſionis uſitata jam olim in Oriente, Geneſ. XL. 19.

13. *Adoleſcentibus impudicè abuſi ſunt*] Putavit *molere* hîc poni in ſenſu obſcœno, ut apud Græcos

& Latinos interdum. ſed multò ſimplicius eſt interpretari eos *actos in piſtrinum.* Vide quæ diximus ad Iobum XXXI. 10.

Et pueri in ligno corruerunt] Sub lignorum faſcibus.

14. *Senes defecerunt de portis*] Nulla in portis noſtris ampliùs exercentur judicia.

Iuvenes de choro pſallentium] Nulli uſquam audiuntur cantus juvenum, ut ſolebant.

16. *Cecidit corona capitis noſtri*] Decus & gloria.

17. *Contenebrati ſunt oculi noſtri*] Hebetati lacrymis.

18. *Vulpes ambulaverunt in eo*] Vt ſolent in locis non habitatis.

19. *Tu autem Domine in æternum permanebis, ſolium tuum in generationem & generationem*] Quanquam hæc fieri paſſus es, tua poteſtas tamen non eſt imminuta.

20. *Quare in perpetuum obliviſceris noſtri?*] Per multa ſecula, ut ſequitur.

21. *Converte nos Domine ad te, & convertemur*] Senſus eſt, ut ex ſequenti membro apparet, *Reduc nos ad te:* id eſt, reſtitue nos in gratiam apud te, ut reſtituamur in veterem ſtatum.

22. *Sed projiciens repuliſti nos, iratus es contra nos vehementer*] Solet אם verti per *an.* Itaque optimus ſenſus fiet ſic vertendo: *An enim omnino nos abjiceres, & iraſcereris contra nos ſine modo?*

AD ESAIAM.

ABſolutis libris Legum, Hiſtoricis, & Poëticis, ſequuntur Prophetici. Præmitti autem ſolent Prophetæ quorum majora ſunt opera; ſequi quorum minora. Hi duodecim ſunt; illi tres Hebræis, Eſaias, Ieremias, Ezechiel: nam Danielem Hebræi Prophetis non adſcribunt: non magìs quàm Davidem, non quòd non multa eximia prædixerint, ſed quia vitæ genus propheticum non ſectabantur, ſed alter Rex erat, alter Satrapa. In Græco codice præcedunt minores, ſequuntur majores, & in his Daniel. Latini majoribus priorem dant locum. Græcos id ſpectaſſe arbitror, quòd inter minores multi ſunt valde antiqui. Eſt enim temporis hic ordo inter Prophetas: Oſeas, Ioël, Amos, Abdias, Ionas, Eſaias, Micheas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Daniel, Ieremias, Ezechiel, Aggæus, Zacharias, Malachias. Initium à Rege Azaria vel Ozia. Finis exſtructo Templo ſecundo.

CAPVT I.

1. *AVdite cœli, & auribus percipe terra*] Verba Moſis repetit ex Deuter. XXXII. ut ſignificet jam illa veniſſe tempora quæ Moſes præviderat, everſâ pietate ac juſtitiâ, Lege in ſolis ritibus remanente. Sic & verſus 10. eſt ex verſu 32. dicti capitis Deuteronomii.

7. *Terra veſtra deſerta*] Supple *erit*: ſic ſume & ſequentia. Prædicitur enim obſidio per Raſinem ac Phaceen.

8. *Et derelinquetur filia Sion ut umbraculum in vinea*] Res urbis Hieroſolymorum valde erunt acciſæ, agris undique ereptis.

CAPVT II.

2. *ET erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini in vertice montium*] Pro *noviſſimis diebus*, rectè ex Hebræo ponas *poſthac.* Spectat id tempus quo Vrbs ab obſidione Raſinis & Phaceæ liberata eſt.

Et fluent ad eum omnes gentes] Id eſt, multi ex populis hoſtibus Syrorum Hieroſolyma ſe ut ad locum tutiſſimum conferent, & ibi in atrio Gentium Deum adorabunt. Cæterùm ſublimiore ſenſu hunc locum de Meſſiæ temporibus etiam Hebræi intelligunt. Confer Daniel. II. 35.

6. *Projeciſti enim populum tuum*] Id eſt, *projeceras*. permiſeras durâ obſidione eum premi.

Et pueris alienis adhæſerunt] Quia placuerunt illis mores Aſſyrii, tradentur Aſſyriis. At Hebræi quidam per *natos alienos* intelligunt doctrinas & inſtituta Gentium.

7. 8. *Repleta eſt terra argento & auro, & non eſt finis theſaurorum ejus: & repleta eſt terra ejus equis, & innumerabiles quadrigæ ejus: & repleta eſt terra ejus idolis*] Ex divitiis luxus: ex luxu contemtus Legis. Confer Deuteron. XXXII. 15. 16. Et theſauros habere, & equorum agmina, Lex provida disertè Regi interdixerat.

11. 12. *Exaltabitur autem Dominus ſolus in die illa: quia dies Domini exercituum ſuper omnem ſuperbum & excelſum*] Redit ad tempora liberatæ Vrbis: quo tempore multos Iudæos ab idololatris peſſimè vexatos, à Deo autem liberatos tæderet cultûs præſtiti idolis.

13. *Super omnes cedros Libani*] Regem & principes Syriæ.

Super omnes quercus Baſan] Id eſt, ſuper Regem & principes Iſraëlis.

16. *Super omnes naves Tharſis*] Super Tyrum quæ Syris federata eo tempore.

20. *Talpas*] Legit hîc interpres unâ voce חפר-פרות, ut & Abeneſdras, qui & ipſe *talpas* intelligit. Nullum ferme eſt animantis genus, quod non in aliqua parte Ægypti ſit cultum pro numine.

22. *Quieſcite ergò ab homine*] Nolite fiduciam in ullo hominum ponere.

Cujus ſpiritus in naribus ejus eſt] Vita ejus ab aëre pendet, quo intercluſo peribit.

Quia excelſus reputatus eſt ipſe] In Hebræo: *Quantilli enim ille faciendus eſt?*

CAPVT III.

1. *Auferet à Ieruſalem & à Iuda validum & fortem*] Deſcribit tempora illa, de quibus agitur II Reg. XXIV. & XXV.

2. *Ariolum*] Bonam in partem hîc ſumitur pro *ſagace*.

4. *Et effeminati dominabuntur eis*] Pro Hebræo *parvuli*. Videntur autem *puerorum* & *parvulorum* nomine intelligi Reges nullius conſilii, qualis Ioakin, Ioachim, Sedecias. Sic & infrà *mulierum* nomine intelligendi videntur viri muliebris animi.

5. *Tumultuabitur puer contra ſenem*] Egregia ἀναρχίας [*diſſoluti imperii*] deſcriptio.

7. *Non ſum medicus*] Non habeo unde inopiæ veſtræ ſubveniam.

9. *Peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicaverunt*] Perfrictam frontem deſignat.

17. *Decalvabit Dominus verticem filiarum Sion*] Quod ſervis fieri ſolebat.

Et Dominus crinem earum nudabit] Rectiùs *nates*. Nam vox פות θύρωμα [*oſtium*] vertitur, & per ſimilitudinem ſic appellatur podex. Solebat id feminis ignominiæ causâ fieri. Vide infrà XX. 4.

18. *Ornamentum calceamentorum*] Græci: τὴν δόξαν τοῦ ἱματισμοῦ αὐτῶν [*gloriam veſtitûs ipſorum*]. Sed עכס, ut nos docent Hebræi, erant *crepitacula in pedibus mulierum, quibus inter ſaltandum utebantur*. Sequitur in Hebræo, השביסים quæ ſunt *vittæ ocellatæ*, ἐμπλόκια Græcis: pro quibus *lunulas* noſter poſuit. Sunt monilia de collo pendentia, lunulæ in modum.

19. *Et torques*] Sic & Thargum. intelligunt autem lineam ex unionibus quâ collum cingebatur.

Et monilia] Hîc in Hebræo eſt *& armillas*.

Et armillas] Quod hîc in Hebræo eſt magìs ſignificat *velamina*, quibus mulierum facies, præter oculos, obtegitur.

20. *Et diſcriminalia*] In Hebræo potiùs eſt *mitellas*.

Et periſcelidas] Quæ *genualia* Ovidio.

Et murenulas] *Catenas contextas ex auro in virgulas ſenteſcente, flexuoſo ordine.* Ità hanc vocem interpretatur Hieronymus ad Marcellam.

Et olfactoriola] Id eſt, pyxides odoriferas. In Hebræo: בתי הנפש [*domunculas halitûs*].

Et inaures] Nomen Hebræum ab incantando eſt. Cauſam videbis ad Geneſ. XXXV. 4.

21. *Et annulos*] In digitis.

Et gemmas in fronte pendentes] In Hebræo: *circulos narium.* Id unâ voce etiam נזם dici ſolet, ut Prov. XI. 22. Ezech. XVI. 12.

22. *Et mutatoria*] Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ — [*Veſteſque alternas* —] Homero. Vide quæ ad Matth. X. 10.

Et palliola] Vox Hebræa המעטפות *operimenta* ſignificat. Videntur intelligi periſtromata lectorum. περιπόρφυρα & μεσοπόρφυρα ea fuiſſe, id eſt, *purpurâ circumtexi* aut *intertexi ſolita*, colligimus ex Græca hîc interpretatione.

Et linteamina] המטפחות. Ex loco Ruth III. 15. apparet eſſe περιζώματα, *ſuccinctus* illos ſubter pectus quibus mulieres domi ſolent uti. itáque LXX non malè hîc vertunt τὰ ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν [*injectus domeſticos*].

Et acus] חריטים eſſe *crumenas* ſive *folles* apparet II Reg. V. 23. ubi Græci ἐν θυλακίοις [*in ſacculis*] verterunt. Solent feminæ habere crumenulas quaſdam de ſinu pendentes.

23. *Et ſpecula*] Conſilium formæ. τὰ διαφανῆ Λακωνικὰ [*Laconica perſpicua*] apud LXX.

Et ſindones] Vide quæ ad Matth. XXVII. 59.

Et vittas] Vox Hebræa *involucra* ſignificat, circùm frontem, ut videtur. Miror Græcos hoc tot verbis exprimere: τὰ ὑακίνθινα, καὶ κόκκινα, καὶ τὴν βύσσον σὺν χρυσῷ καὶ ὑακίνθῳ συγκαθυφασμένα [*hyacinthina, & coccina, & byſſum cum auro & hyacintho contexta*].

Et theriſtra] Nempe θέριστρα κατάκλιτα, id eſt, *ſtragulas æſtivas*, ut hîc habent Græci. Cùm hunc cenſum mundi & ornatûs muliebris apud Iudæos lego, in mentem venit loci ad feminas Romanas pertinentis, & quidem temporibus non corruptis adeò, belli ſcilicet Punici ſecundi, in Plauti Aulularia:

Stat fullo, phrygio, aurifex, lanarius,
Caupones, patagiarii, induſiarii,
Flammearii, violarii, carinarii,
Aut manulearii, aut murrobatharii,
Propolæ, linteones, calceolarii,
Sedentarii, ſutores, diabathrarii.
Solearii adſtant, adſtant molochinarii.
Petunt fullones, ſarcinatores petunt.
Iam hoſce abſolutos cenſeas: cedunt, petunt,
Trecenti cùm aſtant phylaciſtæ in atriis,
Textores, limbolarii, arcularii.

Et in Epidico:

Quid erat induta? an regillam induculam, aut mendiculam,
An impluviatam? ut iſtæ faciunt veſtimentis nomina.

Deinde:

Quid iſtæ quæ veſti quotannis nomina inveniunt nova:
Tunicam rallam, tunicam ſpiſſam, linteolum cæſicium,
Induſiatam, patagiatam, caltulam aut crocotulam,
Supparum aut ſubminiam, ricam, baſilicum aut exoticum,
Cumatile, aut plumatile, cerinum aut melinum.

24. *Et erit pro ſuavi odore fætor*] In Hebræo, *Loco aromatis, diſſolutio*: id eſt, putredo & illuvies.

Et pro zona funiculus] *Loco cinguli confractio*: id eſt, veſtes laceræ.

Et pro criſpanti crine calvitium] In Hebræo, *pro opere* (&) *æqualitate*: id eſt, pro pulchrè pexis ac diſpoſitis comis.

Et pro faſcia pectorali cilicium] פתיגיל eſt vox barbara, ſignificans, ut multi Hebræi cenſent, zonæ genus magnificum, cui opponitur *cingulum ſacci*, id eſt, funis quo cilicia conſtringi ſolent.

25. *Pulcherrimi quoque viri tui*] Pro hoc in Hebræo eſt, *aduſtio pro pulchritudine*; & cohæret cum præcedentibus, non, ut in Latino, cum ſequentibus: nam כי [*uſtio*] non eſt hîc præpoſitio, ſed nomen, ut רי [*irrigatio*] à רוה [*irrigare ſe*]. *Pro formæ cultu feminæ ſolibus utentur.*

26. *Et mærebunt atque lugebunt portæ ejus*] Tranſitio à ſecunda perſona ad tertiam, quæ Hebræis frequens.

Et deſolata in terra ſedebit] *Mundata* eſt in Hebræo, id eſt, privata rebus omnibus: ſicut *mundities dentium* pro *fame* ponitur Amos IV. *6.* Iudæa humi ſedebit, non in ſolio.

CAPVT IV.

1. E*T apprehendent ſeptem mulieres virum unum*] Tanta erit clades, ut ſeptenæ feminæ, tutelæ præſidiique causâ, contentæ futuræ ſint uno communi marito, & quidem ſuis impenſis victuræ: contrà quàm mos habebat.

Invocetur nomen tuum ſuper nos] Lucanus:

——— *liceat tumulo ſcripſiſſe, Catonis*
Marcia.

Aufer opprobrium noſtrum] Cœlibatum in ætate ὑπεράκμῳ [*ſuperadulta*].

2. *In illa die erit germen Domini in magnificentia & gloria*] Hîc debuerat inchoari nova ſectio. Eſt enim ſermo de re alia. *Germen Domini* ſunt primo ſenſu reliquiæ exſulum, quæ Eſdræ ac Nehemiæ temporibus domum reverſæ, laudabilem vitam duxerunt; μυςικῶς [*myſtice*] autem Chriſtus & Chriſtiani.

3. *Omnis qui ſcriptus eſt in vita in Ieruſalem*] Quicunque ſcribetur in matricula reducum.

4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion*] Pro *ſi* pone *poſtquam.* Senſus eſt: fient iſta, ubi Deus populum longâ calamitate expurgaverit, & oſtenderit illis quali ingenio ſint populi idolis addicti.

5. *Et creabit Dominus ſuper omnem locum montis Sion, & ubi invocatus eſt, nubem per diem, & fumum, & ſplendorem ignis flammantis in nocte*] In Hebræo eſt: *Super omne habitaculum montis Sion, & ſuper omnem cœtum ejus.* Sæpe autem apud Hebræos per res ſimiles aliæ res ſimiles intelliguntur, ut hîc per *nubem de die* & *ignem de nocte* præſidium Dei, non minùs præſens quàm olim Iſraëlitis ex Ægypto egreſſis adfuit. Et experti id ſunt Hebræi ferme ad tempora uſque Antiochi.

Super omnem enim gloriam protectio] Id eſt, magìs etiam protegentur quàm illo tempore exitûs. Nam in illa nube erat *gloria Domini*, id eſt, conſpicua majeſtas, Exodi XVI. 10. XXIV. 16. Numerorum XIV. 10.

6. *Et tabernaculum erit in umbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem & abſconſionem à turbine & à pluvia*] Id eſt, ſicut tentorii tegmen defendebat olim Iſraëlitas à ſole, vento & pluvia, ſic nunc hos Deus ab omnibus malis tutos præſtabit. Vide hiſtoriam Eſdræ IV. V. VI. Nehem. IV.

CAPVT V.

1. C*Antabo dilecto meo*] In honorem Dei, quem maximè diligo cantabo. Hunc ſenſum eſſe patet infrà 7.

Canticum patruelis mei] Pro דודי [*patrui mei*] etiam hîc ידידי [*dilecti mei*] legerunt LXX, rectiùs omnino. Dicit ſe ea dicturum quæ Deus jùre optimo dicere poſſet.

Vineæ ſuæ] Id eſt, *de vinea ſua.* Populo ſcilicet duodecim Tribuum, ut ipſa vox explicat.

In cornu filio olei] Id eſt, *in monte pinguiſſimo.* Ità & Chaldæus hîc accepit.

2. *Et ſepivit eam*] Nè viatores in eam facilè incurrerent. Sic Deus populum ſibi parentem à vi finitimorum tutum præſtitit.

Et lapides elegit ex illa] *Elapidavit eam*, ut Plinius loquitur. Sic Deus è terra Iſraëlitica ejecit lapideos deos, & illorum cultores.

Et plantavit eam electam] Meliùs: *conſevit eam generosâ vite.* Dedit ei terræ Ioſuam & Iudices viros egregios.

Et ædificavit turrim in medio ejus] Nempe ad cuſtodiam vineæ. Sic urbs Hieroſolyma in loco munitiſſimo, in medio Iudææ.

Et torcular exſtruxit in ea] Altare manans ſanguine victimarum.

Et fecit labruſcas] Græci, ἀκάνθας [*ſpinas*]. Vox Hebræa באש vel באשה omne agri vitium ſignificat, vertitúrque & σαπρία [*immundities*] & βάτος [*vepres*]. Sic Iſraëlitæ idololatriam, cædes, adulteria protulerunt.

3. *Iudicate inter me & vineam meam*] Magna Dei bonitas, qui de actionibus ſuis judicium hominibus permittit. Confer Geneſ. XVIII. 25. & ſequentibus.

4. *An quod exſpectavi ut faceret uvas, & fecit labruſcas*] Meliùs vertas: *Cur me exſpectante, ut produceret uvas, produxit lolium?*

5. *Auferam ſepem ejus*] Exponam eam gentibus.

6. *Non putabitur & non fodietur*] Nemo ejus curam geret.

Et nubibus mandabo nè pluant ſuper eam imbrem] Benevolentiam meam ei ſubducam.

8. *Væ qui conjungitis domum ad domum, & agrum agro copulatis*] Qui undique vicinos ſubmovetis, & ſine fine dicitis:

——— *ô ſi angulus ille*
Proximus accedat, qui nunc denormat agellum,

ut ait Horatius; cujus eſt & illud,

Iam pauca aratro jugera regiæ
Moles relinquent.

& quæ ſequuntur Carminum II. 15.

10. *Facient laguncalam unam*] *Batum*, quæ minima menſura in liquidis.

12. *Et opus Domini non reſpicitis, nec opera manuum ejus conſideratis*] Non conſideratis mala quæ vobis Deus præparat. Confer Amoſi VI. 6.

14. *Propterea dilatavit infernus animam ſuam*] *Animam* pro *ſemet*, κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*]. Sepulchra dilatanda erunt ob ingentem turbam morientium.

20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum*] Qui honeſti & inhoneſti limites ac nomina confunditis.

CAPVT VI.

1. V*Idi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum & elevatum*] Vidi, ἐν ἐκστάσει [*in mentis alienatione*] ſcilicet, ut Petrus Act. X. 10. XI. 11. *Dominum* intellige fulgorem eximium. *Tribunal Deo*

erectum ſignificat ipſum, judicium velle inſtituere de Rege, & primoribus, & populo. Viſum autem eſt ei hoc tribunal erectum in *Templo* tanquam in Dei regia, ut ex ſequentibus apparebit.

2. *Seraphim ſtabant ſuper illud*] Meliùs: *juxta illud*, ſcilicet *ſolium.* Seraphim Angeli formâ igneâ, miniſtri divinæ iræ, quæ flammæ comparatur.

Duabus velabant faciem ejus] Meliùs, *ſuam.* Nempe ſicut homines Solem contrà tueri non audent, ità Angeli Deum.

Duabus velabant pedes ejus] Et hîc intellige *ſuos*, & per *pedes* more Hebræo ea quæ in hominibus velari jubet pudor, quibus reſpondent in ipſis etiam Angelis imbecillitates quædam, ſi Deo comparentur. Vide Iobum IV. 18.

Et duabus volabant] Hoc ſignificat celerrima Angelorum miniſteria.

3. *Et dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus*] Id eſt, Iuſta ſunt Dei judicia in Regem, proceres, & populum. Trina vocis unius repetitio vehementer affirmat. Vide Ezech. XXI. 27. Ierem. XXII. 29. Ex hoc loco ſumtum eſt τὸ τρισάγιον [*Ter Sanctum*] hymni nomen in Eccleſia Græca.

Plena eſt omnis terra gloriâ ejus] In Hebræo: *Omnis hæc terra*, Iudæa ſcilicet. Deus in his ipſis locis mirificè ſe patefaciet.

4. *Et commota ſunt ſuperliminaria cardinum à voce clamantis*] In Græco, ἐπήρθη τὸ ὑπέρθυρον [*elevatum eſt limen illud ſuperum*]. Illud τὸ oſtendit de limine ſupero Templi hîc agi. Si id contremuit, quantò magìs homines debent tremere?

Impletáque eſt domus ipſa] Nempe Templi.

Fumo] Signo iræ divinæ.

5. *Væ mihi quia tacui*] Id eſt, quia non liberè reprehendi Regis aliorúmque peccata.

Quia vir pollutis labiis ego ſum] Non dignus ſum qui Dei laudes prædicem.

6. *Et in manu ejus calculus*] *Pruna.* Sic & Hebræi libri & Græci.

Quem forcipe tulerat de altari] Nempe holocauſtorum. Hic ignis ab ipſo altari ſumtus ſignificat donum Prophetiæ, ut rectè interpretatur Chaldæus, ac ſimul emundationem, ad eam enim aptus ignis.

7. *Et auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur*] Non impedient iſta quæ metuis, quò minùs ad meas laudes ac judicia prædicanda tuo utar miniſterio.

8. *Quem mittam, & quis ibit nobis?*] Loquitur tanquam de ſententia conſilii Angelorum.

Ecce ego] Paratus ſum juſſa exſequi. De hac locutione vide I Sam. III. 4. 6. 8. & Matth. XXI. 30.

9. *Audite audientes, & nolite intelligere: & videte viſionem, & nolite cognoſcere*] Propriè in Hebræo ſonat, *Audite*, (ſed fiet) *nè intelligatis*; *& videte*, (ſed fiet) *nè cognoſcatis*: & ſic accepêre Græci. Vide quæ diximus de hoc loco ad Matth. XIII. 14.

10. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava*] Diximus eodem ad Matthæum loco, quoſdam Hebræos hoc ſumere in modo infinitivo, & ſubintelligere על [*ad*] vel מן [*per*]. Vide quæ ibi dicta.

11. *Donec deſolentur civitates abſque habitatore, & domus ſine homine, & terra deſerta relinquetur*] Tamdiu contumaces erunt, donec Sennacheribus terram omnem vaſtet.

12. *Et multiplicabitur quæ derelicta fuerat in medio terræ*] In Hebræo, *Et augebitur vaſtitas in hac terra*; magìs magíſque increſcet.

13. *Et adhuc in ea decimatio*] Imò *decima*: id eſt, decima ferme pars populi, urbs nempe Hieroſolymorum, immunis erit ab hoc malo.

Et erit in oſtenſionem] In Hebræo: *Et convertetur, & erit in depaſtionem.* Id verò valet: *iterum depaſcetur.* Idem loquendi genus Pſal. LXXVIII. 41.

Sicut terebinthus, & ſicut quercus] Græci: ὡς τερέβινθος καὶ ὡς βάλανος [*tanquam terebinthus & glans*]. Vocem אלה ſæpe Lxx vertunt τερέβινθον, Chaldæus interdum *caſtaneam*, *ulmum* alii, aut *ilicem.*

Quæ expandit ramos ſuos] In Hebræo, *in ejectione.* Id Lxx interpretantur, ὅταν ἐκπέσῃ ἐκ τῆς θήκης αὐτῆς [*ubi exciderit ex theca ſua*]. Solent arboribus, teneris maximè, circumponi velamenta quædam, quæ eas à pecudum admorſu defendant: iis ablatis arbores ad omnem injuriam patent. Sic omnes circa Hieroſolyma agri à Sennacheribo corrupti fuêre. Sequitur in Hebræo, *ſtatio in eis*: id eſt, *ſtabunt tamen.* cujus rei cauſa ſequitur.

Semen ſanctum erit id quod ſteterit in ea] In Hebræo: *Semen ſanctum, ſtatio ejus.* Id eſt, multi in Vrbe viri pii, cauſa erunt cur Deus non paſſurus ſit Vrbem capi.

CAPVT VII.

1. ET *factum eſt in diebus Achaz*] Non repetemus hîc quæ ad intellectum hujus capitis & ſequentis ſatìs copioſè congeſſimus ad Matth. I. 22. 23.

In Ieruſalem ad præliandum contra eam] Id eſt, *ad expugnandam Ieruſalem.*

2. *Requievit Syria ſuper Ephraim*] Id eſt, cum ſuis copiis conſedit in terra Decem tribuum, quarum princeps erat tribus Ephraim.

Et commotum eſt cor ejus, & cor populi ejus ſicut moventur ligna ſilvarum à facie venti] Ità perterriti ſunt, ut ſtatim ſe Syris ſocios adjunxerint contra Iudæos, II Reg. XVI. 5.

3. *Et qui derelictus eſt Iaſub filius tuus*] In Hebræo, *& Sear-Iaſub filius tuus.* *Sear-Iaſub* autem ſignificat, *reliquiæ revertentur.* In eo nomine erat vaticinium illorum paucorum qui adventante Sennacheribo Hieroſolyma ſe receperant, & mox proſtrato Sennacheribo & exercitu ejus, reverſuri eſſent in ſua quiſque oppida & agros, velut ſemen populi renaſcentis. Infrà dicit Eſaias VIII. 18. *filios ſuos in ſignum datos*, nempe quia ipſis nominibus rerum futurarum ſignificationem continebant.

Ad extremum aquæductûs piſcinæ ſuperioris] Erat is locus extra Vrbem, ut apparet II Reg. XVIII. 17. Voluit autem Deus eodem in loco Iudæos ab Eſaia confirmari, ubi Aſſyriorum minas illis elocuturus eſſet Rabſaces.

In via agri fullonis, Id eſt, proximè eam partem quà fullones habitant, qui ad opificium ſuum aquis multis indigent.

4. *A duabus caudis titionum fumigantium iſtorum*] *Caudas* vocat extrema titionum, in quibus ſolet ignis retineri.

5. *Eò quòd conſilium inierit contra te Syria in malum Ephraim & filius Romeliæ*] Eſt tranſpoſitio. Senſus eſt, *Eò quòd conſilium ad nocendum tibi inierit Syria, & Ephraim, & filius Romeliæ. Filium* autem *Romeliæ* appellat Phaceen per contemtum, ut filium privati hominis, per ſcelus Regem factum.

8. *Caput Syriæ Damaſcus, & caput Damaſci Raſin*] Non latiùs imperabit Rex Syriæ quàm nunc imperat.

Et adhuc ſexaginta & quinque anni, & deſinet Ephraim eſſe populus] Omnino videtur error eſſe in ſcriptura Hebræa, addito ים ad שש [*ſex*]. Nam ab hoc tempore ad deportationem Decem tribuum, quam fecit Salmanaſar II Reg. XVII. ſunt anni ſex & quinque, id eſt, undecim: ex quibus duo pertinent ad ultima tempora Phaceæ Regis, novem autem ad tempora Oſeæ itidem Regis Decem tribuum. Vide II Reg. XV. 27. XVI. I. XVIII. 10. videbis hæc eſſe veriſſima. At Hebræi, ut codicum ſuorum fidem tueantur, hos LXV annos retro trahunt ad id tempus quo Amoſus contra Syrum & Iſraëlitas vaticinari cœperat.

9. *Et caput Ephraim Samaria, & caput Samariæ filius Romeliæ*] Id eſt, interea temporis manebit regnum Decem tribuum intra ſuos terminos, nec ultrà propagabitur.

Si non crediderítis, non permanebitis] Videtur congruentiùs ſenſui Hebræum ſic poſſe verti, *An ideo non creditis, quia non confirmamini?* ſigno ſcilicet aliquo conſpicuo.

11. *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni*] Putà, ut terra ſtatim moveatur, aut dehiſcat.

Sive in excelſum ſuprà] Putà, ut Sol ſubitò deficiat.

12. *Et dixit Achaz, Non petam, & non tentabo Dominum*] Id eſt, Nolo Deo moleſtus eſſe; quæ dicis planè incredibilia ſunt. Nam Deo diffiſus, ambibat muneribus opem Regis Aſſyrii II Reg. XVI. 7.

13. *Quia moleſti eſtis & Deo meo*] Injurioſi in eum, cui putatis non ſatis eſſe virium ad vos liberandos.

14. *Dabit Dominus ipſe vobis ſignum*] Non petentibus.

Vocabitur nomen ejus Emmanuel] Præter alterum nomen *Maher-Schalal-Hasbaz* VIII. I. Significat nomen Emmanuel certum Dei auxilium contra Syros & Iſraëlitas, & in Vrbe conſervanda contra Sennacheribum. Alterum nomen, vaſtitatem agri & oppidorum excidia.

15. *Butyrum & mel comedet*] Victus ei affluet. Hoc ideo dicit, quia ex obſidione famem ſibi metuebant Iudæi.

Vt ſciat reprobare malum, & eligere bonum] Verte ex Hebræo, *donec ſciat*: id eſt, donec is puer ad uſum rationis pervenerit. Nam qui in prima ſunt infantia deſcribi ſolent per *ignorantiam boni & mali*, Deuteron. I. 39. ubi oſtendimus ſic & Homerum loqui. Sic capite ſequenti: *antequam ſciat puer vocare patrem ſuum & matrem ſuam.*

16. *Derelinquetur terra quam tu deteſtaris à facie duorum Regum ſuorum*] Id eſt, Morientur Reges illi duo Syriæ & Iſraëlis. Terram, intellige utramque. Phacees huic tempori non totos tres annos ſupervixit.

17. *Cum Rege Aſſyriorum*] את hîc eſt *per*. Adducet tibi mala nunquam audita, per eum cui tu, Deo poſthabito, confidis.

18. *Sibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti*] Innuet Pharaoni Nechao ut contra Iudæam veniat: II Reg. XXIII. 33. Muſca animal inverecundum, tales Ægyptii.

Et api quæ eſt in terra Aſſur] Apes pungunt, quod muſcæ non faciunt. Tales futuri erant Aſſyrii ſub Sennacheribo.

19. *Et requieſcent omnes*] Caſtra ponent; ut ſuprà 2.

In torrentibus vallium] In Hebræo, *in vallibus agri*: ut ſolent muſcæ.

Et in cavernis petrarum] Vt ſolent apes.

Et in omnibus frutetis] Vbi inſidiæ poni ſolent. Eadem vox infrà LV. 13. Hîc ad ſimilitudinem muſcarum redit.

Et in univerſis foraminibus] Sic Græci: εἰς πᾶσαν ῥαγάδα. Hîo redit ad apum ſimilitudinem. Chaldæus: *in omnibus palatiis.*

20. *In die illa radet Dominus*] Abradet Iudæam, quam comparat humano corpori.

In novacula conducta] Id eſt, per Aſſyrios, & *Regem Aſſyriorum*, ut mox ſequitur, quem Deus magnâ mercede prædæ illexit.

Caput] Comam.

Et pilos pedum] Pubem. Nam pedes σεμνῶς [*verecundè*] Hebræi vocant τὰ αἰδοῖα [*pudenda*], ut notatum aliquoties.

21. *Et erit in die illa, nutriet homo vaccam boum, & duas oves*] Pauci reſtabunt in terra à Sennacheribo deſolata homines; qui non armenta habebunt, ut antè, ſed buculam unam, oves duas, unde vivant. Illæ autem buculæ & oves plurimum daturæ ſunt lactis, quia omnis ager erit paſcuus, & omnibus patens ob hominum infrequentiam. Sic & apes latiſſimè vagabuntur.

23. *Vbi fuerint mille vites, mille argenteis*] Vineta quæ ſingula mille ſiclorum mercede locabantur: id eſt, optima vineta. Vide Cant. VIII. 11.

In ſpinas & vepres erunt] Ob colentium penuriam vertentur in vepreta & ſenticeta.

24. *Cum ſagittis & arcu ingredientur illuc*] Nemo niſi armatus eò audebit procedere, metu ferarum & ſerpentium. Vide Levit. XXVI. 22.

25. *Et omnes montes*] Loca fertiliſſima in montibus.

Quæ in ſarculo ſarrientur] Quæ loca diligentiſſimè coli, ac ſarculo purgari ſolebant, nequid uſquam noxii reſideret.

Non veniet illuc terror ſpinarum & veprium] *Terrorem* vocat ſepes è vepribus & ſentibus, quæ aditum ad agros arcent.

Et erit in paſcua bovis, & in conculcationem pecoris] Paſſim ibi vagabuntur boves & pecudes, ut ſolent in locis incultis & incuſtoditis.

C A-

CAPVT VIII.

1. S*Vme tibi librum grandem*] Id eſt, paginam grandem, quæ & convolvi & evolvi poſſit.

Et ſcribe in eo ſtylo hominis] Id eſt, *ſcripturâ clarâ*, ut hîc habet Chaldæus, quam facilè quilibet vel eminus legat, ut Abac. II. 2.

Velociter ſpolia detrahe, citò prædare] Deus nomen filii quem daturus erat Eſaiæ, quod longum erat, vult perſcribi, nè memoriæ elaberetur. Id nomen eſt *Mahar-ſalal Has-baz*: id eſt, *feſtina ad ſpolium, celera ad prædam.* Significat hoc nomen decretum Dei de advocando Sennacheribo.

2. *Adhibui mihi teſtes fideles*] Matrimonia contrahi coram decem minimùm teſtibus ſolebant. At Eſaias, ut in negotio maximi momenti, inter eos teſtes duos eſſe voluit maximæ auctoritatis, Vriam ſummum Sacerdotem, de quo II Reg. XVI. 10. & Zachariam Prophetam II Paralipomen. XXVI. 5. eundem fortè qui ex Aſaphi poſteris fuiſſe dicitur II Paralip. XXIX. 13.

3. *Et acceſſi ad prophetiſſam*] Virginem Prophetiæ dono claram mihi in uxorem ſumſi, ut Dei mandata quàm magnificentiſſimè peragerentur.

Et dixit Dominus ad me, Voca nomen ejus] Impone illi id nomen quod te juſſi perſcribere. Huic quoque rei teſtes adhibiti iidem qui ad matrimonium.

4. *Auferetur fortitudo Damaſci & ſpolia Samariæ coram rege Aſſyriorum*] *Fortitudo* hîc opes ſignificat. opes & ſpolia tum Syriæ, tum Decem tribuum, tanquam tropæa perferentur ad Regem Aſſyriæ.

6. *Pro eo quòd abjecit populus iſte aquas Siloë, quæ vadunt cum ſilentio, & aſſumſit magìs Raſin & filium Romeliæ*] Per *aquas Siloë lentè euntes* intelligit domum Davidis, viribus humanis tenuem, ſed Dei præſidio ſuffultam, ſicut jam in continenti *aquas fluminis*, nempe Euphratis, ità κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dicti, explicat Regem Aſſyriorum: quia *aquæ ſunt populi*, Apoc. XVII. 15. & Reges vim populorum in ſe continent. Significat hic locus multos Iudæos, ſpretâ domo Davidis, optaſſe transferri regnum ad Syros & ad Reges Iſraëlis Syris adhærentes, & horum proſperis gaviſos. Id enim ſonant Hebræa.

7. 8. *Regem Aſſyriorum, & omnem gloriam ejus*] *Gloria* hîc more Hebræo potentiam ſignificat.

Et aſcendet ſuper omnes rivos ejus, & fluet ſuper univerſas ripas ejus, & ibit per Iudam, inundans & transiens uſque ad collum veniet] Perſtat in comparatione magni & exundantis fluminis. Sic Pompejum fluvio comparat Lucanus VI.

Sic pleno Padus ore tumens ſuper aggere tutas
Excurrit ripas, & totos concutit agros.
Succubuit ſiquà tellus, cumulúmque furentem
Vndarum non paſſa ruit, tum flumine toto
Tranſit, & ignotos aperit ſibi gurgite campos.

Horatius IV. 14.

Sic tauriformis volvitur Aufidus,
Qui regna Dauni præfluit Appuli,
Cùm ſævit, horrendámque cultis
Diluviem meditatur agris:
Vt barbarorum Claudius agmina
Ferrata vaſto diruit impetu,
Primóſque & extremos metendo
Stravit humum ſine clade victor.

8. *Et erit extenſio alarum ejus*] *Alas* Hebræi vocant omnes copias, non equeſtres tantùm, ut Latini, ſed & pedeſtres.

Implens latitudinem terræ tuæ, ô Emmanuel] Nihil aut agrorum aut oppidorum manebit intactum. Puerum alloquitur teſtem futurorum horum malorum.

9. *Congregamini populi*] Vos Aſſyrii, eorúmque ſocii. Eſt συγχώρησις [*Conceſſio*].

Et vincimini] Hîc quoque imperativus eſt pro futuro, ut ſuprà. *Vincemini* nempe à Deo, qui Sennacheribi exercitum deſtruet.

10. *Quia nobiſcum Deus*] Hîc explicat vim prioris nominis puero dati. *Nobiſcum Deus*, id eſt, Deus adjutor noſter. Vide quæ dicta ad finem Matthæi.

11. *Hæc enim ait Dominus ad me, ſicut in manu forti erudivit me*] Meliùs, *Cùm in manu forti erudiſſet me*: id eſt; cùm animum mihi addidiſſet ſuis hortamentis. Nam cum illis *ad me* cohæret quod ſequetur, *Dominum exercituum ipſum ſanctificate*. Cætera vim habent παρενθέσεως [*interpoſitionis*].

12. *Non dicatis, Conjuratio*] Supple, *fiat*. Nè dicite cum cæteris, Agè, conjuremus cum hoſtibus contra Regem noſtrum.

Omnia enim quæ loquitur populus iſte, conjuratio] In Hebræo: *ad omnia quum populus iſte dicet, Conjuratio.* Id eſt, quoties populus iſte defectionem animo agitat, qualem multi jam hoc ipſo tempore ad Syros & Iſraëlitas moliebantur, ſuprà 6. & ſecundùm Hebræos molitus idem eſt ad Sennacheribum Sobna nominatus infrà XXII. 15. cum hominum CXXX millibus, ut ajunt iidem Hebræi.

Et timorem ejus nè timeatis, neque paveatis] Nolite illorum pavori voſmet addere.

14. *Et erit vobis in ſanctificationem*] In Hebræo: *in ſanctuarium*, id eſt, aſyli loco.

In lapidem autem offenſionis, & in petram ſcandali duabus domibus Iſraël] Id eſt, populo Decem tribuum, & populo Duarum tribuum. Qui in lapidem durum impingit graviter cadit.

In laqueum & ruinam habitantibus in Ieruſalem] Non toti civitati, quæ & hoc tempore & ſub Sennacheribo ſervata eſt, ſed multis eorum, ut ſequitur, nempe iis qui hoſtium fidem ſequi quàm civitatis fata opperiri potius ducent.

16. *Liga teſtimonium, ſigna legem in diſcipulis meis*] Teſtificationem hanc obliga, & ſigna ei impone, & da cuſtodiendam diſcipulis poſt te, ut omnino apud poſteros certum ſit hæc abs te Regi ac populo eſſe denuntiata. תורה non ubique *legem* ſed & διδαχὴν [*doctrinam*] ſignificat: ita idem hîc erit quod *teſtificatio*.

17. *Et exſpectabo Dominum qui abſcondit faciem ſuam à domo Iacob, & præſtolabor eum*] Hîc finitis Dei verbis incipit iterum Eſaias loqui: quare *&* hîc eſt pro *tamen* hoc modo, *Quanquam Deus benevolentiam ſuam adverſùs Iacobi poſteros abſcondit*, id eſt,

factis nondum oſtendit, *ego tamen promiſsis ejus fretus opem ejus patienter opperiar.*

18. *Et pueri mei quos dedit mihi Dominus in ſignum, & in portentum Iſraël*] Nempe per nomina ipſis Divinitùs impoſita, ſignificationem habentia rerum futurarum.

A Domino exercituum] Pro, *à ſeſe, pro ſua voluntate.*

19. *Et cùm dixerint ad vos, Quærite à pythonibus & à divinis qui ſtrident in incantationibus ſuis: numquid non populus à Deo ſuo requiret?*] Hucuſque ſunt verba idololatrarum, *An non æquum eſt quiſque populus ſuum Deum conſulat?*

Pro vivis à mortuis?] In Hebræo, *pro vivis ad mortuos?* Hoc jam eſt quod illis idololatris reſponderi vult Deus: *An pro vivis ibitur ad mortuos?* Id verò ideò, quia plerique dii gentium erant Reges pridem mortui, quos alii ſimpliciter, alii ut in aſtra relatos venerabantur.

20. *Ad legem magìs & ad teſtimonium*] Teneant ſe iſti meæ teſtificationi ac doctrinæ. Vox תּוֹרָה [*doctrinam*] hîc iterum ſumitur, ut modò.

Quod ſi non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux] Si aliter loquentur, omnis proſperitas (hanc *lucis* nomine ſignificant Hebræi, ut jamjam *caligo* ponetur pro *rebus adverſis*) ab ipſis longè aberit.

21. *Et tranſibit per eam*] *Per hanc.* Hoc dixit Propheta digito terram monſtrans.

Et maledicet regi ſuo] Defectiones molietur, de quibus actum eſt modò.

Et ſuſpiciet ſurſum] A Deo quem ſpreverunt nullum auxilium ipſis veniet.

22. *Et ad terram*] Nec ab hominibus.

23. *Et non poterit avolare de anguſtia ſua*] In Hebræo: *Non avolabit* qui *conſtrictus fuerit iſto tempore.* Meliùs autem hæc verba Græci & Latinus capiti huic attexuêre, quàm Hebræi capiti quod ſequetur. Sed in Græcis ἀπορηθήσεται [*in anguſtiis erit*] ſcriptum videtur pro ἀποπλήσεται [*deſpicietur*].

CAPVT IX.

1. P*Rimo tempore alleviata eſt terra Zabulon, & terra Nephthali*] Id eſt, *Priùs leviter affligetur terra Zabulon, & terra Nephthali:* nempe per Theglath-Phalaſarem, qui paucos tranſtulit ex illis locis, multos reliquit, II Reg. XV. 29.

Et noviſsimo aggravata eſt via maris trans Iordanem Galilæa Gentium] Id eſt, *pòſt verò graviùs affligetur via maris trans Iordanem* (nempe iis qui ab Euphrate veniunt) *& Galilæa Gentium*, ſive *convenarum*, ut hanc vocem interpretati ſumus ad Matth. IV. 15. Hæc *afflictio gravior* eſt illa deportatio facta per Salmanaſſarem II Reg. XVII. & XVIII. nam bis eandem hiſtoriam repeti, ibi notavimus. *Via illa* à Syria venientibus ad *mare*, cui cohæret *Galilæa Gentium*, magnam partem comprehendit terræ Decem tribuum, quam planè vacuam indigenis fecit Salmanaſſar.

2. *Populus qui ambulabat in tenebris*] Populus Hieroſolymitanus in graviſſimis conſtitutus periculis, quæ *tenebrarum* nomine appellant Hebræi.

Vidit lucem magnam] Experietur egregiam liberationem, cæſo Divinitus Sennacheribi tam valido exercitu.

3 *Multiplicaſti gentem, non magnificaſti lætitiam*] O tu Aſſyrie, magnum quidem exercitum contraxiſti, ad CLXXXV millia, ſed non eo magìs gaudebis.

Lætabuntur coram te] Nempe Hieroſolymitani. Hîc ad Deum iterum ſe vertit Eſaias, ut frequentes ſunt tales in Prophetis ἀποστροφαί [*ſermonis converſiones*].

4. *Iugum enim oneris ejus*] Obſidionem graviſſimam.

Et virgam humeri ejus] Imminentem ſcapulis illorum.

Et ſceptrum exactoris] Duriſſima tributa quæ impoſituri fuerant Hieroſolymitis Aſſyrii.

Superaſti] Depuliſti.

Sicut in die Madian] Cùm eos devicit Gedeon, Iudic. VII. Vide & infrà x. 26.

5. *Quia omnis violenta prædatio cum tumultu, & veſtimentum miſtum ſanguine erit in combuſtionem, & cibus ignis*] In Hebræo ſic eſt: *Omnis pugna bellantium* (ſolet eſſe) *cum ſtrepitu & veſtimentis obvolutis ſanguine*; (hæc verò erit ut) *pabulum ignis ad combuſtionem.* Aliæ clades hoſtium ſolent parari multo labore multóque ſanguine; hæc verò ſimilis erit incendio ſubitò conſumenti. Planè enim ſubitò, ſine tumultu, ſine vulnere, ſine Hebræorum labore aut periculo, ab Angelo exſtincti ſunt Aſſyrii. Nulla flamma tam celeriter eos occidere potuiſſet. Vide x. 16.

6. *Parvulus enim natus eſt nobis*] Id eſt, *naſcetur.* Nam Hebræa præterita ſumuntur pro futuris.

Et filius datus eſt nobis] Dabitur. Ezechias patri Achazo multùm diſſimilis. de eodem infrà XI. Sic tamen ut multò excellentiùs hæc ad Meſſiam pertinere non Chriſtiani tantùm agnoſcant, ſed & Chaldæus hoc loco.

Et factus eſt principatus ejus ſuper humerum ejus] Id eſt, erit πορφυρογέννητος. [*in purpura natus*]. *ab ipſis cunis purpuram feret regiam*, ut in regnum natus. Confer Ezech. XXVIII. 13.

Et vocabitur nomen ejus] In Hebræo eſt, *vocabit*; ſupple *quiſque.* Etiam Chaldæus *vocabitur* tranſtulit. Notum autem Hebræis *dici ſic* vel *ſic vocari* aliquem, cui tales tituli aut ἐπίθετα [*agnomina*] conveniunt.

Admirabilis] Ob ſummas quæ in eo erunt virtutes.

Conſiliarius, Deus fortis] Imò *conſultator Dei fortis:* id eſt, qui in omnibus negotiis conſilia à Deo poſcet, per Prophetas ſcilicet, ut jam ſequetur.

Pater futuri ſeculi] In Hebræo non eſt *futuri. Pater ſeculi* eſt qui multos poſt ſe relicturus ſit poſteros, & in longum tempus.

Princeps pacis] Princeps pacificus, & in pace victurus.

7. *Multiplicabitur ejus imperium*] Id eſt, durabit per annos XXIX. In verbo hoc quod *multiplicationem* ſignificat, eſt ם clauſum in media dictione. Eo ſtabilitatem ſignificari volunt Hebræi; ut per מ apertum in fine, rupturam Nehem. II. 13. Non incredibile eſt, quod unus ſcriba properans commiſerat, id alios ſuperſtitioſè imitatos.

Et pacis ejus non exit finis] Ad finem dierum ſuorum pace fruetur, II Reg. XX. 19.

Super ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit] Supplevit bene hîc Interpres illud *ſedebit*, quod in Hebræo & Græco ſubintelligitur.

Vt confirmet illud, & corroboret in judicio & in juſtitia] Hîc *judicium* juris adminiſtrationem, *juſtitia* beneficentiam ſignificat: per quæ florent vigéntque Imperia.

A modò & uſque in ſempiternum] Ab initio ad finem vitæ. ità enim ſæpè ſumitur עולם [*ſeculum*], ut Pſal. LXXXIX. 2. CXIX. 93. Sed in Chriſto & hæc & quæ præcedunt habent ſignificationem multò ut auguſtiorem, ità & planiorem.

Zelus Domini exercituum faciet hoc] Id eſt, ardens amor Dei erga pios, qui inſunt populo, dabit nobis ac ſervabit tam bonum Principem.

8. *Verbum miſit Dominus in Iacob*] Minas ſuas per Legem & Prophetas ſæpe ſignificavit omnibus Iacobi poſteris. At Græci דבר [*verbum*] legerunt punctis aliis, ut *peſtem* ſignificet. Vertunt enim θάνατον θάνατος ἀπέστειλε Κύριος [*mortem miſit Dominus*]. Eſt autem [*mors*] illorum linguâ *peſtilentia*, ut oſtendimus ad Matth. XXIV. 7.

Et cecidit in Iſrael] Sed Decem tribus earum minarum pleniſſimum effectum ſentient, non item Hieroſolyma.

10. *Lateres ceciderunt, ſed quadris ædificabimus*] Id eſt, ex marmore. Quæ hactenus paſſi erant mala iſti Decem tribuum homines ea parvi ducebant, rati facilè damna poſſe reſarciri.

11. *Et elevabit Dominus hoſtes Raſin ſuper eum*] Hoſtes Regis Syriæ, cujus auxilio ſe tutos putant. Hoſtes illi ſunt Theglathphalaſar cum ſociis ſuis, II Reg. XVI. 7.

Et inimicos ejus in tumultum vertet] *Conglomerabit.* Id enim eſt סכסך, quod præter hunc locum invenitur infrà XIX. 2. Ab omni parte inimicos Iſraëlitis accerſet. Nam *ejus* hic refertur non ad proximum, ſed ad *Ephraim.*

12. *Syriam ab Oriente*] Nam Syri poſt mortem Raſinis adjunxerant ſe Aſſyriis.

Et Philiſthiim ab Occidente] Qui ab antiquo infeſti Iſraëlitis omnes occaſiones eis nocendi capiebant. Et ſolet ſic fieri:

> Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.
> [*Vbi lapſa quercus, nemo lignatu abſtinet.*]

In omnibus his non eſt averſus furor ejus; ſed adhuc manus ejus extenta] Non eſt ſaturatus Deus tot Iſraëlitarum malis.

13. *Et populus non eſt reverſus ad percutientem ſe, & Dominum exercituum non inquiſierunt*] *Et* hîc eſt pro *nam.* Cauſa enim additur cur Deus illorum pœnis non fuerit ſatiatus, quia culpam nec agnoverant, nec emendaverant.

14. *Et diſperdet Dominus ab Iſrael caput & caudam*] Summos & infimos. ſummi ſunt ſenatores, infimi ſunt arioli, ut jam explicabit.

Incurvantem & refrænantem] In Hebræo eſt, *ramum & juncum*: id eſt, validos & invalidos. Sed Interpres reſpexit verbum כפף, quod eſt *incurvare*, & ſignificatum alterum nominis אגמון quod κρίκον [*circulum*] interdum vertunt Græci. Vide Iob. XL. 21.

15. *Longævus*] Senator.

16. *Qui beatificant*] *Qui laudant.*

Et qui beatificantur] *Qui laudantur.*

17. *Super adoleſcentulis ejus non lætabitur*] Cùm ſoleat alioqui juventus eſſe amabilis.

Locutum eſt ſtultitiam] Id eſt, *mendacium*, ut hîc Chaldæus.

18. *Succenſa eſt enim quaſi ignis impietas*] Id eſt, impii homines.

Et ſuccendetur in denſitate ſaltus] Id eſt, lignorum.

20. *Et declinabit ad dexteram*] *Rapiet*, Kimchi. Præ victûs egeſtate raptu undique vivent, nec ſaturabuntur, temporibus Sennacheribi.

Vnuſquiſque carnem brachii ſui vorabit] Figurata locutio, pro *res cognatorum vi raptas conſument.*

21. *Manaſſes Ephraim, & Ephraim Manaſſen.*] Diſcordes inter ſe alii hoſtibus ſe aggregabunt, alii ſe opponent.

Simul ipſi contra Iudam] Nempe poſtquam Sennacheribus omnem terram Decem tribuum perdomuerit, II Reg. XVIII. 34. 35.

CAPVT X.

1. VÆ *qui condunt leges iniquas*] Imò *decreta*, ſive *ſententias.*

Et ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt] Rectiùs ſic: *Et ſcribis qui injuſta ſcribunt. Scribas* intelligit juriſperitos, adſeſſores magiſtratuum, quorum erat officium judices ab officio declinantes monere.

3. *In die viſitationis & calamitatis de longè venientis*] Aſſyria abuſque.

4. *Nè incurvemini ſub vinculo, & cum interfectis cadatis*] Optimè vertas: *Niſi quis ſe incurvaverit inter vinctos, aut inter occiſos ſe abjecerit*, ſcilicet *non evadet.*

5. *Væ Aſſur*] Id eſt, Aſſyrio Sennacheribo, & exercitui ejus. Non impunè ferent qui decreta Dei non ob Deum exſequuntur, gloriámque victoriarum aut ſibi aut idolis attribuunt.

In manu eorum] Id eſt, per eos.

Indignatio mea] *Severitas mea*, exercitus ſcilicet.

6. *Contra populum furoris mei*] Contra eos qui iram meam ſunt meriti.

Mandabo illi ut auferat ſpolia, & diripiat prædam] Explicatio nominis *Mahar-ſalal-hasbaz.*

Et ponat illum] Populum.

9. *Numquid non principes mei ſimul Reges ſunt?*] Nonne & Reges habeo inſtrumenta ſervitutis? Sic poſtea Romani.

Numquid non ut Charcomis] *Cercuſium* ad Euphratem, II Paralip. XXXV. 20.

Sic Calano] Meliùs *ut Calano*: id eſt, *Calliniſum*, de quo diximus ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Aut potiùs *ut urbs Chalonitidis*; cujus terræ mentio apud Strabonem, Plinium, Dionyſium Periegeten.

Et ut Arphad] *Vt Aradus.* Vide II Reg. XVIII. 34.

Sic Emath] Rectiùs, *ut Emath.* Amathus Syriæ, II Reg. XVII. 24.

Numquid non ut Damaſcus ſic Samaria] Supple *mea eſt*, pari jure quo urbes aliæ.

10. *Quomodo invenit manus mea*] Id eſt, bello peperit.

Regna idoli] Tot regna hujus aut illius minuti Dei, non comparandi cum Sole Deo Aſſyriorum.

Sic & ſimulacra eorum de Ieruſalem & de Samaria] Verteris rectiùs: *Quorum ſimulacra præ* (Diis) *Ieruſalem & Samariæ*. Nam Deum Hieroſolymorum habet in numero Deorum, ut populi unius numen. Vide II Reg. XVIII. 34. 35.

11. *Sic faciam Ieruſalem ac ſimulacris ejus*] In Hebræo, *terriculis ejus:* id eſt, diis ejus.

12. *Cùm impleverit Dominus cuncta opera ſua in monte Sion & in Ieruſalem*] Cùm eam urbem arctâ obſidione, quantum æquum judicat, caſtigaverit.

Viſitabo ſuper fructum magnificum cordis regis Aſſur] Animadvertam in cogitata ac verba ejus inſolentia.

13. *Quaſi potens*] Hîc כ habet Patach, א verò ſine puncto eſt: quæ ſcriptura Syriaca eſt, ut apparet Ierem. XXV. 36. Prov. XXX. 17. Eccleſiaſt. II. 13. Zachariæ XII. 5.

14. *Sic univerſam terram ego congregavi*] Id eſt, addidi ditionibus meis.

15. *Et exaltetur baculus qui utique lignum eſt*] *Et baculus* (contra eum qui) *non eſt lignum:* id eſt, contra hominem qui ſe movere ſuapte vi poteſt. Illa quæ addidimus repetuntur ἀπὸ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] ex ſuperiore.

16. *Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus ejus tenuitatem*] Ex maximis copiis pauciſſimi evadent, II Reg. XIX. 35. & infrà hîc 19.

Et ſubtus gloriam ejus ſuccenſa ardebit quaſi combuſtio ignis] Tranſpoſitio, pro *quaſi combuſtio ſuccenſa*, quaſi rogus ardens. *Gloria*, id eſt, exercitus. Explicationem vide ſuprà IX. 5.

17. *Et erit lumen Iſrael in igne*] Deus erit vice ignis.

Et Sanctus ejus in flamma] Idem bis dicit.

Spina ejus & vepres] Qui Iſraëlem pupugerunt.

In die una] Id eſt, uno eodémque tempore. Nam nocte hoc evenit. Sic vocem *diei* ſumi notavimus & alibi.

18. *Et gloria ſaltûs ejus & Carmeli ejus*] כרמל [*Carmel*] non ſemper nomen eſt proprium, ſed ſignificat & *campos conſitos*. Perſtat in comparatione incendii; & exercitum ſub *ſilvæ* nomine depingit, cujus milites ſint *arbores ſilvæ*, proceres *arbores conſitæ*.

20. *Non adjiciet reſiduum Iſraël, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti ſuper eo qui percutit eos*] Super Aſſyriis aut Ægyptiis, qui ſub ſpecie federum exitium Iſraëli meditantur.

21. *Reliquiæ convertentur*] Explicatio nominis *Sear-Iaſub*, quod habuimus ſuprà VII. 3. *convertentur:* id eſt, redibunt in agros & minora oppida pauci, qui ſtatim adventante Sennacheribo Hieroſolyma ſe receperant, II Reg. XIX. 31. II Paralipomen. XXXI. 1.

22. *Conſummatio abbreviata inundabit juſtitiam*] Λόγον συντελῶν καὶ συντέμνων [*rationem conficiens & contrahens*] Græci. Sicut ubi rationes accepti & expenſi exputantur, ſæpe parva eſt quæ remanet ſumma: ità & tunc pauci erunt illi reduces, ſed pleni virtutis.

23. *In medio omnis terræ*] Iudææ. Exiguus erit populus præ eo qui fuit. Vide ſuprà VII. 21.

24. *In via Ægypti*] Id eſt, *ad modum Ægypti*. Sicut Ægyptios olim tractavit, ſic tractabit Aſſyrios.

26. *Iuxta plagam Madian in petra Oreb*] Iudicum VII. 25.

Et virgam ſuam ſuper mare] Id eſt, in mari Rubro.

27. *Et computreſcet jugum à facie olei*] Iugum illud quod Aſſyrii Iudææ impoſuerant planè interibit, propter Ezechiam unctum ſacro oleo. Alluditur ad vim olei, quod nodos quoſvis facilè laxat.

28. *Veniet in Aiath*] Eſt ἐπάνοδος [*retrogreſſio*], quæ totum iter Sennacheribi deſcribit. Ajunt autem Hebræi Aſſyrios decem dierum iter uno die confeciſſe: quod intellige de anteſignanis illis præmiſſis ſub Rabſace. *Aiath* ſive *Haiath* eſt regio ubi Hai oppidum fuerat.

Tranſibit in Magron] I Sam. XIV. 2.

Apud Machmas commendabit vaſa ſua] Sarcinas ibi reponet quò ſit expeditior. Vide I Sam. XIII. 2.

29. *Tranſierunt curſim: Gaba ſedes noſtra*] In Hebræo, *Tranſierunt vadum*, nempe Iordanis; *Gabæ in diverſorio pernoctarunt*, id eſt, ibi primùm ſub tecto quieſcent.

Obſtupuit Rama] *Trepidavit Rama*. Ramam Benjaminis intellige, de qua Ioſ. XVIII. 25. & Matthæi II. 18.

Gabaath Saulis fugit] I Regum XIV. 2.

30. *Hinni voce tuâ, filia Gallim*] *Ejula. Filia*, id eſt, oppidum *Gallim*. *Anathoth* (unde Ieremias I. 1.), *Medemena*, *Gabim* ad Benjaminem pertinent.

Attende Laiſa] Meliùs, *Fac audire Laiſam:* ità altum ejulatum tolle, ut ad ultimos fines exaudiatur, ubi Laiſa. Iudic. XVIII. 7.

Paupercula Anathoth] Id eſt, miſera erit.

31. *Habitatores Gabim confortamini*] Meliùs: *congregarunt ſe*, nempe ad fugam.

32. *Adhuc dies eſt ut in Nobe ſtetur*] Poſt tot loca capta reſtabit adhuc ſatìs diei ut Nobam perveniatur; unde Hieroſolyma cerni poterat. Vide I Samuel. XXI. 1. Nehem. XI. 32.

Agitabit manum ſuam ſuper montem filiæ Sion, collem Ieruſalem] Minatus dira eſt urbi, II Reg. XVIII. 19. & ſequentibus, XIX. 21. & ſequentibus.

33. *Confringet laguneulam in terrore*] In Hebræo: *Abrumpet ramum iſtum terribiliter*. Per *ramum* autem intelligendus videtur Rabſaces, qui & Vrbem & Deum contemſerat.

Et excelſi ſtaturâ ſuccidentur] *Excelſæ*, ſupple *arbores:* per quas Principes ſignificantur.

Et ſublimes humiliabuntur] Idem bis dicit, ut ſæpe.

34. *Et ſubvertentur condenſa ſaltûs ferro*] Virgulta, id eſt, milites.

Et Libanus cum excelſis cadet] *Libanus per fortem cadet*. Libanus mons arbores plurimas ſuſtinet: ſic Rex ſuſtinuerat exercitum. is autem cadet per potentem, id eſt, per ipſum heredem regni deſtinatum, II Reg. XIX. 37.

CAPVT XI.

1. *ET egredietur virga de radice Ieſſe*] Redit ad laudes Ezechiæ, ſub quibus ſenſu ſublimiore latent Meſſiæ laudes. Pro *radice* in Hebræo hîc eſt *trunco*, rectè: quia amiſſione Decem tribuum, & tot hoſtium incurſionibus valde acciſæ erant res domûs Davidis.

Et flos] *Surculus* tener ex illo trunco enatus. Vide LIII. 2.

2. *Et requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini*] Perpetuò ipſi aderit. Qui ſpiritus in ſuas partes diſtribuitur. Crevit autem in Chriſtianiſmo: ideo diſtribuitur in ſeptem Apoc. 1. 4.

Spiritus ſapientiæ] *Sapientia* חכמה eſt cognitio rerum divinarum, Hebræis מרכבה [*Currus*].

Et intellectus] Cognitio rerum naturalium, ברשית [*in principio*] Hebræis.

Spiritus conſilii] Prudentia, in rebus politicis maximè.

Et fortitudinis] Conſtantia in adverſis, quam tempore Sennacheribi egregiè oſtendit Ezechias.

Spiritus ſcientiæ] Circa interpretationem Legis.

Et pietatis] In Hebræo: *& timoris Domini*, quod pietatem ſignificat. Hoc donum cætera omnia ſuperat.

3. *Et replebit eum ſpiritus timoris Domini*] In Hebræo: *Et conſolari ipſius* (id eſt, ſolatium) *in timore Domini*, ſive *pietate*. pro pietate ſua in maximis periculis Deo confidet.

Non ſecundùm viſionem oculorum judicabit] Non deſperabit, etiamſi maximum contra ſe exercitum hoſtilem videat.

Neque ſecundùm aurium auditum arguet] *Diſputabit*. Non ex rumoribus de futuro conjecturam faciet. Credet enim Prophetis.

4. *Sed judicabit in juſtitia pauperes*] In Hebræo pro *ſed* eſt *&*: novus enim ſenſus inchoatur. Æquum, ait, jus præſtabit pauperi & diviti.

Et arguet in æquitate pro manſuetis terræ] Id eſt, erit eorum defenſor, ut Reges eſſe debent.

Et percutiet terram virgâ oris ſui] *Terram* vocat homines impios, ut ex ſequenti membro eundem ſenſum verbis aliis continente apparet: quod ſcilicet nihil de Deo cogitent, ſed humi affigant *divinæ particulam auræ*. *Virgâ oris ſui*, & quod ſequitur, *ſpiritu labiorum ſuorum*, id eſt, precibus ſuis: per has enim confecit Aſſyrios.

5. *Et erit juſtitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus*] Id eſt, *pios viros ac juſtos ſemper circùm ſe habebit*. Ità hîc Chaldæus, optimè.

6. *Habitabit lupus cum agno*] Omnes hæ locutiones figuratæ ſignificant altam & inconcuſſam pacem, quæ poſt Sennacheribi tempora futura erat ſub Ezechia, per quam etiam infirmiſſimi quique ſuum erant obtenturi, ſine metu rapinæ. Hi ſunt effectus juſtitiæ Regum.

8. *Super foramine aſpidis*] Aſpides amant latebras.

Et in caverna reguli] צפע Græci modò κεράστην [*ceraſten*] vertunt, modò ἀσπίδα [*aſpidem*], id eſt, genus quoddam aſpidum ab aliis diſtinctum.

10. *In die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur*] In Hebræo, *quærent*: id eſt, ad Ezechiam concurrent multi ex gentibus ad verum Deum converſi.

Et erit ſepulchrum ejus glorioſum] *Et erit requies ejus gloria*: id eſt, gloriæ plena. *Requies* habitationem ſignificat.

11. *Adjiciet Dominus ſecundò manum ſuam ad poſſidendum reſiduum populi ſui*] Trajectio eſt, pro *adjiciet manum ſuam ad ſecundò poſſidendum*. Non putem hæc ad Cyri tempora referenda: nam nondum ad res Nabuchodonoſoris devênit Eſaias, nec cùm hæc ſcriberet earum rerum revelationem acceperat; ſed ex Iſraëlitis Decem tribuum, qui ad Theglathphalaſaris & Salmanaſſaris incurſus in varias terras ſe receperant, multos dicit Ezechiæ temporibus ad ipſum venturos.

Et à Phetros] Pharuſis vel Phauruſiis in Æthiopia. Vide quæ nobis dicta ad librum 1. de Religione Chriſtiana.

Et ab Ælam] Ab Elymæis qui Medis contigui. Vide eodem libro.

Et à Sennaar] A Babylonia. Vide iterum dicto libro.

Et ab Emath] Vide ſuprà x. 9.

Et ab inſulis maris] A Cypro, Creta, Macedonia, & locis Aſiæ maritimis. Nam omnia mari adſita ſunt איים [*inſulæ*] Hebræis.

12. *Et congregabit profugos Iſraël*] Illos de quibus diximus ad comma 11.

Et diſperſos Iuda] Qui ſub Sennacheribo profugerant.

13. *Et auferetur zelus Ephraim*] Odium illud quo Decem tribuum homines adverſùs Iudæos ardebant ceſſabit, ex communi periculo, & quia perfugium habebunt apud Iudæos: explicant id ſequentia.

14. *Et volabunt in humeros Philiſthiim*] Hiſtoriam habes II Reg. XVIII. 8. quæ ſequuntur gentes videntur fuiſſe in auxiliis Philiſthinorum.

Filios Orientis] Arabas, qui ad Orientem Iudæis. Vide quæ diximus ad initium capitis II Matthæi. Ab his prædas agent Iudæi.

Idumæa & Moab præceptum manus eorum]. *Immiſſio manuum eorum*. Id eſt, Iudæi manum immittent, expeditiones facient in eorum fines.

Et filii Ammon obedientes erunt] In Hebræo, *Auditus eorum*: id eſt, ſub Iudæorum ductu militabunt contra Philiſthinos.

15. *Et deſolabit Dominus linguam maris Ægypti*] In Hebræo eſt החרים, quod primitivo ſignificatu eſt *conſecrabit*. Quia autem res Deo ſacratæ attingi non poterant, ideo intelligi hîc debet, Iſthmum illum qui eſt inter mare Ægypto objacens & Rubrum mare, intactum ab omnibus fore, Deo ità res diſponente, ut qui in Ægyptum confugerunt Iſraëlitæ (vide ſuprà 11.) tutò domum redire poſſent.

Et levabit manum ſuam ſuper flumen] *Flumen*, cùm ſimpliciter dicitur, ſignificat Euphratem.

In fortitudine ſpiritûs ſui] Vi ſuâ.

Et percutiet eum in ſeptem rivis] Imò *in ſeptem rivos* dividet Euphratem, id eſt, imperium Aſſyriorum in plurimas partes. Medi enim ab Aſſyriis, Chaldæi à Medis defecerunt. Ità gentes illæ Hebræis infeſtiſſimæ domeſticis diſſidiis impeditæ faciles apud ſe exſulantibus reditus dedêre, quod ſequetur. Frequens eſt ſacris literis per *flumina* ſignificare Imperia, quod & Græci Latiníque faciunt; ut

Euphrates ibit jam mollior undis.

Item:

Fractúmque cornu jam ter improbo Rhenum.

Ad hunc locum reſpicit Apocryphus poſterior Eſdræ dictus nomine XIII. 44. 47.

Ità ut tranſeant per eam calceati] Figuratâ locutione facilem ſignificat reditum.

16. *Et erit via reſiduo populo meo qui relinquetur ab Aſſyriis*] Rectiùs ſic: *Et via erit ab Aſſyria populo meo reliquo ac ſuperſtiti.* Oſtendunt id ſequentia: ità tutò indè venient, ut olim ex Ægypto.

CAPVT XII.

1. *Confitebor tibi, Domine*] *Gratias ago tibi.*

Quoniam iratus es mihi, converſus eſt furor tuus] Hebraïcum loquendi genus, pro quo Latinè diceremus, *Quia cùm iratus fueris mihi, reſedit ira tua.*

3. *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris*] Fruêris bonis à Deo conceſſis. Senſu myſtico rectè accipi poteſt de perfectiſſima doctrina, ut hìc ſumſit Ionathan, qui titulus Euangelio optimè convenit.

4. *Notas facite in populis adinventiones ejus*] Id eſt, conſilia quibus ad vos liberandos uſus eſt Deus. Reſpicit præcipuè bella illa civilia gentium ad Euphratem.

CAPVT XIII.

1. *Onus Babylonis*] Triſte vaticinium in Babylonios. Poſſemus clariùs exactiúſque interpretari hunc Prophetam, & alios, ſi Aſſyriaca Abydeni, & Beroſi Babylonica exſtarent. Nunc & in ſacris literis pauca earum rerum & ferme ad Iudæos pertinentia attinguntur, & profanæ hiſtoriæ nos deficiunt. Illud tamen pro certo habeo, malum quod hìc Babyloni eventurum dicitur, eveniſſe inter tempora Sennacheribi Aſſyrii, & Nabuchodonoſori Chaldæi. Inter enim illa tempora Medi præpolluêre ſub Deioce, aliiſque Regibus, quorum Herodotus & Cteſias mentionem faciunt. His autem facile fuit Babylonem expugnare, quòd ea ante Nabuchodonoſori tempora neque magna admodum, neque bene munita fuerit, ut cognoſci poteſt ex iis quæ Beroſi & Abydeni verbis retulimus in Annotata ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

2. *Super montem caliginoſum*] Id ideo quia vetus Babylon in paluſtribus locis ſita erat, unde aſcendens vapor urbem obſcurabat.

3. *Ego mandavi ſanctificatis meis*] Id eſt, *paratis à me*, Medis ſcilicet, eſt tranſlatio, quia ſacra facturi priùs ſe parant.

10. *Stellæ cæli & ſplendor earum non expandent lumen ſuum: obtenebratus eſt Sol in ortu ſuo, & Luna non ſplendebit in lumine ſuo*] Vide quæ diximus ad Matth. XXIV. 29.

12. *Pretioſior erit vir auro*] Id eſt, Medi nullo pretio induci poterunt ut viris parcant. Vide infrà 17.

20. *Non habitabitur uſque in finem*] Id eſt, uſque ad tempus à Deo determinatum. Græci vertunt εἰς τέλος [*ad finem uſque*].

21. *Sed requieſcent ibi beſtiæ*] Græci θηρία [*feræ*]. Sic hoc nomen ſumitur & Ierem. L. 39.

Et replebuntur domus eorum draconibus] *Viverris.* Sic Hebræi. In Græco ἤχω· ſed credo eos retinuiſſe vocem Hebræam, & ſcripſiſſe ἠχίμ [*echim*].

Et habitabunt ibi ſtruthiones] Vide Thren. IV. 3.

Et piloſi ſaltabunt ibi] Δαιμόνια [*dæmonia*] vertunt Græci, nempe τραγόμορφα [*in forma hircina*], ut hìc explicat Kimchi. Alii ſcopas aut otos hìc volunt intelligi.

22. *Et reſpondebunt ibi ululæ in ædibus ejus*] *Alternis canent feles feræ in palatiis.* Sic Chaldæus.

Et ſirenes in delubris voluptatis] *Serpentes in prætoriis voluptariis.* Benjamin Tudelenſis ſuis quoque temporibus in ruinis Babylonis ait fuiſſe ſerpentes & ſcorpiones.

CAPVT XIV.

Propè eſt ut veniat tempus ejus] Hic verſiculus in Hebræo cum ſuperiori capite cohæret; & rectè.

1. *Miſerabitur enim Deus Iacob*] Puniendo hoſtes ejus, ipſum verò conſolando.

Et eliget adhuc de Iſraël] Suprà X. 22.

Adjungetur advena ad eos] Suprà XI. 10.

2. *In ſervos & ancillas*] Id eſt, ſubditos: nam qui ex Gentibus idololatriam deſeruerant, ut tutò viverent in Iudæam veniebant.

Et ſubjicient exactores ſuos] Multos ex ipſis Aſſyriis ad religionem ſuam pertrahent.

4. *Quievit tributum*] Vox מרהבה eſt Chaldaïca, & *penſionem auri* ſignificat.

8. *Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex quo dormiſti non aſcendit qui ſuccidat nos*] Videtur eſſe προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*] elegans, quâ dicuntur lætatæ arbores Libani, quòd non ampliùs cæderentur ad turres obſidionales, aliáque belli opera, ut vivente Sennacheribo. Ionathan tamen per *abietes* & *cedros* viros principes ac divites vult intelligi. Vide finem capitis decimi ſuprà.

9. *Infernus ſubter conturbatus eſt*] Ima terræ, in quibus ſunt ſepulchra.

Suſcitavit tibi gigantes] Rectiùs *mortuos.* Nam ſic ſumi ſolet רפאים, quam vocem Hebræam hìc retinuêre interpretes Græci quidam.

Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis] Eſt προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*], in qua mortui introducuntur cum dignitate, quam olim habuêre.

12. *Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer qui manè oriebaris*] In Hebræo: *fili auroræ.* Quomodo proſtratus es, Sennacheribe, lucidiſſime Regum Orientis? Sic Memnon Auroræ filius Græcis. Solent Hebræi hæc verba uſurpare de omnibus impiis.

13. *In cælum conſcendam*] In terram Iudæam, quæ *cælum* dicitur quòd Deo dicata eſſet. Sic Hebræi *exercitus cæli* apud Danielem VIII. 10.

Super aſtra Dei] Super viros in Lege peritos. Vide ad Matthæi XXIV. 29.

Sedebo in monte Teſtamenti] *In monte conventûs*: id eſt, in Moria monte ubi erat Templum, quò conveniebant Iudæi.

In lateribus Aquilonis] Id eſt, in regia Sionis, quæ Vrbi ad Aquilonem, Pſal. XLVIII. 3.

14. *Aſcendam ſupra altitudinem montium*] Id eſt, in adytum ipſum perveniam, ubi Deus in nube manifeſtare ſe dicitur.

19. *Tu autem projectus es de ſepulchro tuo*] Iacebis diu inſepultus; nempe quamdiu filii interfectores ejus Niniven tenere potuerunt.

Quaſi cadaver putridum] Lacero cadavere.

21. *Præparate filios ejus occiſioni*] Per Medos.

22. *Perdam Babylonis nomen*] Nempe ad tempus, ut ſuprà XIII. 20.

25. *Et auferetur ab eis*] Montibus meis.

28. *In anno quo mortuus eſt rex Achaz, factum eſt onus iſtud*] Eſt alia Prophetia cum ſuperiori non cohærens: ſcripta eſt initio regni Ezechiæ.

29. *Nè læteris Philiſthæa omnis tu, quoniam comminuta eſt virga percuſſoris tui*] Id eſt, noli tibi placere ob mortem Oziæ ſive Azariæ Regis, qui res tuas vehementer afflixerat, captis etiam urbium non minimis, II Paralipom. XXVI. 6.

De radice enim colubri] Ex ſanguine Oziæ per Iothamum & Achazum.

Egredietur regulus] Ezechias, multò vobis plùs nociturus, quàm Ozias fecerat. De voce צפע diximus ſuprà aliquid XI. 8. quicquid ſit, eſt ſerpens aliquis colubro nocentior.

Et ſemen ejus abſorbens volucrem] Meliùs vertas: *ſerpens volans* cum Græcis, id eſt, jaculus. Coluber lentè procedit, & propterea faciliùs caveri poteſt; jaculus improviſus ſupervenit.

30. *Et paſcentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter quieſcent*] Etiam pauperrimi inter Iudæos habebunt de ſe unde vivant. בכורים [*primogeniti*] ſunt qui in quoque genere excellunt.

Et interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam] Ex tuis & ſummates & infimates morientur fame.

31. *Ab Aquilone enim fumus veniet*] Iudæa enim Philiſthinis ad Aquilonem eſt.

Non eſt qui effugiet agmen ejus] Id eſt, nemo Iudæorum non promtiſſimus erit ad hanc expeditionem. Nam בודד eſt *is qui ſe ſegregat*. Græca hîc, ut & alibi, valde corrupta ſunt.

32. *Et quid reſpondebitur nuntiis gentis*] Sciſcitantibus de iis quæ aguntur. Legit, ut nos nunc in Hebræo מלאכי [*nuntiis*]. At Græci מלכי βασιλεῖς ἐθνῶν [*Reges gentium*], hoc eſt, *Quid ad hæc dicent* (ſic enim ſumitur ſæpe Hebræum ענה) *Reges illi gentium vicinarum?* nempe cogentur fateri Deum eſſe qui Iudæos, quamvis contemtos, ſublevet.

CAPVT XV.

1. O*Nus Moab*] Hoc vaticinium durat ad caput XVII. Pertinet autem ad tempora Salmanaſaris. Nam Moabitis vicina illis partibus Decem tribuum quæ hîc nominantur, ac proinde particeps eorundem malorum.

Quia nocte vaſtata eſt Ar-Moab, conticuit] *Hoc dico*, inquit, *fore ut Ar-Moab nocte vaſtetur, imò ut & exſcindatur*. Nam נדמה ſæpe eſt *exſcindi*. Ar-Moab eſt antiquiſſima urbs ejus gentis in monte ſita. Numerorum XXI. 28.

Quia nocte vaſtatus eſt murus Moab, conticuit] Senſus eſt, *fore ut itidem nocte vaſtetur, imò exſcindatur Kir-Moab*. קיר idem eſt quod קריה [*urbs*]. Dicitur hæc urbs hoc loco *urbs Moab*, quòd præcipua eſſet ejus regionis, infrà autem XVI. 7. & 11. *urbs Solis*, ob Solis cultum.

2. *Aſcendit domus & Dibon ad excelſa in planctum ſuper Nabo & ſuper Medaba, Moab ululavit*] In Hebræo, *Aſcendet in Baith*, id eſt, Templum eximium, quod plenè vocatur *Beth-Baal-Mehon* Ioſuæ XIII. 17. contractiùs *Baal-Mehon* Num. XXXII. 38. & Paralipom. V. 8. *Dibon* urbem Moabitarum habes apud Ioſuam dicto loco: ibi colles fuêre idololatriæ ſacrati, ut ex hoc loco apparet. ii colles dicebantur במות בעל [*colles Baalis*], Ioſuæ XIII. 17. *Super Nabo*, id eſt, ob exciſam Nabuntem, cujus mentio Num. XXXII. 38. *Medaba*, aut ut Ptolemæus enuntiat, Μήδαυα (nam littera ב utrumque ſonum recipit), nominatur & Numer. XXI. 30. & Ioſuæ XIII. 16.

In cunctis capitibus ejus calvitium, & omnis barba radetur] Qui mos lugentium illis in locis. Ierem. XLVIII. 37. Ezech. VII. 18. His moribus opponit ſe lex Levit. XIX. 27. Deuteron. XIV. 1.

4. *Clamabit Heſebon*] Vide Num. XXXII. 37. Ioſuæ XIII. 21. Nam multa loca Iſraëlitis attributa, partim poſſeſſa ab ipſis nunquam fuêre per ipſorum ignaviam, partim recepta à Moabitis & aliis, per occaſiones quas dederunt Hebræorum inter ſe diſſidia.

Vſque Iaſa audita eſt vox eorum] Id eſt, ad extremos uſque fines, nam ibi Iaſa Num. XXI. 23. Ioſuæ XXI. 36. Ptolemæo Ζίζα dicitur. Locutionem quod attinet, ſimilem habuimus ſuprà X. 30.

Super hoc expediti Moab ululabunt] Id eſt, etiam milites qui præ aliis bene animati eſſe debuerant.

Anima ejus ululabit ſibi] Meliùs alii: *Anima ipſius diſplicebit ipſi*. Id eſt, quemque vitæ ſuæ tædebit.

5. *Cor meum ad Moab clamabit*] Subaudi, *dicet quiſque*. Hoc verbum ſæpe reticetur. *ad Moab* pro *ob Moab*.

Vectes ejus] Significare quidem hoc poteſt vox Hebræa; ſed rectiùs vertas, *& ob Principes ejus*: argumento loci infrà XXVII. 1.

Vſque ad Segor] Id eſt, *clamor exaudietur uſque ad Segor*, qui locus eſt in Iudææ limite, Geneſ. XIX. 22.

Vitulam conſternantem] Scripſit Interpres, ut quidam libri habent, *conternantem*, id eſt trimam: τριετὴς [*trima*] apud Græcos. Sed vertendum eſt, ut *junicis trimæ*, ſupple *clamor*, ex ſuperiori.

Per aſcenſum enim Luith flens aſcendet] Egregia alluſio, *Si ſcandent ad montana, fletus ſimul aſcendet*. Eadem locutio in re eadem Ieremiæ XLVIII. 5. *Luith* Ptolemæo eſt Λύσα.

Et in via Oronaim] Quà deſcendebatur in humilia: docet id idem Ieremiæ locus. Hæc eſt *Avara* Ptolemæo.

Clamorem contritionis levabunt] Id eſt, voce humili lugebunt. par alluſio iſti quæ in priore membro.

6. *Aquæ enim Nemrim deſertæ erunt*] Per *aquas* paſcua aquis adſita intelligit, quæ tempore pacis erant uberrima. Vide Num. XXXII. 3. & 36. Ioſ. XIII. 27.

7. *Secundùm magnitudinem operis & viſitatio eorum: ad torrentem ſalicum ducent eos*] Verteris rectius: *Præterea quod reliquum fecit* (ſupple *occidio*) *& opes eorum* (Moabitarum) *ad torrentem Arabum perferent*. Vallis Arabum eſt via per quam itur ex Moabitide in Aſſyriam, ut nos docet Hieronymus. In vallibus autem non deſunt torrentes.

8. *Vſque ad Gallim ululatus ejus*] Vide ſuprà X. 30. Hîc א nomini additum, more Moabitarum & Syrorum. Confer quod ſuprà 4.

Et uſque ad puteum Elim] Cauſam nominis vide Num. XXI. 18. Nam qui שרים [*principes*] Hebræis, ii Moabitis & Syris אלים.

9. *Quia aquæ Dibon repletæ ſunt ſanguine*] Legendum eſt *Dimon* ex Hebræo & Græco. Fit autem alluſio ad nomen *Dimon*, quod originem habet à *ſanguine*. Sunt qui putent indè datum nomen, quòd olim cæſi ibi ſint Moabitæ, II Regum III. 24. 25.

Ponam enim ſuper Dibon additamenta] Iterum *Dimon* legendum. Senſus eſt: novas dabo cauſas cur ità meritò vocetur is fluvius.

His qui fugerint de Moab leonem & reliquiis terræ] Tranſpoſitio. Senſus eſt, *His Moabitarum qui fugerint ab hoſte, aut quos hoſtis reliquerit ſuperſtites*, (immittam) *leonem*: id eſt, efficiam ut in feras incidant. Simile vide II Reg. XVII. 25.

CAPVT XVI.

1. *Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ de Petra deſerti ad montem filiæ Sion*] In Hebræo eſt tantùm: *Mittite agnum dominatori terræ*. Pergit ad Moabitas loqui, monétque eos ut agnum, id eſt agnos, quos pro tributo Davidi olim pependerant pro pace ac tutela II Reg. VIII. 2. deinde Regibus Iſraëlis ad Achabi uſque tempora II Reg. III. 4. nunc everſo Iſraëlis regno, pendant legitimo heredi Davidis, id eſt, Ezechiæ. Meliùs autem vertas, *de Petra ad deſertum*, quàm *de Petra deſerti*: ut intelligas hæc imperari Moabitis omnibus, quorum fines à Petra ab Idumæis poſſeſſa ad deſertum Iordanis pertingebant.

2. *Et erit ſicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes: ſic erunt filiæ Moab in tranſcenſu Arnon*] Eſt ſermo ἐλλειπτικός [*defectivus*]. Senſus enim eſt, *Sicut avi profugæ & pullis è nido ſuo ejectis arbores ſunt pro perfugio: ſic urbes Moabitarum quæ ſunt ad vada Arnonis* (id eſt, propinquæ Iſraëlitis, Iud. XI.) *Iſraëlitis ſint pro perfugio*.

3. *Ini conſilium*] In Hebræo: *Adfer conſilium*.

Coge concilium] In Hebræo, *Fac judicium*: id eſt, præſta Iſraëlitis quod debes ex federe veteri.

Pone quaſi noctem umbram tuam in meridie] In graviſſimo æſtu (id eſt, in illo incurſu Salmanaſaris qui priùs Iſraëlitas bello perculit quàm Moabitas attingeret) refrigera eos, tanquam nox eſſet, per quam ceſſat æſtus.

Abſconde fugientes, & vagos nè prodas] Sit illis miſeris tutus apud vos receptus.

4. *Habitabunt apud te profugi mei*] Habitantes; quod & ſequentia explicant.

Finitus eſt enim pulvis, conſummatus eſt miſer, defecit qui conculcabat terram] Verte ex Hebræo præteritis ſumtis in ſenſum futuri, ut fieri ſolet, in Prophetis maximè. *Finiet enim expreſſor, deſinet populator, abibit de terra conculcator*. Id eſt, ſi faciatis quæ jam dixi, Deus efficiet ut abeat Salmanaſar vobis intactis.

5. *Et præparabitur in miſericordia ſolium*] *Firmabitur* in Hebræo. Deus propter iſta miſericordiæ opera dabit vobis ſtatum felicem.

Et ſedebit ſuper illud in veritate in tabernaculo David judicans & quærens judicium, & velociter reddens quod juſtum eſt] Habebitis bonos judices, ídque ſub tutela domûs Davidicæ. Sicut tentorium à Sole protegit homines, ſic Reges poſteri Davidis vos defenſabunt.

6. *Audivimus ſuperbiam Moab*] Quaſi dicat Propheta, Surdis canimus: fruſtra bona illis monita damus: nihil minùs illi facient quàm quod rectum eſt.

Superbia ejus, & arrogantia ejus, & indignatio ejus pluſquam fortitudo ejus] Bene vertit בדיו [*fortitudo ejus*]. Vide Iob XLI. 3.

7. *Iccirco ululabit Moab ad Moab*] Planget Moabita ob Moabitam.

His qui lætantur ſuper muros cocti lateris loquimini plagas ſuas] חרשת alibi quidem *teſtam* ſignificat; at hîc *Solem*, ut apparet infrà 11. Diximus ſuprà XV. 1. Vertas hunc locum optimè ſic ex Hebræo, *De fundamentis Kirchareſeth* (*Oppidi Solis*) *dicetis: attamen everſa ſunt*,. id eſt, Confiſi quidem eramus iſtis tantis munimentis: ſed ſtare contra Aſſyrios non potuerunt. Vide quæ dicemus ad Ieremiam XLVIII. 31.

8. *Suburbana Heſebon*] Vide ſuprà XV. 4.

Et vineam Sabama domini gentium exciderunt] Connecte cum ſuperioribus, *& vinea Sabama*. De Sabama vide Num. XXII. 38. Per *vineam* aut *vinetum* civitatem intelligit.

Domini gentium exciderunt flagella ejus] In Hebræo: *optimas plantas ejus*, id eſt, cives præſtantiſſimos.

Ad Iazer pervenerunt] Vide Ioſuen XXI. 37.

Erraverunt in deſerto] Moabitæ errabunt in deſerto ad Iordanem.

Propagines ejus relictæ ſunt] In Hebræo: *emiſſiones ejus extenſæ ſunt*: id eſt, longè exſulabunt.

Tranſierunt mare] Quidam præ metu etiam mare trajicient, putà in Cyprum.

9. *Eleale*] Suprà XV. 4.

Vox calcantium] Barritus omnia corrumpentium.

10. *Auferetur lætitia & exſultatio de Carmelo*] *A campo ubere*. Id enim eſt כרמל [*Carmel*] ubi communiter ſumitur.

Vocem calcantium abſtuli] Calcare enim ſolebant cum canticis.

11. *Quaſi cithara*] Quæ non ſonat, niſi percuſſa.

Ad murum cocti lateris] *Ob Kirchareſch*, ſive *Kirchareſeth*.

12. *Et erit cùm apparuerit quòd laboravit Moab ſuper*

ſuper excelſis ſuis] Id eſt, cùm videbunt Moabitæ ſe in frondoſis collibus multùm orando nihil proficere.

Ingredietur ad ſancta ſua] Volent ire ad commune Gentis idolium, quaſi ibi potiùs exaudiendi.

Et non valebit] Non poterunt eouſque pervenire.

13. *Hoc verbum quod locutus eſt Dominus ad Moab ex tunc*] Id eſt, quæ hactenus dixi, ſine præfinitione temporis jam pridem mihi Deus revelaverat.

14. *Et nunc locutus eſt Dominus dicens*] Nunc verò etiam tempus mihi ſignificavit.

In tribus annis] Poſt tres annos ex quo poſtrema hæc revelatio mihi contigit.

Quaſi anni mercenarii] Id eſt, præciſè numerati, ut ſolet fieri ab his qui operas locant: infrà XXI. 16.

C A P V T XVII.

1. O*Nus Damaſci*] Capta fuerat Damaſcus à Theglathphalaſaro, II Reg. XVI. 9. Sed exciſa fuit à Salmanaſſaro ob ſocietatem quam contra Aſſyrios fecerat cum Decem tribubus. Ob id mala Damaſci cum malis Decem tribuum, ut communem cauſam habentia, Propheta hîc conjungit. Si haberemus hiſtorias Nicolai Damaſceni hæc omnia luce clariùs apparerent.

2. *Derelictæ civitates Aroer*] Tractus Syriæ qui contractiùs Ptolemæo Αὔειρα.

Gregibus erunt, & requieſcent ibi, & non erit qui exterreat. 5. *Et erit ſicut congregans in meſſe quod reſtiterat*] Nihil de populo Iſraëlitico in terra relinquet. tam diligenter eos auferet, quàm qui poſt meſſem ſpicas legunt.

In valle Raphaim] Eſt vallis frumenti ferax apud Hieroſolyma, Ioſuæ XV. 8.

7. *In die illa inclinabitur homo*] Meliùs, *inclinetur*: & mox *reſpiciant*. ut & hoc conſilium ſit, quale ſuprà XVI. 3.

9. *Civitates fortitudinis ejus*] Syriæ Decapolitanæ.

10. 11. *Propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis. In die plantationis tuæ labruſca, & manè ſemen tuum florebit: allata eſt meſſis in die hereditatis, & dolebit graviter*] Obſcura hæc ſic collucabis: *Propterea* (quamvis) *plantaveris plantam egregiam, etiam alienos ſurculos ei inſeveris*; (juxta illud,

Venerit inſitio, fac ramum ramus adoptet)

de die laboraveris ut creſcat planta, & primo manè, ut quod inſitum eſt bene proveniat, migrabit (id enim eſt נור) *meſſis in die* (ſperatæ) *poſſeſſionis, &* (ſuccedet) *dolor deſperationis*. Græci cum aliis punctis legerunt כאב אנוש ὡς πατὴρ ἀνθρώπȣ [*tanquam pater hominis*].

12. *Væ multitudini populorum multorum*] Eos intelligit qui Syris adhæſerant.

14. *In tempore veſperæ, & ecce turbatio: in matutino, & non ſubſiſtet*] Subitò fortuna mutabitur.

Hæc eſt pars eorum qui vaſtaverunt nos, & ſors diripientium nos] Syri enim illi Damaſceni, eorúmque vicini valde ſemper infeſti fuerant Iudæis. Vide quæ ex Nicolao Damaſceno protulimus in Annotatis ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

C A P V T XVIII.

1. V*Æ terræ cymbalo alarum*] In Hebræo, *Væ terræ umbræ alarum*: id eſt, cujus extremæ partes montibus obumbrantur. Vide Strabonem. Oſtendit hæc Prophetia Deum Æthiopum operâ uti nolle contra Sennacheribum, cui Æthiops bellum indixerat, nè præda illius eſſet, quam Iudæorum eſſe Deus voluit. Hinc diſcimus Tharacæ Regi malè ſucceſſiſſe expeditionem, quam per abſentiam Sennacheribi in Aſſyriam ſuſceperat, II Regum XIX. 9.

Quæ eſt trans flumina] עבר non ſemper *trans*, ſed ſæpe *ad* ſignificat. Vertas ergò rectè, *quæ eſt ad flumina Æthiopiæ*; ut hæc poſtrema vox cohæreat cum voce *terræ*.

2. *Qui mittit in mare legatos*] *Per mare*, Arabicum ſcilicet; *legatos*, id eſt, feciales ad bellum indicendum Aſſyriæ.

Et in vaſis papyri ſuper aquas] Id eſt, *navibus papyraceis*, ut Plinius loquitur, VI. 22. Meminit earum & Diodorus Siculus I. & Theophraſtus. Adde Lucani locum productum nobis ad Exodi II. 2.

Ite Angeli veloces] Verba Regis Æthiopum. Pro *angeli* pone *nuntii*.

Ad gentem convulſam & dilaceratam] Cujus magna pars in longinquis expeditionibus occupata eſt.

Ad populum terribilem poſt quem non eſt alius] In Hebræo: *ad populum terribilem ab ipſo* (id eſt, ab antiquiſſimo tempore) *& deinceps*. Antiquiſſimum enim erat & multis victoriis inclytum regnum Aſſyriorum, ſed Æthiops ſuam occaſionem natam putabat.

Ad gentem exſpectantem & conculcatam] In Hebræo, *Gentem lineæ lineæ & conculcationis*: id eſt, Gentem quæ paulatim protendit imperii ſui terminos, & ſuperbo pede victos proterit. Iuſtinus ex Trogo initio hiſtoriæ: *Primus omnium Ninus, Rex Aſſyriorum, veterem & quaſi avitum gentibus morem novâ imperii cupiditate mutavit. Hic primus intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos, terminos uſque Libyæ perdomuit.*

Cujus diripuerunt flumina terram ejus] *Ejus* hîc Hebræo more abundat. Tigris violentum flumen multum abradit ab Aſſyria.

3. *Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cùm elevatum fuerit ſignum in montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis*] Verba adhuc ſunt Æthiopis. Meliùs, *cùm tuba clanget*. Vbi mea vexilla in montibus Aſſyriæ attollentur, meúmque ibi claſſicum ſonabit, tunc videbitis & audietis res magnas.

4. *Quia hæc dicit Dominus ad me*] כי hîc eſt *verùm*. Opponit Propheta Dei conſilia jactationi Æthiopis.

Quieſcam & conſiderabo in loco meo] Sinam illum agere quæ vult; ego interim Iudææ providebo.

Sicut meridiana lux clara eſt, & ſicut nubes roris in die meſſis] Meliùs vertas: *Sicut calor ſerenus poſt pluviam, & ſicut nubes roſcida in æſtu meſſis*. Hæc enim valde deſiderantur, calor poſt imbrem, & imber poſt æſtum. Tale futurum dicit Dei præſidium.

5. *Ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramuſculi ejus falcibus, & quæ derelicta fuerint abſcindentur & excutientur*] Meliùs ſic: *Ante meſſem enim* (id eſt, vindemiam) *gemma erat quaſi perfectæ* (vitis), *ſed ubi maturuit* (apparuit) *omphax. Flos* (fuit;) *ſed abſcinduntur falce palmites: propagines quoque auferuntur amputando.* Hæ ſimilitudines oſtendunt ante tempus prælii egregias fuiſſe ſpes Æthiopum, ſed eas ante eventum concidiſſe.

6. *Et relinquentur ſimul avibus montium*] Cadavera Æthiopum.

7. *In tempore illo*] Dum iſta in Aſſyria abſente Sennacheribo gerentur.

Deferetur munus Domino exercituum] Pars de præda, Num. XXXI. 28. II Sam. VIII. II.

Et populo divulſo & dilacerato] Repetit Propheta omnia contumelioſa verba Æthiopis in Aſſyrios, approbans ea ut verè dicta, ſed ſimul ſignificans Æthiopem indignum fuiſſe qui illorum ſpoliis gauderet.

CAPVT XIX.

1. ONus Ægypti] Vaticinium hoc ad eadem ferme tempora pertinet ad quæ priora. Nam, ut ex Herodoti Euterpe diſcimus, Sennacheribo Aſſyriorum Regi coævus fuit Sethon Vulcani ſacerdos Rex Ægypti: nam & bellum Sethoni intulit Sennacheribus. Sethone mortuo diviſa eſt Ægyptus in Reges duodecim, quorum fuit Pſammitichus; is in paludes ab Ægyptiis relegatus, collectâ factione, & Ionum ac Carum, qui mare infeſtum habuerant, ope adjutus, undecim Reges alios vicit atque interfecit. Huic autem in regnum ſucceſſit is Nechos qui Ioſiæ bellum fecit, memorantibus Paralipomenis & Zachariâ.

Aſcendet ſuper nubem levem] Domini *deſcenſus* alibi beneficia, ſæpe, ut hîc, judicia Dei ſignificat.

Commovebuntur ſimulacra Ægypti] Numina Ægyptiis culta eo tempore erant Vulcanus, Latona, Oſiris, Iſis, Orus, Bubaſtis, Apis, ut ex Herodoto diſcimus. Illis omnibus, inquit Propheta, nulla vis erit ad tutandam Ægyptum contra Dei judicia.

2. *Concurrere faciam Ægyptios adversùs Ægyptios*] Bello illo Pſammitichi.

Regnum adversùs regnum] Id eſt, ut Græci rectè interpretantur, νόμος ἐπὶ νόμον [*Præfectura in Præfecturam*].

3. *Et dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus ejus*] In Hebræo eſt, *deficiet*: nihil illis erit animi, ac propterea (ut ſequitur) conſilii erunt inopes.

4. *Et rex fortis dominabitur eorum*] Pſammitichus.

5. *Et areſcet aqua de mari*] Hæc omnia ſunt figurata. Res ità ſe habebit, quaſi nulla eſſet aqua in mari, quia commercia deficient per piratas illos Caras & Ionas. Ità Herodotus. Strabo Ionas interpretatur Mileſios, à quibus conditum ait murum Mileſiorum, Naucratim & Schediam Pſammitichi temporibus.

Et fluvius deſolabitur atque ſiccabitur] Omnes Nili partes aliáque flumina minora navigari deſinent.

6. *Et deficient flumina*] Hîc in verbo Hebræo והאזניחו abundat Aleph.

Calamus & juncus marceſcent] Inutiles erunt arundines & papyri, unde naves ſtrui ſolebant. Vide quæ ſuprà XVIII. I.

11. *Stulti principes Taneos*] Vrbs erat hæc Ægypti antiquiſſima, Num. XIII. 23. quomodo ex צען factum ſit Τάνις diximus ad Matth. I. 21.

Quomodo dicetis Pharaoni] Illi Regi qui Taniticum Nomum tenebat.

Filius regum antiquorum] Multi enim ſacerdotes Ægyptii ad Reges antiquos genus ſuum referebant.

13. *Emarcuerunt principes Mempheos*] Eſt hîc in Hebræo נף, ſed rectiùs ſcribitur Oſeæ IX. 6. מף [*Moph*]. Sic mons ei adſitus Μῶφι [*Mophi*] Herodoto, Euterpe. Frequens autem illis gentibus in media voce נ interponere, quam ſequente conſonâ Græci in μ vertunt. ità ex מף facta Μέμφις.

Deceperunt Ægyptum, angulum populorum ejus] Pro Patach putem hîc fuiſſe Holem, פנת שבטיה, id eſt, *eximii tribuum*, ut Iud. XX. 2. Ergò פנת idem quod שרי [*principes*].

14. *Dominus miſcuit in medio ejus ſpiritum vertiginis*] Nempe ut undecim illi Reges nihil in commune conſulerent, ſed dum pugnant ſinguli, vincerentur univerſi.

15. *Et non erit Ægypto opus quod faciat caput & caudam incurvantem & refrænantem*] Verte: *Non erit in Ægypto officium quod faciant caput aut cauda, ramus aut juncus.* Nemo officium faciet, non Senator, non ſacerdos, non ſenex, non juvenis. Idem loquendi genus habuimus & explicavimus IX. 14.

17. *Et erit terra Iuda Ægypto in pavorem*] Cùm intelligent quomodo Iudæam invaſerit Sennacheribus, Ægyptii quoque ſibi metuent.

18. *In die illa erunt quinque civitates in terra Ægypti loquentes linguâ Canaan*] Id eſt, Hebræâ, quam Abrahamus, Iſaacus, & Iacobus addidicerant, dum in Cananæa vivebant. Eadem lingua Phœniſſa, ſive Cananæa & Hebræa, aut certè paululùm diverſa. Vide quæ ex Chœrilo, Plauto, Luciano attulimus ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ, ubi de literis agimus. Cùm Sennacheribus Iudæam primùm invaſit, Pſammiticho, ut videtur, per Ægyptum regnante, multi Iudæi ſe recepêre in Ægyptum. apparet id ſuprà XI. II. 15. atque ibi verum Deum, ut oportet, colentes, multis Ægyptiis exemplum dedêre, derelictis idolis, eundem Deum colendi, quod per Dei miſericordiam toti Ægypto ſaluti fuit. Ioſephus hæc refert ad tempora mille annis poſteriora hoc vaticinio; ſed contextus totus oſtendit hoc ad eadem tempora, de quibus egit hactenus, referendum. Latet autem in hoc vaticinio per ſenſum ſublimiorem vocatio Gentium per Euangelium.

Et jurantes per Dominum exercituum] Ità ut lex præcipit Exodi XXIII. 13. Deuteron. VI. 13. X. 20.

Civitas Solis vocabitur una] *Heliopolis* Græcis. Vrbs antiqua. vide Ioſephum Originum II. 3. Hoc dicit, etiam in ipſa urbe, quæ præcipua idololatriæ ſedes jampridem erat, Iudæos victuros ex ſuis legibus.

19. *In die illa erit altare Domini in medio terræ Ægypti*] Nempe ad memoriam, non ad ſacrificia. Confer Ioſuæ XXII. 22. 23. 24. 25. 26.

Et titulus Domini juxta terminum ejus] Columnæ in quibus inſcriptum erit nomen Dei.

20. *Clamabunt enim ad Dominum in facie tribulantis*] Iudæi ad Deum clamabunt, dum terram eorum inſidebit Sennacheribus.

Et mittet eis ſalvatorem ac propugnatorem qui liberet eos] Angelum, qui Sennacheribi exercitum confecit.

21. *Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto*]Tanto miraculo multi Ægyptiorum ad Deum verum ſe convertent.

Et colent eum in hoſtiis & muneribus] Ità ut Syrus Naaman II Reg. V. 17.

22. *Et percutiet Dominus Ægyptum plagâ, & ſanabit eam*] Hebræa locutio, pro quo dicere liceat : *Et ſanabit Dominus Ægyptum à plaga quâ eam percuſſerat*, id eſt, à bellis civilibus.

23. *In die illa erit via de Ægypto in Aſſyrios, & intrabit Aſſyrius Ægyptum, & Ægyptius in Aſſyrios*] Id eſt, Pſammiticho jam plenè regnante alta pax erit, & commercia inter Aſſyrios & Ægyptios qui diu hoſtes inter ſe fuerant.

Et ſervient Ægyptii Aſſur] Id eſt, comiter majeſtatem Regis Aſſyrii obſervabunt.

24. *In die illa erit Iſrael tertius Ægypto & Aſſyrio*] Id eſt, utrique erit federatus. id duravit per tempora Ezechiæ, II. Reg. XX. 19.

Benedictio in medio terræ] Pax & felicitas incorrupta.

25. *Benedictus populus meus Ægypti*]*Populus meus* dicit propter multos pios qui tunc in Ægypto fuêre.

Et opus manuum mearum Aſſyria] Imò *Aſſyrius*; quo, inquit, ego utor ut volo, ſicut figulus opere figulino.

Hereditas autem mea Iſrael] Populus mihi peculiaris.

CAPVT XX.

1. *IN anno quo ingreſſus eſt Tharthan*] Hic idem eſt qui nominatur II Reg. XVIII. 17. Hunc ante ſe præmiſerat Sennacherib.

Cùm miſiſſet eum Sargon rex Aſſyriorum] Idem qui *Sennacherib*. Solebant enim Reges illi plura habere nomina, quod multas tenebras offudit Hiſtoriæ.

Et pugnaſſet contra Azotum & cepiſſet eam] Vt quæ ditionis eſſet Ezechiæ, II Reg. XVIII. 8.

2. *Solve ſaccum de lumbis tuis*] Villoſam veſtem propheticam. Vide quæ ad Matth. III. 4.

Nudus] Interulâ indutus. Vide Marci XIV. 52. Ioh. XXI. 7. Solebant autem taliter ſe habere qui captivi abducebantur, detractâ per victores veſte meliore.

3. *Trium annorum ſignum erit*] Id eſt, eventurum poſt annos tres. Tantum igitur temporis duravit bellum Æthiopum in Aſſyrios.

4. *Sic minabit rex Aſſyriorum captivitatem Ægypti*] Ægyptiorum qui Æthiopi ſe adjunxerint. *Rex Aſſyriorum* eſt Aſarhaddon Sennacheribi filius.

Et tranſmigrationem Æthiopiæ] Æthiopes qui ſub Tharaca in Aſſyriam uſque venerant. Vide ſuprà XVIII.

Diſcoopertis natibus] Vide II Samuel. X. 4. & ſuprà III. 17.

6. *Et dicet habitator inſulæ hujus*] Id eſt, oræ maritimæ Philiſthinorum in qua Azotus. Vide Ptolemæum. Oras autem maritimas ab Hebræis *inſulas* vocari annotatum jam aliquoties.

Ad quos confugimus] Qui ſunt illi in quibus cùm obſideremur ſpem noſtram collocaveramus?

Et quomodo effugere poterimus nos?] Meliùs : *Quomodo fieri poterat ut nos evaderemus?* Ezechias liberatus eſt, quia in Deo ſpem ſuam collocaverat. Philiſthini non ſunt liberati, quia opi humanæ confiſi fuerant, quam perquam inanem experti ſunt.

CAPVT XXI.

1. *ONus deſerti maris*]Propheta, ſicut reprehenderat eos qui in Æthiope & Ægypto ſpem ſuam collocaverant : ità nunc ad eos ſe vertit qui Aſſyriorum partes ſecuti, in illis, non in Deo habuerant ſpes repoſitas. Sunt autem quos hoc capite alloquitur tres populi; Primi Idumæi qui habitabant *in deſerto* Sur ſive Etham, ad ipſam oram Arabici ſinûs. Vide Exod. XIII. 20. XV. 22. Num. XXXIII. 8. & adde quæ de hoc deſerto habet Hieronymus in præloquio ad Amoſum ; & Strabonem libro XVII. Deinde *Dumathæi* ab Iſmaële, (vide Geneſ. XXV. 14.) Deinde *Arabes* Petrææ, orti à Cethura. Hi omnes quanquam per Abrahamum cognati Iudæis, tamen Aſſyriis contra Iudæos ſe addiderant.

1. 2. *Sicut turbines ab Africo veniunt, de deſerto venit, de terra horribili, viſio dura nuntiata eſt mihi*] Senſus eſt : Quales Auſtri à deſertis & horridis Iſthmi locis flant ſubitò, talis res eſt quæ mihi per viſum revelata eſt.

2. *Qui incredulus eſt, infideliter agit; & qui depopulator eſt, vaſtat*] Rectè verteris : *Perfidus perfidum, populator populatorem*, ſupple *opprimet*. Nempe Medus Aſſyrium, quo tempore etiam Babylon à Medis capta eſt. Vide ſuprà XIII. 17. & quæ ibi dicta.

Aſcende Elam] Elymæi Medis contigui, Strabo libro XVI.

Omnem gemitum ejus ceſſare feci] *Gemitum ejus*, nempe perfidi Aſſyrii. Intellige *gemitum ejus* quem ipſe excitabat; ut *vulnere tardus Vlyſſi*, quod Vlyſſes fecerat.

3. *Propterea repleti ſunt lumbi mei dolore*] His verbis uſuros ait illos qui in deſerto ad mare habitabant.

4. *Emarcuit cor meum*]Placet mihi diſtinctio quam hîc ſecutus eſt Latinus interpres. In Hebræo, *Palpitat cor meum præ horrore.*

Tenebræ ſtupefecerunt me] In Hebræo, *Terruit me crepuſculum* : id eſt, illa mutatio bonæ fortunæ Aſſyriorum in adverſam vehementer me percelluit.

Babylon dilecta mea poſita eſt mihi in miraculum] Illud *Babylon* Interpres addidit ad ſenſum non malè.

Pro *dilecta mea* in Hebræo eſt חשקי [*amplexus mei*]. Pro *in miraculum* vox Hebræa habet *in pavorem*.

5. *Pone menſam, contemplare in ſpecula comedentes & bibentes: ſurgite principes, arripite clypeum*] In Hebræo, *Vngite clypeum*. Sic in Plautino Milite:

Curate ut ſplendor meo ſit clypeo clarior
Quàm Solis radii eſſe olim cùm ſudum eſt ſolent,
Vt, ubi uſus veniat contrà conſertâ manu,
Oculorum perſtringat aciem in acie hoſtibus.

Senſus hic eſt: *Dum ponunt menſam* (Babylonii), *dum ſpeculator* (ab illis conſtitutus) *ſpeculatur, dum comedunt* (illi), *dum bibunt, ſurgite Principes* (vos Medi), *& clypeos unctos habete.* Imperativo enuntiat quod futurum videt, ut Babylonii in magno periculo ſecuri, dum ipſi epulantur, viliſſimis hominibus delegato excubandi munere, opprimantur ſubitò.

6. *Vade & pone ſpeculatorem*] Fac quod ipſi facturi ſunt. Pone aliquem amicorum tuorum in ſpecula. Ego faciam ut ea videat quæ agentur, tibique enuntiet.

7. *Et vidit currum duorum equitum, aſcenſorem aſini, & aſcenſorem cameli*] *Vidit currum* (id eſt, currus duos, per ἐναλλαγὴν [*commutationem numeri*] ſatìs familiarem illis gentibus) *& aurigas duos* (in quoque curru: nam alter currum regebat, alter jumenta), *quorum curruum alter mulis* (hîc quoque ſingulare eſt pro plurali, & *aſini* dicuntur pro *mulis*), *alter camelis vectabatur.* Elymæi, ut & Perſæ, mulis utebantur; Medi, ut Bactris propiores, camelis. Per *duos* ergò illos *currus* intellexit ſpeculator ab Eſaia poſitus quæ gentes expugnaturæ eſſent Babylonem.

8. *Et clamavit leo*] Legerunt Græci אוריה, id eſt, *Vrias* ille nominatus ſuprà VIII.2. Quis enim dignior in ſpecula collocari quàm Sacerdos?

9. *Ecce iſte venit aſcenſor vir bigæ equitum*] *Venit currus* (unus & alter) *& ſingulis duo inſeſſores.*

Cecidit, cecidit Babylon] Planè cecidit. Eadem verba de Roma uſurpat Iohannes in Apocalypſi XIV. 8.

10. *Tritura mea, & filii areæ meæ*] Hæc referenda ad Babylonem, quæ Medo ſit futura ut id quod in area à bubus calcatur.

Quæ audivi à Domino exercituum Deo Iſrael, annuntiavi vobis] Hucuſque verba Vriæ renuntiantis Eſaiæ quæ de ſpecula Deo procurante viderat.

11. *Onus Duma*] *Triſtis Prophetia contra Iſmaëlis poſteros.*

Ad me clamat ex Seir] Quidam ex Idumæis illis ad mare habitantibus ad me clamat, ait Duma.

Cuſtos quid de nocte] Miles quid ità de nocte advenis? milites honorifico vocabulo appellantur *cuſtodes terræ.*

12. *Dixit cuſtos: venit manè & nox*] Id eſt, floruit Babylon, ſed cecidit.

Si quæritis, quærite] Fruſtra eam quæretis.

Convertimini, venite] Id eſt, venite quamprimum ad nos tuendos qui periculo propiores ſumus. *Convertimini*: id eſt, vertite vos ad nos.

13. *Onus in Arabia*] *Triſte vaticinium contra Arabas Cedarenos.*

In ſaltu ad veſperam dormietis: in ſemitis Dedanim] Meliùs vertas: *An ità quieſcetis in ſaltu Arabum, viiſque Dedanim?* De *Dedan* vide XXV. 3. An nunc tempus eſt otiandi?

Occurrentes ſitienti ferte aquam] Tempus erat jam refovendi Aſſyrios federatos veſtros.

Qui habitatis terram Auſtri] Meliùs: *ô incolæ Themæ.* Vide Geneſ. XXV. 15.

Cum panibus occurrite fugienti] Aſſyrio.

15. *De facie enim gladiorum fugerunt*] Medis inſequentibus.

16. *Hæc dicit Dominus ad me*] Hoc quod dicam, mihi Deus ipſe patefecit.

Adhuc in uno anno, quaſi in anno mercenarii] Vide ſuprà XVI. in fine.

Et auferetur omnis gloria Cedar] Cedræorum ſive Scenitarum Arabum, qui ab Iſmaële nati, Geneſ. XXV. 13. cum poſteris Cethuræ in unam gentem coaluerant. Videtur autem hoc malum Arabibus iſtis illatum per Æthiopas.

CAPVT XXII.

1. *Onus vallis viſionis*] Id eſt, Admonitio ad civitatem Hieroſolymorum, quæ urbs in valle eſt poſita, & eo tempore Prophetarum viſis illuſtrabatur, quod cùm maximum eſſet Dei beneficium, à multis parvi fiebat.

Quidnam quoque tibi eſt] Cùm hæc pronuntiavit & ſcripſit Eſaias, nondum Eliacim erat Magiſter domûs dominicæ, ſive κυροπαλάτης [*Curator palatii*], quam dignitatem, ſecundùm ea quæ hîc vaticinatur Eſaias, poſtea accepit, eámque geſſit cùm Sennacheribus venit ad Vrbem, II Reg. XVIII. 18. 37. Quare hæc viſa dictáque ſunt cùm Salmanaſar Samariam cepiſſet, & Sobna, tunc adhuc Magiſter domûs dominicæ, homo impius, & ex Achazi diſciplina, Deo Prophetíſque diffiſus, deditionem faciendam Salmanaſari cenſeret, multóſque haberet ejus ſocordiæ ſocios. Vide ſuprà VIII. 12.

Quia aſcendiſti & tu omnis in tecta] Quaſi jam ad muros eſſet hoſtis.

2. *Clamoris plena*] Ob metum & conſternationem.

Interfecti tui non interfecti gladio, nec mortui in bello] Metu ſolo exanimantur.

3. *Cuncti principes tui fugerunt ſimul*] *Fugiunt*, id eſt, transfugium adornant.

Duréque] In Hebræo, *ab arcu*: quod connectendum cum illo *fugerunt. Ab arcu*: id eſt, metu ſagittariorum, qui plurimi in exercitu Aſſyrio.

Ligati ſunt] Id eſt, conjurarunt inter ſe ut fugam caperent. Idem ſignificant verba ſequentia. Vide ſimile VIII. 12.

Omnes qui inventi ſunt] Supple, *in te. Omnes*, id eſt, principum plurimi.

Fugerunt] Fugam parant, ut ſuprà.

4. *Propterea dixi*] Hîc reſpondet Prophetæ civitas Hieroſolyma. Illud autem *propterea* referendum eſt ad id quod ſequetur, *Super vaſtitate filiæ populi mei.*

Super vaſtitate filiæ populi mei] Quia Decem tribus, quæ ejuſdem mecum ſunt ſanguinis, ita ſævè tractantur, cædibus, vaſtatione, exſilio.

5. *Dies enim interfectionis & conculcationis*] Nempe Iſraëlitis.

Et fletuum Domino exercituum in valle viſionis] Mihi autem, pergit dicere Hieroſolyma, materia hæc eſt cum fletu clamandi ad Deum.

Scrutans murum, & magnificans ſuper montem] In Hebræo, *Suffoſſor parietis, & clamor ſuper montem:* nempe Samariæ, I Reg. XVI. 24.

6. *Et Ælam ſumſit pharetram*] Elymæi, qui tunc adhuc Aſſyriis parebant: nam ſeceſſio poſtea facta eſt. In Elymaïde plurimos fuiſſe ſagittarios dicit Strabo. Vide & Ierem. XLIX. 35.

Et parietem nudavit clypeus] In Hebræo, *Et Kir eduxit clypeum:* id eſt, Medus Aſſyriorum ſubditus eo tempore. Vide II Regum XVI. 9.

7. *Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum*] Hîc Propheta ſermonem reſumit, & ea quæ aliquando per Sennacheribum eventura erant prænuntiat. Etiam *tuæ valles*, id eſt, loca ſuburbana, implebuntur copiis gentis ejuſdem.

In porta] Id eſt, ad portam.

8. *Et revelabitur operimentum Iudæ*] Id eſt, munimenta circumſita Vrbi rapientur.

Et videbis in die illa armamentarium domûs ſaltûs] Omnia quæ humanitus provideri poſſunt pulchrè perſpicies, ſed fruſtra, quamdiu Deum non habebis propitium. Armamentarium hoc neceſſe eſt in Vrbe fuerit, ſed nomen habet ab eo armamentario quod in Libani ſaltu Solomon ſtruxerat, I Regum VII. 1. quia ejus in locum ſucceſſerat. Vide II Paralipomen. XXXII. 5.

9. *Et ſciſſuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ ſunt*] Sarcietis mœnium hiantia, quæ non pauca erunt per ſuperiorum temporum incuriam. Vide dictum locum Paralipomenon.

Et congregaſtis aquas piſcinæ inferioris] Id eſt, aquas illas in Vrbem ducetis, ne hoſtis eis utatur. Nam duo erant extra Vrbem lacus, quos *piſcinas* Hebræi vocant, II Reg. XVIII. 17. ſuprà VII. 3. Eſt hujus derivationis mentio II Paralipom. XXXII. 3. & Nehemiæ III. 16.

10. *Et domos Ieruſalem numeraſtis*] Ad certum numerum domos ſorte legetis, unde ſumatis materiam ad turres faciendas. Vide dictum locum Paralipomenon.

11. *Et lacum feciſtis inter duos muros ad aquam piſcinæ veteris*] Inter duos muros foſſam facietis, in quam deducetis aquam è piſcina vetere, ſive ſuperiore. Vide II Paralipom. XXXII. 30. II Regum XX. 20.

Et non ſuſpexiſtis ad eum qui fecerat eam] Nempe urbem Hieroſolyma, cujus poſſeſſionem Deus dedit Davidi, ſimúlque omnia quæ ad urbem augendam tuendámque erant neceſſaria.

Et operatorem ejus de longè] Eum qui pridem urbis ejus condendæ auctor fuit.

Non vidiſtis] Non curabitis.

12. *Et vocabit Dominus Deus exercituum illâ die ad fletum*] Id eſt, *cùm Deus vos ad fletum vocaturus eſt*, &c.

Ad calvitium] Id in luctu funebri erat vetitum, non in publico malo, Mich. I. 16.

13. *Et ecce gaudium & lætitia*] Vos interim non deſinetis convivia, tanquam in rebus lætis, agitare.

Comedamus & bibamus: cras enim moriemur] Id eſt, *fortè moriemur*. Sic Horatius:

Quid ſit futurum cras fuge quærere, &
Quem ſors dierum cunque dabit lucro
Appone.

Item:

Carpe diem, quàm minimùm credulè poſtero.

Et alibi:

——— *ille potens ſui*
Lætúſque deget, cui licet in diem
Dixiſſe, Vixi; cras vel atrâ
Nube polum, Pater, occupato,
Vel ſole puro.

14. *Si dimittetur*] Ἀποσιώπησις [*Subticentia*]. Nè habeat Deus, ſi id condono.

Donec moriamini] Per totam vitam eos qui hæc fecerunt pœnæ ſequentur. Ad mortem ſecundam refert Chaldæus Paraphraſtes.

15. *Vade, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo*] Meliùs: *Qui pecunias tractat.*

Præpoſitum templi] In Hebræo: *domûs*, non divinæ, ſed regiæ, ut apparet infrà 21. 22.

16. *Quid tu hîc?*] Quid tibi hîc negotii eſt? Videtur fuiſſe externus, ut Doeg. Conſidera oppoſitum in Eliakimo 21. 23.

Aut quaſi quis hîc?] In Hebræo: *aut quis tibi hîc?* ſupple, *cognatus eſt.*

Quia excidiſti tibi hîc ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoriale diligenter] Viri magni ſolebant ſibi heredibuſque ſuis monumenta egregia ſtruere: id iſte homo divitiis inflatus imitabatur.

17. *Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus*] In Hebræo, *Dominus te projiciendo projiciet, ô vir potens:* id eſt, efficiet ut longè extra Vrbem habites. Senſus eſt, leproſum fore, quod & ſequentia explicant.

Et quaſi amictum ſic ſublevabit te] *Et obtegendo obteget te.* Nempe myſtacem tuum, ex lege de leproſis Levit. XIII. 45. ubi idem verbum quod hîc עטה [*obtegere*].

18. *Coronans coronabit te tribulatione*] In Hebræo, *Convolvendo convolvet te involucris:* idem quod *obteget.*

Et quaſi pilam mittet te in terram latam & ſpatioſam] Longè extra Vrbem, ut pilæ mitti ſolent. Idem quod *projiciendo projiciet.*

Ibi morieris] Id eſt, eris par mortuo, quod de leproſis dici ſolet, Num. XII. 12. Ioſephus de iis, νεκροῦ μηδὲν διαφέροντας [*à mortuo nîl diſcrepantes*]. Nam Sobna non mortuus fuit ex lepra, ſed ab ea ſanatus in Vrbem rediit, non quidem recuperatâ illâ eximiâ dignitate κουροπαλάτου [*Curatoris palatii*], quam interim, ut hîc prædicit Eſaias, Eliacim vir optimus acceperat, ſed tamen admotus ob ætatem & experientiam Conſilio regio, quod apparet II Regum XVIII. 18. 26. 37.

Et ibi erit currus gloriæ tuæ, ignominia domûs domini tui] Vbi eris relegatus ab Vrbe, vehere quantum lubet curru tuo magnifico, quem tibi paraſti, cedet id dedecori Achazo, qui te hominem nullius fidei in ſummo loco poſuit.

19. *Et expellam te de ſtatione tua*] Nempe per occaſionem lepræ.

20. *Eliacim filium Elciæ*] Planiſſimum eſt hunc eum eſſe qui erat κυροπαλάτης [*Curator palatii*] tempore Rabſacis. Vide dictum locum II Regum.

21. *Et induam illum tunicâ tuâ, & cingulo tuo confortabo eum*] Habebant enim ſummi procerum veſtes & cinctus eximios.

Et erit quaſi pater habitantibus Ieruſalem & domui Iuda] Optimè voce *patris* expreſſit boni Magiſtratus officium.

22. *Et dabo clavem domûs David ſuper humerum ejus*] Clavis figuram intextam epomidi, unde functio ejus noſceretur.

Et aperiet, & non erit qui claudat; & claudet, & non erit qui aperiat] Id eſt, ſumma cum omnium approbatione fungetur ſuo munere, nemine contradicente. Myſticus ſenſus in Euangelio Matth. XVI. 19.

23. *Et figam illum paxillum in loco fideli*] Ponam illum in ſtatu eximio, θαυμαστῷ [*admirabili*], ut נאמן vertitur Deuter. XXVIII. 59. Confer quod infrà 25.

Et erit in ſolium gloriæ] Meliùs vertas, *Et erit honori ſolio:* id eſt, Regi.

Domui patris ſui] Subaudi *&*: ut Regi honori erit, ſic & domui Iudæ, unde ortus eſt: ut ſuprà 21.

24. *Et ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domûs patris ejus*] Ab ipſo pendebunt omnes dignitates aulicæ domûs Iudæ: redit enim ad ſimilitudinem paxilli.

Vaſorum diverſa genera, omne vas parvulum, & vaſis craterarum, uſque ad omne vas muſicorum] Pro *vaſorum diverſa genera* eſt in Hebræo הצאצאים והצפעות [*exituum & excrementorum*], quod nonnulli *filios & nepotes* vertunt. Sed continuatio translationis magìs facit credibile eſſe hæc nomina clavium, quarum altera ad exitum è domo pertinebat, altera πρὸς τὸν ἀφεδρῶνα [*ad latrinam*]. id enim ſonant Hebrææ voces. Porrò per *claves*, ut & per *vaſa*, intelliguntur ipſa aulæ miniſteria, quæ planè futura erant in Eliakimi poteſtate. Pro *vas muſicorum* bene reponas *vas lagenarum*, id eſt, lagenas; ſicut *vas craterum* ſunt crateres: ex crateribus vinum funditur in lagenas.

25. *Auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli*] Eximio: id eſt, Sobna deſtituetur ob lepram.

Et frangetur, & cadet, & peribit quod pependerat in eo] Ipſo remoto, ſimul removebuntur omnes ejus clientelæ. Volunt enim novi Magiſtri aulæ miniſtros per totam aulam habere ſibi obnoxios.

Quia Dominus locutus eſt] Dei hoc eſt decretum.

CAPVT XXIII.

1. O*Nus Tyri*] Nihil hîc de Nabuchodonoſoro, multóque minùs de Alexandro Magno cogitandum. Omnia enim hæc vaticinia inter ſe cohærent, & ad tempora proxima pertinent. Quod præceſſit vaticinium, pronuntiatum eſt Salmanaſaro Vrbem obſidente, continétque & res iſtas, & quæ ſecuta ſunt ſub Sennacheribo. Eodem tempore & revelatum eſt à Deo, & à Propheta prædicatum conſcriptúmque eſt, quod de Tyro nunc ſequitur, impletúmque non multò pòſt. Nam, ut ex Menandro Epheſio diſcimus, & ex Ioſepho libro nono Hiſtoriæ Antiquæ, Rex Aſſyriorum Salmanaſar, ſubactâ Samariâ, quam ſub *Phœnices* nomine comprehendit Menander, (oſtendimus autem ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ apud Græcos ſatìs latè extendi *Phœnicum* nomen) Tyriis bellum intulit, certavit claſſe, fecit ut pretia rerum apud Tyrios multùm incenderentur. Tandem ipſe decedens reliquit cuſtodes ad flumina & aquæductus, qui Tyrios ab aqua omni (haud dubiè, & à commercio) arcerent: idque toleratum Tyriis per annos quinque. His quinque annis ſi duos addas, per quos Rex in illis locis manſit ipſe, habebis ſeptem annos: quem numerum omnino tribus hujus capitis locis reſtituendum cenſeo, ſicut pro ששים [*ſexaginta*] legendum שש [*ſex*] diximus ſuprà VII. 8. Nimirum par utrobique error, ים per librarios malè adjecto, ſive notis ſeptenarii & ſeptuagenarii numeri (quæ olim fortè, ut nunc apud Arabas, uno punctulo adjecto, qui ex ſingulis faceret denos, diſtinguebantur) confuſis.

Vlulate, naves maris] *Tharſis* in Hebræo, id eſt, à Tarteſſo ſive Hiſpania, cui frequens cum Tyro commercium. Græci, πλοῖα Καρχηδόνος [*naves Carthaginis*], poſitâ urbe Africæ non longè diſtante, pro urbe Hiſpaniæ. Vide quæ dicta ad I Regum X. 22.

Quia vaſtata eſt] Id eſt, opibus exuta.

Domus] *Vrbs*, more Hebræo. Sic *Bethel*, *Bethain*, *Bethſemeſch*, & alia.

Vnde venire conſueverant] Imò *introitus:* id eſt, quò invehi naves ſolebant.

De terra Cethim revelatum eſt eis] Cittiæi in Cypro ad imperium Aſſyriorum reducti, ſtatim in Hiſpaniam nuntiaverunt Tyrum Aſſyriorum armis claudi undique.

2. *Tacete qui habitatis in inſula*] Erat quidem Tyri pars in inſula; ſed latiùs ſumere vocem ſatius eſt pro *ora maritima*, ex more Hebræo.

Negotiatores Sidonis transfretantes mare repleverunt te] Veterem urbis fortunam deſcribit, quò triſtior appareat ea quæ erat ventura. Sidonii & ligna à Libano, & vitrum, & veſtes apud ſe factas in ratibus Tyrum deferebant.

3. *In aquis multis ſemen Nili, meſſis fluminis fruges ejus, & facta eſt negotiatio gentium*] Ex Hebræo optimè vertas: *Cujus proventus ſunt ſata Nili aquis multis (terras irrigantis* nimirum *), meſſis flumine* (educata *), quæ es taberna gentium.* Sic Dyrrachium Adriæ taberna. Frumentum Niloticum Tyrus omnibus populis cum lucro ſuo vendebat.

4. *Erubeſce Sidon*] Parens Tyri. Docent Curtius & Iuſtinus. Erubeſce, quòd Tyro proli tuæ opitulari non valueris.

Ait enim mare, fortitudo maris] Meliùs: *Ait enim maris, maris*, inquam, *munimentum.* Ipſam attigit ſignificationem nominis צור [*munimentum*], quod πέτραν ſolent vertere Græci Interpretes, unde Græca vox τύρσις, & Ethruſca *turris.* Fuêre autem mari ità potentes Tyrii, ut indè in proverbium iverint *Tyria maria*, Feſto docente.

Non parturivi, & non peperi, & non enutrivi juvenes, nec ad incrementum perduxi virgines] Hebræi optativum & ſubjunctivum non habent; itaque pro eo utuntur indicativo. Senſus eſt: *Vtinam nunquam mihi fuiſſet ſoboles ulla.* In rerum enim neceſſariarum penuria multitudo aut deficit, aut oneri eſt.

5. *Cùm auditum fuerit in Ægypto, dolebunt cùm audierint de Tyro*] Nempe ob ceſſationem commercii, Ægyptiis non minùs quàm Tyriis utiliſſimi.

6. *Tranſite maria*] In Hebræo, *in Tharſiſch*: id eſt, ite in Tarteſſum. Græci, ἀπέλθατε εἰς Καρχηδόνα [*ite Carthaginem*]. Non dubium eſt quin antequam clauderentur exitus, multi migraverint in loca maritima, quamvis longinqua; ut & ſequentia indicant.

In inſula] Interpretare ut ſuprà 2.

7. *In antiquitate ſua*] Ab Agenoris temporibus.

Ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum] Per *pedes* intellige pedes navium, vela & remos. Latini funes quibus tenduntur vela *pedes* vocant; Plautus nautas ipſos *navales pedes*.

8. *Quis cogitavit hoc ſuper Tyrum?*] *Quis hoc conſtituit?* Ità vertendum oſtendit reſponſio ad interrogatum.

Cujus negotiatores principes] Opulenti non minùs quàm Principes.

Inſtitores ejus] In Hebræo: *mercatores.* Nam כנען pro *mercatore* ſumitur, quia maximus & antiquiſſimus mercatus penes Phœnices. Φοίνικες ἔμποροι [*Phœnices mercatores*], Ælianus IV. 20. Strabo XVI. ἐμπορικοὺς ὡς τοὺς Φοίνικας [*mercaturæ deditos non minùs quàm Phœnices*]. Sophocles:

Ὠνὴν ἔθου καὶ πρᾶσιν ὡς Φοῖνιξ ἀνήρ.
[*Mercem indicas pretiumque ceu Phœnix fores.*]

10. *Tranſi terram tuam*] *In terram tuam*: id eſt, in aliquam coloniarum tuarum.

Quaſi flumen] Quod à fonte fertur in mare. Sic tu ad Oceanum uſque abi, ſi potes.

Filia maris] In Hebræo: *ad filiam* (id eſt urbem) *Tharſiſch*, id eſt, Tarteſſum.

Non eſt cingulum ultrà tibi] Per *cingulum* intellige munimenta urbi circumpoſita, quæ tunc hoſtis tenebat.

11. *Conturbavit regna*] In Hebræo: *Perterrefecit regna*, nempe exemplo tantæ urbis in tantas reductæ anguſtias.

Dominus mandavit] Id eſt, decretum fecit, ut ſuprà 8. 9.

Adversùs Chanaan] Poteſt aut proprium eſſe nomen, nam Tyrus pars Phœnices; aut commune, ut ſuprà XIX. 18.

Vt contereret fortes ejus] Vires ejus. Eſt hîc in Hebræo, מעוניה, litterâ נ poſitâ more Chaldaïco pro Dageſch, Dageſch autem ipſum fuerat vice ו repetitæ.

12. *Calumniam ſuſtinens*] In Hebræo: *oppreſſa.*

Virgo] Sic dicta ob pulchritudinem.

Filia Sidonis] Vide ſuprà 3.

In Cethim conſurgens transfreta] In Cyprum, ubi Citium urbs, colonia & ipſa Phœnicum. Vide Menandri locum à nobis productum dicto libro III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

13. *Ecce terra Chaldæorum*] In qua urbs Babylon. Vnde Beroſi libri aliis *Chaldaïca*, aliis *Babylonica.*

Talis populus non fuit] Meliùs: *Iſte populus non eſt.* Fuere Chaldæi populus: nunc provincia ſunt Aſſyriorum. Quid ergò mirum ſi iidem Aſſyrii Tyrios vexant?

Aſſur fundavit eam: in captivitatem traduxerunt robuſtos ejus] Ex Hebræo vertas optimè: *Aſſyrius illam* (terram) *replevit hominibus deſerti: erexerunt arces ejus.* Aſſyrius homines σκηνίτας [*Scenitas* ſive *Arabas in tentoriis habitare ſolitos*] eò deduxit: arces quæ ibi apparent condidêre Aſſyrii.

Suffoderunt domos ejus] Imò *excitârunt*. Nam hîc ſignificatus verbi עיר meliùs cum præcedentibus & ſequentibus cohæret.

Poſuerunt eam in ruinam] Id eſt, terram eam ſive gentem fecêre ſibi famulam, aut oppida eorum fecerunt mapalia. Nam *mapalia* vox eſt Punica, ut notant Feſtus & Servius, quæ Hebraïcè ſcribitur, ut hîc, מפלה. *Caſas* interpretatur Feſtus: *caſas in eremo habitantium* Philargyrius.

15. *Septuaginta annis*] *Septem annis*, ut ſuprà diximus. Eadem ſcriptura bis infrà reponenda.

Sicut dies regis unius] Quantum durabit vita Salmanaſaris.

Quaſi canticum meretricis] Quaſi canticum quod canitur meretrici quæ diu abſuit. Canticum autem eſt id quod ſequitur.

16. *Sume citharam*] Salluſtius: *Pſallere, ſaltare elegantiùs quàm neceſſe eſt probæ.* Tales fidicinæ in comœdiis.

Vt memoria tui ſit] Vt norint omnes te & vivere & adeſſe.

17. *Ad mercedes ſuas*] Ad lucra ſua.

Et rurſum fornicabitur cum univerſis regnis terræ ſuper faciem terræ] Non ſignificatur hîc εἰδωλολατρεία [*idolorum cultus*], ut alibi; ſed quia meretricis ſimilitudinem ſumſerat, indè ſumit tranſlationem, nihílque vult dicere aliud quàm *quæſtum undique faciet*, ut ſolent meretrices. Tyrii purpuras vendebant omnibus Regibus.

18. *Et erunt negotiationes ejus & mercedes ejus ſanctificatæ Domino*] Quæſtus ejus fiet peculium Dei, id eſt, cultorum Dei Hebræorum.

Non condentur, neque reponentur] Non multum indè in arcas reponent. Tyrii & quærere amabant, & quæſita prodigere.

Quia his qui habitaverint coram Domino erit negotiatio ejus] Quæſtus illius pecuniæ ad Hebræos Tyriis vicinos perveniet.

Vt manducent in ſaturitatem] Nempe illi Tyrii magna convivia celebrabunt: ideóque pecuniam impendent in frumentum & vinum, & carnes pecudum emendas, quibus abundat Iudæa.

Et in operimentum vetus] Ex Hebræo optimè vertas *denſum*: id eſt, lanam optimam, qualem itidem Iudæa ſubminiſtrabat.

CAPVT XXIV.

1. Ecce *Dominus diſſipabit terram*] Solent Prophetæ eadem quæ antè dixerunt repetere ſub aliis verbis ac figuris, quò magìs res futuras imprimant animo. Pertinet autem hoc vaticinium ad devaſtationem terræ Decem tribuum factam per

Salmanaſarem ; ut maximè apparet verſu 10. & ad liberationem Hieroſolymorum à Sennacheribo, fine capitis.

2. *Et erit ſicut populus , ſic ſacerdos*] Sacerdotes intellige illos ab Ieroboamo inſtitutos 1 Regum XII. 31.

Sicut fenerator, ſic is qui mutuum accepit] Id eſt, *ſenori.* Nam & illa lex Moſis quæ fenus vetat, à Decem tribubus ſperni cœperat, ut multæ aliæ, infrà 5.

4. *Defluxit terra*] Id eſt , *deſolata eſt :* ut hîc Chaldæus.

Defluxit orbis] Fuerat enim terra illa velut *orbis* quidam proprius , ſecretus ab inſtitutis aliarum gentium.

5. *Infecta eſt ab habitatoribus ſuis*] *Contaminata peccatis*, ut hîc idem Chaldæus.

Diſſipaverunt fedus ſempiternum] Quod illi ſemper ſervare debuerant quamdiu Deus id ſervari vellet. Vide quæ ad IV. librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

6. *Et peccabunt habitatores ejus*] Peccata luent.

9. *Amara erit potio bibentibus illam*] Vinum illis non ſapiet præ mœrore.

10. *Attrita eſt civitas vanitatis*] Aliis nominibus idem ſignificantibus expreſſit eam urbem quæ Iudæis vocabatur בית און [*urbs vanitatis*], Iſraëlitis autem בית אל [*Bethel*].

11. *Clamor erit ſuper vino in plateis*] *Super vinum :* id eſt, major clamor quàm eſſe ebriorum ſolet.

13. *Quomodo ſi paucæ olivæ quæ remanſerunt excutiantur ab olea, & racemi cùm fuerit finita vindemia*] Hoc ideo, quia multos de Decem tribubus jam antè transtulerat Theglathphalaſar, II Reg. XV. 29.

14. *Hi levabunt vocem ſuam*] Hi quibuſcum ego vivo, Iudæ & Benjaminis populus.

Hinnient de mari] Canent triumphum Iudæi etiam qui Ioppen , aliàque loca maritima habitant, quòd malum illud à Salmanaſare ipſi evaſerint.

15. *In doctrinis glorificate Dominum*] *In vallibus.* Nam & ſic accipi hanc vocem notant Hebræi, & is ſenſus loco convenit.

16. *Et dixi, Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi*] Altera verſio videtur loco meliùs convenire: *Macies mihi, macies mihi.* Erit quidem magna cauſa gaudendi, ſed non diuturna. Nam peccata Iudęorum tanta ſunt, ut & ipſa attractura ſint magnas clades.

17. *Qui fugerit à voce formidinis cadet in foveam*]

Incidet in Scyllam cupiens vitare Charybdim.

Quia catarractæ de excelſis apertæ ſunt] Quaſi in diluvio Geneſ. VII. 11.

19. *Confractione confringetur terra*] Terra Duarum tribuum , & ipſa miſerè vaſtabitur.

20. *Agitatione agitabitur terra ſicut ebrius*] Neſcient homines quò eundum ſit.

Et auferetur quaſi tabernaculum unius noctis] Sic auferentur oppida, ſicut tabernacula, ubi manè iter faciendum eſt, tolli ſolent.

Et non adjiciet ut reſurgat] Multa oppida à Sennacheribo deſtructa in ruinis ſuis manebunt. Vide ſuprà X. 9. 28. 29.

21. *In die illa viſitabit Dominus ſuper militiam cœli in excelſo*] Animadvertet in illas imagines aſtrorum, quas in collibus venerantur Aſſyrii. Nam & in caſtris tales habebant imagines, quæ omnes cum ipſis Aſſyriis concidêre.

Et ſuper reges terræ qui ſunt ſuper terram] Reges intellige, tum ſummum Regem Sennacheribum, tum Principes ejus. Sic enim vocem מלך [*Regis*] ſumi ſæpe oſtendimus. Vide & ſuprà X. 9.

22. *Et congregabuntur in congregatione unius faſcis in lacum*] Sicut ſolent res inutiles ſimul collectæ dejici, ſic illi Aſſyrii Principes dejicientur.

Et claudentur ibi in carcere] Non poterunt è caſtris ſuis exire , non magìs quàm qui in carcere vincti ſunt.

23: *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol*] Hæc LXX cùm putarent malè ſonatura apud Platonicos, quales erant Ægyptii Reges, pro חפרה [*erubeſcet*] legerunt הפרסה [*frangetur*]; pro לבנה [*Luna*], mutatis tantùm punctis, לבנה, quod eſt *later* ; pro חמה [*Sol*], mutato Patach in Holem, חמה quod eſt *murus.* Itaque verterunt τακήσεται ἡ πλίνθος καὶ πεσεῖται τὸ τεῖχος [*contabeſcet later & corruet murus*], ſenſu non malo. Retinenda tamen lectio recepta : & per *Solem* & *Lunam* intelligendæ imagines Solis & Lunæ, quæ per tranſlationem dicuntur *erubituræ*, quòd ſuos cultores ſervare nequiverint.

Cùm regnaverit Dominus exercituum in monte Sion] Cùm in liberanda urbe Hieroſolymorum vim ſuam oſtenderit.

Et in conſpectu ſenum ſuorum fuerit glorificatus] Omnes Senatores Synedrii cum magnificentiſſimis veſtibus in Templum venient ad Deum laudandum.

CAPUT XXV.

1. *Domine Deus*] Et hoc caput & ſequens laudationem Dei continent, velut canendam, ubi ea quæ modò dixit evenerint.

Cogitationes antiquas fideles Amen] Rectiùs : *Conſilia tua pridem* (ſupple *prædicta*) *jam vera ac firma* apparent.

2. *Poſuiſti civitatem in tumulum*] Samariam.

Domum alienorum] Supple *deorum*, 1 Reg. XVI. 32.

3. *Populus fortis*] Conſtans in religione, nempe Hieroſolymitæ.

Civitas gentium robuſtarum timebit te] Enallage, id eſt, civitates vicinæ exemplo hoc terrebuntur.

4. *Factus es fortitudo pauperi*] Hieroſolymis gravi obſidione preſſis.

Spiritus enim robuſtorum] Ira Aſſyriorum. ſic & mox 5.

Quaſi turbo impellens parietem] Turbinis modo muros noſtros quatiebat.

6. *Convivium pinguium*] Vindicta Dei ſæpe à Prophetis convivio comparatur ; quia & conſumit hoſtes , ut cibi conſumuntur , & Deo gaudium parit.

Vindemiæ defecatæ] Ex vino optimo.

7. *Et præcipitabit in monte iſto faciem vinculi colligati ſuper omnes populos, & telam quam orditus eſt ſuper omnes nationes*] Rectiùs ſic: *Præcipitabit Dominus in monte iſto* (id eſt, apud hanc urbem) *faciem involucri quod involutum eſt ſuper omnes populos, & operimen-*

operimentum quod oppanſum eſt omnibus gentibus. Involucri & *operimenti* nomine notat terrorem illum ab Aſſyrio, qui populos omnes velut excæcaverat.

8. *Præcipitabit mortem*] Id eſt, pericula mortis.

In ſempiternum] Id eſt, donec vivet Ezechias.

Et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie] Eorum ſcilicet qui obſeſſi fuerunt.

10. *Et triturabitur Moab ſub eo, ſicut teruntur paleæ in plauſtro*] Hieronymus: *Hoc juxta ritum loquitur Palæſtinæ & multarum Orientis provinciarum, quæ ob pratorum & fœni penuriam paleas præparant eſui animantium. Sunt autem carpenta ferrata rotis in ſarracorum modum revolventibus, quæ ſtipulam conterunt & comminuunt in paleas.* Quando hoc evenerit vide ſuprà XI. 14.

11. *Et extendet manus ſuas ſub eo, ſicut extendit natans ad natandum*] Preſſus hoc onere Moabita, omnia tentabit ut evadat, quomodo illi ſolent qui è naufragio cupiunt enatare, ſed fruſtra.

CAPVT XXVI.

1. IN *die illa cantabitur*] *Cantetur.* Ideo enim id compoſui.

Vrbs fortitudinis noſtræ Sion ſalvator, ponetur in ea murus & antemurale] Non eſt *Sion* in Hebræo, ſed gloſſematis vice additum. Rectè verteris, *Vrbs nobis eſt firma. Salus* (ipſa, id eſt, Deus) *poſuit muros & antemurale ejus.* Ideo invicta nobis urbs eſt, quia optimo omine, Deo ipſo jubente, eſt condita. Senſu ſublimiore rectè referes ad civitatem cœleſtem, cujus conditor Ieſus ישוע.

2. *Aperite portas, & ingrediatur gens juſtorum, cuſtodiens veritatem*] Illi Iudæi, qui ex cæteris oppidis agriſque in loca longinqua profugere, quàm religionem mutare maluerunt.

3. *Vetus error abiit*] Vox יצר *figmentum* quidem ſive *opus fictile* ſignificat, ſed apud Hebræos poni ſolet pro *cogitatione.* Itaque optimè vertamus, *Cogitationi ſuffultæ* (ſupple, *tui fiduciâ, ô Deus*) *præſtabis res proſperas: res proſperas*, inquam, *quia tibi confiſa eſt.*

4. *Speraſtis in Domino in ſeculis æternis*] *Fidite Domino indeſinenter.*

5. *Quia incurvabit*] *Incurvavit.* Factum eſt enim hoc canticum, ut tunc caneretur cùm res geſta eſſet.

Civitatem ſublimem] Niniven.

Humiliabit] *Humiliavit:* gloriam ei abſtulit.

6. *Conculcabit eam pes, pedes pauperis, greſſus egenorum*] Contemnent Aſſyrios Hieroſolymitæ, pro perditis habiti.

7. *Semita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum*] Senſus eſt, Semitam juſti eſſe æquabilem: à Deo enim vias ejus complanari. Eſt enim apoſtrophe ad Deum.

8. *In ſemita judiciorum tuorum*] Tuæ legi ſemper obſequentes.

Suſtinuimus te] *Exſpectavimus.*

10. *Miſereamur impio, & non diſcet juſtitiam: in terra ſanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini*] In Hebræo, *Si gratia fiat impio, non* (tamen) *diſcet juſtitiam:* nam *in ipſa terra rectitudinum* (id eſt, Iudæa) *iniquè agit, neque conſiderat Dei ſublimitatem:* id eſt, potentiam ſuper omnes mortales.

11. *Domine exaltetur manus tua, & non videant: videant & confundantur zelantes populi tui, & ignis hoſtes tuos devoret*] Vertas optimè, *Domine ita excelſa manus tua, ut eam non videant qui invident populo tuo; ſed ubi videbunt, pudefient: imò ignis devorabit hoſtes tuos. Ignis*, id eſt, mors ſubita, quaſi ex incendio: ſuprà IX. 5.

12. *Domine dabis pacem nobis*] Da nobis res proſperas.

Omnia enim opera noſtra operatus es nobis] Id eſt, quicquid nobis evênit boni malìve te curante evênit.

13. *Domine Deus noſter, poſſederunt nos domini abſque te*] Vt maximè alii domini nos opprimant.

Tantùm in te] Scilicet *ſpes noſtra erit.*

14. *Mortui non vivent*] Non oppriment nos ultrà iſti.

Gigantes non reſurgent] Id eſt, tyranni iſti non redibunt ad nos vexandos.

Propterea viſitaſti] Quia animadvertiſti in eos.

15. *Indulſiſti genti, Domine, indulſiſti genti*] *Addidiſti genti, Domine, addidiſti genti.* nempe multis qui profugerant reſtitutis, auxiſti civitatem Hieroſolymitanam. Græci de malis additis genti Aſſyriæ intellexêre.

Numquid glorificatus es?] In Hebræo: *Gloriam tibi acquiſiviſti.* At Græci legerunt non נכברת [*gloriam acquiſiviſti*], ſed נכברים ἐνδόξοις [*illuſtribus*].

Elongaſti omnes terminos terræ] Antè compreſſi eramus in omnem urbem, nunc paulatim extendimur in agros & oppida deſerta.

16. *Domine in anguſtia requiſierunt te*] Iudæi.

In tribulatione murmuris doctrinæ tuæ eis] Ex Hebræo: *Effuderunt ſubmiſſas preces, te eos inſtigante.*

17. *Sic facti ſumus à facie tua Domine*] Te diſponente cauſas.

18. *Et peperimus ſpiritum*] *Ventum peperimus:* ut aves quæ edunt ὠὰ ὑπηνέμια [*ova ſubventanea*].

> Πλήθουσι γάρ τοι καὶ ἀνέμων διέξοδοι
> Θήλειαν ὄρνιν, πλὴν ὅταν τόκος παρῇ.
> [*Implere namque feminam ſolet alitem*
> *Ventus, niſi cùm partus ipſe advenerit.*]

Plinius x. 58. *Pariunt ova irrita ex quibus nihil gignitur, quæ Hypenemia Græci vocant.*

Salutes non fecimus in terra: ideo non ceciderunt habitatores terræ] In Hebræo non eſt *in terra* ſed *terram*, neque eſt *ideo non* ſed *nec.* Senſus: *Non potuimus ſervare terram noſtram* (extra urbem), *neque ceciderunt qui habitant orbem.* Id eſt, latiſſimè potentes Aſſyrii non proſtrati ſunt abs te, ut olim Ægyptii, Madianitæ, & alii. Hæc ſunt querelæ Iudæorum cùm adhuc obſiderentur, quibus Deus jam reſpondet.

19. *Vivent mortui tui*] Id eſt, qui in ſummis periculis mortis verſabantur, more loquendi Hebræo. Myſticè tamen Hebræi ad reſurrectionem hoc referunt.

Interfecti mei reſurgent] In Hebræo: *Cadaver meum reſurget.* Id eſt, civitas mea pro cadavere habita florebit iterum.

Qui habitatis in pulvere] Id eſt, qui projecti jacetis, ut Pſal. VII. 6. XXII. 16. & alibi.

Quia ros lucis ros tuus] Semen tuum fœcundum erit ut ros auroræ. Vide Pſal. cx. 3.

Terram gigantum] Tyrannorum, ut ſuprà.

20. *Intra in cubicula tua*] Tenete vos omnes intra urbem.

Claude oſtia tua ſuper te] Portas tantùm clauſas tenete.

Abſcondere modicum ad momentum] Contine te intra iſtas latebras.

Donec pertranſeat indignatio] Donec Aſſyrii furor omnes impetus ſuos in te effuderit.

21. *Dominus egredietur de loco ſuo*] De cœlo. Mos loquendi Scripturæ ad exprimenda Dei judicia.

Vt viſitet iniquitatem habitatoris terræ] Latè habitantis, ut ſuprà 18.

Et revelabit terra ſanguinem ſuum] Non poterit terra abſorbere ſanguinem, tam multus erit.

Et non operiet ultrà interfectos ſuos] Nemo erit qui humo eos mandet.

CAPVT XXVII.

1. IN *die illa*] Continuatio prioris Cantici.

Super Leviathan] Nam, ut ait Varro,

> *Qui potis plùs, urget; piſces ut ſæpe minutos*
> *Magnus comeſt.*

Ideo ii Reges qui minutiores Principes opprimunt, in ſacris litteris Cete vocantur.

Serpentem vectem] Hebræi vocem נחש & תנין tam de piſcibus quàm de ſerpentibus uſurpant. *Vectem*, id eſt, validum.

Serpentem tortuoſum] Deceptorem.

Qui in mari eſt] In magno Imperio. Nam aquæ, populi.

2. *In die illa vinea meri cantabit ei*] *In die illa vineæ rubentis vini* (id eſt optimi, Geneſ. XLIX. 12. Prov. XXIII. 31.) *accinite:* hæc quæ ſequuntur ex Dei perſona. Civitatem Hieroſolymitanam vocat *vineam optimi vini*, quòd fructus egregiæ fidei in Deum & patientiæ protuliſſet.

3. *Repente propinabo ei*] In Hebræo, *In tempore rigabo eam:* id eſt, diligenter curabo vineam iſtam.

Nè fortè viſitetur contra eam] *Nè viſitet eam*, nempe *hoſtis;* id eſt, fractâ ſepe irrumpat. Eſt enim in voce *viſitandi* λιτότης [*Extenuatio*], ut in voce *videndi* II Regum XIV. 8.

4. *Indignatio non eſt mihi*] Non poſſum iraſci vineæ meæ.

Quis dabit me ſpinam & veprem in prælio] Iræ meæ materia ſunt, non vineæ, ſed ſpinæ & vepres. Vide ſuprà X. 17.

Gradiar ſuper eam, ſuccendam eam pariter] Non conculcabo tantùm iſta damnoſa terræ onera, ſed & incendam. nam in illis locis ex rhamno ignis fieri ſolet, ut notatum alibi.

5. *An potiùs tenebit fortitudinem meam*] In Hebræo, *Aut apprehendet fortitudinem meam:* id eſt, aut ſi iraſcerer vineæ, illa vim meam quaſi devinctam teneret, nempe precibus demiſſiſſimis. Alluſit ad hiſtoriam Geneſ. XXXII. 28.

Faciet pacem mihi, pacem faciet mihi] Quàm celerrimè mecum pacem faceret. clarior explicatio ejus quod præceſſerat.

6. *Qui ingredientur impetu ex Iacob*] In Hebræo: *Venturis* (ſupple *temporibus*) *radices aget Iacob*. Sub Ezechia poſt cladem Sennacheribi populus Iudæus in ſtatu erat firmo.

Florebit & germinabit Iſraël] Multi ex Decem tribubus qui in locis longinquis exſulabant, ipſius regno ſe addent. Suprà XI. 11. 12.

Et implebunt faciem orbis ſemine] *Orbis*, ſui ſcilicet, ut ſuprà XXIV. 4. De *ſemine* vide ſuprà XXVI. 19.

7. *Numquid juxta plagam percutientis ſe percuſſit eum?*] Oſtendit Dei bonitatem erga Iudæos. Caſtigavit quidem eos, inquit, bono ipſorum; ſed an eos ità tractavit ut Sennacheribi exercitum?

Aut ſicut occidit interfectos ejus, ſic occiſus eſt?] In Hebræo: *An ad inſtar occidionem occiſorum illius* (nempe Aſſyrii) *occiſus eſt*, nempe populus Iudaïcus?

8. *In menſura contra menſuram, cùm abjecta fuerit, judicabis eam*] Reſpondet populus, Dei dicta approbans. Verba Hebræa ſic ſonant, *Moderatè relegando caſtigabis eam*, nempe *vineam tuam:* ſicut patres filios minùs obſequentes rus amandant.

Meditatus eſt in ſpiritu ſuo duro per diem æſtûs] In Hebræo: *Aufertur* (eſt enim activum pro paſſivo) *vento violento, tempore Euri*, nempe Aſſyrius. Eſt oppoſitio perpetua caſtigationum populi Iudæi, & pœnarum quas pependit Aſſyrius, velut æſtu ſuffocatus. Vide ſuprà XXVI. 11.

9. *Iccirco ſuper hoc*] Senſus eſt, *Contrà verò.*

Dimittetur iniquitas domui Iacob] Non durabit ejus calamitas.

Et iſte omnis fructus ejus] Omnis felicitas ejus in hoc ſita eſt.

Vt auferatur peccatum ejus] *Vt auferat* (ipſe populus) *peccatum ſuum;* ut ſe bene repurget: quod explicant ſequentia.

Cùm poſuerit omnes lapides altaris ut lapides cineris alliſos] *Vt faciat lapides altaris* (nempe cujuſque altaris extra Templum poſiti) *tanquam lapides in calcem comminutos.* גר hoc loco eſt *calx*, ut גיר apud Danielem V. 5.

Non ſtabunt luci & delubra] *Vt non exſtent luci & πυρεῖα* [*Igniaria*]. De hac voce poſteriori vide quæ dicta ad Levit. XXVI. 30.

10. *Civitas enim munita deſolata erit*] כי hîc eſt *at*. Senſus: *At verò Babylon miſerè vaſtabitur.* Vide ſuprà XIII. & XXI.

Ibi paſcetur vitulus] Vbique nemine impediente vagabitur.

Et ibi accubabit] Securè admodum.

Et conſumet ſummitates ejus] *Ramos*, nempe hortorum, qui pulcherrimi in urbe Babylone.

11. *In ſiccitate meſſes ejus conterentur*] In ipſo æſtatis tempore, cùm ſpes erat fruendi.

Mulieres venientes & docentes eam] *Incendent eam. Mulieres*, id eſt, Medi contemti antea ut molliores. Horum veſtes ἀναξυρίδες, κάνδυς, τιάρα [*feminalia, candys, tiara*]. Vide Plutarchum Alexandro.

Non eſt enim populus ſapiens] Aſſyrius.

12. *Ab alveo fluminis uſque ad torrentem Ægypti*] Medi à Babylone ad ultimos fines qui Ægyptum verſûs ſunt pervadent. *Flumen* κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] in his libris ubique Euphrates.

Et vos congregabimini unus & unus filii Iſraël]

Diſſidia iſta in Imperio Aſſyriorum occaſionem dabunt multis Hebræis tutò, nemine impediente, ad ſuos revertendi. Eſt aliis verbis idem quod ſuprà XI. 15.

13. *Clangetur in tuba magna*] Ità res ſe habebit, quaſi in exercitu canatur receptui.

Et venient qui perditi erant de terra Aſſyriorum] Idem ſenſus qui commate præcedente.

Et qui ejecti erant in terra Ægypti] Nam & eò multi conceſſerant, adventante primùm Salmanaſare, deinde Sennacheribo. Vide ſuprà XI. 11.

Et adorabunt Dominum in monte ſancto in Ieruſalem] Omiſſa ſacra inſtaurabunt.

CAPUT XXVIII.

1. VÆ *coronæ ſuperbiæ, ebriis Ephraim, & flori decidenti*] Finito cantico repetit aliis verbis quæ de malis eventuris populo Decem tribuum jam aliquoties dixerat. Hæc enim omnia à capite XV. ſcripſit initio regni Ezechiæ. Hebræa ſic liceat vertere: *Væ coronæ ſuperbæ, ebrioſorum Ephraïmitarum, flori ſcilicet caduco. Corona* & *flores* idem. Ebrii ſolebant ſibi coronas imponere. Anacreon I.

Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες
Πίνωμεν ἁβρὰ γελῶντες.
[*Foliis roſas decoris*
Caput undique implicati
Ridentes dulcè bibamus.]

Item:

Στεφάνους μὲν κροτάφοισι
Ῥοδίνους συναρμόσαντες
Μεθύομεν ἁβρὰ γελῶντες.
[*Sed in orbem redimiti*
Roſeis caput corollis,
Poti ridemus amicum.]

Oſtendit autem per egregiam ſimilitudinem non diu duraturas iſtas delicias ac faſtum. Tale illud in Græco Epigrammate:

Ἀνθεῖς καὶ λήγεις καὶ σὺ, καὶ ὁ στέφανος.
[*Flores ut ſertum tu quoque, deinde peris.*]

Lxx hoc loco legerunt Schin cum ſiniſtro puncto: vertunt enim οἱ μισθωτοί [*mercenarii*].

Gloriæ exſultationis ejus] In Hebræo, *ornamento gloriæ ejus:* quæ eſt ἐξήγησις [*explicatio*] coronæ. Repetuntur omnia hæc paulò pòſt.

In vertice vallis pinguiſſimæ] *Vallis pinguiſſima* eſt vallis Sichem. Samaria in monte.

4. *Quaſi temporaneum*] Quaſi ficus præcox.

Ante maturitatem autumni] Ante æſtatem.

Statim ut manu tenuerit, devorabit illud] Sic ſtatim Salmanaſar Decem tribus vicit, & ſtatum earum funditus evertit.

5. *Reſiduo populi ſui*] Id eſt, Duabus tribubus quæ ab illo malo immunes fuêre.

6. *Spiritus judicii ſedenti ſuper judicium*] Dabit Deus Ezechiæ juris notitiam.

Et fortitudo revertentibus de bello ad portam] A bello contra Philiſthinos.

7. *Verùm hi quoque præ vino neſcierunt*] Laſcivierunt in rebus proſperis. Tale illud: *fortunâque dulci Ebria.*

Neſcierunt videntem] In Hebræo, *Erraverunt in viſione:* id eſt, ſecuti ſunt falſos prophetas.

8. *Omnes enim menſæ*] Sub figura intelligit tribunalia.

Repleta ſunt vomitu ſordiúmque] Iudiciis corruptis quas & Latini *ſordes* vocant.

9. *Ablactatos à lacte, avulſos ab uberibus*] An infantes Deus docebit? nam adulti præcepta irrident.

10. *Quia manda remanda, manda remanda*] In Hebræo: *Præceptum ad præceptum, præceptum ad præceptum*, illis dedi, id eſt, ſæpiſſime illis inculcavi meas leges.

Exſpecta, reexſpecta: exſpecta, reexſpecta] In Hebræo: קו לקו קו לקו, unde καυλαυκαὺ fecêre Nicolaïtæ & hæretici alii, memorantibus Epiphanio in Nicolaïtis, & ad hunc locum Hieronymo. Significat id *lineam ad lineam, lineam ad lineâm;* ſimilitudine à magiſtris ſumtâ, qui diſcipulorum manus per præſcriptas lineas ducunt.

11. *In loquela enim labii*] Sermone barbaro.

Et linguâ alterâ] Id eſt, exoticâ.

Loquetur ad populum iſtum] Id eſt, barbarorum operâ utetur ad eos caſtigandos. Nam Deo hæc aptavit etiam Aquila, non minùs quàm Paulus 1 Corinth. XIV. 21. ut ex Philocalia Origenis diſcimus.

12. *Hæc eſt requies mea, reficite laſſum*] Hoc meum erit gaudium ſi miſeros & afflictos ſublevetis.

13. *Et erit eis verbum Domini, manda remanda*] Ex Hebræo: *Et factum eſt eis verbum Domini, præceptum ad præceptum.* Id eſt, per illuſoriam μίμησιν [*imitationem verborum*] verba Prophetarum ſubſannant.

Vt vadant & cadant retrorſum, & conterantur, & illaqueentur, & capiantur] Tam diu iſta dicent, donec in malis viis ſuis cadant, & oppreſſi irretitique ab hoſte capiantur: quod multis evenit irrumpente Sennacheribo.

14. *Viri illuſores, qui dominamini ſuper populum meum qui eſt in Ieruſalem*] Intelligit non Vrbem propriè, ſed totam terram, quæ *domus Ieruſalem* dicebatur.

15. *Dixiſtis enim, Percuſſimus fedus cum morte*] *Percutiemus.* Sic & ſequentia ſumenda in futuri ſignificatu. Sperabant ſe blandiendo ſalutem reperturos apud Sennacheribum. Mortem vocat hoſtem mortiferum.

Poſuimus mendacium ſpem noſtram] Simulavimus nos eſſe ejuſdem religionis, cujus ſunt Aſſyrii.

16. *Ecce ego mittam in fundamentis Sion*] In Hebræo: *Fundabo in Sion.*

Lapidem, lapidem probatum] In Hebræo, *Angulum pretii:* id eſt, lapidem qui angulum faciat uſûs maximi. nam angularibus lapidibus maximè innituntur parietes.

In fundamento fundatum] In Hebræo, *Fundamentum fundatum:* id eſt, ſolidiſſimum. Hac autem tralatione ſignificat Deus ſi qui ſalvi eſſe vellent, illis veniendum Hieroſolyma, ut ibi cum aliis purè Deum colant: ibi enim ſe perfugium tutiſſimum conſtituiſſe omnibus.

Qui crediderit, non feſtinet] Eſt hoc ex hodierno Hebræo לא יחיש [*non feſtinabit*]; ſed apparet olim fuiſſe לא יביש. Nam Lxx hic habent, οὐ μὴ καταισχυνθῇ [*non pudefiat*], quomodo & Petrus 1. II. 6. Paulus verò ad Romanos IX. 33. οὐ καταισχυνθήσεται [*non pudefiet*]. Et hæc lectio haud dubiè meliorem ſenſum facit. *Qui crediderit*, id eſt, qui meis promiſſis fiſus à Lege non diſceſſerit. Optimè verò hæc ad Chriſtum in ſenſu ſublimiore referunt Apoſtoli.

17. *Et ponam in pondere judicium, & juſtitiam in menſura*] In Hebræo: *Iudicium lineæ, & juſtitiam ad pondus.* Simile II Reg. XXI. 13. Senſus eſt: in judicando nihil deflectam à lege mea, & promiſſis miniſque ei additis.

Et ſubvertet grando ſpem mendacii, & protectionem aquæ inundabunt] Spem illam protectionis, quam in mendacio poſitam habebatis, evertent procellæ Divinitus immiſſæ.

19. *Quandocunque tranſierit tollet vos*] Quia nominaverant hoc malum *flagellum tranſiens*, oſtendit in ſumma feſtinatione ſatis fore temporis ad illorum perniciem.

Quoniam manè diluculo tranſibit] *Manè, manè*, in Hebræo: valde manè incipiet tranſire.

In die & nocte] Diem & noctem continuabit in tranſitu. Vide ſuprà x. 28.

Et tantummodo ſola vexatio intellectum dabit auditui] In Hebræo, *Et pavori erit vel famam intelligere*: eorum ſcilicet quæ vobis obvenient.

20. *Coanguſtatum eſt enim ſtratum, ità ut alter decidat: & pallium breve utrumque operire non poteſt*] Dei tutela non extendet ſe ad urbem & regionem, ſed ad Vrbem ſolam.

21. *Sicut enim in monte diviſionum ſtabit Dominus*] *In monte Pharaſim.* Hiſtoria eſt II Sam. V. 20. I Paralipom. XIV. 11.

Sicut in valle quæ eſt in Gabaon iraſcetur] Hiſtoria eſt Ioſuæ x. 10. & ſequentibus.

Alienum opus ejus] Quod non ſolet facere. Solet enim Deus protegere Iſraëlitas.

22. *Nolite illudere*] Contemnere has minas.

Nè fortè conſtringantur vincula veſtra] Nè ob id durior fiat captivitas veſtra.

Conſummationem enim & abbreviationem audivi à Domino Deo exercituum ſuper univerſam terram] *Conſummationem præciſam*; ut ſuprà x. 22. id eſt, pauci evadent malum, nempe qui aut ante adventum Salmanaſaris in terras longinquas, aut jam in ipſo ejus adventu Hieroſolyma confugerint.

24. *Numquid totâ die arabit arans ut ſerat, proſcindet & ſarriet humum ſuam?*] Objici poterat, Cur Deus tam variè? Oſtendit igitur, ſimilitudine ſumtâ ab agricultura, Deum optimè noſſe diſcrimen temporum & hominum, & modorum quibus homines quique tractari debeant. Eſt tempus arandi, tempus occandi, tempus ſarriendi.

Nam ſemper occant priùs quàm ſarriunt ruſtici,

ait Plautus.

25. *Nónne cùm adæquaverit faciem ejus*] Vbi complanarit agrum occando & ſarriendo.

Seret gith] *Melanthium* Græcis, ut hîc habent LXX, *nigellam* Latinis ex Græco.

Et ponet triticum per ordinem] In Hebræo: *triticum optimum.*

Et hordeum & milium] In Hebræo, *hordeum ſignatum*: id eſt, ſepoſitum in ſacculum cum nota quadam excellentiæ.

Et viciam in finibus ſuis] Græci ζέαν [*zeam*]. Latinorum alii *far* vertunt, ut Galenus & Halicarnaſſenſis Dionyſius φάρυς, alii *ſpeltam*, quod vocabulum etiam nunc manet in linguis ex Latina corruptis. Vtrumque habet Hieronymus in IV. Ezechielis. *In finibus ſuis*; id eſt, in locis ſuis.

26. *Et erudiet illum in judicio, Deus ſuus docebit illum*] Deus agricolam inſtituit, ac docet quomodo hæc omnia ſuo ordine faciat. Aratus de Iove, id eſt, Deo:

——— λέγει δ᾽ ὅτε βῶλος ἀρίστη
Βουσί τε καὶ μακέλῃσι· λέγει δ᾽ ὅτε δεξιαὶ ὧραι
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.
[——— *quando ſit terra ligoni*
Aptior aut bubus monet, & quo tempore par ſit
Aut ſerere aut ſeptas lymphis aſpergere plantas.]

Si Deus agricolam iſta docet, an ipſe in ſuis rebus non ſervabit ordinem modúmque? Similis argumentatio Pſalm. XCIV. 9.

27. *Non enim in ſerris triturabitur gith*] *Tribulâ* rectiùs verteris, quod hîc minùs propriè *in ſerris*.

Nec rota plauſtri ſuper cyminum circuibit] *Non verſabitur plauſtrum ſuper cyminum*; neque enim par eſſet ferendo.

Sed in virga excutietur gith] *Perticâ excutitur.*

Et cyminum in baculo] Leviore quàm eſt pertica.

28. *Panis autem*] Id eſt, triticum, unde fit panis, ut Eccleſiaſtæ XI. 1.

Comminuetur] Comminui ſolet tribulâ & plauſtro, ut ſequentia indicant.

Verùm non in perpetuum triturans triturabit illum] Id eſt, bene cavet ſibi agricola nè nimis diu trituram faciat, alioqui non ariſtas tantùm & paleas excuſſurus, ſed & grana corrupturus, ut ſequentia indicant.

Neque vexabit eum rota plauſtri] *Nè frangat rota plauſtri illud*, nempe triticum illud.

Nec ungulis ſuis comminuet eum] *Et nè dentes* (nempe tribulæ) *illud minutim diſpergant.*

29. *Et hoc à Domino Deo exercituum exivit*] Etiam hoc judicium de Hebræis pari modo à Deo factum eſt, ſecundum ſapientiam & æquitatem, ut ſequitur.

CAPUT XXIX.

1. VÆ *Ariel, Ariel civitas*] *Væ Arielis Arielis urbi.* *Ariel* erat nomen altaris holocauſtorum, ut apparet Ezech. XLIII. 15. nempe quòd id altare, ut leo, victimas Deo ſacratas conſumeret. *Vrbs Arielis* ergò eſt urbs Hieroſolyma, in qua erat illud altare, magnum Vrbis decus. Et totum hoc vaticinium ad ritus altaris iſtius alludit.

Additus eſt annus ad annum] In Hebræo, *Adjicite annum ad annum*: id eſt, exſpectate biennium. Hæc Prophetia pronuntiata & ſcripta eſt biennio ante obſidionem factam per Sennacheribum. Sæpe enim Deus res eaſdem voluit prædicari, quò magìs appareret ejus providentia.

Solennitates evolutæ ſunt] *Agni jugulabuntur*. Nam חגים dicuntur non dies tantùm feſti, ſed & victimæ, ut Pſalm. CXVIII. 27. Similitudine ab altari ductâ, quam & in ſequentibus perſequitur; ſignificat fore ut multi homines pereant per Sennacheribum.

2. *Et circumvallabo Ariel*] Efficiam ut obſideatur urbs Hieroſolyma.

Et erit mihi quaſi Ariel] In circuitu ejus urbis plurimi jacebunt mortui, ſicut victimæ circùm altare.

3. *Et circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuò*] *Caſtra, ſicut pilam,* (id eſt, rotundata) *tibi circumjiciam.* Pro כדור [*quaſi pila*], Lxx legerunt כדוד, ὡς Δαβίδ [*quaſi David*].

Et jaciam contra te aggerem] *Vallum caſtrenſe*, βαλῶ περὶ σὲ χάρακα [*vallum tibi circumdabo*] Lxx hîc. Eadémque verba Lucas uſurpat in Domini Prophetia de obſidione per Veſpaſianum, xix. 13. Vide quæ ibi diximus.

Et munimenta ponam in obſidionem tuam] *Ponam contra te* מצרת, id eſt, πύργους [*turres*], ut habent Græci. Sed vox ipſa ſignificat omnes machinas πολιορκητικὰς [*oppugnatorias*]*:* in quibus & turres ambulatoriæ, de quibus ait Hirtius bello Alexandrino, Vitruvius x. 19. Vegetius iv. 17.

4. *Humiliaberis, de terra loquêris, & de humo audietur eloquium tuum*] Metu telorum hoſtilium occultabunt ſe cives tui in cryptis & locis ſubterraneis.

Et erit quaſi Pythonis de terra vox tua] Nam Pythonici iſti ſæpe ex antris loquebantur.

Muſſitabit] Vide ſuprà viii. 19.

5. *Et erit ſicut pulvis tenuis multitudo ventilantium te*] Ὅσοι κόνις [*tot quot arenæ*].

Et ſicut favilla pertranſiens multitudo eorum qui contra te prævaluerunt, eritque repente confeſtim] In Hebræo, *Multitudo opprimentium te, ut pluma celeriter in momento tranſvolans.* Hæc ſimilitudo & numerum ingentem ſignificat, ut prior, & numero adjicit celeritatem. Vide ſuprà xxviii. 19.

6. *A Domino exercituum viſitabitur in tonitru & commotione terræ*] Id eſt, ſubitò.

Et flamma ignis devorantis] Suprà ix. 5. xxvi. 11.

7. *Et erit ſicut ſomnium viſionis nocturnæ, multitudo omnium gentium*] Ità ſubitò evaneſcet.

Par levibus ventis, volucríque ſimillima ſomno.

8. *Et ſicut ſomniat eſuriens & comedit, cùm autem fuerit expergefactus, vacua eſt anima ejus*] Id eſt, ipſe. Spes, ſunt vigilantium ſomnia.

9. *Obſtupeſcite & admiramini*] Iudæorum primores alloquitur, qui cuncta ſuâ humanâ prudentiâ metientes, non credebant ea futura quæ prædicebat Eſaias.

Inebriamini, & non vino] In Hebræo eſt mutatio perſonæ: *Ebrii ſunt, & non vino.* Sæpe hoc faciunt Hebræi, ut de iiſdem hominibus, modò in ſecunda, modò in tertia perſona loquantur. Mirantur quæ dico, & non credunt, ideóque nec intelligunt.

10. *Prophetas*] Illos qui non à Deo, ſed à ſemetipſis loquebantur.

11. *Et erit vobis viſio omnium*] Mea de tot ac tantis rebus prædictio vobis erit, ut liber clauſus, aut ut liber apertus, ſed literas neſcienti.

13. *Et timuerunt me mandato hominum & doctrinis*] In Hebræo, *Cultus quo me colunt, eſt præceptum quod homines docent.* Homines, nempe à Deo non inſtituti, qui in nudis ritibus, ſine animi emendatione, cultum Dei collocant. Tales doctores erant falſi illorum temporum prophetæ.

14. *Peribit ſapientia à ſapientibus ejus*] Nihil proficient verſuti illi qui agitant conſilia, ſive de acciendis Ægyptiis, ſive de deditione Aſſyrio facienda.

Intellectus prudentium ejus abſcondetur] Græci in activo, τὴν σύνεσιν τῶν συνετῶν κρύψω [*intellectum intelligentium abſcondam*]. Aliæ interpretationes habuêre ἀθετήσω [*irritum faciam*], quomodo citat Apoſtolus 1 Corinth. i. ix. & Iuſtinus colloquio cum Tryphone.

15. *Vt à Domino abſcondatis conſilium*] Quia homines fallitis, ſperare videmini etiam Deum à vobis falli poſſe.

16. *Cogitet & dicat*] *Cogitet ut dicat.* Eſt προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*] quæ luto ſenſum affingit.

Factori ſuo, Non feciſti me] *De factore ſuo, Non fecit me.*

Non intelligit] *Non intellexit :* nempe quomodo fictile fieri debeat.

17. *Convertetur Libanus in Charmel*] In agros planos, quod ſignificari voce כרמל [*Charmel*] communiter ſumtâ ſæpe dictum eſt. Senſus eſt, Sublimes, quales erant Aſſyrii, dejicientur.

Et Charmel in ſaltum reputabitur] Id eſt, agri plani attollentur in montium ſpeciem. Hebræi afflictiſſimi fient victores.

18. *Et audient in illa die ſurdi verba libri*] Etiam ſtupidiſſimi ex eventu intelligent quid dixerim, & quàm verè dixerim.

19. *Et addent mites in Domino lætitiam*] Cumulatè gaudebunt qui Deo ſe ſubdiderunt.

20. *Quoniam defecit qui prævalebat*] *Vbi defecerit oppreſſor* Sennacheribus.

Et ſucciſi ſunt omnes qui vigilabant ſuper iniquitatem] *Vbi ſucciſi fuerint omnes.* Id eſt, ubi auctoritatem omnem amiſerint malorum conſiliorum auctores.

21. *Qui peccare faciebant homines in verbo*] Qui ob verbum Dei, id eſt, veram Prophetiam, homines ut criminis reos tractabant : nam החטיא [*peccatificare*] etiam hoc ſignificat, ſicut & הרשיע [*impiificare*]:

Et arguentem in porta ſupplantabant] *Inſidias tendebant publicè corripienti peccata :* quod erat officium Prophetarum.

Et declinaverunt fruſtra à juſto] In Hebræo, *Et juſtum* (id eſt, juſtitiam) *corruperunt mendacio :* nempe calumniantes dicta & facta Prophetarum.

22. *Qui redemit Abraham*] Qui eum liberavit à Chaldæis, Ægyptiis, Philiſthinis.

Non modò confundetur Iacob] Id eſt, *jam non pudefiet.* Eſt προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*], quâ mortuus ob oculos ponitur quaſi viveret. *Erubeſcere* dicitur Iacobus, cùm poſteri ejus à Dei obſequio ſe ſubtrahunt; contrà *attollere ſe*, cùm iidem faciunt officium.

23. *Opera manuum mearum*] Quos ego, inquit Deus, mirabiliter ſervavi. Id enim eſt velut creare denuo.

Et ſanctificabunt ſanctum Iacob] Id eſt, *cùm ſanctificabunt.* Eſt enim expoſitio ejus quod præceſſit.

24. *Et ſcient errantes ſpiritu intellectum*] Etiam qui erraverant in veram viam redibunt.

Et muſſitatores diſcent legem] Ipſi Pythonici Legem obſervare diſcent. Vide ſuprà VIII. 19.

CAPVT XXX.

1. VÆ *filii deſertores*] Plerique hæc ad Ieremiæ referunt tempora; malè. Nihil enim neque prædictum eſt, neque prædicetur uſque ad caput XXXVI quod non ſpectet tempora Ezechiæ: atque adeò hæc omnia à capite XXIX ad illud XXXVI à Propheta prædicata ſcriptáque ſunt biennio ante adventum Sennacheribi. Ideo poſt hæc vaticinia ſubnectit ipſam hiſtoriam, ex qua appareat omnia, ità ut prædixerat, eveniſſe, capitibus XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. Cùm primùm ex Aſſyria veniſſe audiretur Sennacheribus, Iudæi, extra Hieroſolyma, in diverſa diſtracti ſunt conſilia; alii deditionem Aſſyriis faciendam putarunt, alii Ægyptios advocandos, & quidem tam fœdè, ut hi Ægyptia ſacra, illi Aſſyriaca ſuſcipienda vitæ cauſâ cenſerent. Solus Ezechias, paucique cum eo, Dei per Eſaiam promiſſis fidem habuit, & contra ſpem ſperavit, ſucceſſu admirabili, qui Eccleſiæ Chriſtianæ ab hoſtibus liberationem eximiè figurat. *Væ filii deſertores* Legis divinæ.

Vt faceretis conſilium, & non ex me] Mihi contrarium.

2. *Qui ambulatis ut deſcendatis in Ægyptum*] Nempe miſſis legatis, ut apparet infrà 4.

Sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis] Pſammitichi.

4. *In Tani principes tui*] Vide ſuprà XIX. 11.

Vſque ad Hanes pervenerunt] *Daphnas Peluſias*, ut hîc interpretatur Ionathan. Meminit ejus urbis in Pſammitichi rebus Herodotus. Eſt autem & illud Hebræum nomen, & hoc Græcum contractum ex pleniore voce quæ eſt תחפנחס [*Thachphanches*] Ierem. XLIII. 7. 8. ex qua factum תחפניס [*Thachphanis*], unde nomen Reginæ 1 Reg. XI. 19. & brevius חנס [*Hanes*], ut hoc loco. Spectabat ea urbs Arabiam, ut ex Herodoto diſcimus.

5. *Non fuerunt in auxilium & in aliquam utilitatem, ſed in confuſionem & opprobrium*] Pſammitichus cum Rege Aſſyriorum federatus, (vide ſuprà XIX. 23.) Iudæorum causâ fedus cum Rege potentiſſimo rumpere noluit. ità ad Iudæos de iſto conſilio nihil niſi infamia ob vacillationem in religione redundavit.

6. *Onus jumentorum Auſtri*] Non eſt hîc inſcriptio nova, ſed continuatur cum prioribus ſermo, ut & Hieronymus ad hunc locum notavit. Vertendum ergò, *Onus* (ſupple *bajularunt*) *jumenta meridiem verſus*, id eſt, Ægyptum verſùs, quæ ad meridiem Iudææ. *Onus* mox explicat dona quæ legati ſecum ferebant ad emendam ſocietatem.

In terra tribulationis & anguſtiæ, leæna & leo ex eis, vipera & regulus volans] Rectè verteris, *Per terram anguſtam & arctam, unde prodeunt leo & tigris & vipera & preſter*. Deſcriptio eſt ſatis clara Iſthmi Arabici.

7. *Ægyptus enim fruſtra, & vanè auxiliabitur*] Vanam ſpem auxilii quidam ex Ægypto Iudæis fecerant.

Ideo clamavi ſuper hoc, Superbia tantùm eſt, quieſce] Verteris rectiùs: *ideò vocavi illam* (gentem Iudæam), *Robur eorum eſt quieſcere*. Sola quies & patientia illos tuebitur. Explicant hoc ſequentia 15.

8. *Scribe ei ſuper buxum*] In tabula.

Et in libro] In membranis, ut duobus modis memoria conſervetur.

Et erit in die noviſſimo] יום אחרון [*dies poſtremus*] Hebræis eſt omne tempus quod ſequitur.

Teſtimonium uſque in æternum] Teſtimonium perenne.

10. *Qui dicunt videntibus, Nolite videre*] Prophetas quantum poſſunt impediunt, nè vera dicant, ſuprà XXIX. 10.

Videte nobis errores] *Illuſiones* dicit eos dixiſſe, non quòd ea verba uſurparent, ſed quòd quæ volebant reipsâ eò tenderent. Placentia enim ipſis dicere, id erat ipſis illudere.

11. *Auferte à me viam*] *Recedite de via*: id eſt, aliam viam inite. durat adhuc Iudæorum Legem & Prophetas nihil curantium ſermo.

Ceſſet à facie noſtra Sanctus Iſrael] Nolite illud nomen toties repetere.

12. *In calumnia*] *In oppreſſione*: id eſt, in opibus per vim partis. Vide ſuprà 6.

Et in tumultu] *In pravitate*.

13. *Sicut interruptio cadens & requiſita in muro excelſo*] *Sicut pars diſcedens à muro excelſo, & ruinæ proxima præminet*: ſic & illorum tumor ruinam minabatur. Vide Pſal. LXII. 4.

Quoniam ſubitò dum non ſperatur, veniet contritio ejus] Id eſt, cadens in particulas diſſiliet.

15. *Si revertamini*] Id eſt, ſi ab illis conſiliis diſcedatis.

16. *Ad equos fugiemus*] Confugium noſtrum habebimus ad Ægyptum equis valentem. Vide Deuteronom. XVII. 16. & ibi dicta.

Ideo fugietis] Exſulabitis.

17. *Mille homines à facie terroris unius, & à facie terroris quinque fugietis*] Nempe omnes. Id eſt, pavor tantus erit, ut paucorum conſpectus plurimos in fugam ſit daturus. oppoſitum, promiſſum Legem ſervantibus, vide Levit. XXVI. 8. Deuter. XXXII. 30.

Quaſi malus navis in vertice montis, & quaſi ſignum ſuper collem] Id eſt, pauci Iudæorum reſtabunt, tantâ raritate, quantâ eſſe ſolent monumenta curſûs marini.

18. *Propterea exſpectat Dominus ut miſereatur veſtri: & ideo exaltabitur parcens vobis*] Id eſt, *ut exaltetur*. Ideo differt Deus auxilium ſuum, ut major appareat ejus potentia.

Deus judicii Dominus] Legis ſuæ tenax.

Beati omnes qui exſpectant eum] Id eſt, qui nullius periculi metu à Lege diſcedunt.

19. *Populus enim Sion habitabit in Ieruſalem*] Non auferetur, ut alii Iudæorum.

Plorans nequaquam plorabis] Id eſt, non diu flebis, ô civitas Hieroſolymorum.

20. *Et dabit vobis Dominus panem arctum.*] *Dabit quidem Dominus vobis panem anguſtiæ*: modicè cibaberis.

Et aquam brevem] Vide ſuprà XXII. 9.

Et non faciet avolare à te ultrà doctorem tuum]

Verùm non aberunt à te boni Magiſtri, quorum præcipuus fuit ipſe Eſaias.

21. *Audient verbum poſt tergum monentis*] Sicut pædagogi pueros ſequentes, eos ad verum iter revocant, ſi quà fortè deflectant.

22. *Et contaminabis laminas ſculptilium argenti tui*] Confractum argentum illud unde idola conſtabant, & in laminas redactum vertes in uſus profanos.

Et veſtimentum conflatilis auri tui] Sic *Iovi Olympio* erat *magni ponderis aureum amiculum*, ut nos docent Valerius Maximus I. I. externorum tertio, Clemens Alexandrinus, Arnobius, alii.

Et diſperges ea] A te longè habebis talia in poſterum.

23. *Dabitur pluvia ſemini tuo*] Id eſt, ſementi tuæ quam conſeveris, ut monſtrant verba ſequentia. Magna rerum abundantia fuit ſub regno Ezechiæ.

Panis] Vide ſuprà XXVIII. 28.

24. *Commiſtum migma comedent*] Ἄχυρα ἀναπεποιημένα ἐν κριθῇ [*paleas mixtas hordeo*] habent hîc LXX. Sic Iud. XIX. 21. in Hebræo eſt, *miſcuit aſinis*. Ἀναποιεῖν pro *miſcere* frequens Interpretibus, ut Levit. VI. 40. VII. 2. XXIII. 13. Num. VI. 15. VIII. 9. IX. 12. XXIX. 3.

Sicut in area ventilatum eſt] In Hebræo, *Ventilatum palo & ventilabro*: diligentiſſimè purgatum. Tanta erit copia.

25. *Rivi currentium aquarum*] Tanta erit pluvia, ut etiam ea madeſcant quæ ſuapte naturâ erunt aridiſſima.

In die interfectionis multorum] Poſt illam ſtragem Aſſyriorum. Sic ſæpe ביום [*in die*] tempus ſubſequens ſignificat.

Cùm ceciderint turres] Vide ſuprà II. 13. *Turres* hîc ſunt principes Aſſyriorum.

26. *Et erit lux lunæ ſicut lux Solis*] Gaudii ſignificatio. Sic Poëtæ:

> *Ipſe mihi viſus pulchrior ire dies.*

Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 29.

Et lux Solis erit ſeptempliciter ſicut lux ſeptem dierum] Lux erit ſeptupla, quaſi præter Solem ſex eſſent parelii.

In die qua alligaverit Dominus vulnus populi ſui] Poſtquam Deus civitatem Hieroſolymorum ab omnibus malis quæ tolerabat, quæque metuebat, exemerit.

27. *Ecce nomen Domini*] Id eſt, Deus omni laude digniſſimus.

Venit de longinquo] Id eſt, inexſpectatus, ut qui peregre adveniunt.

28. *Spiritus ejus*] Ira ejus.

Ad perdendas gentes in nihilum] *Ventilans gentes ventilatione ad nihilum*: ut nihil ſuperſit.

Et frænum erroris quod erat in maxillis populorum] Ad perdendum ipſum etiam Regem, qui tot populos frænabat, eiſque præibat ad falſorum deorum cultus.

29. *Sicut nox ſanctificatæ ſolennitatis*] Id eſt, in cœna quæ diem feſtum ſequitur, in qua fiebat poſtcœnium, circumferebatur ποτήριον εὐλογίας [*calix benedictionis*]. omnia denique erant plena lætitiæ.

Sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini] In Templum. Tacitus de Iudæis: *Sacerdotes eorum tibiâ tympaniſque concinebant*. Vide II Samuel. VI. 6.

31. *Aſſur virga percuſſus*] In Hebræo, *Virga percutiens*: id eſt, qui ſolitus erat alios graviſſimè vexare.

32. *Et erit tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum in tympanis & citharis: & in bellis præcipuis expugnabit eos*] *Tranſitus virgæ*, id eſt, verbera virgæ; *fundatus*, id eſt, infixæ ejus carni; *faciet requieſcere*, id eſt, incutiet; *in tympanis & citharis*, id eſt, ludendo hæc fient. Pro *in bellis præcipuis* in Hebræo eſt *in bellis mutationis*, id eſt, ut cum rudibus batuitur. Hæc omnia nihil aliud ſignificant, quàm Deum ſine ſudore & ſanguine Iudæorum deleturum Aſſyrios, planè quaſi in ludo jocóque.

33. *Præparata eſt enim ab heri Topheth, à rege præparata*] Iamdudum eſt quòd Rex Ezechias vallem Topheth extra Hieroſolymam vacuam fecit ab omni cultu idolorum, ut locus eſſet qui tot millia Aſſyriorum mortuorum contineret. Ezechias idola abſtulit II Paralip. XXIX. inter loca autem uſurpata in honorem idolorum fuit Topheth, II Reg. XXIII. 10. Dicitur autem Ezechias *præparaſſe Topheth* in hunc uſum, non quòd tunc ſibi id propoſitum habuerit, ſed quòd id tam commodè evênit, quaſi id propoſitum habuiſſet. Simile loquendi genus habes Matth. XXVI. 12.

Profunda & dilatata] Remotis ſcilicet impedimentis omnibus vacua facta eſt.

Nutrimenta ejus ignis & ligna multa: flatus Domini ſicut torrens ſulfuris ſuccendens eum] Alluſio ad morem idololatrarum, qui in eadem valle Topheth liberos ſuos cremare in honorem Molochi ſive Saturni ſolebant. Vertas autem ſic optimè, *Pyra ejus ex igne conſtat & lignis multis; Deus autem vi ſuâ, quaſi ſulfure multo injecto, iſta ligna accendit.* Senſus autem, perituros Aſſyrios ità ſubitò, quaſi igne violentiſſimo abſumerentur. Vide ſuprà IX. 5.

CAPUT XXXI.

1. VÆ *qui deſcendunt in Ægyptum*] Cohærent hæc cum ſuperioribus, & aliis verbis eædem res repetuntur.

In equis ſperantes] Suprà XXX. 16.

2. *Verba ſua non abſtulit*] Rata faciet quæ per Prophetas dixit.

3. *Equi eorum caro, & non ſpiritus*] Non ſunt ſubſtantiæ immortalis.

Et Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium] *Si Dominus extendat manum ſuam, corruet auxiliator* (id eſt, Ægyptius, ut maximè auxiliari vobis velit), *& cadet is cui fertur auxilium*, id eſt, populus Iudæorum.

4. *Quia hæc dicit Dominus ad me*] *Inſuper hæc dicit.*

Et cùm occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit] Plinius de leone: *Vulneratus obſervatione mirâ percuſſorem novit, & in quantalibet multitudine appetit.*

Vt prælietur ſuper montem Sion] Rectiùs: *pro monte Sion.*

5. *Sicut aves volantes*] *Sicut aves pullitiem.* Vide Matthæi XXIII. 37.

Tranſiens & ſalvans] Subitò ſalutem adferens, & quaſi in tranſitu.

6. *Convertimini ſicut in profundum receſſeratis filii Iſraël*] Quàm profundè deſcenderatis, tam in altum reſurgite.

7. *In die enim illa abjiciet vir idola argenti ſui*] Poſtquam Dei providentiam tam magno ac ſingulari beneficio agnoverit. Vide ſuprà XXX. 22.

8. *Cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum*] Quò magìs proximant tempora, eò futura clariùs Prophetis apparent.

Fugiet non à facie gladii] Ipſe Rex Sennacherib, nemine hoſtium eum inſequente.

Et juvenes ejus vectigales erunt] Meliùs, *diſſoluti erunt*: id eſt, comites ejus quemvis horrebunt folii ſtrepitum.

9. *Et fortitudo ejus à terrore tranſibit*] In Hebræo: *Arcem ſuam præ timore tranſibit.* Fugiet etiam ultra caſam, ut Latinum habet proverbium.

Et pavebunt fugientes principes ejus] In Hebræo, *Pavebunt principes ejus à ſigno*: id eſt, ubicunque in ſpecula aliqua vexillum aliquod videbunt (qualium mentio ſuprà XXX. 17.) putabunt imminere ſibi hoſtium agmina.

Dixit Dominus cujus ignis eſt in Sion, & caminus ejus in Ieruſalem] Id eſt, cujus altare ſemper ardens eſt Hieroſolymis.

CAPVT XXXII.

1. *Ecce in juſtitia regnabit rex, & principes ejus in judicio præerunt*] Ezechiæ futuras virtutes prædicit, ut ſuprà IX. 7. Qualis Rex eſt, tales eſſe ſolent principes. Martialis:

Nemo ſuos, (hæc eſt aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæſarianus habet.

Theuderichus Gotthus: *Principis propoſitum facit aut negligere judices, aut amare virtutes.*

2. *Et erit vir*] Id eſt, ille.

Sicut qui abſconditur à vento] In Hebræo: *Sicut latibulum à vento.*

Et celat ſe à tempeſtate] In Hebræo: *Et confugium contra inundationem.*

Sicut rivi aquarum in ſiti] Virgilius:

——— *quale per æſtum*
Dulcis aquæ ſaliente ſitim reſtinguere rivo.

Et umbra petræ prominentis in terra deſerta] In terra arboribus vacua.

3. *Non caligabunt oculi videntium*] Non erunt qui ſe Prophetas dicant falſa viſa adferentes.

Et aures audientium diligenter auſcultabunt] Veris Prophetis præbebitur audientia.

4. *Et cor ſtultorum intelliget ſcientiam*] Etiam qui tardiſſimo ſunt ingenio Dei magnitudinem intelligent.

Et lingua balborum velociter loquetur & planè] Etiam infantiſſimi Deum laudabunt.

5. *Non vocabitur ultrà is qui inſipiens eſt princeps*] נדיב εὐεργέτης [*Beneficus*], honeſta appellatio viri principis. Vide Lucæ XXII. 25. *Stultos* ſive *inſipientes* vocat, qui Deum aut Dei providentiam non credunt, ut Pſal. XIV. & LIII.

Neque fraudulentus appellabitur major] כילי, qui hîc *fraudulentus* vertitur, propriè eſt *avarus*. Quod autem hîc eſt שוע, id alibi משוע, & vertitur δυνάστης [*dynaſta*].

6. *Stultus enim fatuè loquetur*] Cauſas reddit cur bonus Rex neque impiis neque avaris mandare debeat magiſtratus. Impius loquitur impia, & ſic multos corrumpit.

Et cor ejus faciet iniquitatem] Nulla religio eum ab injuſtis factis prohibet. De nexu religionis & juſtitiæ vide quæ congeſſimus lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XX. § 45. & in Annotatis.

Vt perficiat ſimulationem, & loquatur ad Dominum fraudulenter] Id eſt, dum ſe bonum piúmque eſſe ſimulat.

Et vacuam faciat animam eſurientis] Spoliet egentem.

Et potum ſitienti auferat] Nemini parcat.

7. *Fraudulenti*] *Avari*, ut jam diximus. Iàm alterum malorum in Republica fontem deſcribit.

Vaſa peſſima ſunt] *Menſuræ ejus peſſimæ ſunt.* Per *menſuras* autem μεταφορικῶς [*tranſlatè*] intellige judicia.

Ipſe enim cogitationes concinnavit] Invenit commenta vafra.

Ad perdendos mites in ſermone mendacii] *Vt homines miſeros* (id eſt עניים, quomodo legunt Maſoretæ) *per calumniam opprimat.*

Cùm loqueretur pauper judicium] *Cùm alloquitur pauperem in judicio.* Id eſt, cùm ut Iudex pauperem interrogat.

8. *Princeps verò ea quæ digna ſunt principe cogitabit, & ipſe ſuper duces ſtabit*] Vertas commodè: *Princeps* erit *qui generoſa cogitabit, & in generoſis* actionibus *perſtabit.* Eſt argumentum ἐξ ἐτυμολογίας [*ex vocabuli origine*], nam נדיב [*Princeps*] *à generoſitate* nomen habet. *Generoſitas* intelligenda, animi virtus ad benefaciendum quamplurimis.

9. *Mulieres opulentæ*] Hæc dicit ad mulieres oppidorum Iudææ, quæ erant præter Hieroſolyma.

Confidentes] Quæ ſecurè vivitis.

10. *Poſt dies enim & annum*] Id eſt, intra triennium, ut ſuprà XIX. 1.

Conſummata eſt enim vindemia] Defecit.

Collectio ultrà non veniet] Id eſt, *meſſis*, quæ συγκομιδὴ [*comportatio*] Græcis dici ſolet.

11. *Exuite vos*] Pretioſis veſtibus.

Accingite lumbos veſtros] Ad operas ancillares voſmet parate.

12. *Super ubera plangite*] Seneca Troadibus:

Tibi maternis ubera palmis
Laniata jacent.

Super regione deſiderabili] Iudæa.

Super vinea fertili] Super tot vinetis.

13. *Super humum populi mei ſpinæ & vepres aſcendent*] Id eſt, ſuper fundos ſuburbanos apud Hieroſolyma.

Quantò magìs ſuper omnes domos gaudii] Id eſt, amœnas villas.

Civitatis exſultantis] In Hebræo, *oppidum exſultans:* per enallagen & omiſſionem copulæ. Senſus eſt: & *ſuper omnia oppida plena nunc lætitiæ.*

14. *Domus enim dimiſſa eſt*] Vacabunt villæ.

Multitudo urbis relicta eſt]Oppida illa erunt vacua.

Tenebræ & palpitatio facta ſunt ſuper ſpeluncas in æternum] Legit ערפל ובהל [*tenebræ & terror*]. At nos habemus עפל ובחן [*turris & caſtellum*].Senſu optimo: *Turres & caſtella fient ſpelæa ferarum in longum tempus.*

Gaudium onagrorum] Onagri ibi paſcent, ut in locis deſertis.

Paſcua gregum] Nullo prohibente vagantium. Vide ſupra VII. 24.

15. *Donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo*] Donec amor Dei erga nos appareat,ut ſuprà XXX.18.

Et erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur] Explica ut ſuprà XXIX. 17.

16. *Et habitabit in ſolitudine judicium*] Deus Aſſyrios illos graviter puniet. Vocat illos מדבר [*deſertum*] ob id quod fuerunt, nempe elati, ut montes ſilvoſi.

Et juſtitia in Charmel ſedebit] Bonitas Dei ſe aperiet erga Iudæos, qui fuerant velut terra humilis.

17. *Et erit opus juſtitiæ pax, & cultus juſtitiæ ſilentium*] Rectiùs: *Et proventus juſtitiæ tranquillitas.* Dei bonitas nobis pariet pacem ac ſecuritatem. Vide ſuprà IX. 7. XI. 6. hîc ſuprà 1.

19. *Grando autem in deſcenſione ſaltûs*] *Grando autem deſcendet ſuper ſilvam.* Super montes ſilvoſos, id eſt, ut jam diximus, Aſſyrios. *Grando* Dei iram ſignificat, ſuprà XXVIII. 2. & in Pſalmis ſæpe.

Et humilitate humiliabitur civitas] Babylon. Vide ſuprà XIII.

20. *Beati qui ſeminatis ſuper omnes aquas*] In Hebræo: *Beati vos qui ſeretis ad omnes aquas.* Vos Iudæi qui ſementem facietis in locis irriguis, & ob id valde feracibus.

Immittentes pedem bovis & aſini] Tantâ omnium frugum copiâ, ut etiam jumentis permiſſuri ſitis ibi paſci.

CAPVT XXXIII.

1. VÆ *qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?*] *Prædaberis* hîc paſſivè poſuit Interpres. Senſus eſt, *O tu prædator Sennacheribe* (de quo hunc locum etiam Hieronymus rectè exponit) *nonne æquum eſt te quoque prædam fieri?* Vide Apoc. XIII. 10.

3. *A voce angeli fugerunt populi*] In Hebræo eſt: *à ſono terribili.* Græci, διὰ φωνὴν τοῦ φόβου [*ob ſonum terroris*]. Strepitum Angeli adventantis intelligit,ità ut Latinus rem hîc magìs expreſſerit ex II Regum XIX. 35. quàm verba.

4. *Et congregabuntur ſpolia veſtra ſicut colligitur bruchus*] Imò *ſicut colligit bruchus:* tam impunè legentur de vobis (Aſſyriis) ſpolia, quàm bruchus herbas depaſcitur. Hanc interpretationem flagitant quæ ex Hebræo ſequuntur.

Velut cùm foſſæ plenæ fuerint de eo] גבים eſſe *locuſtas* ſive πρασοκουρίδας [*praſocuridas*] apparet Amoſi VII. 1. vertendum ergò: *Vt diſcurſus locuſtarum ubi diſcurrunt.*

5. *Magnificatus eſt Dominus*] *Magnificabitur.*

Quoniam habitavit in excelſo] Edidit facta ſublimia: infrà 10.

6. *Et erit fides in temporibus tuis*] *Erit firmitas temporibus tuis*, ô Ezechia.

7. *Ecce videntes clamabunt foris*] In Hebræo: *Ecce altare ipſorum, clamabunt foris.* אראל [*Arel*] idem quod apud Ezechielem ſcribitur אראיל [*Aril*], Syriacè איל poſito pro אל; ſuprà verò apud hunc Prophetam cum ' ἐπενθετικῷ [*inſerto*] אריאל [*Ariel*] XXIX. 1. *Clamabunt è caſtris Aſſyrii, Ecce altare ipſorum,* per irriſum, id eſt, Nihil illis proderunt quotidianæ illæ victimæ.

Angeli pacis amarè flebant] Legatos intellige de pace in caſtra miſſos Eliacimum, Sobnam, Ioahen, qui indè redeuntes, nullam ſpem pacis, omnia autem circùm vaſtata retulerunt, II Reg. XVIII. 18. & ſequentibus, ubi dicuntur iidem Legati *rediiſſe ſciſſis veſtibus*, ut in acerbiſſimo luctu.

8. *Diſſipatæ ſunt viæ*] Hæc eſt relatio Legatorum. Præcluſi nobis ſunt exitus omnes. nam שמם vertitur ἀβατοῦσθαι [*deſertum reddi*] Ierem. XLIX. 20. & שמה vel שממה ἄβατος [*terra invia*] apud eundem Ieremiam ſæpiſſime. Simile vide Iudicum V. 6.

Irritum factum eſt pactum] Aſſyrii ſtare nolunt paci, quam poſtremam cum Ezechia fecerant, II Reg. XVIII. 14.

. *Projecit civitates*] Disjecit oppida Iudææ.

Non reputavit homines] Id eſt, omnes homines noſtros pro nihilo duxit. Vide verba Rabſacis.

9. *Luxit & elanguit terra*] Id eſt, Iudæa in luctu & languore erat.

Confuſus eſt Libanus] Libanus mons ille ſuperbus pudore perfundebatur.

Et factus eſt Saron quaſi deſertum] Proxima Baſani arva ſquallebant. Vide I Paralipom. V. 16.

Concuſſa & Baſan] *Excuſſa.*

Et Carmelus] Hîc nomen eſt proprium, memorantur enim loca per quæ tranſierat Sennacheribus. Tacitus Hiſt. II. *Eſt Iudæam inter Syriámque Carmelus.* Vide & Plinium V. 19.

10. *Nunc conſurgam dicit Dominus*] Quaſi dicat, Nunc demum rebus omnibus deploratis tempus eſt me moveam.

11. *Concipietis ardorem*] Rectiùs, *Quiſquilias.*

Parietis ſtipulam] Id eſt, ſtulta conſilia inanes habebunt eventus. Aſſyrios hîc Deus alloquitur.

Spiritus veſter ut ignis vorabit vos] Ira veſtra vobis exitio erit.

12. *Et erunt populi quaſi de incendio cinis*] In Hebræo: *Et erunt populi incendia calcis.* Id eſt, erunt quaſi poſiti in fornace calcaria.

Spinæ congregatæ igni comburentur] In Hebræo, *Spinæ ſucciſæ*; præintelligendum *quaſi: ità comburentur ut ſpinæ.* Sæpe jam notavimus ſubitum illud malum quod Aſſyriis immiſit Deus, qualecunque tandem fuerit, incendio comparari.

14. *Poſſedit tremor hypocritas*] De illis loquitur,qui mutatâ religione ſalutem ab Aſſyrio quæri volebant.

Cum ardoribus ſempiternis]Id eſt,cum igne qui non exſtinguitur. talem putabant illi eſſe vim Aſſyriam.

15. *Qui ambulat in juſtitiis*] Reſpondet Propheta ad illa verba impiorum. Eſt hîc χαρακτὴρ [*notatio*] hominis pii, qualis Pſal. XV.

Qui projicit avaritiam ex calumnia] Rectè vertas: *Qui ſpernit lucrum ex concuſſione.*

Qui obturat aures ſuas nè audiat ſanguinem] Qui ſurdus eſt ad calumnias, per quas vitæ alterius periculum ſtruitur.

Et claudit oculos ſuos nè videat malum] *Malum*, id eſt, ἀδικίαν [*injuſtitiam*], ut hîc Lxx Senſus eſt: averſatur omne genus injuſtitiæ.

16. *Iſte in excelſis habitabit, munimenta ſaxorum ſublimitas ejus*] Lxx, οὗτος οἰκήσει ἐν ὑψηλῷ σπηλαίῳ πέτρας ἰσχυρᾶς [*is habitabit in ſublimi ſpelunca rupis validæ*]: id eſt, erit non minùs tutus quàm ſi turrem in inacceſſa rupe inhabitaret. Id evenit Hieroſolymitis piis à Sennacheribo obſeſſis.

Panis ei datus eſt] A fame liberabitur. Lxx ἄρτος δοθήσεται αὐτῷ [*panis ei dabitur*].

Aquæ ejus fideles ſunt] Non deerit ei quod bibat.

17. *Regem in decore ſuo videbunt oculi ejus*] In ſolio majeſtatis ſedentem.

Cernent terram de longè] Virgilius:

——— *libet ire, & Dorica caſtra*
Deſertóſque videre locos.

Non erunt diu incluſi mœnibus, ſed quaquà lubebit ſpatiabuntur.

18. *Cor tuum meditabitur timorem*] Dulcis erit exactorum periculorum memoria.

Vbi eſt literatus] ספר *ſcribam* ſignificat. Hîc eum intellige qui captivos matriculæ inſcribebat. nominat caſtrorum Aſſyriorum præcipuos & quærit ubi ſint, nempe οἴχονται [*periere*].

Vbi legis verba ponderans] In Hebræo, *Ponderator*: id eſt, collector tributorum, qui ad ſacomam nummos exigebat.

Vbi doctor parvulorum] In Hebræo, *Vbi numerans turres*: id eſt, metiens, ut Capaneus ad Thebas, de quo ſenex in Euripideis Phœniſſis:

Ἐκεῖνος ἑπτὰ προσβάσεις τεκμαίρεται
Πύργων, ἄνω τε καὶ κάτω τείχη μετρῶν.
[*En urbis aditus ille ſeptenos notans*
Metitur alta turrium faſtigia.]

19. *Populum impudentem non videbis*] Arrogantem Aſſyrium.

Populum alti ſermonis] In Hebræo: *Populum ſermonis abſtruſioris quàm ut intelligatur.* Idem ſignificant verba ſequentia. Si Syriacam linguam populus Iudæorum non intelligebat, ut vides II Reg. XVIII. 26. multò minùs Aſſyriam.

20. *Reſpice Sion*] Id eſt, cum gaudio contemplare Sionem.

Civitatem ſolennitatis noſtræ] Vrbem ad quam undique diebus feſtis confluitur.

Tabernaculum quod nequaquam transferri poterit] Tentorium immobile.

Nec auferentur clavi ejus in ſempiternum] *Clavos* vocat paxillos illos ad quos tentoriorum funes alligantur. *In ſempiternum*: id eſt, in longo tempore.

21. *Locus fluviorum rivi latiſſimi & patentes*] Deus nobis erit pro fluvio circumiente urbem. Placuit ei hæc tranſlatio: itaque eam perſequitur.

Non tranſibit per eum navis remigum] Id eſt, omnia ibi tranquilla.

Neque trieris magna tranſgredietur eum] Aliud *trieres*, aliud *triremes*. *Triremes* tribus remis aguntur; *trieres* ternis remorum ordinibus. Sed ſæpe in libris Latinis inſcitia librariorum hæc confudit.

23. *Laxati ſunt funiculi tui*] Ob cœptam comparationem fluminis, Aſſyriorum exercitum navi comparat, ut Romanam rempublicam Horatius, cujus locus huic reſpondens eſt:

——— *ac ſine funibus*
Vix durare carinæ
Poſſunt imperioſius
Æquor.

Sic erit malus tuus] In Hebræo: *Non firmabunt* (id eſt, non habebunt firmum) *malum*. Apud Horatium:

Et malus celeri ſaucius Africo.

Vt dilatare ſignum non queas] In Hebræo, *Non expandent velum.* Horatius:

Non tibi ſunt integra lintea.

Tunc dividentur ſpolia prædarum multarum] Vide ſuprà 4.

Claudi diripient rapinam] Proverbiale: cui ſimile II Samuelis V. 6.

24. *Nec dicet vicinus*] Imò *habitator.*

Elangui] Ex obſidione *langueo.*

Auferetur ab eo iniquitas] Omnis mali ſenſus à populo auferetur.

CAPVT XXXIV.

2. *Indignatio Domini ſuper omnes gentes*] Nempe quæ Aſſyriorum erant aut ſubditæ aut ſociæ.

3. *Interfecti eorum projicientur*] Inſepulti jacebunt.

Et de cadaveribus eorum aſcendet fœtor] Lucanus VII. Pharſalicorum:

Quid olentes deſeris agros?

Tabeſcent montes à ſanguine eorum] Lucanus:

Sidentes in tabem ſpectat acervos.

4. *Et tabeſcet omnis militia cælorum*] Aër ipſe ex ſanguine & tabo attracto obducetur turpibus nebulis, & quidem tam craſſis, ut ſiderum conſpectum adimant.

Complicabuntur ſicut liber cæli] Lxx: ἑλιγήσεται ὁ οὐρανὸς ὡς βιβλίον [*convolvetur cælum ut liber*]. Apocalypſeos VI. Καὶ ὁ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον ἑλισσόμενον [*Et cælum abiit ut liber convolutus*]. Sicut in volumine complicato nihil legi poteſt, ità in cœlo nihil erit quod ſpectetur. Vide & Ezech. XXXII. 7.

Et omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea aut de ficu] Multa ſanguinis copia multas exhalationes de ſe edit calidas, quæ ubi in nubes incurrunt faciunt ſpeciem ſtellarum cadentium, aut, ut Seneca loquitur, *defluentium.* Hîc tales ſtellæ *folio cadenti* comparantur, in Apocalypſi *groſſo decidenti*, VI. 13.

5. *Quoniam inebriatus eſt in cœlo gladius meus*] Id eſt, furere cœpit. Ideo ſequitur, *deſcendet.*

Super Idumæam] Idumæa partes ſecuta erat Aſſyriorum, ut diximus ſuprà XXI. Malum autem quod hîc deſcribitur illatum eſt Idumæis per Æthiopas, ut eodem loco ſignificavimus.

6. *Repletus eſt ſanguine, incraſſatus eſt adipe*] Cædes ſacrificiis comparatur, & iis maximè quæ pro peccato fiebant, in quibus adeps & ſanguis Deo cedebant, Levit. VII.

De ſanguine agrorum] Plebis.

Hircorum] Sacerdotum.

De ſanguine medullatorum arietum] Opulentorum ac ſummatum virorum, Thren. I. 6.

Victima enim Domini in Boſra] Quæ Βόστρα [*Boſtra*] Ptolemæo in Arabia Petræa, neque aliter Stephano.

7. *Et deſcendent unicornes cum eis*] Id eſt, vincentur & illi qui maximè invicti putabantur. Vide Iob. XXXIX. 12. & ſequentibus, & Pſal. XXII. 22.

Et tauri cum potentibus] In Hebræo, *Iuvenci cum robuſtis:* id eſt, tauris. Intellige *magnos & parvos*, ut Pſalm. LXVIII. 31. XXII. 13.

8. *Annus retributionum judicii Sion*] *Tempus reddendi vicem adverſario Sionis.* Idumæi ſemper infeſtiſſimi Iudæis. Amos I. II. Abdiæ 10. & ſequent. Thren. IV. 21. Ezech. XXV. 12. Pſal. CXXXVII. 7.

9. *Convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in ſulfur, & erit terra ejus in picem ardentem*] Vrbes incendentur quaſi pix aut ſulfur.

10. *Nocte & die non exſtinguetur, in ſempiternum aſcendet fumus ejus*] Id eſt, diu. Solent enim incenſarum urbium diu manere favillæ & fumus. De fumo Virgil. III. Æneidos,

Omnis humo fumat Neptunia Troja.

Vbi Servius: *Ruina fit brevi, fumus verò longo permanet tempore.* Seneca Troadibus:

Ilium eſt illic ubi fumus altè
Serpit in cælum, nebulæque turpes.
Troes hoc ſigno patriam videbunt.

A generatione in generationem deſolabitur] Id eſt, deſolata manebit Idumæa.

In ſecula ſeculorum non erit tranſiens per eam] Longiſſimo tempore. εἰς χρόνον πολὺν [*in multum tempus*] Græci hîc.

11. *Et poſſidebunt illam onocrotalus*] קאת *Pelecanum* & Hebræi vertunt, & interpres Latinus Pſalmo CII. 7.

Et ericius] Sic & Græci, ἐχῖνοι: ſic & ſuprà XIV. 23.

Ibis] Sic & Græci. Hebræorum nonnulli *noctuam* eſſe volunt.

Et extendetur ſuper eam menſura ut redigatur in nihilum, & perpendiculum in deſolationem] Architecti, cùm veteris ædificii partem aliquam dejicere volunt, metiuntur latitudinem lineâ, & altitudinem perpendiculo.

12. *Regem potiùs invocabunt, & omnes principes ejus erunt in nihilum*] In Hebræo, *Regnum vocabunt:* id eſt, Memoriâ quidem recolent veteres Reges ſuos, ſed ex ea familia nemo exſtabit. Favet huic interpretationi Chaldæus.

13. *Et paliurus*] Virgilius:

Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

In munitionibus ejus] Intra ambitum mœnium quæ fuêre.

Paſcua ſtruthionum] Vt ſuprà XIII. 21.

14. *Et occurrent dæmonia onocentauris*] ציים eſſe *feras* diximus eodem loco capitis XIII. ubi Græci habent θηρία. איים autem ſunt *feles ſilveſtres*, ut ibidem notatum.

Et piloſus clamabit alter ad alterum] Vide dicto capite XIII. 21.

Ibi cubabit lamia] *Strix*, ut alii vertunt. Quæ ſit autem ſtrix, negat conſtare Plinius. Paria autem de לילית Hebræi memorant iis quæ Latini de ſtrige. *Strigis* meminêre Ovidius, Lucanus, Serenus. Ovidius & à *ſtridendo* dictam dicit.

15. *Ibi habuit foveam ericius*] Nidificabit tutò, nemine prohibente.

Et enutrivit catulos] *Pariet.*

Et circumfodit] *Et erumpet*, ſupple *fœtus ejus.*

Et fovit in umbra ejus] *Et educabit eum* mater *ſub ruinis.*

Illuc congregati ſunt milvi alter ad alterum] *Congregabuntur milvi.* Sic Hebræam hanc vocem tranſtulit Interpres etiam Deuteron. XIV. 12. ubi & Græci ἴκτινον.

16. *Requirite diligenter in libro Domini, & legite*] Vbi tempus illud advenerit, tunc in manus ſumite volumen Prophetiarum, & hoc caput legite.

Vnum ex eis non defuit, alter alterum non quæſivit] Illorum quæ dixi animantium nullum ibi deſiderabitur.

Quia quod ex ore meo procedit ille mandavit] Id eſt, ipſe effecta dabit mea verba.

Et ſpiritus ejus] Potentia ejus.

Congregavit ea] Antè dicta animantia.

17. *Et ipſe miſit eis ſortem*] Terram hanc illis ità attribuit, ut ſolent qui per ſortes eam aſſignant. Vide Numeror. XXVI. 56.

Et manus ejus diviſit eam illis in menſuram] Sortem præcedit dimenſio. Vide Ioſuæ XVIII.

Vſque in ſeculum] Interpretare ut ſuprà 10.

CAPVT XXXV.

1. *Lætabitur deſerta & invia*] Dum hæc Dei judicia in Idumæam exercebuntur, Iudæa interim quæ deſerta fuerat, coletur tutò, & refloreſcet ſub Rege Ezechia.

2. *Gloria Libani data eſt ei*] Celſitudo.

Decor Carmeli & Saron] Fœcunditas.

Ipſi videbunt gloriam Domini] Potentem ejus tutelam reipsâ experientur: id enim ſæpe eſt videre Hebræis.

3. *Confortate manus diſſolutas*] Vos Prophetæ omnes aliique viri boni addite animos Iudæis, nè memoriâ toleratæ obſidionis paveſcant.

4. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit vos*] Efficiet nè Æthiops ad vos perveniat.

5. *Tunc aperientur oculi cæcorum*] Tunc etiam ſtupidiſſimi intelligent quàm faveat ſuis Deus.

6. *Tunc ſaliet ſicut cervus claudus*] Etiam præ ſenio aut morbo tardi egredientur ut conſpiciant Dei opera.

Et aperta erit lingua mutorum] Etiam infantiſſimi Dei laudes canent. Hæc illo tempore figuratè impleta, apertiſſimè verò Meſſiæ temporibus.

Quia sciſſæ ſunt in deſerto aquæ, & torrentes in ſolitudine] Hoc dicent omnes, magnam factam eſſe rerum mutationem, & quidem Iudæis in melius. Vide ſuprà I.

7. *In cubilibus in quibus priùs dracones habitabant orietur viror calami & junci*] Agri Iudææ diu deſolati revireſcent.

8. *Et erit ſemita & via, & via ſancta vocabitur*] Nempe illa via quæ ad Templum ducit.

Non tranſibit per eam pollutus] Nemo ibi ſpectabitur Syrus, Aſſyrius, Ægyptius, Æthiops.

Et hæc erit vobis directa via] Recto tramite, qui breviſſimus, ſine tortuoſis anfractibus, quibus ignari poſſent decipi.

9. *Mala beſtia*] In Hebræo: *Ferarum violentæ.*

Et ambulabunt qui liberati fuerint] Ii quos Deus tot malis eripuit.

10. *Et redemti à Domino*] Iudæi, qui exitio erepti multis in locis exſulaverant. Suprà XI. 11.

Convertentur] Redibunt in patriam.

Et venient in Sion] Diebus ſolennibus.

CAPVT XXXVI.

EX hoc capite & tribus ſequentibus deſumta ea quæ habemus II Reg. XVIII. 17. & deinceps ad uſque XX. 19.

5. *Aut quo conſilio aut fortitudine rebellare diſponis*] In Hebræo, *Dixi certè, Verbum labiorum* (eſt nempe in quo Ezechias confidit; quaſi dicat, Credit adulantibus: at) *conſilium & fortitudo ad bellum requiruntur. Conſilium & vim* dixit Tacitus II. Annal. *conſilium & gladium* Cæſar I. de Bello civili. Euenus:

> Πρὸς σοφίᾳ μὲν ἔχειν τόλμαν μάλα σύμφορόν ἐστι.
> [*Audendi ſimul & ſapiendi maximus uſus.*]

16. *Facite mecum benedictionem*] Munera mihi date. Sic ברכה [*benedictio*] ſumitur II Regum V. 15.

17. *Donec veniam & tollam vos ad terram quæ eſt ut terra veſtra*] Africam intelligi putat Maimonides, & eò iviſſe, conditione hac acceptâ, Gergezæos. Et hos eſſe credam illos Phœnicas, unde ſe ortos dicebant Tingitani. Nam quòd Procopius Vandalicorum II. eos ad Ioſuæ refert tempora, in eo credibile eſt illum aut linguæ ignorantiâ, aut ab impoſtore aliquo fuiſſe deceptum. Didonis tempora, quæ de Tyro coloniam in Africam deduxit, unde multæ fluxerunt aliæ, his temporibus non paulò poſteriora ſunt.

CAPVT XXXVII.

1. SCidit veſtimenta ſua] *Rupit.*

18. *Deſertas fecerunt Reges Aſſyriorum terras & regiones earum*] In Hebræo: *Cunctas gentes & regiones earum.* Eſt autem σύλληψις [*Comprehenſio*]. Verbum enim *vaſtandi* aliter de gentibus dicitur, aliter de terris.

24. *Altitudinem ſummitatis ejus*] Id eſt, ad ſumma juga perveni: nihil mihi fuit invium.

CAPVT XXXVIII.

9. SCriptura Ezechiæ regis Iuda] Dictata ei, ut credibile eſt, ab ipſo Eſaia.

10. *In dimidio dierum meorum*] In dimidio ejus ætatis quam homines plurimi agere ſolent, & quam Lex promittit. Videmus ubique mortem immaturam gravem viſam etiam bonis, nondum plenè revelatâ vitâ meliore.

11. *Non videbo Dominum Deum*] Templum Domini.

12. *Generatio mea ablata eſt*] Rectiùs, ut ſequentia indicant, *Habitatio.*

Et convoluta eſt à me] *Tranſlata à me.*

Præciſa eſt veluti à texente vita mea] Sic Latini dicunt *vitæ ſtamina præciſa.*

Dum adhuc ordirer ſuccîdit me] דל πλέκιον [*coma implexa*] vertitur Cantic. VII. 5. Itaque ſenſus hîc videtur eſſe, *abſciſſus ſum à pano:* quod eſſe tramæ involucrum docent nos Feſtus & Nonius. habet autem id πλοκίου [*comæ implexæ*] ſimilitudinem.

De manè uſque ad veſperam finies me] Supple *dixi,* heri ſcilicet. Intra hunc diem lucentem moriar.

13. *Sperabam uſque ad manè*] Vbi nox advenerat, non ultrà quàm ad auroram victurum me putabam: atque interim, quaſi fractus graviſſimos patiebar dolores.

De manè uſque ad veſperam finies me] Cùm dies iterum alluxiſſet, tanta erat morbi gravitas, ut veſperam me viſurum ſperare non auderem.

14. *Sicut pullus hirundinis ſic clamabo*] In Hebræo: *Sicut grus* vel *hirundo ità pipiebam.*

Meditabor ut columba] *Gemebam ut columba.* Virgilius:

> *Nec gemere aëriâ ceſſabit turtur ab ulmo.*

Attenuati ſunt oculi mei ſpectantes in excelſum] Dum inter precandum cœlum intueor, interim deficere incipit lux oculorum.

Domine vim patior] Morbum deſcribit ſub ſpecie improbi alicujus publicani.

Reſponde pro me] Fac quod ſolent fidejuſſores: ii enim impediunt nè quis in nervum ducatur.

15. *Quid dicam, aut quid reſpondebit mihi, cùm ipſe fecerit?*] In Hebræo, *Quid loquar* (ſupple *ampliùs?*) *ipſe dixit mihi,* (nempe *fore ut convaleſcerem;* idque per Eſaiam antequam is de cubiculo ægrotantis egrederetur, II Reg. XX. 4.) *& ipſe fecit:* ſanitatem mihi reddidit.

Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ] Quomodo hæc & ſequentia legerint Græci difficile eſt conjectu. Cæterùm ſenſus in Græco eſt non malus. Si Hebræum ſequamur, hoc dicit: toto vitæ meæ tempore cogitatio hujus amaritiei mihi recurret.

16. *Domine ſi ſic vivitur*] *Domine per iſta vivitur:* per promiſſa ſcilicet tua & facta.

Et in talibus vita ſpiritûs mei] Per iſta reſpiravi.

Corripies me, & vivificabis me] In Hebræo: *Tu me ſanas, & facis ut vivam.*

17. *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima*] *Saluti mihi fuit iſta maxima amarities.*

Projeciſti poſt tergum tuum omnia peccata mea] Non vis ad culpas meas reſpicere.

18. *Quia non infernus confitebitur tibi*] Laus tua per mortuos non celebratur, Pſalm. VI. 6.

Qui deſcendunt in lacum] In *foveam.* LXX: οἱ ἐν ᾅδου [*qui in inferno ſunt*].

21. *Maſſam de ficis*] Quæ vi nativâ magìs nocitura fuiſſe creditur.

Super vulnus] Imò *ulcus,* ut eſt in Græco: id eſt, ſuper parte maximè inflammata.

22. *Quod erit ſignum quia aſcendam in domum Domini*] Rectiùs videtur verti: *Quantum erit miraculum me ire in domum Domini?*

CAPVT XXXIX.

1. MErodach] Videtur hinc corrigendus locus II Regum XX. 12. ubi in Hebræo *Berodach* ſcribitur. Græci utrobique habent Μερωδὰχ [*Merodach*]. Ioſephus tantùm *Baladam* vocat, aitque ejus mentionem factam & à Beroſo in Chaldaïcis. Fuit autem hic Medus; nam Medi poſt Aſarhaddonem regnum Babylonicum tenuêre: cujus mutationis jam antè vaticinia habuimus. Medos poſtea expulit Nabopolaſſarus Chaldæus ortu, Nabuchodonoſori pater. Hic Merodach ob beneficia in deos relatus, ut dicemus ad Ierem. L. 2.

CAPVT XL.

CVm apertè jam prædixiſſet Propheta eam deportationem quæ per Nabuchodonoſorum ejúſque Ducem Nabuzardanem erat eventura, liberaliter ejus calamitatis participes futuros partim ad emendationem vitæ excitat, partim, ſi eam præſtent, promittit ſevera Dei judicia in ipſorum hoſtes, ipſis verò reditum in patriam, ſtatum florentem, tutúmque contra infeſtos vicinos, egregias victorias, magnum denique numerum eorum qui ipſorum exemplo atque inſtitutione, aut Legem totam ſuſciperent, aut certè ab idololatria moribúſque improbis, qui idololatriam plerumque comitantur, diſcederent. In longum autem tempus extendunt ſe hæc vaticinia, à temporibus exſilii ad tempora Templi & Vrbis reſtitutæ, imò & ad Maccabæorum & ſequentia tempora. Nulla enim decora quæ populo erant obventura taceri Deus voluit, quò plus ſolatii eſſet piis per aliorum culpam exſulantibus. At cur tranſiliit tempora Manaſſis, Ioſiæ, Ioakimi? Quia nihil ea continebant niſi corruptelas populi, quæ cauſam dedêre deportationi. Ioſias enim, quamvis bonus, non multum exemplo ſuo apud populum profecerat, niſi quòd ritus aliquo modo reſtituerat; ſed pleriſque & procerum & populi animus manſerat remotus à vera pietate. Cùm autem omnia Dei beneficia umbram in ſe contineant eorum quæ Chriſtus præſtitit, tum præcipuè iſta omnia quæ deinceps ab Eſaia prænuntiabuntur, verbis ſæpiſſime à Deo ſic directis, ut ſimpliciùs limpidiúſque in res Chriſti, quàm in illas, quas primò ſignificare Eſaias voluit, convenirent.

1. *Conſolamini, conſolamini popule meus*] Rectiùs *populum meum*, ut & Chaldæus cenſuit. Loquitur Deus, ut idem Chaldæus cenſet, Prophetis futuris exſilii tempore.

2. *Completa eſt malitia ejus*] Scripſit Interpres *militia*: id eſt, labor ejus finem accipiet brevî.

Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis] Id eſt, tantum quantum Deus ſatìs eſſe judicat.

3. *Vox clamantis*] Supple, *ſit*. Reſpicit id quod præceſſerat, *clamate ad eam*: ubi hic Interpres, *advocate eam*. Dicit ergò quid clamare debeant eo tempore Prophetæ.

In deſerto, Parate viam Domini] Loca deſerta ſolent eſſe valde inęqualia. Per montes, valles, ſilvas, quà Rex incedere debebat, mittebantur munitores qui arbores cæderent, valles adæquarent, montium obſtantia tollerent. Vide quæ dicta ad Matth. III. 3. Sic etiam Deus vult exſulantibus Iudæis dici, ut auferant mores malos qui reſtitutionem ipſorum morabantur.

4. *Omnis vallis exaltabitur*] *Exaltetur*: id eſt, complanetur. Sic accipe & ſequentia.

5. *Et revelabitur gloria Domini*] Si hoc faciatis, apparebit Dei auxilium, quicquid tandem homines contrà moliantur.

Et videbit omnis caro] Voce *carnis* dat intelligi hominum nullas eſſe vires, ubi velit hoc Deus. Id ſequentia clariùs explicant.

6. *Omnis caro fœnum*] *Gramen*. Vide quæ diximus Pſal. XXXVII. 2. Adde Pſal. CIII. 15. ſuprà XV. 6.

Et omnis gloria ejus quaſi flos agri] Sic & Græci: καὶ πᾶσα δόξα ἀνθρώπου [*& omnis gloria hominis*], ut & Petrus I. 1. 24. Legerunt nimirum non חסדו [*miſericordia ejus*], ſed הודו [*gloria ejus*], & rectiùs.

7. *Spiritus Domini ſufflavit*] Æſtus, Iac. I. 11.

Verè fœnum eſt populus] *Omnis populus*, ut ſuprà *omnis caro*.

8. *Verbum autem Domini noſtri manet in æternum*] Prædicta Prophetarum.

9. *Super montem excelſum aſcende tu*] Fac undique audiaris quiſquis hæc mea dicta ſuo tempore es prolaturus.

Qui euangelizas Sion] Id eſt, *Sioni*. *Euangelizans* in Hebræo eſt מבשרת ſono femininum, ſenſu commune, ut קהלת [*concionatrix* pro *concionator*].

Dic civitatibus Iuda] Id eſt, hominibus diſperſis ex omnibus civitatibus. Συνεκδοχή [*Complexio*].

10. *Opus illius coram illo*] Μετωνυμία [*tranſnominatio*]: nam *opus* ſive *opera* poſita eſt pro *pretio operæ*.

11. *In brachio ſuo congregabit agnos*] Innocentes.

Fœtas ipſe portabit] In Hebræo, *ducet*. Virgilius:

—— hanc etiam vix, Tityre, duco
Hîc inter denſas corylos modò namque gemellos,
Spem gregis, ah ſilice in nuda connixa reliquit.

Per *fœtas* intellige qui labore feſſi ſunt.

12. *Quis menſus eſt pugillo aquas*] Ex factis oſtendit immenſam Dei potentiam: *menſus eſt pugillo*, id eſt, *continet quaſi pugillo aquas*, id eſt, mare ipſum.

Et cœlos palmâ ponderabit] In Hebræo, *Diſpoſuit. Palmâ*, quaſi palmâ. Sic & ſequentia.

Quis appendit tribus digitis molem terræ] In Hebræo: *Quis comprehendit in tridentali pulverem terræ?* שלש enim *tridental* etiam Pſalm. LXXX. 6.

Et libravit in pondere montes] *In ſtatera*. Non minùs facilè montes ſuſtinet, quàm homo pondera *in ſtatera*.

13. *Quis adjuvit ſpiritum Domini?*] In Hebræo, *Quis inſtruxit ſpiritum Domini?* Græci verterunt, τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου; [*quis novit mentem Domini?*] quos ſequitur Paulus Rom. XI. 34. eodem, ni fallor, ſenſu. Nam Iudæi Græcè loquentes verba duplicem actionem ſignificantia per unam exprimunt, ut ἔγνω hîc valeat *ſcire fecit*, id eſt, docuit. Explicant id ſequentia.

15. *Ecce gentes*] Etiam illi Chaldæi domini nunc veſtri.

Quaſi ſtilla ſitulæ] Quæ ſi decidat, à nemine curatur.

Et quaſi momentum ſtateræ] Optimè vertit שחק, ut & Sapiens ῥοπὴ XI. 23. qui locus huic loco geminus. intellige *ſcriptulum.*

Ecce inſulæ quaſi pulvis exiguus] דק omne *quod minutum eſt* ſignificat. Σίελον, id eſt *ſputum*, hîc vertêre Græci. *Inſulas* intellige terras maribus aut etiam amnibus adſitas, more Hebræo. eas projiciet ut ſputum ubi velit. Præcipuè videtur intelligi Meſopotamia, Aſſyria, Armenia.

16. *Et Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia ejus non ſufficient ad holocauſtum*] *Non ſufficerent*, nempe ſi pro dignitate ſacra ei facienda eſſent.

18. *Cui ergò ſimilem feciſtis Deum?*] Non abs re tractat hîc locum contra imagines, quæ Deo aut quaſi Deo erigebantur. Cùm enim Iſraëlitæ à Theglathphalaſare & à Salmanaſare deportati, jam viverent inter eos qui Deo fingebant imagines, idémque eventurum eſſet Iudæis, quos deportaturus erat Nabuchodonoſor, præmuniendi fuêre utrique, ut, legis optimæ & ſapientiſſimæ memores, caverent ſibi ab iis moribus, qui minùs convenientem Divinæ majeſtati cogitationem imprimere poſſent animis, deinde & à vero Deo ad falſos abducere. Laudatur à plurimis Moſes, quòd nullas Deo imagines ſtruxerit, nè Deus aut animali alicui, aut etiam animalium potiſſimo, homini, ſimilis crederetur. Vide quæ ad hanc rem pertinentia protulimus ex Empedocle, Xenophane, Tacito, Plutarcho, ad Deuteron. IV. 15. Adde illud Antiphanis de Deo; ὀφθαλμοῖς οὐχ ὁρᾶται, οὐδενὶ ἔοικε, διόπερ αὐτὸν ἐκμαθεῖν ἐξ εἰκόνος οὐδεὶς δύναται [*oculis non aſpicitur, nemini eſt ſimilis; unde etiam nemo eum ex imagine poteſt cognoſcere*].

20. *Forte lignum & imputribile elegit*] In Hebræo, *Qui pauper eſt ad offerendum lignum eligit quod cariem non ſentiat:* is ſcilicet cui aurum & argentum non ſuppetit. Tale autem lignum præcipuè eſt cupreſſus, adeò ut tradat Plinius XVI. 41. *ſimulacrum Iovis in arce è cupreſſo duraſſe* ad ſuam ætatem, à *condita Vrbe ſexcenteſimo ſexageſimo primo anno dicatum.* Laudat ibidem Plinius ad eos uſus vitem, juniperum, morum.

21. *Nónne intellexiſtis fundamenta terræ*] Nempe ab ipſo eſſe facta, ut infrà 26. Hæc omnia dicit, ut de Deo ea quæ ipſo digna ſunt ſentiantur.

22. *Qui ſedet ſuper gyrum terræ*] *Super orbem terræ.*

Et habitatores ejus ſunt quaſi locuſtæ] Velut minuta animantia, ſi cum ipſo comparentur.

Expandit eos ſicut tabernaculum] Vide Pſal. CIV. 2. & Geneſ. I. 6.

23. *Qui dat ſecretorum ſcrutatores quaſi non ſint*] In Hebræo, רוזנים, id eſt, *Principes*; Græci, ἄρχοντας: Arabibus رزن eſt *gravis.*

Iudices terræ velut inane fecit] Difflat eos, ut ſequitur.

26. *Qui educit in numero militiam eorum*] Velut ordinatis agminibus.

Et omnes ex nomine vocat] Vt domini ſervos, *Heus Syre, heus Geta*: pro imperio.

Neque unum reliquum fuit] Nulla ſtellarum defugit imperium: ex præſcripto oriuntur omnes.

27. *Quare dicis Iacob*] Quare diceres, ô Iacobi poſteritas. Monet eos, nè cùm eæ calamitates advenient putent ſe Deo curæ non eſſe.

28. *Non deficiet, neque laborabit*] Id eſt, non fatigatur gubernando res humanas.

Nec eſt inveſtigatio ſapientiæ ejus] Hoc vult: *ſed ſapientia ejus* (quæ mundum regit) eſt *imperſcrutabilis.* Cùm ceſſare videtur, jam cauſas actuum in occulto diſponit.

29. *Qui dat laſſo virtutem*] Quomodo laſſaretur is qui laſſos recreat?

30. *Deficient pueri*] נערים hîc ſunt *adoleſcentes*, ut ſæpe alibi. Vertunt ſæpe Græci νέοι & νεανίσκοι. Sæpe evenit, inquit, ut qui vegetæ ſunt ætatis, ſub labore deficiant.

31. *Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem*] Id eſt, novas ſubinde vires Deo dante accipient.

Aſſument pennas ſicut aquilæ] Novas ſcilicet. Vide Pſalm. CIII. 5.

CAPVT XLI.

1. *TAceant ad me inſulæ*] In Hebræo, *Tacete*; ſed ſenſu eodem; id eſt, cum ſilentio admiramini. At LXX legerunt non החרישו [*tacete*], ſed החרישו [*innovate*]; vertunt enim ἐγκαινίζεσθε.

Et gentes mutent fortitudinem] *Cùm populi* (id eſt, Iudæi) *novas acquirent vires:* eſt enim repetita locutio ex eo quod præceſſit XL. 31. Frequens eſt ſacris literis לאמים, id eſt λαοὺς [*populos*], vocare Iudæos, cæteros גוים [*gentes*], aut ut hîc איים [*inſulas*].

Tunc loquantur] Poſtquam admirando defeſſæ erunt gentes, tunc loquantur, & cauſas intelligant. Quod in Abrahamo fecit Deus, idem ſe ait feciſſe in ejus poſteris; ídque meritò, ob unius Dei cultum ab aliis neglectum.

2. *Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum*] In Hebræo eſt *juſtitiam.* Sed frequens Hebræis abſtracta ponere pro concretis. *Iuſtum* dicit Dei unius cultorem Abrahamum. Nihil enim juſtius quàm eum pro Deo haberi qui mundum condidit, non alios quos humana audacia deos fecit. Chaldæa & Meſopotamia ad Orientem Iudææ.

Vocavit eum ut ſequeretur ſe] Bene vertit ſenſum Hebræi לרגלו [*ad pedes ſuos*]. Vide Geneſ. XII. I. Ioſuæ XXIV. 3. Hebr. XI. 8.

Dabit in conſpectu ejus gentes] Id eſt, proſtravit coram eo idololatras, Geneſ. XIV. nam futura hîc valent pro præteritis, more Hebræo.

Et reges obtinebit] In Hebræo, *Regibus eum fecit prævalere*, Pſalm. CV. 14.

Dabit quaſi pulverem gladio ejus, ſicut ſtipulam vento raptam arcui ejus] Ità gentes & Reges iſti gladio & arcu Abrahami disjecti ſunt quaſi pulvis aut ſtipula.

3. *Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus ejus non apparebit*] Ex Hebræo ſic vertas, *Perſecutus eos pervenit incolumis eâ viâ quam pedibus ſuis ingreſſus* (ſupple *antè*) *non fuerat:* id eſt, Damaſcum uſque, Gen. XIV. 15.

4. *Vocans generationes ab exordio*] Imperans & imperaturus omnibus populis à mundi initio ad finem

uſque. De loquendi hoc genere alibi.

Primus & noviſſimus ego ſum] In Hebræo, *cum noviſſimis* : id eſt, ab initio ad finem uſque cuncta guberno,

5. *Viderunt inſulæ, & timuerunt*] Videbunt miram populi mei reſtitutionem, & ſevera judicia in gentes alias.

6. *Vnuſquiſque proximo ſuo auxiliabitur*] Coibunt inter ſe ut idololatræ,

7. *Confortavit faber ærarius percutiens malleo eum qui cudebat tunc temporis*] In Hebræo, *Confirmat faber ærarius aurificem ; politor mallei eum qui tundit incudem.*

Dicens glutino bonum eſt] *Dicens ferrumen hoc bonum eſſe:* σύμβλημα [*commiſſura*] Græcis.

Et confortavit eos] Deorum aliquem.

Clavis ut non moveretur] *Gomphis*, ut loquitur in hac re Arnobius. Senſus eſt, Quàm facilè ſimulacra ſua ſtatuminant, tam facilè putant ſtatuminari à ſe poſſe Imperia ſua.

8. *Et tu Iſraël*] *O Iſraël*: nam ità ſumitur אתה [*tu*].

Semen Abrahami amici mei] Nempe *es* : quaſi dicat, Memento te ex Abrahamo ortum, pariter tractandum, ſi paria feceris. Magnus honos Abrahami *amicum Dei* dici II Paralip. XX. 7. Iac. II. 23. Ejus amicitiæ ſignum ingens quòd Abrahami causâ Deus juravit: Hebr. VI. 17.

9. *In quo apprehendi te ab extremis terræ*]In Hebræo, quanquam tranſpoſitis vocibus: *Tu es quem apprehendi. Ab extremis terræ*, ab Ægypto. Vetera memorat, ut nova ſperentur.

Et à longinquis ejus vocavi te] *A magnis ejus*, in Hebræo: id eſt, Regi & principibus Ægypti te eripui.

Elegi te, & non abjeci te] Te mihi feci populum peculiarem, non autem inſuper habui ut gentes alias.

10. *Nè declines, quia ego Deus tuus*] Nè animo concidas.

Et ſuſcepit te dextera juſti mei] In Hebræo, *juſtitiæ meæ* : id eſt, dextera mea juſta: quomodo & Græci hìc accepêre.

11. *Erunt quaſi non ſint*] In Hebræo, *redigentur in nihilum.* Sic & infrà 12.

Qui contradicunt tibi] Id eſt, obſtant. Vide quæ ad Lucam II. 34.

12. *Viros rebelles tuos*]Meliùs: *eos qui tecum contendunt.*

13. *Apprehendens manum tuam*] Tanquam pugnæ ſocius.

14. *Noli timere vermis Iacob*] Qui à gentibus tanquam vermis contereris, Pſalm. XXII. 7.

Qui mortui eſtis ex Iſrael] Imò, *viri Iſraëlis.* Id enim מתי [*viri*]. ſed ſolet de paucis dici: ideo Græci hìc poſuêre ὀλιγοστὸς [*rarus*].

15. *Ego poſui te quaſi plauſtrum triturans novum*] Faciam ut ſis velut tribula valde incidens.

Habens roſtra ſerrantia] Bene dentata. *Ora habens*, in Hebræo.

Triturabis montes & comminues, & colles quaſi pulverem pones] Id eſt, precibus tuis obtinebis, ut, ſicut olim Abrahami causâ contrivi Reges, & Moſis eúmque comitantium causâ Regem Ægyptium: ità nunc etiam veſtrî causâ conteram Medos, & Babylonem, à quibus peſſimè tractati eſtis.

17. *Egeni & pauperes quærunt aquas, & non ſunt: lingua eorum ſiti aruit, ego Dominus exaudiam eos*] Conſtructio Hebraïca, quam Latinè ſic exprimas: *Egenos & pauperes qui aquas quærunt ubi nullæ erunt, ità ut ſiti ardeat eorum lingua, ego Deus exaudiam. Sitis* & *fames*, præſertim in locis æſtuoſis, omne vehemens deſiderium ſignificat, ut XXV. 5. oſtendunt id & ſequentia.

19. *Dabo in ſolitudinem cedrum & ſpinam, & myrtum & lignum olivæ: ponam in deſerto abietem, ulmum & buxum ſimul*] Altera ſimilitudo ſumta ab umbris in locis quæ umbras habere non ſolent. Eæ enim ſubitò ſi appareant, magno id ſolatio eſt. Vide ſuprà XXV. 4. Quod hìc eſt *ſpina* in Hebræo eſt שטה. Id cedri proprium eſt genus, unde *ligna Setim. Spinus* vocatur nonnullis, quòd ſpinui albæ ſit non diſſimilis.

Vlmum] Hebræi putant aliud eſſe cedri genus. Dictum à *duratione* videtur: nam دهر Arabibus eſt *æternitas.*

Et buxum ſimul] Hanc etiam cedrorum generi annumerant Hebræi.

20. *Et Sanctus Iſrael creavit illud*] Græci κατέδειξε [*oſtendit*], benè; nam ברא apud Hebræos de omni facto mirabili dicitur.

21. *Propè facite judicium veſtrum*] Id eſt, Iam vos idololatræ adeſte cauſæ veſtræ.

Afferte ſiquid fortè habetis] In Hebræo, *Adſerte robora veſtra* : id eſt, argumenta.

22. *Accedant*] Dii veſtri.

Priora quæ fuerunt nuntiate] In Hebræo, *Priora quæ ſint* (eventura ſcilicet) *nuntiate.* Dicite nobis ex deorum veſtrorum dictatu quæ jamjam eventura ſint.

Et ponemus cor noſtrum] Credemus illos eſſe Deos. Eſt κοίνωσις [*Communicatio*] *:* nam Deus hìc ſe hominibus quaſi adjungit.

Et ſciemus noviſſima eorum] In Hebræo, *Et ſciamus poſteriora eorum*, Id eſt, ſciamus quæ illis primis futuris proximè conſequentia erunt.

Et quæ ventura ſunt nuntiate nobis] Nempe *in longum :* ut ſequentia exponunt. ità ordine progreditur.

23. *Bene quoque aut malè, ſi poteſtis, facite*] Evertite hoſtes veſtros, ut ego Pharaonem everti : ſervate cultores veſtros, quomodo ego Iſraëlitas ſervavi.

Et loquamur & videamus] Hæc ubi præſtiteritis, agemus poſtea de rebus aliis, & eas quoque examinabimus.

24. *Ecce vos eſtis ex nihilo*] Meliùs vertas, *minus nihilo.*

Et opus veſtrum ex eo quod non eſt] Rectiùs vertas: *Opus veſtrum pejus viperino.* Nam אפעה quod hìc ſine ה breviùs effertur, eſt *vipera*, ut apparet infrà LIX. 5. & ex ſermone Arabico. *opus deorum* intelligit id quod circà eos fit, id eſt, idololatriam.

Abominatio eſt] *Abominabilis eſt*, loquendi genere Hebræo, de quo ſæpe jam egimus.

Qui elegit vos] Qui ſibi ſumit vos colendos.

25. *Suſcitavi ab Aquilone, & veniet ab ortu Solis*]

Deus per gradus quoſdam clariùs clariúſque explicat modum, quo Iudæorum reſtitutionem ſit procuraturus. Pro *ſuſcitavi* ponendum *ſuſcitabo*. Medi Iudæis ad Septentrionem, Perſæ ad Ortum. Cyrus Medoperſa, ideo ἡμίονος [*mulus*] in oraculo dictus, Perſa per patrem Cambyſem, Medus per matrem Mandanen Aſtyagis filiam.

Vocabit nomen meum] Me colet, auctorémque ſuæ felicitatis agnoſcet. Vide Eſdræ 1. 2. 7. Ioſephum XI. 1.

Adducet magiſtratus quaſi lutum, & velut plaſtes conculcans humum] Eſt in Hebræo tranſpoſitio quædam hunc habens ſenſum : *Is veniens principes ut lutum conculcabit, aut ut figulus humum mollem. Principes*, nempe Aſtyagen, Crœſum, Nabonidum.

26. *Quis ſignificavit à primordio*] Quis deorum hæc prædixit longo antè tempore? id eſt, annis fermè CL.

Et à principio] Idem bis dictum.

Vt dicamus, Iuſtus eſt] Id eſt, Iuſtè ille ſibi *Dei* nomen vindicat.

Non eſt neque annuntians]Deorum aliquis.

Neque prædicens] Propheta aliquis illis diis ſerviens.

Nec audiens ſermones veſtros] Nempe de illa Iudæorum reſtitutione.

27. *Primus ad Sion dicet*] In Hebræo non eſt *dicet*; ſed ſubaudiendum *dico*. Ego Deus primus id ſignifico.

Ecce adſunt] Aderunt Iudæi ex omnibus terræ finibus.

Et Ieruſalem euangeliſtam dabo] Do jam nunc Eſaiam qui prædicat reſtitutionem Vrbis.

28. *Et vidi*] Quantumvis circumſpectem.

Non erat ex iſtis quiſquam qui iniret conſilium, & interrogatus reſponderet verbum] Nemo eſt ex illis diis ità futuri peritus, ut conſultoribus ſuis de ea re certi quicquam reſpondere poſſit.

29. *Ecce omnes injuſti*] Immeritò *Deorum* nomen ſibi vindicant.

Et vana opera eorum] Cultus qui eis exhibetur : ut ſuprà 24.

Ventus & inane ſimulacra eorum] Nihil per ſe valent, nec qui iis utuntur ſpiritus quicquam contra Deum.

CAPVT XLII.

1. *Ecce ſervus meus*] LXX hæc de toto populo Iudaïco intellexerunt. Sed bene cuncta intuenti apparebit Dei ſermonem redire ad Eſaiam, de quo ſuprà XLI. 27. Sublimiùs autem hæc impleta in Chriſto, cujus figuram, quantum potuit, geſſit Eſaias, ut & Ionas, Ieremias, & alii quidam.

Suſcipiam eum] Meliùs, *cui innitor* : cujus operâ uti volo.

Iudicium gentibus proferet] Iudicia mea in Medos & Babylonios enuntiabit.

2. *Non clamabit*] Nihil aget perturbato animo.

Neque accipiet perſonam] In Hebræo, *Non elevabit*, ſupple *vocem*, *pluſquam res exigit*.

Nec audietur vox ejus foris] Solent qui irâ exardeſcunt ità altùm loqui, ut vox eorum extra domum à prætereuntibus exaudiatur.

3. *Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non exſtinguet*]Eſt λιτότης [*Extenuatio*]. Vult enim dicere, Eſaiam vaticiniis ſuis confirmaturum Hebræos, quibus pietatis reſtabat aliquid, ſed penè exſtinctum calamitatibus.

In veritate educet judicium] Dei judicia fideliter enuntiabit, nihil ſui affectûs permiſcens.

4. *Non erit triſtis, neque turbulentus*] In Hebræo, *Non caligabit, neque frangetur* : id eſt, neque ignorantiâ falletur, neque metu retrahetur à faciendo officio.

Donec ponat in terra judicium]Quò minùs Dei judicia terris annuntiet.

Et legem ejus inſulæ exſpectabunt] Meliûs : *Documenta ejus inſulæ exſpectent*. Id eſt, certò ſciant illi Aſſyrii, Meſopotamienſes, atque alii eventura quæ dicet Eſaias.

6. *Ego Dominus vocavi te in juſtitia*] Eſaiam Deus alloquitur. *In juſtitiam* rectiùs vertas : vocavi te, inquit, ut omnia vera ac recta eloquaris.

Apprehendi manum tuam] In Hebræo, *Apprehendam*. confirmabo te, ut ſuprà XLI. 13.

Et ſervavi te] *Cuſtodiam te* : nempe donec munus tuum peregeris.

Et dedi te in fedus populi] Vt populum meum Iudaïcum ad obſervationem federis revoces.

In lucem gentium] Vt gentes doceas unum eſſe Deum mundi opificem.

7. *Vt aperires oculos cæcorum*] Idololatrarum.

Et educeres de concluſione vinctum] Vt Iudæi per te moniti de corrigendis viis ſuis hoc modo exitum reperiant ex illa cuſtodia in qua detinebantur.

De domo carceris ſedentes in tenebris] Idem eſt quod jam dixit. Tenebræ ſunt hîc mœſtitia ſumma.

8. *Ego Dominus*]יהוה.

Hoc eſt nomen meum] Quo à diis gentium diſcernor.

Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus]Iterum λιτότης [*Extenuatio*]: vult enim dicere ſe vindicaturum ſeverè in eos qui nomen quod ipſius eſt, dant Belo, Neboni, Meraducho & aliis τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς [*iis qui re ipsâ non ſunt Dii*].

9. *Quæ primò fuerunt, ecce venerunt*] Loquitur Eſaias quaſi captivitati Babylonicæ interſit. Videtis eveniſſe quæ Ezechiæ dixi de hac calamitate.

Nova quoque ego annuntio] Liberationem futuram.

Antequam oriantur] Antequam ulla exſiſtant ejus rei ſemina.

10. *Cantate Domino canticum novum*] Solet id dici in magnis gaudiis, ut Pſalm. XXXIII. 3. XL. 4.

Laus ejus ab extremis terræ] Supple, *ſonet*.

Qui deſcenditis in mare, & plenitudo ejus] Id eſt, & nautæ & vectores. Tyrios indicat multùm vexatos à Babyloniis. Vide quæ de Tyro per Nabuchodonoſorum obſeſſa per annos XIII diximus ad librum III de Veritate Religionis Chriſtianæ. πληρώματα pro *vectoribus* etiam apud Thucydidem videmus libro VII, ut ibi notat Scholiaſtes : & apud Suidam πληρώματα exponuntur οἱ ἐπιβάται [*vectores*].

Inſulæ & habitatores earum] De inſulæ ſignificatu ſuprà diximus. Præcipuè eos notat qui ſunt ad Euphratem & Tigrim.

11. *Sublevetur deſertum & civitates ejus*] Gaudeant Idumæi ad ſinum Rubrum habitantes, qui Medorum hoſtes, & à Medis malè tractati fuerunt. Vide quæ diximus ad cap. XXI.

In domibus habitabit Cedar] Id eſt, Et vos qui tentoria habitatis, Arabes Σκηνῖται [*Scenitæ*] : nam & hi earundem fuerant partium. Vide locum jamjam indicatum.

Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt] Id eſt, Etiam illi qui in Arabia ſunt Petræa plurimùm de hac re gaudebunt. & meritò; nam & hi Medorum hoſtes fuerant.

12. *Ponent Domino gloriam*] Tribuant Deo gloriam Arabes iſti à tanto malo liberati.

Et laudem ejus in inſulis nuntiabunt] Nuntient hæc Dei opera in omnibus oris longinquis.

13. *Suſcitabit zelum*] Id eſt, magno ardore agetur in hoſtes.

Vociſerabitur & clamabit] *Barritum edet.* Omnia enim hæc ſumta ſunt de re militari.

Super inimicos ſuos confortabitur] Bene vertas: *Prævalebit hoſtibus.* Perſiſtit Propheta in eadem comparatione.

14. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui ſicut parturiens*] Dicens ſcilicet, (nam hoc verbum hîc & alibi ſæpe ſubauditur) *Diu continui iram meam, ſicut halitum feminæ parturientes.*

Loquar] Clamabo, ut feminæ parturientes interdum præ dolore facere coguntur.

Diſſipabo & abſorbebo ſimul] *Deſolabo* terras, *abſorbebo* homines.

15. *Deſertos faciam montes & colles*] In quibus plerumque ſitæ ſunt urbes.

Et omne gramen eorum exſiccabo] Id eſt, cives auferam. Amant Hebræi μεταφοράς [*tranſlationes*].

Et ponam flumina in inſulas, & ſtagna arefaciam] Nihil verius: nam ipſum Euphratem pervium ſibi fecit Cyrus. Vide quæ diximus ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

16. *Et ducam cæcos in viam quam neſciunt*] Iudæos domum reducam, qui nihil minus ſperaverant.

Ponam tenebras coram eis in lucem, & prava in recta] Mutabo adverſa ſecundis, & omnia eis quæ difficillima videntur reddam facillima.

Hæc verba feci eis] Meliùs: *Has res efficiam eis.*

Et non dereliqui eos] *Neque enim eos derelinquam.*

17. *Converſi ſunt retrorſum*] Fugient illi Babylonii. Vide implementum alterum Ioh. XV. 16.

Confundantur] *Confundentur,* id eſt, pudefient.

18. *Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum*] Gentes alloquitur, ut ſuprà 7.

19. *Quis cæcus niſi ſervus meus*] Senſus eſt: quanquam quid gentes objurgo, cùm nemo ſit inter eas cæcior quàm multi Hebræi poſt tot & tam conſpicua Dei beneficia.

Et ſurdus niſi ad quem nuntios meos miſi] In Hebræo, *nuntium*: id eſt, Eſaiam, ad cujus tot minas & promiſſa magna pars populi nihilo fiebat melior.

Quis cæcus niſi qui venumdatus eſt?] Legit hîc Interpres non משלם [*federatus*], ſed משכר [*mercede redemtus*]. Græci משלטן, οἱ κυριεύοντες αὐτῶν [*qui dominantur eorum*]. Lectio in Hebræo recepta non mala eſt, ſi vertas *ſicut federatus*, nempe *Dei*, populus Iſraëliticus. Mahumetiſtæ eodem ſenſu, quanquam falſo, ſe appellant *Muſſulmannos.*

20. *Qui vides multa, nónne cuſtodies?*] Ex Hebræo: *Videndo multa non obſervas.* Vidiſtis multa miracula & non curatis.

Apertas habes aures, nónne audies?] In Hebræo: *Qui apertas habet aures, nónne audiet?* Id eſt, audire debet? Cui tamdiu inſonuêre Legis & Prophetarum voces, nónne ejus fuit illas in animum admittere? nam *audire* hîc de mentis attentione accipiendum, ut Matth. XI. 15. & alibi.

21. *Et Dominus voluit ut ſanctificaret eum, & magnificaret legem, & extolleret*] Rectè vertas, *Deus voluit eum* (populum) *juſtum* (ſive *ſanctum*) *reddere: magnam ei legem dedit* (multa præcepta), *ut illuſtriorem eum redderet.*

22. *Ipſe autem populus direptus eſt, vaſtatus*] Attamen, inquit, vide quæ ei eveniant poſt tot decora. Cauſam jam reddet.

Laqueus juvenum omnes] Meliùs verti videtur: *Laqueus in omnibus foraminibus eorum.* Id eſt, Nuſquam exire poterunt: ità ubique eis tendentur inſidiæ. LXX: ἡ γὰρ παγὶς ἐν τοῖς ταμείοις πανταχοῦ [*laqueus ubique in penetralibus eorum*].

Et in domibus carcerum abſconditi ſunt] כלא non *carcerem* tantùm ſignificat, ſed omne *id quod bene clauditur.* LXX hîc: καὶ ἐν οἴκοις ἅμα ὅπου ἔκρυψαν αὐτούς [*& ſimul in domibus in quibus ſe abſconderant*]. Rectè ergò vertas: *& in recluſis locis ubi latitabant,* ſupple: *& ibi erunt inſidiæ.* Hiſtoriam vide II Regum XXV. 5.

Facti ſunt in rapinam, nec eſt qui eruat; in direptionem, nec eſt qui dicat, Redde] Nemo aut facto aut verbo eos ab injuria vindicat. Deſcribit ſtatum captæ urbis, & manentis ſervitutis.

23. *Quis eſt in vobis qui audiat hoc, attendat, & auſcultet futura?*] Id eſt, Quàm pauci ſunt qui cùm hæc Divinitus prædici audiant, in tempore ſe corrigant.

24. *Nónne Dominus ipſe cui peccavimus*] Eſt iterum κοίνωσις [*Communicatio*]. Neque enim Eſaias inter illos erat, quorum culpâ hæc eveniebant; ſed ipſe, quanquam integer, loquitur ut pars populi corrupti.

Et noluerunt in viis ejus ambulare] Id eſt, quia noluerunt. ſic ו ſæpe ſumitur.

25. *Et forte bellum*] Ab Ægyptio primùm, deinde à Chaldæo. II Reg. XXIII. 33. XXIV. XXV.

Et combuſſit eum in circuitu, & non cognovit] Id eſt, Cùm omnia circum Vrbem ſita incendio corrumpentur, nondum reſipiſcet populus.

Et ſuccendit eum, & non intellexit] Nè tum quidem reſipiſcet, cùm Vrbs à Chaldæis incendetur, II Reg. XXV. 9. Ierem. XXXIX. 8.

CAPVT XLIII.

1. QVia redemi te] Iacobum ex multis malis liberavi. Parentes cum liberis iidem cenſentur.

Et vocavi te nomine tuo, meus es tu] Indidi illi nomen *Iſraëlis*, ſicut ſervi vocantur *Marcipores*, *Quintipores*.

2. *Cùm tranſieris per aquas tecum ero*] Meliùs: *cùm tranſires per aquas* (id eſt, per mare Rubrum] *tecum eram*.

Et flumina non operient te] *Flumina* (ut Iordanes ex duobus fontibus oriens) *te non inundarunt*, quinimò tranſitum tibi dederunt.

Cùm ambulaveris in igne, non amburêris, & flamma non ardebit in te] Hæc quoque verba in præteritum mutanda. Senſus enim eſt, Cùm in circuitu urbis tuæ Sennacheribi exercitus ſubito exitio (quod flammæ comparari jam ſæpe vidimus) periret, te ſalvum quaſi ab incendio præſtiti. *Incedere per ignes* etiam Horatius dixit pro *in periculis* verſari.

3. *Dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam ac Saba pro te*] Græci ἄλλαγμά σου [*permutationem pro te*]: id eſt, Cùm Aſarhaddon cogitaret tibi inferre malorum ultima, objeci ei alium hoſtem Æthiopem Tharacam comitatum ingenti agmine ex Ægypto & Meroe, aut, ut Græci hîc habent, Syene. Vide ſuprà caput XVIII. & XXXVII.

4. *Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus, ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua*] Senſus eſt, Quod antehac feci nunc quoque faciam: quia apud me in magno es pretio, plurimíque haberis à me & diligeris, propterea nullis hominibus aut populis parcam ad te liberandum. Ad Medos & Babylonios hoc pertinet.

5.6. *Ab Oriente adducam ſemen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni, Da; & Auſtro, Noli prohibere*] Id eſt, ex omnibus mundi partibus te reducem faciam. Sic Matthæi XXIV. 31. ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων [*à quatuor ventis*]: ubi dicta vide.

7. *Et omnem qui invocat nomen meum*] Græci propiùs ad Hebræum: πάντας ὅσοι ἐπικέκληνται τῷ ὀνόματί μου [*omnes qui de meo nomine vocantur*], id eſt, illos qui ſe unius Dei cultores profitentur.

In gloriam meam] Vt appareat mea potentia, & in promiſſis fides ac conſtantia.

Creavi eum, formavi eum, & feci eum] Vertenda hæc per futurum, & ſenſus eſt: Eos omnes quaſi vitæ reddam. Nam miſera conditio *mortis* nomine appellatur.

8. *Educ foràs populum cæcum, & oculos habentem*] Qui cæcus eſt, quamvis oculos habeat. Iudæos intelligit, qui multa Dei opera viderant, nec ſatìs tamen plerique ea conſiderabant. *Educ*, id eſt, ad judicium voca.

Surdum & aures ei ſunt] Quamvis aures ei ſint: id eſt, qui multa à patribus audita non ſatìs animo retinet.

9. *Omnes gentes congregatæ ſunt, ſimul & collectæ ſunt tribus*] Vertas rectiùs: *congregentur* & *colligantur*, nempe ad judicium.

Quis in vobis annuntiet iſtud?] Quis eſt ex Gentibus qui vobis poſſit dicere, quis & quo nomine futurus ſit qui populum meum ſit liberaturus: quod ego dicam per Eſaiam.

Et quæ prima ſunt audire nos faciet] Dicat ſaltem illa quæ proximè futura ſunt. Vide ſuprà XLI. 22.

Dent teſtes eorum] Producant nobis teſtes idoneos de divinitate eorum quos colunt.

Iuſtificentur] Id eſt, Si id præſtare poſſunt, juſta illorum cauſa pronuntiabitur. Confer quod ſuprà XLI. 26.

Et audiant] Deinde audiant teſtes meæ partis.

Et dicant, Verè] Id eſt, cogentur dicere à me ſtare veritatem.

10. *Vos teſtes mei dicit Dominus*] Qui iſta ex Eſaia audiſtis & audietis.

Et ſervus meus quem elegi] Eſaias, ut ſuprà XLII. 1. Teſtis & dicendo palàm, & ſcribendo, & ſcriptum conſignando.

Quia ego ipſe ſum] Nempe *Deus*.

12. *Ego annuntiavi*] Prædixi ſalutem veſtram.

Et ſalvavi] Et præſtiti, ut prædixeram.

Auditum feci, & non in vobis alius] Eſt & hîc tranſpoſitio. Senſus eſt: Ego, non autem aliquis deorum extraneorum, effeci ut hæc vaticinia apud vos tanto antè audirentur.

Et ego Deus] *Me eſſe Deum.*

13. *Operabor, & quis avertet illud?*] Quis obſtabit ſi quid facere velim? Vide ſuprà XIV. 27.

14. *Miſi in Babylonem*] *Mittam adversùs Babylonem*, hoſtes ſcilicet.

Et detraxi vectes univerſos] Meliùs vertas, *Et faciam ut illi omnes fugiendo deſcendant*. Faciam ut Babylonii fugâ abeant ad Borſippa. Vide locum Beroſi, quem adduximus libro tertio Teſtimoniorum pro Veritate Religionis Chriſtianæ.

Et Chaldæos] ו [*&*] hîc eſt *nempe*.

In navibus ſuis gloriantes] Meliùs, *Ad naves erit clamor eorum.* Alii alios hortabuntur, ut in naves ſe conferant ad fugam.

15. *Creans Iſraël*] Vide ſuprà 7.

16. *Qui dedit in mari viam*] In mari Rubro, ut ſuprà 2.

Et in aquis torrentibus ſemitam] Per Iordanem.

17. *Qui eduxit quadrigam, & equum, agmen & robuſtum*] E terra in mare perduxit Ægyptios curribus & equis validos. Vide Exod. XV. 1. 4. 19.

Simul obdormierunt, nec reſurgent] Quaſi dicat illis:

> *Nox eſt perpetua una dormienda.*

Contriti ſunt quaſi linum, & exſtincti ſunt] *Linum* notat Ægyptum.

18. *Nè memineritis priorum, & antiqua nè intueamini*] Quaſi dicat, Nihil opus me vetera revolvere. Satìs erit novorum beneficiorum unde cognoſcar.

19. *Ponam in deſerto viam*] Facilem ac planam ſine offenſis: plerumque enim in deſertis loca ſunt confragoſa. Simile ſuprà XI. 16.

Et in invio flumina] In locis ſiticuloſis. Confer ſuprà XLI. 17.

20. *Glorificabit me beſtia agri, dracones & ſtruthiones*] His figuris feras gentes denotat.

Vt darem potum populo meo] Id eſt, ſolatium.

21. *Populum iſtum formavi mihi*] Formabo iſtos reduces.

22. *Non me invocaſti Iacob*] Cauſas reddit Deus deportationis populi: defectionem à Lege, cujus initium per Manaſſem. Vide II Reg. XXI. 9.

Nec laboraſti in me Iſraël] Rectiùs vertas, *Imò tædio fuiſti mihi Iſraël:* ut infrà 24. יגע κοπιῶ [*moleſtias exhibere*] vertitur Eccleſiaſtæ x. 15. & παροξύνειν [*exaſperare*] Malachiæ II. 17.

23. *Non obtuliſti mihi arietem holocauſti tui*] Non mihi, ſed Baali & Molocho, aſtríſque aliis. Vide dictum jam locum.

Non te ſervire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure] Ego tibi ſumtui non fui, ſed dii tui imaginarii.

24. *Non emiſti mihi argento calamum*] Ad ſuffitum.

Et adipe victimarum tuarum non inebriaſti] Non oblectaſti me.

Verumtamen] *Contrà.*

Servire me feciſti in peccatis tuis] Tam gravia mihi ſunt peccata tua, quàm ſervitus duriſſima homini eam ſervienti.

25. *Ego ſum, ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*] Ex mea bonitate pœnitentiâ veſtrâ contentus, priorum non recordabor.

26. *Reduc me in memoriam*] Narra mihi quæ feceris, & quæ paſſus ſis, ut videamus, quæ pertuliſti, jure, an injuriâ pertuleris.

Et judicemur ſimul] Super iſta calamitate veſtra.

Narra ſi quid habes, ut juſtificeris] Si quid habes quo ſperes te poſſe oſtendere immeritò tibi hæc evenire.

27. *Pater tuus primus peccavit*] Manaſſes. Reges enim *patres* populorum.

Et interpretes tui prævaricati ſunt in me] Sacerdotes & Levitæ.

28. *Et contaminavi principes ſanctos*] In Hebræo, *ſanctitatis.* Feci ut à profana plebe non diſtinguantur Pontifices ipſi: quia vivendum habent ſine Templo, ſine victimis, ſine habitu ſacerdotali. Loquitur hæc Deus quaſi in ipſo tempore captivitatis.

Dedi ad internecionem Iacob] Iudæos plurimos occidit Nabuchodonoſor. Vide II Reg. XXV. 6. 21.

Et Iſraël in blaſphemiam] *Opprobriis,* id eſt, ſerviuti expoſui Iſraëlis poſteros, nempe Hieroſolymitas, & alios quos deportavit Nabuzaradan.

CAPVT XLIV.

1. ET *nunc audi Iacob ſerve meus*] Alloquitur Deus illos deportatos jam pœnitentiâ ductos peccatorum.

2. *Et rectiſſimè quem elegi*] ישרון, id eſt, Ἰσραηλίδιον [*Iſraëlule*], quomodo filiolos alloqui ſolemus. Vide Deuteron. XXXII. 15.

3. *Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam*] Quid hac Metaphorâ ſignificet ſtatim explicat: *Effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum.* Dabo ex te Prophetas, Ieremiam, Ezechielem, Aggæum, Zachariam, Malachiam.

Et benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam] Efficiam ut multa tibi ſit ſoboles.

4. *Et germinabunt inter herbas ſicut ſalices inter aquarum rivulos*] Ità eminebunt inter populos

Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

5. *Iſte dicet, Domini ego ſum*] Quilibet abdicatis idolis Deo ſerviet.

Et ille vocabit in nomine Iacob] Volet ſe haberi non tantùm de poſteris Iacobi, ſed & ejus imitatorem.

Hic ſcribet manu ſuâ Domino] LXX non malè ἐπιγράψει τῇ χειρὶ αὐτοῦ, Τοῦ Θεοῦ εἰμι [*ſcribet in manu ſua, Dei ſum*]. Sicut milites Imperatoris nomen in manu ſcriptum habebant.

Et in nomine Iſraël aſſimilabitur] Cognominabitur ἀληθῶς Ἰσραηλίτης ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι [*verè Iſraëlita in quo dolus non eſt*], Ioh. Euang. I. 47.

6. *Ego primus & ego noviſſimus*] Vide ſuprà XLI. 4.

Abſque me] In Hebræo, *præter me.*

Non eſt Deus] Sunt tantùm λεγόμενοι Θεοὶ [*Dii nomine*], ut ait Paulus I Corinth. VIII. 5.

7. *Vocet & annuntiet, & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum*] Ex Hebræo ſic vertas: *Quis, ut ego, ſignificat & publicat, idque ordine, ſicut ego, qui diſpoſui omnia populo perpetuum duraturo?* Quis illorum qui dicuntur *dii* ſuis populis omnia eventura ſuo quoque ordine præſignificat, ut ego ei populo quem mirificis modis conſervo?

Ventura] Ex propinquo imminentia. Confer quæ ſuprà XLI. 22. 23.

Et quæ futura ſunt] Multò pòſt.

8. *Nolite timere, neque conturbamini*] Hac captivitate.

Ex tunc audire te feci, & annuntiavi] Memento per Eſaiam pridem id tibi prædictum. Tela præviſa minùs feriunt.

Vos eſtis teſtes mei] Scitis olim hæc præſcripta. Suprà XLIII. 10.

9. *Et amantiſſima eorum non proderunt eis*] Scripſit, ni fallor, Interpres *amatiſſima.* Sic enim in Hebræo, & in Græco τὰ καταθύμια αὐτῶν [*quæ maximè ipſis cordi ſunt*].

Ipſi ſunt teſtes eorum] Ipſi illi formatores optimi teſtes ſunt, unde & quomodo facta ſint iſta quæ *deos* vocant:

Cùm faber incertus ſcamnum facerétne Priapum,
Maluit eſſe deum.

Quia non vident neque intelligunt] Simulacra iſta neque ſentiendi neque intelligendi inſtrumenta habent.

Vt confundantur] Quare meritò pudere debeat eos qui talia faciunt & colunt, Pſal. XCVII. 7.

10. *Quis formavit Deum?*] Id eſt, Quis, niſi demens, Deum ſibi fabricet?

11. *Fabri enim ſunt ex hominibus*] Verte, *falſi præ cæteris:* pudefient ſcilicet.

Flabunt] Interpres ſcripſit *ſtabunt*, ut eſt in Hebræo, & in Græco στησάτωσαν. Adveniant cuncti illi fabri deorum, & coràm conſiſtant: ſtatim causâ cadent.

12. *Limâ operatus eſt*] Quod hîc *limam*, id Ieremiæ x. 3. meliùs fortè *aſciam* vertit.

Eſuriet & deficiet] Id eſt, niſi cibum habeat, Deus ſuus ei cibum præbere non poterit, ut ego meis manna præbui. Itáque neceſſe erit deficiat.

Non bibet aquam, & laſſeſcet] Si non adſit ei aqua quam bibat, Deus ſuus ipſi eam non dabit, ut ego meis ex rupe. Itaque præ ſiti deo ſuo inſpectante concidet.

13. *Artifex lignarius extendit normam*] *Lineam.* nam *norma* eſt ad quam fiunt anguloſa.

Formavit illud in runcina] Meliùs: *Deſignat illud amuſſi miniatâ*, μιλτείῳ στάγματι [*minio ſtillante*] in Epigrammate Græco.

Quaſi ſpecioſum hominem habitantem in domo] Habitaturum in templo, ſicut homo dives domi ſuæ habitat.

14. *Tulit ilicem*] In Hebræo, תרזה, unde Græca vox θύρσος [*thyrſus*].

Et quercum quæ ſteterat inter ligna ſaltûs] Rectiùs, *Quæ extulerat ſe inter arbores ſilvæ.* ו ſæpe habet vim pronominis relativi: ut in eo quod ſtatim ſequitur וגשם [*quam pluvia*].

Plantavit pinum] ארן Hebræum videtur potiùs *ornum* ſignificare. *Plantavit*, id eſt, deſtituit coram ſe, ut eam dedolaret, eíque formam animo conceptam induceret.

15. *Et facta eſt hominibus in focum*] Nempe pars quæ dolando decidit. Explicant id ſequentia.

Et adoravit] Vox Hebræa, quâ hîc utitur, ſignificat προσκυνεῖν [*in terram procumbere*].

Et curvatus eſt ante illud] *Genua flexit.* Vox eſt Chaldæa, quam de induſtria hîc uſurpavit Eſaias. Vſurpant eam eodem ſenſu & Arabes. Exſtat apud Danielem ſæpe. Aliarum gentium alii erant ritus in colendis idolis: quorum nullum præterire voluit Eſaias.

16. *Et de medio ejus carnes comedit*] Id eſt, parte alterâ coctas carnes comedit.

Vah] Meliùs vertas *Euge:* eſt enim lætantis Interjectio, ut Pſalm. XXXV. 21.

Vidi focum] Nempe bene lucentem.

17. *Et obſecrat*] Preces allegat imagini. Is eſt vocis Hebrææ ſignificatus. Heraclitus: ὅμοια, ὡς εἴτις τοῖς δόμοις λεσχηνεύοιτο, ποιέουσιν οἱ προσιόντες ὡς θεοῖς τοῖς ἀψύχοις [*Paria faciunt qui res inanimas tanquam Deos accedunt, ac ſi verba ad domos facerent*].

18. *Non viderunt, neque intellexerunt*] Ne mica quidem illis reſtat bonæ mentis.

Obliti enim ſunt nè videant oculi eorum] Hoc *obliti*, quod hîc poſuit Interpres, eſt ab *oblino*, non ab *obliviſcor*: oſtendit id & Hebræus contextus & Græcus. Græci elegantiores dicerent λημῶσι [*lippiunt*].

19. *Idolum faciam*] Ipſi dicerent, *deum.* Sed Eſaias more ſuæ gentis dixit βδέλυγμα [*abominationem*], ut hîc vertunt Græci. Vide quæ ad Matthæi XXIV. 15.

20. *Pars ejus cinis eſt*] Legit רבעה: nam רבע *quartam* propriè, impropriè etiam alias partes ſignificat. Vide Num. XXIII. 13. Græci legerunt דעה [*ſcientia*]. Videtur lectio recepta non mala hoc ſenſu, *Paſcitur cinere cor deceptum:* id eſt, re nihili. Quicquid lignum eſt, cinefieri poteſt.

Adoravit illud] In Hebræo eſt: *divertere illum facit*, nempe *à verò*, *cor illud deceptum*, prava ſcilicet conſuetudo.

Et non liberavit animam ſuam] Ità ut ſe expedire non poſſet, illis ſcilicet idololatriæ vinculis.

Neque dicet] *Neque cogitare.*

Fortè eſt mendacium in dextera mea] In Hebræo, *Certè falſum eſt in dextera mea:* id eſt, id in quo laboro mera deceptio eſt.

21. *Memento horum Iacob & Iſraël*] Nempe cùm inter idololatras & ſub idololatris vivere cogêris.

Formavi te] Inſtitui.

22. *Delevi ut nubem iniquitates tuas*] Ἀπήλειψα ὡς νεφέλην [*Delevi ut nebulam*], id eſt, *diſparere faciam ut nubem* aut *nebulam tua crimina.*

Revertere ad me] Id eſt, ſi modò te corrigas, & ad mei verum cultum redeas.

Quia redemi te] Meliùs, *Vt redimam te*, ut te ex hac captivitate liberem: nam ad illa tempora, quaſi præſentia, dirigitur hic ſermo. Sic & in ſequentibus pone, *faciet* & *redimet.*

23. *Laudate cæli*] Id eſt, Angeli.

Iubilate extrema terræ] *Ima terræ.* Plebeji.

Reſonate montes] Summi terrarum, id eſt, Reges.

Saltus & omne lignum ejus] Principes Regum comites.

24. *Formator tuus ex utero*] Qui ab Abrahami tempore te inſtitui.

25. *Irrita faciens ſigna divinorum, & ariolos in furorem vertens*] Chaldæos, qui ità artem ex aſtris divinandi,. & quidem ſine modo coluêre, ut quod nomen gentis fuerat, factum ſit nomen profeſſionis. Vide Ciceronem primo De divinatione, Tacitum Annalium II. III. XII. XIV. XVI. Eodem pertinent quæ ſequuntur.

26. *Suſcitans verbum ſervi ſui*] Qui ratum faciam Eſaiæ vaticinium.

Et conſilium nuntiorum ſuorum complens] Vt Ieremiæ & Ezechielis.

Et deſerta ejus ſuſcitabo] Ruinas ejus.

27. *Qui dico profundo, Deſolare*] In Hebræo, *Siccator.* Hoc pertinet ad id quod Cyrus fecit ut Babylonem caperet; amnem enim Euphratem diffidit, & parte ejus in lacus abducta, per alveum veterem in Vrbem ingreſſus eſt. Hiſtoria eſt apud Ieremiam LI. 32. & apud Herodotum.

28. *Qui dico Cyro, Paſtor meus es*] Id eſt, Te paſcendo populo meo præfeci. Mirum verò tanto antè tempore, annis antè CCX, ut Ioſephus putat, nomen hujus Regis hoc loco & aliquot ſequentibus apertè enuntiatum, cui ſimile habes de Ioſia 1 Reg. XIII. 2. Sed enim qui hæc prædixerat Deus, idem his qui jus habebant dandi nominis eam mentem indidit, ut id nomen, non & aliud darent. Meminit hujus Prophetiæ Cyrus apud Ioſephum XI. 1.

Qui dico Ieruſalem, Ædificaberis] Nehem. II: Προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*].

Et Templo, Fundaberis] Eſdræ VII.

CAPVT XLV.

1. HÆc *dicit Dominus chriſto meo Cyro*] In Hebræo non *meo*, ſed *ſuo* eſt; id eſt, ad opus Dei ſingulariter dilecto ac conſecrato, non minùs quàm ſi more Regum Iudæorum per Prophetam aliquem unctus eſſet.

Cujus apprehendi dexteram] Quem ego confirmabo.

Et ſubjiciam ante faciem ejus gentes] Medos, Lydos, Ionas, Babylonios.

Et dorſa regum vertam] Vertam Reges in fugam, Aſtyagem, Crœſum, Nabonidum.

1. 2. *Et aperiam coram eo januas, & portæ non claudentur. Ego ante te ibo, & glorioſos terræ humiliabo: portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam*] Hæc omnia ſignificant facturum Deum ut ei nihil obſtet. Parem ferme felicitatem præſtitit Deus Alexandro & Cæſari, illi ad Perſarum, huic ad Romanorum ferociam edomandam. Latinus interpres, ubi nos habemus הדורים [*inæqualia*], quod Græci vertunt ὄρη [*montes*], legit אדירים [*magnificos*]. Senſus in Hebræo bonus eſt : *iniqua loca adæquabo.*

3. *Theſauros abſconditos*] Vt Sardium, ubi gaza erat plurima. Item Aſiæ, Ioniæ, Meſopotamiæ, ditiſſimarum regionum. Plinius XXXIII. 3. *Iam Cyrus devictâ Aſiâ pondo* XXXIV *millia invenerat, præter vaſa aurea, aurúmque factum, & in eo folia ac platanum, vitémque. Quâ victoriâ argenti quingenta millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus* XV *talentorum colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo* LXXX *patere Varro tradit.*

Et arcana ſecretorum] Gemmas & monilia diligentiſſimè aſſervata.

Qui voco nomen tuum] Qui tibi jam nunc indo nomen magnificum. Nam Κῦρος, ſi Cteſiæ & Plutarcho credimus, *Solem*, ſi aliis, *alimoniam* ſignificat. Fuit autem Cyrus & lux magna Perſarum, & verus altor parentium ſibi populorum.

4. *Propter ſervum meum Iacob, & Iſraël electum meum*] Quia ad ejus libertatem tuâ operâ uti volo.

Aſſimilavi te, & non cognoviſti me] Ex Hebræo verte : *Cognominabo te priuſquam me cognoſcas.* Id eſt, infantem adhuc inſigniam egregio illo titulo Cyri. nam proprium ei nomen fuit aliud, ut ait Herodotus.

5. *Accinxi te, & non cognoviſti me*] Græci benè, ἐνίσχυσά σε [*vires tibi dedi*]. Efficiam ut exercitum ab Harpago habeas, quo Aſtyagem oppugnes. Deum eſſe unum mundi opificem nondum tunc norat Cyrus, ſed id poſtea ab Hebræis didicit, (Vide ſuprà XLI. 25.) ut & animorum immortalitatem, quam firmè ab eo creditam teſtantur Xenophon & Cicero Catone majore.

7. *Faciens pacem*] Dans ſalutem populis, ut Perſis.

Et creans malum] Immittens mala in populos, ut Medos, Babylonios.

8. *Rorate cœli deſuper, & nubes pluant juſtum: aperiatur terra & germinet ſalvatorem, & juſtitia oriatur ſimul: ego Dominus creavi eum*] Ex Hebræo, *Manate cœli de ſupernis, & ſumma ætheris ſtillent juſtitiam : aperiat ſe terra ut fructum proferant ſalus & juſtitia. Hæc ſimul germinare faciet is quem ego Dominus creavi.* Deſcribitur imperium Cyri quem *Patrem populorum* appellarunt omnes; nempe fore ut terra plena ſit juſtitiæ ac felicitatis, non aliter quàm plena humoris eſſe ſolet, cœlo largè pluente. Similis locutio Pſalm. LXXII. 6. 7. Fuit Cyrus, ut ex hiſtoriis apparet, juſtus, magnanimus, clemens, liberalis. Tot atque tantis virtutibus eum Deus inſtruxerat: quod hîc dicitur *creavi.*

9. *Væ qui contradicit fictori ſuo*] Cauſam jam adfert evertendi regni Babylonici, quòd ejus Reges in Deum verum impii futuri ſint verbis factiſque. Vide Danielem V. Quàm autem hoc ſit iniquum, ſimilitudinibus illuſtrat.

Numquid dicet lutum figulo ſuo, Quid facis? & opus tuum abſque manibus eſt] Meliùs, *Quomodo me faceres? ad opus tuum non ſunt manus*, idoneæ ſcilicet: non ſatìs habes virium. Hoc eſt adversùs eos qui rerum Creatorem negabant.

10. *Væ qui dicit patri, Quid generas?*] *Quomodo generare poſſes?*

Et mulieri, Quid parturis?] *Quomodo poſſes parere?*

11. *Sanctus Iſraël plaſtes ejus*] Qui ut Creator ab ipſo agnoſcor.

Ventura interrogate me ſuper filios meos] Quærite à me quid ego facere velim de illo populo, quem ut filium amplector.

Et ſuper opus manuum mearum mandate mihi] *Et præcipite mihi*: id eſt, impedite, ſi poteſtis, nè quod volo de illis faciam. ità experiemini quid vos poſſitis, & quid ego poſſim.

12. *Et omni militiæ eorum mandavi*] *Impero.* Vide ſuprà XL. 26. Quomodo ergò vos mea decreta impediretis, quibus & aſtra parent?

13. *Ego ſuſcitavi eum ad juſtitiam*] Cyrum evexi in regnum, ut ea quæ juſta & æqua ſunt faceret.

Et omnes vias ejus dirigam] Succeſſus ipſi admirandos dabo, ut ſuprà hoc capite 1. & 2.

Ipſe ædificabit civitatem meam] Id eſt, Templum, partem Vrbis potiſſimam. Vide II Paral. XXXVI. 23. & initium Eſdræ.

Meam captivitatem dimittet] Populum meum captivum.

Non in pretio, neque in muneribus] Nihil pro tanto beneficio ab Iudæis aut accepturus aut poſtulaturus. Deſcribit animum ejus verè regalem.

14. *Hæc dicit Dominus, Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ & Sabaim, viri ſublimes ad te tranſibunt, & tui erunt*] Senſus eſt: Quia mercede nullâ adductus, Cyre, rem facies tam egregiam, ego ultro tibi mercedem dabo. Ægyptii, Æthiopes, Sabæi, in Babyloniorum fuerant partibus, & pariter cum eis cæſi, capti, ſpoliati ſunt eo prælio, quo ad Babylonem victor exſtitit Cyrus. Erant autem populi illi ditiſſimi. De Ægypto vide 1 Reg. X. 28. de Æthiopibus Iob. XXVIII. 19. Pſal. LXVIII. 32. de Sabæis Plinius VI. 28. *Sabæi Arabum propter thura clariſſimi ad utraque maria porrectis gentibus.* Sic in Antonii auxiliis apud Virgil. VIII.

——— *omnis eo terrore Ægyptus & Indi,*
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Sabæos fuiſſe proceros dicit Agatharchides.

Te adorabunt] Coram te ſe proſternent more Orientis. Hunc honorem inter Perſas Cyro primùm delatum ait Arrianus. Apud alias gentes erat ſatìs antiquus.

Tantùm in te eſt Deus, & non eſt abſque te Deus] In Hebræo: *Tantùm in te* (id eſt, tecum) *eſt Deus, præter quem Deus non eſt.* Hæc verba erunt victarum gentium ad Cyrum.

15. *Verè tu es Deus abſconditus*] Aquilæ ἀποκρυπτόμενος, Theodotioni κρυφαῖος [*abſconditus*]: id eſt, *admirabilis*. Hîc Eſaias iterum loqui incipit.

16. *Abierunt in confuſionem fabricatores errorum*] Chaldæi aſtrologi.

17. *Salute æternâ*] In Hebræo, *ſalute ſeculorum*: id eſt, in longum duraturâ.

18. *Non in vanum creavit eam*] Iſtam terram Iudæam. Vult eam rurſus habitari & coli. Hebræi hinc inferre volunt etiam poſt Reſurrectionem terram non fore inanem.

19. *Non in abſcondito locutus ſum, in loco terræ tenebroſo*] Tribus notis ſe à diis gentium diſcernit. Dii gentium audiebantur ex antris & locis ad fraudem idoneis. Vide Scholiaſten ad illud Papinii fine primi Thebaïdos:

> ——— *ſeu Perſei ſub rupibus antri.*

Non dixi ſemini Iacob, Fruſtra quærite me] Dii gentium cultores ſuos ſtantes ſervare, vel proſtratos erigere non valent.

Ego Dominus loquens juſtitiam, annuntians recta] Apud Babylonios recepto ritu omnes feminæ corpus vulgabant; ídque in honorem Veneris, quam *Mylittam* vocabant. Vide Herodotum Clio. Dei lex, cuſtos caſtitatis.

20. *Qui ſalvati eſtis ex gentibus*] Græcis: οἱ σωζόμενοι ἀπὸ τῶν ἐθνῶν [*ſoſpites à gentibus*], id eſt, qui ſuperſtites eritis ex illis cladibus quas Cyrus inferet.

Neſcierunt qui levant lignum ſculpturæ ſuæ] Earum quas dixi rerum nihil norunt illi qui erigunt ſtatuas, quas ſculpi fecêre.

Et rogant Deum non ſalvantem] Nullarum virium.

21. *Quis auditum fecit hoc ab initio, ex tunc prædixit illud*] Loquitur rurſum, quaſi illis temporibus, Cyro victore & Iudæos reſtituente. Quis eſt ex omnibus fictitiis diis, qui hæc olim prædixerit cum omnibus ſuis circumſtantiis, ut ego feci?

22. *Convertimini ad me*] Abdicatis idolis; quod multos illis temporibus feciſſe omnino credibile eſt: ſed ut id nihil eſſet ad eam mutationem quam Chriſtus effecit.

Et ſalvi eritis omnes fines terræ] Bene explicant Græci: οἱ ἀπ' ἐσχάτου τῆς γῆς [*vos qui ab ultimis terræ*].

23. *Egredietur de ore meo juſtitiæ verbum*] Id eſt, dictum veriſſimum.

Et non revertetur]Non erit irritum: ut Legati qui revertuntur re infectâ.

24. *Quia mihi curvabitur omne genu, & jurabit omnis lingua*] Illud *omne* & *omnis* hîc non ſine exceptione ſumendum oſtendit, quod ſequitur, *futurum ut pudefiant* qui Deo ſe opponunt. Ergò intelligendum, de plurimis gentibus futuros aliquos qui veniant invocatum Deum verum in ambitu Templi, ut Solomo prædixerat 1 Regum VIII. 41. Præterea multos etiam domi Deum verum culturos, ut Neheman fecerat. Cultus autem, quod eſt nomen generis, per juramentum, id eſt, ſpeciem ſuam, explicatur populariter.

25. *Ergò in Domino*] Verte, *nempe per* יהוה. Per nomen illud Dei Iſraëlis. Vide quæ ad Matthæi XXII. 44.

Dicet meæ ſunt juſtitiæ & imperium: ad eum venient, & confundentur omnes qui repugnant ei]Hîc lectio quam ſecuti ſunt LXX melior eſt, nempe לו [*ei*] pro לי [*mihi*], ut illud עדיו [*uſque ad eum*] ſit quaſi repetitio illius לו [*ei*], genere loquendi Hebræis non infrequente. Senſus eſt, *Dicet quiſque illorum ex gentibus, cùm iſta quæ jam diximus videbit, Deum & veraciſſimum eſſe & potentiſſimum, meritóque eos erubeſcere debere qui ſe ei opponunt.*

26. *In Domino juſtificabitur & laudabitur omne ſemen Iſraël*] Id eſt, propter unius Dei cultum, laudem ac gloriam conſequetur populus Iſraëliticus apud omnes bonos qui ſunt in gentibus. Δικαιοῦσθαι [*juſtificari*] ſæpe eſt *juſtitiæ aut probitatis nomine laudari*, Matth. XI. 19. Lucæ VII. 29. X. 29. XVI. 15. 1 Timoth. III. 16. Eccleſiaſtici I. 28. XXXI. 5.

CAPUT XLVI.

1. *Confractus eſt Bel*] In Hebræo: *Curvavit ſe Bel*, id eſt, cecidit: ἔπεσε Βὴλ, ut habent hîc LXX. כל [*Bel*] Babyloniis eſt, qui בעל [*Baal*] Phœnicibus, Sol ſcilicet. *Iovem* hunc vocant Herodotus aliíque, non ob ſtellam Iovis, ſed quòd, ſicut Græcis Ζεὺς [*Iuppiter*] erat deorum ſummus, ità Sol Babyloniis. Templum ejus longè auguſtiſſimum erat Babylone ſtructum à Nabuchodonoſoro, ut teſtatur Beroſus, cujus verba attulimus ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Eſt ejus templi mentio & apud Herodotum in Clio, & in Hecatæi fragmento, quod eſt apud Ioſephum contra Appionem primo. *Cecidiſſe* dicitur *Belus*, quia Babyloni auxilio eſſe non potuit. Et ſolent captis urbibus dirui templa, abripi aut deſtrui ſimulacra. C. Flaminius in oratione pro M. Fulvio: *Signa ablata & cætera facta, quæ captis urbibus ſoleant.* Tertullianus Apologetico: *Tot de diis, quot de gentibus triumphi.* & in libro adverſùs Nationes: *Manent & ſimulacra captiva.* Vide quæ dicta à nobis de Iure Belli ac Pacis libro III. cap. XX.

Contritus eſt Nabo] *Succiſus eſt Nabo*, ut hîc vertit Chaldæus. Hic eſt deus alter Babyloniorum, unde nomen habent *Nabonaſſar*, *Nabopolaſſar*, *Nabuchodonoſor*, *Nabonidus*, & alii Reges Babyloniorum. Fuit autem ariolus aliquis in deum conſecratus à Babyloniis, paribus de cauſis ut Apollo ὁ Λοξίας [*latebriloquus*] apud Græcos.

Facta ſunt ſimulacra eorum beſtiis & jumentis, onera veſtra gravi pondere uſque ad laſſitudinem] Optimè vertas, *Fuerunt dolori beſtiis & jumentis* (quæ) *geſtando onere preſſa ſunt ad laſſitudinem*: eſt χλευασμός [*inſultatio*]. dicit enim gaviſura jumenta, quòd poſthac non futurum ſit ut iſta idola portando laſſeſcant. Solebant in thenſis idola portari. Sic Romanus quidam dicebat tauros & vitulos optare nè Cæſar rediret.

2. *Non potuerunt ſalvare portantem*] Bajulos ſuos.

Et anima eorum in captivitatem ivit] Id eſt, ipſi dii, locutione Hebrææ.

3. *Qui portamini à meo utero, qui geſtamini à mea vulva*] In Hebræo: *Portati ab utero, geſtati à matrice.* Id eſt, quos ego à prima origine affectu tenerrimo, qualis eſt matrum, cuſtodivi.

4. *Vſque ad ſenectam ego ipſe*] *Portabo vos*, ut ſequitur. In hoc matres vincam.

5. *Cui aſſimilaſtis me?*] *Cui aſſimilaretis me?* Hoc ideo dicit, nè exemplo idololatrarum corrupti & feſſi longâ ſervitute Babyloniorum mores imitarentur: nam Perſæ imagines non habebant.

6. *Qui confertis aurum de ſacculo, & argentum ſtaterâ ponderatis, conducentes aurificem, ut faciat deum, & procidunt & adorant*] Verſio optima eſt: *Illi poſtquam promſerunt aurum de marſupio, & in trutina expenderunt argentum, mercede conducunt aurificem, qui ipſis deum faciat, coram quo procidant, aut ſe inflectant.*

7. *Et ponentes in loco ſuo*] Id eſt, ſuper baſim.

8. *Redite prævaricatores ad cor*] Ex Hebræo vertas rectiùs: *Reducite eos qui errant ad ſapientiam.*

9. *Recordamini prioris ſeculi*] Omnia veſtra prædicta cum eventis comparate.

10. *Annuntians ab exordio noviſſimum*] A longo tempore prænuntians multò pòſt ſecutura.

11. *Vocans ab Oriente avem*] E Perſide vocans aquilam, id eſt, Cyrum, cui naſus erat aquilinus, ut Plutarchus notat. Ariſtoteles in Phyſiognomonicis: οἱ γρυπὴν ἔχοντες (τὴν ῥῖνα) καὶ τοῦ μετώπου διηρθρωμένην, μεγαλόψυχοι. ἀναφέρεται ἐπὶ τοὺς ἀετούς [*Hi qui naſum habent aduncum & à fronte bene diſtinctum, magnanimi: referuntur enim ad aquilam*].

Virum voluntatis meæ] In Hebræo, *Virum* (id eſt, effectorem) *conſilii mei*.

Adducam illud] Conſilium illud meum effectum dabo.

Creavi] Præformavi in animo.

12. *Audite me duro corde*] Illos de captivitate alloquitur, qui de promiſſis dubitaturi erant.

Qui longè eſtis à juſtitia] Qui quòd infidi eſtis, me quoque talem putatis.

13. *Propè feci juſtitiam meam*] Propè adeſt tempus quo fidem meam implebo.

Et in Iſraël gloriam meam] Liberationem ejus efficiam mihi glorioſiſſimam.

CAPUT XLVII.

1. DEſcende] De ſolio, ut ſequentia oſtendunt: nam ab aliquo tempore penes Babylonios imperium fuerat.

Sede in pulvere] Vt in luctu graviſſimo fieri ſolebat.

Virgo] Civitates feminarum nominibus & figurâ deſcribi ſolent. *Virginem* verò dixit, quia mollis erat & tenera in victu atque habitu, ut jam ſequetur.

2. *Tolle molam, & mole farinam*] Para te ſervilibus miniſteriis. Vide Iob. XXXI. 10.

Denuda turpitudinem tuam] In Hebræo, *Detege*: id eſt, rade *capillos tuos*. Etiam illud in more lugentibus.

Diſcooperi humerum] Ad laborem te para.

Revela crura, tranſi flumina] Id eſt, ut tranſire poſſis fluminum vada fugiens.

3. *Revelabitur ignominia tua, & videbitur opprobrium tuum*] Non erit tibi unde vel ea tegas, quæ maximè tegi vult pudor.

Et non reſiſtet mihi homo] *Et non ſuſcipiam deprecatorem quenquam.* Nam פגע eſt *& deprecari & deprecantes admittere.*

6. *Iratus ſum ſuper populum meum, contaminavi hereditatem meam, & dedi eos in manu tua, non poſuiſti eis miſericordias*] Rectè ſic vertas: *Cùm ego iratus populo meo terram mihi propriam abs te contaminari paterer, hominéſque traderem in manum tuam, tu eorum nihil es miſerta.*

Super ſenem aggravaſti jugum tuum valde] Etiam ſuper ſenes. Vide Lament. Ierem. v. 4.

7. *Non poſuiſti hæc ſuper cor tuum*] Non cogitaſti de his quæ nunc tibi eveniunt.

Neque recordata es noviſſimi tui] Non venit tibi in mentem hoc excidium.

8. *Non ſedebo vidua, & ignorabo ſterilitatem*] Non carebo Rege, ſed nec poſteritate. Paria verba Romæ ſub nomine Babylonis tribuit Apocalypſis XVIII. 7.

9. *Et propter duritiam incantatorum tuorum*] *Sacerdotum*. Ità حبر ſumitur Arabibus, & mox hîc 12. Ità vocem hanc explicat Baal Aruch. Apparet ſæpe in Chaldæis Paraphraſtis.

10. *Sapientia tua & ſcientia tua hæc decepit te*] Fiducia in peritia Aſtrologicæ divinationis, quæ tanta in ea gente, ut omnes ejus profeſſionis *Chaldæi* dicti fuerint. *Scientia Chaldæorum artis* apud Tacitum Annalium VI. Vide & Gellium I. 9. *L. Nemo* C. de Maleficis.

Ego ſum, & præter me non eſt altera] In oraculo: Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον. — [*Chaldæi ſoli ſapiunt.* —]

11. *Veniet ſuper te malum, & neſcies ortum ejus*] In Hebræo, *auroram ejus*: id eſt, diem συνεκδοχικῶς [*Per complexionem*]. Tu quæ omnes dies proſperos & adverſos certò te noſſe jactas, hunc diem exitii tui non prævidebis. Vide infrà 13.

14. *Non ſunt prunæ quibus calefiant*] Supple, *alia*. in cineres ità vertentur ut nihil carbonum ſuperſit.

15. *Negotiatores tui ab adoleſcentia tua*] Qui tecum à prima ætate vixerunt mercatores magnarii. Magnam enim ad commercia opportunitatem præbebant Euphrates, Tigris, Naharmalca, ac tot alii amnes in mare Perſicum ſe devolventes.

Vnuſquiſque in via ſua erraverunt] Fugerunt omnes qui potuerunt, alii alio itinere.

CAPUT XLVIII.

1. ET *de aquis Iudæ exiſtis*] Hebræi ſemen & *roris* & *aquæ* vocabulis deſignant. μιαρὰν ῥανίδα dixit Palladas in Epigrammate, Rabbini טפה סרוחה [*guttam fœtidam*].

Et Dei Iſraël recordamini] Mentionem ejus facitis.

Non in veritate neque in juſtitia] Non animo ſincero. Eos alloquitur qui Dei cultum cum idolorum cultu erant permixturi.

2. *De civitate enim ſancta vocati ſunt*] כי hîc valet *quanquam*: & eſt perſona tertia pro ſecunda. Quanquam, inquit, nomine à *pace* deducto *Solymi*, ſive *Hieroſolymitæ* vocamini.

Et ſuper Deum Iſraël conſtabiliti ſunt] Id eſt, dicunt ſe Deo Iſraëlis, cui nomen eſt Deus Sabaoth, inniti.

3. *Priora ex tunc annuntiavi*] Per Eſaiam jam tum

hæc quæ videtis vobis prædixi. Loquitur enim quaſi in ipſo tempore captivitatis.

Repente operatus ſum] Has calamitates.

6. *Vos autem num annuntiaſtis?*] An quiſquam ex idolorum cultoribus iſta prædicere potuit?

7. *Nunc creata ſunt*] Nunc planè exſiſtunt qualia dixi.

8. *Neque audiſti, neque cognoviſti, neque ex tunc aperta eſt auris tua*] Etiamſi illa clariſſimè prædicta erant tanto tempore, nunquam eis fidem habuiſti.

Tranſgreſſorem ex utero] Hyperbole. Vide quæ ad Pſalm. LI. 7.

9. *Infrænabo te*] In Hebræo eſt, *frænabo*, ſupple *iram meam*.

10. *Ecce excoxi te, ſed non quaſi argentum*] In Hebræo, *non in argentum*: id eſt, Diu cùm te per ærumnas explorarem, nihil boni in te apparuit. Simile ab argenti repurgatoribus. At LXX legerunt שברתיך ולא בכסף πέπρακά σε οὐχ ἕνεκεν ἀργυρίου [*mancipavi te non ob argentum*], eodem ſenſu qui infrà LII. 3.

Elegi te in camino paupertatis] Id eſt, ſepoſui te ad fornacem miſeriæ: excoquendum ſcilicet magìs & magìs.

11. *Vt non blaſphemer*] In Hebræo: *Quomodo profanaretur? nomen meum* ſcilicet, de quo ſuprà 9. Quomodo ego paterer dici à Gentibus vires mihi defuiſſe ad liberandum populum meum.

12. *Quem ego voco*] *Vocatur à me*: id eſt, qui diceris populus Dei.

Ego primus & ego noviſſimus] Suprà XLI. 4. XLIV. 6.

13. *Ego vocabo eos, & ſtabunt ſimul*] *Me vocante ſtant omnia iſta*, nempe velut ſervi parati ad exſequenda herilia imperia. Similis locutio Pſal. CXIX. 91.

14. *Quis de eis annuntiabit hæc*] *Quìs de illis* (diis Gentium) *prædixit iſta?*

Dominus dilexit eum] Cyrum, de quo antè.

Faciet voluntatem ſuam in Babylone] Vt exſequatur decreta Dei in Babylonem.

Brachium ſuum in Chaldæis] *Brachium Cyri erit contra Chaldæos.* At Græci aliis punctis vertunt σπέρμα Χαλδαίων [*ſemen Chaldæorum*].

15. *Et directa eſt via ejus*] In Hebræo, *Proſperabitur via ejus*: quicquid aget, ſuccedet feliciter.

16. *Non à principio in abſcondito locutus ſum*] Iampridem hæc vobis dico apertiſſimè, non per ænigmata aut Λοξίου θεσπίσματα [*oracla flexiloqui Dei*].

Ex tempore antequam fieret ibi eram] Planè, inquit, quaſi præſens intereſſem rebus tanto pòſt futuris.

Et nunc Dominus miſit me & ſpiritus ejus] Id eſt, Dominus per Spiritum hæc mihi imperavit.

17. *Gubernans te in via qua ambulas*] *Monſtrans tibi viam quam ambules*: in qua tibi ambulandum eſt, ſi ſalvus eſſe velis.

18. *Facta fuiſſet ſicut flumen pax tua*] Abundantiſſima fuiſſet tua proſperitas.

19. *Et fuiſſet quaſi arena ſemen tuum*] Vide Geneſeos XXII. 17.

Stirps uteri tui ut lapilli ejus] Nempe *arenæ* ſive *litoris*, ut hîc David Kimchi. Frequens etiam apud Poëtas comparatio.

Non interiſſet, & non fuiſſet attritum nomen ejus à facie mea] Gratioſa ſemper apud me fuiſſet ejus poſteritas.

20. *Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis*] Simulatque Cyrum audietis venire contra Babylonem, vos Hebræi, qui tum in ea urbe eritis, nolite adventum ejus exſpectare, ſed ſtatim fugite quantum poteſtis. Similia monita vide Geneſ. XIX. 15. & in hac ipſa re Ierem. LI. 6. 45. & in re pari de Roma Apocalypſeos XVIII. 4.

In voce exſultationis hoc annuntiate] Hæc cum gaudio alii aliis dicite. nam capta Babylon initium erit veſtræ liberationis.

Dicite, Redemit] Verte in futuro: *Redimet*. Tempus liberationis jam propè eſt.

21. *Non ſitierunt in deſerto cùm educeret eos: aquam de petra produxit eis, & ſcidit petram, & fluxerunt aquæ*] Si hæc Deus facere potuit olim in liberatione ex Ægypto, paria aut majora & nunc facere poterit: nè dubitate.

22. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus*] Contrà, inquit, Babyloniis ut impiis cuncta cadent adverſa.

CAPVT XLIX.

1. *Dominus ab utero vocavit me*] Loquitur Eſaias. Paria Deus de Ieremia I. 5. Apoſtolus Paulus de ſe Galat. I. 15. Hebræi illa loca interpretantur de egregia temperatura cerebri, quâ Deus à primo ortu donare ſolet eos quos Prophetiæ præparat.

Recordatus eſt nominis mei] Indidit mihi nomen pulchrum, quo *ſalus* à Domino ventura ſignificatur.

2. *Et poſuit os meum quaſi gladium acutum*] Auctoritatem mihi dedit ad vitia exſcindenda. Confer Epheſ. VI. 17. Hebr. IV. 12. Apocal. I. 6.

Poſuit me quaſi ſagittam electam] Vt verba mea quàm longiſſimè pervenirent.

In pharetra ſua abſcondit me] Id eſt, protexit me, ut jam dixerat: nè ulla vis ſeditioſorum mihi noceret.

3. *Servus meus es tu Iſraël*] Id eſt, *Iſraëli*, Iſraëlis bono.

In te gloriabor] *Per te gloriam aſſequar*: per tua prædicta.

4. *In vacuum laboravi ſine cauſa, & vanè fortitudinem meam conſumſi*] Vires meas prædicando exhauſi, nullo aut exiguo fructu.

Ergò judicium meum cum Domino] *Verumtamen merces mea à Domino. Merces* dicitur משפט [*judicium*], quia ex pacto redditur.

Et opus meum cum Domino] Idem quod præceſſit. nam Hebræi μετωνυμικῶς [*tranſnominando*] mercedem operis *opus* vocant, ut Ierem. XX. 13.

5. *Vt reducam Iacob ad eum*] Vt illos ad pœnitentiam vocem.

Et Iſraël non congregabitur, glorioſus ero in oculis Domini] Puto veram eſſe lectionem ſcriptam in textu לא [*non*], quam ſequitur Latinus, non illam in margine לו [*ipſi*]. Senſus eſt, *Etiamſi Iſraël ad mea monita nolit converti, ego tamen Deo placebo: qui ſcit me in officio non fuiſſe ceſſatorem.*

6. *Parum eſt*] Id eſt, Non ſufficit mihi ut Hebræis prædices.

Et fæces Iſraël convertendas] Reliquias populi.

Ecce dedi te in lucem Gentium] Vt illos quoque ab idolis avertas, & ſic plurimos ſerves. Vide ſuprà capita XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXXIII. XXXIV. XLI. XLV. XLVI.

7. *Ad contemtibilem animam*] *Ad contemtorem animæ ſuæ.* Eſaiam qui cum ſummo vitæ ſuæ periculo Dei dicta enuntiavit, nè maximis quidem parcens, ut Sobnæ.

Ad abominatam gentem] *Ad abominatum Gentibus*, ob perpetuam idololatriæ reprehenſionem.

Ad ſervum dominorum] Subjectum Regibus Iudæis.

Reges videbunt, & conſurgent] Reges ipſi te ut Prophetam venerantur. Vide ſuprà XXXVIII.

Et conſurgent principes & adorabunt] Magno honore te afficit Eliakim, boníque principes alii.

Quia fidelis eſt] Credunt Deum impleturum quæ ejus nomine prædicis.

8. *In tempore placito exaudivi te*] *In tempore voluntatis* (ubi tu voluiſti) *exaudivi te*, pro Ezechia deprecantem.

In die ſalutis auxiliatus ſum tui, & ſervavi te] Effeci nequid Aſſyrii aut Sobna cum ſua factione tibi nocere poſſent.

Et dedi te in fedus populi] Id eſt, per te renovavi meum cum populo fedus.

Vt ſuſcitares terram] Vt inſtaures terram deſolatam, eam facias iterum habitari, Iudæis ad tua monita reſipiſcentibus.

Et poßideres hereditates diſſipatas] *Poßideri facias.* Sic enim habet Hebræum.

9. *Et diceres his qui vincti ſunt, Exite*] Id eſt, Corrigite vos ut exire poſſitis.

Et his qui in tenebris, Revelamini] His qui calamitatibus ſunt preſſi, Date operam ut omnia vobis luceſcant, id eſt, proſpera eveniant.

Super vias paſcentur] Etiam viæ erunt paſcuæ : id eſt, florebunt omnia, ſi ſe convertant Iſraëlitæ.

Et in omnibus planis paſcua eorum] Idem eſt quod præceſſit, ἐν πάσαις ταῖς τρίβοις [*in omnibus callibus*], ut hîc habent Græci. Vide Numer. XXIII. 3. Ieremiæ III. 2.

10. *Non eſurient, neque ſitient, & non percutient eos æſtus neque Sol : quia miſerator eorum reget eos, & ad fontes aquarum potabit eos*] Id eſt, ad reditum nihil ipſis deerit : omnia erunt facilia.

11. *Et ponam omnes montes meos in viam*] Id eſt, idem faciam quaſi montes auferam. Vide ſuprà XL. 4.

Et ſemitæ meæ exaltabuntur] Id eſt, valles, ut via ſit æqua. סלל vertitur ὁδοποιεῖν [*vias facere*]. מסלה vertitur ὁδὸς, δίοδος, τρίβος, πορεία [*via, tranſitus, callis, iter*].

12. *Ecce iſti de longè venient*] Id eſt, ab Oriente, à Perſide & aliis locis ad Orientem Iudææ ſitis : nam hoc ſequentia requirunt. de Hebræis loquitur.

Et ecce illi ab Aquilone] Ex Media, quò multi erant deportati.

Et mari] Id eſt, ab Occidente : nam mare Syriacum ad Occidentem Iudææ. Per *mare* intellige loca tranſmarina, Cyprum, Cretam, Macedoniam.

Et iſti de terra Auſtrali] In Hebræo: סינים [*Sinim*]. Noli hic cum quibuſdam cogitare de *Sinenſibus* ultra Indiam, qui ſunt צינים [*Tſinim*], non סינים. Poſt Ortum, Septentrionem, Occidentem, reſtabat Auſter. Ad Auſtrum Iudææ ſunt *Sinæi*, ut hic interpres nomen סיני tranſtulit Geneſ. X. 17. unde nomen habet deſerta regio *Sin*, & in ea mons Sinaï, Exodi XVI. 1.

14. *Et dixit Sion*] Vrbi Hieroſolymorum deſtructæ dat ſermonem.

15. *Et ſi illa oblita fuerit*] Id eſt, Eſto tamen : poſſit hoc fieri.

16. *Ecce in manibus meis deſcripſi te*] Solebant qui negotii alicujus meminiſſe volebant, ſignum ejus aliquod apponere digitorum alicui. Vide Exodi XIII. 9.

17. *Venerunt ſtructores tui*] In Hebræo, *Feſtinant.* Iamjam Cyrus id præcipiet.

Deſtruentes & diſſipantes à te exibunt] Longè erunt à te Babylonii, nihil nocere tibi poterunt : nec magìs Samballetes, & Tobias Ammanita.

18. *Omnes iſti congregati ſunt*] Omnes iſti qui per omnes terras, Aſſyriorum, Medorum, Babyloniorum, Perſarum exſulant, ingens illa multitudo.

Venerunt tibi] Iamjam venient ad te.

Omnibus his velut ornamento veſtieris, & circumdabis eos tibi, quaſi ſponſa] Sicut veſtibus ſpecioſis & monilibus decorari ſponſæ ſolent, ſic illorum egregiæ virtutes te decorabunt.

19. *Deſerta tua & ſolitudines tuæ*] Loca quæ talia per LXX annos fuêre.

20. *Filii ſterilitatis tuæ*] Nati tibi, cùm ſterilis videreris.

21. *Tranſmigrata & captiva*] Deſerta, abductis civibus, ipſo etiam ſolo in miſeram ſervitutem redacto.

22. *Ecce levabo ad gentes manum meam*] Vt ſolent qui aliquem ad ſe vocant.

Et ad populos exaltabo ſignum meum] Vt ſolent Duces qui militem paratum eſſe volunt.

Et afferent filios tuos in ulnis] *In ſinu ſuo :* ſicut parvuli portari ſolent. Ità hîc Græci. Nec aliter Arabes حصن uſurpant.

Et filias tuas ſuper humeros portabunt] Quaſi in lecticis ferent : id eſt, omnia itineri commoda præſtabunt.

23. *Et erunt Reges nutritii tui*] Vt Cyrus, Darius, Artaxerxes, Eſdræ memorati ; Alexander Magnus, ſucceſſores ejus, maximè Demetrius. Hi enim & in populum & in Templum plurima beneficia, immunitates, dona contulerunt : quæ videre eſt apud Ioſephum. Adde quæ diximus ad Matth. XXIV. 15. *Nutritium* pro *nutritore* habemus & apud ſcriptorem Belli Alexandrini.

Et Reginæ nutrices tuæ] Vt Eſthera, ut Cleopatra Regis Ptolemæi filia nupta Alexandro Iudæorum Regi, & aliæ.

Vultu in terram demiſſo adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent] Patet hîc אפים ארץ poſitum pro אפי ארץ, qualis conſtructio reperitur Exodi XXVIII. 17. Proverb. XX. 1. 21. & alibi. Intellige autem per אפים ארץ *ſpectabiles in terra*, *honoratos.* quomodo id nomen interdum ſumi notant Hebræi ad 1 Sam. I. 4. Pertinet autem hoc ad Principes Idumææ, Moabitidis, & aliarum terrarum, quas

Iudæi reverſi ſubegêre. *Pulverem pedum lingere* non eſt Regum, ſed hoſtium ſubactorum. Apparet hoc Pſalm. LXXII. 9. confer & quod infrà eſt LX. 14. *Veſtigia adorare* hoc dicit Statius, id eſt, ibi procumbere ubi alter inceſſit.

Super quo non confundentur qui exſpectant eum] Locutio Hebraïca, pro quo Latinè dicas: *Cui qui confidunt non pudefient.*

24. *Numquid tolletur à forti præda? aut quod captum fuerit à robuſto ſalvum eſſe poterit?*] In Hebræo, *An eriperetur forti præda? & captivitas juſti evaderet?* Sion loquens inducitur, & vix credens id fieri poſſe. *Captivitas juſti*, id eſt, ii qui capti ſunt belli jure. Quod à bello inter gentes indicto fit, id fieri dicitur κτ̀ νόμον δή τινα [*ſecundùm legem aliquam*], & eſſe δίκαιόν τι [*juſtum aliquo modo*]. qua de re loca egregia adduximus libro III. c. 10. de Iure Belli ac Pacis. Et propterea quæ hîc dicitur *captivitas juſti*, ſtatim dicetur *captivitas violenti*, ſicut apud Romanos in hoc argumento idem & *jus* & *injuria* dicitur.

25. *Eos verò qui judicaverunt te ego judicabo*] Rectiùs, *Contendam cum iis, qui tecum contenderunt.* Cum Babyloniis, Idumæis, aliiſque illarum partium.

26. *Et cibabo hoſtes tuos carnibus ſuis*] Committam illos inter ſe, Perſas cum Medis, deinde Perſas & Medos cum Babyloniis: qui omnes olim Nabuchodonoſoro militaverant.

CAPVT L.

1. Q*Vis eſt hic liber repudii matris veſtræ, quo dimiſi eam? aut quis eſt creditor meus cui vendidi vos?*] Moroſi mariti levibus de cauſis inſtrumentum divortii uxoribus dant, Deuter. XXIV. Patres interdum ære alieno preſſi liberos vendunt, Exodi XXI. 7. Neutrum in me convenit. Reſtat ergò ut diſſidii hujus miſeriæque veſtræ cauſa in vobis hæreat. Eam amoliri veſtrum eſt.

2. *Quia veni & non erat vir*] *Quare venienti mihi nemo ſe ſiſtit?* Nemo mihi paret.

Vocavi, & non erat qui audiret] *Vocanti nemo reſpondet?* id eſt, Cur non recipitis facturos vos ad quæ vos excitant Prophetæ?

Numquid abbreviata ac parvula facta eſt manus mea?] Fortè putatis me, ſi vos faciatis officium, promiſſa mea non præſtiturum, quaſi ea vires meas exſuperent. id refellit.

Ecce in increpatione mea] Imperio meo, ut Pſalmo CVI. 9.

Deſertum faciam mare] *Siccabo*, ut hîc Chaldæus habet, & Pſalmus dicto loco. Facere hoc poſſum, ſi velim. oſtendi hoc in mari Rubro.

Ponam flumina in ſiccum] Vt Iordanem olim: & nunc Euphratis alveum.

3. *Induam cœlos caligine*] Vt Exodi X. 21.

4. *Dominus dedit mihi linguam eruditam*] Verè quidem de ſe hoc dicere potuit Eſaias, cujus dictio puriſſima inter omnes qui poſt Moſem fuêre, & ἔννοιαι [*animi conceptiones*] pulcherrimæ. Sed loco huic congruentior eſt interpretatio Senum LXX, γλῶσσαν παιδείας [*linguam inſtitutionis*], ut & infrà 5. Senſus eſt, *dedit mihi linguam aliis inſtituendis idoneam. Linguam docentium*, Chaldæus hîc.

Vt ſciam ſuſtentare eum qui laſſus eſt verbo] In Hebræo, *Vt norim loqui ſermones opportunos his qui feſſi ſunt*, calamitatibus ſcilicet.

Erigit manè, manè erigit mihi aurem, ut audiam quaſi magiſtrum] In Hebræo, *A manè ad manè* (id eſt, de die in diem) *excitat mihi aurem ut audientiam præbeam, ſicut doctores* nempe diſcipulis facere ſolent. At LXX ultimam vocem cum ſequentibus connectunt, & videntur legiſſe בלמודים [*per doctrinam*]: idem enim valet ἡ παιδεία Κυρίου ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα [*doctrina Domini aperit mihi aures*], quod ὁ Κύριος ἐν παιδείᾳ ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα [*Dominus per doctrinam aperit mihi aures*].

5. *Ego autem non contradico: retrorſum non abii*] Non defugi miniſterium, quanquam odioſum, ut Ionas.

6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus*] Vellentibus barbam, quod etiam apud Latinos Poëtas opprobrii aut ludibrii habet ſignificationem. Hæc autem & quæ ſequuntur dicta figuratè ſunt ab Eſaia, ut intelligeretur conſtantem ipſum fuiſſe in exſequendis Dei mandatis, etiamſi à Sobna & factione ejus prævalida multùm irrideretur. Cæterùm voluit Deus hæc omnia etiam κτ̀ λέξιν [*verbotenus*] impleri in Chriſto, ut nihil excuſationis haberent Iudæi, literarum aucupes.

7. *Ideo poſui faciem meam ut petram duriſſimam, & ſcio quòd non confundar*] Conſtantiam animi etiam vultu prætuli. Confer Ezechielem III. 8.

8. *Iuxtà eſt qui juſtificat me, quis contradicet mihi*] Deus rebus ipſis mea dicta approbabit; quare contradictores non metuo. Confer Rom. VIII. 33.

9. *Ecce omnes quaſi veſtimentum conterentur, tinea comedet eos*] Repetendum in poſteriori membro *quaſi*: *ſic conterentur quaſi veſtimentum quod à tinea comeditur.*

10. *Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſervi ſui? qui ambulavit in tenebris, & non eſt lumen ei? ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Deum ſuum*] Id eſt, Si quis eſt ex vobis pius, is quamvis in mediis calamitatibus nè deſinat Dei opem exſpectare.

11. *Ecce vos omnes accendentes ignem*] Id eſt, vos qui divinam iram in vos concitatis.

Accincti flammis] Sic & Græci interpretantur זיקות, non malè: Chaldæus *gladium*, ſicut *lanceam* Latinus interpres Proverb. XXVI. 18.

Ambulate in lumine ignis veſtri] Meliûs, *foco*. Sentite iram divinam.

In doloribus dormietis] Moriemini extorres.

CAPVT LI.

1. A*Ttendite ad petram unde exciſi eſtis*] Ad illum parentem generis veſtri, virum inconcuſſæ fidei, quanquam צור [*petra*] etiam ſimpliciter pro *origine* accipi poteſt, notante Maimonidâ.

Et ad cavernam laci] *Perforationem ciſternæ*: id eſt, uterum quem Deus aperuit.

2. *Vnum vocavi eum*] Id eſt, prole omni carentem.

Et multiplicavi eum] Ab eo Iſraëlitæ, Idumæi, Iſraëlitarum tribus, Cheturæ poſteri.

3. *Ponet deſertum ejus*] Vt ſuprà XLIX. 19.

Quaſi delicias] *Quaſi Hedenem* in Hebræo. Vide Geneſeos II.

4. *Lex à me exiet, & judicium meum in lucem populorum quieſcet*] תורה etiam *doctrinam* ſignificat. Docebo, inquit, populos me eſſe verum Deum, idque agnoſcent ubi judicia mea in impios viderint.

5. *Propè eſt juſtus meus*] Veniet Cyrus cultor unius Dei.

Egreſſus eſt ſalvator meus] Qui populum meum liberabit.

Me inſulæ exſpectabunt, & brachium meum ſuſtinebunt] In Hebræo, *In brachio meo confident*. Perſæ mari adſiti à me ſperabunt victoriam. Perſæ, ut antè diximus, nullas habebant imagines quas colerent.

6. *Cæli ſicut fumus liqueſcent*] Sidera in cœlo modò apparent, modò latent.

Terra ſicut veſtimentum atteretur] Magnæ terrarum partes hauriuntur à mari.

Et habitatores ejus ſicut hæc interibunt] Multa loca inculta fiunt quæ plena fuêre cultoribus.

Salus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea non deficiet] Promiſſa mea manent ſemper firma.

7. *Audite me qui ſcitis juſtum*] Pios qui inter Hebræos erant alloquitur.

Populus meus, lex mea in corde eorum] *In quorum corde lex mea eſt.*

Nolite timere opprobrium hominum, & blaſphemias eorum nè metuatis] Nè timete convitia idololatrarum, qui vos vocabunt *nubium adoratores, recutitos, parcentes porcis, inſociabiles.*

9. *Induere fortitudinem, brachium Domini*] *Brachium* hîc eſt caſu vocandi.

Conſurge ſicut in diebus antiquis, in generationibus ſeculorum] In Hebræo, *Suſcita te ſicut in diebus antiquis, in ætatibus ſeculorum*: id eſt, quæ ante multa ſecula fuêre.

Pervertiſti ſuperbum] In Hebræo, רהב, quod *ſuperbum* ſignificat, & ſolet pro *Ægypto* poni, ut Pſalmo LXXXVII. 4.

Vulneraſti draconem] *Belluam marinam*. Pharaonem. Tyrannos Prophetæ eo nomine appellant; maximè Ægyptios. Vide Ezech. XXIX. 3. XXXIII. 2. & ibi dicenda.

10. *Siccaſti mare*] Rubrum.

11. *Et nunc*] Etiam nunc.

Lætitia ſempiterna ſuper capita eorum] Coronæ ſemper recentes.

12. *Quis tu ut timeres ab homine mortali?*] Ità parum tibi ſit animi, ut homines timeas, Deum habens adjutorem?

13. *Vbi nunc eſt furor tribulantis?*] Vis illa Chaldæorum?

14. *Citò veniet gradiens ad aperiendum*] In Hebræo, *Feſtinabit vinctus ut ſolvatur*. Populus captivus, per Zorobabelem: nam preces ſuas ad Cyrum deferet.

Non interficiet uſque ad internecionem] In Hebræo, *Non morietur in fovea*: non interibit in miſeriis.

Nec deficiet panis ejus] Viaticum illi non deerit.

15. *Qui conturbo mare, & intumeſcunt fluctus ejus*] Ex Hebræo, *Qui findo mare, quamvis frementibus ejus fluctibus.*

16. *Poſui verba mea in ore tuo*] Per Prophetas promiſſa mea tibi dedi quæ ſubinde recites.

In umbra manûs meæ protexi te, ut plantes cælos & fundes terram] Videntur mihi LXX optimè vertiſſe: ἐν ᾗ ἔστησα τὸν οὐρανὸν, καὶ ἐθεμελίωσα τὴν γῆν [*per quam conſtitui cælum, & fundavi terram*]. Illâ manu te protegam, quæ ſatìs valida fuit ad conſtituendum cœlum, firmandámque terram. Eſt in Hebræo Ellipſis non magna.

Et dicas Sioni, Populus meus es tu] *Et ad dicendum Sioni, Tu* (rurſus) *mihi eris populus.*

17. *Vſque ad fundum calicis ſoporis bibiſti*] Pro *ſoporis* in Hebræo eſt התרעלה [*tremoris*] à רעל, quod Chaldæis eſt *tremere*: *horribile poculum*, quo totum corpus concutitur.

Et potaſti uſque ad fæces] Totum exhauſiſti.

18. *Non eſt qui ſuſtentet eam ex omnibus filiis quos genuit. & non eſt qui apprehendat manum ejus ex omnibus filiis quos enutrivit*] Cùm graviſſimè concutereris ex illo horribili poculo, & eſſes quaſi παραλελυμένη [*ſiderata*], nemo tuorum te manu duxit. nempe quia nulli id erat virium, non Regi, non Principi, non Sacerdoti.

19. *Duo ſunt quæ occurrerunt tibi*] *Quæ in te irruerunt.* Hæc duo ſunt fames & cædes; ſed utrumque bis nominat: idem enim ſunt *vaſtitas* & *fames*, item *contritio* & *gladius*.

Quis contriſtabitur ſuper te] *Et tamen quis tibi indoluit?*

Quis conſolabitur te?] Id eſt, quis hominum te conſolatus eſt? nemo.

20. *Sicut oryx illaqueatus*] In Hebræo eſt תוא, quod & תאו ſcribitur Deuteron. XIV. 5. Videtur idem eſſe animal quod *Thoa* vocant Ariſtoteles Hiſtoriâ Animalium II. 17. Plinius VIII. 34. Oppianus de Venatu III. Miror quî legerint LXX qui habent, ὡς σευτλίον ἡμίεφθον [*beta ſemicocta*]: aut Chaldæus qui poſuit, *ut lagunculæ confractæ.*

21. *Ebria non à vino*] Nam, ut Alexis ait,

Λύπη μανίας κοινωνίαν ἔχει τινά.

[*Triſtitia cum furore habet commercium.*]

Aliquos inſanis attonitiſque ſimiles diſcurrere fecit metus, ait Seneca Naturalium quæſtionum VI. 29.

23. *Ponam illum in manu eorum qui te humiliaverunt*] *Qui te afflixerunt.*

Et dixerunt animæ tuæ] *Tibi.*

Incurvare ut tranſeamus] *Sternere ut tranſeamus.*

Et poſuiſti ut terram corpus tuum, & quaſi viam tranſeuntibus] Faſtus hic erat Regum Orientis ſuper corpora humana incedere, Ioſuæ X. 24. Pſalm. CX. 1. Retinent adhuc quidam in India Reges.

CAPVT LII.

1. *VT pertranſeat per te incircumciſus & immundus*] Quales erant Aſſyrii, & Ægyptii, & Chaldæi. Vide II Regum XVIII. XXIII. 33. 34. XXIV. XXV.

3. *Gratis venundati eſtis, & ſine argento redimemini*] Mihi, Domino veſtro, nullum pretium

perſolverunt, nè gratiam quidem ullam retulerunt oppreſſores veſtri.

4. *In Ægyptum deſcendit populus meus in principio*] Id eſt, jam olim.

Vt colonus eſſet ibi] Sponte eò venit. Hoc ideo ut oſtendatur pejor eſſe cauſa Aſſyrii.

Et Aſſur abſque ulla cauſa calumniatus eſt eum] In Hebræo, *oppreſſit eum*: nempe Teglathphalaſar, Salmanaſar, Sennacheribus: hic etiam violato fœdere.

5. *Et numquid mihi eſt hic dicit Dominus, quoniam ablatus eſt populus meus gratìs?*] Pertuli hæc: ſed an & hoc feram, ut illi in populum meum dominentur, qui mihi maledicunt? Chaldæi ſcilicet, quorum cauſa pejor quàm Aſſyriorum. Vide Ieremiam L. 17.

Dominatores ejus iniquè agunt] *Vocem attollunt.* Nam הילִיל non de *ejulatu* tantùm dicitur, ſed & de omni *clamore*. *Iactant ſe*, Chaldæus.

Et jugiter totâ die nomen meum blaſphematur] Ab illis Chaldæis. Vide Danielis III. V. VI.

6. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipſe qui loquebar ecce adſum*] Agnoſcent me eſſe יהוה: id eſt, *reipſa implentem quod promiſi.*

7. *Quàm pulchri ſuper montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem?*] Quàm pulchrum erit miniſterium Ieremiæ, qui definiet ipſum tempus quo Sion rurſus habitata florebit?

8. *Vox ſpeculatorum tuorum: levaverunt vocem: ſimul laudabunt*] Dicetis, quando Levitæ rurſus in Templo cantaturi ſint laudes Dei.

Cùm converterit Dominus Sion] Cùm populum in Sionem reverti fecerit.

11. *Recedite, recedite, exite indè*] Chaldæus, *Separamini, ſeparamini*; id eſt, cavete vobis ab omni immunditie legali: & ſi quam contraxiſtis eam eluite ſecundùm Legem. Omnia accuratè agite cùm exibitis. Satis erit temporis: nec quiſquam vobis obſtabit.

Qui fertis vaſa Domini] Vos Saſſabaſar & ejus comites, Eſdræ 1. 8. 9. 10. 11.

13. *Ecce intelliget ſervus meus*] Hæc omnia clariſſimè ſibi revelata cognoſcet Ieremias: figura Chriſti, ad quem hæc refert Chaldæus.

Exaltabitur & elevabitur, & ſublimis erit valde] In magno honore erit apud ipſos Chaldæos. Vide Ieremiæ XXXIX. in fine & XL.

14. *Sicut obſtupuerunt ſuper te multi, ſic inglorius erit inter viros aſpectus ejus, & forma ejus inter filios hominum*] Modò ſecundâ, modò tertiâ perſonâ de Ieremia loquitur, quod frequens Hebræis. Sicut multi mirati erant hominem tam egregium tam fœdè tractari, detrudi in carcerem, deinde in lacum lutoſum, ibique & pædore & cibi inopiâ contabeſcere: ſic contrà rebus mutatis admirationi erit honos ipſi habitus.

15. *Iſte aſperget gentes multas*] In Hebræo, *ſic aſperget*; ut reſpondeat illi *ſicut* quod præceſſit. Multos ex Gentibus ab idolorum cultu avertet. Similitudo ſumta ab aſperſionibus legalibus: unde & Chaldæis נזה eſt *objurgare*. At LXX habent οὕτω θαυμάσονται ἔθνη πολλὰ ἐπὶ αὐτῷ [*ſic mirabuntur de eo gentes multæ*], non malè. Nam *mirari* eſt veluti aſpergi fulgore alicujus.

Continebunt reges os ſuum] Reges, ut Nabuchodonoſor Chaldæorum, Nechos Ægyptiorum, eorúmque Satrapæ admirabuntur cum ſilentio, ubi videbunt omnia quæ dicet Ieremias ità adamuſſim & ſuis temporibus impleta.

Quia quibus non eſt narratum de eo viderunt] In Hebræo, *Quia quod explicatum illis non fuerat* (ſupple ab alio quoquam) *id viderunt*: per ipſum apertiſſimè prædictum.

Qui non audierunt contemplati ſunt] In Hebræo, *Quæ non audierunt*, (ab Aſtrologis & magis ſuis) *hæc intellexerunt*, ab ipſo præviſa.

CAPVT LIII.

1. *Qvis credidit auditui noſtro, & brachium Domini cui revelatum eſt?*] Eſt continuus ſermo cum iis quæ præceſſerunt capite præcedente à commate 7. Vultis ſcire, inquit, quis ille ſit futurus, de quo cœpi agere, qui & meis Prophetiis plenam habebit fidem, & ipſe de maximis rebus, quas Dei potentia peraget, revelationes accipiet exactiſſimas, omnibus circumſtantiis additis? dabo vobis geminas ejus notas, unde cognoſci poſſit. Hæ notæ in Ieremiam quidem congruunt priùs, ſed potiùs ſublimiúſque, ſæpe & magìs κατὰ λέξιν [*ſecundùm verba*], in Chriſtum.

2. *Et aſcendet ſicut virgultum coram eo*] *Et* hîc poſitum eſt pro *nimirum*. Senſus eſt: Ieremias adhuc puer Deo ſervire in prophetico munere incipiet. Habes teſtimonium de eo apud Hieronymum, in principio ad Ieremiam. Vide & ipſum Ieremiam 1. 6. Sic Dominus Ieſus anno ætatis XII, Doctores docuit.

Et ſicut radix de terra ſitienti] Natus in paupere viculo Anathoth, Ierem. 1. 1. addito quod habuimus hîc ſuprà X. 30. Sic & Bethleem Ieſu tempore vico quàm oppido propior, Ioh. VII. 42.

Non eſt ſpecies ei neque decor] Nihil magnificum in vultu præferet, macer & mœſtus.

Et vidimus eum] Hîc Eſaias ſermonem tribuit hominibus Iudæis qui cum Ieremia victuri erant, & viſuri vera eſſe quæ dixerat.

Et non erat aſpectus, & deſideravimus eum] Hebraïſmum ſecutus eſt Interpres: ſed *&* valet *ut*. Senſus eſt, *non erit vultus illi amabilis.*

3. *Deſpectum & noviſſimum virorum*] *Rejectum ab hominibus.* حدل etiam Arabibus eſt *abjicere.*

Et ſcientem infirmitatum] Qualis ille apud Homerum:

Οὐ γάρ τι πληγέων ἀδαήμων, οὐδὲ βολάων.
[*Non ignarus enim telorum eſt atque dolorum*]

4. *Verè languores noſtros ipſe tulit*] Ille non talia meritus mala tulit quæ nos eramus meriti. Hæc omnia ait dicturos Iudæos poſt captam Vrbem.

Et nos putavimus eum quaſi leproſum ac percuſſum à Deo & humiliatum] Vox Hebræa נגוע ſumitur quidem & de *leproſo*, ſed nihil aliud per ſe ſignificat quàm vox ſequens *percuſſum*. Ex hoc loco orta inter Iudæos fabula, Meſſiam inter leproſos morari. Sed ſenſus eſt: nos credidimus Ieremiam meritò conjectum in carcerem & lutum, Deo illum exoſum habente, ut hoſtem Vrbis & Templi, ac pſeudoprophetam. Vide Ierem. XXVI.

5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras*] In Hebræo: *At verò ipſe vulneratus* (id eſt, malè tractatus eſt) *noſtro crimine.* In nobis culpa fuit, non in ipſo. Sic & quod ſequitur, *attritus eſt per noſtram culpam.* Iniquiſſima de eo ſenſimus, & propterea crudeliter eum tractavimus: id nunc rebus ipſis apparet. Similia dixerunt Iudæi qui ſe converterunt die Pentecoſtes & deinceps.

Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum] *Apud eum:* id eſt, monita nobis attulit ſalutaria, ſi ea recepiſſemus.

Et livore ejus ſanati ſumus] *Livore ejus* (id eſt, ipſius patientiâ) *nos ſanati fuiſſemus:* id eſt, liberati ab impendentibus malis, ſi verbis ipſius tantâ malorum tolerantiâ confirmatis habuiſſemus fidem. Hebræi potentialem modum aliter quàm per indicativum exprimere nequeunt: ideo multa adhibenda attentio ad conſequendos ſenſus.

6. *Omnes nos quaſi oves erravimus*] Erraveramus jam à Manaſſis temporibus.

Vnuſquiſque in viam ſuam declinavit] Alii ad alia idola.

Et poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrûm] Permiſit Deus ut ille noſtro gravi crimine indigniſſima pateretur.

7. *Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuum*] In Hebræo: *Oppreſſus & afflictus fuit, & non aperuit os ſuum.* Senſum bene exprimunt LXX: καὶ αὐτὸς διὰ τὸ κεκακῶσθαι οὐκ ἤνοιξεν τὸ στόμα αὐτοῦ [*& ipſe non aperuit os ſuum ob eas vexationes*]. Etiam tunc cùm in carcerem ageretur, & in locum lutoſum, nihil fecit dixítve iracundè. Mirè hæc omnia invertit Chaldæus, ut Meſſiam nobis depingat qualem Iudæi volunt.

Sicut ovis] Ovis mitiſſimum animal.

Et quaſi agnus] Cum quo ipſe Ieremias ſe comparat XI. 18.

8. *De anguſtia & de judicio ſublatus eſt*] *De carcere & de judicio ablatus eſt:* id eſt, liberatus tandem. *Iudicium* vocat hoc, quia ſpecie judicii ipſi hæc mala impoſita fuerant. Vide Ierem. XXXII. 3. liberatus autem per Babylonios.

Generationem ejus quis enarrabit?] Quis numerare poterit dies vitæ ejus? id eſt, erit valde longævus.

Quia abſciſſus eſt de terra viventium] Nempe cùm actus fuit primùm in carcerem, deinde in lacum illum cœnoſum, ac rurſum in carcerem.

Propter ſcelus populi mei percuſſi eum] In Hebræo eſt, *plaga ipſi*, ſupple *evenit*, populi ſummo errore ac crimine, ut & antè dictum eſt. Quidam codices Hebræi hîc habuerunt לו [*ei*], ſed למו idem ſignificat: neque enim exemplis caret מ ἐπενθετικόν [*interjectitium*].

9. *Et dabit impios pro ſepultura, & divitem pro morte ſua*] Illi ipſum etiam interficere voluerant, ut legimus Ieremiæ XXVI. At Deus ipſius vice viros potentes quidem, ſed improbos, ſacerdotes nempe mortem Ieremiæ machinatos morti dedit per Chaldæos, II Regum XXV. 18. 19. 20. 21. Nihil illis divitiæ ſuæ profuerunt, quibus redimi ſe poſſe ſperaverant. Senſum hunc bene expreſſerunt Græci.

Eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore ejus] Quanquam nihil aliud dixerat, quàm quod Deus ei mandaverat.

10. *Et Dominus voluit conterere eum in infirmitate*] *Tamen Deo viſum eſt eum conterere & infirmare:* id eſt, attenuare fame, illuvie, ſquallore. Verba activa apud Hebræos ſæpe permittendi habent ſignificatum. Cauſa ſequitur cur id Deus permiſerit.

Si poſuerit pro delicto animam ſuam, videbit ſemen longævum] Verteris rectè: *Vt cùm ſemetipſum ſubjecerit pœnis, videat ſemen, diúque vivat.* Hebræis pœna etiam injuſtè irrogata אשם [*delictum*] dicitur, quia infligitur, ſi non ſonti, certè quaſi ſonti. Sic חטא [*peccatum*] ſumi apparet Geneſ. XXXI. 39. Zachariæ XIV. 19. Vixit diu Ieremias in Ægypto.

Et voluntas Domini in manu dirigetur] Meliùs, *in manu* (*ejus* ſcilicet) *proſperabitur.* Multi per ipſum ad pietatem convertentur. quod & ſequentia explicant.

11. *Videbit & ſaturabitur*] Videbit diu ad ſatietatem. Simile loquendi genus in Hebræo: Geneſ. XXV. 8. XXXV. 29. I Paralip. XXIII. 1. XXIX. 28. II Paralipomen. XXIV. 14.

In ſcientia ſua] Per eam quam habet Dei cognitionem.

Iuſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos] Exemplo & inſtitutione ſuâ corriget multos etiam ex gentibus. Hæc eſt maximè propria verbi הצריק [*juſtificare*], & Græci δικαιοῦν ſignificatio, quæ apparet & Daniel. XII. 3. Apocalyp. XXII. 11. & alibi ſæpe. Ab hoc ſignificatu proprio alii per ſimilitudinem quandam fluunt.

Et iniquitates eorum ipſe portabit] Id eſt, *auferet*, per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*], quia qui ſordes aliquas auferunt, ſolent eas collo ſuppoſito portare. Sic & נשא pro *auferre* habes Num. XVI. 15. II Reg. XX. 17. vertitúrque per ἐκσπᾶν, ἀναιρεῖν, ἀφαιρεῖν [*evellere, tollere, auferre*]. Abſtulit Ieremias multorum peccata, ità ut diximus, eos corrigendo.

12. *Ideo diſpertiam ei plurimos*] *Dabo ei partem in multis.* Id eſt, multos ſervabunt Chaldæi in ipſius gratiam. Vide Ierem. XXXIX. 17.

Et fortium dividet ſpolia] Id eſt, Nabuzardan magiſter militum captâ Vrbe de præda ipſi dona mittet, Ierem XL. 5. Oblatum etiam ipſi à Chaldæis terræ quantum vellet. Vide & infrà XV. 11.

Pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam] In Hebræo: *Quia effudit in mortem animam ſuam.* Ideſt, periculis mortis ſemet objecit, colendo veritatem quæ odium parit. Vide hiſtoriam ad hanc rem appoſitam Ierem. XXVI. 13. Sic τιθέναι ψυχὴν [*ponere animam*] dici pro *periculo mortis ſemet objicere* diximus ad Ioh. X. 11.

Et cum ſceleratis reputatus eſt] Ità eſt tractatus, quomodo ſcelerati ſolent, in carcere, catenis, & barathro.

Et ipſe peccata multorum tulit] Peſſimè tractatus fuit per multorum improbitatem, ut ſuprà 5.

Et pro tranſgreſſoribus rogavit] הפגיע eſt *deprecari*, ut exponit ad hunc locum reſpiciens ſcriptor Hebræus De vita & morte Moſis. Senſus eſt: eo ipſo tempore cùm tam dura pateretur à populo, non ceſſavit ad Deum preces pro eo fundere, ut olim Moſes in deſerto. Vide Ierem. XIV. 7. XXXVII. 3. XXXVIII. 17. XLII. 2.

CAPUT LIV.

1. *Lauda ſterilis quæ non paris*] Redit ad eum ſermonem quem cœperat initio capitis LII. & mentione injectâ Ieremiæ interruperat. Vrbs Hieroſolyma longo tempore fuerat *ſterilis* ac *ſine partu*, id eſt, deſerta, deſolata, ut illa locutio exponitur ſuprà XLIX. 21.

Multi filii deſertæ magìs quàm ejus quæ habet virum] Plenior fies illis urbibus quæ ſemper habitatæ ſunt, & Reges apud ſe habuêre. Hieroſolyma *longè clariſſima urbium Orientis* Plinio.

2. *Dilata locum tentorii tui*] Vrbes tentorio comparantur. Vide Ezechiel. XXIII.

Et clavos tuos conſolida] Paxillos bene defige, ad quos deligantur funes illi qui tentorium ſuſtinent. Vide ſuprà XXXIII. 20.

3. *Ad dexteram enim & ad lævam penetrabis*] Ad Aquilonem & Auſtrum.

Semen tuum gentes hereditabit] Etiam extra veteres fines imperium porriges in Idumæam, Moabitidem, Syriam.

4. *Confuſiones adoleſcentiæ tuæ oblivíſceris*] Adoleſcentiæ tempus, quod cùm hæc evenient diu exactum erit. Sic & mox 6.

5. *Quia dominabitur tui qui te fecit*] *Qui te fecit erit tibi maritus*: id eſt, fœcundam te faciet.

Et Redemtor tuus Sanctus Iſrael Deus omnis terræ vocabitur] Conſtrue ſic: *Sanctus Iſraëlis, Dominus omnis terræ, vocabitur Redemtor tuus.*

8. *In miſericordia ſempiterna*] Beneficiis in longum duraturis.

10. *Montes enim commovebuntur, & colles contremiſcent*] Fieri hoc, inquit, poteſt, ut in magno terræ motu. Vide Senecam Naturalium quæſtionum VI. ubi capite XXIX. *Vides totas regiones à ſuis ſedibus revelli.* De Taygeti montis magna parte abrupta, de duobus montibus qui inter ſe concurrerunt crepitu maximo aſſultantes recedentéſque, de prædiis in contrarias ſedes tranſgreſſis, de duodecim urbibus unâ nocte proſtratis, vide Plinium Hiſtoriæ naturalis lib. II. capitibus LXXXI. LXXXV. LXXXVI.

11. *Ego ſternam per ordinem lapides tuos*] Chaldæus ex Hebræo: *Sternam in ſtibio lapides pavimenti tui.* Sed per *ſtibium* intellige lapides nigricantes, ut I Paralip. XXIX. 2. Nihil hîc ſuper verum dicitur: nam & Ioſephus in Templi quod ipſe vidit deſcriptione, Τὸ ϗ ὕπαιθρον ἅπαν πεποίκιλτο παντοδαπῶν λίθων κατεστρωμένον [*Subdiale totum variatum erat lapidibus ſtratis omnis generis*]. Vide & de lapidibus pretioſis à Davide ad Templi uſum congeſtis I Paralipomen. XXIX. 2.

Et fundabo te in ſapphiris] Chaldæus: *in lapidibus pretioſis.*

12. *Et ponam iaſpidem propugnacula tua*] Meliùs alii: *Specularia tua ex cryſtallo faciam.* שמשת ſunt *ſpecularia*, à *Sole* ſic dicta; quia, ut ait Martialis,

——— *ſpecularia puros*
Admittunt ſoles, & ſine fæce diem.

Et portas tuas in lapides ſculptos] Et Hebraïca & Chaldaïca & Arabica lingua oſtendunt intelligi hîc lapides flammantes.

Et omnes terminos tuos in lapides deſiderabiles] Græci, τὸν περίβολόν σου λίθους ἐκλεκτούς [*ambitum tuum lapides electos*]. id eſt, in periſtyliis erunt puriſſima marmora. *Marmor Parium*, ait hic interpres dicto loco I Paralipomen. XXIX. 2. Κίονες μονόλιθοι λευκοτάτης μαρμάρου [*columnæ ſolidæ ex candidiſſimo marmore*], ait Ioſephus Belli Iudaïci V. 14.

13. *Vniverſos filios tuos doctos à Domino*] Bene inſtitutos à Daniele, Aggæo, Zacharia, Malachia Prophetis.

Et multitudinem pacis filiis tuis] Omnia proſperrima.

14. *Et in juſtitia fundaberis*] Viri erunt optimi, qui Vrbem reſtituent, qualis Eſdras, Zorobabel, Ieſus Ioſedeci filius, Nehemias.

Recede procul à calumnia] עשק, quod hîc *calumniam* vertit, *vim* magìs ſignificat. Noli vi agere cum vicinis illis Samaritis & aliis, qui te impedire in ædificando volent: namque ego illorum conſilia diſſlabo. Vide Eſdræ IV. Nehemiæ VI.

Et à pavore] *Et à certamine omni.*

15. *Ecce accola veniet qui non erat mecum*] Optimè vertas cum Chaldæo: *Congregando congregabit te*, (nam ſic גור ſumitur Pſal. LVI. 6. & LIX. 4.) *ſed non ex me.* Senſus eſt: Samballetes multas vicinas gentes ad ſe attrahet ut opus impediat, ſed me nolente, ac facilè ejus conſilia diſturbaturo.

Advena quondam tuus adjungetur tibi] Optimè vertit Chaldæus: *Quiſquis coibit contra te, is coram te cadet.* על pro *coram* habes Zachariæ VI. 5. & alibi.

16. *Ecce ego creavi fabrum ſufflantem in igne prunas, & proferentem vas in opus ſuum, & ego creavi interfectorem ad diſperdendum*] Id eſt, Sicut fabri operâ utor ad opera fabrilia, ſic etiam, ad perdendos quos volo, non deſunt mihi inſtrumenta.

17. *Omne vas quod fictum eſt contra te*] Verte: *Omnia arma quæ contra te parantur.* Nam ſic כלי ſæpiſſime ſumitur, vertitúrque ὅπλον [*inſtrumentum*] Ieremiæ XXI. 4. Ezech. XXXII. 27. nec aliter hîc Chaldæus.

Et omnem linguam reſiſtentem tibi in judicio, judicabis] In Hebræo: *Omnem linguam quæ tecum judicio contendere voluerit, refelles.* Omnes calumnias quæ adversùs te ad Reges Perſarum deferentur, facilè vinces.

Hæc eſt hereditas ſervorum Domini] Hoc eſt ipſorum privilegium.

Et juſtitia eorum apud me, dicit Dominus] Id eſt, eorum quorum probitas mihi perſpecta eſt.

CAPUT LV.

1. *Omnes ſitientes venite ad aquas*] Continuatur idem ſermo, monentúrque populi ut doctrinam de uno vero Deo ab Ieremia hauriant.

Qui verum dicere cupitis, ad hunc doctorem venite. Ità hîc Chaldæus.

Et qui non habetis argentum, emite & comedite] Etiam pauperes ſine ulla impenſa ab ipſo diſcere poterunt. Vera doctrina & potui & cibo comparatur, quia animum paſcit & recreat. Vide Ieremiæ XV. 16. Ezech. III. 3. Prov. IX. 5. Eccleſ. XV. 3. XXIV. 29. Philo: Τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς [*Edere ſymbolum eſt paſtûs animorum*]. Adde Maimoniden Doctoris dubitantium I. 30.

Emite abſque argento] Sumite gratis.

Vinum & lac] Et ſolatium animis & alimentum.

2. *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem veſtrum non in ſaturitate*] Cur magno ſtudio & impendio diſcitis ματαιοτεχνίαν [*vanam artem*] Chaldaïcam, unde nullus fructus ad animum redit?

Audite audientes me] Loquentem per Ieremiam.

Et comedite bonum] Diſcite ſalutaria.

Delectabitur in craſſitudine anima veſtra] Pinguibus cibis multùm delectabantur gentes iſtæ, Pſalmo XXXVI. 9. LXIII. 6. Iob. XXXVI. 11. Habebitis pacem conſcientiæ.

3. *Vivet anima veſtra*] Longâ vitâ fruemini.

Et feriam vobiſcum pactum ſempiternum] Recipiam vos in illud fedus quod cum Noa ejuſque poſteris feci, Geneſ. IX. 9. quod & *ſempiternum* dicitur ibidem 16.

Miſericordias David fideles] Exhibebo illis beneficia tam conſtanter quàm Davidi exhibui. Hoc eſt quod Græci volunt cùm dicunt τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά [*bonitates Davidi fideles*]. nam חסדים voce vicinâ ὅσια [*bona*] aut ὁσιότητα [*bonitatem*] ſolent transferre.

4. *Ecce teſtem populis dedi eum*] Ieremiam, cujus Prophetiæ adeò definitæ certum dabunt meæ providentiæ teſtimonium apud populos omnes.

Ducem ac præceptorem gentibus] Ducis eſt anteïre cæteris.

5. *Ecce gentem quam neſciebas vocabis*] Tu, ô Iudæa, gentes antè tibi incognitas amicè compellabis.

Et gentes quæ te non cognoverunt ad te current] Venient ut in Templi ambitu gentibus piis deſtinato Deum verum invocent.

Propter Dominum Deum tuum & ſanctum Iſraël, quia glorificavit te] Venient illi exciti famâ beneficiorum magnorum quæ Deus tibi præſtitit.

6. *Quærite Dominum dum inveniri poteſt: invocate eum dum propè eſt*] Hîc pergit Deus eos qui ex Gentibus nondum converſi ſunt, ad reſipiſcentiam hortari, promiſſa minis miſcendo. Ait Abeneſdra ***Deum inveniri poſſe ubique & quovis tempore, ante obſignationem decretorum. Obſignatio decretorum*** Hebræis dicitur tempus illud, cùm conditionata decreta de gente aliqua exſcindenda, propter longam eorum contumaciam, tranſeunt in abſoluta: quod & *menſuram judicii completam* vocant. Vide quæ diximus ad Lucam XIX. 44.

8. *Non enim cogitationes meæ, cogitationes veſtræ*] Vos difficiles eſtis ad obliviſcendas injurias; ego promtus ad ignoſcendum. cohæret enim hoc ad id quod præceſſit.

9. *Sicut exaltantur cæli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris*] Quantò ſum ſublimior, tantò & clementior.

10. *Et quomodo deſcendit imber & nix de cœlo, & illuc ultrà non revertitur*] Non caret effectu.

11. *Sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo*] Promiſſum quodvis meum.

Non revertetur ad me vacuum] Id eſt, Non fiet irritum, ſub ſuis ſcilicet conditionibus. Similitudo ſumta à Legato, qui ſibi mandata efficere non potuit.

Sed faciet quæcunque volui] Eſt μετωνυμία [*transnominatio*]. nam promiſſo tribuitur id quod eſt promittentis.

Et proſperabitur in his ad quæ miſi illud] Quæ dixi evenient.

12. *Quia in lætitia egrediemini*] Illud כי rectiùs vertas *propterea*. Senſus eſt, Quandoquidem tanta eſt promiſſorum meorum conſtantia, nolite dubitare Iudæi quin de exſilio exituri ſitis feliciter & cum gaudio.

Montes & colles cantabunt coram vobis laudem] Hymnos veſtros reſonabunt.

Et omnia ligna regionis plaudent manu] Lenibus ventis agitatæ arbores ramis ſuis, quaſi brachiis, plaudent.

13. *Pro ſaliunca*] Græci hîc habent ἀντὶ στοιβῆς [*pro ſtæbe*]. Στοιβὴ, quæ & φλεὼς, paluſtris herba, cujus meminêre Theophraſtus, Plinius, & in Ranis Ariſtophanes. Aquila & Theodotio hîc habebant κόνυζαν [*pulicariam*], quod in ſequentibus habent LXX. Vocem Hebræam idem hic interpres *fruteta* tranſtulit ſuprà VII. 19.

Aſcendet abies] Eſt hîc in Hebræo ברוש, quam & ſuprà habuimus XLI. 19. ubi itidem *abietem* vertit hic interpres & Chaldæus. Græci ibi *myrtum*, hîc *cupreſſum*.

Et pro urtica] Secutus eſt hoc loco Interpres Symmachum, ut nos docet Hieronymus: nam LXX hîc κόνυζαν [*pulicariam*] habent. Genus ſpinæ eſſe volunt R. Abraham, & R. David Kimchi.

Creſcet myrtus] Sic & LXX. Nec aliter Hebræi, ubi explicant nomen *Hadaſſæ* quod Eſtheri datum. Senſus hujus loci eſt: ubi propter cultorum penuriam herbæ naſcebantur damnoſæ aut inutiles, ibi ſatum iri arbores ad uſum aut voluptatem egregias. Chaldæus allegoricè ſumit, impiis ſucceſſuros viros pios.

Et erit Dominus nominatus in ſignum æternum, quod non auferetur] Id eſt, *his viſis Dei nomen celebrabitur perpetuò.*

CAPUT LVI.

1. HÆc dicit Dominus, *Cuſtodite judicium & facite juſtitiam*] Vt meliùs intelligatur natura promiſſorum de quibus hactenus actum eſt, additur mentio ad Iudæos, ut ipſi quoque officium faciant, & ea evitent propter quæ tam graves pœnas in ſe accerſerunt. Vide ſuprà I. 16. X. 1.

Et juſtitia mea, ut reveletur] Mea fides in implendis iis quæ à mea parte exſpectari poſſunt.

2. *Cuſtodiens ſabbatum, nè polluat illud*] Cavens ſibi à violanda lege ſabbati, & aliis legibus quæ in exſilio obſervari poterant. Eſt enim ſpecies pro genere.

3. *Et non dicat filius advenæ qui adhæret Domino*] *Alienigena.* Cùm autem pii alienigenæ duûm eſſent generum, alii qui præcepta Adamo & Noæ data ſervabant; alii qui toti Moſis legi ſe ſubjecerant: de hoc poſteriori genere hîc agi oſtendit ſabbati mentio, quàm illis prioris generis non eſſe datam conſentiunt Hebræi. Vnde & *fedus* cujus ſequetur mentio, intelligendum de eo quod per Moſem fuit publicatum. Talis fuit Ieremiæ temporibus Abdemelech Æthiops.

Separatione dividet me Dominus à populo ſuo] Poterat cogitare talis proſelytus hæc magnifica promiſſa ad ſolos eos qui ex Iſraële ortum haberent, pertinere, ac ſe ab iis excludi. Huic opinioni occurrit Deus.

Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignum aridum] Sic & Iſraëlitę eunuchi, cùm Lex promitteret Legem ſequentibus fœcunditatem, & multam ſobolem in rebus proſperis, cogitare poterant inane fore ſuum ſtudium. Ideo quod hac in parte ipſis deeſt, id aliis magnis beneficiis ſe compenſaturum dicit Deus: ità nulli operam perituram.

4. *Et elegerint quæ ego volui*] Amaverint præcepta mea.

5. *Locum & nomen melius à filiis & filiabus*] In δοξολογίαις [*laudum recitationibus*], in Templo nomen ipſorum memorabitur, eritque celebrius quàm ſi prolem reliquiſſent. Tales δοξολογίας [*laudum recitationes*] multas habemus apud Sirachiden. Imitati ſunt id Chriſtiani offerentes pro mortuis.

7. *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis*] Maximè proſelytis qui pari jure cum Iſraëlitis intra τὸν θριγκὸν [*diſſeptum*] admittebantur.

8. *Adhuc congregabo ad eum congregatos ejus*] Rectiùs, *congregandos.* Poſt congregationem Eſdiæ ſequetur congregatio Nehemiæ.

9. *Omnes beſtiæ agri, venite ad devorandum, univerſæ beſtiæ ſaltûs*] Novus hîc ſermo incipit: nam poſt conſolationes liberaliter piis expoſitas, nè animum abjicerent, redorditur objurgationem impiorum, qui poſt Eſaiæ tempora exſtituri erant inter Iudæos plurimi, minis additis valde gravibus. *Beſtias agri omnis generis*, intellige Ægyptios, latrunculos ex Chaldæis, ex Syris, ex Moabitis, ex Ammonitis, qui omnes Iudam cladibus & vaſtitate magnâ affecerunt, etiam ante deportationem. Vide II Regum XXIII. 33. XXIV. 2.

10. *Speculatores ejus cæci omnes*] *Ejus*, id eſt, populi Iudaïci. *Speculatores* intellige tum Sacerdotes, tum eos qui ſe pro Prophetis venditabant. Confer Ezech. III. 17. XXXIII. 2. 6. 7.

Neſcierunt univerſi] Non viderunt mala ventura.

Canes muti non valentes latrare] Peccata aliorum diſſimulant. Sicut canum officium eſt allatrare fures, ità Sacerdotum & Prophetarum reprehendere vitia.

Videntes vana] *Delirant.* id Arabibus ז in ד mutato هذى.

Dormientes] *Cubantes.* Perſtat in ſimilitudine.

Amantes ſomnia] *Somni amantes.*

11. *Et canes impudentiſſimi*] *Et* pro *nempe.* Eſt enim ἐξηγητικόν [*explicativum*].

Neſcierunt ſaturitatem] Sunt inſatiabiles.

Ipſi paſtores ignoraverunt intelligentiam] Non dant operam Legi. *Paſtores* vocat eoſdem quos antè *ſpeculatores*, & quos ſub Canum imagine deſcripſit.

Omnes in viam ſuam declinaverunt] Res ſuas agunt, non Dei.

Vnuſquiſque ad avaritiam ſuam, à ſummo uſque ad noviſſimum] In Hebræo, *Vnuſquiſque ad lucrum ſuum ab initio ejus:* ſupple *viæ*, ad finem ſcilicet.

12. *Venite, ſumamus vinum*] Supple, *dicunt illi.* Frequens apud Hebræos ἔλλειψις [*in loquendo defectus*].

Impleamur ebrietate] Potemus σίκερα [*ſicera*]. Vide Luc. I. 15. & ibi dicta.

Et erit hodie ſic & cras, & multò ampliùs] Cras lautiùs etiam prandebimus. Sic Chaldæus hîc.

CAPVT LVII.

1. IVſtus perit] Moritur Rex Ioſias, qui erat & juſtus, id eſt, mali abſtinens, & beneficus admodum, II Reg. XXII. 2. II Paralipom. XXXIV. 2.

Et non eſt qui recogitet in corde ſuo] Nemo cogitat de cauſa cur id Deus faciat.

A facie enim malitiæ collectus eſt juſtus] Verte: *ante malum colligitur* (ad majores ſuos) *ille juſtus. Ante malum*, id eſt, nè videat populi captivitatem. Sunt ipſa verba Holdæ ad Ioſiam ex Dei nomine: *Colligam te ad patres tuos, & colligêris ad ſepulchrum tuum in pace, ut non videant oculi tui omnia mala quæ inducturus ſum ſuper locum iſtum. In pace*, id eſt, republicâ Iudaïcâ ſalvâ.

2. *Veniat pax, requieſcat in cubili ſuo, qui ambulavit in directione ſua*] Verteris rectè: *Adveniat illi* (Ioſiæ Regi) *pax: requieſcant in cubilibus ſuis* (id eſt, ἐν τῷ κοιμητηρίῳ [*in cæmeterio*], & ſubaudi *oſſa ejus:*) *ambulavit* (enim) *coram eo*, Deo ſcilicet. Hæc vulgus intelligebat de corpore; ſapientes de ſpiritu, qui in locis Deo cognitis, nobis incognitis, quieſcebat. Sed hæc apertè revelari non debebant ante Meſſiæ tempus, cui reſervata erat rerum obſcurarum patefactio. Hæc ipſa verba in uſu ſunt Iudæorum jam olim, ubi de piis mortuis loquuntur. Legit hîc Interpres non ut nos נכחו [*coram eo*], ſed ככנו [*in directione ejus*].

3. *Vos autem accedite huc filii auguratricis*] Secutus eſt quod nos habemus עננה [*auguratricis*]. Sed & Chaldæus & Græci legerunt עולה [*iniquitatis*], cum He paragogico, ſenſu meliore: υἱοὶ ἀνομίας [*filii iniquitatis*], ſive ἄνομοι [*iniqui*], ut hîc habent LXX.

Semen adulteri & fornicariæ] Σπέρμα μοιχῶν καὶ πόρνης [*ſemen mæchorum & meretricis*], id eſt, qui moribus non magìs ad Iſraëlem pertinetis, quàm naturâ ad dictum patrem pertinent quos mater adultera ex adultero genuit. Γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς [*generatio mala & adulterina*] Matthæi XII. 39. XVI. 4.

4. *Super quem luſiſtis?*] Videte qualis fuerit ille Rex quem vos contemſiſtis. Ad eos loquitur qui ex Manaſſe impietatem didicerant, & Ioſiam irriſerant ob pietatem, homines qualis Sobna, qui etiam cum pietatis detrimento rebus ſuis conſulere volebant.

Super quem dilataſtis os, & ejeciſtis linguam?] *Dilatare os* eſt loqui quæ lubitum eſt, ut Pſal. XXII. 14. XXXV. 21. *Ejicere linguam*, inter tria ſannarum genera quæ habet Scholiaſtes Perſii ad Satyram I.

Numquid non vos filii ſceleſti] *Filii ſceleris*: id eſt, quaſi in hoc nati, ut ſcelera patretis, υἱοὶ ἀπωλείας [*filii perditionis*] in Græco, ſicut Latinè dicimus *hominem perditum*.

Semen mendax] *Mendacii*, in Hebræo ſimili loquendi genere. Sic vocantur à Prophetis omnes idololatræ.

5. *Qui conſolamini in diis*] *Qui incaleſcitis apud deos*, nempe in Venerem. Nam in lucis templo circumjectis proſtabant feminæ & mares in honorem deorum falſorum. Ideo luci apud Templum in Lege prohibiti.

Subter omne lignum frondoſum] Sub denſis arborum umbris. Idem loquendi genus II Reg. XVII. 10. Oſeæ IV. 13. Ezech. VI. 13.

Immolantes parvulos] More vetere Cananæorum, ſive Phœnicum, de quo egimus alibi.

In torrentibus] נחל propriè *vallem* ſignificat, quod hîc ſecuti LXX, ἐν ταῖς φάραγξι. Et quia in vallibus eſſe ſolent torrentes, ideo & torrentem ſignificat. Intelligitur hîc præcipuè vallis Hinnomi apud torrentem Cedron.

Subter eminentes petras] Græci, ἀνὰ μέσον τῶν πετρῶν [*inter petras*]. Chaldæus, *Subter eminentias petrarum*, ſub præcipitiis, quæ Hebræi hîc & alibi *ramos* vocant.

6. *In partibus torrentis pars tua, hæc eſt ſors tua*] Videtur rectiùs verti, *in levigatis* (lapidibus) *qui ſunt ad ripas torrentum poſitæ ſpes & fiducia tua.* Illis fiditis ſicut divites poſſeſſionibus ſuis.

Et ipſis effudiſti libamen] In honorem illorum lapidum vinum libatis: ἐξέχεας σπονδὰς [*effudiſti libamen*] Græci.

Obtuliſti ſacrificium] In Græco θυσίαν [*ſacrificium*]. Sic Græci veteris Teſtamenti interpretes vertunt Hebræum, quod & hîc eſt מנחה [*manna*]: quod in Græcè loquentium libris eſt πόπανον [*placenta*]. Ipſi autem idololatræ vocabant כונים, ut Ieremiæ VII. 18.

Numquid ſuper his non indignabor?] An hæc ego meo cultui adverſantia, meâ Lege prohibita, ſinerem abire impunè?

7. *Super montem excelſum & ſublimem*] Qui loci Cananæis viciniſque populis erant pro Templis.

Poſuiſti cubile tuum] Nam pernoctabant in illis locis ſpe conſequendi ſomnia futurorum præſaga. Sic olim Delphis fiebat, antequam oracula ibi redderentur. Euripides Iphigeniâ in Tauris:

Ἀπὸ ζαθέων χρηστηρίων νύχια
Χθὼν ἐτεκνώσατο φάσματα·
Οἳ πόλεσιν μερόπων
Τά τε πρῶτα, τά τ' ἔπειθ',
Ὅσα τ' ἔμελλε τυχεῖν,
Ὕπνου κατὰ δνοφερὰς γᾶς
Εὐνὰς ἔφραζον.
[*Viſus ſedibus è ſacris*
Tellus noctivagos dabat,
Qui mortalibus ederent
Prima & deinde ſequentia,
Et quæ curriculis novis
Ætas ſerior adferet,
Somnorum indiciis apud
Terræ nigra cubilia.]

Et illuc aſcendiſti ut immolares hoſtias] Victimas omnis generis.

8. *Et poſt oſtium & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum*] Tutelæ quædam ſimulacra, ut hîc explicat Hieronymus, ídque in illa ipſa ædium parte, ubi præcepta Dei poni debuerant, Deuteronom. VI. 9. XI. 20.

Quia] *Quinimo.*

Iuxta me] In conſpectu meo: id eſt, in ipſo Templo meo. Vide hiſtoriam II Reg. XXI. 3. 4. 5. 6. 7.

Diſcooperuiſti] Tantam mihi feciſti injuriam, quantam uxor adultera marito facere poſſet. Ità hîc Chaldæus. *Diſcooperuiſti* eſt quod Græci dicerent ἀνέσυρας.

Et ſuſcepiſti adulterum] Bene vertit id quod in Hebræo eſt *aſcendere feciſti*: id eſt, admiſiſti adulterum.

Dilataſti cubile tuum] Rectiùs, *Laxata es concubitu tuo*: nam ſic ſumi משכב apparet Num. XXXI. 17.

Et pepigiſti cum eis fedus] Rectiùs: *caſtraſti quoſdam ex eis.* Sic ſumitur כרת Levit. XXII. 24. Deuteronom. XXIII. faciebant hoc feminæ libidinoſæ ſervis, ut partum effugerent.

Dilexiſti ſtratum eorum] Id eſt, *etiam horum concubitu delectata es.* Eſt enim hîc iterùm משכב.

Manu apertâ] In Hebræo, *Manum vidiſti*: id eſt, ſenſiſti. nam omnis ſenſus apud Hebræos *videndi* voce exprimitur, ut Pſal. XXXIV. 9. & alibi. Libuit tibi contrectari. LXX hæc omiſêre de induſtria.

9. *Et ornaſti te regi unguento, & multiplicaſti pigmenta tua*] Id eſt, etiam Ægyptios mores imitata es, ut Nechoni Regi placeres, II Regum XXIII. 35. 36. 37. Simile factum Achazi habes II Regum XVI. 10. & ſequentibus.

Miſiſti legatos tuos procul] Velut amorum pararios.

Et humiliata es] Projeciſti te.

Vſque ad inferos] Tanquam vile ſcortum, ὡς χαμαιτύπη [*ut humicuba*]. Martialis:

Abſcondunt ſpurcas & monumenta lupas.

10. *In multitudine viæ tuæ laboraſti*] Nil reliquiſti intentatum: omnibus modis polluta es. Sic Iudæi etiam nunc ſumunt דרך. Vide Prov. XXX. 19.

Non dixiſti, Quieſcam] In Hebræo, *nunquam dixiſti, Cor mihi linquit.*

Vitam manûs tuæ inveniſti] Tam fœdo labore victum tibi paraſti.

Propterea non rogaſti] In Hebræo, *non elanguiſti*: οὐκ ἐνάρκησας. omnia ſuſtinuiſti ſpe lucelli, non modò nulli negaſti, ſed & nihil. Vide Ezech. XVI. 26. & XXIII. 19.

11. *Pro quo ſolicita timuiſti, quia mentita es, & mei non es recordata*] In Hebræo: *Quem tu vereris aut time-*

timeres, quandoquidem mentita es (mihi ſcilicet), *meique oblita?*

Neque cogitaſti in corde tuo] In Hebræo, *Nec poſuiſti ſuper cor tuum:* in mentem tibi non veni.

Quia ego tacens, & quaſi non videns, & mei oblita es] In Hebræo: *An quia ego taceo jampridem, ideo me non curas?* quaſi dicat, Incipiam ergò loqui.

12. *Ego annuntiabo juſtitiam tuam*] *Ergò nunc eloquar tuas virtutes.* Εἰρωνικῶς [*per irriſum*]. ut, *Egregiam verò laudem.*

Et opera tua non proderunt tibi] In Hebræo, *& non proderunt tibi:* id eſt, talia ſunt ut nihil tibi boni ſint allatura.

13. *Cùm clamaveris, liberent te congregati tui*] Congreges tui quorum facta imitata es.

Omnes eos auferet ventus, & tollet aura] Difflabuntur. Vide Pſalm. I.

Qui autem fiduciam habet mei, hereditabit terram] Faciam ut is in patriam redeat, poſſeſſionéſque avitas recuperet.

14. *Et dicam, Viam facite*] Omnia impedimenta tollam.

15. *In excelſo & ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu*] Quanquam in excelſo habitat, humilibus tamen favet. Id enim eſt apud Hebræos *cum aliquo eſſe.* Confer Pſalm. LI. 19.

Vt vivificet ſpiritum humilium] Id eſt, conſoletur pœnitentiâ ductos.

16. *Non enim in ſempiternum litigabo*] Non ſuccenſebo illis diu, nempe poſt pœnitentiam.

Spiritus à facie mea egredietur, & flatus ego faciam] Verteris rectè, *Imò aura à me* (veniens) *teget* (illum humilem & contritum): *& ventulum ego faciam.* Mœror æſtui comparatur, ſolatium verò auræ refrigeranti.

17. *Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus fui*] *Fueram.* *Avaritia* propè *omnium malorum radix,* 1 Tim. VI. 10. Hoc autem morbo eximiè laboraſſe Iudæos ſuprà didicimus LVI. 12. & hîc 10.

Et indignatus ſum, & abiit vagus in via cordis ſui] Id eſt, indignatus ſum dum populus vagatur ſequens cordis ſui cupiditates.

18. *Vias ejus vidi*] Nunc verò cùm videam vias ejus correctas.

Et ſanavi eum] Volo medicinam adferre malis ipſius.

Et reduxi eum] *Reducam.*

Et reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus ejus] Solabor & ipſos, & eos qui ipſorum malis indolent.

19. *Creavi fructum labiorum*] Dabo illis materiam cur me laudent, mihique gratias agant maximas.

Pacem, pacem] Salutem maximam.

Ei qui longè eſt, & qui propè] Rectiùs, *ei qui longè* (fuit à me) *& propè* (ad me acceſſit): id eſt, ei qui ſe convertit.

Et ſanavi eum] Mala ejus auferam.

20. *Impii autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt*] Vt fretum æſtu reciproco, ſic illi cogitationibus ſuis agitantur.

Et redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum] In Hebræo: *Aquæ ejus expellunt cœnum & lutum.* Sic & cor impii actiones fœdas.

21. *Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus*] Scripſit puto Interpres *Dominus meus*, ut eſt in Hebræo & Chaldaïco; niſi fortè Græcum ſequi maluit: nam Græci libri alii habent ὁ Θεὸς [*Deus*], alii ὁ Κύριος ὁ Θεός [*Dominus Deus*]. Epiphonema repetitum ex XLVIII. 22. Senſum & hîc ibi bene exprimunt Græci, οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσι [*non datur impiis gaudere*]. *Vt corpora verberibus, ità ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceratur.* Tacitus Annal. VI.

CAPVT LVIII.

1. *Clama, ne ceſſes*] Deus, quia pœnitentiâ ductis reditum jam promiſerat, videns multos inter Iudæos fore qui ſe ei numero accenſerent, tantùm quòd jejunaſſent in diebus כפרים [*propitiationum*], per Prophetam oſtendit ſe tali pœnitentiâ non eſſe contentum, ſed requirere ut ſiquid alieni teneant, id reddant; quia, ut dici ſolet, *non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*: quâ de re aliqua diximus libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. X. § 3. & in Annotatis ad eum locum: præterea, ut ab omni injuſtitia rebúſque per Legem vetitis abſtineatur: ad hæc, ut eximia quædam opera miſericordiæ exerceantur; quomodo & Nabuchodonoſorum Daniel monet IV. 24.

Quaſi tuba exalta vocem tuam] Gutture pro tuba utere, & quantum potes attolle vocem.

2. *Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt*] Id eſt, *dicunt ſe velle*, ut hîc Chaldæus & Kimchi. Ità interrogant quaſi nihil præter notitiam ipſis deeſſet, & quaſi non multa facerent quæ ſciebant iniqua eſſe: ut explicant ſequentia.

Appropinquare Deo volunt] Id eſt, dicunt ſe nihil malle quàm Deo conciliari; & addunt quod ſequitur.

3. *Quare jejunavimus, & non aſpexiſti? humiliavimus animas noſtras, & neſciſti?*] Cùm tam rigidè jejunemus, cur nos non liberas?

Ecce in die jejunii veſtri invenitur voluntas veſtra] Hoc jam eſt quod Propheta illis quaſi præſentibus dicere jubetur: Iejunatis quidem, ſed pergitis ea facere quæ vobis lubet.

Et omnes debitores veſtros repetitis] Id eſt, ſine miſericordia in nervum abducitis. nam ſecutus eſt hic interpres Symmachum & Theodotionem, qui habent πάντας ὑποχρέως [*omnes debitores*]: & non aliter fortè ſcripſerunt LXX, quorum libri nunc habent vicinâ voce ὑποχειρίους [*obnoxios*]. Arabibus عصب eſt *ligare.* Indè עצבים ſunt *obligati.* Non liberatis alios, & quomodo vultis liberari?

4. *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè*] Nè ipſis quidem diebus jejunii abſtinetis à maledictis & malefactis: ità in conſuetudinem vobis iſta verterunt.

Nolite jejunare ſicut uſque ad hunc diem, ut audiatur in excelſo clamor veſter] In Hebræo, *ſicut die*; id eſt, prout in diebus כפרים [*propitiationum*] facere ſoletis: ità jurgari, ut vel in montibus clamor veſter poſſit exaudiri.

5. *Quod elegi*] Quod ego approbem.

Per diem affligere hominem animam ſuam] *Per diem* ſignificat exiguo tempore. quid ſit *ſe affligere* explicant ſequentia.

Numquid contorquere quaſi circulum caput ſuum] Ex Græco ὡς κρίκον [*quaſi circulum*]. Thalmudici voce אגם *juncum* ſignificant, quod hîc nonnulli interpretes ſequuntur.

Et diem acceptabilem Domino]Ità exacto die Deum putatis contentum fore?

6. *Diſſolve alligationes impietatis*] *Nexus improbos. Coïtiones Iudicum in fraudem innocentium.* Ità hîc Chaldæus, & mox 9.

Solve faſciculos deprimentes] In Hebræo, *Faſciculos jugi:* quod Græci interpretantur στραγγαλιὰς βιαίων συναλλαγμάτων [*obligationes violentorum contractuum*]. Significat contractus aut extortos vi aut metu, aut fœnebres, per quos opprimebantur pauperes. Vide Nehem. v. 7.

Dimitte eos qui confracti ſunt liberos] Conſanguineos veſtros vinculis veſtris attritos dimittite. Vide Levit. xxv. 39. Multi enim potentes eam legem ſpernebant. Confer Matth. xviii. 30.

Et omne onus diſrumpe] In Hebræo, *jugum:* quod Lxx vertunt πᾶσαν συγγραφὴν ἄδικον διάσπα [*omnem injuſtam ſyngrapham ſcinde*]. Symmachus vertit, Hieronymo teſte, in hunc modum: *omnem cautionem falſam diſrumpe*, ſenſu eodem quo ſuprà. nam quicquid aut æquo & bono, aut Legi non congruit, *falſum* Hebræis dici ſolet.

7. *Frange eſurienti panem tuum*] Si quis fortè debitores non habeat, in quos miſericordiam oſtendat, cuivis egeno bene faciat. Panes in illis partibus erant tales qui facilè frangerentur: eo factum ut *frangere* dicatur pro *communicare*. Multùm ea quæ hîc dicuntur ad Euangelium accedunt. Confer ea quæ Matth. xxv. 36. & ſequentibus.

Et egenos vagóſque induc in domum tuam] Etiam φιλοξενία [*hoſpitalitas*] egregia eſt virtus, Matth. dicto loco, Rom. xii. 13. Hebr. xiii. 2. חלוא hîc eſt *potiùs*.

Cùm videris nudum, operi eum] Vide Matth. dicto loco, Iacobi ii. 16.

Et carnem tuam nè deſpexeris] *Carnem tuam*, id eſt, conſanguineum tuum ex Abrahamo, Iſaaco, Iacobo. Lxx, ἀπὸ τῶν οἰκείων τοῦ σπέρματός σου οὐχ ὑπερόψῃ [*eos qui ſunt ex domeſticis ſeminis tui ne deſpice*]. Idem planè ſenſus apud Chaldæum. Vide quæ diximus hac de re lib. ii. de Iure Belli ac Pacis, cap. vii. § 10. & in Annotatis.

8. *Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum*] Proſperitas tua ſuccedet adverſis, ut aurora tenebris nocturnis.

Et ſanitas tua citiùs orietur] Τὰ ἰάματά σου ταχὺ ἀνατελεῖ [*medicatio tua citò orietur*]. Citò liberaberis à captivitate. nam ut omne malum *morbus*, ità omnis à malis liberatio Hebræis *medicatio* dicitur. Vide quantùm peccent negligentes librarii, qui pro ἰάματα, levi ad literas, ſed magnâ ad ſenſum mutatione, ſcripſerunt ἱμάτια [*veſtimenta*]. Hanc autem ſcripturam haud dubiè corruptam ſecuti hîc ſunt Tertullianus, Cyprianus, Ambroſius, Auguſtinus. Notavit hunc errorem Hieronymus hoc in loco.

Et anteibit faciem tuam juſtitia tua] Tua probitas tibi pro duce erit in patriam.

Et gloria Domini colliget te] Id eſt, Dei bonitas, quæ Deo maximè glorioſa eſt, te ſubſequetur; οὐραγήσει [*agmen tibi claudet*]: id enim ſæpe ſignificat vox Hebræa אסף, ut apparet Num. x. 25. ídque exigit ratio ἀντιθέτου [*oppoſiti*], quale & ſuprà lii. 12. Græci vertunt hoc verbum per συνάγειν, & ἐπισυνάγειν [*colligere*]. & nomen indè deductum מאסף per ἔσχατοι [*ultimi*], & per οὐραγοῦντες [*agmen claudentes*].

9. *Tunc invocabis, & Dominus exaudiet*] Id eſt, ſi ità egeris, invocantem te Deus exaudiet.

Clamabis, & dicet, Ecce adſum] *Clamanti dicet, Præſtò ſum. Faciet quod orabis,* ut hîc Chaldæus. Confer Matth. viii. 2.

Si abſtuleris de medio tui catenam] Id eſt, *jugum*, de quo ſuprà 6. Eſt enim in Hebræo vox eadem מוטה; quod Theodotio κλοιὸν vertit. Id verò *nervum* aut *numellam* ſignificat.

Et deſieris extendere digitum] Lxx χειροτονίαν [*manûs protenſionem*], ſed cujus ſenſum interpretantur Symmachus, Aquila, Theodotion per δάκτυλον ἐκτεταμένον [*digitum extenſum*]: *ſi deſieris infami digito* (ut Perſius loquitur) denotare viros probos, & eorum ſimplicitati illudere.

Et loqui quod non prodeſt] In Hebræo, *verba iniquitatis;* id eſt, *verba violentiæ*, ut Chaldæus interpretatur; verba comminantia innocentibus: & idem fortè voluerunt Lxx, qui transferunt ῥῆμα γογγυσμοῦ [*verbum murmurationis*]. Vtuntur enim eâ voce in ſenſu quem dixi Exod. xv. 24. Num. xiv. 2. & alibi.

10. *Cùm effuderis eſurienti animam tuam*] *Anima* benevolentiam ſignificat, & hîc κατὰ μετωνυμίαν [*per tranſnominationem*] effectum benevolentiæ. Vide Rom. xii. 8. ii Corinth. ix. 7.

Orietur in tenebris lux tua] Idem ſenſus qui ſuprà 8. Amant Hebræi eadem ſæpe dicere, mutatis nonnihil verbis.

11. *Et requiem tibi dabit Dominus ſemper*] Dabit tibi ſedem durabilem. Chaldæus hoc verbum derivat non à נוח [*quieſcere*], ſed à נחה, quod eſt *deducere*. Græci, Ἔσται ὁ Θεός σου μετὰ σοῦ διαπαντός [*Erit Deus tecum perpetuò*].

Et implebit ſplendoribus animam tuam] In Hebræo: *Implebit in ſiccitate* (id eſt, tempore ἀνομβρίας [*pluviæ ceſſantis*], ac proinde & famis) *te*. Græci: ἐμπλησθήσῃ καθάπερ ἐπιθυμεῖ ἡ ψυχή σου [*impleberis ità ut expetet anima tua*]. Vt tu feciſti, ſic tibi fiet.

Et oſſa tua liberabit] חלץ & *liberare* & *pingueſcere* ſignificat. Poſterior ſignificatio huic loco magìs congruit, quam & Lxx ſequuntur, & in notis ſuis habet Hieronymus, eámque firmat locus Proverbior. xv. 30. Chaldæus ad Reſurrectionem hæc refert: ſenſu vero, ſed non primitivo.

Et eris ſicut hortus irriguus] Virebis, florebis.

Et ſicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ] Ad verbum in Hebræo, *Vt ſcatebra aquarum, cujus aquæ non fallunt:* id eſt, *Eris omnibus bonis affluens.*

12. *Et ædificabuntur in te deſerta ſeculorum*] Id eſt, loca diu deſerta non tantùm à vaſtatione per Nabuchodonoſorem facta, ſed & illa quæ facta eſt per Teglathphalaſſarum & Salmanaſarum & Sennacheribum, per te rurſum in urbes & oppida & vicos erigentur.

Fundamenta generationis & generationis ſuſcitabis] Id eſt, quæ per multas hominum ætates durent.

Et vocaberis Ædificator ſepium] In Hebræo: *Obſtruens hiatus*, ſcilicet mœnium. Nam גדר, quod hîc in Hebræo eſt, id ipſum eſt verbum unde *Gadir* urbs Phœnicibus dicta, quod περίφραγμα [*circumſeptum*] vertit Heſychius, Plinius *ſeptum*, Solinus *ſepem*, Avienus in Dionyſio *locum undique ſeptum, in ora maritima conſeptum locum.*

Avertens ſemitas in quietem] Lxx, ut quidem citat Hieronymus, τὰς τρίβους τὰς ἀναμέσον παύσεις [*vias interpoſitas ceſſare facies*], id eſt, ut ipſe interpretari dicit Iudæos, *tam excelſos muros ædificabis ut nullus hoſtium poſſit intrare, & omnium inimicorum prohibeatur ingreſſus.* Ad verbum, *convertens ſemitas ad quieſcendum*. Nullum inſidiatoribus aditum relinques.

13. *Si averteris à ſabbato pedem tuum*] Ex uno præcepto cætera omnia, quæ quidem in exſilio obſervari poterant, vult intelligi. *Avertere pedem à ſabbato:* id eſt, nulla itinera eo die facere, niſi pauxilla Synagogæ adeundæ, aut modicæ oblectationis cauſâ.

Facere voluntatem tuam in die ſancto meo] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto*] *averteris*, id eſt abſtinueris. *Voluntatem tuam:* id eſt, *quæſtum*, ut hîc rectè explicat Chaldæus.

Et vocaveris Sabbatum delicatum, & ſanctum Domini glorioſum] In Hebræo, *Et vocaveris Sabbatum delicias*, (ſupple, *tuas*) *& ſacrum Domino ac glorioſum.* In Sabbato & gaudebant Iudæi, & Deum laudabant, & ſplendidiùs quàm diebus cæteris veſtiebantur.

Ac glorificaveris eum] Honorem ei diei habueris. quomodo id faciendum ſit ſequitur.

Dum non facis vias tuas] Nullum iter, niſi quale diximus, ſuſcipiendo.

Et non invenitur voluntas tua] In Hebræo, *Et non inveniendo voluntatem tuam:* id eſt, *quæſtum nullum faciendo*, ut hîc iterum bene Chaldæus.

Vt loquaris ſermonem] Melius erit, *ſed loquendo ſermonem*, ut ſit ו pro Adverſativa, quod non rarum. *Sermonem* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] intellige *Dei ſermonem*, id eſt, Legem. Chaldæus & Lxx negativam hîc tacitè repetitam volunt, & *ſermonem* intelligunt *iracundum*.

14. *Tunc delectaberis in Domino*] Id eſt, ſi iſta facies, Deo dante habebis quo te oblectes. Confer Pſalm. XXXIII. 21. & XXXVII. 4.

Et ſuſtollam te ſuper altitudines terræ] In Hebræo, *vectari te faciam* (nempe curribus) *ſuper excelſam terram:* id eſt, Iudæam, ut Deuteronomii XXXII. 13. Eſt enim Iudæa vicinis terris montoſior.

Et cibabo te hereditate Iacob patris tui] Faciam ut vivas de fructibus terræ avitæ.

Os enim Domini locutum eſt] Id eſt, *Deus ità decrevit:* ut rectè hîc vertit Chaldæus.

CAPUT LIX.

1. *Ecce non eſt abbreviata manus Domini ut ſalvare nequeat*] Cohæret hic ſermo cum ſuperiori. Idem ſenſus qui ſuprà L. 2. Deus nec imbecillior factus, nec ſurdior.

2. *Sed iniquitates veſtræ diviſerunt inter vos & Deum veſtrum, & peccata veſtra abſconderunt faciem ejus à vobis nè exaudiret*] Crimina veſtra impediunt nè preces veſtræ pro libertate recuperanda à Deo exaudiantur. Illi enim neque potentia ad hoc deeſt, neque bonitas.

3. *Manus enim veſtræ pollutæ ſunt ſanguine*] Cædibus innocentum.

Et digiti veſtri iniquitate] Rapinis & furtis.

Labia veſtra locuta ſunt mendacium] Falſa teſtimonia.

Et lingua veſtra iniquitatem fatur] Calumniatur.

4. *Non eſt qui invocet juſtitiam*] *Nemo eſt* qui vocem liberam pro cauſa juſta emittat. Cùm dicit, *Nemo eſt*, intelligere debemus paucos Manaſſis tempore & ſequentibus viros bonos fuiſſe. Confer cum hoc loco Pſalm. XIV. 3. ex quo loco, & hoc quem nunc habemus in manibus, additis & aliis Pſalmorum particulis, conflatus eſt locus Pauli ad Roman. III. 11. & ſequentibus, adaptatúſque Pauli temporibus, ſimili cum αὐξήσει [*augmento*] & ὑπερβολῇ [*ſuperjectione*].

Sed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates] Dolis malis rem quærunt, de qua ſe jactant.

Conceperunt laborem, & pepererunt iniquitatem] Vide Iob. XV. 35.

5. *Ova aſpidum ruperunt*] Id eſt, excludunt. Peſſima cogitata produxerunt in actus.

Et telas araneæ texuerunt] Nulli rei utiles, ut ſequitur 6. Vide Iob. VIII. 14.

Qui comederit de ovis eorum morietur] Id eſt, qui illorum conſilia probabit, exitium ſentiet.

Et quod confotum eſt erumpet in regulum] In Hebræo, *At ſi quis comprimat, exibit pullus:* id eſt, nihil ipſi nocebit. Ità videtur hîc ſumſiſſe Chaldæus: nam אפרחין aut מפרחין ſunt *pulli*.

6. *Opus iniquitatis in manibus eorum*] Senſus eſt, *Opus puniens*, ipſos ſcilicet: nam חמס etiam pro *pœna* ſumitur, ut Pſalm. VII. 17. & alibi Græcis vertitur ταλαιπωρία [*miſeria*] & πένθος [*luctus*]. Sunt enim hîc perpetua ἀντίθετα [*oppoſita*] mali conſilii & infortunati eventûs.

7. *Cogitationes eorum, cogitationes inutiles*] Vanæ, nihil ipſis profuturæ.

Vaſtitas & contritio in viis eorum] *Et* pro *quia*. Senſus eſt: quia ea moliuntur quæ contra jus ſunt.

8. *Semitæ eorum incurvatæ ſunt eis*] Tortuoſa ſunt eorum conſulta.

Omnis qui calcat in eis ignorat pacem] Qui ea ſequitur, infelix erit.

9. *Propter hoc elongatum eſt judicium à nobis*] Populum captivum hîc loquentem inducit Eſaias. Hæ ſunt cauſæ, ajunt illi, cur Deus nos non vindicet. Nam משפט ſæpe vertitur ἐκδίκησις [*ultio*], Exod. VII. 4. XII. 12. Num. XXXIII. 4. Ezech. XIV. 21. XVI. 38. 41. XX. 4. XXIII. 10. 45. XXV. 11. XXX. 14.

Et non apprehendet nos juſtitia] Id eſt, Cur Dei beneficentia ad nos non perveniat.

Exſpectavimus lucem] Libertatem.

Et ecce tenebræ] Manet calamitas.

10. *Palpavimus quaſi cæci parietem*] Bene deſcripſit cæcorum morem. de quo vide Quintilianum in

Pariete palmato. Senſus eſt, Nihil nobis certi eſt: ſumus ἀστατοῦντες [*incerti laris*], ut loquitur Paulus.

Impegimus meridie quaſi in tenebris] Vbique poſitæ nobis ſunt offenſæ.

In caliginoſis quaſi mortui] In Hebræo, *In ſepulchris ſicut mortui.* Id eſt, ut Chaldæus exponit: *ità concluſi undique tenemur ut mortui in ſepulchris ſuis.*

11. *Exſpectavimus judicium*] Vide ſuprà 9.

12. *Peccata noſtra reſponderunt nobis*] Teſtimonium contra nos dicunt; nam ענה [*reſpondere*] & hoc ſignificat: nimirum quia teſtes adjurati & interrogati reſpondebant. Vide ſuprà III. 9. Sicut ad verba teſtium condemnari ſolent rei, ſic nos ex ipſa criminum evidentia.

Quia ſcelera noſtra nobiſcum] Vndique ſe nobis oſtendunt.

Et iniquitates noſtras cognovimus] Id eſt, agnoſcere cogimur. Earum enumeratio ſequitur.

13. *Peccare*] In Hebræo eſt פשע, quod eſt *præfractè legem tranſgredi.*

Et mentiri contra Dominum] Falſum jurare.

Et averſi ſumus] Hîc quoque in Hebræo infinitivum eſt *averti.*

Vt loqueremur] Et hîc eſt *loqui.*

Et trangreſſionem] סרה ἀποστασίαν [*defectionem*].

Et locuti ſumus de corde] In Hebræo, *Meditari.*

14. *Et converſum eſt retrorſum judicium*] Corrupta ſunt judicia, quæ Iudæi in Iudæos ex conceſſu Regum exercebant.

Corruit in platea veritas] Rectiùs, *in foro.*

Et æquitas non potuit ingredi] A foro excluſa eſt.

15. *Et qui receſſit à malo prædæ patuit*] Vir innocens ad omnium injurias patet.

16. *Et vidit quia non eſt vir*] *Vidit eſſe neminem*, nempe qui preces ſerias ad Deum funderet, ut ſequitur.

Aporiatus eſt] *Obſtupuit.*

Quia non eſt qui occurrat] *Deprecetur*, ut hîc Chaldæus.

Et ſalvavit ſibi brachium ſuum] Hæc indicativa per modum ſubjunctivum exponenda ſunt: *ut ſuo brachio eum ſervet.*

Et juſtitia ejus ipſa confirmavit eum] *Et bonitate ſuâ ipſum ſtabiliat.*

17. *Indutus eſt juſtitiâ ut loricâ*] Vt per juſtitiam tutus ſit velut loricæ præſidio, nempe ſi quis eſſet Deum orans, ex ſuperioribus.

Et galea ſalutis in capite ejus] Vt ſalvus ſit in periculis quomodo galeati in prælio.

Indutus eſt veſtimentis ultionis, & opertus eſt quaſi pallio zeli] Vt Deus ipſum protegat, vindictam ſumendo de oppreſſoribus, ut ſequitur.

18. *Sicut ad vindictam quaſi ad retributionem indignationis hoſtibus ſuis, & viciſſitudinem inimicis ſuis: inſulis vicem reddet*] Vertas ex Hebræo, *Sicut pro factis, ſicut pro* (ipſis, inquam, factis) *reddit* (aliquis) *iram hoſtibus ſuis, & repenſationem inimicis ſuis, ſic* (Deus) *redderet vicem inſularibus*: id eſt, Meſopotamienſibus, nempe ſi eſſent qui orarent.

19. *Et timebunt*] Timerent Gentes Dei potentiam.

Cùm venerit quaſi fluvius violentus, quem ſpiritus Domini cogit] Superveniret illis Dei potentia ità ſubitò, ſicut Euphrates interdum ventis impulſus terras obruit. Ità hîc Chaldæus optimè. Solitam enim præcipiti Euphratis curſu Babyloniam infeſtari teſtis eſt Plinius v. 26.

20. *Et venerit Sion redemtor, & eis qui redeunt ab iniquitate in Iacob, dicit Dominus*] Secundum *&* eſt poſitum pro *nempe*, ut ſic habeat locus: *Veniet Sioni liberator, nempe illis qui in Iacobo* (id eſt, inter Iſraëlitas) *ab iniquitate ſe converterint*, ad Deum ſcilicet. Is liberator eſt Cyrus, figura Chriſti. גאל propriè quidem *redimere jure propinquitatis*; ſed per κατάχρησιν [*abuſionem*] *quovis modo liberare.*

21. *Hoc fedus meum cum eis*] Cum illis qui converſi fuerint.

Spiritus meus qui eſt in te, & verba quæ poſui in ore tuo] Id eſt, *Prophetiæ*, ut hîc interpretatur Chaldæus: ſermo à Spiritu Dei profectus.

Non recedet de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, à modo uſque in ſempiternum] Id eſt, ità implebitur ut ſemper ejus memor ſit futura poſteritas.

CAPVT LX.

1. S*Vrge illuminare Ieruſalem*] *Illuminare*: id eſt, *expergiſcere.* Cauſa ſequitur, quia adeſt lux, id eſt, proſperitas. Nomen *Ieruſalem* in Hebræo non eſt, ſed non malè ad ſenſum additum eſt & à Græcis & à Chaldæo.

2. *Et caligo populos*] Medos primùm, deinde Babylonios.

3. *Ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortûs tui*] Venient tibi gratulatum.

4. *Omnes iſti congregati*] Ex longo exſilio.

De latere ſurgent] Scripſit Interpres, *ſugent. Lac ſugent* habet in Commentariis Hieronymus. Videtur ergò pro צד [*latus*] legiſſe שד [*mammam*]. At Chaldæus & Græci pro תאמנה [*nutrientur*] videntur legiſſe תעמסה [*portabunt*].

5. *Quando converſa fuerit ad te multitudo maris*] *Venient ad te divitiæ maris.* Tyrii ad te res promercales adferent, Nehem. XIII. 16. imò & de Tyriis ſpolia capies. Vide Ioſephum XII. 11. & 12.

6. *Inundatio camelorum operiet te*] *Copia camelorum terram operiet.* Diſces ex dicto Ioſephi loco & I Macchab. V. 25. tum *Nabatæos*, qui jam mox hîc nominabuntur, tum Arabas alios, ſocios & amicos fuiſſe populi Iudaïci.

Et Epha] Vide Geneſeos XXV. 4.

7. *Et domum majeſtatis meæ glorificabo*] Nempe per illas pecudes quæ tibi ex longinquis locis advenient.

8. *Qui ſunt iſti qui ut nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?*] In Hebræo, *ad columbaria ſua.* Senſus eſt bene à Chaldæo expreſſus: *quàm velociter, ut nubes, Iudæi undique in patriam redeunt, ſicut columbæ ad notas turres.*

9. *Me enim inſulæ exſpectant*] Ad meum nutum attentæ ſunt gentes illæ fluminibus adſitæ.

Et naves maris in principio, ut adducam filios tuos de longè] Id eſt, ante omnia paratæ ſunt naves in mari Perſico quæ Iudæos deducant.

Argentum eorum & aurum eorum cum eis] Multi liberalitate ſuâ vos juvabunt ob Dei reverentiam, Eſdræ I. 6.

10. *Et ædificabunt filii peregrinorum muros tuos*] Proſelyti multi adjutores erunt ad inſtaurandum Templum & Vrbem.

Et reges eorum miniſtrabunt tibi] Παραστήσονταί σοι [*adjutores tibi erunt*]. Suppeditabunt tibi neceſſaria. Vide Eſdræ I. 8. VI. 8. 9. 10.

In indignatione enim mea percuſſi te, & in reconciliatione mea miſertus ſum tui] Sicut graviter iratus te afflixi, ità ſummè tui miſertus te reſtituam & ornabo.

11. *Et aperientur portæ tuæ jugiter : die & nocte non claudentur*] Vt in alta pace fieri ſolet. Vide Lucæ XXI. 37. Iohann. XVIII. I.

Vt afferatur ad te fortitudo Gentium] Id eſt, opes, bello ſcilicet Iudæis partæ. Vide I Macchabæorum IV. 23.

Et reges earum adducantur] Nempe bello capti; & per Reges, Duces quoſvis intellige, more loquendi Hebræo.

12. *Gens enim & regnum quod non ſervierit tibi peribit*] Siqua civitas à vobis bello juſto impetita, ad conditiones non venerit, ea excidium feret, ut evenit plurimis civitatibus, quarum mentio apud Ioſephum dictis capitibus, & I Macchab. V. Sic & Pella ſubverſa quòd leges Iudæorum ſuſcipere noluiſſet, Ioſephus XIII. 23,

13. *Gloria Libani ad te veniet*] Nam & Syriæ loca multa poſſeſſa ab Iudæis docet nos Ioſephus eodem loco. Strabo de Iudæis agens : καὶ τῆς Συρίας κατεστρέψαντο καὶ τῆς Φοινίκης πολλήν [*multa & Syriæ & Phœnices loca ſubegerunt*].

Abies & buxus & pinus] Vide ſuprà XLI. 19. Græci hîc habent *cupreſſum, pinum & cedrum*.

Ad ornandum locum ſanctificationis meæ] Ad ornandum Templum.

Et locum pedum meorum glorificabo] Ex illis ſcilicet Libani arboribus. *Locus pedum* eſt Arca, I Paralipomen. XXVIII. 2. & per συνεκδοχὴν [*Comprehenſionem*] ipſum Templum.

14. *Venient ad te curvi*] Curvato corpore in reverentiæ ſignum. Vide Eſdræ IV. 2.

Adorabunt veſtigia pedum tuorum] Ad pedes tibi accident. Vide ſuprà XLIX. 23.

15. *In ſuperbiam ſeculorum*] In claritatem durabilem.

16. *Suges lac gentium*] *Divitias earum ad te attrahes*, ut hîc habet Chaldæus.

Et mamillâ regum lactaberis] Idem quod ſuprà XLIX. 23.

17. *Pro ære afferam aurum*] Omnia quæ tibi ademta ſunt reſtituam cum augmento.

Ponam viſitationem tuam pacem] פקדה [*viſitatio*] Hebræis *præfecturam* ſignificat, & μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] pro ipſis *Præfectis* ſumitur, quomodo hîc acceperunt & Græci & Chaldæus. Senſus eſt : clementer gubernaberis ab Eſdra, Zorobabele, Nehemia, & horum ſimilibus.

Et præpoſitos tuos juſtitiam] In Hebræo, *Exactores tuos juſtitiam* : id eſt, ſumma cum æquitate ac moderatione tributa abs te exigentur. Vide Nehemiæ X. 32.

18. *Non audietur ultrà iniquitas in terra tua*] *Rapina*, Chaldæus rectè.

Vaſtitas & contritio] *Spoliatio & concuſſio* : quæ frequentia ſolent eſſe ſub externis Imperiis.

Et occupabit ſalus muros tuos] Videtur legiſſe קרית [*occurret*], à קרה [*occurrere*] ; ſed ut nos habemus legerunt & Græci & Chaldæus : *Muros vocabis ſalutem*, quia ſcilicet nullus hoſtis eos aſſiliet.

Et portas tuas laudatio] *Portas tuas laudem vocabis*, nempe quia vigiles in illis non hoſtium adventum ſignificabunt, ſed in ſumma ſecuritate Dei laudes canent.

19. *Non erit tibi ampliùs ſol ad lucendum per diem, nec ſplendor lunæ illuminabit te*] In Hebræo : *Et pro ſplendore* (nocturno ſcilicet) *luna non illuſtrabit te*. Senſus eſt : Non indè gaudium capies quòd Solem de die, & noctu Lunam videas ; cùm multò majus gaudium, idque perpetuum tibi ſit futurum, ex Dei perpetuo favore. Sæpe jam vidimus *lucis* nomine gaudium ſignificari : myſticè tamen hæc ad vitam meliorem trahunt non Apocalypſis tantùm, ſed & Hebræorum eruditi.

20. *Non occidet ultra ſol tuus, & luna tua non minuetur*] Non erit vobis ampliùs ea anxietas animi, quæ vultus in terram dejiciat, & aſtra aſpectare vetet. Vide ſuprà XIII. 10. & conſidera id quod ſequitur hoc loco.

Complebuntur dies luctûs tui] Finiti erunt.

21. *Populus autem tuus, omnes juſti in perpetuum hereditabunt terram*] *Illi omnes in populo qui juſti erunt, perpetuo jure terram poſſidebunt*. Confer quod ſuprà LVII. 19. 20. 21. LIX. 20.

Germen plantationis meæ, opus manûs meæ ad glorificandum] Legit מטעי [*plantationis meæ*], ut Maſoretæ in margine poſuerunt, putantes nimirum id ſignificari, iſtos reduces à Deo velut conſitos in terra avita. Sed poteſt retineri lectio quæ eſt in textu מטעו [*plantarum ejus*] hoc ſenſu, quem quidam interpretes poſuêre : *Vt ſurculus plantarum ejus in opere manuum mearum* (id eſt, ob mea beneficia) *glorietur*. *Surculus plantarum ejus*, id eſt, poſteritas.

22. *Minimus erit in mille*] In Hebræo, *Pauciſſimus* : ut & Græcè ὀλιγοστὸς [*rarus*], nempe familiæ numerus.

Et parvulus in gentem fortiſſimam] Idem ſenſus qui præceſſit.

Tempore ejus] In Hebræo, *Tempore ſuo*. Poſtquam domum redierint.

CAPVT LXI.

1. S*Piritus Domini ſuper me*] Loquitur hîc Eſaias de ſe, ut notat Chaldæus ; ſed in quo Chriſti non obſcuram conſpicimus imaginem. *Ideo me*, inquit, *Spiritu ſuo afflavit Deus*.

Eò quòd unxerit Dominus me ad annuntiandum manſuetis] Senſus eſt : ideo mihi Spiritum ſuum dedit ; quia munus magnificum mihi impoſuit, quale eſt unctorum in regnum aut ſacerdotium. Illud *annuntiandum* in Hebræo eſt *ad lætum nuntium portandum* : Quibus ? *manſuetis*, id eſt, bonis, ac patienter inflicta ſibi mala tolerantibus. LXX πτωχοῖς [*pauperibus*] literæ unius mutatione, de qua vide ad Lucæ IV. 18.

Miſit me ut mederer contritis corde] In Hebræo, *Vt obligarem contritos corde :* nempe quomodo boni chirurgi vulnera obligant, ſic ego juſſus ſum illorum dolorem mitigare meis vaticiniis.

Et prædicarem captivis indulgentiam] In Hebræo, *Libertatem*; nec aliter in Græco & Chaldaïco. Iudæi non tantùm exſules erant, ſed & quaſi in laxa catena captivi, ut olim in Ægypto : exire enim illis de aſſignatis locis non licebat.

Et clauſis apertionem] Quod in Hebræo eſt פקח קוח, vertunt plerique *apertionem carceris*. Vox illa Hebræa non alibi apparet. Sed in lingua Chaldaïca, unde hoc loquendi genus credibile eſt ſumſiſſe Eſaiam, quòd de ea captivitate ageretur quæ per Chaldæos facta eſt, קיחה *lorum* ſignificat. *Apertio* autem ſive *diſſolutio lori* non malè per ſimilitudinem dicitur illa de qua hîc agitur liberatio. Lxx hîc poſuêre τυφλοῖς ἀνάβλεψιν [*cæcis viſum*], nimirum quia ſummæ miſeriæ per cæcitatem adumbrantur.

2. *Vt prædicarem annum placabilem Domino*] Vt ſignificarem tempus, quo Deus ſe oſtenſurus eſſet propitium Iudæis, ſi pœnitentiâ ducerentur.

Et diem ultionis Deo noſtro] In Babylonios.

3. *Vt ponerem lugentibus in Sion, & darem eis coronam pro cinere*] In Hebræo quod eſt פאר, generaliter quidem omne *decus* aut *ornamentum* ſignificat, ſed pro *corona* ſumitur etiam Ezech. XXIV. 17. Pleniùs infrà LXII. 3. עטרת תפארת [*corona decoris*].

Oleum gaudii pro luctu] Vnguenta quæ in rebus lætis ſumi ſolebant.

Pallium laudis] καταστολὴν δόξης [*amictum gloriæ*], Lxx. Vide Lucæ XV. 22. Cæterùm per *amictum* hîc intelligitur *ſpiritus lætitiæ*, ut hîc interpretatur Chaldæus, & oſtendit contextus.

Et vocabuntur in ea] Qui in ea erunt.

Fortes juſtitiæ] Rectiùs alii *arbores juſtitiæ*, ob id quod ſequitur. *Arbores juſtitiæ* dicuntur, qui firmi ſunt in juſtitia, velut actis radicibus. Vide quæ dicta ad Matth. XIII. 6. Pro *arbore* autem hæc vox ſumitur & ſuprà I. 30.

4. *Et ædificabunt deſerta à ſeculo*] Id eſt, quæ diu deſerta fuerant, ultra annos quinquaginta : quod tempus עולם [*ſeculum*] Hebræis.

5. *Et ſtabunt alieni, & paſcent pecora veſtra*] Ità in bona omnes fortuna eritis, ut facilè ad quævis miniſteria reperturi ſitis aut hoſtes bello captos, aut alios mercede conductos. *Stare* hîc ſignificat ad nutum præſtò eſſe, ut ſuprà XLVIII. 13.

6. *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini*] Omnes Iſraëlitæ quaſi Sacerdotes in Paſchate : diximus de eo Exod. XIX. 6. Cæterùm etiam extra hanc cauſam omnes ſanctè viventes, ſanctéque Deum precantes dici poſſunt *Sacerdotes*, id eſt, quaſi Sacerdotes. Vide Hieroclem ad initium Aurei Carminis. Stoïcorum dictum, Μόνος ἱερεὺς ὁ σοφός [*Solus ſapiens eſt Sacerdos*].

Fortitudinem gentium] Divitias, ut ſuprà LX. 11.

7. *Pro confuſione veſtra duplici*] Chaldæus : *Pro pudore veſtro duplicia.* Id eſt, honores duplos vobis dabo, ut ſequitur.

Et rubore laudabunt partem ſuam] Idem Chaldæus non malè, *Et rubor illis veniet qui laudant partem ſuam*, id eſt, idola : ſicut Deus eſt pars piorum, Pſalm. LXXIII. 26. & alibi.

Propter hoc in terra ſua duplicia poſſidebunt] Mutat perſonam : tranſit enim de ſecunda ad tertiam, ut ſæpe. Nam ad Iudæos hæc pertinent.

8. *Odio habens rapinam in holocauſto*] Et Græci & Chaldæus illud עולה legerunt punctis aliis, ut ſit à עול [*iniquus*], non à עלה [*aſcendo*]. Vertunt enim illi ἅρπαγμα ἐξ ἀδικίας [*rapinam ex injuſtitia*]. Chaldæus : *Abominabilis eſt coram me falſitas & violentia.* Et hoc magìs probo.

Dabo opus eorum in veritate] Id eſt, *Dabo illis æquam mercedem :* ut hîc Chaldæus. Nam Hebræis mos eſt *operis* nomine μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] ſignificare mercedem.

Et fedus perpetuum feriam eis] Id eſt, fedus meum cum ipſis inſtaurabo, quod ex parte mea nunquam deficiet. Ex mea parte ſponſores erunt Aggæus, Zacharias, Malachias. Ex parte populi illi qui nominantur Nehemiæ x.

9. *Et ſcient in gentibus ſemen eorum*] In Hebræo, *cognoſcetur :* id eſt, *nobile erit ſemen eorum in gentibus.* Apparuit id in Daniele amiciſque ejus, & in Zorobabele.

Cognoſcent illos, quia iſti ſunt ſemen cui benedixit Dominus] Id eſt, cognoſcent illos eſſe poſteritatem Abrahami, cui Deus tam magna promiſit, Geneſeos XXVI. 4.

10. *Gaudens gaudebo in Domino*] Hîc Prophetæ reſpondet civitas Hieroſolymorum, ut hîc notat Chaldæus.

Induit me veſtimentis ſalutis] Proſperitate tanquam veſte me circumdedit.

Quaſi ſponſum decoratum coronâ] Nuptiali ſcilicet. Eadem vox eſt in Hebræo quæ ſuprà 3. Græci hîc habent μίτραν [*mitram*], quæ vox inter alia etiam *coronam* ſignificat.

11. *Sic Dominus Deus germinabit juſtitiam & laudem coram univerſis gentibus*] Quod hîc vertitur *germinabit*, in Hebræo eſt יצמיח, *germinare faciet*; & per Metaphoram, *faciet ut appareat :* quomodo hîc vertit Chaldæus. *Iuſtitia & laus*, nempe *Hieroſolymorum*, quod hîc idem Chaldæus rectè addit.

CAPVT LXII.

1. P*Ropter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem non quieſcam*] Hîc Deus rurſum loqui incipit, ut obſervat Chaldæus. Quod hîc dicitur *tacebo*, id locutione Hebræâ idem eſt ei quod ſequitur *quieſcam*. Senſus eſt, Regna omnia commovebo, donec Cyrus rerum potitus ſit.

Donec egrediatur ut ſplendor juſtus ejus, & ſalvator ejus ut lampas accendatur] Iuſtus hic eſt Cyrus, id eſt, miſericors in Iudæos : idem eorum ſoſpitator, Chriſti figuram gerens, ut jam dictum eſt ſæpe.

2. *Vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit*] Id eſt, gloriam obtinebit à Deo prædictam, nempe ut ſit corona magnifica, ſicut ſequitur. Nam *vocari* apud Hebræos eſt jure tali elogio ornari poſſe.

3. *Et eris corona gloriæ in manu Domini*] Id eſt, per Dominum, Domini beneficio.

Et diadema regni] Cidaris regia. Eris ſummum ornamentum populi Iudaïci.

4. *Sed vocaberis, Voluntas mea in ea*] Id eſt, dilecta mea, ut jamjam explicabitur.

Terræ tuæ inhabitatæ] בעולה propriè *poſſeſſæ*.

Quia complacuit Domino in te, & terra tua inhabitabitur] Redditur ratio utriuſque ἐπιθέτου [*agnominis*].

5. *Habitabit enim juvenis cum virgine, & inhabitabunt in te filii tui*] Senſus eſt, Sicut amicè vivit juvenis cum virgine quam amat, (putà Iacob olim cum Rachele) ità vivent inter ſe cives tui. Hoc primis poſt reditum temporibus verum fuit. Particula ו [*&*] hîc eſt comparativa. Eſt autem hæc diſtinctior explicatio epitheti ſecundi.

Et gaudebit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper te Deus] Id eſt, ſicut ſponſus de ſponſa ſua lætatur, ità de te Deus. Et hæc explicatio eſt ἐπιθέτου [*agnominis*] illius prioris.

6. *Super muros tuos Ieruſalem conſtitui cuſtodes*] Id eſt, pro muris tuis, pro ſalute tua precatores conſtitui Sacerdotes & Levitas.

7. *Qui reminiſcimini Domini, nè taceatis*] Vos Sacerdotes & Levitæ precamini perpetuò.

Et nè detis ſilentium ei] Nè patiamini Deum quieſcere: excitate eum.

Donec ſtabiliat, & donec ponat Ieruſalem laudem in terra] Donec reparet urbem Hieroſolyma, eámque faciat latè famoſam.

8. *Si dedero triticum tuum ultrà cibum inimicis tuis*] Vt antehac Aſſyriis, Ægyptiis, Chaldæis.

9. *Qui comportant illud*] Qui in teſtas condiderint.

Et bibent in atriis ſanctis meis] *Et* pro *iidem*. *Bibent* nempe in epulis illis ad quas Levitas vocabant in circumjectis Templo locis, Deuter. XIV. 23. & ſequentibus.

10. *Tranſite, tranſite per portas*] Vos Sacerdotes & Levitæ, de quibus ſuprà, intrate in Templum.

Præparate viam populo, planum facite iter] Docete eos recta. Hoc officio Eſdras ejúſque comites Levitæ bene functi ſunt: Eſdræ VII. 10. Nehemiæ VIII. 4. 5. 6. 7. 8. 18.

Eligite lapides] Id eſt, projicite omnia offendicula quæ æqualem greſſum impedire poſſent. Talia ſunt connubia cum alienigenis, Eſdræ IX. & X. avaritia, uſuræ, Nehem. V. ſabbati violatio, Neh. XIII. aliáque ſimilia.

Erigite ſignum ad populos] Facite gentes aliæ exemplo Iudæorum ad pietatem provocentur.

11. *Ecce Dominus auditum fecit in extimis terræ*] Id eſt, ab extimis terræ partibus juſſit hoc pronuntiari, per Ezechielem maximè.

Dicite filiæ Sion, Ecce ſalvator tuus venit] Cyrus, ut ſuprà initio hujus capitis.

Ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo] Hîc iterum *opus* eſt merces operis. Senſus eſt: pro iſta liberatione veſtra jam mercedem in anteceſſum recepit, victoriam de Chaldæis.

12. *Quæſita civitas*] Ad quam multi confluent.

CAPVT LXIII.

1. *QVis eſt iſte qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?*] Hîc Prophetæ oblatum eſt viſum de Iuda Maccabæo, qui Idumæam vaſtavit, Boſram quæ Βόστρα Ptolemæo & Straboni, Βοσόῤῥα Ioſepho & Maccabaïcorum ſcriptori, cepit atque incendit, cunctis maribus qui militaris eſſent ætatis interfectis. Vide Ioſephum XII. 11. 12. 1 Macc. 1. 5. Non diſſimilis eſt ἔννοια [*conceptio animi*] illa Virgiliana:

> *Quis procul ille autem ramis inſignis olivæ*
> *Sacra ferens? noſco crines incanáque menta*
> *Regis Romani.*

Idumæi plurimùm ſemper gaviſi fuerant Iudæorum malis. Vide Pſalm. CXXXVII. 7. Ideo multùm ad rem pertinebat ſolatium hoc ex malis quæ Idumæis per Iudæos eventura erant, per Prophetam Iudæis velut repræſentari: quale illud apud eundem Virgilium:

> *Ille triumphatâ Capitolia ad alta Corintho*
> *Victor aget currum, cæſis inſignis Achivis.*
> *Eruet ille Argos, Agamemnoniáſque Mycenas,*
> *Ipſúmque Æaciden genus armipotentis Achilli,*
> *Vltus avos Trojæ, templa & temerata Minervæ.*

Tinctis veſtibus, id eſt, cruentis ab hoſtium ſanguine.

Iſte formoſus in ſtola ſua] Pulchrè paludatus.

Gradiens in multitudine fortitudinis ſuæ] Id eſt,

> *Agmen agens, magníque ipſe agminis inſtar.*

Ego qui loquor juſtitiam] Reſpondet Prophetæ ille exſtiturus olim Maccabæus. Ego ille ſum qui religionem veram contra Antiochum ejúſque potentiam defendi.

Et propugnator ad ſalvandum] Qui omnibus periculis me objicio ut populum ſervem. Vera deſcriptio Iudæ Maccabæi.

2. *Quare ergò rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?*] Dic, ait Propheta, unde iſte cruor veſtes tuas aſperſit, ſicut viri aſpergi ſolent qui in torculari laborant. Similitudo hæc frequens Hebræis. Vide Thren. 1. 15. In iſta autem voce Hebræa אדם [*Adom*], id eſt *rubrum*, manifeſta eſt alluſio ad nomen Idumææ.

3. *Torcular calcavi ſolus, & de gentibus non eſt vir mecum*] Iudas Maccabæus in viſo oblatus Prophetæ rurſum loquitur, aítque non mirum eſſe ſi cruentatus ſit, quandoquidem ipſe ſolus cum paucis Iudæis, nullo externorum adjuvante, primùm cum Philiſthinis, deinde cum Idumæis pugnaverit. Eſt & hîc ingenioſa alluſio: nam גת [*Gath*] quod *torcular* ſignificat, eſt & nomen urbis principis Philiſthinorum.

Conculcavi eos in ira mea] Eſt ex Hebræo בחמתי [*conculcavi*]; LXX legerunt כעפרות [*tanquam pulverem*], aut ſimile aliquid: vertunt enim ὡς γῆν [*ut terram*].

Aſperſus eſt ſanguis eorum ſuper veſtimenta mea] In Hebræo, *Aſperſa eſt fortitudo*: μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*], id eſt, ſanguis, in quo eſt hominis fortitudo.

Inquinavi] In voce Hebræa אגאלתי eſt א pro ה.

4. *Dies enim ultionis in corde meo*] Videbam veniſſe diem pridem mihi exoptatum, quo ultionem de Eſavi poſteris ſumerem.

Annus redemptionis meæ] In Hebræo, *Redimendorum meorum:* id eſt, ut perdomitis Idumæis, Iudæos in poſterum liberem à vexationibus, quales ſæpe antehac ab Idumæis pertulêre.

5. *Circumſpexi, & non erat auxiliator*] Eo tempore nulla erant Iudæis cum gentibus illis fœdera: nam ea quæ facta ſunt cum Demetrio, cum Romanis, cum Spartiatis, facta ſunt poſtea.

Salvavit mihi brachium meum] Salutem mihi peperit brachium meum.

Et indignatio mea ipſa auxiliata eſt mihi] In Hebræo: *æſtus meus* (id eſt, animus æſtuans) *fulſit me.* Nam Iudas ille ἐνεδύσατο θώρακα ὡς γίγας, καὶ συνεζώσατο τὰ σκεύη τὰ πολεμικὰ αὐτοῦ· πολέμους συνεστήσατο σκεπάζων παρεμβολὴν ἐν ῥομφαίᾳ· καὶ ὡμοιώθη λέοντι ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ, καὶ ὡς σκύμνος ἐρευγόμενος εἰς θήραν. Καὶ ἐδίωξεν ἀνόμους ἐξερευνῶν, καὶ τοὺς ταράσσοντας τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐφλόγισε· καὶ συνεστάλησαν οἱ ἄνομοι ἀπὸ τοῦ φόβου αὐτοῦ, καὶ πάντες οἱ ἐργάται τῆς ἀνομίας συνεταράχθησαν, καὶ εὐωδώθη σωτηρία ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ· καὶ ἐπίκρανε βασιλεῖς πολλούς, καὶ εὔφρανε τὸν Ἰακὼβ ἐν τοῖς ἔργοις αὐτοῦ· καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ εἰς εὐλογίαν [*induit ſe loricam ſicut gigas, & ſuccinxit ſe arma bellica ſua: in prælius protegebat caſtra gladio ſuo. Similis factus eſt leoni in operibus ſuis, & ſicut catulus leonis rugiens in venatione. Et perſecutus eſt iniquos perſcrutans eos, & qui conturbabant populum ſuum eos ſuccendit flammis; & repulſi ſunt impii præ timore ejus, & omnes operarii iniquitatis conturbati ſunt: & directa eſt ſalus in manu ejus. Et exacerbabat Reges multos, & lætificabat Iacob in operibus ſuis: & in ſeculum memoria ejus in benedictione*], 1 Macc. III. *Æſtus* hîc nominatur ὁ ζῆλος νόμου [*zelus pro Lege*], qualis in Phinea & Elia, 1 Maccabæorum II. 54. 58.

6. *Inebriavi eos in indignatione mea*] Iræ meæ calicem eis potandum dedi. Vide Pſalm. LXXV. 9. ſuprà LI. 21. 22. 23. At Chaldæus pro אשכרם [*inebriavi eos*] legit אשברם, quod eſt *confregi eos.*

Et detraxi in terram virtutem eorum] Id eſt, *ſanguinem.* Eſt enim hîc in Hebræo vox eadem quæ ſuprà 3. Græci hic, κατήγαγον τὸ αἷμα αὐτῶν εἰς γῆν [*deduxi in terram ſanguinem eorum*]: ingentem occidionem feci.

8. *Verumtamen populus meus eſt*] In Hebræo, *Verè.*

Filii non negantes] In Hebræo, *Filii non mentientes:* id eſt, filii non falſi, quales ſunt illi qui ſe in alienas familias mendacio inſerunt.

Et factus eſt ſalvator] Tandem illis ſalutem attulit.

9. *In omni tribulatione eorum non eſt tribulatus*] Id eſt, non eſt defatigatus eos adjuvando. Sed Hieronymus notat legi pro לא [*non*] poſſe לו [*ipſi*], ut ſenſus ſit, *in omni eorum anguſtia ipſi anguſtia fuit:* id eſt, ipſe indoluit illorum malis. dictum καθ' ἀνθρωποπάθειαν [*per adfictionem humanarum paſſionum*], ut multa.

Et Angelus faciei ejus ſalvavit eos] LXX hîc negationem tacitè pro repetita habent: quaſi dicat, *non per Angelum, ſed ipſe eos ſalvos fecit.* Verùm aliter Chaldæus: & dicunt Hebræi non quemvis Angelum dici *Angelum à facie Dei*, ſed eum quem ipſi vocant מטטרון, voce ex Latina deſumtâ, id eſt, *metatorem:* de qua vide quæ diximus ad librum quartum pro Veritate Religionis Chriſtianæ. Vocant eundem ספרא רבא [*magnum præceptorem*]: Item שדי, id eſt, *potentem*, propter potentiam ei à Deo communicatam. Ità Salomon Iarchi. Videtur hic Angelus eſſe is quem *Michaëlem* nominat Daniel, quem Deus populo Iſraëlitico dederat protectorem, qui *unus eſt de* ſeptem *Angelis magnis*, ſive *faciei*, id eſt, ſummis Satrapis regni cœleſtis. Vide quæ diximus ad Matthæi XVIII. 10.

In dilectione ſua, & in indulgentia ſua ipſe redemit eos] Non tantùm Angeli illius magni tutelæ ipſos commiſit, ſed ipſe etiam fecit quod Angelus non poterat, movit cor Cyri ad illos liberandos.

Et portavit eos, & elevavit eos cunctis diebus ſeculi] Longo tempore eos tutos claróſque præſtitit, à tempore nempe Zorobabelis.

10. *Ipſi autem ad iracundiam provocaverunt*] Nempe circa tempora Antiochi. Vide quæ ad Danielem dicemus.

Et afflixerunt ſpiritum ſancti ejus] In Hebræo: *Spiritum ſanctitatis ejus.* παρώξυναν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον αὐτοῦ [*irritarunt Spiritum ejus ſanctum*]. Nimirum Deus, quia ſanctus eſt, impietatem ferre non poteſt. Confer Eph. IV. 30. ubi tamen ſenſu paulò alio *Spiritus ſanctus* pro donis ſumitur.

Et converſus eſt eis in inimicum, & ipſe debellavit eos] Tradendo eos in manum Antiochi, & ejus ducum.

11. *Et recordatus eſt dierum ſeculi Moſis*] *Et* hîc poſitum pro *attamen:* quanquam illi peſſima erant meriti, Deus tamen etiam ab Antiocho eos liberavit, fecitque illis qualia olim Moſis tempore fecerat.

Vbi eſt qui eduxit eos de mari?] Deum inducit recogitantem ſua beneficia. At Chaldæus putat hîc ſubintelligi: *nè dicant gentes*, nempe *ubi nunc ille Deus?*

Cum paſtoribus gregis ſui] Sub paſtoribus Moſe & Aarone. At Chaldæus vertit, *ut paſtores pecus ſuum*, ſupple, *deducere ſolent.*

Vbi eſt qui poſuit in medio ejus ſpiritum ſancti ſui?] Et hîc in Hebræo, *ſanctitatis ſuæ:* id eſt, ut accipit Chaldæus, *qui donum Prophetiæ dedit Moſi & ſenibus* LXX. Vide Num. XI. 25. 26. 27. 28. 29.

12. *Qui eduxit ad dexteram Moſem brachio gloriæ ſuæ*] Rectiùs, *qui brachio magnifico ſuo deduxit Moſem, ad dexteram:* id eſt, dexteram ejus apprehendens, ut patres pueris ſolent.

13. *Quaſi equum in deſerto non impingentem*] Vertas meliùs: *Sicut equus in campis non impegerunt.* מדבר ſæpe ſignificat *campos, in quibus nec domus ſunt, nec arbores, ſed lata ad curſum ſpatia.* Iſraëlitæ non minùs ſecurè per maris alveum ivêre, quàm equus per tales campos deſultat.

14. *Quaſi animal in campo deſcendens, ſpiritus Domini ductor ejus fuit*] *Spiritus Domini* (id eſt, Deus ipſe, more Hebræo) *ità eos leniter duxit, quomodo pecus quod in vallem deſcendit.* Id ideo quia pecora cùm à monte per clivum deſcendunt, leniter admodum duci ſolent.

Sic adduxiſti populum tuum] Hîc abſolutis Dei verbis, quæ interjecerat, Iudas Maccabæus ſermonem ſuum proſequitur.

15. *Multitudo viſcerum tuorum*] *Copia benignitatis tuæ*, ut hîc Chaldæus.

Super me continuerunt ſe] Meliùs : *In me ſe effuderunt cum impetu.* Nam à verbo אפק [*impetu effundere*] dicuntur אפיקים [*torrentes*]. Sicut aquæ diu retentæ uberiùs & validiùs erumpunt, ità & Dei bonitas, diu repreſſa, in Iuda Maccabæo potentiſſimè ſe aperuit.

16. *Tu enim es pater noſter*] Tu nos ut pater tractas.

Et Abraham neſcivit nos, & Iſraël ignoravit nos] Tu juſtiùs pater noſter diceris, quàm illi ex quibus naturæ ordine geniti ſumus, & qui nos in his malis conſtitutos ſublevare non potuerunt. Sic *ignorare* ſæpe ſumitur, nec aliter hîc ſumſit Chaldæus. Et ירע [*cognoſcere*] Græci vertunt per ποιμαίνειν, οἰκτείρειν, σώζειν [*paſcere, miſereri, ſervare*].

17. *Quare errare nos feciſti, Domine, de viis tuis*] Verte *faceres?* Cur enim ſineres nos longâ tyrannide oppreſſos deficere à lege tua? Vide Pſal. cxxv. 3.

Induraſti cor noſtrum, nè timeremus te] Et hîc verte *indurares*, nempe prorogando nimiùm noſtra mala.

Convertere propter ſervos tuos] *Reſpice nos clemens propter illos patres ex quibus ortum ducimus.* Sic Chaldæus.

Tribus hereditatis tuæ] *Tribus* hîc pro capitibus tribuum ſumuntur. Explicat quos *ſanctos* intelligat, illos ſcilicet ex quorum *ſurculo* (id enim propriè שבט) rami iſti prodiêre.

18. *Quaſi nihil poſſederunt populum ſanctum tuum*] Rectiùs vertas, *Ad breve tempus poſſederunt populum ſanctitatis tuæ :* nempe Syromacedones Rege Antiocho Epiphane Hieroſolyma tenuêre per annos tres & menſes ſex.

Hoſtes noſtri conculcaverunt ſanctificationem tuam] Sanctuarium tuum profanarunt ſacris impuris. Id acciderat paulò antequam Idumæam invaderet Iudas Maccabæus, 1 Macc. 1.45.46.47.48.49.57.

Facti ſumus quaſi in principio, cùm non dominareris noſtri, neque invocaretur nomen tuum ſuper nos] Hæc de Græco expreſſa ſunt; ſed in Hebræo & Chaldæo melior eſt ſenſus, *Nos fuimus ab omni ævo* (tui ſcilicet): *non autem dominatus es illis* (Græcis ſcilicet), *neque pronuntiatum eſt nomen tuum de eis*, id eſt, nunquam vocati ſunt Dei populus.

CAPUT LXIV.

1. VTinam *dirumperes cælos*] Continuatur ſermo Iudæ Maccabæi. Illud לוא, quod *utinam* hîc Interpres vertit, Græci ἐὰν, Chaldæus ſumſit non malè pro הלוא, quod eſt *nónne*, & verba non optantis, ſed indicantis ſenſu, hunc in modum: *Nónne tu* (*propter nos*, addit Chaldæus) *dirupiſti cælos, & deſcendiſti? à facie tua liquefacti ſunt montes? ſicut ardente igne ex ramalibus aquas ebullire facit vis ignis: ut manifeſtares nomen tuum hoſtibus, & coram te formidarent gentes?* Reſpicit hiſtoriam eorum quæ fecit Deus in monte Sinaï. Vide Exodi xix. 18. Adde Pſalm. xviii. 8. xcvi. 5. ubi Græci habent τὰ ὄρη ὡσεὶ κηρὸς ἐτάκησαν [*montes ut cera colliquati ſunt*], ut hîc ὡς κηρὸς ἀπὸ πυρὸς τήκεται [*ſicut cera ab igne liqueſit*].

3. *Cùm feceris mirabilia non ſuſtinebimus*] Id eſt, cùm tam mira noſtri causâ feceris, nónne æquum eſt tuam opem à nobis patienter exſpectari?

Deſcendiſti, & à facie tua montes defluxerunt] Repetit quod ſuprà dixerat, quò magìs rem inculcet animis.

4. *A ſeculo non audierunt, neque auribus perceperunt: oculus non vidit, Deus, abſque te, quæ præparaſti exſpectantibus te*] Senſum ſimpliciſſimum hic Græci exprimunt, quem ſequendo licet hunc locum ſic vertere: *Nunquam auditum eſt, nunquam*, inquam, *auribus perceptum, nunquam oculis patuit eſſe Deum, præter te, ullum qui in ſe confidentibus talia faciat.* Nemo eſt qui viderit deos Gentium talia ſuis præſtare, imò nemo eſt qui vel probabili auctoritate tale aliquid de illis audierit.

5. *Occurriſti lætanti & facienti juſtitiam, in viis tuis recordabuntur tui*] Rectè ſic vertas: *Occurriſti cum gaudio* (id eſt, patientiâ, ut hîc explicant Græci) *recta facienti: iis*, inquam, *qui in omnibus actibus ſuis tui meminerunt. Occurriſti*, id eſt, ultro illis nec ſperantibus beneficia maxima contuliſti, ut Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Ioſepho, Moſi, Iudicibus, Davidi, Eliæ, & aliis.

Ecce tu iratus es, & peccavimus] Id eſt, *At nobis iratus fuiſti, quia peccavimus:* quia ſimiles illis majoribus noſtris non fuimus.

In ipſis fuimus ſemper & ſalvabimur] Optima verſio eſt: *Si in ipſis* (in illorum viis, de quibus ſuprà) *fuiſſemus ſemper*, etiam nos *ſalvi fuiſſemus.*

6. *Et facti ſumus ut immundi omnes nos*] Vt leproſi. Ità enim ſolet ſumi טמא [*immundus*], Levit. xiii. 45. ità peccatis obſorduimus, ut leproſi leprâ.

Et quaſi pannus menſtruatæ] Secutus eſt Græcos, qui habent ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης. Nomen illud עדים non reperitur alibi in ſacris literis; ſed Chaldæis עדיא eſt quod Hebræis ספחת, Theodotioni ἐκβρασμὸς [*eruptio*], ut diximus ad Levit. xiii. 6. Significabitur ergò *pittacium* quod puſtulis imponi, ac deinde abjici ſolet: ideo *panniculum abjectum* non malè hic poſuit Chaldæus.

Vniverſæ juſtitiæ noſtræ] Loquitur κατὰ μίμησιν [*aliena verba imitando*], & *juſtitias* vocat id quod homines improbi eo nomine appellant, ſacrificia ſcilicet & ritus ſimiles. Similis locutio ſuprà lvii. 12. Malè facerent qui hæc referrent ad vitam compoſitam ad legem Moſis: multò pejùs qui hæc verba referunt ad martyrium, & alia opera Euangelio congruentia: — πῆ πῆ φρένας ἐκπεποτᾶσθε; [— *quò vobis avolitat mens?*]

Et cecidimus quaſi folium univerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos] Confer Pſalmum 1. 3. 4.

7. *Non eſt qui invocet nomen tuum, qui conſurgat & teneat te*] Id eſt, pauci ſunt, ut Pſalm. xiv. 3. Sunt ὑπερβολαὶ [*ſuperjectiones*] tales frequentes omnibus populis, Orientalibus maximè. *Invocare nomen Dei* eſt ad eum preces dirigere, ut hîc interpretatur Chaldæus. *Qui conſurgat*, id eſt, qui ſe excitet. *Et teneat te*, id eſt, ut tibi adhæreat.

Abſcondiſti faciem tuam à nobis] Benevolentiam tuam nobis ſubtraxiſti, id eſt, beneficia, per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*].

Et alliſiſti nos in manu iniquitatis noſtræ] Meliùs, *Tradidiſti nos in manus peccatorum noſtrorum*, ſicut ſcilicet debitor creditori addicitur: מגן eſt *tradere*. Græci: παρέδωκας ἡμᾶς διὰ τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν [*tradidiſti nos propter peccata noſtra*]. nec aliter Chaldæus interpres: hic noſter à מוג [*liqueſcere*] derivavit.

8. *Et nunc, Domine*] *At nunc, Domine*: nempe quando nos vides in meliora verſos.

Pater noſter es tu, nos verò lutum] Sicut opus fictile ad figulum, quod & ſequentia oſtendunt. Neque ſola creatio hîc reſpicitur, ſed tota Dei circa populum ſuum diſpenſatio.

9. *Nè iraſcaris, Domine, ſatìs*] In Hebræo, *vehementer*.

Et nè ultrà memineris iniquitatis noſtræ] Vt Deus jure ſuo facere poſſet. Ideo etiam converſi deprecationibus uti debent.

Ecce reſpice, populus tuus omnes nos] *Profitemur nos eſſe populum tuum*, id eſt, omnia noſtra nos tibi debere. Ità hîc Chaldæus.

10. *Civitas ſancti tui facta eſt deſerta*] In Hebræo: *Civitates ſanctitatis tuæ factæ ſunt in deſertum*. Id eſt, urbes terræ Iudææ, quæ omnes te Deum agnoſcunt.

Sion deſerta facta eſt] Ipſa etiam Sion, ſive Ieruſalem, non tantùm urbium minores.

11. *Domus ſanctificationis noſtræ*] Id eſt, Templum, in quo ſolebamus expiari, & te colere.

Et gloriæ noſtræ] Ea de quibus gloriabamur, palatia putà.

Vbi laudaverunt te patres noſtri] A Zorobabelis temporibus.

Facta eſt in exuſtionem ignis] Συνεκδοχή [*Complexio*]. Non enim omne Templum, ſed in Templo & in Vrbe multa exuſſit Antiochus. Ioſephus XII. 7. ἐνέπρησε δὲ αὐτῆς (urbis) τὰ κάλλιστα [*incendit autem ejus pulcherrima*]. Scriptor Maccabaïcæ hiſtoriæ I. I. 23. Καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἁγίασμα ἐν ὑπερηφανίᾳ, καὶ ἔλαβεν τὸ θυσιαστήριον τὸ χρυσοῦν, καὶ τὴν λυχνίαν τοῦ φωτὸς, καὶ πάντα τὰ σκεύη αὐτῆς, καὶ τὴν τράπεζαν τῆς προθέσεως, καὶ τὰ σπονδεῖα, καὶ τὰς φιάλας, καὶ τὰς θυΐσκας τὰς χρυσᾶς, καὶ τὸ καταπέτασμα, καὶ τοὺς στεφάνους, καὶ τὸν κόσμον τὸν χρυσοῦν τὸν κατὰ πρόσωπον τοῦ ναοῦ· καὶ ἐλέπισε πάντα [*Et intravit in ſanctificationem cum ſuperbia, & accepit altare aureum, & candelabrum luminis, & univerſa vaſa ejus, & menſam propoſitionis, & libatoria, & phialas, & mortariola aurea, & velum, & coronas, & ornamentum aureum quod in facie Templi erat: & comminuit omnia*]. Et poſtea 33. καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα τῆς πόλεως, καὶ ἐνεπύρισεν αὐτὴν πυρὶ [*& accepit ſpolia Civitatis, & ſuccendit eam igni*]. Et 59. τὰ βιβλία τοῦ νόμου ἐνεπύρισαν πυρὶ κατασχίσαντες [*& libros Legis combuſſerunt igni, ſcindentes eos*].

Et omnia deſiderabilia noſtra verſa ſunt in ruinas] Hoc facile intellectu ex iis quæ jam diximus.

12. *Numquid ſuper his continebis te, Domine, tacebis?*] Poſſéſne hæc, ô Domine, diſſimulare?

Et affliges nos vehementer?] Et interim nos pati miſeros? Quaſi dicat Iudas Maccabæus, Non eſt hoc credibile.

CAPVT LXV.

1. Q*Væſierunt me qui ante non interrogabant*] Inducitur hîc Deus reſpondens Iudæ Maccabæo, & ei comiter cauſas reddens ſuæ diſpenſationis. Optimè verti poteſt, *Obvius factus ſum iis qui me non interrogabant*: ut ſenſus ſit qui ſuprà LXIV. 5. Iudæi plerique corruptiſſimi erant cùm Deus eos ab Antiocho liberavit, & egregias rei bene gerendæ occaſiones præbuit. Videntur quidam codices habuiſſe הדרשתי, quod εὑρέθην [*inventus ſum*] vertit Apoſtolus Rom. x. in fine. Nec aliter credo legiſſe LXX, qui verterunt ἐμφανὴς ἐγενήθην [*conſpicuus ſum factus*].

Dixi, Ecce ego, ecce ego, ad gentem quæ non invocabat nomen meum] Oſtendi me præſtò eſſe, cùm illi me non colerent.

2. *Expandi manus meas totâ die ad populum incredulum*] Id eſt, incitavi eos ad converſionem. Vertitur פרש [*expandere*] per διδάσκειν [*docere*] Nehemiæ VIII. 10.

Incredulum] סרר [*rebellem*]. Ità hîc Chaldæus; nec aliud ſignificat quod eſt in Græco, ἀπειθοῦντα [*inobedientem*].

Qui graditur in via non bona poſt cogitationes ſuas] Qui cupiditatibus ſuis obſequitur per vias illicitas. Hæc autem verba omnia per imperfectum exponenda ſunt: *qui gradiebatur, provocabat, immolabat*, &c.

3. *Ante faciem meam*] Id eſt, in ipſo Templo, & apud Templum.

Qui immolant in hortis] In lucis more Gentium: Exod. XXXIV. 13. Deuter. VII. 5. XII. 3. Iud. III. 7. VI. 28. I Regum XIV. 15. 23. XVI. 33. XVIII. 19. II Reg. XIII. 6. XVII. 10. 16. XVIII. 4. & alibi ſæpe.

Et ſacrificant ſuper lateres] Figuris quibuſdam inciſos, Levitic. XXVI. 1. Numer. XXXIII. 52. ut in Hebræo eſt.

4. *Qui habitant in ſepulcris*] Manſitant in ſepulcris, ut ibi captent ſomnia, ut hîc habent Græci.

Et in delubris idolorum dormiunt] Vt in Æſculapii templis fieri ſolebat. Notatum id hîc Hieronymo. Exemplum habes apud Ariſtiden.

Qui comedunt carnem ſuillam] Comedebant, à Gentibus coacti aut illecti, II Macc. VI. 18.

Et jus profanum in vaſis eorum] פרק *jus* vertunt Chaldæus & Græcus. Si originem ſequamur, *fragmentum* potiùs ſignificari videtur. Quod hîc eſt *profanum*, in Hebræo eſt פגלים. Eâ voce ſignificatur quicquid Lege vetitum eſt, ut apparet Ezechielis IV. 14. ubi Græci, κρέας βέβηλον [*caro profana*]. Sed quia illud quod diximus פרק etiam *reſervare* ſignificat, putat in commentariis Hieronymus ſpectari hîc legem Sacerdotibus datam Levit. VIII. 32. & notari eos qui edebant jus heſternum, quod, inquit, Græci vocant ἕωλον [*rancidum*].

5. *Qui dicunt, Recede à me, nè appropinqua mihi*] Ipſi impuri cùm eſſent, alios à ſe ut impuros arcebant, ſicut Samaritas Geographus Arabs clamaſſe ait, *Nè attingas*. Ejus Samaritarum moris etiam ad hunc locum meminit Hieronymus.

Iſti fumus erunt in furore meo, ignis ardens totâ die] עשן [*fumum*], ni fallor, rectè hîc intelligemus vaporem ex lignis, rebúſque aliis unde ignis accenditur. Sublimiore ſenſu ad gehennam hoc refert Chaldæus.

6. *Ecce ſcriptum eſt coram me*] Tam bene memini,

quàm Reges ea quæ in commentariis ſuis ſcripta aſſervant. Vide Eſth. VI.

Non tacebo] *Non quieſcam.* Non diu differam pœnam eorum, ut hîc Chaldæus.

6.7. *Sed reddam & retribuam in ſinum eorum iniquitates veſtras, & iniquitates patrum veſtrorum ſimul*] *In ſinum reddere* eſt cumulatè reddere, ut quæ in ſinum effundi ſolent, Pſalm. LXXIX. 12. Hîc quoque permiſcentur perſonæ ſecunda & tertia. Qui ſeverè admodum puniuntur (etſi non ſupra merita) dicuntur luere, & ſua peccata, & eorum qui ipſos in ſimilibus peccatis præceſſerunt: quorúmque Deus peccata reliquit impunita. Vide ad Matth. XXIII. 35.

Qui ſacrificaverunt ſuper montes, ac ſuper colles exprobraverunt mihi] *Irritarunt me:* ut temporibus Abiæ, Athaliæ, Manaſſis. Pro *ſacrificaverunt* in Hebræo eſt *ſuffitum fecerunt:* quod & Græci ſequuntur, & Chaldæus.

Opus eorum primum] Id eſt, à principio omnibus eorum factis vicem rependam.

8. *Quomodo ſi inveniatur granum in botro*] Id eſt, acinus integer inter multas uvas corruptas.

Et dicatur, nè diſſipes illud] Solet paterfamilias illud jubere ſervari.

Quoniam benedictio eſt] Id eſt, in eo ſpes novæ vitis. Omnia quibus alimur *benedictionis* nomine appellant Hebræi.

Sic faciam propter ſervos meos, ut non diſperdam totum] Paucos bonos ſervabo in ſpem generis, ut olim Noam cum ſuis: quo exemplo hîc utitur Chaldæus, & Lothum in excidio Sodomorum. Hæc ad Euangelium aptat Paulus Roman. XI. 5.

9. *Et educam de Iacob ſemen*] Sicut in ſemine, re parvâ, eſt arbor: ità in illis paucis erit unde gens tota renovetur.

10. *Et erunt campeſtria in caulas gregum*] In Hebræo: *Et erit Saron caula pecoris.* Tam plena ea regio erit pecore quàm caulæ eſſe ſolent. Eam regionem Hieronymus eſſe ait apud Lyddam, Ioppen & Iamnes pecori paſcendo aptiſſimam: quod etiam diſcimus ex 1 Paralip. XXVII. 29.

Et vallis Achor in cubile armentorum] Tam plena armenti quàm eſſe ſolent ſtabula. Per *vallem Achor* intelligitur pulcherrimus ille tractus apud Hierichuntem. Vide Ioſuæ VII. 24. 26. Oſeæ II. 15.

11. *Qui ponitis Fortunæ menſam*] גד in Oriente, id eſt, Hebræis, Chaldæis, Arabibus, *fortunam* ſignificat, ſive bonam, ſive malam, ſed ſæpius bonam. Indè factum eſt nomen idolo, quod Idumæi maximè, ſi Hebræis credimus, coluerunt. Vide, ſi libet, Bereſith Rabba ad Geneſ. XXVII. 31. & adde quæ multi interpretes dixêre ad Geneſ. XXX. 11. Hieronymus ad hunc locum: *Eſt autem in cunctis urbibus, & maximè in Ægypto, & in Alexandria idololatriæ vetus conſuetudo, ut ultimo die anni & menſis eorum qui extremus eſt, ponant menſam refertam varii generis epulis, & poculum mulſo miſtum, vel præteriti anni, vel futuri fertilitatem auſpicantes. Hoc autem faciebant & Iſraëlitæ omnium ſimulacrorum portenta venerantes.*

Et libatis ſuper eam] In Hebræo: *Et impletis Meni libamen.* id eſt, θεῷ Μηνὶ, quem deum cultum in Armenia & Phrygia diſcimus ex Strabone. Meminit ejus & Iamblichus in vita Pythagoræ. Quia autem id nomen proximè accedit ad מנה, quod eſt *numerare*, ideo hic ſequitur.

12. *Numerabo vos in gladio*] Id eſt, gladio Græcorum, fame, maliſque aliis vos interfici curabo, ità ut de numero omni nemo deſideretur. Eſt Hyperbole.

14. *Et vos confundemini*] Rebus inſtauratis pudebit vos deſertæ Legis. Idem dicit quod Daniel XII. 2.

15. *Dimittetis nomen veſtrum in juramentum electis meis*] Dicent pii cùm jurare volent, *Si fallo, eveniat mihi quod illis* ἑλληνίζουσι [*qui Græcos ritus ſectati ſunt*] *ſub Antiocho.*

Et ſervos ſuos vocabit nomine alio] חסידים Ἀσιδαίους [*Pios*], 1 Macc. II. 42. ex quo nomine factum nomen *Eſſenorum*, extritâ ר literâ.

16. *Ex quo qui benedictus eſt ſuper terram benedicetur in Deo amen*] Vertas commodè: *Qui ſibi bene precabitur in terra* (Iudæa,) *is ſibi bene precabitur à Deo vero.* Nam אמן inter alia & *verum* ſignificat, ut hîc accipiunt LXX. *Deum vivum* eodem ſenſu dixit Chaldæus. Vtrumque nomen opponitur idolis.

Quia oblivioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & quia abſconditæ ſunt ab oculis meis] Nempe cauſæ earum. Neque illi calamitatum, neque ego peccatorum meminero, & ità oſtendam reipſa me eſſe ipſorum Deum.

17. *Ecce enim ego creo cœlos novos, & terram novam*] *Cœlum novum*, id eſt, non ut antè nubilum, ſed ſerenum: & *terram novam*, id eſt, non deſertam & ſterilem, ſed habitatam & fœcundam. Sicut *vetuſtiſcere* dicuntur quæ vim ſuam amittunt, ſic *innovari* quæ vegeta fiunt.

Et non erunt in memoria priora] Omnia illa mala ſub Antiocho.

18. *Vſque in ſempiternum*] Diutiſſimè.

In his quæ ego creo] *Creandi* verbum Hebræi de omni magnifico Dei opere uſurpant.

20. *Non erit ibi ampliùs infans dierum*] Qui paucos dies vivat. Nam Deus, ſi Iudices peccata non punirent, ſe vindicem erat profeſſus, ut Lev. XX. 3. 5. Vindicta autem erat mors ipſius qui deliquiſſet immatura, aut ſine prole. Hoc ampliùs eventurum jam negat, quia Iudices optimè facturi erant officium. *Infans dierum* dicitur, qui non vivit ultra infantiæ annos, quæ, ut diximus, pœna erat parentum.

Et ſenex qui non impleat dies ſuos] *Senem* hîc intellige oppoſitum *infanti*, qui provectæ ſit ætatis, non tamen maximæ.

Quoniam puer centum annorum morietur] In Hebræo, *Adoleſcens:* id eſt, qui adoleſcens erit tempore inſtaurati Templi, perveniet ad pleniſſimam ætatem, qualis eſt annorum centum.

Et peccator centum annorum maledictus erit] Si quis contra Legem facinus aliquod commiſerit, nè ſumma quidem ſenectus, cui apud multos parci ſolet, obſtabit quominus judices ei pœnam Legis (quæ *maledictio* dici ſolet) infligant. Vide quæ diximus ad Deuteron. XXI. 23. Mirum eſt quid non comminiſcantur Iudæi quidam, qui hæc ad tempora poſt Reſurrectionem referunt.

22. *Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet*] Non fiet ſecundùm illud,

Inſere, Daphni, pyros, carpent tua poma nepotes.

Secundùm enim dies ligni erunt dies populi mei] Tamdiu vivent quàm ipſa arbor. *Arbor vitæ* apud Lxx, & Chaldæum, & Rabbinum Solomonem hoc loco, an ad Paradiſum reſpicit, an ità dicitur arbor vivaciſſima?

Et opera manuum eorum inveterabunt] Id eſt, durabunt ædes quas ſtruxerint.

23. *Electi mei non laborabunt fruſtra*] Non demetent alii illorum ſementem, quod impiis eventurum minatur Deus Levit. XXVI. 16. & Deuteronomii XXVIII. 30.

Neque generabunt in conturbatione] Ex Hebræo לבהלה [*ad perturbationem*]. At Lxx legerunt לאלה εἰς κατάραν [*ad exſecrationem*], quod Chaldæus bene interpretatur *ad mortem*, nempe ἄωρον [*immaturam*], quæ inter κατάρας [*exſecrationes*]. Poteſt in eundem ſenſum trahi recepta lectio, ſi per *conturbationem* intelligamus luctum parentum. Hieronymus בהלה putat verti poſſe ἀνυπαρξίαν [*non-exſiſtentiam*]. Vide quæ ad Iobum XVIII. 13.

Semen benedictorum Domini eſt] In Hebræo, *Semen ipſi benedictorum Domino:* ſupple *erunt*. Ideo Deus infantes in vita conſervabit quia amabit parentes.

24. *Eritque antequam clament, ego exaudiam*] Mala avertam antequam de iis conquerantur.

Adhuc illis loquentibus ego audiam] Ad bona largienda paratus ero, ſimulatque rogabor.

25. *Lupus & agnus paſcentur ſimul, leo & bos comedent paleas*] Repetendum hîc quod præceſſit *ſimul*. Senſus idem qui ſuprà XI. 6. ubi vide.

Et ſerpenti pulvis panis ejus] Cibus ejus erit pulvis tantùm, homines non attinget. Serpentes ſolent paſci pulvere, Geneſ. III. 14. Cum his comparantur homines feroces, qui coguntur ferociam deponere & parêre legibus, ut videre eſt clariſſimè Michææ VII. 17. addito loco Pſalm. LXXII. 9.

Non nocebunt, neque occident in omni monte ſancto meo] Nulla homicidia, nullæ rapinæ erunt: ità vigebunt leges. Vide ſuprà 20.

CAPVT LXVI.

1. HÆc *dicit Dominus*] Quæ jam ſequuntur conſolandis illis ſerviunt, qui viſuri erant profanationem Templi ſub Antiocho, & ſacrificiorum ceſſationem per annos tres & dimidium. Oſtendit ergò Deus non eſſe quòd hac re offenderentur: Sibi optimum Templum eſſe piam mentem: ex eo æſtimari ſacrificia. Eſt oraculum apud Hieroclem,

Εὐσεβέσιν ἢ βροτοῖς γάνυμαι τόσον, ὅσσον ὀλύμπῳ.
[*Tam mihi res grata eſt pia mens quàm regia cæli.*]

Seneca: *Vultiſne Deum cogitare magnum & placidum, & majeſtate leni verendum, amicum & ſemper in proximo? Non immolationibus & ſanguine multo colendum, ſed mente purâ, honeſtóque propoſito? Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis exſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Vide & alia paris ſenſûs circa finem Annotationum ad librum IV. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Quæ autem hîc dicuntur omnia talia ſunt ut iter ſtruant Euangelio.

Cælum ſedes mea] Solium majeſtatis.

Terra autem ſcabellum pedum meorum] Ὑποπόδιον [*ſcabellum* ſive *ſuppedaneum*], quale erat Regum ſoliis. *Terra*, pars rerum vilior. Vide quæ ad Matthæi V. 35.

Quæ eſt iſta domus quam ædificabitis mihi, & qui eſt iſte locus quietis meæ?] Exiguum hoc eſt, ſi cœlo & terræ comparetur. Euripides:

Ποῖος δ' ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο
Δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;
[*Quî poſſet ædes ſtructa fabrili manu*
Tenere vim parietibus incluſam Dei?]

2. *Omnia hæc manus mea fecit*] Omnia quæ uſquam videtis à me facta ſunt, ac proinde mei juris. Simile habes Pſalm. L. 10.

Ad quem autem reſpiciam?] Iam venit ad ſacrificia, quæ dicit ità ſibi aut grata aut ingrata eſſe prout eſt vita & animus offerentis.

Niſi ad pauperculum] עני τὸν ταπεινὸν [*humilem*], ut vertunt hîc Lxx: id eſt, modeſtè de ſe ſentientem. At Chaldæus ענו [*manſuetum*]. Sæpe hæ voces ejuſdem originis & vicini ſignificatûs inter ſe permiſcentur.

Et contritum ſpiritu] Pœnitentiam agentem peccatorum, ut in Pſalm. LI. 19.

Et trementem ſermones meos] Metuentem in leges meas impingere.

3. *Qui immolat bovem quaſi interficiat virum*] Subaudiendum *alioqui*; id eſt, ſi iſtæ virtutes abſint, abominor victimas quaſi homicidium: quod Deus ità exſecratur ut etiam ab altari ſuo homicidam velit abſtrahi, Exod. XXI. 14. Pythagoras: Θυηπολίαι ἀφρόνων, πυρὸς τροφή [*Sacrificia inſipidorum, pabulum ignis*].

Qui mactat pecus, quaſi qui excerebret canem] In Hebræo, *Quaſi ſi quis decollet canem:* nempe ad ſacrificandum. Canis ità vile Hebræis animal, ut nè pretium quidem ejus in Templo recipi poſſet. Vide quæ dicta ad Deuteron. XXIII. 18.

Qui offert oblationem] Μαναὰ, nempe *libum ex ſimila:* σεμίδαλιν [*ſimilam*] hîc Lxx.

Quaſi qui ſanguinem ſuillum offerat] Quod dupliciter illicitum, & quia ſus immunda Lege, & quia ſanguis omnis effundendus, non offerendus, Exodi XXIII. 18.

Qui recordatur thuris, quaſi qui benedicat idolo] *Qui mei recordatur per thus, quaſi idolo laudes ac gratias diceret.* Sic ſumsêre & Lxx: ὁ διδοὺς λίβανον εἰς μνημόσυνον [*qui dat thus in memoriale*]. At Chaldæus pro און [*idolo*] legit עון; vertit enim *rapinam.*

Hæc omnia elegerunt in viis ſuis] Nempe Hebræorum quidam, qualis Iaſon, qui Pontificatum ſibi pretio mercatus eſt ab Antiocho, dejecto fratre ſuo Oniâ Pontifice optimo: deinde Menelaus qui pari modo Iaſonem expulit, Oniam autem interfecit, ſucceſſorémque ſibi ſubſtituit Lyſimachum ſacri ærarii expilatorem.

Et in abominationibus ſuis anima eorum delectata eſt] In vi, cædibus, rapinis.

4. *Vnde & ego eligam illuſiones eorum, & quæ timebant adducam eis*] Nec Iaſon, nec Menelaus retinebunt emptum pontificatum: Lyſimachus in ipſo

ſcelere interibit: Iaſon & Menelaus inter ſe movebunt arma, II Macc. IV. & V.

5. *Audite verbum Domini qui tremitis ad verbum ejus*] Qui viri boni eritis illo tempore: ut qui Oniæ favebant.

Dixerunt fratres veſtri odientes vos] Iſti qui in factione erant Iaſonis, aut Menelai.

Glorificetur Dominus] Id eſt, faciat aliquid magni veſtrî cauſâ, ſi tanti apud eum eſtis.

Et videbimus in lætitia veſtra: ipſi autem confundentur] In Hebræo, *At conſpicietur* (nempe Deus) *cum gaudio veſtro: illi autem pudeſient.* id quid ſit jam ſequitur.

6. *Vox populi de civitate*] Audio ovationem Iudæ Maccabæi, & militum ejus intra Vrbem derelictam ab Antiochi militibus & impiis Iudæis, qui Antiochi erant partium.

Vox de Templo] Audio eoſdem illos in ipſo Templo Deo gratias agere de multis victoriis.

Vox Domini reddentis retributionem inimicis ſuis] Deus in illis Pſalmis quos canunt reſpondet jamjam ultionem ſe ſumturum de illis malis Iudæis, quorum alii mutuis cædibus, alii manu Iudæ Maccabæi conciderunt. Talis eſt Pſalm. LXXXI. LXXXIX. 20. & ſequentes.

7. *Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus ejus, peperit maſculum*] Priuſquam quiſquam id ſperare poſſet, venit Iudææ liberatio per Maccabæum.

8. *Numquid parietur terra in die una, aut parietur gens ſimul?*] Quis unquam id vidit, ut ità ſubitò reſtitueretur totus ſtatus aliquis, & ubi non erat populus, populus exſiſteret?

Quia parturivit & peperit Sion filios ſuos] *Sicut parturivit* (id eſt, partitudinem primùm ſentire cœpit), *&* (eodem momento) *peperit Sion.* Vno velut momento impleta eſt civibus, quæ deſerta fuerat.

9. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipſe non pariam*] In Hebræo: *Qui parere facio* (nempe feminas), *non pariam?* id eſt, non potero ſubitò efficere ut exſiſtat populus?

Sterilis ero?] *Claudar:* id eſt, ero velut mulier clauſo utero?

10. *Qui lugetis ſuper eam*]. *Qui luxiſtis.* Participia enim apud Hebræos ſunt cujuſvis temporis. Hæc Hebræi multi μυςικῶς [*myſticè*] referunt ad tempus Reſurrectionis.

11. *Vt ſugatis & repleamini*] Vt participes ſitis divitiarum Vrbis ac triumphorum.

12. *Quaſi fluvium pacis*] In Hebræo: *Pacem tanquam fluvium. Tanquam Euphratem*, ait Chaldæus, id eſt, ingentem proſperitatis copiam.

Gloriam gentium quam ſugetis] Prædam de Idumæis, Moabitis, gentibúſque aliis.

Ad ubera portabimini] Satiabimini ut infans de uberibus pendens.

Et ſuper genua blandientur vobis] In Hebræo, *Delectabimini:* id eſt, læti agetis in urbe patria, non minùs quàm pueri qui in gremio matris ludunt.

13. *Quomodo ſi cui mater blandiatur, ità ego conſolabor vos*] In Hebræo eſt: *Si quem mater conſoletur*, puerum flentem ſcilicet.

Et in Ieruſalem conſolabimini] Id eſt, non privatim tantùm vobis bona contingent, ſed & gaudebitis patriâ gaudente, ut ſuprà 10.

14. *Oſſa veſtra quaſi herba germinabunt*] Id eſt, *florebunt*, ut vertit Symmachus, teſte Hieronymo. Per *oſſa* autem μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*] intelligi corpora docet nos Chaldæus. Confer Ezechielis XXXVII.

Et cognoſcetur manus Domini ſervis ejus] Apparebit jam quàm potens ſit Deus ad ſervandos & ornandos quos amat.

15. *Dominus in igne veniet, & quaſi turbo quadrigæ ejus*] Per *ignem* efficacia, per *turbinem* celeritas intelligitur.

Reddere in indignatione furorem ſuum, & increpationem ſuam in flamma ignis] Hîc illud *furorem* ſignificat ἐκδίκησιν [*ultionem*], ut rectè verterunt Græci. Quod hic eſt *increpationem*, Græci verterunt ἀποσκορακισμόν [*contemtum*]. Suidas: ἀποσκορακίζω, ἀπελίζω, ἐξορίζω, διώκω [*vilipendo, ejicio, perſequor*]. Verbum גער alibi vertunt interpretes per ἐπιτιμᾶν [*increpare*], vel ἐμβριμᾶσθαι [*indignari*]. Nomen indè derivatum, quod hic habemus, vertitur ἐπιτίμησις, ἀπειλή, ἐλεγμός [*increpatio, comminatio, exprobratio*]. Vertitur & נטש [*evellere*] per ἀποσκορακίζειν in Pſalm. XXVII. 9. Ità enim ex LXX citat Theodoretus, ubi alii codices habent μὴ ἐγκαταλίπῃς με [*nè me deſeras*]. Σκορακίζειν eſt dictum pro ἐς κόρακας βάλλειν [*ad corvos mittere*], ut Græci ſentiunt. Hæc omnia minantur Iudæis illis qui Legem quidem non apertè reliquerant, ſed revera facti erant impii, neque Legem retinuerant, niſi, ut Herodes, ad gratiam populi retinendam. Hi omnes graviſſimas pœnas dedêre, ut ex Ioſepho & Maccabaïca hiſtoria diſcimus.

16. *Quia in igne Dominus dijudicabit, & in gladio ſuo ad omnem carnem*] Incendiis oppidorum caſtrorùmque, & multâ hominum occidione ſe ulciſcetur. Vide I Macc. IV. 20. V. 5. 44. VI. 31. X. 84.

17. *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt januam intrinſecus*] Cùm התקדש, non minùs quàm ipſa vox קדש, & in bono & in malo ſenſu ſumatur, non malè vertas: *Qui ſe polluerunt, ac deinde luſtrarunt* (aquâ ſumtâ) *in lucis.* Confer quæ ſuprà I. 29. LXV. 3. Vide & I Reg. XIV. 23. XV. 13. II Regum XXIII. 7.

Poſt januam] Sic vertit hîc Interpres, quod in Hebræo legimus אחר אחר, ut & Græci, ἐν τοῖς προθύροις [*in veſtibulis*], ſenſu non malo; qui intelligi poteſt ex iis quæ ſuprà LVII. 8. At Chaldæus haud dubiè legit אחר אחר, id eſt, *alius poſt alium*, magno agmine. Non improbo. Si tamen lectio recepta retinenda eſt, אחר ſumam pro *Sole* Deo Aſſyriorum, qui nomen habebat, unde & Latinum eſt, quòd *ſolus* ſit in ſuo genere, nec quicquam ſimile habeat. Hebræi dicunt אחר, Syri autem, omiſsâ literâ gutturali, & duplicatâ litera poſtremâ, חדד [*Adad*]. Philo Byblius, Ἄδωδος βασιλεὺς θεῶν [*Adodus Rex deorum*]. Macrobius I. Saturn. XXIII. *Accipe quid Aſſyrii de Solis potentia opinentur. Deo enim quem ſummum maximúmque venerantur, Adad nomen dederunt. ejus nominis interpretatio ſignificat* unus. *Hunc ergò ut potentiſſimum adorant Deum.* Ergò *poſt Adad* erit, ponè ſacella illa in quibus Adad colebatur.

Qui comedebant carnem ſuillam] Vide quæ diximus ſuprà LXV. 4.

Et abominationem] Intelligenda hîc εἰδωλόθυτα [*idolis immolata*], diſcere poteris ex Chaldæo ſuprà XXVIII. 8.

Et murem] Cujus eſus vetitus lege Levit. XI. 29. Erant qui eo veſcerentur ; ut gliribus Itali, teſte Varrone.

18. *Ego autem opera eorum , & cogitationes eorum*] Hîc ponendum κῶλον [*ſignum membri orationis*]. Et eſt ἀποσιώπησις [*Reticentia*]. Subauditur enim *ſcio*, quod ſupplent Græci & Chaldæus.

Venio ut congregem cum omnibus gentibus & linguis] In Hebræo : *Eo congregatum gentes omnes & linguas.* Id eſt, tanta erit gloria populi Iudaïci , ut omnes gentes eorum federa ambiant. Hunc ſenſum exigunt ſequentia.

19. *Et ponam in eis ſignum*] Advocabo eos , velut ſigno erecto.

Et mittam ex eis qui ſalvati fuerint] Ex Iudæis qui ſuperſtites erunt illis temporibus Antiochi. *Mittam*, faciam ut mittantur Legati ad amicitias quærendas. Vide 1 Maccab. XII. 2.

Ad gentes in mare] In Hebræo , *ad gentes Oceani :* id eſt , ad eos qui adſiti ſunt mari Perſico & Arabico.

In Africam] Ex Græcis, qui legerunt פוט , ubi nos habemus פול. Ea eſt pars Africæ apud Feſam. Vide quæ diximus in Annotatis ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Chaldæus tamen פולאי, id eſt , πύλαι , Portæ Caucaſiæ ; de quibus vide Plinium VI. 11.

Et Lydiam tendentes ſagittam] In Hebræo , *Et Lydos tendentes arcum.* Lydos quidem Cyrus bis ſubegit , & gentem bellacem omni luxûs genere corrumpi voluit , ſed facilè reditur ad ingenium. Itaque proverbium inter Græcos natum eſt , Λυδὸν εἰς πεδίον προκαλεῖς [*Lydum in campum provocas*].

In Italiam] Romam uſque, cum qua fedus fecêre. Vide 1 Maccab. VIII. At in Hebræo eſt חובל, nec aliter legêre aut Græci , aut Chaldæi. Ea verò eſt Iberia Aſiatica , ut in dictis Annotatis videbit qui volet. Dubitari poteſt an quidam codices habuerint איתל [*Ital*].

Et Græciam] Vide dictum locum 1 Maccabæorum XII. 2.

Ad inſulas longè] Ad loca longinqua mari aut amnibus adſita.

Qui non audierunt de me , & non viderunt gloriam meam] Ad quos de Iudæa & rebus actis in Iudæa tenuis notitia pervenerat. Cauſas vide apud Ioſephum contra Appionem priore.

Et annuntiabunt gloriam meam gentibus] Hiſtoriam plenam eximiis Dei factis.

20. *Et adducent omnes fratres veſtros de cunctis gentibus donum Domino*] Id eſt, in honorem Dei, Romani & Græci in libertatem reſtituent , ac domum remittent cum honore captivos , quos bellis Macedonico & Syriaco ceperant. Similia exempla benignitatis in ſocias gentes vide libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. IX. § 2. & in Annotatis ad eum locum.

Quomodo ſi inferant filii Iſrael munus in vaſe mundo in domum Domini] Pari lætitiâ ac gaudio. *In vaſe mundo* , id eſt , in lance bene purgata ab omni immunditie legali. At LXX per כלי intelligunt inſtrumenta muſica. Vertunt enim μετ' ψαλμῶν [*cum pſalmis*], non malè. ſolet enim כלי ſæpe eo ſenſu ſumi, ut 1 Paralip. XV. 16. XVI. 5. 42. XXIII. 5. II Paralipom. V. 12. VII. 6. XXIII. 13. XXIX. 26. 27. XXX. 21. XXXIV. 12. Et quod additur ἐπίθετον [*epitheton*] טהור, id vertitur interdum per ἅγιον, ὅσιον, δόκιμον [*ſanctum, ſacrum, probum*].

21. *Et aſſumam ex eis in Sacerdotes & Levitas, ait Dominus*] Ex illis Iudæis qui apud gentes externas bello capti ſervitutem ſervierant : quaſi dicat , Non obſtabit illis iſta non ipſorum culpâ ſed ex bellica fortuna tolerata calamitas. Hyrcano quidam objecerunt, non poſſe eum Pontificatu fungi, quòd mater ejus captiva aliquando fuiſſet : nimirum quia captivis feminis ægrè creditur de pudicitia. Alioqui poſtliminii jus omnia reſtituit in eum ſtatum in quo ante bellum fuerant.

22. *Quia ſicut cœli novi & terra nova*] Vide ſuprà LXV. 17. & ibi dicta.

Sic ſtabit ſemen veſtrum & nomen veſtrum] Splendebit ut cœlum, florebit ut terra.

23. *Et erit menſis ex menſe , & ſabbatum ex ſabbato ; veniet omnis caro , ut adoret coram facie mea , ait Dominus*] Omnis generis gentiſque homines venient oraturi in ſubdiali Gentium. Idque non tantùm fiet ſingulis menſibus , ſed quaque hebdomade. Simile loquendi genus habes apud Amoſum VIII. 5. Vide quæ dicta ad Ioh. XII. 20.

24. *Et egredientur*] Spatiatum per Iudæam.

Et videbunt cadavera virorum qui prævaricati ſunt in me] Id eſt , illorum qui in Antiochi fuerunt partibus.

Vermis eorum non morietur] Id eſt, diu vermis paſcetur illorum cadaveribus , quia ſepulturâ indigni judicabuntur.

Et ignis eorum non exſtinguetur] Μετωνυμία [*transnominatio*] , id eſt, ignis ſigna in oppidis incenſis. Vide quæ dicta ſuprà 16. μυστικῶς [*myſticè*] tamen etiam Iudæi hæc ad diem Iudicii trahunt : etiam Chaldæus hoc loco.

Et erunt uſque ad ſatietatem viſionis omni carni] *Ad nauſeam :* id eſt, fœtorem de ſe excitabunt odioſum.

AD IEREMIAM.

CAPUT I.

1. V*Erba Ieremiæ*] Liber. Eſt autem hæc inſcriptio libri hujus ad finem capitis XXXIX. indè ſequitur velut alter liber, additus priori.

De Sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth] Qui ibi habitabant, & per ἐφημερίας [*vices*] ſuas ſerviebant Deo in Templo.

2. *Quod factum eſt verbum Domini ad eum*] Ideo hic liber ſcriptus eſt, quia Deus ei multa futura revelavit, digna quæ poſteris mandarentur in ſignum Divinæ providentiæ.

In diebus Ioſiæ] Reges hîc tres nominantur, omiſſis duobus, ob breve admodum regnum. Ordo Regum ſub quibus vixit Ieremias hic eſt:

Ioſias.
Ioachaz.
Iojakim.
Ioachin, qui & Iechonias.
Sedecias.

Anni per quos in terra Iudæa Prophetam egit Ieremias, colliguntur XLI. poſt eos in Ægypto Prophetiæ ei obvenerunt.

4. *Et factum eſt verbum Domini ad me*] Ferme puerum adhuc, ut apparet infrà 7. Vide quæ diximus ad Eſaiam LIII. 2.

5. *Priuſquam te formarem*] Potiùs vertas, *formaſſem*. Vide quæ dicta ad Eſaiam XLIX. 1.

6. *Puer ego ſum*] Ætatis infirmæ, & ad res magnas eloquendas non ſatis idoneæ.

7. *Quoniam ad omnia quæ mittam te ibis*] Vertas non malè: *Imò ad omnia* (peragenda) *ad quæ te mittam, ito*. Sic in iis quæ ſequuntur, *loquitor*.

9. *Et tetigit os meum*] Per Angelum. Vide Eſaiæ VI. 7.

Ecce dedi verba mea in ore tuo] Eloquentiam tibi tribuo mandatis parem.

10. *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & ſuper regna*] Prophetam res eximias prædicturum, quæ non ad ſingulas, ſed ad integras gentes, ut Iudæos, Tyrios, Idumæos, magnáque regna, quale fuit Babylonis, Perſarum, Ægypti, pertineant.

Ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & ædifices, & plantes] Dei hæc ſunt opera, regna, populóſque evellere & reſtituere, infrà XLV. 4. Sed Prophetæ tribuuntur, quia non minùs certò eventura erant quæ dixerat (nempe ſub ſuis conditionibus) quàm ſi ipſe ea faceret. Vide Gen. XLIX. 7. Exod. VIII. 5. Ezech. XLIII. 3. Oſeæ VI. 5.

11. *Virgam vigilantem ego video*] Theodotion optimè vertit *amygdalinam*. Vide Eccleſiaſtæ XII. 5.

12. *Quia vigilabo ego ſuper verbo meo ut faciam illud*] Pro *vigilabo*, rectiùs pones, *maturabo*; nam & hoc שקד ſignificat: & indè nomen שקד *amygdalæ*, quia *floret omnium prima amygdala menſe Ianuario, Martio verò poma matura*, ait Plinius XVI. 26. Sicut in ſomniis apud Artemidorum, & alios, multa ſignificant ἐξ ὁμωνυμίας [*ex ambiguo vocis*], ità ex conſpectu amygdalinæ virgæ intelligi debuit maturatio eorum quæ Deus conſtituerat.

13. *Ollam ſuccenſam*] In Hebræo, *ſufflatam*: id eſt, bullientem. Speciem Iudææ graviſſimas calamitates ſenſuræ quaſi ab igne, ſic ut etiam cives extra eam projiciantur. Vide Ezech. XI. 7. & quæ ad Pſalmum LVIII. 10.

Faciem ejus à facie Aquilonis] Id eſt, ignis ille qui eam accendit eſt poſitus ab Aquilone.

15. *Omnes cognationes regnorum Aquilonis*] Nam regnum Babylonicum multum in Septentrionem ſe porrigebat: & Medi erant federati Nabuchodonoſoro, qui Mediæ Regis filiam uxorem duxerat. Vide quæ ad libr[illegible] II. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Ponent unuſquìſque ſolium ſuum] Id eſt, prætorium ſuum caſtrenſe.

In introitu portarum] In via quâ ad portas itur.

Et ſuper omnes muros ejus] Circum muros.

16. *Loquar judicia cum eis*] Prædicam illis mea decreta, per te, Ieremia, per Holdam, Sophoniam, Ezechielem. Conſidera quæ ſequuntur.

17. *Accinge lumbos tuos*] Para te operi. Vide quæ ad Lucam XII. 35.

Nè formides à facie illorum] Nè eos extimeſcas.

Nec enim timere te faciam vultum eorum] In Hebræo, *Nè ego te coram illis perterrefaciam*: id eſt, perdam. Confer 1 Corinth. 9. 16.

18. *Super omnem terram, Regibus Iudæ, Principibus ejus, & Sacerdotibus*] Tam על quàm particula ל hîc valent *contra*: ut ſit ſenſus, Faciam te invictum adversùs omnem populum terræ, & omnes viros ſummates.

19. *Bellabunt adversùm te*] Multa mala tibi facient. Sic πολεμεῖν [*bellare*] ſumitur Apocalypſeos XVII. 14.

Et non prævalebunt] Mortem tibi non inferent.

Ego tecum ſum ait Dominus, ut liberem te] Movendo corda Regum ac Principum.

CAPUT II.

2. R*Ecordatus ſum tui miſerans adoleſcentiam tuam*] Id eſt, quomodo miſertus fuerim adoleſcentiæ tuæ, quomodo te protexerim. conſidera ſequentia. Vult enim oſtendere Deus poſt tot ac tanta beneficia immeritò ſe derelictum.

Et caritatem deſponſationis tuæ] Quomodo te primùm deſponſatam mihi amaverim.

Quando ſecuta es me in deſerto, in terra quæ non ſeminatur] Ubi ſcilicet cibum tibi præbui.

3. *Sanctus Iſrael Domino*] Nempe tunc erat. Erat peculium meum.

Primitiæ frugum ejus] Sicut frugum primitiæ Dei ſunt, & jure Dei Sacerdotibus cedunt, ità populus ille primus ex omnibus populis Deo ſelectus ad Deum pertinebat.

Omnes qui devorant eum delinquunt] Pone *devorabant* & *delinquebant*. Qui de meſſe aut fruge alia comedunt antequam primitias dederint Sacerdotibus, ex Lege damnantur, Exod. XXIII. 19. XXXIV. 26. Num. XV. 19. Deuter. XXVI. 2. & ſequentibus. Sic tunc damnati fuêre non tantùm Septem illi populi, non parentes Iſraëlitarum denuntiationibus, verùm etiam alii qui Iſraëlitis ulla ex parte nocuerunt, ut Amalecitæ, Madianitæ, & alii.

Mala venient ſuper eos] Verte *veniebant*.

5. *Quid invenerunt in me patres veſtri iniquitatis?*] Quando ego prior eos deſerui? cui parti federis non ſteti? Confer Michææ VI. 3.

Et ambulaverunt poſt vanitatem] Id eſt, idola. Id enim הבל [*vanitas*] Hebræis, quod εἴδωλον vertitur Deuter. XXXII. 21. infrà XIV. 22. XVI. 18.

Et vani facti ſunt] Bruti & amentes. Vide Pſalmum CXV. 8.

6. *Et imaginem mortis*] צלמות, quod plerumque σκιὰν θανάτου [*umbram mortis*] vertunt LXX, propriè ſunt tenebræ illæ quæ morituris oboriuntur; impropriè omnia loca plena periculis, qualia illa erant per quæ inceſsêre olim Iſraëlitæ, plena ſerpentum & ſcorpionum ferarúmque. Vide Deuter. VIII. 15.

7. *In terram Carmeli*] כרמל non eſt hîc proprium, ſed commune, *agrum feracem* ſignificans. Apud Thalmudicos *ſpica* eo nomine vocatur.

Contaminaſtis terram meam] Iam à Iudicum temporibus, ac deinceps. Confer Nehem. IX. Maximè *contaminari* terra dicitur per eminentiſſimum crimen, id eſt, idololatriam.

8. *Tenentes legem*] Qui profitebantur ſe Legis magiſtros, סופרים [*Scribæ*].

Et paſtores prævaricati ſunt in me] *Reges*, ut hîc Chaldæus: adde & Principes. Vide I Reg. XXII. 17. Eccleſiaſt. XII. 11. Eſaiæ LXIII. 11.

Prophetæ prophetaverunt in Baal] In nomine Baalis.

10. *Inſulas Cethim*] Cyprum, ubi Κίτιον, & inſulas oráſque vicinas.

In Cedar mittite] Ad Arabas Cedarenos.

11. *Si mutavit gens deos ſuos*] Videte an ulli eorum abdicaverint deos ſuos, ut Adonin, Venerem, Duſarem.

Et certè ipſi non ſunt dii] *At verò iſti dii non ſunt.*

Mutavit gloriam ſuam in idolum] כבודו [*gloriam ſuam*]. Sed olim fuit כבודי [*meam majeſtatem*]; ſed quia illa vox poſterioribus temporibus mirabilem quandam Dei præſentiam ſignificare cœperat, ideo mutarunt hoc Scribæ, ut & in Pſalm. CVI. 20.

12. *Obſtupeſcite cæli ſuper hoc*] Id eſt, Angeli, συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*].

Et portæ ejus deſolamini] Ianitores ejus lugete. Duplex hîc eſt figura: nam & *portæ* dicuntur pro *janitoribus*, & *deſolari* pro *lugere*, κατὰ μετωνυμίαν [*per tranſnominationem*].

13. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*] Id eſt, perennis, qui perpetuò eos omnibus bonis abundantes facere poſſum.

Ciſternas diſſipatas] Perfluentes.

14. *Numquid ſervus eſt Iſrael?*] An paupertatis causâ ſe vendidit? Vide Deuter. XV. 12. Nulla populum preſſerat paupertas.

Aut vernaculus] *Verna*, id eſt, natus ex ancilla, qui in dominio erat ejus cujus ipſa mater. Cauſas falſas removet, ut veram vehementiùs adſtruat. Iſraëlitæ ex Sara venerant matrefamilias legitimè ductâ.

Quare ergò factus eſt in prædam?] Id eſt, præda factus eſt externis.

15. *Super eum rugierunt leones*] *Reges*, ut hîc explicat Chaldæus; ſed propriè hîc Aſſyrios intellige, Teglathphalaſarum, Salmanaſarem, Sennacheribum.

16. *Filii quoque Mempheos & Taphnes conſtupraverunt te uſque ad verticem*] *Taphnes* eſt Daphne ad Peluſium, ut alibi diximus. רוע eſt *corrumpere*. Quare non malè generali voce aptatâ ad locum ſpecialem vertit *conſtuprare* hic interpres. Nec aliud voluêre LXX, cùm dicunt ἔγνωσάν σε [*cognoverunt te*]. At *conſtuprarunt uſque ad verticem*, hoc eſt quod dicerent Græci ἐφοινίκιζον, Latini *irrumarunt*: quod ipſum tum in Latino, tum hîc in Hebræo maximum contemtum & illuſionem ſignificat. Et bene convenit hiſtoria. Nam Ægyptii multas ab Iudæis pecunias abſtulerant, & cùm in ſummis eſſent periculis, nihil eis adverſùs Aſſyrios opitulabantur, II Regum XXIII. 35. XXIV. 7.

17. *Quo ducebat te per viam*] Rectam ac facilem.

18. *Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam?*] In Hebræo מי שיחור, id eſt, *aquas Nili*, qui Σεῖρις dictus accolis, ut diximus.

Et quid tibi cum via Aſſyriorum, ut bibas aquam fluminis?] Nempe Euphratis, quod ubique κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *flumen*. *Aquam bibere* non eſt hîc ſimpliciter eorum auxilia quærere, ſed etiam deos illorum adſciſcere, ut eo apud illos eſſent commendabiliores: quod ſæpe factum didicimus jam ex Eſaia.

19. *Arguet te malitia tua*] Argumento erit juſtè te puniri.

20. *A ſeculo confregiſti jugum meum, rupiſti vincula mea*] Sic & Græci vertunt συνέτριψας καὶ διέῤῥηξας [*confregiſti & rupiſti*]. legerunt ergò שברת & נתקת in ſecunda perſona, & עלי [*jugum meum*]: ubi Hebræa nunc lectio & Chaldæus habent primam, & עלך [*jugum tuum*]. Hieronymus etiam in commentario Græcam lectionem ſequitur. Neuter ſenſus eſt incommodus. Nam aut dicit pro liberatione ab Ægyptiis & hoſtibus aliis malam ſibi relatam gratiam; aut jampridem Iſraëlitas fuiſſe legirupas, & ſæpe in eundem morbum eos recidere.

Et dixiſti, Non ſerviam] לא אעבור. At Chaldæus legit לא תעבור [*quæ non tranſgredereris*], ut & in Hebræo margine ſcribitur, hoc ſenſu: promiſiſti te non ultrà facturum talia contra Legem & fedus.

Tu proſternebaris meretrix] Vt meretrix. Sternere ſe utrique convenit, & idololatræ, & meretrici.

21. *Ego autem plantavi te vineam electam*] *Plantavi*, id eſt, in locis optimis conſtitui, Exod. XV. 17. Pſalm. XLIV. 3. *Vineam electam*, id eſt, ut eſſes vitis nobiliſſima, quæ *Sorec* Hebræis.

Omne ſemen verum] Id eſt, plantam nulla ex parte adulterinam, aut inſititiam, ſed ex Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Sara, Rebecca, Lea, Rachele, viris & feminis optimis.

Vinea aliena] *Degeneraſti, facta es inutilis*, ut hic

Chaldæus: producis uvas, neque aptas unde vinum fiat, neque τρωξίμους [*eſculentas*].

22. *Si laveris te nitro*] *Nitrum ſordes erodit*, Plinius XXXI. 10.

Et multiplicaveris tibi herbam Borith] בורית explicatur *ſapo*. At Hieronymus, qui in iſtis locis vixit, *herbam* eſſe *fullonum* ait, *quæ in virentibus & humectis Palæſtinæ naſcitur locis*. Vide Malachiam III. 2. & Chaldæum hoc loco. Senſus eſt: gravior eſt culpa quàm ut victimis expietur.

Maculata es in iniquitate tua coram me] In Hebræo, *Signata eſt iniquitas tua coram me*: id eſt, altiùs impreſſa eſt macula quàm ut tam facilè eluatur.

23. *Quomodo dicis, Non ſum polluta, poſt Bahalim non ambulavi*] Sicut inter Chriſtianos quidam εἰδωλόθυτα [*res idolis immolatas*] manducantes negabant ſe eſſe εἰδωλολάτρας [*idololatras*], ſic & inter Iudæos, qui de menſa dæmoniorum participaverant, credi volebant nihil mali feciſſe. Vide Ancyranæ Synodi canonem IV.

Vide vias tuas in convalle] Hinnomi. LXX, ἐν τῷ πολυανδρίῳ [*in polyandrio* ſive *ſepulchreto*]. nam multa erant oſſa combuſtorum in ea valle.

Curſor levis explicans vias ſuas] Ex Symmacho & Theodotione, qui verterant δρομὰς κούφη [*dromas levis*], pro quo librarii fecêre δρομεὺς [*curſor*], mendosè: nam בכרה eſt *dromas* cameli genus. Vertitur κάμηλος [*camelus*] Eſaiæ LX. 6. *Cameli toto die coeunt*, Ariſtoteles de Hiſtoria Animantium lib. V. cap. II. Meretrici, cui Iudaïcam gentem comparaverat, ulteriùs comparat animantes maximè libidinoſas, quò magis fœditas rei appareat.

Explicans vias ſuas] *Depravans vias ſuas*, habet hîc Chaldæus: id eſt, à mare ad marem alium diſcurſitans.

24. *Onager aſſuetus in ſolitudine*] Onagrum feminam intellige: eſt enim hæc vox ut aliæ multæ, & in hac & in aliis linguis ἐπίκοινος [*ſexui utrique communis*].

Attraxit ventum amoris ſui] Eminus olfecit marem. legit hîc Interpres & alii תאבתה [*cupiditatis ſuæ*], ubi nos habemus תאותה, id eſt, *occurſûs ſui*, nempe *auram obviam*.

Nullus avertet eam] Nemo eſt qui inhibere eam poſſit, nè ad marem currat.

Omnes qui quærunt eam, non deficient] Redit ad primam comparationem. Sic etiam ait, qui hac meretrice uti voluit, nemo recuſatus eſt.

In menſtruis ejus invenient eam] Id eſt, etiam in menſtruis eam paratam invenient qui volent. Non potuit impudentiſſimum ſcortum meliùs deſcribere.

25. *Prohibe pedem tuum à nuditate*] Id eſt, *ſi quis tibi dixit* (id enim hîc ſupplendum), *Noli denudare partes muliebres*. Eas enim Hebræi, ut & alii, honeſtè *pedum* vocant nomine. Vide Geneſ. XLIX. 10.

Et guttur tuum à ſiti] Nova tranſlatio in ipſa comparatione: nam *ſitim* intelligit libidinem. *Guttur* quid ſit intelliges ex Proverb. XXX. 16. 20.

Et dixiſti, Deſperavi] In Hebræo, *Deſperatum eſt*: id eſt, abſtinere nequeo.

Alienos] In comparatione *viros*; in ἀνταποδόσει [*redditione*] *deos*.

26. *Quomodo confunditur fur quando deprehenditur*] Nempe qui honeſtum hominem agebat.

Sic confuſi ſunt] Meliùs in futuro, *pudeſient*, ipſo eventu, derelicti à ſuis idolis, Eſaiæ XLVI. 7.

27. *Dicentes ligno, Pater meus es tu*] Id eſt, Deus. *Sic Iupiter, Marſpiter, Dieſpiter* apud Latinos. Simulacra autem deorum ferebant nomina; imò & dii in ipſis habitare credebantur.

Et lapidi, Tu me genuiſti] Quod Soli præſertim dici ſolebat.

Et in tempore afflictionis ſuæ dicent: Surge & libera nos] Tunc omiſſis inefficacibus idolis ad me recurrent.

28. *Vbi ſunt dii tui?*] Supple: *ego autem reſpondebo*.

Secundùm numerum quippe civitatum tuarum erant dii tui, Iuda] Idem habes infrà XI. 13. Adde II Regum XVII. 30.

30. *Fruſtra percuſſi filios veſtros*] Incurſu Aſſyriorum.

Devoravit gladius veſter Prophetas veſtros] Vobis à Deo datos, Aſæ, Ioaſi, Manaſſis temporibus. Habes idem Nehem. IX. 26. & Matth. XXIII. 34. Adde Luc. XIII. 34. XI. 49. Act. VII. 52. Iac. V. 10.

Quaſi leo vaſtator generatio veſtra. Videte verbum Domini] In Hebræo illud *quaſi leo vaſtator* priorem ſenſum claudit: ſequitur deinde, *ô generatio!* (ô homines hujus ſeculi!) *vos*, inquam, *conſiderate verbum Domini*. quaſi dicat, Locutus ſum de majoribus veſtris: jam ad vos venio, attendite quid dicturus ſim.

31. *Numquid ſolitudo factus ſum Iſraëli?*] Id eſt, an infructuoſus ipſi fui, ut Arabum deſerta?

Aut terra ſerotina?] Bene vertit quod hîc eſt מאפליה [*caliginis maximæ*]. Sic אפילות [*obſcura; ſerotina ſemina*] ſumitur Exod. IX. 32. In Thalmudicis ſæpe *imbres, nubes, fruges* אפלי. Senſus eſt: an tardus fui in utilitate ipſis adferenda? imò celerrimus, dum mihi paruerunt.

32. *Numquid obliviſcitur virgo ornamenti ſui?*] *Ornamenta muliebria ſunt quibus mulier ornatur, veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli, præter ſignatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullam parantur niſi corporis ornandi causâ; quo ex numero etiam hæc ſunt: aurum, gemmæ, lapilli*, ait Vlpianus L. Argumento. D. de auro, argento, mundo.

Aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ] Id *mamillare* in Apophoretis; *Strophium* Cinnæ,

Strophio lactentes cincta papillas.

Et Turpilio, apud quem virgo loquitur:

Me miſeram quoniam inter vias epiſtola excidit mihi,
Infelix, inter tuniculam, ac ſtrophium quam collocaveram.

Vide ſi libet quæ diximus ad imaginem Virginis in Arateis.

33. *Quid niteris bonam oſtendere viam tuam, ad quærendam dilectionem*] In Hebræo, *quærendo dilectionem*: quaſi dicat, Fruſtra te purgas, cùm nihil agas niſi quod tibi ſit libitum.

Quæ inſuper & malitias tuas docuiſti vias tuas] Illud *malitias* exponitur per *vias tuas*: id eſt, tuo exemplo etiam gentes improbas improbiores facis.

34. *Et in alis tuis*] Nempe *veſtium tuarum*: quomodo כנף ſumitur 1 Sam. XXIV. 6. Thren. IV. 14.

Non in foſſis inveni eos] In Hebræo, *Non cum perfoſſorio* (inſtrumento) *inveniſti eos*: ut illos ſcilicet tanquam directarios occidere ex lege poſſes. Vide Exod. XXII. 2. & quæ à nobis dicta de Iure Belli ac Pacis libro II, cap. I. § 12.

Sed in omnibus quæ ſuprà memoravi] Id eſt: ideo eos occidiſti quòd tuas idololatrias ſequi nollent. Græci אלה, non pro pronomine *iſtis*, ſed pro *quercu* ſumsêre, minùs commodè.

35. *Ego judicio contendam tecum, eo quòd dixeris, Non peccavi*] Auget culpam culpæ negatio.

36. *Quam vilis facta es nimis, iterans vias tuas*] In Hebræo: *Quid diſcurſas adeò mutando viam tuam?* Id eſt, nunc Aſſyriis blandiris, nunc Ægyptiis, ipſorum cultus imitando.

Et ab Ægypto confundêris, ſicut confuſa es ab Aſſur] Aſſyrius pactis violatis terram vaſtavit, Vrbem obſedit. Ægyptius magna de te tributa exegit, nec quicquam tibi proderit, 1 Reg. XXIII. XXIV.

37. *Nam & ab iſta egredieris*] Id eſt, Legati tui irriti redibunt cum mœrore ſummo, ut ſequitur.

Et manus tuæ erunt ſuper caput tuum] Qui mos feminis in gravi dolore, II Sam. XIII. 19.

Obtrivit Dominus confidentiam tuam] In Hebræo, *confidentias tuas*: omnes ſpes tuas corrupit: nulla earum ſuccedet.

CAPVT III.

1. *NVmquid revertetur ad eam ultrà*] Eſtne maritus aliquis adeò remiſſus, ut, etiamſi lex id permitteret, vellet eam recipere? Arabes pro ſumma exſecratione dicunt: *Ter dimiſſam, & ab aliis ſubactam recipias.*

Numquid non contaminata & polluta erit mulier illa?] In Hebræo: *An verò non contaminata & polluta eſt terra illa?* id eſt, Iudæa: ut hîc incipiat ἀντίθετον [*pars oppoſita*]. At Græci, quos hîc Interpres ſequitur, legerunt אשה [*mulier*] pro ארץ [*terra*].

Tamen revertere ad me] Tamen tantâ ſum patientiâ ut recipere te velim.

2. *Leva oculos tuos in directum*] In Hebræo, *in excelſo.*

In viis ſedebas]

Cunctis in triviis & angiportis.

Vide Geneſ. XXXVIII. 14.

Exſpectans eos quaſi latro in ſolitudine] In Hebræo, ut Chaldæus interpretatus eſt, *velut Arabs in deſerto.* Inſidias feciſti omnibus, ſicut Arabes illi, qui ad Hieronymi uſque tempora (imò & ad noſtra) incurſabant terminos Palæſtinæ, & deſcendentibus de Ieruſalem in Iericho obſidebant vias.

Polluiſti terram] Vt ſuprà 1.

3. *Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluviarum, & ſerotinus imber non fuit: frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*] Meliùs cum aliis vertas: *Et quanquam retentæ ſunt guttæ pluviæ, neque ullus fuit imber vernus* (qui *ſerotinus* Hebræis, apud quos annus popularis ab autumno inchoabat), *tibi tamen manſit frons meretricis, nè erubeſceres.*

4. *Ergò ſaltem amodò voca me*] Vel nunc ſaltem tot malis edocta.

Pater mi] Qui me amaſti, ut pater.

Dux virginitatis meæ tu es] In Hebræo: *ô dux adoleſcentiæ meæ*, qui me à prima ætate foviſti. Confer Proverbiorum II. 16.

5. *Numquid iraſcêris in perpetuum?*] Hæc ſunt verba quæ te loqui oportuit.

Ecce locuta es, & feciſti mala, & potuiſti] Senſus eſt, *Si ità loquereris, quanquam mala* (plurima) *feciſti, prævaleres*: id eſt, iram mihi adimeres.

6. *Et dixit Dominus ad me in diebus Ioſiæ Regis*] Hîc novum caput inchoari debuit. Diximus alibi à Ioſia ritus aliquantùm correctos fuiſſe, ſed pleriſque è populo manſiſſe mentem ex Manaſſis temporibus.

Averſatrix] Averſa à Deo: LXX legerunt משבה, ἡ κατοικία [*habitatio*].

Iſraël] Ità hîc vocantur Decem tribus. Sequitur enim nomen oppoſitum *Iuda*, id eſt, tribus Iudæ & Benjaminis, unà cum Sacerdotibus & Levitis.

8. *Dediſſem ei libellum repudii*] Abdicaſſem illam à tutela mea.

9. *Et facilitate fornicationis ſuæ*] Per *facilitatem* intellige frequentiam: alii *famam* interpretantur.

Contaminavit terram] Vide Deuteron. XXIV. 4.

10. *In toto corde ſuo*] Id eſt, ſincero animo.

Sed in mendacio] Simulatè.

11. *Iuſtificavit animam ſuam averſatrix Iſraël, comparatione prævaricatricis Iudæ*] Id eſt, *minùs nocens apparuit.* Vide Ezechielis XVI. 51. & Lucæ XVIII. 14.

12. *Vade & clama ſermones iſtos contra Aquilonem*] Mediam verſus & vicinas regiones, in quas Decem tribuum homines à Teglathphalaſſaro & Salmanaſſare erant deportati.

Revertere averſatrix Iſraël] Redite ad Legem, & unius veri Dei cultum. Ei conditioni cùm plerique illorum nunquam paruerint, non mirum eſt ſi promiſſa hîc facta in ipſis impleta non ſunt.

Quia ſanctus ego] In Hebræo, *Benignus.*

13. *Verumtamen ſcito iniquitatem tuam*] Meliùs: *Tantùm agnoſce culpam.*

Diſperſiſti vias tuas alienis] Diis ſcilicet. Lucan. II.

> *Nec cunctæ ſummi Templo jacuêre Tonantis:*
> *Divisêre deos.*

14. *Convertimini filii revertentes*] In Hebræo: *Refractarii.*

Et aſſumam vos unum de civitate, & duos de cognatione] Etiamſi in aliqua urbe & vico unus tantùm aut duo eſſent Iſraëlitæ, etiam illorum non obliviſcar. Ad Meſſiæ tempora μυστικῶς [*myſticè*] hæc etiam Rabbini referunt; ſed alium eſſe ſenſum primum oſtendunt quæ ſequuntur infrà 20.

15. *Et dabo vobis paſtores juxta cor meum*] Id eſt, Principes, ut ſuprà II. 8.

Et paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ] Id eſt, *peritè ac ſapienter*, ut hic Chaldæus & LXX.

16. *Non dicent ultrà, Arca Teſtamenti Domini*] Supple, *præcedat nos ad prælium.* Omnino ſic intelligenda hæc eſſe docent ſequentia: ſolebat enim ea in caſtra adferri ſpe præſentioris præſidii, ut apparet 1 Sam. IV. 4. Adde Ioſuæ III. 3. 6. 11. IV. 7. VI. 8. 13. II Sam. VII. 2. XI. 11. XV. 24.

Neque aſcendet ſuper cor, neque recordabuntur illius] Nempe ad eum uſum.

Nec viſitabitur, nec fiet ultrà] Id eſt, non pugnabitur, nec ea fient quæ nunc in bello fieri ſolent. *Viſitare* pro *pugnare* eſt χαριεντισμὸς [*emollitio locutionis*], qualis II Regum XIV. 8. פקד [*viſitare*] vertitur ſæpe per ἐκδικεῖν [*ulciſci*]. Vide & Eſaiæ XXVII. 3. Chaldæus hîc: *Nec in ea ampliùs inibitur prælium.*

17. *In tempore illo vocabunt Ieruſalem Solium Domini*] Id eſt, potentia Divina in eo apparebit. Hunc locum Rabbini quidam ad tempus poſt Reſurrectionem referunt, nempe ſenſu quodam ſublimiore.

Et congregabuntur ad eam omnes gentes] Multi ex Gentibus venient Deo vero cultum exhibituri in ſubdiali Gentium.

18. *Ibit domus Iuda ad domum Iſraël*] Regna duo diu divulſa, & gravibus bellis inter ſe colliſa coaleſcent.

Et venient ſimul de terra Aquilonis] Nempe illi quos Teglathphalaſar & Salmanaſar ex Decem tribubus, nec minùs illi quos Sennacheribus ex Iudæa captivos fecit.

19. *Ponam te in filios*] Efficiam ut multâ ſobole floreas.

Tribuam tibi terram deſiderabilem] Dignam quæ votis expetatur.

Hereditatem præclaram] Id eſt, *arva lætiſſima.* צבי [*decorem*] de terra Iudæa habes & II Sam. I. 19. & Ezech. XXV. 9. Daniel. XI. 6.

Exercituum gentium] Meliùs additâ copulâ, *& exercitus Gentium*, tibi dabo ſcilicet in occidionem, captivitatem, prædam.

Et dixi, Patrem vocabis me, & poſt me ingredi non ceſſabis] Meliùs: *Sed* ſimul *dixi*, *Patrem me voca, & ne ceſſa me ſequi.* Sub hac lege iſta promitto.

20. *Sed quomodo ſi contemnat mulier amatorem ſuum, ſic contempſit me domus Iſraël*] Oſtendit jam cur illa promiſſa vim ſuam non habuerant, quia nimirum Iſraël ſua ex parte non fecit quod debuit.

22. *Convertimini filii revertentes*] Iterum in Hebræo, *refractarii.*

23. *Verè mendaces erant colles*] Hoc, inquit, dicitote: Colles illi in quibus idola colebantur nos deceperunt.

24. *Confuſio comedit laborem noſtrum*] Id eſt, idolum in cauſa eſt cur nobis omnia mala ſucceſſerint. Mos Hebræis idolum vocare בשת [*confuſionem*], ut vides infrà XI. 13. Oſeæ IX. 10.

25. *Dormiemus in confuſione noſtra*] Meliùs, *cubamus*, tanquam ægroti.

Et operiet nos ignominia noſtra] Quaſi ſtragula.

CAPVT IV.

1. S*I reverteris Iſraël, ait Dominus, ad me convertere*] Ità diſtingue: *Si ad me reverteris*, *Iſraël*, *reverteris*, ſupple *in patriam*. Hunc ſenſum exigit membrum ſequens. Chaldæus addit, *Antequam ſignetur ſententia.*

Non commoveberis] In Hebræo: *Non exſulabis*, ultrà ſcilicet.

2. *Et jurabis, Vivit Dominus*] Forma juriſjurandi hæc erit; non, *Vivit Baal.*

In veritate, in judicio, & in juſtitia] Nihil falſi, nihil iniqui.

3. *Hæc enim dicit Dominus viro Iuda & Ieruſalem*] Meliùs, *Sic verò*; nam ab Iſraëlitis ad Iudæos redit oratio.

Novate novale] Repurgate agrum cordis.

Et nolite ſerere ſuper ſpinas] Peccata peccatis addere.

4. *Auferte præputia cordium*] *Præputia* per tranſlationem apud Hebræos dicuntur ea quæ ſunt inutilia. *Impietatem* vertit Chaldæus, Græci σκληροκαρδίαν [*duritiem cordis*].

5. *Canite tubâ*] Nempe ut omnes ſe ex agris recipiant.

6. *Levate ſignum in Sion*] Virgilius.

Vt belli ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit.

Confortamini] In Hebræo, *fugite.* Chaldæus, *migrate.* Græci, σπεύσατε [*feſtinate*].

Ab Aquilone] Vt ſuprà L. 14.

7. *Aſcendit leo de cubili ſuo*] *Rex ex arce ſua*, Chaldæus hîc. Τὸ θηρίον βασιλέα δηλοῖ [*fera regem ſignificat*], Zeno in Leone Iconomacho, ubi θηρίον [*fera*] eſt *leo.* Nabuchodonoſorum deſcribi apparet.

Prædo gentium] Herculi prælatus à ſuis: Africæ ipſius & Hiſpaniæ vaſtator. Vide quæ attulimus ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

9. *Peribit cor regis*] Implementum vide infrà XXXIX. & LII.

10. *Ergóne decepiſti populum iſtum*] In Hebræo, *certè decepiſti*: id eſt, ſiviſti decipi. Sæpe enim apud Hebræos verba ſono activa, ſignificatu permiſſiva ſunt.

Dicens, Pax erit vobis] Id eſt, *per eos qui dicebant, Salus erit vobis*, per pſeudoprophetas illos, quorum & infrà mentio VI. 14. VII. 4.10. XXIII. 15.

Pervenit gladius uſque ad animam] Magna fit occidio.

11. *Ventus urens*] Peſtilens.

In viis quæ ſunt in deſerto viæ populi mei] In Hebræo: *Ab eminentiis per deſertum, quà itur ad populum meum.* In Chaldæa multi ſunt montes: inter Chaldæam & Iudæam multa loca deſerta.

Non ad ventilandum, neque ad purgandum] *Sed ad urenda* omnia: id enim ſubintelligitur.

12. *Spiritus plenus ex his veniet mihi*] Senſus eſt, *Ventus iſtis rebus vehementior*: id eſt, vehementior quàm ut ventilationi aut purgationi inſerviat.

Et nunc ego loquar judicia mea cum eis] Id eſt, per hunc ventum vindicabo me de Iudæis.

15. *Vox annuntiantis à Dan, & notum facientis idolum de monte Ephraim*] Id eſt, occidio & exſilium Decem tribuum tibi pro monitore eſſe debet, quam mercedem accipiat idololatria. Nominat autem ſpecialiter *Dan* & *Ephraim*, quia ibi poſiti fuerant Vituli, I Regum XII. 29. Nam Bethel fuit in parte Ephraimi.

16. *Cuſtodes venire*] Eſt χλευασμὸς [*acerba irriſio*] ex ambiguo. Cuſtodes agrorum curam adhibent nè in agrum intretur, & obſeſſores nè in Vrbem; ſed illi noxia arcent, hi profutura. Hunc ſenſum

ſenſum apertiorem faciunt verba ſequentia. Theodotio pro נצרים [*cuſtodes*] legit כצרים [*vindemiatores*].

18. 19. *Iſta malitia tua, quia amara, quia tetigit cor tuum: Ventrem meum, ventrem meum doleo*] Videntur hæc cohærere, & ἔλλειψις [*defectus*] eſſe verbi *dices*, hoc ſenſu: *Quia pœna peccati tui amaritiem affert animo tuo, dices, Ventrem doleo:* id eſt,

——— miſero ſolvent tibi claſſica ventrem.

Senſus cordis mei turbati ſunt in me] In Hebræo: *parietes cordis mei,* (&) *cor meum tumultuatur. Parietes cordis* ſunt viſcera cordi circumjecta. הלמה *tumultuatur*, quod Aquilæ ὀκλάζει [*deficit*], Theodotio verterat μαιμάσει. Id quid ſit negat ſe intelligere Hieronymus. Eſt autem *inſanire*, & ſic reperitur apud Lycophronem, Sophoclem, Herodotum, alios.

Non tacebo] Abſtinere non poſſum quin clamore metum teſter.

Audivit anima mea] In Hebræo, *Audivi:* ut *anima mea* ſit *ego*, & conſtructio κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*].

20. *Contritio ſuper contritionem vocata eſt*] Clades cladem ſequitur. Confer Pſalm. XLII. 8.

Repente vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò pelles meæ] Id eſt, habitacula. Metaphora à Scenitis deſumta.

21. *Videbo fugientem*] In Hebræo: *vexillum*, nempe hoſtile.

22. *Quia ſtultus populus meus me non cognovit*] Hactenus μίμησις [*imitatio*] fuit eorum quæ populus præ pavore erat clamaturus. Nunc Deus reddit cauſas cur id futurum ſit.

Sapientes ſunt ut faciant mala] In id unum ingenioſi ſunt. Sic φρονιμώτερος [*prudentior*] ſumitur Lucæ XVI. 8.

23. *Aſpexi terram, & ecce vacua erat & nihili*] In Hebræo planè ut initio Geneſeos תהו ובהו; Chaldæus, *deſerta & vacua:* Aquila κενὴ [*inanis*], Symmachus συγκεχυμένη [*confuſa*]. Senſus eſt: erit terra ſine habitatoribus, ſine domibus, ſine frugibus, qualis initio rerum fuit.

Et cælos, & non erat lux in eis] Fumus undique ſurgens nubem ſideribus obducet.

24. *Vidi montes, & ecce movebantur, & omnes colles conturbati ſunt*] Tantorum agminum tranſitu trement omnia.

25. *Et non erat homo*] Omnes aut occiſi, aut capti ſunt, aut aufugerunt.

Et omne volatile cæli receſſit] Non mirum; cùm etiam cecidiſſe de cœlo aves legamus, militarem per clamorem concuſſo aëre.

26. *Et ecce Carmelus deſertus*] Meliùs & hîc explices, *agrum fertilem*, ut ſuprà II. 7.

27. *Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam*] Nondum ea pœna mihi ſufficiet. Volo terra diu ſic maneat, ut dictum Levitici XXVI. 34.

29. *A voce equitis*] Horatius:

Nec ſinas Medos equitare inultos
Te duce, Cæſar.

Et mittentis ſagittam] Propertius:

Non tot Achæmeniis armantur Suſa ſagittis.

Ingreſſi ſunt ardua] In Hebræo, *denſa*, id eſt, *ſilveſtria:* ut interpretatur Chaldæus. Fugerunt Iudæi in ſilvas & rupes.

30. *Et pinxeris ſtibio oculos tuos*] In Hebræo, *aperueris. Stibium* dilatat oculos: ideo πλατυόφθαλμον [*oculos dilatans*] dicitur. Vide quæ dicta II Regum IX. 30. Corrige hîc Græcam editionem, ubi eſt ἐγχρίσῃς τιμῇ τοὺς ὀφθαλμοὺς σου [*oculos tuos ſtibio inunges*], & lege στίμμι. Id eſt enim *ſtibium.* Error ex pronuntiatione perſimili.

Contemſerunt te amatores tui] Non ultrà concubitum quærunt.

Animam tuam quærunt] Vitæ imminent expletis libidinibus: quamvis

Turpe vir & mulier, juncti modò, protinus hoſtes.

31. *Anguſtias ut puerperæ*] In Hebræo eſt, *primùm parientis:* Græci πρωτοτοκούσης. Non caret hoc emphaſi. Sic in Andria:

Nec ſatìs digna cui committas primo partu mulierem.

Vox filiæ Sion intermorientis] Deficientis præ dolore. Græci, ἐκλυθήσεται [*deficiet*].

Expandentiſque manus ſuas] Vt ſolent feminæ in dolore magno. Vide ſuprà II. 37.

Defecit anima mea propter interfectos] In Hebræo: *propter interfectores.* Amore defeci eorum qui pro amatoribus apparent interfectores.

CAPVT V.

1. E*T propitius ero ei*] Eum communi exitio eximam, ut Lothum è Sodomis.

2. *Quin ſi etiam, Vivit Dominus, dixerint, & hoc falsò jurabunt*] Etiam ipſi qui non per deos, ſed per Deum verum jurant, adeò eum contemnunt ut ad res falſas ejus nomen adhibeant.

3. *Domine, oculi tui reſpiciunt fidem*] In Hebræo: *Oculi tui nónne ad veritatem?* Id eſt, At tu Domine à ſimulatoribus illis non falleris: etiam intima cogitata pervides.

Induraverunt facies ſuas] Depuduerunt.

4. *Forſitan pauperes ſunt & ſtulti, ignorantes viam Domini*] In Hebræo: *Fortè pauperes deſipiunt, quia viam Domini*, id eſt, Legem, *non didicerunt.* Hoc dicit quaſi per conceſſionem, ut eos graviùs premat.

5. *Ipſi enim cognoverunt viam Domini*] Id eſt, illi nihil habent quo ſe excuſent, cùm & otium & opes illis ſuppetant ad diſcendam Legem.

Confregerunt jugum] Legem ſpreverunt. Vide quæ dicta ad Pſalm. II.

6. *Iccirco percuſſit eos leo de ſilva, lupus ad veſperam vaſtavit eos, pardus vigilans ſuper civitates eorum*] Nabuchodonoſor *leoni* comparatur ob vires, ut & ſuprà IV. 7. *lupo* ob rapacitatem, *pardo* ob velocitatem. Hæc præterita per futurum rectè vertas. Solent enim iſta miſceri in Hebræo. *Præſens pro futuro in vaticiniis*, ait Servius.

Omnis qui egreſſus fuerit ex eis capietur] Tam extra urbes quàm in urbibus periculum erit. Vide II Regum XXV. 4. &. 5.

7. *Filii tui dereliquerunt me*] Cives ſinguli.

Saturavi eos, & mœchati ſunt] Ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις [*In ſatietate Venus*]. Vide & Ezech. XVI. 49.

Et in domo meretricis luxuriabantur] In Hebræo: *In lupanar concurrebant.*

8. *Equi amatores & emiſſarii facti ſunt. Vnuſquiſque ad uxorem proximi ſui hinniebat*] Voluit dicere *admiſſarii*, quo nomine etiam Cicero hominem libidinoſum infamat Oratione in Piſonem. Sed in Hebræo eſt, *Vt equus paſtus manè: ſic quiſque alienæ uxori adhinniunt.* Manè alacriores ſunt equi, præſertim bene paſti.

10. *Aſcendite muros ejus, & diſſipate*] Verba Dei ad Chaldæos.

Conſummationem autem nolite facere] Nè ſatis hoc putate, ſed omnem gentem de terra hac tollite, ut ſequitur.

12. *Et dixerunt, Non eſt ipſe*] Deus qui in Iudæa colitur non eſt ille Dominus Vniverſi.

Gladium & famem non videbimus] Nulla erit obſidio adverſùs nos. Nam obſidiones alios ferro, alios fame interimunt. *Videre*, pro *experiri*.

13. *Prophetæ fuerunt in ventum locuti*]— Ἀνεμώλια βάζον [*— ventoſa locuti*], ut Homerus loquitur.

Et reſponſum non fuit in eis] In Hebræo, *Verbum* (ſupple *Dei*) *non fuit in eis*: nullam habuerunt divinam revelationem.

Hæc ergò evenient illis] *Eveniant*. In ipſorum capita recidant triſtes iſtæ ominationes. Hucuſque verba impiorum.

14. *Do verba mea in ore tuo in ignem*] Per tua verba convincentur contumaciæ, & ejus pœnas dabunt. Simile ſuprà I. 10.

15. *Gentem de longinquo*] Verba legis Deuteronom. XXVIII. 49. Vide & Eſaiæ V. 26.

Gentem antiquam] Geneſ. X. 10. XI. 2. Vide & quæ allata à nobis ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

16. *Pharetra ejus quaſi ſepulchrum patens*] Sicut in uno ſepulchro multi ſunt mortui, ſic & una Chaldæi pharetra multos dabit mortuos.

Vniverſi fortes] Omnes ſunt bellaciſſimi.

17. *Devorabit filios tuos & filias tuas*] Nempe gladio: nam omnis conſumtio Hebræis ſolet dici אכל [*comeſtio*].

18. *Non faciam vos in conſummationem*] In Hebræo, *vobiſcum*; id eſt, nondum abſtinebo punire vos, ut ſuprà 10. quod reſtat, eſt longa ſervitus, de qua jam aget.

22. *A facie mea non dolebitis*] *Pavebitis*, ut hîc Chaldæus.

Qui poſui arenam terminum mari] Littora.

Et commovebuntur] Supple, *fluctus*: quod ex ſequentibus hîc intelligendum.

Et non poterunt] *Non prævalebunt.*

23. *Receſſerunt & abierunt*] A lege mea, quam & mare obſervat.

24. *Plenitudinem annuæ meſſis cuſtodientem nobis*] Græci & hic interpres legerunt שבעות [*abundantias*] cum Schin notato in ſiniſtro cornu. At Chaldæus & Hebræi codices cum Schin notato in dextro: id eſt, *Septimanas ſtatutorum meſſis ſervat nobis.* Senſus eſt: efficit ut omnia ſata matureſcant ſeptem illis ſeptimanis quæ ſunt inter Paſcha & Pentecoſten.

25. *Iniquitates veſtræ declinaverunt hæc*] *Averterunt iſta*: bona ſcilicet à vobis.

26. *Inſidiantes quaſi aucupes*] In Hebræo: *Qui obſervat* (ſingularis pro plurali), *ſicut quando ponuntur laquei.*

Et pedicas] משחית, quod hîc eſt in Hebræo videtur eſſe *fovea*; & nomina ejuſdem originis per βόθρος [*fovea*] vertuntur alibi.

27. *Sicut decipula plena avibus*] Imò *cors*, ſive ὀρνιθῶν [*avium cuſtodia*], quomodo accepit Chaldæus.

28. *Et prætererunt ſermones meos peſſimè*] Vertere poſſis, *ſuperant res malas*: ut idem ſit cum ſequente *proſperaverunt*.

Iudicium pauperum non judicaverunt] Aut jus illis non reddunt, aut pravè judicant. Eas autem perſonas maximè nominat Deus, quæ per ſe impotentes publici auxilii maximè egent.

30. *Stupor & mirabilia facta ſunt in terra*] Stupenda & horrenda.

31. *Sacerdotes applaudebant manibus ſuis*] Meliùs: *Sacerdotes dominabantur* (in populum ſcilicet) *per illos*, ſcilicet falſos prophetas, quorum operâ utebantur.

Et populus meus dilexit talia] Ità tractari voluit.

Quid igitur fiet in noviſſimo ejus?] In Hebræo: *Quid facietis poſthac?* Id eſt, quò non evadet iſta improbitas, niſi ego eam pœnis repreſſero?

CAPVT VI.

1. *Confortamini filii Benjamin in medio Ieruſalem*] Meliùs: *Excedite ex Hieroſolymitis Benjamitæ.* Eſt autem χλευασμὸς [*acerba irriſio*] ad Benjaminitas, qui Hieroſolymis habitabant, ut agros ſuos & villas irent defenſum contra hoſtem adventantem: ſignificare enim vult omnia iſta fore vana atque inutilia.

Et in Thecua clangite buccinâ] Qui vicus XII millibus diſtabat ab Hieroſolymis, ut nos docet Hieronymus.

Et ſuper Betacherem levate vexillum] In Hebræo *facem*, nempe ex qua intelligebatur adventus hoſtis, φρυκτωρίαν. Eſt Betacherem vicus alter in monte poſitus, eam regionem ſpectans per quam venturi erant Chaldæi: quod hîc velut in re præſente deſcribitur.

2. *Speciosæ & delicatæ aſſimulavi filiam Sion*] Similis erit optimæ terræ paſcuæ, quò paſtores cum magnis gregibus convenire ſolent. Eſt autem hîc in voce *paſtorum* χλευασμὸς [*acerba irriſio*], qualis in voce *cuſtodum* ſuprà IV. 16.

3. *Paſcet unuſquiſque eos qui ſub manu ſua ſunt*] In Hebræo, *Manum ſuam*; id eſt, greges ſibi creditos: ſuas nimirum legiones, alas, turmas, cohortes.

4. *Sanctificate ſuper eam bellum*] Quod hic *ſanctificate* dicitur, rectè vertas *præparate*: nam eum ſenſum habet ſæpe id verbum, quanquam à Templi ritibus deductâ tranſlatione. *Bellum* autem hic intellige oppugnationem. Verba ſunt Chaldæorum ſe mutuò adhortantium.

Aſcendamus in meridie] Oſtendit his verbis quanta fuerit Chaldæis aviditas exſcindendæ Vrbis.

Væ nobis quia declinavit dies] Indignantur primo adventûs die non potuiſſe rapi Vrbem.

Quia longiores factæ ſunt umbræ veſperi] Virgilius itidem veſperam deſcribens,

Majoréſque cadunt altis de montibus umbræ.

5. *Diſſipemus domos ejus*] Turres.

6. *Quia hæc dicit Dominus exercituum*] Fient hæc, quia Deus fieri hæc voluit.

Cædite lignum ejus] Ad arietes, balliſtas, aliáque oppugnandi inſtrumenta.

Fundite circa Ieruſalem aggerem] Id eſt, admovete urbi aggerem. Vegetius IV. 15. *Agger autem ex terra ligniſque attollitur contra murum, de quo tela jactantur.*

Hæc eſt civitas viſitationis] In Hebræo, *viſitata:* id eſt, de qua ultio ſumitur.

Omnis calumnia in medio ejus] Meliùs, *quanta quanta eſt violentia in ea:* ſupple *conſpicitur*.

7. *Sicut frigidam fecit ciſterna aquam ſuam: ſic frigidam fecit malitiam ſuam*] Secutus eſt Græcos, qui הקרה [*obvenire* aut *ſcaturire fecit*] à קרר [*frigeſcere*] derivant. At verior verſio: *Sicut putei aqua ſcaturit, ſic ſcaturit illorum malitia*, nova ſemper ſuccreſcit.

Coram me ſemper infirmitas & plaga] Id eſt, hæc à me ipſis reddentur pro iniquitate ac direptione.

8. *Nè fortè recedat anima mea à te*] *Nè te planè abjiciam*, ut hic Chaldæus.

9. *Vſque ad racemum colligent*] *Racemationem facient*, id eſt, nihil in terra relinquent.

Converte manum tuam ſicut vindemiator ad cartallum] Hic ſubintelligendum *dicentes*, *Iterum manum tuam refer, ut vindemiator gerens cartallum.* Id eſt, Bis térve venient Chaldæi, ut videant ſiquid vel exiguum reſtet quod auferri poſſet. Vide infrà LII. 58.

10. *Incircumciſæ aures eorum*] Sordibus obturatæ.

11. *Iccirco furore Domini plenus ſum*] Sentio intra meipſum quàm graviter his Deus ſuccenſeat.

Laboravi ſuſtinens] Senſum illum non diutius intra me continere poſſum.

Effunde ſuper parvulum forìs] In Hebræo, *effundere:* id eſt, quominus hunc ſenſum meum effundam, graviſſima mala omni ætati, ſexui, atque ordini denuntiando. Illud *foris* in Hebræo ſignificat *in platea.* Solent enim pueri in plateas excurrere.

Super conſilium juvenum ſimul] *Super juvenum choros.*

Senex cum pleno dierum] *Senem* hîc vocat ſeneſcentem.

14. *Et curabant contritionem populi mei cum ignominia*] In Hebræo, *ſuper levi:* id eſt, quaſi res eſſet leviſſima. *Contritionem:* id eſt, vulnus.

Dicendo, Pax] Id eſt, jamjam ſaneſcet.

Et non erat pax] Non ſaneſcebat.

15. *Quin potiùs confuſione non ſunt confuſi*] Eſt ἐπανόρθωσις [*Correctio*]. quid dico eos pudefactos? imò pudoris nihil illis reſtat.

16. *Hæc dicit Dominus*] Hæc dicere Dominus ſolebat.

State ſuper vias, & videte, & interrogate] Facite ut viatores ſolent ubi dubitant quà eundum ſit.

De ſemitis antiquis] Per quas iverunt Abraham, Iſaac, Iacob.

Invenietis refrigerium animabus veſtris] *Requiem*, Chaldæus; Græci, ἁγιασμὸν [*ſanctificationem*], id eſt, *criminum veniam.*

17. *Speculatores*] Prophetas. Eſaias LII 8. Ezech. III. 17. XXXIII. 2. 6. 7.

19. *Audi terra*] Omne genus humanum.

Fructum cogitationum ejus] Sentient paria iis quæ in alios fecêre: Proverb. I. 31. Pſalm. XXVIII. 4.

20. *Vt quid mihi thus de Saba adfertis*] Virgilius:

Molles ſua thura Sabæi.

Confer quæ apud Eſaiam I. 11.

21. *Ruinas*] Murices vel tribulos.

23. *Sagittam & ſcutum arripiet*] Τόξον ϗ σιβύνην [*ſagittam & haſtile*], Græci. In Gloſſis, Σιβύνη, *venabulum*. Pro *haſtili* ſumunt Polybius & Diodorus: כידון quod hîc in Hebræo eſt, alibi vertitur γαῖσον [*gæſum*], alibi ἐγχειρίδιον [*pugio*].

Crudelis eſt, & non miſerebitur] Simile Eſaiæ XIII. 17. 18.

Præparati quaſi vir prælians] Tam facilè totus exercitus movebitur quàm vir unus.

24. *Audivimus famam ejus, diſſolutæ ſunt manus noſtræ*] *Noſtræ* dicit pro Iudæorum, quia & ipſe Propheta ex ea gente. Ad primum rumorem Iudæis omnibus concidet animus.

25. *Nolite exire ad agros*] Nihil proderit exire de Vrbe: mors ubique.

26. *Luctum unigeniti*]

Qualis peremtum quæ flet unicum mater.

Sic & Amos VIII. 10. & Zach. XII. 10.

27. *Probatorem dedi te in populo meo robuſtum: & ſcies, & probabis viam eorum*] Rectiùs cum Symmacho & Theodotione; *Vt arcem aut munitiſſimum locum poſui te in populo meo;* id eſt, perge conſtanter: ego te protegam ut arcem munitiſſimam. Nec difficile tibi erit, velut in ſublimi conſtituto, explorare quid agant ſinguli.

28. *Principes declinantes*] Meliùs: *defectores contumaciſſimi.*

Æs & ferrum] Nihil de argento habent, nedum de auro. Notum quid Heſiodus & Ovidius de Ætatibus dixerint, & de variis animorum temperaturis ad metalla relatis Plato.

29. *Defecit ſufflatorium in igne*] Folles dirupti ſunt flando.

Conſumtum eſt plumbum] Quo tunc utebantur ad metallorum purgationes, nondum cognitâ vi argenti vivi.

Fruſtra conflavit conflator] Vt aliquid argenti indè eliceret.

Malitiæ enim eorum non ſunt conſumtæ] In Hebræo: *Et malitiæ eorum non ſunt conſumtæ.* Tot malis, quæ Aſſyrii Ægyptiique intulerant, nihilo meliores facti ſunt. Miſcentur voces comparationis & rei comparatæ, ut ſæpe.

30. *Argentum reprobatum vocate eos*] Pro argento ſe venditant; ſed exploratio per ignem oſtendit ſpeciem fuiſſe argenti, non rem.

CAPVT VII.

2. *STa in porta domûs Domini*] Illa nempe per quam populus ingrediebatur ad ſubdiale maximum.

Qui ingredimini per portas has, ut adoretis Dominum] *Vt vos incurvetis Domino.*

3. *Et habitabo vobiſcum in loco iſto*] In Hebræo: *Et faciam habitare vos in loco iſto.* Faciam nè migretis, ut intelligitur in ſequentibus.

4. *Nolite confidere in verbis mendacii*] Prophetarum mendacium, quales ſunt omnes qui ritualia pro præcipuis habent.

Dicentes] Dicentium.

Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini]In Hebræo additur *ſunt.* Ità ſæpe nomen ſingulare conſtruitur cum nomine plurali ob rei partes, quales in Templo erant tres היכל [*Sybdiale*], אולם quod & קדש [*Baſilica*], & דביר [*Oraculum*]. Senſus hic idem eſt quem oppugnat Stephanus Actor. VII. & quem bene hîc explicat Chaldæus. Templum hoc Dei imperio ſtructum fuit per Solomonem: ibi ter anno apparetis, procumbitis, offertis victimas: quomodo fieri poſſet ut Deus locum hunc cultúmque non reſpiciat, etiamſi cætera malè habeant? Gravis error, & qui vel maximè pſeudoprophetas à Prophetis diſtinguit.

5. *Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras*] Quod mox per tres partes eximias explicat, juſtitiæ, bonitatis, ac pietatis.

7. *Habitabo vobiſcum*] *Habitare vos faciam*, ut ſuprà 3.

Quam dedi patribus veſtris à ſeculo uſque in ſeculum] Id eſt, ab Ioſuæ temporibus ad ea tempora quibus hæc loquebatur Propheta.

8. *Confiditis vobis in ſermonibus mendacii*] In illis dictis pſeudoprophetarum vobis blandientium.

9. *Furari*] *An furando.* Sic & ſequentia infinitiva ſunt pro gerundiis, quæ Hebræi non habent. Vide ut egregius Propheta peccata reprehendens, nominet non manducationem per ignorantiam cibi vetiti, non parſimoniam in victimis, omiſſas lotiunculas, ſed furta, homicidia, adulteria, perjuria, deos falſos. Certè Prophetæ omnes egregii ad Euangelium duces.

10. *Et veniſtis*] *Interim veniſtis*: cohæret enim oratio cum ſuperioribus.

Liberati ſumus eo quòd fecerimus omnes abominationes iſtas] Rectiùs verteris, *quamvis fecerimus.* Liberati ſumus per victimas & lotiones. Sic paulatim in Iudaïſmum inſinuaverat ſe Paganiſmus: quò magìs neceſſarium fuit omnia ea per Euangelium aboleri quibus errores tales nutriri poterant.

11. *Numquid ergò ſpelunca latronum facta eſt domus iſta?*] Id eſt, Patiárne ego, ut, ſicut ſpeluncæ latronibus ſunt pro perfugio, ità Templum meum vos contra omnia ſcelera defendat? Certè non faciam.

Ego ſum, ego vidi] Nihil eſt quod mihi lateat.

12. *Ite, ite ad locum Silo, ubi habitavit nomen meum à principio*] Statim poſt ingreſſum terræ promiſſæ. Egregium argumentum, quo & Stephanus utitur Actor. VII. 45. ut probet Dei benevolentiam loco non adſtringi. Nam olim Tabernaculum & Arca erant vice Templi.

Videte quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Iſraël] Nempe eouſque iſta, quæ illi putant maxima, contemſi ut ipſam Arcam propter peccata ipſorum ſiverim capi ab hoſtibus, Pſal. LXXVIII. 60. 61. I Samuelis IV.

14. *Faciam domui huic*] Templo, quæ nihil eſt niſi *domus.*

Sicut feci Silo] Quo loco poſthabito, fixi mihi Templum alibi.

15. *Sicut projeci omnes fratres veſtros, univerſum ſemen Ephraim*] Sic per συνεκδοχὴν [*Comprehenſionem*] vocatur Decem tribuum populus, quòd Reges habuerit ex Ephraimi ſtirpe.

16. *Tu ergò noli orare pro populo hoc*] Pro populo ſcilicet in ſuis peccatis contumaciter permanente.

Et non obſiſtas mihi] Loquendi genus quo precum efficacia ſignificatur, Exod. XXXII. 10. Pſalmo CVI. 30. Numeror. XVI. 47.

18. *Filii colligunt ligna*] Nulla ætas nullus ſexus ab idolorum cultu vacat.

Et mulieres conſpergunt adipem] *Conſpergunt maſſam*, Chaldæus; τρίβουσι σταῖς, id eſt, *farinam aquâ macerant ac depſunt.*

Vt faciant placentas] πόπανα, ut Chryſoſtomus interpretatur; πέμματα [*cupedias*], ut Olympiodorus. LXX Hebræam vocem retinuêre χαυῶνας. Eſt vox ea apud Etymologicum & Suidam. Salomon Iarchi addit, quod verum puto, in illis libis fuiſſe deorum icunculas.

Reginæ cæli] Lunæ, quæ בעלת [*Domina*] dicebatur illis gentibus, Βῆλτις apud Abydenum loco quem produximus Annotatis ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Eſt idem nomen ſcriptum Βαάλτις apud Philonem Byblium.

Et libent diis alienis] Vinum ſcilicet, quod יין הגוים [*vinum Gentium*] Hebræis, σπονδαὶ [*libamen*] Græcis.

19. *Numquid me ad iracundiam provocant?*] Id eſt, An ſperant ſe mihi nocituros? omnia iſta in ipſos recident.

20. *Super viros, & ſuper jumenta, & ſuper lignum regionis*] Eſt μετωνυμία [*tranſnominatio*], cauſa pro effecto. Senſus eſt: omnia iſta conſumi volo.

21. *Holocautomata veſtra*] Quæ ſolida urebantur, Levitici I.

Addite victimis veſtris] Sive illæ pro beneficiis impetrandis, ſive pro gratiis laudibúſve agendis, ſive pro crimine culpáve expianda offeruntur. Vide quæ ad Leviticum diximus.

22. *Non locutus ſum cum patribus veſtris, & non præcepi eis in die quâ eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocautomatum & victimarum*] Nota *in die*, id eſt, in tempore, cùm primùm vos ex Ægypto eduxi. Si tanta vobis bona feci priuſquam legem ullam tuliſſem de holocauſtis illis vel victimis, vel ex hoc ſolo intelligere poteratis non iſta à me curari. Mos quidem erat vetuſtus ut talia fierent, ſed ab humano ingenio profectus, ut oſtendimus ſenſiſſe veteres in Annotatis ad librum IV. pro Religione Chriſtiana. Multò pòſt Lex lata eſt, cùm cultus vituli oſtendit illos talibus frænis egere. Paſchatis alia eſt ratio: id enim convivium magìs erat quàm ſacrificium.

23. *Sed hoc verbum præcepi eis dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via quam mandavi vobis, ut bene ſit vobis*] Ea tantùm præcepi exeuntibus quæ

per ſe honeſta ſunt. Res eadem verbis aliis eſt Exodi XV. 26. ubi quæ notavimus vide.

24. *Factique ſunt retrorſum, & non in antè*] Id eſt, à primo tempore longiùs ſemper à me receſſerunt: nempe ſi non ſingula momenta temporum, ſed tota ſecula ſpectentur. Vide Nehem. IX.

25. *Per diem conſurgens diluculo*] Id eſt, ſumma cum diligentia, ut qui bene manè ad opus ſurgunt. Sic & ſuprà 13.

26. *Pejus operati ſunt quàm patres eorum*] Vt infrà XVI. 12.

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores,

ait Horatius.

29. *Tonde capillum tuum & projice*] Hieronymus ad hunc locum: *Apud veteres hæc erat omnium conſuetudo lugentium tondere cæſariem. At nunc è contrario comam dimittere luctûs indicium eſt.* Vide Iobi I. 20. Chaldæus maluit, *evellere capillos.* Sic in Hippolyto Senecæ:

Crinis tractus & laceræ comæ.

Et ſume in directum planctum] In Hebræo, *Attolle lamenta in locis eminentibus*: id eſt, unde longè audiaris, ut ſuprà III. 16.

30. *Poſuerunt offendicula ſua in domo*] LXX βδελύγματα, & Chaldæus *abominationes*: id eſt, idola. Alii ex Græcis verterunt προσόχθισμα [*offendiculum*], ut Deuter. VII. 26. II Reg. XXIII. 13. 24. Ezech. V. 11. VII. 20. XXXVII. 23. & indè hoc Latinum.

31. *Vt incenderent filios ſuos & filias ſuas igne*] Vide quæ ad ſenſum hujus & aliorum locorum attulimus ad Deuteronom. XVIII. 10.

32. *Sed vallis interfectionis*] Id eſt, ut Græci rectè interpretantur, τῶν ἀνῃρημένων [*interfectorum*], ab ingenti multitudine Iudæorum, quos à ſe occiſos Chaldæi in eum locum projicient.

Et ſepelient in Topheth, eo quòd non ſit locus] Meliùs vertas: *ità ut non ſit locus*, nempe vacuus à mortuis.

33. *Et erit Morticinum*] Id eſt, *& erunt cadavera.*

Volucribus cœli & beſtiis terræ] Lactantius dixit: *Feris ac volucribus in prædam jacere.* Vide quæ diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XX. § 2. & in Annotatis ad eum locum.

Et non erit qui abigat] Præ hoſtium metu. Vide Antigonen Sophoclis.

34. *Et quieſcere faciam de urbibus Iudæ & de plateis Ieruſalem vocem gaudii & vocem lætitiæ*] Simile Ezechielis XXVI. 13.

Vocem ſponſi & vocem ſponſæ] Carmina quæ ſponſus juvenibus, ſponſa virginibus præcinebant. Sic & infrà XVI. 9.

CAPVT VIII.

1. IN *illo tempore, ait Dominus, ejicient oſſa Regum Iuda*] Vt captis urbibus ſolet fieri. Horatius:

Barbarus, heu! cineres inſiſtet victor, & urbem
Eques ſonante perſonabit ungulâ,
Quæque carent ventis & ſolibus oſſa Quirini
(Nefas videre) diſſipabit inſolens.

2. *Et omnem militiam cœli*] Vt aſtrum Saturni, Veneris, Iovis, Martis, & cætera.

Non colligentur] Id eſt, eorum qui tùm morientur corpora non deferentur ad monumenta majorum: id enim eſt אסף [*colligere*].

Et non ſepelientur] Imò nè commune quidem omnibus, quale pauperibus dari ſolebat, ſepulchrum continget. Tale illud Lucani:

——— *petimus non ſingula buſta,*
Diſcretóſque rogos: unum da gentibus ignem.

Horatius I Satyrar. VIII.

Hoc miſeræ plebi ſtabat commune ſepulchrum,
Pantolabo ſcurræ, Nomentanóque nepoti.
Mille pedes in fronte, trecentos cippus in agrum
Hic dabat, heredes monumentum nè ſequeretur.

Vide & quæ ad Matth. XXVII. 7.

5. *Averſione contentioſâ*] *Pertinaci.*

6. *Nemo quod bonum eſt loquitur*] Ὑπερβολὴ [*ſuperjectio*], qualis in Pſalm. XIV. 3. & alibi.

Omnes converſi ſunt ad curſum ſuum] Effuſo impetu feruntur.

7. *Milvus*] Alii, ut Chaldæus, hîc ponunt *ciconia.* Vide quæ diximus ad Iobum XXXIX. 13.

Et ciconia] *Hirundo* apud Chaldæum, ut & apud noſtrum Eſaiæ XXXVIII. 14.

8. *Verè mendacium operatus eſt ſtilus mendax Scribarum*] Vertas, ni fallor, optimè: *profectò ſtilus mendacia ſcribit, falſimonia penes ſcribas. Falſitas* Hebræis ſæpe id quod iniquum eſt. Quomodo Doctores veſtri dicunt Legem ſe tenere, cùm quotidie decreta ſcribant contra Legem? ut Eſaiæ X.

9. *Confuſi ſunt ſapientes*] Id eſt, ideo punientur.

11. *Ad ignominiam*] *Velut rem levem.* Vide ſuprà VI. 14.

12. *Quinimo confuſione non ſunt confuſi*] Ἐπανόρθωσις [*Correctio*] eadem quæ ſuprà VI. 15.

13. *Congregans congregabo eos*] Rectiùs vertas, *Omnino perdam eos*: quomodo hîc Chaldæus. LXX אסף per ἀπόλλυμι [*perdo*] vertunt Ezech. XXIV. 4. alibi per αἴρω aut ἀφαιρέω [*tollo*].

Non eſt uva in vitibus] Deeſt comparationis nota. plenus enim ſenſus eſt: *ſicut cùm non eſt uva in vitibus*, ubi omnes uvæ dejectæ ſunt aliquâ tempeſtate.

Et non ſunt ficus in ficulnea] Id eſt, in ficu arbore.

Folium defluxit] Aut ſicut folia ab arboribus dejiciuntur vi venti.

Et dedi eis quæ prætergreſſa ſunt] *Quia dedi eis* (*Legem* ſcilicet, quod hîc ſupplet Chaldæus) *&* (eam) *tranſgrediuntur.*

14. *Quare ſedemus*] Deſcribit jam conſilia eorum qui in oppidis infirmioribus futuri erunt adventante hoſte. ii putabunt ſe ſalutem habituros Hieroſolymis, abituramque hanc procellam, ut olim Sennacheribi tempore.

Ingrediamur civitatem munitam] Hieroſolyma.

Et ſileamus ibi] Quietos nos contineamus.

Quia Dominus Deus noſter ſilere nos fecit] Noluit nobis victoriam dare de hoſtibus.

Et potum nobis dedit aquam fellis] Voluit nos hanc ignominiam ſubire, ut mœnibus hoſtem arceamus. Ità loquuntur, quòd nihil pejus inſtare crederent.

Peccavimus enim Domino] Hoc ſæpe dicunt etiam qui animum non repurgant. Vide 1 Reg. xxi. 29.

15. *Exſpectavimus pacem*] In Hebræo, *Exſpecta pacem.* Reſpondet enim Propheta illis quos modò loquentes induxerat. Exſpecta ſanè quantumlibet meliora tempora.

Et non erat bonum] In Hebræo, *& non bonum* : id eſt, at verò nihil erit boni.

Tempus medelæ] Exſpecta donec abeant Chaldæi.

Et ecce formido] Tunc maximè venient mala, cùm intra Vrbem eritis.

16. *A Dan auditus eſt fremitus equorum ejus*] Quia Phœnice ſubactâ, indè per Danitarum terminos adventabat Nabuchodonoſor. Ita hîc Hieronymus. Confer quæ adduximus ad librum iii. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Commota eſt omnis terra] Intremuit.

Devoraverunt terram & plenitudinem ejus] Omnes arborum ſegetúmque fruges: opes omnes abripient.

17. *Quibus non eſt incantatio*] Per Metaphoram intelliguntur homines duri, nullis precibus mitigabiles.

Et mordebunt vos] Graviſſimis malis vos afficient.

18. *Dolor meus ſuper dolorem, in me cor meum mœrens*] In Hebræo, *In conſolatione mea ſuper dolorem, cor meum in me languet.* Id eſt, dum memet ſpe inani conſolor, nec quicquam ſuccedit, linquor animo. Hæc ſunt verba eorum qui obſidionem erant perpeſſuri, ut indicant ſequentia.

19. *Ecce vox clamoris filiæ populi mei*] Nempe is quem dixi erit eorum clamor.

De terra longinqua] Synecdoche: propter illos è longinquo venientes, Chaldæos.

Numquid Dominus non eſt in Sion, aut Rex ejus non eſt in ea?] Hoc etiam addent, An Deus, Rex noſter, hanc urbem non ultrà reſpicit?

Quare ergò me ad iracundiam concitaverunt?] Reſpondet illis Deus: Si Deus ſum & Rex veſter, cur idola mihi prætuliſtis?

20. *Tranſiit meſſis, finita eſt æſtas, & nos ſalvati non ſumus*] Populus iterum loquitur: Ecce jam tanto tempore toleramus obſidium, neque ſpes ulla apparet.

21. *Super contritione filiæ populi mei contritus ſum*] Loquitur Propheta indolens popularium malis.

22. *Numquid reſina non eſt in Galaad?*] Ita צרי [*reſinam*] & hoc loco & Gen. xxxvii. 25. ubi itidem *Galaaditidos terræ* mentio, verterunt LXX. Nec aliter Geneſ. xliii. 11. Arabibus صوو eſt *terebinthus.* Plinius lib. xiv. c. 20. de reſina: *In Oriente optimam tenuiſſimámque terebinthi fundunt.* Iterum de reſina agens lib. xxiv. 6. *Liquida è terebintho*: deinde, *In arborum differentia placet terebinthina.* Vſus autem quis ſit reſinæ, de quo hîc agitur, eodem Plinii loco ſatìs diſcimus: *Reſolvitur reſina ad vulnerum uſus & malagmata oleo, in potiones amygdalis amaris. Natura in medendo contrahere vulnera, purgare, diſcutere collectiones.* In Galaaditide, ubi multa erat reſina, multi etiam erant medici, id eſt, chirurgi. Itaque ſi qui vulnerati erant, nec curabantur, ipſorum erat culpa, Medicis præbere ſe nolentium. Sic Iſraëlitis nunquam defuerant monita & Prophetæ, qualis & Elias Galaadites 1 Reg. xvii. 1. & ſchola ipſius; ſed quo minùs ſanarentur, per ipſos ſtetit.

CAPVT IX.

1. **Q**Vis dabit capiti meo aquam] Hebraïſmus pro, *Vtinam caput meum ſit aqua*: *torrens* ſcilicet, ut hîc Chaldæus.

Et oculis meis fontem lacrymarum] *Et oculi mei ſint fons perpetuò fluens.*

Et plorabo die ac nocte] Vt ſemper deflere poſſem clades quas prævideo.

2. *Quis dabit me*] *det mihi.*

In ſolitudine diverſorium viatorum] Tugurium aliquod, quale eſt in quod per deſerta loca viam facientes ſe recipiunt. Optat hoc, nè Vrbis ſcelera ſummo ſuo cum dolore aſpicere cogatur.

3. *Quaſi arcum mendacii*] Nam calumnia omni telo nocentior.

4. *Et in omni fratre ſuo non habeat fiduciam*] Deſcriptio peſſimæ ætatis, qualem ob oculos nobis ponit Heſiodus:

> Οὐδὲ κασίγνητος φίλος ἔσσεται ὡς τὸ πάρος περ.
> [*Nec fratri jam frater erit dilectus ut antè.*]

Et Ovidius:

> ——— *fratrum quoque gratia rara eſt.*

5. *Et vir fratrem ſuum deridebit*] Meliùs, *circumvenit.*

6. *Habitatio tua in medio doli: dolo renuerunt ſcire me*] Verba Dei ad Ieremiam. Dicit eos non levi, ac nè latâ quidem culpâ, ſed dolo malo delinquere. Confer Eſai. vi. 5. Pro illis vocibus מרמה במרמה [*dolus in dolo*] LXX legerunt מרבה במרבה, quod eſt τόκος ἐπὶ τόκῳ [*uſura ad uſuram*].

7. *Ecce ego conflabo & probabo eos*] Meliùs: *Ego excoquens eos probavi.* Miſi minora mala Ioſiæ & Ioakimi temporibus, experiens an per ea purgari poſſent. Similitudo qualis ſuprà vi. 29.

Quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei?] Quid aliud facere poteram ejus causâ?

10. *Super montes aſſumam fletum*] Propheta loquitur. *Super montes*: id eſt, propter montes illos quondam plenos paſcuis.

Et ſuper ſpecioſa deſerti] Meliùs: *amœnas planities.* Ità enim ſæpe מדבר ſumi aliquoties obſervavimus.

Eò quòd non ſit vir pertranſiens] Non modò nemo ibi habitat, ſed nè tranſit quidem: omnia facta ſunt ferarum luſtra.

Et non audierunt vocem poſſidentis] Verte, *Non auditur vox pecoris*: nullus auditur mugitus, nullus balatus.

A volucre cœli uſque ad pecora tranſmigraverunt & receſſerunt] Tam aves quàm terræ animantia. Id enim בהמות. Hieronymus ad iv. Oſeæ: *Hoc qui non credit accidiſſe populo Iſraël, cernat Illyricum, cernat Thracias, Macedoniam atque Pannonias, omnémque terram quæ à Propontide & Boſphoro uſque ad Alpes Iulias tenditur, & probabit cum hominibus & animantia cuncta deficere, quæ in uſus hominum à Creatore priùs alebantur.*

11. *Dabo Ieruſalem in acervos arenæ*] In ruta cæſa.

Et cubilia draconum] Luſtra.

Et civitates Iuda] Oppida cætera.

12. *Quis eſt vir ſapiens qui intelligat hoc, & ad quem verbum oris Domini fiat, ut annuntiet iſtud, quare perierit terra*] Id eſt, Si quis inter vos aut per ſe ſapit, aut prophetico dono inſtructus eſt, dicat nobis cauſas tantæ vaſtitatis; aut ſi nemo eſt qui dicere poſſit aut velit, ego dicam.

Quaſi deſertum, eo quòd non ſit qui pertranſeat] *Ità ut non ſit qui pertranſeat.*

13. *Et dixit Dominus*] Mihi, inquit Ieremias, Deus cauſas ejus rei aperuit.

15. *Abſinthio*] Summâ amaritie. ψωμίζω αὐτοὺς ἀνάγκαις [*miſeriis eos paſco*], Græci. quid ſit ἀνάγκη vide Lucæ XXI. 23.

Et potum dabo eis aquam fellis] Vt ſuprà VIII. 14. Eadem infrà XXIII. 15.

16. *Et mittam poſt eos gladium*] Nè fuga quidem tuta erit. Infrà XLII. & ſequentibus.

17. *Vocate lamentatrices*] Præficas. Vide Feſtum & Nonium.

Ad eas quæ ſapientes ſunt mittite] Edoctas cantus lugubres.

19. *Quomodo vaſtati ſumus?*] Hîc incipit μίμησις [*imitatio*] carminis præficarum.

Dereliquimus terram] Id eſt, cogimur migrare. Chaldæus: *Deſerta eſt terra.*

Dejecta ſunt tabernacula noſtra] Habitationes everſæ.

20. *Audite ergò mulieres*] Vos præficæ.

Filias veſtras] Diſcipulas veſtras in iſta arte.

21. *Aſcendit mors per feneſtras noſtras*] Saxa illa baliſtaria: διατύπωσις [*depictio*] valde vivida.

Ingreſſa eſt domos noſtras] Id eſt, per ipſas domos tranſivit, nec ibi ſubſtitit.

Diſperdere parvulos deforis, juvenes de plateis] Ità ut eadem illa ſaxa per domos tranſeuntia etiam in plateis plurimos occiderent.

22. *Loquere: Hæc dicit Dominus*] Perge hæc mea mandata loqui.

Et cadet morticinum hominis quaſi ſtercus ſuper faciem regionis, & quaſi fœnum poſt tergum metentis, & non eſt qui colligat] Quid ſit *colligere*, jam dictum ſuprà VIII. 2. *Stercus* nemo colligit. Et manipulos, ſiqui excidant (id enim vox עמיר etiam Chaldæis & Arabibus ſonat,) eos parum curat meſſor mercede conductus. Non pluris tunc fient humana corpora.

23. *Non glorietur ſapiens in ſapientia*] Nè ei nimiùm fidat. Nam Solomon Dei gratiâ excidit.

Et non glorietur fortis in fortitudine ſua] Nam Samſon fortiſſimus à femina deceptus exitium reperit.

Et non glorietur dives in divitiis ſuis] Nam Achab filius Amri Decem tribuum Rex ditiſſimus fuit, ſed propter impietatem in maxima incidit mala. Hæc tria exempla non abs re hîc adfert Chaldæus.

24. *Sed in hoc glorietur qui gloriatur, ſcire & noſſe me*] In eo fidat quòd me noverit, nimirum ſi & hoc factis oſtendat.

Qui facio miſericordiam, & judicium, & juſtitiam in terra] Non dicit, *ut me noverint ſecundùm naturam meam;* ea enim hominum captum ſuperat: ſed ſecundum eas proprietates quæ homines ſpectant, quas מדות appellant Hebræi, quarum præcipuæ ſunt benignitas in pios, ſeveritas in impios, & in omnibus rebus perfectiſſima ὀρθότης [*rectitudo*], quæ hîc ſignificatur nomine *juſtitiæ* generaliùs ſumtæ, cùm alioqui ea vox varias habeat ſignificationes. Et nota illud *in terra:* contra Philoſophos qui ante Ariſtotelem cenſuêre Dei providentiam ad ſublunaria non pervenire.

25. *Viſitabo ſuper omnem qui circumciſum habet præputium*] Ex Hebræo rectiſſimè vertas, ſupplendo ἔλλειψιν [*defectum*], *puniam omnem circumciſum* (nempe *flagitioſum; nec minùs eum qui eſt*) *in præputio.* Pari modo eos pro meritis tractabo, neque me movebit tantilla pellicula retenta, vel rejecta.

26. *Super Ægyptum, & ſuper Iuda, & ſuper Edom, & ſuper filios Ammon, & ſuper Moab*] Vide infrà XLVI. XLVIII. XLIX.

Et ſuper omnes qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto] Id eſt, Arabas Scenitas. Vide quæ de eorum more protulimus ad Levit. XIX. 27. Adde quæ infrà XXV. 23. & XLIX. 32. ubi Arabes eâdem περιφράσει [*circumlocutione*] notantur.

Quia omnes gentes] Iſtæ ſcilicet quas jam nominavi.

Habent præputium] Nempe in glande; aut ſi non in glande, certè in corde. Quid autem refert, ubi ſit quod Deum offendit? cor pluris quàm σύμβολον [*ſignificativum*] cordis. Idumæi & Arabes obligati erant ad Circumciſionem, non minùs quàm Iudæi, ſed pridem eam omiſerant. Ægyptii, Ammonitæ, Moabitæ eâ lege non tenebantur; ſed omnes pariter cor habebant plenum rebus reſecandis.

CAPVT X.

2. I*Vxta vias Gentium nolite diſcere*] Chaldæos maximè intelligit, unde nomen arti Chaldaïcæ.

Et à ſignis cœli nolite metuere quæ timent Gentes] Nempe quaſi ab illis omnes eventus rerum humanarum pendeant. Pleræque gentes primam cauſam, eandémque liberè agentem non agnoſcebant, ut docet Maimonides.

3. *Leges populorum variæ ſunt*] Ritus intellige.

Lignum de ſaltu præcîdit opus manuum artificis in aſcia] Senſus eſt, Exſcinditur è ſaltu lignum quod deinde fit opus manuum artificis utentis aſciâ. *Materiam ſuperabat opus.* Ideo autem ſermonem de ſimulacris conjungit cum ſermone de aſtris, quòd gentium illarum in Oriente ſimulacra pleraque Solem, Lunam, Saturnum, Venerem, aut aſtrum aliud referrent, & quidem cum ea hominum opinione, ut crederent deductum magicis quibuſdam ritibus ſpiritum ab aſtris in ſimulacris morari, atque ibi vim ſuam exſerere bono illa ſimulacra venerantium. Eſt autem hic locus de Simulacris expreſſus ex duobus Eſaiæ XL. 20. XLIV. 19. & ſequentibus. Nihil omittit quo auctoritatem demat ſimulacris. Materia, *lignum* exanime; opifex, homo mortalis, victûs indigens; inſtrumenta *aſcia, clavi, mallei.*

4. *Compegit*] Quod Græci elegantiùs dicunt γομφοῖ [*gomphis trajicit*].

Vt non diſſolvatur] ~~In Heb~~ræo, *Vt non exeat* : ut ſtare poſſit. Vide quæ illorum infirmitas, quæ ſemet ſuſtinere nequeunt.

5. *In ſimilitudinem palmæ fabricata ſunt*] In Hebræo: *Adæquationes eorum ut palmæ arboris.*

Portata tollentur] In Hebræo, *Portando portántur*: in thenſis ſcilicet.

Quia incedere non valent] Et hæc magna infirmitas, ire non poſſe; & bene hinc infert : Si iſta non poſſunt, quantò minùs prodeſſe aut nocere?

7. *Inter cunctos ſapientes Gentium*] Quorum multi & in deos relati, ut Taautes.

8. *Doctrina vanitatis eorum lignum eſt*] Ea quæ de iſtis ſimulacris credunt docéntque ſunt vaniſſima.

9. *Argentum involutum*] In Hebræo, *extenſum*, nempe in laminas.

De Tharſis] *Ab Oceano*, id eſt, ab Hiſpania, ubi maxima auri fertilitas, Plinius XXXIII. 4. *Africam* hîc poſuit Chaldæus, nimirum quia Pœni Carthagine aurum Hiſpanicum petebant.

Et aurum de Ophaz] Eſt idem nomen Dan. X. 5. Eſt inſula Πάζος in India memorata Stephano ex Alexandro Polyhiſtore: creditur eadem eſſe quam in mari Rubro *Topazon* Plinius nominat, unde gemmæ *Topazio* nomen, quæ פז Iobo. In eam inſulam cuncta ex India perferebantur, atque indè diſtribuebantur: ideo aurum Ophir hîc explicat Chaldæus. De *Ophir* vide quæ dicta alibi.

Et manus ærarii] Interpres credo ſcripſerit *aurarii*. חרש *omnis generis fabrum* ſignificat, ſed hîc de aurario agi evincit materia.

Opus artificum] Mortalium.

11. *Sic ergò dicetis eis : Dii qui cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra, & de his quæ ſub cœlo ſunt*] Vetus eſt dictum etiam inter Græcos quoſdam, *Qui præter unum Deum ſe Deum dicit, mundum alterum faciat.* Chaldæus putat hæc eſſe Epiſtolam ab Ieremia miſſam ad primores exſulum in Babylonia. Sed ſeries ipſa Prophetiarum oſtendit hæc in anteceſſum dicta, ſed ut tunc præcipuè uſurparentur cùm inter idololatras vivendum eſſet. Et ideo ſermone voluit uti Propheta hoc loco non Hebræo ſed Chaldæo.

12. *Qui facit terram in fortitudine ſua*] Verte, *qui fecit*; & mox *præparavit*: is eſt Deus ac Dominus noſter. Hoc Iudæi reſpondebunt Chaldæis: & ſic multi eorum ab idololatria avertentur.

13. *Ad vocem ſuam dat multitudinem aquarum in cœlo*] Id eſt, ubi ipſi lubet. Nam *vox* aut *verbum Dei*, apud Chaldæos maximè, voluntatem ſignificant.

Fulgura in pluviam facit] Supple, *deſinere*. Sic & in Pſalm. CXXXV. 7. unde hæc verba & proximè ſequentia ſumta ſunt.

14. *Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia*] Videtur eſſe ἔλλειψις [*defectus verbi*], ut ſenſus ſit, *Bruteſcit omnis homo* (recedens) *à ſcientia*: id eſt, à cognitione unius Dei. id ità ſumi ſuadent ſequentia.

Falſum eſt quod conflavit] Non eſt id quod dicitur.

Et non eſt ſpiritus in eis] A cœlo demiſſus, ut ipſi arbitrantur.

15. *In tempore viſitationis ſuæ peribunt*] Quaſi, ubi Deo vacaverit ad illorum facta animum adjicere.

16. *Non eſt his ſimilis pars Iacob*] Non eſt his ſimilis Deus quem Iſraëlitæ colunt.

Iſrael virga hereditatis ejus] Portio ipſius : ſicut virgâ vel perticâ in regno deſignari ſolebat pars Principis. Vide Ezech. XLVIII. 21.

Dominus exercituum nomen illi] Dominus & Angelorum & ſiderum ipſe eſt.

17. *Congrega de terra confuſionem tuam, quæ habitas in obſidione*] כנעתך meliùs vertemus *res tuas*, nempe quæ abſportari poſſunt. Convaſa, migrandum erit. Et pro *in obſidione* rectiùs ponemus *quæ habitas in loco munito*, ἐν τειχίσματι, ut hîc LXX; id eſt, plebs Hieroſolymitana.

18. *Longè projiciam*] Senſum bene vertit. Aquila & Symmachus propiùs ad verbum σφενδονήσω [*ejiciam velut fundâ*].

Et tribulabo eos, ità ut inveniantur] Rectiùs vertas ſenſu accedente ad ſenſum quem voluit Chaldæus hoc loco : *affligam eos, ut inveniant*, nempe me non eſſe mendacem in iis quæ per Prophetas dixi. Id autem ipſi agnoſcent verbis quæ jam ſequuntur ad finem capitis.

19. *Væ mihi ſuper contritione mea*] Ah quantum vulnus accepi!

Ego autem dixi] *Præterea dixi*, nempe civitas Hieroſolymorum.

Planè hæc infirmitas mea eſt, & portabo illam] Subintellige, *magna eſt; & portabo illam?* Lege cum interrogatione : *Erône ferendo?*

20. *Tabernaculum meum*] Metaphora eadem quæ ſuprà IV. 20.

21. *Stultè egerunt paſtores*] *Reges ipſi*, ut hîc Chaldæus : nempe à Ioakimo deinceps.

Et omnis grex eorum diſperſus eſt]

——— *Et caſtra ſimillima Regi.* Papinius.

22. *Vox auditionis*] Id eſt, *nuntius*, ut hîc bene Chaldæus.

Commotio magna] *Tumultus ingens*, ut Latini de bellis Italicis & Gallicis loquebantur.

Et habitaculum draconum] Vide ſuprà IX. 11.

23. *Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus, nec viri eſt, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos*] Hoc etiam dicent illorum infelicium temporum homines: (nam, ut dicitur, Ὑπὲρ Μαλέαν πλεύσας εὐσεβὴς ἔσῃ [*Vbi Maleam campſabis pius eris*]) ſcimus ſucceſſus bellicos non pendêre à ſola prudentia, aut fortitudine humana, ſed à tuo maximè arbitratu, qui etiam potentiſſimorum Regum conatus facilè difflas. *Dirigere greſſus* eſt ſucceſſus dare, ut Pſal. XXXVII. 23.

24. *Corripe me, Domine, verumtamen in judicio, non in furore*] Si pœnas vis expetere, expete, quæſumus, moderatas, ut Pſalm. VI. 2.

25. *Effunde indignationem tuam ſuper gentes quæ non cognoverunt te, & ſuper provincias quæ nomen tuum non invocaverunt*] Sumtum hoc & quod ſequitur de Pſalmo LXXIX. 6. & 7. ubi quæ dicta ſunt vide. In pari re paria verba.

Et decus ejus] In Hebræo, *Habitaculum ejus*: id eſt, urbem præſtantiſſimam.

CAPVT XI.

1. *Verbum quod factum eſt à Domino ad Ieremiam*] Nempe poſt illud tempus deſignatum ſuprà III. 6.

2. *Audite verba pacti hujus*] Meliùs, *illius*: nempe quod per Moſem publicatum eſt. Audite, tu Ieremia, & Sacerdotes collegæ tui: ut memoriam illius pacti renovetis apud Iudæos.

3. *Maledictus vir*] Id eſt, pœnas ſentiet.

4. *In die quâ eduxi eos*] Id eſt, aliquo tempore poſtquam eos eduxeram.

De fornace ferrea] *Fornax* explorationem, *ferrum* diuturnitatem ſignificat. ſumta verba de Deuteronomio IV. 20.

5. *Vt ſuſcitem juramentum*] *Statuam*: id eſt, rebus ipſis ratum faciam.

Et dixi: Amen, Domine] Id eſt, faciam quod jubes, & collegas meos ad idem officium excitabo.

Terram fluentem lacte & melle] Adducit hîc Hieronymus non diſſimilem Virgilii locum,

Mella fluant illis.

6. *Vociferare*] Altâ voce, ut omnes audiant.

7. *Manè conſurgens conteſtatus ſum*] Tantâ diligentiâ quanta eſt opificum antelucanorum. Vide hanc locutionem ſuprà VII. 13. infrà XXV. 4.

8. *Abierunt unuſquiſque in pravitate cordis ſui mali*] Secuti ſunt lubita prava.

Et induxi ſuper eos] *Inducam certò.*

Omnia verba pacti hujus] Id eſt, omnes illas ἀρὰς [*diras*] ſive *minas* quas habemus Deut. XXVII. XXVIII. XXIX. XXXII. Adde egregium Philonis Iudæi librum περὶ ἄθλων καὶ ἐπιτιμίων [*De præmiis & pœnis*].

9. *Inventa eſt conjuratio in viris Iuda*] Quod hîc in Hebræo eſt קשר, in Chaldæo eſt דמרדן, quæ vox *rebellionem* aut *defectionem à Rege* ſignificat. Vide quæ diximus ad Eſaiæ VIII. 12.

10. *Irritum fecerunt domus Iſraël & domus Iuda pactum meum*] Hoc jure quodam eximio de idololatria dici ſolet.

11. *Et clamabunt ad me, & non exaudiam eos*] Id eſt, ut maximè clament, non exaudiam.

12. *Quibus libant*] In Hebræo: *Quibus adolent*, ſive *ſuffitum faciunt*. Nec aliter hic LXX & Chaldæus.

13. *Secundùm numerum enim civitatum*] Repetitum ex capite II. 28.

Ad libandum] *Ad adolendum*, ut jam modò.

14. *Tu ergò noli orare pro populo hoc*] Repetitum ex VII. 16. ſuprà, & repetendum infrà XIV. 11.

15. *Quid eſt quòd dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa?*] *Dilectus meus*: id eſt, *populus quondam mihi dilectus*, ut rectè Chaldæus. *Fecit ſcelera multa*: id eſt, cultui meo ritus miſcuit idololatricos. Vide II Regum XVI. 12. 13. 14. 15. 16. & quæ hîc ſequuntur.

Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas?] In Hebræo: *An caro ſancta faciat tranſire ſuper te* (id eſt, diſſimulare) *quod in malitia tua pridem exſultaſti?* Id eſt, an victimæ legitimæ purgare te poterunt à victimis contra Legem oblatis? *Fermenti vel paululùm totam inficit maſſam.* Hunc ſenſum bene exprimit hîc Chaldæus.

16. *Olivam uberem*] Frondoſam.

Specioſam] In bona partium συμμετρίᾳ [*commenſione*].

Ad vocem loquelæ] Dicto citiùs.

Exarſit ignis in ea] Contra eam.

Et combuſta ſunt fruteta ejus] *Combuſti ſunt rami ejus*. Id eſt, populi.

17. *Pro malis domûs Iſraël & domûs Iuda*] Propter cultus idololatricos, quos Iudæ populus hauſit à populo Decem tribuum tam avidè ut diſcipulus magiſtrum ſuperaret.

Libantes Baalim] *Adolentes.*

18. *Tu autem Domine demonſtraſti mihi*] Etiam illa quæ in abdito fiebant.

19. *Et ego quaſi agnus manſuetus qui portatur ad victimam, & non cognovi quia cogitaverunt ſuper me conſilia*] Non magìs cogitabam iſta in me agitari, quàm agnus qui ad Templum ducitur.

Dicentes, Mittamus lignum in panem ejus] LXX: ἐμβάλωμεν ξύλον εἰς τὸν ἄρτον αὐτοῦ [*immittamus lignum in panem ejus*], quomodo citat & Chryſoſtomus περὶ Τριάδος [*de Trinitate*], tom. VI. Saviliano. In Hebræo, *Corrumpamus lignum in pane ejus*: per Hypallagen, pro *panem ejus ligno*, nempe *venenato*, ut rectè hîc ſumſit Chaldæus. Sic *taxis ineſſe venenum*, ait Plinius, & indè credi *toxica* nomen habere, XVI. 10. Lucanus:

Toxica fatilegi carpunt matura Sabæi.

Agit autem ſub hac ſimilitudine de conſiliis Sacerdotum in perniciem ipſius. Vide infrà XXVI.

Et nomen ejus non memoretur ampliùs] Etiam memoriam damnemus, ut pſeudoprophetæ.

20. *Et probas renes*] Id eſt, deſideria hominum.

Et corda] Conſilia.

Tibi enim revelavi cauſam meam] Id eſt, commendavi, per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*]. nam qui cauſam ſuam alicui commendant, priùs eam notam faciunt.

21. *Ad viros Anathoth*] Sicut Propheta nemo magni factus in patria ſua, ità & Ieremias nullos ſibi habuit inimiciores, quàm Sacerdotes ſecum Anathothis habitantes, qui & cæteros Sacerdotes adverſùs eum incitarunt.

Non prophetabis in nomine Domini] *Nè vaticinare.*

Et non morieris in manibus noſtris] *Nè per nos pereas.*

23. *Inducam enim malum ſuper viros Anathoth, annum viſitationis eorum*] Meliùs *in anno*, ut habent hîc Græci, id eſt, ſuo tempore.

CAPVT XII.

1. *Iuſtus quidem tu es Domine, ſi diſputem tecum*] In Hebræo, *Iuſtus tu Domine*: nempe apparebis. Vinces ſi tecum judicio contendam, Pſal. LI. 6. Scio tibi cauſas eſſe nobis non patentes.

Verumtamen juſta loquar ad te] In Hebræo, *Verumtamen judicia tecum loquar*: id eſt, agam tecum moderatè, quomodo משפט [*judicium*] ſumitur ſuprà X. 24. Pſalm. CXII. 5. Liceat mihi non diſputare, ſed mirari.

Quare via impiorum proſperatur] Hæc cogitatio illorum temporum piis ſæpe oborta, propter promiſſa & comminationes ad hanc vitam pertinentes; quæ tamen Deo jus non adimebant ſuos ad tempus explorandi, ac ſic viam ſternendi Euangelio. Vide Iobum paſſim & Pſalm. LXXIII. De Nabuchodonoſori mira proſperitate multa hîc adferunt Iudæi, & huc etiam hunc locum trahit Chaldæus. Ego potiùs de Sacerdotibus Ieremiæ adverſantibus cenſeam agi. Conſidera ſequentia.

2. *Plantaſti eos, & radicem egerunt*] Firmo ſunt in ſtatu.

Proficiunt & faciunt fructum] Opuleſcunt.

Propè es tu ori eorum, & longe à renibus eorum] De Lege multa loquuntur, neque tamen eam ſequi volunt.

3. *Probaſti cor meum tecum*] Quale ſit erga te.

Congrega eos quaſi gregem ad victimam] Vide quæ dicta ad Pſalmum CIX.

Sanctifica eos ad diem occiſionis] Id eſt, præpara omnia ad eorum pœnam.

4. *Vſquequo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur, propter malitiam habitantium in ea?*] Cauſas reddit cur Deum oret, ut illos tollat, nempe nè propter ipſorum peccata terræ maneant ſteriles, nihil bonæ frugis proferentes. Vide infrà XIV.

Conſumtum eſt animal & volucre] Animalia emortua ſunt fame, volucres deſperatione paſtûs abierunt.

Quoniam dixerunt, Non videbit noviſſima noſtra] Id eſt, non curat Deus eventus rerum humanarum. Sic אחרית pro *mercede* ſumitur Proverbiorum XXIII. 18.

5. *Si cum peditibus currens laboraſti, quomodo contendere poteris cum equis?*] Deus Ieremiam alloquens ſignificat exigua eſſe de quibus querebatur, nempe contumelias & minas Anathothanorum, præ iis malis quæ ipſi illaturi eſſent Hieroſolymitani.

Cùm in terra pacis ſecurus fueris] Supple, *& tamen præter exſpectationem inſidiæ tibi factæ ſint. Terra pacis*: id eſt, inter amicos & cognatos, ut infrà 6.

Quid facies in ſuperbia Iordanis?] In Hebræo, *In altitudine Iordanis*; id eſt, ubi Iordanis fluctibus intumeſcet: cum quibus comparat vulgus Hieroſolymitanum.

6. *Nam & fratres tui, & domus patris tui, etiam ipſi pugnaverunt adversùm te, & clamaverunt poſt te plenâ voce*] Anathothani.

Nè credas eis, cum locuti tibi fuerint bona] Id eſt, Multò minus eſt quòd bene ſperes de Hieroſolymitanis, etiamſi interdum blandiantur tibi.

7. *Reliqui domum meam*] Quia adeò corrupta ſunt omnia, ipſum Templum tueri deſinam.

Dimiſi hereditatem meam] Populum Iudaïcum abduci ſinam.

Dedi dilectam animam meam in manu inimicorum ejus] Meliùs, *dilectionem animæ meæ*: id eſt, populum quem dilexeram. Ità hîc Chaldæus.

8. *Facta eſt mihi hereditas mea quaſi leo in ſilva: dedit contra me vocem, ideo odivi eam*] Sicut rugitus leonis hominibus horrori eſt, ità mihi hic populus, loquens impia.

9. *Numquid avis diſcolor hereditas mea mihi? numquid avis tincta per totum?*] Variè hic locus vertitur & exponitur: commodiſſimè ſic, ni fallor, *An non hereditas mea mihi* (dicta) *eſt avis* (quædam) *diſcolor*, & *an non* (propterea) *aves* (aliæ) *circumquaque ei adverſabantur?* Solet ſiqua avis peregrini coloris ad alias aves advenerit, ab aliis impeti.

Venite, congregamini omnes beſtiæ terræ] Chaldæi, Syri, Ammonitæ, Moabitæ. Vide dictum locum II Regum.

10. *Paſtores multi*] Reges ac Principes.

11. *Luxitque ſuper me*] Lamentantur, & ad me clamant, nec exaudiuntur.

Quia nullus eſt qui recogitet corde] Qui reſipiſcat, ad me redeat.

12. *Super omnes vias deſerti*] Agri; id eſt, ab omni parte.

Ab extremo terræ ad extremum ejus] Ab uno fine ad alterum.

Non eſt pax] Non erit ſalus.

13. *Seminaverunt triticum, & ſpinas meſſuerunt*] Omnes eorum labores caſſi atque irriti.

Hereditatem acceperunt, & non eis proderit] Vt ſi quis jure heres ſit, ſed poſſeſſione excidat.

Confundemini à fructibus veſtris] Opera veſtra vobis ignominiam parient.

Propter iram furoris Domini] Deo iraſcente.

14. *Adversùm omnes vicinos meos*] Ammonitas & Moabitas.

Ecce ego evellam eos de terra ſua, & domum Iuda evellam de medio eorum] Id eſt, non eſt quòd ſibi placeant de malis quæ nunc inferunt Iudæis: Iudæos longè ab ipſis auferri curabo. Sed nec ipſi in ſuis locis manſuri ſunt. Vide infrà XLVIII. XLIX. Ezechielis XXV.

15. *Et cùm evulſero eos, convertar & miſerebor*] Iudæos reducam.

16. *Et erit, ſi eruditi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Dominus, ſicut docuerunt populum meum jurare in Baal: ædificabuntur in medio populi mei*] Id eſt, ſi Ammonitæ & Moabitæ, qui Iudæis auctores fuerunt ad idololatriam, nunc meliùs ab Iudæis inſtituti ad me, id eſt, Dei unius cultum, ſe referant, vivent placidè in vicinia Iudæorum, nemine ipſis nocente.

17. *Quòd ſi non audierint, evellam gentem illam evulſione & perditione, ait Dominus*] Sic Ammonitarum pars cæſa ab Iuda Maccabæo: Pella in Moabitide exciſa tempore Alexandri Iudæorum Regis.

CAPVT XIII.

1. *Vade & poſſide tibi*] Acquire.

Lumbare] Περίζωμα [*ſubligar*] Græcis, quod corpori proximè adhæret. Sic populum Iudaïcum Deus præ cæteris populis proximè ſibi admoverat, infrà 11.

Et in aquam non inferes illud] Sines linum illud eſſe aſperum, qualis eſt populus Iudaïcus.

4. *Vade ad Euphratem*] Quò ſcilicet ducendus erat populus Iudaïcus, Pſalm. CXXXVII. 1.

Et abſconde ibi illud in foramine petræ] In locis remotis ac ſterilibus, qualia fuêre illa in quæ deducti Iudæi.

7. *Et ecce computruerat lumbare*] Sic populus in miſera illa ſervitute contabuit, ſecundùm prædicta in Levitici XXVI. 39. quod ampliùs explicant quæ hîc ſequuntur.

12. *Laguncula implebitur vino*] Lagena fictilis, ut Eſaiæ XXX. 14.

Et dicent ad te: Numquid ignoramus quia omnis laguncula implebitur vino?] Quid in hac re novi eſt? Hoc ideo dicunt, quia nondum intelligebant quò irent iſtæ ambages.

13. *Ebrietate*] Vt præ miſeriis fiant velut amentes. Vide Eſaiæ LI. 17.

14. *Et diſpergam eos, virum à fratre ſuo*] In varias regiones, nullâ cognationis ratione habitâ. Sic apud Tacitum Civilis de dilectu Romanorum agens: *Inſtare dilectum, quo liberi à parentibus, fratres à fratribus velut ſupremùm dividantur.* Idem Annal. XIV. *Ignoti inter ſe, diverſis manipulis ſine rectore, ſine affectibus mutuis, quaſi ex alio genere mortalium repentè in unum collecti, numerus magìs quàm colonia.*

16. *Date Domino Deo veſtro gloriam*] Agnoſcite culpam, ut Ioſuæ VII. 19. 20.

Et antequam offendant pedes veſtri ad montes caliginoſos] Ad montes Mediæ nebuloſos.

Exſpectabitis lucem, & ponet eam in umbram mortis, & in caliginem] Id eſt, quo tempore Deus vos fruſtra meliora exſpectantes adverſis magìs magìſque involvet.

17. *Plorabit anima mea à facie ſuperbiæ*] Id eſt, propter ſuperbiam ac contumaciam veſtram.

18. *Dic Regi & dominatrici*] Ioachino & matri ejus Noheſtæ, qui deportati ſunt in Babylonem priore adventu Nabuchodonoſoris, II Reg. XXIV. 8.15. Ità hic Hieronymus.

Deſcendit de capite veſtro corona gloriæ veſtræ] Et regnum & libertatem amittetis.

19. *Civitates Auſtri clauſæ ſunt, & non eſt qui aperiat*] Id eſt, ab Ægypto (quæ ad Auſtrum Iudææ) nihil vobis erit auxilii: omnia ibi vobis erunt clauſa, II Regum XXIV. 7. Tacitus in Iudææ deſcriptione: *A meridie Ægyptus objacet.*

Translata eſt omnis Iuda tranſmigratione perfectâ] Id eſt, hanc deportationem ſequetur altera multò gravior.

20. *Videte qui venitis ab Aquilone*] Meliùs: *Videte* illos (Chaldæos & Medos), *qui veniunt ab Aquilone:* quo modo habet Chaldæus. Hi ſunt qui illud effectum dabunt.

Vbi eſt grex qui datus eſt tibi?] Regem alloquitur. Ecce populus tuus diſpellitur.

Pecus inclytum tuum] In Hebræo, *Pecus gloriæ tuæ:* quia *multitudo populi gloria Regis*, Proverbiorum XIV. 28.

21. *Tu enim docuiſti eos adversùm te, & erudiſti in caput tuum*] Dux illis fuiſti ad idololatriam, II Regum XXIV. 9.

Numquid non dolores apprehendent te quaſi mulierem parturientem] Dolores acerrimi, ὠδῖνες [*dolores partûs*], Matth. XXIV. 8.

22. *Revelata ſunt verecundiora tua, pollutæ ſunt plantæ tuæ*] Id eſt, ſeminudus & excalceatus abducêris, ut captivi ſolent, Eſaiæ XX. 4.

23. *Si mutare poteſt Æthiops pellem ſuam, aut pardus varietates ſuas: & vos poteritis bene facere cùm didiceritis malum*] Vos, id eſt, tu Rex, & mater tua. Oſtendit hic locus difficultatem maximam in mutandis moribus diu inolitis. Euenus vetus Poëta:

Φημὶ πολυχρόνιον μελέτην εἶναι, φίλε, καὶ δὴ
Ταύτην ἀνθρώποισι τελευτῶσαν φύσιν εἶναι.
[*Quod meditare diu durabile fiet, amice,*
Atque id naturam credo mortalibus eſſe.]

Hieronymus hoc loco: *Quicquid diſcitur, non naturæ eſt, ſed ſtudii & propriæ voluntatis, quæ nimiâ conſuetudine & amore peccandi quodammodo in naturam convertitur. Sed hoc quod hominibus impoſſibile eſt, Deo poſſibile eſt.*

25. *Hæc ſors tua*] Ad feminam hîc loquitur, nempe ad Regis matrem.

Confiſa in mendacio] Idolis.

26. *Nudavi femora tua contra faciem tuam, & apparuit ignominia tua*] Id eſt, attollam veſtes tuas ſuper caput tuum: quod ignominiæ causâ feminis fieri ſolet, præſertim belli jure captis.

27. *Adulteria tua & hinnitus tuus ſcelus fornicationis tuæ*] Apparebit quàm laxa facta ſis, libidines tuas explendo.

Vidi abominationes tuas] Et idololatriam, & libidines quæ idololatriam comitabantur.

Væ tibi, Ieruſalem, non mundaberis poſt me? uſquequo adhuc?] Meliùs ex Hebræo: *non mundaberis tandem? quando verò?* Id eſt, an non hæc tam fœda Regis & Auguſtæ tractatio te ad mentem meliorem vertet?

CAPVT XIV.

1. QVod *factum eſt verbum Domini ad Ieremiam*] Titulus hic eſt duorum capitum ſequentium; olim ea erant indiviſa. Confer ſuprà I. 2.

De ſermonibus ſiccitatis] על רברי Hebræis nihil aliud quàm *propter*. Itaque hæc Deus dixit Ieremiæ de futura ſiccitate magna, quam Iudæi ajunt incidiſſe in initium regni Sedeciæ. LXX: περὶ τῆς ἀβροχίας [*de defectu imbris*]. Hoc ipſum ἀνομβρίαν vocat Ioſephus in rebus Eliæ. Hebræis dicitur *retentio*, nempe *pluviæ*.

2. *Luxit Iudæa*] *Lugebit*, & ſic cætera.

Et portæ ejus corruerunt] *Infirmatæ ſunt*: id eſt, urbes exhauſtæ: quomodo & Græci hîc interpretantur & Chaldæus.

Clamor Ieruſalem aſcendit] Vrbis per ſe minimè aquoſæ. Vide Eſaiam XXII. 9. Tacitum Hiſtor. V.

3. *Majores*] Id eſt, Viri ſummates.

Miſerunt minores] Servos, aut domeſticos ſuos.

Ad aquam] Supple, *quærendam*.

Venerunt ad hauriendum] In Hebræo, *ad ciſternas:* optimè. Vide Tacit. dicto loco de Hieroſolymis. Nec aliter hîc Chaldæus.

Confuſi ſunt] Id eſt, indoluerunt.

Et operuerunt capita ſua] Id in luctu fieri ſolebat, II Samuel. XV. 30.

4. *Propter terræ vaſtitatem*] In Hebræo, *Propter humam*

humum contritam aut *fractam;* quod non malè interpretantur Lxx: τὰ ἔργα τῆς γῆς ἐξέλιπεν [*opera terræ defecerunt*].

5. *Cerva in agro peperit & reliquit*] Id eſt, quod peperit reliquit in agro, quòd paſtu deſtituta lac non haberet unde fœtum aleret. Cervæ magna cura fœtus: Plin. VIII. 32.

6. *Et onagri ſteterunt in rupibus, traxerunt ventum*] Nempe vice aquæ. In altis locis liberior eſt ventus.

Quaſi dracones] Qui ob calidiſſimum ſanguinem quærunt frigora; ideóque & elephantis ſanguinem, qui frigidiſſimus eſt, appetunt: Plinius VIII. 12.

Defecerunt, oculi eorum] Id eſt, præ macie acti ſunt introrſum.

7. *Si iniquitates noſtræ reſponderint nobis*] Meliùs, *teſtificatæ ſunt contra nos:* ut hîc rectè Chaldæus.

Domine, fac propter nomen tuum] Ità nobiſcum age ut memineris nos tuos eſſe.

Quoniam multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus] Meliùs: *Si multæ ſunt averſiones noſtræ, tibi peccavimus.* Vicinos noſtros non offendimus: de tuo jure agitur.

8. *Quare quaſi colonus futurus es in terra*] Solent conductores terram exhaurire, quia ipſorum non eſt; at hæc tua eſt.

Et quaſi viator declinans ad manendum?] Viator de ſalute ejus terræ per quam tranſit ſollicitus non eſt. Tu autem hîc non diverteris, ſed habitas.

9. *Quare futurus es velut vir vagus, ut fortis qui non poteſt ſalvare?*] נדהם [*laſſus*] alibi in ſacris literis non eſt. Arabibus دهم eſt *ſupervenire. Quare ſimilis eſſes viro Principi, qui ſuperveniens alicui periclitanti, non ſatìs validus eſt ad eum liberandum?*

Tu autem in nobis es, Domine] Non tranſis, aut ſupervenis.

10. *Hæc dicit Dominus populo huic*] *De populo hoc.*

Qui dilexit movere pedes ſuos] Me neglecto nunc huc, nunc illuc diſcurſarunt, ſuprà II. 18. Faciam ut egregiè diſcurſent.

11. *Noli orare pro populo iſto in bonum*] Suprà VII. 16.

12. *Gladio, fame & peſte*] Quæ vel ſingula ſufficerent. Sunt hæc tria graviſſima iræ divinæ inſtrumenta. Vide I Samuel. XXIV.

13. *Ah, ah, ah, Domine Deus, Prophetæ dicunt eis, Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis, ſed pacem veram dabit vobis in loco iſto*] Vide & infrà XXIII. 17. Adfert hoc Ieremias, ut leviorem faciat populi culpam.

14. *Falsò prophetæ vaticinantur in nomine meo*] Deus hanc excuſationem non recipit: neque enim credere debuit populus iis qui blandiendo fovebant vitia, neque ex ulla prædictione circumſtantiis, ità ut oportet, bene definita ac circumſcripta, & ſecuto eventu, fidem fecerant ſe à Deo mandatum habere. Vide Deuteron. XVIII. 22. & ibi dicta.

15. 16. *Conſumentur prophetæ illi, & populi quibus prophetant erunt projecti in viis*] Peribunt & ſeductores & ſeducti, Ezech. XXXIII. 6.

Effundam ſuper eos malum ſuum] In Hebræo, *malitiam ipſorum;* id eſt, pœnam malitiæ reſpondentem.

17. *Deducant oculi mei lacrymam per noctem & diem*] Hæc ipſa verba vult Ieremiam loqui, ut perterrefiat populus.

18. *Propheta quoque & Sacerdos abierunt in terram quam ignorabant*] סחר אל ארץ, vel את ארץ, eſt *circuire terram negotiandi causâ*, quod ἐμπορεύεσθαι vertunt Græci: unde & hîc ἐμπορεύθησαν [*negotiati ſunt*] legendum videtur, non ἐπορεύθησαν [*abierunt*]. Vide Geneſ. XXXIV. 10. 22. XLII. 34. II Paral. IX. 14. Prov. III. 14. XXXI. 14. Ezech. XXVII. 21. Ergò & hîc ſenſus eſt, tam prophetas illos falſos, ſive Scribas, ut hîc habet Chaldæus, quàm Sacerdotes pariter id egiſſe, ut ſtultitiam populi ſibi haberent quæſtui: quod verum eſſe etiam ſuprà v. 21. didicimus.

Quam ignorabant] In Hebræo, *Et non cognoverunt:* id eſt, Iudæi non intellexerunt ſe decipi agyrtarum dolis.

19. *Quare ergò percuſſiſti nos ità ut nulla ſit ſanitas*] *Quare ergò percuteres.* Nam Hebræi cùm ſubjunctivum non habeant, pro eo ponunt indicativum. Senſus eſt: moderatiùs feri.

Exſpectavimus pacem, & non eſt bonum] Repetitum ex eo quod ſuprà VIII. 15.

21. *Neque facias nobis contumeliam ſolii gloriæ tuæ*] In Hebræo: *Nè dejicias ſolium gloriæ tuæ.* noli Iudæam ità vilipendere.

22. *Numquid ſunt in ſculptilibus Gentium qui pluant?*] Pluviam petimus, non ab idolis, ſed abs te qui dare potes.

CAPVT XV.

1. SI *ſteterint Moſes & Samuel coram me*] Meliùs, *Si ſtarent.* Si viveret nunc aut Moſes, aut Samuel, duo populi hujus amantiſſimi, non me moverent. Simile Ezech. XIV. 14. Stare, geſtus orantium in illis populis. Vide quæ dicta ad Matth. VI. 5. & Lucæ XVIII. 11.

Ejice illos à facie mea] Id eſt, patere ejici.

2. *Qui ad mortem, ad mortem*] *Mortem* hîc peſtem intellige. Vide dicta ad Matth. XXIV. 7. Senſus eſt, Nihil mea refert quomodo ab hac terra tollantur, dummodo tollantur. Tribus mortis generibus, peſti, gladio hoſtili, & fami, quartum per feras addit Ezech. XIV. 15. At hîc feræ ſequentur, non tamen ut interemtrices vivorum, ſed ut laceratrices mortuorum.

3. *Viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies*] In Hebræo, *Præficiam illis quatuor genera:* rerum ſcilicet carnivorarum, ut denumeratio oſtendit.

4. *Et dabo eos in fervorem univerſis regnis terræ*] *In commotionem:* id eſt, ut vagi errent. Sumtum enim eſt hoc verbum ex Deuteron. XXVIII. 25.

Propter Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda, ſuper omnibus quæ fecit in Ieruſalem] Id eſt, ob peccata illa omnia, quorum auctor fuit Manaſſes, imitator populus. Simili modo cauſa pœnæ adferuntur peccata Ieroboami I Regum XIV. 16.

5. *Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem?*] Id eſt, *Quis miſereretur?* Quis ità eſſet lenis, ut tui poſſet miſereri?

Aut quis contriſtabitur pro te?] Quis indoleret tuis malis? paulatim creſcit oratio.

Aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?] *Quis pedem movere velit, ut inquirat quomodo valeas?* Ità hîc Chaldæus: שאל לשלם [*interrogare de pace*] ſic ſumitur II Samuel. VIII. 10. I Paralipom. XVIII. 10. Pſalmo CXXII. *6.*

6. Laboravi rogans] In Hebræo, *Laſſus ſum pœnitendo:* id eſt, indulgentiam meam tamdiu præſtando contra Legis minas.

7. *Et diſperdam eos ventilabro in portis terræ*] Diſjiciam illos in omnes terminos terræ, ut nempe per eos evehantur: disjiciam ut palea disjicitur ventilabro.

Interfeci & diſperdidi populum meum] Id eſt, multos antehac tradidi hoſtibus interficiendos, ut eos qui in Mageddo ceciderunt.

Et tamen à viis ſuis non ſunt reverſi] Nempe, qui iſtis cladibus fuerunt ſuperſtites.

8. *Multiplicatæ mihi ſunt viduæ ejus*] *Multiplicabuntur:* & ità cætera.

Induxi eis ſuper matrem adoleſcentis vaſtatorem meridie] Hoc eſt, eum illis adducam qui non per inſidias, ſed clarâ die matres orbet liberis.

Natum ante ora patris, patrem qui obtruncet ad aras.

Vt cum Virgilio loquar. Viduis bene ſubjicit orbos.

Miſi ſuper civitates repentè terrorem] Tantum undique terroris erit ut minorum oppidorum nullum reſiſtere audeat.

9. Infirmata eſt quæ peperit ſeptem, defecit anima ejus] Id eſt, Hieroſolyma, numeroſæ prolis parens, ſuccumbet hoſti.

Occidit ei Sol cùm adhuc eſſet dies] In medio rerum ſecundarum curſu everſa eſt.

Et reſiduos in gladium dabo] Illos qui cum Godolia, qui popularium ſuorum manibus cecidêre, II Regum XXV. 25.

In conſpectu inimicorum eorum] Id eſt, *oblectationi, oculiſque hoſtium occiderunt*, ut Tacitus in re ſimili loquitur.

10. *Væ mihi mater mea*] Loquitur Ieremias conquerens de maximis odiis quæ ipſi pareret talium rerum vaticinatio. nam

Obſequium amicos, veritas odium parit.

Quare genuiſti me?] In quas miſerias ſum genitus?

Virum rixæ, virum diſcordiæ in univerſa terra] Quem odere, quem maledictis inceſſunt omnes: σημεῖον ἀντιλεγόμενον [*ſignum quod oppugnatur*] Lucæ II. 34.

Non feneravi, nec feneravit mihi quiſquam] Fenus inter Hebræos vetitum. Itaque vertendum: *mutuam pecuniam nec dedi ego cuiquam, nec quiſquam mihi.* Nullum mihi pecuniarium negotium cum quoquam interceſſit, unde lites oriri ſolent.

11. *Si non reliquiæ tuæ in bonum*] *Nè verax habear, niſi ultimæ res tuæ futuræ ſint proſperæ.*

Si non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis adversùs inimicum] Niſi in tempore miſero ac calamitoſo tibi conciliator ſim gratiæ apud hoſtem. Vide infrà XL.

12. *Numquid fœderabitur ferrum ferro ab Aquilone & æs*] Multam hîc fuiſſe verſionum varietatem notat Hieronymus. Ea indè nata quòd alii legêre ירע, ut & nos habemus, Theodotio verò ירע [*cognoſcit*]. Rurſum illud ירע alii derivant à רוע, ut ſit *nocebit*; alii à רעה, ut ſit *fœderabitur*: quomodo & Chaldæus accepiſſe videtur. Verſio maximè loco conveniens hæc eſſe videtur: *An ferrum nocere poterit & ferro Aquilonari, & æri?* Ferrum Aquilonare intellige *chalybem*, ità dictum à Chalybibus populis ad Septentrionem, de quibus vide Strabonem XII Geographicôn. Senſus autem hic: Eſto Iudæi ſint duri ut ferrum, ego tibi ero pro duplici muro, altero chalybeo, altero aheneo.

13. *Divitias tuas & theſauros tuos in direptionem dabo*] Hîc ſermo Dei ad Iudæam ſe convertit.

Gratìs] Nihil pro eo munere accipiam, contentus ultione.

In omnibus peccatis tuis, & in omnibus terminis tuis] *Propter omnia peccata quæ in finibus tuis* omnibus commiſiſti. Hunc ſenſum nobis monſtrat id quod infrà habemus XVII. 3. Inter peccata autem vel maximè intelligenda idololatria.

15. *Tu ſcis, Domine, recordare mei*] Iterum Ieremias loquitur, & ſe tutelæ divinæ commendat.

Noli in patientia tua ſuſcipere me] Id eſt, noli patiens eſſe, & tardus in injuriis meis vindicandis. Sic *ſuſceptus* etiam Latinis dicitur qui in alterius eſt tutela.

16. *Inventi ſunt ſermones tui, & comedi eos*]Simulatque intellexi mandata tua, ſtatim ea in animum admiſi. Vide Ezech. III. 1.

Quoniam invocatum eſt nomen tuum ſuper me] Lætabar *Prophetam Dei* me vocari.

17. *Non ſedi in concilio ludentium*] In choro cantantium & ſaltantium.

Et gloriatus ſum] Neque *exſultavi*. Id eſt, nihil mihi ab eo tempore fuit dulce.

A facie manûs tuæ ſolus ſedebam] Propter mandata mihi impoſita deſertus ſum ab omnibus.

Quoniam comminatione impleſti me] Quia omnia vaticinia quæ mihi impoſuiſti ſunt minacia.

18. *Quare factus eſt dolor meus perpetuus?*] Meliùs, *fieret*. Et mox: *renueret curari*. Cur paterer is me perpetuò opprimi?

Facta eſt mihi quaſi mendacium aquarum infidelium] Rectiùs, *Et fieres mihi fallax, ut aquæ infideles:* quæ hyeme multùm ſtrepunt, æſtate non comparent. Confer Iobum VI. 15.

19. *Si converteris, convertam te*] Meliùs: *Quia verteris quò te verto.* Id eſt, ad cuncta imperia mihi præſtò es.

Et ante faciem meam ſtabis] *Stas:* id eſt, & quia miniſtras mihi. Id enim eſt *ſtare coram aliquo*. Vide Deuteron. x. 8. & quæ diximus ad Matth. XVIII. 10.

Quaſi os meum eris] *Quaſi os meum es.* Fideliter refers quæ tibi imperavi. Idem loquendi genus Exodi IV. 16.

Convertentur ipſi ad te, & tu non converteris ad eos] Illi te rogabunt, non tu illos. Vide impletum hoc XLII. 2.

20. *Et dabo te populo huic in murum æneum fortem*] Superabis omnes illorum ictus.

Et bellabunt adversùm te, & non prævalebunt] Multis quidem modis te vexabunt, ſed vitam tibi non auferent.

CAPVT XVI.

2. NOn *accipies uxorem, & non erunt tibi filii & filiæ in loco iſto*] Vetat Ieremiam uxorem ducere, & liberos gignere, propter mala imminentia, quibus ſatius unum exponi quàm plures. Vide Paulum 1 Corinth. VII. 29.

4. *Mortibus ægrotationum*] *Peſte*, ut ſuprà XV. 2. nam de *fame* & *gladio* ſequitur.

5. *Nè ingrediaris domum convivii*] Id eſt, jam nunc exemplum illis eſto, ut diſcant carere omnibus gaudii ſignis, ut quæ brevi omnia ab ipſis erunt auferenda. Hunc ſenſum ſuggerunt quæ ſequuntur infrà 9.

6. *Et non ſe incident, neque calvitium fiet pro eis*] Quos ſcilicet mores multi à vicinis ſumſerant, ſpretâ lege quæ exſtat Levitici XIX. 27. 28, Deuteronomii XIV. 1.

7. *Non frangent inter eos lugenti panem, & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre ſua*] Mos enim erat, ut notant Hebræi, lugentibus mitti ab amicis & epulas, & vinum, longè optima. Vide Ezech. XXIV. 17. Apparet & hunc interpretem & LXX legiſſe לחם [*panem*], non להם [*ipſis*], meliùs haud dubiè. Non diſſimilem morem Græcorum ἐν περιδείπνοις & Latinorum in parentalibus notat hîc Hieronymus.

9. *Vocem gaudii & vocem lætitiæ, vocem ſponſi & vocem ſponſæ*] Repetit ex iis quæ ſuprà VII. in fine.

10. *Quare locutus eſt Dominus ſuper nos*] Confer quæ ſuprà XIII. 22.

12. *Ambulat unuſquiſque poſt pravitatem cordis ſui mali*] Nulla tam prava vobis incidit cupido quam non opere impleatis.

13. *Et ſervietis ibi diis alienis die ac nocte*] Id eſt, *ſervietis populis qui illis diis ſerviunt*, ut hîc optimè interpretatur Chaldæus. Videtur enim qui domino imperat & ſervo imperare.

Qui non dabunt vobis requiem] Optimè ad ſenſum qui ſequitur connectendum vertas: *donec veſtri miſertus fuero.*

14. *Propterea ecce dies venient*] *Etenim, ecce venient dies.* Cauſa redditur poſtremi dicti.

Non dicetur ultrà] Id eſt, nova beneficia obſcurabunt veterum memoriam: ſicut magìs placent nova cantica.

15. *De terra Aquilonis*] De Media & vicinis ei locis.

16. *Ecce ego mittam piſcatores multos dicit Dominus, & piſcabuntur eos*] *Piſcatores* iſti ſunt Chaldæi, qui Iudæos undique velut ἀμφιβλήστρῳ, ſive *everriculo* cepere.

Et poſt hæc mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cavernis petrarum] *Venatores* iſti ſunt Perſæ, qui ex omnibus locis Iudæos recolligent.

17. *Oculi mei ſuper omnes vias eorum*] Malas ac bonas.

18. *Et reddam primùm duplices iniquitates & peccata eorum*] Non antè eos reducam quàm graviſſimè eos punierim. *Duplicis pœnæ* mentio eodem ſenſu Eſaiæ XL. 2. quò videntur hæc verba reſpicere. Chaldæus: ראשונה משנה interpretatur *primis & ſecundis*: *primis* qui avecti ſub Iechonia, *ſecundis* qui ſub Sedecia.

In morticinis idolorum ſuorum] *Cadaveribus deorum ſuorum.* Id eſt, victimis humanis. Vide infrà XIX. 5. & Ezechielis XVI. 20.

Et abominationibus ſuis] Idolis.

19. *Domine, fortitudo mea*] Arripit Ieremias pollicitationem Dei de reducendo populo, & cum gaudio approbat.

Ad te gentes venient] Magni greges Iudæorum.

Verè mendacium poſſederunt patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit] Spes habuerunt malè collocatas: hoc dicent experimento edocti.

20. *Numquid faciet ſibi homo deos, & ipſi non ſunt dii?*] Id eſt, *qui Dei non ſunt.* Fierine poteſt ut humana audacia id jus ſibi ſumſerit, ex non diis faciendi deos? Tertullianus Apologetico, *Apud vos de humano arbitratu divinitas penſitatur; niſi homini Deus placuerit, Deus non erit: homo jam Deo propitius eſſe debebit.*

21. *Iccirco ecce ego oſtendam eis per vicem hanc, oſtendam eis manum meam, & virtutem meam*] Reſpondet Deus Prophetæ, quia rem tam fœdam, Ieremiâ fatente, admiſerant Iudæi, ſe manifeſta daturum divinitatis ſuæ indicia. *Manum* intellige in illis puniendis, *virtutem* ſive *potentiam* in reducendis.

Et ſcient quia nomen mihi Deus] יהוה, id eſt, qui in promiſſis mihi conſtem. Vide Exodi VI. 2.

CAPVT XVII.

1. PEccatum *Iuda ſcriptum eſt ſtylo ferreo in ungue adamantino*] Meliùs Chaldæus: *& ungue adamantino.* Eſt enim utrobique ב nota inſtrumenti. *Vnguis adamantis* eſt acumen ejus quo ſcribi ſolet. Vide Paraphraſten Hieroſolymitanum Deuteronomii XXXII. 13. Senſus eſt: Ego durè eos tractando faciam ut meminerint quæ & quanta peccaverint. Pro *ſcriptum eſt*, rectè verteris *ſcribetur.*

Exaratum ſuper latitudinem cordis eorum] *Sculptum* (ſupple, *erit*) *in tabula cordis eorum.* Solebant ab idololatris περίαπτα [*amuleta*] quædam ſuſpendi ad cor, in quibus erant deorum nomina, aut χαράγματα [*inſignia*], aut numeri. Ad ea alludens dicit illam idololatriam non facilè abituram ab ipſorum corde, ob pœnas ſcilicet quas ſint ſenſuri.

Et in cornibus ararum eorum] In cornibus ararum ſcribi ſolebant deorum nomina. Vide Act. XVII. 23. Ad eum morem alludens hoc ſignificat, fore ut illis cornibus transfodiantur, id eſt, peſſimè tractentur ob iſta facta. Confer Pſalm. XXII. 22.

2. *Cùm recordati fuerint filii eorum ararum ſuarum*] In Hebræo: *Secundùm recordari filios ararum ſuarum.* Senſus eſt: ut recordentur diu quid fecerint.

3. *Montane in agro*] Id eſt, ô tu Hieroſolymita, qui in agro optimo montem Sionis inhabitas.

Fortitudinem tuam] Id eſt, opes tuas, vaſa, gemmas, veſtes.

Omnes theſauros tuos] *Congeſta argenti pondera & auri.*

Excelſa tua propter peccata in univerſis finibus tuis] Meliùs: & *excelſa tua* quæ tibi *in peccatum* fuêre *in universis finibus tuis:* Omnia hæc, ait Deus, diripientur.

4. *Et relinquêris ſola ab hereditate tua*] Verſio optima & Chaldaïcæ congruens, *Et intermiſsionem facies tu, & qui tecum ab hereditate tua;* id eſt, cogêris non unum annum, ut lex præcipit Exod. XXIII. 11. Levit. XXV. 3. 4. ſed multos annos tu cum domeſticis tuis ceſſare à colenda terra, nimirum ut olim comminatus fui Levit. XXVI. 34.

Vſque in æternum ardebit] In Hebræo: *in ſeculum*, id eſt, diu.

5. *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor ejus*] Id eſt, *cùm interim à Domino recedat ejus cor.* Similis additio Eſaiæ XXXI. 1. *Carnem*, id eſt, hominem mortalem, omnibus caſibus obnoxium. *Brachium*, id eſt, potentiam.

6. *Erit enim quaſi myricæ in deſerto*] ערער, alii *myricam*, alii *juniperum* vertunt: quo ſenſu & Arabes vocem eandem uſurpant.

Et non videbit cùm venerit bonum] Id eſt, quæ, cùm tempus venerit arboribus fructum eſculentum proferendi, ipſa nihil profert tale. Hunc ſenſum nobis indicat membrum oppoſitum.

In terra ſalſuginis & inhabitabili] *Qualis terra Sodomorum*, ait hîc Chaldæus.

8. *Lignum quod tranſplantatur ſuper aquas*] *Quaſi arbor plantata propter aquæ rivum.*

Et in tempore ſiccitatis] Ἀβροχίας, ἀνομβρίας [*defectûs pluviæ*]. Eſt hîc eadem vox in Hebræo quæ ſuprà XIV. 1.

9. *Pravum eſt cor omnium*] *Doloſum.* De Iudæis pleriſque illius temporis loquitur.

Et inſcrutabile] Vox Hebræa אנש à Chaldæo vertitur, *validum*, id eſt, durum.

11. *Perdix fovit quæ non peperit*] In Hebræo: *Perdix ova fovet, ſed non parit.* Id eſt, ſæpe fit ut pullus non ſequatur, quia ova ſunt ſubventanea. Vide Ariſtotelem de Hiſtoria Animantium VI. 2. Plinium X. 33.

Fecit divitias & non in judicio] Iniquis modis opes ſibi quæſivit non manſuras.

In dimidio dierum ſuorum derelinquet eas] Vide Pſalmum LV. 24.

Et in noviſsimo ſuo erit inſipiens] Id eſt, tandémque apparebit ipſum non fuiſſe ſapientem, ſicut ſe eſſe putaverat.

12. *Solium gloriæ altitudinis à principio, locus ſanctificationis noſtræ*] Hîc Propheta ſe ſuóſque nonnullos opponit illis, de quibus Deus locutus fuerat. Locus, inquit, cultûs noſtri non ſunt excelſa & luci, ſed illud Templum magnificum abs te ipſo, ô Deus, jam à Solomonis temporibus ei rei deſtinatum.

13. *In terra ſcribentur*] Quæ in pulvere ſcribuntur, ea levi vento delentur.

Quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium, Dominum] Id eſt, ſcaturiginem omnis boni.

14. *Sana me Domine, & ſanabor*] Adfer ſolatium graviſſimis illis doloribus meis, de quibus queſtus ſum XV. 10. ut meliùs me habeam. *Salvum me fac, & ſalvus ero:* id eſt, protege me contra inimicorum machinationes, nè mihi noceant.

15. *Ipſi dicunt ad me: Vbi eſt verbum Domini? veniat*] Vbi tam diu moratur tuorum vaticiniorum eventus? Adſit. Ità illudebant Prophetæ.

16. *Et ego non ſum turbatus te paſtorem ſequens*] Meliùs, *Ego non cucurri poſt te, ut paſtor eſſem:* id eſt, non ambii munus hoc propheticum.

Et diem hominis non deſideravi] Hebræa punctatio requirit: *Diem doloris non optavi*, nempe popularibus meis. Sic & Chaldæus.

Tu ſcis: quod egreſſum eſt de labiis meis, rectum in conſpectu tuo fuit] In Hebræo, *Quod egreſſum eſt de labiis meis coram te fuit:* id eſt, à te proceſſit.

17. *Non ſis tu mihi formidini*] Id eſt, *exitio*, ut hîc Chaldæus; μετωνυμία [*tranſnominatio*].

18. *Duplici contritione contere eos*] Multiplici malo eos edoma.

19. *Hæc dicit*] *Hæc dixerat.*

Sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur Reges Iuda, & egrediuntur] Portam intelligit Vrbis quæ Regis palatio erat proxima.

Et in cunctis portis Ieruſalem] Nempe per quas populus intrare & egredi ſolebat.

21. *Cuſtodite animas veſtras*] Id eſt, attendite vobis ipſis.

Nolite portare pondera in die Sabbati, nec inferatis per portas Ieruſalem] Neque ipſi merces inferte, neque ab aliis inferri in Vrbem ſinite die Sabbati. Vide Nehem. XIII. 16. 17. 18.

22. *Et nolite ejicere onera de domibus veſtris in die Sabbati*] Sordes putà.

Et omne opus non facietis] Nempe *famulum.* Vide Decalogum.

Sanctificate diem Sabbati] Nempe *quietem ſervando.*

24. *Si audieritis me, inquit Dominus, ut non inferatis onera*] Συνεκδοχικῶς [*per complexionem*], id eſt, ſi & legem de Sabbato, & alias leges meas obſervaveritis.

25. *In curribus & equis*] Magnificè.

26. *De campeſtribus, & de montoſis, & ab Auſtro*] Diſtributio totius in ſuas partes. Nam ſortis Iudæ pars erat ad Auſtrum, pars in planis, pars in montanis locis, Ioſuæ XV.

Portantes holocauſtum & victimas] Tutò ſcilicet, nemine impediente.

27. *Succendam ignem in portis ejus*] In his ipſis portis per quas Ieremias meo mandato vos alloquitur.

Et devorabit domos Ieruſalem, & non exſtinguetur] Id eſt, non exſtinguetur donec omnes domos urbis abſumſerit. Illud *domos* in Hebræo eſt ארמנות, quod *domos turritas* ſignificat.

CAPVT XVIII.

2. *Deſcende in domum figuli*] *Deſcende*, ex Templo ſcilicet: nam ſub Templum erant figlinæ. Vide quæ ad Matth. XXVII. 10.

3. *Super rotam*] Sic & Chaldæus. Alii *ſellas* malunt interpretari, quomodo vox אבנים ſumitur Exodi I. 16.

4. *Et diſsipatum eſt vas quod ipſe faciebat è luto manibus ſuis*] *Quod fecerat.* Fractum autem ab ipſo, quia ei diſplicebat.

6. *Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea*] Id eſt, ità vos poſſum frangere & refingere.

7. *Repentè loquar*] *Tempore aliquo loquar*, ut hîc Chaldæus.

Vt eradicem & deſtruam] Tales minæ, ut & promiſſa, ſuam habent tacitam conditionem, *rebus ſic manentibus*. Vide Ionæ hiſtoriam. Non ergò propriè Deus aut pœnitentiam agit ſuorum decretorum, aut ea mutat, ſed ità agit quaſi mutet, cùm mutatio ſit in re, non in ipſo. Sic dicimus navigantibus terras recedere.

11. *Ego fingo contra vos malum*] *Fingam*. Manet enim in comparatione figuli.

Et cogito contra vos cogitationem] Id eſt, conſilio contra vos ſumpto.

12. *Qui dixerunt: deſperavimus*] *Deſperatum eſt*. ut ſuprà 11. 25.

14. *Numquid deficiet de petra agri nix Libani?*] Ex iis quæ jam ſequentur ἐν ἀποδόσει [*in redditione*], videtur hæc verſio eſſe optima: *An deſeret* (viator aliquis) *agrum præ rupe ac nive Libani?* Erítne aliquis tam ſtultus, qui iter confragoſum ac nivibus obſitum malit inire quàm vias planas?

Aut evelli poſſunt aquæ erumpentes frigidæ & defluentes?] *Aut deſeret* (ſitiens aliquis) *aquas fluentes præ corruptis gelu*: ut ſit tranſpoſitio quædam verborum, & defectus literæ מ ante נוזלים [*profluentes*].

15. *Quia oblitus eſt mei populus meus*] *Attamen oblitus eſt*. Eſt enim oppoſitio.

Fruſtra libantes] In Hebræo, *Adolentes rei vanæ*: id eſt, idolo.

Et impingentes in viis ſuis] In Hebræo, *fecerunt* (idola) *ut* (Iudæi) *errarent in itinere ſuo*.

In ſemitis ſeculi] In Hebræo hîc iterum deeſt מ, & ſenſus eſt, *à ſemitis antiquis*, quas Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Moſes, & Prophetæ inſtiterant.

Vt ambularent per eas in itinere non trito] *Vt irent per ſemitas viæ non complanatæ*: per confragoſa. Inſtat enim cœptæ comparationi.

16. *Vt fieret terra eorum in deſolationem*] *Vt fiat*: id eſt, hic erit exitus illarum pravarum actionum.

Et in ſibilum ſempiternum] *Sibilum longi temporis*. Sibilus apud omnes gentes ſignum contemtûs, 1 Regum IX. 8. Sic,

——— *Populus me ſibilat.* ———

Paſtoritia fiſtula apud Ciceronem.

Et movebit caput ſuum] Signum & hoc contemtûs, ut II Reg. XIX. 21. Matth. XXVII. 39.

17. *Sicut ventus urens diſpergam eos coram inimico*] In Hebræo, *Ventus ab Oriente*. Is violentus eſt illis in locis, & obvia quæque abripit, Iob. XXVII. 21.

Dorſum & non faciem oſtendam eis] In Hebræo, *cervicem*. Tergum alicui obvertere eſt averſantis.

18. *Cogitemus contra Ieremiam cogitationes*] *Accuſationes*; ut mox ſequitur, *percutiamus linguâ*.

Non enim peribit lex à Sacerdote, neque conſilium à ſapiente, neque ſermo à Propheta] Accuſatio hæc erit, Eum falſa vaticinari. Neque enim fieri poteſt ut Deus hanc terram ſibi dilectam ſinat eſſe ſine Sacerdotibus qui Legem doceant, & ſine Scribis qui obſcura enodent, & ſine Prophetis qui Dei voluntatem revelent. Confer quæ ſuprà v. 12.

19. *Attende, Domine, ad me*] Illi non attendunt: tu, Domine, attende.

20. *Foderunt foveam*] Sic vocat illam accuſationem. Vide & mox 22.

Steterim in conſpectu tuo] Miniſtraverim tibi.

21. *Da filios eorum in famem*] Nihil obſto ampliùs quin omnia efficias quæ minatus es, cùm tam obduratam eſſe ipſorum malitiam video.

CAPVT XIX.

1. HÆc *dicit Dominus*] *Dixit*. Narrat enim ſibi à Deo imperata.

Laguncŭlam figuli] *Lagenam fictilem*, quæ quàm facilè frangitur, tam facilè Deus fracturus erat populum Iudaïcum. *Lagena* בקבק nomen apud Hebræos habet ἐξ ὀνοματοποιΐας [*ex nominis fictione*], quia ſonus quem edit ſic non malè exprimitur.

A ſenioribus populi, & à ſenioribus Sacerdotum] Quis credat fictile emi potuiſſe à tot viris ſummatibus? Eſt omninò ἔλλειψις [*defectus*], aut σύλληψις [*complexus*] potiùs: nam קנית [*ſumere*] etiam huc, quanquam minùs propriè, poteſt referri: quod bene viſum & à Chaldæis, & à Græcis, ſi editionum poſteriores ſequimur, καὶ ἄξεις ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ καὶ ἀπὸ τῶν ἱερέων [*& adduces à Senioribus populi & Sacerdotibus*], ſupple τινάς [*aliquos*]. Eos tibi aſſume teſtes, nempe ex magno Synedrio, quod partim ex Sacerdotibus, partim ex aliarum tribuum hominibus conſtabat, nè quis poſtea excuſationem haberet de ignorantia: nam illi LXXII totum populum repræſentabant.

2. *Quæ eſt juxta introitum portæ fictilis*] Hebraïcè החרסות, aut החרסית: nam duplex eſt lectio. Quidam à חרס, quod *Solem* interdum ſignificat, intelligi volunt portam Soli orienti oppoſitam, de qua mentio apud Nehem. III. 29. At Chaldæus expoſuit תרע קלקלתא, id eſt, *portam ſterquilinii*. Vox חרסית, quæ hîc in Hebræo reperitur, Chaldæis *lutum* ſignificat. At חרש cum puncto in cornu Schin ſiniſtro, quod ferme idem eſt cum Samech, & ſæpiſſime permutatur, eſt *fictile*. Et hanc interpretationem cæteris præferam, ut illa fuerit porta extra quam figuli, qui proximè Templum vaſa in uſus Templi fabricabant, fragmenta fictilium abjiciebant, quò deinde & alias ſordes abjectas fuiſſe non eſt incredibile. Hanc interpretationem firmant quæ diximus ſuprà XVIII. 2. & quæ modò habebimus 10. & 14. & Zachar. XI. 13. *Vallis Ennomi*, ſive *Topheth*, & Cedron torrens proximè Templum fuêre: ibidem figuli intra portam, & extra portam iſta loca ejectamentorum.

3. *Reges Iuda*] Id eſt, Rex & Auguſta. Vide ſuprà XIII. 18.

Ità ut omnis qui audierit illam, tinniant aures ejus] Locutio Hebræa, 1 Sam. III. 11. II Reg. XXI. 12. Senſus eſt: aures omnium hoc nuntio quaſi tonitru percellentur.

4. *Et alienum fecerint locum iſtum*] Templum profanarint. Vide quæ ſuprà VII. 30.

Et libaverint in eo] *Adoleverint*: ut ſuprà jam aliquoties notavimus.

Et repleverunt locum iſtum ſanguine innocentum] Puerorum. *Locum iſtum* cùm dicit, digito vallem Ennomi demonſtrat, quæ non longè erat à Templo, ubi hic ſermo habitus. Vide Pſalm. cvi. 37. ſuprà vii. 31.

5. *Quæ non præcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum*] Repetita ex illis ſuprà vii. 31.

6. *Sed vallis occiſionis*] Nempe non puerorum, ſed virorum; non innocentium ſed eorum qui id ſunt meriti. Repetita & hæc ex eodem capite vii. 32.

7. *Et diſſipabo conſilium Iuda & Ieruſalem in loco iſto*] Adhuc vallem Ennomi ſive Hinnomi demonſtrat, ubi pars futura erat caſtrorum Chaldaïcorum.

8. *In ſtuporem & ſibilum*] Vide ſuprà xviii. 16. Idem loquendi genus infrà l. 13.

9. *Et cibabo eos carnibus filiorum ſuorum*] Horrenda, ſed vera. Simile habuimus ii Reg. vi. 28. & aliud in Ioſepho vii. 8. belli Iudaïci.

10. *Et conteres laguncul am in oculis virorum*] Mos vetus in Oriente, & apud alias gentes, non vocibus tantùm ſed & rebus loquendi: indè σύμβολα [*res ſignificantes*].

11. *Quod non poteſt ultrà inſtaurari*] Lagena fracta non inſtauratur, ſed ex eadem materia fit alia lagena, ſuprà xviii. 4. Sic Deus novum fecit populum Iudaïcum, non eundem ex iiſdem, ſed per ſuffectionem.

Et in Topheth ſepelientur, eò quòd non ſit alius locus ad ſepeliendum] Rectiùs: *Ità ut non* (ſufficiat) *locus ad ſepeliendum*, ut diximus ſuprà vii. 32.

12. *Loco huic*] Iam ex Templo Vrbem monſtrat, ut ſequentia indicant.

13. *Et erunt domus Ieruſalem & domus Regum Iuda ſicut locus Topheth, immundæ*] Id eſt, plenæ cadaveribus. Illud *domus Regum Iuda* negat Hieronymus in Hebraïcis ſui temporis exemplaribus fuiſſe. At eſt in noſtro, & in Chaldaico, non minùs quàm in Græco. Vides varietatem exemplarium.

In quarum domatibus ſacrificaverunt omni militiæ cæli] Id eſt, *in tectis planis*, ſive *ſolariis*, quæ Græci δώματα, Hebræi גגות vocant. Vide quæ ad Matthæi x. 27. Nam talia tecta pro excelſis uſurpabantur, eò quòd liber ibi eſſet ſiderum conſpectus.

14. *Et ſtetit in atrio domûs Domini*] Neque enim longè à Topheth erat Templum. *Atrium* intelligit ſubdiale maximum.

Et dixit ad omnem populum] Cùm maxima eſſet frequentia.

CAPVT XX.

1. *Et audivit Phaſſur filius Emmer Sacerdos, qui conſtitutus erat princeps in domo Domini*] Id eſt, ex ſacerdotali familia ἐφημερίας [*functionis per vices*] decimæ ſextæ, i Paralipom. xxiv. 14. *Princeps* נגיד in Templo: id eſt, στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Prætor Templi*], cui jus erat prehenſionis in eos qui in Templo delinquebant, ut diximus ad Matth. xxvi. 47. ad Lucam xxii. 4. Iudicium autem non erat penes illum, aut penes Sacerdotes ſolos, ſed penes Synedrium, in quo plerumque multi erant è Sacerdotibus. Vide infrà xxvi.

2. *Et percuſſit Phaſſur Ieremiam Prophetam*] Id eſt, manum ei injecit: quomodo & Græca vox πατάσσειν [*percutere*] ſumitur Matth. xxvi. 31. & Marci xiv. 27. ubi in Syriaco eſt מחא, idem ſignificans quod id quod hîc habemus נכה. Hoc autem נכה per ἁλίσκειν [*capere*] vertitur Ezechielis xxxiii. 21. xl. 1.

Et miſit eum in nervum] Id eſt, *in carcerem*, ut hîc habet Chaldæus. LXX καταρράκτην [*portam penſilem*] vocant; infrà xxix. 26. ἀπόκλεισμα [*clauſtrum*]. At Symmachus modò βασανιστήριον [*quæſtionarium*], modò στρεβλωτήριον [*locum cruciatuum*]. Is qui Paralipomena interpretatus eſt φυλακὴν [*cuſtodiam*]. Ajunt quidam fuiſſe cippum factum ex lignis, in quibus erant foramina, unum per quod collum, duo altera per quæ manus trajiciebantur.

Quod erat in parte Benjamin ſuperiori] Id eſt, in ſumma porta illa quæ à *Benjamine* dicebatur.

In domo Domini] In Templi appendicibus.

3. *Non Phaſſur vocavit Dominus nomen tuum*] Id eſt, *augeſcentem principem* à פוש & חור.

Sed pavorem undique] *Magor miſabib*, id eſt, exitium undique: nam id per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*] *formidinis* nomine appellant Hebræi, Græci à גור, quod eſt *migrare*, vertunt μέτοικον [*advenam*], aut verbis ſimilibus. Vide hîc Hieronymum.

6. *Quibus prophetaſti mendacium*] Nempe dicens fieri non poſſe ut Deus hanc terram relinqueret ſine *Sacerdotibus, Prophetis & Doctoribus*. Vide ſuprà v. 31. & xviii. 38.

7. *Seduxiſti me, Domine, & ſeductus ſum*] Hîc jam incipiunt queſtus Ieremiæ cùm eſſet in illo carcere, Iobi queſtibus non multùm diſſimiles. Optimè autem vertas: *Si tu me ſeduxiſti, Domine, ſeductus ſum.* Iſti homines ajunt me falſa vaticinari; at ego decipi non poſſum, niſi tu me deceperis, cui fidem habui.

Fortior me fuiſti, & invaluiſti] Tu qui multò me es validior, hoc onus vaticinandi mihi impoſuiſti: quomodo detrectare potui?

Factus ſum in deriſum totâ die] Attamen cùm faciam quod mei eſt muneris, irrideor, vexor, excrucior.

8. *Factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium*] Nempe quia non illico eveniebant quæ dixerat. Atqui δίκη [*Iuſtitia*], ut ait Euripides.

——— σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρπτει.
[——— *greſſu neutiquam obſervabili*
Tardóque vadit.]

9. *Et dixi, Non recordabor ejus, neque ultrà loquar in nomine ejus*] Cogitatio hæc interdum mihi incidit, rectiùs tutiúſque me facturum, ſi mihi mandata ſilentio premerem.

Et factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clauſúſque in oſſibus meis, & defeci, ferre non ſuſtinens] Repreſſit illam cogitationem metus pœnæ à Deo inferendæ, ſicut Apoſtolus ait i Corinth. ix. 17. ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται. οὐαὶ δέ μοι ἐστὶν ἐὰν μὴ εὐαγγελίζω [*neceſſitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi eſt niſi euangelizavero*]. Non abludit illud Lucani:

——— *magnóque exæſtuat igne*
Iratum te, Phœbe, ferens: nec verbere ſolo
Vteris & ſtimulis, flammáſque in viſcera mergis.

10. *Audivi enim contumelias multorum*] Meliùs, *audivi*

audivi quidem : ut ſit præparatio ad id quod mox ſequitur, *Dominus autem.*

Et terrorem in circuitu] Meliùs, *Magormiſabib :* quod nomen Ieremias Phaſſuri indiderat ſuprà 3. Audivi, inquit, jampridem quas inſidias ille & ſodales ejus mihi tenderent.

Perſequimini, & perſequamur eum] Melius : *annuntiate & annuntiabimus.* Hoc illi dicebant amicis Ieremiæ, ut ſequitur, Indicate nobis aliquid mali de ipſo, ut nos indicium faciamus Synedrio, & ſic eum opprimamus.

Ab omnibus viris qui erant pacifici mei, & cuſtodientes latus meum] Meliùs in dativo, *omnibus viris :* ſupple *talia dicebant homines Phaſſuris.*

Si quo modo decipiatur] Si qua fortè in re dixerit repugnantia, aut aliter εὐδιάβλητα [*in calumniam patentia*].

Et prævaleamus adverſùs eum] In judicio Synedrii.

11. *Quia non intellexerunt opprobrium ſempiternum quod nunquam delebitur*] Meliùs : *Non ſuccedet res eis :* imò ſequetur eos *infamia æterna quæ nunquam delebitur.* Quod verè prædixiſſe Prophetam res ipſa comprobat. Eſt enim in hunc diem infame nomen eorum qui Prophetæ exitium machinati ſunt.

12. *Probator juſti*] Qui virorum bonorum conſtantiam multis modis exploras.

Tibi enim revelavi cauſam meam] Id eſt, commendavi. μετωνυμία [*tranſnominatio*], qualis ſuprà XI. 20.

13. *Liberavit animam pauperis de manu malorum*] Liberatio hæc contigiſſe videtur cùm Ioachino ſive Iechoniæ in regnum ſucceſſit Sedecias. Id colligi videtur ex capitibus duobus ſequentibus.

14. *Maledicta dies in qua natus ſum*] Subauditur hìc *dixeram*, nempe in carcere iſto detentus. Confer Iobum III.

16. *Sit homo ille ut ſunt civitates quas ſubvertit Dominus, & non pœnituit eum*] Id eſt, *quæ ità everſæ ſunt, ut nè nunc quidem habitentur*, ut hìc expoſuit Chaldæus. Reſpicit Propheta Sodoma & vicinas urbes.

17. *Qui non me interfecit à vulva*] Imò *in utero*, id eſt, unà cum matre : quem ſenſum requirunt ſequentia.

Et vulva ejus conceptus æternus] *Et uterus ejus prægnans perpetuò :* id eſt, ſine partu.

CAPVT XXI.

1. R*Ex Sedecias*] Hæc aliquantò ſunt poſteriùs geſta quàm editæ iſtæ quas habuimus prædictiones. Cùm hæc ſcriberet liber fuit Ieremias, & incepit impleri quod habuimus ſuprà XV. 19.

Phaſſur filium Melchiæ] Alius eſt hic Phaſſur ab eo de quo actum capite præcedente. Nam ille erat ἐφημερίας [*vicis*] decimæ ſextæ, hic verò quintæ, ut videre eſt 1 Paralipom. XXIV. 9. Sacerdotibus in his libris cognomen additur non ex patre, ſed ex familia.

Et Sophoniam filium Maaſiæ]Id eſt, ἐφημερίας [*vicis*] viceſimæ quartæ. Vide 1 Paralipom. XXIV. 18.

2. *Præliatur adverſùm nos*] LXX : ἐφέστηκεν ἐφ' ἡμᾶς [*bellum nobis infert*].

Si fortè faciat Dominus nobiſcum ſecundùm omnia mirabilia ſua] Id eſt, ſciamus an Deus nobis adeſſe velit potentiâ ſuâ admirabili, ut cùm Sennacheribus nos obſedit.

Et recedat à nobis] Nempe Nabuchodonoſor, divinâ virtute coactus.

4. *Ecce ego convertam vaſa belli, quæ in manibus veſtris ſunt*] Vertam in alios longè uſus quàm quibus deſtinata ſunt.

Et congregabo ea in medio civitatis] Id eſt, efficiam ut Vrbe irruptâ arma veſtra omnia vobis erepta adferantur in locum aliquem urbis veſtræ, quem ad id elegerint victores Chaldæi.

5. *Et debellabo ego vos in manu extenta*] Per Chaldæos. Verba omnia magnifica. *Ego*, fame & peſte, ut ſequentia explicant.

7. *In manu inimicorum eorum*] Sub poteſtatem hoſtium.

Et percutiet eos in ore gladii] Vide quàm diſtinctè hæc prædicta, non ut Λοξίου θεσπίσματα [*oracla flexiloqui Dei*]. Confer II Reg. XXV. 6.7. *Eos*, nempe filios Sedeciæ, multos ex proceribus & populo. Sedecias ipſe, ità ut Ieremias infrà XXXIV. 4. & Ezechiel IX. 13. prædixerunt, mortuus eſt Babylone, morte quidem non violentâ, ſed haud dubiè ex mœrore contractâ.

8. *Ecce do coram vobis viam vitæ, & viam mortis*] Enuntiabo vobis conditiones per quas ſalvi eritis, aut peribitis. Si vos deditis Regi Chaldæo, vivetis; ſin minùs peribitis. Hæc vera erant; ſed quanto cum periculo dicerentur nemo non intelligit. Tamen dicenda erant. Et fecit Propheta quod erat officii ſui. Libertas προαιρέσεως [*humanæ electionis*] hìc oſtenditur, ut multis aliis in locis.

10. *Poſui enim faciem meam ſuper civitatem hanc in malum, & non in bonum*] Maligno vultu illam aſpiciam. Vide Levit. XVII. 10. & XX. 5.

In manu Regis Babylonis dabitur] Veniet in ejus poteſtatem, ut ſuprà 7.

11. *Domui Regis Iuda*] Sedeciæ, matri, uxoribus, filiis ejus.

12. *Iudicate manè judicium*] Diximus alibi judicia in illis locis tantùm manè exercita. Vide quæ ad Iobum XXIV. 17. Rex Duarum Tribuum etiam ipſe judicare poterat : & curam adhibere in Synedrio nè per ſordes judicaretur.

Et eruite vi oppreſſum de manu calumniantium] Semper hic interpres עשק, quod eſt *concutere*, ut Iuriſconſulti Romani loquuntur, vertit *calumniari*, minus accuratè.

Nè fortè egrediatur ut ignis indignatio mea, & ſuccendatur, & non ſit qui exſtinguat, propter malitiam ſtudiorum veſtrorum] Etiam decretis Dei contra Vrbem obſignatis, poterat ſervari Rex, & ejus domus, & pii alii, non minùs quàm Ieremias ſervatus eſt, & Abdemelech, tótque alii.

13. *Ecce ego ad te habitatricem vallis ſolidæ, atque campeſtris*] Meliùs : Nunc *ad te* me verto (ô civitas) quæ *habitas vallem*, quæ (velut) *rupes planitiei* (immines). Vrbs Hieroſolyma magnâ ſui parte in montibus ſita latè valles, Raphaïmorum

putà & Hinnomi, deſpiciebat. Vide Ioſuæ xv. 8.

14. *Et ſuccendam ignem in ſaltu ejus*] Mutatio perſonæ frequens Hebræis; deinde μετωνυμία [*transnominatio*]. nam *ſilvam* vocat domos è cedro exſtructas. Vide mox xxii. 7. Adde ii Regum xxv. 9. ii Paralipom. xxxvi. 19. infrà lii. 13.

CAPVT XXII.

1. HÆc dicit Dominus] *Hæc dixit*. Ieremias enim Sedeciæ loquens ſimul repetit quæ Regibus antecedentibus, fratri ſcilicet ipſius Sedeciæ, fratriſque filio prædixerat, nè quid haberent quod de tam gravi Dei ultione conquererentur.

2. *Rex Iuda*] Qui ii Reg. xxiii. 30. *Ioachaz* vocatur, hîc verò infrà 11. & i Paralipom. iii. 15. *Sellum*, quod *retributionem* ſignificat, omine ipſi non bono.

3. *Facite judicium*] Ius ſanctè reddite.

Et juſtitiam] Beneficentiam exercete.

Liberate vi oppreſſum de manu calumniatoris] Suprà xxi. 12.

Et advenam, & pupillum, & viduam nolite contriſtare] Suprà vii. 6.

Et ſanguinem innocentem nè effundatis in loco iſto] Dicto loco vii. 6.

4. *Ingredientur per portas domûs hujus*] Palatii. Vide ſuprà 1.

Reges ſedentes de genere David ſuper thronum ejus] Vt ſuprà xvii. 25.

6. *Galaad, tu mihi caput Libani*] Noli aut opibus, aut ſitu loci nimiùm confidere. Galaaditis regio eſt opulentiſſima. Vide Geneſ. xxxvii. 25. & ſita eſt in ipſo Libano. Attamen vaſtata eſt per Teglathphalaſarem, ii Regum xv. 29. idem huic regiæ eveniet.

Si non poſuero te ſolitudinem] Nè habear verax, niſi id facio.

7. *Sanctificabo ſuper te*] *Præparabo & inſtruam contra te*, ut ſuprà vi. 4. infrà li. 27.

Electas cedros tuas] Vnde fabricata erat regia, Cant. i. 16.

10. *Nolite flere mortuum, neque lugeatis ſuper eum fletu*] Regem Ioſiam, qui in prælio contra Ægyptium glorioſè occubuerat, ereptus adventantibus malis: ii Reg. xxiii. 29. 30. xxii. 20. Eſaiæ. lvii. 1.

Plangite eum qui egreditur] Qui evehetur hinc in Ægyptum per Necaonem. Is eſt ipſe Sellum, ut ſequitur, qui *Ioachaz*, ut diximus ii Reg. xxiii. ubi vide comma 33.

11. *Qui egreſſus eſt de loco iſto*] *Egreſſurum illum de loco iſto*: nempe Rege Ægypti cogente.

13. *Væ qui ædificat domum ſuam in injuſtitia*] *Fecit enim Ioachaz malum coram Domino*, ut legimus ii Regum xxiii. 32.

Et cœnacula non in judicio] Non datâ, ut ſequitur, operantibus mercede, contra legem Levit. xix. 13. Deuteronom. xxiv. 14.

Amicum ſuum opprimet fruſtra] Qui popularem ſuum nulla juſta de cauſa malis premit.

14. *Qui dicit: Ædificabo mihi domum latam*] *Latè patentem*, ut ſolent Reges quibus pecunia abundat.

Et cœnacula ſpatioſa] In Hebræo, *vento expoſita*, qualis Anaſtaſii Imperatoris ædes Conſtantinopoli dicta *Magnaura*. Lxx hîc ῥιπιστά [*perflata*].

Qui aperit ſibi feneſtras] In omne latus.

Pingitque ſinopide] In Hebræo, ששר. Græci hîc μίλτον [*minium*] vertunt, alibi χρώματα [*colores*]. Sunt qui *Indicum* ſignificari putant.

15. *Numquid regnabis, quoniam confers te cedro?*] Pro ארז, quod *cedrum* ſignificat, Lxx manifeſtè legerunt אחז [*Achazo*], ut ſenſus eſſe poſſit longè optimus: *Ideóne te diu ac feliciter regnaturum putas quòd Achazi exemplo peccas?* de quo vide ii Regum xvi. & ii Paralipom. xxviii. חרה, quod verbum hîc habemus in Hebræo, alibi vertitur ἁμαρτάνειν [*peccare*], alibi πονηρὸν εἶναι [*malum eſſe*].

Pater tuus numquid non comedit & bibit?] Id eſt, fuit in rebus proſperis diu Ioſias.

16. *Numquid non ideo quia cognovit me? dicit Dominus*] *Cognoſcere Deum* dicuntur qui factis oſtendunt ſcire ſe quid Deo placeat, quod fecerat Ioſias.

18. *Propterea hæc dicit Dominus ad Ioakim filium Ioſiæ*] לכן optimè vertes *præterea*, & *dixit*, pro *dicit*. Nam Ieremias, ſicut retulerat Sedeciæ ea quæ fratri ejus Ioachazo, ſive Sellumo ex Dei mandato antehac dixerat, ità pergit referre quæ Ioakimo quondam regnanti, itidem fratri Sedeciæ, dixerat; venturus deinde ad Iechoniam, qui proximè in regno Sedeciam præceſſerat; ut, ſicut modò diximus, ultionis ejus quam Deus ſumere parabat juſtitia, ex tot monitis ac minis antecedentibus apertior fiat.

Non plangent eum, Væ frater, & væ ſoror] *Ah frater, & ah ſoror*. Ità in luctu dicebant conſanguinei.

Non concrepabunt ei, Væ domine, & væ inclyte] *Non flendo dicent, Ah Domine, & ah decus ejus*: id eſt, *regnum*, ut bene hîc exponit Chaldæus. Ità ſolebant in luctu dicere ſubditi.

19. *Sepulturâ aſini ſepelietur*] Sine honore.

Extra portas Ieruſalem] Meliùs: *Longè à portis*. Id enim eſt Hebræum מהלאה, & Græcum ἐπέκεινα [*procul*]. Vide Geneſ. xix. 9. & Amos v. 27. Ioakim à Chaldæis latronibus, quorum mentio ii Regum xxiv. 2. abductus eſt in Babylonem, ut legimus ii Paralipomen. xxxvi. 6. ibi interiit longè à patria, longè à ſuis.

20. *Aſcende Libanum, & clama, & in Baſan da vocem tuam*] Hæc etiam dixerat Ieremias civitati Hieroſolymorum, antequam aveheretur Rex Ioakim; *Clama ad* Syros *amicos tuos*: nihil tibi proderunt.

Et clama ad tranſeuntes] In Hebræo: *Trans vada*, Nili ſcilicet. Clama etiam quantum lubet ad Ægyptios, non juvabunt te.

Quia contriti ſunt omnes amatores tui] *Amici tui*. Vide ii Regum xxiv. 7.

21. *Locutus ſum ad te in abundantia tua*] *Ad te*, ô Hieroſolyma. *In tranquillitatibus tuis*: cùm adhuc tuta ac ſecura viveres.

Hæc eſt via tua ab adoleſcentia tua] Iam pridem eſt quod mea monita ſpernis. Vide ſuprà ii. 2. Eſaiæ xlvii. 12.

22. *Omnes paſtores tuos paſcet ventus*] Reges tuos omnes ac Principes vana ſpes lactat.

Et amatores tui in captivitatem ibunt] Ægyptii. Vide infrà XLVI.

23. *Quæ ſedes in Libano, & nidificas in Cedris*] Idem bis dixit: nam per *Libanum* Libani arbores, quarum præcipuæ *cedri*, intelliguntur, ex quibus Templum, palatium, ac præcipuæ domus Hieroſolymorum ædificatæ erant. Confer Zach. XI. 1.

Quomodo congemuiſti?] *Ingemiſces.*

24. *Vivo ego, dicit Dominus*] *Dixit Dominus.* Venit jam ad ea quæ olim Iechoniæ prædixerat, filio fratris Sedeciæ.

Si fuerit Iechonias filius Ioachim Regis Iuda annulus in manu dextera mea, indè evellam eum] In Hebræo hîc eſt כניהו [*Chonjahu*], ablato Iod, quod intium facit nominis, & addito ad finem ו. Prius illud eventuram ipſi capitis deminutionem ſignificat: alterum eſt contemtûs nota, quaſi dicat, *Conia ille. Etiamſi*, inquit Deus, *antehac eum tam carum habuiſſem, & ſollicitè cuſtodiſſem, quàm haberi ac cuſtodiri ſolet gemma ſignatoria quæ eſt in annulo* (id propriè חותם, ut & Græci & Chaldæus hîc accepêre) *tamen nunc, cùm facinora ejus video, eum abjicerem.* Pro *evellam eum*, in Hebræo eſt, *evellam te.* Miſcent enim Hebræi ſæpe perſonas.

26. *Et mittam te, & matrem tuam quæ genuit te*] Noheſtam: de cujus flagitiis vide ſuprà XIII. 18. & ſequentibus. Vide implementum II Regum XXIV. 12. & 15.

In terram alienam] Babylonem, ut videre eſt dicto loco hiſtoriæ Regum, & II Paral. XXXVI. 10.

27. *Et in terram ad quam levant ipſi animam ſuam, ut revertantur, non revertentur*] In Iudæam, quò redire ardentiſſimè deſiderant.

28. *Numquid vas fictile atque contritum vir iſte Iechonias? numquid vas abſque omni voluptate*] Eſt objectio Iudæorum fidem Ieremiæ verbis non habentium. Verba Hebræa ſic habent: *An* ut ſculptile *vile atque confractum* eſſet (ſcilicet apud Deum) *vir iſte Iechonias, aut ut vas quod diſplicet?* id eſt, *quiſquiliæ*, ut hîc vertiſſe Symmachum ait Hieronymus. An ità Deus, ajebant, Regem noſtrum haberet deſpicatui?

Quare abjecti ſunt ipſe & ſemen ejus, & projecti in terram quam ignoraverunt?] Verte: *Quare repudiarentur ipſe & ſemen ejus, ac projicerentur in terram ignotam?*

29. *Terra, Terra, Terra, audi ſermonem Domini*] Reſpondet Ieremias, & ter inclamans Iudæam, quò notabilior ſit obteſtatio, planè aſſeverat hoc eſſe Dei conſtitutum.

30. *Scribe*] Vt memoria dictorum meorum permaneat, quæ probabit eventus. Refer in acta me hoc dixiſſe.

Virum iſtum ſterilem] Deceſſurum nullo filio relicto: id enim Hebræis eſt ערירי [*illiberis*].

Virum qui in diebus ſuis non proſperabitur] Infelicem eum fore toto vitæ tempore.

Nec enim erit de ſemine ejus vir qui ſedeat ſuper ſolium David, & poteſtatem habeat ultrà in Iuda] In Hebræo: *Non proſperaturum de ſemine ejus.* Quod Græci dicunt οὐ μὴ αὐξηθῇ ἐκ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ [*non augebitur ex ſemine ejus*]. Non erunt ei ſuperſtites, ut ſperare poſſit unquam regnum ad ſuam poſteritatem rediturum, aut etiam dignitatem aliquam regno minorem. Vide quæ de hac re diximus ad Lucæ III. 23.

CAPVT XXIII.

1. VÆ *paſtoribus*] Hæc omnia uſque ad caput XXVIII. commemorationem continent ab Ieremia factam apud Sedeciam, de ſermonibus ante Sedeciæ tempora diverſis locis ac temporibus à ſe habitis, ac congruentibus cum iis quæ nunc Sedeciæ dicere cœperat, ut Dei in decretis ſuis & æquitas & conſtantia magìs appareret, ut jam aliquoties diximus. In hoc capite deſcripturus peccata quæ erant in omnium ordinum hominibus, Iechoniâ regnante, incipit à Principibus. Confer Ezechielis XXXIV. 2.

Qui diſperdunt & dilacerant gregem] Malo ſuo exemplo cauſa ſunt cur multi ex populis ſint interituri gladio hoſtili, peſte, ac fame, multi verò diſpergendi in terras exteras.

2. *Qui paſcunt populum meum*] Nomine, non re.

Et non viſitaſtis eos] Non habuiſtis eorum curam quam debebatis.

Ecce ego viſitabo ſuper vos malitiam ſtudiorum veſtrorum] Puniam. Luſus ex ambiguo; nam פקד & *curare* & *punire* ſignificat.

3. *Et ego congregabo reliquias gregis mei*] Mitiùs eos tractabo qui alieno exemplo peccarunt, quàm qui peccandi auctores aliis fuerunt; Confer quæ infrà cap. XXIV. & Zachar. X. 3.

Et creſcent, & multiplicabuntur] Vt ſanè evênit poſt reditum.

4. *Et ſuſcitabo ſuper eos paſtores, & paſcent eos*] Principes bonos, quales Eſdra & Nehemias.

Non formidabunt ultrà, & non pavebunt] Vivent ſecuri ſub præſidio potentiſſimo Regum Perſarum.

Et nullus quæretur ex numero] Diutiſſimè vivent. Vide Iſaiam LXV. 20.

5. *Ecce dies veniunt*] Venient poſt annos ferme ducentos.

Et ſuſcitabo David] Id eſt, *Davidi.*

Germen juſtum] Zorobabelem, qui צמח [*germen* aut *ſurculus*], ut hîc appellatur ità & Zachariæ VI. 12. nimirum quòd velut ſurculus renatus eſſet ex arbore Davidis, quaſi præciſa. *Iuſtitiæ* nomine commendatur Zorobabel etiam apud Zachariam IX. 9.

Et regnabit Rex, & ſapiens erit] Nomen quidem *Regis* & regni inſignia non ſumſit ſibi Zorobabel, ſed à ſuis pro Rege cultus fuit, quantum res ferebant, vera quippe Davidis progenies: ideóque Rex appellatur etiam apud Zachariam IX. 9. & hîc infrà XXXIII. 17. figuram gerens Chriſti ſatis manifeſtam.

6. *In diebus illis ſalvabitur Iuda*] Id eſt, tutò vivet, ut ſequentia explicant.

Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum] Nempe populum.

Dominus juſtus noſter] Meliùs, *Dominus juſtitia noſtra*; id eſt, Deus nobis *bene fecit*: nam צדק

Hebræis ſæpe eſt *beneficentia:* neque aliter hîc ſumſit Chaldæus. Quod hîc de populo Iſraëlis, idem de civitate Hieroſolymorum infrà dicitur XXXIII. 16.

7. *Propter hoc*] Etiam hîc לכן meliùs vertas *præterea.*

Non dicent ultrà : Vivit Dominus qui eduxit filios Iſraël de terra Ægypti] Vide ſuprà XVI. 14. Sæpe eadem dixit Propheta quo magìs dicta hærerent animis.

9. *Ad Prophetas, contritum eſt cor meum in medio mei*] Meliùs hæc cohærent apud Chaldæum: *Propter Prophetas frangitur intra me cor meum. Prophetas* autem vocat, ſicut antea *paſtores*, qui tales credi volebant : κατὰ φάσιν [*ſecundùm id quod videbantur eſſe*]. Dicit his & ſequentibus verbis, ſe mirari illorum impudentiam, qui ſe venditarent nomine ad ſe nihil pertinente, tantùm ut populo palpum obtruderent, ac vitia nutriendo ſe nutrirent, quo nihil eſt ſceleratius.

Factus ſum quaſi vir ebrius & quaſi madidus à vino, à facie Domini, & à facie verborum ſanctorum ejus] Planè obſtupeſio conſiderans iram Dei, & illa quæ Deus eis juſtiſſimè minatur.

10. *Quia adulteris repleta eſt terra*] Dum illi qui ſe Prophetas falsò dicunt ad vitia connivent, & propter Terram ac Templum Domini ità viventibus omnia pollicentur proſpera, depravantur omnium mores.

A facie maledictionis luxit terra, arefacta ſunt arva deſerti] Id eſt, *ob juramenta* (falſa ſcilicet) *terra erit in luctum, campi omnes erunt ſine fruge.*

Factus eſt curſus eorum malus] Ibunt εἰς κόρακας [*ad corvos*].

Et fortitudo eorum diſſimilis] *Non recta.* Viribus quas habent malè utuntur: ideo eis eripientur illæ vires.

11. *Propheta namque & Sacerdos polluti ſunt*] *Impiè egerunt ;* id enim ſignificat חנפו.

Et in domo mea inveni malum eorum] In ipſo Templo idololatriam commiſerunt, II Regum XXI. 5. ſuprà XI. 15. & Ezech. VIII. 3. & ſequentibus.

12. *Iccirco via eorum erit quaſi lubricum in tenebris : impellentur enim, & corruent in ea*] Qui nocte in via lubrica ambulat, fieri non poteſt quin ſæpe ceſpitet, tandem & cadat. Sic illi pſeudoprophetæ experientur ſuo malo quàm falſa prædixerint.

13. *Et in Prophetis Samariæ vidi fatuitatem*] ו multos uſus habet in lingua Hebræa. Hîc valet *quidem.* Senſus enim eſt, *In Prophetis quidem Samariæ ſtultitiam deprehendi : nam vaticinantes nomine Baalis deceperunt populum Iſraël. At in Prophetis illis Hieroſolymitanis deprehendi res horrendas :* id eſt, multò plus habentes malitiæ.

14. *Vidi ſimilitudinem adulterantium, & iter mendacii*] Meliùs : *Vidi horrenda* hominum *adulterantium* veritatem *& ambulantium in mendacio.* Tantò pejores ſunt, quòd non in Baalis, ſed in meo nomine fovent vitia, meæ voluntati vel maximè adverſantia.

Et confortaverunt manus peſſimorum, ut non converteretur unuſquiſque à malitia ſua] Blanditi ſunt vitiis, omnia proſpera promittentes propter Templum, domum Davidis, ſacerdotium & ritus à Deo inſtitutos : atque eo modo multorum impedierunt converſionem, quo genere hominum nullum eſt exitialius. Vide II Timoth. III. 6.

Facti ſunt mihi omnes ut Sodoma, & habitatores ejus quaſi Gomorra] Non pluris eos facio quàm Sodomæ & Gomorræ cives, homines non errore aliquo ſed deſtinatò malos.

15. *Ecce ego cibabo eos abſinthio, & potabo felle*] Vide ſuprà IX. 15.

A Prophetis enim Ieruſalem egreſſa eſt pollutio ſuper omnem terram] Illi enim adulando vitia propagarunt.

16. *Viſionem cordis ſui loquuntur*] Loquuntur quod ipſis viſum eſt.

Non de ore Domini] Nullo Dei mandato.

17. *Et omni qui ambulat in pravitate cordis ſui*] *In duritie cordis ſui.* Eo ſenſu hæc vox ſumitur ſemper apud Rabbinos & Thalmudiſtas.

18. *Quis affuit in conſilio Domini, & vidit, & audivit ſermonem ejus? quis conſideravit verbum illius, & audivit?*] Ex conjectura, non ex revelatione loquebantur. Conjecturæ autem, ſi in Regum conſiliis, quantò magìs in conſiliis Dei, hominem fallunt? Similis eſt huic loco ille ad Romanos XI. 34. 35. contra Iudæos, qui ſolâ conjecturâ de voluntate Dei pro certo affirmabant, nolle Deum homines incircumciſos ſed pios ad vitam æternam admittere.

19. *Ecce turbo dominicæ indignationis egredietur*] *Procella ingens :* λαῖλαψ, καταιγὶς, κλύδων [*tempeſtas, procella, turbo*], quibus verbis verti ſolet סער.

20. *Non revertetur furor Domini*] Similitudo à nuntio ſumta. Sic ἐπιστραφήτω [*revertatur*] ponitur & Matthæi X. 13.

In noviſſimis diebus intelligetis conſilium ejus] Id eſt, *tandem :* ubi tempus venerit.

22. *Si ſtetiſſent in conſilio meo*] Si à me revelationes accepiſſent.

Et nota feciſſent verba mea populo] Et mea mandata elocuti eſſent, nihil addendo, aut demendo.

Avertiſſem utique eos à via ſua] Scripſit Interpres *avertiſſent*, ut & in Hebræo eſt & in Græco & in Chaldaïco. Dediſſent, ait, populo ea conſilia per quæ à peccatis ſanati ſimul & pœnas evaſiſſent.

23. *Putáſne Deus è vicino ego ſum, dicit Dominus, & non Deus de longè?*] Putatiſne me tantùm cœleſtia curare & non terreſtria?

24. *Si occultabitur vir in abſconditis, & ego non videbo eum?*] *Itáne ſe latebris involvet aliquis, ut ego eum non videam?*

Numquid non cœlum & terram ego impleo] Tum perſpicaciâ, tum efficaciâ. Vide Pſalm. CXXXIX. 7. 8. 9. 10.

27. *Propter ſomnia eorum*] Ex ὀνειροκριτῶν [*ſomnia interpretantium*] nugis vaticinia venditabant.

28. *Propheta qui habet ſomnium ut ſomnium*] Qui ſe Prophetam dicit ſi quid ſomniavit, narret ut ſomnium, non ut revelationem divinam.

Et qui habet ſermonem meum, loquatur ſermonem meum verè] Bonâ fide enuntiet quæ à Deo accepit, nihil ſubticeat, nihil addat de ſuo.

Quid paleis ad triticum?] Quid ſimile habent talia ſomnia cum revelationibus divinis?

29. *Numquid non verba mea ſunt quaſi ignis, dicit Dominus, & quaſi malleus conterens petram?*] Nemini parcens, nè duriſſimo quidem, cùm illi pſeudoprophetæ omnium auribus ac voluntatibus ſe accommodent.

30. *Qui furantur verba mea unuſquiſque à proximo ſuo*] Id eſt, ſuis mendaciis efficiunt nè homines Legi & veris Prophetis fidem adhibeant.

31. *Qui aſſumunt linguas ſuas*] Dicunt quod ipſis in mentem venit.

32. *Et in miraculis ſuis*] Chaldæus meliùs, *temeritate ſuâ.* Lxx, ἐν τοῖς πλάνοις αὐτῶν [*per deceptiones ſuas*]. פחז Chaldæis eſt *ſubſilire.*

33. *Dicens, Quod eſt onus Domini?*] משא Græci λῆμμα [*ſumtionem*] vertunt: & ſic hoc loco utitur Chryſoſtomus Sermone *Vtriuſque Legis eundem eſſe auctorem.* Latinus bene *onus*, & Aquila ἄρμα [*quod in humeros tollendum eſt*]. Eo enim titulo aut præfatione utebantur Prophetæ, ubi vulgaturi erant vaticinia dira atque triſtia, & gravia portatu. Quia verò hæc vox, ob longam patientiam Dei non ſtatim minas ſuas implentis, apud impios Iudæos in ludibrium verterat, ideo Ieremias graviter eos de hujus vocis irriſu increpat.

Dices: Vos eſtis onus, projiciam quippe vos] Luſus ex ambiguo. Nam onera gravia & inutilia projici ſolent. Et illos homines Deus plùs ſatis toleraverat. Vide & mox 38.

36. *Quia onus erit unicuique ſermo ſuus*] Id eſt, illa verba vocem oneris per riſum uſurpantium peſſimè ipſis cedent.

Et pervertiſtis verba Dei viventis] *Nam vos*, inquit, *Dei viventis verba in jocum vertiſtis.*

39. *Tollam vos portans*] Id eſt, *deportandos.* Bis hic eſt verbum נשא [*ferre*], unde derivatur משא, id eſt, *onus.*

40. *In opprobrium ſempiternum*] Vide ſuprà XX. 11.

CAPVT XXIV.

1. *Oſtendit mihi Dominus, & ecce duo calathi pleni ficis*] Id eſt, *oſtendit mihi duos calathos*, aut *duo caniſtra plena ficis.* Ieremias poſtquam Regi Sedeciæ commemoraverat quæ olim dixerat Regibus primùm, deinde Principibus, poſtea his qui Prophetæ haberi volebant, venit ad comparationem quandam inter Regem & Principes, interque populum, poſtremò monita additurus quæ ad populum ſolum pertinent: rerum quippe magìs quàm temporum ordinem perſequens.

Poſiti ante templum Domini] Quos de primitiis ad Templum tulerant agrorum domini.

Poſtquam tranſtulit Nabuchodonoſor Iechoniam filium Iojakim Regem Iuda & Principes ejus] Id eſt, ſtatim poſtquam illud acciderat, quod narratur II Regum XXIV. 10. Ità ipſo initio regni Sedeciæ exitum ejuſdem regni Propheta proſpexerat.

Et fabrum & incluſorem] Vide quæ dicta II Regum XXIV. 14.

2. *Vt ſolent ficus eſſe primi temporis*] Sunt enim ficus quædam, *quæ & præcoces & ſerotinos fructus ferunt*, Plinius XV. 18.

Malas nimis] Vt ex aſpectu patebat.

5. *Sicut ficus hæ bonæ; ſic cognoſcam tranſmigrationem Iudæ, quam emiſi de loco iſto in terram Chaldæorum in bonum*] Sicut tu ficus illas approbas; ità ego approbabo pœnitentiam quam agent aliquando iſti nunc deportati: quibus ideo Deus vitam produxit quia alieno exemplo peccaverant.

6. *Ponam oculos meos ſuper eos*] Favens eos reſpiciam.

Et ædificabo eos, & non deſtruam] Locabo eos hîc in certa ſede, quam feliciter obtenturi ſunt.

7. *Et dabo eis cor ut ſciant me, quia ego ſum Dominus*] Maximis beneficiis ità eos obligabo, ut mei immemores eſſe non poſſint.

Quia revertentur ad me in toto corde ſuo] Meliùs: *Poſtquam ad me reverſi fuerint in toto corde ſuo.*

8. *Qui remanſerunt in urbe hac*] Meliùs, *Qui remanebunt in urbe hac:* nempe poſt omnes deportationes.

Et qui habitant in terra Ægypti] *Et qui habitatum ibunt in terram Ægypti.* Illi ſcilicet de quibus II Regum XXV. 26. & infrà XLII. XLIII. XLIV.

9. *Et in parabolam*] De miſerrimo homine dicetur, *Tam miſer eſt quàm Sedecias.*

10. *Donec conſumantur de terra*] Id eſt, pereant, nunquam in patriam redituri.

CAPVT XXV.

3. A *Tertio decimo anno regni Ioſiæ*] Nam XXXI annis regnavit Ioſias. Ab his deme XII, & adde annos IV Ioakimi, fiunt ipſi anni XXIII: per quos nullo labore & ſe & ſocios ſuos abſtinuiſſe ait Ieremias ut ad meliorem frugem populum reduceret.

9. *Cognationes Aquilonis*] Medos, aliáſque gentes Chaldæis aut ſubditas aut fœderatas.

Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſervum meum] Id eſt, inſtrumentum iræ meæ.

In ſtuporem & in ſibilum] Suprà XVIII. 16. XIX. 8.

Et ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius ſunt] Vicinos Iudæorum, de quibus infrà 20. 21. 22.

10. *Perdámque ex eis vocem gaudii, vocem ſponſi & ſponſæ*] Suprà VII. 34. & XVI. 9.

Vocem molæ] Cantica puellarum molam truſantium. Vide Matth. XXIV. 41. Tale canticum erat illud memoratum Plutarcho:

Ἄλει μύλα, ἄλει·
Καὶ γὰρ Πίττακος ἀλεῖ
Μεγάλας Μιτυλάνας βασιλεύων.
[*Mola, tu molito, molito:*
Facit & Pittacus iſtud
Magnæ dominator Mitylenæ.]

Et lumen lucernæ] Faces intelligere videtur, cum quibus ad convivia ibatur.

11. *Septuaginta annis*] Prædictio inſignis, ob ità exactam temporis deſignationem.

12. *Viſitabo ſuper Regem Babylonis*] Nabonidum puniam per Cyrum.

In ſolitudines ſempiternas] Diuturnas.

13. *Omne quod ſcriptum eſt in libro iſto*] Hîc ſequuntur in Græco Prophetiæ hujus Prophetæ adverſus gentes varias; ut, contra Elymæos ea quam nos habemus XLIX. 35. deinde illa contra Ægyptum, quæ nobis eſt capite XLVI. tum contra Babylonem, quam nos habemus capite L. & LI. deinde illæ XLVII. XLVIII. XLIX. Poſtea ſequuntur ea quæ

in hoc ſunt capite à commate 15. Non improbo. Videntur enim iſtæ Prophetiæ indicari, cùm dicitur, *In libro iſto quem prophetavit Ieremias adversùs omnes gentes.*

14. *Quia ſervierunt eis cùm eſſent gentes multæ & Reges magni*] Meliùs, *Nam ſervient & ipſi gentibus multis & Regibus magnis:* Medis & Perſis ſcilicet. Sed hæc Græci non habent, ut & Hieronymus annotavit.

15. *Sume calicem vini furoris hujus de manu mea*] Hoc factum ἐν ὀπτασίᾳ [*in viſo*]. In illo calice quem videbat Ieremias erat vinum fumigans, ſignum iræ divinæ.

16. *Et bibent & turbabuntur, & inſanient à facie gladii*] Confer Eſaiam LI. 17. Magnus, inquit, dolor omnem illis ſenſum ac ſapientiam adimet.

Λύπη γὰρ ὀργή τ' εἰς ἕνα ψυχῆς τόπον
Ἐλθόντα, μανία τοῖς ἔχουσι γίνεται,
[*Cùm dolor & ira pectoris ſedem occupant*
Vnam, furores inde generari ſolent,]

ait Cleænetus.

18. *Et Regibus ejus*] Ioakimo, Iechoniæ, Sedeciæ.

19. *Pharaoni Regi Ægypti*] Vide infrà XLIII.

20. *Et univerſis generaliter*] In Hebræo: ואת כל הערב, quod LXX vertunt καὶ πάντας τοὺς συμμίκτους αὐτοῦ [*& omnes convenas ejus*] · ſicut Exodi XII. 38. verterunt ἐπίμικτος [*convena*]. Putat Hieronymus intelligi peregrinos in Ægypto morantes. Chaldæus, *omnes vicinos*. Non malè vertas: *Et omnes illos Arabas*, quorum ſcilicet enumeratio ſequitur.

Terræ Auſitidis] De qua vide initium Iobi, & Geneſeos X. 23.

Terræ Philiſtiim] Quarum oppida ſequuntur hîc. Confer Eſaiæ XIV. 29. & quæ infrà XLVII.

Et reliquiis Azoti] Exhauſta enim erat illa regio obſidione Pſammitichi Ægyptii Regis, ut ex Herodoto in Euterpe diſcimus. Ideo Geth hîc non nominatur, quippe eodem bello disjecta.

21. *Idumæis*] Vide infrà XLIX. 7.

Moabitis] Vide infrà XLVIII.

Ammonitis] Ibidem.

22. *Et Regibus terræ inſularum, qui ſunt trans mare*] Syriæ mari adjacentis. Vide infrà XLIX. 23.

23. *Et Dedan*] Geneſeos XXV. 3.

Thema] Geneſ. XXV. 15.

Et Buz] Geneſ. XXII. 21. Hi omnes mixti ſunt Sarracenis, ut hîc notat Hieronymus.

Et univerſis qui attonſi ſunt in comam] Id eſt, τροχοκουράδες [*in orbem tonſi*]. quales Sarraceni. Vide ſuprà IX. 26. Levit. XIX. 27.

24. *Et cunctis Regibus Occidentis, qui habitant in deſerto*] Meliùs cum Chaldæo, *Regibus Arabum habitantium in deſerto:* id eſt, *Scenitarum*, quod & Chaldæus addit. Vide infrà XLIX. 28.

25. *Et cunctis Regibus Zambri*] A Zimrane nominato Geneſeos XXV. 2. Hi ſunt *Zamareni* Plinio VI. 28.

Et cunctis Regibus Elam] Elymaidos. Vide Geneſeos X. 22. infrà XLIX. 34. & à nobis dicta ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Et cunctis Regibus Medorum] Regibus & Regulis. Pertinet hoc ad bellum Cyri contra Aſtyagem.

26. *Cunctis quoque Regibus Aquilonis de propè & de longè, unicuique contra fratrem ſuum*] Illi Medis vicini, alii Aſtyagi, alii Cyro aderunt, atque ità inter ſe collidentur. LXX verò צפון, alibi *Boream* vertunt, at hîc ἀφηλιώτην, non malè: eſt enim is ventus inter Aquilonem & Eurum, in quo ſitu ſunt pleræque gentes, de quibus hîc agitur ad Iudæam.

Et Rex Seſach bibet poſt eos] *Regem Babylonium* hîc ſignificari etiam Chaldæus nos docet; nec alius Rex per ambages nominandus erat extra hunc, ſub cujus imperio aliquamdiu victurus erat Ieremias. Sed & ipſe Propheta, cùm jam in Ægypto viveret, nomen hoc explicat infrà LI. 41. Iudæi & cum eis Hieronymus putant ששך [*Seſach*] eſſe בבל [*Babel*], per eam literarum permutationem quam אתבש [*Athbaſch*] vocant, id eſt, ubi ultima Alphabeti litera pro prima ponitur, penultima pro ſecunda, & contrà, atque ità deinceps. At alii malunt hoc nomen, repetitâ literâ primâ, derivare à שך [*Sach*], quod nomen alicui dearum Babylonis, ob quam is qui Hebræis vocabatur מישאל [*Miſael*] dictus eſt Babyloniis מישך [*Miſach*], Daniel. I. 7. Indidem Σακχαῖα [*Sacchæa*] nomen feſtorum dierum apud eoſdem Babylonios, ut ex Beroſo & Cteſia docet Athenæus XIV. 10. Meminit & Dion Chryſoſtomus IV. de Regno, Σακκῶν ἑορτὴν [*ſolenne Sacchorum*] vocans.

28. *Cúmque noluerint*] Verte, *etiamſi nolint.*

29. *Ecce in civitate in qua invocatum eſt nomen meum ego incipiam affligere, & vos quaſi inſontes & immunes eritis?*] Si urbi Hieroſolymorum non peperci, cur vobis parcerem? Confer Ezechiel. IX. 6. I Petri IV. 17.

30. *Rugiet*] Vt leo iratus.

De habitaculo ſancto dabit vocem ſuam] De cœlo vocabit eos quorum operâ uti volet.

Rugiens rugiet ſuper decorem ſuum] Contra Templum.

Celeuſma quaſi calcantium] Scilicet *uvas*, ut Eſaiæ XVI. 10. His comparantur hoſtes ſanguinem multum exprimentes, ut Eſaiæ LXIII. 3.

Adversùs omnes habitatores terræ] Nempe ad illos poſteriùs perveniet pœna, ut ſuprà 29.

31. *Vſque ad extrema terræ*] Ad mare Rubrum & Caſpium.

Iudicatur ipſe cum omni carne] Oſtendit toti mundo ſe nihil niſi juſtiſſimè facere. Vide Eſai. I. 18.

33. *Et erunt interfecti Domini*] Quos Dominus interfici curavit.

A ſummo terræ uſque ad ſummum ejus] Meliùs: *A fine terræ ad finem alterum.* Ità hîc Chaldæus. LXX quoque, ἐκ μέρους τῆς γῆς καὶ ἕως μέρους τῆς γῆς [*parte terræ & ad partem terræ*]. Sic ἀπ' ἄκρων ἕως ἄκρων [*ab extremis uſque ad extrema*] Matth. XXIV. 31.

Non plangentur] Vt de Iudæis dictum ſuprà XVI. 6. XXII. 18.

Et non colligentur] Non collocabuntur in monumentis majorum. Vide ſuprà VIII. 2.

Neque ſepelientur] Nè plebejo quidem more ſepelientur.

In ſterquilinium] Suprà VIII. 2. IX. 22. XVI. 3.

34. *Vlulate paſtores*] Reges, & Senatores magni Synedrii.

Aſpergite vos cinere, optimates gregis] Iudices urbium.

Et diſſipationes veſtræ] Id eſt, ut diſpergamini alius aliò.

Et cadetis quaſi vaſa pretioſa] Vt vaſa ex cryſtallo, aut gemma aliqua, quæ ità tenera ſunt ut ſemel ſolo alliſa in partes diſſiliant.

35. *Et peribit fuga à paſtoribus, & ſalvatio ab optimatibus gregis*] Illi enim maximè quæri ſolent ad cædem.

37. *Et conticuerunt arva pacis*] Meliùs: *Et excidentur habitacula pacis.* Eſt alluſio ad nomen *Salem*, ſive *Ieruſalem.*

38. *Dereliquit quaſi leo umbraculum ſuum*] Meliùs hæc connectes cum ſuperioribus in hunc modum, *Propter iram æſtuantem Dei, ſimilis leoni juveni derelinquenti ſpelæum ſuum:* nempe ut prædam ſuam quærat.

A facie iræ columbæ] יונה in Hebræo & *columbam* ſignificat & *vaſtatorem*, ſive *inimicum*, ut hîc habet Chaldæus, aut, ut Græci ſæpe vertunt, θλίβοντα, καταδυναστεύοντα [*prementem, dominantem*]. Subauditur autem vox *gladii.* Senſus enim eſt: *omnia deſolata à furore gladii hoſtilis.* Id ſubintelligi apparet & ex Chaldæo hîc, & ex locis infrà XLVI. 16. L. 16. ubi de re eadem agitur. LXX hîc, ἀπὸ προσώπου τῆς μαχαίρας μεγάλης [*à facie gladii magni*]. At aliis duobus illis locis, ἀπὸ μαχαίρας Ἑλληνικῆς [*à gladio Græco*], quaſi eſſet adjectivum femininum à יון, quod *Græcum* ſignificat. Eſt enim חרב, quod *gladium* ſignificat, Hebræis generis feminini. Et ſic hunc quoque locum explicari poſſe ait Hieronymus ad Zach. III. At ſiquis omnes hos locos conſideret, videbit Græciæ nullas hîc eſſe partes. Qui *columbam* vertunt, ajunt Semiramidis ſignum bellicum fuiſſe columbam: ídque poſtea uſurpatum ſemper ab Aſſyriis. Sanè columbas ſcimus apud Syros ſacras fuiſſe, & Veneri dicatas. Diodoro quoque Siculo perſuaſum *Semiramida* dictam à *pipitu columbæ*, quaſi eſſet à זמירא, quod eſt *canticum* Chaldæis, non à שמי רם [*cæli altitudine*]. At hîc & XLVI. 16. non de Aſſyriis, ſed de Babyloniis agitur. At L. 16. de Perſis. Quis autem credat victarum gentium ſigna ſumta à victoribus? quare optima eſt illa prima interpretatio.

Et à facie iræ furoris Domini] Si Nabuchodonoſori ira evadi nequit, quantò minùs Dei?

CAPVT XXVI.

2. STa *in atrio domûs Domini*] Nempe maximo.

3. *Si fortè audiant*] Hieronymus: *Noſtro loquitur affectu, ut liberum homini ſervetur arbitrium.*

Et pœniteat me mali] Vide ſuprà XVIII. 8.

5. *Miſi ad vos de nocte conſurgens*] Id eſt, ſollicitudine aſſiduâ, ut VII. 13. XI. 7. XXV. 3. 4.

Et non audiſtis] Id eſt, *quos non audiſtis.*

6. *Sicut Silo*] Suprà VII. 12.

8. *Apprehenderunt eum Sacerdotes*] Nempe ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Prætor Templi*], cui prehendendi in Templo jus erat, aſſentientibus Sacerdotibus qui aderant & Prophetis, plebe autem obſecundante.

10. *Principes Iudæ*] Senatores magni Synedrii, ad quos pertinebat judicium de Propheta vero aut falſo.

Et ſederunt in introitu portæ domûs Domini novæ] Ædificatæ à Iothamo, II Reg. XV. 35. II Paralipomen. XXVII. 3. Eam *fuiſſe ad Orientem* ait hîc Chaldæus. At Maimonides curiam hujus Synedrii ad Occidentem locat. Verùm nihil mirum eum conventûs locum in Templo ſecundo fuiſſe tranſlatum.

11. *Iudicium mortis eſt viro huic, quia prophetavit adverſùs civitatem iſtam*] Crimine nempe ſeditionis, quia qui malè ominatur patriæ, plebem ſæpe commovet, & occaſiones dat aut ſeditionibus, aut deſperatis conſiliis. Confer Actorum VI. 13.

12. *Dominus me miſit ut prophetarem ad domum iſtam, & civitatem hanc*] *Domum*, id eſt, Templum. Notat prudentiam Ieremiæ Hieronymus, qui cùm Deum ſibi dicat auctorem, ſatis validam protulit exceptionem contra leges omnes. Deinde non dicit *contra civitatem*, ſed *ad civitatem*, ſignificans ſe ipſorum utilitatibus ſervire, locum adhuc eſſe pœnitentiæ.

14. *Ego autem ecce in manibus veſtris ſum: facite mihi quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris*] Hîc humilitatem ejus obſervat Hieronymus. Agnoſcit in Synedrio vitæ & necis poteſtatem.

15. *Verumtamen ſcitote & cognoſcite, quòd ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmet ipſos, & contra civitatem iſtam, & habitatores ejus*] Hîc conſtantiam obſervat Hieronymus. Videte ait quid agatis. Facile vobis eſt mihi vitam adimere. Sed hoc facto adeò mala, de quibus locutus ſum, non evadetis, ut etiam ob id ipſum ea futura ſint graviora.

16. *Et dixerunt Principes*] Major pars Synedrii. Hieronymus: *Perierat Propheta, quantum fuit in Sacerdotibus & Prophetis, ſi accuſatores ipſi habuiſſent judicii poteſtatem. Ex quo intelligimus crudeliores fuiſſe in Prophetam per invidiam ſanctitatis, qui religioni videbantur dediti, quàm qui neceſſitatibus publicis præerant.*

Et omnis populus] Motus auctoritate Senatorum, ut antè motus fuerat auctoritate Sacerdotum. *Citò*, ait hîc Hieronymus, *vulgus indoctum acceptâ ratione mutat ſententiam. Dolor autem accuſantium, præcipuè Sacerdotum & pſeudoprophetarum, non poteſt immutari. Et ideo illis accuſantibus, & in accuſatione perſeverantibus populus commutatur.*

17. *Surrexerunt ergò viri de Senioribus terræ*] Eidem ſunt quos antea שרים, ſive *Principes* dictos vidimus.

18. *Michæas de Moraſthi fuit Propheta in diebus Ezechiæ*] Politici multa exemplis perſuadent. Et in legum interpretatione multùm valet rerum antè judicatarum auctoritas. Moraſthi vicus eſt in tribu Iuda. Hic eſt idem Michæas cujus Prophetia exſtat.

Sion quaſi ager arabitur] Tale illud:

Nunc ſeges eſt ubi Troja fuit.

19. *Numquid morte condemnavit eum Ezechias Rex Iudæ?*] Iure regio, tanquam ſeditioſum.

Et omnis Iuda] *Aut omnis Iuda.* Id eſt, Synedrium gerens totius populi vices, & cognitionem habens de iis qui Prophetas ſe dicerent.

20. *Fuit quoque vir prophetans*] Abſoluto ſermone

Senatorum additur hîc hiſtoria illorum temporum: unde intelligi poteſt quanto in periculo Ieremias fuerit ſub Rege improbo.

De Cariathiarim] Vide Ioſuæ xv. 9.

22. *In Ægyptum*] Vbi facilè etiam iniqua impetrabat Iojakimus, ideo quòd ſe in fidem & clientelam Regis Ægyptii dediſſet, II Regum XXIII. 34. Obſervatum hoc Hieronymo.

23. *Percuſsit eum gladio*] Tanquam ſeditioſum, ut modò diximus. In tales Rex jus habebat, niſi Prophetas ſe dicerent. Animadverſio autem regia omnis per gladium.

In ſepulchris vulgi ignobilis] *In ſepulchretum advenarum*, ut hîc Chaldæus. Vide II Reg. XXIV. 6. & Matthæi XXVII. 7.

24. *Igitur manus Ahican filii Saphan fuit cum Ieremia*] Pro *igitur*, rectiùs pones *veruntamen:* id eſt, quanquam ſub tam malo Rege viveretur, qui jam tale ſævitiæ ſuæ exemplum dederat. *Manus*, id eſt, auctoritas. Erat enim Ahicam inter præcipuos viros, quorum conſilio Ioſias Rex pater Iojakimi plurimùm uſus fuerat: ut videre eſt II Reg. XXII. 12.

Vt non traderetur in manus populi] Reges ſæpe, cùm perire volunt hominem claræ virtutis, malunt id per ſeditionem vulgi (quam concitare ipſis facile eſt) quàm ſuo juſſu fieri, ut ſine ſuo odio alieno ſcelere fruantur.

CAPVT XXVII.

1. IN *principio regni Ioakim*] Sicut quæ anteceſſit vaticinatio ad populum pertinet, ita & hæc: ſed hæc cum verbis rerum etiam ſigna conjuncta habet, more antiquo.

2. *Fac tibi vincula & catenas*] Senſus eſt : fac tibi juga lignea complura mittenda ad Reges, unum verò geſtandum tibi ipſi Ieremiæ, nomine populi. Vide infrà XXVIII. 2. 10. 13. Nam מוסרות ſunt *duo ligna jugi*, מט verò *lignum tertium quo duo connectuntur*, ut vult David Kimchi.

3. *Et mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem filiorum Ammon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis*] Omnes enim hi Reges ſubjugati à Nabuchodonoſoro. Vide infrà XLVIII. XLIX.

In manu nuntiorum qui venerunt Ieruſalem ad Sedeciam Regem Iuda] Nempe ut eum ſollicitarent ad defectionem à Chaldæo. De qua vide II Paralipomenon XXXVI. 13.

6. *Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas*] Nempe jam nominatas. *Dedi*, id eſt, conſtitui dare.

Et beſtias agri dedi eis] Equos, ut iis vehantur Chaldæi: boves, ut machinas & commeatus trahant.

7. *Et ſervient ei omnes gentes*] Modò dictæ.

Et filio ejus] Evilmeroducho, qui apud Ptolemæum corruptè Ἰλουαρόδαμος [*Iluarodamus*].

Et nepoti ejus] Laboroſoarchodo filio filiæ Nabuchodonoſori. Vide quæ congeſſimus ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Ptolemæo hic corruptè Νιριχασσολάσσαρος [*Niricaſſolaſſarus*].

Donec veniat tempus ejus, & ipſius] Tempus deſtinatum excidio Babylonis & regni, ut infrà 22. ſuprà XXV. 12. infrà XXIX. 10.

8. *Et quicunque non curvaverit collum ſuum ſub jugo Regis Babylonis*] Explicatio συμβόλων [*rerum ſignificantium*].

9. *Nolite audire Prophetas veſtros*] Qui afflatum divinum ſimulabant.

Et divinos] Τῶν μαντευομένων [*vaticinantium*] Græci. *Aruſpices* intellige.

Et ſomniatores] Ὀνειρομάντεις, qui humanâ arte ſomniorum interpretationem pollicebantur.

Et augures] Prædicentes futura ex avium geſtu guſtúve.

Et maleficos] Qui ſanguine humano effuſo umbras excitabant, νεκυομάντεις [*ex mortuis prædicentes*].

10. *Vt longè vos faciant de terra veſtra*] *Vt* hîc eſt ἐκβατικόν [*eventuale*]. ſic & infrà 15.

11. *Porrò gens quæ ſubjecerit cervicem ſuam ſub jugo Regis Babyloniæ*] Nempe deditione factâ ante vim hoſtilem.

12. *Et ad Sedeciam Regem Iuda*] Alia eſt ſectio, & ad aliud tempus pertinens, ſed argumento conjuncta cum ſuperiori.

16. *Ecce vaſa Domini revertentur de Babylone*] Nempe illa quæ Iechoniæ tempore ablata fuerant, II Regum XXIV. 13.

18. *Occurrant Domino exercituum*] Precibus impetrent.

Vt non veniant vaſa quæ derelicta fuerant] Quæ tempore Iechoniæ ablata non fuerant, nempe ut ſequitur, *columnæ, mare, baſis*, & alia, quæ ſcilicet poſtea abſtulit Nabuzardan, II Reg. XXV. 13. Eorum vaſorum deſcriptionem vide I Reg. VII.

Et in domo Regis Iudæ] Supellex palatii.

Et in Ieruſalem] Domuum aliarum, quales multæ atque opulentæ Hieroſolymis.

22. *Vſque ad diem viſitationis ſuæ*] Id eſt, punitionis: uſque dum Cyrus Babylonis victor vaſa Templi remittat, Eſdræ I. 7.

CAPVT XXVIII.

1. E*T factum in anno illo*] Eodem anno quo iſta quæ præcedunt Sedeciæ dixeram.

In principio regni Sedeciæ] Id eſt, cùm adhuc longè abeſſet malum illud quod prædixi: nam per undecim annos regnavit Sedecias.

In anno quarto, in menſe quinto] Quidam *annum quartum* intelligunt ἑβδομάδος [*ſeptimanæ*] annorum qui putantur ab anno ſabbatico. Sed de anno regni Sedeciæ intellexêre Græci, & Chaldæus. Nec obſtat id quod præceſſit *in principio*, ſic intellectum ut diximus.

Propheta] Qui Prophetam ſe dicebat.

2. *Contrivi*] Conterere decrevi. Vide infrà 4.

3. *Adhuc duo anni dierum*] Completi, περιπλόμενοι ἐνιαυτοί [*anni vertentes*]. Mira improbitas hominis, qui ſine ulla divina revelatione ità definitè loqui auſus eſt: itaque meritò pœnas dedit.

6. *Amen ſic faciat Dominus*] *Amen* hîc valet *Vtinam*. Velim, inquit, vera dicas. Sic & Michææ II. II.

Suſcitet Dominus verba tua] Velim Deus ea rata faciat.

8. *Qui fuerunt ante me, & ante te*] Ioël, Amos,

Oſeas, Eſaias, Michæas, Sophonias, Nahum, Abacuc, & alii.

Et prophetaverunt] Hîc *&* illud abundat more Hebraïco.

De prælio, & de afflictione, & de fame] Quæ tamen interdum non evenêre, intercedente pœnitentiâ. Neque id Prophetis auctoritatem detrahit, qui functi officio monendo, fructum quem maximè volebant officii ſui vidêre.

9. *Propheta qui vaticinatus eſt pacem*] Qui prædixit res proſperas.

Cùm venerit verbum ejus] Si eventus reſpondet.

Scietur Propheta quem Dominus miſit in veritate] Hananias de converſione nihil monuerat populum, ſed ſimpliciter res felices prædixerat, quæ ſi non evenirent, jam pſeudopropheta deprehendebatur.

10. *Catenam*] *Iugum illud ligneum.* Vide ſuprà XXVII. 2. & infrà 13.

11. *De collo omnium gentium*] Nominatarum ſuprà XXVII. 3.

13. *Facies pro eis*] Tu Ieremia, & Hananiæ oſtendes.

Catenas ferreas] *Iugum ferreum*, duriſſimam ſervitutem ſignificans. Alluſio ad locum Deuteronomii XXVIII. 48.

16. *Hoc anno morieris*] Bene tempore circumſcripta prædictio, qualis verum Prophetam oſtendit. Vide quæ ad Deuteron. XVIII. 22.

CAPVT XXIX.

1. HÆc *ſunt verba libri*] Hic tenor eſt Epiſtolæ quam miſit Ieremias per Elaſam & Gamariam, ut ſequitur infrà.

De Ieruſalem] Ex Hieroſolymis miſit.

Ad reliquias Seniorum transmigrationis] Ad illos qui inter exſules ſuperſtites erant de Magno Synedrio.

2. *Et domina*] Noheſta mater Iechoniæ, II Regum XXIV. 15.

3. *Quos miſit Sedecias Rex Iuda ad Nabuchodonoſor*] Ex morte Hananiæ majorem jam fidem habens verbis Ieremiæ, ideóque Nabuchodonoſorum ſibi ſtudens conciliare, ſed fruſtra.

5. *Ædificate domos, & habitate*] Omnia agite tanquam diu manſuri in exſilio.

6. *Et multiplicamini ibi, & nolite pauci eſſe numero*] Meliùs: *Vt multiplicemini, & non diminuamini.* Sic enim in Hebræo.

7. *Orate pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis*] Tuti eritis ſub illius regni præſidio.

8. *Prophetæ veſtri qui ſunt in medio veſtrî, & divini veſtri*] Quales non paucos fuiſſe etiam in exſilio oſtendit Ezechiel XIII. 3. 6.

10. *Septuaginta anni*] Suprà XXV. 12. Implementum vide II Chron. XXXVI. 21. Daniel. IX. 2. Egregium Divinæ providentiæ argumentum.

Suſcitabo ſuper vos verbum meum bonum] Præſtabo promiſſa, modò vos ex veſtra parte impleatis conditionem.

11. *Vt dem vobis finem & patientiam*] In Hebræo, *finem & ſpem*: id eſt, finem qualem ſperatis, ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*].

12. *Invocabitis me*] Id eſt, *invocate, ite, orate, quærite.*

13. *Cùm quæſieritis me in toto corde veſtro*] Animo ſincero.

15. *Quia dixiſtis, ſuſcitavit nobis Prophetas in Babylone*] Tranſpoſitio. Senſus eſt, *Poſtquam dixeritis in Babylone, Deus nobis ſuſcitaverat* (jam olim ſcilicet) *Prophetas*: veraces nempe, qui hæc omnia prædixerant quæ nobis evenêre. Confer Daniel. IX. 6. 12.

16. *Super ſolium David*] Id eſt, de Sedecia.

17. *Gladium, & famem, & peſtem*] Suprà XV. 2.

Quaſi ficus malas] Vt ſuprà XXIV. 8.

18. *Et in ſtuporem, & in ſibilum*] Suprà XVIII. 16. XIX. 8. XXV. 18.

19. *De nocte conſurgens*] Suprà XXV. 3.

21. *Percutiet eos*] Interficiet igne, ut ſequitur.

22. *Quos frixit Rex Babylonis in igne*], קלה eſt *torrere*, ut hîc habet Chaldæus. In caminum conjectio pœna apud Chaldæos, Daniel. III. 6. Adde Amos II. 1.

23. *Pro eo quòd fecerint ſtultitiam in Iſrael*] *Flagitium, rem fœdam*, ut hîc Chaldæus. Græci, generis nomine, ἀνομίαν [*injuſtitiam*].

Et mœchati ſunt in uxores amicorum ſuorum] Iudæi hos eoſdem illos eſſe volunt qui Suſannæ pudori inſidiati ſunt. Hiſtoriam enim illam veram exiſtimant, non autem omnia quæ in Græco habemus. & credibilius punitos à Rege, quàm à populo exſulante. Si quis fabulis delectatur, videat quæ de Regis Babylonii filia ab Achabo iſto, & Sedecia ad ſtuprum ſollicitata narrat Gemara ad titulum de Synedrio, capite כל ישראל [*Omnis Iſrael*].

Ego ſum judex & teſtis] In Hebræo, *Ego novi, & teſtificor.*

24. *Et ad Semejam Nehelamiten dices*] Separandum hoc à ſuperioribus. Hoc enim mandatum Ieremias accepit poſtquam Legati redierant.

25. *Pro eo quòd miſiſti in nomine tuo libros*] Id eſt, epiſtolas ad Sophoniam & alios. *In nomine tuo*: id eſt, meo injuſſu. Sic ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ [*in nomine proprio*] ſumitur Iohann. V. 43.

Ad Sophoniam] Qui erat סגן, id eſt, ſecundus à ſummo Pontifice, eiúſque vicarius, II Reg. XXV. 18.

26. *Dominus dedit te Sacerdotem pro Iojada Sacerdote*] Id eſt, Iojadæ zelum imitari debes: de quo II Reg. XI. 18. II Paralip. XXIII. 17.

Vt ſis dux in domo Domini] Vt cæteris Sacerdotibus præeas, jubeáſque per στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ [*Prætorem Templi*] capi pſeudoprophetas, qualis eſt Ieremias.

Virum arreptitium] Qui non à Dei Spiritu, ſed dæmonibus incitatur. Vide II Reg. IX. 11.

In nervum & in carcerem] Prior vox eadem quæ ſuprà XX. 2. Altera צינק eſt, ut plerique Hebræorum cenſent, *manica ferrea.* ضنك Arabibus *arctum eſſe* ſignificat. Sunt qui etymo ducti ſignificari putant ſupplicium illud ſcapharum cujus in Artaxerxe Plutarchus meminit. Verùm id ſupplicium Hebræis incognitum fuit, & Sacerdotes in Templo prehendendi non puniendi jus habebant.

29. *Legit ergò Sophonias Sacerdos librum iſtum in auribus Ieremiæ Prophetæ*] Nolens prehendere inauditum.

32. *Non erit ei vir ſedens in medio populi hujus*] Id eſt, habitans.

Et non videbit bonum quod ego faciam populo meo] Reditum in patriam.

Quia prævaricationem locutus eſt adverſus Dominum] Impediit converſionem populi.

CAPUT XXX.

2. *Scribe tibi omnia verba quæ locutus ſum ad te*] Quæ jam ad te loquor. Intelligit verba quæ jam ſequentur.

In libro] In membrana quæ diu duret; ut hæc tuâ manu ſcripta legi poſſint tunc cùm implebuntur, in ſignum meæ veracitatis.

3. *Convertam converſionem*] In Hebræo, *Convertam tranſmigrationem*: id eſt, eos qui tranſmigrarunt. Ità & Chaldæus hîc & Græci. Simile loquendi genus habuimus ſuprà XXIX. 1. Eſt autem alluſio vicinarum vocum, quarum prior eſt à שוב [*convertere*], altera à שבה [*captivum duxit*].

Populi mei Iſrael & Iuda] Nam cum Iudæ & Benjaminis poſteris nonnulli etiam rediêre ex aliis tribubus, maximè ex Levitica. Vide Lucæ II. 36.

5. *Vocem terroris audivimus: formido & non eſt pax*] Diu durabunt mala.

6. *Interrogate & videte, ſi generat maſculus*] Verte: *an pariat mas*. Interrogate ſapientes, quærite in libris, an id fieri poſſit. Reperietis non poſſe.

Quare ergò vidi omnis viri manum ſuper lumbum ſuum quaſi parturientis] Nam ſolent feminæ parturientes lumbis manus apponere ad reprimendum dolorem.

Et converſæ ſunt univerſæ facies in auruginem] Luteo colore ſuffuſæ ſunt, ut ictericis accidere ſolet. Id fit diffuſâ bile.

7. *Magna dies illa*] Tempus totum exſilii.

Et ex ipſo ſalvabitur] *Sed ex ipſo ſalvabitur*. Nam poſt deſcriptionem malorum hîc incipit conſolatio.

9. *Servient Domino Deo ſuo, & David Regi ſuo*] Id eſt, Zorobabeli, de quo & ſuprà XXIII. 5. Is David vocatur, & hîc & Ezech. XXXIV. 23. & XXXVII. 24. nimirum ſicut à Ptolemæo orti *Ptolemai*, à Cæſare *Cæſares*.

10. *Et cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet*] Suprà XXIII. 6.

11. *Faciam enim conſummationem in cunctis gentibus*] Id eſt, ſemel eas ità puniam ut nihil ultrà puniendum reſtet.

Caſtigabo te in judicio] Moderatè. Idem loquendi genus ſuprà X. 24.

Vt non videaris tibi innoxius] Græci, *καθαρίζων οὐ καθαριῶ σε* [*purgans non purgabo te*], id eſt, *non omnino te relinquam impunitum*: nam *καθαρίζειν* ſæpe Græcis *à pœna liberare*. At Chaldæus, *perdendo non perdam te*. נקה Hebræum & *purgare* & *ſuccidere* ſignificat.

12. *Inſanabilis fractura tua*] Ad populum tanquam ad feminam loquitur: quod affixa demonſtrant. Sic & ſuprà XXII. 21. Hoc dicit, *Vulnus tuum deſperatum videbitur*: nempe cùm per tot annos ſervies.

Peſſima plaga tua] In Hebræo, *Doloris plena*.

13. *Non eſt qui judicet judicium tuum ad alligandum*] Nemo erit qui de cauſis tui vulneris rectè judicet, ac manum ei curando admoveat.

Curationum utilitas non eſt tibi] Meliùs ſic exprimas: *Nulla tibi erunt remedia ad ſanationem.*

14. *Omnes amatores tui obliti ſunt tui*] Perſiſtit in ſimilitudine feminæ. *Amatores*, id eſt, federati illi quorum mentio capite XXVII.

Plagâ enim inimici percuſſi te] Id eſt, graviter, ut ſequitur.

Propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta ſunt peccata tua] Id eſt, pœnæ: quo ſenſu ſæpe ſumitur Hebræum חטאת [*peccatum*].

15. *Quid clamas ſuper contritione tua, inſanabilis eſt dolor tuus*] Meliùs, *deſperato* (nempe humanitus) *morbo tuo*: ut ſit expoſitio prioris κατὰ πρόσθεσιν [*per appoſitionem*].

16. *Propterea omnes qui comedent te devorabuntur*] Rectiùs: *Verumtamen omnes*, &c. Tunc apparebit non odio, ſed jure me adductum ut iſta facerem.

Cunctóſque prædatores tuos dabo in prædam] Vide Eſaiæ XXXIII. 1.

17. *Obducam enim cicatricem tibi*] *Obducam autem tibi cicatricem*: id eſt, vulnus tuum ſanabo, ut ſequitur. ארכה bene vertit *cicatricem*. Eſt eo ſenſu ſæpe apud Rabbinos ארוכה, & in Chaldæo Paraphraſte Pſalm. CXLVII. 3. Per Metaphoram ſic etiam dicitur *ſarcitura murorum*.

Quia ejectam vocarunt te, Sion, hæc eſt quæ non habeat requirentem] Meliùs: *quanquam* (alienigenæ) *abjectam te dixerunt*, addentes *Sion eſt* urbs *cujus nemo curam gerit*.

18. *Convertam converſionem*] Meliùs: *tranſmigrationem*, ut ſuprà 3.

Et ædificabitur civitas in excelſo ſuo] In montanis ſuis locis. Hæc Zorobabelis tempore impleta rectè notat Hieronymus: neque minùs rectè myſterium hoc ad Eccleſiam refert.

Et Templum juxta ordinem ſuum fundabitur] In Hebræo eſt ארמון, id eſt, *palatium*, quod intelligi poteſt de domo Principis. Sed Chaldæus & Græci *Templum* intellexerunt.

19. *Vóxque ludentium*] Id eſt, canentium: quomodo hîc verterunt Græci & Chaldæus. Sic & Latini,

Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

20. *Et erunt filii ejus ſicut à principio*] Id eſt, *ut olim*. LXX, ὡς τὸ πρότερον [*ut antè*].

Coram me permanebit] In Hebræo, *firmabitur*.

Et viſitabo adverſùm omnes eos qui tribulant eum] Babylonii, Idumæi, Ammonitæ punientur.

21. *Et erit dux ejus ex eo, & Princeps de medio ejus producetur*] Ad Zorobabelem redit oratio. Habebunt Principem non externum, ſed ſuæ gentis.

Et applicabo eum] Habebo eum amiciſſimum.

Et accedet ad me. Quis enim eſt qui applicet cor ſuum ut appropinquet mihi? ait Dominus] Rectiùs vertas: *Et ad me aditum habebit quiſquis volet, quiſquis edulcavit cor ſuum ut ad me accedat, ait Dominus.* מי ſæpe ponitur pro *quiſquis*. & ערב per ἡδύνειν [*edulcare*] vertunt Græci multis in locis.

23. *In capite impiorum*] Illorum de quibus ſuprà 20.

24. *In noviſſimo dierum intelligetis ea*] *Tandem*: nempe ubi eventus aderit. Repetitum ex eo quod ſuprà xxiii. 20.

CAPVT XXXI.

1. ERo *Deus*] אלהים, id eſt, *Iudex juſtus.*

Et ipſi erunt mihi in populum] Mihi ut Regi ſuo obedient.

2. *Invenit gratiam in deſerto populus*] Repetit Deus vetera beneficia, quò magìs nova ſperentur. In deſerto proſpexi illis de omnibus neceſſariis. Hîc pro חן [*gratiam*] Lxx Senes legiſſe חם [*Cham*] rectè obſervat Hieronymus.

Qui remanſerat. à gladio] Qui evaſerat gladium Ægyptiorum.

Vadet ad requiem ſuam Iſrael] Meliùs, *ivit :* id eſt, non potuerunt impedire Amalecitæ, Cananæi, Philiſtini, atque alii, quominus pervenirent Iſraëlitæ ad ſedes quietas. Terra Iudæa vocatur κατάπαυσις [*quies*] Pſalm. xcv. 11. Hebræor. iii. 11.

3. *Longè Dominus apparuit mihi*] *Olim Dominus ſe mihi oſtendit*, nempe *benevolum ;* quaſi dicat, *non nunc.* Verba ſunt gentis Iudaïcæ, quæ hîc etiam ut femina ob oculos ponitur.

Et in charitate perpetua dilexi te] Reſpondet Deus genti, *Imò perenni amore te dilexi.* Id eſt, nunquam quicquam omiſi quod mearum eſſet partium.

Ideo attraxi te miſerans] *Attraho te ;* id eſt, ad reſipiſcentiam exhortor.

4. *Rurſumque ædificabo te*] Vbi converſa fueris ad me, faciam rurſus habeas domos.

Et ædificaberis] Et tutò eas poſſideas.

Adhuc ornaberis tympanis tuis, & egredieris in choro ludentium] Vt feminæ ſolebant, 1 Samuel. xviii. 6.

5. *Plantabis vineas in montibus Samariæ*] Demetrius in epiſtola ad Iudæos quæ exſtat apud Ioſephum Antiquæ Hiſtoriæ xiii. 5. καὶ τῶν τελῶν τοπαρχιῶν τῶν τῇ Ἰουδαίᾳ προσκειμένων, Σαμαρείας, καὶ Γαλιλαίας καὶ Περαίας, τούτους παραχωρῶ ὑμῖν ἀπὸ τοῦ νῦν εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον [*Et eos qui ſunt in tribus Toparchiis, quæ antehac Iudæis acceſſere, Samariæ, & Galilææ, & Peraæ concedo vobis ab hoc tempore in perpetuum*]. Adde eundem Ioſephum xiii. 17.

Et donec tempus veniat, non vindemiabunt] Pro his verbis in Hebræo eſt *profanabunt :* id eſt, veſcentur fructibus vineæ legitimo tempore. Hoc intellige ex lege Levit. xix. 25. Confer & Deuteronomii xx. 6.

6. *Clamabunt cuſtodes in monte Ephraim*] Iudæi, qui ibi ſunt habitaturi. *Cuſtodes* in Hebræo נצרים, quod ad myſticum ſenſum de Eccleſia optimè trahas: nam Chriſtiani à Iudæis nunc quoque hoc nomine vocantur.

7. *Exſultate in lætitia Iacob*] Id eſt, in publica lætitia ſuam quiſque partem ſumite. Eſt enim hîc *Iacob* cum ל, quæ nota ſæpe genitivi.

Hinnite contra caput gentium] Id eſt, claram vocem edite in conſpectu gentium omnium.

Dicite : Salva Domine] Ὡσαννά [*Hoſanna*].

8. *De terra Aquilonis*] De Media, terriſque circumſitis.

Inter quos erunt cæcus & claudus] Nemo volet abeſſe. At Lxx legerunt בעצרת פסח, id eſt, *tanquam in feſto Paſchatis*, quo maxima multitudo confluebat.

Prægnans & pariens ſimul] Nec uterus, nec partus inſtans tardabit feminas. At Lxx ſummam fœcunditatem ſignificari volunt.

Cætus magnus] *Ingens exercitus*, ut hîc Chaldæus.

9. *In fletu venient*] Meliùs : *in fletu iverunt*, nempe cùm abducerentur. Ità accepit Chaldæus. Græci: ἐν κλαυθμῷ ἐξῆλθον [*plorando abierant*].

Et adducam eos per torrentes aquarum] In Hebræo & Chaldæo, *ad rivos aquarum :* id eſt, non deerit iter facientibus quod bibant.

In via recta, & non impingent in ea] *In via ità plana ut in ea impacturi non ſint.*

Et Ephraim primogenitus meus eſt] Ità carus ut ſolent eſſe primogeniti. Hoc ideo quòd nonnulli de Iſraëlitis Decem tribuum cum Iudæis rediêre. Vide Eſdræ ii & ſuprà xxx. 3.

11. *Redemit enim Dominus Iacob*] *Redimet.*

Et liberavit] *Liberabit.*

12. *Eritque anima eorum quaſi hortus irriguus*] Plena gaudii.

14. *Et inebriabo animam Sacerdotum pinguedine*] Satiabo Sacerdotes pinguibus victimis.

15. *Vox in excelſo audita eſt lamentationis*] Melius eſt ut רמה ſumatur pro proprio nomine, ut hîc etiam Chaldæus & Græci ſumſêre. *Rama* urbs eſt in tribu Benjamin, Ioſuæ xviii. 25. 1 Reg. xv. 17. In eam Nabuzaradan collegit omnes Iudæos vinctos catenis, ac deportandos in Babylonem, ut diſcimus infrà xl. Non mirum ergò ſi magna ibi tum fuit lamentatio.

Et fletus Rachel plorantis filios ſuos, & nolentis conſolari ſuper eis, quia non ſunt] Videtur eſſe προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*] Rachelis pridem mortuæ, & non longè à Rama ſepultæ, qualem mortuorum προσωποποιΐαν [*perſonæ fictionem*] etiam habuimus Eſaiæ xiv. quanquam poſſint & per *Rachelem* matronæ intelligi tribûs Benjaminis, ſicut *Iacob* pro *Iſraëlitis* dicitur, & *David* pro *Davidis poſteris.* Hæ inconſolabiliter fleverunt, cùm viderent à ſe abſtrahi liberos ſuos.

16. *Eſt merces operi tuo*] Propter tuam pietatem, ô Rachel, poſteros tuos clementer tractabo. Vel propter veſtras preces, ô matres.

17. *Et eſt ſpes noviſſimis tuis*] Id eſt, *tandem erit :* id eſt, implebitur *ſpes tua.*

18. *Audiens audivi Ephraim tranſmigrantem*] Senſus hujus loci longè alius mihi videtur eſſe quàm is qui pleriſque viſus eſt. Cauſas reddit Deus cur Decem tribus non ſit reducturus, Iudam autem reducturus: quia Iſraëlitæ Decem tribuum (qui ab Ephraimo nominantur, quòd regnum in ejus ſtirpe fuerit) noluerunt reſipiſcere in captivitate. *Tranſmigrantem* intellige *exſulantem.*

Caſtigaſti me, & eruditus ſum quaſi juvenculus indomitus] Tu quidem me puniviſti, ſed ego nihilo melior factus ſum quàm juvencus indomitus. Illud *eruditus ſum ut juvencus indomitus* ſignificat, *non ſum eruditus, non ſum correctus*, ut hîc rectè accepit Chaldæus. Chryſoſtomus hunc locum ſic citat, unde corrigenda videntur exemplaria Græca quæ habemus: Ἐπαίδευσάς με, Κύριε, καὶ οὐκ ἐπαιδεύθην, ἀλλ' ἐγενόμην ὡς μόσχος ἀδίδακτος· ἐπίστρεψόν με καὶ ἐπιστραφήσομαι [*Correxiſti me, Domine, & correctus non ſum, ſed fui quaſi juvencus indocilis. Converte me & convertar*]. Locus eſt Tomo VI. Sermone *Eundem eſſe Deum Veteris & Novi Teſtamenti.*

Converte me, & convertar] Senſus eſt hoc illos dixiſſe: *Fac ut redeam in patriam, & tunc reſipiſcam.*

19. *Poſtquam enim convertiſti me, egi pœnitentiam*] Verte, *Vbi me reduxeris, agam pœnitentiam.*

Et poſtquam oſtendiſti mihi] *Vbi oſtenderis mihi:* ſupple, *beneficia tua.*

Percuſſi femur meum] *Percutiam femur meum:* nempe in diebus כפרים [*propitiationum*].

Confuſus ſum, erubui, quoniam ſuſtinui opprobrium adoleſcentiæ meæ] Quaſi diceret, *Nunc non poſſum vacare agendæ pœnitentiæ; adeò me pudet horum malorum, per quæ vetera mea delicta tam ſeverè puniuntur.*

20. *Si filius honorabilis mihi Ephraim, ſi puer delicatus*] Reſpondet Deus: *Nónne pretioſus filius mihi eſt Ephraim, nónne natus delicatulus?* Certè neceſſe eſt credat me ipſo carere non poſſe, quòd tam delicatus eſt ut pœnitentiam agere nolit niſi priùs obtento reditu.

Ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor ejus] *Vbi ſatis cum eo locutus ero* (id eſt, ubi ſatis eum admonuero), *omnino recordabor ejus*, nempe meminero iſtius pertinaciæ.

Idcirco conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum] Ob hoc vehementer ei ſuccenſeo. Vox *viſcerum* apud Hebræos ad omnem graviorem affectum refertur.

Miſerans miſerebor ejus?] Hæc per interrogationem legenda arbitror. *An omnino miſereri ejus poſſem* qui corrigere ſe non vult quamdiu in malis eſt rebus?

21. *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines*] Hæc pertinent ad Iſraëlitas ex Duabus tribubus. Hebræa habent, *Statue tibi titulos, pone tibi altos cumulos*, nempe quibus viæ ſignari ſolent, ut reperias quà iveris: nam eâdem redibis.

Dirige cor tuum in viam rectam in qua ambulaſti] *Adverte animum ad iſtam viam ſtratam, per quam iviſti.* Vide ut totius viæ per quam ductus es bene memineris.

Revertere virgo Iſrael, revertere ad civitates tuas iſtas] Id eſt, dicturus ſum aliquando, Redi eâdem viâ.

22. *Vſquequo deliciis diſſolveris, filia vaga?*] *Quouſque te ſubducis* (mihi te vocanti), *filia rebellis?* Quid eſt quod non ſtatim ad me venis?

Quia creavit Dominus novum ſuper terram] Rem novam facio.

Femina circumdabit virum] Proverbiale. Viri ſolent ambire puellas; non puellæ viros. Sic populi erat Deum quærere; at Deus ultro ad populum venit, ejúſque amorem ambit. Ad Meſſiam myſticè hæc aptat etiam Moſes Hadarſan ad Geneſin XLI.

23. *Benedicat tibi Dominus, pulchritudo juſtitiæ*] *Habitaculum juſtitiæ:* id eſt, religionis ſedes, Hieroſolyma.

Mons ſanctitatis] Templum.

24. *Et minantes gregem*] In Hebræo, *Et qui eunt cum grege:* id eſt, paſtores.

25. *Inebriavi animam laſſam*] Vide ſuprà 14. vertenda autem hæc per futurum.

26. *Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & vidi, & ſomnus meus dulcis mihi*] Loquitur Propheta, *Vbi* ab hoc viſo *ſurrexi, vidi*, id eſt, cum voluptate contemplatus ſum quæ mihi erant revelata: *& ſomnus meus mihi dulcis fuit*, id eſt, ſuaviter dormivi poſtea, quod antea præ dolore facere non ſolebam.

27. *Seminabo domum Iſrael*] Id eſt, replebo.

28. *Et ſicut vigilavi*] Sedulus fui.

29. *Non dicent ultrà: Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupuerunt*] Ὄμφαξ, id eſt, *uva acerba*, vim habet multùm adſtringentem. Hoc adagium Iudæi uſurpabant, ut videre eſt Ezechiel. XVIII. 2. quaſi dicerent:

Delicta majorum immeritus lues,
Romane.

Non dubitandum eſt quin Deus, omnium hominum Opifex, ac propterea Dominus, poſſit parentes ità meritos punire exſilio etiam ad poſteros permanente. Sed huic ſummo juri bonitas ipſius tandem modum imponit, partim propter antiquiorum parentum, partim propter ipſorum poſterûm egregias virtutes. Nota *in diebus illis*: & apud Ezechielem, *ſi erit ùltrà.*

30. *Vnuſquiſque in iniquitate ſua morietur*] Sic apud Ezechielem, *Anima*, id eſt homo, *qui peccaverit, ipſe morietur.* Iudicia tam bene exercebuntur ut nihil neceſſe futurum ſit ad extraordinarias illas & generales pœnas veniri. Idem eſt ſenſus Eſaiæ LXV. 20. ubi notata vide.

31. *Et feriam domui Iſrael & domui Iuda fœdus novum*] Renovabo fœdus per Prophetas meos. Vide Nehem. IX. 38. X. Solet autem id fieri ubi pars altera fœdus infregit.

32. *Non ſecundùm pactum quod pepigi cum patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem eos de terra Ægypti*] Nam illud pactum dicit: *Ego ſum Dominus Deus tuus qui te eduxi de terra Ægypti.* Hoc autem beneficium majore ac admirabiliore beneficio obumbrabitur, Eſaiæ XLIII. 18.

Quod irritum fecerunt] Multis gravibus ac diuturnis peccatis, de quibus vide Eſaiam, hunc Prophetam, & Nehemiam IX.

Et ego dominatus ſum eorum, dicit Dominus] Vertere licet, *Et ego eorum maritus manſiſſem.* Sed LXX pro בעלתי, legerunt בחלתי; ideóque verterunt, ἐγὼ ἠμέλησα αὐτῶν [*ego eos neglexi*]. Nihil cauſæ eſt cur hoc improbemus. Illi me neglexerunt, ego eos viciſſim neglexi.

33. *Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*] Tanta in eos beneficia conferam ut eorum non poſſint non meminiſſe. Sed & hic locus & ille apud Ezechielem XI. 19. XXXVI. 26. ſuum quidem implementum temporibus illis poſt reditum habuit, ſed quod viam ſternebat Euangelio, quo tempore hæc multò eminentiorem effectum habuêre, per revelationem non dubitandam vitæ æternæ, & vim ingentem Spiritûs ſuper Chriſtianos, etiam qui in plebe erant, effuſam.

Et ero eis in Deum, & ipſi mihi erunt in populum]

Ego ut Rex eos protegam, illi mihi ut Regi parebunt, ſuprà VII. 23. XI. 4. XXIV. 7. infrà XXXII. 38.

34. *Et non docebit ultrà vir proximum ſuum, & vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum*] Senſus eſt, Non opus erit ut alter alterum moneat ad reverentiam Deo exhibendam: quod ſæpe Hebræi per ידע [*cognoſcere*] ſignificant.

Omnes enim cognoſcent me] Omnes ſponte me colent ac reverebuntur, ob tam ingentia benefacta.

Quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor ampliùs] Senſus eſt: quia oſtendi (tantis nempe benefactis) me veniam dediſſe ipſis criminum, neque ultrà ea velle exſequi.

35. *Qui turbat mare, & ſonant fluctus ejus*] Id eſt, quo turbante maris fluctus inſonant.

36. *Si defecerint leges iſtæ coram me*] Si totus ille ordo naturæ ceſſaverit, tunc & illud fiet.

Tunc & ſemen Iſrael deficiet] Hoc eſt decretum Dei abſolutum, & ut Paulus loquitur, ἀμεταμέλητον [*ſine pœnitentia*], ut ſemper & ſit & cognoſcatur diſtinctè ab aliis magna Iſraëlitarum multitudo.

37. *Si menſurari potuerint cœli ſurſum*] Illa cœli quæ ſupra aſtra ſunt.

Et fundamenta terræ deorſum] Intima terræ viſcera.

Et ego abjiciam univerſum ſemen Iſrael propter omnia quæ fecerunt] Hoc Deus negat planè ſe unquam facturum. Ità enim vult punire Iudæorum peccata, ut tamen aliquos eorum ſemper velit ſupereſſe.

38. *A turre Hananeel*] Deſcribit accuratè totum Vrbis ambitum. *Turris Hananeel* eſt in meridiano latere, Nehem. III. 1. Confer cum hoc loco alterum Zachariæ XIV. 10.

Vſque ad portam anguli] Qui inter Orientem & Septentrionem in parte Benjamini, II Reg. XIV. 13.

39. *Et exibit ultrà norma menſuræ in conſpectu ejus ſuper collem Gareb*] *Normam* hìc poſuit pro *linea*, ut & alibi. *Collis Gareb* erat ad Septentrionem, ſed Occaſum versùs, ità dictus quòd ibi ſe tenerent leproſi.

Et circuibit Goatha] *Arcem rotundam* ait fuiſſe Chaldæus, fortè ità dictam quòd *laborioſus* illuc eſſet aſcenſus, à יגע, quod κοπιᾶν & μοχθεῖν [*laborare*] vertunt Græci. Ea fuit ad Occaſum & Meridiem.

40. *Et omnem vallem cadaverum & cineris*] Id eſt, Chaldæo interprete, *ubi maxima pars ceciderat eorum qui erant cum Sennacheribo.* Ea ipſa eſt vallis Topheth, in qua Molocho immolati cinefiebant, Eſaiæ XXX. 33. Hæc regio ab Occaſu propiùs ad Meridiem accedit.

Et univerſam regionem mortis] Græci Hebræam vocem retinuêre השרמות ἀσαρημώθ. Hieronymus legit השדמות, derivátque à שדה & מות, quorum illud *regionem*, hoc *mortem* ſignificat. Aquila vertit προάστεια [*anteurbana*], *vites* puto *ſuburbanas* intelligens, quæ dicuntur שדמות. At Chaldæus *aquæductus*, a particulis duabus ה [*hoc*] & ש [*quod*], & רמות à רמה, quod eſt *projicere*. Videtur intelligere aquæductus factos ab Ezechia.

Vſque ad torrentem Cedron] Qui proximus valli Topheth.

Et uſque ad angulum portæ Equorum Orientalis] Chaldæus: *ad angulum portæ ſtadii regii, qui ad Orientem.* Hìc deſignatio à Meridie ad Orientem redit. De hac *porta Equorum* vide Nehem. III. 28.

Sanctum Domini] Omnia hæc loca perſonabunt Dei laudibus.

Non evelletur & non deſtruetur ultrà in perpetuum] Id eſt, Diu ſtabit Vrbs poſtquam erit reparata.

CAPVT XXXII.

1. *IPſe eſt annus decimus octavus Nabuchodonoſor*] Vide ſuprà XXV. 1.

2. *Tunc exercitus Regis Babylonis obſidebat Ieruſalem*] Iam per aliquod tempus obſederat, ut apparet II Regum XXV. 1.

Erat clauſus in atrio carceris qui erat in domo Regis Iuda] *In veſtibulo carceris, paulò leniore cuſtodiâ quàm in qua antè fuerat.* Ità hìc Hieronymus: qui & quod hìc *atrium*, infrà 8. *veſtibulum* vertit. Probatur hoc ipſum ex loco qui infrà eſt XXXVII. 15. 20.

5. *Ibi erit donec viſitem eum*] Donec eum mortali vitæ eximam.

7. *Patruelis tuus*] In Hebræo, Chaldæo, Græco, *filius Sellum patrui tui.*

Eme tibi agrum meum qui eſt in Anathoth] Intelligit Hieronymus de horto aliquo ſuburbano, quales habere Levitæ poterant. Sed obſtat lex Levit. XXV. 34. quæ talia prædia omnino negat poſſe vendi. Ergò potiùs ſumendum de prædio aliquo, quod ab avia, aut proavia communi venerat. Nam mulieres, ſi fratres non haberent, heredes erant parentum, & ſi propinquus eas ducere nollet, nubebant aliis.

Tibi enim competit ex propinquitate ut emas] Senſus eſt: ſi alii vendidiſſem, tibi eſſet jus redimendi, ex lege Levit. XXV. 25. Quare ad evitandum hunc circuitum, tibi ante alios agrum hunc venalem offero.

8. *Tibi competit hereditas*] Nempe ſi ego ſine liberis decederem.

Et tu propinquus es ut poſſideas] In Hebræo: *Et tibi redemtio.* Id eſt, ſi alii venderem tibi jus foret redimendi. Tu es גאל, ὁ ἀγχιστεύων [*redemtor*]. Græci hìc, σὺ πρεσβύτερος [*tu ſenior*], id eſt, *inter agnatos primus ordine.*

Intellexi autem quòd verbum Domini eſſet] Deus mihi revelavit hæc ipſo dirigente fieri, ut meo exemplo populus de reditu certam conciperet fiduciam, videns à me agrum emi, qui ab hoſte teneretur. Florus libro ſecundo, capite ſexto: *Parva res dictu, ſed ad magnanimitatem populi Romani probandam ſatìs efficax, quòd illis ipſis, quibus obſidebatur, diebus ager quem Annibal caſtris inſederat, venalis Romæ fuit, haſtæque ſubjectus invênit emtorem.*

9. *Septem ſtateres & decem argenteos*] Chaldæus: *ſeptem minas & decem argenteos nummos.* Nam שקלים [*ſiclos*] interpretatur מנן [*minas*]. Ergò שקל [*pondus*] cùm præponitur *nummis argenteis* aliud ſignificat quàm cùm ponitur per ſe.

10. *Et ſcripſi in libro*] Feci inſtrumentum emtionis & venditionis.

Et ſignavi] Clauſum obſignavi annulo. Idem fecerunt teſtes.

Et appendi argentum in ſtatera] Vt appareret perfectam fuiſſe ſolutionem, ac ſic jus agri tranſiiſſe.

11. *Et accepi librum poſſeſsionis ſignatum, & ſtipulationes, & rata, & ſigna forinſecus*] Vertas optimè: *Accepi inſtrumentum venditionis ſignatum ſecundùm leges & mores, & apertum,* ſupple *alterum,* quod erat ἴσον [*pariculum*], ſive exemplum illius ſignati, ut apparet infrà 14. Hieronymus hoc loco, *Vt aſſumat libros, unum ſignatum, alterum apertum; quæ emptionum conſuetudo hucuſque ſervatur: ut quod intrinſecus clauſum ſignacula continent, hoc legere cupientibus apertum volumen exhibeat.* Quod hîc dicitur *poſſeſsionis,* poſitum eſt pro *emtionis,* ut & ſuprà 8. *poſſide* קנה eſt *eme,* quomodo & Chaldæus vertit.

12. *Baruch filio Neri*] Diſcipulorum ſuorum præcipuo.

Teſtium qui ſcripti erant in libro emptionis] Quorum nomina perſcripta erant in tergo inſtrumenti.

Et in oculis omnium Iudæorum qui ſedebant in atrio carceris] Eorum ſcilicet qui ad videndum aut audiendum Ieremiam eò venerant.

14. *Pone illos in vaſe fictili, ut permanere poſsint diebus multis*] Nè, inquit Hieronymus, *vel foris poſiti paterent rapinæ, vel humo conditi humore terræ ſolverentur.*

15. *Adhuc poſsidebuntur*] *Ementur.*

17. *Non erit tibi difficile omne verbum*] *Res ulla.* Vide idem loquendi genus Lucæ I. 37.

18. *Qui facis miſericordiam in millibus*] Ex Decalogo.

19. *Magnus conſilio, & incomprehenſibilis cogitatu*] LXX: δυνατὸς τοῖς ἔργοις [*potens operibus*]. nec aliter Chaldæus עלילות ſunt *opera, actiones.*

Cujus oculi aperti ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam] ——— οὐχ εὕδει Διὸς
Ὀφθαλμός· ἐγγὺς δ᾽ ἐστὶ καὶ παρὼν πόνῳ.
[——— ——— ——— *Iovis*
Non dormit oculus, ſed laboranti propè eſt.]

Vt reddas unicuique ſecundùm vias ſuas, & ſecundùm fructum adinventionum ejus] Qui non opera tantùm, ſed & cogitata judicas ac repenſas.

20. *Qui poſuiſti ſigna*] *Edidiſti.*

Vſque ad diem hanc] Celebrata ſcilicet.

Et in Iſraël, & in hominibus, & feciſti tibi nomen] Hîc poſterius *&* abundat more Hebræo. Illis factis ingens tibi nomen comparaſti non apud Iſraëlem tantùm, ſed etiam apud populos extraneos.

Sicut eſt dies hæc] *Sicut eſt hodie:* id eſt, nomen quale hoc tempore te habere apparet.

23. *Omnia quæ mandaſti eis ut facerent, non fecerunt*] Omnes leges tuas proculcarunt.

24. *Ecce munitiones exſtructæ ſunt adversùm Civitatem, ut capiatur*] *Aggeres* habet hîc bene Chaldæus, obſidionales ſcilicet.

Vrbs data eſt in manus Chaldæorum, qui præliantur adversùs eam] *Qui eam oppugnant.* Oſtendiſti mihi te nihil opis adferre Vrbi velle.

A facie gladii, & famis, & peſtilentiæ] Id eſt, metu gladii, famis ac peſtis oppugnant nos.

29. *Venient Chaldæi*] Rectiùs: *intrabunt,* Vrbem ſcilicet, impetu facto.

In quarum domatibus ſacrificabant Baal] *In tectis planis,* ſive *ſolariis,* quæ erant vice excelſorum. Cauſas reddit cur Vrbem paſſus ſit exſcindi. Vide ſuprà XIX. 13.

30. *Qui uſque nunc exacerbant me in opere manuum ſuarum*] Nè nunc quidem deſinunt idolis ſervire.

31. *In furore & in indignatione mea facta eſt mihi civitas hæc*] *Vrbs hæc facta eſt mihi* ſuſcitabulum *iræ & furoris.*

A die qua ædificaverunt eam] Nam Solomon Vrbis ſtructuram perfecit: idem primus Regum ad idola ſe vertit.

32. *Prophetæ eorum*] Quos ipſi pro Prophetis habent.

33. *Verterunt ad me terga*] *Cervicem* in Hebræo. Vide ſuprà II. 27.

Cùm docerem eos diluculo] Id eſt, ſummâ aſſiduitate; ut ſuprà XXIX. 19.

34. *In domo in qua invocatum eſt nomen meum*] In Templo quod vocatur *Domus Domini* II Regum XXI. 4. 5.

35. *Vt initiarent filios*] Luſtrarent trajiciendo per ignem. Vide quæ diximus ad Deuteronom. XVIII. 10.

36. *Et nunc propter iſta dicit Dominus*] Rectiùs vertas: *Attamen jam nunc dicit Dominus.*

37. *Habitare eos faciam confidenter*] *Securè:* ut ſuprà XXIII. 6.

39. *Et dabo eis cor unum & viam unam*] Faciam ut concorditer unam religionem profiteantur.

40. *Et feriam eis pactum ſempiternum*] Suprà XXXI. 31.

Et non deſinam eis benefacere, & timorem meum dabo in corde eorum ut non recedant à me] Senſus eſt: *Pluribus beneficiis reverentiam mei in animis eorum excitabo,* Ità locus hic interpres eſt ejus quem ſuprà habuimus XXXI. 33.

41. *Et lætabor ſuper eis*] Cum his verbis connectenda ſunt quæ ſequuntur, *in toto corde meo, & in tota anima mea.*

Cùm bene eis fecero, & plantabo eos in terra iſta in veritate] *Cùm bene eis fecero, & plantavero eos in terra hac firma.*

43. *Et poſsidebuntur agri*] *Ementur,* ut ſuprà 15.

44. *Et ſcribentur in libris*] In inſtrumento.

Et imprimetur ſignum] Vendentis & ementis.

Et teſtis adhibebitur] Teſtes aliquot, ut ſuprà 10.

Et in civitatibus campeſtribus] שפלה, quod hîc retinuêre Græci Σεφηλὰ, *ſitum humilem* ſignificat.

Et in civitatibus quæ ad Auſtrum ſunt] Et hîc Græci retinuêre נגב Ναγέβ. id pro *Meridie,* aut *Meridiano ſitu* ſæpe ſumitur. Deſcribit omnes Iudææ partes. Vide infrà XXXIII. 13. Confer Zach. VII. 7.

Quia convertam captivitatem eorum] Id eſt, captivos, ſive exſules. Vide ſuprà XXX. 3.

CAPVT XXXIII.

1. SEcundò, *cùm adhuc clauſus eſſet in atrio carceris*] *Secundò, ex quo clauſus erat in veſtibulo carceris.* Sæpe aliàs multa ei Deus patefecerat; ſed hoc ei alterum contigit in palatino carcere.

3. *Clama ad me, & exaudiam te, & annuntiabo tibi grandia ac firma quæ neſcis*] Id eſt, ſi me ores, multa futura certa tibi dicam.

4. 5. *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël ad domos urbis hujus, & ad domos Regis Iudæ quæ deſtructæ ſunt, & ad munitiones, & ad gladium venientium ut dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaveribus hominum*] Hæc obſcuriora ſunt, quæ ſic ex ſenſu Græcorum & Chaldæi optimè interpretaberis: *Hæc dicit Dominus Deus Iſraël ex occaſione domuum urbis hujus, etiam domuum Regum Iudæ, quæ dirutæ ſunt ut indè vallum fieret* (nam in obſeſſis urbibus, ubi vallum exterius hoſti ceſſit, fit vallum interius, & in id non domus tantùm, ſed & palatia diruuntur. Vide Nahum. iii. 14.) *& eorum qui gladio armati eunt ut pugnent cum Chaldæis; nempe ut impleant illas* (domos ſcilicet dirutas, aut eorum areas) *cadaveribus hominum*, popularium ſcilicet ſuorum. Illud *ut* hîc, ut alibi ſæpe, eſt non τελικὸν [*ſignificativum propoſiti*] ſed ἐκβατικόν [*eventûs*]. non enim hoc agebant, ſed hic futurus erat exitus.

Quos percuſſi in furore meo] *Quos* (Hieroſolymitas) *percutiam* (nempe per Chaldæos) *iratus*.

Abſcondens faciem meam à civitate hac] Favorem meum ab illis auferens.

6. *Ecce ego obducam eis cicatricem*] Suprà xxx. 17.

Et ſanitatem] Ità ut nulla maneat ſuppuratio.

Et revelabo illis deprecationem pacis & veritatis] Senſus eſt, ut ex Græco & Chaldæo intelligi poteſt, *Docebo eos quomodo apud me deprecari ſupplicium poſſint, & impetrare ſalutem firmam:* nempe *vitam corrigendo*, quomodo hîc explicat Chaldæus.

7. *Et convertam converſionem Iuda*] *Redire faciam captivos*, ut ſuprà xxxii. 44.

Ædificabo eos ſicut à principio] Faciam habitent, ut olim. Sic ſuprà xxxi. 4.

8. *Et emundabo illos ab omni iniquitate ſua*] Id eſt, pœnarum finem faciam; ut ſequentia explicant. Sic enim טהר [*mundare*], & καθαρίζειν [*purgare*] ſumuntur ſæpiſſime.

9. *Cunctis gentibus terræ*] *Apud omnes gentes terræ.*

Et pavebunt & turbabuntur in univerſis bonis, & in omni pace quam ego faciam eis] *Pace*, id eſt, *felicitate. Pavebunt* autem, quia potentiam Dei & in Iudæos benevolentiam tam manifeſtis ſignis agnoſcent.

10. *Quem vos dicitis eſſe deſertum, eò quòd non ſit homo, nec jumentum*] Vide ſuprà xxxii. 43.

11. *Vox gaudii & vox lætitiæ, vox ſponſi & vox ſponſæ*] Vide ſuprà vii. 34. xvi. 9. xxv. 10.

Vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum miſericordia ejus] Hæc ipſa verba ſumta ex Pſalmo cxxxvi ceciniſſe Iudæos reduces apparet Eſdræ iii. 11.

Portantium vota] In Hebræo, תודה [*confeſſionem*]: id eſt, *victimas ad laudem Dei.*

Reducam enim converſionem terræ ſicut à principio] *Reducam enim captivitatem* (id eſt captivos) *terræ* (hujus, ut ſint) *ſicut olim.* Vt eodem modo ſicut olim in hac ipſa terra vivant.

12. *Habitaculum paſtorum accubantium greges*] Vide ſuprà xxxi. 12.

13. *In civitatibus montuoſis*] Idem quod ſuprà xxxii. 44.

Tranſibunt greges ad manum numerantis] Virgilius,

Bíſque die numerant alter pecus, alter & hædos.

Virgâ autem percutientes pecudum quamque caulâ exeuntem ſimul numerabant, Levit. xxvii. 32.

14. *Suſcitabo verbum bonum*] Rata faciam promiſſa.

15. *David*] *Davidi.*

Germen juſtitiæ] Zorobabelem, germen Davidis, virum æqui amantem. idem habuimus ſuprà xxiii. 5.

16. *Salvabitur Iuda*] Felix erit.

Ieruſalem habitabit confidenter] Suprà xxxii. 37.

Et hoc eſt nomen quod vocabunt eum, Dominus] Idem ſenſus qui ſuprà xxiii. 6. niſi quòd ibi de populo, hîc de civitate agitur. Et ideo ibi eſt יקראו [*vocabunt eum*]; hîc verò יקרא לה [*vocabunt eam*], pro quo tamen & Græci & Chaldæus legerunt לו [*eum*], & ad *Iudam* referunt. Senſu ſublimiore non Chriſtiani tantùm, ſed & Kimchi hoc ad Meſſiam refert.

17. *Non interibit de David vir qui ſedeat ſuper thronum domûs Iſraël*] *Non deerit:* οὐκ ἐκλείψει Lxx, nec aliter Chaldæus. Et ſic Græci כרת vertunt multis aliis in locis.

18. *Et de Sacerdotibus & Levitis non interibit vir à facie mea*] Eſt idem verbum: & ſignificat, quanquam reduces plerique erunt ex Iuda & Benjamine, tamen etiam numerum ſufficientem Sacerdotum & Levitarum non defuturum qui ſacra curent.

Et incendat ſacrificium] In Hebræo, *adoleat*. מנחה, μαναὰ, id eſt, *partem de libo è ſimila.* Vide Levitici ii.

20. *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte*] Hîc ברית, *legem* ſive *præceptum* potiùs quàm *fædus* aut *pactum* ſignificat. Vide prolegomena noſtra ad Euangelia. Confer & quæ ſuprà habuimus xxxi. 36.

21. *Et pactum meum irritum eſſe poterit cum David ſervo meo*] Promiſſio Davidi facta ii Samuelis vii. i Paralipomen. xvii.

22. *Sicut enumerari non poſſunt ſtellæ cæli, & metiri arena maris*] Reſpicit loca Geneſ. xv. 5. xxii. 17. xxvi. 4. & xxxii. 12.

24. *Quid populus hic locutus ſit*] Συνεκδοχὴ [*Comprehenſio*], id eſt, quidam de populo.

Duæ cognationes quas elegerat Dominus abjectæ ſunt] Id eſt, Davidica & Aaronica; illa regia, hæc pontificia.

Et populum meum deſpexerunt, eò quòd non ſit ultrà gens coram eis] *Ideo deſpexerunt populum meum, quòd eorum opinione gens ultrà non eſſet futura.* Nam ad rempublicam conſtituendam imprimis requiruntur ἡ κυρία ἀρχὴ [*poteſtas rerum Domina*], & ἡ ἱερωσύνη [*Sacerdotium*].

26. *Reducam enim converſionem*] Verte & hîc *captivitatem*, ut ſuprà aliquoties. Nec aliter hîc Lxx, & Chaldæus.

CAPVT XXXIV.

1. V*Erbum quod factum eſt ad Ieremiam*] Hîc per ἐπάνοδον [*retrogreſſum*] cauſam reddit Propheta, ob quam à Sedecia in carcerem miſſus fuerat. Sunt enim hîc ipſa verba ob quæ Sedecias ei malè voluerat, ut didicimus capite XXXII.

5. *In pace morieris*] Non vi bellicâ.

Secundùm combuſtiones patrum tuorum Regum priorum comburent te, & , Væ Domine, plangent te]Nempe concedente id Rege Babylonis, quod Ioakimo non contigerat, ſuprà XXII. 18.

7. *Lachis*] Vide Ioſuæ X. 31. II Paralip. XI. 9.

8. *Poſtquam percuſſit Rex Sedecias fœdus cum omni populo in Ieruſalem*] Communi decreto ſtatuerat impleri quod Lex jubebat, ſed Iudæi non obſervaverant. Vide Exod. XXI. 2. Deuteron. XV. 12.

11. *Et converſi ſunt deinceps*] Mutarunt ſententiam, cùm Chaldæi, auditâ famâ de adventu Ægyptii, obſidionem primam ſolviſſent, ut legimus infrà 21. & XXXVII. 4. 5. 6. 7. 8. Sic & infrà hoc verbum ſumitur 15. 16.

Et retraxerunt ſervos & ancillas] In ſervitutem, contra Legem.

15. *Vt prædicaretis libertatem*] Publicaretis, ídque in Templo, ut ſequitur.

17. *Ego prædico vobis libertatem, ait Dominus, ad gladium, & ad peſtem, & ad famem*] *Ego publico adversùs vos libertatem gladio, & peſti, & fami.*

18. *Non obſervaverunt verba fœderis quibus aſſenſi ſunt in conſpectu meo*] Id eſt, in Templo.

Vitulum quem conciderunt in duas partes, & tranſierunt inter diviſiones ejus] *Vitulum concidendo in duas partes, & tranſiendo inter diviſiones ejus.* De hoc more fœderum ſanciendorum vide Geneſ. XV. 9. & quæ diximus ad Matth. XXVI. 28.

19. *Eunuchi*] *Eunuchos.*

Et omnis populus terræ] *Et omnem populum terræ.* Cohærent enim hæc cum eo quod ſequitur, *Dabo eos in manus*, ſuperfluente copulâ, more Hebræo.

21. *Et in manus exercituum Regis Babylonis, qui receſſerunt à vobis*] Et redibunt ſcilicet, cognito ad ſua rediiſſe Ægyptium.

22. *Ecce ego præcipio*] *Præcepturus ſum*, id eſt, effecturus, ut illi Chaldæi redeant.

CAPVT XXXV.

1. V*Erbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, in diebus Ioakim filii Ioſiæ Regis Iuda*] Ex occaſione hiſtoriam rei multò antè actæ huic loco attexit, ut oſtendat quàm graviter Deum offendant, qui leges ejus qualeſcunque violant, ut illi fecerant, qui in ſervitutem populares ſuos retraxerant.

2. *Vade ad domum Rechabitarum*] Id eſt, *ad familiam.* Ea antiquitus ex Cinæis erat orta, I Paralipomenon II. 55.

In unam exedram theſaurorum] *Exedram* dicere ſatìs fuerat. Græci modò μίαν τῶν αὐλῶν [*unam aularum*], modò παστοφόριον dicunt. *Paſtophorium* Hieronymus ad XXII Eſaiæ interpretatur *thalamum in quo habitat Præpoſitus Templi*, ſpeciem ponens pro genere. Sed quia in exedris illis & veſtes Sacerdotum, & vaſa aſſervabantur, ideo hîc dicitur *exedra theſaurorum*, & mox *gazophylacium.*

4. *Filiorum Hanan filii Iegedeliæ hominis Dei*] *Prophetæ*, ut hîc Chaldæus. Sic eadem vocabula uſurpantur II Regum IV. 7. 25. 40. VI. 6. & alibi.

Iuxta gazophylacium Principum] Iuxta exedram, in qua primi Sacerdotum cibum capiebant.

Super theſaurum] *Super exedram.*

Qui erat cuſtos veſtibuli] סף & *vaſa* & *limen* ſignificat. Priorem ſignificatum hîc amplectitur Chaldæus, qui habet אמרכלא. Eo nomine dicebantur in Templo ſeptem arcarii, ad quos pecunia in uſus Templi capitatim ſoluta, & res votivæ atque conſecratæ deferebantur ab iis qui vocabantur גזברים [*Collectores*]. Poſteriorem cum Latino Græci, qui habent τοῦ φυλάσσοντος τὴν ὁδόν [*cuſtodientis viam*].

6. *Quia Ionadab filius Rechab pater noſter*] *Patrem* vocant qui progenitor eorum fuerat ante annos trecentos. Fuerat enim hic Ionadab amicus Regis Iehu, ut videmus II Regum X. 15.

Præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum] Si hoc præcipere progenitor poſteris ſuis potuit, & laudem à Deo habent qui id obſervarunt, cur non Eccleſiæ Patres præcipere quædam poterunt, non per ſe neceſſaria, ſed pro ratione temporum locorúmve utilia, aut ad vitandas mali occaſiones, aut ad virtutum adminicula?

7. *In tabernaculis habitabitis*]In tentoriis, more ipſis avito, Iudicum IV. 17.

Vt vivatis diebus multis ſuper faciem terræ, in qua vos peregrinamini] Non erant enim de ſtirpe Iacobi; incolis autem talibus præcipuè vitanda invidia eſt.

11. *Cùm autem aſcendiſſet Nabuchodonoſor Rex Babylonis in terram noſtram*] Quæri poterat, *Cur ergò in Vrbe moramini contra Ionadabi interdictum?* occurrunt huic accuſationi, & ajunt neceſſitate coactos ſe id feciſſe: quòd terras omnes hoſtis teneret, neminem ibi patiens conſiſtere. Præcepta ejus generis, cujus hoc fuit, amant ἐπιείκειαν [*æquitatem*] interpretem.

Et à facie exercitûs Syriæ] Nam Syri ſocii erant Chaldæorum.

14. *Prævaluerunt ſermones Ionadab*] Auctoritatem apud poſteros habuerunt.

Et non biberunt uſque ad diem hanc] Per annos, ut diximus, trecentos.

16. *Firmaverunt igitur filii Ionadab filii Rechab præceptum patris ſui*] Ratum fecerunt.

19. *Non deficiet vir de ſtirpe Ionadab filii Rechab ſtans in conſpectu meo cunctis diebus*] Id eſt, *miniſtrans mihi*, ut ait Chaldæus, nempe Dei laudes canendo. Quod colligi videtur ex loco I Paralip. II. 55. ubi & hoc diſcimus, rediiſſe eos ab exſilio.

CAPVT XXXVI.

1. E*T factum eſt in anno quarto Ioakim filii Ioſiæ Regis Iuda: factum eſt verbum hoc ad Ieremiam à Domino*] Sicut Eſaias vaticiniis ſuis ſubtexuit hiſtoriam rerum, per quas probata eſt vaticiniorum fides, capitibus XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX: ſic &

Ieremias, cujus hiſtoria incipiet capite ſequenti, & per aliquot capita decurret. Sed priuſquam id faciat, præmittit narrationem rei geſtæ jam olim, ex qua conſtaret Ieremiam non voce tantùm dixiſſe, ſed & ſcripto, & quidem bis, conſignaſſe omnia ea quæ eveniſſe deinde oſtendet.

2. *Tolle volumen libri*] Sume tibi de membranis volubilibus quantum ſatis eſt.

4. *Baruch*] Diſcipulorum ſuorum potiſſimum, ut ſuprà notavimus XXXII. 12.

5. *Ego clauſus ſum*] *Detineor.* Iuſſus ſcilicet à Rege domi me continere.

6. *In die jejunii*] Quod Rex erat indicturus, inf. 9.

7. *Si fortè cadat oratio eorum in conſpectu Domini*] *Cadere oratio* dicitur quæ fit à procumbentibus. Sic infrà XXXVIII. 26.

9. *Et univerſæ multitudini quæ confluxerat de civitatibus Iudæ in Ieruſalem*] Ex Regis edicto.

10. *Scribæ*] Nempe Templi.

In introitu portæ novæ] De qua ſuprà XXVI. 10.

12. *Deſcendit in domum Regis ad gazophylacium ſcribæ*] Ad exedram ſcribæ regii.

Et ecce ibi omnes Principes ſedebant] Primores aulæ.

Elnathan filius Achabor] Nominatus jam ſuprà XXVI. 22.

16. *Obſtupuerunt unuſquiſque ad proximum ſuum*] Reſpexerunt ſe mutuò, perculſi tam gravium rerum denuntiatione.

18. *Ex ore ſuo loquebatur, quaſi legens ad me, omnes ſermones iſtos*] Diſtinctè, nihil hæſitans, omnia iſta mihi dictavit.

19. *Vade, & abſcondere tu & Ieremias*] Erant hi viri non mali, & proſpiciebant Regis iram. Vide inf. 25.

21. *Miſit Rex Iudi*] Hominem Regi ſimilem, eóque ei individuum.

22. *In domo hyemali*] Mutabant enim Reges exedras pro anni tempore.

Poſita erat arula] Id eſt, *batillus*: ἐσχάρα [*focus*] Græcis hîc, aliter πυράμμη [*ignitabulum*].

23. *Tres pagellas, vel quatuor*] In Hebræo, *oſtia.* Sic vocantur tituli ſectionum. Idem eſt פצין in Chaldaïco.

Scidit illud ſcalpello ſcribæ] *Cultello ſcriptorio*, quod

— σμίλην δονάκων ἀκροβελῶν γλυφίδα,

[*Cultellumque aciem qui dat arundinibus*]

vocat Epigrammatarius Græcus. Alius,

Γλυφανοῦ καλάμου πλατέος γλωχῖνα σιδήρου.

[*Et latum calamos aptat quod cuſpide ferrum.*]

Rurſus alius,

— χαλκὸν δονάκων τέκτονα λεπταλέων.

[*Et faber argutis culter arundinibus.*]

Alius, ——— σμίλης ὀξυτόμον κοπίδα.

[——— *chalybem ſcindere non hebetem.*]

Alius, ——— γλυπτῆρα σιδήρεον. ———

[——— *è ferro ſcalprum.* ———]

24. *Et non timuerunt*] Tantò pejores illis de quibus ſuprà 12. 16.

25. *Contradixerunt Regi, nè combureret librum*] *Deprecati ſunt.* Sic habet Hebræum, & Chaldæus.

26. *Abſcondit autem eos Dominus*] Fecit nè inveniri poſſent.

28. *Tolle volumen aliud*] *Sume membranas alias.*

29. *Dicens, Quare ſcripſiſti omnia*] Hoc eſt quod Rex juſſerat dici Ieremiæ, ſi inventus eſſet: *Cur ſcripſiſti in iſtam ſententiam, Venturum Regem Babylonis*, &c. Nolunt Reges ſibi vera dici.

30. *Non erit ex eo qui ſedeat ſuper ſolium David*] Id eſt, non manebit in ſolio Davidis ejus poſteritas. Nam Iechonias filius ejus poſt trimeſtre regnum ſine liberis deceſſit.

Et cadaver ejus projicietur ad æſtum per diem, & ad gelu per noctem] Idem ſenſus qui ſuprà XXII. 18. 19.

31. *Quod locutus ſum ad eos*] In iſto volumine.

Et non audierunt] Noluerunt in animum admittere.

32. *Et inſuper additi ſunt ſermones multò plures quàm antea fuerant*] In Hebræo, *Vt iſti*: id eſt, ſimili argumento.

CAPVT XXXVII.

3. *Ora pro nobis Dominum Deum noſtrum*] Incertus conſiliorum neſciebat quò ſe verteret.

4. *Non enim miſerant eum in cuſtodiam carceris*] Id eſt, *nondum*: nam poſtea datus eſt in carcerem, infrà 14. & ibi viſa illa habuit quæ jam antè in Prophetias retulit Ieremias XXXII. & XXXIII.

Receſſerunt ab Ieruſalem] Quo tempore Rex & Principes reſciderunt decretum de popularium libertate, ut habuimus XXXIV.

6. *Ecce exercitus Pharaonis, qui egreſſus eſt vobis in auxilium, revertetur in terram ſuam*] Non auſus obviam ire Babylonio, qui ob id ab obſidione Hieroſolymorum diſceſſerat, relictis per alia oppida præſidiis. Vide II Regum XXIV. 7.

7. *Et redient Chaldæi*] Redibunt ad repetendam obſidionem.

9. *Singuli*] Iſtorum vulneratorum. Tanta eſt Dei in vos ira, ut vel pauci ſaucii ad veſtram perniciem ſufficiant.

11. *Et divideret ibi poſſeſſionem in conſpectu civium*] חלק quidem *partiri* quoque ſignificat; verùm etiam *extrahere*, quo ſignificatu ſæpe reperitur apud Thalmudicos: ità ut ſenſus ſit non incommodus, *ut ſubduceret ſe de conſpectu civium*, Hieroſolymitanorum ſcilicet.

12. *Filii Ananiæ*] Cui mortem prædixerat Ieremias ſuprà XXVIII. Eam mortem, quaſi non prædicta ſed illata fuiſſet ab Ieremia, vindicare voluit nepos.

14. *In carcerem qui erat in domo Ionathan ſcribæ*] Vnius ex aulicis ſcribis: nam carcer hic in aula erat. Vide ſuprà XXXII.

15. *In domum laci, & in ergaſtulum*] Meliùs: *in domum carceris* (interiorem ſcilicet) *& in cellulas.* Eas intelligit quas nunc *geolas* vocant: triſte habitaculum.

16. *Tulit eum*] Iuſſit clam eum ad ſe deduci.

Putáſne eſt ſermo à Domino?] *An eſt* (ſupple, *tibi*) *ſermo à Domino?* An nunc etiam hoc tempore certi aliquid nobis potes prædicere?

17. *Quia miſiſti me in domum carceris*] Locum tetrum ac tenebricoſum.

20. *In veſtibulo carceris*] Vbi & cœlo frui poterat, & ab amicis adiri. Vide ſuprà XXXII.

Et daretur ei torta panis quotidie, excepto pulmento]

Et daretur ei fruſtum panis quotidie de vico piſtorum. Sic Chaldæus; quæ optimè cum Hebræo conveniunt. Panes grandes fieri ſolebant: ex iis partes μερίδες, κλάσματα [*fragmenta*] ſingulis dabantur.

Et manſit Ieremias in veſtibulo carceris] Donec in pejorem locum tranferretur, ut habebimus capite ſequenti.

CAPVT XXXVIII.

1. **G***Edelias filius Phaſſur*] Illius de quo capite xx.

Et Iuchal filius Selemiæ] Ejus cujus mentio ſuprà XXXVI. 26.

Et Phaſſur filius Melchiæ] Is ipſe eſt qui nominatus eſt ſuprà XXI. 1.

4. *De induſtria enim diſſolvit manus virorum bellantium qui remanſerunt in civitate hac*] In Hebræo: *nam per iſta* (nempe verba) *debilitat manus virorum*, &c. Infringit illis animos ſpem omnem adimendo. *Puniendi ſunt, qui aliquid fecerint quo leves hominum animi ſuperſtitione Numinis tenerentur*, ut docet Modeſtinus L. *Si quis aliquid.* D. de pœnis. Et *Principis fata ſcrutari capital* apud Romanos, ut Tacitus nos docet Annal. XVI. Vera hæc: ſed Dei juſſus ſupra omnem legem eſt, & quicquid imperat, defendit.

Non quærit pacem populo huic] Id eſt, ſalutem.

5. *Ecce ipſe in manibus veſtris eſt*] In manibus Synedrii, cujus eſt judicare de Propheta vero aut falſo.

Nec enim fas eſt Regem vobis quicquam negare] In Hebræo, *Nam Rex nihil contra vos poteſt:* nempe in iſto rerum genere, ut explicavimus libro 1. de Iure Belli ac Pacis, cap. 11. § 20.

6. *Filii Amelech*] Cujus *Amelech* mentio ſuprà XXXVI. 26. At Chaldæus & Græci utrobique prò nomine *Regis* ſumſerunt, putantes & hunc Melchiam & illum Ieremielem alicujus Regum fuiſſe filios.

In lacum in quo non erat aqua, ſed lutum: deſcendit itaque Ieremias in cœnum] Qui hanc miſeriam ſuam flebiliter deſcribit Thren. III. & prædixerat eam Eſaias LIII. 8. Ioſephus: παραλαβόντες αὐτὸν εἰς ἵνα λάκκον βορβόρου πλήρη καθιμήσαντο, ὅπως ἰδίῳ θανάτῳ πνιγεὶς ἀποθάνῃ· ὁ δὲ περὶ τοῦ αὐχένος ὑπὸ τοῦ πλήθους περισχεθεὶς ἐν τούτοις ἦν [*aſſumtum eum demiſerunt in puteum cœni plenum, ut ſic ſuffocatus nemine manum admovente periret. Et ille quidem collo tenus demerſus ob luti copiam in illis erat malis*].

7. *Abdemelech Æthiops*] Iam tum eminus oſtendere Deus voluit, quàm juſtas cauſas haberet gentes extraneas ad ſalutem vocandi. Servat Æthiops Prophetam quem Iudæi opprimebant. Gentes in Chriſtum credidêre, quem Iudæi crucifixerant.

In porta Benjamin] Vbi deſideria civium audire ſolebat.

9. *Mittentes eum in lacum, ut moriatur ibi fame: non ſunt enim panes ultrà in civitate*] Aliter in Hebræo eſt: *Mortuus fuiſſet per ſe à fame, quia non eſt ultrà panis in urbe.* Hoc ſenſu: nihil opus erat mortem ejus appetentibus eum transferre in locum tam fœdum; nam etiamſi in veſtibulo carceris eum reliquiſſent, ex fame mors eum manebat, quippe cùm panes jam defecerint. Chaldæus: *Mortuus eſſet in loco ſuo præ fame*, in loco ſcilicet illo priore.

11. *Ingreſſus eſt domum Regis quæ erat ſub cellario*] אוצר modò *theſauros*, modò *apothecas* ſignificat, qua voce Hebræam illam interdum verterunt Græci. Credibile eſt hunc locum in quem deſcendit Abdemelech, fuiſſe ſubter cellam penuariam, quo peniculi uſu detriti abjiciebantur.

Tulit indè veteres pannos, & antiqua quæ computruerant] In Hebræo, *Vetera tractionum, & vetera corruptionum.* Id eſt, penicillos laceratos, vel uſu detritos. De voce hac מלחים vide quæ diximus ad Marcum IX. 49.

12. *Sub cubito manuum tuarum*] *Sub axillis manuum tuarum:* id eſt, brachiorum tuorum.

Super funes] In Hebræo, *ſubter* (eos peniculos, pone) *funes:* nempe quominus funes læderent hominem nudum, aut ſeminudum.

13. *In veſtibulo carceris*] Vbi antè fuerat, XXXVII. 20.

14. *Tulit ad ſe Ieremiam*] Sume ut ſuprà XXXVII. 16.

Ad oſtium tertium quod erat in domo Domini] *Ad introitum tertium qui ibat in domum Domini.* Id eſt, in Templum. Vide 1 Reg. x. 5. 12. 1 Paral. XXVI. 16. 18. II Paralipomenon IX. 11.

15. *Si annuntiavero tibi*] Credebat illum iterum de obſidionis eventu aliquid interrogaturum: quod verum erat.

Numquid non interficies me] Id eſt, *profectò interficies me.* Eam conjecturam faciebat ex rebus antecedentibus. Vide caput præcedens, & hoc in quo nunc ſumus.

Et ſi conſilium dedero tibi, non me audies] Loquitur ſecundùm id quod erat credibile: nam ſæpe monitus nihilo factus erat melior.

16. *Vivit Dominus qui fecit nobis animam hanc*] Id eſt, qui nobis hanc vitam dedit. Solent Reges etiam mali in magnis periculis aliquo Numinis metu percelli. Vide Suetonium Caligulâ 51.

In manus virorum iſtorum] Qui nominati initio capitis, quique per Synedrium, cujus pars erant, facilè ſperabant obtinere ſe poſſe mortem Prophetæ.

17. *Si profectus exieris ad Principes Regis Babylonis*] Id eſt, ſi te eas deditum. Non dicit *ſi eas ad Regem.* Non enim tanti eum feciſſet, ut fœderis violatorem admittere ad ſuum aſpectum voluiſſet.

20. *Non te tradent*] Deus non ea tantùm novit quæ eventura ſunt, ſed & quæ eventura eſſent, ſi hoc, vel illud fieret; partim quòd omnes hominum affectus ipſi perſpectiſſimi ſunt, partim quòd vi ſuâ omnipotente & affectus vertere, & effectus quoſvis etiam ſine eo impedire poſſit.

22. *Omnes mulieres quæ remanſerunt in domo Regis Iuda*] Quæ aut Ioakimi, aut Iechoniæ fuerunt.

Ipſæ dicent: ſeduxerunt te] *Ipſæ dicent te ſeductum* ab his quos jam deſcribet.

Viri pacifici tui] Id eſt, amici tui, ut Pſalm. XLI. 10. Intellige Ægyptios, Pſeudoprophetas, procerum quoſdam.

Demerſerunt in cœno & in lubrico pedes tuos] Dicent illos fuiſſe qui te involverunt inexplicabilibus malis.

Et receſſerunt à te] Id eſt, illos verò retro abiiſſe. Ægyptii exercitum ſtatim reduxêre. Pſeudoprophetarum & Procerum, qui ante pericula promtiſſimi fuerant urgente periculo transfugêre ad Chaldæos, ſuprà 19.

23. *Et omnes uxores tuæ, & filii tui*] Scandit oratio: propiùs enim propiùſque ad ipſum venit.

24. *Nullus ſciat verba hæc, & non morieris*] Id eſt, Si hæc in vulgus non proferas, ſalvum te præſtabo.

26. *Proſtravi ego preces meas coram Rege*] Id eſt, proſtrato corpore Regem oravi. Similem locutionem habuimus ſuprà XXXVI. 7.

In domum Ionathan] In carcerem illum interiorem ac tenebricoſum, de quo ſuprà XXXVII. 15.

27. *Et locutus eſt eis juxta omnia verba quæ præceperat ei Rex*] Partem veri dicere non eſt mentiri.

Et ceſſaverunt ab eo] Non traxerunt eum ad Synedrium.

Nihil enim fuerat auditum] De iis quæ Rex eum interrogaverat, quæque ipſe reſponderat.

28. *Manſit verò Ieremias in veſtibulo carceris*] De quo XXXII. 2. XXXIII. 1. XXXVII. 21.

Vſque ad diem quo capta eſt Ieruſalem] Vt apparet infra XXXIX. 13.

Et factum eſt ut caperetur Ieruſalem] Hæc verba meliùs ad caput ſequens referentur, ut primum & ſecundum comma παρενθέσεως [*ſermonis interjecti*] vim habeant, & in tertio abundet copuia.

CAPVT XXXIX.

2. QVinta menſis] Error eſt non interpretis, ſed ſcribæ, qui V. ſcripſit pro IX. Conſentiunt enim hîc Hebræi codices, Græci, Chaldaïci. Nec aliter iidem codices & ipſe Latinus II Reg. XXV. 3. & hoc libro infrà LII. 6.

Aperta eſt civitas] Id eſt, ut Hiſtorici loquuntur, ruinis nudata urbs erat.

3. *Et ingreſſi ſunt omnes*] Impetu irruperunt.

Et ſederunt in porta media] Quæ duas urbis partes dividebat.

Neregel-ſereſer Semegarnabu] Cùm duo hîc nominentur nomine *Neregel-ſereſer*, credibile eſt eos officiis hîc diſtinctos eſſe: סמגר נבו [*Samghar-Nebu*] videtur eſſe *Cuſtos templi Nabo*, ut מ ſit vice נ ἐπινθετικοῦ [*injectitii*].

Rab-ſaris] Id eſt, *Præfectus eunuchorum*.

Rab-mag] *Princeps magorum*. Nomina hæc omnia apud Ioſephum ita corrupta reperies, ut veſtigia vix agnoſcas.

4. *Per viam horti Regis*] Id eſt, per cryptam aliquam.

Et per portam quæ erat inter duos muros] Id eſt, ipſa porta erat extra murum, & ipſa, ut in obſidionibus fit, muro obſtructa: unde eum murum perfodi neceſſe fuit, ut Regi pateret exitus, Ezech. XII. 12.

Et egreſſi ſunt per viam deſerti] *Viâ campeſtri*. Græci, retentâ voce Hebræâ, διὰ τὴν ὁδὸν Ἀραβά [*per viam Araba*]. Ea eſt via versùs Hierichuntem, ut ſequentia oſtendunt.

5. *In Reblatha, in terra Emath*] De qua vide II Regum XVII. 24.

Et locutus eſt ad eum judicia] Id eſt, contra eum, ut fœderis ruptorem, ſententiam tulit, quomodo Tullus in Metium Suffetium.

9. *Et reliquias populi qui remanſerant in civitate*] Exceptis, ut jam dicet, pauperrimis, à quibus nihil metuebat: ut ſequentia oſtendunt.

Et perfugas qui transfugerant ad eum] De quibus ſuprà XXXVIII. 19.

Et ſuperfluos vulgi qui remanſerant] Id eſt, illos qui ex minoribus oppidis agriſque poſt tantas ſtrages reſtabant. Vide quæ dicta ad hiſtoriam hanc in libro Regum.

11. *Præceperat autem Nabuchodonoſor Rex Babylonis de Ieremia Nabuzardan magiſtro militum*] Nempe edoctus è perfugis eum ſemper monitorem fuiſſe ut Chaldæis Vrbs dederetur, & ob id ipſum à ſuis popularibus tractatum peſſimè.

14. *Tradiderunt eum Godoliæ*] Eſt anticipatio ejus quod uberiùs narrabitur cum ſuis circumſtantiis capite ſequenti. Godolias ille præcipuus fuit eorum qui ad Chaldæos transfugerant.

16. *Et erunt in conſpectu tuo in die illa*] Videbis omnia illa evenire quæ prædixit Ieremias.

17. *Non tradêris in manus virorum quos tu formidas*] Aulici iſti Sedeciæ Regis tibi infenſi, ob Ieremiam liberatum, nihil adversùs te poterunt: habebunt domi negotium.

18. *Erit tibi anima tua in ſalutem*] In Hebræo, *pro ſpolio*; Chaldæo *in ereptionem*. Sicut ſpolia eripiuntur hoſtibus: ità tu vitam ab eorum vi eripies. Græci vertunt εἰς εὕρημα [*pro inventa*], & hîc & XLV. 5.

Quia in me habuiſti fiduciam] Nempe cùm virorum potentium iram non veritus Prophetæ & æquitati vocem liberam commodaſti. Suprà XXXVIII. 7.8.

CAPVT XL.

1. SErmo qui factus eſt ad Ieremiam à Domino] Hæc referenda ſunt ad ea quæ ſequentur capite XLII. 9. Cætera præmittuntur, ut tempus & occaſio ejus Prophetiæ rectiùs intelligantur.

De Rama] Vide quæ diximus ſuprà XXXI. 15.

Quando tulit eum vinctum catenis] Ignotum ſcilicet adhuc ſibi. Nam ſimulatque didicit eum eſſe Ieremiam, liberavit eum ac bene ei fecit ex præcepto Regis quod habuimus ſuprà XXXIX. 11.

4. *Ponam oculos ſuper te*] Curam tui ſingularem habebo: ut ſuprà XXXIX. 12.

Ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt] Elige hujus terræ quam volueris partem.

5. *Et mecum noli venire, ſed habita apud Godoliam*] Chaldæus non malè vertit: *Et ſi tu non* (vis) *habitare*, (ruri ſcilicet) *confer te ad Godoliam*. Si mavis in oppido aliquo quàm in agro habitare, poteris id tutò facere ſub Godoliæ præſidio, cui te commendabo. Apparet Chaldæum illud ישב derivaſſe à ישב [*ſedere*], non à שוב [*reverti*].

Dedit quoque ei magiſter militum cibaria & munuſcula] Meliùs, *convivium & munus*. Convivio eum excepit, & munera dedit de præda eximia. Ioſephus: δωρησάμενος αὐτὸν δωρεαῖς πολυτελέσι [*cùm eum donaſſet donis ſumtuoſis*]. Vide Eſaiam LIII. 12. Græci libri quidam hîc : ἔδωκεν αὐτῷ ἑστιατορίαν καὶ δῶρα [*dedit ei convivium & dona*].

6. *In Maſphath*]Nempe Benjaminis, Ioſ.XVIII.26.

7. *Cúmque audiſſent omnes principes exercitûs qui diſperſi erant per regiones*] Iudæi duces, qui in oppidis aliis poſiti , cùm viderent Chaldæis reſiſti non poſſe in tempore , ſe ad vicinas regiones , ubi bellum non erat , receperant. Exponitur hoc infrà 11.

8. *Et Iſmahel*] *Et* hîc more Hebræo ſuperfluit.

10. *Vt reſpondeam præcepto Chaldæorum qui mittuntur ad nos*] In Hebræo : *Vt ſtem ad facies Chaldæorum qui venient ad nos.* Id eſt , ut impleam mandata Legatorum quos miſſurus eſt Rex Babylonis.

Et meſſem] קיץ ὀπώραν potiùs ſignificat , ut hîc habent Græci , *arborum fructus*. Chaldæus *caricas* dixit , ſpeciem pro genere. Meſſis tempus jam præterierat. Menſe enim Iulio Vrbs fuit incenſa. Sic interpretare & infrà 12.

Manete in urbibus veſtris quas tenetis] In Hebræo : *quas tenuiſtis* , nempe ante bellum.

13. *Iohanan autem*] In Hebræo : *Etiam Iohanan.* Nempe & ille inter eos fuit qui ſe Godoliæ applicuerunt.

14. *Scito quod Baalis Rex filiorum Ammon miſit Iſmahel filium Nathaniæ percutere ânimam tuam*] Græci libri quidam hîc habent βασίλισσα βασιλέως υἱῶν Ἀμμών , id eſt , *Regina* (mater) *Regis Ammon* , tutelam ſcilicet Regis pueri gerens. Sicut *mater Regis* Hebræis vocabatur גבירה [*potens*] , ità Ammonitis בעלים [*Domina*] . Nam ם pro ת ponere eſt dialectus. Pro שלח [*miſit ipſe*] ergò legerunt שלחה [*miſit ipſa*] Pro illo *ſcito* , in Hebræo eſt *an planè ſcis ?* id eſt , an non intellexiſti rem tanti momenti ? Iſmaël iſte Iudæus erat , ad regiam Davidis familiam pertinens, ut mox videbimus XLI. I. Ità Ammonitarum Auguſta vetus in Hebræos odium, Iſmaël verò ille ſpem quam conceperat ex ortu Davidicæ ſtirpis , unà miſcuerunt. *Percutere animam* eſt vulnerare lethaliter , ut Geneſ. XXXVII. 21.

16. *Noli facere verbum hoc*] *Rem hanc.* Ità enim Hebræi דבר [*verbum*] ſæpiſſime uſurpant. LXX , πρᾶγμα τοῦτο[*negotium hoc*].

Falſum enim tu loqueris de Iſmahel] Vir non malus, ſed nimiùm credulus , qualis Eumenes.

CAPVT XLI.

1. *Comederunt ibi panes*] Convivio excepti ſunt.

2. *Quem præfecerat Rex Babylonis terræ*] Hoc additamento oſtendit magnitudinem criminis.

4. *Nullo adhuc ſciente*] Antequam fama de occiſo Godolia emanaſſet.

5. *Viri de Sichem , de Silo , & de Samaria*] Viri pii , quales erant pauci , in illis locis.

Raſi barbâ , & ſciſſis veſtibus , & ſquallentes] Vt dolorem teſtarentur de incenſo Templo.

Et munera] מנחה , μαναά [*oblationem è ſimila*] .

Vt offerrent in domo Domini] In area , ubi Templum fuerat. *Locus in quo ædes ſacræ ſunt ædificatæ , etiam diruto ædificio , ſacer adhuc manet* , Inſtit. de Rerum diviſione, § *Sacræ :* ex Papiniano.

6. *Et plorans ibat*] Quaſi & ipſe Templi exitium lugeret : ut ſic faciliùs eos ab omni metu averteret.

Venite ad Godoliam filium Ahicam] Quaſi ipſe eſſet de ejus comitatu.

7. *Interfecit eos Iſmahel filius Nathaniæ circa medium laci*] Eſt ἔλλειψις [*defectus*] pro *interfectos abjecit* , ut apparet infrà 9. בור autem , quod hîc *lacum* vertit , hoc loco *foſſam* ſignificat urbi circumdatam, quomodo φρέαρ [*puteus*] ſumitur & II Maccab. I. 19. Similis huic locutio I Maccab. VII. 19. ἔθυσεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ τὸ μέγα [*occîdit eos in puteum magnum*] , id eſt , *interfectos in foſſam abjecit.*

8. *Quia habemus theſauros in agro frumenti , & hordei , & olei , & mellis*] Id eſt , *apothecas* , ut interpretati ſumus ſuprà XXXVIII. 7.

Et ceſſavit , & non interfecit eos] Apparet hoc exemplo verum ſæpe eſſe quod dixit Sapiens, *Divitiis vitam redimi* , Prov. XIII. 8. Simul oſtenditur Iſmaëlis avaritia , hominis per omnia Ammonitæ quàm Iudæo propioris.

9. *Lacus*] *Foſſa* , ut ſuprà 7.

Quem fecit Rex Aſa] Nempe cùm Maſpatham muniret , I Regum XV. 22.

10. *Et captivas duxit Iſmael omnes reliquias populi qui erant in Maſphath , filias Regis , & univerſum populum*] Indignus Davide pronepos. Filias Sedeciæ Chaldæi in Iudæa reliquerant , quia nec ad arma valet is ſexus , nec ad regnum jus ſibi vindicare poterat. Vide infrà XLIII. 6.

Et abiit , ut tranſiret ad filios Ammon] Quorum incitatu ſcelera hæc in populares ſuos patraverat.

11. *Iohanan filius Caree*] Nominatus ſuprà XL. 8.

12. *Et invenerunt eum ad aquas multas quæ ſunt in Gabaon*] Id eſt , *ad magnam piſcinam* , ut hîc habet Chaldæus. Ea ipſa eſt, cujus mentio II Sam. II. 13. Erat autem Gabaon in itinere à Maſpatha ad Ammonitas.

13. *Lætati ſunt*] Conſpecto vindice ſuæ libertatis.

14. *Et reverſus eſt omnis ille populus*] In Hebræo: *Et reduxerunt* (illi qui cum Iohanane erant) *omnem illum populum* , nempe captum ab Iſmaële.

Reverſúſque abiit ad Iohanan filium Caree] *Qui populus reverſus* (ad res ſuas) *adhæſit Iohanani filio Caree :* id eſt , eum agnovit Ducem.

15. *Iſmael autem filius Nathaniæ fugit cum octo viris*] *Iſmael enim filius Nathaniæ fugerat cum octo viris.* Oſtenditur quomodo factum ſit ut captivi illi evaderent. Sæpe captoribus multitudo captivorum non oneri tantùm , ſed & periculo fuit. *Cum octo viris* , quia duos amiſerat , tentato fruſtra prælio.

16. *Et eunuchos*] Nam & hoc hominum genus exemplo aliorum Regum Iudæi Reges ſibi circumdederant , quos ut nulli bono uſui Chaldæi in Iudæa reliquerant.

17. *Sederunt peregrinantes in Chamaam , quæ eſt juxta Bethlehem*] In Hebræo : *Conſederunt in habitatione Chimhami , quæ eſt juxta Bethlehem.* David bello adversùs Abſolomum patrato , cùm Berzellajum amicum ſuum ſenem ſecum Hieroſolyma reducere non poſſet , filium ejus Chamaamum ſecum

duxit, eo animo ut patris merita in filio remuneraret. Cùm autem David patrimonium haberet in agro Bethlehemitico, jus ibi habitandi & fructus quoſdam ſuos faciendi dedit Chamaamo: atque inde id rus nomen accepit. Conſederunt autem ibi tantùm ut ſe pararent itineri, de quo agunt ſequentia.

18. *Timebant enim eos, quia percuſſerat Iſmahel filius Nathaniæ Godoliæ filium Ahicam, quem præpoſuerat Rex Babylonis in terra Iuda*] Eâque re majeſtatem Regis Babylonii inſigniter læſerat. Vide L. 1. § 1. D. ad L. Iuliam Majeſtatis. Non carebat autem ratione metus ille, nè Chaldæi ex ſuſpicione Iudæos omnes in idem crimen traherent, quaſi qui Principem ſibi deſideraſſent ex ſtirpe Davidis.

CAPVT XLII.

1. *ET Iohanan filius Caree*] Nempe *Iohanan*.

2. *Cadat oratio noſtra in conſpectu tuo*] Meliùs, *à conſpectu tuo*: id eſt, tu procumbens preces noſtras ad Deum defer. *Cadere* oratio dicitur quæ fit à procumbentibus, ut ſuprà XXXVI. 7. XXXVIII. 26. Vide & infrà 9.

Derelicti ſumus pauci de pluribus] Tale illud:

——— *Relliquias Danaûm, atque immitis Achilli*.

3. *Verbum quod faciamus*] *Rem faciendam à nobis*. Multi Prophetas conſulebant facturi quod dicerent, ſi modò Prophetæ dicerent ipſorum votis congruentia.

6. *Sive bonum eſt, ſive malum*] Id eſt, ſive facile, ſive difficile.

10. *Si quieſcentes manſeritis*] Sub imperio Babylonico, cui eos ſubjici planè Deus voluerat.

In terra hac] Iudæa.

Ædificabo vos] *Domos vobis dabo*, ut ſuprà XXXIII. 7.

Plantabo] Firmas ſedes vobis faciam, ut arboribus quæ ſolo infiguntur.

Iam enim placatus ſum ſuper malo quod feci vobis] Contentus ſum iis pœnis quas vobis intuli, modò nè novam imparentiæ culpam adjiciatis.

11. *Vobiſcum ſum ego*] Vide ad ultima Matthæi.

14. *Et ibi habitabimus*] Non vagabimur, ut hîc, pro arbitrio Chaldæorum.

15. *Si poſueritis faciem veſtram ut ingrediamini Ægyptum*] Vide de hoc loquendi genere ad Lucam IX. 51. Quòd autem in Ægyptum ire vetantur, non venit ex illo loco Deuter. XVII. 16. cujus alium quàm à nonnullis putatur ſenſum eſſe ibi oſtendimus, ſed ex ſpeciali decreto Dei, ex cauſa illa quam attulimus ſuprà 10.

16. *Gladius quem vos formidatis ibi comprehendet vos in terra Ægypti*] Gladius Nabuchodonoſoris. Factum hoc eâ expeditione quâ in Africam ivit Nabuchodonoſor: cujus meminit Megaſthenes productus à nobis ad librum III. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

18. *Sicut conflatus eſt furor meus*] Meliùs: *effuſus eſt*. Solet enim נתך exponi per יצק [*fudit*]. *Reſedit*, Chaldæus, bene ad ſenſum.

Et eritis in jusjurandum] *In exſecrationem*. Dicetur: *Ità vos perdat Deus ut Iudæos in Ægypto perdidit*.

Et in ſtuporem] Meliùs, *in deſolationem*: quomodo Chaldæus. Græci, εἰς ἄϐατον [*in loca invia*].

Et in maledictionem] Dicetur de vobis: *ô homines ſcelerati*.

Et in opprobrium] *Ludificatui*.

Et nequaquam ultrà videbitis locum iſtum] Non redibitis in Iudæam, ut illi qui in Babylona deportati fuerunt.

19. *Verbum Domini ſuper vos, ô reliquiæ Iuda*] Hoc eſt, quod Deus vobis per me ſeriò & irrevocabiliter denuntiat.

Scientes ſcietis quia ego vos obteſtatus ſum hodie] *Scitote*, id eſt, mementote *me conteſtatum vos omnes*.

20. *Decepiſtis animas veſtras*] In Hebræo: *Decepiſtis* (*me* ſcilicet, quo ad orandum & conſulendum Deum uti voluiſtis) *in animas veſtras*: id eſt, contra voſmetipſos, malo veſtro.

CAPVT XLIII.

2. *AZarias filius Oſaiæ*] Auctor conſilii illius de profectione in Ægyptum.

3. *Baruch filius Neriæ*] Qui, ut junior, fervidiùs ea eloquebatur quæ ab Ieremia didicerat.

7. *Et venerunt uſque ad Taphnis*] *Daphnas Peluſias*. Vide Eſaiæ XXX. 4. Græci Τάφνας.

9. *Abſcondes eos in crypta quæ eſt ſub muro lateritio in porta domûs Pharaonis in Taphnis*] מלט haud dubiè *cæmentum eſt*: nam ità uſurpant & Thalmudiſtæ & Chaldæi & Arabes, & ab illis Itali. Idémque ſignificat טפל, quod hîc habet Chaldæus. *Malthæ*, quæ ex calce fit additis rebus aliis, meminere Plinius XXXVI. 24. Palladius I. 17. unde verbum *malthare* apud eundem Plinium, & Iuvenalis Scholiaſten. מלבן ſunt *lateres*, ut apparet Exod. I. 14. V. 16. 18. 19. & *locus ubi lateres fiunt*. Senſus ergò eſt, *Lapides illos magnos cæmento imponito quod erat in officina lateraria*, nempe quò rectiùs ſerventur: *quia illis uſurus eſt Nabuchodonoſor ad ſternendum ſolum cui ſedem regiam erat impoſiturus*.

10. *Et ſtatuet ſolium ſuum ſupra eos*] *Tentorium*. Sic enim in Hebræo & Chaldæo: *Auguſtale*.

11. *Quos in mortem, in mortem; & quos in captivitatem, in captivitatem; & quos in gladium, in gladium*] Aliis peſtem adferet (ex malis alimentis), alios captivos aget, alios occîdet: parum ſuâ referre exiſtimans in quem exitum cujuſque ſors ceciderit. Simile loquendi genus habuimus ſuprà XV. 2.

12. *Et ſuccendet ignem in delubris deorum Ægypti & comburet ea*] Sic Pompeji filius apud Lucanum, de diis Ægyptiis loquens,

Suppoſitiſque deis uram caput.

Et captivos ducet illos] Tertullianus Apologetico, *Tot de diis quot de gentibus triumphi: tot manubiæ quot adhuc manent ſimulacra captivorum deorum*. Vide quæ diximus libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. V. § 2. & in Annotatis ibi.

Et amicietur terrâ Ægypti ſicut amicitur paſtor pallio ſuo] *Terrâ Ægypti* eſt hîc ablativus, pro *ſpoliis Ægypti*; ut,

Spoliis Orientis onuſtum.

At Græci legerunt חטא, quod eſt interdum *purgare*; & explicant, *ità perpurgabit Ægyptum quomodo paſtor abollam ſuam pediculis repurgat*: id eſt, omnia ſcrutabitur, & auferet.

Et egredietur indè in pace] Sine noxa ac tutò ibit in Africam.

13. *Et conteret ſtatuas domûs Solis*] בית שמש. Lxx verbum verbo optimè reddiderunt, Ἡλιουπόλεως. Heliopoli in Ægypto magnam fuiſſe πανήγυριν [*celebritatem*] in honorem Solis memorat Herodotus Euterpê. Eam eſſe quæ olim *On* vocabatur docet nos Græca verſio Geneſ. XLI. 45.

Et delubra deorum Ægypti comburet igni] Idem quod ſuprà 12. Mos eſt Hebræis, ea quæ eximia & minimè credibilia ſunt ſæpius repetere.

CAPVT XLIV.

1. *IN Magdalo*] Locus eſt non longè à ſinu Arabico, ſive mari Rubro, ut apparet Exodi XIV. 2.

Et in Memphis] *In Memphide*, quæ נף Hebræis; Chaldæo propiùs מפס.

Et in terra Phatures] Non abit longè nomen *Pharuſiorum* (ità Plinius ſcribit) aut *Phauruſiorum* (nam ità Strabo) Æthiopum. Nomen Hebræum פתרוס habemus & Geneſ. X. 14. & Eſaiæ XI. 11. Sed & Ægypti pars ità dicta, ut videbimus Ezechielis XXIX. 14.

3. *Vt ſacrificarent, & colerent deos alienos*] In Hebræo: *Vt adolerent & ſervirent diis alienis.*

6. *Et conflata eſt indignatio mea*] *Effuſa*, ut ſuprà XLII. 18.

Secundùm diem hanc] *Vt ſunt in hunc uſque diem.*

9. *In regionibus Ieruſalem*] Sicut Romæ ſexdecim erant regiones.

10. *Non ſunt mundati uſque in diem hanc*] Tranſit à ſecunda perſona ad tertiam, iterúmque ad ſecundam.

Præceptis meis quæ dedi coram vobis & coram patribus veſtris] Quæ propoſui vobis, ac majoribus veſtris.

11. *Ponam faciem meam vobis in malum*] Iratus vos aſpiciam, ut ſuprà XXI. 10.

12. *Qui poſuerunt facies ſuas ut ingrederentur terram Ægypti*] Suprà XLII. 15.

Erunt in jusjurandum] *In exſecrationem*, ut ſuprà XLII. 18.

13. *Et viſitabo ſuper habitatores terræ Ægypti*] Iudicia mea exſequar.

14. *Ad quam ipſi elevant animas ſuas*] Id eſt, quò ſe venturos ſperant. Eadem locutio Deuteronom. XXIV. 15. & ſuprà XXII. 27. ubi Lxx: ἐν αὐτῷ ἔχειν τὴν ἐλπίδα [*in ipſo ſpem habere*]. & hîc: ἐφ' ἣν αὐτοὶ ἐλπίζουσι ταῖς ψυχαῖς αὐτῶν [*in qua ſperant animabus ſuis*]. Sic & elegantiores Græci dicunt μετεωρίζεσθαι [*pendêre*].

17. *Sed facientes faciemus omne verbum quod egreditur ex ore noſtro*] Id eſt, quicquid nos vovimus facturos. Vide infrà 25. Sic *egredi de labiis* de voto dicitur Deuteronom. XXIII. 23.

Vt ſacrificemus reginæ cæli] *Vt adoleamus. Regina cæli* בעלית, Βῆλτις, *Luna*, ut dictum ſuprà VII. 18.

Reges noſtri, & Principes noſtri] Tum aliis, tum maximè Manaſſe regnante.

Bene nobis erat] *Fuimus boni*: id eſt, in bonis rebus.

19. *Numquid ſine viris noſtris fecimus ei placentas*] *Popana.* Hîc loquuntur illæ mulieres, quarum *ingentem* fuiſſe *multitudinem* ſuprà dixit. Non agitavimus, inquiunt, ſacra privata ac nocturna, quæ ſuſpecta viris eſſe ſolent. Palàm & viris noſtris conſciis ac videntibus iſta fecimus. Vide Livium de Bacchanalibus.

21. *Numquid non ſacrificium quod ſacrificaſtis in civitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, vos & patres veſtri, & Reges veſtri, & Principes veſtri, & populus terræ, horum recordatus eſt Dominus*] *At nónne aromatum quæ adoleſtis in urbibus Iudæ, & in* (variis) *regionibus Hieroſolymorum, vos* (inquam) *& patres veſtri, & Reges veſtri, & Principes veſtri, & plebs, recordatus eſt Dominus?* Id eſt, an non pro egregiis factis egregiam vobis rependit vicem?

22. *Et non poterat Dominus ultrà portare*] *Quia non poterat.*

Eò quòd non ſit habitator] *Abſque habitatore.* In Hebræo.

23. *Quod ſacrificaveritis*] *Adoleveritis.*

In Lege] In iis quæ per ſe honeſta Lex habet.

Et in præceptis] In ritualibus.

Et in teſtimoniis] In judicialibus.

25. *Et manibus veſtris impleſtis*] Id eſt, operibus.

26. *Ecce ego juravi in nomine meo magno*] Et ego votum feci quod implebo.

Quia nequaquam ultrà vocabitur nomen meum ex ore omnis viri Iudæi dicentis, Vivit Dominus Deus in omni terra Ægypti] Id eſt, ità eos odi, ut ab iis nè nominari quidem velim: quod nè ultrà fiat abolebo omnes.

27. *Vigilabo ſuper eos in malum*] Sollicitus ero ut eis noceam.

28. *Et qui fugerint gladium revertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci*] Connecte hæc cum ſuperioribus hoc ſenſu: Morientur omnes, exceptis admodum paucis, qui metu cædis ex Ægypto in Iudæam, quam malo conſilio reliquerant, refugient.

Ingredientium terram Ægypti] Id eſt, qui ingreſſi fuerunt in Ægyptum: tum ii qui ibi morientur, tum qui aufugient.

Cujus ſermo compleatur] *Stabit*: id eſt, ratum à Deo fiet.

29. *Et hoc vobis ſignum*] Nempe antecedens. Dicam rem magnam quæ priùs eveniet quàm vos intereatis. ταῦτα ἀρχὴ ὠδίνων [*hoc initium dolorum*], ut Matthæi XXIV. 8.

Quòd viſitem ego ſuper vos in loco iſto] Quo cognoſcatis me ibi de vobis pœnas exacturum.

30. *Pharaonem Ephree*] חפרע in Hebræo: Οὐαφρῆ habent hîc Græci, & Clemens Alexandrinus. Ἀπρίην vocat Herodotus Euterpê. Chaldæus nomen hoc Ægyptium putat ſignificationem habere *hominis claudi*.

In manu inimicorum ejus, & in manu quærentium animam illius] In manum Amaſidis, & eorum qui

Amaſidis ſectam ſequebantur. Ab his captus aſſervatúſque eſt in urbe Sai, & tandem occiſus; inſtigantibus Amaſim iis qui niſi morte ejus ſe ſatìs tutos eſſe non putabant. Hæc habes apud Herodotum optimum hujus loci interpretem.

CAPVT XLV.

1. *Verbum quod locutus eſt Ieremias Propheta ad Baruch filium Neriæ*] Abſolutis & Prophetiis & hiſtoriis ad Reges populúmque Iudæorum pertinentibus, ſubjungit unam quæ ad unum hominem, Baruchum ſcilicet, pertinet: Sicut Epiſtolis Pauli ad Eccleſias ſubjunguntur illæ quæ ad ſingulos pertinent, etiamſi quædam harum ante illas ſcriptæ ſunt. Poſt id ſubnectet Propheta Prophetias quæ ſpectant ad gentes alias, íſque erit totius libri finis. Nam ultimum caput quò pertineat, ubi eò ventum erit, dicemus.

Verba hæc] *Verba iſta*, nempe poſita ſuprà XXXVI.

3. *Dolorem dolori meo*] Periculum ad periculum, ſuprà XXXVI. 10. 19. 26.

Et requiem non inveni] Locum tranquillum habitationis. De *Prophetiæ dono* intelligit Chaldæus.

4. *Ecce quod ædificavi ego deſtruo*] Regnum hoc totum tantâ meâ curâ inchoatum, educatum, auctum, defenſum, ornatum.

5. *Et tu quæris tibi grandia?*] Magna facis vota: vis tranquillam vitam extra pericula, extra metum. Atqui Cato apud Lucanum,

Sidera quis, mundúmque velit ſpectare cadentem
Expers ipſe metûs? quis, cùm ruat arduus æther,
Terra labat, miſto coëuntis pondere mundi,
Comploſas tenuiſſe manus? gentéſne furorem
Heſperium ignotæ, Romanáque ſigna ſequentur,
Deductíque fretis alio ſub ſidere reges:
Otia ſolus agam? procul hunc arcete furorem,
O Superi, motura Daas ut clade Getáſque
Securo me Roma cadat.

Super omnem carnem] Iudæorum; ut præcedentia oſtendunt.

Et dabo tibi animam tuam in ſalutem] *In ſpolium* in Hebræo, ut ſuprà XXXIX. 18. Satìs tibi ſit tali tempore vitam habere ſalvam.

CAPVT XLVI.

1. CONTRA GENTES] Hic eſt titulus generalis omnium eorum quæ per ſex capita ſequentur. Sequitur deinde ſpecialis titulus *Ad Ægyptum*, id eſt, *Contra Ægyptum*. Hæ Prophetiæ per gentes digeruntur, non per tempora. Hæc Prophetia Ieremiæ data eſt, ut ſequitur, *anno quarto Regis Ioakim.* At Græci libri has Prophetias ſuprà poſuêre, ut alibi monuimus.

2. *Pharaonis Nechao*] Qui *Necos* Herodoto. Regnavit is in Ægypto Nabuchodonoſoris temporibus, Ioſiâ primùm, indè Ioakimo regnantibus in Iudæa. Huic Nechaoni in Ægypti regnum ſucceſſit Pſammitichus, & Vaphres, ſive Apries. Nechao Nabuchodonoſorem bello laceſſivit. Nabuchodonoſor eum prælio vicit ad Euphratem: deinde eam injuriam ultum ivit, ingreſſúſque Cœlen Syriam, perdomitis Ammonitis & Moabitis, de quibus vaticinia ſequentur, adortus Ægyptum, magnam ejus partem tenuit: atque indè in Africam profectus eſt, prætextu belli ſumto, quòd Afri Ægyptios adjuviſſent. Hæc ſunt quæ colligimus ex II Regum capite XXIII. circa finem, & XXIV. 7. & ex Megaſthene ac Strabone, collatis cum eo quod infrà habemus 9. & cum Ioſepho. Partem Ægypti aliquam jam antè & Nabuchodonoſoris pater tenuerat Nabopollaſarus, ut ex Beroſo diſcimus.

In Charcamis] Quod *Cercuſium* Ammiano, ut diximus ad II Paralipomen. XXXV. 20. Eam partem Syriæ ſibi vindicabat Ægyptius, ut apparet II Regum XXXV. 20.

Percuſſit] Prælio vicit, ut jam diximus.

3. *Præparate ſcutum & clypeum, & procedite ad bellum*] Eſt χλευασμὸς [*acerbus irriſus*], quo indicatur ingens ille apparatus & magnæ minæ in nihilum caſuræ.

4. *Aſcendite equites*] Vos equites aſcendite currus falcatos.

5. *Fugerunt conciti, nec reſpexerunt*] Effusâ fugâ.

6. *Non fugiat velox*] Meliùs, *Non effugiet velox:* utut veloces ſint, non effugient. Sic & Chaldæus.

Nec ſalvari ſe putet fortis] In Hebræo: *Fortis non evadet*: id eſt, Si quis erit qui reſiſtere hoſti velit, nec ille ſalutem inveniet. Nec pugnare proderit, nec fugere.

Ad Aquilonem juxta flumen Euphratem] Ad Aborram & Euphratem ſita ex parte Septentrionali Iudæis. *Ex parte* dico: nam & צפון Græci ſæpe Βοῤῥᾶν [*Boream*] vertunt, interdum Ἀπηλιώτην [*Subſolanum*], ut diximus ſuprà XXV. 26.

7. *Quis iſte qui quaſi flumen aſcendit, & veluti fluviorum intumeſcunt gurgites ejus?*] In Hebræo: *Turbidi ſunt gurgites ejus.* Alluſio ad Nilum qui & ripas tranſcendit, & turbidus eſt limo.

8. *Ægyptus fluminis inſtar aſcendit*] Id eſt, Rex & exercitus Ægypti. Reſpondet ſibi ipſi Propheta iiſdem verbis quibus interrogaverat. Simile vide Eſaiæ LXIII. 3.

9. *Æthiopia & Libyci tenentes ſcutum, & Lydi arripientes & jacientes ſagittas*] Nimirum:

——— *omnis eo terrore Ægyptus & Indi,*
Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabæi.

Vt Virgilius loquitur. Libyci in Hebræo *Phuth*. Vide quæ diximus ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ. Ex his Afrorum auxiliis in Ægyptum miſſis occaſio ſumta Nabuchodonoſoro poſt Ægyptum invadendi Africam. Lydos ſagittis multùm uſos docet nos Polyænus.

10. *De inimicis ſuis*] De iis qui Ioſiam occiderant.

Victima enim Domini Dei exercituum] Lætabitur Deus illorum ſanguine.

11. *Aſcende in Galaad, & tolle reſinam*] Nempe ad curanda vulnera. Vide quæ dicta ſuprà VIII. 22.

12. *Audierunt gentes ignominiam tuam*] Cladem.

Fortis impegit in fortem, & ambo pariter conciderunt] Meliùs, *ambo ſimiliter cadent:* id eſt, nunc Ægyptius, poſtea verò ſub Medis Babylonius.

13. *Et percuſſurus terram Ægypti*] Invaſurus bello.

14. *In Magdalo, & reſonet in Memphis & in Taphnis*] Vide ſuprà XLIV. 1.

15. *Quare computruit fortis tuus*] In Hebræo: *Propulſatus eſt.*

16. *Revertamur ad populum noſtrum, & ad terram nativitatis noſtræ*] Verba ſunt eorum qui Ægyptiis auxilium attulerant, Lydorum, Afrorum, Æthiopum. Vide infrà 21.

A facie gladii columbæ] *Gladii vaſtatoris.* Diximus hac de re ſuprà XXV. 38.

17. *Vocate nomen Pharaonis Regis Ægypti, Tumultum adduxit tempus*] Verte, *dicent illi* (nempe auxiliares) *de Pharaone Rege Ægypti, Strepitus eſt, ſed transmittit occaſionem.* Magna minatur; ſed ubi res exigit, nihil agit.

18. *Quoniam ſicut Thabor in montibus, & Carmelus in mari veniet*] Tam certum hoc eſt eventurum, quàm certum *Thaborem*, ſive Itabyrium montibus claudi, *& Carmelum* Syriæ montem *ad mare pertingere.*

19. *Vaſa transmigrationis fac tibi*] *Vaſa collige*, ut loquuntur Latini.

20. *Vitula elegans, atque formoſa Ægyptus*] Alludit ad cultum Apidos & Mnevis.

Stimulator ab Aquilone veniet ei] *Mactator.* Ità Chaldæus, & ſolet קרן apud Thalmudiſtas de *victimario* dici.

21. *Quaſi vituli ſaginati*] Refer hoc ad præcedentia: *Qui verſabantur in medio ejus.*

22. *Vox ejus quaſi æris ſonabat*] Alluſum videri poteſt ad ſiſtra. Sic Virgilius:

Regina in mediis patrio vocat agmina ſiſtro.

Sed & Chaldæus & Græci נחש *ſerpentem* vertunt: ut ſenſus ſit, *Sibilabunt præ metu ut viperæ.*

Cum ſecuribus venient quaſi cædentes ligna] Armati Scythicum in morem.

23. *Succiderunt ſaltum ejus, ait Dominus, qui ſupputari non poteſt*] *Succidite ſilvam ejus, ait Dominus,* (ad exercitum) *qui ſupputari non poteſt.* Perſtat in ſimilitudine cœpta ὑλοτόμους [*lignicidæ*]. *Silva* ſunt urbes, quæ in Ægypto mille & viginti illis temporibus.

Multiplicati ſunt ſuper locuſtas, & non eſt eis numerus] Qui Chaldæi *plures ſunt quàm locuſtæ, imò innumeri.*

25. *Ecce ego viſitabo ſuper tumultum Alexandriæ*] In Hebræo hîc אמון מנא, apud Nahumum III. 8. נא אמון: fuit urbs Ægypti populoſiſſima, in Pharo, ut puto; unde Chaldæus ex poſterioris ævi nomine Alexandriam poſuit. At אמון eſt dialectus, pro אמים *populi*: אמון מנא *populi de No*: נא אמון *No populoſa.*

Et ſuper deos ejus] *Omnigenum deûm monſtra*, ut loquitur Virgilius. Vide ſuprà XLIII. 12. 13.

Et ſuper Reges ejus] Sic vocat τοὺς νομάρχας [*regionum Præfectos*]. de quibus vide Strabonem & Ariſtotelem II Ethicorum.

Et ſuper Pharaonem] *Super Pharaonem, inquam.* Nam ו ſæpe ſic ponitur, & præceſſit jam *Pharaonis* mentio.

Et ſuper eos qui confidunt in eo] Subditos & ſocios.

26. *Et poſt hæc habitabitur ſicut diebus priſtinis, ait Dominus*] Ægyptus valde deſolata poſt annos XL incipiet refloreſcere, & libertatem ſuam ac commercia recuperare. Vide Ezechielem XIX. 11. Ea ἀποκατάστασις [*reſtitutio in ſtatum meliorem*] incidit in Amaſis tempora, Cyro coævi.

27. *Et tu nè timeas ſervus meus Iacob, & nè paveas Iſraël*] Hæc conſolatio pertinet ad eos qui à Rege Necaone cum Ioachazo Rege in Ægyptum abducti erant, II Paralipomen. XXXVI. 4. quos redituros ait in patriam, nempe fractis Ægyptiorum rebus.

28. *Conſumam cunctas gentes ad quas ejeci te*] Id eſt, graviſſimis cladibus, ac velut internecione, eos exhauriam.

Caſtigabo te in judicio] Moderatè; ut diſcas, non ut pereas. Vide ſuprà X. 24. XXX. 11.

Nec quaſi innocenti parcam tibi] Quomodo hæc verba optimè vertantur, vide ſuprà XXX. 11.

CAPVT XLVII.

1. Q*Vod factum eſt verbum Domini*] Tranſpoſitio, pro *Verbum Domini quod factum eſt.*

Antequam percuteret Pharao Gazam] Cùm non per tempora ſed per gentes has Prophetias diſpartiverit aut Propheta, aut is qui eas collegit, *Pharaonem* hîc intelligo Nechaonem: ab eo autem obſeſſam Gazam Philiſthinorum urbem poſt victoriam in Mageddo, cùm jam nemo ultrà adversùs eum prælio certare auderet. Eſt autem hæc Prophetia eò inſignior quòd Philiſthinæ terræ vaſtationem prædixit eo tempore cùm à ſolis Ægyptiis hoſtilia, à Chaldæis verò amica omnia exſpectarentur.

2. *Ecce aquæ aſcendunt ab Aquilone, & erunt quaſi torrens inundans*] Sicut Ægyptii Nilo, ſic Chaldæi Euphrati comparantur. Ea autem quæ hîc prædicuntur non dubito quin facta ſint per Nabuzardanem, quem poſt capta Hieroſolyma cæteris circùm perdomandis Nabuchodonoſor reliquerat.

Et ululabunt omnes] Solent Prophetæ voce הילל uti in ſignificatu luctûs gravis. Vertitur per ὀλολύζειν, ἀλαλάζειν, θρηνεῖν, πενθεῖν [*ululare, barrire, plorare, lugere*].

3. *A ſtrepitu pompæ armorum & bellatorum ejus*] *A quadrupedante ſono ungularum fortium* (id eſt) *equitum ejus.*

A commotione quadrigarum ejus] *A ſtrepitu quadrigarum ejus.*

Et multitudine rotarum illius] *Præ fragore rotarum.*

Non reſpexerunt patres filios] *Non reſpicient patres filios*: & connecte cum præcedentibus. Sibi quiſque conſulet ſummâ feſtinatione, nullas neceſſitudines reſpiciens.

Manibus diſſolutis] Spes omnis in pedibus erit, non in manibus.

4. *Pro adventu diei*] In Hebræo, *Supervenire diem:* id eſt, cùm ille dies venerit.

Et diſſipabitur Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxiliis ſuis] Id eſt, Tyrii & Sidonii, aliique auxiliares Philiſthinorum.

Depopulatus eſt enim] *Depopulabitur.*

Reliquias inſulæ Cappadociæ] כפתור *Cappadociam* transferunt, non hîc tantùm Chaldæus & Græci, ſed & Hieroſolymitanus interpres ad Deuter. II. 23. nec aliter cenſet Hieronymus. Quare pro vero habendum à Cappadocia, quæ *inſula* vocatur quòd maritima ſit, veniſſe Philiſthinos, & ab iiſdem nomen habere Idumææ urbem *Caparorſam*, ut ad dictum Deuteronomii locum notavimus. Adde Amoſum IX. 7.

5. *Venit calvitium ſuper Gazam*] Luctûs ſignum, ut Eſaiæ III. 24.

Conticuit Aſcalon] *Excidetur*. Sic Græci & Chaldæus.

Et reliquiæ vallis earum] Rectiùs *eorum*; id eſt, & aliæ urbes Philiſthinorum in vallibus ſitæ. nam quas nominaverat jam urbes, eæ editiores erant. At LXX pro עמקם [*vallis eorum*] legerunt ענקים Ἐνακείμ [*Enacim*]. Placet mihi hæc lectio: nam reliquias Enacim fuiſſe illis in locis apparet. Numer. XIII. 29.

Vſquequo concidêris] In Hebræo: *Quouſque te incides?* Id eſt, quouſque brachia tua cultris lacerabis? quod gentes illæ in luctu facere ſolebant, ut diximus ad Levit. XIX. 28.

6. *O mucro Domini*] Id eſt, *dicens, O mucro Domini.* Verba incidentium ſe imitatur.

7. *Quomodo quieſces?*] Reſpondet illorum planctui Propheta.

Cùm Dominus præceperit ei adversùs Aſcalonem] Supple, *ire*.

Et adversùs maritimas ejus regiones] Ioppen, Iamnes.

CAPVT XLVIII.

1. *Ad Moab hæc dicit Dominus exercituum*] Prophetiam de vaſtatione Moabitidos, quæ per Salmanaſſarem evênit, habemus Eſaiæ XV. & XVI. Hîc non dubito quin de ea agatur, quæ per Nabuzardanem facta eſt, de qua & Ezechiel agit XXV. 9. Hi ſunt inter Syros illos, aut Phœnices, quos à Nabuchodonoſoro ſubactos narrat Beroſus. Eveniſſe hoc excidium & Moabitis & Ammonitis ait Ioſephus quinto anno poſt exciſa Hieroſolyma.

Væ ſuper Nabo] Vide Numer. XXXIII. 47. Eſaiæ XV. 2. Ἰνάφα Ptolemæo.

Capta eſt Cariathaim] Ioſuæ XIII. 19. Vrbs ex duabus urbibus conſtans, ut vocabulum oſtendit; fortè eadem quæ *Kir-chereſeth* Eſaiæ XVI. 7: *Chariatha* Ptolemæo.

2. *Contra Eſebon cogitaverunt malum*] Chaldæi nimirum, dicentes ea quæ ſequuntur. De Eſebone vide Eſaiam XV. 4. XVI. 8. Ἐσϐȣ̃ς Ptolemæo. Hinc *Esbonitæ Arabes* apud Plinium, ut alibi diximus.

Ergò ſilens conticeſces] *Madmen, ſilebis*. Alluſio ad nomen מדמן à דמם, quod eſt *ſilere*. Mutire non audebis. Madmen *Madiama* Ptolemæo, *Medaba* Ioſepho XIII. 17. ubi fortè ſcriptum fuit Μηδαμά [*Medama*]. nam β & μ valde ſimiles in manuſcriptis.

Sequetúrque te gladius] *Inſequetur*.

3. *Vox clamoris de Oronaim*] Eſaiæ XV. 5. ubi diximus hanc eſſe *Avaram* Ptolemæi.

5. *Per aſcenſum enim Luith*] Repetit ipſa Eſaiæ verba in re ſimili XV. 5. ubi hanc Ptolemæo *Luſam* eſſe notavimus.

6. *Et eritis quaſi myricæ in deſerto*] *Eſtote*: id eſt, vivite in deſertis, atque inviis locis, ut myricæ faciunt, aut juniperi. *Nè fidite muris*, ut ſequitur. De voce ערער [*myrica*] vide ſuprà. Chaldæus pro proprio nomine hîc accipit quod ipſum infrà habemus 19.

7. *Tu quoque capieris*] Nempe Ar-Moab urbs Moabitarum munitiſſima. Ἄρη βασιλέων [*Are Regum*] Ptolemæo. Vide dictum Ezechielis locum.

Ibit Chamos in tranſmigrationem] Nam captis populis & dii capiuntur, ut diximus ſuprà XLIII. 12. *Chamos* deus Moabitarum Numer. XXI. 29. Iudicum XI. 24.

8. *Peribunt valles*] Id eſt, *qui habitant in valle*, ut hîc habet Chaldæus.

9. *Date florem Moab, quia florens egredietur*] *Date alam Moabo, ut volando avolet.* ציץ pro *ala* Chaldaïcum eſt, ut videre eſt in Chaldæo interprete Pſalmo CXXXIX. 9. Senſus eſt: *niſi alas habeat non poterit evadere*. Sic Cophen interrogabat, *An Alexander volare poſſet*.

10. *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter*] Id eſt, ἀμελῶς, ut hîc Græci, *negligenter*. Verba ſunt Dei Chaldæos cohortantis, ut à ſe miſſos.

11. *Fertilis fuit Moab ab adoleſcentia ſua*] In Hebræo *Tranquillus fuit*. Græci ἀνεπαύσατο [*requievit*]. Chaldæus *opulenti fuêre. Ab adoleſcentia ſua*: id eſt, jampridem, à temporibus ſcilicet Salmanaſſari.

Et requievit in fæcibus ſuis, nec transfuſus eſt de vaſe in vas] Comparatio egregia à vino deſumta.

Et in tranſmigrationem non abiit] Illud *&* hîc valet *id eſt*. Verba enim hæc allegoriam interpretantur.

Iccirco manſit guſtus ejus in eo, & odor ejus non eſt immutatus] Redit ad ſimile, id eſt, ad vinum. Nam vina non transfuſa vim nativam conſtantiùs retinent. Ità & Moabitæ ſuum faſtum, Eſaiæ XVI. 6.

12. *Mittam eis ordinatores, & ſtratores laguncularum, & ſternent eum, & vaſa ejus exhaurient, & lagunculas eorum collident*] In Hebræo: *Mittam ei transfuſores, qui eum transfundant, & dolia inaniant, & lagenas confringant.* Perſtat in cœpta ſimilitudine. *Transfuſores* ſunt Chaldæi; *dolia* urbes; *lagenæ fractæ*, homines interfecti.

13. *Et confundetur Moab à Chamos*] Id eſt, videbunt inanem fuiſſe ſuam fiduciam, ut ſequitur.

Sicut confuſa eſt domus Iſraël à Bethel] A vitulo aureo.

15. *Vaſtata eſt Moab*] *Vaſtatus eſt* in Hebræo. De populo enim agitur.

Et civitates illius aſcenderunt] *Aſcendent*: nempe in fumum, igne incenſæ. Eſt hîc in Hebræo conſtructio verbi ſingularis cum nomine plurali, ut ſæpe in collectivis.

Et electi juvenes ejus deſcenderunt in occiſionem] Id eſt, cadent occiſi. Eſt ἀντίθεσις [*oppoſitio*]: *urbes aſcendent, juvenes deſcendent.*

17. *Conſolamini eam omnes qui eſtis in circuitu ejus*] *Condolete ei* in Hebræo, ut & Iobi II. 11. Græci codices meliores: κινήσατε αὐτῷ [*movete ei*], id eſt, *capita ejus causâ movete*, quod ſignum condolentis, Iobi XLII. 11.

Et univerſi qui ſcitis nomen ejus, dicite, Quomodo confracta eſt virga fortitudinis, baculus glorioſus?] Græci codices meliores eodem ſenſu πάντες εἰδότες [*omnes* *qui ſcitis*], non ἔκδοτε [*dedite*]. Nec aliter Chaldæus. Priùs Propheta ad dolorem teſtandum invitat vicinos, deinde & longiùs poſitos, ad quos fama Moabitarum perveniſſet. Vocat autem populum Moabitarum *baculum* & *virgam*, quòd *moleſtus* ac terribilis fuiſſet *aliis populis*, ut hîc explicat Chaldæus.

18. *Et ſede in ſiti*] In locis aridis & deſertis, ut ſuprà 6.

Habitatio filiæ Dibon] *Vos qui Dibonæ habitatis:* Eſaiæ XV. 2. Ioſuæ XIII. 17. Hæc eſt Δήȣα [*Deva*] Ptolemæo. Nam ב per ȣ ſæpe vertitur.

19. *In via ſta, & proſpice habitatio Aroer*] Vrbs Ammonitarum, non longè à Moabitide. Vide Deuteron. II. 36. III. 12. Interroga quid acciderit, & indè diſce quæ & te ſors maneat. Idem ſenſus in commate ſequenti.

20. *Confuſus eſt Moab, quia victus eſt*] Spem perdidit, ob tantam cladem. Hoc enim eſt הביש [*confundi*]. Hæc erunt verba fugientium è clade ad Ammonitas. Simile Eſaiæ XVI. 2.

21. *Et judicium pervenit ad terram campeſtrem ſuper Elon*] Vltio divina. *Helon*, Chaldæus. Χαιλὼν [*Chælon*], Græci. Ptolemæo Α'λαϐάνα [*Alabana*], ו literâ in ϐ versâ, ut ſæpe. Elon & quæ ſequentur ſunt in illa *terra campeſtri*.

Et ſuper Iaſa] Ptolemæo Ι'άδȣ [*Iadu*], literâ צ mutatâ in Δ, quod frequens illis gentibus.

Et ſuper Mephath] Eſt hæc urbs non longè ab Esbunte & Dibone & Cariathaim, Ioſuæ XIII. 18. XXI. 37. Μαίφα [*Mæpha*] *metropolis* Ptolemæo.

22. *Et ſuper Dibon*] Suprà 18.

Et ſuper Nabo] Vide ſuprà 1.

Et ſuper domum Deblathaim] *Domus* pro *urbe* ſumi ſolet, ut in hac ipſa Moabitide Βαθαὶς [*Bathais*] Ptolemæo eſt בית עין [*Baith-ain*] *Domus Fontis*. Eſt apud Nabuntem, ut apparet Num. XXXIII. 46. Hæc eſt Δέλα [*Dela*] Ptolemæo, omiſſo ב & additamento finali.

23. *Et ſuper Cariathaim*] Suprà 1.

Et ſuper Bethgamul] *Vrbem camelorum*, quæ Ptolemæo tranſpoſitis literis Μάκκαλα [*Maccala*] pro Κάμαλα [*Camala*]. Simile nomen *Gaugamela* גג גמל, vicus ubi poſtremò victus eſt ab Alexandro Darius.

Et ſuper Bethmaon] Quæ בית [*Baith*] per excellentiam Eſaiæ XV. 2. ubi à nobis dicta vide. Ptolemæo Βάϐανα [*Babana*], omiſſo ת, & מ mutato in נ, ob ſonum vicinum.

24. *Et ſuper Carioth*] Nominatur hæc urbs Amos II. 2. Γοιράθα [*Goiratha*] Ptolemæo.

Et ſuper Boſra] Non illam urbem Idumææ, ſed aliam Moabitidis, quæ בצר Ioſuæ XXI. 36. Βοσὸρ [*Boſor*] 1 Maccabæor. v. 36.

25. *Abſciſſum eſt cornu Moab*] *Abſcindetur*. קרן nomen eſt urbis, Κάρνα [*Carna* id eſt *cornu*] apud Ptolemæum: ſed ſimul alludendo ad nomen, ſignificatur ablata illis omnis vis aut nocendi aliis, aut ſe defendendi. Vide 1 Samuel. 11. 1.

Et brachium ejus contritum eſt, ait Dominus] Eſt & hoc nomen urbis, quæ Ζώαρα [*Zoara* id eſt *brachium*] Ptolemæo. Sed ſimul egregia alluſio, ut ſuprà.

26. *Inebriate eum, quoniam contra Dominum erectus eſt*] Vos Chaldæi plenum ei date poculum iræ divinæ, ità ut neſciat quò ſe vertat, ut ſuprà XXV. 17.

Et allidet manum Moab in vomitu ſuo] Vt ſimul & vomat, & cadens ſe ſauciet. Perſtat in cœpta comparatione.

Et erit in deriſum ètiam ipſe] Et ſic ab aliis rideatur.

27. *Fuit enim in deriſum tibi Iſraël*] Populus Decem tribuum cùm abduceretur in captivitatem, & quidam ex tribu Iuda. Æquum eſt ut & tu ridearis.

Quaſi inter fures reperiſſes eum] Proverbiale. Vide ſuprà 11. 26. & ibi dicta.

Propter verba ergò tua quæ adverſùs illum locutus es, captivus ducêris] *Propter multa verba quæ contra illum* (populum Iſraëliticum) *locutus es, tranſmigrabis.* Ità Chaldæus, bene ad Hebræum.

28. *Relinquite civitates, & habitate in petra habitatores Moab*] Nè fidite urbibus, ſed in loca ſola & inacceſſa, quales ſunt rupes, vos recipite. Idem ſenſus qui ſuprà 6.

Et eſtote quaſi columba nidificans in ſummo ore foraminis] Quæ ſcilicet præ metu inſidiantium nidum ſibi quærit in aliquo latere ſciſſæ rupis. At Chaldæus intelligit de columba de turre ſua deſcendente ut ſe in fovea aliqua occultet. Prior ſenſus magìs congruit antecedentibus.

29. *Audivimus ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde*] Repetit verba quæ Eſaias in ſimili tempore dixerat.

Sublimitatem ejus & arrogantiam, & ſuperbiam, & altitudinem cordis ejus] Aliquid addit ad verba Eſaiæ, ut oſtendat non modò non correctos, ſed etiam in pejus profeciſſe Moabitas. Sic etiam facit in ſequentibus, ut & culpam & pœnam oſtendat majorem.

30. *Ego ſcio, ait Dominus, jactantiam ejus, & quòd non ſit juxta eam virtus ejus, nec juxta quod poterat conata ſit facere*] Id eſt, plus voluit quàm potuit. Senſus idem qui apud Eſaiam XVI. 6. ſed auctus. Pro בדיו [*nugas ejus*] legit hîc Interpres poſt Græcos בידיו, *quod in manu ejus erat*, quod poterat. Chaldæo בדיו ſunt *Principes eorum.*

31. *Ideo ſuper Moab ejulabo, & ad Moab univerſam clamabo*] Idem ſenſus qui Eſaiæ XVI. 11. Dicit ſe quoque ipſum nihil Moabitis debentem, tamen tantis ipſorum calamitatibus nonnihil commoveri.

Ad viros muri fictilis lamentantes] *Ob lamenta eorum qui habitarunt in Kirchareſch*, vel *Kirchareſeth*, quod *murum fictilem* transfert Latinus, cùm potiùs ſit *Vrbs Solis*. Vide etiam XVI. 7. & 11. & ibi à nobis dicta. Græci hîc retinuerunt Hebræam vocem Κεὶρ ἀρεσέθ [*Kir Hareſeth*]. Quare Eſaiæ XVI. 6. vocem mutilatam repone, Κεὶρ ἀρεσέθ. & 11. pro ἐνεκαίνισας ſcribe Κεὶρ ἀράς [*Kir Haras*].

32. *De planctu Iazor plorabo tibi vinea Sabama*] Iazor Ι'δάρα [*Idara*] Ptolemæo, ז in ד verſo, quod Chaldæis frequens eſt; non longè ab Esbunte, Ioſuæ XXI. 39. Hinc non longè Sabama, Σαϐὶ [*Sabe*] Ptolemæo, vinetum optimum. Iunguntur hæc ſimul & apud Eſaiam XVI. 9. de quo hic locus cum augmento depromtus eſt, ut diximus.

Propagines tuæ tranſierunt mare] Et hoc ex Eſaia xvi. 8. Alludens ad vineam, per *propagines* ſive *plantas* habitatores intelligit, quorum quidam *trans mare*; Cyprum putà, miſſi, quæ inſula primùm Aſſyriis, deinde Babyloniis, ac poſtremùm Perſis paruit. Vide noſtra ad tertium librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Vſque ad mare Iazer pervenerunt] Ἔλλειψις [*defectus in loquendo*] pro *homines Iazer*, qualem & alibi ſæpe notavimus.

Super meſſem tuam, & ſuper vindemiam tuam prædo irruit] Nabuzardan.

33. *De Carmelo*] *De locis cultis*. Communiter enim hìc & alibi ſæpe, non propriè, ſumitur.

Et vinum de torcularibus ſuſtuli] Deus pergit loqui, ut ſuprà 30. Cætera à Propheta velut per παρένθεσιν [*parentheſim*] interjecta.

Nequaquam calcator uvæ ſolitum celeuſma cantabit] Et hoc ex Eſaia xvi. 10. Vide & ſuprà xxv. 30.

34. *De clamore Eſebon uſque Eleale & Iaſa*] Supple, *pervênit ſonus*, ut ex ſequentibus intelligitur: id eſt, à fine uno ad alterum. Similis locutio Eſaiæ xv. 4. *Esbunta* habuimus jam ſuprà 2. & *Iaſa* 21. *Eleale* habemus & Eſaiæ xv. 4. xvi. 9. Videtur אל eſſe articulus Arabicus, nomen autem עלה [*Ala*] Ὕελα [*Hyela*] Ptolemæo.

A Segor uſque ad Oronaim] *Segor* habemus & Eſaiæ xv. 5. Eſt id ipſum oppidum quò Loth ſe receperat, pereuntibus Sodomis. *Oronaim* ſuprà ibidem, & ſuprà 3.

Vitula conternante] *Tanquam vitulæ trimæ*. Et hoc ex Eſaia xv. 5. In re pari paria verba.

Aquæ quoque Nemrim peſſimæ erunt] *Deſertæ erunt*. Per *aquas* paſcua adſita intellige, ut diximus ad huic conſanguineum Eſaiæ locum xv. 6.

35. *Et auferam de Moab, ait Dominus, offerentem in excelſis*] Quia aliter auferre non potui, vel ſic auferam. *Offerentem* illud, intellige ὁλοκαυτοῦντα [*holocauſta facientem*]. id poſcit vox Hebræa. Vide ii Regum iii. 27.

36. *Cor meum ad Moab quaſi tibiæ reſonabit*] *Vt cor*, id eſt, intimum *tibiæ perſtrepit ſono: ità cor meum* (ait Propheta) commovetur cùm tanta mala imaginor. Vide ſuprà 31.

Ad viros muri fictilis] *Ad viros Kir-cheres*, ſuprà 31.

Quia plus fecit quàm potuit, iccirco perierunt] Meliùs: *nam & qui reliqui erunt facti, peribunt*. Nam יתרה [*reliquiæ*] hoc ſenſu ſumitur etiam apud Eſaiam xv. 7. qui occiſi ab hoſte non fuerint, fame ac morbis peribunt.

37. *Omne enim caput calvitium*] Id eſt, *depilabitur*, more gentis, ut ſuprà xlvii. 5. Cicero Tuſculanarum iii. *Stultiſſimum in luctu capillum ſibi evellere, quaſi calvitio mæror levaretur*. Eſt & hic locus ex Eſaia xv. 2.

Et omnis barba raſa erit] Vide quæ dicta ad eundem Eſaiæ locum.

In cunctis manibus colligatio] In Hebræo, *inciſio*. *Manus* ſume pro *brachiis*, ut ſuprà xxxviii. 12. refer autem ad morem de quo ſuprà xlvii. 5.

38. *Sicut vas inutile*] *Vas diſplicens*, id eſt, quiſquiliæ: ut ſuprà xxii. 28.

39. *Quomodo victa eſt*] *Quomodo conſternata eſt*, nempe civitas Kir-chereſch, de qua ſermo præceſſit.

Et ululaverunt] *Ità ut ulularent*, nempe cives ejus.

Quomodo dejecit cervicem Moab] *Vertit cervicem*: id eſt, tergum obvertit, ut ſolent qui faciem oſtendere non audent.

Et in exemplum omnibus in circuitu ſuo] *Terrori facta eſt*, omnibus paria ſibi metuentibus.

40. *Ecce quaſi aquila volabit*] Nabuzardan.

Et extendet alas ſuas ad Moab] Vt aquila in minutas aves involat. Eſt autem luſus in voce. Nam *alæ* dicuntur etiam militares prætenturæ.

41. *Capta eſt Carioth*] *Capietur ſubitò Carioth*, de qua ſuprà 24.

Sicut cor mulieris parturientis] *Gravem habentis partum*, δυστοκούσης.

42. *Et ceſſabit Moab eſſe populus*] Occidione & diſperſione; quomodo civitates intereunt. Vide quæ diximus lib. ii. de Iure Belli ac Pacis, cap. ix. § 3. 4. 5. 6.

43. *Pavor, & fovea, & laqueus*] Ex Eſaia xxiv. 17.

45. *In umbra Heſebon ſteterunt de laqueo fugientes*] Meliùs, *In umbra Heſebon ſteterunt: ideo à vi fugient*. Confiſi ſunt apud Esbuntem ſiſti hoſtes poſſe, ſed falsò.

Quia ignis egreſſus eſt de Heſebon, & flamma de medio Sehon] Senſus eſt, novo eventu comprobatum vetus proverbium, quod eſt Num. xxi. 28. hoſte ſcilicet indè effuſo in cæteros Moabitas ad eorum perniciem. Sehon vetus Rex fuit tractûs ejus, ut ex libro Numerorum, & alibi diſcimus: *Sehon* autem hìc dicitur pro *urbe Sehonis*, quæ eſt ipſa Esbus, ſive Heſebon.

Et devorabit partem Moab] *Angulum Moab* in Hebræo, id eſt, *Moabitidem ad angulum*, id eſt, finem ultimum. At Chaldæus legit פאות, & explicat *Principes*: quomodo idem nomen & de iiſdem Moabitis explicatur tum ab aliis, tum à Latino interprete Numerorum xxiv. 17.

Et verticem filiorum tumultûs] *Turbæ*, id eſt, *nobiliſſimos populi*, ut hìc accepit Chaldæus.

46. *Væ tibi, Moab; periiſti, popule Chamos*] Et hoc ex Numeris xxi. 29.

47. *Et convertam*] *Attamen reverti faciam*.

Captivitatem Moab] Id eſt, captivos.

In noviſſimis diebus] Id eſt, tandem. Moabitas reſtitutos in patriam teſtis eſt locuples Ioſephus xiii. 17. 21. & alibi.

Hucuſque judicia Moab] Id eſt, *ad id uſque tempus duravit vindicta Dei in Moabitas*. Ità hìc Chaldæus bene.

CAPVT XLIX.

1. **A***D filios Ammon*] Qui hæc in capita diſtribuerunt, in unum hoc caput compegerunt quinque vaticinia diverſa; quorum primum pertinet ad Ammonitas, alterum ad Idumæos, tertium ad Syros circa Damaſcum, quartum ad Cedarenos Arabas eorúmque vicinos, quintum ad Elymæos. Eventus hujus Prophetiæ paululùm præceſſit eventum ejus quem habuimus contra Moabitas. Apparet id & hìc infrà 3. & Ezech. xxi. ubi evectioni Sedeciæ ſubnectitur clades Ammonitarum.

Numquid non filii ſunt Iſrael? aut heres non eſt ei? cur igitur hereditate poſsedit Melcham Gad, & populus ejus in urbibus ejus habitavit?] *Melcham* deus Ammonitarum, idem qui *Moloch* II Reg. XXIII. 13. ***Hereditate poſſedit***, id eſt, velut proprio perpetuóque jure poſſedit. Ἀδέσποτα [*res nullius*] fiunt occupantis. Bona autem eorum qui aut liberos habent aut propinquos, qui ex lege debeant ſuccedere, non ſunt ἀδέσποτα [*res nullius*]. Ergò per injuriam Ammonitæ ſola Iſraëli diſtributa, ut Gaditarum regionem, occupaverant. Fecerant autem hoc Ammonitæ, pactione initâ cum Theglathphalaſaro, cùm ille eas partes bello vaſtaſſet II Reg. XV. 29. Erant enim contermini Gaditarum ſorti, Ioſuæ XIII. 24. 25. Æquum autem erat illas partes deſertas Iudæis, qui cum Gaditis eundem parentem Iacobum habuerant, accreſcere. Hinc bellum inter Iudæos & Ammonitas memoratum II Regum XXIV. 2. Diſcimus hinc, quanquam vulgò dicitur, Qui bello terras aliquas cepit, earum dominus fieri jure gentium, id tamen, ſi bellum ſit injuſtum, neque ipſum capientem, neque alios cauſam ab eo habentes apud Deum abſolvere. Vide quæ de hac re diximus libro III. de Iure Belli ac Pacis, cap. X. Tangit eandem hanc invaſionem Sophonias II. 8.

Super Rabbath filiorum Ammon] Erat hæc urbs princeps urbium Ammoniticarum, Ioſuæ XIII. 25. II Samuel. XI. 1. Polybio Ῥαβαθαμανά. *Philadelphia* dicta eſt poſtea. Excidium hujus urbis prædixit & Ezechiel XXV. 5.

Filiæ ejus igni ſuccendentur] Vrbes minores, ut & infrà 3. Græci pro בנות [*filiæ*] legerunt במות [*aræ*].

Et poſsidebit Iſrael poſſeſſores ſuos] Meliùs: *Et perdet Iſraël perditores ſuos.* Id eſt, in cauſa erit cur pereant. ירש pluribus in locis vertitur per ἐξολοθρεύειν, ἀπολλῶσαι, ἐξαναλίσκειν, ἐξαίρειν [*exſcindere, perdere, conſumere, tollere*]. Vide ſimilem ſenſum Abdiæ 18.

3. *Vlula Heſebon, quoniam vaſtata eſt Hai*] Hæc Hai non eſt illa in Ioſuæ libro cap. VIII. memorata, ſed altera Γαία [*Gaia*] Ptolemæo: nam ע per γ verti ſolet: ut עמרה Γομόῤῥα [*Gomorra*]. Hac urbe excisâ Esbus, quæ non longè erat, habebat quod ſibi timeret. Et mox ad hanc quoque pervenit malum, ut ex capite præcedenti didicimus.

Plangite, & circuite per ſepes] Chaldæus: *Incidite vos in turbis.* שוט eſt *flagellum.* גדר *locus ſeptus*, quales ſunt κωμοπόλεις [*vicurbia*].

Melchom in tranſmigrationem ducetur] Simile ſuprà XLVIII. 7.

4. *Quid gloriaris in vallibus*] Frugiferis admodum.

Defluxit vallis tua] *Fluet.* Valles tuæ ſanguine fluent.

Filia delicata] *Pervicax, temeraria:* θυγάτηρ τῆς ἰταμίας [*filia temeritatis*] Græcis, Chaldæo *inſipiens.*

5. *Ecce ego inducam ſuper te terrorem, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui ſunt in circuitu tuo*] In Hebræo, *ab omnibus circuitibus tuis:* id eſt, undique.

6. *Et poſt hæc reverti faciam captivos filiorum Ammon*] Hoc quoque factum patet ex Ioſepho XII. 12. & alibi.

7. *Ad Idumæam*] Hæc quoque Prophetia iiſdem temporibus completa eſt quibus priores. Vide Ezechiel. XXV. 12. & infrà 12. Multa hîc ſumta ex Abdia, qui eadem de temporibus Sennacheribi prædixerat.

Numquid non ultrà eſt ſapientia in Theman?] Vrbe Idumææ; unde *Themanæi* Herodoto, ut diximus ad Geneſ. XXXVI. 15. Omnes Arabes jam olim ſapientiâ celebres, ut notavimus ad Matth. II. 1. præſertim illi ab Eſavo orti, ut ex Iobi hiſtoria apparet. Et inter hos ipſos eminebant hac laude Themanæi, Abdiæ 8.

Periit conſilium à filiis] Nempe *ſapientiæ*, ut Matthæi XI. 19.

8. *Deſcendite in voraginem*] *In ſpecus.*

Habitatores Dedan] Vide Geneſ. XXV. 3. Ezechiel. XXV. 13. Hi ſunt ex Cethuræ poſteris, ſed ſubacti ab Idumæis.

9. *Si vindemiatores veniſſent ſuper te, non reliquiſſent racemum*] *Nónne reliquiſſent aliquid ad racemandum?* Hunc ſenſum exigit quod ſequitur. Vindemiatores aliquid relinquunt, imò & fures. At Chaldæi omnia auferent cum pulviſculo. Sumta hæc ex Abdia 5.

10. *Revelavi abſcondita ejus*] Effeci ut nihil eſſet tam abditum quod non inveniret victor.

11. *Relinque pupillos tuos: ego faciam eos vivere, & viduæ tuæ in me ſperabunt*] Id eſt, ſi relinquas pupillos & viduas, ego eos curabo. Hoc ideo dicit, quia nec pupilli, nec viduæ ſuperfuturæ erant: quem ſenſum hîc indicant LXX.

12. *Ecce quibus non erat judicium ut biberent calicem, bibentes bibent*] Nempe Iudæi, qui comparati cum Idumæis innocentes haberi poterant. משפט *culpa, reatus*, ut ſuprà XXVI. 11.

Et tu quaſi innocens relinquêris?] In Hebræo, *Et tu omnino impunè feres?* Id enim נקה [*innocentificare*] ſæpiſſime ſignificat.

Non eris innocens] Non impunè feres.

13. *In maledictionem erit Boſra*] Nempe Idumæa, de qua vide Eſaiam LXIII.

14. *Auditum audivi à Domino*] Decretum à Deo quaſi pronuntiatum. Ex Abdia 1.

Et legatus ad gentes miſſus eſt] Angelus Dei qui excitet Chaldæos.

16. *Arrogantia tua decepit te*] Idolum. Sic enim מפלצת ſumitur 1 Regum XV. 13. *Terriculas* ſimili ſenſu Lucilius. Nam פלץ eſt *terrere.* Et hæc ſunt ex Abdia 3. 4.

Qui habitas in cavernis petræ] Ideóque te inexpugnabilem putas, ut illi ſcilicet qui in Petra erant Sogdianorum apud Curtium X. Hieronymus ad Abdiam: *Omnis Auſtralis regio Idumæorum de Eleutheropoli uſque ad Petram & Hailam (hæc eſt enim poſſeſſio Eſau) in ſpecubus habitatiunculas habet.*

Et apprehendere niteris altitudinem collis] *Et tenes celſa collium:* Seir ſcilicet.

Indè detraham te] Fame, quomodo ex Auraſio monte detractus fuit Gelimer.

17. *Omnis qui tranſibit per eam ſtupebit, & ſibilabit ſuper omnes plagas ejus*] Eſt proverbiale, ut apparet 1 Regum IX. 8.

18. *Sicut ſubverſa eſt Sodoma & Gomorra, & vicinæ ejus*] Adama & Seboim.

19. *Ecce quaſi leo aſcendet de ſuperbia Iordanis*] Nabuzardan Iudææ vaſtator aſcendet quaſi leo, quem Iordanes exundans luſtris expulit.

Ad pulchritudinem robuſtam] In Hebræo, *Ad habitaculum robuſtum*: Idumæam in rupibus ſitam.

Quia ſubitò faciam currere eum ad iſtam] Nabuzardanem ad Idumæam.

Et quis erit electus quem præponam ei] Diximus alibi כי ſæpe poni pro *quiſquis*. Itaque rectè verteris: *quiſquis erit fortiſſimus* (inter Chaldæos) *eum præficiam ei*, vaſtandæ ſcilicet.

Quis eſt iſte paſtor qui reſiſtat vultui meo?] Id eſt, Dux.

20. *Si non dejecerint eos parvuli gregis*] *Si non traxerint eos minimi gregis*: ſupple, *nè verax habear*. Lixæ, inquit, & calones eos captivos trahent.

21. *Clamor in mari Rubro auditus eſt*] Pertingunt enim ad mare Rubrum Idumææ fines. Ideo id mare dictum ים אדום [*Mare Edom*], & Græcis verbum verbo reddentibus θάλασσα Ἐρυθραία [*mare Erythræum*].

22. *Ecce quaſi aquila aſcendet & avolabit*] Imò *volabit*: id eſt, *involabit* Idumæam ſubitò Nabuzardan.

Expandet alas ſuas ſuper Boſram] Idem loquendi genus ſuprà XLVII. 40.

Et erit cor fortium Idumææ in die illa quaſi cor mulieris parturientis] Et hoc ibidem habuimus.

23. *Ad Damaſcum*] Συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] id eſt, ad Syriam illam, in qua eſt Damaſcus.

Confuſa eſt Emath] *Amathus* Syriæ. Geneſ. x. 18. Num. XIII. 22. II Sam. VIII. 9. II Reg. XVII. 24. 30. XVIII. 34.

Et Arphad] Sic ſcribitur & II Regum XVIII. 34. At Geneſ. x. 18. ארודי, id eſt, *Aradii*, ut ibi habent Græci. Vide Plinium in Libani deſcriptione.

Turbati ſunt in mari] Id eſt, inſulares proximi, putà Antaradii.

24. *Quaſi parturientem*] Vt ſuprà 22.

25. *Quomodo reliquerunt civitatem laudabilem, urbem lætitiæ*] In Hebræo, *Cur non dereliquerunt urbem laudatam, oppidum* (plenum) *lætitiæ*. Cur eam voluerunt defendere? Hæc eſt cauſa exitii eorum, ut ſequitur. Hic י in voce משושי [*gaudii*] eſt merè παραγωγικὴ [*adjectitia*], ex dialecto Syrorum, de quibus hic agitur. Talia ſunt גובי Nahumi III. 17. הרי Zachariæ XIV. 5. חורי Eſaiæ XIX. 9. שבי Eſaiæ XX. 4. ארני Ezechiæ XIII. 9. & alia quædam alibi.

27. *Et devorabit mœnia Benadad*] *Palatia Benadadi*; *domos Benadadi*, quomodo hîc ipſe interpres vertit eaſdem has duas voces Amoſi I. 4. Benadadus Rex Syriæ potentiſſimus fuit, I Reg. XV. 18. Vide quæ diximus ad tertium librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

28. *Ad Cedar*] Id eſt, *ad Cedræos*, ſive *Cedarenos*. Vide ad Pſalm. CXX. 5. Græci nomina Orientis formant duplici modo, ut Stephanus notavit, in αῖος, vel in ηνός. Poſtremum hoc, ob pluralem illarum gentium, qui eſt in ין.

Et ad regna Aſor] *Regna* vocat provincias, ad quas ſe contulerunt illi ab urbe Aſore, quam diruerat Ioſue XI. 13. Iudicum IV. 2.

Quæ percuſſit Nabuchodonoſor Rex Babylonis] *Percuſſurus eſt*: id eſt, bello vaſtaturus. Hoc autem impletum eſt, cùm Nabuchodonoſor Ægypti magnam partem ſuam fecit, & partem copiarum miſit ad loca vicina.

Hæc dicit Dominus: Surgite, & aſcendite ad Cedar] Chaldæis ſcilicet hæc dicet. Vide & infrà 31.

Et vaſtate filios Orientis] Arabes illos qui ad Orientem Iudæis. Vide quæ ad Matth. II. I.

29. *Tabernacula eorum*] Erant enim Cedareni pars Scenitarum.

Pelles eorum] Vela illa elegantia per quæ tentoria diſtinguebantur. Vide Paraphraſten Chaldæum Exod. XXV. Pſalm. CIV. 2. Vide hîc ſuprà IV. 20. X. 20.

Et camelos eorum] Quibus abundat Arabia, ut apparet ex Iobo & aliis.

Et vocabunt ſuper eos formidinem in circuitu] Milites formidandos. Μετωνυμία [*tranſnominatio*].

30. *In voraginibus ſedete*] *In ſpecubus*: ut ſuprà 8. Græci utrobique, βαθύνατε εἰς κάθισιν [*profundate ad ſedendum*], *profunda quærite*.

31. *Ad gentem quietam & habitantem confidenter*] Pridem intactam, ideóque ſecuram.

Non oſtia, nec vectes eis, ſoli habitant] Id eſt, ſeorſim in tentoriis.

32. *Diſpergam eos in omnem ventum*] In omne latus.

Qui ſunt attonſi in comam] Arabas, τροχοκούραδας [*in orbem tonſos*]. Vide ſuprà IX. 26. & XXV. 23. & ibi dicta.

33. *Et erit Aſor*] Populus ille, de quo ſuprà 28.

34. *Quod factum eſt verbum Domini*] Tranſpoſitio, ut ſuprà XLVII. I.

Adversùs Elam] *Elymæos*. Vide quæ dicta à nobis ad primum librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

In principio regni Regis Sedeciæ] Id eſt, multò antequam res eveniret.

35. *Ecce ego confringam arcum Elam*] Arcu enim valebant, ut videre eſt Eſaiæ XXII. 6. & apud Livium libro XXXVII. Factum hoc credibile eſt cùm Elymæi defeciſſent à Mediæ Rege, cujus filiam in matrimonio habebat Nabuchodonoſor.

36. *Et inducam ſuper Elam quatuor ventos*] Multos populos, Babylonios, Medos, eorúmque ſubditos ac fœderatos.

Et ventilabo eos in omnes ventos iſtos] Diſpergam bello captos.

38. *Et ponam ſolium meum in Elam*] *Solium meum*, id eſt, ſolium Cyri à me ad hoc ſingulariter electi. Vide Eſaiam XLV. I. Nam Cyrus ex Perſide Medos bello impetens incepit ab Elymaide inter illos populos ſita.

39. *In noviſſimis autem diebus*] Id eſt, tandem.

Reverti faciam captivos Elam] Per Cyrum, qui eâ ratione ſuum in Medos firmavit imperium.

CAPVT L.

1. V*Erbum quod locutus eſt Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum in manu Ieremiæ Prophetæ*] Poſtremo loco ponit vaticinia de Babylone, &

& Chaldæis, tanquam egregia Iudæorum, qui in exſilio acturi erant, ſolatia. Eſt autem res eadem quæ prædicitur ab Eſaia XLV. XLVI. XLVII. & alibi; ſed quantò tempora accedebant propiùs, tantò diſtinctiùs revelata: quo ſpectare diximus locum Eſaiæ LIII.

2. *Annuntiate in gentibus*] Vos omnes Iudæi tempore diſperſionis alii alios hac certâ ſpe ſuſtentate.

Auditum facite] Id eſt, famam ſpargite. Ità enim השמיע ſumitur Hebræis, & ἀκοὴν vel ἀκουστὸν ποιεῖν [*auditum facere*], interpretibus Græcis.

Levate ſignum] Signum gaudii adventantis. Nam capta à Cyro Babylon erat pignus liberationis ipſorum.

Confuſus eſt Bel] Idolum בל [*Bel*] id eſt, *Solis*, qui propioribus Iudææ בעל [*Baal*]: nam gutturales facilè eliduntur. Idem, quia primus erat deorum apud Babylonios, Græcis Ζεὺς [*Iupiter*] dictus. Gentibus victis dicuntur & dii victi, ut de diis Ægypti, de Chamoſo Moabitarum, Melchomo Ammonitarum deo ſuprà habuimus.

Victus eſt Merodoch] Rex vetus, Eſaiæ XXXIX. à Babyloniis relatus in deos.

Confuſa ſunt ſculptilia ejus] Dii minorum gentium.

3. *Gens ab Aquilone*] Medi Septentrionales Chaldæis.

4. *Venient filii Iſrael ipſi, & filii Iuda ſimul*] Per *filios Iſraël* Levitas intellige, & ex aliis tribubus paucos, qui Iudæi & Benjaminis tribui permixti vivebant.

Ambulantes & flentes properabunt, & Dominum Deum ſuum quærent] Chaldæus non malam verſionem præit, *Ambulantes & flentes iverunt* (olim cùm abducerentur); *at* (nunc) *Dominum Deum quærent*, id eſt, gratias ipſi agent.

5. *In Sion interrogabunt viam*] Id eſt, viam quæ fert ad Sionem.

Huc facies eorum] De hac locutione vide Lucæ IX. 53. ſuprà XLII. 15.

Apponentur ad Deum fœdere ſempiterno] Id eſt, diuturno, ut alibi ſæpe. Senſus ſublimior in fœdere Euangelico, quod verè æternum.

6. *Paſtores eorum ſeduxerunt eos*] Reges: quibus ablatis ſanabiliores ſunt.

Fecerúntque vagari in montibus, de monte in collem] Id eſt, cauſa fuerunt ut huc illuc vagi disjicerentur. Perſtat enim in cœpta gregis ſimilitudine.

Obliti ſunt cubilis ſui] Caulæ ſuæ.

7. *Omnes qui invenerunt comederunt eos*] Deſpoliant.

Peccaverunt Domino decori juſtitiæ] Qui ipſis erat *caula benigniſſima*. Sic נוה [*caula*] ſumitur Ezechiel. XXXIV. 14. Perſtat in ſimilitudine pecoris. Per *caulam* autem perfugium intelligitur.

8. *Recedite de medio Babylonis*] Avolate: nullum tempus abire ſinite: arripite occaſionem.

Eſtote quaſi hædi ante gregem] In Hebræo, *hirci*: qui aliis pecudibus alacriores eſſe ſolent. Tales fuêre illi Eſdræ comites, qui multis aliis exemplo præivêre.

9. *Indè capietur*] In Hebræo, משם, id eſt, *ſtatim*: *impetu rapietur*: ἐξ ἀπροσδοκήτου [*ex improviſo*], ait Herodotus.

Sagitta ejus quaſi viri fortis interfectoris, non revertetur vacua] Medi & Perſæ, ut modò de vicinis eorum Elymæis diximus, arcu valebant, quæ laus ad ſucceſſores eorum Parthos tranſiit, teſtibus Hiſtoricis & Poëtis. Vide infrà 14.

11. *Diripientes hereditatem meam*] *Direptores mei patrimonii*. Chaldæos Deus alloquitur, qui Iudæam & ipſa Hieroſolyma diripuerant.

Et mugiſtis ſicut tauri] צהל omnem *ſonum elatiorem* ſignificat, ait Rabbi Abraham.

12. *Confuſa eſt mater veſtra*] *Erit*: nempe Babylon.

14. *Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes*] Simile ſuprà XLIX. 14. & alibi.

Quia Domino peccavit] *In Dominum*. Templi vaſa vertendo in uſus profanos, Dan. V. 2. Nunc verò quàm multi hoc faciunt Principes, & Chriſtiani dici volunt.

15. *Clamate adversùs eam: ubique dedit manum ſuam*] *Clamate adversùs eam undique: dedit manum ſuam*. Id eſt, Babylon fœderata fuit cum Lydis hoſtibus noſtris (id ità fuiſſe ab Herodoto diſcimus); quare non eſt illi parcendum. Διδόναι δεξιὰς [*dare dextras*] pro *ſocietatem inire* habemus 1 Maccab. XI. 50. & Galat. II. 9. Sic & *ponere manum* ſumitur Levit. VI. 2. *manum complodere* Iobi XVII. 2.

Ceciderunt fundamenta ejus, deſtructi ſunt muri ejus] *Cadant fundamenta ejus, deſtruantur muri ejus*. Hæc enim omnia jubentur clamare milites dum irruptionem faciunt. Nec aliter res ſe habuit. Βαβυλὼν μὲν οὕτω ἀραίρητο [*Babylon ſic deſtructa eſt*], ait Herodotus. Strabo verò: κατήρειψαν τῆς πόλεως, τὰ μὲν οἱ Πέρσαι, τὰ δ' ὁ χρόνος [*dejecerunt urbis alia Perſæ, alia tempus*].

Sicut fecit, facite ei] Sic Gotthis dicitur in Apocalypſi de Roma: ἀπόδοτε αὐτῇ ὡς καὶ αὐτὴ ἀπέδωκεν ὑμῖν [*reddite ei, ſicut ipſa reddidit vobis*], XVIII. 6. Babylon multas urbes exciderat, etiam Hieroſolyma. Patiatur legem quam tulit.

16. *Diſperdite ſatorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore meſſis*] Babylon habuit περιγραφὴν [*ambitum*] magìs ἔθνους [*gentis*] quàm πόλεως [*urbis*], Ariſtoteles Politic. III. 2. Itaque in ipſa urbe ſeritur ac metitur: Plinius XVIII. 17. ob id multi in ea urbe erant agricolæ. Cùm verò victores clementiores ſoleant agricolis parcere, non fecêre id Medi ac Perſæ cùm Babylonem caperent.

A facie gladii columbæ] *Vaſtatoris*; id enim hîc eſt יונה: ut diximus ſuprà XXVI. 38. & XLVI. 17.

Vnuſquiſque in populum ſuum convertetur, & ſinguli ad terram ſuam fugient] Auxiliares ſcilicet à Babyloniis conducti.

17. *Grex diſperſus Iſrael: leones ejecerunt eum*] *Diſpulerunt eum*. *Leones* ſunt *Reges*, ut rectè interpretatur Chaldæus: τὸ θηρίον βασιλέα δηλοῖ [*fera regem ſignificat*], ut alibi oſtendimus.

Primus comedit eum Rex Aſſur] Salmanaſar, qui Decem tribus deportavit.

Exoſſavit eum Nabuchodonoſor Rex Babylonis] Quod de corpore reliquum erat, id eſt, Iudam & Benjaminem, abſtulit.

18. *Ecce ego viſitabo Regem Babylonis*] Qui Nabuchodonoſori locum tenet, *Nabonidum* Beroſo,

Labynitum Herodoto: nam ſæpe apud Chaldæos ל & נ permutantur. Idem *Nabannidachus* Abydeno, *Nabonadus* Ptolemæo.

Sicut viſitavi Regem Aſſur] Nempe Sennacheribum Salmanaſaris ſucceſſorem.

19. *Et reducam Iſrael ad habitaculum ſuum*]Id eſt, Iudam, Benjaminem, Levitas, & alios quoſdam his adjunctos.

Et paſcetur Carmelum] *Depaſcetur. Carmelus*, ut alibi ex Tacito oſtendimus, *mons Iudæam inter Syriámque* medius. Alibi כרמל [*Carmel*] eſt commune, hîc proprium.

Et Baſan] Vbi paſcua optima.

Et in monte Ephraim] Samariæ, quæ conceſſa Iudæis à Demetrio, ut alibi demonſtravimus.

Et Galaad] Pars Galilææ. Fuit autem in eâdem conceſſione Demetrii & Galilæa: & ut acceſſio Iudææ, non minùs quàm Samaria, poſſeſſa à Regibus Iudæis, etiam ab Herode Magno.

Saturabitur anima ejus] Id eſt, ipſe.

20. *Quæretur iniquitas Iſraël, & non erit, & peccatum Iuda, & non invenietur*] Similitudo ſumta à debitis, quæ in libro ſcribuntur, & ubi acceptilata ſunt, delentur. Sic τὰ ἀδικήματα ἐν Διὸς δέλτου πτυχαῖς γράφεσθαι [*culpas ſcribi in tabulis libri Iovis*] dicebant Græci, teſte Euripide in Melanippe.

Quoniam propitius ero eis quos reliquero] *Iis qui ſuperſtites erunt peccata condonabo*: id eſt, tractabo eos quaſi nec ipſi nec parentes eorum peccaſſent.

21. *Super terram dominantium aſcende*] Loquitur Deus homini nondum nato, Cyro ſcilicet, oſtenditque quid eum velit facere. Oſtendit autem quo itinere venturus ſit contra Babylonem. Quare aſſentior iis qui per *terram* מרתים hîc non *terram dominantium*, ut Latinus hîc ex Chaldæo, nec *rebellium*, ut alii, ſed *Mardorum* intelligunt; qui duali numero ideo nominantur quòd alii eſſent cis Tigridem, alii trans Tigridem, ut ex Ptolemæo diſcimus, itémque ex Plinio & Mela.

Et ſuper habitatores ejus viſita] Pro *viſita* Chaldæus habet proprium nomen, *habitatores Pekod*, id eſt, ut puto, Bactrorum.

Diſſipa & interfice quæ poſt eos ſunt] Id eſt, poſteritatem illis aufer, omnes etiam pueros occidendo. Sic vox אחר [*poſt*] ſumitur Daniel. XI. 4.

Fac juxta omnia quæ præcepi tibi] Mandata mea, quæ per Eſaiam edidi, exſequere.

23. *Malleus univerſæ terræ*] Sic vocat Chaldæos, pari de cauſa, ut ob quam Francorum quidam dictus eſt *Martellus*.

Quomodo verſa eſt in deſertum Babylon in gentibus] Meliùs: *Quomodo Babylon gentibus ſtupori fuit?* nam שמה [*ſtupori eſſe*] & hoc ſignificat.

24. *Capta es Babylon, & neſciebas*] Subitò, nihil tale adhuc ſuſpicans. Vide ſuprà 8. Narrat Herodotus, & ex eo Ariſtoteles, jam partem urbis fuiſſe captam cùm qui in media eſſent urbe id adhuc ignorarent.

25. *Aperuit Dominus theſaurum ſuum*] Nempe is cujus theſauros tu abſtuliſti.

Et protulit vaſa iræ ſuæ] Is, cujus vaſa tu profanaſti. Vide ſuprà 14.

Quoniam opus eſt Domino Deo exercituum] Opus illi eſt talibus inſtrumentis quales ſunt Medi & Perſæ.

26. *Venite ad eam ab extremis finibus*] A mari Caſpio & Euxino.

Aperite ut exeant qui conculcent eam: tollite de via lapides, & redigite in acervos, & interficite eam: nec ſit quicquam reliquum] Variant hîc verſiones. Optima hæc videtur, *Aperite apothecas ejus; calcate eam ſicut acervi* (tritici ſcilicet, teruntur calcando): *quin ità eam delete ut nihil ſuperſit.*

28. *Vox fugientium, & eorum qui evaſerunt de terra Babylonis, ut annuntient in Sion ultionem Domini Dei noſtri, ultionem Templi ejus*] Tanta erit fuga ut quoſdam perlatura ſit ad Iudæam uſque, qui ibi narraturi ſint quid Babyloni evenerit.

29. *Annuntiate in Babylonem plurimis, omnibus qui tendunt arcum*] *Convocate contra Babylonem multos, qui omnes arcum tendant.*

Conſiſtite adversùs eam per gyrum, & nullus evadat] *Stationes ab omni parte ponite, nè quis evadat.*

Reddite ei ſecundùm opus ſuum] Suprà 15.

Quia contra Dominum erecta eſt] Vide ibidem.

30. *Conticeſcent in die illo*] Meliùs *ſuccidentur*, à רמה; non à דמם [*ſiluit*]. *conterentur*, Chaldæus: ῥιφήσονται [*projicientur*], Græci.

31. *Ecce ego ad te ſuperbe*] Superbe Chaldæe, ad te venio.

32. *Corruet, & non erit qui ſuſcitet eum*] *Qui erigat.*

33. *Calumniam ſuſtinent*] *Vi opprimuntur.* Id enim עשק: καταδεδυνάστευνται [*dominatu preſſi ſunt*] LXX hoc loco, qui alibi minùs propriè vertunt συκοφαντεῖν [*calumniari*], de quo diximus ad Lucæ III. 14.

Omnes qui ceperunt eos tenent, nolunt dimittere eos] Tam Aſſyrii quàm Babylonii. ideo aliis hominibus mihi opus eſt.

34. *Iudicio defendet cauſam eorum*] Erit ipſis advocatus. Videt enim durè eos haberi, & illudi, ob unius veri Dei cultum.

Vt exterreat terram] In Hebræo, *Vt quieſcere faciat terram*: id eſt, ut tranquillam reddat Iudæam.

35. *Ad ſapientes ejus*]

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίαν λάχον. ———
[*Soli Chaldæi ſapiunt.* ——— ———]

Ità de ſe exiſtimabant. Strabo: Ἀφώριστο δ' ἐν τῇ Βαβυλωνίᾳ κατοικία τοῖς ἐπιχωρίοις φιλοσόφοις, τοῖς Χαλδαίοις προσαγορευομένοις, οἳ περὶ ἀστρονομίαν εἰσὶ τὸ πλέον [*Definita erat in terra Babylonia habitatio indigenis Philoſophis, qui dicuntur Chaldæi, & maximè circa aſtrorum inſpectionem verſantur*].

36. *Ad divinos ejus*] In Hebræo, *mendaces ejus*. Chaldæus interpretatur קסם, quod nomen de Balaamo uſurpat Chaldaïca verſio. *Chaldæi vates* apud Curtium: cujus & hoc, *Si modò ars eſt, & non vaniſſimi cujuſque ludibrium.*

Qui ſtulti erunt] Id eſt, ſtulti deprehendentur eſſe, quòd iſta non præviderint.

37. *Et erunt quaſi mulieres*] Pavidi, nihil virile cogitantes.

38. *Siccitas ejus ſuper aquas, & areſcent*] Quia abducto flumine alveum Euphratis ſibi pervium fecit Cyrus, narrante Herodoto in Clio, & Xenophonte libro VII Inſtitutionis. Vide & infrà LI. 32.

Idem olim Semiramis fecerat, & poſt Cyrum Alexander: Frontinus III.7.

Quia terra ſculptilium eſt] Hæc cauſa eſt, cur Deus iſta fieri ſiverit.

Et in portentis gloriantur] Idem eſt quod ſuprà: nam אימים ſunt *idola*. At Græci legêre אים [*inſulas*]; minùs rectè.

39. *Propterea habitabunt dracones*] *Silveſtres feræ*, ut diximus ad Eſaiam XIII. 21.

Cum faunis ficariis] *Cum feris felibus*, ut Eſaiæ XIII. 22.

Et habitabunt in ea ſtruthiones] Vide Eſaiam ibid. & XXXIV. 14.

Vſque in ſempiternum] In Hebræo, לנצח [*ad finem*]: id eſt, ad tempus uſque à Deo præſtitutum.

Vſque ad generationem & generationem] Per γενεὰς [*generationes*] duas.

40. *Sicut ſubvertit Dominus Sodomam & Gomorram, & vicinas ejus*] Suprà XLIX. 18.

41. *Ecce populus venit ab Aquilone*] Medi.

Et gens magna] ו hîc eſt ἐξηγητικὸν [*explicativum*]. Senſus: *Qui ſunt gens magna.*

Et Reges multi] Armeniorum, Hyrcanorum, Caduſiorum, Lydorum. Vide Xenophontem V Inſtitutionis.

A finibus terræ] Vide ſuprà 26. Sæpe eadem repetit, quò firmior hæreat memoria.

42. *Vox eorum quaſi mare ſonabit*] Sævùm frement.

Sicut vir paratus ad prælium] In Hebræo: *Ordinatus* (id eſt, *ordinati*), *tanquam vir ad prælium.* Tantus ordo, ut totum agmen virum unum eſſe dicas.

43. *Audivit Rex Babylonis famam eorum*] Nabonidus.

Et diſſolutæ ſunt manus eorum] Statim prælio victus eſt. Vide Herodotum.

Dolor quaſi parturientem] Suprà VI. 24. XIII. 21. XXII. 23.

44. *Ecce quaſi leo aſcendet*] Eadem ſunt quæ ſuprà de Nabuzardane habuimus XLIX. 19.

45. *Quod concepit adversùs Babylonem*] Sicut ſuprà XLIX. 20. *adversùs Edom.* & pro *in mari Rubro* 21. eſt hîc *in gentibus*. Cætera eadem.

CAPVT LI.

1. H*Æc dicit Dominus*] Eſt ſermo continuus cum priore.

Ecce ego ſuſcitabo ſuper Babylonem & ſuper habitatores ejus, qui cor ſuum levaverunt contra me, quaſi ventum peſtilentem] *Ventum urentem.* illud לב קמי, quod hîc vertitur, *Qui cor ſuum levaverunt contra me*, per literarum tranſmigrationem illam frequentem Chaldæis, quæ dicitur אתבש [*Athbaſch*] de qua aliquid diximus ſuprà XXV. 26. facit כשדים, quod *Chaldæos* ſignificat. Et ità hanc κρύψιν [*occultationem*] intellexêre & Græci & Chaldæus hoc loco: nec aliter Rabbini Salomon & Kimchi.

2. *Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt eam*] Id eſt, *diſperſores*: nam qui ventilant, diſpergunt.

Et demolientur terram ejus] *Deſpoliabunt.* Sic & Chaldæus.

Quoniam venerunt ſuper eam undique, in die afflictionis ejus] Meliùs: *Cùm eam undique circumvenerint tempore* (ipſi Babyloni) *adverſo.*

3. *Non tendat qui tendit arcum ſuum, & non aſcendat loricatus: nolite parcere juvenibus ejus, interficite omnem militiam ejus*] Meliùs, *Ei qui tendit tendendo tendens arcum ſuum, & ei qui aſcendit loricatus*, hæc ſcilicet dicit Deus quæ ſequuntur, *Ne parcite juventuti: omnem militiam ejus interficite.* Ter repetit vocem tendendi, quia vult quàm maximè tendi nervum.

4. *Et cadent interfecti in terra Chaldæorum*] Tranſpoſitio, pro *interfecti Chaldæorum* (id eſt, ex Chaldæis) *cadent in terram.*

5. *Quoniam non fuit viduatus Iſrael & Iuda à Deo ſuo Domino exercituum, terra autem eorum repleta eſt delicto à Sancto Iſrael*] *Nam non à Deo ſuo Domino exercituum viduati ſunt* (derelicti ut vidua) *Iſraël & Iuda* (id eſt, meminit Deus contumeliæ Iudæis illatæ ob religionem); *ideóque terra eorum* (id eſt, Chaldæorum) *pleniſſimè punietur à Sancto Iſraëlis*, à Deo: id eſt, multò graviorem pœnam ferent quàm Iudæi pertulerunt.

6. *Fugite de medio Babylonis, & ſalvet quiſque animam ſuam*] Hoc ad Romam à Gotthis oppugnatam applicat Apocalypſis XVIII. 4. Implevit hæc verba Nabonidus. Fugit enim Babylone in Borſippa. Vide locum Beroſi quem produximus ad librum tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Nolite tacere ſuper iniquitatem ejus] Meliùs vertes, *Ne ſuccidamini propter culpam ejus*: ut ſit à דמה [*excidere*], non à דמם [*tacere*], quomodo ſuprà L. 30. Et ſic ſumſit Iohannes in Apocalypſi XVIII. 4. ἵνα μὴ συγκοινωνήσητε ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῆς [*nè communicetis peccatis ejus*].

7. *Calix aureus Babylon in manu Domini, inebrians omnem terram*] *Poculum aureum Babylonis Dei manu* (diſpenſante) *inebriat omnem terram.* Id eſt, Babylonis ſocietas valde ſplendida multos auxiliares populos in exitium traxit. Per calicem inibatur ſocietas. At verò ut in Oetæo eſt Senecæ:

> *Aurea miſcet pocula ſanguis.*

Iuvenalis:

> ——— *nulla aconita bibuntur*
> *Fictilibus: tunc illa time, cùm pocula ſumes*
> *Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.*

Sic illi etiam Babylonis ſocii ex calicibus aureis venenum biberunt. Vide quæ ſuprà XXV. 15.

Et ideo commotæ ſunt] *Ideo inſanient.* Nàm & magnus dolor non minùs quàm vinum hominibus mentem adimit, ut jam aliquoties notavimus.

8. *Subitò cecidit Babylon, & contrita eſt*] Sanè *ſubitò*, ut diximus L. 8. & 24. Sumtum hoc ex vaticinio ſimili Eſaiæ XXI. 9. Iiſdem verbis de Roma utitur Apocalypſis XIV. 8.

Vlulate ſuper eam] Id eſt, *ejulate*, ut in luctu fieri ſolet. θρηνεῖτε [*lugete*], ut hîc Græci.

Tollite reſinam ad dolorem] Quæ ad vulnera adhiberi ſolebat, ut diximus VIII. 22. & XLVI. 11.

9. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*] Hoc dicent illi auxiliares: Dedimus quidem operam ut eam ſervaremus, ſed ſervari non potuit.

Eamus unuſquiſque in terram ſuam] Vt ſuprà L. 16.

Pervenit uſque ad cælos judicium ejus] Crimina ejus. Vide Ionæ 1.2. Geneſeos XVIII. 21.

10. *Protulit Dominus juſtitias noſtras*] Oſtendit Deus religionem noſtram eſſe veram. Loquuntur Iudæi deportati.

Narremus in Sion opus Domini Dei noſtri] Id eſt, nos exſules mittamus ad illos paucos, qui in Iudæa reſtant, ut norint Deum hæc tam magna feciſſe noſtri causâ.

11. *Acuite ſagittas, implete pharetras*] Alloquitur Babylonios, quaſi dicat: Molimini quantum poteſtis, nihil proficietis. Simile ſuprà XLVI. 3.

Suſcitavit Dominus ſpiritum Regum Medorum] Cyri, & Principum qui cum ipſo.

Vltio templi ſui] Suprà L. 28.

12. *Super muros Babylonis levate ſignum*] *Vos*, ô Babylonii, *ſigna attollite è mœnibus*, ut, ſiqui extra urbem ſint vobis faventes, intelligant quo loco res ſint.

Augete cuſtodiam] Vigiles in portis & mœnibus.

Levate cuſtodes] *Diſponite procubitores* extra portas.

Præparate inſidias] *Mittite eò ſpeculatores*, qui hoſtium vires ac conſilia explorent.

Quia cogitavit Dominus, & fecit quæcunque locutus eſt contra habitatores Babylonis] Eſt hîc quoque tranſpoſitio. Senſus: *omnia facite quæ vultis & poteſtis. Attamen* (hoc enim valet כי גם) *quæ cogitavit Deus, quæque elocutus eſt contra habitatores Babylonis, dabit effecta.*

13. *Quæ habitas ſuper aquas multas*] Ad Euphratem, foſſas ingentes, lacum magnum, de quibus vide Abydenum & Herodotum. Hîc quoque in שכנתי [*habitas*] Iod eſt adjectitium.

Venit finis tuus, pedalis præciſionis tuæ] *Venit exitium tuum*, quæ eſt *menſura* (id eſt, retributio) *avaritiæ tuæ*. בצע *avaritia* etiam Exodi XVIII. 21. Græci pro אמת בצעך [*menſura avaritiæ tuæ*] legêre אמן במעיך. [*verè ad viſcera tua*].

14. *Iuravit Dominus exercituum per animam ſuam*] Καθ' ἑαυτοῦ [*per ſe*], ut hanc locutionem interpretatur ſcriptor ad Hebræos VI. 13.

Replebo te hominibus quaſi brucho] Bruchus genus eſt proprium locuſtarum, ut Hieronymus notat ad III. Nahum. Ea animantia ingenti agmine terras invadunt, ut is ipſe locus Nahumi oſtendit. Vide & mox 27.

Et ſuper te celeuſma cantabitur] Id eſt, triumphus.

15. *Qui fecit terram in fortitudine ſua*] Is ſcilicet eſt qui hæc dicit, nè dubitetis quin implere poſſit.

16. *Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cælo*] Repetit hæc ex capite X. 13. ſuprà.

20. *Collidis tu mihi vaſa belli*] *Tu* (Cyre) *mihi pro malleo frangente, pro armis bellicis*. Vide ſuprà L. 23.

Ego collidam in te gentes] *In te*, locutio Hebræa, pro *per te*.

24. *Et reddam Babyloni*] Repete hîc illud *per te*.

25. *Ecce ego ad te*] Supple *venio*, ut ſuprà L. 31.

Mons peſtifer qui corrumpis univerſam terram] Babylon *mons* dicitur ob regiam ſublimem, &, ut Beroſus loquitur, montibus perſimilem. *Peſtifer*, quòd multis gentibus exitio fuiſſet.

Evolvam te de petris] Id eſt, de muris tuis ducentos cubitos regios in altitudinem aſſurgentibus. Docent id Herodotus, Strabo, Diodorus Siculus, Plinius.

Et dabo te in montem combuſtionis] Vt ſis Ætnæ ſimilis, aliiſque montibus ignem vomentibus.

26. *Non tollent de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamenta*] Nulli lapides ædificio utiles tibi reſtabunt. Chaldæus per *lapidem angularem* Regem ſignificari putat, per *fundamenta* Principem. Sic in Eccleſia Chriſtus *lapis angularis*, Apoſtoli *fundamenta*.

Perditus in æternum] *Deſolatus eris longo tempore.* Nam ità עולם ſumi ſæpe notavimus.

27. *Levate ſignum in terra*] *Belli ſignum attollite*: id eſt, vos Angeli omnes illas gentes ad bellum animate.

Clangite buccinâ in gentibus] Idem ſenſus aliâ tranſlatione.

Sanctificate ſuper eam gentes] *Præparate contra eam gentes.* Ità hîc Chaldæus. habuimus jam ſæpe קדש [*ſanctificate*] eo ſenſu.

Annuntiate contra illam] *Concitate contra eam.*

Regibus Ararath] *Reges Cordyæos.* קרדו hîc Chaldæus, ut & in Diluvii hiſtoria, ſicut diximus in Annotatis ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ. *Reges* intellige, tum Reges, tum Principes.

Menin] *Qui in Minyade.* Vide Damaſceni locum in iiſdem Annotatis. Hinc dicta videtur *Armenia*, ארם מני [*Syria Minyados*]. Nam Armeniam ſub nomine *Aramæo* olim comprehenſam notat Strabo. Chaldæus hîc habet חור מני [*cavernam Minyados*]. Sic Chaldæi Armeniam vocant, quia montibus clauditur. *Tangit Mediam*, ut Plinius notat; & Reges eorum cum Cyro fuêre, ut notavimus L. 41.

Et Aſcenez] Hoc nomen voce *Aſiæ* reddit Hieroſolymitanus interpres ad Geneſin. In ea eſt *Aſcania* pars Phrygiæ & Myſiæ, & alia loca paris nominis, quæ congeſſimus in dictis Annotatis. Idque verum puto, quanquam Chaldæus hoc loco poſuit הרב, quæ Thalmudicis הריב, id eſt, *Adiabene*. Onkelos in Geneſi *Carmaniam*, pro qua *Germaniam* perverſè intellexerunt Rabbini. Phrygiam fuiſſe ſub Cyro teſtis eſt Xenophon Inſtitutionis VII.

Numerate contra eam Taphſar] *Præficite ei Satrapam*: facite ex Regno Satrapia fiat. Frequens eſt Hebræis in barbaris vocibus literas tranſponere, ut notavimus ad Marcum XIV. 3. Itaque ex *Satrapa* factum eſt *Taphſar* hîc & Nahumi III. 17. Perſæ eos vocabant אחשדרפנים, ut videre eſt Eſther IX. 3. Hinc ἐξατράπην [*Exſatrapen*] fecit Theopompus: Græci alii σατράπην [*Satrapen*], ut diximus ad Matth. XVIII. 10. Et quia Angeli, ut ibidem diximus, ſunt veluti Satrapæ Dei: ideo vox טפסר [*Taphſar*] etiam pro *Angelo* ponitur à Ionathane ad Deuteron. XXVIII. 12. quod apparet collato ejuſdem Ionathanis loco ad Geneſeos XXX. 22.

Adducite equum quaſi bruchum aculeatum] *Adducite* (ſupple *contra eum*, quod hîc addunt Græci) *equum veluti bruchum vaſtantem.* Enallage ſingularis pro plurali. שמר eſt *vaſtare*. Pro ש autem ponere ס eſt Chaldaïſmus. Bruchi terras devaſtant, Nahum. III. 15. Ioël I. 4. & cap. II. 25. Idem faciebant Chaldęi equites.

28. *Reges Mediæ*] Regem ac Principes, ut ſuprà 27.

29. *Commovebitur terra, & conturbabitur*] *Terra commota* (Chaldaïca) *dolebit.*

Quia evigilabit contra Babylonem cogitatio Domini] *Cùm firmabitur* (id eſt, eventum habebit) *contra Babylonem cogitatio Domini.*

30. *Ceſſaverunt fortes Babylonis à prælio*] Non auſi ſunt urbem defendere.

Habitaverunt in præſidiis] *In locis munitis.* Id eſt, receperunt ſe in Borſippa urbem munitam. Vide Beroſi locum.

Devoratum eſt robur eorum] *Defecit eorum fortitudo.*

Facti ſunt quaſi mulieres] Pavidi, ut ſuprà L. 37.

Incenſa ſunt tabernacula ejus] *Domus*, ut hîc Chaldæus.

Contriti ſunt vectes ejus] *Fracti ſunt*. Per *vectes* portas intellige.

31. *Currens obviam currenti veniet, & nuntius obviam nuntianti*] Nuntii rerum malarum alii alios conſequentur.

Vt annuntiet Regi Babylonis quia capta eſt civitas ejus à ſummo uſque ad ſummum] In Hebræo, *à fine*: id eſt, in una parte περὶ τὰ ἔσχατα τῆς πόλιος [*ad extima urbis*], ut Herodotus: quod adhuc neſciebant illi qui cum Rege in media erant urbe, ut ex eodem Herodoto & Ariſtotele modò retulimus.

32. *Et vada præoccupata ſunt*] Inventus tranſitus per abacti Euphratis alveum.

Et paludes incenſæ ſunt igni] Id eſt, munimenta τοῦ ἕλους [*paludis*], cujus ἕλους meminit Herodotus. Ea munimenta ſunt τὰ ἔξω τῆς πόλεως τείχη [*muri extra urbem*], Beroſo.

33. *Filia Babylonis quaſi area: tempus trituræ ejus: adhuc modicum: & veniet tempus meſſionis ejus*] Hæc ſic diſtingue, & verte, *Filia Babylonis quaſi area: tempus ad trituram ejus adhuc modicum: nam adventavit tempus meſſionis ejus. Meſſis* eſt interfectio civium; *Tritura*, quæ meſſem ſequitur, diſſipatio urbis.

34. *Comedit me, devoravit me Nabuchodonoſor*] Loquitur Ieruſalem, ut ſtatim apparebit.

Abſorbuit me quaſi draco] *Quaſi balæna.*

Replevit ventrem ſuum teneritudine mea] *Deliciis meis.*

Et ejecit me] *Evomuit me.* Id eſt, *poſtquam omnes apothecas ſuas implevit bonis meis, poſtea me ex hac terra depulit.* Ità Chaldæus.

35. *Iniquitas adverſùm me, & caro mea ſuper Babylonem*] Pro *caro mea* pone *carnem meam.* Senſus eſt: Malum quod Babylon mihi & aliis popularibus meis intulit, ipſi ſuperveniat.

36. *Propterea hæc dicit Dominus*] Precibus populi ſui hunc in modum reſpondet.

Deſertum faciam mare ejus] Alveum Euphratis.

37. *Et erit Babylon in tumulos*] Eſaiæ XXV. 2.

Habitatio draconum] Suprà IX. 11.

Stupor & ſibilus] Suprà XXV. 9. 18. XXIX. 18. XLIX. 17.

38. *Simul ut leones rugient, excutient comas, veluti catuli leonum*] In Hebræo, *Frement ut catuli leænarum:* id eſt, magno clamore feſtum agent diem eo ipſo tempore cùm urbs capietur. Herodotus: τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτήν [*Evenerat ut ipſis dies feſtus ageretur*].

39. *In calore eorum*] Id eſt, ubi vino incaluerint. Solebant enim diebus feſtis convivia agitari: & hoc Babylone factum cùm urbs caperetur narrat Xenophon. *Fuiſſe eos in* εὐπαθείῃσιν [*gaudiis*], Herodotus.

Ponam potus eorum, & inebriabo eos] Dabo illis aliud quod bibant, & unde inebrientur, *calicem iræ meæ*, ut Eſaiæ LI. 17. & ſequentibus, ſuprà XXV. 15. & ſequentibus, XLIX. 11. Thren. IV. 21.

Vt ſopiantur] Sic & Græci, ὅπως καρωθῶσιν. Legerunt ſcilicet, non יעלזו, quod eſt *exſultent*, ut nos habemus, ſed יעלפו [*in ſoporem dentur*], quomodo & Chaldæus legit.

Et dormiant ſomnum ſempiternum] Somnum mortis. Chaldæus ſenſu ſublimiore hæc refert ad mortem ſecundam. *Moriantur*, ait, *morte ſecundâ, & non vivant in ſeculo futuro.* Confer Apocalypſeos XX. 6. 14. XXI. 8.

40. *Deducam eos quaſi agnos ad victimam, & quaſi arietes cum hædis*] Eſt tranſpoſitio: *Deducam eos ad occiſionem, ſicut ducuntur agni, arietes, hirci.* Sed pro כרים [*agni*] Chaldæus legit שרים [*tauri*].

41. *Quomodo capta eſt Seſach*] Dea Babylonis, ut dictum XXV. 26.

Et comprehenſa eſt inclyta univerſæ terræ] *Laus univerſæ terræ*, nempe decus Orientis.

42. *Aſcendit ſuper Babylonem mare*] Id eſt, ſumma calamitas quæ mari comparari ſolet, ut Pſalmo XLII. 8.

43. *Factæ ſunt civitates ejus in ſtuporem*] Conſtabat enim Babylon ex duabus urbibus, interiore & exteriore: τὴν ἔνδον πόλιν & τὴν ἔξω [*urbem interiorem & exteriorem*] vocat Beroſus.

44. *Super Bel*] Vide ſuprà L. 2.

Et ejiciam quod abſorbuerat de ore ejus] Gazas Templi & donaria.

45. *Egredimini de medio ejus populus meus*] Iudæi, qui tunc eritis Babylone, fugite in tempore. Confer Matthæi XXIV. 16.

46. *Et nè fortè molleſcat cor veſtrum, & timeatis auditum qui audietur in terra*] Nolo, inquit, ad primum rumorem belli ſtatim fugiatis. Dicam vobis tempus.

Veniet in uno anno auditio] Primo anno erit rumor Cyrum parare bellum in Babylonios.

Et poſt hunc annum auditio] Cyro jam progreſſo in Aſſyriam, & Gyndem amnem in multos rivos lacerante.

Et iniquitas in terra] Tertio anno terra Babylonia ſuas pœnas feret, quas Hebræi חמס [*iniquitatem*] vocant, ut videre eſt Pſalmo VII. 17.

Et dominator ſuper dominatorem] Id eſt, Cyrus Nabonnidum expellet.

47. *Propterea ecce dies veniunt, & viſitabo ſuper ſculptilia Babylonis*] Clariùs ſic: *Quia tunc* (tertio illo anno) *venerit tempus quo vindictam ſum ſumturus de idolis Babylonis.*

Et omnis terra ejus confundetur] Id eſt, nihil virium habebit.

Et univerſi interfecti ejus cadent in medio ejus]

Meliùs vertes: *Et omnes ſaltatores ejus in medio ejus cadent.* Sic חלל ſumitur Iudicum XXI. 21. 23. 1 Samuel. XVIII. 6. XXI. 11. 1 Regum I. 40. in quibus locis Græci χορεύειν [*choros ducere*] poſuêre. Herodotus autem ubi Babylonem à Cyro captam deſcribit: τυχεῖν γάρ σφι ἐοῦσαν ὁρτὴν, χορεύειν τε τοῦτον τὸν χρόνον καὶ ἐν εὐπαθείῃσιν εἶναι [*evenerat ut ipſis dies feſtus ageretur, utque ſaltarent eo ipſo tempore & eſſent in gaudiis*].

48. *Et laudabunt ſuper Babylone*] *Propter Babylona laudabunt*, Deum ſcilicet.

Cæli] Angeli.

Et terra] Iudæi & aliæ gentes malè tractatæ à Chaldæis.

Quia ab Aquilone venient ei prædones] *Cùm ab Aquilone venient ei vaſtatores.* Id enim propriè שודים.

49. *Quomodo fecit Babylon, ut caderent occiſi in Iſraël*] Oſtenditur juſtitia Dei, ob quam meritò ei laudes & gratiæ canentur.

Sic de Babylone cadent occiſi in univerſa terra] Nempe Chaldaïca.

50. *Qui fugiſtis gladium*] Vos Iudæi, ubi ſecundùm hæc monita fugeritis è Babylone metu gladii Perſici.

Venite, nolite ſtare] Ite quàm longiſſimè.

Recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat in cor veſtrum] Interim fugientes eſtote memores Templi & Vrbis, ac dicite apud vos quæ ſequuntur.

51. *Confuſi ſumus quoniam audivimus opprobrium*] Puduit nos quoties Chaldæi nobis objecerunt ſervitutem noſtram.

Operuit ignominia facies noſtras: quia venerunt alieni ſuper ſanctificationem domûs Domini] Maximè verò cùm nobis objectarent ſe Templum incendiſſe, quaſi religio noſtra res eſſet nihili.

52. *Propterea*] Propter has Iudæorum querelas.

Dies veniunt dixit Dominus] Appropinquant.

Et viſitabo ſuper ſculptilia ejus] Vt vindictam exerceam de eorum diis, & oſtendam me quidem puniiſſe qui me neglexerant, illos autem deos ſalutem præſtare nequiſſe iis qui ipſos quàm maximè coluerant.

Et in omni terra ejus mugiet vulneratus] Vbique jacebunt ſaucii gementes.

53. *Si aſcenderit Babylon in cœlum*] *Etiamſi aſcenderet.* Exaggeratio.

Et firmaverit in excelſo robur ſuum] Arces ſibi in ſumma cœli parte faceret.

55. *Perdidit ex ea vocem magnam*] Ronchos illis abſtulit.

Et ſonabunt fluctus eorum quaſi aquæ multæ] Calamitates ipſorum efficient ut longè alium edant ſonum, qualem plangentes littora fluctus. Vide ſuprà 42.

56. *Prædo*] *Vaſtator*, ut ſuprà.

Apprehenſi ſunt fortes ejus] Deprehenſi ſunt, cùm minimè id cogitarent.

Et emarcuit arcus eorum] Id eſt, fractæ vires.

57. *Inebriabo Principes ejus*] Sic ſuprà XLIX. 38. & hic 23.

Et dormient ſomnum ſempiternum] Vide ſuprà 39.

58. *Murus Babylonis iſte latiſſimus ſuffoſſione ſuffodietur*] In Hebræo, *muri*. Erant enim terna mœnia circumdata urbi interiori, exteriori totidem, ut Beroſus nos docet. Bene autem additum *latiſſimi*: craſſi enim erant quinquaginta cubitos, ut ex Herodoto diſcimus. Plinius dicit *latos* fuiſſe *quinquagenos pedes, in ſingulos pedes tribus digitis menſurâ ampliore quàm erat Romana.*

Et portæ ejus excelſæ igni comburentur] Vide ſuprà 30.

Et labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt] Poſtremum illud magis ſignificat, *laſſati ſunt.* Eſt autem Tranſpoſitio, quæ ſic optimè exponetur: *Labores populorum & gentium quæ ſe fatigarunt* (muros ſtruendo), *in nihilum per ignem recident.*

59. *Cùm pergeret cum Sedecia Rege in Babylonem*] את particula ſæpe *à* ſignificat, ut Geneſ. XLIV. 4. Itaque verte: *Cùm ipſe iret à Sedecia Rege* (miſſus ſcilicet) *Babylonem.* Sic LXX, παρὰ Σεδεκίου [*à Sedecia*]. Chaldæus eodem ſenſu: *in legatione Sedeciæ.*

In anno quarto regni ejus] Non temere id adjectum eſt, ut appareat Babylonis ruinam ab Ieremia prædictam totis ſex annis antequam Babylonii Hieroſolyma exſcinderent, & hanc prædictionem, ſcripto ſimúlque conſpicuâ quadam actione conſignatam.

Saraias autem erat princeps Prophetiæ] Et Græci, & Chaldæus non מנוחה [*quietis* ſive *Prophetiæ*] legerunt, ſed מנחה; vertunt enim ἄρχων δώρων [*Princeps munerum*]: id eſt, fuit Comes ſacrarum largitionum. מנחה μαναὰ ſæpe quidem ſumitur de *munere quod Deo offertur:* ſed & de eo quod homines hominibus dant uſurpatur, ut Geneſ. XXXII. 13. 20. 21. 11 Regum VIII. 8. Pſalm. XLV. 13.

60. *Omnia verba hæc quæ ſcripta ſunt contra Babylonem*] Nempe quæ habuimus duobus capitibus præcedentibus.

62. *Domine, tu locutus es*] Ac proinde futurum id credo.

Nè ſit qui in eo habitet] *Ità ut nemo in eo ſit habitaturus.*

63. 64. *Et projicies illum in medium Euphratem, & dices, Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget*] Simile illud Horatii:

——— ſimul imis ſaxa renarint
Vadis levata, nè redire ſit nefas.

Quod de Phocæorum facto adumbratum, qui pariter, ut hic Seraias, verbis adhibentes ſignum conſpicuum, ut mos erat illo ſeculo, laminam plumbeam in mare jecerant.

Sic ſubmergetur] Calamitatibus. Vide ſuprà 55.

Hucuſque verba Ieremiæ] Hæc eſt clauſula non ad hanc tantùm partem, ſed ad totum librum pertinens: ut apparebit ex iis quæ jam dicemus.

CAPVT LII.

1. *Filius viginti & unius anni erat Sedecias*] Pro certo haberi debet hoc caput non fuiſſe ab Ieremia huic loco additum: neque enim in eodem libro repetiſſet hiſtoriam antè poſitam, & quidem ſuo loco capite XXXV. & XL. Præterea pertexitur hæc

hiſtoria ad regnum Evilmeraduchi, & finem uſque Iechoniæ, quæ poſteriora ſunt temporibus Ieremiæ. Quare dubitari non debet quin primores captivorum in regno Babylonico, quos vocabant ראשי גלות, αἰχμαλωτάρχας, hæc ſcripſerint, ut eſſet εἰσαγωγὴ [*introductio*] ad librum qui ſequi Prophetias Ieremiæ ſolebat, id eſt, ad Threnos Ieremiæ. Argumentum enim illorum planctuum his verbis continetur, quæ deſumta ſunt ferè omnia ex fine poſterioris libri Regum, additis quibuſdam ex hiſtoria ſtructi à Solomone Templi. *Filius annorum* XXI, pro, *annos natus* XXI, Hebraïſmus notus ſatìs. Prima hæc tria commata ſumta de fine capitis XXIV libri II Regum.

4. *Factum eſt autem anno nono*] Ex capite XXV dicti libri II Regum.

7. *Et ducit ad hortum Regis*] In Hebræo & hîc, & in loco Regum, *ad hortum Regis:* id eſt, ponè hortum. Vide notata à nobis in loco Regum.

9. *Et locutus eſt ad eum judicia*] Id eſt, contra eum ac familiam comitéſque ejus ſententiam tulit, tanquam perduellionis reos.

11. *In domo carceris*] Hebræum propriè habet *domum inquiſitionis*, ubi in reos inquiritur: *domum vinctorum*, Chaldæus. LXX duriùs, εἰς οἰκίαν μύλωνος [*in domum molæ*].

12. *Decimâ menſis*] *Septimâ* eſt in libro Regum. Error haud dubiè ex veteribus notis numeralibus, aut hîc aut illic. *Nonam diem menſis* habet Ioſephus.

Princeps militiæ] In Hebræo: *Princeps interficientium.* Ità ſemper appellant milites Ægyptios, Babylonios, & alios externos, quorum bella erant aut injuſta, aut immoderata.

16. *Vinitores & agricolas*] In Hebræo, *In vinitores & agricolas:* id eſt, qui eſſent vinitores & agricolæ. Græci, εἰς ἀμπελουργοὺς καὶ εἰς γεωργούς. Chaldæus, *ut colerent agros & vineas.*

17. *Confregerunt Chaldæi*] Quò faciliùs portari poſſent.

18. *Creagras*] Mirum quot modis vertatur vox יעים. *Creagras* hîc poſuêre Græci & Latinus; Græci alibi καλυπτῆρα, φιάλην, θέρμας, πυρεῖα [*obtegumentum, phialam, calida ſolia, ignitabula*], Latinus modò *creagras*, ut hîc, modò *forcipes*, modò *tridentes*, modò *ſcutras*, modò *trullas.* Quidvis potiùs crediderim, quàm *ſcopas* fuiſſe, ut quidam vertunt. Neque enim tanti erant ut eas tanto itinere auferrent Chaldæi. יעה Hebraïcè, & יעא Chaldaïcè eſt *removere.* Id facit ut *palas* fuiſſe exiſtimem.

19. *Quotquot aurea, aurea: & quotquot argentea, argentea*] Id eſt, utriuſque materiæ ὁλόσφυρα [*ſolida*], nullâ inanitate, nullâ admixtione.

20. *Et mare unum, & vitulos duodecim æreos, qui erant ſub baſibus quas fecerat Rex Salomon*] Imò non *ſub baſibus erant*, ſed *ſub Mari*, I Regum VII. 24. 25. collato 27. Quare omnino ſupplenda ἔλλειψις [*omiſſio vocis*] hoc modo: *Mare unum & vitulos duodecim qui erant ſubter* (mare, &) *baſes quas fecerat Rex Salomon.* LXX, οἱ μόσχοι δώδεκα χαλκοῖ ὑποκάτω τῆς θαλάσσης [*vituli duodecim ærei qui ſub Mari*].

21. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna una, & funiculus duodecim cubitorum circuibat ipſam*] *Decem & octo cubitos* communes altæ erant, qui, ſi demas baſim, faciunt XXXV *cubitos* memoratos I Paralipomen. III. 15. *Funiculus* hic ſignificat τὴν περίμετρον [*lineam ambientem*].

Porrò groſſitudo ejus quatuor digitorum] Id eſt, ἡ διάμετρος [*linea dimetiens*]. Omnino neceſſe eſt ſcribæ hîc erraverint in numero: nam quatuor digiti non poſſunt facere dimetientem ambitûs octo cubitorum in columna.

23. *Malogranata nonaginta ſex*] Nempe in cujuſque columnæ dimidiato latere: quæ omnia juncta ex duobus lateribus duarum columnarum, faciunt *quadringenta*, ut eſt II Paralipomen. IV. 13. addito ſcilicet ad quodque latus uno malo Punico diſtinguente latera. Quòd autem hîc ſtatim pro XCV dicuntur C, factum eſt ad rotundandum numerum; niſi & hîc ſcriba erraverit.

24. *Et tulit Magiſter militiæ*] Nempe de Templo, ut oſtendit oppoſitio ſequens.

25. *Septem viros de his qui videbant faciem Regis*] Quinque in libro Regum. At *ſeptem* habet Ioſephus.

Scribam principem militum] Imò, *ſcribam Principis militum* modò dicti. Meliùs hoc quàm pro nomine proprio accipere, ut fecit hic interpres I Regum XXIV. 19.

Qui probabat tyrones] In Hebræo: *Qui militare faciebat populum terræ:* id eſt, qui cives aſſcribebat numeris & delectui aderat. Vide non diſſimile officium in caſtris Aſſyriis eodem nomine ספר [*ſcriba*] Eſaiæ XXXIII. 18.

28. *In anno ſeptimo Iudæos* III *millia* XXIII] Regni Nabuchodonoſoris, ut ſequentia indicant. Eſt ea ipſa abductio prima quæ narratur II Reg. 12. 13. 14. 15. 16. ſed & hîc diſcrepant numeri. Parum eſt quòd ibi facta hæc res dicitur *anno octavo* Nabuchodonoſoris: potuit enim id accidiſſe partim anno ſeptimo, partim octavo. Sed in libro Regum habes abductos plus decem millibus. Summa tamen hîc infrà poſita cum trium abductionum numeris hîc poſitis congruit.

29. *In anno octavodecimo*] Id eſt, eo tempore, cùm Vrbs capta eſt; quanquam ſuprà 12. & II Regum XXV. 8. is annus dicitur fuiſſe XIX. unde corrigendus videtur hic locus.

30. *In anno vigeſimo tertio*] Hoc in hiſtoria Regum & Paralipomenis non eſt. Sed omnino credibile eſt id factum, cùm poſt interfectum Godoliam novi motus metuerentur. Vide in Ieremia XL. & II Regum XXV. 23.

Omnes ergò animæ quatuor millia ſexcentæ] Videtur mihi hic numerus æquo minor eſſe: ideóque ſuſpecta & ſumma & numeri præcedentes. Notæ, quæ olim in libris uſurpatæ, facilè inter ſe mutantur.

31. *In trigeſimo ſeptimo anno tranſmigrationis Ioachin*] Primæ abductionis, in qua abductus Ioachin ſive Iechonias.

Viceſimâ quintâ menſis] *Viceſimâ ſeptimâ* in libro Regum. De cæteris vide quæ diximus ad finem poſterioris Regum.

AD EZECHIELEM.

DIximus ad II Regum XXII. 14. hunc Ezechielem fuiſſe inter eos qui de Iudæ tribu primi omnium avecti fuêre Iechoniæ temporibus. Fuit autem avectus, ut teſtatur ipſe, ad ripam amnis כבר. Is amnis eſt Χαβόρας [*Chaboras*] Ptolemæo in Meſopotamiæ deſcriptione, Straboni Ἀβόρας [*Aboras*]. Nominis cauſam, dubito an certam, indicat Plinius VI. 26. *Sunt qui tradunt Euphratem Cobaris præfecti opere deductum ubi eum diximus findi, nè præcipiti curſu Babyloniam infeſtaret.* Fuit Ezechiel Sacerdos, ut mox ipſe dicet. Valuit eruditione & ingenio, ità ut (ſepoſito Prophetiæ dono, quod incomparabile eſt) non immeritò Homero eum compares, ob pulchras ἐννοίας [*animi conceptiones*], comparationes illuſtres, magnam rerum multarum, præſertim Architecturæ, cognitionem.

CAPUT I.

1. *ET factum eſt in trigeſimo anno*] *Ab invento Legis libro per Helciam:* de quo II Reg. XXII. 10. 11. 12. Ità hîc Chaldæus.

Cùm eſſem in medio captivorum] Cùm eſſem inter illos Iechoniæ temporibus deportatos.

Aperti ſunt cœli] Quæ eſt προσημασία [*præſignificatio*] viſi cœleſtis. Diximus ad Matth. III. 16.

3. *Et facta eſt ſuper eum ibi manus Domini*] Potenter in me egit Deus: Infrà III. 14.

4. *Et vidi*] Viſum hoc quod ſequitur, מרכב, id eſt, *currum*, vocant Hebræi, & hoc nomine appellant ſecretiorem Theologiam de Deo & Angelis; ſicut Phyſicam appellant בראשית [*In principio*], ab initio Geneſeos deſumto nomine. Nolunt autem Iudæi has duas Scripturæ partes legi niſi ab hominibus provectæ ætatis. *Multas in hujus loci explicatione Synagogas ait eſſe Hieronymus.* Moſes Maimonides in Duce dubitantium ea quæ hîc ſunt partim ad Angelos refert motores Sphærarum, partim ad ipſas Sphæras, id eſt, Primum mobile, Planetarum quinque, Solis ac Lunæ, deinde ſublunarium. At ſi quis diligenter hæc contulerit cum iis quæ habemus Exodi XXV. 18. & Eſaiæ VI, videbit agi de Dei proprietatibus & actionibus circa populum ſuum. Pertinet autem eò hoc viſum, ut Iudæi deportati in ſuis malis Dei juſtitiam agnoſcerent, & ſpem conciperent, ſiquando ſe corrigerent, rerum meliorum.

Et ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone] Graviſſima mala à Chaldæis.

Et nubes magna] Exercitus Chaldæorum, Ieremiæ IV. 13.

Et ignis involvens] *In gyrum ſe agens.* Dei ultio ad omnes Iudæos perveniens.

Et ſplendor in circuitu ejus] Apertiſſima Dei juſtitia.

Et de medio ejus quaſi ſpecies electri] Nempe forma vehiculi quadrati, quo repræſentabatur populus Iſraëliticus, electro in hoc ſimilis, quòd ſicut electrum in igne non conſumitur, ità nec ipſe in tantis malis erat interiturus, ſed excoctione factâ exſtiturus purior.

Id eſt de medio ignis] Vndique preſſus pœnis Divinitus immiſſis.

5. *Et in medio ejus*] In illo vehiculo.

Similitudo quatuor animalium] Id eſt, duorum Cherubinorum, qui ſinguli partes habebant quatuor animalium.

Et hic aſpectus eorum, ſimilitudo hominis in eis] Id eſt, vultus hominem præferebat.

6. *Quatuor facies uni*] פנים hîc rectiùs expones *formas*, ſive *ſimilitudines*, ut Chaldæus: forma hominis, ut jam dici cœpit, forma aquilæ, forma tauri, forma leonis.

Et quatuor pennæ uni] Duæ ad volandum, duæ ad tegenda ea quæ tegi debent. Apud Eſaiam adduntur præterea duæ ad tegendum vultum; quia ibi adſtant throno, hîc verò ſub throno: ibi conſultatio eſt, hîc exſecutio.

7. *Pedes eorum, pedes recti*] Id eſt, crura æqualia, nullâ parte extuberantia. Omnes actiones rectæ. Hebræi *pedem* vocant totum illud quod ſub ventre eſt.

Et planta pedis eorum quaſi planta pedis vituli] Id eſt, pedes ipſi bovini. Sic & Græci βοείῳ ποδὶ [*bovino pede*] dicunt, cùm tardè ac graviter agi aliquid ſignificant.

Et ſcintillæ quaſi aſpectus æris candentis] In Hebræo: *Et fulgentes ut color æris politi.* Id eſt, χαλκολιβάνου [*chalcolibani*], ut eſt in Apocal. I. 15. II. 18. quod plerique *aurichalcum* interpretantur. Significat in illis actionibus apparere Dei puritatem, nempe quòd tam diu ac tam patienter Iudæorum reſipiſcentiam exſpectaverit.

8. *Et manus hominis ſub pennis eorum in quatuor partibus*] Id eſt, pennæ alarum articulos habebant, quales manus hominis. Hoc ſignificat etiam in celerrimis actionibus omnia diſtinctè ordinatéque peragi.

Et facies & pennas per quatuor partes habebant] Repetit quod ſuprà dixerat, quò magìs infigatur memoriæ: fuiſſe cuique Cherubino ut quatuor alas, ità formas quatuor.

9. *Iunctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum*] Nempe ut in Sanctuario, Exodi XXV. 20. Id ſignificat, actiones Dei mirè convenire inter ſe omnes, & propoſito.

Non revertebantur, cùm incederent] Non retro ſpectabant, cùm moverent vehiculum. Nam Puhal hîc, ut ſæpe, pro Hiphil ponitur. Reſpectare eſt pœnitentiâ duci. Vide quæ ad Lucam XVII. 31. Significatur hîc conſtantia in exſequendo Dei propoſito.

Sed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur] Movebat vehiculum quoquò ſpectabat, velut nutu.

10. *Similitudo autem vultûs eorum*] Verte: *Similitudo autem formarum ejus.* Explicatiùs dicit quod dicere cœperat 6.

Facies hominis] *Forma :* ſic & in ſequentibus.

Facies leonis à dextris ipſorum quatuor ; facies autem bovis à ſiniſtris ipſorum quatuor] Eſt breviloquentia Hebraïca. Senſus eſt, Tam à dextra quàm à ſiniſtra fuiſſe & formam leonis in jubis, & bovis in pedibus : eáſque formas fuiſſe de formis quatuor.

Facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor] Id eſt, forma aquilæ, una ex quatuor erat, in alis.

11. *Facies eorum & pennæ eorum extentæ deſuper*] Senſus eſt : Tales quales dixi erant formæ, & alæ quæ ſuper corpora erant.

Duæ pennæ ſingulorum jungebantur] Diſtinctiùs explicat quod ſuprà dixerat 9, alas Cherubinorum fuiſſe inter ſe contiguas. intelligendum de alis volantibus, non de alis tegenda tegentibus.

12. *Et unumquodque eorum coram facie ſua ambulabat*] Quoquò ſpectabat, eò movebat vehiculum. Repetitum ex eo quod ſuprà 9.

Vbi erat impetus ſpiritûs, illuc gràdiebantur] In Hebræo, *Quocunque erat movendi voluntas, eò movebant :* nempe majori facilitate quàm voluntas hominis ſua membra movet.

Nec revertebantur cùm ambularent] Nec retro ſpectabant inter movendum, ut ſuprà 9.

13. *Et ſimilitudo animalium*] Id eſt, Hæc erat compoſitio Cherubini cujuſque conſtantis ex quatuor illis animalium formis.

Aſpectus eorum] *Color.*

Quaſi carbonum ignis ardentium] Poſt longam Dei patientiam omnia ad ultionem ſpectabant. ipſa patientia furor erat facta.

Et quaſi aſpectus lampadarum] Eluceſcente ubique Divinâ juſtitiâ ac puritate.

Hæc erat viſio diſcurrens in medio animalium] Id eſt, talis qualis dixi color erat in partibus omnibus.

Splendor ignis] *Igneus.*

Et de igne egrediens fulgur] Incendium Vrbis ac Templi. Alluſio ad Sodomorum hiſtoriam.

14. *Et animalia ibant, & revertebantur*] Id eſt, cùm perveniſſent quò vellent, aliud inſtituebant iter. Ità hoc nihil pugnat cum eo quod ſuprà 9. 12.

In ſimilitudinem fulguris coruſcantis] Id eſt, ſubitò admodum. Vide Matthæi XXIV. 27. Lucæ X. 18. XVII. 24. Sic Chaldæus hìc.

15. *Cúmque aſpicerem animalia*] In Hebræo: *Et vidi animalia.* Id eſt, tales vidi Cherubinos quatuor animalium formas præferentes. Eſt concluſio præcedentium, & tranſitus ad rotas.

Apparuit rota una ſuper terram] Id eſt, vidi primò unam è rotis, mox diligentiùs intuens vidi tres alias ſimiles ; ut oſtendunt & ſequentia, & illa quæ infrà X. 9.

Iuxta animalia] Interpretare ut ſuprà.

Habens quatuor facies] Id eſt, forma eadem illis quatuor rotis : quod & ſequentia clariùs explicant.

16. *Aſpectus rotarum*] *Color*, ut ſuprà 13.

Quaſi viſio maris] *Tanquam color Oceani ;* id eſt, *hyacinthinus*, ut vertit Symmachus. Vide Apocalypſ. IX. 17. Non multùm à ſmaragdi colore diſtat. Vide Plinium XXXVII. 9. Significatur eo, ſicut Oceanus, quanquam fluxus, vices tamen ſtatas atque ordinatas à Deo habet : ſic & populum Iudaïcum.

Et una ſimilitudo ipſarum quatuor] *Forma*, ut jam diximus.

Et opera quaſi ſit rota in medio rotæ] *Fabrica ipſarum ut rotæ in rota.* Id eſt, quæque rota ex duabus conſtabat ſe mutuò decuſſantibus, ac ſic erat quaſi ſphærica. Id eò pertinebat, ut ex juſſu Cherubinorum vehiculum illud nullo negotio poſſit verti in partes quatuor. Significabatur autem eo deportatio Iudæorum in Septentrionem & Meridiem, Ortum & Occaſum, Eſaiæ XLIII. 5. 6.

17. *Per quatuor partes earum euntes ibant*] Id eſt, in quatuor latera poterant moveri.

Et non revertebantur cùm ambularent] Niſi curſu ſuo peracto, ut modò diximus. Sic & omnes deportationes à Deo deſtinatæ ſuum effectum habuêre.

18. *Statura quoque erat rotis, & altitudo*] Id eſt, abſides earum altæ erant.

Et horribilis aſpectus] Ità ut ſpectanti horrori eſſent.

Totum corpus oculis plenum in circuitu ipſarum quatuor] At in Hebræo: *Abſides earum quatuor plenæ variis coloribus circumquaque. Oculus* pro *colore* ponitur ; Num. XI. 7. ſic & infrà 22. Abſides *altæ* ſunt & *terribiles*, quia per eas ſignificantur Reges per quos Deus deportationes illas exſequebatur ; & *verſicolores*, quia alii Aſſyrii, alii Ægyptii, alii Chaldæi,

Tam varii linguis, habitu quàm veſtis & armis.

19. *Cúmque ambularent animalia*] *Moverent, incedere facerent*, ut modò diximus, ídque ſpiritu ſuo, id eſt, divinâ vi atque efficaciâ, ut ſequetur.

Ambulabant pariter & rotæ juxta ea] Procedebant, quomodo viſum illis eſſet.

Et cùm elevarentur animalia de terra, elevabantur ſimul & rotæ] Id eſt, cùm vellent ceſſabat deportatio.

20. *Quocunque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotæ pariter elevabantur, ſequentes eum : ſpiritus enim vitæ erat in rotis*] *Spiritus animantis*, id eſt, Cherubini, *cujuſque pertingebat ad rotas.* Ità hìc optimè Chaldæus. Sicut naves ad ventum, ità rotæ iſtæ ad ſpiritum Cherubinorum procedebant, aut attollebantur.

22. *Et ſimilitudo ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis*] *Apparebat ſuper capita Cherubinorum tympanum ſpecie admirabilis cryſtalli. Tympanum* eſt *tectum vehiculi*, ut nos docet Servius: id Hebraïce רקיע, id eſt, *expanſio*, quo nomine & cœlum appellatur. Sic & Græcis οὐρανίσκος eſt *umbella ſub qua Reges reſident.* Directè proprietates Dei nè Angeli quidem intuentur, ſed per oppanſum; lucidè tamen, ut qui per cryſtallina ſpecularia aliquid vident. Ità idem hìc præſtat *tympanum cryſtallinum* quod apud Eſaiam *alæ faciem tegentes.*

23. *Sub firmamento autem*] Sub iſto tympano.

Pennæ eorum rectæ alterius ad alterum] Id eſt, alæ ſuperiores ità expanſæ erant ut ſe mutuò contingerent.

Vnumquodque duabus alis velabat corpus ſuum, & alterum ſimiliter velabatur] Alteris alis obtegebant obtegenda, planè ut unus ſic alter Cherubinorum. Repetita hæc ex ſuperioribus, nè lectoribus excidant.

24. *Et audiebam ſonum alarum quaſi ſonum aquarum multarum, quaſi ſonum ſublimis Dei: cùm ambularent quaſi ſonus erat multitudinis, ut ſonus caſtrorum*] Verte, *quaſi ſonus prælii*, id eſt, *ſonus caſtrorum.* Dicit alas illas non fuiſſe motas ſine magno ſtrepitu, quem tribus ſimilitudinibus explicat, maris clangentis, cœli tonantis (tonitru enim *vox Dei* dicitur Pſalm. XXIX. 3. infrà X. 5.), & exercitûs barrientis. Significatur hoc, atrocia & horribilia fuiſſe Dei iſta mandata, quorum miniſtri Angeli.

25. *Nam cùm fieret vox ſuper firmamentum quod erat ſuper caput eorum*] ו hîc potiùs *at* valet; & ſenſus eſt, *At verò quoties ex throno, qui erat ſuper tympanum, vox audiebatur* (nempe receptui, τὸ ἀνακλητικόν).

Stabant, & ſubmittebant alas ſuas] *Stabant alis quieſcentibus.* Id enim רפה [*quieſcere*] plerumque ſignificat: nec aliter hîc ſumſit Chaldæus & LXX. Deo jubente quieſcebant miniſteria: ceſſabatur à deportationibus.

26. *Et ſuper firmamentum quod erat imminens capiti eorum*] Super illud tympanum.

Quaſi aſpectus lapidis ſapphiri ſimilitudo throni] Eſt hîc Tranſpoſitio. Senſus: *Erat ibi forma throni colore ſapphirino. Thronus* ſignificat judicia Dei, Pſalm. IX. 5. XLVII. 9. XCVII. 2. Eſaiæ VI. 1. Daniel. VII. 9. in Apocalypſi ſæpe. *Sapphirus* colore cœruleo, & aureis punctis, cœlum ſignificat, ubi thronus Dei, Apocalypſeos IV. 2.

Et ſuper ſimilitudinem throni ſimilitudo quaſi aſpectus hominis deſuper] Id eſt, & *ſuper ſpeciem throni ſpecies quædam humana.* Deus throno ſuo inſidens, non leoni, aut urſo, aut balænæ comparatur, ſed Homini, cujus propria eſt juſtitia, ut ait Heſiodus:

Ἰχθύσι γὰρ καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς
Ἐσθέμεν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶ μετ' αὐτῶν·
Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἣ πολλὸν ἀρίστη.
[*Quippe feræ, piſces, avium genus altivolantum*
Mutua ſe vertunt in pabula, juris egentes;
Iuſtitia aſt nobis, quæ res eſt optima, ceſſit.]

Significatur ergò Deum æquiſſimis arbitriis res Iudaïci populi dijudicare.

27. *Et vidi quaſi ſpeciem electri, velut aſpectum ignis intrinſecus ejus per circuitum: à lumbis ejus, & deſuper, & à lumbis ejus uſque deorſum vidi quaſi ſpeciem ignis ſplendentis in circuitu*] Eſt hîc ἔλλειψις [*omiſſio vocum*] rectè animadverſa Senibus LXX, ex collatione loci qui infrà eſt VIII. 2. Reddendus ergò ſic locus, *Vidi colorem electri, & formam velut ignis intus atque extrà* (hoc enim eſt בית לה סביב). *à ſpecie lumborum ad ſuperna* (electrum): *à ſpecie lumborum ad infima uſque, ſpeciem ignis, ejúſque ſplendentis circumquaque.* Eſt hæc imago non naturæ Divinæ, ſed decretorum ejus de populo Iudaïco, quæ planè cum exſecutione reſpondent. *Igne*, id eſt, calamitatibus non interibit populus, ſed excoquetur & purgabitur: multi peribunt: reliquiæ ſupererunt.

28. *Velut aſpectum arcûs cùm fuerit in nube in die pluviæ, hic erat aſpectus ſplendoris per gyrum*] *Qualis eſt ſpecies Iridos in nube die pluvio, talis erat forma circum illum ſplendorem:* ignis illius ſcilicet. Iris fœderis Dei ſymbolum, Geneſ. IX. 13. Iudicia Dei, utcunque ſevera videantur, non abolent in Deo memoriam fœderis facti cum Abrahamo, Iſaaco, Iacobo; in quo & hoc eſt ut ſemper maneat eorum poſteritas, Eſaiæ LIV. 10. Ieremiæ XXXIII. 20. 21. 26.

CAPVT II.

1. H*Æc viſio ſimilitudinis gloriæ Domini*] Meliùs hoc comma in Hebræo & Græco cum ſuperioribus cohæret. *Gloriam Dei* vocat Divinas proprietates, Iuſtitiam, Æquitatem, Sapientiam, quæ per talem imaginem intelligebantur.

Et vidi, & cecidi in faciem meam] Id eſt, *videns cecidi in faciem meam*, tantarum rerum conſideratione perculſus: Daniel. VIII. 17. Vide quæ ad Matthæi XVII. 6.

Fili hominis] Id eſt, quanquam magna viſa tibi contigere, memento te hominem, & quidem deſpicabilem, ſi vel cum Angelis compareris.

Sta ſuper pedes tuos] Id eſt, ſurge. Sic apud Matthæum: ἐγέρθητε καὶ μὴ φοβεῖσθε [*Surgite & nolite timere*].

2. *Et ingreſſus eſt in me ſpiritus*] Rediit mihi animus.

Poſtquam locutus eſt mihi, & ſtatuit me ſuper pedes meos] Ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*], pro *ſtare me juſſit.*

3. *Ad gentes apoſtatrices*] Id eſt, ad Tribus refractarias in me.

4. *Et filii durâ facie*] Σκληροπρόσωποι [*duro vultu*], id eſt, *impudentes*; ut hîc interpretatur Chaldæus.

5. *Si fortè vel ipſi audiant, & ſi fortè quieſcant, & ſcient quia Propheta fuerit in medio eorum*] Optima erit verſio: *Vt, ſive audiant ſive abſtineant* (audire), *eſt enim domus refractaria, certè meminerint Prophetam ad ſe miſſum.* Si ſe corrigunt, rectè: ſi non (quod hactenus magìs de illis credibile eſt, ob ſummam pertinaciam) erunt inexcuſati. Hieronymus hoc loco: *Loquitur autem hæc Deus ambigentis affectu, ut liberum hominis monſtret arbitrium.*

6. *Neque ſermones eorum metuas*] Conſilia.

Quoniam increduli & ſubverſores ſunt tecum, & cum ſcorpionibus habitas] *Quanquam contumaces ſunt, & ſpinei adverſùm te, imò* (quaſi) *cum ſcorpionibus habitas. Spinei*, id eſt, nocere quærentes. *Scorpiones*, id eſt, homicidæ.

Quia domus exaſperans eſt] *Quanquam eſt domus refractaria.*

7. *Loquêris ergò verba mea ad eos*] Nè abſtine tibi commiſſa eloqui: ego te tuebor.

Si fortè audiant, & quieſcant] *Sive te audiant, ſive abſtineant*, ſecurus eſto ſcilicet.

Quoniam irritatores ſunt] *Quanquam pertinacia ei* (populo placet): non poterunt tamen tibi nocere.

8. *Et noli eſſe exaſperans, ſicut domus exaſperatrix*] Noli & tu eſſe refractarius, quales ſunt illi.

Et comede quæcunque ego do tibi] In animum penitus admitte. Id enim voce אכל [*comedere*] ſæpiſſime ſignificari rectè notavit Maimonides Ductoris dubitantium I. 2. Sic & Latini dicunt *in ſanguinem & ſuccum vertere.*

9. *Erat ſcriptus intus & foris*] Tale illud:

Scriptus & in tergo, necdum finitus, Oreſtes.

Id eſt, Prophetia erit longa, longam ſeriem continens malorum, ut explicant ſequentia. *Erit tota Ilias*, dicerent Græci.

Et carmen] Nempe lugubre: id enim requirit materia. Eſt alioqui vox generalis, quæ omne *meditatum* ſignificat. Sic μέλος [*melos*] dictum ἀπὸ τοῦ μελετᾷν [*à meditando*]. Sic & in Pſalmo v. 1.

CAPVT III.

1. C*Omede*] *Meditare, & ut verum ſuſcipe.* Ità hîc Chaldæus rectè. Interpretatio infrà ſubjicitur commate 10.

3. *Venter tuus comedet, & viſcera tua complebuntur volumine iſto*] *Venter tuus comedat, & viſcera tua compleantur.* Explica ex præcedentibus.

Factum eſt in ore meo quaſi mel dulce] Vbi omnem earum imaginum, quas videram, ſenſum rectè comprehendi, toto animo approbavi juſtitiam Divinam in illis rebus.

5. *Non enim ad populum profundi ſermonis, & ignotæ linguæ tu mittêris, ad domum Iſraël*] Eſt ἔλλειψις [*defectus*] voculæ adverſantis. Senſus: *non ad populum* ἑτερόγλωσσον [*ſermonis extranei*] *mittêris, ſed ad populum tuum tui ſermonis.* Non mittêris ad Niniven, ut Ionas: quare nihil metue.

6. *Neque ad populos multos profundi ſermonis, & ignotæ linguæ, quorum non poſſis audire ſermonem*] Tacitè innuit ſe hoc aliquando facturum in vocatione Apoſtolorum; & inventurum qui pareant.

Et ſi ad illos mittereris, ipſi audirent te] Id eſt, propius ſpei eſt, ut illi tuis dictis pareant, quàm ut Iſraëlitæ: adeò ſunt corrupti. Simile vide Matthæi XI. 23.

7. *Attritâ fronte eſt*] *Fronte perfrictâ.* Vide ſuprà 11. 4.

8. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum*] Modò te pares obſequio, animum tibi addam quo eorum impetus contemnas.

9. *Vt adamantem & ut ſilicem dedi faciem tuam*] In Hebræo: *Frontem tuam faciam ut adamantem, qui durior eſt rupe.* Eſt enim proverbium שמירא תקיף מטינרא [*Adamas rupe durior*]. Vide Ieremiæ XVII. 1.

Quia domus exaſperans eſt] *Quamvis eſt domus refractaria.* Sic כי ſæpe ſumitur, ut jam aliquoties notavimus.

11. *Ad tranſmigrationem*] Ad illos diſperſos primâ deportatione per Chaldæos factâ, quorum & tu fuiſti.

Hæc dicit Dominus Deus: Si fortè audiant, & quieſcant] Meliùs: *Sive audiant, ſive abſtineant audire*, ut ſuprà 11. 5. 7.

12. *Et aſſumſit me ſpiritus*] Id eſt, compulit me, ut irem ad populares meos. Hunc ſenſum & præcedentia & ſequentia inſinuant.

Et audivi poſt me vocem commotionis magnæ] *Magni ſtrepitûs*: id enim רעש. Intelligi vult chorum Angelorum Dei judicia approbantium.

Benedicta gloria Domini de loco ſuo] Id eſt, laus Dei celebratur ab Angelis. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ [*Gloria in excelſis Deo*], Lucæ 11. 14.

13. *Et vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram*] Alæ enim illæ & contingebant ſe, & magno ſono concutiebantur in imagine ea quam viderat Ezechiel. Vide ſuprà 1. 24. *Vocem* pro *ſtrepitu* ſæpe ponit hîc interpres. Significatur autem, magna & atrocia parari.

Et vocem rotarum ſequentium animalia] Strepitum rotarum, motantibus Cherubinis: id eſt, deportationes graviores primâ imminentes.

Et vocem commotionis magnæ] Magnos gemitus ac lamenta.

14. *Spiritus quoque levavit me, & aſſumſit me*] ו [*quoque*] hîc eſt pro *autem*. Quanquam hæc videbam quæ me terrebant, tamen Deus me compulit pergere ad illos deportatos.

Et abii amarus in indignatione ſpiritûs mei] In Hebræo: *Amarus in æſtu ſpiritûs mei.* Id eſt, valde triſtis, ob mala illa imminentia quorum eſſe jubebar κακὸς ἄγγελος [*malus nuntius*].

Manus enim Domini erat mecum confortans] Et hîc ו [*enim*] eſt pro *autem*. Senſus eſt, Triſtis eram, ſed vis Dei mihi addebat animum, ac me erigebat conſcientia debiti officii; ut ſequentia oſtendunt.

15. *Et veni ad tranſmigrationem*] Ad illos Iudæos mecum deportatos.

Ad acervum novarum frugum] *Ad Telabib.* Nomen, ſed ductum à loci in colles aſſurgentis fertilitate. Sic & Chaldæus accepit; nec aliter Symmachus, Aquila Theodotio, ut nos docet hoc loco Hieronymus. Hic ipſe locus eſt *Thelda* Ptolemæo, in Meſopotamia.

Et ſedi ubi illi ſedebant] Id eſt, ſubſtiti, qua in parte maxima pars illorum ſedes habebat. Nam interpretes ſecuti ſunt lectionem marginis, quæ eſt אשב [*ſedi*]. Textus habet אשר [*quibus*], ubi fortè fuerit אשכר [*Aſcar*]: ut ſenſus ſit, veniſſe ad regionem illam quæ eſt inter Chaboram & flumen alterum, quod Ptolemæus vocat Σαοκόραν [*Saocoram*], qua in parte illi morabantur.

Et manſi ibi ſeptem diebus mærens in medio eorum] משמים, quod hîc vertitur *mærens*, rectiùs vertas *ſolitarius*. Aquila verterat ἠρεμάζων, id eſt, ait Hieronymus, *quieſcens & ſeorſim poſitus*: nempe obſervans eorum vitam, & actiones, ut pro earum modo minas graviùs aut remiſſiùs eloqueretur.

16. *Cùm autem pertranſiſſent ſeptem dies*] Qui ſufficere poterant Ezechieli ad cognoſcenda illorum vitia.

17. *Speculatorem dedi te domui Iſraël*] Cunctantem Deus ad officium implendum acriter exſtimulat, Prophetam comparans homini in ſpecula conſtituto à Rege, qui ſi eminus periculum videns non annuntiaverit, ipſe in periculum incidit.

Et audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me] *Vt quod de me audies, id ipſis meo nomine annunties.*

18. *Si dicente me ad impium, Morte morieris*] Iubente dici, Omnino, ſi ità pergis, exitium tibi imminet. Nam cum conditione tacita hoc intelligendum oſtendunt ſequentia: *Vt avertatur à via ſua impia, & vivat.* Eſt horum verborum latior explicatio infrà XVIII.

Ipſe impius in iniquitate ſua morietur] *Ob peccata ſua.*

Sanguinem autem ejus de manu tua requiram] Id eſt, tu de morte ipſius reus eris non minùs quàm ipſe. *Sanguis* Hebræis, ſpecie ſumtâ pro genere, vocatur omnis interitus. Vide Geneſ. IX. 5.

19. *Tu autem animam tuam liberaſti*] *Tu temet liberaveris.*

20. *Sed & ſi converſus juſtus à juſtitia ſua fuerit*] Averterit ſe à via recta. Vide infrà XVIII. 24.

Ponam offendiculum coram eo] Faciam ut ruat.

Et non erunt in memoria juſtitiæ ejus] Tantum abeſt ſcilicet ut homines ſceleratos abſolvant parentum virtutes.

21. *Si autem annuntiaveris juſto, ut non peccet juſtus*] Id eſt, monueris virum bonum, nè tot malorum ſequatur exempla.

Et ille non peccaverit] *Non peccaverit* hîc ſume in ſenſu graviore, id eſt, ſciens, ac deliberatò non impegerit in Legem.

Vivens vivet] Certò in vita conſervabitur.

22. *Et facta eſt ſuper me manus Domini*] Iterum ſcilicet. Vide ſuprà I. 3.

23. *Et ecce ibi gloria Domini*] Imago hominis partim ignea, partim ex electro, ut ſuprà, & infrà VIII.

24. *Ingredere, & includere in medio domûs tuæ*] Nè indè exeas priuſquam tibi res futuras, tum per ſigna, tum per verba revelaverim: quod fit ſequentibus capitibus uſque ad undecimum. Imago hæc erat obſeſſæ urbis.

25. *Ecce data ſunt ſuper te vincula, & ligabunt te in eis*] Futurum pro Imperativo. *Imponant tibi vincula, & ligent te*: domeſtici ſcilicet tui, ut ſic quoque captivitatis futuræ geras imaginem.

Et non egredieris de medio eorum] In Hebræo, *In medium eorum*: id eſt, in turbam.

26. *Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus*] Id eſt, quaſi mutus. nemo enim iſto tempore ad te accedet.

Nec quaſi vir objurgans] In Hebræo, *Non eris in virum arguentem.* Nemo erit quem verbis caſtiges.

Quia domus exaſperans eſt] *Refractaria.* Cùm norint te hîc eſſe & eſſe Prophetam; non curabunt tamen à te diſcere quæ ſunt ſalutaria.

27. *Cùm autem locutus fuero tibi*] Vbi omnia futura tibi expoſuero.

Aperiam os tuum] Faciam tibi poteſtatem exeundi & loquendi ad eos quæ à me didiceris.

Qui audit audiat, & qui quieſcit quieſcat] Qui abſtinere ab audiendo vult, abſtineat ſuo periculo.

CAPVT IV.

1. S*Vme tibi laterem*] Non coctum, id eſt, argillam.

Et deſcribes in eo civitatem Ieruſalem] Nempe plaſticâ arte, quam hic Propheta, ut architecturæ peritiſſimus, didicerat. Hieronymus ex Symmacho putat πλίνθιον eſſe *abacum*, & in pulvere factam σκιαγραφίαν [*picturam umbrantem*].

2. *Et ordinabis adverſùs eam obſidionem*] Effinge figuram obſidionis circum Vrbem.

Et ædificabis munitiones] In Hebræo דיק, *turrim ligneam*: de qua vide Vegetium IV. 17. Ioſephus in deſcriptione hujus obſidii: ὁ Βαβυλώνιος πύργους μεγάλων οἰκοδομήσας χωμάτων, ἀπ' αὐτῶν ἀνεῖργε τοὺς τοῖς τείχεσιν ἐφεστῶτας [*Babylonius turres magnis aggeribus imponens, inde arcebat murorum propugnatores*]. Et mox: διεφθάρησαν ὑπὸ τῶν βελῶν ἅπερ ἀπὸ τῶν πύργων εἰς αὐτοὺς ἠκόντιζον οἱ πολέμιοι [*interimebantur telis quæ hoſtes ex turribus in eos jaculabantur*].

Et comportabis aggerem] Ioſephus dicto loco: καὶ πολλὰ περὶ τὸν κύκλον ὅλον ἤγειρε χώματα τοῖς τείχεσι τὸ ὕψος ἴσα [*& in omni ambitu multos excitavit aggeres muris æquales*].

Et dabis contra eam caſtra] Figurabis caſtra Vrbi circumdata.

Et pones arietes in gyro] כרים, quod hîc in Hebræo eſt, *arietes* ſignificat; ſed per *arietes*, caſtrorum Duces intelligit Chaldæus, quem ſequitur David Kimchi. Alii machinas. Et ſanè ſi arietem machinam bello Trojano invenit Epeus, non mirum erit ſi tanto pòſt tempore frequens ejus fuerit uſus. At Vitruvius Carthaginenſibus in Gadium oppugnatione initium reperti tribuit, conſummationem Cetræ Chalcedonio. כרים pro *ducibus* habes II Regum XI. 4. 18. Et ſic vertit Chaldæus etiam infrà XXI. 22. ubi LXX χάρακα [*vallum*], qui hîc, βελοστάσεις [*contabulationes unde tela jaciuntur*].

3. *Et ſume tibi ſartaginem ferream*] Atram & duram, qualia erant peccata Iudæorum.

Et pones eam in ferreum murum inter te, & inter civitatem] Propheta in hac re Deum repræſentat, qui peccatis intercedentibus impeditur quominus populum reſpiciat. Vide Eſaiam LIX. 2.

Et obfirmabis faciem tuam ad eam] Sartaginem. Irato vultu eam aſpicies, quomodo Deus peccata Iudæorum.

Et erit in obſidionem, & circumdabis eam] Perge in figuranda obſidione, ut quæ diu ſit duratura.

Signum eſt domûs Iſrael] Omnibus Iacobi poſteris.

4. *Et tu dormies ſuper latus tuum ſiniſtrum*] *Cubabis. Cubatio* hæc Ezechielis patientiam Dei ſummam ac Deo moleſtiſſimam in ſpectandis peccatis ſignificat. *Latus ſiniſtrum*, ut minùs dignum, ſignificat populum Decem tribuum. *Latus dextrum*, utpote dignius, ſunt Iudas & Benjamin, in quorum ſolo Templum.

Et pones iniquitates domûs Iſrael ſuper eo numero dierum quibus dormies ſuper illud] *Cubabis*: id eſt, ex diebus intelliges per quot annos ego illorum peccata tacitus pertulerim. Nam dies Ezechieli dati ſunt pro totidem annis divinæ patientiæ, ut ſtatim ſequetur.

Et aſſumes iniquitatem eorum] Feres in ſigno.

5. *Trecentos & nonaginta dies*] Tot anni ſunt à lapſu Solomonis ad deportationem Decem tribuum per Salmanaſſarem, per quam illarum tribuum homines gens eſſe deſierunt.

6. *Dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundò*] Tranſpoſitio, pro *alterùm cubabis, idque in dextrum latus.*

Aſſumes iniquitatem domûs Iudæ] Feres in ſigno, ut ſuprà.

Quadraginta diebus] Quot anni ſunt à renovato per Ioſiam fœdere ad excidium Vrbis & Templi.

7. *Et ad obſidionem Ieruſalem convertes faciem tuam, & brachium tuum erit extentum*] *Eſto nudatum*: qui mos pugnantibus illo tempore. Tam vultu atroce obverſo in eam regionem, in qua eſt urbs

Hieroſolyma, quàm brachio nudato, oppugnatores imitaberis.

Et prophetabis adversùs eam] Id eſt, ſignis iſtis res futuras præſignificabis.

8. *Ecce circumdedi te vinculis*] Volo maneas in iſtis vinculis, quæ tibi domeſtici meo juſſu impoſuêre, ut ſic quoque urbem obſeſſam exprimas.

Et non convertes te à latere tuo in latus aliud] Vt Divinam patientiam hoc modo exprimas.

Donec compleas dies obſidionis tuæ] Dies illos CCCXL, qui reſpondent diebus per quos Vrbem obſeſſam (ipſa enim obſeſſio duravit ferme per biennium, II Regum XXV. 1.2.) premere cœpit rerum neceſſariarum penuria. Vide Ierem. XXXVII. 20. XXXVIII. 9. Vide & Ioſephum XII. *Obſidionis tuæ* dicit, quia domi manendi, neque ſe convertendi neceſſitas, & vincula, obſidionis habebant figuram. Solet autem res figurans rei figuratæ vocabulo exprimi. Sicut autem egeſtas ibi duravit per dies CCCXC, ità incendium Vrbis ac Templi per dies XL.

9. *Sume tibi frumentum*] Id eſt, *triticum*, ut hîc Chaldæus, & Græci.

Et hordeum, & fabam, & lentem, & milium] Nam in obſeſſis urbibus non ſolent panes ex ſolo tritico, ſed multis rebus aliis admixtis fieri, quò diutiùs protrahantur alimenta.

Et viciam] כסמים ὀλύραν [*olyram*] vertunt Græci. Eſt genus ζειᾶς [*zeæ*], teſte Herodoto. Equis ſolitum dari ex Homero diſcimus. Tamen apud gentes inopes etiam panem indè factum docet Herodotus. Chaldæus habet כונתין, quod *zeam* ſignificat, ut videre eſt Exodi IX. 32.

Et mittes eas in vas unum] Farraginem indè facies.

Et facies tibi panes numero dierum quibus dormies ſuper latus tuum] Id eſt, qui ſufficere poſſint in tempus dierum CCCXC, ut ſequitur.

10. *Cibus autem tuus quo veſcêris erit in pondere viginti ſtateres in die*] Id eſt, panis in diem tibi erit qui minùs aliquantò librâ pendat; cùm in nervum conjectis ex lege Duodecim tabularum libra farris in diem daretur.

A tempore uſque ad tempus comedes illud] Tantundem quoque die.

11. *Et aquam in menſura bibes*] Hoſtes quaſcunque poterant aquarum venas interſciderunt, ità ut ejus quoque rei penuria eſſet obſeſſis.

Sextam partem hin] Heminæ partem tertiam: quantum caperent teſtæ ovorum duodecim. *Duos* χόας [*congios*] *Atticos*, aut *Sextarios Italicos* interpretatur in commentariis Hieronymus.

12. *Et quaſi ſubcinericium hordeaceum comedes illud*] In Hebræo, *Præterea libum ex hordeo comedes.* Nempe quadraginta illis diebus ſecundæ cubationis, ut intelligant Iudæi quid peracto obſidio exſpectandum habeant.

Et ſtercore quod egreditur de homine operies illud in oculis eorum] In Hebræo, *coques.* Tanta erit & pecoris & ligni egeſtas ut ex oleto ignem facturi ſint, ſicut quædam gentes ex boum egeſtu.

13. *Sic comedent filii Iſrael panem ſuum pollutum*] Ex contactu oleti. Deuteronom. XXIII. 14. Hieronymus: *Vſque hodie in populo Iudæorum ſervatur iſta ſententia, ut non comedant panem ſuum in humano ſtercore.*

14. *A, a, a, Domine Deus*] אהה [*Ahah*] eſt interjectio deprecativa. Chaldæus: *Suſcipe deprecationem meam.* LXX & Symmachus, Μηδαμῶς [*Neutiquam*]. Theodotion, Ὦ [*ô*].

Morticinum] Pecudem fato ſuo mortuam. Vide Deuteronom. XIV. 21.

Et laceratum à beſtiis] Exodi XXII. 31. Levitici XVII. 15.

A pueritia mea] A juventute mea: ex quo ratione uti cœpi.

Et non eſt ingreſſa in os meum omnis caro immunda] Κρέας βέβηλον [*caro profana*]. Id eſt, nihil edi Lege vetitum. Vide ſimile Act. X. 14. Vult dicere: Si cæteris abſtinui per Legem immundis, nè cogar uti re per naturam immundâ. In quibuſdam libris Græcis eſt κρέας ἕωλον [*caro pridiana*], & apud Theodoretum, κρέας ἕωλον ἢ βέβηλον [*caro pridiana aut profana*]. Nempe de ſacrificiis pro gratiis Deo agendis vetitum pridianis veſci, Exod. XXII. 29.

15. *Ecce dedi tibi fimum boum pro ſtercoribus humanis*] Nempe ità boum egeſtus ſignificaturus ſit oletum.

Et facies panem tuum in eo] Id eſt, coques, ut ſuprà.

16. *Ecce ego conteram baculum panis in Ieruſalem*] Id eſt, panem, qui eſt ſuſtentaculum hominis. Faciam ut deſit quo corpus ſuſtentatur. ſτήριγμα [*fulcimentum*] hîc LXX, Symmacho & Theodotioni ſτερέωμα [*ſuſtentaculum*]. Vide Levit. XXVI. 26. Hîc eſt explicatio typorum præcedentium.

Comedent panem in pondere] Appenſum, & quidem tenuiter.

17. *Vt deficientibus pane & aquâ*] Poſtremò, poſt longos paſtus tenues.

Corruat unuſquiſque ad fratrem ſuum] Hîc & illic exanimis cadat præ fame ac ſiti.

Et contabeſcant in iniquitatibus ſuis] Id eſt, aut ſi qui ſuperſint, ii vix oſſibus hæreant. *In iniquitatibus ſuis*, id eſt, ob peccata ſua.

CAPVT V.

1. S*Vme tibi gladium acutum*] Id eſt, novaculam: nam omne quod abſcindit Hebræis eſt חרב [*gladius*]. Hunc ſenſum exigit adjectio ſequens.

Et duces per caput tuum, & per barbam tuam] Fac ut & capillos & barbæ pilos tibi attondeat. Eſt hîc alter typus valde exactus rerum futurarum.

Et aſſumes tibi ſtateram ponderis, & divides eos] *Statera* ſymbolum Divinæ juſtitiæ, quæ cuique admetitur quod æquum eſt. *Novacula* eſt, ultio Divina. *Statera*, æquitas ejus. *Pili* ſunt Iudæi: *diviſio*, pœnæ cuique attributæ.

2. *Tertiam partem igni combures in medio civitatis, juxta completionem dierum obſidionis*] LXX Senes hîc quatuor partes faciunt, ac ob id cum Hebræo, quod quidem nos nunc habemus, multis partibus non congruunt. Monſtrat id codicum antiquiorum in rebus nihil ad pietatis ſummam ſpectantibus diſcrepantiam. Nos Hebræum Maſoriticum ſequemur. *Ignis* hoc loco iram Divinam ſignificat variis

modis efficacem, & hîc maximè per *peſtem* & *famem*, ut infrà hæc verba explicantur 12. Nam & peſtis urit, & fames urit. *In medio civitatis*: id eſt, facies hoc in ipſa illa formula urbis, quam tibi de argilla feciſti. *Iuxta completionem dierum obſidionis*: id eſt, ſignificabit hoc id quod futurum eſt quamdiu durabit obſidio.

Et aſſumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu ejus] Eos deſignat qui ex urbe in caſtra eruptiones faciebant. Vide infrà 12.

Tertiam verò aliam diſperges in ventum] Id eſt, tertia pars propelletur in exſilium, ut paleæ quæ à vento diſperguntur.

Et gladium nudabo poſt eos] Id eſt, efficiam ut in perpetuo ſint metu, expoſiti omnium violentiæ & injuriis. Vide infrà 12.

3. *Et ſumes indè parvum numerum, & ligabis eos in ſummitate pallii tui*] Hîc illi deſignantur qui permiſſu Nabuzardanis pauci admodum in Iudæa manſère. *Oræ* iſtæ *pallii* ſignificant ultimum illud quò Dei bonitas extendere ſe poterat, valde tamen ab illis ipſis reliquiis contemta, maximo ipſarum malo. Parvum ſit oportet quod in laciniis colligitur.

4. *Et ex eis rurſum tolles, & projicies eos in medio ignis, & combures eos igni: & ex eo egredietur ignis in domum Iſraël*] *Ignis* eſt ira divina, ut modò diximus, & multis aliis in locis apparet. Ea autem ira ſe exſeruit in illas exiguas Iudæorum in Iudæa reliquias per bellum quoddam inter ipſos civile, aliis Godoliæ, viri boni & Chaldæis amici, aliis Iſmaëlis, hominis ſcelerati, ſed ex regio Davidis ſanguine, partes ſequentibus. Qui motus Chaldæis occaſionem præbuêre auferendi è Iudæa etiam minimum quemque, nec quemquam relinquendi, ut nè ulla eſſent rerum novarum ſemina. Vide Ierem. LII. 30.

5. *Hæc dicit Dominus Deus*] Explicatio figuræ antecedentis.

Iſta eſt Ieruſalem] Iſti pili Hieroſolymitas præcipuè ſignificant.

In medio Gentium poſui eam, & in circuitu ejus terras] Nempe ut exemplum indè ſibi ſumerent pietatis Ægyptii, Syri, Arabes, Afri, Græci, atque ità gradatim alii.

6. *Et contemſit judicia mea, ut plùs eſſet impia quàm Gentes*] משפטים [*judicia*] ſunt hîc *ea quæ ad mores emendandos pertinent*. Gentes autem, inquit, ipſis ſunt moratiores. Magna & juſta exprobratio.

Et præcepta mea ultrà quàm terræ quæ in circuitu ejus ſunt] חקות [*præcepta*] ſunt *ritualia*. Gentes ritus ſuos ab hominibus inventos meliùs retinent quàm iſti datos Divinitus.

7. *Et juxta judicia Gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, non eſtis operati*] Nè illam quidem menſuram impleſtis gentium moratiorum. A quibus quàm multa laudanda hauſit Pythagoras, & in Græciam attulit.

8. *Ecce ego ad te*] *Venio*; ut antehac aliquoties.

Ipſe ego faciam in medio tui judicia in oculis Gentium] Ego leges meas à contemtu vindicabo, ut ſolent facere magni Reges. Cur patiar ut dicatur, Ecce illi qui ſoli verum Deum ſe colere profitentur, quomodo vivunt?

9. *Et faciam in te quod non feci, & quibus ſimilia ultrà non faciam*] Æquum eſt puniri graviùs quibus majora contigerunt beneficia. Vide Lucam XII. 48.

Propter omnes abominationes tuas] Scelera graviſſima, quæ paſſim accuſant Prophetæ.

10. *Ideo patres comedent filios in medio tui, & filii comedent patres ſuos*] In gravi fame vix eſt ut non talia eveniant. Vide Deuter. XXVIII. 53. Thren. II. 20. IV. 10. Adde II Regum VI. 28. & Ioſephum Belli Iudaïci VII. 8.

Et ventilabo univerſas reliquias tuas in omnem ventum] Id eſt, diſpergam; ut ſuprà 2. & alibi ſæpe.

11. *Quod ſanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abominationibus tuis*] *Sanctum*, ſive *ſanctuarium* eſt Templum. Idem autem valent שקוץ [*abominatio*] & תועבה [*deteſtatio*]. Vtrâque enim voce idola aut idololatria ſignificantur; ſed amant Hebræi in rebus eximiis ταυτολογεῖν [*idem ſæpius eloqui*].

Ego quoque confringam] In Hebræo, *Diminuam*. Id eſt, honorem tibi omnem detraham, ut tu mihi, quantum in te erat, detraxiſti.

12. *Tertia pars tui in peſte morietur*] Explicatio ejus quod de pilis fieri Deus juſſerat.

13. *Requieſcere faciam indignationem meam in eis*] Id eſt, ſatiabo. Vide Eſaiæ I. 24.

15. *Et eris opprobrium & blaſphemia*] Maledicent tibi omnes.

16. *Sagittas famis*] Grandinem, imbres, mures, uredinem, rubiginem, locuſtas.

Conteram in vobis baculum panis] Suprà IV. 16.

17. *Et beſtias peſſimas*] Vt ſolet fieri in locis vaſtatis. Levitici XXVI. 22.

Vſque ad internecionem] In Hebræo, *Vt te orbam faciant*.

Sanguis] Cædes ab hoſte.

Tranſibunt per te] Invadent te.

Et gladium inducam ſuper te] Bella civilia.

CAPVT VI.

2. *Pone faciem tuam ad montes Iſraël*] Faciem verte in eam partem ubi ſita eſt Iudæa: in qua ſunt montes plurimi, Exod. XV. 17. Deuteron. XI. 11.

Et prophetabis ad eos] Alloquere eos: προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*] non diſſimilis illi, *Vos Albani tumuli atque luci*.

3. *Rupibus & vallibus*] In Hebræo, *rivis & vallibus*. Idololatris inter numina etiam fontes.

4. *Dejiciam interfectos veſtros ante idola veſtra*] Hoc faciet Chaldæus quod apud Virgilium Pyrrhus:

> *Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.*

7. *Et cadet interfectus in medio veſtri*] Enallage numeri. Ideo pluralem hîc poſuêre tum Chaldæus, tum Græci.

8. *Et relinquam in vobis eos qui fugerint gladium in Gentibus, cùm diſperſero vos in terris*] *Faciam ut quidam ſuperſint evadendo gladium Gentium, quos in varias terras diſpergam.*

9. *Et recordabuntur mei liberati veſtri in Gentibus*] Illi qui gladium evaſerint.

Quia contrivi cor eorum fornicans] *Me fractum fuiſſe* (id eſt, dolore affectum) *corde eorum meretricio.* At LXX non נשברתי [*fractus ſum*] legerunt, ſed נשבעתי ὀμώμοκα [*juravi*]. Chaldæus autem Niphal ſumit pro Pohal, *confringam cor eorum inſipiens.*

Oculos eorum fornicantes poſt idola ſua] Capiuntur enim ſpecie & cultu idolorum, ut Paridis Helena.

10. *Et ſcient quia ego Dominus non fruſtra locutus ſum*] Id eſt, non ſine gravi cauſa decrevi hæc mala ipſis inferre.

11. *Percute manum tuam, & allide pedem tuum*] Id eſt, manum tuam extende versùs Iudæam, tanquam percuſſurus, & terræ pulverem pede diſcute, ut figures id quod ego facturus ſum. Hunc ſenſum exigunt quæ mox ſequentur 14.

12. *Qui longè eſt*] Nempe ab hoſte, ut ſequentia indicant.

Et qui relictus fuerit, & obſeſſus] Meliùs, *Qui relictus fuerit, & ſervatus :* nam נצר inter alia eſt *ſervare. Qui relictus fuerit* à peſte, *& ſervatus* à gladio, *fame interibit.*

Complebo indignationem meam in eis] Vt ſuprà v. 13.

14. *Faciam terram deſolatam, & deſtitutam à deſerto Deblatha*] Hieronymus ſuſpicatur irrepſiſſe ד pro ר, & ſcriptum olim fuiſſe רבלתה, ut ſit eadem *Reblatha* cujus meminit Ieremias XXXIX. At receptæ lectioni favent Chaldæus & Græci, videntúrque mihi optimè quidam interpretes vertere : *Faciam terram* (Iudæam) *deſolatiorem & vaſtiorem Deblathâ*, quod eſt deſertum Moabiticum, cujus mentio Numer. XXXIII. 47. Ierem. XLVIII. 22. Eſt pars deſerti illius horribilis, cujus meminit Moſes Deuteronomii VIII. 15.

Et ſcient quia ego Dominus] Vt norint me eſſe conſtantem in dictis meis præſtandis.

CAPVT VII.

2. F*inis venit*] Id eſt, *ſuprema ultio*, ut hîc Chaldæus.

Super quatuor plagas terræ] Id eſt, ſuper totam Iudæam.

3. *Iudicabo te juxta vias tuas*] Id eſt, puniam pro meritis.

Ponam contra te omnes abominationes tuas] Faciam ut in caput tuum recidant.

4. *Abominationes tuæ in medio tui erunt*] *Pœna peccatorum ubique tibi aderit.* Ita hîc Chaldæus rectè.

6. *Evigilavit adversùm te*] Pervigil irruit in te ultio.

7. *Venit contritio ſuper te*] *Venit manè illud in te;* id eſt, judicium : nam manè judicia exercebantur. Eſt autem צפריא pro *manè* vox Chaldaïca. LXX, qui πλοκὴν [*nexum*] vocant, Arabicam linguam reſpexêre: nam ضفير eſt πλοκή.

Dies occiſionis, & non gloriæ montium] In Hebræo: *Dies tumultûs, & non carminis vinitorum in montibus.* Vide Eſaiam XVI. 9. & 10. ubi vox eadem.

10. *Egreſſa eſt contritio*] *Manè illud apparuit*, ut ſuprà.

Floruit virga] Id eſt, tribus Iudæ : nam מטה & *virgam & tribum* ſignificat. *Floruit*, fuit in rebus proſperis.

Germinavit ſuperbia] *Protulit ſuperbiam.* Is fructus flores ſecutus eſt.

11. *Iniquitas ſurrexit in virga impietatis*] *Violentia* (id eſt, Chaldæus violentus) *ſe expedivit adversùs virgam iſtam impiam* : id eſt, adeſt qui eam exſcindat radicitus.

Non ex eis] Supple, *quiſquam immunis à malo erit.*

Non ex populo] Neque ex plebe.

Neque ex ſonitu eorum] *Neque ex ſtrepitibus eorum*: id eſt, Primoribus. Verbum eſt frequens Chaldæis.

Et non erit requies in eis] In Hebræo, *Non erit de illis luctus.* Nemini vacabit lugere mortuos, Ieremiæ XVI. 4. 5. 6. 7.

12. *Qui emit nè lætetur, & qui vendit non lugeat*] *Nè doleat.* Solent gaudere qui bene rem emerunt, & dolere qui vendere ſua coguntur. Nunc par utriuſque erit ſors.

13. *Quia qui vendit ad id quod vendidit non revertetur, & adhuc in viventibus vita eorum*] Senſus eſt, Qui rem vendidit, etiamſi vivat (nempe ad Iubilæum uſque) non tamen repetet rem venditam : quia in poteſtate erit aliorum & ipſe & prædia.

Viſio enim] Prophetia.

Ad omnem multitudinem] De omni hoc populo.

Non revertetur] Non erit irrita. Sic Eſaiæ LV. 11.

Et vir in iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur] Nè quis ſe malè agendo putet tutum fore. LXX legerunt עין [*fonte*], non עון [*iniquitate*]; quod & Hieronymo notatum.

14. *Canite tubâ, præparentur omnes*] Quidvis molimini.

Et non eſt qui vadat in prælium] *Attamen nemo erit qui pugnare audeat.* Vide infrà 17.

16. *Et ſalvabuntur qui fugerint ex iis, & erunt in montibus quaſi columbæ convallium*] *At qui eorum ſoſpites* (ab illis malis jam dictis) *evadent, illi erunt in montibus ſicut columbæ in vallibus.* Id eſt, trepidabunt.

Omnes trepidi, unuſquiſque in iniquitate ſua] In Hebræo, *Gementes quiſque ob pœnam ſuam.* Gemere propriè de columbis aut turturibus dicitur.

17. *Omnes manus diſſolventur*] Vires deficient.

Et omnia genua fluent aquis] Perfluent lotio præ metu. LXX: πάντες μηροὶ μολυνθήσονται ὑγρασίᾳ [*omnia femina humore fœdabuntur*]. Hieronymus in Commentario : *Vrinâ perfluent genua.*

18. *Accingent ſe ciliciis*] Vt in ſummo mœrore.

Et operiet eos formido] Horror eos undique invadet.

Et in univerſis capitibus eorum calvitium] Eſaiæ III. 17. Ierem. XLVIII. 37. Michææ I. 16.

19. *Argentum eorum foràs projicietur*] Ab ipſis, quia videbunt ſe id ſibi ſervare non poſſe. Itaque id agent, nè ad hoſtes perveniat, ſi modò id fieri poſſit.

Et aurum eorum in ſterquilinium erit] Defodietur alicubi. In Hebræo: *Spernetur, ut res immunda.* Græci, ὑπεροφθήσεται [*contemnetur*]. nec aliter Chaldæus.

Argentum eorum, & aurum eorum non valebit liberare eos in die furoris Domini] Neque enim erunt ipſorum, ſed in victoris poteſtate.

Animam eorum non ſaturabunt] Id eſt, ſemetipſos, locutione Hebræâ.

Et ventres eorum non implebuntur] Tenuiter paſcentur, ut ſervi ſolent.

Quia ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt] Senſus eſt, Ideo aurum & argentum ipſis non proderit, quia eo uſi ſunt ad idololatriam. Oſtendunt hoc ſequentia: & rectè id vidit in Commentariis Hieronymus.

20. *Et ornamentum monilium ſuorum in ſuperbiam poſuerunt, & imagines abominationum ſuarum, & ſimulacrorum fecerunt ex eo*] *Quod in decorum ornatum & ſplendorem datum erat ipſis* (eſt enim hîc verbum imperſonaliter poſitum pro paſſivo) *de eo imagines ſuas abominabiles ac ſpurcas fecere.* De iſto auro & argento quo ſpecioſi eſſe poterant apud vicinos.

Propter hoc dedi eis illud in immunditiem] Propterea feci ut ipſi hæc abjicerent. Eſt hîc nomen idem quod ſuprà 19. נדה, quod ibi *ſterquilinium* verterat hic interpres.

21. *Et contaminabunt illud*] Ad viles uſus vertent.

Ventris onus miſero, nec te pudet, excipis auro. Clemens Alexandrinus libro II. Pædagogi, cap. III. *mulieres* ait ſolitas χρυσοῦ ποιεῖσθαι τῶν ἐκκρίσεως τὰ ἐκδοχεῖα [*ex auro facere receptacula excrementorum*]. *Mulierum* autem *vulgò ſcaphia fuiſſe argentea* docemur ex Vlpiano L. *Quintus Mucius* libro II. & ex Martiali.

22. *Et violabunt arcanum meum*] Chaldæi ſcilicet. *Arcanum* vocat adytum Templi: quod LXX vocant τὴν ἐπισκοπὴν [*viſitationem*], quia Deus ibi ſigna exhibebat ſuæ majeſtatis.

Et introibunt in illud emiſſarii] *Latrones.* Latrones, inquit, venient in illud penetrale quò Iſraëlitæ, quò Levitæ, quò Sacerdoti, extra Summum, nefas eſt intrare.

Et contaminabunt illud] Non pluris facient quàm locum profanum. *Cùm loca capta ſunt ab hoſtibus, omnia deſinunt ſacra eſſe*, ait Pomponius in L. *Cùm loca.* D. de Religioſis. Cicero Verrinâ quartâ: *Sacra Syracuſarum victoria profana fecerat.*

23. *Fac concluſionem*] Id eſt, *catenam*: id enim eſt רתק Hebræis & Chaldæis. Hoc ſigno oſtendit futuram captivitatem.

Quoniam terra plena eſt judicio ſanguinis] Id eſt, tenetur criminum quæ Lex morte vult lui.

24. *Et quieſcere faciam ſuperbiam potentium*] Id eſt, *ceſſare*, ut eſt in Hebræo & Chaldæo.

Et poſſidebunt ſanctuaria eorum] Hebræus textus, Chaldæus & Græcus: *Et profanabuntur ſanctuaria ipſorum*: tres partes Templi. *Ipſorum* dicit Deus, quia Templum ab ipſis pollutum pro ſuo ampliùs non habebat.

25. *Anguſtiâ ſuperveniente*] קפדה [*præciſio*], pro quo LXX legerunt כפרה [*expiatio*].

Requirent pacem] Quærent ſalutem.

26. *Auditus ſuper auditum*] Mali nuntii alii ſuper alios. Sic ἀκοὴ [*auditio*] ſumitur Matth. XXIV. 6. & alibi.

Et quærent viſionem de Propheta] Optabunt aliquam conſolationem audire à Propheta. Vide Ieremiæ XXXVII. XXXVIII.

Et lex peribit à Sacerdote] Sacerdotes in tantis anguſtiis ſolennia Legis implere non poterunt: deerunt pecudes, ſimila, vinum, ſuffitus.

Et conſilium à ſenioribus] Nè ſapientiſſimi quidem quicquam, quod è re ſit, ſuadere poterunt.

27. *Rex lugebit*] Erit in ſumma anxietate. Vide dicta jam Ieremiæ loca.

Et Princeps induetur mærore] *Stupor Principem circumdabit.* Idem quod præceſſit verbis aliis.

Et manus populi terræ conturbabuntur] Senſus idem qui ſuprà 17.

Secundùm viam eorum faciam eis] Profanarunt ipſi Templum: ego faciam ut profanetur à Chaldæis.

Secundùm judicia eorum judicabo eos] Oppreſſerunt pauperes, libertatem non dederunt popularibus: faciam ut & ipſi opprimantur, & libertatem amittant.

Et ſcient quia ego Dominus] Vt ſuprà VI. 14.

CAPVT VIII.

1. *ET factum eſt in anno ſexto*] Nempe à deportato Iechonia, ut ſuprà I. 2. Poſt impletam cubationem CCCXC & XL dierum.

Ego ſedebam in domo mea] Apud Chaboram.

Et ſenes Iudæ ſedebant coram me] Primores eorum qui cum Iechonia fuerant deportati.

Et cecidit ibi ſuper me manus Domini Dei] Vt ſuprà I. 3.

2. *Et ecce ſimilitudo quaſi aſpectus ignis: ab aſpectu lumborum ejus, & quaſi deorſum ignis; & à lumbis ejus, & ſurſum, quaſi aſpectus ſplendoris, ut viſio electri*] Eadem ὀπτασία quæ ſuprà I. 27. ſignificans Dei judicia per res duriſſimas excoctura populum Iudæum, ſalvis tamen reliquiis quibuſdam.

3. *Et emiſſa ſimilitudo manûs apprehendit me in cincinno capitis mei, & elevavit me ſpiritus inter cælum & terram*] Manus iſtius figuram, & Prophetam ejus vi ſuſpenſum, videre illi Seniores. Viſum autem quod ſequitur vidit Propheta ſolus, planè quaſi præſens eſſet in Templo. Cauſa viſi, ut judiciorum eorum, de quibus diximus, cauſæ juſtiſſimæ ipſi patefierent.

Et adduxit me in Ieruſalem in viſione Dei] Non corpore tranſlatum, ſed ità ut oculis ſuis cunctas res Templi velut præſens aſpiceret.

Iuxta oſtium interius, quod reſpiciebat ad Aquilonem] Vbi intrabatur ad ſubdiale maximum, quod erat populi, in quo altare poſitum erat Achazi temporibus, ſimile Damaſceno II Regum XVI. 11.

Vbi erat ſtatutum idolum] Baalis; nempe unum ex iis quæ fecerat Manaſſes, II Reg. XXI. 7. II Paralipomen. XXXIII. 3. deſtruxerat Ioſias, II Paralipomen. XXXIV. 4. repoſuerant Reges ſequentes. Vide II Reg. XXIII. 37. II Paralip. XXXVI. 12.

Zeli ad provocandam æmulationem] Id eſt, quo Deus provocabatur tanquam maritus, cui ob oculos adulter adducitur.

4. *Et ecce ibi gloria Dei, ſecundùm viſionem quam*

videram in campo] Vide ſuprà III. 22. Et vehiculum & thronum intellige; vehiculum ad ſignificandam deportationem; thronum ad omnia judicia Dei figuranda.

5. *Idolum zeli*] Illud de quo dicere cœperat.

6. *Putáſne vides tu*] In Hebræo: *Non vides tu.*

Vt procul recedam à ſanctuario meo] Vt deſeram hujus Templi curam.

Et adhuc converſus] In partes Templi alias.

Videbis abominationes majores] Sufficere poterat quod vidiſti, ſed videbis graviora.

7. *Introduxit me ad oſtium atrii*] Nempe Levitici, quo paſſim tunc & ii qui Levitæ non erant admiſſi contra Legem.

Et ecce foramen unum in pariete] Feneſtella quædam, per quam videre poſſem quæ intra cellas Levitarum peragebantur.

8. *Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietem*] *Nam dixerat ad me* (Deus), *Fili hominis, perfode parietem.* Cauſam reddit unde facta ſit iſta feneſtella.

Et cùm fodiſſem parietem] Nempe in viſione, ſed planè quaſi res verè ageretur.

Apparuit oſtium unum] *Exſtiterat illa feneſtella.* Nam omnis apertura Hebræis פתח dicitur: ideóque Græci nonnunquam vertunt ἄνοιγμα [*aperturam*].

10. *Et ecce omnis ſimilitudo reptilium & animalium, abominatio*] Id eſt, quæ colunt Ægyptii, aliique.

Et univerſa idola domûs Iſraël depicta erant in pariete in circuitu per totum] Putabant ſe minùs peccare quòd non eminentes ſed pictas haberent figuras. Verùm etiam picturę vetitæ earum formarum quæ propriæ erant idololatris. Apparet id Levit. XXVI. 1. Numer. XXXIII. 52. in Hebræo. Pingere tales formas in parietibus mos erat Troglodytarum, narrante Philaſtrio.

11. *Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domûs Iſrael*] Id eſt, illi Septuaginta, qui inter Iudices omnes eminebant ſumma cum poteſtate, tum eò acceſſerant quò fas ipſis non erat, tum ea videbant quæ tollere ipſorum erat officii.

Et Iezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum] Nominatur II Regum XXII. 9. Eum credibile eſt fuiſſe Senatûs principem.

In medio eorum ſtantium ante picturas] Levitarum.

Et unuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua] Non dicit illos Septuaginta ſuffitum feciſſe in honorem idolorum: ſed ſi picturas tales habere non licebat, minùs etiam licebat apud eas Deum colere.

12. *In tenebris*] Omnia enim illarum cellarum diligenter obſtructa erant, ut niſi forato pariete inſpici nequirent.

14. *Et ecce ibi mulieres ſedebant plangentes Adonidem*] In Hebræo eſt תמוז [*Thamuz*]. Quidam Oſirim eſſe putant, qui vicinâ voce *Ammuz* Herodoto & Plutarcho. Sed Maimonides, Kimchi, & Hebræorum alii magum ajunt fuiſſe inſignem, de quo mira narrant. Hieronymus autem *Adonidem* ideo poſuiſſe videtur quòd quo modo Adonis lugebatur ab Aſſyriis (qua de re vide Macrobium Saturnalium I. 21.) & eorum exemplo ab Ægyptiis, ut docent Ἀδωνιάζουσαι [*Adonin celebrantes*] Theocriti, & à Græcis, ut Bion: eo & Thammuz ille Chaldæis, qui & menſium uni nomen ab eo dedêre.

16. *Et introduxit me in atrium domûs Domini interius*] Sacerdotale.

In oſtio Templi Domini inter veſtibulum & altare] Oſtium illud per quod ex porticu Templi (id enim אולם Hebræis. Vide I Regum VI. 3.) ibatur ad altare holocauſtorum.

Quaſi vigintiquinque viri] Nè unus aut alter id facere putaretur.

Dorſa habentes contra Templum Domini] Averſi ab ea parte in qua erat adytum; quod hîc *Templum*, quia pars Templi dignior.

Et facies ad Orientem, & adorabant ad ortum Solis] Ad Orientem verſi more Chaldæorum; non ad Occidentem, qui mos Iudæorum. Vide Danielis VI. 10.

17. *Et ecce applicant ramum ad nares ſuas*] Scribitur quidem אפם [*nares eorum*], ſed olim אפי [*nares meas*] ſcriptum fuiſſe teſtantur Hebræi, & זמורה, id eſt *canticum*, ridiculè vocari ventris crepitum: quo ſenſu ea vox & in Aruch reperitur. Deus igitur (ut cenſent Salomo & David Kimchi) ait eos ſibi opponere flatus obſcœnos: nempe quòd tergum Deo obverterent, ut jam diximus. Quod quia minùs decorè dici videbatur, mutatum eſt à poſterioris ævi ſcriptoribus. Similes mutationes factæ in aliis locis octodecim.

18. *Ergò & ego faciam in furore*] Idem ipſis faciam: tergum obvertam orantibus. Reddit Deus cauſas cur Templum exſcindi ſit paſſurus.

CAPVT IX.

1. *ET in auribus meis clamavit*] Deus ſcilicet.

Appropinquaverunt viſitationes urbis] Id eſt, *Præfecti Vrbis;* quos ſcilicet Deus Vrbi deſtruendæ præfecit, Duces exercitûs Nabuchodonoſoris, qui ex ſex partibus Vrbem oppugnarunt. Eos *Præfectos Vrbis* vocat per χλευασμὸν [*acerbum irriſum*], qualem & alibi habuimus. Frequens autem eſt Hebræis pro *Præfectis* dicere *præfecturas*, ut hîc, & ſimilia.

Et unuſquiſque vas interfectionis habet in manu ſua] *Inſtrumentum deſtructorium*, ut hîc habet Chaldæus: quod LXX interpretantur *ſecurim*, non malè.

2. *De via portæ ſuperioris quæ reſpicit ad Aquilonem*] Erat hæc via inter Septentrionem Orientémque media, qui ſitus eſt gentis Chaldæorum ad Iudæam.

Vir quoque unus in medio eorum veſtitus erat lineis] In Græco: ἐνδεδυκὼς ποδήρη [*indutus poderem*], nempe ex lino tenuiſſimo, qualis erat Pontificis maximi, Levit. VI. 10. XVI. 4. 23. 32. Idem habitus hîc & in Daniele X. 5. XII. 6. 7. datur Angelo qui Pontifici maximo: ambo enim miniſtri Dei.

Et atramentarium ſcriptoris ad renes ejus] Nempe ut ſcriberet id quod infrà dicitur 4. Pro קסת, κάστυ poſuêre Aquila & Theodotio, eâque voce *calamarium* aut *atramentarium* ſignificari ab Hebræis ſe didiciſſe ait Hieronymus: nec aliter hîc ſumſit

Chaldæus. At Lxx קסת interpretantur *zonam*, & pro ספר [*ſcriba*] legunt ספיר [*ſapphirinam*], malè.

Et ingreſſi ſunt] Tam Vrbem quàm Templum.

Et ſteterunt juxta altare æneum] Holocauſtorum; nempe ut qui multas Deo paraturi erant victimas. Ità enim appellari ſolent ſcelerati, de quibus Deus ſumere vult ultionem, Eſaiæ XXXIV. 6. Ierem. XII. 3. XLVI. 10. infrà XXI. 9. 10. XXXIX. 17. Dan. VII. 11. Vide quæ dicta ad Marcum IX. 49.

3. *Et gloria Domini Iſraël*] Fulgor quidam, qualis interdum ſuper Cherubinos in adyto apparebat.

Aſſumta eſt de Cherub quæ erat ſuper eum, ad limen domûs] Hebræum rectiùs vertitur, *quem erat ſuper eum*: id eſt, *ſuper quem fuerat*. Fulgor ille tranſiit à vehiculo ad limen baſilicæ Sacerdotalis, quod de proximo ſpectabat altare holocauſtorum.

4. *Et dixit Dominus ad eum*] Id eſt, vox majoris Angeli alicujus ſonuit de illo fulgore, Dei nomine loquens.

Tranſi per mediam civitatem in medio Ieruſalem] Id eſt, per mediam urbem Hieroſolymorum.

Et ſigna Thau ſuper frontes virorum gementium & dolentium ſuper cunctis abominationibus] Litera ת, unde incipit vox תורה [*Legis*], ſignificabat illos fuiſſe Legi addictos. Solebant in Oriente ſervi in fronte habere nomen domini. Vide Heſychium Ι'ϛριανὰ, & Σαμίων δῆμος. Non qualecunque ſignum, ſed literam Thau hîc ſignificari ſenſit & Chaldæus, & Theodotio. Eam literam in antiquis Hebræorum literis, quibus utebantur Samaritani, crucis habuiſſe ſimilitudinem dicit in Commentariis in hunc locum Hieronymus. Negat id in Euſebianis Scaliger, qui tamen Hieronymo cognitum fuiſſe Alphabetum Samaritanum non negat. Non video quid obſtet quominus apud Samaritas & Hebræos veteres unius literæ plures figuræ fuerint. Signamus quæ bene cuſtodita volumus. Sic Deus illos Legis reverentes ſervare voluit ab occidione: quæ figura eſt eorum qui à communi mundi exitio ſervabuntur.

5. *Et illis dixit*] Ducibus Chaldæis.

6. *Senem, juvenem, & virginem, parvulóſque & feminas*] Vide II Paralipomen. XXXVI. 17.

Et à ſanctuario meo incipite] Illos primùm trucidate qui in Templo ſunt.

Cæperunt ergò à viris Senioribus qui erant ante faciem domûs] Illis Lxx qui erant in cellulis circumjectis Templo, VIII. 11.

7. *Contaminate domum*] Sanguine polluite Templum à Deo deſtitutum.

Implete atria interfectis] Subdialia Templi omnia.

Egredimini] Ex Templo in Vrbem.

8. *Et cæde completâ remanſi ego*] Nempe ſolus ſignatus inter Sacerdotes qui tunc erant in Templo.

9. *Repleta eſt terra ſanguinibus*] Cædibus innocentum.

Et civitas repleta eſt averſione] Idololatriâ.

Dixerunt enim, Dereliquit Dominus terram & Dominus non videt] Non curat res humanas.

11. *Feci ſicut præcepiſti mihi*] Vt Centuriones Romæ Imperatoribus dicere ſolebant: *Factum eſt quod imperaſti.* Senſus hic eſt: Proviſum ut piis parcatur.

CAPVT X.

1. *IN firmamento quod erat ſuper caput Cherubim*] In tympano vehiculi, ut diximus I. 26.

Quaſi lapis ſapphirus, quaſi ſpecies ſimilitudinis ſolii apparuit ſuper ea] Super illud tympanum, ſub quo erant Cherubini. *Plerique* τὰ Χερουβεὶμ [*Cherubim*] *neutrali genere, numeróque plurali dici putant*, ait Hieronymus ad hunc locum. Significatur hîc repetito viſo propiùs propiúſque appropinquare horrenda illa Dei judicia.

2. *Et dixit ad virum qui indutus erat lineis*] Ad illum Angelum imperii ſui miniſtrum: de quo ſuprà IX. 2.

Ingredere in medio rotarum] Adſta vehiculo medio.

Imple manum tuam prunis ignis quæ ſunt inter Cherubim, & effunde ſuper civitatem] Ignis enim ambiebat omne vehiculum, I. 4. 13. Significatur fore brevi ut Vrbs incendatur.

Ingreſſúſque eſt in conſpectu meo] Prope rotas conſtitit.

3. *Cherubim autem ſtabant à dextris domûs*] *Ad partem Auſtralem*, ut habet Chaldæus: quàm longiſſimè ab illis locis, ubi erant illæ cellulæ & planctus de Thamuſo. Hæc uſque ad illa *Omnipotentis loquentis* dicuntur per παρένθεσιν [*inſertionem*].

Et nubes implevit atrium interius] Atrium Sacerdotale; quò ibat, aut ſtabat imago illa Dei judicia referens. Antecedebat *ſplendor*, ſequebatur *nubes*. *Splendor* claritatem in judicando ſignificat: *nubes* ingentes procellas adverſorum.

4. *Et elevata eſt gloria Domini ſuper Cherub*] De vehiculo deſcendit, ſub quo erant Cherubini, paulatim Templum deſerens.

Ad limen domûs] Ad illam portam quæ à baſilica Sacerdotali ſpectabat ad ſubdiale populi.

Et repleta eſt domus nube] Ipſa illa baſilica Sacerdotalis, quæ velut à tergo erat imagini iſti.

Et atrium repletum eſt ſplendore gloriæ Domini] Atrium ſive ſubdiale populi, quod erat ante imaginem.

5. *Et ſonitus alarum Cherubim audiebatur uſque ad atrium exterius*] Perſonabat per omne illud populi ſubdiale.

Quaſi vox Dei omnipotentis loquentis] Id eſt, *quaſi tonitru*, ut explicarunt Symmachus & Theodotion. Vide ſuprà I. 24. Significantur, ut ibi diximus, horribilia Dei mandata.

6. *Cúmque præcepiſſet viro*] Repetit cœptum ſermonem.

Sume ignem] Porrigente Cherubino, ut jam dicetur. Sic Angeli minores à majoribus inſtruuntur.

Stetit juxta rotam] Iuxta intervallum rotarum.

7. *Et extendit Cherub manum de medio Cherubim*] Id eſt, alter ex Cherubinis alam ad manûs modum articulatam extendit.

Et ignem qui erat inter Cherubim] Qui vehiculum omne ambiebat.

Et ſumſit, & dedit in manus ejus qui indutus erat lineis: qui accipiens egreſſus eſt] Ad Vrbem incendendam.

8. *Et apparuit in Cherubim ſimilitudo manûs hominis ſubtus pennas eorum*] Pennæ articulos habebant ut manus humana. Vide 1. 8.

9. *Et vidi, & ecce quatuor rotæ juxta Cherubim*] Quibus vehiculum movebatur in quo erant Cherubini. Vide 1. 15. 16.

Rota una juxta Cherub unum, & rota alia juxta Cherub unum] Enallage eſt: vult enim dicere de binis rotis, quæ in binis erant lateribus, utramque tam propinquam fuiſſe Cherubino ejus lateris ut ab eo tangeretur.

Species autem rotarum erat quaſi viſio lapidis chryſolithi] Tanquam color Oceani, 1. 16.

10. *Et aſpectus earum ſimilitudo una quatuor*] Pares erant ac ſimiles rotæ.

Quaſi ſit rota in medio rotæ] Diximus 1. 16.

11. *Cúmque ambularent, in quatuor partes gradiebantur*] Quocunque vellent Cherubini. Senſum vide 1. 17.

Et non revertebantur ambulantes] Niſi peracto curſu, ut 1. 17.

Sed ad locum ad quem ire declinabat quæ prima erat, ſequebantur & cæteræ, nec convertebantur] Hîc quoque *prima* dictum pro *duæ priores*. *Cæteræ*, id eſt, *poſteriores duæ*. Erant autem priores, & poſteriores, vicibus, ut voluerant Cherubini.

12. *Et omne corpus earum*] *Eorum:* Cherubinorum ſcilicet, ut hîc Chaldæus.

Et colla, & manus, & pennæ, & circuli, plena erant oculis] Id eſt, *coloribus*. Hoc acceſſit viſo illo quod in primo capite habuimus, aut nunc exactiùs à Propheta obſervatum eſt.

In circuitu quatuor rotarum] Meliùs, *circumquaque, & quatuor rotæ:* ut illud *circumquaque* ad præcedentia referatur, addatúrque pari modo verſicolores fuiſſe & rotas, id eſt, rotarum abſides, quod & capite primo dictum fuerat 18.

13. *Et rotas iſtas vocavit volubiles audiente me*] Meliùs, *Et audiente me inclamavit* (nempe ex Cherubinis alter) *rotis illis*, id eſt, cuique rotarum, *Volvitor:* ut ſit defectus ה in fine, qui verbis talibus frequens.

14. *Quatuor autem facies habebat unum*] Id eſt, de duobus Cherubinis quiſque ex formis conſtabat quatuor.

Vna facies Cherub] Id eſt, bovis ſive vituli. Ex hac parte totum illud nomen ſuum accepit; nec immeritò: nam cætera hujus velut additamenta erant. Bovem magni ſemper fecêre Hebræi: ideo quòd Ioſephus, de ipſis optimè meritus, eo cognomine ſit appellatus, eâque ſpecie adumbratus, ut diximus alibi.

Facies ſecunda facies hominis] Forma humana in vultu.

Et in tertio] Id eſt, tertio.

Facies leonis] Forma leonis in jubis.

Et in quarto] Id eſt, quarto.

Facies aquilæ] Forma aquilæ in alis.

15. *Et elevata ſunt Cherubim*] Id eſt, deportatio adhuc inhibita ad modicum tempus.

Ipſum eſt animal] Modò *animal* vocat, modò *animalia*; quia ex quatuor animalium formis animal quodque erat compoſitum. Et rurſus eſt Enallage: nam unum nominat, cùm duo eſſent.

Quod videram juxta fluvium Chobar] In ripa: de quo cap. 1.

16. *Cúmque ambularent Cherubim*] Cùm moverent, ut diximus ad primum caput.

Et cùm elevarent Cherubim alas ſuas, ut exaltarentur de terra, non reſidebant rotæ] Nempe non hærebant terræ.

Sed & ipſæ juxtà erant] Id eſt, pariter attollebantur, ut ſequentia explicant.

17. *Spiritus enim vitæ erat in eis*] *Spiritus animantis* (id eſt, Cherubini) *ad eas*, ſupple *pertingebat*. Vide quæ capite primo 20.

18. *Et egreſſa eſt gloria Domini à limine Templi*] Vbi conſtiterat nonnihil, ſuprà 4.

Et ſtetit ſuper Cherubim] Super tympanum illud vehiculi, ut de deportatione decerneret.

19. *Et elevantia Cherubim alas ſuas, exaltata ſunt à terra coram me, & illis egredientibus rotæ quoque ſubſecutæ ſunt*] Id eſt, ipſis ſurgentibus ſurgebant & rotæ. *Surgere* hoc eſt deportationem inhibere. Factæ enim ſunt multæ, & multis intervallis.

Et ſtetit in introitu portæ domûs Domini Orientalis] Vehiculum illud ſcilicet, cui imago judiciorum Dei inſidebat, ut quæ ſequuntur ſignificant, progreſſum ab intimis Templi ſtetit ubi erat exitus, ut Templum planè deſertum à Divina tutela intelligeretur.

20. *Ipſum eſt animal quod vidi ſubter Deum Iſraël juxta fluvium Chobar*] Iterum Enallage, ut ſuprà 15. nam *animal* dicitur, cùm duo eſſent, ſed indiſcreta. Quare plurale hîc poſuit Chaldæus.

Et cognovi Cherubim ea eſſe] Sæpe idem vidit Propheta, ut conſideraret propiùs, & intelligeret has formas eaſdem eſſe quæ ſupra Arcam erant poſitæ: quod ex ſummo Pontifice intellexiſſe aliquando potuerat.

21. *Quatuor vultus uni*] Quatuor formæ in ſingulis. Sæpe id repetit, ut populus ſine Templo victurus, Templi myſteria pro Templo haberet, & ſic ad fœdus multò meliùs pararetur.

Et quatuor alæ uni] Id eſt, ſingulis erant. duæ alæ volabant, duæ tegebant inferiora.

Et ſimilitudo manûs hominis ſub alis eorum] Pennæ articulatæ manuum in vicem, ut ſuprà diximus.

22. *Et ſimilitudo vultuum eorum, ipſi vultus quos videram juxta fluvium Chobar*] Species illarum quatuor partium planè eadem quam viderat in Chaboræ ripa.

Et intuitus eorum] Color idem partium: id enim מראה [*conſpectus*].

Et impetus ſingulorum ante faciem ſuam ingredi] In Hebræo: *Et ipſorum ſinguli quò ſpectabant eò movebant.* Nam ילכו [*movebant*], ut alibi diximus, eſt Pahal, aut Pihel pro Hiphil, minimè infrequenti mutatione.

CAPVT XI.

1. *ET elevavit me ſpiritus*] Rectiùs, *Elevarat me ſpiritus:* id eſt, ſuſpenſum me tenuerat. Repetit enim id quod diximus de illis XXV ſuprà VIII. 16. nam illum ſermonem ad convertendas res majores interruperat.

Et introduxit me ad portam domûs Domini Orientalem] Videre me fecerat illas partes quaſi præſentem.

tem. Portam intelligit illam baſilicæ Sacerdotalis ſpectantem in ſubdiale populi, VIII. 16.

Et ecce in introitu portæ] Quà in portam itur, inter portam & altare holocauſtorum, ſuprà VIII. 16.

Et vidi in medio eorum] *Inter eos.* Locutio Hebræa.

Iezoniam filium Aſſur] Non illum filium Saphan qui peccaverat.

Et Pheltiam filium Benajæ] Alterum ex Principibus, ut ſequitur.

2. *Dixítque ad me*] Dixerat ad me illa imago ſtans ad eandem portam, X. 4.

Fili hominis, hi ſunt viri qui cogitant iniquitatem, & tractant conſilium peſſimum in urbe iſta] Nempe aptandi ſe ad ſuperſtitiones Chaldaïcas, ad eo modo demerendam ejus gentis gratiam. Fœdus quod Sedecias malè ruperat illi malè ſarcire volebant.

3. *Dicentes, Nónne dudum ædificatæ ſunt ædes?*] An noviter facta eſt urbs?

Hæc eſt lebes, nos autem carnes] Recenter facti lebetes aptiores ſunt ad coquendas carnes. Sic irridebant Ieremiam qui Vrbem *lebeti*, homines *carnibus* comparaverat I. 15. Vide & quæ infrà XXIV. ubi contra hoc dicterium dicit Ezechiel, Rubiginem ollæ nihil obſtituram quominus olla alias carnes coquat, alias ejiciat.

4. *Idcirco vaticinare de eis, vaticinare fili hominis*] Dic quæ illis ſunt eventura longè alia quàm putant.

7. *Interfecti veſtri quos poſuiſtis in medio ejus, hi ſunt carnes, hæc eſt lebes*] Illis hæc urbs fuit pro lebete, vobis non erit.

8. *Gladium metuiſtis*] Chaldaïcum ſcilicet, ità ut ejus cauſâ ſacra deſerere velletis.

Et gladium inducam ſuper vos] Eundem illum quem metuiſtis.

9. *Et ejiciam vos de medio ejus*] Extra urbem ibitis.

Dabóque vos in manu hoſtium] Non liberi, ſed captivi ibitis.

Et faciam in vobis judicia] Per Chaldæos.

10. *In finibus Iſraël judicabo vos*] In Reblatha, II Regum XXV. 20. Ieremiæ LII. 9.

13. *Pheltias filius Benajæ mortuus eſt*] In arrham ejus, quod aliis illis XXV eventurum eſt.

Conſummationem tu facis reliquiarum Iſraël] Itáne omnes vis perdere ut iſtum Pheltiam?

15. *Fratres tui, fratres tui viri propinqui tui*] גאלתך [*agnati tui*]; LXX legerunt גלותך, id eſt, *deportationes tuæ*, id eſt, tecum deportati: deficit verbum *ſunt.*

Quibus dixerunt habitatores Ieruſalem] Illi qui relinquebantur in Vrbe, deportato Iechoniâ, & aliis cum eo.

Longè recedite à Domino] Meliùs: *Longè receſſerunt à Domino.* Illi qui deportantur multò graviùs quàm nos peccarunt.

Nobis data eſt terra in poſſeſſionem] Nam nos poſſidebimus hanc terram tantò laxiùs ex quo illi abiêre.

16. *Quia longè feci illos in gentibus, & quia diſperſi eos in terris*] Illos cum Iechonia deportatos, in quibus Ezechiel.

Ero eis in ſanctificationem modicam in terris ad quas venerunt] *Et fui eis in ſanctuarium ad tempus modicum, in terris ad quas venerunt.* id eſt: Et quia hoc tempore ex quo deportati ſunt, Templum non habent, ego illis ſum pro Templo. intra animi penetrale me colunt, ut olim facturi ſunt Chriſtiani.

17. *Propterea loquere hæc, dicit Dominus: Congregabo vos de populis*] Illud *propterea* cohæret cum *congregabo.* Nam quia vos deportati mei obliti non eſtis, ideo vos reducam. Tranſitur de perſona tertia in ſecundam, & rurſum de ſecunda in tertiam, more Hebræo.

18. *Et auferent omnes offenſiones, & cunctas abominationes ejus de illa*] Vivent ſine idololatria, præeuntibus viris egregiis, Eſdrâ, Nehemiâ, Zorobabele, Aggæo, Zachariâ, Malachiâ, Mardochæo, & aliis viris τῆς συναγωγῆς τῆς μεγάλης [*Synagogæ magnæ*].

19. *Et dabo eis cor unum*] Efficiam maximis beneficiis ut concordi animo me colant. Confer Ieremiæ XXXI. 37. infrà XXXVI. 26.

21. *Quorum cor poſt offendicula*] In Hebræo: *ad contaminationes*, id eſt, idololatriam.

Horum viam in capite ſuo ponam] Deſeruerunt me, & ego eos deſeram: Templum profanarunt, & ego profanabo per Chaldæos.

22. *Et elevaverunt Cherubim alas ſuas, & rotæ cum eis*] Nondum enim aderat tempus deportationis.

23. *Et aſcendit gloria Domini de medio civitatis*] Sicut de Templo in Vrbem exierat illa imago, ſic nunc & Vrbem deſerit, ſtátque parata ad exercenda judicia ex illo loco unde maxima vis telorum hoſtilium in urbem erat perventura.

Stetítque ſuper montem qui eſt ad Orientem urbis] Montem Oliveti, ut nominatur II Samuel. XV. 30. Eundem eſſe montem qui ad Orientem Vrbis erat, apparet Zach. XIV. 4. Sic & Chriſtus ex eo monte in regiam ſuam aſcendit, judicia in Iudæos exerciturus.

24. *Et ſpiritus levavit me, adduxitque in Chaldæam ad tranſmigrationem in viſione in ſpiritu Dei*] Tranſpoſitio: *Spiritus qui me levaverat in viſione, id eſt, in ſpiritu Dei, me in Chaldæam reſtituit apud deportatos.* Nam quia omnia quæ Hieroſolymis agebantur, ut præſentia viderat, ibi ſpiritu præſens fuiſſe dicitur, ac mox rediiſſe ad ſuos populares.

Et ſublata eſt à me viſio quam videram] Ceſſavit, diſparuit, ut Geneſeos XVII. 22.

25. *Et locutus ſum ad tranſmigrationem omnia verba Domini quæ oſtenderat mihi*] Res omnes. *Ad tranſmigrationem:* id eſt, ad Seniores illos deportatorum, de quibus ſuprà VIII. 1.

CAPVT XII.

2. I*N medio domûs exaſperantis tu habitas*] *Domûs contumacis.*

Oculos habent ad videndum, & non vident] Vt illa:

——— *video meliora, probóque,*
Deteriora ſequor.

Et aures ad audiendum, & non audiunt] Id eſt, doceri nolunt.

3. *Fac tibi vaſa tranſmigrationis*] Id eſt, *collige ſarcinulas*, ut Iuvenalis loquitur. Deſcribit talem commigrationem Martialis iſto Epigrammate:

Vidi, Vacerra, ſarcinas tuas, vidi.

Vaſa pro *ſarcinis* etiam Latinè dicuntur: nam indè *convaſare*.

Et tranſmigrabis per diem coram eis] Id eſt, Migra claro die ipſis ſpectantibus: rem ipſis eventuram ſignis exprime.

Si fortè aſpiciant] Id eſt, ſi fortè moveantur iſto conſpectu.

Quia domus exaſperans eſt] *Quanquam domus eſt contumax*: nempe ut incredibile ſit vel hoc ſpectaculo rediturum eſſe ad bonam mentem.

4. *Et efferes foràs vaſa tua*] Præmittes ſarcinas tuas ipſe ſecuturus.

5. *Perfode tibi parietem, & ingredieris per eum*] Sicut Rex ipſe Sedecias perfoſſo muro erat exiturus, ut explicatur infrà 12. Vide quæ dicta ſunt ad Ieremiam XXXIX. 4.

6. *In conſpectu eorum in humeris portaberis*] Imò *portabis*, nempe ad victum neceſſaria.

In caligine efferеris] Efferes temetipſum. Nam noctu exiit Sedecias, Ierem. XXXIX. 4. LII. 7.

Faciem tuam velabis, & non videbis terram] Oculos tuos vela, nè aſpicias terram hanc Babylonicam, in qua vivis, ſicut eam ob cæcitatem, quæ velatis oculis adumbratur, viſurus non eſt Rex Sedecias, infrà 12.

Portentum dedi te domui Iſraël] Tuis factis oſtendere volo quid Iudæis ſit eventurum, præſertim autem Regi, ut ſequitur.

7. *In humeris portatus*] Imò *portavi*, nempe alimenta, ut diximus.

10. *Super Ducem*] נשיא eſt qui *Princeps* eſt in populo, ut in regnis Rex. Itaque ſuprà eodem ſenſu habemus מלך [*Rex*], & נשיא [*Princeps*]: ideóque LXX נשיא [*Princeps*] interdum vertunt βασιλεὺς [*Rex*].

Onus iſtud] משא, id eſt, dirum vaticinium.

11. *Ego portentum veſtrum*] Sic Eſaias VIII. 18.

12. *Facies ejus operietur*] Cæcitate. Ità factum, ut *ductus ſit in Babyloniam*, quod prædixerat Ieremias, & *eam non viderit*, quod dixerat Ezechiel. Quæ duo inter ſe pugnare crediderat Sedecias: ideóque Prophetis fidem non habuerat, narrante Ioſepho.

13. *Et extendam rete meum ſuper eum, & capietur in ſagena mea*] Omne effugium ei præcludam. Vide II Regum XXV. 5. Ieremiæ XXXIX. 5. LII. 8.

14. *Et omnes qui circa eum ſunt, præſidium ejus, & agmina ejus*] Aulicos, ſatellites, milites.

Diſpergam in omnem ventum] Quod ſignificatum per quatuor motus rotarum.

Et gladium evaginabo poſt eos] Faciam ut aliqui metuant ſibi à victoris gladio, trepidique vivant, ut ſuprà V. 2. 12.

16. *Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & peſtilentia*] Superſtites tot malorum.

Vt enarrent ſcelera eorum in gentibus] Vt dicant cauſas propter quas exciſum erit Templum & Civitas.

18. *Panem tuum in conturbatione comede, ſed & aquam tuam in feſtinatione & mærore bibe*] Meliùs: *in trepidatione & mærore*.

19. *Panem ſuum in ſollicitudine comedent*] Nempe in exſilio.

Vt deſoletur terra à multitudine ſua] *Cùm deſolata erit terra*.

22. *In longum differentur dies, & peribit omnis viſio*] Eſt hîc & pro *aut*; dicebant enim illi homines, Aut ea quę prędicuntur multò poſt nos evenient, aut planè *evaneſcent*, διαπνεύσονται [*exſpirabunt*], ut vertit Symmachus. Vtrique membro reſpondet Deus.

24. *Non enim erit ultrà omnis viſio caſſa, neque divinatio ambigua in medio filiorum Iſraël*] *Non ultrà erit Prophetia mendax, & divinatio blandiens*. Ejicientur enim omnes illi falſi Prophetæ XIII. 23.

25. *In diebus veſtris*] Vobis viventibus. Simile Matth. XXIV. 34. Hinc interpretare & ſequentia.

CAPVT XIII.

2. F*ili hominis, vaticinare ad Prophetas Iſrael*] Mitte illis falsò ſe dicentibus Prophetas hanc Epiſtolam.

Prophetantibus de corde ſuo] Pro lubitu animi ſui, quod mox dicet, *qui ſequuntur ſpiritum ſuum*.

3. *Et nihil vident*] *Cùm nihil viderint*: id eſt, nullam habuerint ὀπτασίαν [*viſionem*].

4. *Quaſi vulpes in deſertis Prophetæ tui Iſrael erant*] Meliùs *ſunt*. *In locis deſertis*, id eſt, ubi nihil eſt quod edant. Tales enim feræ famelicæ ſunt: ejuſdemmodi illi falſi Prophetæ.

5. *Non aſcendiſtis ex adverſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael*] Interea *non ſtetiſtis in capta parte muri, neque oppoſuiſtis munimentum pro domo Iſrael*. Vbi hoſtis urbem oppugnat, & mœnium partem arietibus disjecit, duo fieri ſolent: opponi homines, qui hiantia defendant, & muniri interiora. Sic Deo irato ii qui Prophetæ dici volunt debent opponere conſilia & monita. Locutio prior ſumta ex Pſalmo CVI. 23. & XXX. vide infrà XXII. 30.

Vt ſtaretis in prælio in die Domini] Meliùs, *ut ea domus*, id eſt, urbs, *ſtet in prælio in die Domini*: pro, *ſtet in die oppugnationis quam Deus facit*. Adversùs eam nulla eſt defenſio, niſi in reſipiſcentia, & piis precibus.

6. *Vident vana*] — *Ipſi ſibi ſomnia fingunt*.

Et divinant mendacium] In Hebræo: *Et divinationem mendacem*.

Dicentes, Ait Dominus] Mendacio ingens addunt crimen, Deum auctorem inſcribendo.

Cùm Dominus non miſerit eos] *Mittere* eſt mandatum dare.

Et perſeveraverunt confirmare ſermonem] *Et ſpem faciunt* (populo) *ratum fore quod dicunt*. Falsâ ſpe lactant populum.

8. *Ego ad vos*] *Venio* ſcilicet.

9. *In conſilio populi mei non erunt*] Populus rediens illorum conſilio non utetur, ut antè.

In ſcriptura domûs Iſrael non ſcribentur] Quod plus eſt, non erit nomen illorum in catalogo redeuntium.

Nec in terram Iſrael ingredientur] Aut antè mortui, aut à piis excluſi.

10. *Dicentes, Pax, & non eſt pax*] Dicentes ſalva omnia, cùm tamen ſalva non ſint.

Et ipſe ædificabat parietem] *Ipſe* (populus) *ædificat parietem*, id eſt, malos mores accumulat.

Illi autem] Falſi Prophetæ.

11. *Liniebant eum luto abſque paleis*] In Hebræo:

Linunt inepto, ſupple *tectorio*, quale eſſe ſolet lutum ſine paleis, aut ſine ulla temperatura. Efficere volunt ut fœditas vitiorum non appareat: ſed inutilem ſumunt operam.

11. *Erit enim imber inundans*] Qui lutum merum facilè diſſolvit.

Et dabo lapides prægrandes deſuper irruentes] In Hebræo: *Et vos, ô lapides Elgabis, cadetis. Gabis* eſt pyropus, ut dictum Iobi XXVIII. 18. *El* verò articulus Arabicus. Senſus eſt: cadent de cœlo igniti lapides ſimiles pyropo.

Et ventum procellæ diſſipantem] *Et ventus procelloſus diſſipabit*, parietem ſcilicet.

14. *Et deſtruam parietem*] Cadent illi cum ſuis moribus.

17. *Contra filias populi tui quæ prophetant de corde ſuo*] Quia in populo Dei interdum etiam feminæ Prophetiæ dono donatæ fuerant, ut Debora & Olda, ideo & aliæ mulieres hunc honorem ſibi arrogabant, Deo non dante.

18. *Conſuunt pulvillos ſub omni cubito manûs*] Quibus homines ſuaviter innitantur. *Manum* pro *brachio* dicere Hebræorum eſt.

Et faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ſtaturæ] משפחות David Kimchi ait eſſe velamina, *quibus mulieres faciem velant*. Græci hîc dicunt ἐπιβόλαια [*injecta*]. Sic illæ Prophetides magnis & parvis ſuggerebant prætextus ad obtegenda vitia.

Ad capiendas animas] Id eſt, *ad venandum animas*: ad homines alliciendos in ſui amorem.

Et cùm caperent animas populi mei vivificabant animas eorum] In Hebræo: *Nónne venamini animas populi, & ubi veſtræ ſunt eis vitam promittitis?* Nam apud Hebræos etiam declarandi verba faciendi vocabulis appellantur.

19. *Et violabant me in populo meo*] In Hebræo: *Et profanatis me ad populum meum*. Id eſt, nomen meum falsò uſurpatis.

Propter pugillum hordei, & fragmen panis] Victûs causâ mentimini, Michææ III. 5. Perſimile illud Catonis: *Fruſto panis conduci poteſt, vel utì taceat, vel utì loquatur.*

Vt interficerent animas quæ non moriuntur] *Ad interficiendas animas quæ non morientur*. Id eſt, ad prædicendum exitium piis Prophetis, quos ego ſervabo.

Et vivificarent animas quæ non vivunt] *Ad vivificandas animas quæ non vivent*. Ad ſalutem promittendam iis quos ego perdere ſtatui.

20. *Quibus vos capitis animas volantes*] *Quibus vos venamini animas ad pubem*, ſcilicet veſtram: eò enim illos amore veſtro captos attrahetis. פרח eſt *flos*, & metaphoricè *pubes*, in Baal Aruch, & alibi.

21. *Et dirumpam cervicalia veſtra*] Velamina facierum.

Neque erunt ultrà in manibus veſtris ad prædandum] *Et non erunt ultrà obnoxia veſtris venatibus.*

22. *Pro eo quòd mærere feciſtis cor juſti mendaciter*] Id eſt, calumniis veſtris.

Confortaſtis manus impii] Animum ei addidiſtis.

Et viveret] In Hebræo, *vivificando eum*: id eſt, vitam ei promittendo.

23. *Propterea vana non videbitis, & divinationem non divinabitis ampliùs*] In obſidione peribitis fame, peſte, telis Chaldæorum.

CAPVT XIV.

1. *Et venerunt ad me viri Seniorum Iſrael*] *De Senioribus Iſraël*. Saraias & qui cum eo à Sedecia miſſi Babylonem, Ierem. LI. 59. Hi Ezechielem Prophetiæ famâ celebrem in itinere compellandum ſibi duxêre.

3. *Poſuerunt immunditias ſuas in cordibus ſuis*] Id eſt, idololatriam toto animo geſtant.

Et ſcandalum iniquitatis ſuæ ſtatuerunt contra faciem ſuam] Id eſt, idola quotidie illorum oculis obverſantur.

Numquid interrogatus reſpondebo eis?] Id eſt, *conſilium darem?* non eſt æquum.

4. *Homo, homo*] Id eſt, quiſquis fuerit.

Ego Dominus reſpondebo ei in multitudine immunditiarum ſuarum] In Hebræo, *Reſpondebo ei: venit in multitudine immunditiarum ſuarum.* Ecce ille ad me venire audet, animum habens idololatriæ plenum.

5. *Vt capiatur domus Iſraël in corde ſuo*] *Vt reprehendatur* (id eſt, convincatur) *domus Iſraël in corde ſuo.*

7. *Et de proſelytis quicunque advena fuerit in Iſraël*] *Aut de incolis qui incolunt terram Iſraël.* Nam & extranei qui inter Iſraëlitas vivebant, etiamſi Legi ſe non ſubjeciſſent, tenebantur tamen ab idololatria ſe abſtinere.

Ego Dominus reſpondebo ei per me] Factis ei reſpondebo.

9. *Et Propheta cùm erraverit*] *Cùm ſeductus fuerit*, nempe ſpe lucri.

Et locutus fuerit verbum] Quaſi à Deo ſibi imperatum.

Ego Dominus decepi Prophetam illum] *Decipiam*. Exitum illi inferens quem non exſpectat.

10. *Iuxta iniquitatem interrogantis, ſic iniquitas Prophetæ erit*] Id eſt, pœnas pariter ſentient & qui emunt vaticinia, & qui vendunt.

11. *Vt non erret ultrà domus Iſrael*] Seducta ſcilicet à pſeudoprophetis illis.

13. *Vt prævaricetur prævaricans*] מעל [*prævaricatio*] eſt mutatio cultûs Domini.

Conteram virgam panis ejus] Suprà IV. 16. V. 16.

14. *Noë*] Qui octo homines diluvio eripuit.

Daniel] Qui Chaldæos magos ab imminente morte liberavit.

Et Iob] Qui veniam impetravit iis qui ipſum offenderant.

Iuſtitiâ ſuâ] Ob ſuas virtutes.

Liberabunt animas ſuas] Tantùm mediocriter malis ob pios interdum parcitur, non ità contumaciter flagitioſis.

15. *Vt vaſtem eam*] *Orbaturus eam.*

19. *Peſtilentiam*] Θάνατον [*mortem*], Græci. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 7.

In ſanguine] Id eſt, *cum multa hominum ſtrage*, ut hîc Chaldæus. Nam omne mortis immaturæ genus *ſanguis* Hebræis.

22. *Tamen relinquetur in ea ſalvatio educentium*

filios & filias] *Etſi maneant aliqui ſuperſtites, qui filios ac filias ſecum educant.*

Ipſi ingredientur ad vos] Illi ad vos deportatos ipſi quoque deportabuntur.

Et videbitis viam eorum, & adinventiones eorum] Id eſt, ut illorum qui ad vos veniunt teſtimonio cognoſcatur quales illi fuerint quos fame, peſti, gladio, beſtiis tradidi. *Videre* apud Hebræos eſt cognitionem alicujus rei quovis modo adipiſci.

Et conſolabimini ſuper malo quod induxi in Ieruſalem] Minùs dolebitis cùm videritis tam juſtam fuiſſe ultionem.

CAPVT XV.

2. Q*Vid fiet de ligno vitis*] Verteris rectè, *Quid erit in quo vitis præſtet aliis plantis, ſi palmes ejus ſit par ſilveſtribus arboribus?* Id eſt, nullos fructus proferat. Vitis figura populi Iudaïci, Eſaiæ v. Ieremiæ II.21. Pſalm. LXXX. 9. Matth. XXI. 33.

3. *Numquid tolletur de ea lignum, ut fiat opus*] Vt ex aliis arboribus ſilvaticis fiunt mali navium, trabes, menſæ.

Aut fabricabitur de ea paxillus] Nè in hoc quidem ſatìs firma ſunt ſarmenta.

4. *Ecce igni datum eſt in eſcam*] *Dabitur igni abſumendum.* Id unum reſtat, Matth. III. 10.

Vtramque partem ejus] Extima ejus utraque.

Conſumſit ignis] Conſumet.

Et medietas ejus redacta eſt in favillam]In Hebræo, *Medium ejus uſtulatum eſt.*

Numquid utile erit ad opus?] Vt ſcilicet propterea cura ejus aliqua ſumi debeat? Nihil minùs.

6. *Sic tradam habitatores Ieruſalem*] Nulli uſui homines.

7. *Et ponam faciem meam in eos*] Aſpiciam eos vultu torvo, ut Ierem. XXI. 10. XLIV. 11. 27. ſuprà XIII. 17.

De igne egredientur, & ignis conſumet eos] Ignis hîc omne malorum genus ſignificat, Pſalm. LXVI. 12. & alibi. Vno malo vitato in aliud incident.

8. *Eò quòd prævaricatores exſtiterint*] Eſt hîc rurſus in Hebræo מעל [*prævaricari*]. Hieronymus in Commentario ad hunc locum : *Non enim peccatores ſicut ceteræ gentes, ſed prævaricatores exſtiterunt. Aliud eſt enim negligere quod ignores, aliud contemnere quod colueris.*

CAPVT XVI.

2. N*Otas fac Ieruſalem abominationes ſuas*] Nempe per epiſtolam, quam mittere debebat ad Iudæos in patria agentes. Eſt autem hujus totius capitis mira δείνωσις [*vehementia*], egregiè perſequens illam ſimilitudinem adulterii & idololatriæ.

3. *Radix tua & habitatio tua de terra Chanaan*] Habitatio prima parentum tuorum, unde ortus eſt tibi, fuit terra Chanaan, corruptiſſima moribus, unde multò plus hauſiſti quàm de virtutibus Abrahami, Iſaaci, & Iacobi.

Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethæa] *Patrem* & *matrem* vocat non naturâ ſed habitatione eos qui priùs eandem terram tenuere, & quorum mores eorum in terra ſucceſſores ſequebantur. Sic γεννᾶσθαι [*gigni*] dicuntur ſucceſſores, ut ad III. Lucæ diximus.

4. *Non eſt præciſus umbilicus tuus*] Ab inteſtino illo per quod matri infans adhæret : id eſt, contemtiſſimus fuiſti populus cùm naſcereris in Ægypto. Scilicet infantes qui contemnuntur abjici ſolent, nullâ parentum de iis curâ. Vide titulum Codicis de Infantibus expoſitis, ubi eſt in L. 2. *Nec enim ſuum quis dicere potuerit quem pereuntem contemnit.*

Et aquâ non es lota in ſalutem] Aquâ abluuntur infantes à ſanguine, ut hîc bene notat Hieronymus.

Nec ſale ſalita] *Humor enim corporum parvulorum*, ut idem ait, *ſalis adjectione ſiccatur.*

Nec involuta pannis] Faſciis, quod barbaros & diutiùs & diligentiùs obſervaſſe quàm Romanos teſtatur hîc Hieronymus : ideóque & *corpora barbarorum eſſe rectiora.*

5. *Nec pepercit ſuper te oculus, ut faceret tibi unum de his, miſertus tui*] Ægyptiorum, qui quaſi parentes illis eſſe debebant ob Ioſephi merita, duritiam ſignificat, ut rectè hîc obſervat Chaldæus.

Sed projecta es ſuper faciem terræ] Expoſita. *Qui infantes abjecerunt*, ait Lex *Sancimus* C. de Infantibus expoſitis. *projiciunt*, ait in eadem re Turrianus Clodius apud Senecam lib. IV. Controverſiarum XXXIII. Tales infantes ἀπρονόητοι [*à cura abdicati*] Harmenopulo.

In abjectione animæ tuæ] Id eſt, cum periculo vitæ tuæ. *Perituros niſi auferantur*, Labienus in eadem controverſia.

In die quâ nata es] Populus enim in Ægypto natus eſt.

6. *Tranſiens autem per te*] *Te prætereiens*, ut fieri ſolet.

Vidi te conculcari in ſanguine] *Rubentem à matre* (ità Iuvenalis loquitur) *pedibus teri.* In dicto titulo Codicis additur: *Et de his qui ſanguinolentos nutriendos acceperunt.* Eâdem voce utitur Lex ſecunda, Codice De patribus qui filios ſuos diſtraxerunt, & Donatus in Andria, & Prudentius adversùs Symmachum. Lactantius *infantes à ſanguine* dixit.

In ſanguine tuo vive] Quanquam fœda es ſanguine, volo te vivere.

7. *Multiplicatam quaſi germen agri dedi te, & multiplicata es, & grandis effecta*]Meliùs: *Creſcere feci te ut germen agri, & creſcendo grandis facta es.* Vt duret ſermo de puella, ſub cujus perſona gens Iudaïca deſcribitur.

Et perveniſti ad mundum muliebrem] Meliùs: *Et perveniſti ut tranſires tranſitiones*: id eſt, ut ex infante fieres adoleſcentula. עדה inter alia eſt *tranſire. Mundi* aut *ornamentorum* nulla hîc eſſe poteſt mentio, quia adhuc nuda fingitur. *Tranſitum* autem iſtum explicant ſequentia.

Vbera tua intumuerunt] Mammæ ſororiarunt. Vide Canticum VIII. 8.

Et pilus tuus germinavit] Pubes. Macrob. lib. De ſomnio Scipionis cap. VI. *Poſt annos autem bis ſeptem ipsâ ætatis neceſſitate pubeſcit.* Idem Saturnal. VII. 7. *Humor naturalis in corpore, quando ætas tranſit pueritiam, fit durior, & acuitur in pilos: ideo tunc & pubes.*

Tertullianus de Virginibus velandis : *Iam & vox abſoleſacta eſt , & membra completa ſunt , & pudor ubique veſtitur , & menſes tributa dependunt.* Hebræi etiam corpore inſpecto de ætate judicabant.

Et eras nuda & confuſione plena] In Hebræo , *Nuda & retecta :* id eſt, veſtitu carens, aut tenuiter veſtita. Sic exprimitur miſeria gentis in Ægypto.

8. *Et tranſivi per te , & vidi te*] *Præteriens te adſpexi.*

Et ecce tempus tuum , tempus amantium] Amorum: id eſt,

Iam matura viro , jam plenis nubilis annis.

Et expandi amictum meum ſuper te] Ritus in ſumenda uxore, Ruth III. 9. Sic Euripides :

ὅταν δ᾽ ὑπ᾽ ἀνδρὸς χλαῖναν εὐγενοῦς πέσῃς.
[*Quod ſi ſubieris conjugis clari togam.*]

Et operui ignominiam tuam] Veſtibus te indui.

Et juravi tibi , & ingreſſus ſum pactum tecum] In Sinaï.

Et facta es mihi] *Mea.*

9. *Et lavi te aquâ , & emundavi ſanguinem tuum ex te*] Balnea tibi paravi , in quibus ex profluvio mundareris , ut mos feminis Levit. XV. 19. Significat mundationes in Lege inſtitutas.

Et unxi te oleo] Vt mos fieri noviter nuptis, Ruth III. 3. Iudith. V. 3. Significatur Sacerdotium.

10. *Et veſtivi te diſcoloribus*] Novæ nuptæ etiam veſtes meliores ſumebant verſicolores. In Hebræo , *Veſtivi te acupictis.* Hæc omnia ſignificant varias Legis ceremonias.

Et calceavi te ianthino] In Hebræo , *melinis.* Hebræi diebus feſtis calceos habebant de melium pellibus : meminere Thalmudici.

Et cinxi te byſſo] In Hebræo, *Inſtravi te byſſo.* Stragulas lectorum tibi dedi è byſſo.

Et indui te ſubtilibus] In Hebræo , *Cinxi te ſerico:* id eſt, è ſerico feci tibi lecti περιπετάσματα [*velaria*]. Hîc ſignificantur ornamenta ſacri tentorii, quæ Deo velut nuptialis lectus.

11. *Et ornavi te ornamento*] Id eſt , omnem ornatum muliebrem tibi dedi : quæ generalitas deinde per ſuas ſpecies explicatur. Significantur ingentes divitiæ populi ſub Davide maximè , & Solomone.

12. *Et dedi inaurem ſuper os tuum*] *Monile ſuper naſum tuum.* Is mos erat illis gentibus. Vide quæ dicta Iob. XLII. II. Prov. XI. 22. Hieronymus, qui in illis locis vixit , *Vſque hodie inter cætera ornamenta mulierum ſolent aurei circuli in os ex fronte pendêre , & imminere naribus.*

Et circulos auribus tuis] Annulos aureos in auribus.

Et coronam decoris in capite tuo] Etiam corona imponebatur nubentibus , Cant. IV. 8. Claudianus de Proſerpina ,

——— *ſeſéque ignara coronat :*
Augurium fatale tori. ———

Significatur dignitas regia.

13. *Et veſtita es byſſo , & polymito, & multis coloribus*] *Byſſo, & ſerico , & acupictis.* Opulentorum uxores multas habere ſolent veſtium ſyntheſes.

Similam & mel & oleum comediſti] Non cepas & allia , ut in Ægypto. Solebant tribus his miſtis ſuaviſſimæ fieri placentæ.

Et decora facta es nimis] Ità delicatè habita ſpecioſior indies evaſiſti. Significatur Templi magnificentia.

Et profeciſti in Regnum] *Profeciſti in Regno :* id eſt, in majeſtate. Significatur imperium quæſitum in gentes vicinas, ut rectè hîc notat Chaldæus.

15. *Et habens fiduciam in pulchritudine tua , fornicata es*] *Sed ſuperbiens ob formam tuam, mœchata es.*

Lis eſt cum forma magna pudicitiæ.

Incipit jam attingere omnia gentis flagitia à Solomonis uſque temporibus.

In nomine tuo] Quaſi tui juris eſſes , & non in mariti poteſtate.

Et expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti] Id eſt, proſtituiſti libidines tuas.

16. *Et ſumens de veſtimentis tuis*] Byſſum, ſericum, acupicta.

Feciſti tibi excelſa] Id eſt, tentoria in excelſis, more Babylonico.

Hinc indè conſuta] טלאות ſunt *ſegmentata* , plagis latioribus.

17. *Vaſa decoris tui*] Ornamenta muliebria.

Feciſti tibi imagines maſculinas] Baalimos.

Et fornicata es in eis] Cum eis mœchata es.

18. *Et operuiſti illas*] Imagines.

Et oleum meum] Lychnos meos.

Et thymiama meum] Suffitus mihi debitos.

19. *Et panem meum quem dedi tibi*] *Panis* nomine Hebræi omne id quo nutrimur intelligunt. Hæc generalitas per ſubſequentia explicatur.

Similam & oleum & mel, quibus enutrivi te, poſuiſti in conſpectu eorum in odorem ſuavitatis] Id eſt , feciſti indè מנחה , μαναὰ [*manaa* ſive *oblationem è ſimila*] , cujus deſcriptio Levitici II.

Et factum eſt] Hæc omnino ſic facta ſunt : negari nihil horum poteſt.

20. *Et immolaſti eis ad devorandum*] Igne conſumendos dediſti.

Numquid parva eſt fornicatio tua ?] An parum ſceleris eſſe putatis in ſacrilegis illis ſacris ?

21. *Immolaſti filios meos, & dediſti illos conſecrans*] Idem aliis verbis repetit, ut magìs hæreat animo rei indignitas.

24. 25. *Ædificaſti tibi lupanar , & feciſti tibi proſtibulum in cunctis plateis. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ*] Tale illud :

Cunctis in triviis & angiportis
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Nimirum *feminæ impudicæ tandem noviſſimam voluptatem habent in magnitudine infamiæ* , ut Taciti utar verbis. Talis Meſſalina,

Auſa Palatino tegetem præferre cubili ,
Sumere nocturnos meretrix Auguſta cucullos ,
Linquebat comite ancillâ non ampliùs unâ :
Sed nigrum flavo crinem abſcondente galero
Intravit calidum veteri centone lupanar ,
Et cellam vacuam atque ſuam.

Per *lupanaria* aras intellige paſſim excitatas. Sicut in collibus erant aræ , ità & lupanaria. Propterea utitur voce רמה [*excelſi*] , & infrà גב [*eminentis loci*] , quod & comparationi convenit , & rei comparatæ.

Et abominabilem feciſti decorem tuum] Pulchritudo tua informem te fecit.

Et diviſiſti pedes tuos omni tranſeunti] Latini dicerent, *ſuſtuliſti pedes*, ut alibi notavimus: Græci, διήγαγες τὰ σκέλη σȣ.

Et multiplicaſti fornicationes tuas] Vt illa de qua Martialis:

Cùm ſe dediſſet omnibus modis largam.

Item:

Nulli, Thaï, negas; ſed ſi te non pudet iſtud,
Hoc ſaltem pudeat, Thaï, negare nihil.

26. *Et fornicata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnarum carnium*] Id eſt, bene vaſatis. Significatur idololatria ad exemplar Ægyptiorum, qui magni erant idololatræ. Vide quæ diximus ad Eſaiam XXX. XXXI.

27. *Ecce ego extendam manum meam ſuper te, & auferam juſtificationem tuam*] *Et cùm ego manum meam contra te extenderem, & diminuerem dimenſum tuum.* Id eſt, auferrem aliquid de opulentia quâ abutebaris.

Et dabo te in animas odientium te filiarum Palæſtinarum] *Et permitterem te arbitrio inimicarum tuarum Palæſtinarum.* Femininum nomen uſurpat, ut meliùs continuet allegoriam. Factum eſt hoc & quod ſequitur Achazi temporibus. Vide II Paralipomenon XXVIII. 16. 18. II Regum XVI. 7. 10.

Quæ erubeſcunt in via tua ſcelerata] Erubeſcebant. Palæſtini, quamvis mali, tua facta imitari non audebant: manebant penes deos ſuos, Ieremiæ II. 11.

28. *Et fornicata es in filiis Aſſyriorum*] Nam plerumque quorum amicitiam ambiebant, eorum cultus imitabantur, ut ad Eſaiam plùs ſemel notavimus.

Et poſtquam fornicata es, nec ſic es ſatiata] Vt Meſſalina:

Et laſſata viris, nondum ſatiata receſſit.

29. *Et multiplicaſti fornicationem tuam in terra Chanaan cum Chaldæis*] Addit *in terra Chanaan*, ut intelligatur hoc factum ante deportationem: fieri hoc cœpit jam à Ioachimi temporibus.

30. *In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus*] *Quàm infirmum factum eſt cor tuum?* id eſt, ægrum præ libidine.

Mulieris meretricis & procacis] In Hebræo, *meretricis liberæ*: id eſt, *maritum non habentis*. LXX, παῤῥησιαζομένης [*licentiam uſurpantis*].

31. *Nec facta es quaſi meretrix faſtidio augens pretium*] *Quaſi meretrix, quæ vilem ſe facit ob mercedem.* Condonandum aliquid iis quæ ſe vulgant ut habeant unde vivant. Terentius:

Mi Pamphile, hujus formam atque ætatem vides:
Nec clam te eſt quàm illi utræque res nunc utiles,
Et ad pudicitiam, & ad tutandam rem ſient.

32. *Sed quaſi mulier adultera, quæ ſuper virum ſuum inducit alienos*] *Pro viro ſuo*: à quo diligitur ac bene educatur, ut hîc Chaldæus.

33. *Tu autem dediſti mercedes*] Vt anus illa in Pluto Ariſtophanis.

Dona dabas eis] Magna munera intelligit miſſa ad Ægyptios, Aſſyrios & Chaldæos.

Vt intrarent ad te] In cubile tuum.

34. *Et poſt te non erit fornicatio*] Tam projectæ libidinis.

36. *Quia effuſum eſt æs tuum*] *Effuſa eſt ſpurcitia tua*: id eſt *virus*, ut loquitur Virgilius de equabus. نحسه Arabibus *ſpurcitia*. Confer Ierem. XIII. 27.

Revelata eſt ignominia tua] Patuêre partes pudendæ.

Super amatores tuos] *Coram amatoribus.*

Et ſuper idola abominatiomum tuarum] *Propter idola tua abominanda.*

In ſanguine filiorum tuorum, quos dediſti eis] *Ac ſicut ſanguinem filiorum tuorum dediſti eis*: Nempe & ego tuum ſanguinem dabo, ut ſequitur. Hîc incipit prima ἀπόδοσις [*redditio*] comparationis.

37. *Congregabo omnes amatores tuos*] Chaldæos adjutoribus Aſſyriis.

Cum univerſis quos oderas] Idumæis & Palæſtinis.

Et nudabo ignominiam tuam coram eis] *Publicæ infamiæ te exponam*: παραδειγματίσω σε [*faciam te exemplum*].

38. *Et judicabo te judiciis adulterarum, & effundentium ſanguinem*] Id eſt, partim lapidaberis, partim gladio trucidaberis, ut ſequitur infrà 40. Lapidatas aliquibus temporibus adulteras diximus ad Ioannem VIII. 5. Lapidata eſt Ieruſalem, cùm ex balliſtis Chaldæorum ſaxa in eam jacta ſunt. Gladii pœna propria homicidarum, quales illi in liberos ſuos fuerant.

Dabo te in ſanguinem furoris & zeli] Id eſt, in pœnam qualem zelotypi mariti in adulteram exercent. Vide ſuprà XIV. 19.

39. *Deſtruent lupanar tuum*] Templum, ex quo idolium feciſti.

Et demolientur proſtibulum tuum] In Hebræo, *Excelſa tua*. Vide ſuprà 24.

Et denudabunt te veſtimentis tuis] Muros tibi detrahent.

Et auferent vaſa decoris tui] Vaſa Templi, II Regum XXV. 13.

41. *Et comburent domos tuas igni*] Vt Lex fieri præcipit in urbem idololatrarum Deuteron. XIII. 16.

Et facient in te judicia in oculis mulierum plurimarum] Id eſt, vicinarum gentium.

Et mercedes ultrà non dabis] Non erit unde des.

42. *Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec iraſcar ampliùs*] Id eſt, iſtis pœnis exſatiabo iram meam.

43. *Vias tuas in capite tuo dedi*] Spreviſti me, ego ſpernam te: dolorem mihi intuliſti, & ego tibi inferam.

Et non feci juxta ſcelera tua in omnibus abominationibus tuis] Id eſt, circa idola. Non feci quantum peccata exigebant. Legit Hieronymus עשיתי [*feci*], ut & LXX. Alii עשית [*feciſti*], & exponunt: *Non feciſti cogitationem* (nam זמה *& cogitationem & ſcelus* ſignificat) *de omnibus abominationibus tuis*, nempe ad reſipiſcendum. Sic Chaldæus.

44. *Sicut mater ità & filia ejus*] Sic Iuvenalis:

——— *Exſpectas ut non ſit adultera Larga*
Filia, quæ nunquam maternos dicere mœchos
Tam citò nec tanto poterit contexere curſu,
Vt non ter decies reſpiret?

Matrem vocat Chananæos, & alias gentes quæ terram eandem antè tenuerant, ut diximus ſuprà 3.

45. *Quæ projecit virum ſuum*] Deum quem à Noë didicerant.

Et filios ſuos] Quos neci dedit in honorem Saturni. Is enim primitus mos Phœnicum, id eſt, Chananæorum.

Et ſoror ſororum tuarum es tu] Etiam ingenio ſimilis iis quos attingis ſanguine.

Quæ projecerunt viros ſuos] *Sorores* ſunt Sodoma, & Ammonitæ, & Moabitæ, quorum origo è Sodomis; & Samaria, princeps civitas Decem tribuum. Ammonitæ & Moabitæ pro veteribus diis ſuis Molocho & Chamoſo, Samaritæ pro vitulis ſuis deos Chaldæos receperant, quod tamen ipſis nihil profuit. Vide Ieremiæ XLVIII. XLIX. Erant autem Samaritæ cognati Iudæorum ex Iacobo, Ammonitæ & Moabitæ ex Thare.

46. *Soror tua major Samaria, ipſa & filiæ ejus*] Minora oppida, quorum Reges Samariæ habitabant. *Soror major* dicitur quæ propiori ſanguine connectitur; ut Decem tribus, quæ ex Iacobo. *Soror*, id eſt, conſanguinea, *minor*, quæ remotior ſanguine.

Quæ habitant ad ſiniſtram tuam] Id eſt, ad Septentrionem: locutio Hebraïca. Dicitur hoc ratione Templi, ſi indè Solem orientem reſpicias.

Quæ habitat à dextris] Id eſt, ad Meridiem. Vide Geneſ. XIII. 3. & ibi Chaldæos.

Sodoma & filiæ ejus] Ammonitis & Moabïtis.

47. *Neque ſecundùm ſcelera earum feciſti pauxillum minus*] *Neque ſecundùm ſcelera earum feciſti: perpaulum hoc fuiſſet*, ſupple *tibi*. Ità hîc Chaldæus.

Penè ſceleratiora feciſti] *Sceleratiora feciſti.* nam illud *penè* ex ſuperiori membro huc tranſlatum eſt.

49. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia*] Proprium vitium Ammonitarum & Moabitarum, Iſaiæ XVI. 6. Ieremiæ XLVIII. 27. XLIX. 21. Si de veteribus Sodomitis egiſſet, adjeciſſet nefarias libidines.

Saturitas panis, & abundantia, & otium] Id eſt, ſuperbia nata ex fertilitate terræ, rerum omnium copia, longâ pace: Ierem. XLVIII. 11. XLIX. 4. Philo in libro de Abrahamo, ubi de Sodomitis agit: ὅπερ φιλεῖ, κόρος ὕβριν ἐγέννησε [*ut fieri ſolet, ſatietas contumelioſam arrogantiam peperit*].

Et manum egeno & pauperi non porrigebant] Nempe Iudæis illuc depulſis. Vide quæ dicta ad Eſaiam XVI. 2. 36. Ieremiæ XLVIII. 27. XLIX. 1.

50. *Et elevatæ ſunt*] Intumuerunt rebus ſecundis.

Et abſtuli eas ſicut vidiſti] Id eſt, multos eorum per Salmanaſarem. Vide Eſaiæ XV. & XVI. & ibi dicta.

51. *Iuſtificaſti ſorores tuas*] Comparatione tui feciſti eas probas videri, Ieremiæ III. 5.

52. *Porta confuſionem tuam*] Volo feras pœnam cum ignominia conjunctam.

Quæ viciſti ſorores tuas peccatis tuis] In Hebræo: *Quæ judicium præoccupaſti adversùs ſororem tuam.* Id eſt, dixiſti Decem tribus juſtè punitas. Vide Lucæ XIII. 2.

53. *Et convertam reſtituens eas converſione Sodomorum cum filiabus ſuis, & converſione Samariæ, & filiarum ejus, & convertam reverſionem tuam in medio earum*] *Et redire faciam captivos illorum, captivos ſcilicet Sodomæ, id eſt, propaginum ejus: & captivos Samariæ, id eſt, propaginum ejus, & captivos qui ex veſtris capti ſunt pariter cum ipſis.* Redibitis quidem aliquando, ſed & vobiſcum redibunt Ammonitæ & Moabitæ, & quidam ex Decem tribubus quotquot ſe correxerint. Vide Ieremiæ XLVIII. 47. & XLIX. 30.

54. *Vt portes ignominiam, & confundaris in omnibus quæ feciſti conſolans eas*] Id eſt, ut te pudeat parem te haberi iis quos tantopere contemſiſti, & qui in longo exſilio ex te habebunt ſolatium.

55. *Et ſoror tua Sodoma, & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & Samaria & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem ſuam: & tu & filiæ tuæ revertemini ad antiquitatem veſtram*] *Cùm ſoror tua Sodoma, id eſt, propagines ejus, ad loca originis ſuæ revertentur: & Samaria, id eſt, propagines ejus, revertentur ad loca ſuæ originis: tunc & tu, id eſt, propagines tuæ, revertentur ad loca ſuæ originis.* Non antè, nè tibi placeas.

56. *Non fuit autem Sodoma ſoror tua audita in ore tuo in die ſuperbiæ tuæ*] Adeò deſpectui habuiſti Ammonitas & Moabitas de ſuis locis expulſos, ut nè dignos quidem arbitrareris quos nominares.

57. *Antequam revelaretur malitia tua*] Antequam malitiæ tuæ pœna appareret.

Sicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cunctarum in circuitu tuo filiarum Palæſtinarum quæ ambiunt te per gyrum] Quod nunc ità fiet, ut ſicut tu ſpreviſti Ammonitas & Moabitas, ità te deſpectui ſint habituri tam Syri quàm Philiſthini, qui ſunt planè ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*].

58. *Scelus tuum & ignominiam tuam tu portaſti*] Ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*]. *Portatis ignominiam, quæ eſt ſceleris pœna.*

59. *Et faciam tibi ſicut deſpexiſti juramentum, ut irritum faceres pactum*] Sicut tu deſpexiſti pactum infringendo, ſic ego te deſpiciam.

60. *Et recordabor ego*] *Attamen recordabor aliquando.*

Et ſuſcitabo tibi pactum ſempiternum] Renovabo tecum fœdus diu duraturum, Nehem. X.

61. *Et recordaberis viarum tuarum*] *Vbi tu recordata fueris viarum tuarum. Et* pro *cùm* ſatis frequens.

Et confunderis] Et pœnitentiam egeris.

Cùm receperis ſorores tuas te majores cum minoribus tuis] Id eſt, in illarum comitatu redieris.

Et dabo eas tibi in filias] Faciam ut tibi pareant, ſicut filiæ matri. Nam & Ammonitidos & Moabitidos multa Iudæi ſua armis fecerunt, ut alibi obſervavimus ex Ioſepho X. 12. & ex 1 Maccab. V. Et Samaria ipſis donata eſt, Ioſeph. XIII. 5.

Sed non ex pacto tuo] Μετωνυμία [*transnominatio*], pro eo quod diceres: *non quòd tu ex tua parte pacto ſteteris.* Ità Chaldæus.

62. *Et ſuſcitabo ego pactum meum tecum*] Ideo novabo fœdus, quia fœderi non ſtetiſti.

63. *Vt recorderis & confundaris, & non ſit tibi ultrà aperire os præ confuſione tua*] Vt agnoſcas perpetuò quanta peccaveris.

Cùm placatus tibi fuero in omnibus quæ feciſti] Poſtquam novum fœdus ineundo oſtendam me illa tam gravia ac magna condonare.

CAPVT XVII.

2. P*Ropone ænigma*] Αἶνον [*apologum*]. Qualis ille apud Heſiodum de accipitre. Habes hunc locum Græcè apud Chryſoſtomum XIX. de Statuis.

3. *Aquila grandis*] Nabuchodonoſor, ut videre eſt Ieremiæ XLVIII. 40. XLIX. 22.

Magnarum alarum] Magnas ſecum copias habens, Ieremiæ XLVIII. 4.

Longo membrorum ductu] Μακρὸς τῇ ἐκτάσει [*longè extenſa*], LXX. אברא *membrum* Chaldæis. Hoc ſecuti ſunt Interpretes omnes, non Hebræam ſignificationem quæ *alam* ſignificat: id enim ſatìs præceſſerat. Significatur Nabuchodonoſor latè imperaſſe.

Plena plumis & varietate] In Hebræo: *Plena plumis, in quibus erat varietas.* Varios linguâ & habitu ſub ſe populos habens.

Venit ad Libanum] *Libani* nomine vocatur & Templum & urbs Hieroſolyma, quòd ferme tota ex cedris *Libani* conſtaret. *Libani* nomine Templum ſignificari conſtat apud Iudæos, ut ait in Demonſtratione Euſebius.

Tulit medullam cedri] צמרת, quod Chaldæus vertit *ramum*; id enim eſt עברתא. Intelligit bonam partem de populo: II Regum XXIV. 14.

4. *Summitatem frondium ejus avulſit*] *Caput tenerorum ramorum ejus.* Iechoniam Regem natum annos tantùm XVIII.

Tranſportavit eam in terram Chanaan] *In terram mercatoriam.* Talis enim Babylonia, maximis amnibus navigabilis. כנען vertitur ἔμπορος [*mercator*] Eſaiæ XXIII. 8.

In urbe negotiatorum] Laudo qui verterunt *& aromatariorum.* Nam Chaldæis רגלים id propriè ſignificat. Plena autem aromatum erat Babylon ex commercio cum Arabibus, Perſis & Indis. Indè ſuffitus diis largiſſimè faciebant Babylonii, ità ut urbs tota fumare videretur.

5. *Et tulit de ſemine terræ*] Sedeciam Regiæ ſtirpis virum.

Et poſuit illud in terra pro ſemine] *Ad ſementem faciendam*, Chaldæus hìc: ut familia Regia per eum duraret.

Vt firmaret radicem] Non eſt in Hebræo.

Super aquas multas] *Iuxta aquas multas.* In ſolo optimo, Eccleſiaſtæ XI. 1.

In ſuperficie poſuit illud] A צפה, quod eſt *conſpicere*, factum credidit geminatum צפצפה, ut & LXX, qui vertunt ἐπιβλεπόμενον [*conſpicuum*]. Ità Sedeciam poſuit Babylonius ut aſpici poſſet, id eſt, à Iudæis quidem ſuſpiceretur, ab ipſo autem pendêret, ut ſequitur. صفصف Arabibus, & Chaldæis צפצפה eſt *ſalicis* genus. Hinc ſenſus eſſet: *poſuit quaſi ſalices.* Nam ſalices aquas amant, Plinius XVI. 19. Pſalmo CXXXVII. 2. Eſaiæ XLIV. 4.

6. *Cúmque germinaſſet crevit in vineam latiorem*] *Latè ſe extendentem*, ſive *luxuriantem*: id enim propriè eſt סרחה.

Humili ſtaturâ reſpicientibus ramis ejus ad eam] *Ramis*, id eſt, palmitibus: *ad eam*, ſupple *aquilam.* Senſus erit: Erat Rex ſatìs opulentus & felix, ſed obligatus ſuſpicere Regem Babylonium, ac venerari, ut partim ſubditus, aut ut cliens.

Et radices ejus ſub illa erant] Id eſt, firmitas regni ipſius à Babylonico pendebat.

Facta eſt ergò vinea] *Facta eſt, inquam, vinea.* Repetit enim quod dixerat.

Et fructificavit in palmites, & emiſit propagines] Filios genuit; Ieremiæ LII. 10.

7. *Et facta eſt*] *Fuit autem*, ויהי.

Aquila altera grandis] *Rex Ægyptius.* Infrà hoc explicatur 15. & bene agnovit dicto loco Chryſoſtomus. Is Rex videtur fuiſſe Apries, cujus Ieremias & Herodotus meminêre.

Magnis alis, multíſque plumis] Exercitus & populos varios ſub ſe habens.

Et ecce vinea iſta] Sedecias.

Quaſi mittens radices ſuas ad eam] In Hebræo: *Inflexit radices ſuas ad eam.* Ab ipſo firmitatem petiit: ad ejus clientelam conferre ſe voluit, Ieremiæ XXXVII. 38. II Regum XXIV. 7. II Paralipomenon XXXVI. 13.

Vt irrigaret eam de areolis germinis ſui] Id eſt, eâ ſpe, ut auxiliares copias magnas ab ipſo acciperet. שקה non *irrigare* tantùm ſed ſæpe & *pinguefacere* ſignificat, ſumitúrque hìc pro *conſerere*.

8. *In terra bona ſuper aquas multas plantata eſt, ut faciat frondes, & portet fructum, ut ſit in vineam grandem*] Repetit quæ dixerat, ut ex beneficiorum magnitudine gravior ſit culpa animi ingrati.

9. *Ergóne proſperabitur?*] Fierínе poterat, ut Deus res proſperas daret, & ingrato & perfido? Fides ſervanda jure gentium, etiam ad quam belli aliquâ neceſſitate deventum eſt. Vide lib. III. de Iure Belli ac Pacis, cap. XIX. § 11. At Sedecias præter fidem etiam beneficiis erat obligatus, omnia ſua Babylonio debens.

Nónne radices ejus evellet] Statum ejus evertet Babylonius.

Fructus ejus diſtringet] *Excidet* liberos Sedeciæ.

Et ſiccabit omnes palmites germinis ejus: & areſcet] Meliùs, *Et areſcet* (ipſa vinea), *& palmites germinis ejus areſcent* pariter. *Areſcere* eſt ſuccum vividum amittere, tabeſcere, ut ſolent qui in miſera ſunt ſervitute, Levit. XXVI. 19. *Palmites* ſunt Principes & populares.

Et non in brachio grandi, neque in populo multo, ut evelleret eam radicitus] *Veniet* ſcilicet, quod hìc addit Chaldæus. Non opus illi erit totis regni ſui viribus uti adversùs Regem tam impotentem.

10. *Ecce plantata eſt*] Eſto: *bene plantata erat.*

Nónne cùm tetigerit eam ventus urens] In Hebræo: *ventus Orientalis.* Nam populi qui Chaldaïci erant Imperii, partim Iudæis ad Orientem, partim ad Septentrionem objacebant, ut dictum eſt alibi.

Et in areis germinis ſui areſcet] Apud Ierichuntem capietur.

12. *Ecce venit Rex Babylonis*] Hoc eſt apologi ἐπιμύθιον [*adfabulamentum*].

Aſſumet Regem] *Cepit* Regem Iechoniam.

Et adducet] *Adduxit.* Sic & Chaldæus hæc omnia per præterita vertit.

13. *Et tollet*] *Tulit.*

Feriétque] *Feriítque.*

Cum eo fœdus] Nempe inæquale, quo Sedecias imperata quædam facere teneretur.

Et ab eo accipiet jusjurandum] *Accepit*, quod vel ſolum ſufficere debebat ad eum retinendum in fide.

Sed & fortes terræ tollet] *Abſtulit*, velut obſides fœderis.

14. *Vt ſit regnum humile, & non elevetur, ſed cuſtodiat pactum ejus, & ſervet illud*] Vt illo velut fræno Iudæa retineretur in obſequio.

15. *Miſit nuncios ad Ægyptum*] Vide ſuprà 7.

Vt daret ſibi equos] Quibus maximè valebat Ægyptus, Deuteronomii XVII. 16.

Et qui diſſolvit pactum numquid effugiet?] An impunè feret rupta fœdera?

16. *In loco Regis*] In urbe regia, Babylone, ut jam ſequitur.

17. *Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao prælium*] Meliùs: *Faciet contra ipſum Pharaonem prælium*, nempe Chaldæus. Non opus erit ut totis viribus regni cum Ægyptio certet: nam Ægyptius audito ejus adventu recedet.

In jactu aggeris, & in exſtructione vallorum] Supple, *ſatis erit virium ad urbem capiendam*. Non majoribus copiis opus eſt quàm caſtra ad urbem poſita capiant.

Vt interficiat animas multas] Telis primùm, deinde, urbe captâ, gladiis.

18. *Et ecce dedit manum ſuam*] *Atqui dederat manum ſuam*, firmando fœderi, ut moris erat. Vide quod diximus Ieremiæ L. 15.

19. *Et fœdus quod prævaricatus eſt*] In Hebræo: *Fœdus meum quod rupit*. Iuratum ſcilicet in meo nomine.

Ponam in caput ejus] Faciam ut illi malè vertat.

20. *Et expandam ſuper eum rete meum, & comprehendam eum in ſagena mea*] Suprà XII. 13. infrà XXXII. 3.

In prævaricatione qua deſpexit me] Ex lege Exodi XX. 7.

21. *Et omnes profugi ejus*] Comites fugæ.

22. *Et ſumam ego de medulla cedri ſublimis, & ponam*] *De ramis cedri*: id eſt, multos populi in ſuis ſedibus collocabo. *Et ſumam ego*: Meliùs mihi res ſuccedet quàm Nabuchodonoſori.

De vertice ramorum ejus tenerum diſtringam] *De ſummis ramis ejus teneris tenerum* (unum) *auferam*: nempe è captivitate. *Summi rami* ſunt qui erant de domo Davidica; *teneri*, quia viribus exiguis. Zorobabel deſignatur.

Et plantabo ſuper montem excelſum & eminentem] Hieroſolymis, cujus urbis pars magna montana.

23. *Et erumpet in germen, & faciet fructum*] E cordis germine optimos proferet fructus pietatis. Verè hoc dictum de Zorobabele.

Et erit in cedrum magnam] Per illum gens Iudæa potens erit.

Et habitabunt ſub ea omnes volucres, & omne volatile ſub umbra frondium ejus nidificabit] Id eſt, gentes aliæ ſub ejus tutelam ſe conferent. Similis locutio Daniel. IV. 9. Vide quæ dicta Matth. XIII. 32. In his fuêre Nabathæi. Vide 1 Maccab. V.

24. *Et ſcient omnia ligna regionis*] *Omnes ubivis arbores*: id eſt, gentes.

Humiliavi lignum ſublime] Deprimam Babylonios. Præterita enim hæc futuri habent ſenſum. Tectè loquitur, quia vivebat ſub Babyloniis.

Exaltavi lignum humile] Depreſſos Iudæos erigam.

Et ſiccavi lignum viride] *Arefaciam*. Id eſt, ſuis opibus ſpoliabo Babylonem, quæ diu floruit.

Et frondere feci lignum aridum] Hieroſolyma, quæ deſtructa fuêre reſtituam, opéſque ipſis dabo.

Et feci] *Faciam*.

CAPVT XVIII.

2. *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt*] Frequens illis temporibus adagium, ut apparet Ieremiæ XXXI. 29. ſimile illi Horatiano:

Delicta majorum immeritus lues,
Romane.

Volebant credi innocentes, cùm minimè tales eſſent.

3. *Vivo ego*] Eſt χαριεντισμὸς [*locutionis emollitio*], pro *Nè vivam*.

Si erit ultrà vobis parabola hæc in proverbium] Deus vitæ necíſque omnium Dominus poteſt ob peccata parentum etiam poſteris aut immaturam mortem aut ſervitutem immittere: & cum id facit, ut fecit aliquoties, nemini facit injuriam. Regibus autem, qui tale dominium non habent, meritò id Lex interdixit. Cæterùm appropinquante jam Euangelii tempore, Deus exactiùs juſtitiam ſuam apparere, ideóque impios omnes gladio, peſte, fame interire voluit, minùs malos mori in ſervitute, bonos redire liberos in patriam.

4. *Omnes animæ meæ ſunt*] Omnes homines in mea ſunt poteſtate.

5. *Fecerit judicium*] Cuique ſuum tribuendo.

Et juſtitiam] Beneficentiam exercuerit, ut mox latiùs explicatur.

6. *In montibus non comederit*] Poſt ſacrificia epulari mos erat, & quidem iiſdem in locis ubi ſacrificatum fuerat.

Oculos ſuos non levaverit ad idola] Geſtus precantium, Pſalmo CXXI. 1.

Vxorem proximi ſui] Iſraëlitæ.

Et ad mulierem menſtruatam non acceſſerit] Ex lege ſapientiſſima Levit. XX. 18.

7. *Et hominem non contriſtaverit*] *Hominem non oppreſſerit*. Id enim eſt ינה, quomodo & Chaldæus & LXX intellexêre.

Pignus debitori reddiderit] Nempe tale quo debitor ſine gravi incommodo carere non poſſit, Exodi XXII. 26.

Per vim nihil rapuerit] In Hebræo: *Rapinam non rapuerit*. Vide Levit. XIX. 3.

Panem ſuum eſurienti dederit] Poſt officia *judicii*, id eſt, juſtitiæ, venit ad officia beneficentiæ, quam Hebræi ſæpe *juſtitiam* vocant: & Euangelio viam ſtruit, ut & Eſaias fecerat LVIII. 7. Vide Matthæi III. 11.

Et nudum operuerit veſtimento] Eſt & hoc apud Eſaiam dicto loco. Confer Matthæi XXV. 35.

8. *Ad uſuram non commodaverit*] *Commodare* pro *mutuum dare* poſuit: ſunt enim hæc affinia. *Vſura* de pecunia propriè dicitur.

Et amplius non acceperit] תרבית πλεονασμὸν [*augmentum*]. Ità dicitur quicquid in rebus aliis præter pecuniam lucrifit ſuper quantitatem mutuò datam, Levitici xxv. 36. Hieronymus in Commentariis ad hunc locum: *Putant quidam uſuram tantùm eſſe in pecunia, quod prævidens Scriptura Divina omnis rei aufert ſuperabundantiam, ut plus non accipias quàm dediſti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei, cæterarúmque ſpecierum uſuræ exigi, ſive, ut appellat ſermo Divinus,* ſuperabundantiæ*: verbi gratiâ, ut hyemis tempore demus decem modios, & in meſſe recipiamus quindecim, hoc eſt amplius partem mediam. Qui juſtiſſimum ſe putaverit, quartam plus accipiet portionem, & ſolent argumentari ac dicere, Dedi unum modium, qui ſatus fecit decem modios: nónne juſtum eſt ut medium modium de meo plus accipiam, cùm ille meâ liberalitate novem & ſemis de meo habeat? Noli errare, inquit Apoſtolus, Deus non irridetur.*

Ab iniquitate averterit manum ſuam] עול eſt *dolus malus.*

Et judicium verum fecerit inter virum & virum] Sive Iudex conſtitutus, ſive lectus arbiter.

9. *Vt faciat veritatem*] Ità Hebræi vocant quidquid rectum eſt.

Vitâ vivet] Servabitur à gladio, peſte, fame.

10. *Latronem*] Propriè פריץ eſt *effractor*, ſed ſolet ſumi latiùs.

Effundentem ſanguinem] Nempe innoxium.

Fecerit unum de iſtis] De malis rebus quas recenſuimus: quas mox repetit.

11. *Et hæc quidem omnia non facientem*] *Qui omnia hæc* (nempe bonas res antè dictas) *non fecerit.*

12. *Abominationem facientem*] Sic vocat congreſſum cum femina vetito tempore.

13. *Morte morietur*] Immaturâ: *ante diem*, ut dicunt Poëtæ.

Sanguis ejus in ipſo erit] *Reatus mortis.* Vt hîc Chaldæus.

14. *Timuerit, & non fecerit ſimile eis*] *Videns*, inquam, *tamen ſimile illis non fecerit.* Exemplo paterno trahi ſe paſſus non ſit.

18. *Pater ejus quia calumniatus eſt, & vim fecit fratri*] *Quia oppreſſit oppreſſione, & rapinam rapuit.*

Mortuus eſt in iniquitate ſua] *Morietur ob peccatum ſuum.*

19. *Et dicitis, Quare non portavit filius iniquitatem patris?*] Meliùs ſic: *Attamen dicitis, Cur?* id eſt, Cur hoc ità generaliter affirmas? *Nónne portat filius iniquitatem patris ſui?* id eſt, Nónne ob parentum delicta nos vapulamus? Reſpondet huic objectioni Deus.

Videlicet quia filius judicium & juſtitiam operatus eſt] *Imò ſi filius jus & beneficentiam exercuerit.*

Omnia præcepta mea] Vide quæ ad Lucam I. 6.

Vivet vitâ] Felice.

20. *Iuſtitia juſti ſuper eum erit*] Merces juſtitiæ hîc vocatur *juſtitia*, ſicut pœna dicitur *iniquitas*.

21. *Egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis*] In Hebræo: *Averſus fuerit ab omnibus peccatis ſuis:* id eſt, exutus vitiis, virtuti ſe dederit.

22. *Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor*] Aliquid boni erat in Deportatione: nam ſtante Republicâ, qui illa graviora peccaſſet, re ad notitiam Iudicum perductâ, moriebatur. In exſilio ceſſantibus ex Lege judiciis, tempus dabatur ad pœnitentiam, ac per pœnitentiam accipiebatur impunitas. Ità paulatim ad Euangelium præparabantur animi.

Non recordabor] Id eſt, non infligam pœnas.

In juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet] *Quam operatur.* Cui dat operam.

23. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non ut convertatur à viis ſuis, & vivat?*] Comparatè hæc ſumenda, ut Oſeæ VI. 6. Senſus enim eſt: Malo ut homo ab impietate ſua ſe avertat, & ſibi proſit, quàm ut perſtans in malis factis pœnam in ſe acceſſat.

24. *Omnes juſtitiæ ejus quas fecerat non recordabuntur*] Vt ille apud Valerium Maximum dicebat: *Manlius eras mihi cùm præcipites agebas Senonas: poſtquam mutari cœpiſti, unus factus es ex Senonibus.* Bene Thucydides: Διπλασίας ζημίας ἄξιοί εἰσιν ὅτι ἀντ' ἀγαθῶν κακοὶ γεγένηνται [*Duplâ pœnâ digni ſunt qui ex bonis mali ſunt facti*]. Peſtilentes ſunt magiſtri qui negant id fieri poſſe, quod Deus & fieri poſſe, & graviter à ſe puniri teſtatur.

In prævaricatione] *Ob prævaricationem.* Sic mox *in eis*, id eſt, *propter eas.* Nam particula ב [*in*, *ob*, &c.] apud Hebræos varias habet ſignificationes.

27. *Ipſe animam ſuam vivificabit*] Id eſt, ſemet ſervabit à mala morte, ut rectè hîc exponunt LXX. Verba in Hiphil ſæpe talem ſignificationem habent.

30. *Iuxta vias ſuas*] Præſentes, non præteritas.

Convertimini] Vertite vos ad me.

Et agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris] In Hebræo: *Avertite vos ab omnibus impietatibus veſtris.*

Et non erit vobis in ruinam iniquitas] *Ne ſit vobis in ruinam.* Eſt enim abſterrentis.

31. *Facite vobis cor novum, & ſpiritum novum*] Idem actus alibi Deo, alibi homini aſſcribitur: Deo ut cauſæ præcipuæ, homini ut liberè Deum ſequenti.

Quare moriemini?] *Quare moreremini?* Cur ultro accerſeretis mortem?

32. *Nolo mortem morientis*] Comparatè, ut modò diximus: id eſt, magìs me juvat vita mutati in melius quàm contumacium pœna. Hoc non obſtat quin ſit apud Deum limes aliquis miſericordiæ, ut apparuit in Pharaone, Cananæis, & aliis. Vide I Samuel. II. 25. I Paralipom. XXXV. 16.

CAPVT XIX.

1. *Aſſume planctum*] *Profer lamenta.*

Super Principes Iſrael] נשיאי [*Principes*], id eſt Reges, ut ſuprà VII. 27.

2. *Quare mater tua leæna inter leones cubavit*] Meliùs: *Quid* (fuit) *mater tua* (Iudæa gens)? *leæna cubans inter leones:* id eſt, tuta vivens inter tot vicinos Reges. Alluditur ad locum Geneſeos XLIX. 9.

In medio leunculorum enutrivit catulos ſuos] Fœcunda fuit, invidentibus vicinis.

3. *Et eduxit unum de leunculis ſuis: leo factus eſt, & didicit*

didicit capere prædam, hominémque comedere] Ioachazus crudelis factus, II Regum xxiii. 32.

4. *Et non abſque vulneribus ſuis ceperunt eum*] In Hebræo: *In ſcrobe eorum captus eſt.*

Adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti] In Hebræo, *hamis*; ſed per eam metaphoram ſignificantur *compedes*, II Regum xxiii. 33.

5. *Quæ cùm vidiſſet quoniam infirmata eſt, & periit expectatio ejus*] *Quæ* (gens Iudæa) *videns cùm expectaſſet* (aliquandiu), *periiſſe ſpem ſuam*: id eſt, non reddi ſuis precibus ab Ægyptio Ioachazum.

Tulit unum de leunculis ſuis, leonem conſtituit eum] Eliachimum ſive Ioachimum Regis Ægyptiorum conceſſu Regem agnovit, II Regum xxiii. 30. II Paralipom. xxxvi. 4.

6. *Qui incedebat inter leones*] Regio more vivebat.

Et didicit prædam capere, & homines devorare] Factus eſt & ipſe crudelis. Vide II Reg. xxiii. 37. II Paralipom. xxxvi. 5.

7. *Didicit viduas facere*] Chaldæus legit ירע אלמנותיו [*corrupit palatia eorum*]. optimè.

Et deſolata eſt terra & plenitudo ejus à voce rugitûs illius] *Plenitudo ejus*, ſupple *fugit*. Plenitudo terræ ſunt homines: hi præ metu crudelis Domini fugiebant.

8. *Convenerunt adversùs eum gentes undique*] Chaldæi, Syri, Moabitæ, Ammonitæ, II Regum xxiv. 2.

In vulneribus earum captus eſt] *In ſcrobe earum*, ut ſuprà 4.

9. *In catenis*] *Hamis*, ut ſuprà 4.

Ad Regem Babylonis] II Paralipom. xxxvi. 6.

Nè audiretur vox ejus ultrà ſuper montes Iſrael] Nè cui ultrà terrori eſſet, ut ſuprà 7.

10. *Mater tua*] Altera comparatio, ad eandem gentem Iudæam pertinens.

In ſanguine tuo] In quiete tua: id eſt, cùm tu Ezechiel & alii tecum quietè domi viveretis.

Super aquam plantata es] Vt ſuprà xvii. 8.

Fructus ejus] Crevit populus.

Et frondes ejus] Auctæ opes.

11. *Factæ ſunt ei virgæ ſolidæ in ſceptra dominantium*] Ex familia Davidis modò hic, modò ille ad regnum pervenêre.

Et exaltata eſt ſtatura ejus inter frondes] Stirps ipſa inter ſuas frondes crevit.

12. *Et evulſa eſt*] *Sed evulſa eſt*: gens deportata.

In terramque projecta] Contemtui habita.

Ventus urens] Ventus Orientalis, ut ſuprà xvii. 10.

Siccavit fructum ejus] Multos de populo occîdit.

Marcuerunt, & arefactæ ſunt virgæ roboris ejus] Reges capti.

Ignis comedit eam] Ira Divina Reges ad exitium uſque perſecuta eſt.

13. *Et nunc tranſplantata eſt in deſertum in terra invia & ſitiente*] Peſſima terræ Chaldaïcæ illis data ſunt excolenda.

14. *Et egreſſus eſt ignis de virga ramorum ejus, qui fructum ejus comedit*] Ira Divina ob crimen Sedeciæ populum occidioni dedidit.

Et non fuit in ea virga fortis, ſceptrum dominantium] Nulli ultrà ex ea ſunt Reges.

Planctus eſt, & erit in planctum] Hæc eſt Prophetia planctûs verè eventuri.

CAPVT XX.

1. *Venerunt viri de Senioribus Iſraël*] Legati illi à Sedecia miſſi, de quibus ſuprà xiv. factum hoc in reditu Legatorum.

Vt interrogarent Dominum] Vt conſilium expoſcerent de rebus ſuis.

4. *Si judicas eos, ſi judicas, fili hominis*] *An pro eis litigares, an pro eis litigares, fili hominis?* Id eſt, velléſne tam improborum cauſam defendere? Nam שפט ſæpe eſt *litigare*, & את non raro *pro* ſignificat.

Abominationes patrum eorum] Quas & ipſi ſecuti ſunt.

5. *Levavi manum meam*] Iuravi eis, Exodi iii. 6. ſic locutio hæc & infrà ponitur 15.

Apparui eis in terra Ægypti] *Cognitus eis ſum* per miracula.

7. *Offenſiones oculorum ſuorum*] In Hebræo, *Abominationes oculorum*: id eſt, idola ad quæ attolluntur oculi, ut ſuprà habuimus xviii. 6.

8. *Et dixi ut effunderem indignationem meam ſuper eos*] *Dixeram & me effuſurum.* ſic & infrà 13. Minatus illis eram peſtem aut gladium cùm in Ægypto adhuc eſſent, Exodi v. 3.

9. *Et feci*] *Attamen feci.* Bene illis ſcilicet.

Propter nomen meum] Quia Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, mei vocati fuerant.

10. *Ejeci ergò eos de terra Ægypti*] Egredi feci.

11. *Præcepta mea*] חקות [*præcepta*] ſunt quæ ideo obligant quia ità conſtituta ſunt.

Et judicia mea] משפטי [*judicia*] ſunt ea quæ naturalem in ſe æquitatem continent.

Quæ faciens homo vivet in eis] Vitam longam ac felicem, quæ promiſſa Legem implentibus. Chaldæus hæc & alia ad vitam æternam refert: nimirum quia eam ſperabant, non tamen ex Legis pacto.

12. *Inſuper & Sabbata mea dedi eis*] Id eſt, legem de quiete obſervanda in Sabbatis.

Vt eſſent ſignum inter me & eos] Vt hac etiam re à populis aliis diſcriminarentur, ad quos aliqua quidem Sabbati traditio pervenerat, ſed non cum illa quietis lege, ut diximus ad librum v. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Et ſcirent quia ego Dominus ſanctificans eos] Vt die Sabbati convenirent, & mea in ſe beneficia prædicarent.

13. *Irritaverunt me domus Iſraël in deſerto*] Non in Ægypto tantùm, ſed etiam cùm jam educti eſſent, & ſæpius & multis modis me irritarunt.

15. *Levavi manum meam ſuper eos in deſerto*] Contra eos juravi. Vide Pſalm xcv. 11.

16. *Poſt idola enim cor eorum gradiebatur*] Maximè in terra Madian, Numer. xxv.

17. *Nec conſumſi eos in deſerto*] Id eſt, gentem totam non exſtinxi.

21. *Et exacerbaverunt me filii*] Etiam filii. Referendum hoc ad Iudicum tempora.

22. *Averti autem manum meam*] Continui me nè eos perderem.

23. *Iterum levavi manum meam in eos in ſolitudine*]

Atqui adhuc in deſerto illis juraveram : nempe minas graves illis denuntiaveram, ſi Legem ſpernerent, Deuteronomii XI. XXVIII.

25. *Et ego dedi eis præcepta non bona, & judicia in quibus non vivent*] Mentem ipſis ademi, ità ut, meis legibus contemtis, ipſi ſibi leges facerent duras atque mortiferas. Ità Chaldæus hîc.

26. *Et pollui eos in muneribus ſuis*] Permiſi ut ſacrilega ſacra facerent.

Cùm offerrent omne quod aperit vulvam] Ego primogenitos redimi volueram: illi ſibi impoſuerunt ut Molocho eos ad mortem offerrent.

Propter delicta ſua] Hoc ità direxi, ut appareret quàm bono Deo deſerto quàm malos ſibi ipſi adſciſcerent.

27. *Adhuc & in hoc blaſphemaverunt me patres*] *Adhuc ampliùs probris me affecere.* Etiam qui diis Gentium ſacra non fecere, mihi ſacra fecerunt in locis vetitis.

28. *Viderunt omnem collem excelſum*] Placuerunt eis colles iſti, Eſaiæ LVII. 7.

Et poſuerunt ibi odorem ſuavitatis ſuæ] Suffitus ex aromatis fecere.

29. *Et dixi ad eos: Quid eſt excelſum ad quod vos ingredimini?*] In Hebræo, במה [*eminentia*]. Sic autem gentes vicinæ vocabant ſuas aras: unde & Græcum βωμοί. Cur illuc potiùs itis quàm in Templum meum? quid in eo videtis eximii? Hæc per Prophetas eos ſæpe monui.

Et vocatum eſt nomen ejus Excelſum uſque ad hanc diem] *Attamen adhuc hodie* במה *dicitur:* Id eſt, manet & mos, & ipſum vocabulum à profanis gentibus deſumtum, cùm ego altare mihi ſacratum מזבח [*locum ad ſacrificia*] appellaverim.

31. *Cùm traducitis filios veſtros per ignem*] Luſtratis eos: qui mos in locum combuſtionis ſucceſſerat.

Et ego reſpondebo vobis] Conſilium dabo.

32. *Erimus ſicut gentes, & ſicut cognationes terræ*] Similitudine cultûs commendati tranquilliùs & amiciùs cum ipſis vivemus.

34. *Educam vos de populis, & congregabo vos de terris, in quibus diſperſi eſtis*] Educam vos longè ab illis quibus nunc permixti vivitis, & quorum exempla imitamini; à Phœnicibus, Ammonitis, Moabitis, quorum fines attingitis.

35. *Et adducam vos in deſertum populorum*] Ducam vos in loca à populis deſerta, ut ſuprà XIX. 13.

Et judicabor vobiſcum ibi facie ad faciem] Efficiam ut appareat me hæc juſtè feciſſe.

36. *In deſerto terræ Ægypti*] Attingente Ægyptum.

37. *Et ſubjiciam vos ſceptro meo, & inducam vos in vinculis fœderis*] Nempe auferendo malos, paucos ſanabiles relinquendo.

38. *De terra incolatûs eorum*] Vbi ad tempus habitant: de Iudæa ſcilicet, quam ipſi in perpetuum ſibi manſuram fuiſſe gloriabantur.

Et in terram Iſraël non ingredientur] Illi impii domum non redibunt.

39. *Singuli poſt idola veſtra ambulate, & ſervite eis*] Apertè potiùs eſtote idololatræ quàm ut cultum meum, qui purus eſſe debet, cum profanarum gentium ritibus miſceatis.

Quòd ſi & in hoc non audieritis me, & nomen meum ſanctum pollueritis ultrà in muneribus veſtris, & in idolis veſtris] Ex Hebræo vertas optimè: *Tunc enim* planè *me non audietis, neque polluetis* ultrà *nomen meum ſanctum per munera & marmora veſtra.* Id eſt, ſi id faciatis, oſtendetis planè vos ad me non pertinere, neque nomen meum injuſtè uſurpabitis, offerendo oblationes non legitimas in aris iſtis marmoreis exemplo Gentium fabricatis.

40. *In monte ſancto meo, in monte excelſo Iſrael, ait Dominus Deus, ibi ſerviet mihi omnis domus Iſrael*] Id eſt, ſervire debet. Si quis mihi offerre quid velit, in Templo ad id à me electo id facere debet.

Omnes, inquam, in terra in qua placebunt mihi] Verte: *Omnes*, inquam, *qui ſunt in ipſa terra, ibi illa* (quæ offerent) *grata habebo,* non alibi.

Et ibi quæram primitias veſtras] *Approbabo oblationes veſtras.* Eſt enim תרומה [*exaltatio*] vox generalis ad omnia quę offeruntur pertinens: eximiè de Decimis dicitur.

Et initium decimarum veſtrarum] In Hebræo: *Initium elevationum veſtrarum.* Id eſt, initium fructuum quos de terra tollitis, primitias, Exod. XXII. 29. XXIII. 19. Deuteronomii XXVI. 2.

In omnibus ſanctificationibus veſtris in odorem ſuavitatis ſuſcipiam vos] Id eſt, omnia ſacrificia veſtra mihi erunt grata. Loquendi genus quale Geneſeos VIII. 21.

41. *Cùm eduxero vos de populis*] Novus ſenſus incipit, *Vbi vos reduxero ab exſilio.*

Et ſanctificabor in vobis in oculis nationum] *Et pro tunc.* Tunc fiet ut populi omnes meas vires, quas in vobis reducendis oſtenderim, agnoſcant.

44. *Scietis quia ego Dominus*] יהוה memor promiſſorum quæ feci Abrahamo, Iſaaco, & Iacobo.

Propter nomen meum] Vide ſuprà 9.

Et non ſecundùm vias veſtras malas, neque ſecundùm ſcelera veſtra peſſima] Quæ nunc in illa terra viventes admittitis, ſuprà XVI. 61.

46. *Pone faciem tuam contra viam Auſtri*] Hîc debuerat initium poni ſequentis capitis: nam illa quæ nos habemus XXI. 1. nudam expoſitionem horum verborum continent. Prophetæ agenti ad Chaboram Iudæa partim erat ad Meridiem. Prophetæ de quibus vaticinaturi erant ad eos ſe vertebant.

Stilla ad Africum] Id eſt, *vaticinare*, ut hîc habet Chaldæus. Sic & Amos VII. 16. Michææ II. 6. Prophetia de cœlo venit, ut imber.

47. *Saltui Meridiano*] Nemoroſa enim Iudæa.

Ecce ego ſuccendam in te ignem] Hieroſolymis, & in oppidis aliis, villiſque. *Ignis* hîc non incendium tantùm ſignificat, ſed omne quod abſumit, ut ſuprà XIX. 12.

Et comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum] In Hebræo: *Devorabit in te:* id eſt, efficiet nè compareant aut boni aut mali. Vide XXI. 3. 4.

Non exſtinguetur flamma ſuccenſionis] Non ceſſabunt immiſſa mala niſi peractis quæ volo. Vide XXI. 5.

Et comburetur in ea omnis facies ab Auſtro uſque ad Aquilonem] *Omnis homo:* id eſt, multi ubique locorum, ab uno fine ad alterum.

49. *Ipſi dicunt de me*] *Dicent de me*, ſi hæc ipſis eo modo enuntiaverim.

Numquid non per parabolas loquitur iſte?] Id eſt, Nonne iſte homo ſemper eſt perplexiloquus?

CAPVT XXI.

1. *Fili hominis pone faciem tuam ad Ieruſalem*] Quæ ſub allegoria propoſuerat Deus, ea jam apertiùs & enucleatiùs explicat in Prophetæ gratiam, qui fore dicebat ut pro perplexiloquo haberetur.

Stilla ad ſanctuaria] Ad tres partes Templi.

3. *Ejiciam gladium meum de vagina*] *Gladius* hîc idem quod modò *ignis*, omne quod abſumit.

Et occîdam in te juſtum & impium] In Hebræo eſt, *exſcindam*: id eſt, *auferam* à terra, nempe bonos in exſilium mittendo, malos malè perdendo. Ità & hîc Chaldæus; quæ congruunt cum iis quæ ad initium capitis XVIII diximus. Confer & quæ ſuprà IX. 4. 6.

4. *Pro eo autem quod occîdi in te juſtum & impium*] *Vt exſcindam ex te juſtum & impium.*

6. *Ingemiſce in contritione lumborum*] *Altum ingeme*, ut illi qui pleuritide laborant.

7. *Pro auditu*] Ob id quod futurum intelligo.

Tabeſcet omne cor] Linquet.

Et per cuncta genua fluent aquæ] Interpretare ut ſuprà VII. 17.

9. *Gladius, gladius exacutus eſt & limatus*] *Exacutus eſt & terſus.* Gladius Chaldæorum & Ammonitarum. Ità hîc Chaldæus.

10. *Vt cædat victimas exacutus eſt*] In Hebræo, *Vt mactet mactandos.* Miles apud Plautum:

Ego hanc machæram mihi conſolari volo,
Ne lamentetur, néve animum deſpondeat,
Quia ſe jampridem feriatam geſtitem,
Quæ miſerè geſtit fartum facere ex hoſtibus.

Vt ſplendeat limatus eſt] Terſus eſt:

Vt ubi uſus veniat contrà conſertâ manu
Oculorum præſtringat aciem in acie hoſtibus.

Qui moves ſceptrum filii mei, ſuccidiſti omne lignum] Mira verba, in quibus mirè ſe torquent Interpretes. LXX aliter legiſſe apparet, nimirum, nî fallor, אל כשיל זבח בוו מאסת כל עץ: vertunt enim ἑτοίμη εἰς παράλυσιν· σφάζε, ἐξουθένει, ἀπόθου πᾶν ξύλον [*parata* (machæra) *ad diſſolutionem; occîde, contemne, dejice omne lignum*]. Priora illa ad ſenſum præcedentem pertinent: *Terſus eſt ad diſſolutionem*, ut facilè diſrumpat omnia. Sequitur deinde Dei imperium ad gladium. *Interfice, contemne, nullóque loco habe omne lignum*: id eſt, nulli homini parce. Vide ſuprà XX. 47.

11. *Et dedit eum ad lævigandum*] *Dedit eum ad tergendum*: nempe Rex Chaldæus.

Vt teneatur manu] Vt jamjam uſum ſuis præbeat.

Vt ſit in manu interficientis] Chaldæi.

12. *Quia hic factus eſt in populo meo*] Id eſt, paratus eſt adversùs populum meum.

Hic in cunctis Ducibus Iſraël] Contra Regem ac Principes.

Qui fugerant gladio traditi ſunt cum populo meo] In Hebræo: *Timores ob gladium erunt populo meo.*

Idcirco plaude ſuper femur] Dolentis ſignum, Ieremiæ XXXI. 19.

13. *Quia probatus eſt: & hoc, cùm ſceptrum ſubverterit, & non erit*] Senſus videtur eſſe: *Gladius ille tunc mihi ſuam operam approbaverit, ubi tribum Iudæ* (id enim שבט) *ità everterit, ut ejus nihil reſtet.*

14. *Percute manu ad manum*] Noli ampliùs dolere, ſed excita potiùs Chaldæos ut judicia mea adeò juſta exſequantur. Sic eadem locutio infrà ſumitur 17.

Et duplicetur gladius, & triplicetur] *Vt duplicetur & triplicetur*: id eſt, optes judiciis meis ſatisfiat. Primâ calamitate capti Sedeciæ: ſecundâ captæ Vrbis: tertiâ omnium reliquiarum deportatarum quæ cum Godolia fuerant.

Interfectorum] Intellige *& vaſtatorum*, ex eo quod infrà 15.

Qui obſtupeſcere eos facit] Sic & Græci & Chaldæus. Legerunt ergò החרדת [*in ſtuporem dans*], non ut nos החדרת [*in cubiculis*].

15. *Et multiplicat ruinas*] Facit ut multi cadant.

Conturbationem gladii acuti] Metum à gladio.

Et limati ad fulgendum] *Exterſi.*

Amicti ad cædem] Meliùs, *mucronati.* Nam עט *ſtylum* ſignificat, Iobi IX. 24. Ieremiæ XVII. 1.

16. *Exacuere, vade ad dexteram, ſive ad ſiniſtram*] Apoſtrophe ad Gladium, qualis ſuprà 10. In voce התאחרי [*unite*] omnes Interpretes א ſumunt pro ἐπενθετικῷ [*abundanti in voce media*]. non malè.

Quocunque faciei tuæ appetitus eſt] In Hebræo: *Quocunque facies tua parata*, id eſt, quocunque ſtringêris, perge, occîde.

17. *Quin & ego plaudam manu ad manum*] Id eſt, favebo interfectoribus, ut ſuprà 14.

19. *Pone tibi duas vias*] In tabula pinge bivium. Vide ſuprà IV. 1.

Vt veniat gladius Babylonis] Per quas ire poſſit exercitus Babylonicus.

De una terra egredientur ambæ] Ex una via, quæ ex Arabia venit, duæ iſtæ viæ dividuntur, altera ad Hieroſolyma, altera ad Rabbatham principem urbem Ammonitarum. Prævidet autem Propheta futurum ut Nabuchodonoſor, Dei haud dubiè inſtinctu, in iſto bivio dubitet quò potiſſimùm ſit iturus.

21. *Divinationem quærens, commiſcens ſagittas*] Hieronymus ad hunc locum: *Ritu gentis ſuæ oraculum conſulet, ut mittat ſagittas ſuas in pharetram, & commiſceat eas inſcriptas ſive ſignatas nominibus ſingulorum, ut videat cujus ſagitta exeat, & quam priùs civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci* βελομαντίαν [divinationem ex telis] *ſive* ῥαβδομαντίαν [divinationem ex virgis] *vocant.* Idem ad Oſeæ IV. *Vnde & Propheta quaſi ſtupens & mirabundus eloquitur: populus meus, qui quondam meo vocabatur nomine, lignum interrogavit & virgam, quod genus divinationis Græci* ῥαβδομαντίαν [divinationem per virgas] *vocant. Vnde in Ezechiele legimus quòd virgas ſuas miſcuerit Nabuchodonoſor contra Ammon & Ieruſalem, & exierit virga contra Ieruſalem.* Scholiaſtes Nicandri ex Dione: Μάγοι καὶ Σκύθαι μυρικίνῳ μαντεύονται ξύλῳ· καὶ γὰρ ἐν πολλοῖς τόποις ῥάβδοις μαντεύονται [*Magi & Scythæ divinant ex ligno myricæ: nam &*

alius in locis multis per virgas exercetur divinatio]. *Magos* hîc intellige Chaldæos, ut apud Claudianum:

——— *ritúque juvencos*
Chaldæo ſtravere Magi.

Scythæ autem Medicum tangebant Imperium. Eorum pars Alani, de quibus Ammianus lib. XXXI. *Futura miro præſagiunt modo: nam rectiores virgas feminæ colligentes, eáſque cum incantamentis quibuſdam ſecretis præſtituto tempore diſcernentes, apertè quid portendatur norunt.* Ad Slavos Scytharum vicinos hunc manâſſe morem duos habemus teſtes, Moſem de Kotzi in hiſtoria Iubilæi LII, & Adamum Bremenſem Narrationis Eccleſiaſticæ cap. VI. A Slavis hauſere Germani, de quibus Tacitus: *Sortium conſuetudo ſimplex. Virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputant, eóſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere ac fortuitò ſpargunt. Mox, ſi publicè conſulatur, ſacerdos, ſin privatim, ipſe pater familiæ precatur deos, cælúmque ſuſpiciens ter ſingulos tollit; ſublatos ſecundùm impreſſam antè notam interpretatur.* Alium morem ῥαβδομαντείας [*divinationis per virgas*] apud Perſas habes apud Strabonem XV. & Athenæum XII. ex Phœnice Colophonio: alium βελομαντείας [*divinationis per tela*] apud Paulum Venetum in Tartarorum rebus lib. I. 43. Legimus eo uſos & Afros qui ſunt Cæſareæ in Mauritania, id eſt, Algerii.

Interrogavit idola] *Teraphim*, id eſt, *imagines* loquentes, quales non paucas Thammuz fecerat.

Exta conſuluit] In Hebræo, *Iecur*. Nempe quam in partem micaret pars illa jecoris quæ *hoſtilis* dicitur. Meminere Cicero de Divinatione, Lucanus I. Seneca Oedipode. Nec dubitandum puto quin artes illæ à Chaldæis ad Lydos, à Lydis ad Hetruſcos venerint.

22. *Ad dexteram ejus facta eſt divinatio*] Omnia divinationum genera, Deo providè regente, ſuadebunt ut dextrum iter inſiſtat, & Hieroſolyma petat, ac ea paret quæ ſequuntur.

Vt ponat arietes] *Duces* Chaldæus, ut ſuprà IV. 2. ubi dicta vide. *ut ponat*, nempe in acie.

Vt aperiat os in cæde] *Os* vocatur Hebræis acumen gladii, Ioſuæ VI. 21. & alibi.

Vt elevet vocem in ululatu] Barritum edat militarem, ut ſolet fieri ubi oppugnantur urbes.

Vt ponat arietes contra portas] *Contra portas ponat duces*, ut poſiti οἱ ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας [*ſeptem ad Thebas*]. Vide Æſchylum ejus nominis tragœdiâ, & Phœniſſas Euripidis.

Vt comportet aggerem] Vallum obſidionale, χώματα περὶ τὸν κύκλον [*aggeres in ambitu*] Ioſepho in implemento Prophetiæ.

Et ædificet munitiones] In Hebræo, *Turres ligneas:* πύργους [*turres*] Ioſephus. Vide ſuprà XVII. 17. LXX utrobique dixere βελοστάσεις [*contignationes unde tela mittuntur*]· quâ voce utitur & primi Maccabæorum ſcriptor VI. 21. 51.

23. *Erítque quaſi fruſtra conſulens oraculum in oculis eorum, & ſabbatorum otium imitans*] Legati à Sedecia miſſi cogitabunt eum otiari, ut in Sabbatis fieri ſolet. Alii שבעי שבעות להם exponunt, *eorum qui illis* (Chaldæis) *juramenta juraverant*: id eſt, Iudæorum, qui ſe pridem in Chaldæorum fidem dederant, ut hoc ipſum ſit illa iniquitas de qua ſunt verba ſequentia. At Interpres Chaldæus illud שבעי שבעות interpretatur *ſepties ſeptenis vicibus*: toties enim putat de itinere conſultaſſe Nabuchodonoſorem.

Ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capiendum] Ipſe interim Nabuchodonoſor, dum idola ſua conſulit, reminiſcetur per eadem idola ſe juraſſe Sedeciæ, ipſum autem rupiſſe fœdus: quâ causâ excitatus Nabuchodonoſor ardebit in ejus exitium. Nabuchodonoſor per idola fidem datam ſervaverat, Sedecias per verum Deum datam non ſervaverat. Id verò ad Dei veri contumeliam plurimùm pertinebat, ideóque Deum decebat id ulciſci.

24. *Pro eo quòd recordati eſtis iniquitatis veſtræ*] Meliùs, *Vt vos quoque recordemini iniquitatis veſtræ:* ſicut ſcilicet Nabuchodonoſor ejus non ſine majeſtatis Divinæ diminutione recordatus eſt.

Et revelaſtis prævaricationes veſtras, & apparuerunt peccata veſtra in omnibus cogitationibus veſtris] *Nam publicè notas feciſtis malitias veſtras, ità ut in omnibus actionibus veſtris apparerent.* Hæc eſt parentheſis.

Pro eo, inquam, quòd recordati eſtis] *Vt, inquam, recordemini.*

Manu capiemini] Nempe per juſtam iram Nabuchodonoſoris.

25. *Tu autem profane impie dux Iſrael*] Sedeciam alloquitur, cum quo ſubmiſſiùs agit Ieremias; hic liberiùs, quia non erat ſub imperio Sedeciæ.

Cujus venit dies in tempore iniquitatis præfinita] Meliùs per tranſpoſitionem, quam hîc obſervat Chaldæus, *Cujus ultimus dies advenit in tempore opportuno ad pænam;* quaſi dicat Deus, Iamdudum occaſionem exſpecto ut te puniam per eos quibus tu occaſionem mei nominis contemnendi dediſti.

26. *Aufer cidarim*] *Cidaris*, quod hîc ex Græcis Latinus poſuit, eſt πῖλος βασιλικὸς [*regium capitis tegmen*], ut nos docent Curtius, Plutarchus, Artaxerxe & Antonio, & Heſychius. Videtur eſſe vox Chaldaïca, *rotundatam*, id eſt, ſemiſphæricam *formam* ſignificans.

Tolle coronam] Ornamentum circumpoſitum cidari in coronæ modum.

Nónne hæc eſt quæ humilem ſublevavit] Cùm tibi homini invalido à Nabuchodonoſore imponeretur, XXIV. 17.

Et ſublimem humiliavit] *Humiliabit*: cauſa erit cur deprimaris.

——— *tolluntur in altum,*
Vt lapſu graviore ruant.

27. *Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam*] *Obliquam, obliquam, obliquam ponam eam.* Id eſt, cidarim vertam in tiaram, nempe in capite Iechoniæ in Babylonia, ut ſit inter Regulos regni Chaldaïci: IV Regum XXV. 27. 28. Perſarum (qui multa à Chaldæis hauſere) Reges habebant pileum rectum, Satrapæ inflexum; teſtis Herodotus: illud *cidaris*, hoc *tiara* vocabatur. Vide Heſychium, & Etymologicum magnum.

Et hoc non factum eſt] *Non erit talis*, nempe *tiara* in domo Davidica.

Donec veniret cujus eſt judicium, & tradam ei] *Donec ille veniat ad quem jure pertinet, & ei tradam, nempe tiaram.* Is autem eſt Zorobabel. Chaldæus hæc trahit ad Godoliam & Iſmaëlem, minùs rectè, ut arbitror.

28. *Et tu fili hominis, propheta*] Novum hîc caput inchoari debuit ad Ammonitas pertinens.

Et ad opprobrium eorum] *Et de exprobrationibus eorum.* Nam Ammonitæ Chaldæorum ſocii irriſere Iudæos cùm malè haberentur. Vide Ieremiam XLIX. I. infrà XXV. 6. Sophon. II. 8.

Mucro, mucro evagina te ad occidendum, lima te ut interficias, & fulgeas] In Hebræo, *Mucro, mucro evaginatus eſt, terſus ad conſumendum ipſo fulgore.* Verba repetita ex ſuperioribus 9. 15. Hæc clades Ammonitis evenit quinquennio poſt everſa Hieroſolyma, ut diximus ad Ierem. XLVIII. I. nempe quia Ammonitarum ope ſuffultus Iſmaël contra voluntatem Babylonii principatum Iudææ invaſerat, II Regum XXV. 25. Ieremiæ XLI. 15.

29. *Cùm tibi viderentur vana, & divinarentur mendacia*] Dum tibi, ô Ammon, vanæ prophetiæ afferuntur, & mendacia prædicuntur, interim ſcilicet paratur gladius.

Vt daretis ſuper colla vulneratorum impiorum] *Vt ponat te cum collis profanorum impiorum.* Id eſt, ut te tractet ſicut Iudæi, qui priores perfidi fuerant, tractati ſunt. Verba repetit ex ſuperioribus 25.

Quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinitæ] *Cùm dies ultimus adveniet in tempore opportuno ad pœnam:* ut ſuprà 25. unde hoc tranſumtum eſt. In re pari paria verba.

30. *Revertere ad vaginam tuam*] Tu, ô gladie, id eſt, Chaldæe, poſtquam hoc exſequutus fueris, volo domum redeas: ibi te inveniam.

In loco in quo creatus es, in terra nativitatis tuæ judicabo te] Domi tuæ te puniam.

31. *Dabóque te in manus hominum inſipientium*] *Manus inſanientium*, ut de Capaneo dicit Papinius. LXX βαρβάρων [*barbarorum*]. Medos & Perſas intelligit.

32. *Igni eris cibus*] Vrbs tua incendetur.

Sanguis tuus erit in medio terræ] Id eſt, ubique per terram fuſus apparebit.

Oblivioni tradêris] Diu ſcilicet. Vide de hac re Eſaiam XLVII. Ierem. L. 21. ſuprà XVII. 24.

CAPVT XXII.

2. N*onne judicas, nónne judicas civitatem ſanguinum?*] *An cauſam ageres, an cauſam ageres civitatis ſanguinariæ?* ut ſuprà XX. 4.

3. *Et oſtendes ei omnes abominationes ſuas*] *Quin oſtende ei omnia ſcelera ipſius.*

Effundens ſanguinem in medio ſui] Id eſt, paſſim.

Vt veniat tempus ejus] Vt ſibi pœnam accerſat celerem. Hîc *ut* eſt ἐκβατικόν [*eventuale*]. Confer quod ſequitur 4.

Et quæ fecit idola contra ſemetipſam, ut pollueretur] Tranſpoſitio pro, *quæ fecit idola, quorum cultu ſe pollueret, ídque ſuo malo maximo.*

4. *In ſanguine tuo, qui à te effuſus eſt, deliquiſti*] Id eſt, rea perageris.

5. *Triumphabunt de te: ſordida, nobilis, grandis interitu*] *Clamabunt adversùm te: ô infamis, quæ multos occidiſti.* חמס ſæpe ab hoc ipſo interprete vertitur *occidere.*

6. *Ecce Principes Iſraël ſinguli in brachio ſuo fuerunt in te*] LXX, mutatâ vocali in זרעו [*ſemen ſuum*], πρὸς τοὺς συγγενεῖς αὐτοῦ, id eſt, *conſanguineis ſuis contrarii fuere*, quos Hebræi זרע [*ſemen*] vocant, ut & בשר [*carnem*] Eſaiæ XLVIII.7. idque firmant ſequentia.

8. *Sanctuaria mea ſpreviſti*] Id eſt, profanaſti cultu idolorum.

9. *Viri detractores fuerunt in te ad effundendum ſanguinem*] *In ſanguinem calumniantes*, ut loquuntur Latini.

Scelus operati ſunt in medio tui] Proſtituerunt filias in Venerem, in honorem deorum, more Babylonio, Levitici XIX. 29.

10. *Verecundiora patris diſcooperuerunt in te*] Filiæ cum patribus concubuere, more Arabum.

Immunditiam menſtruatæ humiliaverunt in te] Id eſt, oppreſſerunt virgines ipſo tempore quo purgabantur. ità ענה [*humiliare*] ſumi diximus ad Deuteronomii XXI. 14.

11. *Vxorem proximi ſui*] Iſraëlitæ.

Fecit abominationem] Id eſt, fœdiſſimè illis abuſi ſunt. Id enim propriè תועבה. Vide Levit. XVIII. 22.

Nefariè] In honorem deorum, ut ſuprà 9.

Sororem ſuam filiam patris ſui] Ejuſdem familiæ ac nominis. Vide Geneſ. XX. 12.

12. *Munera acceperunt apud te ad effundendum ſanguinem*] Quod lege Corneliâ de Sicariis punitum apud Romanos, L. I. § *præterea*, D. ad L. Corneliam.

Vſuram & ſuperabundantiam accepiſti] Vide quæ dicta ad caput XVIII. 8.

Et avarè proximos tuos calumniabaris] *Appetiviſti* (rem) *proximi tui per concupiſcentiam.* בצע [*appetere*] à LXX alibi vertitur πλεονεκτεῖν [*plus ſuo cupere*], ad ſenſum optimè.

13. *Ecce comploſi manus meas ſuper avaritiam tuam*] Id eſt, ob pœnam avaritiæ veſtræ, cùm bona auferentur; & cædium, cùm cædibus vaſtaberis. *Complodam manus*, id eſt, applaudam, ut ſuprà XXI. 17. *Favebo vapulanti*, ait Plautus.

14. *Numquid ſuſtinebit cor tuum*] An non linquet tibi cor ubi in iſta mala incideris?

15. *Ventilabo te in terras*] Vt paleam, ſuprà XX. 23.

Et deficere faciam immunditiam tuam à te] Deſines eſſe fœcunda retentis menſibus. in ſimilitudine enim feminæ perſtat. Vide Levitici XV. 25. ubi vox טמאה [*immundities*] eodem ſenſu. Reſpondet pœna peccato, de quo ſuprà 10.

16. *Et poſſidebo te in conſpectu gentium*] In Hebræo eſt verbum ſecundæ perſonæ, & puto rectiùs verti, *Polluta eris in te:* à חלל [*polluere*], non à נחל [*poſſidere*], ut perſtet in eo quod dixit: *Immunditias tuas intra te retinebis, idque ex facie apparebit.* Senſus eſt allegoricus, Non infœcunda tantùm eris, ſed & fœda aſpectu.

18. *Verſa eſt mihi domus Iſrael in ſcoriam*] Videtur mihi סוג ſive סיג non eſſe *ſcoria* tantùm, id eſt, retrimentum aut ſtercus argenti, ſed omne id quod admixtum argento ſeparari indè debet. Eò me trahunt

ſequentia hoc in loco, & origo vocis à סוג, quod eſt *abſcedere*, & auctoritas Lxx Interpretum, qui verterunt ἀναμεμιγμένοι [*permixti*].

Omnes iſti æs, & ſtannum, & ferrum, & plumbum in medio fornacis: ſcoria argenti facti ſunt] Mixtura ſcilicet viliorum metallorum, ut jam diximus. Videtur כור potiùs eſſe *catinus* quàm *fornax:* vide I Regum VIII. 51. idque ſeries hujus loci poſtulat. Mixtura enim eſt antequam in ignem mittatur.

19. *Congregabo vos in medio Ieruſalem*] Sicut illa maſſa ex argento, & viliori materiâ congregata in catinum conjicitur.

20. *Vt ſuccendam in ea ignem ad conflandum*] *Ad fundendum:* id eſt, ad ſeparandum à cæteris. Argentum ſunt pauci pii, quos Deus ſervaturus eſt.

Et requieſcam, & conflabo vos] *Et collocatos* (ibi) *vos fundam.*

24. *Tu es terra immunda, & non compluta in die furoris*] *Terram immundam* vocat rupes & alia quæ nulli ſunt uſui, non magìs quàm animalium immunda. Huic comparantur homines nullius frugis. *Non es compluta*, id eſt, pluviam non admiſiſti: per quam ſignificatur Prophetia, ut diximus XXI. 2. *In die indignationis*, id eſt, nè tum quidem cùm graviſſima tibi minarer.

25. *Conjuratio prophetarum*] Falſorum. *Scribas*, id eſt, Legis interpretes intelligit hîc & alibi Chaldæus.

Animas devoraverunt] Id eſt, ſævierunt etiam in ſanguinem.

Opes & pretium acceperunt] Pro bonis prædictionibus. Vide ſuprà XIII.

26. *Sacerdotes ejus contemſerunt legem meam*] Violaverunt illi quorum erat præcipuum munus Legem docere, Malachiæ II. 7.

Et polluerunt ſanctuaria mea] Idololatricis ritibus, ſuprà 8.

Inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt] *Non intelligere fecerunt*, nempe *diſtantiam* ἀπὸ κοινοῦ [*à re profana*]. Verba ipſa ſunt ex Levitico X. 10. ubi facere jubentur quod hîc dicuntur neglexiſſe. *Sanctum* quod Deo dicatum eſt; *profanum* quod in uſu communi. *Pollutum* quod veſci vetitum; *mundum* quod veſci licet.

Et à ſabbatis meis averterunt oculos] Non curant ſi populus Sabbata violet, Ierem. XVII. 27.

Et coinquinabar in medio eorum] Nomine meo ad res falſas aut iniquas abutuntur.

27. *Principes ejus in medio illius quaſi lupi rapientes prædam*] Per omnes ordines ambulat, vitia ſingula notans. Confer Ierem. VIII. & XXIII.

28. *Liniebant eos abſque temperamento*] *Inepto tectorio*, ut ſuprà XIII. 11.

Videntes vana] Hoc quoque & quæ ſequuntur ſunt repetita ex capite XIII.

29. *Populi terræ*] Plebs.

Opprimebant calumniâ abſque judicio] *Abſque cauſa:* id enim hîc משפט [*judicium*].

30. *Qui interponeret ſepem*] Qui interiora muniret: ut fieri ſolet ubi pars muri disjecta eſt ab hoſte.

Et ſtaret oppoſitus contra me pro terra] In Hebræo. *Et ſtaret in rupta parte muri:* hiantia defenderet. Vtraque ſimilitudo etiam ſuprà poſita eſt capite XIII. 5. Deo murum oppugnante, *interiora munit* qui hortatur populum ad viam meliorem. *Stat in ruina* qui precatur pro populo, ut Moſes Exodi XXXII. II. Aaron Numeror. XVI. 48.

31. *Viam eorum in caput eorum reddidi*] Reddam, ut ſuprà VII. 4. 27. IX. 10. XVI. 43. infrà XXIV. 14.

CAPVT XXIII.

2. D*Væ mulieres filiæ matris unius fuerunt*] Duæ gentes ortæ ex Sara.

3. *Et fornicatæ ſunt in Ægypto*] Iam tum hauſerunt ſemina idololatriæ, à qua Abrahamus, Iſaacus, Iacobus fuerant alieniſſimi. Vide ſuprà XX. 8.

In adoleſcentia ſua fornicatæ ſunt] Quod hîc transfert *adoleſcentiam*, in Hebræo eſt נער, quod in feminis ſignificat ætatem quæ eſt ante annum duodecimum; quaſi dicat, *non meminerunt ſe virgines fuiſſe: pares cum paribus inquinatæ ſunt*, ut loquitur Petronius. Mira δείνωσις [*vehementia*].

Ibi ſubacta ſunt ubera earum, & fractæ ſunt mammæ pubertatis earum] In Hebræo, *Ibi contrectata ſunt ubera earum, ibi compreſſæ mammæ. Mammas* ex ſimilitudine quadam σεμνῶς [*verecundè*] Hebræi illorum temporum vocarunt τὰ πτερυγώματα, τοὺς κρημνοὺς [*crepidinem fontis muliebris*]. ideo diſcriminis causâ hîc additur בתוליהן [*virginitatis*]: & Lxx vertunt ἐκεῖ διεπαρθενεύθησαν [*ibi devirginatæ ſunt*]. Hoc pro certo habebis, ſi legeris Thalmudicos, ubi cauſas reddunt cur Thamar Davidis filia primo congreſſu facta ſit gravida.

4. *Oolla major*] *Major* numero Tribuum, quæ penes Samariam decem fuêre. אהלה [*Ohola*], ut Hieronymus & alii bene ſunt interpretati, vocatur ille populus ideo quòd ſibi feciſſet loca Divini cultûs, quæ אהל, id eſt, *tentorii* nomine vocantur, quia primus Dei cultus apud Iſraëlitas fuit in tentorio. אהלה, id eſt, *Tentorium ſuum ſibi.*

Et Ooliba ſoror ejus minor] אהליבה, *tentorium meum ibi:* Deus enim ibi collocaverat Templum ſuum, quod *tentorii* nomine appellat, non tantùm ob eam quam diximus cauſam, verùm etiam quia tam facilè Deus illud Templum auferre poterat (de quo præter rem gloriabantur) quàm homines tentorium.

Et habui eas] Meæ factæ ſunt. Ego eas mihi conjugio copulavi.

Earum nomina, Samaria, Oolla; & Ieruſalem, Ooliba] Explicat quod obſcuriùs dixerat.

5. *Fornicata eſt igitur ſuper me Oolla*] In Hebræo, *ſub me:* id eſt, cùm ſub mea eſſet manu ac poteſtate, id eſt, mœchata eſt. Solomon quidem privatim cœperat permittere quæ non debebat; at Decem tribus publicè contra Legem cultum inſtituêre, vitulis excitatis.

Et inſanivit in amatores ſuos in Aſſyrios propinquantes] Vicinos ſibi factos per Syriam, cujus bonam partem occupaverant. Vide II Regum XV. 19. Eſaiæ VII. 8. Dicitur Iudæa *mœchata* cum illis quorum ritus imitata eſt. Sæpe jam id notavimus, Hebræorum multos immemores Legis & beneficiorum

Dei, quorum amicitiam valde ambiebant, eis blanditos rituum imitatione. Tangitur hîc hiſtoria regum quæ incipit I Regum XVI. 31. continuatur II Regum XV. 20.

6. *Veſtitos hyacintho Principes & magiſtratus, juvenes cupidinis, univerſos equites aſcenſores equorum*] Sicut feminæ incendi ſolent luxu veſtium, honorum nominibus, juvenili ætate, corpore vegeto: ſic Iſraëlitas pellexerat Aſſyriorum potentia. Vide II Regum XVIII. 24. Eſaiæ x. 8.

7. *Et dedit fornicationes ſuas ſuper eos*] *Cum illis*, id eſt, proſtituit ſe illis.

Electos] *Iuvenes.*

Et in omnibus in quos inſanivit in immunditiis eorum polluta eſt] Latine diceremus: *in libidinibus eorum omnium in quos inſanivit polluta eſt.* Senſus eſt: nihil unquam amatoribus negavit. & vis eſt in voce גלולים, quæ & *ſordes & idola* ſignificat.

8. *Inſuper & fornicationes ſuas quas habuerat in Ægypto non reliquit*] Ad eos ritus rediit, ut Ægyptios incitaret contra Duas tribus, II Paralipomenon XII. 2. 3. 4.

Nam & illi dormiverunt cum illa in adoleſcentia ejus, & illi confregerunt ubera pubertatis ejus, & effuderunt fornicationem ſuam ſuper eam] Meliùs: *Dormiverant, contrectaverant, effuderant ſuam fornicationem*, id eſt, *voluptatem*, ut Hyginus loquitur in fabula Erichthonii.

9. *In manus filiorum Aſſur*] Phulis, Tiglathphilaſſari, Salmanaſari.

10. *Ipſi diſcooperuerunt ignominiam ejus*] Nudam deſtituerunt.

Et factæ ſunt famoſæ mulieres, & judicia perpetraverunt in ea] *Fuit nomen* (ejus, infame ſcilicet) *inter mulieres, poſtquam* (Aſſyrii) *judicia* (Dei) *exercuerunt adverſùs eam.*

12. *Præbuit impudenter*] *Dedit*, diceret Martialis.

Indutis veſte variâ] *Redimitis coronâ.* Nam מכלילא Chaldæis, fortè & Aſſyriis, *corona.* Nec aliter accepit Syrus Pſalm. LII. Mos erat amantibus amicas adire cum *corona.*

14. *Cúmque vidiſſet viros depictos in pariete*] Claudianus:

Lena per innumeros iret pictura penates.

Sic Paris Helenam concupivit:

Et nunquam viſæ flagravit amore puellæ.

Expreſſas coloribus] Sinopide. Vide Ieremiæ XXII. 14.

15. *Et accinctos balteis renes*] Militari habitu.

— Ferrum eſt quod amant: facit hoc illos Hyacinthos.

Et tiaras tinctas in capitibus eorum] *Galeas*, Chaldæus. *tinctas* intellige ornatas variis plumis. Græci παραβαπτὰ ἐπὶ τῶν κεφαλῶν αὐτῶν [*tincta in capitibus eorum*].

Formam ducum omnium] In Hebræo, *Omnis forma protectorum.* Vide quæ diximus ad Exodi XV. 4.

16. *Et miſit nuntios ad eos in Chaldæam*] Vltro ambivit.

17. *Ad cubile mammarum*] Quid *cubile mammarum* vocet intelligi poteſt ex iis quæ diximus ſuprà 2. *Cubile*, id eſt, אותו מקום, ut loquuntur Thalmudici.

Et ſatiata eſt anima ejus ab illis] Illorum concubitu ſatiata ad Ægyptios iterum ſe vertit, II Regum XIV. 7. *Neque enim perinde à parentibus liberi quàm ab impudica adulteri mutantur*, ait apud Tacitum Agrippina. *Vnius adulterium matrimonium vocant*, ait Seneca.

18. *Denudavit quoque fornicationes ſuas, & diſcooperuit ignominiam ſuam*] Cohæret cum ſuperioribus, hoc ſenſu: *Satiata eſt, poſtquam libidinem ſuam ità cognitam ipſis fecerat ut ultro aſpectui ingereret quæ tegi debent.*

Receſſit anima mea ab ea] Vltrà ferre non potuit mœcham, & impudentem, & deſultoriam.

19. *Multiplicavit enim fornicationes ſuas*] Vt illa apud Auſonium:

Nè quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.

20. *Quorum carnes ſunt ut carnes aſinorum*] Ægyptios dicit *bene vaſatos*, id eſt, in idolorum cultu eximios. Simile habuimus ſuprà XVI. 26. Ὄνος Priapo conſecratus. & Græci maſculinam partem ὄνον vocant, teſte Phavorino.

Et ſicut fluxus equorum fluxus eorum] *Virus*, ut Virgilius loquitur.

21. *Et confractæ ſunt mammæ pubertatis tuæ*] *Attritæ.*

22. *Ecce ego ſuſcitabo omnes amatores tuos*] *Omnes* non eſt in Hebræo.

De quibus ſatiata eſt anima tua] Quos faſtidiſti.

23. *Nobiles, tyrannóſque ac principes*] LXX, Symmachus, Theodotio, Hebræas voces velut proprias gentium retinent, Φακὼθ, Συὲ, Κοὺθ, nec aliter Chaldæus. Horum primos פקוד dictos habemus & apud Ieremiam XXX. 21. diximúſque eſſe *Bactrianos.* שוע Συὲ LXX, ut dixi, Interpretibus; Σίαι in Armenia apud Ptolemæum. קוע *Choana* Mediæ apud eundem Ptolemæum.

Omnes filios Aſſyriorum] Populi quos nominat, aut ſubditi tunc erant Aſſyriorum, aut fœderati.

24. *Et venient ſuper te inſtructi curru & rotâ*] LXX, μεθ' ὅπλων καὶ ἁρμάτων καὶ τροχῶν [*cum armis & curribus & rotis*]. nec aliter Chaldæus. Nimirùm hi omnes ה in הצן ſumſere pro articulo, aut certè nota derivativi, & צן à צנן, quod ſæpe vertitur ὅπλον [*inſtrumentum bellicum*]· ex qua origine eſt & צנה [*lorica vel ſcutum*], quod jam ſequetur. Vt hæc duo diſtinguantur, quidam per הצן intelligunt *currus ferratos*, id eſt, falcatos.

Et dabo coram eis judicium] Id eſt, dabo eis de te decernendi facultatem.

25. *Et ponam zelum meum in te*] Zelotypum animum meum in te impingam.

Quem exercent tecum in furore] *Quem* (illi Chaldæi) *iracundè exſequantur:* nempe ut miniſtri mei.

Naſum tuum & aures tuas præcident] Vt mariti zelotypi uxoribus impudicis, aut earum mœchis facere ſolent. Martialis:

Quis tibi perſuaſit nares abſcindere mœcho?

Significat autem hac ſimilitudine Principes & Iudices.

Et quæ remanſerint gladio concident] Nempe partes illas inferiores, per quas hîc plebs ſignificatur.

Et noviſſimum tuum devorabitur igni] Quidquid captivi cùm avehentur in urbe relinquent.

26. *Et denudabunt te veſtimentis tuis*] Vt captis fieri ſolet.

Et tollent vaſa gloriæ tuæ] Circumlocutio Hebræa, quæ ſignificat ornamenta.

27. *Et requieſcere faciam ſcelus tuum de te*] Faciam nè tibi unquam libeat Chaldæos imitari.

Et fornicationem tuam de terra Ægypti] Deductam ſcilicet.

Nec levabis oculos tuos ad eos] Metues aſpicere Chaldæos.

Et Ægypti non recordaberis ampliùs] Sicut Ægyptus tui memor non fuit in tuis periculis.

28. *In manus de quibus ſatiata eſt anima tua*] *Quos faſtidiſti*: ut ſuprà 22.

29. *Et revelabitur ignominia fornicationum tuarum*] Vt ſolet fieri feminis captivis. Senſus allegoricus: *Omnes fœditates tuæ apparebunt.*

30. *Fecerunt hæc tibi*] *Facient*, id eſt, ego permittam ut faciant ob tua crimina.

32. *Eris in deriſum & ſubſannationem, quæ eſt capaciſſima*] Eſt tranſpoſitio: *Capaciſſimum* (*calicem* ex ſuperioribus) *ut ſis irriſui ac ludibrio*: ſicut ſolent eſſe qui magnos calices exhauſere.

34. *Et epotabis uſque ad fæces*] In Hebræo, *Exſuges*: nihil erit pœnarum quod non guſtes.

Et fragmenta ejus devorabis] Vt ſæpe faciunt ebrii.

Et ubera tua lacerabis] Præ rabie.

35. *Projeciſti me poſt corpus tuum*] Locutio eadem I Regum XIV. 9. & alibi.

Porta ſcelus tuum] Sceleris pœnas.

36. *Numquid judicas Oollam & Oolibam*] *An tu cauſam ageres Oollæ & Oolibæ?* ut ſuprà XX. 4. XXII. 2.

Et annuncias eis ſcelera eorum] *Quin oſtende eis ſua ſcelera*, ut dicto loco XXII. 2.

37. *Filios ſuos quos genuerunt mihi*] Qui mei eſſe debuerant.

38. *Polluerunt ſanctuarium meum in die illo*] *Eodem die*. Ab illis ſacrilegis ſacris venientes Templum meum accedunt. Hunc ſenſum indicant quæ ſequuntur.

40. *Miſerunt ad viros venientes de longè*] Repetit ſæpe eadem verba paucis mutatis, quò magis animo hæreant.

Quibus te laviſti] In quorum gratiam balneis uſa es.

Et circumliniſti ſtibio oculos tuos] Bene vertit: nam כחל Chaldæis eſt quod פוך Hebræis, *ſtibium*. De ſtibio vide quæ dicta II Regum IX. 30. Ieremiæ IV. 30.

Ornata es mundo muliebri] *Ornatu*. Nam purè ſi loqui velimus, *mundus* eſt per quem munda eſt femina: *ornatus* per quem ornata. Sic Varro lib. IV. de Lingua Latina, & Vlpianus in L. *argumento*, § *ornamento*, D. de Auro, argento & mundo.

41. *Sediſti in lecto pulcherrimo, & menſa ornata eſt ante te*] Mos enim in lectis epulandi ab Aſſyriis aut Chaldæis ad Iudæos devenerat, cujus moris teſtimonium habes in Chaldaïca paraphraſi Amos II. 8.

Thymiama meum, & unguentum meum poſuiſti ſuper eam] Id eſt, idolis dediſti mihi debita. Vide ſuprà XVI. 18.

42. *Vox multitudinis exſultantis erat in ea*] Omnia hymnis deorum perſtrepebant.

Et in viris qui de multitudine hominum adducebantur, & veniebant de deſerto, poſuerunt armillas in manibus eorum, & coronas ſpecioſas in capitibus eorum] In Hebræo: *Adducebantur Sabæi de deſerto.* Non contentæ viris principibus. & ſpecioſis iſtæ feminæ, etiam de plebe Arabiæ fœdos homines, armillis coroniſque datis, ad concubitum emercatæ ſunt.

43. *Et dixi ei*] *Quamvis dicerem.*

Quæ attrita eſt in adulteriis] *Quæ mœchando vetula facta eſt*: de Iudæa loquitur.

Nunc fornicabitur in fornicatione ſua etiam hæc] *Iam tandem deſinent libidines ejus. At ipſa*, perſeverabat ſcilicet. Martialis:

Cùm tibi trecenti conſules, Vetuſtilla,
Et tres capilli, quatuórque ſint dentes.

Et poſtea:

Audes ducentas nupturire poſt mortes,
Virúmque demens cineribus tuis quæris
Prurire? quid ſurire ſi velit ſaxum?

Sunt apud eundem Poëtam & alia epigrammata in anus libidinoſas. Characterem talis feminæ vide in Pluto Ariſtophanis.

44. *Et ingreſſi ſunt ad eam*] *Attamen ingreſſi ſunt ad eam;* jam anum ſcilicet.

45. *Viri ergò juſti ſunt, hi judicabunt eas judicio adulterarum*] In Hebræo: *At viri juſti punient eas pœnâ adulterarum. Iuſtos* vocat Chaldæos, ut Divinæ ultionis miniſtros.

Et judicio effundentium ſanguinem] Pœnâ homicidarum. Vide ſuprà XVI. 38.

46. *Adduc ad eas multitudinem*] *Convoca de illis cœtum.* קהל ſolet intelligi conſeſſus Iudicum qui de reorum capite pronunciant; hîc verò per ἀλληγορίαν [*latentem ſignificationem*] intelligendus exercitus Chaldæorum.

Et trade eas in tumultum] *Trade eas turbæ.*

Et in rapinam] *Et abripiantur*, ad pœnæ locum ſcilicet. Omnis enim hæc tranſlatio à judiciis ſumta.

47. *Et lapidentur lapidibus populorum*] Vide dictum locum.

48. *Et auferam ſcelus de terra*] *Res fœdas.*

Et diſcent omnes mulieres] Id eſt, gentes, quæ ſub *mulierum* nomine deſignantur.

Secundùm ſcelus earum] *Res fœdas*: ut ſuprà.

49. *Et peccata idolorum veſtrorum portabitis*] Duplex μετωνυμία [*tranſnominatio*], pro *pœnas idololatriæ.*

CAPUT XXIV.

2. *IN qua confirmatus eſt Rex Babylonis adverſus Ieruſalem*] *Circumdedit Ieruſalem*: hoc ſenſu סמך ſumitur Pſalm. LXXXVIII. 8. LXX hîc ἀπηρείσατο, id eſt, *caſtra fixit*: eúmque ſenſum poſtulat hiſtoria quæ eſt II Regum XXV. Ieremiæ LII. 4. Facile Deo fuit res quæ tam longè gerebantur ſub ipſum tempus Prophetæ oſtendere, cùm id etiam dæmones Deo ſinente fecerint, ſicut Cornelio Sacerdoti in

Venetis agenti oſtenſa fuit tota ſeries Pharſalici prælii, teſte Lucano & Gellio; Apollonio verò Tyanæo cædes Domitiani.

3. *Et dices per proverbium*] Id eſt, per Allegoriam: non verbis tantùm ſed & rebus ſignifica. Lebes Hieroſolyma; carnes & membra ei indita, cives ejus; ignis & aqua fervens, mala quæ patientur.

4. *Omnem partem bonam, femur & armum*] Civium primores.

Electa & oßibus plena] *Imple oßibus lectißimis*. Hi ſunt de plebe robuſtiſſimi.

5. *Pinguißimum pecus aſſume*] *Sumta de pinguißimo pecore*, nempe oſſa illa.

Compone quoque ſtrues oßium ſub ea] *Incende oſſa ſub eo*: id eſt, lebeti ignem ſubjice qui oſſa decoquat.

Efferbuit coctio ejus] *Ebulliit bullitio ejus*, nempe lebetis.

Et diſcocta ſunt oſſa illius in medio ejus] *Vt coquantur oſſa quæ ſunt intra lebetem.*

6. *Propterea hæc dicit Dominus Deus*] *De hac re* (id eſt, de hoc ſymbolo) *ſic loquitur Dominus Deus*. Sic ipſe explicat ambages illas.

Cujus rubigo in ea eſt] חלאה Chaldæis, & خال Arabibus *acetum* ſignificat. Tranſlatè ſignificat omne corruptum, quale eſt in lebete *ærugo*, quam ἰὸν [*virus*] hîc dixere LXX: per eam verò malitia innuitur.

Per partes & per partes ſuas ejice eam] *Particulatim eam exinani*.

Non cecidit ſuper eam ſors] *Nè cadat ſuper eam ſors*. In prioribus deportationibus ſors ducta, qui exirent aut manerent; nunc omnes ejiciendi.

7. *Super limpidißimam petram effudit illum*] *In ſublimem petram*, ut omnes aſpicerent.

Non effudit illum ſuper terram, ut poßit operiri pulvere] Vt illi facere ſolent quos pudet facti.

8. *Dedi ſanguinem ejus ſuper petram limpidißimam*] *In ſublimem petram*: par pari referam. Palàm peccaverat, palàm punietur.

9. *Cujus ego grandem faciam pyram*] Oſtendit apertiùs quid ille ſub lebete ignis ſignificet. Deinde poſt ἀπόδοσιν [*redditionem in comparatione*] ad ἀλληγορίαν [*Allegoriam*] jam magìs pateſcentem redit.

10. *Congere oſſa*] In Hebræo עצים [*ligna*]: nec aliter Chaldæus & Græci. at Latinus legit עצמים [*oſſa*].

Qua igne ſuccendam] *Succende ignem.* Iubet repeti typum.

Conſumentur carnes] *Conſume carnem*: ὅπως τακῇ τὰ κρέα [*ut carnes percoquantur*], LXX.

Et coquetur univerſa compoſitio] *Mixtum*, id eſt juſculum, *attenuetur*: ἐλαττωθῇ ὁ ζωμός [*minuatur juſculum*]. Quò ferventior eſt ignis, hoc magìs liquor in ſummam redigitur. Virgilius:

——— *Volcano decoquit humorem,*
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.

Et oſſa tabeſcent] *Vt & oſſa liquefiant*, id eſt, diſſolvantur etiam robuſtiſſimi. Vide ſuprà 4.

11. *Pone quoque eam ſuper prunas vacuam*] Id eſt, ipſi lebeti, poſt ejectas carnes & oſſa, ſubde prunas ardentiſſimas.

Vt incaleſcat & liquefiat æs ejus] Id eſt, ut ejectis civibus urbs ardeat.

Et conflertur in medio ejus inquinamentum ejus, & conſumatur rubigo ejus] Senſus eſt, Vt vel ſic corrigantur.

12. *Multo labore ſudatum eſt*] *Fruſtra laboratur.*

Et non exivit de ea nimia rubigo ejus, neque per ignem] In Hebræo: *Non exiit de ea multa ærugo ejus, per ignem* (inquam) *ærugo ejus non exiit.* Tanta fuit malitia ut nè incendio quidem urbis expurgata ſit.

13. *Donec quieſcere faciam indignationem meam in te*] Donec graviſſimis exſilii malis iram ſatiavero.

14. *Iuxta vias & juxta adinventiones tuas te judicabo*] Græci, quos hîc Interpres ſequitur, legerunt שפטיך [*judices tui*]. At noſter textus & Chaldæus שפטוך [*punient te*], nempe Chaldæi meo juſſu.

16. *Ego tollo a te deſiderabile oculorum tuorum in plaga*] Subitâ peſte auferam tibi uxorem tuam, & eam nolo lugeas; ut ſignifices in maximis malis non vacaturum ipſis ut lugeant.

Non planges] Non temet percuties. Seneca in Troadibus:

Vacat ad crebri verbera planctûs
Furibunda manus.

Neque plorabis] *Plorare* eſt clamare. Vide Feſtum. Vetus Poëta:

Heu virginalem me ore ploratum edere.

Neque fluent lacrymæ tuæ] Ennius:

Nè me condecores lacrymis, neque funere fletum
Faxis.

17. *Ingemiſce tacens*] אנק vertitur στενάζειν [*gemere*], אנקה στεναγμός [*gemitus*]. Ità geme ut alienus nemo audiat.

Mortuorum luctum non facies] Generaliter dicit quod deinde per ſpecies explicat.

Corona tua circumligata ſit tibi] Græci hîc פאר [*coronam*] *cincinnos* interpretantur, ut Eſaiæ LXI. 10. μίτραν [*mitram*], ut & hîc Chaldæus טטפרת. Lugentes nudo capite ire ſolebant, Levit. XIII. 45.

Et calceamenta tua erunt in pedibus tuis] Nam mœrentes nudis incedebant pedibus, II Samuelis XV. 30.

Nec amictu ora velabis] Lugentes (in quibus & leproſi) obvelabant ſibi myſtacem, Levit. XIII. 45. Michæ. III. 7. שפם vel ספם propriè eſt *myſtax*, ut apparet II Samuel. XIX. 24. pro eo *labium ſuperius* hîc dixit Chaldæus, ſenſu eodem.

Nec cibos lugentium comedes] Περίδειπνα ſunt *parentalia* quæ amici mittebant lugentibus, Ieremiæ XVI. 7. Hieronymus ibi & hîc.

18. *Locutus ſum ego ad populum manè, & mortua eſt uxor mea veſperè*] *Cùm manè allocutus eſſem populum* (deportatos), *ipſo veſpere uxor mea mortua eſt*: id eſt, ſubitò admodum.

21. *Loquere domui Iſraël*] Significa per literas illis qui ſunt Hieroſolymis.

Ecce ego polluam ſanctuarium meum] Expoſiturus ſum libidini profanarum gentium.

Superbiam imperii veſtri] Id eſt, regnorum.

Et deſiderabile oculorum veſtrorum] Vxores, ut ſuprà 16.

Et ſuper quo pavet anima veſtra] Id quod placet vobis. خمل *placere* Arabibus, & indè *Camajeul*, id eſt, *res pretioſa*.

Filii veſtri & filiæ veſtræ, quas reliquiſtis] Intelligit illos qui cum Godolia manſerant.

22. *Ora amictu non velabitis*] Vt meliùs introſpiciatis quò eundum ſit.

Cibos lugentium non comedetis] Nemo erit cui copia ſit mittendi vobis περίδειπνα in iſta migratione.

23. *Coronas habebitis in capitibus veſtris*] *Mitellas*, ut ſolent qui iter faciunt contra Solem aut pluviam.

Et calceamenta in pedibus] Contra lapidum offenſiones.

Non plangetis, neque flebitis] Nè irritetis victorem.

Sed tabeſcetis in iniquitatibus veſtris] In pœnis. Sumtum ex Levit. XXVI. 39.

Et unuſquiſque gemet ad fratrem ſuum] Ità ut nemò alienus exaudiat. Lucanus,

——— *nunc flere poteſtas,*
Dum pendet fortuna ducum: cùm vicerit alter,
Gaudendum eſt.

Feminæ ob lacrymas accuſatæ: habes id apud Tacitum Annalium VI. qui & *filios Mithridatis trucidatos* narrat *quòd cædibus parentum illacrymaſſent*. Idem in Agricola: *Cùm ſuſpiria noſtra ſubſcriberentur, cùm denotandis tot hominum palloribus ſufficeret ſævus ille vultus*.

24. *Erítque Ezechiel vobis in portentum*] Suis factis præmonſtrat quid vobis ſit eventurum, ut Eſaiæ VIII. 18. & ſuprà XII. 6.

25. *In die quâ tollam ab eis fortitudinem eorum*] Regnum, ut ſuprà 21.

Et gaudium dignitatis] *Gaudium gloriæ*: id eſt, Templum.

Et deſiderium oculorum eorum] Vxores.

Super quo requieſcunt animæ eorum] *Deliciæ oculorum eorum*: id eſt, res pretioſiſſimæ, ſuprà 21.

26. *In die illa*] Id eſt, peracto obſidio, exuſtâ Vrbe ac Templo.

Cùm venerit fugiens ad te, ut annunciet tibi] Implementum vide infrà XXXIII. 22.

27. *Aperietur os tuum cum eo qui fugit*] Illius teſtimonium tuis prædictionibus congruens auctoritatem tibi dabit loquendi, & fidem conciliabit novis Prophetiis.

Eriſque eis in portentum] Tunc dicent te rebus ipſis præmonſtraſſe ipſorum ſortem: dicto cap. XXXIII. 33.

CAPVT XXV.

1. *ET factus eſt ſermo Domini ad me*] Poſt prædictiones de rebus Iudaïcis ſequuntur illæ quæ ad alias gentes pertinent, ut apud Ieremiam.

2. *Pone faciem tuam contra filios Ammon*] Loquendi genus quale ſuprà VI. 2.

3. *Super ſanctuarium meum quia pollutum eſt*] *Cùm pollutum eſſet*. Sic etiam ſume ſequentia.

4. *Tradam te filiis Orientalibus in hereditatem*] In poſſeſſionem Chaldæis. Eveniſſe hæc Ammonitis & Arabibus quinto anno poſt everſa Hieroſolyma, diximus ad Ierem. XLVIII. 1. & ſuprà XXI. 28.

Et tollocabunt caulas ſuas in te] In Hebræo: *ædes*.

Et ponent in te tentoria ſua] In Hebræo: *Habitacula*. Sic & Chaldæus, quod eò magìs notandum quòd ex *tentoriorum* mentione quidam *Orientales* voluere intelligi Arabas, quod cum Ieremia non convenit.

5. *Dabóque Rabbath*] Vrbem principem Ammonitarum, quæ *Philadelphia* dicta poſtea. Vide Ieremiæ XLIX. 2. hîc ſuprà XXI. 20.

In habitaculum camelorum] Nimirum Chaldæi multos habebant camelos, & Bactriani. Vide Plinium.

Et filios Ammon in cubile pecorum] Meliùs: *filiorum Ammon*, ſupple *terram*, deductis ſcilicet eò coloniis è Chaldæorum terris.

6. *Pro eo quòd plauſiſti manu*] Signum gaudentis, ſuprà XXI. 17.

Et percuſſiſti pede] *Terram* ſcilicet, ſaltando, ac tripudiando.

8. *Pro eo quòd dixerunt Moab & Seir*] Conjungit cum *Moabitis* vicinos *Idumæos*. De Moabitarum malis vide Ieremiam dicto capite. De malis Idumæorum eundem XLIX. 7.

Ecce ſicut omnes gentes domus Iuda] Nihil prodeſt illis verum Deum coluiſſe.

9. *Aperiam humerum Moab*] *Latus*. nam כתף ſæpe ſic ſumitur, ut apparet Exodi XXVIII. 7. Numer. XXXIV. 11. infrà XLVII. 1. 2. Latus *apertum* dicitur quod ictibus obnoxium eſt.

De civitatibus, de civitatibus inquam ejus] ער [*Har*] *civitatem* quidem ſignificat: ſed hîc ideo vocem repetiit, addito pronomine *ejus*, ut indicaret nomina propria eſſe urbium quæ dicebantur *Har & Haroher*, Num. XXI. 28. Eſai. XV. 1. Deuter. II. 36.

Et de finibus ejus inclytas terræ] *Et à finibus ad terras lectiſſimas*. In finibus erant loca munita: in mediis locis terræ fertiliſſimæ.

Bethjeſimoth] Ioſuæ XIII. 20. Ζίζα [*Ziza*] Ptolemæo, ' in ζ verſo.

Et Beelmeon] Vide quæ dicta Eſaiæ XVI. 2. & Ieremiæ XLVIII. 23.

Et Cariathaim] Ieremiæ XLVIII. 1. 23.

10. *Filiis Orientis*] Chaldæis. Pendet hoc ab eo quod dixit, *Aperiam latus*.

Cum filiis Ammon, & dabo eam in hereditatem, ut non ſit ultrà memoria filiorum Ammon in gentibus] *Poſt filios Ammon*, id eſt, *ubi dedero eam* (terram) *in proprietatem Chaldæis, ità ut filiorum Ammon in gentibus memoria non ſuperſit.* Ità ſenſus fit optimus: nam prior à Chaldæis vaſtata eſt Ammonitis, poſterior Moabitis, ut notavimus ad Ieremiæ XLIX.

11. *Et in Moab faciam judicia*] *Etiam de Moabitis ſumam ultionem.*

12. *Pro eo quòd fecit Idumæa ultionem, ut ſe vindicaret de filiis Iuda*] Quia vetus odium datâ occaſione exſecuta eſt, Pſalmo. CXXXVII. 7. Simile vide Abdiæ 10.

13. *Faciam eam deſertam ab Auſtro*] תימן quidem etiam *Auſtrum* ſignificat; ſed hîc nomen eſt regionis

dictæ *Theman* à nepote Eſavi, Geneſeos XXXVI. 15. Ieremiæ XLIX. 7. Obadiæ 9. Vide quæ ad illum Geneſeos locum diximus.

Et qui ſunt in Dedan] *Et Dedanem uſque gladio cadent.* Duos terminos nominat, *Themanem* ad Auſtrum, & *Dedanem* ad Septentrionem: de qua vide quæ ad Ieremiæ XLIX. 9.

14. *Et dabo ultionem meam ſuper Idumæam per manum populi mei Iſraël*] Primùm per Chaldæos eam puniam, deinde & per Iudæos temporibus Iudæ Maccabæi. Vide quæ ad Eſaiæ LXIII.

15. *Palæſtini*] Qui iidem alibi *Philiſtini.* Nam פ Hebræum Græci in ϖ tranſferunt, ut hîc notavit Hieronymus.

Et implentes inimicitias veteres] Vide I Samuelis XIII. & XIV.

16. *Interficiam interfectores*] כרתים [*Cerethim*] nomen eſt proprium partis Philiſtinorum, ut apparet I Samuel. XXX. 14. Ex his legionem ſibi conſcripſit David, & ab iiſdem orti *Cretes* videntur; unde LXX hîc & Sophoniæ II. 5. Κρῆτας poſuere.

Et perdam reliquias maritimæ regionis] *Reliquias* dicit, quia maritima illa regio apud Azotum multùm vaſtata fuerat à Pſammeticho, ut diximus ad Ieremiam XXV. 20.

CAPUT XXVI.

1. *ET factum eſt in undecimo anno*] A deportatione Iechoniæ, unde tempora putare ſolet Ezechiel.

Primâ menſis] Nempe ejus qui ſecutus eſt capta Hieroſolyma: quod ſequentia innuunt.

2. *Confractæ ſunt portæ populorum*] In Hebræo verbum ſingulare cum nomine plurali, quod ſic explices: *Fracta eſt urbs illa quæ populis externis latum præbebat aditum.*

Converſa eſt ad me] *Ad me ſe vertit:* forum ſcilicet illud frugum vini, olei, balſami.

Implebor; deſerta eſt] *Ego ex illius ruinis creſcam.* At Græci & Chaldæus legerunt המלאה, aut א ſumſerunt pro ה: vertunt enim, *quæ plena fuerat, deſerta eſt.*

3. *Ecce ego ſuper te, Tyre*] *Contra te* venio.

Et aſcendere faciam ad te gentes multas] Contra te.

4. *Et diſſipabunt muros Tyri, & deſtruent turres ejus*] Producit Acta Phœnicum Ioſephus, quæ & nos citavimus ad tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ: unde apparet à Nabuchodonoſore Tyrum obſeſſam per annos XIII. tanto tempore ſecluſam à commerciis urbem ad magnam inopiam redactam eſſe neceſſe eſt; multa etiam urbis diſjecta. Exitus quis fuerit obſidionis illa Acta non dicunt. Ego non dubito quin tot malis domita urbs in fidem ſe Babyloniorum dederit. Fuit tamen modò ſub Regibus, modò ſub Iudicibus, id eſt, Interregibus, ſed qui majeſtatem Babylonicam obſervarent, adeò ut & à Babylone, ex iis qui ibi obſides habebantur, Reges interdum peteret. Quod ex illis Actis diſcimus. Quo autem jure ſub Babyloniis Tyrus fuerat, eodem poſtea manſit ſub Perſis Babylonis victoribus, donec ab Alexandro urbs capta eſt. Quæ autem hîc dicuntur ad Nabuchodonoſoris, non autem ad Alexandri tempora pertinere diſcimus infrà 7. & XXIX. 19. Nec aliter ſenſit Hieronymus in commentariis ad hunc locum.

Et radam pulverem ejus de ea] Latini dicerent, *Abradam omnia cum pulviſculo.*

Et dabo eam in limpidiſſimam terram] *Tanquam ſublimem petram:* ſunt enim voces eædem quæ ſuprà XXIV. 7. Senſus eſt: *faciam te nudam ut ſcopulum.* Seneca in Corſicam relegatus:

Ille tuus quondam magnus, tua gloria, civis
Inſigar ſcopulo.

5. *Siccatio ſagenarum erit in medio maris*] Erit ſicut littora deſerta, nec alium præbentia uſum quàm retibus ſiccandis. Inſtitutionibus de Rerum diviſione §. 5. *Littorum quoque uſus publicus eſt juris gentium, ſicut & ipſius maris; & ob id cuilibet liberum eſt caſam ibi ponere in quam te recipias, ſicut retia ſiccare & ex mari deducere.*

6. *Filiæ quoque ejus quæ ſunt in agro*] Minora oppida & vici. Per eos autem intelligendi habitatores, ut hîc notat Chaldæus.

7. *Regem Regum*] Meritò ſic ſe appellarunt Babylonii Reges, qui & Regibus quibuſdam imperabant. Vide II Regum XVIII. 28. Ieremiæ LII. 32. Secuti id Perſæ Reges. Æſchylus de Regibus ſub Xerxe:

βασιλῆς βασιλέως ὕποχοι μεγάλου.
[*Reges Regis magni ſubjices.*]

Sic Armenius Rex ſub Cyro fuit & Euagoras Cypri Rex ſub Cyri ſucceſſoribus, multique alii, ut diximus ad Ieremiam L. 41.

8. *Filias tuas quæ ſunt in agro*] Repetit quod ſuprà dixerat, quò meliùs retineatur.

Et circumdabit te munitionibus] *Turrem,* id eſt, turres, *tibi opponet.* Vide II Regum XXV. 1.

Et comportabit aggerem in gyro] Vallo caſtrenſi te cinget.

Et elevabit contra te clypeum] Teſtudine ex ſcalis factâ te oppugnabit. LXX bene teſtudinem circumſcribunt dicendo, περίστασιν ὅπλων [*armorum compagem*].

9. *Et vineas & arietes temperabit in muros tuos*] *Et ictum ex directo dabit contra murum tuum.* Nam מחה Chaldæis eſt *verberare,* unde מחי *verbera:* קבל autem iiſdem Chaldæis, ut & Arabibus, eſt *ex adverſo.* Senſum bene expreſſit Chaldæus, cùm dixit, *percuſſionem tormentorum.*

Et turres tuas deſtruet in armatura tua] חרב eſt quidquid ex ferro fit. Itaque modò *gladii,* modò *lanceæ,* modò *mallei* voce vertitur. Interdum LXX ſimpliciter pro eo ponunt σίδηρον [*ferrum*]. At hîc Chaldæus bene interpretatur *lapides* (id eſt, globos) *ferreos,* nempe qui è baliſtis jaciebantur.

10. *Inundatione equorum ejus operiet te pulvis eorum*] *Inundationem* dixit pro *multitudine:* quæ vox hîc eſt in Hebræo, Chaldæo, & Græco. Tantus erit pulvis ab equorum curſu ut nubis modo urbem operiat.

A ſonitu equitum, & rotarum, & curruum movebuntur muri tui] Solent enim ædes tremere ubi in propinquo multi curſitant currus & equi, propter ſoli cohærentiam.

Cùm ingreſſus fuerit portas tuas quaſi per introitum urbis diſsipatæ] *Qualis eſt introitus urbis diſsipatæ.* Tantâ ſecuritate intrabit portas tuas (deditione factâ), quantâ intrari ſolet urbs à civibus deſerta. Adeò neminem metuet.

11. *Populum tuum gladio cædet*] Multos de populo.

Et ſtatuæ tuæ nobiles in terram corruent] Et מצבה, & קמא quod hîc habet Chaldæus, ubique *ſtatuam* ſignificat. Quare putem hoc dici, deditâ urbe fore ut dejiciantur ſtatuæ erectæ Ægypti Regibus, aliiſque fœderatis Tyri, & Chaldæorum hoſtibus. Solent enim imagines dejici eorum quibus res infeliciter cedunt. Multa exempla habes in hiſtoria Romana.

12. *Vaſtabunt opes tuas*] In agris.

Diripient negotiationes tuas] Aditum commerciis præſtruent.

Et pulverem tuum in medio aquarum ponent] *Rudera in mare projicient.* Sic & Græci & Chaldæus.

13. *Et quieſcere faciam multitudinem canticorum tuorum, & ſonitus cithararum tuarum non audietur ampliùs*] Signa lætitiæ ceſſabunt. Vide Ieremiæ VII. 34.

14. *Et dabo te in limpidiſsimam petram*] *In altam rupem.* Scopuli inſtar eris, ut ſuprà 4.

Siccatio ſagenarum eris] Vide ſuprà 4.

Nec ædificaberis ultrà] Non redibis ad veterem fortunam. *Ædificare* enim eſt Hebræis & Syris tum ſobeleſcere, tum diteſcere. Intellige autem hoc *intra longum tempus*, collatis hiſtoriis temporum Alexandri.

15. *Ruinæ tuæ*] Id eſt, partium urbis tuæ.

Commovebuntur inſulæ] Id eſt, omnis ora maritima.

16. *Deſcendent de ſedibus ſuis omnes Principes maris*] Carthaginenſes, Gaditani, aliique Tyro orti & potentes mari. *Deſcendere de ſede* mos lugentium, Ionæ III. 6.

Auferent exuvias ſuas] Veſtes extimas: Exodi XXVIII. 4. 31. I Samuelis XVIII. 4. II Samuelis XIII. 18.

Et veſtimenta ſua varia abjicient] Acu picta: nam & hic mos lugentium, mutare veſtes. Vide dictum Ionæ locum. Cicero non uno loco propter ſe à Senatu mutatam veſtem narrat.

Et induentur ſtupore] Loquendi genera ſimilia habes ſuprà VII. 27. Pſalm. CXXXII. 18. & alibi. Senſus eſt: *circumdabuntur metu.*

In terra ſedebunt] Mos & hîc mœrentium, Iob. II. 13.

17. *Quæ habitas in mari*] In Hebræo, *Habitata à maribus*: id eſt, ad quam ab omni mari advenæ veniebant.

Quæ fuiſti fortis in mari] Vide quæ dicta ad Eſaiam XXIII.

18. *Nunc ſtupebunt naves in die pavoris tui*] In Hebræo & Græco *inſulæ*. Eſt idem nomen quod in altero membro ſequitur, niſi quòd hîc terminatio eſt Chaldaïca, ibi Hebraïca. *Inſula* autem Hebræis eſt omnis ora maritima. At Hieronymus in Commentario affirmat in Hebræo fuiſſe *naves*: legit ergò אנין.

Et turbabuntur inſulæ in mari] *Inſulæ, inquam, in mari turbabuntur.* ו [&] hîc nota repetitæ vocis.

Eò quòd nullus egrediatur ex te] In Hebræo, *In die exitûs tui*: id eſt, ubi obſides ex te auferentur Babylonem. Vide quæ diximus initio capitis.

19. *Cùm dedero te urbem deſolatam, ſicut civitates quæ non habitantur*] Tam deſtitutam à commerciis quàm ſunt urbes hominum vacuæ.

Et adduxero ſuper te abyſſum, & operuerint te aquæ multæ] Partem tui: quod fieri ſolet disjectis munimentis.

20. *Et detraxero te cum his qui deſcendunt in lacum ad populum ſempiternum*] *In ſepulchrum.* Id enim ſæpe בור [*fovea*] dicitur: Græcè βόθρον, & hîc & infrà XXXI. 14. XXXII. 18. 23. 24. 29. 30. τὰ θεμέλια τῆς γῆς [*fundamenta terræ*], Eſaiæ XIV. 15. Idem dicitur hîc de Tyro quod in Euangelio de Capharnaumo, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ [*ad infernum demittêris*]. Vita urbium eſt libertas, commercia, opes. Nam

Ἀργύριόν ἐστιν αἷμα καὶ ψυχὴ βροτοῖς.
[*Pecunia anima & ſanguis eſt mortalibus.*]

Populus ſempiternus ſunt mortui, quibus *nox una perpetua dormitur.*

Et collocavero te in terra noviſsima] In Hebræo, *In terra inferorum.* Eris quaſi ſepulta.

Sicut ſolitudines veteres] Hîc & Græci, & Chaldæus pro ב[*in*]legerunt כ [*ſicut*], aut certè ב tanquam כ ſunt interpretati. *Eris par locis ab omni ævo deſertis.*

Cùm his qui deducuntur in lacum] Repetit quod dixerat, ut ſæpe.

Vt non habiteris] Id eſt, ut non ut antè habiteris.

Cùm dedero gloriam in terra viventium] Ne tum quidem cùm Iudæa iterum florebit. Iudæa dicitur *terra viventium*, id eſt, hominum felicium: nam vivere ſæpe Hebræis eſt beatè vitam agere.

21. *In nihilum redigam te*] *Terrores dabo in te.*

Et non eris] Nempe quod fuiſti. Tyrus aliquantò poſt deſtructa Hieroſolyma hanc cladem accepit, ut ſuprà didicimus 2. Itaque ſeptuaginta anni exſilii Iudæorum priùs exiêre quàm ſeptuaginta anni poſt quos in veterem fortunam, ex Ieremiæ prædictione, reditura erat Tyrus.

Et requiſita non invenieris ultrà] Quærent homines, Vbi nunc illa eſt urbs quæ tam multas miſit colonias, quæ tam latè mari imperavit?

In ſempiternum] *In longum tempus*, ut jam ſæpe diximus. Septuaginta anni menſura communis vitæ humanæ.

CAPVT XXVII.

3. *QVæ habitat in introitu maris*] *Ad portum maris*, ſupple *egregium.*

Negotiationi populorum ad inſulas multas] *Negotiami cum populis ad oras uſque multas.*

4. *Et in corde maris ſita*] In Hebræo, *In corde maris termini tui.* Nam quod Latinus *finitimi tui* ad ſequentem ſenſum refert, id Chaldæus & Græci noſtri codices rectiùs ad hoc membrum trahunt, eo quo dixi ſenſu. Hoc vult, Imperium tuum non terrâ continetur, ſed latè per mare ſe ſpargit, ità ut *Tyria maria* in proverbium abierint. Libri LXX pro

[*termini*] habuerunt τῷ Βεελείμ [*Beelim*]. fortè ſcripſerant Γεβυλίμ [*Gebulim*].

Qui te ædificaverunt] Sidonii.

Impleverunt decorem tuum] *Perfectè te ornarunt.*

5. *Abietibus de Sanir exſtruxerunt te cum omnibus tabulatis maris*] *Abietibus de Sanir* (id eſt, de Hermone, Deuteron. III. 9.) *ædificaverunt tibi omnia tabulata maris*: id eſt, *pontes*, ut optimè interpretatur Chaldæus, qui non minùs quàm Latinus in Hebræo legit לחתים [*tabulas*]. Contrà, Lxx pro את כל [*cum omnibus*] legerunt unâ voce אתכל; vertunt enim ταινίας [*tænias*], id eſt, *apluſtria.* Eſt autem תכל *carbaſus.*

Cedrum de Libano tulerunt, ut facerent tibi malum] *Silvæ filia nobilis*, ut ait Horatius.

6. *Quercus de Baſan dolaverunt in remos tuos*] אלונים alii *quercus* vertunt, alii *ulmos*, aut *pinus*. Sed Chaldæus habet בלטין, quæ vox & Chaldæis & Arabibus ſignificat *quercus.*

Et tranſtra tua tibi fecerunt ex ebore Indico] *Ex dente* in Hebræo: ſed eâ voce *ebur* notant, ut videre eſt 1 Regum x. 18. XXII. 39. II Paralip. IX. 17. Amos III. 15. & alibi. Chaldæus intelligit *buxum intextam ebore.* Pro קרשך [*tranſtra tua*] Græci legerunt קדשך, τὰ ἱερά σου [*ſanctuaria tua*].

Et prætoriola de inſulis Italiæ] Variè hic locus vertitur. Ego pro certo habeo אשורים hîc arboris eſſe nomen, quæ תאשור Eſaiæ XLI. 19. ubi *buxum* vertit Chaldæus. *Prætorium*, quod hîc dixit Hieronymus, Hebræi ברת, eſt conclave in navis prora. Pro *Italiæ inſulis* in Hebræo & Græco eſt ἀπὸ νήσων τῶν Χεττιείμ [*ab inſulis Chettiim*]. Propriè ſic vocatur *Cyprus*; deinde tranſlatè alia loca tranſmarina, præſertim *Macedonia*, ut 1 Maccab. I. 1. Indè autem petitam buxum docet nos Plinius.

7. *Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum, ut poneretur in malo*] *Ex byſſo verſicolore Ægyptia facta tibi expanſio quæ pro velo ſerviret.*

Hyacinthus & purpura de inſulis Eliſa factum eſt operimentum tuum] *Hyacinthum* intellige, quæ *hyacinthina* Perſius vocat, lanam violæ concolorem. *Inſulæ Eliſa* ſunt maritima loca Æolum, qui optimi lanarum tinctores.

8. *Habitatores Sidonis & Aradii fuerunt remiges tui*] Tanta erat Tyriorum opulentia ut viliora miniſteria externis delegarent. De Arado vide Geneſ. x. 18. Sidonii πολύτεχνοι [*multarum artium*] Straboni. Aradiorum φιλοπονίαν πρὸς τὴν θαλαττουργίαν [*ſtudium in re navali*] laudat idem Strabo.

Sapientes tui, Tyre, facti ſunt gubernatores tui] *Sapientes tui fuerunt in te : ipſi gubernatores tui :* id eſt, peritos rei navalis, quos claſſibus navibúſque præficeres, de te habebas, non petebas aliunde.

9. *Senes Giblii & prudentes ejus habuerunt nautas ad miniſterium variæ ſupellectilis tuæ*] *Senes Giblii, & quidem eorum peritiſſimi, tibi aderant ad ſciſſuras ſarciendas*, id eſt, ad faciendas navium commiſſuras: quod Græci poſteriores, & indè nos καλαφατεῖν [*calafatare*] dicimus. Erant Giblii fabri optimi. Vide 1 Regum v. 18. Horum regio *Gabala* Plinio ac Ptolemæo. In libris Lxx Βιβλίων [*Bibliorum*] legitur pro Γιβλίων [*Gibliorum*], errore ſcribarum.

Omnes naves maris, & nautæ earum fuerunt in populo negotiationis tuæ]Id eſt, ab omnibus terris ad te veniebant naves & nautæ mercaturæ causâ.

10. *Perſæ & Lydii & Libyes erant in exercitu tuo*] *In præſidiis tuis. Lydos* ante Crœſi tempora laude militari floruiſſe dicit Xenophon. *Libyes* quoque ſive Afri in auxiliis erant, Ierem. XLVI. 9. *Perſæ* ſagittis noti ab omni ævo.

Viri bellatores tui] Milites mercenarii, qualibus multùm utuntur civitates mercatui deditæ, ut & filia Tyri Carthago.

Clypeum & galeam ſuſpenderunt in te] Nempe qui eorum ab excubiis vacabant.

Pro ornatu tuo] In Hebræo, *Ipſi tibi erant decori.* Magnificum erat tibi tot gentes habere conductas.

11. *Filii Aradii cum exercitu tuo erant ſuper muros tuos in circuitu*] Id eſt, permixti erant urbano militi.

Et Pygmæi qui erant in turribus tuis pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum] Bene, ſi cum gruibus bellandum fuit. Alioqui quorſum ad militiam deligere eos,

Quorum tota cohors pede non eſt altior uno?

Probabilis eſt eorum ſententia qui intelligi putant habitatores Anconis Phœnices : nam *Ancon* eſt גמד [*cubitus*]. At Lxx ג omiſſo legêre, מדים, Μῆδοι [*Medi*]. Chaldæus verò, ſecundâ literâ mutatâ, videtur legiſſe גפדים [*Gaphdim*]: interpretatur enim Cappadoces.

12. *Carthaginenſes negotiatores tui*] תרשיש; quomodo vocari illos qui *Terteſſii* dicuntur Græcis notavimus alibi: illis autem vicina Carthago. Vnde Lxx Καρχηδόνιοι [*Carchedonii*, id eſt, *Carthaginenſes*] hîc poſuere, pro quo malè ſcribitur in quibuſdam codicibus Χαλκηδόνιοι [*Chalcedonii*].

Argento] *Argentum in Hiſpania pulcherrimum.* Plinius XXXIII. 6.

Ferro] Martialis:

> *Pugio quem curva ſignat brevis orbita venâ,*
> *Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.*

Bilbilis gloriâ ferri nobilitata, Plin. XXXIV. 14.

Stanno] *Naſcitur cum argento*, Plin. XXXIV. 16.

Plumbóque] *Ex adverſo Celtiberiæ complures ſunt inſulæ, Caſſiterides dictæ à Græcis à fertilitate plumbi*, Plinius IV. 22. Idem habet Mela libro III. 6.

Repleverunt nundinas tuas] *Poſuerunt in apothecis tuis*, Chaldæus; quod laudo: nam עזב eſt *claudere.*

13. *Græcia*] *Ionia* יון.

Thubal] Iberi Aſiatici, & Albani, quorum urbs *Thabilaca* apud Ptolemæum. Diximus ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Et Moſoch] Cappadoces, quorum urbs *Mazaca*, cum *Moſchis* ſive *Moſchenis*. Diximus ibidem.

Ipſi inſtitores tui] *Tecum negotiabantur.*

Mancipia] *In animabus hominum.* Sed noris ità dici ſervulos vernas : neque verò aliter accipe ψυχαὶ ἀνθρώπων [*animæ hominum*] Apoc. XVIII. 13. ſic & Græcis poſterioribus ψυχάρια [*animulæ*] ſunt *ſervi*, ut notavit bene de illis literis meritus Meurſius. Nam vox σωμάτων [*corporum*] quæ in Apocalypſi præcedit referenda ad ingenuos qui pretio ſe aut proſtituebant, aut addicebant arenæ; quippe σώματα [*corpora*] ſine additamento de ſervis non dici ait

Pollux. Cappadociam plurima mancipia ſuppeditaſſe docent nos Horatius, Perſius, Martialis.

Et vaſa ærea adduxerunt populo tuo] *Mercatui tuo*, מערבך: ſic Græci & Chaldæus. Videtur Latinus legiſſe מערך [*multitudini tuæ*]. *Celebritas æris in Aſia*, Plinius XXXIV. 2.

14. *De domo Thogorma*] Fuiſſe regionem Galatię propinquam intelliges ex his quæ infrà XXXVIII. 6. Ioſephus *Phrygas* interpretatur, quibus vicina urbs Myſiæ *Germa* Ptolemæo, ut & in Galatia *Germanopolis*. Nec aliud voluiſſe Chaldæum patet, qui hîc poſuit גרמניא [*Germamia*]. Iudæi Rabbini Turcas vocant תורגמים [*Thorgomim*], nempe quòd Turcæ primùm circa illas partes apparere Romani Imperii hominibus cœperint, quod veriſſimum. Vide Chalcocondylam ac Leunclavium. Sunt & in Galatia *Trogmi*, aliis *Trocmi*, nomine vicino ad *Thogarma*.

Equos & equites] Claudianus de equo Arcadii:

Sive illum Armeniis aluerunt gramina campis,
Turbidus Argæâ ſeu nive lavit Halys.

Et mulos] Optimi ſunt ex *onagro & aſina*. *Onagri in Phrygia & Lycaonia præcipui*: utrumque tradit Plinius VIII. 44.

15. *Filii Dedan negotiatores tui*] LXX, υἱοὶ Ῥοδίων [*filii Rhodiorum*]. legerunt enim רדן [*Rhodan*], ut & Geneſ. X. 4. ſed ex mercibus quæ ſtatim nominantur credibile eſt non illos Gen. X. 4. dictos intelligi, ſed alios in Arabia poſitos, & ortos ex Cethura Gen. XXV. 3. Horum urbs Θοάνα [*Thoana*] Ptolemæo.

Inſulæ multæ] Multi accolæ maris Rubri.

Negotiatio manûs tuæ] Id eſt, veniebant emtum manûs tuæ opera.

Dentes eburneos] In Hebræo, *Cornua dentis*. Et ſanè quos *dentes elephanti* dicimus, eos Rex Iuba dicebat *cornua*, teſte Plinio. At Chaldæus diſtinguit, & per cornua intelligit *cornua* caprearum, ex quibus buccinas factas narrant Thalmudici; per *dentes*, ebur. Vivebant iſtæ capreæ in rupibus, unde multæ tales in Arabia. Elephantes quoque multi apud Troglodytas: meminit Plinius non uno loco.

Et hebeninos] Sonum ſecutus eſt vocis Hebrææ הובנים. At Chaldæus *pavos* interpretatur, quos in Rubrum mare advectos conſtat ex II Paralipomenon IX. 21.

Commutaverunt in pretio tuo] *Reddiderunt tibi pro pretio*: nempe ad repenſanda illa opera Tyriorum. In permutatione utrumque & merx eſt, & pretium: ſed merx dicitur cujus uſus eſt frequentior.

16. *Syrus negotiator tuus propter multitudinem operum tuorum*] Vt opera abs te facta ſibi compararet, merces ſuas, quæ jam dicentur, tibi attulit. *Syri magni negotiatores*, ut hîc notat Hieronymus. Horatius, —— *Syrâ reparare merce*. LXX pro ארם [*Aram*, Syria] malè legêre אדם [*Adam*], quod & idem obſervat Hieronymus.

Gemmam] *Carbunculum*, ut Exodi XXVIII. 18.

Et ſcutulata] *Acu picta*, quomodo hîc Chaldæus. Sic & Exodi XXXV. 23. XXXVIII. 23. Vide & Exodi XXVI. 36. XXVIII. 39. XXXVI. 35. XXXVIII. 18. XXXIX. 29. Iudicum V. 30.

Et byſſum] Reſpondet Hebræo בוץ, quod *byſſum* vertunt Græci & hîc & alibi: *diſcoloris* ἐπίθετον [*epithetum*] addit Chaldæus, quòd ea pretioſior.

Et ſericum] ראמות ſunt *coralia*, ut dictum Iob. XXVIII. 18.

Et Chodchod propoſuerunt in mercatu ſuo] Retinuit vocem quæ eſt in textu Hebræo, ut & Græci. Lapidis eſſe genus plerique volunt. Videamus an idem ſit lapis qui in Apocalypſi dicitur Χαλκηδὼν, & vulgò nunc quoque *Chalcedonius*.

17. *In frumento primo*] Id eſt, *optimo*, ut habet Chaldæus, ità dicto à regione *Minnith* nominata Iudicum XI. 33. Eſt ad finem Ammonitarum.

Balſamum] In Hebræo eſt פנג [*Phanag* vel *Panag*], quod *balſamum* etiam Chaldæis: μύρον [*unguentum*] Græci. David Kimchi, qui *herbam dulcem* eſſe dixit, non dubito quin in animo habuerit *panici*, quæ an jam Ezechielis tempore cognita fuerit dubitari poteſt. Alii putant non mercem ſignificari, ſed regionem, ut *Minnith*, unde frumentum venerit. Si regio eſt, alia non erit quàm Phœnice, quomodo Græcis vocabatur jam eo tempore ea quæ terra כנען [*Canaan*] Hebræis & ipſis Phœnicibus. Multa autem Græca vocabula in Orientem hoc tempore penetraſſe ex Daniele apparebit. Triticum Syrium laudat Plinius.

Et reſinam] Ad vulnerum medicamenta. Vide Ieremiæ VIII. 22.

18. *In multitudine operum tuorum*] Ad comparanda opera quæ Tyri fiunt.

In multitudine diverſarum opum] Et ad pecunias comparandas.

In vino pingui] Græci vocem propriam cenſentes poſuere οἶνον ἐκ Χελμὸν [*vinum de Chelmon*], id eſt, *ex Chalybonitide*, ut Ptolemæus illam Syriæ partem nominat, מ mutato in β vicini ſoni ductûsque literam.

In lanis coloris optimi] Hieronymus in Commentariis nomen cenſet eſſe proprium *Soor*, unde lana afferebatur ſimilis Mileſiæ, quod nomen poſuere hîc LXX, & Chaldæus. Addit: *Significat autem quod inter cæteras negotiationes Tyri, ad nundinas ejus de Damaſco deferebatur vinum pinguiſſimum, & lana præcipua, quod uſque hodie cernimus*. *Soor* apud Ptolemæum eſt Σοῦρα [*Sura*].

19. *Dan & Græcia & Moſel in nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum*] In Græcis, quibus nos utimur, eſt Δὰν καὶ Ἰαουὰν καὶ Μοόζηλ [*Dan & Iavan & Moozel*]. At iſta in LXX defuiſſe, adjecta verò ex Theodotione narrat Hieronymus. Certè *Dan* Iſraëlis locum habere hîc vix poteſt, deductis pridem Decem tribubus: & *Græciæ* mentio jam præceſſit, quam hîc non intellexiſſe Theodotionem hinc apparet, quòd ſuprà pro יון poſuit Ἑλλὰς [*Græcia*], hîc verò Ἰαουὰν [*Iavan*], ut diximus. Tum verò multùm fallatur qui *ſtacten*, ſive *calamum aromaticum*, aut in Iſraëlis terra aut in Græcia quærat. *Moozel* pro nomine proprio ſumit Theodotio; pro communi Chaldæus, qui vertit *turmatim*, id eſt, *per caravanas*, ab אול, quod eſt *iter facere*. Credam ego Taprobanen hîc indicari, id eſt, Zeilanam inſulam, feracem calami odoriferi, & odorum aliorum, & metallorum non inopem, in qua fuere urbes *Dana & Ioganna & Modutu*, ut habet Ptolemæus, ubi fortè ſcribendum Μοδούλου [*Modulu*].

20. *Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum*] *Ad equitandum* vertit Chaldæus, id eſt, ad ſtrata equorum. Eſt hic alius *Dedan* ab illo qui ſuprà 15. Ille ex Cethura, hic ex Chuſi filiis, Geneſ. x. 7. Oſtendunt id nomina quæ hîc ſequuntur, quæ & in Geneſi nomini *Dedanis* cohærent. Sunt in Arabia utrique populi, ſed longo intervallo. Horum videtur eſſe Ἀδηδȣ [*Adedu*] vicus apud Ptolemæum.

21. *Principes Cedar*] *Cedareni.* Vide Pſalm. cxx. 5. Ieremiæ XLIX. 28.

Cum agnis, & arietibus, & hædis venerunt ad te] Abundat enim pecore regio illa, quæ *Saracenorum* Hieronymi tempore dicebatur. Vide & Ieremiæ XLIX. 29.

22. *Venditores Saba & Reema*] Et hi populi Arabiæ felicis, ubi *Regma* Ptolemæo, ע in γ mutato, & *Saba* oppidum.

Cum univerſis primis aromatibus] Thure maximè.

Et lapide pretioſo] Vt Lygdino, Plinius XXXVI. 8.

Et auro] Cujus magna penes Arabes copia, II Paralipomen. IX. 14.

23. *Haran*] *Carræ*, ut diximus ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Et Chene] In Hebræa voce כנה [*Chene*] aut litera ל per ſcribæ incuriam omiſſa eſt, aut cum tempore mutata pronuntiatio. Oſtendunt enim vicina loca idem eſſe quod כלנה [*Chelne*] Geneſ. x. 10. & Amos VI. 2. quod eſſe *Callinifum* Ammiano perquam credibile eſt.

Et Eden] Pars eſt Babyloniæ. Vide quæ ad II Geneſeos.

Saba] Hic quoque שבא [*Saba*] diverſus ab illo qui ſuprà 22. ille nominatus Geneſ. x. 7. hic verò Geneſ. xxv. 3. Plinio *Sabæ* portus Arabiæ ad mare, v. 23. cujus & Strabo meminit; alibi *Sabæi* thure nobiles, VI. 28. Diſtinguit & Ptolemæus.

Aſſur] *Aſſyrii.*

Et Chelmad] *Mediam* interpretatur Chaldæus. Eſt vox compoſita, nec alium locum deſignari puto quàm *Gaala Media* Ptolemæo nominata. Græci quidam codices Χαρμὰν [*Charman*] habent, id eſt, *Carmani.*

24. *Ipſi negotiatores tui multifariam involucris hyacinthi*] Lxx hîc voces duas Hebræas retinuere, ἐν Μοχαλὴμ καὶ Γαλίμε [*in Mochalem & Galime*]. Probo Chaldæi verſionem, *In rebus perfectiſſimis, nempe in palliis hyacinthinis*, &c. à qua non abiere Aquila & Symmachus, ut ex Hieronymo & Theodoreto cognoſcimus.

Et polymitorum] *Et acupictis.*

Gazarúmque pretioſarum] *Et ſyntheſibus veſtium pretioſarum.* גנזי à גנז, quod eſt *reponere.* ברומים etiam Arabibus eſſe *veſtes pretioſas* ait Ioſeph Kimchi.

Quæ obvolutæ & aſtrictæ erant funibus] In Hebræo: *ligatarum funibus*, nempe itidem pretioſis, id eſt, *byſſinis*, ut vult Chaldæus.

Cedros quoque habebant] *Et cedris*, id eſt, in capſis cedrinis, quò magìs durarent. *Myrtinas capſas* poſuit Chaldæus.

In negotiationibus tuis] *Ad mercatum tuum.*

25. *Naves maris*] In Hebræo: תרשיש [*Tharſiſch*], id eſt, *Oceani.*

Principes tui in negotiatione tua] *Præcipuæ tibi in negotiatione tua*: eſt enim in Hebræo vox feminina.

26. *In aquis multis adduxerunt te remiges tui*] Vrbem navi comparans, ut Romam Horatius, ait eam perductam in mare valde fluctuoſum. *Remiges* ſunt homines de plebe. *Mare*, bellum cum Chaldæis.

Ventus Auſter] In Hebræo, *Orientalis.* Is ventus Chaldæos ſignificat ab Oriente venientes.

Contrivit te in corde maris] *Merſit te.*

27. *Qui tenebant ſupellectilem tuam*] In Hebræo: *Qui ſciſſuras tuas ſarciunt*, ut ſuprà 9.

Et populo tuo præerant] In Hebræo, *Tractatores negotiorum tuorum*: id eſt, inſtitores & magiſtri.

Cadent in corde maris] Bellicâ clade concident.

28. *A ſonitu clamoris gubernatorum tuorum conturbabuntur claſſes*] *Contremiſcent ſuburbana.* Tantus erit clamor eorum qui in mari à Chaldæis eorúmque ſociis Phœnicibus vulnerabuntur, ut non inſula tantùm Tyros, ſed & proxima continens eo audito contremiſcat.

29. *Et deſcendent de navibus ſuis omnes qui tenebant remum*] Id eſt, omnes in ſcaphas ſe dabunt, ut terram quamprimum arripiant, & ſic malum evadant.

In terra ſtabunt] Velut ejecti.

30. *Et ſuperjacient pulverem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur*] Mos dolentium, Ioſuæ VII. 6. Iob. II. 12. Ieremiæ VI. 26.

31. *Et radent ſuper te calvitium*] More Phœnicum, Deuteronomii XIV. 1.

Et accingentur ciliciis] Veſtitu viliſſimo. Et hic mos Orientis, Ionæ III. 6. שקים Latinus modò *ſaccos* vocat, modò *cilicia.* parum refert. Vide quæ dicta Matthæi XI. 21.

32. *Et aſſument ſuper te carmen lugubre*] *Tollent ſuper te in querimonias ſuas lamentum.* At Lxx aliis punctis בניהם interpretantur οἱ ὑιοὶ αὐτῶν [*filii eorum*].

Quæ eſt ut Tyrus, quæ obmutuit in medio maris] Meliùs, *Quæ fuit urbs qualis Tyrus?* Quæ urbs maritima ei comparari potuit? ut ſit דמה à דמה [*comparare*], non à דמם [*obmuteſcere*]. Apparet Chaldæum ſumſiſſe ut dicimus, & oratio meliùs cohæret; nam in adverſa fortuna commemorant illam priorem.

33. *Quæ in exitu negotiationum tuarum*] Longinquis navigationibus in Indiam, Hiſpaniam, Africam, Pontum.

Impleſti populos multos] Mercibus.

Multitudine divitiarum tuarum] *Pecuniarum.*

Et populorum tuorum] *Mercimoniorum tuorum.*

Ditaſti Reges terræ] Ex vectigalibus.

34. *Nunc contrita es à mari*] Vide ſuprà 26.

In profundis aquarum opes tuæ] Magna vis opum tuarum in mari demerſa eſt.

Et omnis multitudo tua quæ erat in medio tui] Chaldæus: *Exercitus tuus*, id eſt, milites epibatæ.

35. *Omnes habitatores inſularum*] Regionum maritimarum.

Et Reges earum tempeſtate perculſi] *Horrentibus pilis*: ità Hebræum.

36. *Sibilaverunt ſuper te*] Præ ſtupore, ut 1 Regum IX. 8.

Ad nihilum deducta es] Nempe ſi comparetur hic ſtatus cum priore.

Non eris uſque in perpetuum] עד עולם eſt *ad longum tempus*, ut & nos annotavimus alibi, & hîc Hieronymus.

CAPVT XXVIII.

2. D*Ic Principi Tyri*] Ithobalo. Ità enim vocatur in Actis Tyriis. Stolidi Rabbini Hiramum fingebant per mille annos vixiſſe, ut hîc notat Hieronymus.

Et dixiſti: Deus ego ſum] Id eſt, *quaſi Deus quidam*, ut Eſaiæ XIV. 14.

Et in cathedra Dei ſedi in corde maris] Rurſum ſubintellige *quaſi*. Sicut Deus ab omni injuria tutus eſt in arce cœleſti, ſic me defendit mare.

Cùm ſis homo] Omni humanæ ſorti obnoxius.

Et non Deus]. Minimè inexpugnabilis.

Dediſti cor tuum quaſi cor Dei] Ità de te cogitas quaſi omnia tibi parêre debeant.

3. *Ecce ſapientior es tu Daniele*] Ità tibi vidêris. Celebris erat tunc per Chaldæam fama Danielis: ſuprà XIV. 20. Danielis I. 17. & II. 48. VI. 26.

4. *Feciſti tibi fortitudinem*] Opes paraſti.

7. *Robuſtiſſimos gentium*] Quales tunc erant Chaldæi, ſuprà XXVI. 7.

Nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ] Super pulcherrima ædificia quæ magnâ arte ſtruxiſti.

Et pollueni decorem tuum] *Splendorem tuum*: id eſt, regnum tuum.

8. *Interficient & detrahent te*] *Ad ima deſcendere te facient*: id eſt, ad fundum maris, in navali prælio.

9. *Numquid dicens loquêris*] An tunc dices?

Cùm ſis homo] ——— *mors ſola fatetur*
Quantula ſint hominum corpuſcula.

10. *Morte incircumciſorum morieris*] Riſiſti circumciſos; ideo volo ut incircumciſi tibi mortem inferant. *Mors incircumciſorum*, ut apud Virgilium:

——— *Vulnere tardus Vlyſſei*,

ab Vlyſſe dato.

12. *Tu ſignaculum ſimilitudinis*] *Annulus ſignatorius* (optimè) *figuratus*. חותם alibi vertunt δακτύλιος [*annulus*], alibi σφραγὶς [*ſigillum*], alibi ἀποσφράγισμα [*ſignaculum*], ſenſu eodem. תבנית *figura*. Et ſic accipit hîc Chaldæus. Senſus eſt, Diligentiſſimè cuſtodiebaris, ut annulus ſplendidus multæ artis. Confer Ieremiæ XXII. 24.

Plenus ſapientiâ] Id eſt, arte factus, ut jam diximus.

Vt perfectus decore] Pulchrùm fulgens.

13. *In deliciis paradiſi Dei fuiſti*] Omnia tibi affluebant, ut olim Adamo in horto Hedenis, quem ei Deus conceſſerat.

Omnis lapis pretioſus operimentum tuum] Veſtis tua gemmis erat intexta.

Sardius] אדם [*Odem*] *rubrum* ſignificat. Talis autem eſt *Sarda Indica* Plinio XXXVII. 7. σάρδιον [*ſardium*] habent hîc & Græci. Chaldæus סמקן [*Samecan*] à סמק, quod eſt *rubere*.

Topazius] פטדה τοπάζιον vertunt Græci, tum in Exodo, tum Iobo XXVIII. 19. Chaldæus vertit ירקן [*Iarcan*]: eſt illis ירק *virere*. Eſt ergò Topazius Arabica, cui virorem attribuit Plinius XXXVII. 8.

Et iaſpis] יהלם eſt ab הלם, quod eſt *frangere*: ideo non minùs convenit *adamanti* hoc nomen quàm *iaſpidi*. Et *adamantem* tum hîc tum in Exodo interpretatur Chaldæus. *Adamantes Arabici* Plinio teſte XXXVII. 4. *ità reſpuunt ictum ut ferrum utrinque diſſultet, incudêſque etiam ipſæ diſſiliant.*

Chryſolithus] תרשיש eſt *Oceanus & Oceani color*. Beryllo id nomen optimè convenit, *qui viriditatem puri maris imitatur*, Plinius XXXVII. 5. Græci Interpretes variant: interpretantur enim χρυσόλιθον, ἄνθρακα, ὑάκινθον [*chryſolithum*, *carbunculum*, *hyacinthum*].

Et Onyx] שהם Rabbini ferè omnes conſentiunt lapidem eſſe formâ unguis humani, id eſt, *onychem*, & ſic à Græcis vertitur Iob. XXVIII. 16. Atque id malò quàm quòd alibi vertitur πράσινος [*praſinus*], alibi σμάραγδος [*ſmaragdus*], alibi σάπφειρος [*ſapphirus*], alibi σάρδιος [*ſardius*], alibi, ut & à Chaldæis, βηρύλλιον [*beryllium*].

Et beryllus] ישפה ipſo ſono accedit ad *iaſpidem*. Et ità hîc Græci. At alibi ὀνύχιον [*onychium*]. Chaldæus פנתרין, id eſt, *pantherinum*. Ità vocari credo id iaſpidum genus quod *è multis veluti gemmis compoſitum* dicit Plinius, à *panthera* varii coloris animante.

Sapphirus] ספיר non eſt dubium quin ſit σάπφειρος [*ſapphirus*], nihil mutato nomine. Et ſic conſtanter vertunt Græci in Exodo, Iobo, & alibi. Retinet nomen Arabia, Nun interpoſito سنفير.

Et carbunculus] נפך *carbunculum* etiam Exodi XXVIII. 18. vertit Hieronymus, ubi & Græcis eſt ἄνθραξ [*carbunculus*]. Ajunt Hebræi נפך eſſe *nigrum*. ſed & Plinius *carbunculos Carchedonios nigrioris eſſe aſpectûs* dicit.

Et ſmaragdus] ברקת eſt à ברק, quod eſt *fulgurare*, *coruſcare*. Optimè id nomen conveniret chryſolitho, cui color aureus: vertunt tamen Græci σμάραγδον [*ſmaragdum*], & hîc ὀνύχιον [*onychium*]. Chaldæus vicinam vocem poſuit ברקן [*Barcan*], quod pro *carbunculo* accipi video.

Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die quà conditus es præparata ſunt] Meliùs illa, *Et aurum*, ad priorem ſenſum referas; deinde vertas cum Symmacho: *Tympana tua, & foramina tua in die quâ formatus es præparata fuerant.* Cùm adhuc in utero formareris, jam tum tibi parabantur *tympana* (ſic vocantur margaritæ *quibus una tantùm eſt facies, & ab ea rotunditas, inverſis planities*, teſte Plinio IX. 35.) *& forata*, id eſt, margaritarum lineæ, ut eas vocat Scævola & Martialis. Simile illud Claudiani de Honorio:

Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis
In Tyrios enixa thoros.

14. *Tu Cherub extentus & protegens*] Comparat eum Cherubinorum alteri qui ſuper Arcam extendebantur eámque obtegebant: Sic & ille populum ſuum. Videtur Hieronymus legiſſe ממשך [*extentus*], non ממשח [*unctus*]. Senſus ſic eſt melior.

Et poſui te in monte ſancto Dei] Subaudi, *quaſi*. Sicut illi in Templi adyto erant (quod vocatur *mons ſanctus*), ità tu in loco qui videbatur ad vim omnem inacceſſus.

In medio lapidum ignitorum ambulaſti] Sicut Pontifex cum duodecim lapidibus micantibus accedebat Cherubinum, ità & qui circum te erant intrabant pari ornatu.

15. *Perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ*] *Felix fuiſti in omnibus actionibus tuis, ex quo formatus es.*

Donec inventa eſt iniquitas in te] Donec cœpiſti exercere piraticam, ut ſequentia explicant.

16. *In multitudine negotiationis tuæ*] Cùm ex juſtis commerciis rem facilè poſſes facere.

Repleta ſunt interiora tua] Id eſt *theſauri tui*, ut hîc Chaldæus.

Iniquitate] Rebus raptis.

Ejeci te de monte Dei] De Tyro, quæ velut adytum erat, ut diximus.

17. *Et elevatum eſt cor tuum*] *Nam ſuperbierat tibi animus.*

In terram projeci te] Id eſt, proſtravi te.

Ante faciem Regum dedi te, ut cernerent te] *Te propoſui Regibus in exemplum.* Ità Chaldæus & Lxx.

18. *In multitudine iniquitatum tuarum*] Rebus multis per vim partis.

Et iniquitate negotiationis tuæ] Et per contractus extortos advenis.

Polluiſti ſanctificationem tuam] *Sanctuaria tua.* Templa Beli, quem *Iovem* Græci vocant, Melcarti, quem illi *Herculem*, Aſtartes, impleſti rebus malè partis.

Producam ego ignem de medio tui] *Culpam pœna premet comes.*

Et dabo te in cinerem ſuper terram] *Quaſi cinerem*, bene hîc Chaldæus. Hoſtes non pluris te facient quàm cinerem ſparſum humi.

19. *Omnes qui viderint te*] *Antehac te noverant*, ut Chaldæus hîc.

Nihili factus es] בלהות ἀνυπαρξίαν [*non-exſiſtentiam*] ſolet vertere Symmachus. Chaldæus hoc loco eundem ſenſum expreſſit: *Ponam te quaſi nunquam fuiſſes*, id eſt, nè ſepultura quidem tibi continget. Lxx: ἀπώλεια ἐγένου [*perditio factus es*].

Et non eris in perpetuum] Id eſt, corpus tuum nunquam reperietur. Hîc עד עולם [*in perpetuum*] *ſine fine* accipi tempus poſtulat. Alibi aliter ſumi ſæpe apparuit.

22. *Ecce ego ad te Sidon*] Perierunt nobis hiſtoriæ ex quibus hæc poſſemus interpretari. Sed credibile eſt Sidonios, unde orta erat Tyros, Tyriis auxilium præbuiſſe, & poſtea Chaldæis dediſſe pœnas: nam domum veterem Sidoniorum Regum ad plebejam ſortem depreſſam jam olim fuiſſe diſcimus ex Scriptoribus rerum Alexandri. Facti ergò & hi non minùs quàm Tyrii ſub poteſtate Chaldæorum primùm, deinde Perſarum. Simile vaticinium, ſed ad tempora vetuſtiora pertinens, de Tyro & Sidone vide apud Eſaiam XXIII. 4.

Et ſanctificatus fuero in ea] Id eſt, occaſione pœnarum ejus ab omnibus laudatus fuero.

23. *Et immittam ei peſtilentiam*] Quæ obſidiones comitari ſolet ex corruptis alimentis, infectóque aëre.

Gladio] Chaldaïco.

24. *Et non erit ultrà domui Iſraël offendiculum amaritudinis*] *Sentis noxia.*

Vndique per circuitum eorum] Repreſſis Tyriis, Sidoniis, Ammonitis, Moabitis, Idumæis. Referendum hoc ad tempus, quod jam deſcribet, ubi Iudæi in patriam reverſi fuerint. diu enim illaceſſiti vixêre.

CAPVT XXIX.

1. IN *anno decimo*] A deportatione Iechoniæ. Vaticinia hæc non per tempora, ſed per gentes ſunt ordinata ; & à propinquioribus terræ Iudææ incipiunt.

2. *Contra Pharaonem Regem Ægypti*] חפרע in Hebræo, Οὐαφρῆς [*Vaphres*] in Græco, *Ephree* in Latino, Ieremiæ XLIV. 30. Ἀπρίης [*Apries*] Herodoto: Vbi à nobis dicta vide, res enim eſt eadem quæ hîc tangitur.

3. *Draco magne*] Vox תנין *piſcem ingentem* ſæpe ſignificat, & hîc fortè *crocodilum*. Nam & nomen *Pharaonis* Arabum linguâ, quæ cum Ægyptia multa habet communia, *Crocodilum* ſignificat.

Qui cubas in medio fluminum tuorum] In tot Nili oſtiis.

Et dicis, Meus eſt fluvius] Id eſt, Meum eſt hoc regnum Ægyptium.

Ego feci memetipſum] *Regem* ſcilicet. Feliciſſimus Regum fuit per annos XXV, ut teſtatur Herodotus, & fortunâ elatus dicebat, μηδ᾽ ἂν θεόν μιν μηδένα δυνάσθαι παῦσαι τῆς βασιληΐης [*nè Deum quidem ullum efficere poſſe nè ipſe regnaret*].

4. *Ponam frænum in maxillis tuis*] *Hamum.* Vide Iob. XL. 19. Is *hamus* eſt Amaſis.

Agglutinabo piſces fluminum tuorum ſquamis tuis] Multos habebis qui tibi adſint contra Amaſim.

Extraham te de medio fluminum tuorum] Omnem dignitatem tibi detraham.

Et univerſi piſces tui ſquamis tuis adhærebunt] *Et cunctis piſcibus qui ſquamis tuis adhæſuri ſunt.* Quicunque tuæ erunt ſectæ etiam calamitatis erunt participes.

5. *Et projiciam te in deſertum*] In ſiccum, ubi piſces vivere nequeunt: quod modò dicet *ſuper faciem terræ*. Hac figurâ carcer innuitur.

Non colligèris, neque congregaberis] Id eſt, non redibis in flumen. Perſtat enim in piſcis ſimilitudine.

Beſtiis terræ & volatilibus cœli dedi te ad devorandum] Senſus Allegoriæ eſt, Hominibus feris ac rapacibus poteſtatem dedi exuendi te regno, libertate, bonis, poſtremùm & vitâ.

6. *Quòd fuiſti baculus arundineus domui Iſraël*] Locutio proverbialis in eos convenien s qui nocent eis quibus prodeſſe deberent, Eſaiæ XXXVI. 6.

7. *Laceraſti omnem humerum eorum*] *Humerum* dixit pro *brachio* συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*].

Et diſſolviſti omnes renes eorum] Meliùs, *lumbos eorum.* Græci, συνέκλασας αὐτῶν πᾶσαν ὀσφύν [*confregiſti eis lumbum omnem*]. Legerunt ergò & hi & Latinus, imò & Chaldæus, ערצת [*confregiſti*], non עמדת [*ſtare feciſti*], meliùs haud dubiè. Senſus Allegoriæ eſt: Iſraëlitis abs te auxilium exſpectantibus exitio fuiſti. Rem vide Ieremiæ XXXVII. 6. XLI. 17. XLIII. 10. II Regum XXIV. 7.

8. *Adducam ſuper te gladium*] Primùm bella civilia; deinde & arma Nabuchodonoſori, ut mox dicet 19. Vide Ieremiam XLII. 16. & ibi dicta.

Interficiam in te hominem & jumentum] Multos homines, & animantia multa.

9. *Et erit terra Ægypti in deſertum*] Hæc *συνεκδοχικῶς* [*per comprehenſionem*] de parte Ægypti vaſtata bellis ſunt intelligenda.

10. *A turre Syenes*] Meliùs, *à Magdalo & Syene. Magdalum* eſt urbs Ægypti ad mare Rubrum, Ieremiæ XLIV. 1. XLVI. 14. *Syene ſupra Alexandriam eſt quinque millibus ſtadiorum*, Plinius II.75. Eſt ad catarractas Nili, in Orientali Nili latere, quod Arabiæ obvertitur, ut apparet ex Plinio V. 9. & aliis.

Vſque ad terminum Æthiopiæ] Si rectè animum advertas ex his terminis videbis partem Ægypti indicari, non totam Ægyptum: quod & ſequentia confirmabunt.

11. *Non habitabitur quadraginta annis*] Amaſis longo regno paulatim reſtituit res Ægypti.

12. *Et diſpergam Ægyptios in nationes*] Multos Ægyptiorum, qui belli metu in Arabiam ſe aut Æthiopiam recipient, ac deinde redituri ſunt, ut ſequitur.

14. *Et collocabo eos in terra Phatures*] Diximus ad librum I. de Veritate Religionis Chriſtianæ פתרסים, qui dicuntur Geneſ. X. 14. videri nobis eſſe illos Æthiopas, qui *Pharuſi* Plinio, *Phauruſi* Ptolemæo. At pars etiam Ægypti ſic dicta Eſaiæ XI. 11. & hîc infrà XXX. 14. ab Æthiopibus illis nimirum ortum habens, ut jam dicet Ezechiel. Eos eſſe Peluſios ſentit interpres Geneſeos Hieroſolymitanus.

14. 15. *Et erunt ibi in regnum humile: inter cætera regna erit humillima, & non elevabitur ultrà ſupra nationes: & imminuam eos nè imperent gentibus*] Præpollente Chaldæorum, ac deinde Perſarum Imperio, nihil movere audebunt ad tempora uſque Lagidarum. Confer Ieremiæ XLVI. 26.

16. *Neque erunt ultrà domui Iſraël in confidentia*] Non ultrà Iſraëlitæ in illis habebunt fiduciam, ut antehac.

Docentes iniquitatem] Id eſt, non ultrà ſpe auxilii allicient Iſraëlitas ad idololatriam ſuorum deorum, ut antehac fecerunt.

Vt fugiant, & ſequantur eos] In Hebræo, *ut* ſcilicet *hi* Iſraëlitæ *ad illos* Ægyptios *reſpiciant*: ut pendeant ab ipſorum militibus, nihilque non parati ſint facere ipſorum causâ.

17. *Et factum eſt in vigeſimo & ſeptimo anno, in primo, in una menſis factum eſt verbum Domini ad me, dicens*] Hoc cum ſuperioribus nectitur, non revelationis tempore (eſt enim longum intervallum), ſed per rerum cohærentiam. Nam quo tempore Hieroſolyma obſeſſa, capta, exuſta ſunt, & poſt Godoliam interfectum deportatæ quæ in patria tenues reſederant Iudæorum reliquiæ; deinde, quinto poſt capta Hieroſolyma anno, à Chaldæis vaſtata Ammonitis & Moabitis, vicinæque regiones; poſt id Tyros obſeſſa per annos XIII, mox Sidon aliæque urbes; omni hoc, inquam, tempore Ægyptus ſeditionibus belliſque civilibus fuit agitata. Eo verò elapſo tempore, cùm jam appropinquaret tempus venturi in Ægyptum Nabuchodonoſoris, Deus quæ generaliter dixerat, ea jam preſſiùs ſignatiúſque Prophetæ aperuit. Confer Ieremiam XLVI. 26.

18. *Nabuchodonoſor Rex Babylonis ſervire fecit exercitum ſuum ſervitute magnâ adverſus Tyrum*] Hoc dicit Deus: Nabuchodonoſor totos annos XIII impendit in puniendis Tyriis, eâque in re gratam mihi operam præſtitit. Nolo id ſit ſine magna mercede: Itaque pro iſta opera bonam partem Ægypti ipſi dabo. Nam Tyrum non diripuerat, ſed conditionibus ſibi adjunxerat. Vide Hieronymum ad hunc locum: & quæ ex Philoſtrato Ioſephus X. 11.

Omnis humerus depilatus eſt] *Attritus eſt*, nempe portando cophinos ad aggeres faciendos; ut rectè hîc explicat Hieronymus.

19. *Accipiet multitudinem ejus*] Multos adducet captivos ex Ægypto.

Et deprædabitur manubias ejus] *Spoliabit ſpolia ejus*: ἄξει λάφυρα ἀπὸ λαφύρων [*ſumet prædam de præda*], ut dicebant Ætoli. Sicut Ægyptii alios ſunt populati, ità ipſos populabuntur Chaldæi.

Et erit merces exercitui illius] Rectè. nam *deditæ urbis præda ad duces, expugnatæ ad militem pertinet*, ut ajunt Flaviani apud Tacitum Hiſtoriæ III.

21. *In die illo pullulabit cornu domui Iſraël*] Id eſt, ad maximam dignitatem provehetur Daniel, inſtar Ioſephi, cui ob id *cornu* tribuitur Deut. XXXIII. 17. Vide Daniel. VI. 2.

Et tibi dabo apertum os in medio eorum] Vbi tam multa abs te Iudæis, à Daniele Chaldæis, prædicta evenerint, auctoritatem jam majorem dicta tua apud populum habebunt. Vide ſuprà XXIV. 27. & ibi dicta.

CAPVT XXX.

1. ET *factum eſt verbum Domini ad me*] Tria quæ ſequuntur capita eodèm pertinent quò finis capitis præcedentis: nempe ad bellum Nabuchodonoſoris in Ægypto, & parte quæ Æthiopiam attingebat.

3. *Dies nubis*] *Atra dies*, ut dicunt Latini.

Tempus gentium] Nempe ad pœnam.

4. *Et erit pavor in Æthiopia*] In illis partibus quæ fœderatæ erant Ægypto.

Et deſtructa fundamenta ejus] Vrbes dirutæ.

5. *Et Libya*] Nam & Afri inter ſocios Ægypti, Ierem. XLVI. 9. & hinc belli in Africam prætextum ſumſit Nabuchodonoſor, ut alibi diximus.

Et Lydi] Socii & hi Ægyptiorum, Ieremiæ XLVI. 9.

Et omne reliquum vulgus] Miles mercenarius ex multis gentibus allectus. LXX, *οἱ ἐπίμικτοι* [*convenæ*].

Et Chub] *Cubii* in Mareotide apud Ptolemæum.

Et filii terræ fæderis] Iudæi multi eâdem calamitate involventur; Ieremiæ XLII. 22. XLIV. 14. LXX, ἐκ τῶν υἱῶν τῆς διαθήκης μου [*ex filiis fæderis mei*]. Nec aliter accipit in Commentario Hieronymus.

6. *Corruent fulcientes Ægyptum*] Socii & auxilia.

A turre Syenes] *A Magdalo & Syene*, ut ſuprà XXIX. 10.

7. *Et diſſipabuntur in medio terrarum deſolatarum*] *Deſolabuntur ut qui maximè.* Simile loquendi genus ſuprà XXIX. 12.

8. *Cùm dedero ignem in Ægypto*] Incendio bellico.

9. *In trieribus*] Per Nilum. De trieribus vide Eſaiæ XXXIII. 21.

10. *Ceſſare faciam multitudinem Ægypti*] Turbam ejus multùm imminuam.

12. *Et faciam alveos fluminum aridos*] Nili διώρυχας [*foſſas*], ut hîc in Commentario Hieronymus. *Foſſas* dixit Sextus Aurelius, *fluenta* lex unica C. de Nili aggeribus.

Terram & plenitudinem ejus] Fruges.

13. *Idola de Memphis*] *De Memphide.* Tibullus:

Te canit atque ſuum proles miratur Oſirim
Barbara, Memphiten plangere docta bovem.

Ovidius:

Neu fuge Niligeræ Memphitica ſacra juvencæ.

Noph eſſe *Memphidem* dictum Eſaiæ XIX. 13.

Dux de terra Ægypti non erit ampliùs] Id eſt, Rex toti Ægypto imperans.

14. *Et diſperdam terram Phatures*] Vide quæ dicta ſuprà ad XIX. 14.

Dabo ignem in Taphnis] Dicendum fuerat *Tanis*, ut hic habent LXX & Chaldæus. Ea enim eſt צען, Num. XIII. 22. Vide quæ diximus ad Matth. I. 21.

Et faciam judicia in Alexandria] Dicit in Commentario Hieronymus hoc nomen ſe poſuiſſe per anticipationem, quæ πρόληψις dicitur, quia Alexandria condita eſt ubi No vetus fuerat. Diximus ad Ieremiam XLVI. 25.

15. *Et effundam indignationem meam ſuper Peluſium*] סין [*Sin*] in Hebræo. Itâ urbs illa dicta creditur quòd objecta eſſet à deſerto Sin venientibus. Sed quid ſi uno puncto mutato *Sain* interpretemur cum LXX?

17. *Iuvenes Heliopoleos*] און in Hebræo textu, quod rectè legi poteſt *On*, & ſic ſcribitur Geneſ. XLI. 45. Hi ſunt *Onii* in Heliopolitano Nomo apud Ptolemæum.

Et Bubaſti] *Bubaſtus* urbs, unde *Bubaſtites* Nomos. idem eſt nomen quod Hebraïcè ſcribitur פי בסת.

18. *Et in Taphnis*] In *Daphnis* Peluſiis. Vide quæ ad Eſaiam XXX. 4. & Ierem. XLIII. 7. 8.

Nigreſcet dies] Vide quæ ad Matthæum XXIV. 29.

Ipſam nubes operiet] Suprà 3.

20. *Et factum eſt in undecimo anno*] Non multò poſt illam revelationem quæ perſcripta eſt capite XXIX.

21. *Brachium Pharaonis Regis Ægypti confregi*] Incepi jam exſequi decreta mea contra Aprien, Cyrenæis in eum concitatis.

Non eſt obvolutum, ut reſtitueretur ei ſanitas] Malum ejus non modò non levabitur, ſed & magìs ingraveſcet in dies.

22. *Brachium ejus forte*] LXX, τοὺς βραχίονας αὐτοῦ τοὺς ἰσχυροὺς καὶ τεταμένους [*brachia ejus valida & extenta*]: ubi τεταγμένους [*ordinata*] malè fuiſſe in codicibus nonnullis ſcriptum notat hîc Hieronymus.

24. *Et confortabo brachia Regis Babylonis*] Civile bellum excipietur ab externo.

Gement gemitibus interfecti] Vt gemere ſolet is qui ad mortem vulneratus eſt.

CAPVT XXXI.

1. *Tertio menſe*] Duobus menſibus poſteriùs hæc revelatio facta eſt quàm ea quæ proximè præceſſit.

2. *Cui ſimilis factus es in magnitudine tua*] Nempe Regi Aſſyrio perinde faſtuoſo, qui ſicut à Chaldæis peſſimè tractatus eſt, itâ & ab eiſdem tractabitur Rex Ægypti. Ipſam deinde Aſſyrii ſuperbiam ac cladem aliis comparationibus illuſtrat, quò magìs intelligat Ægyptius quid ſibi ſit exſpectandum.

3. *Quaſi Cedrus in Libano*] Solent Reges excelſis arboribus comparari, Daniel. IV. 17. 18. 19. ſuprà XVII. 3.

Inter condenſas frondes elevatum eſt cacumen ejus] *Ad nubes pervenit cacumen ejus.* Nam עב etiam *nubem* ſignificat. LXX, εἰς μέσον νεφελῶν [*in medium nubium*].

4. *Aquæ nutrierunt illum*] Ingens aquarum abundantiâ, qualis in Tigride & Nilo.

Et rivulos ſuos emiſit ad univerſa ligna regionis] Eſt Metaphora: nam per *rivulos* intelligit arborum *traduces*, per *traduces* verò ἀλληγορικῶς [*allegoricè*] colonias.

5. *Propterea elevata eſt altitudo ejus*] Superbiit. Vide infrà 10. nam ſæpe hîc & alibi in Prophetis res eadem repetitur.

6. *In ramis ejus fecerunt nidos omnia volatilia cæli*] Multæ gentes ad ejus tutelam confugerunt, ſuprà XVII. 23. Daniel. IV. 9. 18.

Et ſub frondibus ejus genuerunt omnes beſtiæ ſaltuum] Crevere populi fauſtâ ſobole.

8. *In paradiſo Dei*] Loquendi genus idem quod ſuprà XXVIII. 13.

Omne lignum paradiſi Dei] Id eſt, Babyloniæ, ubi quondam paradiſus fuerat Adamo datus.

Et platani] ערמנים ſive ערמנין Chaldæis ſunt *caſtaneæ*.

9. *Et æmulata ſunt eum omnia ligna voluptatis*] *Inviderunt ei arbores delicatiſſimæ.*

11. *In manu fortiſſimi gentium*] Chaldæi.

Faciens faciet ei] Tractabit eum pro libitu.

Ejeci eum] De Imperio.

12. *Et ſuccident eum alieni*] *Succident eum extranei*, id eſt, Chaldæi.

Et crudeliſſimi nationum] *Terribiles in gentibus.* עריצים, Græci modò vertunt δυνατοὶ [*potentes*], modò λοιμοὶ [*exitioſi*], interdum aliter.

Et projicient eum ſuper montes] Vt ſolet fieri arboribus quæ in ſummis jugis poſitæ exſcinduntur.

Et in cunctis convallibus] Monti ſubjectis.

Et confringentur arbuſta ejus in univerſis rupibus terræ] אפיקים modò *torrentes* ſignificat, modò per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*] *locos depreſſos.* LXX hîc: ἐν παντὶ πεδίῳ [*in omni campo*].

Et recedent de umbraculo ejus omnes populi terræ] Permiſcet comparationis ἀπόδοσιν [*redditionem*], ut ſæpe & hic & alii ſcriptores. Vide quæ diximus ad Matthæi XXIII. 27.

13. *In ruina ejus habitaverunt omnia volatilia cœli*] Redit ad comparationem. Hoc vult dicere, *Trunco ejus inſultarunt volucres & feræ.* Allegoria eſt, Contemtus fuit ab omnibus.

14. *Quamobrem non elevabuntur*] *Nè elevantor.*

Nec ponent ſublimitatem ſuam inter nemoroſa atque frondoſa] *Nè in ſublime ſe efferant intra nubes.* Vide ſuprà 4.

Nec ſtabunt in ſublimitate ſua] *Nè proceritati ſuæ fidant.*

Omnes traditi ſunt in mortem] Redit ad ἀπόδοσιν [*redditionem*] de Aſſyriis illis viris ſummatibus qui cum Sennacheribo fuerant: unde colligere poſſit Ægyptius quid ſibi exſpectandum ſit.

Ad terram ultimam] *Ad infera terræ*, ubi ſunt ſepulchra: εἰς τὰ κατώτερα τῆς γῆς [*ad inferiora terræ*], Epheſior. IV. 9.

In medio filiorum hominum, ad eos qui deſcendunt in lacum] *Inſtar plebejorum qui dejiciuntur in foveam.* בני אדם [*filii hominis*] Hebræis *homines de plebe.* Locutionem illam *in medio* habuimus ſuprà XXIX. & alibi.

15. *In die quando deſcendit ad inferos*] Sennacheribus ipſe à filiis occiſus, II Reg. XIX. 37.

Induxi luctum] in omni Aſſyria.

Operui eum abyſſo, & prohibui flumina ejus, & coërcui aquas multas] *Feci ut de eo abyſſus* (ingens fluminum abundantia) *ſe operiat. Operire ſe* eſt lugentium. Per *aquas* autem populos intellige, Apocalypſeos XVII. 15.

Contriſtatus eſt ſuper eum Libanus] Id eſt, Syria, quæ fœderata Aſſyriis fuerat. Vide II Regum XVIII. 34. In Hebræo eſt, *Atris indui feci Libanum ejus cauſâ.*

Et omnia ligna agri concuſſa ſunt] Id eſt, omnes circum Principes. Vide ſuprà 3.

16. *Et conſolata ſunt in terra infima omnia ligna*] Id eſt, eguerunt conſolatione, ut ſolent lugentes. *In terra*, ſupple, *ſedentes*; qui mos lugentium, Iob. II. 13. Permiſcet iterum comparationem & ἀπόδοσιν [*redditionem*].

17. *Nam & ipſi cum eo deſcendent in infernum ad interfectos gladio; & brachium uniuſcujuſque ſedebit ſub umbraculo ejus in medio nationum*] Copula hîc poſita pro relativo pronomine; quod Hebræis non infrequens ſenſum obſcurat. Rectè autem vertas: *Nam & illi cum eo ad ſepulchrum deſcendent* (*ubi ſunt qui gladio ſunt interfecti*) *quicunque in ullis gentibus ſuam vim illius tutelæ ſubmiſerunt.* Fractis Aſſyriorum rebus, facile fuit Chaldæis Syros eorúmque vicinos cladibus maximis afficere; Eſaiæ XVII. 4.

18. *Cui aſſimilatus es, ô inclyte*] Intelligiſne Rex Ægypti, cui futurus ſis ſimilis? exhibui tibi vivam fortunæ tuæ imaginem.

Ecce deductus es] Deducêris.

In medio incircumciſorum dormies] Quia circumciſio tibi ludibrio fuit, incircumciſi te undique claudent, mortémque tibi inferent. Vide ſimile ſuprà XXVIII. 10.

Ipſe eſt Pharao, & omnis multitudo ejus] LXX: οὕτως ὁ Φαραὼν καὶ πᾶν τὸ πλῆθος τῆς ἰσχύος αὐτοῦ [*ſic Pharao & omnis multitudo potentiæ ejus*]. *Sic Pharao*, ſupple *erit.* Talem cum ſuis inveniet exitum qualem ſub Aſſyrii exemplo depinxi.

CAPUT XXXII.

1. *Duodecimo anno in menſe duodecimo*] A deportatione Iechoniæ, ut numerat Ezechiel. Id verò eſt, exciſis jam Hieroſolymis, circa quod tempus Rex Amaſis (ad quem hæc prædictio pertinet) contra Aprien ſe cœpit erigere.

2. *Draconi qui eſt in mari*] *Balenæ*: nam & hæc תנין dicitur.

Ventilabas cornu in fluminibus tuis, & conturbabas aquas pedibus tuis, & conculcabas flumina earum] *Prodiens è mari in flumina turbabas aquas pedibus, quin & tota flumina conculcabas.* Videtur ſimilitudo ab Hippopotamo ſumta, cui ungulæ quales bovi. Senſus eſt, Ex Imperio tuo egrediens vicinas civitates gentéſque totas proterebas. Derivavimus ותגח à גח [*educere*]; at LXX à נגח [*cornu petere*]: vertunt enim ἐκεράτιζες, id eſt, *arietabas*, nempe minores piſces.

3. *Expandam ſuper te rete meum*] Alios adducam qui te premant undique, ſuprà XII. 13. XVII. 20.

Extraham te in ſagena mea] Educam te è locis tutis.

4. *Et projiciam te in terram*] Vigorem tibi auferam, velut piſci in terram tracto, ſuprà XXIX. 5.

Habitare faciam ſuper te omnia volatilia cœli, & ſaturabo de te beſtias univerſæ terræ] Homines feri ac rapaces Ægyptum invadent, ac deprædabuntur. Vide ſuprà XXV. 5.

5. *Et dabo carnes tuas ſuper montes*] Carnes hominum tuorum, quos interficient Chaldæi.

Sanie tuâ] Id eſt, tuorum.

6. *Valles implebuntur ex te*] Tuis. nam Rex & populus idem cenſentur.

7. *Et operiam, cùm exſtinctus fueris, cœlum*] *Cùm exſtinctus fueris*, id eſt, cùm ſplendor tibi ademtus fuerit, Iob. XVIII. 5. Quod autem dicitur *cœlum opertum iri, ſtellas atras fore, Solem obductum nube, Lunam obſcuram*, ſolet quidem mœſtitiæ habere ſignificationem, ut diximus ad Matth. XXIV. 29. ſed addendum inſuper hîc videtur, tantam ſtragem fore (nam huc illud pertinet quod ſequitur, *cùm ceciderint vulnerati tui*) ut vapores quos emittent cadavera ademturi ſint cœli ſiderúmque conſpectus. Lucanus ad Cæſarem:

> *Sed tibi tabentes populi Pharſalica rura*
> *Eripiunt, campóſque tenent, victore fugato.*

Seneca Oedipode:

> *Obſcura cœlo labitur Phœbi ſoror,*
> *Triſtíſque mundus nubilo pallet novo.*
> *Nullum ſerenis noctibus ſidus micat;*
> *Sed gravis & ater incubat terris vapor.*
> *Obtexit arces cœlitum ac ſummas domos*
> *Inferna facies.*

Vide ſimilem locum Eſaiæ XXXIV. 4. & ibi dicta.

9. *Et irritabo cor populorum multorum*] *Commovebo*, ut hîc Chaldæus; mœrore concutiam: nam כעס per ἀθυμεῖν [*animo conſternari*], & הכעים per ἀθυμίαν [*animi conſternationem*] etiam verti ſolet, per καταίχησιν [*abuſionem*] quandam.

Cùm induxero contritionem tuam in gentibus ſuper terras quas neſcis] Vbi captivi Ægyptii in terras longinquas adducti certum attulerint nuntium cladis. Ità hîc Lxx rectè.

10. *Et ſtupeſcere faciam ſuper te populos multos, & Reges eorum horrore nimio formidabunt ſuper te, cùm volare cœperit gladius meus ſuper facies eorum*] *Populos & Reges* Afros intellige, ad quos per Ægyptum venere Chaldæi.

13. *Et perdam omnia jumenta ejus quæ erant ſuper aquas plurimas, & non conturbabit eas pes hominis ultrà, neque ungula jumentorum turbabit eas*] Sicut homines per vada tranſeuntes, & equi ubi aquatum ducuntur, turbidas faciunt aquas: ità Ægyptiorum pedites & equites populos vicinos, qui ſub *aquarum* ſignificantur nomine (ut ſuprà 2.), ſolebant conturbare.

14. *Tunc puriſſimas reddam aquas eorum, & flumina eorum quaſi oleum adducam*] Id eſt, quieſcent illi populi à vi Ægyptia, ut bene hîc explicat Chaldæus. Vide ſuprà xxix. 9.

16. *Planctus eſt, & plangent eum*] Senſus idem qui ſuprà xix in fine. Lamentabilis eſt hæc Prophetia; tamen ſic eveniet.

Filiæ gentium plangent eum] Verbis ſimilibus utentur, cognitis Ægypti malis.

17. *In quintadecima menſis*] Dicti antè: id eſt, non multis diebus poſt revelationem quæ præceſſit.

18. *Et detrahe eam ipſam, & filias gentium robuſtarum ad terram ultimam*] *Infimam*: id eſt, cane Ægypto velut mortuæ carmen, quale cani ſolet iis qui in ſepulchrum demittuntur. Eſt autem totum hoc carmen προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*] planè ſimilis alteri quæ eſt de Aſſyrio apud Eſaiam xiv. 10. Sicut Poëtæ ità & Prophetæ facere dicuntur quæ canunt.

19. *Quo pulchrior es*] *In quo melior es*, aliis ſcilicet gentibus quæ pares clades accepere, amiſſo etiam imperio, quæ vita eſt gentibus.

Deſcende & dormi cum incircumciſis] Quandoquidem circumciſos ſpreviſti. Vide ſuprà xxxi. 18.

20. *In medio interfectorum gladio cadent*] *Cecidere* Ægyptii. Loquitur enim jam quaſi in re præſente. Simile illud Lucani:

> ——————— *ſed illos*
> *Magna premit ſtrages, peragúntque cadavera partem*
> *Cædis: viva graves elidunt corpora trunci.*

Gladius datus eſt] *Gladio data eſt* Ægyptus. Ità Chaldæus.

Attraxerunt eam, & omnes populos ejus] *Detrahite eam*, nempe in ſepulchrum. Loquitur quaſi ad libitinarios.

21. *Loquentur ei*] Gratulabuntur adventum. Vide locum jam dictum Eſaiæ.

22. *In circuitu illius ſepulchra ejus*] Id eſt, *jacent in turba mortuorum*. Sic & eadem verba repetita ſume.

23. *Quorum data ſunt ſepulchra in noviſſimis laci*] *Quorum ſepulchra ſunt in parte aliqua foveæ*, communis ſcilicet multis.

24. *Ibi Elam*] *Elymæi*. Gentes illas nominat quæ in auxiliis Aſſyrio fuerant.

Et portaverunt ignominiam ſuam] Pœnam ſuperbiæ, partim à Deo proſtrati ad mœnia Hieroſolymorum, partim victi à Babyloniis.

25. *In medio interfectorum poſuerunt cubile ejus*] Arcam ſepulchralem.

In univerſis populis ejus, in circuitu ejus ſepulchrum illius] *Vt turba tota illa eſſet circa ſepulchrum ejus*. Sic & infrà ſume 26.

26. *Ibi Moſoch*] Cappadoces eorúmque vicini. Vide ſuprà xxvii. 13.

Thubal] Iberi Aſiatici. Vide ibidem.

27. *Et non dormient cum fortibus*] Hi omnes ignaviæ ſuæ pœnas dant; non ſeorſim jacent, ſed in unam aliquam foſſam congeſti, ut victis fieri ſolet. Lucanus poſt prælium Pharſalicum:

> ——— *petimus non ſingula buſta,*
> *Diſcretóſque rogos: unum da gentibus ignem.*

Cadentibúſque & incircumciſis] Qui incircumciſi quidem erant & impii, attamen fortes & magnanimi.

Qui deſcenderunt ad infernum cum armis ſuis, & poſuerunt gladios ſuos ſub capitibus ſuis] Id eſt, *poſitos habuerunt*. Victores non ſingula tantùm habebant ſepulchra, ſed & in virtutis honorem cum armis ſuis ſepeliebantur, 1 Maccab. xiii. 29.

Et fuerunt iniquitates eorum in oſſibus eorum] Meliùs, *Et habitacula pro oſſibus eorum*, data ſunt, ſcilicet egregia, aut *ſolatia*. nam عون Arabibus eſt *ſolatium*. Statius:

> *Dat ſolatia grandibus ſepulchris.*

Illuſtribus monumentis teſtata eſt eorum virtus.

28. *Et tu ergò in medio incircumciſorum*] *At tu* (Ægypte) *in turba impiorum jacebis*, ut victi ſolent.

Dormies cum interfectis gladio] Non cum victoribus.

29. *Ibi Idumæa*] *Idumæi*, ſocii itidem Aſſyriorum.

Qui dati ſunt cum exercitu ſuo cum interfectis gladio] Qui & ipſi inter victos fuere.

Et cum his qui deſcendunt in lacum] Inter eos qui promiſcuè in communem foveam dejiciuntur.

30. *Ibi Principes Aquilonis omnes*] Tyrii, qui Iudæis ad Aquilonem, victi multis præliis à Chaldæo, & ad deditionem redacti, ſuprà xxvi. xxvii. xxviii.

Et univerſi venatores] Meliùs ſumes pro nomine proprio, & vertes *Sidonii*: nam & hi victi à Chaldæis, ſuprà xxviii. 21. nec aliter hîc Chaldæus.

Qui deducti ſunt cum interfectis] Rectè. At Lxx pro אשר [*qui*] legere אשור Ἀσσοὺρ [*Aſſur*].

31. *Vidit eos Pharao, & conſolatus eſt*] In Hebræo: *Videbit eos* (aliquando) *Pharao*. Vbi morietur Amaſis videbit tot alios ab Aſſyriis malè tractatos. Eſt iterum προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*], quâ mortuis ſenſus affingitur.

32. *Quia dedi terrorem meum in terra viventium*] Ità legitur in margine; at textus habet חתיתו [*terrorem ejus*], τὸν φόβον αὐτοῦ Lxx: quia permiſi ut Ægyptus tempore Necaonis terrori eſſet Iudæis. *Terra viventium* Iudæa, ſuprà xxvi. 20. Sic accipit & Chaldæus.

Dormivit] *Morietur*. Lxx, κοιμηθήσεται [*dormiet*]: id eſt, jacebit cum mortuis.

In medio incircumciſorum cum interfectis gladio] Nam corpus Amaſis poſt mortem exemtum monumento & igne crematum eſt, quod turpe cenſent Ægyptii: Herodotus Thaliâ.

CAPVT XXXIII.

2. L*Oquere ad filios populi tui, & dices*] Illis ſcilicet qui jam cum Sedecia erant deportati. Eſt idem ſenſus qui ſuprà III. 17. ſed pro neceſſitate temporum repetitur.

Terra cùm induxero ſuper eam gladium] Locutio tranſpoſita more Hebræo, pro, *Vbi gladium* (hoſtilem) *ſuper regionem aliquam introduxero*: id eſt, ubi hoſtes regioni appropinquant, quod ſine meo decreto, aut permiſſu non fit.

Et tulerit populus terræ virum unum de noviſſimis ſuis] Si tantam diligentiam debet aliquis à populo conſtitutus, quantam is qui à Deo?

4. *Et non ſe obſervaverit*] *Non ſibi caverit.*

Sanguis ipſius ſuper caput ejus erit] Ipſi, & quidem ſoli, imputabitur malum quod ei evênit.

6. *Et tulerit de eis animam*] Aliquem.

Ille quidem in iniquitate ſua] *Culpâ ſuâ*: quia perpetuò ſibi cavere debent qui in bello ſunt.

Sanguinem autem ejus de manu ſpeculatoris requiram] Punietur & ille, qui quamvis negligentes excitare debuit. *Etiam ſegnitiæ crimen in milite delictum eſt.* L. *Omne*. D. de re Militari.

7. *Et tu fili hominis*] *O fili hominis.* אתה [*tu*] vice vocativi.

8. *Impie, morte morieris*] Subeſt enim tacita conditio, *ſi maneas talis*, ſuprà XVIII. & mox 10. *Morte morieris*: id eſt, malâ morte peribis, ante diem.

9. *Animam tuam liberaſti*] Quod ſuprà dixit *ſalvabit*: *vitam tuam ſervaſti.*

10. *Iniquitates noſtræ & peccata noſtra ſuper nos ſunt*] Vult Deus ut criminum pœnas luamus. Factum, infectum fieri nequit.

Et in ipſis nos tabeſcimus] Nempe ex Legis edicto, Levitici XXVI. 39.

11. *Nolo mortem impii*] Comparatè dictum. Senſus idem qui ſuprà XVIII. 23. 32.

Vt convertatur] *Aliam ineat viam.*

Quare moriemini] Suprà XVIII. 31.

12. *Iuſtitia juſti*] Hæc quoque omnia tranſumta ex capite XVIII.

In quacunque die peccaverit] פשע [*prævaricari*] eſt *Deum*, aut *Dei vias deſerere.*

17. *Non eſt æqui ponderis via Domini*] In Hebræo: *non eſt æqua*, ut & ſuprà XVIII. 25. & hîc infrà 20. *Via*, id eſt, agendi ratio.

21. *Et factum eſt in duodecimo anno, in decimo menſe, in quinta menſis*] Anno & quatuor menſibus diebúſque aliquot poſt captam Vrbem, ità ut commodè nuntius Babylonem pervenire potuerit. Accidit hoc ante poſtremam revelationem de Ægypto. Res ad Ægyptum pertinentes interrumpere Propheta noluit, ſed ſeriem rerum ſecutus eſt, quod & Hiſtorici ſæpe faciunt.

Venit ad me qui fugerat de Ieruſalem] Ità ut Deus ei prædixerat ſuprà XXIV. 26.

22. *Aperuítque os meum*] Præceperat mihi Deus ut liberè, & cum auctoritate loquerer, ſuprà XXIV. 27.

24. *Qui habitant in ruinoſis his ſuper humum Iſraël*] In ruinis Vrbis & oppidorum cum Godolia.

Vnus erat Abraham, & hereditate poſſedit terram] Id eſt, jus in ea habitandi ac pecora paſcendi.

Nos autem multi ſumus, nobis data eſt terra in poſſeſſionem] Si ille cum vernis trecentis ſe inter tot infeſtos homines tutari potuit, multò magìs nos tantò plures jus noſtrum retinebimus.

25. *Qui in ſanguine comeditis*] Contra legem Levit. VII. 26. & multò antiquiorem omnibus hominibus datam Geneſeos IX. 4.

Oculos veſtros levatis] Vt ſolent precantes, ſuprà XVIII. 6.

Ad immunditias veſtras] Ad idola.

Et ſanguinem funditis] Homicidia perpetratis.

Numquid terram hereditate poſſidebitis?] Promiſſa fuerat vobis ſub conditione, quam non impletis. Non talis fuit Abraham. Vide Iohan. VIII. 39.

26. *Stetiſtis in gladiis veſtris*] Confiſi viribus veſtris nihil non audetis. Ità hîc Chaldæus. Hæc ad homicidia pertinent.

Feciſtis abominationes] Hoc ad idololatriam.

Et unuſquiſque uxorem proximi ſui polluit] Vix quiſquam eſt qui ab adulteriis ſe temperet.

27. *Qui in ruinoſis habitant*] In ruinis illis aut Vrbis, aut oppidorum.

Gladio cadent] Partim Iſmaëlis filii Nathaniæ, partim Chaldæorum Godoliæ necem ulciſcentium, II Regum XXV. 23. & ſequentibus.

Et qui in agro eſt, beſtiis tradetur ad devorandum] Suprà V. 17. XIV. 15. 21.

Qui autem in præſidiis & ſpeluncis ſunt] *Præſidia* intelligit loca munita, ad quæ, ut & ad *ſpeluncas*, neque hoſtes, neque beſtiæ facilè penetrant.

Peſte morientur] Convenit hoc cum illis locis modò citatis ex ſuperioribus.

28. *Et dabo terram in ſolitudinem*] Nempe abſumtis per tot mortes ac captivitates hominibus, Ieremiæ IV. 27. XII. 11. XVIII. 16.

Eò quòd nullus ſit qui per eos tranſeat] *Ità ut nullus ſit qui per eos* (montes) *tranſeat*. Non modò nullus ibi habitabit, ſed nec viator quiſquam iter iſthac capere audebit, metu ferarum & cœli peſtilentis.

30. *Loquuntur de te juxta muros*] *Intra parietes.* De deportatis loquitur.

Et in oſtiis domorum] Id eſt, veſtibulis.

31. *Et veniunt ad te quaſi ſi ingrediatur populus*] *Sicut diſcipulorum catervæ* ad doctores venire ſolent. Ità hîc Chaldæus.

Et ſedent coram te populus meus] Id eſt, *quaſi eſſent populus meus*: quaſi eſſent mei, cùm non ſint.

Et audiunt ſermones tuos, & non faciunt eos] Non eo magìs ſe corrigunt.

In canticum oris ſui vertunt illos] Non magìs tua verba curant quàm ſi ad tibiam aliquis caneret: id enim עגב. Vide Geneſeos IV. 21.

Et avaritiam ſuam ſequitur cor eorum] Dum tu loqueris, illi de quæſtu per artes iniquas faciendo cogitant.

32. *Et es eis quaſi carmen muſicum quod ſuavi dulcique ſono canitur*] *Es eis quaſi cantus tibiæ dulce ſonantis, aut periti pſallere.* Eloquentiam tuam laudant, res non curant. *Tales ſunt uſque hodie multi in Eccleſiis*, ait ad hunc locum Hieronymus, *qui ajunt, Venite audiamus illum, & illum mirâ eloquentiâ prædicationis*

tionis ſua verba volventem, plurimique commovent & vociferantur, & jactant manus.

33. *Et cùm venerit quod prædictum eſt*] *At nunc cùm quod prædixeras* (de Vrbis excidio) *venerit.*

Ecce enim venit] *Certò enim evênit.*

Tunc ſcient quòd Prophetes fuerit inter eos] Negare non poterunt te ad ipſos à me fuiſſe miſſum: ignorantiæ velum culpis ſuis nullum poterunt obtendere.

CAPVT XXXIV.

2. D*E paſtoribus Iſraël*] Excisâ jam Vrbe, cauſas Propheta excidii commemorat, Principum (qui *paſtores* dicuntur Ieremiæ ii. 8. iii. 15. x. 21. xxii. 22. xxiii. 1. xxv. 34. 35. 36. & Platoni de Repub. iv.) crimina, deinde & populi.

Qui paſcebant ſemetipſos] Hoc unum agebant ut ipſi diteſcerent.

Nónne greges à paſtoribus paſcuntur?] Id eſt, Nonne id officium eſt paſtorum gregem paſcere?

3. *Lac comedebatis, & lanis operiebamini*] Magna tributa exigebatis à populo. *Bis mulget in hora*, ait Virgilius.

Et quod craſſum erat occidebatis] Divites occidebatis per calumniam, ut bonis eorum potiremini.

Gregem autem meum non paſcebatis] Nullam ejus habebatis curam. Vide quæ dicta ad Ioan. x. 12.

4. *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis*] *Pecudem languidam non roboraſtis:* bonis alimentis ſcilicet.

Quod ægrotum non ſanaſtis] Sunt enim & ſua pecudibus mala & medicamina.

Quod confractum eſt non alligaſtis] Non obligaſtis vulnera à lupis fortè facta.

Quod abjectum eſt non reduxiſtis] Si quæ in foveam lapſa erat, non eduxiſtis. Vide Matth. xii. 11.

Quod perierat non quæſiſtis] Si quæ à grege aberraverat; Matth. xv. 24. Lucæ xv. 6.

5. *Et diſperſæ ſunt oves meæ*] Huc illuc, aliæ aliò: Matth. xxvi. 31. Marci xiv. 27. Bene dixit *oves meæ*; neque enim erat in Principum patrimonio populus.

Eò quòd non eſſet paſtor] Bonus ſcilicet & gregis amans.

Et factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri] Prædæ fuere Syris, Ammonitis, Moabitis, Aſſyriis, Ægyptiis, Chaldæis.

Et diſperſæ ſunt] Abducti in terras varias Iſraëlitæ.

6. *Erraverunt greges mei in cunctis montibus, & in univerſo colle excelſo*] In cultibus idololatricis, qui in locis eminentibus exerceri ſolebant.

10. *Ecce ego ipſe ſuper paſtores, requiram gregem meum*] *Requiſivi*; id eſt, propterea Sedeciam liberóſque ejus, & Principes alios, graviſſimè punivi.

Ceſſare faciam eos] *Ceſſare feci eos.*

11. *Ecce ego ipſe requiram oves meas*] Ipſe eorum curam geram peculiarem, per Prophetas eos invitando ad vitam meliorem. דרש ſæpe eſt *curam gerere.*

12. *Sicut viſitat paſtor gregem ſuum*] Vbique *inquirit.*

Liberabo eas de omnibus locis] Reducam Iudæos ex omnibus locis Imperii Babylonici, imò & ex Ægypto, & aliunde.

In quibus diſperſæ fuerant in diebus nubis & caliginis] *Tempore atro ac tenebroſo*, id eſt, pleno miſeriis. Sic ſuprà xxx. 3.

13. *In rivis*] *Ad rivos*, Pſalmo xxiii. 2.

Et in cunctis ſedibus terræ] In caulis.

14. *In paſcuis uberrimis paſcam eas*] Pſal. xxiii. 1. 2.

15. *Ego eas accubare faciam*] Virgilius:

Ille latus niveum molli fultus hyacintho,
Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas.

16. *Et quod pingue & forte cuſtodiam*] Servabo in bona valetudine.

Et paſcam illas in judicio] Id eſt, ut oportet.

17. *Vos autem greges mei*] Venit Deus ad peccata populi.

Ecce ego judico inter pecus & pecus arietum & hircorum] De omnibus quod jus eſt ſtatuam, etiam de iis qui in plebe maximè eminent, qui ſub *hircorum & arietum* nomine comprehenduntur.

18. *Nónne ſatìs vobis erat paſcua bona depaſci*] Hoc ad *arietes* & *hircos* maximè pertinet, id eſt, ad opulentos in plebe. Vide Iacobi ii. 6.

Inſuper & reliquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris] Gravi fenore exſugitis pauperum facultates. Vide ſuprà xviii. & xxii. 12. Eſaiæ xxiv. 2.

Pedibus veſtris turbabatis] Aliâ ſimilitudine idem dicit.

19. *Et oves meæ his quæ conculcata pedibus veſtris fuerant paſcebantur*] Tenuiter ſcilicet.

Et quæ pedes veſtri turbaverant hæc bibebant] Mœrore pleni.

20. *Inter pecus pingue & macilentum*] Inter divites & pauperes: hos vindicabo, illos puniam.

21. *Pro eo quòd lateribus & humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis omnia infirma pecora*] *Arietabatis:* id enim eſt κερατίζειν.

Occurſare capro (cornu ferit ille) caveto.

Humeris poſuit pro *armis*. Solent pecudes minores à majoribus trudi atque incurſari.

Donec diſpergerentur foràs] Ad tempus uſque deportationis.

22. *Salvabo gregem meum*] Idem ſenſus qui ſuprà 13.

23. *Et ſuſcitabo ſuper eas paſtorem unum qui paſcat eas, ſervum meum David*] Zorobabelem, qui *Davidis* progenitoris ſui nomine appellatur. Vide Ieremiæ xxiii. 5. xxxiii. 15.

25. *Et faciam cum eis pactum pacis*] Fœdus meum per Prophetas cum illis innovabo. Vide Nehem. x.

Et ceſſare faciam beſtias peſſimas de terra] Quod fieri ſolet ubi terra multùm & habitatur & colitur.

Et qui habitant in deſerto ſecuri dormient in ſaltibus] In Hebræo: *Et habitabunt in deſerto confidenter, & in ſilvis dormient.* Ità omnia plena erunt hominibus.

26. *Et ponam eos in circuitu collis mei benedictionem*] In Hebræo: *Et dabo illis* (ſilvis) *& omnibus* (locis) *quæ ſunt circa collem meum* (in circuitu Hieroſolymorum) *res proſperrimas.*

Et deducam imbrem in tempore] Demittam.

Pluviæ benedictionis erunt] *Is imber erit proſperans res ipſorum.*

27. *Et dabit lignum agri fructum ſuum*] Arbores erunt fertiles: quod plerumque evenit in ſolo pridem exhauſto.

Et terra dabit germen ſuum] Fruges.

Cùm contrivero catenas jugi eorum] Numellas. Vide Eſaiam LVIII. 6. & 9.

28. *Habitabunt confidenter*] Quod certè veriſſimum fuit non exiguo poſt reditum tempore.

29. *Et ſuſcitabo eis germen nominatum*] Poſteritatem celeberrimam: quod maximè contigit Maccabæorum tempore. Vide Eſaiæ LX. 21.

Et non erunt ultrà imminuti fame in terra] *Non ultrà tabeſcent fame*, nempe ut olim, ſuprà V. 12. 16. VI. 11. 12. VII. 15. XII. 16. & alibi.

Neque portabunt ultrà opprobrium gentium] Non erunt ludibrio.

30. *Cum eis*] Ipſis fautor & adjutor.

31. *Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ homines eſtis*] Id eſt, quæ in pecudibus figuravi, hæc non ad pecudes, ſed ad *homines*, & quidem Iudæos, pertinent. Iſtæ pecudes ſunt *homines*, ſicut boves ſunt *anni* Geneſ. XLI. 26.

CAPVT XXXV.

2. *Adverſùm montem Seir*] Quæ eſt Idumæa, Geneſeos XXXVI. 9.

3. *Ecce ego ad te mons Seir*] *Venio* nempe, ut jam ſæpe ſuprà.

Dabo te deſolatum atque deſertum] Idem eſt quod prædicitur Ieremiæ XLIX. 7. ubi vide.

5. *Eò quòd fueris inimicus ſempiternus*] Heres odii quod Eſau in Iacobum geſſit.

Et concluſeris filios Iſraël in manus gladii] Id eſt, perfugium ipſis negaveris, cùm ab Aſſyriis, ac deindè à Chaldæis premerentur.

In tempore iniquitatis extremæ] Locutio eadem quæ ſupra XXI. 25. 29. cùm pœnæ Iudæorum tempus veniſſet.

6. *Sanguini tradam te*] In Hebræo, *In ſanguinem faciam te*: cædi te exponam.

Et ſanguis te perſequetur] Cædes.

Et cùm ſanguinem oderis] In Hebræo: *Quia odiſti non ſanguinem*, id eſt, vitam amaſti ſanguinariam.

7. *Auferam de eo euntem & redeuntem*] Simile ſuprà XXXIII. 28.

8. *Et implebo montes ejus occiſorum ſuorum*] *Cadaveribus ipſorum.*

9. *In ſolitudines ſempiternas tradam te*] Id eſt, longas.

10. *Eò quòd dixeris, Duæ gentes & duæ terræ meæ erunt*] Speraſti te primùm Salmanaſaris dono poſſe conſequi terram & captivos Samariæ, deinde à Chaldæis terram Iudæam, & captivos indè factos: qualem ſpem etiam Ammonitæ acceperant, Ieremiæ XLIX. 1.

Cùm Dominus eſſet ibi] Speraſti hæc cùm adhuc Templum meum ſtaret.

11. *Faciam juxta iram tuam, & ſecundùm zelum tuum*] Quomodo tu ex ira & ambitione Iudæis nocuiſti, ſic & ego tibi nocebo.

12. *Nobis ad devorandum dati ſunt*] Id eſt, in prædam.

13. *Inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro*] Nempe dicentes me non ſatìs potentem ad Iudęos tuendos.

Et derogaſtis adverſùm me verba veſtra] *Multiplicaſtis*: multa contra me dixiſtis.

15. *Sicuti gaviſus es ſuper hereditatem domûs Iſraël, eò quòd fuerit diſſipata*] Quæ ἐπιχαιρεκακία [*lætitia de alienis malis*] deſcribitur Pſalmo CXXXVII. 7.

CAPVT XXXVI.

1. *Propheta ſuper montes Iſraël*] Vt ſuprà VI. 2. eſt conſolatio Iudæorum.

2. *Eò quòd dixerit inimicus*] *Iſte inimicus*, nempe Idumæus, de quo actum modò.

Altitudines ſempiternæ] Montes iſti immobiles.

3. *Conculcati per circuitum*] In Hebræo, *abſorpti*.

Aſcendiſtis ſuper labium linguæ] Facti eſtis fabula, Ieremiæ XXIV. 9.

4. *Subſannatæ à reliquis gentibus per circuitum*] Idumæis, Ammonitis, Moabitis.

5. *Quoniam in igne zeli mei locutus ſum*] In Hebræo: *Niſi locutus ſum*, ſupple, *nè Deus habear*.

Dederunt terram meam ſibi in hereditatem] Sperarunt ſe ejus dominos fore, ut ſuprà XXXV. 10.

Et ejecerunt eam ut vaſtarent] In Hebræo: *Vt expulſio ejus* (populi Iudaïci) *in prædam*, ſupple *Idumæis cederet*.

6. *Confuſionem gentium*] Contumelias.

7. *Ego levavi manum meam*] Iuravi, ut Geneſeos XIV. 22.

8. *Vos autem montes Iſraël ramos veſtros germinetis*] *Frondes veſtras proferatis.* Ità enim ענף ſæpe ſumitur.

9. *Ego ad vos*] Bono ſenſu: id eſt, *favebo vobis.* alibi contrà.

11. *Habitare vos faciam ſicut à principio*] Id eſt, ut olim.

12. *Non addes ultrà ut abſque eis ſis*] Hebraïſmus, pro *non ultrà ſine eis eris.*

13. *Devoratrix hominum es*] Propter ſanguinem Iudæorum in Iudæa fuſum.

Et ſuffocans gentem tuam] Propter famem quæ ibi fuerat.

15. *Non amittes ampliùs*] In Hebræo, *Cadere facies.*

17. *Iuxta immunditiam menſtruatæ facta eſt via eorum coram me*] Vide Eſaiæ LXIV. 6.

18. *Pro ſanguine quem fuderunt ſuper terram*] Propter cædes injuſtas.

Et in idolis ſuis polluerunt eam] Hebraïſmus, quem ſic reſolvas: *& pro idolis quibus eam polluerant.*

20. *Ingreſſi ſunt ad gentes*] Abducti.

Et polluerunt nomen ſanctum meum] Occaſionem dederunt gentibus mihi obloquendi.

21. *Et peperci nomini ſancto meo*] *Peperci* (Iudæis, id eſt, ſervavi reliquias) *propter nomen meum*; nè impotens putarer.

22. *Non propter vos ego faciam*] Id eſt, non quòd vos ſteteritis fœderi, ſuprà XVI. 61.

23. *Sanctificabo nomen meum magnum*] Efficiam ut appareat potentia mea.

Coram eis] Sic & Chaldæus & Græci, qui omnes legêre לעיניהם [*in oculis eorum*], non ut nos habemus לעיניכם [*in oculis veſtris*].

24. *Congregabo vos de univerſis gentibus*] Babylonici Imperii, & aliunde, ſuprà XXXIV. 12.

25. *Effundam ſuper vos aquam mundam*] Pia Prophetarum monita, quæ non corpus purgabunt, ut aqua illa aſperſionis memorata Numer. XIX. ſed animum. Præparamenta hæc ſunt ad Euangelium & ad Baptiſmum. Malè Iudæi hæc referunt ad tempus poſt Reſurrectionem.

26. *Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum*] Vide ſuprà XI. 19.

27. *Et ſpiritum meum ponam in medio veſtri*] Id eſt, Prophetas egregios, quales Aggæus, Zacharias, Malachias.

Et faciam ut in præceptis meis ambuletis] Nihil ex mea parte omittam.

28. *Eritis mihi in populum*] Mihi parebitis.

Et ego ero vobis in Deum] Vobis bene faciam.

29. *Et ſalvabo vos ex univerſis inquinamentis veſtris*] Cultibus idololatricis; ad quos poſtea Iudæi univerſim relapſi non ſunt.

Et vocabo frumentum, & multiplicabo illud] Arva erunt frugifera. At ſublimiùs verba hæc in Chriſto impleta: Matthæi XIV. & XV.

30. *Fructum ligni*] Poma, amygdala, balſamum.

Et genimina agri] Vvas.

31. *Recordabimini*] Id eſt, pudeat vos; ut ſequentia explicant.

33. *In die qua mundavero vos ab omnibus iniquitatibus veſtris*] Pœnas abſtulero.

35. *Deſtitutæ atque ſuffoſſæ*] In Hebræo: *Deſolatæ & dirutæ*.

36. *Et ſcient gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu veſtro*] Nam quædam abductæ ſunt, ut Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi.

Plantavique inculta] *Conſevi*.

37. *Adhuc in hoc invenient me domus Iſraël*] In Hebræo, *quærar*; ſed eſt μετάληψις [*tranſſumtio*]: vult enim dicere, *Hoc quoque ipſorum precibus concedam*.

38. *Multiplicabo eos ſicut gregem hominum*] *Multiplicabo eos homine* (id eſt, hominibus) *ſicut grex multiplicari ſolet*.

Vt gregem ſanctum, ut gregem Ieruſalem in ſolemnitatibus ejus] Sicut grex, inquam, non quilibet, ſed optimarum pecudum, unde victimæ ſolent ſumi & deduci Hieroſolyma die Paſchatis, Pentecoſtes & Tabernaculorum.

Gregibus hominum] Ex ſimilitudine ſumit μεταφορὰν [*tranſlationem*].

CAPVT XXXVII.

1. *Et eduxit me in Spiritu Domini*] Meliùs, *Dominus*: ſignificat non corpore ſe tranſlatum, ſed hæc vidiſſe ἐν ὀπτασίᾳ [*in viſione*], ut ſuprà VIII. 3. Vide II Corinthior. XII. 2.

In medio campi qui erat plenus oſſibus] Populus in captivitatem deductus deſinit eſſe populus, ideóque optimè comparatur oſſibus aut corpori mortuo. Vide noſtra de Iure Belli ac Pacis lib. II. cap. IX. Sic *oppidorum cadavera* dixit Sulpitius in epiſtola ad Ciceronem. *Campus* hic Meſopotamiam refert, & loca vicina.

2. *Siccáque vehementer*] Ævo conſumta.

3. *Putáſne vivent oſſa iſta?*] Putáſne id fieri poſſe?

Domine Deus, tu noſti] Potes omnino; quid velis tuum eſt noſſe. Magna fides Prophetæ, & imago fidei Chriſtianæ, quæ Reſurrectionem ex mortuis credit.

4. *Oſſa arida audite verbum Domini*] Προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*], eò excuſatior quòd per *oſſa* homines captivi intelligantur.

5. *Intromittam in vos ſpiritum*] Vitalem: per quem intelligitur libertatis & ſtatûs reſtitutio.

6. *Dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendam in vobis cutem, & dabo vobis ſpiritum*] Hieronymus: *Primùm oſſa cum aliis oſſibus nervorum vinculis colligantur; deinde implentur carnibus, & deſuper ob pulchritudinem extenditur cutis, quæ nudarum carnium operiat fœditatem: & tunc accipiunt ſpiritum, qui vivere ea faciat.*

7. *Factus eſt autem ſonitus*] Significans Cyri edictum.

Acceſſerunt oſſa ad oſſa] Vt nervis ligarentur.

9. *A quatuor ventis venit ſpiritus*] Collectionem ſignificans populi ex cunctis regionibus. Simile loquendi genus Ieremiæ XLIX. 36. ſuprà V. 10. XII. 14. XVII. 21. Vide quæ ad Matthæi XXIV. 31. Apocalypſeos VII. 1.

11. *Ipſi dicunt, Aruerunt oſſa noſtra*] Id eſt, res noſtræ ſunt deploratæ, ſpes nulla ſupereſt.

Abſciſſi ſumus] Chaldæus, *periimus*: nempe ut membrum à corpore avulſum. In Hebræo, *abſciſſi ſumus nobis*: alii ab aliis longè divulſi.

12. *Aperiam tumulos veſtros*] Faciam vobis quaſi tumulos aperiri: vitam civilem vobis reddam.

16. *Sume tibi lignum unum*] *Tabellam*, ut hîc Chaldæus.

Iudæ & filiorum Iſraël ſociorum ejus] Id eſt, & Benjaminis.

Super illud Ioſeph] Id eſt, ſuper tabellam Ioſephi poſteris dicatam.

Ephraim] Quia in ea tribu regnum fuit.

Et cunctæ domui Iſraël] Tribubus aliis.

Sociorúmque ejus] Scribe *ſociorum ejus*, per ἐξήγησιν [*explicationem*] præcedentis: nam reliqua domus Iſraël ità ſocii erant Ephraïmo quomodo Benjamin Iudæ erat ſocius.

19. *Ecce ego aſſumam lignum Ioſeph quod eſt in manu Ephraim, & tribus Iſraël quæ ſunt ei adjunctæ, & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & faciam eas in lignum unum*] *Quod fuit in manu Ephraim*, id eſt, quæ pars regnata fuit ab Ephraimi poſteris. Hæc Prophetia plenum in illis tribubus effectum habuiſſet, ſi illæ ad Deum ſeriò ſe convertiſſent; nunc quia pauci id fecere, paucis profuit. Vide quæ dicemus ad caput XLVII. 13. In omnibus promiſſis & minis Dei tacitam ſubeſſe conditionem ipſe dixit Ezechiel XXXVII. 13. & Ieremias XVIII. 9.

Et erunt unum in manu ejus] In Hebræo: *in manu mea*, ſub mea tutela. Sic Chaldæus.

22. *Et Rex unus erit omnibus imperans*] Zorobabel, de quo ſuprà XXXIV. 23. Is enim, quanquam Regium nomen ob reverentiam Perſici Imperii non aſſumſit, à ſuis tamen pro Rege habitus fuit.

23. *Neque polluentur ultrà in idolis ſuis*] Suprà XXXVI. 29.

Et emundabo eos] Pœnas auferam, ut ſup. XXXVI. 33.

24. *Et ſervus meus David Rex ſuper eos*] Ità dicitur Zorobabel, quia ex Davidis erat ſanguine, & virtutum ejus imitator. Vide ſuprà XXXIV. 24.

In judiciis meis ambulabunt, & mandata mea cuſtodient, & facient ea] Vide Eſaiæ LXV. 20.

25. *Vſque in ſempiternum*] עד עולם, id eſt, longiſſimo tempore.

26. *Fœdus pacis*] Suprà XXXIV. 25.

Et dabo ſanctificationem meam in medio eorum] Sacra ceremoniaſque. Sic & mox 28.

27. *Et erit tabernaculum meum in eis*] In Hebræo, *Habitaculum meum*; ſic & Chaldæus: LXX, *κατασκήνωσις*. Ità vocatur Templum Pſal. CXXXII. 5.

CAPVT XXXVIII.

2. Pone *faciem tuam contra Gog*] Nè Iudæi, qui longam illam poſt reditum felicitatem ſibi promitti intellexerant, mirarentur ſi quid poſtea incommodi eveniret, voluit Deus eos monere non defore tempora quibus bonorum fides explorarentur: quod nunquam factum eſt magis quàm ſub Antiocho Illuſtri, de quo & Daniel tam multa prædixit; ut ipsâ prædictione piæ mentes armarentur. Vult ergò Deus per Ezechielem hoc quoque prædici, Si qui Reges populum Iudæum ob religionem vexaverint, non impunè id eis futurum. Deſignat autem Antiochum ex populis quos poſſidebat. Itaque verſio optima eſt ad *Gog & Magog terræ Principem*. Polychronius ad hunc locum: Ἐπάγει γοῦν ἄρχοντα Ῥὼς καὶ Θοβὰλ, ἵνα εἴπῃ τοὺς ἐκ διαφόρων συλλεγέντας ἐθνῶν· ὥστε καὶ πρὸς ἕνα, ὡς οἶμαι, Ἀντίοχον οὐ διαλέγεται, ἀλλὰ πρὸς αὐτὸ τὸ σύστημα [*Inducit ergò Principem Ros & Thobal, ut ſignificet illos ex multis gentibus collectos; neque enim, ut arbitror, ſermo eſt ad Antiochum ſolum, ſed ad corpus ipſi ſubditorum*]. Ante Ezechielis tempora Lydiam & vicina Aſiæ loca Gyges poſſederat, à quo nomen habet *Gygæus lacus*, unde antiquitus tota regio nominata. Homerus antiquior Ezechiele:

Υἷες Πυλαιμένεος, τὼ Γυγαίη τέκε λίμνη.

[*Atque Pylæmenidæ, quos Gygæa edidit unda.*]

Holem Hebręum ſolet pro *υ* poni, ut in *Cyri* nomine videre eſt. Sic מור *Æolibus* μύῤῥα [*myrrha*]. Lydia cum locis vicinis in parte fuit Lagidarum, quorum ex genere Antiochus. Vide Appianum Syriacis, ubi in his quæ ab Antiocho Magno poſſeſſa ponit Sardes, Pergamum, Phrygiam, Æoliam, & Ioniam Aſiæ. Nominatur autem *Gygæa* primo loco ob ingentes divitias, quæ eam regionem celeberrimam fecerant. Archilochus:

Οὔ μοι τὰ Γύγεω τοῦ πολυχρύσου μέλει.

[*Non curo Gygis divitis pecunias.*]

Anacreon:

Οὔ μοι μέλει Γύγαο Τοῦ Σαρδέων ἄνακτος.
[*Nil Lydiorum curo Regem Gygen potentem.*]

Alpheus Mitylenæus:

Οὐκ ὄλβον πολύχρυσον οἷα
Γύγης. ——— ———
[*Non auri cumulos anhelo*
Gyga. ——— ———]

Et proverbium apud Græcos Γύγεω τάλαντα [*Gygis talenta*]. Vide & Herodotum libro primo, & Pauſaniam in Laconicis.

Terram Magog] Syriam, in qua Hierapolis, dicta *Magog*, Plinius V. 23. Syriam fuiſſe Antiochi majorúmque ejus omnes norunt. Vide Livium, Polybium, Appianum.

Principem capitis Moſoch] Meliùs vertas, ut dicere cœpimus, *Gog & terræ Magog Principem*, *caput Mazacæ*, id eſt, Cappadociæ. Græci ראש [*Ros*] putarunt eſſe proprium nomen, verterúntque Ῥὼς, quod poſteriores Græci ad Ruſſiam traxere ineptè.

Et Thubal] *Caput Mazacæ & Iberiæ Aſiaticæ.* Cappadoces fuiſſe in auxiliis Antiochi Magni poſterorúmque ejus docet nos Appianus. His propinqua Iberia Aſiatica. Vide Ptolemæum in Colchide. *Caput* hîc eſt princeps fœderis. Cappadoces, Phryges, Galatas, Iberos, Perſas, Æthiopas in exercitu Antiochi ex hiſtoriis Græcis ponit & Polychronius.

3. *Ad te Gog Principem*] *Ad te Principem Gygæa.*

Capitis Moſoch & Thubal] *Qui caput es Cappadociæ & Iberiæ*: id eſt, in fide tua habes illas gentes.

4. *Circumagam te, & ponam frænum in maxillis tuis*] Ducam te quò mihi viſum fuerit, ut equum inſeſſor.

Veſtitos loricis univerſos] In Hebræo, *Veſtitos* (id eſt, armatos) *undique*; πανοπλίαν deſcribit, quam Hieronymus Lucæ XI. 22. vertit *univerſa arma*; Epheſiorum VI. 11. & 13. *armaturam*: *univerſitatem armorum* Ambroſius.

5. *Perſæ*] Vide 1 Maccab. III. 31. *Elymæi juncti Perſidi*, Plinius VI. 27. Itaque Ἐλύμαις ἐν Περσίδι [*Elymas in Perſide*] dixit ſcriptor 1 Maccab. VI. 1. Hos in militia Antiochi Magni ponit Appianus, & Livius lib. XXXVII. Idem Livius: *Medi erant lecti viri, & ejuſdem regionis mixti multarum gentium equites.* Polybius in eodem Antiochi Magni exercitu ponit Medos & Carmanos.

Æthiopes] Vicini Arabum & Arabibus permixti, quos in eodem Antiochi exercitu ponunt iidem ſcriptores. Vide & 1 Maccab. XI. 16. Ἄραβας ἅμα τοῖς προσχώροις [*Arabas cum finitimis*], ait Polybius.

Et Libyes] Libyas diſertè in eadem militia ponit Appianus.

6. *Gomer*] *Gomer* eſſe Galatas, quorum oppidum *Comara*, diximus ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ. Galatas in eadem quam diximus militia ponit Appianus, quos *Gallogræcos* appellat in eadem hiſtoria Livius.

Domus Thogorma] Phryges, ut diximus ſuprà XXVII. 14. Hos quoque in eadem militia nominat Appianus. Livius autem, *Syri Medíque erant Phrygibus & Lydis immixti.* Polybius Cardacas & Lydos nominat.

Latera Aquilonis] Id eſt, populi ad Aquilonem ſiti reſpectu Iudææ.

Populíque multi tecum] Pamphyli, Piſidæ, Cretes, Cilices, Myſi, Tralles. Vide jam dictos ſcriptores, & Polybium in rebus ipſius Antiochi.

7. *Et eſto eis in præceptum*] *Eſto eis cuſtos*, id eſt, Imperator ſummus.

8. *Poſt dies multos viſitaberis*] *Diu illis imperabis*:

nam פקד [*viſitare*] etiam hoc ſignificat: neque ab hoc ſenſu abit Chaldæus.

In noviſſimo annorum] Hæc locutio Hebræis nihil aliud ſignificat quàm *tandem.*

Venies ad terram quæ reverſa eſt à gladio] Id eſt, venies ad eos quos Chaldæus enſis reliquos fecit.

——— *Relliquias Danaûm atque immitis Achilli.*

Apertè ſatis Iudæos deſcribit. *Terra* pro *gente*, συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*].

Et congregata eſt de populis multis] Mixti enim fuerant omnibus populis Imperii Babylonici.

Ad montes Iſraël] *Montes* enim Iudæa, ut ſæpe vidimus.

Qui fuerunt deſerti jugiter] תמיד eſt hîc *diu*, per annos nempe ſeptuaginta.

Hæc de populis educta eſt] Repetit quod dixerat, ut certior ſit notitia.

Et habitabunt in ea confidenter univerſi] *Et omnes* (ejus gentes) *habitabunt ſecurè*, nullum bellum timebunt.

9. *Aſcendens autem quaſi tempeſtas venies, & quaſi nubes*] Subitò & magnâ vi, ἐν ὄχλῳ βαρεῖ [*cum gravi agmine*] 1 Maccabæor. 1. 22.

Vt operias terram] Multitudine copiarum, ut ſequitur.

11. *Aſcendam ad terram abſque muro*] In Hebræo, *Terram villarum:* ubi vix quicquam eſt munitum.

Veniam ad quieſcentes] Ad homines nihil timentes tale. Cepit enim ipſe Hieroſolyma ἀμαχητὶ [*ſine pugna*], ut ait Ioſephus.

Habitant ſine muro] Id eſt, nulla munimenta habent quæ tot copiis & machinis poſſint reſiſtere. Sic & ſequentia accipe comparatè.

12. *Vt diripias ſpolia*] Ideo ſcilicet tale inibis conſilium; putabis te ad prædam, non ad bellum venire.

Qui poſſidere cœpit, & eſſe habitator umbilici terræ] In Hebræo: *Qui ſtudet pecori & opibus, & habitant in umbilico terræ.* Græci Delphos vocant ὀμφαλὸν γῆς [*umbilicum terræ*], nempe Græciæ; Hieroſolyma Hebræi, nempe quòd locus ſit ſublimis (quo modo umbilicus ſumitur Iudicum IX. 37.) & commodo ſitu inter gentes plurimas, ut didicimus ſuprà V. 5.

13. *Saba*] Arabes tui, magni inſtitores. Vide ſuprà XXVI. 13. XXVII. 15. 22.

Negotiatores Tharſis] Tyrii & Sidonii, qui per mare Rubrum adibant Oceanum.

Et omnes leones ejus] Nempe Oceani: Piratas intelligit.

Numquid ad ſumenda ſpolia tu venis?] ה [*numquid*] hîc eſt affirmantis, ut ſumunt Græci. *Omnino ad paratam prædam veniſti.* Hoc autem dicebant, quòd & ipſi ex præda vellent diteſcere, 1 Maccab. III. 41. Καὶ ἤκουσαν οἱ ἔμποροι τῆς γῆς τὸ ὄνομα αὐτῶν, καὶ ἔλαβον ἀργύριον καὶ χρυσίον πολὺ σφόδρα καὶ παῖδας· καὶ ἦλθον εἰς τὴν παρεμβολὴν τοῦ λαβεῖν τοὺς υἱοὺς Ἰσραὴλ εἰς παῖδας [*Et audierunt mercatores regionis nomen eorum, & acceperunt argentum & aurum multum valde & pueros, & venerunt in caſtra ut acciperent filios Iſraël in ſervos*].

14. *Numquid non*] Et hoc eſt affirmantis.

Scies] Græci ἐγερθήσῃ [*ſurges*]. Sumſit nimirum ידע in Niphil, id eſt, *apparebis, cognoſcêris.*

15. *De loco tuo à lateribus Aquilonis*] Vide ſuprà 6.

16. *In noviſſimis diebus eris*] *Tandem fiet.* Meliùs enim illud תהיה [*erit, fiet*] in tertia perſona quàm in ſecunda ſumes. Subauditur זאת [*iſtud*].

Cùm ſanctificatus fuero in te in oculis eorum] Cùm ex tuis factis ità deſignatè à me prædictis præſcius omnium probabor. Vide Iſaiam XLVIII.

17. *Tu ergò ille es*] *Tu profectò ille es.*

In manu ſervorum meorum Prophetarum] Ezechielis & Danielis.

In diebus illorum temporum] Multò antè.

19. *Erit commotio magna ſuper terram Iſraël*] Ingens rerum mutatio.

20. *Commovebuntur à facie mea piſces*] Adventu claſſium quas ego adducam diffugient.

Et volucres cœli] Quæ ſcilicet præ clamore militum de cœlo delabentur.

Et beſtiæ agri] Quæ & ipſæ territæ fugient.

Et omne reptile quod movetur ſuper humum] Latitabunt à tot hominum conſpectu, nè obterantur.

Et ſubvertentur montes] Id eſt, arces in montibus; ut Ieremiæ LI. 25. & alibi.

Et cadent ſepes] דרגא tam in Chaldaïco quàm in Arabico *gradus* ſignificat. per *gradus* autem συνεκδοχικῶς [*modo loquendi comprehenſivo*] intelligendæ turres cum Chaldæo hîc Interprete.

Et omnis murus corruet in terram] Oppidorum ſcilicet.

21. *Et convocabo*] *Sed convocabo:* id eſt, ubi cuncta pro lubitu fecerit, reperiet qui ſe ſiſtant.

Adversùs eum in cunctis montibus meis gladium] Gladium Matathiæ & filiorum ejus, ſociorúmque ejus per omnem Iudæam; quæ quòd montoſa eſſet, *montium* nomine appellatur etiam ſuprà VI. 2. XXXVI. 1.

Gladius uniuſcujuſque in fratrem ſuum dirigetur] Iudæi Iudæos, qui à Deo & Lege defecerant, trucidabunt. Vide Ioſephum XII. 8. 1 Maccab. III. 8.

22. *Et judicabo eum peſte*] Hæc eſt illa ἀνήκεστος τῶν σπλάγχνων ἀλγηδὼν [*ſæva viſcerum torſio*], quâ interiiſſe Antiochum ait ſcriptor II Maccabæorum IX. 5.

Et ſanguine & imbre vehementi] *Inundatione vehementi.* Eſt autem ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*], *ſanguine & inundatione vehemente*, id eſt, *vehementi inundatione ſanguinis.* Notantur cædes quas Maccabæus edidit in Duces Antiochi, Apollonium, Seronem, Gorgiam, Lyſiam.

Et lapidibus immenſis] In Hebræo, אלגביש, id eſt, *lapidibus ignitis ſimilibus pyropo*, ejectis ex baliſtis & aliis πετροβόλοις [*inſtrumentis per quæ lapides jaci ſolent*]. Vide quæ ſuprà XIII. 11.

Ignem & ſulfur pluam ſuper eum] Immittam incendia caſtris ipſorum, quaſi ſulfur de cœlo plueret. *Ignem & ſulfur*, id eſt, *ignem quaſi ſulfuris*, vehementiſſimum ſcilicet.

Super eum & ſuper exercitum ejus] ו [*&*] hîc eſt ἐξηγητικόν [*explicativum*]: *ſuper eum*, id eſt, *ſuper exercitum ejus*, ſub illis nimirum Ducibus quos diximus.

CAPVT XXXIX.

1. V*Aticinare adverſùm Gog*] Perge eadem ſæpius inculcare, quò certiùs hæc omnia imprimantur animis.

Ecce ego ſuper te Gog Principem] *Ad te* (loquor) *ô Princeps Gygææ.*

Capitis Moſoch & Thubal] Qui imperas Cappadocibus & Iberis.

2. *Circumagam te, & educam te*] Ducam te quò mihi lubebit, ut ſuprà xxxviii. 4.

Et aſcendere te faciam de lateribus Aquilonis] Suprà xxxviii. 6.

3. *Et percutiam arcum tuum in manu ſiniſtra tua, & ſagittas tuas de manu dextera tua dejiciam*] In fugam conjiciam tuos; nam quæ de Rege dicit, ad exercitum ejus pertinent: quale illud,

——— *jam proximus ardet Vcalegon.*

4. *Feris, avibus, omníque volatili & beſtiis terræ dedi te ad devorandum*] Id eſt, exercitum tuum, ut jam diximus.

6. *Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitant in inſulis confidenter*] In Syros tuos maris accolas. Idem ſenſus qui ſuprà xxxviii. 22.

7. *Et nomen meum ſanctum notum faciam*] Idem quod xxxviii. 23.

Et non polluam nomen ſanctum meum ampliùs] Id eſt, pollui ſinam.

9. *Et egredientur habitatores de civitatibus Iſraël*] Illi qui cum Maccabæis.

Et ſuccendent ea igni ſeptem annis] Id eſt, per ſeptem annos ſatis habebunt de præda quò ſe calefaciant. Amant Hebræi in magnis multiſve rebus exprimendis numerum heptados, ut infrà 12. 14.

11. *Dabo Gog locum nominatum ſepulchrum in Iſraël, vallem Viatorum ad Orientem maris*] *Ad Orientem lacûs Geneſareth*, ut bene interpretatur Chaldæus. Hæc eſt illa clades illata Antiochi militibus in Galilæa, 1 Maccabæor. v. 21.

12. *Et ſepelient eam domus Iſraël, ut mundent terram ſeptem menſibus*] Longo poſt prælium tempore reperientur hîc illic ſparſa oſſa, & ea auferent Iudæi, nè humus contra Legem impuretur.

13. *Erit eis nominata dies in qua glorificatus ſum*] Quâ repurgatum eſt Templum, dies φώτων [*Luminum*], ſive ἐγκαινίων [*Inſtaurationis*]. Vide Ioannis x. 22.

14. *Poſt menſes autem ſeptem quærere incipient*] קצה tam *initium* quàm *finem* ſignificat, & voce ἀρχῆς [*principii*] vertitur Exod. xxviii. 23. II Samuel. xiv. 26. infrà xlviii. 1. Senſus ergò eſt, *Ab initio ſeptem menſium incipient quærere.*

15. *Statuent juxta illud titulum*] Signum per quod conſpiciatur, σημεῖον Lxx, paxillum putà.

Donec ſepeliant illud pollinctores] *Veſpillones* potiùs, θάπτοντες Lxx: nec aliter Chaldæus.

16. *Nomen autem civitatis Amona, & mundabunt terram*] *Iſta multitudo* (exciſorum) *nomen* (dabit) *civitati* (Hieroſolymorum) *poſtquam mundata erit terra.* Cùm non ampliùs oſſa aſpicientur teſtantia victoriam, civitas tamen Hieroſolymorum famam indè obtinebit tanquam Gentium victrix.

17. *Ad victimam meam*] Impiorum ſtrages non minùs gratas habebit quàm victimas. Deinde, jugulatio illa & fuſus cruor victimarum habent ſimilitudinem. Vide quæ ad Marcum ix. 49.

Quam ego immolo vobis] Id eſt, præparo.

18. *Arietum, & agnorum, & hircorum, taurorúmque, & altilium, & pinguium omnium*] In Hebræo: *Hircorum, vitulorum, taurorum Baſan, omnium* (inquam) *iſtorum.* Per hæc animantium, quæ in ſacrificiis uſurpari ſolebant, nomina varii hominum ordines intelliguntur, Principum, Ducum, militum: quod & Chaldæus obſervat. Vide quæ diximus ad Eſaiam xxxiv. 6. *Tauri Baſanis* pro *hominibus potentibus* ponuntur etiam in Pſalmo xxii. 13.

20. *Super menſam meam*] Ità vocat locum prælii.

21. *Iudicium meum quod fecerim*] Pœnas quas ſumſerim de nominis mei contemtoribus.

23. *Et ſcient gentes quoniam in iniquitate ſua capta ſit domus Iſraël*] Quia multi ſpretâ Lege, ut Regibus placerent, ad Græcos ritus ſe tranſtulerant.

25. *Nunc reducam captivitatem Iacob*] Illos oppreſſos ab Antiocho in Vrbis Templíque poſſeſſionem reſtituam.

26. *Portabunt confuſionem ſuam, & omnem prævaricationem quâ prævaricati ſunt in me*] Perpetuò pudebit eos qui Legem deſeruerint, Daniel. xii. 2.

Cùm habitaverint in terra ſua confidenter neminem formidantes] Exaggerat culpam ex beneficiis. Meritò eos pudebit quòd me deſeruerint, cùm ego illos undique collectos repoſuiſſem in ſtatum longè feliciſſimum.

27. *Et reduxero eos*] *Reduxiſſem eos.*

Et ſanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurimarum] *Fuiſſem.* Gentes plurimæ extraneæ potentiam meam agnoverunt in reſtitutione Iudæorum; & ipſorum tamen multi mei obliti ſunt.

28. *Et ſcient*] Reminiſcentur repurgato Templo.

29. *Et non abſcondam ultrà faciem meam ab eis*] Ab eis qui pœnitentiam ſeriò egerint.

Eò quòd effuderim ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſraël] *Quoniam effundam ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſraël.* Cohæret enim cum ſuperioribus. *Effundere ſpiritum ſuum ſuper aliquem* Hebræis ſignificat amore proſequi, ut Eſaiæ xxxii. 15. Simile loquendi genus 1 Sam. xviii. 1. Exod. xxxv. 31. Non diſſimile Eſaiæ lviii. 10.

CAPVT XL.

1. I*N vigeſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ, in exordio anni, decimâ menſis, quarto decimo anno poſtquam percuſſa eſt civitas*] *Principio anni*, id eſt, menſis Tiſri, qui initium anni antiquiſſimum. Ità hîc vult Hieronymus.

Facta eſt ſuper me manus Domini] Vis Divina me arripuit.

Et adduxit me illuc] Ἐν ὀπτασίᾳ [*in viſione*], ut omnia præterita viderem quaſi præſentia, ut ſuprà viii. *Illuc* refertur ad Civitatem, id eſt, Hieroſolyma.

2. *In viſionibus Dei*] Non corpore.

Dimiſit me ſuper montem excelſum] *Ad montem* nempe Moriæ.

Super quem erat quaſi ædificium civitatis] *Cui monti inædificata erat velut urbs altera.* Templum ſignificat, quòd urbis habuerat ſpeciem. Tacitus: *Templum in modum arcis propriique muri.* Vide Ioſephum Belli Iudaïci v. 14. Variæ ſemper de hoc Templo quod vidit Ezechiel fuere ſententiæ tum Iudæorum, tum Chriſtianorum, ut notat Hieronymus, habitúſque eſt totus hic locus Prophetæ perdifficilis. Ego verò iis accedo qui putant Ezechielis oculis oblatum conſpectum Templi, quale fuerat cùm id deſtruxit Nabuchodonoſor, idque duabus de cauſis. Primùm, ut intelligerent Iudæi quantum gentis ſuæ decus criminibus ſuis amiſiſſent; deinde, ut olim reverſi ſpecimen haberent quod imitarentur quantùm poſſent; quantùm poſſent, inquam: nam perfectè ut imitarentur neque ſumma feſtinatio permiſit, neque opes multò opibus Solomonis impares. Ità nos docet Eſdras III. 12. & Ioſephus his verbis: Οἱ δὲ ἱερεῖς καὶ Λευῖται καὶ τῶν πατριῶν οἱ πρεσβύτεροι, τὸν πρότερον ναὸν ταῖς μνήμαις ἀναπολοῦντες μέγιστόν τε καὶ πολυτελέστατον, καὶ τὸν γιγνόμενον ὁρῶντες ὑπὸ πτωχείας ἐνδεέστερον τοῦ πάλαι κατασκευαζόμενον, ὅσον εἶεν τῆς ἀρχαίας εὐδαιμονίας ὑποβεβηκότες, καὶ τῆς ἀξίας τοῦ ναοῦ λογιζόμενοι, κατήφουν, καὶ τῆς ἐπὶ τούτῳ λύπης κρατεῖν οὐ δυνάμενοι μέχρι θρήνων καὶ δακρύων προήγοντο [*At Sacerdotes & Levitæ & de Tribubus ii qui provectiſſimi erant ætate, Templum illud quod fuerat animo recolentes maximum & ſumtuoſiſſimum, hoc verò Templum videntes ob rerum penuriam multùm illo inferius, reputantes ſecum quantùm ex veteri felicitate & dignitate Templi decidiſſent, triſtes erant, & non valentes intra ſe comprimere dolorem ad ploratus & lacrymas ferebantur*]. Si quis objiciat, Non convenire planè hanc deſcriptionem cum illa quam habuimus in Imperio Solomonis, reſpondebo, Tot à Solomone Reges tanto tempore ex ingentibus quæ in Templum inferebantur tributis ac donis, multum adjeciſſe Templo, ejúſque ornamentis; mutaſſe etiam quædam ex uſu: quod & in Herodis Templo contigiſſe docet nos Ioſephus. Non omnes mutationes tales perſcriptæ ſunt, ſed in exemplum vide II Regum XII. 5. Cæterùm cùm totum hunc Ezechielis de Templo locum accuratè nobis expoſuerit vir admirabilis diligentiæ, præterea Architecturæ, linguarúmque Latinæ, Græcæ, Hebraïcæ & Chaldaïcæ peritiſſimus Villalpandus, omnes diſcendi cupidos hortor eum ut adeant: ſimúlque opto ut edantur etiam quæ vir raræ eruditionis Capellus poſt eum obſervata premit hactenus. Ea cauſa erit cur hæc nonniſi in tranſcurſu attacturi ſimus.

Vergentis ad Auſtrum] Nempe reſpectu montis Moriæ: nam Vrbi Templum ad Septentrionem erat.

3. *Ecce vir*] Angelus, ut Apocal. XI. 1. Angeli viri vocantur ubi eâ ſpecie apparent, Daniel. X. 5.

Cujus erat ſpecies quaſi ſpecies æris] *Fulgentis* ſcilicet, quod hîc Græci adjiciunt. Significatur & fortitudo & ſplendor Angelorum.

Et funiculus lineus in manu ejus] LXX: σπαρτίον οἰκοδόμων [*funiculus fabrorum*]. Eo utebantur fabri ad majora ſpatia, Zachar. II. 1.

Et calamus menſuræ in manu ejus] Sic κάλαμος [*calamus*] ſumitur etiam Apocal. XI. 1. & vocatur per appoſitionem κάλαμος μέτρον [*calamus menſuræ*] Apocal. XXI. 15. quomodo & hîc à LXX. Intelligenda pertica quæ in illis locis fieri ſolebat ex calamo: Vſus ejus in exactis dimenſionibus. Vtroque autem hoc inſtrumento ſignificatur, illum Angelum menſoris functurum officio, & omnes altitudines, longitudines, & latitudines exactè demonſtraturum.

43. *Et labia earum palmi unius*] *Cremathræ ſive uncini unde pendebant carnes*, quomodo hîc accipit Chaldæus, & nos diximus ad Pſalmum LXVIII. 14.

46. *Iſti ſunt filii Sadoc*] Vertes: *Hi ſunt filiorum Sadoc*, præcipuorum Sacerdotum, quorum infrà mentio XLIII. 19. XLIV. 15. XLVIII. 11. adjutores ſcilicet.

CAPVT XLI.

18. *Dvaſque facies habebat Cherub*] Duas formas, quæ maximè eminebant. Erant enim alioqui in quoque Cherub formæ quatuor.

22. *Et locutus eſt ad me*] Tranſlatum ſcilicet in eam partem ubi erat menſa, in qua panes προθέσεως [*propoſitionis*].

CAPVT XLII.

5. *Vbi erant gazophylacia in ſuperioribus humiliora*] Hæc commata & duo ſequentia difficilis eſſe interpretationis ajunt Rabbini Salomo & David Kimchi. Poteſt aliquid corruptum eſſe in lectione. Sed vide Villalpandum.

CAPVT XLIII.

2. *Et ecce gloria Dei Iſraël egrediebatur per viam Orientalem*] Sicut exierat olim ex Templo, Templum deſerens cap. X. ità futurum erat ut in Templum rediret, id eſt, rurſus acceptam haberet eam ſedem ac ſacra, iiſque ſuam tutelam exhiberet.

15. *Ipſe autem Ariel*] Vide dicta Eſaiæ XXIX. 1.

19. *Et dabis Sacerdotibus & Levitis, qui ſunt de ſemine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus, ut offerant mihi vitulum de armento pro peccato*] In Hebræo eſt, *Sacerdotibus Levitis*: id eſt, qui ex Levitico ſunt genere, legitimis Sacerdotibus. Nec aliter LXX & Chaldæus. Vnde credi poteſt hîc vitium eſſe ſcribæ in Latino. Omnia hæc facta ſunt ἐν ὁράσει [*in viſione*], quò magìs animis retinerentur ritus præcepti Exodi XXIX. Levit. VIII. 14. 15. Nam Ezechiel hîc refert perſonam ἰδιώτου [*privati hominis*]. Rabbini ineptè Ezechielem hoc facturum ajunt poſt Reſurrectionem primam in Templo tertio.

CAPVT XLIV.

2. *Porta hæc clauſa erit, non aperietur*] Hîc ſequuntur præcepta quæ Deus dat obſervanda poſt Templi reſtitutionem.

Quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam] Id eſt, imago illa judicia Dei repræſentans, ſuprà XLIII. 2. *Per eam*, id eſt, eo loco in viſione.

Eritque clauſa Principi] Etiam Principi ſive Ethnarchæ Iudæorum.

11. *Erunt in ſanctuario meo æditui*] Ad inferiora miniſteria detrudentur.

22. *Et viduam & repudiatam non accipient uxores*] Vide quæ diximus ad Levitici, XXI. 14.

CAPVT XLV.

18. *IN primo menſe una menſis ſumet vitulum de armento*] Principi hoc præcipitur, ut præcedentia oſtendunt. Rabbini & hoc ad Ezechielem referunt, qui id facturus ſit poſt primam reſurrectionem.

CAPVT XLVI.

17. *SI autem dederit legatum*] *Donum* in Hebræo: & ſic Chaldæus, & LXX. Diſcimus hinc prædia etiam dono data Iubilæi tempore rediiſſe ad poſſeſſores veteres, eorúmve heredes.

CAPVT XLVII.

1. *AQuæ egrediebantur ſubter limen domûs*] Per canales ſubterraneos ductæ erumpebant in ſubdiale Sacerdotum, ad lavandas victimas, purgandum à ſanguine ſolum, & ſordes ejiciendas.

7. *Ecce in ripa torrentis ligna multa nimis*] Vbi ille torrens, ſive fons potiùs, extra Templum egreditur humore ſuo educabit arbores optimas omnis generis, ità ut ſemper aliqui ibi fructus ſint futuri aut præcoces, aut ſerotini. Vide infrà 12.

8. *Intrabunt mare*] Mortuum.

Et exibunt, & ſanabuntur aquæ] Tanta erit rapiditas illius torrentis ut mare Mortuum pertranſiens nihil ab eo corrumpatur, quomodo tranſeunt, quidam *amnis Fucinum lacum*, *Larium Abdua*, *Verbanum Ticinus*, *Benacum Mincius*, *Sevinum Ollius*, *Lemanum Rhodanus*, teſte Plinio II. 106. *Sanabuntur*, id eſt, manebunt ſalubres, neque retinebunt quicquam de aquis illis peſtilentibus.

9. *Et omnis anima vivens quæ ſerpit*] Id eſt, *natat*; nam de piſcibus agitur. שרץ de quovis motu animalis dicitur, ut Levit. XI. 29. quare & per κινεῖν [*movere*] vertitur, Geneſ. VII. 21.

Vivet] Non interibit, ut illi piſces qui in mare Mortuum immittuntur. Tacitus de eo: *Neque piſces aut ſuetas aquis volucres patitur.*

Sanabuntur] Id eſt, ſanæ erunt.

10. *Et ſtabunt ſuper illas piſcatores*] Illâ parte quà ille torrens fluet.

Ab Engaddi uſque ad Engalim] Hieronymus: *Engalim in principio eſt maris Mortui ubi Iordanis ingreditur; Engaddi verò ubi finitur atque conſumitur.*

Siccatio ſagenarum erit] Vide ſuprà XXVI. 5.

11. *In littoribus autem ejus & in paluſtribus non ſanabuntur*] *Littoralia autem & paluſtria* (maris) *non erunt ſalubria.* Manebunt cætera maris mortui qualia antè fuerant.

Quia in ſalinas dabuntur] In Hebræo non eſt *quia*, ſed *ſali dabuntur*, id eſt, relinquentur. Vide quæ diximus Geneſ. XIV. 3. Tacitus de Aſphaltite, qui idem *mare Mortuum*: *Lacus immenſo ambitu ſpecie maris, ſapore corruptior.*

12. *Folia ejus ad medicinam*] Mirum nî hæc aqua ea ſit quam *Callirrhoën* Plinius vocat in capite de Aſphaltite (in quem labi *Callirrhoën* etiam Ioſephus nos docet Antiquitatum XVII. 8. & Belli Iud. I. 21.), *fontémque* appellat; nimirum quia tectus aliquamdiu rurſus erumpit, *medicæ ſalubritatis*. Ab Hieroſolymis eum venire Solinus nos docet: *Callirrhoë Hieroſolymis proxima, fons calore medico probatiſſimus, & ex ipſo aquarum præconio ſic vocatus eſt.* Martianus Capella: *Secunda elatio Iudææ ab Hieroſolymis, in quo latere eſt fons Callirrhoë.*

13. *Hic eſt terminus in quo poſſidebitis terram in duodecim tribubus Iſraël*] Hæc aſſignatio & quæ ſequitur capite poſtremo locum habitura fuiſſet ſi Decem tribus, non minùs quàm Iudæ & Benjaminis, ſe ad Deum convertiſſent: ſic enim pariter impetraſſent reditum. Nunc pauci tantùm permixti Iudæ & Benjamini rediere, iique ſedes cum illis habuere communes. Procedente tamen tempore, dono Regum etiam illa terra quæ Decem tribuum fuerat, Iudæis conceſſa eſt, ut ex Ioſepho alibi oſtendimus.

15. *A mari magno*] Vide ad hunc locum maximæ eruditionis virum Ioannem Seldenum in Appendice Maris clauſi.

Via Hethalon] Eſt in Syria Damaſcena, infrà XLVIII. I.

Venientibus Sedada] In eodem tractu, Num. XXXIV. 8.

16. *Emath*] Num. XIII. 22. XXXIV. 8. I Reg. VIII. 65. II Regum XVIII. 34.

Berotha] II Sam. VIII. 8. *Barathema* Ptolemæo.

Sabarim] *Sora*, ut videtur, Ptolemæo.

Domus Tichon] Quidam תיכון [*Tichon*] ſumunt communiter, ut intelligatur *tractus medianus*. At Chaldæus pro nomine ſumſit proprio, redditque *piſcinam Agbæam*.

Iuxta terminum Auran] LXX: ἐπάνω τῶν ὁρίων Αὐρανίτιδος [*ultra terminos Auranitidos*], quomodo hæc terra vocatur à Ptolemæo.

17. *Vſque ad atrium Enon*] Rectiùs vertas, *villam Enan*, ut hic interpres Num. XXXIV. 9. eſt enim idem *Enon* & *Enan*, ut apparet collato loco infrà XLVIII. I. Poſſet etiam retentâ voce priore Hebræâ dici *Adrenan*, quomodo חצר מות eſt Ἀδραμύττιος [*Adramyttus*].

19. *Thamar*] *Thamaro* Ptolemæo.

Ad aquas contradictionis Cades] Sic vocatur is locus etiam Num. XXVII. 14. ex hiſtoria quæ eſt Numeror. XX.

22. *Vobis & advenis qui acceſſerint ad vos*] Ad exemplum ejus quod ibi olim Cinæis conceſſum fuerat, Iudic. I. 16.

CAPVT XLVIII.

35. *PEr circuitum decem & octo millia*] Quam ſummam faciunt quater ſumta latera: nam latus unumquodque juſſum erat eſſe quater mille & quingentorum cubitorum.

Nomen civitatis ex illa die Dominus ibidem] *Dominus ibi*, ſupple *habitat*; non quòd hoc nomine appelletur, ſed quòd hoc ἐπίθετον [*agnomen*] jure optimo ipſi ſit competiturum. Similia habes Ieremiæ XXIII. 6. & XXXIII. 16. ubi vide.

AD DANIELEM.

M*etrodorum* Scepſium ajunt Græci virum fuiſſe raræ eruditionis & eloquentiæ, perveniſſe autem ad eum amicitiæ gradum apud Regem Mithridatem ut Rex ejus maximè conſiliis uteretur; ſed æmulorum artibus incidiſſe in iram Regis, prænuntiam mortis, ut loquitur Solomon: itaque eum malo fato periiſſe. Daniel ingenio valens, omnibus inſtitutus quæ apud Chaldæos valebant artibus, præterea magnis à Deo donis egregius, in flagrante fuit gratia apud Reges Chaldæos; ſed is quoque offenſam incurrit, quæ ei certam attuliſſet mortem, niſi Dei potentia interveniſſet. ταῦτά ἐστι τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας [*Hæc ſunt præmia regalis amicitiæ*], ajebat Aratus Sicyonius. Cur Danielem Prophetis non accenſeant Hebræi, cauſam alibi diximus; nempe quòd vitam egerit non Propheticam, ſed Satrapicam, ut David Regalem: quare eos ajunt ſcripſiſſe quidem per Spiritum ſanctum, ſed Prophetas non fuiſſe. Attamen & Chriſtus & Ioſephus Danielem vocant *Prophetam*, & ſic eum dici poſſe ſignificatu generaliore affirmat Maimonides parte ſecundâ Ductoris dubitantium. Vtitur autem Eccleſia, ut Hieronymus nos monet, in Daniele non Lxx Interpretum verſione, ſed Theodotionis, quòd ea ſenſum rectiùs expreſſiſſe videatur, quod & Origenes lector verſionum diligens judicaverat. Ait idem Hieronymus, *ad intelligendas extremas partes Danielis multiplicem Græcorum hiſtoriam eſſe neceſſariam: Sutorii videlicet Callinici, Diodori, Hieronymi* (nempe Ægyptii, qui res Phœnicum ſcripſit), *Polybii, Poſidonii, Claudii, Theonis, & Andronici cognomento Alypii, quos*, addit, *& Porphyrius ſecutum ſe dicit*, nempe in explicando Daniele; cujus ille auctoritatem ut eluderet, ſcriptos dixit libros poſt eventum: quod quàm ſit impudens alibi diximus. Pergit Hieronymus, & inter eos quos dicit neceſſarios etiam *Ioſephi* ponit *libros, & eorum quos ponit Ioſephus: præcipuéque*, ait, *Livii, & Pompeji Trogi, atque Iuſtini, qui omnes extremæ viſionis narrant hiſtoriam, & poſt Alexandrum uſque ad Cæſarem Auguſtum, Syriæ & Ægypti*, id eſt, *Seleuci & Antiochi & Ptolemæorum bella deſcribunt*. Horum omnium quos nominat Hieronymus, cùm ad nos nihil pervenerit, præter Ioſephum & Iuſtinum, his nobis utendum eſt: addendúſque his Strabo & Appianus, qui haud dubiè etiam illorum qui perierunt uſi ſunt libris. Tum verò pro Porphyrio, & tot illis libris Porphyrio lectis, utendum nobis iis quæ ex Porphyrio nos docet Hieronymus. Inter Græcos autem ad ſenſum horum vaticiniorum proximè acceſſit Polychronius Porphyrii lector diligens, & Chryſoſtomus. Bene autem intelligi hæc vaticinia refert plurimùm; primùm ut eò lucidiùs appareat Dei providentia & præſcientia; deinde nè prava interpretatio tempora confundens impediat Iudæos Meſſiæ tempora agnoſcere: quod vel maximè illi faciunt qui quæ de Antiocho Illuſtri dicta ſenſum habent manifeſtum, ad Antichriſtum trahunt, ut Hippolytus, multíque alii.

CAPVT I.

1. A*nno tertio regni Ioacim Regis Iuda*] Exeunte; quia hoc iter Nabuchodonoſori maximâ ſui parte in annum quartum Ioachimi incidit: ideo *quartum annum* nominat Ieremias xxv. 1. At undecimus hic annus eſt regnantis Ioachimi in Regum hiſtoria, nempe quia ab eo tempore regnum à Chaldæis acceperat. At Hebræi eum pro Rege non habuerunt, niſi poſt fratris Ioachazi, qui in Ægyptum avectus fuerat, & rediturus ſperabatur, mortem.

2. *Tradidit Dominus in manu ejus Ioacim Regem Iudæ, & partem vaſorum domûs Dei*] Convenit cum ii Paralipom. xxxvi. 6. 7.

Et aſportavit ea in terram Sennaar] Quæ etiam in Græco Σενναάρ, Plinio & Ptolemæo *Singara*, ut diximus Annotatis ad primum librum de Religione Chriſtiana.

In domum dei ſui] Præcipui dei, id eſt, Beli. Vide Hecatæi locum priore Ioſephi libro contra Appionem, & Ieremiæ li. 44.

3. *Præpoſito Eunuchorum*] Talium operâ in domo ſua utebantur Reges Orientis ad ſervandam mulierum pudicitiam.

Et de ſemine regio] Vt prædixerat Eſaias xxxix. 7.

Et tyrannorum] פרתמים *Parthos* vertit Symmachus, non appoſitè: *inclytos* vertit hic idem interpres Eſtheræ i. 3. *tyrannos*, ut hîc, Eſtheræ vi. 9. In quibus Eſtheræ locis Chaldæus Interpres habet פרתונאי. An hoc ex Græca voce πρώτων [*primorum*];

4. *Pueros*] Νεανίσκους Græci, id eſt, *juvenes*, quod bene convenit cum ſequentibus.

In quibus nulla eſſet macula] מום omne *vitium* ſignificat, ut membri defectum, aut luxatum, diſtortúmve aliquid. Vide Levitici xxi. 17. Solent Græci Interpretes vertere μῶμον: nam & hæc Græca vox ex illa eſt Orientali.

Decoros formâ] Nam,

Formoſa facies muta commendatio.

Et ſolet indè etiam de ingenio judicari.

Et eruditos omni ſapientiâ, cautos ſcientiâ, & doctos diſciplinâ] Nempe iis quæ in Iudæa diſci potuerant. Per *ſapientiam* videtur intelligenda Lex Moſis; per *prudentiam* (ità enim Hebræi vertunt דעת) monita illa de Moribus, re Familiari, ac Civili, qualia multa apud Solomonem; per *diſciplinam* verò, id eſt, מדע, artes Metiendi, Numerandi, & Hiſtoriæ cognitio.

Et qui poſſent ſtare] In Hebræo, *quibus robur ad ſtandum*. ἰσχὺς [*robur*] Græcè; nam certè etiam firma corporis conſtitutio requiritur ad longas illas in aula ſtationes.

Vt doceret eos literas] *Literaturam*. Ità Saadia & Abeneſdra.

Et linguam Chaldæorum] Quæ ab Hebræa non parum differebat. Vide ii Reg. xviii. 26. Ierem. v. 15. Hoc autem eò pertinebat, ut ea quæ ipſi domi didicerant Regi poſſent exponere, & addiſcere artes

Chaldaïcas, Aſtrologiam, Architecturam, ac Rem militarem.

5. *Conſtituit eis Rex annonam*] Dimenſum.

De cibis ſuis & de vino unde bibebat ipſe] Nempe ut ex alimentis optimis & formæ & ingenio aliquid accederet.

6. *Daniel, Ananias, Miſaël & Azarias*] In quibus nominibus omnibus ineſt Dei nomen, additis vocibus *judicium*, *gratiam*, *contactum* & *auxilium* ſignificantibus.

7. *Et impoſuit eis præpoſitus eunuchorum nomina*] Nempe de diis ſumta Chaldaïcis, ut hîc notat Iacchiades.

Baltaſſar] Scribitur hîc בלטשאצר, infrà verò x. 1. בלטאשצר, unâ literâ differens à Regis nomine, infrà v. 1. & vii. 1. Significat autem ità ut hîc ſcribitur בלטשאצר, *Belus ſervat opes.*

Ananiæ Sidrach] *Sad lenis* ſupple *ſit*. *Sad* nomen dæmonis nocentis. Vſurpant Rabbini in ſingulari, Interpretes Chaldæi & Thalmudici in plurali שדין [*Saddin*]. Eſt ergò hoc nomen ἀποτρόπαιον [*ad mala depellenda pertinens*].

Miſach] Retentâ parte nominis Hebraïci, pro אל [*El*] poſitum שך [*Sach*], quæ dea Babyloniorum, unde Σακχαῖα [*Sacchæa*]. Ieremiæ pleniùs ששך [*Seſach*] Ierem. xxv. 26. & li. 41. ubi dicta vide.

Et Azariæ Abdenago] *Servus Luciferi.* נגו [*ſplendor*] Chaldæis, quod נוגהא in Chaldaïco Eſtheræ x. 3. נגהא in verſione Chaldaïca Eſaiæ xiv. 11. עבר נגו [*ſervus Luciferi*] pari formâ dicitur quâ עבר עליונים [*ſervus deorum*] *Abdolonymus* apud Curtium lib. iv.

8. *Nè pollueretur de menſa Regis, neque de vino potûs ejus*] Pro *de menſa Regis* rectiùs dices *de pane ejus.* Eſt enim פתבג [*Potbag*] non aliud quàm ποτίβαζις, panis genus in Oriente, ut ex Dinonis iii Perſicorum nos docet Athenæus lib. ii. Cauſa verò cur Daniel pane vinóque regio abſtinuerit, non alia eſt quàm quòd moris erat illis gentibus partem de pane & de vino injicere in aram, aut ſi ara non adeſſet, in focum, vice aræ, atque eo modo diis ſuis conſecrare totum illud quod erant comeſturi. Id verò, ſicut ſtultâ illorum opinione erat ſanctitas: ità Hebræis, meliùs inſtitutis, & certis talia dedicata eſſe falſis numinibus, erat pollutio. Sic Iacchiades & Theodoretus.

9. *Dedit autem Deus Danieli gratiam & miſericordiam in conſpectu principis eunuchorum*] Secundùm preces Solomonis 1 Reg. viii. 50.

10. *Si viderit vultus veſtros macilentiores*] Triſtiores, σκυθρωποτέρους, quales ſolent eſſe facies eorum qui modicè paſti ſunt. Vide Matth. vi. 16. id & in Hebræo & in Chaldæo ſonat vox זעף.

11. *Ad Malaſar*] Theodotion legit ד pro ר. Ejus enim verſio habet Ἀμελσάδ [*Amelſad*]. alii codices habent Μολσάδ [*Molſad*]. Dubitatur nomen ſit hominis, an muneris, ſub primo illo eunuchorum inſpectore. Ego potiùs hominis nomen eſſe credam, ut ſuprà *Aſphenez*; ità ut ה hîc ſit pars nominis. Ità accepit & Iacchiades.

12. *Tenta nos, obſecro, ſervos tuos*] Id eſt, *periculum fac de nobis.* Theodotio, πείρασον [*experire*]. Symmachus, δοκίμασον [*explora*].

Dentur nobis legumina] מן הזרעים, ἀπὸ τῶν σπερμάτων [*ex ſeminibus*]. Sic vocantur herbæ & legumina, quæ vili pretio parantur, & vix digna ſunt quæ ferantur ad menſam regiam. Eſt quidem verum illud,

> Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
> [*Tenuia ſenſa non dat abdomen grave.*]

Sed hîc, ubi & de forma agitur, Dei opus apparet.

15. *Vultus eorum meliores & corpulentiores*] Ἰδέαι αὐτῶν ἀγαθαὶ καὶ ἰσχυραὶ ταῖς σαρξὶν [*ſpecies eorum bonæ & carnibus validæ*], id eſt, & colore erant vivido, & ſuccoſi.

16. *Tollebat cibaria, & vinum potus eorum*] Abſtinebat illis dare de pane aut vino regio, ipſorum precibus morem gerens.

17. *Pueris autem his dedit Deus ſcientiam & diſciplinam*] *Scientiam & intellectum*, id eſt, non cognitionem tantùm, ſed & ſagacitatem ad alia ex aliis reperienda.

In omni libro] *Literatura*, ut ſuprà 4. ἐν πάσῃ γραμματικῇ [*in omni grammatica*] habet textus Græcus, quod eſſe ex Symmacho docet nos hîc Hieronymus. Ità ſæpe miſceri verſiones videmus.

Et ſapientia] In cognitione rerum naturalium, quæ præcipua ſapientia apud Chaldæos.

Danieli verò] Inſuper ſcilicet.

Intelligentiam omnium viſionum & ſomniorum] Id eſt, interpretandi viſa & ſomnia θεήλατα [*Divinitus immiſſa*], quæ non apertè, ſed per imagines futura ſignificant. Vide quæ dicta Num. xii. 8. hoc eſt donum ἑρμηνείας [*interpretationis*] 1 Corinth. xii. 10. xiv. 26.

19. *Et ſteterunt in conſpectu Regis*] Tanquam quotidiani miniſtri.

20. *Omne verbum ſapientiæ & intellectûs*] In Hebræo eſt conſtructivè חכמת בינה, *ſapientiæ intellectûs*, id eſt, earum partium Philoſophiæ quæ maximè perſpicacem intellectum requirunt.

Super cunctos ariolos] Pro החרטמים τοὺς ἐπαοιδοὺς [*incantatores*] Græca habet verſio; nec aliter Exodi vii. 11. 22. viii. 7. 18. alibi φαρμακοὺς. Erant Phyſici, ſed qui ſæpe etiam dæmonum uterentur operâ.

Et magos] אשפים [*Aſſaphim*], quod hîc legitur, crediderim vocem eſſe Græcam, nam ante Nabuchodonoſori tempora celebris erat Thaletis & aliorum qui σοφοὶ [*Sophi*, id eſt *Sapientes*] dicti ſunt, fama. erat autem Thales ex Ionia Aſiatica. Syrorum eſt א vocibus præponere.

21. *Fuit autem Daniel*] Id eſt, vixit Babylone: nam poſtea in Iudæam iviſſe ab Hebræis dicitur.

Ad annum primum Cyri Regis] Ad finem uſque ſeptuaginta annorum, quos præſtitutos exſilio dixerat Ieremias.

CAPVT II.

1. IN *anno ſecundo regni Nabuchodonoſor*] *Regni* intellige conſtituti in partibus circum Iudæam, Syriâ, Ammonitide, Moabitide, & Ægypti magna parte. Ità hîc Ioſephus. Sed & aliis Hebræis hanc placuiſſe interpretationem notat hîc Hieronymus.

Vidit Nabuchodonoſor ſomnium] In Hebræo, *ſomnia*:

nempe ob res multas quæ uno ſomnio continebantur.

Et conterritus eſt ſpiritus ejus] *Vicibus jactatus*, modò huc modò illuc ferente ſe ejus cogitatione. Confer Geneſeos VI.

Et ſomnium ejus fugit ab eo] *Quia ſomnium ejus fugerat ab eo.* Exactè non meminerat, ſed manſerant in animo velut lineamenta quædam, per quæ redire res in memoriam poſſet.

2. *Et malefici*] מכשפים Hieronymus interpretatur τοὺς νεκρομάντεις [*divinatione ex mortuis utentes*], ut & Iacchiades. Eſt eadem vox in feminino Exodi XXII. 18.

4. *Reſponderúntque Chaldæi Regi Syriacè*]. Id eſt, Chaldaïcè: nam & Chaldæa pars Aramæorum. Abhinc uſque ad caput VIII omnia ſcripta ſunt Chaldaïcè, quòd Chaldæos maximè tangant; indè verò rurſum Hebraïcè, quòd quæ ibi dicuntur maximè Hebræos reſpiciant. Cùm hîc *Chaldæi* dicuntur, ſimul intellige cæteros illos ſuprà nominatos.

5. *Peribitis vos, & domus veſtræ publicabuntur*] In Chaldæo: *Membratim laniabimini, & domus veſtra in latrinas mutabitur. Membratim laniari* grave ſupplicium, at non inuſitatum Orienti. Vide I Sam. XV. 33. Hac pœnâ affectus Orpheus à Thraciæ feminis, Beſſus ab Alexandro Magno. *Domos* quoque *in latrinas vertere* erat quædam in Oriente memoriæ damnatio, II Regum X. 27. Eſdræ VI. 11. ſecundùm Chaldæum Interpretem. Vtramque habes & infrà III. 29. Rex iracundus videri volebat eos eſſe impoſtores, qui cùm abditiſſima quæque nota ſibi dicerent, id tamen non oſtenderent in hoc facto.

6. *Et dona*] נבזבה eſt *annua erogatio*, ut apparet collatis locis Paraphraſtarum Deuter. XXXIII. 24. & Ieremiæ XL. 5.

8. *Certè novi quòd tempus redimitis*] *Moras quæritis:* nam antequam eveniant quæ vos in ſomnio interpretando diceretis, multum intercedet temporis, quod vos à pœna liberet. Hunc ſenſum poſtulant ſequentia. Græca hîc verſio, καιρὸν ὑμεῖς ἐξαγοράζετε [*tempus vos redimitis*]· quæ locutio & apud Paulum Epheſior. V. 16.

10. *Non eſt homo ſuper terram qui ſermonem tuum, Rex, poſſit implere*] Agnoſcunt ipſi vanas eſſe ſuas antehac pollicitationes.

Neque Regum quiſquam magnus & potens] Sunt in Chaldaïco tres gradus, *Rex;* רב, id eſt, *Princeps;* שליט, id eſt, *Rector urbis & regionis urbicæ.*

11. *Exceptis diis, quorum non eſt cum hominibus converſatio*] Quaſi dicant, illorum dæmonum, ſive deorum aëreorum, qui cum hominibus commercium habent, notitia eouſque non pertingit. Hæc res Diis majoribus reſervata eſt.

13. *Et egreſſâ ſententiâ*] Publicato Regis decreto. Sic ἐξῆλθε δόγμα [*exiit decretum*] Lucæ II. 2.

Sapientes interficiebantur] Cœperant interfici.

Quærebantúrque Daniel & ſocii ejus ut perirent] Iniquiſſimè, ut in pœnæ partem venirent qui in præmiorum partem non veniſſent, contemti à cæteris ob juventutem.

14. *Requiſivit de lege atque ſententia*] In Chaldæo: *retulit conſilium & cauſam*, ſcilicet conſilii ſui. Theodotio: ἀπεκρίθη βουλὴν ϗ γνώμην [*reſpondit conſilium & ſententiam*].

Ab Arioch] Rectiùs Græci, τῷ Ἀριώχ [*ad Ariochum*].

Principe militiæ] In Chaldaïco, *præſidem carnificum Regis*, id eſt, præfectum rebus capitalibus. טבח Syris & Arabibus eſt *mactare;* unde deducitur nomen modò de *coquis*, modò de *ſatellitibus* aut *carnificibus* ſumtum: quas tamen ſignificationes Arabes punctulis diſtinguunt, ut Abeneſdræ notatum.

15. *Tam crudelis ſententia*] *Tam feſtina;* nam חצף etiam hoc in Chaldaïco ſignificat: idque credibilius dixiſſe Danielem, ob ea quæ ſequuntur.

Cùm ergò rem indicaſſet Arioch Danieli] Significaſſet ei quantâ irâ Rex accenſus eſſet.

16. *Ad ſolutionem indicandam Regi*] Quod eſſet ſomnium, & quò tenderet.

18. *Vt quærerent miſericordiam à facie Dei*] Vt in communi periculo communi etiam prece Dei conſilium implorarent.

Super ſacramento iſto] *Super arcano iſto.* Eſt enim רזא Chaldæis, & μυστήριον [*myſterium*] Græcis (quâ voce hîc utitur Theodotion) *omne id quod ignoratur*, τὸ ἀγνοούμενον, ut interpretatur Chryſoſtomus.

20. *Locutus ait*] Simile loquendi genus Deuteronomii XVI. 5.

Sapientia & fortitudo ejus ſunt] *Sapientia* in cognoſcendis rebus abſconditis, *potentia* ſumma in Reges & regna, de quibus agebat hoc ſomnium. Hanc explicationem firmant ſequentia.

21. *Et ipſe mutat tempora & ætates*] Virgilius,

Tempora mutantur, & nos mutamur in illis.

Dat ſapientiam ſapientibus] Etiam ſapientiſſimos multa habet quæ doceat.

Et ſcientiam intelligentibus diſciplinam] In Chaldæo, *Et ſcientiam ſcientibus intelligentiæ:* id eſt, dat multarum artium cognitionem iis qui ſciunt quanti ſit intelligere, ac propterea ad Deum ſe vertunt.

22. *Et novit in tenebris conſtituta, & lux cum eo eſt*] Quanquam ipſe in luce ſumma eſt, I Tim. VI. 16. tamen cuncta quæ tenebris involuta ſunt videt, I Corinthior. IV. 5.

23. *Et fortitudinem dediſti mihi*] Facultatem & me & alios eripiendi periculo graviſſimo.

Sermonem Regis] Rem illam quam Rex quærit.

27. *Et aruſpices*] גזרין. Chaldaïcam hanc vocem retinuit Theodotio, γαζαρηνῶν [*Gazarenorum*], ut ſæpe faciunt Græci in obſcuris. גזר Chaldæis, ut & Arabibus, inter alia eſt *proſecare*. Erant autem apud Chaldæos etiam qui extis ad vaticinia uterentur, Ezech. XXI. 21. Symmachus θύτας [*mactatores*] verterat: ità enim apud Hieronymum legendum videtur pro θυίας [*arbores odoratas*]. Eoſdem ait Hieronymus Græcis vocari ἡπατοσκόπους [*aruſpices*]. Alii fortè rectiùs à גזר, quod eſt *decernere*, accipiunt hîc *decretorum cuſtodes*, qui infrà cum additamento אדרגזריא.

28. *Eſt Deus in cœlo revelans myſteria*] Vide modeſtiam Vatis, gloriam Deo tribuentis. Vide & infrà 30.

In noviſſimis temporibus] Hæc locutio multos ejus ignaros ad pravas ſequentium interpretationes egit, cùm nihil aliud ſignificet quàm *poſthac*. Vide Geneſ. XLIX. 1. Deuteron. IV. 30. Proverb. XXXI. 25. Eſaiæ II. 2. XLI. 22. XLVI. 10. Ierem. XXIII. 20. Ezech. XXXVIII. 8. 16. nam אחרון non utique *poſtremum* eſt, ſed omne *quod eſt poſterius*.

Viſiones capitis tui] Hebræi affectus dant cordi, vim imaginatricem capiti.

29. *Cogitare cæpiſti in ſtratu tuo*] Ante ſomnum.

Quid eſſet futurum poſthac] De Chaldæis & aliis gentibus Imperii tui, in quibus ſunt & Syria & Ægypti magna pars.

30. *Sed ut interpretatio Regi manifeſta fieret*] *Sed ut eſſent qui interpretationem Regi notam facerent*. Enallage numeri, quæ ſæpe modeſtiæ causâ adhibetur; ut,

——— *& nos aliquod noménque decúſque*
Geſſimus.

Impoſuimus populo, & oratores viſi ſumus. Sic & infrà 36. *dicemus*, id eſt, dicam.

31. *Ecce quaſi ſtatua una grandis*] Nabuchodonoſoro futura Imperia oſtenduntur ſub facie humana, auguſta, grandi, ſplendida; quia ille Imperia magni faciebat & habebat quaſi pro diis ſuis, qui per ſtatuas coli ſolebant. At Danieli infrà eadem apparent ſub ferarum imagine: noverat enim Propheta eſſe omnia iſta Imperia idolatriæ, ac proinde diaboli, inſtrumenta, per quæ tamen, ut & per ipſos diabolos, Deus ſua decreta exſequeretur.

Intuitus ejus erat terribilis] Quia Reges plerique timeri quàm amari magis curant. *Oderint*, ajunt, *dum metuant*.

32. *Hujus ſtatuæ caput*] Pars ſtatuæ quò ſuperior, eò priora, quò inferior, eò ſeriora tempora ſignificat.

Ex auro optimo] Id eſt, maxima cum gloria, infrà 37.

Brachia de argento] Minore cum gloria, infrà 39.

Venter & femora ex ære] Animo invicto. Tale illud:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat.

Et *frons ænea* Eſaiæ XLVIII. 4. id eſt, firma, immobilis.

33. *Tibiæ autem ferreæ*] Violentia quævis obvia frangens, infrà 40.

Quædam autem fictilis] Potentia fragilis, infrà 42.

34. *Donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus*] Exercitus populi qui ſuæ eſſet ſpontis, nullique Regi parêret: cujus populi origo *à monte*, nempe Palatino. Vide Virgilium libro VIII. Æneidos, Livium libro I. Idem *lapis* & *filius hominis*. Geſſit autem in hac re Imperium Romanum non obſcurum typum Euangelii, quod ortum de cœlo ab exiguis initiis in immenſum crevit.

35. *Quaſi in favillam æſtivæ areæ, quæ rapta ſunt vento*] In Chaldæo: *Sicut paleæ de area æſtiva, quas rapit ventus.*

Factus eſt mons magnus, & implevit univerſam terram] Latiſſimum Imperium ſignificatur, infrà 44.

37. *Deus cæli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi*] Splendorem maximum, ità ut res Nabuchodonoſori dicantur rebus Herculis illius antiqui, id eſt, Melcarti, fuiſſe majores. Vide Beroſi & Megaſthenis & Strabonis loca in Annotatis noſtris ad libros de Veritate Religionis Chriſtianæ.

38. *Et omnia in quibus habitant filii hominum*] Loca culta plurima.

Et beſtiæ agri] Deſerta loca Arabiæ & Africæ.

Volucres quoque] Rupes invias, ubi ſolæ volucres ſe tenent.

Et ſub ditione tua univerſa conſtituit] Ingentem tractum ad Herculis uſque columnas. Vide Strabonis locum. Neque id mirum adeò videri debet, cùm eouſque poſtea Reges Sarraceni proceſſerint.

Tu es ergò caput aureum] Tu & ſucceſſores tui ii eſtis qui per *caput aureum* ſignificamini.

39. *Conſurget regnum aliud*] Ex Medis & Perſis coalitum, quæ duo brachia. Cyrus ipſe Medoperſa, Medus è matre, Perſa à patre, unde dictus ἡμίονος [*mulus*]. Duo hæc brachia nominantur Eſaiæ XXI. 2.

Minus te] Minus regno tuo: quia Cyrus & ſucceſſores ejus Africam non tenuerunt.

Et regnum tertium aliud æreum] Quod infrà dicitur *regnum* יון, id eſt, *Græcorum*, Alexandri ſcilicet, qui viribus Græciæ totius ſubnixus Perſas ac Medos ſubegit.

Quod imperabit univerſæ terræ] Nempe ei quam Medoperſæ tenuerant, partim etiam ultrà.

40. *Et regnum quartum erit velut ferrum*] Seleucidarum & Lagidarum *unum* dicitur *regnum*, ſed diviſum tamen, ut ſequitur; unum, quia utraque domus è Macedonia, & fines incerti, belliſque ſæpe turbati.

Comminuet & conteret omnia hæc] Durè tractabit ſubditos, maximè verò Iudæos.

41. *De plantario ferri*] Ortus illis erit ex validis Regibus.

42. *Ex parte regnum erit ſolidum, & ex parte contritum*] Modò hæc pars, modò illa prævalebit. Hæc fuſiùs explicabuntur infrà cap. XI.

43. *Commiſcebuntur quidem humano ſemine*] Id eſt, per nuptias conglutinabuntur. Antiochus, *Deus* à ſuis dictus, Laodicen & Berenicen uxores duxit Ptolemæi Philadelphi filias: teſtis Livius. Et Magas Philadelphi pater Apamen duxit filiam Antiochi, qui Seleuci fuerat filius: quod nos docet Pauſanias in Atticis. Et Antiochus Magnus Cleopatram filiam ſuam collocavit in matrimonium Ptolemæo Epiphani, ut infrà dicemus. Omnia hæc optimè explicavit Polychronius.

Sed non adhærebunt ſibi] Nempe quia, ut ait Tacitus, *dominandi cupido cunctis affectibus flagrantior eſt.* Plutarchus Demetrio: οὕτω τὸν πᾶσι τοῖς Ἀλεξάνδρ διαδόχοις ὄντα συνεχῆ πόλεμον αἱ τῶν πραγμάτων καὶ τῶ τρόπων συνάφειαι περὶ ἐνίους ἐποίουν ἐπιφανέστερον καὶ μᾶλλον ἐξέκαον [*ità bellum illud quod perpetuum fuit inter Alexandri ſucceſſores, rerum & morum confinia in quibuſdam fecere apertius magíſque inflammarunt*].

Sicuti ferrum miſceri non poteſt teſtæ] Sunt enim iſta ἀσύγκλωστα [*inconglutinabilia*].

44. *In diebus autem regnorum illorum*] Stantibus adhuc Syriæ & Ægypti regnis.

Suſcitabit Deus cæli] Cujus eſt excitare, ſervare, ac diruere Imperia, ut ſuprà 37. & infrà IV. 29.

Regnum quod in æternum non diſſipabitur , & regnum ejus alteri populo non tradetur : & ipſum ſtabit in æternum] Imperium Romanum perpetuò manſurum, quod ſedes erit Eccleſiæ. *Eccleſia in Imperio Romano* , ait Optatus , nempe maxima ex parte.

45. *Et comminuit teſtam & ferrum*] Syriam & Ægyptum Romani ſibi ſubjecere.

Et æs] Etiam Macedoniam & Græciam.

Et argentum] Etiam Attali, & Nicomedis, & Mithridatis regna, quæ Cyri fuerant.

Et aurum] Armeniam, Cappadociam, Iberas, Colchos, Albanos, Tyrum, Iudæam, poſſeſſa Nabuchodonoſori. Senſus ſublimior, Chriſtum finem impoſiturum omnibus Imperiis terreſtribus, I Corinthior. XV. 24.

46. *Cecidit ſuper faciem ſuam*] Προσέπεσε, προσέπεσεν, ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον [*accidit , proſtratus eſt, cecidit in faciem*], quæ idem valere diximus in ampliori explicatione Decalogi.

Et Danielem adoravit] *Veneratus eſt*, quomodo loquitur Livius; pari modo quo Eliam aulæ magiſter, II Regum I. 13. Signa enim illa honoris etiam inter homines uſurpabantur : nec indignus eo honore tantus Propheta.

Et hoſtias & incenſum præcepit ut ſacrificarent ei] In Hebræo, *Iuſſit ei offerri* μαναά (id eſt, *libum è ſimila*), *& odores*. Iuſſit quidem, ſed non ſivit id Daniel: eos enim honores Deo, aut iis qui pro diis habentur, mos gentium ſacravit. Ita hîc Iacchiades, & Hebræorum alii.

47. *Loquens ergò Rex*] Inſtitutus ſcilicet à Daniele Deo honorem hujus revelationis deberi.

Deus deorum eſt] Major diis cæteris.

Et Dominus Regum] *Dominus* hîc in Chaldaïco eſt מרא: unde in Ethruria Reges *Murani*, docente id Servio XII. Æneid. Hinc & *Maranatha* , & Syri *Maranitæ*, quòd Chriſtum vocent מראנו *Dominum noſtrum*. Et *Marnas* idolum Gazæ, teſte Hieronymo, qui Euripidi in Bacchis & Nonno in Dionyſiacis Μάρων. Philo in Flaccum, Μάριν ἀποκαλούντων· οὕτως δὲ φασιν τὸν κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις [Marin *appellabant: ſic enim ajunt* dominum *vocari apud Syros*].

48. *Conſtituit eum principem ſuper omnes provincias Babylonis*] In Chaldæo, *ſupra omnem provinciam Babylonis :* erant enim in illo Imperio multæ provinciæ. Chaldaïca vox eſt מדינה [*Medina*, provincia], quam & Arabes uſurpant; unde & multis locis in Hiſpania nomen *Medinæ*.

Et Præfectum magiſtratuum] *Primum præfectum :* quia haud dubiè prima præfectura erat Babylonica.

Super cunctos ſapientes Babylonis] Deeſt *&*. Fecit eum etiam Principem conſilii ſui.

49. *Et conſtituit ſuper opera provinciæ Babylonis Sidrach , Miſach , & Abdenago*] Id eſt, eos ſibi ſubſtituit, Rege volente.

Ipſe autem Daniel erat in foribus Regis] In Chaldaïco, *in porta Regis :* id eſt, in aula, quomodo & Turcæ nunc loquuntur. Quia principem locum tenebat in Conſilio regio, ob id à Rege non diſcedebat, ſed ad res præfecturæ ſuæ peragendas amicorum utebatur operâ.

CAPVT III.

1. F*Ecit ſtatuam*] Regis, ut credibile eſt, Naboponaſſari. Mos enim erat Regum parentes ſuos donare divinis honoribus, cui uſui inſerviebant ſtatuæ.

Auream] Plinius XXXIII. 4. *Aurea ſtatua prima omnium nullâ inanitate , & antequam ex ære aliqua illo modo fieret , quam vocant Holoſphyron , in templo Anaïtidis poſita dicitur.*

Et ſtatuit eam in campo Dura provinciæ Babylonis] Theodotion habet Δεεῖρα [*Deïra*], aut Δεηρᾶ [*Deéra*]· variant enim codices: unde multis creditur deſignari πεδίον Δεηρᾶ [*campeſtre Deéra*], quod in Suſiana ponit Ptolemæus. At alia eſt provincia Suſianes, alia Babyloniæ, & מדינה [q. d. *iuriſdictio ; provincia*] pro toto Imperio ſumere exemplo caret: quare rectiùs arbitror accipere hoc nomen pro eo quod eſt Δούραβα [*Duraba*] Ptolemæo in Babyloniæ deſcriptione, eóque id probabilius quòd *Doraum* hîc poſuerat Symmachus, ut nos docet Hieronymus.

2. *Satrapas*] אחשדרפניא; in ſingulari ἐξατράπην [*Exſatrapen*] dixit Theopompus, ut notavimus ad Matth. XVIII. 10. Alii Σατράπην [*Satrapen*], quam Perſicam eſſe vocem putat Herodotus, & plerique Græci. Ego potiùs ab Aſſyriis eam vocem (ut & eas quæ ſequuntur nihil Chaldaïcum præ ſe ferentes) putem veniſſe primùm ad Chaldæos, deinde ad Perſas. In Perſica aula id nomen habes, nec apud Græcos tantùm, ſed & Eſtheræ IX. 3. Theodotion ὑπάτους [*Conſules*], *Baſſas* interpretatur Iacchiades, ſumtâ voce ex Imperio Turcico; ſicut & ſequentibus nominibus comparat Turcica.

Magiſtratus] סגניא : eſt idem nomen quod ſuprà II. 48. quos *Præfectos* eſſe *provinciarum* ibi diximus: στρατηγοὺς [*Prætores*] Theodotion, *Beglerbeios* dicit Iacchiades.

Et Iudices] פחותא ſunt Theodotioni τοπάρχαι [*Toparchæ*], ut & II Regum XVIII. 24. Eſaiæ XXXVI. 9. Iacchiadæ *Agæ*. Apparet fuiſſe Præfectos minores ſub illis majoribus, Eſdræ V. 3. 14. VI. 6. 13. VIII. 36. Nehem. II. 7. 9. infrà VI. 7.

Duces] אדרגזריא, id eſt, *Scribas decretorum cuſtodes*. Vide quæ ſuprà II. 27. Hi ſunt ἡγούμενοι [*Anteceſſores*] in Græco.

Et tyrannos] גדבריא [*Gedabria*] ſunt *pecuniarum diſpenſatores* , ut apparet ex Chaldaïca verſione Eccleſ. II. 7. Idem munus dicitur גזבר [*Gazbar*] Eſdræ I. 8. & in Chaldaïco fine Eſtheris , & in titulo Thalmudis de Siclis. Nimirum facilè inter ſe mutantur ד & ז: fortè Græca vox eſt γαζοφόροι [*gazophori*, gazarum comportatores]. Theodotion dixit τοὺς ἐπὶ ἐξουσιῶν [*facultatibus impoſitos*]. Iacchiades Turcico more *Dephtardaros*.

Et Præfectos] דתבריא ſunt *Iuriſconſulti*, quibus Iacchiades confert *Alphakios* Turcarum. His addit textus hic Chaldaïcus תפתיא, quos *janitores* interpretatur Saadia, Iacchiades *Doctores legum*.

Omnéſque principes regionum] שלטני ſunt qui non præfecturis aut provinciis ſed urbibus & regionibus ſuburbicariis ſingulis præſunt. Vide ſuprà II. 10. Vox מדינה *regionem* ſignificat, éſtque modò amplior, modò reſtrictior. His *Zangiahos* comparat Iacchiades.

Ad dedicationem ſtatuæ] Voce uſus eſt valde propriâ, pro qua τὰ ἐγκαίνια [*encania*] hîc habet Theodotion. Vide quæ dicta Iohan. x. 22.

3. *Stabant autem in conſpectu ſtatuæ*] In loco unde conſpici ſtatua poterat.

4. *Populis, tribubus, & linguis*] *Gentibus, nationibus, & linguis.*

5. *Sonitum tubæ*] In Chaldæo, *Cornu*, id eſt, buccinæ.

Et fiſtulæ] משרוקיתא à שרק, quod in Chaldæo & Hebræo idem eſt & ſono & re cum Græco συρίζω vel συρίσδω [*fiſtulâ cano*].

Et citharæ] קיתרס, Græca haud dubiè vox κιθάρα [*cithara*]. Iam ante Danielem magnæ & Æolum & Ionum coloniæ in Aſiam deductæ Græcas voces illis in locis ſparſerant.

Sambucæ] Hæc vox eſt Orientis: nam Sambuca Syrorum repertum, teſte Athenæo lib. IV. סבכא, vel שבכא, Dageſch Syrorum more in נ reſoluto, eſt סנבכא: *N* verò ante β Græci in μ mutant. Eſt inſtrumentum mulierum Syrarum, ut nos docent Porphyrio & Suidas. Addit Athenæus τετράχορδον [*quadrichordum*] fuiſſe acuti ſoni.

Et pſalterii] Etiam hæc vox פסנתרין, vel, ut alibi ſcribitur, פסנטרין, planè Græca eſt, λ mutato in נ. Docent nos & Hieronymus & Auguſtinus pſalterium fuiſſe inſtrumentum citharæ non abſimile, niſi quòd illum locum unde ſonum accipiunt, quod *cavamen* dicitur, cithara in parte inferiore, pſalterium in parte ſuperiore habet; percutitúrque pſalterium quidem ſurſum, cithara verò deorſum. Chryſoſtomus: ψαλτήριον τῶν ἐντατῶν μὲν ἦν, πλὴν ὄρθιον καὶ ἄνωθεν εἶχε τῶν φθόγγων τὰς ἀφορμάς [*pſalterium inter inſtrumenta erat quæ fidibus tenentur, ſed rectum & ex ſuperno habens ſonorum origines*].

Et ſymphoniæ] Etiam hæc vox סומפוניה, vel ut infrà סומפניא, merè Græca, συμφωνία. Eſt autem *Symphonia* tibia obliqua, πλαγίαυλος, interprete Servio ad XI. Æneidos. At Iſidorus, *Symphoniam vulgò appellant lignum cavum ex utraque parte pelle extensâ, quod virgulis hinc & indè muſici feriunt; fitque in ea ex concordia gravis & acuti gratiſſimus cantus.* Vbi & cauſam habes hujus nominis.

Cadentes adorate ſtatuam] In Chaldæo, *Procumbite.* Reſpondet Hebræo שחוה, ut Geneſeos XXXVII. 9. 10.

6. *Mittetur in fornacem ignis ardentis*] Pœna non infrequens apud Chaldæos. Vide Ierem. XXIX. 22.

7. *Omnes populi, tribus, & linguæ*] Aliqui ex omnibus Imperii Babylonici populis.

8. *Viri Chaldæi accuſaverunt Iudæos*] Invidentes Iudæis, & ad eos opprimendos aut ſuaſores hujus edicti, aut natæ occaſionis ſeduli aucupes.

12. *Viri iſti contemſerunt, Rex, decretum tuum*] In Chaldæo, *Non poſuerunt, ô Rex, rationem:* id eſt, rationem tui non habuerunt.

Deos tuos non colunt] Nullum deorum quos colit Babylon, nè hunc quidem parentem tuum.

Et ſtatuam auream quam erexiſti non adorant] Oſtendunt hoc, quòd procumbere coram ſtatua nolunt; quod ſignum eſt deum illum tuum invocantis.

13. *In furore & ira*] Præ longa felicitate animi impotens.

14. *Verè nè*] Sic illud הצדא interpretantur, & Theodotio & Abeneſdra, & Saadia: meliùs fortè, *an conſulto?* ut צדה ſit pro Hebræo צדיה. Alii admirantis eſſe putant, quaſi diceret, *Quid hoc portenti?*

15. *Nunc ergò ſi eſtis parati*] *An eſtis parati?*

Et quis eſt Deus qui eripiat vos de manu mea?] Quaſi diceret: Veſter ille Deus, cui fruſtra confiditis, id præſtare non poterit. Confer verba Aſſyrii II Regum XVIII. 30. 33. 34. 35. Erat Nabuchodonoſor ingenio, quaſi Saül, vario ac mutabili in bonum malúmque.

16. *Non oportet nos de hac re reſpondere tibi*] In Chaldæo: *Non ſolliciti ſumus in hac re ad reſpondendum tibi.* Sic Cyprianus ad Proconſulem: *in re tam juſta nulla conſultatio eſt.* Per hæc conſtantiæ exempla homines paulatim ad Euangelicam obedientiam parabantur.

17. 18. *Ecce enim Deus noſter quem colimus poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ô Rex, liberare. Quòd ſi noluerit, notum tibi ſit, ô Rex, quia Deos tuos non colimus*] Meliùs: *Sive Deus noſter, qui potens eſt ad nos de fornace ignita eruendos, è manu tua nos liberet, ſive non, illud, Rex, pro certo habe, nos cultores deorum tuorum non futuros.* ה ſæpe eſt *ſi* aut *ſive.* Spectabant hîc primum præceptum Decalogi.

18. *Et ſtatuam auream quam erexiſti non adoramus*] Non exhibebimus ullum geſtum honorificum coram ſtatua, obſtante Decalogi præcepto ſecundo.

19. *Et aſpectus faciei illius immutatus eſt*] Excanduit.

20. *Viris fortiſſimis de exercitu ſuo*] Id eſt, de prætorianis cohortibus.

21. *Cum braccis ſuis*] In Chaldæo, *Saraballis.* Erant autem *Saraballæ* (quæ corruptè *Sarabara*, aut *Saraba*) non *tibialia*, ut Hieronymus exiſtimat, ſed *mantella*, ut hîc explicat Iacchiades & Abeneſdra. Apparet id titulis Thalmudicis de Synedrio & de Septimanis. Verbum סרבל Chaldæis & Arabibus eſt *obtegere.*

Et tiaris] פטש videtur eſſe idem ſono ac re quod πέτασος [*petaſus*] Græcis, quod non longè abit à tiara. At Abeneſdras & Iacchiades hîc intelligi volunt ſubligaria.

Et calceamentis] כרבלתא eſt *criſta galli*, & ab ejus ſimilitudine omne *id quod capiti imponitur.* Ità Saadia, David Kimchi, & Iacchiades. Alioqui כרבל Hebræis eſt *amicire*, ut apparet I Paralipomenon XV. 27.

Et veſtibus] *Interioribus, quæ ſub mantello*: Ità hîc Iacchiades. לבש ut Hebræis eſt *induere*, ità & Chaldæis, ut patet infrà v. 7.

22. *Nam juſſio Regis urgebat*] Moram non ferebat.

Interfecit flamma ignis] Scintilla exſiliens è fornace. Ea cauſa fuit cur Nabuchodonoſor rem omnem cognoſcendi animo ad fornacem accederet. Hymnus Trium juvenum non eſt in Hebræo: eſt poëma factum à poſteriorum temporum Hebræo aliquo, quaſi rei conveniens.

91. *Compeditos*] Bene ligatos, ut ſuprà 23.

92. *Species quarti ſimilis filio Dei*] Angelica: quomodo LXX hîc verterunt ὁμοία ἀγγέλῳ Θεοῦ [*ſimilis Angelo Dei*]. Vide Iobum 1. 6. Sic Hebræi interpretes.

93. *Tunc acceſſit Nabuchodonoſor ad oſtium fornacis*] Propiùs nempe quàm antè, ut & alloqui illos poſſet.

Servi Dei excelſi] Cultores illius Dei quem antea quoque admiratus fuerat Nabuchodonoſor II.47. אלהא עליא [*Deus ſummus*], ut illic אלה אלהין [*Deus deorum*].

94. *Et magiſtratus*] *Præfecti provinciarum*, ut ſuprà II. 48. III. 2.

Et judices] Præfecti minores: ut ſuprà 2.

Et potentes] הדברי [*Ductores, Gubernatores*]. legitur & infrà IV. 33. & VI. 7. Videtur idem eſſe quod מדברא in Chaldæo Proverbior. XI. 14. & מדברנא in Thalmude titulo de Contractibus. Eſt nomen commune *Magiſtratibus*, quo ſignificantur illi qui pluribus nominibus ſuprà 2.

Contemplabantur viros illos] Nempe cum admiratione.

Et capillus capitis eorum non eſſet aduſtus] Id eſt, nè minimum quidem de corpore. Vide Lucæ XII. 7. & XXI. 18.

Et ſaraballa eorum non fuiſſent immutata] Nè eorum quidem veſtimenta.

Et odor ignis non tranſiſſet per eos] Nihil de fumo olebant.

95. *Et erumpens Nabuchodonoſor ait*] In Hebræo, *Locutus eſt Nabuchodonoſor, & ait*: ut ſuprà II. 16. & 47.

Qui crediderunt in eum] Qui confiſi ei ſunt. Gradus quidam ad Euangelicam fiduciam.

Et verbum Regis immutaverunt] *Mutare*, ut & *ſolvere legem* dicitur qui contra legem facit, Matthæi V. 17. VII. 23. X. 35. Iam tandem æquum judicat Dei legem ſuæ anteferri; juxta illud,

> Οὐ γάρ τί μοι Ζεὺς ἦν ὁ κηρύξας τόδε.
> [*Nec enim mihi iſta Iupiter præceperat.*]

Tradiderunt corpora ſua] Expoſuerunt morti.

Nè ſervirent] Id eſt, ſacrificium facerent: id enim eſt עבר.

Et nè adorarent] Corporis geſtu honorem exhiberent apud imaginem.

Omnem deum] *Vllum deum.*

Excepto Deo ſuo] Opifice cœli & terræ.

96. *Quæcunque locuta fuerit blaſphemiam*] In Chaldæo, *Qui dixerit errorem*: id eſt, qui loquendo peccaverit. Nondum auſus deos Imperii ſui exauctorare, interim, quod non parum eſt, vetat maledici Hebræorum Deo, quem tam potentem cognoverat.

Neque enim eſt alius Deus qui poſſit ità ſalvare] Belus ſuos cultores extra fornacem poſitos ab igne ſervare non potuit; Deus autem Hebræorum ſuos in medio igne incolumes præſtitit.

Diſpereat] *Membratim lanietur.*

Et domus ejus vaſtetur] *In latrinas vertatur.* Eadem pœna & eadem verba quæ ſuprà II. 5.

97. *Tunc Rex promovit Sidrach, Miſach, & Abdenago in provincia Babylonis*] הצלח, id eſt, *opibus & honoribus auxit.*

98. *Nabuchodonoſor Rex*] Rectiùs faciunt qui hæc tria commata connectunt cum ſequentibus, quæ ſunt in capite quarto. Eſt enim hoc edicti ſequentis præfatio. Daniel cùm hiſtoriam Trium juvenum abſolviſſet, aliam hiſtoriam ſanè mirabilem ſubjicit, non ſuis, ſed ipſius edicti publicati verbis, ut de fide nemo dubitaret.

Pax vobis multiplicetur] Id eſt, omnia vobis proſperrima contingant.

99. *Signa & mirabilia fecit apud me*] *Mihi.* Nempe res futuras adeò incredibiles præſignificando.

Deus excelſus] *Summus Deus*, ut ſuprà 93. Ità appellat Deum quem colebat Daniel, & Hebræi.

100. *Regnum ejus regnum ſempiternum*] Nempe expertus iſtud didicerat:

> *Regum timendorum in proprios greges,*
> *Reges in ipſos imperium eſt Iovis.*

CAPVT IV.

1. O*Vietus eram in domo mea*] Devictis gentibus.

Et florens in palatio meo] Magnificentiſſimo, cujus deſcriptionem ex Beroſo habemus.

2. *Viſiones capitis mei conturbaverunt me*] Tale illud:

> *Anna ſoror, quæ me ſuſpenſam inſomnia terrent?*

Et in Octavia:

> *Confuſa triſti proximæ noctis metu*
> *Viſuque, nutrix, mente turbatâ feror.*

4. *Arioli, Magi, Chaldæi, & Aruſpices*] Vide ſuprà II. 2. & 27.

5. *Donec collega ingreſſus eſt*] Ex Chaldaïco verti ſolet *donec tandem ingreſſus eſt*. At אחרין non eſt dubium quin alium ejuſdem ordinis, id eſt, *collegam* ſignificaverit: nam ità verterunt Theodotion, Aquila, Symmachus, teſte Hieronymo, quanquam nunc in Græco ea vox abeſt.

Secundùm nomen dei mei] Beli. Vide quæ dicta 1. 7.

Qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum] Loquitur ut idolololatra. Theodotion tamen vertit πνεῦμα Θεοῦ ἁγίου [*ſpiritus Dei ſancti*], pro quo ἅγιον [*ſanctus*] nunc malè ſcribitur.

6. *Et omne ſacramentum*] Id eſt, *arcanum*, ut ſuprà II. 18.

Non eſt impoſſibile tibi] *Non latet tibi.*

Viſiones ſomniorum meorum, quas vidi, & ſolutionem earum narra] *Et*, poſitum pro *id eſt*: nam ſomnii meminerat, ſed quò id tenderet non intelligebat.

7. *Ecce arbor in medio terræ*] *Arbor* ſecundùm Indos, Perſas, & Ægyptios virum excellentem ſignificat, Achmetes capite CC. Sic apud Ezechielem XXXI, *arbor* eſt Rex Aſſyrius, ſub cujus ſimilitudine ibi intelligitur & Rex Ægyptius.

8. *Proceritas ejus contingens cælum*] — Οὐρανομήκης

[*— proxima cœlo*], quomodo & Græci de celſis arboribus loquuntur.

Aſpectus illius erat uſque ad terminos univerſæ terræ] Herodotus Polymniâ ſimile quid habet, Μετὰ ταῦτα τρίτη ὄψις ἐν τῷ ὕπνῳ ἐγένετο, τὴν οἱ μάγοι ἔκριναν ἀκούσαντες φέρειν τε ἐπὶ πᾶσαν γῆν, δουλεύειν τε οἱ πάντας ἀνθρώπους· ἡ δὲ ὄψις ἦν ἥδε. Ἐδόκεε ὁ Ξέρξης ἐστεφανῶσθαι ἐλαίης θαλλῷ· ἀπὸ δὲ τῆς ἐλαίης τοὺς κλάδους γῆν πᾶσαν ἐπισχεῖν [*Tertium deinde viſum ei ſecundùm quietem obtigit, quo Magi intellecto dixere id ad omnem terram pertinere, ità ut omnes homines ipſi ſervituri eſſent. Erat autem viſum tale: Videbatur Xerxes coronari fronde laurûs; ejus autem laurûs ramos per omnem terram porrigi*].

9. *Eſca univerſorum in ea*] Id eſt, *pro univerſis.*

Subter eam habitabant animalia] Vide ſuprà II. 38.

Volucres cœli] Vide ibidem.

10. *Et ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit*] Etiam hîc *&* poſitum pro *id eſt*. Vox Chaldæa עיר [*Ir*], ut ſcribit Theodotion; LXX ἄγγελον [*Angelum*] vertunt: cæteri ſenſu eodem, ſed propiùs ad vocem ἐγρήγορον [*vigilem*]. Quæ vox eodem ſignificatu eſt in libro Enochi nomen præferente, cujus partem Scaliger notis ad Euſebium inſeruit: eſt autem ejus libri mentio & in Hebræo libro Zoar, & in Pædagogo ſecundo Clementis. Hieronymus hinc nomen habere putat *Irin* deorum nuntiam.

11. *Succidite arborem*] *Arboris exciſio* exſilium ſignificat, Achmetes capite CLI.

12. *Germen radicum ejus in terra ſinite*] Regnum ipſi maneat.

Alligetur vinculo ferreo & æneo] Sit regnum firmum & inconcuſſum, ut quæ ære & ferro tenentur.

In herbis quæ foris ſunt] *Herbis agreſtibus*, ſupple *paſcatur*. Hic miſcetur res ſignificata cum ſigno, ut ſæpe. Vide infrà 22.

13. *Cor ejus ab humano immutetur*] Bruteſcat.

Et ſeptem tempora mutentur ſuper eum] *Tranſeant. Tempora*, id eſt, anni, ut ſemper in hac Prophetia. Eſt loquendi genus Chaldaïcum.

14. *In ſententia vigilum decretum eſt*] Id eſt, majores Angeli hoc conſciverunt. Fingitur enim Deus tanquam Rex agere ex Senatûs conſilio. Confer quod infrà 21.

Et ſermo ſanctorum, & petitio] In Chaldæo, *& in ſermone ſanctorum petitio*: id eſt, minores Angeli jampridem id poſtulant ut rem æquiſſimam. Sequitur in Chaldæo עד דברת, *donec adducatur*, id eſt, donec res ipſa eveniat.

Donec cognoſcant viventes quoniam dominatur Excelſus in regno hominum] *Vt cognoſcant*. Vide infrà 22.

Et cuicunque voluerit dabit illud] Eſſeni: οὐ δίχα Θεοῦ περιγίνεται τὸ ἄρχειν [*non ſine Deo Imperia hominibus obtingunt*]. Homerus,

——— Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι.
[——— *Ab Iove ſummus honos.*]

Poteſtates fato dari eſt in Sexto Aurelio. Adde Auguſtinum libro V de Civit. Dei, cap. 2.

Et humillimum hominum conſtituet ſuper eum] Vt in Iudæa Davidem. Vide 1 Samuel. II. 8.

15. *Narra feſtinus*] In Chaldæo non eſt *feſtinus*: nam totum illud כל קבל די nihil aliud eſt quàm *quia*.

16. *Tacitus cogitare*] Obſtupeſcere, præ rerum quas videbat magnitudine ac diritate. In Græco, ἀπηνεώθη, id eſt, ἐξεπλάγη [*exterritus fuit*], ait Polychronius.

Quaſi unâ horâ] In Chaldæo, בשעת חדא, id eſt, *modico tempore*: nam שעה Chaldæis qualemcunque partem temporis ſignificat.

Somnium & interpretatio ejus non conturbent te] Id eſt, Qualecunque ſit quod intelligis id liberè eloquere.

Somnium his qui te oderunt, & interpretatio ejus hoſtibus tuis ſit] *Hoſtibus eveniat quod portendit ſomnium.* Frequens averſantibus loquendi genus, *Hoſtibus eveniat.* Tale & illud Horatii:

Hoſtium uxores puerique cæcos
Sentiant motus orientis hædi.

In Octavia:

Vt expientur noctis & ſomni minæ,
Terrorque in hoſtes redeat attonitus meos.

19. *Tu es Rex*] Tu is es quem arbor iſta ſignificat.

Magnitudo tua crevit & pervênit uſque ad cœlum] Ad ſumma montium juga.

Et poteſtas tua in terminos univerſæ terræ] Ad mare Caſpium, ad pontum Euxinum, ad Oceanum Atlanticum.

21. *Quæ pervênit ſuper dominum meum Regem*] Triſtitiam rerum lenitate verborum quantum poteſt temperat.

22. *Ejicient te ab hominibus*] Id eſt, *ejicieris*. Sic mox ubi Latinus *infundêris*, in Chaldæo eſt *tingent*, in Græcis quibuſdam βαφήσεται [*tingetur*]. Hoc eſt illud ipſum quod de Nabuchodonoſoro dixit Megaſthenes, παραχρῆμα ἠφάνιστο [*ſubitò inconſpicuus factus eſt*].

Cum beſtiis feriſque erit habitatio tua] Etiam aliis ex atra bile id contigit ut cum feris vellent vivere.

Fœnum ut bos comedes] *Herbam*: id enim עשבא.

Et rore cœli infundêris] Nudus ſine lare ac tecto.

23. *Regnum tuum tibi manebit*] Non eligetur Rex alius te vivente, & regiam poteſtatem recuperabis.

24. *Peccata tua eleemoſynis redime*] פרק Chaldæum reſpondet Hebræo פדה, quod hîc in interpretatione poſuit Iacchiades. Apparet id II Samuel. IV. 9. Eſaiæ XXXV. 9. Num. III. 49. XVIII. 15. & alibi ſæpe. Quare optimè vertit Theodotion λύτρωσαι [*redime*]. Neque offendere quenquam debet quòd operibus pœnitentiæ, in quibus excellunt ἐλεημοσύναι [*eleemoſynæ*, id eſt *miſericordiæ opera*], tribuatur id quod pœnitentiæ propriè convenit: eſt enim talis μετωνυμία [*tranſnominatio*] aut συνεκδοχὴ [*comprehenſio*] perfrequens, de qua diximus ad Lucæ XI. 41. Chryſoſtomus ſecundâ ad Theodorum pro λύτρωσαι [*redime*] citat καθάρισον [*purga*], ſenſu eodem. Objicit hîc Hieronymus: *Si prædixit ſententiam Dei, quomodo hortatur ad eleemoſynas & miſericordias pauperum, ut Dei ſententia commutetur?* Reponit autem exemplum Ezechiæ & Ninivitarum, & dictum illud Ieremiæ XVIII. additque, *Neque enim Deus hominibus, ſed vitiis iraſcitur, quæ cùm in homine non fuerint, nequaquam punit quod mutatum eſt.*

Forſitan ignoſcet Deus delictis tuis] הן [*ecce*] pro [*ſi, utrùm*] Hebræo ponitur, & rectè hîc vertitur per *forſitan*. Theodotion, ἴσως ἔσται μακρόθυμος [*fortè erit patiens*]· & ſic citat Chryſoſtomus. Non erat certus Daniel de venia, ſed nec deſperabat omnino; quomodo & Petrus ſe geſſit in negotio Simonis Magi, Actorum VIII. 22.

26. *Poſt finem menſium duodecim*] Cenſent Hebræi, quos ſequitur Hieronymus, Nabuchodonoſorem, ſecutum conſilium Danielis, per opera miſericordiæ id conſecutum ut pœna per duodecim menſes ſuſpenderetur; verùm tunc iterum inſoleſcente ipſius animo, nihil ultrà moræ ipſi datum, ſed præſtò fuiſſe pœnam.

In aula Babylonis deambulabat] Abydenus: ἀναβὰς ἐπὶ τὰ βασιλήϊα [*cùm in regiam aſcendiſſet*].

27. *Reſponditque Rex, & ait*] *Locutus eſt, & dixit*. πλεονασμὸς [*abundantia ſermonis*], qualis ſuprà aliquoties. Nam ענה non de *reſponſione* utique, ſed de quavis *locutione* dicitur.

Nónne hæc eſt Babylon magna quam ego ædificavi?] Veteri addidi urbem novam; ſingulis terna circumjeci mœnia, portas magnificas. Vide Beroſi locum.

In robore fortitudinis meæ] *Vi opum mearum*. Id enim חסן.

Et in gloria decoris mei] Ad gloriam nominis mei.

28. *Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore Regis*] Παραχρῆμα [*illico*], ait Abydenus.

Vox de cœlo ruit] Κατεσχέθη θεῷ ὅτεῳ δή [*à deorum aliquo occupatus fuit*], Abydenus.

Regnum tuum tranſibit à te] *Abibit abs te*. *Regnum*, id eſt, regni functio.

30. *Eâdem horâ*] Id eſt, illo ipſo tempore.

Capilli ejus in ſimilitudinem aquilarum creſcerent, & ungues ejus quaſi avium] Senſus eſt, Plurimùm excreviſſe ei capillos, barbam & ungues; quia nemo aderat qui reſecaret, nec ipſe de iis reſecandis cogitabat, amans ob atram bilem ferarum ſimilitudinem.

31. *Oculos meos ad cœlum levavi*] Deum cœli precatus ſum. Vide de hac locutione Ezech. XVIII. 6. Adde quæ ad Lucæ XVI. 23.

Et ſenſus meus redditus eſt mihi] Plenus mentis uſus.

Et Altiſſimo benedixi] Illi ſummo Deo cœli terræque opifici, quem Hebræi colunt, ſupplex egi gratias.

Quia poteſtas ejus, poteſtas ſempiterna] Non temporaria ac mutabilis, ut Regum.

Regnum ejus in generationem & generationem] Idem ſenſus qui præceſſit, verbis aliis.

32. *Et omnes habitatores terræ apud eum*] Si ipſi comparentur.

In nihilum reputati ſunt] *Pro nihilo habendi ſunt*. Nam & participia talia per præteritum, quod & præſentis vim habet, exprimunt Hebræi & Chaldæi.

Iuxta voluntatem enim ſuam facit] Id eſt, Quidquid efficete vult id efficit, Pſal. CXV. 3.

Tam in virtutibus cœli] Per illos vigiles, ἐγρηγόρους· nam ב hîc, ut ſæpe, eſt *per*.

Quàm in habitatoribus terræ] Per homines etiam domeſticos.

Et non eſt qui reſiſtat manui ejus] Potentiæ ejus immenſæ.

Et dicat ei, Quare feciſti?] Qui jus habeat ipſum ad rationes vocandi, Romanor. IX. 20.

33. *In ipſo tempore ſenſus meus reverſus eſt ad me*] Senſus ille *communis* qui dicitur, mentis uſus. In Chaldæo, מנדעי, id eſt, *vis cognitrix*: αἱ φρένες μου [*prudentiæ meæ*], Theodotioni.

Et ad honorem regni mei decorémque perveni] Id eſt, ad functionem regni. Bene הדרי Hieronymus accepit pro הדרית, aut הדרת, Chaldaïco verbo primæ perſonæ per apocopen uſitatam. Theodotion non minùs bene, ἐπὶ τὴν βασιλείαν μου ἐκραταιώθην [*in regnum meum ſtabilitus ſum*].

Et figura mea reverſa eſt ad me] Ità & in Græcis, ἡ μορφή μου ἐπέστρεψεν ἐπ' ἐμέ [*forma mea mihi rediit*]· nec aliter ſumitur זיו [*forma*] infrà v. 10. Iacchiades exponit אור פני [*lux faciei*]. Solent enim quibus atrâ bile mens eſt percita etiam oculis & vultu toto præferre morbum. Pacuvius:

Sed quid oculis rabere viſa eſt derepente ardentibus?

Plautus, Captivis:

Viden' tu illi maculari corpus totum maculis luridis?
Ità bilis agitat hominem.

Et Optimates mei] הדברי [*Ductores mei*], eſt nomen commune *Magiſtratibus*, ut diximus ſuprà III. 27.

Et Magiſtratus mei] In Chaldaïco רברבני [*magni magnorum*]: Theodotioni μεγιστᾶνες [*Megiſtanes*], ut hîc, ità v. 1. 2. 9. 23. VI. 17. Fuere hi Ordinum delegati, quos in talibus rebus adhibere mos eſt.

Requiſierunt me] Pertæſi πολυκοιρανίας [*multitudinis Dominorum*], & indè ſequentis ἀναρχίας [*diſſolutionis Imperii*].

Et in regno meo reſtitutus ſum] Simile quid evênit in Francia Ludovico Pio.

Et magnificentia amplior addita eſt mihi] Μεγαλωσύνη [*majeſtas*]. Major fuit mea quàm antè apud meos auctoritas ex hoc tanto Dei in me beneficio.

34. *Regem cœli*] Illum quem alibi dixit *Deum deorum & Deum ſummum*.

Quia omnia ejus opera vera] Id eſt, *recta*: ità enim ſæpe קשט [*verum*] ſumitur apud Chaldæos, & אמת apud Hebræos.

Et viæ ejus judicia] Omnes actiones ejus juſtiſſimæ.

Et gradientes in ſuperbia] Qualis ob fortunam diu blandientem fuerat Nabuchodonoſor. Vide ejus χαρακτηρισμὸν [*notationem*] ſuprà II. 5. 12. & III. 6. 19. IV. 7.

Poteſt humiliare] *Deprimere*: Oſtendit id ſcilicet admirando ſpecimine.

Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει.
[*Perfacilè elatum minuit.*]

Chæremon:

Ὅλως τὸ κρεῖσσον οὐκ ἐᾷ μέγα φρονεῖν
[*Vis major eſſe nos ſuperbos non ſinit.*]

Sophocles Ajace:

Τὰ γὰρ περισσὰ κἀνόνητα σώματα
Πίπτειν βαρείαις πρὸς θεῶν δυσπραξίαις
Ἔφασχ' ὁ μάντις, ὅστις ἀνθρώπου φύσιν
Βλαστῶν, ἔπειτα μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονῇ.
[*Immenſa molis otioſa corpora*
Cœleſtis iræ facilè proſterni ictibus

Vates canebat, ſiquis humano ſatu
Creatus animos homine majores gerat.]

CAPVT V.

1. B*Altaſar Rex*] בלשאצר, id eſt, *Belus eſt cujus opes.* Id eſt, in Beli poteſtate ſunt opes & Imperia. Græci ש in τ mutant, ut & ipſi Chaldæi ſæpe: itaque ſcribunt Βαλτάσαρ. Talia nomina aſſumebant ad Imperium evecti, cùm in minore fortuna aliis appellarentur. Hic autem *Baltaſar*, qui in ipſa urbe Babylone à conjuratis interfectus eſt, non poteſt alius eſſe quàm *Laboroſoarchodus*, ut ſcribit Beroſus, ſive *Laboroſſoaraſcus*, ut ſcribit Abydenus, qui ambo eum vi interfectum memorant. Breve oportet regnum habuerit, quia omittit ejus nomen Ptolemæus. Daniel Evilmeraduchi & Neriglaſſaris tempora tranſilit, quòd per ea nihil contigiſſet ad Iudæos in pietate confirmandos pertinens. Fuit autem Laboroſoarchodus Nabuchodonoſoris nepos, ſed ex filia, ut ex Beroſo & Abydeno diſcimus. Vide Ieremiam XXVII. 6. 7. & ibi dicta.

Fecit grande convivium] Solebant id interdum facere Reges Orientis, ut apparet ex Herodoto libro I. & Xenophonte libro VII.

Optimatibus ſuis mille] Qui eâdem quidem in aula, ſed ſeorſum à Rege diſcumbebant. Statius de Domitiani epulo:

Hic cùm Romuleos proceres, trabeatáque Cæſar
Agmina mille ſimul juſſit diſcumbere menſis.

Vide carmen totum, ut hujus rei imaginem capias.

1. 2. *Et unuſquiſque ſecundùm ſuam bibebat ætatem. Præcepit ergò jam temulentus*] Longè hæc abeunt à Chaldaïco. Theodotion verba ſenſúmque bene ſequitur: ϗ κατέναντι τῶν χιλίων ὁ οἶνος· ϗ πίνων Βαλτάσαρ εἶπεν ἐν τῇ γεύσει τοῦ οἴνου [*& vinum coram illis mille. Et bibens Baltaſar dixit cùm vinum guſtaſſet*]. Senſus eſt, Cuique mille convivarum antepoſitum fuiſſe poculum & hominem qui petenti vinum infunderet: ità poſcente more regionis. Deinde inter potandum Regi magìs magíſque allubuiſſe vinum.

2. *Vt adferrentur vaſa aurea & argentea*] In uſus profanos, cùm antehac in Beli templo aliquam adhuc ſanctimoniam retinuiſſent, ut notat Hieronymus. Quod tunc piaculum fuit, ſacra profanare, nunc & Principum & profanorum luſus eſt. Et adhuc quærimus cur bellis tam atrocibus vaſtitas paſſim fiat.

Quæ aſportaverat Nabuchodonoſor pater ejus] Id eſt, avus, ut hîc rectè notat Iacchiades. Sæpe ità loquuntur Chaldæi & Hebræi, quomodo & nepotes & pronepotes *filios* vocant.

4. *Et laudabant deos ſuos aureos & argenteos, æreos, ferreos, ligneóſque & lapideos*] Ità vocantur dii illi, quia ipſi revera non exiſtebant, ſed tantùm eorum imagines. Tamen his diis gratias laudéſque canebat Rex & Proceres, de Deo vero quaſi triumphantes.

5. *In eadem hora*] Id eſt, in eo ipſo tempore.

Apparuerunt digiti quaſi manûs hominis] *Movente eos digitos Angelo Gabriele*: ità Rabbinus Solomo.

Scribentis contra candelabrum] *E regione lychnuchi*, penſilis ſcilicet, qui proximè Regem erat; quò rectiùs ſcriptio conſpiceretur.

In ſuperficie parietis] In Chaldæo, *in calce*: id eſt, in tectorio, ἐπὶ τὸ κονίαμα, ut Theodotion.

Et Rex aſpiciebat articulos manûs ſcribentis] In Chaldæo, *palmam*. Vide I Regum XVIII. 44. intellige autem partem palmæ averſam.

6. *Tunc facies Regis commutata eſt*] *Vultus*, ut ſuprà IV. 33.

Et compages renum ejus ſolvebantur] Id eſt, urina defluebat.

Et genua ejus ad ſe invicem collidebantur] Præ tremore.

7. *Vt introducerent Magos*] Sophos.

Et aruſpices] Potiùs, *decretorum ſcriptores*. Vide ſuprà II. 27.

Quicunque legerit ſcripturam hanc] Credunt Hebræi, quamvis verba ſint Chaldaïca, ſcripturam fuiſſe Hebræam veterem, id eſt, Cananæam, Phœniciam, Samaritanam.

Purpurâ veſtietur] Quâ utebantur ſoli Reges, & pauci quibus id Rex pro ſingulari honore conceſſerat.

Et torquem auream habebit in collo] Magnus & hic honor. Vide Geneſeos XLI. 42. *Qui ſomniavit torquem ſe gerere, maximam dignitatem conſequetur*, ait Achmetes. Dicitur hîc *torques* in Chaldæo מונכא, quod μανιάκην ſcribunt Polybius & Plutarchus.

Et tertius in regno meo erit] Tertiam dignitatem obtinebit, ut infrà 16. 29. Primus locus Regis, alter filii Regis, tertius primi Satraparum.

10. *Regina autem*] *Avia Regis*, ut rectè Ioſephus; Nitocris ſcilicet, prudens femina. Vide noſtra ad tertium Annotatorum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Domum convivii ingreſſa eſt] Neque enim convivio interfuerat ob viduitatem.

11. *Qui ſpiritum Deorum ſanctorum habet in ſe*] Vſurpat ipſa verba, quæ ex marito quondam ſuo Nabuchodonoſoro intellexerat, IV. 5.

In diebus patris tui] Avi, ut ſuprà.

Et in diebus patris tui ſcientia & ſapientia inventa ſunt in eo] In Chaldæo, *Lux & intelligentia & ſapientia par deorum ſapientiæ inventa eſt in eo. Lux*, ſpiritus lucidus, ἀγχίνοια [*perſpicacia*]. *Intelligentia*, rerum naturalium; *ſapientia*, ad res agendas.

14. *Ampliores*] Quàm in ullo ſapientum Orientis, Ezech. XXVIII. 3.

16. *Et ligata diſſolvere*] *Nodos*, in Chaldæo. Sic Oedipus apud Senecam:

Nodoſa ſortis verba, & implexos dolos
Ac triſte carmen alitis ſolvi feræ.

17. *Munera tua ſint tibi, & dona domûs tuæ alteri da*] Quæ hîc *dona* vertit, propriè ſunt *honoraria, erogationes annuæ*, ut dictum ſuprà II. 6. Sapientis & hoc eſt, noſſe quando acceptanda ſint quæ dantur, quando non. Vide Geneſ. XIV. 23. II Reg. V. 16. 26. Non erat cur Daniel tam triſtis nuntii præmium acciperet.

18. *Regnum*] Imperium latiſſimè patens.

Magnificentiam] Majeſtatem apud ſubditos.

Gloriam] Ex victoriis.

Honorem] Ex urbe aucta, ſtructis mœnibus, templo, palatio.

19. *Vniverſi populi, tribus, & linguæ tremebant, & metue-*

metuebant eum] Etiam qui ſub Imperio ejus non erant eum metuebant.

Quos volebat percutiebat] מחא quidem Hebræis eſt *percutere*, ſed rectiùs ſentire videntur qui מ hîc putant eſſe participii notam, & deeſſe י poſt ח, ut ſæpe. Eſt enim oppoſitio, *Quos volebat interficiebat, & quos volebat vivificabat:* id eſt, vivos conſervabat etiam mortem meritos. Nemo erat qui voluntati ejus auderet obſiſtere.

20. *Quando autem elevatum eſt cor ejus*] Suprà 11. 27.

22. *Non humiliaſti cor tuum*] Sub Deo vero.

23. *Vaſa domûs ejus*] Ex Templo Hieroſolymitano deportata.

Vinum bibiſti in eis] Tanquam in profanis. Meliùs cavit ſibi Iuſtinianus, qui vaſa Templi ſecundi à Veſpaſiano Romam portata, à Genſerico Romæ expilatore Carthaginem, cùm per victoriam nactus eſſet, non in ſuos vertit uſus, ſed in ſacram baſilicam miſit quæ erat Hieroſolymis, narrante Procopio.

Deos quoque argenteos & aureos, & æreos, ferreos, ligneos, & lapideos, qui non vident, neque audiunt, neque ſentiunt laudaſti] Ea quæ nihil ſunt, niſi quantum hominibus lubet.

Porrò Deum qui habet flatum tuum in manu ſua, & omnes vias tuas] Deum illum qui non modò omnes actus tuos proſperare poteſt, aut evertere, verùm etiam ſpiritum ipſum vitalem tibi auferre ubi voluerit.

Non glorificaſti] Λιτότης [*Extenuatio*]. Nam & contemſerat eum Baltaſar.

24. *Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manûs*] *Palma manûs*, ut ſuprà 5.

25. *Hæc autem eſt ſcriptura quæ digeſta eſt*] *Exarata eſt.* Idem verbum infrà VI. 10. 12. Vſurpant eam & Arabes.

Mane, Tecel, Phares] Eſt in Chaldæo: *Mene, mene, Thekel, Vpharſin.* Mox tamen pro *Vpharſin* eſt *Phares*, id eſt, ſingulare pro plurali, ſenſu eodem. In Græco utrobique Φαρές.

26. *Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud*] Id eſt, perfectiſſimè numeravit, quod bis repetitum *Mene* ſignificat. Dies regni tui definivit.

27. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*] Cauſa cur tam breve futurum ſit tibi regnum, eſt, quòd in lance Divinæ æquitatis repertus ſis improbus, ut nummi adulterati.

28. *Diviſum eſt regnum tuum*] Id eſt, avulſum à domo tua: *fractum*, ut Saadia & Iacchiades vertunt, id eſt, abruptum. Eſt autem in illo *Pharſin* duplex ſignificatio: nam & *abruptum* ſignificat, & ipſos *Perſas* qui abruperunt. Perſæ enim Chaldæis *Phars*, vel *Pharas*; *Pharuſi* olim, teſte Plinio.

Et datum eſt Medis & Perſis] *Dabitur*, ſub Cyro. Vide Ieremiæ XXV. 25. ubi Perſæ dicuntur עילם ab Elymaide, quæ Perſidi annexa quà Mediam verſus porrigitur, teſte eodem Plinio VI. 26. Impletum hoc annis pòſt ſeptendecim. Adeò autem coaluerunt duo iſti populi in gentem unam ut paſſim apud Græcos reperias *Medos* pro *Perſis* dici, & μηδίζοντας [*Medizantes*] eos qui Perſis ſtudebant.

29. *Tum jubente Rege indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt torques aurea collo ejus: & prædicatum eſt de eo quòd haberet poteſtatem tertius in regno ſuo*] Recuperavit dignitatem quam olim ſub Nabuchodonoſoro habuerat. Ità Rex Baltaſar homini gratiam habuit, non & Deo; ut hîc notat Hieronymus.

30. *Eâdem nocte interfectus eſt*] Ὑπὸ τῶν φίλων ἀπετυμπανίσθη [*ab amicis trucidatus eſt*], ait Beroſus. Abydenus: τούτου δὲ ἀποθανόντος βιαίῳ μόρῳ [*ubi is mortuus morte violentâ*].

31. *Et Darius Medus ſucceſſit in regnum*] *Suſcepit regnum*; παρέλαβε τὴν βασιλείαν, id eſt, *regnum adeptus eſt:* quod & infrà IX. 1. המלך, id eſt, *Rex fuit conſtitutus*, electione populi, noménque ſibi ſumſit *Darii*, cùm *Nabonnedus* antè vocaretur. Ità enim eum appellat Beroſus. Ptolemæo ſcribitur *Nabonadius*, Abydeno *Nabannidachus*, Herodoto *Labynitus*, *n* mutato in *l*, quod & in aliis nominibus reperitur. Habitabat quidem is Nabonnedus Babylone, ſed Medus fuit origine, infrà IX. 1. Namque is eſt Medus qui prodidiſſe cives, id eſt, Babylonios, dicitur in oraculis: non falsò. Nam ad Cyri adventum fugit Borſippa, ibique cum Cyro pepigit ut præfecturam haberet Carmaniam. *Darius* ergò nomen fuit Regis Medorum clari ac felicis, cujus nomen ſibi boni ominis cauſâ impoſuit, ortus & ipſe ex Medis Nabonnedus. Ioſepho magna fides haberi debet in rebus Herodis magni, ac deinceps. Item ubi externos auctores, non ubi Iudæos, multa in hiſtoriis contra verum ſomniantes, ſequitur.

CAPVT VI.

1. PLacuit Dario, & conſtituit] Id eſt, *conſtituere.*

Super regnum Satrapas centum viginti] Solent ſæpe Reges, ut & Romani Imperatores, pro ſuo arbitratu mutare numerum provinciarum.

2. *Et ſuper eos Principes tres*] Quales fuere in poſteriore Imperio Romano Præfecti prætorio. In Chaldæo hi dicuntur & hîc & infrà סרכין, id eſt, ἔξαρχοι [*Exarchi*]. Eſt eadem vox de Ioſepho Geneſeos XLV. 41. in Ionathanis verſione.

Ex quibus Daniel unus erat] Loco principe, ut oſtendunt ſequentia.

Et Rex non ſuſtineret moleſtiam] Ex Græco: ὅπως ὁ βασιλεὺς μὴ ἐνοχλῆται [*ne Regi moleſtia exhiberetur*]. At Chaldæa vox magìs ſignificat, *nè Rex damnum pateretur:* id eſt, nè quid detrimenti acciperet Imperium per perfidum dolum aut culpam.

4. *Porrò Rex cogitabat conſtituere eum ſuper omne regnum*] Vt etiam ei ſubeſſent alii illi prætorio Præfecti, eſſetque Regi τὰ πάντα [*omnia*], quales multos eſſe & noſtra & ſuperiora ſecula viderunt apud Reges aut parum fidentes ingenio ſuo, aut fugientes negotiorum.

Vnde Principes & Satrapæ quærebant occaſionem] Livor enim in aulis regnat.

Ex latere Regis] Id eſt, quærebant crimen majeſtatis, quod *ſæpe eſſe ſingulare & unicum eorum qui crimine vacarent*, ait in Panegyrico Plinius. Hoc eſt quod Romanogræci dicunt ἔγκλημα βασιλείας [*crimen regni*].

Nullámque cauſam & ſuſpicionem invenire potuerunt] Nè in ſpeciem quidem reperiri quicquam poterat: tanta erat ejus & fides & exiſtimatio.

5. *Niſi fortè in lege Dei*] Quærendum eſt crimen læſæ religionis, ubi majeſtatis deficit. Hieronymus ad hunc locum: *Felix converſatio in qua inimici nullam reperiunt occaſionem, niſi fortè in legitimis Dei.*

6. *Tunc Principes & Satrapæ ſurripuerunt Regi*] Scriptum puto fuiſſe ab Interprete *ſubrepſerunt.* Ea enim vox huic loco propria. At Chaldæa vox non tam hoc ſignificat quàm *concurſum facere.*

7. *Vt decretum imperatorium exeat*] In Chaldæo, *Edictum regium.* Theodotio, ϛῆσαι ϛάσει βασιλικῇ [*conſtituere conſtitutione regiâ*]. In quo videtur reſpexiſſe vocem Romani Imperii, quæ eſt *Conſtitutio.*

Et edictum] In Chaldæo, *& confirmare obligationem.* Græcè ἐνισχύσαι ὁρισμὸν [*firmare definitionem*], id eſt, *facere legem ſacratam*, ut Romani loquebantur, *perpetuam, immutabilem*; quam ad rem certa forma requirebatur. Non erat autem is mos apud omnes gentes.

Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque Deo & homine uſque ad triginta dies, niſi à te, Rex] Speciem habebat hoc conſilium quaſi poſt id majeſtas Regi conciliaretur amplior, ſi vivus jam diis æquaretur. De Auguſto Horatius:

> *Præſenti tibi maturos largimur honores,*
> *Iurandáſque tuum per nomen ponimus aras.*

Virgilius:

> *Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius aram*
> *Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.*

Et in Georgicis:

> *In medio mihi Cæſar erit, templúmque tenebit.*

Mittatur in lacum leonum] גב Chaldæis, Hebræis, & Arabibus eſt omne *depreſſum & cavum*, ut *puteus, ciſterna, fovea.* Fuit autem cavum hoc tam profundum ac præceps ut indè aſcendere leones nequirent. Feris homines objicere vetus eſt. Oſtendunt id fabulis mixtæ hiſtoriæ de Andromede, de Diomede Thraciæ.

8. *Nunc itaque Rex confirma ſententiam*] *Obligationem*, ut modò 7.

Et ſcribe decretum] *Et obſigna ſcripturam*: nempe non tuo tantùm ſigillo, ſed & Procerum, quibus id jus a Regno tributum eſt.

Vt non immutetur quod ſtatutum eſt] In Chaldæo eſt tantùm *ut non ſit mutabile.*

A Medis ac Perſis, nec prævaricari cuiquam liceat] In Chaldæo: *Secundùm morem Medorum & Perſarum* (in facienda lege) *quæ non pereat.* Babylonii morem talem faciendi leges nè à Rege quidem mutabiles non habebant, ſed habebant eum antiquitus Medi & Perſæ, & diu retinuere, ut oſtendimus ad Eſtherem I. 19. ubi verba ſunt his paria. Indè ergò adulatores iſti exemplum petunt, ſatis callidè apud Regem è Medis ortum. Videtur hunc ſenſum bene percepiſſe Iacchiades.

9. *Porrò*] *Propterea*: eſt in Chaldæo כל קבל דנה.

Propoſuit edictum, & ſtatuit] In Chaldæo, *Exaravit ſcripturam & obligationem*: id eſt, ſanctionem illam additam, juxta dictum morem. רשם [*exaravit*] hîc & in commate ſequente eſt idem verbum quod ſuprà v. 24.

10. *Id eſt, conſignatam legem*] Exaratam ſcripturam.

Ingreſſus eſt domum ſuam, & feneſtris apertis in cœnaculo ſuo] Ἐν τοῖς ὑπερῴοις [*in locis domûs ſupernis*]. id enim עליה Hebræis, & עלית Chaldæis. Fecit omnia ut erat ſolitus, quaſi edictum ad ſe, utpote Iudæum, ut Rex ipſe nôrat, non pertineret.

Contra Ieruſalem] Obverſâ ad Templum facie, qui mos videtur natus ex verbis Solomonis I Regum VIII. 48.

Tribus temporibus in die] Id eſt, tertiâ, ſextâ, & nonâ, quem morem ſecuti & Chriſtiani. Diximus ea de re ad Matth. XXVII. 45. Hieronymus in Commentario ad hunc locum, *Tria autem ſunt tempora quibus Deo flectenda ſunt genua. Tertiam horam, ſextam, & nonam Eccleſiaſtica traditio intelligit. Denique tertiâ horâ deſcendit Spiritus Sanctus ſuper Apoſtolos. Sextâ volens Petrus comedere, ad orationem aſcendit in cœnaculum. Nonâ Petrus & Iohannes pergebant ad Templum.*

Flectebat genua ſua] Qui mos orantium in luctu aut periculo. Vide quæ dicta ad Matth. VI. 5.

Et adorabat] *Orabat*, id enim מצלא [*Metzalla*]: Vnde hæretici *Maſſaliani* à continuis *precibus.*

Confitebatúrque coram Deo ſuo] Id eſt, *Deo laudes dicebat*; id enim eſt מודא.

11. *Curioſiùs inquirentes*] In Chaldæo: *Concurſantes*, ut ſuprà 6.

12. *Verus eſt ſermo*] *Firmus*, in Chaldæo: id eſt, manebit quod dixi.

Iuxta decretum Medorum atque Perſarum quod prævaricari non licet] *Non minùs quàm illas leges Perſarum & Medorum quæ dicuntur immutabiles.* Ità hîc Iacchiades optimè.

13. *Daniel de filiis captivitatis Iudæ*] Quaſi diceret, *Et externus & bello captus*, quales maximè decet modeſtia.

14. *Contriſtatus eſt*] Preſſus hinc legis neceſſitate, indè viri reverentiâ.

Poſuit cor ut liberaret eum] In Chaldæo, שם בל, *poſuit curam*: nam ſic بالي Arabes uſurpant.

Laborabat ut erueret eum] Specie aliquâ juris.

15. *Intelligentes Regem*] In Chaldæo, *Concurſu ad Regem facto.*

Scito, Rex, quia lex Medorum & Perſarum eſt, ut omne decretum quod conſtituerit Rex, non liceat immutari] Verte: *Scito, Rex, tale eſſe jus Medis ac Perſis, ut omnis obligatio, ſi eam Rex conſtituerit, mutari nequeat. Obligatio* hîc eſt, ut ſuprà, conſenſus Procerum à Regno in id delectorum, cui ſi accederet Regis auctoritas, jam jus illud ſecundùm Perſas & Medos (quorum exemplum in hac re ſecuti fuerant) erat immutabile.

16. *Deus tuus quem colis ſemper*] Etiam contra humanas leges. Hîc laudat quod vetuerat, ut ſuprà Nabuchodonoſor III. 95.

Ipſe liberabit te] *Liberet te.* Eſt optatum. Spem hanc conceperat Rex ex Trium juvenum liberatione.

17. *Allatúſque eſt lapis unus, & poſitus eſt ſuper os laci*] Hæc omnia res Chriſti obumbrant, ut diximus ad Matth. XXVII. 60. & 66.

Obſignavit Rex annulo ſuo, & annulo Optimatum ſuorum] Nempe quomodo & decretum ipſum ſignatum fuerat.

Nè quid fieret contra Danielem] Imò, *nè immutaretur quod decretum erat de Daniele.* Sic enim textus Chaldaïcus.

18. *Dormivit incœnatus*] Vt in gravi luctu fieri ſolet.

Cibíque non ſunt allati coram eo] *Cantus muſici adducti ad eum non fuere.* Ità Rabbi Saadia, quem ſequitur Iacchiades. Putant enim דחון literâ tranſpoſitâ dictum pro חדון [*lætitia*].

Inſuper & ſomnus receſſit ab eo] *Fugit ab eo:* ut valdè anxiis aut mœſtis ſolet evenire.

19. *Tunc Rex primo diluculo conſurgens*] In Chaldæo: *Tunc Rex manè ſurgens ſimulátque illuxerat.*

20. *Serve Dei viventis*] Non imaginariorum deorum, quales nos quotidie facimus. Sic ab idololatris veri confeſſionem ſæpe Deus exprimit.

21. *Rex, in æternum vive*] *Vivas diu.* Ità enim לעלמין [*in ævum*] apud Chaldæos, & ſimiles voces apud Hebræos ſæpe ſumuntur.

22. *Deus meus miſit Angelum ſuum*] Vnum ex illis vigilibus; ſuprà IV. 14.

Et concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi] Vide 1 Maccab. II. 60. Hebr. XI. 33. Simile quid evênit Malcho, narrante Hieronymo, & Afris Chriſtianis in perſecutione Hunerici, teſte Victore.

Quia coram eo juſtitia inventa eſt in me] Quia Deum colui ſicut juſtum & æquum eſt.

Et coram te, Rex, delictum non feci] Nulla in re tua læſi commoda. Exhibui tibi omnem fidem intra limites ſacræ diſciplinæ.

23. *Quia credidit Deo ſuo*] *Confiſus eſt Deo*, quomodo hic Iacchiades. Ingens fidei præmium, & ad Euangelium quædam præparatio.

24. *Et filii, & uxores eorum*] Vt participes ſævi conſilii.

Et non pervenerunt ad pavimentum laci] *Ad fundum.*

Donec arriperent eos leones] *Cùm arripuere eos leones.* Tanta eorum erat fames.

25. *Tunc Darius Rex ſcripſit univerſis populis*] Vt olim Nabuchodonoſor III. 98.

26. *Tremiſcant & paveſcant Deum Danielis*] Id eſt, nè ei maledicant, ut ſuprà III. 96.

Et regnum ejus non diſſipabitur, & poteſtas ejus uſque in æternum] Vt ſuprà III. 100.

27. *Ipſe liberator atque ſalvator*] *Ipſe eruit ac liberat*, nempe quoſcunque vult, ut olim tres juvenes, nunc Danielem.

Faciens ſigna & mirabilia] Suprà III. 99. 100.

28. *Porrò Daniel perſeveravit uſque ad regnum Darii regnúmque Cyri Perſæ*] In Chaldæo: *Daniel autem proſperè egit tum ſub Darii* (id eſt, Nabonnedi) *regno, tum ſub regno Cyri.* Cyrus enim fuit qui Babylona cepit, ibíque regnavit poſt Nabonnedum, ipſius etiam Nabonnedi conceſſu. Sic & Theodotion: Καὶ Δανιὴλ κατηύθυνεν ἐν τῇ βασιλείᾳ Δαρείȣ καὶ ἐν τῇ βασιλείᾳ Κύρȣ τȣ̃ Πέρσȣ [*Et proſperè egit Daniel regnante Dario & regnante Cyro Perſâ*].

CAPUT VII.

1. ANno primo Baltaſar Regis Babylonis*] Hactenus Hiſtoria. Sequuntur nunc viſa Danieli oblata Divinitus, quæ quia variis temporibus contigere, cogitur retrorſum ire & repetere tempora, quæ in hiſtoria jam erat prætervectus: quod & aliis Prophetis evênit. Pro בלשאצר [*Belſatzar*], quod ſuprà habuimus, codices Hebræi emendatiores habent בלאשצר, literâ tranſpoſitâ, ſenſúque mutato: id enim ſignificat, *Belum eſſe ignis hoſtici*, id eſt, urendum flammâ hoſtili, quod & Ieremias prædixerat L. 2. LI. 44. Ità Prophetæ nomina in honorem idolorum reperta levi flexu in eorundem contumeliam detorquebant. In hiſtoria Daniel ejus nomen ſumſit ità ut vulgò pronuntiabatur, in Viſis verò ità ut Prophetam decebat. De hoc more Iudæorum, nomina falſorum deorum in contumeliam vertendi, literis mutatis aut tranſpoſitis, vide Moſem de Kotzi, Præcepto vetante XXXII.

Somnium vidit] Vt olim Ioſephus. Nam etiam eo modo non minùs quàm per afflatum, aut viſa Divina, aut vocem, Deus futura dilectis ſibi aperit.

Brevi ſermone comprehendit] In Chaldæo, *Caput verborum dixit:* id eſt, ſummam rerum ſcripto comprehendit.

Summatímque perſtringens ait] In Chaldæo: *Effatus autem Daniel dixit.*

2. *Et ecce quatuor venti cæli*] Ingentis tempeſtatis deſcriptio, qualis illa:

Vnà Eurúſque Notúſque ruunt, crebérque procellis
Africus.

Ovidius 1 Triſtium II.

Nam modò purpureo vires capit Eurus ab ortu,
Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt;
Nunc gelidus ſiccâ Boreas bacchatur ab Arcto;
Nunc Notus adverſâ prælia fronte gerit.

Lucanus:

Primus ab Oceano caput exſeris Atlanteo
Core, movens æſtus: jam te tollente furebat
Pontus, & in ſcopulos totas erexerat undas:
Occurrit gelidus Boreas, pelagúſque retundit:
Et dubium pendet, vento cui concidat, æquor.
Sed Scythici vicit rabies Aquilonis, & undas
Torſit, & abſtruſas penitus vada fecit arenas.
Nec perfert pontum Boreas ad ſaxa, ſuúmque
In fluctus Cori frangit mare: motáque poſſunt
Æquora ſubductis etiam concurrere ventis.
Non Euri ceſſaſſe minas, non imbribus atrum
Æolii jacuiſſe Notum ſub carcere ſaxi
Crediderim.

Valerius Flaccus:

——————*fundunt ſe carcere læti*
Thraces equi, Zephyrúſque & nocti concolor alis
Nimborum cum prole Notus, crinémque procellis
Hiſpidus & multâ flavus caput Eurus arenâ.

Per tempeſtatem autem bella intellige.

In mari magno] Id eſt, non in lacu aliquo, qualis Aſphaltites, & Genezerethanus, quæ *maria* vocant accolæ, ſed in mari illo quod Syriam, Ægyptum, Iudæam alluit. Sic & Poëtæ:

Suave mari magno, turbantibus æquora ventis.

Item:

——————*ſicut minuta magno*
Deprenſa navis in mari veſaniente vento.

Per *mare* populos intellige, ut Apoc. XVII. 15.

3. *Et quatuor beſtiæ grandes*] Ideo *beſtiæ*, quia idololatrica erant Imperia, ut notat hîc Iacchiades. Adſpicit hoc Propheta, quod non videbat Nabuchodonoſor. Vide dicta ſuprà II. 31.

Aſcendebant de mari] A populis quiſque ſuis magnam vim nacti in alios ferebantur.

Diverſæ inter ſe] Quæ diverſitas in ſequentibus explicatur.

4. *Prima quaſi leæna*] *Quaſi leo.* Regnum Babylonicum ſub Nabuchodonoſoro forte & ſævum. Vnde Nabuchodonoſor *leo* dicitur etiam Ieremiæ IV. 7.

Et alas habebat aquilæ] Celerrimè ſub illo movebatur, *velociùs aquilis*, Ierem. IV. 13. Vnde & aquilæ comparatur Ierem. XLVIII. 40.

Aſpiciebam donec evulſæ ſunt alæ ejus] Tardati curſus ejus Imperii ſub Evilmeraducho, Negriglaſſorſoro, Laboroſoarchodo.

Et ſublata eſt de terra] Verte: *per quas efferebatur ſupra terram.* Sæpe enim Chaldæis, ut & Hebræis, copula vim habet relativi.

Et ſuper pedes quaſi homo ſtetit] Quietè ſe continuit.

Et cor hominis datum eſt ei] Cognitio veri Dei data Nabonnedo, ſuprà VI. 20. Ideo Deus cùm vellet deſtruere Babylonem, ipſi tamen pepercit.

5. *Et ecce beſtia alia ſimilis urſo*] Vrſus ζῶον παμφάγον [*animal omnia vorans*], ait Ariſtoteles VIII. 5. Sic Medoperſæ raptores magni, prædones, Ieremiæ LI. 48. 56. *Vrſus ſecundùm Perſas hoſtem ſignificat opulentum*, ait Achmetes.

In parte ſtetit] In Chaldæo, *Stetit ad latus unum:* id eſt, ſeorſum, nempe à Iudæa. Senſus eſt, *Iudææ nihil nocuit:* quomodo Hieronymus hîc optimè interpretatur ſecutus Hebræos, ut ipſe dicit.

Et tres ordines erant in ore ejus & in dentibus ejus] In Chaldaïco: *Et tres coſtæ erant in ore ejus inter dentes.* Hæ *tres coſtæ* ſunt Imperium Perſicum, Medicum & Chaldaïcum. *Coſtæ vires hominis ſignificant*, Achmetes XII.

Et ſic dicebant ei] *Sic dicebatur.*

Surge, comede carnes plurimas] Nam urſus libenter σαρκοφαγεῖ [*carnes edit*], Ariſtoteles dicto loco.

6. *Et ecce alia quaſi pardus*] Pardus varium animal. Sic Alexander moribus variis; modò clemens, modò crudelis; modò victûs temperati, modò ebrioſus; modò abſtinens, modò indulgens amoribus. *Pardus apud Perſas & Ægyptios hoſtem ſignificat irreconciliabilem*, ait Achmetes.

Et alas habebat quaſi avis quatuor ſuper ſe] Id eſt, celerior erit hæc vi Chaldaïcâ, quæ duas tantùm habebat alas. Vide infrà VIII. 5. Lucanus de Alexandro:

——*fulmènque quod omnes*
Percuteret pariter populos.

Et mater ejus ſomniaverat ex utero ſuo enaſci fulmen.

Et quatuor capita erant in beſtia] Quatuor capita ſuccreverant loco unius. Hi ſunt quatuor ſummi poſt Alexandrum duces, Perdicca, Seleucus, Ptolemæus, Meleager; quorum Perdicca equitatui Macedonico, externo Seleucus, Meleager ſatellitio regio, Ptolemæus peditatui præerant. Vide infrà VIII. 22. & adde 1 Maccab. 1. 7. & quæ ibi dicentur.

Et poteſtas data eſt ei] Ingens ſcilicet, à Deo regnorum arbitro.

7. *Beſtia quarta terribilis atque mirabilis*] Crura imaginis: quæ hîc ſub unius feræ nomine deſcribuntur, quòd tam Syriæ quàm Ægypti Reges Macedones eſſent, & incertis finibus, modò hi modò illi latiùs regnaverint: præterea Iudæam (quod hîc maximè reſpicitur) nunc hi nunc illi tenuerint, aut vexaverint. Etiam nunc Hebræi iſta Imperia uno nomine appellant מלכות יון [*Regnum Græcorum*].

Dentes ferreos habebat magnos, comedens atque comminuens] Idem quod ferrum in imagine II. 40. Sævitia denotatur in Iudæos maxima, ut dixi.

Et reliqua pedibus ſuis conculcans] Siquos vivos reliquerat, eos fœdè tractabat.

Diſſimilis autem erat cæteris beſtiis quas videram ante eam] Id eſt, multò ſævior.

Et habebat cornua decem] Id eſt, *decem erunt Reges*, ut infrà 24. nempe qui ſævituri ſunt in Iudæos, tum ex Syria, tum ex Ægypto; quos omnes ex hiſtoria numeravit Porphyrius. Cornua eminent in animantibus: ſic in populo Reges. Videmur autem *decem* iſta *cornua* reperire poſſe in capite infrà undecimo, hos ſcilicet, Ptolemæum Lagi, Seleucum Nicatora, Ptolemæum Eupatora, Ptolemæum Euergeten, Seleucum Callinicum, Antiochum Magnum, Ptolemæum Philopatora, Ptolemæum Epiphanem, Seleucum Philopatora, Antiochum Epiphanem.

8. *Et ecce cornu aliud parvulum ortum eſt de medio eorum*] *Parvulum cornu* dicitur, quia etſi genere erat regio, nullum tamen jus habebat ad regnum, Antiochus ſcilicet Epiphanes. Vide XI. 21.

Et tria de cornibus primis evulſa ſunt à facie ejus] Id eſt, per ipſum, aut ex ipſius juſſu, Seleucus frater ipſius major occiſus; ſpoliatus verò Demetrius ejuſdem Seleuci filius, Antiochi autem patruelis; ſpoliatus item Ptolemæus Philopator Rex Ægypti. Demetrius fuit filius Seleuci, qui frater Antiochi. Ac proinde apud Iuſtinum, ubi filio hujus Antiochi Demetrius dicitur *patruus*, legendum *patruelis:* quod nos docent Appianus, & Livii breviator libro XLVI. Vide quæ dicentur infrà ad cap. XI.

Et ecce oculi quaſi oculi hominis erant in cornu iſto] Id eſt, perſpicax erit ad res agendas. Vide VIII. 23.

Et os loquens ingentia] Erat enim arrogans admodum, unde & Ε᾽πιφανὴς [*Illuſtris* ſive *Nobilis*] dictus. Vide infrà 20.

9. *Aſpiciebam donec throni poſiti ſunt*] Sedilia Iudicum, Dei ſcilicet, ut Regis, & Angelorum ut Satraparum Regni. Vide quæ ſuprà IV. 14. 21. Matth. XIX. 28. Apocalypſeos IV. 2. 4. V. 1. XX. 4.

Et Antiquus dierum ſedit] Formam vidit Viri provectæ ætatis, quo ſignificabatur bene cocta fore Dei judicia, qualia eſſe ſenum ſolent.

Veſtimentum ejus candidum quaſi nix] Non ipſe tantùm incorruptus, ſed & omnia quæ circum eum ſunt.

Et capilli capitis ejus quaſi lana munda] Nullo colore tincta. Sic Dei judicia pura à turbidis affectibus.

Thronus ejus flammæ ignis]Id eſt,tanquam flamma. Ignis res efficaciſſima : ſic & Deus ad judicia ſua exſequenda potentiſſimus.

Rotæ ejus ignis accenſus] *Quaſi ignis ardens*. Sedilia in Oriente tranſportari ſolebant ; ideo rotas habebant, ut ſellæ curules Romanorum. Significatur potentia Deum comitari quocunque voluerit.

10. *Fluvius igneus rapidúſque egrediebatur à facie ejus*] In Chaldæo, *Flumen igneum manabat, ab ore ejus egrediens*. Omnibus decretis ejus vis aderat perpetua.

Millia millium miniſtrabant ei , & decies millies centena millia aſſiſtebant ei]Non decem illæ quas Ariſtoteles comminiſcitur Intelligentiæ , ſed immenſus Angelorum miniſtrantium numerus.

Iudicium ſedit] Id eſt, Angeli illi majores aſſederunt in ſellis minoribus. דינא [*Iudicium*] pro בית דין, id eſt, τὸ συνέδριον [*Conſeſſus*].

Et libri aperti ſunt] Libri vocantur ſcripturæ litis omnes, accuſatio, defenſio, teſtimonia,inſtrumenta. Confer Apocalypſ. xx. 12.

11. *Aſpiciebam*] *Spectabam attentus.*

Propter vocem ſermonum grandium quos cornu illud loquebatur]Etiam in Deum ipſum, infrà 25. Avebam cernere quem exitum hæc res habitura eſſet.

Et vidi quoniam interfecta eſſet beſtia] In Chaldæo: *Spectavi donec interfecta eſt beſtia.* Tam diu ſubſtiti ſpeculabundus donec exitum cernerem Imperii illius Syriaci & Ægyptiaci.

Et periiſſet corpus ejus , & traditum eſſet comburendum igni] Id eſt, ità deletum eſt ut ejus non magìs quicquam appareret quàm rerum quas ignis abſumit. Pompejus Antiocho Aſiatico Syriam ademit, Auguſtus Cleopatræ Ægyptum : ità regna deſierunt eſſe, factæque ſunt provinciæ populi Romani.

12. *Aliarum quoque beſtiarum ablata eſſet poteſtas*] Macedonia à Paulo victa, Græcia à Mummio & Flaminio, Mithridates à Dario.Hyſtaſpis filio ortus, fractus à Sulla & Lucullo, à Pompejo devictus. Sic regna Aſiæ Pergamenæ, Ponti, Cappadociæ, Bithyniæ extincta, quæ olim Chaldæorum , deinde Perſarum fuerant.

Et tempora vitæ conſtituta eſſent eis] *Quia ſpatium vitæ ipſis conſtitutum fuerat* , nempe à Deo. Simile vide Apocalypſ. xvii. 17.

Vſque ad tempus & tempus] In Chaldæo : *Vſque ad tempus, & quidem præſinitum.* Vltra terminum à Deo fixum non potuerat ſubſiſtere.

13. *Aſpiciebam ergò*] Iam modum deſcribit per quem contigit iſta mutatio. Eadem res ſignificatur quæ per lapidem , cujus incuſſu fracti Statuæ pedes, ii. 34. 45.

Et ecce cum nubibus cæli] Id eſt , ſumma cum celeritate , ac motu rapido in partes omnes , ut Ieremiæ iv. 13.

Quaſi filius hominis veniebat] Populus Romanus nullum habens intra ſe Regem , ut dicitur 1 Maccab. viii. 14. *Filii hominum* dicuntur privati , ut Pſalm. lxxxii. 7, *Privatum* autem hìc ſume quatenus ea vox *Regibus* opponitur , ut apud Lucanum:

Neſciat hoc quiſquam niſi tu , quæ ſola meorum
Conſcia votorum es , me , quamvis plenus honorum,
Et Dictator eam Stygias, & Conſul ad umbras
Privatum , Fortuna , mori.

Et uſque ad Antiquum dierum pervenit, & in conſpectu ejus obtulerunt eum] Id eſt , juſſus eſt ſe ſiſtere coram Deo Regum & regnorum judice , velut ad accipienda mandata. Sic Cyrus *ſervus Dei* dicitur , quia Dei decreta exſequebatur. Eſt autem Populus Romanus non obſcurè Chriſti imago , cujus Imperium ab initiis minimis in totum orbem pervenit , ſed Divino modo. Ità ſenſit & ſcriptor de Regimine Principum.

14. *Et dedit ei poteſtatem,honorem & regnum*]Deus ei dedit Imperium maximum.

Et omnes populi, tribus & linguæ ipſi ſervient] Confer Apocalypſ. xiii. 7.

Poteſtas ejus poteſtas æterna , quæ non auferetur , & regnum ejus quod non corrumpetur]Manet etiam nunc Imperii Romani, acciſi alicubi, ſed aucti in aliis partibus, & nomen & majeſtas.

15. *Horruit ſpiritus meus : Ego Daniel territus ſum in his , & viſiones capitis mei conturbaverunt me*] Ob tantas mutationes , quas generaliter & confuſè concipiebat animo , mox intellexit diſtinctiùs.

16. *Acceſſi ad unum de aſſiſtentibus*] Ad Angelum unum,non ex adſidentibus,ſed ex adſtantibus & miniſtrantibus Deo. Vide Zach. iii. 4. 7. & quæ dicta à nobis ad Matth. xviii. 10.

Et veritatem quærebam] Id eſt , claram intelligentiam , τὴν ἀκρίβειαν [*exactam cognitionem*] , Theodotio.

Dixit mihi interpretationem ſermonum] *Rerum* , quas videram in quiete.

17. *Hæ quatuor beſtiæ magnæ quatuor ſunt regna*]Sic & Theodotion τέσσαρες βασιλεῖαι [*quatuor regna*]. In Chaldæo eſt מלכין [*Reges*], id eſt, Regum genera, ſive Reges quadruplices.

Quæ conſurgent de terra] Nihil niſi terrenum cogitabunt, agéntque, utpote idololatræ.

18. *Suſcipient autem regnum ſancti Dei altiſſimi*] Imperium tandem maximum (id eſt , Romanum) perveniet ad unius Dei cultores. In hoc honore primas habuiſſent partes Iudæi οἱ κατὰ σάρκα [*ſecundùm carnem*] , ſi Meſſiam humilem recepiſſent ; nunc cùm ipſi eum repudiarint , tranſlatus eſt is honor ad Iudæos myſticos , id eſt , ad Chriſtianos , qui , quod præcipuum & perpetuum Iudaïſmi erat , retinent, unius Dei cultum , eo modo in arborem Iudaïcam inſiti : manente interim penes Iudæos hoc honore, quòd is cui Reges ipſi Chriſtiani famulari ſe teſtantur , Ieſus, Iudæus fuit ex Iudæis. *Sancti* autem reverà Chriſtiani ſi Chriſti præcepta ſequantur, multùm vincentia omnem Iudæorum , etiam optimorum, ſanctitatem.

Et obtinebunt regnum uſque in ſeculum & ſeculum ſeculorum] Chriſtiani perpetuò compotes erunt magnorum regnorum,& ſi quid de vetere Imperio Romano eis decedet,id compenſabitur adjectione terrarum quæ Romanis nunquam paruere, quales ſunt Scanzia,Ruſſia,Scotia,Hybernia,Polonia,Æthiopia.

19. *Poſt hoc volui diligenter diſcere*] *Exactiùs diſcere.*

De beſtia quarta] Quia ea res maximè ad Iudæos pertinebat, ideo ſpecialiùs explicatur.

Quæ erat diſsimilis valde ab omnibus] Vide ſuprà 7.

20. *Et de cornu illo*] *Id eſt, de cornu illo.* Nam ו [*&*] hîc, ut alibi ſæpe, eſt ἐξηγητικόν [*explicativum*].

21. *Et ecce cornu illud faciebat bellum adversùs ſanctos*] Id eſt, unius Dei cultores, quales eo tempore inter omnes populos ſoli erant Iudæi. Confer Apocalypſin XI. 7.

Et prævalebit eis] Etiam Vrbe & Templo capto.

22. *Donec venit Antiquus dierum*] Bene cocta Dei judicia.

Et judicium dedit ſanctis Excelſi] Vindictam ſuam mandabit Iudæis. Vide Ezechiel. XXXVIII. 18. & ſequentibus, & XXXIX.

Et tempus advênit, & regnum obtinuerunt ſancti] *Et tempus veniet cùm ſancti obtinebunt regnum :* id eſt, ejectis Antiochi militibus ipſi ſemet gubernabunt αὐτόνομοι, αὐτόδικοι, αὐτοτελεῖς [*utentes ſuis legibus, ſuis judiciis, ſuis reditibus*], ac præterea ſubigent Idumæam, Samariam, Ammonitidis & Moabitidis multa. Teſtantur hoc Maccabæorum libri & Ioſephus. Prædixerant verò Eſaias LXII. LXIII. Ierem. XXXI. Ezech. XXXVI. In hoc figura fuit Imperii multò majoris, quod obtenturi erant Chriſtiani.

23. *Quod majus erit omnibus regnis*] In Chaldaïco: *Differet ab omnibus regnis*, nempe ob majorem ſævitiam & impietatem.

Devorabit univerſam terram] *Terra* κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*], eſt terra Iſraël, terra promiſſa Patribus, terra optima.

24. *Porrò cornua decem ejus regni decem Reges erunt*] Modò Syriæ, modò Ægypti, qui Iudæam vexabunt.

Et alius conſurget poſt eos, & ipſe potentior erit prioribus] Non ità in Chaldæo ; ſed *diverſus erit à prioribus :* multa enim peraget non vi ſed aſtu : quod ſignificant *oculi hominis* ſuprà 8. Vide infrà VIII. 23. XI. 21. 25.

Et tres Reges humiliabit] Ptolemæum Philometorem, Seleucum fratrem ſuum majorem, & filium ejus Demetrium, ut dictum ſuprà 8.

25. *Et ſermones contra Excelſum loquetur*] Spernet Deum verum, infrà XI. 36. Imitati dominum miniſtri ὑπεράγαν ἐβλασφήμουν, καὶ λόγους ἀθεμίτους προΐεντο [*vehementer blaſphemabant & verba impia loquebantur*], II Maccab. X. 34. & XII. 14.

Et putabit quòd poſsit mutare tempora] Sperabit ſe in perpetuum abolere poſſe Sabbata, Paſchata, Pentecoſtas, σκηνοπηγίας [*fixionem Tabernaculorum*], dies Propitiationis, Novilunia. Hoc eſt quod dicitur I Maccab. I. 47. καὶ βεβηλῶσαι σάββατα καὶ ἑορτάς [*& profanare Sabbata & dies feſtos*].

Et leges] *Et Legem* in Chaldæo, id eſt, Circumciſionem, lectionem Legis, ritúſque alios, τοῦ ἆραι τὰ νόμιμα [*tollere legitima*] I Maccab. III. 29. qui eum ſectati ſunt ἀπέστησαν ἀπὸ διαθήκης ἁγίας [*defecerunt à teſtamento ſancto*], I. 14. 15. 16. 17. 45. & ſequentibus. Vide Ioſephum XII. 7.

Et tradentur in manu ejus] Lex & dierum obſervationes proculcatæ jacebunt ſub ipſius poteſtate, Deo id ſinente.

Ad tempus & tempora, & dimidium temporis] Quod hîc habemus Chaldaïcè, idem habemus Hebraïcè infrà XII. 7. *Tempora*, χρόνοι, per Excellentiam Anni, ut ſuprà IV. 29. & apud Græcos ſæpe. Ioſephus de Bello Iudaïco libro I. capite I. de Antiocho agens : τὸν ναὸν ἐσύλησε, καὶ τὸν ἐνδελεχισμὸν τῶν καθ᾽ ἡμέραν ἐναγισμῶν ἔπαυσεν ἐπ᾽ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ [*Templum ſpoliavit & juge ſacrificium ceſſare fecit per tres annos & menſes ſex*]. Paulò plus fuit, id eſt, *dies mille ducenti nonaginta*, ut habebimus infrà XII. 11. mille ducentos nonaginta ſex dixit Ioſephus IX. 12. ἔτη τρία καὶ ἥμισυ καὶ μικρόν τι πρὸς [*annos tres & dimidium & paullò ampliùs*], ait Chryſoſtomus : ſed illud ſupercreſcens inſuper habetur ad rotundandum numerum. Apocalypſis in hiſtoria huic typo reſpondente dixit *dies mille ducentos & ſexaginta*, XI. 6. & alibi *menſes quadraginta duos*, XI. 2. & XIII. 5. Modicum nec Prætor curat, nec Propheta. Putatur autem hoc tempus ab Vrbe capta, & interdictis ritibus : nam ex quo Idolum fuerat collocatum erant tres tantùm anni. Ità Ioſephus, & II Maccab. X. 5. Item I Maccab. I. 62. collato loco ejuſdem libri IV. 52. Vnde apparet dicto loco II Maccab. X. commate 3. pro διετῆ [*biennale*] legendum τριετῆ [*triennale*].

26. *Et judicium ſedebit*] Id eſt, Deus cum Angelis velut aſſeſſoribus (nam Deus Hebræis ſemper ob oculos ponitur ad inſtar maximorum Regum) de Antiocho judicium feret. Vide ſuprà IV. 13. & hîc 9.

Vt auferatur potentia] Nempe Antiocho, copiis fuſis, & morte ipſius. Vide Ezechielis XXXVIII. XXXIX.

Et conteratur, & diſpereat uſque in finem] Toto regno deleto, de quo antè commate 11.

27. *Regnum autem & poteſtas, & magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo ſanctorum Altiſsimi*] Imperium Romanorum latiſſimè patens (eſt enim hîc συνεκδοχὴ [*Comprehenſio*], aut ὑπερβολὴ [*Superjectio*] frequens Prophetis) tandem perveniat ad Chriſtianos Iudaïſmi perfectores. Iudaïſmi enim ſubſtantia eſt ἡ μονοθεΐα [*unius Dei agnitio*]· cætera acceſſoria. Vide quæ ſuprà dicta ad 18.

Cujus regnum regnum ſempiternum eſt] Nam & nunc durat.

Et omnes Reges ſervient ei, & obedient] Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplinæ ſe ſubjicient, ut fecit Theodoſius ille Magnus. Quæ diſciplina omnia habet quæ habebat Iudaïca (exceptis ritibus ad tempus datis), & multa meliora.

28. *Hucuſque finis verbi*] Illius ſermonis quem ad me habuit unus ex Angelis miniſtrantibus.

Et facies mea mutata eſt in me] Ità turbatus fui ut facies expalleſceret. Vide ſuprà IV. 33. V. 6. 10.

Verbum autem in corde meo conſervavi] Nempe ut ea accuratè perſcriberem, & relinquerem poſteris ingens documentum Divinæ providentiæ, praſcientiæque.

CAPUT VIII.

Hinc rurſus incipit ſermo Hebræus, quia quæ ſequuntur ad Hebræos directè pertinent, cùm ea quæ præceſſerunt ſufficerent ad Chaldæos inſtruendos. Itaque præteritis jam rebus Chaldæorum, tantùm de Imperiis & rebus agit poſt ruinam Chaldaici Imperii exſtituris. Sæpius autem res eaſdem Deus oſtendit Danieli; primùm, quò eæ res hærerent animo firmiùs, quam ob cauſam & magiſtri apud diſcipulos ea ſæpe repetunt quæ maximi uſûs eſſe exiſtimant; deinde, quòd paulatim res eas cognoſcit, velut diſtinctiùs cum ſuis circumſtantiis: quod Deum & in aliis Prophetis feciſſe apparet.

1. *Anno tertio regni Baltaſar*] Laboroſoarchodi, ut ſuprà diximus.

Viſio apparuit mihi] Non jam ſecundùm quietem, ſed ἐν ὀπτασίᾳ [*in viſione*]· qui gradus revelationis habetur perfectior.

Poſt id quod videram in principio] Nempe regni ejuſdem Regis, ſuprà VII. 1.

2. *Cùm eſſem in Suſis caſtro*] Videtur enim Daniel ante ſummum illum honorem quem conſecutus fuit ſine Laboroſoarchodi, munus aliquod habuiſſe in Suſiane, atque eò rediiſſe poſt Regis Laboroſoarchodi mortem; creditur enim Suſis ſepultus: quâ de re vide narrationem Benjamini Tudelenſis. Ioſephus autem in Ecbatanis Mediæ urbe ſtructam ab eo ait Barin (id verò eſt *turrim*, ut ad octavum Oſeæ interpretatur Hieronymus), cujus ſtructura ad ſuam ætatem recens viſa fuerit; eique, in Danielis honorem, præfuiſſe Iudæum è Sacerdotum genere, eóque in loco ſepultos Medorum ac Perſarum, & pòſt Parthorum Reges. Hieronymus verò ad hunc locum turrim eandem ponit non Ecbatanis ſed Suſis, errore fortè memoriæ.

Quod eſt in Elam regione] Suſiane, quanquam Satrapia per ſe fuit (ut oſtendunt & alii & Curtius libro V.), Perſidi tamen accenſeri ſolet. Perſidem autem עילם [*Elam*] Hebræi vocant, ut Eſaiæ XXI. 2. & alibi. Quâ de causâ etiam Benjamin Tudelenſis Suſa ponit in terra Elam. Plinius VI. 27. *Infrà Eulæum Elymaïs eſt in ora juncta Perſidi.* Ioſephus I. 7. Ἐλυμαίους [*Elymæos*] vocat Περσῶν ἀρχηγέτας [*progenitores Perſarum*].

Super portam Vlaï] Græci quidam Οὐβάλ retinuere, & ſic citat Chryſoſtomus II adverſùs Iudæos. Symmachus *rivum* vertit ex Hebræo יבל [*deduxit*] Eſaię XXX. 25. & XLIV. 4. At Chaldæis אובלא eſt *porta*, ut apparet in Ionathane Deuteron. XXVIII. 52. & in Thalmudicis non ſemel. Daniel autem, quanquam Hebraïcè loquens, nomina locorum ſervat Chaldæis uſitata. Solent portæ à fluminibus nomen accipere. *Vlaï* eſt Straboni, Plinio, & Ptolemæo *Eulæus*. De eo Plinius VI. 27. *Suſianen ab Elymaïde diſterminat amnis Eulæus ortus in Medis, medióque ſpatio cuniculis conditus, ac rurſus exortus per Meſobatenen lapſus circuit arcem Suſarum.* Aquæ ejus tanta credita ſalubritas, ut non aliam Reges Perſarum biberent, & eam ad longinqua loca apportari ſibi facerent. Ioſephus hoc viſum Danieli ait obtigiſſe in campo, nempe extra portam flumentanam.

3. *Et ecce aries unus ſtabat ante paludem*] *Ante portam*; eſt enim & hîc אובל: quod & Hieronymus notavit. *Aries ſecundùm Perſas divitias ſignificat*, teſte Achmete CCXLII. 2. nempe ob lanam. Idem ergò quod antè Vrſus, regnum Medorum & Perſarum, ut infrà explicatur.

Habens cornua excelſa] In Hebræo, quo nos utimur, eſt forma dualis. At Ioſephus pluraliter legit: ait enim κέρατα ἐκπεφυκότα πολλὰ [*cornua enata multa*], & id rectiùs. Multi enim Reges fuere, qui hîc per *cornua* indicantur.

Et unum excelſius altero, atque ſuccreſcens] Verte, *Primum celſius erat ſecundo, & excelſius* illo *id quod attollebatur*. Nam primùm Cyrus maximas ſibi opes pepererat, plùs quàm ſucceſſores. *Cyrus devictâ Aſiâ* (ait Plinius) *pondo* XXXIV *millia invenerat, præter vaſa aurea, aurúmque factum, & in eo folia ac platanum, vitémque. Quâ victoriâ argenti* IↃ *millia talentorum reportavit, & craterem Semiramidis, cujus pondus* XV *talentorum colligebat. Talentum autem Ægyptium pondo* LXXX *patêre Varro tradit.* Poſtremus Regum Perſarum fuit Darius Codomannus. Is, præter quod in urbibus aliis fuit, in ſola Perſepoli habuit CXX *millia talentorum*, *Perſagadis ſex millia*, Curtio teſte. At Strabo libro XV Perſepoli & Suſis reperta ait XL, aut, ut alii volunt, L millia talentorum: ab aliis tradi, Ecbatanis fuiſſe comportata ex variis Imperii Perſici locis LXXX millia talentorum, VIII millia direpta ab iis qui Darium occiderunt: opes ſanè mirandas!

4. *Vidi arietem cornibus ventilantem contra Occidentem*] Nam Perſæ ſub Dario Hyſtaſpis filio & Xerxe bellum Græciæ intulerunt.

Et contra Aquilonem] Darius idem Scythis bellum intulit. Meminere Herodotus, Iuſtinus, & alii.

Et contra Meridiem] Cambyſes Ægyptum & Æthiopiam invaſit.

Et omnes beſtiæ non potuerunt reſiſtere ei, neque liberari de manu ejus: fecítque ſecundùm voluntatem ſuam, & magnificatus eſt] Nempe capta à Perſis Babylon cum omni ſuo Imperio, Lydia, Ionia, Aſia minor, Ægyptus.

5. *Et ego intelligebam*] *Dum ego hæc conſidero*, & opulentiam ſcilicet miror.

Hircus caprarum] Hircus de caprugno genere. Hircus rapaces ſignificat Achmeti CCXLII. *Hircus* hîc omnes Græcos ſignificat, quorum portio Macedones. Reſpondet ergò *hircus* hic & ventri & cruribus Statuæ: item Pardo & Feræ quartæ.

Veniebat ab Occidente] Reſpectu Perſidis.

Super faciem totius terræ] Nempe Aſiæ.

Et non tangebat terram] Volatus celeritatem indicat. Vide ſuprà de *alis* VII. 6.

Habebat cornu inſigne inter oculos ſuos] Regem non minùs ingenioſum quàm fortem, Alexandrum Magnum, qui non tantùm Macedoniæ, quæ bona pars Græciæ, Rex erat, ſed & ab omni Græcia (exceptis Lacedæmoniis) belli in Perſas lectus Imperator. Vide Iuſtinum libro XI. Plutarchum Alexandro, & alios. Adde quod infrà 21.

6. *Cucurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ*] Expeditiones Græcorum in Aſiam id ſignificavit: de

toto enim Hirco, non de uno tantùm ejus cornu agitur.

7. *Et comminuit duo cornua ejus*] Priùs Artaxerxem Mnemonem, miſſis ad Cyrum ejus fratrem auxiliis, in quibus fuit Xenophon; deinde Darium Codomannum. *Cornua* ubique hîc ſunt Reges.

Et non poterat aries reſiſtere ei] Imperium Perſicum reſiſtere Græcis non potuit ad Granicum, ad Iſſum, & alibi.

Cúmque eum miſiſſet in terram] Planè debellaſſet ad Arbela.

Conculcavit, & nemo quibat liberare arietem de manu ejus] Totum Imperium Medorum Perſarúmque ad Græcos pervênit.

8. *Hircus autem caprarum magnus factus eſt nimis*] Adjectis ad Imperium illud Hyrcanis, Paropamiſadis, Indorum parte.

Fractum eſt cornu magnum] Mortuus eſt Magnus Alexander.

Et orta ſunt quatuor cornua ſuper illud per quatuor ventos cæli] Etiam hîc primos illos quatuor Duces intelligit, qui ſub nomine filiorum & fratrum Alexandri rerum ſummam ad ſe traxere: unde poſtea orta ſunt regna tum alia, tum præcipuè Syriæ & Ægypti. Illi Duces ad Æs, hi Reges ad Ferrum ac Teſtam pertinent: illi ſunt cornua Pardi, hi Beſtia quarta.

9. *De uno autem ex eis*] De Antiocho Magno.

Egreſſum eſt cornu unum modicum] Antiochus modicæ primùm fortunæ, privatus, & Romæ obſes. Ex pôſt facto dictus *Epiphanes.*

Et factum eſt grande contra Meridiem] Contra Ægyptum: oppugnavit enim Ptolemæum Philometora.

Et contra Orientem] Nam & Armeniam devicit.

Et contra fortitudinem] In Hebræo, צבי [*Decus*]: Sic vocatur Iudæa II Samuel. I. 19. & Ezechiel. xx. 6. 15. nempe quòd amœniſſima eſſet terrarum, Pſalmo XLVIII. 3.

10. *Et magnificatus eſt uſque ad fortitudinem cœli*] *Adversùs exercitum cæli.* Sic dicuntur Levitæ, qui in Templo excubias agebant, militantes ſuo modo Regi cœlorum. Sic vox צבא [*exercitus*] uſurpatur Numerorum VIII. 24. 25.

Et dejecit de fortitudine] *De illo exercitu quoſdam dejecit*, id eſt, abduxit à Legis obſervatione. Patet id I Maccab. IV. 42. II Maccab. IV. 14.

Et de ſtellis] De iis qui eruditionis nomine erant celebres. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 29. Vide & infrà XII. 3.

Et conculcavit eas] Profanavit ritibus paganicis.

11. *Et uſque ad Principem fortitudinis magnificatum eſt*] *Extulit ſe etiam contra exercitûs ejus Principem*, Oniam ſcilicet Sacerdotem maximum, quem primùm dignitate exuit, Sacerdotium autem ſummum pretio vendidit, II Maccabæor. IV.

Et ab eo tulit juge ſacrificium] Vetuit Oniam Sacra peragere.

Et dejecit locum ſanctificationis ejus] *Locum ſanctitatis ejus*: id eſt, ſummum Sacerdotium dejecit, id eſt, contemtui expoſuit, dans illud contra Legem hominibus improbis, Iaſoni primùm, deinde Menelao.

12. *Robur autem datum eſt ei contra juge ſacrificium propter peccata*] Meliùs ſic: *Et exercitus* (id eſt, præſidium Antiochi) *dabitur* (imponetur Vrbi) *contra juge* (*ſacrificium*) *per ſcelus.* Per ſummum Dei contemtum milites Vrbi imponet Antiochus ut juge ſacrificium inhibeant, I Maccab. I. 47. Ioſephus XII. 7. καὶ γὰρ τὰς καθημερινὰς θυσίας, ἃς προσέφερον τῷ Θεῷ κατὰ τὸν νόμον, ἐκώλυσεν αὐτοὺς προσφέρειν [*nam etiam prohibuit eis nè quotidiana ſacrificia, quæ Deo ſoliti erant offerre, ultrà offerrent*].

Et proſternetur veritas in terra] *Veritas* hîc eſt liber Legis, ut Malach. II. 6. is paſſim proculcabitur. Ioſephus: ἠφανίζετο δ᾽ εἴπου βίβλος εὑρεθείη ἱερὰ καὶ νόμος [*ſicubi Lex aut ſacer aliquis liber inventus erat, corrumpebatur*]. *Libros Legis conſciſſos uſtóſque* dicit ſcriptor I Maccabæor. I. 59.

Et faciet, & proſperabitur] *Quidquid aget ei ſuccedet*, ad tempus ſcilicet.

13. *Et audivi unum de ſanctis*] De Angelis. *Angelum Danielis* ajunt Hebræi.

Alteri neſcio cui] Τινί ποτε [*cuidam*], Symmachus. LXX, Aquila, Theodotio, Clemens Conſtitutionum VII. 36. retinuere Hebræum Φελμονὶ vel Φελμουνί [*Phelmoni*]. Compoſitum id putatur ex duobus nominibus פלני [*Pheloni*] & אלמני [*Almoni*], quæ habes Ruth IV. I. & II Regum VI. 8. Videtur autem ſignificari non quivis ſed eximius aliquis. Et hic Angelus neceſſe eſt præſtiterit cæteris, cùm alios doceat.

Vſquequo viſio] In quantum tempus durabunt mala iſta quæ inferet populo Dei cornu illud exiguum, oſtenſa Danieli à commate 9.

Et juge ſacrificium] Interruptum ſcilicet, quæ pars magna erat iſtorum malorum.

Et peccatum deſolationis quæ facta eſt; & Sanctuarium, & fortitudo conculcabitur] Sic verte: *& ſcelus illud vaſtationis* (id eſt, oppreſſio Vrbis per præſidia Antiochi) *quod expoſuit, & Sanctuarium* (Templum) *& exercitum* (Dei ſcilicet, id eſt, Levitas) *conculcationi.* Per quod & Templum profanatum eſt, & multi Levitarum corrupti.

14. *Et dixit ei, Vſque ad veſperam & manè*] Id eſt, uſque ad νυχθήμερα [*dienoctia*]. Nam Hebræi cùm compoſitas voces vix ullas habeant coguntur uti circumlocutione. Vide Geneſ. I. 5. & ſequentibus, & quæ dicta ad Matth. XII. 40.

Dies duo mille trecenti] *Bis mille & trecenti.* Hoc tempus ſex circiter annorum incipit à priori adventu Antiochi in Iudæam, cùm Sacerdotium profanatum eſt, comprehendítque ſecundum ejus adventum, interdictos ritus, deinde Idoli collocationem in Templo, & totum tempus interrupti jugis ſacrificii.

Et mundabitur Sanctuarium] Id eſt, illo ſpatio temporis exacto à primo Antiochi adventu repurgabitur Templum, fiet ἐγκαινισμός [*Inſtauratio*], de quo vide I Maccab. IV. Ioſeph. XII. 10. & quæ diximus Iohan. X. 22. Nota צדק [*juſtificare*] ſæpe poni pro *mundare.*

15. *Cùm viderem*] *Vidiſſem.*

Et quærerem intelligentiam] Explicationem pleniorem.

Quaſi ſpecies viri] Angeli enim hominum ſpecie ſolent apparere, quia inter ea quæ nobis conſpicua ſunt nihil eſt quod ad illos propiùs accedat. Hunc

Angelum fuiſſe Michaëlem Principem Angelorum credunt Hebræi: & certè credibile id eſt, quando & Gabrieli rerum ſemper maximarum nuntio imperat.

16. *Audivi vocem viri inter Vlaï*] Inter me & flumen Eulæum.

Gabriel fac intelligere iſtum viſionem] Sicut Princeps aliquis conſilii Regii dat Legatis mandata. *Fac intelligere:* id eſt, explica apertiùs, ſi quid ſit quod non pervideat.

17. *Stetit juxtà ubi ego ſtabam*] Vt de proximo meliùs exaudiretur.

Pavens corrui in faciem meam] Tanto fulgore exterritus. Vide quæ dicta ad Matth. XVII. 6.

Intellige fili hominis] Ità Angeli appellant homines, ut ſe meminerint eſſe carnem & ſanguinem, neque cœleſtibus viſis ſupra modum efferantur. Sic Ezechiel. II. 1. 3. 6. 8. III. 1. & alibi.

Quoniam in tempore finis complebitur viſio] *Ad tempus* (differtur) *implementum hujus viſi.* Ioſephus de hoc vaticinio, πολλοῖς ἔπεσιν ἔμπροσθεν ἀνέγραψε τὰ γενησόμενα [*ea quæ futura erant multis antè annis perſcripſit*]. Implebitur annis ferme pòſt quadringentis. Huc pertinet & quod infrà eſt 26.

18. *Cúmque loqueretur ad me, collapſus ſum pronus in terram*] Vt antè conſpectu ità nunc vocis auditu territus.

Et tetigit me & ſtatuit me in gradu meo] Solo tactu vires mihi reſtituit.

19. *Quæ futura ſunt in noviſſimo maledictionis*] *Quæ eventura ſunt ad finem uſque iræ Divinæ:* id eſt, uſque ad ἐγκαινισμὸν [*inſtaurationem* hoc eſt *repurgationem Templi*].

Quoniam habet tempus finem ſuum] *Certè* enim *ad condictum tempus* aderit *ille finis*, nempe *iræ Divinæ.*

20. *Aries quem vidiſti habere cornua*] *Aries ille cornifer.* Etiam hîc in Hebræo eſt duale, ut ſuprà; ſed melius, ut antè diximus, videtur eſſe ut legamus pluraliter. Conſonantes omnes ſunt eædem utrovis modo legas: vocales pridem variant.

Rex Medorum eſt atque Perſarum] In Hebræo meliùs, *Reges ſunt Mediæ & Perſidis:* id eſt, regnum, ut ſuprà VII. 17. in Latino.

21. *Porrò hircus caprarum*] In Hebræo, *Hirſutus ille hircus:* id eſt, intrepidus. Vide Geneſ. XXV. 25.

Rex Græcorum eſt] Hîc quoque *Rex* pro *regno* ponitur Hebraïcâ locutione, quæ talia permiſcet. Ità ſuprà VII. 17. in Hebræo. Oſtendunt id ſequentia.

Ipſe eſt Rex primus] Primus Græcorum Rex in Aſia; neque aliò ſpectant omnia hæc vaticinia Hebræo ſermone à Daniele ſcripta, quæ ad Iudæam diriguntur omnia.

22. *Quatuor Reges*] In Hebræo, *regna*, id eſt, *Ducum potentiæ:* nam ſæpe vox מלך [*Regis*] ſic ſumitur apud Hebræos, ut Deuteronomii XXXIII. 5. Iudic. XVIII. 31. XXI. 24. II Regum III. 9. & alibi.

De gente ejus conſurgent] Ex Græcis, ſub quorum nomine & Macedones vel inprimis comprehenſi ab omni ævo.

Sed non in fortitudine ejus] Non pari cum majeſtate. Ille enim Rex, hi Duces: quorum duo Regium nomen in minore Imperio annis ferme pòſt XII aſſumsêre.

23. *Et poſt regnum eorum*] In Hebræo, *Et in progreſſu potentiæ eorum:* cùm jam Seleucus ejúſque poſteritas per CXX annos, aut ampliùs, ſuas opes auxerit, ſumto & diademate.

Cùm creverint iniquitates] Cauſa cur Deus tanta mala permiſerit hîc indicatur. Expoſitionem habes I Maccab. I. 12. II Maccab. IV. Ioſeph. XII. 6.

Conſurget Rex impudens facie] *Obſirmato vultu:* id autem eſt, *impudens.* Deuter. XXVIII. 50. Prov. VII. 13. Eccleſ. VIII. 1. Antiocho nulla pietatis, nulla Dei veri aut ficti, nulla honeſti cura: cuncta ſuo ex uſu metiebatur.

Et intelligens propoſitiones] *Verſutiarum intelligens.* Sciebat quibus modis Iudæorum multi, homines leves & improbi, à religione abduci poſſent. Talis fuit poſtea Iulianus. ἔγνω τὰ βάθη τοῦ Σατανᾶ [*noverat profunditates Satanæ*], ut eſt Apocal. 11. 24.

24. *Et roborabitur fortitudo ejus*] Vires ejus increſcent, nempe in Iudæa. nam Iudææ causâ omnia hæc dicuntur.

Sed non in viribus ſuis] Non tam ex ipſo cauſa erit tanti incrementi quàm ex factionibus Iudæorum. Vide Ioſephum dicto loco XII. 6.

Et ſuprà quàm credi poteſt univerſa vaſtabit] Miram vaſtitatem inferet Iudææ.

Et proſperabitur & faciet] *Quidquid aget ei ſuccedet*, ut ſuprà 12.

Et interficiet robuſtos] Id eſt, *proceres.*

Et populum ſanctorum] Multos de plebe Dei veri reverentes, I Maccab. I. 52. 60. 61. Ioſeph. XII. 7. οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ· καὶ διὰ τοῦτο κατὰ πᾶσαν ἡμέραν αἰκιζόμενοι καὶ πικρὰς βασάνους ὑποφέροντες ἀπέθνησκον [*eminentiſſimi autem & qui generoſo erant animo ipſum non curabant: & propterea quotidie vexati duriſque cruciatibus affecti moriebantur*].

25. *Et dirigetur dolus in manu ejus*] Aſtus ejus ſucceſſum habebunt.

Et cor ſuum magnificabit] Succeſſibus elatus plura ſemper audebit.

Et in copia rerum omnium] In Hebræo, *& in pace multos perdet:* nullo bello, nullis in ipſum injuriis præcedentibus plures in dies perdet miſerè. Vide hiſtoriam matris & puerorum apud Ioſephum & alios.

Et contra Principem principum conſurget] In Hebræo, *ſtabit ſuper Principem principum*, שרים dicuntur omnes principes familiarum Sacerdotalium, ut Eſdræ VIII. 24. 29. X. 5. Horum princeps ſummus Sacerdos. Hunc ſibi ſubjiciet Antiochus, dimovebit pro libitu, ſpretâ Divinâ lege.

Et ſine manu conteretur] Morbo Divinitus immiſſo, Ioſeph. XII. 13. I Maccab. VI. 8. II Maccabæorum IX. 5.

26. *Et viſio veſpere & manè, quæ dicta eſt*] Id eſt, explicatio viſi exponens numerum dierum bis mille trecentorum ſuprà 14. Eſt μετωνυμία [*tranſnominatio*].

Vera eſt] Id eſt, nihil habet obſcuri, modò initium ſumatur unde debet, id eſt, ex dictis commate 9. *Verum* hîc eſt clarum, apertum, ut ſuprà 11. 45.

Tu ergò viſionem ſigna] Id eſt, viſum hoc exactè perſcriptum ità include ut archetypum-ipſum ſervari poſſit uſque ad eventum, & tunc cum eventu conferri. Sic Eſaiæ VIII. 16. Ieremiæ XXXII. 14.

Quia poſt multos dies erit] Inter viſum & eventum anni intercedent plùs trecenti.

27. *Et ego Daniel langui & ægrotavi per dies aliquot*] Mœſtus ob illam profanationem Sacerdotii & Templi.

Cúmque ſurrexiſſem] Simulatque per valetudinem ſurgere mihi licuit.

Et ſtupebam ad viſionem, & non erat qui interpretaretur] Optimè vertes: *Quanquam obſtupeſcebam ob hoc viſum, nemo tamen erat qui id ſciret.* Græcè, οὐκ ἦν ὁ συνιών [*non erat qui id cognoſceret*], id eſt, quàm poteram diligentiſſimè diſſimulabam dolorem meum.

CAPVT IX.

1. IN *anno primo Darii*] Id eſt, Nabonnedi, ut ſuprà dictum. Improbè Porphyrius, ut Danielem ſeriùs vixiſſe imperitis perſuadeat, hunc Darium cum vult eſſe ab quo Templum eſt reſtitutum.

Filii Aſſueri] Nomen illud multis commune fuit in Media.

De ſemine Medorum] Ὁ Μῆδος [*Medus*] ex ortu dictus in oraculo, & ſuprà V. 31.

2. *Anno uno*] Id eſt, *primo*, more Hebræo.

Ego Daniel intellexi in libris] Ieremiæ XXV. 11. 12. XXIX. 10. Erant enim tunc in manibus exempla librorum Propheticorum, ut & Pentateuchi, ut patet infrà 11.

Deſolationis] *Vaſtitas*, חרבות eſt ipſa vox quâ Ieremias in hac re uſus fuerat VII. 34. XXII. 5. XXV. 18.

3. *Et poſui faciem meam ad Dominum Deum meum, rogare & deprecari*] *Ad Dominum*, id eſt, versùs Templum, ut ſuprà VI. 10. Promiſſus quidem erat reditus poſt annos LXX; ſed ità ſi ſe exſules Iudæi ad Deum converterent: quare Daniel quod ſuarum eſt partium facit, & idem faciendi aliis auctor eſt.

In jejuniis, ſacco & cinere] Vt in gravi luctu, ob durantem tamdiu captivitatem.

4. *Et confeſſus ſum*] *Laudes ei dixi* quæ ſequuntur. Id enim eſt ידה [*confiteri*]. Multùm convenit hæc oratio cum ea quæ eſt Nehemiæ IX. Hieronymus hoc loco: *Non ergò quod pollicetur Deus ſtatim futurum eſt, ſed in eos ſua promiſſa implet qui cuſtodiunt mandata illius.*

Magne & terribilis] Adversùs contumaces.

Cuſtodiens pactum] Promiſſa implens.

Et miſericordiam] Supple, *oſtendens etiam ſupra promiſſa.*

Diligentibus te] Verè piis.

5. *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus & declinavimus à mandatis tuis & judiciis*] Hieronymus hîc: *Peccata populi (quia unus è populo eſt) enumerat ex perſona ſua, quod & Apoſtolum in Epiſtola ad Romanos feciſſe legimus*: nempe capite ſeptimo.

7. *Tibi Domine juſtitia*] Id eſt, laus juſtitiæ debetur. Sic infrà *miſericordia*, id eſt, laus miſericordiæ.

Nobis autem confuſio faciei, qualis eſt hodie] Nobis debebatur hæc ignominia quam patimur.

9. *Quia rebelles fuimus in eum*] Occurrit tacitæ objectioni, Quomodo miſericors qui tantis malis populum tradidit? reſponſio eſt, Extortum hoc ipſi per nimiam populi contumaciam.

11. *Omnis Iſraël*] Plurimi: ſicut Pſalmo XIV. 3. Romanor. III. 12.

Et ſtillavit ſuper nos maledictio] Effuſa eſt ſuper nos exſecratio Legis: id eſt, copiosè in nos cecidit. Vide Nahum. I. 6. Ieremiæ VII. 17. ubi in Græco χεῖται [*funditur*], hîc ἐπῆλθεν [*supervênit*].

Quæ ſcripta eſt in libro Moyſi] Levitici XXVI. Deuteronomii XXVIII.

12. *Et ſtatuit ſermones*] Ratos fecit.

Qui judicaverunt nos] *Qui rexerunt nos.* שפט eſt *regere.*

Vt ſuperinduceret in nos magnum malum, quale nunquam fuit ſub omni cælo, ſecundùm quod factum eſt in Ieruſalem] *Quomodo evênit Hieroſolymis.* Excidia & alibi evenerant, ſed nuſquam atrociùs quàm Hieroſolymis.

14. *Et vigilavit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eam ſuper nos*] *Et ſedulus fuit Dominus in malo hoc in nos adducendo.*

15. *Et feciſti tibi nomen ſecundùm diem hanc*] *Quale eſt hodie.*

15. 16. *Iniquitatem fecimus, Domine, in omnem juſtitiam tuam*] Adversùs totam Legem tuam, quæ hîc *juſtitia*, ut ſuprà *veritas* VIII. 12.

16. *In opprobrium ſunt omnibus*] En, ajunt victores iſti, populum qui ſe *populum Dei peculiarem* prædicat.

17. *Oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum*] Benignus aſpice ſolum illud ubi ſtetit Templum.

Propter temetipſum] Fac hoc ut veritatem tuam oſtendas. In Hebræo eſt, *propter Dominum.* Sed bene ſenſum expreſſere Græcus & Latinus. Mos enim Hebræorum nomina ponere vice pronominum, ut Geneſeos I. 27. I Samuel. III. 21. II Theſſ. I. 7. 8. II Timoth. I. 18.

18. *Et civitatem ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*] Id eſt, quæ de tuo nomine vocata eſt. ſic & Ieremiæ XXV. 29. Vocabatur Hieroſolyma *urbs Dei*, Pſalmo XLVIII. 2. 9. CI. 8.

Neque enim in juſtificationibus noſtris proſternimus preces aute faciem tuam] Id eſt, Non dicimus nos fuiſſe innocentes; non negamus nos pœnam hanc promeritos; non defenſione utimur, ſed deprecatione, ut apud patrem: ignoſce: ſi unquam poſthac.

19. *Propter temetipſum*] Sæpe eadem repetit, ut fieri ſolet in affectu vehementi.

20. *Cúmque confiterer peccata mea*] Piorum eſt culpas ſuas, quamvis ex ignorantia aut per ſubreptionem admiſſas, apud Deum non diſſimulare. In exſilio talis confeſſio erat vice victimarum expiantium.

21. *Ecce vir Gabriel*] Angelus ille rerum magnarum nuntius, virili ſpecie.

Quem videram in viſione à principio] Iam ante VIII. 16.

Citò volans] Celeritas miniſterii ſignificatur, ut in Alis Cherubinorum & Seraphinorum. Sic etiam Indi jam olim Angelos pingunt.

Tetigit me] Ad robur addendum. Vide ſuprà VIII. 18.

In tempore ſacrificii veſpertini] Id eſt, horâ nonâ, quæ, ut olim, ſtante Templo, ſacrificiis, ità tunc orationibus erat dicata.

22. *Nunc egreſſus ſum ut docerem te, & intelligeres*] *Vt me docente intelligas*, nempe quid futurum ſit de urbe illa quam tantum diligis.

23. *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*] Id eſt, *ſimul atque precari cœpiſti ſtatim mandatum accepi.*

Ego autem veni ut indicarem tibi] *Vt veniens tibi indicarem:* nempe ea quæ ad Vrbem pertinent.

Quia vir deſideriorum es] Sic & infrà X. 11. Eſt autem loquendi genus Hebræum, quod modò activè modò paſſivè exponitur. Symmachus hîc bene vertit ἀνὴρ ἐπιθυμητὲ [*vir deſiderate*]. Ità vocatur Daniel pari ſenſu quo Maria κεχαριτωμένη [*gratiam conſecuta*] Lucæ I. 28.

Tu ergò animadverte ſermonem] *Attende iis quæ dicam.*

Et intellige viſionem] *Vt intelligas Prophetiam.* Nam ut Prophetæ *Videntes*, ità omne Prophetiæ genus, quocunque modo homini innoteſcat, *Viſio* dicitur.

24. *Septuaginta hebdomades*] Annorum. Ità enim mos erat loquendi, & manet apud Thalmudicos. Ideo ubi de dierum hebdomade agitur ſolet adjici *dierum* nomen, Ezech. XLV. 21. infrà X. 2. & 3. in Hebræo.

Abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum] *Definitæ ſunt.* Iis exactis non ultrà erit populus, id eſt, πολιτεία [*reſpublica*] Iudaïca, quam tu fortè hactenus ſperaſti fore ſempiternam.

Et ſuper urbem ſanctam tuam] Id eſt, tibi adeò amatam.

Vt conſummetur prævaricatio] *Vt finem ſuum accipiat*, pœna ſcilicet: nam *pœnas* פשע [*prævaricationem*] & ſimilibus vocabulis appellare frequens Hebræis.

Et finem accipiat peccatum] In Hebræo, *ad obſignandum peccatum*; id eſt, pœnam peccatorum. *Quæ completa ſunt obſignari ſolent:* ità Cicero ſecundo de Divinatione.

Et deleatur iniquitas] In Hebræo eſt כפר, quod etiam ſic poni ſolet quomodo *piare* apud Latinos:

> *Et culpam miſerorum morte piabunt*,

id eſt, lui facient. Sic dicunt Hebræi, תהי מיתתו כפרה עלי [*Sit mors mea peccatorum meorum luitio*]. Ergò congruenter iis quæ præcedunt rectè vertas, *& luatur iniquitas*, pleniſſimè ſcilicet.

Et adducatur juſtitia ſempiterna] Intra id tempus publicabitur Euangelium, quæ eſt *juſtitia*, non illa ad tempus duratura, ut Legis, quam tu Daniel ſuprà 16. *juſtitiam* non malè appellaſti, ſed ſine fine.

Et impleatur Viſio & Prophetia] Intra id tempus implebuntur Prophetiæ veteres Iacobi, Davidis, Eſaiæ, & aliorum, Matth. XI. 13. Soli Danieli revelata quæ poſt id tempus erant exſtitura, Matthæi XXIV. 15. *Viſio & Prophetia*, id eſt, *viſa Prophetica.*

Et ungatur Sanctus ſanctorum] Dominus Ieſus fiat Χριστὸς [*Vnctus*] per reſurrectionem & aſcenſum in cœleſtem regiam, Actor. II. 36. Rectè autem ille *Sanctus ſanctorum*, id eſt omnium ſanctiſſimus, dicitur, quemadmodum κατ' ἐξοχὴν ὁ ἅγιος [*per Excellentiam, Sanctus ille*] Actor. III. 14. IV. 30. Apocalypſ. III. 7. Iohan. II. 20. ſic explicat hæc de Meſſia Moſes Gerundenſis.

25. *Scito ergò & animadverte*] Diſce & retine.

Ab exitu ſermonis] *A promulgatione edicti.* Id enim eſt *egredi*, ut ſuprà VI. 7. Lucæ II. 1.

Vt iterum ædificetur Ieruſalem] Edictum intellige Darii illius cujus mentio Eſdræ VI. poſt id enim nullum aliud erat exſtiturum ea de re edictum. Qui plura hujus interpretationis argumenta volet cognoſcere, legat quæ Scaliger habet libro VI. Emendationis Temporum, & quæ Iunius ad hunc locum.

Vſque ad Chriſtum ducem] עד [*uſque*] Hebræum hîc & alibi non ultimum terminum ſignificat, ſed aliquid intra terminos contentum; quaſi dicat, incluſâ etiam Chriſti vitâ aſpectabili, qui conſtitutus à Deo populi ſui Princeps in perpetuum impendentibus malis eam liberaſſet, ſi ei paritum fuiſſet.

Hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta erunt] Duo hîc notanda: Hebræos numerum perfectum in particulas ſcindere, ut Ezechiel. XLV. 12. deinde verò, numerum minorem præponere majori, ut Geneſeos V. ſæpiſſime, Geneſ. VIII. 3. & alibi ſæpe.

Et rurſum ædificabitur platea & muri] Verte: *Poſtquam jam rurſus ædificata fuerit platea & foſſæ.*

In anguſtia temporum] Id eſt, in illud ſpatium temporis multa incident mala; Regum cædes, bella civilia mixta externis, Sacerdotium venale, & alia ejuſmodi.

26. *Et poſt hebdomadas ſexaginta duas*] Illas ſcilicet quæ primas ſeptem ſatìs proſperas ſubſequentur.

Occidetur Chriſtus] Huc reſpicit Chriſtus ipſe Lucæ XXIV. 46.

Et non erit ejus populus qui eum negaturus eſt] In Hebræo eſt tantùm ואין לו, id eſt, *non illi*, ſupple *erit obediens ille populus quem redemturus venerat.* Hæc cauſa eſt excidii, quòd Iudæi non paruerint Chriſto, imò & interfici eum curaverint.

Et Civitatem & Sanctuarium] Et Vrbem & Templum.

Diſsipabit] *Evertet.*

Populus] Exercitus.

Cum Duce venturo] In Hebræo: *Ducis venturi*, nempe Titi Veſpaſiani. Sic Hebræorum complures.

Et finis ejus vaſtitas] In Hebræo: *Finis ejus cum inundatione.* Id eſt, poſt Vrbem everſam Titi exercitus totam Iudæam inundabit: quod vides in Ioſepho.

Et poſt finem belli ſtatuta deſolatio] *Pro fine belli erit definita deſolatio.* עד ſæpe *pro* ſignificat, ut Ioël. II. 8. Ieremiæ XI. 14. II Paralipomen. XXX. 18. Deus hunc exitum bello iſti præfinivit, terræ vaſtitatem.

27. *Confirmabit autem pactum multis hebdomadâ unâ*] Id eſt, initium ultimæ annorum hebdomadis (hunc enim ſenſum exigit expoſitio ſequens) multos in Iudæorum fœdus attrahet, ſpémque dabunt belli felicis XX Idumæorum millia in auxilium ipſis

adventura. Vide Ioſephum Belli Iudaïci IV.16. Sed fruſtra hæc omnia.

Et in dimidio hebdomadis] In parte altera ultimæ annorum hebdomadis.

Deficiet hoſtia & ſacrificium] Templo incenſo ante Vrbem captam, Ioſephus Belli Iudaïci VI. 26.

Et erit in templo abominatio deſolationis] כנף ab Hebræis omne *id quod expanditur*, Malach. IV. 2. שקוצים Hebræis ſunt *idola*. Hoc ergò dicit: *per expanſa idola veniet deſolatio*, ſive *excidium* Vrbis. *Idola* illa *expanſa* ſunt ſigna Romanorum militaria omnium expoſita conſpectui, ut diximus ad Matthæi XXIV. 15.

Et uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio] *Et uſque ad conſummationem, & quidem definitam* (à Deo, ut ſuprà 24. 26.) *vaſtitas continget*. Tanta erit vaſtitas & occidio, ut πολιτείας [*Reipublicæ*] illius adeò nobilis nihil ſuperſit futurum, ità Deo conſtituente, cujus decretis obſtrependum non eſt. *Conſummatio* idem quod συντέλεια 1 Macc. III. 42. Præ plurimis expoſitionibus hujus loci de hebdomadibus, quas ex Africano, Euſebio, Hippolyto, Apollinari, Clemente, Origene, Tertulliano, Hebræis, Hieronymus recitat, hæc quam poſui mihi videtur planiſſima. Veterum proximè ad verum ſemper acceſſit Chryſoſtomus II adverſus Iudæos.

CAPVT X.

1. A*Nno tertio Cyri Regis Perſarum*] Cauſa luctûs Danieli fuit, quia Iudæi, quanquam promiſſo reditu in patriam, manebant ſub Imperio Perſarum.

Verbum revelatum eſt Danieli] Res futuræ ei revelatæ ſunt quæ ſequuntur capite XI. ad quod caput hoc caput eſt anteloquii vice.

Cognomento Baltaſar] Etiam hîc tranſpoſitio literæ ſignificationem commutat. Rex Nabuchodonoſor Belum dixerat eſſe *cuſtodem opum*; at Daniel ſemet vocat בלט אשצר, id eſt, *Latenter* (advenit) *ignis hoſticus:* ſignificans ſubitò atque inexſpectatò eveniſſe Babyloni quæ prædixerat.

Et verbum verum] Id eſt, *apertum*, quomodo אמת [*veritas, verum*] etiam ſuprà ſumitur II. 45. VIII. 26. Senſus eſt, Non jam per Statuæ aut Ferarum ænigmata, ſed quaſi in hiſtoria didici ea quæ ventura ſunt cum multò propioribus quàm antè circumſtantiis. Nam quæ antè ſub generali Regnorum nomine indicata fuerant, hîc in ſuos Reges actúſque ſingulos diſtribuuntur.

Et fortitudo magna] Rabbi Abraham exponit *tempus magnum*, quomodo צבא [*militia, tempus militiæ*] ſumi exiſtimat etiam Iobi VII.1. X. 17. Senſus ergò erit, in longum tempus ſpectare ea quæ ipſi revelata ſunt, nempe in annos circiter trecentos, ut diximus ad VIII. 26.

Intellexítque ſermonem, intelligentiâ enim eſt opus in viſione] *Intellexítque rem: nam intelligentia ei* (data eſt) *in ipſa viſione*. Meliùs quàm antè intellexit omnia, quia explanatè admodum dicta ſunt ipſi.

2. *Ego Daniel lugebam*] Ob cauſam modò dictam.

Trium hebdomadarum diebus] Ternarius numerus Deo ſacer; ſeptenarius verò humanarum virtutum conſummationem deſignat.

3. *Panem deſiderabilem non comedi*] In Hebræo, *Panem deſideriorum:* id eſt, panem delicatum.

Et caro] Nihil de animante. Vixi herbis & pomis.

Et vinum non introierunt in os meum] Mos vetus Iudæorum & Chriſtianorum jejunii temporibus etiam vino abſtinere.

Sed neque unguento unctus ſum] Nam etiam talibus deliciis & ornatu per jejunii tempora abſtinebatur. Vide ad Matth. VI. 17.

4. *Eram juxta fluvium magnum qui eſt Tigris*] Nam Suſiane, quæ præfectura erat Danielis (vide ſuprà VIII. 2.) Tigrim attingit. Plinius VI. 27. Ptolemæus in deſcriptione Suſianes.

5. *Et ecce vir unus veſtitus lineis*] Vide quæ dicta Ezech. IX. Videtur hîc deſcribi Michaël nominatus infrà, inter Angelos majeſtate præcipuus.

Et renes ejus] *Lumbi ejus*.

Accincti auro obrizo] Zona ejus erat ex auro [*Ophaz*], ut eſt Ierem. X. 9. quo habitu hîc exhibetur Michaël, & Chriſtus in Apocalypſi factus poſt aſcenſionem caput Angelorum. Vide de hoc loco Chryſoſtomum περὶ ἀκαταλήπτου [*de Incomprehenſibili*]. Erat talis zona ornatus Regum, quomodo amictus lineus Sacerdotum. Angeli & *Reges* dicuntur & *Principes* hoc capite, ob curam populorum: & *Sacerdotes* rectè dicuntur, ideo quòd preces ſanctorum offerant.

6. *Et corpus ejus quaſi chryſolithus*] *Quaſi beryllus*, qui mari concolor Ezech. XXVIII.13. eo variæ vices ſignificantur miniſteriorum Angelicorum nunc huc nunc illuc ſe ferentium, more Oceani. Vide Ezechielis I. 16. X. 9.

Et facies ejus velut ſpecies fulguris, & oculi ejus ut lampades ignis] Vide Matth. XXVIII.3. Significatur in rebus omnibus cognoſcendis celeritas ac perſpicacia.

Et brachia ejus, & quæ deorſum ſunt uſque ad pedes, quaſi ſpecies æris candentis] Per *brachia* ac *pedes* actiones intellige: per *æs candens*, earum actionum puritatem, ut Ezechiel. I. 7.

Et vox ſermonum ejus ut vox multitudinis] Id eſt, quaſi barritus magni agminis, ut Ezech. I. 24. Significantur horrenda judicia in Reges & regna.

7. *Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem: porrò viri qui erant mecum non viderunt*] Confer Actor. IX. 7. Deus eorum quos vult oculos obnubit: Luc. XXIV. 16.

Sed terror nimius irruit ſuper eos] Nempe ex ſono audito, ut dicto Actorum loco.

Et fugerunt in abſconditum] Latebras quæſiere.

8. *Vidi viſionem grandem hanc*] Admirabilem.

Et non remanſit in me fortitudo]. Vires meæ conciderunt, ut ſuprà VIII. 17. 18.

Sed & ſpecies mea immutata eſt in me] Vultus expalluit. Sic ſuprà V. 6.

Et emarcui] In Hebræo, *ad corruptionem*, Græci εἰς διαφθοράν. Ità mutatus eſt vultus, ut omnem priſtinum vigorem amitteret.

9. *Iacebam conſternatus ſuper faciem meam*] Vt ſuprà VIII. 17.

10. *Et ecce manus tetigit me*] Nempe Angeli Gabrielis ſpecie humanâ apparentis (quod infrà apparebit), ut nuntii ſolent. Hic, quia fulgore illo

præditus non erat, aſpici poterat. Confer quæ ſuprà VIII. 16. 17.

11. *Steti tremens*] *Stabam, ſed tremens;* minùs jam commotus, ſed commotus tamen, ob Angeli, quanquam humanâ ſpecie apparentis, præſentiam.

12. *Quo poſuiſti cor tuum ad intelligendum*] Animum intendiſti in impedimenta illa objecta ſtructuræ Templi.

Vt affligeres te in conſpectu Dei tui] Ità ut ob id luctum jejunio teſtareris.

Exaudita ſunt verba tua] Conſtituit Deus ille populum Iudaïcum aliquando ad libertatem perducere.

Et ego veni propter ſermones tuos] Propter preces tuas ego miſſus ſum.

13. *Princeps autem regni Perſici reſtitit mihi viginti & uno diebus*] Toto illo tempore quo tu jejunaſti & precatus es, Angelus Perſas curans omnia molitus eſt, ut perpetuò ſub Perſis manerent Iudæi.

Et ecce Michaël unus de principibus primis] Angelorum primus, Iudæum populum ſub Deo curans, ut apparet infrà 21. Hic eſt cujus majeſtatem modò viderat Daniel, ut ſciret ſub quàm magno tutore eſſet populus Iudaïcus.

Venit in adjutorium meum] Omnia hæc ad modum aulæ Regalis exprimuntur. Gabriel preces perfert: favet ei conſilii Regii Princeps.

Et ego remanſi ibi juxta Regem Perſarum] In Hebræo, *apud Reges Perſarum:* id eſt, apud Angelos Perſidis negotia curantes, quorum primus ille שר [*Princeps*] modò dictus. Hebræis מלכי dicuntur etiam Duces. *Manſi ibi*, ait, ut eorum rationes refellerem.

14. *Veni autem ut docerem te quæ ventura ſunt*] Iſtâ lite peractâ tandem veni.

In noviſſimis diebus] באחרית, id eſt, *poſthac*.

Quoniam adhuc viſio in dies] Id eſt, Longum enim tempus erit antequam omnia quæ tibi dicturus ſum impleantur; ut ſuprà initio hujus capitis.

15. *Dejeci vultum meum ad terram, & tacui*] Durante adhuc aliquantùm metu, de quo ſuprà 9.

16. *Et ecce quaſi ſimilitudo filii hominis*] Propiùs contemplans Gabrielem, videt non eſſe illi ſplendorem Angelicum ſed formam Humanam. In Hebræo eſt, *filiorum hominis*, pro *alicujus filiorum hominis:* nam ſæpe id pronomen ſubintelligitur.

Tetigit labia mea] Et ſic vires mihi dedit loquendi, ut antea ſtandi.

Domine mi] Alloquitur ut ſe majorem.

In viſione tua] Dum te aſpicio, quanquam formâ humanâ præditum.

Diſſolutæ ſunt compages meæ] Contremui, ut ſuprà 11.

17. *Et quomodo poterit*] *Potuiſſet.*

Servus domini mei] Ità ſemet appellat per modeſtiam: ut Geneſeos XVIII. 3. XXXIII. 5. 8. 13. 14. 15. XLIV. 23. 24. 27. XLVII. 3. 4. & alibi.

Loqui cum domino meo] In Hebræo, *Cum domino meo illo:* id eſt, cum altero Angelo tantam præferente majeſtatem.

Nihil enim in me remanſit virium] *Remanſerat*, cùm eum viderem, ſuprà 8.

Intercluditur] *Intercluſus erat.*

18. *Rurſum ergò tetigit me quaſi viſio hominis*] Ille Angelus ſpecie humanâ apparens alterùm me attigit.

19. *Vir deſideriorum*] Vt ſuprà IX. 23.

Pax tibi] Omnia tibi ſalva. Solebant veteres malum aliquod metuere ex viſo cœleſti, tanquam eo indigni, Iudicum XIII. 21. 22.

Confortare] *Sume bonum animum.*

Loquere, domine mi, quia confortaſti me] Et verbis, & additis viribus.

20. *Numquid ſcis quare venerim ad te*] Ex precibus tuis id colligere potes.

Et nunc revertar] Nempe poſtquam futura (quæ ad finem uſque libri decurrunt) tibi explicavero.

Vt prælier] *Vt diſputem:* nam & hoc genus quoddam pugnæ eſt, ſicut Eloquentia dicitur *arma Demoſthenis*.

Adversùm principem Perſarum] Laborantem ut maneat Imperium Perſarum, & ſub eo ſint Iudæi.

Cùm ego egrederer] Id eſt, priuſquam ego è Dei regia diſcederem.

Apparuit] Cauſam ſuam egit.

Princeps Græcorum] Laborans ut Græcis daretur imperium in Iudæos, & id perpetuum maneret.

Veniens] Accedens ad Dei thronum.

21. *Verumtamen*] *Sedenim*, nempe priuſquam mihi redeundum ſit.

Annuntiabo tibi quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis] Perſtat in figura à more Regum deſumta. *Scripturam veritatis* vocat decretum certiſſimum à Deo factum, expenſis omnibus quæ pro Perſis aut Græcis adferri poterant. Eo autem conſtituerat Deus ut Iudæi à Perſis per Græcos, à Græcis per Maccabæos liberarentur.

Et nemo eſt adjutor meus] In promovendis precibus tuis: quod mihi munus mandatum eſt.

In omnibus his] Quæ ad libertate donandos Iudæos pertinent.

Niſi Michaël Princeps veſter] Angelorum primus, primæ gentis, id eſt, Iudaïcæ cuſtos tunc, ut nunc Chriſtus (quem ad Michaëlis modum & ultrà depingit Apocalypſis) Chriſtianæ. Omnes aliarum nationum præſides Angeli aut Perſis favebant aut Græcis. Talia inter Angelos ſtudia exſtinxit Chriſtus.

CAPVT XI.

1. EGo autem ab anno primo Darii Medi ſtabam ut confortaretur & roboraretur*] Cohærent hæc cum ſuperioribus. Angelus enim precum interpres pergit loqui, & ait, ſe jam ab illo tempore, cùm illas ardentiſſimas preces effudit Daniel, quæ ſunt capite IX. omni modo adjuviſſe ea conſilia quæ dabat Michaël. Solent in aulis Regum qui plurimum habent auctoritatis habere alios qui ſecundas agunt.

2. *Et nunc veritatem annuntiabo tibi*] Res apertas ſine ænigmate, ut ſuprà X. 1. Hîc debuerat poni capitis initium.

Ecce adhuc] Poſt Cyrum, cujus tempore hoc viſum obtigit, ſuprà X. 1.

Tres Reges ſtabunt in Perſide] Cambyſes; Smerdis aut Pſeudoſmerdis, *Mardus* Æſchylo; Darius Hyſtaſpis. Hos omnes, ſed additis poſt Mardum Interregibus, habes apud Æſchylum Perſis. Vide Scaligerum libro VI Emendationis, ubi de Hebdomadibus.

Et quartus ditabitur opibus] Xerxes Darii illius filius per Græcorum hiſtorias notiſſimus. Magnas autem opes ei Darius reliquerat. Æſchylus:

> Μὴ μέγας πλοῦτος κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ
> Ὄλβον ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινος.
> [*Arma ne proſtrata ſecum proruant opulentiam*
> *Quanta Dario deorum munere eximio obtigit.*]

Ibidem: ἀπρόσιτος ὁ Περσῶν στρατός [*Perſarum agmen inſuperabile*]. Mardonius apud Herodotum ait Xerxis tempore ſub Perſis fuiſſe Sacas, Indos, Æthiopes & Aſſyrios. In exercitu ejus fuiſſe ait Herodotus quinquagies bis centena octoginta tria millia: Naves Cornelius Nepos & Iuſtinus cIↄ cc.

Concitabit omnes] Subditos, ſocióſque. Vide initium dictæ Tragœdiæ Perſarum Æſchyli.

Adverſùm regnum Græciæ] Omnes populos Græci nominis, & Lacedæmonios cecîdit ad Thermopylas; Athenas incendit: mox terrâ marique victus domum rediit. Hoc autem non ſine cauſa hîc narratur, ut appareat Alexandrum non ſine cauſa probabili poſtea iviſſe in Perſas. Vide Polybium, Curtium, & alios. Meminerit verò qui hæc & ſequentia leget ejus quod nos monet Hieronymus: *Scripturæ ſanctæ propoſitum eſt non externam abſque Iudæis hiſtoriam texere, ſed eam quæ Iſraëlitico populo copulata eſt.*

3. *Surget verò Rex fortis*] Ex Græcis ſcilicet, Alexander.

Et dominabitur poteſtate multâ] Mirè victoriis Imperium ſuum propagabit.

Et faciet quod placuerit ei] Vide Plutarchum de fortuna & virtute Alexandri. Curtius: *Fatendum eſt tamen, qui plurimum virtuti debuerit, plus debuiſſe fortunæ, quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit.* Menander:

> Ὡς Ἀλεξανδρῶδες ἤδη τοῦτο· κἂν ζητῶ τινα,
> Αὐτόματος οὗτος παρέσται· κἂν διελθεῖν δηλαδὴ
> Διὰ θαλάσσης δεῖ τόπον τιν', οὗτος ἔσται μοι βατός.
> [*Quàm verò hoc Alexandreum: ſi quem fortè quærito*
> *Idem præſtò erit continuò; tranſeundus ſi locus*
> *Aliquis per marina ſpatia, pervius fiet ſtatim.*]

Hic locus eſt Danielis, cum aliis fortè præcedentium, quem Alexandro Hieroſolyma intranti oſtendit ſummus Sacerdos Iaddus. Vide Ioſephum XI. 8.

4. *Et cùm ſteterit*] Tanquam victor Aſiæ.

Conteretur regnum ejus] *Quod Imperium ſub uno ſtare potuiſſet, dum à pluribus ſuſtinetur ruit*, ait Curtius.

Et dividetur in quatuor partes cœli]Id eſt, in Duces quatuor, de quibus ſuprà VII. 6. VIII. 8.

Sed non in poſteros ejus] Nam liberûm Alexandri nomen tantùm Ducibus illis pro prætextu fuit, ut ſuprà diximus.

Neque ſecundùm potentiam illius quâ dominatus eſt] *Ducum* nomen ſibi ſument initio, non *Regum*, ſuprà VIII. 22.

Lacerabitur enim regnum ejus etiam in externos, exceptis his] In Hebræo: *etiam aliis præter iſtos.* Etiam alii minores Duces Imperii illius partes ſibi vindicabunt, ut Eumenes, Philotas, Antigonus, Caſſander, Menander, Leonnatus, Acropatos, Scynus, Lyſimachus, & alii. Vide Arrianum, Curtium, Iuſtinum, & alios.

5. *Et confortabitur Rex Auſtri*] Sicut modò multos poſt Xerxem Perſarum Reges, ità nunc multas res τῶν Διαδόχων [*Succeſſorum Alexandri*] tranſilit, res Iudaïcas reſpiciens, ut modò diximus. Ad Aquilonem Iudæis eſt Syria, ad Auſtrum Ægyptus. *Rex Auſtri*, de quo hîc agitur, eſt primus poſt Alexandrum Ægypti Rex Ptolemæus Lagi filius, ideo ſpeciatim nominandus, quòd is Hieroſolyma dolo cepit: quod narrat Ioſephus XII. 1. Hic Ptolemæus magnas ſibi opes paravit, ut teſtatur Iuſtinus libro XIII. Hic eſt ὁ Λαγίδας Πτολεμαῖος [*ille Lagi Ptolemæus*] in Idyllio Theocriti, qui de filii ejus Ptolemæi Philadelphi opibus loquens ait,

> ——— πολὺς δέ οἱ ὄλβος ὀπηδεῖ,
> Πολλᾶς δὲ κρατέει γαίης, πολλᾶς δὲ θαλάσσης.
> Μυρίαι ἄπειροί τε καὶ ἔθνεα μυρία φωτῶν
> Λήϊον ἀλδήσκουσιν ὀφελλόμενον Διὸς ὄμβρῳ.
> Ἀλλ' οὔτις τόσα φύει ὅσα χθαμαλὸς Αἴγυπτος,
> Νεῖλος ἀναβλύζων διερὰν ὅτε βώλακα θρύπτει.
> Οὐδέ τις ἄστεα τόσσα βροτῶν ἔχει ἔργα δαέντων·
> Τρεῖς μέν οἱ πολίων ἑκατοντάδες ἐνδέδμηνται,
> Τρεῖς δ' ἄρα χιλιάδες τρισσαῖς ἐπὶ μυριάδεσσι,
> Δοιαὶ δὲ τριάδες, μετὰ δὲ σφίσιν ἐνδεκάδες τρεῖς·
> Τῶν πάντων Πτολεμαῖος ἀγάνωρ ἐμβασιλεύει.
> Καὶ μὰν Φοινίκας ἀποτέμνεται, Ἀρραβίας τε,
> Καὶ Συρίης, Λιβύης τε, κελαινῶν τ' Αἰθιοπήων·
> Παμφυλίοισί τε πᾶσι καὶ αἰχμηταῖς Κιλίκεσσι
> Σημαίνει, Λυκίοις τε, φιλοπτολέμοις τε Κάρεσσι,
> Καὶ νάσοις Κυκλάδεσσιν· ἐπεί οἱ νᾶες ἄρισται
> Πόντον ἐπιπλώοντι· θάλασσα δὲ πᾶσα καὶ αἶα
> Καὶ ποταμοὶ κελάδοντες ἀνάσσονται Πτολεμαίῳ.
> Πολλοὶ δ' ἱππῆες, πολλοὶ δέ οἱ ἀσπιδιῶται
> Χαλκῷ μαρμαίροντι σεσαγμένοι ἀσφαραγεῦντι.
> Ὄλβῳ μὲν πάντας καταβεβρίθει βασιλῆας·
> Τόσσον ἐπ' ἆμαρ ἕκαστον ἐς ἀφνεὸν ἔρχεται οἶκον
> Πάντοθε. λαοὶ δ' ἔργα περιστέλλουσιν ἕκηλοι.
> [——— *eſt olli dives opum vis:*
> *Multas ille regit terras, maria undique multa.*
> *Sunt alibi innumeræ gentes, feliciáque arva,*
> *In queis læta ſeges cœleſti paſcitur imbre:*
> *Sed non eſt humus Ægypto fœcundior ulla,*
> *Cùm madidat glebas exundans flumine Nilus.*
> *Non alius tot habet florentes artibus urbes:*
> *Oppida namque illi ad decies ter millia parent,*
> *Atque aliæ ter mille urbes, iterumquè trecenta,*
> *Et ternæ undecies, geminatoque ordine terna:*
> *Magnanimus regnat Ptolemæus in omnibus iſtis.*
> *Ille Arabum fruges metit & Phœnicia rura,*
> *Æthiopaſque regit nigros, Arabaſque Syroſque;*
> *Pamphyloſque omnes Cilicumque ferocia corda,*
> *Bellaceſque domat Caras, Lyciûmque phalangas,*
> *Et ſparſas pelago tot Cycladas: optima namque*
> *Navigia illius complent mare. Pontus, humuſque*
> *Imperio parent Ptolemæi, amneſque ſonantes.*
> *Ingens vis equitum, clypeatique agminis ingens*
> *Perſonat acre, quibus fulgenti tegmen ab ære eſt.*
> *Illius exſuperat cunctos opulentia reges.*

Tantum quaque dies magnis penetralibus infert
Vndique. tum gentes in pace laboribus instant.]

Hæc ille à patre acceperat. Pater autem ipſe, de quo hîc ſermo, ad Ægyptum adjecerat Cyprum, Phœnicen, Cariam, aliaſque inſulas & regiones, ut hîc ex antiquis commemorat Hieronymus. Addendus hîc Appiani locus ad eundem Ptolemæum Philadelphum pertinens: Καὶ τοῖς ἐμοῖς βασιλεῦσι μόνοις ἦν στρατιά τε πεζῶν μυριάδες εἴκοσι, καὶ μυριάδες ἱππέων τέσσαρες, καὶ ἐλέφαντες πολεμιστοὶ τριακόσιοι, καὶ ἅρματα ἐς μάχας διχίλια, καὶ ὅπλα εἰς διαδοχὴν μυριάσι τριάκοντα· καὶ τάδε μὲν αὐτοῖς ἐς πεζομαχίαν· ἐς δὲ ναυμαχίας κοντωτὰ καὶ ὅσα σμικρότερα ἄλλα διχίλια, τριήρεις δὲ ἀπὸ ἡμιολίας μέχρι πεντήρους πεντακόσιαι καὶ χίλιαι· καὶ σκεύη τριηρετικὰ διπλότερα τούτων, θαλάμηγά τε χρυσόπρυμνα καὶ χρυσέμβολα ἐς πολέμου πομπὴν, οἷς αὐτοὶ διαπλέοντες ἐπέβαινον οἱ βασιλεῖς ὀκτακόσιοι. χρημάτων δὲ ἐν τοῖς θησαυροῖς τέσσαρες καὶ ἑβδομήκοντα μυριάδες ταλάντων Αἰγυπτίων· ἐς γὰρ δὴ τοσοῦτο παρασκευῆς τε καὶ στρατιᾶς ἐκ τῶν βασιλικῶν ἀναγραφῶν φαίνεται προαγαγών τε καὶ καταλιπὼν ὁ δεύτερος Αἰγύπτου βασιλεὺς μετ᾽ Ἀλέξανδρον. [*Quippe meis Regibus ſolis exercitus fuit peditum ducenties mille, equitum quadragies mille, & elephantes bellis utiles trecenti, currus ad prælia bis mille, arma quæ perpetuò ſufficerent trecentis millibus. Et hæc quidem ad bellum terreſtre. Ad bellum verò navale, naves contis propulſæ & minores aliæ bis mille; naves verò longæ, à biremibus ad uſque eas quæ quinque ordinibus agebantur, mille & quingentæ; armamenta autem ad duplicem harum numerum ſufficientia: tum verò naves quæ thalamegi dicebantur, aureis cum proris aureiſque puppibus ad belli ornatum, in quibus Reges ipſi vectabantur, octingentæ: pecuniæ in theſauris ſeptingenta & quadraginta millia talentorum Ægyptiorum. Nam has opes & hos belli paratus coëgerat reliqueratque ſecundus poſt Alexandrum Rex, ut ex regiis commentariis apparet*]. Hieronymus eundem Ptolemæum Philadelphum ait de Ægypto per ſingulos annos accepiſſe XIV millia & octingenta talenta.

Et de principibus ejus] Supple, *Alexandri*, antè indicati.

Prævalebit ſuper eum] Res magnas geret Seleucus Nicator, qui, capto Demetrio, Syriæ adjecit Aſiam: Iuſtinus XVI. Vicit prælio & Lyſimachum Thraciæ Regem, & Antigonum in Phrygia, & Androcotum in India, ob tot inſignes victorias dictus *Nicator*, teſte Appiano.

Et dominabitur ditione: multa enim dominatio ejus] In Hebræo: *Et imperabit, ità ut Imperium ejus magnum ſit Imperium.* Hoc dicit propter adjectionem Gog ad Magog. Vide Ezechielem. Appianus ea quæ Seleucus tenuit commemorans, in iis ponit Syriam, Phrygiam, Meſopotamiam, Bactrianam, Arabiam, Pyros, Sogdianen, Arachoſiam, Hyrcaniam, & Indiæ multa, etiam ultra flumen Indum: additque multò potentiorem fuiſſe aliis qui Alexandro ſucceſſerunt: conditas ab eo urbes Antiochias ſexdecim, Laodiceas quinque, Stratoniceam, Berrhœam, Edeſſam, Perinthum, Maroneam, Callipolin, Achaiam, Pellam, Oropum, Amphipolin, Arethuſam, Aſtacum, Tegeam, Chalcida, Lariſſam, Heream, Apolloniam; in Parthia Soteram, Calliopen, Charita, Hecatompolin, Achaiam alteram; apud Indos Alexandropolin; apud Scythas Alexandreſchata; Nicephorium præterea in Macedonia, in Armenia Nicopolin, dictas has urbes ex ſuis victoriis.

6. *Et poſt finem annorum fœderabuntur*] Venient ad fœdera hinc Ægypti, indè Syriæ Aſiæque Reges.

Filiáque Regis Auſtri] Berenice Ptolemæi Philadelphi filia.

Veniet ad Regem Aquilonis] Ad Syriæ & Aſiæ Regem Antiochum cognomine *Deum*, nepotem Seleuci Lagidæ, veniet, deducente eam patre Peluſium uſque cum infinitis millibus auri & argenti: unde ipſa dicta φερνοφόρος [*Dotata*], teſte hîc Hieronymo. Vide & Appianum.

Facere amicitiam] In Hebræo, *ad faciendas rectitudines:* quod συνθήκας [*pacta*] vertit Theodotio. Per fœdera corriguntur curva.

Et non obtinebit fortitudinem brachii] Id eſt, non diu erit in auctoritate. Id enim זרוע [*brachium*] Hebræis, quod ἀντίληψιν [*vim adjuvandi*] vertunt LXX.

Nec ſtabit ſemen ejus] In Hebræo, *& non ſtabit* (ipſa ſcilicet) *& ſemen ejus*: id eſt, neque ipſa neque ſtirps ejus in Imperio manebit.

Et tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam, adoleſcentes ejus, & qui confortabunt eam in temporibus] Illud הילדה, quod hîc vertitur *adoleſcentes*, ab aliis *genitor*, optimè ſcribes cum Patach ſub Iod, ut ſenſus ſit, *Tradetur* (in manus hoſtium) *& ipſa, & qui eam comitati fuerant* (nempe ex Ægypto), *& filius ejus, & quiſquis illo tempore ejus partes ſecutus fuit.* Berenice cùm in Daphneo ſe clauſiſſet cum filio ſuo, dolo circumventa & trucidata eſt à privigno Seleuco Callinico. Narrant Iuſtinus & Appianus.

7. *Et ſtabit de germine radicum ejus plantatio*] In Hebræo, *Et ſurget de ſurculo radicum ejus* (Berenices) *qui ſit loco ipſius germinis.* Ex Ptolemæo Philadelpho, unde nata Berenice, exſiſtet Ptolemæus Euergetes, qui regnum paternum obtinebit.

Et veniet cum exercitu] Ad vindicandam ſororis injuriam; Appianus Syriacis, Iuſtinus libro XXVII.

Et ingredietur provinciam Regis Aquilonis] Appianus, ἐς Συρίαν ἐνέβαλε, καὶ ἐς Βαβυλῶνα ἤλασε [*Expeditionem fecit in Syriam, & Babylonem intravit*]. In Hebræo eſt: *Ingredietur munitionem*, id eſt, fines.

Et abutetur eis, & obtinebit] In Hebræo, *& faciet in eis, & obtinebit.* Nec aliter Theodotion. Senſus eſt: *ità aget intra illos fines ut potiatur*, bonâ ſcilicet parte Syriæ. Multæ urbes ſe ei tradidere, ut narrat Iuſtinus.

8. *Inſuper & deos eorum & ſculptilia*] *Et* pro *id eſt.*

Vaſa quoque pretioſa auri & argenti captiva ducet in Ægyptum] Nempe vaſa ſimul & ſimulacra duo millia quingenta. In iis etiam ſimulacra quæ Cambyſes olim ex Ægypto in Perſida aſportaverat, ob quæ reducta *Euergetes* dictus Ægyptiis: ità ex hiſtoriis Hieronymus.

Ipſe prævalebit adverſùs Regem Aquilonis] Niſi in Ægyptum domeſticâ fortunâ revocatus eſſet, totum regnum Seleuci occupaſſet, ait Iuſtinus.

9. *Et intrabit in regnum*] *Poſtquam ingreſſus fuerit in regnum*, ſupple *Syriæ*.

Rex Auſtri] Ptolemæus ille Euergetes.

Et revertetur in terram ſuam] *Mox revertetur in terram ſuam*, in Ægyptum; non impunè tantùm, ſed cum maxima præda ad XL *millia talentorum argenti*, Hieronymus.

10. *Filii autem ejus provocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum*] *Filii autem ejus* (Seleuci ſcilicet Callinici, quibus nomina *Seleucus Ceraunus*, & *Antiochus Magnus*) *irritati* (facto ſcilicet iſto Ptolemæi Euergetæ) *maximos exercitus cogent*. Meminere Polybius libro II. & V. item Appianus.

Et venire properans & inundans] Nempe alter eorum Antiochus Magnus. Is jam ſolus deſignatur, quia Seleucus Ceraunus in ipſo molimine intercidit. Antiochus ergò *venit ſubitò, & inundavit*, nempe Iudæam cum Cœle Syria, prodente eam Theodoto Ptolemæi Philopatoris Toparchâ. Auctor Polybius libro IV.

Et revertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore ejus] In Hebræo, *Et tranſibit iterum irritatus uſque ad fines ejus. Iterum irritatus*, fruſtrà tentatâ pace, *tranſibit* per eum locum cui nomen *Phanuel* (quod Θεοῦ πρόσωπον [*Dei faciem*] vertit Polybius) ad ulteriora, captiſque Botry, Triere, Calamo, Philoteriâ, Atabyrio, Pellâ, Camaone, Gephrone, Abylâ, Galatide, Gadoris, & in Arabia Rabbatamano, perveniet uſque ad Raphiam locum munitiſſimum in finibus Ægypti. Hæc omnia habet dicto libro quinto Polybius.

11. *Et provocatus Rex Auſtri*] Tantis damnis excitus Rex Ægypti Ptolemæus Philopator.

Egredietur] Ex Ægypto.

Et pugnabit adversùs Regem Aquilonis] Prælium committet cum Antiocho Magno ad Raphiam, cujus meminit præter Polybium Strabo libro VI. & ſcriptor tertii Maccabaïci.

Et præparabit multitudinem nimiam] *Maximo exercitu contracto*, nempe peditum ſeptuaginta, equitum quinque millibus, elephantis ſeptuaginta tribus, navibus tectis triginta, onerariis quadringentis.

Et dabitur multitudo in manu ejus] Plurimos de exercitu Antiochi Magni capiet, *quatuor millia* ait Polybius, ſcriptor tertii Maccabaïci πολλοὺς δὲ καὶ δορυαλώτους [*multos etiam captivos*].

12. *Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor ejus*] *Et ob captam multitudinem efferet ſe ejus animus.* Omni enim metu abjecto luxui ſe dedit, & amoribus Pſaltriæ ac concubinarum. Syriâ ac Iudæâ intratis Templum Dei contemnit, in adytum intrans contra Legem: quâ de causâ ipſi νοῦν ἀγέρωχον [*animum ſuperbum*] tribuit ſcriptor Maccabaïci tertii. Adde Ioſephum XII. 3.

Et dejiciet multa millia, & non prævalebit] Id eſt, *quanquam dejectis multis millibus, non tamen prævalebit*, id eſt, ipſum Antiochum neque interficere, neque capere poterit. Itâ hîc Hieronymus.

13. *Convertetur enim Rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multò majorem quàm priùs*] Locutio Hebraïca, pro qua dicas Latinè, *Iterum colliget exercitum multò quàm antè majorem*, nempe Magnus Antiochus, ex Babylonia maximè, ut hîc notat Hieronymus. Adde Appianum initio rerum Syriacarum, qui & ex Media collectum ait exercitum.

Et in fine temporum annorúmque] Mortuo Philopatore, regnum autem Ægypti adepto filio Ptolemæi Philopatoris Ptolemæo Epiphane.

Veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis] Sperans ſe Ægyptum eripere poſſe puero Ptolemæo Epiphani; Appianus dicto loco, Polybius libro XVI. citante Ioſepho XII. 3. & libro XVI. & XVII. in Fragmentis.

14. *Et in temporibus illis multi conſurgent contra Regem Auſtri*] Philippus Rex Macedonum ſocietatem iniit cum Antiocho Magno ad invadendam Ægyptum, ut hîc memorat Hieronymus.

Filii quoque prævaricatorum populi tui] In Hebræo, *perfractorum*, *Legis* ſcilicet. Illi nimirum qui in gratiam Ptolemæi Euergetæ, cùm is Scopam miſiſſet, & per eum pleraque Iudææ ſui juris feciſſet, à religione defecerunt.

Extollentur ut impleant viſionem, & corruent] Superbient freti armis, ſed mox cadent, Antiocho Scopam & ipſos vincente, ut eo modo impleantur veteres Prophetiæ, quæ Legem ſpernentibus omnia mala denuntiant. De hac victoria Antiochi contra Epiphanem Ptolemæum vide Ioſephum XII. 3. Ptolemæum autem Epiphanem id omni modo egiſſe ut Iudæos multos ab Iudaïſmo abduceret, diſcas ex Maccabaïco tertio.

15. *Et veniet Rex Aquilonis*] *Nam veniet*. Cauſam narrat ruinæ illorum Iudæorum qui Legem contemſerant.

Et comportabit aggerem] Vallum caſtrenſe jaciet contra Sidonem; Hieronymus hîc.

Et capiet urbes munitiſſimas] In Cœle Syria & Samaria; Ioſephus dicto loco: adde & in Ægypti finibus, teſte Appiano. Livius lib. XXXIII. *Antiochus cùm priore æſtate omnibus quæ in Cæle Syria ſunt civitatibus Ptolemæi in ſuam poteſtatem redactis, in hyberna Antiochiam conceſſiſſet.*

Et brachia Auſtri non ſuſtinebunt] Non poterunt illa loca tueri Ægyptii. De hoc loquendi genere vide ſuprà 6.

Et conſurgent electi ejus ad reſiſtendum, & non erit fortitudo] In Hebræo: *Et quanquam populoſa erit juventus ejus, non tamen vires habebit ad obſiſtendum*, Antiocho Magno ſcilicet.

16. *Et faciet veniens ſuper eum juxta placitum ſuum, & non erit qui ſtet contra faciem ejus, & ſtabit in terra inclyta*] *Poſtquam contra illum veniens fecerit quæ voluerit, nemine ſe ipſi opponente, firmabit ſe in terra amœniſſima*: id eſt, in Iudæa, ut ſuprà VIII. 9. Antiochus Magnus multis victoriis potitus Iudæam omnem, Iudæis non nolentibus, tenuit, & ex eorum commeatu aluit exercitum, & urbe Hieroſolymorum intratâ, Scopæ milites qui in arce erant obſedit; Ioſephus XII. 3. qui & Polybium allegat.

Et conſumetur in manu ejus] Meliùs, *& perficietur per eum*: id eſt, Iudæa ſub ipſo florebit. Nam Antiochus Magnus diſperſos Iudæos Hieroſolyma revocavit, ibi habitantes in triennium immunes fecit tributorum, tertiâ parte eorundem tributorum levavit in perpetuum; Senatores, Sacerdotes, Levitas immunes fecit à capitatione & auro coronario; vivere Iudæos ex legibus Iudaïcis voluit; ad ſacrificia pecudes & pecunias dedit, ligna verò ad Templi opus perficiendum, jubens τὸ περὶ τὸ ἱερὸν ἀπαρτισθῆναι ἔργον [*opus Templi perfici*]. Hæc ſunt omnia in epiſtola Antiochi, quam dicto capiti tertio libri XII inſeruit Ioſephus, ubi ἀπαρτισθῆναι eſt quod hîc כלה, quod alibi per συντελεῖν [*conſummare*], alibi per τελειοῦν [*finire*], aut πληροῦν [*implere*] vertunt LXX.

17. *Et ponet faciem ſuam ut veniat ad tenendum univerſum regnum ejus*] Omnia fecit ὡς Αἴγυπτον ἔρημον ἄρχοντος (ob pueritiam nempe Ptolemæi Epiphanis) ἁρπασόμενος [*tanquam rapturus Ægyptum Principe vacuam*], ait Appianus. Iuſtinus: *Contemtâ parvuli filii ejus* (Philopatoris) *ætate, qui in ſpem regni relictus præda etiam domeſticis erat, Antiochus Rex Syriæ occupare Ægyptum ſtatuit.*

Et recta faciet cum eo] *Fœdera*, ut ſuprà 6. Diffiſus ſcilicet Ægyptum vi capi poſſe ob metum à Romanis, ut notat Appianus, leoninâ non ſatìs proficiente, vulpinam induet.

Et filiam feminarum dabit ei] Eſt & hîc ἔλλειψις [*Omiſſio verbi*] בת הנשים [*filiam feminarum*] pro בת אשת הנשים, *filiam ſuam, quæ erat femina feminarum*: id eſt, pulcherrima. Ea fuit Cleopatra, *Syra* cognomine, quam Ptolemæo Epiphani deſpondit Antiochus, dotem dans Syriam Cœlen, ſed animo ſubdolo.

Vt evertat illud] *Vt corrumpat eam.* Hoc animo fecit eas nuptias ut Cleopatræ operâ ac conſiliis contra Ptolemæum Euergeten uteretur.

Et non ſtabit] *At non ſuccedet hoc.*

Nec illius erit] Cleopatra magìs erit in poteſtate mariti quàm patris.

18. *Et convertet faciem ſuam ad inſulas*] Conſilia ſua vertet ad capienda maritima Thraciæ & Græciæ loca; nam omnia maritima *inſulæ* Hebræis: quanquam & inſulas Rhodum, Samum, Eubœam, Delum Antiochus ſibi vi aut ſocietate adjunxit. Habes hoc apud Appianum, Florum, & Hieronymum hoc loco. Adde Livium XXXIV.

Et capiet multas] Πολλὰ τῆς Θρᾴκης ὑπηγετό τε καὶ κατεστρέφετο [*multa Thraciæ loca ſubegit & evertit*], Appianus.

Et ceſſare faciet Principem opprobrii ſui, & opprobrium ejus convertetur in eum] Optimè vertas, *Et ceſſare faciet Dux ipſius in ſe contumelias, quin etiam contumelias illius in ipſum vertet.* קצין [*Dux*] eſt Lucius Scipio Africani pater, non Rex, ſed Dux Romani exercitûs. Is non tantùm efficiet nè Antiochus ullos ſocios populi Romani bello laceſſat, verùm etiam ipſum victum prælio ad Sipylum montem coget accipere pacem probroſam, per quam Antiochus omni Europâ abſtitit, & Aſiâ omni intra Taurum montem, elephantos & naves quot vellent Romani promiſittradere, dans obſides, perſolvere belli impenſas. Habes hoc apud Plinium libro XXXVII. Florum II.8. Iuſtinum XXXI. Appianum Syriacis, Polybium in Excerptis de legationibus.

19. *Et convertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ*] In Hebræo: *ad fines regni ſui.*

Et impinget, & corruet, & non invenietur] Iuſtinus: *Interea in Syria Rex Antiochus, cùm gravi tributo pacis à Romanis victus oneratúſque eſſet, ſeu inopiâ pecuniæ compulſus, ſeu avaritiâ ſollicitatus, quâ ſperabat ſe ſub ſpecie tributariæ neceſſitatis excuſatiùs ſacrilegia commiſſurum, adhibito exercitu, nocte templum Didymæi Iovis aggreditur: quâ re proditâ, concurſu incolarum cum omni militia interficitur.* Vbi pro *Didymæi* legendum videtur *Elymæi*, ex Hieronymo ad hunc locum. Favet huic conjecturæ quòd Strabo libro XVI. *interfectum à Barbaris* ait hunc Antiochum *cùm Beli templum ſpoliare conaretur.* Ergò נכשל [*impinget*] valet hîc *imprudenter ſe geret.*

20. *Et ſtabit in loco ejus viliſſimus & indignus decore Regio*] In Hebræo eſt: *& ſtabit in loco ejus* (id eſt, ſuccedet Antiocho Magno, eo loquendi genere quod & ſuprà habuimus 7.) *is qui mittet exactorem gloriæ regni. Gloria regni* ſive *Regis eſt populus*, Proverb. XIV. 27. Hunc gravibus exactionibus preſſit Seleucus Philopator, *Soter* dictus; nec mirum, cùm nec Templo pepercerit: miſit enim Heliodorum ut exigeret pecunias de Templo, II Maccabæorum III. 7. Illud *ſtabit in loco ejus* & Porphyrium refutat, qui hæc ad Ptolemæum Epiphanem Ægypti Regem trahebat, & Hebræos, qui ad Tryphonem Antiochi Sedetæ tutorem.

Et in paucis diebus] In Hebræo, *in diebus anni.* Senſum bene expreſſit Latinus. Simile loquendi genus ſuprà habuimus IV. 16.

Conteretur] *Interibit.*

Non in furore, nec in prælio] Neque per ſeditionem populi, neque vi hoſticâ, ſed ἐξ ἐπιβουλῆς Ἡλιοδώρου [*ex inſidiis Heliodori*], ut loquitur Appianus, & veneno, ut credibile eſt.

21. *Et ſtabit in loco ejus deſpectus*] Hîc jam deſignatur Antiochus dictus ſuis Ἐπιφανὴς [*Illuſtris* vel *Nobilis*], aliis Ἐπιμανὴς [*Furioſus*], *cornu parvum* ac *decimum*, in quo deſinit hoc capite Daniel, populum Iudæum poſt id liberum proſpiciens, talémque manſurum, ſi bonis ſuis rebus bene uti didiciſſet. Dicitur autem hic Antiochus *deſpectus*, ob mores ab omni non tantùm Principis dignitate ſed & viri honeſti gravitate alienos, quos ex Polybio nobis latè deſcriptos dedit Athenæus libro V. & X. Magnò velim ad explicanda quæ ſequuntur Sutorium mihi dari quo uſus olim Porphyrius. Eum multóſque alios cùm non habeamus, utendum nobis iis ſcriptoribus qui reſtant, & iis quæ ex Porphyrio nobis dedit Hieronymus.

Et non tribuetur ei honos Regius] Id eſt, populus, ut ſuprà diximus 20. Nullum habebit populum cui imperet, quia lege ſucceſſio regni pertinebat ad fratrem ejus majorem Seleucum Philopatora, ac deinde ad ejus Seleuci filium Demetrium.

Et veniet clàm, & obtinebit regnum in fraudulentia] In Hebræo, *Veniet tranquillè, & obtinebit regnum blanditiis*: id eſt, ſimulatione clementiæ populum Syriæ alliciet.

22. *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie ejus*] In Hebræo: *Et brachia inundatione inundabuntur à facie ejus. Brachia* ſunt vires, ut ſuprà 6.15. *Inundatio*, copiæ magnæ, ut ſuprà 10. Intellige copias Attali & Eumenis Antiocho faventium per has oppreſſit Antiochus hic Heliodorum, qui cùm Seleucum Philopatora, ab Antiocho fortè in id concitatus, occidiſſet, mox ipſe ſceleris ſui fructu potiri voluerat, Syriæque regnum affectabat. Appianus teſtis.

Et contererentur] Heliodori ſectatores.

Inſuper & Dux fœderis] In Hebræo: *Etiam Princeps fœderis*, id eſt, Princeps cum ipſo fœderatus, Demetrius ſcilicet filius Seleuci Philopatoris.

23. *Et poſt amicitias cum eo faciet dolum*] In Hebræo, *Et poſtquam ſocietatem cum eo fecerit utetur dolo:* efficiendo per amicos quos Romæ habebat, ut Demetrius Romæ retineretur, ipſe interim eo abſente res ſuas promovens.

Et aſcendet, & ſuperabit in modico populo] *Roborabit ſe modicâ gente.* Initia ejus in Syria erunt exigua, ſed paulatim creſcet, ut ſequitur.

24. *Et abundantes & uberes urbes ingredietur*] *Paulatim optima regionis* (Syriæ) *invadet*.

Et faciet quæ non fecerunt patres ejus] Tum exactionibus, tum largitionibus majores ſuos ſuperabit.

Rapinas & prædam, & divitias eorum] Gazas quas majores ſibi bello pepererant, aut ex tributis contraxerant.

Diſsipabit] Elargiendo in milites ſuos, & in Attalum & Eumenem. Vide 1 Maccab. III. 30. Fuit enim Antiochus μεγαλόψυχος καὶ φιλόδωρος [*magni animi & largitor*], Ioſephus XII. 11.

Et contra firmiſsimas cogitationes inibit] Scripſerat Interpres *contra firmiſsima*, על מבצרים, id eſt, ad occupanda loca in finibus, ut ſuprà 15. Græci legêre על מצרים, ἐπ' Αἴγυπτον [*adverſùs Ægyptum*], ut idem dicatur quod in ſequentibus, & 1 Macc. I. 17. ὑπέλαβε βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου [*ſperavit regnare in Ægypto*]. Sed melior eſt recepta lectio.

Et hoc uſque ad tempus] Id eſt, per annos aliquot hæc aget.

25. *Et concitabitur fortitudo ejus, & cor ejus adverſùs Regem Auſtri*] Et vires & animum vertet in Regem Ægypti Ptolemæum Philometora.

In exercitu magno] Id eſt, *cum magno exercitu.* Hæc eſt prima expeditio apertè ſuſcepta in Philometorem, quòd is ſibi jus in Syriam vindicaret. Ejus meminit ex Sutorio Hieronymus. De eo ſcriptor 1 Maccab. I. 18. εἰσῆλθεν εἰς Αἴγυπτον ἐν ὄχλῳ βαρεῖ ἐν ἅρμασι, καὶ ἐλέφασι, καὶ ἐν ἱππεῦσι, καὶ ἐν στόλῳ μεγάλῳ [*intravit in Ægyptum cum magno exercitu, curribus, elephantis, equis, & claſſe valida*].

Et Rex Auſtri provocabitur ad bellum multis auxiliis] In Hebræo, *Et Rex Auſtri contendet bello cum magno exercitu*: Græcè, συνάψει πολέμῳ ἐν δυνάμει μεγάλῃ. Eodem modo vertunt LXX גרה [*confligere*] Hebræum Deuteronomii II. 5. 9. 24. Ieremiæ autem L. 24. per ἀνθίστασθαι [*obſiſtere*].

Et fortibus nimis] *Et eo* (exercitu) *valdè forti*, ità ut ſpes eſſet vincendi Antiochum, ſi res ejus bene adminiſtratæ fuiſſent ab Eulaio & Leneo.

Quia inibunt adverſùs eum conſilia] Ii quibus utetur Philometor ipſi nocebunt.

26. *Et comedentes panem cum eo conterent eum*] Ἐξήγησις [*Explicatio*] ejus quod præceſſit. Prodetur à maximè familiaribus; familiaritas enim denotari ſolet per menſæ communionem, Iohan. XIII. 18. Pſalmo XLI. 10.

Exercitúſque ejus opprimetur] Nempe *inter Caſium montem & Peluſium.* Ità ex Sutorio Hieronymus. Scriptor 1 Maccab. I. 19. Καὶ ἐνετράπη Πτολεμαῖος ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ καὶ ἔφυγε [*veritus eſt Ptolemaus à facie ejus & fugit*]. Ioſephus XII. 6. γενόμενος οὖν μετὰ πολλῆς δυνάμεως κατὰ τὸ Πηλούσιον, καὶ δόλῳ τὸν Φιλομήτορα Πτολεμαῖον περιελθὼν καταλαμβάνει τὴν Αἴγυπτον [*progreſſus igitur magno cum exercitu ad Peluſium Ptolemæum Philometora dolo circumvenit, & Ægyptum capit*].

Et cadent interfecti plurimi] Ingens erit clades: ἔπεσον τραυματίαι πολλοί [*multi vulnerati cecidere*], dicto loco Maccabaïci.

27. *Duorum quoque Regum cor erit ut malefaciant, & ad menſam unam mendacium loquentur*] Memphide inter ſe convenient, ſpecie amici, animo infidi ſuſpectíque mutuò, Antiochus Epiphanes & Ptolemæus Philometor. Vide Hieronymum.

Et non proficient] Non ſuccedent doli.

Quia adhuc finis in aliud tempus] *Quia eventus* (illorum dolorum) *adhuc in aliud tempus* à Deo dilatus eſt ſcilicet. Hoc eſt tempus de quo mox infrà 29.

28. *Et revertetur in terram ſuam cum opibus multis*] Scriptor 1 Maccab. I. καὶ ἔλαβε τὰ σκῦλα τῆς Αἰγύπτου. Καὶ ἐπέστρεψεν Ἀντίοχος μετὰ τὸ πατάξαι Αἴγυπτον [*Et accepit ſpolia Ægypti: & reverſus eſt Antiochus poſtquam percuſſit Ægyptum*].

Et cor ejus adverſus teſtamentum ſanctum] Cogitationes inſtituet contra legem Dei, quam διαθήκην ἁγίαν [*Teſtamentum ſanctum*] in hujus rei hiſtoria vocat ſcriptor 1 Maccab. I. 66. Hoc eſt quod contumelioſè narrat Tacitus: *Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus.* Hic eſt primus adventus Antiochi in Iudæam præteritus à ſcriptore primi Maccabaïci, quòd ſecundi adventûs res multò atrociores fuerint.

Et faciet] De Sacerdotio egit ut voluit.

Et revertetur in terram ſuam] Ex Iudæa in Syriam dicto loco Maccabaïci: καὶ λαβὼν πάντα ἀπῆλθεν εἰς τὴν γῆν αὐτοῦ [*& accipiens omnia abiit in terram ſuam*].

29. *Statuto tempore*] A Deo, ut ſuprà 27.

Revertetur, & veniet ad Auſtrum] Id eſt, iterum in Ægyptum veniet, ſpecie adjuvandi Ptolemæum Philometora contra ſeditioſos Alexandrinos ſuffultos præſentiâ Ptolemæi minoris, qui frater Philometori; cæterùm eo animo ut utrumque everteret, quemadmodum narrat Livius libro XLV. 5. & Appianus XXXIV. Hoc eſt ſecundum iter Antiochi in Ægyptum, cujus mentio II Maccabæorum V. 1. & Ioſephi XII. 6.

Et non erit priori ſimile noviſsimum] Non erit ei ſecunda hæc expeditio tam felix quàm prima.

30. *Et venient ſuper eum trieres & Romani*] In Hebræo: *Et venient ſuper eum naves Chittim.* Græcè: καὶ εἰσελεύσονται ἐν αὐτῷ οἱ ἐκπορευόμενοι Κίτιοι [*& venient ad eum profecti Cittii*]. Optimè vertas: *Venient contra eum naves è Macedonia.* כתים [*Chetim*] primùm dicti *Cittiæi*, qui in Cypro, ut diximus ad Num. XXIV. 24. Cœpit deinde ea vox ab Hebræis, ut fit, latiùs extendi ad ſignificanda omnia quæ Hebræis tranſmarina, præcipuè Macedoniam, ut apparet 1 Maccab. I. 1. Romani autem eo tempore quod hîc prædicitur jam Macedoniam devicerant, partímque ibi partim in locis proximis claſſem habebant validam. Livius libro XLV, poſt finem

belli Macedonici : *Victoriæ Romanæ fama cùm pervaſiſſet in Aſiam, Antenor* (Dux alter Romanæ claſſis) *qui cum claſſe lemborum ad Phanas ſtabat* (id eſt Chiorum promontorium), *Caſſandriam indè trajecit* (ea eſt urbs Macedoniæ, ut docet nos Plinius IV. 10.). *C. Popilius qui ad Delum præſidio navibus Macedoniam petentibus erat, poſtquam debellatum in Macedonia, & ſtatione ſummotos hoſtium lembos audivit, dimiſſis & ipſe Atticis navibus, ad ſuſceptam legationem peragendam navigare Ægyptum pergit, ut priùs occurrere Antiocho poſſet quàm ad Alexandriæ mœnia accederet.*

Et percutietur] In Hebræo, *Dolore afficietur.* Græcè, ταπεινωθήσεται [*humiliabitur*]. Maximo ſuo cum dolore ad mandata Popilii, qui eum virgâ circumſcribet ut ſine mora reſpondeat, cogetur Ægypto exire, præſidiáque & claſſem abducere. Livius dicto libro XLV.

Et revertetur] Ægypto relictâ in Syriam.

Et indignabitur contra teſtamentum Sanctuarii] Iram contra Romanos collectam effundet in legem Dei, quæ *pactum ſanctitatis*, id eſt, ſanctiſſimum dicitur, ut modò 28. Aquila hoc loco verterat : *Et cogitabit ut deſeratur pactum Sanctuarii.*

Et faciet] Multa mala Iudæis per homines illos quos in Iudæa nuper reliquerat.

Revertetúrque & cogitabit adversùm eos qui dereliquerunt teſtamentum Sanctuarii] In Hebræo eſt, *& revertetur*, intellige *ſuper derelinquentes pactum ſanctitatis.* Id verò locutione Hebraïcâ ſignificat, *Iterum favebit Legis deſertoribus*, Iaſoni, Menelao, & his ſimilibus.

31. *Et brachia ex eo ſtabunt*] Venit enim ἐν ὄχλῳ βαρεῖ [*cum magno exercitu*], I Maccab. I. 18. Locum hunc & ſequentia quædam videbis bene verſa & commodè explicata apud Chryſoſtomum II adverſus Iudæos.

Et polluent ſanctuarium fortitudinis] Intrabunt in Templum & vaſa auferent, I Maccab. I. 23. & ſequentibus, II Maccab. II. 15. *Sanctuarium fortitudinis*, quia Templum erat munitum arcis in modum. Vide Ezechiel. XL. 2.

Et auferent juge ſacrificium] Hic alter profanationis gradus, tempore aliquo interpoſito ; juſſit enim Rex κωλῦσαι ὁλοκαυτώματα καὶ θυσίαν καὶ σπονδὴν [*prohibere holocauſta & ſacrificium & libationem*], I Maccab. I. 47. Ioſephus : καὶ γὰρ τὰς καθημερινὰς θυσίας ἃς προσέφερον τῷ Θεῷ κατὰ τὸν νόμον ἐκώλυσεν αὐτοὺς προσφέρειν [*nam & ſacrificia quotidiana, quæ ex Lege offerre Iudæi ſolebant, offerre eos vetuit*]. Porphyrius in libro περὶ ἀποχῆς [*de Abſtinentia*], ait Iudæos ἀνήκεστα παθεῖν ὑπ' Ἀντιόχου εἰς τὰ νόμιμα [*ſæviſſima ab Antiocho paſſos legum ſuarum causâ*].

Et dabunt abominationem in deſolationem] In Hebræo, *Et ponent* (ibi) *idolum vaſtitatis :* id eſt, unde omnes boni longè fugere deberent. Hic eſt tertius gradus ac tempore poſtremus, cum Iovis Olympii, id eſt, τοῦ בעל שמין [*Baal Semen*] ſimulacrum in ipſo Templo collocatum eſt, II Maccab. VI. 2. βδέλυγμα ἠφανισμένων [*abominationem eorum qui delentur*] vertit Theodotion. At ſcriptor I Macc. in hiſtoria hîc prædicta, βδέλυγμα ἐρημώσεως [*abominationem deſolationis*], I. 57. Ioſephus XII. 7. ἠνάγκασε δ' αὐτοὺς ἀφεμένους τῆς περὶ τὸν αὐτῶν Θεὸν θρησκείας τοὺς ὑπ' αὐτοῦ νομιζομένους σέβεσθαι [*coëgit eos Dei ipſorum cultu omiſſo eos colere quos ipſe introducebat*].

32. *Et impii in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter*] In Hebræo : *Et impiè agentes contra fœdus* (contra Legem) *inducet per blanditias ut ſimulent.* Id eſt, eos qui Sacerdotium contra Legem nundinati ſunt, blandimentis eò perducet ut ad idololatriam conniveant. *Connivere*, id eſt ὑποκριθῆναι [*ſimulare*] II Maccab. VI. 21. συνδοκεῖν τῇ λατρείᾳ [*conſentire cultui*] I Maccab. I. 45. de Menelao. Vide II Maccabæorum V. 15. 23.

Populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit] In Hebræo, *tenebunt :* id eſt, adhærebit Legi.

Et faciet] Quæ Deus præcepit. I Maccab. I. 65. Καὶ πολλοὶ ἐν Ἰσραὴλ ἐκραταιώθησαν καὶ ὠχυρώθησαν ἐν αὐτοῖς τοῦ μὴ φαγεῖν κοινά, καὶ ἐπελέξαντο ἀποθανεῖν μὴ μιανθῶσι τοῖς βρώμασι, καὶ μὴ βεβηλώσωσι διαθήκην ἁγίαν, καὶ ἀπέθανον [*Et multi in Iſraël fortificati ſunt & offirmati in ſeſe ut non comederent communia. Et elegerunt mori ut non polluerentur cibis, & nè inquinarent teſtamentum ſanctum; & mortui ſunt*]. Ioſephus XII. 7. Καὶ πολλοὶ μὲν τῶν Ἰουδαίων, οἱ μὲν ἑκοντὶ, οἱ δὲ δι' εὐλάβειαν τῆς ἐπηγγελμένης τιμωρίας κατηκολούθουν οἷς ὁ βασιλεὺς διετέτακτο· οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ, τῶν δὲ πατρίων ἐθῶν πλείονα λόγον ἔσχον ἢ τῆς τιμωρίας ἣν οὐ πειθομένοις ἠπείλησεν αὐτοῖς [*Et multi quidem Iudæorum, alii ſponte, alii metu indictæ pœnæ obſequebantur præceptis Regis. At eminentiſſimi & animo generoſi eum non curabant, ſed potiore loco habebant patrios ritus quàm metum pœnæ ejus quam ille non obedientibus minabatur*].

33. *Et docti in populo docebunt plurimos*] Qualis Eleazarus II Maccab. VI. 18.

Et ruent in gladio, & in flamma, & in captivitate, & in rapina dierum] Id eſt, direptione longi temporis. I Maccab. I. 52. καὶ ὃς ἂν μὴ ποιήσῃ κατὰ τὸ ῥῆμα τοῦ βασιλέως ἀποθανεῖται [*& qui non faceret juxta verbum Regis moreretur*]. Vide & 66. ibidem. II Maccabæor. VI. τοὺς δὲ μὴ προαιρουμένους μεταβαίνειν ἐπὶ τὰ Ἑλληνικὰ κατασφάζειν [*eos autem qui non vellent tranſire ad Græcos ritus jugulare*]. Vide & caput VII. eodem libro, & Ioſephum περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*de Rationis imperio*]. Idem Ioſephus XII. 7. Καὶ διὰ τοῦτο κατὰ πᾶσαν ἡμέραν αἰκιζόμενοι καὶ πικρὰς βασάνους ὑποφέροντες ἀπέθνησκον· καὶ γὰρ μαστιγούμενοι καὶ τὰ σώματα λυμαινόμενοι ζῶντες ἔτι καὶ ἐμπνέοντες ἀνεσταυροῦντο [*Et ob hoc quotidie peſſimè tractati & graviſſimis cruciatibus toleratis moriebantur : nam & flagellis cæſi & corpore mutilati vivi adhuc & ſpirantes crucibus affigebantur*]. Huc & illa ſpectant ad Hebræos XI. 35. 36. Ἄλλοι δὲ ἐτυμπανίσθησαν, οὐ προσδεξάμενοι τὴν ἀπολύτρωσιν, ἵνα κρείττονος ἀναστάσεως τύχωσιν. ἕτεροι δὲ ἐμπαιγμῶν καὶ μαστίγων πεῖραν ἔλαβον, ἔτι δὲ δεσμῶν καὶ φυλακῆς [*alii autem decollati ſunt non ſuſcipientes redemtionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alii verò ludibria & verbera experti, inſuper & vincula ac carceres*].

34. *Cúmque corruerint*] Cùm in ſummis miſeriis oppreſſi jacebunt. Græcè, ἐν τῷ ἀσθενῆσαι αὐτοὺς [*ubi infirmati fuerint*].

Sublevabuntur auxilio parvulo] Mattathias cum quinque filiis ad libertatem initium faciet, I Maccab. II. II Maccab. V. 27. Ioſephus XII. 8. & ſequentibus. Bene hunc locum accepit Porphyrius.

Confer Ezechielis XXXVIII. XXXIX. & ibi dicta.

Et applicabuntur eis plurimi fraudulenter] Vt I Maccab. v. 56. & ſeqq. II Maccab. XII. 40.

35. *Et de eruditis ruent*] Etiam de illis piè eruditis quidam in ſummas miſerias decident. Græci hîc iterum ἀσθενήσουσι [*infirmabuntur*], bene, ut Romanorum VIII. 26. I Corinth. II. 3. II Corinth. XI. 30. XII. 9. 10.

Vt conflentur] Cauſam addit cur Deus id permiſerit, nempe ut illis malis excocti magìs qui ſint appareant.

Et eligantur] In Hebræo, *Et mundentur :* id eſt, conſpiciantur mundi, non ſordido lucro dediti.

Et dealbentur] Id eſt, appareant ſinceræ ac bonæ fidei homines.

Vſque ad tempus præfinitum] Conſtitutum à Deo, ut ſuprà 27. 29. intellige tempus liberationis.

Quia adhuc aliud tempus erit] In Hebræo : *Quia adhuc* (reſtat nonnihil) *ad conſtitutum tempus* liberationis. Spatium autem hoc quò erit longius, eò magìs inclareſcet eorum pietas & conſtantia.

36. *Et faciet juxta voluntatem ſuam Rex*] Id eſt, omnia illi diu ſuccedent pro voto, ut ſuprà VIII. 4. XI. 3.

Et elevabitur & magnificabitur adversùs omnem Deum] Nam, ut ait Polybius apud Athenæum, πάντων γὰρ τῶν παρ᾽ ἀνθρώποις λεγομένων ἢ νομιζομένων θεῶν ἢ δαιμόνων, προσέτι δὲ ἡρώων, εἴδωλα διήγετο [*omnium qui ab hominibus dicuntur aut creduntur dii aut dæmones, aut etiam heroes, ſimulacra ſecum ferebat*]. Interim verò ἱεροσυλήκει τὰ πλεῖστα τῶν ἱερῶν [*diripiebat templa pleraque*].

Et adversùs Deum deorum loquetur magnifica] Adversùs verum quoque Deum erit contumelioſus. I Maccab. II. 6. Καὶ εἶδε τὰς βλασφημίας τὰς γινομένας ἐν Ἰούδα καὶ Ἱερουσαλήμ [*Vidit blaſphemias quæ fiebant in Iuda & Ieruſalem*]. II Maccab. VIII. 4. καὶ περὶ γινομένων εἰς τὸ ὄνομα αὐτοῦ βλασφημιῶν [*& blaſphemias nomini ſuo illatas*]. Ideo Antiochus II Maccab. IX. 28. vocatur ἀνδροφόνος καὶ βλάσφημος [*homicida & blaſphemus*]. Vide & II Maccab. x. 4. 34. 35. 36.

Et dirigetur] *Proſperè aget.*

Donec compleatur iracundia] *Donec Dei ira finem accipiat :* nempe ea quam Deus concepit ob gravia ac diuturna populi peccata.

Perpetrata quippe eſt definitio] *Quia facta eſt definitio.* Tempus quamdiu hæc mala duratura ſunt à Deo eſt definitum, ut ſuprà IX. 27. XII. 9. 11. 12.

37. *Et Deum patrum ſuorum non reputabit*] In Hebræo, *Super deos patrum ſuorum non intelliget*: id eſt, non curabit deos Macedonicos.

Et erit in concupiſcentiis feminarum] Apud Hebræos ו negativam ſequens negat, & valet *nec*, ut ſenſus ſit, *neque deſiderium mulierum*, id eſt, neque feminas, quanquam amabiles, curabit quicquam, nullâ ſexûs illius tangetur miſericordiâ. I Maccab. I. 27. Τὸ κάλλος τῶν γυναικῶν ἠλλοιώθη [*Specioſitas mulierum immutata eſt*]. & 63. 64. καὶ τὰς γυναῖκας τὰς περιτετμηκυίας τὰ τέκνα αὐτῶν ἐθανάτωσαν κατὰ τὸ πρόσταγμα· καὶ ἐκρέμασαν τὰ βρέφη ἐκ τῶν τραχήλων αὐτῶν [*& mulieres, quæ circumcidebant filios ſuos, trucidabantur ſecundùm juſſum, & ſuſpendebant pueros à cervicibus eorum*]. II Maccab. v. 13. Ἐγίνοντο δὲ νέων καὶ πρεσβυτέρων ἀναιρέσεις, ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν καὶ τέκνων ἀφανισμὸς, παρθένων τε καὶ νηπίων σφαγαὶ [*Fiebant ergò cædes juvenum ac ſeniorum, & virorum & mulierum & natorum exterminia, quin & virginum infantumque cædes*]. Ioſephus XII. 7. τὰς δὲ γυναῖκας καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν οὓς περιέτεμνον κατὰ τὴν τοῦ βασιλέως προαίρεσιν ἀπῆγχον [*mulieres verò ſimul & pueros quos ille circumcidebant ex juſſu Regis ſtrangulabant*].

Nec quenquam deorum curabit] Cujuſcunque gentis dii ſint, omnes ſpoliabit quos poterit.

38. *Deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur*] *In loco ſuo*, id eſt, *in ſua ditione colet deum Maozim.* עזז [*Azaz*] eſt *fortis*, *validus*; unde nomen apud Phœnices habuit belli deus, Ἄζιζος [*Azizus*] dictus Iuliano in hymno Solis. hîc verò voce ejuſdem originis, præpoſitâ Heemanticâ & additâ formâ plurali, מעזים [*Maazim*]; unde & *armamentariis* factum nomen *Magaſin.* Rurſus ע pronuntiato ut *o*, & ז, more Chaldæorum & Arabum, mutato in ד, nomen hinc habuit vicus Μωδιεὶμ [*Modiim*], ut ſcribit Ioſephus, aut ut ſcriptor Maccabaïcorum formâ plurali Chaldaïcâ Μωδεὶν [*Modin*], ubi templum ei deo ſtructum, quò reſpicit locus I Macc. II. 15. Etiam hodie Iudæi, ע in א verſo, Martis ſidus ab eadem hac origine vocant מאדים [*Modim*]. Hunc ergò deum Phœnicum exemplo coli voluit Antiochus. Vide quæ dicentur ad I Maccab. II. 1.

Et deum quem ignoraverunt patres ejus colet] Is deus eſt ſummus Phœnicum deus בעל שמין [*Baal Semen*], quem Græci appellant Δία Ὀλύμπιον [*Iovem Olympium*], quaſi tranſlato nomine. Id verum eſſe apparet ex Dii hiſtoria Phœnicica, ubi τοῦ Ὀλυμπ Διὸς τὸ ἱερὸν [*Iovis Olympii templum*] Tyri dicitur. Item ex Philone Byblio in verſione Sanchuniathonis, τοῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσεμὴν καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι Κρόνος, Ζεὺς δὲ παρ᾽ Ἕλλησ [*hunc enim ſolum deum exiſtimabant cæli dominum, Beelſemen eum appellantes, qui eſt Phœnicibus Saturnus, Iupiter verò Græcis*]. Simili modo בעל שמין [*Baal Semen*] vertit ſcriptor II Maccab. Rectè autem Daniel hunc deum dicit *Antiochi majoribus*, id eſt Macedonibus, *ignotum*, quia neque nomine iſto *Beelſamen*, neque eo habitu ac poteſtate quiſquam erat in Græcis deus.

Auro & argento & lapide pretioſo, rebúſque pretioſis] Polybius de ſimulacris quæ ſecum vehebat Antiochus: τὰ μὲν κεχρυσωμένα, τὰ δὲ ἠμφιεσμένα στολαῖς διαχρύσοις. καὶ πᾶσι τούτοις οἱ προσήκοντες μῦθοι κατὰ τὰς παραδεδομένας ἱστορίας ἐν διασκευαῖς πολυτελέσι παρέκειντο [*quædam aurata, quædam veſtita amictu ex auro ſolido. Et his aderant ſuæ cuique fabulæ, ità ut in libris proditæ ſunt, magnifico opere*].

39. *Et faciet ut muniat Maozim cum deo alieno*] In Hebræo: *Et vertet in munitiones Maozim cum deo alieno.* Eſt autem συνεκδοχή [*Comprehenſio*]· deos enim nominans, templa intelligit, in quibus templis ſive dei Maozim ſive Beelſameni præſidia poſuit contra Iudæos. Vide I Maccab. I. 35. II Maccab. v. 22. 23. VI. 4. Ioſephus XII. 17. ubi deſcribit arcem Templo ſuperpoſitam, & in ea præſidium Macedonum.

Quem cognovit, & multiplicabit gloriam] Lo-

cu

cutio Hebraïca, pro, *quem* (deum) *quiſquis agnoverit* (id eſt coluerit), *eum* (Antiochus) *gloriâ augebit.*

Et dabit eis poteſtatem in multos] Præfecturas illis dabit, I Maccab. I. 53. καὶ ἐποίησεν ἐπισκόπους ἐπὶ πάντα τὸν λαόν [*& præpoſuit principes populo qui hæc fieri cogerent*]. Ioſephus: κατέστησε δὲ καὶ ἐπισκόπους οἳ προσαναγκάσωσιν αὐτοὺς τὰ ἐπεσταλμένα ποιεῖν [*conſtituit etiam Curatores qui Iudæos cogerent imperata facere*].

Et terram dividet gratuitò] Elargietur illis terras quas aliis abſtulerit, I Maccab. II. 10. In Hebræo non eſt *gratuitò*, ſed *in pretio*, id eſt, loco præmii. Regii miniſtri ad Mattathiam I Maccab. II. 18. Νῦν πρόσελθε πρῶτος καὶ ποίησον τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως, ὡς ἐποίησαν πάντα τὰ ἔθνη καὶ οἱ ἄνδρες Ἰούδα καὶ οἱ καταλειφθέντες ἐν Ἱερουσαλήμ. καὶ ἔσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου τῶν φίλων τοῦ βασιλέως· καὶ σὺ καὶ οἱ υἱοί σου δοξασθήσεσθε ἀργυρίῳ καὶ χρυσίῳ καὶ ἀποστολαῖς πολλαῖς [*Ergò accede prior, & fac juſſum Regis, ſicut fecerunt omnes Gentes & viri Iuda & qui remanſerunt in Ieruſalem: & eris tu & filii tui inter amicos Regis, & amplificatus auro & argento & muneribus multis*]. II Maccab. VII. 24. de Antiocho: δι' ὅρκων ἐπίστου, ἅμα πλουτιεῖν καὶ μακαριστὸν ποιήσειν μεταθέμενον ἀπὸ τῶν πατρίων, καὶ φίλον ἕξειν καὶ χρείας ἐμπιστεύσειν [*cum juramento affirmabat, ſe divitem & beatum facturum, & tranſlatum à patriis legibus amicum habiturum, & res neceſſarias ei præbiturum*].

40. *Et in tempore præfinito*] In Hebræo, *In tempore finis*: id eſt, cùm propè aderit tempus quo Deus finem volet imponere Iudæorum miſeriis.

Prælabitur adverſus eum Rex Auſtri] In Epitome libri Liviani XLVI legimus, *Ptolemæus Ægyptiorum Rex à minore fratre è regno pulſus.* Is minor frater *Phyſcon* dicebatur. Antiochus autem etiam poſt pacem factam infenſus Ptolemæo Philometori, ut diximus ſuprà 27. haud dubiè tam bonam occaſionem arripiens Phyſconi ſe adjunxit. Et hæc eſt expeditio in Ægyptum, quam undecimo Antiochi anno eveniſſe narrat apud Hieronymum Porphyrius.

Et quaſi tempeſtas veniet contra illum Rex Aquilonis] Antiochus ille Epiphanes.

In curribus & in equitibus, & in claſſe magna] Id eſt, *cum curribus*, & ſic deinceps. Confer quæ ſuprà 25.

Et ingredietur terras, & conteret & pertranſiet] In Hebræo, *Ingredietur in terras, inundabit, & tranſibit*: id eſt, ingenti copiarum vi cuncta ſibi faciet pervia.

41. *Et introibit in terram glorioſam*] Iterum hîc eſt צבי [*decorem*], quo nomine Iudæa deſignatur, ut diximus VIII. 9. & hoc capite 16. *Introibit* per Duces ſuos, Apollonium, Lyſiam, Gorgiam. Vide Maccabaïca, Ioſephum.

Et multi corruent] Gentes vicinæ exſcindentur.

Hæ autem ſolæ ſalvabuntur de manu ejus] Non exſcindentur.

Edom & Moab] Idumæa & Moabitis.

Et Principes filiorum Ammon] Græcè: ἀρχὴ υἱῶν Ἀμμών [*Principatus filiorum Ammon*]. Metropolin Ammonitarum intelligit dictam *Rabath* vel *Rabathamon.* His pepercit Antiochus, quòd omnia imperata facerent. Vide I Maccab. V. Ideo Maccabæi his populis, ut Antiochi amicis, bellum intulere.

42. *Et mittet manum ſuam in terras*] Vicinas Ægypto.

Et terra Ægypti non effugiet] Nam Antiochus Phyſconem adjuvans, Philometorem, ut diximus, regno expulit.

43. *Et dominabitur theſaurorum auri & argenti, & in omnibus pretioſis Ægypti*] Id eſt, ille plurimum auri, argenti, rerúmque pretioſarum in Ægypto ſibi bello acquiret. Polybius apud Athenæum cùm deſcripſiſſet opulentiam Antiochi in auro, argento, gemmis, addit: τὸ μὲν ἐκ τῆς Αἰγύπτου ἐνοσφίσατο παρασπονδήσας τὸν Φιλομήτορα βασιλέα [*partem ex Ægypto abſtulit, violatis quæ cum Rege Philometore fecerat fœderibus*]. Planè idem dicit quod hîc prædicit Daniel.

Per Libyam quoque & Æthiopiam tranſibit] In Hebræo: *Libyes & Æthiopes in greſſibus ejus.* Id eſt, ipſum comitabuntur, bello capti ſcilicet. Libyes enim & Æthiopes ab antiquo fœderati erant Ægyptiis, Ezechielis XXX. 5.

44. *Et fama turbabit eum ab Oriente & ab Aquilone*] Nuntius belli à Partho & Armenio. Parthi *ad Orientem* Antiocho, Armenii *ad Septentrionem.* De Partho teſtimonium habemus Taciti, ubi de Iudæis agit, *Rex Antiochus demere ſuperſtitionem & mores Græcorum dare adnixus, quominus teterrimam gentem in melius mutaret, Parthico bello prohibitus eſt:* De Armenio Artaxia, Appiani & Hieronymi ex Porphyrio deſumtum. Tranſivit ad poſteros id bellum. Vide Epitomen Livii LIX.

Et veniet in multitudine magna, ut conterat & interficiat plurimos] Eâ ſpe properabit.

45. *Et figet tabernaculum ſuum Apadno inter maria ſuper montem inclytum & ſanctum*] אפדנה [*Aphadna*] vox eſt Syriaca, quæ ſæpe in Thalmude occurrit. Appoſitè autem uſurpatur ubi ſermo de Rege Syriæ. *Tentorium palatii ſui*, id eſt, prætorium *figet* in Iudæa, quæ *mons* vocatur ob multa loca montana, ut apparet Ezechiel. VI. 3. Quod hîc eſt *montem inclytum* in Hebræo eſt צבי [*decoris*], quæ in Daniele certa denotatio Iudææ. Et additur קדש [*ſanctum*], quia tota Iudæa Deo ſacrata, Ieremiæ XXXI. 23. In ea Iudæa Antiochus prætorium poſuit, relictis ibi Ducibus qui majeſtatem Regiam, quaſi Rege præſente, ipſius juſſu oſtentarent. *Maria* autem duo ſunt ea inter quæ ſita eſt Iudæa, mare Syriacum & Aſphaltites, quod *mare Mortuum* aliis dicitur, qui duo ſunt Iudææ termini. Porphyrius qui *Aphadno* & *Sabi* putavit eſſe nomina loci propria, partim ignoratione ſermonis Hebraïci & Syriaci, partim nimio quodam ſtudio in Paganiſmum fœdè hîc lapſus eſt. Erat Porphyrius, ut ex ſcriptis ejus quæ exſtant, & ex fragmentis quæ apud ſcriptores reſtant alios, cognoſcimus, neque impius, neque Hiſtoriarum ignarus; ſed dum conſilia ſequens humanæ prudentiæ incruſtare vult Paganiſmum, quem Deus volebat deſtruere, magnas dat contumaciæ pœnas.

Et veniet uſque ad ſummitatem ejus] *Vſque ad fines ſuos ultimos*] Scilicet Imperii ſui Perſidem versùs, Ioſephus XII. 13. I Maccab. VI. ubi quæ dicemus vide; II Maccab. IX.

Et nemo auxiliabitur ei] Tanto corripietur mœrore, ob infelices in Iudæa eventus, ut læſam indè valetudinem nemo reſtituere potuerit, Deo eum malè perdere volente. Vide Maccabaïca, & Ioſephum dictis jam locis.

CAPVT XII.

1. IN *tempore autem illo*] Cùm adhuc exercitus Regis Antiochi erunt in Iudæa.

Conſurget Michaël Princeps magnus] Primus Angelorum, cui data cura τῶν μονοθέων [*eorum qui unum Deum colunt*], ut nunc Chriſto.

Qui ſtat pro filiis populi tui] Qui Iudæorum, unius eo tempore populi unum & verum Deum colentis, curam habet.

Et veniet tempus] *Poſtquam venerit tempus.*

Quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cæperunt uſque ad tempus illud] Non malè hæc Porphyrius retulit ad ea tempora cùm Lyſias Antiochi perſonam gerens omnia crudeliſſima in Iudæos exercuit: Sed addenda ſimul & tempora priora. Nunquam ſanè ante iſta tempora graviùs ob religionem vexata fuit Iudæorum univerſitas. Chriſtus in re ſimili idem loquendi genus uſurpat Matthæi XXIV. 21.

Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro] Illi remanebunt qui Legem coluerint, inſcripti ת in fronte, ut loquitur Ezechiel. Pii *ſcripti in libro* dicuntur, id eſt, deſtinati ad præmia. Solent enim Reges ſapientes habere matriculas virorum optimè meritorum, quos deinde ad honores provehunt.

2. *Et multi de his qui dormiunt in terræ pulvere evigilabunt*] Bene vertas: *Et multi qui cubarunt in pulverulenta humo exſurgent*. Id eſt, qui ob religionem ejecti Vrbe, oppidis, vicis & villis, non habuerunt ubi caput reponerent (ut Chriſtus de ſe loquitur Lucæ IX. 58.) redibunt in Vrbem & alia loca habitata. Reddendum eſt Porphyrio quod ei debetur teſtimonium; eſt enim hunc locum optimè interpretatus de iis qui ob Legis cultum diu extorres ad ſua rediere: ſic tamen ut voces mirâ arte ità ſint temperatæ ut Reſurrectionis myſterium, quod apertè ante Euangelium revelari non debuit, innuant magìs quàm explicent. Nihil potuit dici verius.

Alii in vitam æternam] Senſus primus hic eſt. *Illi quidem* (conſurgent ſcilicet) *ad vitam longam*, quâ Deus eos donabit ob conſtantiam & mala tolerata. Confer locum Eſaiæ LXV. 20. & ibi dicta. Senſus autem myſticus is eſt quem Chriſtiani certâ fide tenemus: quò & hæc refert Apoſtolus Hebr. XI. 35.

Et alii in opprobrium, ut videant ſemper] Legit hîc Interpres לראון [*ad videndum*], ubi nos habemus meliùs לדראון [*ad opprobrium*], quomodo & Græci legêre: vertunt enim εἰς ὀνειδισμὸν ϗ αἰσχύνην αἰώνιον [*in opprobrium & pudorem ſempiternum*], ſupple *erunt*. Et αἰώνιον in primo illo quem diximus ſenſu interpretare *diuturnum*: diu ſpernentur ab omnibus bonis ii qui aut ſpe præmiorum aut pœnarum metu à Lege defecerint. Erunt alii in נדוי [*Separatione*], alii in חרם [*anathemate*]. Lex quidem interfici tales jubebat, ſed neceſſaria erat venia ubi tanta pars populi peccaverat.

3. *Qui autem docti fuerint*] Imò *doctores*. Eſt enim participium in Hiphil: *Qui alios inſtituerint* in illis periculis.

Fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti] זהר [*ſplendor*], quod hîc eſt, de *Planetis* dicitur: de *Sole* in Chaldæo Pſalmo XIX. 5. de *Luna* in Chaldæo Deuteronomii IV. 19. de *Planetis* aliis itidem in Chaldæo Ezechielis XXXII. 8.

Et qui ad juſtitiam erudiunt multos] In Hebræo, *Qui inſtituunt multos*: id eſt, qui non eruditi quidem ſunt, ſed bono exemplo alios reddunt bonos.

Quaſi ſtellæ] Minores Planetis.

In perpetuas æternitates] לעולם ועד, Græcè εἰς αἰῶνας ϗ ἔτι [*in ſecula & ampliùs*], id eſt, fama eorum durabit in ſeculum, & ultrà.

4. *Tu autem Daniel claude ſermones, & ſigna librum*] *Fac bene ſervetur*, ut ſuprà VIII. 26. ubi dicta vide.

Vſque ad tempus ſtatutum] In Hebræo, *Vſque ad tempus finis*; Græcè, ἕως καιροῦ συντελείας [*ad tempus uſque impletionis*], id eſt, donec hæc eveniant, ut tunc tua ſcripta cum rebus ipſis comparentur.

Plurimi pertranſibunt] *Percurrent*, nempe Vaticinium hoc abs te perſcriptum, eo nempe tempore cùm res evenerint.

Et multiplex erit ſcientia] *Et multiplicabitur ſcientia*: id eſt, per id magìs quàm antè innoteſcet Divina providentia & præſcientia.

5. *Et vidi ego Daniel*] Novum viſum priora confirmans & explicans.

Et ecce quaſi duo alii ſtabant] *Duo alii* Angeli, alter Perſarum tutor, alter Græcorum: quorum mentio capite X. 20. Ità hîc Hieronymus rectè.

Vnus hinc ſuper ripam fluminis, & alius indè ex alia ripa fluminis] *Fluminis* Tigridis, cujus mentio ſuprà X. 4. *Stabant* autem velut certantes de poſſeſſione Tigridis & terrarum quæ erant cis & ultra id flumen.

6. *Et dixi viro qui erat indutus lineis*] Michaëli deſcripto ſuprà X. 5. Is jam illi apparuit cum minore quàm antea fulgore, tantùm ut dicta Gabrielis majore auctoritate comprobaret.

Vſquequo finis horum mirabilium?] Id eſt, Quamdiu durabunt iſta populi Iudaïci mala?

7. *Cùm elevaſſet dextram & ſiniſtram ſuam in cœlum*] Iurantium mos erat manum ad cœlum attollere. Hic verò utramque attollit, quò certior dictis ſit fides.

Et juraſſet per Viventem in æternum] Deus ergò hic non erat, ſed Archangelus.

Quia in tempus & tempora & dimidium temporis] Confirmat id quod minor Angelus dixerat ſuprà VII. 25.

Et cùm completa fuerit diſperſio manûs populi ſancti] Id eſt, cùm maximè extra urbes & vicos per agros ſparſi erunt pii Iudæi. Vide I Maccab. II. 29. II Maccabæor. VIII. 1.

Complebuntur univerſa hæc] Tunc brevi implebuntur quæ dixi.

8. *Et ego audivi, & non intellexi*] Nempe quid futurum eſſet poſt illud triennii & temporis circiter ſemeſtris ſpatium.

Et dixi, Domine mi, quid erit poſt hæc?] Quid tum fiet?

9. *Vade Daniel*] Nempe ut adſcribas libro tuo quæ jam dicam.

Quia clauſi ſunt ſignatique ſermones uſque ad præfinitum tempus] Rectiùs: *Vt clauſi ſignatique* (maneant) *hi ſermones ad tempus eventûs uſque.* Vt tamdiu bene aſſerventur donec eventus ea comprobet, ut ſuprà VIII. 26. & hîc 4.

10. *Eligentur & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi*] *Mundabuntur & dealbabuntur multi, ubi conflati fuerint.* Sunt eadem verba quæ ſuprà XI. 35. niſi quòd modus per quem apparebit piorum puritas atque ſinceritas ibi præponitur, hîc poſtponitur. Senſum, qui idem ſuprà, expoſuimus.

Et impiè agent impii] Occaſione datâ, qui mali ſunt malitiam ſuam detegent. Tempore opus eſt ut pateſiat utrumque hominum genus.

Neque intelligent omnes impii] Improbi nulli intelligent quorſum Deus mala iſta tamdiu durare patiatur.

Porrò docti intelligent] *Doctores verò facient ut iſta intelligantur*: id eſt, Qui tua legerint, & verſati erunt in aliorum Prophetarum libris, inſtituent plebem de conſilio Dei tantas calamitates tam diu durare ſinentis.

11. *Et à tempore cùm ablatum fuerit juge ſacrificium & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta*] Iam deſignatiùs oſtendit dies aliquot excurſuros ultra triennium & ſemeſtre tempus, poſt quod totum tempus, & non diutius, ceſſabit ὁ ἐνδελεχισμός [*ſacrificium juge*]. In eo tempore cemprehenditur etiam collocatio Idoli vaſtantis in Templo. Vide quæ diximus VII. 25. Vide σύλληψιν [*Complexionem*] ſimilem IX. 25.

12. *Beatus qui exſpectat*] *Qui provivet.*

Et pervenit] *Perveniet.*

Ad dies mille trecentos triginta quinque] Ad mortem uſque Antiochi indicatam ſuprà XI. 45. quo tempore Iudæi non malis tantùm ſed & omni malorum metu levabuntur.

13. *Tu autem vade ad præfinitum*] Vade ad negotia tibi injuncta, ut ſuprà VIII. 27.

Et requieſces] Tranquillè vives poſthac, immunis ab illis periculis quæ ſub Chaldæis ſubiiſti.

Et ſtabis in ſorte tua] Præfecturam quam nunc habes retinebis.

In finem dierum] Ad pleniſſimam uſque ſenectutem. Hic ſimpliciſſimus eſt ſenſus. Videntur tamen ſtudio ità concepta verba ut illud *quieſces* de morte ſumi poſſit, & *ſtabis* ſignificare ἀναστήσῃ [*reſurges*] (quomodo vertit Theodotion), & *finis dierum* finem Vniverſi. Quem ſenſum & Hebræorum quidam amplectuntur.

AD DVODECIM MINORVM VOLVMINVM PROPHETAS.

Horum duodecim Librorum verſio non eſt Vetus ab Hieronymo correcta, ſed pura puta Hieronymi.

AD OSEEN.

CAPVT I.

1. *IN diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, Ezechiæ*] Diu vixit Oſee, & Prophetam egit, ut volunt Hebræi, per annos XC. itaque multos habuit Prophetas συγχρόνους [*ejuſdem ævi*], ut Eſaiam, Ioëlem, Amoſum, Abdiam, Ionam, Michæam, ut hîc notat Hieronymus; vidítque populum Decem tribuum florentem, vidit ejuſdem partem non exiguam tranſlatam per Teglathphalaſarum.

2. *Principium loquendi Domino in Oſee, & dixit Dominus*] Id eſt, *Cùm primùm Deus Oſeen alloqui cæpit, dixit ei.* Confer Geneſeos I. I.

Vade & ſume tibi] In domum tuam deduc. Vide quæ ad Matth. I.20.

Vxorem fornicationum] Id eſt, meretricem, quæ multis admodum ſui copiam fecerit. Maimonides hæc vult contigiſſe ἐν ὀπτασίᾳ [*in Viſione*] tantùm; ſed & ſeries loci, & alia loca ſimilia magìs id credi exigunt, ſigno aliquo in hominum oculos occurrente expreſſas eas res quæ inter Deum & Hebræum populum agebantur. Vxorem ducere, quæ meretrix fuerit non erat illicitum niſi Sacerdotibus, Levitici XXI. 7. Videri quidem id poterat ſubturpe; ſed quicquid jubet Deus, idem jubendo honeſtum facit.

Et fac tibi filios fornicationum] In Hebræo non eſt *fac*, ſed *& natos fornicationum*, *ſume* ſcilicet. In domum deduc cum matre ſpurios illos quos in vita illa meretricia genuit. Alii enim ſunt filii quos Oſee poſtea ex ea genuit, & ad alias ſignificationes adhibiti.

Quia fornicans fornicabitur terra à Domino] Meliùs, *ſcortatur:* nam Hebræi, cùm præſens non habeant, modò id per præteritum, modò per futurum exprimunt. Pro *à Domino* eſt *à poſt Dominum*, id eſt, Deum ſequi deſiit, idolis quaſi mœchis adhærens:

—— tua cura Lycoris
Pérque nives alium, pérque horrida caſtra ſequuta eſt.

Terra hîc eſt populus Decem tribuum.

3. *Et accepit Gomer*] *Deficientem* hæc vox ſignificat. eo nomine indicatur populum Decem tribuum grave deliquium paſſurum.

Filiam Debelaim] *Debelaim* ſunt *duæ ficuum maſſæ*. Significatur, ſicut ficus aliæ ſunt bonæ, aliæ malæ (vide Ierem. XXIV.), ità etiam alios bonos, ſed multos malos fuiſſe in Decem tribubus.

4. *Voca nomen ejus Iezrahel*] Tria nomina liberûm Oſeæ tres pœnas Decem tribuum ſignificant. *Iezrahel* nobilis Vrbs in Decem tribuum ſolo, I Regum XXI. I. II Regum IX. 10. X. 6.

Adhuc modicum] Intra breve tempus.

Et viſitabo ſanguinem Iezrahel ſuper domum Iehu] Meliùs, *per ſanguinem Iezrahel:* quo ſenſu את ſæpe ſumitur. Senſus eſt, Qualem ſtragem edidit Iehu in domum Achabi & in Iezabelem in urbe Iezrahelis, tali ſtrage puniam poſteritatem Iehu, cùm ſcilicet interficietur cum ſuis Zacharias, Iehu quidem abnepos, filius autem ejus Ieroboami ſub quo hoc viſum Oſeæ contigit, II Regum XV. 10.

Et quieſcere faciam regnum domûs Iſraël] *Ceſſare*, nempe in domo Iehu. nam Zachariæ interfector idémque ſucceſſor Sallumus ex alia ſtirpe fuit.

5. *Conteram arcum Iſraël in valle Iezrahel*] Vires populi illius frangam bellis civilibus. *arcus* nomine Hebræis vires ſignificantur, ut I Sam. II. 4. Videtur præcipuè indicari ſtrages illa quam daturus erat Manahemus II Regum XV. 16. *Prope Iezrahelem campi ſe ultra decem paſſuum millia extendunt:* ità hîc Hieronymus.

6. *Voca nomen ejus Abſque miſericordia*] Græca vox meliùs exprimit ſenſum Hebræum, Οὐκ ἠλεημένη [*Miſericordiam non aſſecuta*].

Non addam ultrà miſereri domui Iſraël] Id eſt, non ultrà extendam adversùs Decem tribus miſerationem meam.

Sed oblivione oblivìſcar eorum] Sumſit quaſi eſſet à נשא, & poſitum eſſet א pro ה, ut fit ſæpe. ſed rectius interpretari *tollendo tollam eos*, id eſt, omninò eos auferam ab hac terra: *eos*, id eſt, Galaaditas, Galilæos, Nephtalitas, Rubenitas, Gaditas, & partem Manaſſis, II Reg. XV. 29. I Paralip. V. 26.

7. *Et domui Iuda miſerebor*] Dabo hoc pietati Ezechiæ, nè qui ſub eo eſt populus eadem patiatur quæ Decem tribus.

Et ſalvabo eos in Domino Deo ſuo] Per me, meâ vi: mos Hebræorum ponendi nomen pro pronomine.

Chaldæus, *per verbum Dei Domini ſui:* ſolet enim Chaldæus in magnis Dei actionibus *verbi Dei* facere mentionem.

Et non ſalvabo eos in arcu, & in gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus] Efficiam, ut neque Syri, neque reliqui Decem tribuum nocere illis quicquam valeant, objecto eis metu ab Aſſyrio, II Regum XVI. Eſaiæ VII. I.

8. *Et ablactavit eam quæ erat Abſque miſericordia, & concepit & peperit filium*] Id eſt, poſtquam filiolam à lacte depuliſſet, concepit filium: vix enim concipiunt feminæ dum lactant.

9. *Voca nomen ejus; Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero veſter*] Id impletum cùm qui de Decem tribubus erant reliqui abacti ſunt per Salmanaſarem, futuri poſthac non Dei populus ſed Aſſyriorum ſervi.

10. *Et erit numerus filiorum Iſraël quaſi arena maris, quæ ſine menſura eſt, & non numerabitur: & erit in loco ubi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, Filii Dei viventis*] *Poſtquam numerus filiorum Iſraël* (in exſilio) *factus fuerit velut arena maris, talis ut neque numero neque menſurâ comprehendi queat, tunc pro eo quòd dicti fuere Non populus meus, dicentur Filii Dei viventis.* ו bis poſitum apud Hebræos ſæpe tempora connectit, ità ut Latinè per *poſtquam* reddatur optimè. Illud במקום [*in loco*] valet *pro eo quod:* & ſic multi populi etiam nunc loquuntur. *Dicentur filii Dei viventis*, nempe illi qui ad Deum & Legem reverſi fuerint, Prophetiſque habuerint fidem. tales autem fuere nonnulli ex Decem tribubus, qui cum Iudæis domum rediere ſub Cyro. Vide Eſdram II.

11. *Et congregabuntur filii Iuda & filii Iſraël pariter*] Συνεκδοχή [*Comprehenſio*], id eſt, aliqui ex Iſraële.

Et ponent ſibimet caput unum] Zorobabelem typum Chriſti. Vide Ierem. XXX. 20. 21. 22. XXXIII. 22. & ſequentibus. Ezechiel. XVI. 61. XXXIV. 23. XXXVII. 16. & ſequentibus.

Et aſcendent de terra] Ibunt ex Galilæa & aliis locis ad Templum. Vide Lucæ II. 44.

Quia magnus dies Iezrahel] Id eſt, *ſemini Dei*, illis quos modò dixerat *filios Dei viventis:* id enim ſignificat יזרעאל [*Izrehel*]. Alluſio autem eſt ad nobilem quandam in Decem tribubus urbem. *Magnus dies*, tempus reditûs, reſuſcitati Templi & Vrbis.

CAPVT II.

1. *Dicite fratribus veſtris, Populus meus; & ſorori veſtræ, Miſericordiam conſecuta*] Hoc comma annectendum ſuperiori capiti. Senſus eſt, Vos qui eſtis ex Decem tribubus, dicite tunc Principibus Iudæ & Benjaminis, omníque plebi Duarum tribuum, abjectis odiis illis diuturnis, Vos eſtis conſanguinei noſtri, magnam à Deo *miſericordiam conſecuti*, cujus & nos ſumus participes; nam Iudas & Benjamin eæ erant tribus quibus Deus principaliter hoc beneficium contulit: alii acceſſionis loco.

2. *Iudicate matrem veſtram, judicate*] Nova oratio. ריב eſt *litigare.* Iubentur ſinguli qui ſibi bene eſſe cupiunt accuſare palàm mala facta gentis totius, nempe Decem tribuum, ut communes pœnas evadant.

Auferat fornicationes ſuas à facie ſua] Id eſt, longè à ſe amoveat; ut ea quæ extra conſpectum projiciuntur. Dic, Hoc faciat, ſi mihi vult reconciliari.

Et adulteria ſua de medio uberum ſuorum] Vide quæ diximus ad Ezechiel. XXIII. 21.

3. *Nè fortè exſpoliem eam nudam*] Confer Ezechielis XVI. 39. XXIII. 26.

Et ſtatuam eam ſecundùm diem nativitatis ſuæ] Qualis erat cùm nata eſt, ſine veſtitu & ornatu. Confer Ezechiel. XVI. 4.

Et ponam eam quaſi ſolitudinem] Hîc nudis verbis explicat id quod in figuræ involucro dixerat.

Velut terram inviam] In Hebræo, *Velut terram arentem.* Vide Eſaiæ XLI. 18.

Et interficiam eam] *Perdam eam.*

Siti] Ἀνομβρία [*imbris defectu*], *ſqualore:* id eſt, omnia quæ optari ſolent ei deerunt.

4. *Quoniam filii fornicationum ſunt*] Spurii, ut ſuprà I. 2. incerti patris. Rectè id convenit iis qui deorum multitudinem colebant.

5. *Confuſa eſt quæ concepit eos*] In Græco: κατήσχυνεν [*pudefecit*], nempe ἑαυτήν [*ſe*]. Græci puriores dicerent ἐνυβρίσθη [*illuſa eſt*].

Dixit, Vadam poſt amatores meos] Lubet mihi exempla ſequi Aſſyriorum, Syrorum, Ægyptiorum.

Lanam meam] *Serica* interpretatur Chaldæus. Ex lanugine arborum depecti ſericum etiam Græci & Latini diu crediderunt.

Linum meum] *Byſſinum* Chaldæus, quod lini genus præſtantiſſimum.

6. *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceriâ*] Abducti in Aſſyriorum vinculis, loco adſtringemini unde exire vobis non liceat.

7. *Et ſequetur amatores ſuos*] Volet ſequi.

Et non apprehendet eos] Nemo eam curabit.

Dicet, Vadam & revertar ad virum meum priorem] Simile conſilium vide Lucæ XV. 18.

8. *Et hæc neſcivit*] *Non cogitaverat.* Ità ידע [*ſcire*] ſæpe ſumitur Hebræis. Vide Actor. XXIII. 5.

Ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, & argentum multiplicavi ei, & aurum, quæ fecerunt Baal] Baalis eſſe fecerunt. Similis querela Ezech. XVI. 17. 18. 19. XXIII. 41.

9. *Idcirco convertar*] Mutabo conſilium. Longè aliter cum ea agam.

Sumam frumentum meum] Tollam ab ipſis, ut maritus qui uxorem impudicam ejicit.

Et liberabo lanam meam] *Eripiam*, illorum uſibus ſcilicet.

Quæ operiebant ignominiam ejus] Partes quas videri honeſtas vetat.

10. *Et nunc revelabo ſtultitiam ejus*] *Libidines ejus:* quas Græci etiam ἀφροσύνας [*ſtultitias*] vocant. Ità vox hæc ſumitur Geneſeos XXXIV. 7. expone ex iis quæ diximus ad Ieremiæ XIII. 26. 27.

Et vir non eruet eam de manu mea] *Nemo eruet.*

11. *Et ceſſare faciam omne gaudium ejus, ſolemnitatem ejus, neomeniam ejus, ſabbatum ejus, & omnia feſta tempora ejus*] Nullum illis otium dabitur à laboribus. Confer Ieremiæ VII. 34. XVI. 9. XXV. 10.

12. *Et ponam eam in ſaltum*] ליער; at LXX, ut Hieronymus notat, legerunt לעד, εἰς μαρτύριον

[*in teſtimonium*]. Vides quàm vetus ſit ſcribendi varietas. Lectio quâ nos utimur melior eſt, ut indicant ſequentia.

Et comedet eam beſtia agri] Abductis aliò hominibus vacante terrâ.

13. *Et viſitabo ſuper eam dies Baalim*] Μετωνυμία *Transſnominatio*]. tempus pro actionibus : Puniam ea quæ fecerunt cùm Belos illos colerent.

Et ornabatur inaure ſuâ, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos] Miſcet παραβολὴν [*Comparationem*] & ἀπόδοσιν [*Redditionem*], ut ſæpe ſcriptores, figuram & rem figuræ. Vide quæ dicta ad Matth. XXIII. 25. Adulteræ ornare ſe ſolent ut adulteris placeant.

14. *Propter hoc ecce ego lactabo eam*] Omnia hæc verbis ambiguis dicta ſunt χλευαστικῶς [*cum acerbo irriſu*]. Verba ſumta ab amatoribus : res longè aliæ. Mœchi ſolent feminas blandis verbis decipere. Deus illos de Decem tribubus egregiè decipiet.

Et ducam eam in ſolitudinem] Mœchi ſolent feminas abducere in loca ſola & invia : Sic Deus illos abducet in loca vaſta Aſſyriæ.

Et loquar ad cor ejus] Hoc quoque ambiguum: nam *loqui ad cor* dicitur & qui blanditur, & qui malè in ſe animatum malè tractat.

15. *Et dabo ei vinitores ejus ex eodem loco*] Legerunt כרמיה per Holem poſt כ. Eſt hîc quoque ambiguum. Adulteri dicuntur *vinitores*, ſicut & pars muliebris *vinea*, ut Cantic. VIII. 12. Aſſyrii autem miri vinitores erunt, qui multis de Iſraëlitico populo ſanguinem educent.

Et vallem Achor] *Vallis* in amoribus idem quod *vinea*. At Deus ei minatur vallem funeſtam ac luctuoſam, qualis illa ubi Achan cum multis aliis interiit, quæ à *perturbatione* dicta *vallis Achor*, Ioſuæ VII. 24. 25. 26.

Ad aperiendam ſpem] LXX, διανοῖξαι σύνεσιν αὐτοῖς [*ad aperiendum ipſis intellectum*], non malè, ut ſit הקוה *linearum ductio*, ad quam inſtituuntur pueri. Vide Eſaiæ XVIII. 2. XXVIII. 10. Hæc mala initium erunt inſtitutionis ipſorum.

Et canet ibi] Carmen ἀμοιβαῖον [*alternis cantatum*]· id enim præcipuè ענה [*reſpondere*]. Intellige autem carmen fletûs & precum. LXX ad ſenſum non malè ταπεινωθήσεται [*humiliabitur*], & Symmachus κακωθήσεται [*malis afficietur*].

Iuxta dies juventutis ſuæ] Cùm ſervitute premeretur Ægyptiacâ, ut nunc Aſſyriacâ.

Et juxta dies aſcenſionis ſuæ de terra Ægypti] Id eſt, priuſquam exiret. Συνεκδοχή [*Comprehenſio*].

16. *Et erit in die illa*] In illis anguſtiis.

Vocabit me Vir meus] אישי.

Et non vocabit me ultrà, Baali] Quanquam בעל [*Baal*] in uſu communi *maritum* ſignificat, eâ voce uti non audebit, horrore ejus nominis quod idolo eſt impoſitum.

18. *Et percutiam cum eis fœdus in die illa*] Meliùs, *percutiam eis* : id eſt, *ipſorum bono*, ut hîc interpretatur Chaldæus. *Faciam fœdus*, id eſt, præcepta dabo feris, avibus, ſerpentibus, nè ipſis noceant : id eſt, efficiam nè ipſis noceant Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ. Confer Eſaiæ XI.

Et arcum & gladium & bellum conteram de terra] Faciam nè ulla ſint bella civilia, qualia olim fuere.

19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum*] *Te*, quæ meretrix fuiſti, ſi poſthac fidem ſerves, *ſponſabo* : id eſt, ut ſponſam atque uxorem tractabo.

In juſtitia] Id eſt, benefaciendo. Ità enim hoc nomen ſæpiſſime uſurpatur.

Et in judicio] משפט dicitur, *quod alicui ex lege debetur*, ut uxori cohabitatio, victus, veſtitus.

Et in miſericordia, & in miſerationibus] Condonando peccata.

20. *In fide*] Omnia promiſſa præſtando : id enim eſt אמונה [*fides*].

21. *Exaudiam cœlos*] Προσωποποιΐα [*Perſonæ fictio*], quales multæ in Prophetis : id eſt, dabo cœlo conſtitutionem optimam, qualem optaret ſi ſenſum haberet.

Et illi exaudient terram] Terram fœcundam faciet cœlum.

Ἐρᾷ μὲν ὄμβρου γαῖ᾽, ὅταν ξηρὸν πέδον
Ἄκαρπον αὐχμῷ νοτίδος ἐνδεῶς ἔχῃ·
Ἐρᾷ δ᾽ ὁ σεμνὸς οὐρανὸς πληρούμενος
Ὄμβρου πεσεῖν εἰς γαῖαν Ἀφροδίτης ὕπο·
Ὅταν δὲ συμμιχθῆτον εἰς ταυτὸν δύο
Τίκτουσιν ἡμῖν πάντα κἀκτρέφουσ᾽ ἅμα,
Ὅθεν βρότειον ζῇ τε καὶ θάλλει γένος,
[*Cerne, amet ut imbrem terra, cùm ſterili ſolum*
Squalore lugens poſcit humectas opes;
Rurſum amat & æther ipſe, Veneriſque impetu
Fœtos madoris explet in terram ſinus;
Quæ fœderata mutuis amplexibus
Quod ubique rerum eſt proferunt ac nutriunt:
Hinc vita viſque ſeculis mortalibus,]

ait Euripides.

22. *Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum*] Pandet ſe frugibus erumpere volentibus.

Et hæc exaudient Iezrahel] *Semen Dei* : pios ſcilicet, ut ſuprà 1. 11.

23. *Et ſeminabo eam mihi in terra*] Latè ſpargam, ut quæ jaciuntur ſemina.

Et miſerebor ejus quæ fuit Abſque miſericordia] Quæ fuit Οὐκ ἠλεημένη [*Non aſſecuta miſericordiam*], ut ſuprà 1. 6.

24. *Et dicam non populo meo*] Ei populo qui diu meus non fuerat, ſuprà 1. 9.

Populus meus es tu] Idem ſenſus qui ſuprà 1.10.

Et ipſe dicet, Deus meus es tu] Idem ſenſus qui ſuprà 1. 6.

CAPVT III.

1. ADhuc *vade*] Alterum typum vult adhiberi Deus, quo ſignificetur ſumma ejus lenitas in populum quem jure perdere omnino potuiſſet, ſed maluit vitam ejus producere & pœnitentiam exſpectare, par marito qui uxorem adulteram non ad Iudicem defert mortis ſupplicio adjudicandam, ſed fert patienter, à concubitu tamen ejus interim abſtinens.

Dilectam amico] Marito ſuo.

Sicut diligit Dominus filios Iſraël] Explicatio typi, quæ eſt planior infrà 4. 5.

Et diligunt vinacia uvarum] Recta verſio videtur *lagenas vini*. ſic enim II Samuel. VI. 19. Cant. II. 5. & in Thalmudicis ſæpe. Quidam Rabbini dicunt eſſe ſextam partem Ephæ. Libabant vinum diis, deinde ex eo bibebant.

2. *Et fodi eam mihi*] *Emi eam mihi.* Nam כרה & hoc ſignificat. Sicut autem coëmtio matrimonii erat genus apud Romanos: ſic & apud Hebræos viri donatione ob nuptias aut operis uxores ſibi acquirebant, Geneſ. xxix. 18. II Samuel. III. 14.

Quindecim argenteis] *Siclis* ſcilicet.

Et coro hordei] Lxx Hebraïcam vocem ſervant γομόρ [*Gomor*]. Vide Lev. xxvii. 16. Ezech. xlv. 11.

Et dimidio coro hordei] Quod hîc in Hebræo eſt לתך [*Letheg*], etiam in Thalmudicis invenitur, & dicitur tenere quindecim Seas, quinque Ephoth. Sed longè aliter habuere codices quibus uſi ſunt Lxx Senes: vertunt enim καὶ νέβελ οἴνου [*& Nebel vini*], id verò eſt *lagenam vini*, Ierem. xiii. 12.

3. *Dies multos exſpectabis me*] Id eſt, volo exſpectes me in thoro vidua, antequam tibi plenè reconcilier.

Non fornicaberis, & non eris viro] Et illegitimo & legitimo concubitu abſtinere debebis.

Sed & ego exſpectabo te] In Hebræo: *Ego etiam propter te*, ſupple *abſtinebo à conjugio.*

4. *Quia*] *Namque.* Hæc eſt planior explicatio typi: itaque nova hîc periodus inchoatur.

Dies multos ſedebunt filii Iſraël] In locis Aſſyriæ ditionis.

Sine Rege] Nempe ſuæ gentis.

Et ſine Principe] Id eſt, Non modò Regem ſuum non habebunt, ſed nec ullum è ſuis juriſdictione præditum. שר [*Principem*] Græci rectè vertunt ἄρχοντα, Chaldæus שלטן.

Et ſine ſacrificio] Sive legitimo, ſive idololatrico.

Et ſine altari] מצבה, ςήλω [*columnam*] ſolent vertere Græci. Significantur hac voce columellæ iſtæ quæ ante Legem licitæ, Geneſ. xxviii. 18. 22. xxxi. 13. 45. 51. 52. xxxv. 14. 20. Per Legem, quòd frequentes eſſent in uſu idololatrico, vetari Hebræis cœpere, Exod. xxiii. 24. xxxiv. 13. Levit. xxvi. 1. Deuteron. vii. 5. xii. 3. xvi. 22. 1 Reg. xiv. 23.

Et ſine Ephod] Græci Οὐδὲ ἱερατείας [*ſine ſacrificio*], bene explicatâ figurâ. Nam Pectorale illud, quod *Ephod* dicitur, nota ſummi Sacerdotis, Exodi xxviii.

Et ſine Theraphim] Οὐδὲ δήλων [*ſine illuminationibus*] verterunt Lxx, id eſt *ſine Vrim.* Sed *Theraphim* ubique *ſimulacra* ſignificat. Eſt autem nomen per ſe medium: ideóque ſignificare poteſt non malè *imagines falſi cultûs*, ut in Labanis hiſtoriis & alibi, ſed & ipſos *Cherubinos*, ut hîc notavit Hieronymus, & nos notavimus ad Iudic. xvii. 5.

5. *Poſt hæc*] Vbi diu vixerint in illo ſtatu, privati Regno, Templo, ſacrificiis, & idololatriæ, ob idololatrarum in ſe ſævitiam, pertæſi.

Et quærent Dominum Deum ſuum] Id eſt, & ad Deum ſe applicabunt. Ità בקש rectè per προσκολλᾶσθαι [*adhærere*] vertitur Levitici xix. 31.

Et David Regem ſuum] Adhærebunt Zorobabeli, qui erit ex familia Davidis, & propterea *David* appellabitur, ut omnes ex Iacobo, *Iſraël.* Ezechielis xxxiv. 23. ad Meſſiam eminenter hæc referenda agnoſcunt Paraphraſtes Chaldæus, & Rabbini multi.

Et pavebunt] Rectiùs *ſtupebunt.* Lxx ἐκςήσονται [*extra ſe erunt*].

Ad Dominum, & ad bonum ejus] Ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*]. Senſus eſt, *ob tantam Dei beneficentiam.*

In noviſſimo dierum] *In pòſt venturis temporibus.* Id enim, nec quicquam ampliùs, ſignificant Hebræa באחרית הימים.

CAPVT IV.

1. I*Vdicium Domino cum habitatoribus terræ*] *Lis.*

Non eſt enim veritas] *Bona fides.* Colligunt hinc Hebræi etiam idololatris aliquid boni à Deo contingere, ſi jura humanitatis ſervent.

Non eſt ſcientia Dei in terra] *Pietas*, ut hîc interpretatur Chaldæus. Sæpe enim Hebræi virtutes *ſcientias* vocant.

2. *Maledictum*] In Hebræo, *pejerando.*

Et mendacium] In Hebræo, *abnegando*; nempe depoſitum.

Et homicidium] In Hebræo, *Et occidendo.*

Et adulterium] *Et mœchando.*

Inundaverunt] *Frangunt*, nempe leges.

Et ſanguis ſanguinem tetigit] Id eſt: cædes cædem ſequetur. Hoc eſt, Zachariam Sellumus, Sellumum Manahemus occidet, II Regum xv.

3. *Propter hoc lugebit terra*] Bona pars terræ Decem tribuum erit vaſta ſine colonis, idque per Teglathphalaſarum; reliqua pars per Salmanaſarum.

Et infirmabitur omnis qui habitat in ea] Si quis ibi reſtiterit, languebit deficientibus alimentis.

In beſtia agri & in volucre cœli] Etiam pecudes & aves languebunt, non frugibus tantùm ſed & herbis omnibus comeſis aut corruptis ab exercitu & equis hoſtium. Idem ſuo tempore eveniſſe per Illyricum, Thraciam, Macedoniam, Pannonias, omnémque terram quæ à Propontide & Boſphoro uſque ad Alpes Iulias tenditur, notat hîc Hieronymus.

Sed & piſces maris congregabuntur] Lacuum piſces ad ripas ejicientur, aquis ſanguine corruptis.

4. *Verumtamen unuſquiſque non judicet*] *Nemo adversùs eos litiget.*

Et non arguatur vir] *Nemo increpet* : nempe alterum.

Populus enim tuus] Decem tribuum: nam modò cunctos, modò ſingulos alloquitur.

Sicut hi qui contradicunt Sacerdoti] Similes ſunt his qui publica decreta contumaciter oppugnant, cui crimini capitis pœna conſtituta eſt Deuter. xvii. 12. ad quem locum dicta vide.

5. *Et corrues hodie*] Id eſt, brevi.

Et corruet etiam Propheta tecum] *Pſeudopropheta*, ut hîc habet Chaldæus.

Nocte] Hoc cum præcedentibus connectitur in Hebræo; interpretare autem cum Chaldæo, *quaſi nocte*, hoc eſt improvisò.

Tacere feci matrem tuam] *Exſcindam matrem tuam*, id eſt, gentem. Sic רמה ſumitur & infrà x. 15. Significat & *aſſimilare*; quod hîc ſecuti & Lxx. Latinus autem derivavit à דום *tacere.* Sed expoſitio quam dixi eſt optima.

6. *Conticuit populus meus*] Etiam hîc rectiſſimè vertas *exſcindetur*: eſt enim verbum idem.

Eo quòd non habuerit ſcientiam] Id eſt, *pietatem*, ut ſuprà 1.

Quia tu ſcientiam repuliſti] Hîc Deus Sacerdotes ſingulos alloquitur, non quidem ſecundum leges conſtitutos, ut apparet 1 Regum XII. 31. ſed tamen nomen hoc ſibi vindicantes, & propterea obligatos ad docendum populum; ſicut *tutelæ obligatur qui pro tutore ſe geſſit*, D. De eo qui pro tutore.

Repellam te nè Sacerdotio fungaris mihi] Illam perſonam tibi detraham.

Et oblita es legis Dei tui] In Hebræo, *Et* (quia) *oblitus es legis Dei tui:* pergit enim Sacerdotem quemlibet alloqui.

Oblivíſcar filiorum tuorum & ego] Erunt pupilli & egentes.

7. *Secundùm multitudinem eorum ſic peccaverunt mihi*] Id eſt, Quo facti ſunt plures eò graviùs me offenderunt.

Gloriam eorum in ignominiam commutabo] *Pro honore Sacerdotii dedecore eos obruam.* Ajunt Rabbini olim fuiſſe כבודי, id eſt, *gloriam meam*, nempe terram Iſraëlis, *dedecore afficiam*, ſed mutatum hoc à Sapientibus, quia ſcilicet temporibus ſerioribus כבוד uſurpari cœpit in ſolo ſenſu *potentiæ majeſtatíſque Divinæ.* Quidam mutationem pari de cauſa ajunt eveniſſe Pſalmo CVI. 20. & Ieremiæ II. 11.

8. *Peccata populi mei comedent*] *Comedunt.* Ideo non reprehendunt ſeriò peccata ut plures accipiant victimas quibus paſcantur.

Et ad iniquitatem eorum ſublevabunt animos eorum] *Attollunt animam ſuam:* id eſt, maximè ſpectant, & exſpectant ut quamplurimum peccet populus. Ità explicanda hæc locutio ex Deuteron. XXIV. 15.

9. *Et erit ſicut populus, Sic Sacerdos*] Pari modo à me tractabuntur. — μηδὲ πυρφόρος σωθήσεται [— *nec ignifer evadet*].

Et viſitabo ſuper eum vias ejus, & cogitationes ejus reddam ei] Pœnæ reſpondebunt peccatis.

10. *Et comedent, & non ſaturabuntur*] Malè alentibus utentur cibis. cauſa ſequitur.

Fornicati ſunt, & non ceſſaverunt] *Scortati ſunt, & non pepererunt:* id eſt, Venerem in mares exercuere, unde partus nullus ſequi poſſet. Vide infrà 14. פרץ, quod propriè eſt *rumpere*, ſumitur apud Hebræos pro *parere*, Geneſ. XXVIII. 14. & alibi.

Quoniam Dominum dereliquerunt in non cuſtodiendo] *Non ſervando Legem.*

11. *Fornicatio & vinum & ebrietas auferunt cor*] *Scortatio, & vinum, & muſtum abſtulerunt* (ipſis) *cor:* id eſt, ſapientiam.

12. *Populus meus in ligno ſuo interrogavit*] Locutio Hebraïca, pro *lignum conſuluit.*

Et baculus ejus annuntiavit ei] Sortes captaverunt ex virgulis, uſi ῥαβδομαντείᾳ [*divinatione per virgas*] ad exemplum Chaldæorum, de quo vide ad Ezechiel. XXI. 21. Hunc ſenſum bene aſſecuti hîc ſunt LXX: ἐν συμβόλοις αὐτῶν ἐπηρώτων, καὶ ἐν ῥάβδοις αὐτῶν ἀνήγγειλον αὐτῷ [*per omina eos conſuluerunt, & illi annuntiarunt per virgas*].

Spiritus enim fornicationum decepit eos] Hîc *fornicatio* eſt idololatria, cujus exemplis decepti ſunt.

Et fornicati ſunt à Deo ſuo] *Vt ſcortarentur contra Deum.*

13. *Super capita montium*] *In montium verticibus*, contra Legem.

Sacrificabant] *Mactarunt victimas.*

Et ſuper colles accendebant thymiama] *Adoleverunt.*

Et terebinthum] Alii vertunt *quercum*, alii *ulmum*, alii *tiliam*. Vide Geneſ. XXXV. 4.

Quia bona erat umbra ejus] Εὔσκιον ὕψος — [*umbroſa cacumina* —], dicerent Poëtæ Græci.

Ideo fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt] Hîc quoque peccato pœna reſpondet. Et ſolent plerumque idololatriam, id eſt, Dei contemtum, magnæ ſequi morum corruptelæ.

14. *Non viſitabo ſuper filias veſtras cùm fuerint fornicatæ, & ſuper ſponſas veſtras cùm adulteraverint*] Diſſimulabo iſta, quia vos patres & mariti cauſam dediſtis.

Quoniam ipſi cum meretricibus converſabantur] In Hebræo, *Cum ſcortis ſeparant ſe:* id eſt, in lucos eunt, 1 Regum XV. 13.

Et cum effeminatis ſacrificabant] Explicavit קשות [*meretrices*] quaſi eſſet קדשים [*catamitos*]: quomodo & Aquila hîc vertit ἐνηλλαγμένους [*mutatos*], eos ſcilicet qui μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν [*qui mutarunt uſum naturalem in eum qui eſt præter naturam*]. Sed vox quæ hîc legitur feminina eſt; &, ut Hebræi notant, ſignificat ſacerdotem feminam quæ ſe vulgabat in honorem idoli Beelphegor.

Et populus non intelligens vapulabit] *Populus non intelligens*, id eſt, Deum non curans, *corruet.*

15. *Si fornicaris tu Iſraël*] Si tibi libet ſequi idola.

Non delinquat ſaltem Iuda] Caveant ſibi Duæ tribus nè talia exempla ſequantur.

Et nolite ingredi in Galgala] Hic ſermo ſe convertit ad homines Duarum tribuum. *Galgala* locus erat in ipſis finibus Decem tribuum, ubi idola colebantur, infrà IX. 15.

Et nè aſcenderitis in Betha-ven] LXX τὸν οἶκον Ὢν [*domum On*] poſteriore parte ex Hebræo retentâ: quam alii Interpretes Græcè vertentes dixere, Theodotion, οἶκον τῆς ἀδικίας [*Domum injuſtitiæ*], Aquila & Symmachus, οἶκον ἀνωφελῆ [*Domum inutilem*]. Chaldæus ad ſenſum bene vertit *Bethel* tam hîc quàm infrà XV. id enim antiquum loco nomen. Sed pii in exſecrationem idololatriæ, quæ ibi exercita à Ieroboami temporibus, dixêre *Beth-on*, vel *Beth-aven*, id eſt, *Domum vanitatis*; idola enim vanitas: ideóque hic interpres infrà VI. 8. און [*On* vel *Aven*] vertit *idolum*, non malè ad ſenſum. *Gilgala* & *Bethel*, ut præcipua idololatriæ loca, conjunxit etiam Amos V. 5. & dicit בית אל [*Bethel*] *futurum* לאון [*in nihilum*], alluſione factâ ad illud nomen alterum בית און [*Beth-on* vel *Beth-aven*].

Neque juraveritis, Vivit Dominus] Nempe in illo templo Bethelis ſive Beth-aven: nam illi Vitulos iſtos vocabant יהוה [*Dominum*], quòd putarent eum in tali imagine rectè coli, ob cauſas dictas alibi.

16. *Quoniam ſicut vacca laſciviens declinavit Iſraël*] Alludit Propheta ad illas imagines. Deum voluerunt facere talem: At ipſi tales ſunt. In Græco hîc ὡς δάμαλις παροιστρῶσα [*ut juvenca æſtro percita*]. Et illi

Vituli ab Ieroboamo erecti dicuntur itidem δαμάλεις [*juvencæ*] in Græco I Regum XII. 28. & ſequentibus. Iuvencæ ſolent aberrare à paſtore.

Nunc paſcet eos Dominus quaſi agnum in latitudine] Et hîc eſt χλευασμὸς [*Irriſio acerba*] ex ambiguo. Latè paſcere amant agni: Deus Iſraëlem diſperget per totum Aſſyriorum regnum.

17. *Particeps idolorum Ephraïm*] Pergit illos de Duabus tribubus alloqui. *Addictus eſt idolis Ephraïm.* Sic vocantur Decem tribus quòd Principes ex ea tribu fuiſſent. Senſus eſt, Sunt illi inſanabiles ab iſto morbo.

Dimitte eum] *Miſſum eum fac*, ô Iuda.

18. *Separatum eſt convivium eorum*] *Acidus factus eſt potus eorum*, id eſt, indignus eſt qui bibatur, qui diis libatus eſt. Chaldæus סר ſumit pro *principe*, & ἔλλειψιν [*Defectum in ſermone*] hîc vult eſſe, *Principes quæſiverunt convivium.* LXX verò Senibus סר eſt *acceſſit.* סבאים ſunt *Sabæi*, id eſt, idololatræ, pro quibus ipſi poſuere populi non minùs impii nomen: vertunt enim ἠρέτισε Χαναναίους, *amavit Chananæos.* ſed Hieronymus legit ἠρέθισε, id eſt, *provocavit.*

Fornicatione fornicati ſunt] *Quia ſunt idololatræ.*

Dilexerunt afferre ignominiam protectores ejus] *Amarunt* dicere *proceres eorum*, *Afferte ignominiam.* Illi dicebant, Afferte idola; ſed Propheta dicit non quod ipſi dicebant, ſed quod res erat: qualia & alibi notavimus. מגניה *proceres* vertit & Chaldæus.

19. *Ligavit eum ſpiritus in alis ſuis*] *Spiritus*, id eſt, ventus *eum velut alis ſuis ligatum auferet*: id eſt, celerrimè auferetur in regionem longè diſſitam. Ventis alas tribuunt & Græci & Latini Poëtæ.

Et confundentur à ſacrificiis ſuis] *Vt confundantur*: id eſt, ut videant ſacrificia illa idolis facta nihil ſibi profuiſſe.

CAPVT V.

1. A*Vdite hoc, Sacerdotes*] Qui Sacerdotes vos dicitis, & pro talibus habemini, ut ſuprà IV. 6.

Domus Iſraël] Decem tribuum.

Et domus Regis] Manahemi.

Vobis judicium eſt] Vobis pœna imminet, quæ μετωνυμικῶς [*per Tranſnominationem*] *judicii* nomine indicatur.

Laqueus factus eſt ſpeculationi] In Græco quoque, τῇ σκοπιᾷ [*ſpeculationi*]. ſed eſt nomen proprium, *in Miſpa. Miſpa* & *Thabor* nemoroſi montes, ubi multa aucupia exercebantur. Sic malo exemplo Iſraëlitarum etiam Iudæi multi ſeducebantur, infrà 3.

Super Thabor] Ἰταβύριον Græcis & Ioſepho.

2. *Et victimas declinaſtis in profundum*] In Hebræo, *Victimas inclinantes in profundum dejecere.* Mos idololatrarum victimas jugulatas dejicere in ſpecum in quo erat ignis. Vide Euripidem Iphigeniâ in Tauris. Tranſitus de perſona ſecunda in tertiam frequens Hebræis.

Et ego eruditor omnium eorum] *Cùm ego quotidie eos inſtituerem*, nempe per Achiam, Eliam, Eliſæum, & Prophetas alios.

3. *Ego ſcio Ephraïm*] Novi eos. Ephraïm pars præcipua Decem tribuum.

Et Iſraël non eſt abſconditus à me] Novem tribus aliæ.

Fornicatus eſt Ephraïm] In Hebræo, *fornicaris:* pergis in idololatria.

4. *Quia ſpiritus fornicationum in medio eorum*] Qui *ſpiritus perverſitatum* Eſaiæ XIX. 14. Idololatriæ œſtro planè ſunt perciti.

Et Dominum non cognoverunt] Eò fit *nè Dominum cognoſcant.*

5. *Et reſpondebit arrogantia Iſraël in facie ejus*] *Contumacia Iſraëlis contra ipſum teſtimonium feret.* Id enim ſæpe eſt ענה [*reſpondere*].

Ephraïm ruent] Id eſt, *Ephraïmitæ.*

In iniquitate ſua] In pœnam ſibi debitam.

Ruet etiam Iuda cum eis] Duæ tribus Iudæ & Benjaminis exempla Decem tribuum ſecutæ corruent ſub Ægyptiis & Chaldæis.

6. *In gregibus ſuis & armentis vadent ad quærendum Dominum, & non invenient*] Pacem Dei per victimas fruſtrà expoſcent.

Ablatus eſt ab iis] *Subduxit ſe* longè *ab eis.*

7. *Quia filios alienos genuerunt*] Ex feminis earum gentium quibuſcum jus connubii ipſis non erat.

Nunc devorabit eos menſis] Menſtrua penſio, quam Rex populo ſuo injunxit ut ſarciat damnum quod fecit magnas pecunias dando Phuli Regi Aſſyriæ II Regum XV. 19. 20. Vide & infrà VIII. 10. Græci non חדש [*menſis*] legerunt, ſed חסיל [*bruchus*], ut hîc notat Hieronymus.

Cum partibus ſuis] *Cum poſſeſſionibus ipſorum.* Et ipſi, & terra eorum prementur gravibus tributis.

8. *Clangite buccinâ in Gabaa, tubâ in Rama*] *Buccina* ex cornu, *tuba* ex ære vel argento. Significat hoſtes ſuperventuros utrique regno: nam hoſtium adventus per buccinas & tubas ſignificabatur. *Gabaa* & *Rama* ſunt de portione Benjaminis, *ſeptimo ferme ab Hieroſolymis lapide*, ut hîc notat Hieronymus. Vide I Regum XV. 17. 22.

Vlulate in Bethaven] In Bethel, ut ſuprà IV. 15.

Poſt tergum tuum Benjamin] Quæ urbs valde tibi propinqua eſt, ô Benjamin. *Vbi enim tribus finitur Benjamin, haud procul in tribu Ephraïm condita eſt Bethel*, ut hîc ait Hieronymus.

9. *Ephraïm in deſolatione erit*] *Vaſta fiet.*

In die correptionis] Cùm Deus ipſi immittet Salmanaſarum.

In tribubus Iſraël oſtendi fidem] *Cùm adversùs tribus Iſraël oſtendam conſtantiam*, meam ſcilicet in iis implendis quæ Prophetæ prædixerunt.

10. *Facti ſunt Principes Iuda quaſi aſſumentes terminum*] Tranſit ſæpe ab hoc Regno in illud, ut utriuſque peccata oſtendat & pœnas prænunciet. Terminos ab hominibus conſtitutos movere crimen grave, Deuteron. XIX. 14. quantum ergò, conſtitutos à Deo terminos, id eſt, Legem? quod fecere Principes Iudæ, ut Achazus, II Reg. XVI. 10. II Paralipomen. XXVIII. 3.

Super eos effundam quaſi aquam iram meam] Id eſt, magno impetu.

11. *Calumniam patiens eſt Ephraïm: fractus judicio*] *Opprimitur Ephraïm, & judiciis frangitur.* Tum

vi potentiorum, tum iniquis judiciis opprimitur populus in Decem tribubus.

Quoniam cœpit ire poſt ſordes] *Quia Iudices ſe dederunt ſordibus*, id eſt, fœdæ avaritiæ.Ità hîc Chaldæus. Itaque ſumſere Interpretes צו per ἀποκοπὴν [*Abſciſsionem in fine vocis*] pro צוי, quod Chaldæis *ſordes* ſignificat.

12. *Et ego quaſi tinea Ephraïm, & quaſi putredo domûs Iudæ*] *Tinea* veſtem conſumit, putredo carnem ipſam. Significatur præſtantia Duarum tribuum præ decem aliis, propter domum Davidis & Templum.

13. *Et vidit Ephraim languorem ſuum*] *Vulnus ſuum*: nam & verbum חלה hoc ſenſu ſumitur I Regum XXII. 34. & ſequentibus.

Et Iuda vinculum ſuum] *Plagam ſuam*. Ea dicitur מזור, quòd obligari ſoleat; ideo Aquila ἐπίδεσιν [*ligamentum*] vertit: at LXX ὀδύνην [*dolorem*]. Viderunt populus uterque quantis in malis verſarentur.

Et abiit Ephraïm ad Aſſur] Manahem dona mittet Phuli, II Regum XV. 20.

Et miſit ad Regem ultorem] *Mittet*, ſupple *Iuda*, *ad Regem Teglathphalaſarum, ut ipſi ſit adjutor*, ſive *ultor*: id enim eſt ירב, ut rectè putat Hieronymus ex Iud. VI. 32. Videbis impletum hoc II Reg. XVI. 6. II Paralipom. XXVIII. 16. Græci Ἰαρείβ [*Iarib*] nomen putarunt proprium, pro quo jam Hieronymi tempore malè Ἰαρείμ [*Iarim*] ſcribebatur, vicino ductu literarum β & μ, quod norunt qui in manuſcriptis verſati ſunt.

Et ipſe] Aſſyrius.

Non poterit ſanare vos, nec ſolvere poterit à vobis vinculum] *Et non curabit plagam veſtram*. Duas tribus non poterit indemnes præſtare aut à Phacea Romeliæ filio II Paralipomen. XXVIII. 6. aut ab Ægyptiis II Regum XXIII. 29. Decem autem tribus tantum abeſt ut à malis eripere velit Aſſyrius, multò quàm ante majora illis inferet, nempe Salmanaſari tempore.

14. *Quoniam ego quaſi leæna Ephraïm*] *Quaſi panthera Ephraïm*: nam שחל *pantheram* eſſe & hîc Hieronymus notavit, & nos ad Iobum X. 16. Nihil proderit hominum favorem quærere, cùm ego (inquit Deus) velim abſumere Decem tribus tam velociter quàm venit panthera, Duas autem tribus tam ſævè quàm ſolet leo.

Capiam & vadam] Similitudine à feris ductâ, quæ cum præda in luſtra redeunt: quod & ſequentia exprimunt.

15. *Donec deficiatis*] *Donec ſe reos peragant*. Ità vox אשם uſurpatur Levitici IV. 13.

Et quæratis facies meas] In Hebræo, *Quærant. Facies meas*, id eſt, favorem meum.

CAPVT VI.

1. IN *tribulatione ſua manè conſurgant ad me*] *Evigilent*. Cohærent enim hæc planè cum iis quæ præcedunt, & unus eſt ſermo: *evigilent* velut è ſomno peccatorum, ubi in exſilio erunt.

Venite, & revertamur ad Dominum] Sicut illa verba quæ jamjam habuimus malè divulſa ſunt à prioribus in Græco & Latino, ità hæc in Hebræo: pendet enim ſenſus, & ſubaudiendum eſt *dicentes* ante verbum *venite*. Chaldæus *dicent* addidit.

2. *Ipſe cepit*] *Diſcerpſit*, corpus nempe Iſraëliticum.

Et ſanabit nos] Reſtituet in patriam eos qui ſe emendaverint. Ii autem multò plures fuere de Duabus tribubus quàm de Decem, ſed tamen & ex his aliqui, ἡ ἐκλογή [*electio*].

Percutiet] Imò *percuſſit*; introducuntur enim loquentes ii qui in exſilio futuri ſunt.

2. 3. *Et curabit nos: Vivificabit nos poſt duos dies: in tertia die ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus*] *Vt vivamus*. Senſus primùm obvius eſt, Poſtquam ſe emendaverint Hebræi, futurum ut brevi eos Deus ex tantis miſeriis, quæ morti comparari ſolent, reſtituat. Sed haud dubiè Dei nutu ità directa ſunt hæc verba, quomodo & multa alia Prophetarum, ut apertiſſimè nobis præfigurarent tempus intra quod & Chriſtus vitam & Eccleſia ejus ſpem erat receptura. Iudæi ex hoc loco ſibi fingunt intra triduum abſolutum iri poſtremum & univerſale Iudicium.

Sciemus, ſequemúrque ut cognoſcamus Dominum: quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus] Optimè ſic vertas, ſupplendo quæ in Hebræo ſæpe omitti ſolent: *Si cognoſcamus Dominum, & cognoſcendo eum ſectemur, tam promptum nobis erit ejus auxilium quàm eſt aurora.*

Et veniet quaſi imber nobis temporaneus, & ſerotinus terræ] *Imber temporaneus* dicitur, qui eſt ſementis tempore, *ſerotinus* qui adultâ ſegete, ut diximus Deuteronom. XI. 14. Senſus eſt, Omni tempore omnia ipſis à Deo proſpera ventura.

4. *Quid faciam tibi Ephraïm? quid faciam tibi Iuda?*] Id eſt, Quid boni vobis poſſem facere dum tales eſtis?

Miſericordia veſtra] חסד ἔλεος quidem & ἐλεημοσύνη [*miſericordia*] verti ſolet tum apud Græcos interpretes veteris Teſtamenti, tum apud ſcriptores Novi: ſed revera ſignificatio vocis hanc quidem partem complectitur, ſed latiùs patet, extenditque ſe ad omnia pietatis & probitatis officia: unde חסידים Ἀσιδαῖοι [*Aſidæi*] in Maccabaïcis dicuntur qui omnes officiorum partes ſollicitè explebant: unde factum poſtea, extrito ר, nomen Ἐσσαίων [*Eſſæorum*] vel Ἐσσηνῶν [*Eſſenorum*]· & aliquantò plus in eo eſſe creditur quàm in voce צדיק [*juſti*].

Quaſi nubes matutina, & quaſi ros manè pertranſiens] Brevi defecit veſtra probitas, quomodo ros aut nubes manè exorta Sole adventante diſpereunt.

5. *Propter hoc dolavi in Prophetis*] *Cecídi eos per Prophetas*, id eſt, magnas plagas ipſis denuntiavi: nam Prophetæ, & Deus per Prophetas dicuntur ea facere quæ prædicunt, Ieremiæ I. 10.

Occídi eos in verbis oris mei] Id eſt, occidiones ipſis prædixi eventuras.

Et judicia tua] Pœnæ quæ in te venient.

Quaſi lux egredientur] Apparebunt eſſe juſtiſſima: nihil eveniet de quo non præmoniti ſitis, & quidem ſæpius.

6. *Quia miſericordiam volui, & non ſacrificium*] Dictum eſt hoc comparatè, ut explicavimus ad Matthæi locum IX. 13. ubi Chriſtus hoc Prophetæ loco utitur. Putatis multùm vos facere quòd ὁλοκαυτώματα [*holocauſta*] mihi offertis aut etiam piaculares victimas: Atqui iſta quæ bonis ac malis hominibus ſunt communia in minimo cenſu ſunt apud me: multùm præpollent ea quæ ſemper & ubique honeſta ſunt.

Scientiam Dei] Id eſt, *pietatem*, ut ſuprà diximus. Solent ſæpe voces eædem modò laxiùs ſumi, modò ſtrictiùs; quod ſæpe oſtendit membri alterius oppoſitio. Ergò hoc loco דעת אלהים [*cognitio Dei*] verum & internum Dei cultum ſignificat; חסד [*miſericordia*] omnia quæ homini alteri aut debentur, aut cum laude præſtantur.

7. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum*] Græci pro עברו [*tranſgreſſi ſunt*] legunt עבר [*tranſgreſſor*] participialiter, *ſimiles ſunt homini fœdifrago.* Chaldæus per אדם [*homo*] intelligit illos gigantes qui nati ex בנות האדם [*filiabus hominis*] Geneſeos VI. 4. *Ipſi ſicut generationes priſcæ tranſgreſſi ſunt pactum meum.* Alii אדם ſumunt communiter, & exprimunt: *Ità tranſgreſſi ſunt pactum meum quaſi pactum eſſet hominis.* Mihi Latina hæc interpretatio non diſplicet; ut ſenſus hic ſit, *Sicut Adam, quia pactum meum violavit, expulſus eſt ex Hedene: ità & hos æquum eſt ex ſua terra expelli.*

Ibi prævaricati ſunt in me] *Ibi* eſt velut digito monſtrantis. *Ibi, in terra illa optima, quam ego eis dederam*, ut hìc exponit Chaldæus. Adde, ut connectas cum ſuperioribus, in illa terra quæ Hedeni comparatur, Geneſ. XIII. 10. Iſaiæ LI. 3. ut & loca ei proxima, Ezechielis XXVIII. 13.

8. *Galaad civitas operantium idolum*] און *idolum* quidem interdum ſignificat; ſed & *injuſtitiam*, quomodo hìc accipit Chaldæus, & Græci multis in locis vertunt ἀδικίαν [*injuſtitiam*] & ἀνομίαν [*legum contemtum*].

Supplantata ſanguine] Id eſt, in omni ſolo impreſſa habens cædis veſtigia; plurimi enim ibi homicidæ: ideóque trans Iordanem plura pro terræ ſpatio aſyla quàm cis Iordanem, Num. XXXV. 13. Deuter. IV. 41. 42. 43. Ioſuæ XX. 8.

9. *Et quaſi fauces virorum latronum, particeps Sacerdotum, in via interficientium pergentes de Sichem*] Tranſpoſitio locum facit obſcuriorem, quâ enodatâ hic erit ſenſus, *Sicut exſpectant aliquem latrones in via quæ fert Sicima, ut* eum *interficiant*: ità ſe habet *coïtio Sacerdotum.* Ità omnes Sacerdotes in malum conſentiunt ut manipulus latronum. Simile illud Ovidii:

> *In facinus juraſſe putes.*

Quia ſcelus operati ſunt] Quia ſceleri dant operam: nihil agunt aliud.

10. *In domo Iſrael*] In Decem tribubus.

Vidi horrendum] *Rem ſtupendam*; ut Ierem. V. 30. XVIII. 13. XXIII. 14. ſcribitur enim ש dextrum habente punctum: Sed videtur venire à שער quod *timere* ſignificat, & ſiniſtrum punctum habet. Iſta diſcrimina in literis olim non addebantur.

Ibi fornicationes Ephraïm, contaminatus eſt Iſraël] Meliùs, *Fornicatione Ephraïm* (id eſt, Ieroboami qui ex ea erat tribu) *contaminatus eſt Iſraël*, id eſt, Decem tribus: nam Ieroboam primus exemplum dedit cultûs Vitulorum, qui mirum quàm ſubitò in tot hominum millia fluxerit.

11. *Sed &, Iuda, pone meſſem tibi, cùm convertero captivitatem populi mei*] Eſt hoc obſcurius. Rectè verti puto: *Sed &, ô Iuda, ponet anguſtias tibi* (id eſt, *ponentur tibi anguſtiæ*, activum ſine perſona pro paſſivo) *poſtquam ego rediero ad captivum faciendum populum meum*: id eſt, poſtquam iterum fecero captivos adduci Iſraëlitas. Prior abductio per Teglathphalaſarum facta, altera per Salmanaſarum: Poſt hanc venit Sennacheribus, qui vaſtavit Iudæam, & Hieroſolyma arctè obſedit. קציר *meſſem* aut *plantarium* hìc vertunt Interpretes; ſed Chaldæis קצירי eſt *morbus* vel *anguſtiæ*, & ſolet Iod ſæpe abjici.

CAPVT VII.

1. *Cum ſanare vellem Iſraël*] *Cùm ſanaſſem Iſraëlem*: id eſt, cùm totam domum Achabi ob idololatriam evertiſſem.

Revelata eſt iniquitas Ephraïm] Nova culpa ſe aperuit, Iehu Vitulos populo relinquente, II Regum X. 31.

Et malitia Samariæ] Ἐπεξήγησις [*Amplior explicatio*].

Quia operati ſunt mendacium, & fur ingreſſus eſt ſpolians, latrunculus foris] Copula hìc Hebræo more abundat: Senſus enim eſt, *Quia fecerunt ſibi imagines* (quæ *mendacium* dicuntur Hebræis) *ideo præda facti ſunt domi Iudicibus, foris hoſtibus*, ſub Hazaële ſcilicet, ſuprà V. 11. & II Regum X. 32.

2. *Et nè fortè dicant in cordibus ſuis, omnem malitiam eorum me recordatum*] Meliùs: *Neque dicunt in cordibus ſuis* (id eſt, non cogitant) *me meminiſſe ipſorum crimina.*

Nunc circumdederunt eos adinventiones ſuæ] *Circumdant*, id eſt, brevi circumdabunt. commenta ipſorum in ipſos recident.

Coram facie mea factæ ſunt] Deeſt *quæ.* Senſus, *quæ planiſſimè apparent.*

3. *In malitia ſua lætificaverunt Regem*] Iehum, falſas ei ſpes dedêre.

4. *Omnes adulterantes*] Facti ſunt idololatræ.

Quaſi clibanus ſuccenſus à coquente: quievit paululùm civitas à commiſtione fermenti donec fermentaretur totum] *Similes furno ſuccenſo à piſtore qui deſiit vigilare, poſtquam depoſuit maſſam, donec ea fermenteſcat.* Dormiente piſtore, ex furno malè cuſtodito flamma exoriens domum conſumit: Ità iſta gens incenſa eſt ſtudio idololatriæ, Iehu connivente.

5. *Dies Regis noſtri: cæperunt Principes furere à vino*] *Die Regis noſtri*, id eſt, tempore regni Iehu, qui erat Rex à Deo unctus, *cæperunt Principes velut ebrii inſanire* circa Vitulos. In Hebræo eſt, *ab utre vini*: id eſt, multo vino, non rorantibus poculis.

Extendit manum ſuam cum illuſoribus] לצצים, aut, ut ſcribitur alibi, לצים, ſunt *homines profani.* Pro *extendit manum ſuam*, rectè verteris *protraxit manum ſuam*, id eſt, abſtinuit eos punire ut debuit.

6. *Quia applicuerunt quaſi clibanum cor ſuum*] Illi Principes planè flagrabant ſtudio cultûs illiciti.

Cùm inſidiaretur eis] Meliùs, *Dum ipſi* Principes *inſidias ſtruunt*, Regi ſcilicet, peſſimis conſiliis.

Totâ nocte dormivit] Diu Rex diſſimulavit illorum culpas.

Coquens eos, manè ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ] *Dum* illi *coquuntur*, *manè & ipſe ſuccenſus eſt velut flammeus ignis.* Dum illi in facinoribus ſuis pergunt, ſenſim & ipſe in idem ſtudium abreptus eſt.

7. *Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus*] *Vt furnus.* Tota plebs Principum ſecuta exemplum.

Et devoraverunt Iudices ſuos] *Devorabunt*, id eſt, occident proceres ſuos, ut Thapſæ II Reg. XV. 16.

Omnes Reges eorum ceciderunt] *Cadent:* nempe inſidiis popularium, Zacharias, Sellumus, Phadias. Peccarunt proceres, peccarunt Reges: & hi & illi ſuas pœnas ferent.

Non eſt qui clamet in eis ad me] *In eis*, id eſt, in populo. Cùm tantis indiciis ira mea appareat, nemo eſt qui de me placando cogitet.

8. *Ephraïm in populis ipſe commiſcebatur*] *Commiſcebitur:* id eſt, inter gentes extraneas ſpargetur.

Ephraïm factus eſt] *Fiet.*

Subcinericius panis, qui non reſervatur] In Hebræo, *Qui non verſatur:* id eſt, *qui comeditur priuſquam verſetur*, ut hîc explicat Chaldæus. Significatur hoſtium celeritas. Firmant hoc ſequentia.

9. *Comederunt alieni robur ejus*] *Divitias:* כוח enim ſæpe id ſignificat.

Et ipſe neſcivit] Cauſam non intelligit.

Et cani effuſi ſunt in eo] Id eſt, propè ad interitum venit; ut ii qui multùm caneſcunt.

10. *Et humiliabitur ſuperbia Iſraël in facie ejus*] *Teſtificabitur contra eum faſtus ſuus*, ut ſuprà v. 3.

Et non quæſiverunt eum in omnibus his] Cùm tanta pericula ipſis tam ſæpe denunciarentur.

11. *Quaſi columba ſeducta non habens cor*] Stolida ac vecors.

Ægyptum invocabant] *Invocant*, II Reg. XVII. 4.

Ad Aſſyrios abierunt] Quærunt nunc has nunc illas amicitias, Dei amicitiam non curantes, II Regum XV. 19. ſuprà v. 13.

12. *Et cùm profecti fuerint*] *Cùm abierint:* id eſt, ubi fecerint quicquid voluerint. ſic enim הלך [*proficiſci*] & πορεύεσθαι ſumi ſolent.

Expandam ſuper eos rete meum] Decreta mea exſequar.

Quaſi volucrem cæli detraham eos] De montibus illis Samariæ.

Cædam eos] *Pœnis eos afficiam.* id enim יסר: nec aliter ſumsêre Græci, aut Chaldæus.

Secundùm auditionem cœtûs eorum] Id eſt, prout ſæpe eos conteſtatus ſum per Prophetas, II Regum XVII. 13.

13. *Quia prævaricati ſunt in me, & ego redemi eos*] Pro, *in me qui redemi eos:* liberavi eos ab Ægyptiis, Cananæis, Madianitis, Philiſthinis, Ammonitis, Amalecitis, Syris.

Et ipſi locuti ſunt contra me mendacia] Aſſimilantes me vitulis.

14. *Et non clamaverunt ad me in corde ſuo, ſed ululabant in cubilibus ſuis*] *Cùm ulularent.* In rebus ſuis malis ad me preces non fuderunt.

Super triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me] *Cùm ruminarent;* id eſt, cùm pecudum more ſe ingurgitarent pane & vino, in rebus ſuis bonis longè à me abiere. Itâ verè illis convenit illud, Ηὐλήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ὠρχήσασθε· ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε [*Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis; lamentavimus, & non planxiſtis*], Matth. XI. 17.

15. *Et ego erudivi eos, & confortavi brachia eorum, & in me cogitaverunt malitiam*] Idem ſenſus qui in ſuperioribus, *Sive eos punirem, ſive vires ipſis adderem, ſemper me dehoneſtarunt per imagines.*

16. *Reverſi ſunt ut eſſent abſque jugo*] Id eſt, *denuo voluerunt eſſe abſque jugo.* Per *jugum* intelligenda Lex. Tam Chaldæus quàm Latinus על [*ſuprà*] ſumſere pro עול [*jugum*]: & fortè ubi nunc eſt Cametz, in libris aliis fuit Holem.

Facti ſunt quaſi arcus doloſus] Qui aliud minatur, aliud ferit, Pſalm. LXXVIII. 57. in Epigrammate Græco,

——— ἀπόσκοποι οἱ δ' ἐγένοντο.
[——— *non quod tetigere, volebant.*]

Cadent in gladio Principes eorum] Suprà 7.

A furore linguæ ſuæ] Initia talium conjurationum ſunt à virulentis ſermonibus, & libellis, quos *tentamenta vulgi* rectè vocat Tacitus. Harum autem querelarum materia maximè ex tributis petebatur.

Iſta ſubſannatio eorum in terra Ægypti] Propter crebras illas mutationes ludibrio erunt Ægyptiis, quos valde fuiſſe Regum obſervantes etiam Virgilius nos docet Georgicôn quarto.

CAPVT VIII.

1. *IN gutture tuo ſit tuba*] Prophetam Oſeam Deus alloquitur, vúltque eum editiſſimâ voce proclamare & peccata populi & mala eventura. Similis locutio Eſaiæ LVIII. 1. חך propriè *palatum*, ſed ſumitur συνεκδοχικῶς [*per Comprehenſionem*] pro *ore* toto. LXX in ſuis codicibus minùs rectè habuerunt אל חק כאפר, εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ [*in ſinum ipſorum, ut terra*].

Quaſi aquila ſuper domum Domini] Quæ tam latè audiatur quàm aquila templum ſupervolitans & è ſublimi crocitans. Confer Apocalypſ. VIII. 13.

Pro eo quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meum] *Tranſgreſſos hos eſſe fœdus meum:* hoc enim ipſum eſt quod proclamari vult Deus.

2. *Me invocabunt*] Tempus veniet cùm me invocaturi ſunt.

Deus meus] Singuli dicent, *Deus meus.* Sic Cornelius Severus,

——— *fusique per herbam,*
Hic meus eſt, dixere, dies.

Dixerunt, ait Seneca, *non omnes ſimul, ſed ſinguli cætus.*

Cognovimus te Iſraël] Nos Iſraëlitæ te Deum verum eſſe cognovimus. Simile Matth. VII. 22.

3. *Projecit Iſraël bonum*] Subintellige, *reſpondebit Deus.* Fugit Iſraël à bono. *bonum*, id eſt, εὐεργέτην [*beneficum*].

Inimicus perſequetur eum] Nempe itâ ut fugere nequeat.

4. *Ipſi regnaverunt, & non ex me*] *Reges faciunt.* eſt enim Hiphil: ſæpe ſcilicet. Nam Ieroboamus & Iehu eorúmque poſteri Dei juſſu regnarunt; non

item illi qui medio inter eos tempore fuere, ut nec illi qui poſt Iehu poſteros.

Principes exſtiterunt] *Principes conſtituunt.* Eſt enim forma eadem verbi. Iudices Duarum tribuum originem habebant à Deo, Iudices Decem tribuum à Regibus.

Et non cognovi] Id eſt, non approbavi eos.

Argentum ſuum & aurum ſuum fecerunt ſibi idola] עצב propriè *dolorem* ſignificat. Hebræi, & his & aliis funeſtis, aut vilibus vocabulis appellavere idola, ut I Samuel. XXXI. 9. & alibi ſæpe.

Vt interirent] In Hebræo: *Ideo exſcindetur*, ſupple *populus.*

5. *Projectus eſt vitulus tuus, Samaria*] *Deſeret te Vitulus tuus, ô Samaria.* Id eſt, nihil in periculis tibi proderit.

Iratus eſt furor meus in eos] Vitulorum cultores.

Vſquequo non poterunt emundari?] In Hebræo: *Vſquequo non poterunt innocentiam?* amare ſcilicet.

6. *Quia ex Iſraël & ipſe eſt*] Non Ammonitarum, aut Moabitarum, ſed ipſius Iſraëlis hoc eſt commentum.

Artifex fecit illum] *Fuſor.*

Et non eſt Deus] Nulla in eo eſt vis Divina.

Quoniam in aranearum telas erit vitulus Samariæ] Nam in minutiſſimas partes redigetur. Eo argumento ſatìs apparebit omnibus, nihil in eo eſſe Divini. שבב eſt minimum quidque in re quavis, ut ſcintillæ, fragmenta, ſegmenta : *atomos* dixit in Commentario Hieronymus. Factum hoc per Aſſyrios. Græci ש putarunt idem valere quod ס. Itaque verterunt alii, πλανῶν [*decipiens*], alii ἀκατάστατον [*non durabile*], alii ῥεμβώδων [*fluctuans*].

7. *Quia ventum ſeminabunt, & turbinem metent*] Proverbiale, ſignificans inanium operum calamitoſam fore mercedem. Simile Iob. IV. 8. Proverbior. XXII. 8. Pro vento LXX hîc habent ἀνεμόφθορα [*in ventum euntia*], quomodo dici ſemina quæ ἐντεριώνην, id eſt *medullam*, non habent, notat hîc Hieronymus. Iidem LXX pro *turbine* poſuerunt καταστροφήν [*everſionem*]. Sed ſenſus in Latino expreſſus ſimplicior eſt. Chaldæus *quæ vento flante ſeminata ſunt, à turbine* ait *dejectum iri.*

Culmus ſtans non eſt in eo, germen non faciet farinam] Diſtingue ſic: *Culmus ſtans, non eſt in eo germen, neque proferet farinam.* Senſus eſt planus: culmum quidem ſurrecturum, ſed ſine germine, ac proinde nullum indè futurum frumenti proventum.

Quod etſi fecerit] *Si quid frugis protulerit culmus.*

Alieni comedent eam] *Extranei.* Dicent indigenæ,

——— *En queis conſevimus agros!*

8. *Devoratus eſt Iſraël*] *Abſorbebitur Iſraël.*

Nunc] Intra breve tempus.

Factus eſt in nationibus] *Fiet.*

Quaſi vas immundum] *Diſplicens* in Hebræo; ut laſanum, aut matula, quibus utimur, ſed cum contemtu.

9. *Quia ipſi aſcenderunt ad Aſſur, onager ſolitarius ſibi*] *Adſcendent ad Aſſyrium, onagrum ſolitarium ſibi.* Prædicitur rurſus id quod legimus II Regum XV. 20. & XVII. 3. Aſſyrius dicitur *onager ſibi paſcens*, quòd ſui ſolius negotia gereret, alias gentes non curaret. LXX hîc pro פרא, quod *onagrum* ſignificat, legerunt פרה, quod eſt ἀνέθηλε [*floruit*].

Ephraïm munera dederunt amatoribus] Nempe conciliandis, ut pacem & fœdus ab Aſſyrio impetrarent. Vide dictum locum II Regum, & adde Ezechielis XVI. 33.

10. *Sed & cùm mercede conduxerint nationes*] *Qui mercede conduxerunt nationes*, de Deo ſcilicet ſibi adjungendo nihil ſolliciti.

Nunc congregabo eos] Illos ipſos Aſſyrios contra Iſraëlitas adducam.

Et quieſcent pauliſper ab onere Regum & Principum] Eſt χλευασμός [*acerba Irriſio*]. Conqueſti vehementer ſunt de iis oneribus quæ Reges Iſraëlis Regúmque Præfecti ipſis imponebant; ideóque Reges & Præfectos occiderunt; V.7. VII. 16. Efficiam ego nè quicquam pendant Regibus illis aut Præfectis, nimirum cùm ſervili conditione in Aſſyriorum terris vivent. Eſt autem & illud *pauliſper* dictum per irriſum: diu enim duratura erat quæ hîc prædicitur conditio. Interpres hîc rectè חלו derivat à יחל, quod eſt *exſpectare, quieſcere*, non à חול [*dolere*], ut alii.

11. *Quia multiplicavit Ephraïm altaria ad peccandum, factæ ſunt ei aræ in delictum*] In Hebræo bis eſt לחטא [*ad peccatum*, vel *ad pœnam*], ſed ſenſu diverſo: *Quia multa ſibi altaria fecerunt, in quibus contra Deum peccarent, ideo altaria*, Aſſyriorum ſcilicet, *ipſis in pœnam erunt*, cùm ligna, aquam, victimas eò ferre cogentur.

12. *Scribam ei multiplices leges meas*] *Scripſeram eis multiplices leges meas*, per Moſem.

Quæ velut alienæ computatæ ſunt] *Habuerunt eas* Iſraëlitæ tamquam rem ad ſe nihil pertinentem.

13. *Hoſtias offerent, immolabunt carnes, & comedent, & Dominus non ſuſcipiet eas*] *Hoſtiarum quas mihi offerunt carnes* quod attinet, *mactanto eas, & comeduntο*, quantum volent; *Deus* autem eas *gratas non habebit*, quia dantur animo non emendato.

Nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum: ipſi in Ægyptum convertentur] *Brevi in memoriam revocabit eorum facinora, & crimina eorum puniet, cùm ipſi animum ad Ægyptum adjiciant*, nempe contra fidem Aſſyrio datam. Impletum hoc vide II Regum XVII. 4.

14. *Et oblitus eſt Iſraël factoris ſui*] *Et* pro *nam.*

Et ædificavit delubra] Plurimis in locis.

Et Iudas multiplicavit urbes munitas] Duæ tribus, videntes incurſus Aſſyriorum ſub Phule, Theglathphalaſaro, & Salmanaſaro in terram Decem tribuum, urbes ſuas diligenter muniverunt, de Dei pace obtinenda ſecuri, Eſaiæ XXII. 8.

Mittam ignem in civitates ejus] Nempe *Iudæ*, ut constructio indicat. Hoc factum cùm Sennacheribus omnes urbes extra Hieroſolyma combuſſit.

Et devorabit ædes illius] *Et* pro *cùm. Cùm devoraverit* (ignis Aſſyrius) *ædes illius*, nempe gentis Decem tribuum.

CAPVT IX.

1. NOli *lætari Iſraël, noli exſultare ſicut populi*] Noli tibi placere in rebus proſperis, ut aliæ gentes faciunt.

Quia fornicatus es à Deo tuo] Pœna tibi imminet ob idololatriam.

Dilexiſti mercedem] Speraſti te mercedem habiturum ejus cultûs. Propriè אתנה ſive אתנן de *mercede meretricis* dicitur, quod huic loco optimè convenit.

Super omnes areas tritici] Ἔλλειψις [*Defectus verbi*], pro eo quod diceremus *proſperitatem per omnes areas frumentarias*, mercedem ſcilicet cultûs tui, ut præceſſit. Confer ſuprà II. 12.

2. *Area & torcular non paſcet eos*] Cives ſuos. Dedicaſti arva & vineta tua diis falſis: egiſti ἁλῶα [*ferias trituræ*]. Deus oſtendet, hæc in non alterius quàm in ſua eſſe poteſtate, & quàm ſpes iſta in diis falſis falſa fuerit. Vide ſuprà II. 9. & VIII. 7. Hæc ſterilitas videtur paulùm præceſſiſſe adventum Teglathphalaſari.

Et vinum mentietur eis] Simili locutione Horatius, *Spem mentita ſeges.* ———

3. *Non habitabunt in terra Domini*] Et meritò, quam illi idolorum terram eſſe dixerunt.

Reverſus eſt Ephraïm in Ægyptum] *Revertetur* unde ego eos eduxi. Nempe quia multi de Decem tribubus ad primum adventum Salmanaſari in Ægyptum ſe recepere. Vide ſimile Eſaiæ XI. 11.

Et in Aſſyriis] *Inter Aſſyrios*, ſub quibus ſervi vivent.

Pollutum comêdit] *Comedet*. Cibos Lege meâ vetitos, quos in mea terra comêdit, ibi comedet ex imperio & ad tædium.

4. *Non libabunt Domino vinum*] Omiſerunt id, cùm poſſent; tempus veniet ut libare Deo velint, & non poſſint.

Et non placebunt ei ſacrificia eorum] Sic diſtinguendum cum Chaldæo. Si victimas offerre velint, non erunt Deo gratæ; quia contra Legem in ſolo profano.

Quaſi panis lugentium] Tanquam νεκρόδειπνα ſivè περίδειπνα [*parentalia*], de quibus nihil ſolet inferri in Templum. De talibus epulis vide Proverbiorum XXXI. 6. & Ieremiæ XVI. 7.

Omnes qui comedent eum contaminabuntur] *Qui comedent de eo*, nempe ſacrificio, *impuri erunt*, quia in tali loco ſacrificia Legi repugnant.

Quia panis eorum animæ ipſorum] *Cibus eorum ipſis erit*, ipſorum tantùm uſibus ſervire poterit; quaſi dicat, ὄναιντο [*fruantur*]. לחם Hebræis eſt omne quod editur.

Non intrabit in domum Domini] Nihil ejus mittere ad Templum poterunt, quod antehac cùm facere poſſent omiſerunt. Nimis longè ab ipſis aberit Templum; poſtea & auferetur.

5. *Quid facietis in die ſolenni, in die feſtivitatis Domini?*] מועד, quod hîc vertitur *dies ſolennis*, eximiè dicitur de Paſchate, & illis diebus quibus ex omni terra in Templum conveniri Lex præceperat, Exod. XIII. 10. XXIII. 15. XXXIV. 18. Levit. XXIII. 4. חג verò, quod hîc tranſtulit *diem feſtivitatis*, latiùs patet, ut apparet Iudic. XXI. 19. & Ezech. XLVI. 11. ubi *interlunia* intellexit Latinus Interpres, quas *nundinas* appellat. *Quid facietis tunc*, ait Propheta, *cùm venient tres illi dies ſolennes, aut alii dies feſti?* voletis otiari; ſed domini vobis id non permittent; urgebunt vos operibus. Vide ſuprà II. 11.

6. *Ecce enim profecti ſunt à vaſtitate*] *Ecce abeunt* quidam è terra *vaſtata*. Sint quidam qui Aſſyriorum manus effugiant, ut eveniſſe & ſuprà notavimus 3.

Ægyptus congregabit eos] *Componet illos*. Pollincturam illis faciet, nec redibunt in patriam.

Memphis ſepeliet eos] Ἐπεξήγησις [*Amplior explicatio*] præcedentis. Vide Eſaiæ XIX. 13.

Deſiderabile argentum eorum urtica hereditabit] In Hebræo, *Deſiderium argenti eorum poſſidebit urtica*: id eſt, domos magno pretio comparatas.

Lappa in tabernaculis eorum] *In prætoriis*. Quod hîc Interpretes *lappas*, *ſpinas* vertunt Græci, Chaldæus *feles*: tamen חוח pro *ſpinis* etiam in Chaldæis Interpretibus alibi reperias.

7. *Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis*] *Venient*.

Scitote Iſraël] *Scient Iſraël*, me ſcilicet *verum dixiſſe*, ut hîc ſupplet Chaldæus.

Stultum Prophetam] Meliùs novo ſenſu in nominativo *furioſus Propheta*: id eſt, arreptitius, quales erant quos non Deus, ſed dæmon agitabat.

Virum ſpiritualem, propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amentiæ] *Vir* eſt *ſpiritus*, id eſt, ſpirans, *ad augendam iniquitatem tuam, & ad vim odii*. Omnia illorum verba nihil aliud quàm culpas veſtras odiúmque in bonos accendunt.

8. *Speculator Ephraïm cum Deo meo: Propheta laqueus ruinæ factus eſt, ſuper omnes vias ejus, inſania in domo Dei ejus*] Duræ ſunt omnes hujus loci expoſitiones. Facilior ſe offert ſi עם legas non ſubſcripto Hiric ſed Patach, ut populum ſignificet, ſenſúſque ſit: *Speculator Ephraïmi, qui populus Dei fuit*, id eſt, *Propheta* (qui nempe talem ſe dicit), *laqueus ad ruinam factus eſt in omnibus viis ejus, odio adverſus domum Dei ejus*, id eſt, Templum Hieroſolymitanum. Pſeudoprophetæ iſti inſidias tendebant per omnes vias viris bonis ire volentibus ad Templum. Confer ſuprà VI. 9.

9. *Profundè peccaverunt*] Imprudentiſſimè ſe corruperunt. Non in ſuperficie natat illis improbitas, ſed in imo corde reſidet.

Sicut in diebus Gabaa] Hiſtoria eſt Iud. XIX. 16. 22. & ſequentibus.

10. *Quaſi uvas in deſerto invéni Iſraël*] Si cui per deſertam Arabiam peregrinanti uvæ obveniant, valde eis lætatur: ſic & Deus lætatus eſt cùm vidit populi Iſraëlitici in deſerto actiones bonas.

Quaſi prima poma ficulneæ in cacumine ejus vidi patres eorum] *Vidi in principio ejus* (populi jam liberati) *patres veſtros* (nempe eos qui ex Ægypto exierant) *quaſi ficus præcoces*. Ficus prœmaturæ amantur, ſed facilè pereunt; Plinius XVII. 27.

Ipſi autem intraverunt ad Beelphegor] In templum idoli Moabitarum, Numer. XXV. 3.

Et abalienati ſunt in confuſionem] Ἀπηλλοτριώθησαν εἰς αἰσχύνην, id eſt, *initiati ſunt ſacris pudendis*: nam talia ferme erant μυστήρια τοῦ [*ſacra abdita*] Beelphegor, qualia apud Ægyptios Oſiridis, apud Græcos Liberi patris & Cereris.

Et facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt] Idola Hebræis dicuntur שקוצים, & ſolet vox illa Hebræa verti modò εἴδωλον [*idolum*], modò

βδεβδέλυγμα [*abominatio*], modò μίασμα [*contaminatio*]. Et plerumque idololatræ etiam mores fœdos addiſcunt, præſertim cùm eò ducant ipſa myſteria. Vide ad Romanos I.

11. *Ephraïm quaſi avis, avolavit gloria eorum*] Cohærentia ſunt hæc, & eſt Hebraïca locutio, pro *Ephraïmi gloria ut avis evolabit*. *Gloriam* intellige hîc fecunditatem, de qua ſe jactabant.

A partu] Id eſt, infantes à matre recentes morientur.

Et ab utero] Abortient feminæ.

Et à concubitu] Concubitus erunt infecundi.

12. *Quòd etſi enutriverint filios ſuos*] Siquibus contingat liberos ad aliquam ætatem educere.

Abſque liberis eos faciam in hominibus] Id eſt, faciam in loca Aſſyriaci Imperii avehantur.

Sed & væ eis] *Præterea multa mala eis obvenient*, nempe in iſto exſilio.

Cùm receſſero ab eis] Vbi eos penitus dereliquero. Lxx & Theodotion pro בשורי [*cùm ego recedam*] legerunt בשרי [*carni meæ*], ut notat Hieronymus.

13. *Ephraïm, ut vidi, Tyrus erat fundata in pulchritudine*] Gens Ephraïmitica, quaſi adſpicerem Tyrum, ità ſtabilita erat in amœnis locis. Vide Ezechiel. XXVIII. 12. Aquila, Symmachus, & Theodotion צור [*ad afflictionem*] legêre per Holem, pro Schurec; at Lxx צוד, θήραν [*captionem*]· quod ideo dico ut vetus ſcripturæ varietas appareat.

Et Ephraïm ducet ad interfectorem filios ſuos] Id eſt, ab hoſtibus cogetur producere.

14. *Da eis, Domine; quid dabis eis?*] *Da eis, Domine, quod daturus es*, id eſt, quomodo daturum te dixeras, nempe ſterilitatem, aut infantes ὠκυμόρους [*morte morituros immaturâ*]. Propheta cùm audivit futurum ut parentes hoſtibus filios ſuos proderent, oravit Deum ut minore pœnâ contentus eſſet.

——— ——— ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.
[——— *nunquam cernere lucem,*
Vel modò conſpectâ luce repentè mori.]

Vulvam ſine liberis] Abortientem: id enim eſt שכל.

Et ubera arentia] Non ſint ulli quos lactent infantes.

15. *Omnes nequitiæ eorum in Galgal*] Non nunc primùm incipiunt peccare in Gilgale, de quo ſuprà IV. 15. jamdudum id fecerunt, cùm Samuelem contemſerunt I Samuel. XI. 15. itaque meritò eum locum odi. Myſticus ſenſus eſt: Iudæos per ſummum ſcelus effecturos ut Chriſtus crucifigatur in גלגלתא [*Golgoltha*]: nam hoc nomen idem eſt cum גלגל [*Gilgal*], niſi quod Syriaca eſt pronuntiatio.

Ibi exoſos habui eos] Etiam olim.

De domo mea ejiciam eos] *Domum* hîc *ſuam* vocat Deus totam terram promiſſam Abrahamo, Iſaaco, Iacobo.

Non addam ut diligam eos] *Non ultrà eos amabo.*

Omnes Principes eorum recedentes] *Defecerunt* à me, aut falſa numina colendo, aut me aſſimilando vitulis.

16. *Percuſſus eſt Ephraïm*] *Percutietur*, nempe ſterilitate, ut ſuprà 11. Vide Pſalmum CII. 5.

Radix eorum exſiccata eſt] Vis genitrix.

Quòd etſi genuerint, interficiam amantiſſima uteri eorum] Scripſerat, puto, Interpres *amatiſſima*, τὰ ἐπιθυμήματα, id eſt, liberos diu optatos.

17. *Abjiciet eos Deus meus*] Deus poſthac futurus Prophetarum, non & populi.

Et erunt vagi in nationibus] *Diſperſi inter gentes.* Vide II Regum XV. 29. XVI. 6. I Paralip. V. 26.

CAPVT X.

1. *Vitis frondoſa Iſraël*] Ex Græco Lxx Senum εὐκληματοῦσα [*bene ornata palmitibus*]. Aquila vertit ἔνυδρον [*aquoſam*], Symmachus ὑλομανοῦσαν [*luxuriantem*]. Chaldæus *vaſtatam*, quod optimè cum Hebræo convenit. Senſus eſt, Fore ut terra Iſraëlis ſit cultoribus vacua, Eſaiæ V. 6.

Fructus adæquatus eſt ei] In Hebræo: *Fructum ſibi poſuit*, id eſt, antehac frugifera cùm eſſet.

Secundùm multitudinem fructûs ſui multiplicavit altaria: juxta ubertatem terræ ſuæ exuberavit ſimulacris] Quò res habuit proſperiores eò magis indulſit idololatriæ.

2. *Diviſum eſt cor eorum*] *A Lege receſſit*: ità Chaldæus. Hebræi, ut narrat Hieronymus, ajunt populum diſſenſiſſe à Rege Oſea, qui eos ad pietatem revocabat: erat enim Rex minùs malus quàm priores, etiamſi non planè bonus, II Reg. XVII. 2. id hîc prædici.

Et confregit ſimulacra eorum] Deus, de quo actum paulò antè IX. 17. Faciet autem hoc per Aſſyrios. Pro *ſimulacra* in Hebræo eſt *aras*.

Depopulabitur aras] Hîc in Hebræo eſt *ſtatuas*, מצבורת à נצב, de qua voce ſic Stephanus: Νάσιβις σημαίνει τὰς στήλας, ὥς φησι Φίλων· ὡς δὲ Οὐράνιος, Νέσαβίς, φησι, σημαίνει τῇ Φοινίκων γλώττῃ, λίθος συγκείμενος [Naſibis *ſignificat columnas, ut ait Philo; at verò Vranius*, Neſabis, *inquit, Phœnicum linguâ ſignificat lapidem acervatum*].

3. *Quia nunc dicent, Non eſt Rex nobis*] Id eſt, Non curamus imperia Oſeæ Regis: hoc illi dicturi ſunt.

Non enim timemus Dominum] In Hebræo, *non timuimus*: id eſt, pridem deſeruimus Dei cultum.

Et Rex quid faciet nobis?] *Quid fecit?* id eſt, quid nocere nobis potuit? nam

— *Quicquid multis peccatur inultum eſt.*

4. *Loquimini verba viſionis inutilis, & ferietis fœdus*] *Loquentur verba juramenti falsò cùm pangent fœdus.* Cùm Regi fidem juramento pollicebuntur, ut moris erat, nihil minùs cogitabunt quàm de eo obſervando.

Et germinabit quaſi amaritudo judicium ſuper ſulcos agri] Eſt & hîc trajectio verborum, qualem ſæpe habuimus. Senſus eſt: *pœna ità abundabit ut ſolet in agris lolium.* ראש Hebræis & *venenum* & *amaritiem* ſignificat, ſolétque per ſimilitudinem ea vox & ad alia pernicioſa transferri. Lxx hîc poſuere ἄγρωστιν, herbæ genus frugibus nocens, de quo vide Hieronymum ad hunc locum.

5. *Vaccas Bethaven coluerunt habitatores Samariæ*] *Ob vitulas Bethaven pavebunt habitatores Samariæ.* Hiſtoria, quæ hîc reſpicitur, eſt non tantùm apud

Hieronymum hoc loco, ſed & in Seder Olam majore, parte quartâ.

Quia luxit ſuper eum populus ejus] *Lugebit*. Ad Salmanaſarem (quem cum Sennacheribo ſæpe confundunt Hebræi) miſſi ſunt duo Vituli, quos populus putabat eſſe illos ipſos Vitulos aureos quos fecerat Ieroboam. Hebræi & *vitulos* & *vitulas* dicunt ἐπικοινῶς [*promiſcuo genere*].

Et æditui ejus ſuper eum exſultaverunt] *Sacerdotes de eo lætabantur*, nempe quia pro aureis ſuppoſuerant æneos deauratos.

6. *Siquidem & ipſe in Aſſur delatus eſt*] *Deferetur*: uterque Vitulus in Aſſyriam ibit.

Munus Regi ultori] Eſt hîc iterum in Hebræo ירב, ut ſuprà v. 13. id eſt, *adjutori*, *protectori*. Hoc nomine Reges minores appellabant alios majores quorum ſe in fidem clientelámque dederant. Vide II Regum XVII. 3.

Confuſio Ephraïm capiet, & confundetur Iſraël in voluntate ſua] Rex, fraude deprehensâ, contumeliis afficiet Iſraëlitas: *propter conſilium ſuum*, id eſt, fraudem Sacerdotum.

7. *Tranſire fecit Samaria Regem ſuum quaſi ſpumam ſuper faciem aquæ*] In Hebræo, *Perit Samaria*, *Rex ejus*: id eſt, *& Rex ejus*, ut rectè accepit Chaldæus. Illud *ut ſpuma* (ἐπίζεμα Symmacho) *in ſuperficie aquæ*, nempe ejus quæ in olla eſt, celeritatem ſignificat.

8. *Et diſperdentur excelſa idoli*] Colles illi in quibus idola colebantur.

Et dicent montibus, Operite nos; & collibus, Cadite ſuper nos] Quærent latêre vel in abſtruſiſſimis ſpecubus: Eſaiæ II. 9. Lucæ XXIII. 30. Apoc. VI. 16.

9. *Ex diebus Gabaa peccavit Iſraël*] *Peccaſti* in Hebræo. Non novum eſt quòd ſcelera quamvis magna conſpiciantur in poſteris Iacobi: apparuit id jampridem in Gabaa. Vide ſuprà IX. 9.

Ibi ſteterunt] Illo tamen tempore, quia erant qui ſcelera puniebant, manſit populus in terra ſua.

Non comprehendet eos in Gabaa prælium ſuper filios iniquitatis] *Non comprehendit eos prælium in Gabaa contra filios iniquitatis*; id eſt, non facti ſunt captivi, cùm ſeveri eſſent ſcelerum vindices: nam ultimo prælio victores fuere, Iudic. XX.

10. *Iuxta deſiderium meum corripiam eos*] *Nunc in animo mihi eſt ut vinciam eos*: id eſt, ut fiant captivi.

Congregabuntur ſuper eos populi] Quandoquidem ipſi ſcelera non puniere, facient id populi externi.

Cùm corripientur propter duas iniquitates ſuas] *Tunc vincientur propter duo peccata ſua*, id eſt, duos Vitulos, in quorum cultu peccavere.

11. *Ephraïm vitula docta diligere trituram*] Quia illi Deum Vitulo comparaverant, ipſe Deus juſtiùs illos *vitulo* aut *juvenco* comparat. *Ephraïm vitula docilis*: id eſt, viſa eſt mihi bene edoceri poſſe. Hebræi quia verbalibus ferme carent, participiis eorum vice utuntur. *Diligebam trituram*, Deus ſcilicet qui loquitur. Amabam, inquit, ruris proventum, qui eſt in tritura. Alii Interpretes י hîc ſumſerunt ut παραγωγικὸν [*adjectitium in fine*], de quo diximus alibi.

Et ego tranſivi ſuper pulchritudinem colli ejus, adſcendam ſuper Ephraïm] *Tranſire feci* (ſupple *jugum*, ut hîc Hieronymus) *ſuper pulchras cervices ejus*: & ipſe *vectus ſum Ephraïmo*, nempe ut ſolent interdum ruſtici inſidere bubus. Senſus eſt, Legem eis impoſui, & ipſe rector eorum fui.

Arabit Iudas] Ἔλλειψις [*Defectus verbi*] pro, *dixi*, *Aret Iudas*. Pergit in ſimilitudine agriculturæ, quam diu perſequetur. חרש & hîc & infrà 13. Lxx malè ſumſiſſe in tacendi ſenſu notavit hîc Hieronymus.

Confringet ſibi ſulcos Iacob] *Occet Iacob*. Vide Iobi XXXIX. 13.

12. *Seminate vobis in juſtitia*] Pergit Deus referre quid ipſis imperaverit, & miſcet comparationem ab agricultura ſumtam cum τῇ ἀποδόσει [*Redditione comparationis*]. *Seminare* eſt bene agere, *metere* eſt referre mercedem, ut jam antè vidimus aliquoties.

Et metite in ore miſericordiæ] *Vt metatis ſecundùm miſericordiam*, nempe Dei. לפי & על פי ſæpe idem eſt Hebræis quod Græcis κατὰ [*ſecundùm*].

Innovate vobis novale] *Arate vobis arvum.*

Tempus autem requirendi Dominum] Meliùs, *Tempus enim*: nam ו utrumque ſenſum recipit.

Cùm venerit qui docebit vos juſtitiam] *Donec veniat qui depluat ſuper vos juſtitiam.* Qui vos irriget ſuis beneficiis.

13. *Araſtis impietatem*] Contrà feciſtis quàm ſperabam; operam dediſtis rebus impiis.

Iniquitatem] Id eſt, *pœnam peccatorum*, quomodo ſæpe ſumitur עולה.

Meſſuiſtis] *Metetis.*

Comediſtis frugem mendacii] *Paſcemini fruge falsâ*, ſpecioſâ, ſed non alente.

Quia confiſus es in viis tuis, in multitudine fortium tuorum] Tranſit à plurali ad ſingularem: nam utroque uti ſolemus cùm corpus aliquod ex multis conſtans alloquimur. Fuit autem hîc initium novi ſenſûs, cui cohærent ſequentia, *Conſurget tumultus.* Senſus eſt: Deo contemto, tui mores tibi placuere, ſatiſque virium in juventute tua & ſociis habere putaſti. Pro דרכך [*viis tuis*] Lxx legerunt רכבך, ἐν τοῖς ἅρμασί σȣ [*in curribus tuis*], quod & Hieronymus nos docet; pro quo quidam codices malè habent ἁμαρτήμασί σȣ [*peccatis tuis*].

14. *Conſurget tumultus in populo tuo*] *Ideo conſurgit*. Ea enim vis hîc eſt particulæ ו. Vox שאון, quæ hîc vertitur *tumultus*, ſignificat *hoſtilem ſonitum.*

Et omnes munitiones tuæ vaſtabuntur] *Omnia loca etiam munitiſſima*. Eſt & hîc in Hebræo verbum ſingulare conſtructum cum nomine plurali.

Sicut vaſtatus eſt Salmana] Rex Madianitarum, Iudic. VIII. 5. &c.

A domo ejus qui judicavit Baal in die prælii] In Hebræo בית ארבאל, quod Græci verterunt ἐκ ȣ̓͂ οἴκȣ Ἰεραβαὰλ [*ex domo Ierabaal*]· nam ſic legendum bene nos docet Hieronymus, pro quo vulgati codices corruptè habent Ἰεροβοάμ [*Ieroboam*]. *Ierobaal* eſt cognomen Gedeonis. Scribitur Hebraïcè ירבעל Iudic. VI. 31. quod hîc Latinus periphraſticè explicat *qui judicavit Baal*, originem nominis exprimens. Solet autem & א in initio poni pro י, & ע aut omitti, ut בל [*Bel*] pro בעל [*Baal*], aut in leniorem literam mutari, ut hîc ארבאל. Græca verſio addit hîc ἐκ [*ex*], quaſi ſupplens Hebræum defectum literæ ב. Deinde οἶκον [*domum*] videtur ſumere pro *exercitu*. Quæ incommoda vitari poſſunt, ſi pro בירת ſcribatur ביר, id eſt, *per Ierobaalem.* Quidam per *Salmanem* Salmanaſarem hîc intelligunt, & ei putant victoriam aliquam ad Arbala obtigiſſe. Verùm hæc ſcripta ſunt ante Salmanaſaris tempus, ſi modò notatio temporis initio ſcripti libri ad totum librum pertinet. Chaldæus שלמן non pro proprio nomine ſumit, ſed pro *pacifico*, & ארבאל vertit *per inſidias*, ut אל ſit προσαγωγικόν [*adjectitium in fine*]· nam ארב *inſidiæ* explicat: *ſicut vaſtatur homo in pace vivens, per inſidias, in belli tempore.*

Matre ſuper filios alliſâ] Loquendi genus proverbiale, ſignificans occidionem talem in qua non ſexui, non ætati parcitur, Geneſeos XXXII. 11.

15. *Sic fecit vobis Bethel*] Id eſt, idololatria, cujus ſedes Bethel, cauſa erit ut ſimilis vobis eveniat calamitas.

A facie malitiæ nequitiarum veſtrarum, ſicut manè tranſit, pertranſiit Rex Iſraël] Hæc ità connectenda ſunt ut in Hebræo, quæ in Latino non periodo tantùm ſed & capitulis diſcerpta ſunt. In Hebræo: *A facie malitiæ, malitiæ*, inquam, *veſtræ, in aurora excidio exſcindetur Rex Iſraël.* Id eſt, in ipſis regni initiis evelletur è regno & patria Rex Oſees filius Elæ.

CAPVT XI.

1. Q*Via puer Iſraël, & dilexi eum*] *Cùm puer eſſet Iſraël, dilexi eum.* Prima ætas populi fuit in Ægypto, Ezech. XVI. 5. XXIII. 3.

Et ex Ægypto vocavi filium meum] Iſraël *Dei filius*, & quidem *primogenitus*, dicitur Exod. IV. 22. figura in hoc Chriſti. Vide quæ ad Matth. I. 25. & II. 15. *Ex Ægypto vocavi*: id eſt, exire juſſi. Notat hîc Hieronymus *quæ* τυπικῶς [*in figura*] *præcedunt in aliis, juxta veritatem & adimpletionem referri ad Chriſtum.*

2. *Vocaverunt eos*] Nempe Moſes & Prophetæ alii ad pietatem.

Sic] Id eſt, tantò magìs.

Abierunt à facie eorum] Terga obverterunt Prophetis, Ierem. II. 27.

Baalim immolabant] Vt Beelphegori, Numerorum XXV. 3.

Et ſimulacris ſacrificabant] *Adolebant. Simulacris*, id eſt, coram ſimulacris, ut Vitulo, Exod. XXXII. 4.

3. *Et ego quaſi nutritius Ephraïm*] In Hebræo, *Ire feci Ephraïmum*: id eſt, Sicut pueri docentur ire, ſic ego illos ab initio formavi duxique.

Portabam eos in brachiis meis] In Hebræo: *Portavit eos ſuper brachiis ſuis.* Nempe Moſes fuit illorum quaſi gerulus. Quod hîc Moſi tribuitur, id alibi Deo, ut Deuteronomii I. 31. XXXII. 11.

Et neſcierunt quòd curarem eos] Non ſatìs intellexerunt hoc ideo tam ſtudioſè à me fieri, ut eos ab idolis abducerem.

4. *In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis*] Græci omnes אדם [*Adam*] hîc non ut nomen proprium ſed ut commune accipiunt. *Funes hominis*, ſive *humani*, ſunt beneficia, quibus maximè ſolent attrahi homines.

Ero eis] *Fui eis.*

Quaſi exaltans jugum ſuper maxillas eorum] *Vt qui jugum à collo trans maxillas amovet.* רום non raro vertitur per αἴρειν, ἀπαίρειν, ἐξαίρειν, ἀφαιρεῖν [*tollere, auferre, eximere, detrahere*]. Hæc nova eſt comparatio ab agricola ſumta, quâ liberationem ab Ægypto deſignat.

Et declinavi ad eum, ut veſceretur] *Admovi eis veſcenda*, Manna ſcilicet & aves. נטה inter alia ſignificat ἐπάγειν, παραβάλλειν [*adferre, apponere*], & ſic vertitur. Beneficiorum commemoratio culpæ gravitatem oſtendit.

5. *Non revertetur in terram Ægypti*] Iam *non* ultrà *recurret ad Ægyptum* opis causâ, ut antehac fecit. Idem loquendi genus in eadem re ſuprà VIII. 13. Vide & VII. 11. II Regum XVII. 4.

Et Aſſur ipſe Rex ejus] *Sed Aſſyrius erit Rex ejus.* Vivet in Aſſyriorum ditione.

Quoniam noluerunt converti] Tanto ſcilicet tempore.

6. *Cœpit gladius in civitatibus ejus*] *Cùm maneret gladius in urbibus eorum*: cùm adhuc in bellis civilibus verſarentur.

Et conſumet electos ejus] *Et conſumeret fortes ejus.* Sic Chaldæus. בר Chaldaïcè eſt *vectis*. eo nomine rectè veniunt qui armis rempublicam ſuſtentant. Græci legerunt בידו [*in manu ejus*].

Et comedet capita eorum] *Et comederet eos qui ſunt à conſiliis eorum*, procerum præcipuos. Sic Chaldæus.

7. *Et populus meus pendebat ad reditum meum*] *Tamen populus hæſitabat circa converſionem meam*: id eſt, non poterat penes ſe conſtituere ad me eſſe redeundum.

Iugum autem imponetur eis ſimul] Sumſit על pro *jugo*, ut & Chaldæus ſumſiſſe videtur. Sed ſenſus videtur optimus, *ad excelſum* (id eſt, Deum) *vocabunt eum* (Iſraëlem, de quo ſermo) *ſimul* (Prophetæ omnes).

Quod non auferetur] *Non extulit* quiſquam caput ſuum, ut arrectis auribus auſcultaret.

8. *Quomodo dabo te Ephraïm?*] Quomodo te tractabo pro iſtis meritis?

Protegam te Iſraël] *Tradam te*, nempe exitio. Symmachus hîc ἐκδώσουσι [*dedent*]. Nam מגן, quod variè hîc vertunt Græci, eſt *tradere*, ut Gen. XIV. 19. ubi Græci παρέδωκε [*tradidit*]. Proverb. IV. 8.

Sicut Adama ponam te, ut Seboim] *Sicut Seboim.* Quæ urbes cum Sodomis funditus exciſæ; ſed maluit has nominare ex quibus nemo ſuperſtes fuit. Oſtendit Deus quid pro meritis Iſraëlitarum ſtatuere de eis poſſit.

Converſum eſt in me cor meum] Nolo illas minas implere.

Pariter conturbata eſt pœnitudo mea] In Hebræo, *Simul commotæ ſunt pœnitentiæ meæ*; id eſt, viſcera commota ſunt ad pœnitentiam: ἀνθρωποπάθεια [*Attributio humanorum affectuum*] ſatis frequens.

9. *Non faciam furorem iræ meæ*] Non agam ſummo jure.

Non convertar ut diſperdam Ephraïm] *Non eò adducar ut Ephraïmum internecione deleam.* Græci: οὐ μὴ ἐγκαταλίπω τοῦ ἐξαλειφθῆναι τὸν Ἐφραΐμ [*non permittam deleri Ephraïmum*].

Quoniam Deus ego, & non homo] Id eſt, multò hominibus clementior, Exodi XXXIV. 6.

In medio tui Sanctus]Id eſt, *ſanctificatus;* cultu conveniente honoratus à majoribus veſtris fui.

Et non ingrediar civitatem] Propterea non patiar ut urbs ulla veſtrarum vi capiatur, ſed efficiam ut deditio fiat, ac ſic homines ſerventur in vita.

10. *Poſt Dominum ambulabunt*, *quaſi leo rugiet*] *Ambulant*; id eſt, Vbi iram meam oſtendero, nempe per deportationem, vel tunc mihi pareant.

Quia rugiet ipſe] *Cùm rugiet ipſe.* Repetit quod dixerat.

Et formidabunt filii maris] Id eſt, timeant me, qui ſe adventante Salmanaſare ad oram maris Rubri receperint. Confer Eſaiæ XI. 11. & ibi dicta.

11. *Et avolabunt quaſi avis ex Ægypto*] *Paveant quaſi avis Ægyptia*, id eſt,ciconia. Hoc dicit propter eos Iſraëlitas qui ad Salmanaſaris adventum ſe in Ægyptum receperunt, ſuprà IX. 3.

Et quaſi columba de terra Aſſyriorum] *Quaſi columba Aſſyriaca.* Aſſyria plena columbis. Hoc dicit propter eos qui in regiones Aſſyriorum abducti ſunt.

Et collocabo eos in domibus ſuis] Perſtat in ſimilitudine: nam & ciconia ad nidum ſuum redit, & columba ad columbarium. Impletum hoc in Iſraëlitarum non multis, qui ad Deum converſi cum Iudæ tribu rediere: implendúmque fuiſſet in pluribus, ſi plures ſe ad bonam mentem retuliſſent, ut dictum alibi. Vide ſuprà I. 11.

12. *Circumdedit me in negatione Ephraïm*] Meliùs Hebræi hoc ad caput ſequens referunt. Vertas rectè: *Circumvênit me mendacio Ephraïm*. Egregia promiſit, nihil præſtitit.

Et in dolo domus Iſraël, Iudas autem teſtis deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelis] *Cùm Iudas adhuc fortis eſſet cum Deo* (in Dei cultu), *& fideliter cum ſanctis* (id eſt, Prophetis) *ageret.* Deſcriptio temporum Ezechiæ, qui in Iuda cultum Dei reſtituit, Eſaiæ, aliiſque Prophetis fidem habens. Quo tempore corruptiſſimi erant Decem tribuum mores, Oſeâ Rege fruſtrà eos nonnihil corrigere conante.

CAPVT XII.

1. E*Phraïm paſcit ventum*] *Hiat ad ventum*; inania ſequitur.

Et ſequitur æſtum] *Eurum*, qui in illis regionibus non modò non prodeſt ſed & plurimùm nocet.

Totâ die mendacium & vaſtitatem multiplicat] *Mendacium*, culpa Iſraëlis; *vaſtitas*, pœna. *mendacium* jam exemplo oſtendet.

Et fœdus cum Aſſyriis iniit] Quo tempore *fœdere cum Aſſyriis inito* tenebatur.

Et oleum in Ægyptum ferebat] Eodem tempore *oleum*, quod in terra Iſraëlis præſtantiſſimum, & munera alia *mittit in Ægyptum*, ut ope Ægypti ab Aſſyrio deficiat, II Regum XVII. 4.

2. *Iudicium ergò Domini cum Iuda*] *Etiam lis Domino cum Iuda.* Habeo, inquit Deus, & quod de Iuda querar. Nam quanquam idololatriam publicitus ſuſtulit Ezechias, multa tamen vitia in populo manent. Vide Eſaiæ XXI I.

Et viſitabo ſuper Iacob]Sed Decem tribus, quæ pars major poſterûm Iacobi, graviùs puniam.

Iuxta vias ejus, & juxta adinventiones ejus reddet ei] Tractabitur pro ingrato ſuo in Deum animo.

3. *In utero ſupplantavit fratrem ſuum*] Nempe Divinâ virtute, non ſuopte ingenio, rationis adhuc exſors: ac jam tum omen accepit felicitatis fraternâ majoris.

Et in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo] Prævaluit Angelo.

4. *Et invaluit ad Angelum*] In Hebræo eadem verba repetuntur, ut oſtendatur res eſſe magna, Geneſeos XXXII. 28.

Et confortatus eſt] *Quia roboratus erat* à Deo, nempe Angelorum Domino.

Flevit & rogavit eum] Quod ille Angelo, hoc vos Deo præſtate.

In Bethel invênit eum] Eundem Angelum. *In Bethel*, ἐμφατικῶς [*Effectè*] dictum, id eſt, ubi vos contra Dei legem Vitulos colitis. Hiſtoria eſt Geneſeos XXXV. 8.9.

Et ibi locutus eſt nobiſcum] Ità & Chaldæus legit, qui hæc verba & præcedentia tribuit Iſraëlitis, quaſi ſe defendentibus, quòd locum cultûs ſui Bethelem poſuiſſent. At uno puncto mutato Capellus vir eruditiſſimus ſenſum optimum fecit; *cum eo*, cum Iacobo nempe. Græci, πρὸς αὐτοὺς [*ad eos*].

5. *Et Dominus Deus exercituum*, *Dominus memoriale ejus*] Id eſt, nomen ejus quo agnoſcitur. Is Deus qui per Angelum ſe Iacobo patefecit, eſt longè potentiſſimus: nolite igitur potentiæ ejus diffidere. nulla mala tanta ſunt, de quibus vos liberare non poſſit.

6. *Et tu ad Deum tuum converteris*] Quare *& tu ad Deum tuum convertere*, exemplo Iacobi.

Miſericordiam & judicium cuſtodi] *Beneficentiam & innocentiam ſerva.*

Et ſpera in Deo tuo ſemper] Non eſt quòd ipſi diffidas dummodo tu officium facias.

7. *Chanaan*] Iſraël *Chananæo* eſt ſimilis; de quo Homerus,

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς,
Τρώκτης.
[*Indè venit gnarus fraudum vir origine Phœnix,*
Impoſtor.]

Et Philoſtratus ad Phœnicem, Τὰς ἐμπορίας διαβέβλησθε, ὡς φιλοχρηματοί τε καὶ τρῶκται [*Circa commercia malè auditis, ut avari & fraudatores*].

In manu ejus ſtatera doloſa] Qui de re vendita plus pollicetur quàm revera exhibet.

Calumniam dilexit] עשק hîc ſignificat omne πλεονέκτημα [*de alieno lucrandi ſtudium*], ut interpretatur Chaldæus.

8. *Et dixit Ephraïm*] *Attamen dixit Ephraïm.*

Dives effectus ſum] Quaſi diceret,

Vnde habeas quæret nemo, ſed oportet habere.

Invéni idolum mihi] Meliùs, *acquiſivi mihi divitias*; id enim און cum iſta quam nos in textu habemus vocali ſignificat: nec aliter ſumſiſſe videntur LXX, & Chaldæus.

Omnes labores mei non invenient mihi iniquitatem quam peccavi] Chaldæus עון ſumſit pro eo quod plerumque עונה dicitur, quod eſt *tempus conſtitutum*, & חטא pro *luit*, ut Geneſ. XXXI. 37. quomodo & כפר ſumſimus Daniel. IX.24. Præterea tam Græci quàm

Chaldæus legerunt יגיעו [*laboribus ejus*] & לו [*ipſi*]. Senſus ſecundùm Chaldæum hic eſt : *Omnes labore parte opes non reſtabunt ei in tempore quo luet peccata ſua.* Græci *propter* ſubintelligunt, & עון à עוה derivant: πάντες οἱ πόνοι αὐτοῦ οὐχ εὑρεθήσονται αὐτῷ, δι᾽ ἀδικίας ἃς ἥμαρτεν [*omnes labores ipſius non reperientur apud ipſum, ob iniqua quæ patravit*].

9. *Et ego Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*] Qui te eduxi ex terra Ægypti.

Adhuc ſedere te faciam] *Facerem?* & eſt interrogantis. Poſt tot flagitia tua paterérne te domi tranquillè vivere?

In tabernaculis] In ædibus veſtris, quæ ob veterem morem *tabernacula* vocantur.

Sicut in diebus feſtivitatis] Lætè & tranquillè, *ut in feſtis diebus*.

10. *Et locutus ſum ſuper Prophetas*] *Et ego loquerer* (Iſraëli) *per Prophetas*.

Et ego viſionem multiplicavi] *Multiplicarem* : alia ſuper alia viſa ad vos mitterem.

Et in manu Prophetarum aſſimilatus ſum] *Et per Prophetas uterer ſimilitudinibus?* Ezechiel. XX. 49. quaſi diceret : non ampliùs per figuras Propheticas vobis loquar, ſed per res ipſas, quas ſentietis.

11. *Si Galaad idolum, ergò fruſtrà erant*] *Si in Galaade idolum fuit, verumtamen fruſtrà fuerunt* qui illud idolum coluere, quia non potuere per idolum ſervari à manu Teglathphalaſari, II Regum XV. 29.

In Galgal bobus immolantes] Eſt ἔλλειψις [*Defectus*] voculæ *cur*. Senſus, Cur ergò adhuc Duæ tribus cultum illum Vitulorum imitantur in Galgale? Vide ſuprà IV. 15. IX. 15.

Nam & altaria eorum] Galaaditarum.

Quaſi acervi] Nempe lapidum.

Super ſulcos agri] Qui congeruntur ab agricolis ſuper ſulcos. Sic & altaria illa jacent disjecta.

12. *Fugit Iacob in regionem Syriæ*] Indignitatem culpæ aggravat ex contrariis factis majorum in eiſdem locis. In Hebræo eſt, *Fugit Iacob agrum Syriæ:* id eſt, ex agro Syriæ in illam Galaaditidem, Geneſeos XXXI. 21.

Et ſervivit Iſraël in uxorem, & in uxorem ſervavit] *Cùm ſerviſſet Iſraël* (id eſt, Iacob pater veſtrûm omnium) *pro uxore, & pro uxore ſervaſſet* pecudes. Obiter Deus occaſione Galaaditidis aliam adſpergit exprobrationem. Iacob pro duabus uxoribus ſervivit Labani, & greges ejus pavit per annos quatuordecim: Vos autem Dei causâ nihil facere vultis.

13. *In Propheta autem eduxit Dominus Iſraël de Ægypto*] *Cùm Dominus per Prophetam* (Moſem) *Iſraëlem eduxiſſet ex Ægypto.*

Et in Propheta ſervatus eſt] *Tunc per Prophetam* (alterum, Ioſuam ſcilicet) *evaſit* Iſraël ex deſerto, ac pervênit ſcilicet Galgala, ibíque primùm Paſcha fecit, Ioſuæ V. Ex ipſis locis in quibus peccabatur veteres illis depromit hiſtorias, ut oſtendat quantum à majoribus degeneraverint.

14. *Ad iracundiam me provocavit Ephraïm in amaritudinibus ſuis*] Id eſt, Contrà agit Ephraïm quàm Iacob, aut ille ſub Ioſua populus. *amaritudines* vocat facta impia. Græci, ἐν τοῖς παραπικρασμοῖς [*in amarificationibus*]· bene: ſubauditur enim ב [*in*] ante המרורים. Poſſet etiam verti *in cumulis*, quomodo vox hæc Hebræa ſumitur Ierem. XXXI. 21. ut per *cumulos lapidum* altaria intelligamus.

Sanguis ejus ſuper eum veniet] In Hebræo, *Sanguinem ejus* (ab eo fuſum, id eſt, pœnam ſanguinis) *in ipſam deferet Deus:* nam multos pios occiderant. Vide ſuprà IV. 2.

Et opprobrium ejus] Probra quibus affecerunt Prophetas, ſuprà XI. 1. 2.

Reſtituet ei Dominus ſuus] *Reponet ei.*

CAPVT XIII.

1. *Loquente Ephraïm*] Olim cùm in communibus conventibus, ſive ſub Iudicibus ſive ſub Rege Saüle, Davide, Salomone *loqueretur* tribus *Ephraïm*, viris & opibus pollens;

Horror invaſit Iſraël] Cæteræ tribus cum magna reverentia eos audiebant, plurimúmque tribuebant illorum ſententiis. Confer Iobum XXIX. 8. 9.

Et deliquit in Baal] Etiam vituli Hebræis vocantur interdum בעלים [*Baalim*], quia Deus tales imagines, contra Legem ſuam ſibi factas, à ſe abalienat, neque pluris facit quàm eas quæ falſis numinibus excitantur.

Et mortuus eſt] *Ideo mortuus eſt*, id eſt, exitio addictus; μετωνυμία [*Transnominatio*] ſatis frequens.

2. *Et nunc addiderunt ad peccandum*] Procedunt in pejus.

Fecerúntque ſibi conflatile de argento ſuo, quaſi ſimilitudinem idolorum] Certum eſt עצב poni pro *idolis* I Samuel. XXXI. 9. I Paral. X. 9. II Paralip. XXIV. 18. Eſaiæ X. 11. XLVIII. 5. & Pſalmis aliquoties; quibus in locis Græci poſuere εἴδωλον [*idolum*], alibi γλυπτόν [*ſculptile*]. Senſus eſt : non contenti Vitulis, veteri peccato, *fecere ſibi etiam ſimulacra argentea, ad imitationem* eorum quæ habebant profanæ gentes, *formâ* ſcilicet *humanâ*, quod hîc addit Chaldæus.

Factura artificum totum eſt] Nihil eſt in eo Divini: nihil ampliùs quàm materia & manupretium, Eſaiæ XL. 18. 20. XLI. 7. XLIV. 12. 13. Ieremiæ X. 13.

His ipſi dicunt, Immolate homines vitulos adorantes] Duplex hîc fuit lectio. Aquila legit ישקין ; vertit enim καταφιλοῦντες : id autem eſt *venerationis ſignum exhibentes*, quod Latinè dici ſolet *adorantes*. Vide Iobi XXXI. 27. Verùm cùm hic imaginum cultus à cultu Vitulorum apertè diſtinguatur, melior fortè erit lectio LXX, ישקטון, id eſt, *quieſcant vituli:* Satìs diu vitulos ſacrificavimus : majoribus victimis opus eſt. μόσχοι γὰρ ἐκλελοίπασι [*vituli enim defecere*] habent LXX, ſenſu paulùm diverſo, ſed ità ut eos legiſſe ישקטון appareat.

3. *Idcirco erunt quaſi nubes matutina, & ſicut ros matutinus præteriens*] Non durabunt, ut ſuprà.

Sicut pulvis turbine raptus ex area] Pſalmo 1. 4.

Et ſicut fumus de fumario] Ἀπὸ καπνοδόχης, quomodo vertit Theodotion : Symmachus, ἀπὸ καταῤῥάκτου. eſſe autem *cataracten*, ait Hieronymus, *foramen in pariete fabricatum per quod fumus egreditur.* LXX verterunt ἀπὸ ἀκρίδων, decepti vocis ambiguo, quia ארבה, quod *feneſtram* aut *fumarium* ſignificat, mutatis vocalibus ſignificat *locuſtam*. Ex hac verſione lectio altera fluxit vicinitate literarum corrupta, ἀπὸ δακρύων [*à lacrymis*], quæ in multis exſtat codicibus. Omnium harum varietatum meminit Hieronymus.

4. *Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti*] Eſt iterum ἔλλειψις [*vocis Omiſſio*], quæ ſuprà XII. 14. Verba hæc curtata ex Decalogi initio. Ante hæc verba quædam ſunt poſita in editione LXX, quæ in antiquiſſimis exemplaribus non fuiſſe notat Hieronymus. Adeò veteres quædam in illis libris παραγραφαί [*mendoſæ ſcripturæ*].

Et Deum abſque me neſcies] *Deum præter me non agnoſceres*, id eſt, agnoſcere non deberes: ut,

——— *At tu dictis, Albane, maneres.*

Et ſalvator non eſt præter me] *Quia nemo poteſt* vos *ſervare* (ab omnibus ſcilicet malis) *præter me.*

5. *Ego cognovi te in deſerto, in terra ſolitudinis*] *Cognoſcere* ſæpe eſt diligere; ſed tam LXX quàm Chaldæus legerunt ירעתיך, *pavi te.* Ibi ſcilicet ubi omnia deerant dedi tibi aquam potabilem, Manna, aves.

6. *Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt, & ſaturati ſunt*] In Hebræo, *Iuxta paſcua ſua & ſaturati ſunt, ſaturati ſunt:* id eſt: *ubi plenè ſaturati erant*, velut oves *in paſcuis.* Vide Deuteron. VIII. 15. 16.

Et levaverunt cor ſuum] Idem ſenſus qui Deuteronomii XXXII. 15.

Et obliti ſunt mei] Contrà quàm & ratio ferebat & Deus monuerat Deuteron. VI. 11. 12.

7. *Et ego ero eis quaſi leæna*] *Tanquam panthera*: id enim שחל tum hîc tum ſuprà v. 14.

Sicut pardus] Pardus à panthera differt; Plinius VIII. 17.

In via Aſſyriorum] Secutus eſt LXX Senes, qui habent κατὰ τὴν ὁδὸν Ἀσσυρίων. At Chaldæus & alii Interpretes non nomen volunt eſſe proprium אשור [*Aſſur; Aſchur*], ſed verbum, ut ſenſus ſit, *propter viam inſidiabor:* Qui mos pardo, Ieremiæ v. 6. Efficiam ut undique in inſidias incidant.

8. *Occurram eis quaſi urſa raptis catulis*] Bene ſenſus expreſſus eſt in Hebræo, *quaſi urſus orbatus.* Hieronymus ad hunc locum: *Ajunt qui de beſtiarum ſcripſere naturis, inter omnes feras nihil eſſe urſâ ſævius cùm perdiderit catulos.* Sic & leænæ & tigridis deſcriptiones furentium ereptis catulis habes apud Poëtas.

Et dirumpam interiora jecoris eorum] In Hebræo, *Clauſtra cordis eorum;* id eſt, præcordia. Senſus eſt, *diſpergam populum:* nam populus ut corpus, ſinguli ut membra.

Et conſumam eos ibi quaſi leo] Faciam ut intereant multi.

Beſtia agri] Aſſyrius, fortis & immitis.

Scindet eos] Populum diſtrahet.

9. *Perditio tua, Iſraël: tantummodo in me auxilium tuum*] *Depreſſio tua;* id eſt, à te venit quod externis traderis: *nam* ſi *in me* ſperaſſes, *auxilio tibi fuiſſem.* Hæc expoſitio maximè convenit Hebræis vocibus, & אהי [*Ero*], quod ſequitur, cum his verbis connectit. eundem ſenſum habet Chaldæus.

10. *Vbi eſt Rex tuus? maximè nunc*] In Hebræo, *Rex tuus ubi?* Reges pluris feciſti quàm me: ubi nunc Regi ſuæ vires?

Salvet te in omnibus urbibus tuis] *Ergò ſervet te, cum omnibus urbibus tuis*, ſi poteſt: nam id de Regibus exſpectaſti, 1 Samuelis VIII. 20.

Et Iudices tui] Id eſt, Præfecti à Rege poſiti.

De quibus dixiſti, Da mihi Regem & Principes] Cùm Regem petiverunt, ſimul voluere & Præfectos regios: nam eos conſtituere inter jura eſt Regis, 1 Samuelis VIII. 12.

11. *Dabo tibi Regem in furore meo*] *Dedi*, jam ſæpius: id eſt, Iratus peccatis veſtris ſivi vos per ſeditiones ac cædes mutare Reges pro lubitu. Vide II Regum XV.

Et auferam in indignatione mea] Per Aſſyrios. Ità malè facta pejùs dilabuntur.

12. *Colligata eſt iniquitas Ephraïm*] Omnia ſimul mihi obhærent, ut quæ in faſciculum conſtringuntur, nequid excidat.

Abſconditum peccatum ejus] *Repoſitum:* ut id quod ſuo tempore reddi debet.

13. *Dolores parturientis evenient ei*] Graviſſimi cruciatus: ὠδῖνες, Matthæi XXIV. 8.

Ipſe filius non ſapiens] Quaſi fœtus ſibi non conſulens, neque ex utero erumpens. Vide Canticum VIII. 14.

Nunc enim non ſtabit in contritione filiorum] *Alioqui non tam diu ſtaret in loco unde erumpunt filii.* Id enim משבר: II Regum XIX. 3. ἀλληγορία [*Tecta locutio*] ſignificat Ephraïmum non ſapere quòd tam diu differat pœnitentiam agere, ac ſic ſemet eximere è calamitatibus.

14. *De manu mortis liberabo eos*] *Liberarem*, ſi pœnitentiam agerent. Hebræi, quia potentialem modum non habent, coguntur abuti futuro indicativi. Pro *mortis*, in Hebræo eſt שאול, Græcè ᾅδου, *de manu ſepulchri*, id eſt, de periculis ad ſepulchrum ducentibus.

De morte redimam eos] *Redimerem:* id eſt, eriperem eos ab exitio.

Ero mors tua, ô mors] *Eſſem peſtis tibi, ô mors:* id eſt, omnia mortifera exſtinguerem, ut in Sennacheribi exercitu factum eſt poſtea.

Morſus tuus ero, Inferne] *Excidium tibi, ô ſepulchrum. Sepulchrum* hîc intelligit foſſam in quam toti populi conjiciuntur, ut fit in publicis cladibus.

Conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis] Eſt oppoſitum prioribus. Nunc verò, cùm pœnitentiam agere tam diu vocati nolitis, nihil eſt quod me *conſolari* poſſit, id eſt, iram meam ſedare. ſic vox hæc ſumitur Eſaiæ LVII. 6.

15. *Quia ipſe inter fratres dividet*] *Quia ipſe pro fratribus multiplicavit*, ſupple *peccata.* Plus peccavit quàm Iudas & Benjamin. Ità Chaldæus.

Adducet urentem ventum] *Orientalem*, qui peſtifer illis in locis. ſimul oſtenditur ſitus Aſſyriæ.

Domini] Deo immittente.

De deſerto adſcendentem] Per Syriæ partem deſertam, 1 Regum XIX. 15. nam hàc iter Aſſyriis in Samaritidem.

Et ſiccabit venas ejus, & deſolabit fontem ejus] Ventus enim ab Oriente erat adurens (unde καύσων Græcis dicitur) ac proinde & exſiccans, Ezech. XVII. 10. XIX. 12. Quid autem per hanc ἀλληγορίαν [*Tectam locutionem*] ſignificetur explicant ſequentia.

Et ipſe] Aſſyrius, qui per *ventum* illum intelligendus.

Deripiet theſaurum omnis vaſis deſiderabilis] *Rerum pretioſarum.* Ità hæ voces ſumuntur II Paralipomenon XXXII. 27. XXXVI. 10. Danielis XI. 8. Nahumi II. 9.

CAPVT XIV.

1. P*ereat Samaria*] Chaldæus fortè rectiùs, *Rea eſt Samaria*, gravium ſcilicet peccatorum.

Quoniam ad amaritudinem concitavit Deum ſuum] Quaſi à מרר [*amaritie afficere*]. Meliùs alii à מרה, *quia rebellavit in verbum Dei*, Chaldæus. LXX, ὅτι ἀνέστη πρὸς τὸν Θεὸν αὐτῆς [*quia ſurrexit adversùs Deum ſuum*].

In gladio pereant] *In gladio peribunt*, pars ſcilicet eorum. LXX, ἐν ῥομφαίᾳ πεσοῦνται αὐτοί [*per rompheam peribunt ipſi*], nec aliter Chaldæus.

Parvuli eorum elidantur] *Allidentur* ſolo aut ſaxis, ut fit in crudeli victoria. Pſalm. CXXXVII. 8. Homerus in re tali:

——— καὶ νήπια τέκνα
Βαλλόμενα ποτὶ γαίῃ ἐν αἰνῇ δηϊότητι.
[——— *illiſaque corpora terræ*
Infantum, ſævus dum concutit omnia Mavors.]

Et fœtæ ejus diſcindantur] *Prægnantes ejus diſcindentur.* Hoc etiam interdum à victoribus fieri docent nos hiſtoriæ.

2. *Convertere Iſraël ad Dominum Deum tuum*] Vel nunc poſt tanta mala, in exſilio. Loquitur velut in re præſenti, ut & alii Prophetæ.

Quoniam corruiſti in iniquitate tua] Vides enim in quanta mala incideris per idololatriam & alia crimina.

3. *Tollite vobiſcum verba*] *Afferte vobiſcum* (ad Deum) *verba*, nempe ἐξομολογήσεως [*confeſſionis culparum*], ut rectè hîc ſumit Chaldæus.

Et convertimini ad Dominum] Emendate vitam.

Et dicite ei, Omnem aufer iniquitatem] Id eſt, pœnas has quas ſentimus.

Accipe bonum] *Acceptum habe id bonum* quod nunc facimus, planè quaſi non peccaſſemus.

Et reddemus vitulos labiorum noſtrorum] Sic legit & Chaldæus, non cum alio puncto, ut LXX, qui καρπὸν χειλέων [*fructum labiorum*] dixere. Eſt locutio μάλα ἐμφατική [*valde Efficax*]. Non poſſumus in hoc exſilio tibi offerre boves in ſacrum εὐχαριστικὸν [*ob gratias agendas*], ſed pro bobus offeremus pia verba gratias ſuppliciter agentia.

4. *Aſſur non ſalvabit nos*] Non ampliùs dicemus Aſſyrium ſervatorem noſtrum, ut olim, II Regum XVI. 7.

Super equum non adſcendemus] Non implorabimus auxilia Ægypti, ut olim, II Regum XVII. 4. Deſcribitur autem Ægyptus ex equitatu, quo maximè pollebat, Deuteronomii XVII. 16. Sic & Eſaiæ XXX. 16.

Nec dicemus ultrà, Dii noſtri opera manuum noſtrarum] Puto ſcripſiſſe Interpretem *operi*: ità enim eſt in Hebræo & Chaldæo: Græci quoque habent τοῖς ἔργοις [*operibus*]. Non ultrà imaginibus dabimus Dei nomen.

Quia ejus qui in te eſt miſereberis pupilli] In Hebræo: *Quia penes te eſt miſereri pupillorum. Pupillos* vocant eos, qui neque per ſe vires habent, neque patrem habent qui eos tueatur. Tales olim in Ægypto fuerant Hebræi cùm Deus eorum miſertus. Pari in ſtatu eadem ab ipſius bonitate exſpectant.

5. *Sanabo contritiones eorum*] *Sanabo converſiones eorum*: id eſt, ipſos converſos. Si ità ſe converterint ad vias rectas, ubi me deprecati fuerint, *ſanabo eos*, id eſt, reducam eos ab exſilio.

Diligam eos ſpontaneè] In Hebræo: *Diligam eos liberaliter*, id eſt, clementer. Multùm ſimile habent liberalitas & clementia, ut debita & peccata. ideo ex vicino tranſeunt vocabula.

Quia averſus eſt furor meus ab eis] *Quia averſus eſt furor meus ab eo*, ſupple *populo*: ממנו: at Orientis codices habuerunt ממני, *à me: abiit à me ira.*

6. *Ero quaſi ros Iſraël*] Puto ſcripſiſſe Interpretem, *Ero quaſi ros Iſraëli*: nam ſic habet textus Hebræus, nec aliter Chaldæus. LXX quoque, ἔσομαι ὡς δρόσος τῷ Ἰσραήλ. Faciam ut omnia eis floreant ut agri irrorati, Geneſeos XXVII. 39. Eſaiæ XXVI. 19. Michææ V. 7.

Germinabit ſicut lilium] *Aſſurget ſicut lilium*: nam פרח per ἀνατέλλειν [*ſurſum ire*] vertitur. Etiam per ἐξανίστασθαι [*aſſurgere*], Ezechielis VII. 10.

Et erumpet radix ejus ut Libani] *Iaciet radices ut* (arbores) *Libani.* βαλεῖ τὰς ῥίζας, id eſt, erit in firmo loco poſitus.

7. *Ibunt rami ejus*] Id eſt, latè ſe ſpargent. Per *ramos* progeniem intelligit.

Et erit quaſi oliva gloria ejus] Quæ & frondibus abundat & fructibus, Pſalmo LII. 10. זית [*Zaith*] *olivam* ſignificat. Ammianus XXII. *Profecti exinde Zaitam venimus, locum qui Olea arbor interpretatur.* Vocatur ſic & fructus & oleum Arabibus; nec aliter hîc cepit Chaldæus: vertit enim, *Splendor eorum velut ſplendor lychni in Templo.*

Et odor ejus ut Libani] Rectiùs vertas, *ut thuris*: nam לבנון [*Lebanon*] utrumque ſignificat, ut hîc notavit Hieronymus, & montis mentio jam præceſſit, & *odori* meliùs congruit *thus*; & ſic accepit Chaldæus. Senſus eſt: *gratioſus erit apud omnes.* Sic contra fœtere dicuntur qui in odio ſunt, Geneſeos XXXIV. 30.

8. *Convertentur ſedentes in umbra ejus*] Multi extranei, ut Ammonitæ, Moabitæ, Idumæi, ſub eorum præſidio vivent, & ad Deum verum convertentur.

Vivent tritico] *Vivificabunt* ſe ut *triticum.* Triticum humo obrutum enaſcitur: ità ipſi ex calamitatibus ſe attollent. Rabbini hæc & ſequentia ad tempus inter duas reſurrectiones referunt. Kimchi hæc ſequentibus annectens, ait, *eo tempore frumentum ſemel tantùm ſatum iri, pro omni tempore, quomodo vites.*

Germinabunt quaſi vinea] Feminæ erunt fœcundæ, Pſalmo CXXVIII. 3.

Memoriale ejus ſicut vinum Libani] Nomen eorum ſuave erit omnibus; aut, *ità ſonabit ut clangor tubæ, cùm in Templo libatur vinum novum*: ità hîc Chaldęus. Inter nobilia vina *Berytium & Tyrium* ponit Plinius, quòd indè advectarentur. Ad Libanum erat urbs Græcis *Ampeloëſſa* dicta ob vini præſtantiam; Plinius V. 18.

9. *Ephraïm, quid mihi ultrà idola?*] In Hebræo, *ad idola,* ſupple, *currit?* Cùm res ità ſe habeant, cur adhuc Ephraimitæ idola colunt? cur non ab eis diſcedunt?

Ego exaudiam] Idola non audiunt; nedum exaudiant.

Et dirigam eum ego ut abietem virentem] *Reſpiciam eum,* & faciam ut *arborem virentem.* ברש alii *buxum,* alii *cedri* dicunt genus eſſe, ut notavimus ad Eſaiam XLI. 19. Græci hîc ἄρκευθον [*juniperum*] poſuere.

Ex me fructus tuus inventus eſt] Apud me ſemper fuit operæ tuæ pretium.

10. *Quis ſapiens & intelligit iſta? intelligens, & ſciet hæc?*] Oſtendit paucos fore in Decem tribubus qui iſta ità ut oportet ſint conſideraturi. bis idem dixit more Hebræo.

Quia rectæ viæ Domini] Conſilia Dei & decreta interim æquiſſima ſunt.

Et juſti ambulabunt in eis] Per ea juſti procedent inoffenſo pede.

Prævaricatores verò corruent in eis] In omnia jam antè dicta mala incident ex iiſdem decretis.

AD IOELEM.

CAPVT I.

NOtat Hieronymus, qui in ſua verſione Hebræum codicem ſequitur, aliter hos Prophetas in Græcis codicibus digeri, nempe in hunc modum: OSEE, AMOS, MICHÆAS, IOEL, ABDIAS, IONAS, NAHVM, HABACVC, SOPHONIAS, AGGÆVS, ZACHARIAS, MALACHIAS. Sentit autem idem Hieronymus, quia Ioëlis liber tempus prænotatum non habet, & Oſeæ ſubjungitur, fuiſſe eos συγχρόνους [*coævos*], quod & res in Ioële contentæ evincunt. Sed ſicut Oſeæ dicta præcipuè ad Decem tribus, ità Ioëlis ad duas reliquas maximè pertinent.

2. *Audite hoc ſenes*] Qui multa meminiſtis.

Si factum eſt iſtud in diebus veſtris, aut in diebus patrum veſtrorum] Nempe ſimile quid tot malis quanta jam vobis prædicam.

3. *Super hoc filiis veſtris narrate*] Per manus tradite hæc vaticinia, ut cum eventis poſtea comparentur.

4. *Reſiduum erucæ comedit locuſta*] *Comedet.* Proverbialis locutio. Senſus eſt, *Quos reliquerit Phul, eos Teglathphalaſar occîdet, aut abducet:* nam ſub animalium vaſtantium nominibus denotantur exercitus, Ieremiæ LI. 14. 27. Nahumi III. 15. 16.

Et reſiduum bruchi comedit rubigo] *Quos reliquerit Salmanaſar eos occîdet vel avehet Sennacheribus.* חסיל, quod LXX ἐρυσίβην, id eſt, *rubiginem,* vertunt, Chaldæus rectiùs (ni fallor) cenſet animalis eſſe genus, vertítque, שמוטא, id eſt, *attelabum*: Eſt autem quiddam inter locuſtam & bruchum, modicis pennis, reptans potiùs quam volans, ſempérque ſubſiliens, & uſque ad interitum cuncta conſumens. Itaque חסיל vertitur βροῦχος [*bruchus*] II Paralip. VI. 28. alibi ἀκρὶς [*locuſta*], Eſaiæ XXXIII. 4. & infrà II. 25.

5. *Expergiſcimini ebrii*] *Ebrioſi.*

Et ululate] *Ejulate.* Reſpondet vox Hebræo, הילילו.

Qui bibitis vinum in dulcedine] *Qui amatis bibere vinum.*

Quoniam periit ab ore veſtro] Fugit exciſis vineis.

6. *Gens enim adſcendit ſuper terram meam*] *Adſcendet.* Sic & ſequentia ſume: & refer ad vaſtitatem illatam terris per Phulem & Salmanaſarem. Ante ea tempora in pace vixerant Tribus decem cum duabus, ut apparet II Paralipomen. XXVIII. 10. 11. 12. 13. 14. 15. Itaque ex terris Decem tribuum vinum & eſculenta perveniebant ad Duas tribus: quod ceſſavit per illam vaſtitatem, à qua & ipſa terra Duarum tribuum, ob vicinitatem, immunis planè eſſe non potuit.

Dentes ejus ut dentes leonis] Rapiditas ſignificatur. pari imagine de Medis utitur Daniel VII. 5.

Et molares ejus ut catuli leonis] לביא, quod hîc in Hebræo eſt, *leænam* potiùs ſignificare videtur quàm *catulum leonis*: nam & Arabes ſic ſumunt لبوة.

7. *Poſuit vineam meam in deſertum*] In locum vaſtum & infrugiferum.

Et ficum meam] Arborem.

Decorticavit] Sic & Chaldæus ſumſit. Hebræa vox *ſpumam* ſignificat, & ſic videntur per ſimilitudinem appellari *clavi arborum*, ut eos Plinius appellat.

Nudans ſpoliavit eam] Foliis, ſurculis, fructibus.

Et projecit] *Dejecit*, vigore abſumto.

Albi facti ſunt rami ejus] Detracto cortice.

8. *Accincta ſacco*] Habitu lugubri.

Super virum pubertatis ſuæ] *Adoleſcentiæ ſuæ.* Solent enim mariti à feminis magìs amari quibus adoleſcentulis adhuc nuptæ ſunt.

9. *Periit ſacrificium*] Locutio ὑπερβολικὴ [*Superjectiva*], quæ ſignificat magnam fuiſſe oblationum penuriam. Eſt autem מנחה oblatio illa quæ fit ex ſimila, μαναά Interpretibus: de quo vide dicta Levit. II. & Marci IX. 49.

Et libatio] Ob vini inopiam.

10. *Elanguit oleum*] *Diſſipatum eſt.* Quomodo אמל ſumitur Threnorum II. 9. *effluxit*, Chaldæus hoc loco.

11. *Vlulaverunt vinitores*] *Ejulate.* Hoc referendum ad id quod pòſt ſequitur, *vinea confuſa eſt.* Quæ in medio ſunt ad agricolæ luctum pertinent.

12. *Malogranatum*] Malum Punicum etiam *granatum* ſuo ævo dictum teſtis eſt Plinius.

Quia confuſum eſt gaudium à filiis hominum] *Ideo exaruit gaudium à filiis hominum.* Lætitia enim hominibus ex victu & vino, Pſalmo IV. 8.

13. *Accingite vos*] Nempe habitu luctuoſo, ut ſuprà 8. & jam ſequitur.

Sacrificium & libatio] Vt ſuprà 8.

14. *Sanctificate jejunium*] Indictitium.

Congregate Senes] *Senatores.*

15. *Quia propè eſt dies Domini*] Id eſt, excidium Templi, quod ſecuturum poſt deportationem Decem tribuum didicerant Sacerdotes ab Eſaia.

16. *Coram oculis veſtris*] *Noſtris* in Hebræo, ut continuetur Sacerdotum planctus.

Lætitia & exſultatio] Frumentum & vinum, ut ſuprà 11.

17. *Computruerunt jumenta in ſtercore ſuo*] Legerunt LXX & Hieronymus פרות [*jumenta*]. Nos habemus פרדות: id ſignificat *grana* Chaldaïcè. גרפתים, quod alii *ſtercora* verterunt, alii *præſepia*, alii *glebas* verterunt, alii *acervos* à verbo גרף, quod Hebræis, Chaldæis, & Arabibus eſt *converrere*. Senſus eſt, *Madore corrumpuntur grana in acervis ſuis quò congeſta ſunt*, nimirum ob cauſam quæ ſequitur.

Demolita ſunt horrea] Incenſa igne hoſtico.

Diſſipata ſunt apothecæ] *Demolita ſunt magaria*, id eſt, non horrea tantùm, ſed & villæ; quas Pœnis dici non *magalia* ſed *magaria* notat ad primum Æneidos librum Servius: quod verum eſſe etiam in lingua Hebræa apparet, Pſalmo LV.16. Iob. XVIII.19. Villæ: nempe etiam in Iudæa. Ideo corrupta imbribus frumenta, quia nihil erat in agris quo condi poſſent. Chaldæus refert hæc ad *corrupta vini dolia*; nec ſatìs apparet quomodo legerit.

Quoniam confuſum eſt triticum] *Ideo fœtuit triticum.* nam יבש vicinam habet ſignificationem cum באש, quod redditur προσόζειν [*malè olēre*] & σαπρίζειν τὴν ὀσμὴν [*fœtere*], & cum בוש, quod vertitur αἰσχύνεσθαι [*pudefieri*].

18. *Quid ingemuit animal!*] *Quantopere ingemuerunt jumenta!* Solet enim vox בהמה Hebræis, Chaldæis, & Arabibus plerumque, ubi nihil aliud additur, ſumi pro equis, mulis, aſinis.

Mugierunt greges armenti] Latinè, *armenta bucera.*

Quia non eſt paſcua eis] Terra ſcilicet. Ideo *gemunt* & *mugiunt quia non inveniunt ubi paſcantur*, attritis ab exercitu herbis omnibus.

Et greges pecorum diſperierunt] In Hebræo: *Deſolati ſunt*, id eſt, ad paucitatem redacti. צאן Hebræis, ut *pecus* Latinis, dicitur propriè de ovillo & caprugno genere.

19. *Ad te, Domine, clamabo*] Continuantur verba quæ Sacerdotes dicent, terris circùm vaſtatis.

Quia ignis comēdit ſpecioſa deſerti] *Habitacula deſerti*: quomodo hîc Chaldæus. מדבר, id eſt, *deſertum*, Hebræis & Chaldæis dicuntur *loca paſcua.* *Habitacula* ergò hîc eadem quæ paulò antè *magaria.*

Et flamma ſuccendit omnia ligna regionis] Omnes arbores de quarum fructibus aut corticibus animalia vivebant.

20. *Sed & beſtiæ agri*] Id eſt, feræ: hanc enim ſignificationem requirit vox שדה [*agri*] adjuncta voce בהמות [*animantia*].

Quaſi area ſitiens imbrem ſuſpexerunt ad me] *Clamarunt ad me.* ערג, quod hîc eſt, propriè de cervis dicitur, & per κατάχρησιν [*Abuſionem*] de feris aliis. Illud, *quaſi area ſitiens imbrem*, neſcio unde irrepſerit, neque enim in Hebræo eſt, neque in Græco, neque in Chaldæo; neque in Commentariis hæc refert Hieronymus. Fortè ſcriptum fuit, *ſicut cerva ſitiens imbrem.* Confer Pſalmum XLII. 1.

Quoniam exſiccati ſunt fontes aquarum] *Rivi aquarum.* Non mirum de rivis, ſi & flumina quondam defecere, non epotantibus, ut puto, ſed fontes obſtruentibus immenſis illis ſub Xerxe copiis.

Et ignis devoravit ſpecioſa deſerti] *Habitacula*, ut modò diximus id eſt, caulas & ſtabula, unde feræ paſci ſolebant.

CAPVT II.

1. *CAnite tubâ in Sion*] Hîc prædicitur adventus Sennacheribi, & obſidium Hieroſolymorum per eum factum. Clangi ſolet ad hoſtis adventum, Ezechiel. XXXIII. 3. Oſeæ V. 8.

Vlulate] *Sonate taratantara.*

Conturbentur] *Contremiſcant.*

Omnes habitatores terræ] Iudææ.

Venit dies Domini] *Dies* quidem *Domini*, ſed nondum ille magnus, de quo infrà III. 1.

2. *Dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis*] Id eſt, tempus ſummarum calamitatum. Confer VIII. & XXIX. Eſaiæ.

Quaſi manè expanſum ſuper montes populus multus & fortis] Quàm latè aurora ſe expandit ſuper montes, tam latè ſe expandet Aſſyriorum exercitus.

Similis ei non fuit à principio] Ingens exercitus fuit ille Aſſyrii. Vide II Regum XIX. 35.

3. *Ante faciem ejus ignis vorans: & poſt eum exurens flamma*] Id eſt, quaquà ibit, omnia lucebunt incendiis, Eſaiæ IX. 18. X. 17.

Quaſi hortus voluptatis terra coram eo, & poſt eum ſolitudo deſerti] Quæ terra ante ejus adventum erat ut *hortus Hedenis*, ubi ille venerit, fiet deſertiſſima.

Neque eſt qui effugiat eum] Ità omnia tenebuntur ejus copiis.

4. *Quaſi adſpectus equorum, adſpectus eorum*] Sæpe & Græci & Latini virum fortem equo generoſo comparant, qui

Primus inire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto ſeſe committere ponto,
Nec vanos horret ſtrepitus.

Et quaſi equites ſic current] Pedites ipſi erunt velociſſimi.

5. *Sicut ſonitus quadrigarum ſuper capita montium exſilient*] Venient magno cum ſtrepitu.

Sicut ſonitus flammæ ignis devorantis ſtipulam] Aliâ ſimilitudine ſtrepitum exercitûs exprimit.

Velut populus fortis præparatus ad prælium] Hîc כ [*velut*] eſt, ut Hebræi loquuntur, כף אמותה [*Caph veritatis*]: incedent ſemper armati paratique prælio.

6. *A facie ejus cruciabuntur populi*] *Dolebunt populi illo veniente.*

Omnes vultus redigentur in ollam] *In fuliginem ollæ*: ità Græci, id eſt, *qualis eſt olla*, ut Chaldæus benè explicat. Metu nigreſcunt vultus, Eſaiæ XIII. 8.

7. *Sicut fortes current*] Vt qui nihil timeant.

Adſcendent murum] Muros urbium multarum, II Paralipomen. XXXII. 1. Eſaiæ XXXVI. 1.

Viri in viis ſuis gradientur] Pergent quò voluerint.

Et non declinabunt à ſemitis ſuis] Nemo eos avertere poterit.

8. *Vnuſquiſque fratrem ſuum non coarctabit*] Id eſt, Alter alterum non impediet in itinere: ità bene ſtructis ordinibus incedent.

Singuli in calle ſuo ambulabunt] In ſuo ordine.

Sed & per feneſtras cadent, & non demolientur] Ex Hebræo bene vertunt alii, *in gladios ruent, & non vulnerabuntur:* ità quippe armis muniti erunt. שלח *gladius*, II Paralipomen. XXIII.10. XXXII.5. Nehem. IV. 23. ſecundùm Græcos, qui & hîc ἐν τοῖς βέλεσιν [*in tela*]. בצע vero modò πλεονεκτεῖν [*plus ſuo petere*] vertitur, modò διακόπτειν, ἐκτέμνειν [*transverberare, exſcindere*]. Eſt ergò hîc activum pro paſſivo, ut ſæpe in talibus verbis.

9. *Vrbem ingredientur, in muro current*] *In Vrbem* (id eſt, adversùs Vrbem) *arma concrepabunt, & in muros current*, ut eos machinis verberent.

Domos conſcendent] Teſtudine factâ, domos ſcilicet in extremo urbium poſitas.

Per feneſtras intrabunt quaſi fur] Ex inſidiis. Omni modo oppida capient.

10. *A facie ejus contremuit terra*] Sub pondere armorum.

Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ contraxerunt ſplendorem ſuum] Fumus ex ruinis oppidorum, & pulvis à tanto exercitu excitatus, omnium ſiderum conſpectum adiment. Simile, ſed ex cauſa alia, apud Ezechielem XXXII. 7.

11. *Dominus dedit vocem ſuam, ante faciem exercitûs ſui*] *Coram exercitu ipſius*, nèmpe Sennacheribi. Edicta ſua per eos tamquam apparitores ſuos exſecuturus eſt, ut explicant ſequentia.

Quia multa ſunt nimis caſtra ejus] *Vtcunque ingentia ſunt ejus caſtra.*

Fortia, & facientia verbum ejus] *Vtcunque validus eſt* ille exercitus, faciet quæ à Deò juſſa.

Quis ſuſtinebit eum?] *Quotuſquiſque evadet?*

12. *Nunc ergò dicit Dominus*] *Attamen ait Dominus.* Oſtendit adhuc aliquam eſſe ſpem evadendi.

In toto corde veſtro] Seriò ac bonâ fide.

In jejunio, & in fletu, & in planctu] Ad ſignificandum dolorem ex peccatis conceptum.

13. *Et ſcindite corda veſtra*] Vitia indè abrumpite.

Et non veſtimenta veſtra] Id eſt, non tantùm veſtimenta veſtra, quod in luctu fieri ſolebat. Simile loquendi genus Geneſeos XXXII. 28. & alibi.

Quia benignus & miſericors] Exodi XXXIV. 6.

Et præſtabilis ſuper malitia] In Hebræo: *pænitens de malo*, quod comminatus eſt ſcilicet, idque ſi homo vitam in melius mutaverit.

14. *Quis ſcit*] Propheta loquitur, & ſpem metu miſcet, nè aut ſecuritatem foveat, aut veniæ deſperatione illos in luto relinquat. Vide II Reg. XIX. 4.

Si convertatur & ignoſcat] *An pænitentiâ ductus ignoſcat.* Locutio ſimilis apud Ieremiam XVIII.8.

Et relinquat poſt ſe benedictionem] *Poſt illum*, nempe exercitum hoſtilem, det nobis ut rurſum terra fruges ferat.

Sacrificium & libamen Domino Deo veſtro] Id eſt, Vnde Deo μαναὰ [*placentas è ſimila*] & libamen offeramus. Reſpicit ad ea quæ dicta ſunt ſuprà cap. 1. 9. 13.

15. *Canite tubâ in Sion*] Nam tubâ etiam convocabatur populus, Num. X. 7.

Sanctificate jejunium] Quod hîc monet Propheta, id ſecutus eſt Ezechias eo tempore de quo hîc agitur, II Reg. XIX. 1. & ſequentibus.

Vocate cœtum] Quàm maximè poteſtis: quod ſequentia latiùs explicant.

16. *Congregate populum*] Plebem.

Sanctificate Eccleſiam] Præparent ſe Levitæ, qui קהל [*Cœtus*] per excellentiam.

Coadunate Senes] Tum illum ſummum Senatum, tum illos qui urbibus ſingulis præſident.

Congregate parvulos] Mos is erat illarum gentium. Iudith IV. 7. nec id mirum, cùm & pecudes à pabulis tali tempore abſtinerentur, Ionæ III. 7. Iudith dicto loco.

Et ſugentes ubera] *Etiam ſugentes ubera.*

Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo] Secubatio conjugum ab antiquo comes jejunii, Exodi XIX. 15. 1 Corinth. VII. 5.

17. *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes miniſtri Domini, & dicent*] *Plorent & dicant.* אולם [*veſtibulum*] hîc intellige locum illum quò deſcendebatur ex Baſilica Sacerdotali, unde non longè erat altare holocauſtorum. Convenit piis dolorem ſuum teſtari ſuper peccatis populi.

Nè des hereditatem tuam in opprobrium] Populum tibi peculiarem.

Vt dominentur eis nationes] Illi qui ſibi deos faciunt.

Quare dicunt in populis] *Dicerent.*

Vbi eſt Deus eorum?] Pſalmo CXV. 2. Vbi ille Deus quem à ſe unis noſci & coli jactabant?

18. *Zelatus eſt Dominus terram ſuam*] Id eſt, Si hæc faciatis, jam non ultrà inultam patietur Dominus injuriam populo ſuo factam.

Et pepercit populo ſuo] Parcet Hieroſolymitanis, & iis qui Hieroſolyma refugient, ut per eos rurſum terra colatur.

19. *Et reſpondit Dominus*] *Reſpondebit* per Eſaiam, II Regum XIX. 21. & ſequentibus; Eſaiæ XXXVII. 21.

20. *Et eum qui ab Aquilone eſt procul faciam à vobis*] Aſſyrium. Sic & Chaldæi *Aquilonares* Hebræis dicuntur: nam צפן propriè eſt Ventus inter Septentrionem & Ortum, vertitúrque & ἀπηλιώτης [*Subſolanus*], ut alibi diximus. Aſſyria Chaldæâ remotior, ſed in eadem cœli regione.

Et expellam eum in terram inviam & deſertam] *Impellam eum* (ad ruinam ſcilicet) *in ipſa illa terra vaſtata atque deſolata*, per ipſum.

Et faciem] Cadentium illo malo θεηλάτῳ [*Divinitus immiſſo*], de quo vide II Regum XIX. 35. Eſaiæ XXXVII. 36.

Contra mare Orientale] *Versùs Aſphaltiten*, convertam ſcilicet; ut oſtendam illos Sodomorum habitatoribus nihilo fuiſſe meliores.

Et extremum ejus ad mare noviſſimum] Iacebunt obverſi terga mari Syriaco, quod האחרון [*poſticum*] dicitur Hebræis, Deuteronomii XI. 24. XXXIV. 2. nempe ut eò effluat eorum cruor, & ſic Iudæa purgetur.

Et adſcendet fœtor ejus, & adſcendet putredo ejus] Inficiet diu cœlum, Eſaiæ XXXIV. 3.

Quia ſuperbè egit] Adversùs Deum, II Regum XIX.22. Eſaiæ XXXVII. 22. Iobi I.21. I Maccabæorum VII.41.

21. *Nolite timere terra*] Popule Iudaïce, ut ſuprà. Loquitur quaſi rebus illis poſt cladem Sennacheribi intereſſet, ut ſæpe Prophetæ.

Quoniam magnificavit Dominus ut faceret] Res magnas agendas ſuſcepit.

22. *Nolite timere animalia regionis*] Cervi, capreæ, & feræ ſimiles. Vide ſuprà I. 20.

Germinaverunt] *Herbeſcunt.*

Specioſa] Paſcua.

Deſerti] Vide ſuprà I. 20.

Quia lignum attulit fructum ſuum] Arbores omnis generis ſua poma ferunt.

Ficus & vinea dederunt virtutem ſuam] Divitias ſuas.

23. *Dedit vobis doctorem juſtitiæ*] Eſaiam.

Et deſcendere faciet ad vos imbrem matutinum & ſerotinum] Sementis & meſſis tempore commodas dabit tempeſtates, Deuteronomii XI. 14. Proverbior. XVI. 15. Ieremiæ V. 24. Oſeæ VI. 3.

24. *Torcularia vino & oleo*] Vox Hebræa *trapetis* non minùs quàm *torcularibus* convenit.

25. *Et reddam vobis annos*] Compenſabo bonis annis illos annos malos.

Quos comêdit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca] *Attelabus & eruca.* His quatuor animalibus vaſtantibus denotari Phulem, Teglathphalaſarum, & Salmanaſarem, & Sennacheribum diximus ſuprà.

Fortitudo mea magna, quam miſi in vos] *Exercitus meus magnus.* Ità explicat quod obſcurè dixerat: *meus*, id eſt, quibus ego uſus ſum, ut ſuprà II.

26. *Comedetis veſcentes*] *Comedetis comedendo*, id eſt, quantum lubet.

Et laudabitis nomen Domini Dei veſtri] Gratias agendo.

Et non confundetur populus meus in ſempiternum] עולם, id eſt, per longum tempus, quamdiu vivet Ezechias. עולם Hebræis ſæpe unius hominis vita.

27. *Quia in medio Iſraël ego ſum*] Præſentiam auxilii hoc ſignificat; Matth. XVIII.20. Lucæ XXII.27. Sic & Pſalmo XLVII. 6. & alibi paſſim.

Et non ampliùs] *Nemo alius.*

28. *Effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem*] Id eſt, ſuper multos, non ſuper Eſaiam ſolum, II Regum XXI. 10. Eſaiæ XXIX. 10.

Et prophetabunt filii veſtri] Vt filii Eſaiæ VIII.18.

Et filiæ veſtræ] Etiam feminis id donum dabitur, Eſaiæ VIII. 3. II Regum XXII. 14.

Senes veſtri ſomnia ſomniabunt] A Deo immiſſa, ut olim Ioſepho.

29. *Sed & ſuper ſervos meos & ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum*] In Hebræo non eſt *meos*: & ſenſus eſt, Etiam iis qui viliſſimi videbuntur impartiar, ſi non Prophetiam & ſomnia, certè motus quoſdam extraordinarios atque cœleſtes. Hebræi *Spiritum ſanctum* ſolent uſurpare de dono infra Prophetiam; ſed id diſcrimen neque in Veteris, neque in Novi Teſtamenti libris perpetuum eſt. Hæc omnia multò quàm tunc excellentiùs impleta in Eccleſia Chriſtiana, ad quam hæc optimè aptat Petrus Actorum II.

30. *Et dabo prodigia in cœlo & in terra, ſanguinem, & ignem, & vaporem fumi*] Solent magnas rerum converſiones præcedere cometæ, gladii ardentes, aliáque ſigna ejuſmodi. Agitur autem hîc de adventu Nabuchodonoſori, qui Iudæam ſanguine inundavit; incenſis autem urbibus, vicis, & villis, cuncta implevit igne & fumo, Eſaiæ XXXII. 13. Threnorum II. 5. & paſſim alibi.

31. *Sol convertetur in tenebras*] Nempe propter fumum illum undique ſurgentem. Vide ſuprà 10. & ibi dicta.

Et Luna in ſanguinem] Luna ſanguinolenta apparebit, propter multum ſanguinem ex ſolo in aërem attractum, quâ de causâ & ſæpe ſanguis pluiſſe viſus.

Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis] Excidium Templi & Vrbis per Chaldæos. Paria verò aut majora præceſſerunt excidium per Romanos factum, de quo Chriſtus & Apoſtoli.

32. *Et erit, Omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit*] Id eſt, vitam ſuam ſervabit. Quod egregiâ figurâ denotat Ezechiel IX.

Quia in monte Sion & in Ieruſalem erit ſalvatio] Id eſt, Quidam excidio erunt ſuperſtites, & captivi avehentur; ut oſtendunt quæ ſequuntur III. I. ea enim verba cum his cohærent.

Et in reſiduis quos Dominus vocaverit] Nempe *in illis reſiduis quos Deus ad id deſtinaverit.* Ità Chaldæus. ו [*&*] ſæpe eſt ἐξηγητικόν [*explicativum præcedentium*]. קרא pro *deſtinare*, Ieremiæ XXXII.23.

CAPVT III.

I. *QVia ecce in illis diebus, & in tempore illo*] *Verùm ecce.* Nam כי ſæpe eſt *ſed.* Cohærent hæc, ut dixi, cum ſuperioribus. Reticuit κατ' εὐφημισμόν [*Mollioris locutionis causâ*] fore ut illi reſidui aveherentur; ſatis autem oſtendit nunc cùm redituros dicit.

Cùm convertero captivitatem Iuda & Ieruſalem] *Fecero reverti captivos.* locutio eadem Pſalmo LXXXV. I. CXXVI. I. Ieremiæ XXXIII. 26. XLVIII. 46. Ezechiel. XXIX. 14. XXXIX. 25. & alibi ſæpe.

2. *Congregabo omnes gentes*] Eas ſcilicet quæ populum meum malè tractarunt, non ob peccata, propter quæ ego id permiſi, ſed odio mei, ac religionis à me traditæ.

Et deducam eas in vallem Ioſaphat] Sic & LXX, εἰς τὴν κοιλάδα Ἰωσαφάτ. At Theodotio, εἰς τὴν χώραν τῆς κρίσεως [*in locum Iudicii*]· nec alio ſenſu Chaldæus, *in vallem diviſionis judicii:* id eſt, ubi cuique pro meritis pœnæ diſtribuentur. יהושפט [*Iehoſchaphat*] ſignificat *Iudicium Divinum*; משפטי יה, ut exponit Salomon Iarchi. Solent autem judicia Divina ad inſtar humanorum depingi. In humanis Iudiciis ſedent in loco ſublimi Iudices; rei ſtant in loco inferiori, qui *vallis* ob ſimilitudinem dicitur.

Et diſceptabo cum eis] Cauſas exigam cur id fecerint.

Quos diſperſerunt in nationibus, & terram meam diviſerunt] Non Aſſyrii tantùm & Chaldæi, ſed & viciniores quidam populi, illorum freti auxilio, Ieremiæ XLIX. I.

3. *Et ſuper populum meum miſerunt ſortem*] Vt de

captivis fieri mos erat. Indè illud apud Virgilium,

——— *Excipiam ſorti.* Vide quæ diximus libro tertio de Iure Belli ac Pacis, cap. VI. §. 14.

Et poſuerunt puerum in proſtibulo] In Hebræo: *Dederunt filios pro meretrice.* Ità enim illud ב [*pro*] interpretandum indicat membrum ſequens. Senſus eſt: *pueros Iudæos donarunt meretricibus vice pecuniæ*, ut Phædria Eunuchum Thaïdi.

Et puellam vendiderunt pro vino ut biberent] Viliſſimo pretio.

4. *Verùm quid mihi & vobis, Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæſtinorum?*] In Hebræo: *Quid vos mihi?* id eſt, Cur mihi moleſti eſtis? Vide quæ ad Matthæi VIII. 29.

Numquid ultionem vos reddetis mihi? & ſi ulciſcimini vos contra me?] Hîc ponenda interrogatio; & *ſi* pro *an*, ut ſæpe apud hunc interpretem. Sed ſenſus videtur eſſe: *An hanc vos vicem mihi rependitis? & hoc mihi redditis?* nempe pro tot in vos collatis beneficiis.

Citò, velociter reddam viciſſitudinem vobis ſuper caput veſtrum] Ego verò, cùm, ſine ulla accepta injuria, tam malè tractaveritis populum meum, vobis vicem reponam, & quidem brevi. Vide Eſai. XXIII. Ezechiel. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII.

5. *Argentum enim meum & aurum tuliſtis, & deſiderabilia mea & pulcherrima intuliſtis in delubra veſtra*] חמדים ſunt *res pretioſæ*, ut diximus Oſeæ XIII. 15. Ità hîc appellat Deus non quæ Templi erant, & Babylonem avecta ſunt, ſed ea quæ erant populi ſui, & à Chaldæis, captâ Vrbe, vicinis vendita ſunt. Sic & modò ſibi dixit factam injuriam quæ populo ſuo facta erat.

6. *Vendidiſtis filiis Græcorum*] Quibus magnum ab omni ævo cum Phœnicibus commercium, Ezechielis XXVII. 13.

Vt longè faceretis eos de finibus ſuis] Ἐπ' ἐξαγωγῆς [*ſub lege deportandi*], quò minor eſſet facultas eos redimendi.

7. *Suſcitabo eos de loco in quo vendidiſtis eos*] Per Alexandrum ejúſque Succeſſores, qui in gratiam Iudaïcæ gentis multos Iudæos in Græcia ſervientes libertati reddiderunt. Demetrius apud Ioſephum XIII. 5. Καὶ Ἰουδαίων ἢ τοὺς αἰχμαλωτισθέντας καὶ δουλεύοντας ἐν τῇ ἡμετέρᾳ ἀφίημι ἐλευθέρους [*Iudæorum eos qui bello capti in terris noſtris ſerviunt, dimitto liberos*]. Similes hiſtorias attulimus libro tertio de Iure Belli ac Pacis, cap. IX. § 2. in textu & annotatis.

Et convertam retributionem veſtram in caput veſtrum] Pœnas vobis reponam, quod explicant ſequentia.

8. *Et vendam filios veſtros & filias veſtras in manibus filiorum Iuda*] Nempe cùm Gaza, Sidon & Tyrus captæ ab Alexandro.

Et venundabunt eos Sabæis] Arabibus. Geneſ. X. 7.

9. *Clamate hoc in gentibus*] Vt norint quid futurum ſit.

Sanctificate bellum] *Præparate.* Similitudo à ſacrificiis, quæ multæ egent præparationis; Ieremiæ VI. 4. LI. 28.

Suſcitate robuſtos] Quaſi dicat, Fruſtra erunt omnia.

Aſcendant] In prælium.

10. *Concidite aratra veſtra in gladios*] Virgilius Georgicôn I.

Et curvæ rigidum falces conflantur in enſem.

Infirmus dicat, Quia fortis ego ſum] Etiam infirmi numerum augeant, quaſi aliquid poſſent.

11. *Omnes gentes de circuitu*] Omnis vis Aſiæ.

12. *Aſcendant gentes in vallem Ioſaphat*] *Iudicii Divini*, ut ſuprà diximus. *Aſcendant*, nempe ut qui in ſubterraneis carceribus tenentur.

13. *Mittite falces, quoniam maturavit meſſis*] Hîc Deus Macedonas, tanquam judiciorum ſuorum miniſtros, alloquitur. Sic alibi Deus inducitur Chaldæis & Medis præcepta dans. Sicut falce ager demetitur, ità gentes gladio. Videtur præcipuè reſpici prælium ad Arbela.

Plenum eſt torcular] Nempe uvis. Sic campi pleni militibus ex omni Aſia.

Exuberant torcularia] *Exundent*, id eſt, multus fundatur ſanguis; Qui cum vino comparari ſolet, Eſaiæ LXIII. 3.

Quia multiplicata eſt malitia eorum] Ità meruere illæ gentes.

14. *Populi, populi in valle conciſionis*] *Ad vallem conciſionis*, ſupple, *ite*: in planitiem ad Gaugamela.

Iuxtà eſt dies Domini] Vltio Divina.

15. *Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*] Fumante Perſepoli. Vide quæ ſuprà II. 10. 31.

16. *Et Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam, & movebuntur cæli & terra, & Dominus ſpes populi ſui, & fortitudo filiorum Iſraël*] Hæc referenda cenſeo ad victorias Iudæorum de Antiochi Ducibus. Hoc ingens Dei beneficium prædicitur & Eſaiæ LXIII. 6. *Indignationem* Dei id vocat Ezechiel XXXVIII. 18. & *commotionem magnam ſuper terram*, 19. qui & *ignem & ſulphur* ſuper Antiochi milites *pluiſſe* dicit. *Commotum cælum*, id Angeli Daniel. XII. Eſaiæ LXIII. 9.

17. *Et ſcietis quia ego Dominus Deus veſter*] Experimento hoc ſentietis.

Et erit Ieruſalem ſancta, & alieni non tranſibunt per eam ampliùs] Hoſtili exercitu. Simile loquendi genus Eſaiæ LXII. 1.

18. *Stillabunt montes dulcedinem*]

——— *Sudabunt roſcida mella.*

Et colles fluent lacte] Præ pecoris abundantia & ſucculentia.

Et per omnes rivos Iuda ibunt aquæ] Populus ab hoſte liber, & in magno otio foſſas oblimatas deterget, & novos faciet aquæ ductus; altæ pacis opera. Vide Ezechiel. XLVII.

Et fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem ſpinarum] *Irrigabit vallem Sittim.* Sic Chaldæus: & addit Hieronymus ſic appellari locum non longè à mari Mortuo. Vnde apparet deſcribi hîc aquæductum eundem quem Ezechiel è Templo deducit ad mare Mortuum, & ultrà, XLVII. ab initio ad 12.

19. *Ægyptus in deſolationem erit*] Diripiente eam Antiocho, Daniel. XI. 40. 42. 43.

Et Idumæa in deſertum perditionis] Vaſtantibus eam Maccabæis: Ioſephus XII. 11. 12. Confer Eſaiæ LXIII.

Pro eo quod iniquè egerint in filios Iuda, & effuderint ſanguinem innocentem in terra ſua] Nam Iudæa modò à Syriæ Aſiæque modò ab Ægypti Regibus fuit vexata: quod ſignificant decem Cornua apud Danielem. Idumæi autem plerumque Iudæorum oppreſſoribus ſe aggregabant.

20. *Et Iudæa in æternum habitabitur*] Per longum tempus in pace erit.

Et Ieruſalem in generationem & generationem] Per aliquot hominum ætates.

21. *Et mundabo ſanguinem eorum, quem non mundaverunt*] ונקה hoc loco eſt *ulciſci*. Græci ἐκζητήσω [*requiram*]· nec aliter Chaldæus & Syrus. Vertitur & ἐκδικεῖν [*ulciſci*] Zachar. v. 3. Senſus eſt, quem pulchrè expreſſit Chaldæus: *Si quis adhuc erit Iudæorum ſanguis effuſus quem ultus nondum fuero, etiam hunc ulciſcar:* Vt in Ammonitas & Moabitas. Vide Ioſephum dicto loco.

Et Dominus commorabitur in Sion] Cultus Dei manebit Hieroſolymis.

AD AMOSVM.

CAPVT I.

1. VErba Amos] Inſcriptio hæc & aliarum Prophetiarum facta eſt non à Prophetis, ſed à Senatu magno, qui Prophetarum ſcripta colligebat, & prænotabat tempora. Oſtendit hoc mentio *terræmotûs*. Nomen eſt עמוס planè diverſum ab אמוץ, quod nomen patri Eſaiæ, quanquam Latinè pari modo ſcribatur.

In paſtoribus] Vide infrà VII. 14. Tale illud Heſiodi de ſe,

Ἄρνας ποιμαίνονθ' Ἑλικῶνος ὑπὸ ζαθέοιο.

[*Quà ſe Helicon ſubicit, paſcentem molliter agnos.*] Pro נקדים [*paſtoribus*] Lxx legerunt נקרים, & verterunt ἐν Νακκαρεὶμ [*in Naccarim*], pro quo ἐν Ἀκκαρεὶμ in quibuſdam libris ſcriptum eſt.

De Thecue] Qui tractus ſex millibus à Bethleemo abſitus, continuus eſt cum maximo deſerto quod Arabiam tranſit, ut notat hîc Hieronymus.

In diebus Oſiæ Regis Iuda] Qui Azarias ſcribitur in Regum libris.

Et in diebus Ieroboam, filii Ioas Regis Iſraël] Illius Ieroboami, cujus tempore & Oſees vaticinatus fuit; & cujus hiſtoria II Regum XIV. 23.

Ante duos annos terræmotûs] Eum terræmotum & Hebræi ſcriptores, & ter Hieronymus, id eſt, hoc loco, ad VI. Eſaiæ, & ad IV. Zachariæ, ait eveniſſe eo ipſo tempore quo Rex Oſias, ob attentata munera Sacerdotalia, leprâ percuſſus eſt. Accedit Ioſephi auctoritas Antiq. IX. 11. Μεταξὺ δὲ σεισμὸς ἐκλόνησε τὴν γῆν μέγας· καὶ διαστάντος τοῦ ναοῦ, φέγγος ἡλίου λαμπρὸν ἐξέλαμψε, καὶ τῇ τοῦ βασιλέως ὄψει προσέπεσεν, ὡς τῷ μὲν εὐθέως λέπραν ἐπιδραμεῖν· πρὸ δὲ τῆς πόλεως, πρὸς τῇ καλουμένῃ Ἐρωγῇ τοῦ ὄρους ἀποῤῥαγῆναι τὸ ἥμισυ τὸ κατὰ τὴν δυσμὴν, καὶ κυλισθὲν τέσσαρας σταδίους ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν ὄρος στῆναι, ὡς τάς τε παρόδους ἐμφραγῆναι, καὶ τοὺς παραδείσους βασιλικούς [*Interea ingens motus terram concuſſit, & ſciſſo Templo ſplendida lux Solis emicuit, & in Regis faciem incidit, ità ut ſtatim eum invaderet lepra. Ante urbem verò ad eum locum qui Rima montis dicitur fracta eſt pars dimidia, quæ ad Occidentem erat, & voluta per ſtadia quatuor ad Orientalem montis partem conſtitit, ità ut & viæ obſtruerentur & horti Regis*].

2. *Dominus de Sion rugiet, & de Ieruſalem dabit vocem ſuam*] Locutio eadem quæ Ioël. III. 16. Sic & Ieremiæ XXV. 30. Ira Dei his verbis ſignificatur.

Et luxerunt ſpecioſa paſtorum] Paſcua. Ioël. II. 22.

Et exſiccatus eſt vertex Carmeli] כרמל [*Carmel*] generaliter dicuntur *loci conſiti*. Speciatim duo loca ſic dicuntur; alter ad mare, ubi vixit Elias; alter in quo habitabat Nabal: & hunc hîc intelligendum putat Hieronymus, quia propior erat deſerto, & paſtoribus ob id notior. Sæpe ſiccitas cauſam dat cur moveatur terra, ut notatum Ariſtoteli. eadem agris cauſa ſterilitatis. Plinius ait *nunquam urbem Romam tremuiſſe, ut non futuri eventûs alicujus id prænuntium eſſet*.

3. *Super tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*] *Non revocabo hoc*, nempe quod decrevi. Chaldæus ſenſum expreſſit, *non parcam eis*. Quia toties iniquè agunt, minas meas exſequar.

Eò quòd trituraverint in plauſtris ferreis Galaad] Hazaële Rege, qui terram Galaad invaſit, II Regum X. 33. tam crudelis victor ut & infantes diſſecaret, II Regum VIII. 12. Pro *plauſtris ferreis* dixit Theodotion *rotis ferreis*. Lxx, ἐν πρίοσι σιδηροῖς [*ferreis ſerris*]. Explicat autem hoc Hieronymus, dicens *plauſtri fuiſſe genus quod rotis ſubter ferreis atque dentatis volvebatur, ut excuſſis frumentis ſtipulam in areis contereret, & in cibos jumentorum propter fæni ſterilitatem paleas comminueret.* Varro de R. R. *E ſpicis in aream excuti grana; quod fit apud alios jumentis junctis ac tribulo: id fit è tabula lapidibus aut ferro exaſperatâ, quæ impoſito aurigâ, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat è ſpica grana: aut fit ex aſſibus dentatis cum orbiculis, quod vocant* ploſtellum Phœnicum.

4. *Et mittam ignem in domum Azaël*] In palatia ſtructa ab Azaële. Simile Ierem. XLIX. 27.

Et devorabit domos Benadad] Ejus qui ſucceſſit Hazaëli patri ſuo, II Regum XIII. 3. Græci pro ד legerunt ר in hoc nomine, ut & nos alibi notavimus, & hîc Hieronymus.

5. *Et conteram vectem Damaſci*] Id eſt, portas quæ vectibus claudi ſolebant.

Et diſperdam habitatorem de campo Idoli] בקעת און [*Planities vanitatis*] vocabatur is locus Hebræis; Syris verò בקעת שמש [*Planities Solis*], quæ Ἡλιούπολις Græcis. Vide Ptolemæum in Syria.

Et tenentem ſceptrum de domo voluptatis] *De domo Heden*, qui Παράδεισος [*Paradiſus*] eidem Ptolemæo.

Et transferetur populus Syriæ Cyrenen] קיר eſſe non Cyrenen, ſed partem Albaniæ adſitam Cyrrho amni, diximus ad II Regum XVI. ex quo loco diſcimus quæ hîc de Damaſco vaſtata,& de Syrorum Damaſcenorum deportatione dicuntur, impleta per Teglathphalaſarum.

6. *Super tribus ſceleribus Gazæ*] A Syris Damaſcenis ad Palæſtinos tranſit.

Eò quòd tranſtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa] *Captivitatem pacificam, ut eos traderent Idumæo.* Cùm Sennacheribus Iudæam invaſit, multi ad primum ejus adventum in vicinas regiones ſe recepere, ut apparuit Eſaiæ XVI. 4. Philiſtini hos Iudæos, qui nihil ipſis nocuerant, non ut ſupplices protexerunt, ſed quaſi bello captos vendiderunt Idumæis.

7. *Et mittam ignem in murum Gazæ*] Hæc quæ prædicuntur de urbibus Philiſtinorum, impleta ſunt per Ezechiam II Regum XVIII. 8. Prædicitur idem ab Eſaia XV.

8. *Peribunt reliqui Philiſtinorum*] Per Aſſyrios, Eſaiæ XX.

9. *Eò quòd concluſerint captivitatem perfectam*] Pro captivis habuerunt quibuſcum pacem habebant, ut ſuprà.

Et non ſint recordati fœderis fratrum] Solomonis & Hirami. nam fœderati inter ſe *fratres* vocabantur, I Regum IX. 13.

10. *Et mittam ignem in murum Tyri*] Multæ partes urbis incenſæ ignitis jaculis Chaldæorum; Ieremiæ XXV. 22. Ezech. XXVI. XXVII. XXVIII. ubi dicta vide.

11. *Eò quòd perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum*] Iacobi poſteros, qui frater Eſavi. hinc & poſteri *fratres* dicuntur, Deuteron. XXIII. 7. Factum hoc eo tempore cùm Syri obſederunt Hieroſolyma, II Regum XVI. 5.

Et violaverit miſericordiam ejus] Id eſt, omnem miſericordiam erga Iudæos exſtinxerit.

Et tenuerit ultrà odium ſuum, & indignationem ſuam ſervaverit uſque in finem] Pertinax in odio, ut Eſavus, Geneſ. XXVII. 41.

12. *Mittam ignem in Theman, & devorabit ædes Boſræ*] Per Sennacheribum. Theman & Boſra urbes nobiles Idumææ, Geneſ. XXV. 15. Ieremiæ XXV. 23. Eſaiæ LXIII. 1.

13. *Eò quòd diſſecuerit prægnantes Galaad*] Idem eſt quod dicitur Ierem. XLIX. ubi dicta vide.

14. *In muro Rabba*] Quæ *Rabbathamman* Polybio. Vide Ierem. XLIX. 2. Ezech. XXV. 5.

15. *Et ibit Melchom in captivitatem*] Idolum ipſorum *Moloch* dictum. Id hîc & Ierem. XLIX. 1. dicitur *Meloch ipſorum*, ut infrà *Moloch veſter*, v. 26. Captis urbibus, capientur & dii, Ieremiæ XLIX. 3.

Et principes ejus ſimul] *Sacerdotes*. Ità LXX.

CAPVT II.

1. SVper *tribus ſceleribus Moab*] Apparet hæc cohærere cum ſuperioribus.

Eò quòd incenderit oſſa Regis Idumææ uſque ad cinerem] Cur quod hîc tangitur non idem cenſendum ſit cum eo quod habuimus II Regum III. 27. diximus illo loco. שיד, quod & סיד, Eſaiæ XXXIII. 12. eſt *calx* potiùs quàm *cinis*. Et ſi Chaldæo Interpreti credimus, Moabitæ oſſibus Regis Idumæi uſi ſunt pro calce ad oblinendos parietes. Credibile eſt Moabitas ſubactos à Chaldæis, & Chaldæis militantes hoc modo odium ſuum voluiſſe oſtendere in eos qui adhuc Chaldæis reſiſtebant.

2. *Et devorabit ædes Carioth*] Vrbes Moabitarum, Ieremiæ XLVIII. 24.

3. *Et diſperdam Iudicem de medio ejus*] Suffetem, & quaſi Interregem.

4. *Super tribus ſceleribus Iuda*] Id eſt, Duarum tribuum.

5. *Mittam ignem in Iuda*] Nabuchodonoſori.

6. *Super tribus ſceleribus Iſraël*] Decem tribuum.

Quòd vendiderit pro argento juſtum] Id eſt, pretio corruptus contra eum judicaverit.

Et pauperem pro calceamentis] Id eſt, pro minimo etiam pretio. Sic & infrà VIII. 6.

7. *Qui conterunt ſuper pulverem terræ capita pauperum*] Pauperes affligunt ſolo.

Et viam humilium declinant] Id eſt, res eorum pervertunt, Iob. XXIV. 3.

Et filius ac pater ejus ierunt ad puellam] Quale flagitium *nec inter Gentes* (moratiores ſcilicet) *auditur*, I Corinthior. V.

Vt violarent nomen ſanctum meum] Oſtendit quid indè ſit conſecutum. Dicebant gentes profanæ, *En populum Dei*; II Petri II. 2.

8. *Et ſuper veſtimentis pignoratis accubuerunt juxta omne altare*] *In lectis*, Chaldæus. Ab iis qui non unà cum ipſis idola colebant ſumebant pignora, eiſque ornati utebantur in Templis. Ita hîc Hieronymus.

Et vinum damnatorum bibebant in domo Dei ſui] Vinum comparatum ex bonis damnatorum, ob id quòd idola cum ipſis non colerent. LXX : οἶνον ἐκ συκοφαντιῶν [*vinum ex calumnia*]. Chaldæus, *vinum rapinæ*.

9. *Ego autem exterminavi Amorrhæum à facie eorum*] Poſt exitum ex Ægypto, ut ſequitur. Commemorat ſua beneficia Deus, quò gravior appareat culpa tam ingratorum.

Cujus altitudo, cedrorum altitudo ejus] Abundat *ejus* more Hebræo. Et caſum tantùm explicat אשר [*cujus*], ἀκλίτȣ [*vocis indeclinabilis*]. Amorrhæi homines erant eximiæ magnitudinis.

Et fortis ipſe quaſi quercus] Erant iidem validiores cæteris circùm populis.

Et contrivi fructum ejus deſuper, & radices ejus ſubter] Allegoria ab arbore ſumta quæ funditus ejicitur.

11. *Et ſuſcitavi de filiis veſtris in Prophetas*] Vt LXX illos Moſis tempore, ut Ioſuam, Samuelem, deinde tot alios.

Et de juvenibus veſtris Nazaræos] Quod magnum decus erat populo, Thren. IV. 7.

Numquid non ità eſt, filii Iſraël?] Tale illud,

Numquid & hoc, fallax Creta, negare potes?

12. *Et propinabitis Nazaræis vinum*] *At vos datis Nazaræis vinum potandum*, contra votum & legem Numerorum VI. 2. 3.

Et Prophetis mandabitis] *Præcipitis*. Exemplum vide infrà VII. 13.

p. 2. 314.

13. *Ego ſtridebo ſuper vos*] *Preſſurus ſum locum veſtrum.* Ità Chaldæus; hoſtibus ſcilicet undique advenientibus.

Sicut ſtridet plauſtrum onuſtum fœno] Sicut premitur. Paſtor ſibi convenientia loquitur, & ſimilitudines ſumit à rebus ruſticis.

14. *Et peribit fuga à veloce*] Multi in ipſa fuga deprehendentur.

Fortis non obtinebit virtutem ſuam] Cadet animo.

16. *Nudus fugiet*] Siquibus dabitur evadere, evadent rebus omnibus derelictis.

CAPVT III.

1. S*Vper omnem cognationem quam eduxi de terra Ægypti*]Communiter jam alloquitur & Duas & Decem tribus.

2. *Tantummodo vos cognovi*]Pro meis agnoveram, Exod. XIX. 5. Deuteron. IV. 20.

Idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras] Graviorém pœnam meretur qui ad cætera facinora ingratum addit animum.

3. *Numquid ambulabunt duo pariter, niſi convenerit eis?*]Non poſſunt eſſe σύν τε δύ' ἐρχομένω — [*bini inter ſeſe comites* —] niſi concordes ſint. Veſtri mores cum meis non congruunt: Ideo non poteſt durare noſtra ſocietas.

4. *Numquid rugiet leo in ſaltu niſi habuerit prædam?*] *Vt non obveniat ei præda?* ſic minæ meæ non fruſtrà erunt.

Catulus leonis] *Leo juvenis.*

Niſi aliquid apprehenderit] *Vt non aliquid apprehendat.*

5. *Numquid cadet avis in laqueum terræ abſque aucupe?*] *Laqueus* Aſſyrii & Chaldæi; *auceps*, Deus.

Numquid auferetur laqueus de terra antequam quid ceperit?] Sic nec hoſtes abſcedent niſi rebus confectis.

6. *Si clanget tuba in civitate, & populus non expaveſcet?*] *An clanget tuba?* nempe de ſpecula in hoc conſtituta. at ego clamo, & tamdiu nemo eſt qui commoveatur. Hæc non ſic abibunt.

Si erit malum in civitate quod Dominus non fecerit] *An erit?* quaſi dicat, minimè. οὐκ ἀθεεὶ ταῦθ' ὑμῖν ἐπιγίνεται [*non ſine Deo hæc vobis eveniunt*].

7. *Quia non facit Dominus Deus verbum, niſi revelaverit ſecretum ſuum ad ſervos ſuos Prophetas*] *Atqui non facit*, &c. id eſt, Cauſari non poteſtis vos non præmonitos.

8. *Dominus Deus locutus eſt*] Vbi Deus loquitur, id eſt, imperat.

Quis non prophetabit?] Quis audeat detrectare imperium? I Corinth. 9. 16. Nam ſi leonis ira timenda eſt, quantò magìs Dei?

9. *Auditum facite in ædibus Azoti*] Vos Prophetæ convocate Philiſtinos, quorum manibus toties hunc populum eripui.

Et in ædibus terræ Ægypti] Convocate & Ægyptios, à quorum terra eos in libertatem vindicatos abduxi.

Et videte inſanias multas in medio ejus]Videte quomodo quod mihi debent adſcribant idolis.

Et calumniam patientes in penetralibus ejus] Prophetas ipſos vi oppreſſos intra ipſam Samariam. hoc enim eſt בקרבה [*in medio ejus*].

10. *Et neſcierunt facere rectum*] *Non curarunt.* Sic enim ירע [*ſcire*] ſæpe ſumitur.

Theſaurizantes iniquitatem & rapinas] Μετωνυμία [*Transnominatio*], id eſt, opes per vim & injuriam partas.

11. *Tribulabitur & circuietur terra, & detrahetur ex te fortitudo tua*] Vertas commodè, *Hoſtis circum terram tuam veniet, & dejiciet abs te robur tuum.* Aſſyrius terram Iſraëlis, Chaldæus Iudæam.

12. *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ*] Sicut fieri non poteſt, ut quis audeat *Eſuriente leone ex ore exſculpere prædam.*

Sic eruentur filii Iſraël qui habitant in Samaria] Nihilo magìs fiet ut Iſraëlitæ hoſtiles manus evadant.

In plaga lectuli, & in Damaſci grabato] Variant hîc Interpretes, & extremam vocem LXX referunt ad ſequens comma, à quibus retentum putat Hieronymus Hebræum, ſcriptúmque Ἀρὲς, ſed à librariis mutatum in ἱερεῖς[*Sacerdotes*]· at Chaldæum apparet legiſſe non ערש [*grabatus*], ſed ערץ[*roborat*], ſenſu bono: *qui* (populus ſcilicet) *in extremitate virgæ* (id eſt, in latitudine finium ſuorum), *& in Damaſco ſe roborat*, id eſt, robuſtum putat. Iſraëlitæ freti erant & magnitudine Imperii ſui, & victoriâ Damaſcenorum ſibi fœderatorum. Vide II Regum XVI. 5. Hæc nihil profutura oſtendit Deus.

14. *In die cùm viſitare cœpero, prævaricationes Iſraël ſuper eum viſitabo*] *Quo tempore punire cœpero peccata Iſraëlis adversùs ipſum.* Hîc ponenda diſtinctiuncula.

Viſitabo & ſuper altaria Bethel] Nè Templis quidem parcam.

15. *Domum hyemalem cum domo æſtiva*] Reges & potentes alii ad diverſos cœli poſitus habebant domos, alias in quibus æſtatem, alias in quibus hiemem exigerent.

CAPVT IV.

1. V*Accæ pingues*] *Vaccæ Baſan*, id eſt, quaſi ex Baſanitide, ubi pinguiſſimæ boves: Quibus comparat matronas opulentas. Oſtendunt id participia ſequentia, & illud אשה [*unaquæque*] 3. unde ſequitur bis in ſequentibus כם [*vos viros*] ſcriptum pro כן [*vos f.*]: illud autem אחריתכן [*poſteritatem veſtram*] ſecundùm receptam locutionem ſcriptum. Sic & juvencis Baſanis comparantur homines opulenti Pſalmo XXII. 13.

Quæ dicitis dominis veſtris] Id eſt, maritis: Geneſeos XVIII. 12. ſic Atticis maritus ὁ κύριος [*dominus*].

2. *Levabunt vos in contis*] *Auferent vos* quaſi *venabulis*, ſicut vulneratæ feræ auferri ſolent.

Et reliquias veſtras] Reliquos veſtrorum.

In ollis ferventibus] *Quaſi hamis piſcatorum.* סירות *ſpinæ*, & quicquid ſpinis ſimile, ut hami piſcatorum. Similis locutio II Regum XIX. 28.

3. *Et per aperturas*] Non per portas, ſed per ruinas mœnium.

Exibitis altera contra alteram] *Altera longè ab altera* : ſeorſum ſingulæ.

Et projiciemini in Armon] *In Armeniam*. Sic ſumunt Hebræi. Vetus nomen eſt ארום, poſterius nomen הרמון, id eſt, *mons Minyadis*, unde & Græcum Ἀρμενία [*Armenia*]. alibi in Chaldaïcis libris per ה ſcribitur, ut Ierem. LI. 27. Michææ VII. 12.

4. *Venite ad Bethel, & impiè agite ad Galgalam*] Sic diſtinguendum eſt : Ità agite quando ità vobis libet ; veniet tempus cùm magnò iſta luetis. *Bethel* & *Galgala* loca ſacris idololatricis celebria, Oſeæ IV. 15. XII. 11.

Afferte manè victimas veſtras] Nam morem Templi Hieroſolymitani in illo cultu illicito tamen imitabantur, Exodi XXIX. 38. Numerorum XXVIII. 4.

Tribus diebus decimas veſtras] ימים [*dies*] pluraliter nonnunquam ponitur ἐλλειπτικῶς [*Locutione defectivâ*] pro שנת ימים *anno dierum*, id eſt, pleno. Vide Levitici XXV. 29. Ità hîc rectè interpretaberis *tertio anno dierum*. Lex eſt Deuteron. XIV. 28.

5. *Et ſacrificate de fermentato laudem*] תודה [*Sacrificium euchariſticum*, ſeu *gratiarum actionis*], cujus legem habes Levitici VII. 12. 13. ubi diſces in hoc ſacro fermentum non reſpui. Lxx malè legerunt תורה [*legem*]. Chaldæus autem חמץ interpretatur *rapinam*.

Et vocate voluntarias oblationes, & annuntiate] *Vocate cœtum, & ibi* tubarum ſonitu *notas facite voluntarias oblationes veſtras : cum cantico*, ait Chaldæus, idem ſignificans quod dicitur Matth. VI. 2. De נדבה, id eſt, *voluntariâ oblatione*, vide Exodi XXXV. Levit. XXXII. 18. 21.

Sic enim voluiſtis] *Sic enim vobis libet*.

6. *Vnde & ego dedi vobis*] *Ego*, cujus nempe vos obliviſcimini.

Stuporem dentium] In Hebræo, *Munditiem dentium*. Symmachus & Aquila καθαρισμόν [*purificationem*]. Eſt χαριεντισμός [*Emollita locutio*], carnium penuriam ſignificans. indicatur fames illa cujus mentio II Regum VIII. 1.

7. *Prohibui à vobis imbrem*] Ἀνομβρίαν [*ſiccitatem*] immiſi narratam I Regum XVIII.

Cùm adhuc tres menſes ſupereſſent ad meſſem] *Tunc quoque cùm tres menſes ſupereſſent ad meſſem* : id eſt, etiam anni tempeſtate à qua abeſſe pluviæ non ſolent, circa finem Aprilis.

Et plui ſuper unam civitatem, & ſuper alteram civitatem non plui] Eò mirabilior fuit iſta ἀνομβρία [*ſiccitas cœli*] vobis immiſſa, quòd in urbibus, quæ proximæ erant veſtris, pluvia non deerat.

Pars una compluta eſt] Terræ.

Et pars ſuper quam non pluit aruit] Pars terræ Iſraëliticæ vicina aliis regionibus ariditate fuit corrupta.

8. *Et venerunt duæ & tres civitates*] Homines ex urbibus Iſraëliticis.

Ad unam civitatem] Ammonitidis putà, aut Moabitidis.

Et non ſunt ſatiatæ] Satiari nequivere ob longam ſitim. Lucanus,

> ——— *nec fervida peſtis*
> *Cedit adhuc : ſed morbus egens jam gurgite plenis*
> *Viſceribus ſibi poſcit aquas*.

9. *Percuſſi vos in vento urente*] שדף, ἀνεμοφθορ [*venti peſtilentiam*] vertunt hoc loco Aquila, Symmachus, Theodotio. Sic & Lxx Deuter. XXVIII. 22. II Paralipomen. VI. 28. ſignificat aërem corruptum.

Et in aurugine] Quæ ἴκτερος Græcis hîc, & II Paralip. VI. 28. Ierem. XXX. 6. at Deuter. XXVIII. 12. ὠχρία [*pallor*].

Comêdit eruca] Vermis genus omnia depaſcens : unde ſimilitudinem ſumſit Ioël.

10. *Miſi in vos mortem*] Peſtilentiam, quæ *mors* κατ' ἐξοχὴν [*eximiè*] dicitur. Vide quæ ad Matthæi XXIV. 7.

In via Ægypti] *Ad modum Ægypti* : id eſt, ad modum ejus peſtis quam Ægypto olim immiſi, Exodi IX.

Percuſſi in gladio juvenes veſtros uſque ad captivitatem equorum veſtrorum : & aſcendere feci putredinem caſtrorum veſtrorum in nares veſtras] Vide II Regum, V. 2. XIII. 3.

11. *Subverti vos ſicut ſubvertit Deus Sodomam & Gomorrham*] In Hebræo, *Subverti in vobis* : id eſt partes aliquas regionis veſtræ. Vide dicto jam loco II Regum, addito XIV. 26.

Et facti eſtis quaſi torris raptus ab incendio] Cæteri ægrè ſervati à manu Syrorum. Proverbialis locutio, Zachar. III. 2. Sic & Græci dicunt σώζεσθαι ἐκ φλογὸς [*ſervari ex flamma*], aut ἐκ πυρός [*ex igne*].

12. *Quapropter hæc faciam tibi Iſraël*] Hæc quæ dixi ſuprà II. 6. 13. 14. 15. 16. III. 11. 12. 15. hîc 3. 4.

Poſtquam autem hæc fecero tibi, præparare in occurſum Dei tui Iſraël] Vel tunc ſaltem in captivitate Deum placa.

13. *Quia ecce formans montes*] Is quicum tibi negotium eſt, rerum eſt Opifex, tum earum quæ conſpiciuntur, tum earum quæ conſpectum effugiunt.

Et annuncians homini eloquium ſuum] In Hebræo, *conſilium ſuum*, nempe per Prophetas, ſuprà III. 7. Lxx pro מה שחו [*quid meditamen*] legerunt משיחו, τὸν χριστὸν αὐτοῦ [*unctum ejus*].

Faciens matutinam nebulam] *Faciens auroram & tenebras*, id eſt, *res proſperas dans piis, adverſas improbis*, ut hîc habet Chaldæus.

Et gradiens ſuper excelſa terræ] Id eſt, conterens ſuperbos.

CAPVT V.

1. *QVod ego levo ſuper vos planctum domûs Iſraël*] Ex Hebræo bene vertas, *Quod ego attollo ſuper vos lugubre domui Iſraël*.

2. *Cecidit, & non adjiciet ut reſurgat*] Id eſt, *non iterum ſurget* : nempe ſi ità pergit.

3. *Relinquentur in ea decem*] Vivi.

4. *Quia hæc dicit Dominus domui Iſraël, Quærite me & vivetis*] *Attamen hæc dicit*, quaſi decretis nondum obſignatis, ut loquuntur Hebræi.

5. *Et nolite quærere Bethel, & in Galgalam nolite intrare*] Vide ſuprà IV. 4.

Et in Barſabee non tranſibitis] Nè tranſite, nempe in fines Iudæ, ubi erat Barſabee, ut notat hîc

Hieronymus, & probatur ex I Regum XIX. 3. Hunc autem locum cultui ſuo ſuperſtitioſi delegerunt, quòd ibi Deus Iſaaco apparuerat Geneſ. XXVI. 24.

Galgala, captiva ducetur] In Hebræo eſt elegans παρονομασία [*Nominum alluſio*], הגלגל גלה יגלה: nam in verbis illis *gal* bis repetitur, ut in nomine *Galgal.*

Et Bethel erit inutilis] *In vanum.* Eſt & hîc alluſio ad nomen quod Iudæi dederunt Betheli. id autem eſt בית און [*Domus vanitatis*].

6. *Domus Ioſeph*] Regnum Ephraïmi.

7. *Qui convertitis in abſynthium judicium*] Iudicia recta, res ſuavis populo; corrupta, mera amarities.

Et juſtitiam in terra relinquitis] Proculcatam non ſublevatis.

8. *Facientem Arcturum*] *Plejadas* potiùs. Vide ad Iobi XXXVIII. 31.

Et Orionem] Vide quæ ad eundem Iobi locum dicta.

Qui vocat aquas maris] Nempe extra conſuetos terminos, ut terras inundet, ſicut ſequitur.

9. *Qui ſubridet vaſtitatem ſuper robuſtum, & depopulationem ſuper potentem affert*] Qui roborat vaſtatorem ſupra fortem, ità ut vaſtator etiam loca munitiſſima superveniat.

10. *Odio habuerunt corripientem in porta*] *Oderunt qui in porta ſunt* (id eſt, Iudices) *recta monentem.*

11. *Eò quòd diripiebatis pauperem*] Conculcaſtis.

Et prædam electam tollebatis ab eo] *Onus frumenti abſtuliſtis ab eo.*

Domos quadro lapide ædificabitis] Οἴκους ξεστοὺς ᾠκοδομήσατε [*domos ſtruxiſtis dedolatas*]. *Domos ſtruitis lapidibus bene dolatis.* Ità hîc Chaldæus.

Et non habitabitis in eis] Ex comminatione quæ eſt Deuteronom. XXVIII. 30. ubi & de vineis loquitur.

Amantiſſimas] Amatiſſimas.

12. *Et fortia peccata veſtra*] Grandia.

Hoſtes juſti] *Inimici hominis innocentis.*

Pauperes deprimentes in porta] *Et egenos in porta faciunt cadere cauſâ.*

13. *Prudens in tempore illo*] Hoc tempore.

Tacebit] Tacet nè aliis nihil proſit, ſibi verò malum adferat.

14. *Quærite bonum*] Date operam probitati.

Et erit Dominus Deus exercituum vobiſcum] Vobis favebit.

Sicut dixiſtis] Deum vobis adfore.

15. *Conſtituite in porta judicium*] *Rectum facite,* Chaldæus.

16. *Et in cunctis quæ foris ſunt*] In Hebræo: *In omnibus compitis.* Sic & Chaldæus. LXX, ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς [*in viis omnibus*]. Vide Matth. XXII. 9.

Eos qui ſciunt plangere] Eos qui lamenta choro præire ſolent. Vide Matthæi XI. 17.

17. *In omnibus vineis erit planctus*] Vbi læta cantica ſonare ſolebant.

Quia pertranſibo in medio tui] Ad ultionem, ut Exodi XI. 4. XII. 12.

18. *Væ deſiderantibus diem Domini*] Iis qui dicunt, Vtinam Deus veniat; nec conſiderant quid mali fecerint. Vide Eſaiæ V. 19.

Dies Domini iſta tenebræ, & non lux] Everſio regni, urbium excidium, populi cædes aut avectio.

19. *Quomodo ſi fugiat vir à facie leonis, & occurrat ei urſus*]

Incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin.

De fumo in flammam, ut dicitur.

Et ingrediatur domum] Metu ferarum.

21. *Odi & projeci feſtivitates veſtras*] *Feſtos dies.*

Et non capiam odorem cœtuum veſtrorum] Non erit gratus mihi, Levitici XXVI. 31.

22. *Quòd ſi obtuleritis mihi holocautomata*] Ex lege Levitici I.

Et munera veſtra] מנחות [*placentas è ſimila*], de quibus Levitici II.

Et vota pinguium veſtrorum] *Pacifica ſacra ex pingui pecore:* quæ Græcis θυσίαι σωτήριοι [*ſacra ob ſalutem*], Levitici III. 1.

23. *Tumultum carminum tuorum*] Hymnos.

Et cantica lyræ tuæ] *Nabliorum* in Hebræo.

24. *Et revelabitur quaſi aqua judicium, & juſtitia quaſi torrens fortis*] *Sed jus* (apud te) *ut aqua profluat, & benignitas ut torrens rapidus.* Senſus eſt, Omnes ritus mihi diſplicent donec vitam emendaveris.

25. *Numquid hoſtias & ſacrificium obtuliſtis mihi in deſerto quadraginta annis, domus Iſraël*] *Nónne?* LXX μή. *Quadraginta annis*, id eſt, intra illud ſpatium annorum XL. Nónne etiam eo tempore *victimas* & μαναὰ [*placentas ex ſimila*] *obtuliſtis?* & tamen illi ex Ægypto educti in itinere perierunt, propter malos mores.

26. *Et portaſtis tabernaculum Moloch veſtro*] *Nunc verò etiam tabernaculum*, id eſt, ναΐσκον [*formulam templi*] *Molochi* dei *veſtri*, ſive Saturni, *portaſtis, bini,* ut hîc addit Chaldæus. Tantò pejores eſtis quàm illi; illi murmurarunt adversùm me: vos alios deos introduxiſtis. *Portaſtis* in Græco eſt ἀνελάβετε [*ſuſcepiſtis*]. Euſtathius ad Iliad. I. ait fuiſſe ναοὺς ζυγοφορουμένους [*templa vehiculo portata*], quomodo & Philo Byblius loquitur. Servius ad VI. Æneidos: ξόανα *ſimulacra brevia quæ portabantur in lecticis, & ab ipſis mota infundebant vaticinationem, quod fiebat apud Ægyptios & Carthaginenſes.* Iſraëlitæ ergò in hoc aut Tyrios imitati, Carthaginenſium genitores, aut Ægyptios. סכות, σκηνὴν [*tabernaculum*] vertunt hîc LXX; nec aliter Chaldæus.

Et imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri quæ feciſtis vobis] In Hebræo: *Et Kiun imaginem veſtram ſtellæ, deos veſtros quos feciſtis vobis.* Vbi *deos veſtros* communiter refertur ad *Molochum* & ad *Kiun.* LXX: Καὶ τὸ τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥαμφᾶ (alii libri habent. Ῥαιφάν) τοὺς τύπους αὐτῶν, οὓς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς [*Et illud dei veſtri Rampha* (ſeu *Ræphan*), *ſimulacra ipſorum quæ feciſtis ipſis*]. Hoc ſequitur Lucas Actorum VII. 43. καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφάν, τοὺς τύπους οὓς ἐποιήσατε προσκυνεῖν αὐτοῖς [*& ſidus dei veſtri Remphan, ſimulacra quæ feciſtis ut ad ea procumberetis*]. Chaldæus, *Et Kiun imaginem veſtram, ſidus idolum veſtrum, quod feciſtis vobis.* Sicut *Moloch* eſt nomen Ammoniticum, ità כיון [*Kiun*] eſt Arabicum, & Perſicum, quod & כיואן [*Kivan*] ſcribi ait Abeneſdra, & eſſe eis *Saturnum.* Idem dictus Syris רמן [*Remmon*], II Regum V. 18. nimirum quòd *altiſſimo eſſet orbe*, ut Tacitus loquitur. Sicut כיון [*Kiun*] pronuntiabatur & כיואן [*Kivan*], ità רמן [*Remmon*] etiam רמון [*Remvan*]: quod Græci, amiſſo Digammæ uſu, ſcripſere Ῥαμφὰν [*Ramphan*], aut Ῥεμφὰν [*Remphan*], quæ ſcriptura vera eſt. Dicuntur autem *dii* Moloch, & Kiun vel Kivan, quia quanquam ad idem ſidus referebantur, alia tamen habebant nomina habitúmque & cultum, ut Luna & Diana apud Græcos. quin & plures homines ad idem ſidus relati apud alias aliáſque gentes: & Moloch Regis habebat figuram, Kivan ſtellæ.

27. *Et migrare vos faciam trans Damaſcum*] Ideo quia talia feciſtis, longè vos projiciam. μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Δαμασκοῦ [*tranſportabo vos ultra Damaſcum*], Lxx. At Lucas rem magìs ſpectans quàm verba, ἐπέκεινα Βαβυλῶνος [*ultra Babylonem*]· rectè: nam Aſſyria & Armenia, in quam tranſportati ſunt Iſraëlitæ, ultra Damaſcum & Babylonem ſunt. Vide II Regum XV. 29. XVII. 6. I Paralipomen. V. 26. & ibi dicta. Per Damaſcum via erat in Aſſyriam.

CAPVT VI.

1. VÆ *qui opulenti eſtis in Sion*] In Hebræo, *quieti*, id eſt, qui tranquillè vivitis, nihil de peccatorum pœna timentes.

Et confiditis in monte Samariæ] Fiditis urbi bene munitæ.

Optimates capita populorum, ingredientes pompaticè domum Iſraël] Placet mihi ſenſus quem Chaldæus exprimit, *Nomina habentes Principum earum gentium ad quas ventitat* (auxilii obtinendi causâ) *domus Iſraël*. Præcipui in Iuda & Iſraële nomina ſibi imponebant ea quæ habebant viri potentiſſimi in Syris, Aſſyriis, & Ægypto, in quorum clientelam ſe dederant. Sic *Alexandri*, *Antipatri*, *Druſillæ*, facti in domo Herodis.

2. *Tranſite in Chalane*] Nos ex ſono nominis *Calliniſum* eſſe putavimus, diximúſque ea de re libro primo de Veritate Religionis Chriſtianæ. Hieronymus ad hunc locum vult eſſe *Cteſiphonta*. *Tranſite*, nempe ut videatis illorum terras veſtris nihil præſtare, ſi modò res veſtras ità ut oportet ſervare noſſetis.

Ite indè in Emath magnam] Hieronymus, & alii eum ſecuti putant eam eſſe urbem Syriæ quæ *Antiochia* pòſt dicta eſt, diverſam ab altera *Emath* cui nomen poſterius *Epiphania*. Nos quid videretur diximus ad II Regum XVII. 24.

Ad optima quæque regna horum] In Hebræo & Chaldæo: *an meliora* (ſunt illa) *regnis iſtis?* nempe Regnis Iudæ & Iſraëlis, quorum terra fertiliſſima.

Si latior terminus eorum, termino veſtro eſt] An latiùs illi poſſident? non ſanè. Cur ergò ingrati eſtis in eum qui plura vobis quàm vicinis dedit?

3. *Qui ſeparati eſtis in diem malum, & appropinquatis ſolio iniquitatis*] *Illi longè à ſe removebunt diem malum: vos autem facitis ut appropinquet ſolium iniquitatis.* Diutius durabunt iſta minora regna quàm veſtra: ultro enim factis veſtris externos dominos in vos accerſitis.

4. *Qui dormitis in lectis eburneis*] Vide L. *Labeo.* D. de Supell. legata.

Et laſcivitis in ſtratis veſtris] *Latè extendimini.* Sic & Chaldæi & Arabes hanc vocem uſurpant.

Qui comeditis agnum de grege] Id eſt, eximium. Sic hoſtias eximias dictas docebat Veranius eas quæ eximebantur è grege: meminit Macrobius III. Saturnalium 5.

5. *Qui canitis ad vocem pſalterii*] *Qui cantillatis ad ſonum nablii.* פרט propriè eſt Hebræis & Chaldæis quod Græcis μινυρίζειν [*minutim canere*]. Ovidius,

> *Diſce etiam duplici genialia nablia palmâ*
> *Vertere: conveniunt dulcibus illa modis.*

Sicut David putaverunt ſe habere vaſa cantici] *Adinſtar David excogitarunt ſibi inſtrumenta muſica.* Privati hoc faciunt quod olim Regum fuerat.

6. *Bibentes vinum in phialis*] Nempe *argenteis*, quod hîc addit Chaldæus. *Phialæ* ſunt pocula capaciora: quam ipſam vocem Græcam hîc poſuit Chaldæus.

Et optimo unguento delibuti] Putà nardinis: ad luxum, non ad munditiem aut ſanitatem.

Et nihil patiebantur ſuper contritione Ioſeph] *Dolore non moventur ſuper fractura*, id eſt, miſeriis, *Ioſephi*: id eſt poſterûm Ioſephi. Egenos aut ipſi opprimunt, aut oppreſſos non ſublevant. Confer Ezechielis XXXIV. 4.

7. *Migrabunt in capite tranſmigrantium*] Sicut primi fuerunt in populo, ſic primi erunt inter captivos.

Et auferetur factio laſcivientium] *Ceſſabunt convivia latè ſe extendentium.* מרזח *convivium*, non ſemper lugubre, ſed & aliud ſumtuoſum ſignificat. Apparet id in Midraſch Eſther. I. 2. & ſic accipit Rabbi Salomo tum hoc loco, tum illo Ieremiæ XVI. 5. Longè aliter habuerunt libri quibus uſi Lxx, ſed minùs rectè.

8. *Iuravit Dominus Deus in anima ſua*] *Per ſe.* Chaldæus, *in verbo ſuo*; ut ſæpe.

Deteſtor ego ſuperbiam Iacob] Superbiæ plerumque comes inhumanitas.

Et domos ejus odi] Ex rapto ſtructas.

Et tradam civitatem] Samariam, de qua ſuprà I.

9. *Quòd ſi reliqui fuerint decem viri in domo una, & ipſi morientur*] Si poſt vaſtatam terram in aviam villam aliquam confugerint, ibi peſtilentia eos comprehendet, tam ſæva ut nemini parcat. Vaſtitatem ſequi ſolet peſtilentia, λιμὸν λοιμὸς [*famem peſtilitas*]. Vide Ierem. XXIV. 10. XLIV. 13. Ezech. VI. 11. XII. 16. XIV. 21. De villis quod dixi bene convenit cum loco Ezechielis XXXIII. 27.

10. *Et tollet eum propinquus ſuus*] Ad quem cura funeris de moribus ſpectat.

Et comburet eum] Non pollinciet, neque ſepeliet, metu contagii.

Vt efferat oſſa de domo ſua] Vt quamprimum domum repurget, ablato corpore.

Et dicet ei qui in penetralibus domûs eſt] In corte villæ, ubi eſſe ſolent janitores.

Numquid adhuc eſt penes te] *An quis adhuc tecum in domo hac vivit?*

11. *Et reſpondebit, Finis eſt*] Omnes abſumti morbo.

Et dicet ei] Hoc ampliùs.

Tace, & non recorderis nominis Domini] *Tace, quia non eſt tempus ad commemorandum nomen Domini.* Fruſtrà eſſent preces : nam & nobis moriendum eſt.

12. *Quia ecce Dominus mandabit*] Verba Prophetæ. Aſſyriis ità utitur ac herus iis quibus imperat.

Et percutiet] Per Aſſyrios.

Domum majorem ruinis] Regnum Decem tribuum, ità ut nihil ſuperſit. Tempus Salmanaſaris reſpicitur.

Et domum minorem ſciſſionibus] Non exitio ſed gravi damno afficiet regnum Duarum tribuum, nempe per Sennacheribum. Non interibit hic populus; Salva enim erunt Hieroſolyma, & qui eò confugerint : ex his gens reparabitur.

13. *Numquid currere queunt in petris equi*] *An per abrupta curſare poſſunt equi?*

Aut arari poteſt in bubalis] In Hebræo, *bubus*. quare repetendum ex præcedenti *in abruptis*. Sicut in locis talibus inutiles ſunt equi & boves, ità vos Deo planè eſtis inutiles.

Quoniam convertiſtis in amaritudinem judicium, & fructum juſtitiæ in abſynthium] Iuris ſpecie vis peragitur: pro beneficiis maleficia exhibentur. Vide ſuprà v. 7.

14. *Qui lætamini in nihilo*] In viribus veſtris, quæ levi momento everti poſſunt.

Numquid non in fortitudine noſtra aſſumſimus nobis cornua?] Nónne per vires noſtras facti ſumus victores vicinorum? Vide II Regum XIV. 25.

15. *Gentem*] Aſſyrios.

Et conteret vos ab introitu Emath] Is terminus terræ Iſraëliticæ ad Septentrionem, Numerorum XXXIV. 8. II Regum XIV. 25. Hieronymus *ad Orientem* dixit; unde intelligitur medio fuiſſe ſitu inter Septentrionem & Orientem. Hanc Emath Hieronymus fuiſſe dicit prope Epiphaniam urbem ab Antiocho Epiphane conditam & dictam, & ſuo quoque tempore *Emas* vocatam, emollitâ literæ in pronunciatione, quo modo nunc quoque Iudæi eam efferunt.

Vſque ad torrentem deſerti] Id eſt, uſque ad rivum Nili, qui ex deſerto Arabico veniens inter Rhinocoluram & Peluſium mare illabitur. Confer Numer. XXXIV. 5. Ioſuæ XV. & quæ hîc habet Hieronymus.

CAPVT VII.

1. *Hæc oſtendit mihi Dominus*] Etiam hæc quæ ſequuntur. Congruunt autem cum Ioële.

Et ecce fictor locuſtæ] Deus erat *fingens locuſtas*, id eſt, exercitum, quem hîc intellige Phulis.

In principio germinantium ſerotini imbris] Id eſt, vere ipſo. Significat eo tempore ſtatum Iſraëlis revireſcere cœpiſſe.

Poſt tonſionem Regis] Poſtquam detonſi agri fuerant à Benadado, II Regum XIII. 3. Poſt clades tunc acceptas refloreſcere ſtatus Iſraëlis cœperat, regnante Ieroboamo filio Ioaſi; ut videmus II Regum XIV. 25. Pro גזי [*tonſiones*] hoc loco LXX legerunt גוג [*tectum*] in ſuis libris. Aquila Hebræum Γαζὶ [*Gazi*] retinuit; ſed librarii pridem id corruperunt in Γάζης [*Gazæ*].

2. *Cùm conſummaſſent comedere herbam terræ*] Ingredi terram hoſtiliter.

Quis ſuſcitabit Iacob? quia parvulus eſt] Quis niſi tu populum ſervare poteſt, tenuem adeò præ Phulis exercitu? Hæc Propheta loquitur quaſi futuris intereſſet.

3. *Miſertus eſt Dominus ſuper hoc*] Effecit ut Phul pecuniâ placatus diſcederet.

Non erit] Devaſtatio.

4. *Et ecce vocabat judicium ad ignem*] *Vindictam advocavit per ignem*, id eſt, per hoſtem multò inclementiorem quàm Phul fuerat: is fuit Teglathphalaſar. Tales hoſtes igni comparari ſolent.

Et devoravit abyſſum multam] Magnam partem Iſraëlitarum abduxit. *Abyſſus*, magna vis aquarum; *aquæ* populi.

Et comedit ſimul partem] *Agri* nempe. *comedit*, id eſt, vaſtam fecit, corrupit.

6. *Sed & iſtud non erit, dixit Dominus Deus*] Non permittetur ei ut totum Iſraëlem abducat.

7. *Super murum litum*] In Hebræo: *Murum trullæ*, id eſt, calce oblitum. Is eſt populus Iſraël, cujus peccata diu Dominus diſſimulaverat.

Et in manu ejus trulla cæmentarii] Quæ ſæpe muri illius vitia obduxerat.

8. *Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſraël*] Id eſt, *abjiciam*.

Non adjiciam ultrà ſuperinducere eum] *incruſtare*, id eſt, excuſare peccata.

9. *Et demolientur excelſa idoli*] Omnia, ut nihil reſtet: per Salmanaſarem.

Et ſanctificationes Iſraël deſolabuntur] *Sanctuaria*, delubra.

Et conſurgam ſuper domum Ieroboam in gladio] *Domum Ieroboami* appellat Decem tribus, in quibus cùm Propheta hæc diceret regnabat Ieroboam Ioaſi filius.

10. *Sacerdos Bethel*] Succeſſor eorum quos Ieroboamus Nabati filius inſtituerat.

Rebellavit contra te Amos] *Seditionem concitat.*

Non poterit terra ſuſtinere univerſos ſermones ejus] Sine gravi motu. Si ità loqui pergit, civium alii in alios armabuntur.

11. *In gladio morietur Ieroboam*] Non hoc dixerat Propheta; ſed morituram domum Ieroboami, id eſt, multos ex populo cujus ille tunc Rex erat.

Et Iſraël captivus] Qui de cæde erunt ſuperſtites.

12. *Qui vides*] Tu qui te Prophetam dicis.

Fuge in Terram Iuda] Quandoquidem Vituli noſtri tibi diſplicent. Vide ſuprà III. 14.

Et comede ibi panem, & prophetabis ibi] Ibi te ut Prophetam bene paſcent, quippe congruentem cum ipſorum moribus:

> ——— *illâ ſe jactet in aula*
> *Æolus.*

13. *In Bethel non adjicies ultrà ut prophetes*] *Noli ultrà in Bethele Vatem agere.*

Quia ſanctificatio Regis eſt] *Sanctuarium.* Sedes cultûs.

Et domus Regni] Sedes etiam Imperii, quam revereri debueras.

14. *Non ſum Propheta*] *Non* eram *Propheta.* non me talem profitebar.

Et non ſum filius Prophetæ] Non eram diſcipulus alicujus Prophetarum. Quales qui erant, parabant ſe ad accipiendum donum Prophetiæ.

Sed armentarius ego ſum] In Hebræo: *ego*, eram ſcilicet.

Vellicans ſycomoros] Id eſt, pauxillo contentus, nè me dapis cauſâ quicquam facere exiſtimes. *Sycomoros* intelligit agreſte ficuum genus, quod, niſi avellatur, corrumpi à culicibus ſolet. Ità hîc Hieronymus.

15. *Et tulit me Dominus cùm ſequerer gregem*] *Aſſumſit me*, ut mihi daret mandata.

16. *Tu dicis, Non prophetabis ſuper Iſraël*] *Nè vaticinare.*

Et non ſtillabis ſuper domum idoli] *Stillare* Hebræis eſt Prophetam agere, Ezechiel. XXI. 2. Michææ II. 11.

17. *Vxor tua in civitate fornicabitur*] Symmachus meliùs, ut judicat Hieronymus, πορνευθήσεται, id eſt, *conſtuprabitur*, ab hoſtibus ſcilicet.

Humus tua funiculo metietur] Vt ſolent dividi terræ bello quæſitæ, Deuteronom. XXXII. 9.

Et tu in terra polluta morieris] Non in terra Iſraëlis, quam Deus ſibi dicaverat.

Et Iſraël captivus migrabit de terra ſua] Non aliqua pars ejus, ſed totus Iſraël.

CAPVT VIII.

1. ET *ecce uncinus pomorum*] In Hebræo, ut Chaldæus exponit, *caniſtrum æſtivorum fructuum.* Eo ſignificatur populum, qui velut fructus eſt terræ, ab ea terra velut ab arbore auferendum.

2. *Venit finis*] Alluſio in voce: nam קץ *finis*, קיץ *æſtas.*

Non adjiciam ultrà ut pertranſeam eum] Id eſt, impunitum tranſmittam.

3. *Et ſtridebunt cardines templi in die illa*] *Ejulabunt cantica palatii:* id eſt, in ejulatum vertentur læta cantica quæ regiam perſonare ſolebant.

In omni loco projicietur ſilentium] *In omni loco injiciet* (hoſtis) *ſilentium*, nempe inductâ ſolitudine.

5. *Dicentes, Quando tranſibit menſis*] *Veniet menſis.* חדש propriè eſt ἕνη καὶ νέα [*interlunium*], ſed συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] *menſem* ſignificat: ut Geneſ. XXIX. 14. & ſic vertitur plurimis in locis tum Græcè, tum Latinè, nec minùs apud Chaldæum. Menſis hîc intelligitur τῆς συγκομιδῆς [*comportationis*], cùm frumentum in horrea portatur.

Et venumdabimus merces] Fruges noſtras.

Et ſabbatum] Id eſt, *Annus ſabbaticus*, ut hîc ſumit Chaldæus, quo nihil frugis prodibat, arvis quieſcentibus: Ideóque eo exactò, ii qui ſatis pecuniæ non habuerant ut ante eum annum ſibi proſpicerent, cogebantur ab iis qui apothecas habebant carò emere res ad vitam neceſſarias.

Et aperiemus frumentum] Diu compreſſam annonam flagellabimus.

Vt imminuamus menſuram] In Hebræo, *Epha.* menſuram aridorum faciebant minorem quàm eſſe debebat.

Et augeamus ſiclum] Ponderabantur ſicli, Geneſeos XXIII. 16. Eſaiæ LV. 2. Illi autem lancem alteram faciebant graviorem: ità bis lucrabantur, & in merce & in pecunia.

Et ſupponamus ſtateras doloſas] *Et pervertamus ſtateras dolo:* ut ſit ἔλλειψις [*defectus*] literæ ב [*in*].

6. *Vt poſſideamus in argento egenos*] *Vt acquiramus per pecunias egenos;* ideo ut, ubi ſolvere non poterunt, dent ſe nobis in ſervitutem: ut mos erat illarum gentium.

Et pauperes pro calceamentis] Proverbiale; id eſt, vili pretio: ſuprà II. 6.

Et quiſquilias frumenti vendamus] Purgamenta frumenti mixta frumento. In Hebræo מפל: *Mamphale* Feſto panis Syriaci genus, Dageſch mutato in נ, & Græcè in μ.

7. *Iuravit Dominus in ſuperbiam Iacob*] In Hebræo: *per celſitudinem Iacob*, id eſt, per benefacta illa quibus Iacobum ejúſque poſteros in ſublime extulit.

Si oblitus fuero uſque ad finem omnia opera eorum] Nempe nè habear is qui ſum. Diſſimulavi, ſed ad tempus.

8. *Numquid ſuper iſto non commovebitur terra?*] *An propter talia non commoveretur terra?* Id eſt, ſtatus publicus.

Et lugebit omnis habitator ejus] In miſeriis ſit.

Et adſcendet quaſi fluvius univerſus] Id eſt, quamvis latè ſe diffuderit, ut ſuperbus amnis.

Et ejicietur & defluet quaſi rivus Ægypti] Ità deficiet ſicut illæ foſſæ in Ægypto, quæ modò aquas habent, modò eas perdunt.

9. *In die illa*] *In tempore illo.* More loquendi Hebraïco.

Occidet Sol in meridie] Nemini libebit attollere ad cœlum oculos præ calamitate.

Et tenebreſcere faciam terram in die luminis] In plena luce terra erit velut nocte obſita: quia nihil ibi apparebit præter ipſam.

10. *Et convertam feſtivitates veſtras in luctum*] Dies feſtos in dies atros. Vide Oſeæ II. 11.

Et omnia cantica veſtra in planctum] Suprà 3.

Super omne dorſum veſtrum ſaccum] Habitum lugubrem.

Et ſuper omne caput calvitium] Vide Iobi I. 20.

Et ponam eam] Supple *gentem.*

Quaſi luctum unigeniti] Id eſt, *quaſi in luctu.* Solet ſic deſcribi luctus graviſſimus; ut Ieremiæ VI. 26. Zachariæ XII. 10. Sic Catullus,

Orba cùm flet unicum mater.

Et noviſſima ejus quaſi diem amarum] Pars poſtrema ejus temporis erit longè triſtiſſima, cùm non propinqui tantùm à propinquis, ſed & liberi à parentibus, conjuges à conjugibus abſtrahentur. Vide ejus mali deplorationem Batavorum verbis apud Tacitum Hiſtoriarum IV.

11. *Ecce dies veniunt*] Nempe cùm Salmanaſar advenerit.

Non famem panis neque ſitim aquæ] Supple *tantùm;* loquendi genere Hebræo.

Sed audiendi verbum Domini] Prophetiam aliquam, unde conſilium capiant in rebus arctis. Similis ſenſus Ieremiæ II. 9. Sic Maimonides Ducis dubitantium II. 37. optimè.

12. *Et commovebuntur à mari uſque ad mare*] Ab Aſphaltite ad mare Syriacum, ut Ioël. II. 20. Circinum ducit ab Occidente ad Orientem, indè rurſus ad Aquilonem, omiſſo Auſtro, ubi erat Iudæa.

Quærentes verbum Domini] Explica ut ſuprà 11.

13. *Deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti*] Animum deſpondebunt, deſtituti ab omni ſolatio.

14. *Qui jurant in delicto Samariæ*] Per Vitulum qui in Bethel, non longè à Samaria.

Et dicunt, Vivit Deus tuus Dan] Iurant, *Ità ut vivit Deus qui in Dan colitur.* ibi alter erat vitulus.

Et vivit via Berſabee] *Vivat cultus qui eſt in Berſabee.* Ad quèm locum, intra fines Duarum tribuum ſitum, curſitabant multi Iſraëlitæ, ut ſuperſtitionem ibi exercerent, ubi quondam Deus majoribus ipſorum apparuerat; ut diximus ſuprà v. 5. Hebræi Dei cultum, ſive bonum, ſive malum, appellant *viam:* nec aliter ſumſit Chaldæus.

Cadent & non reſurgent ultrà] Nemo eos ab interitu aut captivitate eripiet.

CAPVT IX.

1. *Vidi Dominum ſtantem ſuper altare*] Gloriam Domini (id eſt, lucem aliquam Dei indicem) adſcendentem à Cherubinis, & tenentem ſe ſuper altare holocauſtorum, quaſi multas victimas ſibi expetentem, ſed humanas.

Et dixit] Angelo, ut hîc Hieronymus. Viſum hoc ad Duas tribus pertinet, ut rectè notatum à Chaldæo.

Percute cardinem] Figuram mali Punici quæ in ſummo erat Templo. Significatur per hoc cædes Ioſiæ Regis, ut explicat Chaldæus.

Et commoveantur ſuperliminaria] *Poſtes.* Id ſignificat totius gentis ruinam.

Avaritia enim in capite omnium] Rectiùs בצע pro verbo accipias, ut Græci cepere: *concîdit caput omnium*, hoſtis ſcilicet: explicat quod de Ioſia per ambages dixerat. & ב [*in*] hîc πλεονάζει [*abundat*], ut ſæpe.

Et noviſſimum eorum gladio interficiam] Faciam ut in plebem plurimæ ac maximæ ſtrages edantur, primùm per Aſſyrios, deinde per Chaldæos.

Non erit fuga eis] Id eſt, *effugium*, ut indicant ſequentia.

2. *Si deſcenderint uſque ad infernum*] In abditiſſimos ſpecus. Confer Pſalmo CXXXIX. 8.

Indè manus mea abducet eos] In exitium, aut captivitatem.

3. *In vertice Carmeli*] Qui mari imminet. Diximus alibi.

In profundo maris] Hebræus, *in ſolo maris.* Chaldæus *inſulas maris* intelligit.

Ibi mandabo ſerpenti] Monſtro alicui marino, qualia Hebræi & Chaldæi *ſerpentum* & *draconum* appellant nomine. Per talia autem monſtra Reges crudeles intelliguntur, ut Pſalmo LXXIV. 14.

4. *Et ſi abierint in captivitatem coram inimicis ſuis*] *Vbi ante hoſtes ſuos acti fuerint captivi.*

Ibi mandabo gladio, & occîdet eos] *Vt occidat.* Etiam in Chaldæorum Imperio multi ſenes, infirmi, pueri occidentur, quòd homines nullius operæ paſcere non libebit.

Ponam oculos meos ſuper eos in malum] Torvùm & hoſtilè eos intuebor.

5. *Et Dominus Deus exercituum qui tangit terram*] *Vbi Dominus Deus exercituum tetigerit terram, ipſa tabeſcet:* id eſt, deſolabitur.

Et adſcendet ſicut rivus omnis] Idem eſt quod ſuprà VIII. 8.

6. *Qui ædificat in cælo adſcenſionem ſuam*] *Adſcenſionem* vocat ſolium regale, in quod adſcendi ſolet per gradus, 1 Regum x. 18. 19.

Et faſciculum ſuum ſuper terram fundavit] *Manipulos frugum.*

Qui vocat aquas maris, & effundit eas ſuper faciem terræ] *Qui vocans aquas maris, effundit eas ſuper faciem terræ:* id eſt, pro imperio terras inundat.

7. *Numquid non ut filii Æthiopum, vos mihi eſtis, filii Iſraël*] Id eſt, Non pluris vos facio quàm Æthiopas, homines barbaros & feros.

Numquid non Iſraël adſcendere feci de terra Ægypti, & Palæſtinos de Cappadocia, & Syros de Cyrene?] Fiditis fortè veteribus beneficiis; ſed talia etiam aliis populis præſtiti. Vos *eduxi ex Ægypto*, ſed & *Palæſtinos eduxi è Cappadocia* (vide Deuteronomii II. 23. & Ieremiæ XLVII. 4.), & *Syros è regione ad Cyrrhum*, quò eos retraxit, velut veteres fugitivos, Teglathphalaſar, ſuprà I. 5.

8. *Ecce oculi Domini Dei ſuper regnum peccans, & conteram illud à facie terræ*] *Vt conteram.* Qualecunque tandem ſit regnum, & qualibuſcunque è majoribus.

Verum tamen conterens non conteram domum Iacob] Non delebo internecione, ut delevi populos alios; regnum delebo, non populum.

9. *Ecce enim mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Iſraël*] Mandato meo commovebo huc illuc.

Sicut concutitur triticum in cribro] *Triticum* non eſt in Hebræo. Et quod cribrum dicit, potiùs *ventilabrum* eſt in quo lapides ab inutili pulvere ſegregantur. oſtendunt ſequentia.

Et non cadet lapillus ſuper terram] Sic etiam viri boni, quamquam communis mali participes, ab exitio ſervabuntur.

10. *In gladio morientur omnes peccatores populi mei*] Homines flagitioſi, qui Prophetis credere noluerunt: ut ſequitur.

11. *In die illa*] Id eſt, *poſtea*, quomodo & τότε [*tunc*] ſumi oſtendimus alibi.

Suſcitabo tabernaculum David quod cecidit] Domum Davidis, in Zorobabele.

Et reædificabo aperturas murorum ejus] Græci: τὰ πεπτωκότα, id eſt, *ruinas.* Solet enim hoc nomen per πτῶμα, & per κατάπτωμα Græcè verti.

Et ea quæ corruerant inſtaurabo] Τὰ κατεσκαμμένα, *diruta.*

Et reædificabo illud] *Illam*, ſupple *urbem Hieroſolyma.*

Sicut in diebus antiquis] Qualis olim fuerat.

12. *Vt poſſideant reliquias Idumææ*] Quod factum Hyrcani tempore, Ioſeph. XIII. 17.

Et omnes nationes, eò quòd invocatum ſit nomen meum ſuper eos] *Omnes nationes ſuper quas eſt invo-*

invocatum nomen Domini, penes quas olim fuit veri Dei cultus: Quales ſunt Iſmaëlitæ, Ammonitæ, Moabitæ, quarum non exiguas partes ſubjecere ſibi Maccabæi, Ioſeph. XII. 11. 12.

13. *Et comprehendet arator meſſorem*] Id eſt, ſubſequetur ſuo ordine. Poſt meſſem erit aratio.

Et calcator uvæ mittentem ſemen] Poſt vindemiam ſatio.

Et ſtillabunt montes dulcedinem] *Stillabunt muſto.* LXX, γλυκασμὸν [*dulcedinem*].

Et omnes colles culti erunt] In Hebræo: *fluent*, nempe lacte, ut Ioël. III. 18.

14. *Et convertam*] *Vbi reverti fecero.*

Captivitatem] Id eſt, captivos.

Ædificabunt civitates deſertas] Alias etiam præter Hieroſolyma.

15. *Plantabo eos ſuper humum ſuam*] Firmis ſedibus locabo, Ezechiel. XVII. 5. 22.

Et non evellam eos ultrà de terra ſua] Nempe dum in pietate perſtabunt.

AD ABDIAM.

CAPVT I.

QVo tempore hic ſcripſerit parum conſtat. Hebræorum quidam hunc eſſe illum Regiæ domûs Diſpenſatorem exiſtimant qui nominatur 1 Regum XVIII. Hieronymus coævum Oſeæ, Ioëli, Amoſo, & iis qui ſequentur. Quam ſententiam probat horum Prophetarum ordo qui eſt in Hebræis codicibus omnibus. Multa ex hoc Vaticinio ſumſere Ieremias cap. XLIX. Ezechiel cap. XXV. quia Idumæa, qualia hîc prædicuntur Sennacheribi temporibus, paſſa eſt iterum per Nabuchodonoſorem. Itaque in re pari paria uſurpantur verba.

1. *Viſio Abdiæ*] Id eſt, Prophetia. ità enim ſæpe generaliori ſignificatu hæc vox ponitur.

Auditum audivimus à Domino] Decretum quaſi pronuntiatum à Deo. Vide dictum Ieremiæ caput commate 14. & ſequent.

Et legatum ad gentes miſit] Angelum incitatorem Aſſyriorum, ut poſtea Chaldæorum.

2. *Parvulum dedi te in gentibus*] Infirmum te feci.

3. *Superbia cordis tui extulit te*] *Idolum tuum decevit te.* Vide quæ ad Ieremiam diximus. Id idolum vocabatur Κοζβέ [*Cozbe*], excidium hoſtibus denuntians, quod contrà cecidit.

Habitantem in ſciſſuris petrarum] *Eò quòd habitas in cavernis rupium*, Arabiæ Petrææ ſcilicet.

Exaltantem ſolium tuum] *Altitudine habitationis tuæ:* in locis celſis atque ſublimibus.

Qui dicis in corde tuo, Quis detrahet me in terram?] Ex locis inacceſſis.

4. *Indè detraham te*] Fame. Vide quæ ad ſimilia Ieremiæ.

5. *Nónne furati eſſent ſufficientia ſibi*] Et iis contenti fuiſſent. Confer & hîc illa quæ apud Ieremiam 9, & ſequentibus.

7. *Vſque ad terminum emiſerunt te*] *Apud fines tuos emittent te:* nempe in terras exteras.

Omnes viri fœderis tui illuſerunt tibi] *Illudent tibi*, Aſſyrii ſcilicet, quos tibi fidos ſperabas, ob commune in Iudæos odium.

Qui comedunt tecum] Sic & Chaldæus exponit. Eſt ἔλλειψις [*Defectus*] in Hebræo. plena eſſet locutio אישי לחמך [*viri cibi tui*].

Non eſt prudentia in eo] Populo Idumæo. Tranſit de perſona in perſonam.

8. *Perdam ſapientes de Idumæa*] Ieremiæ XLIX. 7.

9. *Et timebunt fortes tui à meridie*] *Timebunt fortes tui, Theman.* Vide Ieremiam dicto jam loco, & 20. Ezechielis XXV. 13.

Vt intereat vir de monte Eſau] *Quia peribit quiſque de monte Eſau*, id eſt, in Sehire.

10. *Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob*] Hoc refer ad tempus cùm Syri Iudæam vaſtarunt & Hieroſolyma obſederunt, II Regum XVI. 5. Confer Amos I. 11. Paria fecere iterum Idumæi in Iudæos cùm Vrbem cepit Nabuchodonoſor, ut docet nos Ezechiel XXV. 12. & Pſalmus CXXXVII. 7. & paria paſſi ſunt ab ipſo Nabuchodonoſoro.

11. *Quando capiebant alieni exercitum ejus*] Syri.

Et extranei ingrediebantur portas ejus] Multas Iudææ urbes.

Et ſuper Ieruſalem mittebant ſortem] Vtri primas in oppugnanda ea urbe partes haberent, Syri an Iſraëlitæ.

Tu quoque eras quaſi unus ex eis] Adjutor eis eras.

12. *Et non deſpicies in die fratris tui*] *Non ſpectaſſes* (cum gaudio ſcilicet) *ea quæ eveniebant in die* (mala) *fratris tui. Non ſpectaſſes*, id eſt, non ſpectare debueras: ut, — *at tu dictis, Albane, maneres.* Sic ſume & ſequentia.

In die perditionis eorum] Cùm plurimi eorum in agris & in minoribus oppidis perirent.

13. *Neque ingredieris portam populi mei*] Non irrumpere debueras cum Syris in urbes Iudææ ab ipſis captas.

Neque deſpicies & tu in malis ejus] Neque ſpectator fuiſſes; ut ſuprà.

14. *Neque ſtabis in exitibus*] Ad loca ubi multæ viæ inter ſe coëunt.

15. *Super omnes gentes*] Vicinas Iudæis.

16. *Quomodo enim bibiſtis ſuper montem ſanctum meum*] *Quomodo vos biberitis* (calorem iræ meæ) *propter montem ſanctum meum*, propter Iudæam à vobis laceſſitam.

Bibent omnes gentes] Philiſthini, Moabitæ, Damaſceni, atque alii. Vide Eſaiam XIV. XV. XVI. XVII.

Et bibent & abſorbebunt] *Bibendo abſorbebunt:* id eſt, totum calicem educent.

Et erunt quaſi non ſint] Quaſi nunquam fuiſſent.

17. *Et in monte Sion erit ſalvatio*] Hieroſolyma non capietur à Sennacheribo, ibique multi etiam è vicinis ſalutem reperient.

Et erit ſanctus] Manebit ibi Dei cultus.

Et poſſidebit domus Iacob eos qui ſe poſſederant] Philiſtæos Rege Ezechia, II Regum XVIII. 8.

18. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioſeph flamma, & domus Eſau ſtipula: & ſuccendentur in eis, & devorabunt eos*] Multos ex eis. Reſpiciuntur quæ Maccabæi egêre contra Idumæos, Ioſephus XII. 11.

Et non erunt reliquiæ domûs Eſau] Nempe tales quæ nocere Iudæis poſſint.

19. *Et hereditabunt hi qui ad Auſtrum ſunt*] *Et poſſidebunt* (Iudæi) *Meridiem*, id eſt, Themanem.

Montem Eſau] In Hebræo: *cum monte Eſau.* Impleta hæc pleniſſimè per Hyrcanum, ut & ſequentia. Idem Ioſephus XIII. 17.

Et qui in campeſtribus Philiſthiim] *Et planitiem cum* (terra) *Philiſthinorum.*

Et poſſidebunt regionem Ephraïm & regionem Samariæ] Hanc hiſtoriam habes dicto Ioſephi libro XIII. 17.

Et Benjamin] Conjunctus cum Iuda.

Poſſidebit Galaad] Ioſephus XII. 12. I Maccabæorum V. 17.

20. *Et transmigratio exercitûs hujus filiorum Iſraël*] *Et deportatæ copiæ illæ filiorum Iſraël*: nempe ii qui pauci ex Aſere, Nephthalimo & Zabulone cum Iudæis redibunt à deportatione: *poſſidebunt* repetendum ex priori.

Omnia loca Chananæorum] In Hebræo: *Quicquid Chananæorum* fuit.

Vſque ad Sareptam] Vrbem Sidoniorum, I Regum XVII. 10. Stulti Rabbini hinc *Franciam*, ex eo quod ſequitur ספרד, *Hiſpaniam* faciunt, audéntque tam fanaticâ expoſitione eorum Regnorum poſſeſſionem ſibi ſpondere.

Et transmigratio Ieruſalem] Deportati ex Iudæa, ubi redierint.

Quæ in Boſphoro eſt poſſidebit] *Ea quæ ſunt Sapharadis poſſidebunt.* Ità enim legunt Hebræi, Symmachus, Aquila, Theodotion. Puto ſic legiſſe etiam LXX, & ubi legimus ἕως Ἐφραθὰ [*uſque Ephratha*], ſcripſiſſe ἕως Σεφραδά [*uſque Sephrada*]. Hieronymus hanc vocem Aſſyriorum linguâ eſſe ait *terminum*: imò & Hebræorum ספ דר eſt *finis dominatûs.*

Civitates Auſtri] *Civitatem Auſtri.* Quia *terminum* dixerat, oſtendit quem terminum intelligat, nempe Arabiæ eam partem quæ ad Auſtrum Iudææ objacet, ubi Regnum fuit Saba I Regum X. I. collato loco Matth. XII. 42. Vide de hac re Ioſephum dicto loco XII. 12. I Maccab. V. 17. 25.

21. *Et adſcendent ſalvatores in montem Sion judicare montem Eſau*] *Salvatores* intelligendi qui ſemet ſervaverint ex captivitate. Vnde pari ſenſu LXX dixerunt ἀνασωζόμενοι [*ſuperſtites*], Aquila & Theodotion σεσωσμένοι [*ſalvi facti*], id eſt, qui *ſervati fuerint*. Per illos autem qui *ſervati fuerint* intellige eorum poſteros qui Hieroſolymis agentes jus Idumæis dixere; Hyrcanus ſcilicet & ſucceſſores ejus.

Et erit Domino regnum] Non tunc ultrà Iudæi externis Regibus, ſed Deo parebunt, & erit θεοκρατία, ut olim.

AD IONAM.

CAPVT I.

ET hunc Oſeæ & Amoſo coævum ex Hebræorum auctoritate ponit Hieronymus, & ordo ſuadet, & locus qui eſt II Regum XIV. 25. Rex Ninives de quo agit hic liber potuit eſſe Phul qui poſtea cum exercitu venit in terram Iſraëlis; homo nec optimus, nec peſſimus.

1. *Filium Amathi*] Etiam apud Græcos fuere vates *Amythaonidæ*, potéſtque *Ionas* nomen ſignificationem habere *hominis è Græcia orti.*

2. *In Niniven*] Quæ *Ninos* Herodoto, Phocylidi, Straboni, Lucano, Plinio.

Adſcendit malitia ejus coram me] Tolerari ultrà non poteſt. Luxus & rapinæ ſolent in urbibus regnatricibus omnem modum excedere. — κρείσσων Νίνου ἀφραινούσης [— *Ninus cui cedat opima*], ait Phocylides.

3. *Vt fugeret in Tharſis*] Ioſephus *Tharſum* Ciliciæ accipit. Sed & alibi idem Ioſephus, ut & Hebræi, & hîc Hieronymus, per *Tharſis* intelligit *mare Oceanum*, nempe quòd urbs vetus Phœnicum colonia, non longè ab Oceano, quæ *Tarteſſus* Græcis, Phœnicibus ipſis תרשיש [*Tharſis*] diceretur: *Tarſeia* in vetere Romanorum & Carthaginenſium fœdere. Quouſque navigando pervenerit Ionas incertum puto; neque tacebo tamen Afros ad Moſſam eum ejectum credi velle (teſtis Ioannes Leo Afer), Ioſephum in ponto Euxino.

A facie Domini] Id eſt, longè è terra Iſraëlis.

Et deſcendit in Ioppen] Nam ἐπινείῳ τούτῳ κέχρηνται καταβάντες μέχρι θαλάσσης [*hoc portu utuntur qui ad mare deſcendunt*], Strabo XVI.

Et dedit naulum eis] *Solent nautæ ab ignotis vecturam accipere promutuam, L. ex conducto. §. item.* D. Locati.

4. *Dominus autem miſit ventum magnum in mare*] In Hebræo: *ſurgere fecit.*

5. *Et clamarunt viri*] In Hebræo, *vir*: id eſt, quiſque. Et fortè ſic ſcripſerat Hieronymus: nam & Græci habent ἕκαστος [*quiſque*].

Ad deum ſuum] *Ad deos ſuos.* Belum putà, Aſtarten, Melcartum, Ilum.

Et miſerunt vaſa, quæ erant in navi in mare] Id eſt, jactum fecerunt. Vide Titulum Digeſtorum ad Legem Rhodiam. *Vaſorum* nomine Hebræi res quaſvis mobiles intelligunt.

Vt alleviaretur ab eis] *Levandæ navis gratiâ*, ut loquitur L. 1. dicti tituli.

Deſcendit ad interiora navis] In Hebræo: *ad latera navis*, id eſt, ad laterum alterum.

Et dormiebat ſopore gravi] Id eſt, κάρῳ, ut loquuntur Græci. Is torpor ſæpe mœrorem comitatur.

6. *Gubernator*] *Magiſter navis: princeps nautarum*, ut Chaldæus hîc.

Deum tuum] *Deos tuos*, tuæ gentis.

7. *Et dixit vir ad collegam ſuum*] *Dixit quiſque ſocio ſuo.*

Mittamus ſortes] Quod fieri ſolet ubi ſpes non eſt omnes ſervari poſſe.

Et ſciamus quare hoc malum ſit nobis] Horatius:

Vetabo qui Cereris ſacrum
Vulgarit arcanæ ſub iiſdem
Sit trabibus, fragilémque mecum
Solvat phaſelum: ſæpe Dieſpiter
Neglectus, inceſto addidit integrum.

Qui cum Diagora Melio navigabant ingenti ortâ tempeſtate, cauſam ad ipſum retulere tanquam ἄθεον [*impium*].

8. *Quod eſt opus tuum?*] In quo vitæ genere vixiſti?

9. *Hebræus ego ſum*] Natus in partibus Zabulonis.

Deum cœli ego timeo] Id eſt, colo.

Qui fecit mare & aridam] Hæc nota eum à diis Gentium optimè diſcernit.

10. *Cognoverunt enim viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicaverat eis*] Eſt Retrogreſſio.

11. *Quid faciemus tibi, & ceſſabit mare à nobis?*] Infeſtandis.

Mare ibat & intumeſcebat] Pergebat intumeſcere.

12. *Et dixit ad eos, Tollite me*] Si *homo unus, ut multos ſervet, rectè morti ſe offert*, quod Demoſtheni dicebat Phocion, multò id faciet juſtiùs qui ſe aliis periculi ſcit eſſe cauſam.

13. *Et remigabant viri, ut reverterentur ad aridam*] Sicut Latini dicunt *arare mare*, ità Hebræi *fodere*: idque hîc ſignificat remigare, tranſlatione pereleganter, *Vt reverterentur ad terram* ideo dicitur quia omnes naves à terra aliqua veniunt.

Quia mare ibat & intumeſcebat] Eadem verba quæ ſuprà 11.

14. *Et clamaverunt ad Dominum*] יהוה, id eſt, ad illum Deum Opificem Vniverſi, cujus cultorem ſe Ionas dixerat. Facti erant in periculo religioſiores: Ὑπὲρ Μαλέαν πλεύσας εὐσεβὴς ἔσῃ [*Pius eris ubi ſupra Maleam navigabis*].

Ne pereamus in anima viri iſtius] Id eſt, *propter homicidium quod in eo commiſimus*. Vt hîc explicat Chaldæus, & oſtendunt ſequentia.

Quia tu, Domine, ſicut voluiſti feciſti] Qui tempeſtatem hanc planè extraordinariam ſuſcitaſti, qui ſortem feciſti cadere ſuper Ionam, qui ipſum adegiſti ut ſe ſontem & cauſam hujus mali fateretur.

16. *Et timuerunt viri timore magno Dominum*] Iterum יהוה.

Et immolaverunt hoſtias Domino, & voverunt vota] Promiſerunt victimas quas offerrent Deo in Templo Hieroſolymitano; *& vota voverunt*, nempe de operibus miſericordiæ, ut ſentit Kimchi.

CAPVT II.

1. P*Iſcem grandem*] Τρίτωνος κύνα [*Tritonis canem*], ut ait Lycophron, qui ab Hebræis acceptam hiſtoriam in Herculem tranſtulit, cui omnia grandia adſcribi ſolebant, ut diximus libro primo de Veritate Religionis Chriſtianæ.

In ventre piſcis tribus diebus] Etiam triduum in hiſtoria illa Herculis ſub nomine vulgata ponit ad Lycophronem Tzetzes. Figura Reſurrectionis Chriſti non obſcura.

2. *Et oravit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis*] Omnis locus pro Templo.

3. *Et dixit*] Hoc carmen poſtea compoſuit Ionas, ſed conveniens exacto tempori. Vide caput tertium Threnorum.

Et exaudivit me] *Exaudiet*. Eſt enim bene ſperantis. ſic & ſtatim *exaudies*. Vide infrà 5.

De ventre inferi] *De ventre* qui mihi eſt vice *ſepulchri*. Sic de vulturis ventre Ennius:

Heu quàm crudeli condebat membra ſepulchro!

4. *In corde maris*] In medio mari, in alto.

Flumen circumdedit me] Fluctus.

5. *A conſpectu oculorum tuorum*] Longè à terra Iſraëlis. Vide ſuprà 1. 3.

Videbo templum ſanctum tuum] Furtim id fiebat à nonnullis, Rege Samariæ ignorante.

6. *Vſque ad animam*] Ad ſummum uſque vitæ periculum.

Abyſſus vallavit me] Id eſt, ingens mare: Geneſeos 1.2. VII. 11. VIII.2. Pſalm. XXXIII.7. Apocalypſeos XI. 7.

Pelagus operuit caput meum] *Alga*, quæ in talibus receſſibus multa eſt.

7. *Ad extrema montium deſcendi*] Ad ſpecus marinos ſub montibus. multum enim maris terram ſubit. *Per occultos aditus recipitur mare & abſconditur*, dixit Seneca, Natur. quæſt. III.5. VI.7.8.

Terræ vectes concluſerunt me in æternum] *Concludent me.* ſubintellige *niſi tu impedias*, ut ſequitur.

Et ſublevabis de corruptione vitam meam] *Sed eripies.* שחת, διαφθορὰν [*corruptionem*] frequenter vertunt LXX.

8. *Cùm anguſtiaretur in me anima mea*] *Quanquam defecit in me anima mea.* Quanquam vitam in extremis labris habeo.

Ad templum ſanctum tuum] Id eſt, in cœlum uſque, cujus imaginem gerebat Templum Hieroſolymitanum. Vide quæ dicta ad Matth. XXVII. 51. Adde Pſalm. cxv. 3. Michææ 1. 2.

9. *Qui cuſtodiunt vanitates fruſtrà, miſericordiam ſuam derelinquunt*] *Qui colunt idola fruſtrà* ſunt: nam *miſericordiam* ſuam, id eſt, Deum qui eos juvare poterat, *derelinquunt*, ſuo ſcilicet malo.

10. *Ego autem in voce laudis*] תודה: quomodo & *gratiarum actio* dicitur, & ipſum *ſacrificium*, quod gratiarum actionem comitabatur.

Immolabo tibi] Victimas tali cauſæ debitas ex lege Levitici VII. 12. 13.

Quæcunque vovi reddam pro ſalute Domino] Opera miſericordiæ in pauperes, ut ſuprà 1. 16.

11. *Dixit Dominus piſci*] Imperavit.

Et evomuit Ionam in aridam] Ex imperio Dei in terram eum expoſuit.

CAPVT III.

1. S*ecundò*] Illo loco quo expoſitus fuerat.

3. *Ninive erat civitas magna*] Regia Aſſyriorum, cujus in ambitu area erat CCCC ſtadiorum: murus autem CIƆIƆ turribus extuberans, ità ut ex Herodoto & Diodoro X diſcimus. Poſt *magna* in Hebræo ſequitur לאלהים, quod Græci vertunt τῷ Θεῷ, Chaldæus *coram Deo*, id eſt, Deo eam augente. *Ninum urbem majorem fuiſſe Babylone* ait Strabo libro XVI.

Itinere trium dierum] Si quis omnes illas turres pedibus circumirèt.

4. *Itinere diei unius*] Perambulans urbem quantum uno die licebat.

Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur] *Cùm Ninive ſubvertetur.* De numero hoc dierum XL diximus ab hac re non aliena ad Matth. IV. 2. Eundem numerum hîc poſuere Aquila, Symmachus, Theodotion. At in editione LXX ſunt τρεῖς ἡμέραι [*tres dies*]· an ex notis numerorum veteribus, & ſæpè inter ſe non multùm diſtantibus, quæ nunc exoleverunt? viſi ſumus & alibi ejus rei deprehendiſſe veſtigia. Intelligenda autem hæc comminatio rebus ſic manentibus. Regulam hanc nobis dat Ieremias XVIII. 8. Quæ tamen regula ſuam & ipſa habet exceptionem, niſi additum fuerit *non exaudiam eos*, quod interdum Deus facit poſt diuturna monita, & eluſam diu patientiam. Vide quæ ad Lucæ XIX. 44.

5. *Et crediderunt viri Ninivitæ in Deum*] Id eſt, verbis Dei per Ionam, conſcii ſibi gravium criminum.

Et prædicaverunt jejunium] Indixerunt Rex, & qui ei aderant proceres.

Et veſtiti ſunt ſaccis à majore uſque ad minorem] Vt ipſe tam lugubris habitus dolorem magìs accenderet.

6. *Pervênit verbum ad Regem Ninive: & ſurrexit de ſolio ſuo*] *Quia pervenerat verbum.* Cauſam reddit indicti jejunii, modúmque explicat.

Et abjecit veſtimentum ſuum à ſe] *Abjecerat veſtimentum, regale* ſcilicet, ut ſe cæteris in luctu æquaret.

Et ſedit in cinere] Ἐπὶ σποδοῦ. Vide Matth. XI. 21.

7. *Et clamavit, & dixit in Ninive*] In Hebræo, *proclamari juſſit dicendo.*

Ex ore Regis & principum ejus] Vide Eſth. I. 19. 21.

Homines & jumenta, & boves, & pecora nè guſtent quicquam, nec paſcantur, & aquam non bibant] Illud, *non guſtent quicquam* ad *homines* refertur, cætera ad pecudes: ut apud Virgilium,

Non ulli paſtos illis egêre diebus
Frigida, Daphni, boves ad flumina: nulla neque amnem
Libavit quadrupes, nec graminis attigit herbam.

Factum hoc ut etiam mutorum animantium ſpectaculo magìs commoverentur homines ad dolorem.

8. *Et clament ad Dominum in fortitudine*] Altâ voce; ἐκτενῶς [*intentè*], Græci.

Et convertatur vir] *Quiſque.*

A via ſua mala] Exuat peccandi conſuetudinem.

Et ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum] Id eſt, rapta reſtituat, ſine quo non eſt vera pœnitentia. Vide quæ diximus de Iure Belli ac Pacis libro III. cap. X. §. 3.

9. *Quis ſcit ſi convertatur?*] An ſententiam mutet? Multum hoc in Aſſyriis hominibus, tanta edere pœnitentiæ ſigna ſub ſpe incertæ veniæ.

10. *Et vidit Deus opera eorum*] Sanatæ mentis indicia.

Et miſertus eſt Deus ſuper malitiam quam locutus fuerat ut faceret] *De malo quod illaturum ſe dixerat. Malitia* huic Interpreti, ut Matth. VI. 34. κακία, eſt quævis calamitas, aut triſte aliud.

CAPVT IV.

1. E*T afflictus eſt Ionas afflictione magnâ*] Magno dolore indoluit, de auctoritate ſua ſe periclitari exiſtimans. At non eſt Legati præſtare nè Rex ſententiam mutet.

2. *Numquid non eſt hoc verbum meum*] Hoc ipſum fore cogitaveram.

Scio enim quia tu Deus clemens & miſericors es, patiens & multæ miſerationis, & ignoſcens ſuper malitia] *Pœnitens ſuper malo*, quod comminatus es ſcilicet. Exemplis id didicerat Moſes, & ipſius Dei pronuntiato Exodi XXXIV. 6.

3. *Tolle, quæſo, animam meam à me*] Vitam. Magna indignatio, non juſta ex cauſa.

4. *Putáſne, bene iraſceris tu?*] *An bonum factum eſt ira tua? eſtne hæc cauſa juſta?*

5. *Et ſedit contra Orientem civitatis*] Vnde optimus erat in urbem deſpectus.

Et fecit ſibimet umbraculum ibi] Tugurium ex virgulto.

Donec videret quid accideret civitati] An non aliquo ſaltem malo puniretur.

6. *Et præparavit Dominus Deus hederam*] In Hebræo eſt קיקיון [*Kikion*], ubi ון eſt addititium: nam nomen Ægyptium eſt κίκι [*Kiki*], apud Herodotum Euterpe, Theophraſtum I. 16. Plinium XV. 7. Dioſcoriden I. 38. Galenum de Simplicibus. Herodotus alio nomine σιλλοκύπρια vocat. Hieronymus in Commentario ad hunc locum *linguâ Syrâ & Punicâ Elkeron dici* notat: *eſſe* autem *genus virgulti vel arbuſculæ, lata habens folia in modum pampini, & umbram denſiſſimam, ſuo trunco ſe ſuſtinens: quod in Palæſtina creberrimè naſcitur, & maximè in arenoſis locis: mirúmque in modum, ſi ſementem in terram jeceris, citò confotam conſurgere in arborem, & intra paucos dies, quam herbam videras, arbuſculam te ſuſpicere.* Oſtendit autem à ſe *hederam* tranſlatum, non quòd idem eſſet, ſed quòd nomen Latinis notum, & ad hanc naturam aliquo modo accedens, aliud non reperiret.

Et protegeret eum (laboraverat enim),] In Hebræo, *ad liberandum eum à malo*, id eſt, ab æſtu.

7. *Et paravit Deus vermem*] Omnia, etiam quæ

naturaliter fiunt, Deus facere dicitur, qui naturam & fecit, & conſervat, & eâ pro arbitratu utitur. Vermium multa ſunt genera, arboribus, virgultis, herbis infeſta.

Aſcenſu diluculi in craſtinum] Poſtridie aurorâ illuceſcente.

Et percuſſit hederam] Cici illud, radice læsâ.

Et exaruit] Humore terræ deſtitutum.

8. *Et cùm ortus fuiſſet Sol*] Et jam proceſſiſſet nonnihil.

Præcepit Dominus vento calido & urenti] *Euro ſilenti.* Sic habet Hebræum & Chaldæum: auræ ſine motu, ſine frigore, quæ calorem in Sole ortum adjuvaret.

Et æſtuabat] In Hebræo, *Linqueretur animo:* id eſt, propè linqueretur.

Melius eſt mihi mori quàm vivere] Deſcriptio impatientis ingenii.

9. *Putáſne bene iraſceris tu?*] *An bonum factum ira hæc?* ut ſuprà 4.

10. *Quæ ſub una nocte nata eſt, & ſub una nocte periit*] Plautus:

Quaſi ſolſtitialis herba, pauliſper fui;
Repente exortus ſum, repentinò occidi.

11. *Qui neſciunt quid ſit inter dexteram & ſiniſtram*] Id eſt, ejus ætatis quæ honeſti ac turpis diſcrimina nondum novit, & cui propterea parci æquum eſt. *Dextra* ſignificat ea quæ recta ſunt, *ſiniſtra* ea quæ contraria. Infans ætas deſcribi ſolet ignorantiâ recti ac turpis. Vide quæ attulimus ad Deuteron. I. 29.

Et jumenta multa] Si hominum te non miſeret,
Quid fecere boves animal ſine fraude dolóque?

AD MICHÆAM.

CAPVT I.

1. AD *Michæam Moraſthiten*] Non illum filium Iemlæ I Regum XXII. 8. Hieronymus viculum eſſe dicit *Maraſthi*, *juxta Eleutheropolim.*

In diebus Ioathan, Achaz, & Ezechiæ] Apparet ergò cœpiſſe eum Prophetiis illuſtrari paulò ſeriùs quàm eos quos jam antè habuimus, qui ab Oziæ Regis Iudæi tempore cœpere cognoſci, & pariter ad Ezechiæ tempora pervenerunt.

Quod vidit ſuper Samariam] Vnde malum fluxit in Decem tribus.

Et Ieruſalem] Vnde corruptæ Duæ tribus.

2. *Audite populi omnes*] A Iacobo orti.

Et attendat terra & plenitudo ejus] Id eſt, omnes qui in terra promiſſa habitatis.

Sit Dominus Deus vobis in teſtem] Chaldæus בכם interpretatur *contra vos.* Siquando mala quæ dicam vobis evenient, Deus mihi teſtis erit me nihil ſubtraxiſſe de eis quæ mandata mihi erant.

Dominus de templo ſancto ſuo] Qui ex cœlo omnia deſpectat. Vide ſuprà Ion. II. 8.

3. *Egredietur de loco ſuo, & deſcendet*] Deus *exire de cœlo* dicitur, cùm in terra beneficia ſua, aut judicia facit conſpici.

Et calcabit ſuper excelſa terræ] Deſtruet loca munitiſſima. Vide Deuteron. XXXII. 13. XXXIII. 29.

4. *Et conſumentur montes ſubtus eum*] Id eſt, urbes in montibus ſitæ, ut Ieruſalem & Samaria, incendentur.

Et valles ſcindentur] Id eſt, oppida in vallibus ſita diruentur.

Sicut cera à facie ignis] Hæc comparatio reſpicit prius membrum.

Et ſicut aquæ quæ decurrunt in præceps] Hæc ſecundum.

5. *In ſcelere*] *Propter ſcelus*, ut Chaldæus vertit. Græci, διὰ ἀσέβειαν [*propter impietatem*].

Quod ſcelus Iacob?] Id eſt, quæ origo ſceleris Iacobo, ſive Decem tribubus? *μετωνυμία* [*Transnominatio*].

Nónne Samaria?] Solet ab urbibus primariis latiùs fundi exemplum.

Et quæ excelſa Iudæ?] Quæ origo excelſorum in Iuda?

6. *Ponam Samariam quaſi acervum lapidum*] In Hebræo, *in tumulum agri*, id eſt, in collem qui aretur.

Cùm plantatur vinea] In vinetum.

Et detraham in vallem lapides ejus] Dejiciam ex edito in ſubjecta.

Et fundamenta ejus revelabo] Ità ut fundamenta appareant. Hæc & quæ ſequuntur impleta per Salmanaſarem.

7. *Et omnia ſculptilia ejus concidentur*] Vide Amoſi III. 14.

Et omnes mercedes ejus comburentur igne] Donaria Templi, miſſa illis ab Aſſyriis, quorum cultum imitabantur.

Quia de mercedibus meretricis congregata ſunt] Idololatriæ ſunt mercedes.

Et uſque ad mercedem meretricis revertentur] Ibunt Niniven, quæ ipſos idololatriam docuit: hoc erit διδακτρον [*minerval*].

8. *Super hoc plangam, & ululabo*] Loquitur Propheta, & dicit ſe etiam conſpicuis luctûs ſignis confirmaturum quàm certa ſint quæ dicat.

Vadam ſpoliatus & nudus] Exutus veſte ſuperiore.

Et luctum quaſi ſtruthionum] *Quaſi pullorum ululæ.* Sic Hebræum. Vtraque ſimilitudo eſt apud Iobum XXX. 29. unde apparet eſſe proverbiale.

9. *Deſperata eſt plaga ejus*] Non ſanabitur.

Quia venit uſque ad Iudam, tetigit portam populi mei uſque ad Ieruſalem] Aſſyrii poſt deſtructam Samariam, vaſtatámque terram Decem tribuum, etiam terram Duarum tribuum vaſtabunt, Rege Aſſyriorum Sennacheribo; & ad portas uſque Hieroſolymorum pervenient.

10. *In Geth nolite annuntiare*] Vtinam neſciant

iſta Palæſtini, nè nos irrideant. ſumtum ex II Samuelis I. 20.

Lacrymis nè ploretis] *Nè flendo fleatis:* id eſt, nè nimium edite ploratum, nè illi veteres hoſtes gaudeant.

In domo pulveris pulvere vos conſpergite] *Cùm in domo pulveris pulvere conſpergemini.* In textu eſt התפלשתי [*involvi me*], ſed in margine התפלשי [*involvere*]. Mos eſt hujus Prophetæ voces vicini ſoni & communes ſumere ad obſcurè notanda nomina propria. עפרה eſt *pulvis:* ſed per eam vocem ſignificatur *Ephraïm*, cujus domus erant in pulverem redigendæ.

11. *Et tranſite vobis habitatio pulchra*] *Et cùm peribit vobis habitatio pulchra.* שפיר, quod *pulchram* ſignificat, hîc *Samariam* innuit, affini, ut diximus, voce.

Confuſa ignominiâ] *Nuda pudendis*, id eſt, dejectis muris, quæ velut veſtes ſunt urbium; fundamentis apparentibus, ut ſuprà dictum.

Non eſt egreſſa quæ habitat in exitu] צאנן, quod hîc vertit ab *exitu*, à radice יצא [*egredi*], alii fortè rectiùs *terram pecoroſam* interpretantur, à צאן [*pecore*]. Vicinitate ſimili iis quas diximus, *Sionem* ſignificat, hoc ſenſu: illi qui in Sione habitant, nè pedem quidem moverunt ad ſervandos Ephraïmitas.

Planctum Domus vicina accipiet ex vobis, quæ ſtetit ſibimet] *Planctum, ô Bethaëtſel, accipiet à vobis* (*Sion*) *ſtans ſibi.* Bethaëtſel *domum ſeparationis* ſignificat, à Deo ſcilicet. Indicatur autem Bethel, *domus Dei* olim dicta. Senſus eſt, Vrbs Hieroſolyma planctum quidem à Bethele audiet, ſed res ſuas aget, neque ſe Bethelis rebus miſcebit.

12. *Quia infirmata eſt in bonum quæ habitat in amaritudinibus*] *Verùm dolebit propter fortem* (id eſt, *fortes occiſos*, ut hîc habet Chaldæus) *habitans* plebs *in Maroth.* מרות, quod hîc *amaritudinem* ſignificat, tranſpoſitis literis innuit רמות. Plures erant in Duarum tribuum ſorte urbes quibus nomen *Rama;* eæ pluraliter dicuntur רמות. Confer Ierem. XXXI. 15. Iudæis nihil proderit quietos ſe continuiſſe, cùm Samaria & vicinæ urbes deſtruentur.

Quia deſcendit malum à Domino in portam Ieruſalem] Ad portas uſque veniet Sennacherib.

13. *Tumultus quadrigæ ſtuporis habitanti Lachis*] In Hebræo, *Apta currum velocibus equis, habitatrix Lachis;* currum nempe quo vehantur miſſi à Sennacheribo feciales ad depoſcendam deditionem Hieroſolymorum, II Regum XVIII. 17.

Principium peccati eſt filiæ Sion] *Es filiæ Sion*, id eſt, fuiſti.

Quia in te inventa ſunt ſcelera Iſraël] Tu idololatriam ab Iſraële, id eſt, Decem tribubus acceptam, tranſmiſiſti Hieroſolyma.

14. *Propterea dabit emiſſarios ſuper hereditatem Geth*] *Quin etiam dabit dona heredi Geth. Heredem Geth* vocat Aſſyrium, qui Philiſtinorum urbes tum tenebat.

Domus mendacii in deceptionem Regibus Iſraël] In Hebræo, *Domus Achzib in deceptionem* fuit *Regibus Iſraël.* Speraverunt indè auxilium, ſed fruſtrà. Achzib &, quæ ſequitur, Mareſas oppida ſunt Iudæ, non longè à Lachiſo. Vide Ioſue XV. 44.

15. *Adhuc heredem adducam tibi, quæ habitas in Mareſa*] *Heredem*, id eſt, dominum, & eſt παρονομασία [*Vocum alluſio*], הירש *heredem*, & מרשה quod *hereditatem* ſignificat. Hoſtis ille non Philiſtinas tantùm urbes, ſed & Iudaïcas poſſidebit.

Vſque ad Odollam veniet gloria Iſraël] Aſſyrius ille, quo ſocio olim gloriati ſunt Iſraëlitæ (Vide II Regum XV. 18.) *perveniet ad Odollam.* Eſt & hoc oppidum in parte Iudæ à Lachiſo non procul, Ioſue XV. 35.

16. *Decalvare*] *Evelle tibi pilos.* Ità hîc Chaldæus. nam calvicium ſibi ob mortuos inducere, mos quidem erat gentibus aliis, ſed Iudæis id non licebat per legem Deuteron. XIV. 1. Iudæ populum hîc alloquitur Propheta, cujus urbes jam aliquas nominaverat.

Et tondere] Cincinnos & delicias comarum circumcîde.

Super filios deliciarum tuarum] *Propter amatiſſimos filios*, interfectos ab hoſte ſcilicet.

Dilata calvitium tuum ſicut Aquila, quoniam captivi ducti ſunt ex te] Vos quorum liberi non interfecti ſed deportati ſunt, inducto in caput calvitio dolorem teſtamini. Lex enim id non vetabat niſi in luctu funebri.

CAPVT II.

1. VÆ *qui cogitaſtis inutile*] Hæc eſt altera revelatio, quæ Prophetæ poſterior contigit, regnante ſcilicet Ezechiâ, poſt diſceſſum Sennacheribi, ut colligitur ex Ieremiæ XXVI. 18. quâ cognovit fore ut Hieroſolyma non obſideretur tantùm, ſed etiam caperetur non minùs quàm Samaria, & hic populus non minùs quàm ille deportaretur: quorum malorum etiam cauſas explicat, inhumanitatem in populares, & impietatem in Deum. און, quod *inutile* hîc vertitur, ſæpe ſignificat *injuſtitiam:* & ità hîc ſumit Chaldæus.

Et operamini malum in cubilibus veſtris] *Operari* hîc poſitum eſt pro *conſtituere*, ut μοιχεύειν [*mæchari*] Matthæi v. 28. Noctu conſtituunt, de die exſequuntur, ut ſequitur.

Quoniam contra Deum eſt manus eorum] *Si modò res ſit in poteſtate eorum.* Cogitata exſequentur, niſi vires deſint.

2. *Et concupierunt agros*] Injiciunt oculos & animum rebus alienis.

Et violenter tulerunt & rapuerunt domos] In Hebræo: *& rapuerunt* (nempe *agros*) *& domos* (*concupierunt*, ἀπὸ κοινοῦ [*ex Dicto communiter*]) *& tulerunt:* fecerunt ſuas, vi, aut dolo.

Et calumniabantur] Solet hic Interpres עשק vertere *calumniari*, quod magìs eſt *opprimere.* Vide quæ ad Lucæ III. 14.

Virum & domum ejus] Id eſt, fundum.

3. *Ecce ego cogito ſuper familiam iſtam malum*] Id eſt, ſuper omnem poſteritatem Iacobi. Illi mala machinati ſunt popularibus, ego ipſis: illi injuriâ, ego jure.

Vnde non auferetis colla veſtra] *Non eximetis cervices veſtras.*

Et non ambulabitis ſuperbi] *Erecti.* Iugum impoſitum impediet nè erecti incedatis.

Quoniam tempus peſſimum eſt] *Acerbiſſimum erit,* nempe tempus deportationis.

4. *Sumetur ſuper vos parabola*] *De vobis proverbium fiet.*

Et cantabitur canticum cum ſuavitate] In Hebræo: *& lamentabitur* (ſupple *quiſque externus ex perſona veſtra*) *lamentum lamenti,* triſtiſſimum lamentum.

Pars populi mei commutata eſt] Terra mutavit dominum.

Quomodo recedet à me] *Quomodo ademit mihi,* agros ſcilicet, Aſſyrius ſub Teglathphalaſaro.

Cùm revertatur qui regiones noſtras dividat] *Ità ut & revertatur ad agros noſtros dividendos.* Idem populus Aſſyriorum ſub Salmanaſare.

5. *Propter hoc*] Poſt id tempus.

Non erit tibi mittens funiculum ſortis in cœtu Domini] Nunc à perſona μιμηλικῶς [*imitativè*] expreſſa canticum illud externorum ad ipſos Hebræos ſe vertit: & ait, non futurum ut ampliùs illi coram Iudicibus, quos ipſi Hebræi vocabant קהל יהוה [*cœtum Dei*], terras hereditatis jure ſibi delatas inter conſortes ſorte dividant.

6. *Nè loquamini*] In Hebræo, *Nè ſtilletis:* id eſt, Nè vaticinemini: nam id ſignificari per נטף vidimus Ezechielis XXI. 2. & alibi. Imitatur Propheta verba quibus Hebræi ad Prophetas utebantur; ut videre eſt Eſaiæ XXX. 10. Amoſi VII. 12. 16.

Loquentes] In Hebræo, *ſtillabunt*: id eſt, Etiamſi vos nolitis, tamen Eſaias, Oſee, Ioël, & alii, & ego munere prophetico fungemur.

Non ſtillabunt ſuper iſtos] In Hebræo, *non ſtillabunt illis*: id eſt, Sed poſtea veniet tempus cùm Prophetæ vobis non loquentur, Pſalmo LXIV. 9. Ezechielis VII. 26. Amoſi VIII. 11.

Non comprehendet confuſio] Id eſt, ità fiet ut Prophetæ non ampliùs à vobis ignominioſè tractentur, ſicut factum eſt diu.

7. *Dicit domus Iacob*] In Hebræo: *Hæc ſunt dicta domui Iacobi.* Refer ad illud quod paulò antè præceſſit, *Nè ſtilletis.*

Numquid abbreviatus eſt Spiritus Domini] Refellit Propheta malitiam illorum qui Prophetas audire nolebant. *Spiritus Domini* hîc miſericordiam ſignificat: An ea, inquit, minor nunc eſt quàm antè fuit?

Aut tales ſunt cogitationes ejus] Vt nempe exitio veſtro delectetur, neque ullo modo pœnitentiâ ductos velit reſpicere? quaſi dicat, Non ità intelligendæ ſunt comminationes Prophetarum.

Nónne verba mea bona ſunt cum eo qui rectè graditur] Ex Dei perſona jam loquitur Propheta. *Verba* hîc intellige *conſilia.*

8. *Et è contrario populus meus in adverſarium conſurrexit*] In Hebræo: *Atqui qui heri erat populus meus*, (hodie) *hoſtiliter inſurgit*, nempe in me. *Heri*, id eſt, paulò antè, ut Eſaiæ XXX. 33.

Deſuper tunica pallium ſuſtuliſtis] *Super tunicam abstuliſtis & pallium.* Pauperibus ſcilicet. Proverbialis locutio, ut Matthæi v. 40.

Et eos qui tranſibant ſimpliciter, convertiſtis in bellum] In Hebræo: *tranſeuntes pacificè* ſunt vobis quaſi *reverſi à prælio*, id eſt, bello capti, in quos omnia licent victoriæ jure.

9. *Mulieres populi mei ejeciſtis de domo deliciarum ſuarum*] E villis.

A parvulis earum tuliſtis laudem meam in perpetuum] Aſſuefeciſtis idololatriæ parvulos, nè unquam de me colendo cogitarent.

10. *Surgite & ite*] — *Veteres migrate coloni.*

Non habetis hîc requiem] Hæc regio non ultrà veſtra erit.

Propter immunditiam ejus corrumpetur putredine peſſimâ] *Corrumpet* (vos) & quidem *corruptione inſigni.* Senſus idem eſt qui Levit. XVIII. 25. nomen autem נמרץ [*inſigni*] 1 Regum II. 8.

11. *Vtinam non eſſem vir habens ſpiritum*] Propheta loquitur: *Si eſſet*, inquit, *aliquis ambulans in vento*, Inania perſequens.

Et mendacium potiùs loquerer] *Et mentiens mendacia*, dicens ſcilicet quod ſequitur.

Stillabo tibi in vinum & in ebrietatem] *Stillabo tibi pro vino & ſicera*, id eſt, Vaticinabor.

Et erit ſuper quem ſtillatur populus iſte] *Is eſſet ſtillator* (id eſt, Propheta egregius) *populo huic.* Is demum accommodatus eſſet eorum ingenio. Talem volunt, talem quærunt.

12. *Congregatione congregabo Iacob totum te*] Imitatur verba Pſeudoprophetarum, ſed alio ſenſu. *Congregabo*, nempe ut obſideantur intra Samariam & Hieroſolyma: nam par ſors utrique populo prædicitur. Per *Iacobum* intellige Decem tribus. Cogam vos in unum deportandos, nec ex parte (ut per Teglathphalaſarum), ſed omnes, per Salmanaſarum.

In unum conducam reliquias Iſraël] Duas tribus reliquas, idque per Nabuchodonoſorum.

Pariter ponam illum quaſi gregem in ovili] *Tityre coge pecus.* — In Hebræo eſt: *quaſi gregem Botſra.* Moabitis, in qua Botſra eſt, Ieremiæ XLVIII. 24. maximè paſcua eſt, II Regum III. 4. At Chaldæus & Græci alia puncta legerunt, & ב ſumſere pro præpoſitione, צרה autem pro *anguſtiis*, id eſt, ovili: quod cum verbis ſequentibus meliùs convenit.

Quaſi pecus in medio caularum] Confertim.

Tumultuabuntur à multitudine hominum] *Perturbabuntur*, nempe cùm tot cuſtodes circùm ſe videbunt.

13. *Aſcendet enim pandens iter ante eos*] *Adſcendet effractor coram eis*, miles oppugnans urbes illas.

Divident & tranſibunt portam, & ingredientur per eam] *Perfringent* Aſſyrii & Chaldæi mœnia, *& tranſibunt per portam, per quam exire ſolebant* urbani, II Regum XXV. 4.

Et tranſibit Rex eorum coram eis] Inſpectante populo trahetur captivus, II Regum XVII. 6. XXV. 6.

Et Dominus in capite eorum] Nempe Aſſyriorum & Chaldæorum. Deus illis omnia proſperabit.

CAPVT III.

1. *ET dixit, Audite Principes Iacob*] Quo magis earum quas Deus minatus eſt pœnarum juſtitia appareat, oſtendit Propheta nullum ordinem

exſortem gravium criminum fuiſſe; imò eos qui aliis ad virtutem præire debuerant, ut Iudices & Doctores, primos fuiſſe in culpa. Pares querelas habes apud Ezechielem XXII. *Principes* in Hebræo *capita*, id eſt, Senatores totius gentis.

Et duces domûs Iſraël] In Hebræo: קָצִינֵי, id eſt, *gubernatores*. intelliguntur urbium Senatores: infrà 9. Hieronymus *Iudices* vertit.

Numquid non veſtrum eſt ſcire judicium?] Ipſi alios damnatis: debetis ergò ſcire & quæ vos pœna maneat, Romanorum II. 1.

2. *Qui odio habetis bonum*] *Atqui vos virtutem odio habetis.*

Qui violenter tollitis pelles eorum deſuper eis] Popularibus veſtris. Non tondetur pecus, ſed deglubitur.

Et carnem eorum deſuper oſſibus eorum] Et *pellis*, & *caro*, & *oſſa* hîc *facultates* ſignificant, interprete Chaldæo.

3. *Et oſſa eorum confregerunt & conciderunt*] Inter ſe partiti ſunt.

Sicut in lebete] Sicut concidi ſolent quæ in lebetem, aut caldarium conjiciuntur.

4. *Tunc*] Cùm venient iſta tempora ſuperiùs indicata.

Non exaudiet eos] Obſignata erunt decreta.

Abſcondet faciem ſuam ab eis] Benevolentiam ſubtrahet.

Sicut nequiter egerunt in adinventionibus ſuis] In Hebræo: *pro eo quod malefecerunt.*

5. *Hæc dicit Dominus ſuper Prophetas*] Qui ſe tales dicunt.

Qui mordent dentibus ſuis, & prædicant pacem] Dum illis detur quod edant, omnia proſpera pronuntiant. Hanc interpretationem ſequitur Chaldæus; & probat eam quod ſequitur ἀντίθετον [*membrum oppoſitum*].

Sanctificant ſuper eum prælium] *Bellum ei indicunt.* Sic Ioëlis III. 9.

6. *Propterea nox vobis pro viſione erit*] Pro bonis quæ illi vobis prædicunt, maximas calamitates habebitis; quæ *noctis* & *tenebrarum* nomine apud Hebræos deſignantur.

Et occumbet Sol ſuper Prophetas, & obtenebrabitur ſuper eos dies] Animo vultúque dejecti non audebunt cœlum Solémque adſpicere. Explicant hæc apertiùs ſequentia. Adde Ieremiæ VIII. 12.

7. *Operient omnes vultus ſuos*] Singuli myſtacem ſuum obtegent, nempe ut ſolent leproſi, Levitici XIII. 45.

Quia non eſt reſponſum Dei] Nempe id quod ipſi dixerant.

8. *Verumtamen ego*] *At ego.* Opponit ſe falſis Prophetis.

Repletus ſum fortitudine Spiritûs Domini] Vi Divinâ afflante plenus ſum, non dapibus, ut illi.

Iudicio] Nempe ut diſcernam culpas graviores à levioribus, & pro cujuſque modo pœnas denuntiem, ut oſtendunt ſequentia.

Et virtute] Conſtantiâ, nè à mandato dimovear cujuſquam reverentiâ aut metu.

9. *Quia abominamini judicium*] Scripſit Hieronymus: *Qui abominamini.* Ità enim eſt in Hebræo, Græco, & Chaldæo.

10. *Qui ædificatis Sion in ſanguinibus, & Ieruſalem in iniquitate*] Qui domos exſtruitis ex opibus vi ac innocentium damnatione partis, Ezechiel. XXII. 27.

11. *Principes ejus in muneribus judicabant*] Pro donis judicare ſunt ſoliti, Ezechiel. dicto loco.

Sacerdotes ejus in mercede docebant] *Pro mercede docebant*, placentia Regibus ac populo, non quæ Deus præſcripſerat.

Et Propheta ejus in pecunia divinabant] *Pro pecunia*, Ezechielis XIII. 9.

Et ſuper Dominum requieſcebant] *Nituntur*, id eſt, de ejus favore ſe jactant.

Dicentes, Numquid non Dominus in medio noſtrûm?] Nónne apud nos Templum ſuum habet, & adytum ſanctiſſimum, & Arcam, & Cherubinos? Confer Ieremiæ VII.

12. *Propter hoc, causâ veſtrî, Sion quaſi ager arabitur*] *Imò propter vos Sion ut ager arabitur.* Propter veſtra peccata, Iudices, Sacerdotes, Prophetæ, imprimet muris hoſtile aratrum exercitus inſolens. Referuntur hæc ipſa hujus Prophetæ verba, & quidem ſub ejus nomine, Ieremiæ XXVI. 18.

Et Ieruſalem quaſi acervus lapidum erit] Vide ſuprà I. 6. LXX tum hoc loco, tum illo Ieremiæ, necnon Pſalmi LXXIX. 1. עיים, vel עיין vertunt ὀπωροφυλάκιον [*pomorum cuſtodia*].

Et mons domûs] *Mons Templi*, Moria.

In excelſa ſilvarum] Talis erit quales eſſe montes in ſilvis ſolent, arboribus, feris, fruticibúſque & virgultis obſitus.

CAPUT IV.

1. *ET erit*] Cohæret ſenſus cum prioribus: ideóque colligimus ſumta hæc ex antiquiore Prophetia Eſaiæ II. non ad ſignificandam rem eandem, ſed parem. Nam Eſaias hæc dixerat de regno Ezechiæ pleno ſanctitatis, juſtitiæ, ac felicitatis. Michæas verò eadem dixit de temporibus poſt reditum ex Babylone, quò hoc caput & quod ei cohæret ſequens pertinent.

In noviſſimo dierum] Nihil aliud hoc ſignificat quàm *poſtea*, ut ad comparem Eſaiæ locum & alibi diximus.

Erit mons domûs Domini præparatus in vertice montium] Id eſt, ſupra montes alios. Templa eo tempore ferme erant in montibus: Templum autem Hieroſolymitanum ex quo inſtauratum eſt, multò fuit illuſtrius templis aliis.

Et fluent ad eum populi] Proptet ingens illud beneficium prædictum à Prophetis, & à Deo Iudæis præſtitum, plurimi alienigenæ, maximè è Perſis, qui imagines non habebant, & Græci, qui de Socrate aliquid hauſerant, deinde eorum exemplo & alii, venient Deum unum mundi Opificem veneraturi in atrio Gentium, ut erat mos.

2. *Et docebit nos de viis ſuis*] Per Prophetas primùm, deinde, iis ceſſantibus, per Sacerdotes & Doctores.

De Sion egredietur lex] Vnius Dei cognitio indè mirum in modum propagabitur.

3. *Et judicabit inter populos multos*] *Iudicia exercebit in populos multos.*

Et corripiet gentes fortes uſque in longinquum] Per Reges Perſas reprimet Samaritas, Ammonitas, Azotios, imò & Arabas, qui Templi Vrbiſque ſtructuram impedire voluerant, Eſdræ IV. 11. Nehemiæ IV.

Et concident gladios ſuos in vomeres, & haſtas ſuas in ligones] Contrarium ei quod habuimus Ioël. III. 10. Senſus eſt: & Perſæ & populi qui ſub eorum erunt imperio, infeſtiſſimi olim Iudæis, ut Aſſyrii, Babylonii, Syri, Philiſtini, Ammonitæ, Moabitæ, Arabes, altam pacem cum Iudæis colent.

4. *Et ſedebit vir*] Id eſt, *unuſquiſque*, locutione Hebraïcâ.

Subtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam] Locutio magnam rerum tranquillitatem exprimens, 1 Regum IV. 25.

Quia os Domini exercituum locutum eſt] Id eſt, quia Deus ità decrevit.

5. *Quia omnes populi ambulabunt, unuſquiſque in nomine Dei ſui*] *Ambulant in nomine deorum ſuorum.* Senſus eſt, Non mirùm eſt Deum tam ſingularem noſtrî habere curam: nam cæteræ gentes ad res agendas deos ſuos invocant. Loquitur de gentibus ſecundùm longè majorem earum partem; nam veri numinis cultores inter eas erant pauciſſimi.

In nomine Domini] In Hebræo eſt יהוה, quo nomine Deus verus ab imaginariis diſtinguitur.

Nos autem ambulabimus] *Ambulamus.* nam Hebræis modò præterita, modò futura ſunt pro præſentibus.

In æternum & ultrà] Nos id facimus & poſteri, ità confidimus, idem facturi ſunt. עולם eſt unius hominis ætas, hoc loco, & alibi ſæpe.

6. *In die illa*] *Eodem illo tempore.*

Congregabo claudicantem] LXX: τὴν συντετριμμένην [*contritam*], pro quo Iuſtinus citat τὴν ἐκτεθλιμμένην [*preſſam*], plebem ſcilicet. *Claudicare* צלע Hebræis dicitur etiam qui onere preſſus rectà nequit incedere: Pſalmo XXXV. 15. XXXVIII. 18. Itaque nomen indè deductum modò ἀσθένειαν [*infirmitatem*], modò μάστιγα [*flagellum*] vertunt Græci.

7. *Et ponam claudicantem in reliquias*] Dabo illis afflictis progeniem.

Et regnabit Dominus ſuper eos] Liberè vivent ſecundùm Dei leges, nemine prohibente. Vide Abdiæ 21.

8. *Et tu, Turris gregis*] *Turris* עדר *Ader*, id eſt, *gregis*, eſt apud Bethlehemum, ut apparet Geneſeos XXXV. 21. Per eam turrim hîc intelligitur μεταληπτικῶς [*per Tranſſumtionem*] Bethlehemum, & per Bethlehemum ſtirps Davidis indè ortum habens; planéque idem eſt hîc ſenſus qui repetitur aliis verbis infrà V. 1.

Nebuloſa] Græci, αὐχμώδης, *ſqualllida*; id eſt, ô familia diu neglecta.

Filiæ Sion uſque ad te veniet] Scripſit Hieronymus, *Filia Sion uſque ad te veniet.* Id eſt, civitas tota Hieroſolymorum à te petet jura. Impletum hoc in Zorobabele, ſed ità ut is Chriſti, ex eadem domo orituri, geſſerit imaginem.

Et veniet poteſtas prima, regnum filiæ Ieruſalem] Tibi continget Principatus, non quidem cum Regio ſplendore, ſed tamen in animis Hieroſolymitarum majeſtatem Regiam obtinens, ob promiſſa Davidis domo facta.

9. *Nunc quare mœrore contraheris?*] Alloquitur velut præſens populum in exſilio ac ſervitio miſerè agentem. In Hebræo eſt: *Nunc quare vociferando vociferaris?* Quid ità miſerè exclamas?

Numquid Rex non eſt tibi?] *An quia Rex tibi non eſt?* nempe è tua gente.

Aut conſiliarius tuus periit] *An quia conſiliarius tuus periit?* Senatores tui: eſt enim ἐναλλαγὴ [*Permutatio*] numeri. Græci bene, ἡ βȣλή σȣ [*Senatus tuus*].

Quia comprehendit te dolor ſicut parturientem?] *An hoc eſt cur dolor te invenerit quaſi parturientis?*

10. *Dole & ſatage*] Ingemiſce. non veto te dolere, cauſa juſta eſt, ſed ſolatium adfero.

Quia nunc egredieris de civitate] *Egreſſa es.*

Et habitabis in regione] *Habitas in agro.* Agros alienos colis.

Et venies uſque ad Babylonem] *Perveniſti ad Babylonem uſque.* Nam & illic erant multi Iudæorum.

Ibi liberaberis] *Sed indè liberaberis.*

Ibi redimet te Dominus] *Indè redimet te.*

11. *Et nunc congregatæ ſunt ſuper te gentes multæ*] *Contra te. Gentes* intelligit Chaldæos, & populos qui ſub eorum erant imperio.

Quæ dicunt: Lapidetur, & adſpiciat in Sion oculus noſter] In Hebræo: *Contaminetur, inſpectet Sionem oculus noſter.* Polluamus eam, ac pollutam inſpectemus. quaſi de femina loquuntur. Senſus eſt: illudamus miſeriis Iudaïcæ gentis.

12. *Ipſi autem non cognoverunt cogitationes Domini*] Ignota ſunt ipſis Dei conſilia.

Quia congregavit eos quaſi fœnum areæ] *Quòd eos congregavit* (Deus) *quaſi manipulum areæ.* Nempe ad trituram de illis faciendam, quod ſequitur: id eſt, ad eos calcandos atque frangendos.

13. *Surge & tritura, filia Sion*] Proculcate Chaldæos, qui Babylone erant cùm ea caperetur.

Quia cornu tuum ponam ferreum, & ungulas tuas ponam æreas] Tutò hoc facere poteritis, armati Perſarum in vos benevolentiâ.

Et comminues populos multos] In Hebræo: *Conteres*, nempe interfectos à Perſis.

Et interficies Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino univerſæ terræ] In Hebræo eſt: *Et devorabo Domino avaritiam eorum* (quod avarè arripuerunt), *& facultates eorum Domino univerſæ terræ.* Eſt hîc, ut ſæpe, tertia perſona pro prima, ſive nomen pro pronomine: Deus enim loquitur. Simplex ſermo fuerat, *Mihi devorabo*, id eſt, faciam ut ad meos uſus redeant vaſa quæ Chaldæi avarè è Templo meo abduxerant, Eſdræ I. 7.

CAPVT V.

1. N*Vnc vaſtaberis, filia latronis*] Hæc omnia in Hebræo rectè cum præcedente ſermone cohærent. Græci malè diſcerpſerunt. *Brevì exſcindêris, ô filia exſciſſoris.* Babylonem alloquitur, ideóque voce utitur Chaldaïcâ: nam גדד Chaldæis eſt *exſcindere*, unde & Arabes pari ſignificatu hanc vocem uſurpant. *Filia exſciſſoris*, id eſt, ædificata à

Nemrodo prædone maximo, ejúſque mores imitata, Geneſeos x. 8. 9. 10.

Obſidionem poſuerunt ſuper nos] Peribunt *illi qui nos obſederunt.*

In virga percutient maxillam Iudicis Iſraël] *Qui bacillo verberarunt maxillam Iudicis Iſraël*, id eſt, *Iudicum*, ut hîc vertit Chaldæus. *Verberare maxillam* eſt injurioſè tractare, Pſalmo III. 8. ubi verò *bacillis* adjicitur, id auget contumeliam. Sæpe Prophetæ pro præcipua cauſa malorum quæ Babyloni evenerunt, referunt immiſericordiam in Iudæos.

2. *Et tu, Bethlehem Ephrata*] *At tu.* Redit ad id quod dixerat ſuprà IV. 8. ut ſæpe eadem repetunt Prophetæ, quò magìs ea animis hæreant. *Bethlehem Ephrata* eadem eſt quæ & *Bethlehem Iudæ*, ut diximus ad Matthæi II. 6.

Parvulus es in millibus Iuda] Poteſt commodè per interrogationem legi, *parváne ſis*, id eſt, habearis, *à populo Iudæ?* Quæ loquendi forma vehementer negat, ut ad dictum Matthæi locum notavimus. Poteſt etiam verti: *parum es ut ſis*, id eſt, locum tuum habeas, *inter Chiliarchas Iudæ.* Longè major tibi honor deſtinatur.

Ex te mihi egredietur] Id eſt, naſcetur. Sic enim יצא [*exire*] ſumitur Geneſeos XVII. 6. XXV. 25. Eſaiæ XI. 1. *Natus ex Bethlehemo* Zorobabel rectè dicitur, quòd ex Davidis familia eſſet, quæ orta Bethlehemo.

Et egreſſus ejus ab initio, à diebus æternitatis] *Origo ipſi* (Zorobabeli) *ab olim, à temporibus longis:* id eſt, originem trahit à domo illuſtri antiquitus, & per quingentos annos regnatrice.

3. *Propter hoc dabit eos uſque ad tempus*] *Certè tradet eos* (Hebræos Deus) *uſque ad tempus* in ditionem Chaldæorum.

In quo parturiens pariet] Donec liberetur à doloribus. Sicut dolores comparati ſunt *parturigini*, ſuprà IV. 9. 10. ità hîc liberatio ab illis *partui*.

Et reliquiæ fratrum ejus] Nempe Zorobabelis: id eſt, qui de Iudæ tribu ſupererunt.

Convertentur] Revertentur.

Ad filios Iſraël] *Cum filiis Iſraël.* Ità על ſæpe ſumitur: id eſt, cum Benjaminitis, Levitis, & nonnullis etiam aliarum tribuum.

4. *Et ſtabit, & paſcet*] Hebraïſmus pro *perget paſcere*, id eſt, regere populum.

In fortitudine Domini, in ſublimitate nominis Domini Dei ſui] Deo ipſum roborante & attollente. *Nomen Dei* pro *Deo* frequens Hebræis.

Et convertentur] *Et habitabunt* ſecurè illi reverſi.

Quia nunc magnificabitur uſque ad terminos terræ] *Nunc*, id eſt, illico poſtquam reverſi fuerint, Dei fama ex iſto beneficio longè latéque propagabitur per terras omnes. Vide ſuprà IV. 1.

5. *Et erit iſte pax*] *Et erunt tunc res proſperæ.* זה pro temporis nota ſumi ſolet, ut Numer. XXII. 32. שלום pro *rebus proſperis.* Vnde ventura ſit iſta proſperitas jam dicet.

Cùm venerit Aſſyrius in terram] *Poſtquam venerit in terram noſtram* (id eſt, Iudæam) *Aſſyrius* nempe cum *Nemrodo*, ut ſequitur, id eſt, cum Chaldæis, in quorum exercitu multi erant Aſſyrii: imò & ipſa Babylon pars Aſſyriæ non Poëtis tantùm, ſed & Straboni.

Et quando calcaverit in domibus noſtris] *Poſtquam calcaverit domos noſtras*, captis Hieroſolymis.

Et ſuſcitabimus ſuper eum] *Tunc ſuſcitabimus contra eum*, nempe precibus noſtris ad Deum fuſis.

Septem paſtores] Cyrum cum aliis aliquot Regibus, Ieremiæ LI. 27. 28.

Et octo primates hominum] Id eſt, magnos Satrapas, qui Ieremiæ dicto loco פחותים & סגנים.

6. *Et paſcent terram Aſſur in gladio, & terram Nemrod in lanceis ejus*] *In lanceis ſuis*, id eſt, armis domabunt Aſſyriam & Babyloniam: quod eſt *regere in virga ferrea* Pſalmo II. Ordinem bene ſervat: nam Cyrus per Aſſyriam venit in Babyloniam.

Et liberabit ab Aſſur, cùm venerit in terram noſtram, & cùm calcaverit in finibus noſtris] Hîc כי eſt *nè*, ut rectè notavit Chaldæus. *Liberabit* (nos Cyrus) *ab Aſſyrio nè veniat in terram noſtram, & nè calcet fines noſtros:* nempe ut olim fecit. Hæc eſt cauſa proſperitatis Iudæorum, quòd Perſa omnes illas gentes Iudæis infeſtas continebit in officio.

7. *Et erunt reliquiæ Iacob*] Illi qui è Babylonia redierint.

In medio populorum multorum] Populis adſpectantibus.

Quaſi ros à Domino, & quaſi ſtillæ ſuper herbam] *Quaſi pluviæ tenues ſuper herbam.*

Quæ non exſpectat virum, & non præſtolatur filios hominum] Sicut ros & pluviæ ſine humana ope cœlitus veniunt, ità Iudæi ſecurè vivent ſine ſuo labore.

8. *Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quaſi leo in jumentis ſilvarum, & quaſi catulus leonis in gregibus pecorum: qui cùm tranſierit & conculcaverit, & ceperit, non eſt qui eruat*] Hoc ſpectat ad tempora Maccabæorum ac ſequentia, per quæ Iudæi Idumæam, multa Ammonitidos & Moabitidos, Samariam quoque & circumſita ſui juris fecere.

10. *Et erit in die illa*] Illa nempe de qua ſuprà I. nam hîc ad Babylonem Dei ſermo revertitur.

Auferam equos tuos de medio tui, & diſpergam quadrigas tuas] Eadem ferme verba apud Ieremiam L. 37. LI. 21.

11. *Et perdam civitates terræ tuæ, & deſtruam omnes munitiones tuas*] Ieremiæ LI. 30. 43.

Et auferam maleficia de manu tua, & divinationes non erunt in te] Ieremiæ L. 36.

12. *Et perire faciam ſculptilia tua, & ſtatuas tuas de medio tui, & non adorabis ultrà opera manuum tuarum*] Eſaiæ XLVI. 1. Ieremiæ L. 2. LI. 41. 44. Perſæ hoſtes erant imaginum.

13. *Et evellam lucos tuos de medio tui*] Qui τεμένεα Herodoto, ubi mores Babyloniorum deſcribit.

Et conteram civitates tuas] Vrbes Imperii tui, ut ſuprà II.

14. *Vltionem in omnibus gentibus*] Chaldaïci Imperii.

Quæ non audierunt] Quæ ſe Cyro opponent. Confer Eſaiæ XLV. 1.

CAPVT VI.

1. A*Vdite quæ Dominus loquitur*] *Audite, quæſo, quod dicit Dominus*. Novus eſt ſermo, cauſas rurſus exprimens imminentium Iudæis malorum.

Surge, contende judicio adverſùm montes] Id eſt, tu Propheta cauſam meam age contra Iudæam: Quæ dicitur *mons* aut *montes*, quia valde montoſa eſt, Ezechiel. VI. 2. XXXVIII. 8. Ioël. II. 1.

2. *Audiant montes judicium Domini*] *Cauſam Domini*. Hîc Propheta incipit quod ſibi injunctum erat exſequi.

Et fortia fundamenta terræ] Id eſt, colles, qui velut columnæ ſunt terræ. Per *montes* autem & *colles* inhabitatores eorum συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*] intelliguntur.

Quia judicium Domini cum populo ſuo] *Lis eſt Domino cum populo ſuo*. Græci, κρίσις τῷ Κυρίῳ [*lis Domino*].

Et cum Iſraël dijudicabitur] *Diſputabit*. Magna Dei bonitas, qui cùm ſit omnium ſummo jure Dominus, tamen hominibus, id eſt, vermibus terræ, ſi ipſi comparentur, probare vult actionum ſuarum æquitatem. Vide Eſaiæ v. 3. XLIII. 26.

3. *Popule meus, quid feci*] Oratio μάλα περιπαθής [*valde affectibus plena*], qualis & illa ſimilis argumenti apud Ieremiam II. 5.

4. *Moſem*] Qui leges tibi daret optimas.

Et Aaron] Qui pro populo precaretur.

Et Mariam] Quæ exemplum eſſet feminino ſexui.

5. *Memento, quæſo, quid cogitaverit Balach Rex Moab, & quid reſponderit ei Balaam filius Beor*] Hoc eſt quod Balacho reſponderat Balaam, Non poſſe te everti niſi Lege Dei contemtâ per idololatriam, aliáque flagitia. Vide II Petr. II. 18. Iudæ II. Apocal. II. 14. & vide quæ diximus ad Num. XXV. & XXXI. 8.

De Setim uſque ad Galgalam] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] *memento*: & eſt præterea ἔλλειψις [*defectus vocum*], nempe *eorum quæ fecerim*. *A Setim ad Gilgalam*, id eſt, ultra ciſque Iordanem. *Setim* eſt is locus cujus mentio Num. XXV. *Gilgala* is cujus Ioſuæ v. Multa quidem & antè, ſed illo tempore inſignia Dei beneficia Iſraëlitis contigere, præſertim in Iordanis tranſitu. LXX hîc habent ἀπὸ τῶν σχοίνων· ſed rectè conjicit Hieronymus ſcriptum ab iis σχίνων [*Schinorum*], quod ligni genus non abſimile ligno שטים [*Setim*], unde illi loco nomen.

Vt cognoſceres juſtitias Domini] *Vt cognoſcas Dei beneficia*, ac dicas quæ ſequuntur. Sæpe enim talia ſubintelliguntur apud Hebræos.

6. *Quid dignum offeram Domino*] קדם Hebræis & Chaldæis & Arabibus inter alia eſt *coram aliquo apparere*. *Cum qua re me ſiſtam Domino?*

Curvabo genu Deo excelſo] *Submittam me Deo excelſo*. כפף corporis quidem humilem *flexum* ſignificat, ſed & ad animum transfertur; & ità videtur hîc cepiſſe Chaldæus.

Numquid offeram ei holocautomata] Quæ dominium Dei in res omnes ſignificant. Levit. I.

Et vitulos anniculos] Qui pro Sacerdote offerri ſolebant, Levitici IX. 2.

7. *Numquid placari poteſt Dominus in millibus arietum?*] In Hebræo: *An contentus erit Deus millibus* (aliqùot) *arietum?* qualia obtulit Solomon I Regum VIII. 63. & Ezechias II Regum XXX. 24. & Ioſias II Paralipomen. XXXV. 7.

Aut in multis millibus hircorum pinguium] Sic & Græci: ἐν μυριάσι χιμάρων πιόνων. Legerunt verò aliter quàm in Hebræo eſt, ברבבות נחלי שמן, *in denis millibus fluentorum olei*. Quæ lectio ſi vera eſt, per *fluenta* intelligenda ſunt vaſa maximæ capacitatis. Oleum uſitatum in ſacris Hebræorum, Levitic. II. VI. VII. præterea multo oleo ad lychnos opus.

Numquid dabo primogenitum meum pro ſcelere meo?] In Hebræo: *ſcelus meum*, id eſt, λύτρον [*redemtionem*] *ſceleris mei*. Solent enim apud Hebræos pœnæ & piamenta *peccatorum* nomine appellari. *Primogenitum*, nempe ut fecit Rex Moab II Regum III. 27.

Fructum ventris mei pro peccato animæ meæ] Et hîc in Hebræo eſt *peccatum*. *Fructum ventris mei*, id eſt, uxoris meæ, ut Pſalmo CXXXII. 11. quaſi dicant, Faciemus quod fecit Iephthe, qui filiam ſuam Deo vovit?

8. *Indicabo tibi, ô homo, quid ſit bonum*] In Hebræo: *Indicabit tibi* (Deus ſcilicet per me Prophetam) *quid bonum ſit*, per ſe ſcilicet, non tantùm ex inſtituto, ut alia.

Et quid Dominus requirat à te: Vtique facere judicium, & diligere miſericordiam, & ſollicitum ambulare cum Deo tuo] In Hebræo: *Ecquid Dominus à te exigit, niſi facere quod jus eſt, amare beneficentiam, & ſubmittere ſe ubi cum Deo res eſt?* Egregia hîc eſt ad Euangelium præparatio, niſi quòd hæc ipſa poſt Chriſtum tantò implenda perfectiùs quantò & præcepta accepimus in triplici hoc genere excellentiora, & in Chriſti vita ac morte exactiſſimum exemplar, & præmii æterni revelationem, & majora Spiritûs auxilia, & libertatem à tot ritibus, quò expeditiores rebus his potioribus toti incumberemus.

9. *Vox Domini ad civitatem clamat, & ſalus erit timentibus nomen tuum*] *Vbi vox Domini ad civitatem clamat, ſapientiæ eſt, ſi quis timeat nomen tuum*, majeſtatem tuam tremat.

Audite, tribus, & quis approbabit illud] Alii, *Audite virgam, & eum qui conſtituit eam*: ut ſit מי [*quis*] pro אשר [*qui*], ut alibi. At Chaldæum apparet legiſſe שמעו מטה רמי ועדה, & מטה, quod eſt πολύσημον [*plura ſignificans*], ab eo acceptum pro *ſceptro*, & per *ſceptrum* Regem intelligit; vertit enim, *Audite, Rex, & proceres, & conventus*: ſenſu non malo. Ità רמי hîc erit in regimine poſitum vice abſoluti, quod exemplis non carere alibi oſtendimus.

10. *Adhuc ignis in domo impii*] Legit אש cum Tſere, non cum Hiric: ſic & Græci. *Ignis* rectè dici poteſt quod cauſa eſt cur omnia conſumantur: Iacobi v. 3. Si Hebræum ſequamur, ſenſus erit: *Adhùcne alicui* (manet) *domus impii*, domus impietate quæſita? nec tot poſt monitus redduntur quæ rapta ſunt?

Theſauri iniquitatis] Opes malè partæ.

Et menſura minor iræ plena] *Et Epha minus* juſto, quod eſt *abominabile.* Epha menſura aridorum. Explicat quid ſuprà ſignificaverit voce *judicii.*

11. *Numquid juſtificabo*] Approbabo. In Hebræo, *mundabo.*

Stateram impiam, & ſaccelli pondera doloſa] *Leviora ad vendendum, graviora ad emendum*, ut hîc Chaldæus. In Hebræo pondera vocantur *lapides:* talibus enim utebantur Hebræi, eóſque reponebant in ſaccum, ut apparet Deuteronomii xxv. 13. & Proverbiorum xx. 10.

12. *In quibus*] In Hebræo: *cujus*, nempe *civitatis*, quod repetendum ex commate 9.

13. *Et ego ergò cœpi percutere te perditione ſuper peccatis tuis*] *Ergò & ego affligam te cædendo & devaſtando ob peccata tua.* Confer Eſaiæ 1. 5.

14. *Tu comedes, & non ſaturaberis*] Non invenies cùm obſideberis alimenta quæ tibi proſint.

Et humiliatio tua in medio tui] *Depreſſio tua in viſceribus tuis:* id eſt, viſcera tua præ fame concident. Ità Chaldæus.

Et apprehendes] *Apprehendet femina*, id eſt, concipiet. Omnes ferme Interpretes putant hîc, ut alibi ſæpè, ס poni vice ש.

Et non ſalvabis] *Et non pariet.* Ità פלט ſumitur Iob. xxi. 10. Solent præ fame aut fœdis alimentis abortire mulieres.

Et quos ſalvaveris] *Quos pepererit femina.*

In gladium dabo] *Tradam gladio hoſtili.*

15. *Tu ſeminabis & non metes*]

Impius hæc tam culta novalia miles habebit?
Barbarus has ſegetes? en queîs conſevimus agros!

Tu calcabis olivam] Premes.

Et muſtum] *Vvas*, Chaldæus.

16. *Et cuſtodiſti præcepta Amri*] *Ideo quòd obſervantur* (apud te) *præcepta* (non Dei, ſed) *Amri:* de quo 1 Regum xvi. 25. Ab Iſraële ad Iudam manarunt mala exempla.

Et omne opus domûs Achab] Qui Amri filius, & patrem & progenitores omnes impietate ſuperavit, 1 Regum xvi. 30. 31. 32. 33. *Domum* autem *Achabi* rectè dicit, quia poſteritas ejus eaſdem vias inſtitit, ob id per Iehum exciſa.

Et ambulaſti in voluntatibus eorum] *Sectamini eorum inſtituta.*

Vt darem te in perditionem] Eſt ἔλλειψις [*vocum defectus*], pro *ità fiet* ut dem te exitio.

Et habitantes in ea] *Civitate*, de qua ſuprà 9.

In ſibilum] Irriſui. Vide 1 Regum ix. 8. Threnorum ii. 15.

Et opprobrium populi mei portabitis] *Portatis.* Omnes dicent in vobis, ô divites, (de quibus actum eſt ſuprà 12.) præcipuam eſſe cauſam cur reſpublica ità funditus everſa ſit.

CAPVT VII.

1. VÆ *mihi, quia factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ*] Id eſt, reſtantes poſt vindemiam diligentem, qui perpauci eſſe ſolent. Deſcribit hîc Propheta, quæ pius aliquis jure dicturus ſit regnante Manaſſe, quo tempore viri boni vix futuri erant ——— *totidem quot*
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

Non eſt hortus ad comedendum] Scripſit Hieronymus, ut ex Commentariis apparet, *non eſt botrus ad comedendum*, Græcam vocem uſurpans, quia Latinis non eſt una quæ ei reſpondeat: eſt enim βότρυς uvarum cohærentia à racemo dependens.

Præcoquas ficus deſideravit anima mea] Rem hanc quoque raram, Oſee ix. 10. ſubauditur *quaſi.*

2. *Periit ſanctus de terra*] חסיר *beneficus*, unde Ἀσιδαῖοι [*Aſidæi*]· nemo eſt bonus, id eſt, vix quiſquam, ut Rom. iii. 10. ὑπερβολαὶ [*Superjectiones*] vehementer quod volunt exprimunt.

Omnes in ſanguine inſidiantur] *Ad ſanguinem uſque.*

Vir fratrem ſuum] Id eſt, popularem.

Ad mortem venatur] In Hebræo: *venatur ſagenâ.*

3. *Malum manuum ſuarum dicunt bonum: Princeps poſtulat, & Iudex in reddendo eſt*] Non malè hanc partem connectas cum prioribus: *Ad malefaciendum manu utrâque venatur* (ut præceſſit), *ad benefaciendum Princeps* (aliquid) *poſtulat, & Iudex* (ſupple judicat) *retributionis causâ.* Chaldæus pro להיטיב [*ad benefaciendum*], legit לא היטיב, *non facit bene*, quiſquam ſcilicet.

Et magnus locutus eſt deſiderium animæ ſuæ] *Si magnus aliquis eloquatur pravitatem animi ſui.* הוה *pravitas:* Pſalmo v. 10. xxxviii. 12. lvii. 2.

Et conturbaverunt eam] Alii, minores ſcilicet, *contortuplicant idipſum* quod ille voluit. Teſtes tres ſunt, quaſi tria fila contorta, quæ rumpi nequeunt.

4. *Qui optimus in eis eſt quaſi paliurus*] Quicquid attigerit, retinens.

Quaſi ſpina de ſepe] Pungens undique.

Dies ſpeculationis tuæ] *Speculationum tuarum:* id eſt, tempus à Prophetis prædictum. Prophetæ enim vocantur *ſpeculatores* Ezech. iii. 17. xxxiii. 2. 6. 7.

Viſitatio tua venit] Qua Deus vos exploraturus eſt graviſſimis tentamentis, an conſtantes ſitis in pietate.

Nunc erit vaſtitas eorum] Nempe *Prophetarum.* Omnes interficientur aut fugient.

5. *Nolite credere amico*] Vbi Reges pietatem pœnis atrociſſimis perſequuntur, nuſquam tunc fides tuta eſt. Vide Matth. x. 35. Lucæ xii. 53. *Quibus deerat inimicus, per amicos oppreſſi*, ait Tacitus.

Et nolite confidere in duce] *Nolite fidere capiti familiæ veſtræ*, τῷ ἄρχοντι τοῦ οἴκου [*Principi domûs*], quomodo אלוף explicatur Iobi xxii. 14. Ad illos perfugium habere ſolebant qui ejuſdem erant familiæ. Lxx etiam φίλον [*amicum*] verterunt Proverbiorum xvi. 28. xvii. 9.

Ab ea quæ dormit in ſinu tuo] Deſcriptio uxoris, Deuteron. xiii. 6. xxviii. 54. 56. Lucretius:

——— *in gremium qui ſæpe tuum ſe*
Rejicit, æterno devictus vulnere amoris.

Cuſtodi clauſtra oris tui] Cave quicquam arcani ei credas. Ovidius:

Imminet exitio vir conjugis, illa mariti.

6. *Quia filius contumeliam facit patri*] Patrem vilipendit. Idem eſt quod dicit Heſiodus;

Αἶψα δὲ γηράσκοντας ἀτιμάσουσι τοκῆας.
[*Mox etiam ſpernent ſeros ætate parentes.*]

Nurus adverſùs ſocrum ſuam] Vide dicta loca Matthæi, & Lucæ. Ovidius:

——— *non hoſpes ab hoſpite tutus,*
Non ſocer à genero.

Et inimici hominis domeſtici ejus] *Etiam domeſtici.* Ovidius:

Fratrum quoque gratia rara eſt.

7. *Ego autem ad Dominum adſpiciam*] Durant adhuc verba pii alicujus victuri illis temporibus.

8. *Nè læteris, inimica mea, ſuper me*] Novus planè eſt ſermo, in quo Iudæa gens deportata loquens inducitur. *Inimica eſt gens Chaldæa.*

Conſurgam cùm ſedero in tenebris] *Vbi ſedero* (diu) *in tenebris:* id eſt, in miſeria.

Dominus lux mea eſt] *Erit* cauſa meæ proſperitatis.

9. *Iram Domini portabo*] Pœnam à Deo inflictam patienter feram.

Quoniam peccavi ei] *In eum:* per idololatriam, injuſtitiam, immiſericordiam.

Donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum] *Donec cauſam meam cognoſcat, & injurias meas vindicaverit*, nempe adverſùs Babylonios, qui me irrident atque proculcant, ideo quòd in tantis malis poſita uni Deo ſervire perſeverem.

Educet me in lucem] In res bonas.

Videbo juſtitiam ejus] *Bonitatem*, quæ ſæpe צדקה Hebræis.

10. *Et adſpiciet inimica mea*] Gens Chaldæa, ut diximus.

Quæ dicit ad me] *Quæ dixit ad me,* cùm captivam me teneret.

Vbi eſt Dominus Deus tuus?] Id eſt, Adſit nunc ut te liberet. Simile vide Matth. XXVII. 43. & ibi dicta.

Oculi mei videbunt in eam] *Adſpicient gentem Chaldæam* ſub jugo Perſarum.

Nunc erit in conculcationem ut lutum platearum] Teretur pedibus victoris. Vide ſimile Pſalmo LX. 10. Eſaiæ XXVI. 6.

11. *Dies ut ædificentur maceriæ tuæ*] Id eſt, Longum erit tempus antequam ruinæ tuæ (id eſt, urbium tuarum) reparentur. Vertit verba ad gentem Chaldæam.

In die illa] Conculcationis tuæ, de qua agi cœpit.

Longè fiet lex] Longè à te aberit poteſtas edicta mittendi ad gentes. Par ſenſus apud Nahumum de Aſſyriis, II. 13.

12. *In die illa & uſque ad te veniet de Aſſur*] Ab Aſſyria ad te Cyrus veniet. Vide ſuprà v. 6.

Et uſque ad civitates munitas] Babylonem, Borſippa, & alias urbes firmiſſimas.

Et à civitatibus munitis uſque ad flumen] *Flumen* cùm ſimpliciter ponitur eſt Euphrates. Senſus eſt: Cyrus totum Euphratem ſui juris faciet,

Euphrates ibit jam mollior undis.

Et ad mare de mari] A mari Perſico, in quod Euphrates illabitur, veniet ad mare Syriacum.

Et ad montem de monte] A Tauro monte ad Carmelum Syriæ.

13. *Et terra*] Chaldaïca.

Erit in deſolationem propter habitatores ſuos] *Cum habitatoribus ſuis.* Terra erit ſine cultu, & homines ſine terris. Eſt σύλληψις [*Comprehenſio*]· nam verbum illud propriè terræ, minùs propriè hominibus congruit.

Et propter fructum cogitationum eorum] In Hebræo eſt: *& propter fructum operum eorum*, id eſt, propter opera quæ pridem ediderunt, cædes, rapinas, impietatem.

14. *Paſce populum tuum, in virga tua, gregem hereditatis tuæ*] Redit ad preces populi deportati, & per *virgam* pedum paſtorale intelligit: exigit enim id comparatio cum pecore. id pedum, curam Dei peculiarem pro populo ſuo ſignificat.

Habitantes ſolos in ſaltu, in medio Carmeli] *Habitet* (populus ille) qui *ſolitarius in ſilvis* fuerat *in medio arvorum. Arva* omnia Hebræi כרמל vocant: præter quod eximiè id nomen adhæſit monti in Syria, & loco in Iudæa, ubi habitaverat Nabal.

Paſcentur Baſan & Galaad juxta dies antiquos] Poſt arva venit ad paſcua: & ait, *paſcant in Baſan*, &c.

15. *Secundùm dies egreſſionis tuæ de terra Ægypti oſtendam ei mirabilia*] Sunt hæc, ut multa apud Prophetas, ἀμοιβαῖα [*alternatim dicta*]. Hic enim Deus ad populi preces reſpondens inducitur. Mira, inquit, in Chaldæos deſignabo, qualia olim in Ægyptios, cùm de Ægypto exiretis.

16. *Videbunt gentes, & confundentur ſuper omni fortitudine ſua*] *Pudore afficientur gentes* (ſociæ Chaldæorum) *ob* ità ſubitò *omne robur ſuum* deſtructum.

Ponent manum ſuper os] Digito compeſcent labellum.

Aures eorum ſurdæ erunt] *Obſurdeſcent.* Adeò erunt conſternati ut quæ dicentur non exaudiant.

17. *Lingent pulverem ſicut ſerpentes, velut reptilia terræ*] Hîc iterum loquuntur Iudæi. *Lingent pulverem*, id eſt, in terram concident præ metu. De re vide Matth. XVII. 6. de locutione Pſalm. LXXII. 9. Eſaiæ XLIX. 23.

Perturbabuntur in ædibus ſuis] *Commovebuntur è clauſtris ſuis*: id eſt, cogentur exire de locis munitis, & ea Perſis tradere.

Dominum Deum noſtrum formidabunt, & timebunt te] Nempe cùm intelligent hæc à Prophetis prædicta, & à Iudæis ſemper credita.

18. *Qui aufers iniquitatem*] Id eſt, pœnam, ab iis ſcilicet qui ſe convertunt, aufers tempore à te conſtituto.

Et tranſis peccatum] In Hebræo, *Tranſis ſuper peccatum.* Id eſt, Græcè, ὑπερβαίνειν ἀσεβείας. Similitudo à viatore ſumta, qui quæ introſpicere non vult, præterit.

Reliquiarum hereditatis tuæ] Id eſt, populi tui. Benè dixit *reliquiarum*, ut Virgilius:

Relliquias Danaûm atque immitis Achilli.

Non immittet ultrà furorem ſuum] In Hebræo, *non retinuit in perpetuum furorem ſuum:* id eſt, non oſtendit ſe implacabilem.

Quoniam volens miſericordiam eſt] *Amat enim benefacere.* Ità hîc Chaldæus. Id ei proprium eſt ac naturale; pœna & ſupplicia ei extorquentur:

Et quoties ſævus cogitur eſſe, dolet.

19. *Revertetur & miſerebitur noſtri*] Id eſt, *iterum noſtri miſerebitur*, ut olim ſæpe. Hebraïſmus notus.

Deponet iniquitates noſtras] In Hebræo eſt, *ſubjiciet*, ſive *ſub pedibus ponet:* ut ea quæ adſpicere nolumus.

Et projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra] In Hebræo: *eorum*, id eſt, ſingulorum de populo. *In mare projici* dicuntur & Græcis & Latinis ea quorum nulla cura habetur. Horatius:

——— triſtitiam & metus
Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis.

20. *Dabis veritatem Iacob*] *Veritas* hîc & alibi ſæpe eſt fides in præſtandis promiſſis. Præſtabis Iacobi poſteris quod Iacobo promiſiſti, Geneſeos xxv. 12.

Miſericordiam Abraham] Id eſt, bonitatem tuam oſtendes erga Abrahami ſobolem. Solent enim poſteri vocari nomine majorum; quomodo & Zorobabel *David* dicitur.

Quæ juraſti] Rectè verti poteſt, *quam juraſti.*

Patribus noſtris à diebus antiquis] *Iam olim. Patribus*, id eſt, Abrahamo ipſi, Geneſeos xii. 2. xv. 7. xvii. 7. & ſequentibus: Iſaaco, Geneſ. xxvi. 24. Iacobo, Geneſ. xxviii. 13. In hac bonitate promiſſa & hoc comprehenditur, Vt nunquam intereat illorum Patrum progenies, & ut quoties ſe univerſam ad Deum convertat, reſtituatur in veterem poſſeſſionem, Deuteron. xxx. 1. 2. 3. 4. Hoc eſt privilegium uni iſti populo propter Patres datum; τὰ δῶρα ἀμεταμέλητα [*dona quorum non pœnitet*].

AD NAHVMVM.

CAPVT I.

1. ONus Ninive] Id eſt, Diræ adversùs urbem Ninon, ſub qua ſimul comprehenditur totum Imperium Aſſyriorum; quod poſt Ionæ tempora iterum ad veteres mores redierat. Cenſent Hebræi tam Nahumum quàm Habacucum ſcripſiſſe Manaſſis temporibus: Idque nobis perſuadent tum ordo, quo antiquitus poſiti ſunt hi Prophetæ poſt eos qui Ezechiæ vixere temporibus, tum res ipſæ quæ in eorum ſcriptis continentur. Nam hæc Nahumi Prophetia impleta eſt per Nabopallaſarum patrem Nabuchodonoſori. Strabo libro xvi. Ἡ Νῖνος ἠφανίσθη παραχρῆμα μετὰ τὴν τῶν Σύρων κατάλυσιν [*Ninus everſa ſtatim poſt cladem Syrorum*]. Ioſephus ad res venturus Nabuchodonoſori, Antiq. x. 6. ſic præloquitur: τοὺς Βαβυλωνίους, οἳ τὴν Ἀσσυρίων κατέλυσαν ἀρχὴν [*Babylonios, qui Aſſyriorum everterunt Imperium*]. quod eveniſſe Ioſiâ apud Hebræos regnante, ait Hieronymus ad Ionam. Huc etiam meliùs hoc Vaticinium referes quàm ad eam calamitatem quæ cv poſt hunc Prophetam annis evênit: & ſi rectè conſideres cuncta quæ hîc dicuntur, non invenies excidium urbis, ſed deditionem, atque Imperii rerúmque jacturam.

Elceſai] Elkeſaï eſſe Galilææ viculum tradit hîc Hieronymus. Chaldæus eum locum vocat *Bethkeſſi*: ità אל hic ſit articulus, ut apud Arabas.

2. *Deus æmulator*] Qui neque amicos ſuos oppreſſos neque inimicos florentes diu conſpicere poſſit.

Vlciſcens] Ter poſita hæc vox vehementer affirmat, ut alibi nomina *Sancti*, *Templi*, *Terra*; & geſtus ter repetiti.

Et habens furorem] In Hebræo, *Dominus iræ*: id eſt, qui facillimè, ſi velit, poſſit iram ſuam effectam dare.

Et iraſcens ipſe inimicis ſuis] In Hebræo, *reſervans*, nempe iram in ſuum tempus, *adversùs inimicos ſuos.*

3. *Dominus patiens*] Diu diſſimulat iniqua acta, ſpeculans quouſque homines ſint evaſuri; deinde (ut Valerius Maximus ſapienter loquitur) *tarditatem ſupplicii gravitate compenſat.* Vide Plutarchum, Περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Θείου βραδέως τιμωρουμένων [*De iis qui ſerò à Deo puniuntur*].

Et magnus fortitudine] Qui illico ſe ulciſci poſſit, ſi velit.

Et mundans non faciet innocentem] In Hebræo, *In mundando non mundat*: Græcis ἀθῳῶν οὐκ ἀθῳώσει [*innocentificando non innocentificabit*]· quomodo legiſſe Hieronymum ex Commentario apparet. Vulgò peſſimè editur, ἀθῶον οὐκ ἀθῳώσει. Senſus eſt, Non ſemper ſinet hoſtes ſuos impunè ferre quæ faciunt.

Dominus in tempeſtate & turbine via ejus] Hebraïſmus ſatìs frequens. Simplex locutio eſſet, *Domini via cum tempeſtate & turbine*: id eſt, procellas immittit quò ipſi libet.

Et nebulæ pulvis pedum ejus] Nubi inſiſtit, ſicut homines pulveri: id eſt, Dominus eſt nubium, & eis utitur ut vult.

4. *Increpans mare, & exſiccans illud*] *Qui ut increpuit mare, illico idipſum arefacit*, ut fecit mari Rubro.

Et omnia flumina ad deſertum deducens] *Omnia flumina exſiccat*: nempe ἀπὸ κοινοῦ [*ex dicto in commune*], *ubi ipſe increpuit*, id eſt, imperavit.

Infirmatus eſt Baſan] *Sterileſcit Baſan*; id eſt, loca maximè apta paſcendo pecori, nempe *ubi Deus increpuit*, ut ſuprà. Chaldæi *Baſan* vocant מתנן, gemina mutatione ב in מ æquè labialem, & ס in ת, quod valde frequens Syris & Chaldæis. Exemplum hujus dicti ſit in temporibus Eliæ.

Et Carmelus] Arva Iudææ, aut Syriæ.

Et flos Libani elanguit] *Etiam floridiſſima Libani ſterileſcunt.* Sic Græci. Poſt paſcua & arva etiam ad arbores venit, ut indicet nihil eſſe quod durare poſſit Deo nolente.

5. *Montes commoti ſunt ab eo, & colles deſolati ſunt*] *Montes ejus vi commoventur, & colles liqueſcunt*, id eſt, aquam edunt: Pſalm. cxiv. 4. 6. 8. Exod. xvii. 6. Numerorum xx. 11.

Et contremuit terra à facie ejus] In Hebræo, *Conflagrat terra ab ejus adſpectu*: ut terra Sodomorum, & vicinarum urbium.

Et orbis] תבל ſolet dici κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] terra Iſraëlitica, quæ & ipſa fumavit incendiis per Salmanaſarem, & Sennacheribum.

6. *Ante faciem indignationis ejus quis ſtabit?*] Quis populus ſalvus eſſe poſſet ipſo iraſcente, qui tam potentem ſe tot oſtendit documentis?

Indignatio ejus effuſa eſt ut ignis, & petra diſſolutæ ſunt ab eo] *Si indignatio ejus ut ignis ſe effundat, ipſæ rupes indè frangentur.* Strue lignorum incenſâ pervias ſibi Alpes fecit Annibal.

7. *Bonus Dominus & confortans in die tribulationis*] *Et præſidium* (ſuis ſcilicet, ut ſequentia oſtendunt) *tempore ærumnoſo.*

Et ſciens ſperantes in ſe] *Novit qui* ſint qui *ipſi confidant*, id eſt, qui Deum ex animo colant, II Timoth. II. 19.

8. *Et in diluvio prætereunte conſummationem faciet loci ejus*] מקומה, quod hîc vertitur *loci ejus*, Græci vertunt ἐπεγειρομένους [*inſurgentes*], pro quo malè eſt in nonnullis codicibus ἐξεγειρομένους. Sic ſumit & Chaldæus, ut ſit participium femininum, & ſubintelligatur עם, vel עדה *multitudo*. Velut *diluvio ſupervadente, exitio dabit inſurgentem contra ſe*, nempe *multitudinem.*

Et inimicos ejus perſequentur tenebræ] Omnia mala ipſos ſequentur. Chaldæus ad *gehennam* id refert; non malè, ſi ſenſum non primum, ſed abſtruſiorem ſpectes.

9. *Quid cogitatis contra Dominum?*] *Quid cogitaretis contra Dominum?* ad effugiendam ſcilicet iram ejus.

Conſummationem ipſe faciet] *Exitium immittet.*

Non conſurget duplex tribulatio] *Calamitas.* Non iteratis ictibus, ſed uno vos proſternet.

10. *Quia ſicut ſpinæ ſe invicem complectuntur*] *Sicut ſpinæ inter ſe conſertæ*, quæ ſcilicet pariter in ignem conjiciuntur.

Sic convivium eorum pariter potantium] *Aut ut convivium eorum qui compotant:* nempe qui ſubitò incenſâ domo pariter pereunt.

Conſumentur quaſi ſtipula ariditate plena] Quæ ſubitò flammam concepit.

11. *Ex te exibit*] In Hebræo, *exivit.*

Cogitans contra Dominum malitiam, mente pertractans prævaricationem] *Conſiliarius nequam*, id eſt, Rabſaces: de quo II Regum XVIII. 19. & ſequentibus; Eſaiæ XXXVI. 4. & ſequentibus.

12. *Si perfecti fuerint*] *Etiamſi perfecti ſint*, nempe ſapientiâ. Ità hîc Chaldæus. Laudantur in oraculo quodam hoc nomine

——— Λυδοί τε καὶ Ἀσσυρίων γένος ἀνδρῶν.
[——— *Lydi & genus Aſſyriorum.*]

Et ità plures] In Hebræo, *Et planè multi.*

Sic quoque attondentur] *Attamen attondebuntur.* Peribit eorum gloria. Tale illud:

Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum.

Et pertranſibit] *Viam ſibi faciet* Chaldæus.

Afflixi te, & non affligam te ultrà] *Vbi afflixero te, non ultrà te affligam,* ô Ninive: id eſt, uno ictu te proſternam, ut ſuprà 9.

13. *Et nunc conteram virgam ejus de dorſo tuo*] In Hebræo, *Confringam jugum iſtius* (Aſarchadonis) *à ſuper te*, nè tibi incumbat Rex ille durus.

Et vincula tua diſrumpam] Quibus ille te adſtrictam tenet.

14. *Et præcipiet ſuper te Dominus*] Conſtituet d te id quod ſequitur.

Non ſeminabitur ex nomine tuo ampliùs] *Nè ſemen* (nempe regium) *exſiſtat ultrà de tuo nomine.* Id eſt, nè poſthac qui tibi imperabunt appellentur *Rege Ninives*, ut Ionæ III. 6. nam ex eo tempore dicti ſunt qui ibi imperabant *Reges Babylonis.*

De domo Dei tui] Adad.

Interficiam ſculptile] *Exſcindam.*

Et conflatile ponam ſepulchrum tuum] Id eſt, *qua ſepulchrum tuum;* ut immundum habeatur quaſi ſepulchrum. nam victores ſolent deos ſuos in locum eorum qui antè colebantur ſubſtituere. Euripides Troadibus:

Ἐρημία γὰρ πόλιν ὅταν λάβῃ κακὴ
Νοσεῖ τὰ τῶν θεῶν, οὐδὲ τιμᾶσθαι θέλει.
[*Nam ſimul ut urbem vaſtitas inceſſerit*
Malè ſe deorum res habent, cultus perit.]

Quia inhonoratus es] Chaldæus legit ſine Cametz in fine, & vertit, *facile enim id mihi.* Ad verbum, *nam facilia*, nempe hæc ſunt.

15. *Ecce ſuper montes pedes euangelizantis*] *Ad montes*, id eſt, ad Iudæam ſubitò ibunt curſores lætum afferentes nuntium.

Et annuntiantis pacem] Id eſt, res proſperas Iudæis.

Celebra Iuda feſtivitates tuas] Securè age dies feſtos.

Et redde vota tua] Quæ feciſti, ſi ab Aſſyriorum metu liberareris.

Non adjiciet ultrà ut pertranſeat in te Belial] *Non ultrà ad te perveniet ille nequam*, Aſſyrius, qui Deum deſpexit.

Vniverſus interiit] *Acciſus eſt.* Gloria Imperii ei ablata eſt.

CAPVT II.

1. *AScendit qui diſpergat coram te*] Iam deſignatiùs modum eum quo eventura eſt ea, de qua egit, mutatio explicat. *Adſcendit adverſùm te diſſipator*, murorum ſcilicet tuorum, Chaldæus.

Qui cuſtodiat obſidionem] *Obſeſſum munimenta tua.*

Contemplare viam] Chaldæus Interpres ſumſit & hoc infinitivè, *ſpeculatum vias.* Venit ut in omnibus viis ſpeculas ponat, nequis ad ſe penetret.

Conforta lumbos] Id eſt, accingere gladio. Vide II Samuel. xx. 8. II Regum IV. 29.

Robora virtutem valde] *Auge copias quamplurimùm:* quaſi dicat, Fruſtrà omnia. Simile habes Eſaiæ VIII. 9. 10.

2. *Quia reddidit Dominus ſuperbiam Iacob, ſicut ſuperbiam Iſraël*] *Reponit Deus* (Aſſyrio) *illam ſuperbiam quam ipſe in Iacobo & Iſraële exercuit*, deportando Decem tribus & obſidendo Hieroſolyma.

Quia vaſtatores diſſipaverunt eos] In Hebræo, *Quia* (Aſſyrii) *vacuefaciendo vacuefecerunt eos:* planè omnia eripuere Iudæis & Iſraëlitis.

Et propagines eorum corruperunt] *Oppida & vicos.* Ità Chaldæus Interpres.

3. *Clypeus fortium ejus ignitus*] *Rubet*, nempe à ſanguine. Chaldæos deſcribit.

Viri exercitûs in coccineis] *Milites coccinati.* Tali ſago multùm uſos Orientis populos, ex Herodoto etiam diſcimus.

Igneæ habenæ currûs in die præparationis ejus] *Igne quaſi lampadarum* coruſcant *currus eorum tempore expeditionis*, nempe ſcintillantibus rotis.

Et agitatores conſopiti ſunt] *Abietes venenatæ ſunt*: id eſt, tela ex abiete. A Scythis is mos venerat, qui *ſagittas tingebant viperinâ ſanie, & humano ſanguine*, quo *irremediabili ſcelere mortem illico adferri levi tactu* tradit Plinius XI. 53.

4. *In itineribus conturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis*] *In viis perſtrepent currus, concrepabunt per plateas*, nempe *armis*, quod ſubaudiri hîc vult Chaldæus Interpres.

Aſpectus eorum quaſi lampades] Oculi ardentes.

Quaſi fulgura diſcurrentia] *Quaſi fulgura confringunt obviā omnia.* Sic fulmini Alexandrum comparant Lucanus & Plutarchus.

5. *Recordabitur fortium ſuorum*] Rex Babylonius ad oppugnationem fortiſſimum quemque diliget.

Ruent in itineribus ſuis] Quiſque primus eſſe volet in oppugnatione, ità ut feſtinantes alter alterum evertant.

Velociter aſcendent muros ejus] *Dum properant ad murum.*

Et præparabitur umbraculum] *Teſtudo*, quâ tecti ſubruant mœnia.

6. *Portæ fluviorum apertæ ſunt*] *Pontes fluminum diſſoluti ſunt*. Ità Chaldæus Interpres.

Templum ad ſolum dirutum] Idem Chaldæus: *Palatium liquefactum*, id eſt, perterriti qui in palatio erant.

7. *Et miles captivus abductus eſt*] *Niſibis captiva abducitur: jubetur adſcendere. Niſibis* ſcribebatur Aſſyriis נצב, ut ex Stephano diſcimus, qui *cumulum* interpretatur. Huic nomini additur hic articulus demonſtrativus, quaſi dicas: *Illa Niſibis adeò prædicata jubetur adſcendere*, id eſt, Babylonem versùs abducta plebs.

Et ancillæ ejus minabantur] *Minabantur* hîc intellige, *agentur pecorum ritu*: nam hoc ſenſu id verbum ſæpe uſurpat Hieronymus. *Ancillas* intellige oppidula & vicos; per ea autem ipſos qui in iis habitaverant.

Gementes ut columbæ] Senſus bene expreſſus. in Hebræo, *juxta vocem columbæ.*

Murmurantes in cordibus ſuis] *Percutientes ſuper corda ſua*: id eſt, *tundentes pectora palmis.*

8. *Ninive quaſi piſcina aquarum, aquæ ejus*] Chaldæus Interpres, *Ninive antiquitus fuit ut piſcina aquarum*, id eſt, ſupra modum populoſa: nam *aquæ*, populi.

Ipſi verò fugerunt] *Ipſæ aquæ*, id eſt, populi. מים Hebræis maſculinum.

State, ſtate, & non eſt qui revertatur] Ἔκλειψις [*defectus vocis*]. *Etiamſi clametur eis, State, ſtate, nemo eſt qui reſpiciat.* Id enim מפנה.

9. *Diripite argentum, diripite aurum*] Iam Babylonios quaſi in re præſente alloquitur Propheta. Simile Eſaiæ L. 26. 27.

Et non eſt finis divitiarum] *Quorum* (auri & argenti) *nullus eſt finis* in ponderando. Olim nummi pendi ſolebant, unde *impenſa* & *expenſa.*

Ex omnibus vaſis deſiderabilibus] In Hebræo, *magnificentia* (nempe opum Ninives) *ſupra omnia vaſa pretioſa.*

10. *Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata*] *Vacuefacta, inanita, lacerata eſt* Ninive, direptis opibus regiis.

Et cor tabeſcens] *Quia cor colliquatum eſt*: id eſt, nihil ipſis fuit animi, quod ſequentibus ſignis confirmatur.

Et diſſolutio geniculorum] Obvênit ſcilicet illis, Danielis V. 6.

Et defectio in cunctis renibus] Eſaiæ XLV. 1. Ezechielis XXIX. 7.

Et facies omnium eorum ſicut nigredo ollæ] Ioël. II. 6.

11. *Vbi eſt habitaculum leonum*] Vbi nunc regia illa Aſſyriorum, plena tot gentium ſpoliis, ut leonum ſpelunca?

Catulus leonis, & non eſt qui exterreat] Hebraïſmus, pro *catulus leonis, quem nemo exterreat.*

12. *Leo cepit ſufficienter catulis ſuis*] *Leo qui caperet ſufficientia.*

Et necavit leænis ſuis] *Vt ſtrangularet* (pecudes in cibum) *leænis ſuis.*

Et implevit] *Impleret.*

13. *Ecce ego ad te*] *Tandem ad te ego veni.*

Et ſuccendam uſque ad fumum quadrigas tuas] *Incendi ad fumum uſque currus tuos*, regios ſcilicet.

——— hîc illius arma,
Hîc currus fuit.

Et leunculos tuos comedet gladius] Comedit. nam loquitur ut in re præſente. *Leunculos*, id eſt, milites in caſtellis circumjectis.

Et exterminabo de terra prædam tuam] Efficiam nè ullas terras populeris ampliùs. Chaldæus Interpres ad commercia hoc trahit, quæ à Ninive Babylonem tranſiere.

Et non audietur ultrà vox nuntiorum tuorum] Edicta ferentium. Vide Michææ VII. 11.

CAPVT III.

1. VÆ *civitas ſanguinum*] *Væ civitati ſanguinariæ.* Iam cauſas Deus exponit ademti Aſſyriis Imperii.

Vniverſa mendacii dilaceratione plena] *Tota plena mendacio & extorſione.*

Non recedet à te rapina] A qua *non receſſit rapina*: id eſt, quæ ſemper ex rapto vixit.

2. *Vox flagelli*] *Sonitus flagri*, nempe equos agitantis, tibi ſupervenit.

Et vox impetûs rotæ] *Sonitus circumvolitantis rotæ.*

Et equi frementis] Quadrupedantis. nam

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Et quadrigæ ferventis] Ex Græco ἀναϐράσσοντος. Chaldæus Hebræum rectiùs expreſſit per *ſubſultantis.*

Et equitis aſcendentis, & micantis gladii, &

fulgurantis haſtæ] *Et equitis attollentis tum aciem gladii tum fulgur haſtæ.*

Et multitudinis interfectæ] Vt in bellis fieri ſolet.

Et gravis ruinæ] *Et molis cadaverum.*

Nec eſt finis cadaverum] *Ità ut finis non ſit corporum ſtratorum.*

Et corruent in corporibus ſuis] *Sed corruant in corpora ſuorum.* Lucanus:

> *In fluvium primi cecidere, in corpora ſummi.*

4. *Propter multitudinem fornicationum meretricis ſpecioſæ & gratæ*] *Fornicationes* vocat idololatricos cultus, Regum maximè, ut Nini & Beli, de quibus Curtium vide.

Et habentis maleficia] Pollentis artibus magicis. Theocritus Pharmaceutriâ:

> Τοῖά οἱ ἐν κίστα κακὰ φάρμακα φαμὶ φυλάσσειν,
> Ἀσσυρίω, δέσποινα, παρὰ ξείνοιο μαθοῖσα.
> [*O hera, tam validis plena eſt mihi ciſta venenis,*
> *Quæ gente Aſſyrius quondam mihi tradidit hoſpes.*]

Quæ vendidit gentes in fornicationibus ſuis] *Quæ mancipavit gentes ſcortationibus ſuis*: id eſt, idololatriis. Quia receptiſſimus transferendæ proprietatis modus eſt venditio; ideo quicquid alicui, etiam rei, mancipatur ei *vendi* dicitur, ut patet 1 Reg. XXI. 25. Iudic. II. 14. Exemplum ejus quod hîc dicitur vide II Regum XVI. 10.

Et familias in maleficiis ſuis] Id eſt, Mancipavit nationes artibus ſuis magicis; fecit ut eas addiſcerent: ut apparet ex producto jam Theocriti loco.

5. *Ecce ego ad te*] Ideo ad te venio, ut ſuprà II. 13.

Et revelabo pudenda tua in facie tua] *Fimbrias tuas* (id eſt, imam veſtem) *rejicio ſuper faciem tuam*: ut Ieremiæ XIII. 26. tracto te non ut matronam, ſed ut meretricem. Vide Eſaiæ XLVII. 2. 3. Ezechielis XVI. 37.

6. *Et projiciam ſuper te abominationes*] Stercora.

Et ponam te in exemplum] *In ſpectaculum*: εἰς παράδειγμα, Græci. Hoc eſt quod alii dicerent ἐκθεατρίσω σε [*exemplum te faciam*].

7. *Vaſtata eſt Ninive*] *Spoliata eſt.*

Quis commovebit ſuper te caput] In Hebræo & Chaldæo: *condolebit*. Id autem ſignificari dejecto capite ſolebat.

Vnde quæram conſolatorem tibi?] Quaſi dicat, nuſquam inveniam: omnes enim populos offendiſti in rebus tuis ſecundis.

8. *Numquid melior es?*] Cur melior eſſes? cur tua conditio eſſet melior?

Alexandria populorum] *No* nutrici *populorum*, quæ fuit in Pharo, apud quam poſtea condita Alexandria; cujus nomen hîc, ut & Ieremiæ XLVI. 25. per πρόληψιν [*Anticipationem*] poſitum eſt.

Quæ habitat in fluminibus, aquæ in circuitu ejus] Plutarchus in ejus loci deſcriptione: ταινία γάρ ἐστιν, ἰσθμῷ πλάτος ἔχουσα σύμμετρον ἐπιεικῶς διείργουσα λίμνην τε πολλὴν καὶ θάλασσαν ἐν λιμένι μεγάλῳ τελευτῶσαν [*tænia enim eſt, terræ faucibus quantum oportet ſatis commodè diſpeſcens magnum lacum & mare quod in magnum portum deſinit*]. Homerus:

> Νῆσος ἔπειτά τις ἐστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
> Αἰγύπτου προπάροιθε· Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι.
> [*Præjacet Ægypto, fluctu pulſata marino*
> *Inſula, vicinis Pharos appellata colonis.*]

Cujus divitiæ mare] Ex mercibus mari advectis.

Aqua muri ejus] Difficiles enim oppugnatu urbes in mari & magnis amnibus ſitæ.

9. *Æthiopia fortitudo ejus*] Id eſt, opulentia ejus, per merces Nilo ferente devectas.

Et Ægyptus] A capite ad littus.

Et non eſt finis] Non hâc ſtetere ejus urbis commercia.

Africa & Libyes fuerunt in auxilio tuo] Locutio Poëtica: nam à tertia perſona ad ſecundam κατ' ἀποστροφὴν [*per Averſionem*], indè iterum ad tertiam ſermo ſe vertit. Quod hîc eſt *Africa* in Hebræo eſt פוט [*Phut*]: ea vox *Mauros* ſignificat. *Libyes* verò ſunt Cyrenaïci & Marmarici Ægypto propiores. Hi omnes populi auxerant urbis illius divitias.

10. *Sed & ipſa in tranſmigrationem ducta eſt in captivitatem*] Non tantùm exſules ſed & ſervi facti ſunt cives ejus, nempe per Æthiopas, quorum Rex Sabaco Ægyptum invaſit, & valida ibi præſidia poſuit, ante Pſammitichi tempora, teſte Herodoto in Euterpe.

Et ſuper inclytos ejus miſerunt ſortem] Æthiopes hoc fecere de captivis Ægyptiis. Notavimus alibi eum morem. accedat illud Euripidis:

> Πολλοῖς δὲ κωκυτοῖσιν αἰχμαλωτίδων
> Βοᾷ Σκάμανδρος δεσπότας κληρουμένων.
> [*Sonat Scamander feminarum planctibus*
> *Queis Marte captis ſors heros adjudicat.*]

Et omnes optimates ejus confixi ſunt in compedibus] Conſtricti ſunt compedibus.

11. *Et tu ergò inebriaberis*] Tu quoque, Ninive, inops eris conſilii, ut eſſe ſolent ebrii, Ieremiæ XXV. 16. 27.

Et tu quæres auxilium ab inimico] Salutem ab hoſte poſces, deditione ſcilicet.

12. *Omnes munitiones tuæ*] Caſtella Aſſyriæ.

Sicut ficus cum groſſis ſuis] *Cum ficubus maturis.* Ità hîc Chaldæus.

Si concuſſæ fuerint cadent in os comedentis] Ità & tu nullo negotio in poteſtatem Chaldæi venies.

13. *Ecce populus tuus mulieres in medio tui*]

> ——— Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί.
> [——— *nec Achivi nunc, ſed Achivæ.*]
> *O verè Phrygiæ, neque enim Phryges.* ———

Inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ] *Aperiendo aperientur*, id eſt, ſtatim, ſine mora.

Devorabit ignis vectes tuos] Portas catarractas, quas hoſtis uſſit, nè eſſent uſui.

14. *Aquam propter obſidionem hauri tibi*] Ciſternas tibi fac, unde habeas in obſidione quod bibas. Tacitus in deſcriptione Hieroſolymorum: *Fons perennis aquæ, cavati ſub terra montes, & piſcinæ ciſternæque ſervandis imbribus. Præviderant conditores ex diverſitate morum, crebra bella: indè cuncta, quamvis adversùs longum obſidium.* Per irriſum ait Deus, Parate omnia quæ adverſùs longum obſidium parari ſolent: nihil illa proderunt, captis formidine animis. Simile loquendi genus ſuprà habuimus II. 1.

Exſtrue munitiones tuas] Propugnacula urbis.

Intra in lutum, & calca, ſubigens tene laterem] In Hebræo: *Intra in lutum, & calca ſuper lutum, & tene* (id eſt, defende) *lateritium opus.* Sæpe evenit in magnis urbibus, ut, captâ parte, pars aliqua defendatur, ſtructis interioribus munimentis. (Vide Ieremiæ XXXIII. 4. 5.) quæ quidem munimenta eo tempore maximè fiebant è latere; è qua materia & muri erant Babylonis. Ait ergò, Captis jam portis aliquibus recipe te intra nova munimenta è latere, aſcende ſuper illa, & illa defende quantum potes. Significat & hanc molitionem brevis temporis & inanem fore. Hæc & alia diſtinctiùs poſſemus interpretari ſi haberemus Abydeni Aſſyriaca; quæ ut mecum quærant ſtudioſos omnes hortor. Sunt qui dicant deliteſcere eum librum Florentiæ.

15. *Ibi comedet te ignis, peribis gladio*] Ibi quoque faces & tela ab hoſtibus jacta te vetabunt conſiſtere. חרב Hebræis omne teli genus ſignificat, vertitúrque & σίδηρος [*ferrum*] & λόγχη [*haſta*].

Devorabit te ut bruchus] Meliùs *ut bruchum*, propter ſequentia. Locuſtæ in cibo Syris, ſic & bruchi.

Congregare ut bruchus, multiplicare ut locuſta] Licèt ingens fuerit numerus militum quos conduxiſti. Nam milites *bruchi* & *locuſtæ* nomine deſignari diximus ſuprà Ioël. I. 4.

16. *Plures feciſti negotiationes tuas quàm ſtellæ ſunt cæli*] *Et plures attraxeris mercatores quàm cæli ſunt ſtellæ.*

Bruchus expanſus eſt, & avolavit] *Irruit & avolat.* Oſtendit morem bruchi, cui deinde comparabit apertiùs mercenarios illos milites & mercatores.

17. *Cuſtodes tui quaſi locuſtæ*] מנזריך nomen eſt Aſſyriacum, & ſi Græcis credimus, τοὺς συμμίκτους ſignificat, *extraneos ex variis gentibus.* Sic dicti, ut videtur, quòd coronam quandam aut laminam, quod hîc poſuit Chaldæus, geſtarent, per quam à civibus dignoſcebantur.

Et parvuli tui quaſi locuſtæ locuſtarum] טפסריך, eſt alterum nomen Aſſyriacum: quod ad Σατράπην accedere notavimus ad Ieremiæ LI. 26. Pro *locuſtis* in Hebræo eſt non ארבה, quod præceſſit, ſed גוב גובי. in iſto גובי eſt terminatio Συριάζουσα [*Syriaca*], aut regimen, ut loquuntur Grammatici, pro abſoluto: quemadmodum Eſaiæ XIX. 9. XX. 4. Ieremiæ XVII. 13. Ezechiel. XIII. 9. Oſeæ XI. 4. & ipſum גוב eſt Syriacum, aut Chaldaïcum, quod in verſionibus antiquis Exod. X. 14. Levitic. XI. 22. ponitur pro Hebræo ארבה [*locuſta*]. Sunt tamen qui inſecti genus perſimile quidem locuſtæ, ſed paulùm differens putant eſſe, quale eſt attelabus. Geminatio vocis multitudinem eximiam denotat.

Quæ conſidunt in ſepibus in die frigoris: Sol ortus eſt, & avolaverunt] *Sole autem orto avolant.* Hieronymus: *Natura enim hæc locuſtarum eſt, ut in frigore torpentes per calorem volitent.* Facilè intelligitur ἀπόδοσις [*id quod in comparatione reſpondet*]. Sic illi tui duces mercenarii, & mercatores in periculo fugerunt.

Et non eſt cognitus locus earum ubi fuerint] Nulla eorum manent veſtigia.

18. *Dormitaverunt paſtores tui, Rex Aſſur*] *Dormitarunt*: id eſt, negligenter ſe geſſerunt paſtores tui, præfecti, & duces.

Sepelientur Principes tui] *Cubarunt Principes tui*; à שכב. Metaphora par ei quæ præceſſit.

Latitavit populus tuus in montibus] *Diſperſi ſunt populus tuus ſuper montes.* Per *populum* hîc gregarios milites intellige.

Et non eſt qui congreget] Nemo eſt qui ſic diſperſos in agmen recolligat.

19. *Non eſt obſcura contritio tua*] In Hebræo, *Non eſt ligamen vulneri tuo.* Cùm Ninos ſit dedita, milites diſperſi, duces torpidi, nónne vides periſſe res tuas ſine remedio? Græci: οὐκ ἔστιν ἴασις τῇ συντριβῇ σου [*non eſt medela contritioni tuæ*].

Peſſima eſt plaga tua] Græci, ἐφλέγμανεν ἡ πληγή σου [*inflammatum eſt vulnus tuum*]. Inflammata vulnera ſolent exitium adferre.

Omnes qui audierunt auditionem tuam] Ἀκοὴν Helleniſtæ dicunt *famam*: qui audierunt famam cladis tuæ.

Compreſſerunt manum ſuper te] *Ob te plauſerunt manibus*, præ gaudio, ut Pſalm. XLVII. 2.

Quia ſuper quem non tranſiit malitia tua ſemper?] *Ad quem non pervenerunt injuriæ tuæ omni tempore?* Cui non moleſta fuiſti? Senſus idem qui ſuprà 7.

AD HABACVCVM.

CAPVT I.

HVnc quoque Manaſſis temporibus ſcripſiſſe ſentiunt Hebræi, quibus adſtipulatur ipſe quem ab antiquo obtinet locus inter Nahumum Manaſſi coævum & Sophoniam, qui ſub Ioſia floruit. Sed & ipſum argumentum ei congruit tempori. Deplorat enim fas & jura everſa, quod nunquam magis quàm ſub Manaſſe evênit. Prædicit excidium gentis per Chaldæos, Eſaiæ premens veſtigia, qui rem eandem jam antè Ezechiæ prædixerat, ut videmus II Regum XX. 17. 18. Simul adversùs querelas in quas eruptura erat multorum impatientia, juſtitiam Dei in apertum producit, & pœnas quas poſtea victoribus Iudæorum Chaldæis erat irrogaturus. Nomen Prophetæ eſt חבקוק, quomodo hoc nomen ſcribitur in libris Hebraïcis & Chaldaïcis: at Græci legerunt חבקום: ſcribúntque Ἀββακούμ. Secutos id Latinos notat Hieronymus. nunc tamen apud veteres Latinos, etiam qui ante Hieronymum ſcripſere, legimus *Abacuc*.

1. ONVS *quod vidit Habacuc Propheta*] Tum contra Iudæos, tum contra Chaldæos.

2. *Vſquequò, Domine, clamabo, & non exaudies?*] Id eſt, *me clamantem non exaudies?*

Vociferabor ad te vim patiens] *Vociferabo ad te rapinam*: id eſt, conquerar vim jure ſuperiorem eſſe in Iudæa. Vide II Regum XXI. 16.

Et non ſalvabis] Te non impediente.

3. *Quare oſtendiſti mihi?*] Apparere feciſti meâ ætate.

Iniquitatem & laborem] Id eſt, *laborem iniquiſſimum.* Ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo expreſſum*]. Ità & Chaldæus accepit.

Videre] Supple *facis.*

Prædam & injuſtitiam] *Oppreſſionem & iniquitatem*, id eſt, *iniquiſſimam oppreſſionem.*

Contra me] *Coram me*, circum me.

Et factum eſt judicium & contradictio potentior] *Eſt lis*, id eſt, multa cauſa querendi: *& judicium abſtulit*, Rex ſcilicet: quod nomen ſubticet.

4. *Propter hoc lacerata eſt Lex*] *Vim ſuam lex* Divina *perdidit.*

Et non pervenit uſque ad finem judicium] *Nunquam procedit judicium*: res manet indefinita.

Quia impius prævalet adversùs juſtum] *Circumvenit velut coronâ*, id eſt, indagine.

Propterea egreditur judicium perverſum] *Quod amplius eſt, procedit judicium*, ſed *perverſum.* Sæpe non judicatur: ſæpe, quod pejus eſt, planè contra jus judicatur.

5. *Adſpicite in gentibus, & videte*] *Reſpicite gentes*, nempe quas contra vos adducam, Chaldæos, ut ſequitur, & eorum ſocios. Hebræi ſæpe poſt vocabula ſentiendi ſubjungunt ב [*in*]: at LXX & Interpres ἀνώνυμος [*incogniti nominis*], cujus hic meminit Hieronymus, legerunt בגרי, verteruntque illi καταφρονηταὶ [*contemtores*], hic *calumniatores*, in vocativo ſcilicet utrumque. Melior mihi videtur lectio hæc Græcorum. Alloquitur Deus Iudæos ſui numinis contemtores. Et ſic citat Lucas Actor. XIII. 41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταί [*Videte contemtores*].

Et videte: admiramini & obſtupeſcite] Id eſt, Erit quod ubi videritis admiremini & obſtupeſcatis. Græci pro תמהו [*obſtupeſcite*] legiſſe videntur התמהו in imperativo Niphal à תמם, quod eſt ἀφανίζεσθαι [*animo linqui*]· vertunt enim ſic hunc locum, καὶ ἐπιβλέψετε καὶ θαυμάσετε θαυμάσια, καὶ ἀφανίσθητε [*& inſpectabitis & mirabimini mirabilia, & animo linquamini*]. Mihi lectio, quæ in noſtris eſt libris Hebræis, quam & Hieronymus & Chaldæus ſequuntur, non ſordet.

Quia opus factum eſt in diebus veſtris] *Fiet*, Symmachus, ut hîc notat Hieronymus. In Hebræo eſt *facio*, & in Græco ac in Luca ἐργάζομαι, pro *faciam.* Lucas, aut potiùs apud Lucam Paulus, optimè hæc verba aptat ad excidium ſimile eventurum per Romanos.

Quod nemo credet cùm narrabitur] Tam horribile futurum eſt quod faciam ut narranti nemo fidem ſit habiturus. In Hebræo eſt *quod non credetis*, & in Græco ὃ μὴ πιστεύσητε ἐάν τις ἐκδιηγῆται ὑμῖν [*non credituri ſitis, ſiquis narret vobis*]. Hieronymus hic ſecundam perſonam poſuit pro indefinita: at in Commentario ſimpliciùs, *opus quod tam grande erit, ut, ſiquis nunc futurum eſſe prædixerit, fidem non facilè accommodetis.*

6. *Quia ecce ego ſuſcitabo Chaldæos*] Meritò mirum quòd Chaldæos, qui tempore Ezechiæ, Manaſſis, Ioſiæ fœderati erant Iudæis: Si quod autem malum metuendum erat, id ab Ægyptiis venturum putabatur. Simile hoc prædictum Eſaiæ, qui ab Aſſyriis, quibus maximè tunc fidebant Iudæi, graviſſima mala ventura ſignificavit, nihil minùs quàm hoc opinantibus Iudæis, cap. VII.

Gentem amaram] Crudelem, Ieremiæ V. 16. 17.

Et velocem] Eſaiæ V. 26. 27. non erunt ἀναβαλλόμενοι [*procraſtinatores*].

Ambulantem ſuper latitudinem terræ] Latè regnatricem. Vide quæ de Nabuchodonoſoro protulimus ad III. librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Vt poſſideat tabernacula non ſua] Iudæorum urbes.

7. *Ex ſemetipſa judicium & onus ejus egredietur*] *Ex ipſo illo* (populo Chaldaïco) *judicium ejus, & decretum ejus effectum habebit*: id eſt, decernit quæcunque vult, & dat effecta. שאת *decretum* interpretatur hîc Chaldæus, nec aliter Symmachus, teſte Hieronymo.

8. *Leviores pardis equi ejus*] Vide Daniel. VII. 6. Ieremiæ V. 6.

Et velociores lupis veſpertinis] De quibus vide Ieremiam eodem loco. In Hebræo: *acutiores*, id eſt, *voraciores.* Pro *lupis veſpertinis*, *lupos Arabicos* verterunt LXX.

Diffundentur equites ejus] Multi erunt.

Volabunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum] Vide Ezechiel. XVII. 3.

9. *Facies eorum ventus urens*] *Ventus Orientalis*, qui peſtifer illis in locis.

Et congregabit quaſi arenam captivitatem] Id eſt, captivos.

10. *Et ipſe de Regibus triumphabit*] Illudet captis aut victis. *Ipſe*, id eſt, Rex eorum.

Et tyranni ridiculi ejus erunt] *Deridiculo ipſi erunt.*

Ipſe ſuper omnem munitionem ridebit] Loca etiam munitiſſima contemnet.

Et comportabit aggerem] Βαλεῖ χῶμα [*jaciet aggeres*], *i. e. aggeres obſidionales excitabit.* Vide Eſaiæ XXIX. 3. XXXVII. 33. Ezechielis IV. 2. XXI. 22. XXVI. 8. Eccleſiaſtæ IX. 14. II Samuelis XX. 15. II Regum XIX. 32. Danielis XI. 15.

Et capiet eam] Irrumpet, aut ad deditionem compellet.

11. *Tunc mutabitur ſpiritus, & pertranſibit*] Hebræis *ſpiritus tranſire* ſive tranſgredi dicitur quoties intra modeſtiæ fines ſe non tenet: καὶ μὴ κατ' ἄνθρωπον φρονεῖ [*& non humana cogitat*], ut Sophocles loquitur.

Et corruet] In Hebræo: אשם, id eſt, *graviter peccabit.*

Hæc eſt fortitudo ejus Dei ſui] Eſt ἔλλειψις [*defectus*] participii *dicens* & voculæ *quod*, ut ſit ſenſus, *dicens has ſuas eſſe vires, ut qui ſibimet ipſi ſit pro Deo.* Vide Danielis III. & confer quæ infrà 16.

12. *Numquid non tu à principio, Domine Deus meus*] Id eſt, *ab æterno.* dii alii aliquando cœperunt. Hebræi non habent vocem propriam quâ *æternitatem* explicent.

Et non moriemur] לא נמות, ut nunc legitur:

olim fuit לא חמות, quod Chaldæus ſequitur optimè, *non morieris tu*. Sicut nunquam cœpiſti, ità nunquam deſines.

In judicium poſuiſti eum] Tu Nabuchodonoſoro uſus es ut judicia tua exſequereris.

Fortem, ut corriperes, fundaſti eum] *Vt caſtigares* (nempe populum Iudaïcum), *ſtabiliſti eum*. In Hebræo pro *fortem* eſt *petram*, id eſt, quaſi rupem inexpugnabilem.

13. *Mundi ſunt oculi tui, nè videas malum*] *Puriores ſunt oculi tui*, id eſt, judicia tua, *quàm ut videas*, id eſt, perpetiaris, *malitiam*, nempe tantam, ut Chaldæi omnia agant pro animi libidine, & idolis acceptas ferant victorias ſuas.

Et reſpicere ad iniquitatem non poteris] Ferre ſemper non potes facta tam crudelia.

Quare reſpicis ſuper iniqua agentes] *Quare reſpiceres?* Nam Hebræi, quia potentialem modum non habent, indicativo abuti coguntur. *Quare ferres* homines tam *ſceleratos?*

Et taces] *Taceres*, ſemper ſcilicet. *Tacere* Hebræi ſumunt pro *diſſimulare*.

Devorante impio juſtiorem ſe] In Hebræo: *juſtum præ ſe*. Iudæi magnis criminibus involuti erant, ſed tamen multùm in ea re à Chaldæis ſuperabantur.

14 *Et facies*] *Faceres*, id eſt, haberes.

Homines quaſi piſces maris] Nempe quos ponis extra curam illam ſpecialem quâ homines proſequeris. Ità Maimonides.

Et quaſi reptile] *Reptilia* Hebræi vocant τὰ νηκτὰ, *natantia*, Pſalmo CIV. 25.

Non habens Principem] Id eſt, defenſorem.

15. *Totum in hamo ſublevabit*] *Patieris ut omnia velut hamo tollat*. Perſequitur per Metaphoras cœptam comparationem de piſcibus.

'*Traxit*] *Trahat*.

Congregavit] *Congreget*.

16. *Propterea immolabit ſagenæ ſuæ, & ſacrificabit reti ſuo*] Id eſt, ſuis viribus omnes victorias feret acceptas, ut ſuprà 11.

Quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus, & cibus ejus electus] *Quaſi per iſta* (id eſt, per ſuas vires) *portio ſibi pinguis obtigiſſet, & dapes delicatæ. Portionem* & *cibum* vocat populos gladio conſumtos: nam אכל Hebræis *conſumere*.

17. *Propter hoc ergò*] Cùm ſibi omnia tribuat, non tibi.

Expandit ſagenam ſuam] Interrogativè. *Et expandet*, id eſt, expandere ſemper ſinetur *ſagenam ſuam?*

Et ſemper interficere gentes non parcet] *Nunquam finem faciet occidionibus*: hócne ferre tuum ſit?

CAPVT II.

1. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem, & contemplabor*] Amant Hebræi verborum copiam; itaque rem eandem multis verbis exprimunt. Prophetæ ſpeculatoribus comparantur, ut videmus Ezechiel. III. & XXXIII. Oſeæ V. 1. Sicut ſpeculatores in ſpecula ſua ſe tenent, ibique ſtantes manent, & oculos intentos habent in omnia quæ in conſpectum ſe dant: ità & Prophetæ exſpectant patienter quid ipſis Deus ſit revelaturus. *Munitio* hîc eſt turris, ſpecula.

Vt videam quid dicatur mihi] Intelligam quid Deus mihi ſignificet.

Et quid reſpondeam ad arguentem me] *Ad argumentum meum*: ad objectionem illam quam feci de majoribus Chaldæorum peccatis, infrà 12. & deinceps.

2. *Scribe viſum*] Id quod tibi dicturus ſum. Omnis enim perceptio *viſus* Hebræis dicitur.

Et explana eum ſuper tabulas] באר eſt infinitivus pro adverbio, & rectè à Græcis hîc vertitur σαφῶς [*apertè*], quo ſenſu invenitur & Deuteron. XXVII. 8. Pro *eum* pone *iſtud*, id eſt, *Viſum iſtud*. Senſus eſt: *Scribe, & quidem dilucidè*.

Vt percurrat qui legerit eum] Id eſt, ut ſtatim aſſequatur qui illud legerit: *unde de plano legi poſſet*, dicebant Latini.

3. *Quia adhuc Viſus procul*] Viſi illius impletio longè abeſt, à Manaſſis tempore ad tempora Cyri. Ideo vult *perſcribi Viſum*, ut bene legi poſſit & ſuo tempore cum eventu comparari ad monſtrandam Dei providentiam. Simile monitum habuimus Eſaiæ VIII. 16. Ieremiæ XXII. 30. Daniel. VIII. 26.

Et apparebit in finem] *Sed tandem erumpet*, ſicut flatus erumpit.

Et non mentietur] *Non fallet hoc Viſum*.

Si moram fecerit exſpecta illum] *Illud*, tu popule Iudæe.

Quia veniens veniet] *Certò veniet* implementum.

Non tardabit] Id eſt, non ſemper differetur.

4. *Ecce qui incredulus eſt, non erit recta anima ejus in ſemetipſo*] In Hebræo, quod nos habemus, *qui arrogans eſt*; ſed cùm LXX habeant, ἐὰν ὑποστείληται, οὐκ εὐδοκεῖ ἡ ψυχή μου ἐν αὐτῷ, quod ſequitur divinus Scriptor ad Hebræos X. 38. apparet eos legiſſe עלפה [*defecerit*] & נפשי [*anima mea*], ſenſu optimo. *Si quis defecerit* in exſpectando ſcilicet (nam עלף vertitur Græcè per ἐκλείπειν [*deficere*] & ὀλιγοψυχεῖν [*animo concidere*]) *is mihi non placebit*. Dei ſunt verba. ὑποστέλλεσθαι eſt *minus facere quàm oportet*, Actor. XX. 20. 27. Galat. II. 12. Hinc ὑποστολὴ [*animi deſponſio*] opponitur τῇ πίστει [*fidei*] dicto capite ad Hebræos 39.

Iuſtus autem in fide ſua vivet] Scriptor ad Hebræos ſimpliciter ἐκ πίστεως ζήσεται [*ex fide vivet*]. Eodem modo nunc legimus ad Romanos I. 17. At tempore Hieronymi ibi legebatur ἐκ πίστεώς μου [*ex fide mea*], quomodo habent LXX. Notavit id Hieronymus in Commentario ad hunc locum. Legerunt ergò Græci אמונתי *fide meâ*, id eſt, in me. Nam affixa talia Hebræa, ut & genitivi Græci & Latini, modò rem ſubjectam, modò objectam ſignificant. *Iuſtus in fide mea vivet*, id eſt, Qui bonus probúſque eſt manebit conſtans in exſpectatione eorum quæ dixi. Ajunt Hebræi omnia Legis præcepta in hoc dicto contineri: nimirum quia nulla eſt certior ad eam omnem, quæ Deo debetur, obedientiam via, quàm Dei promiſſis miniſque fidem plenam habere. Et hoc eſt quod toties inculcat Paulus, *Per fidem homines juſtos fieri*, id eſt, pertingere ad eam probitatem ad quam ſuapte ratiocinatione ac labore pertingere non poſſent.

5. *Et quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus*] Quales Chaldæi, dulci fortunâ ebrii.

Et non decorabitur] *Non permanebit* in ſuo ſtatu: ſicut nec ebrius manet qui fuit.

Qui dilatavit quaſi Infernus animam ſuam, & ipſe quaſi mors, & non adimpletur] Chaldæi laborant inſatiabili quadam regnorum ſiti; & in ea morti, ſive τῷ ᾅδῃ [*Inferno*], optimè comparantur: Proverbior. XXVII. 20. Sic Latini dicunt,

——— *Regnum inſatiabile Ditis.*

Et congregabit ad ſe omnes gentes, & coacervabit ad ſe omnes populos] *Etiamſi ad ſe cogeret omnes gentes, omnéſque populos ad ſe contraheret.*

6. *Numquid non omnes iſti ſuper eum parabolam ſument?*] Nonne æquum eſt ut tot populi à Chaldæis malè tractati aliquando verſas vices doctis quibuſdam dictis decantent? Omnia dicta acuta, aut lepida, aut ſententioſa ſunt משלים Hebræis.

Et loquelam ænigmatum ejus] In Hebræo: *interpretatione ænigmatum ei*, id eſt, de eo. *Ænigmata* vocat generales ſententias, quas populi Chaldæis aptabunt.

Et dicetur] *Dicendo.*

Væ ei qui multiplicat non ſua] Simile dictum Menandri:

> Πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν.
> Οἱ γὰρ θέλοντες προσλαβεῖν τὰ τῶν πέλας,
> Ἀποτυγχάνουσι πολλάκις νικώμενοι·
> Τὰ δ' ἴδια προστιθέασι τοῖς ἀλλοτρίοις.
> [*Summum eſt aviditas generis humani malum:*
> *Aliena namque pro ſuis qui vindicant,*
> *Perſæpe non tantùm improbâ ſpe decidunt*
> *Victi, ſed apponunt & alienis ſua.*]

Vſquequo & aggravat contra ſe denſum lutum] *Ad ſe*, עליו; quouſque ille ſibi ſineretur coacervare tantam vim luti, id eſt, auri & argenti: nam, ut ait Naumachius,

> Χρυσός τοι κόνις ἐστὶ καὶ ἄργυρος.
> [*Aurum atque argentum cinis eſt.*]

Hebræis הכביר eſt etiam *multiplicare.*

7. *Numquid non repentè conſurgent qui mordeant te?*] An non æquum fuit ut *conſurgerent* adverſùs te Medi & Perſæ *qui te mordeant?*

Et ſuſcitabuntur lacerantes te, & eris in rapinam eis?] *Et ut ſurgerent contra te qui te lacerarent, ac quibus tu præda eſſes?*

8. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis*] *Omnes populi alii.* Plurimæ enim gentes etiam Scythicæ fuere in Cyri exercitu.

Propter ſanguinem hominis] Cædes plurimas.

Et iniquitatem terræ civitatis, & omnium habitantium in ea] *Et direptionem terræ* (id eſt, terrarum), *civitatis* (id eſt, urbium), *& omnium in ea* (id eſt, in eis urbibus) *habitantium.* Vides non omnia quæ ex gentium jure fieri dicuntur, apud Deum pro licitis haberi; ſed ſpectari cauſam & modum.

9. *Væ qui congregat avaritiam malam domui ſuæ*] In Hebræo: *Væ concupiſcenti concupiſcentiam malam domui ſuæ*, id eſt, *corradenti opes injuſtas domi ſuæ*, ut interpretatur Chaldæus. Hebræis omnis actio injuſta quæ proprium nomen non habet dicitur concupiſcentia.

Vt ſit in excelſo nidus ejus, & liberari ſe putat de manu mali] *Vt ponat in locis celſis nidum ſuum.* Aves tutæ ſunt quæ in rupibus inacceſſis nidificant. Sic Chaldæi, qui plurima tenebant loca ſitu & operibus defenſa, putabant ſe extra periculum eſſe. *Manus mali* hîc eſt vis hoſtium.

10. *Cogitaſti confuſionem domui tuæ*] Id eſt, conſilia cepiſti in domûs tuæ caſura dedecus, id eſt, patriæ tuæ, ô Chaldæe.

Concidiſti populos multos] קצה eſt *decorticare.* Ideo Chaldæus hîc vertit *ſpoliaſti.* Lxx, συνεπέρανας [*ad exitium adduxiſti*].

Et peccavit anima tua] *Et peccatrix anima tua*: id eſt, peccare tibi ex conſuetudine in naturam vertit.

11. *Quia lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter juncturas ædificiorum eſt reſpondebit*] *Teſtabitur.* Nam quia ad interrogationem reddebantur teſtimonia, ideo ענה [*reſpondere*] ponitur pro *teſtari*, etiam in Decalogo. כפים quid ſit? quæritur. Græci omnes, præter Lxx, tranſtulere συνδεσμὸν [*colligationem*], idque Hieronymus putat eſſe quod vulgò Græci vocant ἱμάντωσιν, quam vocem Suidas interpretatur δέσιν ξύλων [*lignorum juncturam*]. Lxx hîc poſuere κάνθαρον [*ſcarabæum*]. Chaldæus verò *ſegmentum*; quo ſenſu etiam in aliis libris Chaldaïcis ſumitur כפים. Ità ſenſus erit, Tuæ injuſtitiæ teſtimonium reddunt tot muri urbium dejecti, tot ædium fragmenta.

12. *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus, & præparat urbem in iniquitate*] Væ Chaldæis qui ex aliarum urbium, nihil tale commeritarum, ruinis Babylona auxerunt.

13. *Numquid non hæc ſunt à Domino exercituum?*] *An non hoc erit à Domino exercituum?* nempe hoc quod ſequitur.

Laborabunt enim populi in multo igne] *Vt multo igni laboraverint populi*: id eſt, fiet ut Chaldæi iſta Babylonis opera flammæ paraverint.

Et gentes in vacuum, & deficient] *Et ut gentes planè in vanum ſe laſſaverint*, ut nulli ſuo uſui iſta exſtruxerint.

14. *Quia replebitur terra, ut cognoſcant gloriam Domini, quaſi aquæ operientes mare*]Eſt hîc Trajectio, & ἔλλειψις [*defectus verborum*] præterea, quam ſic explicare liceat, *Nam ſicut aquæ alveum maris operiunt: ità terra Babylonica implebitur exercitibus, ut Dei juſtitia in Chaldæos omnibus gentibus appareat.*

15. *Væ qui potum dat amico ſuo, mittens fel ſuum, & inebrians, ut adſpiciat nuditatem ejus*] Variant hîc veteres, quia & מספח & חמת non uno modo ſumuntur. Optima expoſitio hæc videtur: *Væ tibi qui propinas amico conjunctiſſimo vinum tuum calidum, ut inebries eum, deinde adſpicias ejus pudenda*, id eſt, ut eum præcidas; quod illis temporibus ſatis frequens in Oriente. Sed per hanc ἀλληγορίαν [*tectam locutionem*] intelligitur perfidia Chaldæorum, qui fœderibus illiciebant populos, quos deinde tractabant ignominioſiſſimè.

16. *Repletus es ignominiâ pro gloria*] Hæc dicunt gaudentes populi, ob domitos Chaldæos gentium domitores.

Bibe tu quoque] De calice iræ Dei, ut ſequentia explicant: Ierem. XXV. 17. & ſequentibus.

Et conſopire] Legit הרעל; at noſtri codices habent הערל. Eſt ערל propriè *abducere præputium*: μεταφορικῶς [*tranſlatè*] ad omnem *nudationem* trahitur. Senſus eſt: *nudator & tu*, ut nudaſti alios, id eſt, illuditor.

Circumdabit te calix dexteræ Domini] In Hebræo: *Vertet ſe ſuper te.* Sicut dicimus, *Vertitur œnophoris fundus.* Senſus eſt, Totum calicem ebibes, ità ut ſiccatus verti poſſit.

Et vomitus ignominiæ ſuper gloriam tuam] *Vomitus fœdus ſuper ornatum tuum veniat*: id eſt, turpiſſimè te geras in illa calamitate, Ierem. xxv. 27.

17. *Quia iniquitas Libani operiet te*] Pœnam feres deſtructi Templi; quod *Libanus* vocatur, quia maximam partem ex cedris Libani conſtabat. Apparet id Ezechiel. xvii. 3. & Zachar. xi. 1. nec aliter hìc accepit Chaldæus.

Et vaſtitas animalium deterrebit eos] *Vaſtitas ferarum* (id eſt, qualem edunt feræ) *conteret illa*, nempe quæ ſtruxerunt Chaldæi, de quibus ſuprà 12.

De ſanguinibus hominum] *Propter ſanguinem humanum*, ut ſuprà 8. nam repetit quæ ibi dixerat, ſed ſpecialiùs aptat ad Iudæos, terram Iudæam, & Hieroſolyma.

18. *Quid prodeſt ſculptile*] Hoc dicent Iudæi, Quid profuere Chaldæis imagines deorum?

Quia ſculpſit illud fictor ſuus, conflatile, & imaginem falſam] *Quod fecit faber ſuus, conflatile opus, nempe documentum mendacii.* Rectè: quia verum numen non inerat, quod tamen decepti homines putabant.

Quia ſperavit in figmento fictor ejus] *Attamen ſpem poſuit in opere opifex ſuus.*

Vt faceret ſimulacra muta] *Cùm tamen feciſſet ſimulacra muta.*

19. *Væ qui dicit ligno, Expergiſcere; Surge, lapidi tacenti*] Meritò malè erit hominibus tam ſtultis, qui precibus ſuis audientiam ſperant à rebus ſurdis.

Numquid ipſe docere poterit?] *Ipſum illud te docet*, nempe ſe eſſe ſurdum.

Ecce iſte coopertus eſt auro & argento] *Obductum quidem eſt auro vel argento*, Eſaiæ xl. 18. Ierem. x. 4.

Et omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus] *Sed nulla vita eſt in ipſis.*

20. *Dominus autem in Templo ſancto ſuo*] *At Deus* (non eſt talis, ſed) *in Templo illo ſanctiſſimo habitat*, id eſt, in cœlo: indè & deſpicit & gubernat omnia. Vide Pſalmo cxv. 3. Ion. 11. 8. Mich. 1. 2. Ejus Templi figuram gerebat Templum quod erat Hieroſolymis.

Sileat à facie ejus omnis terra] Id eſt, timeat eum: quomodo hic Græci, εὐλαβείσθω ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ πᾶσα ἡ γῆ [*metuat à faciè ejus omnis terra*]. Locutio eſt Hebraïca, quam reperies & 1 Maccabæor. 1. 3.

CAPVT III.

1. O*Ratio Habacuc Prophetæ pro ignorantiis*] Carmen Habacuci Prophetæ ad modulos veteris cantici, quod incipiebat שגיונות. Carmen eſſe apparet ex voce סלה [*Selah*] infrà, quæ nonniſi in Pſalmis invenitur.

2. *Domine, audivi auditionem tuam, & timui*] Reſpondet Habacuc acceptæ jam revelationi, & ait, *Domine, dicta tua audivi, reveritus ſum*, agnoſcens ſummam tuam juſtitiam adversùs Iudæos primùm, deinde & adversùs Chaldæos.

Domine, opus tuum in medio annorum vivifica illud] *Illud* Hebræo more πλεονάζει [*abundat*]. Cùm Divinâ revelatione cognoſſet Propheta intervallum temporis futurum breve inter vaſtitatem Iudææ, & pœnas irrogandas Chaldæis, orat Deum ut *medio tempore conſervet opus ſuum*, id eſt, populum Iudæum. Homines quidem omnes *Dei opus*, ſed peculiariter Iudæi, quos Deus ex Ægypto deductos populum fecit, legibus inſtruxit. Græci pro שנים [*annorum*] legerunt hoc loco חיים: vertunt enim ἐν μέσῳ δύο ζώων [*in medio duorum animalium*], quod illi videntur intellexiſſe de illis cœleſtibus Poteſtatibus quæ חיות [*Animalia*] apud Ezechielem. Quàm variis modis Chriſtiani hæc ſint interpretati vide Hieronymum.

In medio annorum notum facies: cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis] *Medio illo tempore oſtende te, quamvis iratum, miſericordiæ meminiſſe.* Oſtende hoc, nempe populo tuo.

3. *Deus ab Auſtro veniet, & Sanctus de monte Pharan*] *Venit.* Reddit cauſas cur Iudæos *opus Dei* dixerit. Et ſumtus eſt ſenſus, pars quoque verborum, ex Deuteron. xxxiii. 2. Montes illi qui varia habent nomina, *Seïr*, *Sinaï*, *Pharan*, & inter ſe cohærent, & Iudææ ad Auſtrum objacent.

Operuit cœlos gloria ejus] Plenus fuit aër fulgurum, Exodi xx. 18.

Et laudis ejus plena eſt terra] *Plena fuit*, propter egregia quæ dedit præcepta.

4. *Splendor ejus ut lux erit*] *Erat. Lux* ἀντονομαστικῶς [*inſigniter ſumto nomine*] eſt Sol: ut Iob. xxxi. 26. & alibi. Hiſtoriam vide Exodi xix. 18.

Cornua in manibus ejus] Id eſt, *ſcintillæ*, ut hîc ſumit Chaldæus. Vide Exod. xxxiv. 29. 30.

Ibi abſcondita eſt fortitudo ejus] *Ibi abſcondita majeſtas ejus*, ſupple *patefecit ſe*, ut hîc Chaldæus.

5. *Ante faciem ejus ibit mors*] *Ibat. Mors*, id eſt, pernicies certa Chananæorum & vicinarum gentium. Tacitè innuit ſic & cum Chaldæis acturum Deum aliquando. Græci דבר legêre cum alio puncto: dicunt enim λόγος [*verbum*]. Alii πτῶσις [*ruina*], quod cum Latino convenit. eundem ſenſum ſecutos Symmachum & Aquilam ex Hieronymo diſcimus.

Et egredietur diabolus ante pedes ejus] רשף non uno modo vertitur. Videtur eſſe morbus peſtilentiæ affinis, qualis ἄνθραξ [*carbunculus*]· & ſic ſumſit Chaldæus. Vide Pſalmo lxxviii. 50.

6. *Stetit, & menſus eſt terram*] *Stetit Deus*, id eſt, Arca ejus quievit in Terra promiſſa: *& menſus eſt terram*, id eſt, diſtribuit populo ſuo, ut menſores ſolent. Vide Actor. vii. 45. Ioſ. xiii. & ſequentibus.

Adſpexit & diſſolvit gentes] *Perterruit*, Ioſue v. 1.

Et contriti ſunt montes ſeculi] Id eſt, homines, qui pridem in montibus illis habitaverant.

Incurvati ſunt colles mundi] *Submiſerunt ſe colles antiqui*: id eſt, populi qui diu in illis collibus vixerant.

Ab itineribus æternitatis ejus] In Hebræo, *itinera ſeculi ei*: id eſt, omnia quæ in mundo aguntur ipſi ſubſunt. Ità accipit Chaldæus.

7. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian*] *Vidi*, id eſt, intellexi, *propter ſcelus* illud quod memoratur Numer. xxv. *commota*

eſſe tentoria Æthiopum, id eſt, *pelles Madianitarum.* Explicat quos voce *Æthiopum* ſignificaverit, nempe *Madianitas* Æthiopibus facie ſimiles: qua de cauſa & uxor Moſis Madianitis dicitur *Æthiopiſſa* Numeror. XII. I. Horum *tentoria contremuere*, occiſis Madianitarum non paucis, Numer. XV. 17. Chaldæus *Chuſan* nomen eſſe putat Regis Madianitarum, & refert hæc ad tempora Gedeonis; quod ſequentium ſeries ægrè patitur.

8. *Numquid in fluminibus iratus es, Domine, aut in fluminibus furor tuus?*] *An contra flumina furor tuus*, accenſus ſcilicet fuit?

Vel in mari indignatio tua] *Adversùs mare.* Poëticè admodum quærit an cogitandus ſit Deus illis temporibus iratus fuiſſe aut aquis flumineis, aut mari, quòd eorum naturam immutaverit: nempe ut hâc causâ ſublatâ, alteram fortiùs ponat, ſingularem ſcilicet Dei pro populo ſuo curam.

Qui aſcendes ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſalvatio] *Imò te vecto equis tuis currus tui ſalutem* attulerunt. Arcam vocat *currum*, Cherubinos *equos Dei.*

9. *Suſcitans ſuſcitabis arcum tuum, juramenta tribubus quæ loquutus es*] *Educendo eduxiſti arcum tuum.* E coryto ſcilicet, ut facere milites ſolent ubi hoſtis propè eſt. *Iuramenta tribubus dicta*, id eſt, non aliter quàm ſi ſacramentum militare ipſis dixiſſes. Non diſſimile illud Virgilii,

> *Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo*
> *Deſuper.*

Fluvios ſcindes terræ] *Fluminibus ſcidiſti terram:* id eſt, terram fidiſti ut erumperent aquæ, Exodi XVII.6. Numeror. XX. 10.11. Pſalmo CV.41.

10. *Viderunt te*] Senſerunt vim tuam.

Et doluerunt montes] *Parturierunt montes.* ὠδινήσουσι [*parturient*] hîc Græci. Ità חול ſumitur Eſai. XXIII.4. XXVI. 18. XLV. 10. LIV.1. LXVI.8. Ierem. IV. 31. Mich. IV. 10. Habac. III. 9. in quibus locis Græci poſuere ὠδίνειν [*parturire*].

Gurges aquarum tranſiit] Quaſi partu quodam.

Dedit abyſſus vocem] Sicut recèns nati infantes vagitu ſe produnt, ità & ex imo erumpentes aquæ fremitu quodam. *Abyſſus* alibi mare, hîc aquæ ſub terra occultatæ, ut Deut. VIII. 7. Pſal. LXXVIII. 15.

Altitudo manus ſuas levavit] *In altum manus ſuas extulit*, nempe *abyſſus.* Hæc quoque ſimilitudo ab infantibus ducta.

11. *Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo*] Ioſuæ X. 12.

In luce ſagittarum tuarum ibunt] Iverunt Iſraëlitæ, prælucentibus fulgoribus.

In ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ] Idem eſt quod præceſſit.

12. *In fremitu conculcabis terram*] Iratus terram concutiebas.

In furore obſtupefacies gentes] *Conterebas* Chananæos, Amorrhæos, & alios, Duce Ioſue.

13. *Egreſſus es in ſalutem populi tui, in ſalutem cum Chriſto tuo*] Davidi in expeditionibus adfuiſti.

Percuſſiſti caput de domo impii] Adarezerum Regem Sobæ, II Samuel. VIII. 3.

Denudaſti fundamentum ejus uſque ad collum] Nempe *domûs illius*, id eſt, Regni Sobæ, ſumma & ima demolitus es.

14. *Maledixiſti ſceptris ejus, capiti bellatorum ejus*] *Baculis pertudiſti caput bellatorum ejus*, id eſt, ſociorum ejus, Regem nempe Damaſci, II Samuel. VIII. 5.

Venientibus ut turbo ad diſpergendum me] *Qui veniebat ut turbo ad me diſſipandum.* Aſſumit hîc Propheta perſonam populi Iſraëlitici.

Exſultatio eorum] Syrorum.

Sicut ejus qui devorat pauperem in abſcondito] *Pauperem præ metu latentem.* Talia ſibi Syri de Hebræis ſpoponderant, ſed falsò Triumphum cecinerant ante victoriam.

15. *Viam feciſti in mari equis tuis, in luto aquarum multarum*] *Viam feciſti ad mare equis tuis, ad acervum aquarum multarum.* Præiens Davidi, velut *eques præmiſſus viam feciſti ad mare* Rubrum, expugnatis Moabitis, Ammonitis, Philiſtinis & Idumæis, II Samuel. VIII. II. & alia ex parte ad magnum flumen Euphratem, I Paralipom. XVIII. 3.

16. *Audivi, & conturbatus eſt venter meus*] Propheta accepto Dei reſponſo de Chaldaïci Imperii exitio, ac ſimul rerum olim actarum memoriâ confirmatus, parat ſe ad patienter ferenda quæ per Chaldæos Iudæis id meritis erant eventura. *Venter quidem meus*, id eſt, viſcera mea, *conturbata ſunt:* id eſt, miſeret me quidem popularium.

A voce contremuerunt labia mea] Loqui non audeo, ob magnitudinem eorum quæ proſpicio malorum.

Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat] *Invaſit oſſa mea putredo, & intra me contremui:* id eſt, non magìs iſta cogitans conſiſtere poſſum quàm is cui oſſa tabe exeſa ſunt. tremo totus.

Vt requieſcam in die tribulationis] *Quia quieſcendum mihi erit in tempore calamitoſo:* id eſt, nullis precibus malum tantum potero avertere.

Vt aſcendam ad populum accinctum noſtrum] *Cùm adſcendet* (nempe Chaldæus) *contra populum* (Iudaïcum), *exciſurus eum.*

17. *Ficus non florebit*] Eſto. *Nè floreant ficus.* Συγχώρησις [*Conceſſio*].

Et non erit germen in vineis] *Nullus ſit proventus in vineis.*

Mentietur opus olivæ] *Mentiatur oleitas.* Sic *ſpem mentita ſeges* apud Horatium.

Arva non adferent cibum] Nè ferant arva frugem.

Abſcindetur de ovili pecus] *Auferatur.*

Et non erit armentum in præſepibus] *Nè ſit bos in ſtabulis.*

18. *Ego autem in Domino gaudebo*] *Ego tamen gaudebo in Domino*, fiſus Dei promiſſis.

Et exſultabo in Deo Ieſu meo] Græci, ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου [*in Deo ſervatore meo*]· eſt enim in Hebræo ישע, nomen commune, non proprium. explicant id ſequentia.

19. *Deus Dominus fortitudo mea*] *Præſidium meum.*

Et ponet pedes meos quaſi cervorum] Efficiet ut ego evadam iſtam internecionem.

Et ſuper excelſa mea deducet me] *Ire me faciet ad montes meos:* id eſt, qui me ſervent. Alluſio ad hiſtoriam Geneſ. XIX. 17. quò ſpectat & locus Matthæi XXIV. 16.

Victor in pſalmis canentem] *Magiſtro fidium meorum*, ſupple *tradidi hoc carmen aptandum fidibus:* Pſalmo IV. in principio.

AD SOPHONIAM.

CAPVT I.

1. VErbum Domini quod factum eſt ad Sophoniam*] Revelatio facta Sophoniæ. צפניה eſt *arcanum Dei*, interprete Hieronymo. Ab eadem origine nomen mulieri Pœnæ apud Livium, Punicè צפן איש כרה, id eſt, *Arcanum mariti in ipſa*, ſupple *manet*.

In diebus Ioſiæ, filii Amon, Regis Iudæ] Regis boni, & qui ſacra quidem ex Lege reſtituit, & abſtulit publica, quantum poterat, impedimenta; domeſticas verò cujuſque ſuperſtitiones, & mores populi pravos perſanare non potuit. Vide Eſaiæ LVII. Abſtulit Deus omnem excuſationem Iudæis. Solebant dicere, *Reges nos coëgerunt ad hæc & iſta*. Reſponſio parata eſt, *Ioſia vos non coëgit; imò quantum potuit vos ab illis moribus avertit: tamen perſtitiſtis malè agere.*

2. *Congregans congregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus*] Id eſt, *omnia averram cum pulviſculo*, ut dici ſolet.

3. *Hominem & pecus, congregans volatilia cœli & piſces maris*] Nam & aves & piſces loca deſerunt à cadaveribus fœtentia. Hieronymus ad hunc locum: *Vaſtatis urbibus, hominibúſque interfectis, ſolitudinem & raritatem beſtiarum quoque fieri, & volatilium piſciúmque, teſtis Illyrium eſt, teſtis Thracia, teſtis in quo ortus ſum ſolum* (id eſt, Pannonia), *ubi præter cœlum & terram & creſcentes vepres, & condenſa ſylvarum cuncta pereunt.*

Et ruinæ impiorum erunt] In Hebræo, *ea offendicula cum impiis*: id eſt, idola cum ſuis cultoribus.

Et diſperdam homines à facie terræ] Faciam ut nulli conſpiciantur, aliis interfectis, aliis deportatis.

4. *Et extendam manum meam ſuper Iudam*] Vim meam oſtendam adversùs Duas tribus, ſicut adversùs Decem alias oſtendi.

Et diſperdam de loco hoc] De Iudæa.

Reliquias Baal] Illas latentes, quas Ioſias, quanquam multùm conniſus, auferre non potuerat.

Et nomina æditVorum] *Camillorum*. Quod nomen erat Tyrium, à Tyriis ad Tyrrhenos venit, mutata ר in L. Significat *deorum miniſtros*, interprete Servio, ad XI. Æneidos. Vide II Regum XXIII. 4.

Cum Sacerdotibus] *Sacerdotes* vocat eos, qui ex ſtirpe quidem erant Aaronica, ſed clàm idolis operam dabant, Ezech. VIII. XXII. 26. XLIV. 10.

5. *Et eos qui adorant ſuper tecta militiam cœli*] Aſtra colebant in ſolariis ſuis, II Regum XXIII. 12.

Et adorant & jurant in Domino, & jurant in Melchom] Procumbunt versùs Arcam, & procumbunt coram idolis; miſcent cultum Dei legitimum cultibus profanis, ut illi de quibus I Regum XVIII. 21. *Melchom* eſt *Moloch*, id eſt, Deum ſuum: nam ex Regibus Ammonitæ gentéſque aliæ deos fecerant, eóſque in aſtra retulerant. Vide Amoſi V. 26.

6. *Et qui avertuntur de poſt tergum Domini*] Qui preces fundunt averſi à Sanctuario, Ezechielis VIII. 16.

Et qui non quæſierunt Dominum, nec inveſtigaverunt eum] Homines ἄθεοι [*impii*], qui neque inſtitui de Deo volunt, neque ullas preces fundere.

7. *Silete à facie Domini*] Εὐλαβεῖσθε [*Timete*], Græci, ut Habacuc. II. 20.

Quia juxtà eſt dies Domini] Dies vindictæ.

Præparavit Dominus hoſtiam] Delectabitur occidione impiorum magìs quàm pecudum, Eſaiæ XXXIV. 6. Ieremiæ XLVI. 10. Ezechielis XXXIX. 17.

Sanctificavit vocatos ſuos] *Convocavit convivas ſuos*, ſicut homines ad diem feſtum convocari ſolent. Convivæ hîc ſunt aves, & feræ, & canes.

8. *Viſitabo ſuper ~~Principes~~*] *Supplicia ~~in~~ Principes decernam.*

Et ſuper filios Regis] Vtriuſque dicti complementum habes II Regum XXV. 7. 21.

Et ſuper omnes qui induti ſunt veſte peregrinâ] Græci: ἐπὶ πάντας τοὺς ἐνδεδυμένους ἐνδύματα ἀλλότρια [*in omnes qui induuntur veſtimenta aliena*]. *Aliena* ſæpe vocantur quæ lege ſunt vetita, qualia ſunt veſtimenta maſculina in feminis, feminina in maribus, quòd eo modo idololatræ colerent Martem & Venerem, ut diximus Deuteronom. XXII. 5.

9. *Super omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen*] *Qui limen templi tranſiliunt*. Hic ab antiquo mos Philiſthinorum, I Samuel. V. 5. Sic & apud Romanos domuum limina tranſiliebant novæ nuptæ. Sic ſumſit hunc locum & Chaldæus.

Qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate & dolo] In Hebræo, *domum dominorum ſuorum*: Regum ſcilicet & Principum domos implent rebus per vim & injuriam quæſitis.

10. *A porta Piſcium*] Erit ululatus in tota Vrbe quam deſcribit ex tribus partibus nobiliſſimis. *Porta piſcium* erat in urbe Davidis, II Paralipomenon XXXIII. 14.

Et contritio magna à collibus] A Palatio & Templo.

11. *Vlulate habitatores pilæ*] מכתש propriè quidem *pilam*, id eſt, *mortarium* ſignificat, ſed per ſimilitudinem aptatur omni cavitati, ut apparet Iudic. XV. 19. *De torrente Cedron* Chaldæus, alii *de valle Siloës* interpretantur.

Conticuit omnis populus Chanaan] *Populus mercatorum*, qui in cava Vrbis parte habitabant.

Diſperierunt omnes involuti argento] *Peribunt omnes argentarii*, qui ſcilicet in eadem illa Vrbis erant parte.

12. *Scrutabor Ieruſalem in lucernis*] Victores Chaldæi omnia diligentiſſimè perveſtigabunt, etiam facibus adhibitis, nequid eos effugiat. Loquendi genus proverbiale, Lucæ XV. 8.

Et viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis] Qui tranquillè egerant hactenus, ut vinum quod non transfunditur, ſed fæcibus ſuis incumbit. Eſt eadem ſimilitudo Ieremiæ XLVIII. 11.

Qui dicunt in cordibus ſuis, Non faciet bene Dominus, & non faciet malè] *Qui dixerunt in cordibus ſuis*, id eſt, qui cogitarunt antehac, à Deo non curari res humanas; *fortè ac temere humana negotia volvi agíque*, ut eſt apud Curtium.

13. *Et erit fortitudo eorum in direptionem*] *Opulentiæ eorum.*

Domus eorum in deſertum] *In ſolitudinem.*

Et ædificabunt domos, & non habitabunt] Id eſt, *quas ædificaverant domos eas non habitabunt.*

Et plantabunt vineas, & non bibent vinum earum] Id eſt, *earum quas plantarunt vinearum vinum non bibent*. Vtrumque eſt ex Deuteron. XXVIII. 30. Idem ſenſus Amos v. 11.

14. *Tribulabitur ibi fortis*] Contenentur etiam validiſſimi.

15. *Dies tenebrarum & caliginis*] Atra dies.

16. *Dies tubæ & clangoris ſuper civitates munitas*] Nam ad tubæ ſonitum capi urbes ſolent.

Et ſuper angulos excelſos] Id eſt, turres, quæ eſſe in angulis murorum ſolent.

17. *Et tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci*] Anguſtiis afficiam tantis ut non magis quàm cæci videant quò ſe vertere debeant.

Sanguis eorum ſicut humus] *Sicut pulvis*, qui nullius eſt pretii.

Et corpora eorum ſicut ſtercora] Hîc לחם, quod *panem* ſignificare ſolet, vertitur *corpus*, more Arabum. Vide quæ diximus ad Matthæi XXVI. 26.

18. *Sed & argentum eorum & aurum non poterit liberare eos*] Ezechielis VII. 19.

In igne zeli ejus] Æſtuante Dei irâ. Sic & infrà III. 8.

Conſummationem cum feſtinatione faciet] *Conſummationem* hîc vocat reipublicæ Iudaïcæ interitum.

CAPVT II.

1. *Convenite, congregamini*] Nempe ad preces, ut vitam ſaltem ſalvam habeatis.

Gens non amabilis] *Gens nullius pudoris.* Ità enim Chaldæi & Rabbini נכסף uſurpant.

2. *Priuſquam pariat juſſio quaſi pulverem transeuntem diem*] *Priuſquam decretum* (Dei) *pariat diem velut glumæ tranſeuntis*, quâ gluma ſeparetur à frumento, & frumento ſalvo gluma pereat.

3. *Quærite Dominum omnes manſueti terræ*] Hîc orationem ad alios, id eſt, paucos in populo bonos convertit.

Qui judicium ejus eſtis operati] Qui Dei leges ſectati eſtis.

Quærite juſtum, quærite manſuetum] In Hebræo, *Quærite juſtitiam*, id eſt, beneficentiam; *quærite manſuetudinem*, id eſt, Dei clementiam expoſcite.

Si quomodo abſcondamini] Id eſt, *protegamini*, ut hîc explicat Chaldæus.

4. *Quia Gaza deſtructa erit*] Oſtendit difficillima fore effugia, omnibus circùm locis ab hoſte captis. multos Phœnicum & Syrorum à Nabuchodonoſoro captos habes in Beroſi fragmento, quod citavimus ad tertium librum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

Azotum in meridie ejicient] Azotios clarâ die expellent Chaldæi.

5. *Væ qui habitatis funiculum maris*] *Oram maritimam.*

Gens perditorum] *Gens Cerethim*. Pars eſt Philiſthinorum. Vide 1 Samuel. XXX. 14. & Ezech. XXV. 16. unde ortos Cretas opinamur.

Verbum Domini ſuper vos Chanaan, terra Philiſthinorum] Deeſt copula, *Chanaan & terra Philiſthinorum.* partes Phœnices enumerat.

6. *Et erit funiculus maris*] *Ora maritima*, ut modò diximus.

Requies paſtorum, & caulæ pecorum] Mercatoribus longè abactis.

7. *Et erit funiculus ejus, qui remanſerit de domo Iuda: ibi paſcentur*] *Et erit ora* (iſta) *reliquiarum domûs Iudæ* (id eſt, eorum qui remanſerint cum Godolia), *ut ibi paſcant pecora.*

In domibus Aſcalonis ad veſperam requieſcent] Cubabunt in deſolatis illis domibus paſtores.

Quia viſitabit eos Dominus Deus eorum] *Quia punierit eos Dominus*, nempe Azotios & vicinos.

Et avertet captivitatem eorum] *Repetet.* Ità enim שוב ſæpe ponitur. Pſammitichus jam antè Azotum ceperat, teſte Herodoto Euterpê: captivóſque abduxerat multos. Cum tempore rurſus habitata Azotus, iterúmque indè captivi abducti per Chaldæos ſub Nabuchodonoſoro. Vide Ierem. XXV. 20. Ezech. dicto loco XXV. 15.

8. *Audivi opprobrium Moab*] Erant enim *ſuperbiſſimi*, Ierem. XLVIII. 29.

Et blaſphemias filiorum Ammon: quæ exprobraverunt populo meo] Ezechiel. XXV. 3.

Et magnificati ſunt ſuper terminos eorum] Iſraëlitarum terminos invaſere, Ierem. XLIX. 1.

9. *Quia Moab ut Sodoma erit, & filii Ammon quaſi Gomorrha*] Factum id quinto anno poſt capta Hieroſolyma, ut diximus ad XLVIII. Ieremiæ, XLIV. Eſaiæ, & XXV. Ezechielis.

Siccitas ſpinarum] *Locus derelictus urticis.* Pro ממשק [*locus ſterilis*] LXX hîc mendoſè legiſſe דמשק [*Damaſcus*] notat Hieronymus.

Et acervi ſalis] *Fodinæ ſalis.*

Et deſertum uſque in æternum] לעולם, quod pro *aliquanto tempore* & *una ætate* accipi notat hîc in Commentariis Hieronymus.

Reliquiæ populi mei diripient eos, & reſidui gentis meæ poſſidebunt illos] Nempe *terminos*, pro eo quod illi terminos Iſraëlis invaſerant, ut jam ſequetur. *Reliquiæ* hîc ſunt, ut modò, Iudæi relicti ſub Godolia.

10. *Hoc eis eveniet pro ſuperbia ſua: quia blaſphemaverunt, & magnificati ſunt ſuper populum Domini exercituum*] Repetitum ex ſuperiore 8.

11. *Attenuabit omnes deos terræ*] Dagonem, Chamoſum, Molochum. Hunc locum ut eſt in LXX citat, & ad Euangelica tempora ſenſu excellentiore aptat Chryſoſtomus 11 adverſùs Iudæos.

Et adorabunt eum viri de loco ſuo] Per Iudæos captivos multi de Gentibus diſcent unum eſſe Deum, & quiſque domi ſuæ eum colent. Hi ſunt חסידי אומות *ſancti ex Gentibus.*

Omnes inſulæ Gentium] Etiam in locis Gentium tranſmarinis.

12. *Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis*] In Hebræo, *interfecti enſis mei* : quomodo dicitur διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ [*dociles Dei*, id eſt, *à Deo*] Ioh. VI. 45. Hæc cohærent cum dictis ſuprà 8. 9. 10. Impletum hoc cùm Æthiopes, qui in auxilio erant Neconis Regis Ægyptii, cæſi ſunt à Nabuchodonoſoro, Ierem. XLVI. 2. Ordinem gentium ſequitur Propheta, non temporis.

13. *Et extendet*] Idem Nabuchodonoſor.

Super Aquilonem] In Medos.

Et perdet Aſſur.] Diximus de hac hiſtoria ad Nahumum.

Et ponet ſpecioſam in ſolitudinem] In Hebræo, *Niniven* : eam privabit opibus & commerciis, ità ut magna pars urbis vacua ſit ab habitatoribus. exciſa enim non eſt, ut ad Nahumum oſtendimus.

14. *Et accubabunt in medio ejus greges*] Id in locis derelictis ab humano cultu fieri ſolet, ut ſuprà 6.

Et onocrotalus & ericius] Ex Eſaia XXXIV. 11. pro onocrotalo *pelecanum* ponunt Hebræi, & ipſe Latinus alibi, ut ad Eſaiæ locum diximus. Verùm in Commentariis ad hunc locum Hieronymus *onocrotalorum duo eſſe* ait *genera, aliud aquatile, aliud ſolitudinis.*

In liminibus ejus morabuntur] In Hebræo: *in malis punicis ejus*, id eſt, in figuris malorum punicorum, quæ ſummis ædibus imponi ſolebant. Vide Amos IX. 1. Talia ſunt quæ Græci vocant ἀκρωτήρια [*ſummitates*].

Vox cantantis in feneſtra] Aves ibi canent tutò. Ità hìc Chaldæus; & confirmat id Eſaias XIII. 21. 22. XXXIV. 11. 15.

Corvus in ſuperliminari] Apparet & LXX & Hieronymum legiſſe ערב, ubi nos habemus חרב [*deſolatio*]. Probat illorum lectionem locus Eſaiæ ſimilis XXXIV. 11. Chaldæus חרב legit, vertítque *deſolabunt portam ejus.* סף eſt *limen*, ut apparet Iudicum XIX. 27. Ezechielis XL. 6.

Quoniam attenuabo robur ejus] *Quoniam cedrina ejus nudabit* : id eſt, Tabulata domuum multarum patebunt corvis aliiſque avibus. Activum imperſonaliter poſitum pro paſſivo.

15. *Hæc eſt civitas glorioſa*] Supple, *dicent tranſeuntes, Hæc eſt urbs illa quæ exſultabat.*

Habitans in confidentia] *Quæ habitabatur confidenter.*

Quæ dicebat in corde ſuo, Ego ſum, & extra me non eſt alia ampliùs] Hæc Eſaias de Babylone dixerat XLVII. 8.

Sibilabit] Præ ſtupore, ut 1 Regum IX. 8.

Et movebit manum ſuam] Vt ſolent facere attoniti.

CAPVT III.

1. VÆ *provocatrix*] *Væ inſpectatæ.* Dici id ſolet de feminis proſtituti pudoris.

Et redempta] *Pollutæ.* nam ſæpe גאל eſt *polluere*, ut Malach. I. 7. Eſai. LXIII. 3. Thren. IV. 14.

Columba] *Prædatrici* : quomodo יונה expoſuimus Ieremiæ XLVI. 16. L. 16. intellige urbem Hieroſolyma, ubi diu pauperes à divitibus oppreſſi fuerant.

2. *Non audivit vocem*] Prophetarum.

Et non ſuſcepit diſciplinam] Id eſt, Legem non eſt ſecuta.

In Domino non eſt confiſa] Sed modò in Aſſyrio, modò in Ægyptio, modò in Chaldæis, ſæpe & in illorum idolis.

Ad Deum ſuum non appropinquavit] Deum non coluit: id enim קרב [*appropinquare*], unde קרבן [*Corban*].

3. *Principes ejus in medio ejus quaſi leones rugientes*] Similis querela apud Ezech. XXII. 27.

Iudices ejus quaſi lupi veſperè, non relinquebant manè] Lupi veſperè avidiſſimi, Ierem. I. 6. Pro *non relinquebant manè* Hebræum habet *non oſſa rodunt ad manè* : id eſt, non differunt rodere, ſed ſtatim omnia abſumunt.

4. *Prophetæ ejus veſani, viri infideles*] Ezechiel. XXII. 28. Michææ III. 11.

Sacerdotes ejus polluerunt ſanctum] Id eſt, Sanctuarium, Templum.

Injuſtè egerunt contra Legem] In Hebræo: *Legem tranſgreſſi ſunt*, multis ſcilicet modis, Ezechiel. XXII. 26.

5. *Dominus juſtus in medio ejus non faciet iniquitatem*] *Ejus*, nempe *civitatis*. Deus qui iſta omnia præſens videt, nihil agit præter æquum.

Manè, manè judicium ſuum dabit in lucem] Quotidie aliquod inſigne edit judicium in illos Principes, Prophetas, Sacerdotes. Alluſio ad morem Iudæorum & vicinarum gentium, apud quos judicia tantùm manè exercebantur. Diximus ad Iobum XXIV. 17.

Et non abſcondetur] *Non deficit*, id eſt, nunquam omittit talia agere.

Neſcivit autem iniquus confuſionem] *Attamen homo iniquus neſcit pudeſcere.*

6. *Diſperdidi gentes*] *Exſcidi gentes*, id eſt, Decem tribus per Teglathphalaſarum & Salmanaſarem. Deus loquitur.

Et diſſipati ſunt anguli earum] Id eſt, *turres*, ut ſuprà I. 16.

Deſertas feci vias earum] *Plateas.*

Dum non eſt qui tranſeat] *Vt non ſit qui tranſeat.*

Non remanente viro, neque ullo habitatore] Id eſt, ne feminis quidem aut pueris.

7. *Dixi, Attamen timebis me*] *Dixi, Saltem tu timebis me*, civitas Hieroſolymorum.

Suſcipies diſciplinam] Legem ſequêris.

Et non peribit habitaculum ejus] *Nè pereat habitaculum ejus.* Mutatio perſonæ frequens Hebræis.

Propter omnia in quibus viſitavi eam] *Omne* (bonum) *quod conſtitui* (quod in Lege promiſi) *ſuper eam*, ſupple *veniet*. Ità Chaldæus: nec aliter ſumitur פקד [*viſitare*] II Paralipom. XXXVI. 23.

Verumtamen diluculò ſurgentes corruperunt omnes cogitationes ſuas] *Peſſima ſectati ſunt ſtudia. Diluculò ſurgentes*, id eſt, diligentiſſimè. Simile loquendi genus Ieremiæ XI. 7. XXV. 3. XXIX. 19. Eſaiæ V. 11.

8. *Quapropter exſpecta me*] *Exſpectate me.* Redit ad ſecundam perſonam. Idem eſt quod alibi , *Ego ad vos.*

In die reſurrectionis meæ in futurum] *In id tempus, tùm ſurgam ad ſpolium. Surgere* dicitur qui è caſtris in prælium egreditur.

Quia judicium meum] Decretum mihi eſt.

Vt congregem gentes , & colligam regna] In unum compellam ingentem multitudinem Iudæ & Benjaminis ex præfecturis plurimis (quas præfecturas ſæpe *regna* impropriè vocant Hebræi , & Græci verterunt alicubi μητροπόλεις [*urbes matrices*]) nempe intra urbem Hieroſolyma.

Et effundam ſuper eos] Ità collectos.

Indignationem meam] Effectus iræ meæ, per Chaldæos.

In igne enim zeli mei devorabitur omnis terra] Iudæa , ut ſuprà 1. 18. Iudæi hæc ſenſu excellentiore ad diem Iudicii univerſalis referunt , ut præcedentia ad bellum Gog & Magog.

9. *Quia tunc reddam populis labium electum , ut invocent omnes in nomine Domini*] *At tunc* (id eſt, poſtea : ſæpe enim אז ſumitur in ſignificatione multùm diſtantis temporis , ut diximus ad Matth. XXIV. 14. & 30.) *reddam populis labium purum , ut omnes invocent Dei nomen.* Efficiam per graviſſimas quas ſentient calamitates , & per promiſſiones additas , ut pœnitentiâ ducti tales fiant quales olim Davidis temporibus fuere , cùm piis verbis ac factis verus Deus coleretur. Pro ברורה , quod eſt *purum* , Græci legerunt בדורה, εἰς γενεὰν αὐτῆς [*in generationem ſuam*], ut & Hieronymus notavit.

Et ſerviant ei humero uno] Id eſt , junctim. *Humerus* ſive *armus* hîc ſumendum μεταληπτικῶς [*per Tranſſumtionem*] , pro eo quod armis imponitur , id eſt , *jugo.* Lxx hîc non malè , ὑπὸ ζυγὸν ἕνα [*ſub jugum unum*].

10. *Vltra flumina Æthiopiæ , indè ſupplices mei , filii diſperſorum meorum deferent munus mihi*] Diximus ad Eſaiam XVIII , ubi de iiſdem fluminibus Æthiopiæ agitur , עבר ſæpe non *trans* ſed *juxta* ſignificare. Vertas igitur non malè , *A locis ad flumina Æthiopiæ* ſitis *ſupplices mei , proles diſperſorum meorum adferunt mihi* μαναὰ , id eſt , *libum è ſimila.* Neconis bello multi Iudæi capti , & in Ægyptum avecti , indè in Æthiopiam uſque venditi ſunt. Hos quoque Cyrus , fœdere cum Æthiopibus facto , liberari curavit : ità ut & hi cum cæteris in patriam redierint , ibíque dona obtulerint. Simile quid vide Eſaiæ XI. 11. ubi itidem ab *Æthiopia redeuntium* mentio eſt. Sic Ptolemæus Philadelphus Iudæos plures centum millibus in oris longinquis ſervientes pretio dato liberavit , & in patriam remiſit. teſtis Ioſephus XII. 2.

11. *In die illa*] Poſt id tempus.

Non confundêris ſuper cunctis adinventionibus tuis] *Non ultrà pudore afficieris propter omnia tua ſtudia vetera :* nempe quia abſtinebunt ſibi ab idololatria, aliiſque pravitatibus.

Quibus prævaricata es in me] Ante captivitatis tempus.

Quia tunc auferam de medio tui magniloquos ſuperbiæ tuæ] Illi qui olim auctores vobis fuerant extollendi vos contra legem Dei , malo fato mortui , non aderunt vobis.

Et non adjicies exaltari ampliùs in monte ſancto meo] *Ne ultrà ſuperbias in Templo meo :* nempe illorum exemplo. Superbiæ eſt Legem contemnere , quod fecerant ipſi Sacerdotes in Templo, ſuprà 4. hoc eſt quod dicitur peccare ביד רמה [*manu elatâ*] , id eſt, *per ſuperbiam,* Numer. XV. 30.

12. *Et derelinquam in medio tui populum pauperem & egenum*] *Lenem & modeſtum* , Chaldæus aptè ad ſenſum : nam nominum עני [*pauperis*] & ענו [*manſueti*] ſignificationes permiſceri inter ſe ſolere alibi quoque notavimus.

Et ſperabunt in nomine Domini] Qui in Deo, non in ſemetipſis confident.

13. *Reliquiæ Iſraël non facient iniquitatem*] Illi reverſi non redibunt ad idololatriam , quæ עלה [*iniquitas*] κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*].

Nec loquentur mendacium] Non decipient alter alterum , ut olim. Per multa mala purgati erunt.

Quoniam ipſi paſcentur] *Ideo ipſi paſcentur* , id eſt, abundabunt rebus neceſſariis.

Et accubabunt] Id eſt , ſecurè vivent ; ut ille

——— *patulæ recubans ſub tegmine fagi.*

Et non erit qui exterreat] Alta circùm pax erit ſub præſidio Regum Perſarum.

14. *Lauda , filia Sion*] Deo tunc gratias agito.

15. *Abſtulit Dominus judicium tuum*] Id eſt, pœnas tuas.

Avertit inimicos tuos] *Vacuefecit inimicos tuos* : id eſt , vim tibi nocendi adimet Samaritis, Ammonitis, Arabibus, Philiſthinis. Vide Nehem. IV. VI.

Rex Iſraël Dominus in medio tui] Deus tibi *pro Rege erit* , id eſt , te defendet.

Non timebis malum ultrà] Diu enim fuit poſt reditum feliciſſimus Iudææ ſtatus.

16. *Non diſſolvantur manus tuæ*] Perge in ædificatione Templi & Vrbis.

17. *Silebit in dilectione tua*] Id eſt , acquieſcet in amore tui.

Exſultabit ſuper te in laude] *Exſultabit propter te cum cantico.* Homines cùm læti ſunt παιανίζουσι [*pæana canunt*] . hinc ſumta Tranſlatio.

18. *Nugas , qui à Lege receſſerant congregabo , quia ex te erant : ut non ultrà habeas ſuper eis opprobrium*] Hieronymus נוגי Hebræum ut ſono ità ſignificatu idem putavit eſſe quod Latinum *nugæ.* Sed valde mihi ſe hoc loco probat Chaldæus , *Qui impedierunt feſtos dies tuos , eos procul à te ſegregabo : væ illis qui portaverunt opprobrium* (id eſt , arma) *contra illud* , id eſt , contra libertatem feſtos dies agendi & ſacrificandi : quod ſine Templo fieri non poterat. הגה eſt *removere.* Poſt ממך [*ex te*] ponenda diſtinctio. הי pro הוי per *væ* exponunt , præter Chaldæum , etiam Lxx. Illos populos intellige de quibus diximus ſuprà 15. qui Templi ædificationem impedire omni modo voluere.

19. *Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo*] *Reprimam omnes.* Sic enim עשה ſæpe ſumitur. & hoc loco idem valet quod ſuprà פנה.

Et ſalvabo claudicantem] *Claudicare* hîc ſignificat *incommoda pati* , ut Pſalmo XXXV. 15. Itaque Lxx hîc hic verterunt ἐκπεπιεσμένην [*valde preſſam*], ut συντετριμμένην [*contritam*] Mich. IV. 6. 7.

Et eam quæ ejecta fuerat congregabo] Quotidie alii atque alii ad reduces accedent.

Et ponam eos in laudem & in nomen in omni terra confuſionis eorum] Id eſt, Faciam ut celebre nomen habeant in eis etiam locis ubi contemtui ac ludibrio fuere.

20. *Cùm convertero captivitatem veſtram*] Redire fecero eos qui velut captivi egerant.

Coram oculis veſtris] Ità ut alter conſpiciatis alterum ſummo cum gaudio.

AD AGGÆVM.

CAPVT I.

TRes ſunt Prophetæ qui populum vidêre reducem, Aggæus, Zacharias, & Malachias, quibus addendus Daniel: Nam & is, multis Regibus ſuperſtes, fuiſſe in Iudæa creditur, & tempore aliquo partem feciſſe τῆς συναγωγῆς τῆς μεγάλης [*Synagogæ magnæ*], à qua tunc populus gubernabatur. In his quatuor deſiit Prophetia uſque ad Chriſti tempora. Voluit enim Deus iſtâ *fame verbi* (ut Prophetæ loquuntur) appetentiores Meſſiæ facere Iudæos, qui Prophetas omnes miraculis eſſet ſuperaturus. Et quia hi poſtremi fuere Prophetarum Veteris Fœderis, ideo ad Novum Fœdus, & Ducem ejus Chriſtum, digitum apertiùs intendunt; nec tantùm per medias hiſtorias alias eum figurant, ſed directè monſtrant.

1. *In anno ſecundo Darii Regis, in menſe ſexto, in die una menſis*] Id eſt, *prima*, more Hebræo; ut Geneſ. I. 5. & alibi. Cœpit ergò hic à Deo his viſis illuſtrari ſeptem menſibus antè quàm is qui ſequitur Zacharias. Vtraque hæc Prophetia ea ipſa eſt, de qua agit Eſdras V. Occaſio hæc fuit. Conceſſerat Cyrus, à Deo, qui id per Eſaïam prædixerat, motus, Iudæis reditum in patriam; cum jure reſtituendi Templi & Vrbis. Ità enim Cyri edictum refert Ioſephus XI. Redierant è tribu Iudæ, Benjaminis, & Levi plurimi, nonnulli etiam ex tribubus aliis, quibus Dei cultus erat cordi, & fundamenta fecerant Templi. Cyro autem per bella occupato, & Cambyſe circumvento, vicini Satrapæ invidentes Iudæis impedierant ædificationem Templi longo ſatìs tempore. Is Cambyſes nomine communi *Artaxerxes* dicitur in Sacris hiſtoriis: quo de nomine egimus ad initium Eſtheris. Dario Hyſtaſpis Regnum adepto Perſicum, aperuit Deus Prophetis qui tum in Iudæa erant, Aggæo & Zachariæ, velle ſe ut pergeretur in cœpto opere, quia ſcilicet conſtituiſſet Regis Darii animo indere cogitata Iudæis faventia & hoc opus promotura. Erant qui Aggæo crederent; inter quos eminebant Zorobabel Ethnarcha è Davidis ſtirpe, & Ieſus Ioſedecides Sacerdos maximus. Multi ex plebe, laboris & impenſarum fugientes, quidvis malebant credere quàm id quod ipſis moleſtum eſſet: Satìs enim habebant in domibus, quas ſibi ſubitò fecerant, bene adversùs omnem cœli injuriam tectis, habitare, & agri proventibus frui: quæ tamen ſpes eos, Deo ità volente, fefellerat. Horum duorum Prophetarum & ad eos ſe adjungentium duorum virûm, quos dixi, principum auctoritas tantum valuit, ut interruptum diu opus repeteretur: Quod pium ſtudium, Deo ſic res dirigente, Darii Regis edicto comprobatum adjutúmque eſt.

Factum eſt verbum Domini in manu Aggæi Prophetæ] Id eſt, *per Aggæum Prophetam.* Hebraïſmus ſatis notus.

Ad Zorobabel filium Salathiel] De hujus genere vide quæ diximus ad Luc. III. 23. & ſequentibus.

Ducem Iuda] Ἐθνάρχην, ἡγεμόνα, ἄρχοντα τῶν Ἰουδαίων [*Ethnarcham, Ducem, Principem Iudæorum*], ut Ioſephus loquitur. Reverebantur quidem eum Iudæi in animo ſuo quaſi Regem, quòd ex Davidis familia diu regnatrice ortum duceret, ſed Regium nomen ei ſplendorémque non circumdabant, nè Perſarum Regum, ſub quorum erant tutela, partim & imperio, animos offenderent.

Et ad Ieſum filium Ioſedec Sacerdotem magnum] Natus quidem hic erat ex Aaronis ſanguine, ſed ad ſummum Sacerdotium electus à Synedrio; ſicut olim à Regibus Iudæis fieri ſolebat. Dicta hæc illis duobus, ſed coram populo, ut apparet infrà 12.

2. *Populus iſte dicit*] Plebs illa pigra & avara.

Nondum venit tempus domûs Domini ædificandæ] Nullas juſtas habebant cauſas Aggæo, qui eos quotidie hortabatur, non credendi, niſi privatos affectus obſtantes publicis commodis. Hoc ulcus jam tanget Propheta.

3. *Et factum eſt verbum*] Attamen verum eſt Deum mihi quæ dico præcepiſſe.

In manu Aggæi Prophetæ] Id eſt, mea. Ità ſæpe Hebræi nomen ponunt pro pronomine.

4. *Numquid tempus vobis eſt ut habitetis in domibus laqueatis*] In veſtris rebus nullum tempus ſerum eſt: in Dei rebus omne tempus præmaturum creditis. Non ità animatus fuit David, ad cujus verba hîc non obſcurè reſpicitur. Sunt ea II Samuel. VII. 2. Pſalmo CXXXII. בתים ספנים ſunt *domus tectæ.* Sic ספינא Chaldæis & Arabibus *navis tecta* ſive *conſtrata.*

Et iſta domus deſerta] *Iſtâ domo manente proſtratâ*, id eſt, Templo.

5. *Ponite corda veſtra ſuper vias veſtras*] Etiam atque etiam attendite quid agatis.

6. *Seminaſtis multum, & intuliſtis parum*] In horrea, Deo labores veſtros non proſperante, & ſic ulciſcente neglectum ſui.

Comediſtis, & non eſtis ſatiati] Oſee IV. 10.

Bibiſtis, & non eſtis inebriati] Non ſatis fuit vini unde ad hilaritatem biberetis.

Operuiſtis vos, & non eſtis calefacti] Περιεβάλετε. *Veſtiviſtis vos*, quomodo & Chaldæus. Tam tenuiter fuiſtis veſtiti ut non ſatìs id fuerit bene fovendo corpori. Vide quæ diximus ad Iacobum II. 16.

Et qui mercedes congregavit, miſit eas in ſacculum pertuſum] Quaſi dolium Danaidum, quod ſemper perfluit. Quicquid operâ veſtrâ peperiſtis, id ſtatim abit in impendia. Ità carò vivitur.

8. *Aſcendite in montem*] Moria.

Et acceptabilis mihi erit, & glorificabor] *Placebit mihi in ea domo oſtendere majeſtatem meam.* Ità optimè hîc Chaldæus.

9. *Reſpexiſtis ad amplius*] Ad rem augendam, dum Templum negligitis.

Et ecce factum eſt minus] Res veſtra deminuta eſt.

Intuliſtis in domum] Res partas.

Et exſufflavi illud] Ità perire feci ſicut perit emiſſus halitus, Iob. XI. 20.

Et vos feſtinatis unuſquiſque in domum ſuam] Locupletandam. Veſtras res tantùm agitis. Deum non curatis, nec ille vos curat.

10. *Prohibiti ſunt cœli nè darent rorem, & terra prohibita eſt nè daret germen ſuum*] Deut. XXVIII. 23.

11. *Et vocavi ſiccitatem ſuper terram*] *Accerſivi ſterilitatem.*

Et ſuper montes] Id eſt, terram paſcuam.

Et ſuper omnem laborem manuum] *Arbores ſativas*, Deuteron. XXVIII. 33. Pſalm. LXXVIII. 47.

12. *Et verba Aggæi Prophetæ, ſicut miſit eum Dominus*] Id eſt, quæ Deus ei dicenda mandaverat: nam שלח [*mittere*] Hebræis ſæpe hanc ſignificationem habet.

13. *Et dixit Aggæus nuntius Domini de nuntiis Domini*] *Legatus Domini in legatione Domini.* Dixit hoc quod ſequitur Propheta, non ſuo ſed Dei ipſius nomine. Id Hebræo optimè convenit: & ſic accepit etiam Chaldæus.

Ego vobiſcum ſum] *Auxilio vobis ero*, ut hîc vertit Chaldæus. Vide quæ diximus ad Matth. XXVIII. 20.

14. *Et ſuſcitavit Dominus ſpiritum Zorobabel filii Salathiel Ducis Iuda, & ſpiritum Ieſu filii Ioſedec Sacerdotis magni, & ſpiritum reliquorum de omni populo*] Animos illis addidit.

Et faciebant opus] Id eſt, materiam congerebant. Hunc ſenſum exigunt quæ ſunt infrà II. 19.

CAPVT II.

1. IN *die vigeſima & quarta menſis in ſexto menſe, in anno ſecundo Darii Regis*] Hæc connectenda ſunt cum capite primo: deſcribitur enim tempus quo primùm manus admotæ ſunt materiæ, ut diximus, congerendæ. Tempus quo Aggæus alterum ſermonem ad Principes populúmque habuit jam ſequitur, unde initium fieri debet capitis alterius.

2. *In ſeptimo menſe*] Hic ſermo habitus eſt paulò ante illum Zachariæ.

4. *Quis in vobis eſt derelictus qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? & quid vos videtis hanc nunc? numquid non eſt ità quaſi non ſit in oculis veſtris?*] Nemo ſuperſtes eſſe poterat poſt annos ferme CLXXX: itaque ſic vertas optimè, *Si quis ex vobis ſupereſſet qui vidiſſet Templum hoc loco in priore magnificentia* (qualem Solomon & Reges ſequentes ei dederant, & deſcripſit Ezechiel), *certè ea quam nos videmus* (id eſt, cujus fundamenta adſpicimus ſub Cyro jacta, multò minora veteribus, I Eſdræ III. IV.) *videretur judicio noſtro res eſſe nihili.* Fuit enim ἐνδεέστερος ὁ ναὸς τοῦ πάλαι [*templum vetere vilius*], ob tenues populi opes, & ob feſtinationem, ut ex Ioſepho notavimus ad Ezech. XL.

5. *Et nunc confortare Zorobabel*] Bono ſis animo tu, aliíque.

Dicit Dominus exercituum, & facite] Id eſt, ædificate Templum.

6. *Verbum quod pepigi vobiſcum cùm egrederemini de terra Ægypti*] Præſtabo vobis eadem quæ majoribus veſtris de Ægypto egredientibus promiſi, Exodi XV. 26. Ieremiæ VII. 23.

Et Spiritus meus erit in medio veſtrûm] Id eſt, Habebitis Prophetas, Aggæum, Zachariam, Malachiam. Ità Chaldæus rectè.

7. *Adhuc unum modicum eſt*] Modicum tempus præ eo tempore ex quo fuit populus Iſraëlitarum. Alioqui per ſe ſpatium eſt non breve annorum circiter quingentorum. Sed ſi tempora quæ ab exitu ex Ægypto ad hanc ſtructuram interceſſere compares, breve videbitur.

Ego commovebo cœlum & terram, mare & aridam] *Cœlum, & terram, id eſt, mare & ſiccam humum*: ut hæc duo poſteriora ſint expoſitio vocis *terræ*, quæ totum illum orbem ex mari humóque compoſitum ſignificat. Eſt autem proverbialis locutio, quâ ſignificatur ingens rerum mutatio. Sed & ſingulæ partes habent hîc quod agant. *Commoverat* Deus *cœlum* fulguribus excitatis in monte Sinaï; *commoverat terram*, ut aquas ederet; *commoverat mare*, ut ſcinderetur. Et Chriſti tempore Deus *cœlum commovit*, locutus de cœlo; *commovit terram*, ità ut tremeret; *commovit mare*, mari & ventis imperans.

8. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus*] *Vbi venerit deſiderium gentium omnium*, id eſt, quem deſiderare omnes gentes debent. Reſpicit ad verba Iacobi de *Siloh*, quæ in ore erant Iudæis & vicinis gentibus, ut diximus ad Matthæi II. LXX hîc pluraliter legêre חמדות cum Holem, *eximia*, τὰ ἐκλεκτὰ, minùs rectè.

Et implebo domum iſtam gloriâ] Magna erit ſecundi Templi gloria, quòd in eo conſpicietur Rex ille piorum omnium, & in ipſo Templo miracula edet. Vide Matthæi XXI. 12. 14. Meſſiam apparituram in Templo ſecundo credidere Iudæi omnes qui ante Excidium vixere. Ex eo tempore comminiſcuntur interpretationes novas, violentas, varias ad hæc loca clariſſima, δίκης χάριν σοφὰ φάρμακα [*litis causâ reperta ſubtilia medicamina*]. Quibus dicere poſſumus,

> οἶσθα ἢ καί τινα μῦθον ἀμείνονα τοῦδε νοῆσαι.
> [*Verba ſed his etiam noſti meliora profari.*]

9. *Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum*] Id eſt, iſtis rebus non egeo. Simile loquendi genus illi in Pſalmo L. 10.

10. *Magna erit gloria*] Major ob ea quæ diximus.

Domûs iſtius noviſsima] Hebræum אחרון etiam de uno ex duobus dicitur: itaque Latinè rectè verteris *poſterioris*.

11. *In vigeſima & quarta noni menſis*] Quo ſcilicet tempore poſt materiem congeſtam iterum manus admota operi eſt, ut apparet infrà 16. 19.

12. *Interroga Sacerdotes legem*] Nam illorum erat de ceremoniis reſpondere, qui eas optimè noverant: Levitici X. 10. Ezechielis XLIV. 23. Malachiæ II. 7.

13. *Si tulerit homo carnem ſanctificatam*] Id eſt, victimalem, quæ ſanctificatur per altare.

In ora veſtimenti ſui] In lacinia.

Dixerunt, Non] Bene: neque enim tam facilè legalis illa ſanctitas communicatur quàm impuritas legalis. Sic etiam vitiorum multæ ſunt viæ, virtutis una ac difficilis:

Ἐσθλὸν μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακόν.
[*Vna via eſt recti, ſed mala multa modis.*]

14. *Et reſponderunt Sacerdotes, & dixerunt, Contaminabitur*] Ex lege Num. XIX. 22.

15. *Sic populus iſte*] Animo non bene emundato, neque ad omnem obedientiam compoſito, quæ Deo hactenus obtulere dona ſuper altare illud ſub dio ædificatum Cyri tempore (Eſdræ III. 3.), ea illos non fecere *ſanctos*, id eſt, Deo gratos, ſed contrà impurus animus dona ipſa *contaminavit*, id eſt, ingrata reddidit.

16. *Et nunc ponite corda veſtra*] Animadvertite quid hactenus vobis evenerit antequam huic operi admoveretis manum.

Antequam poneretur lapis ſuper lapidem] Lapis à vobis ſuprà lapidem poſitum Cyri temporibus, Eſdræ III. 10.

17. *Cùm accederetis ad acervum viginti modiorum*] In Hebræo: *Ex quo exſtitere*, nempe tempora illa negligentiæ veſtræ, *veniente aliquo ad acervum viginti*, nempe modiorum, id eſt, ex quo ſpectabat ſe excuſſurum viginti modios.

Et fierent decem] *Ibi fiebant* tantùm *decem*. Adeò brevi corrumpebatur pars magna frugum. Idem de uvis ſequitur.

18. *Percuſsi vos vento urente*] *Vredine*. Id enim שדפון, Deuteronom. XXVIII. 22. I Regum VIII. 37. Amoſ. IV. 9. *Vos*, id eſt, ſata veſtra, ut jam explicabit.

Et aurugine] *Rubigine*. De frugum enim non de hominum morbis hîc agitur. ירקון *rubiginem* vertit & Latinus Interpres Deuteronom. XXVIII. 22. ubi tamen aurugo non minùs rectè poterat intelligi.

Omnia opera manuum veſtrarum] Sata omnia. Eſt explicatio illius *vos*.

Et non fuit in vobis qui reverteretur ad me] Toto ſcilicet animo.

19. *A die vigeſima & quarta noni menſis*] Id eſt, Memoriâ retinete hunc diem quem nunc agimus, à quo omnia deinceps vobis erunt proſpera.

A die quâ fundamenta jacta ſunt templi Domini] *Ab hoc die quo incipitur Templum*, ſtrui ſcilicet ſuper jactis pridem fundamentis. יסד ſæpe eſt *incipere*, & vertitur ἄρχεσθαι [*incipere*] II Paralipomen. III. 3. κτίζειν [*creare*] Exodi IX. 18. alibi συνάγειν [*conferre*], ἐπισυνάγειν [*accumulare*], καταρτίζειν [*perficere*].

20. *Numquid jam ſemen in germine eſt?*] *Nónne adhuc germen in horreo eſt?* Id eſt, nullum adhuc ſemen terræ mandatum eſt: erat enim menſis November.

Et adhuc vinea, & ficus, & malogranatum, & lignum olivæ non floruit] Videtis nondum florere vitem, ficum, malum punicam, & oleam.

Ex die iſta benedicam] Id eſt, Iam nunc promitto ubertatem maximam omnium iſtarum rerum, quarum nulla adhuc initia comparent; ut appareat mihi hoc, non naturæ deberi.

21. *Et factum eſt verbum Domini ſecundò*] *Secundò*, nempe eâdem die. nam alioqui tertius hic eſt ſermo.

22. *Ego movebo cœlum pariter & terram*] Res magnas efficiam, magnis excitatis in cœlo tempeſtatibus, in terra bellis. Vna tempeſtas ad montem Athon Dario Regi viginti hominum millia abſumſit.

23. *Et ſubvertam ſolium regnorum*] Imperium Perſarum in Ægypto Iudæis vicina. Vide Herodotum initio libri VII.

Et conteram fortitudinem Regni gentium] Maximas clades Darius, Rex plurimarum gentium, à Græcis accipiet terrâ maríque. Vide Herodotum libro VI, Pauſaniam Atticis, Iuſtinum libro II, & Plutarchum Cimone.

Et ſubvertam quadrigam & aſcenſorem ejus, & deſcendent equi & aſcenſores eorum] Id eſt, cadent.

In gladio fratris ſui] *Fratres* vocat inter ſe Perſas, Ægyptios, Ionas Aſiæ, Græcos, qui omnes erant πολύθεοι [*multorum deorum cultores*].

24. *Aſſumam te, Zorobabel fili Salathiel, ſerve meus, dicit Dominus, & ponam te quaſi ſignaculum*] A tantis motibus totius propè orbis concuſſi, efficiam ut Iudæa, te Principe tuta ſit, & à nemine infeſtetur. Annulum ſignatorium ſolemus bene cuſtodire. Vide Cantici VIII. 6. & quæ dicta ad Ieremiæ XXII. 24.

Quia te elegi] Id eſt, *quia te amo*: σὲ ᾑρέτισα [*te ſepoſui*] LXX; quod idem valet ac ſi diceres ἐν σοὶ εὐδόκησα [*in te mihi complacui*], quâ locutione hîc utitur Chaldæus. Vide quæ dicta ad Matthæi III. 17.

AD ZACHARIAM.

CAPVT I.

1. IN menſe octavo] Medio tempore inter ſermones Aggæi, primum & duos alteros.

Filium Barachiæ filii Addo] *Zacharias* hic ipſe Eſdræ v. 1. *filius Addo* dicitur, id eſt, nepos: nam omnes qui in gradibus deſcendentibus ſunt Hebræi *filios* vocant.

2. *Iratus eſt Dominus ſuper patres veſtros iracundiâ*] *Iratus fuit Dominus patribus veſtris irâ gravi.*

3. *Et dices ad eos*] Hoc ampliùs dices.

Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos] Eſt πλοκή [*Copulatio*]. Nam prius illud *converti* eſt *vitam mutare*, alterum eſt *pro irato beneficum reddi*. Senſus eſt idem Michææ VII. 19. & Ierem. III. 12. & Ezech. XVIII. 30.

4. *Et non audierunt*] II Regum XVII. 14.

5. *Patres veſtri ubi ſunt? & Prophetæ numquid in ſempiternum vivent?*] *Vixerunt?* Illi quidem communem iverunt viam: at mea dicta non moriuntur, ſed vim ſuam, quamvis ſæpe multo pòſt tempore, exſerunt, Lamentat. II. 17.

6. *Et legitima mea*] Sanctiones additæ Legi.

Numquid non comprehenderunt patres veſtros?] Supervenerunt ipſis: ſicut dici ſolet,

——— κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.
[——— *citum quit prendere tardus.*]

Et converſi ſunt] Pœnitentiâ tandem ducti ſunt, in illis poſiti malis quæ pridem ipſis prædicta fuerant.

Sicut cogitavit Dominus exercituum facere vobis] Sicut decreverat, & decretum ſignificaverat.

Secundùm vias noſtras, & ſecundùm adinventiones noſtras] Ierem. IV. 18. XVII. 10. XXIII. 2. XXXII. 19. Ezechiel. XXIV. 14. XXXVI. 31. Oſee XII. 2.

7. *In die vigeſima & quarta undecimi menſis*] Tribus menſibus ſeriùs hæc à Deo patefactio Zachariæ contigit, quæ extenditur ad finem capitis VI. Is ſermo qui præceſſit εἰσαγωγή [*Introductio*] tantùm quædam fuit. Quæ nunc ſequuntur dicta ſunt cùm jam populus in opere Templi multùm profeciſſet, & ad novum laborem muniendæ Vrbis excitari deberet.

Sabath] Nomen eſt non Hebraïcum ſed Chaldaïcum. Nominatur hic menſis in Paraphraſi ſecunda Eſther. III. 7. Incidit ferme in Ianuarium.

Prophetam, dicens] *Prophetam qui dixit*, id eſt, ſic recitavit quod ſibi obvenerat Divinitus ſomnium.

8. *Et ecce vir adſcendens ſuper equum rufum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo*] Hunc equitem eſſe Michaëlem Iudææ gentis ſub Deo præſidem non malè ex Daniele, & his quæ mox ſequuntur 12. colligunt Hebræi, ut ad hunc locum nos docet Hieronymus. *Equus rufus*, ſive ſanguinei coloris, cædes ſignificat, ut videre eſt Apocalypſ. VI. 4. Sed quia myrtus arbor eſt voluptatis, ideo equus hic *in myrteto*, & quidem profundo, retentus nè indè exiret, ſignificat bellum altâ pace repreſſum, nempe quàm latè patebat Perſarum Imperium. Id congruit initiis Darii.

Et poſt eum equi rufi, varii, & albi] Simul nempe cum ſuis equitibus, ut apparet infrà 10. Hi ſignificant caſus bellorum aliquando ſub Dario futuros calamitoſos, felices, & varios. Calamitoſi caſus fuere contra Scythas & Græcos; felices contra Thraciam & Macedoniam, qui ſubacti à Perſis; varii contra Ionas & Ægyptios. Vide Herodotum IV. VI. VII.

9. *Et dixi, Quid ſunt iſti, Domine mi*] Hæc dixit Angelus, ut ſequentia oſtendunt. Eum Angelum fuiſſe Gabrielem, ſolitum mitti ad Prophetas, perquam credibile eſt. Vide Daniel. VIII. 16. & ſequentibus, & IX. 21. Eâdem voce, *Domine mi*, Angelum alloquitur Daniel X. 16.

Angelus qui loquebatur in me] *Mihi*. Sic & infrà 13. & ità utroque loco Chaldæus.

10. *Et reſpondit vir qui ſtabat inter myrteta*] Gabriele major: nam hic inter Principes eſt, Gabriel inter Legatos.

Iſti ſunt quos miſit Dominus ut perambulent terram] Iſti ſunt bellorum caſus, quos Deus terris ſolet immittere.

11. *Perambulavimus terram*] Quæſivimus occaſionem effecta dandi ea quibus deſtinati ſumus.

Et ecce omnis terra habitatur & quieſcit] Id eſt, *quietè habitatur*: nulla ſunt bellorum ſemina. Itaque nihil invenimus agendum hoc quidem tempore.

12. *Et reſpondit Angelus Domini*] Michaël.

Vſquequo tu non miſereberis Ieruſalem] Quæ tunc adhuc jacebat ſine mœnibus.

Et urbium Iudæ] Quæ & ipſæ adhuc in ruinis ſuis jacebant.

Quibus iratus es? iſte jam ſeptuageſimus annus eſt] *Quibus iratus fuiſti per annos ſeptuaginta*, id eſt, toto exſilii tempore quod pertulimus, toto tempore prædicto ab Ieremia. Ideo autem orat Michaël deproperari edicta illa à Dario pro Templi & Vrbis & oppidorum ſtructura, dum alta per Imperium Perſicum pax erat, populique Iudæis invidentes facilè in obſequio retinebantur, quòd ubi exoritura eſſent illa bella apud Aggæum in fine, & hoc capite ſignificata, credibile erat neque Regem vacaturum cogitationibus minoribus, & ſi vacaret, edictis ejus non idem auctoritatis fore.

13. *Reſpondit Dominus Angelo*] Omnia ordine eunt. Deus Angelo loquitur, Angelus Prophetæ.

14. *Zelatus ſum Ieruſalem & Sion zelo magno*] Ità Iudæos amo, ut injurias ipſis illatas diutiùs perpeti nolim.

15. *Et irâ magnâ ego iraſcor ſuper gentes opulentas*] In Hebræo: *Pacatas*, gentes illas Imperii Perſici quas ſuprà dixerat *quietè habitare*. Iudicat Deus illas indignas tam altâ pace.

Quia ego iratus ſum parùm] *Ad tempus aliquod*, Iudæis ſcilicet.

Ipſi verò adjuverunt in malum] Id eſt, aliquid adjecere ad mala priora, dum impediunt id quod Cyrus permiſerat. Vide Eſdræ IV.

16. *Revertar ad Ieruſalem in miſericordiis*] Id eſt, Oculo benigno reſpiciam illos poſteros Hieroſolymitarum.

Domus mea ædificabitur in ea] Templum.

Et perpendiculum extendetur ſuper Ieruſalem] *Regula*, μέτρον hîc LXX, alibi σπαρτίον. Senſus eſt, Præter Templum etiam urbs reſtituetur: quod impletum vide Nehem. II. III. & ſequentibus.

17. *Adhuc affluent civitates meæ bonis*] *Spargent ſe oppida* huc, illuc, *ob bonitatem*, terræ ſcilicet.

Et conſolabitur adhuc Dominus Sion] *Sionem conſolabitur*, pœnis inimicorum, ut ſequitur.

Et eliget adhuc Ieruſalem] *Amare perget*, id eſt, bene facere. Cauſa pro effectu. Aggæi II. 24.

19. *Hæc ſunt cornua quæ ventilaverunt Iudam, & Iſraël, & Ieruſalem*] זרה, quod hîc *ventilare* vertitur, quocunque modo *incommodare* ſignificat, vertitúrque per ἐναντιοῦσθαι [*adverſari*] Proverbiorum XX. 8. & per καθυβρίζειν [*contumeliis afficere*] Ierem. LI. 2. etiam per *ligare* aut *circumdare* Davidi Kimchi, Pſalmo CXXXIX. 3. Græcis Proverbior. XV. 8. Per *Iſraëlem* hîc intellige Benjaminis & Levi poſteros, & ſi qui ex aliis tribubus ſe adjunxerant. *Cornua quatuor*, quæ præcipuè *Hieroſolymitas* & *Iudæos* alios, eíſque adjunctos *Iſraëlitas* impedierunt ab opere, ſunt Chuthæi, Ammonitæ, Arabes, & Philiſthini, Nehem. IV. 7.

20. *Quatuor fabros*] Cum dolabris ad dedolanda cornua, id eſt, ferociam iſtorum populorum. *Quatuor* illi *fabri*, qui Gentibus ſuperbiam illam ademere, ſunt Reges Perſæ, Alexander, Reges Syriæ, Reges Ægypti: nam hos quanquam in partem venêre potentiæ Alexandri, ab Alexandro ſemper ſeorſim ponunt Prophetæ, quòd ſedem præcipuam Imperii non Pellæ habuerint, ut Alexander, ſed Antiochiæ & Alexandriæ.

21. *Hæc ſunt cornua quæ ventilaverunt Iudam per ſingulos viros, & nemo eorum levavit caput ſuum*] *Adeò eos impedierunt ut non eſſet ullus qui caput ſuum auderet attollere.*

Et venerunt iſti] *Sed venient iſti*, *fabri* ſcilicet, id eſt, Reges, aut Regum familiæ.

Deterrere ea] Illas gentes quatuor.

Vt dejiciant cornua Gentium] Vires ipſis accidendo.

Quæ levaverunt cornu] Ἐναλλαγὴ [*mutatio numeri*], id eſt, cornua.

Super terram Iuda] *Contra terram Iuda*, id eſt, gentem.

Vt diſpergerent eam] *Vt impedirent eam.* Eſt enim idem verbum quod bis ſuprà.

CAPVT II.

1. ET *levavi oculos meos, & vidi*] In Viſo diurno.

Et ecce vir] Nehemias hîc præſignificatur.

Et in manu ejus funiculus menſorum] Ad deſignationem faciendam Vrbis regionúmque ejus, ut ab architectis fieri ſolet: Nehem. II. 13. 14. 15. 20. III. & ſequentibus. Confer Ezech. XL. Apocalypſeos XI. 1.

3. *Angelus qui loquebatur in me*] Qui mihi locutus fuerat: de quo in capite præcedente, commate 9. 14.

Egrediebatur] Quaſi peracto mandato à me abibat.

Et Angelus alius egrediebatur in occurſum ejus] Nova ſcilicet mandata Gabrieli de adyto referens.

4. *Loquere ad puerum iſtum*] *Iuvenem.* Sic enim נער ſæpe ſumitur, atque ſic vertit hoc loco Chaldæus. Sic & LXX, περὶ νεανίαν ἐκεῖνον [*circa juvenem iſtum*], nempe Zachariam, qui juvenis adhuc à Deo cœpit afflari.

Abſque muro habitabitur Ieruſalem] *Vicatim habitabitur*: id eſt, plurimi Hieroſolymitæ, quòd ipſi réſque eorum Vrbis ambitu teneri non poſſint, per proximos vicos ſe diſpergent.

5. *Et ego ei ero, ait Dominus, murus ignis in circuitu*] Illis extra Vrbem habitantibus ero præſidium invictum. Confer II Regum VI. 17.

Et in gloria ero in medio ejus] Id eſt, Illi laudes mihi gratiáſque cantabunt.

6. *O, ô fugite de terra Aquilonis*] Si qui adhuc reſtatis in Babylone. Nondum enim omnes in Iudæam ſe contulerant.

Quoniam in quatuor ventos cæli diſperſi vos] *Expandam vos*: id eſt, latiſſimas terras vobis dabo poſſidendas.

7. *O Sion*] O vos cives Sionis.

8. *Quia hæc dicit Dominus exercituum, Poſt gloriam miſit me ad gentes quæ ſpoliaverunt vos*] *Quia hoc præcepit Deus repercuſſioni gloriæ ſuæ*, id eſt, Michaëli, ut ille diceret Prophetæ. Michaël vocatur אחר כבר, quia eſt ἀπαύγασμα quoddam [*effulgentia* quædam] Dei, Daniel. X. 5. & confer cum Ezechielis I. 27. 28. & VIII. 2. Sic David optat à Deo fieri אחר כבוד, Pſalm. LXXIII. 24. id eſt, *effulgentia quædam lucis Divinæ* per dona ac virtutes. Michaël Iudæorum Procurator mandatum à Deo accepit ad graviter puniendas illas gentes Iudæis vicinas & infeſtas.

Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei] In Hebræo, עינו, id eſt, *oculi ejus*; Græci, τοῦ ὀφθαλμοῦ αὐτοῦ· nam Michaël loquitur ex Dei præcepto. Vide Deuteron. XXXII. 10. Pſalm. XVII. 8.

9. *Ecce ego levo manum meam ſuper eos*] *Attollam manum meam contra eos*, ut ſolent verberaturi, Iob. XXXI. 21.

Et erunt prædæ his qui ſerviebant ſibi] Id eſt, Iudæis, quos illi præ ſe contemſerant. Impletum hoc maximè per Iudam Maccabæum & fratres ejus, I Macc. V. Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ XII. 11. 12. & per Hyrcanum, Ioſephus XIII. 17.

Et cognoſcetis, quia Dominus exercituum miſit me] Michaëlem.

10. *Et habitabo in medio tui*] Templum meum ibi habebo.

11. *Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa*] Multi venient variis ex locis, ut relictâ idololatriâ uni veróque Deo ſerviant in atrio Gentium, I Regum VIII. 41. Nec id mirum, cùm & Cyrus & Darius in Templo pro ſe orari voluerint: Sic & Lacedæmonii. Alexander Deo in Templo victimas obtulit. Idem fecere Ptolemæus Philadelphus, Auguſtus quoque & Tiberius: Reges plurimi, ut & Soſſius, dona eò misêre.

12. *Et poſſidebit Dominus Iudam partem ſuam*] *Vt partem ſuam : ut peculium ſuum :* ab eo coli volet.

Et eliget adhuc Ieruſalem] *Amabit*, ut olim, ſuprà I. 17.

13. *Sileat omnis caro à facie Domini*] Timeant: nam timorem comitari ſolet ſilentium.

Quia conſurrexit de habitaculo ſancto ſuo] Velut è Templo prodibit, ultionem ſumturus de gentibus inimicis.

CAPVT III.

1. STantem coram Angelo Domini] Michaële, qui Satanæ ſe opponit, ut videmus Iudæ 9. ubi eadem verba habet quæ hîc ſequuntur, Ἐπιτιμήσαι σε Κύριος [*Increpet te Dominus*].

Et Satan ſtabat à dexteris ejus, ut adverſaretur ei] In tribunalibus latus dextrum erat actoris.

2. *Et dixit Dominus ad Satan*] Eſt quidem hîc vox יהוה [*Dominus*], ſed de Michaële hîc intelligenda per μετάληψιν [*Tranſſumtionem*], aut ἔλλειψιν [*defectum vocis*], quia Dei partes agit.

Increpet Dominus in te, Satan] Ἐπιτιμήσαι Κύριος ἐν σοί [*Increpet Dominus in te*], LXX hîc; pro quo Ἐπιτιμήσαι σοι [*Increpet te*], Iudas. Senſus eſt, *Coërceat te*, nè huic viro ſatìs dura paſſo ampliùs noceas.

Numquid non iſte torris eſt erutus de igne?] Nónne ex gravibus periculis eum ſervavit Deus? Fabulantur Iudæi Ieſum hunc à Chaldæis in ignem fuiſſe conjectum, poſtulantibus id pſeudoprophetis Achabo & Sedeciâ, quorum mentio Ierem. XXIX. 21. ipſum autem ex igne ſervatum, veſtibus tantùm aduſtis.

3. *Et Ieſus erat indutus veſtibus ſordidis*] Id eſt, Erat aliquid in eo culpæ: nempe quòd filios ſuos ſineret vivere cum uxoribus externis, contra legem Deuteronom. VII. 3. Ezechiel. XLIV. 22. Hoc arripiebat Satan, ut jus habens in exleges.

4. *Auferte veſtimenta ſordida ab eo*] Id eſt, *è domo ejicite uxores illas externas*. Ità hîc Chaldæus.

Ecce abſtuli à te iniquitatem tuam] Repurgavi te ab eo quod unum tibi objici poterat.

Et indui te mutatoriis] Id eſt, veſtibus mundioribus. Id ſignificabat eum à culpa eſſe liberatum.

5. *Ponite cidarim mundam ſuper caput ejus*] Quia ea quam ante habuerat erat per iſtam culpam quaſi contaminata. *Cidaris* ornamentum capitis proprium ſummo Sacerdoti, Exodi XXVIII. 4. Levitici VIII. 9. XVI. 4.

Et induerunt eum veſtibus] Novis.

7. *Si in viis meis ambulaveris*] Si Legem ſollicitè ſervaveris.

Et cuſtodiam meam cuſtodieris] Id eſt, partes tibi mandatas bene obieris. Id enim propriè שמרה [*cuſtodia*]. Vide ad Lucam I. 5.

Tu quoque judicabis domum meam] Id eſt, Templi ceremonias reges, diu ſcilicet. Id enim munus Sacerdotum, Levitici X. 10. Ezechiel. XLIV. 23. Malachiæ II. 7.

Et cuſtodies atria mea] Diu præeris Templo.

Et dabo tibi ambulantes] *Qui ambulent tecum*, id eſt, qui te defendant ac protegant, Pſalmo XCI. 11. Matthæi IV. 6.

De his qui nunc hîc aſſiſtunt] Velut apparitores Michaëlis. Vide ſuprà 4. & quæ dicta ad Matthæi XVIII. 10. Hæc Hebræorum multi referunt ad vitam æternam, ut, quod ipſis difficile eſt, eam probent in Vetere Fœdere diſertè promitti. Sed ſenſus quem attulimus eſt planior.

8. *Tu & amici tui qui habitant coram te*] *Aſſident tibi*. Intellige hunc Zachariam, Aggæum, Malachiam, fortè & Danielem.

Quia viri portendentes ſunt] *Viri portenti*, id eſt, digni quibus ſigna rerum futurarum edantur. Id enim מופת [*portentum*].

Ecce enim ego adducam] Huc ad vos.

Servum meum Orientem] *Servum meum Germen*, id eſt, Zorobabelem ſurculum Davidicæ ſtirpis, qui צמח [*Germen*] vocatur & Eſaïæ IV. 2. Ierem. XXIII. 5. XXXIII. 15. ſic & infrà VI. 12. Chaldæus & Iudæi alii de Meſſia hunc locum interpretantur. Addunt alii צמח eſſe ἰσόψηφον [*paris numeri*] nomini מנחם, quod *Conſolatorem* ſignificat, & inter indigetamenta eſt Meſſiæ. Id interpretandi genus per numeros pares גמטריא, id eſt, συμμετρίαν [*Commenſionem*] vocant. Neque dubium quin myſtico quodam modo hic locus ad Chriſtum pacis æternæ auctorem pertineat: ſed primum obviúmque ſenſum ſi quærimus, agi hîc de Zorobabele evincet locus IV. 10. cum ſequentibus, & dictus locus VI. 12.

9. *Quia ecce lapis*] Per *lapidem* intelligit globulum ſtanneum de perpendiculo dependentem, quo utens Zorobabel ſuper illa jacta ſub Cyro fundamenta primum lapidem, ut Princeps gentis, erat poſiturus, infrà IV. 7. 8. 9. 10. Hebræis אבן generalius eſt quàm *lapis* apud Latinos, & omne *ponderoſum* ſignificat; ut Deuteron. VIII. 9.

Quem dedi] Quem dari volui in manum Zorobabelis, IV. 10.

Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt] Significantes Dei providentiam pervigilem adfuturam iſti operi, IV. 10.

Ecce ego cælabo ſculpturam ejus, ait Dominus exercituum] *Cælavi :* id eſt, non humana ulla manus ſed mea potentia effecit, ut iſti oculi ſeptem in iſto globulo ſubitò apparerent. Hoc eſt portentum illud quò reſpiciunt verba ſuprà 8.

Et auferam iniquitatem terræ illius in die una] *Pœnam omnem*, id eſt, ſterilitatem: de qua Aggæus I. 6. 9. 10. 11.

10. *Vocabit vir amicum ſuum, ſubter vitem & ſubter ficum*] Signum pariter ubertatis & tranquillitatis, 1 Regum IV. 25.

CAPVT IV.

1. QVi loquebatur in me] Mihi, ut ſuprà aliquoties. Sic & infrà 5.

2. *Candelabrum aureum totum*] Magnificum opus Templi.

Et lampas ejus ſuper caput ipſius] גלה eſt λήκυθος, *ampulla olearia*, quam *lenticulam* alibi dixit hic Interpres, à formæ ſimilitudine, quæ vocis hujus ſignificatio notata & Plinio XXXVII. 12. Eſt autem Enallage numeri: *ampullam* enim dixit pro *ampullis duabus*, infrà 12.

Et ſeptem lucernæ ejus ſuper illud] *In eo.*

Et ſeptem infuſoria] *Infundibula* per quæ de ampullis oleum in ſeptem lucernas fluebat.

Quæ erant ſuper caput ejus] Quæ erant in ſummo candelabro.

3. *Et duæ olivæ ſuper illud*] Arbores ſtillantes oleum in ampullas. Significabant hæ, ſemper & Principes & Sacerdotes futuros ad Templi tutelam: quod intelligendum ad Meſſiæ uſque adventum ex vaticinio Iacobi, Divinâ gratiâ ità res adminiſtrante, infrà 6. 14.

Vna à dextris lampadis] *Ad dextram ampullam.*

Et una à ſiniſtris ejus] *Ad ſiniſtram illam*, ſcilicet *ampullam.* Loquitur quaſi rem digito monſtraret.

6. *Non in exercitu, nec in robore, ſed in ſpiritu meo*] Opes quidem veſtræ tenues erunt, ſed Deus vim ſuam vobis adſpirabit, Templúmque proteget. Haud obſcura Chriſti in hoc imago.

7. *Quis tu, mons magne, coram Zorobabel*] *Quid tu?* ô Babylon, *mons* eras *magnus præ Zorobabele.* Ingens tuum erat Imperium, præ iſto Zorobabelis.

In planum] Supple, *dejecta es per Cyrum.* Alludit ad nomen *Zorobabelis*, quod ei bono omine datum fuerat, ſignificans *Babylona diſperſum iri.* Simul innuit idem eventurum aliis qui ſe oppoſituri eſſent populo Dei.

Et educet lapidem primarium] *Et is profert primum lapidem*, quem ſcilicet fundamento imponat, operis auſpicator, Eſdr. III. 8.

Et exæquabit gratiam gratiæ ejus] *Cum acclamatione, Gratia, gratia ſit illi* : id eſt, Populus jacienti lapidem Zorobabeli acclamabit, *Deus illi ſemper faveat.* Idem ſenſus qui in Ὡσαννὰ [*Hoſanna*], Matthæi XXI. 9.

9. *Manus Zorobabel fundaverunt domum iſtam*] *Fundabunt* : ut apparet collato loco Aggæi II. 19. & initio hujus Prophetæ.

Et manus ejus perficient eam] Videbit opus conſummatum.

Et ſcietis quia Dominus Deus exercituum miſit me ad vos] Vt vobis auxilio eſſem : *me* Michaëlem, ut ſuprà II. II.

10. *Quis enim deſpexit dies parvos? & lætabuntur, & videbunt lapidem ſtanneum in manus Zorobabel*] *Si quis deſpexerit tempus hoc tenuium*, ſupple principiorum, *ii jam lætabuntur ubi viderint globum illum perpendiculi in manibus Zorobabelis*, nempe Divinitus cælatum *ſeptem oculis.* Hoc oſtento intelligent rem magnam ac proſperam cœptari.

Septem illi oculi ſunt Domini, qui diſcurrunt in univerſam terram] Id eſt, ſignificant multiformem Dei providentiam.

11. *Et reſpondi & dixi ad eum*] *Et locutus dixi ad eum.* Sic & in ſequentibus. ענה ſæpe dicitur etiam ubi nullus alterius ſermo præceſſit.

12. *Quid ſunt duæ ſpicæ olivarum?*] Id eſt, tubuli.

Quæ ſunt juxta duo roſtra aurea] *Iuxta duas ampullas auri.* Idem enim צנתרה, quod ſuprà גלה. Chaldæi pro eodem dicunt צנורא, ſed & צנתר.

14. *Iſti ſunt duo filii olei*] Iſtæ olivæ ſignificant duplex oleo unctorum genus qui Templo iſti non deerunt, Principes, & ſummi Sacerdotes : quorum curæ pro Templo per *tubulos* iſtos ſignificantur.

Qui aſſiſtunt Dominatori univerſæ terræ] Deo inſerviunt in curando Templo, pro mandatis ſibi quiſque partibus.

CAPVT V.

1. *ET converſus ſum*] Verti me ad Viſum novum alteri ſuperveniens.

Volumen volans] מגלה, eſt liber ità ſcriptus ut convolvi poſſit. Sed illud *volans* ſignificat fuiſſe apertum, ἀναπτυσσόμενον [*evolutum*]. מגל *falcem* ſignificat, & ità hîc ſumſere LXX, quaſi ה eſſet παραγωγικόν [*adjectitium in fine*]· ponunt enim δρέπανον πετόμενον [*falcem volantem*]. Quò fortè reſpexit Apocalyp. XIV. 14. & deinceps. Sed *volumen* cepit hîc etiam Chaldæus, & id exigunt ſequentia. Confer Ezech. II. 9. Apocalypſ. X. 10.

2. *Longitudo ejus viginti cubitorum, & latitudo ejus decem cubitorum*] Erant volumina illis in locis oblonga. Simul magnitudo libri oſtenditur.

3. *Hæc eſt maledictio*] Hic liber pœnas continet.

Quæ egreditur ſuper faciem omnis terræ]Terræ Promiſſæ, tum illius quam habuerant Decem, tum illius quam Duæ tribus.

Omnis fur, ſicut ibi ſcriptum eſt, judicabitur] *Exſcindetur.* Reſpondentes omnibus criminibus pœnæ erant in illo libro. Pro נקה, Theodotion legit נכה, *verberabitur.*

Et omnis jurans] Id eſt, *pejerans*, ut exponunt ſequentia.

4. *Educam illud*] Excerpam indè decreta in ſingulos.

Et commorabitur in medio domûs ejus, & conſumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus] Nihil de domo reliquum faciet. Sic & de pœna perjurii oraculum apud Herodotum Erato :

——— εἰσόκε πᾶσαν
Συμμάρψας ὀλέσῃ γενεὰν καὶ οἶκον ἅπαντα.
[——— *Impete magno*
Advenit, atque omnem vaſtat ſtirpemque domumque.]

5. *Egreſſus eſt Angelus*] Rediit qui abierat, ad novum Viſum explicandum.

Qui loquebatur in me] *Mihi*, ut ſuprà aliquoties.

Quod egreditur] E Templo, id eſt, Deo ordinante.

6. *Hæc eſt amphora egrediens*] *Epha egrediens* : id eſt, menſura peccatorum ad ſummum venit. *Epha* nomen menſuræ aridorum, modio ferme reſpondens. Oſtenditur res non futura, ſed geſta, ut Iudæi in poſterum caveant ſimiles pœnas in ſe acceſſere.

Hoc eſt oculus eorum in univerſa terra] *Oculus* hîc *formam* ſignificat, Levit. XIII. 55. Numer. XI. 7. Ezechiel. I. 16. Senſus eſt, Id quod vides figuram gerit eorum quæ fecere Hebræi, quæque paſſi ſunt.

7. *Et ecce talentum plumbi portabatur*] *Maſſa* : nam ככר omnem *partem magnam* cujuſcunque rei ſignificat.

Et ecce mulier una ſedens in medio amphoræ] Id eſt, *ſuper Epha*, ſuperba, & nihil mali metuens.

8. *Hæc eſt Impietas*] Mater ſcilicet & furtorum & perjuriorum, & omnium ſcelerum.

Et projecit eam in medio amphoræ] Intra Epha.

Et miſit Imaſſam plumbeam in os ejus] Nempe Ephæ, nequis eſſet exitus.

9. *Duæ mulieres egredientes*] E Templo. Hæ ſunt gentes duæ, altera Decem, altera Duarum tribuum, ut hîc ſumit Chaldæus.

Et ſpiritus in alis earum] Id eſt, eæ vento ferente propellebantur. Significatur per hoc celeritas deportationum. *Alæ* iſtæ ſunt Aſſyrii & Babylonii.

Et habebant alas quaſi alas milvi] חסידה alii tranſferunt *ciconiam*, alii ἐρωδιὸν, alii *upupam*, Chaldæus *aquilam*. Vide quæ diximus Iob. XXXIX. 13. *Alæ ciconiæ*, id eſt, alæ tranſmigrare facientes.

Et levaverunt amphoram inter terram & cælum] Nempe alæ iſtæ.

11. *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar*] In Babylonia. Vide Geneſ. XI. 2. & quæ diximus in Annotatis ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ. Babylonia autem primò ſub Aſſyriis fuit, indè Chaldæorum regia.

Et ſtabiliatur, & ponatur ibi ſuper baſem ſuam] Sicut idola ſolent, quæ deinde abire non poſſunt: hoc eſt, Duæ iſtæ gentes longiſſimo tempore detentæ fuere in locis trans Euphratem. Caveant ergò ſibi Iudæi nè idem rurſus eveniat. Confer quæ habuimus ſuprà III. 7.

CAPVT VI.

1. E*T converſus ſum*] Vt ſuprà v. 1.

Ecce quatuor quadrigæ] *Currus quatuor* ſunt *quatuor Imperia*, ut hîc explicat Chaldæus.

Egredientes de medio duorum montium: & montes, montes ærei] Portas Ciliciæ intelligit, inter montium ardua, per quas Babylonii & Perſæ, Alexander quoque & duces ejus in Syriam, Iudæam, Ægyptum tranſire ſoliti.

2. *In quadriga prima equi rufi*] Vel *equæ*, cujus generis verbum eſt infrà 7. *Equi rufi* Chaldæos ſignificant valde ſanguinarios. Vide Lamenta Ieremiæ. Horum obiter meminit ordinis ſervandi causâ, & ut præterita futuris conferat; poſtea verò nihil de illis dicet: nimirum quia Imperium id jam tranſierat cùm hoc Viſum Prophetæ obtingeret. Confer quæ ſuprà I. 20.

Et in quadriga ſecunda equi nigri] *Equus niger* famem ſignificat, Apocal. VI. 5. 6. & per μετωνυμίαν [*Tranſnominationem*] vaſtitatem, quam plurimis terris intulere Perſæ. Vide quæ diximus ad Dan. VIII. 5. Apparet id ex Darii & Xerxis hiſtoria.

3. *Et in quadriga tertia equi albi*] Id ſignum triumphi perpetuas Alexandri victorias ſignificat.

Et in quadriga quarta equi varii & fortes] *Currus quartus* eſt pariter Syriæ & Ægypti Regum; quos conjungunt Prophetæ, quòd Iudæi modò ſub his modò ſub illis fuerint, & ipſa genera ſæpe matrimoniis permixta, poſſeſſionéſque tranſlatæ vi aut pactionibus. Pro *fortes* Chaldæus tranſtulit *cinereos*, Græci ψαρὺς [*ſturni colore*]. *Varii* ſunt Reges Ægyptii, quibus fortuna belli modò favens modò adverſa, ut ex Daniele didicimus. *Cinerei* verò Reges Syriaci, occultantes ſua conſilia, ut ex Antiochirebus diſcere eſt.

5. *Iſti ſunt quatuor venti cæli*] Imperia in diverſis climatibus. Ventis eorum impetus comparari ſolent.

Qui egrediuntur ut ſtent coram Dominatore omnis terræ] *A ſtando coram Domino omnis terræ.* Steterunt coram Deo, id eſt, mandata accipient: iis acceptis ibunt quò Deo viſum.

6. *In qua erant equi nigri, egrediebantur in terram Aquilonis*] Egreſſi ſunt Perſæ in Chaldæam, quæ Aquilonaris Iudæis.

Et albi egreſſi ſunt poſt eos] Venit Babylona etiam Alexander.

Et varii egreſſi ſunt ad terram Auſtri] Illi Lagidæ Ægyptum tenuere, quæ ad Auſtrum Iudæis.

7. *Qui autem erant robuſtiſſimi*] *Cinerei*, ut ſuprà.

Exierunt, & quærebant ire, & diſcurrere per omnem terram; & dixit, Ite & perambulate terram: & perambulaverunt terram] Seleucidæ modò Ægyptiis bellum intulere, modò Iudæis & Arabibus eorúmque vicinis, modò Armeniæ Mediſque & Parthis, ità ut nihil intactum ſinerent, ſapiente Dei permiſſu.

8. *Ecce qui egrediuntur in terram Aquilonis*] *Qui egreſſi ſunt:* nam id jam tranſierat.

Requieſcere fecerunt ſpiritum meum in terra Aquilonis] Id eſt, ibi iram meam contra Chaldæos ſuſceptam abunde ſatiarunt. *Spiritus* modò iram, modò benevolentiam ſignificat. Ex materiæ diverſitate varianda interpretatio.

10. *Sume à tranſmigratione*] Id eſt, ab iis qui nunc recèns ab exſilio veniunt.

Ab Holdaï] Qui infrà *Helem*: niſi erratum eſt ſcribæ hoc vel illo loco.

Et à Tobia, & ab Idaja] Quorum infrà nomina eadem.

Et venies tu in die illa, & intrabis domum Ioſiæ filii Sophoniæ] *Ingreſſus hoc ipſo die domum Ioſiæ*, in qua illi divertunt. Incertum eſt an hic *Ioſias* idem ſit qui infrà *Hem filius Sophoniæ*, an verò Hem frater illius ſit, & comes illorum qui à Babylone venerant.

Qui venerunt de Babylone] Interpretatio ejus quod præceſſit *à tranſmigratione.*

11. *Et ſumes*] *Sume, inquam.*

Aurum & argentum] Quod illi ex collatione exſulum ferunt in Templi, quod jam ſtruetur, ornatum.

Et facies coronas] Complures, quæ deinde ſuſpendentur in Templo.

Et pones in capite Ieſu filii Ioſedec Sacerdotis magni] Vnam ſcilicet earum. Nam & ſummi Sacerdotes coronam ferebant in diebus lætis.

12. *Ecce vir*] Hæc Deo dirigente Pilatus ad Chriſtum aptavit dicens: ἴδε ὁ ἄνθρωπος [*Ecce homo*].

Oriens nomen ejus] *Germen nomen ejus*, id eſt, Surculus velut renatus ex ſtirpe Davidis. Vide ſuprà III. 8. & ibi allata.

Et ſubter eum orietur] *Per eum germinabit.* Eſt alluſio ad nomen צמח [*germen*]: renaſcetur Templum, ſicut in illo domus Davidis renata eſt.

Et ædificabit Templum Domino] *Templum Domini quod ipſe ædificaturus eſt*, cujus primum poſiturus eſt lapidem.

13. *Et ipſe portabit gloriam*] *Ipſe quoque portabit gloriam*, id eſt, coronam, nempe Principis. Vide I Samuelis XII. 30.

Et ſedebit & dominabitur ſuper ſolio ſuo] Id eſt, in ſolio ſedens, ſimul cum Senatoribus jura dicet.

Et erit Sacerdos ſuper ſolio ſuo] Etiam Sacerdos in eodem illo Senatu ſolium ſuum habebit.

Et conſilium pacis erit inter illos duos] Id eſt, optimè inter illos conveniet, ut olim inter Moſem & Aaronem. Felix reſpublica ubi concordant officiúmque bene faciunt & Princeps & Sacerdos.

14. *Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idajæ, & Hem filio Sophoniæ memoriale in templo Domini*] Suſpendentur in Templo, annotato nomine eorum qui ea ritè dicarunt. Non retinuere ſibi coronas aut Sacerdos aut Princeps. Nam eâ ætate nefas habebatur, extra ſummam & inevitabilem neceſſitatem, Deo devota in privatos uſus vertere: neque is qui nunc contemtus Numinis rerúmque ſacrarum invaſerat animos.

15. *Et qui procul ſunt venient, & ædificabunt in templo Domini*] Etiam extranei aut materiam ſuppeditabunt, aut in opere vobis erunt adjutores, Eſaïæ LX. 10, Adde quæ ſuprà II. II.

Et ſcietis quia Dominus exercituum miſit me ad vos] Nempe ubi eventus prædictis congruet.

Erit autem hoc, ſi auditu audieritis vocem Domini Dei veſtri] Nè hæc quidem promiſſio ſua carebat conditione.

CAPUT VII.

1. *IN anno quarto Darii Regis*] Anno eunte altero poſt cœptam à Zorobabele Templi ſtructuram.

In quarta menſis noni qui eſt Caſleu] Poſt reſtitutum Templum etiam nomina menſium Hebraïca repeti cœperunt.

2. *Et miſerunt*] Iudæi illi qui extra Hieroſolyma in vicis villiſque habitabant. Vide ſuprà II. 4.

Ad domum Dei] Id eſt, ad Sacerdotes, qui in rebus controverſis conſuli debebant, ex lege Deuteronomii XVII. 9. Ipſi autem Sacerdotes, ſi quæſtio eſſet juris nondum definiti, aut ad Synedrium referebant, aut Prophetas, ſi qui eo eſſent tempore, conſulebant.

Saraſar & Rogommelech] *Saraſarum & Rogommelechum*, viros de ſe primarios.

Et viri qui erant cum eo] *Viros qui erant cum eo*, minores aliquos, illorum comites.

Ad deprecandum faciem Domini] Ad preces faciendas in Templo.

3. *Ut dicerent Sacerdotibus*] *Et ſimul dicendum Sacerdotibus*. Deeſt copula.

Numquid flendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſanctificare me debeo, ſicut jam feci multis annis?] *Numquid lugendum eſt mihi in quinto menſe, vel ſeparare me debeo* (ab omnibus rebus delectantibus) *menſe quinto, ut jam feci multis annis?* Dies jejunii anniverſarios non Deus tantùm inſtituerat, ſed addiderat aliquos populus in rerum triſtium memoriam. Quod an populo liceat, diſputari hoc ſeculo mirarer, niſi contradicendi libido omnia de certis incerta faceret. In jejunii autem diebus omnia luctûs ſigna oſtendebantur, demiſſo capite, nudis pedibus, veſtitu viliſſimo, adſperſo & cinere, & quæ alia ſunt ejus generis Eſaïæ LVIII. 5. Abſtinebatur verò à cibis delicatioribus, à vino, ab uſu conjugum. Tales autem dies quatuor inſtituerant Iudæi exſules: *menſe quarto*, in memoriam perrupti muri, Ieremiæ LII. 6. *menſe quinto*, in memoriam combuſti Templi, Ieremiæ LII. 12. *menſe ſeptimo*, in memoriam interfecti Godoliæ, Ieremiæ XLI. 2. *menſe decimo*, in memoriam cœptæ obſidionis, II Regum XXV. 1. Hos dies obſervaverant non tantùm in exſilio, ſed etiam in Iudæa intra Cyri tempora & Darii Hyſtaſpis filii. Nunc reſtituto Templo quæſtionem inſtituunt Iudæi illi in agris habitantes, non abſurdam, de illo præcipuè die qui luctuoſus fuerat ob Templum incenſum. *Dignus vindice nodus.* Poterat enim hæc quæſtio probabiliter in utramque partem tractari. Ceſſat cauſa; ceſſet & effectus. Contrà dici poterat, Malorum toleratorum utilem eſſe memoriam. Propheta miro temperamento rem definit: Retinendos dies, verùm ad gratias Deo agendas, eóque cum gaudio, non cum luctu, infrà VIII. 19. Sed antequam eam ſententiam promat, utiliſſima præfatur de recto Iejunii uſu, de cauſis malorum, & quomodo in rebus proſperis gerere ſe debeant.

5. *Loquere ad omnem populum terræ*] Tum ad hos miſſos ex agris, tum ad urbanos.

Per hos ſeptuaginta annos] *Per illos ſeptuaginta annos*, nempe durante Exſilio.

Numquid jejunium jejunaſtis mihi?] An ex illo jejunio aliquid ad me boni rediit? Hoc dicit contra ſtultam perſuaſionem, Iejunia Deo per ſe ac ſine aliis rebus placere.

6. *Et cùm comediſtis ac bibiſtis*] Quantum libebat, & quæ libebat, ut extra jejunii dies.

Numquid non vobis comediſtis, & vobiſmetipſis bibiſtis?] Sicut ex epulis veſtris nihil ad me accedit; ità nec ex jejunio. Illa, ſi per ſe ac nudè ſpectentur, mihi ex æquo ſunt.

7. *Numquid non ſunt verba quæ locutus eſt Dominus in manu Prophetarum priorum*] Nónne eadem pridem vobis dixit Ieremias?

Et ad Auſtrum] Quæ regio montoſior, ut hîc notat Hieronymus.

Et in campeſtribus habitaretur] Id eſt, cùm nulla pars terræ eſſet inculta.

9. *Iudicium verum judicate*] Sine ſordibus, aut gratia, aut odio.

Et miſericordiam & miſerationes facite unuſquiſque cum fratre ſuo] Populari. At in Euangelio omnis homo frater.

10. *Et viduam, & pupillum, & advenam, & pauperem nolite calumniari*] *Nolite opprimere.* Id enim עשק. Vide quæ dicta ad Lucam III. 14.

Et malum vir fratri ſuo non cogitet in corde ſuo] Nè in animum quidem ſibi venire patiatur conſilium cuiquam nocendi. At LXX ſtrictiùs ſumunt de vindictæ cupiditate privata inhibenda, Καὶ κακίαν ἕκαστος τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ μὴ μνησικακείτω ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν [*Et malitiam quiſque fratris ſui in corde ſuo nè recordetur in malum*]. Quod convenit cum eo quod habemus Levitic. XIX. 18. Et hoc ſenſu hunc locum adducit Tertullianus adversùs Marcionem IV. *Malitiam proximi ſui unuſquiſque nè recogitet*. Sed prior ſenſus ſimplicior eſt, quem & Chaldæus hîc ſequitur.

11. *Averterunt ſcapulam recedentem*] *Recedendo*. Terga obverterunt monentibus.

12. *Et cor ſuum poſuerunt ut adamantem*] De שמיר [*Schamir*] vide Ieremiæ XVII. I. Eadem durities animi aliis ſimilitudinibus exprimitur Ezech. XI. 19. XXXVI. 26.

13. *Et factum eſt ſicut locutus eſt, & non audierunt: ſic clamabunt & non exaudiam, dicit Dominus exercituum*] *Sicut me loquentem* (id eſt, monentem) *non audierunt: ità nec ego clamantes* (id eſt, pœnam deprecantes) *exaudiam*.

14. *Per omnia regna quæ neſciunt*] In Aſſyriam uſque.

Et terra deſolata eſt ab eis, eò quòd non eſſet transiens & revertens] *Ità ut nemo eſſet tranſiens aut rediens*.

Et poſuerunt terram deſiderabilem] Vnde ea terra dicta צבי [*Decoris*] II Samuel. I. 19. Dan. XI. 16.

In deſertum] Verè dictum. Vide II Paralipom. XXXVI. 21.

CAPVT VIII.

2. Z*Elatus ſum Sion zelo magno*] Pro Sione excandui adversùs ejus oppreſſores.

3. *Reverſus ſum ad Sion*] Amorem ei meum reſtitui.

Et vocabitur Ieruſalem Civitas veritatis] *Fidelis*, Deo ſcilicet. *Vocabitur*, digna erit quæ vocetur.

Et mons Domini exercituum mons ſanctificatus] *Mons ſanctus*, ob puri cultûs ceremonias.

4. *Adhuc*] Et hoc tempore & pòſt.

Habitabunt ſenes & anus] Ad magnam ætatem perveniſſe illorum temporum homines, ipſæ res Zorobabelis, Ieſu Sacerdotis, Eſdræ & Nehemiæ declarant. Simile habes apud Eſaïam LXV. 20.

5. *Et plateæ civitatis complebuntur infantibus, & puellis ludentibus in plateis ejus*] Magnam temporum ſecuritatem deſcribit, quæ ad Antiochi ferme tempora duravit. Vide II Macchab. III. I.

6. *Si videbitur difficile*] *Si videtur hoc difficile*, aut mirum.

In oculis reliquiarum populi hujus] Quia pauci adhuc erant numero; ſed reſtituto Templo, deinde & Vrbe munitâ, multi, qui in locis externis cunctati antè fuerant, adfluxere.

In diebus illis] *In his diebus*.

Numquid in oculis meis difficile erit] Cui ſcilicet nihil difficile: nam, ut Linus cecinit,

> Ῥάδια πάντα Θεῷ πέλεται, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.
> [*Quidvis nempe Deo facile eſt, ſuperabit eum nîl.*]

7. *Ecce ego ſalvabo populum meum de terra Orientis, & de terra Occaſûs Solis*] Id eſt, educam.

8. *Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum, in veritate & in juſtitia*] Illi mihi, ego illis, promiſſa præſtabimus.

9. *Confortentur manus veſtræ*] Perſeverate in cœptis operibus.

Qui auditis] Audiviſtis.

In his diebus] Ante annos ferme duos.

Sermones iſtos per os Prophetarum] Aggæi primùm, deinde meum, deinde iterum Aggæi.

In die quâ fundata eſt domus Domini exercituum] *Structa eſt*. Vt ſuprà Aggæi II. 19. ubi idem verbum, & ſuprà IV. 9.

10. *Siquidem ante dies illos merces hominum non erat*] Id eſt, Nulla utilitas ex labore. Idem ſenſus Aggæi II. 16. 17. 18.

Et dimiſi omnes homines unumquemque contra proximum ſuum] *Vicinum ſuum*. Paſſus ſum multas vobis inferri moleſtias à vicinis.

11. *Nunc autem non juxta dies priores ego faciam reliquiis populi hujus*] Aliter eos tractare volo.

12. *Sed ſemen pacis erit*] *Erunt gens tranquilla*.

13. *Sicut eratis maledictio in gentibus*] Dicere ſolebant imprecantes: *Tam malè vobis ſit quàm eſt Iudæis*.

Et eritis benedictio] Dicent homines: *Ità felices ſitis quàm ſunt Iudæi iſti reduces*.

14. *Et non ſum miſertus*] *Non me pœnituit*: id eſt, multo tempore perſtiti vos punire.

15. *Sic converſus*] Mutato animo, ſicut vos mutati eſtis.

16. *Loquimini veritatem*] Abſtinete à dolo malo.

Veritatem & judicium pacis judicate in portis veſtris] Vos, Iudices, quærite veritatem ex teſtibus, ac judicate ſecundùm legem, quæ eſt cauſa pacis in populo.

17. *Et unuſquiſque malum contra amicum ſuum nè cogitetis in cordibus veſtris*] *Contra popularem*: nam hîc in Hebræo רע [*proximus*] eſt idem quod אח [*frater*].

19. *Et in ſolemnitates præclaras*] In Hebræo, *bonas*. Solent autem Hebræi dies bonas appellare eas quæ lætitiæ dicantur.

Veritatem tantùm & pacem diligite] Præparatio ad Euangelium.

20. *Vſquequo veniant populi*] *Adhuc* erit *ut veniant populi*, nempe Iudæi ex ultimis oris, ut ſuprà 7.

21. *Deprecemur faciem Domini*] Deo preces fundamus in Templo, ubi Arca.

Et quæramus Dominum exercituum] Diſcamus ea quæ ſunt Legis ex Prophetis & Sacerdotibus.

22. *Et venient populi multi & gentes robuſtæ*] Id eſt, externi. Vide quæ dicta ſuprà II. 11.

23. *Apprehendent fimbriam viri Iudæi*] Fimbriam illam præceptam in lege Numer. XV. 30. Deuteronom. XXII. 12. Hâc notâ Iudæi à gentibus aliis dignoſcebantur, ut diximus ad Matth. IX. 20.

Audivimus enim quoniam Deus vobiſcum eſt] Intelleximus quàm miris modis, & quidem ex prædicto vos in patriam reſtituerit, Templum vobis reddiderit, hoſtes veſtros aut vobis amicos fecerit, aut repreſſerit: unde credimus Deum, qui hæc & prædixit & fecit, verum eſſe Deum. Idem ſenſus eſt ad eadem hæc tempora pertinens Pſalmo CXXVI. 2.

CAPVT IX.

1. O*Nus verbi Domini*] Prophetia triſtis.

In terra Hadrach] Non diſplicet eorum ſententia, qui חדרך ſumunt pro nomine communi, non proprio, ut ſenſus ſit: *Super terram quæ te* (ô Iudæa) *circuit*, id eſt, Syriam.

Et Damaſci requiei ejus] *Et Damaſcus requies ejus:* id eſt, quæ terra in Damaſco urbe valida ac bene munita fiduciam ſuam habet. Omnia hæc impleta temporibus Alexandri, qui & Damaſco & Syria omni potitus eſt. Vide Curtium libro III. & IV.

Quia Domini eſt oculus hominis] Spectator hominum. Eſt ἔλλειψις [*defectus vocabuli*].

Et omnium tribuum Iſraël] Id eſt, *non minùs quàm omnium tribuum Iſraël:* Iudex eſt univerſarum gentium, non unius populi.

2. *Emath quoque in terminis ejus*] Id eſt, *intra terminos ejus*, nempe triſtis Prophetiæ. De *Emath* Syriæ urbe diximus ad II Regum XVII. 24. Hieronymus ad hunc locum eam eſſe vult quæ dicta eſt poſtea *Epiphania* in Syria Cœle. Curtius lib. IV. *Iam tota Syria, jam Phœnicia quoque, exceptâ Tyro, Macedonum erat.*

Et Tyrus] Multo labore capta. Vide Curtium libro IV.

Et Sidon] Cui Regem Alexander impoſuit Abdolonimum: id eſt, עבד עלינים, quæ vox Syriacâ linguâ *Deorum cultorem* ſignificat.

Aſſumſerunt quippe ſibi ſapientiam valde] In Hebræo: *quanquam fuit ſapiens.* Phœnices vafri ſemper.

3. *Et ædificavit Tyrus munitionem ſuam*] *Sibi.* & repete *quanquam* ex ſuperiori. Neque Sidonem ſua vafrities ſervavit, neque muri & opes Tyrum. De illis vide Curtium dicto libro, & Ezechiel. XXVI. 4.

Et coacervavit argentum quaſi humum, & aurum ut lutum platearum] Simile vide II Regum X. 21. De opibus Tyri vide Ezechiel. XXVI. 12. XXVII. 27. XXVIII. 4.

4. *Ecce Dominus poſſidebit eam*] *Ejiciet eam:* id eſt, habitatores ejus. Ità Chaldæus appoſitè.

Et percutiet in mari fortitudinem ejus] *Et projiciet in mare vires ejus:* id eſt, claſſem & claſſiarios. Vide Curtium.

Et hæc igni devorabitur] *Et ipſa igne devorabitur.* Curtius de Alexandro: *ignem tectis injici jubet.*

5. *Videbit Aſcalon, & timebit: & Gaza, & dolebit nimis*] Speraverant iſtæ urbes, ſi Tyrus reſiſtere poſſet Alexandro, ſe quoque poſſe ejus manus evadere. ab hac ſpe decidêre captâ Tyro.

Et Gaza] Quæ ſtatim poſt Tyrum capta, Ioſeph. XI. 8. Plutarchus Alexandro.

6. *Et ſedebit ſeparator in Azoto*] In Hebræo, *Mamzer:* quomodo vocantur nati ex congreſſu cui pœna mors, aut כרת, ut ad Deuteronomium diximus. Impropriè ſic vocantur omnes qui non jure heredes ſunt. ἀλλογενεῖς [*alienigena*], hîc LXX; nec Chaldæus aliter.

7. *Et auferam ſanguinem ejus de ore ejus*] Id eſt, Efficiam nè ampliùs Philiſthinus cædes minetur, ut facere ſolebat.

Et abominationes ejus de medio dentium ejus] Vt paupertate preſſus non ampliùs epulas inſtruat τοῖς εἰδωλοθύτοις [*immolatitiis*].

Et relinquetur ipſe Deo noſtro] Impletum hoc quo tempore multas τῶν ἀλλοφύλων [*alienigenarum*] (ità eximiè vocantur Philiſthini, ſolentque LXX Philiſthinos hoc vocabulo vertere) urbes cepere Maccabæi: Ioſephus XII. 12. I Maccab. V. 66. Idem Ioſephus de temporibus Alexandri Iudæorum Regis: Κατὰ τὸν τοῦτον καιρὸν ἤδη τῶν Σύρων καὶ Ἰδουμαίων, καὶ Φοινίκων πόλεις εἶχον Ἰουδαῖοι, πρὸς θαλάσσῃ μὲν Στράτωνος πύργον, Ἀπολλωνίαν, Ἰόππην, Ἰάμνειαν, Ἄζωτον, Γάζαν, Ἀνθηδόνα, Ῥαφίαν, Ῥινοκόλουραν· ἐν δὲ τῇ μεσογείᾳ, κατὰ τὴν Ἰδουμαίαν, Ἄδωρα καὶ Μαρίσσαν, καὶ Σαμάρειαν, Καρμήλιον ὄρος, καὶ τὸ Ἰταβύριον ὄρος, Σκυθόπολιν, Γάδαρα, Γαυλανίτιδα, Σελεύκειαν, Μωαβίτιδας Ἐσσεβὼν, Μήδαβα, Λεμβᾶ, Θρώνας, Γελίθωνα, Σαρὰ, Κιλίκων αὐλῶνα, Πέλλαν· ταύτην δὲ κατέσκαψαν, οὐχ ὑποσχομένων τῶν ἐνοικούντων εἰς τὰ πάτρια Ἰουδαίων ἔθη μεταβαλέσθαι, ἄλλας τε πόλεις πρωτευούσας τῆς Συρίας, αἳ ἦσαν κατεστραμμέναι [*Circa hæc tempora, Syrorum, Idumæorum & Phœnicum urbes tenuere Iudæi, ad mare Stratonis turrem, Apolloniam, Ioppen, Iamneam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocoluram; in locis interioribus ad Idumæam Adora, Mariſſam, Samariam, montes Carmelum & Itabyrium, Scythopolin, Gadara, Gaulanitida, Seleuciam, Moabiticas Eſſebon, Medava, Lemba, Thronas, Gelithôna, Sara, Cilicum vallem, Pellam: hanc everterunt, ideo quòd ejus habitatores ad ritus Iudaicos ſe tranſduci non paterentur. Sed & alias principes Syriæ urbes ceperunt, quæ itidem fuere everſæ*]. Inter urbes ab Iudæis ſuperatas habes hîc nominatim & *Azotum* & *Gazam.*

Et erit quaſi dux in Iuda] Nam Proſelyti honorum apud Iudæos erant capaces: ut docet exceptio ejus regulæ Deuteronom. XXIII.

Et Accaron] Vrbs Palæſtinæ ſuprà etiam nominata.

Quaſi Iebuſæus] Quo jure fuerunt Proſelyti Iebuſæi, ut Areuna II Samuel. XXIV. 16. & ſequentibus.

8. *Et circumdabo domum meam ex his qui militant mihi euntes & revertentes*] *Caſtra metabor circa domum meam contra exercitum, contra euntes & revertentes:* id eſt, Dabo Angelos qui cuſtodiant Templum, nè aut ab hoſte obſideri poſſit aut etiam incurſibus infeſtari. Magnâ & minora pericula à Templo avertam, nempe ad tempora uſque Antiochi.

Et non tranſibit ſuper eos ultrà exactor] Id eſt, tyrannus, ut hîc Chaldæus: nam mos eſt tyrannorum tributis populum opprimere.

Quia nunc vidi in oculis meis] *Quia nunc* (id eſt, antehac) *oculis meis vidi:* id eſt, apparet mihi multas eſſe vicinas gentes quæ Templum invaderent hoſtiliter aut prædonum more diriperent, niſi ego miris modis obſtarem.

9. *Exſulta ſatis*] In Hebræo: *valde.*

Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus] Optimè verti poteſt *vênit*, nempe cùm ex Babylone veniret. Nam præterita Hebræi ſæpiſſime verbis futuris, quæ pro præſentibus ſumuntur, exprimunt. Pertinétque locus primo & maximè obvio ſenſu ad Zorobabelem, qui

Rex appellatur etiam Ieremiæ XXIII. 5. & Ezechielis XXXVII. 22. 24. nimirum quia quanquam nomen ſibi Regium pompámque Regiam non aſſumſit, nè id Perſarum Regem offenderet, à ſuis tamen, ob ortum quem trahebat à Davide, ità cultus obſervatúſque fuit quaſi Rex eſſet. Ad Meſſiam autem ſublimiore quodam ſenſu hæc referri agnoſcit Rabbi Salomo. Sed dubitare ait ſe Abeneſdra de utro Meſſiarum hoc intelligendum ſit. Nam cùm duplicem ſtatum Meſſiæ deſcribi viderent, contemtum alterum, alterum glorioſum, ex his duos Meſſias fecere, quorum illum vocant *filium Ioſephi*, hunc *filium Davidis*: & ad Ioſephi quidem filium Meſſiam hæc referunt Iudæorum plerique. At doctiſſimus Rabbi Saadia Gaon ad Danielem ait de eodem hîc agi qui denotatur Pſalmo LXXII. & Danielis VII. 14. Is autem eſt *triumphator Meſſias*, ut ipſi fatentur. *Iuſtus*, id eſt, æquus, φιλόπατρις [*amans patriæ*], non tyrannus, de quali modò actum.

Et Salvator] Mirum eſt non Latinum tantùm ſed & Græcos & Chaldæum in hoc conſenſiſſe, ut *Salvatorem* verterent: nam in Hebræo legitur נושע [*ſalvatus*]. Aut ergò in codicibus melioribus quàm quibus uſi ſunt Maſoretici ſcriptum fuit יושע [*ſalvans*], aut (quod mirum eſt) omnes in eo convenerunt ut paſſivum poſitum crederent pro activo; quomodo נדברו [*locuti ſunt*] ſumitur Pſalmo CXIX. 23. Zorobabel *Salvator* populi ſuo modo, & ad tempus, juſto ſcilicet regimine: Chriſtus perfectè & in perpetuum.

Pauper] Sine ſatellitio pompâque Regiâ, ob eam quam diximus cauſam. Ipſa corona ei dicis causâ impoſita penes eum non manſit, ſed in Templum perlata eſt.

Et adſcendens ſuper aſinam, & ſuper pullum filium aſinæ] *Et* pro *id eſt*: & in Hebræo חמור eſt *aſinus*, ut rectè verti poſſit *vectus aſino*, id eſt, *pullo nato ex aſinis*; non mulo, ſed aſino planè, tam ex patre quàm ex matre. Id ſignificabat non tantùm modeſtiam ipſius, ſed & pacis ſtudium: nam

Bello armantur equi. ———

Aſinus pacis animal. Illuſtrant id ſequentia.

10. *Et diſperdam quadrigam ex Ephraïm*] Auferam è Iudæis & Iſraëlitis, qui cum eis rediere, omnem currum hoſtilem.

Et equum de Ieruſalem] Equitatum hoſtilem.

Et diſſipabitur arcus belli] *Incidetur*: id eſt, non magìs ipſis nocebit quàm ſi inciſus eſſet nervus.

Et loquetur pacem gentibus] Nempe civitàs Ieruſalem fœdera faciet cum Regibus, cum Lacedæmoniis, cum Romanis.

Et poteſtas ejus à mari] Rubro.

Vſque ad mare] Syriacum.

Et à fluminibus] In Hebræo: *à flumine*, id eſt, ab Euphrate.

Vſque ad fines terræ] Nempe Patribus promiſſæ: nam ſub imperium Hieroſolymorum venit Samaria, Galilæa, Galaaditis, & alia quæ à temporibus Ieroboami diſtracta fuerant. Ad hæc verba intelligenda repete Ioſephi locum quem modò produximus.

11. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu in quo non erat aqua: convertimini*] Ex Græco, ἐξαπέστειλας [*emiſiſti*]. at in Hebræo & Chaldæo, *emiſi*; ità ut cum Chaldæo hæc ſic vertere liceat, *Tu ergò*, ô poſteritas Abrahami (nam ואת [*Et tu*] femininum eſt), *cujus vinctos propter ſanguinem fœderis tui* (promiſſum ſancitum Paſchali victimâ) *emiſi* (nempe ex Ægypto, & emiſi) *de ciſterna in qua non erat aqua* (id eſt, ex ſiticuloſiſſimis Arabiæ locis), *redite* ad me: memores veterum beneficiorum ac novorum, mihi confidite.

12. *Ad munitionem, vincti ſpei*] *Ad munitionem*, id eſt, ad me qui ſum rupes, *convertimini*, *vos* qui cùm *vincti* eſſetis (captivi in Babylonia) *fiduciam habuiſtis*, in me ſcilicet.

Hodie quoque annuntians duplicia reddam tibi] *En hodie annuntio vobis*, per Zachariam, *me dupla redditurum tibi*. Id eſt, non reditum tantùm ſalvum ac tutum, ſed & inſignes victorias latiſſimámque poſſeſſionem.

13. *Quoniam extendi mihi Iudam quaſi arcum*] *Tendam quaſi arcum*: eo utar contra hoſtes mei nominis.

Implevi Ephraïm] Id eſt, Pharetras Iſraëlitarum, qui ſe Iudæis adjunxerint, implebo ſagittis.

Et ſuſcitabo filios tuos, Sion, ſuper filios tuos, Græcia] Mirus tranſitus à perſona ſecunda ad alteram ſecundam per ſubitam ἀποστροφὴν [*Averſionem*]. Senſus eſt, Animabo Sionis populum contra copias Antiochi, qui è *Græco*, id eſt, Macedonico, erat ſanguine. Hebræi omnes illos Syriæ Ægyptíque Reges מלכי יון [*Reges Græciæ*] vocant.

Et ponam te quaſi gladium fortium] *Viri fortis*. Ità te utar ut bellator gladio.

14. *Et Dominus Deus ſuper eos videbitur*] Pugnabit pro Iudæis tanquam ex arce aliqua. A ſecunda ad tertiam perſonam tranſit, ut ſæpe.

Et exibit ut fulgur jaculum ejus, & Dominus Deus in tuba canet] Id eſt, & adjutor erit & incenſor belli.

Et vadet in turbine Auſtri] Turbinis more diſperget hoſtes. Auſter vehemens illis in locis, Pſalmo LXXVIII. 26.

15. *Et devorabunt*] Opibus hoſtium fruentur.

Et ſubjicient lapidibus fundæ] Obruent eos, quamvis velitariter inſtructi, ut David contra Goliathum.

Et bibentes inebriabuntur quaſi à vino] Gaudebunt ultione expletâ, ut ratio ferebat illius Fœderis.

Et replebuntur ut phialæ, & quaſi cornua altaris] *Replebuntur* bonis hoſtium; *ſicut phialæ* plenæ ſimilâ & oleo, Numer. VII. 19. & ità hîc Chaldæus. Satiabuntur etiam ſanguine hoſtium non minùs quàm *cornua altaris* ſanguine victimarum, Levitici IV. 25. XVI. 18.

16. *Et ſalvabit eos Dominus Deus eorum in die illa ut gregem populi ſui*] *Vt gregem populum ſuum*. Expoſitio pronominis *eos*: Sicut paſtor curam gerit gregis, ità Deus Iudæorum.

Quia lapides ſancti elevabuntur ſuper terram ejus] In Hebræo: *lapides coronæ*, id eſt, corona ex lapidibus. Solent paſtores lapides in orbem diſponere, quo gregem includant nè evagetur.

17. *Quid enim bonum ejus eſt, & quid pulchrum ejus, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines*] In Hebræo non eſt *niſi*. *Quanta enim bonitas ejus, & quanta pulchritudo ejus* (terræ? ſcilicet) *frumentum proveniet, & vinum cantare faciet virgines*: ut ſit ינובב à יבב [*vociferatus eſt*]. Iuvenes lætum carmen canent ob meſſem, & puellæ ruris ob felicem vindemiam.

CAPVT X.

1. P*Etite à Domino pluviam in tempore ſerotino*] Nè magnifica illa quæ præceſſerunt promiſſa crederentur eventura quovis modo viventibus, addit Propheta, Ità demum ea ſuo tempore exſpectanda ſi Iudæi, & qui ex aliis tribubus eis ſe adjunxerant, Deum colerent ac precarentur: ubi verò iterum reaberentur ad veteres culpas, præſtò fore mala qualia antea. *Pluvia ſerotina* Hebræis eſt quæ ſegetem jam adultam promovet. Vnius autem ſpeciei vocabulo genus totum intelligitur, id eſt, res proſperæ qualeſcunque.

Faciet nives] *Vota arborum communia ſunt, frugúmque, nives diutinas ſedere*, Plinius XVII. 2. ubi & cauſas reddit.

Et pluviam imbris dabit eis] Id eſt, largam.

Singulis herbam in agro] עשב Hebræis tam generale eſt ut ea quæ in humano ſunt victu comprehendat. Senſus eſt, Deum daturum fruges, tum quæ homini tum quæ animantibus uſum ſui homini præbentibus conveniunt.

2. *Quia ſimulacra locuta ſunt inutile*] Vana ſunt quæ idolorum nomine reſpondent ſacerdotes. Hæc omnia ideo repetuntur ut in poſterum caveant ſibi Iudæi.

Et ſomniatores locuti ſunt fruſtrà] Divini falſa locuti ſunt. קוסמים Græcè reddi ſolet *μάντεις* [*vates*], at Eſaiæ III. 2. *ϛοχαϛαὶ* [*conjectores*].

Vanè conſolabantur] In mediis peccatis proſpera ſpondebant populo, Ezechielis XIII. 9. 10.

Iccirco abducti ſunt] Iudæi.

Quaſi grex] Tam facilè quàm pecudes aguntur.

Affligentur, quia non eſt eis paſtor] *Malè tractati ſunt, nullo ipſis exiſtente Principe. Paſtorum* nomine hic tum Reges tum Principes intelliguntur; ut Chaldæus explicat.

3. *Super paſtores iratus eſt furor meus*] Id eſt, Regibus & Principibus implacabiliter iratus ſum, quia illi ad idololatriam duces populo fuerant; Itaque & filios Regis & Principes alios interimi à Chaldæis volui: Regem verò Sedeciam orbatum oculis, tandem mori ſine prole, II Regum XXV. 7. 19. 20.

Et ſuper hircos viſitabo] Græci, *ἐπὶ τοὺς ἀμνοὺς ἐπισκέψομαι* [*ſuper agnos inſpectabo*], non malè: nam per עתודים, id eſt, *hircos*, *συνεκδοχικῶς* [*per Complexionem*] hîc intelligitur *grex* omnis, & per *gregem* populus. *Viſitabo* autem hoc loco valet *miſerebor*. Regibus & Principibus excidium immiſi; at populum premi quidem volui, ſed non radicitus exſtirpari, ut aliquando videns ſe à Regibus & Principibus deceptum, Divinâ ope in patriam rediret, & cautior eſſet in poſterum.

Quia viſitavit Dominus exercituum gregem ſuum] Modò Propheta, modò Deus loquens inducitur. Hîc Propheta probat hæc veriſſimè à Deo eſſe dicta. *Viſitavit*, id eſt, *miſertus eſt*, ut diximus.

Domum Iudæ] Quæ ſcilicet per *hircos* illos, ſive, quod idem eſt, *gregem*, in antecedentibus Dei verbis erat intelligenda.

Et poſuit eos quaſi equum gloriæ ſuæ in bello] Vt aliquando, temporibus ſcilicet Antiochi & deinceps, Iudæis illis uteretur ſicut Reges habere ſolent equos ad prælia reſervatos.

4. *Ex ipſo angulus*] *Angulus*, id eſt, coagmentatio tribuum, quæ per Iudam facta eſt. Nam quicunque redire voluerunt ii Iudæ tribui ſe applicuerunt, ejúſque imperio ſe ſubdidere. Sic urbs Hieroſolyma dicitur *lapis angúlaris* Ezechiæ temporibus Eſaïæ XXVIII. 16.

Ex ipſo paxillus] *Firmitas ſtatûs*. Nam omne quod firmandis aliis rebus adhibetur *paxilli* nomine denotatur, ſimilitudine à tentoriis deſumtâ, ut videre licet Exodi XXVII. 19. XXXV. 18. XXXVIII. 20. Iudic. IV. 21. Eſaïæ XXXIII. 20. LIV. 2. ideóque & per *ϛήριγμα* [*ſtabilimentum*] vertitur Eſdræ IX. 8. Sic Eliacim dicitur paxillus domûs Regiæ, Eſaïæ XXII. 23.

Ex ipſo arcus prælii] Ex eadem tribu præcipuum militiæ robur.

Ex ipſo egredietur omnis exactor ſimul] *Recedet ab ipſo omnis tyrannus*. Idem quod ſuprà IX. 8.

5. *Et erunt quaſi fortes conculcantes lutum viarum in prælio*] Eſt Tranſpoſitio ſic explicanda: *Et erunt* (illi de tribu Iudæ) *fortes conculcantes in prælio* (hoſtem) *quaſi lutum viarum* eſſet.

Et bellabunt, quia Dominus cum eis] Deo adjutore.

Et confundentur adſcenſores equorum] Antiochi equitatus, Ezechiel. XXXVIII. 4. Daniel. XI. 40. Deſcriptio hujus equitatûs ex Polybio eſt apud Athenæum.

6. *Et confortabo domum Iuda*] Vt quæ præcipua erat in bello, ſicut jam dictum eſt.

Et domum Ioſeph ſalvabo] Iſraëlitas qui ſe Iudæ tribui addiderunt.

Et convertam eos] *Redire faciam*, ſalvas ſcilicet è præliis.

Et erunt ſicut fuerunt quando non projeceram eos] Id eſt, in ſtatu florente, quales erant primis Davidis temporibus, infrà XI. 7.

7. *Et erunt quaſi fortes Ephraïm*] *Ephraïmitæ* (iidem qui modò *Ioſeph* dicti) *erunt quaſi heroës* illi Davidis temporibus: de quibus vide II Samuel. XXIII. 8. & deinceps.

Et lætabitur cor eorum] De victoria.

Quaſi de vino] Quod *homines lætificare* dicitur.

Et filii eorum videbunt & lætabuntur] Pueri ipſi & adoleſcentes nondum bello habiles participes erunt gaudii parentum.

8. *Sibilabo eis, & congregabo illos*] Revertitur ad ſimilitudinem de grege ſumtam. *Sibilabo*, id eſt, fiſtulâ paſtorali canam: nam & *συρίζειν* Græcis utrumque ſignificat, & ſibilum plebis *paſtoralem fiſtulam* dixit Cicero. Agit de iis qui nondum redierant, ſed poſtea rediere: qualia illa centena millia redemta à Ptolemæo Philadelpho, ut diximus.

8, 9. *Quia redemi eos, & multiplicabo eos, ſicut antè fuerant multiplicati, & ſeminabo eos in populis, & de longè recordabuntur mei, & vivent cum filiis ſuis & revertentur*] *Liberabo eos, & multiplicabo eos in eum numerum quo olim fuere* (Davidis, ut diximus, temporibus), *qui, cùm diſperſiſſem eos inter gentes, tamen in illis locis longinquis memores fuere mei: ideo* *ſuperſtites erunt cum filiis ſuis, & revertentur domum.* Conjunctio ו [*&*] hîc ſumitur pro cauſativa. Senſum hunc Chaldæus prudenter ſequitur.

10. *Et reducam eos de terra Ægypti*] Per Ptolemæum Philadelphum & alios.

Et de Aſſyriis congregabo] Per Alexandrum Antiochi Epiphanis filium, & per Demetrium utrumque. Vide Ioſephum XIII. 4. 5. 7. 8.

Et ad terram Galaad & Libani adducam eos] De Galaaditide capta Maccabæorum armis habes apud Ioſephum XII. 12. de Syriæ urbibus captis ab Hyrcano & Succeſſoribus XIII. 17. 23.

Et non invenietur eis locus] Tanta erit multitudo ut veteres fines eos non capiant.

11. *Et tranſibit in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis*] *Et tranſeunte* (illo populo exſule, cùm hæc loqueretur Zacharias) *per maris anguſtias*, *percutiet* (Deus, id eſt, ἐπιτιμήσει [*increpabit*], ut habemus Matthæi VIII. 26. reprimet vi ſuâ) *fluctus* qui erunt *in mari* illo: *deinde etiam ſiccabuntur omnes alvei fluminis. Flumen* cùm ſimpliciter appellatur, intelligendus Euphrates. Ex hoc loco deſumitur & ille qui eſt in Apocalypſi XVI. 12. ἐξέχεε τὴν φιάλην αὐτοῦ ἐπὶ τὸν ποταμὸν τὸν μέγαν Εὐφράτην· καὶ ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ αὐτοῦ [*effudit phialam ſuam in flumen illud magnum Euphratem: & ſiccata eſt aqua ejus*]. Subticetur *quaſi*: ſenſus enim eſt, Euphratem tam pervium ipſis fore quàm ſi totus ab aquis deſtitutus eſſet. Vide Eſaïam XI. 15. Maris fauces hoc loco deſignatas Hebræi, quos Hieronymus conſuluit, interpretabantur *Boſphorum Thracium* inter Byzantium & Chalcedonem: non malè, ſi conſideres Nabuchodonoſori Imperium pertinuiſſe etiam ad dexteram Ponti oram, id eſt, ad Daciam; cujus rei teſtis eſt Abydenus. Vnde & in Thracia partem fuiſſe Hebræorum ex Ariſtophanis Scholiaſte obſervavimus. His ergò quos illa in loca aut Nabuchodonoſor, aut, ſi couſque Aſſyriorum venit Imperium, Salmanaſar deportaverat, Deus, cùm in patriam redirent, primùm placidum mare Boſphori, deinde & faciles eos qui in itinere ad Iudæam ſunt Euphratis alveos præſtitit. Ex hoc loco fluxit fabula quæ eſt in libro fabularum pleniſſimo, qui *Eſdræ quartus* dicitur, XIII. 40.

Et humiliabitur ſuperbia Aſſur] Id eſt, Antiochi Epiphanis, qui inter cætera Aſſyriam tenebat: nam ad Armeniam uſque regnaſſe Seleucidas, ex Appiano, Ioſepho aliiſque diſcimus. Pari modo idem hic Antiochus *Gog*, id eſt, Gygæus dicitur Ezechieli, quia Lydiam tenebat, ut ibi diximus.

Et ſceptrum Ægypti recedet] Nempe à Iudæis. Fuerant Iudæi ſub Ptolemæo Lagi filio, & ſub aliis quibuſdam Ægypti Regibus, ut diſcere eſt Ioſephi XII. 1. & ſequentibus. Poſt Maccabæorum tempora id non evênit ampliùs. Eſt hîc idem planè loquendi genus quod Geneſ. XLIX. 10. Vnde apparet interpretationes ejus loci, quas Iudæi ab aliquot jam ſeculis comminiſci cœpere non modò novas eſſe, quod oſtendunt Chaldæi Paraphraſtæ & Interpretes Græci, ſed & à nativo loquendi genere diſſentaneas.

12. *Confortabo eos in Domino*] Id eſt, in me ipſo. Nomen pro pronomine, more Hebræo, de quo alibi egimus.

Et in nomine ejus ambulabunt] Sub præſidio De res ſuas agent. nam הלך ſæpe eſt Hebræis *res agere.*

CAPVT XI.

1. *APeri, Libane, portas tuas*] *Libanus* eſt Templum, quomodo Ezech. XVII. 3. Habac II. 17. Poſtquam res proſperas plurimas Prophet prædixerat, oſtendit interventura & mala; quorum malorum cauſas oſtendit comparatione rerum veterum. Portæ Templi, inquit, patebunt externi. Idem eſt quod de Antiocho dicitur 1 Maccab. 1. 2 Καὶ εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἁγίασμα ἐν ὑπερηφανίᾳ [*& intravi in Sanctuarium cum ſuperbia*]. & Eſdræ XII. 7.

Et comedat ignis cedros tuas] Id eſt, cedrina palatia circa Templum, dicto 1 Maccab. 1. 32. 33. Κα ἐπέπεσεν ἐπὶ τὴν πόλιν ἐξάπινα, καὶ ἐπάταξεν αὐτὴν πληγ μεγάλην, καὶ ἀπώλεσε λαὸν πολὺν ἐξ Ἰσραήλ. Καὶ ἔλαβε σκῦλα τῆς πόλεως, καὶ ἐνεπύρισεν αὐτὴν πυρὶ, καὶ καθ τοὺς οἴκους αὐτῆς καὶ τὰ τείχη αὐτῆς κύκλῳ [*Et irruit ſuper Civitatem repentè, & percuſſit eam plagâ magnâ, & perdidit populum multum ex Iſraël. Et acceptis ſpoli Civitatis ſuccendit eam igni, deſtruxitque domos eju & muros in circuitu*].

2. *Vlula abies*] Oppida minora plangite & timete.

Quia cecidit cedrus] Vrbs Hieroſolyma magnâ parte incenſa. Vide 1 Maccab. 1. 33. & ibi dicta.

Quoniam magnifici vaſtati ſunt] Illi magnificè habitantes exuti ſunt ſuis ædibus.

Vlulate quercus Baſan] Idem ſignificatur quod modò per *abietem*.

Quoniam ſucciſus eſt ſaltus munitus] Vrbs illa tantis inſtructa mœnibus, quæ ob altitudinem ædiu ſilvæ comparatur.

3. *Vox ululatus paſtorum*] Principum: nam & ho *paſtorum* nomine ſimul cum Regibus ſignificari diximus X. 2.

Quia vaſtata eſt magnificentia eorum] Superba habitacula.

Vox rugitûs leonum] *Paſtores* enim dicebantur, revera erant *leones*, δημοβόροι [*populi voratores*], quod explicant ſequentia.

Quoniam vaſtata eſt ſuperbia Iordanis] Gloria Iudææ. Solent enim amnes pro regionibus nominari, ut *Euphrates* pro *Babylone*.

4. *Hæc dicit Dominus Deus meus*] *Hæc dixit mihi*, nempe Zachariæ.

Paſce pecora occiſionis] Inſtrue & ſolare populum hunc, quem ob ſuam ambitionem Iaſon, Menelaus, Lyſimachus, objicient cædibus & rapinis. Vide Ioſephum 11. 6. & 11 Maccab. IV. 13. & ſequentibus.

5. *Quæ qui poſſederant occidebant*] Qui eos regendos accipient, hi erunt cauſa occidionis ipſorum. Facere dicitur qui cauſa eſt cur quid fiat.

Et non dolebant] Non movebantur tantis populi malis, dum ſuo animo morem gererent.

Et vendebant ea] Prodebant eos partim occidendos, partim diripiendos externis.

Dicentes, Benedictus Dominus, divites facti ſumus] *Dicent* quiſque, *Laudatus Deus quòd dives factus ſum*: quaſi dicat, Nihil plebem curo, dum ego ex ſacerdotio magnos quæſtus faciam. Ità etiam Dei nomine ad prava vota abutebantur. Et quàm multi hodie ſunt qui Deo gratias agunt de ſcelerum ſuorum ſucceſſu!

Et paſtores eorum non parcebant eis] Adeò *quiſque eorum paſtor non parcebat eis.*

Hic alienus oves paſtor bis mulget in hora.

6. *Et ego non parcam ultrà ſuper habitantes terram*] Illi populo non parcunt : & ego ipſis non parcam, & iis qui facta illorum erunt approbaturi.

Ecce ego tradam homines unumquemque in manu proximi ſui] Inter ſe mutuis cædibus ſævient. Multi enim Iudæi Antiochi partes ſectabantur 1 Maccabæor. 1. 55. Ioſephus dicto libro, Ezechiel. XXXIX. 26. Danielis XI. 30. 32.

Et in manu Regis ſui] In manus Antiochi.

Et concident terram] *Vt terram feriant*, cadentes ſcilicet.

Et non eruam de manu eorum] *Non eruam* talium conſiliorum approbatores *de manu* aut Antiochi aut Maccabæorum.

7. *Et paſcam pecus occiſionis propter hoc, ô pauperes gregis*] *Per hoc, nempe mites de grege*, inſtruam miſeram plebem à rectoribus objectam tot cædibus ac malis egregio documento : quod jam ſequitur, ut ſcilicet & cauſas malorum intelligant, & ſibi caveant.

Et aſſumſi mihi duas virgas] Sæpe apud Hebræos narrationes incipiunt per ו [*Et*], ut Iudicum 1. 1. Hoc eſt quod hîc dicit Deus, *Iam olim duo mihi aſſumſi peda*, id eſt, duas rationes populum feliciter gubernandi, Protectionem à malis externis, & internam Concordiam.

Vnam vocavi Decorem] *Dulcedinem :* nihil enim dulcius quàm à malis liberari.

Et alteram vocavi Funiculum] Sic & Græci Σχοίνισμα· unde apparet vocem חבלים ab iis lectam cum vocalibus aliis quàm quas aſſcripſere Maſoretici. Nam eadem vox aliter lecta aut *diſsipantes* ſignificat, aut *funes*. Poſterior autem hæc lectio planè ſenſui congruit, & ſignificat curam Dei ad retinendum in concordia populum, ut patet infrà 14. Sicut Maſoreticorum diligentiam ſpernere non debemus : ità nec ſuperſtitioſè nimis ac Iudaïcè nos alligare ipſorum conjecturæ, ubi aliæ ſuppetunt meliores.

Et pavi gregem] Feliciter per Davidem.

8. *Et ſuccidi tres paſtores in menſe uno*] *Sed ſuccìdi.* Cùm populus ingratiſſimum ſe in Deum & Davidem oſtendiſſet, in ſcelerata factione Abſolomi, uno in menſe abſtuli illi tres Principes egregios, Davidem ipſum, Adoniam Regis filium, & Ioabum fortiſſimum ducem.

Et contracta eſt anima mea in eis] Amor in eos meus multùm imminutus eſt.

Siquidem & anima eorum variavit in me] Fidem mihi non exhibuit. Id ſignificat verbum בחל, ex Arabico بحل. alibi in Hebræis libris non reperitur.

9. *Et dixi, Non paſcam vos*] Dixi, Nolo veſtrî ultrà curam paternam gerere.

Quod moritur moriatur] Quod morbidum eſt, morbo intereat. De grege enim ſumitur ſimilitudo. Reſpicitur peſtilentia ingens ſub finem Davidis.

Et quod ſucciditur ſuccidatur] *Quod* à lupo *abripitur, abripiatur.* Lupi iſti ſunt Adad & Razon 1 Regum XI. 14. 23.

Et reliqui vorent unuſquiſque carnem proximi ſui] *Et reliqua* (pecudes nec morbo intermortuæ, nec à lupo raptæ) *devorent altera alterius carnem :* rabie quadam agentur in mutuam perniciem.

10. *Et tuli virgam meam quæ vocabatur Decus*] *Dulcedo.* Abſtuli protectionem illam ſpecialem.

Et abſcidi eam] *Scidi* in fragmenta, corrupi.

Vt irritum facerem fœdus meum, quod percuſſi cum omnibus populis] *Populos* hîc intellige Tribus, ut Iudic. V. 14. *Irritum facere fœdus ſuum* Deus dicitur, cùm ruptis à populo fœderis conditionibus, ipſe quoque à ſua parte promiſſa non implet.

11. *Et in irritum deductum eſt in die illa*] Cùm Solomon apertè in idololatriam prorupit.

Et cognoverunt ſic pauperes gregis, qui cuſtodiunt mihi, quia verbum Domini eſt] *Et cognoverunt rectè mites gregis, qui attendebant mihi, quòd res hæc eſſet Domini*, id eſt, à me facta. Viderunt mala iſta non fruſtrà ſed meritò evenire. *Mites* habet hîc & Chaldæus : nam permiſcentur, ut ſæpe diximus, עני [*pauper*] & ענו [*mitis*]. Lxx hîc pro כן עניי [*ſic afflicti, mites*] legerunt unâ voce minùs rectè כנעני [*Chananæi*] : quod & Hieronymus notavit.

12. *Et dixi ad eos*] Cauſam derelicti à ſe populi ampliùs redditurus, oſtendit per egregiam figuram quantopere ipſe à populo contemtus fuerit; Quod olim quidem verum exſtitit, ſed multò clariùs Chriſti temporibus : cujus vetera omnia imaginem gerunt.

Si bonum eſt in oculis veſtris] Niſi id iniquum prædicatis.

Afferte mercedem meam] Pro opera quam impendi tamdiu vobis protegendis. Loquitur ut paſtor loqueretur domino gregis.

Et ſi non, quieſcite] Si nihil me meritum putatis, nihil date.

Et appenderunt mercedem meam XXX *argenteos*] Hoc Zachariæ in viſo oſtenſum putat Maimonides, & ſequentia quoque in viſo expleta per Zachariam. Hoc dicit : operam paſtoralem exhibitam per annos quingentos (tot enim ferme ſunt ab exitu ex Ægypto ad finem Solomonis) æſtimarunt XXX *ſiclis*, id eſt, pretio iniquiſſimo. Operæ diurnæ æſtimatio erat Denarius, ut ex Euangelio etiam diſcimus. Is non multùm excedit drachmam Atticam : quatuor drachmæ Atticæ ſiclum faciunt : ergò centum & viginti, aut paulò ampliùs, diebus poterat aliquis ex operis ſuis lucrari XXX ſiclos. Vides iniquum æſtimationis. Moratur in comparatione paſtoris. Vilis hæc merces ſignificat victimas & ritus ſine pietate ſolida.

13. *Et dixit Dominus ad me*] Vt facto aliquo ſibi imperato Zacharias rem magis etiam animo imprimeret.

Projice illud ad ſtatuarium] *Ad figulum*, id eſt, apud figulinam Erat enim ibi area in quam projiciebantur fracta Templi fictilia. Vide quæ diximus ad Ieremiam XIX. 2. *Projice*, inquit, tamquam rem nihili, non pluris Deo faciendam quàm fractum fictile. Pro היוצר [*figulum*] hoc loco Chaldæus legit היאצר [*theſauri cuſtodem*]. Sed à recepta lectione ſtant LXX, & Matthæi Interpres.

Decorum pretium quo appretiatus ſum ab eis] Eſt Irriſio, qualis illa apud Tacitum, *egregium pretium laboris cepi*, Hiſtoriar. V.

Et tuli triginta argenteos, & projeci illos in domum Domini ad ſtatuarium] In Hebræo eſt *domum*, ſine Præpoſitione. Rectius eſt ſubaudiri *prope*. Vide quæ ad dictum modò locum Ieremiæ. deinde *ad figulum*, ut modò. Paruit Zacharias Dei præcepto; ſive id reipſa factum ſit, ſive, ut quoſdam exiſtimare diximus, ἐν ὀπτασίᾳ [*in Viſione*]: utrumque fieri potuit. Nulla enim hîc mentio ſpectatorum coram quibus res facta ſit. Fuit tantum hoc documentum Zachariæ ipſi.

14. *Et præcídi virgam meam ſecundam*] Hîc continuatur intermiſſus κατὰ παρένθεσιν [*verbis interjectis*] Dei ſermo. Pro *præcídi* rectè pones *ſcidi*, ut ſuprà 10. *Scidi*, nempe cùm viderem tam parvi me ab ipſis fieri, ut dictum jam eſt.

Quæ appellabatur Funiculus] Concordiam tribuum inter ſe, ut diximus.

Vt diſſolverem germanitatem inter Iudam & Iſraël] Inter Duas & Decem tribus, per factum Ieroboami per me in id inſtructi.

15. *Et dixit Dominus ad me*] Vſum oſtendit antedictorum: Nempe etiam nunc poſt Reditum, ſi quid ſimile eveniat, pios id referre debere ad cauſas ſimiles. Vide ſuprà 7. 11.

Adhuc] Etiam hoc tempore.

Sume tibi vaſa paſtoris ſtulti] Vt pedum ferratum, cujus incuſſu pecudes occiduntur; peram in qua nihil ſit ovibus utile, & ſimilia.

16. *Quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit*] *Qui latentem* (pecudem: durat enim comparatio) *non inveſtigabit*.

Diſperſum non quæret] *Agnum non quæret*, nempe qui gregem præ ætate ſequi nondum poteſt.

Et contritum non ſanabit] Admorſum à feris.

Et id quod ſtat non enutriet] *Quod integrum eſt* (in grege) *non enumerabit*: quod faciunt diligentes.

Biſque die numerant alter pecus alter & hædos.

Sic יכלכלו [*numerati ſunt*] ſumitur 1 Regum XX. 27.

Et carnes pinguium comedet] *Sed carnes pinguium comedet*. Sui causâ faciet omnia in Republica.

Et ungulas eorum diſſolvet] Reliquos ità fatigabit itineribus ut ungulæ dirumpantur. Qui hîc ἀλληγορεῖται [*tectè innuitur*] eſt Manaſſes deſignatus Nehemiæ XIII. 28. nominatus autem Ioſepho XI. 7. & 8. Ieroboamus populum ſciderat, Deo ſinente. Sanaverat diuturnum diſſidium Deus dato reditu Iudæis & ex aliis tribubus qui ſe iis adjungerent. Manſit concordia per tempus aliquod. Sed iterum vileſcente Dei cultu excitavit Deus Manaſſem, hominem vanum, qui Samballeten hominem ſibi ſimilem nactus ſocerum, ut ſe quoque Sacerdotem ſummum, & quidem contra fratrem ſuum faceret, novum ſtruxit Templum in monte Garizitano; & quos potuit de populo Iudaïco attraxit ad ſe. Ità rurſus *ruptus eſt funiculus*. Meritò autem dixi cauſam etiam hujus mali fuiſſe neglectum Dei cultum: Nam quicunque ob cibos vetitos, Sabbatum violatum, aliáſve culpas inter Iudæos pœnas metuebat, ei confugium patebat Sicimis apud novum illud Templum.

17. *O paſtor & idolum*] *Væ paſtori vano*, qui *Paſtor* ſive Princeps populi dici vult, ſed reipſa nihil minùs eſt. Sic רפאי אלל *medici* nomine, non re, Iobi XIII. 4.

Derelinquens gregem] Cœtum illum legitimum qui erat in Templo Hieroſolymitano, facto ex Dei oraculo, Regis auctoritate, quem ſecutus fuerat gentis totius conſenſus.

Gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus, brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur] *Gladium* vocat omnem à Deo pœnam. *Brachium dextrum* Manaſſis fuit ſocer ejus Samballetes. *Brachium aridum*, ut *manus arida* Matth. XII. 10. dicitur quæ vigore omni deſtituta eſt, ut ramus nullum de arbore ſuccum trahens. *Brachium* Manaſſis *ſiccatum eſt* cùm omnes Samballetæ milites ab Alexandro Magno abducti ſunt in Ægyptum, & tam tenuis ei apud Alexandrum fuit gratia ut ſuis Sicimitis obtinere non potuerit immunitatem tributi anno Sabbatico, quam Iudæis Alexander conceſſerat, Ioſeph. XI. 8. *Oculus* autem *dexter qui* Manaſſi *caligavit*, eſt cognitio rerum Divinarum; ſicut oculus lævus, humanarum. Hic ei conſtitit; alterius uſum perdidit, ut ferme ambitioſi & avari omnes. Vide Matth. VI. 22.

CAPVT XII.

1. *ONus verbi Domini ſuper Iſraël*] Poſt illud factum per Manaſſem diſſidium, ex eadem cauſa, id eſt, neglectu Legis Divinæ, alia superventura mala pergit prædicere; ipſa quoque novam *funiculi rupturam*, id eſt, novum diſſidium, tractura ſecum, Antiochi nempe temporibus. *Iſraëlem* hîc intellige majorem eorum qui ex Iſraële orti erant partem, quæ ſicut olim erat penes Samariam, ità tunc futura erit penes Hieroſolyma, Sicimitis partem obtenturis minorem. Hæc ad tempora *Gog* referunt Hebræi; rectè, ſi per Gog ipſum Antiochum intelligerent, ut nos ad Ezechielem: ſed ipſi Gogum & Magogum paulò ante Mundi finem exſpectant: quod, ut ab ipſis creditum, arripit Apocalypſis, & ſenſu ἀλληγορικῷ [*obvelato*] verum eſſe oſtendit.

Dominus extendens cælum] *Qui cælum extendit*, quaſi tentorium. Vide Geneſeos 1. 6.

Et fundans terram] Qui terræ fixum dedit locum in ipſo aëre.

Et fingens ſpiritum hominis in eo] Qui ſpiritum vitæ primo homini indidit.

2. *Ecce ego ponam Ieruſalem ſuperliminare crapulæ omnibus populis in circuitu*] *Craterem ebrietatis*, Chaldæus non malè. Populi vicini adjungent ſe Antiocho, & adversùs urbem Hieroſolyma indecorè ſe gerent, ut ebrii ſolent.

Et Iuda erit in obſidione contra Ieruſalem] צור interdum quidem *obſidere* ſignificat, ſed ſæpiſſime *malis afficere*: ideóque plurimis locis per θλίβειν [*anguſtiis afficere*] vertitur. Rem miram dicit, Fore ut etiam ex Iudæis ſint qui ſe in Hieroſolyma hoſtiliter gerant: quod factum nunquam antè fuerat. Hi ſunt Menelaus & Tobiæ filii, qui parati, dum ambitioni ſuæ morem gererent, Dei cultum ſanctiſſimáſque leges exuere, in exitium patriæ ſuæ ac legum, ultro Antiochum acciverunt, Ioſeph. XII. 6. II Maccabæorum IV. 5.

3. *Et erit in die illa, ponam Ieruſalem lapidem oneris cunctis populis, omnes qui levabunt eam conciſione lacerabuntur*] *Sauciando ſauciabuntur.* Experientur quidem in ea vires ſuas, at non impunè. Optimè hanc locutionem explicat Hieronymus: *Mos eſt in urbibus Palæſtinæ, & uſque hodie per omnem Iudæam vetus conſuetudo ſervatur, ut in viculis, oppidis & caſtellis rotundi ponantur lapides graviſſimi ponderis, ad quos juvenes exercere ſe ſolent, & eos pro varietate virium ſublevare, alii ad genua, alii ad umbilicum, alii ad humeros, & caput, nonnulli ſuper verticem, rectis junctíſque manibus, magnitudinem virium demonſtrantes, pondus attollunt.* In tali niſu evenit ut aliis lædatur pars aliqua corporis, aliis rumpantur venæ. De Roma Claudianus:

Hanc urbem inſano nullus qui Marte petivit
Lætatus violaſſe redit.

Et colligentur adversùs eam omnia regna terræ] *Quamvis colligantur adversùs eam omnia regna terræ.*

4. *In die illa*] Id eſt, *poſtea*, ut ſæpè.

Percutiam omnem equum in ſtupore] Hoc ideo quia Antiochus equitatu maximè valebat. Vide ſuprà IX. 10.

Et ſuper domum Iudæ aperiam oculos meos] Miſerebor piorum qui reſtabunt impolluti.

Et omnem equum populorum percutiam cæcitate] Metu, qui cauſa ſit nè quid rectè faciant. Exempla I Maccabæorum III. 30. IV. 20.

5. *Et dicent duces Iuda in corde ſuo*] Nempe Maccabæi.

Confortentur mihi habitatores Ieruſalem in Domino exercituum Deo eorum] *Confortabuntur per me.*

6. *Sicut facem ignis*] Batillum, qui, exiguus licèt, ſufficit tamen ad totas urbes incendendas. Sic à copiis perexiguis initium factum.

Et devorabunt ad dexteram & ſiniſtram omnes populos in circuitu] Ammonitas, Idumæos, Tyrios, Ptolemaïdenſes.

Et habitabitur Ieruſalem rurſus in loco ſuo in Ieruſalem] In loco vetus nomen retinente, non in nova colonia, I Maccabæorum IV.

7. *Et ſalvabit Dominus tabernacula Iuda, ſicut in principio*] Reſtituet Vrbem & oppida, non per Hieroſolymitas, ſed per Maccabæos ex Modin.

Vt non magnificè glorietur domus David] Cujus poſteri nullam in hac gloria partem habuere. Vide infrà 12.

Et gloria habitantium Ieruſalem contra Iudam] Olim Vrbis habitatores cæteros in omnibus oppidis & vicis Iudæos præ ſe ſpernebant.

8. *In die illa proteget Dominus habitatores Ieruſalem*] Poſt reditum in Vrbem.

Et erit qui offenderit ex eis] Qui imitatione aliorum lapſus fuerit contra Legem.

Quaſi David] Tam gravi pœnitentiâ tangetur quàm David ob peccata in Vriam.

Et domus David quaſi Dei] Domus poſterûm Davidis ità plena erit pietatis quaſi Templum eſſet.

Sicut Angelus Domini in conſpectu eorum] Quaſi Angelum aliquem Dei ſemper apud ſe conſpicabilem haberent.

9. *Quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Ieruſalem*] *Quæ venerant*: quæ erant in Gorgiæ Lyſiæque exercitu.

10. *Et effundam ſuper domum David*] Multi enim ex Davide adhuc reſtabant, quorum partem nominatam habes in Matthæo & Luca.

Et ſuper habitatores Ieruſalem Spiritum gratiæ & precum] Animum illis dabo quo gratiam meam ſubmiſſis precibus implorent: *cor mundum, cor contritum & humiliatum*, Pſalm. LI. 11. 19.

Et adſpicient ad me quem confixerunt] Legit אלי [*ad me*], ut nos habemus. Alii libri habent אליו [*ad eum*]: ſed perinde eſt. Nam prima perſona, ſequente maximè relativo, ſæpiſſime per tertiam in his libris exprimitur. *Quem confixerunt*, אשר דקרו, *εἰς ὃν ἐξεκέντησαν*, ut habuere Græci Interpretes quidam, & Iohannes Euangeliſta ad Chriſtum *μυστικῶς* [*myſtico ſenſu*] hæc applicans XIX. 37. at LXX, commutatis literis perquam ſimilibus, legerunt רקדו, *ἀνθ᾽ ὧν ἐξωρχήσαντο* [*quia debacchati ſunt*, aut *abſilierunt*]. Noſter ſenſus optimus eſt. Nam *configere Deum* dicuntur qui eum probris laceſſunt: nam ſic & נקב, quod propriè eſt *perforare*, ponitur pro *βλασφημεῖν* [*blaſphemare*], Levit. XXIV. 11. Referunt hæc vulgò Rabbini ad Davidem filium Ioſephi, quem occubiturum ajunt in prælio contra Gog. At Hadarſan in Geneſ. XXVIII. de Meſſia filio David intelligit.

Et plangent eum planctu quaſi ſuper unigenitum] In Hebræo, *Plangent de eo*, nempe ob contumelias quas Deo intulere. *Planctus ſuper unigenitum*, proverbiale, Ierem. VI. 26. Amoſ. VIII. 10. ubi dicta vide.

In morte primogeniti] Aliud loquendi genus proverbiale. Solent enim, ubi plures ſunt liberi, primogeniti ardentiùs diligi, Ierem. XXXI. 9.

11. *Sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon*] In Hebræo eſt *Hadarrimmon*. *Mageddon* conſtat eſſe campum in quo occiſus cum multis ſuorum Rex Ioſias, II Regum XXIII. de quo graviſſimum fuiſſe planctum diſcimus II Paralipom. XXXV. 24. Cujus hiſtoriæ & Herodotum meminiſſe annotavimus ad librum III pro Veritate Religionis Chriſtianæ. In eo campo fuiſſe urbem dictam *Hadarrimmon*, poſtea dictam *Maximianopolim*, docet nos, ut multa illorum locorum, Hieronymus: ità ut eadem clades gemino indicetur nomine, ſicut illa Darii ad Arbella ab Arbellitide regione,. & ad Gaugamela, ex oppido aut vico propinquo. Chaldæus autem exiſtimavit *Hadarrimmon* eſſe nomen Regis Syri qui Achabum cecîdit, de quo hiſtoria eſt I Reg. XXII. 31. II Paralipomen. XVIII. 30. non improbabiliter. Nam Rimmon erat idolum Syrorum, ut apparet II Regum V. 18. Solebant autem Reges Syri nomina ab idolis ſumere, ut à *Bel*, *Nabo*, *Merodach*, *Sach*. Et nomen הדד adjunctum, aut ſeorſim poſitum, frequens Syris, quod cum altero nomine הדד in libris confundi ſolet: neque mirum, cùm non literæ

tantùm ſint affines, ſed & ſenſus: nam הוד, unde Syrorum more repetitâ literâ eſt הדר, *gloriam* ſignificat: & הדר Syris eſt *laudare*. Exiſtimavit itaque Chaldæus *planctum Hadarrimmon* dici eum qui editus fuit ob cladem acceptam ab Hadarrimmon; quomodo dicitur — *vulnere tardus Vlyſſi*. Mihi Hieronymi, cui locus ille ad Mageddonem notior fuit quàm Chaldæo, ſententia magìs placet. Lxx legerunt הדר ראון, ῥοῶνος [*Rhoonis*], & מגרון putarunt eſſe nomen non proprium, ſed commune, à גדד, quod interdum eſt *incidere:* vertunt enim, ἐν πεδίῳ ἐκκοπτομένου [*in campo inciſi*].

12. *Et planget terra*] Tota terra plena erit planctu. Pauci enim erant qui non blandimentis, aut metu, aut malis exemplis abrepti eſſent.

Familiæ & familiæ ſeorſum] Nempe ex præcepto Synedrii, indictis pœnis huic familiæ gravioribus, illi levioribus, prout graviùs aut leviùs peccaſſent. Quæ ἀναλογία [*proportio*] exemplo Iudæorum optimè ſervata à Synodo Nicæna.

Familiæ domûs David ſeorſum] Non privati tantùm peccaverant, ſed & illi qui ex domo erant Regia.

Et mulieres eorum ſeorſum] Nam in luctûs aut pœnitentiæ tempore ſecubabant viri à mulieribus, mulieres à viris, Ioël. II. 16. Quod, ut omnia proba quæ apud Iudæos erant, imitandum proponit Paulus 1 Corinth. VII. 5.

13. *Familiæ domûs Nathan ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum*] Nimirum etiam Zorobabelis, viri tam pii, poſteritas peccavit, & ſic indignam ſe fecit Regno; quod non recepit niſi in Domino Ieſu, modo ſublimiore.

Familiæ domûs Levi ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum] Etiam Sacerdotes multi peccaverant. Docet id oppoſitio 1 Maccabæorum IV. 42. Vide & II Maccabæorum IV. 13. & nota, cùm Mattathias cauſam ſacrorum armis (ut illa tempora tum ferebant) tuendam ſuſcepit, neminem ex collegis ei adfuiſſe.

Familiæ Semeï ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum] Ex hac familia plurimos fuiſſe Doctores teſtatur hoc loco Hieronymus. Et fortè ex illis fuit Sameas poſterioribus temporibus memoratus Ioſepho, & Hieronymo ad VIII. Eſaïæ, ſed & Thalmudicis & Rabbinis ſæpe.

14. *Familiæ & familiæ ſeorſum, & mulieres eorum ſeorſum*] Poſtquam illuſtriores familias nominavit, deſignat cæteras καθ' ὁμάδα [*per univerſitatem*], ut intelligatur ingens fuiſſe eorum qui peccaverant numerus. Alii ſacrificaverant diis Græcis, alii ἐπισπάσθησαν [*præputium adduxerant*], alii ſuillas in Templo obtulerant, alii libros Legis tradiderant iis qui eos incenſuri erant.

CAPVT XIII.

1. IN *die illa erit fons patens domui David*] Continuans cœptum ſermonem oſtendit luctum illum, & ſuſceptæ pœnitentiæ ſigna non futura ſine fructu. *Fons patens* hîc veniam peccatorum ſignificat. Similis locutio Pſ. LI. 8. Eſaïę XLI. 18. *Domum Davidis* ſpecialiter nominat, quia & ipſa graviter deliquerat.

Et habitantibus Ieruſalem] Quorum pauci intacti à crimine.

In ablutionem peccatoris & menſtruatæ] In Hebræo: *in peccatum & menſtruum*, id eſt, tam facilè abluentur gravia illa peccata idololatriæ (cujus nulla in Lege ablutio promittitur) quàm facilè abluitur contaminatio ex cadavere (nam & id dicitur חטא [*peccatum*] Numer. XIX. 17.), aut ex profluvio ſexûs muliebris. Atqui in Lege nihil tale proditum. Fateor, pro ſingulis. At quoties populus peccaſſet (pro populo autem habetur pars major populi, quæ in culpa erat hoc tempore) & pœnitentiam ageret, veniam Deus paratam promiſerat propter Patres, Deuteronom. XXX. Hæc ſunt τὰ χαρίσματα τὰ ἀμεταμέλητα [*dona quorum non pænitet Deum*], Romanorum XI. 29.

2. *Diſperdam nomina idolorum de terra*] Nihil verius. Nam poſt id tempus nulla fuit inter Iudæos idololatria. Hoc ipſum diſertè multis ſequentibus verbis Propheta exſequitur.

Et pſeudoprophetas] Quales multi antehac fuerant. Nullus *Prophetæ* nomen ſibi arrogare auſus eſt ab hoc tempore ad Chriſtum. Vide 1 Maccab. IV. 46. IX. 27. XIV. 41. Ioſephus, Ἀπὸ δὲ Ἀρταξέρξου μέχρι τοῦ μεθ' ἡμᾶς χρόνου γέγραπται μὲν ἕκαστα· πίστεως δ' οὐχ ὁμοίας ἠξίωται τοῖς πρὸ ἑαυτῶν, διὰ τὸ μὴ γενέσθαι τὴν τῶν προφητῶν ἀκριβῆ διαδοχήν [*Ab Artaxerxe ad noſtra tempora perſcriptæ quidem ſunt res ſingulæ; at non pari auctoritate quâ res anteactæ, ideo quòd non fuerit evidens Prophetarum ſucceſſio*].

Et ſpiritum immundum auferam de terra] Sic vocantur dæmonia, Matth. X. 1. XII. 43. Marc. I. 23. 26. 27. III. 11. 30. V. 2. 8. 13. VI. 7. VII. 25. IX. 25. Lucæ IV. 33. 36. VI. 18. VIII. 29. IX. 42. XI. 24. Actor. V. 16. VIII. 7. Ab his ſæpe accipiebant pſeudoprophetæ, quæ Dei nomine efferebant. Vide 1 Regum XXII. 20.

3. *Et erit cùm prophetaverit quiſpiam ultrà*] Oſtendit ceſſaturam eam quæ à Deo eſt Prophetiam.

Dicent ei pater ejus & mater ejus qui genuerunt eum] Ipſi hoc dicent parentes, ſi alii non dixerint: nec per adoptionem parentes, ſed per naturam, quorum tenerior eſt affectus. Confer mentionem paris ardoris pro Lege, omnem alium affectum ſuperantis, Deuteronomii XIII. 9.

Non vives, quia mendacium locutus es in nomine Domini] Falſò te à Deo miſſum dicis: ideóque mors tibi debetur, Deuteronom. XVIII. 20.

Et configent eum pater ejus & mater ejus, genitores ejus cùm prophetaverit] *Si perſtiterit prophetare, transfodient eum pater ipſe, vel mater ejus:* nempe ut Phinees Zambrin, Numeror. XXV. 8. 14. Hoc intellige de pſeudopropheta, populum volente abducere ad cultum falſorum deorum: nam in tales quemvis Iudæum lex armabat Deuteron. XIII. 8. 9. quæ lex expreſſè addit in tali crimine nec *filio* parcendum. Hæc & alia quædam ſtultè Rabbini referunt ad tempus poſt Reſurrectionem.

4. *Confundentur prophetæ unuſquiſque ex viſione ſua cùm prophetaverit*] Ferre non poterunt præ pudore mentionem fieri eorum vaticiniorum, quæ ante generalem hanc indulgentiam temere evulgarunt.

Nec operientur pallio ſaccino ut mentiantur] *Pallio hirto*,

hirto, qui habitus ut verorum Prophetarum, II Regum I. 8. ità & veros imitantium.

5. *Non ſum Propheta*] Nomen quod affectari ſolebat longè à ſe abjiciet.

Homo agricola ego ſum] Non fucum plebi faciendo, ſed meo labore victum mihi quæro.

Quoniam Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea] *Nam homo* aliquis *docuit me à pueritia mea*, nempe *agriculturam*, ut hîc explicat Chaldæus. Sicut קנה eſt *diſcere*, Proverbior. IV. 5. 7. XVII. 16. XVIII. 15. ità הקנה eſt *docere*.

6. *Quid ſunt plagæ iſtæ in medio manuum tuarum?*] Id eſt, ſtigmata inuſta manibus: per quæ ſolebant diis gentium ſe mancipare, inſcripto eorum ſigno, nomine aut numero, Apocal. XIII. 16. 17. *Sphragitidas & ſtigmata* vocat Prudentius.

Et dicit, His plagatus ſum in domo eorum qui diligebant me] In Hebræo eſt *domus*, non *in domo:* id eſt, Hæc ſtigmata non ad deum aliquem pertinent, ſed ad honorem domûs alicujus potentis, quæ me ut clientem ſuum dilexit, & cujus patrocinio me dedi.

7. *Framea, ſuſcitare ſuper paſtorem meum*] Pergit narrare futura. *Paſtor* hic eſt Iudas Maccabæus, qui in prælio cum Bacchide interiit, Ioſeph. XII. 19.

Et ſuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exercituum] *Super virum proximum meum*, id eſt, quem maximè amo. Quoties viri boni violentâ morte perierunt, toties apud pios crevit fides Reſurrectionis. Fuítque hæc οἰκονομία [*diſpenſatio*] à Legali differens, præparatio ad Euangelium.

Percute paſtorem, & diſpergentur oves] Tu, Bacchide, Iudam percute, & fugiet ejus exercitus. Vide Ioſeph. dicto loco.

Et convertam manum meam ad parvulos] Paucos faciam ſoſpites.

8. *Et erunt in omni terra, dicit Dominus, partes duæ in ea diſpergentur & deficient*] Magnas enim clades Bacchides non iſto tantùm prælio, ſed & aliis antecedentibus intulerat Iudæis, ut Ioſephi capite 18. videre eſt: per eas multi interiere, multi fugêre.

9. *Et ducam tertiam partem per ignem, & uram eos ſicut uritur argentum, & probabo eos ſicut probatur aurum*] Id eſt, Per multa mala eorum explorabo conſtantiam: Pſalmo LXVI. 10.

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Ipſe vocabit nomen meum] Ille populus reliquus de cladibus.

CAPUT XIV.

1. ET *dividentur ſpolia tua in medio tui*] In ipſa Iudæa paſſim à Græcis ſpolia dividentur capta de Iudæis.

2. *Et congregabo omnes gentes ad Ieruſalem in prælium*] Centum millia peditum, XX millia equitum, elephantes XXXII, ſub Antiocho Eupatore. Scriptor I Maccab. VI. 29. de hoc tempore, Καὶ ἀπὸ βασιλέων ἑτέρων καὶ ἀπὸ νήσων θαλασσῶν ἦλθον πρὸς αὐτὸν δυνάμεις μισθωταί [*Etiam ab aliis Regibus & locis maritimis venêre ad eum agmina mercede conducta*].

Et capietur civitas] Iudæi in Templum ſe recipere ſunt coacti, Ioſeph. XII. 14. Eſt retrogreſſio non magna, quò magis intelligatur imminutio in populo facta.

Et vaſtabuntur domus, & mulieres violabuntur] Vt & antè factum fuerat in Antiochi Epiphanis adventu.

Et egredietur media pars civitatis in captivitatem] Propter famem ſe dedent. Ioſephus, πολλοὶ τοιγαροῦν τῶν πολιορκουμένων ἀπεδίδρασκον διὰ τὴν τῶν ἀναγκαίων ἀπορίαν [*multi eorum qui obſeſſi transfugêre ob penuriam rerum neceſſariarum*].

Et reliquum populi non auferetur ex urbe] Defendent Templum.

3. *Et egredietur Dominus, & præliabitur contra gentes illas*] Has. Sæpe enim feliciter erupere obſeſſi, ut tradunt dicti jam ſcriptores: idque non parùm profecit ad pacem.

Sicut præliatus eſt in die certaminis] Id eſt, ad mare Rubrum, cùm Pharaonem ejúſque copias proſtravit.

4. *Et ſtabunt pedes ejus*] Bacchidæ, qui gentibus illis præerit. Ità ſæpe ex ſenſu ſubauditur perſona.

In die illa ſuper montem Olivarum] Qui commodus ponendis caſtris.

Et ſcindetur mons Olivarum ex media parte ſui ad Orientem & ad Occidentem, prærupto grandi valde] In Hebræo, *grandi admodum convalle*: id eſt, Multa humus egeretur, ità ut hiet mons magnâ ſui parte.

Et ſeparabitur medium montis ad Aquilonem, & medium ejus ad Meridiem] Id eſt, ità humus egeſta de monte feretur partim ad oppugnanda Aquilonaria, partim ad oppugnanda Auſtralia Templi.

5. *Et fugietis ad vallem montium eorum, quoniam conjungetur vallis montium uſque ad proximum*] Chaldæus אצל, quod hîc *proximum* vertitur, ſumſit pro nomine proprio: nec minùs Græci. Iidem Græci & Chaldæus hoc loco, Græci etiam in verbis ſequentibus, נסתם non ſumunt in ſecunda plurali à נס [*fugit*], ſed in tertia ſingulari à סתם [*obſtruere*]: vertunt enim, καὶ ἐμφραγήσεται ἡ κοιλὰς τῶν ὀρέων μου, καὶ συνάψεται ἡ φάραγξ τῶν ὀρέων ἕως Ἀσαήλ [*& obſtruetur vallis montium meorum, & adſpicietur vallis montium aduſque Aſaël*]. Nomen proprium *Azel* poſuere & Symmachus & Theodotion. Putant quidam Latinum Interpretem ſcripſiſſe *montium meorum*, quia in Hebræo eſt הרי: ſed poteſt eſſe regimen pro abſoluto. Qualem permutationem & alibi notavimus, maximè in his Scriptoribus, qui non raro Συριάζουσι [*Syros imitantur*]. Senſus mihi videtur hic eſſe: *&* (poſt diſceſſum hoſtium) *obſtruetur vallis montium* (quia egeſta humus ex uno monte Oliveti velut duos fecerat), *ità ut vallis illa montium adæquetur ad altitudinem*, nempe montis. אציל *altitudo* etiam Ezechieli XLI. 8.

Et fugietis ſicut fugiſtis] *Obſtruetur*, inquam, *ſicut obſtructa fuit*, nempe vallis olim eodem loco facta.

A facie terræmotûs] Id eſt, propter terræmotum, qui in eodem monte hiatum fecerat.

In diebus Oziæ Regis Iuda] Cujus terræmotûs meminit Amos I. 1. ubi dicta vide. adde Eſaïam I. 6: Hæc παρενθετικῶς [*ſenſu interjecto*] dicta ſunt, quia vallis ab hoſte factæ inciderat mentio, nè quis eam in perpetuum manſuram putaret.

Et veniet Dominus Deus meus, omnéſque ſancti cum eo] Nempe ad opem ferendam Templo, & obſeſſis in Templo. *Sancti* ſunt Angeli, Danielis VIII. 13.

6. *Et erit in die illa*] In tempore illo obſidionis: nam Hebræi tempus *diem* vocant.

Non erit lux; ſed frigus & gelu] Non erit gaudium, ſed tremor & horror.

7. *Et erit dies una quæ nota eſt Domino, neque dies, neque nox*] *Tempus* illud *quod à Domino notum*, id eſt, præfinitum eſt (ſic προέγνω [*præſcivit*] ſæpe etiam in Novo Teſtamento ſumitur), *neque* lætitiam *diei* habebit, *neque noctis* quietem.

Et in tempore veſperi erit lux] Cùm minimè ſperabitur, adveniet liberatio, pace factâ.

8. *Et erit in die illa*] Poſt illa calamitoſa tempora.

Exibunt aquæ vivæ de Ieruſalem] Aquæductus fient egregii, ut in alta pace. Idem eſt quod dicitur Ezechiel. XLVII. & Ioël. III. 18. ubi dicta vide.

Ad mare Orientale] Aſphaltiten.

Ad mare noviſſimum] Sic dicitur mare Syriacum, Deuteron. XI. 24. & XXXIV. 2. quia Occidens Hebræis *pars poſterior* appellatur.

In æſtate & in hieme erunt] Erunt perennes aquæ; non ut torrentium, quæ æſtate deficiunt.

9. *Et erit Dominus Rex ſuper omnem terram*] Iudæi ab externis imperiis liberi Deum ſuo arbitratu colent. Id eò evênit, quia Reges vicini inter ſe infenſi ſtudiis ac beneficiis in Iudæos certabant. Quæ hiſtoria eſt apud Ioſephum XIII. 4. & 5.

In die illa erit Dominus unus, & nomen ejus unum] Vnus Deus coletur, & jurando advocabitur.

10. *Et revertetur omnis terra uſque ad deſertum*] In Hebræo: *Circumdabitur terra*, id eſt, circumquaque habitabitur, *uſque ad deſertum*, id eſt, etiam in locis non habitatis antehac; nempe affluentibus ad res proſperas ex omni orbe Iudæis.

De colle Remmon] In Hebræo, *à Gaba ad Remmon*. Sic & Græci & Chaldæus. Gaba eſt in fine Iudææ ad Septentrionem, oppidum Benjaminis, I Samuëlis XIII. 2.

Ad Auſtrum Ieruſalem] Id eſt, Quæ *Rimmon* eſt *ad Auſtrum* Iudæis, ut apparet Ioſ. XV. 32. XIX. 7.

Et exaltabitur] Supple, *Ieruſalem*, turribus & mœniis.

Et habitabit in loco ſuo] *Habitabitur* ubi olim.

A porta Benjamin] Quâ itur in agrum Benjaminis, Ierem. XXXVII. 13. Hæc erat Vrbi ad Septentrionem. Eadem *porta Ephraïm* II Paralipomen. XXV. 23.

Vſque ad locum portæ prioris] In Hebræo: *primæ*, id eſt, *veteris*, Nehemiæ III. 6. ea erat ad Occaſum.

Et uſque ad portam Angulorum] II Paralip. XXV. 23. *Porta angulorum* dicitur ob turres ibi factas. Vide Soph. I. 16. & III. 6. & ibi dicta. Ea porta erat ad Ortum.

Et à turre Hananeel] Quæ erat ad Meridiem, Nehemiæ III. 1. Chaldæus turrem Pekos vocat, mutato per ætatem nomine. Confer locum ſimilem Ieremiæ XXXI. 38.

Vſque ad torcularia Regis] Vbi vineta Regum fuerant. Vide Cant. VIII. 11. Ibi quoque habitabitur. Is locus erat in urbe intima apud Sionem.

11. *Et habitabunt in ea*] Tutò, poſt pacem cum Bacchide & Regum ſequentium fœdera.

Et anathema non erit ampliùs] חרם, id eſt, ut Chaldæus vertit, *occiſio non erit ampliùs*. Sic verbum חרם ſumitur Ioſue XI. 11.

Sed ſedebit Ieruſalem ſecura] *Sedebit Ieruſalem cum fiducia.*

12. *Et hæc erit plaga quâ percutiet Dominus omnes gentes quæ pugnaverunt adversùs Ieruſalem: Tabeſcet caro uniuſcujuſque ſtantis ſuper pedes ſuos, & oculi ejus contabeſcent in foraminibus ſuis, & lingua eorum contabeſcet in ore ſuo*] Id eſt, fame peribunt Macedones qui erunt in arce Hieroſolymitana, I Maccab. XIII. 49. Ovidius Metamorphoſeos VIII Famem paribus notis depingit,

> ——— *cava lumina, pallor in ore,*
> *Labra incana ſitu, ſcabri rubigine dentes,*
> *Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent.*
> *Oſſa ſub incurvis exſtabant arida lumbis.*
> *Ventris erat pro ventre locus: pendêre putares*
> *Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.*

13. *In die illa erit tumultus Domini magnus in eis*] Deus vehementer illos populi ſui hoſtes perturbabit; & meritò: quod explicant ſequentia.

Et apprehendet vir manum proximi ſui, & conteretur manus ejus ſuper manum proximi] Senſus eſt, Incerta erunt eo tempore fœdera. nam qui manum alteri adjungit, is per eam *manum* (id eſt, ſocietatem) exſcindetur. *Manum complodere* eſt ſignum ſocietatis, Proverb. VI. 1. Eſt autem עלתה hoc loco *evelletur*; quomodo vertit Chaldæus: & quod ſequitur על eſt *per*. Nihil potuit de iſto tempore congruentius dici, quo omnia plena perfidiæ. Vide Ioſephum XII. 16.

14. *Sed & Iudas pugnabit adversùs Ieruſalem*] Quod ſuprà dictum fuerat de temporibus Antiochi XII. 2. idem hîc tempora proxima Antiocho deſcribens repetit. Vertes autem rectè *bellabit*, ut intelligas quanta futura ſit perfidia. Multi ex Iudæ tribu, ut olim Antiocho, ità tunc Bacchidæ aderunt.

Et congregabuntur divitiæ omnium gentium in circuitu, aurum & argentum, & veſtes multæ ſatìs] Multæ erunt divitiæ in caſtris Nicanoris, Ioſeph. XII. 17. II Maccabæorum VIII. 30.

15. *Et ſic erit ruina equi, & muli, & cameli, & aſini, & omnium jumentorum quæ fuerint in caſtris illis, ſicut ruina hæc*] מגפה, quod hîc *ruinam* vertit, *plagam* ſignificat. Dicit cladem non minorem fore animantium aliorum quàm hominum, nempe ob cauſas jam explicatas.

16. *Adſcendent ab anno in annum ut adorent Regem Dominum exercituum, & celebrent feſtivitatem Tabernaculorum*] Id eſt, multi ex gentibus, conſpectis tantis Dei beneficiis in populum Iudaïcum, fient Proſelyti: & cùm longiùs poſiti, annuos dies feſtos celebrare non poſſint, ut Iudæi, certè ſemel anno, Autumni tempore, quod ad itinera commodiſſimum, venient ad celebrandam memoriam ducti per loca deſerta populi, nutritíque miris mo-

modis per annos XL. quod tempus pignus quoddam & figura fuit omnium beneficiorum, quæ poſtea ſecuta ſunt.

17. *Et erit qui non adſcenderit de familiis terræ*] Id eſt, de Iudæis qui in illis locis erant unde Hieroſolyma ſemel anno veniri ſine nimio incommodo poſſet; putà qui erant in Syria, Cilicia, Cypro, Creta, Arabia.

Non erit ſuper eos imber] Quod per comparationem dicitur Oſeæ VI. 3. id hîc per μεταφορὰν [*Tranſlationem*], quæ curtata Comparatio eſt, demonſtratur. Nam per *imbrem* intelligitur Divinus favor: quia & imber vocari ſolet εὐλογία [*benedictio*].

18. *Quòd & ſi familia Ægypti non adſcenderit*] Repete ex ſuperiore, *familia terræ*, nempe Iudææ, *quæ in Ægypto.* Intelligit eos qui cum Onia in Ægyptum iverant, & ibi ſibi templum fecerant: de quibus Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ XIII. 6. & Belli Iudaïci VII. 37.

Nec ſuper eos erit] Nempe *Dei favor*, ἀπὸ κοινοῦ [*ex eo quod in commune dictum erat*]· verè, ut ex dictis Ioſephi locis cognoſci datur. Et prævideranr id Ægypti Rex Ptolemæus & Regina Cleopatra, qui ſiquid in hujus templi exædificatione eſſet contra Dei legem, Deóve ingratum, id non in ſe, ſed in Oniam ejúſque ſocios vertere voluerant. Id ex Epiſtola apparet quam adfert Ioſephus. Demetrius in Edicto conſtituit, ἵνα μηδὲ εἷς Ἰουδαῖος ἄλλο ἔχῃ ἱερὸν προσκυνεῖν ἢ μόνον τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις [*Nè quis Iudæus precandi cauſâ aliud Templum accederet quàm Hieroſolymis*].

Sed erit ruina] *Plaga*, ut ſuprà 15. eſt enim idem nomen in Hebræo.

Quia percutiet Dominus omnes gentes] Intellige Iudæos in gentibus diſperſos. Sic & Tribus vocari nomine *gentium* aut *populorum* oſtendimus jam aliquoties.

19. *Hoc erit peccatum Ægypti*] Iudæorum in Ægypto.

Et hoc peccatum omnium gentium] Iudæorum diſperſorum.

Quæ non adſcenderint ad celebrandam feſtivitatem Tabernaculorum] Saltem hanc, ſi alias celebrare non poſſint. Et intellige cum cautione quam ſuprà addidimus 16.

20. *In die illa erit quod ſuper frænum equi eſt ſanctum Domino*] Vox Hebræa מצלות ſignificat *tintinnabula*, quæ equis appenduntur. Et על eſt *cum*: id eſt, quod cohæret equi tintinnabulis Deo ſacrabitur, cinctus nempe equorum, qui ſolebat eſſe ex materia pretioſa, & ornatus gemmis. Vide Claudiani Epigrammata de cinctu tali. Hæc qui domum redibunt donaturos Templo dicit.

Et erunt lebetes in domo Domini quaſi phialæ coram altari] Ingens erat phialarum numerus, tum ad offerendam ſimilam & oleum, de quo uſu diximus ſuprà IX. 15. tum ad fundendum ſanguinem victimarum circa altare, & ad vinum ſuffitúſque: *lebetes* multò pauciores. Nunc tantam dicit fore copiam victimarum, ut quot olim *phialæ* fuere tot futuri ſint *lebetes*. Verum eſt: nam & Reges & Principes Orientis ferè omnes liberalitate in Templum certarunt. Antiochus Magnus ſolus XX mille nummos argenteos miſit in uſum victimarum Templi, olei, & thuris, teſte Ioſepho XII. 3. Demetrius parium nummûm ad victimas dedit CL millia annua, Ioſephus XIII. 5.

21. *Et erit omnis lebes in Ieruſalem & in Iuda ſanctificatus Domino exercituum, & venient omnes immolantes, & ſument ex eis, & coquent in eis*] Hîc bis deeſt *quaſi*. Senſus enim eſt, *quaſi ſanctificatus*, & *quaſi immolantes*: nimirum quia tanta futura erat advenarum liberalitas, ut præter victimas alia edulia apud ſe cocta miſſuri eſſent ad Sacerdotes & Levitas.

Et non erit mercator ultrà in domo Domini] Nempe qui vendant Sacerdotibus lebetes, phialas, vinum, oleum, thus, & ſimilia. Omnia enim iſta, inquit, ab advenis dono dabuntur pluſquam ſatis.

AD MALACHIAM.

NOmen hoc in Hebræo ſonat *Angelum*, addito Iod paragogico: & LXX, qui ut commune id nomen ſumſere, in principio libri vertunt, ἐν χειρὶ ἀγγέλου αὐτοῦ [*in manu Angeli ipſius*]. Atque iſto nomine *Angeli* citare ſolent hunc Prophetam Clemens Alexandrinus, Græcíque alii, interdum & Tertullianus. At Græci Interpretes, præter LXX, nominarunt *Malachiam*: atque ità Iuſtinus & Latini ferme omnes. Hebræi quidam hunc ſcriptorem Eſdram eſſe exiſtimant, ac *Angelum* dici, quia infrà Sacerdos Domini (qualis Eſdras fuit) vocetur *Angelus*. Sed Eſdras & *Sacerdos* & *Scriba* appellatur, nuſquam autem *Propheta*. Veriùs ergò *Malachiam* nomen proprium eſſe Prophetæ, qui σύγχρονος [*coævus*] Aggæi & Zachariæ, ſed poſt eos à Deo afflari cœperit. Quod non ordo tantùm indicat, quem poſt omnes Prophetas poſtremum ab antiquo obtinet, ſed & argumentum. multa enim corrigit quæ ſtructo jam Templo peccabantur.

CAPUT I.

1. AD *Iſraël*] Ad eos de omnibus tribubus qui in patriam redierant. Sic Zachar. XII. 11.

2. *Dilexi vos, dicit Dominus*] Nempe non tantùm ut homines, ſed & præ cæteris hominibus, præque aliis tum Abrahami, tum Iſaaci poſteris. Quare æquum erat (quod hîc ſubintelligitur) eximium amorem mihi rependi.

Et dixiſtis, in quo dilexiſti nos] *Quòd ſi dixeritis*: ità Chaldæus. *In quo dilexiſti nos*, id eſt, Quo argumento apparet amor ille tantus in nos?

Nónne frater erat Eſau Iacob?] Hîc *Eſau* & *Iacob*, ut alibi *Edom* & *Iſraël*, poſteritatem totam ſignificant ortam ab Eſavo, qui & *Edomus*, & à Iacobo, qui & *Iſraël.* Sic *David*, id eſt, poſteritas Davidis. *Nónne frater Eſau Iacobo?* ſupple, *eſt*: id eſt Nónne Idumæi & vos ortum trahitis ex Abrahamo, & Iſaaco? Eodem ſenſu Idumæus dicitur *frater Iſraëlis*, Deuteronomii XXIII. 7.

3. *Et dilexi Iacob, Eſau autem odio habui*] Id eſt, vobis benefacere volui, illis non item. Vtitur hoc etiam loco Paulus cap. IX. ad Romanos, ut oſtendat Deum cùm aliis peccata condonat, aliis non condonat, & cùm beneficia quædam eximia his confert, illis non confert, nulli in eo facere injuriam; neque ad rationes vocandum, quanquam ſuæ ipſi non deſint cauſæ, nobis ſæpe abſconditæ. Peccaverant gravia Iudæi non minùs quàm Idumæi: poterat jure utroſque Deus aut internecioni addicere, aut in ſummis relinquere malis. Poterat itidem pro ſummo ſuo arbitrio Idumæos in felicem ſtatum reponere, ſicut Iudæos repoſuit. Libuit illi aliter agere, propter Iacobum, & promiſſa ei facta. Eſt quòd gratias agat Iacob: non eſt quòd queratur Eſau. Hæc ut typos futurorum ad Synagogam & Eccleſiam refert Paulus. Synagoga prior nata eſt, Eccleſia longo pòſt tempore. Peccaverant gravia Hebræi; peccaverant graviora idololatræ in toto mundo, ex quibus maxima pars Eccleſiæ collecta. Iuſtitiam illam ſpiritualem, quæ æterna habet promiſſa, per fidem contulit Deus Eccleſiæ, & ſimul dona ſanationum, Prophetiæ, linguarum, & ejiciendi dæmonas: eiſque ſignis oſtendit peccata ipſis, quamvis gravia, remiſſa. Synagogæ per Legem talem juſtitiam non contulit, dona etiam abſtulit, eóque oſtendit peccata ipſorum retenta. Si quis adversùs hæc tam clara, tam manifeſta velit obloqui, opponetur ei jus Dei liberum, & in peccatis condonandis, quantumvis gravibus, & in beneficiis conferendis; de cujus juris uſu cauſas Deus reddere nemini tenetur:

——— οὐχ ὑπεύθυνος κρατεῖ.
[——— *Regnat ille nulli obnoxius.*]

& tamen habet cauſas, non quidem cur neceſſariò ità agat, ſed cauſas quæ ipſius ſapientiam bonitatémque deceant, & hominibus magìs magíſque ſanandis ſint aptiſſimæ. Verùm Paulus etiam aliud adfert, quod ad hunc Malachiæ locum non pertinet: *nempe nondum natorum infantium* diſcrimen factum, ut *major*, id eſt, ex majore ortus populus, aliquando *eſſet infra minorem.* Hîc quoque rerum majorum figuram Paulus obſervat. Synagoga major natu multùm infra Eccleſiam. Eccleſia dona illa poſſidet quæ Synagoga nunquam tanta habuit, & quæ habuit, amiſit. Vnde hoc? Ex decreto Dei antequam naſcerentur: illa ex Ægypto evocata, hæc è Mundo. Iudæi veteres iſto Geneſeos loco ad aliud utebantur; nempe ut oſtenderent quibuſdam virtutum quædam ſemina, ἀρετὰς φυσικὰς [*virtutes nativas*], ut Ariſtoteles loquitur, parari nondum natis; ut de ſe agnoſcit Ieremias. Ἐνίους ὁ Θεὸς καὶ πρὸ τῆς γενέσεως καλῶς διαπλάττει [*Quoſdam Deus etiam antequam naſcantur bene format*], ait Philo de Allegoriis: & mox adfert Iſaaci primùm nativitatem, deinde de Iacobo dicta. Et in libris de Caïno ait, *in duobus iſtis infantibus ſignificari* δύο φύσεις ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ [*duas naturas boni & mali*], *quorum hoc tempore, illud dignitate præcedit.* Idémque repetit libro De experrecto Noë, addens, *agnatam nobis ignorantiam, boni verò appetitum ſeriùs inſeri. Boni eſt ingenii*, ait, *mala contagia antevertere* καὶ πτερνίζειν [& ſupplantando evertere], *quod fecit Iacob; neque animo deficere ob ebullientes appetitus, ut fecit Eſau, ſed pultem iſtam coquere cum Iacobo;* quæ ſunt in dicto libro de Caïno: *recedere etiam ab improbis, nè per inſidias noceant*, quod habet idem Philo libro, Pejores Inſidiari Melioribus: *imperium deberi optimis: aliis pro bono eſſe ſi non teneant quâ malè uſuri ſint libertate*, quod eſt in libro ejuſdem Philonis de pietate. Qui & in libro de Præmiis & Pœnis *feritatis imaginem eſſe* ait *in Eſavo, humanitatis in Iacobo.* Hæc, quanquam ad Malachiæ intellectum non neceſſaria, argumento tamen connexa aliquatenus, adferenda huc cenſui, ut hoc ſpecimine intelligatur quales fuerint veterum Hebræorum in tractandis hiſtoriis ὑπόνοιαι [*ſenſus abſconditi*]. Quem morem ſequuntur Apoſtoli, & maximè Paulus, ſed ità ut omnia non ad imperfectam illam bonitatem quæ ſecundùm naturam, aut etiam ſecundùm Legem eſt, ſed ad illam Divinam quæ in Euangelio & præcipitur & monſtratur & datur, referant.

Et poſui montes ejus in ſolitudinem] Vaſtata enim Idumæa quinquennio poſt Iudæam. Vide Ieremiæ XLIX. 7. Lam. IV. 22. Ezech. XXV. 13. XXXV. 2.

Et hereditatem ejus in dracones deſerti] *Draconibus deſerti*, nempe expoſui. Simile loquendi genus Eſaïæ XXXIV. 13. Ieremiæ IX. 11. LI. 37. ſed quia hîc in Hebræo eſt תנות, quod alibi de *draconibus* non reperitur, LXX verterunt δώματα ἐρήμου [*domus deſerti*], Chaldæus *vaſtitatem deſerti.* In lingua Chaldæa תננא eſt *fumus*, interdum & *fætor.* Is ſenſus huic loco non malè convenit.

4. *Quòd ſi dixerit Idumæa, Deſtructi ſumus, ſed revertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt*] Quod & fecere, ut ex hiſtoriis liquet.

Hæc dicit Dominus exercituum, Iſti ædificabunt, & ego deſtruam] *Ego quæ ædificaverint deſtruam*, per Iudam Maccabæum primùm, deinde per Hyrcanum, ut alibi diximus.

Et vocabuntur termini impietatis] Vocabitur *impiorum patria*, eóque meritò deſolata.

5. *Et vos dicetis, Magnificetur Dominus ſuper terminum Iſraël*] *Super terminum Iſraëlis*, nempe *prolatum* in Idumæam uſque. Ità Chaldæus optimè.

6. *Filius honorat patrem, & ſervus Dominum ſuum, ſi ergò Pater ego ſum, ubi eſt honor meus? & ſi Dominus ego ſum, ubi eſt timor meus?*] Bene cohæret cum ſuperioribus. Non *Dominus* tantùm veſter ſum, communi jure creationis, ſed & *Pater*, ob illa beneficia minimè cum cæteris communia. Vt *Domino metum* debetis; ut *Patri*, *honorem* & amorem.

Ad vos, ô Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum] Qui primi ad me honorandum eſſe debueratis, in id electi, in id conſtituti, primi eſtis ad me deſpiciendum: ἰχθὺς ἀπὸ κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται [*Piſcis à capite incipit malè olêre*].

Et dixiſtis, In quo deſpeximus nomen tuum?] *Si dicatis*, ut ſuprà 2.

7. *Offertis ſuper altare meum panem pollutum*] לחם hîc ſunt non panes προθέσεως [*propoſitionis*], qui in uſus Sacerdotis cedebant, ſed μαναὰ [*libum ex ſimila*], *oblatio* ſcilicet illa quæ cum jugi ſacrificio bis de die fiebat, Exodi XXIX. 38. 40. & Numerorum XXVIII. 24. quo in loco hoc ipſum vocatur לחם *cibus Dei*. *Pollutum* intellige, quod non erat tale quale Lege præcipiebatur, putà ex tritico non purgato, aut ſine oleo.

Et dicitis, In quo polluimus te?] *Et ſi dicatis, In quo polluimus te?* id eſt, deſpicatui habemus. Subintellige, *reſponſum præſtò eſt*.

In eo quòd dicitis, Menſa Domini deſpecta eſt] Prætexitis avaritiæ veſtræ, quòd *menſa Domini* (id eſt, altare: ſicut quod offertur in eo eſt *cibus Domini*, ut jam diximus) à plebe *deſpiciatur*, id eſt, quòd non multum ad eam afferatur ſimilæ & olei; ideóque detrahitis aliquid eorum quæ Lege juſſa ſunt. Fiebat hoc improbè admodum, cùm reditus quos habebant ex victimis & Regum liberalitatibus (de quibus vide Eſdræ VI. 9. 10.) ad illas impenſas quotidianas facilè ſufficerent.

8. *Si offeratis cæcum ad immolandum*] In Hebræo: *Præterea ſi offeratis cæcum, pecus* ſcilicet. Eſt enim hæc altera accuſatio. Lege vetatur offerri victima vitium habens: inter vitia cæcitas exprimitur Levitici XXII. 22.

Et ſi offeratis claudum] Vetitum & hoc Deuteronomii XV. 21.

Et languidum] חלה, id eſt, *morbidum*, quod hîc ἄῤῥωστον [*infirmum*], alibi νοσερὸν [*morbidum*] vertitur. Ejus ſpecies enumerantur Levit. XXII. 22. & ſequentibus.

Offer illud Duci tuo] *Mitte tale quid pro munere Ethnarchæ*. Mox vide quomodo id ſit interpretaturus.

Si placuerit ei] Eſt ἔλλειψις [*defectus vocum*], pro vide *an ſit ipſi placiturum*.

Aut ſi ſuſceperit faciem tuam] An ei gratus ſit futurus tuus adventus tali cum munere.

9. *Et nunc deprecamini vultum Dei*] Coram Deo orate.

Vt miſereatur veſtrî] Vt condonet contra Legem admiſſa.

De manu enim veſtra factum eſt hoc] Feciſtis enim quæ dixi: voſmetipſi negare non poteſtis.

Si quomodo ſuſcipiat facies veſtras] Non deſperare jubet; ſed oſtendit veniam eſſe difficilem tam aperti ac diuturni contemtûs legum Divinarum. Similis locutio Actor. VIII. 22. & alibi.

10. *Quis eſt in vobis qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò?*] *Quis veſtrûm qui claudat oſtia gratìs? imò nè altare quidem meum accenditis gratìs*. Senſus eſt, Omnia illa quæ avaritiæ veſtræ prætenditis inania ſunt. Ità bene Lex proſpexit non Sacerdotibus ſed & Popis & Ianitoribus, ut abunde mercedem habeant operæ. Græca hîc obſcuriora ſunt, quæ et in noſtris codicibus habemus citat Chryſoſtomus ſermone CHRISTVM ESSE DEVM.

Non eſt mihi voluntas in vobis] Non amo homines quæſtui tantùm ſuo intentos, quales vos eſtis, & unde maxima vobis mala naſcentur.

Et munus non ſuſcipiam de manu veſtra] *Gratum non habebo*, ut hîc Chaldæus.

11. *Ab ortu enim Solis uſque ad Occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus*] In Hebræo non legitur *eſt*: ſupplebitur ἔλλειψις [*defectus vocis*] rectiùs per *erit*. Objici poterat: Si noſtræ oblationes gratæ tibi non ſunt, nullas habebis. Reſpondet Deus, Aliud ſe cogitare, ut ſcilicet ab omnibus gentibus colatur, non operosè, ſed mundo animo. Hoc eſt conſilium quod per Chriſtum ejúſque Legatos plenè exſecutus eſt Deus. Omnis autem diſperſio Iudæorum inter Gentes, illuſtris in patriam reditus, linguæ Chaldaïcæ, Perſicæ, Græcæ, Romanæ apud Iudæos cognitio, diſcordes Magiſtrorum ſectæ, rituum curæ in anilem ſuperſtitionem, fœdos quæſtus & veræ emendationis neglectum verſæ, viam huic rei ſtravere.

Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda] Hîc etiam *quaſi* intelligendum, ut Zachar. XIV. 21. Supplevit hunc defectum hoc loco etiam Chaldæus. Cætera quoque ſic vertas optimè: *in omni loco offeretur nomini meo quaſi ſuffitus & μαναὰ pura*. *Quaſi ſuffitus* ſunt piæ preces, Apocalyp. V. 8. μαναὰ [*libum ex ſimila*] verò ſunt oblationes fidelium, ex quibus & Euchariſtia fiebat, & alebantur pauperes.

Quia magnum eſt nomen meum in Gentibus] Iterum *erit*. *In gentibus* omnibus, non in Iudæa, aut inter Iudæos tantùm.

12. *Et vos polluiſtis illud*] *At vos polluitis illud* quotidie.

In eo quòd dicitis, Menſa Domini contaminata eſt] Idem ſignificat quod ſuprà 7. *deſpecta eſt*. Sic & ſuprà 7. *In quo polluimus te?* idem eſt quod paulò antè 6. *In quo deſpeximus nomen tuum?*

Et quod ſuperponitur contemtibile eſt, cum igne qui illud devorat] *Et reditus ejus vilis*, nempe *eſca ejus*. Reditus quem habemus ex altari nullius eſt pretii, quia quantum datur id totum cedit igni: nihil nobis reſtat. Ità homines ſunt πρὸς τὰ θεῖα μικρολογούμενοι [*ad res divinas præparci*], ut dicebat Alexander.

13. *Et dixiſtis*] *Quòd ſi dicatis*. Ità Chaldæus.

Ecce de labore] Ecce victimæ, quas mactamus Deo, non ſunt à plebe donatæ nobis, ſed comparatæ ex pretio *laboris* noſtri, id eſt, ex Decimis.

Et exſufflatis illud] והפחתם. At LXX legerunt והפחתים, καὶ ἐξεφύσησα αὐτά [*& exſufflavi iſta*]: ità enim eſt in editione Sixtina omnium emendatiſſima, optimo ſenſu: *at ego iſta* (ſacrificia) *exſufflo*, id eſt, non curo. Eſt idem verbum tum in Hebræo tum in Græco eodem ſenſu Aggæi I. 9.

Et intuliſtis de rapinis] *Raptum infertis* in Templum, id eſt, θηριάλωτον [*raptum à feris*], quod nec edere licebat, multò minùs offerre, Exodi XXII. 31.

14. *Maledictus doloſus*] Sicut Sacerdotes reprehenderat qui in jugi ſacro non proba offerebant, ità nunc & voti reos reprehendit qui victimis morbidis aut vitioſis defungebantur. Lex contrà jubebat ut & victima eſſet *maſcula*, & *ſine vitio morbóque*, Levitici XXII. 19. 20.

Et votum faciens] *Et voto facto*.

Immolat debile] *Corruptum*, id eſt, morbidum, aut vitioſum, aut femininum.

Et nomen meum horribile in gentibus] *Etiam inter Gentes.*

CAPVT II.

2. *ET ſi nolueritis ponere ſuper cor*] Animum advertere monitis.

Vt detis gloriam nomini meo] Vt debito honore me afficiatis.

Mittam in vos egeſtatem] Bene explicavit μετωνυμίαν [*Tranſnominationem*] · in Hebræo enim eſt *exſecrationem.*

Et maledicam benedictionibus veſtris] Sacerdotum erat bene precari populo. At Deus dicit ſe effecturum ut hæ fauſtæ preces dirarum eventum habeant. Ità Chaldæus.

3. *Ecce ego projiciam vobis brachium*] Legit ut Græci זרע cum Holem ante Ajin. Noſtri libri habent cum Patach ante Ajin, זרע, id eſt, *ſemen.* Sed ſenſus Græcus eſt optimus. Sacerdotibus ex Lege cedebat *armus* victimæ & *ventriculus*, Levit. VII. 32. Deuteron. XVIII. 3. *Projiciam*, nempe *in facies veſtras*, ut ſequitur. Hoc ſolent facere qui importuno flagitatori aliquid indignabundi concedunt, quaſi dicentes, *En habe quod vis.*

Et diſpergam ſuper vultum veſtrum ſtercus] Potuit dicere *ventriculum*, ſed maluit ignominioſiùs dicere *ſtercus*, quod adhæreſcere ventriculo ſolet.

Solemnitatum veſtrarum] *Victimarum veſtrarum:* nam חגים vocantur non tantùm *feſti dies*, ſed & *victimæ* ipſæ, Pſalm. CXVIII. 27. Eſaï. XXIX. 1.

Et aſſumet vos ſecum] Id eſt, ut tamquam fœtidi ejiciamini è Templo per Antiochi milites.

4. *Et ſcietis quia miſi ad vos mandatum iſtud*] *Scitote miſiſſe me hoc mandatum ad vos*, per Prophetam meum.

Vt eſſet pactum meum cum Levi] *Quia pactum meum eſt cum Levi.* Ex pacto vos convenio, non illo tantùm communi quod cum Populo feci, ſed proprio ac peculiari, quod cum Sacerdotibus ac Levitis, Numer. VIII. 14. XVIII. 19.

5. *Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis*] Cum Phinea & ei ſucceſſuris in Sacerdotium, Numerorum XXV. 13. nam ſermo hic peculiariter ad Sacerdotes dirigitur. Omnia ipſis felicia promiſi, ſi imperata facerent.

Et dedi ei timorem] Id eſt, Legem ſacerdotalem: ex cujus præſcripto me *timeret*, id eſt, coleret.

Et timuit me] Præſtitit officium Phinees, & multi poſt eum.

Et à facie nominis mei pavebat] Magna cum religione accedebant ad ſacra.

6. *Lex veritatis fuit in ore ejus*] Docebant populum Legi congruentia.

Et iniquitas non eſt inventa in labiis ejus] Nihil ad ſuum quæſtum comminiſcebantur.

In pace & æquitate ambulavit mecum] In Hebræo, *In pace & rectitudine:* id eſt, amicitiam meam retinuit, recta agendo.

Et multos avertit ab iniquitate] Piis monitis.

7. *Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam ejus*] *Cuſtodiebant. Sacerdotis*, id eſt, ſummi Sacerdotis, qui Phineæ ſucceſſerat.

Et legem requirent ex ore ejus] Requirebant Hebræi ab ipſo ſenſum Legis. Levitici X. 10. Ezechielis XLIV. 23.

Quia Angelus Domini exercituum eſt] *Erat.* Angeli preces hominum ad Deum, Dei mandata ad homines deferunt. Idem faciebat in Lege ſummus Sacerdos, qui ſemel anno expiationem faciebat populi, Levit. XVI. 1. & qui in controverſiis de Legis ſenſu ortis conſulebatur, Deuteron. XVII. 9. Ejus locum implet in Chriſtiana Eccleſia Epiſcopus, *Angelus* ob id ipſum dictus in Apocalypſi. Diodorus Siculus de Iudæis apud Photium, Ἀρχιερέα τοῦτον προσαγορεύουσι, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων [*ſummum Sacerdotem eum vocant, & exiſtimant eum eſſe Angelum ſive nuntium juſſorum Dei*].

8. *Vos autem receßiſtis de via*] Ab inſtitutis majorum deflectitis.

Et ſcandalizaſtis plurimos in Lege] Cauſa fuiſtis, cur multi impingerent, recipiendo homines alienigenas in interiora Templi, profanando Sabbatum, Nehem. XIII. 4. 5. 6. 7. 15. & ſequentibus.

Irritum feciſtis pactum Levi] Non implendo promiſſa, me quoque liberaſtis ab iis quæ Levitis, ac nominatim Phineæ eiúſque ſucceſſoribus, promiſeram. Vide Zachar. XI. 10.

9. *Propter quod & ego dedi vos contemtibiles, & humiles omnibus populis*] *Faciam vos viles & obnoxios omnibus populis.* Externis illis, qui cum Antiocho, eritis prædæ ac deſpicatui.

Et accepiſtis faciem in Lege] In Iudiciis, quæ ſecundùm Legem exercere debebatis, locum dediſtis gratiæ, & ad potentium vota aptaſtis ſententias. Faviſtis feneratoribus.

10. *Numquid non pater unus omnium noſtrûm?*] Nónne omnes à Iacobo orti ſumus, ac proinde in libertate pares ſumus?

Numquid non Deus unus creavit nos?] Formavit nos in populum, educendo patres noſtros ex Ægypto? Sic vox ברא [*creavit*] ſumitur Eſaïæ XLIII. 1. XLV. 8. 9. Pſalmo CII. 19.

Quare ergò deſpicit unuſquiſque noſtrûm fratrem ſuum] Opprimitis pauperes fenore? Tangitur hiſtoria quæ eſt apud Nehemiam V. 3. 4. & ſequentibus.

Violans pactum patrum noſtrorum] Legem quæ uſuras à popularibus vetat accipi, Exodi XXII. 25. Levit. XXV. 36. 37. Deuteron. XXIII. 19. 20.

11. *Tranſgreſſus eſt Iuda*] Tribus Iudæ domum reverſa.

Et abominatio facta eſt in Iſraël] In Benjamine & iis qui ex aliis tribubus ad Iudam acceſſerant.

Et in Ieruſalem] Etiam in urbe primaria, in conſpectu Templi.

Quia contaminavit Iudas ſanctificationem Domini] Cujus pars non exigua in hoc poſita erat, nè Iudæi cum idolorum cultoribus matrimonia copularent. Nam quod Lex conſtituerat adversùs feminas ex ſeptem populis à Deo devotis, Deuteron. VII. 3. id juſta interpretatio ad alias feminas idolis adhærentes protulerat.

Et habuit filiam dei alieni] Id eſt, cultricem. Nam ſicut dii à ſuis *patres* dicuntur, Ierem. II. 27. ità qui eos colunt, *filii. Habuit,* בעל, id eſt, in matrimonio habuit. Tangitur hiſtoria quæ eſt Eſdræ IX. & X. Nehemiæ XIII. 23.

12. *Diſperdet Dominus virum qui fecerit hoc*] Nempe de *tabernaculis Iacob*, id eſt, extorrem faciet, Eſdræ X. 8.

Magiſtrum] Id eſt, Sacerdotes, qui tam malo exemplo præibant aliis. Nehem. XIII. 28. In Hebræo, *vigilantem*: nam magiſtrorum eſt vigilare pro diſcipulis.

Et diſcipulum] Plebem. In Hebræo, *Reſpondentem*: nam ad interrogata magiſtrorum reſpondebant diſcipuli, Lucæ II. 47.

Et offerentem munus Domino exercituum] Id eſt, Quamvis munera magna offerat, nihil hoc ei proderit.

13. *Et hoc rurſum feciſtis, operiebatis lacrymis altare Domini, fletu & mugitu*] *Ampliùs etiam facitis: nam altare Domini oppletis lacrymis, fletúque & clamore*, nempe feminarum Iudæarum, quas in gratiam illarum extranearum tractatis quaſi mancipia, duris operibus eas prementes, fraudantes juſto victu, veſtitu, concubitu: Quæ tam malè tractatæ cum ploratu ac planctu advolvuntur altari. Vide de hoc more 1 Samuelis I. 10.

Vt non reſpiciam ultrà ad ſacrificium, nec accipiam placabile quid de manu veſtra] In Hebræo: *Vt jam ultrà non reſpiciam* μαναὰ (liba iſta è ſimila, Levit. II.), *neque acceptam habeam voluntatem* (id eſt, voluntarium ſacrificium, de quo Levit. VII. 16.) *de manibus veſtris*: quaſi dicat Deus, Iſtæ lacrymæ, iſti gemitus ità me turbant ut læto animo veſtra dona victimáſque accipere nequeam.

14. *Et dixiſtis, Quam ob cauſam?*] *Si dixeritis, Quam ob cauſam* non potes grata habere dona noſtra?

Quia Dominus teſtificatus eſt inter te & uxorem pubertatis tuæ] Videt quæ agatis εἰς κουριδίην ἄλοχον [*in uxorem ductam puellari ætate*]. Amaſtis puellas; flore ætatis decerpto eas proculcatis.

Et hæc particeps tua] Particeps ſacrorum.

Et uxor fœderis tui] In eodem Dei fœdere eſt in quo tu.

15. *Nónne unus fecit, & reſiduum ſpiritûs ejus eſt?*] *An unus ille* (Abrahamus) *ità egit, cujus de ſpiritu reſiduum nos ſumus?* ל hîc nota eſt genitivi. Nos de ſpiritu illius ſpiritum trahimus, ſecundùm ſententiam ſcilicet eorum qui cum ſemine animam derivari putant: quæ & veterum Chriſtianorum non paucis placuit. *Vnus* dicitur Abraham etiam Eſaïæ LI. 2. principium ſcilicet generis.

Et quid unus quærit niſi ſemen Dei?] *Et quid ille unus fecit?* Erat *quærens ſemen Dei.* Hoc unicè agebat ut liberos haberet qui Deum colerent; vos autem eas præfertis matres quæ filios ad idola deducant: quantum abeſtis ab Abrahamo? *Semen Dei*, ut modò *filia deorum.*

Cuſtodite ergò ſpiritum veſtrum] Iram cohibete. Nam *ſpiritus* eſt θυμός, Iob. XV. 13. Proverb. XVIII. 14. XXIX. 11. Ezechiel. XXXIX. 29. Zachar. VI. 8. ὀργή, Proverb. XVI. 32. Eſaïæ. LIX. 19.

16. *Cùm odio habueris, dimitte*] *Si oderis, dimitte,* potiùs quàm ità vexes. Hoc Lex permittit Deuteronomii XXIV. 1. ſævitiam prohibet. Non poterant autem mulieres Hebrææ à maritis diſcedere niſi maritorum permiſſu.

Operiet autem iniquitas veſtimentum ejus] Chaldæus vertit, *& nè operias peccatum veſtimento tuo:* legit nimirum cum interrogatione, *Operiátne* (aliquis hoc faciens) *iniquitatem veſtimento ſuo?* id eſt, adhúcne tam apertæ injuſtitiæ velamenta aliquis quærat? Hoc eſt quod modò *prætextum* modò *obtentum* dicunt Latini, Græci πρόφασιν.

Cuſtodite ſpiritum veſtrum] Repetit; ut valde neceſſarium, quod dixerat 15.

Et nolite deſpicere] Vxorem conjunctam religione & fœdere, ut ſuprà.

17. *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris*] Præteritum pro futuro, more Hebræo. *Moleſtiam exhibebitis Deo verbis veſtris:* prævideo futurum ut id fiat ità.

Et dixiſtis] *Et ſi dicatis.*

In quo eum fecimus laborare?] *Quâ re moleſti ei ſumus?* Ità Chaldæus.

In eo quod dicitis, Omnis qui facit malum bonus eſt in conſpectu Domini, & tales ei placent: aut certè ubi eſt Deus judicii?] *Dicetis*, id eſt, cogitabitis *Deum malis favere*, cùm homines ſceleratos permittit ad principatum ac ſacerdotia provehi: quaſi dicerent, *In quo Deus oſtendit ſe hoc tempore hominum eſſe Iudicem & Arbitrum?* Hoc ideo dicturi erant homines impii quia per annos propè quingentos ceſſatura erant miracula & Prophetiæ, ut diximus ad Zachar. XIII. 2. Ea res non Sadducæiſmo tantùm occaſionem dedit, ſed & impietati, quæ Antiochi temporibus maximè apparuit. Sed *non eſt noſtrum noſſe tempora & occaſiones* talia faciendi, *quæ Deus in theſauris* ſapientiæ ſuæ *cuſtodit. Habebant Moſem* tot miraculis clarum, *habebant Prophetas* veteres: *iis crederent*, donec novam lucem Deus alluceret.

CAPVT III.

1. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam*] Hoc eſt quod dicit, Explorabo vos etiam atque etiam: neque ullum Prophetam vobis dabo ante eum qui anteambulo erit Meſſiæ. *Ante faciem meam* dicit, quia in Meſſia vivit Deus multò pleniùs ac perfectiùs quàm in ullo Prophetarum: διὰ τὴν ἕνωσιν τὴν ὑποστατικήν, ἀχώριστον, ἀδιάλειπτον [*propter unionem hypoſtaticam, inſeparabilem, nunquam intermiſſam*].

Et ſtatim] Vbi ille venerit.

Veniet ad Templum ſuum] In hoc *Templum* ſecundum, quod ad excidium uſque Veſpaſiani armis factum ſemper *Templum ſecundum* בית שני Iudæi vocant. In id Templum venire debuiſſe Meſſiam ante natum Dominum Ieſum firmâ fide omnes Iudæi tenuere; & idem jam apertiſſimè dixerat Aggæus II. 8.

Dominator quem vos quæritis] Ille promiſſus Siloh, qui vobis maxima bona etiam in ſtatu publico allaturus eſt ſi ei pareatis, & veſtrorum bonorum etiam gentes exteras (de quibus dictum ſuprà I. 11.) faciet participes; *Dominator* Davidis ex ſtirpe, Rex myſticus populi Dei, qui reipſa oſtendet ſe *Regem Regum & Dominum dominantium.*

Et Angelus teſtamenti quem vos vultis] Legatus ille magnus; qui non quavis de re mittetur, ſed ad pangendum Fœdus Novum, melius Vetere, cum Iudæis & Gentibus. De Meſſia hæc accipienda conſenſit Kimchi.

Ecce venit, dicit Dominus exercituum] Veniet haud dubiè ſtante hoc Templo: exſpectate eum.

2. *Et quis poterit cogitare diem adventûs ejus?*] *Quis ferre poterit tempus adventûs ipſius?* Ità Chaldæus: & LXX, τίς ὑπομενεῖ. Quare hoc? Quia crucem perferet ipſe ut ad Regnum veniat, eandémque viam ſuis monſtrabit. *Adventus Chriſti*, cùm de Iudæis agitur, eſt à Prædicatione ejus ad excidium Vrbis.

Et quis ſtabit ad videndum eum?] *Quis conſiſtet ubi ille apparebit?* Ità Chaldæus. Idem quod præceſſit.

Ipſe enim quaſi ignis conflans] Hoc eſt quod ipſe Chriſtus Lucæ XII. 49. dicit, veniſſe ſe ignem mittere in terram, ignem nempe exploratorium, ut ſequentia apud Lucam indicant. Vide quæ ſuprà Zachariæ XIII. 9.

Quaſi herba fullonum] In Hebræo, ברית. Ea in Palæſtinæ locis virentibus & humectis naſcitur, & ad ſanandas ſordes eandem vim habet quam & nitrum. Ità nos docet qui in illis locis vixit Hieronymus ad Ieremiæ II. 22.

3. *Et ſedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Levi*] Eſt hîc, ut ſæpe, ו pro *ut*, quod & Chaldæus vidit; *Sicut conflator ſedet ad mundandum argentum* (vide hujus rei ὑποτύπωσιν [*Deſcriptionem*] Ezechielis XXII. 18.), *ità purgabit filios Levi.* Nam multi de familia Sacerdotum poſt Reſurrectionem Chriſto ſe addixere, Actorum VI. 7.

Et colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum] Purgabit eos, abjectis ſcoriis, de quibus conqueritur, Matthæi XV. 9. XXIII. 23. 28. & Lucæ X. 31. ubi nominatim tanguntur Sacerdotes.

Et erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia] *Vt Domino offerant ſacrificia juſta*, id eſt, pio animo, ſicut fecit Zacharias.

4. *Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Ieruſalem*] In Hebræo, מנחה, *μαναὰ*, id eſt, *donum*. Sumitur enim ea vox modò pro genere, modò pro ſpecie. Tali animo data dona probabit, etiamſi pretii ſint exigui, ut Luc. II. 24. Matth. VIII. 4. X. 42. Actorum XXI. 26.

Sicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui] *Sicut diebus olim exactis, id eſt, annis veteribus*: ſicut temporibus Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Samuelis, Davidis, Eliæ.

5. *Et accedam ad vos in judicio, & ero teſtis velox maleficis & adulteris, & perjuris, & qui calumniantur mercedem mercenarii, viduas & pupillos, & opprimunt peregrinum, nec timuerunt me*] Reſpondet ſeriò Deus iſti dicto ſuprà II. 17. *Vbi eſt Deus judicii? Veniam*, inquit, *ad vos, & ero teſtis* (Deus enim ſolus eſt & Teſtis & Iudex) *properè contra maleficos* (φαρμακοὺς [*veneficos*], ſive φαρμακείας, Apoc. XXI. 8. XXII. 51. crimen φαρμακεία [*veneficium*], Gal. V. 20. Apoc. IX. 21. XVIII. 23.) *& adulteros* (de quibus vide Lucæ XVIII. 11. 1 Cor. VI. 9. Hebr. XIII. 4. Matth. XV. 19. Marc. VII. 21. Gal. V. 19. Roman. II. 22.), *& perjuros* (de quibus agitur Rom. I. 31.), *& qui ſubtrahunt mercedem mercenario* (hi comprehenduntur nomine ἁρπάγων [*raptorum*], Luc. XVIII. 11. 1 Cor. V. 10. 11. VI. 10.), *& qui viduam, pupillum & peregrinum opprimunt* (hi ſunt ἀνελεήμονας [*immiſericordes*], Rom. I. 31.), *& qui me non timent*, qui ἀσεβεῖς [*impii*] paſſim in Novo Teſtamento. *Velox* autem illud *judicium* fuit interitus ſceleratorum hominum ſimul cum Vrbe, in quo interitu & Mundi interitus & Iudicium illud æternum figurabantur. Nimirum omnes iſti per Chriſtum & Apoſtolos non correcti ἐθησαύριζον ἑαυτοῖς ὀργὴν εἰς ἡμέραν ὀργῆς [*theſaurizant ſibi iram in die iræ*], Romanorum II. 5.

6. *Ego enim Dominus, & non mutor*] Inexorabilis ſum pertinaciter pravis.

Et vos, filii Iacob] Vos pii inter Iudæos.

Non eſtis conſumti] *Non conſumemini.* Dabo vobis exitum ex Vrbe. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV. 16. 22. 23. Sicut Nabuchodonoſori tempore exemti ſunt communi exitio qui *notati erant* (ut Ezechiel ἀλληγορεῖ [*tectâ locutione loquitur*]) *literâ Thau*: ità Veſpaſiani tempore qui crucem gerebant in animo. Loquendi genus ſimile vide Lament. III. 22.

7. *A diebus enim patrum veſtrorum receſſiſtis à legitimis meis, & non cuſtodiſtis*] Non eſt *enim* in Hebræo. Sermo omiſſis piis ad impios revertitur: quaſi dicat, Ità vivitis ſicut vixiſtis cùm deportationem eſtis commeriti; & paria rurſum commereri vultis.

Revertimini ad me] Per pœnitentiam, & emendationem vitæ.

Et revertar ad vos] Per veſtrî curam.

Et dixiſtis, In quo revertemur?] Si quæritis quid opus ſit corrigi in vobis, dicam.

8. *Si affiget homo Deum: quia vos configitis me*] *An quiſquam ſpoliet* (id eſt, ſpoliare auſit) *Iudices ſuos, ut vos me ſpoliaſtis?* קבע eſt *ſpoliare*, Proverb. XXII. 23. קבען *ſpoliator* Chaldæis. אלהים pro *judicibus* etiam Chaldæus hîc accepit.

Et dixiſtis, In quo configimus te?] *Si dixeritis, In quo ſpoliamus te?* dicam:

In decimis & in primitiis] Quod hîc vertitur *primitiæ*, תרומה eſt in Hebræo, Græcis ἀφαίρεμα. Erat pars non minor ſexageſimâ de frumento, muſto, oleo: quæ pars dabatur Sacerdotibus, Deuteron. XVIII. 4. Hæ quidem obventiones erant Sacerdotum, ut & decimæ decimarum Leviticarum. At Sacerdotes cùm deberent ex illis obventionibus jugia ſacrificia facere, id non faciebant, aut faciebant perfunctoriè, ut videmus I. 4. Præterea decimas omnes ad ſe trahebant, neque patiebantur earum partes novem ad Levitas deferri, Nehem. XIII. 10. Quod Sacerdotes etiam feciſſe ante excidium Veſpaſianeum docet nos Ioſephus. Duobus ergò modis Deus ſpoliabatur ſuo jure, tum quòd non præſtabantur ipſi, quarum rerum cauſâ inſtitutæ erant obventiones; tum quòd Levitæ fame diffugerent, & ſic eorum miniſterio Deus deſtitueretur, ut dicto Nehemiæ loco videre eſt.

9. *Et in penuria vos maledicti eſtis*] In Hebræo, *Maledictione maledicti vos eritis.* Magna vos mala hinc ſequentur.

Et me vos configitis gens tota] *Spoliatis*, ut modò. *Gens tota*, quia cùm plebs videret Levitas non ali, abſtinebat adferre decimas.

10. *Inferte omnem decimam in horreum*] *In horrea:* nempe ſub fidis cuſtodibus qui Sacerdotibus & Levitis ſuas partes erogent. Hoc Prophetæ monitum ſecutus eſt Nehemias XIII. 12. 13.

Et ſit cibus in domo mea] טרף *rapinam* propriè ſignificat. Ità hîc vocatur id quod altare abripit de victimis. Illi Præfecti apothecæ curent ut de obventionibus illis ſit quod detur in altare ſecundùm Legem. Vide ſuprà I. 12. 13. 14.

Probate me ſuper hoc] *Periculum de me facite.*

Si non aperuero vobis cataractas cœli] An non largum daturus ſim imbrem, I Reg. VII. 19.

Et effudero vobis benedictionem uſque ad abundantiam] Hoc ideo dicit quia jam eſuriri cœperat, Nehemiæ V.

11. *Et increpabo pro vobis devorantem*] Locuſtam, & animalia alia nocentia frugibus. *Pro vobis*, id eſt, veſtro bono.

12. *Eritis enim vos terra deſiderabilis*] *Terræ* & *gentis* nomina inter ſe permiſcentur συνεκδοχικῶς [*per Complexionem*].

13. *Invaluerunt ſuper me verba veſtra*] Obtundistis me.

14. *Et dixiſtis*] *Et ſi dicatis :* ut ſuprà aliquoties.

Dixiſtis] *In animis* veſtris, ut *inſipiens* ille in Pſalmo XIV. I. Vide & Pſalm. LXXIII. Fuit præclarus ſanè ſtatus Iudaïcæ Reipublicæ Zorobabelis temporibus, ſed Deo corda inſpicienti apparebant ſemina quædam ejus impietatis quæ poſteriore ætate vi magnâ erupit. Vide ſuprà I. 14.

Et quia ambulavimus triſtes coram Domino] קדרנית ſignificat *vultu mæſto.* Ità ſumitur verbum unde hæc vox derivata eſt Pſalmo XXXVIII. 6. XLII. 10. XLIII. 2. ubi Græci σκυθρωπάζων [*mæſtus vultu*], hoc loco ἐπορεύθημεν ἱκέται [*ivimus ſupplices*], Chaldæus *in depreſſione ſpiritûs.* Eſt deſcriptio habitûs jejunantium. Vide Matth. VI. 16.

15. *Ergò nunc beatos dicimus arrogantes*] Id eſt, eos qui contumaciter leges Dei contemnunt : *impios* hîc Chaldæus.

Ædificati ſunt] *Florent ſobole.* Ità בנה [*ædificare*] ſumitur Geneſeos XVI. 2. & XXX. 3. ubi Græci τεκνοποιεῖν [*liberos quærere*].

Et tentaverunt Deum] *Irritarunt.* Eſt idem verbum Pſalm. XCV. 9. LXX hîc ἀντέστησαν τῷ Θεῷ [*obſtiterunt Deo*].

Et ſalvi facti ſunt] Evaſerunt pericula.

16. *Tunc locuti ſunt timentes Dominum unuſquiſque cum proximo ſuo*] *At verò pii alter alterum ſic alloquentur.* Impii clàm, pii palàm.

Et ſcriptus eſt liber monumenti coram eo] *Liber memoriæ*, in Hebræo. Solent Reges eorum qui ipſis commendantur indiculum facere, ut eorum curam habeant ſingularem, & ut, ſi qui honores vacent, illos provehant. Indè ſumta ſimilitudo : non diſpar tranſlatio Daniel. VII. 10. Græci dicunt, ἐγράφη ἐν Διὸς δέλτοις [*ſcriptum eſt in Iovis tabulis*].

17. *Et erunt mihi, ait Dominus exercituum, in die quâ ego facio, in peculium*] *Cùm ego faciam*, nempe prodire iſta, de quibus ſuprà, *erunt mihi ut res ſepòſitæ* tanquam lapides pretioſi, qui diligenter adſervari ſolent : Ità enim סגל ſumunt Hebræi, quod LXX hîc vertunt εἰς περιποίησιν [*in acquiſitionem raram*]. Aquila, ut & LXX alibi, περιούσιον [*quod extra facultates habetur*].

Et parcam eis ſicut vir parcit filio ſervienti ſibi] Quem amat & ut filium, & ut obſequentem.

18. *Et convertemini*] *Sed convertimini*, ſupple, *vos alii* : nam ad impios ſermo convertitur.

Et videbitis quid ſit inter juſtum & impium] Videlicet in tempore Iudicii, quantùm diverſa ſit ſors pii & impii.

CAPVT IV.

1. *Ecce enim dies veniet*] Dies judicii ultimi in Iudæos, & imago judicii ultimi in humanum genus.

Succenſa quaſi caminus] *Ardens velut furnus.* Ità Chaldæus. LXX, ὡς κλίβανος [*ut clibanus*]. Parùm intereſt inter *clibanum* & *furnum.* Vide quæ ad Matthæi VI. 30. Reſpicitur incendium Templi & Vrbis.

Et erunt omnes ſuperbi] De quibus ſuprà 15.

Stipula: & inflammabit eos dies veniens] Peribunt in iſtis calamitatibus.

Quæ non derelinquet eis radicem & germen] Nè liberos quidem habebunt ſuperſtites, quorum causâ tot injuſta facinora fecerunt.

2. *Et orietur vobis timentibus nomen meum Sol juſtitiæ*] Spiritus ſanctus, ille quem Chriſtus in ſe credentibus impetrabit, lucebit in corde veſtro. Vide Epheſiorum V. 14.

Et ſanitas in pennis ejus] Id eſt, radiis. Radii ejus ſanitatem ſummam animo adferent.

Et egrediemini] Deus vos velut manu educet ex urbe ruitura. Vide quæ ſuprà III. 6.

Et ſalietis ſicut vituli de armento] Læti pace conſcientiæ, & ſimilem olim liberationem in communi Iudicio præſumentes animo : Act. VIII. 8. XIII. 52. XV. 3. XX. 24. Roman. V. 3. XIV. 17. Gal. V. 22. Philipp. I. 4. Coloſſ. I. 11. I Theſſalon. I. 6. I Petri I. 8.

3. *Et calcabitis impios, cùm fuerint cinis ſub planta pedum veſtrorum*] Si quando redibitis Hieroſolyma, ibi *calcabitis* in urbe incenſa multorum *impiorum cineres.* Poſt excidium in urbe modicè inſtaurata, dictâque *Æliâ*, fuit Eccleſia Chriſtianorum ſub Epiſcopis, Simeone, Iuſto, Zacchæo, Tobia, Benjamine, Iohanne, Matthiâ, Philippo, Senecâ, Iuſto, Levi, Ephre, Ioſe, Iuda, qui omnes ex Circumciſione fuere, ut teſtatur in Chronico Euſebius.

In die quâ ego facio] Explica ut ſuprà III. 17.

4. *Mementote Legis Moyſis ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Iſraël præcepta & judicia*] Nempe donec Lex melior affulſerit, II Petri I. 19. Galat. III. 23. 24. Fœdus ſcilicet Novum, cujus mentio jam facta II. I.

5. *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam*] Prophetis deſtituemini ad tempus. Primus Propheta poſt me erit ille Meſſiæ monſtrator, de quo ſuprà III. I. Hoc ſenſu verum eſt quod dicunt Iudæi,

Meſſiam ungi debere ab Elia, id eſt, quaſi in poſſeſſionem muneris ſui introduci: quod olim per unctionem fiebat. *Elias* hîc dicitur Iohannes Baptiſta, quia *in ſpiritu venit Eliæ*, nec populo, nec Regibus parcens, Luc. I. 17. Matth. xi. 14. xvii. 11. 12. Iohannes ſic *Elias* dictus ſicut Hebræis Elias ipſe *Phinees*, ob parem in Dei rebus ardorem. Bene autem *Prophetam*, ut Matth. xi. 9. Is vobis dicet quæ præter Legem facienda ſunt, & Chriſtum monſtrabit cætera dicturum. Ità hîc connexio eſt Veteris Novique Fœderis per Iohannem, Matthæi xi. 13.

Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis] Iudicii ſcilicet ultimi in Iudæos, Act. ii. 20.

6. *Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*] Poſt tempora Maccabæorum ad Chriſti tempora agitata fuerat Iudæa non diſcordiis tantùm, ſed & bellis civilibus: quorum brevis memoria apud Tacitum eſt Hiſtoriarum v. exactior apud Ioſephum. Sectæ præterea Sadducæos à Phariſæis, & inter hos novæ ſectæ Hillelis & Sameæ populum diſtraxerant. Iohannes incipiet his malis adferre remedia, Caritatis inſtillans præcepta, Lucæ iii. 11. & ad unum Magiſtrum omnes remittens, Matth. iii. 11. Marci I. 7. Lucæ iii. 16. Iohan. I. 15. Ità ubi deſinunt Prophetæ, incipiunt quatuor Euangelia, ut in Marco apertiſſimum eſt. Quæ autem præmittuntur in Matthæo, Luca & Iohanne, ſunt προλεγόμενα [*anteloquium, præfationes*], ad deſignandas perſonas Iohannis & Meſſiæ ipſius. Euangelii initium apud omnes idem eſt unde Marcus incipit. Vide quæ de hoc loco dicta ad Lucam I. 5.

Nè forte veniam, & percutiam terram anathemate] Id eſt, nè ubi venero, omnes qui in Iudæa ſunt funditus perdam: id enim eſt חרם. *jam enim ſecuris ponebatur ad radicem*, Matth. iii. 10. Luc. iii. 9. Per hanc miſſionem Iohannis, & monſtrati à Iohanne Chriſti, multi pœnitentiam egêre; & ſic communi gentis exitio erepti ſunt. Hoc eſt quod dicit Paulus Roman. ix. 29.

AD LIBROS
QVI SVNT
EXTRA CANONEM HEBRÆVM.

AD TOBIAM.

HANC hiſtoriam veram eſſe agnoſcunt Iudæi. Vſus eſt Hieronymus Chaldaïco libro eandem hiſtoriam continente, quem ipſe in verſione ſecutus eſt. In Græco pater vocatur Τωβὴτ [*Tobet*] vel Τωβὶτ [*Tobit*], filius Τωβίας [*Tobias*], in Chaldaïco uterque טוביה [*Tobija*]. Sunt & Hebraïcæ ἐκδόσεις [*editiones*] huius hiſtoriæ duæ. Scriptus eſt liber partim à patre, partim à filio, partim à nepotum aliquo. Solebant enim Hebræi rerum quæ ſibi contigerant facere commentarios in uſum poſteritatis. Indè factæ συλλογαὶ [*Collectiones*], quæ hîc βίβλοι λόγων, id eſt, *libri rerum*, ספרי דברים I Reg. XI. 41.

CAPVT I.

1. EX *tribu & civitate Nephthali*] Plus eſt in Græco, ubi pro ἐκ τοῦ σπέρματος Ἀσιὴλ [*ex ſemine Azaël*] legendum Ἰασιὴλ [*Iaſaël*], liquet ex II Paralipomen. VII. 13.

In ſiniſtro habens civitatem Sephet] Fuit hîc in Chaldaïco quædam tranſpoſitio literarum: nam verum nomen eſt תשב, I Reg. XVII. I. In Græco bene eſt Θίσβης [*Thisbes*]. Sequitur in Græcis editionibus minùs correctis, ἥ ἐστιν ἐκ δεξιῶν κυρίως τῆς Νεφθαλί [*quæ eſt ad dextram propriè Nephthali*]· ſed legendum cum exemplaribus melioribus, Κυδίως [*Kydios*]. Ea eſt regio quæ קדש in Hebræo, Κάδης [*Kades*] in Græco, Ioſue XX. 7.

2. *Temporibus Salmanaſaris*] In Græco corruptè, Ἐνεμασσάρου, ut & infrà 14. 17. 19.

Viam veritatis non deſeruit] In Græco incipiunt hic verba patris, Ἐγὼ Τωβὴτ ὁδοῖς ἀληθείας ἐπορευόμην καὶ δικαιοσύνης [*Ego Tobet viam veritatis incedebam & juſtitiæ*]. Vox דרך Hebræis & Chaldæis, & eos ſequentibus Græcis, eſt vitæ genus. Vide Matthæi XXI. 32.

5. *Ad vitulos aureos*] In Græco melioris editionis, id eſt Sixtinæ, Βάαλ τῇ δαμάλει [*Baal vitulæ*], id eſt, ſpiritui malo, qui Vituli nomen ac ſpeciem aſſumebat. Editiones minùs correctæ habent δυνάμει.

6. *Omnia primitiva ſua & decimas ſuas fideliter offerens*] In Græco, τὰς ἀπαρχὰς καὶ τὰς δεκάτας καὶ τὰς πρωτοκουρίας ἔχων [*habens præcerpta & decimas & primas tonſiones*]· ubi πρωτοκουρίαι ſunt *partes de lana ubi primùm tondentur pecudes*. Vide Exodi XVIII. 29. & II Sam. XIII. 24.

7. *Ità ut tertio anno proſelytis & advenis miniſtraret omnem decimationem*] In Græco mentio diſtincta trium decimarum: Prima erat quæ dabatur Levitis, Numer. XVIII. 24. ſecunda, quæ quotannis ſerviebat epulis, quas faciebant Hieroſolymis diebus feſtis, Deuteron. XIV. 27. tertia non erat alia quàm quæ tertio anno ſurrogabatur ſecundæ, ídque in uſus pauperum, advenarum, pupillorum & viduarum, ut ſic Iſraëlitæ operibus miſericordiæ aſſueſcerent, Deuteron. XIV. 29.

9. *De tribu ſua*] In Græco, ἐκ τοῦ σπέρματος τῆς πατριᾶς ἡμῶν, id eſt, ex familia ſua. Vide quæ diximus ad Matthæi I. 16.

Nomen ſuum imponens ei] Non eſt in Græco: nam Græci nomina patris & filii diſtinguunt.

12. *Ex cibis gentilium*] Talium nempe qui Moſis lege vetiti ſunt. Græci hîc ἄρτων [*panibus*] poſuere, ſed more Hebræorum, quibus לחם eſt quivis *cibus*.

14. *Dedit illi poteſtatem quocunque vellet ire*] In Græco plus dicitur, καὶ ἤμην αὐτῷ ἀγοραστής, id eſt, σιτώνης [*& eram ei frumenti comparator*], ut loquitur Iuriſconſultus Arcadius L. *Munerum*. D. de Muneribus & Honoribus. Sequitur in Græco, καὶ ἐπορευόμην εἰς τὴν Μηδίαν [*& profectus ſum in Mediam*], ſecutus nempe Regem qui ver exigebat Ragis, Athenæo teſte lib. XII. Poſt id tempus Tobit non potuit ſequi Regem, ob ætatem, ſed manſit Ninive. Ità colligemus ex Græco I. 17. 20.

16. *In Rages civitatem Medorum*] Græci, ἐν Ῥάγοις τῆς Μηδίας. Hæc urbs eſt Ῥάγεια [*Ragia*] Ptolemæo, Ῥάγα πόλις ἐν Μηδίᾳ [*Raga urbs Mediæ*] Stephano, *Ragian* Geographo Arabi, aut Nubienſi. *Alexandrum Rhagas veniſſe* ait Arrianus III. Diodorus lib. X. & Strabo lib. XI. nomen ei putant eſſe à Græco ῥήγνυσθαι [*rumpi*], ob *fracturas quas fecerat terræmotus*. Quantò facilius fuerat, ſi linguas illorum locorum ſciſſent, derivare à רעש, quod & Hebræis & Arabibus *terræmotum* ſignificat. Vide Amoſ. I. I.

18. *Cùm regnaret Sennacherib filius ejus pro eo*] Sapientiùs hic ſcriptor quàm Iudæorum multi qui Salmanaſſarem & Sennacheribum eundem faciunt. Vide de Salmanaſſaro II Reg. XVII. 3. de Sennacheribo II Reg. XVIII. 13.

20. *Eſurientes alebat, nudíſque veſtimenta præbebat*] Propè accedebat ad Euangelicam perfectionem.

21. *Cùm reverſus eſſet Rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam*] II Regum XX. 36. II Paral. XXXII. 21. Eſaïæ XXXVII. 37.

Sepeliebat corpora eorum] Reverentiâ non tam Divinæ legis quàm Gentium juris. Ambroſius ad hunc librum, *Nihil hoc officio præſtantius, ei conferre qui jam tibi non poteſt reddere; vindicare à volatilibus, vindicare à beſtiis conſortem naturæ.*

23. *Nudus latuit*] Rebus ſuis exutus. In Græco eſt, οὐ κατελείφθη μοι οὐδέν [*nihil mihi reliqui factum eſt*].

24. *Occiderunt Regem filii ipſius*] Quorum nomina habes II Regum XIX. 36. ubi adduntur *fugiſſe in Armeniam*, quod & hîc habent libri Græci, qui & alia addunt. In iis libris Græcis dicitur Sennacheribo ſucceſſiſſe Ἀχειρδωνὸς, qui Ἀσαρδὰν [*Aſardan*] II Regum XIX. 37. In Hebræo, אסר חדן. In eiſdem Græcis dicitur *Achiachanes*, natus ex fratre Tobeth, fuiſſe Regi ἐκ δευτέρας [*in ſecundis partibus*], id eſt, in conſilio Regio multùm valuiſſe, ut poſtea Mardochæus Eſther. IX. 3. nec mirum, cùm præter alia munera eſſet etiam Regi ἐπὶ τοῦ δακτυλίου, id eſt, *cuſtos ſigilli*, quæ magna dignitas. Hæc etiam dignitas Mardochæo obtigit, Eſther. VIII. 2.

CAPVT II.

1. *CVm eſſet dies feſtus Domini*] Nempe *Pentecoſte*, fine *ſeptem hebdomadum* à Paſchate, ut hîc habent Græci.

Et factum eſſet prandium bonum] Solebant enim diebus bonis lautiùs epulari, & advocare convivas.

4. *Vt dum Sol occubuiſſet, cautè ſepeliret eum*] Cùm jam tranſiiſſet dies feſtus. Sepultura differri eouſque poterat, deportatio corporis non æquè.

6. *Memorans illum ſermonem quem dixit Dominus per Amos Prophetam*] VIII. 10.

10. *Iactaſſet ſe juxta parietem*] Παρὰ τοῖχον τῆς αὐλῆς, id eſt, in ſubdiali, non intra domum, nè alios pollueret. Hoc indicat Græca hiſtoria, cùm addit ἐκοιμήθην μεμιαμμένος [*dormiebam pollutus*]. Vide Numer. XIX. 16. Additur in Græco, καὶ τὸ πρόσωπόν μου ἀνακάλυπτον ἦν [*& caput meum erat nudum*], nempe quomodo mos erat in publico incedere in locis calidis, ídque æſtate.

11. *Ex nido hirundinum*] In Græco nominantur στρουθία· ſed ea vox generalis eſt ad aviculas omnes, ut diximus ad Matthæi X. 29.

15. *Nam ſicut Iob inſultabant Reges*] Vicinarum urbium Principes. Hæc deſunt in Græco. Contrà in Græco eſt, Ἀχιάχαρος δὲ ἔτρεφέ με ἕως οὗ ἐπορεύθην εἰς τὴν Ἐλυμαΐδα [*Achiacharus verò me nutrivit, uſquedum irem in Elymaïda*], pro quo viri docti pridem monuere legendum ἐπορεύθη [*iret*]. Nam ſenex Tobit ſive Tobias manſit in urbe Ninive, ut diſcemus infrà XI. & XIII. Achiacharus verò relegatus fuit aliò, ut ex Græco diſcimus XIV. 10. Pro *Elymaïde* liber Hebræus gravi errore *Alemanniam* poſuit.

19. *Anna verò uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidie*] In Græco, Ἠριθεύετο ἐν τοῖς γυναικείοις, lanificium faciebat in domo aliqua divitum, quæſtum indè facientium.

20. *Vt hædum caprarum accipiens*] Nempe in ἐπίδοσιν [*corollarium*] mercedis, quòd opere ſuo alias mulieres vinceret, ut ex Græco diſcimus. Sic & infrà v. 22. & XII. 1. in Græco, ultra mercedem datur *auctarium*.

22. *Manifeſtè vana facta eſt ſpes tua, & eleemoſynæ tuæ modò apparuerunt*] In Græco, Ποῦ εἰσιν αἱ ἐλεημοσύναι σου, καὶ αἱ δικαιοσύναι σου. ἰδοὺ γνωστὰ πάντα μετὰ σοῦ [*Vbi ſunt eleemoſynæ tuæ, & juſtitiæ tuæ? Ecce* &c.] Id eſt, *Ecce quàm illa tecum* (id eſt, in fortunis tuis) *apparent*.

CAPVT III.

1. *TVnc Tobias ingemuit, & cœpit orare cum lacrymis*] In loco aliquo ſolus, ut colligimus ex fine hujus capitis in Græco. Confer Lucæ IX. 18.

3. *Nè vindictam ſumas de peccatis meis, neque reminiſcaris delicta mea, vel parentum meorum*] Nempe, ultrà quàm feciſti. In Græco *peccata* hîc dicuntur ἁμαρτήματα, *delicta* ἀγνοήματα. Hoc ἀγνοήματα, ſi Græcam vocem reſpicias, ſignificare videtur *ea quæ per ignorantiam fiunt*; ſed uſurpatur pro Hebræo שגיאות, quod eſt à שגה *aberrare*. *Omne* autem *peccatum aberratio eſt à Lege*. Et ſic ἀγνοήματα ſumſit etiam divinus ſcriptor ad Hebræos IX. 7. Sic Iudith. v. 20. εἰ μὲν ἔστιν ἀγνόημα ἐν τῷ λαῷ τούτῳ [*ſi aberratio eſt in populo hoc*] de peccato gravi dicitur, quod ibidem & σκάνδαλον [*offendiculum*] vocatur & ἀνομία [*legis trangreſſio*]. nec aliter Eccleſiaſtici LI. 26. Vſurpatur etiam de iis quæ in homines peccantur, ut I Maccab. XIII. 39. II Maccab. XIII. 37.

6. *Et nunc, Domine, ſecundùm voluntatem tuam fac mecum*] Secundùm jus quod in homines conſtituiſti, ut mori debeant. In Græco præcedit ἐξ ἐμοῦ ποίησον ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν μου, καὶ τῶν πατέρων μου [*de me fac ſuper peccatis meis & patrum meorum*], ubi ἐξ ἐμοῦ eſt pro περὶ ἐμοῦ, niſi legendum ἐξ ἐμὲ ποίησον, *Tolle me de rebus humanis*.

Præcipe in pace recipi ſpiritum meum] *In pace*, id eſt, ut quieſcat ab his malis. *Præcipe*, nempe Angelis tuis, ut Lucæ XVI. 22. *recipi*, nempe εἰς τὸν αἰώνιον τόπον [*in locum æternum*], ut mox ſequitur. In Græco additur ὅπως ἀπολυθῶ [*ut dimittar*], de quo verbo diximus ad Lucæ II. 29. Αἰώνιος τόπος [*æternus locus*] eſt ᾅδης [*Orcus*]. Ità id loquendi genus uſurpat Chaldæus Interpres ad Eſaïæ XIV. 18. & Diodorus Siculus libro primo de Ægyptiorum ſententiis agens.

7. *In Rages civitate Medorum*] In Græco eſt, ἐν Ἐκβατάνοις τῆς Μηδίας [*in Ecbatanis Mediæ*]. Vbi *Ecbatana* non pro urbe ponitur, ſed pro regione in qua eſt Rages. Ità ſumitur & II Maccab. IX. 13.

8. *Nomine Aſmodæus*] Is Thalmudicis vocatur *Rex dæmonum*. Nomen à שמר, quod linguâ Syriacâ eſt *perdere*.

Occiderat eos] Vitio aliquo corporis Saræ, ut videtur. Ideo in Græco Sara per opprobrium vocatur ἀποπνίγουσα τοὺς ἄνδρας [*ſtrangulatrix virorum*]. Vide infrà 25.

10. *Ad hanc vocem perrexit in ſuperius cubiculum domûs ſuæ*] In Græco eſt ampliùs, ἐλυπήθη σφόδρα ὥστε ἀπάγξασθαι [*triſtis facta eſt ità ut ſuffocaretur*], quod explicari poteſt, ità *ut ſpiritus ejus comprimeretur*,

ſecundùm ea quæ diximus ad Matth. XXVII. 5. At Hebræus qui hanc hiſtoriam ſcripſit, aut è Græco vertit, ſenſit Saram voluiſſe vitam finire ſuſpendio, ſed ab ea cogitatione revocatam. Favent huic interpretationi ea quæ ſequuntur in Græco, ἐὰν ποιήσω τοῦτο [*ſi hoc faciam*].

11. *Cum lacrymis deprecabatur Deum*] Πρὸς τῇ θυρίδι ait Græcus, id eſt, apertâ illâ feneſtrâ quæ Templum verſùs ſpectabat, ut moris erat in exſilio, Danielis VI. 11.

16. *Nunquam concupivi virum*] *Concupiſcere* dicitur de re illicita; itaque ſenſus eſt qui & in Græco: καθαρά εἰμι ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας ἀνδρὸς [*pura ſum ab omni peccato viri*], à ſtupro & adulterio ſcilicet.

17. *Nunquam cum ludentibus miſcui me*] *Ludentibus*, id eſt, ſaltantibus, quomodo & Virgilius hanc vocem uſurpat. Vide Exodi XXXII. 6.

18. *Non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere*] Non ex animi mei lubitu, ſed patri morem gerens. Sequuntur hîc & quædam in Græco: inter alia, οὐδὲ ἀδελφὸς ἐγγὺς, οὐδὲ ὑπάρχων αὐτῷ υἱὸς, ἵνα συντηρήσω ἐμαυτὴν αὐτῷ γυναῖκα [*neque frater adeſt, neque filius ejus, ut ei me ſervem uxorem*], id eſt, *pater meus nec fratrem habet, nec fratris filium, cui ego nubam*, ut ἐπίκληρος [*filia heres*]. De hoc jure vide quæ dicta ad Matthæi I. 16.

21. *Vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur*] Proverbiale eſt, quod & Iacobus uſurpat I. 12.

25. *Raphaël, ut curaret eos ambos*] Nam & nomen illud *Sanationem à Deo* ſignificat. Sequitur in Græco, διότι τῷ Τωβίᾳ ἐπιβάλλει κληρονομῆσαι αὐτήν [*quia Tobiæ convenit eam hereditatis jure accipere*]· id eſſet Hebraïcè, לטביה משפט הגאלה. Hebraïcè גאל, Græcis autem Hebræos imitantibus ἀγχιστεύειν, aut κληρονομεῖν, eſt *virginem* ἐπίκληρον [*heredem*] *ducere jure proximitatis*.

CAPVT IV.

2. AVdi, *fili mi, verba oris mei*] Egregiæ ὑποθῆκαι [*monitiones*], quales boni patres dare ſolent liberis.

7. *Ac noli avertere faciem tuam ab ullo paupere*] In Græco eſt, καὶ μὴ φθονησάτω σου ὁ ὀφθαλμὸς ἐν τῷ ποιεῖν ἐλεημοσύνην [*& nè invideat oculus tuus facere miſericordiam*]. Idem reponitur infrà 17. Locutio eſt Hebræorum, qui φθονερὸν vocant eum qui eſt præparcus, ut Sirachides XIV. & *oculum* ſumunt pro *animo*, ut Matth. XX. 15.

13. *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione*] Vide quæ dicta ad Matthæi V. 27.

Et præter uxorem tuam nunquam patiaris crimen ſcire] Id eſt, ab omni Venere extra conjugem abſtine. At in Græco eſt, μὴ λάβῃς γυναῖκα ἀλλοτρίαν [*nè ſumas uxorem alienam*]. Quod ſequitur in Græco, καὶ τὸ σπέρμα αὐτῶν κληρονομήσει γῆν [*& poſteritas eorum terram hereditario jure poſſidebit*], ſignificat ſpem reditûs in patriam piorum animis infixam ex Prophetis. In eo quod ibidem in Græco ſequitur, ἐν ἀχρειότητι ἐλάττωσις καὶ ἔνδεια μεγάλη [*in ignavia damnum & egeſtas magna*], per ἀχρειότητα intelligenda *pigritia*, ut diximus ad Lucæ XVII. 10.

16. *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide nè tu aliquando alteri facias*] Plus eſt quod eſt in Euangelio, *Quod velletis vobis fieri facite aliis*, Marc. VII. 12. Quod hîc dicitur eſt מ״ לא תעשה [*ex vetitis*]: quod in Euangelio, מ״ תעשה [*ex imperatis*].

18. *Panem tuum & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue*] *Super ſepulturam* eſt *propter ſepulturam*, quomodo על Hebræum ſumi ſolet: id eſt, ſepulto aliquo viro bono, proximos ejus ſolare, miſſis cibis & vino optimo. Vide Ierem. XVI. 7. Nam apud ſepulchra epulari & facere δοχὰς ἐπιταφίους [*convivia parentalia*] mos non fuit Hebræorum, ſed aliarum gentium, cujus reliquias in Africa manſiſſe nos docet Auguſtinus ad ſua uſque tempora.

20. *Et omnia conſilia tua in ipſo permaneant*] In Græco, καὶ αἱ βουλαί σου εὐοδωθῶσι, id eſt, *proſperentur*. Solet ità verti Hebræum צלח. Exſtat idem verbum infrà V. 24. Sir. XI. 16. XV. 10. XXXVIII. 14. XLI. 2. I Maccabæor. III. 6. IV. 55. XIV. 36. XVI. 2. II Maccabæorum X. 7. 23. Sequitur in Græco, αὐτὸς ὁ Κύριος δίδωσι πάντα τὰ ἀγαθὰ, καὶ ὃν θέλει ταπεινοῖ [*Deus dat omnia bona, & quem vult deprimit*]. Heſiodus,

——— ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει.
[——— *& deprimit ille tumentem.*]

21. *Chirographum quidem illius penes me habeo*] De quo ſuprà I. 17.

CAPVT V.

8. IN *Rages civitate Medorum, quæ poſita eſt in monte Ecbatanis*] Hæc poſtrema in Græco non ſunt. Poteſt tamen *mons* intelligi pro *montoſa regione*.

16. *De qua domo, aut de qua tribu es tu?*] In Græco, ἐκ ποίας φυλῆς καὶ ἐκ ποίας πατριᾶς σὺ εἶ; [*Cujus tu tribûs, & cujus es familiæ?*] Prius eſt interrogare de *tribu*, deinde de *familia*, id eſt, parte tribûs, quam Græci Hebraïzantes πατριὰν vocant. φυλὴ eſt שבט, πατριὰ משפחה. Vide quæ ad dictum locum Matthæi I. 16. In Græco comiti promittitur ſupra victum *drachma in diem*. Vide Matth. XX. 9. nam drachma & denarius ferme in idem recidunt.

18. *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius*] Videlicet corrigendus Græcus textus, in quo legitur, Ἐγὼ τὸ γένος Ἀζαρίου καὶ Ἀνανίου τοῦ μεγάλου, ut ſcribatur, Ἐγὼ Ἀζαρίας τὸ γένος Ἀνανίου τοῦ μεγάλου [*Ego Azarias, genus Ananiæ magni*]. Exigit id locus infrà VI. 8. VIII. 9. Azarias עזר יה, *Auxilium Dei*. Ananias חנן יה, *Gratia Dei*. A gratia auxilium.

23. *Baculum ſenectutis noſtræ tuliſti, & tranſmiſiſti à nobis*] In Græco, οὐχὶ ῥάβδος τῆς χειρὸς ἡμῶν ἐστιν ἐν τῷ εἰσπορεύεσθαι αὐτὸν καὶ ἐκπορεύεσθαι ἐνώπιον ἡμῶν; *Nónne ſuſtentaculum nobis erat, noſtra negotia gerens?* Id enim ſignificat Hebræis *ingredi & egredi coram aliquo*, Numer. XXVII. 17. I Samuelis XVIII. 12. Vide & Act. I. 21. Deut. XXVIII. 6. Pſalmo CXXI. 8.

24. *Nunquam fuiſſet ipſa pecunia pro qua miſiſti eum*] In Græco, ἀργύριον τῷ ἀργυρίῳ μὴ φθάσαι, ſenſu minùs commodo. Fortè ſcriptum fuerat, ἀργύριον ἄρα υἱῷ μὴ φθάσαι, *non decuit pecuniam præferre filio*.

25. *Sufficiebat enim nobis paupertas noſtra*] In Græco, ἀλλὰ περίψημα τοῦ παιδίου ἡμῶν γένοιτο.

Scriptum fortè fuerat τῷ παιδίῳ ἡμῶν, id eſt, *pauxillum quod habemus filio noſtro maneat.* περίψημα eſt *ramentum*, res non magni pretii, 1 Corinth. IV. 13. Ità à Græcis quibuſdam vertitur עצב, Ieremiæ XXII. 28.

26. *Noli flere*] In Græco, μὴ λόγον ἔχε ἀδελφή, *Noli ſollicita eſſe ſoror*. Sic Hebræi vocabant conjuges ſuas, quod ex Abrahamo, Iſaaco, Iacobo communem cum maritis originem ducerent. At Chriſtiani, ideo quòd eodem lavacro regenitæ ſunt, 1 Corinth. IX. 5.

CAPVT VI.

1. *IVxta fluvium Tigris*] Qui à Ninive Adiabenen petit, quod iter eſt in Mediam euntibus.

2. *Ecce piſcis immanis*] Fortè Hippopotamus.

6. *Quouſque pervenerunt in Rages civitatem Medorum*] Etiam hîc Græcus habet *Ecbatana*, & ex Græco Hebræus codex. Vide ſuprà III. 7.

8. *Omne genus dæmoniorum*] Græcè, δαιμόνιόν τι πνεῦμα πονηρόν [*dæmonium quoddam ſpiritus malus*]. Hebræi omnes morbos ſolent dæmonibus aſſcribere, quòd dæmones Dei permiſſu utantur cauſis naturalibus. Vide quæ ad Matth. IV. 24.

9. *Et fel valet ad ungendos oculos in quibus fuerit albugo*] Plinius XXXII. 4. *Omnium piſcium fluviatilium marinorúmque adeps liquefactus oleo, admixto melle, oculorum claritati plurimum confert.*

12. *Tibi debetur omnis ſubſtantia ejus, & oportet te eam accipere conjugem*] *Sed oportet eam te accipere conjugem:* nam niſi accipias conjugem, etiam hereditate excides. Vide quæ diximus ad Matthæi locum. Huic verò quod eſt τῶν ἀγχιστέων [*propinquorum*] גאלים, ſimile eſt jus יבמים τῶν δαέρων [*levirorum*]· de quo vide Ruth. III. & IV. & ibi dicta. In Hebræo hîc לך משפט הגאלה, *te jus eſt eam ducere, ut proximum.* Quod autem in Græco additur, *mortem debere qui non duxerit*, non eſt ex Lege; ſed poteſt intelligi, à Deo ſæpe immaturâ morte puniri eos qui pupillas proximas deſerunt.

14. *Dæmonium occîdit illos*] Non addidit quod in Græco eſt, ὅτι δαιμόνιον φιλεῖ αὐτήν [*quia dæmonium eam amat*].

15. *Deponam ſenectutem illorum cum triſtitia ad inferos*] In Græco εἰς τὸν τάφον αὐτῶν [*in ſepulchrum ipſorum*]. Et Geneſeos XLII. 39. ubi eſt in Hebræo שאולה, in Græco, εἰς ᾅδου [*ad inferos*].

17. *Sicut equus & mulus*] Nempe

Fortis equus viſæ ſemper adhinnit equæ.

19. *Incenſo jecore piſcis*] Non addidit quod in Græco eſt, λήψῃ τέφραν θυμιαμάτων [*ſumes cinerem ſuffitorum*]. Neque enim mos videtur fuiſſe extra Templum Deo ſuffitum facere, non magìs quàm ſacrificium.

CAPVT VII.

1. *ET ſuſcepit eos Raguel cum gaudio*] In Græco additur: Σάῤῥα δὲ ὑπηντήσεν αὐτοῖς, καὶ ἐχαιρέτισεν αὐτούς [*Sara autem eis occurrit & eos ſalutavit*], id eſt, dixit illis χαῖρε [*Ave*]. Vox eſt rara inventu.

2. *Raguel dixit Annæ uxori ſuæ*] In Græco, Ἔδνα [*Ednæ*], עדנה.

Conſobrino meo] Ἀνεψιῷ in Græco. At ea vox apud hos ſcriptores non tam ſtrictè ſumitur quàm apud Græcos elegantiores, ſed comprehendit & ἐξαδέλφους [*conſobrinos*] & διεξαδέλφους [*ex conſobrinis natos*].

7. *Et dixit, Benedictio ſit tibi, fili mi*] In Græco, καὶ εὐλόγησεν αὐτὸν [*& benedixit ei*], nempe ut majores natu minoribus facere ſolebant: Marci X. 10.

Boni & optimi viri filius es] Sic Philoctetes ad Neoptolemum apud Sophoclem,

Ὦ φιλτάτου παῖ πατρός.
[*O nate amici patris.*]

& alius,

Ἀρίστου πατρὸς Ἑλλήνων γεγώς.
[*Natus patre Grajugenûm optimo.*]

Tales blandæ compellationes ſimul incitamentum ſunt juvenibus ad virtutem. Simile infrà IX. 9.

9. *Præcepit Raguel occîdi arietem*] In Græco, καὶ ἔθυσεν κριὸν προβάτων· ubi ἔθυσεν non eſt *ſacrificarunt* (quod plerumque & ex origine ſignificat, ab altero ſignificatu antiquiore, quo θύειν eſt θυμιᾶν [*ſuffire*], unde θυῶδες [*odorum*], & *thus*) ſed quovis modo *occiderunt*, quomodo & Galli à Græcis Maſſilienſibus vocem acceptam uſurpant. Sic idem verbum ſumitur Matth. XXII. 4. Luc. XV. 23. 27. Ioan. X. 10. Act. X. 13. Sequitur in Græco ἡδέως γενοῦ & rurſus ἡδέως γίνου [*eſto hilaris*]· verba ſunt Raguelis Tobiam invitantis. Idem loquendi genus in Græco Eſth. I. 11. ἡδέως γενόμενος ὁ βασιλεὺς [*hilaris factus Rex*], ubi in Hebræo טוב לב ביין.

14. *Secundùm legem Moſis*] Κατὰ τὴν κρίσιν, quod mox in eodem textu Græco explicatur, κατὰ τὸν νόμον Μωϋσέως. Sic Num. XXXV. 24. על המשפטים, κατὰ τὰ κρίματα, *ſecundùm præcepta*. Tota Lex תורה, partes ejus משפטים [*præcepta*].

15. *Et apprehendens dexteram filiæ ſuæ dexteræ Tobiæ tradidit*] Manum enim manui jungere ſocietatis ſignum apud Hebræos, uti diximus tum alibi, tum ad Zach. XIV. 13. Summa autem ſocietas in matrimonio. Etiam Romanis matrimonia quædam fiebant conventione in manum. In Græco ſequitur, καὶ ἄπαγε πρὸς τὸν πατέρα σου [*& duc ad patrem tuum*]. *Duc domum* dicerent Latini. Maritus enim dominus conſtituendi laris, Geneſeos XXIV. 60. 61. Pſalmo XLV. 16.

16. *Fecerunt conſcriptionem conjugii*] Τὰ προικῷα [*dotales tabulas*]. Ità enim ſpecialiter appellatur id inſtrumentum, quod hîc generis nomine συγγραφὴν [*ſyngrapham*] dixit ſcriptor hujus hiſtoriæ Græcus.

18. *Vt præpararet alterum cubiculum*] Nempe nè funeſti loci conſpectus Saram angeret.

19. *Et introduxit illuc Saram filiam ſuam*] Nam novæ nuptæ apud Hebræos priores cubitum ducebantur, Geneſeos XXIX. 23. Idem mos Romanis. Catullus in Epithalamio,

Iam licet venias, marite:
Vxor in thalamo tibi eſt.

CAPVT VIII.

2. *DE caſſidliſo iu*] Fortè *de caſſiculo ſuo. Caſſiculum* enim *reticulum* Feſto, & in Gloſſis.

3. *Et religavit illud in deſerto ſuperioris Ægypti*] ἔφυγεν εἰς τὰ ἀνώτατα τῆς Αἰγύπτου [*fugit in ſuperna Ægypti*]. In loca deſerta ab omni humano cultu, *arenoſa*, & *ſqualentia*, ut loquitur Plinius, ubi Nili curſum deſcribit, v. 9. διέρχεται δι' ἀνύδρων τόπων [*ambulat per loca arida*], Matth. XII. 43. Sequitur in Græco, καὶ ἔδησεν αὐτὸ ὁ Ἄγγελος [*& vinxit eum Angelus*], id eſt, impediit eum nê cui noceret. Sic Apocalypſeos IX. 14. XX. 2. Adde Matth. XII. 29.

9. *Tu ſcis quia non luxuriæ cauſâ accipio uxorem meam conjugem, ſed ſolâ poſteritatis dilectione*] In Græco, Καὶ νῦν, Κύριε, οὐχὶ διὰ πορνείαν ἐγὼ λαμβάνω τὴν ἀδελφήν μου ταύτην, ἀλλ' ἐπ' ἀληθείας [*Et nunc, Domine, non ego hanc ſororem meam accipio ſtupri cauſâ, ſed in fide*]. *Non cum ea cubitum eo ut cum ſcorto, ſed ut cum ea cui fidem dedi.* ἀλήθεια ſæpe noſtris ſcriptoribus eſt *fides* illa quæ hominum ſocietatem conſervat.

10. *Dixit quoque Sara, Miſerere nobis, & conſeneſcamus ambo pariter ſani*] In Græco hæc ſunt verba Tobiæ ità ſcripta, ἐπίταξον ἐλεῆσαί με καὶ ταύτῃ συγκαταγηρᾶσαι· ſed meliùs ſic legenda, ἐπίταξον ἐλεήσας με ταύτῃ συγκαταγηρᾶσαι [*Effice, me miſerans, ut huic conſeneſcam*].

19. *Sacrificium tibi laudis tuæ*] Laudes & gratias quas Deus pro ſacrificiis accipit, Pſalm. LXIX. 30.31.

23. *Vt duas hebdomadas moraretur apud ſe*] Dies nuptiales ſolebant eſſe ſeptem, Geneſeos XXIX. 27. Iudic. XIV. 13. Raguel ob ingens gaudium, & quia ſpes non erat poſt id videndi filiam generúmque, numerum duplicavit.

24. *Et fecit ſcripturam*] Teſtamentum.

CAPVT IX.

6. *ET recepit ab eo omnem pecuniam*] In Græco, παρέλυσε γε τὰ θυλάκια ἐν ταῖς σφραγῖσι, *Accepit folles obſignatos.* Sic enim Iuriſconſulti, Iuvenalis quoque & Vegetius, vocant ſacculos in quibus eſt pecunia.

10. *Dicatur benedictio ſuper uxorem tuam*] Id eſt, Dicatur inpoſterum novis nuptis, *Felix ſis ut Sara Tobiæ uxor.* In Græco eſt, καὶ εὐλόγησε Τωβίας τὴν γυναῖκα αὐτοῦ· ſed olim ſcriptum videtur fuiſſe, καὶ εὐλόγησε (nempe Raguel) Τωβίαν καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ [*& benedixit* (Raguel) *Tobiæ & uxori ejus*], id eſt, abeuntibus bene precatus eſt. Nam & ſic hiſtoriam refert Hieronymus.

CAPVT X.

1. *QVare moratur filius meus, aut quare detentus eſt ibi?*] In Græco, μήποτε κατῄσχυνται; *an confuſus eſt?* id eſt, an eluſa ejus ſpes per Gabeli heredes? ut ſequitur. Sic apud Hebræos בוש ſumitur ſæpiſſime.

4. *Heu, heu me, fili mi, ut quid te miſimus peregrinari*] Ex hoc loco bene Græcum textum correxere viri eruditi, ut pro οὐ μέλει legatur οἴ μέλει [*Ah dolet*].

10. *In pueris, in puellis*] Honeſto comitatu. In Græco eſt σώματα [*corpora*]· quod de liberis corporibus dici ſolere notavimus in appendice ad loca quæ de Antichriſto agunt, aut accipi ſolent.

13. *Honorare ſoceros*] Sic & in Græco, τοὺς πενθεροὺς, id eſt, *ſocerum & ſocrum.* Nam maſculinum hîc, ut ſæpe apud Hebræos, eſt pro communi. Additur in Græco, αὐτοὶ νῦν γονεῖς σου εἰσίν [*illi nunc parentes tibi ſunt*]. Soceri *patres* vocantur 1 Samuel. XXIV. 12. *Socrus matris loco eſt*, Inſtit. de Nuptiis, § *Socrum.* Apud Homerum Andromacha,

——— Ἑκυρὸς δὲ, πατὴρ ὥς, ἤπιος ἦεν.
[——— *Socer bonus & vice patris.*]

CAPVT XI.

3. *PRæcedamus*] Additur in Græco, καὶ ἑτοιμάσωμεν τὴν οἰκίαν [*paremus domum*]. Præparemus locum ubi recipiatur Sara & comitatus ejus.

9. *Præcucurrit canis*] Memor veteris domini, ut Argus in Odyſſea.

11. *Oſculatus eſt eum cum uxore ſua*] In Græco mater dicit, εἶδόν σε, παιδίον. ἀπὸ τοῦ νῦν ἀποθανοῦμαι [*vidi te, fili. nunc moriar*]. id eſt, Nunc ſatìs vixi. Simile planè illud Simeonis Lucæ II. 29.

20. *Venerúntque Achior & Nabath conſobrini Tobiæ*] In Græco, Ἀχιάχαρος καὶ Νασβᾶς [*Achiacharus & Nasbas*], pro quo viri eruditi conjiciunt legendum ὁ καὶ Νασβᾶς [*qui & Nasbas*]. Et infrà quoque in Græco XIV. 10. pro Μανασσῆς [*Manaſſes*] reponunt Νασβᾶς [*Nasbas*], ut Achiacharus fuerit binominis. Certè ὁ ἐξάδελφος [*fratris filius*], quod ſequitur, Achiacharo convenire apparet ex eo quod ſuprà eſt I. 24.

21. *Et per ſeptem dies epulantes*] Agentes repotia, quæ Græcè hîc minùs propriè vocantur γάμος. Propriè dicerentur ἐπαύλια, ut eſt in Gloſſis.

CAPVT XII.

1. *QVid poſſumus dare viro iſti?*] In Græco eſt, δώσεις μισθὸν τῷ ἀνθρώπῳ τῷ συνελθόντι σοι· καὶ προσθεῖναι αὐτῷ δεῖ [*dabis mercedem iſti qui te comitatus eſt: & addendum ei*]· id eſt, dare προσθήκην, ἐπίδοσιν, *auctarium*, *additamentum*, ſive *corollarium.* Vide ſuprà II. 20.

6. *Confitemini ei*] In Græco additur, μεγαλωσύνην δίδοτε αὐτῷ, id eſt *majeſtatem ejus agnoſcite ac prædicate.*

7. *Etenim ſacramentum Regis abſcondere, bonum eſt: opera autem Dei revelare & confiteri, honorificum eſt*] Egregium eſt ἀντίθετον [*oppoſitum*]. Reges conſilia ſua in occulto habent, Deus ſua vult pateſcere. *Abditos Principis ſenſus exquirere illicitum*, ait Tacitus Annalium VI.

12. *Ego obtuli orationem tuam Domino*] Angelis hoc munus offerendi preces tribuit liber Hebræus Chaſidin, & Apocal. VIII. 3. Nec aliter cenſuere Chriſtiani. Tertullianus de Oratione: *Angelo adhuc orationis adſtante.* Meminit & Hermas Paſtore. Adde quæ diximus ad Epheſ. I. 10. Cyprianus locum hunc ſic citat: *Ego obtuli memoriam orationis veſtræ in conſpectu claritatis Dei.*

15. *Vnus ex ſeptem qui adſtamus ante Dominum*] Tanquam interioris admiſſionis Satrapæ. Vide Apocal. I. 4. & quæ diximus ad Matthæi XVIII. 10. Citat hunc locum Cyprianus hoc modo: *Ego enim*

ſum Raphaël unus ex ſeptem Angelis juſtis, qui aſſiſtimus & converſamur ante claritatem Dei.

19. *Videbar quidem vobiſcum manducare & bibere*] Id eſt, non vertebantur cibi & potus in meam ſubſtantiam. Vide quæ dicta ad Matthæi XXII. 30.

Sed ego cibo invisibili & potu qui ab hominibus videri non poteſt utor] Paſcor Dei mandatis. Vide Ioan. IV. 34.

21. *Ab aſpectu eorum ablatus eſt*] Ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν [*inconſpicuus ab ipſis factus eſt*], ut loquitur Lucas XXIV. 31.

CAPVT XIII.

2. D*Educis ad inferos & reducis*] Ex I Samuelis II. 6. ubi LXX, κατάγει εἰς ᾅδου, καὶ ἀνάγει [*deducit in inferos, & reducit*].

4. *Quoniam ideo diſperſit vos inter gentes*] In Græco, καὶ συνάξει ὑμᾶς ἐκ πάντων τῶν ἐθνῶν οὗ διέσπειρεν ἡμᾶς ἐν αὐτοῖς [*& colliget vos ab omnibus gentibus in quas nos diſperſit*], id eſt, ἐν οἷς διέσπειρεν ἡμᾶς, more loquendi Hebraïco. Senſus autem deſumtus ex Deuteron. XXX. 3.

7. *Quoniam oſtendit majeſtatem ſuam in gentem peccatricem*] Meliùs in Græco, καὶ δεικνύω τὴν ἰσχὺν καὶ τὴν μεγαλωσύνην αὐτοῦ ἔθνει ἁμαρτωλῶν [*& oſtendo robur & majeſtatem ejus populo peccatori*], id eſt, Aſſyriis iſtis narro magna & miranda Dei facta, ut eos, ſi fieri poſſet, à falſis diis ad verum convertam.

14. *Nationes ex longinquo ad te venient, & munera deferentes adorabunt in te Dominum*] Ex Pſalmo LXXXVI. 9. XCVI. 7. 8. Eſaïæ XII. 19. Mich. IV. 2. Zachariæ VIII. 22.

21. *Portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum ejus*] Sumta ex Eſaïæ LIV. 11. 12. ubi à nobis dicta vide.

22. *Ex lapide candido & mundo*] In Græco, λίθῳ ἐκ Σουφείρ [*Lapide ex Suphir*]. Ità LXX ſemper: legerunt enim סופיר [*Suphir*] pro אופיר [*Ophir*], ut diximus ad I Regum IX. 28.

Et per vicos ejus Alleluja cantabitur] In Græco figuratiùs, καὶ ἐροῦσι πᾶσαι αἱ ῥύμαι αὐτῆς Ἀλληλούϊα [*& dicent omnes plateæ ejus Alleluja*], id eſt, reſonabunt plateæ feſtis vocibus: הללו יה frequens eſt in Pſalmis. Retinent, ut alias quaſdam Hebræas voces, Eccleſiæ Chriſtianæ, Apocal. XIX. 1. 3. 4. 6.

CAPVT XIV.

6. P*Ropè erit interitus Ninive*] Id eſt, ad paupertatem redigetur. Quod cœptum fieri per Nabopallaſarum diximus ad Nahumum; ſed nihil impedit quominus aucta ſit calamitas per Nabuchodonoſorem, ſicut in fine hujus libri in Græco dicitur.

Non enim excidit verbum Domini] Per Nahumum. Et fortè in Græco pro Ἰωνᾶς ὁ προφήτης [*Ionas Propheta*] legendum Ναουμὸς ὁ προφήτης [*Naümus Propheta*], & infrà rurſum ὁ προφήτης Ναουμός [*Propheta Naümus*].

Fratres noſtri qui diſperſi ſunt] Nonnulli ex Decem tribubus qui ſe adjungent Iudæ & Benjamini.

7. *Et domus Dei quæ in ea incenſa eſt, iterum rædificabitur*] In Græco, καὶ οἰκοδομήσουσι τὸν ναὸν, οὐχ οἷος ὁ πρότερος [*& ædificabunt Templum, non quale fuit illud prius*]. Erit quidem Templum præclarum, non tamen par veteri. Vide Aggæum II. 3. & dicta à nobis tum ibi, tum ad Ezechiel. XL. 2. Sequitur in Græco, ἕως οὗ πληρωθῶσι καιροὶ τοῦ αἰῶνος, ubi ἕως [*uſquedum*] impropriè ſumitur. Senſus enim eſt, *cùm impleta fuerint longa tempora*, à Deo definita ſcilicet. Sequitur mox in Græco, καθὼς ἐλάλησαν περὶ αὐτῆς οἱ προφῆται [*ſicut de ea* (Ieruſalem) *dixerunt Prophetæ*], Eſaïas ſcilicet, Ieremias, Ezechiel, Daniel, Ioël, Michæas.

8. *Et relinquent Gentes idola ſua*] Multi ex Gentibus, Ieremiæ III. 17. XVI. 19.

13. *Quia iniquitas ejus finem dabit ei*] Quod hîc in Græco ſequitur de *Amane*, qui Achiacharo malum moliens ipſe exitium invenit, ex hiſtoria de Mardochæo huc imprudenter tranſlatum videtur à ſcriba aliquo Græco. *Aſſuerus* qui in Græco dicitur unà cum Nabuchodonoſoro cepiſſe Niniven, eſt, ut puto, Rex Mediæ ſocer Nabuchodonoſori. Hebræi omnes Reges quorum nomina propria non norunt, nomine valde communi *Artaxerxes* vocant. Vide quæ diximus ad initium Eſtheris.

AD IVDITHEM.

MVlti viri eruditi ſudant ut quæ hoc libro continentur, quæ ipſi revera ità geſta putant, concilient cum hiſtoriis non dubitatis, quæ ſunt aut in Sacris aut in Græcorum literis. Puto diu ſudaturos priuſquam aut aliis aut ſibi ſatisfaciant; veriúſque eſſe, ea quæ ſunt in hoc libro eſſe αἰνιγματώδη [*per obſcuras ambages dicta*]. Scriptum librum cùm primùm Antiochus Illuſtris in Iudæam veniſſet, Templo nondum per idolum polluto, in hoc ut Iudæi ſpe Divinæ liberationis confirmarentur. Nam יהודית [*Iehudith*] eſſe Iudæam gentem nemo negaverit. *Bethulia* בית אל יה [*domus Domini Dei*] eſt Templum. *Gladius* indè egrediens ſunt preces ſanctorum. *Nabuchodonoſor* Hebræis ſæpe diabolum ſignificat, & *Aſſyria* faſtum, ut notatum & Hieronymo. Diaboli inſtrumentum Antiochus, qui hîc tecto nomine *Holophernes* (id eſt, הלפר נחש *lictor Serpentis*, Chaldaïcè, id eſt, ut jam diximus, miniſter diaboli) Iudæam formoſam quidem (nam propterea apud Danielem צבי [*Decus*] dicitur) ſed viduam, id eſt, ab omni auxilio deſertam, ſubigere volebat. Sperabant pii, fore ut is Deo pœnas daret, quemadmodum dedit. *Ioachim* in Græco, aut, ut in Latino eſt, *Eliakim*, qui hîc dicitur fuiſſe ſummus Sacerdos, *Deum ſurrecturum* ſignificat. Ea ſpes homines Deo conjungit, quod opus Sacerdotis maximi. Vide I Maccab. VII. 14. Cætera ſunt ἐπεισοδιώδη, ornamenti causâ addita, qualia in Parabolis multa. Poſt reditum è Babylonia ſcriptum hunc librum facilè videbit qui cum cura leget Græca IV.2. & quæ ſunt V.21.22. Propius indicium temporis habes infrà IX. 11. & 18. Exſtitit hæc narratio etiam Chaldaïco ſermone, in ſumma rei cum Græco congruens; in verbis & in circumſtantiis nonnullis non parùm diſcrepans. Ex eo ſe verſionem feciſſe ait Hieronymus. De eo quod dixi cogitent pii & eruditi.

CAPVT I.

6. Q*Vi appellatur Ragau*] *Ragiane* Ptolemæo in Media.

Iadaſon] *Mons Iaſonius* Ptolemæo ibidem.

In campo Erioch] *Orocana* Ptolemæo.

Regis Elicorum] In Græco meliùs, Ἐλυμαίων [*Elymæorum*]· quo nomine etiam Medi intelligi ſolent Hebræis. Sequitur in Græco, καὶ συνῆλθον ἔθνη πολλὰ σφόδρα εἰς παράταξιν υἱῶν Γελοὼδ [*convenere ad exercitum ejus multæ gentes filiorum Gelod*]· id eſt, venêre ei militatum qui ad mare Hyrcanum habitant, ubi urbs Gelda.

8. *In campo magno Eſdrelon*] חצר אלין, *quercetum.* Nomen eſt non antiquum. Multa loca nomen habent incipiens à חצר, quod interdum σκηνὴν [*tentorium*], interdum αὐλὴν [*ſubdiale*] vertunt Græci. Arabes ſic vocant loca viridia.

9. *Et ad omnem terram Ieſſe*] In Græco, Γεσέμ [*Geſem*]. Eſt pars Ægypti. Hebraïcè ſcribitur גשן, Geneſ. XLVII. 1. ubi LXX Γεσὲμ, nam μ & ν permutantur, ut quod jam habuimus *Eſdrelon* in Græco ſcribitur Ἐσδρηλώμ [*Eſdrelom*]. Nominantur hîc in Græco etiam Βεταίνη, id eſt, *Batanæa* apud Tyrum, & Χελλοὺς, quæ eſt *Cholle* in Palmyrene, & *Cades* memorata Deuteronom. I. 44. 46. & *Taphnæ* & *Tanis* urbes Ægypti, de quibus egimus ad Eſaïæ XXX. 4. & *Rameſſe*, de qua Exodi I. 11. Multa quoque alia in Græcis ſunt quæ in Latinis non apparent. Ἕως τοῦ ἐλθεῖν ἐπὶ ὅρια δύο θαλασσῶν [*donec venirent ad fines duorum marium*], id eſt, ad Iſthmum Arabicum. Πᾶς ὁ σύμμικτος αὐτοῦ [*omnis convena ejus*], eſt ערב, qui infrà ὁ ἐπίμικτος, ſupple ὄχλος [*vulgus*]. Vox enim illa Hebræa modò ἐπίμικτος, modò σύμμικτος à LXX vertitur.

CAPVT II.

1. V*T defenderet ſe*] *Defendere* poſuit pro *ulciſci*, ἐκδικῆσαι. Ità eadem vox per κατάχρησιν [*abuſionem*] ſumitur in Latina verſione, Rom. XII. 19. Loqui ſic ſolebant Chriſtiani. Tertullianus de Patientia: *Iam ſi leviùs defendaris, inſanies; ſi uberiùs, oneraberis.* ſtatim ſe explicat, *quid mihi cum ultione?* Idem adversùs Marcionem II. locum qui eſt Deuteronom. XXXII. 35. ſic vertit, *Mihi defenſam, & ego defendam.* Et de Monogamia: *Aliæ diluvium iniquitates provocaverunt ſemel defenſæ qualeſcunque fuerunt*, id eſt, vindicatæ.

4. *Holofernem*] Eſt nomen Ponticum. Vide Appianum Syriacis.

5. *Et contra eos præcipuè qui contemſerunt imperium meum*] In Græco plus eſt, ἑτοιμάζειν μοι γῆν καὶ ὕδωρ [*parare mihi terram & aquam*], quæ eſt ſolennis formula poſtulantis deditionem. Herodotus in Darii Hiſtoria libro VI. κελεύων αἰτέειν βασιλέϊ γῆν καὶ ὕδωρ [*jubens poſcere Regi terram & aquam*]. Habes idem loquendi genus in Hippocratis epiſtolis octavâ & nonâ, & libro Polybii IX. Plutarchus Themiſtocle, τοῖς πεμφθεῖσιν ὑπὸ βασιλέως ἐπὶ γῆς καὶ ὕδατος αἴτησιν [*qui miſſi à Rege erant ad poſcendam terram & aquam*].

8. *Omnémque ſuam expeditionem fecit præire in multitudine innumerabilium camelorum, cum his quæ exercitibus ſufficerent copioſè*] In Græco eſt, καὶ ἔλαβε καμήλους, καὶ ὄνους εἰς τὴν ἀπαρτίαν αὐτῶν [*& ſumſit camelos & aſinos ad uſum ſarcinarum quas illi habebant*], ubi ἀπαρτία ſignificat *ſarcinas.* Ità enim vertunt LXX מסע, Exodi XL. 36. Numeror. X. 12. & שלל, Deuteronom. XX. 14.

12. *Venit ad montes magnos Ange qui ſunt in ſiniſtro Ciliciæ*] *Ange* eſt in Arabia Ptolemæo. In Græco eſt, ἐπὶ πρόσωπον τοῦ πεδίου Βεκτιλὲθ, καὶ ἐπεστρατοπέδευσεν ἀπὸ Βεκτιλέθ [*ante campeſtria Bectileth, & caſtra movere à Bectileth*]. Bactaille eſt Ptolemæo in Syria. Et Syria & Arabia ſunt πλησίον τοῦ ὄρους τοῦ ἐπ' ἀριστερᾷ τῆς ἄνω Κιλικίας [*prope montem qui eſt ad ſiniſtram Ciliciæ ſuperioris*], *ad ſiniſtram iis qui ex Aſſyria Ciliciam tranſeunt.* Non exactè autem hîc ſervatur locorum ordo, ſed deſcriptio eſt παχυμερὴς [*craſſior*], ut in libro μυθικῷ [*per ambages aliò eunte*].

13. *Effregit autem civitatem opinatiſſimam Melothi*] *Melitam* urbem Cappadociæ *à Semiramide conditam*, ut vult Plinius VI. 3. At in Græco eſt καὶ διέκοψεν τὸ Φοὺδ, καὶ τὸ Λοὺδ [*& concîdit Phud & Lud*], id eſt, *Afros & Lydos*, Ægyptiorum ſocios, Ieremiæ XLVI. 9.

Prædavítque omnes filios Tharſis] Id eſt, ſub haſta vendidit. Græcè, καὶ προενόμευσεν υἱοὺς πάντας Ῥασσὴς [*& in præda vendidit omnes filios Tharſis*], ubi ex Latino reſcribendum Θαρσής. Intelligit non Oceani accolas, quos alioqui vox illa notat, ſed Cilicas, quorum urbs *Tarſus*, à quibus fortè illi ad Oceanum venêre.

Et filios Iſmaël, qui erant contra faciem deſerti, & ad Auſtrum terræ Cellon] In Græco, καὶ υἱοὺς Ἰσμαὴλ κατὰ πρόσωπον τῆς ἐρήμου πρὸς νότον τῆς Χελλών [*& filios Iſmaël ante deſertum ad Auſtrum Chellon*]. *Deſertum* intellige Arabum ſolitudines; & *Chellon* Palmyrenæ partem, quæ ſuprà Χελλοὺς in Græco, ut diximus.

14. *A torrente Mambre*] In Græco, ἐπὶ τοῦ χειμάῤῥου Ἀβρωνᾶ [*in torrente Abronai*]. Intelligitur hîc alveus Euphratis Χοβὰρ [*Chobar*], de quo diximus ad Ezechiel. I. 3. Ἀβόῤῥαν [*Aborram*] cum Græci quidam vocant, unde Ἀβρωνὰς [*Abronas*], & tranſpoſitis literis Ἀρβωναί [*Arbonai*]. In Latino fuerat, credo, *Abre*, unde imperiti ſcribæ fecere *Mambre*, ex loco Geneſeos XIII. 18.

Vſquequo pervenitur ad mare] Ciliciam.

15. *Vſque ad fines Iapheth*] Legendum *Iaphleth* ex Ioſuæ XVI. 2.

16. *Et prædavit omnem locupletationem eorum*] In Græco, καὶ προενόμευσε τὰς μάνδρας αὐτῶν. *Mandræ*

ſunt ſepta quibus clauduntur armenta & greges. Sophon. II. 6. Iudic. VI. 2. Ezechiel. XXXIV. 14.

18. *Et cecidit timor illius ſuper omnes inhabitantes terram*] Nempe τὴν παράλιον [*maritimam*], ut habet Græcus, id eſt, *mari & amnibus adſitam.* Nominat autem Græcus ſcriptor poſt *Tyrum & Sidonem* *Sur*, *Ocina*, *Iemnaan.* *Sur* eſt *Sura* juxta Euphratem Ptolemæo. *Ocina* eſt עכו, Iudic. I.31. *Ace* Plinio, eadem quæ recentiori nomine *Ptolemaïs*, Plinius V. 20. Nam litera ν in hoc nomine, ut modò in *Arbonaï*, eſt παραγωγική [*adjectitia ad finem*], recepto Syris more. Idem fit in *Iemnaan*: ea enim eſt *Iamnis* Plinio V. 13. *Iamnitarum portus* Ptolemæo in Palæſtina.

CAPVT III.

1. S*Yriæ Sobal*] *Samulis* Ptolemæo. Mutantur autem inter ſe β & μ, aut ſcribendo, aut etiam pronuntiando, ut ſæpe jam viſum.

10. *Cum coronis*] Vt in re læta.

14. *Apameam*] Vrbs ad Narmalcham & Tigrim. Vide Ptolemæum. At in Græco eſt, καὶ ἦλθε κατὰ πρόσωπον Ἐσδρηλὼν πλησίον τῆς Δοταίας, ἥ ἐστιν ἀπέναντι τοῦ πρίονος τοῦ μεγάλου τῆς Ἰουδαίας [*Et venit ante Eſdraëlos apud Dotæam, quæ eſt contra Serram magnam Iudææ*]. De *Eſdrelon* diximus ſuprà I. 8. Δοταία eſt Δωθαείμ [*Dothaïm*] Geneſ. XXXVII. 17. & II Regum VI. 13. literâ ם in fine omiſſâ. Plenè autem ſcribitur infrà VII. 3. & in Græco VIII. 3. Πρίων, id eſt, *Serra*, dicitur locus quivis ubi juga ſunt vertebroſa, quia ea ſerræ ſpeciem præferunt.

Venit ad Idumæos in terram Gabaa] In Græco eſt, κατεστρατοπέδευσεν ἀναμέσον Γαβᾶ καὶ Σκυθῶν πόλεως [*caſtra poſuit inter Gaba & Scytharum urbem*]. *Gabaa* nomen commune eſt omnibus locis editioribus. *Scythopolis* urbs Syriæ memorata Plinio V. 18. Ptolemæo & Ioſepho.

CAPVT IV.

3. I*N omnem Samariam, per circuitum uſque Iericho*] In Græco plura hîc loca nominantur. Βηθωρὼ [*Bethóro*], quæ eſt בית חורו Ioſuæ XVI. 3. ubi in Græco Βαιθωρών. Deinde Βελμὲν [*Belmen*] eſt בעל מין. Pro Χωβὰ [*Choba*] legendum fortè Χωχεβὰ [*Chocheba*], qui vicus Galilææ. Ἐσωρὰ [*Eſora*] eſt חצור Ioſuæ XI. 10. ubi Græci Ἀσώρ [*Aſor*].

5. *Sacerdos etiam Eliakim ſcripſit ad univerſos*] Signum hoc eſt ſcriptum hunc librum quo tempore principatus erat penes ſummos Sacerdotes. In Græco hîc nominatur præter *Bethuliam*, Βετημεσθάμ [*Betemeſtham*], quod videtur corruptum ex בות שמש I Samuel. VI. 12. ubi Græci, Βαιθσαμύς [*Baithſamys*]. Syri pro שמש [*Sol*] dicunt שמשתא: unde urbes *Samoſata*, & in monte *Arſamoſata* apud Tacitum. Hinc בית שמשתא, Βαιθσάμεσθα.

6. *Vbi anguſtum iter eſſe poterat inter montes*] *Fauces ubi ægrè bini tranſibant*, ait Græcus ſcriptor.

9. *Infantes proſtraverunt ſe contra faciem Templi*] *Pueri*, παιδία in Græco. Mos erat ubivis orantium vertere ſe Templum verſùs.

13. *Qui Amalec confidentem in virtute ſua & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando dejecit*] Exodi XVII. 12.

16. *Hi qui offerebant Domino holocauſta*] In Græco, προσέφερον τὴν ὁλοκαύτωσιν τοῦ ἐνδελεχισμοῦ, καὶ τὰς εὐχὰς, καὶ τὰ ἑκούσια δόματα τοῦ λαοῦ [*offerebant holocauſtum jugis ſacrificii, & votiva, & ſponte à populo data*]. De holocauſto jugi ſive quotidiano vide Exodi XXIX. 42. Numer. XXVIII. 3. de votivo ſacro Levitici XXVII. 9. de voluntario Levitic. VII. 6.

Et erat cinis ſuper capita eorum] In Græco, καὶ ἦν σποδὸς ἐπὶ τὰς κιδάρεις αὐτῶν [*& erat cinis ſuper cidares eorum*]. Cidarem in capite habebant omnes Sacerdotes, Exodi XXVIII. 40. Plutarchus de Iudæis agens IV Convivalium, ὁ ἱερεὺς μιτροφόρος [*Sacerdos mitram fert*].

CAPVT V.

6. P*Opulus iſte ex progenie Chaldæorum eſt*] Indè enim primùm venerat Abraham. Tacitus dixit *Aſſyrios convenas.* Solent autem ſæpe apud longinquos confundi *Aſſyriorum* & *Chaldæorum* nomina. Lucanus,

——— *muriſque ſuperbam*
Aſſyrias Babylona domos.

9. *Illicque per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt*] Additur in Græco, καὶ παρῴκησαν ἐκεῖ μέχρις οὗ διεστράφησαν [*incolæ ibi fuere donec* &c.], id eſt, *donec malè tractari cœpere.* Ità enim ſumitur διαστρέφειν Ezechielis XIII. 22. Eccleſiaſt. I. 15. VII. 14. Sirachidæ XI. 35.

10. *Cúmque gravaret eos Rex Ægypti*] In Græco, κατεσοφίσαντο αὐτοὺς [*circumvenerunt eos*]. Eâdem voce in hac eadem re utitur Lucas Act. VII. 19. nempe ex loco Exodi I. 10. ubi in Græco, δεῦτε οὖν κατασοφισώμεθα αὐτοὺς [*Agè, circumveniamus eos*], נתחכמה לו. Par ſenſus in illo Danielis מבין חידות.

In luto & latere ſubjugaſſet eos] In Græco, καὶ ἐν πόνῳ καὶ ἐν πλίνθῳ ἐταπείνωσεν αὐτοὺς [*in labore & in lateribus depreſſit eos*]· ubi primùm eſt ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*], pro ἐν πόνῳ πλίνθου [*in labore lateritio*]· deinde ἐταπείνωσεν [*depreſſit*] valet κατεδούλωσε [*ſerviliter habuit*], Exodi I. 14.

14. *Deſerta Sina montis occupaverunt*] Iuſtinus: *Montem Sinan occupat.* In Græco eſt, τὸ Σινᾶ καὶ Κάδης Βαρνῆ [*Sina & Cades Barne*]. Vide Deuteronomii I. 2.

20. *Deinde Chananæum Regem, & Iebuzæum, & Pherezæum, & Hethæum, & Hevæum, & Amorrhæum, & omnes potentes in Heſebon proſtraverunt*] In Græco, poſt *Iebuſæum* ſequitur καὶ τὸν Συχέμ [*& Sichem*]· idem eſt quod *Hevæi* Geneſ. XXXIV. 2.

23. *Nuper autem reverſi ad Dominum Deum ſuum ex diſperſione quâ diſperſi fuerant, aduniti ſunt*] Vide quæ diximus ad initium hujus libri.

Vbi ſunt ſancta eorum] Templum.

24. *Si eſt aliqua iniquitas eorum*] In Græco, ἀγνόημα· ſed eâ voce etiam graviora crimina notari diximus ad Tobiæ III. 3.

26. *Cogitabant interficere eum*] Συγκόψαι αὐτὸν in Græco, id eſt, *diſcerpere.*

CAPVT VI.

2. QVoniam prophetaſti nobis] Malè ominatus es.

4. *Et probabis quoniam Nabuchodonoſor ſit Dominus univerſæ terræ*] Additur in Græco, οὐ ῥύσεται αὐτοὺς ὁ Θεὸς αὐτῶν [*non eruet eos Deus eorum*], ex verbis Rabſacis II Regum XVIII. 34. 35. Sequitur in Græco, καὶ τὰ ὄρη αὐτῶν μεθυσθήσονται ἐν τῷ αἵματι αὐτῶν [*& montes ipſorum inebriabuntur ſanguine eorum*], ex Eſaïa XXXIV. 7. Mox dicitur dixiſſe Nabuchodonoſor, οὐ ματαιωθήσονται τὰ ῥήματα τῶν λόγων μου [*non inaneſcent verba ſermonum meorum*], id eſt, omnia potiùs movebo quàm minæ meæ ſint irritæ.

6. *Ipſe ſimul ultioni ſubjaceas*] Plura hîc ſunt in Græco. Primùm dicitur, Ἀχιὼρ μισθωτὲ Ἀμμὼν [*Achior mercenarie Ammon*], quaſi dicat, *homo mercede conducte*, nullo affectu in res noſtras: deinde, ἐν ἡμέρᾳ ἀδικίας [*in die injuſtitiæ*], id eſt, *hoc tempore quo perfidia tua detecta eſt*: poſtea, ὅταν ἐπιστρέψω [*cùm revertar*], id eſt, *ubi te rurſum videro*, inter hoſtes ſcilicet devictos. Ἐν μιᾷ τῶν πόλεων ἀναβάσεων [*in una urbe adſcenſionum*], id eſt, *aliquâ urbe earum quæ in montibus ſitæ ob id invictas ſe putant.* ἀνάβασις [*adſcenſio*] eſt מעלה. Vide ſuprà in Græco IV. 5. infrà hîc VII. 11. I Maccab. III. 16.

11. *Erant illic Principes*] Ἄρχοντες πόλεων [*Principes urbium*] iidem qui πρεσβύτεροι τῆς πόλεως [*Seniores urbium*], infrà XI. Vide Matth. IX. 18. Ioh. III. 1. VII. 26. Actor. III. 17. IV. 5.

12. *Et in conſpectu omnium*] Etiam populi, quæ ἐκκλησία [*Conventus*] hîc dicitur in Græco, id eſt קהל.

Quæ locutus ipſe fuerat ab Holopherne interrogatus] In Græco, τὰ ῥήματα τῆς συνεδρίας Ὀλοφέρνου [*verba Conſeſſûs Holophernis*], id eſt, *quæ in illo militari Holophernis conſeſſu dicta fuerant.*

15. *Reſpice ad noſtram humilitatem*] Id eſt, ad fortunas noſtras abjectas ac miſeras. Confer Lucæ I. 48.

Et faciem ſanctorum tuorum attende] Græcè, ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸ πρόσωπον τῶν ἡγιασμένων [*reſpice faciem ſanctificatorum*], id eſt, Sacerdotum, & Nazaræorum.

20. *Simul expleto jejunio refecerunt*] In Græco, ἐποίησε πότον τοῖς πρεσβυτέροις [*fecit potum Senioribus*], ex Hebræo משתה, quod *convivium* ſignificat, ſed à *potu* deducitur, ut Græcum συμπόσιον.

21. *Intra Eccleſiam oraverunt*] Non eſt in Græco *intra Eccleſiam.* Senſus eſt, *in pleniſſimo conventu.* Vide infrà VII. 18. in Græco.

CAPVT VII.

2. EQuites viginti duo millia] In Græco, ἱππέων χιλιάδες δεκαδύο [*equitum duodecim millia*], ut ſuprà II. 7.

Præter præparationes virorum illorum quos occupaverat captivitas] In Græco diſtinctè, χωρὶς τῆς ἀποσκευῆς καὶ τῶν ἀνδρῶν οἳ ἦσαν πεζοὶ ἐν αὐτοῖς [*præter impedimenta & pedites eis appoſitos*], conſtructione πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad rem ſignificatam*], quaſi dixiſſet τῶν σκευῶν.

3. *Et venerunt per crepidinem montis*] *Crepidinem* hîc vocat radices montis, τὸν αὐλῶνα, ut eſt in Græco.

A loco qui dicitur Belma] In Græco, Βελμαΐμ [*Belmaïm*] Idem eſt locus qui ſuprà IV. 3. Βελμὲν [*Belmen*], בעל מין, vel בעל מים.

Vſque ad Chelmon] Videamus an hæc vox in Græco reſtituenda ſit, ut pro ἕως κυάμωνος [*uſque ad fabarum ſatum*] legamus ἕως Χέλμωνος [*uſque ad Chelmonem*].

8. *Sed filii Ammon & Moab acceſſerunt ad Holofernem*] In Græco additur, καὶ οἱ στρατηγοὶ τῆς παραλίας [*& præfecti oræ maritimæ*], id eſt, Phœnices.

10. *Et conſtituit per gyrum centenarios per ſingulos fontes*] In Græco hîc eſt, καὶ ἀπέστειλαν ἐξ αὐτῶν πρὸς νότον καὶ ἀπηλιώτην ἀπέναντι Ἐκρεβὴλ, ἥ ἐστι πλησίον Χουσὶ, ἥ ἐστιν ἐπὶ τοῦ χειμάῤῥου Μοχμὲρ [*& miſerunt ex eis ad Auſtrum & Subſolanum, contra Ecrebel, quæ eſt apud Chuſi, quæ eſt ad torrentem Mochmer*]. In Græcis adeò corruptis, ut eſt hic liber, difficile eſt locorum nomina reſtituere: ſed pro Ἐκρεβὴλ videtur ſcribendum Ἐκρεβέτ [*Ecrebet*]. Ea eſt *Acrabatene* memorata Plinio in deſcriptione Iudææ, V. 14. & Ioſepho ſæpe. *Chuſi* Κόσμος [*Coſmos*] ad Iordanem; *Mochmer* verò *Mezarma* itidem ad Iordaném, quæ nomina habet Ptolemæus. Sequitur in Græco, πᾶσα συναγωγὴ Ἀσσοὺρ [*omnis Collectio Aſſur*], id eſt, *totus exercitus*, quomodo vox Hebræa קהל & Græca συναγωγῆς ſumuntur Ezechielis XXVI. 7. XXVII. 27. 34. XXXII. 22. 23. XXXVIII. 4. 15. & alibi. Poſtea, ὅτι ἐν μέτρῳ ἐδίδουν αὐτοῖς πιεῖν [*quoniam ad menſuram dederunt eis bibere*], convenit cum aliarum gentium hiſtoriis, apud quas in obſeſſis oppidis aqua ad dimenſum diſtributa eſt.

13. *Iudicet Deus inter nos & te*] Deſúmtum ex loco Exodi VI. 21. ubi in paris impatientiæ verba populus in Moſem prorumpit. Nimirum *adverſa uni imputantur*, ut in Agricola dixit Tacitus.

Et propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorum] Id eſt, *quaſi venditos tradidit.* μετωνυμία [*Tranſnominatio*]. Eſaïæ L. 2. Deuteron. XXVIII. 68. Poſtea in Græco eſt ἔλλειψις [*defectus vocis*] ante illa verba ἵνα μὴ ποιήσῃ κατὰ τὰ ῥήματα ταῦτα ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ σήμερον [*nè faciat ſecundùm verba hæc in die hodierno*]. Deeſt enim *cavendum eſt*, ut Geneſ. III. 27.

20. *Aut in tuo flagello vindica iniquitates noſtras*] Quovis modo nos puni potiùs quàm iſtos ſinas de nobis triumphare.

CAPVT VIII.

1. FIlii Simeon, filii Ruben] Hæc omnia ὑπόνοιαν [*abditam ſignificationem*] habent ex origine nominum: alioqui nullus Rubeni fuit filius *Simeon.* *Ruben* eſt contractè dictum pro ראה בעני, *Vidit* (Deus) *miſeriam*, Geneſ. XXIX. 32. Ex ea Dei miſeratione naſcitur Simeon, *obedientiam* ſignificans. Philo de Ebrietate, λογισμοὺς εὐφυεῖς, ὧν παράδειγμα Ῥουβίμ· φιληκόους καὶ φιλομαθεῖς ἑτέρους, ὧν ἐστι Συμεών [*cogitationes benignas, quarum imago Ruben; alias audiendi & diſcendi cupidas, quarum imago Simeon*].Ità & alia quæ hîc ſunt nomina ſua ex origine habent ἠθικὰς [*morales*] ſignificationes.

2. 3. *Et vir ejus fuit Manaſſes, qui mortuus eſt in diebus meßis hordeaceæ: inſtabat enim ſuper alligantes manipulos in campo, & venit æſtus ſuper caput ejus, & mortuus eſt*] *Oblivio* (hoc enim ſignificat *Manaſſes*, ut & Philo notavit De evigilante Noë, iterúmque libro de Coloniis) moritur flagrante cœlo, id eſt, per adverſa fit ut excutiatur in hominibus oblivio rerum Divinarum. Additur in Græco τῆς φυλῆς αὐτῆς καὶ τῆς πατριᾶς αὐτῆς [*de tribu ſua & de familia ſua*], unde intelligimus Iuditham ob oculos nobis poni tanquam ἐπίκληρον [*filiam heredem*]. Vide quæ dicta ad Tobiam III. 18. V. 12. & Matth. I.

3. *Inſtabat enim ſuper alligantes*] Aderat operi.

Et ſepultus eſt illic] At in Græco, καὶ ἔθαψαν αὐτὸν μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ ἐν τῷ ἀγρῷ τῷ ἀναμέσον Δωθαεὶμ καὶ Βαλαμώ [*& ſepelierunt eum cum patribus ſuis in agro qui eſt inter Dothaïm & Balamo*]· ubi Δωθαεὶμ [*Dothaïm*] haud dubiè eſt locus qui ſuprà Δώταια [*Dotæa*], III. 12. in Græco. Βαλαμὼ [*Balamo*] autem idem qui Βελμὲν [*Belmen*] IV. 3. & Βελμαὶμ [*Belmaïm*] VII. 3. in Græco: Nimirum בעל מי, omiſſo ם ſive ן. Variè enim talia pronuntiabantur, ac ſcribebantur.

5. *Et in ſuperioribus domûs*] Bene vertit quiſquis hic eſt Interpres illud ἐπὶ τοῦ δώματος. Vide Act. X. 9.

6. *Præter Sabbata, & Neomenias, & feſta domûs Iſraël*] In Græco uberiùs, χωρὶς προσαββάτων, καὶ σαββάτων, καὶ προνουμηνιῶν, καὶ ἑορτῶν, καὶ χαρμοσυνῶν οἴκου Ἰσραήλ [*præter proſabbata, & Sabbata, & antelunia, & dies feſtos & gaudia domûs Iſraël*]. Dies Sabbatorum, Interluniorum & Azymorum, & τῶν ἑβδομάδων [*Septimanarum*] ſive Pentecoſtes, & σκηνοπηγίας [*Tabernaculorum*], omnes dies erant læti, ideóque ex ſenſu Legis intelligebatur vetitum iis diebus jejunare. Cautio diligentior addiderat προεόρτια & προσάββατα [*dies ante feſtum & dies ante Sabbatum*], nimirum *in ſepimentum* (ut ſapientes loquebantur) Legis, nè quid pridiani luctûs in animo reſtaret diebus gaudio dicatis. Ἑορτὴ nomen eſt generale, verùm hîc ponitur pro *Interluniis*.

8. *Nec erat qui loqueretur de ea verbum malum*]

Quæ caſta eſt? de qua mentiri fama veretur.

10. *Et venerunt ad illam*] Sicut etiam judices, ubi teſtimonium ab honeſtioribus matronis perhibendum eſt, ire ad earum domum ſolent.

11. *Qui tentatis Dominum*] Hoc eſt, *irritatis*, ut ſequitur.

13. *Poſuiſtis vos tempus miſerationis Domini*] Non erat veſtrum, tempus ipſi præſcribere, quod piis adfuturum promiſit. Si deditionem omnino vellet fieri, moneret vos, ut per Ieremiam. Sequitur in Græco, πῶς τὸν Θεὸν ὃς ἐποίησε πάντα ταῦτα ἐρευνήσετε; [*quomodo Deum explorabitis qui cuncta hæc fecit?*] nempe quando & quomodo liberare nos velit: αὐτὸς ἔχει τὴν ἐξουσίαν ἐν αἷς θέλει σκεπάσαι καὶ πάσαις ἡμέραις [*ipſe poteſtatem habet in quibus diebus vult liberare, etiam omnibus*]. *Ius, ut Dominus, habet conſtantiam noſtram explorandi, & nos liberandi quocunque volet tempore*: ὑμεῖς δὲ μὴ ἐνεχυράζετε τὰς βουλὰς Κυρίου τοῦ Θεοῦ ἡμῶν [*vos autem nè pignerate conſilia Domini Dei noſtri*], id eſt, *nolite cum eo agere tanquam cum debitore, quem pignoribus captis ut ſatisfaciat compellimus.* Ità ſæpe res in aliquo ſimiles ſimilium verbis exprimuntur.

15. *Non enim quaſi homo ſic Deus comminabitur, neque ſicut filius hominis ad iram inflammabitur*] In Græco eſt, ὅτι οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς ἀπειληθῆναι, οὐδ' ὡς υἱὸς ἀνθρώπου διαιτηθῆναι, id eſt, *Deus non ut hominis terretur, aut ad judicium ſubeundum cogitur.* Sequitur mox, οὔτε ἐν τῷ ληφθῆναι ἡμᾶς οὕτως κληθήσεται ἡ Ἰουδαία [*neque cùm capti fuerimus nos, ſic vocabitur Iudæa*]. *Si nos*, ait, *in captivitatem agimur, ut majores noſtri, jam perierit nomen Iudææ*: καὶ ἐσόμεθα εἰς πρόσκομμα [*& erimus in offendiculum*], id eſt, *offendentur omnes conſpectu noſtrî.*

23. *Sic Iacob*] In Græcis quæ ſequuntur delenda eſt negatio, & verba ſic legenda, ὅτι καθὼς ἐπύρωσεν εἰς ἐτασμὸν καρδίας αὐτῶν, καὶ ἡμᾶς οὐκ ἐξεδίκησεν, ἀλλ' εἰς νουθεσίαν μαστιγοῖ τοὺς ἐγγίζοντας αὐτῷ [*quia ſicut ußit ad explorationem corda eorum, & nos non ulciſcendo ſed caſtigando flagellat, ut qui accedamus ad ipſum*]. *Sicut corda illorum velut igne exploravit, ſic & nos, quippe qui ſeriò ipſum colimus, per hæc pericula non exitio deſtinat, ſed paternè officii admonet.*

25. *Exterminati ſunt ab exterminatore*] Hæc non ſunt in Græco. *Ab exterminatore*, ἀπὸ ὀλοθρευτοῦ 1 Cor. X. 10. ὀλοθρευτὴς ad verbum eſt אשמדי, de quo in Tobia.

29. *Ora pro nobis*] Addit textus Græcus, *ut imber cadat in ciſternas.*

32. *Cum Abra mea*] Μετὰ τῆς ἄβρας μου. *Abra* propriè non *ancillam* ſignificat, ſed *ingenuam comitem*: exſtátque vox Græca non tantùm apud LXX, ubi in Hebræo eſt נערה, Geneſ. XXIV. 61. Exod. II. 5. Eſther. II. 9. IV. 4. 15. ſed & apud Menandrum. Eſt tamen origo Syriaca, חברה *ſocia*. Exſtat in Chaldaïco Exodi XI. 2. ſed uſus poſterior hoc nomen etiam ancillis honoratioribus tribuit, qualem hanc ſcriptor hic facit infrà XVI. 28.

34. *Et revertentes abierunt*] In Græco eſt, ἀποστρέψαντες ἐκ τῆς σκηνῆς, ab illo tentorio quod in ſuperiori domûs parte Iudith ſibi feciſſe narratur ſuprà 4.

CAPVT IX.

1. *ET induens ſe cilicio poſuit cinerem ſuper caput ſuum*] In Græco malè ſcribitur, ἐπέθετο σποδὸν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς, καὶ ἐγύμνωσεν ὃν ἐνεδιδύσκετο σάκκον [*impoſuit cinerem capiti ſuo, & exuta induit ſaccum*]. Legendum, καὶ γυμνωσαμένη ἐνεδιδύσκετο σάκκον· & γυμνωσαμένη eſt *exutâ veſte*, illâ nempe in qua Senatores compellaverat.

Et proſternens ſe Domino] In Græco tempus deſignatur, καὶ ἦν ἄρτι προσφερόμενον εἰς Ἱερουσαλὴμ εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ τὸ θυμίαμα [*& erat tunc Hieroſolymis in Templo Dei oblatus ſuffitus*].

2. *Qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum*] *Defenſio* eſt hîc punitio, ut in loco Tertulliani de Monogamia, quem modò produximus. εἰς ἐκδίκησιν ἀλλογενῶν in Græco, id eſt, *ad pœnam alienigenarum*, vel *vindictam in alienigenas*. Non erat laudandum factum Simeonis, ſed Deus juſtè punivit ſcortatorem.

Qui violatores exſtiterunt in coinquinatione ſua] Legimus in Græco, οἳ ἔλυσαν μήτραν παρθένου εἰς μίασμα [*qui ſolverunt uterum virginis ad pollutionem*].

Sed non eſt recepta locutio λύειν μήτραν [*ſolvere uterum*]· ἀνοίγειν μήτραν [*aperire uterum*] dicunt Hebræi, qui Græcè Ἑβραΐζουσι [*Hebræos imitantur*], idque de partu, non de concubitu. Præterea, ſi is eſſet hic ſenſus, malè ſequeretur καὶ ἐγύμνωσαν μηρὸν [*& nudarunt femur*], id eſt, גלו ערוה. Omnino hujus libri ſcriptor legerat ſcriptores ex Græcis, ut qui & *Titanum & Gigantum* meminerit infrà xvi. 8. & eorum exemplo ſcripſerat ἔλυσαν μίτραν, *zonam virgineam ſolverant*, ut Catullus loquitur. Muſæus de Leandro,

——— Ὁ δ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην.

[*— Ille autem properavit ſolvere zonam.*]

Quod ſequitur in Græco οὐχ οὕτως ἔσται, ſignificat *non ſic abibit*. Mox, καὶ τὴν στρωμνὴν αὐτῶν ἠρδεύσατο τὴν ἀπατηθεῖσαν εἰς αἷμα [*& deceptum cubile ſanguine humectavit*], locutio eſt Poëtica: *cubile* enim *deceptum* dicitur ubi homines decepti erant.

5. *Omnes enim viæ tuæ paratæ ſunt*] Ἕτοιμοι, *faciles tibi.*

Et tua judicia in tua providentia poſuiſti] Ἐν προγνώσει bene vertit: nam πρόγνωσις ſæpe non nudam *prænotionem*, ſed & *directionem* Divinam ſignificat.

11. *Et dejicere gladio cornu altaris tui*] Vide Exodi xxvii. 2. Levit. iv. 7. 1 Reg. i. 50. Amos iii. 14.

13. *Et percuties eum ex labiis caritatis meæ*] Legit ἐκ χειλέων ἀγάπης, ubi nos non malè habemus χειλέων ἀπάτης [*labiorum fraudis*], quod meliùs congruit cum illis quæ in Græco præceſſerunt, τὴν στρωμνὴν τὴν ἀπατηθεῖσαν [*cubile deceptum*]. Sequitur in Græco, θραῦσον αὐτῶν τὸ ἀνάστημα ἐν χειρὶ θηλείας [*vulnera eorum ſtatum per manum feminæ*], ubi ἀνάστημα eſt *ſtatus erectus*, ut Zach. ix. 8. & infrà xii. 9.

CAPVT X.

2. *ABſtulit à ſe cilicium*] Περιείλετο τὸν σάκκον, *convolvit*, ut rem ſeponendam.

3. *Et unxit ſe myro optimo*] Μύρῳ παχεῖ [*unguento craſſo*]. *Adjicitur cinnamomo balaninum oleum, xylobalſamum, calamus, juncus, balſami ſemina, myrrha, mel odoratum: unguentorum hoc craſſiſſimum*, Plinius xiii. 1.

Et diſcriminavit crinem capitis ſui] Latinè admodum: nam indè & *diſcriminale* in Latino Eſaïæ & Iſidoro. Ovidius,

Colligere incertos & in ordine ponere crines
Docta.

Et alibi,

Ponendis in mille modos præfecta capillis.

Impoſuit mitram ſuper caput ſuum] Eſt hîc *mitra* capitis ornatus. Virgilius:

——— *caput Græcâ redimita mitellâ.*

Et induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ] Quæ oppoſita veſtimentis lugubribus.

Induítque ſandalia pedibus ſuis] Ex melinis pellibus: ità enim mos erat diebus lætis.

Aſſumsítque dextraliola] In Græco diſtinctè, τοὺς χλιδῶνας καὶ ψέλλια, ut & in Græco Eſaïæ iii. 19. χλιδὼν generale eſt nomen *monilium*, ſed ſpecialiter de iis dicitur monilibus quæ erant circa brachia. Itaque ii Samuel. i. 10. ubi χλιδόνα habent alii, βραχιάλιον [*brachiale*] poſuit Aquila. Et Athenæus ex veteri Poëta citat χλιδῶνας ἀμφὶ βραχίοσι [*brachialia circa brachia*]. Ψέλλια notum eſt eſſe *armillas*, quæ ſunt περὶ τοὺς καρποὺς [*circa juncturam manûs*].

Et lilia] Hæc de collo videntur pependiſſe.

Et inaures & annulos] De *inauribus* feminarum Orientis vide Exodi xxxii. 23. Oſeæ iii. 13. de *annulis* Eſaïæ iii. 21.

5. *Aſcoperam vini*] In Græco, ἀσκοπυτίνην, Meminit Pollux lib. x.

Et polentam] Ἀλφίτων in Græco. Sic dicitur etiam quæ ex tritico eſt farina.

Et palathas] Παλάθη eſt *ficuum maſſa*, i Samuelis xxv. 18. xxx. 11. ii Regum iv. 2. xvi. 1. xx. 7. 1 Paralipomenon xii. 40. Martialis:

Hæc tibi quæ tortâ venerunt condita metâ,
Si majora forent cottana, ficus erant.

Et panem & caſeum] Legit in Græco καὶ ἄρτων καὶ τύρων, pro quo nos habemus, καὶ ἄρτων καθαρῶν [*& de panibus puris*]. Sequitur in Græco, καὶ περιεδίπλωσε πάντα τὰ ἀγγεῖα ἑαυτῆς, καὶ ἐπέθηκεν ἐν αὐτῇ, id eſt, *cætera vaſcula bene obvoluta impoſuit in peram.*

13. *Ità ut non cadat vir unus de exercitu ejus*] In Græco, καὶ οὐ διαφωνήσει τῶν ἀνδρῶν αὐτοῦ σὰρξ μία [*non deſiderabitur de viris ejus caro ulla*], id eſt, *non deſiderabitur*, quomodo διαφωνεῖν apud Helleniſtas ſumi diximus ad Exodi xxiv. 11.

18. *Qui tam decoras mulieres habent, ut non pro his meritò pugnare contra eos debeamus*] Sic Græci apud Homerum, conſpectâ Helenâ,

Οὐ νέμεσις Τρῶάς τε καὶ ἐϋκνήμιδας Ἀχαιοὺς
Τοιῇδ᾽ ἀμφὶ γυναικὶ πολὺν χρόνον ἄλγεα πάσχειν.
Αἰνῶς ἀθανάτοισι θεῇς εἰς ὦπα ἔοικεν.

[*Non mirum eſt Phrygas & procero corpore Achivos*
Pro tali forma longos perferre dolores:
Nimirum ſimilis facies eſt illa deabus.]

Additur hîc in Græco, οἱ ἀφεθέντες δυνήσονται κατασοφίσασθαι πᾶσαν τὴν γῆν [*qui ſi permittantur omnem terram decipere poterunt*], nimirum omnes perducere poterunt in ſuam amicitiam feminarum illecebris.

19. *Sedentem in conopæo*] Ἐν τῷ κωνωπίῳ. Horatius,

Intérque ſigna (turpe!) militaria
Sol adſpicit Conopeum.

Alexandrinos maximè eo uti ait ibi Scholiaſtes.

CAPVT XI.

4. *SVme verba ancillæ tuæ*] In Græco additur, λαλησάτω ἡ παιδίσκη σου κατὰ πρόσωπόν σου [*loquatur ancilla tua coram te*], id eſt, audientiam verbis meis præbe.

Perfectam rem faciet Dominus tecum] Additur in Græco, καὶ οὐκ ἀποπεσεῖται ὁ κύριός μου τῶν ἐπιτηδευμάτων αὐτοῦ [*non excidet dominus meus propoſito ſuo*], *non excides cogitatis*. Reſpondet enim ἐπιτήδευμα vocibus עצה, עלילה, & ſimilibus.

8. *Vt mandaverit per Prophetas ſuos ad populum, quòd tradat eum pro peccatis ſuis*] *Significavit ſe traditurum.* Sequitur hîc in Græco, ἵνα μὴ γένηται ὁ κύριός μου ἔκβολος καὶ ἄπρακτος [*nè fiat dominus meus irritus & ſine*

& ſine effectu]· ubi ἔκβολος eſt *qui de re ſperata dejicitur*: ὁ ἔξω βεβλημένος interpretantur Lexicographi.

11. *Denique hoc ordinant, ut interficiant pecora ſua, & bibant ſanguinem eorum*] Quod haud dubiè Lege vetitum. In Græco tamen nihil de *ſanguine*. Itaque *pecora* intellexit ſues, & alia vetita.

12. *Hæc cogitaverunt impendere*] Κεκρίκασιν ἐξαναλῶσαι, in Græco. Quid mirum, cùm & David id in fame fecerit? Sed finguntur iſta dicta ut derelictos à Deo Iudæos crederet Holofernes, Legis vim non intelligens. Additur mox in Græco, καὶ ἀπεστάλκασιν εἰς Ἱερουσαλὴμ, ὅτι καὶ οἱ ἐκεῖ κατοικοῦντες ἐποίησαν ταῦτα τοῖς μετακομίσασιν αὐτοῖς καὶ ποιήσουσι. *Miſerunt Ieruſalem, ut ſi qui ibi habitant aſſenſum præbuerint iis qui miſſi ſunt ad referendum Senatûs permiſſum, ſimul id renunciatum fuerit, effectum dent.* ὅτι pro *ſi*, & καὶ bis abundat. Synedrium LXX virorum jus habebat ἐξ ἐπιεικείας [*ex æquo & bono*] ſolvendi quædam Legis vincula. Docet id Maimonides Ductore dubitantium III. 41.

15. *Et non latrabit vel unus canis contra te*] Proverbiale, ut Exodi XI. 7.

16. *Hæc mihi dicta ſunt per providentiam Dei*] Hinc apparet in Græco legendum κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ, non κατὰ πρόγνωσίν μου. Vide ſuprà IX. 5.

18. *Placuerunt autem omnia verba hæc coram Holopherne*] Græcè, ἐναντίον Ὁλοφέρνου. Hebraïſmus לפני, vel על פני, poſt verba *placendi* ſignificatum habentia.

19. *Non eſt talis mulier ſuper terram*] In Græco, ἀπ᾽ ἄκρου ἕως ἄκρου τῆς γῆς [*ab extremo uſque ad extremum terræ*]. De hoc loquendi genere vide quæ ad Matthæi XXIV. 31.

CAPVT XII.

2. NE *veniat ſuper me offenſio*] Ἵνα μὴ γένηται σκάνδαλον, id eſt, *nè hoc mihi cauſa ſit ruinæ.*

7. *Et baptizabat ſe in fonte aquæ*] In illo fonte cujus mentio ſuprà in Græco VII. 3. Lotio hæc non ex Lege erat, ſed ex ſpeciali quorundam cura, ubi ſe precibus parabant. Nam ſic & LXX Senes ait Ariſteas ablutos antequam ſe ſacræ lectioni darent. Potuit accedere & metus à contactu alienigenarum, ut Marci VII. 4. ubi dicta vide.

10. *Et dixerat ad Vagao eunuchum ſuum*] Græci hîc & infrà Βαγώα. Plinius ità vocari Babylone ait ſpadones XIII. 4. Ovidius Amorum II. 2.

Quem penes eſt dominam ſervandi cura Bagoë.

Et communiter ſumitur Βαγώας in Additamentis ad Eſther. III. 6. Curtius ut proprium ponit lib. VI. *Bagoa ſingulari ſpecie ſpado*: ut & Plutarchus in Moralibus. Idem Plutarchus alterius Bagoæ meminit in libro de Fortuna Alexandri, qui Darium ad regnum provexerit: de quo & Curtius, *In ſedem Cyri beneficio Bagoæ caſtrati hominis admiſſus.* Alterius etiam in Eunucho Lucianus.

14. *Omne quod erit ante oculos ejus bonum & optimum faciam*] Legit ἄριστον, ubi in Græco eſt, ἀρεστόν. πᾶν ὃ ἐστι ἐν ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ ἀρεστὸν ποιήσω [*omne quod in oculis ejus placebit faciam*]. Loquendi genus ſimile ei quod ſuprà XI. 18.

CAPVT XIII.

6. ET *labiorum motu, in ſilentio, dicens*] Mos enim Hebræis eſt, etiam cùm ſilentium in precibus ſervant, labra tamen movere, quòd nimis frigidas putent preces in ſolo cogitatu. Vide 1 Samuelis I. 13.

7. *Vt, ſicut promiſiſti, Ieruſalem civitatem tuam erigas*] In Græco, εἰς ὕψωμα Ἱερουσαλὴμ, *ad ſublimandam urbem Hieroſolyma.* Sequitur in Græco, καὶ ποιῆσαι τὰ ἐπιτηδεύματά μου [*& facere cogitata mea*]. De qua voce vide ſuprà XI. 4.

10. *Et abſtulit conopæum*] Vide ſuprà V. 19.

15. *Vocaverunt presbyteros civitatis*] De quibus ſuprà VI. 10.

25. *Vt non recedat laus tua de ore hominum*] In Græco, οὐκ ἀποστήσεται ἡ ἐλπίς σου ἀπὸ καρδίας ἀνθρώπων [*non abſcedat ſpes tua à corde hominum*], id eſt, memoria fiduciæ quam in Deo habuiſti.

26. *Et dixit omnis populus, Fiat, fiat*] Γένοιτο, γένοιτο. Hebraïcè, אמן אמן: ſic & infrà XV. 12. Vide quæ dicta ad Matth. V. 18. Quæ in Latino ſequuntur hoc capite, ea in Græco ſunt in capite ſequenti.

30. *Et adoravit eam*] *Humiliter ſalutavit*. Ità enim uſurpari ſolere Græcum προσκυνεῖν, Latinum *adorare*, diximus ad Decalogum.

CAPVT XIV.

2.3. SEd *quaſi impetum facientes, tunc exploratores neceſſe eſt ut fugiant*]In Græco, καὶ δώσετε ἀρχηγὸν ἐπ᾽ αὐτοὺς, ὡς καταβαίνοντες εἰς τὸ πεδίον εἰς τὴν προφυλακὴν υἱῶν Ἀσούρ [*& dabitis ducem ipſis, tanquam deſcenſum in campum ad procubitores filiorum Aſſur*]. Προφυλακαὶ, quos hic Interpres vertit *exploratores*, magìs propriè dicere poterat *procubitores*: ità enim ex antiquis ſcriptoribus Feſtus. *Excubitores* eoſdem dixit Cæſar, belli Gallici libro VII. Sunt autem ii qui extra caſtra excubant, ut, ſi quid periculi intelligant, id nuntient.

6. *Et omnis ſucceſſio generis ejus uſque in hodiernum diem*] Oſtenditur magnus Ammonitæ fervor pro lege Dei, quòd populo ſatìs contemto ſe aggregaverit, in quo ipſe poſteríque ejus nihil aliud quàm Dei favorem ſperare poterant, ab honoribus & connubiis excluſi. Vide Deuteron. XXIII. 3. In Græco eſt, καὶ προσετέθη εἰς τὸν οἶκον Ἰσραὴλ ἕως τῆς ἡμέρας ταύτης [*& appoſitus eſt domui Iſraël in hunc uſque diem*], locutione Hebræis familiari, quæ poſteritatem omnem nomine primi parentis comprehendit, quaſi una perſona eſſent.

14. *Et elevans eam, vidénſque cadaver jacère ſuper terram*] In Græco, καὶ εὗρεν αὐτὸν ἐπὶ τῆς χελωνίδος ἐῤῥιμμένον νεκρόν[*& invênit eum mortuum projectum ad limen*]. Eſt autem χελωνὶς, οὐδὸς τῆς θύρας τῆς σκηνῆς [*limen oſtii in tentorio*], ut nos docent Suidas, & Heſychius, apud quem malè ὁδός. Nimirum ponitur Iudith non in lecto reliquiſſe corpus Holophernis, ſed projeciſſe in ſolum & quidem longius à lecto. Vide ſuprà XIII. 10. ubi in Græco καὶ ἀπεκύλισε τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀπὸ τῆς στρωμνῆς [*& avolvit corpus ejus à lecto*].

CAPVT XV.

1. F*Vgit mens*] Ἐξέστησαν, *quaſi extra ſe fuere ex admiratione.* Frequens vox apud Interpretes Veteris Teſtamenti, & in Novo, ut Matth. XII. 23. Marci II. 12. V. 42. VI. 5. & alibi.

2. *Ità ut nullus loqueretur cum proximo ſuo*] In Græco, καὶ οὐκ ἦν ἄνθρωπος μένων κατὰ τὸ πρόσωπον ἐπὶ τοῦ πλησίον αὐτοῦ [*& non erat homo manens coram proximo ſuo*]. Sibi quiſque conſulebat.

Sed inclinato capite] Legit ἐκκλιθέντες. ſed meliùs nos habemus ἐκχυθέντες, id eſt, *effuſâ fugâ.*

Et ſemitas collium] In Græco additur, κύκλῳ Βετυλούα, *circùm Bethuliam.* Idem loquendi genus Matth. VI. 36. Lucæ IX. 12. Roman. 15. 19. Sic vertitur הקיף Ioſuæ VI. 3. סביב plurimis in locis. Eſt alioqui vox κύκλῳ in hoc ſenſu etiam purioribus Græcis uſurpata, ut Ariſtophani, Xenophonti, Ariſtoteli.

5. *Miſit itaque Ozias nuntios per omnes civitates & regiones Iſraël*] Vberiùs in Græco, εἰς Βετομασθαὶμ, καὶ Βηβαὶ, καὶ Χωβαὶ, καὶ Χωλὰ, καὶ εἰς πᾶν ὅριον Ἰσραὴλ [*ad Betomaſthaim, & Bebai, & Chobai, & Chola, & in omnem finem Iſraël*]. Quod hîc ſcribitur *Betomaſthaim* idem eſt quod ſuprà IV. 5. Βετημασθὰμ, nempe בית שמש, ut ibi dictum. Et *Chobaï* idem quod ſuprà IV. 3. Χωβὰ, id eſt, ut ibi conjecimus, *Chocheba.* Χωλὰ idem eſſe videtur quod ſuprà I. 9. in Græco Χελλοῦς, & cap. II. 13. Χελλών, *Cholle* in Palmyrene, ut illis locis diximus.

8. *Hi verò qui victores reverſi ſunt*] In Græco, οἱ δὲ υἱοὶ Ἰσραὴλ ἀναστρέψαντες ἀπὸ τῆς κοπῆς [*at filii Iſraël reverſi ab hoſtium occidione*]. Sic Scriptor ad Hebræos VII. 1. ὁ συναντήσας Ἀβραὰμ ὑποστρέφοντι ἀπὸ τῆς κοπῆς τῶν βασιλέων [*qui obviavit Abrahæ reverſo à cæde Regum*]. In eadem hiſtoria Geneſeos XIV. 17. ὑποστρέψαι αὐτὸν ἀπὸ τῆς κοπῆς [*poſtquam reverſus eſſet à cæde*], ubi in Hebræo הכות, ut & Ioſuæ X. 20. alibi ſic vertitur נגף, ut Deuteronomii XXVIII. 25.

9. *Cum univerſis presbyteris ſuis*] In Græco, καὶ ἡ γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ [*& Senatus filiorum Iſraël*], id eſt, Senatus Septuaginta virorum, ut ſuprà XI. 12. ſic & II Maccabæorum I. 10. & non longè ab initio III Maccabæorum, & Actorum V. 21.

Vt videret Iudith] In Græco eſt ampliùs, ἦλθον τοῦ θεμελιῶσαι τὰ ἀγαθὰ ἃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τῷ Ἰσραὴλ [*venerunt fundare bona quæ Deus fecerat Iſraëli*], id eſt, ut certi fierent de rebus actis.

14. *Dederunt Iudith in auro & argento, & veſtibus & gemmis*] Nempe ἐξαίρετα [*eximia*], ut de præda Trojana agens loquitur Euripides.

15. *Cum mulieribus & virginibus*] In Græco hoc ampliùs, καὶ ἐποίησαν αὐτῇ χορὸν ἐξ αὐτῶν [*fecerunt ei chorum ex ipſis*], id eſt, in honorem ipſius choreas duxere more Iudaïco, I Samuel. XVIII. 6. Eſt & in Græco, καὶ ἔλαβε θύρσους ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῆς [*& ſumſit thyrſos in manibus ſuis*]. *Thyrſus* ex Hebræo תרזה, Eſaïæ XLIV. 14. Vocantur ſic rami frondoſi, qui diſtinguuntur à ramis fructiferis II Maccabæor. X. 7. Vtrique in uſu Iudæis lætis temporibus, ut apparet Exodi XXIII. 40. Tacitus de Sacerdotibus Iudæis: *tibiis tympaniſque concinebant, hederâ veſtiebantur.* Θυρσοφορίαν [*Thyrſorum geſtationem*] Iudæorum celebrat Plutarchus in Sympoſiacis, ubi *& tubarum & tympanorum* mentio. Sequitur in Græco, ἐστεφάνωσεν τὴν ἐλαίαν αὐτῇ [*ex oliva coronam ſibi fecit*]. & mox, μετὰ στεφάνων καὶ ὕμνων [*cum coronis & hymnis*]. Coronas in lætitia geſtare mos non aliarum tantùm gentium, ſed & Iudæorum. Vide Prover. I. 9. IV. 9. Sirach. VII. 50. Olea verò imprimis amata Hebræis, quòd & frondem ferat & fructum, & quidem talem unde ungantur Reges & Sacerdotes.

CAPVT XVI.

2. I*N tympanis*] Quorum uſum apud Iudæos etiam Tacitus obſervat, ut jam diximus.

4. *Qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui*] In Græco, εἰς παρεμβολὰς ἐν μέσῳ λαοῦ, id eſt, *Deus populo ſuo eſt vice caſtrorum.* Sed videtur Latinus Interpres legiſſe θεὶς [*qui poſuit*].

5. *Ab Aquilone*] Eo ad Iudæam ſitu, qui aliquid habet à Septentrione, aliquid ab Ortu.

8. *Nec filii Titan*] Vide quæ diximus ſuprà IX. 2.

9. *In exultatione filiorum Iſraël*] In Græco, εἰς ὕψος τῶν πονούντων Ἰσραὴλ [*ad ſublimationem laborantium in Iſraële*]· ubi rectiùs legas ἐν Ἰσραήλ.

10. *Vnxit faciem*] Suprà X. 3.

14. *Filii puellarum*] Modò geniti, ex novis nuptis.

16. *Adonai Domine*] In Græco, Κύριε. Sed ità Hebræi Helleniſtæ ſemper ubi in Hebræo ſcribitur יהוה [*Iehova*], & legitur *Adonai.*

17. *Dixiſti, & facta ſunt: miſiſti Spiritum tuum, & creata ſunt*] In Græco, καὶ ᾠκοδόμησε [*& ædificavit*]. Ipſe Spiritus mundum è rudi materia exſtruxit. Sumta hæc ex Pſalmo XXXIII. 6.

18. *Ante faciem tuam*] Te adventante.

20. *In die judicii*] Cùm tempus venerit quod Deo aptum videbitur pœnis exigendis.

21. *Dabit ignem & vermes in carnes eorum, ut urantur, & ſentiant uſque in ſempiternum*] In Græco, δοῦναι πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν, καὶ κλαύσονται ἐν αἰσθήσει ἕως αἰῶνος [*dare ignem & vermes in carnes eorum, & ſentiendo flebunt in ævum*], id eſt, diu. Morbis eos vexabit diuturnis, qualis eſt febris ἐκτική, & verminatio. Hæc addita videntur poſt mortem Antiochi. Nam de eo ſcriptor II Maccab. ὥστε ἐκ τοῦ σώματος τοῦ δυσσεβοῦς σκώληκας ἀναζεῖν, καὶ ζῶντος ἐν ὀδύναις καὶ ἀλγηδόσι τὰς σάρκας αὐτοῦ διαπίπτειν [*ità ut de corpore impii vermes ſcaturirent, & viventis in doloribus & tormentis carnes ejus caderent*]. Vide Eſaiæ XXXVIII. 12. Senſum autem μυστικώτερον [*abſtruſiorem*] quem iſta habeant, diſci poterit ex Marco IX. 44. & ibi annotatis. Vide & quæ ad finem Eſaïæ.

23. *Vniverſa vaſa bellica*] Id eſt, arma, τὰ σκεύη.

Obtulit in anathema oblivionis] Minimè verò. Imò *oblationis:* id eſt, ſuſpendit in Templo. Sic vox ἀναθημάτων ſumitur Lucæ XXI. 5.

24. *Erat autem populus jucundus ſecundùm faciem ſanctorum*] In Græco, καὶ ἦν ὁ λαὸς εὐφραινόμενος εἰς Ἱερουσαλὴμ κατὰ πρόσωπον τῶν ἁγίων [*& populus lætabatur Hieroſolymis in conſpectu Sanctorum*], id eſt, in ſubdialibus illis Templum in conſpectu habentibus.

Ità vox ἅγια [*ſancta*] ſumitur ſuprà VIII. 17. & IX. 5.

26. *Caſtitas adjuncta*] Vide Lucæ II. 37. & ibi dicta.

27. *Erat autem diebus feſtis procedens*] Vt Paſchate. Vide 1 Samuel. I. 3. Lucæ II. 41.

28. *Et dimiſit Abram ſuam liberam*] Vide quæ diximus ſuprà VIII. 32.

Et defuncta eſt ac ſepulta cum viro ſuo] In Græco, καὶ ἔθαψαν αὐτὴν ἐν τῷ σπηλαίῳ τοῦ ἀνδρὸς αὐτοῦ Μανασσῆ [*Et ſepelierunt eam in ſpelunca viri ejus Manaſſæ*]. In ſpecubus Iudæorum ſepulchra, Ioan. XI. 38. Multos conjuges cum conjugibus ſuis ſepeliri voluiſſe ex Inſcriptionibus apparet.

29. *Diebus ſeptem*] Quod tempus frequentatum in luctu propinquorum, Sirach. XXII. 13. Sequitur in Græco, διεῖλε τὰ ὑπάρχοντα αὐτῆ πρὸ τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὴν πᾶσι τοῖς ἔγγιστα τοῦ γένους αὐτῆς [*diviſit antequam moreretur res ſuas proximis generis ſui*]. Reliquit bona quæ habebat partim propinquis mariti à quo bona acceperat, ut gratiam ei redderet in iis qui ipſi viro cariſſimi fuerant, partim iis quos ipſa cariſſimos ob ſui ſanguinis propinquitatem habebat. Omnia officia explevit, tum in reddenda gratia, tum in conferendo beneficio. Vide quæ diximus lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. VII. § 9. 10.

31. *Dies autem victoriæ ejus feſtivitatis ab Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis in præſentem diem*] Nempe dies ἐγκαινίων [*Inſtaurationis*] ſive Φώτων [*Luminum*]· de quo vide dicta ad Ioan. X. 22. Hoc firmat ea quæ diximus ad hujus libri initium. Nam alioqui Iudithæ diem fruſtrà apud Iudæos quæras.

AD ESTHERIS

ADDITAMENTA.

ET hæc *Eſtheris additamenta*, & *Baruchi* ſub nomine liber, & *Hymnus trium* amicorum Danielis, rhetorica ſunt exercitia piorum Helleniſtarum, qui ornandis veris hiſtoriis ea ſcripſere quæ illis temporibus probabiliter fieri, dici, aut ſcribi potuerant, quales & in Maccabaïcis epiſtolæ ſunt nonnullæ. Hæc libris addita aut injecta, quia nihil mali continebant, auctoritatem cum tempore acceperunt. Hæc additamenta videntur eſſe opus Proſelyti.

CAPVT X.

5. NEc eorum quicquam irritum fuit*] In Græco, οὐδὲ γὰρ παρῆλθεν ἀπ' αὐτῶν λόγος, ubi λόγος eſt *res vel minima*, דבר. παρῆλθεν autem eſt *eventu carere*, ut Matthæi V. 18.

6. *Parvus fons qui crevit in fluvium, & in lucem Solémque converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit, Eſther eſt, quam Rex accepit uxorem, & voluit eſſe Reginam*] *Flumen terram irrigans* Vitam hominis ſignificat, *exundans* verò Gaudium, ex Ægyptiorum diſciplina, referente Achmete: *Sol* verò, eodem teſte, Regem ſignificat.

7. *Duo autem dracones, ego ſum & Aman*] Idem Achmetes, Οἱ ὄφεις καθ' ὅλου εἰς ἐχθροὺς ἀναλόγως κρίνονται [*Serpentes generatim ad inimicos referuntur*].

9. *Et fecit ſigna magna atque portenta inter gentes*] Τὰ σημεῖα καὶ τὰ τέρατα τὰ μεγάλα. Sic vocantur non tantùm quæ rerum naturam immutant, ſed & ea quæ ſubitam atque miram habent rerum περιπέτειαν [*circumvolutionem*].

10. *Et duas ſortes eſſe præcepit, unam populi Dei, & alteram cunctarum gentium*] Alluſio ad factum Amani, unde dies *Purim* nomen accepit, Eſtheris III. 7. Sicut Aman fecit ſortes, ità Deus ſortes duas habet diſpoſitas, exitii pro gentibus aliis, ſalutis pro Iudæis; ſed eas ſuis temporibus diſpenſat. Non diſſimile illud Homeri,

> Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα·
> Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
> Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο·
> Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών· ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.
> [*Ex auro lances ſuſpendit Iuppiter ambas;*
> *Imponítque duas ſortes, quarum Hectoris illa,*
> *Hæc erat Æacidæ, mortem huic illíve ferentes;*
> *Has librat: Hectorei devergunt pondera fati.*]

12. *Et miſertus eſt hereditatis ſuæ*] In Græco, καὶ ἐδικαίωσε τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ [*& juſtificavit hereditatem ſuam*], id eſt, approbavit populi ſui cauſam ut religionem ſequentis à Deo traditam.

13. *In menſe Adar quartadecimâ & quintadecimâ die ejuſdem menſis*] Quæ Μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα [*Dies Mardochaïca*] II Maccabæor. 15. 37. vulgò dies פרים, id eſt, *Sortium*, olim etiam *Amanea*, ut diximus ad Eſth. III. 7. Diſcimus autem & hinc & ex Maccabaïca hiſtoria, præter feſtos dies à Deo inſtitutos, aliquos potuiſſe inſtitui à populo. Vide ad Ioannem X. 22.

CAPVT XI.

1. REgnantibus Ptolemæo & Cleopatrâ*] Dubitatur quis hic fuerit *Ptolemæus*: nam & nomen id commune Ægypti Regibus, & *Cleopatras* uxores multi habuerunt. Accedo de Philadelpho hæc accipientibus.

Hanc epiſtolam Phurim] In Græcis multis φουραὶ ſed legendum Φουρᾶϊ, פרי, quod idem eſt cum פרים. Diximus ad Eſth. III. 6. & *epiſtolæ* nomine intelligi totam hiſtoriam à Mardochæo ſcriptam transmiſſámque ad Iudæos qui in Ægypto erant. Indè allatum exemplar à Doſitheo, verſúmque in linguam Græcam à Lyſimacho. Hanc verſionem ſecuti LXX, annotationem hanc in fine libri ſui poſuere. Cætera quæ leguntur cum his non cohærent, ſed, pariter cum iis quæ deinde ſequentur, additamenta ſunt ſeorſim poſita: quod & Hieronymus nos docet.

2. *Filius Iaïri*] Vide Eſther. II. 5.

6. *Duo dracones*] Vide ſuprà X. 7.

CAPVT XII.

1. C*Vm Bagatha & Thara*] Vide Eſtheris II. 21.

6. *Bugæus*] Βουγαῖος idem eſt quod Βαγώης· de qua voce vide Iudith. XII. II. Propriè ità dicti eunuchi; ſed cœpit vox proferri latiùs ad aulicos omnes. Sic & vox *eunuchorum* uſurpatur in Latina verſione, Eſther. I. 8. VIII. 9.

CAPVT XIII.

4. P*Opulum eſſe diſperſum qui novis uteretur legibus, & contra omnium gentium conſuetudinem faciens, Regum juſſa contemneret*] Sumtum ex verbis Amani, Eſther III. 8. ubi dicta vide.

6. *Quartadecimâ die duodecimi menſis*] Imò *decimatertiâ*, Eſther. IX. I. & in his ipſis Additamentis XVI. 20. Error ex numerorum notis ortus.

14. *Sed timui nè honorem Dei mei transferrem ad hominem, & nè quenquam adorarem excepto Deo meo*] Qui hæc addiderunt, ad Græcum potiùs morem quàm ad Iudaïcum reſpexere. Nam apud Iudæos nulla erat, quamvis ſubmiſſa, corporis flexio Deo ſoli reſervata: neque Reges tantùm, ſed & Regibus minores ſolebant apud eos προσκυνεῖσθαι [*adorari*]. Apud Græcos mos erat alius.

17. *Sorti & funiculo tuo*] Funiculo enim dividebatur terra in partes; ipſæ deinde partes ſorte aſſignabantur. Hinc & *funiculus & ſors* pro re cujusque propria.

CAPVT XIV.

2. C*Inere & ſtercore implevit caput*] Id eſt, luto, Iob. XXX. 19. Ezechielis XXVII. 30.

Crinium laceratione complevit] In Græco, ἔπλησε στρεπτῶν τριχῶν αὐτῆς [*implevit cincinnis ſuis*] id eſt, *tortilibus ſuis crinibus*, cincinnis nimirum quos ſibi evulſerat.

4. *Periculum meum in manibus meis eſt*] Μετωνυμία [*Transnominatio*]· *periculum*, id eſt, vita periclitans. *In manibus* dicitur eſſe id quod facilè elabi poteſt, Pſalmo CXIX. 109.

7. *Coluimus enim deos eorum*] Majores noſtri ante tempora Nabuchodonoſori. Liberi ſibi tribuunt quæ ſunt parentum, quaſi una eſſent perſona.

8. *Robur manuum ſuarum idolorum potentiæ deputantes*] In Græco, ἔθηκας (ſed Latinus legit ἔθηκαν meliùs) τὰς χεῖρας αὐτῶν ἐπὶ τὰς χεῖρας τῶν εἰδώλων αὐτῶν [*poſuere manus ſuas ſuper manus idolorum ſuorum*]. Sicut homines ſocietatem contrahunt manibus junctis, Ierem. L. 15. I Maccab. XI. 50. pari modo ipſi diis ſe obſtrinxere manus ſimulacrorum tangendo.

9. *Atque extinguere gloriam Templi & Altaris tui*] Quæ ſcilicet antecedentium Perſarum Regum beneficio erant reſtituta.

10. *Et laudent idolorum fortitudinem*] Bene ſenſum expreſſit. In Græco eſt, εἰς ἀρετὰς ματαίων. Μάταια ſunt idola, Zachar. XI. 17. & alibi. Ἀρεταὶ verò hîc ſunt *vires*. Ità id nomen ſumitur Abacuci III. 3. Zachariæ VI. 13. I Petri II. 3.

11. *His qui non ſunt*] In Græco, τοῖς μὴ οὖσι, id eſt, diis non veris, ſed falſis, I Corinth. VIII. 4. collato loco Galatarum IV. 8.

Et eum qui in nos cœpit ſævire diſperde] Τὸν δὲ ἀρξάμενον ἐφ' ἡμᾶς παραδειγμάτισον, *eum qui prior nos laceſſivit exemplum fac*. Eſt id verbum in Græca verſione Numerorum XXV. 4. Ieremiæ XIII. 22. Matthæi I. 19. pro quo τιθέναι εἰς παράδειγμα [*ponere in exemplum*] dicitur Nehemiæ III. 6.

13. *Et in conſpectu leonis*] Id eſt, Regis, ut II Timoth. IV. 17. Vide quæ allata à nobis ad locum Apocal. XVII. 10. & in Appendice ad eundem locum.

16. *Tu ſcis neceſſitatem meam*] Miſeriam. Sic ἀνάγκη ſumitur Tob. III. 6. Baruch. VI. 37. & in III Maccab. & Lucæ XXI. 23.

Quòd abominer ſignum ſuperbiæ] Ὑπερηφανία medium habet ſenſum, ut patet Amoſ. VIII. 7. hîc *magnificentiam* ſignificat. Ejus ſignum Diadema, de quo Eſther. II. 17. Hæc, ut & de trinoctii continentia apud Tobiam, videntur à Chriſtiano aliquo addita.

Quaſi pannum menſtruatæ] Rem adſpectu fœdam, Eſaïæ LXIV. 6. in Græco & Latino.

17. *Et non biberim vinum libaminum*] Quod diis Gentium conſecratum erat, parte ejus libatâ. Virgilius,

Libabant pateras Baccho. ———

Vide Daniel. I. 8. Hebræi id vocant יין גוים [*vinum Gentium*] Ejus eadem ratio quæ τῶν εἰδωλοθύτων [*immolatorum idolis*].

CAPVT XV.

11. H*Is verbis blandiebatur*] Bene expreſſit Helleniſticum illud, παρεκάλει αὐτὴν λόγοις εἰρηνικοῖς [*alloquebatur eam verbis pacificis*], ut I Maccabæor. I. 31. V. 18. VI. 10. 27. X. 3. 47. Reſpondet Hebræo טבות, ut Ieremiæ XII. 6. & שלום, Michææ VII. 3. & Ieremiæ IX. 8.

12. *Ego ſum frater tuus*] Quaſi frater. Ità te amo quaſi ſanguine eſſem proximus. Vide Cantici VIII. I.

13. *Non enim pro te, ſed pro omnibus lex hæc conſtituta eſt*] In Græco, κοινὸν τὸ πρόσταγμα ἡμῶν ἐστι [*commune eſt nobis edictum iſtud*]. quaſi dicat, omnia nobis ſunt communia, etiam edicta quæ facio, quaſi tua habenda ſunt, non ut in te ſcripta. *Auguſta licèt legibus ſoluta non eſt, Principes tamen eadem illi privilegia tribuunt quæ ipſi habent*, ait Vlpianus L. *Princeps*. D. de Legibus.

16. *Vidi te, Domine, ut Angelum Dei*] Loquendi genus Hebraïcum, quod modò ad bonitatem refertur, ut I Samuel. XXIX. 19. modò ad ſapientiam, ut II Samuel. XIV. 17. modò ad poteſtatem, ut II Samuel. XIX. 27. hîc verò ad majeſtatem.

CAPVT XVI.

1. R*Ex magnus Artaxerxes*] Floridus eſt hujus epiſtolæ character, & hominem Græcum

redolet, Macedonibus, ut videtur, minùs amicum.

Ab India uſque ad Æthiopiam] Et Indorum & Æthiopum quoſdam ſub Perſico fuiſſe imperio, diſcimus ex Herodoto Thaliâ.

3. *In ipſos qui dederunt moliuntur inſidias*] In Græco, τοῖς ἑαυτῶν εὐεργέταις ἐπιχειροῦσι μηχανᾶσθαι [*machinationes inſtituunt adverſùs beneficos ſuos*]. Εὐεργέται [*Benefici*] titulus Regum & Imperatorum, ut oſtendimus ad Lucæ XXII. 25. reſpondet Hebræo נדיבים, quod propriè ſignificat εὐεργέτας, ſed ἄρχοντας [*Principes*] verti ſolet, ex uſu frequente vocis.

5. *Vt eos qui credita ſibi officia diligenter obſervant, & ità cuncta agunt ut omnium laude digni ſint, mendaciorum cuniculis conentur ſubvertere*] Græca hîc lectio ſincera non eſt, Πολλάκις δὲ καὶ πολλοὺς τῶν ἐπὶ ἐξουσίαις τεταγμένων, τῶν πιστευθέντων χειρίζειν φίλων τὰ πράγματα παραμυθία μετόχους αἱμάτων ἀθώων καταστήσασα, περιέβαλε συμφοραῖς ἀνηκέστοις, τῷ τῆς κακοηθείας ψευδεῖ παραλογισμῷ παραλογισαμένων τὴν τῶν ἐπικρατούντων ἀκέραιον εὐγνωμοσύνην. Legendum enim videtur, ἀθυμία μετοχῆς αἷμα τὸ ἀθῶον καταστήσασα. Deinde παραλογισαμένη. *Sæpe viros in magnis poteſtatibus conſtitutos, & quibus credita ſunt amicorum negotia, deſperatio paris honoris, reperto ſanguine innocente* (id eſt, falſo crimine), *in graviſſimas calamitates induit, pravi ingenii circumventione mendaci decipiens ſimplicem dominantium bonitatem.* ἀθυμία μετοχῆς [*deſperatio participationis*], id eſt, *alii qui deſperant ſe talium honorum participes poſſe fieri.* Abſtractum, ut dici ſolet, pro concreto. Αἷμα ἀθῶον [*ſanguis innoxius*] per Metonymiam *calumniam capitalem* ſignificat, Deuteron. XXVII. 25. Ieremiæ II. 34.

7. *Quæ res & ex veteribus probatur hiſtoriis*] In Græco, σκοπεῖν δὲ ἔξεστιν οὐ τοσοῦτον ἐκ τῶν παλαιοτέρων ἱστοριῶν ὡς παρεδώκαμεν [*id ſcire licet non modò ex veteribus hiſtoriis quas traditas accepimus*]· ubi omnino legendum παρεδόθημεν, *tradita accepimus.* Solent enim Græci formare paſſiva etiam eo ſenſu quem activa cum dativo habent. Sic φθονοῦμαι dicunt Græci, quod Horatius Latinè imitatus dixit *invideor.* Ità παρεδόθημεν eſt, *traditum accepimus*, קבלנו.

10. *Et animo & gente Macedo*] In Eſtheris libro dicitur fuiſſe *de ſtirpe Agag*, ac proinde Amalecita, ut ibi diximus.

Πόῤῥω δὲ Μυσῶν καὶ Φρυγῶν ὁρίσματα,
[*A fine longè Myſiæ finis Phrygum,*]

id eſt, Macedonum & Amalecitarum. Non auſim affirmare ſcriptum fuiſſe Ἀμαλεκιτῶν, & infrà 9. Ἀμαλεκίτας [*Amalecitas*]. Illud certum eſt, Perſis parùm notos fuiſſe Macedones Eſtheris tempore.

15. *Iuſtis utentes legibus*] Sunt ſanè tales Moſis leges, etiam Strabone teſte: & multa indè ſumſere Phœnices, à Phœnicibus Attici, ab Atticis Romani. Bene Ioſephus altero contra Appionem, Οἶμαι ἔσεσθαι φανερὸν, ὅτι καὶ πρὸς εὐσέβειαν, ἔτι δὲ καὶ πρὸς δικαιοσύνην, καὶ τὴν ἐν τοῖς πόνοις καρτερίαν, καὶ θανάτου περιφρόνησιν, ἄριστα κειμένους ἔχομεν τοὺς νόμους [*Puto evidens fore ad pietatem, præterea ad juſtitiam, & ad tolerantiam laborum, mortiſque contemtum, optimè factas nos habere leges*].

16. *Et filius altiſſimi, & maximi, ſempérque viventis Dei*] Hoc dicere meliùs convenit Græco proſelyto quàm Regi Perſæ.

18. *Et omnis cognatio ejus*] In Græco, τῇ πανοικίᾳ [*cum tota domo*]. Eſt & vox apud Herodotum aliquoties. Vſurpant & LXX, Geneſeos L. 22. Hic mos diu manſit Perſis. Ammianus lib. XXIII leges Perſarum deſcribens, illas etiam memorat per quas ob noxam unius omnis propinquitas peribat.

19. *Vt liceat Iudæis uti legibus ſuis*] Id eſt, Vt ob ritus quos habent proprios nemo illis moleſtiam exhibeat. Sic Antiochus Magnus Iudæis, ſi qui in Babyloniam migrare vellent, concedit νόμοις χρῆσθαι τοῖς ἰδίοις [*legibus ſuis uti*], Ioſephus Antiq. XII. 3. Agrippa Cæſaris Auguſti nomine Iudæis in Ionia concedit, ἐν τοῖς οἰκείοις διατελεῖν ἔθεσιν [*in ſuis inſtitutis vivere*], Ioſephus XVI. 5.

22. *Inter cæteros feſtos dies*] In Græco, ἐν ταῖς ἐπωνύμοις ὑμῶν ἑορταῖς. Puto ſcriptum fuiſſe olim ἐν ταῖς ἐπωνύμοις κλήρων ἑορταῖς, id eſt, *in feſto quod à ſortibus* Purim *nominatur.*

24. *Vt non ſolùm hominibus ſed etiam beſtiis invia ſit*] Loquendi genus frequens apud Prophetas, Ieremiæ IX. 10. XII. 4. XXXII. 43. XXXIII. 10. XXXVI. 29. L. 3. 62. Ezechiel. XIV. 13. 17. 19. 21. XXV. 13. XXIX. 8. 11. XXXII. 13. Sophon. I. 3.

IN LIBRVM
SAPIENTIÆ SOLOMONIS.

Est hoc opus Hebræi hominis, complectens hortamenta ad ſapientiam, qualia Solomon, Rex ſapientiſſimus, dictare potuiſſet. Vixit, qui hoc fecit, poſt tempora Eſdræ, ante tempora Simeonis Pontificis, ideóque præponitur libro Sirachidæ. Eum librum nactus Chriſtianus aliquis Græcè non indoctus in Græcum vertit, libero nec ineleganti dicendi genere, & Chriſtiana quædam commodis locis addidit; quod & libro Sirachidæ, quem dixi, evênit, ſed in Latino huic magìs quàm in ipſo Græco: non quòd neſciam poſt Eſdram explicatiùs proponi cœpiſſe Patientiam piorum, Iudicium univerſale, Vitam æternam, ſupplicia Gehennæ, ſed quia locutiones quædam magìs Euangelium ſapiunt quàm vetuſtiora tempora.

CAPVT I.

1. *Sentite de Domino in bonitate*] Ἐν ἀγαθότητι. Hebraïſmus pro *bene ſentite*, credite omniſcium, omnipotentem, juſtum, bonum.

2. *Qui non tentant illum*] *Tentare Deum* hîc dicuntur qui Deo non confidunt.

3. *Probata autem virtus corripit inſipientes*] Potentia autem Dei, experimentum ſui dans, *ſtultos* convincit: ſtultos, id eſt, Providentiam negantes, ut Pſalmo XIV. 1.

5. *Sanctus enim ſpiritus diſciplinæ*] Multas admodum ſignificationes habet in Hebræo רוח, quod Græcè πνεῦμα, Latinè *ſpiritus* vertitur. Hoc loco, ut verſus ſequens oſtendit, & alii infrà VII. 7. & IX. 18. ipſa illa animi conſtitutio quæ *ſapientia* dicitur vocatur πνεῦμα, quomodo πνεῦμα πραότητος [*ſpiritus manſuetudinis*] dicitur 1 Cor. IV. 21. Gal. VI. 1. Clemens Alexandrinus libro de Prophetia πνεύματα [*ſpiritus*] appellat τὰς ποιότητας τῆς ψυχῆς [*qualitates animæ*].

6. *Renum illius teſtis eſt Deus*] Id eſt, cupiditatum, quas *renum* nomine ſignificant Hebræi, Pſal. VII. 10 Ieremiæ XI. 20. XVII. 10. XX. 12.

7. *Quoniam ſpiritus Domini replevit orbem terrarum*] Sicut hominis ſpiritus per omne corpus hominis ſe extendit, ità Dei ſpiritus per orbem univerſum: ac proinde ſicut hominis ſpiritus ſentit ſiqua pars doleat, ità Dei ſpiritus ea quæ in mundo aguntur. Athenagoras, διὰ τοῦ πνεύματος πάντα συνέχεται [*ſpiritu cuncta continentur*]· qui & hoc πνεῦμα διὰ τῆς ὕλης διῆκον [*ſpiritum qui per materiam meat*] vocat ἔλαττον τοῦ θειοτέρου πνεύματος Θεοῦ [*minus quid diviniore Dei ſpiritu*]. Theophilus Antiochenus, Ἡ πᾶσα κτίσις περιέχεται ὑπὸ πνεύματος Θεοῦ, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ περιέχον σὺν τῇ κτίσει περιέχεται ὑπὸ τῆς χειρὸς Θεοῦ [*Omnis creatura continetur à Dei ſpiritu, & ſpiritus continens cum ipſa creatura continetur à manu Dei*]. Clementi hic ſpiritus dicitur ὁ διήκων πνευματικὸς τόνος [*permeans ſpiritalis tenor*]. Contra Marcionem libro IV. diſputans Tertullianus ait: *A quo ſpiritum ſanctum poſtulem? à quo nec mundialis ſpiritus præſtatur?*

Et hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis] Τὸ συνέχον τὰ πάντα, γνῶσιν ἔχει φωνῆς. Philemon,

> ——— Ὁ δὲ παρὼν ἁπανταχοῦ
> Πάντ' ἐξ ἀνάγκης οἶδε πανταχοῦ παρών.
> [——— *Qui cunctis adeſt*
> *Is etiam novit cuncta, quia cunctis adeſt.*]

8. *Neque præteribit illum corripiens Iudicium*] Οὐδὲ μὴ παρελεύσεται αὐτὸν ἐλέγχουσα ἡ Δίκη. Euripides,

> Οὔτοι προσελθοῦσ' ἡ Δίκη σε πώποτε
> Παίσει πρὸς ἧπαρ, οὐδὲ τῶν ἄλλων βροτῶν
> Τὸν ἄδικον, ἀλλὰ σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ
> Στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς ἀεὶ βροτῶν.
> [*Scelus ob patratum non tibi, non alteri*
> *Iuſtitia ſupera pectus adverſum petet:*
> *Sed lenta greſſu neutiquam obſervabili*
> *Tergis nocentum ſemper adfiget pedem.*]

9. *In cogitationibus enim impii interrogatio erit*] Id eſt, Inquiret Deus etiam in cogitata. Vox διαβούλιον [*conſilium, cogitata*] eſt apud Polybium, apud Interpretes Veteris Teſtamenti ſæpe.

10. *Auris zeli audit omnia*] Id eſt, Dei omnia acriter ſcrutantis, ut mariti zelotypi ſolent.

12. *Nè zeletis mortem*] Ζηλοῦν eſt *cum ſtudio ſectari*. Sic dicuntur ζηλωταὶ νόμου [*vehementer ſtudioſi Legis*], Actorum XXI. 20. *Dei*, Act. XXII. 3. *ſpirituum*, 1 Cor. XIV. 12. *bonorum operum*, Titi II. 14.

13. *Quoniam Deus mortem non fecit*] Palàm eſt intelligi *mortem* quam & Chaldæus Veteris Teſtamenti Interpres & Apocalypſis *ſecundam* vocant. Nam alioqui certum eſt, Animantia à Deo morti addicta, Hominem verò ità creatum ut mori poſſet: Huc pertinet & quod præceſſit: *Os quod mentitur occîdit animam.*

14. *Creavit enim ut eſſent omnia*] Id eſt, omnes homines; quos *creare* Deus dicitur quoties concipiuntur, Iob. X. 10. Sic Epheſior. I. 10. τὰ πάντα [*omnia*], id eſt, τὰ νοερὰ [*intellectu prædita*]· & πάσῃ τῇ κτίσει [*omni creaturæ*], id eſt, *omni homini*, Marc. XVI. 15. *Creavit ut eſſent*, id eſt, ut æternùm vivant. Hinc colligas διαμονὴν τῶν ψυχῶν [*permanſionem animarum*], quæ Hebræis השארות הנפש.

Sanabiles fecit nationes orbis terrarum] In Græco, καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου [*& ſalutares generationes mundi*]. Natura hominum Dei bonitate talis eſt ut apta reddi poſſit ad ſalutem æternam. κόσμος, id eſt, *humanum genus*, ut Ioan. III. 16. γένεσις, id eſt, *natura*, Iacobi I. 23. III. 6.

Et non eſt in illis medicamentum exterminii] Nihil eſt tale in animi humani natura cur neceſſariò interire debeat: ſicut homo interit ſumto veneno.

Nec inferorum regnum in terra] Non dedit Deus τῷ ᾅδῃ, id eſt, τῷ ἀφανισμῷ [*Interitui*], jus illud, ut omnes hominum animi ei ſubjaceant, quomodo populus ſuo Regi. Hîc γῆ [*terra*], ut modò κόσμος [*Mundus*], eſt *genus humanum*, ut Matt. VI. 10. Lucæ II. 14.

15. *Iuſtitia enim perpetua eſt, & immortalis*] Δικαιοσύνη γὰρ ἀθάνατός ἐστι. Eſt μετωνυμία [*Transnominatio*]. *Iuſtitia cauſam dat immortalitati.* Epicharmus eodem ſenſu,

> Εὐσεβὴς τὸν νοῦν πεφυκὼς οὐ πάθῃς γ' οὐδὲν κακὸν
> Κατθανών· ἄνω τὸ πνεῦμα ἀπομενεῖ κατ' οὐρανόν.
> [*Si tibi mens ſancta fuerit, nîl feres moriens mali:*
> *Semper in cælo beatus permanebit ſpiritus.*]

Antiſthenis dictum, Βουλομένους ἀθανάτους εἶναι δεῖ ζῆν εὐσεβῶς καὶ δικαίως [*Eos qui volunt immortales eſſe oportet piè & juſtè vivere*].

16. *Impii verò manibus & verbis accerſiverunt illam*] Mortem, ut diximus, ſecundam verbis mendacibus & factis injuſtis ſibi accerſunt. Antipho, Ἀσεβῶν γὰρ καὶ παραβαίνων τὰ εἰς τοὺς Θεοὺς, καὶ αὐτῆς ἂν τῆς ἐλπίδος, ὅπερ ἐστὶ μέγιστον ἀνθρώποις τοῦ βίου ἀγαθὸν, αὐτὸς αὐτὸν ἀποστεροίη [*Qui impius eſt & jura divina tranſgreditur, privat ſemetipſe eâ ſpe quæ maximum eſt inter homines bonum*].

Et æſtimantes illam amicam defluxerunt] Hæc ſic intelligenda quomodo ſuprà, Μὴ ζηλοῦτε θάνατον [*Nolite zelare mortem*]. *Amare* enim *pœnam* dicuntur qui ſtudioſè ea agunt quibus pœna connexa eſt. Sic Proverbior. VIII. 36. Ieremiæ VIII. 3. Vide quæ diximus lib. II. de Iure Belli & Pacis, cap. XX. §. 2. & in Annotatis ad eum locum.

Et ſponſiones poſuerunt ad illam] Συνθήκην ἔθεντο πρὸς αὐτὸν, *quaſi contractu facto ſe ei obligarunt.*

Quoniam digni ſunt qui ſint ex parte illius] Nihil meliùs merentur.

CAPVT II.

1. D*Ixerunt enim cogitantes apud ſe non rectè*] Cogitationes impiorum, Eccleſiaſtæ IX. & I Corinth. XV. 32.

Et non eſt refrigerium in fine hominis] In Græco, οὐκ ἔστιν ἴασις [*non eſt medicina*]. Mors eſt quiddam immedicabile.

Et non eſt qui agnitus ſit reverſus ab inferis] Vnde certi eſſe poſſimus de ſtatu animorum poſt mortem, Lucæ XVI. 30.

2. *Quia ex nihilo nati ſumus*] In Græco, αὐτοσχεδίως ἐγεννήθημεν [*temere nati ſumus*]· ubi αὐτοσχεδίως eſt *ſine ulla Divina providentia:* quod Curtius libro V. dixit *fortè* & *temere.*

Et poſthac erimus tanquam non fuerimus] Seneca,

Quæris quo jaceas poſt obitum loco?
Quo non nata jacent.

Quoniam fumus flatus eſt in naribus noſtris] Nimirum ſicut Varro definiebat animam eſſe *aërem conceptum ore, deferveſactum in pulmone, tepefactum in corde, diffuſum in corpus.* Ex hac ſententia nomen habet *animus*, quaſi ἄνεμος.

Et ſermo ſcintilla ad commovendum cor noſtrum] Græcè, ὁ λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν, *ratio noſtra eſt ſcintilla exoriens, ubi cor movetur.* Sicut Empedocles,

Αἷμα γὰρ ἀνθρώποις περικάρδιόν ἐστι νόημα.
[*Nam mens eſt homini circùm præcordia ſanguis.*]

3. *Quia exſtinctus cinis erit corpus noſtrum*] In cineres vertetur.

Et tranſibit vita noſtra tanquam veſtigium nubis, & ſicut nebula diſſolvetur] In Græco, καὶ τὸ πνεῦμα ἡμῶν διαχυθήσεται ὡς χαῦνος ἀήρ [*& ſpiritus noſter diffundetur ut levis aër*]. Cùm exiſtiment tales homines nihil ab alio aëre differre animum, non mirum eſt ſi & eum è corpore exeuntem huc illuc diſpergi exiſtiment. Seneca:

— *cum profugo ſpiritus halitu*
Permiſtus nebulis ceſſit in aëra.

Huc tendit & Epigramma Diogenis Laërtii de Anaxarcho.

4. *Et nomen noſtrum oblivionem accipiet per tempus*] Ipſa etiam memoria perit ſeculorum lapſibus.

5. *Vmbra enim tranſitus eſt tempus noſtrum*] Pindarus, Σκιὰ ἄνθρωπος [*Homo umbra*].

Et non eſt reverſio finis noſtri] Bene vertit quod eſt in Græco ἀναποδισμός· nam ἀναποδίζειν eſt *retrogredi*, ut II Maccabæorum XIV. 44.

Quoniam conſignata eſt] Id eſt, *occluſus eſt reditus.* Seneca dixit *vias irremeabiles.* Propertius,

——— *ſolido ſtant adamante viæ.*

6. *Et utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter*] Legit κτίσει· & ſic habent codices Græci quidam: alii meliùs, ut puto, κτήσει [*poſſeſſione*]. Senſus eſt, Vivamus ſenes ut viximus juvenes. Iuvenes bonis paternis tanquam alienis non parcunt; nec nos noſtris rebus parcamus: nam & hæ brevi erunt alterius niſi utimur.

7. *Vino pretioſo & unguentis nos impleamus*] Sic Anacreon,

Ἐμὲ μᾶλλον, ὡς ἔτι ζῶ,
Μύρισον, ῥόδοις δὲ κρᾶτα
Πύκασον.
[*Potiùs, mihi manet dum*
Anima, unge me, meúmque
Caput implica corollis.]

Item,

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ.
[*Libet roſas amorum*
Admiſcere Lyæo.]

Cauſam addit, quam & hîc habuimus,

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα
Βίοτος τρέχει κυλισθείς.
[*Rota ſicut in quadrigis*
Ità vita noſtra currit.]

Et Horatius cùm dixiſſet

Nunc decet & viridi nitidum caput impedire myrto,
Aut flore, terræ quem ferunt ſolutæ;

addit,

Pallida mors æquo pulſat pede pauperum tabernas,
Regúmque turres.

Et alibi,

Hîc vina & unguenta, & nimiùm breves
Flores amœnæ ferre jube roſæ.

Sequitur,

Omnes eódem cogimur, omnium
Verſatur urna.

Et non prætereat flos temporis] Ἄνθος ἀέρος, id eſt, ver, tempus aptiſſimum voluptatibus:

Omnia jam florent, jam formoſiſſimus annus.

8. *Coronemus nos roſis antequam marceſcant*] Ex uno cætera intellige. Occaſionem voluptatum rapiamus. Plinius XXI. *Natura flores odoréſque in diem gignit, magnâ, ut palàm eſt, admonitione hominum, quæ ſpectatiſſimè florent, celerrimè marceſcere.* In Epigrammate Græco,

Ἄνθος γὰρ καὶ κάλλος ἴσον χρόνον ἐστὶ λαχόντε·
Ταῦτα δ᾽ ὁμοῦ φθονέων ἐξεμάραν᾽ ὁ χρόνος.
[*Flos & forma nihil durabile: tempus utrique*
Invidet & morſu carpit utrumque ſuo.]

Nullum pratum ſit quod non pertranſeat luxuria noſtra] Abeſt in noſtris codicibus; ſed Interpres haud dubiè in ſuis invênit.

9. *Nemo veſtrûm exſors ſit luxuriæ noſtræ*] Ἀγερωχίας. Eſt ἀγερωχία propriè *arrogantia*, quomodo in Gloſſis vertitur.

Quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors] Vt Sardanapalus,

Τόσσ᾽ ἔχω ὅσσ᾽ ἔπιον καὶ ἐδήτυα καὶ μετ᾽ ἔρωτος
Τερπν᾽ ἐδάην. τὰ δὲ πολλὰ καὶ ὄλβια κεῖνα λέλειπται.
[*Hæc habeo quæ ſuaſit amor, quæcunque comédi*
Quæque bibi. pulchra illa alia & præclara nihil ſunt.]

11. *Sit autem fortitudo noſtra lex juſtitiæ*] Idem quod ait Lucanus,

——— *menſuráque juris*
Vis erat.

Quod enim infirmum eſt, inutile invenitur] Nimirum,

rum, ut Athenienſes dicebant apud Thucydidem, *δυνατὰ οἱ προὔχοντες πράσσουσι, καὶ οἱ ἀσθενεῖς συγχωροῦσι* [*agunt qui ſuperiores ſunt pro viribus, & ea concedunt qui inferiores ſunt*].

13. *Filium Dei ſe nominat*] Vide Matth. XXVII. 43. Ioan. XIX. 7. Hoc, & ſequentia ità poſſunt generaliter intelligi ut tamen in Ieſum Chriſtum ſpecialiter directa videri poſſint.

15. *Gravis eſt etiam nobis ad videndum, quia diſſimilis eſt aliis vita illius*] Capito in Thraſeam, & ei ſimiles ad Neronem: *Rigidi & triſtes, quò tibi laſciviam exprobrent.* Livii illud libro XXXV non longè abit: *Nulla ingenia tam prona ad invidiam ſunt quàm eorum qui genus & fortunam ſuam animis non æquant, quia virtutem & bonum alienum oderunt.*

Et immutatæ ſunt viæ ejus] Ἐξηλλαγμέναι, id eſt, *diſcordes*. Sic Græci ſcriptores optimi ἐξηλλαγμένα ſæpe vocant ea quæ ſunt inuſitata.

16. *Et præfert noviſſima juſtorum*] Sumtum, ſed μυστικῷ [*abſtruſiore*] ſenſu, ex dicto Balaami Numerorum XXIII. 10.

Et gloriatur patrem ſe habere Deum] Ioan. V. 18.

17. *Videamus ergò ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima ejus*] Matth. XXVII. 40. Marc. XV. 31. 32. Lucæ XXIII. 35.

19. *Contumeliâ & tormento interrogemus eum, ut ſciamus reverentiam ejus, & probemus patientiam illius*] Pro *interrogemus* in Græco eſt ἐξετάσωμεν *exploremus*, & pro *reverentiam* ἐπιείκειαν, quod verti poteſt *lenitatem*. Hæc quoque in Dominum Ieſum optimè conveniunt. *Contumeliæ* ſunt ſputa & alapæ; *tormenta*, corona ſpinea & virgæ.

20. *Morte turpiſſimâ condemnemus eum*] Ea eſt haud dubiè mors Crucis, ſervile ſupplicium.

Erit enim ei reſpectus ex ſermonibus illius] In Græco, ἔσται γὰρ αὐτοῦ ἡ ἐπισκοπὴ ἐκ λόγων αὐτοῦ. *Erit enim illi viſitatio* (id eſt, Divina protectio) *pro verbis ipſius*, id eſt, ſi vera ſunt quæ dixit. פקד quod ἐπισκέψαι vertitur, modò *vindictam*, modò *tutelam* ac *beneficia* ſignificat.

22. *Et neſcierunt ſacramenta Dei*] Conſilium Dei in perducendo Chriſto, deinde & Chriſtianis, per crucem in gloriam, quod diu etiam Angelos latuit, 1 Petr. I. 12. Vide & Rom. XVI. 25. Epheſ. I. 9. Coloſſenſium I. 26. & II. 2.

Neque mercedem ſperaverunt juſtitiæ] Poſt reſurrectionem.

Nec judicaverunt honorem ſanctarum animarum] Vide Lucæ XXIII. 43.

23. *Quoniam Deus creavit hominem inexterminabilem*] In Græco, ἐπ' ἀφθαρσίᾳ· *in ſpem immortalitatis creavit*, id eſt, naſci quemque fecit.

Et ad imaginem ſimilitudinis ſuæ fecit illum] Myſtica interpretatio verborum Moſis de Adamo. Tunc dominium Adamus habuit, non tamen in omnia Paradiſi; ſed olim habebit pleniſſimum, nullâ re exceptâ, Apocalyp. V. 10. XXII. 25. Vide & Romanorum VIII. 22.

24. *Invidiâ autem diaboli*] Quem ſub Serpentis figura Moſes intelligi voluit.

Mors introivit in orbem terrarum] Mors prima per Adami culpam, mors autem ſecunda per ſingulorum impietatem, injuſtitiam & falſimonias, ut ex ſupradictis intelligi poteſt.

25. *Imitantur autem illum qui ſunt ex parte illius*] In Græco, πειράζουσι δὲ αὐτὸν οἱ τῆς ἐκείνου μερίδος ὄντες, id eſt, *irritant illam* (ſcilicet mortem contra ſe) *qui ad partem ejus* (id eſt, mortis) *pertinent*. Qui digni ſunt morte ſecundâ, hi illam, hoſtem inevitabilem, in ſe *irritant*. *Irritant* dixit, quod ſuprà *attrahere* & *advocare*, I. 12. 16. *Ad partem mortis pertinent* qui eam merentur, I. 16.

CAPVT III.

1. I*Vſtorum autem animæ in manu Dei ſunt*] Ipſa Chriſti locutio, Lucæ XXIII. 46.

Et non tanget illos tormentum mortis] In Græco ſimpliciter, οὐχ ἅψεται αὐτῶν βάσανος [*non tanget eos tormentum*], *tormentum* illud ſcilicet cui etiam ante tempus judicii univerſalis ſubjectæ ſunt impiorum animæ, Lucæ XVI. 23.

2. *Viſi ſunt oculis inſipientium mori*] In Græco, τεθνάναι, id eſt, *periiſſe*, etiam quod animam attinet.

Et æſtimata eſt afflictio exitus illorum] In Græco, κάκωσις, id eſt, *miſeria*. Putantur eſſe miſeri, eò quòd moriuntur.

3. *Et quod à nobis eſt iter exterminii*] In Græco, καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία, σύντριμμα [*& à nobis abitus, diſſipatio*]. Abitus animarum piorum ex rebus humanis putatur eſſe diſſipatio. σύντριμμα hîc idem eſt quod διαχύεσθαι [*diffundi*] & διασκεδάζεσθαι [*diſpergi*], ſuprà II. 3. 4.

Illi autem ſunt in pace] *In requie*, ut ſolent loqui Hebræi. Vide quæ dicta ad Lucæ XXIII. 43. *Requieſcunt à laboribus ſuis*, Apocal. XIV. 13. *Veniat pax* Eſaïæ LVII. 2. de mortuo loquens: ubi dicta vide.

4. *Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt*] Vt Apoſtoli.

Spes illorum immortalitate plena eſt] Id eſt, conſolantur ſe ſpe reſurrectionis & vitæ nunquam deſituræ.

5. *In paucis vexati*] Id eſt, ad modicum tempus.

In multis bene diſponentur] In Græco, μεγάλα εὐεργετηθήσονται, *magna accipient beneficia.*

Quoniam Deus tentavit eos] Exploravit adverſis eorum conſtantiam.

Et invenit illos dignos ſe] Id eſt, *dignos* qui aliquando ſecum ſint. Vide 1 Ioan. III. 2. *Dignos* intellige ex benigna æſtimatione, ut Actor. XIII. 46. Apocalypſeos III. 4. XVI. 6.

6. *Tanquam aurum in fornace probavit illos*] Confer Zachariæ XIII. 9. Malachiæ III. 3.

Et quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos] Obedientia ipſorum uſque ad mortem gratior Deo fuit omni holocauſto, Philippenſium II. 17.

Et in tempore erit reſpectus illorum] In Græco, καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἀναλάμψουσι, *in tempore viſitationis ſuæ* (id eſt, ubi Deus ipſorum meminerit) *fulgebunt*, Matthæi XIII. 43.

7. *Et tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent*] Velocitatem habebunt majorem quàm *ignis in ſtipula*. Corpora enim eorum erunt cœleſtia, qualia quæ ſunt celerrimè moventur. *Ignis in ſtipula*, proverbiale, Zachariæ XII. 6.

8. *Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis*] Apocalypſeos II. 26. 27. Matthæi XIX. 28.

Et regnabit Dominus illorum in perpetuum] Vt Rex Regum, Apocalypſeos XIX. 6. 1 Corinth. XV. 24.

9. *Quoniam donum & pax eſt electis ejus*] In Græco, ὅτι χάρις καὶ ἔλεος ἐν τοῖς ὁσίοις αὐτοῦ, καὶ ἐπισκοπὴ ἐν τοῖς ἐκλεκτοῖς αὐτοῦ [*quia favor & miſericordia adverſum ſanctos ejus, & inſpectio in electos ejus*]· ubi videmus eoſdem eſſe ὁσίους [*ſanctos*] & ἐκλεκτούς [*electos*]. Hebræo enim more bis idem ſenſus repetitur. Vide quæ ad Matthæi XX. 16.

11. *Et vacua eſt ſpes illorum*] Tranſit de numero in numerum, ut ſæpe fit ubi de hominum generibus agitur.

12. *Mulieres eorum inſenſatæ ſunt*] Ἄφρονες. Propter maritorum flagitia, quæ feminæ imitantur, aut ulciſcuntur.

Et nequiſſimi filii illorum] Propter pravam inſtitutionem. Iuvenalis :

Plurima ſunt, Fuſcine, & famâ digna ſiniſtrâ,
Et nitidis maculam hæſuram figentia rebus,
Quæ monſtrant ipſi pueris tradúntque parentes.

13. *Maledicta creatura eorum*] Γένεσις in Græco, quo *naturam* ſignificari diximus ſuprà ad I. 14. Natura eorum depravatiſſima eſt. Solent enim etiam naturaliter in prolem transfundi parentum vitia.

Felix eſt ſterilis & incoinquinata, quæ neſcivit thorum in delicto] Apud Hebræos ſterilitas opprobrium erat. Vide quæ ad Lucæ I.7.36. Ait autem hic ſcriptor multò feliciores eſſe ſteriles, quæ thalami caſtimoniam ſervant quàm illas quæ fœcundæ quidem ſunt, ſed ſæpe ex adulterino ſemine, aut certè de quo conceperint neſciæ.

Habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum] Ἐν ἐπισκοπῇ, id eſt, in judicio univerſali, ut ſuprà 7. *Fructum habebunt*, id eſt, præmia ſobole meliora.

14. *Et ſpado qui non operatus eſt per manus ſuas iniquitatem, nec cogitavit adversùs Deum nequiſſima*] Applicatio myſtici loci Eſaïæ LVI. 4. Felices prædicat præ mœchis pios ſpadones, qui & factis malis (quæ *manuum* nomine indicant Hebræi) & cogitatis abſtinuere. Solet dici de eunuchis,

——— *amatores eſſe mulierum maximos,*
Sed nihil poteſſe.

Et notum illud Martialis,

Cum ſene communem vexat ſpado Dindymus Æglen.

Et Iuvenalis illud,

Sunt quas eunuchi imbelles ac mollia ſemper
Oſcula delectent, & deſperatio barbæ,
Et quod abortivo non eſt opus.

Et quæ ibi ſequuntur ejus argumenti plura.

Dabitur enim illi fidei donum electum] *Donum fidei*, id eſt, donum pro fide, vita æterna.

Et ſors in Templo Dei acceptiſſima] Honoratus locus in illo æterno Dei Templo. Erit στῦλος ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ [*columna in templo Dei*], ut dicitur Apoc. III. 12.

15. *Et quæ non concidit radix ſapientiæ*] Ἀδιάπτωτος ἡ ῥίζα τῆς φρονήσεως. Φρόνησιν vocat pietatem, quæ vera & ſolida prudentia eſt. Eam comparat radici tali quæ non modò non deficit, ſed fructum ad cœlum uſque mittit.

16. *Filii autem adulterorum in conſummatione erunt, & ab iniquo thoro ſemen exterminabitur*] Deus ſæpe adulteris aut poſteritatem negat, aut dat infelicem. Multæ domus regno ob adulteria exciderunt. ἀτέλεςα ſunt *quæ ad maturitatem non perveniunt*. ἀφανίζεσθαι dicuntur non modò *quæ intereunt* ſed & *quæ jacent ſine honore*. Euripides Phœniſſis,

Οὐ γὰρ ὃ μὴ καλὸν, οὔ ποτ᾽ ἔφυ καλὸν,
Οὐδ᾽ οἱ μὴ νόμιμοι παῖδες, ματρὶ λόχευμα,
Μίασμα πατρός.
[*Turpe quod eſt, heu, turpe, manet, manet!*
Hinc non legitimi partus, mala
Sunt matri, patríque piaculo.]

17. *Et ſiquidem longæ vitæ erunt*] Nempe illi μοιχοὶ *adulteri*. Nam de prole, ipſorum tantùm cauſâ egerat.

In nihilum computabuntur] Malam famam ſecum circumferent.

Ὄνειδος αἰσχρὸς βίος, ὁμῶς κἂν ἡδὺς ᾖ.
[*Vita ſine fama turpis eſt, ſuavis licèt.*]

Et ſine honore erit noviſſima ſenectus illorum] Quamdiu vivent, ſequetur eos hæc macula. Nam, ut Muſonius dicebat, *abit voluptas, manet infamia.* Et Theano *ab alieni viri complexu* ajebat *nunquam puram fieri mulierem.*

18. *Et ſi celeriùs defuncti fuerint, non habebunt ſpem*] Vitæ melioris.

Nec in die agnitionis allocutionem] Οὐδὲ ἐν ἡμέρᾳ διαγνώσεως παραμυθίαν, *Nec ſolatium in tempore judicii*, univerſalis ſcilicet.

19. *Nationis enim iniquæ diræ ſunt conſummationes*] Γενεὰν hîc vocat non ſobolem, ſed certum hominum genus, ut Matth. XVI.4. XVII. 17. Marc. IX. 19. Lucæ XI. 29. Actorum II. 40. χαλεπὰ τὰ τέλη, *miſeri exitus.*

CAPVT IV.

1. O *Quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate*] In Græco, Κρείσσων ἀτεκνία μετ᾽ ἀρετῆς, *Melius eſt eſſe ſine liberis, & cum virtute*, nempe, *quàm liberos adulterio ſerere* : de qua re præceſſit ſermo.

Immortalis enim eſt memoria illius] Nempe ἀρετῆς, *virtutis.*

Et apud Deum nota eſt] Qui præmia ei reddet futuri ſeculi. *Noſcere* eſt approbare, ut Pſalmo I. 6. Matthæi VII. 23.

Et apud homines] Nam, ut ait Euripides,

Οὔτοι λείψανα τῶν ἀγαθῶν
Ἀνδρῶν ἀφαιρεῖται χρόνος.
Ἀλλ᾽ ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει.
[——— ——— *Quod bonis*
Poſt mortem ſupereſt non abolet dies,
Virtus incolumis poſt cineres micat.]

2. *Cùm præſens eſt, imitantur illam*] Habet enim virtus miras ἴυγγας [*illecebras*].

Et deſiderant eam cùm ſe eduxerit]

Sublatam ex oculis quærimus,

ait Horatius.

Et in perpetuum coronata triumphat] Coronata à Deo, Iacobi I. 12. 1 Petri V.4. Apocalypſ. II. 10.

Incoinquinatorum certaminum præmium vincens] Τὸν τῶν ἀμιάντων ἄθλων ἀγῶνα νικήσασα. Ità enim habet editio Sixtina, *poſtquam in certamine vicit.* Sicut Petrus dicto jam loco ad *amarantum* florem alludit, ità hic Scriptor hoc loco ad lapidem *amiantum*, cujus ea eſt natura ut non modò *veneficiis omnibus reſiſtat*, ſed & *igne nihil deperdat*, Plinius XXXVI. 19. Dioſcorides V. 148. ἀγῶνες ἀμίαντοι [*certamina incontaminata*] ſunt certamina contra omne vitiorum genus, Hebr. VII. 26. Iacobi I. 27. ab his qui ſe ſervavere, *virgines* dicuntur in Apocalypſi.

3. *Multigena autem impiorum multitudo non erit utilis*] Quamvìs multi ſunt, non ſubſiſtent.

Et ſpuria vitulamina non dabunt radices altas] Μοσχεύματα, quod hîc *vitulamina* vertit, Theophraſto aliiſque Rei ruſticæ ſcriptoribus ſunt *propagines*, ſive *ſtolones*. Ex adulterio nati non modò apud Hebræos ſed & aliis in locis ad honores non admittebantur.

4. *A vento commovebuntur*] Ad injurias facilè patent, quia familiam à qua defendantur nullam habent.

5. *Rami inconſummati*] Ἀτέλεστοι, ut ſuprà III. 16.

Et acerbi ad manducandum] Nemo eos ſibi vult adſciſcere.

6. *Ex iniquis enim ſomnis filii qui naſcuntur*] Honeſtè congreſſum viri & mulieris *ſomnum* dixit; ut Plautus, *propter dormias.* Terentius Andriâ, *ſi ſe illam in ſomnis quàm illum amplecti mavelit.*

In interrogatione ſua] Ἐν ἐξετασμῷ αὐτῶν, ubi ſcilicet genus eorum examinandum eſt, ſicut fieri ſolet in mandandis honoribus.

7. *Iuſtus autem ſi morte præoccupatus fuerit*] *Etiamſi immaturâ morte obeat:* quod ſub Legis ſtatu non eveniebat niſi rarò, ob cauſas graves & ipſis morientibus utiles, ut in Ioſia. Sed hæc, ut dixi, Euangelium magìs redolent.

In refrigerio erit] Sic Latini vocant ſtatum juſtorum poſt mortem ante reſurrectionem. In Græco eſt hic ἐν ἀναπαύσει, Hebræi dicerent בנחת [*in requie*]. Vide quæ ad Lucæ XXIII. 43. Sumtum ex Eſaïæ LVII. *requieſcat in cubili ſuo*, ſed ſenſu à corpore ad animum tranſlato.

8. *Senectus enim venerabilis*] *Senectutem* intelligit mores ſene dignos, id eſt, graves.

Neque annorum numero computata] Seneca De brevitate vitæ: *Vita non quamdiu ſed quàm bene acta refert.* Chryſippus dixerat, Ἀγαθὸν ὁ χρόνος οὐκ αὔξει προσγινόμενος [*Tempus accedens, bonum non facit majus*]. Cicero autem III de Finibus: *Stoïcis non videtur optabilior nec magìs expetenda vita ſi ſit longa quàm ſi ſit brevis.*

9. *Cani autem ſunt ſenſus hominis*] Πολιὰ δέ ἐστι φρόνησις ἀνθρώποις. Pari ſenſu Menander,

Οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν,
Ἀλλ' ὁ τρόπος ἐνίων ἐστὶ τῇ φύσει γέρων.
[*Non albicantes dant pili ſapientiam,*
Natura multis prærogat mores ſenum.]

10. *Placens Deo factus dilectus, & vivens inter peccatores tranſlatus eſt*] Græcè, εὐάρεστος γενόμενος τῷ Θεῷ ἠγαπήθη, καὶ ζῶν μεταξὺ ἁμαρτωλῶν μετετέθη [*Gratus cùm eſſet Deo dilectus eſt, & cùm viveret inter peccatores, tranſlatus*], id eſt, *quia ità vixit quomodo Deo placebat, dilectus à Deo, à peccatoribus,* quibuſcum vivebat, *tranſlatus eſt.* Græcum eſt dictum,

ὃν οἱ θεοὶ φιλοῦσ' ἀποθνήσκει νέος.
[*Flore in juvenili moritur quem Dî diligunt.*]

Μετετέθη [*tranſlatus*] eſt ſumtum de hiſtoria Enochi Geneſeos V. 24. ubi in Græco, εὐηρέστησεν Ἐνὼχ τῷ Θεῷ, καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, ὅτι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός [*placuit Enoch Deo, & non apparuit; quia tranſtulit eum Deus*]. Scriptor ad Hebræos XI. 5. Πίστει Ἐνὼχ μετετέθη τοῦ μὴ ἰδεῖν θάνατον· καὶ οὐχ ηὑρίσκετο, διότι μετέθηκεν αὐτὸν ὁ Θεός [*Fide Enoch tranſlatus eſt nè videret mortem; & non inveniebatur, quia tranſtulit eum Deus*]. Non longè abit illud Eſaïæ LVII. 1. ἀπὸ προσώπου ἀδικίας ἦρται ὁ δίκαιος [*à facie malitiæ collectus eſt juſtus*].

11. *Raptus eſt nè malitia mutaret intellectum ejus, aut nè fictio deciperet animum illius*] *Malitia*, id eſt, mala exempla: *fictio*, προφάσεις, quibus ea quæ non honeſta ſunt quadam honeſti veſtiuntur ſpecie. In conſolatione ſuper morte juvenum non ſolet hoc omitti: *Innocens erat, ſed potuerat corrumpi tam pravo ſeculo.* Seneca ad Marciam, *Cogita animi mille labes: neque enim recta ingenia, qualem in adoleſcentia ſpem ſui fecerunt, uſque in ſenectutem pertulerunt, ſed interverſa plerumque ſunt: aut ſera, eóque fœdior, luxuria invaſit, & coëgit dehoneſtare ſpecioſa principia; aut in ſaginam ventrémque projectis ſumma illis curarum fuit quid eſſent, quid biberent.* Poſtea, *Facilius ad ſuperos iter eſt, animis citò ab humana converſatione dimiſſis: minus enim fæcis ponderíſque traxerunt: antequam obducerentur & altiùs terrena conciperent liberati, leviores ad originem ſuam revolant, & faciliùs, quidquid eſt illud, abſoluti transfluunt.*

12. *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona*] Βασκανία γὰρ φαυλότητος ἀμαυροῖ τὰ καλά, *Faſcinatio enim vitiorum obſcurat honeſta:* id eſt, efficit nè honeſta qualia ſunt conſpiciantur. Φαυλότης omne *vitium* Græcis. βασκαίνειν inter alia eſt *oculis imponere, præſtigias facere.*

Et inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia] In Græco, καὶ ῥεμβασμὸς ἐπιθυμίας μεταλλεύει νοῦν ἄκακον, id eſt, *mentem probam tranſverſam agit vertigo cupidinis,* nimirum accedentibus malis magiſtris.

φθείρουσιν ἤθη χρῆσθ' ὁμιλίαι κακαί.
[*Colloquia mores prava corrumpunt bonos.*].

13. *Conſummatus in brevi explevit tempora multa*] Satìs diu vixit qui vixit bene. πλειωθεὶς hîc dicitur qui ſe totum dedit virtuti, exutis vitiis. Vide quæ ad Matthæi V. 48. Simile illud Martialis:

Dum numerat palmas credidit eſſe ſenem.

Seneca: *Non eſt vita major quæ longior.*

14. *Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatum*] Bene ſupplevit ἔλλειψιν [*omiſſionem vocis*] quæ eſt in Græco, διὰ τοῦτο ἔσπευσεν ἐκ μέσου πονηρίας [*ob hoc properavit ex medio iniquitatis*].

Populi autem videntes & non intelligentes] Id eſt, videntes non intelligebant unde hoc accideret, Eſaïæ LVII. 1.

15. *Quoniam gratia Dei & miſericordia eſt in ſanctos ejus, & reſpectus in electos ejus*] Non cogitabant hoc ipſum (nempe mortem ante ſeniles annos) *eſſe gratiam & miſericordiam Dei in ſanctos ſuos, & beneficium in electos.* Rurſus iidem *ſancti* & *electi*, ut ſuprà III. 9. & ἐπισκοπὴ [*inſpectio*] pro *beneficio.*

16. *Condemnat autem juſtus mortuus vivos impios, & juventus celeriùs conſummata longam vitam injuſti*] Hîc iterum τελεσθεῖσα [*conſummata*] eo ſenſu quo modo τελειωθεὶς [*conſummatus*]. *Condemnat* autem ſui comparatione, ut viri Ninives Matth. XII. 41. Ille juvenis ad tam eximiam virtutem pervenerat; vobis tantò plus fuit temporis ad proficiendum, & minùs profeciſtis.

17. *Et non intelligent quid cogitaverit de illo Deus*] In Græco non eſt ἐβουλεύσατο [*cogitaverit*] ſed ἐβουλεύσαντο, illi ſcilicet impii non recordantur qualia adversùs pium conſilia ceperint, nempe ad eum depravandum.

Et quare munierit illum Dominus] Ἠσφαλίσατο, *in tuto poſuerit.*

18. *Videbunt & contemnent eum*] Futurum pro præterito, more Hebræo, *Vident eum mortuum, & contemnunt*, putantes, ut in proverbio eſt, *canem vivum præſtare leoni mortuo.*

Illos autem Dominus irridebit] Alium illorum impiorum exitum prævidens, ut ſequitur.

19. *Quoniam diſrumpet illos inflatos ſine voce*] Ὅτι ῥήξει αὐτοὺς ἀφώνους πρηνεῖς, *ubi illos præcipites datos* (de alta fortuna) *voce interclusâ ruperit*, id eſt, animum à corpore diſtraxerit.

Et commovebit illos à fundamentis] *Commoverit eos*, id eſt, vita ſimul omnibúſque rebus adamatis privaverit.

Et uſque ad ſupremum deſolabuntur] Erunt perpetuò ſine auxilio ac ſolatio.

Et erunt gementes] Ἐν ὀδύνῃ, *in dolore.* Oppoſitum id ei quod de juſti ſtatu dixerat ſuprà III. 1.

Et memoria illorum peribit] Nullam poſt ſe laudem relinquent. Oppoſitum id ei quod de juſto ſuprà habuimus 1.

20. *Venient in cogitatione peccatorum ſuorum timidi*] *Cum ſummo metu* (pœnarum ſcilicet) *reminiſcentur ſuorum criminum.* Vide quæ ad Lucæ XVI. 23. & ſequentibus.

Et traducent illos ex adverſo iniquitates ipſorum] Καὶ ἐλέγξει αὐτοὺς ἐξεναντίας τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν, *peccata ſua ipſos convincent ex adverſo*, id eſt, contrà ſtantia, ut teſtes in judicio ſolent.

CAPVT V.

1. TVm *ſtabunt juſti in magna conſtantia*] *Iuſti*, id eſt, juſtorum animæ, ut apparet ex eis quæ infrà 14. 17. 18. Solent autem animæ totius hominis nomen occupare συνεκδοχικῶς [*per Comprehenſionem*], ut diximus ad indicatum jam Lucæ locum. In Græco, τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος [*tunc juſtus ſtabit*, id eſt *erit, in magna libertate*]. Nam παῤῥησία, quamvis ex origine *libertatem in dicendo* ſignificet, ſolet tamen & ad alia transferri. Vide Ioannis VII. 4.

Adversùs eos qui ſe anguſtiaverunt] In ſtatu longè alio.

2. *Videntes turbabuntur*] *Videntes*, id eſt, cognoſcentes impiæ animæ ſtatum piarum. Solent quæ corporum ſunt ad animum transferri, ut oſtendimus ad dictum locum. Sic *videre* dicuntur animæ quæ cognoſcunt; attribuuntur eis lingua, digiti, & alia.

Et mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis] Καὶ ἐκστήσονται ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας, *Obſtupeſcent ob ſalutem tam inſperatam quæ piis continget.*

3. *Pœnitentiam agentes*] Seram & inutilem.

Et in ſimilitudinem improperii] Εἰς παραβολὴν ὀνειδισμοῦ, id eſt, *in dicterium.* Sic משל ſumitur II Paralipom. VII. 20. Pſalmo XLIV. 15. Ierem. XXIV. 9. Michææ II. 4.

7. *Vias difficiles*] In Græco, διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους [*inceſſimus per vias deſertas*], *vias invias*, id eſt, extra Legem, ut oſtendunt ſequentia.

9. *Tanquam umbra*] Æſchylus,

Τὸ γὰρ βρότειον σπέρμ' ἐφημέρια φρονεῖ,
Καὶ πιστὸν οὐδὲν μᾶλλον ἢ καπνοῦ σκιά.
[*Humana ſoboles in diem tantùm ſapit,*
Nec eſt ſolidior umbra quàm fumi levis.]

Sophocles,

Ἄνθρωπός ἐστι πνεῦμα καὶ σκιὰ μόνον.
[*Homo flatus eſt & umbra, præterea nihil.*]

Et tanquam nuntius percurrens] Id eſt, *nuntiatio*, ἀγγελία.

10. *Tanquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam, cujus cùm præterierit non eſt veſtigium invenire*] Proverbiorum XXX. 19.

11. *Aut tanquam avis quæ tranſvolat in aëre, cujus nullum invenitur argumentum itineris*] *Via aquilæ in cælo*, ait idem Proverbiorum locus.

12. *Aut tanquam ſagitta emiſſa*]

——— ὡς βέλος ὠκύ.
[——— *veluti pennata ſagitta.*]

Diviſus aër continuò in ſe recluſus eſt] Legitur in Græco, τμηθεὶς ὁ ἀὴρ εὐθέως εἰς ἑαυτὸν ἀνελύθη [*diviſus aër illico in ſe rediit*]· ſed legendum ἀνελήλυθε, *in ſe rediit.*

13. *In malignitate autem noſtra conſumti ſumus*] Vitam omnem conſumſimus malè agendo.

Talia dixerunt in inferno hi qui peccaverunt] Hæc in Græco non ſunt, ſed ad connectenda quæ ſequuntur ſunt addita. *Infernus* eſt ſtatus animarum poſt mortem ante reſurrectionem.

15. *Tanquam lanugo eſt, quæ à vento tollitur*] *Tanquam pappi.* Vide Pſalmo I. 4.

Tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur] In Græco, ὡς πάχνη, *ut pruina.*

Et tanquam fumus] Καπνοῦ σκιά [*umbra fumi*], Æſchylus dicto jam loco.

Et tanquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis] Ὡς μνεία καταλύτου μονοημέρου παρώδευσε, *ſicut abit memoria hoſpitis quem nunquam niſi uno die vidimus.*

16. *Iuſti autem in perpetuum vivent*] Vitâ æternâ.

Et apud Dominum eſt merces eorum] Repoſita ſcilicet, quæ eos exſpectat, Apocal. XXII. 12.

Et cogitatio illorum apud altiſſimum] Ἡ φροντὶς αὐτῶν [*cura de illis*]. Deus curam illorum ſemper habet.

17. *Ideo accipient regnum decoris*] Nempe poſt reſurrectionem, Apocalypſ. I. 6.

Et diadema ſpeciei] Id eſt, *ſpecioſum*, διάδημα τοῦ κάλλους [*diadema decoris*], Iacobi I. 12. I Petr. V. 4. Apocal. II. 10. IV. 4. IX. 7. XII. 1.

Dexterâ ſuâ teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos] Nè quid ſit quod ipſis nocere poſſit.

18. *Accipiet armaturam zelus illius*] Abſoluto ſermone de piis, retrogreditur ad deſcribendas pœnas

quas de impiis Deus ſumet in judicio univerſali: quæ pœnæ deſcribuntur per res hujus ſeculi, ut nobis notiores.

22. *Ibunt directè emiſſiones fulgurum*] Εὔστοχοι βολίδες [*jactus bene directi*]. Græcis εὔστοχα dicuntur tela *quæ perveniunt quò jaciuntur.*

Et tanquam bene curvato arcu nubium exterminabuntur] *Arcu nubium*, id eſt, emiſſo è nubibus. Sic Virgilius:

——— arcum intendebat Apollo
Deſuper.

23. *Et à petroſa ira*] Ἐκ πετροβόλου θυμοῦ, *ex ira ſaxa jaciente.* Πετροβόλος hîc adjectivum: alioquin ſubſtantivè ponitur pro *baliſtis*, 1 Samuel. XIV. 14.

24. *Contra illos ſtabit ſpiritus virtutis*] Dei. Sic Matth. XXVI. 64. ἐκ δεξιῶν δυνάμεως [*à dextris virtutis*], id eſt, *ad dexteram Dei.*

Tanquam turbo venti dividet illos] Longè à ſe ſegregabit, II Theſſalonicenſ. I. 9.

Et ad eremum perducet omnem terram iniquitas illorum, & malignitas evertet ſedes potentium] Scelera impiorum cauſa erunt cur non modò regna omnia mundi hujus intereant, ſed & mundus ipſe conflagret. De *regnis* vide Coloſſ. II. 15. de *terra*, II Petri III. 7.

CAPUT VI.

1. *Melior eſt ſapientia quàm vires, & vir prudens quàm fortis*] Non eſt in Græco. Sententia non mala eſt, ſed præcedentibus & ſubſequentibus minùs conveniens.

2. *Audite ergò, Reges, & intelligite; diſcite, Iudices finium terræ*] Quando Deus omnium, etiam Regum & Principum, Iudex aliquando futurus eſt, videte quid agatis.

4. *Data eſt à Domino poteſtas vobis*] Romanorum XIII. 1. Irenæus: *Cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituuntur, apti iis qui in illis temporibus ab ipſis regnantur.* Clemens, Τὸν βασιλέα φοβηθήσῃ, εἰδὼς ὅτι Κυρίου ἐστὶν ἡ χειροτονία [*Regem time, ſciens electionem ejus eſſe à Domino*].

5. *Quoniam cùm eſſetis miniſtri regni illius*] Romanorum XIII. 4.

7. *Exiguo enim conceditur miſericordia*] Ei putà cui inopi & exſuli legem diſcendi non fuit copia. Lucæ XII. 48. ὁ δὲ μὴ γνοὺς, ποιήσας δὲ ἄξια πληγῶν, δαρήσεται ὀλίγας [*qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*].

Potentes autem potenter tormenta patientur] Lucæ dicto loco, παντὶ ᾧ ἐδόθη πολὺ, πολὺ ζητηθήσεται παρ' αὐτοῦ [*omni cui multum datum eſt multum quæretur ab eo*].

8. *Quoniam puſillum & magnum ipſe fecit*] Intellige de formatione fœtûs, ut ſuprà I. 4. & II. 23.

Et æqualiter cura eſt illi de omnibus] Id eſt, non diſtinguit curam ſuam pro ſublimi aut humili vitæ ſtatu, ſed pro virtutibus & vitiis.

10. *Vt diſcatis ſapientiam*] Pietatem & optimos mores. Hæc enim Hebræis דעה [*ſcientiæ*] & חכמה [*doctrinæ*], & ſimilibus nominibus appellantur. Optimè: illa enim præcipuo loco habenda quæ ad finem præcipuum ducunt.

11. *Qui enim cuſtodierint juſtitiam juſtè, juſtificabuntur*] Id eſt, qui & *recta* & *rectè*, id eſt, pio animi propoſito fecerint, ii ut juſti à Deo tractabuntur. Eſt hîc ὁσιωθῆναι [*ſanctificari*] quod alibi δικαιωθῆναι [*juſtificari*].

13. *Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia*] Quia fructus de ſe edit æternos.

Facilè videtur ab his qui diligunt eam] Veriſſimum: Ioan. VII. 17. Deuteron. XXX. 11. 12. 13. 14. 15. 16. Romanorum X. 6. 7. 8. 9.

14. *Præoccupat qui ſe concupiſcunt*] Baſilius, μόνον θέλησον, καὶ Θεὸς προαπαντᾷ [*tantùm velis, & Deus præcurrit obvius*].

16. *Cogitare ergò de illa ſenſus eſt conſummatus*] Nulla eſt cupiditas juſtior.

17. *Dignos ſeipsâ circuit quærens*] Vltro ſe offert: Proverbiorum IX.

19. *Cuſtoditio autem legum conſummatio incorruptionis eſt*] Id eſt, ſumma pars puritatis humanæ: ἀφθαρσία [*incorruptio*] enim hoc loco ad vitæ præſentis tempus optimè referas, ut Epheſiorum VI. 24. Titi II. 7. Exigunt id ſequentia.

20. *Incorruptio autem facit eſſe proximum Deo*] 1 Ioannis III. 1. 2.

21. *Concupiſcentia igitur ſapientiæ deducit ad regnum perpetuum*] Illud *perpetuum* hîc in Græco non eſt, ſed rectè eſt additum ex eo quod ſequitur.

Neſcitis cupidi arcium
Regnum quo jaceat loco.

Si vultis in æternum regnare, bene vivite, bene regnate.

Pulchrum eminere eſt inter illuſtres viros,
Conſulere patriæ, parcere afflictis, ferâ
Cæde abſtinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, ſeculo pacem ſuo.
Hæc ſumma virtus, petitur hâc cœlum viâ.

24. *Quid eſt autem ſapientia?*] Quæ ejus natura ſit.

Et quemadmodum facta] Vnde ortum habeat. Hoc eſt quod jam dicet *ab initio nativitatis.*

Referam] Nempe duobus quæ ſequuntur capitibus.

25. *Neque quidem cum invidia tabeſcente iter habebo: quoniam talis homo non erit particeps ſapientiæ*] Non amat Deus talentum defodientem, Matthæi XXV. 25. 26.

26. *Multitudo autem ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum*] Saluſtius: *Ego ità comperio, omnia regna, civitates, nationes, uſque eò proſperum imperium habuiſſe dum apud eos vera conſilia valuerunt.*

Et Rex ſapiens ſtabilimentum populi eſt] Id eſt, verè βασιλεὺς, βάσις τοῦ λεώ [*fundamen populi*]. Quippe

Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.

——— ἀρετῶσι δὲ λαοὶ ὑπ' αὐτοῦ,
[——— *populi ſub tali Rege beati,*]

ait Homerus, poſtquam deſcripſerat Regem

——— ——— ἀμύμονα καὶ θεοειδῆ.
[——— *culpâ vacuum gnarúmque Deorum.*]

CAPUT VII.

1. *Et ex genere terreni illius qui priùs factus eſt*] Puto ſcripſiſſe Interpretem *qui primus factus eſt*,

eſt, πρωτοπλάστου. Græcus autem voce γηγενοῦς expreſſit originem terreni Adami : nam אדמה eſt *terra*. Sic Latinis *homo* ab *humo*.

2. *Et in ventre matris figuratus ſum*] Ἐν κοιλίᾳ μητρὸς ἐγλύφην [*in matris utero effigiatus ſum*]. κατεπλάσθην [*formatus ſum*] liceat dicere cum Ieremia I. 5. nam & Galenus vim illam fœtûs formatricem διαπλαστικὴν vocat. Vterum Macrobius vocat *formandi hominis monetam*.

Decem menſium tempore] Sic Virgilius :

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Vbi Servius, *Mares decimo naſcuntur menſe, feminæ nono* : nempe ἐπὶ τὸ πολὺ [*plerumque*].

Coagulatus ſum in ſanguine] Vox valde efficax, παγεὶς ἐν αἵματι, ex materno ſanguine ſcilicet. Iob X. 10. eodem verbo utitur, ἔπηξας δέ με ἴσα τυρῷ [*ut caſeum coagulaſti me*]· & Plinius *coaguli* vocabulo in re eadem. Locum ejus ad illa Iobi adduximus.

Ex ſemine hominis] Ἐκ μιαρᾶς ῥανίδος [*ex rancidula aſpergine*], ut eſt in Græco Epigrammate.

Et delectamento ſomni conveniente] Καὶ ἡδονῆς ὕπνῳ συνελθούσης. Explicatio eſt ejus quod præceſſit. *Somnus* hîc ſumitur ut ſuprà IV. 6.

3. *Et ego natus accepi communem aërem*] In Græco, Καὶ ἐγὼ δὲ γενόμενος ἔσπασα τὸν κοινὸν ἡμῖν ἀέρα [*Et ego ut natus ſum attraxi communem nobis aërem*]. Philemon,

Σὺ γὰρ τίς ἐστὶ, εἰπέ μοι παῤῥησίᾳ·
Σὺ λαλεῖς ἐν ἀνθρώποισι οὐκ ἄνθρωπος ὤν,
Τὸ δ᾽ ὅλον περιπατεῖς, ἢ τὸν αὐτὸν ἀέρα
Ἑτέροις συνέλκεις;
[*At tu, quis tandem es ? liberè, rogo, dic mihi :*
Loqueríſne hominibus ipſe cùm non ſis homo,
Mundúmque calcas, An communem auram trahis
Nobiſcum ?]

Et in ſimiliter factam decidi terram] Papinius :

——— *tellure cadentem*
Excepi.

Et primam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans]

Δακρυχέων γενόμην. ———
[*Plorans ſum genitus.* ———]

4. *In involumentis nutritus ſum*] Ἐν σπαργάνοις, *faſciis*. Vide Lucæ II. 7.

5. *Nemo enim ex Regibus aliud habuit nativitatis initium*] Id eſt, *nè è Regibus quidem*. Paria ſunt initia & fines.

7. *Spiritus ſapientiæ*] Vide I. 5. *Sapientiæ* nomine hîc pietatem maximè intelligit.

8. 9. *Et præpoſui illam regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum : quoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanquam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius*] Similia habes Proverbiorum VIII. 10. 11. Poëta vetus,

Οὐκ ἔστι σοφίας χρῆμα τιμιώτερον.
[*Pretioſa res eſt nulla præ Sapientia.*]

Alter,

Σοφία δὲ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον.
[*Eſt ſapere pretio quolibet pretioſius.*]

Adde quæ Matthæi XIII. 44. 45. & illud Senecæ :

Mens regnum bona poſſidet.

10. *Super ſalutem*] *Sanitatem*, ὑγίειαν.

——— καὶ γὰρ εἰ φρονεῖν ἔχω,
Κρεῖσσον τόδ᾽ ἐστὶ καρτεροῦ βραχίονος,
[——— *Si mihi ſapientia*
Conceſſa, plus hoc quàm lacertorum tori,]

ait Euripides. Et alius,

Βέλτιόν ἐστι σῶμα γ᾽ ἢ ψυχὴν νοσεῖν.
[*Corpore quàm mente præſtat eſſe morbidum.*]

Quoniam inextinguibile eſt nomen illius] Sophocles,

Ἀρετῆς βέβαιαι δ᾽ εἰσὶν αἱ κτήσεις μόναι.
[*Virtutis una, quæ manet, poſſeſſio eſt.*]

Euripides,

Ἁ δ᾽ ἀρετὰ καὶ θανοῦσι λάμπει.
[*Virtus incolumis poſt cineres micat.*]

Et alibi,

Ἀρετὴ δὲ κἂν ἀποθάνῃ τις οὐκ ἀπόλλυται.
[*Virtus ubi quis interit non interit.*]

11. *Et innumerabilis honeſtas per manus illius*] Solet hic Interpres πλοῦτον vertere verbo *honeſtatis*. Pietas Euangelica promiſſa non habet divitiarum : evenit tamen ut eam ſequatur hominum benevolentia, & indè opes non modicæ.

12. *Et ignorabam quoniam horum omnium Mater eſt*] Tanta bona nec ſperaveram nec optaveram.

14. *Participes facti ſunt amicitiæ Dei*] In Græco, πρὸς Θεὸν ἐστείλαντο φιλίαν [*cum Deo contraxerunt amicitiam*].

15. *Præſumere digna horum quæ mihi dantur*] Ἐνθυμηθῆναι, *cogitare*.

Et ſapientium emendator] Qui etiam ſapientiſſimos multa quotidie docet.

16. *In manu enim illius & nos & ſermones noſtri, & omnis ſapientia*] Poteſt nobis ubi vult & ſermonis & mentis uſum adimere.

17. *Vt ſciam diſpoſitionem orbis terrarum*] *Doctrinam* בראשית [*in principio*, id eſt, *creationis*].

Et virtutes elementorum] Aquæ & Terræ & Lucis. Ex aqua enim aër & cœlum, aves & piſces ; ex terra, ſata, arbores, animantia ; ex luce, aſtra.

18. *Initium & conſummationem & medietatem temporum*] *Initium*, autumnus ; *conſummatio*, æſtas ; *media*, hyems & ver.

Viciſſitudinum permutationes, & commutationes temporum] Legit non τρόπων ἀλλαγὰς [*morum commutationes*], ſed τροπῶν. τροπαὶ ſunt *temporum cardines*, Æquinoctia, & Solſtitia.

19. *Anni curſus*] Quomodo cum Solis curſu Lunæ curſus æquandus ſit, magna pars ſtudii eorum qui in Synedrio erant.

Stellarum diſpoſitiones] Septem quæ *vaga* dicuntur ſidera, ſignificata per ſeptem Templi lampadas ; & deinde τὰ ἀπλανῆ [*fixa ſidera*] ſignificata per cæteras lychni partes.

20. *Naturas animalium*] Animantium generationem, partes, earúmque uſum, egregia Divinæ ſapientiæ documenta.

Et iras beſtiarum] Θυμοὺς θηρίων, id eſt, quosvis *affectus*. Ità enim θυμὸν ſæpe ſumunt Iudæi Helleniſtæ.

Vim ventorum] Vt peſtilentiam Euri illis locis, Auſtri vehementiam.

Et cogitationes hominum] Semina ἠθικῆς καὶ πολιτικῆς [*Artis moralis & civilis*] Sic Vlyſſes

Πολλῶν ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.

[*Multorum mores hominum cognovit & urbes.*]

Differentiam virgultorum] In Græco φυτῶν, quo nomine arbores & frutices intelliguntur, *à cedro ad hyſſopum*, id eſt, à maximis ad infima.

Et virtutes radicum] Herbarum vim medicam. *Radicum* enim nomen Hebræi etiam de herbis uſurpant.

21. *Omnium enim artifex docuit me ſapientia*] *Sapientiam* intelligit eam quæ contingit hominibus, Dei munere, omnium artium repertricem. Sed, ut dixi, in *ſapientia* præcipuè Pietatem comprehendit; cætera ei velut ornamenta accedunt. Ideo poſtquam dixit,

22. *Eſt enim in illa ſpiritus intelligentiæ*] Πνεῦμα νοερὸν, *vis intelligens*, addit ἅγιον [*ſancta*].

Vnicus, *multiplex*] Μονογενὲς, πολυμερές. Vnum ortum habent à Deo, ſed latè diffuſa.

23. *Omnem habens virtutem*] Παντοδύναμον, quod intelligendum pro humanæ capacitatis modo.

Et qui capiat omnes ſpiritus : intelligibilis, mundus, ſubtilis] Legit in Græco νοερὸν, καθαρὸν, λεπτότατον, ubi nos habemus νοερῶν, καθαρῶν, λεπτοτάτων [*intelligentium, purorum, ſubtilium*], meliùs, ni fallor; ut ſenſus ſit, Non tantùm res viſui ſubjectas, ſed & Angelos à ſapientibus, humano tamen modo, cognoſci.

24. *Propter ſuam munditiam*] Puritate ſuâ. Mentis enim, cujus perfectio eſt ſapientia, ea eſt natura, quæ ab omni concretione terrena abſit longiſſimè. ἀμιγὴς [*impermixta*], ut ait Ariſtoteles.

25. *Vapor eſt enim virtutis Dei*] Ità à Deo venit ut fumus bene olens ab aromatibus Templi. *Vapor* ἀτμὶς, ענן, Levit. XVI. 13. Ezech. VIII. 11.

Emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis Dei ſincera] Ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης [*effluvium gloriæ Omnipotentis*]. Hebræi dicunt צמח כבוד, ut rivus à flumine.

26. *Candor eſt enim lucis æternæ*] In Græco, ἀπαύγασμα [*effulgentia*], id eſt, quaſi παρήλιος [*ſol repercuſſus in nube*]. Hanc vocem ſenſu eminentiſſimo de Chriſto uſurpat divinus ad Hebræos ſcriptor I. 3. Philo de Somniis, καθάπερ γὰρ τὴν ἀνθήλιον αὐγὴν, ὡς ἥλιον, οἱ μὴ δυνάμενοι τὸν ἥλιον αὐτὸν ἰδεῖν, ὁρῶσι, καὶ τὰς περὶ σελήνην ἀλλοιώσεις, ὡς αὐτὴν ἐκείνην, οὕτως καὶ τὴν τοῦ Θεοῦ εἰκόνα, τὸν ἄγγελον αὐτοῦ λόγον, ὡς αὐτὸν κατανοοῦσιν [*Sicut enim qui Solem ipſum videre non poſſunt, vident ſplendorem Solis repercuſſi, & Lunæ mutationes pro ipſa: ità & Dei imaginem, nuntium ipſius ſermonem, pro ipſo contemplantur*].

Et ſpeculum ſine macula Dei majeſtatis] Ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον vocat *ſpeculum non mentiens*, qualia ſunt plana, non media depreſſa, non elata, non averſa, non obliqua. Vide Plinium XXXIII. 9. κηλὶς eſt quodvis *vitium*.

Et imago bonitatis illius]Hoc quoque nomen ſublimiſſimo ſenſu Chriſto tribuit Paulus II Cor. IV. 4. I Coloſſ. I. 15. Philo περὶ μοναρχίας, Λόγος δέ ἐστιν εἰκὼν Θεοῦ, δι' οὗ σύμπας ὁ κόσμος ἐδημιουργεῖτο [*De unius imperio, Sermo enim eſt Dei imago, per quem totus mundus eſt conditus*].

27. *Et cùm ſit una, omnia poteſt*] Vnum ἐνεργείᾳ [*actu*] eſt Mens, omnia δυνάμει [*potentiâ*].

Et in ſe permanens omnia innovat] Veritates æternæ ſemper eædem ſunt, ſed diverſis rebus applicantur, ἐκ τοῦ καθ' ὅλου πρὸς τὰ κατὰ μέρος [*ab univerſali ad particularia*].

Et per nationes in animas ſanctas ſe transfert] Κατὰ γενεὰς, id eſt, per *ætates diverſas*.

Amicos Dei & prophetas conſtituit] Raró ſub Veteri Fœdere Prophetiæ donum contingebat niſi iis qui diu in בראשית, id eſt, τοῖς φυσικοῖς [*Phyſicis*], & in מרכב, id eſt, τοῖς μετὰ τὰ φυσικὰ [*in Metaphyſicis*] eſſent inſtituti: cui rei ſerviebant Prophetarum ſcholæ. Ideo quod de Amoſo evênit mirum erat, & quædam Euangelicæ gratiæ anticipatio.

30. *Sapientiam autem non vincit malitia*] Κακία, id eſt, *res adverſæ*, ut Matth. VI. 34. Adverſa *nocti*, cujus præceſſit mentio, comparantur. Eſt ſapientia ἀβάπτιστος φελλὸς ὥς [*veluti ſuber neſcia mergi*], ut loquitur Pindarus.

CAPVT VIII.

1. Attingit ergò à fine ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter] Bene cohæret cum præcedentibus. *Quia adverſis non mutatur, ideo conſtanter ab initio ab finem uſque ſe ſuſtinet, omniáque ſua utiliter ordinat.* Id enim eſt χρηστῶς.

2. *Hanc amavi*] Vt φιλόσοφος [*Amans ſapientiæ*].

Et quæſivi ſponſam mihi eam aſſumere, & amator factus ſum formæ illius] Simile illud Ariſtotelis in hymno Virtutis:

Σᾶς πέρι, παρθένε, μορφᾶς
Καὶ θανεῖν ζηλωτὸς ἐν Ἑλλάδι πότμος.
[*Te propter, dea pulchra, te jubente*
Grajis dulce mori.]

3. *Generoſitatem illius glorificat, contubernium habens Dei*] In Græco, εὐγένειαν δοξάζει, συμβίωσιν Θεοῦ ἔχουσα, *Nobilitatem* (hominis) *decorat, quippe cum Deo convivens.*

4. *Doctrix enim eſt Dei diſciplinæ, & electrix operum illius*] In Græco, μύστις γάρ ἐστι τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιστήμης, καὶ αἱρετὶς τῶν ἔργων αὐτοῦ, *Initiata enim eſt arcanis Divinæ ſcientiæ, & ſectatrix eſt operum Dei.* Vox illa μύστις, cujus & maſculinum infrà habebimus, oſtendit hujus libri Interpretem fuiſſe non imperitum elegantiæ Græcæ.

5. *Quid ſapientiâ locupletius*] Vide ſuprà VII. 8. 9.

Quæ operatur omnia] Suprà VII. 21.

6. *Si autem ſenſus operatur, quis horum quæ ſunt magìs eſt quàm illa artifex?*] *Quòd ſi prudentia* (φρόνησις, idem ſignificans quod σοφία [*Sapientia*]) *operatur* (*omnia* nempe, quod præceſſit), *quis inter omnes artifices illâ major?* Cæteri ſingulas artes callent; ab illa artes ſunt omnes.

7. *Labores hujus magnas habent virtutes*] *Virtutes cunctæ ſunt effecta hujus*, nempe Sapientiæ. Vera enim Sapientia, cujus præcipua pars eſt Dei hominíſque cognitio, omnes ex ſe virtutes gignit: Quarum generaliſſimæ, & ad quas cæteræ ἀναλόγως [*proportionaliter*] referri poſſunt, ſunt Prudentia in conſiliis capiendis, Fortitudo circa pericula, Temperantia circa voluptates, Iuſtitia in ſocietate.

8. *Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis*] Bene ad ſenſum vertit: nam Græcum πολυπειρία

[*experientia multiplex*] latiùs hîc ſumitur quàm fert origo vocis, ut oſtendunt ſequentia.

Scit præterita, & de futuris æſtimat] Euripides,

——————— τὰ θεῖα γὰρ
Τά τ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἠπίστατο.
[——— *cum præſentibus*
Futura norat, atque res hominum & Deûm].

In Græco pro *præterita* eſt ἀρχαῖα [*vetuſta*]. Sic Homerus, ——— παλαιά τε πολλά τε εἰδώς.

[——— *qui multa vetuſtáque nôrat.*]

Ennius,

Multa tenens antiqua, ſepulta, vetuſta.

Scit verſutias ſermonum] Στροφὰς λόγων, id eſt, τὴν ῥητορικήν [*Artem oratoriam*].

Et diſſolutiones argumentorum] Λύσεις αἰνιγμάτων, id eſt, ſophiſticarum argumentationum, τὴν διαλεκτικήν [*Artem diſputandi*].

Signa & monſtra ſcit antequam fiant] Prædicit deliquia Solis & Lunæ, quæ homines pro portentis habent.

Et eventus temporum & ſeculorum] Terræ motus, peſtilentiam, ſterilitatem, ex ſiderum poſitu.

9. *Et erit allocutio cogitationis & tædii mei*] Παραίνεσις φροντίδων καὶ λύπης. *Allocutio*, id eſt, ſolatium; quomodo *alloquia* etiam Horatius dixit.

11. *Et acutus inveniar in judicio*] Bene hoc dictum in perſona Solomonis. Vide 1 Reg. III. 16.

12. *Tacentem me ſuſtinebunt*] Id eſt, *exſpectabunt*, περιμένουσι.

Conticuere omnes, intentíque ora tenebant.

Vide his ſimilia Iobi XXIX. 9. & ſequentibus.

13. *Præterea habebo per hanc immortalitatem*] Deo dante. Vide infrà 17.

15. *Timebunt me audientes Reges horrendi*] In Græco, τύραννοι φρικτοί [*tyranni horribiles*], nempe Syri, Palæſtini, Amalecitæ, qui omnes Solomonis tempore nihil auſi movere.

In multitudine videbor bonus, & in bello fortis] *In multitudine*, ἐν πλήθει, id eſt, in publicis conventibus. Senſus idem qui in illo verſu Homerico,

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής.
[*Egregius miles ſimul & Rex optimus idem.*]

19. *Puer autem eram ingenioſus*] *Bonæ indolis*, εὐφυής.

Et ſortitus ſum animam bonam] Ex ſententia eorum qui animas dari putant in ipſo conceptu.

20. *Et cùm eſſem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum*] Μᾶλλον δὲ ἀγαθὸς ὢν ἦλθον εἰς σῶμα ἀμίαντον. μᾶλλον δὲ [*aut potiùs*] eſt nota ἐπανορθώσεως [*Correctionis*]. Cogitemus an hoc velit dicere, Si vera eſt ſententia περὶ τῆς προϋπάρξεως τῶν ψυχῶν [*de præexiſtentia animæ*] (multi enim Hebræi eam ſententiam hauſerant, ut diximus Ioan. IX. 2.), *cùm eſſem ego bonus* (nam Hebræis nonnullis, ut & Pythagoricis animus eſt homo totus, corpus nihil niſi σκεῦος [*inſtrumentum*]), *corpus mihi aſſignatum eſt optimæ* κράσεως [*temperiei*], *ſine notabili vitio naturali.* Panegyricus dictus Theodoſio Imperatori: *Sive enim divinus ille animus venturus in corpus dignum priùs metatur hoſpitium, ſive cùm venerit fingit habitaculum pro habitu ſuo.* Hanc ſententiam περὶ τῆς τῶν ψυχῶν προϋπάρξεως [*de animarum præexiſtentia*] Syneſius nè Epiſcopus quidem factus depoſuit, ut ex Epiſtolis ejus apparet. Auguſtinus ſuas hac de re dubitationes explicat libro I. & IV. de Libero arbitrio, & Epiſtolâ CXX.

21. *Et ut ſcivi quoniam aliter non poſſem eſſe continens niſi Deus det*] In Græco, γνοὺς δὲ ὅτι οὐκ ἄλλως ἔσομαι ἐγκρατὴς εἰ μὴ ὁ Θεὸς δῷ, *Cùm ſcirem me non aliter compotem poſſe fieri* (nempe ſapientiæ, de qua ſuprà actum eſt) *quàm Dei munere.* ἐγκρατὴς hoc ipſo ſenſu ſumitur Sirachidæ VI. 28. & XV. 1.

Et deprecatus ſum illum] Nempe illis verbis vel potiùs eo ſenſu qui exhibetur capitibus jam ſecuturis, in quibus egregiæ ad Deum preces ſimul cum Dei laudibus piiſque meditationibus perutiliter miſcentur. Et vel ob hoc multum iis debemus qui nobis hunc librum conſervarunt.

CAPVT IX.

1. QVi feciſti omnia verbo tuo] Geneſ. I. 3. & ſequentibus, Pſalm. XXXIII. 9. Ioan. I. 3.

2. *Vt dominaretur creaturæ quæ à te facta eſt*] Geneſeos I. 28.

4. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam*] Scripſit puto *aſſeſtricem*, πάρεδρον. Latinè potuit dicere *aſſeſſorem*: nam ejus ſoni verbalia etiam feminino aptantur generi, ut *dea ſponſor* apud Ovidium. Sæpe pii ſcriptores de ſapientia loquuntur ità generaliter ut & Divinam & Humanam ſub eodem nomine ἀναλόγως [*ſuo modo*] comprehendant. Vide Proverbiorum VIII.

Noli me reprobare à pueris tuis] Noli me excludere ex eorum numero quos tu doces atque inſtituis.

5. *Filius ancillæ tuæ*] Pſalmo LXXXVI. 16.

8. *Altare, ſimilitudinem tabernaculi ſancti tui, quod præparaſti ab initio*] Deeſt *&*. Vult enim à Solomone ſtructum & Altare, & Sanctum ſanctorum, quod imago eſt cœli illius inconſpicui, ut interpretatur Scriptor ad Hebræos VIII. 5. Philo de vita Moſis, τὰ ἄδυτα τῆς σκηνῆς, ἅπερ ἐστὶ συμβολικῶς νοητά [*penetralia Tabernaculi, ſymbola intelligibilium*]. Ioſeph. III. 5. τὸ μὲν γὰρ τρίτον αὐτῆς μέρος τὸ ἐντὸς τῶν τεσσάρων κιόνων, ὃ τοῖς ἱερεῦσιν ἦν ἄβατον, ὡς οὐρανὸς ἂν εἴη τῷ Θεῷ [*nam tertia pars inter columnas quatuor, ipſis etiam Sacerdotibus inacceſſa, erat quaſi Cælum Deo ſepoſitum*]. Præparaſti, nempe piis, ut Matth. XXV. 34. Hebræorum XI. 10.

9. *Et tecum ſapientia tua*] Proverb. VIII. 30. Ioannis I. 1. ubi dicta vide.

Quid eſſet placitum oculis tuis] Id eſt, *tibi.* Locutio Hebræa.

Et quid directum in præceptis tuis] Quæ ratio optimè implendi tibi deſtinata.

10. *Mitte illam de cælis ſanctis tuis*] שלח, πέμπειν, ἀποστέλλειν, ἐξαποστέλλειν [*mittere*] Deus dicitur bona maláve quæ hominibus quocunque modo proveniunt.

Et mecum laboret] Multâ cogitatione inquirat.

13. *Quis enim hominum poterit ſcire conſilia Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus?*] Niſi Deo revelante, ſcilicet. Optat donum Prophetiæ. Confer Eſaïæ XL. 13. 14. Rom. XI. 34. 1 Cor. II. 16. & quæ infrà 18.

14. *Cogitationes enim mortalium timidæ*] Id eſt, *incertæ* : quod explicat vox ſequens ἐπισφαλεῖς [*quæ facilè fallunt*].

15. *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam*] *Corpus animum prægravat*, eſt & apud Horatium. Virgilius,

——— *quantum non noxia corpora tardant*,
Terreníque hebetant artus, moribundáque membra.

Idem *corpus quod corrumpitur* quod *membra moribunda* Virgilio, Papinio *fragilis uſus corporis*.

Et terrena habitatio deprimit ſenſum multa cogitantem] Τὸ γεῶδες σκῆνος [*terrenum tabernaculum*] in Græco. Pythagoricum eſt corpus vocare σκῆνος [*tabernaculum*]. Euryſus, aut, ut alii volunt, Ecphantes Pythagoricus de Homine, τὸ σκῆνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιον [*tabernaculum par cæteris*]. Ariſtoxenus itidem Pythagoricus, ὧν τὸ σκῆνος χρήζει, πᾶσι πάρεστιν ἑτοιμαρέως [*parata ſunt omnibus quorum tabernaculum indiget*]. Pythagoricos in hac locutione imitatur Plato Axiocho. Eodem modo loquitur liber Cabalaſticus Zoar, & Paulus II Corinth. v. 1. 4.

19. *Per ſapientiam ſanati ſunt*] Ἐσώθησαν, *à vitiis purgati ſunt.*

Quicunque placuerunt tibi, Domine, à principio] Hoc in Græco non eſt. Senſus eſt: *per ſapientiam purgatos qui unquam ab initio mundi purgati fuere*. Simile loquendi genus in Apocal. XIII. 8. ubi dicta vide.

CAPUT X.

1. HÆc *illum qui primus formatus eſt à Deo*] Πρωτόπλαστον, quem πρωτόγονον [*Primigenam*], dixit Philo Byblius, nec aliter hymni Orphici, & Schola Pythagoræ.

2. *Et eduxit illum è delicto ſuo*] Nempe ſanans per ſapientiam. Pendent enim hæc à capite præcedente.

Et dedit illi virtutem continendi omnia] *Dominandi omnibus rebus*. Adamus majore quidem moleſtiâ quàm ante peccatum, tamen dominii reliquias retinuit: de qua re diximus ad quartum librum de Veritate Religionis Chriſtianæ, ex Euripide & Antiphonte.

3. *Ab hac*] Sapientia.

Injuſtus] Caïn.

4. *Propter quem*] Δι' ὅν· ſed quidam codices Græci habent δι' ὅ, id eſt, *propter hoc*, nempe quòd terra non illo tantùm ſed & ſimilibus multis ſceleribus eſſet inquinata.

Sanavit iterum ſapientia] Pietas Noë.

Per contemtibile lignum juſtum gubernans] Illa cauſa fuit cur in aquis ſervatus ad terram perveniret ligno exiguo,

——— *digitis à morte remotus*
Quatuor aut ſeptem.

εὐτελὲς *exiguum* ſæpe Græcis: & κυβερνᾶν *ſervare*. Sic in hymno Ῥώμης,

Σὺ δ' ἀσφαλέως κυβερνᾷς
Ἄστεα λαῶν.
[*Eadem beata*
Oppida ſervas.]

Lucretius ad Venerem:

Quæ quoniam rerum naturam ſola gubernas.

5. *Hæc & in conſenſu nequitiæ cùm ſe nationes contuliſſent*] Cùm Chaldæi gentéſque vicinæ prolapſæ eſſent ad idololatriam.

Scivit juſtum] Legit ἔγνω· ſed Sixtina editio habet εὗρε [*invênit*]. *Iuſtus* proprium Abrahami cognomentum, quia ingentem in Deum fiduciam habuit: quæ res juſtiſſima eſt. Vide quæ attulimus ad Iacobum.

Et conſervavit ſine querela Deo] Ἄμεμπτον τῷ Θεῷ [*inculpatum Deo*]. *Effecit ut Deus de eo nihil quereretur*, obedientiâ ejus contentus.

Et in filii miſericordia fortem cuſtodivit] Καὶ ἐπὶ τέκνου σπλάγχνοις ἰσχυρὸν ἐφύλαξεν, *effecit ut fortis*, id eſt, conſtans, *eſſet tunc cùm filii miſeratione commoveretur*. Sapientia præſtitit nè caritatem filii Dei juſſibus præferret.

6. *Hæc juſtum à pereuntibus impiis liberavit fugientem*] *Iuſti* vocabulo Lotus appellatur etiam II Petri II. 7. & meritò, ſi cum illis comparetur quos inter vivebat.

Deſcendente igne in Pentapolim] Sic rectè dicitur regio illa in qua Sodoma, Gomorra, Adama, Seboim, Segor, Geneſ. XIV. & XIX. Deuteron. XXIX. 23. *Pentapolim Iudaïcam* ſolent hanc appellare ſcriptores Chriſtiani ad diſcrimen Cyrenaïcæ.

7. *Et incerto tempore fructus habentes arbores*] Ἀτελέσιν ὥραις καρποφοροῦντα φυτά, *inani ſpecie fructum præferentes arbores*. Tacitus de iis locis: *Cuncta ſponte edita aut manu ſata, ſive herbâ tenui, aut flore, ſeu ſolitam in ſpeciem adolevere, atra & inania velut in cinerem vaneſcunt*. Solinus de iiſdem, *Apud quæ pomum quod gignitur, habeat licèt ſpeciem maturitatis, mandi tamen non poteſt: nam fuliginem intrinſecus favillaciam ambitus tantùm extimæ cutis cohibet, quæ vel levi preſſa tactu fumum exhalat, & fatiſcit in vagum pulverem.*

Et incredibilis animæ memoria ſtans figmentum ſalis] Rectè vertas, *incredulæ animæ*, ἀπιστούσης. Deinde *columna ſalis*, στήλη. Sic Geneſ. XIX. 26. στήλη ἁλός. Sic & Ioſephus, εἰς στήλην ἁλῶν, qui eam ad ſua tempora manſiſſe & à ſe conſpectam memorat. Bene autem animam incredulam refert Salis columna: nam ut ſal infrugiferum, ità & fiduciæ in Deum expers anima.

10. *Hæc profugum iræ fratris juſtum*] Iacobum איש תם, id eſt, ἄπλαστον [*ſincerum*] ſive ἁπλοῦν [*ſimplicem*], Geneſ. XXV. 27. Vide quæ ad Ioannem I. 47.

Deduxit per vias rectas] In Meſopotamiam tutò deduxit.

Et oſtendit illi regnum Dei] Dei providentiam circa pios, Geneſ. XXVIII. 12. 13.

Et dedit illi ſcientiam ſanctorum] Loci ſancti ubi Deus ſolemniter invocari vellet illo tempore, unde loco nomen *Bethelis*, Gen. XXVIII. 17. 22. XXXI. 13.

Honeſtavit illum in laboribus, & complevit labores illius] In Græco, εὐπόρησεν αὐτὸν ἐν μόχθοις, καὶ ἐπλήθυνε τοὺς πόνους αὐτοῦ. Hebraïſmus, pro quo uſitato ſermone diceres: *Ditem eum fecit in mediis laboribus, & quidem tantò magìs quantò magìs intendebat labores ejus*, Geneſ. XXX. 27. 30.

11. *In fraude circumvenientium illum adſuit illi, & honeſtum fecit illum*] *Honeſtum*, id eſt, divitem. Ità enim loquitur hic Interpres. πλεονεξία [*lucripetentia*] hîc intelligitur Labanis, Geneſ. XXXI. 38. 40. 41. 42.

12. *Et certamen forte dedit illi ut vinceret*] Geneſeos XXXII. 25.

13. *Hæc venditum juſtum non dereliquit*] Ioſephum innocentem à fratribus venditum, Gen. XXXVII. 26. Pſalmo CV. 17.

Sed à peccatoribus liberavit eum] Ἐξ ἁμαρτίας, id eſt, *à reatu.* nam Hebræorum mos eſt quemvis reatum etiam ſine cauſa vocare חטא vel אשם.

Deſcendítque cum illo in foveam] Id eſt, in carcerem, λάκκον, Geneſ. XLI. 14. ubi Ioſephus narratur *eductus è carcere*, in Hebræo eſt באר, quod alibi ferè ſemper λάκκον [*foveam*], ibi ὀχύρωμα [*munitum locum*] verterunt Græci. Et בית הבור Exodi XII. 29. vertitur λάκκος, ubi *carcerem* poſuit Latinus.

14. *Donec afferret illi ſceptrum regni*] Τὰ σκῆπτρα τῆς βασιλείας. Hebræi omnes magnas poteſtates *Regni* nomine, & eis fungentes *Regum* vocabulo ſæpe appellant, ut vidimus compluribus in locis. Sic & mox 16.

Et potentiam adversùs eos qui eum deprimebant] In Græco, καὶ ἐξουσίαν τυραννούντων αὐτοῦ, *imperium in eos qui ipſum oppreſſerant*, fratres ſuos, uxorem Putipharis, & alios. Eſt hîc participium præſens pro præterito, & caſus ſecundus in ſenſu objecti. Imperium opprimentium, id eſt, in oppreſſores.

Et dedit illi claritatem æternam] Nomen glorioſum perpetuò manſurum.

15. *Et ſemen ſine querela*] Nempe comparatione Ægyptiorum, qui idololatræ.

16. *Intravit in animam ſervi Dei*] Animavit Moſem, qui eximiè *ſervus Dei* dicitur, Ioſ. I. I. Pſalmo CV. 26. Hebræor. III. 5.

17. *In velamento diei*] Εἰς σκέπην ἡμέρας [*in protectionem diurnam*]. De die eos protexit ab æſtu per nubem. Sic σκέπη ſumitur Sirach. XXXIV. 18. Pſalmo CV. 39. ubi de eadem nube agitur, in Græco eſt, διεπέτασε νεφέλην εἰς σκέπην αὐτοῖς [*expandit nubem in protectionem ipſis*].

19. *Et ex altitudine inferorum eduxit illos*] In Græco, ἐκ βάθους ἀβύσσου ἀνέβρασεν αὐτοὺς, *fecit ut ex profundo pelagi ebullirent illi*, nempe Iſraëlitæ. Sic ἐξέβρασε [*bullire fecit*] ſumitur II Maccab. I. 12. Sic רקד, quod plerumque vertitur per σκιρτᾶν, ἐξάλλεσθαι [*exſilire, proſilire*], & voces ſimiles, Nahumi III. 2. vertitur ἀναβράσσειν [*ebullire*], & קלל alibi ἐξάλλεσθαι [*exſilire*] vertitur, alibi ἀναβράζεσθαι [*ebullire*].

Ideo juſti tulerunt ſpolia impiorum] Exodi XII. 36.

20. *Et decantaverunt, Domine; ſanctum nomen tuum*] Hymno illo qui exſtat Exodi XV.

21. *Sapientia aperuit os mutorum*] Qui præ metu mutire auſi non erant.

Et linguas infantium fecit diſertas] Νηπίων, id eſt, *puerorum*, qui ſimul cum parentibus cecinere. Vide Pſalm. VIII. 3. Matth. XXI. 16.

CAPUT XI.

1. IN *manibus Prophetæ ſancti*] Per Moſem, qui ſummus Prophetarum ante Meſſiæ tempora, Numerorum XII. 6.

3. *Steterunt contra hoſtes*] Amorrhæos, Baſanitas, Amalecitas.

4. *Sitierunt, & invocaverunt te*] Exodi XVII. 2. Numerorum XX. 2.

5. *Inimici illorum*] Ægyptii, ut oſtendunt ſequentia.

8. *Qui cùm minuerentur*] Non eſt hoc in Græco, ſed connectendo meliùs ſenſui additum ab Interprete. Ægyptii imminuti ſunt numero, quia Hebræorum numerum imminuerant.

In traductione infantium occiſorum] *In pœnam præcepti occidentis infantes.* Sic & infrà XVII. 7. XVIII. 5. Sirachidæ XVI. 13.

10. *Cùm enim tentati ſunt*] Siti, Iſraëlitæ ſcilicet.

Et quidem cum miſericordia diſciplinam accipientes] Ad breve tempus ſitim paſſi.

Quemadmodum cum ira judicati impii tormenta paterentur] *Paſſi eſſent:* ἐβασανίζοντο, Ægyptii ſcilicet.

11. *Interrogans condemnaſti*] In Græco, καταδικάζων ἐξήτασας, id eſt, *damnatos torſiſti.* Quòd multis in locis de reis per tormenta quæſtiones haberi ſolent, ideo ἐξετάζειν ſumitur pro *torquere.* Vide Actorum XXII. 24. & 29.

14. *Per ſua tormenta bene ſecum agi*] *Bene cum illis agi*, cum Iſraëlitis ſcilicet: quia ſitis eorum ſublevabatur, cùm Ægyptii ſiti periiſſent. Senſus idem qui ſuprà 6.

15. *Quem enim in expoſitione prava projectum deriſerunt*] In Græco, ἀπειπὸν χλευάζοντες, *pro deplorato habuere inſultantes.* Vertitur per ἀπειπεῖν Hebræum מאס [*ſprevit*].

16. *Colebant mutos ſerpentes & beſtias ſupervacuas*] *Animantia vilia*, εὐτελῆ, ut Canes. De Ægyptiis Philo in Legatione, Οἱ κύνας καὶ λύκους καὶ λέοντας καὶ κροκοδείλους καὶ ἄλλα πλείονα θηρία, καὶ ἔνυδρα καὶ χερσαῖα καὶ πτηνὰ, θεοπλαστοῦντες, ὑπὲρ ὧν βωμοὶ, καὶ ἱερὰ, καὶ ναοὶ κατὰ πᾶσαν Αἴγυπτον ἵδρυνται [*qui Canes & Lupos & Leones & Crocodilos & alia multa fera animantia, Aquatica, Terreſtria, Volucria, deos fecerunt, quorum altaria & ſacra & templa per omnem Ægyptum apparent*]. Tertullianus adversùs Marcionem II. *Ægyptius olim reus Deo fuerat gentilis idololatriæ, Ibin & Crocodilum citiùs colens quàm Deum vivum.*

18. *Ex materia inviſa*] Ἐξ ἀμόρφου ὕλης, *ex informi materia*, id eſt, *rudi indigeſtâque mole*, ut Ovidius expreſſit, תהו ובהו, Geneſ. I. 2.

19. *Aut novi generis, irâ plenas ignotas beſtias*] Bene vertit νεοκτίστους θυμοῦ πλήρεις θῆρας ἀγνώστους.

Aut vaporem ignium ſpirantes] Vt illi,

Quorum terribilis ſpiritus ignis erat.

Aut fumi odorem præferentes] Ἢ βρόμους λικμωμένους καπνοῦ, id eſt, *fœtorem ſparſum à fumo.* Sic βρόμον uſurpant Interpretes Iobi VI. 7. & quidam Ioël. II. 20. Sic quod apud Dioſcoridem eſt βρομῶδες id *virus redolens* vertit Plinius.

21. *Vno ſpiritu poterant occidi*] *Vno flatu.* Id enim hîc valet ἑνὶ πνεύματι· & eſt proverbiale. Plautus:

Cujus tu legiones difflaviſti ſpiritu,
Quaſi ventus folia, aut peniculum tectorium.

Sed omnia in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti] Plato dicebat Deum γεωμετρεῖν [*artem menſoriam exercere*].

23. *Tanquam momentum ſtateræ*] Vt ſcrupulum, rem leviſſimam.

24. *Miſereris omnium, quia omnia potes*] Differs pœnam, certus, ubi voles, ſemper tibi puniendi fore poteſtatem.

25. *Diligis enim omnia quæ ſunt*] Hîc etiam τὰ ὄντα πάντα [*quæ ſunt omnia*] accipiendum de hominibus oſtendunt ſequentia. Vide quæ diximus ſuprà I. 14.

26. *Aut quod à te vocatum non eſſet conſervaretur?*] *Vocare* eſt imperare, ut Pſalm. CXLVII. 4. Quomodo maneret quippiam niſi tu id manere juberes?

27. *Parcis autem omnibus*] Diu, in ſpem reſipiſcentiæ.

Quoniam tua ſunt] Nemo Rex mediocri prudentiâ, animi cauſâ ſubditos ſuos perdet.

CAPVT XII.

1. O *Quàm bonus & ſuavis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus*] In Græco, τὸ γὰρ ἄφθαρτόν σου πνεῦμά ἐστιν ἐν πᾶσι, *Nam ſpiritus tuus incorruptus eſt in omnibus:* id eſt, ille ſpiritus quem inſeruiſti hominibus, datus illis eſt in ſpem immortalitatis, ſuprà II. 23.

2. *Partibus corripis*] Καθ' ὀλίγον ἐλέγχεις, *paulatim corripis*, id eſt, lentè, cum magna patientia.

Credant in te, Domine] *Tibi confidant.* Eſt autem μετωνυμία [*Transnominatio*], pro *confidendo obediant.*

3. *Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ*] Diſertè deſcribit mores Cananæorum, Amorrhæorum & vicinarum gentium.

4. *Per medicamina*] Ἔργα φαρμακειῶν [*opera magica*]. Id nomen apud Interpretes Veteris Teſtamenti pro *artibus magicis* ſumitur. Vide Eſaïæ XLVII. 9. & φαρμακὸς ponitur modò pro חרטם, quod alibi vertitur ἐπαοιδὸς, modò pro כשף vel מכשף [*incantator*].

Et ſacrificia injuſta] *Cruenta ſacra, & pro remedio ſcelus*, ut Iuſtinus; *ſacrilegium veriùs quàm ſacrum*, ut Curtius. Vide quæ de Phœnicum more plurima attulimus ad Deuteronomium XVIII. 10.

5. *Et comeſtores viſcerum hominum*] Nam de victimis edi ſolebat.

5. 6. *Et devoratores ſanguinis à medio ſacramento tuo, & auctores parentes animarum inauxiliatarum*] Legit hîc Interpres in Græco, ἐκ μέσου μυστηρίων σου [*è medio ſacrorum tuorum*]· deinde αὐθέντας, quod *interfectores* ſignificat, vertit *auctores.* In Sixtina editione eſt ἐκ μέσου μυσταθείας σου· in aliis, ἐκ μέσου μύστας θιάσου. Legendum videtur ἐκ μυσοῦ μύστας θιασμοῦ, *ex ſcelerato afflatu myſtas.* Nam μυσὸς idem quod μυσαρὸς [*deteſtandus*], teſte Heſychio.

7. *Vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium carior eſt terra*] Ex Græco: *Vt terra* quæ tibi *omnium eſt cariſſima, acciperet dignam* ſe *coloniam filiorum*, nempe Dei.

8. *Et miſiſti anteceſſores exercitûs tui veſpas*] Exodi XXIII. 28. Deuteron. VII. 20. Ioſuæ XXIV. 12.

10. *Partibus judicans*] Κρίνων δὲ κατὰ βραχὺ, id eſt, *paulatim puniens*, ut ſuprà 2.

10. 11. *Non ignoras quoniam nequam eſt natio eorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio*] Senſus, Cùm à peſſimo parente Chamo traherent originem, pravíque illi mores in naturam ipſis vertiſſent, fieri non poterat (aliter nempe quàm per flagra talia, de quibus cœpit dicere) ut ſe in melius mutarent. Ità complendus hic ſenſus ex præcedentibus. Nam non omnes illos homines omnibus modis fuiſſe inſanabiles apparet, & Rahabæ & Gabaonitarum exemplo.

12. *Quis enim dicet tibi, Quid feciſti?*] *Cur me ità tractaſti?* τί με ἐποίησας οὕτως; Romanor. IX. 20. ubi accuſativus eſt pro dativo, more Græco. Sic Matthæi XXVII. 22. τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν; [*quid faciam Ieſu?*] Lucæ XV. 19. ποίησόν με ὡς ἕνα τῶν μισθίων σου [*tracta me ut unum mercenariorum tuorum*]. Sic Matthæi V. 44. in antiquis exemplaribus, καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας [*bene facite odio vos habentibus*]. Nemo jus habet Deum ad rationes vocandi, ubi facta apparent: ſed eo prætextu non ſunt comminiſcenda quæ nobis in mentem veniunt, & injuſtiſſima quæque Deo tribuenda. Quod ipſum damnat hic Scriptor infrà 15.

13. *Vt oſtendas*] Tanquam ſuperiori, aut pari.

14. *Neque Rex neque tyrannus in conſpectu tuo inquirent de his quos perdidiſti*] In Græco, οὔτε βασιλεὺς ἢ τύραννος ἀντοφθαλμῆσαι δυνήσεταί σοι περὶ ὧν ἐκόλασας, *Nemo Rex aut tyrannus contrà tueri te audeat ob eos quos puniſti.* ἀντοφθαλμεῖν [*contrà tueri*] vox bene Græca, & Polybio præſertim frequens.

16. *Virtus enim tua juſtitiæ initium eſt*] Multi homines ideo injurias inferunt quòd metuant nè ipſi accipiant injuriam. Hoc abs te, Deus, abeſt longiſſimè. Plurimas injurias à metu proficiſci plurimis ſapientum dictis oſtendimus libro II. de Iure Belli & Pacis, cap. I. § 5. & in annotatis ad eum locum.

Et ob hoc quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis] Puto ſcripſiſſe Interpretem: *Et hoc quòd omnium Dominus es, omnibus te parcere facit.* Ità enim in Græco, & ſenſus idem qui ſuprà XI. 27.

17. *Virtutem enim oſtendis tu, qui non crederis eſſe in virtute conſummatus, & horum qui neſciunt audaciam traducis*] Legit ἐν τοῖς μὴ εἰδόσι, pro quo nos ἐν τοῖς εἰδόσι [*in his qui ſciunt*]. Meliùs ſanè, ut ſic legatur locus, Ἰσχὺν γὰρ ἐνδείκνυσαι ἀπιστούμενος ἐπὶ δυνάμεως τελειότητι, ἐν τοῖς μὴ εἰδόσι τὸ θράσος ἐξελέγχεις· ſenſus autem ſit, *Is qui non creditur robur poſſe oſtendere, ſummis viribus convincit audaciam ignorantium.* De homine loquitur. Et opponitur huic dicto directè quod ſequitur, Σὺ δὲ δεσπόζων ἰσχύος, ἐν ἐπιεικείᾳ κρίνεις [*Tu autem cùm potens ſis virium, placidè judicas*], nihil properas, cùm de viribus tuis non ſit dubitare.

19. *Quoniam oportet juſtum eſſe & humanum*] Id eſt, jus lenitate temperandum.

20. *Et debitos morti*] Ob graviſſima crimina de quibus egit ſuprà.

Cum tanta cruciaſti attentione] Μετὰ τοσαύτης ἐτιμωρήσω προσοχῆς, *tam circumſpectè caſtigaſti.* Sic Paulus, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ [*pertulit in multa lenitate*], Romanorum IX. 22.

21. *Cum quanta diligentia judicaſti filios tuos*] *Iudicas*, id eſt, judicare ſoles: nam eſt ἀόριστος [*verbum indefiniti temporis*] in Græco. Eſt ἀκρίβεια hîc idem quod modò προσοχὴ [*attentio*], non *jus ſummum*, ut aliquando ſumitur τὸ ἀκριβὲς, ſed id quod cum ma-

magna ſit cura, rebus & temporibus ſollicitè expenſis.

Quorum parentibus juramenta & conventiones dediſti bonarum promiſſionum?] Nempe de ſtirpe nunquam penitus delenda, ſed exſpectanda ejus pœnitentia. Quò reſpicit Paulus Romanorum XI. 24. Hoc Deus aliis gentibus non promiſerat.

22. *Cùm ergò das nobis diſciplinam*] Puto ſcripſiſſe Interpretem: *cùm ergò des nobis diſciplinam.* Non enim tempus deſignatur, ſed oſtenditur Deus multò leniùs agere cum Iſraëlitis quàm cum idololatris, ut explicant ſequentia, 24.

23. *Per hæc quæ coluerunt*] Redit ad id quod ſuprà dixerat XI. 16. In Græco, διὰ τῶν ἰδίων ἐβασάνισας βδελυγμάτων [*per ipſorum abominationes eos puniiſti*]· ubi βδελύγματα [*abominationes*] dicuntur non ex Ægyptiorum ſenſu, ſed ex eo quod revera erant. Solent enim Hebræi ſic appellare Gentium numina.

24. *Deos æſtimantes hæc quæ in animalibus ſunt ſupervacua*] Θεοὺς ὑπολαμβάνοντες τὰ ϗ ἐν ζώοις τῶν ἐχθρῶν ἄτιμα, *Pro diis habentes illa animantium quæ ab inimicis contemtui habentur* : nempe quia Hebræis nocere non poterant. Locutio illa ἄτιμα τῶν ἐχθρῶν eſt qualis διδακτὸς τοῦ Θεοῦ [*doctus Dei*, id eſt, *à Deo*], & ſimilia quæ alibi obſervavimus; ubi genitivus Latinè per ablativum addita *à* præpoſitione redditur.

26. *Dignum Dei judicium experti ſunt*] Legit rectiùs πειράζουσιν [*experiuntur*], non, ut nos habemus, πειράσουσιν [*experientur*]. Præſens pro præterito, ut ſæpe.

27. *Deum agnoverunt verum*] Id eſt, ſenſerunt. Animo enim non agnoverunt, ut oſtendit id quod ſtatim ſequitur, *ideo eos eſſe damnatos*, id eſt, internecione deletos. Sic ירע Hebræis ſæpe eſt *ſentire*, *experiri*.

CAPVT XIII.

1. V*Ani autem ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei*] In Græco eſt ampliùs, Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν Θεοῦ ἀγνωσία [*Vani naturâ omnes homines quibus adeſt Dei ignorantia*]· ubi φύσει [*naturâ*] non tantùm ſignificat, ut alicubi, id quod reapſe eſt, ſed quod planè inolevit animo. Sic πεφυσιωμένα [*in naturam mutata*] dicuntur & vitia & virtutes, quæ altas in animo radices egêre. Congruit autem hic ſermo cum eo qui eſt ad Romanos I. Nam quanquam magnificè dicunt quidam, *Honeſtum per ſe expetendum*, tanta tamen eſt in animos vis eorum quæ conſpicimus, ut niſi adſit de Divina providentia, & quidem facta hominum repenſante, perſuaſio, ſimúlque leges quædam quæ in rectam viam homines dirigant, fieri non poſſit quin extra orbitam evagentur, & quidem ſæpe graviter; ut Stoïci in ἀρσενοκοιτίαν [*maſculam Venerem*] prolapſi; ut Romani nihil injuſtum arbitrantes quo imperium ipſis creſceret, & luxûs ſui ſuſtentandi cauſâ exponentes liberos, & gaudentes temere effuſo in arena ſanguine, quaſi id ad virtutem eſſet incitamentum. Nam, ut vaga eſt hominum ratio, ubi affectus, & blandientes affectibus mores acceſſere, facilè reperit rebus pravis velamenta, obſtátque ſibi, donec planè obſurdeſcat. *Vanos* ergò dicit eos qui Dei & providentiæ ipſius cognitionem non ſollicitè cuſtodiunt, ſed de ea re ſententias cujuſque permittunt arbitratui, quo nihil poteſt reperiri, non jam dico bonis moribus, ſed & reipublicæ exitioſius.

Et de his quæ videntur bona] Id eſt, de *bonis quæ videntur.* Ità enim in Græco.

Neque operibus attendentes agnoverunt eum qui eſt artifex] Servit hic locus interpretando ei qui eſt ad Roman. I. 20. Zaleucus in legum primordio, Τοὺς κατοικοῦντας τὴν πόλιν ϗ τὴν χώραν πάντας πρῶτον πεπεῖσθαι χρὴ ϗ νομίζειν Θεοὺς εἶναι, ϗ ἀναβλέποντας εἰς οὐρανὸν ϗ τὸν κόσμον, ϗ τὴν ἐν αὐτοῖς διακόσμησιν, ϗ τάξιν· οὐ γὰρ τύχης, οὐδ᾽ ἀνθρώπων εἶναι δημιουργήματα [*Eos qui Vrbem habitant & regionem primùm omnium perſuaſos eſſe oportet Deos eſſe, reſpicientes & cælum & mundum, & pulcherrimum in ipſis ordinem & ornatum: non enim hæc Fortunæ, nec hominum eſſe opera*]. Cicero de Natura Deorum : *Sic Philoſophi debuerunt, ſi fortè eos primus aſpectus mundi perturbaverat, poſtea, cùm vidiſſent motus ejus finitos & æquabiles, omniáque ratis ordinibus moderata, immutabilíque conſtantiâ, intelligere ineſſe aliquem non ſolùm habitatorem in hac cæleſti ac divina domo, ſed etiam rectorem ac moderatorem, & tanquam architectum tanti operis, tantíque muneris.* Idem de Haruſpicum reſponſis: *Etenim quis eſt tam vecors, qui aut cùm ſuſpexerit in cælum, Deos eſſe non ſentiat, & ea quæ tantâ mente fiunt, ut vix quiſquam arte ullâ ordinem rerum ac neceſſitatem perſequi poſſit, caſu fieri putet, aut, cùm deos intellexerit, non intelligat, eorum numine hoc tantum Imperium eſſe natum & auctum & retentum?*

2. *Aut ignem*] Qui deus Perſis. Ægyptiis idem Φθᾶ.

Aut ſpiritum] Id eſt, aërem, quem *Iunonem* vocarunt.

Aut citatum aërem] Commotum, id eſt, ventum. Boreas, Eurus, Zephyrus, Auſter, dii multis gentibus.

Aut gyrum ſtellarum] Κύκλον ἄστρων, *congeriem aliquam ſtellarum*, quam ἀστερισμὸν Græci vocant, ut Virginem, Geminos, Pleiadas.

Aut nimiam aquam] Hymnus Θαλάσσης [*Maris*], & alter Ὠκεανοῦ [*Oceani*] eſt in Orphicis. Eódem referuntur aliis nominibus Nereus, Neptunus, Amphitrite, Salacia, Phorcys, Triton, Nereïdes.

Aut Solem & Lunam] Quorum cultus latiſſimè per totum orbem patuit variis ſub nominibus. In Oriente ſub nominibus בעל שמין [*Dominus cæli*], & בעלת שמין [*Domina cæli*].

3. *Speciei enim generator hæc omnia conſtituit*] *Speciei*, id eſt, *pulchritudinis*, τοῦ κάλλους in Græco.

4. *Aut ſi virtutem & opera eorum mirati ſunt*] Vim & effectus.

6. *Minor eſt querela*] Minùs accuſandi videntur qui aſtra & ingentes mundi partes coluere quàm qui ſuamet ipſi figmenta.

8. *Iterum autem nec his debet ignoſci*] *Attamen nè hi quidem plenè veniam merentur.* Culpa eſt minor, ſed culpa.

9. *Vt poſſent æſtimare ſeculum*] עולם, id eſt, *Mundum*. Ità enim loquuntur Hebræi.

Quomodo hujus mundi Dominum non faciliùs inve-

invenerunt] *Mundus ipſe loquitur*, teſte Plotino, *Deus me fecit.* Facilius eſt ex ſumma ità bene congruente agnoſcere unum ejus ſummæ Opificem quàm omnes naturæ partes cognoſcere, aſtrorum curſus, cauſas ventorum, & maris æſtum, & terræ motum, & eorum quæ *μετέωρα* [*ſublimia*] dicuntur, animantium naturam, generationem, partes, earúmque uſum, arborum, herbarúmque & metallorum, gemmarum, lapidum proprietates, quæ vel ſingula immenſi ſunt laboris.

10. *Et inter mortuos ſpes illorum eſt*] *In mortuis ſpes illorum eſt.* Habent fiduciam in ſimulacris nihilque agere valentibus. Idem ſenſus Ierem. x. 14.

Aut lapidem inutilem opus manûs antiquæ] Marmor effictum à Phidia, Praxitele, Myrone aut Lyſippo.

11. *Fabricet vas utile in converſationem vitæ*] Horatius:

> *Cùm faber incertus ſcamnum facerétne Priapum,*
> *Maluit eſſe deum.*

Confer huic diſſertationi ſimilem apud Eſaï.xliv.13. & ſequentibus.

12. *Reliquiis autem ejus operis ad præparationem eſcæ abutatur*] In alimentum foci.

13. *Lignum curvum, & verticibus plenum*] Tortuoſum & nodoſum.

Per vacuitatem ſuam] *Per otium.*

14. *Perliniens rubricâ & rubicundum faciens fuco*] μίλτῳ, id eſt, *minio.* φύκει, id eſt, *algâ rubente*, qui propriè *fucus* ex Græco: unde nomen latiùs fuſum ad omnia formæ mendacia. Arnobius libro vi. de ſimulacris, *mero oblita minio.*

15. *Et faciat ei dignam habitationem*] Baſim, Eſaïæ xlvi. 7.

Et confirmans ferro] Annectens parieti.

17. *Et de nuptiis votum faciens inquirit*] *Inquirit* non eſt in Græco, ſed προσευχόμενος [*optans*] cohæret cum ſequentibus.

C A P V T X I V.

1. F*Ragilius lignum invocat*] Neptunum ex ligno.

3. *Dediſti & in mari viam*] ὁδὸν θαλάσσης, ut ſæpe Poëtæ Græci.

4. *Etiamſi ſine arte aliquis adeat mare*] Nandi ignarus.

5. *Exiguo ligno credunt homines animas ſuas*] Iuvenalis:

> ——— *ventis animam committe, dolato*
> *Confiſus ligno.*

Transeuntes mare per ratem] Σχεδίᾳ. Vlpianus L. 1. D. de Exercit. *Navem accipere debemus, ſive marinam, ſive fluviatilem, ſive in aliquo ſtagno naviges, ſive ſchedia ſit.* Interpres Odyſſeæ, σχεδίην τὴν εἰκαίως κατασκευασθεῖσαν ναῦν λέγει [*ſchediam vocat navem tumultuariam*] · nec aliter Suidas.

6. *Cùm perirent ſuperbi gigantes*] *Cabiri*, הגברים, Geneſeos vi. 4.

Spes orbis terrarum] Octo homines. Deucalion ad Pyrrham apud Ovidium,

> *Terrarum, quaſcunque vident Occaſus & Ortus,*
> *Nos duo turba ſumus.*

Deinde,

> *Nunc genus in nobis reſtat mortale duobus.*

Remiſit ſeculo ſemen nativitatis] *Reliquit*, ἀπέλιπεν· reliquit liberos, unde orti homines cæteri.

7. *Per quod ſit juſtitia*] Per quod exercentur commercia licita.

11. *Propter hoc & idolis nationum non erit reſpectus*] Legit, ἡ ἐπισκοπὴ οὐκ ἔσται. Nos autem habemus ἐπισκοπὴ ἔσται [*inſpectio erit*], id eſt, Deus vindictam exercebit etiam in idola impietatis inſtrumenta. Vide Eſaïæ xlvi. 1. Ierem. xlvi. 25. xlix. 3. Oſeæ viii. 5. x. 2.

12. *Initium enim fornicationis eſt exquiſitio idolorum*] Veriſſimum. Nam fœdiſſima quæque in deorum lucis peragebantur, ut oſtendimus ad Levitici xix. 29. Adde 1 Reg. xiv. 24. xv. 12. xxii. 47. ii Reg. xxiii. 7. Præterea narrabantur adulteria Iovis, Neptuni, Apollinis, Veneris, aliorúmque deorum & dearum, & ſic fiebant miſeris & *religioſa delicta*, ut ait Cyprianus. Chærea apud Terentium,

> ——— ——— *animus gaudebat mihi*
> *Deum ſeſe in hominem convertiſſe, atque per*
> *alienas tegulas*
> *Fucum factum mulieri: veniſſe per impluvium*
> *clanculùm.*
> *At quem Deum! qui templa cœli ſumma ſonitu*
> *concutit.*
> *Ego homuncio hoc non facerem?*

Vide infra 27.

13. *Neque enim erant ab initio*] Creato primùm homine.

Neque erunt in perpetuum] Delebuntur enim per Meſſiam.

14. *Supervacuitas enim hominum advenit in orbem terrarum*] In Græco κενοδοξία eſt. Id ſignificat *inanis gloriolæ ſtudium*, Philipp. ii. 3. Galat. 5. 26.

Et ideo brevis illorum finis eſt inventus] In Græco, σύντομον αὐτῶν τὸ τέλος ἐπενοήθη, id eſt, *cogitavit Deus brevi illorum finem facere*, quia ſcilicet nullum in veritate fundamentum habent: talia autem Deus amat evellere, Matth. xv. 13.

15. *Acerbo enim luctu dolens pater citò ſibi rapti filii fecit imaginem*] Hanc originem idolorum tradiderat in libris Antiquitatum Diophantus Lacedæmonius, allatâ Syrophanis Ægyptii hiſtoriâ. Docet id nos Fulgentius Mythologicor. 1. Non longè abit illud Tullii primo de Natura Deorum: *Qui totâ die precabantur & immolabant ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati.* Alii originem idolorum deducunt à populorum ſtudio in mortuos Reges. Vide Lactant. i. 15. Potuit aliis in locis alia eſſe rei ejuſdem origo.

Sacra & ſacrificia] Μυστήρια καὶ τελετάς. Μυστήρια in arcanis quibuſdam vocibus & ſymbolis conſiſtebant, τελεταὶ in victimis.

16. *Et tyrannorum imperio colebantur figmenta*] Hæc eſt illa Theologia, quam *civilem* vocat Varro; de cujus ſacris Seneca: *Quæ omnia ſapiens ſervabit tanquam legibus juſſa, non tanquam diis grata.* Et iterum: *Sic adorabimus*, inquit, *ut meminerimus cultum ejus magìs ad morem quàm ad rem pertinere.*

20. *Abducta per ſpeciem operis*] Ideo Philo libro de Gigantibus de Moſe loquens, παρ᾽ ὃ καὶ τὰς δοκίμους, καὶ γλαφυρὰς τέχνας, ζωγραφίαν καὶ ἀνδριαντοποιΐαν, ἐκ

τῆς καθ' αὑτὸν πολιτείας ἐξήλασεν, ὅτι τὴν τοῦ ἀληθοῦς ψευδόμεναι φύσιν, ἀπάταις καὶ σοφίσμασι δι' ὀφθαλμῶν ψυχαῖς εὐπαραγώγοις τεχνιτεύουσιν [*quare & celebres illas & elegantes artes, picturam & ſculpturam, è ſua ejecit republica; quia veri naturam dum imitantur, dolos & præſtigias per oculos fabricant animis ductilibus*].

Deum æſtimaverunt] Σέβασμα ἐλογίσαντο. Sic vocatur quidquid colitur, & quæ cultui inſerviunt. Vide infrà XV. 17. & in Adjectamentis ad Danielem de Belo 32.

21. *Incommunicabile nomen*] Dei, quod nemini in ſenſu ſuo proprio, id eſt, ſummitatis, communicari debet.

22. *Pacem appellant*] Falſò, ut Romani, *qui ubi ſolitudinem fecerant, pacem appellabant*, ut Britanni loquuntur apud Tacitum.

23. *Filios ſuos ſacrificantes*] Molocho. Vide ſuprà XII. 5.

Aut obſcura ſacrificia facientes] Κρύφια μυστήρια, qualia apud Græcos Cereris Liberique ac Liberæ, de quibus multa apud Alexandrinum Clementem & Arnobium. *Cereris arcanum ſacrum* dixit Horatius; *ſecretam Cererem* Hercule furente Seneca. Scriptor Oetæi:

Nos Cadmeis orgia ferre
Tecum ſolitæ condita ciſtis.

Aut inſaniæ plenas vigilias habentes] In Græco, ἢ ἐμμανεῖς ἐξ ἄλλων θεσμῶν κώμους ἄγοντες, *aut ex aliis moribus inſanis ludis indulgentes.* Non malè hîc Interpres κώμους vertit *vigilias*. Erant enim noctes, quæ vino, ſaltatione, amoribus tranſigebantur. Theocriti Scholiaſtes, τὸ Κωμάζειν λέγεται ἐπὶ τῶν κατὰ νύκτα εἰς τὰς ἐρωμένας ἀπερχομένων [*Comeſſari dicebant de iis qui nocte ad amicas ibant*].

24. *Per invidiam occîdit*] Puto ſcripſiſſe Interpretem *per inſidiam*, λοχῶν ἀναιρεῖ. Inter idololatrarum vitia ponit Paulus Romanor. 1. 31. quòd ſint ἀσύνθετοι, ἄστοργοι, ἄσπονδοι [*ſine fide pactorum, ſine naturali affectu, irreconciliabiles*].

Aut adulterans contriſtat] Verè, nam ut Euphron ait,

Οὐκ ἔστι μοιχοῦ μεῖζον οὐδὲ ἓν κακόν·
Ἐν ταῖς γὰρ ἑτέρων βούλετ' ἀτυχίαις τρυφᾶν.
[*Nulla horribilior peſtis eſt adultero;*
Qui maximo laſcivit alieno in malo.]

26. *Nativitatis immutatio*] Γενέσεως ἐναλλαγή, id eſt, *naturæ*, quomodo vocem γενέσεως ſumi diximus ſuprà 1. 14. Per *naturam* autem hîc ſexus intelligitur: idémque dicit quod Paulus Rom. 1. 26. μετήλλαξαν τὴν φυσικὴν χρῆσιν εἰς τὴν παρὰ φύσιν [*immutarunt naturalem uſum in eum qui eſt contra naturam*]. Petronius:

Quærit ſe natura, nec invenit.

27. *Et initium & finis*] Nam & pro illicitarum cupidinum ſucceſſu grates diis agebantur.

28. *Aut certè vaticinantur falſa*] Vide Luciani Ψευδόμαντιν [*Vatem falſum*].

Aut pejerant citò] *Facilè*; nempe quia quos nominabant deos pars multa pro diis non habebant: unde exolevit Numinis reverentia. Callimachus,

Ὤμοσεν· ἀλλὰ λέγουσιν ἀληθέα, τοὺς ἐν ἔρωτι
Ὅρκους μὴ δύνειν οὔατ' ἐς ἀθανάτων.
[*Iuravit; ſed vox veriſſima, Quicquid amantes*
Iurarunt, aures non penetrare Deûm.]

Et alter:

Iupiter è cælo perjuria ridet amantum.

Nec meliores hac in re amantibus multi qui rempublicam gerebant, dicentes *pueros talis decipiendos, viros jurejurando.* Præcipui ad tales fraudes Phœnices vicini Hebræorum, unde hunc morem hauſit Carthago, per omnes hiſtorias infamata ob *Punicam fidem*:

——— *ter Marte ſiniſtro*
Iuratúmque Iovi fœdus, conventáque patrum
Sidonii fregere duces,

ait Silius.

31. *Non enim juratorum virtus*] Id eſt, *potentia eorum qui jurantur.*

Sed peccantium pœna perambulat ſemper injuſtorum prævaricationem] Deus, inquit, punit eos qui per deos etiam falſos pejerant, Primùm propter injuſtitiam; promiſſio enim jus facit: Deinde quia illos quos jurabant colebant ut deos. Auguſtinus: *Non te audit lapis loquentem, ſed punit Deus fallentem.* Et Seneca VII. de Benef. 7. *Punitur quia tanquam Deo fecit. Opinio illum ſua* (adde, aut profeſſio) *obligat pœnæ.* Vide quæ dicta nobis lib. II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XXI. § 51.

CAPUT XV.

2. *ETenim ſi peccaverimus tui ſumus, ſcientes magnitudinem tuam*] Scimus nos eſſe in tua poteſtate: quod idololatræ multi de diis ſuis non credunt.

Et ſi non peccaverimus, ſcimus quoniam apud te ſumus computati] *At non peccabimus, quia ſcimus nos tibi eſſe attributos.* Promittit de ſe, bene ſperat de aliis, ut boni ſolent. Scimus nos ad tuam curam peculiarem pertinere; ideóque majorem nos debere gratiam.

3. *Noſſe enim te conſummata juſtitia eſt*] *Noſſe* γὰρ Hebræi non de intellectu tantùm, ſed & de voluntate uſurpant, ut idem ſæpe ſit quod *cordi habere.* Vide Pſalm. 1. 6.

Radix eſt immortalitatis] Ad vitam ducens immortalem.

4. *Nec umbra picturæ labor ſine fructu*] Nam Hebræi Alexandrini, quorum videtur fuiſſe primus ſcriptor hujus libri, à picturis non minùs quàm ab ſtatuis abſtinebant, ſecuti interpretationem eam Decalogi quam in Ægypto LXX Senes fecerunt: qua de re ad Decalogum diximus.

Effigies ſculpta per varios colores] Εἶδος σπιλωθὲν [*ſimulacrum maculatum*], id eſt, *diſtinctum.* Sic & Latini *maculare* uſurpant.

7. *Sed & figulus*] *Plaſtes.* Nam & hanc vocem etiam Latini in hac re uſurpant. Hic ſcriptor minùs accuratè dixit κεραμεὺς [*figulus*].

Quæ munda ſunt in uſum vaſa] Eſculenta, poculenta, & ad ornatum pertinentia.

Et ſimiliter quæ his ſunt contraria] Pollubra, matulas.

8. *Repetitus animæ debitum quam habebat*] Τὸ τῆς ψυχῆς ἀπαιτηθεὶς χρέως. Sic infrà 16. τὸ πνεῦμα δεδανεισμένος [*animam mutuò datam nactus*]. Nempe

Vita data eſt utenda: data eſt ſine fenore nobis
Mutua, nec certo perſolüenda die.

9. *Cura eſt illi non quia laboraturus eſt*] Id eſt, laborem non detrectat ſpe gloriolæ.

Nec quoniam brevis illi vita eſt] Brevitatem vitæ ſolatur ſpe ὑστεροφημίας [*famæ poſt mortem duraturæ*]. Explicant hoc ſequentia. Deſcribit hîc nobis Demophilum aliquem, Gorgaſum, Chalcoſthenem aut Paſitelem. De quibus vide Plinium XXXV. 12.

10. *Cinis eſt enim cor ejus*] In humo ſe occupans non ultra humillima aſſurgit.

12. *Æſtimaverunt eſſe luſum vitam noſtram*] In Græco Epigrammate eſt,

Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος καὶ παίγνιον.
[*Vita hominum ſcena eſt, res ludicra.*]

Auguſtus ſupremâ die amicos percontatus eſt, ecquid eis videretur mimum vitæ commodè tranſegiſſe, & adjecit,

Δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε.
[*Plauſibus manuum pedúmque gaudium teſtamini.*]

Compoſitam ad lucrum] Πανηγυρισμὸν, *mercatum*: nam ſic Cicero πανήγυριν interpretatur Tuſculanarum primo.

Et oportere undecunque, etiam ex malo, acquirere] Ex actibus bonis aut malis. Poëta vetus:

Vnde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

Horatius:

——— *ut rem facias, rem*
Si poſſis rectè, ſi non, quocunque modo rem.

13. *Hic enim ſcit ſe ſuper omnes delinquere*] Scit ſatis, nihil eſſe præter materiam, & quam ipſe addidit artem, in iſtis operibus. Attamen perſuaſum vult populo, eſſe ibi numen.

14. *Omnes enim inſipientes*] Sed illi deſipiunt, qui opera illius pluris faciunt quàm ipſe artifex.

Et infelices ſupra modum animi ſuperbi] Meliùs in Græco, καὶ τάλανες ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων, *miſeri plùs quàm infantum animæ*, id eſt, infantes. Vide ſuprà XII. 24. Lucillius:

Terriculas lamias, Fauni quas Pompiliíque
Inſtituêre Numæ, tremit has, hic omnia ponit:
Vt pueri infantes credunt ſigna omnia ahena
Vivere, & eſſe homines. Et ſic iſti omnia ficta
Vera putant: credunt ſignis cor eſſe in ahenis.
Pergula pictorum: veri nihil: omnia ficta.

Quem locum poſtquam produxit Lactantius, infert non malè, *Poëta quidem ſtultos homines infantibus comparavit; at ego multò imprudentiores eſſe duco. Illi enim ſimulacra homines putant eſſe, hi deos.*

15. *Quibus neque oculorum viſus eſt ad videndum*] Hæc & ſequentia ſunt ex Pſalmo CXV. 4.

16. *Nemo enim ſibi ſimilem homo poterit Deum fingere*] Nam Deus eſt, ut ait Xenophanes,

Οὔτε δέμας θνητοῖσιν ὁμοίιος, οὔτε νόημα.
[*Non mortali animam ſimilis non corporis artus.*]

Vide quæ diximus ad Deuteron. IV. 12.

17. *Mortuum fingit*] Id eſt, opus exanime. Sic ſuprà XIII. 10. 18.

18. *Sed & animalia miſerrima colunt*] In Græco, ἔχθιστα, id eſt, *infeſtiſſima* humano generi; quales Serpentes quos coluere Ægyptii, Aſiatici, Thraces, Græci, Romani. Adjice Ibides, Æluros, & ſimilia.

Inſenſata enim comparata his, illis ſunt deteriora] Aliter in Græco, ἀνοίᾳ γὰρ συγκρινόμενα τῶν ἄλλων ἐστὶ χείρονα, *Si quod ad ſtupiditatem pertinet comparentur cum aliis, ſunt illis hæc deteriora.* Multò enim plus intelligit elephas; ſolertior eſt vulpes, aut ſimia; loquacior pſittacus.

19. *Sed nec aſpectu aliquis ex his animalibus bona poteſt conſpicere*] Græcè, οὐδ᾽ ὅσον ἐπιποθῆσαι, ὡς ἐν ζώων ὄψει, καλὰ τυγχάνει, *Sed nec ut ames pulchra ſunt, pro captu formæ animantium.* Multò pulchrior eſt equus, pavo, phaſianus.

Effugerunt autem Dei laudem & benedictionem] Id eſt, nullo modo à Deo laudatiſſimam ſortem ſunt conſecuta. Nam ſerpentem Dei juſſu exſecrantur homines, Geneſ. III. 14. Proverbium eſt, *Odiſſe angue pejus*, & Furiæ pinguntur comis anguineis.

CAPVT XVI.

1. P*Er ſimilia*] Nempe diis ſuis, ſuprà XII. 23.

2. *Pro quibus tormentis bene diſpoſuiſti populum tuum*] *Benefeciſti populo tuo*, εὐεργέτησας τὸν λαόν σου.

Ortygometram] Sic Græci vertunt שלו, quod eſt Numeror. XI. 31. & ſequentibus.

3. *Propter illa quæ illis oſtenſa & miſſa ſunt, etiam à neceſſaria concupiſcentia averterentur*] Legit, ut quidam codices habent, διὰ τὴν δειχθεῖσαν τῶν ἀπεσταλμένων· ſed vera lectio in Sixtina comparet, διὰ τὴν εἰδέχθειαν τῶν ἀπεσταλμένων, *propter fœditatem immiſſorum*, nempe animalium. Tanta erat eorum fœditas ut etiam in ſumma fame veſci iis Ægyptii nequirent.

In brevi] *Ad breve tempus*, ἐπ᾽ ὀλίγῳ· ſic & infrà 6. πρὸς ὀλίγον.

4. *Sine excuſatione quidem ſupervenire interitum*] Ἀπαραίτητον, *inevitabilem.*

5. *Colubrorum*] *Serpentium* in Græco. שרפים.

6. *Signum habentes ſalutis*] Serpentem æneum. In Græco, σύμβολον ἔχοντες σωτηρίας. Serpens erat σύμβολον [*ſymbolum*] Divini favoris, non cauſa per ſe ſanationis, ut ſequitur.

Ad commemorationem mandati legis tuæ] Vt hoc documento diſcerent Hebræi legibus Divinis obſequi, etiam ubi ratio non appareret. Quid enim opus ad Serpentem æneum reſpicere? Nempe quia Deus voluit.

9. *Ab hujuſmodi*] Qualia colebant.

11. *In memoria enim ſermonum tuorum examinabantur*] *Ad recordationem enim mandatorum tuorum pungebantur*, nempe à ſerpentibus. Similitudo ſumta ab iis qui ab amico aliquo vellicantur, ut rei alicujus meminerint.

Nè in altam incidentes oblivionem non poſſent tuo uti adjutorio] Ἀπερίσπαστοι γένωνται τῆς σῆς εὐεργεσίας, *inflexibiles fierent ad tuum auxilium*, id eſt, obdureſcerent, ac ſic opis tuæ fierent indigni. Cauſa autem hæc pertinet ad id quod præceſſit ἐνεκεντρίζοντο [*examinabantur*]· nam illud καὶ ὀξέως διεσώζοντο [*& velociter ſalvabantur*] velut παρενθέσεως [*interpoſiti ſermonis*] loco interjectum eſt.

12. *Neque malagma*] *Malagmata* vocant Medici ea quæ mediocri calore neque exſiccantia neque

nimiùm humectantia fuſionem moliuntur materiæ dureſcentis.

Sed tuus, Domine, ſermo qui ſanat omnia] Etiam animos.

13. *Et deducis ad portas mortis & reducis*] Vide quæ diximus ad Matth. XVI. 18.

14. *Homo autem occidit quidem per malitiam animam ſuam, & cùm exierit ſpiritus non revertetur, nec revocabit animam quæ recepta eſt*] Corrupta hîc lectio ἀνατρέψει ſenſum etiam corrupit. Vera eſt lectio Sixtina, οὐκ ἀναστρέφει οὔτε ἀναλύει [*non evertit nec diſſolvit*]. Et ſenſus planè idem qui Matth. x. 28. *Homo malefaciens occidere quidem poteſt hominem, ſed animam receptam* (ſcilicet in ſuo loco) *nec evertere poteſt nec diſſolvere.* ψυχὴ [*anima*] hîc more Philoſophorum, quod Hebræis uſitatiùs πνεῦμα [*ſpiritus*], ſubſtantia illa quæ corpus vegetabat, poſt diſſolutionem à corpore in Dei eſt manu, extra hominum poteſtatem poſita.

15. *Sed tuam manum effugere impoſſibile eſt*] Tam animo quàm corpore.

16. *Negantes enim te noſſe impii*] Ægyptii, quorum Rex Pharao quæſiverat à Moſe, quis eſſet ille Deus de quo loqueretur, Exodi v. 2.

Novis aquis] In ſanguinem verſis, Exodi VII. 20.

Et grandinibus & pluviis perſecutionem paſſi, & per ignem conſumti] Erant enim permixta hæc, pluvia, grando, ignis, Exodi IX. 18. 23.

17. *In aqua quæ omnia exſtinguit, plùs valebat ignis*] *Omnia*, ſupple *ignea*, contra naturam ignis, per aquam accendebantur.

Vindex eſt enim orbis juſtorum] *Orbis*, id eſt, omnia quæ in rerum natura ſunt, etiam viribus ſuis mutatis, Deo inſerviunt ad vindicanda ea quæ crudeliter in bonos facta ſunt. Vide infrà 24.

18. *Quodam enim tempore manſuetabatur ignis*] Id eſt, in cœlo retinebatur, nec ſinebatur in terras ſævire.

Nè comburerentur quæ ad impios miſſa erant animalia] Ranæ, pediculi, & cætera colluvies : de qua Exodi VIII.

19. *Vt iniquæ terræ nationem exterminaret*] In Græco, *ἵνα ἀδ[illegible]ῆς γεννήματα διαφθείρῃ, ut terræ injuſtæ fœtus corrumperet.* Nomen γεννήματα generale eſt, comprehenditque herbas, arbores, jumenta, homines. Vide Exodi IX. 25.

20. *Angelorum eſcâ nutriſti populum tuum*] Ex Pſalm. LXXVIII. 25. ubi Græci, *ἄρτον ἀγγέλων ἔφαγεν ἄνθρωπος* [*eſcam Angelorum edit homo*].

Et omnis ſaporis ſuavitatem] Καὶ πρὸς πᾶσαν ἁρμόνιον γεῦσιν, *omni ſapori aptum.* Sapor erat velut ex omnibus ſaporibus optimis temperatus. Vide quæ dicta ad Exod. XVI. 31.

21. *Subſtantia enim tua*] Ἡ μὲν γὰρ ὑπόστασίς σου, natura illius Manna quod tu dederas.

22. *Nix autem & glacies ſuſtinebant vim ignis*] Id eſt, coquebantur igni. *Nivem* & *glaciem*, ſive *pruinam* potiùs, vocat Manna, quòd pari modo in aëre gigneretur, & eam ſpeciem præ ſe ferret, Exod. XVI. 14. Hîc ergò κρύσταλλος [*glacies*] dicitur quod ibi in Græco πάγος [*pruina*]. Fit enim *πάχνη, ὅταν παγῇ ἡ ἀτμὶς* [*pruina ubi compactus eſt vapor*], ut ait Ariſtoteles Meteoron lib. 11.

Ignis ardens in grandine & pluvia] Vide ſuprà 16.

26. *Quoniam non nativitatis fructus paſcunt homines, ſed ſermo tuus hos qui in te crediderint conſervat*] Οὐχ αἱ γενέσεις τῶν καρπῶν τρέφουσι, *non naturæ fructuum paſcunt homines*, ſupple *ſolæ*. Senſus enim depromtus ex Deuteronomii VIII. 3. unde & Chriſtus ſumſit Matthæi IV. 4. γένεσιν in hoc libro *naturam* eſſe diximus ad I. 14.

27. *Ab exiguo radio Solis calefactum tabeſcebat*] *Diffluebat.* Sic dicitur ἐτήκετο in eadem hac hiſtoria Exodi XVI. 21.

28. *Quoniam oportet prævenire Solem ad benedictionem tuam*] *Ad gratias tibi agendas.* Pii ipſo adhuc diluculo laudes Deo canebant: Pſalmo LXXXVIII. 14. Ioſephus de Eſſenis, πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι [*antequam enim Sol oriatur nihil loquuntur de rebus profanis, ſed avitas quaſdam preces enuntiant, veluti orantes Deum ut Sol oriatur*].

Et ad ortum lucis te adorare] Sole jam orto, id eſt, tempore ſacrificii matutini.

29. *Tanquam hibernalis glacies*] *Tanquam pruina.* Significabat Manna res conditas omnes, etiam è ſublimi aëre venientes, eſſe caducas & fragiles, neque ultrà vim habere nobis opitulandi niſi ubi & quando Deus vult.

CAPVT XVII.

1. M*Agna enim ſunt judicia tua, Domine, & inenarrabilia verba tua*] Μεγάλαι γάρ σου αἱ κρίσεις καὶ δυσδιήγητοι, *Magna enim ſunt judicia tua & inexplorabilia.* Illud *verba tua* non eſt in Græco.

2. *Vinculis tenebrarum*] Legit δεσμοῖς σκότους· ſed verum eſt δέσμιοι [*captivi*], ut in Sixtina editione. Tangitur hiſtoria quæ eſt Exodi x. 22. idem eſt, *captivi tenebrarum*, & quod ſequitur *vincti longæ noctis.*

Fugitivi perpetuæ providentiæ jacuerunt] φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας ἔκειντο, *extorres jacuere ab æterna providentia* : id eſt, ab æternæ providentiæ ſummis beneficiis, Luce & Calore. Μετωνυμία [*Transnominatio*].

3. *Tenebroſo oblivionis velamento diſperſi ſunt*] Huc illuc, non audentes in publicum prodire. Egregia ἔννοια [*conceptio animi*], ut multæ in hoc libro. Quærebant tenebras occultandis peccatis; invenere tenebras iiſdem puniendis.

Et cum admiratione nimia perturbati ſunt] Καὶ ἰνδάλμασιν ἐκταρασσόμενοι, *ſpectris perturbati.* Idem eſt cum eo quod ſequitur, φάσματα ἀμειδήτοις κατηφῆ προσώποις [*viſa inamœnis conſpectibus mæſta*]. Nox illa tam craſſa ac perpetua fieri non poterat quin mira viſa offerret hominum aut oculis, aut animis.

6. *Subitaneus ignis timore plenus*] Αὐτομάτη πυρὰ φόβου πλήρης, *ortus ſine cauſa apparente horribilis rogus.* Divina ira plerumque per ignem exprimitur.

Et timore perculſi illius quæ non videbatur faciei] Ἐκδειματούμενοι δὲ τῆς μὴ θεωρουμένης ἐκείνης ὄψεως, *cùm valde terrerentur iſtâ ſpecie inaſpicuâ*, id eſt, iſtis tam craſſis tenebris quæ ipſos obſidebant.

Æſtimabant deteriora eſſe quæ videbantur] Spectra nempe iſta magìs perhorreſcebant.

7. *Et magicæ artis appoſiti erant deriſus*] Μαγικῆς δὲ κατέκειντο ἐμπαίγματα τέχνης, *Iacebant magicæ artis ludibria.*

Et ſapientiæ gloriæ correptio cum contumelia] Καὶ τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονίας ἔλεγχος ἐφύβριστος, *Et arrogantiæ de ſapientia refutatio plena fuit in ipſos probri.* Explicant ſequentia.

8. *Illi enim qui promittebant timores & perturbationes expellere ſe ab anima languente*] Magorum enim hæc vel præcipua erat pollicitatio, purgare mentes.

9. *Nam etſi nihil illos ex monſtris perturbabat*] *Perturbaſſet.* εἰ [*ſi*] apud Græcos indicativo dat ſignificationem modi potentialis. Vt illa φάσματα [*monſtra*] abfuiſſent, terrebant illos iſtæ fœdorum animantium reliquiæ.

Et aërem quem nullâ ratione quis effugere poſſet] Προσιδεῖν ἀρνούμενοι, id eſt, *recuſantes videre.* Claudentes oculos, nè in tam horrendam caliginem incurrerent.

10. *Cùm enim ſit timida nequitia, dat teſtimonium condemnationis. Semper enim præſumit ſæva perturbata conſcientia*] In Græco hic ſenſus, *Timidum eſt malitia interno teſte damnata; ſempérque conſcientiæ vi conſtricta res diras præſumit animo.* Menander pari ſenſu,

Ὁ συνιστορῶν αὑτῷ τι, κἂν ᾖ θρασύτατος,
Ἡ σύνεσις αὐτὸν δειλότατον εἶναι ποιεῖ.
[*Malè conſcium ſibi, quamvis audaciſſimum*
Sua ſemper pavidum reddit conſcientia.]

Mala mens, malus animus, ait Terentius.

11. *Nihil enim eſt timor niſi proditio cogitationis auxiliorum*] Προδοσία τῶν ἀπὸ λογισμοῦ βοηθημάτων. Eſt deſcriptio, id eſt, definitio παχυμερὴς [*craſſior*], Metûs, non omnis, ſed maximi, quæ eſt προδοσία, id eſt, *deſperatio* omnis auxilii, quod humana ratio poteſt reperire. προδοσία hoc ſenſu etiam infrà eſt 14. & eſt vox bene Græca, ut multa in hoc libro. Medea apud Neophronem,

Οὐ μὴ προδώσῃς, θυμὲ, σαυτὸν ἐν κακοῖς.
[*Sed, anime, nè tu te quoque his prode in malis.*]

Plautus Epidico pari ſenſu dixit: *Quia tute te deſeris.*

12. *Et dum ab intus minor eſt exſpectatio, majorem computat inſcientiam ejus cauſæ de qua tormentum præſtat*] Ἔνδοθεν δὲ οὖσα ἥττων ἡ προσδοκία πλείονα λογίζεται τὴν ἄγνοιαν τῆς παρεχούσης τὴν βάσανον αἰτίας, *Cùm autem minor eſt intus exſpectatio* (id eſt, metus: nam *Metus eſt* προσδοκία τοῦ κακοῦ [*exſpectatio mali*], etiam Ariſtoteli III. Nicomachiorum 9.), *majorem putat eſſe ignorantiam cauſæ quæ tormenta adfert*: id eſt, exiſtimat id quod metuitur non tantum eſſe quantum videtur. Metus remiſſior patitur rationem aliquid decernere tale quale monet Epictetus, Εὐθὺς ἐν πάσῃ τραχείᾳ φαντασίᾳ μάθε ἐπιλέγειν, ὅτι φαντασία εἶ, καὶ οὐ πάντως τὸ φαινόμενον [*Statim ad omne viſum durum memineris ſuperindicere, Viſum es; non id quod putaris eſſe*].

13. *Illi verò qui impotentem verè noctem*] *Intolerabilem*, ut ſit ἔλλειψις [*defectus*] verbi τλῆναι [*tolerare*]. niſi fortè ſcriptum fuit hîc, & jam mox, ἄδυτον *impenetrabilem*, per quam viſus tranſire nequibat. Hîc νύκτα valet *per noctem*, durante illâ longâ nocte.

Ab infimis & ab altiſſimis inferni ſupervenientem] In Græco, ἐξ ἀδυνάτου ᾅδου μυχῶν [*à receſſibus Orci impenetrabilis*]. Videtur hoc loco Interpres Latinus legiſſe ἐξ ἀδύτου, ut fortè reſcribendum diximus. intelligit tartarum. Σειραῖς ζόφου ταρταρώσας [*rudentibus tenebrarum in tartarum tradidit*], ait Petrus II Epiſtolâ II. 4.

— Ἧχι βάθιστον ὑπὸ χθονός ἐστι βέρεθρον,
[——— *Vbi ſub terram eſt alta vorago,*]

ait Homerus.

Eundem ſomnum dormientes] *Somnum* hîc vocat τὴν ἀπραξίαν [*ceſſationem ab agendo*]. Nihilo enim plus agebant illo tempore quàm ſi dormiſſent. Ità ſimilia ſimilium occupant nomen, maximè apud Hebræos.

14. *Aliquando animæ deficiebant traductione*] Scripſit Interpres *traditione*: id enim reſpondet Græco προδοσίᾳ. Quæ autem ſit ejus vocis ſignificatio diximus jam ſuprà 12.

15. *Deinde ſi quis ex illis decidiſſet*] Εἶθ᾽ οὕτως, ὃς δή ποτ᾽ οὖν ἦν ἐκεῖ καταπίπτων, *Hoc modo quicunque illuc inciderat*, id eſt, quicunque illis in locis illo tempore fuit deprehenſus.

In carcere ſine ferro] Solent talibus additamentis emolliri tranſlationes. Sic ἄφλογος ἐσχάρα [*focus ſine flamma*] ventriculus Lycophroni. Sic *formoſa facies muta commendatio.*

17. *Sive ſpiritus ſibilans*] Aura lenis. Hoc enim dicit, Omnem ſonum, ſive lenem, ſive aſperum, nihil diſpectantibus metum intuliſſe.

——— *pavet ille fragorem*
Motorum ventis nemorum,

ait in magnæ formidinis deſcriptione Lucanus.

18. *Sonus validus præcipitatarum petrarum*] *Saxorum cadentium fragor.*

Ludentium animalium] Id eſt, *ſaltantium*, σκιρτώντων. Virgilius:

— *in numerum Faunóſque feráſque videres*
Ludere.

20. *Imago tenebrarum quæ ſuperventura erat illis*] *Quæ ſuperventuræ erant illis* ſcripſit Interpres, nempe poſt hanc vitam exactam, Matth. VIII. 12. XXII. 13. XXV. 30. II Petri II. 17. Iudæ 13. εἰκὼν [*imago*] hîc quod ὑπόδειγμα [*exemplum*] II Petri II. 16.

Ipſi ergò ſibi graviores erant tenebris] Ἑαυτοῖς δὲ ἦσαν βαρύτεροι σκότους, *at verò ipſi ſibi graviores erant tenebris.* Major in animo nox.

CAPVT XVIII.

2. *ET ut eſſet differentia donum petebant*] Καὶ τοῦ διενεχθῆναι χάριν ἐδέοντο, *& veniam petebant quòd cum eis contendiſſent.* Hoc ſenſu διαφέρεσθαι [*contendere*] habes II Maccabæorum III. 4.

3. *Et Solem ſine læſura boni hoſpitii præſtitiſti*] *Quæ columna Sol erat innocuus magnificæ peregrinationis.* Hunc ſenſum exigunt Græca. Columna illa nocte vicem præbebat Solis. Erat autem magnificum tali ductu iter facere.

4. *Qui incluſos cuſtodiebant filios tuos*] *Cuſtodierant.* Vt captivos tractaverant, Ægyptii ſcilicet Hebræos.

Per quos incipiebat] *Debebat*, ἤμελλε.

Incorruptum Legis lumen] *Quod in cœlo Sol, hoc Lex in terra*, ajunt Hebræi.

5. *Multitudinem filiorum abſtuliſti*] Primogenitos, Exodi XII. 29.

Et pariter illos perdidiſti in aqua valida] Ipſos patres in mari Rubro.

6. *Illa enim nox ante cognita eſt à patribus noſtris*] Moſe prædicente, Exodi XI. 4.

Vt verè ſcientes quibus juramentis crediderunt] Quàm fideli Deo crediſſent, præſertim cùm is etiam jurejurando poſſeſſionem Cananææ ipſis addixiſſet, Geneſeos XXII. 16.

9. *Abſconsè enim ſacrificabant*] Paſcha ſcilicet, Exodi XII. 28.

Et juſtitiæ legem in concordia diſpoſuerunt] Illâ victimâ fœderati ſunt inter ſe ad unum Deum colendum.

Similiter & bona & mala recepturos juſtos] *Participes ſe inter ſe fore bonorum & periculorum.* Non diſceſſuros ſe ab agmine ob incommoda itineris aut hoſtilem metum, eiſque olim ſuperatis, Terram ſe diviſuros æquâ ſorte.

Patrum jam decantantes laudes] Abrahami, Iſaaci, Iacobi, quibus illa terra promiſſa fuerat. Mos vetus Hebræorum, magnorum virorum δοξολογίας [*laudationes*] canere, quales habemus apud Sirachiden. Imitati id Chriſtiani in honore Apoſtolorum & Martyrum.

11. *Simili autem pœnâ ſervus cum domino afflictus eſt, & popularis homo Regi ſimilia paſſus*] Exodi XII. 29.

12. *Vno nomine mortis*] Id eſt, genere. Sic infrà XIX. 17.

13. *De omnibus enim non credentes*] Priora ſigna non credentes à Deo exſtitiſſe.

Propter veneficia] Propter artes magicas Iamnis & Mambris. Sic vox φαρμακείας ſumta & ſuprà XII. 4.

Spoponderunt populum Dei eſſe] *Confeſſi ſunt*, ὡμολόγησαν, Exodi XII. 31. In Græco, *populum eſſe filium Dei*, id eſt, Deo carum.

15. *Omnipotens ſermo tuus de cœlo à regalibus ſedibus durus debellator*] Λόγον [*ſermonem*] hîc vocat Angelum, ut Philo ſæpe. Exemplo ſit locus ille de Coloniis, ὁ δὲ ἑπόμενος Θεῷ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον συνοδοιπόροις χρῆται τοῖς ἀκολούθοις αὐτοῦ λόγοις, οὓς ὀνομάζειν ἔθος Ἀγγέλους [*qui Deum ſequitur idem neceſſariò comitibus utitur ejus ſermonibus, qui Angeli vocantur*]. Nimirum quòd Dei imperia ſecum ferant, ut jam ſequitur. Hic eſt Angelus, ὁ ὀλοθρεύων τὰ πρωτότοκα [*perdens primogenita*], Hebr. XI. 28.

16. *Gladius acutus inſimulatum imperium tuum portans*] *Gladium portans acutum, imperium tuum minimè fictum.* Nam ξίφος ὀξὺ hîc eſt accuſativi caſus; *gladium*, id eſt, jus gladii.

Et uſque ad cœlum attingebat ſtans in terra] Poëtica locutio, qualis illa Virgiliana:

> *Ingreditúrque ſolo, & caput inter nubila condit.*

Sic in Apocalypſi Angelus pedem alterum in terra, alterum in mari ponit.

18. *Propter quam moriebatur, cauſam demonſtrabat mortis*] Fatebatur Dei ultione hæc evenire.

20. *Tetigit autem tunc & juſtos tentatio mortis*] Legit τότε [*tunc*], ubi multi libri ποτὲ *aliquando*. Sed in Sixtina editione deeſt utrumque. Apparet autem tangi hiſtoriam non connexam rebus Ægyptiis, ſed aliquantò pòſt ſecutam: de qua Numer. XVI. πεῖρα θανάτου rectè vertitur *periculum mortis*. Apparet id infrà 25.

21. *Properans enim homo ſine querela*] Ἀνὴρ ἄμεμπτος, *vir inculpabilis*, ἀμύμων, nempe Aaron. Sic & Zacharias ex Aaronis poſteris dicitur ἄμεμπτος [*inculpatus*] Luc. 1. 6. Reſpondet Hebræo תם.

Proferens ſervitutis ſuæ ſcutum] *Sui miniſterii arma*, nempe Thuribulum & Preces, ut ſequitur.

Reſtitit iræ] Numer. XVI. 46. 47. 48.

Et finem impoſuit neceſſitati] *Calamitati*, συμφορᾷ.

22. *Vicit autem turbas*] Sequutus eſt lectionem quæ exſtat in Sixtina, τὸν ὄχλον [*turbam*]· ſed rectiùs videtur in aliis libris legi τὸν ὀλοθρεύοντα, *vaſtatorem* Angelum; nam & τὸν κολάζοντα [*pœnæ exactorem*] de eodem ſequitur: & infrà ſequetur, τούτοις εἶξεν ὁ ὀλοθρεύων [*his ceſſit qui exterminabat*]. Solet hæc vox tribui Angelis ad pœnam exigendam miſſis, 1 Corinth. X. 10. Dicit autem *victum* ab Aarone Angelum, reſpiciens ad id quod de Iacobo legimus Geneſeos XXXII. 28.

Nec armaturæ potentiâ] Nempe militaris armaturæ.

Illum qui ſe vexabat] In Græco, τὸν κολάζοντα, id eſt, Angelum *ultorem*.

Iuramenta patrum] Id eſt, patribus facta.

Et teſtamentum commemorans] In Hebræo pluraliter, διαθήκας, id eſt, *fœdera*, quia ſæpe repetita promiſſio Abrahamo, Iſaaco, Iacobo.

23. *Interſtitit*] Inter mortuos & vivos, Numerorum XVI. 48.

Amputavit impetum] Ἀνέκοψε τὴν ὀργὴν, *præcidit iram*, id eſt, finem ei fecit.

Et diviſit illam quæ ad vivos ducebat viam] *Diviſit*, id eſt, intercluſit interfectori viam ad ſuperſtites.

24. *In veſte enim poderis quam habebat, totus erat orbis terrarum*] Ioſephus III. 8. ἀποσημαίνει δὲ καὶ ὁ τοῦ ἀρχιερέως χιτὼν τὴν γῆν λίνεος ὤν· ὁ δὲ ὑάκινθος τὸν πόλον, ἀστραπαῖς μὲν κατὰ τοὺς ῥοΐσκους ἀπεικασμένος, βρονταῖς δὲ κατὰ τὸν τῶν κωδώνων ψόφον [*ſignificat autem Pontificis veſtis linea Terram; Hyacinthus Cœlum, cujus fulgura per mala Punica figurantur, tonitrua verò per ſonitum tintinnabulorum*]. Hanc tunicam extimam ποδήρη [*ad pedes tractam*] vocant LXX Exod. XXVIII. 31. & Hieronymus ſæpe. Vide, ſi libet, Epiſtolam ejus CXXVII. ubi præter Terræ Cœlique ſignificationem, quam ex Ioſephi verbis attulimus, addit per purpuram intextam ſignificari Mare, Ignem verò per puniceum colorem. Vox ποδήρους [*poderis*] eſt & in Apocalypſi 1. 13.

Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapideis erant ſculpta] Πατέρων δόξαι [*patrum gloriæ*], id eſt, nomina progenitorum poſteris glorioſa. Deſcriptio eſt Pectoralis, quod gerebat ſummus Sacerdos, Exodi XXVIII. 16. 17. 18. 19. 20. 21.

Et magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat] Μεγαλωσύνη σου, id eſt, *majeſtas tua*, nempe his verbis קדש ליהוה [*Sanctitas Dei*], Exodi XXVIII. 36. *Diadema* vocat quod in Hebræo, המצנפת, quod τὴν κίδαριν [*cidarin*] vertunt Græci, &

& Hieronymus, ut & ſcriptor Iudithæ, & Sirachides. Ioſephus πῖλον [*pileum*] dixit, nomine generaliore.

25. *His autem ceſſit qui exterminabat*] Vide ſuprà 22.

Erat enim ſola tentatio iræ ſufficiens] *Periculum iræ*, id eſt, ultionis Divinæ, Deo ſufficere viſum eſt ad admonitionem in poſterum. Vide ſuprà 20. *Iræ* pro *pœna* Metonymia frequens.

CAPVT XIX.

1. IRa *ſupervenit*] *Inſtitit*, ἐπέστη.

Præſciebat enim & futura illorum] Sic & Pharaonis animo introſpecto Deus prædixerat, eum ſignis Divinis non ceſſurum, Exodi VII. 4.

4. *Ducebat enim illos ad hunc finem digna neceſſitas*] Deus illis mentem ademerat, ut tantò juſtior appareret ultio. Sic de Hieroſolymitis Veſpaſiani tempore Ioſephus, πεπήρωντο ὑπὸ τοῦ χρεὼν ὃ τῇ τε πόλει καὶ αὐτοῖς ἤδη παρῆν [*excæcabantur à fato quod urbi & ipſis tunc imminebat*]. Sumunt ſæpe Græci ἀνάγκην [*neceſſitatem*] hoc ſenſu, ut cùm dicunt,

Πρὸς τὴν ἀνάγκην οὐδ' Ἄρης ἀνθίσταται.
[*Neceſſitati obſtare nec Mavors queat.*]

6. *Omnis enim creatura ad ſuum genus ab initio refigurabatur*] Ὅλη γὰρ ἡ κτίσις ἐν ἰδίῳ γένει πάλιν ἄνωθεν ἀνετυποῦτο ὑπηρετοῦσα ταῖς ἰδίαις ἐπιταγαῖς, *Rurſum enim creatura omnis in ſua quæque genera reformabatur, obſequens mandatis ſuis*, id eſt, ſibi datis. *Rurſum* ait, quia jam multa in Ægypto contra naturam contigerant. Vide ſuprà XVI. 24. 25. ubi μεταβάλλεσθαι [*mutari*] dicitur quod hîc ἀνατυποῦσθαι [*refigurari*], infrà 17. μεθαρμόζεσθαι [*transformari*].

7. *Nam nubes caſtra eorum obumbrabat*] Exodi XIV. 19.

Terra arida apparuit] Ἀνάδυσις γῆς, *denudatio terræ*. Lucanus:

Nam pelagus quâ parte ſedet non celat arenam.

Et campus germinans] Algoſus.

De profundo nimio] Ἐκ κλύδωνος βιαίου [*Ex violenta tempeſtate*].

9. *Tanquam enim equi depaverunt eſcam*] Tam bene paſti ſunt à Deo Manna ipſis dante, quàm bene curari ſolent à dominis equi nobiles.

10. *In incolatu illorum*] Bene expreſſit Græcum παροικίαν. In titulo Digeſtorum Ad municipalem, quod additur *& de incolis*, Baſilicæ vertunt περὶ παροικίων. Vide quæ ad Lucæ XXIV. 18.

Eduxit terra muſcas] In Græco, σκνῖπα [*lignorum vermiculum*]· quomodo LXX vertunt כנים. Diximus ad Exodi VIII. 16.

12. *Ortygometra*] Vide ſuprà XVI. 2.

Non ſine illis quæ ante facta erant argumentis per vim fulminum] *Fulmen* vocat ignem illum mixtum pluviæ & grandini, de quo ſuprà egit XVI. 17. XVII. 6. Dicit autem eveniſſe hoc illis non ſine præſignificatione; nam cùm Sodomitas olim Deus fulmine percuſſiſſet, ſcire debebant ſe non minora meritos. Id verò in ſequentibus explicat, inſtitutâ comparatione.

13. *Alii quidem ignotos non recipiebant advenas*] Οἱ μὲν γὰρ τοὺς ἀγνοοῦντας οὐκ ἐδέχοντο παρόντας. Sed puto ſcriptum fuiſſe, τοὺς ἀγνῶτας. *Illi* (Sodomorum cives) *eos qui aderant ignotos non receperunt.*

Alii autem bonos hoſpites in ſervitutem redigebant] *Hi verò*, Ægyptii, *bene meritos de ſe hoſpites ſervitute premebant. Bene meritus* de Ægypto erat Ioſephus Iſraëlitarum unus. *Bene meriti* & Iſraëlitæ cæteri colendo terras incultas.

14. 15. *Et non ſolùm hæc, ſed & alius quidem reſpectus illorum erat, quoniam inviti recipiebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos, qui iiſdem uſi erant juſtitiis, ſæviſſimis afflixerunt doloribus*] Locus obſcurus, ſed qui facilè explicari poterat, mutatâ in Græco nonnihil interpunctione, & ἢ mutato in εἰ, deinde ἔσται in ἔστη, & οἴδε ſcripto pro οἱ δὲ, hunc in modum, Καὶ οὐ μόνον, ἀλλ' εἴτις ἐπισκοπὴ ἔστη αὐτοῖς, ἐπεὶ ἀπεχθῶς προσεδέχοντο τοὺς ἀλλοτρίους, οἴδε μετὰ ἑορτασμάτων εἰσδεξάμενοι τοὺς ἤδη τῶν αὐτῶν μετεσχηκότας δικαίων, δεινοῖς ἐκάκωσαν πόνοις. *Neque hoc tantùm* (id eſt, non in eo tantùm quod dixi vis eſt comparationis), *ſed ſi pœna debita fuit illis* (Sodomæ civibus) *ideo quòd peregrinos inimicè acceperunt, hi* (Ægyptii plus fecerunt, nam) *quos cum feſto gaudio exceperant, participes jam factos juris communis* (id eſt, civitate donatos), *duriſſimis affecere doloribus.* Ἐπισκοπὴ pro *pœna* ſæpe ponitur, ut ſuprà XIV. 11. Si Sodomorum cives pœnam gravem meruere duritie in hoſpites ignotos; quantâ hi majorem, duritie tantâ in notos & receptos, & in civitatem adſcitos?

16. *Percuſſi autem ſunt cæcitate*] Ideo meritò Ægyptii *cæcitate*, id eſt, denſiſſimis illis tenebris (de quo actum ſuprà XVII. 13.) puniti ſunt.

Sicut illi in foribus juſti] Sodomi cives; Geneſeos XIX. 11.

17. *In ſe enim elementa dum convertuntur, ſicut in organo qualitatis ſonus immutatur, & omnia ſuum ſonum cuſtodiunt*] Hæc quoque in Græco interpunctio vitioſa, & ἠχῶ ſcriptum pro ἦχον [*ſonum, tenorem*]: ſcribendum quippe, δι' ἑαυτῶν γὰρ τὰ στοιχεῖα μεθαρμοζόμενα ὥσπερ ἐν ψαλτηρίῳ φθόγγοι τοῦ ῥυθμοῦ τὸ ὄνομα, διαλλάσσουσιν πάντοτε μένοντα ἦχον, *Mutata enim in ſe elementa, ſicut in pſalterio ſoni mutant genus numeri, ità mutant ſemper manentem tenorem.* Quàm facilè, inquit, tibicen de Dorio tranſit in Phrygium, tam facilè, ubi Deo ità viſum eſt, omnes naturæ partes ſuum tenorem (quem ἦχον vocat, quò magis inſiſtat comparationi) ſibi ſolitum derelinquunt, & in longè alienum tranſeunt. Nomen pro genere poni etiam ſuprà notavimus XVIII. 12.

Vnde æſtimari ex ipſo viſo certè poteſt] Ὅπερ ἐστὶν εἰκάσαι ἐκ τῆς τῶν γεγονότων ὄψεως ἀκριβῶς, *quod exactè intelligi poteſt ex inſpectu eorum quæ facta ſunt.*

18. *Agreſtia enim in aquatica convertebantur*] Iumenta enim per mare tranſiere.

Et quæcunque erant natantia in terram tranſibant] In Græco tantùm eſt, νηκτὰ μετέβαινεν ἐπὶ γῆς, *nare ſolita in terram tranſibant*, ranæ nempe in omnem terram Ægypti, Exodi VIII. 6.

19. *Ignis in aqua valebat ſupra virtutem ſuam*] In Græco, πῦρ ἴσχυσεν ἐν ὕδατι τῆς ἰδίας δυνάμεως ἐπιλελησμένον, *Ignis vim ſuam in aqua obtinebat, oblitus naturæ ſuæ*, quæ eſt ſcilicet, aquis exſtingui. Repetitum ex iis quæ ſuprà XVI. 17.

20. *Corruptibilium animalium*] Εὐφθάρτων, id eſt,

facilè corruptibilium. Idem eſt quod ſuprà XVI. 18.

Nec diſſolvebant illam, quæ facilè diſſolvebatur ſicut glacies, bonam eſcam] Manna pruinæ ſimile non liquefiebat ignibus coctum. Idem quod ſuprà XVI. 22. Pro *eſcam bonam* in Græco eſt ἀμβροσίας τροφῆς [*ambroſii alimenti*], quia hic *panis Angelorum* dicitur, ut habuimus ſuprà XVI. 20. *Ambroſia* autem Græcis ſcriptoribus Deorum cibus.

21. *Et in omni loco aſſiſtens eis*] Videtur hic liber eſſe κόλουρος [*ſine defectus*].

AD LIBRVM
ECCLESIASTICVM,
SIVE
SAPIENTIAM IESV FILII SIRACH.

SCriptus eſt hîc liber Hebræo ſermone ab Ieſu avo hujus Interpretis ſub Simone ſecundo Sacerdote maximo, non ità multò ante Antiochi tempora, ut notat Euſebius Demonſtrationis octavo, & confirmant ea quæ infrà habemus VIII. 33. 34. Verſus in Græcum, Ptolemæo Euergete per Ægyptum & vicina loca regnante. Antiqui hunc librum ex materia etiam Πανάρετον [*Penum omnis virtutis*] vocant, ut Clemens Alexandrinus. Sequuntur id alii, & Caſſiodorus. Exſtat autem duplex hujus libri Præfatio in Græcis libris, altera ab ignoto aliquo hujus libri editore, altera ſub iſtius Ieſu poſterioris nomine.

In priore illa hæc notanda: Χρόνους κάτω [*tempora poſteriora*] appellari tempora poſt Prophetas, ut ipſe explicat, addito tamen σχεδὸν [*ferme*], quia interdum בת קול, id eſt, vox Divina, ad quoſdam perferebatur vice Prophetiæ. Καθὰ καὶ αὐτὸς μαρτυρεῖ [*ut & ipſe teſtatur*], id eſt, *ut ex opere apparet.* Τῶν πρὸ αὐτοῦ συνετῶν ἀνδρῶν ἀποφθέγματα συνήγαγεν [*virorum ante ſe prudentium ſententias collegit*], id eſt, Ἐκλογὰς [*Excerptiones*] fecit, quales habemus à Solomone, Ezechiâ, & aliis factas, aut juſſas fieri in libro Παροιμιῶν [*Proverbiorum*], & quales apud Græcos fecit Ioannes Stobæus, Maximus & Antonius monachi, & alii. Ἴδιά τινα ἀπεφθέγξατο [*propria quædam elocutus eſt*], ipſe ſententias quaſdam argutas invênit, quæ ſub ejus nomine in vulgus manarunt: quales nempe ſententias ſapientum Arabum, additis ſæpe & eorum nominibus, nobis dedit Erpenius. Εἰς ἓν ἅπασιν ἁρμόνιον σύνταγμα συνήγαγεν [*in unum omnibus conveniens corpus redegit*], id eſt, velut in titulos quoſdam digeſſit, ut quæ ad eandem materiam pertinent ſub uno eſſent intuitu. Durum eſt ἐπισπώμενος pro *animo comprehendens*, quaſi ſit pro חפש, quod verti ſolet ἐπισπᾶν [*acquirere*]. Fortè ſcriptum fuerat πιστούμενος [*perſuaſus*]. Αἰνίγματα [*ænigmata*] ſunt dicta ἀλληγορικῶς [*ità ut aliud innuant*]. Cæteræ γνῶμαι [*Sententiæ*] planiores, omnes Hebræis vocantur παραβολαί [*Parabolæ*]. Vide quæ dicta ad Matthæum XIII. 3. & 35. Καὶ μερικάς τινας παλαιὰς θεοφιλεῖς ἱστορίας [*& particulares, quaſdam pias hiſtorias*]. Ideo dixit μερικὰς [*particulares*] quia non nectit hiſtoriam, ſed ex diverſorum temporum hiſtoriis utiliſſimas quaſdam collegit, idque per modum δοξολογίας [*laudationis*]. Ὀπαδὸς τοῦ Σολομῶντος [*ſectator Solomonis*], id eſt, *veſtigiis inſiſtens Solomonis*, eum imitans.

In Præfatione ſub ipſius Ieſu nomine initium plenius eſt in Græco quàm in Latino, hoc ſenſu: *Cùm multa nobis & magna per Legem & Prophetas, & eos qui ipſos ſecuti, dicta eſſent, ob quæ par eſt laudari Iſraëlem eruditionis & ſapientiæ nomine, talia ut ex eis non modò lectores ipſi peritiam adipiſci debeant, ſed & poſſint diſciplinæ ſtudioſi externæ ſe præbere utiles tum loquendo, tum ſcribendo, etiam avus meus Ieſus*, &c. Illa, *ut deſiderantes diſcere*, &c. in Græco ſic habent: *ut diſciplinæ avidi, horum facti compotes, majorem in legitima vita profectum facerent. Veniam habere* dixit Interpres Latinus, Græcam ſecutus locutionem συγγνώμην ἔχειν, pro *veniam dare*, ut infrà III. 15. Etiam illa, *in quibus videmur ſequentes imaginem*, clariora ſunt in Græco: *ſi quando videamur impares vertendis quibuſdam locutionibus diligenter elaboratis. Non enim idem valent eadem cùm qualia per ſe ſunt Hebrais enuntiantur, & cùm transfuſa ſunt in linguam aliam. Euergeten Regem*, cujus hîc mentio, intellige ſecundum ejus nominis, qui poſterior fuit Epiphane, ſub quo Pontificatum geſſit Simon Oniæ infrà memorandus. Mox pro, *invéni ibi libros relictos*, in Græco eſt, *invéni non modicæ eruditionis exemplum.* Ἀφόμοιον eſt id quod aliter Græci ἴσον dicunt, Latini *pariculum*, par de pari deſcriptum. Alii libri habent ἐφόδιον [*adminiculum viæ*], ut videatur ſcribens reſpexiſſe ſuum tunc peregrinantis vitæ genus: quò & illa ſpectant quæ ſequuntur in Græco, τοῖς ἐν παροικίᾳ βουλομένοις φιλομαθεῖν, *iis qui peregrè agentes diſcere aliquid volent*, id eſt, ut quibus magna non eſt librorum copia, hoc velut multorum librorum compendio utantur.

CAPVT I.

1. *OMnis ſapientia à Deo eſt, & cum illo fuit ſemper*] Non mirum eſt Sapientiam à Deo proficiſci, cùm ei ſemper adfuerit. Vide quæ diximus

Sapient. IX. 3. & memento ut ibi ità hîc *ſapientiam* ſumi γενικῶς [*generaliter*], quatenus Deo infinitè, hominibus pro ſuo modulo convenit.

2. *Arenam maris*] Hæc cum ſequentibus uno ſpiritu legenda. Senſus enim eſt, *Sicut arenam maris* (*numeróque carentis arenæ*, ait Horatius) *& pluviæ guttas, & tempora æternitatis nemo numeraverit, ſicut cæli alitudinem, terræ partes omnes, & maris infima, nemo metiri queat: ità nemo eſt qui Dei ſapientiam omnem queat perveſtigare.* Illa *Dei præcedentem omnia* non ſunt in Græco.

4. *Prior omnium creata eſt ſapientia*] נברא. Imitatur Græcum, Proverbior. VIII. 22. *Creata* dicitur Divina ſapientia, cùm ſe operibus prodidit. Sic & infrà 9.

5. *Fons ſapientiæ verbum Dei*] Λόγος [*ratio*] & Σοφία [*ſapientia*] promiſcuè uſurpantur. Senſus idem qui Sapientiæ VII. 25. Epicharmus,

Ὁ δέ γε τ' ἀνθρώπου λόγος πέφυκ' ἀπὸ τοῦ θείου λόγου.
[— *Et Dei ex ratione ratio naſcitur mortalium.*]

Ingreſſus illius mandata æterna] Obſervatio mandatorum quæ Deus per Legem dedit, & ab æterno dare decreverat, aditum præbet ad ſapientiam.

6. *Radix ſapientiæ*] Id eſt, Prima illa ſapientia nobis imperſcrutabilis.

7. *Diſciplina ſapientiæ cui revelata eſt & manifeſtata, & multiplicationem ingreſſûs illius quis agnovit?*] Deeſt in Græco.

8. *Vnus eſt altiſſimus Creator omnipotens, & Rex potens & metuendus nimis*] In Græco aliter: *Vnus eſt ſapiens & metuendus nimis. Sapiens*, nempe perfectè, ſicut *bonus* perfectè Matth. XIX. 17.

9. *Ipſe creavit illam in Spiritu ſancto*] Illud *in Spiritu ſancto* non eſt in Græco.

Et dinumeravit, & menſus eſt] *Menſus eſt* non eſt in Græco. *Dinumeravit*, nempe ut ſolemus illa quæ elargiri volumus.

10. *Et effudit illam ſuper omnia opera ſua*] Id eſt, ſuper homines. Eſt ſingulis aliqua particula *Divinæ auræ.*

Secundùm datum ſuum] In Græco, κατὰ τὴν δόσιν αὐτοῦ. Eleganter. Δόσιν vocant medici, quantum cuique ſumere opus eſt.

Et præbuit illam diligentibus ſe] Ἐχορήγησεν, id eſt, *largè præbuit*. Ità enim eam vocem ſumunt Græci. Vides hîc verum eſſe quod dicunt Platonici, *Aliam Cognitionem eſſe matrem Amoris, aliam Amoris filiam.*

11. *Timor Domini gloria & gloriatio*] Μετωνυμία [*Tranſnominatio*]. Senſus eſt, Pietatem cauſam eſſe & boni nominis, & tranquillæ conſcientiæ, quæ καύχημα [*gloriatio*] dicitur.

13. *Timenti Dominum bene erit in extremis*] Pax illum ſequetur.

Et in die defunctionis ſuæ benedicetur] Requiem à Deo accipiet.

14. *Dilectio Dei honorabilis ſapientia*] Non eſt in Græco, ſed id quod in Latino infrà habemus, *Initium ſapientiæ timor Domini*, ex Proverb. I. 7. Senſus idem qui ſuprà 5. & Iobi XXVIII. 28. Sequitur, μετὰ πιστῶν ἐν μήτρᾳ συνεκτίσθη αὐτοῖς [*cum fidelibus ab utero concreata eſt*]. Eſt locutio figurata quæ ſignificat *ab initio*, nempe fidei in Deum. Vide quæ dicta ad Iobum XXXI. 18. & Pſalm. LVIII. 4. Sequitur in Græco, μετὰ ἀνθρώπων θεμέλιον αἰῶνος ἐνόσσευσε, καὶ μετὰ τοῦ σπέρματος αὐτῶν ἐμπιστευθήσεται, *Cum hominibus nidificavit æterna fundamina, & progeniei eorum ſe credidit.* Senſus eſt: inter ea quæ conſpiciuntur animantia nullum eſſe quod ſapientiæ capacius ſit homine. In Latino multa ſunt hîc illic addita, ut ab Eclogarum deſcriptoribus fieri ſolet.

20. *Et plenitudo à fructibus illius*] In Græco, καὶ μεθύσκει αὐτοὺς ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῆς, *Et inebriat eos* (Sapientia, eos qui Deum timent) *de fructibus ſuis.* Μεθύσκει, id eſt, *lætitiâ implet.* Ità enim ſumi ſolet Hebræum שכר. Sic & infrà XXII. 14.

21. *Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius*] Tranſpoſuit voces. In Græco eſt, Πάντα τὸν οἶκον αὐτῶν ἐνέπλησεν ἐπιθυμημάτων αὐτῆς, καὶ τὰ ἀποδοχεῖα ἀπὸ τῶν γεννημάτων αὐτῆς, *Omnem domum implet rebus pretioſis ſuis, & omnes apothecas ſuis fructibus.* Vox ἐπιθυμημάτων reſpondet hîc Hebræo חמדה, quod κειμήλια [*ſupellectilem pretioſam*] ſignificat, Danielis XI. 8. & alibi. Ἀποδοχεῖα nomen eſt generale, hîc ſignificans *cellàs in quas fruges & poma reconduntur.* Sequitur hîc in Græco, quod in Latino tranſpoſitum eſt, ἀμφότερα δέ ἐστι δῶρα Θεοῦ εἰς εἰρήνην [*utraque autem ſunt dona Dei ad pacem*], id eſt, tum per κειμήλια illa tum per fructus ſignifico Dei dona ſalutaria.

22. *Corona ſapientiæ timor Domini*] Id eſt, magnum eruditionis ornamentum, pietas.

Replens pacem & ſalutis fructum] In Græco eſt, ἀναθάλλων εἰρήνην καὶ ὑγίειαν ἰάσεως [*pro flore edens pacem & ſanitatem medicationis*]. Proſequitur ſimilitudinem coronæ, dicitque Pietati pro floribus eſſe ſalutem animi & corporis: quarum illa generis nomine εἰρήνη [*pax*], hæc ὑγίεια ἰάσεως, id eſt, ſanitas talis quæ omnibus malis ſit medica.

23. *Et vidit, & dinumeravit eam*] Repetitum ex ſuperioribus 9. In Græco quibuſdam hoc loco eſt, πλατυνεῖ ἡ καύχησις τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν. Id eſt, *diligentibus illam* (*coronam:* nam αὐτὸν ad στέφανον refertur) *latè ſe extendit animi fiducia.* πλατυνεῖ [*extendit*] activum pro reciproco. Καύχησις eſt gaudium conſcientiæ, ut & antè diximus.

24. *Scientiam & intellectum prudentiæ ſapientia compartietur*] *Pluit*, id eſt, largè effundit, ut infrà X. 15. in Sixtina editione.

25. *Et rami illius longævi*] *Longævitas*, μακροημέρευσις. Vide ſuprà 12. Qui ſapit, curam habet ſanitatis.

26. *In theſauris ſapientiæ intellectus & ſcientiæ religioſitas: exercitatio autem peccatoribus ſapientia*] Malè ſcriptum eſt *exercitatio* pro *exſecratio*. Et eſt hîc ſupervacua inſerta ſententia, quæ infrà ſequitur 31. quem locum & in Græco obtinet.

27. *Timor Domini expellit peccatum*] Ampliùs in Græco, Φόβος Κυρίου ἀπωθεῖται ἁμαρτήματα, παραμένων ἡ ἀποστρέφει ὀργήν, *Timor Dei averſatur peccata, & qui patiens eſt iram deteſtatur.* Παραμένων verti *patiens*. Propriè id verbum *conſtantiam* ſignificat, ut apparet infrà VI. 9. & Iacobi I. 25. ſed & patientia conſtantiæ pars non minima.

28. *Nam qui ſine timore eſt non poterit juſtificari: iracundia enim animoſitatis illius ſubverſio illius eſt*] Οὐ δυνήσεται θυμώδης ἀνὴρ δικαιωθῆναι· ἡ γὰρ ῥοπὴ τοῦ

θυμοῦ αὐτοῦ πτῶσις αὐτοῦ, *Vir iracundus non poterit juſtificari* (id eſt, laudari, & in bona eſſe fama: id enim ſæpe valet δικαιοῦσθαι [*juſtificari*], ut Matth. XI. 19. & alibi), *nam pondus iræ ruina ipſi*, id eſt, ipſum ad ruinam impellit: efficit ut faciat dicátque minimè laudabilia.

29. *Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio jucunditatis*] Ἕως καιροῦ ἀνέξεται μακρόθυμος, καὶ ὕστερον αὐτῷ ἀναδώσει εὐφροσύνη. Vbi καὶ [&] ponitur more Hebræo pro adverſativa. Senſus enim eſt, *Vir lenis ad tempus perferet* (injurias): *ſed poſtea gaudium ipſi orietur*. Sic ἀναδιδοῦσι πηγαὶ Herodotus, *fontes exſiſtunt*.

30. *Bonus ſenſus uſque in tempus abſcondet verba illius, & labia multorum enarrabunt ſenſum illius*] Illud *bonus ſenſus* videtur ex margine in textum irrupiſſe: nam in Græco eſt cohærenter cum præcedentibus, ἕως καιροῦ κρύψει τοὺς λόγους αὐτοῦ, καὶ χείλη πολλῶν ἐκδιηγήσεται σύνεσιν αὐτοῦ, *Ad tempus verba ſua comprimet, ſed multorum labia prudentiam ipſius narrabunt*. Silentium illius in tempore compenſabitur multorum de ipſo ſermonibus.

31. *In theſauris ſapientiæ ſignificatio diſciplinæ*] In Græco, παραβολὴ ἐπιστήμης [*parabola ſcientiæ*]. In penu ſapientiæ ſunt multa ſcitè dicta, quæ indè ſuo tempore expromuntur.

33. *Concupiſcens ſapientiam conſerva juſtitiam, & Deus præbebit illam tibi*] In Græco pro *juſtitiam* eſt *præcepta*, Dei ſcilicet. Senſus idem qui ſuprà 5.

34. *Et quod beneplacitum eſt illi fides & manſuetudo*] Hæc non debent divelli; cohærent enim, ut ex Græco apparet. Quæ autem in Latino ſequuntur, *& adimplebit theſauros illius*, repetita ſunt ex ſuperiore 21.

36. *Nè ſis incredibilis timori Domini*] In Græco, μὴ ἀπειθήσῃς φόβῳ Κυρίου ἐνδεὴς ὤν, *Nè timori Dei* (id eſt, præceptis pietatis) *ſis inobſequens, ſi fortè egens fueris*. Noli egeſtate abduci ab officio, ut multi: Pſalmo CXXV. 3. Proverb. XXX. 9.

Et nè acceſſeris ad illum duplici corde] Ἐν καρδίᾳ δισσῇ. Dicitur καρδία δισσὴ [*duplex cor*, quod] quæ partim fidit, partim diffidit: quod ipſum διστάζειν *alternari*, Matth. XIV. 31. Διακρίνεσθαι, id eſt, *diſcernere* in quibus fidas, in quibus non, Matth. XXI. 21. Iacobi I. 6. ἐνδοιάζεσθαι [*hæſitare*] verò Philoni, ut diximus ad Iacobi II. 23.

37. *Nè fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labiis tuis*] Græcè, μὴ ὑποκριθῇς ἐν στόμασιν ἀνθρώπων, καὶ ἐν τοῖς χείλεσί σου πρόσεχε. Ità enim eſt in Sixtina, pro quo libri minùs emendati μὴ πρόσεχε. *Nè mentiaris coram hominibus, ſed labiis tuis attende*. Ὑποκρίνεσθαι pro *mentiri* eſt & in Græco Iobi XXXIV. 30. Matth. XXIV. 51. Iac. V. 12. ἐν στόμασι [*in ore*] pro Hebræo לפני [*ante facies*, id eſt, *coràm*], συνεκδοχικῶς [*per Comprehenſionem*], quomodo & Romani *os* pro *facie* dicunt.

38. *Attende in illis nè fortè cadas*] In Græco, μὴ ἐξύψου σεαυτὸν ἵνα μὴ πέσῃς, *Noli te attollere nè cadas*. Menander bene,

Ὅταν ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ,
Λαμπρῶς τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον,
Ὀφρῦν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
Τούτου ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα·
Ἐπαίρεται γὰρ μεῖζον ἵνα μεῖζον πέσῃ.

[*Superbè ſi quem ferri conſpicias malum,*
Superbè qui divitiis utatur ſuis,
Superciliúmque ſupra fortunam erigat,
Exſpecta quàm mox illi pœna impendeat:
Námque altiùs levatur ut graviùs ruat.]

Et adducas animæ tuæ inhonorationem] Id eſt, tibi ipſi. בנפשך.

39. *Et in medio ſynagogæ allidat te*] *Proſternat te*: ut ſolebat fieri illis qui ob delictum aliquod contra legem loris cædebantur. Eſt ergò hîc καταβαλεῖ [*proſternet*], quod הפילו Deuteronom. XXV. 2. ἐν μέσῳ συναγωγῆς [*in medio ſynagogæ*], id eſt, coram Iudicibus. Sic συναγωγὴ [*ſynagoga*] non raró ſumitur, ut Pſalmo LXXXII. 1.

40. *Quoniam acceſſiſti malignè ad Dominum*] Ideo vapulabis quia deprehenſus es in facinoribus contra Legem.

CAPVT II.

1. *INſta in juſtitia & honore*] Hæc præter Græcum addita.

Et præpara animam tuam ad tentationem] Vide Matth. IV. 1. Multa hîc ſunt Chriſtianè dicta, fortè & à Chriſtianis.

2. *Deprime cor tuum*] *Dirige*, εὔθυνον.

Inclina aurem tuam, & ſuſcipe verba intellectûs] Deſunt hæc in Græco.

Et nè feſtines in tempore obductionis] *Feſtinare* hîc eſt loqui aliquid προπετῶς [*præfeſtinè*]. ἐπαγωγὴ verò *ipſum illud quod à Deo homini immittitur*, quo ſenſu & ἐπαχθῇ σοι [*immittatur tibi*] jam mox habebimus. Sic & II Petri II. 5. ſic infrà ἐπάγειν [*immittere*] IV. 18. XXIII. 19. XLVI. 4. XLVIII. 2. & ἐπαγωγὴ [*mala immiſſa*] infrà V. 10. X. 14. XXIII. 12. & XL. 11.

3. *Suſtine ſuſtentationes Dei*] Non eſt in Græco.

Et ſuſtine] In Græco, καὶ μὴ ἀποστῇς, nè diſcedas à Deo.

Vt creſcat in noviſſimo vita tua] Id eſt, vita melior tibi obtingat poſt mortem. Senſus pius Interpretis; ſed poteſt Græcum ἵνα αὐξηθῇς ἐπ' ἐσχάτων σου exponi, *ut locupleteris poſtea*: nam ἐπ' ἐσχάτων Hebræis dicitur, quidquid tempore eſt poſterius.

4. *Omne quod tibi applicatum fuerit*] *Immiſſum*. Eſt enim hîc vox ἐπαχθῇ, de qua modò diximus.

Accipe] Δέξαι ἀσμένως, *Suſcipe volente animo*, ut Dei munus.

Et in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe] In Græco, καὶ ἐν ἀλλάγματι ταπεινώσεώς σου μακροθύμησον, *& patiens eſto in mutatione depreſſionis tuæ*, ſupple *ſperandâ*.

5. *Quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis*] Simile Proverbiorum XVII. 3. Zachar. XIII. 9. Malachiæ III. 3. Adduximus jam aliquoties ſimile illud, quanquam de humanis amicitiis, dictum Ovidii,

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt experienda fides.

Et illud Græci Poëtæ,

Κρίνει φίλους ὁ καιρὸς, ὡς χρυσὸν τὸ πῦρ.
[*Explorat ignis aurum, amicum occaſio.*]

Adde Menandri illud,

> Χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί·
> Ἡ δ᾽ ἐν φίλοις εὔνοια καιρῷ κρίνεται.
> [*Aurum ſpectatur ignis teſtimonio;*
> *At amicus certus in re incerta cernitur.*]

δεκτοὶ [*accepti*], id eſt, Deo grati.

6. *Crede Deo, & recuperabit te*] *Fide Deo, & is curam tui geret.* Id enim ἀντιλαμβάνεσθαι.

Et in illo veteraſce] Non eſt in Græco. In ſequentibus etiam alius ordo in Græco, alius in Latino, quod parùm refert in iſtis ἀφοριστικῶς [*inconnexè*] dictis.

8. *Et non evacuabitur merces veſtra*] Καὶ οὐ μὴ πταίσῃ ὁ μισθὸς ὑμῶν, *non intercidet veſtra merces.*

9. *Sperate in illum*] Εἰς ἀγαθὰ in Græco, *bona exſpectate.*

Et in oblectationem veniet vobis miſericordia] In Græco, καὶ εἰς εὐφροσύνην αἰῶνος καὶ ἔλεος [*& in lætitiam æternitatis & miſericordiæ*]. Explicat quæ ſint *bona* illa quæ exſpectare debeant, nempe lætitia æterna ex Dei clementia procedens.

13. *Quoniam pius & miſericors eſt Deus*] Vocem *pietatis* Interpretes noſtri ſæpe ſumunt pro *clementia.* Et hoc loco in Græco eſt, οἰκτίρμων καὶ ἐλεήμων [*clemens & miſericors*].

Et remittet in die tribulationis peccata] In Græco, καὶ ἀφίησι ἁμαρτίας καὶ σώζει ἐν καιρῷ θλίψεως, *remittit peccata* (id eſt, aufert mala illa immiſſa ad excitandos ſocordes) *& ſervat in die calamitatis.* Quæ ſequuntur in Latino, *& protector eſt omnibus quærentibus ſe in veritàte*, non ſunt in Græco.

14. *Væ duplici corde*] Legit ἐπὶ καρδίαις δισσαῖς, ubi nos habemus καρδίαις δειλαῖς [*cordibus timidis*]. Græcum hoc cum ſequenti bene convenit. *Timidos* vocat qui, ubi inſtat perſecutio, à pietate deficiunt. Sic & Apocalypſ. XXI. 8.

Et labiis ſceleſtis] Non eſt in Græco.

Et manibus malefacientibus] In Græco, καὶ χερσὶ παρειμέναις [*& manibus remiſſis*], eodem loquendi genére quod habemus Hebræorum XII. 12. Intelliguntur ii qui in Dei rebus pigri ſunt ac negligentes. Vide Ieremiæ XLVIII. 10.

Et peccatori terram ingredienti duabus viis] Similis ſenſus ſuprà cap. I. 36. *Duabus viis incedunt* qui ubi lubet Dei præcepta faciunt; ubi non lubet, non faciunt. Confer I Regum XVIII. 21.

16. *Væ his qui perdiderunt ſuſtinentiam*] In Græco, *Væ vobis qui perdidiſtis ſuſtinentiam.*

Et qui dereliquerunt vias rectas, & diverterunt in vias pravas] Abſunt hæc in Græco.

17. *Et quid facient*] *Quid facietis*, in Græco.

Cùm inſpicere cœperit Dominus] Ἐπισκέπτεσθαι, hoc eſt, *judicium exercere*, ut ſæpe פקד Hebræis.

18. *Non erunt incredibiles*] Iterum hîc expreſſit Græcum ἀπειθήσουσι, *non erunt inobſequentes.*

19. *Inquirent quæ beneplacita ſunt ei*] Ζητήσουσιν εὐδοκίαν παρ᾽ αὐτοῦ. Sed in Sixtina, εὐδοκίαν αὐτοῦ, *quærent quid ipſi placeat*, nempe ex Lege, ut ſequitur. Εὐδοκία reſpondet Hebræo רצון [*beneplacitum*].

Replebuntur lege ipſius] Plenam Legis cognitionem conſequentur. Vide Matthæi V. 6.

20. *Et in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas*] Καὶ ἐνώπιον αὐτοῦ ταπεινώσουσιν τὰς ψυχὰς αὐτῶν [*& coram ipſo deprimènt animas ſuas*], *cum Deo agent ſubmiſſè*, ut Michæas præcipit VI. 8. Qui ſequitur in Latino verſiculus deeſt in Græco.

22. *Dicentes*] Sic & in Græcis quibuſdam exemplaribus eſt λέγοντες. Alioqui id ſæpe ſolet ſubintelligi.

Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum] Illud *ſi pœnitentiam non egerimus* non eſt in Græco; & ſenſus potiùs videtur eſſe, *Melius erit ut incidamus in manus Dei quàm in manus hominum*, quia ſcilicet, ut ſequitur, Deus eſt miſericors, homines ſæpe immiſericordes: quare potiùs feramus Dei paternas caſtigationes quàm mereamur in manus hoſtium tradi. Sumta eſt ſententia ex dicto Davidis II Samuel. XXIV. 14. ubi ſimiliter additur, *multæ enim miſericordiæ ejus ſunt.* Latino hîc Interpreti videtur in animo fuiſſe locus ad Hebræos X. 31.

23. *Secundùm enim magnitudinem ipſius, ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt*] Ὡς γὰρ ἡ μεγαλωσύνη αὐτοῦ, οὕτως καὶ τὸ ἔλεος αὐτοῦ, *Quanta eſt majeſtas ejus, tanta eſt miſericordia*, id eſt, major quàm cogitari aut dici poſſit.

CAPVT III.

1. *Filii ſapientiæ, eccleſia juſtorum; & natio illorum obedientia & dilectio*] Non eſt in Græco noſtro, ſed in eo quo uſus eſt Interpres, puto ubi poſuit *natio* fuiſſe γέννημα· nam & ſuprà I. 20. ἀπὸ τῶν γεννημάτων vertit *à generationibus.*

3. *Deus enim honoravit patrem in filiis*] Ἐπὶ τέκνοις, *ſuper liberos.*

Et judicium matris exquirens firmavit in filios] Non eſt *exquirens* in Græco, ſed κρίσιν μητρὸς ἐστερέωσεν ἐφ᾽ υἱούς. *Iudicium* hîc eſt imperium, quod ſecundùm patrem mater habet in liberos. Sic שפט Hebræis ſæpe eſt *regere.*

4. *Qui diligit Deum exorabit pro peccatis, & continebit ſe ab illis, & in oratione dierum exaudietur*] Videtur Interpres corrigere voluiſſe ſenſum qui in Græco durus videbatur, ſic habens, Ὁ τιμῶν πατέρα ἐξιλάσκεται ἁμαρτίας, καὶ ὡς ἀποθησαυρίζων ὁ δοξάζων μητέρα αὐτοῦ [*Qui patrem honorat expiat peccata, & qui magni facit matrem ſuam is eſt velut theſauros coacervans*]. Sed notandum eſt, in optimis etiam ſcriptoribus uni virtuti tribui effectus qui ei non ſoli, ſed eximiè competunt. Vide Marci V. 4. & ſequentibus; Lucæ XI. 41. Iacobi V. 20. *Recondit ſibi theſaurum*, id eſt, jus ad præmia æterna, ut Matthæi VI. 20. XIX. 21. I Timoth. VI. 19.

6. *Qui honorat patrem ſuum jucundabitur in filiis*] Fiet ipſi quod ipſe fecit. Heſiodus,

> Ἡ δ᾽ δικαιοτέρου γενεὰ μετόπισθεν ἀρείων.
> [*Floreſcit juſti ſoboles ætate ſequenti.*]

Philemon,

> —— καὶ γένοιτό σοι τέκνων
> Ὄνησις, ὥσπερ καὶ δίκαιόν ἐστί σοι.
> [—— *contingat tibi,*
> *Oro, beata ſoboles, ut meritum eſt tuum.*]

7. *Qui honorat patrem ſuum vitâ vivet longiore*] Ex promiſſo quod eſt in Decalogo.

Et qui obedit patri refrigerabit matrem] Aliter in Græco, ὃς εἰσακούων Κυρίου, ἀναπαύσει μητέρα αὐτοῦ, *Qui Domino obedit matrem recreabit.* Id enim eſt הניח, quod ἀναπαύειν [*requiem dare, recreare*] verti ſolet.

8. *Et quaſi Dominis ſerviet his qui ſe genuerunt*] Nam

> Δίκαια τοὺς τεκόντας ὠφελεῖν τέκνα,
> [*Servire par eſt liberos genitoribus*,]

ait Euripides.

9. *In opere & ſermone & omni patientia*] Videtur quædam ſenſus perfectioris causâ addidiſſe Interpres, ut hîc *& omni patientia*, quod in Græco non eſt. contrà in Græco additur *& matrem.*

10. *Vt superveniat tibi benedictio ab eo, & benedictio illius in noviſſimo maneat*] Senſus bonus, *Vt quæ tibi pater optavit bene ad finem uſque tibi maneant.* Alludit ad hiſtoriam Geneſ. XXVII. 29. & ſequentibus. At in Græco habemus, ἵνα ἐπέλθῃ σοι εὐλογία παρ᾽ ἀνθρώπων, id eſt, *ut homines te beatum prædicent.*

11. *Maledictio autem matris eradicat fundamenta*] Domos evertit. Quanta vis ſit parentum in bene aut malè precando, Poëtæ Græci docuere iis qui de Theſeo & Hippolyto narrant.

> Δειναὶ γὰρ κατὰ γαῖαν ἐριννύες εἰσὶ τοκήων,
> [——— ——— *Res dira per omnes*
> *Eſt terras, Furiæ quas immiſere parentes*,]

ait Orpheus, aut Orphicorum ſcriptor.

13. *Et dedecus filii pater ſine honore*] *Mater* in Græco. Solet enim alternis de patre & matre loqui.

14. *Suſcipe ſenectam patris tui*] Ἀντιλαβοῦ ἐν γήρᾳ πατρός σου, id eſt, *in ſenectute curam ejus gere.* Vide ſuprà 11. 6.

15. *Et ſi defecerit ſenſu*] Καὶ ἐὰν ἀπολείπῃ σύνεσιν, *quamvis & uſum mentis perdat.*

Veniam da] Συγγνώμην ἔχε, id eſt, *excuſa ætatis vitium.*

Et nè ſpernas eum in virtute tua] Καὶ μὴ ἀτιμάσῃς αὐτὸν ἐν πάσῃ ἰσχύϊ σου [*& nè ſpernas eum omnibus viribus tuis*]. Eſt ἔλλειψις [*defectus*]. Plenus ſenſus eſſet : *quantum potes da operam nè eum inhoneſtes.*

Eleemoſyna enim patris non erit in oblivione] *Beneficia patris*, id eſt, patri præſtita. Et ἐλεημοσύνην dixit impropriè pro חסד, id eſt, *beneficentia.*

16. *Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum, & in juſtitia ædificabitur tibi*] In Græco tantùm, καὶ ἀντὶ ἁμαρτιῶν προσανοικοδομηθήσεταί σου. *Pro peccatis*, id eſt, injuriis parentum toleratis, *ædificabitur tibi*, id eſt, domus tua ſoboleſcet. Id enim בנה Exodi I. 21. & alibi. Nimirum *parentum ſævitia patiendo & ferendo lenienda*, ut eſt apud Livium. Vide quæ eam in rem prolata à nobis libro de Iure Belli ac Pacis IV, cap. 4. & in Annotatis.

17. *Commemorabitur tibi*] Ἀναμνησθήσεταί σου, *memoria tui erit*, apud Deum nempe.

Et ſicut in ſereno glacies ſolventur peccata tua] Vt ſuprà 4.

18. *Quàm malæ famæ eſt qui derelinquit patrem*] In Græco, Ὡς βλάσφημος ὁ ἐγκαταλείπων πατέρα αὐτοῦ, *Tanquam blaſphemus eſt qui deſerit patrem ſuum.* Par ſententia Menandri,

> Ὁ λοιδορῶν τὸν πατέρα δυσφημεῖ λόγῳ,
> Τὴν εἰς τὸ θεῖον δὲ προμελετᾷ βλασφημίαν.
> [*Qui patrem incilat, verbis maledicit patri ;*
> *Reapſe in ipſos probra meditatur Deos.*]

Et altera Antiphanis,

> Ὅστις γὰρ ὁμόλογόν τι μὴ ποιεῖ πατρὶ,
> Πάντων ἂν οὗτος καταφρονήσαι τῶν Θεῶν.
> [*Patri quod æquum eſt qui ſuo non exhibet,*
> *Ab eodem exſpecta ut omnes contemnat Deos.*]

19. *Fili in manſuetudine opera tua perfice*] Hîc novus titulus inchoari debuerat. Nam explicatis erga Deum officiis, ſecundo loco ea propoſuit quæ debentur Parentibus. Nunc ſequuntur παραινέσεις [*admonitiones*] ad Modeſtiam pertinentes, quæ hîc etiam vicino nomine dicitur πραότης [*lenitas*], ut apparet ex oppoſitione in commate 20.

20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus*] In Græco, τοσοῦτον ταπείνου σεαυτὸν, *tantò te demiſſiùs gere.* Non longè abit illud Sophocleum,

> Μηδ᾽ ὄγκον ἄρῃς μηδὲν εἴ τινος πλέον
> Ἢ χειρὶ βρίθεις, ἢ μακροῦ πλούτου βάθει.
> [*Néve inſoleſcas, ſi quid aut plus dexterâ*
> *Polles poteſque, aut divitis gazæ ubere.*]

Et coram Deo invenies gratiam] Omiſſa hîc ſententia quæ in Græco eſt, πολλοί εἰσιν ὑψηλοὶ καὶ ἐπίδοξοι, ἀλλὰ πραέσιν ἀποκαλύπτεται μυστήρια [*Multi ſunt elati & glorioſi, ſed lenibus revelantur arcana*], ubi πραεῖς [*lenes*] ſunt qui νήπιοι [*parvuli*] in paris ſenſûs dicto Euangelico Matth. XI. 25. ad quem locum dicta vide.

21. *Quoniam magna potentia Dei ſolius*] Eâdem ratione à ſuperbia dehortatur Chæremon,

> Ὅλως τὸ κρεῖσσον οὐκ ἐᾷ φρονεῖν μέγα.
> [*Vis major eſſe nos ſuperbos non ſinit.*]

Et ab humilibus honoratur] Id eſt, Honorem non accipit niſi ab iis qui ſubmiſſo ſunt animo.

> ——— — τοὺς δὲ σώφρονας
> Θεοὶ φιλοῦσι, καὶ στυγοῦσι τοὺς κακοὺς,
> [——— ——— *At cæleſtium*
> *Amat modeſtos numen, & ſpernit malos,*]

ità Sophocles.

22. 23. *Altiora te nè quæſieris, & fortiora te nè ſcrutatus fueris ; ſed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus nè fueris curioſus : non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis*] Græcè paulò aliter, Χαλεπώτερά σου μὴ ζήτει ἀναισθήτως, καὶ ἰσχυρότερά σου μὴ ἐξέταζε ἀφροσύνῃ. Ἃ προσετάγη σοι, ταῦτα διανοοῦ ὁσίως· οὐ γάρ ἐστί σοι χρεία τῶν κρυπτῶν βλέπειν ὀφθαλμοῖς [*Difficiliora captu tuo nè ſtolidè quæras, nec imprudenter examina quæ te ſuperant. At quæ præcepta tibi ſunt, ea ſanctè cogita : neque enim tibi opus eſt abſcondita conſpicere oculis*]. Sunt hæ ſententiæ veteres, ut nos docet Maïmonides Ductoris dubitantium I. 32. Difficilia illa, arcana, captúmque noſtrum ſuperantia intelligit ea quæ ad Dei naturam pertinent ; in quæ nimiùm curioſè inquirere ſtultitiæ eſſe dicit & imprudentiæ. Eodèm illud pertinet Philemonis,

> Θεὸν νόμιζε καὶ σέβου· ζήτει δὲ μή.
> Πλεῖον γὰρ οὐδὲν ἄλλο τοῦ ζητεῖν ἔχεις.
> [*Credi Deum colique non quæri licet ;*
> *Nam præter ipſum quærere acquires nihil.*]

Nec longè abit Euripidis illud,

> Τί δῆτα θώκοις ὀργικοῖς ἐνημένοι,
> Σαφῶς διόμνυσθ᾽ εἰδέναι τὰ δαιμόνων,
> Οἱ τῶνδε χειρώνακτες ἄνθρωποι λόγων ;
> Ὅστις γὰρ αὐχεῖ θεῶν ἐπίστασθαι πέρι,
> Οὐδέν τι μᾶλλον οἶδεν, ἢ πείθει λέγων.

[*Quid otioſis deſides in ſedibus*
Iactatis omnes noſſe res cœleſtium,
Temerarii rumoris audaces fabri?
Divina qui ſe ſcire profitetur, nihil
Scit ille plus quàm credulis perſuaſerit.]

Meliſſus Philoſophus dicebat, περὶ Θεῶν μὴ δεῖν ἀποφαίνεσθαι· μὴ γὰρ εἶναι γνῶσιν αὐτῶν [*de Diis nihil eſſe affirmandum: neque enim notitiam eorum contingere*] Adde ſi placet ea quæ notavimus ad librum VI. de Veritate Religionis Chriſtianæ. His quæſtionibus captum noſtrum ſuperantibus opponit ea quæ ad nos pertinent, Dei ſcilicet præcepta, quæ ſcire & poſſumus & debemus: quibus præceptis connexæ ſunt proprietates & actiones Dei quæ nos ſpectant. Non malè Horatius, ſi verba in pium ſenſum accipiamus, ——— *quod magìs ad nos*
Pertinet, & neſcire malum eſt agitamus: utrúmne
Divitiis homines, an ſint virtute beati:
Quídve ad amicitias, uſus, rectúmne trahat nos,
Et quæ ſit natura boni, ſummúmque quid ejus.

Græcos Socrates à Phyſicis quæſtionibus inexplicabilibus ad Morum regulam retraxit, cujus illud rectum, ſi rectè intelligitur, *Quæ ſupra nos nihil ad nos.* Illud, *Non eſt opus tibi videre abſcondita*, ſenſum explicat myſticum Legis quæ Sacerdotes vetat intrare adytum.

24. *In ſupervacuis rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluribus operibus ejus non eris curioſus*] In Græco Sixtinæ editionis habemus pro his verbis, Ἐν τοῖς περισσοῖς τῶν ἔργων σου μὴ περιεργάζου, *Noli curioſus eſſe ultra opera tua*, id eſt, ultra quæ tibi facienda ſunt. Egit de Dei natura non ſcrutanda: nunc etiam monet, nè de cauſis Legum, quæ in legibus ipſis expreſſæ non ſunt, curioſè diſputetur.

25. *Plurima enim ſupra ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi*] Πλείονα γὰρ συνέσεως ἀνθρώπων ἀνεδείχθη σοι, id eſt, *multa enim in Lege de ſua voluntate tibi Deus revelavit quæ humano ſenſu reperiri nequiſſent.* Dedit tibi præcepta longè ſupra omnem humanam ſapientiam.

Τὸ σοφὸν οὐ σοφία,
Τό τε μὴ θνητὰ φρονεῖν,
[*Quiſquis ſupra mortale ſapit,*
Nihil ille ſapit,]

ait Euripides.

26. *Multos quoque ſupplantavit ſuſpicio illorum*] Ἡ ὑπόληψις αὐτῶν ἡ ματαία, id eſt, *vana de ſemetipſis præſumtio*; ut Solomonem, qui dum cauſas Legum ſcrutatur, & ex illis legum ſenſum pro ſuo lubitu reſtringit, in maximas culpas incidit.

Et in vanitate detinuit ſenſus illorum] In Græco, καὶ ὑπόνοια πονηρὰ ὠλίσθησε διάνοιαν αὐτῶν, *conjectura prava eorum mentem corrupit.* Idem ſenſus cum eo qui anteceſſit. Hîc in Græco ſequitur appoſitè, *Pupillas ſi non habeas, carebis luce: cognitionis ergò expers, eam noli profiteri.* Ad res Divinas naturâ cæci ſumus; quare noli majorem de illis ſcientiam profiteri eâ quam Deus tibi aperuit.

27. *Cor durum habebit malum in noviſſimo*] *Cor durum* hîc intelligitur animus αὐθάδης [*ſibi plùs æquo placens*], ut oſtendunt præcedentia & ſequentia.

Et qui amat periculum in illo peribit] *Amat periculum* qui audacter de ſibi ignotis pronuntiat.

28. *Cor ingrediens duas vias non habebit ſucceſſus, & pravus corde in illis ſcandalizabitur*] Non eſt in Græco. Senſus idem qui ſuprà 11. 14.

29. *Cor nequam gravabitur in doloribus*] *Cor durum gravabitur laboribus.* Pertinacia multa ſecum trahit incommoda. Sophocles,

Ἀλλ' ἄνδρα, κ' ἂν τις ᾖ σοφὸς, τὸ μανθάνειν
Πολλ' αἰσχρὸν οὐδὲν, καὶ τὸ μὴ τείνειν ἄγαν.
Ὁρᾷς παρὰ ῥείθροισι χειμάῤῥοις, ὅσα
Δένδρων ὑπείκει κλῶνας ὡς ἐκσώζεται·
Τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται.
[*Nec turpe, quamvìs maximè ſapias, tamen*
Didiciſſe plura, nec nimis pertendere.
Vides ut arbor amnis adverſi impetum
Cedendo vincat & ſuum ſervet decus,
At interit de ſtirpe ſiqua obnititur.]

Item,

Αὐθαδία τοι σκαιότητ' ὀφλισκάνει.
[*Præfractus animus debet infauſtum exitum.*]

Et peccator adjiciet ad peccatum] *Accumulabit peccata peccatis.* Ità Græcum. Et *peccatorem* intellige ex eo quod præceſſit, *eum qui duro ſit corde.*

30. *Synagogæ ſuperborum non erit ſanitas*] Legit συναγωγῇ, ubi Græci codices habent ἐν ἐπαγωγῇ ὑπερηφάνου οὐκ ἔστιν ἴασις, id eſt, *Superbo non eſt medicina in adverſis quæ Deus immittit*, quia Deum ut oportet non deprecatur. ἐπαγωγὴν hoc ſenſu ſumi diximus ſuprà 11. 2.

Frutex enim peccati radicabitur in illis, & non intelligetur] In Græco, ὁδοιπορίαι αὐτοῦ ἐκριζωθήσονται· φυτὸν γὰρ πονηρίας ἐῤῥίζωσεν ἐν αὐτῷ, *Itinera eius* (id eſt, ſtudia, inſtituta) *evellentur: nam planta improbitatis radices in eo egit*, id eſt, conſuetudine in illo confirmata eſt pravitas. Contraxit ἕξιν [*habitum*]. Id enim *radix* Hebræis, Matth. XIII. 6. 21. Hebr. XII. 15. Deuteron. XXIX. 18. addito loco Actor. VIII. 23.

31. *Cor ſapientis intelligitur in ſapientia*] *Cor hominis prudentis excogitat ſententiam*, modò hanc ſcilicet modò illam vitæ utilem.

Βραχεῖ λόγῳ καὶ πολλὰ πρόσκειται σοφὰ,
[*Sapientia ampla ſæpe ſermone in brevi,*]

ait Sophocles. Ingenium hominis ait Plutarchus ſæpe magìs cognoſci ex uno aliquo dicto ἀποφθεγματικῷ [*conciſo*] quàm ex multis actionibus.

Et auris bona audiet cum omni concupiſcentia ſapientiam] In Græco, καὶ οὖς ἀκροατοῦ ἐπιθυμία σοφοῦ, *Et auris auditoris* (id eſt, auris attenta) *deſiderium eſt ſapientis.* Animat magiſtrum diſcipuli attentio.

32. *Sapiens cor & intelligibile*] Hæc ſententia non eſt in Græco.

33. *Ignem ardentem exſtinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*] Καὶ ἐν ἐλεημοσύναις ἐξιλάσεται ἁμαρτίας, ubi καὶ [*&*] eſt pro comparatione, & ſubauditur τις [*aliquis*]. *Sicut ignem* quantumvis ardentem *aqua exſtinguit facilè, ità per opera miſericordiæ* (aut beneficentiæ) *expiabit aliquis peccata*, id eſt, veniam à Deo impetrabit: quod expone ut ſuprà 111. 4. Senſus idem Lucæ XI. 41.

34. *Et Deus proſpector eſt ejus qui reddit gratiam, & in tempore caſus ſui inveniet firmamentum*] *Deus qui repenſator eſt beneficiorum, poſt id meminerit ipſius, ut ſuſtentaculum inveniat tempore caſûs ſui*, id eſt, cùm alioqui eſſet caſurus.

CAPVT IV.

1. F*ili, eleemoſynam pauperi nè defraudes*] Sequuntur monita de operibus Miſericordiæ. τὴν ζωὴν τοῦ πτωχοῦ μὴ ἀποστερήσῃς, *nè ſubtrahas vitam pauperi*, id eſt, ad vitam neceſſaria. *Subtrahit* qui non dat cùm ſatìs ad dandum habeat. *Necare videtur qui alimonia denegat*, ait Paulus Iuriſconſultus.

Et oculos tuos nè tranſvertas à paupere] Μὴ παρελκύσῃς ὀφθαλμοὺς ἐπιδεεῖς, *nè trahe oculos egentes*, id eſt, ſpem egentis.

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις.
[*Gratia quæ tarda eſt ingrata eſt gratia.*]

Hæc ſunt beneficia quæ, ut Seneca loquitur, *diu intra manus hærent*. Idem eſt ſenſus in eo quod ſequitur, ſed ex alio ſcriptore deſumtus.

2. *Animam eſurientem nè deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua*] *Noli contriſtare hominem eſurientem, trahendo eum in ſua indigentia.* Hic eſt ſenſus in Græco.

3. *Cor inopis nè afflixeris*] In Græco eſt, καρδίαν παρωργισμένην. ſed παροργίζειν Helleniſtis ponitur pro מרר, aut עצב, quæ alibi vertuntur per λυπεῖν, ὀδυνᾶν [*triſtitiâ afficere, dolore afficere*], & ſimilia.

Et non protrahas datum] Δόσιν, id eſt, *donationem*, rem dandam.

Anguſtianti] Προσδεομένου, id eſt, προσαίτου, *mendici*, id eſt, *à mendico expetitum:* ità enim genitivi hîc ſæpe ponuntur. Vide ſuprà III. 15.

4. *Et non avertas faciem tuam ab egeno*] Tobiæ IV. 7.

6. *Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum*] In Græco breviùs: *Imprecationem ejus exaudiet is qui fecit illum.* Δέησις generalis eſt vox, ſed hîc *imprecationem* ſignificat. Egregius eſt Homeri locus, περὶ Λιτῶν [*de Precibus*], Iliados Iota,

Ὅς δέ κ' ἀνήνηται, καί τε στερεῶς ἀποείπῃ,
Λίσσονται δ' ἄρα ταί γε Δία Κρονίωνα κιοῦσαι,
Τῷ Ἄτην ἅμ' ἕπεσθαι, ἵνα βλαφθεὶς ἀποτίσῃ.
[*Abnuat at ſiquis duris ſermonibus utens,*
Accedunt illæ ſolium Iovis, atque precantur
Noxam illi injiciat, patiendo ut facta repenſet.]

7. *Congregationi pauperum affabilem te facito*] In Græco non eſt *pauperum*. Senſus eſt: *præbe te comem plebi.*

Et presbytero humilia animam tuam] Hoc Interpres videtur addidiſſe; nam in Græco non eſt.

Et magnati humilia caput tuum] Id eſt, virum ſummatem reverenter ſaluta.

8. *Redde debitum tuum*] Hoc non eſt in Græco; nec ſatìs loco convenit.

9. *Libera eum qui injuriam patitur de manu ſuperbi*] Ἐκ χειρὸς ἀδικοῦντος [*è manu injuriam facientis*], id eſt, eripe innocentem calumniatori, eum ſcilicet abſolvendo tuâ ſententiâ. Nam hæ παραινέσεις [*admonitiones*] ad Iudicem pertinent, ut apparet ex ſequentibus.

Et non acidè feras in anima tua] Καὶ μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῷ κρίνειν σε, *Noli eſſe trepidus ubi tibi judicandum eſt*. Id eſt, noli accuſatoris injuſti potentiam extimeſcere, ſed ex legibus judica. ὀλιγοψυχεῖν ità ſumitur apud LXX Interpretes ſæpe, & Iudithæ VII. 19. VIII. 9. Similis ſenſus infrà VII. 6.

10. *In judicando eſto pupillis miſericors, ut pater, & pro viro matri illorum*] In Græco non eſt *in judicando*, neque *miſericors*, ſed *eſto pupillo pater, & pro viro matri ejus*, nempe dando conſilium, cauſam eorum defendendo apud Iudices, &, ſi opus ſit, ſublevando egeſtatem; ut fecit Iobus XXXI. 16. & ſequentibus. Adde Deuteronom. XXIV. 19. 20. 21. Eſaïæ I. 17. Iacobi I. 27.

11. *Et eris tu velut filius Altiſſimi obediens*] *Obediens* non eſt in Græco, & potiùs ſenſus videtur eſſe, *Tam carus eris Deo quàm filius eſt patri*, ut oſtendit pars hujus commatis altera.

12. *Sapientia filiis ſuis vitam inſpirat*] Legit ἀνεζώωσε [*vitam inſpirat*], ubi nos habemus ἀνύψωσε, *ſolet in ſublime evehere.* Clemens Alexandrinus legit ἀνεφοσίωσε [*ſacravit*], & Tertullianus ἐνεθυσίασε [*immolavit*].

Et ſuſcipit] Ἐπιλαμβάνεται, *velut manu prehendit.*

Et præibit in via juſtitiæ] Non eſt hoc in Græco.

13. *Et qui vigilaverint ad illam complectentur placorem ejus*] *Placorem* dixit, quam *placentiam* Apulejus. In Græco, ἐμπλησθήσονται εὐφροσύνης, *implebuntur gaudio.* Pro *vigilaverint*, Græcum habet ὀρθρίζοντες *qui manè ſurrexerint:* quo verbo Hebræi ſummum ſtudium ſignificant, quale eſt opificum antelucanorum. Vide Iob. VIII. 5. XXIV. 5. Oſeæ VI. 1. Ierem. XI. 7. XXV. 3. XXIX. 19. Soph. III. 7.

14. *Vitam hereditabunt*] In Græco, *gloriam:* ſed Interpres omnia trahit ad ſenſum quàm maximè Chriſtianum.

15. *Qui ſervient ei obſequentes erunt Sancto*] Magna pars ſapientiæ Θεῷ ἕπεσθαι [*Deum ſequi*]. Hebræi autem ſæpiſſime Deum *ſanctum* vocant, non tantùm quòd ipſe omni vitio careat, ſed quia & omnis ſanctitatis fons eſt.

16. *Indicabit gentes*] Ad imperia & magiſtratus provehetur, ut apud Romanos Numa ad Regnum.

Permanebit confidens] Κατασκηνώσει πεποιθώς, *ſecurus habitabit:* tanta in illum erit omnium benevolentia.

17. *Si crediderit ei, hereditabit illam*] Ἐὰν ἐμπιστεύσῃ, *ſi fidem habuerit*, ipſi ſcilicet. ἐμπιστεύειν hoc ſenſu frequens huic ſcriptori. Vide ſuprà II. II. & jamjam 19. Vertitur ſic Hebræum אמן Deuteronom. I. 32. II Paralip. XX. 20.

Et erunt in confirmatione creaturæ illius] Ἐν κατασχέσει ἔσονται αἱ γενεαὶ αὐτοῦ. Ità enim habet Sixtina editio, non αὐτῶν [*illorum*]. *In poſſeſſione* (ſapientiæ) *manebunt poſteri ipſius.* Facilem ſapientiæ adeptionem poſteris facit bona inſtitutio à parentibus adhibita, modò ipſi ſibi non deſint.

18. *Quoniam in tentatione ambulat cum eo*] Cauſam reddit cur addiderit conditionem, *Si quis Sapientiæ fidem adhibuerit*, quia initia ejus dura ſunt, radices amaræ, fructus ſuaves. In Græco, pro *in tentatione* eſt διεστραμμένως, id eſt, *obliquè*, ut illi ſolent qui aliquem tentant.

Et imprimis elegit eum] Non eſt in Græco niſi ἐν πρώτοις [*in primis*], ídque connectitur cum ſenſu præcedente.

19. *Timorem & metum & probationem inducet ſuper*

ſuper illum, & cruciabit illum in tribulatione doctrinæ ſuæ, donec tentet eum in cogitationibus ſuis, & credat animæ illius] Græca ſic habent, *Timorem & metum incutiet ei, & torquebit eum diſciplinâ ſuâ, donec ipſa fidem illi homini habeat, poſtquam tentaverit ipſum ſuis præceptis.* Idem dicit quod Heſiodus,

> Τῆς δ᾽ ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
> Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ᾽ αὐτὴν,
> Καὶ τραχὺς τὸ πρῶτον· ἐπεὶ δ᾽ εἰς ἄκρον ἵκηται,
> Ῥηϊδίη δ᾽ ἤπειτα πέλει, χαλεπή περ ἐοῦσα.
> [*Sudorem ante aditum virtutis Dî poſuerunt,*
> *Et longa hîc & celſa ſimul via ducit euntem:*
> *Ardua principio, ſed ubi eſt ad culmina ventum*
> *Æqua ſolo via mox facili te tramite ducet.*]

Virtus ipſa apud Silium Italicum ſic loquitur:

> *Ardua ſaxoſo perducit ſemita clivo,*
> *Aſpera principio (nec enim mihi fallere mos eſt),*
> *Proſequitur labor ad nitendum intrare volenti.*
> *Nec bona cenſendum quæ ſors infida dediſſet,*
> *Atque eadem rapuiſſe valet. Mox celſus ab alto*
> *Infra te cernes hominum genus.*

20. *Et firmabit illum, & iter adducet directum ad illum*] In Græco, καὶ πάλιν ἐπανήξει κατ᾽ εὐθεῖαν πρὸς αὐτὸν, *ſed deinde occurret illi recto itinere:* non ut antè, διεστραμμένως [*obliquè*].

21. *Et theſaurizabit ſuper illum ſci ntiam & intellectum juſtitiæ*] Non eſt in Græco. Videtur περίφρασις [*circumlocutio*] eſſe arcanorum, quorum præceſſit mentio.

22. *Si autem aberraverit*] *Si deflexerit ab ipſa.* Multi enim laſſati ſalebris viam Sapientiæ deſerunt. Vide tabulam Cebetis.

Et tradet eum in manus inimici ſui] In Græco, πτώσεως αὐτοῦ, *ruinæ ſuæ.* Sinet illum cadere, poſtquam deſertorem deſeruerit. Nam ſuprà dicta eſt ſibi fidos *manu tenere*, 12.

23. *Fili, conſerva tempus*] Συντήρησον καιρὸν, *obſerva articulos temporum*, ſive *tempeſtivum tempus*, ut vertit Auſonius: καιρὸν λαβόντας [*occaſione raptâ*] dixit Iphigeniâ Tauricâ Euripides. Hoc monitum in ſua membra digeſtum· vide apud Eccleſiaſten III. 1.

Et devita à malo] *Vt à malo tibi caveas.* Ità enim copulativa conjunctio ſæpe hîc ſumitur.

24. *Pro anima tua nè confundaris dicere verum*] *Dicere verum* non eſt in Græco, ſed μὴ αἰσχυνθῇς περὶ τῆς ψυχῆς σου. Senſus eſt, Nè pudeat te humilem te facere, & ſubmiſſis precibus agere ut vitam ſerves, ſicut fecit Ioſephus Iacobi filius, Geneſ. XLII. 21. & Ieremias XXXVIII. 26. Apud Euripidem dicenti Hecubæ:

> Τί δῆτ᾽ ἔλεξας, δοῦλος ὢν ἐμὸς τότε;
> [*Quid es locutus, in mea poſitus manu?*]

Reſpondet Vlyſſes,

> Πολλῶν λόγων εὑρήμαθ᾽, ὥστε μὴ θανεῖν.
> [*Reperta fatu varia vitandæ neci.*]

25. *Eſt enim confuſio adducens peccatum, & eſt confuſio adducens gloriam & gratiam*] Duplex hîc deſcribitur αἰσχύνη, id eſt, *pudor:* ut eſt apud Homerum,

> Αἰδὼς ἥτ᾽ ἄνδρας μέγα σίνεται, ἠδ᾽ ὀνίνησι.
> [*Atque pudor, prodeſt homini qui ſæpe, nocétque.*]

Et apud Euripidem Hippolyto,

> Αἰδώς τε, δισσαί δ᾽ εἰσιν· ἡ μὲν οὐ κακὴ,
> Ἡ δ᾽ ἄχθος οἴκων.
> [*Pudórque partim non malus, partim lues*
> *Labéſque.*]

Quæ eadem fere verba ut Alcæi citat Plutarchus.

26. *Nè accipias faciem adverſùs faciem tuam*] In Græco, μὴ λάβοις πρόσωπον κατὰ τῆς ψυχῆς σου [*Nè ſumas perſonam contra animam tuam*]· quod quid ſignificet, explicant ſequentia, καὶ μὴ ἐντραπῇς εἰς πτῶσίν σου, quod Latinus Interpres verterat, *nè reverearis proximum in caſu tuo*: quod enim medium eſt inter hæc abeſt in Græco. Senſus eſt: *Noli cuiquam homini ità morem gerere, ut ipſe tibi indè periculum crees contra animam tuam*, id eſt, contra te ipſum, tuo malo, ad tuam ruinam.

28. *Nè retineas verbum in tempore ſalutis*] Id eſt, ubi loqui tibi ſalutem adfert. Idem ſenſus qui ſuprà 24.

> *Tam malum eſt ſemper tacere, quàm malum eſt*
> *ſemper loqui.*
> *Sic Amyclas cùm tacerent perdidit ſilentium.*

Non abſcondas ſapientiam tuam in decore tuo] In Græco, μὴ κρύψῃς τὴν σοφίαν εἰς καλλονήν [*nè abſcondas ſapientiam ad honorem tuum*]· ubi eſt ἔλλειψις [*defectiva oratio*]. Senſus enim eſt: *Nè occulta ſapientiam ubi ea tibi erit decori.* Loquendi præcipua tempora ſunt, ubi aut loquendo periculum vitatur, aut honor paratur. Confirmant hanc interpretationem quæ ſequuntur.

29. *In lingua enim ſapientia dignoſcitur*] Ἐν λόγῳ, Græcè, *per ſermonem.* Index animi oratio.

Et ſenſus, & ſcientia, & doctrina in verbo ſenſati] Multis expreſſit quod breviùs in Græco, καὶ παιδεία ἐν ῥήμασι γλώσσης [*& doctrina in verbis linguæ*].

30. *Nè contradicas verbo veritatis ullo modo*] *Vlla in re*, κατὰ μηδὲ ἕν.

Et de mendacio ineruditionis tuæ confundere] Sequitur codices quoſdam. At meliùs Sixtina habet editio, καὶ περὶ τῆς ἀπαιδευσίας σου ἐντράπηθι, *& erubeſce ſi quid imperitius tibi exciderit.*

31. *Non confundaris profiteri peccata tua*] In Græco, *Nè te pudeat peccata tua fateri*: id eſt, Monitus culpam agnoſce. Sequitur in Græco in hoc loco quod ſequenti commate in Latino ſubjectum eſt, καὶ μὴ βιάζου ῥοῦν ποταμοῦ, *nè vi obnitaris contra amnis curſum.* Eſt id generale proverbium de labore inutili. Hìc verò ſignificat, Noli defendere quæ defendi non poſſunt.

Et nè ſubjicias te omni homini pro peccato] Id eſt, ad peccatum. Alius ſenſus in Græco, μὴ ὑποστρώσῃς ἀνθρώπῳ μωρῷ σεαυτὸν, *nè ſubjicias te cuiquam ſtulto.* Liberos homines alloquitur, qui aut ad domeſtica miniſteria ſe elocant, aut ſub ditionem alicujus migrant. Ariſtophanes,

> Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ᾽ ἐστὶν, ὦ Ζεῦ καὶ θεοὶ,
> Δοῦλον γενέσθαι παραφρονοῦντος δεσπότου.
> [*Quàm res moleſta eſt, proh Dî ſuperi & Iuppiter,*
> *Servire ſervitutem hero fanatico.*]

32. *Noli reſiſtere contra faciem potentis*] Alius ſenſus in Græco, μὴ λάβῃς πρόσωπον δυνάστου, *Nè accipe perſonam Dynaſtæ*, id eſt, nihil injuſtum fac ipſius in gratiam.

33. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua*] In

Græco, ἕως θανάτου ἀγώνισαι περὶ τῆς ἀληθείας, id eſt, *pro veritate decerta ad mortem uſque*, ſicut Eſaïas, Zacharias Iojadæ, & alii fecere.

Et Deus expugnabit pro te inimicos tuos] In Græco: *Deus pro te pugnabit*. Te proteget, aut animam in æternum ſervabit.

34. *Noli citatus eſſe in lingua*] Legit ταχὺς non malè, ubi nos τραχὺς [*aſper*], aut θρασύς [*audax*].

Et inutilis & remiſſus in operibus tuis] Ceſſator, piger. Plerumque enim in quibus promta eſt lingua, iis tardæ ſunt manus, quales Therſites Homericus, Drances Virgilianus.

35. *Noli eſſe ſicut leo in domo tua*] Clamoſus & minax. Vide Proverb. XIX. 12.

Evertens domeſticos tuos, & opprimens ſubjectos tibi] Pro his verbis in Græco eſt, καὶ φαντασιοσκοπῶν ἐν τοῖς οἰκέταις σου, id eſt, *ſuſpicax adverſus famulos tuos*. Qui ea quæ imaginatur certa putat quaſi vidiſſet, dicitur φαντασιοσκοπῶν, aut φαντασιοσκόπος· quam vocem Euſtathius uſurpat de iis qui ſpe vanâ paſcuntur.

36. *Nè ſit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad dandum collecta*] *Contracta*, συνεσταλμένη. Illiberalis eſt animi, multa accipere, parùm dare.

CAPVT V.

1. NOli *attendere ad poſſeſſiones iniquas*] In Græco tantùm eſt, *noli inniti divitiis tuis*. Ità enim hanc vocem uſurpat hic Scriptor XV. 4. XXXIV. & alibi.

Et *nè dixeris, Eſt mihi ſufficiens vita*] *Sunt mihi quæ ad vitam* (id eſt, ad omne vitæ meæ tempus) *ſufficiant*. Ità in Græco. Talis hominis habemus χαρακτῆρα [*notationem*] Lucæ XII. 19. ubi & admonitio ſequitur, qualis hîc.

Nihil enim proderit in tempore vindictæ & obductionis] Non eſt in noſtris libris Græcis. Fuiſſe tamen in aliis exiſtimo: nam vox *obductionis* reſpondet Græcæ ἐπαγωγῆς, de qua egimus ſuprà II. 2. ſed idem ferme habemus infrà hoc capite, commate decimo.

2. *Nè ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui*] In Græco, μὴ ἐξακολούθει τῇ ψυχῇ σου καὶ τῇ ἰσχύϊ σου, τοῦ πορεύεσθαι ἐν ὁδοῖς καρδίας σου, *Nè ſequere animam tuam & vires tuas, ut ambules in viis cordis tui*: id eſt, Noli facere quidquid potes ac libet.

3. *Et nè dixeris, Quomodo potui, aut quis me ſubjiciet propter facta mea?*] In Græca Sixtina tantùm eſt, τίς με δυναστεύσει, id eſt, *quis mihi legem imponat?* משל [*dominari*] Hebræum vertitur κυριεύειν, ἐξουσιάζειν, δυναστεύειν,

Deus enim vindicans vindicabit] Id eſt, certò vindicabit. In Græco additur, σου τὴν ὕβριν, *inſolentiam tuam*.

4. *Nè dixeris, Peccavi, & quid mihi accidit triſte?*]
Vt Horatius:

tu ſimul obligaſti
Perfidum diris caput, eniteſcis
Pulchrior multò, juvenúmque prodis
Publica cura.

Theodectes:

— νῦν γὰρ τῆς τιμωρίας
Ἄπωθεν οὔσης, τῇ φύσει χρῶνται βροτοί.
[—— *Pœnâ nunc longè ſitâ,*
Omnes ſuo permittit ingenio frui.]

Altiſſimus enim eſt patiens redditor] In Græco: *Deus patiens quidem eſt, non tamen impunitum te dimittet*. Sequitur apud Theodecten,

Ὅταν γὰρ φωραθῶσιν, ὀφθέντες κακοὶ,
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.
[*Sed deprehenſi poſtea in piaculis,*
Vtcunque ſerò quod ſat eſt pœnas dabunt.]

5. *De propitiato peccato noli eſſe ſine metu, neque adjicias peccatum ſuper peccatum*] In Græco Sixtino, περὶ ἐξιλασμοῦ μὴ ἄφοβος γίνου προσθεῖναι ἁμαρτίαν ἐφ' ἁμαρτίαις, id eſt, *noli peccata peccatis addere ſecurus ob ſpem veniæ*. Oſtendunt id quæ ſequuntur.

7. *Miſericordia enim & ira ab illo citò proximant*] Eſt quidem in codicibus quibuſdam ταχυνεῖ [*proximat*], ſed abeſt in editione Sixtina, tantúmque eſt, ἔλεος γὰρ καὶ ὀργὴ παρ' αὐτῷ, id eſt, *Deus tam iram ſecum habet quàm miſericordiam*: & hâc & illâ uti poteſt.

Et peccatores reſpicit ira illius] *Sed peccatoribus incumbit ira ejus*. καταπαύσει, *manebit ſuper eos*. *Peccatores* hîc intellige obduratos ac pertinaces, κατ' ἐξοχὴν [*in excellenti ſenſu*] ſumto vocabulo.

9. *Subitò enim veniet ira ejus*] Improviſò aderit. Quod hîc in Græcis quibuſdam adjicitur, καὶ ὡς ἀμελήσεις ἐκτριβήσῃ [*& cùm ſecurus eris opprimêris*], deeſt in Sixtino.

10. *Noli anxius eſſe in divitiis injuſtis*] *Noli confidere divitiis injuſtis*. Eſt enim in Græco ἔπεχε, ut ſuprà 1. Tantùm quod ibi in genere dictum eſt de divitiis, hîc ad injuſtas divitias applicatur. Euripides Erechtheo,

Ἀδίκως δὲ μὴ χρῶ χρήματ', ἂν βούλῃ πολὺν
Χρόνον μελάθροις ἐμμένειν· τὰ γὰρ κακῶς
Οἴκους ἐσελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν.
[*Fundare ſi vis ſolia manſuræ domûs,*
Opes iniquas ſperne: nam quæ per nefas
Trans limen intrant ſtare non poſſunt diu.]

Non enim proderunt tibi in die obductionis & vindictæ] In Græco tantùm eſt, ἐν ἡμέρᾳ ἐπαγωγῆς [*in die obductionis*]. Itaque illud, *& vindictæ*, explicandi causâ videtur additum ab Interprete. Vide ſuprà hoc capite in principio.

11. *Non ventiles te in omni vento*] Bene ſupplevit ſenſum Græci, Μὴ λίκμα ἐν παντὶ ἀνέμῳ· eſt enim activum pro reciproco. *Ventilare ſemet ad omnem ventum* eſt Omnium captare gratias, & ad eas verba factáque accommodare. Plautus dixit, *uti ventus eſt velum vertere*.

Et non eas in omnem viam] Theophraſtus in deſcriptione ἀρέσκου, Καὶ παρακληθεὶς δὲ πρὸς δίαιταν, μὴ μόνον ᾧ πάρεστι βούλεται ἀρέσκειν, ἀλλὰ καὶ τῷ ἀντιδίκῳ, ἵνα κοινὸς εἶναι δοκῇ [*Blandiloqui, Et vocatus ad litem, non ſolùm ei cui adeſt vult placere ſed & adverſario, ut communis eſſe videatur*].

Sic enim omnis peccator probatur in duplici lingua] In Græco, οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς ὁ δίγλωσσος [*ſic peccator bilinguis*], id eſt, *ità ſolet agere homo pravus: eſt enim bilinguis*, ut olim Tyrii. Talibus ſimilem ſe facit qui omnia loquitur ad captandas omnium gratias: fieri enim non poteſt quin ſæpe ſibi contradicat.

12. *Eſt*

12. *Eſto firmus in via Domini, & in veritate ſenſus tui, & ſcientia, & proſequatur te verbum pacis & juſtitiæ*] In Græco nihil amplius eſt quàm, Ἴθι ἐστηριγμένος ἐν συνέσει σου ἀσφαλεῖ, καὶ εἷς ἔστω ὁ λόγος σου, *Firmiter defende quæ certa noſti, ità fiet ut unus ſit ſermo tuus*, id eſt, ſemper ſibi conſentiens. Sophocles,

> Θάρσει· λέγων τ' ἀληθὲς οὐ σφάλλῃ ποτέ.
> [*Nè metue: dicens vera non erraveris.*]

Euripides,

> Καλόν γ' ἀληθὴς καὶ ἀτενὴς παρρησία.
> [*Res pulchra, vera liberè & firmè loqui.*]

13. *Eſto manſuetus ad audiendum verbum*] Legit πραΰς, ubi nos habemus ταχὺς [*celer*], quod meliùs reſpondet oppoſito membro. *Eſto velox ad audiendum, tardus ad reſpondendum.* Aures enim binas nobis Deus dedit, os unum. In Græco eſt: *ad audienda quæ bona ſunt.*

Vt intelligas] Addidit hoc Interpres ſenſui elucidando. Quod hîc in quibuſdam libris Græcis additur, καὶ ἔστω ἐν ἀληθείᾳ ἡ ζωή σου [*& ſit in veritate vita tua*], non eſt in Sixtina, & videtur divellere ea quæ inter ſe connecti debent.

Et cum ſapientia proferas reſponſum verum] In Græco: *& cum tardante animo eloquere reſponſum verum.* Addunt quidam libri ὀρθὸν [*rectum*]· ſed id Sixtina editio non habet.

14. *Sin autem, ſit manus tua ſuper os tuum*] Nimirum,

> Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖσσον, ἢ σιγὴν ἔχε,
> [*Silentio ni melius quid portas, tace,*]

ut eſt in vetere verbo. *Manus tua ſit ſuper os tuum*, ſimile dicto Latino, —— *Digito compeſce labellum.*

Nè capiaris in verbo indiſciplinato, & confundaris] Additum eſt hoc ab Interprete.

15. *Honor & gloria in ſermone ſenſati*] Legit τιμὴ, ubi nos habemus ἀτιμία [*dedecus*]· & addidit illud *ſenſati*: nam in Græco eſt, Δόξα καὶ ἀτιμία ἐν λαλιᾷ, *Honos & dedecus in ſermone.* Vtrumque loquendo adipiſci poſſumus, & decus & dedecus. Vide Matthæi XII. 37.

Lingua verò imprudentis eſt ſubverſio ipſius] Hîc quoque ad ſenſum clariùs exprimendum addidit *imprudentis*. Nam in Græco eſt, καὶ γλῶσσα ἀνθρώπου πτῶσις αὐτῷ, id eſt, *ſæpe lingua homini cauſa eſt ruinæ.* Euripides,

> Οὐ νῦν με πρῶτον, ἀλλὰ πολλάκις, Κρέον,
> Ἔβλαψε γλῶσσα, μεγάλα τ' εἴργασται κακά.
> [*Et nunc & antehac ſæpe, confiteor, Creon,*
> *Mihi lingua magnis præbuit cauſam malis.*]

16. *Non appelleris ſuſurro*] Noli mereri nomen *clancularii detrectatoris*. Id enim hîc ψίθυρος, & Paulo Rom. I. 29. ψιθυριστής. Hîc incipit novus titulus, cum quo cohæret initium capitis ſequentis.

Et linguâ tuâ nè capiaris, & confundaris] Legit ἐνεδρεύου. Nos habemus, καὶ τῇ γλώσσῃ σου μὴ ἐνέδρευε, *noli cuiquam inſidiari tuâ linguâ.*

17. *Super furem enim eſt confuſio & pœnitentia, & denotatio peſſima ſuper bilinguem: ſuſurratori autem odium & inimicitia & contumelia*] In Græco, Ἐπὶ γὰρ τῷ κλέπτῃ ἐστὶν αἰσχύνη μοχθηρά, καὶ κατάγνωσις πονηρὰ ἐπὶ διγλώσσῳ, *furem enim ſequitur gravis ignominia, at bilinguem* (id eſt, calumniatorem) *damnatio mala.* Fur in ſervitutem ignominioſam addicitur; at detrectator deprehenſus ſæpe etiam capitis pœnam ſubit. Detrectatores ſunt bilingues: non audent enim clarè dicere quod in aurem inſtillant: timent aurem tertiam.

18. *Iuſtifica puſillum & magnum ſimiliter*] Ἐν μεγάλῳ καὶ ἐν μικρῷ μὴ ἀγνόει [*in magna aut parva re nihil agito temere*]. Ità Sixtina. Addunt alii libri μηδὲ ἕν [*nè unum quidem*]. Eſt autem ἀγνοεῖν Hellenistis *imprudenter aliquid agere*, אשם, vel סכל, vel שגג. Qui in parvis rebus inconſideratè agit, paulàtim eò pervenit, ut in magnis idem faciat: quare nihil faciendum ἀπρονοήτως [*non proviſo eventu, imprudenter*].

CAPVT VI.

1. *Noli fieri pro amico inimicus proximo*] *Proximo* non eſt in Græco. *Pro amico*, id eſt, *ex amico.* Non diſſimile illud Ovidii,

> *Sed modò dilectam ſcelus eſt odiſſe puellam:*
> *Exitus ingeniis convenit iſte feris.*

Improperium enim & contumeliam malus hereditabit] Ὄνομα πονηρὸν poterat quidem ſignificare *hominem malum*, quomodo ὄνομα ſumitur Actorum I. 15. Apocalypſeos III. 4. XI. 13. & Hebræum שם Num. III. 40. 43. XXVI. 55. ſed materia de qua hîc agitur vult exponi *calumniam*, ex loco Deuteronomii XXII. 19.

Et omnis peccator invidus & bilinguis] Οὕτως ὁ ἁμαρτωλὸς ὁ δίγλωσσος ἀτιμίαν ἕξει, *ſic & peccans in eo quòd bilinguis eſt infamiam feret.* Non minùs infamis eſt detrectator quàm apertus calumniator.

2. 3. *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ, velut taurus, nè fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo*] Apparet hunc Interpretem legiſſe καταφάγεται [*devorabit*] & ἀπολέσει [*perdet*] & ἀφήσει [*relinquet*], quæ nos mendoſè habemus in ſecunda perſona: ſed tranſpoſuit verba quædam Interpres, & addidit non neceſſaria. Senſus eſt: *Noli nimiùm tibi placere in conſultis animi tui, nè fortè animus tuus* (præfractus & contumax) *diripiat te, ut taurus, folia tua comedat, fructus tuos perdat, te verò relinquat ut arborem aridam.* Buceri pecoris mos eſt arboribus & folia, & fructus, imò & corticem abradere. Talem eventum habent ſæpe homines pertinaces. Sophocles,

> Μὴ νῦν ἓν ἦθος μοῦνον ἐν σαυτῷ φόρει,
> Ὡς φῂς σύ, κ' οὐδὲν ἄλλο, τοῦτ' ὀρθῶς ἔχειν.
> [*Nè tu tuum intra pectus hunc morem indue,*
> *Vnum tibi quod placeat ut rectum putes.*]

Sequitur poſtea,

> Τὰ δ' ἀντιτείνοντ' αὐτόπρεμν' ἀπόλλυται.
> Αὔτως δὲ, ναὸς ὅστις ἐγκρατὴς, πόδα
> Τείνας ὑπείκει μηδὲν ὑπτίοις κάτω
> Στρέψας τὸ λοιπὸν σέλμασιν ναυτίλλεται.
> [*Arbor perit de ſtirpe ſiqua obnitatur.*
> *Sic & pedem laxare præfractè abnuens*
> *Puppis magiſter, mox profundo in gurgite*
> *Supina tranſtra captat everſæ ratis.*]

4. *Et deducet in ſortem impiorum*] Hoc piè addidit Interpres.

5. *Verbum dulce*] In Græco, *guttur dulce.* Sic Sappho,

——— βρόγχον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
Οὐδὲν ἔθ' ἥκει.
[——— *neque guttur neque*
Vox venit ulla.]

Et mitigat inimicos] Non eſt hoc in Græco.

Et lingua eucharis in bono homine abundat] Legit, καὶ γλῶσσα εὔχαρις πληθυνεῖ εὐπροσηγόρῳ. Nos habemus, γλῶσσα εὔλαλος πληθυνεῖ εὐπροσήγορα. *Lingua diſerta, multas blanditias proferet*. Iſocrates, τῷ μὲν τρόπῳ γίνου φιλοπροσήγορος, τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος [*Moribus talis ſis ut facilè ſermonem admittas; verbis, ut benignè alios alloquaris*].

6. *Multi pacifici ſint tibi, & conſiliarius tibi ſit unus de mille*] Eſt & hæc ſententia nota Hebræis, qui ſic efferunt, *Multi ſint quærentes pacem tuam, ſecretum tuum detegas uni de mille*: & ajunt eſſe Benſiræ. Benſira non eſt alius ab hoc Ieſu filio Sirach. Senſus eſt egregius, Multos eſſe debere quibuſcum communem quandam amicitiam colamus, paucos quibuſcum conſilia noſtra communicemus.

Μυστήριόν σου μὴ κατείπῃς τῷ φίλῳ·
[*Arcanum amico nè tuum concreduis*:]

nempe cuilibet.

7. *Si poſsides amicum, in tentatione poſside eum*] *Si amicum parare tibi vis, eum para quem exploraveris*. κτᾶσθαι ſæpe eſt *acquirere*, ut Hebræum קנה. Vide Lucæ XXI. 19.

Et nè credas ei facilè] *Facilè*, id eſt, non explorato.

8. *Eſt enim amicus ſecundùm tempus ſuum*] Id eſt, dum ipſi expedit.

9. *Et eſt amicus qui convertitur ad inimicitiam, & eſt amicus qui odium & rixam & convitia denudabit*] In Græco, *Eſt amicus qui mutatus in inimicitiam rixam proferet cum opprobriis in te*.

10. *Eſt autem amicus ſocius menſæ*] Vide egregium Plutarchi librum, *Quomodo diſcernendus ſit ab amico adulator*. Græcus eſt verſus,

Πολλοὶ τραπέζης, οὐκ ἀληθείας φίλοι.
[*Re non amant plerique, ſed menſâ tenus*.]

Martialis:

Hunc quem menſa tibi, quem cæna paravit amicum,
Eſſe putas fidæ pectus amicitiæ?
Aprum amat, & mullos, & ſumen, & oſtrea, non te.
Tam bene ſi cænem noſter amicus erit.

Theognis,

Πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι·
Ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.
[*Multi ſunt quoties editur bibitúrque ſodales;*
Pauci, cùm res eſt ſeria quæ geritur.]

11. *Amicus ſi permanſerit fixus, erit tibi quaſi coæqualis*] Meliorem hæc ſenſum in Græco habent, καὶ ἐν τοῖς ἀγαθοῖς σου ἔσται ὡς σύ, καὶ ἐπὶ τοὺς οἰκέτας σου παῤῥησιάσεται. Continuatur cœptus de adulatore ſermo: *In rebus tuis bonis erit ut tu* (id eſt, pariter iis fruetur) *& in domeſticos tuos libertate utetur*. Imperabit illis velut alter dominus, dicens, Κοινὰ τὰ φίλων [*Communis res amicorum*].

12. *Si humiliaverit ſe contra te, & à facie tua abſconderit ſe*] Meliùs & hoc in Græco: *Si tu deprimaris* à fortuna, *erit ille contra te, & faciem ſuam à te avertet*. Aut nocebit tibi, aut fugiet conſpectum tuum.

Vnanimem habebis amicitiam bonam] Non eſt in Græco.

13. *Ab inimicis tuis ſeparare*] Longè ab illis eſto, nè tibi noceant.

Et ab amicis tuis attende] *Cave etiam ab amicis*: non tamen ut inimicos fuge.

14. *Amicus fidelis protectio fortis*] *Validum præſidium*.

Φιλίας δικαίας κτῆσις ἀσφαλεστάτη.
[*Tutius habetur juſtâ amicitiâ nihil*.]

Apud Euripidem, amicus amico,

Εἰς σ' ἐλπὶς ἡ μὴ καταφυγὰς ἔχει κακῶν.
[*In te refugium ſpes mea habet his in malis*.

Qui autem invenit illum, invenit theſaurum]

Φίλους ἔχων, νόμιζε θησαυροὺς ἔχειν.
[*Amicum habens, habere theſaurum puta*.]

15. *Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius*] Euripides,

Ὅστις γε πλοῦτον ἢ σθένος μᾶλλον φίλων
Ἀγαθῶν πεπᾶσθαι βούλεται, κακῶς φρονεῖ.
[*Quicunque pluris robur aut rem divitem*
Bonis amicis æſtimat, pravum ſapit.]

Alius,

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου.
[*Nulla eſt amico pulchrior poſſeſsio*.]

Sophocles,

Ὅστις γὰρ εὖ δρᾶν εὖ παθὼν ἐπίσταται,
Παντὸς γένοιτ' ἂν χρήματος κρείσσων φίλος.
[*Quicunque amicus reddere officiis vicem*
Novit, quibuſvis opibus eſt præſtantior.]

16. *Amicus fidus medicamentum vitæ*] Remedium ſcilicet dolorum.

Ψυχῆς νοσούσης εἰσὶν ἰατροὶ λόγοι.
[*Animo dolenti remedium eſt oratio*.]

Et immortalitatis] Id eſt, ad immortalitatem, nempe per pia monita & exempla. Hoc Chriſtianè adjecit Interpres: nam in Græco non eſt.

Et qui metuunt Dominum invenient illum] Vt & uxorem bonam, Proverb. XIX. 14.

17. *Qui timet Deum æquè habebit amicitiam bonam: quoniam ſecundùm illum erit amicus illius*] Ex Græco optimè hunc ſenſum efficias: *Qui timet Deum is diriget amicitiam ſuam, ut qualis ipſe eſt, talis etiam ſit familiaris ejus*, nempe Deum timens. ὅτι hîc eſt εἰδικόν [*ſpeciem rei deſignans*]. Verſus vetus,

Αἰεὶ γὰρ τὸν ὅμοιον ἄγει Θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.
[*Perpetuò ſimilem ſimili Deus addere gaudet*.]

Euripides,

Τοιοῦτός ἐστιν, οἷσπερ ἥδεται ξυνών.
[*Eſt quisque talis, quali amicitiâ utitur*.]

18. *Et uſque ad canos invenies ſapientiam*] Eris, ut Solon,

Αἰεὶ γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος.
[*Diſcentem faciet plurima, vita ſenem*.]

19. *Quaſi is qui arat & ſeminat accede ad eam, & ſuſtine bonos fructus illius*] In Græco tantùm eſt, Καὶ ἀνάμενε τοὺς ἀγαθοὺς καρποὺς αὐτῆς, *Exſpecta bonos ab ea fructus*, ſenſu congruente cum eis quæ habuimus ſuprà IV. 20. Interpres, additis quæ vidimus, ſignificavit hanc exſpectationis & fructuum ſimilitudinem ab agricola deſumtam: nam *Spes alit agricolas*.

20. *Et citò edes de generationibus illius*] Ità ſolet

vertere vocem γεννημάτων, quæ hîc quidem *proventum* ſignificat.

21. *Quàm aſpera nimiùm eſt ſapientia indoctis hominibus*] Τοῖς ἀπαιδεύτοις, *diſciplinam non ferentibus*, כסילים : quod nomen modò per ἀσεβὴς [*impius*] modò per ἀπαίδευτος [*diſciplinæ expers*] vertitur.

Et non permanebit in illo excors] *Non perſeverabit in ejus ſtudio* ἀκάρδιος [*excors*]. Sumtum ex Proverbiorum XVII. 7. ubi לב און vertitur ἀκάρδιος. Vertitur eodem modo חסר לב Proverbiorum X. 14. XVII. 16. Ierem. V. 21. quod alibi vertitur ἐνδεὴς φρενῶν [*mentis egens*]. Intelligendus hîc is qui appetitum rerum honeſtarum non habet.

22. *Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis*] *Gravis ipſi erit* (ſapientia), *quaſi lapis in quo exploratur* robur hominis. Alludit ad morem Palæſtinæ, de quo egimus ad Zachar. XII. 3.

Et non demorabuntur projicere illam] Καὶ οὐ χρονιεῖ ἀποῤῥίψαι αὐτὴν, *Non diu librabit ſe, ut eum lapidem projicere poſſit*, ſed ad conſpectum ejus abibit. Molitionem illam deſcribit Statius,

— vix toto curvatus corpore juxta
Dejicit.

23. *Sapientia enim doctrinæ ſecundùm nomen eſt ejus*] Id eſt, *ſuum*. Σοφία γὰρ κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς ἐστι [*Sapientia enim ſecundùm nomen ſuum eſt*]. Eſt Sapientia non tantùm ἑτερογενὲς [*genere diverſum*] quid à rebus aliis, ſed & unicum quid in ſuo *genere*, ut Phœnix, eóque rara inventu, ut ſequitur. ὄνομα [*nomen*] pro genere poni diximus ſuprà.

Quibus autem cognita eſt, permanet uſque ad conſpectum Dei] Et hoc Chriſtianè addidit Latinus Interpres.

25. *Injice pedes tuos in compedes ejus*] Rationi enim ſervire maxima eſt libertas. Vide infrà 30.

Et in torques illius collum tuum] Εἰς τὸν κλοιὸν αὐτῆς, *in numellas ejus*.

26. *Nè acedieris vinculis ejus*] Id eſt, *Nè te vinculorum ejus tædeat*. Legit προσοχθίσῃς, quomodo habet & Sixtina editio. Aliæ, προσεχθίσῃς [*infenſus ſis*].

28. *Et continens factus nè derelinquas eam*] Id eſt, compos factus. Vide Sapient. VIII. 21.

30. *Et baſes virtutis*] Non eſt in Græco, nec bene cohæret.

31. *Decor enim vitæ eſt in illa*] Κόσμος γὰρ χρύσεός ἐστιν ἐπ' αὐτῆς [*Ornatus enim aureus eſt ſuper ipſam*]. Deſcribit eam velut Reginam, & ait *ſuper eam*, id eſt, ſuper caput ejus, *eſſe ornatum aureum*, id eſt, coronam ex auro. Vide Eſter. II. 17. & Pſalm. XXI. 4.

Et vincula illius alligatura ſalutaris] Καὶ οἱ δεσμοὶ αὐτῆς κλῶσμα ὑακίνθινον [*& vincula ejus vitta hyacinthina*]. Quanquam muliebri nomine appellatur Sapientia in linguis omnibus, tamen viriles ſunt ejus actiones: quod ſignificatur per *vittam hyacinthinam in fimbriis*. Is enim virorum habitus: Num. XV. 38. ubi in Græco, ut hîc, κλῶσμα ὑακίνθινον. Δεσμὸν [*vinculum*] vocat id quod claudebat fimbrias.

32. *Stolam gloriæ indues eam*] Id eſt, ipſa tibi erit pro *veſte glorioſiſſima*. Vide Lucæ XV. 22.

Et coronam gratulationis ſuperpones tibi] Ipſam tibi Sapientiam, quæ pro *corona gaudii* tibi erit. στέφανος ἀγαλλιάματος [*corona lætitiæ*], corona quæ ſolet ſumi in diebus nuptialibus, aut feſtis. Vide infrà XV. 6.

33. *Fili, ſi attenderis mihi diſces*] In Græco, *Si voles diſces*. Valet in eo animus in quod ſe intendit.

34. *Si inclinaveris aurem tuam*] Deeſt hoc comma in Græco. Senſus idem qui in ſuperiore.

35. *In multitudine presbyterorum prudentium ſta*] In Græco: *In multitudine ſenum ſta*. Euripides Erichtheo,

Ὁμιλίας τε τὰς γεραιτέρους θέλε.
[*Tum tibi ſeniles quære conſuetudines.*]

Antiphanes,

Σοφόν γέ τοι τὸ πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πόλλ' ἰδόν τε καὶ μαθόν.—
[*Multùm ſenectus ad conſiliandum valet,*
Quoniam res vidit atque didicit plurimas.]

Vt omnem narrationem Dei poſſis audire] Hiſtoriam miraculorum quæ Deus fecit.

Et proverbia laudis non effugiant te] Παροιμίαι συνέσεως, *ſententiæ prudentes*.

36. *Evigila ad eum*] Ὄρθριζε πρὸς αὐτὸν, *manè ipſum adi*. Sic,

Ad galli cantum conſultor ubi oſtia pulſat.

Et gradus oſtiorum illius exterat pes tuus] Sic *limen terere* pro *frequenter adire* dicunt etiam Latini.

37. *In præceptis Dei*] Iis nempe quæ per ſe neceſſitatem aut honeſtatem habent.

Et in mandatis illius] Ἐν ταῖς ἐντολαῖς αὐτοῦ, בחקיו, in iis quæ ad ritus pertinent, & alia quæ debentur, quia Deus ſic voluit.

Ipſe dabit tibi cor] In Græco: *ipſe cor tuum confirmabit*. Addet tibi animum ad obediendum ſibi.

Et concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi] Id eſt, ſapientiæ quantum concupiveris.

CAPVT VII.

1. N*oli facere mala, & non te apprehendent*] In Græco πλοκὴ [*Copulatio*] eſt apertior, Μὴ ποίει κακὰ, καὶ οὐ μή σε καταλάβῃ κακά [*Nè fac mala, & non comprehendent te mala*]. Prius illud κακὰ ſignificat ea quæ injuſtè fiunt, poſterius ea quæ non libenter patimur.

2. *Diſcede ab iniquo*] Fuge iniquorum conſortia.

Et deficient mala abs te] In Græco, καὶ ἐκκλινεῖ ἀπὸ σοῦ ἁμαρτία [*abſiſtet à te peccatum*]. Ità minùs peccabis, remotus à malis exemplis.

3. *Non ſemines mala in ſulcis injuſtitiæ*] In Græco: *Nè ſemines in ſulcis injuſtitiæ*. Illud de *malis* ſtatim ſequitur. Hebræi opera *ſementem* vocant, præmia aut pœnam *meſſem*, Iob. IV. 8. Proverb. XXII. 8. ubi idem ſenſus.

Et non metes ea in ſeptuplum] Hebraïſmus, pro *nè metas ea in ſeptuplum*, id eſt, nè alii te etiam duriùs tractent, Deo providè ità res diſponente. Sophocles,

Εἰ δείν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ·
Δίκης γὰρ ἐξέλαμψε νῦν ὅσιον φάος.
[*Hunc qui patravit dira tantundem pati*
Æquum eſt, ſacratum juris ut fulſit jubar.]

4. *Noli quærere à Domino ducatum*] *Principatum*, ἡγεμονίαν. Qui id optant ut ad principem locum perveniant, plerumque, ſi votis potiantur, mali

evadunt Principes. Optaverant enim ſuæ gloriæ utilitatiſque cauſâ, non optaturi, ſi tutelam eſſe intellexiſſent, inſtitutam non gerentis cauſâ, ſed eorum quorum res ſuſcipitur. Itaque & Plato negabat quenquam bonum id optaturum, niſi fortè unâ de cauſa, nè pejori locus fiat. Optimi Reges fuere, quos Deus nec opinantes ad regnum vocavit. Præterea multis periculis ſubjacent in alto faſtigio poſiti.

Quid Craſſos, quid Pompejos evertit, & illum
Ad ſua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nempe locus, nullâ non arte petitus,
Magnáque numinibus vota exaudita malignis.

Euripides,

Τυραννίδος δὲ τῆς μάτην αἰνουμένης
Τὸ μὲν πρόσωπον ἡδύ· τ'ἀν' δόμοισι δὲ
Λυπηρά.
[*Laudata multis temere blanditur quidem*
Regni poteſtas fronte, ſed luctus graves
Occultat intus.]

Neque à Rege cathedram honoris] Id eſt, eminentem aliquam dignitatem. Scriptor Oetæi:

Colit hic Reges, calcet ut omnes,
Perdátque aliquos, nullúmque levet.
Tantùm ut noceat cupit eſſe potens.

Tales ſolent eſſe qui in eximiis dignitatibus ſummum ponunt boni. Præterea non Regibus tantùm, ſed & illis qui proximi ſunt Regibus, vita eſt laborum & periculorum plena. Ταῦτά ἐστι τὰ ἐπίχειρα τῆς τυραννικῆς φιλίας [*Hæc ſunt præmia amicitiæ cum Regibus*], dicebat Aratus Sicyonius. Verè Seneca *lubricum* dixit *aulæ culmen.*

5. *Non te juſtifices ante Deum*] Nè ubi cum Deo agis plus tibi juſtitiæ vindica quàm habeas, aut etiam quæ habes vendita tanquam à te iſta, non à Deo habeas. Vide Lucæ. XVIII. 10. & ſequentibus.

Quoniam agnitor cordis ipſe eſt] Addidit hoc Interpres ex 1 Corinth. IV. 4.

Et penes Regem noli velle videri ſapiens] Nam qui ſapientiâ aut juſtitiâ excellunt, ſuſpecti ferme Regibus. Notavit id Plato Gorgia & Hiero apud Xenophontem, & ſæpe Tacitus. Vir magnus apud Hiſpanos in exſilium abiit quòd Rege ſapientior viſus eſſet.

6. *Noli quærere fieri Iudex*] Hoc quoque munus inter ea eſt quæ impoſita ſuſcipi debent, non autem ambiri. Vide quæ diximus libro II de Iure Belli ac Pacis, cap. XX, § 16.

Niſi valeas virtute irrumpere iniquitates] In Græco: *Nè fortè non valeas tollere iniquitates*, id eſt, nè imprudenti quadam miſericordiâ hebetes legum aciem.

Οὐ τῶν κακούργων οἶκτος, ἀλλὰ τῆς δίκης,
[*Debetur æquo, non reis miſeratio,*]

ait Euripides. Vide Deuteron. XVI. 20.

Nè fortè extimeſcas faciem potentis] *Nè verearis*, εὐλαβηθῆς, contra æquum ſcilicet accedendo ejus ſententiæ qui auctoritate pollet, aut etiam ejus precibus. Solet omnium fieri ſententia quæ Cæſaris fuit, ut Seneca ait de Clementia I. 5. *Mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem* dixit in Panegyrico Plinius. Pauci ſimiles Thraſeæ, qui dicebat ſuum eſſe cùm Senator eſſet venire in ſenatum, & ſententiam rogatum, non aliam quàm optimam dicere.

Et ponas ſcandalum in agilitate tua] *A rectitudine tua*, id eſt, nè offenſarum metu à recto declines. Similitudo à viatoribus ſumta, qui ubi ſalebras vident, quærunt viarum diſpendia.

7. *Non pecces in multitudinem civitatis*] Nè arrogantiâ tuâ plebem offende.

Nec te immittas in populum] Attamen nec plebis imitare vitia. Mediam viam monſtrat inter abruptam contumaciam & deforme obſequium.

8. *Neque alliges duplicia peccata*] Μὴ ἐπιδεσμεύσῃς δὶς ἁμαρτίαν, *Nè bis vincias peccatum*, id eſt, *temet peccato*, καθ' ὑπαλλαγὴν [*caſuum permutatione*]. Nempe ſubditorum malefacta primùm non puniendo, deinde & imitando.

Nec enim in uno eris immunis] Satìs pœnam mereberis apud Deum vel diſſimulatione ſolâ.

9. *Noli eſſe puſillanimis*] Hoc comma in Græco tranſpoſitum eſt, & ſic habet, Μὴ ὀλιγοψυχήσῃς ἐν τῇ προσευχῇ σου, καὶ ἐλεημοσύνην παρέχειν μὴ παρίδῃς [*Nè diffidens ſis in precibus tuis, & eleemoſynam dare nè negligas*]. Intellige ὀλιγοψυχεῖν [*diffidere*] eum qui de venia deſperat. Ab utroque ſcopulo nos retrahit Sapiens, & à deſperatione veniæ, & ab opinione de nimiùm facili ejus impetratione.

11. *Nè dicas, In multitudine munerum meorum reſpiciet Deus; & offerente me Deo altiſſimo, munera mea ſuſcipiet*] *Munera mea* ſecundo loco non eſt in Græco, & intelligendum potiùs *victimas*; ut prius membrum de donariis intelligatur, alterum de pecudum immolatione. Dixit Ovidius,

Munera crede mihi placant homineſque deóſque.

Et Homerus,

——— στρεπτοὶ δέ γε καὶ θεοὶ αὐτοί·
Καὶ τοὺς μὲν θυσίῃσι καὶ εὐχωλαῖς ἀγανῇσι,
Λοιβῇ τε κνίσσῃ τε παρατρωπῶσ' ἄνθρωποι
Λισσόμενοι, ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.
[——— *etiam ſuperûm eſt mutabile numen:*
Namque illos homines pecudum nunc ſanguine placant,
Nunc & magnifico voto & nidore merôque,
Si quis commiſſo ſcelerarit crimine mentem.]

Verùm hanc opinionem, niſi emendata vita accedat, eſſe & civitatibus & ſingulis pernicioſam non Prophetæ tantùm oſtendunt, Pſalm. L. & LI. Eſaïæ I. 15. Malach. II. 12. ſed & Plato libro de Republica II.

12. *Non irrideas hominem in amaritudine animæ ſuæ*] Cùm in mœrore eſt poſitus. Mœrorem etiam Latini vocant *cordis amaritiem.* Hebræi ſæpe, ut Iob. VII. 11. X. 1. XXI. 25. Ezechiel. XXVII. 31. Eſaïæ XXXVIII. 15.

Eſt enim qui humiliat & exaltat circumſpector Deus] Hæc *circumſpector Deus* ad majorem ſensûs evidentiam addidit Latinus Interpres.

13. *Noli arare mendacium adversùs fratrem tuum*] Arare hîc eſt *machinari.* Sic apud Plautum:

Sator ſartórque ſcelerum, & meſſor maxime.

Neque in amicum ſimiliter facias] Μηδὲ φίλῳ τὸ ὅμοιον ποίει. Videtur legendum, μηδὲ φίλῳ ἄμητον ποίει [*neque amico ejus meſſem fac*], id eſt, *neque amicum cogas experiri fructum mendaciorum tuorum.* Ferme in his ſententiis idem repetitur, aut priori parti aliquid adjicitur. Eſt hoc Iudaïcum: nam Chriſtiani ſuum exiſtimant omnibus nonniſi verum loqui.

14. *Noli velle mentiri omne mendacium*] Etiam in re non magni momenti: quia etſi hoc parvum videtur, aſſueſcere non eſt parvum, ut jam ſequitur. Iudæi ſatis putabant mentiendi conſuetudinem effugere: Chriſtiani etiam unum mendacium pro crimine habent.

15. *Noli verboſus eſſe in multitudine presbyterorum*] Id eſt, ſi pars ſis Senatûs, noli eloquentiam tuam oſtentare, multa extra rem loquendo.

Et non iteres verbum in oratione tua] Si aliquid petas à Rege, aut Senatu, noli ſæpe idem dicere. Non eſt enim illis tempus audiendi.

16. *Non oderis laborioſa opera, & ruſticationem creatam ab Altiſſimo*] Heſiodus bene in hunc ſenſum,

Ἔργον δ' οὐδὲν ὄνειδος.
[*Nullus enim turpis labor eſt.*]

17. *Non te reputes in multitudine indiſciplinatorum*] Τῶν ἁμαρτωλῶν [*peccatorum*]. *Cave talibus adſcribaris qui vitam agunt flagitioſam.* Habes προσλογίζεσθαι [*annumerari*] tali ſenſu & Baruchi III. 11.

18. *Memento iræ, quoniam non tardabit*] In Græco, *Memento iram* (Dei nempe) *non tardaturam*, ſemper ſcilicet.

19. *Humilia valde ſpiritum tuum*] Submitte te Divinis legibus.

Quoniam vindicta carnis impii ignis & vermis] *Carnis* abeſt in Græco. Reſpicit ad Eſaïam LXVI. 24. ſed ſenſu myſtico.

20. *Noli prævaricari in amicum pecuniam differentem*] Scripſit *ob pecuniam*: *differentem* ex altera verſione irrupit. Legit autem in Græco, μὴ ἀλλάξῃς φίλον διαφόρου κατὰ μηδὲ ἕν, *Nè ullo modo amicum pretio permutes.* Διάφορον eſt *utilitas*, & *pecunia* omnium utilitatum æſtimatio. Reperitur hoc ſenſu apud Scriptorem II Maccabaïci I. 35. III. 6. & IV. 28.

Neque fratrem cariſſimum auro ſpreveris] Scripſit puto Interpres, *auro Sophir*: nam ità in Græco, χρυσίῳ Σουφείρ. Græcos, quod in Hebræo nunc legitur אופיר [*Ophir*], legiſſe סופיר [*Sophir*] diximus ad I Regum IX. 28. *Fratrem cariſſimum*, in Græco ἀδελφὸν γνήσιον, *verum fratrem animo germanum*, ſicut τὸν ὀρθῶς συγγενῆ [*verè cognatum*] dixit Diphilus.

21. *Noli diſcedere à muliere ſenſata & bona*] Hoc ad Iudæos dictum eſt, quibus licebat dare uxori libellum repudii: monentur enim nè id faciant bonam nacti uxorem, dotis fortè majoris causâ. Interpres Latinus addidit, *quam ſortitus es in timore Domini*, id eſt, quæ tecum ſit ejuſdem religionis. Vide quæ diximus ad Matth. V. 31. & ſequentibus, & infrà 28. ubi ſenſus idem.

Gratia enim verecundiæ illius ſuper aurum] *Verecundiæ* additum eſt ab Interprete omnia in ſenſum Chriſtianum trahente. Hipponax,

Γάμος κράτιστός ἐστιν ἀνδρὶ σώφρονι,
Τρόπον γυναικὸς χρηστὸν ἔνδον λαμβάνειν·
Αὕτη γὰρ ἡ προῖξ οἰκίαν σώζει μόνη.
[*Sors nuptiarum fauſta prudenti viro,*
Mores bonos cum conjuge accipere in domum:
Hæc ſola dos eſt quæ penates ſoſpitat.]

22. *Non lædas*] Μὴ κακώσῃς, *nè malè tractes.* κακώσεως δίκη Græcis, quæ Latinis *maletractationis.*

Servum in veritate operantem] *Inſervientem fideliter*: nam ἀλήθεια Hebræis *fidelitas.*

Neque mercenarium dantem animam ſuam] Id eſt, *qui totum ſe impendit*, tibi ſcilicet tuiſque rebus.

23. *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua*] Legit, Οἰκέτην συνετὸν ἀγάπα ὡς σοῦ τὴν ψυχήν. At nos habemus ἀγαπάτω σου ἡ ψυχὴ, id eſt, *ames.*

Non defraudes illum libertate] Nempe anno ſeptimo, ex lege Deuteron. XV. 12. Vnde ex eadem lege addidit Latinus Interpres, *neque inopem derelinquas illum*, id eſt, nè eum indonatum manumittas. Meritò autem hanc legem inculcat, quia ſæpe potentum conſpiratio legem opprimebat, Ieremiæ XXXIV. 13. 14. 15. 16. 17. Nehemiæ V. 5.

24. *Pecora tibi ſunt?*] Κτήνη, quæ vox omnia animantia terreſtria extra hominem comprehendit, ut videre eſt Geneſ. VI. 20. VII. 23. VIII. 1. Videntur hîc propriè ſignificari animantia quorum operâ utimur, ut equi, boves, cameli.

Et ſi ſunt utilia perſeverent apud te] Hoc contra eos dictum eſt qui ſemper nova appetunt.

25. *Et curva illos à pueritia illorum*] Κάμψον ἐκ νεότητος τράχηλον αὐτῶν, *flecte eorum cervices*: fac ut pareant. Similitudo ſumta ab animalibus ſub jugum euntibus. Laberius:

Cur cùm vigebam membris præviridantibus,
Satisfacere populo, & tali cùm poteram viro,
Non flexibilem me concurvaſti ut carperes?

26. *Filiæ tibi ſunt? ſerva corpus illarum*] Id eſt, ipſas: nè ſinito evagari. Vide quæ dicta ad Matthæi I. 23.

Et non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas] M. Cato in cenſura Manilium Senatu movit quòd uxorem ipſe ſuam oſculatus eſſet, filiâ inſpectante. Teſtatur Plutarchus.

27. *Trade filiam, & grande opus feceris*] Ex Iudaïcis inſtitutis. Paulus Apoſtolus id non improbat: præfert tamen vitam virginalem, ſi & ipſa velit, & parentes.

Et homini ſenſato da illam] Themiſtocles filiæ ſuæ malebat virum dare ſine pecunia, quàm pecuniam ſine viro: *virum* eum demum intelligens qui ingenio ac virtute valeret. Euripides,

——— κύδιον βροτοῖς
Πένητα χρηστὸν, ἢ κακὸν καὶ πλούσιον
Γαμβρὸν πεπᾶσθαι.
[——— ——— *multò optatius*
Generum aut amicum pauperem adipiſci ac probum
Quàm divitem pravúmque.]

28. *Mulier ſi eſt tibi ſecundùm animum tuum*] Moribus tuis conveniens. Vide ſuprà 21. Terentius:

Hanc mihi expetivi, contigit: conveniunt mores. Valeant
Qui inter nos diſſidium quærunt.

Et odibili non credas] *Nè tradas te*: noli opum causâ ducere à qua adverſo ſis animo. Ità conſtat ἀντίθετον [*oppoſitio*].

29. *In toto corde tuo honora patrem tuum*] In Aureo carmine, Τοὺς τε γονεῖς τίμα. —
[*Tum venerare à queis ſatus es.*]

Et gemitus matris tuæ nè obliviſcaris] Dolores in partu. Philemon,

Ἔτικτές με, μῆτερ, καὶ γένοιτό σοι τέκνων
Ὄνησις, ὥσπερ καὶ δίκαιόν ἐστί σοι.
[*Tu me peperiſti, mater, ſit feliciter*
Tibi fruiſci prole, tua ut pietas meret.]

Euripides,

Ἀλλ' ἴσθ', ἐμοὶ μὲν οὗτος οὐκ ἔσται νόμος,
Τὸ μὴ οὐ σε, μᾶτερ, προσφιλῆ νέμειν ἀεὶ,
Καὶ τοῦ δικαίου, καὶ τόκων τῶν σῶν χάριν.
[*Lex, crede quæſo, mater intercedere*
Nulla unquam poterit quominus ſtudeam tibi:
Id quippe jus expoſcit, & partus tui.]

30. *Memento quoniam niſi per illos natus non fuiſſes*] In Græco meliùs, *Memento te natum per illos.*

Et retribue illis quomodo & illi tibi] In Græcis, *Et quid tu viciſſim tantum dare ipſis poſſis quantum illi tibi?* Bene. Ariſtoteles Nicomachiorum IX. 1. τιμὴ τ' ἰσόρροπος οὐκ ἂν γένοιτο· ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καθάπερ καὶ πρὸς θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς, τὸ ἐνδεχόμενον [*honos par illis reddi non poteſt: & fortè ſufficit reddi quantum poteſt, ut diis & parentibus*]. Philo ad Decalogum, Τίνα γὰρ ἕτερον εὖ ποιήσουσιν οἱ τῶν συγγενεστάτων καὶ τὰς μεγίστας παρεσχημένων δωρεὰς ὀλιγωροῦντες, ὧν ἔνιαι δι' ὑπερβολὴν οὐδ' ἀμοιβὰς ἐνδέχονται; πῶς γὰρ ἂν ὁ γεννηθεὶς ἀντιγεννῆσαι δύναιτο τοὺς σπείραντας; [*Cui enim aliorum bene facient qui proximos & unde maxima accepere beneficia negligunt, quorum quædam ità ſunt eximia ut par nihil recipiant. Quomodo enim is qui genitus eſt rurſum gignere poſſit ſatores ſuos?*]

31. *Et Sacerdotes illius ſanctifica*] Θαύμαζε, id eſt, *ſuſpice*: quo modo θαυμάζειν ſumitur tum alibi, tum Iobi XXXII. 22.

32. *Et miniſtros ejus nè derelinquas*] Τοὺς λειτουργοὺς αὐτοῦ, tum Sacerdotes, tum Levitas. Reſpondet enim Hebræo משרתי, quod modò de Sacerdotibus dicitur, ut Nehem. X. 39. modò de Levitis, Ieremiæ XXXIII. 21

33. 34. 35. *Et propurga te cum brachiis. Da illis partem, ſicut mandatum eſt tibi, primitiarum & purgationis: & de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum & ſacrificium ſanctificationis offeres Domino, & initia ſanctorum*] In Græco breviùs, καὶ δὸς τὴν μερίδα αὐτῷ, καθὼς ἐντέταλταί σοι, ἀπαρχὴν καὶ περὶ πλημμελείας καὶ δόσιν βραχιόνων καὶ θυσίαν ἁγιασμοῦ καὶ ἀπαρχὴν ἁγίων, *Da ei* (Sacerdoti) *partem, ut juſſus es, primitias, & de delicto, & donum armi, & ſacrificium ſanctificationis, & primitias ſanctorum. Partis* nomen generale eſt, ſequuntur ſpecialia. *Primitiæ*, minùs propriè, תרומה [*oblatio*], quæ dabatur ante decimam, Deut. XXVI. 2. *De delicto*, id eſt, pecus tota quæ offertur in אשם [*oblationem pro reatu*], exceptâ caudâ, renibus, adipe juxta ilia & reticulo jecoris, quæ in altari erant adolenda, Levit. VII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Par ferme vis erat in victimis חטא [*pro peccato*], quæ hîc ſub nomine אשם comprehenduntur ob paritatem. *Armus* in ſacris σωτηρίοις [*pacificis*] cedebat Sacerdoti, ex lege Levit. VII. 32. Pro eo βραχίονα ſemper dicunt LXX Interpretes. *Sacrificium ſanctificationis* eſt μαναὰ, ſive θυσία σεμιδάλεως, id eſt, *libum è ſimila*; de quo quod reſtabat ſuffitu facto, cedebat Sacerdoti, appellabatúrque קדש קדשים [*Sanctum ſanctorum*], Levit. VI. 17. *Primitiæ ſanctorum* ſunt pars ſacerdotalis de decimis: de qua agitur Num. XVIII. 25. 26. 27. 28. Nam ἀπαρχὴ [*præcerptio*] propriè eſt pars quæ de toto detrahitur, ἀφαίρεμα. Decimis autem datur nomen *ſanctorum*, Levitici XXVII. 30.

36. *Et pauperi porrige manum tuam*] De decima anni tertii, Deuteronom. XIV. 28.

Vt perficiatur propitiatio & benedictio tua] In Græco tantùm eſt, ἵνα τελειωθῇ ἡ εὐλογία σου, id eſt, *ut opes quas Deus tibi dedit Deo ſint gratæ atque acceptæ.* τελειοῦσθαι [*perfici*] hîc eſt quod ἁγιάζεσθαι [*ſanctificari*] 1 Tim. IV. 5. Solent enim iſtæ voces promiſcuè uſurpari. Εὐλογία [*benedictio*] pro *opibus à Deo conceſſis* ponitur & infrà XXXIV. 20. ſic & Iudicum I. 15. 1 Samuelis XXX. 26. & alibi.

37. *Gratia dati in conſpectu omnis viventis*] Id eſt, liberalitas homines gratioſos facit non tantùm apud eos qui accepere, ſed & apud alios.

Et mortuo non prohibeas gratiam] Sepeliendo, famam tutando, propinquos ſolando, ut ſequitur: contrà quàm faciunt multi. Sophocles,

Φεῦ, τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖα τοῖς βροτοῖς
χάρις διαρρεῖ καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται;
[*O quàm celeriter quæ antè parta eſt gratia*
Præcipite caſſos luce deſtituit fugâ?]

Steſichorus,

Θανόντος ἀνδρὸς πᾶσ' ἀπόλλυται χάρις.
[*Vitâ carentis interivit gratia.*]

Euripides,

Σπάνιον ἄρ' ἦν θανοῦσιν ἀσφαλεῖς φίλοι.
[*Rara in ſepultos eſt fides mortalibus.*]

Quod propinquis mortui datur id ipſe quodammodo mortuus accipit, ut ex Lyſia oſtendimus libro II de Iure Belli ac Pacis, cap. VII, § 9. & ex Michaële Epheſio libro eodem XVII. 13.

38. *Non deſis plorantibus in conſolatione, & cum lugentibus ambula*] Interpres ad Græcum addidit illud *in conſolatione*, prudenter, ut intelligamus, non ideo ad lugentes eundum ut luctum eorum incendamus, ſed ut verbis bonis leniamus dolorem.

Ἡδύ γε φίλου λόγος ἐστὶ τοῖς λυπουμένοις,
[*Res dulcis eſt amici ſermo triſtibus,*]

ait Menander.

39. *Non te pigeat viſitare infirmum*] Eſt enim & hoc inter miſericordiæ opera, Matth. XXV. 36.

Ex his enim in dilectione firmaberis] Piam ſententiam fecit Interpres: ſed in Græcis, *ob hoc diligêris*, nempe ab omnibus, ut ſuprà 37.

40. *In omnibus operibus tuis memorare noviſſim tua*] *Memento extremorum tuorum*, id eſt, mortis, & eorum quæ poſt mortem. Ægyptiis mortuum corpus oſtendi ſolebat, & dici, *Talis eris.*

Et in æternum non peccabis] Vix erit ut de morte cogitans, & credens ea quæ poſt mortem exſpectanda ſunt, gravius quid admittas. Ità enim *peccare* interdum ſumitur ſtrictiore ſenſu, ut reſpondeat Hebræo פשע, quod ſæpius ἀσεβεῖν [*impiè agere*] vertitur, interdum ἁμαρτάνειν [*peccare*]. Vide quæ dicta nobis ad Iacobum II. 14.

CAPVT VIII.

1. 2. *NOn litiges cum homine potente, nè fortè incidas in manus illius. Non contendas cum vir*
locuplete

locuplete, nè fortè contra te conſtituat litem tibi] Μήποτε ἀντιστήσῃ σου τὴν ὁλκὴν, *nè tibi præponderet.* Et στῆναι & ὁλκὴν propriè ſunt voces rei ponderariæ. Senſus eſt, nè cauſæ tuæ argumenta auctoritate & gratiâ multùm vincat. Sunt hæc prudentiæ monita, quæ non ignoravit ille ad quem Martialis,

Lis mihi cum Balbo eſt; tu Balbum offendere non vis,
Pontice: cum Licino eſt; hic quoque magnus homo eſt.
Vexat ſæpe meum Patrobas vicinus agellum;
Contra libertum Cæſaris ire times.

At Chriſtus diceret, Cum quovis homine litibus abſtine, etiam cum aliquo damno tuo. Bene facit, qui emit concordiam.

3. *Multos enim perdidit aurum & argentum, & uſque ad cor Regum extendit & convertit*] In Græco, *etiam Regum corda inclinavit.* Etiam hoc ex re ponderaria eſt, ut illud,

Animus cùm in dubio eſt, levi momento huc aut illuc impellitur.

Multos etiam Reges donis vinci jam vetus Heſiodi & Homeri querela eſt. Ideo autem Reges nominavit, quia penes eos in multis populis erant judicia.

4. *Non litiges cum homine linguato*] Id eſt, ut in Dionyſio Catone eſt,

Contra verboſos verbis contendere noli.

Et non ſtrues in ignem illius ligna] *Nè ligna ageras in ignem ipſius.* Nè hominem naturâ fervidum contradicendo accendas ampliùs. Optimum apud illos,

——— λόγος εἷς ὁ παλαιός·
Σοὶ μὲν ταῦτα δοκοῦντ' ἐστὶν, ἐμοὶ δὲ τάδε.
[——— ——— *ſententia priſca eſt:*
Illa tibi placeant, dum magis iſta mihi.]

5. *Non communices homini indocto*] *Nè jocare cum homine rudi.*

Nè malè de progenie tua loquatur] *Nè inhonorentur majores tui:* nè, ſi in te nihil inveniat, in majoribus tuis quærat aliquid quod vellicet.

6. *Nè deſpicias hominem avertentem ſe à peccato*] Eſt frequens nunc etiam in uſu Hebræorum hæc ſententia. Latini dicebant: *Sanatibus idem jus quod fortibus eſto.*

Memento quoniam omnes in correptione ſumus] Ἐσμὲν ἐν ἐπιτιμίοις, *pœnis obnoxii ſumus*, nempe ſi Deus rigidè nobiſcum agat. Seneca de Ira I. 5. *Nemo invenitur qui ſe poſſit abſolvere.* & libro I. 27. *Quis eſt iſte qui ſe profitetur omnibus legibus innocentem?* & cap. 27. *Faciet nos moderatiores reſpectus noſtrî, ſi conſuluerimus nos, Numquid & ipſi aliquid tale commiſimus?* In Tragœdia eſt:

Det ille veniam facilè cui veniâ eſt opus.

7. *Etenim ex nobis ſeneſcunt*] Fuere & ipſi vegeti ut nos ſumus. Crates,

Ὠνείδισάς μοι γῆρας ὡς κακὸν μέγα,
Οὗ μὴ τυχόντι θάνατός ἐσθ' ἡ ζημία·
Οὗ πάντες ἐπιθυμοῦμεν· ἂν δ' ἔλθῃ ποτὲ,
Ἀνιώμεθ'· οὕτως ἐσμὲν ἀχάριστοι φύσει.
[*Senectam ætatem quid mihi ut malum exprobras?*
Quam non apiſci vitæ pretio conſtitit,
Quam cuncti concupiſcimus; at cùm venerit,
Toleramus ægrè: tam ingrato ingenio ſumus.]

8. *Noli de mortuo inimico tuo gaudere*] Homerus,

Οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν ἐπ' ἀνδράσιν εὐχετάασθαι.
[*Inſultare nefas fatali ſorte peremtis.*]

Euripides,

Τοῖς γὰρ τεθνῶσι χρὴ τὸν οὐ τεθνηκότα
Τιμὰς διδόντα χθόνιον εὐσεβεῖν θεόν.
[*Fas námque poſcit mortuis non mortuos*
Officia facere, Manium reverentiâ.]

Et in gaudium nolumus venire] Nollemus alios de noſtrî morte gaudere. Hoc Interpres addidit implendo ſenſui.

9. *Nè deſpicias narrationem presbyterorum ſapientum*] Addidit Interpres *presbyterorum*, quia ſenes maximè ſunt qui multa narrare poſſunt. Antiphanes,

Σοφὸν δέ τοι τὶ πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πόλλ' ἰδόν τε καὶ μαθόν.
[*Multum ſenectus ad conſiliandum valet,*
Quoniam res vidit atque didicit plurimas.]

Et in proverbiis eorum converſare] Id eſt, tempus tere in ediſcendis eorum ſententiis.

10. *Et ſervire magnatis ſine querela*] *Et inſervire viris ſummatibus facilè*, id eſt, ſine tuo incommodo aut dedecore.

11 *Ipſi enim didicerunt à patribus ſuis*] Nempe hiſtorias multas non omnibus cognitas.

12. *Et in tempore neceſſitatis*] Vbi opus erit, ἐν καιρῷ χρείας.

Dare reſponſum] Conſilium Principi aut amico. Nam multùm ad id utilis hiſtoriarum cognitio.

13. *Non incendas carbones peccatorum arguens eos*] Hoc *arguens eos* addidit Interpres explicando ſermoni figurato. *Deſperatis non adhibendam medicinam* dixit Hippocrates. Vide Matth. VII. 6. & ibi dicta.

Et nè incendaris flammâ ignis peccatorum illorum] *Et* hîc abundat: non enim novum dat monitum, ſed cauſam moniti quod habuimus. Ideo enim abſtineri vult ab inutili caſtigatione, nè non modò ea non proſit ei cui datur, ſed & danti noceat.

14. *Nè contra faciem ſtes contumelioſi*] Senſum bene expreſſit, quanquam in Græco eſt, Μὴ ἐξαναστῇς ἀπὸ προσώπου ὑβριστοῦ [*Nè ſurgas à facie contumelioſi*]. In populari ſtatu, qualis ex parte erat Iudaïcus hujus Scriptoris temporibus, ubi quis orationem aliquam ſuaſoriam ad populum, aut magnum conventum dixerat, licebat ei qui vellet in alteram partem dicere. Fiebat autem id ſurgendo ex media multitudine. ἀπὸ προσώπου, id eſt, poſtquam ille dixit.

Nè ſedeat quaſi inſidiator ori tuo] *Nè inſidietur quaſi ſubſeſſor ori tuo.* Nè captet verba tua malitiosè, ut illi Lucæ XI. 53. ἔνεδρον neutro genere *inſidias* ſignificat; propriè verò *ipſos milites qui ex locis occultis occaſionem nocendi quærunt.* Sic vertitur מארב plurimis in locis, item צדיה. Exſtat & infrà XI. 30. & I Maccabæorum IX. 40. X. 80. XI. 68. 69.

15. *Noli fenerari homini fortiori te*] Nè mutuam pecuniam dederis potentiori. Δανείζειν generale eſt, & tam merum mutuum quàm *fenebre* ſignificat.

Quòd ſi feneraveris] *Mutuum dederis.*

Quaſi perditum habe] Martialis,

Dimidium donare Lino quàm perdere totum
Qui mavult, mavult perdere dimidium.

Potentes de debito appellari nolunt: atque ultro quaſi de injuria ſe vindicant.

16. *Non ſpondeas ſuper virtutem tuam*] *Spondere* hîc, ut ἐγγυᾷν in Græco tum hîc tum Proverbiorum VI. 1. eſt *fidejubere pro aliquo.* Eſt enim genus ſponſionis quoddam fidejuſſio, Monet autem nè in ulteriorem ſummam fidejubeamus quàm cui ſolvendæ pares facilè ſimus. Multi qui ſi ſolvendum pro alio eſſet, nunquam id damnum ſubire vellent, faciles ſunt ad fidejubendum, quòd ſperent rem non eò deventuram ut ſolvere cogantur. Ideo Vellejanum Senatusconſultum mulieribus permiſit dare de ſuo, fidejubere autem non permiſit.

Quòd ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita] Ὡς ἀποτίσων φρόντισον, *ità cogita quaſi ſoluturus ſis:* nam id cogitans non fallêris.

17. *Non judices contra Iudicem*] *Non litiges cum Iudice.* Sic & κρίνεσθαι ſumitur Matth. V. 40.

Quoniam ſecundùm quod eſt juſtum judicat] *Nam judicabitur de eo ità ut ipſi videbitur.* Δόξα hîc in Græco pro *voto* ac *voluntate* ponitur, & activum imperſonale pro imperſonali paſſivo, more Hebræo. Solent collegæ favere collegis, & velut mutua dare judicia. Sic Appio faverunt Decemviri.

18. *Nè fortè gravet mala ſua in te*] Ἵνα μὴ βαρύνηται κατὰ σοῦ, *nè moleſtus tibi ſit.* Ità βαρύνεσθαι ſumitur Malach. III. 3. Pſalm. XXXVIII. 4. & καταβαρύνειν II Samuel. XIII. 25.

Ipſe enim ſecundùm voluntatem ſuam vadit] In Græco, *pro voluntate ſua faciet*, id eſt, facilè rixas ſuſcitabit.

Et ſimul cum ſtultitia illius peries] *Et per ſtultitiam illius unà peribis:* quia ſiqua cum obviis rixa oriatur, omnes comites qui ſunt ejuſdem συνοδίας [*comitatûs in itinere*] in periculo ſunt.

19. *Cum iracundo non facias rixam*] Μάχη hîc eſt *verborum certamen*, ut ſuprà VI. 9. & alibi. מדון vertitur alibi μάχη, alibi νεῖκος [*lis*], aut ἀντιλογία [*contradictio*].

Et cum audace non eas in deſertum] Per rupes, aut ſimilia loca, ubi ingens eſt ſolitudo. Qualia loca ad vim opportuna. Deuteronom. XXII. 25. In Græco non eſt *cum audace*, ſed *cum eo*, id eſt, cum iracundo, de quali agi cœpit.

Quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis] Ludere ſolet de humano ſanguine quaſi de re nihili.

Et ubi non eſt adjutorium elidet te] *Dejiciet te*, arreptâ aliquâ offenſiunculâ, quod alibi facere auſurus non fuerat.

20. *Non enim poterunt diligere niſi quæ eis placent*] Legit Interpres λόγον στέρξαι. At Græcæ omnes editiones nunc habent στέξαι, *non poterit celare credita.* Hac atque illac perfluet.

21. *Coram extraneo nè facias conſilium*] *Arcanum nè incognito aperias.* Is enim ſenſus eſt in Græcis, quem & Latini ſic exprimunt: *Fide, ſed cui vide.*

Neſcis enim quid pariet] Fidem; an perfidiam: niſi ſcriptum fuerit εἰ στέξεται, *neſcis an celaturus ſit arcanum.*

22. *Nè fortè inferat tibi gratiam falſam, & convitietur tibi*] In Græco, *nè falſam tibi gratiam referat*, malam ſcilicet: nam καὶ [*&*], ut alibi ſæpe apud Helleniſtas, πλεονάζει [*abundat*].

CAPVT IX.

1. NOn *zeles mulierem ſinûs tui*] Nè præter modum ſis ſuſpicax. *Vxorem ſinûs tui*, id eſt,

——— in gremium quæ ſæpe tuum ſe
Rejicit,

ut Lucretius loquitur. Eadem locutio Deuteronomii XXVIII. 54.

Nè oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam] Legit μὴ διδάξῃ, ubi nos habemus μὴ διδάσκῃς [*nè doceas*]. Senſus in Græco eſt, *nè ei proponas hiſtorias peccare docentes.* Queritur de ſe Tibullus,

Ipſe miſer docui quo poſſet ludere pacto
Cuſtodes. eheu! nunc premor arte meâ.

ubi & alia ſequuntur hujus argumenti.

2. *Non des mulieri poteſtatem animæ tuæ, nè ingrediatur in virtute tua, & confundaris*] In Græco, Μὴ δῷς γυναικὶ τὴν ψυχήν σου ἐπιβῆναι αὐτὴν ἐπὶ τὴν ἰσχύν σου. Ità enim habet Sixtina editio, & ſic legit hîc Interpres; id eſt, *Nè ità animum tuum uxori mancipes ut illa auctoritatem tuam ſibi ſubjiciat.* Euripides,

Οὐ γάρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρὴ
Λοῦσαι χαλινοὺς, οὐδ' ἀφέντ' ἐᾶν κρατεῖν.
[*Non eſt viri prudentis uxori nimis*
Laxare fræna, & imperî vim cedere.]

3. *Nè reſpicias mulierem multivolam, nè fortè incidas in laqueos illius*] *Nè obviam procedas mulieri meretrici.* Eam Interpres non malè cum Catullo dixit *multivolam. Nè incidas in laqueos illius*, id eſt, nè amore ejus capiaris. Vide Proverbiorum VII.

4. *Cum ſaltatrice nè aſſiduus ſis*] *Cum pſaltria.* Sed pſallere & ſaltare in feminis plerumque conjuncta erant. Apud Terentium Demea cùm de pſaltria dixiſſet, *Vt habeas quîcum cantites*, mox ſubjicit, *Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis.* Talis illa,

Criſſum ſub crotalo docta movere latus.

Nec audias illam] Hoc addidit Interpres.

Nè fortè pereas in efficacia illius] *Per artem ejus.* Sæpe עלילה ſic vertitur, quod alibi ἔργον [*opus*]. Ovidius,

Pro facie multis vox ſua lena fuit.

Deinde,

Quis dubitat quin ſcire velim ſaltare puellam,
Vt moveat poſito brachia juſſa mero?
Artifices lateris, ſcenæ ſpectacula amantur:
Tantum mobilitas iſta decoris habet.

5. *Virginem nè conſpicias, nè fortè ſcandalizeris in decore illius*] Legit bene, μήποτε σκανδαλισθῇς ἐν τοῖς ψιμυθίοις αὐτῆς, non ἐπιτιμίοις αὐτῆς, *nè te ceruſſa ipſius capiat.* Græcus quidam ſapiens *auribus potiùs amandum quàm oculis* dixit. Euripides verò,

——— τί δεῖ καλῆς
Γυναικὸς, εἰ μὴ τὰς φρένας χρηστὰς ἔχοι;
[——— *quò mihi*
Formoſa faciem, pectore inteſtabili?]

6. *Nè des fornicariis animam tuam in ullo*] *Nè dedas ſcortis animum tuum.* Chriſtiani Latini meretrices vocant *fornicarias*, & eas adire *fornicari*, quia viliſſimæ earum *in olenti fornice ſtabant*, ut Horatius nos docet; *uxores ſummœnianæ* ob hoc dictæ Martiali. Seneca in Controverſiis, *olet adhuc fuliginem fornicis.*

Nè perdas te & hereditatem tuam] In Græco tantùm eſt, *nè perdas patrimonium tuum.* Sunt enim meretrices Chimæræ, Charybdes, Sphinges, Harpyiæ, ut pulchrè eas pinxit Anaxilaus.

7. *Noli circumſpicere in vicis civitatis*] Venari formas.

Nec oberraveris in plateis illius] In Græco, ἐν ταῖς ἐρήμοις αὐτῆς μὴ πλανῶ, *ad deſerta earum nè aberra*, id eſt, ad villas.

8. *Averte faciem tuam à muliere comta*] Nupta ſcilicet alteri: quod membrum ſequens oſtendit.

9. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt*] Simonides,

Ἐξ οὗ τι τοὺς μὲν ἀΐδης ἐδέξατο
Γυναικὸς εἵνεκ' ἀμφιδηριωμένους.
[*Hinc cæde multos Orcus alternâ excepit*
Effaſcinatos feminarum amoribus.]

Ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit] Amator Græcus,

Δεῦρ' ἀπ' ἐμῆς ψυχῆς ἅψον σέλας· ἔνδοθι γάρ μου
Καιόμενον πολλὴν ἐξανίησι φλόγα.
[*Sume meo lumen de pectore: nam mea flagrat*
Intus ſcintillis flammivomis anima.]

10. *Omnis mulier quæ eſt fornicaria quaſi ſtercus in via conculcabitur*] Hoc comma, & quod ſequitur, & principium poſt ea ſequentis, deſunt in Græco: ſed eſt ibi, καὶ μὴ κατακλιθῇς ἐπ' ἀγκαλῶν μετ' αὐτῆς, id eſt, *noli in amplexibus alienæ uxoris dormire*. Sic Theocritus dixit, — ἐπ' ἀγκοίνῃσιν ἐκλίνθη [— *ſeſe inclinavit in ulnas*]. Claudianus, — *liveſcant brachia nexu.* Hoc Interpres Latinus poſuit poſt illa, *Cum aliena uxore nè ſedeas omnino:* & vertit, *nè accumbas cum ea ſuper cubitum.*

13. *Et non alterceris cum ea in vino*] Μὴ συμβολοκοπήσῃς μετ' αὐτῆς ἐν οἴνῳ. Eſt autem συμβολοκοπεῖν *edere de ſymbolis*, ut Comicus loquitur. Exſtat ea vox Deuteron. XXI. 20. pro זלל. Pro eodem ἐκτείνεσθαι συμβολαῖς dixere LXX Proverb. XXIII. 20. ubi συμβολοκοπεῖσθαι Theodotion. Habes & infrà XVIII. 33. Nomen συμβολοκόπος [*deditus comeſſationibus*] & Symmachus & Theodotion poſuere Proverb. XXIII. 21. ubi alii πορνοκόπος [*deditus ſcortis*]. Nimirum conjuncta ſunt convivia & amores. Vetus Poëta,

Quæ ſic caſta manes, ut jam convivia viſas.

Nè fortè declinet cor tuum in illam] In Græco, *anima.* Nè amore ejus irretiaris.

Et ſanguine non labaris in perditionem] Legit αἵματι [*ſanguine*], ubi nos habemus τῷ πνεύματι, *& ſpiritu tuo* (id eſt, affectu animi tui: nam omnis affectus רוח [*ſpiritus*] Hebræis) *ruas in perniciem*, nempe aut per viri ſævitiam, aut per legitimum judicium. Illud *non* abeſt in Græco, nec opus hîc poni. Totum verò hunc locum ſic citat Clemens Alexandrinus Pædag. II. 7. Μετὰ ὑπάνδρου γυναικὸς μὴ κάθου τὸ σύνολον, καὶ μὴ μετακλιθῇς ἐπ' ἀγκῶνα μετ' αὐτῆς, μηδὲ συμβολὰς ποίει μετ' αὐτῆς ἐν οἴνῳ, μήποτε ἐκκλίνῃ ἡ καρδία σου ἐπ' αὐτήν, καὶ τῷ αἵματί σου ὀλισθήσῃ εἰς ἀπώλειαν [*Cum nupta alteri nè ſede omnino, neque in ejus ulnas te repone, neque compotationes fac cum ea, nè flectatur ad eam cor tuum, & id ſanguini tuo pernicioſum evadat*]. Apparet eum codice uſum conſentiente cum eo quo uſus eſt Latinus: eum ſi recipimus, *ſanguis* ſignificabit vitam.

14. *Novus enim non erit ſimilis illi*] Græcus Poëta,

Ὁμιλίας δὲ τὰς γεραιτέρας φίλει.
[*Tum tibi ſeniles quære conſuetudines.*]

15. *Veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud*] Sic Alexis de vino,

——— καὶ καταστῆναι πάλιν
Ἡδίων θ' ἅπασι τοὐπίλοιπον διαπλέειν.
[——— ——— *ut ubi conſederit*
Perpetuâ placeat lenitate in poſterum.]

Plutarchus Sympoſiacis, τὸν οἶνον ἐν ἀρχῇ μὲν εἶναι γλυκύν, γίνεσθαι δὲ ἡδὺν ὅταν εἰς τὸ αὐστηρὸν τῇ πέψει μεταβάλῃ παλαιούμενος [*vinum initio dulce eſſe, at fieri lene ubi poſtquam ætate coctum in auſterius mutaverit*]. Pindarus *vetus* laudat *vinum, cantus novos.*

16. *Non zeles gloriam & opes peccatoris*] In Græco, Μὴ ζηλώσῃς δόξαν ἁμαρτωλοῦ, *Nè invideas gloriæ hominis improbi.* Similis ſenſus Pſalmo XXXVII. in principio, ubi LXX, Μὴ παραζήλου [*Nè invide*].

CAPVT X.

1. I*Vdex ſapiens*] Id eſt, *Rector*: nam ità Hebræi שופט uſurpant.

Iudicabit populum ſuum] Παιδεύσει, *bene inſtituet*, nempe vitæ ſuæ exemplo. Plinius, *Vita Principis cenſura eſt, eáque perpetua.* Tacitus Annalium libro III. *Præcipuus adſtricti moris auctor Veſpaſianus fuit, antiquo ipſe cultu victúque. Obſequium indè in Principem & æmulandi amor, validior quàm pœna ex legibus & metus.*

Et principatus ſenſati ſtabilis erit] *Bene eſt compoſitus.* ἡγεμονία τεταγμένη. Omnia ibi aguntur ſuo ordine.

2. *Secundùm Iudicem populi ſic & miniſtri ejus*] Martialis,

Nemo ſuos (hæc eſt aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæſarianus habet.

Et qualis rector eſt civitatis, tales & inhabitantes in ea] Xenophon, Ἐγὼ τοῦτο μὲν ἀεί ποτε νομίζω, ὁποῖοί τινες οἱ προστάται ὦσι, τοιαύτας καὶ τὰς πολιτείας γίγνεσθαι [*Ego id perpetuum exiſtimo, ut quales ſunt Rectores tales fiant & civitates*].

3. *Rex inſipiens perdet populum ſuum*] *Imperitus*, ἀπαίδευτος, par citharœdo qui neſciat quando fides aut intendendæ aut remittendæ ſint.

Et civitates inhabitabuntur per ſenſum potentium] *Frequentabuntur ob prudentiam procerum.*

Προμηθίᾳ γὰρ δὲ μὲν οἰκοῦνται πόλεις,
Εὖ δ' οἶκοι.
[*Nam quas gubernat præſidens prudentia*
Florent domus urbéſque.]

4. *In manu Dei poteſtas terræ*] Homerus,

——— Τιμὴ δ' ἐκ Διός ἐστι.
[———*Honor à Iove ſummo.*]

Vide quæ dicta libro I. de Iure Belli ac Pacis, III. 9.

Et utilem rectorem ſuſcitabit ſuper illam in tempus] Irenæus, *Cujus juſſu homines naſcuntur, hujus juſſu & Reges conſtituuntur apti iis qui in illis temporibus ab ipſis regnantur.*

5. *Super faciem ſcribæ*] Γραμματέως. Sic vocantur qui Regibus aut Magiſtratibus conſilio adſunt.

Imponet honorem ſuum] Radios ſuæ ſapientiæ. τὸ βουλεύεσθαι, τῶν περὶ τῶν ἀνθρώπων θειότατόν ἐστι [*Conſilium dare, diviniſſimum eſt in rebus humanis*].

6. *Omnis injuriæ proximi nè memineris*] In Græco, *non omnis injuriæ memor eſto*, id eſt, leviores culpas condona. Hoc aliquid erat ante Euangelii tempora.

Et nihil agas in operibus injuriæ] *Nihil agito factis inſolentibus.* ὕβριν, quæ vox hîc in Græco eſt, *contumeliam* transfert Trebonianus Iuriſconſultus de Injuriis, initio. Nec aliter Gloſſæ veteres.

7. *Odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia, & exſecrabilis omnis iniquitas gentium*] In Græco, μισητὴ ἔναντι Κυρίου καὶ ἀνθρώπων ὑπερηφανία, καὶ ἐξ ἀμφοτέρων πλημμέλεια ἀδικίας [*exoſa Deo & hominibus ſuperbia*]. Scriptum puto fuiſſe, καὶ εἰς ἀμφοτέρους πλημμελεῖ ἀδικία, *In utroſque* (& Deum & homines) *peccat injuſtitia.* In homines, quorum ſocietatem evertit; in Deum, qui homines ad ſocietatem condidit. De ſuperbia Æſchylus,

Ζεύς τοι κολαστὴς τῶν ὑπερκόμπων ἄγαν
φρονημάτων ἔπεστιν, εὔθυνος βαρύς.
[*Námque inſolentes ſpiritus & turgidos*
Amat reprimere Iuppiter, Cenſor gravis.]

Hominibus etiam omnibus odio eſt ſuperbus, quia omnes contemnit. Sic & injuſtus, quia omnibus minatur qui unum ferit. Dei autem iræ ſubjacere injuſtos paſſim Philoſophi prædicant.

——— τὸ χρύσεον δὲ τῆς δίκης
Δέδορκεν ὄμμα, τὸν δ' ἄδικον ἀμείβεται.
[——— ——— *Iuſtitia aureo*
Vultu intuetur ſemper & punit malos.]

8. *Regnum à gente in gentem transfertur*] Vt ab Aſſyriis ad Babylonios, à Babyloniis ad Perſas, à Perſis ad Macedonas, à Macedonibus ad Romanos: quæ omnia & facta obſervarunt, & futura prædixerunt Prophetæ.

Propter injuſtitias, & injurias, & contumelias, & diverſos dolos] In Græco, *Propter injuſtitias & contumelias, & opes doloſas*, id eſt, dolo partas. Præter Divinam providentiam, magnorum quamvìs Imperiorum arbitram, etiam naturâ ſic comparatum eſt, ut facillimè evertantur regna per injuſtitiam, maximè verò eam, cui adeſt contumelia; ut nos docet magnus etiam talium magiſter Ariſtoteles de Republica v. 10. *Multi*, ut Taciti verbis utar, *injuncta Imperii munera impigrè obeunt, ſi vis & injuriæ abſint.* Etiam per fraudem & dolum regnantium regna everti notatur Ariſtoteli. *Irati dii, quorum eluditur numen*, ait Livius.

9. *Avaro enim nihil eſt ſceleſtius*] *Nihil injuſtius*, in Græco; ubi quod hîc ſequetur membrum hæc verba præcedit, quod & ordo pòſt ſequentium exigit. Euripides,

Ὁ δ' εἰς τὸ κέρδος λῆμ' ἔχων ἀνειμένον,
Φίλοις τ' ἄχρηστος, καὶ συναλλάξαι βαρύς.
[*At quiſquis animum quæſtui addixit ſuum,*
Nec juvat amicos, & gravis commercio eſt.]

Et alibi,

Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται.
[*Habere quiſquis parte plus quærit ſua*
Nîl ille juſti cogitat, nîl expetit.]

Quid ſuperbit terra & cinis?] Sæpe ſapientes ubi contra ſuperbiam verba faciunt, oſtendunt hominibus quid ſint, quibus è rebus conſtent, unde ortum ſumſerint. Certè,

——— ὦ τρισάθλιοι
Ἅπαντες οἱ φυσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα·
Αὐτοὶ γὰρ οὐκ ἴσασιν ἀνθρώπου φύσιν,
[——— ——— *o miſerrimos*
Mortalium qui ſpiritus tumidos gerunt!
Hi neſciunt naturæ hominis anguſtias,]

ait Menander. Alius verò,

——— Πάντα κόνις, καὶ πάντα τὸ μηδέν.
[——— *Cinis omnia, & omnia nîl ſunt.*]

10. *Hic enim & animam ſuam venalem habet*] Vt miles,

Ὃς ἕνεκα τοῦ ζῆν ἔρχετ' ἀποθανούμενος.
[*Qui vitæ cauſâ ſemet auctorat neci.*]

Quoniam in vita ſua projecit intima ſua] In Græco, ὅτι ἐν ζωῇ αὐτοῦ ἔρριψαν τὰ ἐνδόσθια αὐτοῦ. *Quoniam etiam in vita ipſius interiora ejus projiciuntur.* Eſt enim & hîc, ut alibi ſæpe, activum ſine perſona nominata pro paſſivo. Senſus idem qui in illis Senecæ: *Lacerationes medicorum oſſa vivis legentium, & totas in viſcera manus demittentium.*

11. 12. *Omnis potentatus brevis vita: languor prolixior gravat medicum: brevem languorem præcidit medicus: ſic & Rex hodie eſt, & cras morietur*] Videntur hîc quædam adjecta ad ſignificandum quò tenderet comparatio. Præterea duplicis lectionis intèrpretatio ex variis libris irrepſiſſe. Altera enim lectio fuiſſe videtur, μακρὸν ἀῤῥώστημα σκώπτει ἰατρὸν, *Longus morbus ludibrium eſt Medici.* Altera, μικρὸν ἀῤῥώστημα κόπτει ἰατρὸς, *Malum dum adhuc leve eſt præcîdit Medicus.* In Sixtina eſt, μακρὸν ἀῤῥώστημα σκώπτει ἰατρὸς [*longum morbum ridet Medicus*]. In aliis, μακρὸν ἀῤῥώστημα κόπτει ἰατρὸς [*morbum diuturnum abſcindit Medicus*]. Poſtremum hoc bene loco convenit. Medicus, ubi herbas diu fruſtrà expertus eſt, & videt veteraſcere morbum, ferro utitur. Sic & Deus adversùs Reges qui longis monitis corrigi nequiere.

Ad Cereris generum ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſiccâ morte tyranni.

Thales interrogatus quid rarum vidiſſet, *Senem*, inquit, *tyrannum.* Seneca, *Tyrannorum exſecrabilis ac brevis poteſtas eſt.*

13. *Cùm enim morietur homo, hereditabit ſerpentes, & beſtias & vermes*] Huic ſententiæ optimè præmitteretur illa quæ antè poſita eſt, *Quid ſuperbit terra & cinis? Hereditabit*, id eſt, *poſſidebit.* Locutio ἄκυρος [*impropria*], qualis illa apud Horatium,

— *Neque harum quas colis arborum*
Te præter invisas cupreſſos
Vlla brevem dominum ſequetur.

Senſus qui hîc eſt idem exſtat Eſaïæ XIV. 11.

14. *Initium ſuperbiæ hominis apoſtatare à Deo*] *Faſtigium ſuperbiæ eſt penes eum hominem qui à Deo deficit.* Nam ראש aut ראשית Hebræum ſæpe ſic ſumitur, ut Exodi XXXIV. 2. II Paralipomen. XXV. 12. Proverb. I. 21. Eſaïæ II. 2. XXVIII. 4.

15. *Quoniam ab eo qui fecit illum receſſit cor ejus*] Bene καὶ hoc loco vertit per *quoniam*: ſæpe enim ità conjunctione copulativâ utuntur Hebræi. Non poteſt ultrà ſcandere Superbia quàm ſi homo Opifici ſuo parêre nolit.

Quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia] Rectiùs ſic vertas, *At verò ſummum omnium peccatorum eſt ſuperbia.*

Qui tenuerit illam adimplebitur maledictis] Ἐξομβρήσει βδέλυγμα· ità enim meliores editiones habent, non ἐξυβρίσει. *Facta horrenda velut imbrem ex ſe effundit.* Sic βδέλυγμα ſumitur infrà XV. 13. XIX. 19. XXVII. 31.

Et ſubvertet eum in finem] Sixtina editio hæc hoc loco non habet. Et ſanè eadem ſtatim ſequuntur.

16. *Propterea exhonoravit Dominus conventus malorum*] Legit Interpres, συναγωγάς. Sed recta lectio eſt ἐπαγωγάς. παρεδόξασε ἐπαγωγάς, id eſt, *miranda immittit mala.* Sic παραδοξάζειν ſumitur etiam II Maccab. III. 30. De voce ἐπαγωγῆς diximus ſuprà II. 2.

17. *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis*] Bene *ſuperborum* interpretamenti causâ addidit: nam in Græco non eſt. Et *mites* dixit pro *modeſtis*: nam πραεῖς ſæpe eo ſignificatu appellantur. Confer I Samuel. II. 8. Lucæ I. 52. Sic Saulis locum accepit David.

18. *Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus*] *Gentes ſuperbas radicitus evellit*, ut Amorrhæos eorúmque vicinos.

Et plantavit humiles ex ipſis gentibus] In Græco, *& eorum loco modeſtos glorioſè plantavit.* Vt olim eos qui erant cum Ioſue.

19. *Terras gentium evertit Dominus*] Nudavit ab urbibus, vicis, ædificiis, etiam arboribus & animantibus.

Et perdidit eas uſque ad fundamentum] Ovidius ſic dixit, — *Murus quod fuit antè ſolum.*

20. *Arefecit ex ipſis*] Legit ἐξήρανεν, ſed nos habemus ἐξῆρεν ἐξ αὐτῶν, *Abſtulit ab illis* (terris), *& perdidit eos:* nempe qui ibi habitaverunt.

22. *Non eſt creata hominibus ſuperbia*] Id eſt, in hominibus. Non ità cum homine nata eſt ut ipſo ſalvo auferri nequeat, ut cor aut ſanguis. Eſt συμβεβηκὸς [*accidens*], & quidem χωριστὸν [*ſeparabile*], ut loqueretur Porphyrius.

Neque iracundia nationi mulierum] Sunt quidem multæ mulieres iracundæ, ſed non neceſſariò.

Neglectis urenda filix innaſcitur agris,

ut ait Horatius; cujus & hoc addam,

Laudis amore tumes; ſunt certa piacula, quæ te
Ter purè lecto poterunt recreare libello.

23. *Semen hominum honorabitur hoc quod Deum timet*] In Græco, *Semen tutum iis qui timent Dominum, & honoratum plantarium qui amant eum. Semen* non tantùm de naturali ortu dicitur, ſed & de morum inſitione. Sic Suſann. 56. Sic & *plantarium.*

24. *In medio fratrum rector illorum in honore*] Ὁ ἡγούμενος, id eſt, primogenitus.

Et qui timent Dominum erunt in oculis illius] Illos Deus quaſi primogenitos honore augebit. Hebræorum XII. 23. Hîc ſequitur in Græcis libris quibusdam, quod abeſt in aliis, & in Latino, Πρὸ λήψεως ἀρχῆς φόβος Κυρίου, ἐκβολῆς δὲ ἀρχῆς σκληρυσμὸς καὶ ὑπερηφανία· ut ſenſus ſit, *Ante adeptionem regni præcedit timor Domini, ante ejectionem verò à principatu durities & ſuperbia.* Vt idem dicatur aliis verbis quod ſuprà 17.

25. *Gloria divitum honoratorum & pauperum, timor Dei eſt*] Bene enodavit Hebraïſmum qui manſerat in Græco, πλούσιος καὶ ἔνδοξος καὶ πτωχός, καύχημα αὐτῶν φόβος Κυρίου. Sed καύχημα ſolet dici id in quo fiduciam quis poteſt ponere.

26. *Noli deſpicere hominem juſtum pauperem*] *Pauperem prudentem*, πτωχὸν συνετὸν, qualis ille ab Eccleſiaſte deſcriptus IX. 15. Antiphanes,

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον ἢ πλουτεῖν κακῶς.
[*Sis pauper honeſtè potiùs quàm dives malè.*]

Alter,

Πενία γάρ ἐστιν ἡ τρόπων διδάσκαλος.
[*Paupertas moris eſt magiſterium boni.*]

Et noli magnificare virum peccatorem divitem] Rectè illud *divitem* addidit Interpres ex natura ἀντιθέτου [*oppoſitionis*].

27. *Magnus*] Μεγιστᾶν. Exſtat ea vox ſæpe in hoc libro. Item Marci VI. 21. Apocalyp. VI. 15. etiam Latinè apud Tacitum & Suetonium. Solent ità verti Hebrææ & Chaldaïcæ voces, שר רברב גדל אדיר. Sunt autem ii qui *purpurati* Livio & Curtio.

Et judex] Καὶ κριτὴς, id eſt, *Senator.*

Et potens] Δυνάστης. Præfectus provinciæ alicui.

Et non eſt major illo qui timet Dominum] Bene Euripides,

Ἄρχων ἀνὴρ πᾶς ξύνεσιν ἣν ἔχων τύχῃ.
[*Qui mente pollet is magiſtratum gerit.*]

28. *Servo ſenſato liberi ſervient*] Id eſt, parebunt. Solent patres liberûm educationi ſervos prudentes præficere. Diogenes cùm venum iret, quid noſſet interrogatus, dixit *Hominibus liberis imperare.* Euripides, ——— τῶν ἐλευθέρων

Οὐδὲν κακίων δοῦλος, ὅστις ἐσθλὸς ᾖ.
[——————— *libero diſtat nihil*
Quicunque mentem ſervus ingenuam gerit.]

Et alibi,

Πολλοῖσι δούλοις τοὔνομ᾽ αἰσχρόν· ἡ δὲ φρὴν
Τῶν οὐχὶ δούλων ἐστ᾽ ἐλευθερωτέρα.
[*Pleriſque ſervis nomen eſt miſerum quidem;*
Sed liberalis animus ingenuos ſuper.]

Et diſciplinatus non murmurabit correptus] Vir peritus facilè feret ſe moneri, vel à ſervo.

Et inſcius non honorabitur] Abeſt in Græco.

29. *Noli extollere te in faciendo opere tuo*] Μὴ σοφίζου, id eſt, Nè ſapientior tibi videaris quàm ut opus aliquod manibus facias, ubi uſus exigit.

Et noli cunctari in tempore anguſtiæ] Δοξάζεσθαι; *gloriæ ſtudere.* Contrà,

Μικρὸν φρονεῖν χρὴ τὸν κακῶς πεπραχότα.
[*Demittere animum debet is quem ſors premit.*]

& cogitare Heſiodeum illud,

Ἔργον δ᾽ οὐδὲν ὄνειδος.
[*Nunquam turpe labor.*]

& alterum ejuſdem,

Αἰδὼς δ᾽ οὐκ ἀγαθὴ κεχρημένον ἄνδρα κομίζει.
[*Non bene námque pudor quemquam ſuſtentat egentem.*]

31. *Fili, in manſuetudine ſerva animam tuam, & da illi honorem ſecundùm meritum ſuum*] In Græco, *Modeſtè ſtude gloriæ tuæ, honorémque tibimet da pro dignitate.* Id eſt, in dignitate poſitus modum ſerva, ut neque nimiùm te efferas, neque te vilem facias. Contra prius vitium illud eſt Euripidis,

Ὡς ταπεινὸς ἦς, ἅπασι δεξιᾶς προσθιγγάνων,
Καὶ θύρας ἔχων ἀκλείστους τῷ θέλοντι δημοτῶν,
Καὶ διδοὺς πρόσρησιν ἑξῆς πᾶσι, κ᾽ εἰ μήτις θέλοι,

Τοῖς τρόποις ζητῶν πρίασθαι τὸ φιλότιμον ἐκ μέσου·
Κἀτ' ἔπειθ' ἐπέσχες ἀρχὰς, μεταβαλὼν ἄλλους τρόπους,
Τοῖς φίλοισιν οὐκέτ' ἦσθα τοῖς πρὶν ὡς πρόσθεν φίλος,
Δυσπρόσιτος, ἔσω τε κλείθρων σπάνιος.
[*Vt modeſtus obviorum tunc prehenſabas manus,*
Vt tua ſemper patebant civibus cunctis fores;
His dabas reſponſa blandus; hos ſalutabas prior:
Moribus tibi quò parares gloriam in medio ſitam.
Nunc ſed imperii potito vertitur vitæ modus:
Non amicos, ut ſolebas, diligis notos diu,
Durus imprimis adiri, nec frequens intra larem.]

Et illud Saluſtii: *Scio ego, Quirites, pleroſque non iiſdem artibus imperium à vobis petere, & poſtquam adepti ſunt gerere. Primò induſtrios, ſupplices apud vos eſſe; dein per ignaviam & ſuperbiam ætatem agere.* Contra poſterius, iſtud,

——— ἂν δ' αὐτὸς ποιῇς
Ταπεινὸν αὐτὸν καὶ τιθῇς ἐν μηδενὶ,
Οἰκεῖος οὗτος καταγέλως νομίζεται.
[——— ——— *at ſi te ipſe tu*
Dejectum facias atque nullius pretî,
Domeſtico ſpernêris teſtimonio.]

32. *Peccantem in animam ſuam quis juſtificabit?*] Quis laudet eum qui in ſe iniquus eſt? ſemet dejiciendo ſcilicet, ut & præcedentia & ſequentia exigunt. *Animam ſuam*, id eſt, ſe. Frequens Hebraiſmus.

Et quis honorificabit inhonorantem animam ſuam] Ἀτιμάζοντα, *contemtui ſemet exponentem.*

33. *Pauper gloriatur*] *Honoratur.*

Per diſciplinam] *Ob ſcientiam ſuam.*

Et timorem ſuum] Hoc addidit Interpres, ut oſtenderet non prodeſſe ſcientiam ſine pietate.

Et eſt homo qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam] Eſt hoc verum, ſed minùs huic loco & ſequentibus convenit: quare pro πλούσιος δοξάζεται [*dives honorificatur*], legendum putem ἀδοξήσεται, *erit ſine ullo honore propter divitias ſuas*, quibus ſcilicet uti neſcit.

34. *Qui autem gloriatur in paupertate, quantò magìs in ſubſtantia*] *Qui autem honoratur in paupertate, quantò magìs in divitiis?* ſi eas ſcilicet honeſtè nactus fuerit. Illuſtrior enim eſt virtus ſuis inſtrumentis circumdata.

Et qui gloriatur in ſubſtantia paupertatem vereatur] Hæc deſunt in quibuſdam Græcis. At in Sixtino eſt, καὶ ὁ ἄδοξος ἐν πλούτῳ, καὶ ἐν πτωχείᾳ ποσαχῶς; *Qui inhonorus eſt in divitiis* (nempe homo imperitus) *quantò magìs talis erit in paupertate?* ſi ea ſcilicet ei ſuperveniat. Hoc planè firmat noſtram quam jam poſuimus emendationem.

CAPVT XI.

1. *SApientia humiliati*] Ταπεινοῦ, *hominis infimæ ſortis.*

Et in medio magnatorum] Μεγιστάνων.

Sedere faciet ipſum] Exempla in Ioſepho & Daniele.

2. *Non laudes virum in ſpecie ſua*] Ἐν κάλλει αὐτοῦ, *ob pulchram formam* totius corporis. Euripides,

——— οὐδέν τι τῆς εὐμορφίας
Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ.
[——— *nîl decus formæ juvat,*
Si pulcher abſit animus & recta indoles.]

Neque ſpernas hominem in viſu ſuo] Ob minùs gratam corporis formam.

3. *Brevis in volatilibus eſt apis*] Parva. Magnitudo corpori decus addit. Itaque Helena Homero — πιείρα, μεγάλη [— *magna ſimul pinguiſque*]. Contrà in Comœdia uxorem maritus vocat γύναιον ὅσον πηχέως [*cubitalem mulierculam*].

Et initium dulcoris habet fructus illius] *Fructus ejus* (id eſt, mel) *ſummum eſt in dulcedine.* Sumitur hîc vox ἀρχῆς [*initii*], ut ſuprà x. 14. Hoc vult ἀλληγορία [*latens ſenſus*], etiam à minimè ſpecioſis hominibus multum ſæpe utilitatis poſſe percipi.

4. *In veſtitu nè glorieris unquam*] Intelligit habitum illum quo dignitas agnoſcitur, ut oſtendunt ſequentia; qualia ſunt purpura, latus clavus, & ſimilia.

Nec in die honoris tui extollaris] Vbi novum aliquem honorem adeptus es.

Quoniam mirabilia opera Altiſſimi ſolius, & glorioſa, & abſconſa, & inviſa opera illius] Breviùs in Græco, ὅτι θαυμαστὰ τὰ ἔργα Κυρίου ἐστὶ, καὶ κρυπτὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ ἀνθρώποις [*quia mira ſunt opera Domini, & abſcondita opera ejus hominibus*]. Senſus idem qui in Senecæ Troadibus,

Ego eſſe quicquam ſceptra, niſi vano putem
Fulgore tectum nomen, & falſo comam
Vinclo decentem: caſus hæc rapiet brevis,
Nec mille forſan ratibus, aut annis decem.

Et apud Horatium,

——— *valet ima ſummis*
Mutare, & inſignem attenuat Deus.

5. *Multi tyranni ſederunt in throno*] Imò ἐκάθισαν ἐπ' ἐδάφους, *in plano ſederunt* dejecti de ſolio, ut Dionyſius Corinthi.

Et inſuſpicabilis portavit diadema] Ἀνυπονόητος, *is de quo nulla talis erat exſpectatio;* ut Abdolonimus apud Sidonios Alexandri magni temporibus, apud Romanos Servius Tullius, in Decem Hebræorum tribubus multi. In poſteriore hiſtoria Romana habemus Imperatores ex fabro ferrario, ex ſuum cuſtode, ex captivo. Proculus joco factus Imperator, Probus & Regillianus quòd eorum nomina placerent. Narravit Varro tibicinem alicubi, quòd arte ſuâ populo placuiſſet, factum Regem. Vide quantum ex quantillo.

6. *Multi potentes oppreſſi ſunt valde*] Ἠτιμάσθησαν σφόδρα, *valde deſpecti ſunt*, ut apud Tamerlanum Bajazetes.

Et glorioſi traditi ſunt in manus alterorum] Vt Perſes, ut Iugurtha, & tot alii. Vide Iud. 1. 7. Perſei Regis filius bonam operam Romano Senatui ſcribendo navavit.

7. *Priuſquam interroges nè vituperes quenquam*] *Nè culpa quenquam priuſquam* rem *inquiſieris.*

Et cùm interrogaveris corripe juſtè] Cognoſce primùm, ac tum caſtiga. Præproperæ caſtigationis exemplum habes in Trinummo Plautina. Seneca in Medea,

Si judicas, cognoſce.

Græcus Poëta,

Ἀνεξέταστον μὴ κόλαζε μηδένα.
[*Expenſâ niſi re caſtigato neminem.*]

8. *Priuſquam audias nè reſpondeas*] Sunt enim

quidam ità præcipites ut nondum peractâ alterius interrogatione reſpondere feſtinent : in quo ſæpe falluntur.

Et in medio ſermonum nè adjicias loqui] Hoc eſt quod dicit Seneca *loquentem interpellare :* vitium & hoc animi nimis calidi. Bene Iocaſta apud Euripidem in Phœniſſis,

> Λέξεις τ' ἄμεινον, τοῦ δέ τ' ἐκδέξῃ λόγον.
> [*Ità ut loquêris & dabis fandi locum.*]

9. *De ea re quæ te non moleſtat nè certeris*] *Noli contendere de re ad te non pertinente.* Id enim rixoſorum eſt.

Et in judicio peccatorum nè conſiſtas] *Nè conſideas.* Vbi videas omnia contra jus ac leges agi, quidvis comminiſcere ut à tali conſeſſu libereris.

10. *Fili, nè in multis ſint actus tui*] Id eſt, μὴ πολυπραγμόνει [*nè multis ac variis rebus te immiſce*]. *Ardeliones* tales vocat Martialis.

Et ſi dives fueris, non eris immunis à delicto] *Si plenus fueris*, nempe negotiorum ad te non pertinentium.

> *Percunctatorem fugito : nam garrulus idem eſt.*

Si enim ſecutus fueris, non apprehendes, & non effugies, ſi præcucurreris] *Si enim inſecutus fueris* aliena, *non aſſequêris, & fugiendo non effugies malum.* Idem dicit quod de Principum ſecretis Tacitus : *exquirere illicitum, anceps, nec ideo aſſequare.*

11. *Eſt homo laborans, & feſtinans, & dolens impius, & tantò magìs non abundabit*] In Græco, *Eſt qui laborat, & ſatagit, & feſtinat, & hôc magìs eget.* Nempe Deo laboribus ejus non adſpirante. Euripides,

> Οὔ τινά φημι θεῶν ἄτερ ὄλβιον,
> Οὐ βαρύποτμον ἄνδρα γενέσθαι,
> Οὐδὲ τὸν αὐτὸν ἀεὶ βεβάναι δόμον
> Εὐτυχίᾳ. παρὰ δ' ἄλλην γ' ἄλλα
> Μοῖρα διώκει.
> Τὸν μὲν ἀφ' ὑψηλῶν βραχὺν ᾤκισεν,
> Τὸν δ' ἀλήταν εὐδαίμονα τεύχει.
> Μόρσιμα δ' οὔτι φυγεῖν θέμις· οὐ σοφί-
> α τις ἀπώσεται.
> Ἀλλὰ μάταν ὁ πρόθυμος ἀεὶ πόνον
> Ἕξει.
> [*Dîs ſine non ullus felix homo,*
> *Dîs ſine rurſus homo nullus miſer.*
> *Haud eadem ſemper floret domus.*
> *Heu quis res hominum caſus rotat!*
> *Vt fortuna aliam ſubit altera :*
> *Nunc aliquem celſis ex arcibus*
> *Ad deſpecta trahens magalia :*
> *Nunc miſerum ſubitâ tollens ope.*
> *Non arcere valet ſapientia*
> *Quod fatum voluit ; nulla eſt fuga :*
> *Quiſquis enim contra luctabitur,*
> *Irritus hunc feſſum ludet labor.*]

12. *Eſt homo marcidus*] Νωθρὸς, *veternoſus.*

Egens recuperatione] Προσδεόμενος ἀντιλήψεως, *egens auxilii*, ut per ſe invalidus.

Plùs deficiens virtute] Ὑστερῶν ἰσχύϊ, *defectis viribus.*

Et abundans paupertate] Eſt in hoc ὀξύμωρον [*acutifatuum*], quale in illo,

> *Plenus ſacculus eſt aranearum.*

13. *Et oculus Dei reſpexit illum in bono*] In Græco, *ad bona*, ſupple *tribuenda.*

Et mirati ſunt in illo multi] Vt de Timotheo Athenienſium duce, in cujus dormientis rete urbes volatu ſe induentes pingebantur.

14. *Bona & mala*] Nempe illa de quibus actum eſt, opes & honores & ſucceſſus, itémque contraria.

Paupertas & honeſtas] *Et divitiæ.* Ità in Græco.

A Deo ſunt] Agente, aut ſinente.

15. *Sapientia & diſciplina & ſcientia Legis apud Deum*] Eſt etiam hîc in Græco, παρὰ Κυρίου, *à Domino.*

Dilectio & viæ bonorum apud ipſum] In Græco, *viæ operum bonorum.* Per *viam bonorum operum* Hebræis intelligitur ἕξις [*facilitas agendi conſuetudine acquiſita*] bene agendi, quæ & *virtus* dici ſolet.

16. *Error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt*] Κτίζειν, ut ſæpe vidimus, & videbimus infrà XL. I. non ſemper *ex nihilo facere*, ſed ſæpe ordinare ſignificat. Senſus ergò eſt, Deo *ordinante conjungi cum peccandi conſuetudine ignorantiam tenebráſque animi :* Deuteron. XXVIII. 28. Epheſ. IV. 18. II Petri I. 9.

Qui autem exſultant in malis, conſeneſcunt in malo] In Græco, *conſeneſcunt cum malitia.* Magìs magíſque in illis veteraſcit vitioſa conſuetudo.

17. *Datio Dei permanet juſtis*] Opes ſcilicet ; idque ex Legis promiſſo.

Et profectus illius ſucceſſus habebit in æternum] *Et benevolentia ejus* (Dei) *perpetuò proſperabit* ipſos. Sic εὐοδοῦν [*proſperare*] ſumitur & apud Interpretes veteres & in hoc libro, Tobiæ, Sapientiæ, & Maccabaïcis. Reſpondet Hebræo צלח, & paris ſignificatûs verbis.

18. *Eſt qui locupletatur parcè agendo*] *Curâ ſuâ, & tenacitate.* Σφιγγία dicitur non quævis parſimonia, ſed ea quæ modum excedit. τοὺς τόκους σφίγγων ἔτι [*fenora adſtringens adhuc*], in Epigrammate.

Et hæc eſt pars mercedis illius] Nempe hoc refert præmium, ut ſit ſibi pauper, dives autem heredibus, ut eſt in Græco Epigrammate, & in verbis quæ hîc ſequuntur, cum quibus conferenda quæ ſunt apud Lucam XII. 19. & ſequentibus, & ad eum locum à nobis aliiſque dicta.

20. *Et neſcit quod tempus prætereat, & mors appropinquet*]

> Εἰ μὲν ζῇς ἐλάφου ταναὸν χρόνον, ἠὲ κορώνης,
> Συγγνώμη πλεῖστον πλοῦτον ἀγειρομένῳ.
> Εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν, οὓς αὐτίκα γῆρας ἰάπτει,
> Μή σέ γ' ἀπειρεσίων οἶστρος ἕλῃ κτεάνων.
> [*Tantas unus opes? at poſſem ignoſcere, cervi,*
> *Cornicíſve dies ſi tibi ſata darent :*
> *At ſi hominum è numero es, quibus eſt feſtina ſenectus,*
> *Diſtendi nimiis parce cupidinibus.*]

Et relinquet omnia aliis, & morietur]

> Τεθνήξῃ πλουτοῦσαν ἀφεὶς μεγάλην διαθήκην,
> [*Magno diſcedes & divite teſtamento,*]

ait Antiphanes.

21. *Sta in teſtamento tuo*] In illo fœdere cujus mentio Nehem. IX. in fine. Id enim omnium nomine à principibus ſignatum fuerat, ideóque ad ſingulos pertinebat.

Et in illo colloquere] Ὁμίλει ἐν αὐτῷ, *in eo verſare jugiter.*

Et in opere mandatorum tuorum veteraſce] Id eſt, in operibus tibi mandatis, ſive ut Iſraëlitæ, ſive ut Principi, Iudici, Sacerdoti, Levitæ. Cogita

— humana quâ parte locatus es in re.

22. *Nè manſeris in operibus peccatorum*] *Ne admirare opera peccatorum*, id eſt, cave ea laudes. Nam ità ſumi ſolet θαυμάζειν. Vide Iobi XXXII. 22.

Et mane in loco tuo] *In labore tuo.* Contentus eſto tuâ ſorte.

23. *Honeſtare pauperem*] *Ditare.*

24. *Benedictio Dei in mercedem juſti feſtinat*] In Græco: *Benedictio Dei in mercede juſti.* Deus ex Legis promiſſo efficit, ut quæ vir bonus juſto labore peperit, maneant.

Et in hora veloci proceſſus illius fructificat] *Et in cito tempore facit germinare benedictionem ſuam*, nempe Deus. Facit ut brevì illa bene parta ac ſervata in majus creſcant: honeſtis ſcilicet commerciis.

25. *Nè dicas, Quid eſt mihi opus*] In Græco, *Quæ mihi eſt utilitas ex eo quod placui?* nempe Deo. Facilè talis cogitatio oboriri poſſet homini ſeni & pauperi. Ei occurrit.

Et quæ erunt mihi ex hoc bona?] In Græco Sixtinæ editionis optimè, τίνα ἀπὸ τοῦ νῦν ἔσται μοὶ τὰ ἀγαθά; Malè aliæ editiones habent τίνι. *Quæ hac ætate mihi bona poſſent contingere?*

26. *Nè dicas, Sufficiens mihi ſum*] Alia cogitatio, quæ diviti poteſt oboriri: Satìs habeo unde vivam, vel in annos centum. In Græco additur, *& multa mihi ſunt*, non tantùm quæ ſufficiant ſcilicet ſed & abundent.

Et quid ex hoc peſſimabor?] *Quid nunc in vita mali accipere poſſum?*

27. *In die bonorum nè immemor ſis malorum*] Redarguit utramque cogitationem, & poſteriorem priùs. *Nè immemor ſis* hîc valet, *nè ſis ignarus poſſe & male evenire*: nè puta hoc tecum: ſed in Græco legimus aliter, Ἐν ἡμέρᾳ ἀγαθῶν ἀμνησία κακῶν, καὶ ἐν ἡμέρᾳ κακῶν οὐ μνησθήσεται ἀγαθῶν, id eſt, *In die bonarum rerum nulla eſt de malis rebus cogitatio: & in die rerum malarum non cogitat* (homo) *de rebus bonis.* Ità eſt mos hominum, quem reprehendit per ſequentia.

28. *Quoniam facile eſt coram Deo in die obitûs retribuere unicuique ſecundùm vias ſuas*] Ἐν ἡμέρᾳ τελευτῆς, id eſt, *tandem*: באחרית הימים, *in ultima ſenecta*, Deuteron. IV. 30. & alibi. *Retribuere ſecundùm vias* eſt Bonis maliſve actionibus dare quod æquum eſt. Seneca in Thyeſte cùm dixiſſet,

Nemo confidat nimiùm ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſus.

Subjungit,

Res Deus noſtras celeri citatas
Turbine verſat.

29. *Malitia horæ*] Id eſt, miſeria, κάκωσις.

Oblivionem facit luxuriæ magnæ] *Magnarum deliciarum*, τρυφῆς. Senſus enim præſens vetera obliterat.

Et in fine hominis denudatio operum illius] Ἐν συντελείᾳ ἀνθρώπου, ut eſt in Sixtina, non συντέλειαν, ut aliæ.

Paſcitur in vivis livor; poſt fata quieſcit.
Tunc ſuus ex merito quiſque tuetur honos.

30. *Ante mortem nè laudes hominem quenquam*] In Græco, μὴ μακάριζε μηδένα. Hæc eſt ſententia quam ex Ægypto attulerat Solon, ſic expreſſa à Sophocle,

Λόγος μέν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανεὶς,
Ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοις βροτῶν, πρὶν ἂν
Θάνοι τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς, οὔτ' εἴ τῳ κακός.
[*Sapienter omnes admonet dictum vetus,*
Mortalis ævum nè beatum prædicent
Miſerúmve dicant ante ſupremum diem.]

Ovidius verò in hunc modum:

——— *dicique beatus*
Ante obitum nemo ſupremáque funera debet.

Quoniam in filiis ſuis agnoſcitur vir] Nam & Ariſtoteles Nicomachiorum I. 11. aliquo modo ad parentum felicitatem vel infelicitatem pertinere exiſtimat bonas aut malas poſterûm fortunas. Quod Hebræorum animis multò certiùs Lex inſculpſerat, promiſſa, mináſque etiam ad liberos porrigens.

31. *Non omnem hominem inducas in domum tuam*] Multi

Scire volunt ſecreta domûs, atque indè timeri.

Multæ enim ſunt inſidiæ doloſi] Διαβόλου, *hominis calumniari amantis.*

32. *Sicut enim eructant præcordia fœtentium*] Abeſt in Græco.

Et ſicut perdix inducitur in caveam] In Græco legitur, πέρδιξ θηρευθεὶς ἐν καρτάλλῳ. Sed legendum eſt, πέρδιξ θηρευτὴς ἐν καρτάλλῳ, *perdix venatica in cavea.* Hoc ſenſu θηρευτὴν πέρδικα habes & apud Ariſtotelem de Hiſtoria animantium IX. 8.

Et ut caprea in laqueum] Non eſt in Græco, & malè irrepſit.

Sic & cor ſuperborum] *Superbum* vocat quem modò dixit διάβολον [*calumniatorem*]· ſed fortè pro ὑπερηφάνου [*ſuperbi*] legendum ὑπερφιάλου, id eſt, *perfidi.*

Et ſicut proſpector videns caſum proximi ſui] *Proximi ſui* non eſt in Græco: ὡς κατάσκοπος ἐπιβλέπει πτῶσιν· ità enim Sixtina, pro quo aliæ editiones corruptè ἐπιβὰς ἐπὶ πτῶσιν· *ut ſpeculator conſpicit cladem*, ſecurus ſcilicet, quia in turre eſt poſitus.

Suave etiam belli certamina magna tueri
Per campos inſtructa, tui ſine parte pericli.

πτῶσις pro *clade bellica* eſt Zach. XIV. 15. & alibi.

33. *Bona enim in mala convertens inſidiatur*] Res bonas pravâ interpretatione detorquens.

Et in electis imponet maculam] Legit Interpres, ἐν τοῖς αἱρετοῖς [*in electis*], quomodo & Sixtina habet editio: pro quo aliæ per errorem, αἱρετικοῖς, aliæ ſenſu bono, ac voce notiore, αἰνετοῖς [*laudabilibus*]· ſed rectum eſt αἱρετοῖς· nam & αἱρετοὶ ſunt iidem qui aliàs ἐκλεκτοὶ, *viri eximii.* Sic etiam αἱρετὸν in neutro dicitur *res alteri rei præferenda.*

34. *A ſcintilla una augetur ignis*] *Ex ſcintilla incendium*, etiam Latinis frequens proverbium. Vult autem hîc dicere idem quod apertiùs Menander,

Οὐ δεῖ διαβολῆς μεταφρονεῖν, οὐδ' ἂν σφόδρ' ᾖ
Ψευδής· ἐπίσταντ' αὐξάνειν αὐτὴν τινες.
[*Habenda non eſt inſuper calumnia*
Quantumvis falſa: nam ſunt qui augere aſſolent.]

Et Seneca de quibuſdam: *Quidquid dixerint, rumor eſt.*

Et ab uno doloſo augetur ſanguis] Non eſt in Græco.

Homo verò peccator ſanguini inſidiatur] Illius maledicentia ſæpe etiam in vitæ periculum innocentem conjicit.

35. *Attende tibi à peſtifero*] Ἀπὸ κακούργου, *ab homine malitioſo.*

Nè fortè inducat ſuper te ſubſannationem in perpetuum] *Maculam diuturnam.*

36. *Admitte ad te alienigenam, & ſubvertet te in turbine, & abalienabit te à tuis propriis*] Id eſt, *accidere poteſt, ut ſi ignotum in domum admiſeris, is turbas det* (id enim ταραχὴ) *per quas evertaris, & rebus tuis ſpolieris.* Congruit ſenſu cum eo quod poſitum ſuprà 31.

CAPVT XII.

1. *SI bene feceris, ſcito cui feceris*] *Si beneficias* (id eſt, benefacere velis), *conſidera cui benefacias.* Simile eſt Plautino illi,

Benefactum malè locatum, malefactum arbitror.

Sunt quædam tamen ejus generis beneficia quæ cæcâ manu ſpargenda ſunt, quæ dantur ſi non homini, at humanitati: de iis hoc loco non agitur.

Et erit gratia bonis tuis multa] Pro bonis à te datis multam referes gratiam, ſi probum hominem elegeris.

2. *Et ſi non ab ipſo, certe à Domino*] Multum eſt quod viris bonis licere Deus voluit, ut Deum pro ſe debitorem delegent.

3. *Non eſt enim ei bene qui aſſiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti*] Hæc ſumenda disjunctim, ut intelligatur malè fore ei qui aut peccare pergit ſemper, aut ab operibus miſericordiæ ſemper abſtinet.

Quoniam & Altiſſimus odio habet peccatores, & miſertus eſt pœnitentibus] Non eſt hoc in Græco.

4. *Da miſericordi*] *Da piis,* εὐσεβεῖ.

Et nè ſuſcipias peccatorem] Noli protegere ſceleratos. Cætera quæ hoc commate in Latino ſequuntur, abſunt in Græco.

6. *Prohibe panes illi dare*] In Græco Sixtinæ editionis, ἐμπόδισον ἄρτους αὐτοῦ, καὶ μὴ δῷς αὐτῷ, *prohibe panes ejus* (impedi nè quid lucretur), *neque tu ei da quicquam.*

Nè in ipſis potentior te ſit] *Nè per ea* (quæ abs te aut aliunde nactus eſt) *te opprimat.*

Κακοὶ γὰρ ἐμπλησθέντες, ἢ νομίσματος,
Ἢ πόλεος ἐμπεσόντες εἰς ἀρχήν τινα,
Σκιρτῶσιν, ἀδόκητ' εὐτυχησάντων δόμων,
[*Námque impiorum natio, gazas ſibi,*
Vel imperî vim nacta deſultat ferox,
Creviſſe cernens ſpem ſupra ſubitò lares,]

ait Euripides.

7. *Nam duplicia mala invenies*] Id eſt, recipies.

In omnibus bonis] Id eſt, pro omnibus bonis. Hebraïſmus.

Quoniam & Altiſſimus odio habet peccatores] Hæc ratio refertur ad id quod præceſſit, non attollendos impios.

Et impiis reddet vindictam] Id eſt, juſtam pœnam. Legit ἀσεβέσιν [*impiis*], quomodo & in Sixtina, cùm alii codices habent εὐσεβέσιν [*piis*] minùs congruenter huic loco.

8. *Non agnoſcetur in bonis amicus*] Habent quidam codices, ἐπιγνωσθήσεται, quomodo hic Interpres legiſſe videtur: alii, ἐκδικηθήσεται. alii, ἐκβληθήσεται· ex qua varietate ſcribendi conjicio fuiſſe ἐκζητήσεται, *non explorabitur.* Nimirum non malè Hector apud Euripidem,

Πολλοὺς, ἐπειδὰν τοὐμὸν εὐτυχῇ δόρυ,
Καὶ Ζεὺς πρὸς ἡμῶν ἐστιν, εὑρήσω φίλους.
[*Perfacilè amicos repererim multos mihi,*
Dum noſtra floret haſta, & hac ſtat Iuppiter.]

Et non abſcondetur in malis inimicus] Statim enim maledicunt infelici, & ejus malis fruuntur.

Δρυὸς πεσούσης πᾶς ἀνὴρ ξυλεύεται.
[*Quercu cadente nemo lignatu abſtinet.*]

9. *In bonis viri, inimici illius in triſtitia*] In Epigrammate eſt,

Οἱ βασκαινόμενοι λαμπρὸν ἔχουσι βίον.
[*Felices vivunt quos petit invidia.*]

Et in malitia illius amicus eſt agnitus] *Malitiam* hîc dixit pro *rebus adverſis:* nam in Græco eſt, ἐν τοῖς κακοῖς. Vide quæ dicta ad Matth. VI. 34. Sed pro *agnitus eſt* Græca habent καὶ ὁ φίλος διαχωρισθήσεται, *etiam amicus ſeparabitur*, nempe amicus menſarum; de quo ſuprà VI. 11.

10. *Non credas inimico tuo in æternum*] Horatius,

——— *malè ſarta*
Gratia nequicquam coït.

Intellige hoc de inimicis in quibus vides manere vitam improbam. *Cavendos eſſe flagitiis commaculatos*, ait Tacitus Annalium VI.

Sicut enim æramentum æruginat nequitia illius] In Græco; *Sicut æs æruginem parit, ità malitia ipſius* aliquid ſemper mali. Purga æs quantum velis, redibit ærugo. Reconciliare inimico pravi ingenii, iterum nocebit ubi poterit.

11. *Etſi humiliatus vadat curvus*] In Græco, *Etiamſi demittat ſe* (verbis nempe), *& eat incurvatus*, id eſt, quoties apud te eſt totum corpus incurvet, reverentiæ teſtandæ causâ.

Adjice animum tuum] Ἐπίστησον τὴν ψυχήν σου, id eſt, attende tibi. Sic ἐφίστασθαι νοῦν, aut ψυχὴν habemus Exodi VII. 23. Proverb. XXII. 17. XXVII. 23.

Et cuſtodi te ab illo] Hîc in Græco ſequuntur quæ abſunt in Latino, καὶ ἔσῃ αὐτῷ ὡς ἐκμεμαχὼς ἔσοπτρον, καὶ γνώσῃ ὅτι οὐκ εἰς τέλος κατίωσε. Sed legi debet ἐκκατίωσε, *Eris quoad ipſum, ut ſi ſpeculum abſterſiſſes, & cognoſces non eſſe plenè emaculatum.* ἰὸς propriè quidem *ærugo*; quo ſenſu eam vocem modò habuimus: ſed per tranſlationem ad omnia vitia transfertur. Sic de auro in epiſtola quæ ſub nomine Ieremiæ Barucho ſubjungitur, ἐὰν μή τις ἐκμάξῃ τὸν ἰόν [*niſi quis abſterſerit ſordes*]. ſic ἰὸς ἀσπίδων [*virus aſpidum*] Pſalm. CXLIV. 4. Pari modo ἰοῦν, κατιοῦν & ἐκκατιοῦν [*maculare, commaculare, emaculare*].

12. *Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad dexteram tuam, nè fortè converſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam*] Meliùs hæc digeſta in Græco, *Nè jubeas eum ſtare apud te, nè converſus* (in te) *ſtet in loco tuo: nè eum facias ſedere ad dexteram tuam* (id eſt,

loco à te proximo. Vide quæ diximus ad Matthæi xx. 21.) *nè tentet tuam ſedem apprehendere.* Multis id accidit, ut expellerentur ab iis quos ipſi adjutores ſibi adſciverant.

Et in noviſſimo agnoſcas verba mea] Serò laudes mea monita.

Et in ſermonibus meis ſtimuleris] *Et ob ſermones meos* (nimis diu neglectos) *doleas.* Sic κατανύττεσθαι ſumitur ſæpiſſime apud Lxx, & in hoc libro aliquoties, & Actorum 11. 37.

13. *Quis miſerebitur incantatori à ſerpente percuſſo*] Nempe ſi propiùs quàm oportet acceſſerit.

Et omnibus qui appropiant beſtiis?] Vt qui viperas tractant, quæ θηρία [*feræ*] ſunt καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] in iſto genere, unde θηριακή [*theriaca*].

Et obvolutus eſt in peccatis ejus] *Et peccatis ejus commiſcetur*, nempe vel approbando, vel diſſimulando.

14. *Vnâ horâ*] Id eſt, brevi tempore.

Tecum permanebit] Additur in Græcis quibuſdam, ἐν στάσει δικαίᾳ [*in ſtatione juſta*]· ſed non habet hoc Sixtina.

Si autem declinaveris] Id eſt, ſi inclinaverint res tuæ. *Sic inclinata acies, domus inclinata*, apud Latinos.

Non ſupportabit] *Non durabit*, οὐ μὴ καρτερήσῃ.

15. *In labiis ſuis indulcat inimicus*] Suavia loquitur.

16. *In oculis ſuis lacrymatur inimicus*]

——— *Lacrymas non ſponte cadentes*,

ut Lucanus loquitur; *falſas lacrymulas*, ait Terentius: nam quidam &

Vt flerent oculos erudiere ſuos.

Proverbium eſt, *Crocodili lacrymæ.*

Non ſatiabitur ſanguine] Totum ſanguinem tuum ebibet, id eſt, nè vitæ quidem tuæ parcet.

17. *Invenies illum illic priorem*] *Specie juvantis*, ut ſequitur.

18. *In oculis ſuis lacrymatur inimicus*] Non eſt hæc repetitio in Græco: ſed quæ jam ſequuntur cohærent cum iis quæ præceſſere: quod rectiùs.

Et quaſi adjuvans ſuffodiet plantas tuas] In Græcis libris pleriſque ὑποσχάσει, id eſt, *inhibebit.* Sed alii codices habent, quomodo Latinus Interpres legit, ὑποσκάψει [*ſuffodiet*]. In Tranſlatione elegante poſitum pro eo quod Græci dicerent ὑποσκελίσει, *ſupplantabit*, pede ſuppoſito ſic te evertet ſicut ſuffodiendo murus evertitur. Hebræi hoc vocant עקב, quod Lxx vertunt πτερνίζειν. Exempla habes apud Tacitum non pauca, cujus & hoc dictum, *Quibus inimicus deerat, per amicos oppreſſi.*

19. *Caput ſuum movebit*] Id eſt, everſo inſultabit, II Regum xix. 21. Pſalmo xxii. 8.

Et plaudet manu] In ſignum gaudii, Ezechielis xxv. 6.

Et multa ſuſurrans] Καὶ πολλὰ διαψιθυριεῖ· multa mala de te loquetur. Id qui facit ψίθυρος dicitur ſuprà v. 16. infrà xxi. 31. xxviii. 14. verbum ψιθυρίζειν in pari ſenſu Pſalmo xli. 8.

Commutabit vultum ſuum] Longè alius apparebit quàm qualem antè præ ſe tulerat. Sic verbum ἀλλοιοῦν [*commutare*] ſumitur infrà xiii. 19. xxv. 19. Vide & II Samuel. xxi. 13. & Pſalm. xxxiv. 1.

CAPVT XIII.

1. *QVi tetigerit picem inquinabitur ab ea, & qui communicaverit ſuperbo induet ſuperbiam*] Ὁμοιωθήσεται αὐτῷ [*par ei fiet*]. Etiam hîc copula eſt pro nota comparationis: Latinè enim diceremus, *Sicut à pice inquinatur qui eam tangit, ſic qui cum ſuperbo homine convivit, ſimilis ei evadit.* Habent omnia vitia aliquid contagio noxium, Superbia maximè, ideo quòd eò valde feratur natura humana ſi felicitas adſit. Theognis,

——— ἢν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.
[——————— *ſi te ipſe ſodalem*
Des pravis, perdes quod tibi mentis erat.]

2. *Pondus ſuper ſe tollet qui honeſtiori communicat: & ditiori te nè ſocius fueris*] Sententiam fecit ex comparatione. In Græco eſt, *Quamdiu vivis nè attolle onus quod te ſuperet: ſic etiam noli convivere validiori aut ditiori.* Non longè abit Plautinum illud,

Venit hoc mihi in mentem, Megadore, te eſſe hominem divitem,
Factioſum: me item eſſe hominem pauperum pauperrimum.
Nunc ſi filiam locaſſem meam tibi, in mentem venit,
Te bovem eſſe & me eſſe aſellum: ubi tecum conjunctus ſiem,
Vbi onus nequeam ferre pariter, jaceam ego aſinus in luto.

3. *Quid communicabit cacabus ad ollam?*] In Græco, *Cur ſocietatem ineat olla cum lebete?* Eſt hoc in Æſopi fabulis. Et apud Phædrum alterius apologi hæc inſcriptio: *Numquam eſt fidelis cum potente ſocietas.*

Quando enim ſe colliſerint confringetur] *Hic impinget, ille frangetur.*

4. *Dives injuſtè egit, & fremet: pauper autem læſus tacebit*] Elegantior ſenſus in Græcis quibuſdam, πλούσιος ἠδίκησε καὶ αὐτὸς προσδεηθήσεται· πτωχὸς ἠδικήθη (ità legendum, non ἠδίκησε) καὶ προσαπειληθήσεται. *Dives ſi cui injuriam fecerit, ultro precibus adibitur: pauper injuriam paſſus eſt, & adhuc minis impetitur.* Iuvenalis,

——— *libertas pauperis hæc eſt:*
Pulſatus rogat, & pugnis conciſus adorat,
Vt liceat paucis cum dentibus inde reverti.

Pugnum tibi ducam (dicebat dives quidam pauperi) *& dicam ſcribam, quòd caput durum habeas.*

5. *Si largitus fueris aſſumet te*] In Græco, *Si utilis ipſi fueris, operâ tuâ utetur.*

Et ſi non habueris, derelinquet te] Καταλείψει σε. Ità enim eſt in Sixtina, non καταθλίψει [*deprimet*]. Si in egeſtatem incidas, non magìs te curabit quàm ſi nunquam ei notus fuiſſes.

6. *Et evacuabit te*] Per munera quæ ei dare debebis.

Et ipſe non dolebit ſuper te] Non curabit quòd tanti tibi conſtet ipſius amicitia.

7. *Si neceſſarius illi fueris, ſupplantabit te*] In Græcis, *Opus te habuit*, & (tamen) *decipiet te.* Vicem non reddet ubi tu viciſſim ipſo opus habueris.

Et ſubridens] Arridens blando vultu.

Narrans tibi bona] *Loquens tibi bona.* Verbis te paſcet.

8. *Et confundet te in cibis ſuis*] Quod ſequitur *bis aut ter* cum his verbis connectendum eſt. Opiparè te excipiet aliquoties, ut tu præ pudore cogaris idem facere, & ſic tè pauperatum ridebit.

Et caput ſuum movebit ad te] *Ob te.* Vide ſuprà XII. 19.

9. *Humiliare Deo*] Deeſt in Græco, & videtur alienum ab ea quæ hîc tractatur materia.

10. *Attende nè ſeductus in ſtultitiam humilieris*] Legit ἐν ἀφροσύνῃ [*in ſtultitia*]. Nos autem habemus in Sixtina, Πρόσεχε μὴ ἀποπλανηθῇς ϗ μὴ ταπεινωθῇς ἐν εὐφροσύνῃ σου, *Vide nè decipiaris* (talibus conviviis) *& per gaudia tua deprimaris*, ad inopiam ſcilicet. Alii libri poſt ἀποπλανηθῇς [*decipiaris*] habent τῇ διανοίᾳ [*mente*], & pro ἐν εὐφροσύνῃ σου habent ἐν εὐφροσύνῃ καρδίας σου [*in gaudio cordis tui*]. משתה, quod eſt *convivium*, vertitur εὐφροσύνη, Eſther. IX. 19. quo ſenſu & θαλίαν dicunt Græci Poëtæ.

11. *Noli eſſe humilis in ſapientia tua*] Abeſt hoc comma in Græco.

12. *Advocatus à potentiore*] A *dynaſta*, id eſt, magno aliquo Præfecto.

Diſcede] Ὑποχωρῶν γίνου. Citò domum redi, nè ſatietas tædium adferat.

Ex hoc enim magis te advocabit] Πλεονάζων, *ſæpius.*

13. *Nè improbus ſis, nè impingaris*] *Improbum* hîc accepit pro *imprudente.* In Græco, *Noli ſine judicio te ingerere, nè repellaris.* Nam ἀκρίτως [*ſine judicio*] illud, quanquam loco ſejunctum, conſtrui debet cum μὴ ἔμπιπτε [*nè te ingere*]. De aula dynaſtarum hîc agitur, ut docent præcedentia.

Et nè longè ſis ab eo, nè eas in oblivionem] Hoc eſt quod & vulgò dicitur, *Ad aulam, pariter ut ad ignem, neque accedendum nimis, neque nimis indè abſcedendum, ſi quis nec uri velit, nec frigere.*

14. *Nè retineas ex æquo loqui cum illo*] Legit ἰσηγορεῖσθαι [*familiariter colloqui*], ut habent libri nonnulli, non εἰσηγορεῖσθαι. μὴ ἔπεχε, quod hîc vertit *nè retineas*, ſignificat *nè id age:* nam ἐπέχειν pro προσέχειν ſumi notavit Euſtathius in ſeptimum Odyſſeæ. Exempla habes etiam in noſtris libris, ut Lucæ XIV. 7. 1 Timoth. IV. 16. Senſus eſt, *Noli id curare ut familiariter cum Præfecto loquaris.* ἰσηγορία [*familiare colloquium*] eſt etiam apud Herodotum.

Ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis] *Inquiret abſcondita tua*, nempe latenter. Horatius,

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero quem perſpexiſſe laborent,
An ſit amicitiâ dignus.

15. *Immitis animus illius conſervabit verba tua*] Legit, ἀνελεήμων ὁ νοῦς συντηρῶν λόγους [*immitis animus qui dicta animo recondit*], ſupple *erit.* Sixtina minùs rectè, ἀνελεήμων ὁ μὴ συντηρῶν λόγους. Alii libri, ἀνελεημόνως ἢ συντηρήσει λόγους σου [*ſævo recondet animo dicta tua*]. Sic Tiberius narrante Tacito: *Verba, vultus, in crimen detorquens recondebat.* Alibi de eodem: *Diſſimulatâ offenſione abdebat.* Item: *Animo revolvente iras, etiamſi impetus offenſionis languerat, memoria valebat.* Et Sejanus eodem teſte *odia in longum jaciebat, quæ reconderet, auctáque promeret.*

Et non parcet de malitia & de vinculis] Οὐ μὴ φείσεται περὶ κακώσεώς σου ϗ δεσμῶν, *non parcet te malè tractare, & in vinculis habere:* ut Alexander Calliſthenem.

16. *Cave tibi*] Loquendo.

Et attende diligenter auditui tuo] Satìs tibi ſit audire quæ dicuntur.

Quoniam cum ſubverſione tua ambulas] In ruinæ periculo verſaris. *Aulæ lubricum culmen*, dixit in Thyeſte Seneca.

17. *Audiens verò illa quaſi in ſomnis vide, & vigilabis*] In Græco, *hæc audiens*, intelligens, etiam *in ſomno tuo vigila.* Dictum ὑπερβολικῶς [*exſuperanter*], ut moneantur qui aulas adeunt, nunquam non ſibi cavere.

18. *Et invoca illum in ſalute tua*] *Ad ſalutem tuam*, εἰς σωτηρίαν σου.

20. *Omnis caro ad ſimilem ſibi conjungetur*] *Omne animal* in Græco.

Et omnis homo ſimili ſui ſociabitur] Ariſtoteles, aut quiſquis eſt ſcriptor Problematum, ſectione X. χαίρει τὰ συγγενῆ τοῖς συγγενέσι ϗ ὁμοίοις [*gaudent cognata cognatis & ſimilibus*]. Et veteres multi φιλίαν [*amicitiam*] eſſe dicunt ὁμοιότητά τινα [*ſimilitudinem quandam*], Nicomach. VIII. 10.

21. *Si communicabit lupus agno*] *In quo communicet lupus agno?* Talis locutio, τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος; [*quæ communio luci cum tenebris?*] II Corinthior. VI. 14. Summa diſcordia exprimi ſolet lupi & agni ſimilitudine:

Ὥστε λύκοι τε ϗ ἄρνες ὁμόφρονα θυμὸν ἔχουσι.
[*Quantum concordant inter ſe agníque lupíque.*]

Horatius,

Lupis & agnis quanta ſortitò obtigit
Tecum mihi diſcordia eſt.

Sic peccator juſto] *Neque vos meos mores ferre poteſtis, neque ego veſtros*, dicebat Romanus quidam populo Romano.

22. *Quæ communicatio ſancto homini ad canem?*] Eſt error exſcriptoris: nam Interpres haud dubiè ſcripſit, *hyænæ ad canem*, quomodo eſt in Græco; ſed imperitus *hyænæ* mutavit in *homini:* ac demum ad implendum ſenſum addidit *ſancto.* Tanta eſt naturæ pugna inter hyænam & canem, ut conſpectâ hyænæ umbrâ, *canes obmuteſcant*, Plinius VIII. 30.

Aut quæ pars diviti ad pauperem?] Et hîc error eſt exſcriptoris: nam Interpres *pax* ſcripſit, εἰρήνη.

23. *Paſcua divitum ſunt pauperes*] Iac. II. 6. Eſa. V. 8.

24. *Et ſicut abominatio eſt ſuperbo humilitas, ſic & exſecratio divitis pauper*] In Græco βδέλυγμα loco utroque, pro quo Latinus dixit *abominationem* priùs, deinde *exſecrationem.* Mores diſcrepant diviti & pauperi: ideò alter alteri diſplicet.

25. *Dives commotus*] Σαλευόμενος, id eſt, *labefactatus.*

Confirmatur ab amicis ſuis] Suſtentatur nè ruat, στηρίζεται.

Humilis autem] In Græco, *pauper.*

Cùm ceciderit, expelletur & à notis] *Ab amicis*, qui tales dicti fuerant. Vide ſuprà XI. 9.

26. *Diviti decepto multi recuperatores*] Legit

σφαλέντος [*decepti*]. *Recuperatores* Romæ dicebantur Iudices per quos provinciales ſpoliati res ſuas recuperabant. Sed oppoſitum membrum vult hîc legi σφήλαντος [*qui decepit*], ut ſenſus ſit, *Dives, ſi quem fefellerit, multos habet adjutores*, qui ſcilicet ipſum purgent, aut excuſent: tanta eſt vis pecuniæ. Verres ſibi, advocatis, & judicibus quod ſatìs eſſet ceperat.

Locutus eſt ſuperba, & juſtificaverunt illum] *Si arcana* (nempe reipublicæ) *enuntiaverit, tamen inaliquis venit qui ipſum defendant.*

27. *Humilis deceptus eſt*] Rectè hîc Interpres legit ἐσφάλη [*deceptus eſt*], non ἔσφαλε [*decepit*]. *Si vir humilis fortunæ deceptus ab alio fuerit.*

Inſuper & arguitur] *Vltro objurgatur*, προσεπετίμησαν αὐτῷ, nempe quaſi criminis reus eſſet.

Locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus] *Quòd ſi etiam prudentiſſima dicturus veniat, nullo in loco habetur.* Hunc ſenſum exigunt ſequentia. Locutionem ſimilem vide infrà XVI. 15. & XXXVIII. 11.

28. *Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt*]

Conticuere omnes, intentíque ora tenebant.

Iobi XXIX. 9.

Et verbum illius uſque ad nubes perducent] *Attollunt*, ἀνύψωσαν, in cœlum ferunt laudibus. Tale illud,

Sublimi feriam ſidera vertice.

29. *Pauper locutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic?*] Exemplum vide Matth. XIII. 55. & Menander,

Πένης λέγων τἀληθὲς οὐ πιστεύεται.
[*Dicenti verum pauperi non creditur.*]

Philemon vero,

Πρόσεστιν ἄρα καὶ τῷ πένητ' ἀπιστία·
Κἂν σοφὸς ὑπάρχῃ, κἂν λέγῃ τὸ συμφέρον,
Δοκεῖ τι φράζειν τοῖς ἀκούουσιν κακῶς.
[*Inter mala inopis eſt quod ei non creditur:*
Quamvìs ſit ſapiens dicátque utiliſſima,
Malè quid videtur dicere audientibus.]

Et ſi offenderit] Ἐὰν προσκόψῃ· Si quid dixerit minùs gratum auribus.

Subvertent illum] Προσανατρέψουσιν αὐτὸν, *etiam evertent eum.* Quod Phocioni evênit Athenis.

30. *Bona eſt ſubſtantia*] *Opulentia*, ὁ πλοῦτος. Hoc ideo rectè additur, nè omnes divites mali, aut omnes pauperes boni credantur.

Cui non eſt peccatum in conſcientia] In Græco eſt, ᾧ μὴ πρόσεστιν ἁμαρτία, *cui non adhæret peccatum*, id eſt, honeſtè quæſita.

Et nequiſſima paupertas in ore impii] Quia impii infelices ſolent Deum accuſare.

Quem non incuſavi amens hominúmque deûmque?

31. *Cor hominis immutat faciem illius ſive in bona, ſive in mala*] Tibullus,

Heu quàm difficile eſt imitari gaudia falſa;
Difficile eſt triſti fingere mente jocum!

Oculi, feneſtræ animi.

32. *Veſtigium cordis boni & faciem bonam difficile invenies, & cum labore*] Aliter in Græco, Ἴχνος καρδίας ἐν ἀγαθοῖς πρόσωπον ἱλαρὸν (in aliis libris, Ἀγαθύνει πρόσωπον ἐν τέρψει καρδία θάλλουσα, ſenſu eodem), καὶ εὕρεσις παραβολῶν διαλογισμὸς μετὰ κόπου, *Vultus hilaris indicium eſt animi in rebus lætis verſantis; at inventio ſententiarum laborioſa eſt cogitatio*, id eſt, Seriæ meditationis index, vultus ſeverior, frons caperata, adducta ſupercilia, oculi quieti, genæ ſtantes, os tacitum.

CAPVT XIV.

1. B*Eatus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo*] Cùm & quæ præceſſerunt & quæ ſequentur ad titulum de Divitiis & Paupertate pertineant, omnino cenſeam hanc ſententiam pertinere ad eos qui gravi paupertate preſſi nullum verbum ex impatientia ejaculantur adversùs Deum ejúſque providentiam.

Et non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti] In Græco, *Nec cruciatus eſt ex mærore crimino ſo*: nam ἐν λύπῃ ἁμαρτιῶν [*in triſtitia delictorum*] habent quidam codices, & ſic legit hic Interpres, non ἐν πλήθει [*in multitudine*]. *Mærorem crimino ſum* vocat eum qui erumpit in verba Dei honorem lædentia.

2. *Felix qui non habuit animi ſui triſtitiam*] In Græco, μακάριος οὗ οὐ κατέγνω ἡ ψυχὴ αὐτοῦ· ſed legendum, οὐκ ἀπέγνω, *qui non deſpondit animum in malis.* Oſtendit id ſequens explicatio, *Et non dejectus eſt de ſpe ſua in Deum*: nam τῆς ἐπὶ Κύριον [*de ſpe in Dominum*] additur in Græco.

3. *Viro cupido & tenaci*] Duabus vocibus expreſſit unam Græcam μικρολόγῳ. In Gloſſis, Μικρολόγος, *ſordidus*. Theophraſto, Μικρολογία ἐστὶ φειδωλία τοῦ διαφόρου ὑπὲρ τὸν καιρόν [*ſordida parſimonia eſt ſtudium parcendi ſumtibus ſupra modum*].

Sine ratione eſt ſubſtantia] *Non pulchra divitiæ*: id eſt, eum non decent.

Et homini livido ad quid aurum?]

Quò mihi divitiæ ſi non conceditur uti?

βάσκανος ſæpe quidem *invidum* ſignificat, ſed ab Helleniſtis etiam *avarus* eo vocabulo appellatur. Vide infrà 6. 8. & XVIII. 18. XXXVII. 12.

4. *Qui acervat ex animo ſuo injuſtè, aliis congregat*] Non eſt *injuſtè* in Græco, nec de injuſtitia hîc, ſed de tenacitate agitur. *Qui acervat ab animo ſuo*, id eſt, qui extra uſum ſuum res aſſervat, qui *genium ſuum defraudans comparcit*, ut loquitur Terentius.

Aliis congregat] Heredibus. Vide ſuprà XI. 20.

Et in bonis illius alius luxuriabitur] Alii luxuriabuntur. Horatius,

Aſſumet heres Cæcuba dignior
Servata centum clavibus, & mero
Tinget pavimentum ſuperbo
Pontificum potiore cœnis.

Martialis,

Superba denſis arca palleat nummis,
Centum explicentur paginæ calendarum;
Iurabit heres te nihil reliquiſſe:
Supráque pluteum te jacente, vel ſaxum,
Fartus papyro dum tibi torus creſcit,
Flentes ſuperbus baſiabit eunuchos.

5. *Qui ſibi nequam eſt, cui alii bonus erit? & non jucundabitur in bonis ſuis*] Illud *&* hîc more Hebræo eſt pro relativo *qui*.

6. *Et hæc redditio eſt malitiæ illius*] Hæc merces vitii, non habere quæ habeat.

7. *Et ſi bene fecerit*] Alicui ſcilicet.

Ignoranter & non volens fecit] In Græco tantùm eſt, οὐχ ἑκὼν ποιεῖ [*non ſponte fecit*]. Pro certo habe, inquit, eum non volente animo id feciſſe, ſed coactum, damni alicujus vitandi causâ.

Et in noviſſimo manifeſtat malitiam ſuam] *Etiam in fine vitæ vitium ſuum oſtendit.* Phædrus,

Tibi dico, avare, gaudium heredis tui.

Et poſt aliquos verſus,

Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina nè quid de tuo faciat lucri.

8. *Nequam eſt, oculus lividi*] In Græco, *Homo invidus malus eſt, ità ut oculis videas*, id eſt, ipſo adſpectu vitium ejus deprehendas : quod explicant ſequentia.

Et avertens faciem ſuam] *Eò quòd avertit faciem ſuam* à pauperibus.

Et deſpiciens animam ſuam] In Græco eſt, *& deſpiciens animus*, id eſt, hominum aliorum miſeriam.

9. *Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis : non ſatiabitur donec conſumat arefaciens animam ſuam*] In Græco aliter ac meliùs, *Cupidi oculus non expletur parte* (quia ſcilicet totum cupit quod videt): *& mali hominis injuſtitia tabe conſumit animam ipſius*, id eſt, ipſum. ξηραίνειν eſt *tabe conſumere.* Vide Pſalmum XXII. 16. CII. 5. 12. Proverbiorum XVII. 22. Zachar. XI. 17. Tabeſcit cruciatibus animi ſibi malè conſcii. Apud Euripidem quærente Menelao,

Ὀρέστα τλῆμον, τίς σ' ἀπόλλυσιν νόσος;
[*Quis, miſer Oreſte, te malus morbus premit?*]

Reſpondet Oreſtes,

Ἡ σύνεσις, ὅτι σύνοιδα δείν' εἰργασμένος.
[*Mens perpetrati facinoris ſibi conſcia.*]

10. *Oculus malus ad mala, & non ſatiabitur pane indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam*] Conjunxit duas lectiones : nam ubi alii libri habent ἐλλειπὴς [*indigens*], ibi alii ἐν λύπῃ [*in triſtitia*]. Senſus eſt: *Homo avarus* (is dicitur *oculus malus* Hebræis) *aliis invidet, etiam de pane, & in ſua ipſius menſa egenus eſt.* Iuvenalis,

——— *nónne eſt manifeſta phreneſis*
Vt locuples moriaris egentis vivere fato?

11. *Fili, ſi habes, benefac tecum*] In Græco, *Fili, pro modo rerum quas habes, tibimet ipſi benefac.* Partis utere.

Et Deo dignas oblationes offer] In Græco, ἀξίως, *dignè*, id eſt, pro ratione facultatum. Sic ἀξίως ἀδικίας dicunt Græci, pro modo injuriæ.

12. *Et teſtamentum inferorum, quia demonſtratum eſt tibi*] In Græco, *non demonſtratum eſt tibi.* Id eſt, diem ſepulturæ tuæ non noſti. Diem autem vocat διαθήκην, id eſt, *pactum*, quia pacta ſolent ad certam diem fieri, ut in locationibus.

13. *Et ſecundùm vires tuas exporrigens da pauperi*] In Græco, *da ipſi*, id eſt, amico. Sed Interpres ſenſum fecit magìs Chriſtianum.

14. *Non defrauderis à die bono*] Dies feſtos lætus celebra, ut mos erat Iudæis.

Et particula boni doni non te prætereat] *Particula bene deſiderata nè à te abeat.* μερίδα *particulam* vocat id quod edule eſt, Eſther. IX. 22. ubi *ciborum partes* dixit Hieronymus. Sic & Plutarchus Ageſilao, διέπεμψε μερίδας τοῖς φίλοις [*miſit ſportulas amicis*]. Vſurpat ſic & Athenæus, & alii.

15. *Nónne aliis relinques dolores & labores tuos in diviſione ſortis?*] In Græco, *Nónne aliis relinques labores tuos, & fatigationes dividendas ſorte*, ut inter heredes fieri ſolet, qui propterea *conſortes* dicuntur. *Labores & fatigationes*, id eſt, parta labore ad laſſitudinem tolerato.

16. *Da, & accipe, & juſtifica animam tuam*] Legit ἁγίασον τὴν ψυχήν σου· ſed in aliis libris eſt ἀπάτησον [*decipe*]. Veram lectionem puto ἀγάπησον [*ama*], *bene temet tracta.* Ità rectè cohærebit quod in Græco ſequitur.

17. *Ante obitum tuum operare juſtitiam*] Et hoc adjecit Interpres.

Quoniam non eſt apud inferos invenire cibum] Quem aut des, aut accipias. In Græco eſt, *quærere cibum*, id eſt, comparare.

18. *Omnis caro ſicut fœnum veteraſcit*] In Græco, *ſicut veſtimentum.* Bene ex Pſalmo CII. 27. quò reſpicit & Scriptor ad Hebræos I. 11.

Et ſicut folium fructificans in arbore viridi] Hîc præcedit in Græco, ἡ γὰρ διαθήκη ἡ ἀπ' αἰῶνος· Θανάτῳ ἀποθανῇ, *hæc enim lex ab omni ævo ſcripta eſt, Omnino morieris.* Voce διαθήκης non *pacta* tantùm, ſed & *leges* comprehendi diximus initio Annotatorum ad Euangelia. Sic Scriptor Oetæi *legem* vocat, *quod natum eſt poterit mori.* Euripides,

Πᾶσιν γὰρ ἀνθρώποισιν ἥδε πρὸς θεῶν
Ψῆφος κέκρανται, κατθανεῖν τ' ὀφείλεται.
[*Omnes in homines hæc Deûm ſententia*
Pronuntiata eſt, debeant ſemel ut mori.]

Et ſicut folium fructificans in arbore viridi] *Naſcens*, θάλλον.

Οἵη περ φύλλων γενεή, τοιήδε καὶ ἀνδρῶν.
[*Eſt ſimilis planè foliis humana propago.*]

Ait Homerus, & ex Homero Simonides. Mimnermus,

Ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φέρει πολυάνθεμος ὥρα
Ἦρος.
[*Nos foliis ſimiles quæ gignit purpureum ver.*]

19. *Alia generantur, & alia dejiciuntur : ſic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur*] Mos eſt Hebræis, quoties humanam infirmitatem ſignificare volunt, dicere בשר ודם, *caro & ſanguis.* Senſus par in iſtis Euripidis,

——— ἀναγκαίως δ' ἔχει
Βίον θερίζειν, ὥστε κάρπιμον στάχυν.
[——— *at fatum jubet*
Vt plena ſegetis arva, ſic vitam meti.]

20. *Omne opus corruptibile in fine deficiet*] In Græco, *Omne opus putreſcendo deficit :* id eſt, paulatim, ut ea quæ putreſcunt.

Et qui illud operatur ibit cum illo] *Abibit.* Sic Phædrus,

Abiturus illuc quò priores abierunt.

21. *Et omne opus electum juſtificabitur*] Hoc quoque comma Interpres Latinus addidit.

22. *Beatus vir qui in ſapientia morabitur, & qui in juſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei*] Variant hîc mirè Græca. Vera lectio videtur iſta, Μακάριος ἀνὴρ ὃς ἐν σοφίᾳ μελετήσει, καὶ ὃς ἐν συνέσει αὐτοῦ διαλεχθήσεται, *Beatus vir qui ſapienter meditabitur, & in mente ſua diſſeret.* Voces καλὰ καὶ ἅγια [*pulchra & ſancta*] additæ ſunt, ut intelligeretur quæ ſit vera ſapientia.

23. *Qui excogitat vias illius in corde ſuo*] *Vias ſuas:* nam αὐτȣ̃ [*illius*] hîc eſt pro reciproco, id eſt, qui actionibus ſuis attendit.

Et in abſconditis ſuis intelligens] *Et arcana ejus* (αὐτῆς, nempe *Sapientiæ*) *cognoſcit*.

Et in ſenſu cogitabit circumſpectionem Dei] Abeſt in Græco.

Vadens poſt illam quaſi inveſtigator] In Græco, *Vade*. *Inveſtigatorem* dicit Interpres venatorem: nam & *inveſtigare* verbum eſt tractum à venatoribus, qui ferarum veſtigia quærunt.

Et in viis illius conſiſtens] In Græco, *Viis ejus inſidias pone*. Id eſt, fac omni modo eam deprehendas: eâ utere diligentiâ, qua exploratores ſolent.

24. *Qui reſpicit per feneſtras illius, & in januis illius audiens*] *Et ad januas illius auſcultat*. Conſtruuntur pariter participium ὁ παρακύπτων [*proſpectans*] & futurum ἀκροάσεται [*audiet*], quia in ſecundo membro ſubintelligitur pronomen *qui*, more Hebræo. παρακύπτειν dicitur *qui per januam* vel *feneſtram proſpectat ex domo*, vel *in domum*. Hîc *in domum* intellige, nempe ut omnia ſcrutetur. Confer quæ infrà XXI. 26.

25. *Qui requieſcit juxta domum illius*] *Qui diverſatur juxta domum illius*, id eſt, facit ut ei ſemper ſit vicinus.

Et in parietibus illius figens palum, ſtatuet caſulam ſuam ad manus illius] Idem ſenſus qui in præcedenti: *ad manus illius*, ביד, id eſt, proximè. Pro *caſulam*, in Græco eſt σκηνὴν, tentorium. Solebant *tentoriorum* funes ad paxillos alligari, Exodi XXXV. 17. Iudicum IV. 21. Eſaïæ XXXIII. 20. LIV. 2.

Et requieſcens in caſula illius bona per ævum] In Græco, *Is divertet in diverſorio bonorum pleno*. Nam καὶ [*&*] hîc more Hebraïco eſt vice pronominis reſpondentis relativo *qui*.

26. *Statuet filios ſuos ſub tegmine illius*] Id eſt, ejus tutelæ liberos etiam ſuos commendabit.

Et ſub ramis ejus morabitur] Quaſi

——— *patulæ recubans ſub tegmine fagi.*

27. *Protegetur ſub tegmine illius à fervore*] Similitudo ſumta à nube illa quæ Iſraëlitas deducebat per ſolitudinem. Vide Sapientiæ X. 17. ubi eadem vox σκέπης [*tegminis*].

Et in gloria ejus requieſcet] *In gloria ipſius diverſabitur*, id eſt, videbit ejus majeſtatem. Hîc alluditur ad ignem illum qui de nocte prælucebat Iſraëlitis. Neque enim rarum ut ignis cœleſtis dicatur כבוד, id eſt, δόξα, Exodi XXIV. 17. Levit. IX. 6. & 23.

CAPVT XV.

1. QVi timet Deum faciet bona*] In Græco, *Faciet iſta*, nempe de quibus jam cœpit fieri ſermo. Nam malè hæc avulſa ſunt à præcedente capite.

Et qui continens eſt juſtitiæ, apprehendet illam] Καὶ ὁ ἐγκρατὴς γνώσεως νόμȣ, εὑρήσει αὐτὴν, *Qui compos eſt ſcientiæ Legis, is eam* (*ſapientiam* de qua actum modò) *inveniet*. De ſignificatione vocis ἐγκρατὴς vide dicta Sapientiæ VIII. 21.

2. *Quaſi mater honorificata*] Ἐπίθετον [*nomen appoſitum*] hoc in Græco abeſt.

Et quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum] Ὡς γυνὴ παρθενίας, *ut uxor ducta virgo*, κουριδίη ἄλοχος Homero. Solent enim ardentiùs diligere virum feminæ nullum alium expertæ.

3. *Cibabit illum pane vitæ & intellectûs*] In Græco tantùm eſt, *pane intelligentiæ*: ſed illud *vitæ* ex Euangelio additum.

Et aquâ ſapientiæ ſalutaris potabit illum] *Aquam ſapientiæ dabit illi potandam*: nam & hîc *ſalutaris* additum ab Interprete.

3, 4. *Et firmabitur in illo, & non flectetur: & continebit illum, & non confundetur*] Fortè ſcripſerat Interpres *illa* & *illam*, quomodo eſt in Græco, unde rectè vertas copulativâ conjunctione redditâ ſecundùm ſenſum quem ſæpe apud Hebræos habet, *Innixus illi non movebitur de ſtatu: illi ſe tenens non pudefiet*.

Et exaltabit illum apud proximos ſuos] *Efferet eum* (Sapientia) *ſupra æquales ſuos*: nam eſt hîc παρὰ τȣ̀ς πλησίον.

5. *Et in medio eccleſiæ aperiet os ejus*] Id eſt, faciet ut loqui poſſit coram populo aut Senatu. Vtrumque enim ſignificari ſolet voce קהל, quæ modò συναγωγὴ [*ſynagoga*], modò ἐκκλησία [*eccleſia* ſive *conventus*] redditur.

Et adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ & intellectûs, & ſtolâ gloriæ veſtiet illum] Deſunt hæc in Græco, ſumtum ex loco qui ſuprà VI. 31.

6. *Iucunditatem & exſultationem theſaurizabit ſuper illum, & nomine æterno hereditabit illam*] *Lætitiam & gaudii coronam indipiſcetur, & nomen perpetuum ei jure hereditario dabit*. *Gaudii corona* eſt illa, quæ ſumitur diebus nuptiarum, aut ſollemnibus, ut dictum ſuprà VI. 31. *Hereditabit*, κατακληρονομήσει, hîc ſignificat, *hereditario jure dabit illi*, nempe *Sapientia*, quo ſenſu ſæpe ſumitur נחל, & verba ſimilia. Vide Deuteronomii III. 28.

7. *Et homines ſenſati obviabunt illi*] *Et* hîc poſitum pro *ſed*.

A ſuperbia & dolo] *Et dolo* abeſt in Græco. Senſus autem idem in ſequentibus.

8. *Viri mendaces non erunt illius memores*] Non ſentient eam. Eſt μετωνυμία [*transnominatio*]. Cætera quæ Latinus codex habet in hoc commate abſunt à Græco.

9. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*] Οὐχ ὡραῖος αἶνος ἐν στόματι ἁμαρτωλȣ̃. Eſt deſumtum hoc ex Proverbiorum XXVI. 7. ubi παραβολὴ [*parabola*], quod hîc αἶνος [*ſententia*]. In Terentio eſt: *Etiam ſententias loquitur carnifex*.

10. *Quoniam à Deo profecta eſt ſapientia*] *Quoniam non à Deo venit*, nempe ſententia quam homo flagitioſus eloquitur. Natat in labris, non eſt in corde.

Sapientiæ enim Dei adſtabit laus, & in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi] Ex Græco, mutatâ in perſpicuum locutione Hebraïcâ, ſic reddas: *Si ſapienter* (ex pio animo) *enuntiatur ſententia, Deus eam proſperabit*. Efficiet ut non ſit inutilis prolata à digno auctore.

11. *Non dixeris, Per Deum abeſt: quæ enim odit nè feceris*] Legit ἄπεστιν [*abeſt*], & rectè, ni fallor. Continuatur enim ſermo hunc in modum, *Nè dixeris*

per Deum fieri quòd abeſt à te (ſapientia) : *tu enim non faceres* (id eſt, non debebas facere : ut, — *At tu dictis, Albane, maneres) quod ipſe odit.* Non Deus ſuâ ſponte, ſed tu per vitam flagitioſam ſapientiæ ad te præcludis aditum. Vide 7. & 8.

12. *Non dicas, Ille me implanavit : non enim neceſſarii ſunt ei homines impii*] Legit ἐπλάνησε, ut quidam habent libri. At alii ἔπλασε, ſenſu valde conveniente huic loco, *Neque dixeris, ille me finxit*, ineptum nempe ad vitam probam : *nam Deus non opus habet hominibus flagitioſis*, ut ob id cogatur eos formare ad virtutem inhabiles. Sic reſpondet illis qui putant vitia neceſſariò & inſanabiliter ſequi ex temperamento corporis.

13. *Omne exſecramentum erroris odit Dominus*] Πᾶν βδέλυγμα ἐμίσησεν ὁ Κύριος, *Omnem rem per ſe fœdam odit Deus.* Quales ſunt idololatria, perjurium, adulterium, ſtuprum, cædes, furta, calumniæ, fraudes.

Et non erit amabile timentibus eum] Sunt enim ex Deo geniti, id eſt, indolem habent factam ad Divinæ bonitatis exemplar.

14. *Deus ab initio conſtituit hominem*] Id eſt, ab initio naſci facit homines boni malique ignaros.

Et reliquit illum in manu conſilii ſui] Dimittit illum ut poteſtatem habeat conſilium capiendi quod ſibi ſit utile, vel inutile. *Manus* Hebræis poteſtatem ſæpe ſignificat. Eſt hic aoriſtus pro quovis tempore. Agitur enim de formatione hominis cujuſque, & de iis quæ poſtea adoleſcente ætate conſequuntur, quod & ſequentia oſtendunt.

15. *Adjecit mandata & præcepta ſua*] Non eſt hoc in Græco, ſed additum eſt meliùs connectendo ſenſui.

16. *Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere*] Etiam hîc aliqua addita ſunt. In Græcis legitur, Ἐὰν θέλῃς συντηρῆσαι ἐντολὰς καὶ πίστιν ποιῆσαι εὐδοκίας [*Si velis ſervare præcepta & fidem beneplaciti implere*]. Malè in quibuſdam codicibus συντηρήσεις, quod oſtendit ſequens verbum ποιῆσαι. Vtrumque pendet à præcedente, ἀφῆκεν αὐτὸν, *dedit illi poteſtatem, ſi velit, faciendi mandata, & fidem implendi, quæ Deo placent.* Confer quod ſuprà eſt 1. 24. πίστις εὐδοκίας [*fides beneplaciti*], Hebraïcâ locutione, id eſt, εὐδοκητός [*bene placens*].

17. *Appoſuit tibi ignem & aquam*] Oſtendit eſſe aliquam in προαιρέσει [*humana electione*] libertatem, ſuppoſitis primùm auxiliis neceſſariis; Deut. xxx.19. Ioſuæ xxiv. 15. Ignis & Aqua plurimùm inter ſe diſtant : ſic & vita ſecundùm cupidines, quæ per *ignem* ſignificantur, & ſecundùm innocentiam, quæ per *aquam*.

Ad quod volueris porrige manum tuam] Sume utrumvis, ſed tuo bono aut malo, ut ſequetur.

18. *Ante hominem*] Id eſt, expoſita ſunt homini. Id enim ſæpe ſignificatur per ἔναντι [*ante*].

Vita] Felix ſecundùm promiſſa Legis.

Et mors] Violenta, aut immatura, aut etiam vita miſera, quæ non raró *mortis* nomine appellatur.

Quod placuerit ei dabitur illi] Αἰτία ἑλομένου· Θεὸς ἀναίτιος [*Culpa in eligente : Deus extra culpam*], ait Plato.

19. *Quoniam multa ſapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes ſine intermiſſione*] In Græco, *Quia multa Dei ſapientia, ipſe verò validus potentiâ, & cuncta adſpiciens.* Sapienter eam homini dedit libertatem, quæ præmio aut pœnæ locum faceret. Potens eſt ad reddenda præmia & pœnas, quanta vult, nemine prohibente. Videt non actiones tantùm, ſed & cogitata, unde præmia illa & pœnas juſtiſſimè diſpenſat.

20. *Oculi Domini ad timentes eum*] Deus ſui reverentes reſpicit, id eſt, peculiariter curat. Deſumtum ex Pſalmo xxxiii. 18.

Et ipſe agnoſcit omnem operam hominis] *Cognoſcit de omnibus hominum factis.* Hoc eſt quod dicit Salluſtius, *Omnium mortalium vitam Divino numine inviſi, neque bonum neque malum facinus cujuſquam pro nihilo haberi.*

21. *Nemini mandavit impiè agere*] Id eſt, nemini neceſſitatem impoſuit vivendi impiè. Cohæret enim hoc cum cœptis dici ſuprà 12.

Et nemini dedit ſpatium peccandi] In Græco eſt, *Nemini dat peccandi licentiam*, ſive, ut Tertullianus loquitur, *commeatum delinquendi.* Nemini impunitatem promiſit peccare pergenti. Prohibet peccare quantum prohiberi id poteſt, relictâ homini libertate.

22. *Non enim concupiſcit*] Hoc non eſt in Græco, & videtur repetitum ex eo quod ſequitur

CAPVT XVI.

1. *NE jucunderis in filiis impiis ſi multiplicentur*] *Nè deſidera multitudinem liberorum inutilem,* nulli bono. Euripides de liberis,

Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, ἐχθίστη νόσος.
[*Nam dira peſtis moribus proles malis.*]

2. *Non credas vitæ illorum*]

——— *Fragili nè crede juventæ.*

Multi ante diem cadunt.

Et nè reſpexeris ad labores eorum] *Neque eorum turbæ innitere*, id eſt, eo validum te puta. Vide Pſalm. cxxii. 4. 5. Niobe apud Ovidium prolem ſuam jactans,

——— *tutam me copia fecit :*
Major ſum quàm cui poſſit fortuna nocere.

5. *Ab uno ſenſato inhabitabitur patria*] *Per unum cordatum frequens habitabitur urbs.* Vt per Theſea Athenæ, per Romulum Roma.

Tribus impiorum deſeretur] *Familia impiorum exſtirpabitur.* ἐρημωθῆναι [*deſertum reddi*] propriè terris competit : familiæ per figuram.

6. *Et fortiora horum audivit auris mea*] His majora ex hiſtoriis didici.

7. *In ſynagoga peccantium*] Vbi populus eſt flagitioſus.

Exardebit ignis] Id eſt, ultio Divina, quæ per ignem exprimi ſolet, ut Pſalmo x. 7. & alibi.

Et in gente incredibili]. Ἀπειθεῖ, ubi gens eſt in Deum contumax.

8. *Non exoraverunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes*] In Græco, *Non placatus eſt* (id eſt, non condonavit Deus) *priſcis gigantibus*, id eſt, hominibus Noæ coævis : in qua hiſtoria נפלים ſunt γίγαντες [*gigantes*] Lxx Interpretibus.

Qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti] χειροδίκαι [*jus in manu gerentes*], quales ſolent deſcribi Gigantes: Sap.xiv. 6. Sed pro *deſtructi ſunt* in Græco eſt ἀπέστησαν, id eſt, à Deo defecerunt.

9. *Et non pepercit peregrinationi Lot*] Non pepercit loco incolatûs Loti. Id enim παροικία. Vide Lucæ xxiv. 18.

Et exſecratus eſt eos] *Eos* refertur ad id quod ſubintelligitur, id eſt, *terræ illius habitatores.*

Præ ſuperbia verbi illorum] In Græco: *Ob ſuperbiam ipſorum.* Bene nominavit *ſuperbiam,* ut & Ezechiel de iiſdem hominibus agens xvi. 49. quia ex ſuperbia, id eſt, Dei contemtu, cætera illorum crimina ortum trahebant.

10. *Non miſertus eſt illis gentem totam perdens*] *Non miſeratus eſt gentem exitii:* id eſt, exitio devotam, quomodo Iudas υἱὸς ἀπωλείας [*filius perditionis*] Ioh.xvii. 12. Vide quæ diximus ad II Theſſ. ii.3.

Et extollentem ſe in peccatis ſuis] In Græco, τοὺς ἐξηρμένους ἐν ἁμαρτίαις αὐτῶν ἃς ἐποίουν, ità enim in Sixtina, non ut in aliis, ἐξερχομένους. *Elatos in peccatis quæ committebant:* id eſt, apertè ſe jactantes de ſceleribus ſuis, Geneſ. xix. 5. 9.

11. *Et ſicut ſexcenta millia peditum qui congregati ſunt in duritia cordis ſui: & ſi unus fuiſſet cervicatus, mirum ſi fuiſſet immunis*] Græca lectio in multis editionibus hîc additamentis quibuſdam planè corrupta eſt. Optimè habet Sixtina editio, καὶ οὕτως ἑξακοσίας χιλιάδας πεζῶν τοὺς ἐπισυναχθέντας ἐν σκληροκαρδίᾳ αὐτῶν· καὶ ἐὰν ἦν εἷς σκληροτράχηλος, θαυμαστὸν τοῦτο εἰ ἀθωωθήσεται, *Pari modo ſexcenta peditum millia, qui duro corde inter ſe convenerunt* (nempe *miſeratus non eſt*, ex ſuperioribus): *quantò magìs ſi unus aliquis ſit cervicoſus, mirum eſſet ſi ipſi parceretur.* Quid non metuere debent ſinguli contumaces, cùm de ſexcentis millibus qui ex Ægypto exceſſerant, præter Levitas, (Num.i.45.) nulli promiſſa acceperint, excepto Ioſue & Calebo? Num.xxvi.5. *Peditum,* id eſt, qui arma ferre poſſent: nam mulieres & inutilis ætas erat extra illam ſummam, ut videre eſt dicto loco Num.i.45. Hi omnes dicuntur conveniſſe duro corde, id eſt, pariter omnes fuiſſe inobſequentes: ità ut

In facinus juraſſe putes.

Alii vitulum coluerant, alii Deo oblocuti fuerant carnium deſiderio, alii exploratorum relatu territi defectionem cœperant, alii cum Core ſociiſque ejus moverant ſeditionem, alii ſitis non tolerantes animum deſponderant, alii cum Madianiticis feminis ſe corpore cultúque miſcuerant. ἀθωοῦν eſt propriè *facere innocentem;* ſed, locutione Hebræis frequentatâ, *tractare quaſi innocentem*, id eſt, parcere. Vide Sap. i. 6. & ſuprà xi. 10. xii. 16. Reſpondet Hebræo כפר, ut Ierem. xviii. 23. & נקה ut i Sam. xxvi.9. Prov.vi.29. xvi.6. xvii.5. xxviii.20. Ier. xlvi. 27. xlix. 11. Ioël.iii.21. Nahumi i. 3. Vide quæ diximus ad Iacobi ii. 21.

12. *Miſericordia enim & ira eſt cum illo*] *Apud illum*, id eſt, non tantùm parcere novit, ſed & iraſci ubi opus eſt.

Potens exoratio, & effundens iram] *Citò potens placationum* (id eſt, valdè placabilis), *& citò effundens iram.* Illud *citò* oſtendit mutato homine ſtatim mutari etiam ſortem ipſius apud Deum. Vide Ieremiæ xviii. 7. & ſeqq.

13. *Secundùm miſericordiam ſuam, ſic correptio illius*] In Græco: *Sicut magna eſt ejus miſericordia, ità & magna ejus caſtigatio.*

Secundùm opera ejus judicat] *Ejus* hîc valet *cujusque.* Deſumtum ex Pſalm. lxii. 13. *Opera* & hîc & ibi ſumuntur pro *conſuetudine* aut *propoſito agendi.*

14. *Non effugiet in rapina peccator*] Id eſt, peccator rapere ſolitus pœnam non effugiet.

Et non retardabit ſufferentia miſericordiam facientis] *Sufferentiam* ſolet dicere ὑπομονήν. Sed hîc eſt μετωνυμία [*Tranſnominatio*]· nam per *ſufferentiam* intelligitur id quod exſpectatur cum patientia, liberatio ſcilicet à malo. Εὐσεβοῦς, id eſt, *pii*, vertit Interpres *miſericordiam facientis*, quia vox εὐσεβοῦς interdum ſic ſumitur; & ità rectè id nomen opponitur *raptori.*

15. *Omnis miſericordia faciet locum unicuique ſecundùm meritum operum ſuorum*] In Græco, *Omni miſericordiæ da locum; quiſque enim ſecundùm facta ſua reperiet*, pœnam nempe aut præmium. Dare locum huic ſcriptori eſt *magni facere*, ut apparet infrà xxxviii. 14. ποίησον [*da* locum] lectio hîc recta, non altera, ποιήσει [*dabit* loc.].

Et ſecundùm intellectum peregrinationis ipſius] Deeſt in Græco. Contrà deſunt in Latino quæ in Græcis quibuſdam libris reperiuntur, Κύριος ἐσκλήρυνε Φαραὼ μὴ εἰδέναι αὐτὸν, ὅπως ἂν γνωσθῇ ἐνεργήματα αὐτοῦ ἐπ' οὐρανὸν πάσῃ τῇ κτίσει, τὸ ἔλεος αὐτοῦ φανερὸν καὶ τὸ φῶς αὐτοῦ, καὶ τὸ σκότος ἐμέρισε τῷ ἀδάμαντι [*Deus obduravit Pharaonem nè ipſum noſſet, ut innoteſcerent facta ipſius ſub cælo omni creaturæ. Miſericordia ejus manifeſta & lumen ejus, & tenebras diviſit adamanti*]. Sed abſunt hæc omnia in Sixtina, & revera huc non pertinent.

16. *Non dicas, à Deo abſcondar*] Latebo Deo.

Et ex ſummo quis mei memorabitur?] Id eſt, de me cogitabit, ut ſuprà vii. 38.

17. *In populo magno non agnoſcar*] In tanta hominum multitudine.

Quæ eſt enim anima mea?] Id eſt, quid ego ſum?

In tam immenſa creatura] *Creaturam* vocat omne humanum genus, ut Marci xvi. 15.

18 *Ecce cælum*] Aër, & ſtellata regio.

Et cæli cælorum] Cœlum nobis inadſpectabile.

Abyſſus] Mare.

In conſpectu illius commovebuntur] Vetus tragœdia,

Τρέμει δ' ὄρη καὶ γαῖα, καὶ πελώριος
Βυθὸς θαλάσσης, κωρέων ὕψος μέγα,
Ὅταν ἐπιβλέψῃ γοργὸν ὄμμα δεσπότου.
[*Illum ipſa tellus horret & juga montium,*
Latéque fuſa ſtagna cærulei maris,
Si fortè torvo Dominus ore adſpexerit.]

19. *Montes ſimul & colles*] In Græco *montes* nominantur, non *& colles.* Præterea in Græcis libris multis inter id quod præceſſit in Latino & hæc verba interjicitur, ἅπας ὁ κόσμος γεγονὼς καὶ γινόμενος ἐν θελήματι αὐτοῦ [*omnis Mundus exſtitit & exſiſtit per ejus voluntatem*]. Sed in Sixtina deſunt hæc, ut conjicere liceat aliunde inſerta; ut in eclogis ſæpe fit.

20. *Et in omnibus his inſenſatum eſt cor: & omne cor intelligitur ab illo*] Longè aliter in Græco, καὶ ἀξίως οὐ διανοηθήσεται ἐπ' αὐτοῖς καρδία, *Dignè de illis* (nempe operibus Dei quæ jam enumerata ſunt) *cor* hominis *cogitare neſcit.*

21. *Et vias illius quis intelligit?*] Quantò minùs poſſit homo intelligere Divinæ providentiæ rationes ac vias?

Et procellam quam nec oculus videbit hominis: nam plurima ejus opera ſunt in abſconditis] In Græco, ſi locutionem Hebræam populariter exponas, ſic eſt: *Procellæ, quam nullus videt oculus, opera pleraque ſunt in abſconditis.* Sed quæ ſequuntur negationem hîc exigunt. Procellæ cauſa & natura latet: opera apparent, arbores everſæ, dejecta ſaxa & tecta, commoti amnes & mare. Sic & Deus nobis per ſe incognitus, per opera apparet. Καταιγὶς [*procella*] (ea vox hîc eſt in Græco) Ariſtoteli definitur πνεῦμα ἄνωθεν τύπτον ἐξαίφνης [*ſpiritus ſubitò percutiens de ſupernis*]. Vide infrà XXXIII. 2. XLIII. 20. Reſpondet Hebrææ סופה, ſed & vocibus aliis.

22. *Sed opera juſtitiæ ejus quis enunciabit, aut quis ſuſtinebit?*] Pari modo effectus juſtitiæ Divinæ tanti ſunt ut neque omnes dignè explicari ab homine poſſint, neque tolerari ab iis in quos incident, procellæ ritu.

Longè enim eſt teſtamentum à quibuſdam] *A quibuſdam* non eſt in Græco. Διαθήκη hoc loco ſignificat ordinem judiciarium, quo Deus utitur diu explorando homines, an ſint ſanabiles; poſtremò, ubi menſura judicii impleta fuerit, exigendo pœnam. Pari ſenſu de humanis judiciis διαθήκη κρίματος dicitur infrà XXXVIII. 43. Longè, inquit, remotus eſt à noſtra cognitione ordo iſte quo Deus utitur.

Et interrogatio omnium in conſummatione eſt] Ἐξέτασις ἁπάντων ἐν τελευτῇ, *Tandem tamen omnia* (malefacta) *puniuntur.* ἐν τελευτῇ, באחרית, id eſt, *tandem*, ut ſuprà XI. 27. & alibi. ἐξέτασις, per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] hîc eſt ipſa *pœna.*

23. *Qui minoratur corde cogitat inania*] In Græco Sixtino, Ἐλαττούμενος καρδίᾳ διανοεῖται ταῦτα, *Qui eſt exiguo corde* (id eſt, modeſtus ac ſubmiſſus) *talia cogitat*, nempe quàm miris modis Deus decreta ſua diſponat, & exſequatur. καρδίᾳ [*corde*] hîc, ut infrà XL. 28, ἀνυψώσουσι καρδίαν [*attollent cor*]· nec aliter Deuteronom. VIII. 14.

Et vir imprudens & errans cogitat ſtulta] *Homo temerarius* (און verti ſolet ἄφρων) *per errorem ſtulta cogitat*, nempe impunè haberi ſcelera, neque à Deo curari res humanas.

25. *Dicam in æquitate diſciplinam*] Græcè, ἐν σταθμῷ [*ad libram*], tam rectè quàm rectè libra indicat pondera: nam σταθμὸς hîc idem eſt quod Hebræum משקל, id eſt, *libra.*

Et ſcrutabor enarrare ſapientiam] *Exactè explicabo ſcientiam ejus*, ſcilicet diſciplinæ. ἀκριβῶς, *adamuſſim.*

Et in verbis meis attende in corde tuo] Deeſt in Græco, & quæ ſequuntur hoc commate.

26. *In judicio Dei opera ejus ab initio*] *Quippe Dei opera ab initio judicio ipſius* diſpoſita ſunt: id eſt, Deus τάξιν [*ordinem*] dedit τῇ ἀταξίᾳ [*moli confuſæ*].

Et ab inſtitutione ipſorum diſtinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus ſuis] In Græco, *Ex quo ea fecit, diſtinxit partes eorum:* nempe ut unum orbem faceret Terra & Aqua, ut ei circumtenderetur Aër, in ſummo eſſent Ignes cœleſtes.

Nam cælo terras, & terris abſcidit undas,
Et liquidum ſpiſſo ſecrevit ab aëre cælum.

27. *Ornavit in æternum opera illorum*] *Ordinavit in perpetuum opera ſua:* id eſt, in perpetuum, dum ſtabit hoc univerſum, durare voluit magnas illas partes. Sequitur in Græco, ϗ ἐν χειρὶ αὐτοῦ αἱ ἀρχαὶ αὐτῶν εἰς γενεὰς γενεῶν, *Et imperia eorum* (id eſt, aſtra quæ rebus inferioribus præſunt) *in Dei poteſtate ſunt in omnia ſecula.* Aſtra rebus præſunt, Deus aſtris. εἰς γενεὰς γενεῶν, *in omnia ſecula*, etiam infrà XXXIX. 12. ubi Hebraicè ברור דורים.

Nec eſurierunt, nec laboraverunt] *Non defatigata ſunt* eundo aſtra.

Et non deſtiterunt ab operibus ſuis] A curſu ſuo.

28. *Vnuſquiſque proximum ſuum non anguſtiabit uſque in æternum*] In Græco, *Alterum non extruſit alterum* de loco ſuo, ut in turba ſcilicet fieri ſolet. Hebræa locutio eſt איש את רעו. Mirum ſanè eſt, ἐν τῇ ἀπλανεῖ [*in orbe fixo*] ſtellas ſemper eundem inter ſe ſitum ſervare. Nimirum lex hæc eſt ab Opifice data.

29. *Non ſis incredibilis verbo illius*] In Græco, *Nunquam inobſequentia erunt verbo ejus:* id eſt, Aſtra ſemper Dei præſcriptum ſequentur. Vide Pſalm. CIV. 19.

30. *Poſt hæc Deus in terram reſpexit*] *Poſt facta iſta* (aſtra ſcilicet) *Deus reſpexit terram.* Curam ejus ornandæ ſuſcepit.

Et implevit illam bonis ſuis] Frumento, vite, oleâ, rebúſque aliis ad vitam aut neceſſariis, aut utilibus.

31. *Anima omnis vitalis denuntiabit ante faciem ipſius*] Legit ἐκήρυξε, pro ἐκάλυψε, malè; ψυχὴ, pro ψυχὴν, bene. Vera lectio eſt, ψυχὴ παντὸς ζώου ἐκάλυψε τὸ πρόσωπον αὐτῆς, *Anima omnis animantis texit ſuperficiem ejus*, nempe *terræ*, de qua ſermo præceſſerat. *Anima animantis omnis* pro *animante*, locutio συνεκδοχικὴ [*per comprehenſionem*] ex Hebraïſmo. Sic Gen. I. 20. כל נפש החיה [*omnem animam vitæ.*]

Et in ipſam iterum reverſio illorum] Animantia reditura ſunt in terram, εἰς ἅδην, in generalitatem.

CAPVT XVII.

1. DEus *creavit de terra hominem*] Ex limo Geneſ. II. 7. Sic & Græci Poëtæ dicunt ἐκ πηλοῦ. Vide quæ annotavimus ad librum primum pro Veritate Religionis Chriſtianæ.

Et ſecundùm imaginem ſuam fecit illum] Hoc in Græco abeſt, infrà ponitur.

2. *Et iterum convertit illum in ipſam*] Fecit ut in terram redeat: Gen. III. 19. Cicero ex Euripide, *Reddenda terræ terra.* Idem Euripides, — τὸ σῶμα δ' εἰς γῆν [*— corpúſque terræ*].

Et ſecundùm ſe veſtivit illum virtute] Hoc infrà ponitur in Græco.

3. *Numerum dierum & tempus dedit illi*] Præfinivit illi vitæ ſpatium quod non excederet, mille nempe annorum primâ ætate; poſtea multò brevius, Iob. XIV. 5. Pſalm. XC. 10. In Græco non eſt *ipſi* ſed *ipſis*, tranſitu facto de ſingulari in pluralem.

Et dedit illi poteſtatem eorum quæ ſunt ſupra terram] Rurſum *illis* in Græco. Vide ſuprà X. 2. Hîc in Græco ſequitur in Sixtina, καθ' ἑαυτοὺς ἐνέδυσεν αὐτοὺς ἰσχύν· ſed Latinus legit rectiùs, καθ' ἑαυτὸν, ut videre eſt ſuprà 2. ubi ille hanc ſententiam poſuit. Senſus eſt: *Dedit illis imperium quale ſuum eſt.* ἰσχὺς *imperium* ſignificat, ut ſuprà IX. 2. Deinde ſequitur in Græco, ϗ κατ' εἰκόνα αὐτοῦ ἐποίησεν αὐτοὺς, *ad ſuam effigiem eos fecit*. Ea effigies in eo præcipuè erat poſita ut

——— dominari in cætera poſſet,

quemadmodum loquitur Ovidius. Erat enim Homo quidam in terra Deus.

4. *Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem*] Nempe ut faciliùs procederet illud imperium, omnem feritatem voluit homini eſſe innoxiam, quod nunc homo non niſi vi magnâ ingenii & experientiæ adipiſcitur, ut patet in illis qui elephantes, leones, balænas capiunt.

Et dominatus eſt beſtiarum & volatilium] In Græco, *ad dominandum feris & volucribus*: nam ϗ [*&*] hîc abundat: & κατακυριεύειν eſt pro εἰς τὸ κατακυριεύειν [*ad dominandum*]. Quod in quibuſdam exemplaribus ſequitur, ἐν ὁμοιώματι [*in ſimilitudine*] deeſt in Sixtino, ſicut & in eo defuit exemplari quo uſus eſt hîc Latinus.

5. *Creavit ex ipſo adjutorium ſimile ſibi*] Non eſt in Græco. Contrà quod in multis exemplaribus ſequitur in Græco, ἕκτον δὲ νοῦν αὐτοῖς ἐδωρήσατο μερίζων, ϗ τὸ ἕβδομον λόγον ἑρμηνέα τῶν ἐνεργημάτων αὐτοῦ [*ſextam autem illis dedit partitò mentem, & ſeptimum ſermonem actionum ejus interpretem*], ſicut in Latino non eſt, ità nec in Sixtino, videtúrque ad marginem annotatum fuiſſe ab aliquo Stoïcorum librorum lectore. Nam Stoïci (ut Plutarchus aliique nos docent) ad quinque ſenſus notiſſimos tres annumerabant alios, quorum hîc omiſſum eſt τὸ σπερματικὸν [*generativum*], poſita autem duo, τὸ φωνητικὸν [*vocalis pars*], & τὸ ἡγεμονικόν [*pars imperatrix*]. Vide & Theodoretum Sermone v. Sed alieno loco hoc inſertum eſt huic textui, cùm quinque ſenſuum nulla mentio præceſſerit, quorundam autem de illis mentio poſt hæc ſequatur.

Conſilium] Διαβούλιον, id eſt, *vim conſultantem*, τὸ βουλευτικόν.

Et linguam] Τὸ φωνητικόν [*partem vocalem*].

Et oculos] Τὸ ὁρατικόν [*vim viſivam*].

Et aures] Τὸ ἀκουστικόν [*vim auditivam*].

Et cor dedit illis excogitandi] *Ad excogitandum*, διανοεῖν. Deſcribit τὸ ὀρεκτικόν [*vim appetentem*]· nam διάνοια pro *appetitu* ſæpe ſumitur, ut Baruch. I. 15.

Et diſciplinâ intellectûs replevit illos] Ἐπιστήμην συνέσεως ἐνέπλησεν αὐτούς. Hoc eſt, τὸ ἐπιστημονικόν [*facultas ſcientiarum capax*].

6. *Creavit illis ſcientiam ſpiritûs, ſenſu implevit cor illorum*] Deeſt in Græcis.

Et bona & mala oſtendit illis] Vt in perditis per Diluvium & Noë ſervato.

7. *Poſuit oculum ſuum ſuper corda eorum*] Id eſt, curam adhibuit ſanandis eorum animis, poſtquam eos prava exempla & inſtitutio corruperant.

7.8. *Oſtendere illis magnalia operum ſuorum, ut nomen ſanctificationis collaudent, & gloriari in mirabilibus illius, ut magnalia enarrent operum ejus*] In Græcis ordo alius, *Dedit ut in perpetuum jactare ſe poſſent de miraculis ejus, id eſt, ut prudenter opera ejus commemorarent: ideo nomen ejus ſanctum viri eximii laudabunt*. Addidi *id eſt* implendo ſenſui, & ϗ verti *ideo*, ut ſæpe; & nomen genitivum ἁγιασμοῦ [*ſanctitatis*] verti in adjectivum, pro quo poni apud Hebræos ſolet. Reſpicit præcipuè ad illa oſtenta in Ægypto.

9. *Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hereditavit illos*] Pro *diſciplinam* in Græco eſt ἐπιστήμην [*ſcientiam*]. Senſus eſt: *Fecit eos* (eximios, id eſt, Iſraëlitas) *ſapientiores cæteris gentibus*, datâ Lege, Deuter. IV. 7. *Lex vitæ* dicitur, quia vitæ & longæ & felicis promiſſa habet. Quod hîc in Græcis quibuſdam ſequitur, εἰς τὸ νοῆσαι ὅτι θνητοὶ ὄντες ὑπάρχουσι νῦν [*ut intelligant nunc ſe mortales eſſe*], deeſt in Sixtino; neque ſanè ſenſum hîc commodum recipit.

10. *Teſtamentum æternum cum illis conſtituit*] Fœdus illud cujus mentio Ioſ. XXIV. 16. διαθήκην αἰῶνος, id eſt, *fœdus diutiſſimè duraturum.*

Et juſtitiam & judicia ſua oſtendit illis] In Græco tantùm, τὰ κρίματα αὐτοῦ ὑπέδειξεν αὐτοῖς [*præcepta ſua oſtendit eis*]. κρίματα, משפטים, vocat præcepta omnis æquitatis pleniſſima, quorum præcipua jam explicaturus eſt.

11. *Et magnalia honoris ejus vidit oculus illorum*] *Majeſtatem gloriæ*, nempe in Sinaïtico monte.

Et honorem vocis audierunt aures illorum] In Græco, *gloriam vocis*, id eſt, vocem tremendam.

Et dixit illis] Nempe non illis verbis, ſed illo ſenſu.

Attendite ab omni iniquo] Id eſt, à falſorum deorum cultu, & perjuriis.

12. *Et mandavit illis unicuique de proximo ſuo*] Nempe nè quid alter alteri nocerent per ἀναρχίαν [*diſſolutionem imperii*], per homicidia, per adulteria, per furta, per falſimonias, dolóſve malos. Lex Dei eſt lex valde ſocialis.

13. *Viæ illorum coram ipſo ſunt ſemper, non ſunt abſconſæ ab oculis ipſius*] Invertit in hoc commate Interpres ordinem qui in Græco eſt. Senſus eſt, Deum per nubem & ignem ducem itineris fuiſſe electis ſuis.

14.15. *In unamquamque gentem præpoſuit Rectorem; & pars Dei Iſraël facta eſt manifeſta*] Sic & in Sixtino, ἑκάστῳ ἔθνει κατέστησεν ἡγούμενον, ϗ μερὶς Κυρίου Ἰσραήλ ἐστι, *Vnicuique genti* (Deus) *dedit præſidem; at Iſraël portio Dei eſt*. Senſus eſt, Sicut cæteræ gentes à ſuis Regibus, ità populus Hebræus à Deo ipſo regebatur ducebatúrque. Erat enim θεοκρατία [*Dei regimen*], ut Ioſephus loquitur. In aliis exemplaribus Græcis aliqua hîc intertexta ſunt, tum ante ea quæ jam recitavimus, tum poſt ea verba. Videntur autem deſumta hæc additamenta ex diverſis locis Scripturæ; ut Geneſ. VIII. 21. Deuteron. XXIX. 4. Ezech. XI. 19. Deuter. XXXII. 8. 9. Exod. IV. 22. Ieremiæ XXXI. 3.

16. *Et omnia opera illorum velut Sol in conſpectu Dei*] *Et* non eſt in Græco, ſed διὸ [*propterea*] in quibuſdam codicibus. Verùm & hoc abeſt in Sixtino. Sicut homines in Solem inſpiciunt, ſic Deus in omnia illa quæ Iſraëlitæ agebant.

Et oculi ejus ſine intermiſſione inſpicientes in viis eorum] Ἐπὶ τὰς ὁδοὺς αὐτῶν, *ſupra vias eorum.*

17. *Non ſunt abſconſa teſtamenta per iniquitatem illorum*] In Græco: *Non latebunt illi injuſtitiæ eorum.*

Et omnes iniquitates eorum in conſpectu Dei] *Et* hîc valet *imò*, *omnes* verò *ſingulæ*. Quod in Græcis codicibus quibuſdam ſequitur, id non minùs à Sixtino codice quàm in Latino abeſt.

18. *Eleemoſyna viri*] Omnia dilectionis opera in egentes.

Quaſi ſignaculum cum ipſo] Quod ſemper nobiſcum geſtare ac ſollicitè cuſtodire ſolemus, Ieremiæ XXII. 24. Cantici VIII. 6.

Et gratiam hominis quaſi pupillam conſervabit] χάριν [*gratiam*] vocat omnia beneficia quæ ab hominibus in homines proficiſci ſolent; חן. *Quaſi pupillam*, id eſt, diligentiſſimè, Deuteron. XXXII. 10. Pſalm. XVII. 8. Quod hîc in Græcis quibuſdam ſequitur, μερίζων υἱοῖς αὐτοῦ καὶ θυγατράσι μετάνοιαν [*diſpertiens filiis & filiabus ejus pœnitentiam*], ſicut in Latinis non eſt, ità nec in Sixtino codice.

19. *Et poſtea reſurget*] *Tandem reſurget*, quaſi à ſomno excitatus.

Et retribuet illis retributionem in caput ipſorum] *Illis*, nempe de quorum peccatis actum ſuprà 17. Contractiùs poſuit Latinus Interpres quod cum repetitione eſt in Græco, καὶ ἀνταποδώσει αὐτοῖς, καὶ τὸ ἀνταπόδομα αὐτῶν εἰς κεφαλὴν αὐτῶν ἀνταποδώσει [*& reddet illis, in caput eorum vicem reddet*]. *In caput* dicuntur *reddi* quæ exitium adferunt. Tibullus:

——— *capiti ſint, precor, illa meo.*

Mamercus apud Senecam: *mihi & capiti meo. Capiti ſuo*, apud Ciceronem aliquoties. Virgilius:

Di capiti ipſius generíque reſervent.

20. *Pœnitentibus autem dedit viam juſtitiæ*] In Græco: *Dedit reditum*, nempe in gratiam ſuam.

Et confirmavit deficientes ſuſtinere] Παρεκάλεσε τοὺς ἐκλείποντας ὑπομονήν, *ſolet admonere eos qui tolerantiam deſeruere*. Hîc ἐκλείπειν ὑπομονήν, [*deſerere tolerantiam*] quod ἀπόλλυσθαι ὑπομονήν [*tolerantiam amittere*] infrà XLI. 4. Quid autem ſit quod admoneat, ſequitur, *Convertere ad Dominum*, &c.

Et deſtinavit illis ſortem veritatis] Non eſt in Græco.

21. *Et relinque peccata tua*] Quod in quibuſdam Græcis hîc ſequitur, αὐτὸς γὰρ ὁδηγήσει ἐκ σκότους εἰς φωτισμὸν ὑγιείας [*ipſe enim ducet ex tenebris in lucem ſanitatis*], id in Sixtina editione abeſt.

22. *Precare ante faciem Domini*] Bene ſupplevit Interpres illud, *Domini:* eſt enim locutio frequens κατὰ πρόσωπον Θεοῦ εὔξασθαι [*ante faciem Dei precari*], ut videre eſt I Paral. XVI. 4. 27. 29. Id autem ſignificat verſus Adytum, II Paral. IV. 20. I Paral. XVI. 6.

Et minue offendicula] *Minue offenſam.* Fac Deum poſthac minùs offendas.

23. *Et nimis odito exſecrationem*] *Et valde odio proſequere omne flagitium.* σφόδρα [*valde*] in Græco. βδέλυγμα [*flagitium*] hîc ſume ut ſuprà XV. 13.

24. *Et cognoſce juſtitias*] Hæc uſque ad illa *ſeculi ſancti* non ſunt in ullis Græcis. Contrà eſt in Græcis quod in Latino deeſt, Ὑψίστῳ τίς αἰνέσει ἐν ᾅδου, *Quis apud inferos laudes Deo canet?* ſumtum ex Pſal. VI. 6. Senſus eſt, non differenda ea quæ noſtri officii ſunt, quaſi poſt mortem expleri poſſent. Interpres Iudaïca videtur mutaſſe in ſenſum Chriſtianorum, qui credidere ſanctos mortuos in Dei laudibus occupari.

25. *Cum vivis & dantibus confeſſionem Deo*] Pendet ab eo quod præceſſit in Græco, *Quis apud inferos Deo laudes canet unà cum vivis Deum laudantibus?* ἀνθομολόγησις [*confeſſio*] Helleniſtarum ſermone eſt תודה, quod alibi αἴνεσις [*laudatio*] vertitur. Nam qui Deum laudat, agnoſcit ejus potentiam ac beneficia.

26. *Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere*] Hîc etiam mutatio facta: nam in Græco eſt, ἀπὸ νεκροῦ, ὡς μηδὲ ὄντος, ἀπόλλυται ἐξομολόγησις, *A mortuo, utpote qui non ſit, periit laus*, id eſt, abiit laudandi facultas. *Mortui non ſunt*, id eſt, non ſunt homines. Animæ autem ſeparatæ à corpore an aliquid agerent, valde incertum & controverſum erat apud Hebræos veteres, pleriſque in negantem partem propendentibus.

27. *Confiteberis vivens, vivus & ſanus: confiteberis & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus illius*] In Græco breviùs, ζῶν καὶ ὑγιὴς τῇ καρδίᾳ αἰνέσει τὸν Κύριον, *Is qui vivus eſt, & corde valet, debet Dominum laudare*, eo ſcilicet modo qui ſequitur. Valetudo cordi tribuitur, quia ibi fons eſt vitæ vitaliúmque ſpirituum.

28. *Et propitiatio illius*] Parata illius indulgentia.

Convertentibus ad ſe] In Græco additur ὁσίως [*ſanctè*] non ſimulatè, ſed fide optimâ.

29. *Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus*] Non omnia hominibus conſtare poſſunt, non omnia reſpondent ad regulam exactiſſimam.

Quoniam non eſt immortalis filius hominis] Non eſt talis naturæ qualis ſunt Angeli.

Et in vanitate malitiæ placuerunt] Deeſt in Græco.

30. *Quid lucidius Sole? & hic deficiet*] Ἐκλείπει, *deliquium patitur*, Lunæ corpore interpoſito.

Aut quid nequius quàm quod excogitavit caro & ſanguis?] Variant hîc Græcæ lectiones. Optima earum eſt, πονηρῶν ἐνθυμήσεται σὰρξ καὶ αἷμα [*mala expetiſcunt caro & ſanguis*]. Cùm Sol deficiat, quid mirum ſi deficiant interdum homines? nam cùm corpus eorum conſtet ex carne & ſanguine, facilè illis oboriuntur appetitus qui carni & ſanguini magìs quàm rationi conveniant.

31. *Virtutem altitudinis cœli ipſe conſpicit*] *Arcem cœli altiſſimi* (id eſt, ſiderei) *ipſe* (Sol) *perluſtrat*. חיל, quod δύναμις [*virtus*] verti ſolet, ſæpe *exercitum*, ſæpe & *arcem* ſignificat.

Et omnes homines terra & cinis] *Et* pro *at*. Sol in ſublimi verſatur, homines humi. Ille deliquium patitur, quid mirum ſi homines.

CAPUT XVIII.

1. *QVi vivit in æternum creavit omnia ſimul*] Κοινῇ [*univerſim*], id eſt, re nullâ exceptâ. ſic יחדו ſumitur Pſalmo XIV. 3.

Deus ſolus juſtificabitur, & manet invictus Rex in æternum] *Deus ſolus juſtificabitur*, id eſt, in omnibus actionibus ſuis juſtiſſimus reperietur. Ita תצדיק ſumitur Pſalm. LI. 6. Illud *& manet invictus Rex in æternum* non eſt in Græcis; ſed Græci multi codices hoc loco habent, Κύριος μόνος δίκαιος, καὶ οὐκ ἔστιν ἄλλος πλὴν αὐτοῦ. ὁ οἰακίζων κόσμον ἐν σπιθαμῇ χειρὸς αὐτοῦ· καὶ πάντα ὑπακούει τῷ θελήματι αὐτοῦ. αὐτὸς γὰρ βασιλεὺς πάντων, ἐν κράτει αὐτοῦ διαστέλλων ἐν αὐτοῖς ἅγια ἀπὸ βεβήλων [*Deus ſolus juſtus, & non eſt alius præter ipſum. Is eſt qui gubernat Mundum manûs ſuæ pugillo, & omnia obediunt voluntati ejus: ipſe enim Dominus omnium, poteſtate ſuâ in illis diſcernens ſancta à profanis*]. Hoc poſtremum, ut Iudaïcum, videtur diſplicuiſſe Chriſtianis.

2. *Quis ſufficit enarrare opera illius?*] Græcè: *Cui ſuppeditavit facultatem opera ſua enarrandi?* Nam quis id poſſet, niſi Deus ei explicaſſet? quàm multa enim ſunt viſum humanum fugientia.

3. *Quis enim inveſtigabit magnalia ejus?*] Id eſt, Quantò minùs homo perveſtigare poterit Dei miracula, nempe quomodo illa fecerit?

4. *Virtutem autem magnitudinis ejus quis enuntiabit?*] *Vim majeſtatis ejus quis enumerabit?* id eſt, metietur? ſolent enim iſta permiſceri.

Aut quis adjiciet enarrare miſericordiam ejus?] Id eſt, *Quis præterea poſſet enarrare benefacta ejus?* nam יסף in Hebræo ſignificat aut *iterum*, aut *plus aliquid facere*. Et חסד, quod ἔλεος verti ſolet, omne *benefactum* ſignificat.

5. *Non eſt minuere, neque adjicere, nec eſt invenire magnalia Dei*] Nihil eſt quod detrahi aut apponi debeat, id eſt, ſunt exactiſſima.

6. *Cùm conſummaverit homo, tunc incipiet*] Vbi omnia dixerit, tam parùm dixerit, quaſi demum inciperet loqui.

Et cùm quieverit, aporiabitur] *Obſtupeſcet*. Tam multa ſcilicet ſe omiſiſſe. ἀπορεῖν pro *obſtupeſcere* habes 1 Maccabæorum III. 31.

7. *Quid eſt homo, & quæ eſt gratia illius?*] Legit χρηστότης, ubi nos habemus χρῆσις [*utilitas*]. Quæ Deo utilitas ex homine? Iob. XXXV. 7.

Et quid eſt bonum?] Quod bonum ab homine ad Deum redit?

Aut quid nequam illius?] *Quid malum illius?* Dei nempe ab homine. Quid homo Deo noceat? Vide dictum Iobi locum.

8. *Numerus dierum hominum ut multum centum anni*] Pauci eò perveniunt; Pſalm. XC. 10. Quod hìc in Græcis quibuſdam ſequitur, ἀλογίστῳ δ' ἑκάστῳ πᾶσιν ἡ κοίμησις [*irrationabili autem cujuſque omnibus dormitio*], deeſt in Sixtina, neque videtur huc pertinere.

Quaſi gutta aquæ maris deputati ſunt; & ſicut calculus arenæ, ſic exigui anni in die ævi] Non legit χίλια ἔτη [*mille anni*], ut habent quidam libri, ſed ὀλίγα [*pauci*], ut Sixtina. ἐν ἡμέραις αἰῶνος [*in diebus ævi*], id eſt, ſi comparentur cum immenſo Dei ævo, cui nos humanâ imaginatione dies affingimus. Quid ſunt centum anni ad illam ſine principio durationem?

9. *Propter hoc patiens eſt Deus in illis*] Par ferme ſenſus qui Sapientiæ XV. 1. 2. Non feſtinat Deus pœnam de hominibus ſumere, quia etiam ſi maximè ſint mali, non diu humano generi erunt graves. Poſtea ſatìs erit temporis pœnas exigendi.

Et effundit ſuper eos miſericordiam ſuam] Id eſt, dat illis multa vitæ ærumnabilis ſolatia.

10. *Vidit præſumtionem cordis eorum, quoniam mala eſt, & cognovit ſubverſionem illorum, quoniam nequam eſt*] Etiam hìc ſenſum explicatiorem voluit facere Interpres: nam in Græco eſt tantùm, *Vidit exitum eorum fore malum*, nempe ſi peccare pergerent. καταστροφὴ finem hujus vitæ ſignificat, ut ſuprà IX. 14. Iob. XV. 21. XXI. 17. Geneſeos XIX. 29. Oſeæ VIII. 7.

11. *Ideo adimplevit propitiationem ſuam in illis*] Διὰ τοῦτο ἐπλήθυνε τὸν ἐξιλασμὸν αὐτοῦ, *placabilitatem ſuam auxit*. Multis modis oſtendit ſuam bonitatem & animum, quamvìs ſontibus, placabilem. Hæc explicantur per verba ſequentia.

Et oſtendit eis viam æquitatis] Hoc non eſt in Græco. Senſus eſt in his quæ illico ſequuntur.

12. *Miſeratio hominis circa proximum ſuum*] Id eſt, erga eos quibuſcum negotium habet, qui pauci ſunt.

12.13. *Miſericordia autem Dei ſuper omnem carnem, qui miſericordiam habet docet & erudit quaſi paſtor gregem ſuum*] Hæc quia divulſa legit Interpres, ideo quædam interpoſuit nectendo ſenſui. Sic autem continuo ſpiritu legenda ſunt Græca, ἔλεος τοῦ Κυρίου ἐπὶ πᾶσαν σάρκα, ἐλέγχων, καὶ παιδεύων, καὶ διδάσκων, καὶ ἐπιστρέφων, ὡς ποιμὴν τὸ ποίμνιον αὐτοῦ· nam ἔλεος hìc eſt maſculini generis, declinationis ſecundæ. *Miſericordia autem Dei ad omnem carnem* (id eſt, hominem) *pertinet, arguens, caſtigans, docens & revocans, ut paſtor gregem ſuum.*

14. *Miſeretur excipientis doctrinam miſerationis, & qui feſtinat in judiciis ejus*] Egit de beneficio communi; nunc de ſpeciali agit, hoc modo: *Eos miſeretur qui caſtigationem recipiunt* (nempe ut mali remedium), *& qui feſtinant ad præcepta ejus* exſequenda. κρίματα [*præcepta*] hìc ſume ut ſuprà XVII. 9. & alibi ſæpe.

15. *Fili, in bonis non des querelam*] Beneficiis nè adde reprehenſionem: hoc enim *panem lapidoſum* vocabant veteres. Da priùs, & alio tempore dictis caſtiga.

Et in omni dato non des triſtitiam verbi mali] Hoc enim eſt abſinthium miſcere melli. Non probaſſet hic Sapiens illud Græcorum,

Ἄρτον δὸς πτωχῷ, καὶ κόνδυλον αὖθις ἐπ' αὐτῷ.
[*Panem mendico dato, ſed ſuperaddito pugnum.*]

16. *Nónne ardorem refrigerabit ros?*] *Æſtum*, καύσωνα· infrà XLIII. 24. in Græco.

Sic & verbum melius quàm datum] Benignæ allocutiones plus ſæpe ſolatii præſtant infelicibus quàm benefacta.

17. *Nónne ecce verbum ſuper datum bonum? ſed utraque cum homine juſtificato*] Legit κεχαριτωμένῳ [*grato, juſtificato*], ſed Græci libri multi habent κεχαριτωμένα [*grata*]. Dixi quidem verba plus ſæpe habere quod juvet quàm dona; ſed ubi illa duo conjuncta ſunt, ea res longè gratiſſima hominibus.

18. *Stultus acriter improperabit*] Exprobrabit beneficia: quod verè ſtultum.

Et datus indiſciplinati tabeſcere facit oculos] *Invidi* (id eſt, avari, ut ſuprà diximus) *donum tabefacit oculos*. Exigua dat cum magno faſtu, quæ accipi ſine mœrore non poſſunt. τήκεται ὀφθαλμοὺς [*tabeſcit oculos*], id eſt, dolet, apud Theocritum. Vide & Deuteronomii XXVIII. 65.

19. *Ante judicium para juſtitiam tibi*] Non eſt in Græco.

19.20. *Et antequam loquaris diſce, ante languorem adhibe medicinam*] In Græco καὶ [*&*] non eſt in principio, ſed connectit hæc duo membra eleganter.

Principiis obſta: ſerò medicina paratur
Cùm mala per longas invaluere moras.

Imò etiam principia anteveni per τὴν προφυλακτικὴν ἀγωγὴν [*præcaventem vitæ rationem*], ut

Medici Græci loquuntur. Pari modo antequam tibi loquendum ſit in publico, diſce dicendi artem. Hæc viam ſtruunt ad id quod ſequetur, quò præcipuè tendebat Scriptor.

Et ante judicium interroga teipſum, & in conſpectu Dei invenies propitiationem] Πρὸ κρίσεως ἑτοίμαζε σαυτὸν καλλιεργεῖν, *ante judicium para te ut rectè agas*, corrige vitam in tempore. Illud *in conſpectu Dei* non eſt in Græco, ſed ſenſum bene expreſſit Interpres. Eſt in Græco, ἐν ὥρᾳ ἐπι[illegible]οπῆς εὑρήσεις ἐξιλασμὸν [*in tempore viſitationis invenies propitiationem*], *in tempore quo pœna exigetur.* Idem hoc quod κρίσις [*judicium*].

21. *Ante languorem humilia te*] Ante morbum jejuna: nam *jejunare* Hebræi dicunt ענה, ταπεινοῦν [*humiliare*], Levitici XVI 29. 31. XXIII. 29. nimirum quia per jejunium deprimuntur vires corporis. Quidam codices habent adjectum ἐγκρατείᾳ [*per continentiam*], ſed id ex interpretamento eſt.

Et in tempore infirmitatis oſtende converſationem tuam] Legit ἀῤῥωστημάτων [*infirmitatum*] ubi in Græco rectius eſt ἁμαρτημάτων [*criminum*] · & pro *converſationem* ſcripſit puto *converſionem:* nam in Græco eſt ἐπιστροφήν, Id eſt, ubi te peccaſſe animadverteris, præveni pœnam, & factis oſtende te jam emendatum.

22. *Non impediaris orare ſemper*] Μὴ ἐμποδισθῇς (ità in Sixtina, non ἐμποδίζῃς) τοῦ ἀποδοῦναι εὐχὴν εὐκαίρως, *Nè prohiberi te patere quominus votum reddas tempori.* Idem eſt quod Deuteronom. XXIII. 21. Eccleſiaſtæ V. 3.

Et nè verearis uſque ad mortem juſtificari] *Et nè differ ad mortem uſque juſtus fieri.* δικαιωθῆναι [*juſtus fieri*] hîc propriè ſumitur ut Apocalypſeos XXII. 11. & alibi. Intellige autem juſtitiam eam quæ in votis reddendis apparet.

Quoniam merces Dei manet in æternum] Hoc Chriſtianè addidit Interpres.

23. *Ante orationem præpara animam tuam*] *Priuſquam voveas te para*, etiam atque etiam cogita quid voveas.

Et noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum] Irritat Deum qui vovet prava: quod multi Iudæi faciebant. Vide quæ diximus libro ſecundo de Iure Belli ac Pacis, cap. XIII. § 7. & ad Matthæi XV. 5.

24. *Memento iræ in die conſummationis*] *Memento iræ* (Divinæ) tandem adventuræ. Sic ἐν ἡμέρᾳ τελευτῆς [*in die finis*] ſuprà XI. 27. Vide & XVI. 23.

Et tempus tetributionis in converſatione faciei] *Et temporis vindictæ, cùm avertet vultum Deus. Vultum avertere* Deus dicitur cùm miſereri non vult, ſuprà IV. 4.

25. *Memento paupertatis in tempore abundantiæ*] Cogita mutari poſſe fortunam, eóque tibi datis noli prodigè uti.

26. *A manè uſque ad veſperam immutabitur tempus*] Seneca,

Quem dies vidit veniens ſuperbum,
Hunc dies vidit veniens cadentem.

Et hæc omnia citata in oculis Dei] *Facilia.* Vide ſuprà XVI. 13.

27. *Homo ſapiens in omnibus metuet*] Hoc deeſt in Græcis quibuſdam, ſed exſtat, & rectè in Sixtina, Ἄνθρωπος σοφὸς ἐν παντὶ εὐλαβηθήσεται, *Qui ſapit, in omni re ſibi cavebit*, à crimine ſcilicet, ut ſequitur.

Et in diebus delictorum attendet ab inertia] Ἀπὸ πλημμελείας, מאשם, *à culpa graviore. In diebus delictorum*, id eſt, tunc etiam cùm malorum exemplorum ingens erit ſeges. Non exigua laus illa quæ Nervæ tribuitur,

Temporibúſque malis auſus es eſſe bonus.

28. *Omnis aſtutus agnoſcit ſapientiam*] *Vir prudens quivis novit ſapientiam & eruditionem*, id eſt, facilè eam agnoſcit in aliis hominibus.

Et invenienti eam dabit confeſſionem] *Et ei qui eam aſſecutus eſt, laudem dabit.* Hoc enim eſt, ἐξομολόγησις his ſcriptoribus, ut modò diximus ſuprà XVII. 22.

29. *Senſati in verbis, & ipſi ſapienter egerunt*] *Docent alios:* nam ità σοφίζεσθαι ſumitur Pſalm. XIX. 8. & CV. 22.

Et intellexerunt veritatem & juſtitiam] Non eſt in Græco.

Et impleverunt proverbia & judicia] In Græco eſt, *& depluerunt ſententias accommodatas ad vitam*, id eſt, ad vitæ uſum. *Depluerunt*, id eſt, largiter communicaverunt. Sic ἐξώμβρησεν [*depluit*] habuimus ſuprà I. 24. in Græco. Hîc in quibuſdam Græcis ſequitur, κρείσσων ἡ παῤῥησία ἐν δεσπότῃ μόνῳ, εἴπερ νεκρᾷ καρδίᾳ νεκρῷ ἀντέχεται [*melior eſt fiducia in ſolo Deo, quàm mortuo corde mortuis adhærere*]. Eſt ſententia ab ſtudioſo aliquo adſcripta, & ſic legenda, ἤπερ νεκρᾷ καρδίᾳ νεκρῷ ἀντέχεσθαι. De cujus moniti ſenſu vide dicta ad Matth. VIII. 22. At in Sixtina hîc interponitur titulus ſententiarum ſequentium hoc modo, ἘΓΚΡΆΤΕΙΑ ΨΥΧΗ͂Σ. Similes tituli fuere & alibi, ſed perierunt.

30. *Poſt concupiſcentias tuas nè eas*] *Nè patere te duci à cupiditatibus* peccatum parientibus, Iacobi I. 15.

Et à voluntate tua avertere] *Et ab appetitu tuo* (ad illicita ferente) *cohibetor*, id eſt, temet cohibe. Niphal pro Hithpaël, more Hebræo.

31. *Si præſtes animæ tuæ concupiſcentias ejus*] Ἐπιθυμίαν εὐδοκίας αὐτῆς, *cupiditatem ipſi placentem*, id eſt, rem cupitam. μετωνυμία [*Tranſnominatio*].

Faciet te in gaudium inimicis tuis] Quod hîc additur in Græcis quibuſdam, οἱ βασκανοῦσί σε [*qui tibi invidebunt*] ex interpretamento eſt aſſutum, abéſtque à Sixtina. Docet nos in Rhetoricis Ariſtoteles nullo argumento faciliùs nobis aliquid diſſuaderi, quàm ſi oſtendatur nobis indè voluptatem capturos inimicos noſtros; exemplo adferens Homericum illud,

Ἦ κεν γηθήσαι Πρίαμος, Πριάμοιό τε παῖδες.
[*Gaudebit certè Priamus, Priamíque propago.*]

Cui ſuppar illud Virgilii,

Hoc Priamus velit, & magno mercentur Atridæ.

Et Horatii,

Gaudeat ut populus Priami, Priamúſque inhumato.

32. *Nè oblecteris in turbis nec immodicis: aſſidua enim eſt commiſſio illorum*] Legit hîc Interpres, μὴ εὐφραίνου ἐπιπολαίᾳ τύρβῃ· οὐ μὴ προσδεήσεται συμβολῆς αὐτῇ· & συμβολὴν interpretatus eſt συμπλοκὴν [*commiſſionem*], quomodo ſæpe ſumitur. Sed nos rectiùs habemus, Μὴ εὐφραίνου ἐπὶ πολλῇ τρυφῇ, μηδὲ προσδεθῇς συμβολῇ αὐτῆς· ità enim in Sixtina, non τρυφῇ σου, nec προσδεηθῇς, nec συμβολῆς, ut in libris corruptioribus.

Senſus eſt, *Noli indulgere deliciis nimiis, neque illigari conviviis earum*, id eſt, delicioſis. Vide verſum ſequentem, & ſuprà IX. 10.

33. *Nè fueris mediocris in contentione ex fenore*] Etiam hîc συμβολοκοπῶν putavit eſſe ab eo ſignificatu συμβολῆς, quo idem valet quod συμπλοκὴ [*commiſſio, contentio*], cùm συμβολοκοπεῖν ſit edere *de ſymbolis*, &, laxiùs procedente vocis uſu, *convivari*, ut apparet dicto loco IX. 10. *Noli*, inquit, *pauper cùm ſis convivari mutuò ſumtis in id pecuniis.* Tales erant familiares Catilinæ. Vide Salluſtium.

Et eſt tibi nihil in ſacculo] Hebraïſmus, pro *cùm tibi nihil in ſacculo ſit*, id eſt, cùm tuum habeas nihil. μάρσυπος & μαρσύπιον voces ſunt veteres Græcæ, ut ex Xenophonte apparet. Latini indè habent *marſupium*.

Eris enim invidus vitæ tuæ] In Græco, ἔσῃ γὰρ ἐπίβουλος τῆς ἰδίας ζωῆς λαλητός [*dicêris enim inſidiator vitæ propriæ*]. Sed abeſt hoc in Sixtina.

CAPVT XIX.

1. *ET qui ſpernit modica paulatim decidet*] Sicut in republica, ità in re familiari non ſpernenda quæ videntur exiguâ, quia multa talia in ſummam proficiunt. οὐκ ὀλιγωρητέον τὸ παρ' ὀλίγου [*non parvi ducendum quod paulatim fit*].

2. *Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes*] Faciunt ut à Deo ejúſque lege deficiant. Exemplum in Iſraëlitis apud Madianitas.

Et arguent ſenſatos] Non eſt in Græco.

3. *Et qui ſe jungit fornicariis, erit nequam*] In Græco, *Qui ſe agglutinat ſcortis, audax erit.* Euripides,

> Ἔχω δὲ τόλμης καὶ θράσους διδάσκαλον
> Ἐν τοῖς ἀμηχάνοισιν εὐπορώτατον
> Ἔρωτα.
> [*Mihi nil timentis auctor eſt audaciæ,*
> *Qui ſolus arctis invenit rebus viam,*
> *Amor.*]

Putredo & vermes hereditabunt illum] Mirè hoc convenit in illum morbum qui noſtro ſeculo vagas libidines ſequitur. Sed & olim Venus nimia corpus enervatum gravibus haud dubiè morbis tradidit.

Et extolletur in exemplum majus] *Vt majori ſit exemplo, etiam tabeſcet:* nam id eſſe ξηραίνεσθαι diximus alibi. Quod in Latino ſequitur, *& tolletur de numero anima ejus*, non eſt in Græco.

4. *Qui credit citò levis corde eſt*] *Qui facilè ſe committit* (*ſcortis* nempe, de quibus agi cœpit) *is levis corde eſt*, non ſapit. Eſt, ut Græci loquerentur, κουφόνους. Ἐμπιστεύειν τινὶ, pro *commitere ſe alicui*, frequens huic libro locutio eſt. Subauditur autem dativus, ut ſuprà IV. 17.

Et minorabitur] Non eſt in Græco.

Et qui delinquit in animam ſuam inſuper habebitur] Legit πλημμεληθήσεται [*inſuper habebitur*]. Sed recta eſt lectio in Græcis codicibus, ὁ ἁμαρτάνων, εἰς ψυχὴν αὐτοῦ πλημμελήσει, *Qui peccat* (ſcortando), *is in vitam ſuam delinquit*. Eſt enim — λυσιμελὴς Ἀφροδίτη [— *ſolvens membra Venus*].

5. *Qui gaudet iniquitate denotabitur*] In Græco, ὁ εὐφραινόμενος ἐπὶ κακοεξίᾳ καταγνωσθήσεται, *Is qui delectatur* (ſcortis), *condemnabitur* (à Deo) *ad malum corporis habitum.* κακοεξία Ionicè idem quod vulgò καχεξία, quam *malum corporis habitum* dixit Celſus II. 1. & III. 22.

Et qui odit correptionem minuetur vitâ] Legit, ὁ δὲ ἀντοφθαλμῶν παιδείαις ἐλαττοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ. Verùm rectiùs in noſtris codicibus habemus, ὁ δὲ ἀντοφθαλμῶν ἡδοναῖς στεφανοῖ τὴν ζωὴν αὐτοῦ, *at qui voluptatibus illis* (Venereis) *reſiſtit, is vitam ſuam coronat*, id eſt, lætam florentémque ſervat. Sequitur jam titul[illegible] novus de Loquendo: ejus initium eſt in Græcis multis, ὁ ἐγκρατευόμενος γλώσσῃ, ἀμάχῳ συμβιώσεται· ità enim diſtinguenda eſt hæc ſententia. Senſus eſt, *Qui linguæ ſuæ potens erit, is cum homine, quamvìs invicto* (hoc eſt duro atque intractabili) *convivere poterit*.

6. *Qui peccat in animam ſuam pœnitebit*] Hoc repetitum eſt aliis verbis ex commate 4.

Et qui jucundatur iu malitia denotabitur] Et hoc repetitum è commate quinto. Vtrumque rectè deeſt in Græco. Rurſus in Græcis eſt quod deeſt in Latino, ὁ μισῶν λαλίαν, ἐλαττοῦται κακίᾳ, *Qui loquacitatem odit minus habebit mali.* Nam κακία [*malum*] hîc ſumitur ut Matthæi VI. 34. & apud LXX Interpretes ſæpe.

7. *Nè iteres verbum nequam & durum, & non minoraberis*] Etiam hîc aliquid addidit Latinus Interpres. Nam in Græco tantùm eſt, μὴ δευτερώσῃς λόγον, καὶ οὐδέν σοι ἔσται ἐν ἐλαττώσει, aut, ut alii habent codices, καὶ οὐδὲν οὐ μὴ ἐλαττονήσῃ, *Noli odioſè eadem ſæpe oggerere, nihil ob id tibi peribit:* nihilo minus intelligêris. Vide ſuprà VII. 15. infrà XLII. 1.

8. *Amico & inimico noli narrare ſenſum tuum*] In Græco, *Sive amico ſive inimico noli narrare vitas alienas*, nempe animo alios infamandi. In Sixtina non rectè deeſt, βίους ἀλλοτρίους [*vitas alienas*].

Et ſi eſt tibi delictum noli nudare] Optimè legit hic Interpres, εἰ ἔστι σοι ἁμαρτία, μὴ ἀποκάλυπτε, non autem εἰ μή ἐστι, ut nunc in Græcis legitur, nullo ſenſu. In hoc præceptum peccabant illi Romæ, de quibus Iuvenalis,

> *Quis nunc diligitur, niſi conſcius, & cui fervens*
> *Æſtuat occultis animus, ſempérque tacendis?*
> *Nil tibi ſe debere putat, nil conferet unquam*
> *Participem qui te ſecreti fecit honeſti.*

9. *Audiet enim te, & cuſtodiet te, & quaſi defendens peccatum odiet te, & ſic aderit tibi ſemper*, Aliter in Græco, Ἀκήκοε γάρ σου, καὶ ἐφυλάξατό σε, καὶ ἐν καιρῷ μισεῖ σε, *Poſtquam audierit* (illud), *obſervabit te* (aliquandiu), *ſed occaſione enatâ odium tui monſtrabit.*

10. *Audiviſti verbum adversùs proximum tuum*] Hæc *adversùs proximum tuum* addidit Interpres: ſed *verbum* intellige hîc ex ſuperioribus peccatum amici ab ipſo tibi indicatum.

Commoriatur in te] Dum vivis, nè exeat.

Fidens quoniam non te dirumpet] Eleganter dictum. Arcanum retentum te non rumpet, ut vinum æſtuans rumpit dolia.

11. *A facie verbi parturit fatuus*] Bene legit ὠδινήσει, *dolore diſtenditur*. Nam ὠδινέειν pro ὠδίνειν [*parturire*] uſurpat hic Scriptor etiam infrà XLVIII. 22. more Græcis frequente. *A facie verbi*, Hebræa locutio, id eſt, *ex verbo* commiſſo ſcilicet.

Tanquam gemitûs partûs infantis] Tanquam ex infante femina paritura.

12. *Sagitta infixa femori carnis, ſic verbum in corde ſtulti*] Sicut ſagitta femori infixa dolori eſt donec exeat, ità & ſtulto arcanum alterius. In Græco pro *in corde* eſt ἐν κοιλίᾳ [*in ventre*]. Bene vertit Latinus Interpres, ſicut & Græci בטן [*ventrem*] καρδίαν [*cor*], Proverb. XXII. 18. Abac. III. 15.

13. *Corripe amicum, nè fortè non intellexerit, & dicat, Non feci*] In Græco, *Argue amicum* (ſi quid intellexeris ab eo minùs rectè factum), *nè fortè id non fecerit* (& ſic occaſionem habeat ſe tibi purgandi): *ſi autem fecit, nè faciat ampliùs.* Id enim eſt προσθεῖναι, יסף, ut diximus ſæpe. Hunc ſenſum exigit membrum ſequens, ubi de ſermone idem dicitur quod hîc de facto.

14. *Nè fortè iteret*] *Dicere* ſcilicet. δευτεροῦν, ut שנה Hebræis ſignificat *dictum factúmque repetere*, I Sam. XXVI. 8. II Sam. XX. 10. I Reg. XVIII. 34. Ieremiæ II. 36.

15. *Corripe amicum, ſæpe enim fit commiſſio*] Legit συμβολὴ [*commiſſio*] ubi codices Græci nunc habent διαβολή [*calumnia*]· non opus addi *ματαία*, neque habet Sixtina. *Argue amicum; ſæpe enim intervenit calumnia. Argue* hîc nihil eſt aliud quàm *dic illi quid audieris.*

Et nè omni verbo credas] *Credat cor tuum*, in Græco, ſenſu eodem. Menander,

Ὅστις δὲ διαβολαῖσι πείθηται ταχὺ,
Ἤτοι πονηρὸς αὐτός ἐστι τοὺς τρόπους,
Ἢ παντάπασι παιδαρίου γνώμην ἔχει.
[*Qui mentem addicit credulam calumniis,*
Aut ipſe eſt pravis inquinatus moribus,
Aut certè ingenio nîl ſuprà puerum valet.]

16. *Eſt qui labitur linguâ, ſed non ex animo*] Multis aliquid excidit ἀπροαίρετον [*impræmeditatum*].

17. *Quis enim eſt qui non deliquerit in lingua ſua?*] *Qui non delinquat.* Eſt enim aoriſtus. Pauci ſanè tales, Iacobi III. 2.

Corripe proximum tuum antequam commineris] Id eſt, Si quid eum in te peccaſſe exiſtimes, amicè eum mone antequam ad aſpera aut verba aut facta venias. Vide quæ dicta Matthæi XVIII. 15.

18. *Et da locum timori Altiſſimi*] Legit φόβῳ ὑψίστου [*timori Altiſſimi*], rectiùs quàm quod nos habemus νόμῳ [*Legi*]. Addunt libri quidam γινόμενος ἀμηνὴς, ubi non dubito quin ſcripſerit auctor operis, aut qui hoc addidit, εὐμενὴς, *oſtendens te placidum.* Hîc in exemplaribus Græcis quædam ſequuntur, quæ ut in Latino, ſic & in Sixtina editione deſunt. Initium eorum eſt, φόβος Κυρίου ἀρχὴ προσλήψεως, ubi πρόσληψις eſt *prima familiaritas*, quam ſequitur ἀγάπησις *dilectio:* utriuſque origo pietas, quæ probos inter ſe conglutinat. *Arbor immortalitatis* ſive *vitæ* hic μυστικῶς [*arcano ſenſu*] vitam ſignificat æternam, ut & in Apocalypſi II. 7. XXII. 2. 14.

Quia omnis ſapientia timor Dei] Πᾶσα σοφία φόβος Κυρίου. Ità enim Sixtina, non φόβος παρὰ Κυρίου [*timor à Domino*], ut habent libri alii. Hoc dicit, *timorem Dei eſſe omnem ſapientiam*, nempe eam quæ homini ſit neceſſaria. Vide Proverbiorum I. 7. & infrà XL. 28.

Et in illa timere Deum] Abundant hæc, nec ſunt in Græcis.

Et in omni ſapientia diſpoſitio Legis] Ποίησις νόμου, *præſtatio Legis.* Omnes ſapientiæ partes eò tendunt ut ſequamur Legis præcepta. Addunt quidam codices non malè, καὶ γνῶσις τῆς παντοκρατορίας αὐτοῦ [*& cognitio omnipotentiæ ejus*], nempe Dei; ut hoc ad partem ſapientiæ contemplatricem, ſicut id quod præceſſit, ad actricem, pertineat. Non eſt autem in Sixtina quod hîc additum eſt in aliis Græcis editionibus, οἰκέτης λέγων τῷ δεσπότῃ, ὡς ἀρέσκει οὐ ποιήσω, ἐὰν μετὰ ταῦτα ποιήσῃ, παροργίζει τὸν τρέφοντα [*ſervus dicens domino, quod tibi placet non faciam, etſi pòſt id faciat, irritavit educatorem ſuum*]. Aliunde tranſumtum. Minuit culpam ſanatus animus, Matthæi XXI. 29. Neque tamen levis erat culpa verbis detrectaſſe obſequium.

19. *Non eſt ſapientia nequitiæ diſciplina*] Egregium monitum, Nè homines vafros ac doloſos ſapientes putemus. *Non debet*, ut rectè ait Cicero, *ratio bono conſilio à Deo data in fraudem malitiámque converti.*

Et non eſt cogitatus peccatorum prudentia] In Græco, *Vbi conſilium eſt improbum, ibi non eſt prudentia.* Plato inquit, recitante Cicerone, *ſcientiam quæ remota eſt à juſtitia calliditatem potiùs quàm ſapientiam appellandam.* Alibi idem Cicero: *Calliditas perverſa imitatur prudentiam.*

20. *Eſt nequitia, & in ipſa exſecratio*] Talis malitia exſecranda eſt, non honeſtis appellanda nominibus.

Et eſt inſipiens qui minuitur ſapientiâ] *Et eſt aliquis imprudens, ideo quod deficitur ſapientiâ.* Hoc vult hujus conditionem meliorem eſſe quàm ejus qui calliditate famam venatur prudentiæ. Quod latiùs explicant ſequentia.

21. *Melior eſt homo qui minuitur ſapientiâ, & deficiens ſenſu in timore Dei, quàm qui abundat ſenſu, & tranſgreditur ſenſum Altiſſimi*] In Græco Sixtino, Κρείσσων ἡττώμενος ἐν συνέσει, ἔμφοβος, ἢ περισσεύων ἐν φρονήσει καὶ παραβαίνων νόμιμα ὑψίστου, *Melior eſt qui minùs valet intellectu, timens* (Deum), *quàm qui prudentiâ abundans Dei præcepta violat.* Qui mali ſunt, quò plùs ingenio valent eò ſunt pejores.

22. *Eſt ſolertia certa, & ipſa iniqua*] *Eſt verſutia quædam accurata* (id eſt, magnâ arte ſe obtegens) *ac tamen injuſta.*

23. *Et eſt qui emittit verbum certum enarrans veritatem*] Longè aliter in Græcis, καὶ ἔστι διαστρέφων χάριν τοῦ ἐκφᾶναι κρίμα, *Et eſt qui pervertit* (cauſæ momenta) *ut enuntiet ſententiam*, utilem ſcilicet ei cui favet. Docet verſutiam illam de qua agere cœperat, in judiciis vel maximè verſari. Nam qui omnia norunt jura & diſtinctiunculas facilè imperitis nubem objiciunt; τὸν ἄδικον λόγον [*cauſam iniquam*] faciunt τὸν κρείττονα [*valentiorem*], quod Socrati iniquè tribuit in Nubibus Ariſtophanes. Quod hîc in quibuſdam Græcis ſequitur, καὶ ἔστι δικαιῶν κρίσει, σοφὸς, *Qui juſta in judicio ſectatur, is verè ſapit.* Id abeſt à Sixtina.

Eſt qui nequiter humiliat ſe, & interiora ejus plena ſunt dolo] Legitur quidem in Græco, ἔστι πονηρευόμενος συγκεκυφὼς μελανίᾳ, καὶ τὰ ἐντὸς αὐτοῦ πλήρης δόλου [*Eſt qui malus abſconditur nigrore, attamen intus plenus eſt doli*]· ſed legendum eſt συγκεκρυφώς. Error natus tum ex vicinia vocum, tum quia ſequetur συγκυφῶν [*demittens vultum*]. Sed συγκύφειν non poteſt conjungi cum μελανίᾳ, id eſt, *nigrore*, quam vocem Græcam etiam in Latino ſermone Plinius uſurpat XXIV. 8. Commemorat & alia verſutorum genera, quorum unum eſt eorum qui animos vulpinos egregiè celare norunt, & ſecum dicunt,

——— Pulchra Laverna,
Da mihi fallere, da juſto ſanctóque videri:
Noctem peccatis, & fraudibus objice nubem.

Quod Horatio *nox*, id huic Scriptori μελανία.

24. 25. *Et eſt qui ſe nimiùm ſubmittit à multa humilitate, & eſt qui inclinat faciem ſuam, & fingit ſe non videre quod ignoratum eſt; & ſi ab imbecillitate virium vetetur peccare, ſi invenerit tempus malefaciendi, malefaciet*] In Sixtina editione hæc ſic habent: συγκύφων (ſcribendum συγκυφῶν) πρόσωπον καὶ ἐθελοκωφῶν (ità enim eſt in annotatis meliùs quàm in textu ἑτεροκωφῶν), ὅπου οὐκ ἐπιγνωσθῇ, προφθάσει σε κακοποιῆσαι· καὶ ἐὰν ὑπὸ ἐλαττώματος ἰσχύος κωλυθῇ ἁμαρτεῖν, ἐὰν εὕρῃ καιρὸν, κακοποιήσει, *Alius demittens vultum* (reverentiæ teſtandæ cauſâ, ut ſuprà XII. 11.) *& ſurdum ſimulans, ubi non cognoſcetur* (id eſt, ubi nemo tale quid exſpectabit), *prævertet, tibi nociturus: quòd ſi ob virium inopiam impediatur* (ad tempus) *peccare* (in te), *ubi occaſionem repererit, nocebit.* Aliud vafrorum genus deſcribit, delatores ſcilicet, qui geſtibus omnibus non amicitiam tantùm, ſed & reverentiam teſtantes, ſimulantéſque ſe non audire verba libera, cùm minimè putes ea deferunt, occaſionem nacti. Tacitus de tali quodam: *Cliens hic Sorani, tunc emtus ad opprimendum amicum, auctoritatem Stoïcæ ſectæ præferebat, habitu & ore ad exprimendam imaginem honeſti exercitus, cæterùm animo perfidioſus & ſubdolus.*

26. *Ex viſu cognoſcitur vir*] Menander,

Οἷος ἦν καὶ τὴν ὄψιν εἶναι φαίνεται,
Ἀφ' οὗ τοιοῦτος γέγονεν, οἷον θηρίον;
[*At qualis ipſe vultu ſpectandus datur,*
A quo prognatus ille eſt, talis beſtia?]

Sic & de femina ex oculis judicium fit. Æſchylus,

Νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων
Ὀφθαλμὸς, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη.
[*Non me puellæ lumina ardeſcentia*
Fallunt, ſolent quæ prodere expertam virum.]

Et ab occurſu faciei cognoſcitur ſenſatus] Præcedit de Facie: jam de Vultu loquitur, qui eſt ſtatus quidam faciem pro affectibus mutans, *qui ſermo quidam tacitus mentis eſt*, ut Cicero in Piſonem ait; *imago animi*, eidem in Oratore. Plinius libro VII. 1. 19. *Socratem clarum ſapientiâ eodem ſemper viſum vultu, nec aut hilari magìs, aut turbato.*

27. *Amictus corporis*] Hinc illud,

Οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦσαι στολήν.
[*Nec enim meum eſt induere muliebrem ſtolam.*]

Et riſus dentium] Qui modicus ſapienti, ſtulto effuſus, infrà XXI. 23.

Et ingreſſus hominis nuntiant de illo] Βῆμα, *greſſus.* Cicero de Off. 1. *decorum* ait *in corporis motu ſtatúque cerni, neque tarditatibus in greſſu utendum mollioribus, neque ſuſcipiendas nimias celeritates.* Ibidem: *Status, inceſſus, ſeſſio, accubitus, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum.* Alexis,

Ἓν γὰρ νομίζω τοῦτο τῶν ἀνελευθέρων
Εἶναι τὸ βαδίζειν ἀῤῥύθμως ἐν ταῖς ὁδοῖς,
Ἐξὸν καλῶς.
[*Illiberalis eſſe ingenii exiſtimo*
Ire incompoſitè atque indecorè per viam,
Quando ire placidè liceat.]

28. *Eſt correptio mendax in ore contumelioſi, & eſt judicium quod non probatur eſſe bonum*] Ἔστιν ἔλεγχος, ὃς οὐκ ἔστιν ὡραῖος, *Eſt quædam caſtigatio non tempeſtiva*, nempe quæ

——— σφριγῶντα θυμὸν ἰσχναίνει βίᾳ,
[——— *tumentes premere vi ſenſus parat,*]

ut loquar cum Æſchylo.

Et eſt tacens, & ipſe eſt prudens] Hebraïſmus, pro eſt qui prudenter taceat. Horatius,

Eſt & fideli tuta ſilentio
Merces:

Ex Græco,

Ἀλλ' ἔστι καὶ σιγῆς ἀκίνδυνον γέρας.

CAPVT XX.

1. *Qvàm bonum eſt arguere, quàm iraſci*] Ὡς καλόν ἐστιν ἐλέγξαι, ἢ θυμοῦσθαι, ſubaudito μᾶλλον [*magis*], ut

Βούλομ' ἐγὼ λαὸν σῶον ἔμμεναι ἢ ἀπολέσθαι.
[*Eſſe volo ſalvum populum, quàm, crede, perire.*]

Quantò eſt melius, inquit,

Amicum caſtigare, ob meritam noxiam,

quàm iram alere in odium exituram.

Et confitentem in oratione non prohibere] In Sixtina, καὶ ἀνθομολογούμενος ἀπὸ ἐλαττώσεως κωλυθήσεται, id eſt, *Vt hoc modo is qui culpam fatetur à damno liber ſit.* Non incurrat verbera aut mulctas, ſententiâ Iudicis.

2. *Concupiſcentia ſpadonis devirginabit juvenculam: ſic qui facit per vim & judicium iniquum*] Legit ἀποπαρθενώσει [*devirginabit*], ubi codices Græci rectè ἀποπαρθενῶσαι [*ad devirginandum*]· & βίᾳ [*per vim*], ubi quidam codices rectiùs βίῳ [*in vita*]· *Qualis eſt cupiditas ſpadonis ad puellam devirginandum* (*amat* enim *& nihil poteſt*, ut ait Terentius, & hic Scriptor oſtendit infrà XXX. 20.): *talis & ejus qui de homine judicia vult facere, beatus ſit an miſer, quamdiu vita ei manet.* Vide ſuprà XI. 30.

Ergò ſine effectu prurit uterque labor,

ut Martialis utar verbis.

4. *Quàm bonum eſt correptum*] Eſt hoc comma in Græco infrà 7.

Sic enim effugies voluntarium peccatum] In Græco, ἑκούσιον. Ariſtoteles Nicomachiorum III. 2. ὁ ἐν μεταμελείᾳ, ἄκων δοκεῖ [*quem pœnitet, is videtur non volens peccaſſe*].

5. *Eſt tacens qui invenitur ſapiens*] Vide XIX. 28.

Et eſt odibilis qui procax eſt ad loquendum] *Eſt qui ob multiloquentiam odioſus ſit.*

Τυραννικόν τι πόλλ' ἐφίεσθαι λέγειν.
[*Semper loqui diſcupere nimis eſt regium.*]

Cicero de Officiis primo: *Nec verò tanquam in poſſeſſionem ſuam venerit, excludat alios; ſed cùm reliquis in rebus, tum in ſermone communi, viciſſitudinem non iniquam putet.*

6. *Eſt tacens non habens ſenſum loquelæ*] Quia bene fari nequit.

Et eſt tacens ſciens tempus aptum] Et loquendi & tacendi. Eſt totus titulus apud Stobæum, περὶ τοῦ καιρίως λέγειν [*De tempeſtiva locutione*]. Vide & Eccleſiaſten III. 7.

7. *Laſcivus autem*] Λαπιστὴς, *jactator*. Ità Cicero ad Atticum IX. 15. cùm memoraſſet ingentes copias quas Cæſarem habere dicebat Matius, addit, *ſit hoc* λάπισμα [*jactanter dictum*].

8. *Qui multis utitur verbis lædet animam ſuam*] In Græco, βδελυχθήσεται, id eſt, *odio erit*, ut ſequitur.

Et qui poteſtatem ſibi ſumit injuſtè] Ὁ ἐνεξουσιαζόμενος, *qui jus ſibi arrogat*, nempe ſemper loquendi. ἐνεξουσιάζειν eſt *plus ſibi aſſumere quàm par eſt*, XLVII. 22.

9. *Eſt proceſſio in malis viro indiſciplinato, & eſt inventio in detrimentum*] Pergit facere ſententias ἐξ ἀντιθέσεων [*ex oppoſitis*]. Varia eſt in Græco lectio. Optimè Sixtina, Ἔστιν εὐοδία ἐν κακοῖς ἀνδρὶ, καὶ ἔστιν εὕρημα εἰς ἐλάττωσιν, id eſt, *interdum in malis homini proſperitas ſita eſt, & interdum acquiſitio adfert damnum*: quia adverſa intendunt animum, divitiæ relaxant. εὕρημα eſt *acquiſitio*, ſive *lucrum*, שלל, Ieremiæ XXXVIII. 2. XXXIX. 18. XLV. 5.

10. *Eſt datum quod non eſt utile*] Δόσις hîc eſt quælibet *erogatio*. Multi perdere ſciunt, donare neſciunt.

Et eſt datum cujus retributio duplex] Beneficium bene locatum.

11. *Eſt propter gloriam minoratio*] *Galba omnium conſenſu capax imperii, niſi imperaſſet*, Tacitus Hiſtoriarum I. Sophocles,

> Ἀμήχανον δὲ παντὸς ἀνδρὸς ἐκμαθεῖν
> Ψυχήν τε καὶ φρόνημα, καὶ γνώμην, πρὶν ἂν
> Ἀρχαῖς τε καὶ νόμοισιν ἐντριβὴς φανῇ.
> [*Nec quippe noſcas quod ſit ingenium viro,*
> *Quæ mens, quis animus, antequam imperii potens*
> *Tutamen urbis atque legum acceperit.*]

Et eſt qui ab humilitate levat caput] Multi per adverſa illuſtrati ſunt.

> ——— *multi ſuam*
> *Rem bene geſſere, & publicam patriâ procul,*

ait Ennius Medeâ. Epaminondam inimici viarum curatorem fecerant: quod munus vile haberi ſolebat Thebis: ille muneri dignitatem addidit, καὶ ἀνὴρ τὴν ἀρχὴν ἔδειξε [*& vir magiſtratum illuſtravit*]. Adde quæ apud Valerium III. 4.

12. *Eſt qui multa redimat modico pretio, & reſtituens ea in ſeptuplum*] Vt qui ſibi comparant domos malè fundatas, cibos corruptos aut inſalubres, vaſa non bene compacta, vinum fugiens, & indè in morbos aut damna incidunt. *Reſtituens*, in Græco eſt ἀποτιννύων, id eſt, *rependit*. Eſt id verbum Geneſeos XXXI. 39. & Pſalmo LXIX. 5.

13. *Sapiens in verbis ſeipſum amabilem facit*] Etiam verbis ſibi amicitias conciliat.

Gratiæ autem fatuorum effundentur] Stultorum etiam benefacta fructu carent, quia ſeruntur ſine dilectu, & ipſi exprobrando ſua data corrumpunt. Philemon,

> Καλῶς ποιήσας, οὐ καλῶς ὀνειδίσας·
> Ἔργον καθεῖλες πλούσιον πτωχῷ λόγῳ.
> [*Bene quod feciſti, id exprobraſti non bene:*
> *Verbis mendicis operam opimam deſtruis.*]

14. *Datus inſipientis non erit utilis tibi*] Inſipiens & jactabundus eſt & avarus: quare quod in Græcis quibuſdam ſequitur, ὁμοίως δὲ καὶ βασκάνου διὰ ἀνάγκην [*ſimiliter & invidi ob neceſſitatem*], abeſt in Sixtina, & ſatis ſub illo generali vocabulo comprehenditur.

Oculi enim illius ſeptemplices ſunt] In Græco: *oculi enim illius* (id eſt, eò ſpectat) *ut pro uno accipiat multa.*

> *Munera magna quidem mittit, ſed mittit in hamo:*
> *Et piſcatorem piſcis amare poteſt?*

15. *Exigua dabit, & multa improperabit*] Sæpe exprobrabit quæ dedit, quamvìs non magna. *Multi ſunt nimii commemorando quæ meruere*, ut Tacitus loquitur. Multa habet contra hoc vitium Seneca circa finem de Beneficiis. Inter alia hoc, *Nunquam nè querens quidem dicam:*

> ——— *ejectum littore, egentem*
> *Excepi, & regni demens in parte locavi.*

Non eſt illa admonitio, non: convitium eſt: hoc eſt in odium beneficia perducere.

Et apertio oris illius inflammatio eſt] Legit ὡς ἄνθραξ [*ut pruna, accenſus carbo*], ubi nos rectiùs habemus, ὡς κῆρυξ, *Tam latè os ſuum aperiet ac ſi præco eſſet*. Iuvenalis:

> *Tu miſer exclamas ut Stentora vincere poſſis.*

16. *Hodie feneratur quis*] *Hodie dat mutuum*, nempe inſipiens. Δανείζειν rectè dicitur de quovis mutuo. Mutuum naturam commodati imitatur. Eſt in commodato repetitio quædam importuna, L. *In commodato*, §. 3. D. *Commodati*: ſic & in mutuo.

Odibilis eſt homo hujuſmodi] Non aliter Sixtina, μισητὸς ἄνθρωπος ὁ τοιοῦτος. Alii codices, μισητὸς Κυρίῳ καὶ ἀνθρώποις ὁ τοιοῦτος [*exoſus Deo & hominibus vir talis*].

17. *Fatuo non erit amicus, & non erit gratia bonis illius*] In Græco aliter: *Dicet ſtultus, Non eſt mihi amicus, nulla eſt gratia bonis meis*, id eſt, benefactis: quomodo ἀγαθῶν vocem ſæpe ſumit hic Scriptor, ut XVIII. 15. Queritur homo inſipiens & imputator, nullam beneficiis ſuis gratiam referri. Egregius χαρακτηρισμὸς [*notatio egregia*], quales hîc multi.

18. *Qui enim edunt panem illius falſæ linguæ ſunt*] Et hæc in Græco verba ſunt, non Scriptoris, ſed inſipientis, οἱ ἐσθίοντες τὸν ἄρτον μου φαῦλοι τῇ γλώσσῃ, *Qui de pane meo edunt, linguam habent ſurdam*, ſapores non bene diſcernentem: neſciunt quanti ſint meæ epulæ. Ex una facti ſpecie cætera intellige.

Quoties & quanti irridebunt eum?] *Quanti*, id eſt, *quot*. Gnatho apud Terentium dicente de Rege Thraſone, *Imò hic homo eſt perpaucorum hominum*: clanculùm dicit, *Imò nullorum arbitror ſi tecum vivit.* Et alibi de eo:

> *Fatuus eſt, inſulſus, tardus, ſtertit noctéſque &*
> *dies.*

Artotrogus apud Plautum de Pyrgopolinice,

> *Aſſentiendum eſt, quidquid hîc mentibitur.*

19. *Neque enim quod habendum erat, directo ſenſu*

diſtribuit: ſimiliter & quod non erat habendum] Hoc in Sixtina non eſt, ſed alii libri Græci ſic habent, Οὔτε γὰρ τὸ ἔχειν ἐν ὀρθῇ αἰσθήσει εἴληφε· καὶ τὸ μὴ ἔχειν ὁμοίως ἀδιάφορον αὐτῷ, *Neque enim quod habet recto ſenſu* (id eſt, cum bene utendi arte) *accepit*; *& quod non habet id illi ex æquo eſt.* Nimirum, ut in Latino eſt verſu:

Tam deeſt avaro quod habet quàm quod non habet.

20. *Lapſus falſæ linguæ quaſi qui in pavimento cadens: ſic caſus malorum feſtinanter veniet*] In Græco, Ὀλίσθημα ἀπὸ ἐδάφους μᾶλλον ἢ ἀπὸ γλώσσης· οὕτως πτῶσις κακῶν κατὰ σπουδὴν ἥξει, *Lapſus ex pavimento* (ex lapide aliquo exſtante) *potiùs* (optandus) *quàm lapſus ex lingua: adeò ſubitò ruina malorum advenit*, ex linguæ lubrico. Æſchylus,

> Γλώσσῃ ματαίᾳ ζημία προστρίβεται.
> [*Afferre damna lubricum linguæ ſolet.*]

Euripides,

> Ἀχαλίνων στομάτων
> Ἀνόμου τ' ἀφροσύνας
> Τὸ τέλος δυστυχία.
> [*Spretæ legis iniquitas,*
> *Effrænìſque loquacitas*
> *In fines miſeros ruunt.*]

Inſignes ab hac culpa exitus Cornelii Galli & Fabii Maximi, Auguſti temporibus. Adeò verum illud,

> Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.
> [*Multis hominibus lingua perniciem attulit.*]

21. *Homo acharis quaſi fabula vana, in ore indiſciplinatorum aſſidua erit*] Ἄνθρωπος ἄχαρις, μῦθος ἄκαιρος, ἐν στόματι ἀπαιδεύτων ἐνδελεχισθήσεται, *Vt homo ingratus, ſic ſermo importunus; frequens tamen eſt in ore malè inſtitutorum.* Idem ſenſus qui ſuprà 15. 16.

22. *Ex ore fatui reprobabitur parabola*] In contemtum veniet bona ſententia, quia eam non ſuo loco uſurpat, ut ſequitur.

23. *Eſt qui vetatur peccare præ inopia, & in requie ſua ſtimulabitur*] Bene legit, ἐν τῇ ἀναπαύσει αὐτοῦ κατανυγήσεται [*in requie ſua ſtimulabitur*], non οὐ κατανυγήσεται [*non ſtimulabitur*]. Qui ob inopiam luxui & libidini ſe dare non poſſunt, vitam habent quietam, ſed eam quietem dolente animo tolerant. Terentius Adelphis,

> ——— *hæc ſi neque ego, neque tu fecimus,*
> *Non ſivit egeſtas facere nos: tu nunc tibi*
> *Id laudi ducis, quod tum feciſti inopiâ.*
> *Injurium eſt: nam, ſi eſſet unde fieret,*
> *Faceremus.*

24. *Eſt qui perdet animam ſuam præ confuſione*] Διὰ αἰσχύνην, hoc eſt, διὰ δυσωπίαν [*ob pudorem vitioſum*], quòd res, quamvìs illicitas aut periculoſas, negare non audeat. Hæc eſt αἰδὼς [hic eſt *pudor*], quæ μέγα σίνεται [qui *multùm nocet*], quæ eſt ἄχθος οἴκων [*labes domorum*], ut diximus ſuprà IV. 25.

Et ab imprudenti perſona perdet eam: perſonæ autem acceptione perdet ſe] Duplex interpretatio ἐκ διττογραφίας [*ex duplici ſcriptione*] nata irrepſit in textum: nam in Græcis aliis eſt, ἀπὸ ἄφρονος προσώπου [*ab imprudenti perſona*], in aliis ἀπὸ λήψεως προσώπου [*ab acceptione perſonæ*]. Poſterius rectum; nam perverſus ille pudor ex alterius hominis reverentia naſcitur. Id autem eſt λῆψις προσώπου. Sic & infrà XLII. 2. αἰσχύνεσθαι [*pudore abripi*] & λαμβάνειν πρόσωπον [*accipere perſonam*] conjunguntur.

25. *Eſt qui præ confuſione promittit amico*] Ex pudore aliquid facturum ſe promittit. *Multi ſun quos liberales facit frontis infirmitas*, Seneca de Beneficiis II. I.

Et lucratus eſt eum inimicum gratìs] Poſtea ubi pœnitentiâ tactus fidem promiſſis non implet, pro amico inimicum ſibi quæſivit, ídque חנם, δωρεὰν, id eſt, *fruſtrà.* μάτην, ἀναιτίως, διακενῆς· nam omnibus his vocibus illud חנם redditur. *Inimicum habet ſine cauſa*, aliâ ſcilicet quàm ſuâ nimiâ in promittendo facilitate: neque enim ei nocuit quicquam.

26. *Opprobrium nequam in homine mendacium*] *Vitium grave*: nam μῶμος, ex מום Hebræo, *vitium* quodvis ſignificat, ut videre eſt Levit. XXI. 17. & ſequentibus; XXII. 20. & ſequentibus; XXIV. 19. 20. Numer. XIX. 2. Deuteron. XV. 21. XVII. I. Simile dictum Sophoclis, ——— ὡς ἐλευθέρῳ

> Ψευδεῖ καλεῖσθαι, κὴρ πρόσεστιν οὐ καλή.
> [——— ——— *mendacis notam*
> *Ingens in homine libero probrum puto.*]

Et in ore indiſciplinatorum aſſiduè erit] *Attamen in ore malè inſtitutorum id perquam frequens eſt.* In Græco eſt ἢ, quod ſæpe valet *attamen.*

27. *Potior fur*] Αἱρετὸν κλέπτης. Minùs malum, αἱρετώτερον [*eligibilius*]. Fur raró furatur: mendax nihil ferme agit aliud. Ex furto res, ex mendacio fama ſæpe, nonnunquam & vita in periculum adducitur.

Perditionem autem ambo hereditabunt] Malè perire ſolent & fures, & mendaces. Fures ſæpe occîdit is qui eos deprehendit: & cujus læſa fama eſt ſolet ſe aut ſuâ manu aut per Iudicem ulciſci.

28. *Mores hominum mendacium ſine honore*] Conſuetudo mentiendi ignominioſa eſt. ἀτιμία [*ignominia*] in Græco, per μετωνυμίαν [*Tranſnominationem*] adjuncti pro concreto, quæ frequens Hebræis.

Et confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione] Hîc in editione Sixtina novus eſt titulus, ΛΟΓΟΙ ΠΑΡΑΒΟΛΩ͂Ν [SENTENTIÆ COMPARATIONVM]· quia pleræque ſententiæ quæ ſequuntur, comparationem quandam in ſe continent.

29. *Sapiens in verbis producet ſeipſum*] Προάξει ἑαυτὸν, invenit rationes quibus ad honores perveniat: nam προάγειν eſt *ad honores provehere*, etiam Plutarcho in Numa. Pari ſenſu *profectum & proceſſum* dicunt Latini.

30. *Qui operatur terram ſuam, inaltabit acervum frugum*] Θημωνίαν [*congeriem*] · pro qua voce σωρὸν ponit Symmachus Cantici VII. 2.

Qui placet magnatis effugiet iniquitatem] Id eſt, etiamſi quid peccaverit, facilè pœnam effugiet. Semper hic Interpres μεγιστᾶνας vertit *magnatos.*

31. *Xenia & dona excæcant oculos judicum*] Σοφῶν in Græco, id eſt, *quamvìs ſapientum*. Efficiunt dona, etiam illa quæ molliori vocabulo ξένια [*munuſcula*] vocantur, nè verum appareat: nam

> ——— *malè verum examinat omnis*
> *Corruptus judex.*

Et quaſi mutus in ore avertit corruptiones eorum] Sixtina, καὶ ὡς φιμὸς ἐν στόματι ἀποτρέπει ἐλεγμούς, id eſt, *pari modo* (ſilentium) *velut camus in ore avertit objur-*

objurgationem. Ἐλεγμὸν hoc ſenſu ſæpe uſurpat hic Scriptor. Comparat ſilentium donis; quòd utrumque vim habeat animos divertendi à propoſito. Senſum Latinus bene pervidit.

32. *Et theſaurus inviſus*] Ἀφανὴς [*inconſpicuus*].

——— *Ignotum argenti pondus & auri*,

ut Virgilius loquitur: *abdita terris lamina*, ut Horatius. Sic talentum defoſſum, Matth. xxv. 18.

33. *Melior eſt qui celat inſipientiam ſuam quàm homo qui abſcondit ſapientiam ſuam*] Id eſt, melior eſt vir qui metu nè quid erret plurimùm tacet, quàm is qui docere alios cùm poſſet, non vult. Sequitur in Græcis quibuſdam, κρείσσων ὑπομονὴ ἀπαραίτητος ἐν ζητήσει Κυρίου, ἢ ἀδέσποτος τροχηλάτης τῆς ἰδίας ζωῆς [*melior exſpectatio indefeſſa quærenti Dominum, quàm ſine Domino curſor propriæ vitæ*], ubi ὑπομονὴ ἀπαραίτητος eſt *indefeſſa conſtantia.* Sed abeſt hæc ſententia in Sixtino: itaque ab aliquo aliunde adſcriptam, par credi eſt.

CAPVT XXI.

1. FIli, peccaſti? non adjicias iterum*] Cave in poſterum.

Sed & de priſtinis deprecare ut tibi dimittantur] *Vt tibi dimittantur* addidit Latinus Interpres. Vtramque partem pœnitentiæ bene expreſſit.

2. *Quaſi à facie colubri fuge peccata*] Nam & primi peccati ſuaſor *coluber* appellatur.

Et ſi acceſſeris ad illa ſuſcipient te] Legit hic Interpres δέξεται [*ſuſcipiet*], quomodo eſt in libris Græcis quibuſdam; ſed vera lectio eſt δήξεται [*mordebit*], quam repræſentat Sixtina. Perſtat enim hic Scriptor in comparatione Colubri qui mordet.

3. *Dentes leonis dentes ejus*] Duplex figura. Nam & initio *quaſi* ſubintelligitur, & ſecundum illud *dentes* vim exitialem ſignificat, à ſpecie ad genus.

4. *Quaſi romphæa bis acuta*] Ὡς ῥομφαία δίστομος, *ſecans ab utraque parte*, חרב ולה שני פיות, Iudic. III. 16. חרב פיפיות, Pſalm. CXLIX. 6. חרב פיות, Proverb. v. 4. *Bicipitem* ſolet dicere Hieronymus.

5. *Objurgatio & injuriæ annullabunt ſubſtantiam*] *Territio & contumeliæ deſtruent divitias.* καταπλήττειν eſt *territare.*

Multos neceſſe eſt timeat, quem multi timent.

Et domus quæ nimis locuples eſt annullabitur ſuperbiâ: ſic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur] Sæpe evênit in hoc libro ut duæ verſiones diverſorum Interpretum in unam coaleſcerent. Hîc in Græco eſt, οὕτως οἶκος ὑπερηφάνων ἐρημωθήσεται, *ſic & ſuperborum domus deſtruetur*, non minùs ſcilicet quàm rixoſorum. Superbus enim homo omnibus injuriam facit: itaque mirum non eſt ſi multos inimicos habeat.

6. *Deprecatio pauperis ex ore uſque ad aures ejus perveniet*] *Preces pauperis ex ore aurium ipſius tenus*, id eſt, non ultrà quàm ad aures perveniunt, animum non attingunt.

Et judicium feſtinatò adveniet illi] *Iudicium ejus* (id eſt, pœna) *feſtinè eveniet.* Deus immiſericordes immiſericorditer tractat.

7. *Qui odit correptionem veſtigium eſt peccatoris*] In Græco, ἐν ἴχνει ἁμαρτωλοῦ, id eſt, *per veſtigia incedit hominis peccare conſueti.*

Et qui timet Deum convertetur ad cor ſuum] *In corde ſuo*, id eſt, monitus reſipiet: non committet ut quod fecit in conſuetudinem tranſeat.

8. *Notus longè potens linguâ audaci, & ſenſatus ſcit labi ſe ab ipſo*] *Longè celeber* (eſt vir) *longè potens* (nam illud *audaci* in Græco non eſt); *at vir mente præditus intelligit ubi ille labitur.* Alios pertrahit in aſſenſum limpidus ille eloquentiæ torrens. At qui judicio & rerum cognitione valet, is ficta novit à veris diſcernere.

9. *Qui ædificat domum ſuam impendiis alienis*] *Ære alieno*, ἐν χρήμασιν ἀλλοτρίοις.

Quaſi colligit lapides ſuos in hyeme] Legit ἑαυτοῦ, pro ἑαυτῷ, & εἰς χειμῶνα, quod & nunc codices nonnulli habent, pro εἰς χῶμα ταφῆς. *Par ei eſt qui ad ſepulchrum ſuum lapides congerit.* Sibi enim ruinam parat.

10. *Stuppa collecta ſynagoga peccantium*] *Multitudo hominum malorum eſt velut ſtuppæ congeries*, quæ facillimè ignem concipit. Cantici trium puerorum 17.

Et conſummatio illorum flamma ignis] Addunt quidam codices, εἰς ἀπώλειαν [*ad exitium*]. Sed id ſatìs comprehenſum in voce συντέλεια [*conſummatio*], & abeſt in Sixtina. Peribit tam ſubitò quàm quæ igne conſumuntur.

11. *Via peccantium complanata lapidibus*] Facilis inceſſu, ut viæ ſtratæ.

— Τὴν μὲν γὰρ κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἔστιν ἑλέσθαι
Ῥηιδίως· λείη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
[*Improbitas nullo datur amplectenda labore:*
Eſt facilis via peccandi, jacet ínque propinquo.]

Et in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ] Chriſtianè admodum. At in Græco eſt tantùm, ἐπὶ ἐσχάτου αὐτῆς βόθρος ᾅδου [*in fine ejus fovea inferni*]. *In fine ejus*, id eſt, tandem, ducit ad ſepulchrum, id eſt, ad mortem à Iudice, aut ab iis quos læſerunt, aut à Deo denique.

12. *Qui cuſtodit juſtitiam continebit ſenſum ejus*] *Qui legem* (Dei) *cuſtodit, is compos fit ſenſuum legis.* Confer Ioh. VII. 17. & id quod ſequitur.

13. *Conſummatio timoris Dei*] Id eſt, finis ejus.

Sapientia & ſenſus] Σοφίας πρόσληψις, *ſapientiæ augmentum.*

14. 15. *Non erudietur qui non eſt ſapiens in bono. Eſt autem ſapientia quæ abundat in malo; & non eſt ſenſus ubi eſt amaritudo*] Varias interpretationes ex varia lectione in unum miſcuerunt exſcriptores. Græca ſic habent, Οὐ παιδευθήσεται ὃς οὐκ ἔστι πανοῦργος· ἔστι γὰρ πανουργία πληθύνουσα πικρίαν [*Non inſtituetur qui non eſt ſollers. Eſt autem & ſollertia augens amaritiem*]. Sicut antè αἰσχύνης [*pudoris*] ità hîc πανουργίας [*ſollertiæ*] vocem diſtinguit. Eſt enim vox per ſe media. Obſervavit id Baſilius in Proverbia, dicens, πανουργίαν διττὴν εἶναι [*ſollertiam eſſe duplicem*], & laudabilem πανουργίαν [*ſollertiam*] eſſe eam ἣ ὡς ὅπλῳ τινὶ πεφραγμένον εἶναι δεῖ καὶ δυσάλωτον τὸν φρόνιμον ταῖς ἐπιβουλαῖς τῶν ὑπεναντίων [*quâ velut armaturâ obſeptum eſſe decet & inimicorum inſidiis inexpugnabilem virum prudentem*]. Ergò dicit hic Scriptor ſubtilitatem quandam ingenii requiri in eo qui ad magnum doctrinæ faſtigium ſit perventurus. Sed aliam quoque eſſe ſubtilitatem, quæ de ſe producat

malitiam. Id enim valet πικρία [*amarities*], Deuteronomii xxix. 18. Actorum viii. 23. Hebræorum xii. 15.

16. *Scientia ſapientis tanquam inundatio abundabit*] Augetur quotidie ſicut diluvies. Vide Gen. vii. 10. & ſequentibus.

Et conſilium ejus ſicut fons vitæ permanet] Ἡ βουλὴ αὐτοῦ ὡς πηγὴ ζωῆς· nam ἁγνῆς [*puræ* (ſcil. *vitæ*)] non eſt in Sixtina. *Fons vitæ* Hebræis eſt fons perennis: Pſalm. xxxvi. 10. Proverb. x. 11. xiii. 14. xiv. 27. xvi. 22. xviii. 4. Ieremiæ ii. 13. xvii. 13. Apocalyp. vii. 17. Non magìs ei conſilium deerit quàm aquæ fonti perenni. Ovidius de Homero,

——— cujus de fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

17. *Cor fatui quaſi vas confractum*] Dolium Danaïdum.

Et omnem ſapientiam non tenebit] Infuſa illi effluent. Quod hîc libri nonnulli adjiciunt, ἐν ζωῇ αὐτοῦ [*in vita ipſius*], id Sixtina non habet.

18. *Et ad ſe adjiciet*] Sibi applicabit.

Audivit luxurioſus] Ἀσύνετος, imprudens.

Projiciet illud poſt dorſum ſuum] *A tergo rejiciet*, ut quæ non curamus.

19. *Narratio fatui quaſi ſarcina in via*] Res moleſta ac tædioſa.

Nam in labiis ſenſati invenietur gratia] *At in labiis*. Placebunt, quæ vir ſapiens dixerit.

20. *Os prudentis quæritur in eccleſia*] Magno cum deſiderio exſpectatur ejus ſermo in Senatu, aut concione.

Et verba illius cogitabunt in cordibus ſuis] Hoc ſuo loco eſt in Sixtina. In aliis codicibus Græcis malè tranſponitur. Digna judicantur ejus verba quæ infigantur memoriæ.

21. *Tanquam domus exterminata, ſic fatuo ſapientia*] Vt domus deſtructa, ſine ordine, ac decore; lapides, non domus.

Et ſcientia inſenſati inenarrabilia verba] Ἀδιεξέταστοι λόγοι, *verba impræmeditata*.

22. *Compedes in pedibus ſtulto doctrina, & quaſi vincula manuum ſuper manum dexteram*] *Etiam ſuper dextram*. Ideo præcepta odit, quia videt futurum ut per ea vetetur ſuis malis moribus vivere.

23. *Fatuus in riſu exaltat vocem ſuam: vir autem ſapiens vix tacitè ridebit*] Explicatio fuſior ejus quod dictum ſuprà xix. 27. Seneca, *Riſus ſit ſine cachinno*. De Iove Virgilius,

Olli ſubridens hominum ſator atque deorum.

24. *Ornamentum aureum prudenti doctrina*] *Velut torques*.

Et quaſi brachiale in brachio dextro] Vide Eſaïæ iii. 17.

25. *Pes fatui velox in domum proximi*] Nullis de cauſis ingerit ſe in alienum larem.

Et homo peritus confundetur à perſona potentis] In Græcis exemplaribus quibuſdam eſt ἀπὸ προσώπου [*à facie*], quod hîc Interpres explicavit, additâ *potentis* voce. Sed melior eſt lectio altera ἀπ' αὐτοῦ [*ab ipſo*], à tali more abſtinebit: quod & ſequentia firmant.

26. *Stultus à feneſtra proſpiciet in domum*] Imò *à janua*, ἀπὸ θύρας. Curioſus introſpector eſt rerum alienarum.

Vir autem eruditus foris ſtabit] Vir bene inſtitutus foris commodum exſpectabit ejus quem aditurus eſt: id enim eſt verecundi. Vide Deuteron. xxiv. 11.

27. *Stultitia hominis auſcultare per oſtium*] Quid intus geratur.

Et prudens gravabitur contumeliâ] Βαρυνθήσεται ἀτιμίαν [*graviter feret ignominiam*]. Vir prudens non poterit talem injuriam non graviter ferre.

28. *Labia imprudentium ſtulta narrabunt*] *Loquacium labra diſſerunt de iis quæ ad ſe non pertinent*: ut Olus apud Martialem.

Verba autem prudentium ſtaterâ ponderabuntur] Id eſt, *Sapientes quid dicturi ſint priùs intra ſe ad libellam exigunt*: nihil dant niſi coctum.

29. *In ore fatuorum cor illorum: & in corde ſapientum os illorum*] Dictum elegans. Illorum mens in lingua natat, hi linguam mente comprimunt.

30. *Dum maledicit impius Diabolum, maledicit ipſe animam ſuam*] Nempe quia paribus paria conveniunt. Impius autem ingenium trahit de Satana: ità ut etiam ex eo natus dicatur, Iohan. viii. 44.

31. *Suſurro coinquinat animam ſuam*] Id eſt, dum alios vult dedecorare, ſemet dedecorat.

Et in omnibus odietur: & qui cum eo manſerit, odioſus erit: tacitus & ſenſatus honorabitur] Pro his omnibus in Græcis tantùm eſt, καὶ ὁ ἐὰν παροικήσῃ μισηθήσεται. At in Sixtina, καὶ ἐν παροικήσει μισηθήσεται, rectè: *odio erit omni viciniæ*.

CAPVT XXII.

1. IN *lapide luteo lapidatus eſt piger*] Συνεβλήθη, & hîc & ſequenti commate ſumſit Interpres in ſenſu quo συμβαλεῖν ἔπη κακὰ [*mala verba jacere*], id eſt, *jacere*, dixit Sophocles: ſed revera ponitur hîc in ſenſu comparandi. Hoc dicit, *Pigrum lapidi per madorem corrupto eſſe ſimilem*, id eſt, nulli uſui.

Et omnes loquentur ſuper aſpernationem illius] *Quivis ſibilabit*, ad ſignificandum *ejus contemtum*. Exſibilare ſpernentium eſt, Lamentation. ii. 15. Ezechielis xxvii. 36.

2. *De ſtercore boum lapidatus eſt piger*] Comparatur bubulo ſtercori.

Omnis qui tetigerit eum excutiet manus] *Qui ſuſtulerit de terra*. Qui expertus eſt, uti eo nolet.

3. *Confuſio patris eſt de filio indiſciplinato*] Euripides de liberis,

Καὶ γὰρ κακοὶ γεγῶτες, αἰσχίστη νόσος.
[*Nam dira peſtis moribus proles malis.*]

Filia autem in deminoratione fiet] *Filia verò* (nempe malè edocta, ἀπὸ κοινοῦ [*ex eo quod præceſſit*]) *erit ad damnum*. Volet incedere cenſus induta nepotum, & habere patrimonia de auribus pendentia.

4. *Filia prudens hereditas viro ſuo*] Optimè ſenſum vertit. Helleniſtæ, quia non habebant voces quibus Hiphil Hebræum redderent, activum ſimplex pro duplici activo poſuere. Ità βασιλεύειν [*regnare*] eſt pro המליך *facere regnare*. Et hæc ipſa vox κληρονομεῖν [*ſorte tribuere, heredem relinquere*] pro הנחיל [*hereditare faciet*], Prov. xiii. 22. Senſus eſt, *Filia prudens virum ſuum locupletabit*, nempe moderatè rebus utendo. Legendum autem κληρονομήσει ἄνδρα [*virum opulentum faciet*], ut in Sixtina, non ἀνδρός.

Nam quæ confundit in contumeliam ſit genitoris] *Et quæ dedecorat maritum* (ad egeſtatem eum redigendo ſumtibus) , *dolori eſt ei quæ ipſam genuit.*

5. *Patrem & virum confundit audax*] *Patrem & virum dedecorat* θρασεῖα , *quæ omnia audet facere*, quæ famam non veretur.

Et ab impiis non minorabitur] Alieno loco inſertum hoc , nec eſt in Græcis.

Ab utriſque autem inhonorabitur] *Spernetur* , ἀτιμασθήσεται. *Ab utroque* , id eſt , à patre & marito.

6. *Muſica in luctu importuna narratio*] *Cantica in luctu importuna converſatio.* Hoc ſignificatu διήγησιν [*converſationem*] etiam infrà habes XXXVIII. 26.

Flagella & doctrina in omni tempore ſapientia] In Græco, μάστιγες δὲ καὶ παιδεία ἐν καιρῷ σοφίας· ſed legendum omnino, μάστιγες δὲ καὶ παιδεία ἐν καιρῷ, σοφία, *at flagra & caſtigatio in tempore, ſapientia*, id eſt, opera ſapientiæ ſunt. Quæ hîc ſequuntur in Græcis quibuſdam, ſicut in Latinis abſunt, ità & in Sixtina.

7. *Qui docet fatuum , quaſi qui conglutinat teſtam*] Perinde perdit operam , ac ſi teſtarum fragmenta glutine velit jungere.

8. *Quaſi qui excitat dormientem de gravi ſomno*] Id eſt, veterno laborantem.

9. *Cum dormiente loquitur*] *Cum dormitante* , νυστάζοντι. In Gloſſis, νυστάζω, *dormito.*

Qui enarrat ſtulto ſapientiam] Hoc *ſapientiam* non malè Interpres addit: nam in Græco tantùm eſt, ὁ διηγούμενος μωρῷ [*qui apud ſtultum diſſerit*].

Et in fine narrationis dicit, Quis eſt hic?] Legit, Τίς ἐστιν; ſed Græci codices habent, Τί ἐστιν; *Quid eſt quod ais?* ut ſolent auditores ſupini.

10. *Supra mortuum plora , defecit enim lux ejus: & ſupra fatuum plora , defecit enim ſenſus*] Hîc mutila eſt editio Sixtina. Aliæ editiones rectè & plenè, ἐπὶ νεκρῷ κλαῦσον, ἐξέλιπε γὰρ φῶς· καὶ ἐπὶ μωρῷ κλαῦσον, ἐξέλιπε γὰρ σύνεσις [*Ob mortuum plora, defecit enim lux : & ob fatuum plora , defecit enim mens*]. ἐξέλιπε φῶς, *occidit brevis lux* , ut ait Catullus. Et bene mentem luci comparat: nam quod lux corpori, id mens animo.

II. 12. *Modicum plora ſuper mortuum, quoniam requievit: nequiſſimi enim nequiſſima vita , ſuper mortem fatui*] Breviùs elegantiuſque in Græco, Ἥδιον κλαῦσον ἐπὶ νεκρῷ, ὅτι ἀνεπαύσατο· τοῦ γὰρ μωροῦ ὑπὲρ θάνατον ἡ ζωή, *Leviùs fle ſuper mortuo* (quàm ſuper ſtulto); *requievit enim* (is qui mortuus eſt): *at ſtulti vita ſuper mortem flebilis.* Quidam ζῶντες τεθνήκασι [*dum vivunt mortui ſunt*], ut oſtendit Paulus 1 Tim. v. 6. nempe qui à Deo ſeparati ſunt. Deus enim animo quod animus corpori. Vide quæ dicta à nobis & aliis ad Matthæum VIII. 22.

13. *Luctus mortui ſeptem dies*] More antiquiſſimo, Geneſeos L. 10. Vide quæ attulimus ad Matthæi IX. 23.

Fatui autem & impii , omnes dies vitæ illorum] Semper lugendi tales. Cenotaphia ejus generis hominibus exſtruebant Pythagorici.

14. *Cum ſtulto nè multum loquaris*] *Neque cum femina* , addunt Rabbini.

Et cum inſenſato nè abieris] *Ad inſipientem nè accedito.* Cauſa ſequetur: ſed interponunt hîc Græci codices nonnulli, ἀναισθητῶν γὰρ ἐξουθενήσει σου τὰ πάντα, *nam ut eſt ſtupidus , omnia tua* (dicta) *contemnet.*

15. *Et non coinquinaberis peccato illius*] In Græco , ἐν τῷ ἐντιναγμῷ αὐτοῦ , *jaculatione ipſius*, id eſt , ſputo. Per *ſputum* autem verba probroſa intelligit.

16. *Et non acediaberis in ſtultitia illius*] In Græco, καὶ οὐ μὴ ἀκηδιάσῃς ἐν τῇ ἀπονοίᾳ αὐτοῦ, *Nè tædio afficiaris ob ipſius vecordiam.* ἀπόνοια eſt *vecordia*, ſive *perdita quædam audacia*, cujus deſcriptionem habes apud Theophraſtum. ἀκηδία autem *tædium*, Pſalmo CXIX. 28. interdum *dolor , mæror* , Eſaïæ LXI. 3. Baruchi III. 1. & indè verbum ἀκηδιάζειν [*dolere*], Pſalmo CXLIII. 4.

17. *Super plumbum quid gravabitur? & quod aliud illi nomen quàm fatuus?*] Græcè , ὑπὲρ μόλυβδόν τι (ità ponendi accentus) βαρυνθήσεται· καὶ τί ὄνομ' αὐτῷ, ἀλλ' ἢ μωρός; Ità enim Sixtina , non ut in aliis codicibus: ἀλλ' ἢ μόλυβδος. *Eſt aliquid plumbo gravius, & quod nomen* (ei rei) *aliud quàm ſtultus?* Ejus præſentia & ſermones omnibus graves ſunt ſuprà quàm dici poteſt.

18. *Arenam & ſalem & maſſam ferri facilius eſt ferre quàm hominem imprudentem & fatuum & impium*] In Græco tantùm eſt, *hominem imprudentem*: & ſumta eſt ſententia ex Proverb. XXVII. 3.

19. *Loramentum ligneum colligatum in fundamento ædificii non diſſolvetur*] Ἱμάντωσις, quod hîc *loramentum* vertitur (ſicut in Gloſſis, Ἱμάντωμα, *loramentum*) eſt, Suidâ explicante , δέσις ξύλων ἐμβαλλομένων ἐν τοῖς οἰκοδομήμασι [*colligatio lignorum quæ ædificiis injunguntur*]. Hieronymo *lignum , quod ad continendos parietes in medio ſtructuræ ponitur.*

Sic & cor confirmatum in cogitatione conſilii] Sequitur in Græcis, ἐν καιρῷ οὐ δειλιάσει, *in agendi tempore non trepidabit.* Sic enim rectiùs in Sixtina quàm in aliis, ἐν παντὶ καιρῷ φόβῳ οὐ δειλιάσει. Senſus eſt, conſtantem eſſe eum in agendo, qui priuſquam agat, cauſas agendi & conſequentia ità expendit ut dicere poſſit,

> *Omnia præcepi , atque animo mecum antè peregi.*

Vide quæ dicta ad Matthæi VII. circa finem.

20. *Cogitatus ſenſati omni tempore metu non depravabitur*] Aliter in Græco , καρδία ἑδρασμένη ἐπὶ διανοίᾳ συνέσεως , ὡς κόσμος ψαμμωτὸς ἐπὶ τοίχου ξυστοῦ, *Animus fixus ſuper conſilio prudente , eſt ut arenatum tectorium in pariete bene adæquato.* Sicut tale tectorium imbrem non metuit , ità nec ille adverſa. Tectoria ex luto diffluunt , & disjiciunt parietem, Ezechielis XIII. 10. 12.

21. *Sicut pali in excelſis , & cæmenta ſine impenſa poſita contra faciem venti non permanebunt : ſic & cor timidum in cogitatione ſtulti contra impetum timoris non reſiſtet*] Nihil de cæmento in Græco , ut cujus mentio præceſſerit ; ſed ſic, Χάρακες ἐπὶ μετεώρου κείμενοι κατέναντι ἀνέμου οὐ μὴ μείνωσι· οὕτως καρδία δειλὴ ἐπὶ διανοήματι μωροῦ κατέναντι παντὸς φόβου οὐ μὴ ὑπομείνῃ [*Vari poſiti in loco ſublimi durare contra ventum nequeunt : ſic & cor timidum in ſtulta cogitatione contra metum nullum ſubſiſtet*]· χάρακες ſunt *vari* qui à venatoribus poni in ſummis montibus ſolent: qui

στάλικες Theocrito in Epigrammate,

——— στάλικες δ' ὀρθοπαγεῖς ἀν' ὄρη.
[——— *ſtat ſummis pertica fixa jugis.*]

Tales varos vehemens ventus disjicit. Pari modo homo levis metu quovis ingruente de ſententia dejicitur.

23. *Sicut cor trepidum*] Deeſt hæc ſententia in Græco, & rectè.

24. *Pungens oculum deducit lacrymas*] Νύσσειν hîc non eſt *pungere*, ſed *vellere, vellicare*: quod *terere* dixit Terentius, ——— *una falſa lacrumula,*
Quam oculos terendo miſerè vix vi expreſſerit.

Et qui pungit cor profert ſenſum] Qui animum alicujus irritat, efficit ut prodeat ultio.

25. *Mittens lapidem in volatilia*] Vt ille apud Horatium, qui

——— *inſequitur corvos teſtâque lutóque.*

Dejiciet illa] *Abiget.* Id enim eſt ἀποσοβήσῃ, ut Deuteronomii XXVIII. 26. Ieremiæ VII. 33. In Gloſſis, Ἀποσοβῶ, *abigo.*

Sic & qui convitiatur amico diſſolvit amicitiam] Malunt multi amicum quàm dictum perdere. οὐδεὶς δύναται συνημερεύειν τῷ λυπηρῷ [*nemo diu vivere poteſt cum homine acerbo*], ait Ariſtoteles Nicomacheorum VIII. 6.

26. 27. *Ad amicum etſi produxeris gladium non deſperes*] *Adversùs amicum etiamſi gladium eduxeris, noli deſperare* reſarciri poſſe amicitiam.

Eſt enim regreſſus] *Eſt locus pœnitentiæ.* Sic ἐπάνοδος ſumitur ſuprà XVII. 18.

Ad amicum ſi aperueris os triſte non timeas] Non eſt *triſte* in Græco. *Aperire os* hîc ſignificat durum aliquid eloqui.

Eſt enim concordatio] *Datur reconciliatio* in talibus.

Excepto convitio & improperio] In Græco tantùm πλὴν ὀνειδισμοῦ, *exceptâ beneficii exprobratione.* Sic ὀνειδίζειν ſuprà habuimus XX. 14.

Et ſuperbiâ] Id eſt, contemtu amici.

Et myſterii revelatione] *Arcani crediti.*

Ὅστις λόγου γὰρ παρακαταθήκην παραλαβὼν
Ἐξεῖπεν, ἄδικός ἐστιν, ἢ ἀκρατὴς ἄγαν,
[*Qui commendatum ſibi ſermonem acceperit,*
Injuſtus eſt aut impotens, ſi eliminet,]

ait Anaxandrides.

Et plaga doloſa] Nocumenta per inſidias illata. Quidquid nocet πληγὴ [*plaga*] dicitur, ut Hebræis נגע & נגף.

In his omnibus effugiet amicus] *Propter hæc effugiet quivis amicus.* Id eſt, quamvìs lenis & patiens.

28. *Fidem poſſide cum amico in paupertate illius*] Id eſt, Serva fidem in adverſis.

Vt & in bonis illius læteris] Vt & rerum meliorum ſis particeps.

29. *Vt & in hereditate illius coheres ſis*] Vt cum ipſo fruaris iis quæ ipſi mancupii jure obvenient. Quod hîc in Græcis quibuſdam ſequitur, οὐ καταφρονητέον γὰρ ἀεὶ τῆς περιγραφῆς, οὐδὲ θαυμαστὸς πλούσιος νοῦν οὐκ ἔχων [*non ſpernendæ ſemper res arctæ; neque admirandus dives mentem non habens*], id abeſt in Sixtina. Videtur autem quiſquis ejus ſententiæ auctor eſt, περιγραφῆς nomine intellexiſſe *res arctas.*

30. *Ante ignem camini vapor & fumus ignis inaltatur*] In Græco tantùm, *vapor & fumus.* Plautus, *Flamma fumo proxima eſt.*

Sic & ante ſanguinem maledicta, & contumeliæ & minæ] Pro his omnibus in Græco eſt, λοιδορίαι, *convitia.* Alexis,

——— φιλεῖ γὰρ ἡ μακρὰ συνουσία,
Καὶ τὰ συμπόσια τὰ πολλὰ καὶ καθ' ἡμέραν, ποιεῖν
Σκῶψιν· ἡ σκῶψις ἣ λυπεῖ πλεῖον ἢ τέρπει πολύ.
Τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίνετ'· ἂν δ' εἴπῃς ἅπαξ,
Εὐθὺς ἀντήκουσας ἤδη· λοιδορεῖσθαι λείπεται,
Εἶτα τύπτεσθαι δέδεικται, καὶ παροινεῖν· ταῦτα γὰρ
Κατὰ φύσιν πέφυκεν οὕτως. καὶ τί μάντεως ἔδει;
[——————— *longa converſatio*
Et novæ quotidianæ compotatiunculæ,
Proferunt cavillam, quæ delectat, quàm mordet, minùs.
Hinc maledicendi principium naſcitur: ubi quid dixeris,
Audies tantundem. Reſtant nîl niſi jam convitia,
Deinde verbera atque pugnæ; namque ſeſe hæc mutuò
Per naturam conſequuntur: vate nec quicquam eſt opus.]

31. *Amicum ſalutare non confundar*] Scripſit Interpres *ſalvare.* Eſt enim in Græco σκεπάζειν [*protegere*]. Nullus pudor me prohibebit quominus amico periclitanti opem feram.

A facie illius non me abſcondam, & ſi mala mihi evenerint per illum, ſuſtinebo] *Suſtinebo* non eſt in Græco. Senſus eſt, Non vitabo amici conſpectum, etiamſi ipſius causâ incommoda mihi aliqua obvenerint.

32. *Omnis qui audiet cavebit ſe ab illo*] Pendet à ſuperiori. *Etiamſi quiſquis audiet* mihi ſcilicet propter illum mala eveniſſe, *ſibi ab eo caveat,* non dimovebor ab amicitia talibus exemplis.

33. *Quis dabit ori meo cuſtodiam*] Id eſt, utinam habeam in ore cuſtodiam. Sic enim Hebræi uſurpant מי יתן [*quis dabit*].

Signaculum certum] *Signaculum ſollers,* id eſt, magnâ arte factum.

Vt non cadam ab ipſis] *Per ipſa,* nempe labia. Additur in Græco, αἰφνιδίως, id eſt, *ſubitò.*

Et lingua mea perdat me] Vide ſuprà XX. 20.

CAPVT XXIII.

1. *Domine pater, & dominator vitæ meæ*] ζωῆς μου, ut in Sixtina. Nam alii libri habent ζωῆς ἁπάσης [*vitæ omnis*]. Videtur hæc precatio cohærere cum iis quæ præceſſere XXII. 22. & titulus de Amicitia inter iſta inſertus alieno loco.

Nè derelinquas me in conſilio eorum] *Nè permittas me regi illorum* (ſtultorum) *conſiliis.*

Nec ſinas me cadere in illis] Id eſt, per illos, in gravia mala incidere.

2. *Quis ſuperponet in cogitatu meo flagella*] Id eſt, utinam ſemper ſit aliquis qui me caſtiget, ubi ulla mihi inſedit mala cogitatio. Μάστιξ [*flagellum*] per tranſlationem dicitur omne id quod cum aliquo doloris ſenſu nos docet. Vide ſuprà XXII. 6.

Et in corde meo doctrinam ſapientiæ] Et qui me in rectam viam monendo retrahat.

Vt ignorationibus eorum non parcant mihi] In Sixtina, ἵνα ἐπὶ τοῖς ἀγνοήμασί μου μὴ φείσωνται, id eſt, *non parcendo delictis meis. Delicta* omnia ἀγνοήματα Hellenistis. Diximus ad Iudith. v. 19.

Et non appareant delicta eorum] Variat hîc Græca lectio. Sixtina in textu habet, καὶ μὴ παρῇ τὰ ἁμαρτήματα αὐτῶν. Alii hæc cum superioribus ſic habent, ἵνα ἐπὶ τοῖς ἀγνοήμασί μου μὴ φείσῃ σὺ, Κύριε· τὰς δὲ ὕβρεις τῶν ἐν ἐπαγγελίᾳ ἁμαρτωλῶν μὴ παρῇς [*nè in ignorationibus meis non parcas tu, Domine; at injurias in professione peccantium non diſsimules*]. Veram lectionem puto, καὶ παρῇ τὰ ἁμαρτήματά τις αὐτῶν, *nè quis illorum* (amicorum) *mea malè facta diſsimulet.* Παριέναι *diſsimulare*, ut Eſth. VII. 4. & alibi.

3. *Et nè adincreſcant ignorantiæ meæ*] *Et* non eſt in Græco, ſed ὅπως μὴ πληθυνθῶσιν αἱ ἄγνοιαί μου, *nè delicta mea creſcant.* Optimè,

Principiis obſta : ſerò medicina paratur
Cùm mala per longas invaluere moras.

Vt & ſuprà diximus XVIII. 19.

Et peccata mea abundent] Additur in Græcis quibuſdam εἰς συντριβὴν [*ad ruinam*]· cujus ſenſus idem qui in verbis ſequentibus.

Et incidam in conſpectu adverſariorum meorum] *Cadam inimicis ſpectantibus.* Vox ὑπεναντίων pro *inimicis* frequens etiam apud puros ſcriptores Græcos.

Et gaudeat ſuper me inimicus meus] Me cadentem ſcilicet conſpiciens. Confer quæ ſuprà XVIII. 31. Quod hîc in editionibus quibuſdam Græcis ſequitur, ὧν μακρὰν ἐστιν ἡ ἐλπὶς τοῦ ἐλέους σου [*à quibus longè eſt ſpes miſerationis tuæ*], id abeſt à Sixtina.

4. *Nè derelinquas me in cogitatu illorum*] Hæc repetita ex commate primo, deſunt in Græcis.

5. *Extollentiam oculorum meorum nè dederis mihi*] *Meorum* non eſt in Græco. μετεωρισμὸς ὀφθαλμῶν [*elatio oculorum*] eſt ſuperbia : Sic Græci ſuperbos vocant τοὺς τὰς ὀφρῦς αἴροντας [*ſupercilia attollentes*]. Dicitur autem Deus *dare* in quod incidere aliquem patitur.

Et omne deſiderium averte à me] In Græcis pleriſque eſt ampliùs, καὶ γιγαντώδη ψυχὴν ἀπόστησον διὰ παντὸς ἀπὸ δούλων σου, ἐλπίδας κενὰς καὶ ἐπιθυμίας ἀπόστρεψον ἀπ᾽ ἐμοῦ [*& giganteam animam arce ſemper à ſervis tuis, ſpes vanas & cupiditates averte à me*]. *Gigantea anima* eſt ea quæ eò venit arrogantiæ ut *jura neget ſibi nata*, Sap. XIV. 6. ἐπιθυμίας [*cupiditates*] ex eo quod præceſſit intellige κενὰς [*vanas*], *vota temeraria*, qualia deſcribit ſic Rianus:

Ἀλλ᾽ ὑπεροπλίῃ καὶ ἀμαρτωλῇσι νόοιο
Ἶσα Διῒ βρομέει· κεφαλὴν δ᾽ ὑπὲρ αὐχένα ἴσχει
Καίπερ ἐὼν ὀλίγος· μνᾶται δ᾽ εὔπηχυν Ἀθηνᾶν.
[*Tantum corda tument, parvus licèt, erigit altum*
Suppoſitâ cervice caput : fulménque Tonantis
Iam ſibi, jam thalamos audet ſpondere Minervæ.]

Quod verò hîc in Græcis quibuſdam ſequitur, καὶ κρατήσεις τὸν θέλοντά σοι δουλεύειν διὰ παντὸς [*& tenebis volentem tibi ſervire ſemper*], deeſt in Sixtina.

6. *Aufer à me ventris concupiſcentias, & concubitûs concupiſcentiæ nè apprehendant me*] Breviùs in Græco, *Ventris cupido, & concubitus nè me detineant*, id eſt, eſcæ aut potûs nimii appetitus, aut Veneris extra conjugium. In Aureo carmine,

——— κρατεῖν δ᾽ εἰθίζεο τῶνδε,
Γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου, λαγνείης τε
[——— *res has ſuperare memento:*
Ingluviem, ſomnúmque, ſimúlque libidinis arma.]

Bene autem conjunguntur iſta; — ἐν πλησμονῇ γὰρ Κύπρις [— *in ſatietate Venus*].

Et animæ irreverenti & infrunitæ nè tradas me] Quod hîc ſequitur in Græcis quibuſdam τὸν οἰκέτην σου [*famulum tuum*], id abeſt à Sixtino. Latinus autem Interpres unum Græcum ἀναιδεῖ [*inverecundo*] duobus adjectivis Latinis expreſſit. Vox *infruniti* eſt apud Feſtum & Senecam. ψυχὴ ἀναιδὴς [*anima inverecunda*] ut infrà XXVI. 14. ὀφθαλμὸς ἀναιδὴς [*oculus inverecundus*], ſcortum ſignificat.

7. *Doctrinam oris audite filii*] In Sixtina præponitur hic titulus, ΠΑΙΔΕΙΑ ΣΤΟΜΑΤΟΣ [INSTITVTIO ORIS]. Sequitur deinde παιδείαν στόματος ἀκούσατε, τέκνα [*inſtitutionem oris audite, filii*], ſine illo ἀληθινοῦ [*veracis*], quod malè addunt alii codices.

Et qui cuſtodierit illam non periet labiis] Καὶ ὁ φυλάσσων, οὐ μὴ ἁλῷ ἐν τοῖς χείλεσιν αὐτοῦ [*& cuſtodiens eam non capietur per labia ſua*], id eſt, *quam doctrinam quiſquis obſervaverit, is non capietur per labia ſua*, is non efferet verba per jugulum reditura.

Nec ſcandalizabitur in operibus nequiſsimis] Non eſt in Græco, nec ſenſui congruit.

8. *In vanitate ſua apprehenditur peccator*] *In imprudentia ejus* (oris ſcilicet) *comprehenditur peccator.*

Et ſuperbus & maledicus ſcandalizabitur in illis] *In illis* ſupple *labiis* σκανδαλισθήσεται, id eſt, *offendet.*

9. *Iurationi nè aſſueſcat os tuum*] Monitum Euangelico præcepto viam parans. ἐκ πολυορκίας ψευδορκία [*ex multa jurandi aſſuetudine ſequitur falſa juratio*], ut ait Philo: & *faciles fieri ad jurandum homines contemtu religionis*, dixit Vlpianus. Tractavimus hæc ad Matth. V. 34.

Multi enim caſus in illa] Abeſt hoc à Græco.

10. *Nominatio verò Dei non ſit aſsiduè in ore tuo, & nominibus ſanctorum non admiſcearis: quoniam non eris immunis ab eis*] Interpres hîc *ſanctos* nobis poſuit pro Sancto: id eſt, Deo: nam in Græco pro his omnibus verbis hæc tantùm habemus, ὀνομασίᾳ τοῦ ἁγίου μὴ συνεθισθῇς, *nè aſſueſce illum Sanctum nominare.* Inter nomina Dei eſt *Sanctus*, Eſai. XXX. 12. 15. Ezech. XXXIX. 7. Videtur Interpres in animo habuiſſe morem Chriſtianorum non optimorum, quos irridens paganus Poëta ſcribit,

Per cineres Pauli, per cani limina Petri.

11. *Sicut enim ſervus interrogatus aſsiduè*] Id eſt, *tortus*: nam ἐξετάζεσθαι Græcis ſæpe id ſignificat, ut & Latinis *quærere*, unde *quæſtio*. Inter genera quæſtionum una eſt per flagra. Hoc μάστιξιν ἀνετάζεσθαι [*flagris inquirere*] dixit Lucas Act. XXII. 24. ſic II Macchab. VII. μετ᾽ ἐτασμῶν καὶ μαστίγων [*cum quæſtionibus & verberibus*]. Adde quæ diximus ad Matth. XXVII. 19.

A livore non minuitur] *Non eget vibicibus.* Ità enim ſumitur ἐλαττοῦσθαι [*minui*] in his Scriptoribus, reſpondens Hebræo חסר, ut II Samuel. III. 29. Ieremiæ XLIV. 18.

Sic omnis jurans & nominans in toto à peccato non purgabitur] Id eſt, qui jurare & Deum nominare in conſuetudine habet, nunquam carebit peccato: ex uno peccato in alterum incidet.

12. *Vir multùm jurans*] Πολύορκος. Vide quod ſuprà 9. adduximus ex Philone.

Et non diſcedet à domo illius plaga] Heſiodus,

Ὅρκον θ' ὃς δὴ πλεῖστον ἐπιχθονίοις ἀνθρώποις
Πημαίνει, ὅτε κέν τις ἑκὼν ἐπίορκον ὀμόσσῃ.
[*Iuratúmque Deum, clades mortalibus unde*
Adveniunt, quoties fallaci pectore jurant.]

13. *Et ſi fruſtraverit, delictum illius ſuper ipſum erit*] Ἐὰν πλημμελήσῃ, id eſt, Si oblitus fuerit ſe juraſſe. שגג, modò per ἀγνοεῖν [*ignorare*], modò per πλημμελεῖν [*negligere*] vertitur. *Delictum ſuper ipſum erit*, id eſt, etiam ſic reus erit.

Et ſi diſſimulaverit delinquet dupliciter] Κἂν ὑπερίδῃ, id eſt, ſi meminerit quidem, ſed non tanti habeat ut implere curet.

14. *Et ſi in vacuum juraverit*] Id eſt, Si ab initio cùm juraret, joco id, non ſeriò fecerit, putétque elabi ſe poſſe dicendo,

Ἡ γλῶσσ' ὀμώμοχ'· ἡ δὲ φρὴν ἀνώμοτος.
[*Iurata lingua eſt: mente juratum nihil.*]

Non juſtificabitur] Non recipietur iſta excuſatio.

Replebitur enim retributione domus illius] Πλησθήσεται γὰρ ἐπαγωγῆς ὁ οἶκος αὐτοῦ, *Imò malis implebitur domus ejus.* ἐπαγωγὴν hîc ſume, ut ſuprà 11.2. v.10. x. 14.

15. *Eſt & alia loquela contraria morti*] Legit bene ἀντιπαραβεβλημένη [*reſpondens, oppoſita*], non ἀντιπεριβεβλημένη [*objecta*]. *Eſt* quædam *elocutio cui mors reſpondet*. Hebræi blaſphemiam non nominant, ſed aut circumſcribunt aut per ἀντίφρασιν [*locutionem ſenſui contrariam*] ſignificant. Vide legem Levit. XXIV. 15. 16. Poſtquam de juramentis dixit, venit ad alia loquelæ peccata.

Non inveniatur in hereditate Iacob] Abſit tam grave crimen à populo Iſraëlitico.

16. *Etenim à miſericordibus omnia hæc auferentur*] *Auferantur*: quaſi dicat, *Dî meliora piis.* εὐσεβεῖς hîc *pii*, non, ut alibi, *miſericordes*.

Et in delictis non volutabuntur] *Non volutentur*: futurum pro precativo: *in delictis*, ſupple talibus.

17. *Indiſciplinatæ loquelæ non aſſueſcat os tuum*] Malè in quibuſdam Græcis codicibus, ἀκολασίᾳ ὅρκου μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου [*intemperantiæ in jurando nè aſſuefacias os tuum*]· nam de juramento ſuprà abſolutus eſt ſermo. Sixtina habet, Ἀπαιδευσίαν ἀσυρῆ μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου [*Os tuum nè aſſuefacias ad obſcœnam licentiam*]. Eſt ἀπαιδευσία generale nomen ad omne id quod non decet, ut ſuprà IV. 30. XXI. 27. Ea generalitas hîc reſtringitur, additâ voce ἀσυροῦς, quod *obſcœnum* ſignificat, exponitúrque à Græcis βδελυρὸν, ἀκάθαρτον.

18. 19. *Memento patris & matris tuæ: in medio enim magnatorum conſiſtis: nè fortè obliviſcatur te Deus in conſpectu illorum, & aſſiduitate tuâ infatuatus improperium patiaris, & maluiſſes non naſci, & diem nativitatis tuæ maledicas*] Bene legit μωρανθῇς [*infatueris*], ut eſt in Sixtina, non μαρανθῇς [*marceſcas*], ut in aliis. Sed totus locus videtur ſic corrigendus, & vertendus, Μνήσθητι πατρὸς καὶ μητρός σου, κἂν ἀναμέσον μεγιστάνων συνεδρεύσῃς· μήποτε ἐπιλάθῃ ἐνώπιον αὐτῶν, καὶ τῷ ἐθισμῷ σου μωρανθῇς, καὶ θελήσῃς εἰ μὴ ἐγεννήθης, καὶ τὴν ἡμέραν τοῦ τοκετοῦ σου καταράσῃ, *Memor eſto* (nempe cum reverentia) *patris ac matris tuæ, etiamſi inter ſummates viros conſideas: noli cùm apud hos es* (illorum) *obliviſci, ac conſuetudine* (hac malâ) *deſipere, aut optare natum te non eſſe, aut exſecrari diem natalem.* Perſequens ea in quibus loquendo peccari ſolet, à Deo ad Parentes, ut terreſtres Deos, venit, docétque modicis ortum parentibus, etiamſi ad magnas ipſe pervenerit dignitates, nunquam debere ità de eis loqui, quaſi ipſorum ſe pudeat: id enim eſſe ſtultorum, & initia ſua exſecrantium. Hoc contra illos eſt, qui dicunt, Non memini quis fuerim. Talis apud Sophoclem Rex Oedipus, qui dicit,

Ἐγὼ δ' ἐμαυτὸν παῖδα τῆς τύχης νέμων
Τῆς εὖ διδούσης, οὐκ ἀτιμασθήσομαι.
Τῆς γὰρ πέφυκα μητρός· οἱ δὲ συγγενεῖς
Μῆνές με μικρὸν καὶ μέγαν διώρισαν.
[*Ego me faventis eſſe fortunæ arbitror*
Partum, nihílque eſt cur meum inficier genus:
Hac matre, menſes habeo cognatos mihi
A queis minórque & major effectus fui.]

Curtius Rufus videtur mihi ex ſe natus, dicebat Tiberius.

21. *Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram & perditionem*] Ità ſolent præfari Hebræi ubi res diverſas volunt comparare inter ſe, ut Proverb. XXX. 15. 18. 21. 24. 29. Similia habebis & infrà XXV.

22. *Anima calida quaſi ignis ardens*] Id eſt, homo iracundus.

Non exſtinguetur donec aliquid glutiat] *Donec abſumtus ſit*: nam καταπίνεσθαι eum ſenſum ſolet habere, ut videre eſt Pſalm. CVII. 27. Eſai. XXVIII. 7. Oſeæ VIII. 8. & alibi.

23. *Et homo nequam in ore carnis ſuæ*] Legit malè pro πόρνος [*ſcortator*], πονηρὸς [*nequam*], & pro σώματι [*corpore*], στόματι [*ore*]. πόρνος apud Græcos nativos pro *catamito* poni ſolet. At Helleniſtis eſt, ὁ πορνομανὴς, *qui ſcorta ſectatur.* Itaque quod eſt I Corinth. V. 9. & II Corinth. VI. 9. Epheſ. V. 5. I Timoth. I. 10. πόρνος, id Syrus vertit זני. Ea autem vox ſignificat *ſcortatores*, ut videre eſt in Chaldaïco Ierem. IX. 2. & hoc ſenſu ſemper uſurpant Rabbini. Bene autem dicitur πόρνος ἐν σώματι σαρκὸς αὐτοῦ [*ſcortator in corpore carnis ſuæ*]· quia ὁ πορνεύων εἰς τὸ ἴδιον σῶμα ἁμαρτάνει [*qui fornicatur, in corpus ſuum peccat*], I Corinth. VI. 18. totum quaſi corpus in partem delicti venit.

Non deſinet donec incendat ignem] Donec Venere nimiâ, quaſi igne, adedatur. Vide ſuprà IX. 3.

24. *Homini fornicario omnis panis dulcis*] Multivolum & multivagum deſcribit: qualem ſemet Ovidius II. 4.

Non eſt certa meos quæ forma invitet amores;
Centum ſunt cauſæ cur ego ſemper amem.

Quod ibi latè exſequitur. *Omnis panis*, id eſt, omnis Venus, quæ eſcæ & potui comparatur Proverbiorum V. 15. XXX. 20.

Non fatigabitur tranſgrediens uſque in finem] *Donec moriatur*. Non priùs eum vitia quàm vita deſeret. Omnia peccata hoc habent, quòd quò frequentiùs fiunt, eò exuuntur difficiliùs: ſed hoc præcipuè.

25. *Omnis homo qui tranſgreditur lectum ſuum*] Hic jam tertium genus, id eſt, Mœchos deſcribit. παραβαίνων ἀπὸ τῆς κλίνης αὐτοῦ, id eſt, *tranſiens de ſuo lecto in alienum.* Hi ſunt qui libidini addunt injuriam.

Contemnens in animam ſuam, & dicens, Quis me videt?] In Græco, *Dicens in animo ſuo, Quis me videt?* Latebit quod ago.

26. *Tenebræ circumdant me*] *Quæ in femina nox aperit,* Tacitus Annalium xv.

Et parietes cooperiunt me].

——— *Abigit teſtem velóque ſerâque,*

ait Martialis.

Delictorum meorum non memorabitur Altiſſimus] Quaſi Deus non curet talia. Sequitur in Græco, καὶ ὀφθαλμὸς ἀνθρώπων ὁ φόβος αὐτοῦ [*& oculus hominis, timor ejus*], ſupple *tantùm.* Satìs ſe tutum putat ſi humanos oculos effugiat.

27. *Et non intelligit*] Hoc comma in Græco abeſt. Senſus eſt in præcedentibus & ſequentibus.

28. *Oculi Domini multò plùs lucidiores ſunt ſuper Solem*] Id eſt, perſpicaciores.

Πάντα ἰδὼν Διὸς ὀφθαλμός.
[*Cunctituens oculus Iovis.*]

Et profundum abyſſi] Non eſt in Græco, nec quod ſequitur, *hominum corda intuentes*, ſed eſt κατανοοῦντες εἰς ἀπόκρυφα μέρη, *noſcentes partium abſtruſiſſimas.*

29. *Domino enim antequam crearentur, omnia ſunt agnita*] Id eſt, antequam fiant: quem ſenſum exigit membrum ſequens. κτίζεσθαι [*creari*] Helleniſtis dicuntur omnia quæ ullo modo producuntur. Itaque ברא plerumque κτίζειν vertitur, modò ποιεῖν [*facere*], aut καταδεικνύναι [*oſtendere*]. Et עשה plerumque ποιεῖν [*facere*], interdum κτίζειν [*creare*]. Thales interrogatus an quis agens aliquid Deo latere poſſet, dixit, *Nè cogitans quidem.* Idem hujus loci ſenſus.

Sic & poſt perfectum reſpicit omnia] *Etiam poſt rem factam, videt eam,* id eſt, ejus ſemper meminit.

30. *Hic in plateis civitatis vindicabitur*] Capitali ſupplicio afficietur in publico.

Et quaſi pullus equinus fugabitur] Non eſt hoc in Græco.

Et ubi non ſperavit, apprehendetur] Id eſt, *comprehenſus, ubi minimè putabit.* nam prius eſt comprehendi quàm puniri.

31. *Et erit in dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini*] Excommunicabitur. Hæc Chriſtianè addidit Interpres Latinus extra Græcum.

32. *Sic & mulier omnis relinquens virum ſuum*] *Omnis* non eſt in Græco. *Relinquere maritum* dicitur, non quæ ab eo abit, ſed quæ à fide ipſi data recedit. At Interpres de divortio accepit, ut ſequentia ejus demonſtrant.

Et ſtatuens hereditatem ex alieno matrimonio] Καὶ παριστῶσα κληρονομίαν ἐξ ἄλλου, *& hereditatem* (id eſt, heredes: abſtractum pro concreto, more Hebræo) *parans ex alio*, id eſt, ex adultero.

33. *Primò enim in lege Altiſſimi incredibilis fuit*] *Primùm enim legi Altiſſimi fuit inobſequens*, legi quam Deus initio rerum dedit.

Secundò in virum ſuum deliquit] Cui fidem fefellit.

Tertiò in adulterio fornicata eſt, & ex alio viro filios ſtatuit ſibi] Peccavit & in ſe, & in familiam totam.

34. *Hæc in eccleſiam adducetur*] In conſpectum populi, ut de ea pœna ſumatur ſecundùm Legem.

Et in filios ejus reſpicietur] Ἐπισκοπὴ ἔσται, id eſt, *inquiſitio fiet*, an ſcilicet legitimi ſint, an non. Nam ex adulterio nati jus connubii cum civibus non habebant, Deuteron. XXIII. 2.

35. *Non trahent filii ejus radices*] Non habebunt firmas ſedes, Sapientiæ IV. 3.

Et rami ejus non dabunt fructum] Intercidet poſteritas.

36. *Derelinquet in maledictum memoriam ejus*] *Suam.* Relinquet poſt ſe memoriam deteſtabilem. Phædra apud Euripidem reluctans adhuc pravæ cupidini, ſic ait,

Ὡς μήποτ᾽ ἄνδρα τὸν ἐμὸν αἰσχύνασ᾽ ἁλῶ,
Μὴ παῖδας οὓς ἔτικτον· ἀλλ᾽ ἐλεύθεροι
Παῤῥησίᾳ θάλλοντες, οἰκοῖεν πόλιν
Κλεινὴν Ἀθηνῶν, μητρὸς οὕνεκ᾽ εὐκλεεῖς.
[*Hoc verò, nè qua labe reſpergam virum,*
Caróſque natos, quos Athenarum oppidum
Habitare rectâ fronte, non obnoxios
Ob facta matris, optimum pretium reor.]

37. *Et agnoſcent qui derelicti ſunt*] Si qui de poſteritate ejus erunt ſuperſtites. Vide Sap. III. 17.

Et nihil dulcius quàm reſpicere in mandatis Domini] *Nihil* eo *dulcius* (id eſt, gratius apud homines) *quàm qui mandatis Dei attendit.*

38. *Gloria magna eſt ſequi Dominum*] Res plena laudis.

Longitudo enim dierum aſſumetur ab eo] *Et longævitas, aſſumi ab eo:* id eſt, cauſa eſt vitæ longæ, ab eo amari.

CAPVT XXIV.

1. S*Apientia laudabit animam ſuam*] *Commendabit ſemetipſam,* id eſt, introducere eam volo laudes ſuas veriſſimas prædicantem. Ideo in Sixtina titulus hujus capitis eſt, ΑἼΝΕΣΙΣ ΣΟΦΊΑΣ [LAVDATIO SAPIENTIÆ]. *Sapientiam* autem hîc intellige tum in fonte, ut eſt in Deo, tum in rivis, ut Proverb. VIII. & ſuprà I.

Et in Deo honorabitur] Non eſt in Græco.

Et in medio populi ſui gloriabitur] Apud amantes ſui.

2. *In eccleſiis Altiſſimi aperiet os ſuum*] *In cœtu Altiſſimi,* ἐν ἐκκλησίᾳ· ità κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vocatur magnum Synedrium.

Et in conſpectu virtutis illius gloriabitur] In Templo ubi eſt Arca, quæ עז Hebræis.

3. *Et in medio populi ſui exaltabitur*] Hoc comma & ſequens abſunt in Græcis. ſubauditur autem in Græcis *dicens.*

5. *Ego ex ore Altiſſimi prodivi*] Nempe cùm *dixit, & facta ſunt.* Pars altera hujus commatis & pars prior ſequentis in Græco deſunt.

6. *Et ſicut nebula texi omnem terram*] *Tanquam pruina.* Eadem vox Hebræis reddi ſolet modò ὁμίχλη [*nebula*], modò πάχνη [*pruina*]. *Pruinam* autem & *rorem* permiſcent Hebræi. Senſus eſt, Obtexi terram herbis & virgultis, ſicut à rore obtegi ſolet.

7. *Ego in altiſſimis habitavi*] In ſummo cœlo.

Et thronus meus in columna nubis] Super nubes, ut Pſalm. CIV. 3. 4. *Columnam* autem dicit, quia Rex Hebræus in Templo ſedem habebat columnam. Vide Græca II Reg. XI. 14. XXIII. 3.

8. *Gyrum cœli circuivi ſola*] *Orbes cœli ſola* (ego) *circumdedi*, ſtellis ſcilicet: nam κυκλοῦν eo ſenſu ſumi ſolet.

Et profundum abyſſi penetravi] *Perambulavi*, id eſt, excavavi alveum totius Oceani capacem.

8. 9. *In fluctibus maris ambulavi, & in omni terra ſteti, & in omni populo, & in omni gente primatum habui*[In Græco breviùs: *In unda maris, & in omni terra, & in omni populo ac gente obtinui*, nempe loca in quibus me oſtenderem.

10. *Et omnium excellentium & humilium corda virtute calcavi*] Deeſt in Græco.

11. *Et in his omnibus requiem quæſivi*] *Poſthæc omnia quæſivi fixum larem.*

Et in hereditate Domini morabor] Καὶ ἐν κληρονομίᾳ τίνος αὐλισθήσομαι; *& in cujus ſolo ſim moratura?* Res ſoli vocantur κληρονομίαι [*hereditas*], quia ſecundùm legem in familia manent, aut ad eam redeunt.

12. *Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo*] *Requieſcere fecit tentorium meum.* Similitudo ſumta à vita Scenitarum, qui modò hîc modò illic pangunt tentoria, donec tandem ſedem tutam ac commodam reperiant.

13. *Et dixit mihi, In Iacob inhabita*]In terra Iſraëlis, nempe in qua & notitia & cultus unius Dei viguit, & leges ad vitam honeſtè agendam egregiæ. Sapientiæ autem hæ vel præcipuæ ſunt partes.

Et in Iſraël hereditare, & in electis meis mitte radices] In Græco, *Et in Ieruſalem poſſeſſionem firmam habe*. Id enim ſignificat κατακληρονομήθητι.

14. *Ab initio & ante ſecula creata ſum*] Πρὸ τοῦ αἰῶνος ἀπ' ἀρχῆς ἐκτισάμην legit hîc Interpres, non ἔκτισέ με [*creavit me*]· bene ſanè. Optimè enim id reſpondet membro ſequenti, *Ante* (hoc) *ſeculum ab initio apparui, & quamdiu erunt tempora non deficiam.* κτίζεσθαι hîc eſt *in lucem produci*, per opera ſcilicet, ut ſuprà I. 4. 8. VII. 16. & alibi.

Et in habitatione ſancta coram ipſo miniſtravi] *In tabernaculo ſancto*, eo ſcilicet quod Moſes fecit. Ibi omnia miniſteria ſapientiſſimè fuere ordinata.

15. *Et ſic in Sion firmata ſum*] Ibi larem fixi. David & Solomon Reges ſapientiſſimi fuere.

Et in civitate ſanctificata ſimiliter requievi, & in Ieruſalem poteſtas mea]Non in aula tantùm Regum, ſed & in Civitate apparuit ſapientia per Synedrium magnum, in quo reſidebat ἐξουσία [*poteſtas*] Regali non minor. In Græco eſt, ἠγαπημένῃ, *in civitate dilecta.*

16. *Et radicavi in populo honorificato*] Firmam ibi ſedem ſum nacta, ut arbor quæ radices egit.

Et in parte Dei mei hereditas illius] In Græco, *Et in parte Domini, quam Dominus proprio jure poſſedit*, id eſt, in Sacerdotibus & Levitis. Deus illorum *pars & proprietas*, Num. XVIII. 20. ipſi viciſſim Dei *portio* dicuntur.

Et in plenitudine ſanctorum detentio mea] Deeſt in Græco.

17. *Quaſi cedrus exaltata ſum in Libano*] Nam & Libanus pars olim Regni Iudaïci, I Regum VII. 2.

Vt cupreſſus in monte Sion] Arbor ſemper virens. In Græco eſt, ἐν ὄρεσιν Ἀερμών, *In montanis Hermon*, quæ in Iudæa, Deuter. IV. 48. Pſalm. CXXXIII. 3.

18. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades*] Vt arbor maximè diuturna & valida. Sed in Sixtina ἐν Γαδί, pro quo ſcribendum ἐν Ἐγγαδί [*in Engadi*]. Nobilis & hic in Iudæa locus, II Paral. XX. 2. *Engadam* vocant Græci & Latini. Vineta ibi egregia, Cant. I. 13. & balſamum, ut ait Hieronymus.

Et quaſi plantatio roſæ in Iericho] *Vt roſetum apud Ierichuntem*, ubi pulcherrimi flores, ut in valle irrigua. Senſus eſt, Non Hieroſolyma tantùm, ſed omnem tractum Iudææ plenum fuiſſe ſapientiæ.

19. *Quaſi oliva ſpecioſa in campis*] Arbor & virens & fructuoſa.

Et quaſi platanus exaltata ſum juxta aquam in plateis] *Ab aqua*, id eſt, aquâ dante auctum. *In plateis* abeſt à Græcis, & rectè. Platani umbra gratiſſima.

20. *Sicut cinnamomum & balſamum aromatizans*] In Græco, *& maſſa aromatum*, πάλαθος. Ab arboribus ad res odoriferas venit. Solet autem quidquid pergratum eſt apud Hebræos exprimi odoris ſimilitudine. Eſt autem Sapientia pergrata guſtum ejus habentibus aliquem.

Quaſi myrrha electa] Optima.

21. *Et quaſi ſtorax*] Non eſt in Græco.

Et ungula] Ὄνυξ. Continens pro contento. *Onyx* pro *nardo*. Horatius,

> ——— *Nardi purus onyx.*

Propertius,

> *Cùm dabitur Syrio munere plenus onyx.*

Martialis,

> *Vnguentum fuerat quod onyx modò parva gerebat.*

Et gutta] Ità Interpres vertit στακτήν [*ſtacten*].

Et quaſi Libanus non inciſus] Legit ὡς Λίβανος ἄτομος, cùm vera lectio ſit quæ in Græcis exſtat, ὡς Λιβάνου ἀτμὸς, vel ἀτμὶς, *ut thuris vapor.*

Vaporavi habitationem meam] In Græco, *edidi odorem.*

Et quaſi balſamum non miſtum odor meus] Deeſt in Græco.

22. *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos*] Plinius XIII. 6. *Syria & terebinthum habet.* Deinde, *In Damaſco Syriæ magna. Materies ei admodum lenta, ac fidelis ad vetuſtatem, eximii ac nigri ſplendoris, flos racemoſus olivæ modo.*

Et rami mei honoris & gratiæ] Pulchri & utiles.

> *Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.*

23. *Ego quaſi vitis fructificavi ſuavitatem odoris*] Vinum bene olens: infrà L. 17. ἀνθοσμίαν.

Et flores mei fructus honoris & honeſtatis] Id eſt, *flores mei de ſe proferunt fructus ſpecioſos & divites.* μετωνυμία [*Tranſnominatio*]. Solet hic Interpres *honeſtatem* pro *divitiis* dicere.

24. *Ego mater pulchræ dilectionis*]Honeſtæ. Theocritus,

> Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε.
> [*Tityre, honeſtus amor mihi quem jugat.*]

Vbi Scholiaſtes, κατὰ τὴν ἀδιάβλητον φιλίαν [*eo amore qui extra culpam ſit*].

Et timoris] Nempe *Dei*. Sic Hebræi Religionem circumloquuntur.

Et agnitionis] *Notitiæ de Deo*. Sed deeſt hoc comma in Græcis quibuſdam.

25. *In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis ſpes vitæ & virtutis*] Hoc deeſt in Græco. Eſt autem in quibuſdam exemplaribus aliud comma, ſed corruptum : ſcribitur enim, δίδωμι δὲ σὺν πᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀειγενεῖς τοῖς λεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ. Scripſiſſe verò videtur quiſquis hoc primùm addidit, δίδωμι δὲ συμπᾶσι τοῖς τέκνοις μου ἀεὶ γενέσθαι, ἐκλεγομένοις ὑπ' αὐτοῦ [*do autem omnibus filiis meis ut ſemper ſint, nempe eis qui ab illo electi ſunt*], id eſt, *electis à Deo* : nam Hebræi ſæpe הוא [*Ipſe*] uſurpant de Deo, aut affixa indè deducta, etiam ubi *Dei* non præceſſit mentio.

26. *Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me*] *Accedite ad me omnes*. Confer ſimilia Proverb. VIII. & IX.

Et à generationibus meis implemini] Ἀπὸ τῶν γεννημάτων μου, id verò eſt, *à fructibus meis*, ut ſuprà I. 14. VI. 21.

27. *Spiritus enim meus ſuper mel dulcis*] *Recordatio mei*. Nam hi Scriptores μνημόσυνον [*monimentum, quod nos rei alicujus admonet*] dicunt pro ἀναμνήσει [*recordatione*], reſpondétque vocibus Hebræis, אזכרה זכרון וט.

Hereditas mea] *Poſſeſſio mea.*

Super mel & favum] *Super favum mellis.*

28. *Memoria mea in generationes ſeculorum*] Non eſt in Græcis.

29. *Qui edunt me adhuc eſurient, & qui bibunt me adhuc ſitient*] Quò enim quis didicit plura, eò magìs ad alia diſcenda accenditur. Alio ſenſu dicit Chriſtus ; Dei Sapientia ſalutaris, *Non eſurituros, nec ſitituros qui ad ipſum veniunt, & ipſi confidunt* : nimirum quia ad ſalutem neceſſaria pauca ſunt, eáque ſemel hauſta retineri ſufficit.

30. *Qui audit me non confundetur*] *Qui mihi obedierit, eum ejus non pudebit.* διαπαντὸς [*ſemper*], quod hîc addunt quædam exemplaria, id in Sixtina non eſt.

Et qui operantur in me non peccabunt] *Qui mihi operam dant, nihil ſe indignum committent.* ἁμαρτάνειν [*peccare*] enim hîc, ut ſæpe, ſumitur in ſenſu graviore.

31. *Qui elucidant me vitam æternam habebunt*] Et hoc Interpres Chriſtianè addidit.

32. *Hæc omnia liber vitæ & teſtamentum Altiſſimi, & agnitio veritatis*] In Græcis, *Hæc cuncta liber fœderis Divini*, id eſt, hæc promiſſa ſunt ea quæ habes in libro Fœderis, id eſt, in Lege Moſis, ut ſequitur.

33. *Legem mandavit Moſes*] In Græco, *Lex quam mandavit Moſes*. Alii libri habent νόμος [*Lex*], alii νόμον [*Legem*]. Perinde eſt : nam illa conſtructio ſimplex eſt, iſta ad relativum conformata, ut,

Vrbem quam ſtatuo veſtra eſt.

Et, *Hos quos videtis ſtare hic captivos duos*
Illi qui adſtant, hi ſtant ambo, non ſedent.

In præceptis juſtitiarum] Deeſt in Græcis.

Hereditatem domui Iacob, & Iſraël promiſſiones] In Græco, κληρονομίαν ἐν συναγωγαῖς Ἰακώβ, id eſt, *quæ lex propria eſt poſſeſſio poſterûm Iacobi*. Aliæ enim gentes eam legem non accepere, Deuteron. IV. 7. Pſalmo CXLVII. 19. 20.

34. *Poſuit David*] Deeſt in Græcis : nec minùs in Sixtina deeſt, quod quidam libri Græci hîc interponunt, Μὴ ἐκλύεσθε ἰσχύειν ἐν Κυρίῳ, ἵνα κραταιώσῃ ὑμᾶς αὐτός. κολλᾶσθε πρὸς αὐτόν. Κύριος παντοκράτωρ ὁ Θεὸς μόνος ἐστὶ, καὶ οὐκ ἔστιν ἔτι πλὴν αὐτοῦ σωτήρ [*Nè deſperate valeſcere in Domino ut is vos firmet. Ei adhærete : Deus omnipotens Deus ſolus eſt, & præter eum non eſt qui ſoſpitet*].

35. *Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam*] Deus eſt, *qui velut Phiſon implet cuncta ſapientiâ. Omnia*, id eſt, volentes omnes. Nominat hîc quatuor flumina Moſi in Edenis deſcriptione memorata. His addit Iordanem. Vide quæ ad Geneſim dicta. Cujus loci ἀλληγορίαις (is libri titulus) explicans Philo, ſecundùm veteres Hebræos, Edenem interpretatur *Dei Sapientiam* ; quatuor fluminis partes, *Prudentiam, Temperantiam, Fortitudinem, Iuſtitiam.* Iordanes verò *flumen Iudicii* ſignificat, & refertur ad ingenii ſagacitatem.

Et ſicut Tigris in diebus novorum] *Diebus novarum frugum*, vere, quo tempore, ſolutis nivibus hybernis, intumeſcunt amnes.

36. *Adimplet quaſi Euphrates ſenſum*] Id eſt, *intellectum*, σύνεσιν. פרה unde פרת [*Euphrates*] eſt *fructum ferre*.

Quaſi Iordanis in tempore meſſis] Quo tempore maximè is amnis ſe effert, Ioſuæ III. 15.

37. *Qui mittit diſciplinam*] Poſt vocem παιδείαν [*diſciplinam*], & γνώσεως [*ſcientiæ*] & καὶ [*&*] deſunt in Sixtina, cui congruit hæc verſio.

Et aſſiſtens] Deeſt in Græco.

Quaſi Gehon in die vindemiæ] Quo tempore is limpidus fluit, ideóque luci comparatur.

38. *Qui perficit primus ſcire ipſam*] In Græco, *Non implevit primus ſcire ipſam* : id eſt, Qui primus fuit ſapiens, is eam perfectè non cognovit.

Et infirmior non inveſtigavit eam] Καὶ οὕτως ὁ ἔσχατος οὐκ ἐξιχνίασεν αὐτήν, *quin nec ultimus eam perveſtigavit.* Qui tot ſcilicet duces adjutoréſque habuit, illi quoque multum ad ſummam deficit.

39. *A mari enim abundavit cogitatio ejus*] *Supra mare enim abundarunt ejus cogitata.* Nam ἀπὸ hîc, ut alibi ſæpe, in comparatione majoris ad minus, valet מן [*præ*] Hebræum.

Et conſilium illius ab abyſſo magna] *Supra Oceanum.*

40. *Ego Sapientia effudi flumina*] Deeſt in Græco. Senſus idem qui in ſequentibus. Sic adnotata ad marginem ſæpe in textum irrupere.

41. *Ego quaſi trames aquæ immenſæ de fluvio*] Ἐγὼ σοφία ὡς διῶρυξ ἀπὸ ποταμοῦ, *Ego Sapientia ut foſſa è flumine.* Nam quas in Nili deſcriptione διώρυγας dicunt Græci, inter alios Strabo libro XVII. Sextus Aurelius in Auguſto *foſſas* dixit. Significat comparatio, A Dei ubertate manare humanam ſapientiam, & paulatim in immenſum quid excreſcere.

Ego quaſi fluvius Dioryx] Eſt alia verſio eorum verborum quæ jam habuimus.

Et ſicut aquæductus exivi de paradiſo] In Græco, *in paradiſum*. Nempe paradiſum *mentem humanam* intelligi dicit Philo in libro de Mundi fabrica.

ὑδραγωγὸς rectè vertitur *aquæductus.* Ità enim ſumitur vox hæc Græca II Regum XVIII. 17. XX. 20. Eſaïæ XXXVI. 2. XLI. 18. *Foſſa* dicitur ubi apertè fluit aqua; at *aquæductus*, ubi per tubos.

42. *Dixi, Rigabo hortum meum plantationum*] Hoc *plantationum* in Græco non eſt, ſed rectè ſubintelligitur. Quod verò eſt in nonnullis Græcis, τὸν ἄριστον [*optimum*], id abeſt à Sixtina.

Et inebriabo prati mei fructum] In Græcis quibusdam eſt, καὶ μεθύσω μου τὴν πρασιάν τὴν δικαίαν· ſed τὴν δικαίαν [*juſtam*] abeſt à Sixtina rectiùs: *& perfundam areolam meam. Areolæ* enim vel *areæ* vocantur hortorum quadra ſegmenta.

43. *Et ecce factus eſt mihi trames abundans*] *Et ecce facta eſt foſſa, fluvius.* ἐγένετο εἰς ποταμὸν [*facta eſt in fluvium*], pro ἐγένετο ποταμός [*facta eſt fluvius*]. Hebraïca locutio.

Et fluvius meus appropinquavit ad mare] *Factus eſt mare.* Significantur, ut dixi, mira Sapientiæ incrementa.

44. *Quoniam doctrinam quaſi antelucanum illumino omnibus*] Hîc deſinunt verba Sapientiæ tributa, & loqui rurſum incipit Sirachides, præloquens ad ea quæ ſequentur. ἔτι (ità Sixtina, malè aliæ editiones ὅτι) παιδείαν ὡς ὄρθρον φωτιῶ, *Adhuc allucebo doctrinam quaſi novum manè.*

Et enarrabo illam uſque ad longinquum] *Faciam longè appareat.* Sicut lux matutina quoquoverſum funditur.

45. *Penetrabo omnes inferiores partes*] Hoc comma abeſt à Græcis, non malè. Nam quod ſequitur cum illo quod anteceſſerat bene cohæret, repetito ἔτι [*adhuc*].

46. *Adhuc doctrinam quaſi prophetiam effundam*] Tam certam quàm eſt Prophetia.

Et relinquam illam quærentibus ſapientiam, & non deſinam in progenies illorum uſque in ævum ſanctum] In Græco: *Et relinquam eam* multorum *ſeculorum poſteris.* Etiam hoc Inrerpres Latinus refinxit in ſenſum magis Chriſtianum.

47. *Videte quoniam non mihi ſoli laboravi*] *Videtis* (per hoc ſcriptum), *me non mihi ſoli laboraſſe.*

Sed omnibus exquirentibus veritatem] In Græco, *exquirentibus eam*, nempe *Sapientiam.*

CAPVT XXV.

1. *IN tribus placitum eſt ſpiritui meo*] In Græco, *in tribus exſulto.* Nam ὡραΐζεσθαι, vel ἐνωραΐζεσθαι, ſolet explicari per ἐπαγλαΐζεσθαι [*exſultare*].

Καὶ ἀνέστην ὡραία ἔναντι Κυρίου καὶ ἀνθρώπων] Lege, ἀνέστη ὡραῖα. Hîc καὶ eſt pro relativo; *quæ pulchra ſunt coram Deo & hominibus.* Illa ἔναντι Κυρίου [*coram Domino*] in quibuſdam exemplaribus bis ponuntur, καθ᾽ ἀναφοράν [*per repetitionem*]. In Sixtina ſemel.

2. *Concordia fratrum*] Ὁμόνοια ἀδελφῶν. In Sixtina & aliis malè ὁμόνοιαν, ac ſimiliter φιλίαν pro φιλία [*amor*]. Quàm pulchrum ſit φιλαδελφία [*fratrum amor*], vide Plutarchi librum. Menander,

Ὡς ἡδύ γ᾽ ἀνθρώποισιν ὁμονοίας ἔρως.
[*Quàm dulcis eſt res fratrum concordans amor.*]

Quæ ipſa propè verba Pſalmi CXXXIII.

Et amor proximorum] *Proximi* nomen ſatìs latè patet: at hîc *vicinos* ſignificat. Menander,

Ἐὰν δ᾽ ἄρ᾽ ἀγαθοῦ γείτονος γείτων ἔσῃ,
Ὡς προσδιδάσκεις ἀγαθὰ καὶ προσμανθάνεις.
[*At ſi probo vicino vicinus fuas,*
Mutuiter & docebis & diſces bona.]

Heſiodus dixerat,

Πῆμα κακὸς γείτων, ὅσον τ᾽ ἀγαθὸς μέγ᾽ ὄνειαρ.
[*Vicinus res dira malus: bonus optima res eſt.*]

Et vir & mulier bene ſibi conſentientes] Homerus,

——— οὐ μὲν γὰρ τοῦγε κρεῖσσον καὶ ἄρειον
Ἢ ὅθ᾽ ὁμοφρονέοντε νοήμασιν οἶκον ἔχητον
Ἀνὴρ ἠδὲ γυνή.
[——— ——— *res pulchrior altera non eſt*
Quàm ſi quando lares animo concorde gubernant
Vxor virque ſimul.]

Apollonides,

Οὐ χρυσὸς, οὐ τυραννὶς, οὐ πλούτου χλιδὴ
Τοσοῦτον εἶχε διαφόρους τὰς ἡδονὰς,
Ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
Γνώμη δικαία καὶ φρονοῦσα τἄνδικα.
[*Non copia auri, non opum oſtentatio*
Tantas hominibus totque delicias ferunt,
Quantas pudicæ uxoris & fortis viri
Iuſto atque honeſto congruens ſententia.]

Euripides Medeâ,

Αὐτή τε πάντα συμφέρουσ᾽ Ἰάσονι,
Ἥπερ μεγίστη γίγνεται σωτηρία,
Ὅταν γυνὴ πρὸς ἄνδρα μὴ διχοστατῇ.
[*At ipſa concors uſquequaque Iaſoni,*
Quæ conjugalis prima fortunæ ſalus,
Quoties viro nuptæque nîl diſconvenit.]

3. *Tres ſpecies odivit anima mea*] Tria hominum genera.

Et aggravor valde animâ illorum] *Offendor valde illorum vitâ.* Ità in Græco.

4. *Pauperem ſuperbum*] Quem Græci elegantiores vocant πτωχαλάζονα [*inoparrogantem*]. Vide Oſtentatoris characterem in Herennianis. Alexis,

——— οἶδα δ᾽ αὐτὸς κἀγὼ πτωχαλάζονα
Πολίτην τινὰ ἡμέτερον, ὃς δραχμῆς ἔχων
Τὰ πάντα τ᾽ ἀργυρώματ᾽, ἐξεβόα καλῶν
Τὸν οἰκέτην ἕνα καὶ μόνον ὄντα, χρώμενον δ᾽
Ὀνόμασι ψαμμακοσίοις· παῖ Στρομβυχίδη,
Μὴ τῶν χειμερινῶν ἡμῖν ἀργυρωμάτων
Νῦν παράθες, ἀλλὰ τῶν θερινῶν.
[*Oſtentatorem novi ego in re paupere*
Popularem noſtrum, cui cùm vaſa argentea
Drachmâ valerent non plus, ſtentoreo ſono
Servum vocabat unicum hunc, ſed qui unicus
Innumera ferret nomina: Heus Strombychide,
Hiberna nobis vaſa nunc eſcaria
Nè pone, verùm æſtiva.]

Divitem mendacem] Sophocles,

Κακὸν τὸ κεύθειν, κοὐ πρὸς ἀνδρὸς εὐγενοῦς.
[*Illiberalis ingenî eſt ſimulatio.*]

Habent hoc multi divites ut ſemper promittant, dent nunquam, quales δώσοντας [*daturos*] vocant Græci.

Senem fatuum & inſenſatum] In Græco, *ſenem mœchum*, ac proinde *mente deſtitutum.* Græcum proverbium eſt,

Γέρων ἐραστὴς, ἐσχάτη κακὴ τύχη.
[*Senex amator, ultimum infortunium.*]

Plautus ſine Bacchidum,

Hi ſenes, niſi fuiſſent nihili jam indè ab adoleſcentia,
Non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus.

Cicero de Officiis primo: *Luxuria verò cùm omni ætati turpis, tum ſenectuti fœdiſſima eſt. Sin autem libidinum etiam intemperantia acceſſerit, duplex malum eſt, quod & ipſa ſenectus concipit dedecus, & facit adoleſcentium impudentiorem intemperantiam.*

5. *Quæ in juventute tua non congregaſti, quomodo in ſenectute tua invenies?*] Vide quæ diximus ad Proverbiorum VI. 6. Plautus Aululariâ,

——— *feſto die ſi quid prodegeris*
Profeſto egere liceat, niſi peperceris.

6. *Quam ſpecioſum canitiei judicium*] Κρίσις, id eſt, *recta judiciorum adminiſtratio.*

Et presbyteris cognoſcere conſilium] *Et ſenibus noſſe conſilium.* Euripides,

Γνῶμαι δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν γεραιτέρων.
[*Conſilia tutiora ſunt quæ dant ſenes.*]

Et alibi,

Βουλαὶ δ' ἔχουσι τῶν γεραιτέρων κράτος.
[*Multum ſeniles ponderis ſenſus habent.*]

Antiphanes,

Σοφόν γέ τοι τι πρὸς τὸ βουλεύειν ἔχει
Τὸ γῆρας, ὡς δὴ πόλλ' ἰδόν τε καὶ μαθόν.
[*Multum ſenectus ad conſiliandum valet,*
Quoniam res vidit atque didicit plurimas.]

Sophocles, ——— τῷ γήρᾳ φιλεῖ
Ὁ νοῦς ὁμαρτεῖν καὶ τὸ βουλεύειν ἃ δεῖ.
[——— ——— *nam ſenectutem ſolent*
Conſilia tectaménſque callidior ſequi.]

7. *Quàm ſpecioſa veteranis ſapientia*] *Senibus ſapientia.*

Et glorioſis intellectus & conſilium] *Et in honore poſitis intelligentia & conſilium.*

8. *Corona ſenum multa peritia*] Πολυπειρία, *rerum multarum experientia.* Nam

——— *Seris venit uſus ab annis.*

Et gloria illorum timor Domini] Pietas illis cauſa fiduciæ, quæ καύχημα his Scriptoribus.

9. *Novem inſuſpicabilia cordis magnificavi*] In Græco, *Novem res, de quibus cogitavi in animo meo, beatas judicavi.*

Et decimum dicam in lingua hominibus] Id eſt, *his decimum ſuperaddam.*

10. *Homo qui jucundatur in filiis*] Menander,

Οὐκ ἔστι μείζων ἡδονὴ ταύτης πατρὶ,
Ἢ σωφρονοῦντα καὶ φρονοῦντ' ἰδεῖν τινα
Τῶν ἐξ ἑαυτοῦ.
[*Major voluptas nulla genitori datur,*
Virtute quàm ſi videat ac prudentiâ
Florere quenquam de ſuo exortum ſatu.]

Diogenes,

Ζηλωτὸς ὅστις εὐτύχησεν ἐν τέκνοις.
[*Beatus ille prole qui felix fuit.*]

Vivens & videns ſubverſionem inimicorum ſuorum] Tolerabile hoc in Iudæis. Euripides Hercule furente, ——— ἔχει γὰρ ἡδονὰς θνήσκων ἀνὴρ
Ἐχθρὸς, τίνων τε τῶν δεδραμένων δίκην.
[——— *voluptas maxima, inimicus gravi*
Cùm morte pœnas antè factorum luit.]

Quidam interrogatus quid optimè oleret, dixit, *Cadaver inimici.*

11. *Beatus qui habitat cum muliere ſenſata*] Theognis,

Οὐδὲν, Κύρν', ἀγαθῆς γλυκερώτερόν ἐστι γυναικός.
[*Conjuge, Cyrne, bonâ res dulcior altera non eſt.*]

Hippothoon,

Ἄριστον ἀνδρὶ κτῆμα, συμπαθὴς γυνή.
[*Vnanimis uxor optimum munus viro.*]

Euripides,

Μακάριος ὅστις εὐτυχεῖ γάμον λαβὼν
Ἐσθλῆς γυναικός.
[*Felix profectò quiſquis uxoris bonæ*
Vivit maritus.]

Heſiodus,

Οὐ μὲν γάρ τι γυναικὸς ἀνὴρ ληΐζετ' ἄμεινον
Τῆς ἀγαθῆς.
[*Commoda ſiqua viro conjunx obvenerit, hæc eſt*
Fortunæ pars prima bonæ.]

Et qui linguâ ſuâ non eſt lapſus] Καὶ ὃς ἐν γλώσσῃ οὐκ ὠλίσθησε, *qui linguâ prolabi non ſolet.* Nam aoriſtus hîc, ut & alibi, conſuetudinem ſignificat. Senſus idem qui Iacobi III. 2. Chares,

Γλώσσης μάλιστα πανταχοῦ πειρῶ κρατεῖν,
Ὃ καὶ γέροντι καὶ νέῳ τιμὴν φέρει.
[*Linguæ modum tenere præcipuum puta;*
Iuveni ſeníque ſemper id laudem parit.]

Et qui non ſervivit indignis ſe] Euripides,

Ὡς ἡδὺ δούλοις δεσπότας χρηστοὺς λαβεῖν.
[*Quàm dulce ſervo facilis ac clemens herus.*]

Et alibi,

——— οἱ γὰρ ἥσσονες
Τοῖς κρείσσοσιν φιλοῦσι δουλεύειν βροτῶν.
[——— ——— *æquum ſcilicet*
Vt ſequiores ſerviant potioribus.]

12. *Beatus qui invenit amicum verum*] Legit φῦ (id eſt, φίλον) γνήσιον [*amicum ſincerum*]. Nos rectiùs habemus φρόνησιν [*prudentiam*].

——— προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ
Κέρδος λαβεῖν ἄμεινον, οὐδὲ νοῦ σοφοῦ.
[——— *quæſtus non poteſt major dari*
Quàm mens ſubacta regulis prudentiæ.]

Et qui enarrat juſtitiam auri audienti] *Iuſtitiam* non eſt in Græco, ſed ὁ διηγούμενος [*qui enarrat*] refertur ad id quod præceſſit φρόνησιν [*prudentiam*]. Felix qui cùm prudens ſit, diſcipulos habet diſcendi avidos: nam

Ἀργαλέον, φρονέοντα παρ' ἄφροσι πόλλ' ἀγορεύειν.
[*Multa loqui ſtultis, fert tædia magna perito.*]

13. *Quàm magnus qui invenit ſapientiam*]

Οὐκ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.
[*Pretioſa res eſt nulla præ ſapientia.*]

Et ſcientiam] Non eſt hoc in Græco.

Sed non eſt ſuper timentem Dominum] Sophocles,

——— ἡ γὰρ εὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς·
Κἂν ζῶσι, κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.
[——— *pietas hominis ad finem comes:*
Nec illa vivum deſerit, nec mortuum.]

14. *Timor Dei ſuper omnia ſuperpoſuit*] In Græco, *At dilectio Dei ſuper omnia fulgore præcellit.* Eſt quidem in Sixtina φόβος [*timor*]· ſed ità *decimum,*

quod *ſe dicturum* promiſerat, deerit, niſi ſuprà de Amico & Prudentia duas velis facere ſententias.

15. *Beatus homo cui donatum eſt habere timorem Domini*] Deeſt in Græco.

Qui tenet illum, cui aſsimilabitur?] *Qui tenet illum, Deum*, amore nempe, de quo ſermo præceſſit.

17. *Omnis plaga triſtitia cordis eſt*] Malè hoc infarctum ex eo quod ſequitur.

18. *Et omnem plagam & non plagam videbit cordis*] *Omnem plagam* (*malim* ſcilicet, quod ſequitur infrà 23. εὐδοκῶ) *quàm plagam cordis*, id eſt, mœrorem.

Οὐκ ἔστι λύπης χεῖρον ἀνθρώποις κακόν.
[*Res gravior homini nulla mœroris malo.*]

19. *Et omnem nequitiam & non nequitiam mulieris*] *Omnem malitiam quàm malitiam mulierum* pati malim: nam

Θησαυρός ἐστι τῶν κακῶν κακὴ γυνή.
[*Mulier mala eſt theſaurus infortunii.*]

20. *Et omnem obductum & non obductum odientium*] *Quodvis adverſum potiùs quàm adverſum illatum ab iis qui nos odere.* ἐπαγωγὴ [*adverſum*] quid ſit vidimus ſuprà 11. 2.

Οὐ γὰρ γελᾶσθαι τλητὸν ἐξ ἐχθρῶν,
[*Res neutiquam toleranda rideri hoſtibus*,]

ait Euripides.

21. *Et omnem vindictam & non vindictam inimicorum*] Senſus propè idem ei qui præceſſit, niſi quod ἐκδίκησις [*vindicta*] majus aliquid eſt quàm ἐπαγωγὴ [*res adverſa*]. Durum oblectationi inimicorum cadere.

22. *Non eſt caput nequius ſuper caput colubri; & non eſt ira ſuper iram mulieris*] Aliter in Græco, οὐκ ἔστι κεφαλὴ ὑπὲρ κεφαλῆς ὄφεως, καὶ οὐκ ἔστι θυμὸς ὑπὲρ θυμοῦ ἐχθροῦ. Eſt autem hæc παρένθεσις [*ſermo interjectus*] continens αἰτιολογίαν [*expoſitionem cauſæ*] dicti prioris. *Nullum caput ſerpentis capite nocentius, nec ulla ira nocentior irâ inimici*; quæ non ex ſubito impetu venit, ſed ex alto penitus emergit.

23. *Commorari leoni & draconi placebit quàm habitare cum muliere nequam*] *Malim commorari leoni vel draconi, quàm malæ mulieri.* In Græcis Proverbiis eſt,

Λέοντι συζῆν ἢ γυναικὶ συμβιοῦν.
[*Melius leonis feminæ commercio.*]

Item,

Ἴσον γυναικὸς καὶ λεαίνης ὠμότης.
[*Feritas Leænæ quanta, tanta & feminæ.*]

Euripides,

Ἃ δ' ἔστ' ἐχίδνης καὶ πυρὸς περαιτέρω,
Οὐδεὶς γυναικὸς φάρμακ' ἐξεύρηκέ πω
Κακῆς.
[*Contra mulierem, viperâ pejus malum
Flammâque, nulla inventa medicina hactenus.*]

Alius,

Οὐκ ἔστ' ἀναισχυντότερον οὐδὲν θηρίον
Γυναικός.
[*Nullum muliere eſt animal impudentius
Reperire.*]

Menander,

Πολλῶν κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν θηρίων
Ὄντων, μέγιστόν ἐστι θηρίον γυνή.
[*Terrâ marique cùm tot gignantur feræ,
Has inter omnes maxima eſt mulier fera.*]

Eſt & alterius dictum,

Ἰὸς πέφυκεν ἀσπίδος, κακὴ γυνή.
[*Ipſum venenum eſt aſpidis, mulier mala.*]

24. 25. *Nequitia mulieris immutat faciem ejus*] Vbi mulier mali aliquid meditatur, ſolet id in vultu apparere. πονηρία, *malitia*.

Et occæcat vultum ſuum tanquam urſus, & quaſi ſaccum oſtendit] Hîc quoque, ut alibi ſæpe, duæ lectiones in Græco diverſæ, duas nobis interpretationes peperere, quarum utraque tandem in textum recepta eſt. Nam alii libri habent σκοτοῖ τὸ πρόσωπον αὐτῆς ὡς ἄρκος [*obnubilat vultum ſuum ut urſa*], alii ὡς σάκκον [*velut ſaccum*]. Prior lectio melior.

Fumantem vivi naſum tentaveris urſi.

Vrſas quàm urſos ferociores eſſe docet Ariſtoteles, de Hiſtoria Animalium IX. 1.

In medio proximorum ejus ingemuit vir ejus, & audiens ſuſpiravit modicùm] Ἀνάμεσον τῶν πλησίον αὐτοῦ ἀναπεσεῖται ὁ ἀνὴρ αὐτῆς, καὶ ἀκουσίως ἀναστενάξει δι' αὐτήν· aut, ut Sixtina habet, ἀνεστέναξε πικρά [*ſuſpiravit amarè*]. Sed hoc πικρὰ natum videtur ex μικρὰ [*exiguè, modicùm*], quod ſequitur. Eſt hîc καὶ [*&*] cum verbo vice participii. *Maritus ejus cum vicinis accumbens cogitur ob ipſam ſuſpirare*, ſermone fortè de mulieribus injecto. ἀναπίπτειν eſt *accumbere*, Luc. XIV. 10. XVII. 7. XXII. 14. Ioh. XIII. 12. XXI. 20. Tob. II. 1. Iudith. XII. 17.

26. *Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris*] In Græco, *Exigua quævis malitia ad malitiam mulieris* comparata.

Sors peccatorum cadat ſuper illam] Id eſt, Talis homini flagitioſo velut ſortitò obtingat.

27. *Sicut aſcenſus arenoſus in pedibus veterani*] Iterum *veteranum* pro *ſene* dixit, ut ſuprà 7. Omnia ardua difficilia inceſſu, præſertim ſi & arena pedes tardet, & ætatis ſarcina accedat.

Sic mulier linguata homini quieto] Tranquillitatis amanti.

28. *Nè reſpicias in mulieris ſpeciem*] Μὴ προσπέσῃς εἰς κάλλος γυναικὸς, id eſt, nè vincaris à forma mulieris, ut ex hac ſola cauſa eam expetas. Euripides,

Νοῦν χρὴ θεᾶσθ'. οὐδέν τι τῆς εὐμορφίας
Ὄφελος, ὅταν τις μὴ φρένας καλὰς ἔχῃ.
[*Spectanda mens eſt: nil decus formæ juvat
Si pulcher abſit animus & recta indoles.*]

Et non concupiſcas mulierem in ſpecie] *Neque deſideres uxorem deliciarum cauſâ*, Non ſola voluptas in uxore ſpectanda eſt: ſed quæri debet quæ digna ſit in ſocietatem aſſumi Divini humaníque juris, quæ domum regere, rem ſervare, liberos bene educare norit, quæ adjumentum ſit in bonis rebus, in malis ſolatium. *Vxor* dignitatis nomen eſt, non voluptatis. Euripides,

Ὅστις δ' ἀτρύφερον τὴν γυναῖκ' ἄγει λαβών,
Συνεργὸν οὗτος ἀντὶ δεσποίνης ἔχει.
[*Nam qui ſeveræ conjugem vitæ legit,
Sociam laboris ille non dominam accipit.*]

29. 30. *Mulieris ira & irreverentia, & confuſio magna: mulier ſi primatum habeat, contraria eſt viro ſuo*] Hîc quoque comma unum in duo diſcerptum eſt:

nam in Græco habemus, Ὀργὴ καὶ ἀναίδεια καὶ αἰσχύνη μεγάλη γυνὴ, ἐὰν ἐπιχορηγῇ τῷ ἀνδρὶ αὐτῆς, id eſt, *Res eſt plena iræ atque iracundiæ, ac res pudenda, mulier quæ viro præbet*, nempe unde vivat. Antiphanes,

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν βαρύτερον τῶν φορτίων
Οὕτως, γυναικὸς προῖκα πλείω φερομένης.
[*Nullum eſſe gravius impedimentum poteſt,*
Quàm mulier dote ſarcinata cùm advenit.]

Menander,

Ὅστις γυναῖκ' ἐπίκληρον ἐπιθυμεῖ λαβεῖν
Πλουτοῦσαν, ἤτοι μῆνιν ἐκτίνει θεῶν,
Ἢ βούλετ' ἀτυχεῖν μακάριος καλούμενος.
[*Qui uxorem ducit, res quæ avitas creverit*
Ex aſſe, aut pœnas pendit iratis diis,
Aut miſer eſſe optat ſub beati nomine.]

Alexis,

Ἔπειτ' ἔχειν προῖκ', οὐχὶ τιμὴν φάσκομεν,
Πικράν γε καὶ μεστὴν γυναικείας χολῆς.
[*Habere dotem, nónne honos dicendus eſt*
Amarus atque plenus bile uxoriâ?]

Adde quæ ex Plocio Menandri edidimus. Plautus,

Vxorem accepi, dote imperium vendidi.

31. *Cor humile & facies triſtis, & plaga cordis, mulier nequam*] *Mulier mala.* Tum verò μετωνυμία [*Tranſnominatio*] eſt quæ cauſæ dat nomen effectuum. καρδία ταπεινὴ hîc eſt *cor dejectum mærore.*

32. *Manus debiles & genua diſſoluta*] Sunt ſcilicet eidem mulieri. nec laborare audet, nec procedere.

Οὔτ' ἂν μύλης ψαύσειεν, οὔτε κόσκινον
Ἄρειεν, οὔτε κόπρον ἐξ οἴκου βάλοι·
Οὔτε πρὸς ἴπνον ἀσβόλην ἀλευμένη
Ἵζοιτ',
[*Non illa cribrum, non molam tangat manu,*
Non ſiquid usquam ſordidum everrat domo:
Ingens ſedere credit ad furnum nefas,]

ait Simonides.

Mulier quæ non beatificat virum ſuum] Sic eſt in textu Sixtino. At in annotatis, ἥτις οὐ παρακαλέσει (malè quidam codices habent προκαλέσει), τὸν ἄνδρα αὐτῆς ἐν στενώσει, *quæ ipſa maritum in adverſis ejus rebus non conſolatur.*

33. *A muliere initium factum eſt peccati*] Obſervat idem Paulus I Tim. II. 14. ἀρχέκακος γυνὴ [*cauſa mali mulier*], ajunt Græci.

Et per illam omnes morimur] Quia Adamo peccandi cauſa fuit: Indè Adamus cum ipſa ſubjectus morti (quam alioqui Deus avertere potuerat) liberos poſteróſque fecit ſuæ conditionis eſſe, ſicut ex ſervis naſcuntur ſervi; Numer. v. 12. Sapientiæ II. 24.

34. *Non des aquæ tuæ exitum nec modicum, nec mulieri nequam veniam prodeundi*] Aquæ Hieroſolymis diligenter in ciſternis aſſervabantur, dabatúrque opera nequid aquæ ex ciſternis efflueret: Pari diligentiâ opus ut femina non bona abſtineatur à publico. Menander,

Τοὺς τῆς γαμετῆς ὅρους ὑπερβαίνεις, γύναι,
Δι' αὐθαδίαν· πέρας γὰρ αὔλιος θύρα
Ἐλευθέρα γυναικὶ νενόμιστ' οἰκίας.
Τὸ δ' ἐπιδιώκειν, εἴς τε τὴν ὁδὸν τρέχειν
Ἔτι λοιδορουμένην, κυνός ἐστ' ἔργον, Ῥόδη.
[*Excedis, uxor, terminos uxorios,*
Quando atrio progrederis: nam limen domûs
Matronis gravibus atrienſe eſt oſtium.
At inſequi ultro & èxcurſare in publicum,
Rhode, & differre pipulo, id verò eſt canum.]

Æſchylus in Septem ad Thebas, ad mulierem,

Σὸν δ' αὖ τὸ σιγᾶν, καὶ μένειν εἴσω δόμον.
[*Tuum ſilere eſt, & manere intra larem.*]

Maximè verò feminis quæ malæ ſunt præcludendi exitus: ——— οἱ γὰρ γείτονες
Χαίρουσ' ὁρῶντες καὶ τὸν ὡς ἁμαρτάνει.
[——— *gaudet infortunio,*
Malignitatis mos ut eſt, vicinia.]

Vicini lætantur ubi infelicem aliquem in conjugio vident.

35.36. *Si non ambulaverit ad manum tuam, confundet te in conſpectu inimicorum tuorum; à carnibus tuis abſcinde illam, nè ſemper te abutatur*] In Græco Sixtino, εἰ μὴ πορεύεται κατὰ χεῖρά σου, ἀπὸ τῶν σαρκῶν σου ἀπότεμε αὐτήν, *Si ad manum tuam non it* (id eſt, Si tibi morigera non eſt, ſi non patitur manum) *abſcinde eam à tua carne*, id eſt, à tuo conjugio, quod ex duabus velut unam facit carnem: ad exemplum ſcilicet illorum qui membra ſibi abſcindunt, nè indè gangræna ad partes alias perveniat. Hoc explicans aliquis in margine ſcripſerat, δίδου καὶ ἀπόλυσον, *da*, (redde dotem) *& dimitte eam.* Id ex margine in textum irrepſit. Vxorem viro morigeram etiam Xenophon χειροήθη [*manûs patientem*] vocat.

CAPVT XXVI.

1. M*Vlieris bonæ beatus vir*] Euripides,

——— εὐτυχεῖ δ' ἐσθλῆς τυχών.
[——— *Felix ille qui reperit bonam.*]

Simonides,

Τὴν δ' ἐκ μελίσσης· τήν τις εὐτυχεῖ λαβών·
Κείνῃ γὰρ οἴη μῶμος οὐ προσιζάνει.
Θάλλει δ' ὑπ' αὐτῆς κἀπαέξεται βίος.
[*Api beatus proſatam qui duxerit:*
In qua invenire nîl poteſt calumnia.
Floreſcit ejus vita matrimonio.]

Adde quæ ſunt Proverb. XXXI.

Numerus enim annorum illius duplex] Tranquillitas enim cauſa longæ vitæ. Simonides poſt jam prolata,

φίλη γὰρ σὺν φιλεῦντι γηράσκει πόσει.
[*Amans amanti conſeneſcit conjugi.*]

2. *Mulier fortis oblectat virum ſuum*] Ἀνδρεία *generoſa, ſtrenua.*

3. *Pars bona mulier bona*] Bona ſors vitæ.

In parte timentium dabitur viro ſancto pro factis bonis] In Græco tantùm eſt, *Dabitur pro ſorte iis qui timent Deum.* Vide Proverb. XVIII. 22.

4. *Divitis autem & pauperis cor bonum*] Id eſt, *Si bonum ſit.* Quidam codices explicationis causâ addunt, πρὸς Κύριον [*ad Dominum*]· ſed id in Sixtina abeſt.

In omni tempore vultus illorum hilaris] *In omni tempore vultum habentes hilarem gaudebunt.* Magnum gaudium mens bene ſibi conſcia & in divite & in paupere.

6. *Delaturam civitatis*] Διαβολὴ Græcis quidem *calumniam* ſignificat, ſed apud Helleniſtas reſpondet voci שטנה, quæ *inimicitias* ſignificat. Vide infrà XXVIII. 11. *Inimicitia civitatis*, id eſt, contra civitatem, eſt proditio.

Et collectionem populi] Id eſt, ſeditionem. ἐκκλησία nomen eſt ſignificationis mediæ: hîc ſignificat *coïtionem illegitimam*, quæ ἐκκλησία συγκεχυμένη [*confuſa multitudo*] Act. XIX. 32. ſine Rectore ſcilicet. M. Æmilius Conſul apud Livium XXXIX. ſic alloquitur Populum Romanum : *Majores veſtri nè vos quidem niſi cùm aut vexillo in arce poſito comitiorum cauſâ exercitus eductus eſſet, aut plebi conſilium Tribuni edixiſſent, aut aliquis ex magiſtratibus ad concionem vocaſſet, fortè, temere coïre voluerunt : ubicunque multitudo eſſet, ibi & legitimum rectorem multitudinis cenſebant debere eſſe.*

7. *Calumniam mendacem*] Καταψευσμὸν, id eſt, *accuſationem falſam.*

Super mortem omnia gravia] *Morte pejora hæc omnia.* Bene Latinus Interpres ὑπὲρ θάνατον [*ſuper mortem*] huc retulit, non ad ea quæ præcedunt.

8. *Dolor cordis & luctus mulier zelotypa*] Additur in Græco, *contra mulierem.* Mulier mulieri æmula omnia tria iſta mala ſuperat : affert enim cordolium perpetuum; ſæpe & luctus graves. Seneca Medeâ,

Nulla vis flammæ tumidíque venti
Tanta, nec teli metuenda torti,
Quanta cùm conjux viduata tædis
Ardet & odit.

Deinde poſt comparationes interpoſitas,

Cæcus eſt ignis ſtimulatus irâ,
Nec regi curat, patitúrve frænos :
Haud timet pœnas, cupit ire in ipſos
Obvius enſes.

Euripides in ejuſdem argumenti Tragœdia,

Οὐδ' ἂν σὺ φαίης, εἴ σε μὴ κνίζοι λέχος·
Ἀλλ' εἰς τοσοῦτον ἥκεθ', ὥς' ὀρθουμένης
Εὐνῆς γυναῖκες πάντ' ἔχειν νομίζετε.
[*Ni te torus ſtimularet, hæc non diceres :*
Huc nempe ventum eſt, veſtra ſi cedant bene
Conjugia habetis cæterum penſi nihil.]

Et eſt Græcum proverbium,

Ζῆλος γυναικὸς πάντα πυρπολεῖ δόμον.
[*Mulieris æmulatus incendit domum.*]

Hypſipyle in Ovidiana epiſtola,

Pellicis ipſa meos impleſſem ſanguine vultus,
Quóſque veneficiis abſtulit illa ſuis.
Medeæ Medea forem.

9. *In muliere zelotypa flagellum linguæ omnibus communicans*] In Græco, καὶ μάστιξ γλώσσης ἐπικοινωνοῦσα, *Flagellum autem linguæ omnibus* (illis nempe quatuor jam dictis) *commune eſt.* Id eſt, Iſta quatuor non peraguntur ſine maledicentia. μάστιξ γλώσσης eſt *maledicentia*, Iobi v. 21.

10. *Sicut boum jugum quod movetur, ità & mulier nequam*] *Mala.* Sunt boves quæ juga jactant, ut loquitur Iuvenalis : eæ jugalibus plurimùm incommodant.

Qui tenet illam quaſi qui apprehendit ſcorpionem] Vide ſuprà XXV. 22.

11. *Mulier ebrioſa ira magna & contumelia, & turpitudo illius non tegetur*] In Græco, ὀργὴ μεγάλη γυνὴ μέθυσος καὶ ῥεμβὰς (legendum puto ῥέμβος [*erro, vagus*], nam id & de femina dicitur), καὶ τὴν ἀσχημοσύνην αὐτῆς οὐ συγκαλύψει, *Mulier ebrioſa, magna ira eſt* (id eſt, iracunda admodum), *& vagatur, & præterea non cbtegit ea quæ tegenda ſunt.* ῥέμβεσθαι, & ῥεμβεύειν eſt *vagari*, Eſaïæ XXIII. 16. Cantic. I. 6. in verſione Symmachi, unde ῥεμβασμὸς [*inconſtantia*] Sap. IV. 12. ἀσχημοσύνη autem Hebraïcè ערוה, dicitur σεμνῶς [*honeſtè*] id in muliere quod apertè nominari non decet. Mulierem vinolentam hæc ſequuntur mala : Primùm, iracunda eſt, quia bilis vino accenditur; deinde domi ſe non continet; poſtremò, pudoris pudicitiæque non meminit. Curtius de feminis Babylonicis, *Feminarum convivia ineuntium principio modeſtus eſt habitus ; deinde ſumma quæque amicula exuunt, paulatímque pudorem profanant ; ad ultimum* (*honos auribus habitus ſit*) *ima corporum velamenta projiciunt.*

12. *Fornicatio mulieris in extollentia oculorum, & in palpebris illius agnoſcetur*] Oculi elati & mobiles palpebræ arguunt impudicas. Φλέγων ὀφθαλμὸς [*ardens oculus*] prodit ἀνδρὸς γεγευμένην [*virum expertam*], apud Æſchylum.

13. *In filia non avertente ſe firma cuſtodiam*] *Filiæ quæ pudore non deterretur pone cuſtodiam.* Διατρέπειν eſt *pudore abſterrere aliquem*, ut in Græco Iobi XXXI. 34. Hinc ἀδιάτρεπτος *femina non teneræ frontis*, hîc & infrà 30. Vide Ierem. III. 3.

Nè inventâ occaſione abutatur ſe] Conſtruxit ἑαυτῇ [*ſe*] cum χρήσηται [*utatur*], ut libri plerique. Sed melior eſt diſtinctio, ἵνα μὴ εὕρουσα ἄνεσιν ἑαυτῇ, χρήσηται *Nè quam ſibi occaſionem* (ad peccandum) *invenerit, eâ utatur.*

14. *Ab omni irreverentia oculorum ejus cave*] *Ponè impudentem oculum, cuſtodi.* id eſt, Feminæ oculos habentis inverecundos veſtigia preme.

Et nè mireris ſi te neglexerit] *Et* hîc eſt pro *aut.* *Aut non mirare ſi quid in te* (maritum ſuum) *peccat.*

15, *Et ab omni aqua proxima bibet*]De quavis aqua quæ ſe obtulerit.

Et contra omnem palum ſedebit] *Palum* intelligit ad quem viatores pangebant tentoria. De tali femina Simonides,

Ὅμως ἣ καὶ πρὸς ἔργον Ἀφροδίσιον
Ἐλθόνθ' ἑταῖρον ὁντινοῦν ἐδέξατο.
[*Nec delicatè ſeligens adulteros,*
Cuivis roganti comiter morem gerit.]

Et contra omnem ſagittam aperiet pharetram, donec deficiat] In Græcis tantùm eſt, καὶ ἔναντι βέλους ἀνοίξει φαρέτραν [*coram ſagitta aperiet pharetram*], id eſt, faciet copiam ſui. Similis ferme locutio apud Plautum,

Conveniebátne in vaginam tuam machæra militis ?

16. *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum*] *Sedulæ* non eſt in Græco : & χάρις intelligenda *morum amœnitas.*

Et oſſa illius impinguabit] *Faciet bene habitum.* Oppoſitum huic loquendi genus habes Prov. XVII. 22. Quod hîc ſequitur *diſciplina illius*, in Græco ἡ ἐπιστήμη αὐτῆς, *ſcientia ipſius*, bene vivendi ars, meliùs in Græco cum verbis quæ jam habuimus connectitur, ut novam ſententiam inchoet, Δόσις Κυρίου [*Donum Domini*], &c.

17. 18. *Datum Dei eſt mulier ſenſata & tacita*] In Græco *taciturna & benigna.* Sophoclis eſt ſententia,

Σίγα. γυναιξὶ κόσμον ἡ σιγὴ φέρει.
[*Tace. decorum feminæ taciturnitas.*]

Non eſt immutatio eruditæ animæ] In Græco, καὶ οὐκ ἔστιν ἀντάλλαγμα πεπαιδευμένης ψυχῆς, *Nullum eſt pretium quod æquari poſſet animæ* (muliebri) *bene inſtitutæ*. Idem loquendi genus habuimus ſuprà VI. 16. & Iob. XXVIII. 15.

19. *Gratia ſuper gratiam mulier ſancta & pudorata*] In Græco, *mulier prudens & fida*. χάρις ὑπὲρ χάριν, id eſt, *res ſummè grata & ſuavis*.

20. *Omnis autem ponderatio non eſt digna continentis animæ*] Non legit hîc additum αὐτῆς [*ipſius*], quod & à Sixtina abeſt. Nullum pondus auri & argenti tanti eſt quanti feminæ animus in rebus omnibus modum ſervans.

21. *Sicut Sol oriens in mundo in altiſſimis Dei*] *Mundo* addidit Interpres. *Altiſſima Dei* hîc regio ſiderea, comparata ad Terram.

Sic mulieris bonæ ſpecies in ornamentum domûs ejus] Bene καὶ reddidit per *ſicut* & *ſic*. Theocritus Helenes Encomio,

> Ἀὼς ἀντέλλοισα καλὸν διέφαινε πρόσωπον,
> Πότνια νὺξ ὅτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος,
> Ὧδε καὶ ἁ χρυσέα Ἑλένα διεφαίνετ' ἐν ἡμῖν.
> [*Vt micat orta dies auroræ lumine puro*
> *Poſt tenebras, ut ver tepidum poſt frigora brumæ:*
> *Aurea non aliter nos inter Tyndaris exſtat.*]

Vetus Poëta Latinus,

> *Conſtiteram exorientem auroram fortè ſalutans,*
> *Cùm ſubitò à læva Roſcius exoritur:*
> *Pace mihi liceat, cæleſtes, dicere veſtrâ,*
> *Mortalis viſus pulchrior eſſe deo.*

22. *Lucerna ſplendens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper ætatem ſtabilem*] Hîc per *&* vertit quod modò explicatiùs per *ſicut* & *ſic*. *Qualis eſt lychnus in lychnucho Templi* (de quo vide Num. VIII. & Levit. XXIV.), *talis pulchritudo faciei in ætate ſtata*, id eſt, media: quomodo mediam formam *ſtatam* dixit Ennius, Gellio teſte.

23. *Columnæ aureæ ſuper baſes argenteas, & pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris*] Bene legit ἐπὶ στερεοῖς εὐσταθοῦς, non στέρνοις [*pectore*], ut nunc legitur. τὰ στερεὰ ſunt *firmamenta pedum*, id eſt, plantæ. *Columnas* comparat tibiis, *baſes* columnarum plantis. εὐσταθὴς mulier dicitur, quæ recto eſt corpore. Quæ hîc ſequuntur in Græcis quibuſdam, ſicut in Latino exemplari, ità & in Sixtino textu non leguntur. In illis, μὴ δῷς ἀλλοτρίοις τὴν ἰσχύν σου [*nè da alienis robur tuum*], per ἀλλοτρίους intellige *feminas extraneas*, per ἰσχὺν *ſemen*, quomodo Hebræi vocem parem explicant, Geneſ. XLIX. 3. εὔγεως κλῆρος eſt *mulier ex bono genere*. Sic Euripides dixit,

> ——— πᾶσι δ' ἀγγέλλω βροτοῖς
> Ἐσθλῶν ἀπ' ἀνδρῶν εὐγενῆ σπείρειν τέκνα.
> [——— *moneo nunc omnes ſemel,*
> *Vt ex honeſto genere progeniem ſerant.*]

γυνὴ μισθία, id eſt, *meretrix*, opponitur ὑπάνδρῳ, id eſt, *nuptæ*. Comparatur meretrix σιάλῳ, *ſui altili*. Nupta verò vocatur, πύργος θανάτου, id eſt, *turris arcens mortem*, quæ à multis periculis virum ſervat. Γυνὴ ἀσχήμων eſt *quæ indecorè ſe gerit*. ἀτιμίαν κατατρέψει *ignominiam ſpernet*. De muliere linguace, εἰς πολεμίων τροπὴν θεωρηθήσεται· lege εἰς πολεμίων τρυφὴν, *ſpectabitur cum hoſtium gaudio*. Et in eo quod ſequitur, pro ὁμοιότροπος aſſentio ſcribentibus ὁμότροφος. *Vir qui cum ea vivit in tumultibus quaſi bellicis vitam tranſiget*. Tales mulieres Epigrammatarii Græci vocant ἀνδρομάχας [*viradvorſatrices*].

26. *Vir bellator deficiens per inopiam*] *Rebus neceſſariis egens*, quod patriæ indecorum.

Et vir ſenſatus contemtus] *Vir eruditus ubi pro ejectamento habetur*.

> *Pellitur è medio ſapientia.*

Vide Eccleſiaſtæ IX. 15.

27. *Et qui tranſgreditur à juſtitia ad peccatum*] A bona vita ad malam, ut Ezech. XVIII. 24. Tales plerumque pejores cæteris evadunt.

Deus paravit eum ad romphæam] Malæ morti eum deſtinavit.

28. *Duæ ſpecies difficiles & periculoſæ mihi apparuerunt*] Non eſt in Græco, ſed olim fuiſſe arbitror. Aliquid enim interponi debuit quo diſtinguerentur hæc à tribus præcedentibus.

Difficile exuitur negotians à negligentia] *Mercator à delicto*, ut infrà XXVII. 2. nempe vaniloquentiæ. Cicero de Officiis I. *Sordidi etiam putandi qui mercantur à mercatoribus quod ſtatim vendant: nihil enim proficiunt niſi admodum mentiantur*. Vide Proverbiorum XX. 17.

Et non juſtificabitur caupo à peccatis labiorum] *Labiorum* Interpres de ſuo addidit, ad ſenſum non malè. *Non juſtificabitur*, id eſt, *non erit immunis à culpa*. κάπηλος propriè eſt qui minutatim vendit res eſculentas, aut potulentas: nam κάπη eſt τροφή· κάπτειν eſt *edere*.

CAPVT XXVII.

1. PRopter *inopiam multi deliquerunt*] Legit ἀδιαφόρου, & interpretatus eſt *inopiam pecuniæ*, quia διάφορον eſt *pecunia*, ut dictum ſuprà VIII. 20. Sed viro de omni literarum genere optimè merito Caſaubono aſſentior, qui legendum hîc putavit χάριν διαφόρου, *pecuniæ causâ*. Congruit enim id cum membro ſequente.

Et qui quærit locupletari avertit oculum ſuum] nempe à Divina lege. Diphilus,

> Πρὸς τοῦ λαβεῖν γὰρ ὢν ὁ νοῦς, τ' ἄλλ' οὐχ ὁρᾷ.
> [*Quia mens laborans capere, nîl ultrà videt.*]

At Euripides,

> Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
> Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται.
> [*Habere quiſquis parte plus quærit ſuâ,*
> *Nîl ille juſti cogitat, nîl expetit.*]

2. *Anguſtiabitur peccatum*] *Comprimitur*. Vtroque id agente ut lucrum faciat, quamvìs cum damno alterius. Vide de hac re quæ diximus libro II. de Iure Belli ac Pacis, cap. XII. § 11. & 26. Adde quæ ſuprà XXVI. 28.

3. *Conteretur cum delinquente delictum*] Hoc ex alia eſt verſione verborum præcedentium.

4. *Si non in timore Domini tenueris te inſtanter*] In Græco eſt in tertia perſona *tenuerit*, nempe vendere & emere ſolitus: & in eo quod cohæret, *domus ejus*. Simile dictum Euripidis,

> Ἀδίκως γὰρ μὴ χρῶ χρήματ', ἢν βούλῃ πολὺν
> Χρόνον μελάθροις ἐμμένειν· τὰ γὰρ ἀδίκως
> Οἴκους εἰσελθόντ' οὐκ ἔχει σωτηρίαν.

[*Fundare ſi vis ſolia manſuræ domûs,*
Opes iniquas ſperne: nam quæ per nefas
Trans limen intrant ſtare non poſſunt diu.]

5. *Sicut in percuſſura cribri permanebit pulvis, ſic aporia hominis in cogitatu illius*] Ex Græco optimè vertas: *Sicut in quaſſu cribri manent quiſquiliæ* (aliquæ, craſſiores ſcilicet), *ità ſordes hominis in diſſertatione ipſius.* σκύβαλα [*ſordes*] non σκῦλα [*ſpolia*] habet Sixtina editio. λογισμὸς autem hîc, ut & mox 7. & 8. non *cogitationem*, ſed *diſſertationem* ſignificat. Senſus autem eſt, Vtcunque arte magnâ loquentis regantur verba, tamen per eam tranſlucere non rarò quæ animo inhærent vitia: nam

Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
[*Sermo docebit quod ſit ingenium viro.*]

Sequuntur hîc dicta eodèm pertinentia.

6. *Vaſa figuli probat fornax*] Nam quæ ex humo non ad id aptâ facta ſunt rumpuntur, aut diffluunt.

Et homines juſtos tentatio tribulationis] Verus ſenſus; ſed non is qui in Græco eſt, qui talis: *Exploratio hominis eſt in diſſertatione ejus.* Nam incipit hîc titulus de Sermone hominis.

7. *Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius, ſic verbum ex cogitatu cordis hominis*] In Græco, Γεώργιον ξύλου ἐκφαίνει ὁ καρπὸς αὐτοῦ, οὕτως λογισμὸς ἐνθυμήματος ἐν καρδίᾳ ἀνθρώπου. Lege ἐνθυμήματα. *Sicut fructus arboris culturam ejus oſtendit* (artem agricolæ), *ità diſſertatio, cogitationes* (quæ ſunt) *in corde hominis.*

8. *Ante ſermonem nè laudes virum: hæc enim eſt tentatio hominum*] *Exploratio:* ut modò. Quidam ſi tacuiſſent pro Philoſophis eſſent habiti.

9. *Si ſequaris juſtitiam apprehendes illam*] *Si ſecteris id quod juſtum eſt, etiam quod juſtum eſt adipiſcêris.*

Et indues quaſi poderem honoris] *Indues illud* (id eſt, juſtum) *velut poderem honoratum.* ποδήρης non Sacerdotum tantùm, ſed & Magiſtratuum, ut patet Ezechiel. IX. 2.3. Magnus honos nomen viri juſti obtinere. Cætera quæ Latinè in hoc commate ſequuntur abſunt in Græcis.

10. *Volatilia ad ſibi ſimilia conveniunt*] Nempe ea quæ ſunt ἀγελαῖα [*gregalia*].

Et veritas ad eos qui operantur illam revertetur] Id eſt, bonâ fide cum eis agetur qui bonâ fide agunt.

11. *Leo venationi inſidiatur ſemper*] Id eſt, pecori.

Sic peccata operantibus iniquitates] Inſidiantur nempe.

Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
[*Quæ mala ſunt conſulta, nocent auctoribus ipſis.*]
Turdus ſibi malum cacat.

12. *Homo ſenſatus in ſapientia manet ſicut Sol*] Illud *ſicut Sol* Interpres de ſuo adjecit, quia in altero membro *Luna* eſt mentio. In Græco eſt, Διήγησις εὐσεβοῦς διὰ παντὸς ἐν σοφίᾳ, *Diſſertatio viri pii ſemper ſapienter inſtituitur.* Hoc ſenſu διήγησις & infrà ponitur 14.

Nam ſtultus ſicut Luna mutatur] *At ſtultus ſicut Luna mutatur*, nempe in ſermonibus ſuis: nam de iis hoc titulo agitur. Luna *mutabile ſidus* Poëtis; & notus de ea Æſopi apologus.

13. *In medio inſenſatorum ſerva verbum tempori*] In Græco, *In medium inſipientium* (ut te inferas) *obſerva tempus:* id eſt, Nè te illis miſceas niſi ubi negotia id exigunt.

In medio autem cogitantium aſſiduus eſto] *In medium prudentium aſſiduò temet infer.* Ibi peregrinare, hîc habita.

14. *Narratio peccantium odioſa*] *Diſſertatio peccantium facit labi* eos qui audiunt.

Et riſus illorum in deliciis peccati] Rident quia aliorum peccatis lætantur. σπαταλᾷν, *cum laſcivia lætari*, 1 Timoth. v.6. Iacobi v. 5.

15. *Loquela multùm jurans horripilationem capiti ſtatuet*] In Græco eſt, *Loquela multùm jurantis eriget pilos*, nempe audientibus, præ horrore:

——— *ſteterúntque comæ.*

Et irreverentia ipſius obturatio aurium] *Et pugna cum ipſis eſto obturatio aurium.* Non aliter tam facilè jurantibus reſiſtes quàm claudendo aures. Vide Act. VII. 57. Sæpe Hebræis genitivus eſt non facientis, ſed patientis.

16. *Effuſio ſanguinis in rixa ſuperborum*] Si quæ oriatur vel levis contentio inter ſuperbos, quia neuter alteri vult cedere, facilè ad vulnera venitur.

Et maledictio illorum auditus gravis] Moleſta ſunt auditu convitia quibus inter ſe tales certant.

17. *Qui denudat arcana amici fidem perdit*] Nam quiſque ſibi metuit quod alteri vidit accidere.

Et non inveniet amicum ad animum ſuum] Ex voto ſuo.

18. *Dilige proximum*] Chriſtianè admodum. Sed in textu Græco eſt, *Dilige amicum.*

Et conjungere fide cum illo] *Fidem illi præſta.* Id enim πιστῶσαι etiam infrà XXIX. 3. Reſpondet Hebræo נאמן, ut videre eſt 1 Reg. VIII. 26.

19. *Quòd ſi denudaveris abſconſa illius, non perſequêris pòſt eum*] Id eſt, Noli poſthac amicitiam ejus quærere: nam fruſtrà eris, ut oſtendunt ſequentia.

20. *Sicut enim homo qui perdidit amicum ſuum, ſic & qui perdit amicitiam proximi ſui*] Græcum Sixtinæ, Καθὼς γὰρ ἀπώλεσεν ὁ ἄνθρωπος τὸν ἐχθρὸν αὐτοῦ, οὕτως ἀπώλεσας τὴν φιλίαν τοῦ πλησίου, *Vt ſi quis hoſtem interfecerit, ità tu amicitiam tibi noti interfeciſti.* Sic *interfectæ pudicitiæ feminas* dicunt Latini.

21. *Et ſicut qui dimittit avem de manu ſua, ſic dereliquiſti proximum tuum: non eum capies*] Eâdem ſimilitudine, ſed ad rem aliam Plautus utitur,

Liber captivus avis ferè conſimilis eſt:
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio
Satìs eſt, nunquam pòſt illam poſſis prendere.

22. *Non illum ſequaris, quia longè abeſt*] Idem quod ſuprà 19.

Effûgit enim quaſi caprea de laqueo] Non diſpar illa tranſlatio, id eſt, curtata comparatio apud Horatium:

——— *ſi vafer unus & alter*
Inſidiatorem præroſo fugerit hamo.

22.23.24. *Quoniam vulnerata eſt anima ejus, ultrà eum non poteris colligare. Et maledicti eſt concordatio; denudare autem amici myſteria, deſperatio eſt animæ infelicis*]

infelicis] Aliter in Græco, *Vulnus obligari poteſt, & de maledictis fieri reconciliatio. At qui arcana detexit, perdidit fidem.* Senſus idem qui ſuprà XXII. 25. 26.

25. *Annuens oculo fabricat mala*] Id eſt, qui omnia alterius dicta factáque probat annuendo & annictando. Hoc eſt quod ἐπισημήνασθαι in adulatoris deſcriptione Theophraſtus vocat.

Et nemo eum abjiciet] Legit ità ut in Sixtina eſt, καὶ οὐδεὶς αὐτὸν ἀποστήσει ἀπ' αὐτοῦ. Sed melior lectio in aliis, καὶ ὁ εἰδὼς αὐτὸν, ἀποστήσεται ἀπ' αὐτοῦ, *Qui eum novit, ab eo recedet.*

26. *In conſpectu oculorum tuorum conculcabit os ſuum*] Scripſit Interpres *condulcabit*, γλυκανεῖ· omnia facit dicítque πρὸς χάριν [*ut placeat*], ut loquuntur Zeno, Critias, Euripides. λέγει δὲ πράττει οἷς χαριεῖσθαι ὑπολαμβάνει [*ea & dicit & facit per quæ gratioſum ſe fore ſperat*], ait Theophraſtus.

Et ſuper ſermones tuos admirabitur] Gnatho in ſuæ profeſſionis apud Terentium deſcriptione, *Eorum ingenia admiror.* Alius apud Eupolidem,

Καὶ καταπλήττομαι, δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν.
[*Méque probare præfero, quin velut obſtupeſco.*]

Noviſſimè autem pervertet os ſuum] Alia loquetur apud alios.

Et in verbis tuis dabit ſcandalum] Periculum tibi creabit ex verbis tuis. Senſus idem qui ſuprà XIX. 24. 25. 26.

27. *Multa odivi, & non coæquavi ei*] *Multa odi, ſed non quantùm talem hominem.*

Et Dominus odiet illum] Etiam Deus tam perfidos odit. Sunt θεοστυγεῖς [*Deo exoſi*].

28. *Qui in altum mittit lapidem ſuper caput ejus cadet*] Id eſt, Sæpe ſibi nocet qui meliori ſe nocere vult, ——— πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζων.
[——— *certans potioribus ultro.*]

Et plaga doloſa doloſi dividet vulnera] Πληγὴ δολία διαιρεῖ τραύματα [*ictus doloſus diſpergit vulnera*]. Ità enim in Sixtina eſt. Cùm quis in tenebris inimicum vult vulnerare, ſæpe evenit ut amicum qui adeſt vulneret.

29. *Et qui foveam fodit incidet in eam*] Eadem eſt ſententia: nec eſt *&* in Græco. Ex Pſalmo VII. 16. & Eccleſiaſtico x. 8.

Et qui ſtatuit lapidem proximo offendit in eo] Non eſt in Græco.

Et qui laqueum alii ponit, peribit in illo] Legit ἐν αὐτῇ ἀπολεῖται· ſed melior lectio quæ in Sixtina, ἐν αὐτῇ ἁλώσεται [*in eo capietur*]. Ex Pſalmo IX. 16. & XXXV. 8.

30. *Facienti nequiſſimum conſilium, ſuper ipſum devolvetur; & non agnoſcit unde adveniat illi*] Legitur in multis Græcis, Ποιοῦντι πονηρὰ ἐπ' αὐτὸν αὐλισθήσεται [*facienti mala apud ipſum divertentur*]· ſed verior & Latinæ congruentior Sixtina lectio, Ὁ ποιῶν πονηρὰ εἰς αὐτὸν κυλισθήσεται· & eſt constructio Hebraïca, pro εἰς τὸν ποιοῦντα πονηρὰ κυλισθήσεται, nempe πονηρά. *In eum qui mala fecit mala devolventur.* Senſus qui ſuprà 11. & bene addit, *non agnoſcit unde adveniat.* Nam, ut Euripides ait,

Δίκα τοι, δίκα χρόνιος,
Ἀλλ' ὅμως ὑποπεσοῦσ'
Ἔλαθεν ὅταν ἔχῃ
Τιν' ἀσεβῆ βροτῶν.
[*Ius ſerò veniens licèt*
Ius eſt: attamen impio
Pœnas quas decet irrogans
Tanquam ex inſidiis latet.]

Idem de Divina ultione,

——— σῖγα δὲ βραδεῖ ποδὶ
Στείχουσα μάρπτει τοὺς κακοὺς ἀεὶ βροτῶν.
[——— *neutiquam obſervabilem*
Tergis nocentum ſemper adfigit pedem.]

Alius dixit, — δίκην ἄναυδον, οὐχ ὁρωμένην.
[——— *mutum jus, negatumque adſpici.*]

31. *Illuſio & improperium ſuperborum, & vindicta ſicut leo inſidiabitur illi*] Et hæc constructio eſt Hebraïca, pro, *Illuſioni & opprobrio ſuperborum vindicta imminet, velut leo inſidians.* Seneca,

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

Hæc eſt quam *Nemeſin* vocant Græci.

32. *Laqueo peribunt qui oblectantur caſu juſtorum*] Quales illi de quibus in Pſalmo XXII.

33. *Et vir peccator continens erit illorum*] Ἐγκρατὴς ἔσται αὐτῶν, id eſt, *poſſidebit eas.* Impropria eſt locutio, cùm magis ipſe ab ira ac furore poſſideatur. Sic & *morbum habere* dicimur.

CAPVT XXVIII.

1. QVi *vindicari vult, à Domino inveniet vindictam*] *Qui ſe ulciſcitur, is à Deo ultionem reperiet*: id eſt, ejus etiam culpas graviter ulciſcetur Deus. Ex Scriptoris ſenſu interpretandum hoc de ultione earum injuriarum quæ neque mortem cuiquam, neque vulnera intulere, quæ prohibita eſt Levitici XIX. Chriſtiano autem ſenſu multò hoc latiùs patet. Vide quæ ad Matthæi V.

Et peccata illius ſervans ſervabit] Omnino in memoria aſſervabit, & ſuo tempore pœnas exiget.

2. *Relinque proximo tuo nocenti te*] *Condona proximo illatam tibi injuriam.*

Et tunc deprecanti tibi peccata ſolventur] Multas veterum Hebræorum probas ſententias dictis ſuis immiſcuit Chriſtus, ut hanc Matthæi VI. 14. Lucæ VI. 37. Seneca,

Det ille veniam facilè, cui venia eſt opus.

3. *Homo homini reſervat iram*] *Servat iram* qui non condonat.

Et à Deo quærit medelam] Id eſt, peccatorum ſuorum condonationem: quid iniquius? Hunc ſenſum egregiè exſequitur parabola Matth. XVIII. 23. & ſequentibus. *Medela* hîc eſt peccatorum condonatio, ut Matthæi XIII. 15. Lucæ IV. 18.

4. *Et in hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam*] Quem ei & naturæ paritas commendare, & fragilitas communis excuſare debuerat.

Et de peccatis ſuis deprecatur] In Græco additur, *ipſum*, Deum ſcilicet, tantò ſuperiorem, tantò perfectiorem.

5. *Et propitiationem petit à Deo*] In Græco hoc non eſt: ſed idem ſenſus cum ſequente.

Quis exorabit pro delictis illius?] *Quis expiabit?* Expiare erat Sacerdotum, ſed hi nihil poterant niſi Deo volente. Vide ſuprà VII. 40.

6.7. *Memento noviſſimorum, & deſine inimicari: tabitudo enim & mors imminent in mandatis ejus*]

In Sixtina eſt, παῦσον ἐχθραίνων καταφθορὰν καὶ θάνατον, *Deſine inimicitias gerere ad exitium & mortem.* ἐχθραίνειν καταφθορὰν conſtructio Græca pro εἰς καταφθοράν. Mortalis odia nè gere immortalia. Sequitur in Græco, καὶ ἔμμενε ἐντολαῖς, *perſta in præceptis*, Dei ſcilicet obſervandis, & inter ea iſto quod attulimus ex Levitici XIX. 18.

8. *Memorare timorem Dei*] In Græco, *præcepta*, Dei ſcilicet. Repetit quod dixerat.

Et non iraſcaris proximo] Μὴ μηνίσῃς, *Nè maneas iratus.* Nam μῆνις eſt χόλος ἐπίμονος [*ira perſeverans*], ut exponunt Scholiaſtæ ad Homeri primordium.

9. *Memorare teſtamentum Altiſſimi*] In Græco eſt, καὶ διαθήκης ὑψίστου [*& fœderis Altiſſimi*], repetito tacitè μνήσθητι [*memento*] ex eo quod præceſſit. Lex dilectionem popularium exigit, Exodi XXIII. 4. Deuteronomii XXII. 1. Eſaïæ I. 17.

Et deſpice ignorantiam proximi] *Prætervide peccatum*, proximi ſcilicet. ἄγνοιαν pro peccato dici vidimus ſuprà XXIII. 3. Adde quæ dicta ad Iudith. V. 19.

10. *Abſtine te à lite*] Ἀπὸ μάχης, *à jurgio.* Sic enim vox μάχης ſumitur tum alibi, tum II Timoth. II. 23. Tit. III. 9.

Et minues peccata] Minùs peccabis.

11. *Homo enim iracundus incendit litem*] Quaſi diceret, Iſti mores lenibus ingeniis non conveniunt.

Et vir peccator turbabit amicos] Flagitioſi eſt bene concordantes amicitias diſturbare.

Et in medio pacem habentium immittit inimicitiam] Διαβολὴν in Græco, ſed rectè id nomen per *inimicitiam* verti oſtendimus jam ſuprà XXVI. 6.

12. *Secundùm enim ligna ſylvæ, ſic ignis exardeſcit; & ſecundùm virtutem hominis ſic iracundia illius erit, & ſecundùm ſubſtantiam ſuam exaltabit iram ſuam*] Variè hæc leguntur in Græco; ſed lectio optima videtur, ſecundùm verſionem Latinam, hæc, reciſis ſuperfluentibus, Κατὰ τὴν ὕλην τὸ πῦρ ἐκκαυθήσεται· οὕτως κατὰ τὴν ἰσχὺν τοῦ ἀνθρώπου ὁ θυμὸς αὐτοῦ ἔσται, καὶ κατὰ τὸν πλοῦτον τοῦ ἀνθρώπου ἀνυψοῖ ὀργὴν αὐτοῦ, *Pro materia ardeſcit ignis: pari modo excandeſcentia cujuſque eſt pro viribus ipſius, & pro modo divitiarum attollit quiſque iram ſuam.*

> *Omnes homines, uti fortuna ſe dat, ità ſuperbi aut humiles ſumus.*

13. *Certamen feſtinatum incendit ignem, & lis feſtinans effundit ſanguinem*] Per *ignem* intelligenda hîc bilis. Feſtinatio iram ſequi ſolet, & magis magiſque accendere, ità ut vulnera & cædes ſequantur. Ideo Philoſophi prima initia ſentientibus oriri, præcipiunt ut dictis factiſque moram interponant.

14. *Si ſufflaveris in ſcintillam, quaſi ignis exardebit*] In Græco tantùm eſt, *Si flaveris in ſcintillam, accendetur.*

Et ſi exſpueris ſuper illam exſtinguetur] Sufficit exſtinguendæ vel ſaliva.

Vtraque ex ore proficiſcuntur] Vult dicere, Sic & ex ore proficiſci verba quæ iram alterius naſcentem inflamment, aut ſedent.

15. *Suſurro & bilinguis maledictus*] In Græco, *Detrectatori clanculario, & ore bilingui maledicite*: id eſt, æquum eſt eos exſecrari. ψίθυρος eſt *clancularius detrectator*, ut diximus ſuprà v. 16. δίγλωσσος, qui aliud palàm, clàm aliud loquitur, dicto capite v. 17.

Multos enim turbabit pacem habentes] In Græco, *Multos enim feliciter agentes* (id enim ſæpe eſt εἰρηνεύειν) *perdiderunt.*

16. *Lingua tertia multos commovit*] *Lingua tertia* dicitur ea quæ ſe inter duos amicos interponit diſſidia ſerendo. Sic *aurem tertiam* dixit Martialis. Legit ut in Sixtina eſt γλῶσσα τρίτη. Qui vim hujus vocis aſſecuti non ſunt, alii διστὴ [*duplex*] ſcripſere, alii τρητή [*perforata*].

18. *Virtutes populorum concîdit, & gentes fortes diſſolvit*] In Græco, *Et diſpulit de gente in gentem, & firmas urbes dejecit, & domos procerum evertit.*

19. *Lingua tertia mulieres viratas ejecit*] In Græco, γυναῖκας ἀνδρείας· id autem ſignificat *mulieres generoſas*, ut vidimus ſuprà XXVI. 2.

Et privavit illas laboribus ſuis] Rebus labore partis. Sic ſuprà XIV. 15.

20. *Qui reſpicit illam non habebit requiem*] Semper erit plenus ſuſpicionis ac diffidentiæ.

Nec habebit amicum in quo requieſcat] In Græco, οὐδὲ κατασκηνώσει μετ' ἡσυχίας, *Non habitabit tranquillus.*

21. *Flagelli plaga livorem facit*] Μώλωπα, *vibicem*, ut ſuprà XXIII. 11.

Plaga autem linguæ comminuet oſſa] *Franget oſſa*, id eſt, pugnas atrociſſimas excitare ſolet.

22. *Multi ceciderunt in ore gladii, ſed non ſic quaſi qui interierunt per linguam ſuam*] *Suam*, abeſt in Græco, & rectè. Agitur enim hîc de obtrectationibus, delationibus, & calumniis, quæ non homines tantùm, ſed & civitates & gentes ſæpe committunt.

23. *Beatus qui tectus eſt à lingua nequam*] *Qui immunis eſt ab ea*, lingua ſcilicet diſſidiorum ſatrice.

Qui in iracundiam illius non tranſivit] Qui pœnas ei non dedit. Sic enim ὀργὴ ſumi ſolet.

Et qui non attraxit jugum illius] Qui non ſenſit quàm grave ſit onus in ſuſpicionibus & inimicitiis vivere.

24. *Iugum enim illius jugum ferreum eſt, & vinculum illius vinculum æreum eſt*] Id eſt, Intoleranda ſunt quæ indè ſequuntur.

25. *Mors illius mors nequiſſima*] Mortem hîc vocat bonæ famæ interfectionem. Vide ſuprà XXVII. 20.

Et utilis potiùs infernus quàm illa] Mors naturalis melior.

26. *Perſeverantia illius non permanebit*] In Græco, *Non dominabitur piis*: non ſemper vim obtinebit eis nocendi, Deo tandem mendacia detecturo.

Sed obtinebit vias injuſtorum] Hoc in Græco non eſt.

Et in flamma ſua non comburet juſtos] *Amburet*, non *comburet*. *Ambuſti* Latinis dicuntur qui in magno fuere periculo.

27. *Exardebit in illos*] *Illos comburet.* Perpetuam infamiam eis adferet.

Et quaſi pardus lædet illos] *Perdet eos.* Ità enim ſæpe ſumitur λυμαίνειν.

28. *Sepi aures tuas ſpinis*] Non ſolent *aures ſpinis ſepiri.*

ſepiri. In Græco, *circumvalla poſſeſſionem tuam*, id eſt, agrum, *ſpinis*. Nam ſpinis ſolebant agri circumdari, nè quis intraret, Eſaïæ v. 2. 5. ſed quia per agrum hîc intelligitur auris, aſſcripta interpretatio in textum venit. Sic & illud irrepſit quod in Græco non eſt, *Linguam nequam noli audire.*

Et ori tuo facito oſtia & ſeras] Hoc infrà poſitum habet textus Græcus.

29. *Aurum tuum & argentum tuum confla*] In Græco, *collige*: id eſt, aurum & argentum quod accepiſti potiùs inexaminatum in ſacculos defer quàm ut inexaminatum relinquas ſermonem tuum.

Et verbis tuis facito ſtateram] Græci quidam codices habent ζυγόσταθμον· ſed Sixtinus ζυγὸν καὶ σταθμὸν, id eſt, *libram & pondus*. Per ea ſignificatur ſollicita dijudicatio eorum quæ dicenda vel tacenda ſunt.

Et frænos ori tuo rectos] Pro hoc in Græco eſt id quod modò diximus, *ori tuo fac oſtium & vectem*, id eſt, claude os, nè cum talibus quales deſcripſi ſermonem habeas. *μοχλοῖς σώζειν γυναῖκα*, *vectibus ſervare uxorem* eſt apud Menandrum.

30. *Et attende nè fortè labaris in lingua*] In Græco, *in illis*, lingua & ore ſcilicet.

Et cadas in conſpectu inimicorum] *In conſpectu inſidiantis*, id eſt, cave nè inſidiatore audiente aliquid dicas quod tibi in ruinam ſit. Multa ejus rei exempla apud Tacitum.

Et ſit caſus tuus inſanabilis ad mortem] Deeſt in Græco.

CAPVT XXIX.

1. QVi *facit miſericordiam feneratur proximo ſuo*] *Dat mutuum.* Sic enim *δανείζειν* apud Græcos ſæpe ſumitur, & apud Hebræos aliter ſumi non debet. Vide ſuprà VIII. 15. XX. 16. Senſus eſt, Homini benefico ſatìs ſemper fore unde alios pecuniam dando mutuam juvet. Vide promiſſum legis Deuteronomii XXVIII. 12.

Et qui prævalet manu mandata ſervat] Eſt inverſa locutio, pro, *qui mandata ſervat, is prævalet manu*, id eſt, *præſtabit opibus*. Sic יד, id eſt, *manus* ſumitur Levitici V. 11.

2. *Fenerare proximo tuo in tempore neceſſitatis illius*] *Da mutuum.* Confer Matthæi V. 42. Lucæ VI. 34. 35.

Et iterum redde proximo in tempore ſuo] Tempore præſtituto.

3. *Confirma verbum*] *Tuum*, addit Græcus textus. Sta pactis. *Firmare* Hebræis eſt *ratum facere.*

Et fideliter age cum illo] Πιστώθητι. Quod verbum & ſuprà habuimus XXVII. 18.

Et in omni tempore invenies quod tibi neceſſarium eſt] Si fortè alio tempore opus habeas mutuo.

4. *Multi quaſi inventionem æſtimaverunt fenus*] *Multi mutuò ſumtam pecuniam pro acquiſita habent*, id eſt, modum faciendæ rei putant mutuum ſumere nec ſolvere. מצא Hebræis eſt *acquirere*, aut *habere*: Levitici XXV. 28. Iobi III. 22. Proverbiorum XVI. 20.

Et præſtiterunt moleſtiam his qui ſe adjuverunt] Qui ipſi ſæpe pecuniis opus habent.

5. *Oſculantur manus dantis*] Qui mos honorem alicui habentium. Vide quæ diximus ad præceptum Decalogi ſecundum.

Et in promiſſionibus humiliant vocem ſuam] In Græco, *Et ob pecuniam alterius* conſequendam *voce utuntur ſupplice*. Hoc ſenſu ταπεινοῦν habuimus & ſuprà aliquoties.

6. *Poſtulabit tempus*] Fiet trico nummarius.

Et loquetur verba tædii & murmurationum] In Græco tantùm eſt, ἀποδώσει λόγον ἀκηδίας, *verba tibi tædioſa reponet.* ἀκηδία *tædium*, Pſalmo CXIX. 28. Eſaïæ LXI. 3. unde verbum ἀκηδιάζειν [*tædio afficere, anxium reddere*] ſuprà XXII. 16.

Et tempus cauſabitur] Vt incommodum ad ſolutionem.

7. *Si autem potuerit reddere*] In Græco Sixtino, ἐὰν ἰσχύσῃ, id *etiamſi valeat* reddere totum.

Adverſabitur] Non eſt in Græco.

Solidi vix reddet dimidium] *Solidi*, id eſt, totius ſummæ debitæ.

Et computabit illud quaſi inventionem] Alterum dimidium lucrifactum putabit. Vide ſuprà 4.

8. *Sin autem*] Εἰ δὲ μὴ, *Si non* habeat unde reddat.

Fraudabit illum pecuniâ ſuâ, & poſſidebit illum inimicum gratìs] Non modò pecunia credita perierit, ſed & eum debitor quaſi importunum flagitatorem fugiet. *Gratìs*, δωρεὰν, חנם, id eſt, cum nullam juſtam inimicitiæ cauſam ei creditor dederit.

9. *Et convitia & maledicta reddet illi*] Vt Strepſiades duobus creditoribus facit in Nebulis Ariſtophanis.

Et pro honore & beneficio reddet illi contumeliam] In Græco eſt tantùm, *Pro honore reddet illi contumeliam*. Sed quia beneficium eſt propter quod honos debetur, ideo hoc addidit Latinus Interpres.

10. *Multi non causâ nequitiæ non fenerati ſunt, ſed fraudari gratìs timuerunt*] Legit, ut in quibuſdam eſt codicibus, πολλοὶ οὖν χάριν πονηρίας ἀπέστρεψαν, ἀποστερηθῆναι δὲ δωρεὰν εὐλαβήθησαν. Ab aliis libris abeſt δωρεὰν [*gratìs*], non malè. *Multi defugiunt* (nempe mutuum dare: quo ſenſu ἀποστρέφεσθαι eſt etiam apud Matthæum V. 42.) *non ob malos mores* (mutuum negantis), *ſed quia metuunt perdere* mutuò datum, per inopiam debitoris.

11. *Verumtamen ſuper humilem animo fortior eſto*] *At tu circa inopem patiens eſto*, nempe in exigendo. Hoc ſenſu μακροθύμησον habemus etiam Matthæi XVIII. 26.

Et pro eleemoſyna non trahas illum] Id eſt, non diu differ petenti dare mutuum. Convenit enim hoc miſericordiæ. Vide Lucæ VI. 35.

12. *Propter mandatum*] Dei: Deuteron. XV. 11.

Aſſume pauperem] Ἀντιλαβοῦ πένητος, *Opitulare pauperi.*

Et propter inopiam ejus nè dimittas eum vacuum] *Nè ei nega pro egeſtate ipſius*: id eſt, ex contrario, da ei quanto eum videbis egere.

13. *Perde pecuniam propter fratrem & amicum tuum*] Id eſt, da illis mutuum quaſi perditurus. Ità minimè fallêris, habens pro donato.

Et non abſcondas illam ſub lapide in perditionem] Id eſt, tuo malo. Deus enim odit argento inutili incubantes. Vide ſuprà XX. 32.

14. *Pone theſaurum tuum in præceptis Altiſſimi*] In Græco, *Secundùm mandata Altiſſimi*. *Pone*, id eſt, in pauperes populares colloca.

Et proderit tibi magis quàm aurum] Aſſervatum ſcilicet. Vide locum ſimilem Matthæi XIX. 21. & ibi dicta.

15. *Conclude eleemoſynam in corde pauperis*] Et hîc in margine poſita expoſitio familiarior textûs locum occupavit. Nam in Græco eſt, Σύγκλεισον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμείοις σου [*Conclude eleemoſynam in penetralibus tuis*], ubi ἀλληγορικῶς [*locutione tectâ*] penetralia dantis vocat eos qui accipiunt, & qui accipiendo cauſa ſunt cur Deus danti reddat velut depoſita: Lucæ XVI. 9.

Et hæc pro te exorabit ab omni malo] In Græco, *Hæc te liberabit ab omni malo*. Vni virtuti tribuitur quod ei eximiè competit, non tamen ſine cæteris. Vide Lucæ XI. 41.

18. *Super ſcutum potentis & ſuper lanceam adversùs inimicum tuum pugnabit*] Verba Græca ſic habent: *Pluſquam fortis clypeus & haſta valida contra inimicum tuum pro te pugnabit*, nempe propter Dei favorem ità partum.

19. *Vir bonus fidem facit pro proximo ſuo*] Id eſt, fidejubebit. Ità enim ἐγγυᾶσθαι ſumitur & ſuprà VIII. 16.

Et qui perdiderit, confuſionem derelinquet ſibi] In Græco, *deſeret illum*. Homo durus & inverecundus potiùs quàm pro altero ſpondeat, in ſummis eum relinquet miſeriis.

20. *Gratiam fidejuſſoris nè obliviſcaris*] Beneficium.

Dedit enim pro te animam ſuam] Id eſt, *ſemet*. Periculo damni aut etiam ſervitutis ſemet oppoſuit ut te liberaret.

21. *Repromiſſorem fugit peccator & immundus*] Non eſt in Sixtino. Senſus idem ſequitur.

22. *Bona repromiſſoris adſcribit ſibi peccator*] In Græco, ἀγαθὰ ἐγγύου ἀνατρέψει ἁμαρτωλὸς, *Vir ſceleratus beneficia ſponſoris evertet*, id eſt, nullo in loco habebit. ἀγαθὰ pro eo quod eſt *beneficia* frequens huic Scriptori.

Et ingratus ſenſu derelinquet liberantem ſe] Ἀχάριστος ἐν διανοίᾳ, ἐγκαταλείψει ῥυσάμενον, *Is qui mente ingratus eſt liberatorem ſuum relinquet*, in damno ſcilicet. Malè alii codices ἄχρηστος [*inutilis*].

24. *Repromiſſio nequiſſima multos perdidit dirigentes*] *Fidejuſſio multos florentes perdidit*. Nam *nequiſſima* non eſt in Græco; & κατευθύνοντας [*dirigentes*] ſono eſt activum, ſenſu paſſivum ſive reciprocum. Sic εὐθύνειν [*in rebus bonis agere*] ſumitur Ezech. XVII. 9. & alibi.

Et commovit illos ſicut fluctus maris] Iactavit eos ſicut unda maris nautas jactat huc illuc. Exponunt id ſequentia.

25. *Viros potentes gyrans migrare fecit, & vagati ſunt in gentibus alienis*] In Græco, & verſo per *ut*, ſic eſt: *Viros divites tranſtulit, ità ut vagarentur inter gentes externas*. Multi ob id non fortunis tantùm, ſed & patriâ ſunt evoluti.

26. *Peccator tranſgrediens mandatum Domini incidet in promiſſionem nequam*] In Græco, *Incidet in fidejuſſionem*, id eſt, fidejuſſione irretitus tenebitur, de ſuo luet, Deo res ità dirigente.

Et qui conatur multa agere incidet in judicium] Ἐργολαβίαι hoc loco ſunt *redemturæ alienorum negotiorum ac litium*. Eſt eo ſenſu ἐργολαβεῖν [*lites redimere*] apud Demoſthenem & apud Æſchinem, nec minus apud Zonaram ad ſecundum Canonem Chalcedonenſem. In Gloſſis, Ἐργολάβος, *redemtor*. *Incidet in judicium*, id eſt, causâ cadet, ut meretur. Vide Titulum Codicis De Litigioſis.

27. *Recupera proximum tuum ſecundùm virtutem tuam*] *Opitulare aliis*. Eſt enim iterum vox ἀντιλαβοῦ quæ ſuprà 12.

Et attende tibi nè incidas] *Et* pro *ſed*. Vide nè alios ab ære alieno extricando ipſe in æs alienum incidas.

28. *Initium vitæ hominis aqua & panis*] Id eſt, *præcipua ad vivendum*. Quomodo vocem ἀρχῆς poni jam aliquoties obſervavimus.

Et veſtimentum & domus protegens turpitudinem] Hîc illud *&* prius pro *at* poſitum; alterum tam in Græco quàm in Latino auferendum puto, & ſenſum eſſe, *Veſtimentum verò eſt domus obtegens ea quæ nuda dedecent*. Eſt domus portatilis, tectum laneum.

29. *Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum*] *In pauperis cella*, ut Romani loquebantur.

Quàm epulæ ſplendidæ in peregre ſine domicilio] In Græco, ἐν ἀλλοτρίοις, *apud externos*. Hoc eſt illud quod teſtudini tribuunt Græci Poëtæ,

——— Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος.
[——— *Sua cuique domus, domus optima longè.*]

30. *Minimum pro magno placeat tibi*] *Contentus eſto ſive parvis, ſive magnis.*

Ἐπεὶ τά γ᾽ ἀρκοῦνθ᾽ ἱκανὰ τοῖσι σώφροσι,
[*Animo modeſto quod ſat eſt ſemper ſat eſt*,]

ut ait Euripides. Vide 1 Timoth. VI. 6.

Et improperium peregrinationis non audies] Deeſt hoc in Sixtina, ſed malè. In aliis exſtat; ſed corrigendum ex Latino Interprete in hunc modum, καὶ ὀνειδισμὸν παροικίας οὐ μὴ ἀκούσεις. Si paucis contentus ſis, nihil opus eſt alia quæras loca, ubi peregrinitas tibi exprobretur. Nam talia exſpectanda de patria exeunti, ex ſequentibus intelliges.

31. *Vita nequam hoſpitandi de domo in domum*] *Vita moleſta de domo in domum*, quæ eſt laris incerti. πονήρα [*moleſta*], non πονηρά [*improba*].

Et ubi hoſpitabitur non fiducialiter aget, nec aperiet os] In Græco, οὗ παροικήσεις, οὐκ ἀνοίξεις στόμα, *Vbicunque peregrinus eris, ibi os non aperies*, liberè ſcilicet. Iocaſtæ apud Euripidem dicenti,

Τίς ὁ τρόπος αὐτοῦ; τί φυγάσι τὸ δυσχερές;
[*Quæ cauſa, quæ res tam grave exſilium facit?*]

Reſpondet Polynices,

Ἓν μὲν μέγιστον· οὐκ ἔχει παρρησίαν.
[*Primùm, loquendi nulla libertas adeſt.*]

32. *Hoſpitabitur & paſcet, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet*] Duæ interpretationes vocis ξενιεῖς in textum pariter receptæ. Non dubito autem quin legendum ſit, ξενιεῖς καὶ ποτιεῖς εἰς ἄριστα, καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις πικρὰ ἀκούσεις, *Vbi bene epulis & potu exceperis* (illos ſoli in quo tu peregrinaberis indigenas) *adhuc acerba audies*: ut Lothus Sodomis, Gen. XIX. 9. Itaque Homerus dixit,

——— ἀτιμη-

——— *ἀτίμητον μετανάςην.*

[——— *extorrem & honoris egenum.*]

Et Prophetæ ubi exſilii deſcribunt mala hoc non reticent. *Audies* autem *acerba*, nempe qualia jam ſequuntur μιμητικῶς [*imitativè*] dicta.

33. *Tranſi hoſpes*] *Veni hoſpes.* Opponitur enim hoc ei quod ſequitur ἔξελθε [*exi*] · & παρέρχεσθαι [*venire*] hoc ſenſu reperitur Ioſuæ XVIII. 17. nec minùs apud elegantiores Græcos.

Et orna menſam] *Inſtrue.*

Et quæ in manu habes ciba cæteros] Καὶ εἴ τι ἐν τῇ χειρί σου, ψώμισόν με, *Et ſi quid facultatis habes* (de hac locutione vide ſuprà I.) *paſce me.* Hîc prior ſermo ejus apud quem divertit peregrinus; ſequitur longè alius poſt aliquod tempus.

34. *Exi à facie honoris amicorum meorum*] In Græco, Ἔξελθε, πάροικε, ἀπὸ προσώπου τῆς δόξης, *Exi, peregrine*, tanquam *à facie gloriæ*, id eſt, tanquam è Templo unde peregrini arcebantur. Notum id ex Tacito, Ioſepho, Rabbinis.

Neceſſitudine domûs meæ hoſpitio mihi factus eſt frater] Puto ſcripſiſſe Latinum Interpretem, *Neceſſitudo mihi domûs meæ: hoſpitio mihi factus eſt frater.* Opus domo meâ ipſe habeo: quia frater apud me divertit. Rectiùs enim legetur ἐπιξενοῦταί, quàm ἐπεξένωταί, præſens pro proximè futuro. In Gloſſis, Ἐπιξενοῦμαι, *hoſpitor.* Eſt id verbum eo ſenſu non apud Ariſtotelem tantùm, Demoſthenem, & Plutarchum, ſed & in Græca verſione Proverb. XXI. 7. reſpondens ibi גור Hebræo. Sic apud Euripidem,

Ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο.

[*Hoſpes, Tyrannis de via decedito.*]

Apud Senecam,

Melior vacua ſine regnet in aula.

35. *Gravia hæc homini habenti ſenſum*] Homini generoſo.

Correptio domûs & improperium feneratoris] Etiam hîc in Græco & in Latino abundat copula. Optimè enim legetur, ἐπιτίμησις οἰκίας, ὀνειδισμὸς δανειστοῦ, *Interpellatio* iſta *de domo eſt* velut *exprobratio creditoris.* Si pecuniam tibi crediſſet, duriùs eam repoſcere non potuerat.

CAPVT XXX.

HOc caput in Sixtina titulum præſcriptum habet, ΠΕΡῚ ΤΈΚΝΩΝ [DE LIBERIS].

1. *Aſſiduat illi flagella*] *Virgas.* Eſt enim ſatìs generale μάστιξ. Vide ſuprà XXII. 6.

Vt lætetur in noviſſimo ſuo] *Ejus*: id eſt, *ut tandem aliquando de eo* filio ſuo correcto *gaudeat.* Sic אחרון [*poſthac, poſtremò*] ſumunt Hebræi.

Et non palpet proximorum oſtia] Non eſt in Græco.

2. *Laudabitur in eo*] Sixtina habet, ὀνήσεται ἐπ' αὐτῷ, *Fructum ex eo percipiet.*

Et in medio domeſticorum in illo gloriabitur] *Inter familiares.*

3. *Qui docet filium ſuum in zelum mittit inimicum*] *Invidebitur ab inimicis.*

4. *Mortuus eſt pater ejus*] Id eſt, *Si moriatur pater ejus.*

Et quaſi non eſt mortuus] *Erit quaſi non mortuus.*

Similem enim reliquit ſibi poſt ſe] Imaginem ſui vivam. Æſchylus Inferiis,

Παῖδες γὰρ ἀνδρὶ κληδόνες σωτήριοι
Θανόντι.

[*Nam liberi ſunt mortuis genitoribus*
Nomen ſuperſtes.]

5. *In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo*] Nam,

——— οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν, οὐδ' ἰδεῖν καλὸν,
Ὡς τοῖς ἄπαισι καὶ πόθῳ δεδηγμένοις,
Παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος.

[——— *ſed crede, nullum gratius ſpectaculum eſt*
Quàm poſt querelas orbitatis tetricæ
Conſpicere florem liberûm orientem domi.]

In obitu ſuo non eſt contriſtatus] Solatium mortis habuit filium bonum ſuperſtitem.

Nec confuſus eſt coram inimicis] Non eſt in Græco.

6. *Reliquit enim defenſorem domûs contra inimicos*] *Domûs* non eſt in Græco: *reliquit famæ ſuæ vindicem.*

Et amicis reddentem gratiam] Qui bene de patre meritis vicem reddat.

7. *Pro animabus filiorum ſuorum colligabit vulnera ſua*] Legit περὶ ψυχῶν [*pro animabus*] · ubi in Græcis eſt, περιψήχων υἱὸν καταδεσμεύσει τραύματα αὐτοῦ, id eſt, *Pater cùm filium ſtringit* (id eſt, virgis cædit) *tunc maximè ejus vulnera obligat.* Ejus vitiis medetur.

Et ſuper omnem vocem turbabuntur viſcera ejus] *Ad quemvis rumorem.* Micio apud Terentium,

Ego, quia non rediit filius, quæ cogito,
Quibus nunc ſollicitor rebus? nè aut ille alſerit,
Aut uſpiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid.

8. *Equus indomitus evadet durus, & filius remiſſus evadet præceps*] Iterum copula vice comparationis. *Equus durus*, id eſt, intractabilis, equitis impatiens. *Filius remiſſus*, ἀνειμένος, id eſt, *negligenter habitus, evadit præceps*, προαλής, quod Heſychio exponitur προπετής, *temerarius.*

9. *Lacta filium*] Τιθήνησον, id eſt, *blandire filio nutricularum more.*

Et paventem te faciet] Ob vitia ſua.

10. *Obſtupeſcent dentes tui*] Γομφιάσῃ τοὺς ὀδόντας σου, *dolere tibi dentes faciat.* Hoc enim ſenſu Græci hoc verbum, & nomina γομφίασιν, & γομφιασμὸν uſurpant.: quanquam Sacrarum literarum Interpretes pro *ſtupore dentium* ea ponunt, Ezechielis XVIII. 2. & Amos IV. 6. *Dentium* autem *dolorem* hoc loco Scriptor hîc poſuit pro *dolore valde acri.*

11. *Non des illi poteſtatem in juventute*] Vivendi ut vult.

Et nè deſpicias cogitatus illius] Legit ἐννοίας. At in Græcis legimus ἀγνοίας, *nè diſſimules delicta ejus.* In Sixtina & hoc & ſequentis ſententiæ initium tranſpoſitum eſt.

12. *Curva cervicem ejus in juventute*] Aſſuefac ferendo jugo.

Et tunde latera ejus] Vide ſuprà I.

Dum infans eſt] *Dum puer eſt.* Nam νήπιος Græcè ſic uſurpatur. Vide Matthæi XXI. 16. Proverbiorum XXIII. 13. ubi eſt pro Hebræo נער.

Nè fortè induret, & non credat tibi] *Nè fortè induratus tibi ſit inobſequens.* Id enim ἀπειθεῖν.

Et erit tibi dolor animæ] *Et ſit tibi dolor animæ*, Cauſa doloris. Hoc in Græcis quibuſdam deeſt.

13. *Operare in illo*] Operam da ei bene inſtituendo.

Nè in turpitudinem illius offendas] *Ob turpitudinem ejus*, id eſt, flagitia. *Offendas*, id eſt, in offenſa ſis apud populum.

14. *Melior eſt pauper ſanus & fortis viribus*] *Et robuſtâ conſtitutione corporis*. Id enim plus eſt quàm *valere* tantùm. Hîc poſitus eſt in Græco novus titulus, ΠΕΡῚ ΥΓΙΕΊΑΣ [DE SANITATE].

Quàm dives imbecillis, & flagellatus malitiâ] *Malitiam* hîc poſuit Interpres pro *miſeria*, ut Matthæi VI. 34. At in Græco eſt, ἢ πλούσιος μεμαστιγωμένος εἰς τὸ σῶμα αὐτοῦ, *Quàm dives flagellatus in ſuo corpore*. Helleniſtæ omnes morbos μάστιγας [*flagella*] vocant, ut videre eſt Marci III. 10. V. 29. 34. Lucæ VII. 21. Simonides in recenſendis partibus humanæ felicitatis primas dat bonæ valetudini, alteras bono ingenio, tertias bene partis divitiis.

15. *Salus animæ in ſanctitate juſtitiæ melior eſt omni auro & argento*] Hoc quoque Interpres in ſenſum religioſiorem tranſtulit: nam in Græco tantùm eſt, ὑγεία καὶ εὐεξία, βέλτιον παντὸς χρυσίου [*ſanitas & bona corporis habitudo, omni auro potior*]. Eſt autem εὐεξία *bona corporis habitudo*.

16. *Non eſt oblectamentum ſuper cordis gaudium*] Id eſt, animi tranquillitatem.

17. *Melior eſt mors quàm vita amara, & requies æterna quàm languor perſeverans*] In Græco, *potior mors vitâ amarâ, aut morbo perpetuo*. Nam mors κακῶν φάρμακον, κακῶν ἰατρὸς [*medicamen malorum, medicus malorum*], Græcis Poëtis. Sophocles Antigonê,

> Ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς
> Ζῇ, πῶς ὅδ' οὐχὶ κατθανὼν κέρδος φέρει;
> [*Nam vita cujus fluctuat mille in malis,*
> *Vt noſtra, leto accipere quid melius poteſt?*]

18. *Bona abſcondita in ore clauſo, quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro*] In Græco alii codices habent ἀγαθὰ κεκλεισμένα [*bona abſcondita*], quomodo legit hîc Latinus; alii ἐκκεχυμένα [*effuſa*], quod præcedentibus & ſequentibus convenit. Senſus enim eſt, *Opes multas circumfuſas ei qui ob morbum frui non poſſit, perinde habendas ac epulas appoſitas ſepulchro*: qui mos vetus Phœnicum fuit, à Phœnicibus ad Afros Phœnicum traduces tranſiit, manſitque ad tempora Auguſtini.

19. *Quid prodeſt libatio idolo?*] In Græco, κάρπωσις, quam vocem habes & infrà XLV. 20. & Levitici IV. 10. 18. XVI. 24. XXII. 22. Frequentiùs κάρπωμα dicitur, & propriè reſpondet Hebræo אשה, quo ſignificatur quidquid in Dei honorem igne abſumitur. Per excellentiam verò dicitur de eo quod propriè dicitur עלה, ὁλοκαύτωμα [*holocauſtum*].

Nec enim manducabit, nec odorabit] Omne κάρπωμα dicitur *cibus Dei & odor gratus*, Levitici III. 16. Numerorum XXVIII. 24. In Hebræo, Malachiæ I. 7. 12. Levitici I. 9. At hujus honoris ſenſum nullum habent aut imagines, aut Dii imaginarii.

20. *Sic qui effugatur à Domino portans mercedes iniquitatis*] In Græco, *Sic quem Dominus perſequitur*, id eſt, morbis excruciat. διώκειν [*perſequi*] Helleniſtis ſignificat cujuſvis mali illationem. Vide Matthæi V. 10. Homini in morbo cubanti nihil ſapit, nihil dulce eſt.

21. *Videns oculis & ingemiſcens, ſicut ſpado complectens virginem, & ſuſpirans*] Id eſt, frui impos. Durat ſermo de ægroto. Similitudinem eandem ſpadonis ſuprà habuimus XX. 2. ſed in alio argumento. Sunt hæc nimirum exſcripta ex diverſis γνωμολόγοις, [*ſententiarum concinnatoribus*] quorum alter alterum aliqua cum mutatione imitatus eſt.

22. *Et non affligas temetipſum in conſilio tuo*] Conſulta ſine anxietate.

23. *Iucunditas cordis, hæc eſt vita hominis*]

Non eſt vivere, ſed valere vita.

Et theſaurus ſine defectione ſanctitatis] Interpres ſcripſit *ſanctitas*. Solet enim prudentiæ præcepta quædam pietatis admiſcere, extra Græcum, quale & hoc eſt.

Et exultatio viri eſt longævitas] *Exultationis* voce bene temperatam hilaritatem intellige.

24. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in ſanctitate ejus & triſtitiam longè repelle à te*] Hîc quoque pari de cauſa Interpres quædam addidit; nam in Græco ſic ſe habet hæc ſententia, *Curam habe tui ipſius, & ſolatia cordi tuo adhibe: triſtitiam verò longè abs te repelle.*

25. *Multos enim occîdit triſtitia*] In Græco eſt, *Multos enim perdidit* (id eſt, miſeros fecit), *quin & interfecit, mæror*. Sophocles,

> Τίκτουσι γάρ τοι καὶ νόσους δυσθυμίαι.
> [*Sæpe æger animus corpori morbos dedit.*]

Philemon,

> ——— διὰ λύπην καὶ μανία γὰρ γίνεται
> Πολλοῖσι καὶ νοσήματ' οὐκ ἰάσιμα.
> [——— *mæror quippe cerritos facit,*
> *Aliáſque peſtes generat inſanabiles.*]

Et non eſt utilitas in illa] Hoc in Græcis quibuſdam deeſt, ſed eſt in Sixtina: & ſine eo brevior hæc eſt periodus cæteris. Et ſenſus eſt optimus. Philemon,

> Νῦν δ' οὐ προσέχει τὰ πράγματ' οὐδ' ἀποβλέπει·
> Ἐάν τε κλαίῃς, ἐάν τε μὴ, πορεύεται.
> [*Nunc non attendit luctum res, nec reſpicit*
> *Seu plores, ſeu non plores, inſiſtit viam.*]

26. *Zelus & iracundia minuunt dies*] *Invidia & iracundia*. Nam φθόνος φθισικὸν πεποίηκε [*tabem creavit livor*], teſte Menandro.

> Τήκει γὰρ φθονερῶν ὄμματα καὶ κραδίην.
> [*Liventi nam cor exedit atque oculos.*]

Vt eſt in Epigrammate Græco. In Latino verò,

> *Livor tabificum malis venenum.*

De morbis ex Ira ſuprà diximus.

27. *Splendidum cor & bonum in epulis eſt: epulæ enim illius diligenter fiunt*] In Sixtina hæc ſententia eſt in fine capitis XXXIII. tum verò quæ ſequuntur hîc in Græco, in Latino partem faciunt ejuſdem capitis XXXIII; & caput XXXI in Græco, eſt XXXIV in Latino; caput XXXII eſt ibi caput XXXV. capitis verò XXXIII prior pars eſt caput XXXVI. ſic & XXXIV in Latino, eſt XXXI. & XXXV eſt XXXII. At XXXVI partim

eſt ex Latino XXXIII, partim cum capite paris numeri in Latino congruit. Nos Latinum nunc ordinem ſequemur. Hæc autem ſententia ex Græco ſic exponi debet, *Vir qui animo eſt tranquillo & defecato, is in menſa de cibis*, non de rebus aliis, *cogitat.*

CAPVT XXXI.

1. *Vigilia honeſtatis tabefaciet carnes*] Iterum *honeſtatem* pro *divitiis* poſuit. *Vigilia divitiarum* dicitur quæ divitiarum causâ ſuſcipitur.

Μή σε γ' ἀπειρεσίων οἶστρος ἕλῃ κτεάνων·
Μή σὺ μὲν ἀτλήτοισιν ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀλέσσῃς.
[*Diſtendi immenſis parce cupidinibus:*
Nè tua carnifices conſumant corda dolores.]

Euripides,

Ὦ πλοῦθ', ὅσῳ μὲν ῥᾷστον εἶ βάρος φέρειν·
Πόνοι δὲ κἂν σοὶ, καὶ φθοραὶ πολλαὶ βίου
Ἔνεισ'.
[*O copia auri, facile onus geſtantibus!*
Sed cura te comitatur & durus labor
Adeſt.]

Ideo ſentibus hæ curæ rectè comparantur Matthæi XIII. 22.

2. *Cogitatus præſcientiæ avertit ſenſum, & infirmitas gravis ſobriam facit animam*] Legit multò aliter quàm nos habemus in Græco, nempe, Μέριμνα ἀγρυπνίας ἀπωθήσεται αἴσθησιν, καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνήψει θυμόν. Sed Græcus ſenſus optimus eſt, & huic loco conveniens, ſi pro ἐκνήψει ſcribas ἐκνίψει hoc modo, Μέριμνα ἀγρυπνίας ἀπαιτήσει νυσταγμὸν, καὶ ἀῤῥώστημα βαρὺ ἐκνίψει ὕπνος, *Cura pervigil requirit ſoporem, & gravem morbum eluit ſomnus.* Eſt enim Somnus

——— λήθη τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν,
[——— *diurnis dulce ſedamen malis,*]
& ——— φίλον ὕπνου θέλγητρον ἐπίκουρον νόσου
[——— *morbis opitulans, illex ſopor*]

Euripidi; & alii,

Ὕπνος πέφυκε σώματος σωτηρία.
[*Somnus profectò eſt incolumitas corporis.*]

3. *Laboravit dives in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua replebitur bonis*] Id eſt, is quem divitem nunc vides, diu laborarat ut ea congereret quibus fruitur in ſenectute.

4. *Laboravit pauper in diminutione victûs, & in fine inops fit*] Is quem nunc inopem vides ſua dilapidavit, ideóque in ſenectute eget. βίος non *victum* hîc, ſed facultates ſignificat, quomodo dicitur,

Βίος βίου δεόμενος οὐκ ἐστιν βίος.
[*Vitalis non eſt vita quæ victu indiget.*]

5. *Qui aurum diligit, non juſtificabitur*] Non manebit innocens,

Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται.
[*Habere quiſquis parte plus quærit ſuâ,*
Nîl ille juſti cogitat, nîl expetit.]

Et qui inſequitur conſumtionem, replebitur eâ] Nihil hoc ad præſentem materiam. Legimus in Græco, καὶ ὁ διώκων διαφθορὰν, οὗτος πλησθήσεται [*& quærens exitium, implebitur*]. At olim ſcriptum fuiſſe pro certo habeo, καὶ ὁ διώκων διάφορον, οὗτος ὀλισθήσεται, *Et qui pecuniam quærit, is labetur*, id eſt, multa peccabit. Frequens γνωμολόγοις [*ſententiarum ſcriptoribus*] idem bis dicere, verbis aliis. De ſignificatu vocis διάφορα vide quæ dicta ſuprà VII. 20. & XXVII. 1.

6. *Multi dati ſunt in auri caſus*] In Græco, *Ob aurum vincti ſunt multi*, id eſt, ob ſua injuſta facinora dati in carcerem.

Et facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum] In Græco, *Et exitium ipſorum ipſis in conſpectu fuit*, id eſt, proximi exitio fuere.

7. *Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantium*] *Lignum offendiculi* (eſt aurum) *ſacrificantibus ipſi.* id eſt, Scut idola ſolent exitialia eſſe veneratoribus ſuis, ſic & aurum. Idem eſt πρόσκομμα, προσόχθισμα. Solent autem idola Helleniſtis vocari προσοχθίσματα [*offenſacula*], ut videre eſt I Regum XI. 33. XVI. 32. II Reg. XXIII. 13. Ezech. V. 11. VII. 10. XXXVII. 23. *Avaritia eſt* quædam *idololatria*, Epheſ. V. 5. Coloſſ. III. 5. Et pares ſolet habere exitus.

Væ illis qui ſectantur illud] Non eſt in Græco.

Et omnis imprudens deperiet in illo] *Ab eo capietur.* Servus fit rei cui imperare debuerat.

8. *Beatus dives qui inventus eſt ſine macula*] Ἄμωμος, cujus divitiæ in reprehenſionem non cadunt.

Et qui poſt aurum non abiit] Qui ſe ſervum non fecit pecuniæ. Servi dominos ſequi ſolebant: ſic qui idola colunt, dicuntur πορεύεσθαι ὀπίσω θεῶν ἑτέρων [*ambulare poſt deos alios*], Iudic. II. 12. & alibi.

Nec ſperavit in pecunia & theſauris] Hoc addidit Latinus hic Interpres ex Paulo I Timoth. VI. 17.

9. *Quis eſt hic, & laudabimus eum?*] *Quis eſt hic, ut beatum eum dicamus?*

Fecit enim mirabilia in vita ſua] Legit, ἐν ζωῇ αὐτοῦ [*in vita ſua*]. Nos habemus, ἐν λαῷ αὐτοῦ, *Rem præſtitit popularibus admirabilem.*

10. *Qui probatus eſt in illo, & perfectus eſt*] In Græco, τίς, *Quis.* Senſus eodèm redit, *Quis eſt is qui exploratus per divitias, probus eſt repertus?* τελειοῦσθαι hîc, ut alibi δικαιοῦσθαι, eſt *probum conſpici.*

Erit illi gloria æterna] In Græco, καὶ ἔσται εἰς καύχημα, *habebit in quo ſibi placeat.*

Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus] Arduum eſt in peccandi licentia non peccare. Magna illa laus, quæ in epiſtola Senecæ eſt ad Polybium, *Nemo potentiam ejus injuriâ ſenſit.*

11. *Ideo ſtabilita ſunt bona illius in Domino*] Illud *in Domino* addidit Interpres ex Paulo I Timoth. VI. 17.

Et eleemoſynas illius enarrabit omnis Eccleſia ſanctorum] In Græco eſt, ἐκδιηγήσεται ἐκκλησία, id eſt, populus omnis.

12. *Supra menſam magnam ſediſti?*] *Adſediſti menſæ magnificæ?* Hîc incipiunt præcepta convivalia, & decurrunt in caput ſequens uſque.

Non aperias ſuper illam faucem tuam prior] Hoc *prior* non eſt hîc in Græco, neque infra 16. Nè nimiùm avidè te immerge in patinas.

13. *Non dicas ſic, Multa ſunt quæ ſuper illam*] Nè cogita, quia magna ibi edendi copia, modum in edendo abs te excedi debere.

14. *Memento quoniam malus eſt oculus nequam*] In Græco, *malum eſt.* Ingens eſt malum avarus convivator. Hebræi oculum πονηρὸν [*malum*] & de Invido dicunt, & de Avaro.

15. *Nequius oculo quid creatum eſt?*] Tali ſcilicet, id eſt, avaro.

Ideo ab omni facie ſua lacrymabitur] In Græco, *Quia ab omni facie* (id eſt, ab omni conſpectu) *lacrymat.* διὰ τοῦτο, ut Hebræum לכן, ſæpe pro *quia* ponitur. *Ab omni conſpectu*, nempe impendii. In Epigrammate Græco eſt,

> Δακρύει Φείδων ὁ φιλάργυρος, οὐχ ὅτι θνήσκει,
> Ἀλλ' ὅτι πέντε μνῶν τὴν σορὸν ἐπρίατο.
> [*Non quia mors inſtat, ſed quòd ſex aſſibus emit*
> *Sandapilam, Phido liquitur in lacrymas.*]

Phædrus in deſcriptione Avari,

> *Obſoniorum pretia cui gemitum exprimunt.*

16. *Nè extendas manum tuam prior*] In Græco hæc cohærent, οὗ ἐὰν ἐπιβλέψῃ, μὴ ἐκτείνῃς χεῖρά σου, *Nè immitte manum in eam rem quam ille reſpexerit.* Ede quæ ante te ſunt, non quæ longè ſunt poſita. Præcepit id Arrianus libro ſecundo Epicteteorum. Multò magìs cavendum nè convivatori præripiatur quod ipſi placet.

17. *Nè comprimaris in convivio*] In Græco, *Nè collidere cum eo in patina.* Da ipſi locum vacuum.

18. *Intellige quæ ſunt proximi ex te ipſo*] Id eſt, Ità te adversùm convivatorem & convivas alios gere quomodo ipſe velles alios ſe adversùm te gerere.

19. *Vtere quaſi homo frugi his quæ tibi apponuntur, nè, cùm manducas multùm, odio habearis*] Aliter hæc in Græco habent, καὶ ἐπὶ παντὶ ῥήματι διανοοῦ (alii libri habent, πράγματι, ſenſu eodem), *de re quavis* (etiam minima) *cogita*, quid decorum ſit ſcilicet. Deinde, Φάγε ὡς ἄνθρωπος τὰ παρακείμενά σοι, καὶ μὴ διαμασῶ, μὴ μισηθῇς, *Ede ut homo quæ tibi appoſita ſunt, & cave vores* (ferarum modo), *nè odioſus fias.*

20. *Ceſſa prior causâ diſciplinæ*] *Primus deſine* (edere) *honeſtatis causâ.* Id enim eſt quod hîc παιδείαν vocat.

Et noli nimius eſſe, nè fortè offendas] *Cave oſtendas te inſatiabilem, nè offendas*, nempe eos qui adſunt.

21. *Et ſi in medio multorum ſediſti*] Si cum pluribus aliis vocatus es.

Prior illis nè extendas manum] Πρότερος propriè eſt *prior*; ſed & pro *primus* ſumitur. Arrogantis eſt, ante alios de cibis ſumere.

Nec prior poſcas bibere] Non eſt in Græco, ſed ut par pari Interpres hoc addidit.

22. *Quàm ſufficiens eſt homini erudito vinum exiguum*] *Quàm ſufficit bene inſtituto modicum?* in cibo ſcilicet potúque.

Et in dormiendo non laborabis ab illo, & non ſenties dolorem] In Græco eſt, *Non difficulter in cubili ſpiritum trahet.* Quod plùs æquo ſaburratis ſolet evenire.

23. *Vigilia, cholera & tortura viro infrunito*] Hoc in Græco rectiùs infrà eſt hoc modo: *Labor, vigiliæ, cholera, & tormina viro inſatiabili. Choleræ* vocem in Latino reliqui cum Plinio & Celſo IV. II. Idem Celſus lib. II. στρόφον interpretatur, ubi circa umbilicum inteſtina torquentur. In Gloſſis, Στρόφος, *torſio.* δυσεντερικὰ πάθη [*viſcerum morbos, tormina*] edacitatem ſequi notat Cicero Ad familiares VII. 26.

24. *Somnus ſanitatis in homine parco*] *Somnus plenus ſanitatis, ubi inteſtina moderatè ſe habent*, id eſt, non nimis farcta ſunt.

Dormiet uſque manè, & anima illius cum ipſo delectabitur] In Græco, *Manè anima ipſius* (id eſt, mens ipſius) *cum ipſo eſt.* Vbi ſurget, valet illi animus. Contrà,

> ——— *corpus onuſtum*
> *Heſternis vitiis animum quoque prægravat.*

25. *Et ſi coactus fueris in edendo multùm, ſurge è medio, & vome; & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem*] In Græco, *Si compreſſus cibis fueris, ſurge per medios* (convivas) *tranſiens, vome, & ſic quieſces.* Veteres ἐμετικοῖς [*vomitoriis*] levi de cauſa utebantur. Cicero pro Dejotaro ad Cæſarem: *cùm te vomere poſt cœnam velle dixiſſes.* Idem ad Atticum XIII. 50. ἐμετικὴν *agebat.*

26. *Et in noviſſimo invenies verba mea*] Tandem invenies vera eſſe quæ dixi.

27. *In omnibus operibus tuis eſto velox*] Id eſt, impiger in obeundis itineribus.

28. *Splendidum in panibus benedicent labia multorum*] Bene legit εὐλογήσει [*benedicent*], ut eſt in Sixtina, non εὐλογῆσαι. Liberalem convivatorem laudant multi. *Panes* pro *cibo* quovis, etiámque pro *convivio*, ſumere mos Hebræis.

Et teſtimonium veritatis illius fidele] *Teſtimonium fide dignum redditur ſplendori ipſius. Fide dignum*, quia à multis & idoneis. πιστὸς, *fide dignus*, ut 1 Timoth. I. 15. III. I. IV. 9.

29. *Nequiſſimo in pane murmurabit civitas*] De ſordidis conviviis malè loquitur populus.

Et teſtimonium nequitiæ illius verum eſt] Fide dignum. ἀκριβὴς idem quod modò πιστός. Quod autem hîc *nequitiæ* vertit, in Græco eſt πονηρίας. Ea vox generalis hoc loco *tenacitatem* ſignificat.

30. *Diligentes in vino noli provocare*] *Nè virum te in vino præſta.* Noli eximii potatoris nomen tibi quærere.

Multos enim exterminavit vinum] *Perdidit.* — λυσιμελὴς Βάκχος [— *ſolvens membra Lyæus*].

31. *Ignis probat ferrum durum*] Κάμινος δοκιμάζει στόμωμα ἐν βαφῇ, id eſt, *Cùm ferro in camino poſito aqua admovetur, tum apparet qualis ſit ferri temperatura.* Martialis de Pugione,

> *Pugio, quem curvâ ſignat brevis orbita venâ,*
> *Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis.*

Non diſſimilis illa apud Theognidem comparatio,

> Ἐν πυρὶ μὲν χρυσόν τε καὶ ἄργυρον ἴδριες ἄνδρες
> Γιγνώσκουσ'· ἀνδρὸς δ' οἶνος ἔδειξε νόον,
> Καὶ μάλα περ πινυτοῦ, τὸν ὑπὲρ μέτρον ἤρετο πίνων.
> [*Ignibus explorant aurum argentúmque periti*
> *Artifices: hominis quale ſit ingenium,*
> *Quamvìs ſit ſapiens, docet hauſti copia vini.*]

Sic vinum corda ſuperborum arguet in ebrietate potatum] Legit καρδίας [*corda*], ut in Sixtina eſt; non ἐν καρδίᾳ [*in corde*], ut in aliis. Pendet hoc ab eo quod præceſſit δοκιμάζει [*probat*]. At rectè legit ἐν μέθῃ [*in ebrietate*], non ἐν μάχῃ [*in rixa*], ut habet Sixtina. Bona eſt comparatio. Ferrum aquâ tingitur, mens vino. Superbia accedit ut ignis. *Ebrietas operta recludit*, ut ait Horatius; maximè verò eum qui latuerat faſtum cum aliorum contemtu conjunctum.

32. *Æqua vita hominibus vinum in ſobrietate: ſi bibas illud moderatè, eris ſobrius*] *Æquiparabile vitæ hominibus vinum, ſi id bibas modo* qui ipſi *convenit.* Vocem ἔπισον [*æquiparabile*] habuimus & ſuprà IX. 12.

33. *Quæ vita eſt ei qui minuitur vino?*] *Deſtituitur.* Quomodo ἐλαττοῦσθαι ſæpe ab hoc Scriptore ſumitur. Adſcripſit aliquis margini ſententiam huic oppoſitam, & ſuo quoque ſenſu veram,

34. *Quid defraudat vitam?*] *Mors.* Sed ea in Græco non eſt, nec bene cohæret.

35. *Vinum in jucunditatem creatum eſt*] *Et ipſum creatum eſt ad lætitiam hominibus dandam. Et* pro *nam.* Cauſam reddit cur vita vix vita ſit ſine vino: quia

——— *Lætitiæ Bacchus dator.*

Et non ad ebrietatem ab initio] Et hoc Interpres de ſuo addidit.

36. *Exſultatio animæ & cordis, vinum moderatè potatum*] In Græco, *Gaudium cordis & animi lætitia, vinum ſumtum quantum opus eſt, idque ſuo tempore.* Non enim in febri.

37. *Sanitas eſt animæ & corpori ſobrius potus*] Non eſt in Græco.

38. *Vinum multum potatum irritationem & iram, & ruinas multas facit: amaritudo animæ vinum multum potatum*] Et hîc tranſpoſita verba. Nam Græca ſic habent, Πικρία ψυχῆς οἶνος πινόμενος πολὺς ἐν ἐρεθισμῷ καὶ ἀντιπτώματι, *Vinum ubi multùm bibitur, eſt amarities animi, propter irritationes & ruinas.* Ἀντίπτωμα pro *ruina* eſt, & infrà XXXII. 25. Vinum alios in iram, alios in caſum, ſæpe periculoſum, impellit.

40. *Ebrietatis animoſitas, imprudentis offenſio, minorans virtutem, & faciens vulnera*] In Græco, *Ebrietas inſipientis auget iram ad malum* ipſius. *Minuit enim vires, & adauget vulnera*, id eſt, pugnas. *Ebrietas*, Horatio teſte,

——— *In prælia trudit inermes.*

Eubulus Comicus, cùm craterem vini *primum* dixiſſet eſſe *ſanitatis*, *voluptatis alterum*, *tertium ſoporis*, addit,

——— ὁ δὲ τέταρτος οὐκ ἔτι
Ἡμέτερός ἐς', ἀλλ' ὕβρεος· ὁ δὲ πέμπτος βοῆς·
Ἕκτος δὲ κώμων· ἕβδομος δ' ὑπωπίων.
[——— *quartus contumeliæ,*
Non ultrà noſter: quintus vociferantium:
Sextus nequitiæ: ſugillarum ſeptimus.]

41. *In convivio vini non arguas proximum*] Non enim eſt is locus caſtigandi.

Et non deſpicias eum in jucunditate illius] Si quid hilariùs dixerit, feceritve, irridere noli: nam

Abſentem lædit, cum ebrio qui litigat.

42. *Verba improperii non dicas illi, & non premas illum in repetendo*] Legit ἐν ἀπαιτήσει [*in repetendo*], ut eſt in quibuſdam libris. At melior lectio altera, ἐν ἀπαντήσει [*in obviando*]. Si obvius illi factus ſis, poſtea noli ei exprobrare, ac moleſtus ei eſſe de iis quæ in vino facta ſunt.

Μισῶ μνήμονα συμπότην, Πρόκυλλε.
[*Compotor memor, ô Procylle, nè ſit.*]

CAPVT XXXII.

1. *Rectorem te poſuerunt?*] Hîc in Sixtina ponitur titulus, ΠΕΡῚ ἩΓΟΥΜΈΝΩΝ [DE RECTORIBVS]. Sed ἡγούμενος hîc intelligendus ὁ *συμποσιάρχης*, *rex vini* Horatio, *modimperator* Varroni: nam pergit adhuc præcepta dare convivalia, ut ex ſequentibus apparet. Pertinent autem hæc ad convivia ex ſymbolis. Confer Scenam Terentii Eunucho, *Heri aliquot adoleſcentuli:* & ibi Donatum.

Noli extolli] Nè iſto honore tibi nimiùm place.

Eſto in illis quaſi unus ex ipſis] Age ſocialiter.

2. *Curam illorum habe, & ſic conſide*] Nempe ut coquis & vini miniſtris, menſæque & vaſorum apparatoribus, quæ res exiget, imperes, velut ex regali ſolio.

Et omni curâ tuâ explicitâ recumbe] In Græco, *Quæ opus ſunt fac, & laudem ea de cauſa aſſecutus, accumbe*, menſæ ſcilicet, cum aliis.

3. *Vt læteris propter illos*] Vt gaudeas, cùm videbis illis placere quæ ordinaſti.

Et ornamentum gratiæ accipias coronam] *Boni ordinis* (per te conſtituti) *causâ accipias coronam*, nempe à tota ſodalitate, in ſignum bene geſtæ præfecturæ.

Et dignationem conſequaris corrogationis] Non eſt in Græco, ſed Interpres Latinus hoc addidit, ut intelligeretur de qua corona eſſet ſermo. *Corrogatio* hîc eſt συμβολή [*ſymbola*].

4. 5. *Loquere major natu, decet enim te primum verbum diligenti ſcientiâ*] Alii codices habent, Λάλησον πρεσβυτέρῳ [*Loquere ſeni*]· alii, Λάλησον πρεσβύτερε [*Loquere ſenex*], rectè, ut oſtendit oppoſitum membrum infrà 10. Pergit monita dare convivis. Senes decet loqui gravia & utilia.

Et non impedias muſicam] Legit ut in Sixtina, καὶ μὴ ἐμποδίσῃς μουσικά, *Nè tamen impedias res muſicas.* Non ità velim te ſeriis operam dare ut alia quæ delectant magìs quàm proſunt damnes.

6. *Vbi auditus non eſt nè effundas ſermonem*] Hîc negativa malè addita: nam in Græco eſt, *Vbi eſt acroama, nè effunde ſermonem. Acroama* dicuntur & Græcis & Latinis tum cantus, tum ipſi cantores, aut fidicines. Iis interſtrependum negat.

Et importunè noli extolli in ſapientia tua] *Noli extra tempus ſapientem agere.* Sic Muſonius apud Tacitum Hiſtoriarum III. *omiſit intempeſtivam ſapientiam.* Dandum & hilaritati tempus.

7. *Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio muſicorum in convivio vini*] *Quale eſt ſigillum pyropi in annulo aureo, talis concentus ſymphoniacorum in convivio.* σύγκραμα *mixtum* quid ſignificat: ſed fortè ſcriptum fuerat σύγκρουμα [*concentus manibus excitatus*]. Idem dicit ſententia ſequens, niſi quod ibi *ſmaragdus*, hîc *carbunculus*.

10. *Adoleſcens loquere in tua cauſa vix*] Dederat modò præceptum ſenibus convivis; nunc dat junioribus, quibus loqui vix permittit, niſi multùm urgeantur. *Loquere*, ait, *adoleſcens, ſi opus tui eſt*, putà, *ſi plùs ſemel ſis interrogatus.* Græcum eſt proverbium,

Νέῳ δὲ σιγᾷν μᾶλλον ἢ λαλεῖν πρέπει.
[*Iuvenem magìs tacere quàm fari decet.*]

11. 12. *Habeat caput reſponſum tuum. In multis eſto quaſi inſcius, & audi tacens ſimul & quærens*] Non tantùm raró vult in convivio loqui juvenem, ſed &, ubi loquendum eſt, pauca. Itaque ſic ait, *Contrahe ſermonem*: dic *paucis multa, ut habearis velut ſciens & tamen tacens.* κεφαλαιοῦν hîc quod ἀνακεφαλαιοῦν [*in ſummam colligere*] Romanorum XIII. 9. Epheſiorum I. 10. Qui pauca ad rem loquitur, is multò plura ſcire, ſed per verecundiam tacere creditur.

13. *In medio magnatorum non præſumas*] Nè te eis parem geras. Sophocles,

Ἄρχοντές εἰσιν, ὥσθ' ὑπεικτέον· τί μή;
[*Nam Principes ſunt, obſequendum: quippeni?*]

Et ubi ſunt ſenes non multùm loquaris] Græcum dictum eſt,

Νέος ὢν ἀκούειν τῶν γεραιτέρων θέλε.
[*Audi libenter ipſe adhuc juvenis ſenes.*]

14. *Ante grandinem præibit coruſcatio, & ante verecundiam præibit gratia*] Sicut fulgur cernitur priuſquam audiatur tonitru (de qua re vide Ariſtotelem II Meteorôn IX. Senecam Naturalium Quæſtionum II. 12.), ità in juvene verecundo, priuſquam loquatur, ipſe eum in vultu pudor commendat. Euripides,

Τό, τι γὰρ αἰδεῖσθαι σοφία,
Τάν τ' ἐξαλλάσσουσαν ἔχει
Χάριν.
[*Pars doctrinæ magna, vereri:*
Sequitur tales decor & comis
Gratia.]

Et pro reverentia accedet tibi bona gratia] Eſt explicatio dicti præcedentis addita à Latino Interprete.

15. *Et horâ ſurgendi non te trices*] In Græco, *In tempore ſurge, neque agmen claudito.*

Præcurre autem prior in domum tuam, & illic avocare] In Græco eſt, *Curre domum, neque* (ea in re) *piger eſto.* Noli poſtremus diſcedere.

16. *Et illic lude & age conceptiones tuas, & non in delictis, & verbo ſuperbo*] Legit, μὴ ἐν ἁμαρτίαις [*non in delictis*]· ſed melior eſt lectio Sixtinæ, ἐκεῖ παῖζε καὶ ποίει τὰ ἐνθυμύματά σου, καὶ μὴ ἁμάρτῃς ἐν λόγῳ ὑπερηφάνῳ, *Ibi lude, & fac quæ viſum fuerit, ità tamen nè quid verbis ſuperbis pecces.* Redeunti à convivio duo dat monita, alterum ad valetudinem pertinens, ut corpus luſu aliquo exerceat; alterum ad vitandas rixas, ut caveat ſibi à verbis inſolentibus, quæ ſæpe vinum ſequi ſolent.

17. *Et ſuper his omnibus*] *Quod verò præcipuum eſt.*

Benedicito Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis ſuis] *Benedicere* hîc eſt Deo gratias agere, & *inebriare* μεθύσκειν vox media, quæ *implere* ſignificat, ut vidimus ſuprà I. 13.

18. *Qui timet Dominum excipiet doctrinam ejus*] In Sixtina, ἐκδέξεται παιδείαν, *eruditionem accipiet*, ipſo dante ſcilicet. Hîc abſolutis præceptis convivalibus, ad generaliora de Pietate præcepta redit.

Et qui vigilaverint ad illum invenient benedictionem] *Et qui manè ſurgunt* (nempe ad orandum Deum), *conſequentur benevolentiam*, ipſius nempe. ὀρθρίζειν [*manè ſurgere*] hoc ſenſu habuimus Sapientiæ VI. 14. & hoc libro IV. 13.

19. *Qui quærit Legem replebitur ab ea*] Cognitione ejus.

Et qui inſidiosè agit, ſcandalizabitur in ea] Καὶ ὁ ὑποκρινόμενος, σκανδαλισθήσεται ἐν αὐτῷ, *Simulator verò in eam offendet.* Qui Legis ſtudioſus credi vult, cùm non ſit, aliquando in flagitio aliquo, quod latere ſperat, deprehendetur, & pœnas Legi dabit.

20. *Qui timent Dominum invenient judicium juſtum*] *Iuſtum* deeſt in Græco. Senſus eſt, Facilè videbunt quid in re quaque judicari debeat.

Et juſtitias quaſi lumen accendent] Beneficia ipſorum longè latéque luceſcent.

21. *Peccator homo vitabit correptionem*] Admoneri non vult is qui peccandi conſuetudine induruit.

Et ſecundùm voluntatem ſuam inveniet comparationem] Σύγκριμα, id eſt, *interpretationem legis.* Nam & ſomniorum interpretatio σύγκρισις & σύγκριμα apud Danielem. Hoc eſt quod Livius querebatur de ſuo ſeculo, quòd *leges ſibi quiſque aptas interpretando faceret.*

22. *Vir conſilii non diſperdet intelligentiam*] *Vir prudens non prætervidebit intellectum*, id eſt, verum legis ſenſum.

Alienus & ſuperbus non pertimeſcet timorem] Qui alienus à Lege eſt, ſuóque judicio confidit, is nullius facti religione movebitur.

23. 24. *Etiam poſtquam fecit cum eo ſine conſilio, & ſuis inſectationibus arguetur. Fili, ſine conſilio nihil facias, & poſt factum non pænitebis*] In Sixtina habemus, καὶ μετὰ τὸ ποιῆσαι μετ' αὐτοῦ ἄνευ βουλῆς. ἄνευ βουλῆς μηδὲν ποιήσῃς, καὶ ἐν τῷ ποιῆσαί σε μὴ μεταμελοῦ. In aliis Græcis deeſt σε. Non dubito quin illa μετὰ τὸ ποιῆσαι μετ' αὐτοῦ ἄνευ βουλῆς nullum ſenſum habeant, ſintque corrupta ex interpretatione ſequentium. Sequentia enim ſic legenda arbitror, καὶ μετὰ τὸ ποιῆσαι ἄνευ βουλῆς μεταμελοῦ, *ſi quid inconſultò feceris, ejus te pæniteat*: qui verus eſt hujus loci ſenſus. Μεταμέλεια σώτειρα δαίμων [*Pænitentia, ſalutaris dea*], ait Plutarchus.

25. *In via ruinæ non eas*] Vbi viæ ſunt arctæ & præcipites: id eſt, periculoſa nè attenta.

Et non offendes in lapides] In Sixtina, καὶ μὴ προσκόψῃς ἐν λιθώδεσι. Etiam ſi per ſalebroſa loca incedas, vide necubi impingas.

Nec credas te viæ laborioſæ] Ἀπροσκόπτῳ habent quidam Græci codices. At Sixtinus, ἀπροσκόπῳ. Sed legendum, ἀπροσκοπήτῳ, id eſt, *non bene exploratæ.*

Nè ponas animæ tuæ ſcandalum] Non eſt in Græco, ſed eſt pia explicatio ejus quod præceſſit.

26. *Et à filiis tuis cave, & à domeſticis tuis attende*] Poſterius hoc membrum adjecit Interpres ex Matthæi X. 36. Vide nè filii res tuas dilapident.

27. *In omni opere tuo crede ex fide animæ tuæ*] In Sixtina eſt, ἐν παντὶ ἔργῳ πίστευε τῇ ψυχῇ σου. In aliis, ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου [*in omni opere bono crede animæ tuæ*]. Veram lectionem monſtrant ſequentia: legendum enim, ἐν παντὶ ἔργῳ Θεῷ πίστευε τῇ ψυχῇ σου, *Quidquid aggrediaris, Deo crede intra animum tuum.*

Hoc enim eſt conſervatio mandatorum] Μετωνυμία [*Trans-*

[*Transnominatio*], id eſt, *Hac cauſa eſt cur mandata ſerventur:* nam

28. *Qui credit Deo, attendit mandatis*] Sollicitus eſt nè aut promiſſis excidat, aut minas incurrat, & de harum & de illorum veritate perſuaſus.

Et qui confidit in illo non minorabitur] Οὐκ ἐλαττωθήσεται, *damnum non feret.*

CAPVT XXXIII.

1. T*Imenti Dominum non occurrent mala*] *Non eveniet malum*, permanens ſcilicet.

Sed in tentatione Deus illum conſervabit, & liberabit à malis] In Græcis pleriſque, ἀλλ' ἐν πειρασμῷ ϗ πάλιν ἐξαιρεῖται αὐτὸν, *ſed tentatum* Deus (nam hic nominativus ſæpiſſime apud Hebræos ſubticetur) non ſemel tantùm, ſed *iterum*, id eſt, ſæpius, *eximet.* In Sixtina eodem ſenſu, καὶ πάλιν ἐξελεῖται, *eximetur iterum.*

2. *Sapiens non odit mandata & juſtitias*] In Græco, *non odit Legem*: præcepta Legis ei non diſplicent.

Et non illidetur quaſi in procella navis] In Græco Sixtino, ὁ δὲ ὑποκρινόμενος ἐν αὐτῷ, ὡς ἐν καταιγίδι πλοῖον. Optimè, *Qui verò Legis ſtudium ſimulat* (qualis ille de quo ſuprà XXII. 19.) *jactatur ut in procella navigium.* Nunc enim piè agit, ut aliis placeat, nunc impiè, ut ſibi.

3. *Homo ſenſatus credit legi Dei*] *Confidit Legi*, id eſt, promiſſis quæ ſunt in Lege.

Et Lex illi fidelis, qui interrogationem manifeſtat] Hæc in Latino malè diſcerpta, in Græco cohærent, ϗ νόμος αὐτῷ πιστὸς, ὡς ἐρώτημα δήλων [*Lex ei fida, ut interrogatio manifeſtationis*]. Hæc enim vera lectio, unde duæ corruptæ δῆλον & δίκαιον. Non magìs eum Lex decipiet quàm reſponſum per Vrim & Thumim, quod in rebus magnis Principes populi conſulebant. אורים vertitur voce δήλων Numer. XXVII. 21. I Samuel. XXVIII. 6. & infrà XLV. 12. alibi voce δηλώσεως [*manifeſtationis, doctrinæ*], ut Exodi XXVIII. 30. Levit. VIII. 8. & Philoni in Allegoriis. Quod autem Hebraïcè dicitur אורים ותמים, id δήλωσιν ϗ ἀλήθειαν [*Doctrinam & veritatem*] vertunt LXX, & Philo. Eſt autem ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*], pro δήλωσις, aut τὰ δῆλα τῆς ἀληθείας [*manifeſtatio veritatis*], quomodo accepit hic Scriptor infrà XLV. 12. Vide quæ de hac re diximus ad librum primum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

4. *Parabit verbum, & ſic deprecatus exaudietur*] In Græco aliter, ἑτοίμασον λόγον ϗ οὕτως ἀκουσθήσῃ, id eſt, *Vt libenter audiaris, quæ dicturus es para:* præmeditare.

Et conſervabit diſciplinam, & tunc reſpondebit] In Græco, σύνδησον παιδείαν ϗ ἀποκρίθητι, *Contrahe eruditionem* in pauca verba, *ac* ſic *reſponde*, ἀποφθεγματικῶς [*breviter & nervosè*] ſcilicet.

5. *Præcordia fatui quaſi rota carri, & quaſi axis verſatilis cogitatus illius*] Nihil in eo ſtabile.

6. *Equus emiſſarius, ſic & amicus ſubſannator, ſub omni ſupraſedente hinnit*] Scripſit, puto, Interpres, *equus admiſſarius:* nam in Græco ἵππος εἰς ὀχείαν. Non veretur is equitem offendere viſâ equâ: ità & irriſor amico non parcit, nè dictum perdat.

7. *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à Sole?*] In Græco hæc proponitur quæſtio, *Cur dies diem ſuperat, cùm omnis lux diei per totum annum ſit à Sole?* Sequitur reſponſum.

8. *A Domini ſcientia ſeparati ſunt*] *Decreto Dei diſtincti ſunt.* Nam γνῶσις ſæpe *decretum* ſignificat: itaque דעת [*ſententia, cognitio*] alibi γνῶσις, alibi βουλὴ vertitur. Vide Pſalmo I. 6. Roman. XI. 33.

Facto Sole, & præceptum cuſtodiente] Non eſt in Græcis.

9. *Et immutavit tempora, & dies feſtos eorum*] *Deus enim diſcriminavit tempora cætera, & feſta tempora.*

Et in illis dies feſtos celebraverunt ad horam] Hæc quoque in Græcis abſunt.

10. *Et ex ipſis exaltavit & magnificavit Deus, & ex ipſis poſuit in numerum dierum*] *Quoſdam eorum* (dierum) *Deus extulit ac conſecravit, alios conſtituit ad numerum dierum implendum.* Sic

Nos numeri ſumus.

id eſt, nihil in nobis eximii eſt. Reliquit eos in plebe dierum. Hæc dixit, ut oſtenderet pari modo homines Dei donis diſtingui. Similitudo eſt ex parte, ut pleræque. Vide quæ diximus ad Iacobi II. 15.

Et omnes homines de ſolo & ex terra unde creatus eſt Adam] *Sic omnes homines ex humo. Nam Adam* (eorum parens) *ex terra formatus eſt.*

11. *In multitudine diſciplinæ Dominus ſeparavit eos*] Ingens inter eos diſcrimen, Deo ſic diſponente, facit ſcientiæ modus.

Et immutavit vias eorum] Fecit ut vivendi rationes differrent.

12. *Ex ipſis benedixit & exaltavit*] Quoſdam opibus & honoribus extulit, ut Reges & Principes.

Et ex ipſis ſanctificavit, & ad ſe applicavit] Sibi proprios fecit, ut Sacerdotes & Levitas.

Et ex ipſis maledixit, & humiliavit, & convertit illos à ſeparatione ipſorum] *Evertit eos à ſtationibus ſuis,* vt Canaanis progeniem.

13. *Quaſi lutum figuli in manu ipſius*] Hæc comparatio tantùm oſtendit quid Deus poſſit. Nam in cauſis cur hunc ſic, alium aliter tractet, aliæ ſunt rationes, quanquam ſæpe latentes. Vide Eſaï. XXIX. 16. XLI. 25. XLV. 9. LXIV. 8. Ieremiæ XVIII. 6.

Plaſmare illud & diſponere] Hoc ab Interprete additum eſt.

14. *Omnes viæ ejus ſecundùm diſpoſitionem ejus*] *Omnes viæ* (id eſt, formæ luti) *ſunt pro ipſius* (plaſtæ) *arbitratu*, κατὰ τὴν εὐδοκίαν αὐτοῦ.

Sic homo in manu illius qui ſe fecit] Hæc eſt ἀπόδοσις [*redditio comparationis*]. *manus* enim *poteſtatem* ſignificant.

Et reddet illi ſecundùm judicium ſuum] Hîc *&* ponitur pro *ſed;* oſtendit enim in eo eſſe differentiam, quòd homo juris ſit capax, non autem lutum. κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ, nempe hominis, *prout eum tractari jus eſt.* Sic משפט [*judicium*] ſumitur Levitici V. 10. IX. 16.

15. *Contra malum bonum eſt*] Pythagoras ad Bonum & Malum, tanquam ſummas claſſes, referebat res omnes.

Et contra mortem vita] Γενεὰ καὶ φθορά [*Ortus & interitus*]. Omnia ex contrariis conſtare, vetus

Phyſicorum ſententia, teſte Ariſtotele. Id *νεῖκος* [*lis*] Empedocli.

Sic & contra virum juſtum peccator] Non mirum ergò ait, ſi Deus & malos quoſdam eſſe permittit, ut aliorum bonitas eò magìs luceat.

Et ſic intuere in omnia opera Altiſſimi, duo & duo, & unum contra unum] Bina ferme omnia videas, & quidem inter ſe pugnantia. Theophraſtus, δόξειε δ' ἂν καὶ τοῦτο ἔχειν ἀπορίαν, εἰ μὴ ἄρα περιεργίαν τοῦ ζητεῖν· τί δήποτε ἡ φύσις καὶ ὅλη ἡ οὐσία τοῦ παντὸς ἐν ἐναντίοις ἐστί· καὶ σχεδὸν ἰσομοιρεῖ τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι· μᾶλλον δὲ καὶ πολὺ πλέον ἐστίν [*Videtur & hoc in quaſtionem venire, niſi fortè ea nimis curioſa eſt, Cur Natura & tota Vniverſi ſubſtantia contrariis conſtet: & ferme æqua ſunt pejora melioribus, niſi & prævalent*]. Deinde, ἔστι δὲ καὶ τὸ δοκοῦν παραδοξότερον, ὡς οὐχ οἷόν τι εἶναι ἐν ἄνευ τῶν ἐναντίων [*videtur autem maximè mirabile, quòd unum ſine altero eſſe nequit*].

16. *Et ego noviſſimus evigilavi*] Poſt tot ſapientes lucubravi.

Et quaſi qui colligit acinos poſt vindemiatores] *Qui racemationem facit poſt vindemiam.* Id ſimile quaſi ſpicilegium dicat poſt meſſores. De utroque dicitur καλαμᾶσθαι Ieremiæ VI. 9.

17. *In benedictione Dei & ipſe ſperavi*] Speravi Deum adfuturum mihi laboranti.

Et quaſi qui vindemiat replevi torcular] Tantum vini feci quaſi non racemator fuiſſem, ſed vindemiator. Tot egregia monita partim collegi, partim reperi.

18. *Reſpicite quoniam non mihi ſoli laboravi, ſed omnibus exquirentibus diſciplinam*] Hoc exemplum meum vos quoque ſequimini.

19. *Et omnes populi*] Non eſt in Græco.

Et rectores Eccleſiæ] Id eſt, populi.

20. *Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua*] Id eſt, In iis rebus quæ te in vitæ periculum poſſint adducere: noli illis credere quæ prodendo te poſſint evertere.

Et non dederis alii poſſeſſionem tuam] Noli bona tua omnia dare alteri.

Nè fortè pœniteat te, & depreceris pro illis] Ne cogaris aliis ſupplicare propter bona, ubi te liberalitatis nimiæ ſerò pœnitebit.

21. *Non immutabit te omnis caro*] *Nè te mortali cuiquam mancipes*, id eſt, obnoxium facias.

22. *Melius eſt ut filii tui te rogent, quàm te reſpicere in manus filiorum tuorum*] Turpe pater filio ſupplex.

23. 24. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto, nè dederis maculam in gloria tua in die conſummationis dierum vitæ tuæ*] *In cunctis quæ facienda ſunt fac tua auctoritas præponderet: neque hunc honorem patere in ſenectute tua ullâ maculâ adſpergi.* ὑπερέχειν eſt *præponderare*, etiam infrà XXXVI. 24. Magnum dedecus eſt viro ſeni, ſi dicatur ab uxore aut liberis regi.

Et in tempore exitûs tui diſtribue hereditatem tuam] Id eſt, non antè; teſtamento, non contractu. Teſtandi mos quàm ſit vetus oſtendimus ad Gen. XV. 3. neque Lex Hebræis hanc poteſtatem ademerat omnem, ſed terminis quibuſdam incluſerat. Vide Deuteronomii XXI. 16.

25. *Cibaria*] *Pabulum*, χορτάσματα. Hìc in Græco adſcriptus titulus, ΠΕΡῚ ΔΟΎΛΩΝ [DE SERVIS].

Et onus aſino] Conveniunt ſcilicet.

Panis & diſciplina & opus ſervo] Δούλῳ μισθὸς, τροφὴ [*Servo alimenta pro mercede*], ait Ariſtoteles. Vide ad hoc argumentum pertinentia de Iure Belli ac Pacis lib. . cap. V. § 27. lib. III. cap. XIV. § 6.

26. *Operatur in diſciplina, & quærit requieſcere*] *Operare eum fac juxta diſciplinam*, ἔργασαι hìc eſt הפעל [*operari fac*]. Nam Helleniſtæ, quia eam formam conjugationis non habent, activum ſimplex pro eo uſurpant, ut *βασιλεύειν* pro *facere regnare*, & ſimilia multa. Si ſedulò ſervum opere exerceas, nihil aliud quàm ſomnum quæret.

Laxa manus illi, & quærit libertatem] At ſi indulgenter eum habeas, de fuga cogitabit. Sic & milites otio laſciviunt.

27. *Iugum & lorum curvant collum durum*] In Græco, *curvant collum*, nempe bovis.

27. 28. *Et ſervum inclinant operationes aſſiduæ: ſervo malevolo tortura & compedes*] In Græco prior pars deeſt; tantùm eſt, *Servo autem malè agenti vincula & tormenta*, ſupple *debentur*.

28. 29. *Mitte illum in operationem, nè vacet: multam enim malitiam docuit otioſitas*] Sæpe id monet Tacitus.

30. *In opera conſtitue eum: ſic enim condecet illum*] In Græco, *Operi eum admove, ſicut eum decet.* Operi urbano aut ruſtico, pro ſorte ipſius.

Quòd ſi non obediverit, curva illum compedibus] Aggrava illi compedes. Plautus,

> *Vbi ponderoſas craſſas capiat compedes.*

Et non amplifices ſuper omnem carnem] In Græco legitur quidem, καὶ μὴ περισσεύσης ἐν πάσῃ σαρκί· ſed legendum putem, καὶ μὴ περπερεύσης, *attamen nihil perperàm agas in quemvis hominem.* Id enim optimè cohæret cum parte altera hujus dicti. In loco 1 Corinth. XIII. 4. οὐ περπερεύεται, Latina verſio habet *non agit perperam.* In Gloſſis quoque, Περπερεύομαι, *perperàm ago.*

Verùm ſine judicio nihil facias grave] In Græco, *& ſine judicio nihil facias.* Senſum bene expreſſit Latinus Interpres. Vult enim dicere, non ſine gravi cauſa ſervum ità tractandum ut de vita periclitetur.

31. *Si eſt tibi ſervus fidelis*] Illud *fidelis* non malè addidit Interpres.

Sit tibi quaſi anima tua] Sic Græci multi, ἔστω σοι ὡς ἡ ψυχή σου. Sixtina, ſed ex margine, ut puto, ἔστω σοι ὡς σύ [*ſit tibi ut tute*]. Nam Hebræis כנפשך eſt *velut tute ipſe.* Curam ejus habe ut tui ipſius.

Quaſi fratrem ſic eum tracta] Hoc pòſt in Græco ſequitur, ut dicemus.

Quoniam in ſanguine animæ comparaſti illum] *Quia ſanguine eum quæſiviſti*, id eſt, periculo vitæ tuæ. Agit de bello captis, quos Græci δορυκτήτους vocant. Poſt hæc verba ſequitur in Græco, εἰ ἔστι σοι οἰκέτης, ἄγε αὐτὸν ὡς ἀδελφόν· ὅτι ὡς ἡ ψυχή σου ἐπιδεήσεις αὐτοῦ. Scriptum fuiſſe puto, ὅτι ὡς ψυχῆς σου ἐπιδεήσεις αὐτοῦ. *Si ſervus tibi fuerit, ut fratrem eum tracta: nam opus eo habebis ut temetipſo.* Hæc ſententia ad ſervos populares pertinere videtur, qui *fratres* dicuntur Deuteron. XV. 12. *Opus eo habebis, ut temetipſo:* quia *ſervus eſt* domini ὄργανον ἔμψυχον [*vivum inſtrumentum*], ut ait Ariſtoteles.

32. *Si læſeris eum injuſtè*] *Si malè eum per injuriam tractaveris*, ἐὰν κακώσης αὐτὸν ἀδίκως.

33. *Et ſi extollens diſceſſerit, quem quæras, & in qua via quæras illum neſcis*] In Græco tantùm, *& abiens fugerit, quâ viâ eum quæras?*

Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt; nunquam pòſt illum poſſes prendere:

ut cum Plauto loquar.

CAPVT XXXIV.

1. *Vana ſpes & mendacium viro inſenſato*] *Vanæ ac mendaces ſpes homini ſtulto*, ex ominibus ſcilicet.

Et ſomnia extollunt imprudentes] *In altum tollunt velut alis.* Id enim eſt ἀναπτεροῦσιν, etiam apud elegantiores Græcos.

2. *Sic qui attendit ad viſa mendacii*] *Qui attendit ſomniis.* Euripides,

Ψευδεῖς ὄνειροι, χαίρετ'· οὐδὲν ἦτ' ἄρα.
[*Somnia valete levia: quippe eſtis nihil.*]

3. *Hoc ſecundùm hoc viſio ſomniorum: ante faciem hominis ſimilitudo hominis*] Legitur quidem in Græco, τοῦτο κατὰ τοῦτο [*Hoc ſecundùm hoc*], ſed κατὰ τοῦτο interpretamentum eſt illius τοῦτο, ut recta ſit lectio, Τοῦτο ὅρασις ἐνυπνίων, κατέναντι προσώπου ὁμοίωμα προσώπου [*Hoc eſt viſus ſomniorum ſimilitudo faciei, coram facie*]. Vt imago in ſpeculo viſa nihil poſt ſe relinquit, ità nec ſomnia.

4. *Ab immundo quid mundabitur?*] Id eſt, Quis purgari poſſet per cultum idolorum?

Et à mendace quid verum dicetur?] A diis falſis.

5. *Divinatio*] Reſponſum vatum eorum qui idolis ſerviunt. Ideo *erroris* de ſuo addidit Interpres Latinus.

Et auguria mendacia] Hîc quoque *mendacia* de ſuo addidit Latinus Interpres. οἰωνισμὸς origine quidem ſua *auguria* ſignificat, ſed ad omnia *ominum* genera transfertur.

Et ſomnia malefacientium vanitas eſt] Hîc quoque rurſum Interpres addidit *malefacientium*.

6. *Et ſicut parturientis, cor tuum phantaſias patitur*] Sicut feminæ gravidæ miras habent imaginationes (unde & appetitus abſurdi naſcuntur), ità & qui ſomniant.

Niſi ab Altiſſimo fuerit emiſſa viſitatio, nè dederis in illis cor tuum] Nè ex illis certi quiddam præſume, niſi à Deo miſſa fuerint: quod genus ſomniorum non agnoſcit Ariſtoteles, cùm tamen plurima ejus ſint exempla tum in Sacris literis, ut Geneſ. XLI. Daniel. II. IV. VII. Matth. I. 20. Act. XVI. 9. tum & in profanis, quorum illuſtria attulimus in Annotatis ad librum primum pro Veritate Religionis Chriſtianæ. Dignoſcuntur autem hæc ſenſu quodam vero, quem Deus animis imprimit.

7. *Exciderunt ſperantes in illis*] Vt qui exſpectatione imperiorum audaces, opum prodigi ſunt facti. Vide exemplum memorabile apud Tacitum Annalium XVI.

8. *Sine mendacio conſummabitur verbum Legis*] Si vis certas prædictiones, habes eas in Legis pollicitationibus ac minis.

Et ſapientia in ore fidelis complanabitur] Id eſt, Etiam ea quæ viri ſapientes fideliter monent, ſpernenda non ſunt. Implentur enim ἐπὶ τὸ πολύ [*plerumque*]. Exempla habes in Annotatis ad librum IV. pro Veritate Religionis Chriſtianæ.

9. *Qui non eſt tentatus quid ſcit?*] Non eſt in Græco.

Vir in multis expertus cogitabit multa] Optima lectio, ἀνὴρ πεπλανημένος ἔγνω πολλά, *Vir peregrinatus novit multa.*

Πλάνη βίον τίθησι σωφρονέστερον,
[*Peregrina vitam vita prudentem facit,*]

eſt in Proverbio Græco. Exemplo ſit Vlyſſes,

——— ὃς μάλα πολλὰ
Πλάγχθη, ἐπεὶ Τροίης ἱερὸν πτολίεθρον ἔπερσε·
Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν ἄστεα, καὶ νόον ἔγνω.
[——————— *terris jactatus & alto*
Ille diu, poſtquam vaſtarat mœnia Trojæ:
Multorúmque hominum mores cognovit & urbes.]

Horatius,

Rurſus quid virtus, & quid ſapientia poſſit
Vtile propoſuit nobis exemplar Vlyſſem:
Qui domitor Trojæ multorum providus urbes
Et mores hominum inſpexit.

Et qui multa didicit enarrabit intellectum] *Qui multa expertus eſt, intelligenter loquetur.*

10. *Qui non eſt expertus pauca recognoſcit*] Sumſit ἐπειράσθη [*expertus eſt*], ut paſſivum ſono, ſenſu activum, quomodo & apud Græcos ea vox reperitur.

Ἦ πολλὰ βροτοῖς ἐστιν ἰδοῦσι
Γνῶναι,
[*Multa videndo diſcunt homines,*]

ait Sophocles. At Euripides,

——— ἡ ἐμπειρία
Ἔχει τι λέξαι τῶν νέων σοφώτερον.
[——— *multa quæ membris virens*
Neſcit juventus monſtrat experientia.]

Qui autem in multis factus eſt multiplicat malitiam] In Græco, *At qui peregrinatus eſt, auxit verſutiam.* πανουργία & πανούργημα voces ſunt mediæ, ut apparuit ſuprà I. 6. XIX. 22. Iudith. XI. 6. Sic & Proverbiorum XXVIII. 2. πανοῦργος eſt מבין *intelligens.* Et Proverbiorum XIII. 1. & XXI. 11. eſt חכם *ſapiens.*

11. *Qui tentatus non eſt, qualia ſcit? qui implanatus eſt abundabit malitiâ*] Hæc in Græcis non ſunt, & apparet aliis verbis repetita ex ſuperioribus.

12. *Multa vidi errando*] *In peregrinatione*, ἐν τῇ ἀποπλανήσει μου. Vide hujus libri Præfationem, quæ eſt in Sixtina.

Et plurimas verborum conſuetudines] Legit, ut quidam, καὶ πλείονα τῶν λόγων συνήθη μοι. Nos duplicem habemus in Græcis lectionem, καὶ πλείονα τῶν λόγων μου σύνεσίς μου, *plura novi quàm dico.* Hanc lectionem veram putem præ altera, καὶ τὰ πλάσματα [*& figmenta*].

13. *Aliquoties uſque ad mortem periclitatus ſum horum causâ, & liberatus ſum gratiâ Dei*] Voces transpoſitæ, & additum *gratiâ Dei*: nam in Græco eſt, *Sæpe in mortem periculis addictus, per iſta* (nempe quæ experiendo didiceram) *ſervatus ſum.*

14. *Spiritus timentium Deum quæritur*] Legit ζητήσεται [*quæretur*]· ſed rectiùs in Græco, ζήσεται. *Spiritus timentium Deum vivet*, diu ſcilicet.

Et in reſpectu illius benedicetur] Non eſt in Græco.

17. *Spes enim illorum in ſalvantem illos, & oculi Dei in diligentes ſe*] Pars hæc poſterior abeſt in Græco.

18. *Ad quem reſpicit, & quis eſt fortitudo ejus?*] Id eſt, *Quantus eſt is quem reſpicit, cuique innititur?*

19. *Protector potentiæ*] Ὑπερασπισμὸς δυναστείας, *Valida protectio.* A bello ſumta ſimilitudo. Genitivus ſubſtantivi pro adjectivo, more Hebræo.

Firmamentum virtutis] Στήριγμα ἰσχύος, *fultura firma.* Similitudo ab ædificiis ſumta.

Tegimen ardoris] In Græco, *tegimen ab ardore.* A paſtoribus aut viatoribus ſumtum.

Et umbraculum meridiani] In Græco repetitur vox σκέπη [*tegimen*], & additur ἀπὸ μεσημβρίας [*à meridiano*]. Senſus eſt, *Deum piis eſſe pro tegmine adversùs ardorem etiam meridianum.*

20. *Deprecatio offenſionis*] Φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος, *cuſtodia adversùs offenſam.* Similitudo à pueris aut ſenibus ſumta, quos alii manu ducunt: quorum illud παιδαγωγεῖν, alterum γεροντagωγεῖν dicitur.

Et adjutorium casûs] *Auxilium contra lapſum.* Similitudo ab eo ſumta qui caſabundus ab alio ſuſtinetur.

Exaltans animam] Ad ſublimia attollens, ut in hoc conditum.

Et illuminans oculos] Mentis. Vide quæ ad Matthæi VI. 22.

Dans ſanitatem] Corporis, ex promiſſo Legis.

Et vitam] Longævam, itidem ex promiſſo.

Et benedictionem] Id eſt, opes, ut ſuprà VII. 3.

21. *Immolantis ex iniquo oblatio eſt maculata*] *Eſt irriſui*, Deo ſcilicet. Sic μεμωκημένα [*ridenda*] habemus & Ieremiæ LI. 18.

Et non ſunt beneplacita ſubſannationes injuſtorum] Legit μωκήματα [*ſubſannationes*], ut quidam habent libri pro quo alii meliùs δωρήματα [*dona*].

23. *Dona iniquorum non probat Altiſſimus*] *Oblationes*, προσφορὰς, מנחות.

Nec reſpicit in oblationes iniquorum] In Græco, *Nec placatur multitudine victimarum.* Seneca: *Nè in victimis quidem, licèt opimæ ſint, auróque præfulgeant, Deorum eſt honos, ſed in pia ac recta voluntate venerantium.*

24. *Qui offert ſacrificium ex ſubſtantia pauperum*] Ex rebus malè quæſitis.

Quaſi qui victimat filium in conſpectu patris ſui] Vt Pr rhus, qui

> *Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat*
> *ad aras.*

25. *Panis egentium vita pauperum eſt*] Quod habent pauperes, id ægrè vitæ tuendæ ſufficit.

Qui defraudat illum homo ſanguinis eſt] Par homicidæ qui pauperem vi aut dolo ſpoliat.

26. *Qui aufert in ſudore panem, quaſi qui occîdit proximum ſuum*] In Græco aliter, Φονεύων τὸν πλησίον, ὁ ἀφαιρούμενος συμβίωσιν, *par eſt hominem occidenti, is qui convictum tollit*, id eſt, amica conſilia & monita, in quibus vel maximè poſitam eſſe συμβίωσιν [*vitæ ſocietatem*] ait Cicero ad Atticum x. 23.

27. *Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt*] Idem ſenſus in Græco, ſed verbis aliis, ἐκχέων αἷμα, ὁ ἀποστερῶν μισθὸν μισθωτοῦ, *Eſt ut fundens ſanguinem, qui mercedem ſubtrahit ei cujus opera conducta eſt.* Sumtum ex Deuteronomii XXIV. 15.

28. *Vnus ædificans & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?*] *Si alter ædificet, alter diruat, quid lucrantur præter laborem?* Hac ſimilitudine illuſtratur quod ſequitur.

29. *Vnus orans & alter maledicens: cujus vocem exaudiet Deus?*] Orat pro ſe dives: at pauper ab eo ſpoliatus ei mala imprecatur.

30. *Qui baptizatur à mortuo*] Id eſt, abluitur ex ritu Legis, Numerorum XIX. 11.

Et iterum tangit eum] *Mortuum.* Contactu enim contrahitur talis impuritas.

Quid proficit lavatio illius?] Iterum abluendus eſt. Itaque prior opera in abluendo ei periit.

31. *Sic homo qui jejunat in peccatis ſuis*] *Ob peccata ſua*, ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ, nempe in die הכפרים, id eſt, ἐξιλασμῶν [*Propitiationum*].

Et iterum eadem faciens] In Græco, κατὰ πλεονασμὸν [*per abundantiam locutionis*] frequentem, *& vadens iterum, & eadem faciens.*

Quid profecit humiliando ſe? orationem illius quis exaudiet?] In Græco, inverſo ordine, *Quis preces ejus exaudiet?* (quaſi dicat, nec Angeli, nec Deus) *& quid profecit affligendo ſe?* ταπεινωθῆναι [*humiliari*] reſpondet Hebro ענה, quæ vox propria eſt diei illius piacularis; ut apparet Levitici XVI. 29. 31.

CAPVT XXXV.

1. Q*Vi conſervat legem multiplicat oblationem*] Senſus non eſt, eum qui obſervans eſt Legis multas facere oblationes, ſed Deo perinde gratum eſſe atque ſi multa offerret. Vide quæ hujus argumenti attulimus in Annotatis ad librum pro Veritate Religionis Chriſtianæ IV.

2. *Sacrificium ſalutare eſt attendere mandatis*] Θυσιάζων σωτηρίου eſt breviter dictum pro θυσιάζων θυσίαν σωτηρίου [*ſacrificans ſacrificium proſperitatis*]. θυσιάζειν [*ſacrificare*] autem dicuntur non Sacerdotes tantùm, ſed & qui victimas Sacerdotibus tradunt, ut ſuprà XXIV. 20. Sic & Exodi XXII. 20. Levitici VII. 16. & alibi. σωτηρίου, id eſt, שלמים [hoſtiam *pacificorum*]: de quo ſacrificio vide Levitici III. 1. id fiebat pro beneficiis acceptis, vel ſperatis.

Et diſcedere ab omni iniquitate] Non eſt in Græco, ut nec ſequens comma.

4. *Retribuet gratiam qui offert ſimilaginem*] In Græco ſic habemus: *Et qui reddit gratiam Deo, eſt tanquam ſi offerat ſimilam*, id eſt, libum ex ſimila, מנחה: de quo Levitici II.

Et qui facit miſericordiam, offert ſacrificium] Καὶ ὁ ποιῶν ἐλεημοσύνην, θυσιάζων αἰνέσεως, *Qui facit opera miſericordiæ, perinde eſt ac qui offert* victimam *laudis*. Eſt autem hîc eadem ἔλλειψις [*omiſſio voc*[illegible]] quæ ſuprà. αἰνέσεως, id eſt, תודה [*ſacrificii eucharistici*]: ſic enim vertitur Levitici VII. 2. 3. 5. & alibi ſæpe.

5. *Beneplacitum eſt Domino recedere ab iniquitate*] Rectè: nam

Virtus eſt vitium fugere, & ſapientia prima
Stultitiâ caruiſſe.

Et depretatio pro peccatis, recedere ab injuſtitia] Græcè, ἐξιλασμὸς, *expiatio peccatorum*, aut *placamentum pro peccatis*. Vide Danielis IV. 24.

6. *Non apparebis ante conſpectum Domini Dei tui vacuus*] Bene: nam pauperes pauxillo defungi poterant, Levitici V. 7. 11. Lucæ XXI. 2. Hoc exemplo etiam in vetere Eccleſia Chriſtiana offerebant aliquid omnes, etiam pauperes.

7. *Hæc enim omnia propter mandatum Dei fiunt*] Quia deerat aliquid Græco ſenſui, addidit Latinus Interpres *fiunt*. Sed poteſt ſubaudiri *Deo grata ſunt*, Exodi XXIII. 15. XXXIV. 20. Deuteronomii XVI. 16.

8. *Oblatio juſti impinguat altare, & odor ſuavitatis eſt in conſpectu Altiſsimi*] Id eſt, Cùm vir bonus victimas pingues (eæ enim potiores, Mich. VI. 7.) Deo offert, Deus eo facto tanquam optimo odore delectatur: *&* pro *cùm* & *tunc*.

9. *Et memoriam ejus non obliviſcetur Dominus*] Id eſt, non deponet. Bene expoſuit, addito nomine, quod in Græco eſt paſſivè, ἐπιλησθήσεται [*oblivioni tradetur*: &, *obliviſcetur*].

10. *Bono animo gloriam redde Deo*] In Græco, *Bono oculo*, id eſt, liberaliter. Eadem locutio Proverbiorum XXII. 13. & in libro Aboth, aliiſque Rabbinicis. Senſus eſt idem qui in epiſtola Alexandri ad Leonidam, μὴ μικρολογεῖν πρὸς τοὺς Θεοὺς [*noli preparcus eſſe adversùm Deos*].

Et non minuas primitias manuum tuarum] Μὴ σμικρύνῃς ἀπαρχὴν χειρῶν σου. Intellige per ἀπαρχὴν [*primitias*] id quod de fructibus dabatur ante decimam, & Lege definitum non erat, תרומה [*oblatio*, quæ ſponte dabatur]. Id enim Græci modò ἀπαρχὴν vocant, modò ἀφαίρεμα. Lex exſtat Deuter. XVI. 1. ubi dicta vide.

11. *In omni dato hilarem fac vultum tuum*] Vt etiam quæ Lex imperat facias libenter, II Corinth. IX. 7.

Et in exſultatione ſanctifica decimas tuas] Id eſt, offer. *Decimas* dixit tum illas pro Levitis, tum alteras tertii anni pro pauperibus & miſerabilibus perſonis.

12. *Da Altiſsimo ſecundùm datum ejus*] Prout Deus tibi dedit.

Et in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum] Legit καθεύρεμα χειρός [*adinventionem manûs*]. ſed haud dubiè legendum κατὰ εὕρεμα χειρὸς, *prout manus tua aſſecuta fuerit*, id eſt, pro facultatibus quas nactus es. Loquendi hoc genus vide Levitici XII. 8. Εὕρεμα pro re acquiſita etiam ſuprà XX. 8. XXIX. 4. 7.

13. *Et ſepties tantum reddet tibi*] Hebræorum mos eſt per *ſeptem* exprimere quod multum eſt, ut Geneſeos IV. 24. Matthæi XVIII. 22.

14. *Noli offerre munera prava*] Μὴ δωροκόπει, *Nè donis cum corrumpe*, id eſt, ſperes poſſe corrumpi, ut peccata tua diſſimulet. δωροκοπεῖν hoc ſenſu eſt in tertio Maccabaïco.

Non enim ſuſcipiet illa] Tali animo data. Non eſt בוצע בצע, id eſt, δωρολήπτης [*munerum acceptor*], qualis deſcribitur Proverbiorum XV. 27.

15. *Et noli inſpicere ſacrificium injuſtum*] *Nè operam da ſacrificio injuſto*, id eſt, ex injuſtè partis. μὴ ἔπεχε.

Quoniam Deus judex eſt] Quis auſit rapinas ſuas ad Iudicem deferre?

Et non eſt apud illum gloria perſonæ] *Æſtimatio perſonæ*, δόξα προσώπου. Non ex hominibus actiones, ſed ex actionibus homines æſtimat. Ità ſe res habet; quanquam multi aliter credunt ſibi atque aliis blandientes.

16. *Non accipiet Dominus perſonam in pauperem*] Id eſt, *contra pauperem*. Nam ſic ἐπὶ ſequente dativo non raro ſumitur, ut Lucæ XII. 53. Non favebit diviti contra pauperem, ut multi ſolent.

Et deprecationem læſi exaudiet] *Et* pro *ſed*, ut ſæpe. Pro *læſi* in Græco eſt ἠδικημένου, *injuriâ affecti*.

17. *Non deſpiciet preces pupilli, nec viduam, ſi effundat loquelam gemitûs*] Quod ſæpe faciunt homines: Pſalmo LXXXII. 3. 4.

18. *Nónne lacrymæ viduæ ad maxillam deſcendunt?*] *Defluunt in genas.*

Et exclamatio ejus ſuper deducentem eas] Ipſa apud Deum queritur de eo qui lacrymas ejus defluere facit. Sic καταβοᾶν [*clamare*] ſumitur etiam Deuteronomii XXIV. 15.

19. *A maxilla enim aſcendunt uſque ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis*] Eſt expoſitio uberior præcedentium addita à Latino Interprete.

20. *Qui adorat Deum in oblectatione, ſuſcipietur*] Diſtinxit Interpres aliter, *Qui adorat Deum, in oblectatione ſuſcipietur*. Θεραπεύων, ἐν εὐδοκίᾳ δεχθήσεται, *Qui piè Deum colit, benevolè* (à Deo) *recipietur*.

21. *Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit*] Imò, *humilis*, id eſt, deſpecti, ταπεινοῦ.

Et donec propinquet non conſolabitur] Id eſt, non deſiſtet. Eſt μετωνυμία [*Transnominatio*], qualis Matthæi II. 18.

Et non diſcedet donec Altiſsimus aſpiciat] *Reſpiciat*. Eſt προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*], quæ Orationi tribuit *propinquare Deo, ſedari, abire, reſpici*.

22. *Et Dominus non elongabit, ſed vindicabit juſtos, & faciet judicium: & fortiſsimus non habebit in illis patientiam, ut contribulet dorſum ipſorum*] Videtur Interpres Græca legiſſe ordine meliore, hunc in modum, καὶ ὁ Κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ· κρινεῖ δικαίους, καὶ ποιήσει κρίσιν· οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ᾽ αὐτοῖς ὁ κραταιὸς ἕως ἂν τρίψῃ ὀσφὺν ἀνελεημόνων, *Deus non erit tardus quum judicabit* (id eſt, vindicabit, quomodo שפט [*judicavit*] ſumi ſolet) *juſtos, & judicium* (in injuſtos) *exercebit*. *Non erit lentus in illorum* (piorum) *cauſa, quominus immiſericordium lumbos* (id eſt, vires) *conterat*. μακροθυμεῖν ἐπί τινι interpretati ſumus *in cauſa alicujus lentum eſſe*, quomodo ſumitur & Lucæ XVIII. 7. ut ibi diximus. Et per *lumbos* ſignificari *vires* diximus Ezechielis XXIX. 7. & alibi.

23. *Et gentibus reddet vindictam*] Id eſt, *& vindicet populos oppreſſos*. Pendet adhuc ſenſus à ſuperioribus. *Dare* aut *reddere vindictam alicui* ſæpe eſt arcere aut punire injurias ei illatas: ut Iud. XI. 36. II Samuelis IV. 8.

Donec tollat plenitudinem ſuperborum] *Multitudinem vi agentium*, πλῆθος ὑβριστῶν.

Et ſceptra iniquorum contribulet] *Confringat*. Imperia quibus malè ſunt uſi eis auferat.

24. *Donec reddat hominibus ſecundùm actus ſuos, & ſecundùm opera Adæ, & ſecundùm præſumptionem illius*] Aliter legit quàm in Græco habemus. Habemus autem ſic, καὶ ἀνταποδώσει ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, καὶ τὰ ἔργα ἀνθρώπων κατὰ τὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ. Verùm pro certo habeo illa, τὰ ἔργα τῶν ἀνθρώπων, nata ex gloſſemate illius, κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ, deinde exſcribentium nimiâ diligentiâ in textum recepta; qui rectiùs ſic habebit, καὶ ἀνταποδώσει ἀνθρώπῳ κατὰ τὰς πράξεις αὐτοῦ καὶ κατὰ τὰ ἐνθυμήματα αὐτοῦ, *Reponet hominibus prout fuerint actus eorum, imò & cogitata.*

25. *Donec judicet judicium plebis ſuæ*] Piorum cauſſam dijudicet.

Et oblectabit juſtos miſericordiâ ſuâ] In Græco, *ipſos:* conſtructione πρὸς τὸ σημαινόμενον [*relatâ ad id quod ſignificatur*]. ἐν ἐλέει, id eſt, *per beneficentiam ſuam*, בחסדו.

26. *Specioſa miſericordia Dei*] Rurſum intellige *beneficentia*. Et *ſpecioſa* per μετάληψιν [*Tranſumtionem*] eſt *amabilis, grata*. Solent enim amari pulchra.

Quaſi nubes pluviæ in tempore ſiccitatis] Vt in tempore Eliæ I Regum XVIII. 44. ἀβροχίας [*ſiccitatis*] vocem in hoc ſenſu habes etiam Ieremiæ XIV. I. XVII. 8. ἀνομβρίαν dixit Ioſephus.

CAPVT XXXVI.

1. *ET oſtende nobis lucem miſerationum tuarum*] Non eſt hoc in Græco.

2. *Et immitte timorem tuum ſuper gentes quæ non exquiſierunt te*] Quales Ægyptii, inter quos vivebat hic Scriptor. Quæ in hoc commate ſequuntur, non ſunt in Græco.

3. *Alleva manum tuam*] *Attolle:* ut ſolent verberaturi.

4. *Sicut enim in conſpectu eorum ſanctificatus es in nobis*] Magnum nomen adeptus es, nos ex tot populis liberando.

Sic in conſpectu noſtro magnificaberis in eis] *Magnificare*, id eſt, magnum nomen gloriámque apud nos adipiſcaris, illos pro meritis tractando.

5. *Vt cognoſcant te ſicut & nos cognovimus*] Oſtendit ſpem de vocatione gentium, quæ ante tempora Meſſiæ cœpta, per ipſum verò impleta eſt.

6. *Innova ſigna*] Qualia olim in Ægypto hac feciſti.

Et immuta mirabilia] Eſt idem ſenſus cum eo qui præceſſit: nam שנה, quod ἀλλοιοῦν [*immutare*] plerumque vertitur, alibi vertitur δευτερεύειν & δευτεροῦν [*iterare*].

10. *Et memento finis*] In Græcis multis, μνήσθητι ὀργῆς [*memento iræ*], ſed in Sixtina meliùs μνήσθητι ὁρκισμοῦ, *memor eſto jurisjurandi* majoribus noſtris facti.

Vt enarrent mirabilia tua] *Et enarrent*. In Græco, videant te conſtantem in promiſſis.

11. *In ira flammæ devoretùr qui ſalvatur*] Qui gladium evaſerit, incendio pereat: Ezechielis VI. 12. Imprecationes tales multum trahunt de ſpiritu Legis. Dolor illorum pœnas de inimicis deſiderabat conſpicere.

Et qui peſſimant plebem tuam] Οἱ κακοῦντες, *qui malè tractant.*

12. *Dicentium, Non eſt alius præter nos*] Qui præ ſe nullum Principem tali nomine dignum judicant.

13. *Congrega omnes tribus Iacob*] Omnes eos qui aut temporibus iis non redierant, aut poſtea per bella ac calamitates erant diſperſi.

Vt agnoſcant quia non eſt Deus niſi tu, & enarrent magnalia tua] Hæc in Græcis deſunt, repetita autem ſunt ex ſuperioribus.

Et hereditabis eos ſicut ab initio] Eſt in Græco precativum κατακληρονομήσαι, in aliis codicibus κατακληρονόμησον, id eſt, *fac iterum terras poſſideant:* ſic enim κατακληρονομεῖν quaſi in forma Hiphil ſumitur infrà XLIV. 23. ὡς ἀπ᾽ ἀρχῆς, *ut olim* fuere conſtituti Davidis & Solomonis temporibus. Notet lector in exemplari quod ſecuta eſt Sixtina editio paginarum hîc factam tranſpoſitionem magnam. Hæc enim à capite quod in Græco eſt XXXIII. (Latini enim capitum numeri diſcrepant) tranſlata ſunt in caput XXXVI. Latini Interpretis exemplar meliùs habuit.

14. *Super quam invocatum eſt nomen tuum*] In Græco, *Vocatum de nomine tuo.* Dicebatur enim *populus* יהוה [*Dei veri*].

Et Iſraël quem coæquaſti primogenito tuo] In Græco, *Quem primogenitum nominaſti*, Exodi IV. 22. Vide quæ diximus ad Matth. II. 15, In Sixtina eſt ut in Latino, ὃν πρωτόγονον ὡμοίωσας· ſed aliter Scriptorem Græcum ſcripſiſſe pro certo habeo.

15. *Miſerere civitati ſanctificationis tuæ*] Vrbis tibi tuóque cultui dicatæ.

Civitati requiei tuæ] Id eſt, in qua habitas ſingulari quodam modo. Eadem locutio II Paralipomen. VI. 41. Pſalmo CXXXII. 14.

16. *Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis*] In Græco, Πλῆσον Σιὼν ἆραι τὰ λόγιά σου, *Imple Sionem in attollendo oracula tua*, id eſt, Sion piis cantibus perſonet.

Et gloriâ tuâ populum tuum] Laudibus tuis.

17. *Da teſtimonium his qui ab initio creaturæ tuæ ſunt*] Oſtende eum populum tibi curæ eſſe quem creaſti, evocando eum ex Ægypto. Tunc enim populus primùm eſſe cœpit, cùm antè eſſet ſervorum multitudo. Sic κτίζειν [*creare*] ſumitur in hac ipſa re Eſaïæ XLIV. 2. & Malachiæ II. 10. nec aliter Geneſeos IX. 18.

Et ſuſcita prædicationes quas locuti ſunt in nomine tuo Prophetæ priores] Lege ut in Sixtina eſt, καὶ ἔγειρον προφητείας τὰς ἐπ᾽ ὀνόματί σου [*& ſuſcita Prophetias in nomine tuo*], non ut in aliis eſt codicibus, προφήτας. *Suſcitare* hîc eſt הקים, id eſt, *implere prædicta*. Habes hoc verbum eo ſenſu I Samuelis III. 12.

18. *Da mercedem ſuſtinentibus te, ut Prophetæ tui fideles inveniantur*] Senſus eſt, Pro tuorum patientia hoc illis redde præmium, ut videant impleri quæ per Prophetas prædicta ſunt; qualia ſunt illa apud Danielem de deſtructione Regnorum Syriæ & Ægypti. ἐμπιστεύεσθαι dicuntur Prophetæ cùm eventus fidem facit eorum verbis. Non diſſimili modo Deus dicitur ἐμπιστεύειν τὸ ἔλεος αὐτοῦ [*fidam facere miſericordiam ſuam*], infrà L. 26.

19. *Secundùm benedictionem Aaron de populo tuo*]

Secundùm illas preces quas tuo juſſu pro populo concepit Aaron, Numeror. VI. 24.

Et dirige nos in viam juſtitiæ] Deeſt in Græco.

Vt ſciant omnes qui habitant terram, quia tu es Deus conſpector ſeculorum] *Et norint omnes qui ſuper terram ſunt, te eſſe Deum ſeculorum*, id eſt, æternum.

20. *Omnem eſcam manducabit venter, & eſt cibus cibo melior*] *Venter omnem cibum concoquit: ſed eſt cibus iſto cibo melior*, nempe promiſſa Divina. Vide Deuteronomii VIII. 3.

21. *Fauces contingunt cibum feræ*] *Guſtu dignoſcunt ferinam* à pecorina.

Et cor ſenſatum verba mendacia] A veris. Huc ſpectat Plutarchi liber, *Quomodo internoſci poſſit ab amico aſſentator.*

22. *Cor pravum dabit triſtitiam*] Dolorem dabit aliis.

Et homo peritus reſiſtet illi] Latinus Interpres Chriſtianè emollit quod dictum erat ſatis Iudaïcè: *reponet illi*, dolorem ſcilicet, memor

Ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι ὅτις πρότερος χαλεπήνῃ.
[*Vlciſci ſiquis prior ulla læſerit in re.*]

23. *Omnem maſculum excipiet mulier, & eſt filia melior filiâ*] *Sed eſt*, ἔστι γὰρ, ut eſt in Sixtina. Senſus eſt, Non ſola Venus in conjugio ſpectanda: nam in ea quævis femina cuivis viro facilè ſatisfecerit: ſed mores ſunt qui puellas diſcernunt, & qui præcipuè in deligenda uxore ſpectandi ſunt. *Filia* בת, id eſt, puella, ut ſuprà XXVI. 13.

24. *Species mulieris exhilarat faciem viri*] *Viri* ad implendum ſenſum addidit Interpres Latinus.

Et ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſiderium] In Græco eſt ὑπεράγει· quod verbum & ſuprà habuimus XXXIII. 24. Rectè ergo vertas, *Et excellit hoc ſupra quodvis hominis deſiderium.*

25. *Si eſt lingua curationis, eſt & mitigationis & miſericordiæ, non eſt vir illius ſecundùm filios hominum*] *Si* (præter formam) *eſt in lingua* (mulieris) *bonitas* (nam ἔλεος [*miſerationem*] pro חסד [*bonitate*] poni monuimus aliquoties), *& lenitas & medicina* (id eſt, conſolatio), *non eſt illius vir quales cæteri homines*, ſed multò beatior.

26. *Qui poſſidet mulierem bonam inchoat poſſeſſionem: adjutorium ſecundùm illum eſt, & columna ut requies*] *Qui uxorem ſumit, is rei ſuæ familiari præficit adjutricem ſibi parem, & columnam requietis*, id eſt, cui incumbat domus. Hîc ἐνάρχεσθαι verti quaſi in forma Hiphil, pro *facere imperare*; ſicut βασιλεύειν ponitur pro *facere ut quis regnet.*

27. *Vbi non eſt ſepes diripietur poſſeſſio*] Ager aut hortus.

Et ubi non eſt mulier ingemiſcit egens] In Græco, *Vagus*, id eſt, incerto lare.

28. *Quis credit ei qui non habet nidum, & deflectens ubicunque obſcuraverit, quaſi ſuccinctus latro exſiliens de civitate in civitatem?*] In Græco eſt, *Quis crediderit* (pulchrum munus aliquod) *expedito latroni erranti de urbe in urbem? ſic & homini non habenti nidum, & divertenti ubicunque veſpera eum deprehenderit. Nidum* vocat familiam. Familia autem fit ex viro, uxore, liberis.

CAPVT XXXVII.

1. *Omnis amicus dicet*] Id eſt, Quiſquis amicus haberi vult dicet.

Et ego amicitiam copulavi] Ἐφιλίασα κἀγώ, *Etiam ego amicitiam colo.* Eſt enim aoriſtus pro præſenti. φιλιάζω hoc ſenſu habemus Iud. V. 30. II Paralipomenôn XIX. 2. XX. 37.

Sed eſt amicus ſolo nomine amicus] Quales illi menſarum amici, de quibus ſuprà VI. 11. Euripides de talibus,

——— λόγῳ γὰρ ἦσαν, οὐκ ἔργοις φίλοι.
[——— *amici voce erant, re non erant.*]

2. *Nónne triſtitia ineſt uſque ad mortem? ſodalis autem & amicus ad inimicitiam convertuntur*] Connectenda hæc ſunt hoc modo: *Nónne dolor eſt ad mortem, ſodalis & amicus ad inimicitiam verſus?*

3. *O præſumptio nequiſſima, unde creata es? cooperire aridam malitiâ & doloſitate illius*] Legit ἐκτίσθης [*creata es*] pro ἐκυλίσθης [*devoluta es*]· ſed lectio recepta melior, *O cogitatio improba, unde devoluta es ad terram obtegendam dolis?*

5. *Sodalis amico condolet causâ ventris*] Συμπονεῖ, *Collaborat in iis quæ ad ventrem attinent*, id eſt, in epulis.

Et contra hoſtem accipiet ſcutum] Sic in Græco legitur, καὶ ἔναντι πολεμίου λήψεται ἀσπίδα· at facilis emendatio, ἔναντι πολεμίου οὐ λήψεται ἀσπίδα, *Vbi hoſtis apparuerit, ſcutum pro eo non ſumet.* Non proteget eum.

6. *Non obliviſcaris amici tui in animo tuo, & non immemor ſis illius in opibus tuis*] Erogandis ſcilicet. Legit hîc Interpres μὴ ἀμνημονεύσῃ [*nè ſis immemor*], quomodo & in Sixtina eſt. Malè in aliis, μὴ μνημονεύσῃς [*nè memineris*].

7. *Noli conſiliari cum eo qui tibi inſidiatur*] *Qui te ſuſpectum habeat.* In Gloſſis, Ὑποβλέπομαι, *ſuſpicor.* Sic vertitur Hebræum עין I Samuel. XVIII. 9.

Et à zelantibus te abſconde conſilium] *Ab invidentibus tibi.* Hæc ſententia hoc loco deeſt in Sixtina; quia infrà poſita eſt 11.

8. *Omnis conſiliarius prodit conſilium*] *Profert*, ἐξαιρεῖ.

Sed eſt conſiliarius in ſemetipſo] Εἰς ἑαυτὸν, id eſt, *ſui causâ.* Sic Martialis,

Vtile quod nobis, do tibi conſilium.

In Apologo, Canis Crocodilo conſilium danti,

——— *facerem mehercule*
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ.

9. *A conſiliario ſerva animam tuam*] Id eſt, *tibi cave.*

Priùs ſcito quæ ſit illius neceſſitas] Τίς αὐτοῦ χρεία, *quâ re opus habeat:* quid ſibi quærat.

Et ipſe enim animo ſuo cogitabit] *Nam ipſe in ſuam rem conſilium dabit*, ἑαυτῷ συμβουλεύεται, idem quod modò εἰς ἑαυτόν [*ſui causâ*].

10. *Nè fortè mittat ſudem in terram*] *Si fortè mittet*: nam μή ποτε ſic ſumitur Lucæ III. 15. II Timoth. II. 25. & alibi ſæpe. Tum verò pro κλῆρον [*ſortem*], quod nos in Græco legimus, Interpres rectè legit σκληρὸν, *durum aliquid*, quale ſudes, in quod impingere poſſet iter faciens. Nam

hunc ſenſum exigunt quæ ſequuntur, & cum his verbis connectenda ſunt.

10. 11. *Et dicat tibi, Bona eſt via tua*] Perge.

Et ſtet è contrario] *Ex adverſo*, ἐξ ἐναντίας, unde conſpicere te poſſit cadentem.

12. *Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum injuſto de juſtitia*] Hæc addidit Interpres, quaſi de monitis ageretur, cùm de capiendo conſilio agatur. Docet Sapiens verbis quæ jam habebimus, fruſtrà conſilia ſumi ab iis qui erga rem de qua agitur malè ſunt affecti.

Et cum muliere de ea quæ æmulatur] *Et* deeſt in Græco: eſt enim nova ſententia. Subaudiendum in ſingulis id quod infrà ſequitur, *non attendas in conſilio*. ἀντίζηλος vocatur Hebræis *ea quæ eidem viro nupta eſt*. Duæ mulieres ejuſdem mariti, inter ſe ſunt ἀντίζηλοι. Habes hoc nomen in Græco Levit. XVIII. 18. I Samuelis I. 6. & hoc libro ſuprà XXVI. 8. Suadebit mulier omnia quæ æmulæ nocitura ſunt.

Cum timido de bello]

——— *Solvunt cui claſsica ventrem.*

Diſſuadebit fortia.

Cum negotiatore de trajectione] Intervertet enim tibi lucrum.

Cum emptore de venditione] *Cum emturiente.* Vili enim rem æſtimabit.

Cum viro livido de gratiis agendis] *Referendis*: περὶ εὐχαριστίας [*de grati animi declaratione*]. Suadebit ut quàm minimo te liberes.

13. *Cum impio de pietate*] *Pietatem* Interpres hîc intellexit *beneficentiam*: nam in Græco eſt μετὰ ἀνελεήμονος περὶ χρηστοηθείας, *cum homine duro de beneficentia*. Non dubium enim quin dicturus ſit, *Cur tua vis perdere?*

Cum inhoneſto de honeſtate] Non eſt in Græco.

Cum operario agrario de omni opere] Aliter legit quàm nos habemus. Noſtra lectio vera eſt, μετὰ ὀκνηροῦ περὶ παντὸς ἔργου, *cum pigro de quovis opere*. Omnem laborem ut gravem diſſuadebit.

14. *Cum operario annuali de conſummatione anni*] In Græco tantùm eſt *de conſummatione*, operis ſcilicet. Architecti quibus in annos & dies ſolvuntur mercedes, nunquam id conſilium dabunt quo celeriter abſolvi opus poſſit.

Cum ſervo pigro de multa operatione] Hæc eſt altera interpretatio ex lectione meliori ejus quod ſuprà habuimus 13. Itaque abundat, nec eſt in Græco.

15. *Sed cum viro ſancto aſsiduus eſto*] Rectè legit, ἀλλὰ μετὰ ἀνδρὸς εὐσεβοῦς ἐνδελέχιζε, non ut nos habemus, ἀλλ' ἤ.

16. *Cujus anima eſt ſecundùm animam tuam*] *Qui tibi eſt* ὁμόψυχος [*unanimis*], ut loquuntur Græci: ἡ φιλία, ἰσότης [*amicitia, æqualitas*].

Et qui cùm titubaveris in tenebris] *Si lapſus fueris*: id eſt, ſi conſilium malè ceſſerit.

17. *Cor boni conſilii ſtatue tecum*] In Græco, *Coge conſilium cordis*: quomodo & Comici Latini ſæpe loquuntur: id eſt, cogitationes in omnem partem verſa. Expende omnia quæ momentum ad deliberationem adferre poſſunt.

Non eſt enim tibi aliud pluris illo] In Græco, *Nemo enim tibi eſt* (corde tuo) *fidelior*, ſupple *conſiliarius*. Optimus ſibi quiſque conſiliarius, modò affectibus imperare poſſit: novit enim omnia quæ ad rem faciunt, neque ſibi inimicus eſt.

18. *Anima viri ſancti enuntiat aliquando*] In Græco, *enuntiare interdum ſolet*.

Vera] Id eſt, veriora: Hebraïſmus.

Quàm ſeptem circumſpectatores] *Speculatores*, σκοποὶ, צפים.

Sedentes in excelſo ad ſpeculandum] *In excelſa ſpecula*. In ſumma turre, unde longiſſimè deſpectus eſt, II Samuelis XVIII. 24.

19. *Et in his omnibus*] *Super omnia.*

Deprecare Altiſsimum, ut dirigat in veritate viam tuam] Ἐν ἀληθείᾳ [*in veritate*]· ſic enim in Sixtina: id eſt, *ſine errore*. Laudo quod ad hanc rem non malè dixit Procopius Vandalicorum I. φιλεῖ γὰρ ὁ Θεὸς τοῖς οὔτε ἀγχίνοις οὔτε τι οἴκοθεν μηχανᾶσθαι οἵοις τε οὖσιν, ἢν μὴ πονηροὶ εἶεν, ἀπορουμένοις τὰ ἔσχατα, ἐπικουρεῖν τε καὶ ξυλλαμβάνεσθαι [*Solet Deus iis qui nec ingenioſi nec de ſuo quicquam comminiſci idonei, ſi non ſint mali, ubi in pericula devenere, opem & auxilium ferre*].

20. *Ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*] In Græco, *Initium omnis facti ratio* (eſto), *& ante actum conſilium*. Idem ſenſus eſt in aureo Carmine,

——— Λογίσαι δὲ πρὸ ἔργου.
[——— *Sint conſilia ante labores.*]

21. *Verbum nequam immutabit cor, ex quo partes quatuor oriuntur*] Aliter legit quàm nos habemus. Lectio Græca non una eſt. Optimè in Sixtina, diſtinctione tantùm immutatâ, ἴχνος ἀλλοιώσεως καρδίας τέσσαρα μέρη ἀνατέλλει, *Quatuor ſunt res quæ in corde veſtigium relinquunt quo immutatur*. Valde Philoſophicè dictum. Nam viſa quæ animo oboriuntur notam quandam imprimunt, quâ movetur appetitus.

Bonum] Spes honoris, opum, voluptatis.

Malum] Contrariorum metus.

Vita] Longa & ſana.

Mors] Mortis metus, quem Ariſtoteles maximum eſſe ait.

Et dominatrix illorum eſt aſsidua lingua] *His perpetuò prævalet lingua*. Maximè animum commovent aliorum ſermones, ſive boni, ſive mali. Sic Naumachius ait,

Κεδνὰ κακοὶ φθείρουσι γυναικῶν ἤθεα μῦθοι.
[*Nam mala femineos perdunt conſortia mores.*]

Et apud Euripidem Hermione,

Κακῶν γυναικῶν εἴσοδοι μ' ἀπώλεσαν.
[*Me perdiderunt mulierum acceſſus mali.*]

Eſt vir aſtutus multorum eruditor, & animæ ſuæ inutilis eſt] Planè idem iſti Græco,

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
[*Odi magiſtrum qui ſibi ipſi non ſapit.*]

22. *Vir peritus multos erudivit, & animæ ſuæ ſuavis eſt*] Hoc oppoſitum membrum de ſuo addidit Interpres Latinus.

23. *Qui ſophiſticè loquitur odibilis eſt, in omni re defraudabitur*] Legit ut in quibuſdam eſt Græcis, ἔστιν ὁ σοφιζόμενος ἐν λόγοις μισητός. οὗτος πάσης τροφῆς καθυστερήσει, *Odio eſt qui verbis* (ſolis) *ſapientem agit. Hic omni alimento deſtituetur*. Nemo volet alere inutiliter & cum infamia ſua loquacem.

24. *Non eſt illi data à Domino gratia*] Per quam hominibus placeat.

Omni enim ſapientiâ defraudatus eſt] *Quia defraudatus eſt omni ſapientiâ*, verâ ſcilicet, quæ agendo ſpectatur maximè.

25. *Eſt ſapiens animæ ſuæ ſapiens*] Sibimet ipſi: id eſt, qui ſe primùm, deinde alios commonefacit.

Et fructus ſensûs illius laudabilis] Legit αἰνετὸς [*laudabilis*], quod meliùs huic loco convenit quàm πιστὸς [*fidelis*]. Vtraque lectio invenitur in Græcis: ſed in Græco plus eſt, ἐπὶ στόματος [*in ore*]. *In ore ejus laudabiles ſunt fructus intelligentiæ ipſius.* Illius verba grata ſunt, quia ex pulchra mente prodeunt.

26. *Vir ſapiens plebem ſuam erudit*] Populares ſuos bene inſtituit. Vir enim ſapiens publicum eſt bonum.

Et fructus ſensûs illius fideles ſunt] Fida loquitur.

27. *Vir ſapiens implebitur benedictionibus*] Opibus, idque Dei munere ex promiſſo Legis.

Et videntes illum laudabunt] *Beatum dicent*, μακαριοῦσιν.

28. *Vita viri in numero dierum*] Definitum habet ſpatium.

Dies autem Iſraël innumerabiles ſunt] Reſpublicæ in id inſtitutæ ſunt, ut ſint immortales, & cum iis etiam immortalis bene de illis meritorum memoria, ut ſequitur.

29. *Sapiens in populo hereditabit honorem*] Id eſt, *mancupii jure poſſidebit*, non ut quæ uſuraria tantùm habemus.

Et nomen illius erit vivens in æternum] Dum ſtabit reſpublica, nomen ejus publicis monumentis celebrabitur.

30. *Fili in vita tua tenta animam tuam*]

——— *verſate diu quid ferre recuſent,*
Quid valeant humeri,

ut ait Horatius.

Et ſi fuerit nequam, non des illi poteſtatem] In Græco, *Et ſi fuerit moleſtum aliquid* (πόνηρον legendum, non πονηρὸν [*nequam*]), *nè des illi*, id eſt, nè id animo tuo obtrude. Rectiùs

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

31. *Non enim omnia omnibus expediunt*]

Non omnia poſſumus omnes.

Et, *Tu nihil invitâ facies dicéſve Minervâ.*

Et non omni animæ omne genus placet] In Græco, *Non omnis anima in omni re laudem aſſequitur.*

32. *Noli avidus eſſe in omni epulatione*] *In ullo cibo*, ἐν πάσῃ τροφῇ. Ità enim legit hic Interpres, & rectiùs quàm τρυφῇ [*deliciis*].

Et nè te effundas ſuper omnem eſcam] Nè te immerge in patinas.

33. *In multis enim eſcis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit uſque ad choleram*] Morbi genus, quod & ſuprà in pari argumento habuimus XXXI. 23.

34. *Propter crapulam multi mortui ſunt*] *Propter edacitatem*. In Græco eadem eſt vox quæ jam præceſſit, διὰ ἀπληστίαν [*propter aviditatem*].

Qui autem abſtinens eſt] Qui ſibi attendit.

Adjiciet vitam] Hebraïſmus, pro *diu vivet*.

CAPVT XXXVIII.

1. H*Onora Medicum propter neceſſitatem*] In Græco, *Medicum honoribus honora ob utilitatem ejus. Honoris* nomine alimenta vel præcipuè intelliguntur, ut diximus ad Decalogum. *Ob utilitatem*, vide infrà 12.

Etenim illum creavit Altiſſimus] Id eſt, ordinavit, quomodo κτίζειν [*creare*] aliquoties habuimus. Sic & infrà XXXIX. 30. Adde quæ diximus in Prolegomenis ad Matthæum.

2. *A Domino enim eſt medela*] Vis medendi in herbis, ut infrà 4.

Et à Rege accipiet donationem] Medicus nempe. Legit δόμα [*donum*], ut in Sixtina, non ut in aliis, δόξαν [*gloriam*]. *Eraſiſtratus* Medicus *Ariſtotelis filiâ genitus centum talentis donatus eſt à Rege Ptolemæo.* Romæ Auguſti ac deinceps temporibus fuere Medici CCL *ſeſtertia annua mercede. Stertinius ſeſtertiis quingentis annuis quòd contentus fuit, Principibus imputavit.* Similia vide apud Plinium XXIX. 1.

3. *Diſciplina Medici*] *Scientia*, ἐπιστήμη.

4. *Et vir prudens non abhorrebit ab illis*] *Ab illis*, φαρμάκοις [*medicaminibus*].

5. *Nónne à ligno edulcata eſt aqua?*] Non arbitror agi hîc de miraculis aut Moſis, aut Eliſæi, ſed de vi naturali glycyrrhizæ, ſimiliúmque radicum. Eandem vim polentæ tribuit Plinius XXIV. 1.

6. *Ad agnitionem hominum virtus illorum*] *Vt ab hominibus vis ejus* (nempe ligni) *noſceretur*.

Honorari in mirabilibus ſuis] *Vt ipſe* Deus *per mira opera ſua gloriam conſequatur*.

7. *In his curans mitigabit dolorem*] *Aufert dolorem ejus*, ἦρεν· *ejus*, id eſt, hominis.

7. 8. *Et unguentarius faciet pigmenta ſuavitatis, & unctiones conficiet ſanitatis, & non conſummabuntur opera ejus: pax enim Dei ſuper faciem terræ*] In Græco, μυρεψὸς ἐν τούτοις ποιήσει μίγμα, καὶ οὐ μὴ συντελεσθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ, καὶ εἰρήνη παρ' αὐτοῦ ἐστιν ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς· ſed legendum pro εἰρήνη eſt ὑγεία. *Pigmentarius ex illis* (nempe lignis, & aliis rebus aromaticis) *migma faciet* (habes hanc vocem Ioh. XIX. 39.): *neque abſolverit opus ſuum, quin indè latè ſe diffundat dulcis aura.* Olim Medici erant & pharmacopœi & pigmentarii, nondum in tot particulas diſcerptâ arte.

9. *In tua infirmitate nè deſpicias te ipſum*] *Noli negligens eſſe*, μὴ παράβλεπε.

Sed ora Dominum, & ipſe curabit te] Deus enim inconſpicuis modis cauſarum naturalium vires auget, aut deſtruit.

10. *Averte à delicto*] Sæpe enim peccata cauſæ morborum, ut maledicentia lepræ.

Et dirige manus] In rectis actionibus occupare.

Et ab omni delicto munda cor tuum] *Ab omni peccato:* non ab actibus tantùm ſed & à cogitatibus malis abſtine.

11. *Da ſuavitatem*] Εὐωδίαν, *ſuffitum*.

Et memoriam ſimilaginis] אזכרה [*memoriale*], Græcè μνημόσυνον, propriè dicitur id quod de ſimila offertur, quia hominem Deo commendat, Levitici II. 2.

Et impingua oblationem] *Et pinguem victimam.* Additur in Græco, ὡς μὴ ὑπάρχων· ſed legendum, ὡς μὴ ὑπάρξων, *velut moriturus.* Sic Pſalmo CXLVI. 1. ἕως ὑπάρχω, *donec vivam.* Vide quæ de ſimilibus locutionibus diximus ad Matth. VI. 18. Qui in morbum incidunt, & dare Deo debent tanquam morituri, & Medico uti tanquam victuri.

Et da locum Medico] *Attamen Medico utere.*

12. *Etenim illum Dominus creavit*] Vide ſuprà 1.

12.13. *Quia opera ejus ſunt neceſſaria, quando in manus illorum incurras*] Καὶ γὰρ αὐτοῦ χρεία ἐστὶν ὅτι καιρός· καὶ ἐν χερσὶν αὐτῶν εὐοδία. Ità enim hæc diſtinguenda ſunt. Et εὐοδία [*proſper ſucceſſus*] hoc loco legendum, non εὐωδία [*ſuavis odor*] ut modò. *Eſt ſuo tempore ejus* (Medici) *uſus: &* (ſæpe) *adeſt operi ejus ſucceſſus.* εὐοδία pro *bono ſucceſſu* eſt aliquoties in his libris, & Proverbior. XXV. 15. frequens & in eo ſenſu verbum εὐοδοῦσθαι [*proſperè agere*].

14. *Ipſi verò Dominum deprecabuntur*] *Nam & ipſi Deum precabuntur*, nempe tecum: non vult enim quæri Medicos ἀθέους [*impios*].

Vt dirigat requiem eorum, & ſanitatem propter converſationem illorum] *Vt det illis* (id eſt, per illorum laborem) *lenimentum, ac deinde ſanationem ad vitam diuturnam.* ἐμβιοῦν Theophraſto & aliis ſcriptoribus Græcis eſt *diu vivere.*

15. *Qui delinquit in conſpectu ejus qui fecit eum*] Qui Deum graviter offendit.

Incidet in manus Medici] Legit, ἐμπεσεῖ [*incidet*]· nos habemus per optativum ἐμπέσοι. Ei eveniat diu eſſe ſub Medicis: talis enim miſera vita eſt.

16. *Fili in mortuum produc lacrymas*] Homerus,

Τοῦτο νύ που γέρας οἶον ὀϊζυροῖσι βροτοῖσι,
Κείρασθαί τε κόμην, βαλέειν τ' ἀπὸ δάκρυ παρειῶν.
[*Namque honor hic functis miſero mortalibus ævo,*
Tonderi caput & lacrymas effundere ſalſas.]

Et quaſi dira paſſus incipe plorare] *Vt gravia paſſus leſſum incipe.* De hoc more vide quæ diximus ad Matthæi XI. 17. Iuvenalis,

——— *ut primos edere planctus*
Caſſandra inciperet.

Et ſecundùm judicium contege corpus illius] Legit, κατὰ τὴν κρίσιν [*ſecundùm judicium*], non κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ [*ſecundùm judicium illius*]. *Ità ut moris eſt, corpus mortui faſcia.* משפט, quod hîc κρίσις [*judicium*] Helleniſticè vertitur, ſæpe *conſuetudinem* ſignificat. De hac conſuetudine diximus ad Ioh. XI. 44. & XX. 6. 7. Eſt autem vox περιστέλλειν [*faſciare*] valde propria huic negotio, ut apparet Ezechielis XXIX. 5. Tobiæ XII. 14.

Et non deſpicias ſepulturam illius] Cura honeſtè ſepeliatur. Adeſto exſequiis.

17.18. *Propter delaturam autem amarè fer luctum illius uno die, & conſolare propter triſtitiam, & fac luctum ſecundùm meritum ejus, uno die vel duobus propter detractionem*] Eſt hîc & tranſpoſitio, & repetitio, & omiſſio. Græca ſic habent, Πίκρανον κλαυθμὸν καὶ θέρμανον κοπετὸν, καὶ ποίησον τὸ πένθος κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ, ἡμέραν μίαν καὶ δύο, χάριν διαβολῆς, καὶ παρακλήθητι λύπης ἕνεκα. Quæ rectè ſic verteris: *Amarum fletum & planctum calidum ede, & luge, prout mortuo convenit, diem unum & alterum, calumniæ* (vitandæ) *causâ. Verùm de eo dolore fer conſolatores.* κατὰ τὴν ἀξίαν [*ſecundùm meritum, prout convenit*] intellige *pro modo propinquitatis.* Parentes enim, ac Reges, ut parentes publici, per ſeptem dies lugebantur cum jejuniis & indumentis vilibus, ut videre eſt ſuprà XXII. 11. & apud Ioſephum fine libri ſexti, & aliis in locis quos adduximus ad Matth. IX. 23. In minùs propinquis contractius erat tempus. Breviſſimum laudat Simonides,

Τοῦ μὲν θανόντος οὐκ ἂν ἐνθυμοίμεθα,
Εἴ τι φρονοῖμεν, πλεῖον ἡμέρας μιᾶς.
[*Nos de peremtis curâ, ſi pectus ſapit,*
Mordebit unâ non diutius die.]

Quod autem dicit, morem gerendum mori *calumniæ causâ*, rectum eſt, & ad multa alia pertinet. Illud παρακλήθητι [*fer conſolatores*] ſpectat itidem ad morem per quem ad lugentes amicos amici veniebant eos ſolandi causâ: Geneſeos XXIV. 64. II Samuelis XIII. 39. Ieremiæ XVI. 5. 7. Ioh. XI. 19.

19. *A triſtitia enim feſtinat mors, & cooperit virtutem, & triſtitia cordis flectit cervicem*] Cauſam reddit cur mitiganda ſit triſtitia, non fovenda: per triſtitiam enim mors advenit, aut triſtitia vim cordis deprimit. Καὶ per *aut* verti, quo modo ſæpe vertendum eſt. Ex nimio longóque mœrore mors advenit, aut certè animus impar negotiis.

——— τῶν μετρίων αἱ μείζονες
Λῦπαι ποιοῦσι τοῦ φρονεῖν μετάστασιν.
[——— *terminum ſi exceſſerit*
Mediocritatis luctus, mentem eliminat.]

20. *In abductione permanet triſtitia*] Bene legit, ἐν ἀπαγωγῇ, quomodo & Sixtina habet editio & aliæ quædam: id verò eſt *in ſolitudine.* Nam ἀπαγωγὴ eſt *abductio* ab iis quibuſcum vixeris, ſumitúrque pro *exſilio*, Eſaïæ X. 4. XIV. 17. & in tertio Eſdræ.

Et ſubſtantia inopis ſecundùm cor ejus] Legit βίος πτωχοῦ κατὰ καρδίαν, & βίον interpretatus eſt *id unde vivitur.* Sed melior videtur lectio, βίος πτωχοῦ κατάρα καρδίας, *Maledicere cordi ſuo* (id eſt, cruciare cor ſuum, ſicut *benedicere* eſt beare Hebræis), *ea verò vita eſt mendici.*

21. *Et memento noviſſimorum*] Cogitans mortem ſic facilè accerſi.

22. *Noli oblivisci*] Id quod dico.

Neque enim eſt converſio] Via eſt irremeabilis.

Et huic nihil proderis, & te ipſum peſſimabis] Planè idem dicit quod Homerus,

Οὐδέ μιν ἀνστήσεις, πρὶν καὶ κακὸν ἄλλο πάθησθα.
[*Non illi reddes animam, & tibi fortè nocebis.*]

23. *Memor eſto judicii mei*] Legit κρίμα μου [*judicium* ſeu *eventum meum*]· ſed rectiùs in Sixtina eſt κρίμα αὐτοῦ [*eventum ejus*]. Vt fructum aliquem ex morte amici capias, vide quid ei evenerit: idémque tibi eventurum ſcito. Ius idem dictum omnibus.

Sic enim erit & tuum] Ὅτι οὕτως καὶ τὸ σὸν, non οὕτως ὡς [*ſic ut*].

Mihi heri, & tibi hodie] Eſt proverbiale, quod ad multa applicatur. Nec *mihi* hîc primam perſonam, ſed quemvis ſignificat: quod omnibus ferme linguis commune eſſe alibi notavimus.

24. *In requie mortui requieſcere fac memoriam ejus*] Ipſe quieſcit: quieſcat & ipſius memoria, luctuoſa ſcilicet.

Et conſolare illum in exitu ſpiritûs ſui] In Græco, *Conſolationem accipe de eo : de exitu*, inquam, *ſpiritûs ipſius*, id eſt, de morte.

25. *Sapientia ſcribæ in tempore vacuitatis*] ספר, eſt *vir literatus*. Ejus doctrinam negat ab ipſo comparari niſi in multo otio. Quotidiano alio labore impediti ad exactam Legis cognitionem pervenire non poſſunt; nedum ut artes alias liberales ediſcant. Ideo Levitis datum unde ſine labore ſuo viverent. Nec aliunde *Scholæ*, & *Scholaſticorum* nomen.

Et qui minoratur actu, Sapientiam percipiet] Non legit negationem quæ in quibuſdam codicibus deeſt, ſed omnino adſcribenda eſt hoc modo, καὶ ὁ ἐλαττούμενος πράξει αὐτοῦ, οὐ σοφισθήσεται, *Qui opere ſuo deprimitur, ad eruditionem non perveniet.* Ità ferme ſumitur verbum ἐλαττοῦσθαι Pſalmo VIII. 6. Id jam ſubjectis exemplis explicabit.

25.26. *Quî ſapientiâ replebitur qui tenet aratrum?*] Ità hæc diſtinguenda in Græco, τί σοφισθήσεται; *Quam eruditionem conſequetur?*

Qui gloriatur in jaculo, ſtimulo boves agitat] *Qui ſibi placet ubi dolone boves agitat.* Hebræi, qui paucas habent voces ſimplices, multas circumloqui coguntur. Sic *dolonem* vocant δόρυ κέντρου, *baculum cum ſtimulo.* De *dolone* vide Alfenum L. *Si ex plagis*, D. ad legem Aquiliam.

Et converſatur in operibus eorum] Boum.

Et enarratio ejus in filiis taurorum] Ovidius,

——— *de tauris narrat arator.*

28. *Sic omnis faber & architectus*] Pariter ad literarum ſtudia eſt ineptus: longè alia cogitat.

Qui noctem tanquam diem tranſigit] Antelucanâ induſtriâ. *Noctem addens operi* ——— ait Virgilius.

Qui ſculpit ſignacula ſculptilia] *Qui annulorum ſigilla ſculpit.*

Aſſiduitas ejus variat picturam] *Mutare varietatem* eſt varias formas in gemmam introducere.

Cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturæ] Laborabit in gemma efficere quod pictor in tabula.

Et vigiliâ ſuâ perficiet opus] *Vigilia ejus eſt perficere opus. Opus* hîc ſume ut in iſto Ovidii,

Materiam ſuperabat opus.

29. *Sic faber ferrarius*] *Ærarius* in Græco, χαλκεύς. Sed ſolent iſta miſceri. *Sic*, id eſt, pariter capiendæ eruditioni eſt inhabilis. Poëticè admodum omnia opificia deſcribit.

Vapor ignis uret carnes ejus] *Liquabit*, τήξει, id enim rectiùs quàm quod alii libri habent, πήξει [*figet*]. Senſus eſt, *in ſudorem agit eum ignis vapor.*

Et in calore fornacis concertatur] *Cum æſtu fornacis conflictatur.*

30. *Vox mallei invocat aurem ejus*] Scripſit Interpres, *Vox mallei innovat aurem ejus*. Eſt enim in Græco, καινιεῖ, id eſt, *delectat*, ut ſolent facere res novæ. Sic καινίζειν ſumitur etiam Soph. III. 17. Quod autem quidam codices poſt σφύρας [*mallei*] addunt, καὶ ἄκμονος [*& incudis*], id rectiùs in aliis deeſt.

Et contra ſimilitudinem vaſis oculus ejus] Id eſt, oculum intentum habet in exemplar operis ſui. כלי Hebræis, σκεῦος Helleniſtis, vocantur omnia mobilia.

31. *Cor ſuum dabit in conſummationem operum*] Primùm rudi modo effinget quod vult.

Et vigiliâ ſuâ ornabit in perfectionem] *Et vigilia ejus, ornare poſt conſummationem.* Vbi integram figuram fecerit, mox ſtudet eam magìs magiſque expolire.

32. *Sic figulus*] Itidem incapax eſt doctrinarum.

Convertens pedibus ſuis rotam] Ieremiæ XVIII. 3.

Qui in ſollicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum, & in numero eſt omnis operatio ejus] Legit καὶ [*&*], ubi rectiùs, ni fallor, legeretur, εἰ ἐναρίθμιος πᾶσα ἡ ἐργασία αὐτοῦ, *Ob opus ſuum in perpetua verſatur ſollicitudine, an ſcilicet numerus conſtet omni labori ſuo.* Solet enim ignis multa abſumere, ut vidimus ſuprà XXVII. 6.

33. *In brachio ſuo formabit lutum*] *Brachium* pro *manu* ſæpe dicunt Hebræi, ut Ieremiæ XLIX. 9. & alibi.

Et ante pedes ſuos curvabit virtutem ſuam] Id eſt, *corpus* ſuum, ut humum tollat. Sic גוף propriè ἰσχὺν [*vires*], impropriè corpus ſignificat.

34. *Cor ſuum dabit ut conſummet linitionem*] Vt opus perlinat ad inducendos colores.

Et vigiliâ ſuâ mundabit fornacem] *Vigilia ejus, mundare fornacem.*

35. *Omnes hi in manibus ſuis ſperaverunt*] Ideo χειρώνακτες [*manuarii*] dicti Græci.

Et unuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt] *Ad ſuam quiſque artem eſt callidus.* Dictum etiam apud Latinos celebre.

36. *Sine his omnibus non ædificatur civitas*] Id eſt, *Sine his quidem omnibus.*

37. *Et non inhabitabunt*] *Non peregrè vivent.* Non opus illis erit peregrè vitam quærere. Domi eam reperient ſatìs.

Nec inambulabunt] Nempe ut mendici.

Et in Eccleſiam non tranſilient] Non tranſilient ſepta intra quæ habetur Senatus. Id aliquis exponere volens addidit, ἐν βουλῇ λαοῦ οὐ ζητηθήσονται [*ad conſilium populi non quærentur*]. Sed deeſt id in Sixtina.

38. *Super ſellam Iudicis non ſedebunt*] Ἐπὶ δίφρον. Eſt δίφρος propriè *ſella curulis.* Solebat ea Iudicibus adferri, Deuteronom. XVII. 18. Iob. XXIX. 7. Proverbiorum IX. 14.

Et teſtamentum judicii non intelligent] Leges judiciales. Sumitur enim ſæpe ברית [*fœdus*] pro *præcepto*, & ob id etiam vertitur ἐντολή.

Neque palàm facient diſciplinam & judicium] Id eſt, neque docebunt alios, neque ſententiam de aliis ferent.

Et in parabolis non invenientur] Non inſcribentur auctores bene ac ſapienter dictis.

39. *Sed creaturam ævi confirmabunt*] Sic & in Sixtina, κτίσμα αἰῶνος στηρίσουσι, id eſt, uſui ſunt huic vitæ, per ædificia, alimenta, réſque alias. Locutio eſt Hebræis hoc ſenſu uſitata, שיט בהן ישוב של עולם, *Ea quibus firmatur ſeculum*, id eſt, ea quæ bono publico ſunt utilia. Talia probant Hebræi. Eos verò qui nugis victitant à teſtimoniis repellunt, quales ſunt aleatores, feneratores, & qui ad certamen animalia inſtituebant.

Et deprecatio illorum in operatione artis] A Deo alieni non ſunt, quem inter operandum invocant.

Accommodantes animam ſuam, & conquirentes in Lege Altiſſimi] Hæc in Græco aliter habentur, πλὴν τοῦ ἐπιδιδόντος τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, καὶ διανοουμένου ἐν νόμῳ ὑψίστου. quaſi diceret, *Enumeravi aliquot opificum genera. Tales puta eſſe homines omnes, extra paucos qui animum intenderunt legis Divinæ ſtudio.* Nam καὶ hîc eſt loco *ut*. Legis Divinæ ſtudium apud Hebræos latè patebat: comprehendebat enim Theologiam contemplativam & activam, & Ius tam Civile quàm Pontificium, præterea Hiſtorias veteres. Tam conſummatæ eruditionis virum jam incipit deſcribere.

CAPVT XXXIX.

1. S*Apientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens*] *Sapiens* in Græco deeſt, ſed ſubintelligitur ex præcedentibus. *Antiquorum*, הקדמנים, quales Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus, Moſes.

Et in Prophetis vacabit] *In Prophetiis*, putà Samuelis, Nathanis, ac deinceps aliorum.

2. *Narrationem virorum nominatorum conſervabit*] Hiſtoriam Moſis, Ioſue, Iudicum, Davidis, & Regum aliorum.

Et in verſutias parabolarum ſimul introibit] Leget ſententias veterum, tum ſparſas, tum à Solomone & Ezechia collectas.

3. *Occulta proverbiorum exquiret, & in abſconditis parabolarum converſabitur*] Senſum latentem ἐν ἀλληγορίαις [*in tectè dictis*] indagabit. Solent promiſcuè dici παροιμίαι & παραβολαὶ, quæ Hebræis משלים [*ſententiæ*].

4. *In medio magnatorum miniſtrabit*] Regi alicui, ut Daniel, Zorobabel, Eſdras, Nehemias.

Et in conſpectu Præſidis apparebit] *Præſidum* in Græco.

5. *In terram alienigenarum gentium pertranſiet*] Mittetur Legatus.

Bona enim & mala in hominibus tentabit] *Tentavit*, id eſt, expertus eſt.

6. *Ad vigilandum diluculò ad Dominum*] Matutinas preces ad Deum fundet, ut ſtudia ipſius bene procedant.

7. *Pro delictis ſuis deprecabitur*] Nè ea profectui obſtent.

8. *Spiritu intelligentiæ replebit illum*] Sicut πνεῦμα παιδείας [*ſpiritum diſciplinæ*] habuimus Sapientiæ I. 5.

9. *Et ipſe tanquam imbres, mittet eloquia ſapientiæ ſuæ*] *Largè effundet*, ἀνομβρήσει in Græco; quali verbo & ſuprà uſus eſt hic Scriptor XVIII. 29.

Et in oratione confitebitur Domino] Id eſt, *laudabit Dominum*. Sic enim ἐξομολογεῖσθαι ſumitur apud Helleniſtas.

10. *Et ipſe diriget conſilium ejus*] *Conſilium ſuum*, ad Legis normam ſcilicet: nam de Lege hîc ſermo eſt.

Et diſciplinam] *Et ſcientiam*, ad rectos uſus.

Et in abſconditis ſuis conſiliabitur] *Et de abſconditis ejus* (Dei) *cogitabit. Abſcondita* hîc vocat Legis quæſtiones difficiles.

11. *In Lege teſtamenti Dei*] Id eſt, *in Lege quæ eſt teſtamentum.* Genitivus pro Appoſitione, more Hebræo.

12.13. *Et uſque in ſeculum non delebitur, non recedet memoria ejus*] *Non delebitur memoria ejus*, οὐκ ἐξαλειφθήσεται τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ. Id Scholiaſtes aliquis expoſuit οὐκ ἀποστήσεται [*non recedet*]. Locutionem hanc ἐξαλείφειν τὸ μνημόσυνον, *delere memoriam*, habes etiam Exodi XVII. 14.

Et nomen ejus requiretur] Legit ζητήσεται [*quæretur*]. At nos habemus ζήσεται, *vivet*, non malè.

14. *Et laudem ejus enuntiabit Eccleſia*] Id eſt, populus.

15. *Si permanſerit, nomen relinquet pluſquam mille*] Dum ſuperſtes erit, quocunquè iverit famam ſui maximam relinquet, quantam mille alii.

Et ſi requieverit, proderit illi] Nempe *ſapientia*, de qua præceſſit ſermo. *Proderit* autem *ipſi mortuo*, id eſt, liberis ejus, qui velut uni cum patre cenſentur. Legit hic Interpres, ἐπιποιεῖ αὐτῷ [*proderit illi*], rectè, non, ut nos habemus, ἐμποιεῖ.

16 *Adhuc conſiliabor ut enarrem*] *Adhuc quæ cogitavi ediſſeram.* Ità enim in Græco.

Vt furore enim repletus ſum] Legit διομηνία· ſed nos rectiùs habemus, ὅτι ὡς διχομηνία ἐπληρώθην, *impleor ut Luna corniculata.* Ea enim in dies magis magiſque creſcit

Πρόσωπα καλλύνουσα καὶ πληρουμένη,
[*Facie nitidior in dies ac plenior,*]

ut Sophocles loquitur.

17. *In voce dicit*] Non eſt in Græco.

Obaudite me, divini fructus] In Græco, *Audite me, filii pii*: nam in Sixtina eſt υἱοὶ ὅσιοι.

Et quaſi roſa plantata ſuper rivos aquarum fructificate] *Et creſcite ut roſa nata ad fluentum agri*, ἐπὶ ῥεύματος ἀγροῦ· id enim rectiùs quàm cum aliis libris ὑγροῦ [*humecti*].

18. *Quaſi libanus odorem ſuavitatis habete*] Hoc deeſt in multis. At in Sixtina eſt, καὶ ὡς λίβανος εὐωδιάσατε ὀσμὴν, *Vt thus bonum edite odorem.* Si hoc recipimus, id quod ſequitur διάδοτε ὀσμὴν [*date odorem*] erit ex interpretamento.

19. *Florete flores quaſi lilium*] *Edite flores quale eſt lilium. Odor* ſunt ſermones boni, *flores* bona facta.

Et frondete in gratiam] Non eſt in Græco.

Et collaudate canticum] *Laudate* (Deum) *cantico.* Eſt enim accuſativus Græcæ conſtructionis, ſubaudito κατὰ [*per*].

20. *Date nomini ejus magnificentiam, & confitemini illi*] Deſunt hæc in Græcis.

In voce labiorum veſtrorum, & in canticis labiorum] In Græco tantùm eſt ἐν ᾠδαῖς χειλέων, *cantu labiorum*: quia eſt & cantus fidium.

Et citharis] In Græco, ἐν κιννύραις. Græca vox hæc facta ex Hebræo כנור [*cithara*] reperitur aliquoties in Geneſi, in libris Samuëlis, Regum, Paralipomenis & Nehemiæ. Pro quo in aliis libris eſt modò ψαλτήριον [*pſalterium*], modò κιθάρα [*cithara*]. Cinyram ait Ioſephus tenſam decem fidibus, pulſatam plectro.

In confeſſione] *In laudatione*, ut ſuprà 9.

21. *Opera Domini univerſa bona valde*] Quicquid agit Deus, rectum eſt, Deuteronomii XXXII. 4. Quod hîc in Sixtina ſequitur, καὶ πᾶν πρόσταγμα ἐν καιρῷ αὐτοῦ ἔσται· πάντα γὰρ ἐν καιρῷ αὐτοῦ ζητηθήσεται

[*& omnis ordinatio ejus ſuo tempore exiſtet: omnia enim in tempore ſuo quærentur*], & quod inter iſta interjiciunt libri alii, οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, Τί τοῦτό ἐστι; [*non eſt dicendum, Quorſum hoc?*] non in omnibus fuiſſe exemplaribus ex Latino apparet: & unde deſumta ſint videbis infrà 26.

22. *In verbo ejus*] *Per verbum ejus*, Pſalm. XXXIII. 6. CXLVII. 8. Vide quæ dicta à nobis ad initium Euangelii Iohannis.

Stetit aqua ſicuti congeries] *Velut frugum acervus.* Id enim θημωνία, ut ſuprà XX. 28. Mare Rubrum intelligit.

Et in ſermone oris illius ſicut exceptoria aquarum] *Sicut* non eſt in Græco. *Conceptacula* autem *aquarum* vocat aquas ripis incluſas, fluvii Iordanis ſcilicet.

23. *Quoniam in præcepto ipſius placor fit*] *Ad præceptum ipſius* (fit) *quidquid ipſi placet*, Pſalmo CXXXV. 6.

Et non eſt minoratio in ſalute ipſius] *Nemo eſt qui minuere poßit ſalutem ipſius*, id eſt, ab ipſo alicui deſtinatam. Genitivus efficientis, ut ſæpe.

24. *Opera omnis carnis*] Bona, mala; aperta, operta.

25. *Et nihil eſt mirabile in conſpectu ejus*] Mirantur enim qui cauſas ignorant.

26. *Non eſt dicere*] *Non eſt cur quiſquam dicat.*

Quid eſt hoc, aut quid eſt iſtud?] In Græco, Τί τοῦτό ἐστι; ubi τί [*quid*] eſt pro εἰς τί; *Quorſum hæc res?*

Omnia enim in tempore ſuo quærentur] Legit καιρὸν pro χρείαν, & ἐκζητηθήσεται, pro ἔκτισται. Græcus ſenſus, ut nos eum habemus, eſt optimus. *Omnia enim ad uſum ſuum creata ſunt.* Hoc eſt quod in partibus animantium, præſertim hominis, egregiè oſtendunt Ariſtoteles & Galenus.

27. *Benedictio illius*] Id eſt, *beneficentia*, more Hebræo.

27. 28. *Quaſi fluvius inundavit, quomodo cataclyſmus aridam inebriavit*] Terram datam Iacobi poſteris omnibus bonis implevit.

Sic] Id eſt, ex adverſo.

Ira ipſius gentes quæ non exquiſierunt eum hereditabit] In Græco, *Iram ejus gentes proprio ac perpetuo jure habebunt.* Id enim κληρονομεῖν.

29. *Quomodo convertit aquas in ſiccitatem*] *Quaſi converteret.* Eſt enim indicativus pro potentiali. Cohæret cum ſuperioribus. Nam ſicut beneficia Dei fluvio & mari, ità mala immiſſa loco deſerto comparat. Et bene Latinus ἅλμην vertit *ſiccitatem.* Nam eum ſenſum habet מלחה apud Ieremiam XVII. 6 ubi Græci vertunt, γῆ ἁλμυρᾷ [*terræ ſalſæ*].

Et ſiccata eſt terra, &] Non ſunt hæc in Græco.

Viæ illius viis illorum directæ ſunt] Puto ſcriptum fuiſſe ab Interprete, *Viæ illius piis directæ ſunt*, quomodo eſt in Græco: ſi *directæ* ſumas pro *rectæ.* Mox pro *piis* per errorem ſcriptum *viis*, & ſenſui implendo additum *illorum.*

Sic peccatoribus offenſiones in ira ejus] In Græco: *ſic impiis offendicula*, ponentur à Deo ſcilicet. Et rurſus *ſic* ponitur pro *ex adverſo*; nam *viæ rectæ*, id eſt, planæ, qualem Deus piis parat, opponuntur loca confragoſa, in quibus facilis lapſus.

30. *Bona bonis creata ſunt ab initio*] Id eſt, *ordinata*, ut ſuprà XXXVIII. 12.

Sic nequißimis bona & mala] Hîc quoque ex Euangelii loco Matth. V. 45. aliquid interſeruit Interpres, cùm in Græco ſit, *ſic* (id eſt, ex adverſo) *flagitioſis mala.*

31. *Initium neceſſariæ rei vitæ hominum*] *Præcipua omnium utilium ad vitam humanam:* quomodo ἀρχὴ ſumtum eſt etiam ſuprà in ſententia ſimili XXIX. 28.

Panis ſimilagineus] *Simila tritici* in Græco.

Et botrus uvæ] In Græco, *Sanguis uvæ*, id eſt, vinum. Sic & infrà vocatur L. 16. Loquendi genus deſumtum ex Moſe, Geneſeos XLIX. 11. Deuteronomii XXXII. 14.

32. *Hæc omnia ſanctis in bona*] Legit εἰς ἀγαθὰ, ſed meliùs libri alii, Πάντα ταῦτα τοῖς εὐσεβέσιν ἀγαθὰ, *Hæc omnia piis bona*, ſupple *ſunt ac manent.*

Sic & impiis & peccatoribus in mala convertuntur] In Græco, *Sic* (id eſt, ex adverſo) *peccatoribus vertuntur in mala.* Per ſe bona cùm ſint, ipſis tamen malè cedent, quia aut ſine modo utuntur, aut Deo gratias non agunt.

33. *Sunt ſpiritus qui ad vindictam creati ſunt*] *Spiritum* vocat vim quamcunque rebus ingenitam & efficacem, quia è rebus ità emanat ut halitus ex homine. Sic Soli & morbis id nomen tributum. Idem mox ἰσχὺν [*vim*] vocabit.

Et in furore ſuo] Προσωποποιΐα [*perſonæ fictæ inductio*].

Confirmaverunt tormenta ſua] *Intenderunt flagella ſua.*

34. *In tempore conſummationis*] Ἐν καιρῷ συντελείας, id eſt, ubi menſura judicii Divini impleta fuerit. Id enim כלה Hebræis.

Et furorem ejus qui fecit illos placabunt] *Sedabunt*, κοπάσουσι. Satiare ſolent iram Divinam.

35. *Ignis*] *Incendium*, ut in Sodomis.

Grando] Legit χάλαζα, ut eſt in Sixtina. Sed alii libri habent θάλασσα [*mare*], ut diluvium intelligatur quo olim punitum eſt humanum genus, & urbes terræque poſtea multæ. *Grando* autem ſub *fame* ſatìs comprehenditur, ut cauſa ſub effecto.

Fames & mors] *Mors* hîc Peſtilentiam ſignificat, ut diximus ad Matthæi XXIV. 7.

Omnia hæc ad vindictam creata ſunt] Videtur malè repetitum ex ſuperiori.

36. *Beſtiarum dentes*] Deuteronom. XXXII. 24. Ieremiæ XV. 3. Ezechielis V. 17.

Et ſcorpii] Deuteronomii VIII. 15.

Et ſerpentes] Sapientiæ XVI. 5.

Et romphæa vindicans in exterminium impios] Gladius hoſtilis, de quo vide dicto loco Ieremiæ & Ezechielis: infrà XLVI. 3.

37. *In mandatis ejus*] Dei. Legit ἐν τῇ ἐντολῇ, quomodo eſt in Sixtina, non ἐν τῇ ἀνατολῇ [*in ortu*], ut habent libri alii.

Epulabuntur] In Græco, εὐφρανθήσονται, *lætabuntur.* Proſequitur προσωποποιΐαν [*perſonæ fictæ inductionem*], quaſi diceret, Promtiſſimo animo exſequentur Dei mandata.

Et ſuper terram in neceßitatem præparabuntur] Legit εἰς χρείας, ut eſt in Sixtina, non ut in aliis, εἰς χεῖρας [*ad manus*]· *parabuntur ad uſus*, nempe ad quos ſunt deſtinati.

Et in temporibus ſuis non præterient verbum] *Non omittent quicquam*, nempe eorum quæ ipſis imperata erunt. Λόγος, id eſt, דבר, pro *re*.

38. *Propterea*] His expenſis.

Ab initio] Iampridem.

Confirmatus ſum] Adversùs tentationes, quæ fidem de providentia Divina concutiunt.

Et cogitavi] Animo meo infixi planè rem ſic habere ut dixi.

Et ſcripta dimiſi] *Et perſcriptum reliqui*. Id ſcilicet quod jam dicet.

39. *Omnia opera Domini bona*] Non fruſtrà ait ſe ſcripſiſſe quod ſuprà habuimus 21.

Et omne opus horâ ſuâ ſubminiſtrabit] *Suo quæque tempore ea quæ uſui ſunt exhibet.*

40. *Non eſt dicere*] *Non eſt cur quis dicat.*

Hoc illo nequius eſt] Id eſt, aliter res humanæ regi debuerant.

Omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur] Id eſt, digna ſunt laude. Nam ut malis malè ſit, bonum eſt univerſi.

41. *Et nunc*] Id eſt, propterea.

Collaudate & benedicite nomen Domini] Vt qui nihil faciat niſi juſtiſſimè.

CAPVT XL.

1. OCcupatio magna] Ἀσχολία μεγάλη, *multum negotii*. Vide Eccleſiaſtæ VII. 30.

Creata eſt omnibus hominibus] Ἔκτισται, id eſt, *ordinatum eſt*, ut diximus XXXIX. 30. & 35.

Et jugum grave ſuper filios Adam] Philemon,

> Ἄνθρωπός εἰμι· τοῦτο δ᾽ αὐτῷ τῷ βίῳ
> Πρόφασιν μεγίστην εἰς τὸ λυπεῖσθαι φέρει.
> [*Homò ſum: quæ nobis cauſa longè maxima eſt*
> *Cur vita nunquam vacet à mæſtitudine.*]

Vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium] *Vſque in diem reditûs in matrem omnium.* Sic enim in Græco eſt. Plinius II. 65. *Sequitur Terra, cui uni naturæ partium, eximia propter merita, nomen indidimus maternæ venerationis. Sic hominum illa, ut cælum Dei, quæ nos naſcentes excipit, natóſque alit, ſemélque editos ſuſtinet ſemper, noviſſimè complexa gremio, jam à reliqua natura abdicatos, tum maximè operiens, nullo magìs ſacra merito, quàm quo nos quoque ſacros facit.*

2. *Cogitationes eorum & timores cordis*] In Græco hæc in accuſativo, ſequentia in nominativo ſunt poſita. Subauditur enim ὢ Admirantis nota, quæ modò nominativum, modò accuſativum, ſæpe & vocativum regit. Sic & Latinè ſine interjectione dicimus, *Me miſerum!* &, *Ego miſer! Cogitationes* ſunt illa quæ Menander ſic deſcribit,

> Ἡμεῖς δὲ χωρὶς τῶν ἀναγκαίων κακῶν
> Αὐτοὶ παρ᾽ αὑτῶν ἕτερα προσπορίζομεν.
> Λυπούμεθ᾽, ἂν πτάρῃ τις· ἂν εἴπῃ κακῶς,
> Ὀργιζόμεθ᾽· ἂν γλαὺξ ἀνακράγῃ, δεδοίκαμεν.
> Ἀγωνίαι, δόξαι, φιλοτιμίαι, νόμοι,
> Ἅπαντα ταῦτ᾽ ἐπίθετα τῇ φύσει κακά.
> [*Nos verò præter ea quæ fert neceſſitas*
> *Ipſi alia noſtrâ ſponte ſuperaccerſimus.*
> *Dolemus, ubi quis ſternuit; convitium*
> *Quis dixit, indignamur; vidit ſomnium,*
> *Metuimus; ululat noctua, exhorreſcimus.*
> *Leges, honores, ambitus, certatio,*
> *Mala hæc adſcita nobis ſunt, non adſita.*]

Adinventio exſpectationis] Spes quæ vitam paſcunt.

Et dies finitionis] Mors ante oculos.

3. *A reſidente ſuper ſedem glorioſam uſque ad humiliatum in terra & cinere*] Supple *obnoxii ſunt iſti miſeriæ quam cœpi explicare, & explicabo fuſiùs.* Simile loquendi genus Exodi XI. 5. XII. 29.

4. *Ab eo qui utitur Hyacintho*] *Qui fert hyacinthina*, Qui mos potentum, Ezechiel. XVI. 10. & XXVI. 7. in Græco.

Et portat coronam] Vt fiebat in rebus lætis.

Vſque ad eum qui armatur lino crudo] Ὠμόλινον erat linum viliſſimum, cujus uſus ad ſudores aut manuum ſordes abſtergendas, & in Medicorum operis.

Furor] *Ira.*

Zelus] *Invidia.*

Tumultus] Perturbatio ex ſubitis malis.

Fluctuatio] Incerta conſilia.

Et timor mortis] Quod perpetuum eſt malum.

Iracundia perſeverans] Legit μήνιμα cum Sixtina, non μίμημα [*imitamen, imago*]. Differt autem μήνιμα, ſive μῆνις, ab eo quod θυμὸν modò dixit, quòd θυμὸς eſt motus animi, μῆνις morbus manens, ἀπὸ τοῦ μένειν [*à manendo*], ut volunt Scholiaſtæ ad prima Homeri.

Et contentio] Ἔρις, quam ἀγωνίαν dixit Menander.

5. *Et in tempore refectionis*] *Quietis.*

Somnus noctis immutat ſcientiam ejus] Id eſt, *mentem.* Nam ſic vocem Chaldæam מנדעא, quæ reſpondet Hebrææ מדע, vel דעת, uſurpat Daniel IV. 31. 33.

6. *Modicum tanquam nihil in requie*] Curæ pleriſque parùm & quaſi nihil ſomni permittunt.

Et ab eo in ſomnis quaſi in die reſpectus] Legit σκοπιά· Græci codices nunc habent σκοπιᾶς, ſed vera lectio eſt σκοπιάσει. *Deinde*, inquit, *in ſomno non minùs quàm per diem ſpeculatur*, id eſt, variis agitatur cogitationibus. Ipſa quies eſt inquies.

7. *Tanquam qui evaſerit in die belli*] Qui ſemper metuit nè ſe inſequatur hoſtis. Vide deſcriptionem Pompeji poſt prælium Pharſalicum apud Lucanum.

In tempore ſalutis ſuæ] Id eſt, cùm omnia tuta ſunt.

Exſurrexit] Expergiſcitur ex atrocibus ſomniis.

Et admirans ad nullum timorem] *Conſternatur*, cùm nulla ſit vera timendi *cauſa.* Sæpe θαυμάζειν, aut, ut hîc eſt, ἀποθαυμάζειν [*demirari*] ſumitur pro *paveſcere*, quia res ſunt affines, & utraque Hebræis per verbum תמה (unde θαῦμα Græcum) ſignificatur. Lucanus de Cæſarianis poſt victoriam Pharſalicam,

> *Quos agitat veſana quies, ſomníque furentes.*

Vbi & ſequentia vide libro VII.

8. *Cum omni carne ab homine uſque ad pecus, & ſuper peccatores ſeptuplum ad hæc*] Ità diſtinguenda hæc ſententia, & connectenda, non cum ſuperioribus,

ſed cum ſequentibus, hoc ſenſu, *Quæ jam recitabo mala non hominibus tantùm, ſed & mutis animantibus ſolent evenire: ſed flagitioſis hominibus ſeptuplò graviora quàm cæteris.* Hoc eſt, ἐπὶ ταῦτα [*ſuper hæc*].

9. *Mors*] Id eſt, Peſtilentia; ut ſuprà XXXIX. 35.

Sanguis, contentio, & romphæa] Sic eſt in Sixtina. At in Græcis aliis alius ordo, *contentio*, *romphæa*, *& ſanguis*. *Contentio* eſt inter homines. Eſt & inter feras ac pecudes. Gladius hoſtilis terrorem incutit, ſæpe & ſanguinem fundit.

Oppreſſiones, fames] In Græco, ἐπαγωγαὶ λιμοῦ, *immiſſiones famis*. Vox ἐπαγωγὴ de omni malo dicitur, ut jam aliquoties notavimus.

Et contritio] Καὶ συντρίμματος, *& vulneris*, nempe *immiſſiones*, ex præcedenti. σύντριμμα reſpondet Hebræo פצע.

Et flagella] Id eſt, morbi, ut Marci III. 10. & alibi ſæpe.

10. *Super iniquos creata ſunt hæc omnia*] Id eſt, *ordinata*, nempe præcipuo quodam modo, ut jam dixit.

Et propter illos factus eſt cataclyſmus] Quid mirum, inquit, ſi ob impios talia immittit Deus, cùm ob tales totam terram diluvio olim merſerit?

11. *Omnia quæ de terra ſunt in terram revertentur*] Etiam homines, utpote de terra ſumti.

Et omnes aquæ in mare revertentur] Id eſt, ſicut omnes aquæ in mare revertuntur.

12. *Omne munus*] Res quæſita ἐκ δωροδοκίας] *ex corruptis judiciis*].

Et iniquitas] Aliter *iniquè parta*.

Delebuntur] Auferentur è familia.

Et fides] *Integritas*, id eſt, res honeſtè parta.

In ſeculum ſtabit] Diu ſequetur heredes.

13. *Subſtantiæ injuſtorum ſicut fluvius ſiccabuntur*] Id eſt, *ut torrens*. Nam etiam torrentes *amnis* nomine vocant, ut Latini veteres, ità & Hebræi. Ità hîc ſumendam vocem apparebit legenti Iobum VI. 15.

Et ſicut tonitruum magnum in pluvia perſonabunt] Erunt in fama: ſed illico deſinent.

14. *In aperiendo manus ſuas lætabitur*] Aliquis, improbus ſcilicet, gaudet cùm munera ad corrumpendum judicium accipit.

Sic prævaricatores in conſummatione tabeſcent] Deeſt *ſed*: ſenſus enim eſt, *ſed qui eum in modum Legem tranſgredientur*, quæ munera ob judicandum accipi vetat, Exodi XXIII. 8. Deuteron. XVI. 19. *tandem deficient*.

15. *Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos*] Poſteri eorum non relinquent poſteritatem.

Et radices immundæ ſuper cacumen petræ ſonant] Καὶ [*&*] hîc eſt Comparationis additæ ad id quod præcedit, hoc modo: *Non magìs quàm radices immundæ* (id eſt, eſui inutiles) *in prærupta rupe*.

16. *Super omnem aquam viriditas, & ad oram fluminis ante omne fœnum evelletur*] Prima vox hujus ſententiæ rectè ſcribitur in Sixtina, ἄχι· ea eſt vox Ægyptia, ut diximus ad Geneſeos XLI. 2. Significat viridia illa quæ oriri ſolent in campis à Nilo inundatis, aut etiam in ripis, quæ Græcis χείλη dicuntur, quæque omni herbâ (nam χόρτος hîc *herbam* ſignificat) citiùs exareſcunt.

17. *Gratia ſicut paradiſus in benedictionibus*] *Beneficentia facienda eſt inſtar paradiſi*. Eſt παράδεισος vox barbara, notante Polluce, פרדס, Cantici IV. 13. Nehem. II. 8. Significat *hortum pomiferis arboribus conſitum atque conſeptum*. Eſt paradiſi talis elegans deſcriptio apud Procopium Vandalicorum I.

Et miſericordia in ſeculum permanet] Retributio beneficentiæ. ἔλεος enim hîc eſt חסד [*beneficentia*], idem quod χάρις.

18. *Vita ſibi ſufficientis operarii condulcabitur*] Deeſt hîc καί [*&*]· nam duo proponit quibus deinde comparat tertium. *Vita*, inquit, *ſatìs dulcis eſt habentis de ſe quæ ſufficiunt, aut etiam labore ea quærentis*. αὐτάρκη dicuntur *res ſufficientes*, Proverbiorum XXX. 9. ſuprà V. 1. XI. 24. & indè αὐτάρκης, Lucretio,

Ipſe ſuis pollens opibus.

Et in ea invenies theſaurum] In Græco, *Et ſuper illos ambos* (eſt enim neutrum hîc pro maſculino, quaſi ſubaudiretur γένη [*genera*]) *felix eſt qui theſaurum invenit*, id eſt, cui Deus nec cogitanti magnas opes affundit: quod ſæpe facit liberalibus ac beneficis. *Theſaurus*, *Dei donum*, Apollonio Tyanenſi.

19. *Filii & ædificatio civitatis confirmabit nomen*] Faciunt ut duret. Nam & poſteritas de progenitoris nomine dicitur, ut *Perſidæ*, *Heraclidæ*, *Alevadæ*; & urbes de conditorum nominibus, ut *Ninos*, *Alexandria*, *Seleucia*, *Antiochia*, *Tigranocerta*.

Et ſuper hæc mulier immaculata computabitur] In multis Græcis hoc deeſt. At in Sixtina eſt, ὑπὲρ ἀμφότερα γυνὴ ἄμωμος λογίζεται [*ſuper utraque reputabitur femina inculpata*]. Sic Mauſolum celebrem fecit Artemiſia.

20. *Vinum & muſica lætificant cor*] Conjungit hæc duo ſæpe inter ſe Plato.

Et ſuper utraque dilectio ſapientiæ] Ἡ φιλοσοφία. Sed Helleniſtæ duabus vocibus id eloquuntur, ἀγάπησις σοφίας.

21. *Tibiæ & pſalterium ſuavem faciunt melodiam*] Id eſt, cum voluptate audiuntur: egregium ſunt ἀκρόαμα [*oblectamentum aurium*]. De Pſalterio vide Daniel. III. 5. 7. 10. & Sapientiæ XIX. 17.

Et ſuper utraque lingua ſuavis] Sermo hominis diſerti.

22. *Gratiam & ſpeciem deſiderabit oculus tuus*] In multis Græcis deeſt *tuus*. Per χάριν [*gratiam*] intellige corporis συμμετρίαν [*commenſum*], per κάλλος [*ſpeciem*] ea quæ in extima ſunt facie.

Et ſupra hæc virides ſationes] *Herba ſegetis*. Mirè enim oculos delectant & juvant viridia.

23. *Amicus & ſodalis in tempore convenientes*] Supple *ſunt*. Senſus eſt, *Et amicos & ſodales, ubi opus eſt, utiles eſſe ſibi mutuò*. ἀπαντᾶν eſt *adjuvare*, *utilem eſſe*, ut Ieremiæ XV. 11. Differentiam amici & ſodalis ſic explicat Ammonius, φίλοι μὲν γὰρ κοινῶς ἅπαντες οἱ τὰ τῆς φιλίας δίκαια πρὸς ἑαυτοὺς ἔχοντες· ἑταῖροι δὲ ἰδίως οἱ καὶ τῇ ἡλικίᾳ παραπλησίως ἔχοντες, καὶ ἐν τῇ συνεργίᾳ πολὺν χρόνον γεγονότες [*amici generatim omnes qui amicitiæ jura inter ſe ſervant; ſodales verò qui præterea ætate non multùm diſtant, & multo tempore unà egerunt*].

Et ſuper utroſque mulier cum viro] Plus alter alteri proſunt. Hipponax,

> Ὅστις δ' ἀτρυφερὸν τὴν γυναῖκ' ἄγει λαβών,
> Συνεργὸν οὗτος ἀντὶ δεσποίνης ἔχει,
> Εὔνουν, βεβαίαν εἰς ἅπαντα τὸν βίον.
> [*Nam qui ſeveræ conjugem vitæ legit,*
> *Sociam laboris ille, non dominam accipit,*
> *Fidam, benevolam, pectore immutabili.*]

24. *Fratres in adjutorium in tempore tribulationis*] Duo poni hîc oportet, ut ſunt in Græco, *Fratres & adjutores in tempore calamitatis* : eruere aliquem poſſunt ſcilicet, per ὑπόζευγμα [*per Zeugma in parte poſteriore*].

Et ſuper eos miſericordia liberabit] Quia

> *Bona comparat præſidia miſericordia.*

Nec apud homines tantùm, ſed vel præcipuè apud Deum.

25. *Aurum & argentum eſt conſtitutio pedum*] *Pedes* hîc per μεταφορὰν [*Tranſlationem*] id ſignificant quod à pari ſimilitudine *ſtatum* dicunt Latini. Eum bene tueri ſolent quibus affluunt divitiæ. Vide Proverbiorum XIII. 18.

Et ſuper utrumque conſilium beneplacitum] *In fama eſt*, εὐδοκιμεῖται, id eſt, Plura memorantur exempla eorum quos bonum conſilium quàm quos pecunia malis exemerit.

26. *Facultates & virtutes*] Pecuniæ & corporis vires.

Exaltant cor] Id eſt, fiduciam addunt.

Et ſuper hæc timor Domini] *Super utraque hæc pietas*. Habet enim magnifica promiſſa. Plutarchus verſum quendam Græcum ſic corrigit,

> Θάρσος τὰ θεῖα τοῖσι σώφροσι βροτῶν.
> [*Fiduciam addunt res Deûm ſapientibus.*]

27. *Non eſt in timore Domini minoratio*] Nihil in eo damni. Euripides,

> ——— οὐδεὶς κάματος εὐσεβεῖν θεούς.
> [——— *colere cælites nullus labor.*]

Et non eſt in eo inquirere adjutorium] *Non eſt cur quærat ſibi auxilium*, vir pius ſcilicet. Id autem eſt, non deerit illi auxilium à Deo.

28. *Timor Domini ſicut paradiſus benedictionis*] Id eſt, fecundus, ut ſuprà 17.

Et ſuper omnem gloriam operuerunt illum] *Operitur ille*, nempe Deum timens. Sæpe enim hæc concreta ex abſtractis ſubintelliguntur. Et activum ſine perſona pro paſſivo frequens Hebræis. Plus habet gloriæ quàm qui regaliter veſtiuntur.

29. *Fili, in tempore vitæ tuæ nè indigeas : melius eſt enim mori quàm indigere*] In Græco, *Fili, nè tibi eveniat vitam mendici agere : mori enim ſatius quàm mendicare*. Vndique enim petuntur opprobriis.

> Πτωχοὶ ἀνιηροί, δαιτῶν ἀπολυμαντῆρες,
> [*Mendici fruges conſumere nata, gravis gens,*]

ut videre eſt Odyſſeæ ρ'.

30. *Vir reſpiciens in menſam alienam non eſt vita ejus in cogitatione victûs*] In Græco, ἀνὴρ βλέπων εἰς ἀλλοτρίαν τράπεζαν, οὐκ ἔχει βίον ἐν λογισμῷ ζωῆς. A mendicis ad paraſitos venit. *Vir*, ait, *qui alienam menſam reſpicit, vitam habet quæ pro vita reputanda non eſt.*

Alit enim animam ſuam cibis alienis] *Semetipſum exponit contemtui ob cibos alienos.* Hoc ſignificatu ἀλισγεῖν [*polluere*] habes Malach. I. 12. Apud Terentium quidam de paraſito,

> *Viden' oſſum & cibus quid faciat alienus?*

Apud Eupolin verò de ſe & ſui ſimilibus paraſitus,

> Εἶτ' ἐπὶ δεῖπνον ἐρχόμεσθ' ἄλλυδις ἄλλος ἡμῶν
> Μάζον ἐπ' ἀλλόφυλον.
> [*Veſperè abimus ad dapes huc hic & alter illuc*
> *Eſca aliena quò vocat.*]

31. *Vir autem diſciplinatus & eruditus cuſtodiet ſe*] φυλάξεται, *cavebit ſibi*, à tam turpi vitæ genere.

32. *In ore imprudentis*] Scripſit Interpres *impudentis*, ἀναιδοῦς.

Condulcabitur inopia] Dulcis erit mendicitas.

Et in ventre ejus ignis ardebit] Ingens edendi aviditas. Ovidius in Famis deſcriptione,

> ——— *furit ardor edendi,*
> *Pérque avidas fauces immenſáque viſcera regnat.*

Et poſtea,

> *Vtque rapax ignis non unquam alimenta recuſat,*
> *Innumeráſque faces cremat, & quò copia major*
> *Eſt data, plura cupit, turbâque voracior ipſa eſt:*
> *Sic epulas omnes Eriſichthonis ora profani*
> *Accipiunt poſcúntque ſimul.*

CAPVT XLI.

1. O *Mors quàm amara eſt memoria tua!*] Κατάχρησις [*impropria locutio*] pro *tui cogitatio*. Vide ſuprà XXIV. 28.

Homini pacem habenti in ſubſtantiis ſuis] Εἰρηνεύοντι. Id verò more Hebræo ſignificat *feliciter agenti*.

2. *Viro quieto*] Bene vertit ἀπερισπάστῳ. Nam περισπᾶσθαι inter alia eſt *negotiis diſtrahi*.

Et cujus viæ directæ ſunt in omnibus] *Cui cuncta ſuccedunt proſperè*. Id enim eſt εὐοδεῖσθαι.

Et adhuc valenti accipere cibum] Id eſt, cui appetitus nondum proſtratus jacet. Vide Eccleſiaſtæ XII. 5. Menander,

> Ὅταν ᾖ γέρων τις ἐνδεής τε τὸν βίον,
> Οὐδ' ἂν τὸ θνήσκειν δεινόν· ἀλλ' ἐν τῷ καλῶς,
> Ἑκάτερον αὐτῶν τὴν ἀνάγνωσιν φέρει.
> [*Quoties ſenex eſt aliquis & victi indigens,*
> *Non durum eſt mortem oppetere : ſed cùm faciliter*
> *Vita agitur, tunc utriuſque diſcrimen patet.*]

3. *O mors bonum eſt judicium tuum*] Ius quo in homines uteris. Vide ſuprà XXXVIII. 23.

Homini indigenti, & qui minoratur viribus] Cui vires deficiunt. Singula membra ſingulis modò dictis opponuntur.

4. *Defecto ætate*] Decrepito : id enim eſt ἐσχατογήρῳ. Habes hanc vocem & infrà XLII. 8.

Et cui de omnibus cura eſt] *Qui in omnibus rebus agendis* ipſe *occupatur*, id eſt, alios non habet qui eum ſublevent.

Et incredibili qui perdit patientiam] Καὶ ἀπειθοῦντι καὶ ἀπολωλεκότι τὴν ὑπομονήν, id eſt, *ei qui non credit* ſe ſanitatem recuperare poſſe, *atque ultrà* vitæ incommoda *perferre non poteſt*. Menander,

> ——— ἡδὺ δ' ἀποθνήσκειν ὅτῳ
> Ζῆν μὴ πάρεσθ' ὡς βούλεται.
> [——— ——— *dulce eſt mori*
> *Cùm vivere non eſt ex animi ſententia.*]

5. *Noli metuere judicium mortis*] Legem illam,

Quod natum eſt poterit mori.

Memento quæ ante te fuerunt, & quæ ſuperventura ſunt tibi] Vt neutra ſumſit quæ per maſculinum rectiùs transferas, hoc ſenſu: *Cogita eos qui ante te fuerunt, & pòſt venturos*, omnes nempe eidem legi ſubjectos fuiſſe & fore.

Hoc judicium à Domino omni carni] Euripides,

Βροτοῖς ἅπασι καὶ θανεῖν ὀφείλεται.
[*Mortem ſubire certa lex mortalibus.*]

Ariſtophanes,

Τὸ γὰρ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον λῆρος πολύς·
Πᾶσιν γὰρ ἡμῖν τοῦτ᾽ ὀφείλεται παθεῖν.
[*Mortem timere, maximum delirium eſt:*
Namque unum id eſt, quod omnes debemus pati.]

6. *Et quid ſuperveniet tibi in beneplacito Altiſſimi?*] *Cur recuſas quod Deo placet?*

——— χρὴ τὸ μόρσιμον φέρειν.
[——— *neceſſe eſt ferre quod fatum jubet.*]

Sive decem, ſive centum, ſive mille anni: non eſt enim in inferno accuſatio vitæ] Illud *enim* in Græco non eſt, & ſine eo ſenſus meliùs cohæret. Non exprobrabitur tibi apud Manes quòd parùm aut diu vixeris.

8. *Filii abominationum fiunt filii peccatorum*] In Græco, *Exſecrabiles fiunt filii peccatorum*. Non conſiſtunt exempla ubi incipiunt.

Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Et qui converſantur ſecus domos impiorum] *Et fiunt converſantes in vicinia impiorum*. Parùm diſtant flagitioſi à manifeſtè impiis. παροικία hoc loco eſt *vicinia*, ut Pſalmo LV. 16. & apud Græcos ſæpe.

9. *Filiorum peccatorum periet hereditas*] *Malè parta malè dilabuntur.*

Et cum ſemine illorum aſſiduitas opprobrii] *Permanet opprobrium.*

Τοῦ δέ τ᾽ ἀμαυροτέρη γενεὴ μετόπισθε λέλειπται,
[*Obſcurum eſt illi genus, ac tandem interit omne,*]

ait hoc ipſum argumentum tractans Heſiodus.

10. *De patre impio queruntur filii, quoniam propter illum ſunt in opprobrio*] Etiam liberis non malis ſæpe exprobratur parentum impietas.

Δουλοῖ γὰρ ἄνδρα, κἂν θρασύσπλαγχνός τις ᾖ,
Ὅταν ξυνειδῇ μητρὸς ἢ πατρὸς κακά,
[*Nam celſa quamvìs pectora infringit dolor,*
Quoties parentum cogitant actus malos,]

ait in Hippolyto Euripides.

12. *Et ſi nati fueritis in maledictione naſcemini*] Secutus eſt lectionem vitioſam. Vera eſt, Ἐὰν γὰρ πληθυνθῆτε, εἰς ἀπώλειαν γεννήσετε, καὶ ἐὰν ἀποθάνητε, εἰς κατάραν μερισθήσεσθε· deinde aliquis illud πληθυνθῆτε, quod eſt obſcurius, expoſuit per γεννήσητε. Quidam & pro ἀπώλειαν, ſcripſere pari ſenſu κατάραν. Sed commodiſſima eſt quam poſuimus lectio. Senſus autem, *Si ſoboles fuerit vobis, genueritis ad exitium* (liberos): *ubi moriemini, exſecrandis annumerabimini.*

13. *Omnia quæ de terra ſunt in terram convertentur: ſic impii à maledicto in perditionem*] In Græco, *Sic impii in exitium*, id eſt, Sicut terra terræ debetur, ità malis mala:

Εἰ δείν᾽ ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ,
[*Qui dira fecit, dira par ipſum eſt pati,*]

ait Sophocles Ajace Locro.

14. *Luctus hominum in corpore ipſorum*] Multi quidem lugent eos, cùm corpus ſepelitur.

Nomen autem impiorum delebitur] In Græco, *Attamen nomen hominum non bonorum delebitur*. Nam οὐκ ἀγαθῶν [*non bonorum*] legendum, non οὐκ ἀγαθόν. Et quod in quibuſdam eſt ἁμαρτωλῶν [*peccatorum*], ex gloſſemate in textum malè irrepſit.

15. *Curam habe de bono nomine*] Bene *bono* addidit Interpres, ut planior eſſet ſenſus.

Hoc enim magìs permanebit tibi quàm mille theſauri pretioſi & magni] In Græco, *Quàm mille theſauri magni ex auro*. Græca eſt ſententia,

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλε.
[*Bene mavelis audire quàm diteſcere.*]

Ovidii verò,

Omnia ſi perdas, famam ſervare memento.

16. *Bonæ vitæ numerus dierum*] Vita quantumvìs bona ac commoda, non diu durat: dies ejus facilè numerari poſſunt.

Bonum autem nomen permanebit in ævum] In multa ſecula. Exemplo ſit illud Euripidis in Hippolyto,

Ὦ μάκαρ, οἵας ἔλαχες τιμάς,
Ἱππόλυθ᾽ ἥρως, διὰ σωφροσύνην.
Οὔποτε θνητοῖς ἀρετῆς ἄλλη
Δύναμις μείζων.
Ἦλθε γὰρ ἢ πρόσθ᾽ ἢ μετόπισθεν
Τῆς εὐσεβίης ἡ χάρις ἐσθλή.
[——— *Quos tu & quantos,*
Hippolyte heros, nactus honores,
Caſto vitæ tramite: namque hæc
Virtus homines prima coronat.
Citò vel ſerò ſequitur ſemper
Pietatem debita merces.]

17. *Diſciplinam in pace conſervate, filii*] *In rebus proſperis*. Tunc enim maximè opus prudentiâ.

Sapientia enim abſcondita & theſaurus inviſus, quæ utilitas in utriſque?] Rurſus recti pro obliquo. Senſus enim, *Quæ utilitas in his duabus rebus, in ſapientia latente, aut in theſauro inadſpicuo?* Habuimus eandem ſententiam ſuprà XX. 31. ſic & apud alios collectores eædem ſæpe ſententiæ ſub diverſis ponuntur titulis.

18. *Melior eſt homo qui abſcondit ſtultitiam ſuam quam homo qui abſcondit ſapientiam ſuam*] Et hoc habuimus ſuprà XX. 33.

19. *Verumtamen reveremini in his quæ procedunt de ore meo*] *Igitur veremini de iis quæ dicam*. Legendum enim ἐντράπητε [*veremini*], ut in Sixtina, pro quo malè in aliis ἐντραπήσεται.

20. *Non eſt enim bonum omnem reverentiam obſervare*] *Omnem pudorem vitare*. Nam ſic διαφυλάττειν ſumitur Proverbiorum VI. 24. & alibi. Senſus idem qui ſuprà IV. 25.

Et non omnia omnibus bene placent in fide] In Græco legitur quidem, καὶ οὐ πάντα τοῖς πᾶσιν ἐν πίστει εὐδοκιμεῖται· ſed legendum puto, πᾶσιν ἀπιστεῖν. Non eſt laudabile nulli credere. Sicut pudor quidam bonus, ſic & credulitas, ſi ità loqui licet,

Αἱ πίστεις γὰρ ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.
[*Evertit multos non credere, credere multos.*]

Quod generaliter dixerat, exemplis quibuſdam explicat; & primùm in quibus rebus pudor ſit laudabilis; additurus deinde ubi noceat.

21. *Erubeſcite à patre & matre de fornicatione*] Apud eos obſcœna loqui aut facere.

Et à præſidente & potente de mendacio] Mendacia tunc maximè cavenda ſunt ubi cum Magiſtratu res eſt. Quod Terentius dicit,

Nam qui mentiri aut fallere inſtituit patrem
Aut matrem, tantò magìs audebit cæteros:

idem ad publicos parentes non minùs rectè aptes. ἐν ἀγορᾷ ἀψευδεῖν [*in foro nihil mentiendum*], lex erat Græca.

22. *A Principe & à Iudice de delicto*] Nam quæ clàm fiunt fortè pœnam evadunt; quæ autem coram Rege aut Iudicum aliquo, ut manifeſta, ſtatim puniri ſolent.

A ſynagoga & à plebe de iniquitate] *Synagogam* hîc intellige συνέδριον τὸ μέγα [*magnum Senatum*], & ἀνομίαν *ſeditionem*. Statim enim opprimêris aut à Senatûs apparitoribus, aut ab ipſa multitudine.

23. *A ſocio & amico de injuſtitia*] Nam & amicitiam & ſocietatem eo modo dirimes.

Et de loco in quo habitas de furto] Congruenter præcedentibus dici debuit *à loco in quo habitas*, nempe tanquam incola. Si ibi fureris, ſtatim ſine venia ejicieris finibus; niſi quid etiam pejus tibi eveniat.

Ξένος πεφυκὼς, τοὺς ξενοδόχους σέβου.
[*Honorem habe, peregrine, ſuſceptoribus.*]

24. *De veritate Dei & teſtamento*] Legitur quidem in Græco, ἀπὸ ἀληθείας Θεοῦ καὶ διαθήκης· ſed legendum putem, ἀπὸ λήθης Θεοῦ καὶ διαθήκης [*ab oblivione Dei ac teſtamenti*]. *Pudeat te Dei aut Legis ejus oblivìſci.*

De diſcubitu in panibus] Puto ſcripſiſſe Interpretem *de decubitu*, & *decubitûs* voce intellexiſſe τὴν πῆξιν ἀγκῶνος, ut in Græco eſt. *Pudeat te cubitum menſæ* imponere.

Et ab obfuſcatione dati & accepti] *A fraude in contractibus.* σκορακισμὸς inter alia à Græcis exponitur ἀπάτη. Quod Græci unâ voce dicunt συνάλλαγμα, & Latini *contractum*, id hic Scriptor more Helleniſtico dicit δόσιν καὶ λῆψιν [*dationem & acceptionem*], XLII. 7.

25. *A ſalutantibus de ſilentio*] *Pudeat te non reſalutare ſalutantem.*

A reſpectu mulieris fornicariæ] *Meretricem inviſere pudeat*. Id enim hîc ὅρασις.

Et ab averſione vultûs cognati] Bene legit συγγενοῦς [*cognati*], ut eſt in Sixtina, non, ut in aliis, ἐγγενοῦς. *Pudeat te averſari propinquorum preces.* Hoc explicans quidam margini adſcripſerat, *Nè avertas faciem à proximo tuo:* quod in Latinum textum penetravit, cùm in Græco non ſit.

26. *Et ab auferendo partem, & non reſtituendo*] In Græco, *Ab ablatione partis & dationis*: ubi eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo ſignificatum*], pro *partis dandæ.* Si de publico aut communi aliquid diſtribuere juſſus ſis, pudeat te ullam partem indè ſubtrahere.

27. *Nè reſpicias mulierem alieni viri*] In Græco, ἀπὸ κατανοήσεως γυναικὸς ὑπάνδρου. *Pudeat te familiarem eſſe nuptæ alterius*: id enim ſuſpiciones & rumores non bonos ſolet excitare.

Et nè ſcruteris ancillam ejus, neque ſteteris ad lectum ejus] Græca lectio nonnihil variat; ſed optima lectio eſt, ἀπὸ περιεργίας παιδίσκης, καὶ μὴ ἐπιστῇς ἐπὶ τὴν κοίτην αὐτῆς, *Pudeat te curioſè* (*oculis devorantibus*, ut Martialis loquitur) *adſpicere ancillam alienam, aut etiam propè ad locum ubi cubat accedere.* Nimirum quia facilè dominus eo offendi poſſet.

28. *Ab amicis de ſermonibus improperii*] *Pudeat te amico probra ingerere.*

Et cùm dederis nè improperes] Aut *exprobrare data.* Vide ſuprà XVIII. 18. XX. 15. XXII. 25. 27.

CAPVT XLII.

1. *NOn duplices ſermonem auditûs*] Hæc planè cum ſuperioribus connectenda erant. Pergit enim dicere quorum pudere debeat, καὶ ἀπὸ δευτερώσεως. *Pudeat te cum aliorum tædio repetere quæ dixeris.* Vide ſuprà XIX. 7. Sequitur in Græco καὶ λόγου ἀκοῆς, id eſt, *pudeat te pro certis affirmare quæ non ipſe tuis ſenſibus percepiſti, ſed ex aliorum relatu habes.*

De revelatione ſermonis abſconditi] *Pudeat etiam te arcana tibi credita aliis prodere.* Vide ſuprà XX. 26.

Et eris verè ſine confuſione] In Græco, *Et eris verè*, id eſt, quatenus oportet, *verecundus.*

Et invenies gratiam in conſpectu omnium hominum] *Apud omnes.* Nam rectus pudor mirè homines commendat.

Nè de his omnibus confundaris] Sicut alibi dixerat, ut & Heſiodus & Euripides, alium bonum, alium malum eſſe pudorem, poſt boni pudoris exempla, quædam mali pudoris genera explicare hîc aggreditur, quod ex parte & ſuprà fecerat, IV. 26. & ſequentibus; & XX. 24.

Et nè accipias perſonam ut delinquas] *Et* hîc & in Græco eſt pro *nempe*. Incipit enim commemorare multos pudores. Primus eſt, per quem quis reverentiâ potentis in delictum inducitur. Idem ſignificavit ſuprà XX. 24.

2. *Et de Lege Altiſſimi, & de teſtamento*] Malus pudor qui impedit loqui pro Lege & promiſſis Dei ubi datur occaſio.

Et de judicio juſtificare impium] Aut qui vetat obloqui ſententiis eorum qui id agunt ut nocentem abſolvant.

3. *De verbo ſociorum & viatorum*] Qui impedit quominus quis aut ſodales aut viæ comites ſuavi ſermone oblectet.

Et de datione hereditatis amicorum] Qui prohibet amicis bene meritis legata relinquere, nempe nè propinqui offendantur.

4. *De æqualitate ſtateræ & ponderum*] Qui vetat queri de falſa menſura ac ponderibus, quæ & privatim & publicè nocent.

De acquiſitione multorum & paucorum] Qui prohibet ſine injuria acquirere opes, aut magnas invidiæ metu, aut parvas, nè minùs generoſus videaris.

5. *De corruptione emptionis & negotiatorum*] In Græco, *De pecunia venditionis mercatorum.* Malus eſt pudor qui vetat flagitare pretium à mercatore qui rem emit. *Bona nomina non interpellando fiunt mala.*

Et de multa diſciplina filiorum] Malus pudor qui vetat aſſiduum eſſe in liberis inſtituendis.

Et ſervo peßimo latus ſanguinare] Aut qui vetat ſervos admonere flagris. Apud Hebræos latera præcipuè loris cædebantur. Vide ſuprà XXX. 12.

6. *Super mulierem nequam bonum eſt ſignum*] *Adversùs mulierem improbam utilis eſt annulus.* Nempe qui penum réſque alias obſignat. Martialis,

Nunc ſignat meus annulus lagenam.

7. *Vbi manus multæ ſunt, claude*] Nempe *cellas.* Facilia enim ibi furta.

Et quodcunque trades numera & appende] In Græco, *in numero & pondere*, ſupple *trade*, domeſticis tuis ſcilicet.

Datum verò & acceptum omne deſcribe] *In ſcripto*, ſupple, *habentor*. In diario ſcribe, quid cuique tradideris, quid viciſſim de labore ejus acceperis. Vide ſimilia præcepta primo Oeconomicôn, quæ Ariſtoteli adſcribuntur, cap. *6.*

8. *De diſciplina inſenſati & fatui*] Subaudi ex ſuperioribus, *nè te pudeat*. Non debet pudor nos impedire quominus moneamus eos qui per ignorantiam, aut animi vitio à recto aberrant.

Et de ſenibus qui judicantur ab adoleſcentibus] *Et decrepiti qui cum juvenibus certant.* Hunc quoque monere non pudeat. Facit enim rem ſua perſona indignam, quòd jurgii ſerram reciprocando ſe juvenibus æquat. Tali dici poteſt,

Ἄττα γέρον, μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.
[*Care ſenex, juvenes tibi dant pugnando laborem.*]

Et eris eruditus in omnibus] *Eris verè prudens.* Si ea quæ dixi obſervaveris.

Et probabilis in conſpectu omnium virorum] Approbaberis ab omnibus.

9. *Filia patris abſcondita*] Id eſt, virgo: nam עלמה Hebræis *abſconditam* ſignificat. De cauſa hujus vocabuli vide quæ dicta ad Matth. I. 23.

Eſt vigilia] Cauſa vigiliæ. Metonymia.

Et ſollicitudo ejus] Id eſt, *pro ea.*

Aufert ſomnum] Ἀφιστᾷ ὕπνον, Nempe patri. Menander,

Ἀλλὰ θυγάτηρ κτῆμ' ἐστιν ἐργῶδες πατρί.
[*At nata genitori operoſa eſt poſſeßio.*]

Et alibi,

Χαλεπόν γε θυγάτηρ κτῆμα, καὶ δυσδιάθετον.
[*Filia moleſtum incommodúmque peculium eſt.*]

Nè fortè in adoleſcentia ſua adulta efficiatur] *Primùm in adoleſcentia ejus* (id eſt, dum innupta eſt) cura patrem tenet *nè melior ætas ei tranſeat*, nempe ſine conjugio: quod pleriſque Hebræis infauſtum habebatur. παρακμάζειν hîc dicitur filia quæ ὑπέρακμος Paulo I Corinth. VII. 36. *exoleta virgo* Plauto. Menander,

Θυγάτηρ ἐπίγαμος κἂν ὅλως μηδὲν λαλῇ,
Διὰ τὸ σιωπᾶν πλεῖστα περὶ αὐτῆς λέγει.
[*Ætate nata nubili ut dicat nihil,*
Satìs tamen ipſo ſignificat ſilentio.]

Martialis,

Iam poſcit dotem filia grandis.

Et cum viro commorata odibilis fiat] *Et viro data nè odioſa fiat.* Nè expellatur.

10. *Nequando polluatur in virginitate ſua*] Ἐν παρθενίᾳ, id eſt, *eo tempore quo virgo appellatur cura eſt nè polluatur.* Vide à nobis ad dictum Matthæi locum allata ex Muſæo & aliis. βεβηλῶσαι dicitur virgo quæ ſtupratur, Iudith. IX. 2.

Et in paternis ſuis gravida inveniatur] *In paternis*, id eſt, in domo patris, quomodo apud Lucam dicitur ἐν τοῖς τοῦ πατρός, II. 49. & apud Iohannem εἰς τὰ ἴδια [*in ſua*], XVI. 32. XIX. 27. *in ſacris paternis* dicunt Romani.

Nè fortè cum viro commorata tranſgrediatur] *Virò autem conjuncta nè violet matrimonium.* συνοικεῖν [*unà habitare*] & μετ' ἀνδρὸς εἶναι [*cum viro eſſe*] ſunt verba connubium ſignificantia.

Aut certè ſterilis efficiatur] *Aut nupta nè ſterilis appareat.* Nam verba Hiphil, ad quam formam eſt hoc στειρῶσαι [*ſterilem deprehendi*], ſæpe nihil aliud quàm ejus quod eſt manifeſtationem ſignificant.

11. *Super filiam luxurioſam firma cuſtodiam*] Habuimus hoc ſuprà XXVI. 13. De tali Catullus,

Aſſervanda nigellulis delicatiùs uvis.

Menander dixit,

——— μοχλοῖς καὶ διὰ σφραγισμάτων
Σώζειν δάμαρτα.
[——— *ſerarum vectiumque obſtaculis*
Servare uxorem.]

A detractione in civitate] In Græco, *Fabulam per urbem*, nempe te faciat, quod præceſſit.

Et objectione plebis] In Græco, ἔκκλητον λαοῦ ſcribitur: ſed reſcribendum ἔγκλητον λαοῦ, *accuſatam à populo.* Eſt enim constructio qualis διδακτοὶ Θεοῦ [*dociles Dei*] Iohan. VI. 45. ubi plura exempla attulimus.

Et confundat te in multitudine populi] *In turba multorum*: ubi dicetur, Filia tua mœcha eſt.

12. *Omni homini noli attendere in ſpecie*] *Noli attentè ſpectare quenquam formæ cauſâ.*

Et in medio mulierum noli commorari] Eſt συνέδρευε [*conſide*] in Græco: ſed eâ voce Hebræi ſæpe moram quamvis ſignificant, ità ut rectè verterit hîc Interpres.

13. *Et à muliere iniquitas viri*] In Græco, *Nequitia mulieris*: adſpectus petulci, ſermones lenocinantes.

14. *Melior eſt enim iniquitas viri quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in opprobrium*] Id eſt, minus eſt mali ab ira viri quàm à comitate mulieris, quæ mulier tibi cauſa ſit futura probri. γυνὴ [*mulier*] bis repetitum oſtendit de eadem agi, quæ & blanda ſit, & tamen noceat.

Τερπνὸν κακὸν πέφυκεν ἀνθρώποις γυνή.
[*Mulier hominibus illecebroſum eſt malum.*]

15. *Memor ero igitur operum Domini*] *Memor nunc ero*, δή. Novum ſermonem exorditur de Dei operibus eximiis. Hic ſermo continuatur uſque ad δοξολογίαν [*laudationem*] virorum illuſtrium.

Et quæ vidi annuntiabo in ſermonibus Domini opera ejus] Sic quidem in Græco nunc legitur, καὶ ἃ ἑώρακα ἐκδιηγήσομαι ἐν λόγοις Κυρίου τὰ ἔργα αὐτοῦ. Sed puto ſcriptum fuiſſe, καὶ ἃ ἑώρακα ἐκδιηγήσομαι ἐν λόγοις· addita verò gloſſemata, τὰ ἔργα αὐτοῦ, & ab alio, Κυρίου τὰ ἔργα, irrepſiſſe in textum, ut alia alibi. Senſus enim eſt, *Dei magnifica opera quæ vidi, verbis exſequar.*

16. *Sol illuminans per omnia reſpexit, & gloriâ Domini plenum eſt opus ejus*] Nondum hîc de Sole agit: quod tamen lectori videri poteſt facere. Primùm agit de Vniverſo, deinde de Cœlo, deinde de Sole Luna & Aſtris: quare hujus loci hic eſt ſenſus, *Sicut Sol omnia perluſtrat, ità & opus hoc Dei* (univerſum) *plenum eſt ipſius majeſtate. Ipſius*, Dei ſcilicet, cujus præceſſit mentio: quanquam & ſine tali præcedenti mentione ſæpe αὐτὸς [*Ipſe*] de Deo dicitur.

17. *Nónne Dominus fecit ſanctos enarrare omnia mirabilia ſua, quæ confirmavit Dominus omnipotens ſtabiliri in gloria ſua?*] In Græco Sixtino ſic legimus, οὐκ ἐνεποίησε τοῖς ἁγίοις Κύριος ἐκδιηγήσασθαι πάντα τὰ θαυμάσια αὐτοῦ, ἃ ἐστερέωσε Κύριος ὁ παντοκράτωρ, στηριχθῆναι ἐν δόξῃ αὐτοῦ τὸ πᾶν, *Non dedit Dominus facultatem* ipſis *ſanctis enarrandi* plenè *mira ipſius, quæ* ipſe *Deus omnipotens conſtituit*, nempe ideo *ut ad ejus honorem Vniverſum hoc ſubſiſteret*. Hoc præfatur nè putet à ſe exſpectandum ut res verbis æquet.

18. *Abyſſum & cor hominum inveſtigavit*] Sicut intima maris ſpectat, ſic & hominum intima. ἀνθρώπων [*hominum*] videtur excidiſſe in Græco.

Et in aſtutia eorum excogitavit] *Et verſutias eorum intellexit*. Hebræorum eſt accuſativos ſæpe explicare per ב, quod eſt ἐν [*in*] in Græco. Quantumvìs multis aſtutiis ſua conſilia homines tegant, Deus ea introſpicit.

19. *Cognovit enim Dominus omnem ſcientiam*] Id eſt quidquid ullo modo ſciri poteſt. Eſt enim μετωνυμία [*Tranſnominatio*].

Et inſpexit in ſignum ævi] Singula puncta temporis videt. Pars temporis quanta minima in horologiis notari poteſt, dicitur σημεῖον [*ſignum*]. Vide Pollucem.

Annuntians quæ præterierunt, & quæ ſuperventura ſunt] Id eſt, *faciens ut ſciat*. Nam הוריע ſolet verti ἀπαγγέλλειν. Homerus,

> Ὃς ᾔδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.
> [*Qui novit quod erit, quódque eſt, & quod fuit antè.*]

Revelans veſtigia occultorum] Id eſt, certis veſtigiis occulta deprehendens.

21. *Magnalia ſapientiæ ſuæ decoravit*] In Græcis multis eſt, διὰ τῆς σοφίας, *Magna ſua opera per ſapientiam ordinavit*. Sic enim ἐκόσμησεν [*ordinavit*] etiam ſuprà habuimus XVI. 28.

Qui eſt ante ſeculum & uſque in ſeculum] *Qui ſemper fuit, ſempérque erit*. Rectior enim eſt lectio ὅς ἐστι [*qui eſt*] quàm quæ in Sixtina, καὶ ἕως ἐστί.

22. *Neque adjectum eſt, neque minuitur*] Nempe ad ſummam rerum. Manet eadem moles materiæ.

Et non eget alicujus conſilio] Ad conſervandam eam molem.

23. *Quàm deſiderabilia omnia opera ejus, & tanquam ſcintilla quæ eſt conſiderare*] *Quàm amanda ſint omnia opera ejus id vel ex ſcintilla diſci poteſt*. Scintilla res minima eſt: vide tamen quanta indè utilitas. Nam ex ſcintilla lux oritur & calor, res duæ ad vitam & artes neceſſariæ.

24. *Omnia hæc vivunt*] *Vivere* hîc ſumitur generaliùs quàm vulgò: *vim ſuam exſerunt*.

Et manent in ſeculum, & in omni neceſſitate omnia obaudiunt ei] In Græco, *Et manent perpetuò in uſibus omnibus* (ad quos ſunt ordinata), *& cuncta parent*, Dei ſcilicet legibus.

25. *Omnia duplicia*] *Omnia bina*.

Vnum contra unum] Inter ſe contraria, ut Sol, terra; lux, tenebræ; calor, frigus; ſiccitas, humor; dies, nox. Vide ſuprà XXXIII. 16. Linus, aut quisquis ſub ejus nomine Phyſica edidit,

> Ὡς κατ' ἔριν συνάπαντα κυβερνᾶται διὰ παντός.
> [*Quidquid ubique patet diſcordia ſola gubernat.*]

Quod Linus ἔριν [*diſcordiam*], id νεῖκος [*litem*] dixere Epimenides & Parmenides.

Et non fecit quicquam deeſſe] Id eſt, fecit ut nihil deeſſet quod ad hujus machinæ ſummam requireretur.

26. *Vniuſcujuſque confirmavit bona*] *Alterum alterius bona conſtituit*. Contraria enim ſe mutuò ipsâ viciſſitudine commendant: & ſic habent in quo vires ſuas exerceant.

Et quis ſatiabitur videns gloriam ejus?] Mira ſanè ars quæ diſcordiam fecit tam concordem, qualis eſt in cantuum συμφωνίᾳ [*conſonantiâ*]. Sapiens, teſte Clemente Alexandrino, τὰς ἐν τῷ κόσμῳ ἐναντιότητας ἁρμονίαν κτίσεως καλλίστην λογίζεται [*eas quæ in Mundo ſunt repugnantias optimum creaturæ concentum exiſtimat*].

CAPVT XLIII.

1. *Altitudinis firmamentum pulchritudo ejus eſt*] *Cælum illud puriſſimum* (id eſt, æther) *decus eſt loci ſublimis*. ὕψος dixit, ut Ennius, *hoc ſublime candens*.

Species cœli in viſione gloriæ] Tota cœli ſpecies adſpectu ſuo præfert majeſtatem.

2. *Sol in aſpectu annuntians in exitu*] *Sol ipſo adſpectu illum glorioſum* (id eſt, Deum) *annuntians*. Iterum hîc ἐν [*in*] eſt pro accuſativo.

Vas admirabile] *Inſtrumentum admirabile*.

Opus Excelſi] Non mirum, ſi inſtrumentum Dei eſt, cùm Dei ſit opificium.

3. *In meridiano*] *In meridie ſuo*.

Exurit terram] *Areſacit*.

Et in conſpectu ardoris ejus quis poterit ſuſtinere?] Docet id Apologus Æſopi de Sole & Vento.

3. 4. *Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris: tripliciter Sol exurens montes*] In Græco legimus, κάμινον ἐκφυσῶν ἐν ἔργοις καύματος· ſed omnino legendum puto, ἔνεργος καύματος. *Qui fornacem folle ventilat, cauſa eſt ardoris: at triplo magis Sol, ut qui & montes urat*. Ille fornaces accendit, hic montes ipſos fumare facit.

Et refulgens radiis ſuis obcæcat oculos] Præſtinguit oculorum aciem.

5. *Et in ſermonibus ejus feſtinare fecit iter*] Cujus juſſu iter celerat. Eſt enim recta lectio κατέσπευσε [*feſtinare fecit*], quam habet Sixtina, præ κατέπαυσε, quod habent editiones aliæ.

6. *Et Luna in omnibus in tempore ſuo*] Καὶ σελήνη ἐν πᾶσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς. Sed melior alia lectio, εἰς στάσιν εἰς καιρὸν αὐτῆς. Nam ἐποίησε [*fecit*], quod quidam

codices habent, ex gloſſemate eſſe puto. *Luna quoque in ſtatione ſua eſt ſuo tempore*, nocturno ſcilicet.

Oſtenſio temporis] Menſtrui.

Et ſignum ævi] Nam anni ad Lunæ non minùs quàm ab Solis curſum diriguntur.

7. *A Luna ſignum diei feſti*] Interlunia enim feſta omnia: & cæteri dies feſti vocabantur à Luna, ut XIV Lunæ Niſan, & ſic alii.

Luminare quod minuitur in conſummatione] Id eſt, minuitur donec non appareat.

8. *Menſis ſecundùm nomen ejus eſt*] A prima Luna primus, à ſecunda ſecundus.

Creſcens mirabiliter in conſummatione] In Græco legimus αὐξανόμενος (nempe φωστὴρ [*Luminare*], quod præceſſit de Luna) ἐθαυμάστωσεν ἀλλοιώσεις, *Miras efficit varietates*, primùm μηνοειδὴς [*falcata*], deinde διχότομος [*dividua*], pòſt ἀμφίκυρτος [*gibboſa*], ad ultimum πανσέληνος [*plena*]. Verbum θαυμαστοῦν [*mira efficere*] habemus & Pſalm. IV. 4. XVI. 3. XVII. 7. II Samuel. I. 26. II Paralip. XXVI. 16. & alibi. Sixtina minùs rectè hîc habet, αὐξανομένη θαυμαστῶς ἐν ἀλλοιώσει [*creſcens mirabiliter in varietate*].

9. *Vas caſtrorum in excelſis*] *Vas caſtrorum* vocat φρυκτωρίαν [*ſignum per faces*]. Milites ignium ſignificationibus utuntur. Talis in cœlo Luna.

10. *Species cæli gloria ſtellarum*] *Cælum formoſum facit ſtellarum ſplendor.*

Mundum illuminans in excelſis Dominus] Legit κόσμον & Κύριος. Sed melior lectio, κόσμος φωτίζων ἐν ὑψίστοις Κυρίου, *Ornatus lucens in ſublimibus Dei locis.*

11. *In verbis Sancti ſtabunt ad judicium*] Ἐν λόγοις ἁγίου στήσονται κατὰ κρίμα, non κατάκριμα, ut habent quidam codices. *Juſſu Sancti* (id eſt, Dei) *ſtant in ſuo ordine.* משפט, quod plerumque κρίσιν, aut κρῖμα [*judicium*] vertunt Helleniſtæ, etiam *ordinem* ſignificat, ut apparet Pſalmo CXIX. 91. In Græco Numeror. IX. 14. XV. 22. I Regum IV. 28.

Et non deficient in vigiliis ſuis] Bene legit, οὐ μὴ ἐκλυθῶσιν, ut eſt in Sixtina. ἐκλύεσθαι eſt *delaſſari*, לאה.

12. *Vide arcum*] Iridem.

Valde ſpecioſus eſt in ſplendore ſuo] Ob varietatem colorum.

13. *Gyravit cælum in circuitu gloriæ ſuæ*] Id eſt, ſemicirculo ſuo, ab una parte cœli ad aliam pertingit. *Imperfectum gyrum* arcui cœleſti tribuit & Lucanus IV.

Manus Excelſi aperuerunt illum] *Extenderunt illum*, ἐτάνυσαν.

14. *Imperio ſuo acceleravit nivem*] Deus ſcilicet: de quo multa jam dicta. Hîc quoque pro κατέσπευσε [*acceleravit*], quod eſt in Sixtina, quidam codices malè habent κατέπαυσε.

Et accelerat coruſcationes emittere judicii ſui] *Subitò venire facit fulgetra judicii ſui*, id eſt, per quæ judicium ſuum exſequitur, ut olim in Sodomitas.

15. *Propterea aperti ſunt theſauri*] Διὰ τοῦτο, id eſt, ejuſdem judicii exſequendi causâ. *Theſaurus Dei* de Pluvia dicitur Deuteronomii XXVIII. 12. de Nive & Grandine Iob. XXXVIII. 22. de Ventis Pſalmo CXXXV. 7. Ierem. X. 13. de Luce Ierem. LI. 16.

Et evolaverunt nebulæ] *Nubes.*

16. *In magnitudine ſua poſuit nubes*] *Potentiâ ſuâ condenſat nubes.*

Et confracti ſunt lapides grandinis] Id eſt, *lapides grandinis*, quaſi rupe fractâ, huc illuc diſſiliunt.

17. 18. *In conſpectu ejus commovebuntur montes, & in voluntate ejus aſpirabit Notus. Vox tonitrui ejus verberabit terram, tempeſtas Aquilonis, & congregatio ſpiritûs*] Eſt hîc & in Sixtina tranſpoſitio. Ordo melior in aliis codicibus Græcis, ut priùs de Tonitru agatur, deinde de Ventis. *Sonus tonitrui ipſius parturire facit terram* (id eſt, rumpi, ut puerperæ), *& ad adſpectum ejus ipſi montes commovebuntur.* Terræ motu Oſſam ab Olympo diſſiluiſſe ait Seneca. Alpes Penninas ſæpe tremuiſſe ait Plinius. Sequitur deinde, *Illo volente flat Notus, & procella Boreæ & vortex.* συστροφὴ πνεύματος pro *vortice* eſt & Oſeæ IV. 19. Vide de Vortice Senecam quinto Naturalium.

19. *Et ſicut avis deponens ad ſedendum diſpergit nivem*] *Spargit* Deus *nivem*, *velut avem ex alto devolantem.*

Et ſicut locuſta demergens deſcenſus ejus] *Cujus* (nivis) *deſcenſus ſimilis eſt locuſtæ ſedes figenti.* Sic καταλύειν etiam ſuprà habuimus XXXVI. 28.

20. *Pulchritudinem candoris ejus admirabitur oculus*] Virgilius,

Qui candore nives anteirent.

Et ſuper imbrem ejus expaveſcit cor] Meritò. Solent enim viatoribus viſum adimere. Notatum id Xenophonti.

21. *Gelu ſicut ſalem effundit ſuper terram*] Pro gelu in Græco eſt *pruinam*, quæ gelu ſolet portendere.

Et dum gelaverit fiet tanquam cacumina tribuli] Bene ad ſenſum exprimendum addidit *tanquam.* Pruina congelata eſt velut aculeorum cuſpis.

22. *Frigidus ventus Aquilo flabit*] *Horrida flabra Aquilonis* dicunt Poëtæ.

Et gelavit cryſtallus ab aqua] *Ex aqua concreſcit glacies.*

Super omnem congregationem aquarum requieſcet] Non ſuper ſtagna tantùm ſed & ſuper flumina ſe ſternet.

Et ſicut loricâ induet ſe aquis] *Aquam induet tegmine quaſi loricæ.*

23. *Et devorabit montes*] *Depaſcetur montes*, auferendo virorem, ut ſequitur.

Et exuret deſertum] Sic & Poëtæ dicunt, *penetrabile frigus adurit, & torret hyems*, quia ſuccum aufert rebus.

Et extinguet viride ſicut igne] *Velut ignis virorem exſtinguit:* nam futura hîc ſunt pro aoriſtis, more Hebræo.

24. *Medicina omnium in feſtinatione nebulæ*] *Subita horum omnium medicina erit nebula*, id eſt, ver, quod per *nebulam*, id eſt, ὁμίχλην, hîc ſignificatur. Eſt enim ὁμίχλη ἀτμώδης ἀναθυμίασις, ἀέρος μὲν παχυτέρα, νέφους δὲ ἀραιοτέρα [*nebula vaporoſa halatio, aëre craſſior, nube tenuior*], ut ait ſcriptor de Mundo.

Et ros obvians ab ardore venienti humilem efficiet eum] Primum & bene addidit, ſive in Græco olim fuit, ſive ſubintelligatur. Sed pro *humilem efficiet eum* ſcripſit Interpres *hilarem efficiet eum*, ἱλαρώσῃ· *eum* intellige *hominem*: quanquam enim ejus mentio non præceſſit, ſatìs id ex re ipſa intelligitur. Et ſic ſæpe affixa ponunt Hebræi, ſubaudito nomine.

25. *In ſermone ejus ſiluit ventus, & cogitatione ſuâ placavit abyſſum, & plantavit in illa Dominus inſulas*] Græcè habemus, λογισμῷ αὐτοῦ ἐκόπασεν ἄβυσσον, καὶ ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νήσους. Sed legendum eſt, ἄβυσσος· deinde, ἐφύτευσεν ἐν αὐτῇ νῆσος. *Ad imperium ejus* (nempe caloris verni, de quo præceſſit ſermo) *ſilet mare; & ſiqua eſt in mari inſula, plantas profert*. Id eſt, vireſcit. Quantum peccent ſcribæ per ignorantiam, aut ſtudium perverſum religionis, ex hoc loco intelligas. Quidam enim ſic ſcripſere, καὶ ἐφύτευσεν αὐτὴν Ἰησοῦς· quod & in Latina quædam exemplaria irrepſit, *& plantavit illam Dominus Ieſus*.

26. *Qui navigant mare enarrent pericula ejus*] διηγοῦνται, id eſt, *ſi enarrent*: ut abundet καὶ [*&*], quod ſequitur.

Audientes auribus noſtris admirabimur] *Super ea quæ audiet auris noſtra admirabimur*. Nam ἐπὶ hîc ſubauditur.

27. *Illic præclara opera & admirabilia*] *Inopina opera*, παράδοξα, quæ vix quiſquam credat; Pſalmo CVII. 23.

Varia beſtiarum genera] *Animantium genera* marinorum. Ait Plinius IX. 2. *quicquid naſcatur in parte naturæ ulla, & in mari eſſe, præterque, multa quæ nuſquam alibi*. Addit *complura in iis majora eſſe terreſtribus: cauſam evidentem, humoris luxuriam*.

Et omnium pecorum] Non eſt in Græco, ſed in præcedenti comprehenditur.

Et creatura belluarum] Κτίσις κητῶν, ut eſt in Sixtina. In aliis codicibus malè κρίσις. Bene vertit *belluarum*: nam & Oceanum hinc *belluoſum* dixit Horatius.

28. *Propter ipſum confirmatus eſt itineris finis*] Legit δι᾽ αὐτὸν εὐοδοῖ τέλος αὐτοῦ, ut eſt in quibuſdam codicibus; ſed melior videtur lectio altera, δι᾽ αὐτὸν εὐοδοῖ ὁ ἄγγελος αὐτοῦ, *Per ipſum* (mare, nam ἄβυσσος Græcis tam maſculinum eſt quàm femininum) *properum iter fecit nuntius ejus*, id eſt, navis. Εὐοδοῦν ſive Εὐοδεῖν [*expeditum iter præbere, expedito itinere progredi*] modò tranſitivum eſt, modò neutrum, ut hîc.

Et in ſermone ejus compoſita ſunt omnia] Legit, ut habemus in Græcis, καὶ ἐν λόγῳ αὐτοῦ σύγκειται τὰ πάντα, *Et ad imperium ejus* (maris) *omnia confunduntur*. Mergitur navis, merces, nautæ, vectores. Imperium hîc Mari tribuit κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*], ut modò Veri commate 25.

29. *Multa dicemus, & deficiemus in verbis*] Id eſt, *Vt multa dicamus* de Dei operibus, *tamen nos verba deficient*: ſuprà XLII. 18.

Conſummatio autem ſermonum] Hæc ſumma eſt dictorum & dicendorum.

Ipſe eſt in omnibus] Legitur in Græco, αὐτός ἐστι τὸ πᾶν· ſed legendum, αὐτοῦ ἐστι τὸ πᾶν, *Ipſius eſt hoc Vniverſum*. Nulla eſt pars aut particula quam non ille fecerit aut gubernet.

30. *Glorificantes ad quid valebimus?*] *Si celebrare eum velimus, in quo poterimus?* Dignè ſcilicet. Ratio hujus interrogationis, quæ negandi vim habet, ſequitur.

Ipſe enim omnipotens ſuper omnia opera ſua] Nos nihil niſi opera ipſius videmus: at ea longè infra ipſum ſunt. Quomodo ergò dignè eum laudemus?

32. *Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis*] In Græco, *Celebrantes attollite Dominum quantum poteritis*.

Supervalebit enim adhuc] *Attamen ſuperior erit*, omnibus nempe laudibus veſtris. Sic ὑπερέχειν [*ſuperare*] ſumitur & Geneſ. XLI. 40.

Et admirabilis magnificentia ejus] Non eſt hoc in Græco, nec id quod ſequitur comma.

34. *Exaltantes eum replemini virtute*] In Græco, πληθύνατε ἐν ἰσχύϊ, id eſt, omnes vires veſtras colligite.

Nè laboretis] *Nè delaſſamini*. Sic enim κοπιᾶν ſumitur Matthæi VI. 28. XI. 28. Eſaïæ XXXIII. 24. & alibi.

Non enim comprehendetis] Οὐ γὰρ μὴ ἐφίκησθε, *non tamen aſſequemini*.

35. *Quis videbit eum, & enarrabit?*] *Quis eum vidit, ut ediſſerat?* καὶ pro *ut*. Vide Iohan. I. 18. V. 37. VI. 46.

Et quis magnificabit eum ſicut eſt ab initio?] *Ab initio* addidit Interpres. Senſus eſt, *Quis eum laudabit quantus eſt?*

36. *Multa abſcondita ſunt majora his*] His quæ diximus. Nam de Angelis nihil egit.

Pauca enim vidimus operum ejus] Multa quæ in viſceribus terræ & maris, & in aëre, & in æthere ſunt, nos latent; quantò magìs illa in ſummo cœlo?

37. *Omnia autem Dominus fecit*] Quæ uſquam ſunt, ſpectabilia & inadſpicua.

Et piè agentibus dedit ſapientiam] Nempe quanta ipſis ſufficit.

CAPVT XLIV.

ABſolutis Præceptis, & Operum Dei explicatione, alium Scriptor hic ſermonem ingreditur. Solebant in Templo & ad Templi exemplum in Synagogis commemorationes fieri virorum excellentium, quas εὐλογίας [*benedictiones*] dixit hic noſter aliquoties. Earum hîc tradit formulam, plenam Hebraïcæ eloquentiæ. In Græco inſcriptio eſt, ΠΑΤΕ΄ΡΩΝ Υ΄ΜΝΟΣ [PATRVM LAVDATIO].

2. *Multam gloriam fecit Dominus*] Ἔκτισεν eſt in Græco; ſed rectiùs legas ἐκτήσατο· ſequitur enim in Græco, quod in Latino abeſt, ἐν αὐτοῖς. *Magnam laudem ſibi Deus per eos paravit*.

Magnificentiâ ſuâ] Id eſt, *per potentiam ſuam*.

A ſeculo] Id eſt, jam olim.

3. *Dominantes in poteſtatibus ſuis*] *In regnis ſuis*. Sunt ſcilicet inter illos. Nam claſſes quaſdam conſtituit eorum de quibus acturus eſt.

Homines magni virtute] *Celebres ob pollentiam*. Ità enim in Græcis.

Et prudentiâ ſuâ præditi] *Qui pro prudentia ſua ceperunt conſilia*. Nam participiis, præſentibus & præteritis, promiſcuè utitur pro aoriſtis.

Nuntiantes in Prophetis dignitatem Prophetarum]

In Græco, *Qui per prophetias annuntiarunt*, nempe futura.

4. *Et imperantes in præſenti populo, & virtute prudentiæ populis ſanctiſſima verba*] *Qui praivere populo conſiliis, & eâ prudentiâ quæ decet populi Doctores.* ספר, γραμματεὺς, *Doctor populi* : ejus munus γραμματεία [*Literatura*]. Sequitur in Græco, σοφοὶ λόγοι ἐν παιδείᾳ αὐτῶν· ubi eſt Hebraïca conſtructio, pro eo quod diceres, *In quorum doctrina* (id eſt, cùm populum inſtituerent) *erant ſermones ſapientes.*

5. *In peritia ſua*] Hoc pertinet ad membrum præcedens, ut jam vidimus.

Requirentes modos muſicos] Fuere inter eos etiam *qui nova carmina excogitarunt.*

Et narrantes carmina ſcripturarum] *Et qui ſcripto ſententias explicuere.*

6. *Homines divites in virtute*] Quidam eorum *divites facultatibus donati*, à Deo ſcilicet. ἰσχυῒ pro *facultatibus* habuimus & ſuprà XIV. 13. XXVIII. 11. & alibi ſæpe.

Pacificantes in domibus ſuis] *Domi ſuæ proſperè agentes.* Hoc ſenſu εἰρηνεύειν habuimus & ſuprà XLI. 1. ἐν ταῖς κατοικίαις [*in domibus*], rectior hæc lectio quàm altera, ἐν ταῖς παροικίαις [*in incolatibus*].

7. *Omnes iſti in generationibus gentis ſuæ gloriam adepti ſunt*] In Græco tantùm eſt, ἐν γενεαῖς, id eſt, *ſuis temporibus.*

Et in diebus ſuis habentur in laudibus] *Et in diebus ſuis laudem*, nempe adepti ſunt.

8. *Qui de illis nati ſunt reliquerunt nomen narrandi laudes eorum*] In Græco ; *Sunt inter eos qui reliquere nomen ad celebrandas laudes ſuas.* Nomen hîc ſtirpem ſignificat, ut Deuteronomii XXV. 7. Convenit hoc cum Græca ſententia,

> Τίς πατέρ' αἰνήσει, εἰ μὴ εὐδαίμονες υἱοί;
> [*Quo laudetur enim genitor niſi prole beatâ ?*]

9. *Et ſunt quorum non eſt memoria*] Id eſt, quorum ſtirps defecit, juſtis Dei judiciis, ſecundùm Legis minas.

Perierunt quaſi qui non fuerint] Ὡς οὐχ ὑπάρξαντες. Id enim rectius quàm ὑπάρχοντες, quod nonnulli codices habent.

10. *Sed illi*] Qui ſtirpem diuturnam reliquere. ἀλλ' οἱ οὗτοι legendum, non ἀλλ' ἤ.

Viri miſericordiæ ſunt] Id eſt, conſecuti ſunt Dei favorem.

Quorum pietates non defuerunt] *Quorum benefacta* (id enim δικαιοσύναι) *in oblivionem non venerunt*, apud Deum ſcilicet.

11. 12. *Cum ſemine eorum permanent bona : hereditas ſancta nepotes eorum, & in teſtamentis ſtetit ſemen eorum*] In Græco, *Cum ſemine eorum permanet* etiam *bona* (id eſt, opima) *hereditas. Poſteri eorum in teſtamentis* ſcribuntur, non extranei heredes. Catullus,

> *Heres divitiis qui tandem inventus avitis*
> *Nomen teſtatas intulit in tabulas.*

13. *Et filii eorum propter illos uſque in æternum manent*] Id eſt, diu admodum. Interpres hîc ſecutus eſt meliorem lectionem, quæ eſt in Sixtina, ἔστη σπέρμα αὐτῶν, καὶ τέκνα αὐτῶν δι' αὐτοὺς ἕως αἰῶνος μενεῖ [*ſtetit ſemen eorum, & filii eorum propter ipſos in multam ætatem manent*]. Sic enim diſtinguendum.

Semen eorum & gloria eorum non derelinquetur] *Non delebitur.* Ità in Græco.

14. *Corpora ipſorum in pace ſepulta ſunt*] Id eſt, domo proſperâ.

Et nomen eorum vivit in generationem & generationem] Stirps manet per ſecula.

15. *Sapientiam ipſorum narrent populi*] *Narrabunt populi*, etiam poſthac.

Et laudem eorum nuntiet Eccleſia] *Differet multitudo.* Videtur enim ſcriptum fuiſſe ἐξαγγελεῖ.

16. *Enoch placuit Deo*] Geneſeos V. 24.

Et tranſlatus eſt in paradiſum] In locum felicem nobis incognitum. Sed hoc *in paradiſum* Interpres de ſuo addidit, quomodo & Arabs Interpres ad Hebræos XI. 5. Vide quæ ad Geneſin diximus.

Vt det gentibus pœnitentiam] In Græco eſt, *exemplum pœnitentiæ ætatibus*, id eſt, temporibus ſuis. Nam qui flagitiosè vivebant eo ſeculo, cùm intelligerent tranſlatum aliò Enochum ob pietatem, eo ipſo monebantur ut vitam corrigerent, ſi Deo placere vellent.

17. *Noë inventus eſt perfectus juſtus*] *Integer ac bonus*, Geneſeos VI. 9.

Et in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio] *Pretium.* Nam ſicut qui pretium accipit rem ſuam ob id dimittit : ſic Deus ob Noæ pietatem ac preces iram omnem in domum ejus remiſit.

18. 19. *Ideo dimiſſum eſt reliquum terræ, cùm factum eſt diluvium. Teſtamenta ſeculi poſita ſunt apud illum*] Ex Græca locutione Hebræa bene explicata ſic vertas, *Ideo facto diluvio fœdus perpetuum cum ipſo conſtitutum eſt.* καὶ in ſequenti membro valet *cùm* in præcedente, & activum plurale ſine perſona pro paſſivo ſingulari.

Nè deleri poſſet diluvio omnis caro] *Non fore ut poſt id humanum genus diluvio periret.* Agit enim de fœdere quod commemoratur Geneſ. IX. 11.

20. *Abraham etiam pater multitudinis gentium*] Explicat ἐτυμολογίαν [*originem*] nominis. Eſt enim אברהם contractè dictum pro אב רב הם, ut videre eſt Geneſeos XVII. 5.

Et non eſt inventus ſimilis illi in gloria] Vt qui pater fuerit tot Regum.

Qui conſervavit legem Excelſi] Præcepta quæ ei Deus dedit de migranda patria, circumcidendo ſe & liberis, de immolando filio.

Et fuit in teſtamento cum illo] Id eſt, fuit Dei fœderatus, Geneſ. XVII. 7. 21. XXII. 16.

21. *In carne ejus ſtare fecit teſtamentum*] Id eſt, Circumciſionem, quæ eximiè ברית [*Fœdus*] dicitur Hebræis, ob dicta Dei Geneſ. XVII. 10.

Et in tentatione inventus eſt fidelis] In multis quidem tentamentis apparuit Deo fidus : ſed hîc præcipuè poſtremum illud tangitur, de filio immolando.

22. *Ideo jurejurando dedit illi gloriam in gente ſua*] In Græco, *Iuratò affirmavit ei ſe* per ſemen ejus *benefacturum etiam aliis gentibus.* Vide quæ dicta ad Geneſ. XVIII. 18. ἔστησεν hîc & infrà 24. eſt יקים *firmavit.*

Creſcere illum quaſi terræ cumulum] *Multiplicaturum ipſum* in ſobole, *quantus eſt pulvis terræ*, Geneſeos XXII. 17.

23. *Et ut ſtellas exaltare ſemen ejus*] *Exaltaturum ſe.* Vide jam ~~indicatum~~ Geneſeos locum.

Et hereditare illos à mari uſque ad mare] Poſſeſſionem ſe ipſius poſteris daturum *à mari ad mare*, id eſt, ab Aſphaltite ad mare Syriacum, qui termini terræ Promiſſæ ab Oriente in Occidentem. Vide Geneſeos XIII. 14. 15.

Et à flumine] *Flumen* cùm ſimpliciter dicitur, intelligitur Euphrates. Impletum hoc per Davidem.

Vſque ad terminos terræ] Cultæ ſcilicet: id eſt, ad deſerta uſque Arabum ſola.

24. *Et in Iſaac eodem modo fecit propter Abrahamum patrem ejus*] *Cùm Iſaac pariter firmavit*, nempe id quod ſequitur.

25. *Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & teſtamentum confirmavit ſuper caput Iacob*] Aliter in Græco, *Benedictionem omnium hominum & fœdus.* ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo prolatum*], fœdus in quo comprehendebatur Deum per poſteritatem Iſaaci etiam aliis populis facturum bene. Vide Gen. XXVI. 2. 3. 4. 5. ubi & cauſa additur jam ab hoc Scriptore expreſſa, nempe factum hoc Abrahami causâ. Sequitur deinde in Græco, καὶ κατέπαυσεν ἐπὶ κεφαλὴν Ἰακὼβ, *quod fœdus deinde requievit*, id eſt, manſit, *ſuper caput Iacobi*, id eſt, penes ipſum ejúſque poſteros, non penes Idumæos. Significanter autem dixit *ſuper caput Iacobi*, quia Iſaacus Divino inſtinctu hoc jus in Iacobum tranſlaturus capiti ejus paternas manus impoſuit. Ità enim mos erat bene precandi liberis, ut apparet Geneſ. XLVIII. 14.

26. *Agnovit eum in benedictionibus ſuis*] Iacobum agnovit heredem Iſaaci in magnificis illis promiſſis.

Et dedit illi hereditatem] *Poſſidendam terram dedit ipſi*, id eſt, ſtirpi ejus.

Et diviſit illi partem in tribubus duodecim] Et *diviſit illi partes ſecundùm duodecim tribus quas partitus eſt*, id eſt, in quas diſtribuit Iacobi poſteritatem.

27. *Et conſervavit illi homines miſericordiæ, invenientes gratiam in oculis omnis carnis*] In Græco eſt ſingularis numerus. *Et eduxit ex illo* (id eſt, ex ipſo gigni fecit) *hominem favorabilem* (nempe apud ipſum Deum), *& qui apud omnes homines fuit gratioſus.* Deſignatur his verbis Ioſephus Deo dilectus, & Pharaoni totique Ægypto. Nulli meliùs hæc deſignatio convenit: neque par fuit in hac recenſione virum tantum omitti. Quare non ſequar Græca exemplaria quæ hæc cum ſequentibus connectunt, & ad Moſem referunt. Multò enim credibilius eſt in eo quod ſequitur duas literas mutatas in Græcis, quæ ex nominativo (qualem legit Latinus Interpres) accuſativum fecere; nempe quia ſenſum putarunt cum prioribus eſſe continuum.

CAPVT XLV.

1. D*ilectus Deo & hominibus Moſes*] Iam dixi cur ea lectio quam hîc Interpres ſecutus eſt, ἠγαπημένος [*dilectus*] & Μωσῆς [*Moſes*], non ἠγαπημένον [*dilectum*] & Μωσῆν [*Moſen*], mihi placeat. Cum Moſe Deus egit familiariùs quàm cum ullo antè homine. Idem Moſes apud Regem, Regis filiam, populúmque Ægypti diu gratioſus, poſteà apud Madianitas, deinde apud pios Iſraëlitas.

Cujus memoria in benedictione eſt] Manebit ſemper in ſolennibus ſynagogæ εὐλογίαις [*laudibus*]. Sic & infrà XLIX. 12.

2. *Similem illum fecit in gloria ſanctorum*] *Gloriæ ſanctorum*, id eſt, Angelorum, quos *ſanctos* appellat Daniel IV. 14. Qualia Deus olim per Angelos exſecutus fuerat, talia fuit per Moſem exſecutus.

Et Magnificavit eum in timore inimicorum] Timentibus inimicis, Ægyptiis, Amalecitis, Madianitis, Amorrhæis.

Et in verbis ſuis monſtra placavit] Κατέπαυσε, *fecit ceſſare*, nempe magicas artes.

3. *Glorificavit illum*] Deus.

In conſpectu Regum] Pharaonis, Agagi, Ogi, Seonis.

Et juſſit illi coram populo ſuo] Ἐνετείλατο αὐτῷ πρὸς λαὸν αὐτοῦ, *Mandata ei dedit ad populum ſuum.*

Et oſtendit illi gloriam ſuam] Ἔδειξεν αὐτῷ τῆς δόξης αὐτοῦ, nempe τι. *Oſtendit ei majeſtatis ſuæ particulam aliquam*, Exodi XXIV. 22.

4. *In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum*] Videtur legiſſe αὐτὸν ἡγίασεν, pro quo in Sixtina, unâ literâ mutatâ, αὐτοῦ ἡγίασεν. In aliis, αὐτοῦ ἡγίασεν αὐτόν· *Fecit eum ſanctum fide ac lenitate*, Numerorum XII. 3. 7.

Et elegit eum ex omni carne] Ducem populi ſui, Legis dictatorem.

Et induxit illum in nubem] Exodi XX. 21. XXIV. 18.

6. *Dedit illi coràm præcepta*] Exodi XX. 22. XXXIV. 11. 28.

Et legem vitæ] In Græco, *Legem vitæ.* κατὰ πρόσθεσιν [*per Appoſitionem*], legem quæ vitæ longæ ac felicis promiſſa habebat.

Ac diſciplinæ] *Et ſcientiæ*: quia homines ſapientes reddit.

Docere Iacob teſtamentum ſuum] *Fœdus ſuum.* Legit διδάξαι [*docere*], ut eſt in Sixtina, non ἐδίδαξε [*docuit*].

Et judicia ſua Iſraël] Præcepta judiciorum.

7. *Excelſum fecit Aaron*] Summo Sacerdotio fulgentem.

Fratrem ejus & ſimilem ſibi de tribu Levi] In Græco, *Sanctum ipſi ſimilem* (id eſt, ſanctimoniâ ſimilem Moſi), *fratrem ipſius ex tribu Levi.*

8. *Et ſtatuit ei teſtamentum æternum*] *Fœdus æternum cum ipſo pepigit*, nempe Sacerdotium Legale, quamdiu manſurum erat, manſurum in ipſius poſteritate. Quod explicatur infrà 19.

Et beatificavit illum in gloria] *Ornatu magnifico.* De quo vide Exodi XXXIX.

9. *Et circumcinxit eum zonâ gloriæ, & coronavit eum in vaſis virtutis*] *Induit eum perfectiſſimâ magnificentiâ, ut eum conſtitueret inter vaſa opulenta.* Inter vaſa Templi ſcilicet. ἰσχὺν eſſe *divitias* ſæpe jam diximus.

10. *Circumpedes & femoralia & humerale poſuit ei*] Quod generaliter dixerat συντέλειαν καυχήματος [*conſummationem gloriæ*], id jam in ſua membra digerit, nominans *poderem* (quem hîc *circumpedes* vertit, quia ad pedes uſque pertingebat) *femoralia* & *epomidem.* Vide dictum Exodi locum.

Et cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro] In Græco amplius eſt, *& cinxit illum malis Punicis:* deinde ſequitur *tintinnabulis.*

11. *In memoriam filiis gentis ſuæ*] Nempe ut illo ſono admoniti adventantem Sacerdotem reverenter exciperent.

12. *Stolam ſanctam auro, hyacintho & purpurâ*] *Ornatum ſanctum:* nam στολὴ generale eſt. Intelligitur hoc loco τὸ λογεῖον [*Oraculum*], ut vocatur in Exodo, & ſtatim explicabitur.

Opus textile viri ſapientis] Factum à perito artifice.

Iudicio & veritate præditi] In Græco Sixtino, λογίῳ κρίσεως, δήλοις ἀληθείας. Nomen illud λογεῖον κρίσεως [*Oraculum judicii*] pro Hebræo חשן [*Pectorale*] habes in Græco Exodi, indè datum quòd reſponſa omnia, obſervanda, ſicut ſententiæ Iudicum obſervari ſolent, indè ederentur. Idem λογεῖον [*Oraculum*] vocatur אורים ותמים, Græcè, δήλωσις καὶ ἀλήθεια, vel δῆλα καὶ ἀλήθεια [*manifeſtatio & veritas*], ubi eſſe ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo ſignificatum*] notavimus ſuprà. Ea figura hîc commodè explicatur verbis illis δήλοις ἀληθείας [*manifeſtatione veritatis*]. Eſt autem πρόσθεσις [*Appoſitio*] vocis λογείου [*Oraculi*]. Nam per illud pectorale Principibus populi patefiebat veritas latens.

13. *Torto cocco opus artificis*] De his & quæ ſequuntur vide dictum Exodi locum.

Figuratis] *Sculpturis annuli*, id eſt, ità ſculptis ſicut *annuli* ſculpi ſolent.

In ligatura auri] Ἐν δέσει χρυσίου, id eſt, *incluſis auro.* Vide Exodi XXXIX. 6. 7. 8.

Et opere lapidarii] *Operâ gemmarii.* Refer ad id quod præceſſit. Magnus artifex gemmas auro incluſerat.

In memoriam ſecundùm numerum tribuum Iſraël] In Græco ampliùs, εἰς μνημόσυνον ἐν γραφῇ κεκολαμμένῃ κατ᾽ ἀριθμὸν φυλῶν Ἰσραήλ, id eſt, *quæ memoriam continebant filiorum Iſraël ordine nominatorum per ſcripturam inſculptam.* ספר ſæpe *ordinem* ſignificat.

14. *Corona aurea ſuper mitram ejus*] Supple *erat.* Lamina illa memorata Exodi XXVIII. 36. quam latitudinis duorum digitorum fuiſſe ajunt Hebræi.

Expreſſa ſigno ſanctitatis] Ἐκτύπωμα σφραγῖδος ἁγιάσματος, puto eſſe nominativum, & ſubaudiri ut ſuprà, *erat.* Et ſculptura ibi erat ad modum *annuli*, habens nomen *ſanctitatis.* Inſculptum enim erat laminæ ipſi קדש ליהוה [*Sanctitas Deo*].

Et gloria honoris] In Græco per πρόσθεσιν [*Appoſitionem*] ad id quod præceſſit, καύχημα τιμῆς, *magnificentia plena honoris:* ſic καύχημα modò habuimus commate 9.

Opus virtutis] Ἔργα ἰσχύος. *Opera* omnia quæ dixi *opulenta.* Sic & σκεύη ἰσχύος [*vaſa opulentiæ*] habuimus dicto commate 9.

Et deſideria oculorum ornata] In Græco: *Oblectamenta oculorum arte facta, pulchra.* Laudat & artem & materiam. ἐπιθυμήματα ὀφθαλμῶν [*deſideria, oblectamenta oculorum*] habemus etiam 1 Regum XX. 6. Ezech. XXIV. 16. 21. 25. κοσμεῖν [*arte efficere*] pari ſenſu habuimus ſuprà XVI. 28. XLII. 28. & alibi.

16. *Alienigena aliquis*] *Alienigena* hîc intelligitur omnis qui non eſſet de ſtirpe Aaronis. Sic זר ſumitur de iis qui Sacerdotalis generis non erant Levitici XXII. 10. de iis qui Levitæ non erant, Numerorum I. 51. III. 10. eſt enim τῶν πρός τι [*eorum quæ cum reſpectu ad aliud dicuntur*].

Sed tantùm filii ejus ſoli] Bene vertit πλὴν [*præter, tantùm*], quod ſæpe non eſt exceptivum, ſed adverſativum.

17. *Sacrificia ipſius conſumta ſunt igne quotidie*] *Tota igne conſumta ſunt quotidie*, idque ſemper *bis.* Manè & veſperè holocauſta offerebantur, quotidie, & ſine intermiſſione, Numerorum XXVIII. 3. 4. id dicitur עלה תמיד, Exodi XXIX. 42. Græcè, θυσία ἐνδελεχισμοῦ [*ſacrificium perpetuitatis*].

18. *Complevit Moſes manus ejus*] Vnguento ſcilicet, ut ſequitur, Hiſtoria eſt Exodi XXVIII. 41. locutio verò eadem Iudicum XVII. 5. 12.

19. *Factum eſt illi in teſtamentum æternum*] *Datum eſt illi fœdere æterno*, miniſtrare ſcilicet, ut ſequitur. Vide ſuprà 7.

Fungi Sacerdotio, & habere laudem] In Græco, *Miniſtrare ipſi*, Deo, *ſimúlque Sacerdotio fungi. Miniſtrare* intellige parare menſam προθέσεως [*in qua panes proponebantur*], candelabrum, atque alia; *Sacerdotio fungi*, offerre victimas, liba, vinum, ſuffitus.

Et glorificare populum ſuum in nomine ejus] Εὐλογεῖν τὸν λαὸν, id eſt, bene precari populo, Numerorum VI. 23. 24.

20. *Ipſum elegit ab omni vivente*] Ex omnibus hominibus.

Offerre ſacrificium Deo] Κάρπωσιν. Ità dicuntur & liborum & victimarum partes quæ igne adolentur. Hebræis אשה. Vide Levit. II. 9. III. 3. 9. 14. VIII. 28. & alibi.

Incenſum & bonum odorem] Ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo expreſſum*], *Suffitum odoriferum*, Exodi XXX. 7. & deinceps.

In memoriam] In ſignum animi memoris beneficiorum Dei.

Placare pro populo] Subaudi *&*, hoc modo: *Et ad placamenta facienda pro populo.* Id convenit ſacris pro Peccato & Delicto.

21. *Et dedit illi in præceptis ſuis poteſtatem, in teſtamentis judiciorum*] In Græco, *Dedit ipſi præcepta ſua*, Legis tabulas, & libros Moſis cuſtodiendos.

Poteſtatem in teſtamentis judiciorum docere Iacob teſtimonia, & in Lege ſua lucem dare Iſraël] *Auctoritatem circa edicta judiciaria*, nempe ut populum *Iacobi* ſive *Iſraëlis docerent ea quæ Deus teſtatus erat*, & ſic velut facem *ei allucerent ad Legem intelligendam.* διαθήκη inter alia etiam *edicta* ſignificat, ut diximus in Prolegomenis ad Matthæum. Eodem ſenſu διαθήκην κρίματος [*edictum Iudicis*] habuimus ſuprà XXXVIII. 38. μαρτύρια idem quod *præcepta Legis*, quia Dei voluntatem teſtantur, Exodi XXV. 16. 21. Sacerdotum præcipuè erat Legem explicare populo, Malachiæ II. 7.

22. *Quia contra eum ſteterunt alieni*] Legit ἐπισυνέστησαν. Sed rectior lectio quam nunc Græci libri omnes præferunt, ἐπισυνέστησαν, *coïtionem fecerunt.* Novam hiſtoriam attingit, quæ eſt Numerorum XVI. non autem rationem reddit antè dictorum. ἐπισυνίστασθαι pro *coïtionem facere* habemus

etiam Numer. XIV. 35. Ierem. XX. 10. Ezech. II. 6. & in hac ipſa hiſtoria Numer. XVI. 19. & in hujus hiſtoriæ repetitione Numer. XXVI. 9.

Et propter invidiam circumdederunt illum homines in deſerto, qui erant cum Dathan & Abiron, & congregatio Core in iracundia] *Et invidiâ in eum accenſi ſunt, etiam cum furibunda ira, in deſerto, tum viri illi qui Dathani & Abironi aderant, tum factio Coræ.*

23. *Vidit Dominus Deus, & non placuit illi*] Λιτότης [*locutio extenuans*].

Et conſumti ſunt in impetu iracundiæ] *Incendio perierunt.* Hoc enim eſt συνεπλέσθησαν. Alioqui corpora manſere integra.

24. *Et conſumſit illos in flamma ignis*] Quæ intus eos exanimavit.

25. *Et addidit Aaroni gloriam*] Nempe ut vindicato, Dei ipſius viribus.

Et dedit illi hereditatem, & primitias frugum terræ diviſit illi] *Et dedit* ei *velut poſſeſſionem* multas obventiones. Ac primùm *partitus eſt ei perceptionem primorum fructuum.* Omnino ὡς [*velut*] hîc ſubaudiendum, apparet ex ſequentibus.

26. *Panem ipſis in primis paravit ad ſatietatem*] *Eximiè verò de victu ipſis proſpexit, idque ad ſatietatem.* ἄρτον [*panem*] ad exemplum Hebræi לחם hîc generaliter ſumi pro omni *cibo* docent ſequentia.

Nam & ſacrificia Domini edent, quæ dedit illi & ſemini ejus] *Nam ſacrificia Domini eſuri erant ipſe & poſteri ejus, quibus ea Deus dederat.* Ità explicanda verborum, quæ hîc eſt, trajectio. Legit Interpres, φάγωνται, non ut in Sixtina, φάγονται. *Eſuri erant,* id eſt, Lege ſtatuebatur ut ederent. *Sacrificia* intellige omnia præter holocauſta: de cæteris enim ſacrificiis, datis Deo ſuis partibus, aut totum reliquum, aut partes bonæ cedebant Sacerdotibus Aaronidis.

27. *Cæterùm in terra gentes non hereditabit*] *Cæterùm non habiturus erat* partem *in terra populi.* Futurum hîc ſumitur ut in præcedenti commate.

Et pars non eſt illi in gente] Soli pars ſcilicet.

Ipſe enim eſt pars ejus & hereditas] *Ipſe Deus eſt illi quaſi pars poſſidenda:* id eſt, res Divinæ Sacerdotes alunt. Sumtum ex Numeror. XVIII. 20.

28. *Phinees filius Eleazari tertius in gloria eſt*] In honore ſummi Sacerdotis, Aaron primus, ſecundus Eleazarus, tertius Phinees.

Imitando eum in timore Domini] *Quia exarſit ob timorem Domini.* Sequitur ipſe Dei verba Numerorum XXV. 11. Senſus eſt, Ideo Deum voluiſſe ut diu maneret in Phineæ familia Sacerdotium ſummum, quia ardorem ſuum adversùs idololatras oſtenderat.

29. *Et ſtare in reverentia gentis in bonitate & alacritate animæ*] Hîc ponendum colon, *Et quia ſtetit in defectione populi animo probo & alacri*: id eſt, Populo deficiente ipſe conſtans fuit. τροπὴ quamvis *mutationem* ſignificat, ſive in melius ſive in pejus: itaque pro materia varianda interpretatio.

Placuit Deo pro Iſraël] Puto ſcripſiſſe Interpretem, *Placavit Deum pro Iſraël:* nam in Græco, καὶ ἐξιλάσατο περὶ τοῦ Ἰσραήλ· quæ verba deſumta ex Numeror. XXV. 13. Senſus eſt, Cæteris qui erant ſuper viginti & quatuor millia Deus pepercit ob Phineam.

30. *Ideo ſtatuit illi teſtamentum pacis*] *Fœdus de proſperitate cum ipſo pepigit* Deus.

Principem ſanctorum & gentis ſuæ] Legit προστάτην, ut & nunc habent Græci codices; ſed omnino legendum, προστατεῖν ἁγίων καὶ λαοῦ αὐτοῦ, ut *præeſſet Templo & populo ipſius,* id eſt, Levitis, qui peculiariter Deo dicati. προστατεῖν ſolet genitivum regere, ut 1 Maccab. XIV. 47.

Vt ſit illi & ſemini ejus Sacerdotii dignitas in æternum] Quamdiu ſcilicet populus & ſacrificia manſura erant.

31. *Et teſtamentum David Regi filio Ieſſæ de tribu Iuda, hereditas ipſi & ſemini ejus, ut daret ſapientiam in cor noſtrum, judicare gentem ſuam in juſtitia, nè abolerentur bona ipſorum, & gloriam ipſorum in gentem eorum æternam fecit*] Cùm ordine temporum viros magnos commemoret, nondum venit ad Davidis tempora: unde intelligimus hîc eſſe Comparationem, ſenſum verò, Pari modo in Phineæ domo (id eſt, in poſteritate Sadoci, qui ex Phinea venerat) ſtabilitam ſummi Sacerdotii ſucceſſionem, quo in domo Davidis ſtabilita fuit Regni ſucceſſio. Legendum igitur, paucis literis in Græco mutatis, κατὰ διαθήκην τῷ Δαβὶδ υἱῷ ἐκ φυλῆς Ἰούδα κληρονομίας βασιλέως υἱοῦ ἐξ υἱοῦ μόνου, κληρονομία Ἀαρὼν καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ. Δῴη ὑμῖν σοφίαν ἐν καρδίᾳ ὑμῶν κρίνειν τὸν λαὸν αὐτοῦ ἐν δικαιοσύνῃ, ἵνα μὴ ἀφανισθῇ· τὰ ἀγαθὰ αὐτῶν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν εἰς γενεὰς αὐτῶν· quæ ſic liceat vertere, *Quale eſt fœdus* (datum) *Davidi nato ex tribu Iuda de ſucceſſione Regis qui ſemper fuit filius tantùm ex filio, talis fuit & ſucceſſio* (data) *Aaroni & ſtirpi ejus. Det vobis* (Deus, ô Aaronidæ, qui nunc eſtis) *ſapientiam in corde veſtro manentem, ut juſtè judicetis populum ipſius, nè intereat ſtirps iſta: det etiam bona ipſorum* (qui ſucceſſuri ſunt vobis), *& honorem ipſorum tranſire ad poſteros ipſorum.* Duabus tantùm in populo Hebræo domibus id contigit, ut in iis honoris ſucceſſio tranſiret à maribus ad mares, Davidis & Sadoci. Hoc quo ità maneat in poſteris Sadoci, qui à Phinea orti, Deum precatur ut iis qui tunc erant det bonam mentem ad rectè peragenda judicia, quæ pars magna muneris Sacerdotalis, ut diximus ad Matthæi V. 22.

CAPVT XLVI.

1. FOrtis in bello Ieſus filius Nave*] Ex Ναυῦ factum per errorem exſcriptoris Ναυῆ, ob vicinitatem literarum diximus ad initium Ioſuæ. Is error ſemel admiſſus mirum quàm latè fluxerit.

Succeſſor Moſis in Prophetis] Scripſit Interpres, *in Prophetiis*: id verò eſt *in munere Prophetico.* Nam de Ioſue ejúſque in munere ſucceſſoribus dictum Moſi fuit, *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus,* Deuteron. XVIII. 15. ubi dicta vide.

2. *Qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei*] In Græco, *Qui, ut ferebat nomen ipſius, magnus fuit ad ſervandos electos Dei.* In illis vocibus, ἐπὶ σωτηρίᾳ [*ad ſalutem*] eſt ſignificatio nominis *Ioſuæ,* ſive *Ieſu,* quod Σωτῆρα [*Salutis cauſam*] ſignificat.

Expugnare inſurgentes hoſtes] *Vlciſcendo hoſtes inſurgentes.*

Vt conſequeretur hereditatem Iſraël] In Græco eſt per accuſativum, ἵνα κληρονομήσῃ τὸν Ἰσραὴλ, id eſt, *ut Iſraëlem in poſſeſſione* terrarum *collocaret.* Nam κληρονομεῖν hîc eſt הנחיל; ſicut βασιλεύειν eſt המליך *ad regnum perducere.*

3. *Quàm gloriam adeptus eſt?*] *Quantum adeptus eſt gloriæ?*

In tollendo manus ſuas] Qui geſtus ferire volentis, ut Ieremiæ VI. 12. XV. 6. & alibi, ſuprà XXXVI. 2.

Et jactando contra civitates romphaam] *Extendendo rompham contra urbes*, ad eas expugnandas ſcilicet, ut contra Hajum, Macedam, Lebnam, multáſque alias.

4. *Quis ante illum ſic reſtitit?*] *Sic ſtetit*, invictus.

Nam hoſtes ipſe Dominus percuſſit] Legit πολεμίους, & Κύριος· ſed melior lectio quam habemus, τοὺς γὰρ πολέμους Κυρίου αὐτὸς ἐπήγαγεν [*bella enim Domini geſſit*]. *Bella Dei* vocant Hebræi in gentes illas quas Deus devoverat. Alia bella vocant *bella imperii.*

5. *An non in iracundia ejus impeditus eſt Sol?*] *An non per eum Sol retroceſſit?* ἐν χειρὶ αὐτοῦ Hebraïſmus eſt pro *per eum. Per eum* verò, per preces ejus. Fortè poſt occaſum diutius lucere viſus eſt repercuſſu nubis exiſtentis ſuper horizontem, ut ad Ioſuæ locum diximus.

Et una dies facta eſt quaſi duo] Vno die actæ ſunt res bidui.

6. *In oppugnando inimicos undique*] *Cùm undique ab hoſtibus premeretur*, à quinque ſcilicet Regibus nominatis Ioſuæ capite decimo.

In ſaxis grandinis virtutis valde fortis] *Magnæ efficaciæ*, ad ſternendos hoſtes. Vide dicto cap. X.

7. *Impetum fecit contra gentem hoſtilem*] *Ex loco ſuperiore bellum in gentes intulit.* Eſt enim propriè καταῤῥάττειν *ex alto dejicere*, unde *catarractæ.* Habes hoc verbum eo ſenſu in Græco Oſeæ VII. 6.

Et in deſcenſu perdidit contrarios] *In deſcenſu* Bethoron.

8. *Vt cognoſcant gentes potentiam ejus*] *Vt noſſent gentes armaturam ipſius*, Ioſue: ut viderent ex tali grandine quo præſidio Ioſue pugnaret.

Quia contra Deum pugnare non eſt facile] In Græco, nempe *bellum ipſius* Ioſue *geri Deo favente:* nam ἐναντίον Κυρίου aut ἐνώπιον Κυρίου [*coram Deo*], לפני יהוה, id ſignificat.

Et ſecutus eſt à tergo potentis] *Nam Deum ſequebatur.* Is enim δυνάστης [*Potens*] dictus & ſuprà 6. Vetus dictum, Ἕπου Θεῷ [*Deum ſequere*]. Id fecit Ioſue, omnia ex Dei præſcripto gerens.

9. *Et in diebus Moſis miſericordiam fecit ipſe*] *Etiam Moſis tempore idem beneficum ſe præſtiterat*, nempe populo, quanquam beneficium non intelligenti, ut ſequentia declarant. Aoriſtus hîc valet pro pluſquam perfecto.

Stare contra hoſtem] *Obſtando cæteris*, nempe volentium in Ægyptum reverti. Vide hiſtoriam Numerorum XIV.

Et prohibere gentem à peccatis, & perfringere murmur malitiæ] Per gerundia hoc clariùs reddas, *Prohibendo gentem à peccato, & ceſſare faciendo murmur malitioſum.*

10. *Et ipſi duo conſtituti*] *Cùm eſſent duo tantùm.*

Liberati ſunt] *Servati ſunt*, διεσώθησαν· non mortui ſunt in itinere.

A numero ſexcentorum millium peditum] *Ex ſexcentis millibus peditum.* Tot enim ex Ægypto exierant, Numer. I. 46. & ſuprà XVI. 11. Ex his duo ſoli Ioſue & Caleb terram Promiſſam calcarunt, ut videre eſt iſto Numerorum loco, & Ioſue XIV.

Inducere illos in hereditatem, in terram quæ manat lac & mel] *Ità ut introduceret eos* Deu *in poſſeſſionem terræ abundantis lacte & melle.* Vide Exodi III. 8. 17. XIII. 5. XXXIII. 3. Levitici XX. 24. Num. XIII. 28. XIV. 8. Deuteron. VI. 3. VIII. 8. XI. 9. Ioſue V. 6. Ezechielis XX. 6. 15.

11. *Et dedit Dominus ipſi Caleb fortitudinem*] Id eſt, vigorem corporis.

Et uſque ad ſenectutem permanſit illi virtus] *Qui* (vigor) *ad ſenectutem ei permanſit.* Ad annum ætatis quintum & octogeſimum: ut legimus dicto loco Ioſue XIV. 10. 11.

Vt aſcenderet in excelſum terræ locum] *Ità ut etiam ardua loca terræ bene ſcanderet*, nempe Hebronem.

Et ſemen ipſius obtinuit hereditatem] Poſſeſſionem avitam.

12. *Vt viderent omnes filii Iſraël*] Tanto exemplo ſenectutis, bonæ valetudinis, & opimæ rei.

Quia bonum eſt obſequi ſancto Deo] *Bonum eſſe Deum ſequi.* Eſt enim eadem hîc locutio quæ ſuprà 8.

13. 14. *Et Iudices ſinguli ſuo nomine, quorum non eſt corruptum cor, qui non averſi ſunt à Domino, ut ſit memoria illorum in benedictione*] Eſt Hebraïſmus: nominativus nominis cum genitivo pronominis vice genitivi ipſius nominis. Nam Latinè diceremus, *Iudicum quoque, prout ſinguli nomina habent, quorum cor non fuit ſcortatum*, id eſt, *qui à Deo non defecerunt: commemoratio fiat in eulogiis publicis.* Excludit ab his Abimelechum.

14. 15. *Et oſſa illorum pullulent de loco ſuo, & nomen eorum permaneat in æternum, permanens ad filios illorum, ſanctorum virorum gloria*] In Græco, τὰ ὀστᾶ αὐτῶν ἀναθάλοι ἐκ τοῦ τόπου αὐτῶν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτῶν ἀντικαταλλασσόμενον ἐν υἱοῖς δεδοξασμένων αὐτῶν, *Oſſa ipſorum floreant in locis ſuis* (id eſt, ſit perpetuus ſepulchris eorum viror; ſæpe enim ſepulchra in hortis erant): *nec minùs nomen ipſorum tranſiens ad poſteros, ut ipſi ſic honorentur.* Dicatur diu, Hi ſunt orti à Gedeone, hi ab Iephthe, hi à Samſone.

16. *Renovavit Imperium*] Κατέστησε βασιλείας. Meliùs βασιλέας *Conſtituit Reges*, ut idem ſit ei quod ſequitur, *unxit Principes*, Saülem nimirum & Davidem.

In gente ſua] *Super populum ſuum.*

17. *In Lege Domini congregationem judicavit, & vidit Deus Iacob*] *Ipſo ſecundùm Legem Dei regente populum, Deus Iacobi* gentem favens *adſpexit.* שפט, quod κρίνειν [*judicare*] vertitur, ſæpe non judiciariam tantùm ſed & omnem πολιτικὴν [*Civilem*] *gubernationem* ſignificat.

17. 18. *In fide ſua probatus eſt Propheta, & cognitus eſt in verbis ſuis fidelis, quia vidit Deum lucis*] *Per fidem ſuam probatus eſt Propheta, & per verba ſua cognitus eſt fidus in viſis.* Nam πιστὸς ὁράσεως [*fidus in viſis*]

eſt in Sixtina, quod in aliis malè deſideratur. Latinus autem id legit, ſed corruptè. Duabus notis agnoſcitur verus Propheta: Si verum Deum colat, colendúmque doceat (quod hîc ſignificatur *fidei* nomine), & ſi dicta ipſius impleantur, ut patet collatis locis Deuteronomii XIII. 1.2. & XVIII. 20.21.22. Samuel cognitus eſt verus Propheta, quia & Deum verum coluit, & quæ prædixit eventum habuerunt.

19. *Et invocavit Dominum omnipotentem in oppugnando hoſtes circumſtantes undique, in oblatione agni inviolati*] Legit ἀρνὸς γαλαθηνοῦ, quomodo eſt in Sixtina, & in ipſa, quæ hîc reſpicitur, hiſtoria 1 Samuelis VII. 9. ἔλαβε Σαμουὴλ ἄρνα γαλαθηνὸν ἕνα. Eſt ergò hoc quod dicit, *Hic ipſe invocavit Deum potentem* (*cùm eum premerent inimici ejus*, Philiſtini nempe, *undique*), *offerendo agnum lactentem.*

20. *Et intonuit de cælo Dominus*] 1 Samuelis VII. 10.

21. *Et contrivit Principes Tyriorum*] Nimirum quia Tyrii (pars Chananæorum ſive Phœnicum) fœderati Philiſtinis.

22. *Et ante tempus finis vitæ ſuæ & ſeculi teſtimonium præbuit*] *Idem antequam hujus ſeculi ſomnum dormiret*, (id eſt, priuſquam moreretur: eſt enim χαριεντισμὸς [*mollior locutio*]) *conteſtatus eſt* populum. Multis integritatis teſtimonium poſt mortem præbetur: Ille verò hoc vivus ab omni populo abſtulit.

In conſpectu Domini] Deo præſente, non communi tantùm, ſed ſingulari modo, ut qui Prophetiæ donum ei dediſſet.

Et Chriſti] Præſente etiam Saüle Rege ſollemniter uncto.

Pecunias & uſque ad calceamenta] Id eſt, *etiam ad calceamenta uſque*, nè calceamenta quidem. Eſt autem hoc proverbiale apud Hebræos, ad rei minimæ ſignificationem, ut apparet Geneſ. XIV. 23.

Ab omni carne non accepit] Puto ſcripſiſſe Interpretem *non accepi*, ſicut in Græco eſt, οὐκ εἴληφα. Facit enim velut ipſum loquentem, quanquam non ipſius verba quæ exſtant 1 Samuel. XII. 3. ſed ſenſum exprimit.

Et non accuſavit illum homo] Nemo fuit qui contra illum ullam querelam adferre potuerit.

23. *Et poſt hoc dormivit, & notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ*] In Græco eſt, *Idem poſtquam dormiſſet* (mortuus eſſet: figurâ eâdem quam jam habuimus; de qua vide quæ dicta ad Matthæi IX. 24.) *Prophetæ munere functus ſignificavit Regi* venturam *ejus mortem*, ſive κατὰ τὸ εἶναι [*re ipsâ*], ſive κατὰ τὸ φαίνεσθαι [*quod ità videretur*]. Qua de re variæ fuere & olim Hebræorum, & nunc ſunt Chriſtianorum ſententiæ. Vide quæ ad ipſum hiſtoriæ locum diximus.

Et exaltavit vocem ſuam de terra in Prophetia] *Ex humo* emergens *altâ voce futura prædixit.*

Delere impietatem gentis] *Vt tolleret gentis* (Iſraëliticæ) *impietatem*, ut exemplo tanto moniti reſipiſcerent. Vide 1 Samuel. XXVIII. 18. 19.

CAPVT XLVII.

1. *POſt hæc ſurrexit Nathan Propheta in diebus David*] קום [*ſurgere*] de Prophetis dicitur, & יקים [*excitare*] de Deo Prophetas mittente, quia eminent multùm in populo, & velut de loco ſuperiore loquuntur.

2. *Et quaſi adeps ſeparatus à carne, ſic David à filiis Iſraël*] Non eſt *&* in Græco, incipit enim novum ſermonem de Davide, hoc modo, *Qualis eſt adeps qui ſeparatur* (in honorem Dei) *à victima proſperante* (quas victimas Hebræi שלמים vocant, Græci σωτηρίους, Latinus Interpres *pacificas*, ut videre eſt Levit. III. 3.) *talis David inter natos Iſraële*, id eſt, pariter eximius, pariter ſepoſitus ad Dei uſus.

3. *Cum leonibus luſit quaſi cum agnis*] Eſt quidem in Sixtina ἔπαισεν. Verùm alii codices habent ἐπιξένωσεν, id eſt, *apud leones divertit* aut *cum leonibus converſatus eſt tanquam cum hædis.* Habuimus idem verbum ſuprà XXIX. 34. *Cum hædis* hîc eſt in Græco, *cum agnis* ſequitur membro altero.

Et in urſis ſimiliter fecit ſicut in agnis ovium] *Et cum urſis quaſi cum agnis ovilli generis* : nam ſubauditur verbum præcedens. Hiſtoria eſt 1 Samuelis XVII. 34.

4. *In juventute ſua nunquid non occîdit gigantem?*] Ità hæc diſtinguenda ſunt. οὐχὶ [*an non*] deeſt in pleriſque codicibus Græcis, ſed eſt in Sixtino, & eſt admirantis.

Et abſtulit opprobrium de gente] Vſurpat ipſa verba Davidis, quæ exſtant 1 Samuel. XVII. 26.

5. *In tollendo manum ſaxo fundæ dejecit exſultationem Goliæ*] Optima eſt lectio in Sixtina, ἐν τῷ ἐπᾶραι χεῖρα ἐν λίθῳ σφενδόνης, καὶ καταβαλεῖν γαυρίαμα τοῦ Γολιάθ, *Cùm attolleret manum cum lapide in funda, & dejiceret faſtum Goliathi.* Pendet ſenſus ab eo quod præceſſit. *Dejiceret faſtum Goliathi*, id eſt, Goliathum faſtoſum. Talia ſunt, — *ſapientia Lælî*, — βίη Ἡρακλῆος [— *vis Herculis ingens*], *Stertinium acumen*, & ſimilia.

6. *Et dedit in dextera ejus tollere hominem fortem in bello*] *Et* pro *qui. Dedit in dextra*, id eſt, *facultatem ei dedit.*

Exaltare cornu gentis ſuæ] Id eſt, vires. Nam cornua vires tauris aliiſque beſtiis.

7. *Sic in decem millibus glorificavit eum*] Id eſt, *propter decem millia*, hoſtium ſcilicet cæſa. Alludit ad hymnum qui eſt 1 Samuel. XVIII. 7.

Et laudavit eum in benedictionibus Domini] *Ornavit eum ſuis benefactis. Domini* pro *ſuis*, more Hebræorum, qui nomine repetito utuntur vice pronominis reciproci.

In offerendo illi coronam gloriæ] Eouſque *ut ipſi tribueret diadema glorioſiſſimum*, populi nempe ſui.

8. *Contrivit enim inimicos undique*] *Enim* non eſt in Græco: eſt quippe novus ſenſus. *Hoſtes contrivit*, Iebuſæos, Moabitas, Syriæ multos populos, Idumæos, Ammonitas.

Et exſtirpavit Philiſthiim contrarios] Ἐξουδένωσε. Eſt plerumque ἐξουδενοῦν *contemnere*; ſed hîc ſumitur in forma Hiphil, ut ſit *contemtui objecit.* Sic ἐξουδένωσις [*contemtio*] opponitur τῇ τιμῇ [*honori*]

1 Maccabæorum I. 41. Hiſtoria tangitur quæ eſt 1 Samuelis VIII. initio.

Vſque in hodiernum diem contrivit cornu ipſorum] Id eſt, ità vires eorum confregit ut in hunc uſque diem, quo hæc ſcribo, eas recuperare nequiverint.

In æternum] Hoc non eſt in Græco : nec opus eſt.

9. *In omni opere dedit confeſſionem Sancto & Excelſo in verbo gloriæ*] *De omni opere* (id eſt, victoria ſua) *gratiam habuit Sancto ſupremo*, idque *verbis permagnificis*. Verè : oſtendit enim hoc & hiſtoria, & Pſalmorum magna pars.

10. *De omni corde ſuo laudavit Dominum, & dilexit Deum qui fecit illum*] Illa *Dominum* & *Deum* addidit Interpres.

Et dedit illi contra inimicos potentiam] Rurſum *&* pro *qui*.

11. *Et ſtare fecit*] *Conſtituit*, ἔϛησε.

Cantores contra altare] Κατέναντι θυσιαϛηρίου, id eſt, *ante aram*, 1 Paralip. XVI. 4. & XXV.

Et in ſono eorum dulces fecit modos] In Sixtina eſt, καὶ ἐξ ἤχου αὐτῶν γλυκαίνει μέλη. Iterum hîc eſt καὶ pro relativo. Senſus enim eſt, *Ex quorum cantu dulcia mele procedunt*. Bene *procedunt*, quia inſtitutum Davidis ad tempus uſque hujus Scriptoris manebat. Quæ ſequuntur in Græcis quibuſdam, καὶ καθ' ἡμέραν αἰνέσουσιν ἐν ᾠδαῖς αὐτῶν [*& quotidie canent carminibus ipſius*], ea ut in Latino ità & in Sixtino codice abſunt.

12. *Et dedit in celebrationibus decus*] *Feſtos dies decoravit*, hymnis ad quoſque aptatis.

Et ornavit tempora ad conſummationem vitæ] *Ad finem uſque*, nempe anni. Redibat enim orbis hymnorum.

Vt laudarent nomen ſanctum Domini] Nempe cantores illi ex Levitis delecti.

Et amplificarent manè Dei ſanctitatem] *Et canerent ab ipſo manè ejus ſanctitatem :* non quòd manè tantùm canerent, ſed quòd manè inciperent canere.

13. *Dominus purgavit peccata ipſius*] *Abſtulit peccata ejus*, id eſt, pœnas commeritas.

Et exaltavit in æternum cornu ejus] Perpetuas illi dedit victorias.

Et dedit illi teſtamentum Regni, & ſedem gloriæ in Iſraël] Fœdus cum eo fecit, quo promiſit Regnum, quamdiu Regnum eſſet, ſemper manſurum in illius domo.

14. *Poſt ipſum ſurrexit filius ſenſatus*] Prudentiæ, ac literarum laudibus florens, 1 Regum III. 12. IV. 31. & ſequentibus.

Et propter illum dejecit omnem potentiam inimicorum] In Græco eſt, καὶ δι' αὐτὸν κατέλυσεν ἐν πλατυσμῷ· ſed rectiùs puto fore, δι' αὐτὸ, *propter hoc* (quia tam prudens erat) *latè habitavit*. Vicini populi libenter ejus imperio paruere.

15. *Salomon imperavit in diebus pacis*] Explicat etymologiam nominis, ut & ſuprà XLVI. 2.

Cui ſubjecit Deus omnes hoſtes] In Græcis quibuſdam, καὶ ἐδοξάσθη ᾧ ὁ Θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν αὐτοῦ [*& magnificatus eſt cùm Deus ei pacaſſet circumſita*]. At in Sixtina breviùs, ᾧ ὁ Θεὸς κατέπαυσε κυκλόθεν, id eſt, τὰ κυκλόθεν, *Cui Deus pacavit circumſita.*

Vt conderet domum in nomine ſuo] Vt per pacis commoda Templum ſtrueret, quod diceretur בית יהוה [*domus Dei veri*].

Et pararet ſanctitatem in ſempiternum] Ἁγίασμα, *ſanctuarium* uno in loco manſurum, non ambulans, quale fuerat Tentorium.

Quemadmodum eruditus es in juventute] *Quàm eruditus fuiſti jam in juventute?* Rectiùs enim in Sixtina legi ἐσοφίσθης, & ἐν νεότητί σου, quàm cum aliis ἐσοφίσθη, & ἐν νεότητι αὐτοῦ, docent ſequentia.

16. *Et impletus es quaſi flumen ſapientiâ*] Vt flumen ſupra ripas ſurgens.

16. 17. *Et terram retexit anima tua, & repleſti in comparationibus ænigmata*] Ità Sixtina, ἀνέπλησας ἐν παραβολαῖς, *Terram obtexit anima tua* (animi tui opera) *& repleſti eam ſententiis ænigmaticis*, 1 Regum IV. 31. 32.

Ad inſulas longè divulgatum eſt nomen tuum] Ad oras Ophir. omnes enim tales oras Hebræi איים [*inſulas*] vocant.

Et dilectus es in pace tua] Ἠγαπήθης, quomodo eſt in Sixtina. Omnes populi te amarunt, ideo quòd bonâ fide pacem cum omnibus coleres.

18. *In cantilenis*] *Ob carmina tua*. Fecit enim multa quæ periere : reſtat una ὀαριϛὺς [*conjugalis confabulatio*], quæ Hebræis dicitur *Canticum Canticorum*. Vide dictum locum 1 Regum IV. 32.

Et proverbiis] Ἐν παροιμίαις, ob ſententias ſimpliciter enuntiatas.

Et comparationibus] Ob ſententias ὁμοίωσιν [*aſſimilationem*] aut ἀντίθεσιν [*oppoſitionem*] ſimpliciter continentes.

Et interpretationibus] Ænigmatum, quæ Hiromus & alii ei miſerant. Vide quæ de hac re diximus in Annotatis ad librum tertium de Veritate Religionis Chriſtianæ.

19. 20. *Et in nomine Domini Dei tui, cui eſt cognomen Deus Iſraël, collegiſti quaſi aurichalcum aurum, & ut plumbum compleſti argentum*] Hæc ità rectè videntur connecti in Græcis quibuſdam, nec malè poſt illud τοῦ Θεοῦ [*Dei*] addi πάσης τῆς γῆς [*omnis terræ*]. Adjuvante Deo qui in Iſraële quidem colitur, ſed in omni terra imperium habet, feciſti abundare *aurum velut ſtannum, & argentum velut plumbum*. Κασσίτερος, *ſtannum* etiam in Gloſſis. aliud longè eſt *aurichalcum*.

21. *Et inclinaſti femora tua mulieribus*] In Græco Sixtino, παρενέκλινας τὰς λαγόνας σου γυναιξὶ, *Latera tua conſeruiſti mulieribus*, multis ſcilicet & extraneis. *Et* hîc eſt pro *ſed*. Nam virtutibus Solomonis enumeratis, ad vitia venit.

Poteſtatem habuiſti in corpore tuo] *Ius tibi aſſumſiſti in corpus tuum*. Contra Legem ſcilicet. Sic ἐνεξουσιάζειν [*jus aſſumere*] etiam ſuprà habuimus XX. 7.

22. *Dediſti maculam in gloria tua*] Hoc facto maculaſti egregias laudes tuas.

Et profanaſti ſemen tuum] Feciſti hybridas.

Inducere iracundiam ad liberos tuos] *Ità ut & pœnam excitares adversùm liberos tuos*. Quorum nemo totius Regni ſucceſſor fuit. ὀργὴ pro *pœna* frequens, ut Romanorum XIII. 4.

22. 23. *Et incitari ſtultitiam tuam, ut faceres imperium biparti-*

bipartitum, & ex Ephraïm imperare imperium durum] In Græco, *Vt dolorem ferrent* (liberi illi tui) *ob tuam ſtultitiam, dominatúſque bini exſurgerent, ex Ephraïm oriente Regno per defectionem.* κατανυγῆναι [*incitari*] legit cum pleriſque Græcis, & δίχα τυραννίδας [*bipartitum imperium*], quæ lectio media eſt inter Sixtinam, quæ habet τυραννίδα, & alias quæ habent τυραννίδος. *Stultitiam* rectè vocat animi mulieroſi vitium.

Τὰ μῶρα γὰρ πάντ' ἐστὶν Ἀφροδίτη βροτοῖς,
Καὶ τοὔνομ' ὀρθῶς ἀφροσύνης ἄρχει θεᾶς.
[*Nam Venus id homini eſt quicquid amentem facit,*
Quod ipſe vocis indicat Græcæ ſonus.]

24. *Deus autem non derelinquet miſericordiam ſuam*] Οὐ μὴ καταλίπῃ, *non is erat qui derelinqueret.*

Et non corrumpet nec delebit opera ſua] *Nec qui corrumperet* quicquam *operum ſuorum.* Nam τι hîc ſubauditur. *Opus Dei* hîc dicitur Regnum, quod Deus miris modis Davidi dederat. Deus pœnas à Solomone commeritas ità temperavit, ut neque poſteritatem Davidi, nec poſteritati ejus omne Regnum auferret.

Neque perdet à ſtirpe nepotes electi ſui] *Nec qui electi ſui* (Davidis) *poſteritatem exſtingueret.* David *electus Dei* dicitur Pſalmo LXXXIX. 20.

Et ſemen ejus qui diligit Dominum non corrumpet] *Aut qui corrumperet ſtirpem ejus qui ſe dilexerat.* Senſum eundem pluribus verbis repetit.

25. *Dedit autem reliquum Iacob & David de ipſa ſtirpe*] *Dedit reliquias Iacobo & Davidi ſurculum ex ipſo.* Remanere voluit Regnum in poſteritate Iacobi, imò & in ipſa Davidis familia, ſecundùm promiſſa utrique facta, Geneſeos XXVII. 29. II Samuelis VII. 16. 26.

26. 27. 28. *Et finem habuit Salomon cum patribus ſuis, & dereliquit poſt ſe de ſemine ſuo gentis ſtultitiam, & imminutum à prudentia Roboam*] *Nam poſtquam Salomon poſt patres ſuos requieſſet, reliquit poſt ſe de ſuo ſemine ſtultitiam populi* (id eſt, ſtultiſſimum populi, more Hebræo poſitâ voce abſtractâ pro concreto), *nempe prudentiâ deſtitutum Roboamum.* καὶ hîc eſt pro *nempe.* Patri ſapientiſſimo ſucceſſit ſtultiſſimus filius. Euripides,

Ἤδη γὰρ εἶδον ἄνδρα γενναίου πατρὸς
Τὸ μηδὲν ὄντα.
[*Vidi parentis inclyti natum pretî*
Nullius hominem.]

Item,

Πολλοὶ γὰρ ὄντες εὐγενεῖς, εἰσὶν κακοί.
[*Multi bono ortu non bonis ſunt moribus.*]

Qui avertit gentem conſilio ſuo] *Qui deficere fecit populum* (id eſt, decem Tribus) *conſilio ſuo.* Cùm avaritiæ adderet pertinaciam & mala verba. Potuit dicere cum Adraſto,

Νέων γὰρ ἀνδρῶν θόρυβος ἐξέπληξέ με.
[*Iuvenum tumultus cor mihi exſternaverat.*]

29. *Et Ieroboam filium Nabath, qui peccare fecit Iſraël*] Υἱὸν Ναβὰτ eſt in Sixtina. At alii codices habent υἱὸς Ναβὰτ [*filius Nabat*], ut ſubaudiatur *fuit, qui.* In Græco ἐξήμαρτε [*peccare fecit*] habet ſonum activum ſimplicem, at ſignificationem actûs duplicis, qui apud Hebræos exprimitur per formam Hiphil. Vide ſuprà XLVI. 2.

Et dedit viam peccandi Ephraïm] Ephraïmo peccandi exemplum dedit, I Reg. XII. 30. XV. 26. 30.

Et plurima redundaverunt peccata ipſorum] *Et multùm aucta ſunt peccata ipſorum.* Crevere de die in diem. *Ipſorum*, nempe Ephraïmitarum, & aliorum Iſraëlitarum de Decem tribubus.

30. *Valde averterunt eos à terra ſua*] Ità ut eos facerent migrare de terra ſua: tam grandia fuere peccata, ut Decem tribus è ſolo ſuo excuterent, II Regum XVII. 18.

31. *Et quæſivit omnes nequitias*] Hoc in quibuſdam exemplaribus malè abeſt, ſed eſt in Sixtino, καὶ πᾶσαν πονηρίαν ἐξεζήτησαν, *Amarunt omne malum facinus.* Vide dictum locum ex hiſtoria Regum.

Vſque dum perveniret ad illos defenſio] *Vltio* à Deo per Tiglathphalaſarem & Salmanaſarum. Frequens eſt ſacrarum literarum Interpretibus Latinis *defenſionem* uſurpare in ſenſu *ultionis*, ut alibi obſervavimus.

Et ab omnibus peccatis liberavit eos] Hoc in nullis Græcis legitur.

CAPVT XLVIII.

1. *ET ſurrexit Elias Propheta*] Ex occaſione peccatorum Ieroboami, per πρόληψιν [*antegreſſionem*] quandam, factâ mentione pœnæ ex talibus peccatis multò pòſt tempore ſecutæ, repetit ordinem hiſtoriæ in commemorandis viris eximiis. De voce *ſurrexit* vide ſuprà XLVII. I.

Vt ignis] Animo ardenti pro Deî gloria.

Et verbum ipſius quaſi facula ardebat] *Vt lampas lucebat.* Ignis & ardorem habet & lucem: Sic & Elias, & is qui Eliæ ſimillimus fuit Ioannes Baptiſta, Iohannis V. 35.

2. *Qui induxit in illos famem*] Oratione ad Deum, Iacobi V. 17. In Græco eſt *famem vehementem.*

Et irritantes illum invidiâ ſuâ pauci facti ſunt] In Græco, *Et ſuâ indignatione eos ad paucos redegit.* Multis ſcilicet per famem mortuis.

Non enim poterant ſuſtinere præcepta Domini] Non eſt in Græco.

3. *Verbo Domini continuit cælum*] Nè plueret. *Verbo Domini* hîc eſt *vi Divinâ*, ut mox 5.

Et dejecit de cælo ignem terræ] Contra Baalis ſacerdotes, I Regum XVIII. 38. & bis contra miſſos ab Ochozia, II Regum I. 10. 12.

4. *Sic amplificatus eſt Elias in mirabilibus ſuis*] In Græco, in ſecunda perſona cum admiratione, *O quantam gloriam miraculis tuis adeptus es, Elia!*

Et quis poteſt ſimiliter ſic gloriari tibi?] *Quis par tibi, ſi gloriandum ſit?*

5. *Qui ſuſtuliſti mortuum ab inferis, de ſorte mortis in verbo Domini Dei*] *Qui mortuum ex morte, animam* inquam, *ab Orco reſtituiſti vi Altiſſimi*, I Regum XVII. 23.

6. *Qui dejeciſti Reges ad perniciem*] Precibus & prædicendo, Achabum, Iezebelem, Ochoziam, Ioramum Ochoziæ fratrem.

Et confregiſti facilè potentiam ipſorum] Non eſt in Græco.

Et glorioſos de lecto ſuo] Idem verbis aliis.

7. *Qui audis in Sina judicium, & in Horeb judicia defensionis*] Id eſt, ultionis, ut modò XLVII. 31. *Horeb* pars eſt Sinæ montis: & ἐλεγμὸς ſunt *minæ*, ut Eſaïæ L. 2. *Minas* intellige de iis malis quæ Iſraëlitis erant illaturi Hazaël & Iehu. Vide 1 Reg. XIX. 17. ὁ ἀκούων hîc eſt pro ὁ ἀκούσας, *qui audiſti*. Sic χρίων ſequitur pro χρίσας [*qui unxiſti*].

8. *Qui ungis Reges ad pœnitentiam*] *Qui unxiſti Reges ad vicem rependendam*, improbis ſcilicet. Explica ex iis quæ jam dicta.

Et Prophetas ſucceſſores poſt te] Bene vertit αὐτὸν [*ipſum*] per ſecundam perſonam. *Prophetas* plurale pro ſingulari: Eliſæum enim intelligit. Vide locum jam dictum.

9. *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum*] In Græco, ἀνελήφθης, *ſurſum aſſumtus*. Vide de hoc verbo quæ dicta ad Marci XVI. 19.

10. 11. *Qui ſcriptus es in judiciis temporum lenire iracundiam Domini, conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob. Beati ſunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati ſunt: nam nos vitâ vivimus tantùm*] Variant hîc multùm Græcæ lectiones & inter ſe & à Latina. Cæterùm qui nôrit opiniones Iudæorum veteres de Elia, fortè credet ſic ſcriptum fuiſſe, Ὁ καταγραφεὶς ἐλεγμὸς εἰς καιροὺς, κοπάσαι ὀργὴν Κυρίου πρὸ θυμοῦ, ἐπιστρέψαι καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καταστῆσαι φυλὰς Ἰακώβ. Μακάριοι οἱ ἰδόντες σε, καὶ οἱ ἐν ἀγαπήσει κεκοιμημένοι· καὶ γὰρ ἡμεῖς ζωῇ ζησόμεθα, *Qui conſcriptus es* (id eſt, prædictus in ſcripto Malachiæ), *comminatio* (id eſt, comminationem allaturus) *adversùs tempora, ad mitigandam Dei iram antequam furor fiat, ad convertendum cor patris ad filium, & reſtituendas tribus Iacobi. Felices qui te videbunt, etiam qui in dilectione* (Dei) *obdormierunt. Nam nos* (qui tales erimus) *vitâ* redditâ *vivemus*. Locum Malachiæ IV. 5. intelligebant hujus Scriptoris, atque etiam Chriſti tempore, ut & nunc, Iudæi de Elia (non myſtico, id eſt, Iohanne Baptiſta, quomodo Chriſtus eum locum interpretatus eſt), ſed illo ipſo qui olim fuit, quem venturum putabant ante Meſſiæ tempora, & denuntiatione gravium malorum, diei magni & horribilis, & deſtructionis, quæ ἀνάθεμα dicitur (hoc eſt quod dicit, *antequam ira furor fiat*), effecturum ut Iſraëlitæ inter ſe concordes ſint (hoc enim ſignificat *corda patrum ad filios, filiorum ad patres convertere*; de quo vide Lucæ I. 17.): & ut *Tribus reſtituantur* in veterem ſtatum (quod hîc dicitur καταστῆσαι, ut Matth. XVII. 11. ex vetere dicto, *Elias reſtituet omnia*): deinde venturum Meſſiam, & reſurrectionem priorem, nempe eorum Iſraëlitarum qui in pietate diem obierint, qui omnes participes ſint futuri bonorum Meſſiæ in hac terra: quibus piis hic Scriptor ſe quoque annumerat. Cæteræ voces quæ in aliquibus exemplaribus ſunt additæ, natæ ſunt ex gloſſematis. Si quis tamen meliorem ad hunc locum interpretationem attulerit, ei libens accedam.

12. *Poſt mortem autem non erit tale nomen noſtrum*] Non eſt in ullo Græco.

13. *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſæo completus eſt ſpiritus ejus*] In Græco Sixtino habemus, Ἠλίας ὃς ἐσκεπάσθη ἐν λαίλαπι, καὶ Ἐλισαιὲ ἐνεπλήσθη πνεύματος αὐτοῦ. Supereſt hic illud ὃς, quo omiſſo, & καὶ juncto pro *cum* antecedente, hoc invenietur dicere, *Cùm Elias abreptus fuit turbine, Eliſæus impletus fuit ſpiritu ejus*, II Regum II. 15.

In diebus ſuis non pertimuit Principem] Vt Ioramum Achabi filium, II Regum III. 14.

Et potentiâ nemo vicit illum] *Nemo eum ſubjectum ſibi habuit.* Neque in cujuſquam gratiam, nec cujuſquam metu dicenda reticuit.

14. *Nec ſuperavit illum verbum aliquod*] Nec minæ, nec blanditiæ eum vicere.

Et mortuum prophetavit corpus ejus] Id eſt, miracula fecit, quo ſigno Prophetæ agnoſcuntur. Mortuus enim revixit tactus à corpore ejus, II Regum XIII. 21.

15. *In vita ſua fecit prodigia*] Aquas diviſit pallio, aquas inſalubres reddidit ſalubres, urſos immiſit ſe irridentibus, aquam exercitui ſitienti excitavit, viduæ effecit ut oleum non deficeret, hoſpitæ filium vitæ reddidit, amaritiem herbarum correxit, Naamanum purgavit leprâ, ferrum ſecuris natare fecit, hoſtes ademto ipſis conſpectu duxit Samariam, famem prædixit, & famis finem, & Regis Syriæ mortem.

16. *In omnibus iſtis non pœnituit populus*] Tot ſignis conſpectis ab Elia & Eliſæo editis, non correxit ſe populus.

Vſquedum ejecti ſunt de terra ſua] *Captivi abducti ſunt è terra ſua.* προνομεύειν Helleniſtis eſt *captivum facere*.

17. *Et relicta eſt gens perpauca*] Duæ tribus.

Et Princeps in domo David] Exſtincto Decem tribuum Regno, manſit adhuc in domo Davidis Regnum in Duabus tribubus.

18. *Quidam eorum*] Regum Iudæ.

Fecerunt quod placeret Deo] *Deo* additum eſt ab Interprete, rectè ad ſenſum: Aſa, Ioſaphat, Ioas.

Alii autem multa commiſerunt peccata] Cæteri Reges.

19. *Ezechias munivit civitatem ſuam*] Eſaïæ XXII. 10.

Et induxit ad medium ipſius aquam] II Paralipomenôn XXXII. 30. Pro ὕδωρ [*aquam*] Sixtina hîc habet τὸν Γώγ. Id fortè nomen fuit aquæductui, ideo quòd tectus eſſet, aut quia جج Arabibus abyſſus.

Et fodit ferro rupem, & ædificavit ad aquam puteum] *Fontes* in Græco, Eſaïæ XXII. 9. 10. II Paralipomenôn XXXII. 30.

20. *Et miſit Rabſacen*] Εἰς Λαχεὶς [*Lachiſam*], quod hîc addunt quidam codices, abeſt in Sixtina.

Suſtulit manum ſuam contra illos, & extulit manum ſuam in Sion] In Sixtina eſt, καὶ ἀπῆρεν, καὶ ἐπῆρεν ἡ χεὶρ αὐτοῦ ἐπὶ Σιὼν, *Et profectus cùm eſſet* (ità ἀπῆρε ſæpe ſumitur in his libris), *extulit* ſe *manus ejus contra Sionem*, id eſt, Sioni minatus eſt. ἐπῆρεν [*extulit* ſe] hîc habet ſignificationem Hithpahel [conjugationis reciprocæ].

Et ſuperbus factus eſt potentiâ ſuâ] *Per ſuperbiam grandia locutus eſt*. Illa ſcilicet quæ leguntur II Regum XVIII. 19. & ſequentibus, Eſaïæ XXXVI. 14. & ſequentibus.

21. *Tunc mota ſunt corda eorum*] Peturbati ſunt animi.

Et manus ipſorum commotæ ſunt] Id eſt, tremuerunt.

Et doluerunt quaſi parturientes mulieres] Verba deſumta ex II Regum XIX. 3.

22. *Et expandentes manus ſuas extulerunt ad cælum*] In Græco, *Expanſis ad ipſum manibus*, ſenſu pendente à præcedentibus. ἐκπετάννυσθαι χεῖρας [*expandere manus*] frequens locutio in precum deſcriptione: Exodi IX. 29. Eſdræ IX. 5.

Et ſanctus Dominus Deus audivit citò vocem ipſorum] Ταχὺ [*citò*] eſt in Sixtina, omiſſum in aliis Græcis.

23. *Non eſt commemoratus peccatorum illorum, neque dedit illos inimicis ſuis*] Hæc non ſunt in Græcis.

Sed purgavit eos in manu Eſaïæ ſancti Prophetæ] In Græco, ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ἐν χειρὶ Ἡσαΐου, id eſt, *liberavit illos per Eſaïam*. Vbi eſt ἔλλειψις [*omiſſio verborum*]. Senſus enim eſt, *ſicut prædixerat per Eſaïam.* Eadem locutio infrà XLIX.

24. *Et contrivit illos Angelus Domini*] Bene explicavit id quod in Græco eſt αὐτοῦ [*Ipſius*].

25. *Et fidelis in conſpectu Dei*] In Sixtina, πιστὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ, *Fidelis in viſo ſuo*, id eſt, fidelis in referendis iis quæ Deus ipſi revelaverat.

26. *In diebus ipſius*] Eſaïæ nempe, ad quæ & quæ ſequuntur pertinent.

Retro rediit Sol] Solis umbra in horologio. Vide dicta II Regum XX. 11.

27. *Spiritu magno vidit ultima*] Forti animo tulit prævisum Vrbis excidium.

Et conſolatus eſt lugentes in Sion] Hîc τοὺς πενθοῦντας poſitum eſt pro πενθήσοντας, *Ità ut etiam conſolatus ſit illos qui olim in Sione mæſtiſſimi erant futuri*. Reſpicit ea quæ habemus Eſaïæ XL.

28. *Vſque in ſempiternum oſtendit futura*] Ἕως τοῦ αἰῶνος, *in multum tempus*, ut de Cyro, eventura poſt annos CCCLX.

Et abſcondita antequam evenirent] Multò antè.

CAPVT XLIX.

1. M*Emoria Ioſiæ in compoſitionem odoris*] Ità ſuavis eſt quaſi *compoſitio ſuffitûs*, id eſt, ſuffitus factus ex multis aromatis. Subauditur ἐγενήθη & ὡς.

Facta opus pigmentarii] In Sixtino eſt, ἐσκευασμένον ἔργῳ μυρεψοῦ· ſed legendum ἐσκευασμένον ἔργον μυρεψοῦ, aut quaſi *opus factum à pigmentario*, id eſt, migma unguentorum, ut vocatur ſuprà XXXVIII. 8. Iohan. XIX. 39. Hoc dicit propter multas virtutes, quæ in Ioſiam concurrerunt.

2. *In omni ore quaſi mel edulcabitur ejus memoria*] Id eſt, dulce erit: quomodo γλυκαίνεσθαι & ſuprà habuimus XII. 20. XXVII. 23. XL. 20. 34. XLVII. 10.

Et ut muſica in convivio vini] Suprà XL. 20.

3. *Ipſe eſt directus Divinitus in pœnitentiam gentis*] *Ipſe ſucceſſum habuit convertendo populo.* Ità κατευθύνεσθαι ſolet poni, ut Pſalmo CXIX. 5. CXL. 12. הוכן.

Et tulit abominationes impietatis] Ἐξῆρε, *abſtulit.* Idola & cultus idololatricos intelligi apparet ex hiſtoria II Regum XXIII. 4. & ſequentibus; II Paralipomenôn XXXIV. 3. & ſequentibus.

4. *Gubernavit ad Dominum cor ipſius*] *Cor ſuum rectà ad Deum intendit.*

Et in diebus peccatorum corroboravit pietatem] *In temporibus iniquorum*, cùm plurimi eſſent mali. Magnum illud elogium de Nerva,

Temporibúſque malis auſus es eſſe bonus.

5. *Præter David & Ezechiam & Ioſiam omnes peccatum commiſerunt*] Πλημμέλειαν ἐπλημμέλησαν, *culpam aliquam admiſere*, circa cultum Dei, vel in eo quòd fana in collibus non ſuſtulere.

6. *Et contemſerunt timorem Domini*] *Et ideo defecerunt*, id eſt, regnare deſierunt.

7. *Dederunt enim regnum ſuum aliis*] *Dedit enim* (Deus) *cornu* (potentiam) *illorum aliis*, nempe Chaldæis. ἔδωκε [*dedit*] rectiùs hîc legitur quàm ἔδωκαν [*dederunt*].

Et gloriam ſuam alienigenæ genti] *Gloriam illorum*, imperium quod habebant.

8. *Incenderunt electam ſanctitatis civitatem*] *Incendit* Deus, ἐνέπρησε, Hieroſolyma. In Siclis ſcribitur ירושלים הקדש [*Ieruſalem ſancta*]. Deus rectè dicitur facere quod aliorum miniſterio facit. Sæpiſſime ſic loquuntur Prophetæ.

Et deſertas fecerunt vias ipſius in manu Ieremiæ] Ἠρήμωσε, *deſertas fecit vias*. Sic habent libri Græci plerique, unde & in præcedenti reponendum cenſuimus ἐνέπρησε [*incendit*]. Et illud *per Ieremiam* intelligendum per ἔλλειψιν [*omiſſionem vocum*], qualem ſuprà habuimus XLVIII. 23. *ſicut prædixerat per Ieremiam.*

9. *Nam malè tractaverunt illum*] Ieremiam Iudæi, mittendo in carceres diverſos, etiam in cœnoſam voraginem, capitis accuſando.

Qui à ventre matris conſecratus eſt Propheta] Καὶ αὐτὸς ἐν μήτρᾳ ἡγιάσθη προφήτης, *quanquam ipſe in utero conſecratus Propheta fuerat*, Ieremiæ I. 5.

Evertere & eruere & perdere, & iterum ædificare & renovare] *Vt erueret, malè tractaret ac perderet, paritérque ædificaret ac plantaret.* Verba ſunt ex Ieremiæ I. 10. Dicuntur facere Prophetæ quod prædicunt.

10. *Ezechiel qui vidit*] Is fuit qui vidit. Par locutio ei quam ſuprà habuimus XLVII. 29.

Conſpectum gloriæ quam oſtendit illi in curru Cherubim] *Quam oſtendit illi* Deus inſidens *in curru Cherubinorum*, Ezechielis I. 3. VIII. & X.

11. *Nam commemoratus eſt inimicorum in imbre*] Sub *imbris* figura mala impiis eventura ſignificavit, Ezechielis XIII. 13.

Benefacere illis qui oſtenderunt rectas vias] Ἀγαθῶσαι eſt in Sixtina: ſed rectiùs legi puto ἠγάθωσε, cujus Gloſſema κατώρθωσε [*erexit*] in alios libros irrepſit. ἠγάθωσε τοὺς εὐθύνοντας ὁδοὺς, *Bene fecit rectum iter inſiſtentibus*, id eſt, *bona prædixit*. pari figurâ qualem modò habuimus. Vide Ezechielis capita XXXIV. XXXVI. XXXVII.

12. *Et duodecim Prophetarum*] Qui ob voluminum brevitatem *Minores* vulgò dicuntur.

Oſſa pullulent de loco ſuo] Hoc ſuprà habuimus XLVI. 15. & reperitur ſic in Sixtina; ſequitúrque, παρεκάλεσε γὰρ τὸν Ἰακὼβ, καὶ ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ἐν πίστει ἐλπίδος.

ἐλπίδος [*corroboraverunt Iacob, & redemerunt ipſos per fidam ſpem*] · pro quo Latinus hîc rectè legit παρεκάλεσαν & ἐλυτρώσαντο. Sed αὐτοὺς vertit *ſe*, cùm ſenſus ſit *redemerunt*, id eſt, liberarunt Prophetæ iſti *ipſos*, qui ex Iacobo erant, *per fidam ſpem*. At pro his omnibus in multis Græcis exemplaribus tantùm eſt, εἴη τὸ μνημόσυνον ἐν εὐλογίαις [*Sit memoria in benedictionibus*], ut ſuprà XLV. 1. & XLVI. 14.

13. *Quomodo amplificemus Zorobabel*] Πῶς μεγαλύνωμεν, ut in Sixtina, non μεγαλυνῶμεν, ut in aliis, *Quomodo ſatìs eum prædicemus?*

Nam & ipſe quaſi ſignum in dextera manu] Ex Aggæo II. 24. id eſt, ſollicitè admodum à Deo (nam *Dei* nomen hîc ſubaudiendum) fuit cuſtoditus.

14. *Ædificaverunt domum*] *Dei* ſcilicet: quod explicant ſequentia.

Et exaltaverunt templum ſanctum Domino] Rectè legit ναὸν [*templum*], pro quo in quibuſdam libris mendosè λαόν [*populum*].

Paratum in gloriam ſempiternam] In decus populi diuturnum.

15. *Et Nehemias in memoriam multi temporis*] In Sixtina, καὶ Νεεμίου ἐπὶ πολὺ τὸ μνημόσυνον, *Etiam Nehemiæ diuturna ſit memoria.* Alii libri ampliùs habent, καὶ ἐν ἐκλεκτοῖς ἦν Νεεμίας, οὗ ἐπὶ πολὺ τὸ μνημόσυνον αὐτοῦ, *Fuit inter viros eximios & Nehemias, cujus diuturna memoria.*

Qui erexit nobis muros everſos] Reſtituit everſa à Chaldæis mœnia.

Qui erexit domos noſtras] *Sola ædium*, vel *rudera noſtra*; id enim οἰκόπεδα · nam exponitur à Scholiaſtis per ἐρείπια. Vbi vacuæ erant areæ, ædes fecit. Hîc fine facto εὐλογιῶν [*laudationum*], addidit Scriptor extra ordinem comparationem quandam hominum raræ ſortis. Nam Simonis Oniæ laudes videtur ſeriùs, eo jam mortuo, ad librum adjeciſſe.

16. *Nemo natus eſt in terra qualis Enoch*] *Nemo ſic tractatus eſt*, à Deo ſcilicet: nam κτίζειν ſæpe eſſe *ordinare* aliquoties jam diximus.

17. *Princeps fratrum*] Somniis præſignificatus, re probatus talis.

Firmamentum gentis] Præſidium totius populi ex Iacobo orti, aut orituri.

18. *Et oſſa ipſius viſitata ſunt*] *A Deo* additur in Græco. Deus reliquiarum ejus curam habuit, ut nimirum in terram Promiſſam pervenirent, Exodi XIII. 19.

Et poſt mortem prophetaverunt] Hoc in Græco non eſt, & repoſitum videtur ex eo quod ſuprà de Eliſæo habuimus, XLVIII. 14.

19. *Seth & Sem apud homines gloriam adepti ſunt*] Quia ex Setho pii ante Diluvium, ex Semo poſt Diluvium.

Et ſuper omnem hominem in origine Adam] Bene ἐν κτίσει vertit *in origine*. Habuit hoc Adam eximium, quòd non genitus à parente, ſed à Deo factus eſt: unde *Dei filius* vocatur Lucæ III. 38. ubi dicta vide.

CAPVT L.

1. *Simeon Oniæ filius*] Supple *memorandus cum cæteris viris magnis*. Hic ille eſt cujus mentio apud Ioſephum XII. 4. circa finem.

Sacerdos magnus] כהן הגדול, *ſummus Sacerdos.*

Suffulſit domum] *Sarcivit domum*, id eſt, Templum.

Corroboravit Templum] Ἐστερέωσε τὸν ναὸν, ut in Sixtina, non τὸν λαὸν, ut in aliis. Idem bis dixit, ut ſolent Hebræi.

2. *Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt, duplex ædificatio, & excelſi parietes Templi*] In Græco, Καὶ ὑπ' αὐτοῦ ἐθεμελιώθη ὕψος διπλῆς (ità Sixtina, ſed aliæ editiones rectiùs διπλοῦν), ἀνάλημμα ὑψηλὸν περιβόλου ἱεροῦ, *Sub ipſo ſtructa eſt altitudo* (id eſt, lorica) *duplex, celſum munimen Templi in ambitu.* Vocem ἀνάλημμα [*munimen*] habemus etiam II Paralipomenôn XXXII. 5. ubi in Hebræo המלוא.

3. *In diebus ipſius remanaverunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum*] In Græco variant lectiones. Ex multis hæc ad verum proximè accedit, Ἐν ἡμέραις αὐτοῦ ἠλαττώθη ἀποδοχεῖον ὑδάτος, χαλκὸς ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον. Sed pro ἠλαττώθη legendum ἐλακκίσθη. *Ipſius temporibus cavatum eſt ex ære conceptaculum aquarum, triplâ magnitudine ad mare*, id eſt, lacum illum qui erat in Templo, & *mare* dicebatur: de quo I Regum VII. 23. & ſequentibus, I Paralip. XVIII. 8. II Paralip. IV. 2. & ſequentibus.

4. *Qui curavit gentem ſuam, & liberavit eam à perditione*] *Hic eſt qui cavit populo nè caderet*, id eſt, nè facilè ab hoſte opprimeretur, ut indicant ſequentia.

5. *Qui prævaluit amplificare civitatem*] Legit Καὶ ἐνίσχυσεν πόλιν ἐμπολιορκῆσαι · ſed alii libri habent, Καὶ ἐνισχύσας πόλιν καὶ πολιορκήσας, *Qui Vrbem firmavit, vallóque cinxit.* πολιορκεῖν propriè eſt *urbem obſidere.* At quia obſeſſores caſtra ſua vallo circumdant, etiam qui urbem vallo ambiunt dicuntur πολιορκεῖν. Sic πόλις ὀχυρὰ exponitur πόλις πολιορκουμένη [*urbs munita*], Eſaïæ XXIII. 3. in Græco. πολιορκεῖν, πόλει ἕρκος περιβάλλειν [*urbi munimentum circumdare*], & πολιορκία, πόλεως φυλακὴ [*urbis cuſtodia*], Favorino.

Qui adeptus eſt gloriam in converſatione gentis, & ingreſſum domûs & atrii amplificavit] Aliter in Græcis. Sixtina habet, ὡς ἐδοξάσθη ἐν περιστροφῇ λαοῦ, ἐν ἐξόδῳ οἴκου καταπετάσματος, *Quàm honorabatur à populo circumfuſo, ubi exibat ex domo intra velum!* id eſt, ex adyto, in die ἐξιλασμοῦ [*Propitiationis*].

6. *Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ*] Populus nubibus comparatur, quæ Luciferum circumdant.

Quaſi Luna plena in diebus ſuis lucet]

——— *Velut inter ignes*
Luna minores.

7. *Quaſi Sol refulgens, ſic ille refulſit in templo*] In Græco hoc ſequitur comparationem de Arcu ſive Iride, & aliter habet, nempe, Ὡς ἥλιος ἐκλάμπων ἐπὶ ναὸν ὑψίστου, *Vt Sol irradians Templum*, id eſt, tectum Templi, quod erat auratum.

8. *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*] Ὡς τόξον φωτίζον ἐν νεφέλαις δόξης. Ità enim in Sixtina, *ut Iris apparens inter magnificas nubes.*

Quaſi flos roſarum in diebus vernis] Sicut roſa inter flores emicat.

Quaſi lilia quæ ſunt in tranſitu aquæ] *Ad fontem aquarum*, quà aqua erumpit: ſic διέξοδον ὑδάτων [*tranſitum aquarum*] habemus II Regum II. 21. Pſalmo CVII. 35. Et Proverbiorum XXV. 26. ubi in Hebræo eſt, מקור, id eſt *fons*, Græci poſuere ὕδατος ἔξοδον [*aquæ exitum*].

Et quaſi thus redolens in diebus æſtatis] *Quaſi germen thuris* in Græco: *thurea virga* Virgilio.

9. *Quaſi ignis effulgens, & thus ardens in igne*] Quaſi ignis in foculo ſive batillo. ἐπὶ πυρείου rectiùs quàm πυρίου. Nam πυρείου vocem habemus Exodi XXVII. 3. XXXVIII. 3. Levitici X. 1. XVI. 12. Numer. IV. 14. XVI. 6. 17. 37. 39. 46. II Reg. XXIV. 35. II Paralipomen. IV. 11. & 21. Hîc *thus* Sacerdoti, *ignis* Populo comparatur.

10. *Quaſi vas auri ſolidatum, ornatum omni lapide pretioſo*] Plinius, *Turbâ gemmarum potamus, & ſmaragdis teximus calices.* Talia *chryſendeta* Martiali.

11. *Quaſi oliva pullulans*] *Vt oliva*, arbor *decora, fructum de ſe edens.*

Et cypreſſus in altitudinem ſe attollens] In Græco, *ad nubes ſe attollens.* Eminebat in plebe Pontifex,

Tanquam lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

In accipiendo ipſum ſtolam gloriæ] *Cùm aſſumſiſſet iſte auguſtum habitum:* cujus deſcriptionem ſuprà habuimus XLV. 9. & ſequentibus.

Et veſtiri eum in conſummationem virtutis] *Indutúſque eſſet perfectiſſimâ magnificentiâ.* Bis idem.

12. *In aſcenſu altaris ſancti, gloriam dedit ſanctitatis amictum*] *Quoties adſcendebat ad altare ſanctum* (holocauſtorum ſcilicet), *illuſtrabat omnem ambitum Templi*, nempe gemmarum *fulgore*.

13. 14. *In accipiendo autem partes de manu Sacerdotum, & ipſe ſtans juxta aram, & circa illum corona fratrum, quaſi plantatio cedri in Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ, & omnes filii Aaron in gloria ſua: oblatio autem Domini in manibus ipſorum, coram omni ſynagoga Iſraël*] Conſtructio Hebraïſmum ſapit, per ἀντιπτώσεις [*caſuum mutationes*] & ἐλλείψεις [*vocum omiſſiones*]. Senſus alioqui ſatis manifeſtus, qui ſic reddi poteſt: *Cùm autem ipſe acciperet membra* (victimarum) *ex manibus Sacerdotum, nempe ſtans apud focum aræ, circumſtante ipſum fratrum* (Sacerdotum) *coronâ, erat velut arbor cedri* (nam κέδρου eſt in Sixtina, non κέδρων) *in monte Libano, quam circumdant ramoſæ palmæ, nempe filii Aaron* (Sacerdotes alii), *cum ornatu ſuo, in quorum manibus erant victimæ, adſpectante toto Iſraëlis populo.* Eſt egregia ὑποτύπωσις [*depictio*] Sacerdotis ſummi procedentis ad altare victimarum, cingentibus eum Sacerdotibus aliis, adſpectante autem populo. Vbi Sacerdos ſummus aderat, ejus erat adipem de victimis σωτηρίοις [*proſperantibus*] ferre in ignem altaris, Levitici IX. 18. & ſequentibus. Ei autem qui adipem altari intulerat cedebat pectus & armus dexter, priùs ad aram oſtenſa, ut habemus Levitici VII. 31. 32. 33. 34. & dicto loco IX. 21. Hæc ſunt illa μέλη [*membra*] quæ Summo Sacerdoti, aut, ſi is abeſſet, ei qui ordine proximus eſſet, in manus tradebantur à cæteris Sacerdotibus. Summus Sacerdos eminebat inter cæteros Sacerdotes, ut cedrus inter palmas.

15. *Et conſummatione fungens in ara, amplificare oblationem excelſi Regis: porrexit manum ſuam in libatione, & libavit de ſanguine uvæ*] Rectè ex Græco ſic vertas continuatam hanc ὑποτύπωσιν [*depictionem*], *Tunc ut ad aram perfectè miniſtraret, commendarétque victimam Dei omnipotentis, manum ſuam admovebat pateræ libatoriæ, & de ſanguine uvæ* (de vino) *libamen dabat.* De voce σπονδείων [*libatoriorum*] vide Exodi XXV. 29. XXXVII. 16. Numer. IV. 7. I Paralipomenôn XXVIII. 17.

17. *Effudit in fundamento altaris odorem divinum excelſo Principi*] Odorem divinum vocat ipſum ſanguinem victimæ, qui circùm baſim altaris fundebatur. Sumta locutio ex Levitici III. 16. Numerorum XVIII. 17.

18. *Tunc exclamaverunt filii Aaron, in tubis productilibus ſonuerunt, & auditam fecerunt vocem magnam in memoriam coram Deo*] Σάλπιγγες ἐλαταὶ [*tubæ ductiles*] dicuntur & Numer. X. 2. in Græco. Omnes victimas σωτηρίους [*proſperantes*] comitabatur clangor tubarum & cantus, Numer. X. 10.

19. *Et ceciderunt in faciem ſuam ſuper terram*] Vt mos in ſacris ſollemnibus, dum altari inferebantur τὰ νόμιμα [*ea quæ oportebat*].

20. *Et amplificaverunt pſallentes in vocibus ſuis*] Id eſt, *Deum laudaverunt*, ᾔνεσαν.

Et in magna domo auctus eſt ſonus ſuavitatis plenus] Ità eſt in Sixtina ἐν πλείστῳ οἴκῳ ἐγλυκάνθη μέλος, non malè: nam latè reſonant ſoni in magna æde. Alia exemplaria habent ἐν πλείστῳ ἤχῳ [*in magno ſono*].

21. *Et rogavit populus Dominum excelſum in prece*] Stando, poſt victimas oblatas. Additur in Græco κατέναντι ἐλεήμονος, *coram ipſo* (Deo) *miſericorde*, id eſt, vultu obverſo ad adytum.

Vſque dum perfectus eſt honos Domini, & munus ſuum perfecerunt] Donec Sacerdotes omni ſuo munere orandi, cantandi, pſallendi, ſuffitum faciendi, eſſent perfuncti.

22. *Tunc deſcendens*] Simon Oniæ filius de altari, ad quod per gradus ſcandebatur.

Manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſraël] Vt fieri ſolebat: Levitici IX. 22.

Dare gloriam Deo à labiis ſuis] Vt ſimul cum populo Deum laudibus attolleret.

Et in nomine illius gloriari] Nempe quòd appellarentur *populus Dei.*

23. *Et iteravit orationem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei*] Legit ἐδευτέρωσεν, & ἐπιδείξασθαι. Sed vera eſt lectio, quæ in plurimis codicibus exſtat, ἐν προσκυνήσει ἐπιδέξασθαι τὴν εὐλογίαν παρὰ ὑψίστου, *Et repetebant* (nempe Iſraëlitæ) *preces coram Deo, ut à Deo proſpera omnia acciperent.* Nempe adprecantes Sacerdoti poſt Dei laudes preces pro populo concipienti, quales exſtant Numer. VI. 24.

24. *Et nunc orate Dominum omnium*] Admonitiones quaſdam breves ad liberos ſuos adjungit de iis quæ facere & quæ cavere debeant.

Qui magna fecit in omni terra] *Qui ſolus ubique magna facit.* Non alii dii alibi, ſed ipſe ſolus ubique imperat. Μόνον [*ſolum*] tamen non eſt in Sixtina, & pro μεγάλα ποιοῦντα [*magna facientem*] eſt μεγαλοποιοῦντα [*magnificantem*], מגדיל, non malè.

Qui auxit dies noſtros à ventre matris noſtræ] Qui nos ab infantiæ parvitate ad juſtam ſtaturam perduxit. Eſt enim μετωνυμία [*Transnominatio*].

Et fecit nobis ſecundùm ſuam miſericordiam] Benigniſſimè nos tractavit. עשה לנו כחסדו.

25. *Det nobis jucunditatem cordis*] Hoc malè abeſt ab aliis codicibus: eſt autem in Sixtina, δῴη ἡμῖν εὐφροσύνην καρδίας, *Det nobis unde gaudeamus ſinguli.*

Et fieri pacem in diebus noſtris in Iſraël per dies ſempiternos] *Et ut noſtrâ ætate in Iſraële pax ſit qualis olim*, nempe Solomonis temporibus. Sic מעולם [*jam olim*] dicunt Hebræi, ut Ioſuæ XXIV. 2. Eſaïæ LXIII. 16. 19.

26. *Credere Iſraël nobiſcum eſſe Dei miſericordiam*] *Ratam faciendo ſuam erga nos benignitatem*, quam ſcilicet per Prophetas promiſit. Eodem ſenſu habuimus ἐμπιστεύειν ſuprà XXXVI. 18.

Vt liberet nos in diebus] *Et liberet nos noſtris temporibus*, ab omni malo & metu.

27. *Tertia autem non eſt gens quàm oderim*] In Græco tantùm eſt, *non eſt gens*, id eſt, nomen *gentis* non meretur: eſt enim multarum gentium colluvies.

28. *Qui ſedent in monte Sehir*] Ἐν ὄρει Σηείρ, pro quo nunc legimus ἐν ὄρει Σαμαρείας [*in monte Samariæ*]. Quia de *Sicimis* ſequitur, & intercedit mentio *Philiſthinorum*, lectionem hanc, quam in ſuis codicibus Græcis reperit Latinus Interpres, præferam; ut *tres populos ſibi* dicat *exoſos*, *Idumæos*, *Philiſthinos, & Samaritas*. Et ſanè non alios reperias Iudæis perpetuò infeſtiores.

Et ſtultus populus qui habitat in Sicimis] *Colentes quod ignorabant*, Iohan. IV. 22. Et huc ſe conferre ſolebant omnes Legis violatæ rei à temporibus Manaſſis generi Samballetæ; quo tempore ajunt Hebræi Chuttæos devotos per nomen יהוה [*Dei veri*], per Eſdram, Zorobabelem & CCC Sacerdotes, cum totidem buccinis & libris Legis; conſtitutum à Senatu ſuperiore & inferiore, nè quis Iſraëlita panem cum Chuttæo communem ſumeret, & nè ullus Chuttæus reciperetur inter proſelytos.

29. *Doctrinam ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Ioſue filius Sirach Hieroſolymita*] Hæc & quæ ſunt in ſequente capite ad ſcripta avi addidiſſe videtur nepos hujus libri editor.

Qui renovavit ſapientiam de corde ſuo] *Qui ſapientiam de corde ſuo velut imbrem* (id eſt, ubertim) *effudit*. Pari ſenſu ἀνομβρεῖν [*effundere*] habuimus ſuprà XVIII. 29. XXXIX. 8.

30. *Beatus qui in iſtis verſatur bonis*] In Græco tantùm eſt *qui in iſtis verſatur*, qui iſta perpetuò legit.

Qui ponit illa in animo ſuo] *Qui verò etiam animo infigit.*

Sapiens erit ſemper] Σοφισθήσεται, id eſt, *ſapiens evadet.*

31. *Si enim hæc fecerit*] *Quòd ſi etiam iſta fecerit*. Hic eſt tertius gradus.

Ad omnia valebit] Vires in dies accipiet majores ad recta agenda. Magnum enim eſt aſſueſcere.

Quia lux Dei veſtigium ejus eſt] Μετωνυμία [*Transnominatio*]· id eſt, *viam ei monſtrat*. Sunt enim pleraque hæc monita ex Lege Dei aut Prophetis deſumta. Hîc ubi Latinus hunc ſermonem finit, finit & Sixtina Græca editio. Alii verò libri præterea aſſcribunt, καὶ τοῖς εὐσεβέσιν ἔδωκε σοφίαν. Εὐλογητὸς Κύριος εἰς τὸν αἰῶνα. γένοιτο, γένοιτο [*& piis dedit ſapientiam. Benedictus Dominus in ſeculum. Fiat, fiat*].

CAPVT LI.

1. ORATIO IESV FILII SIRACH] Nepotis ſcilicet, qui avi librum edidit.

Confitebor tibi] Id eſt, *gratias tibi agam*, אודה. Videtur autem hic Ieſus in Ægypto fuiſſe per delatores in periculum ingens adductus apud Regem Ptolemæum Euergeten.

3. *Et in conſpectu adſtantium*] Ἔναντι τῶν ἀνθεστηκότων, *contra adverſarios.*

4. *A rugientibus*] Ἐκ βρυγμῶν, *à rugitibus*. Id verò eſt à minis, Proverbiorum XIX. 12.

5. *Et de portis tribulationum quæ circumdederunt me*] In Græco eſt, *Ex multis quas habui vexationibus.*

6. *A preſſura flammæ quæ circumdedit me*] *A flamma ſuffocante undique.*

Et in medio ignis non ſum æſtuatus] *Ex medio igne quem ego non accenderam*, id eſt, cui periculo cauſam non dederam. Sic ἐκκαίειν [*accendere*] habuimus ſuprà VIII. 13. XXVIII. 11. 12. 13.

7. *De altitudine ventris inferi*] Sic & in Græco Sixtino, ἀπὸ βάθους κοιλίας ᾅδου. Reſpicitur ad verba Ionæ II. 3.

Et à verbo mendacii, à Rege iniquo, & à lingua injuſta] In Græco, ἐκ λόγου ψεύδους βασιλεῖ, διαβολὴ (lege διαβολῆς) ἐκ γλώσσης ἀδίκου, *Ex relatu mendacii ad Regem, id eſt, ex calumnia* proficiſcente *à lingua injuſta.*

8. *Laudabit uſque ad mortem anima mea Dominum*] Alius ſenſus in Græcis omnibus, ἤγγισεν ἕως θανάτου ἡ ψυχή μου, *Prope mortem deveneram.*

9. *Appropinquans erat inferno deorſum*] *Orco infimo*. Vide Epheſiorum IV. 9.

10. *Circumdederunt me undique*] *Circumdederant*, περιέσχον.

11. *Memoratus ſum miſericordiæ tuæ, Domine, & operationis tuæ, quæ à ſeculo ſunt*] Id eſt, quales olim exercuiſti erga Ioſephum, Davidem, Danielem, iniquè oppreſſos.

12. *Quoniam eruis*] Id eſt, ſolitus es eruere.

Suſtinentes te] Patienter exſpectantes auxilium tuum.

Et liberas eos de manibus gentium] Eſt quidem in Sixtina ἐθνῶν, ſed alii codices ſatis bene habent ἐχθρῶν, *de manibus inimicorum.*

13. *Exaltaſti ſuper terram habitationem meam*] In Græcis pleriſque, ἀνύψωσα ἀπὸ ὀργῆς ἱκετείαν μου· in Sixtina verò, ἀνύψωσα ἐπὶ γῆς ἱκετείαν μου· unde media lectio vera exſurgit, ἀνύψωσα ἀπὸ γῆς ἱκετείαν μου, *Ex terra extuli ſupplicationem meam*, id eſt, in terram proſtratus.

Et pro morte defluente deprecatus ſum] Ῥύσιν ſumſit pro *fluxu*, cùm *liberationem* ſignificet. *Precatus ſum pro liberatione* conſequenda *à morte*, id eſt, à ſummo mortis periculo.

14. *Invocavi Dominum patrem Domini mei*] Chriſtiani illud Κυρίου hîc addidere. Ieſum ſcripſiſſe credere, καὶ ἐπικαλεσάμην Κύριον πατέρα μου, *Invocavi Deum patrem meum.*

Et in tempore ſuperborum ſine adjutorio] *In tempore ſuperborum, cùm nullum mihi eſſet auxilium. Tempus ſuperborum* dicitur quo ſuperbi plurimum habebant auctoritatis & potentiæ.

15. *Et exaudita eſt oratio mea*] *Et* hîc valet *quia.*

18. *Cùm adhuc junior eſſem, priuſquam oberrarem*] Id eſt, *priuſquam peregrinarer.* Vide præfationem. Sic πλανᾶσθαι ſumitur ut ſuprà XXIX. 21. & XXXIV. 10.

Palàm] Apertâ voce, non muſſitando. Nam *ſunt*, ut ait Plinius, & *vota quæ non palàm concipiuntur.*

Formam optat modico pueris, majore puellis
Murmure, cùm Veneris fanum videt anxia mater.

19. *Ante Templum poſtulabam pro illa*] In area Templi, ubi locus erat Iſraëlitarum qui Sacerdotes non erant.

Vſque in noviſſimis] *Ad extremum uſque*, vitæ ſcilicet.

19.20. *Et effloruit tanquam præcox uva, lætatum eſt cor meum in ea*] Eſt in hoc Græco trajectio, ἐξ ἄνθους ὡς περκαζούσης σταφυλῆς, εὐφράνθη ἡ καρδία μου ἐν αὐτῇ, pro, ὡς ἐξ ἄνθους, *Cor meum ob eam lætatum eſt, ſicut* lætari ſolet aliquis *ob florem uvæ bene maturæ*, id eſt, ob vinum, qui *flos Liberi patris* Latinis. *Flos uvæ bene maturæ*, id eſt, vinum optimum, ab omphacite plurimùm diſtans.

Ambulavit pes meus iter rectum, à juventute mea inveſtigabam illam] *Illud*, nempe *iter rectum*; in Græco eſt αὐτὴν [*illam*], quia refertur ad εὐθύτητα [*rectitudinem*]. Subauditur *quia. Ideo rectum iter inſtiti quia à juventute quæſivi ſapientiam.*

21. 22. *Inclinavi modicè aurem meam, & excepi illam: multam inveni in me ipſo ſapientiam*] *Aurem præbui parumper ut diſcerem, &* brevi *multam in me eruditionem deprehendi.*

Et multùm profeci in ea] Προκοπὴ quidem Græcis Philoſophis *profectum in ſapientia* ſignificat: qua de re egregius eſt Plutarchi libellus: ſed hîc rectius erit intelligere *bonos ſucceſſus ex ſapientia perceptos.* Sic προκοπὴν pro *felice eventu* ſumſit ſcriptor 1 Maccabæorum VIII. 8. quem etiam Latinè *proceſſum* dixere Suetonius & Seneca.

23. *Danti mihi ſapientiam*] *Ei qui mihi dedit ſapientiam.*

Dabo gloriam] Bene δύναμιν *gloriam* vertit. Eſt μετωνυμία [*Transnominatio*] frequens.

24. *Conſiliatus ſum enim ut facerem illam, zelatus ſum bonum*] In Sixtino, διενοήθην γὰρ τοῦ ποιῆσαι αὐτὴν, καὶ ἐζήλωσα τὸ ἀγαθὸν, *Conſtitui enim eam* (ſapientiam) *exercere factis* (non nudo cogitatu aut ſermone), *honeſtique ſtudio ductus ſum* ſemper.

Et non confundar] *Ideo* meæ vitæ *me non pudet.*

25. *Colluctata eſt anima mea in illa*] Nulli operæ peperci, ut omnes difficultates quæ in via ſunt ſapientiæ ſuperarem.

Et in faciendo eam confirmatus ſum] In Sixtino eſt, καὶ ἐν ποιήσει λιμοῦ διηκριβωσάμην. Et annotatur alios libros habere, καὶ ἐν ποιήσει μου. Media lectio vera, καὶ ἐν ποιήσεσί μου διηκριβωσάμην, *ad actus meos attentus fui.* Nihil egi temere: ποίησις [*actus*] pro מעשה, frequens Helleniſtis, ut Exodi XXVIII. 8. XXXII. 34. XXXIX. 4. II Reg. XVI. 10. Pſalm. XIX. 2. Ezechiel. XLIII. 18. Danielis IX 14.

26. *Manus meas in altum extendi*] Deum deprecans.

Et inſipientiam ejus luxi] Rectè legit καὶ τὰ ἀγνοήματα αὐτῆς ἐπένθησα· pro quo in quibuſdam libris malè ἐπενόησα. *Dolui de ejus erroribus anteactis. Ejus*, nempe animæ meæ, de qua ſermo præceſſerat.

27. *Et in agnitione invéni eam*] *In puritate* vitæ *invéni eam.* Nam

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
[*Subtile venter pinguis ingenium negat.*]

Hoc membrum eſt & in Sixtino, ſed trajectum.

28. *Poſſedi cum ipſa cor ab initio: propter hoc non derelinquar*] *Pridem animus meus ei fuit conjunctiſſimus. Ideo* ab ea *non deſerar.* Sicut ab amico amicus non deſeritur.

29. *Venter meus conturbatus eſt quærendo illam*] Sic in Sixtino, καὶ ἡ κοιλία μου ἐταράχθη ἐκζητῆσαι αὐτὴν, ſummo animi affectu eam quæſivi. מעי, quod κοιλίαν [*ventrem*] plerumque vertunt Helleniſtæ, ſæpe *viſcera* ſignificat, & per *viſcera* etiam *affectus* quosvis, Pſalm. XL. 10. Cantici V. 5. Eſaïæ XVI. 11. Ieremiæ IV. 19. Thren. I. 20. & II. 11.

Propterea bonam poſſidebo poſſeſſionem] In Græco, *poſſedi:* rectè,

Σοφία ἢ πλούτου κτῆμα τιμιώτερον.
[*Sapientia opibus melior eſt poſſeſſio.*]

30. *Dedit mihi Dominus linguam mercedem meam*] Deus mihi eloquentiam dedit, præmium ſtudiorum meorum.

Et in ipſa laudabo eum] Ideo eâ utar ad ipſius laudes.

31. *Et congregate vos in domum diſciplinæ*] *Hoſpitium ſumite in domo diſciplinæ.* Reſpondet αὐλίζειν לון Hebræo.

32. *Quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his? animæ veſtræ ſitiunt vehementer*] Illa, *quid dicitis in his?* ἢ τί λέγεται ἐν τούτοις; non ſunt in Sixtina, & ſine eis ſenſus bene cohæret. *Quid adhuc moramini, cùm vehementer ſitiant animæ veſtræ?* Id eſt, planè opus habeant bonâ inſtitutione.

33. *Aperui os meum, & locutus ſum*] *Apertè proloquor.*

Comparate vobis ſine argento] Id ſcilicet cujus maximè egetis, ut jam dixit. Sumtum ex Eſaïæ LV. 2. Sapientes Hebræi non paciſcebantur mercedem.

34. *Et collum veſtrum ſubjicite jugo*] Dictatis Sapientiæ.

In proximo eſt enim invenire eam] Vide ſuprà 21. & Deuteronomii XXX. 14. Adde ſequentia quæ hoc dictum explanant.

35. *Videte oculis veſtris*] Me reſpicite.

Quia modicum laboravi] In juventute diligens ad ſtudia fui.

Et invéni mihi multam requiem] Vitam non inopem. Medicus fuit, ut credo, & hic & majores ejus.

36. *Aſſumite diſciplinam in multo numero argenti*] Id eſt, *cum multo numero argenti.* Scire per ſe ſuave eſt hominibus, quantò magìs ſi & divitias adferat?

Et copioſum aurum poßidete in ea] *Per eam acquirite*, κτήσασθε.

37. *Lætetur anima veſtra in miſericordia ipſius*] In beneficiis quæ per ipſam diſciplinam conferuntur. Ità enim חסד uſurpant Hebræi, quod Græci ἔλεος transferunt. Legit ἐπὶ τῷ ἐλέει αὐτῆς [*ob beneficia ejus*], non αὐτοῦ.

Et non confundemini in laude ipſius] Nunquam vos pudebit eam magni feciſſe.

38. *Operamini opus veſtrum ante tempus*] Ante ſenectutem, quæ multis auxiliis indiget. Vide Prov. VI. 6.

Et dabit vobis] Diſciplina in qua laboraveritis.

Mercedem veſtram in tempore ſuo] Cùm maximè opus habebitis.

AD LIBRVM
BARVCH,
ET
EPISTOLAM quæ dicitur IEREMIÆ.

HÆc in Hebræo nunquam exſtitere, ſed exercitamenta ſunt Iudæi Græcè callentis, qui finxit ea quæ Baruch potuit ſcribere eorum nomine ac juſſu qui cum Iechonia in Babyloniam deportati fuerant, ad populares ſuos, qui poſt Iechoniam deportatum Hieroſolymis manſerant. Ponit autem hic Scriptor Baruchum miſſum Hieroſolymis in Babyloniam quinto anno poſt deportatum Iechoniam. Alius aliquis qui exiſtimavit Baruchum nunquam iviſſe in Babyloniam ante deportationem poſteriorem, quæ Sedeciâ regnante contigit, addidit quædam ad ſcriptum hoc, quæ bene expenſa cum cæteris non cohærent. Sunt & à Chriſtianis exſcriptoribus addita quædam.

CAPVT I.

1. ET *hæc verba libri*] Initium Hebraïzans, quale Iudicum I. 1. I Maccabæorum I. 1. Præmittitur narratio. *Verba* ipſa *libri*, id eſt, mandata deportatorum ad eos qui manſerant incipiunt infrà 10. epiſtola prælegenda 15.

2. *In tempore quo ceperant Chaldæi Ieruſalem*] Id eſt, ex quo ceperant.

Et ſuccenderant eam igni] Hoc eſt unum ex illis quæ dixi additamentis. Vrbs Hieroſolyma incenſa fuit regnante Sedeciâ; Iechoniâ regnante capta, non incenſa.

3. *Et legit Baruch verba libri hujus*] Epiſtolæ quam juſſu Iechoniæ & cum eo deportatorum ſcripſerat, ut judicarent an mentem eorum ſatis expreſſiſſet.

4. *Et ad aures potentium filiorum Regum*] Id eſt, eos qui de Davidis ſanguine cum Iechonia avecti fuerant.

Ad flumen Sodi] Vbi urbs *Soïta* inter Euphratem & Tigridem Ptolemæo.

6. *Secundùm quod potuit uniuſcujuſque manus*] Locutio Hebræa, ut Levitici V. 7. & alibi.

7. *Ad Ioakim filium Helciæ*] Nam cùm deportatus fuit Iechonias, non fuere deportati Sacerdotes.

8. *Cùm acciperet vaſa Templi quæ ablata fuerant de Templo*] *Poſtquam acceperat* (nempe Nabuchodonoſor, cujus ſequitur mentio) *vaſa Templi, quæ ſcilicet ex Templo ablata fuerant.* Vaſa illa potiſſimùm quorum mentio II Regum XXIV. 13. II Paralipomenôn XXXVI. 10.

Revocare in terram Iuda decimâ die menſis Sivan] In Græco, ἀποστρέψαι εἰς γῆν Ἰούδα τῇ δεκάτῃ τοῦ Σιουὰν, id eſt, *Cùm rediturus eſſet* (Baruch) *in terram Iuda decimâ die menſis Sivan*, id eſt, circa Majum, quo tempore commodiſſima ſunt itinera.

Vaſa argentea quæ fecit Sedecias filius Ioſiæ Regis Iuda] Et hoc eſt ex illis additamentis de quibus præfatus ſum.

10. *Ecce miſimus ad vos pecuniam*] Collectam.

Holocautomata & thus] In Græco amplius, *holocautomata & victimas pro peccato, & thus.*

Et facite manna] Legendum in Græco non μάννα, ſed μαναὰ [*oblationem ex ſimila*]. Ità enim מנחה, de qua Levitici II. vertunt Veteris Teſtamenti Interpretes. Idem error & alibi in libros irrepſit, ut diximus ad Marcum IX. 49.

Et offerte pro peccato ad aram Domini Dei noſtri] *Pro peccato* hîc non eſt in Græco; & rectè: quia illud *offerte ad aram*, nempe victimarum, refertur ad holocauſta, victimas pro peccatis, & ad μαναά.

11. *Et orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis*] Sumtum ex Ieremia XXVII. 9.

Et pro vita Baltaſar filii ejus] *Baltaſarem* hîc vocat qui fuit *Evilmeraduchus* nominatus II Reg. XXV. 27. Ieremiæ LII. 31. & Beroſo ac Ptolemæo.

Vt ſint dies ejus ſicut dies cæli ſuper terram] Id eſt, generis ejus.

12. *Et ut det Dominus virtutem nobis*] Vt durare poſſimus in his malis.

Et illuminet oculos noſtros] Id eſt, liberet nos ab hoc exſilio, quod cæcitati comparatur, Eſaïæ LXI. 1. Vide dicta ad Lucæ IV. 18.

Vt vivamus ſub umbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis] Sub ejus tutela, in patria ſcilicet. Vide Ezechiel. XXXI. 6. Danielis IV. 12. 20.

Et ſerviamus eis multis diebus] Id eſt, liberi revereamur Imperium Babylonicum, ſecundùm pacta cum Regibus Chaldæis pridem facta.

Et inveniamus gratiam in conſpectu eorum] Amici ſimus illorum Regum.

13. *Quia peccavimus Domino Deo noſtro, & non eſt averſus furor ejus à nobis uſque in hunc diem*] *Ità ut non averſus ſit furor ejus.* Tam gravia peccavimus ut pœnæ etiam nunc durent.

14. *Et legite librum iſtum*] Epiſtolam iſtam.

Recitari in Templo Domini] Vt legatur in Templo, de more Synagogæ. Quem imitati Chriſtiani Epiſtolas Apoſtolorum, & poſt eas Epiſcoporum aliorum, legebant in Eccleſiis.

In die ſollemni] In Græco, *in diebus feſtis*, id eſt, Paſchate, Pentecoſte, & σκηνοπηγίᾳ [*feſto Tabernaculorum*].

Et in die opportuno] *Et in diebus temporis*, ſcilicet profeſti: nam καιρὸς [*tempus*] & ἑορτῇ [*feſta*] opponi ſolent, ut Sirach. XXXIII. 8.

15. *Et dicetis*] Ex epiſtola hac ſequentia recitabitis.

Domino Deo noſtro juſtitia] Teſtimonium juſtitiæ ex noſtra confeſſione. Sumta hæc ex Daniele IX. 7. 8. 9. & ſequentibus. Adde & Nehem. IX. 32. 33. 34. & ſequentibus.

17. 18. *Et non credidimus diffidentes in eum, & non fuimus ſubjectibiles ei*] Hîc tres verſiones diverſæ illius καὶ ἠπειθήσαμεν αὐτῷ [*& non obedivimus ipſi*], in unum coaluerunt, ſcribentium vitio.

19. *A die qua eduxit patres noſtros de terra Ægypti uſque in diem hanc*] Sæpe ſcilicet. Vide dictum caput Nehemiæ.

Eramus incredibiles] Iterum in Græco, ἤμεθα ἀπειθοῦντες [*fuimus inobedientes*].

Et diſſipati receſſimus, nè audiremus vocem ejus] In Græco, καὶ ἐσχεδιάζομεν πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν τῆς φωνῆς αὐτοῦ. Eſt σχεδιάζειν vox bene Græca, ſignificatque *inconſideratè agere aliquid*, oppoſitúmque habet τὸ ἐσκεμμένως τι ποιεῖν [*cum cura agere*]. Senſus ergò eſt, *Inconſulto ſtudio tua verba neglleximus*.

20. *Et adhæſerunt nobis multa mala*] Ἐκολλήθη. Idem loquendi genus habet infrà III. 4. ubi vertit Interpres, *agglutinata ſunt*.

Et maledictiones quas conſtituit Dominus Moſi ſervo ſuo] *Exſecratio illa quam Dominus Moſi ſervo ſuo dictavit*, Deuteronomii XXVIII.

Qui eduxit patres noſtros de terra Ægypti] In Græco, ἐν ἡμέρᾳ ἐν ᾗ ἐξήγαγεν, *illo tempore cùm eduxit*, id eſt, intra illos annos XL. Hebræorum eſt quodvis tempus ἡμέραν [*diem*] dicere.

Dare nobis terram fluentem lac & mel] *Vt daret nobis.* Vide Sirach. XLVI. II. & ibi dicta.

Sicut hodiernâ die] In Græco, *Qualis eſt hæc dies:* quale hoc tempus eſt. Refer ad verba non proxima, ſed remotiora de exſecratione. Ei enim eventus Baruchi temporibus reſpondit.

21. *Et non audivimus vocem Domini Dei noſtri ſecundùm omnia verba Prophetarum*] Præcepta Dei per Prophetas enuntiata.

Et abivimus unuſquiſque in ſenſum cordis noſtri maligni] *In ſenſa.* Capita quiſque noſtra ſecuti ſumus.

CAPVT II.

1. STatuit *Dominus Deus noſter verbum ſuum*] יקים, ratas fecit minas. Hîc ἱστάναι idem quod ἐγείρειν [*ſuſcitare*] Sirach. XXXVI. 17.

Et ad Iudices noſtros] Senatores magni Synedrii.

3. *Vt manducaret homo carnes filii ſui*] In Græco, *Vt manducaremus quiſque carnem filii ſui.* Nam ἄνθρωπος hîc valet איש Hebræum in ſenſu diſtributivo. Vide Lamentat. II. 20. IV. 10.

4. *Et dedit eos ſub manu Regum omnium qui ſunt in circuitu noſtro*] Καὶ ἔδωκεν αὐτοὺς ὑποχειρίους, quæ vox non ſemper *ſubditos*, ſed ſæpe etiam *belli fortunâ inferiores* ſignificat, ut videre eſt in Græco Geneſ. XIV. 20. Ergò hoc referes non tantùm ad Chaldæos & Ægyptios, ſed & ad Syros, Moabitas & Ammonitas. De quibus vide II Regum XXIV. 2.

In improperium] Εἰς ὀνειδισμὸν, ex Eſaï. XLIII. 18.

Et in deſolationem] Εἰς ἄβατον, ex Ierem. XXV. 38. Illud ad populum, hoc ad terram refertur.

5. *Et facti ſumus ſubtus & non ſuprà*] Contrarium promiſſo conditionali Deuteron. XXVIII. 13.

6. *Domino Deo noſtro juſtitia*] Repetit quod ſuprà dixerat I. 15.

8. *Et non ſumus deprecati faciem Domini Dei noſtri*] Ex Daniel. IX. 13.

9. *Et vigilavit Dominus in malis*] Ex Ieremia XLIV. 27. & Daniel. IX. 14.

11. *Et feciſti tibi nomen ſicut eſt dies iſta*] *Sicut hoc tempus*, oſtendit ſcilicet. Deſumtum enim hoc ex Nehemia IX. 10. & Daniel. IX. 15.

12. *Peccavimus, impiè egimus, iniquè geſſimus*] Ex Daniele IX. 5.

In omnibus juſtitiis tuis] *Contra omnia præcepta tua.* Hunc ſenſum aperit nobis idem Danielis locus.

13. *Quia derelicti ſumus pauci inter Gentes*] Eſaïæ XXIV. 6. Ierem. XLII. 2.

14. *Da nobis invenire gratiam ante faciem eorum qui nos abduxerunt*] Aliud enim illis in locis precari non licebat.

15. *Quia nomen tuum invocatum eſt ſuper Iſraël & genus ipſius*] Tum Iſraël auctor generis, tum ejus poſteritas à Deo nomen habent, Daniel. IX. 19.

16. *De domo ſancta tua*] Finguntur enim ſcripta hæc, ſtante adhuc Templo priori, ut & ſuprà apparuit I. 10. quod oſtendit rectè à nobis pro non ſcriptis haberi quæ ſpuria eſſe indicavimus.

17. *Quia non mortui qui ſunt in inferno*] Vide Sirach. XVII. 24. 25.

Quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis] *E quorum viſceribus abreptus eſt ſpiritus*, id eſt, illud quo vivitur.

Et juſtificationem Domino] Approbationem decretorum Dei.

18. *Sed anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali, & incedit curva & infirma*] *Animam* dixit, hominem intelligens. Senſum vide Pſal. LI. 19.

κύπτειν [*curvus incedere*] in deſcriptione miſeriæ eſt apud Iobum XXII. 29.

Et oculi deficientes] Præ fletu, Pſal. LXIX.4. Threnorum II. II.

Et anima eſuriens] Homo jejuniis ſe macerans, Pſalmo CVII. 5.

19. *Quia non ſecundùm juſtitias patrum noſtrorum nos fundimus preces*] Non nitimur eorum factis quorum exempla deſeruimus. Confer Dan. IX. 18.

20. *Sed quia miſiſti iram tuam*] Subintellige, *meritis noſtris*. Hac enim confeſſione veniam eblandiuntur.

21. *Sic dixit Dominus*] Οὕτως εἶπε Κύριος. *Sic enim dixerat Dominus*, per Ieremiam ſcilicet. Exaggerat culpas. Quæ Sedeciæ dixit Ieremias XXVII. 12. eadem ante ipſum Regibus ſæpe dixerat.

Inclinate humerum veſtrum] Malè admodum in Græcis omnibus κλίνατε τὸν νόμον [*inclinate Legem*], cùm & ex Latino Interprete & ex ſenſu appareat legendum τὸν ὦμον [*humerum*]. Iugum & humeris & cervicibus fertur, Eſaïæ x. 27.

Et opera facite Regi Babylonis] Id eſt, ſervite, עבדו, Ierem. XXVII. 12. Solet autem עבד verti non raro per ἐργάζεσθαι [*operari*].

Et ſedebitis in terra quam dedi patribus veſtris] *Habitabitis*. Sic enim ישב ſumitur Hebræis.

22. 23. *Defectionem veſtram faciam de civitatibus Iuda, & à foris Ieruſalem*; *& auferam à vobis vocem jucunditatis*] In Græco minus eſt verborum, & conſtructio inſolita, ἔκλειψιν ποιήσω ἐκ πόλεων Ἰούδα καὶ ἔξωθεν Ἱερουσαλήμ, φωνὴν εὐφροσύνης, & quæ ſequuntur, pro ἐκλείπειν ποιήσω [*deficere faciam*], nomen pro infinitivo. Ierem. VII. 34. unde hic locus deſumtus eſt, legimus καταλύσω ἐκ πόλεων Ἰούδα καὶ ἐκ διόδων Ἱερουσαλὴμ φωνὴν εὐφραινομένων [*& quieſcere faciam de urbibus Iuda & de plateis Ieruſalem vocem lætantium*].

Et vocem gaudii] φωνὴν χαρμοσύνης hîc, in Ieremia autem φωνὴν χαιρόντων [*vocem gaudentium*].

Et vocem ſponſi & vocem ſponſæ] Hæc quoque habes dicto loco Ieremiæ, ut & ejuſdem XVI. 9. XXV. 10.

Et erit omnis terra ſine veſtigio ab inhabitantibus eam] Εἰς ἄβατον [*in ſolitudinem*], ut ſuprà 4. quod in dicto loco Ierem. VII. eſt εἰς ἐρήμωσιν [*in vaſtitiem*]. Non dicit hoc accidiſſe *Hieroſolymis*, *ſed Iudææ & locis extra Hieroſolyma.*

24. *Et ſtatuiſti verba tua*] Vt ſuprà 1.

Vt transferrentur oſſa Regum noſtrorum & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo] Nihil enim religioſum victori, præſertim irato & avaro.

Quæque carent ventis & ſolibus oſſa Quirini,
Nefas videre, diſſipabit inſolens.

Sumta hæc ex Ierem. VIII. 1. 2.

25. *Et mortui ſunt in doloribus peſſimis*] Multi ſuperſtitum temporibus Iechoniæ.

Et in emiſſione] Καὶ ἐν ἀποστολῇ, *in miſſione*, id eſt, in peſtilentia à Deo immiſſa. Ità enim ſumi vocem ἀποστολῆς oſtendunt Græcæ verſiones Ierem. XXXII. 36. Aliæ enim habent ἐν ἀποστολῇ [*in miſſione*], pro quo aliæ ἐν λοιμῷ [*in peſtilentia*]. *Mitti* optimè dicitur de peſtilentia II Paralip. VII. 13. Eſa. IX. 8. XXIV. 10.

26. *Sicut hæc dies*] *Oſtendit* ſcilicet, ut ſuprà explicavimus 9. Significat non exuſtum Templum, ſed à paucis celebratum, & ſpoliatum præcipuis ornamentis.

Propter iniquitatem domûs Iſraël] Decem tribuum.

Et domûs Iuda] Duarum tribuum.

27. *Et feciſti in nobis, Domine Deus noſter, ſecundùm omnem miſerationem tuam illam magnam*] In Græco, *ſecundùm æquitatem tuam & omnem miſerationem tuam magnam.* ἐπιείκεια, quæ propriè eſt *æquitas*, pro *clementia* etiam ſumitur, ut hîc, ità Cantici trium puerorum 13. Sapientiæ XII. 18. II Maccab. x. 4. *Clementia* Dei Iechoniæ temporibus in eo apparuit quòd, quanquam bonâ parte populi abductâ, manſit tamen Vrbs, & Templum, & Regnum.

28. *Sicut locutus es in manu pueri tui Moyſi*] Id eſt, per Moſem. Hebraïſmus, ביד עבדך משה.

In die quo præcepiſti ei ſcribere Legem tuam] Id eſt, *quo tempore*, ut ſuprà 1. 20. in Græco.

29. *Dicens*] Nempe quoad ſenſum, Deuteronomii XXVIII. 62. Pari modo quæ ſequuntur deſumta ſunt ex Deuteron. XXXI. 19.

Multitudo hæc magna] In Græco, ἡ βόμβησις ἡ μεγάλη, id eſt, *turba iſta tantum edens ſonitum.* Abſtractum pro concreto: ſolet de aquis dici βομβεῖν [*bombilare*] apud Græcos interpretes: & populi aquis comparantur.

30. *Et convertetur ad cor ſuum*] Id eſt, *tandem ad ſe redibit*, Levit. XXVI. 39. & ſequentibus.

31. *Et dabo eis cor, & intelligent*] Vt intelligant: Deuteronom. XXX. 6. Ierem. XXIV. 7. XXXII. 39. 40. Ezechielis XI. 19. XXXVI. 26.

Aures & audient] *Vt audiant*. Id eſt, attentionem animi, quæ Auris interior.

33. *Et avertent ſe à dorſo ſuo duro*] *Dorſum durum* dicitur eſſe iis qui Legem, velut onus à Deo impoſitum, ferre nolunt: ut apparet Pſalmo LXXXI. 7. Vnde *dorſum durum* dicitur II Reg. XVII. 14. in Græco, ubi *cervices duræ* in Hebræo.

Quia reminiſcentur viam patrum ſuorum, qui peccaverunt in me] Rectè legit ὅτι μνησθήσονται [*quia reminiſcentur*], non, ut nunc in Græcis ſcribitur, ὅτι μνησθήσομαι. Et *vias* intellige eventus malorum facinorum.

34. *Et dominabuntur eis*] Meliùs in aliis codicibus Latinis *ejus*: nam in Græco eſt κυριεύσουσιν αὐτῆς, nempe τῆς γῆς [*terræ*].

Et multiplicabo eos, & non minorabuntur] Deſumta hæc ex Ierem. XXIX. 6.

35. *Et ſtatuam illis teſtamentum alterum ſempiternum*] Hæc ſunt ex Ieremia XXXI. 32. & ſequentibus.

Et non movebo ampliùs populum meum filios Iſraël à terra quam dedi illis] Manſit hoc illis uſque ad Meſſiam: manſiſſet & poſtea ſi Meſſiam recepiſſent: quæ conditio alibi exprimitur, alibi ſubintelligenda eſt.

CAPVT III.

1. SPiritus anxius*] Πνεῦμα ἀκηδιῶν. Sumitur his Scriptoribus ἀκηδία pro *torpore mæſto*, Pſalmo CXIX. 28. Eſaïæ LXI. 3.

2. *Peccavimus ante te*] In conſpectu tuo.

3. *Et nos peribimus in ævum*] Ἡμεῖς ἀπολλύμενοι τὸν αἰῶνα, *Nos vitam amittimus*. Non eam perpetuam habemus, ut tu.

4. *Audi nunc orationem mortuorum Iſraël*] Mortuos vocat eos qui in captivitatem abducti erant, ut apparet infrà 7. nimirum quòd ſimiles eſſent membris à corpore ſuo abſciſſis, nihil ultrà ſucci aut vitæ habentibus.

Et agglutinata ſunt nobis mala] *Et* hîc eſt pro *propter quod*. Vocem ἐκολλήθησαν [*agglutinata ſunt*] habuimus & ſuprà 1.20.

5. *Sed memento manûs tuæ*] Potentiæ ſæpe demonſtratæ.

7. *Propter hoc dediſti timorem tuum in cordibus noſtris*] Nempe per immiſſa nobis mala.

Et laudamus in captivitate noſtra] *Etiam in captivitate noſtra*, quantò magis id facturi ubi libertatem reddideris.

8. *In improperium, & in maledictum, & in peccatum*] In Græco, εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς ἀρὰν καὶ εἰς ὄφλησιν. Priora duo habes ſuprà 1.20. & 11.4. ſed ὄφλησις ſignificat *æs alienum*: quod inter ea eſt, quæ Lex comminatur Deuteron. XXVIII. 44.

9. *Vt ſcias prudentiam*] Nempe eam per quam Deus habetur propitius.

11. *Inveteraſti in terra aliena*] Seneſcitis ante diem.

Coinquinatus es cum mortuis] Quia inter alia multa miniſteria etiam mortuorum Chaldæorum cadavera pollincire cogebantur.

Deputatus es cum deſcendentibus in infernum] Non pluris habitus quàm ſepulti. Locutio ſumta de Pſalmo XXVIII. 1.

12. *Dereliquiſti fontem ſapientiæ*] Legem Dei: quæ & *via* jam dicetur.

14. *Vbi ſit longiturnitas vitæ*] Quomodo parari poſſit.

Vbi ſit lumen oculorum] Id eſt, res proſperæ: ſicut calamitas *cæcitas* vocatur. Vide ſuprà 1. 8.

16. *Vbi ſunt Principes Gentium?*] Oſtendit alia Imperia facilè mutari, cùm Iſraëliticum ſemper manſerit, quamdiu Legis orbitam ſectabatur.

Et qui dominantur ſuper beſtias] Qui venatu magnam partem ævi terunt, quod Parthorum Reges facere ſolitos ex Tacito diſcimus.

17. *Qui in avibus cæli ludunt*] Aucupiis indulgent: quod alterum Principalis otii ſolet eſſe oblectamentum.

18. *Et non eſt finis acquiſitionis eorum*] *Nullum finem fecere opes congerendi.*

Πλούτου δ' οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.
Nullus divitiis modus eſt nec finis habendi.

Qui argentum fabricant] In nummos cudunt.

Nec eſt inventio operum illorum] Vidimus ſæpe ingentem vim pecuniæ prædam factam hoſtibus.

19. *Et alii loco eorum ſurrexerunt*] Tranſlata ad alios ſunt regna. νεώτεροι, quod ſequitur, videtur ad hunc ſenſum pertinere, ut ſignificet non *juniores*, ſed *novos Reges* illis ſucceſſiſſe.

20. *Viderunt lumen*] Fuere aliquandiu in rebus proſperis.

Viam autem diſciplinæ ignoraverunt] Vitæ Deo placentis.

22. *Non eſt audita in terra Chanaan*] Multa invenere Phœnices.

Phœnices primi, famæ ſi creditur, auſi
Manſuram rudibus vocem ſignare figuris.

Navigandi ars eiſdem repertoribus aſcribitur. Illam autem vivendi diſciplinam non repererunt.

Neque viſa eſt in Theman] Quæ pars Idumææ magos ſemper inſignes habuit. Vide Ierem. XLIX. 7. Vide & ea quæ dicta ad Matth. 11. 1.

23. *Filii quoque Agar qui exquirunt prudentiam quæ de terra eſt*] Iſmaëlitæ periti aromatum rerúmque ſimilium, Geneſ. XXXVII. 25.

Negotiatores Merrhæ] Eſt *Maara* Sidoniorum Ioſuæ XIII. 4. & Stephano *Marnan*, addito ן paragogico: quod frequens Phœnicibus.

Et Theman] *Themanem* bis nominat, quia & ſapientes ibi multi, & multi mercatores.

Et fabulatores] Οἱ μυθολόγοι. Arabas olim fuiſſe egregios artifices fabularum utilium, quales ſunt ex quibus Phryx Æſopus nomen conſecutus eſt, ex iis quæ Erpenius edidit apparet. Sunt & genus μύθων [*fabularum*] eæ quæ dicuntur παραβολαί [*parabolæ*].

Et exquiſitores prudentiæ & intelligentiæ] Duabus vocibus expreſſit Græcum unum τῆς συνέσεως [*intelligentiæ*]. Prudentiæ ejus quæ homines hominibus gratos aut utiles reddit, præcepta noverant; quæ homines Deo, non norant.

24. *O Iſraël, quàm magna eſt domus Dei*] Vniverſum hoc, cujus imaginem gerebat Templum Hieroſolymitanum.

26. *Ibi fuerunt gigantes*] In hac ipſa Dei domo. Intellige illos Noæ coævos: ut Sapient. XIV. 6. ubi additur ἀρχῆς, ut hîc ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*]. Eidem ἀρχαῖοι γίγαντες [*antiqui gigantes*], Sirach. XVI. 8.

27. *Non hos elegit Dominus*] Sed Noam cum familia ſua.

29. *Quis aſcendit in cælum, & accepit eam*] *Vt eam* (ſapientiam) *acciperet*. Sumtum de Moſe Deuteronomii XXX. 12.

30. *Quis transfretavit mare*] Τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον [*quis deſcendet in abyſſum*]. Paulus Romanor. x. 7.

Et attulit illam ſuper aurum electum?] Καὶ οἴσει αὐτὴν χρυσίου ἐκλεκτοῦ; *Vt comparet eam auro optimo?*

31. *Non eſt qui poſſit ſcire vias ejus, neque qui exquirat ſemitam ejus*] Idem ſignificat quod Plato, *de Deo nihil certi haberi, niſi Deo ipſo ſe patefaciente:* quod fecit Iſraëlitis.

32. *Qui præparavit terram*] *Fabricavit*, κατεσκεύασεν, ut Sap. IX. 2. ברא, per κατασκευάζειν vertitur Eſaïæ XL. 28. XLIII. 7.

In æterno tempore] Εἰς αἰῶνα χρόνον, id eſt, ut ſemper duret.

33. *Qui emittit lumen & vadit*] Hebraïſmus, pro, *quo mittente lux procedit.* Vide Iob. XXXVI. 30.

Et vocavit illud, & obedit illi in tremore] *Vocanti illico paret.*

34. *Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodiis ſuis*] *In ſtationibus quæque ſuis.* Idem loquendi genus Sirach. XLIII. 12.

35. *Vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus*] Sumtum de Pſalmo CXLVII. 4.

Et luxerunt ei cum jucunditate qui fecit illos] *Ei*, id eſt, ejus juſſu.

36. *Hic eſt Deus noſter*] Qui ab Iſraëlitico populo colitur.

Et non æſtimabitur alius adversùs eum] *Nemo ei comparandus eſt.*

38. *Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt*] Hoc eſt ex illis quæ dixi à Chriſtiano aliquo exſcriptore addita.

CAPVT IV.

1. *HIc liber mandatorum Dei*] Id eſt, Sapientia illa quam omni ſapientiæ prætuli continetur in libro Legis.

Quæ eſt in æternum] Vſque ad Meſſiam auctorem novi ſeculi.

Qui tenent eam pervenient ad vitam] Addidit *pervenient*, quod ſubauditur in Græco. *Vitam* intellige, felicem in Lege promiſſam.

In mortem] Violentam, vel immaturam.

2. *Convertere Iacob*] Ad legem illam.

Ad ſplendorem ejus contra lumen ejus] Vbi via ab ejus luce lucet.

3. *Nè tradas alteri gloriam tuam*] Nè patere ab aliis gentibus laudem pietatis tibi præripi.

4. *Quia quæ Deo placent manifeſta ſunt nobis*] Reſpicitur locus Deuteron. IV. 7.

5. *Animæquior eſto*] *Bonum habe animum*, θάρσει. ſic & infrà 21.

Populus Dei] *Mi popule*, in Græco.

Memorabilis Iſraël] Μνημόσυνον Ἰσραήλ [*memoriale Iſraëlis*]. Vos pauci, per quos memoria nominis Iſraëlitici conſervatur.

6. *Venundati eſtis Gentibus*] Traditi, quomodo tradi res emtæ ſolent. Sic Eſaiæ L. 1. LII. 3.

Non in perditionem] Non ut planè gens intereat.

7. *Immolantes dæmoniis*] Id eſt, idolis, quorum nominibus utebantur mali dæmones, 1 Cor. X. 20.

8. *Et contriſtaſtis nutricem veſtram Ieruſalem*] Magnorum malorum cauſa fuiſtis patriæ urbi, quæ hîc per προσωποποιΐαν [*perſonæ fictionem*] loquens inducitur.

9. *Audite confines Sion*] Vos urbes circa Hieroſolyma. Sic & infrà 24.

10. *Captivitatem populi mei*] Illorum qui abducti cum Iechonia.

12. *Et deſolatam à multis*] Nempe civibus. Sic diſtinguuntur hæc verba in Græco.

14. *Veniant confines Sion, & memorentur*] In Græco à tertia perſona tranſitur ad ſecundam. μνήσθητε, id eſt, *expendite animis*. Vſurpatur enim & de rebus præſentibus, ut Sirach. VII. 38. & alibi.

15. *Gentem improbam*] *Impudentem*, ex Deuteronomii XXVIII. 50.

Et alterius linguæ] Pſalmo LXXXI. 6. CXIV. 1. Eſaïæ XXVIII. 11.

16. *Qui non ſunt reveriti ſenem, neque puerorum miſerti ſunt*] Ex Deuteron. XXVIII. 50. Threnorum IV. 16. V. 12. Ezechielis IX. 6.

Et abduxerunt dilectos viduæ] Ierem. XV. 8.

Et à filiis unicam deſolaverunt] *Ex filiabus orbarunt ſolitariam*, id eſt, eam quæ illis abductis ſola relinquebatur.

17. *Ego autem quid poſſum adjuvare vos?*] Oratio valde παθητική [*affectuoſa*], & ob quam vel ſolam dignus fuit hic liber qui ſervaretur.

19. *Ambulate, filii, ambulate*] Ite, ite in oras exteras.

20. *Exui me ſtolâ pacis*] Veſte temporis proſperi.

22. *A Sancto*] Eximiè hoc nomen Deo tribuitur, ut Sirach. XLVIII. 23. ſic & infrà 37.

Quæ veniet vobis ab æterno ſalutari noſtro] Id eſt, ab ipſo. Mos Hebræis nomina ponendi pro pronominibus. Vide & infrà 37.

25. *Videbis perditionem ipſius*] Gentis Chaldaïcæ per Cyrum. Vide & infrà 31.

26. *Delicati mei ambulaverunt vias aſperas*] Id eſt, qui antè delicatè educati fuerant. Vide Deuteronomii XXVIII. 54. 56. Eſaïæ XLVII. 1. 8. ubi eadem quæ hîc vox Græca.

27. *Erit enim memoria veſtra ab eo qui duxit vos*] *Erit veſtrî memoria apud eum qui hæc vobis induxit.* ἐπάγειν [*inducere*], & indè ἐπαγωγή, voces frequentes in malorum deſcriptione. Sic & infrà 29.

29. *Sempiternam jucunditatem*] Diuturnam.

30. *Exhortatur enim te qui te nominavit*] *Conſolabitur te qui nomen tibi dedit*. Vide ſuprà II. 15.

31. *Nocentes peribunt qui te vexaverunt*] In Græco, *Miſeri* (nempe erunt) *qui te vexaverunt*. Idem adjectivum bis poſtea in Græco repetitur, pro quo Latinus poſuit *punientur*.

Et quæ accepit filios tuos] Babylon, quò primùm advecti, diſtributi deinde in alia loca.

34. *Et amputabitur exſultatio multitudinis ejus*] *Auferam* (ei) *exſultationem de populi frequentia.*

Et gaudimonium ejus erit in luctum] Ἀγαυρίαμα αὐτῆς, *jactatio ejus.*

35. *Ignis enim ſuperveniet ei*] Dei ira, quæ ſub *ignis* nomine deſcribitur Deuteronomii IV. 24. & apud Prophetas ſæpe.

Et habitabitur à dæmoniis] Secutus eſt hic Scriptor Græcam verſionem, quæ eſt Eſaïæ XIII. 21.

37. *Veniunt collecti ab Oriente*] Babylonicum & Perſicum poſtea Imperium, Iudææ partim ad Septentrionem, partim ad Orientem.

CAPVT V.

1. *INdue te decore & honore*] Lætis veſtibus, de quibus ſuprà IV. 20.

2. *Diploïde juſtitiæ*] Ex Iob. XXIX. 14. Διπλοΐδες in his libris veſtes ſuffartæ pellibus, aut re aliâ. Reſpondet plerumque Hebræo מעיל, quæ veſtis Regum & Prophetarum. Iuſtitia ità ornabit Vrbem ut matronas diploïs.

Et imponet mitram capiti honoris æterni] Bona fama erit pro mitra, quâ matronarum capita ornabantur, Ezech. XXVI. 16. in Græco Iudith. XVI. 6.

4. *Pax juſtitiæ*] Quia pax juſtitiam ſequitur, Pſalmo LXXXV. 11.

Et honor pietatis] Pietatem ſequitur bona fama. Nomina hæc ſignificant elogia, quæ meritò ei dari poterant. Sic & Eſaïæ I. 26. LXI. 3.

5. *Et circumſpice*] Repetitum ex iis quæ ſuprà IV. 36.

Gaudentes Dei memoriâ] Deum commemorando.

6. *Exierunt enim abs te pedibus ducti ab inimicis*] *Acti, ut pedibus irent.*

Portatos in honore ſicut filios Regni] In carrucis & lecticis, quomodo vectari ſolent viri è Regio genere. Idem ſenſus Eſaïæ XLIX. 22.

7. *Conſtituit enim Deus humiliare omnem montem excelſum, & rupes perennes, & convalles replere in æqualitatem terræ*] Eſaïæ XL. 4. Vide quæ dicta ad Lucæ III. 4.

Vt ambulet Iſraël diligenter] Ἀσφαλῶς, *ſecurè.*

8. *Obumbraverunt autem & ſilvæ*] Legit ἐσκίασαν, pro quo nos habemus ἐσκίρτησαν, *ſubſultarunt*: ut ſolet fieri curribus prætervehentibus. Ex Pſalmo XCVI. 12.

9. *Adducet enim Deus Iſraël*] In Græco: *Ducetur autem populus Iſraël.*

Cum miſericordia & juſtitia quæ ex ipſo eſt] Per Dei miſericordiam ac bonitatem talia procurantem.

CAPVT VI.

1. EXEMPLAR EPISTOLÆ] Deeſt in Græcis exemplaribus quibuſdam. Credam eſſe alterius ſcriptoris, conjunctum prioribus ob argumenti affinitatem. Differt tamen argumentum tempore: Nam illa ad deportationem Iechoniæ, hæc ad illam quæ ſub Sedecia, Vrbe & Templo exuſtis, contigit, pertinent. Eámque cauſam eſſe ſuſpicor cur quæ notavimus antè, ad illa Baruchi nomen præferentia ſint adſcripta.

Ad abducendos captivos] Nempe cùm eſſent Reblathæ, II Regum XXV. 20.

2. *Vſque ad generationes ſeptem*] Vox γενεῶν apud Græcos varias habet ſignificationes. Sumitur enim pro *vita hominis*, pro XXX *annis*, pro XXV, pro XX *annis*, ut notat Heſychius; pro *ſeptem annis* apud Medicos. Hîc verò pro *decem annis* ſumi manifeſtum eſt. Quod quia exemplo caret, ſuſpicari aliquis poſſit olim ſcriptum fuiſſe ἕως δεκάδων ἑπτά [*uſque ad decades ſeptem*].

3. *Deos aureos & argenteos*] Simulacra *deos* vocat, quia nihil in re erant præter ſimulacra.

In humeris portari] Ἐν ὠλένῃ [*in ulna*], ait Euripides in Taurica Iphigenia de Diana Taurica.

5. *Adorantes*] Προσκυνοῦντας, id eſt, *procumbentes ritu ſupplice.*

Te oportet adorari, Domine] Ideo enim Iudæis vetitum ullum honoris ſignum apud ſimulacra exhibere, nè tali geſtu foveretur falſa opinio de Numine aliquo in ſimulacris latente.

6. *Angelus enim meus vobiſcum eſt*] Inſpector eorum quæ facitis, ἔφορος, ut ait Philo.

Ipſe autem exquiram animas veſtras] *Ipſe exquiret animas veſtras*, id eſt, vindicabit mortem veſtram. Idem loquendi genus II Samuelis IV. 11. Ezech. XVIII. 20. XXXIII. 8. & Geneſ. IX. 5. XLII. 22.

7. *Falſa ſunt, & non poſſunt loqui*] Simile habes Pſalmo CXXXV. 15. & Sapient. XIII. & XIV.

8. 9. *Ità accepto auro fabricati ſunt. Coronas certè aureas habent ſuper capita ſua*] Hæc cohærent in Græco, *Fabricarunt coronas aureas ſuper capita deorum ſuorum.* Plautus,

At ego te ſacram coronam ſurripuiſſe Iovi ſcio.

Vnde ſubtrahunt ſacerdotes ab eis aurum] In Græco additur *interdum.*

10. *Dant autem & ex ipſo proſtitutis, & meretrices ornant, & iterum cùm receperint illud à meretricibus ornant deos ſuos*] In Græco eſt aliter, *Dant etiam de illis* (auro ſcilicet & argento) *etiam iis quæ ſub eodem tecto ſunt meretricibus, ipſos autem argenteos & aureos & ligneos, quaſi eſſent homines, ornant veſtibus.*

11. *Hi autem non liberantur à rubigine & tinea*] Arnobius libro VI. *Ità enim non videtis ſpirantia hæc ſigna, quorum plantas & genua contingitis, & contrectatis orantes, modò caſibus ſtillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari, ut nidoribus atque fumo ſuffita ac decolorata nigreſcant, quemadmodum ſecli longiori incuriâ perdant ſitu ſpeciem* (ità legendum, non *ſitus ſpecie*), *& rubigine convulnerentur exeſa. Ità, inquam, non videtis ſub iſtorum ſimulacrorum cavis ſtelliones, ſorices, mures, blattáſque lucifugas nidamenta ponere, atque habitare?*

12. *Opertis autem illis veſte purpureâ*] Solebant enim dii ad eorum habitum qui inter homines ſplendidiſſimus effingi.

13. *Sceptrum autem habet ut homo, ſicut Iudex regionis*] *Vt homo provinciam regens.* Sic Achilles ſceptrum habet apud Homerum. Pari modo apud Græcos Iupiter cum ſceptro fingebatur.

Qui in ſe peccantem non interficit] In Græco, οὐκ ἀνελεῖ, id eſt, *interficere nequeat.*

14. *Habet etiam in manu gladium & ſecurim*] Quomodo fingi ſolebant Bellorum dii. Securis multis gentibus in uſu belli.

Se autem de bello & latronibus non liberat] Simulacra bello capta teſtantur hiſtoriæ: ſæpe & latronibus & piratis in prædam ceſſere. Vide quod infrà 21. adferemus.

Vnde vobis notum ſit quia non ſunt dii] Nam Deus אל [*Potens*] à *potentia* dicitur.

16. *Oculi eorum pleni ſunt pulvere*] Vide ſuprà 12.

17. *Et ſicut alicui qui Regem offendit, circumſeptæ ſunt januæ, aut ſicut ad ſepulchrum adductum mortuum*] In Græco, *Ac ſicut ei qui in Regem peccavit*, & ob id *ad mortem ducitur* (id eſt, ducendus eſt), *circumſepta ſunt atria.* Ait Suidas Atticis ipſum locum ubi ſupplicium ſumebatur dictum αὐλὴν [*aulam*].

Ità tutantur ſacerdotes oſtia clauſuris & ſeris] *Ità ædes* ſacras *ſacerdotes muniunt foribus & clauſtris & vectibus.* Euripides in deſcriptione templi Taurici,

Ἦ χαλκόπυκτα κλῇθρα λύσαντες μοχλοῖς;
[*An ahena clauſtra moliemur vectibus?*]

18. *Lucernas accendunt illis*] Lactantius VI. 2. *Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt qui auctori & datori luminis candelarum ac cerarum lumen offert pro munere?*

Et quidem multas] In Græco, *Etiam plures quàm ſibimetipſis.*

Sunt autem ſicut trabes in domo] Non plus vident quàm trabs.

19. *Corda verò eorum dicunt elingere ſerpentes qui de terra ſunt*] Per *cor* intelligit receptus ſimulacrorum. Pro *ſerpentes* in Græco eſt ἑρπετά, *repentia*, quo vocabulo rectè vermes intelligas.

Et veſtimentum ipſorum, & non ſentiunt] Legit rectè in Græco, καὶ τὸν ἱματισμὸν αὐτῶν, ϗ οὐκ αἰσθάνονται. In noſtris codicibus καὶ [&] illud alterum deſideratur.

20. *Nigræ fiunt facies eorum à fumo qui in domo fit*] *Nidoribus nigreſcunt*, ut Arnobium dicentem modò audivimus.

21. *Volant noctuæ & hirundines*] Varro in Menippeis, *Apollo à piratis maritimíſque prædonibus ſpoliatus ità eſt ut ex tot auri ponderibus, quæ infinita congeſſerant ſecula, nec unum quidem habuerit ſcriptulum quod hirundinibus hoſpitis oſtenderet.*

Et cattæ] Αἴλουροι in Græco. Eos *cattas* vocant gentes è Germanis oriundæ. Euagrius, ὃ δὴ ἔφη αἴλουρον εἶναι τὴν κάτταν ἡ συνήθεια λέγει [*ille dixit ælurum eſſe, quod animal vulgò cattam vocant*].

23. *Aurum etiam quod habent ad ſpeciem eſt. Niſi aliquis exterſerit æruginem, non fulgebunt*] In Græco cohærent hæc hoc modo, *Quòd niſi quis ab auro, quod illis additum eſt ornatui, virus abſterſerit, non fulgebunt dii illi.*

Neque enim dum conflarentur ſentiebant] Vnde ergò ſenſum accepiſſent, cùm ab artifice eum non habuerint?

24. *In quibus ſpiritus non ineſt ipſis*] *Ipſis* hîc abundat, nec eſt in Græco.

25. *In humeris portantur*] Vt ſuprà 3.

Oſtentantes ignobilitatem ſuam] Ἀτιμίαν, *vilitatem.* Viliora enim ea quæ ſe movere non poſſunt iis quæ ſemet movent.

26. *Neque ſi quis eum ſtatuerit rectum, per ſemetipſum ſtabit*] Imò gomphis ſuſtentantur, Eſaïæ XLI. 7.

Sed ſicut mortuis munera eorum illis apponentur] Id eſt, ipſi ea accipere non magìs valent quàm mortui.

27. *Hoſtias illorum vendunt ſacerdotes ipſorum, & abutuntur*] Nempe ad res turpes.

Similiter & mulieres eorum decerpentes] Ταριχεύουσαι, *ſale condientes* ea quæ ſubitò abſumere non poſſunt.

Neque infirmo neque mendicanti aliquid impertiunt] *Neque pauperi, neque infirmo.* Nam πτωχὸς in his libris quemvis *egenum* ſignificat. Opponitut hoc præcepto Hebræis dato Deuteron. XIV. 28. 29.

28. *De ſacrificiis eorum fœtæ & menſtruatæ contingunt*] *Fœtas* hîc intellige eas quæ recentes à partu ſunt, quomodo apud Virgilium,

Fecerat & viridi fœtam, Mavortis in antro
Procubuiſſe lupam.

Vbi Servius, *Fœtam, quæ peperit, & nutrire poſſet.* Hinc corrige Græcum, & ubi habemus ἀποκαθημένη ϗ λόγῳ ἅπτονται, ſcribe λεχώ. id enim *puerperam* ſignificat. Apud Hebræos feminæ quæ purgantur, aut menſis recurſu (quæ dicuntur ἀποκαθήμεναι, ut Levit. XV. 33. XX. 18. Threnor. I. 17. Eſaïæ LXIV. 6. Ezechiel. XXII. 10. XXXVI. 17. aut etiam ἄφεδροι, ut Levit. XII. 2. XV. 19. 20. 25. 26. Ezech. XVIII. 6. quia mos erat ut ſeorſim ſederent, nè propinquitate nocerent aliis) aut ex partu, Templo arcebantur; apud Babylonios verò tales feminæ & templum accedebant, & edebant de victimis.

29. *Vnde enim vocantur dii?*] *Quâ enim de cauſa dii vocarentur?*

Quia mulieres apponunt diis] *An quia mulieres illis diis apponunt*, πόπανα [*placentas*] ſcilicet.

30. *Et in domibus eorum*] Ità vocat quæ ipſi *templa.*

Sacerdotes ſedent habentes tunicas ſciſſas] Nimirum quia qui è Babyloniis (ut & ab Ægyptiis) dii dicebantur, revera erant homines mortui; ideo eorum ſacerdotes omnia præferebant ſigna luctûs, inter quæ & veſtem ſcindere: quod propterea Sacerdotibus Hebræis in luctu interdicitur, quò longiùs ab idololatrarum moribus diſſiderent, Levitici XXI. 10.

Et capita, & barbam raſam] Et hoc lugentium. Sed quia ab idololatris in templis uſurpatur, vetitum in luctu Sacerdotibus Hebræis Levitici XXI. 5.

Quorum capita nuda ſunt] Sine tegmine. Hoc quoque lugentium, ut apparet Levitici X. 6. & Hebræis Sacerdotibus pari de cauſa in luctu vetitum Levitici XXI. 10. *Luctum* cùm dico, vocem eam propriè ſumo, id eſt, ob mortem alicujus.

31. *Rugiunt autem clamantes contra deos ſuos*] *Apud deos ſuos miſerabilè clamant*, nempe ob eandem quam dixi cauſam. Ad Ægyptum Lucanus,

Et quem tu plangens hominem teſtaris Oſirim.

Vide I Regum XVIII. 28.

Sicut in cœna mortui] Ὥσπερ τινὲς ἐν περιδείπνῳ νεκροῦ, *ſicut in ſilicerniis fieri ſolet.* De quo vide Feſtum & Nonium. Græcam quæ hîc eſt vocem περίδειπνα uſurpat & explicat Hieronymus ad XVI. Ieremiæ.

32. *Veſtimenta eorum auferunt ſacerdotes*] Idolorum. Simile habuimus ſuprà 9.

33. *Neque Regem conſtituere poſſunt, neque auferre*] Nam ſi talia facere poſſent, etiam ſe facturos prædicerent, ut Deus fecit. Vide hoc argumentum tractatum Eſaïæ XLI. 23. XLIV. 7. XLVIII. 3.

34. *Neque hoc requirunt*] Id eſt, vindicant, ut ſuprà 6.

36. *De neceſſitate hominem non liberant*] *In calamitate*: nam id ſignificat Græcum, ἐν ἀνάγκῃ. Vide quæ dicta ad Lucam XXI. 23. Vſurpant ſic & Chaldæi, ſcribúntque אננקי, ut videre eſt Geneſeos XXII. 14. XXXVIII. 25. Eſther. V. 1.

38. *Lapidibus de monte ſimiles ſunt*] Æquè immobiles.

Qui autem colunt ea confundentur] Eſaïæ XLI. 11.

40. *Adhuc enim ipſis Chaldæis non honorantibus ea*] *Præſertim cùm & ipſi Chaldæi iſta* (idola) *exponant contemtui*, nempe poſtulando ab ipſis ſæpius quæ vident non poſſe præſtari.

Ad Bel] *Belum*, cujus eximium templum Babylone. Meminere Beroſus, Abydenus, Hecatæus, Curtius. Quod Syri Phœnices dicunt בעל, id Babylonii בל, literâ extritâ. Rex olim fuerat, ſed conſecratus in Solem. *Iovem* tamen Græci ſæpe interpretantur, quòd inter deos Chaldæorum principatum obtineret, ut apud Græcos ὁ Ζεὺς [*Iuppiter*].

Poſtulantes ab eo loqui] Vim loquendi muto concedi.

41. *Et ipſi cùm intellexerint relinquent ea*] Meliùs in Græco, *Et non poſſunt illi* (Chaldæi), *cùm hæc videant* (ſanari ab illis non poſſe corporum vitia), *ea relinquere.* Tantum valebat mala conſuetudo.

Senſum enim non habent ipſi dii illorum] *Senſum* *enim nec ipſi habent*, nempe qui colunt idola. Senſu communi carent, ex Pſalmo cxv. 7. 8.

42. *Mulieres autem circumdatæ funibus in viis ſedent*] De more Babylonicarum mulierum ſe in Veneris, quam Μύλιτταν, id eſt, *Genitricem* vocabant, honorem vulgantium diximus ad Levitici XIX. 29. ex Herodoto & Strabone. *Funes* illi non ſunt zona virginea. Nam ad omnes mulieres etiam nuptas mos ille peſſimus pertinebat. Neque *funes* hîc ſunt, quod χοινοτενέες διέξοδοι apud Herodotum. Significat enim eo vocabulo Herodotus *vias factas ad rectam lineam.* ea quippe eſt vocis illius ſignificatio. Et illæ ipſæ ſunt viæ quarum hîc mentio. Sed erant *funes* illi ſigna διὰ πραγμάτων [*per res*] (qualia multa frequentabantur apud Orientis populos), ex quibus intelligebatur tales feminas eſſe voti reas. Omnis enim promiſſio *vinculum* vocatur.

Succendentes oſſa olivarum] In Græco eſt, θυμιῶσι τὰ πίτυρα. Eſt *πίτυρα* vox Hebræa פטורה, & *aperturam* ſignificat, id eſt, quod *rimam* dixere Iuvenalis, & in Centone Auſonius. θυμιῶσι τὰ πίτυρα eſt id quod *ſuffire naturam* dixit Plinius. Strabo de Babyloniis, ὁσάκις δ' ἂν μιχθῶσιν ἀλλήλοις ἐπιθυμιάσαντες [*quoties coëunt ſuffitu utuntur*]. Cur ergò *oſſa olivarum* hîc poſuit Interpres? Non quia olivæ quædam πιτυρίδες dictæ ab Athenæo: eæ enim nomen id habent quod colore furfurem referunt: ſed quia legit τὰ πίτυρα, id eſt, τὰ ἐπίτυρα. *Epityrum* eſt condimentum caſei memoratum Plauto in Milite, Varroni, Catoni, Columellæ. Id autem Heſychius exponit, τῶν ἐλαιῶν ἐκπιέσματα, id eſt, *ſuccum expreſſum de olivis tuſis poſt factum oleum.*

43. *Attracta ab aliquo*] Extra templum, ut nos docet Herodotus.

Neque funis ejus diruptus ſit] Quod erat ſignum liberatæ voto, quod ἀποσιῶσθαι τῇ θεῷ [*apud deam liberari*] dixit Herodotus.

44. *Omnia autem quæ in illis fiunt falſa ſunt*] Vana quæ fiunt circa ſimulacra. Vide ſuprà 7.

45. *A fabris autem & ab aurificibus facta ſunt*] Eſaïæ XL. 19. 20. XLI. 7. XLIV. 12. 13. Ierem. X. 3. Oſeæ VIII. 6. XIII. 2.

Nihil aliud erunt niſi id quod volunt eſſe ſacerdotes] *Artifices* in Græco, id eſt, fabri illi & fuſores.

46. *Non ſunt multi temporis*] Non diutius vivunt quàm homines alii, ſæpe & minùs ob metallorum vapores.

Eſſe dii] Id eſt, immortales. Nemo dat quod non habet.

47. *Reliquerunt autem falſa*] *Relinquunt poſt ſe opera fallacia.*

Et opprobrium poſtea futuris] Nempe ubi Gentes ad verum Deum convertentur, quod Prophetæ futurum prædixerunt: quò & ea pertinent quæ infrà 50. dicentur.

48. *Vbi ſe abſcondant cum illis*] Vt Æneas cum Trojæ Penatibus.

49. *Quomodo ergò ſentiri debeant quoniam dii ſunt?*] In Græco. *Quomodo ergò non percipiatur iſtos deos non eſſe?*

50. *Et nullum Dei opus cum illis*] *In illis.* ἔργον [*opus*] dixit pro virtute operativa.

51. *Vnde ergò notum eſt quia non ſunt Dii?*] Sequitur Interpres Græcum, quale nunc eſt: ſed excidit negativa particula. Recta enim eſt lectio, τίνι οὖν οὐ γνωστόν ἐστιν ὅτι οὐκ εἰσὶν θεοί; *cui non appareat illos Deos non eſſe?*

52. *Regem regioni non ſuſcitant*] Repetit quæ dixerat ſuprà 33. & ſequentibus, *Non conſtituunt Regem*, quomodo Deus Davidem.

Neque pluviam hominibus dabunt] Vt Deus Iſraëli per Eliam.

53. *Iudicium quoque non diſcernent*] Vt Deus fecit contra Core & factionem ejus, & contra Achanem.

Neque regiones liberabunt ab injuria] Quomodo Deus Hieroſolyma liberavit à Sennacheribo.

Quia nihil poſſunt, ſicut corniculæ inter medium cæli & terræ] Non plus valent quàm corniculæ, quæ & ipſæ, ſicut ſimulacra, partim in terra, partim in aëre verſantur, ſed neutrum valent immutare.

54. *Ipſi verò ſicut trabes in medio comburentur*] Vt diis Romanis accidit, exuſto Veſtæ templo.

55. *Regi autem & bello non reſiſtent*] *Et hoſtibus*, καὶ πολεμίοις. Regi hoſtes ducenti.

58. *Itaque melius eſt eſſe Regem*] *Ità ut melior ſit Rex.* Et ità per nominativum Latinè vertenda & ſequentia.

In quo gloriabitur qui poſſidet illud] *Quo utatur, qui id poſſidet.* Vt ſecuris, lebes, olla.

59. *Obaudiunt*] Deo egregium miniſterium motu ſuo præſtant.

60. *Similiter & fulgur cùm apparuerit perſpicuum*] Legitur ut nos habemus, εὔοπτός ἐστι [*perſpicuum eſt*]. Sed puto legendum, εὐπειθής ἐστι, *obſequens eſt.* Id enim & præcedentibus & ſequentibus optimè congruit.

Idipſum autem & ſpiritus in omni regione ſpirat] *Idem ventus totam regionem perflat.* Hebræis רוח ſæpe eſt *ventus*: ſic & πνεῦμα [*ſpiritus*] Iohan. III. 8.

61. *Et nubes quibus cùm imperatum fuerit*] *Nubes cùm eis imperatum fuerit.* Ità enim Latinè reddes quod in Græco eſt, *Nubibus cùm imperatum à Deo fuerit ire in orbem totum, faciunt* (nempe illæ) *quod juſſum eſt.*

62. *Ignis etiam miſſus deſuper*] Fulmen.

Vt conſumat montes] Horatius,

——— *Feriúntque ſummos*
Fulmina montes.

Lucanus,

Scilicet ille petet Rhodopen, petet ignibus Oetam.

Hæc autem neque ſpeciebus, neque virtutibus uni eorum ſimilia ſunt] *Illis ſimilia ſunt.* Non Soli, Lunæ, Aſtris ſpecie, non Nubibus, Ventis, Fulmini, efficaciâ pares ſunt.

63. *Neque judicium judicare*] Vide ſuprà 53.

65. *Neque enim Regibus maledicent, neque benedicent*] Id eſt, neque proderunt, neque nocebunt.

66. *Signa etiam in cælo gentibus non oſtendunt*] Signa tempeſtatum, ut Vergiliæ aſtráque alia.

68. *Nullo itaque modo nobis eſt manifeſtum quia ſunt Dii*] *Nullo argumento apparet nobis hos eſſe deos.*

69. *Nam ſicut in cucumerario formido nihil cuſtodit*] Ὥσπερ γὰρ ἐν σικυκλάτῳ προβασκάνιον οὐδὲν φυλάσσον. Sed ſcribendum σικυηλάτῳ προσβασκάνιον.

Vox σικυηλάτου pro *cucumerario* exſtat & Eſaïæ I. 8. Dici autem ſolere προσβασκάνιον, non προβασκάνιον, docet nos Phrynicus; qui tamen eam ipſam vocem ut minùs puram rejicit, vultque dici βασκάνιον. Vocabantur autem ſic formæ quædam ridiculæ valere creditæ ad avertendum faſcinum, ἐπὶ φθόνου ἀποτροπῇ, ut Pollux loquitur, producens Ariſtophanis ea de re locum. Fures talibus nugis non terrentur.

70. *Et in horto ſpina alba*] In Græco non eſt *alba*, ſed ῥάμνος. Sed ſpinam albam uſurpatam adversùs incantationes docet in Faſtis Ovidius. Aves verò iſta remedia non curant.

Similiter & mortuo projecto in tenebris] Qui tandem fœtore ſe prodit.

71. *A purpura quoque & murice*] In Græco, ἀπό τε τῆς πορφύρας, καὶ τῆς μαρμάρου· ſed legendum μαργάρου· quomodo *margaritæ* & apud Pauſaniam, & in Epigrammate Græco vocantur. Ætate corrumpi margaritas ſatìs conſtat.

Quæ ſupra illos tineant] *Quæ ſupra illos corrumpitur.* Nam & ſic σήπεσθαι uſurpant Græci: & Sirach. XIV. 20. Iob. XL. 7.

Ipſi etiam poſtremò comeduntur] *Comedentur*, id eſt, adedentur à carie poſt ornamenta ſua.

Et erunt opprobrium in regione] Nullos ultrà honores accipient, ſed extra conſpectum amovebuntur.

72. *Nam erit longè ab opprobriis*] Nemo ei exprobrabit deum carie corroſum.

IN ADIECTA AD DANIELEM.

CAPVT III.

24. ET *ambulabant in medio flammæ*] Si hic hymnus ab ipſis Iuvenibus aut etiam Daniele factus eſſet, locum ſuum haberet in Hebræo Danielis cap. III. poſt comma 23. ſicut habet in Græcis multis & Latinis.

27. *Vniverſa opera tua vera*] Id eſt, recta.

32. *Inimicorum noſtrorum iniquorum*] In Græco, ἀποστατῶν [*defectorum*]. Sic autem vocantur omnes impii, etiam qui Deum nunquam coluere .סררים.

34. *Nè diſſipes teſtamentum tuum*] Promiſſa Patribus facta.

38. *Non eſt in tempore hoc Princeps*] Rex de domo Davidica.

Et Dux & Propheta] In Græcis *Propheta* præcedit. Pro *dux* in Græco eſt ἡγούμενος, quomodo omnes Magiſtratus appellari ſolent, Sirach. IX. 24. X. 2. 24. XXXIII. 19. XXXIX. 4.

Neque holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coram te] Harum rerum penuria animos venturo Euangelio præparabat.

39. *In animo contrito & ſpiritu humilitatis*] Vide Baruch. II. 18.

40. *Sic fiat ſacrificium noſtrum*] Cordis ſcilicet, ex Pſalmo LI. 19.

Quoniam non eſt confuſio confidentibus in te] Pſalmo XXV. I.

43. *Et erue nos in mirabilibus tuis*] Κατὰ τὰ θαυμάσιά σου, ſecundùm illa mira quæ olim feciſti.

44. *Qui oſtendunt ſervis tuis mala*] Experiri faciunt. Expreſſit Hebræum הראה [*videre facere*], quod eſt in Pſalm. LX. 5. & alibi.

46. *Naphtha*] De hac materia vide Strabonem XV. Plutarchum Alexandro, Dioſcoridem I. 102. Plinium II. 105. Arabes vocem retinent نفط.

49. *Excuſſit flammam*] Exire fecit.

53. *In templo ſancto gloriæ tuæ*] Id eſt, in cœlis.

55. *Qui intueris abyſſos*] Maris infima, Sirachidæ XLII. 18.

Et ſedes ſuper Cherubim] Angelis imperas: quod per שכינה [*habitationem*] ſuper Cherubim ſe monſtrantem ſignificabatur.

60. *Aquæ omnes quæ ſuper cælos ſunt*] Nubes quæ ſunt ſupra infimum aërem. Significat per omnia opera Dei majeſtatem conſpici, idque ipſum excitantis imaginem ſumens approbat, imitans Pſalmum CXLVIII.

61. *Omnes virtutes Domini*] Planetæ quinque. Vide ad Matthæi XXIV. 29.

65. *Omnes ſpiritus Dei*] Venti, ut in Epiſtola Ieremiæ 60. & alibi.

84. *Benedicite Sacerdotes Domini, Domino*] Nam & hi in exſilio dignitatem inter ſuos retinebant, & preces concipiebant pro populo.

85. *Servi Domini*] Levitæ.

86. *Spiritus & animæ juſtorum*] Nempe quæ ſunt in Paradiſo.

87. *Sancti & humiles corde*] Iudæi deportati.

88. *De inferno*] De morte præſente.

89. *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in ſeculum miſericordia ejus*] Ex Pſalmo CXVIII. II Paralipomenôn V. 13. *Confiteri* eſt laudare.

90. *Omnes religioſi*] יראי אלהים [*timentes Deum*], ut Iobi I. 1. 8. & II. 3.

CAPVT XIII.

1. ET *erat vir habitans in Babylone*] Hanc hiſtoriam Iudæi non planè negant. Ajunt enim duos ſenatores Iudæos, *Achabum* & *Sedeciam* nomine, quòd multas mulieres Hebræas adulteraſſent, Suſannæ etiam pudicitiam attentaſſent, mortis

ſupplicio affectos, non quidem lapidatione, ſed incendio; idque non decreto Iudæorum, ſed ipſius Nabuchodonoſoris. Quippe ajunt ſub Chaldaïca deportatione nulla judicia capitalia fuiſſe penes Iudæos, quanquam ſub Perſico Imperio nonnullis in locis id fortè evenerit. Moribus autem Chaldæorum pœnam adulterii fuiſſe incendium. In qua re convenit Thalmudicis cum iis quæ Origenes ab Iudæis didiciſſe ſe teſtatur ad Ieremiæ XXIX. 22. ubi quæ à nobis dicta vide. Hoc autem quod nunc in manibus habemus ſcriptum, non ex Hebræo tranſlatum, ſed primitus ab Iudæo aliquo Helleniſta fuiſſe ſcriptum, oſtendit παρονομασία [*Advocabulatio*] quæ eſt infrà inter σχῖνον [*lentiſcum*] & σχίζειν [*ſcindere*], item πρῖνον [*ilicem*] & πρίζειν [*ſerrâ diſſecare*], quam in vocibus Hebræis fruſtrà quæres.

4. *Et erat ei pomarium*] In Græco, παράδεισος· de qua voce vide Sirach. XXIV. 31.

Ad ipſum confluebant Iudæi] Conveniebant in ejus domum, quia curiam non habebant.

5. *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes Iudices in illo anno*] Hebræi nunquam Iudices habuere annales aut binos. Sed poterant hi eſſe aſſeſſores ejus qui erat ראש הגלות, αἰχμαλωτάρχης [*princeps deportatorum*].

De quibus locutus eſt Dominus, quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à Senioribus Iudicibus] Nempe apud Ieremiam dicto jam loco. Senſum ſequitur, non verba.

Qui videbantur regere populum] Οἱ ἔδοξαν κυβερνᾶν τὸν λαὸν, *qui honorem erant conſecuti populum gubernandi.* De hac locutione vide quæ diximus ad Marcum X. 42.

9. *Vt non viderent cœlum*] Id eſt, ut Deum non reſpicerent. Vide ad Lucam XV. 18.

10. *Vulnerati amore ejus*] *Vulnus alebant venis*, ut Virgilius loquitur.

15. *Sicut heri & nudiuſtertius*] Id eſt, quomodo ſolebat. Locutio Hebraïca quæ exſtat Geneſeos XXXI. 2. 5. Exodi IV. 10. Ioſuæ IV. 18. XX. 5. Ruth. II. 11. 1 Samuelis IV. 8. X. 11. XIV. 21. & alibi.

Cum duabus ſolis puellis] Quæ ἅβραι dicebantur. Vide Iuditham.

17. *Et ſmegmata*] Græcè ſcribi debet σμῆγμα, non σμίγμα. Latinè etiam *ſmegma* dixit Plinius XXII. 25. Exprimere voluit Hebræum בורית, de quo vide Ieremiæ II. 22.

18. *Per poſticum*] Διὰ τὰς πλαγίας θύρας, per tranſitus incognitos aliis. Tales illi de quibus Virgilius,

> *Limen erat, cæcæque fores, & pervius uſus*
> *Tectorum inter ſe Priami, poſtéſque relicti*
> *A tergo.*

22. *Anguſtiæ ſunt mihi undique*] Erant ſanè magnæ. Sed piis animis inſpirat Deus egregia conſilia.

23. *Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras quàm peccare in conſpectu Domini*] Pro *abſque opere* in Græco eſt μηδὲν πράξασαν, id eſt, *cùm nihil mali commiſerim.* Vide quantum differat Suſanna à Lucretia, Iudaïſmus illorum temporum ab eo quod optimum erat in Paganiſmo.

25. *Et cucurrit unus ad oſtia pomarii, & aperuit*] Nempe quaſi adulterum perſequens. Vide infrà 39.

27. *Quia nunquam dictus fuerat ſermo ejuſmodi de Suſanna*] Nulla de ea fuerat fabula.

32. *Iuſſerunt ut diſcooperiretur*] Nempe quaſi ex ipſo adſpectu ſigna deprehenſuri culpæ. Nam ſolent Iudices etiam hoc non contemnere. Feminæ cæteroqui in publico etiam faciem velabant, Geneſeos XXIV. 65.

34. *Poſuerunt manus ſuas ſuper caput ejus*] Depoſitâ Iudicum perſonâ, ut teſtes ſe gerebant, ex lege quæ eſt Levitici XXIV. 14. Hæc unica eſt ratio ſolvendi ænigma illud Iuriſconſultorum, *Iudex an judicare debeat ex eo quod ipſi compertum ſit, an ex Actis.*

38. *Et vidimus eos pariter commiſceri*] Quaſi dicant, *deprehendimus eam* ἐπαυτοφώρῳ [*in actu ipſo*], ut eſt Iohan. VIII. 4. Draco dixit ἐν ἔργῳ· Solon, ἄρθρα ἐν ἄρθροις· Pomponius, *in ipſis rebus Veneris*; Vlpianus, *in ipſa turpitudine.*

41. *Credidit eis multitudo quaſi ſenibus & Iudicibus populi*] Nam *in teſtimoniis dignitas, fides, mores, gravitas examinantur*, ut ait Lex *In teſtimoniis*, D. *De Teſtibus.*

Et condemnaverunt eam ad mortem] Videtur ſenſus eſſe, *dignam morte exiſtimarunt.*

42. *Qui noſti omnia antequam fiant*] Qui corda introſpicis.

43. *Et ecce morior*] Præſens pro proximè futuro, ut Matthæi XXVI. 28.

46. *Mundus ego ſum à ſanguine hujus*] Formula loquendi, ut Matthæi XXVII. 24.

50. *Quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis*] Τὸ πρεσβυτέριον, *æquavit te Senatoribus.* Sic quidam veterum interpretantur locum 1 Timoth. IV. 13.

51. *Separate illos ab invicem procul*] Multùm enim refert, ut eſt in Epiſtola Adriani, quam recitat Calliſtratus L. *Teſtium* D. De Teſtibus, *qui ſimpliciter viſi ſunt dicere, utrùm unum eundémque meditatum ſermonem attulerint, an ad ea quæ interrogati ſunt ex tempore veriſimilia reſponderint.*

53. *Dicente Domino, innocentem & injuſtum non interficies*] Exodi XXIII. 7.

55. *Angelus Dei acceptâ ſententiâ ab eo, ſcindet te medium*] Concitatâ ſcilicet multitudine. nam Deus res tales per Angelos facere dicitur. Sic & infrà 59.

56. *Semen Chanaan & non Iuda*] Moribus Chananæos referens, non eum unde diceris Iudam. Simile Ezechielis XVI. 3.

57. *Sic faciebatis filiabus Iſraël*] Illis quæ ex Decem erant Tribubus, deportatis per Salmanaſſarem, quas pridem idololatria invaſerat, morum omnium bonorum corruptrix. Mira cognatio eſt pietati cum virtutibus omnibus, impietati autem cum vitiis.

59. *Gladium habens*] Id eſt, mandatum à Deo. Qui à Iudicibus mandata habent, gladio utuntur. Benè convenit huic narrationi illud Quintiliani V. 7. *Illud fortuna interim præſtat, ut aliquid quod inter ſe parùm conſentiat à teſte dicatur; interim, quod ſæpius evenit, ut teſtis teſti diverſa dicat.*

61. *Et conſurrexerunt adversùs duos presbyteros*]

Per modum ſeditionis, quomodo Stephanus lapidatus, & Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus. Lapides, plebis arma.

63. *Quia non eſſet inventa in ea res turpis*] *Turpitudo*, ut Vlpianum dicentem modò audivimus.

65. *Et Rex Aſtyages*] Hoc initium eſt narratiunculæ ſequentis in editione Sixtina. Pro qua narratiuncula neque Origenes, neque Apollinaris, neque Euſebius reſpondere unquam Porphyrio voluere. Quod de Abacuco hîc dicitur planè ignotum eſt Iudæis. Et Abacucus ante Nabuchodonoſorem vixit, cùm hæc ſub Cyro geſta dicantur. Tum verò Danielis in leonum ſpeluncam miſſi aliam cauſam recitat ipſe Daniel.

CAPVT XIV.

1. *ARtaba duodecim*] *Artaba*, teſte Herodoto, medimnum Atticum capit, & tres chœnices.

22. *Et erat draco magnus in loco illo.*] Magna ſemper Gentium ſuperſtitio circa ſerpentes fuit, quibus numen ineſſe aliquod illis perſuaſerat is qui ab initio formam induit Serpentis, & mores ſerpenti conſimiles hominibus inſtillat. Vide Euſebium De præparatione, ubi de Taauto. Vocabantur ἀγαθοὶ δαίμονες [*dii boni*], ut Servius ad tertium Georgicôn notavit. Adde Statium quinto Thebaïdos, Plutarchum Alexandro, Epitomen Livii libro XI. *Anguem in quo ipſum numen fuiſſe conſtabat.* Draconem in cujus tutela erat Lanuvium eſcas à virgine accepiſſe docet nos Propertius IV. 8.

27. *Iudæus factus eſt Rex*] Ἰουδαῖος γέγονε βασιλεὺς, non, ut nunc legitur, ὁ βασιλεὺς [*ille Rex*]· non enim hoc voluit *Regem factum eſſe Iudæum*, ſed, Danielem *Iudæum* hominem in Chaldæa *Regem agere. Impunè quidvis facere, id eſt Regem eſſe*, ait Salluſtius.

AD MACCABAICVM I.

MAgnæ fuere res Iudæorum, adverſæ primùm, deinde dubiæ, poſtremùm proſperæ, ſub Antiocho Illuſtri, & iis qui eum ſecuti ſunt Syriæ Regibus. Earum in hiſtoria generali mentionem fecerant Græci ac Latini Scriptores, quorum meminit Hieronymus in Prolegomenis ad Danielem. Iudæi complures partim inde, partim ex majorum ſuorum commentariis collegere quæ ad ſe pertinebant. Horum duo ad nos libelli pervenere, idem argumentum, ſed non uſquequaque conſentienter tractantes, qui vocantur MACCABÆORVM PRIMVS & SECVNDVS: nam Tertius ad res in Ægypto antè geſtas pertinet, ultimúmque obtinuit locum, quòd non parem nactus ſit auctoritatem. Eſt autem liber primus ſcriptus diligenter, & cum Ioſepho bene convenit; plus tamen ſæpe dolorum & affectuum admiſcens quàm ferat hiſtoria. Vocantur autem MACCABÆORVM libri, ideo quòd Iudas Aſmonæus libertatis vindex in vexillis ſcriptam habuit per ſigla (ut Iuſtinianus loquitur) ſententiam eam quæ exſtat Exodi XV. 11. מי כמכה׳ באלם יהוה [*Quis ſimilis tui in fortibus, Domine?*] Solent enim Hebræi primas literas nominum colligere, & ex eis collectis vocem fingere compendii causâ. Sic רלבג *Ralbag* valet *Rabbi Levi ben Gerſon*; רמבם Rambam, *Rabbi Moſe ben Maimon*; רמבן Remban, *Rabbi Moſe ben Neheman.* Pari modo ex illis vocibus factum nomen *Maccabaï*, quod Aſmonæis adhæſit: & ab iis ipſa illa tempora dicta *Maccabaïca.*

CAPVT I.

1. *ET factum eſt*] Initium ad formam Hebraïcam, ut Iudic. 1. initio Baruchi, & alibi.

Qui primus regnavit in Græcia] Hoc poſteriùs ſequitur in Græco, & quidem poſt Darii mentionem, *& pro eo primus regnavit in Græcia.* Per *Græciam* intellige Syriam & Ægyptum, quæ מלכות יון [*Regnum Græcorum*] eo tempore dicta Hebræis.

Egreſſus de terra Cithim] Diximus alibi primùm Cyprios dictos כתים, ubi eſt Κίτιον, colonia Phœnicum; deinde per κατάχρησιν [*abuſionem*] omnia loca trans mare peti poſita: in quibus eſt & Macedonia. Vide quæ dicta ad Num. XXIV. 24. & infrà VIII. 9.

Darium Regem Perſarum & Medorum] Ad Arbela. Hîc in Græco καὶ ἐπάταξε [*& percuſſit*] repetitur, cùm præceſſiſſet μετὰ τὸ πατάξαι [*poſtquam percuſſiſſet*]. Nimirum ſolet id fieri poſt interjectam parentheſim, quò meliùs appareat ſermonis cohærentia. Exemplum vide in epiſtola Ciceronis ad familiares XV. 10.

2. *Conſtituit prælia multa*] In Græco, *Geſſit bella multa.* Non cum Perſis tantùm, ſed & cum Græcis & Indis.

Et obtinuit omnium munitiones] Iuſtinus, *Nullam urbem obſedit quam non expugnaverit.*

Et interfecit Reges terræ] *Reges* vocat more Hebræo Præfectos magnarum nationum.

3. *Et pertranſiit uſque ad fines terræ*] Ad Oceanum Indicum.

Et accepit ſpolia multitudinis gentium] De ingenti præda quam ex Aſia habuit Alexander vide Strabonem libro XV.

Et ſiluit terra in conſpectu ejus] Locutio Hebræa, id eſt, paruit ei. שקט לפניו.

4. *Et exaltatum eſt & elevatum eſt cor ejus*] Ità ut pro Deo haberi concupiſceret.

7. *Et vocavit pueros ſuos nobiles*] Παῖδας vocant Helleniſtæ omnes alicujus miniſtros, quales Alexandro complures erant valde illuſtres.

Et diviſit illis Regnum ſuum cùm adhuc viveret] Id eſt, præcipuam rerum curam permiſit viris quatuor: de quibus diximus ad Danielis VIII. 22.

8. *Annis duodecim*] Et quod excurrit.

10. *Et impoſuerunt omnes ſibi diademata poſt mortem ejus*] Signum Regiæ poteſtatis. Narrat hoc Diodorus Siculus libro xx.

11. *Radix peccatrix*] Ῥίζα ἁμαρτωλὸς, id eſt, multas de ſe edens actiones peſſimas, ut radix ramos.

Antiochus Illuſtris] Ἐπιφανὴς Græcis, inimicis Ἐπιμανὴς [*Furioſus*].

Filius Antiochi Regis] Magni Antiochi.

Qui fuerat Romæ obſes] Nempe Antiochus Illuſtris. Meminit Iuſtinus xxxiv.

Regnavit in anno triceſimo ſeptimo Regni Græcorum] In Syria ſcilicet: id eſt, à Seleuci initio. ſic & infrà 21 & 57. Antiocho huic coævus fuit Perſeus Rex Macedonum, cujus victi hiſtoriam cùm narraſſet Livius libro xlv. ait *Macedonum Regnum à ſummo culmine fortunæ* (id eſt, à rebus Alexandri Magni) *ad ultimum finem quinquaginta annos ſtetiſſe.*

12. *Exierunt ex filiis Iſraël viri iniqui*] Menelaus & Tobiæ filii. Ioſephus Antiquit. xii. 6.

Eamus & diſponamus teſtamentum cum Gentibus] Fedus faciamus cum Antiocho: &, quò id ſit firmius, ſacra ejus ſuſcipiamus. Sic & olim multi fecerant, modò in Chaldæorum modò in Ægyptiorum gratiam.

Quia ex quo receſſimus ab eis invenerunt nos multa mala] Falſam allegant malorum ſuorum cauſam, ut illi apud Ieremiam xliv. 18. Ita animo exciderant ingentia illa beneficia Dei, qui ipſos ab idolis ad ſe converſos in patriam reſtituerat.

14. *Et dedit illis poteſtatem ut facerent juſtitiam Gentium*] *Vt ſequerentur ritus Gentium*, id enim eſt quod δικαιώματα ſignificant. *Poteſtatem dedit*, id eſt, promiſit ſe eos qui id facerent indemnes præſtiturum.

15. *Et ædificaverunt gymnaſium in Hieroſolymis*] Locum in quo homines nudi luctabantur: quod contra mores erat Hebræorum. Et certè, ſi Accio credimus,

> *Flagitii principium eſt, nudare inter cives corpora.*

Vide ii Maccabæorum iv. 12.

16. *Et fecerunt ſibi præputia*] Id eſt, ἐπισπάσθησαν, quod eſt verbum ei rei proprium apud Paulum i Corinth. vii. 18. & Epiphanium De ponderibus & menſuris. Attrahebatur enim pellis ad tegendam glandem eâ ratione quam deſcribit Celſus vii. 25. Id Ioſephus vocat τὴν αἰδοίων περιτομὴν ἐπικαλύπτειν [*genitalium circumciſionem obtegere*].

Et receſſerunt à teſtamento ſancto] *A federe*. Hebræi Circumciſionem eximiè vocant ברית [*fedus*].

Et venumdati ſunt ut facerent malum] Manciparunt ſe peccatis. Locutio eadem i Regum xxi. 25. Romanorum vii. 14. Simile Iudith. vii. 14.

17. *Et paratum eſt Regnum in conſpectu Antiochi*] נכון, quod ἡτοιμάσθη ſolet verti, ſed ſignificat *confirmatum eſt*. Poſtquam bene ſe ſtabilitum in Regno Syriæ vidit Antiochus: τῆς βασιλείας αὐτῷ χωρούσης κατὰ τρόπον [*cùm Regnum illi bene ſuccederet*], ait Ioſephus.

Et cœpit regnare in Terra Ægypti] In Græco, καὶ ὑπέλαβε βασιλεῦσαι τῆς Αἰγύπτου, *Cogitavit de adipiſcendo Regno Ægypti*. ὑπολαμβάνειν eſt cogitare: ut Ieremiæ xxxvii. 8. & propiùs ad uſum qui in hoc loco, Sapientiæ xvii. 2. Πόθον αὐτῆς (Αἰγύπτου) λαβὼν [*tactus Ægypti deſiderio*], ait Ioſephus.

18. *In multitudine gravi, in curribus, & elephantis, & equitibus, & copioſa navium multitudine*] Μετὰ πολλῆς δυνάμεως, Ioſephus: *exercitu magno*, Danielis xi. 25. ubi dicta vide.

19. *Et conſtituit bellum*] Eadem locutio quæ ſuprà 2.

Adversùs Ptolemæum Regem Ægypti] *Philometora*, ut hîc Ioſephus & Hieronymus ad Danielem.

Veritus eſt Ptolemæus à facie ejus, & fugit] *Et non ſtabunt*, ait Daniel.

20. *Et comprehendit civitates munitas in Terra Ægypti*] Ioſephus, καταλαμβάνει τὴν Αἴγυπτον [*capit Ægyptum*].

21. *In centeſimo & quadrageſimo & tertio anno*] Poſtquam Seleucus regnavit: ità Ioſephus.

22. *Et adſcendit Hieroſolymam in multitudine gravi*] Danielis viii. 12. Ioſephus, μετὰ πολλῆς δυνάμεως [*cum multo exercitu*].

23. *Intravit in ſanctificationem*] Εἰς τὸ ἁγίασμα, *in Sanctuarium*. Sic & Danielis xi. 31.

Et accepit altare aureum] Βωμὸν χρύσεον. Sic & Ioſephus.

Et candelabrum luminis] Λυχνίας χρυσέας [*candelabra aurea*], Ioſephus plurali numero; quia multi erant ſcapi.

Et univerſa vaſa ejus] Forcipes, patellas, Exodi xxv.

Et menſam propoſitionis] Τράπεζαν, ait Ioſephus.

Et libatoria] Quibus vinum libabatur, Exodi xxv. 29. xxxvii. 16. Numerorum iv. 7. i Paralipomenôn xxviii. 17.

Et phialas] Ad vinum, ſimilam, oleum.

Et mortariola aurea] Θυΐσκας in Græco. Ea ſunt *thuribula*, Ioſepho θυμιατήρια. Ità enim legendum quomodo ii Paralipom. xxvi. 19. Ezech. viii. 11. Malè nunc in Ioſephi libris θυσιαστήρια. Præceſſit enim *altaris holocauſtorum* mentio, neque præter id aliud erat altare, niſi ſuffituum.

Et velum] Μηδὲ τῶν καταπετασμάτων ἀποσχόμενος, ἅπερ ἦν ἐκ βύσσου καὶ κόκκου πεποιημένα [*nè velis quidem abſtinens, quæ è byſſo coccoque erant facta*], Ioſephus.

Et coronas] Regum dona. Vide Ioſephum xii. 2.

Et ornamentum aureum quod in facie Templi erat] *Omnem ornatum aureum qui pro Templo conſpiciebatur*. Coronas & ſcutula appenſa Templi foribus, ut diſcimus infrà iv. 57.

Et comminuit omnia] Καὶ ἐλέπισε πάντα, *decorticavit omnia*, nempe quæ non aurea ſed inaurata erant.

24. *Et vaſa concupiſcibilia*] Τὰ σκεύη τὰ ἐπιθυμητὰ, opera ex gemmis facta, aut gemmata, כלי חמד [*vaſa deſiderii*], Danielis xi. 8.

Et accepit theſauros occultos quos invênit] Κενώσας καὶ τοὺς θησαυροὺς τοὺς ἀποκρύφους [*vacuis factis etiam occultis theſauris*], Ioſephus.

25. *Et fecit cædem hominum*] Id eſt, *cùm feciſſet.*

fecisset. τοὺς μὲν ἀπέκτεινε [*partem interfecit*], Ioſephus.

Et locutus eſt in ſuperbia magna] Danielis VII. 8.

27. *Et ingemuerunt principes*] Ἄρχοντες. Sic eximiè ſolent dici Magni Synedrii Senatores.

Et Seniores] Decuriones Vrbis.

Virgines & juvenes infirmati ſunt] Ἠσθένησαν, *In morbos inciderunt præ mærore.* Vide XI. 49.

Et ſpecioſitas mulierum immutata eſt] Simile loquendi genus Sirachidæ XIII. 31.

28. *Omnis maritus ſumſit lamentum*] Id eſt, novus maritus, νυμφίος. Eas perſonas nominat quas minimè decebat luctus.

Et quæ ſedebant in thoro maritali] Ἐν παστῷ, id eſt, *in thalamo*, Pſalmo XIX. 6. Ioëlis II. 16.

29. *Et commota eſt terra ſuper habitantes in ea*] Id eſt, hominibus præ horrore viſa eſt commoveri terra. Tale illud,

Et geminum Solem, & duplices conſurgere Thebas.

Et univerſa Domus Iacob induit confuſionem] Locutio Hebræa; ut Iobi VIII. 22. Pſalmo CXXXII. 18. Sic ex contrario dicuntur felices *gloriâ indui*.

30. *Et poſt duos annos dierum*] Περιπλομένους ἐνιαυτοὺς [*annos vertentes*], ut Homerus loquitur.

Miſit Rex principem tributorum] Apollonium, II Maccabæorum V. 24.

31. *Et locutus eſt ad eos verba pacifica in dolo*] *Pacis ſervantem ſe ſimulabat*, ut ait ſecundi Maccabaïci Scriptor dicto jam loco.

33. *Et accepit ſpolia civitatis*] Διαρπάσαι πᾶσαν τὴν πόλιν [*diripere Vrbem totam*], Ioſephus.

Et ſuccendit eam igni] Partem ejus. ἐνέπρησε γὰρ αὐτῆς τὰ κάλλιστα [*incendit ejus optima*], Ioſephus.

Et deſtruxit domos ejus & muros ejus in circuitu] Καταβαλὼν τὰ τείχη [*dejectis muris*], Ioſephus: qui omnia per Heliodorum geſta Antiocho tribuit, ut auctori.

34. *Et captivas duxerunt mulieres & natos*] Τοὺς γὰρ αἰχμαλώτους γυναιξὶν ἅμα ϗ τέκνοις ἔλαβε [*captivos abduxit unà cum mulieribus & liberis*], Ioſephus.

35. *Et ædificaverunt Civitatem David muro magno & firmo, & turribus firmis, & facta eſt illis in arcem*] Locus quidem hic opere factus erat imminens Templo, ſed ſitus erat in parte Vrbis inferiore, ut Ioſephus nos docet, non hoc tantùm loco, ſed & apertiùs belli Iudaïci I. I. Erat ergo hic locus in Septentrionali parte, ex qua ſola Templo noceri poterat. Vide Ioſephum eundem XIV. 8.

36. *Et poſuerunt illic gentem peccatricem*] Φρουρὰν Μακεδονικὴν [*præſidium Macedonicum*], quibus ſe addidere τοῦ πλήθους οἱ ἀσεβεῖς ϗ πονηροὶ [*de multitudine impii improbique*], ut narrat Ioſephus.

37. *Et facti ſunt in laqueum magnum*] Εἰς μεγάλην παγίδα, id eſt, cauſa peccandi multis. Sic παγίς [*laqueus*] ſumitur I Timoth. III. 7. VI. 9. II Timoth. II. 26.

38. *Et factum eſt hoc ad inſidias ſanctificationi*] Inſidiæ inde fiebant Templum frequentantibus. Vide ſuprà 35.

Et in diabolum malum in Iſraël] Εἰς διάβολον πονηρὸν τῷ Ἰσραήλ [*ad malum calumniatorem Iſraëli*]. ſingularis pro plurali. Multi enim in arce erant delatores: niſi fortè ſcriptum fuit εἰς διαβολὴν πονηρὰν [*ad malam calumniam*].

39. *Et effuderunt ſanguinem innocentem per circuitum ſanctificationis*] Quà ad Templum ibatur.

Et contaminaverunt ſanctificationem] Polluit Antiochus Templum ſuibus mactatis, ut narrat Ioſephus. Altera & major pollutio infrà ſequetur.

40. *Et fugerunt habitatores Ieruſalem propter eos*] Vide II Maccabæorum V. 27.

41. *Sabbata ejus in opprobrium*] *Mutavit* enim *tempora*, id eſt, temporum jura, Antiochus, Danielis VII. 25. II Maccabæorum VI. 6.

42. *Secundùm gloriam ejus multiplicata eſt ignominia ejus*] Hebraïſmus: id eſt, quanta ejus gloria antè fuerat, tanta poſtea vilitas ejus.

43. *Et relinqueret unuſquiſque legem ſuam*] Paribus legibus ritibúſque viverent, tanquam omnes Macedones eſſent.

44. *Et conſenſerunt omnes gentes*] Cæteræ extra Iudæos: etiam Samaritani, II Maccabæorum VI. 2. Ioſephus XII. 7.

45. *Et multi ex Iſraël conſenſerunt ſervituti ejus*] *Ritibus ejus*, τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ. בעבודתו. Tacitus, *Rex Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græcorum dare adnixus.*

Et ſacrificaverunt idolis] Πολλοὶ Ἰουδαίων οἱ μὲν ἑκόντι, οἱ γὰρ καὶ δι' εὐλάβειαν τῆς ἐπηγγελμένης τιμωρίας, κατηκολούθουν οἷς ὁ βασιλεὺς διετέτακτο [*Multi Iudæorum alii ſponte, alii pœnæ indictæ metu aptabant ſe Regis imperiis*], Ioſephus.

46. *Et miſit Rex libros*] Epiſtolas.

47. *Et prohiberent holocauſta*] Ceſſavit hoc edicto juge ſacrificium per annos tres, ut ait Ioſephus XII. II. Vide Danielis XI. 31.

49. *Et juſſit coinquinari ſancta*] Templum.

Et ſanctum populum Iſraël] In Græco, *& ſanctos*, id eſt, Sacerdotes & Levitas, Numerorum VIII. 14. & ſequentibus.

50. *Et juſſit ædificari aras & templa*] *Lucos*, τεμένη, ut hîc eſt in Græco. Sic & Ioſephus, οἰκοδομήσαντες γὰρ ἐν ἑκάστῃ πόλει ϗ κώμῃ τεμένη αὐτῶν ϗ βωμοὺς [*ædificatis in oppido & vico quoque tum lucis tum aris*]. Vtrumque Lege vetitum & lucos facere & aras ſacrorum causâ alibi quàm in Templo, Deuteronomii XVI. 21. Ioſuæ XXII. 16.

Et immolari carnes ſuillas] Θύειν ἐπ' αὐτοῖς σῦς καθ' ἡμέραν [*quotidie ibi immolari ſues*], Ioſephus.

Et pecora communia] Id eſt, quibus aliæ gentes veſcuntur, non autem Iudæi. Sic κοινὸν [*commune*] ſumitur & infrà 65. & Actorum X. 14. 28. XI. 8. Romanorum XIV. 14.

51. *Et relinquere filios ſuos incircumciſos*] Ἐκώλυσε γὰρ ϗ μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα [*vetuit eis & filios circumcidere*], Ioſephus.

Et coinquinari animas eorum in omnibus immundis, & abominationibus] Putà puerperas recentes, & in profluvio feminas admittere ad Templum; cadavera tangere, neque expurgari.

Et immutarent omnes juſtificationes Dei] Id eſt, *ritus*, ut ſuprà 14.

52. *Et quicunque non feciſſent ſecundùm verbum Regis Antiochi morerentur*] II Maccabæor. VI. 9. τοὺς γὰρ μὴ προαιρουμένους μεταβαίνειν εἰς τὰ Ἑλληνικὰ

κατασφάζειν [*occidi autem eos quòd in mores Græcanicos tranſire nollent*]. Ioſephus, κόλασιν ἀπειλήσας [*pœnam comminatus*].

53. *Et præpoſuit principes populo qui hæc fieri cogerent*]In Græco eſt ἐπισκόπους· nec aliter eos Ioſephus appellat: ἐπιστάτας dixit Scriptor II Macc. v. 22. Vox ἐπίσκοπος & ἐπιστάτης reſpondent Hebræis פקוד & פקיד & מפקד, ut videre eſt Numer. IV. 16. XXXI. 14. Iud. IX. 28. II Reg. XI. 15. 18. II Paralip. XXXIV. 12. 17. Neh. XI. 9. 14. Illæ autem voces Hebrææ quemlibet *negotio alterius*, præſertim publico, *præpoſitum* ſignificant. Etiam נגש, id eſt, ἐργοδιώκτης, φορολόγος, πράκτωρ [*operis exactor, collector tributi, exſecutor*], dicitur ἐπίσκοπος, Eſaïæ LX. 17. & ἐπιστάτης Exodi v. 14.

54. *Et juſſerunt civitatibus Iuda ſacrificare*] Diis Græcis. Ioſephus, τοὺς ὑπ' αὐτοῦ νομιζομένους σέβεσθαι [*colere eos quos ipſe deos exiſtimaret*].

55. *Et congregati ſunt multi de populo ad eos qui dereliquerant Legem Domini*] Diſtinguenda hæc aliter, *Et congregati ſunt multi de populo ad eos* (Græcos), *qui* (nempe Iſraëlitarum) *dereliquerant Legem Domini.* Ita enim Græca habent, & id exigunt quæ poſita ſuprà 16 & 36.

56. *Et effugaverunt populum Iſraël in abditis & in abſconditis fugitivorum locis*] *Et redegerunt Iſraëlem in ſpecus ubicunque ipſis locus eſſet latendi.* Vide II Maccabæorum VI. 11. & Hebræorum XI. 38. κρύφους eſſe *ſpecus* apparet infrà II. 31. 36. 41.

57. *Ædificavit Rex Antiochus*] *Ædificarunt*, homines Antiochi ſcilicet.

Abominandum idolum deſolationis] Βδέλυγμα ἐρημώσεως [*abominatio vaſtitatis*], ex Daniele XI. 31. ubi Theodotio βδέλυγμα ἠφανισμένων [*abominatio fugientibus*]. Notum eſt βδέλυγμα [*abominationem*] Helleniſtis *eſſe idolum*. Eſaïæ II. 8. 20. אליל, quod verti ſolet εἴδωλον [*idolum*], vertitur βδέλυγμα [*abominatio*]. Sic & אלהים de diis Gentium poſitum vertitur I Regum XI. 5. 33. Et גלול plerúmque εἴδωλον [*idolum*], ut I Regum XXI. 26. Ezechiel. XXX. 13. βδέλυγμα [*abominatio*]. Et quod dicto loco Danielis eſt שקץ, plurimis in locis ex origine ſua βδέλυγμα [*abominatio*] vertitur: at I Regum XI. 5. 7. εἴδωλον [*idolum*]. At βδέλυγμα ἐρημώσεως [*abominatio deſolationis*] ſive ἠφανισμένων [*fugientibus*] eſt tale propter quod non Templum tantùm, ſed & Vrbs ipſa à piis omnibus fugienda eſſet. Vide quæ diximus ad Matth. XXIV. 15.

58. *Et ante januas domorum*] Ianuæ enim ſacræ Græcis; & in Orphicis hymnis eſt Deus προθυραῖος, qualis Ianus Romanis.

59. *Et libros Legis combuſſerunt igni, ſcindentes eos*] Ioſephus, ἠφανίζετο δὲ εἴπου βίβλος εὑρεθείη ἱερὰ καὶ νόμος· καὶ παρ' οἷς εὑρεθείη καὶ οὗτοι ὡς κακοὶ κακῶς ἀπώλοντο [*ſicubi liber ſacer aut Lex reperiebatur illico abolebatur: & apud quos reperti erant ipſi quoque tanquam mali malè peribant*].

60. *Et apud quemcunque inveniebantur libri teſtamenti*] *Federis.* Idem hoc quod *libri Legis.*

Et quicunque obſervabat Legem Domini, ſecundùm edictum Regis trucidabant eum]Legit κατὰ τὸ σύγκριμα τοῦ βασιλέως [*ſecundùm edictum Regis*]. In noſtris Græcis malè excidit κατὰ. Significat hîc σύγκριμα *edictum* non quodvis, ſed de *procerum conſiliis factum*, ut apparet Danielis IV. 14. 21.

61. *In virtute ſua faciebant hæc populo Iſraël*] In Græcis noſtris illud ἐν ἰσχύι αὐτῶν [*in virtute ſua*] cum priori ſenſu cohæret. *Occidebant eos omni vi.*

In omni menſe & menſe] Singulis menſibus ad Præpoſitos referebatur index occiſorum.

62. *Sacrificabant ſuper aram quæ erat contra altare*] *Super altare.* Nam altari veteri novum altare ſuperſtrui fecerat Antiochus. ἐποικοδομήσας δὲ καὶ τῷ θυσιαστηρίῳ βωμὸν ὁ βασιλεὺς [*cùm altare Rex altari ſuperſtruxiſſet*], ait Ioſephus.

63. *Et mulieres quæ circumcidebant filios ſuos*] Licebat enim per Legem Moſis circumcidere etiam feminis, Exodi IV. 25.

64. *Et ſuſpendebant pueros à cervicibus*] Τὰς δὲ γυναῖκας, καὶ τοὺς παῖδας αὐτῶν οὓς περιέτεμνον, κατὰ τὴν τοῦ βασιλέως προαίρεσιν ἀπῆγχον, ἐκ τῶν τραχήλων αὐτοὺς τῶν ἀνεσταυρωμένων ἀπαρτῶντες [*Feminas autem & circumciſos ab eis pueros juſſu Regis ſtrangulabant, pueris de collo crucifixarum ſuſpenſis*], ait Ioſephus. Et Scriptor II Maccabaïci, Δύο γὰρ γυναῖκες ἀνήχθησαν περιτετμηκυῖαι τὰ τέκνα αὐτῶν. τούτων δὲ ἐκ τῶν μαστῶν κρεμάσαντες τὰ βρέφη, καὶ δημοσίᾳ περιαγαγόντες αὐτὰς τὴν πόλιν, κατὰ τοῦ τείχους ἐκρήμνισαν [*Duæ enim mulieres delatæ ſunt natos ſuos circumcidiſſe, quas, infantibus ad ubera ſuſpenſis, cùm publicè per Civitatem circumduxiſſent, per muros præcipitaverunt*].

65. 66. *Et multi de populo Iſraël definierunt apud ſe ut non manducarent immunda, & elegerunt magis mori quàm cibis coinquinari immundis: & noluerunt infringere Legem Dei ſanctam, & trucidati ſunt*]Ioſephus, οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ· τῶν δὲ πατρίων ἐθῶν πλείονα λόγον ἔχον ἢ τῆς τιμωρίας ἣν οὐ μὴ πειθομένοις ἠπείλησεν αὐτοῖς. καὶ διὰ τοῦτο κατὰ πᾶσαν ἡμέραν αἰκιζόμενοι, καὶ πικρὰς βασάνους ὑποφέροντες ἀπέθνησκον [*Præcipui vero & generoſi animo eos non curarunt; ſed pluris fecere leges patriæ quàm pœnas quas non obedientibus Rex minabatur. Eamque ob cauſam quotidie injuriis gravibuſque cruciatibus affecti & hos & mortem perferebant*]. Exempla vide II Maccabæor. VI. VII. VIII. & in libro εἰς τοὺς Μακκαβαίους [*De Maccabæis*], qui Ioſepho aſſcribi ſolet. Confer Vaticinium Danielis XI. 33.

67. *Et facta eſt ira magna ſuper populum valde*] Id eſt, malum magnum. Sic enim loquuntur Helleniſtæ, ut Eſaïæ XXXVII. 3. Sirachidæ XXV. 28. I Theſſalonicenſium I. 10.

CAPVT II.

1. S*Acerdos ex filiis Ioarib*] Quæ erat familia primæ ἐφημερίας [*vicis*], I Paralipom. XXIV. 7. à Phinea veniens, infrà 54.

Ab Ieruſalem] Vnus eorum qui ex Hieroſolymis ſeceſſerat, ut videre eſt II Maccabæorum V. 27.

Et conſedit in monte Modin] Κωμόπολις, quæ modò κώμη [*vicus*], modò πόλις [*oppidum*] vocatur, id eſt, non ſpernendum municipium. Diximus ad Danielem ità nobis videri, dictum ſic Syriacâ pronuntiatione locum hunc à deo quem ibi coluerant Phœnices, id eſt, Chananæi, cujúſque cultum ibi poſitâ arâ reſtituit Antiochus aliquantò poſtquam eò confugerat Mattathias, ut diſcimus infrà 15. Nam מעזים, id eſt, אלוה מעזים, *Deus belli*, Syriacè eſt מערין, mutato Zaiin in Daleth, & Mem plurali in Nun, ut fieri ſolet. ע autem per *O* verti ſolet, ut in עבריה *Obadias*, עבר ארום *Obededom*, עזיה *Ozias*, עזיאל *Oziel*, & ſimilibus. Et ο in Græco Alphabeto locum occupat literæ ע; Iudæique cùm Germanica ſcribunt Hebræis literis pro ο ponunt ע.

2. *Ioannem qui cognominabatur Gaddis*] Bene legit in Græco Γαδδὶς, non ut nos habemus, Ι'αδδὶς· Ioſepho Γαδδῆς [*Gaddes*]. Id verò ſignificat *frugum congeriem* tam Chaldæis & Arabibus quàm Hebræis.

3. *Et Simonem qui cognominabatur Thaſi*] In Græco, Θασσί [*Thaſsi*]· in Ioſepho Ματθῆς [*Matthes*]. Vtrumvis dicas, Syriacè *ferventem* ſignificat.

4. *Et Iudam qui vocabatur Maccabæus*] Ideo quòd pro dicto ſuo uſurparet ſententiam quam modò ex loco Exodi xv. produximus.

5. *Et Eleazarum qui cognominabatur Abaron*] Αὐαράν [*Auaran*]· in Ioſepho Αὐράν [*Auran*]. עברון, *pertranſiens*: quaſi dicas, *Periculorum victorem*.

Et Ionathan, qui cognominabatur Apphus] Α'πφοῦς, ut habet Ioſephus: & ſic in Græco reſcribendum pro Σαπφοῦς. אפוש.

6. *Hi videbant mala quæ fiebant in populo Iuda & Ieruſalem*] Pro *mala* in Græco eſt βλασφημίας. Hebræi verborum nomine etiam facta ſignificant, ut hîc facta impia.

7. *Contritionem*] Συντριμμα, שבר. id verò pro *calamitate ſumma* ſumitur.

8. *Sancta in manu extraneorum facta ſunt*] Τὸ ἁγίασμα. *Templum.*

9. *Vaſa gloriæ*] Magnifica illa vaſa. Vide ſuprà I. 23. 24.

10. *Quæ gens non hereditavit Regnum ejus, & non obtinuit ſpolia ejus?*] Madianitæ, Philiſthini, Ammonitæ, Syri, Moabitæ, Aſſyrii, Ægyptii, Chaldæi, Macedones.

11. *Omnis compoſitio ejus ablata eſt*] *Omnis ornatus*, πᾶς ὁ κόσμος.

Quæ erat libera] Ità ſub Macedonibus, ut leges ſuas ac judicia retineret, Alexandri Magni conceſſu.

Facta eſt ancilla] Lamentat. I. I.

14. *Et ſcidit veſtimenta ſua*] Qui mos in gravi dolore. Vide Matth. XXVI. 65. & ibi dicta.

Et operuerunt ſe ciliciis] In Græco, καὶ περιεβάλοντο σάκκους [*induerunt ſaccos*]. Vide Matthæi XI. 21.

15. *Vt cogerent eos qui confugerant in civitatem Modin immolare*] In Græco, οἱ καταναγκάζοντες τὴν ἀποστασίαν εἰς Μωδεῒν τὴν πόλιν. Facilior eſſet conſtructio, οἱ καταναγκάζοντες εἰς ἀποστασίαν Μωδεῒν τὴν πόλιν [*qui Modin civitatem ad defectionem à Deo compellebant*]. Sed frequentes ſunt apud Hebræos tales ὑπαλλαγαί [*Immutationes*]. Vox ἀποστασίας [*defectionis*] reſpondet Hebrææ מעל. Vocem ἀναγκάζειν [*compellere*] in hac hiſtoria uſurpat & Ioſephus.

Et accendere thura, & à Lege Dei diſcedere] Hæc in Græco non ſunt verbotenus.

16. *Sed Mathathias & filii ejus conſtanter ſteterunt*] Legit hîc Interpres συνέστησαν [*conſtanter ſteterunt*], non, ut nos habemus, συνήχθησαν [*congregati ſunt, coadunati ſunt*], &, ut puto, rectiùs.

17. *Et reſpondentes qui miſsi erant ab Antiocho*] Eſt quidem in Græco ἀπεκρίθησαν [*reſponderunt*]· ſed hoc verbum, ut & Hebræum ענה, etiam ſermonem inchoantibus tribuitur.

Princeps & clariſsimus & magnus es in hac civitate] Vt Sacerdos & dives & eruditus. *Magnus* eſt רב.

18. *Fac juſſum Regis*] Sacrifica idolo hîc collocato.

Et muneribus multis] In Græco, καὶ ἀποστολαῖς πολλαῖς. Eſt autem ἀποστολὴ propriè *viaticum quo abeuntem proſequimur*. Minùs propriè de quovis *munere* dicitur, ut videre eſt I Regum IX. 16. II Maccabæorum III. 2. III Eſdræ IX. 52.

21. *Propitius ſit nobis Deus: Non eſt utile relinquere Legem*] In Græco, Ἵλεως ἡμῖν καταλιπεῖν νόμον καὶ δικαιώματα. Eſt autem curtata locutio, quæ ſignificat, *Propitius nobis magis ſit Deus quàm ut deſeramus Legem & ritus.* De hoc loquendi genere ſatis diximus ad Matthæi XVI. 22.

22. *Non audiemus verba Regis Antiochi, nec ſacrificabimus tranſgredientes Legis noſtræ mandatum, ut eamus alterâ viâ*] Græca ſic habent, *Iuſſui Regis non parebimus in hoc ut tranſgrediamur cultum noſtrum in dextram vel ſiniſtram*, id eſt, in ullam partem. Loquendi genus familiare Hebræis, Geneſeos XXIV. 49. Numerorum XX. 17. Deuteronomii II. 27. V. 32. XVII. 20. XXVIII. 14. Ioſuæ I. 7. & alibi.

24. *Et doluit*] In Græco, ἐζήλωσε, *Irâ commotus eſt*, ut Phineas Numerorum XXV. II.

Contremuerunt renes ejus] Id eſt, *viſcera.* Συνεκδοχὴ [*Complexio*] qualis Pſalmo LXXIII. 21. & alibi.

Secundùm judicium] Id eſt, ſecundùm legem quæ exſtat Deuteronomii XIII. 9. ubi dicta vide. Vide & quæ diximus libro ſecundo De Iure Belli & Pacis, cap. XX, § 9.

Trucidavit eum] *Filiis adjutoribus*, ut ait Ioſephus.

25. *Sed & virum quem Rex Antiochus miſerat*] *Apellam* nomine, ut ait Ioſephus.

27. *Statuens teſtamentum*] *Ratum habens fedus*, Dei ſcilicet, מעמיד הברית.

28. *In montes*] In loca invia, ubi ſpeluncæ erant.

29. *Multi quærentes judicium & juſtitiam*] Tum id quod Lex præcipit, tum id quod per ſe bonum eſt.

30. *Quoniam inundaverunt ſuper eos mala*] Ἐπληθύνθη, *multa facta ſunt.* Tanta ut ultrà conſiſti in municipio non poſſet.

31. *Qui erat in Ieruſalem Civitate David*] Ἐν τῇ ἄκρᾳ [*in arce*] ſcilicet: de qua ſuprà I. 35.

32. *Et conſtituerunt adversùs eos prælium*] Πόλεμον. id verò hîc ſignificat expugnationem ſpeluncæ.

33. *Reſiſtitis & nunc adhuc?*] In Græco eſt, ἕως τοῦ νῦν ἐξελθόντες ποιήσατε κατὰ τὸν λόγον τοῦ βασιλέως. Sed apparet Latinum legiſſe, ἕως πότε; νῦν ἐξελθόντες, &c. *Quamdiu reſiſtetis? nunc ſaltem exite, & facite Regis juſſa.*

34. *Neque faciemus verbum Regis, ut polluamus diem Sabbatorum*] Nam inter præcepta Antiochi erat & opus facere Sabbato, ſuprà I. 48.

36. *Et non reſponderunt eis*] Id eſt, *non reſtiterunt.*

Sic ἀντιλέγειν poni pro *reſiſtere* oſtendimus ad Lucæ II. 34. ſic εὐλογεῖν eſt *benefacere*.

Nec oppilaverunt loca occulta] Τοὺς κρύφους, id eſt, *ſpecum*. Ita enim κρύφους ſumi diximus ſuprà I. 56. Ioſephus, οὐδὲ τὰς εἰσόδους ἐμφράξαντας [*ne obſepto quidem aditu*] · quod facturi omnino fuerant niſi eos impediſſet Sabbati religio, ut ſequentia oſtendunt.

37. *Moriamur omnes in ſimplicitate noſtra*] Perſtantes in pietate. Sic ἁπλότης [*ſimplicitas*] ſumitur I Paralipomenôn XXIX. 17. Non ſemper eædem apud Iudæos ſententiæ valuerunt. Notant Thalmudici ante Aſmonæorum tempora, in quibus nunc verſamur, legem Sabbati rigidè intellectam, ita ut ne vitæ quidem exciperetur periculum. Teſtis ei rei Græcus etiam Agatharchides, Οἱ καλούμενοι Ἰουδαῖοι πόλιν οἰκοῦντες ὀχυρωτάτην πασῶν, ἣν καλεῖν Ἱεροσόλυμα συμβαίνει τοὺς ἐγχωρίους, ἀργεῖν εἰθισμένοι δι' ἑβδόμης ἡμέρας, καὶ μηδὲ τὰ ὅπλα βαστάζειν ἐν τοῖς εἰρημένοις χρόνοις, μήτε γεωργίας ἅπτεσθαι, μήτε ἄλλης ἐπιμελεῖσθαι λειτουργίας μηδεμιᾶς, ἀλλ' ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐκτετακότες τὰς χεῖρας εὔχεσθαι μέχρι τῆς ἑσπέρας, εἰσιόντος εἰς τὴν πόλιν Πτολεμαίου τοῦ Λάγου μετὰ τῆς δυνάμεως, κατὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων αὐτὴν φυλάττειν τὴν πόλιν διατηρούντων τὴν ἄνοιαν, ἡ μὲν πατρὶς εἰλήφει δεσπότην πικρὸν, ὁ δὲ νόμος ἐξηλέγχθη φαῦλον ἔχων ἐθισμόν. Τὸ δὲ συμβὰν πλὴν ἐκείνων τοὺς ἄλλους πάντας δεδίδαχε, τηνικαῦτα φυγεῖν ἐνύπνια, καὶ τὴν περὶ τοῦ νόμου παραδεδομένην ὑπόνοιαν, ἡνίκα ἂν τοῖς ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς περὶ τῶν διαπορουμένων ἐξασθενήσουσιν [*Ii qui appellantur Iudæi, cùm urbem habeant firmiſſimam, quam ipſi indigenæ Hieroſolyma vocant, ſoliti diebus ſeptimis otiari, ità ut eo tempore nec arma ferant, nec agrum colant, nec aliud exerceant, ſed in templo extenſis manibus preces faciant ad veſperam uſque, cùm illam urbem intraret cum exercitu Ptolemæus Lagi filius, per ſtultitiam hominum qui urbem defendere verebantur, patria ipſorum acerbum accepit dominum; mos autem ille vitii convictus fuit. Docuit autem alios, præter ipſos, eventus ille, & talibus carere ſomniis, & à concepta per legem opinione, ubi in rebus ambiguis humana eos conſilia deſtituunt, deſiſtere*].

Quod injuſtè perditis nos] Eripientes αὐτονομίαν [*jus ſuis utendi legibus*], quam Alexander conceſſerat. Antiochus Magnus hujus Antiochi pater in epiſtola, πολιτευέσθωσαν δὲ πάντες οἱ ἐκ τοῦ ἔθνους κατὰ τοὺς πατρῴους νόμους [*vivant autem quotquot ejus ſunt gentis ſecundùm leges patrias*].

38. *Et mortui ſunt ipſi*] Igne injecto in ſpecum, ut ex Ioſepho diſcimus.

41. *Et cogitaverunt in die illa, dicentes, Omnis homo quicunque venerit ad nos in bello die Sabbatorum, pugnemus adversùs eum: & non moriemur omnes*] Auditis nempe Sapientibus qui apud ipſos erant: nam Synedrium conſuli tempus non ferebat. Ex eo tempore valuit ſententia, *Periculum animæ* (id eſt, vitæ) *impellit Sabbatum*, id eſt, amovet Sabbati obſervandi obligationem. quâ de re diximus ad Matth. XII. I.

Sicut mortui ſunt fratres noſtri in occultis] Id eſt, in ſpecu, ut apparet ſuprà 36.

42. *Tunc congregata eſt ad eos ſynagoga Aſſidæorum*] חסידים dicuntur *pii*. ſed uſus poſterior recepit ut appellarentur צדיקים quidem qui Legem obſervabant, חסידים verò qui ultra Legem inſtitutis quibuſdam ſive votis ſe adſtringebant; quæ vocantur τὰ ἐπίμετρα τοῦ νόμου [*mantiſſa Legis*] · quales Ieremiæ temporibus erant Rechabitæ. Etiam Phariſæi, quorum prima mentio ſub Ariſtobulo, vocantur אנשי חסד, *homines pietatis*: ſed ipſum nomen חסיד, eliſo ד, adhæſit *Eſſenis*. Nam ex חסידי factum חסיי, unde Græcum Ἐσσαῖοι [*Eſſæi*], aut חסין, unde Ἐσσηνοί [*Eſſeni*]. Vtraque enim terminatio pluralis in uſu Syris. Eſſenos circa hæc tempora apertè ponit Ioſephus XIII. 9. alibi eos ait fuiſſe ἐκ πάνυ ἀρχαίου [*ab antiquo valde tempore*], reſpiciens Rechabitas. *Synagoga* hoc loco *multitudinem* ſignificat.

Fortis viribus] Magnanimi viri.

Omnis voluntarius in Lege] Πᾶς ὁ ἑκουσιαζόμενος τῷ νόμῳ. Dicuntur in Lege ἑκουσιάζειν *qui Deo offerunt non imperata Lege*, Eſdræ II. 68. III. 5. Nehemiæ XI. 2. Ad id exemplum ἑκουσιαζόμενοι τῷ νόμῳ hîc dicuntur *qui ſponte ſe offerunt tuendæ per arma Legi*.

43. *Et facti ſunt illis ad firmamentum*] Auxere eorum vires.

44. *Percuſſerunt peccatores*] Macedonas, & Iudæos qui à Iudaïſmo defecerant.

Et cæteri fugerunt ad nationes ut evaderent] Ad Idumæos, Ammonitas, Moabitas.

46. *Et in fortitudine*] In Græco ſine copula ἐν ἰσχύϊ, id eſt, *quantum poterant*.

47. *Filios ſuperbiæ*] *Superbi* eximiè Hebræis dicuntur qui Deum contemnunt; ut Numer. XV. 30. & alibi.

48. *Et obtinuerunt Legem ex manibus Gentium & de manibus Regum*] Eſt ἔλλειψις [*defectus locutionis*]. Senſus plenus eſſet, *Opitulati ſunt Legi, ut eam vindicarent è manibus Gentium ac Regum*.

Et non dederunt cornu peccatori] Non permiſerunt Antiocho facultatem quæ vellet faciendi.

49. *Nunc confortata eſt ſuperbia*] *Invaluit impietas*.

Et caſtigatio] Ἐλεγμὸς, *exploratio*. ſic enim ἐλεγμὸς ſumitur Numerorum V. 18. & alibi.

Et tempus everſionis] Quo multi à pietate recedent. בוס μολύνειν [*polluere*] vertitur, & מבוסה καταστροφή [*everſio*].

Et ira indignationis] *Dei*, adverſùm eos qui à Lege deficiunt.

50. *Æmulatores eſtote Legis*] Ζηλώσατε τῷ νόμῳ, *ardenter Legi operam date*. Eadem conſtructio ſuprà 26. 27. & Numer. XXV. 13. I Regum XIX. 10. II Regum X. 16.

Date animas veſtras] Objicite periculis: quod τιθέναι ψυχὴν [*ponere animam*] dixit aliquoties in Euangelio Iohannes.

Pro teſtamento Patrum veſtrorum] Pro federe à Deo cum majoribus veſtris facto.

51. *Quæ fecerunt in generationibus ſuis*] Ἐν ταῖς γενεαῖς αὐτῶν, *ſuâ quiſque ætate*.

52. *Abraham nónne in tentatione*] Iuſſus immolare filium.

Repertus eſt fidelis] Πιστὸς interdum *eum* ſignificat *qui promiſſum ſervat*, interdum *eum qui Deo aut alteri confidit*. Senſus utervis bonus: ſed poſterior magìs videtur huic loco convenire, ob verba ſequentia, quæ ſimul cum his reſpiciunt ad locum Geneſeos XV. 6. Nam & Iacobus ſimili modo illa

Moſis verba, quanquam poſita in hiſtoria immolationem Iſaaci antecedente, ad immolationem refert; quia quæ antè apparere cœperat Abrahami in Deum fiducia tunc magìs apparuit, ut ad Iacobi diximus locum.

Et reputatum eſt ei ad juſtitiam] Deus hanc ipſius fiduciam pro egregio opere acceptavit; quomodo & factum Phineæ, Pſalmo CVI. 30.

53. *Ioſeph in tempore anguſtiæ ſuæ*] Cùm ſervitutem ſerviret.

Cuſtodivit mandatum] A domina ad adulterium ſollicitatus cum ſummo ſuo periculo ei conſentire noluit, Deum reveritus matrimonii inſtitutorem.

Et factus eſt dominus Ægypti] Sub Rege. שלים Geneſeos XLII. 6. in Ioſephi hiſtoria. Sic & שלטן apud Danielem vertitur κυρεία [*dominatio*].

54. *Phinees pater noſter zelando zelum Dei accepit teſtamentum Sacerdotii æterni*] Id eſt, longâ ſerie ad poſteros tranſeuntis: quomodo & Davidis Regnum βασιλεία αἰώνιος [*Regnum perenne*] jamjam dicetur: quæ duo pariter comparata habuimus & Sirach. XLV. 31. Haſmonæi fuere & ipſi à Phinea: ſed perpetua illa ſeries liberorum patribus ſuccedentium, ſicut in Sadoci liberis cœperat, ità per Antiochi tempora fuerat interrupta.

55. *Ieſus dum implevit verbum*] Iuſſum Dei, ut ſe itineri pararet, Ioſuæ I. 10.

Factus eſt Dux in Iſraël] Κριτὴς ἐν Ἰσραὴλ, id eſt שפט, quaſi Dictator.

56. *Caleb dum teſtificatur in Eccleſia*] Reddendo apud populum verax teſtimonium de Terra Promiſſa, Numerorum XIV. 7. 8.

Accepit hereditatem] Id eſt, meruit partem eximiam in terra, Numeror. XIV. 24. Ioſuæ XIV. 12.

57. *David in ſua miſericordia*] Propter bonitatem, quæ in eo inſignis fuit adverſùs Saülem, & amorem popularium, quibus nocere nunquam voluit.

Conſecutus eſt ſedem Regni in ſecula] Ἀιωνίαν [*perennem*] quod interpretare ut jam dixi. Alioquin ſub Mattathiæ temporibus nullus in ſede Regni erat ex Davidis ſtirpe.

58. *Elias dum zelat zelum Legis*] Occidendo Baalis flamines, Achabum liberè reprehendendo.

Receptus eſt in cœlum] In ſublime evectus, II Regum II.

59. *Ananias & Azarias & Miſaël credentes liberati ſunt de flamma*] Πιστεύσαντες hîc, ut ſæpe, valet *Deo confiſi.* Vide eorum verba Danielis III. 17.

60. *Daniel in ſua ſimplicitate liberatus eſt de ore leonum*] Ob pietatem in Deum: quomodo vocem ἁπλότητος [*ſimplicitatis*] ſumi jam ſuprà notavimus 37.

61. *Et ità cogitate per generationem & generationem*] Κατὰ γενεὰν καὶ γενεὰν, *per ſuccedentes ſibi ætates.*

Quia omnes qui ſperant in eum non infirmantur] Ἀσθενεῖν plerúmque reſpondet Hebræo כשל, quod alibi vertitur per *cadere* & per *conſumi.* Vides hîc ſpem vitæ alterius. Loquitur enim jam moriturus. Idem apud Ioſephum jubet filios ſuos ità eſſe τὰς ψυχὰς παρεσκευασμένους, ὥστε ἀποθανεῖν ὑπὲρ τῶν νόμων ἂν δέῃ, λογιζομένους τοῦθ', ὅτι τὸ θεῖον, τοιούτους ὑμᾶς ὁρῶν, οὐχ ὑπερόψεται· τῆς δ' ἀρετῆς ἀνασωσάμενον ἀποδώσει πάλιν ὑμῖν αὐτό [*parato animo ut pro Lege, ſi ita res ferat, mortem oppetant; cogitantes Deum ipſos, ſi tales videat, non neglecturum, ſed æſtimatione virtutis redditurum ipſis quod amiſere*].

62. *Et à verbis viri peccatoris nè timueritis*] Vel Antiochi, vel Heliodori, vel Apollonii, vel alterius.

Gloria ejus ſtercus & vermis eſt] Putreſcet ipſe, & eſca fiet vermium. Sic κόπρος [*ſtercus*] ſumitur Pſalmo LXXXIII. 10. Vires eorum deſinent: Dei potentia manebit.

63. *Hodie extollitur, & cras non invenietur*] Simile Sirachidæ X. 12.

Quia converſus eſt in terram ſuam] *Converſus erit. Terram ſuam*, in Græco εἰς τὸν χοῦν αὐτοῦ, *in pulverem*, unde primùm homo ſumtus eſt, Geneſeos III. 19.

Et cogitatio ejus periit] *Simul perierunt conſilia ejus.* Sic enim ſumitur vox διαλογισμῶν pro Hebræo חשב in Pſalmis, Proverbiis, & Sirachide.

64. *Viriliter agite in Lege*] In Lege Dei ſervanda viros vos oſtendite.

Quia in ipſa glorioſi eritis] In Ioſepho vult eos διώκειν τὴν εὔκλειαν [*ſectari bonam famam*].

65. *Scio quòd vir conſilii eſt*] Vir boni conſilii.

66. *Fortis viribus*] *Robore valens.*

67. *Omnes factores Legis*] Romanorum II. 13.

Et vindicate vindictam populi veſtri] Videtur legiſſe ἐκδικήσατε ἐκδίκησιν, non malè. In noſtris Græcis verbum illud excidit, aut conſtructio eſt κατὰ σύλληψιν [*per comprehenſionem*].

68. *Retribuite retributionem Gentibus*] Hæc omnia ſpiritum Legis ſapiunt.

Et intendite in præceptum Legis] *Attendite ad Legis præcepta.*

69. *Et benedixit eos*] More majorum, Geneſeos XLVII. 7. XLIX. 26.

Et appoſitus eſt ad patres ſuos] Χαριεντισμὸς [*mollis locutio*] de morte.

70. *Et defunctus eſt anno centeſimo & quadrageſimo ſexto*] A Seleuci Regno, ut ſuprà I. 11. 21. 57.

In ſepulchris patrum ſuorum in Modin] Vbi poſſeſſiones fortè per matrem aut avias habebat, & in iis ſepulchra. Non enim Hieroſolymis ſepeliri licebat. Vide Ieremiam XXXII. 7. & ibi dicta.

Et planxerunt eum omnis Iſraël planctu magno] Iſraëlitæ qui in illa loca confugerant.

CAPVT III.

3. INduit ſe loricam ſicut gigas] Sic appellari ſolent magni roboris viri, ut Eſaiæ III. 2. XLIX. 24.

Et protegebat caſtra gladio ſuo] Helleniſtæ παρεμβολὴν ſæpe vocant ipſum *exercitum*, ut videre eſt Geneſeos XXXII. 7. I Samuel. XIV. 16. & alibi. Sic & infrà 27. Veniſſe eum vocis uſum à Macedonibus teſtatur Phrynichus. Alexandrinus quippe ſermo multum trahebat de Macedonico. Alexandriæ autem maximè erant ii quos cum Luca dicimus *Helleniſtas*, Iudæi Græco ſermoni etiam in ſacris aſſueti, ſed qui multùm à puritate recederet, multa exotica admiſcens, præcipuè ad Hebræum & Syriacum efficta.

4. *Similis factus eſt leoni in operibus ſuis*] Hæc & multa alia in his libris poëtica magìs ſunt quàm hiſtorica. Leonis ſimilitudo in viri fortis deſcriptione frequens, ut Geneſeos XLIX. 9. Numer. XXIII. 24. XXIV. 9. Deuteronomii XXXIII. 22. Vtuntur eo ſæpe & Græci & Latini Poëtæ.

5. *Et qui conturbabant populum ſuum eos ſuccendit flammis*] Talionem illis reponens de exuſtis in ſpecu.

6. *Directa eſt ſalus in manu ejus*] Id eſt, per ipſum ſalvi facti ſunt multi.

7. *Et exacerbabat Reges multos*] Reges imitatione Hebræorum vocat & Regulos, & terrarum Præfectos; ut ſuprà I. 2.

Et in ſeculum memoria ejus in benedictione] *Et* pro *unde. Memoria ejus*, inquit, *celebratur in publicis* εὐλογίαις [*collaudationibus*]. Vide Sirachiden.

8. *Et avertit iram ab Iſraël*] Id eſt, calamitatem: ut ſuprà I. 67.

9. *Et congregavit pereuntes*] Abſque ipſo *perituros*.

10. *Et congregavit Apollonius gentes*] Ὁ τῆς Σαμαρείας στρατηγὸς [*Præfectus Samariæ*], pro Antiocho, ut Ioſephus nos docet. Hic eſt quem μυσάρχην [*odioſum principem*] vocat Scriptor ſecundi Maccabaïci V. 24.

11. *Et occîdit illum*] Vide idem narrantem Ioſephum XII. 10.

12. *Et gladium Apollonii*] Μάχαιραν [*macharam*] hîc in Græco, in Ioſepho ῥομφαίαν [*rhomphæam*]: unde apparet ſæpe hæc pro eodem ſumi.

13. *Seron princeps exercitûs Syriæ*] Ὁ τῆς κοίλης Συρίας στρατηγὸς [*Præfectus Syriæ Cæles*], Ioſepho.

Congregationem fidelium] Ἄθροισμα καὶ ἐκκλησίαν πιστῶν, *exercitum ac multitudinem fidorum hominum*. ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*].

16. *Vſque ad Bethoron*] Ἄχρι Βεθώρων, Ioſephus. Vide Ioſuæ X. 11. Iudith. IV. 3.

17. *Et nos fatigati ſumus jejunio hodie*] Iejunio indictitio. Simile vide infrà 47. II Maccabæorum XIII. 12.

18. *Non eſt differentia in conſpectu Dei cæli liberare in multis & in paucis*] Bene explicavit Hebraïcum loquendi genus, ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ [*coram cælo*]. Vide Lucæ XV. 21. Sententia eadem Iudith. IX. 13. ubi vide. Ioſephus hoc loco, οὐκ ἐν τῷ πλήθει τὸ νικᾶν καὶ τῶν πολεμίων κρατεῖν, ἀλλ' ἐν τῷ πρὸς τὸ θεῖον εὐσεβεῖν [*victoria de hoſtibus non ab hominum multitudine pendet, ſed à pietate in Deum*].

20. *Ipſi veniunt ad nos in multitudine contumaci & ſuperbia*] *Cum multa ſuperbia & injuria.* Veniunt ut eripiant nobis quæ Magnus Alexander conceſſerat.

21. *Nos verò pugnabimus pro animabus noſtris, & legibus noſtris*] Vide infrà VI. 58. 59. τὸ μηδὲν ἀδικεῖν ἰσχυρὰ δύναμις [*nemini injuriam facere magnas dat vires*], Ioſephus hoc loco.

24. *Vſque in campum*] Ad plana uſque.

Reliqui autem fugerunt in terram Philiſthiim] Εἰς τὴν παραλίαν [*ad oram maritimam*], Ioſephus.

27. *Caſtra fortia valde*] Vide ſuprà 3.

28. *Et aperuit ærarium ſuum*] Τὸ γαζοφυλάκιον, reconditas pecunias, quas mox dicit τοὺς θησαυροὺς [*theſauros*].

29. *Propter diſſenſionem & plagam quam fecit in terra*] *Vbi ſolitudinem fecere, pacem appellant*, ait Tacitus. Solitudine autem inductâ neceſſe eſt deficere tributa.

Vt tolleret legitima quæ erant à diebus primis] Leges illas obſervatas ab exitu ex Ægypto, quaſdam & antè.

30. *Vt ſemel & bis*] Id eſt, ut antehac. Simile loquendi genus Iud. XVI. 20. XX. 30. 31. I Samuelis III. 10. XX. 25.

In ſumtus & donaria quæ dederat ante largâ manu] Ἐδίδου δωρεὰς ἀπροσδοκήτους [*dabat munera nec expectata*], ait Polybius, cujus verba nobis ſervavit Athenæus. Erat Antiochus μεγαλόψυχος καὶ φιλόδωρος [*magnanimus & largitor*], teſte Ioſepho. Vide quæ ad Danielis XI. 24.

Et abundaverat ſuper Reges qui ante eum fuerant] Καὶ ἐπερίσσευσεν ὑπὲρ τοὺς βασιλεῖς, *& ſupergreſſus fuerat Reges alios*, nempe largiendo. Quod hîc in Græco repetitur δαψιλεῖ χειρὶ [*liberali manu*] fortè ex Gloſſemate eſt: ſatìs enim ex ſuperiori ſubintelligitur. περισσεύειν de omni re dicitur qua quis alios ſuperat, ut Sirachidæ XI. 12.

32. *Lyſiam hominem nobilem*] Ἄνθρωπον ἔνδοξον, in Græco: δόξαν ἔχοντα παρ' αὐτῷ [*magnæ apud ipſum auctoritatis*], Ioſephus.

33. *Antiochum filium ſuum*] Qui & patri ſucceſſit, cognomine *Eupator*, teſte Appiano. Vide & Iuſtinum XXXIV.

36. *Et ut conſtitueret habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorum*] Circumlocutio coloniarum.

Et ſorte diſtribueret terram eorum] Qui mos victoribus, Deuteronomii I. 38. XXI. 16. Ioſuæ XIX. 49. 51.

37. *Ab Antiochia civitate Regni ſui*] Quam ipſe *quartâ ferme parte auxit*, Strabo XVI.

Et perambulabat ſuperiores regiones] Ἀνέβαινε πρὸς τοὺς ἄνω σατράπας [*ibat ad Satrapas ſuperiorum partium*], in quibus erant Timarchus & Heraclides, ut ex Appiano diſcimus.

38. *Ptolemæum filium Dorymini*] *Dorymenis*, Δορυμένους. Ità & in Græco hîc, & in Ioſepho.

40. *Et applicuerunt Emmaum*] Ἄχρις Ἐμμαοῦς πόλεως, Ioſephus. Sic & Lucæ XXIV. 13. Hîc in Græco legendum Ἐμμαούμ. nam & infrà rectè ſic ſcribitur, & Plinius ſcribit *Emmaum*. Solent ultimæ literæ mutationem recipere.

41. *Et audierunt mercatores regionum nomen eorum*] Earum regionum quas in Prophetia deſignat Ezechiel XXXVIII. 13. *Nomen* hîc eſt *fama*, ut Deuteronomii XXII. 14. & alibi.

Et venerunt in caſtra ut acciperent filios Iſraël in ſervos] Quaſi certa eſſet à Macedonum parte victoria, immemores ſortis humanæ ſemper, ſed maximè in bellis, incertæ. *Attulerant & compedes*, ait Ioſephus.

Exercitus Syriæ] *Auxilia è Syria & vicinis locis*, ut ait Ioſephus.

42. *Facere in interitum & conſummationem*] Hîc eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*], *facere*

excidium conſummatiſſimum: quod unâ voce Latini dicunt *internecionem.*

43. *Erigamus dejectionem populi noſtri*] *Ruinas.*

Et ſanctis noſtris] Καὶ τῶν ἁγίων, id eſt, *pro Templo,* quæ pluraliter τὰ ἅγια, Levitici XXVI. 31. 1 Regum VIII. 7. infrà 58.

44. *Vt orarent & peterent miſericordiam & miſerationes*] Ἔλεον καὶ οἰκτιρμοὺς, חסד ורחמים, à Deo ſcilicet.

45. *Erat ſicut deſertum*] Suprà 1. 40. 41. 45.

Et filii alienigenarum erant in arce: ibi erat habitatio Gentium] Macedonum, ut ſuprà intelleximus. Videtur in Græco pro κατάλυμα ἐν τοῖς ἔθνεσι, quod cum præcedentibus non optimè cohæret, legiſſe κατάλυμα ἐκεῖ τοῖς ἔθνεσι [*habitatio ibi Gentibus*].

Et ablata eſt voluptas à Iacob] Dies feſti, qui τερπνότης [*lætitia*], Pſalmo XVI. 11. XXVII. 4. ἡμέραι εὐφροσύνης [*dies lætitiæ*], Numer. X. 10.

Et defecit ibi tibia & cithara] Muſica Templi inſtrumenta.

46. *Locus orationis erat in Maſpha antè in Iſraël*] Cùm Templo uti non poſſent, honeſtarunt ſuo conventu locum olim conventui ſollemnem, Iudicum XX. 1. 1 Samuelis VII. 5.

47. *Et jejunaverunt illâ die*] Vt ſuprà 17.

Et induerunt ſe ciliciis, & cinerem impoſuerunt capiti ſuo, & diſciderunt veſtimenta ſua] Nam jejunii temporibus mos erat omnia mœroris ſigna uſurpare.

48. *Et expanderunt libros Legis, de quibus ſcrutabantur Gentes ſimilitudinem ſimulacrorum ſuorum*] Eſt ſic in quibuſdam codicibus Græcis: at in aliis pleniùs, περὶ ὧν ἐξηρεύνων τὰ ἔθνη τοῦ ἐπιγράφειν ἐπ' αὐτῶν τὰ ὁμοιώματα τῶν εἰδώλων αὐτῶν, *Quos* (libros) *Gentes rimabantur, ut in eis inſcriberent picturas idolorum ſuorum.* Picturæ enim tales vetitæ non minùs quàm idola Levitici XXVI. 1. Numerorum XXXIII. 52. Hoc ergo modo libros Legis inutiles Iudæis reddebant Græci. Quod autem ait ἐξεπέτασαν, idem eſt quod ἀνέπτυξαν [*evolvebant*], de quo vide quæ dicta ad Lucæ IV. 17.

49. *Et attulerunt ornamenta Sacerdotalia*] Quia ſtante Templo ſacrificia extra Templum offerre non audebant, ſacras veſtes de Templo ſervatas oſtendebant Deo.

Et primitias & decimas] Ad alendos Sacerdotes, Levitas, & pauperes, Deuteronomii XXVI. 11. 13.

Et ſuſcitaverunt Nazaræos] Stare fecerunt, conſpicuos in conventu.

Qui impleverant dies] Qui voti religionem impleverant, ac propterea commendatiores eſſe debebant.

50. *Quid faciemus iſtis, & quò eos ducemus?*] In Templo debent hi ſe oſtendere, & factis ſacris voto ritè ſolvi. At nullus nobis ad Templum aditus.

51. *Et ſancta tua conculcata ſunt*] A profanis gentibus. Vide Lucæ XXI. 24.

Et contaminata ſunt] Suum victimis, inducto idolo.

Et Sacerdotes tui facti ſunt in luctum & humilitatem] In Græco, *Sunt in luctu & abjectione,* ut Matathias fuerat.

54. *Et tubis exclamaverunt voce magnâ*] In Græco, *Et cecinerunt tubis, magnâque voce clamaverunt.*

55. *Tribunos*] In Græco, χιλιάρχους. Secutus eſt inſtitutum Moſis, Exodi XVIII. 21. Deuteronomii 1. 15.

56. *Vt redirent unuſquiſque in domum ſuam ſecundùm Legem*] Deuteronomii XX. 5. 6. 7. 8.

57. *Et moverunt caſtra*] In Græco, *Et movit ſe exercitus.* Nam ita παρεμβολὴ hîc ſumitur, ut ſuprà 3.

Ad Auſtrum Emmaum] Ad eam portam quæ Hieroſolyma versùs ſpectabat.

59. *Melius eſt nos mori in bello quàm videre mala gentis noſtræ & Sanctorum*] Euripides,

——— κατθανεῖν γὰρ εὐκλεῶς
Ἢ ζῆν θέλοιμ' ἂν δυσκλεῶς γε θανούμενος.
[——— ——— *præſtat nunc mori*
Quàm vivere ac deinde dedecorem mori.]

Alius,

Φέρτερον εὐκλεᾶ μοῖραν ἐπ' ἀκλεέη βιότοιο
Εὑρέμεναι.
[*Nam ſatius multò eſt cum laude occumbere morti*
Dedecorem vitam quàm ducere.]

60. *Sicut autem fuerit voluntas in cœlo, ſic fiat*] *In cœlo*, id eſt, apud Deum, cujus majeſtas in cœlo maximè. Vide Matth. VI. 10. & ibi dicta.

CAPVT IV.

1. *ET moverunt caſtra nocte*] Καὶ ἀπῆρεν ἡ παρεμβολὴ νυκτὸς, id eſt, *hoc agmen* ſex millium, delectum ex toto exercitu, *nocte proceſſit.*

2. *Vt applicarent ad caſtra Iudæorum*] *Vt irruerent in Iudæorum agmen.*

Et filii qui erant ex arce, erant illis duces] *Filii arcis,* id eſt, præſidiarii ἄκρας Hieroſolymitanæ, locorum gnari.

3. *Qui erant in Emmaum*] Qui in planis ad Emmaum manſerant; ſuprà III. 57.

4. *Adhuc enim diſperſus erat exercitus à caſtris*] Gorgias ad ſuos nondum redierat. itaque disjunctæ erant hoſtium copiæ.

5. *Venit in caſtra Iudæ noctu*] Ad illa loca montana quæ ad Auſtrum ab Emmaunte, ubi Iudæi antè conſederant, & ubi Iudas diſcedens multos ignes reliquerat fallendo hoſti, ut Ioſephus narrat.

6. *In campo*] In locis illis planis, ubi pars major exercitûs manſerat.

Cum tribus millibus virorum tantùm] Impar etiam parti hoſtium, ſi numeri res eſſet.

Qui tegumenta & gladios non habebant] Nempe quales vellent. Ioſephus, μετὰ τρισχιλίων φαύλως ὡπλισμένων διὰ πενίαν [*cum ter millibus malè armatis ob inopiam*].

7. *Et viderunt caſtra Gentium valida*] Illos qui in caſtris manſerant apud Emmaum.

Et loricatos] Pedites.

Et equitatus in circuitu eorum] Vallante peditem equite, ut fieri ſolet.

Et hi docti ad prælium] Id eſt, peritè aciem ſtruxerant. Ita Ioſephus.

8. *Ne timueritis multitudinem eorum*] Vt ſuprà III. 18.

9. *In Mari Rubro*] Ἐν θαλάσσῃ Ἐρυθρᾷ. Sic dictum ajunt veteres à Rege *Erythra.* Is verò Erythras eſt Eſau ſive Edom, ut diximus ad primum de Veritate Religionis Chriſtianæ.

13. *Et exierunt de caſtris in prælium*] Nempe hoſtes ad Emmaum.

14. *Et fugerunt in campum*] Per campeſtria.

15. *Vſque Gezeron*] Μέχρι Γαδάρων, Ioſephus. Vide quæ ad Marc. v. 1. Quod in Græco legimus Ἀσαρημώθ, חצר חמרת, *vicus Emath*, is proximè Gadara fuit, ut ex tabula Iudaïca cognoſcimus.

Et Azoti] Sic Hebræi vocant quam Phœnices אשדוד [*Aſdod*].

Et Iamniæ] *Iamnias* duas dixit Plinius, & Strabo Ἰάμνεις [*Iamnes*], Ptolemæus λιμένα Ἰαμνειτῶν [*portum* Iamnitarum], ac præterea Ἰαμνείαν [*Iamneam*].

17. *Non concupiſcatis ſpolia, quia bellum contra nos eſt*] Id eſt, alterum nobis prælium imminet cum altero hoſtium agmine. ἔτι γὰρ αὐτοῖς ἀγῶνα καὶ μάχην εἶναι [*reſtare adhuc ipſis certamen & pugnam*], ait Ioſephus. Simile illud Suetonii in Britannia monitum apud Tacitum XV. 36. *Cædem continuarent, prædæ immemores: partâ victoriâ cuncta illis ceſſura.* Multis enim *ſua victoria obſtitit, dum omiſſis telis, prædâ manus impediunt*, ut apud eundem Scriptorem Civilis monet Hiſtoriarum v.

18. *Et exercitus ejus*] Alter ille qui cum Gorgia exierat.

In monte] Vide ſuprà 5.

20. *Quòd in fugam converſi ſunt ſui*] Illi qui in caſtris fuerant.

Et ſuccenderunt caſtra] Nempe ex fumo cognoſcebat caſtra à victoribus Iudæis incenſa.

22. *Et fugerunt omnes in campum alienigenarum*] In Græco, εἰς γῆν ἀλλοφύλων, *in terram alienigenarum*, id eſt, extra Iudæam in fines Idumæorum & Phœnicum.

23. *Et acceperunt aurum multum, & argentum, & hyacinthum, & purpuram marinam, & opes magnas*] Quæ mercatores attulerant ut iis ſibi Iudæos captivos compararent, ſuprà III. 41.

24. *Hymnum canebant*] Carmen extemporaneum, ἐπινίκιον [*victoriam celebrans*], ut etiam Moſes, & qui cum eo, Exodi XV. Vide quæ ad Matthæi XXVI. 30.

Quoniam bonus eſt, quoniam in ſeculum miſericordia ejus] Hic erat in hymno verſus intercalaris, deſumtus ex Pſalmo CXXXVI. Vide Canticum puerorum 59.

25. *Et facta eſt ſalus magna in Iſraël die illâ*] Id eſt, *non parùm ea victoria ad libertatem recuperandam contulit*, ut ait Ioſephus.

29. *Et venerunt in Iudæam*] Sic & Ioſephus. Malè ergò in Græco hodie ſcriptum eſt εἰς τὴν Ἰδουμαίαν, pro εἰς τὴν Ἰουδαίαν.

In Bethoron] Scribe *in Bethſura*, quomodo infrà ſcribitur 61. In Græco, ἐν Βαιθσούροις [*in Baithſuris*]. Ioſephus, ἐν Βεθσούροις κώμῃ τῆς Ἰουδαίας [*in Bethſuris vico Iudææ*]. Ea eſt בית צור, Ioſ. 15. 58.

30. *Qui contriviſti impetum potentis*] Τοῦ δυνάστου. ſic vocat Goliathum. Hebræa vox גבור Gen. VI. 4. X. 8. 9. vertitur γίγας [*gigas*]· at Iud. V. 30. I Paralipomenôn XXVIII. 1. XXIX. 24. Amos II. 16. δυνάστης [*potens*].

Et tradidiſti caſtra alienigenarum] Philiſtinorum.

In manu Ionathæ filii Saül, & armigeri ejus] I Samuelis XIV. 13. 14.

31. *Et confundantur in exercitu ſuo & equitibus*] Cum omni ſuo peditatu & equitatu.

32. *Tabefac audaciam virtutis eorum*] Τῆξον θράσος ἰσχύος αὐτῶν, *Audaciam multitudinis eorum fac languidam.* Sic τηκομένη ψυχὴ Deuteron. XXVIII. 65. Latinè redditur *cor pavidum.*

Et commoveantur contritione ſuâ] Id eſt, ad contritionem uſque ità percellantur, ut intereant.

33. *Et collaudent te omnes qui noverunt nomen tuum in hymnis*] *Vt collaudent te*, ut materiam habeant iterum tuas laudes canendi. Vide ſuprà 24.

35. *Abiit Antiochiam*] Syriæ urbem regiam.

36. *Adſcendamus nunc mundare ſancta*] Templum purgare ab idolis, τὸν ναὸν καθαρίσαι [*Templum repurgare*], ait Ioſephus.

Et renovare] Cultum Divinum ſcilicet, τὰς νενομισμένας θυσίας προσφέρειν [*conſuetas hoſtias offerre*], ait Ioſephus. In Græco eſt verbum ἐγκαινίσαι [*innovare*], unde dies hic dictus ἐγκαίνια [*Novatio*]. Vide quæ diximus ad Iohan. X. 22.

38. *Viderunt ſanctificationem deſertam*] *Vacuum Templum.* Ità Ioſephus.

Altare profanatum] Impoſito altero Græcorum altari, ſuprà I. 62.

Et portas exuſtas] Suprà I. 33.

Et in atriis] In ſubdialibus Templi.

Virgulta nata ſicut in ſaltu vel in montibus] Nempe quia Iudæi non permiſſi erant eò accedere, ſuprà I. 37. 38.

Et paſtophoria diruta] הלשכות, id eſt, conclavia illa ad Templi latera, in quibus ſervabantur veſtes ſacerdotales, inſtrumenta Templi, copia aromatum, & ſimilia, I Paralipomenôn IX. 26. 33. XXIII. 28. XXVIII. 11. II Paralipomenôn XXXI. 11. Ieremiæ XXXV. 4. Ezechielis XL. 17. 38.

39. *Et ſciderunt veſtimenta ſua*] Mœrorem ſuum omnibus modis teſtati ſunt, ut ſuprà II. 14.

40. *Et exclamarunt tubis ſignorum*] *Et cecinere tubis militaribus.* σημασίαι ſunt *ſigna, & numeri militum ſub ſignis*, Numerorum II. 2. σάλπιγγας σημασίας [*tubas ſigni*] habes & II Paralipomenôn XIII. 12.

41. *Vt pugnarent adverſùs eos qui erant in arce*] Ἐν τῇ ἄκρᾳ, de qua ſuprà I. 35.

Donec emundarent Sancta] *Dum ipſe Templum purgabat.* Ità ſumi exigit textus Græcus & Ioſephus. Iudas, ut ex Sacerdotali genere, Sacerdotibus monſtrator & adjutor erat ad reſtituendam Templo ſanctimoniam.

42. *Et elegit Sacerdotes ſine macula*] Sine corporis vitio: nam qui vitioſi erant à miniſterio arcebantur, Levitici XXI. 17.

Voluntatem habentes in Lege Dei] Θελητὰς νόμου, *Legis amantes*: nam θέλειν pro *amare* uſurpant Helleniſtæ, ut Deuteron. XXI. 14. II Samuelis XV. 26. & alibi.

43. *Et tulerunt lapides contaminationis*] Illos ex quibus factum erat Græcum altare veteri altari impoſitum, ut modò diximus.

In locum immundum] Id eſt, in ſepulchretum aliquod.

44. *Et cogitavit de altari holocauſtorum*] De veteris ſecundùm Legem facti altaris lapidibus. Dubium enim erat an fas eſſet ac deceret eis uti poſtquam idolorum cultu & illicitis victimis polluti fuerant. In re dubia ſecuti ſunt mediam ſententiam, ut videbimus.

46. *In monte Domûs*] In ipſo monte Moriæ.

In loco apto] Honeſto loco, non ſordido.

Quoaduſque veniret Propheta] Nam Prophetia à temporibus Aggæi, Zachariæ, Malachiæ ceſſaverat: neque ejus reditus exſpectabatur niſi paulò ante Meſſiæ tempora. Vide & infrà IX. 27. & XIV. 41.

47. *Et acceperunt lapides integros*] Intactos ferro. ἐκ λίθων συμμίκτων, οὐ λελατομημένων ἐκ σιδήρου [*ex lapidibus rudibus undique collectis, non ferro acciſis*], Ioſephus.

Secundùm Legem] Deuteronomii XXVII. 5.

48. *Et ædificaverunt ſancta*] Id eſt, Adytum, ἅγιον ἁγίων, הדביר.

Et quæ intra domum erant intrinſecus] Καὶ τὰ ἐντὸς τοῦ οἴκου, היכל. ea quæ ad ædem Sacerdotalem pertinebant.

Et ædem] Non eſt in Græco: nec aliud eſt quàm alia interpretatio verborum præcedentium.

Et atria ſanctificaverunt] יקדשו החצרים, nempe adſperſione tali qualis deſcribitur Numerorum XIX.

49. *Et fecerunt vaſa ſancta nova*] In locum eorum quæ abſtulerant Macedones, ſuprà I. 23.

Et intulerunt candelabrum] Vnum, ut Moſes inſtituerat; neque plura fecit Solomo: nam quæ II Paralipomenôn IV. 7. dicuntur מנרות, nihil ſunt aliud quàm quæ גביעים in Exodo XXV. id eſt, *rami* ſive *calami*, quos decem fuiſſe ex ipſo illo Exodi loco conſtat.

Et menſam in Templum] In ipſa æde Sacerdotali. Hæc menſa ad panes & Moſis temporibus & Solomonis fuit unica, ut ex Ioſepho utroque hiſtoriæ loco diſcimus. Plures erant menſæ aliæ in quibus reponebantur phialæ, σπονδεῖα [*libatoria*], & res ſimiles.

50. *Et incenſum poſuerunt ſuper altare*] Super altare illud θυμιαμάτων [*ſuffituum*] modò nominatum.

Et accenderunt lucernas quæ ſuper candelabrum erant] Septem numero, ut videre eſt Exodi XXV. 37.

Et lucebant in Templo] *Et* pro *quæ*: *quæ lucernæ in Templo lucerent*. Vnde dies ἐγκαινίων [*Encæniorum*] dictus etiam dies φώτων [*Luminum*], ut ad modò dictum Euangeliſtæ Iohannis locum notavimus.

51. *Et appenderunt vela*] Alterum quod obtegeret adytum, alterum quod ædem, ubi eſſet opus. De his velis duobus vide quæ diximus ad Matth. XXVII. 51. περιπετάσματα [*oppanſa*] hîc dixit Ioſephus.

51, 52. *Et conſummaverunt omnia opera quæ fecerant, & antè matutinum ſurrexerunt*] Hebræa locutio, pro qua diceremus, *Et cùm omnibus quæ inchoaverant operibus ultimam impoſuiſſent manum, bene manè ſurrexerunt*, &c.

Hic eſt menſis Caſleu] In Græco, Χασελεῦ· Ioſepho μηνὸς Χεσλαίου [*menſis Cheſlæi*], quem à Macedonibus dictum ait *Apellæum*.

54. *Secundùm tempus & ſecundùm diem in qua contaminaverunt illud Gentes*] *Eodem menſe & die, triennio pòſt*, ut hîc ait Ioſephus: *triennio & ſex menſibus poſtquam juge ſacrum fuerat interruptum*, ut idem Ioſephus nos docet Belli Iudaïci I. I. Quare verum eſt quod alibi diximus in ſecundo Maccabaïco X. 3. malè ſcribi διετῆ χρόνον [*bienne tempus*], ubi ſcribendum τριετῆ [*trienne*].

Et citharis & cinyris] Quæ inſtrumenta valde affinia fuiſſe neceſſe eſt: videmus enim ab interpretibus permiſceri. κινύρα [*cinyra*] vox eſt Hebræa כנור. κιθάρα [*cithara*] vox Græca, quæ pro Hebræis diverſis ponitur.

55. *Et benedixerunt in cælum*] Voce in cœlum elatâ.

56. *Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo*] Id eſt, illos dies octo totos feriati ſunt ἑώρταζε δὲ Ἰούδας μετὰ τῶν πολιτῶν ἀνάκτησιν τῆς περὶ τὸν βωμὸν θυσίας ἐφ' ἡμέρας η' [*feriatus autem eſt Iudas cum popularibus per dies octo ob inſtaurata in altari ſacrificia*], Ioſephus. Id, ut jam videbimus, in poſterum fuit pro lege.

Et obtulerunt holocauſta cum lætitia] Ὁλοκαυτώματα, עלות.

Et ſacrificium ſalutaris] Θυσίαν σωτηρίου, שלמים.

Et laudis] Καὶ αἰνέσεως, תודה.

57. *Et ornaverunt faciem Templi coronis aureis & ſcutulis*] Ἀσπιδίσκαις. *ſcutulum* dixit & Cicero.

Et dedicaverunt portas] *Inſtauraverunt*. ἐνεκαίνισαν.

Et paſtophoria] De quibus ſuprà 38.

58. *Et averſum eſt opprobrium Gentium*] Probra à Gentibus in Deum Iudæorum facta in ipſas recidêre.

59. *Et ſtatuit Iudas & fratres ejus, & univerſa Eccleſia Iſraël*] Præeuntibus Maccabæis ſtatuit populus, utpote liber. Erat enim δημοκρατία μετ' ἀριστοκρατίας [*populare regimen mixtum cum regimine optimatium*]. Vide infrà VIII. 29. XII. 6.

60. *Et ædificaverunt in tempore illo Montem Sion*] Ità ſæpe vocatur urbs tota Hieroſolymorum, ubi diſtinguitur à Templo. Nam hoc loco Ioſephus, τειχίσαι δ' ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν [*Vrbem circummunire*].

Et turres firmas] Tum in muris, tum ad itinera.

Et conculcarent eum] *Montem*, id eſt, Vrbem. At in Græco αὐτὰ [*eos*], nempe τὰ τείχη [*muros*]. Turres erant munimento muris.

Sicut antea fecerunt] Suprà I. 33.

61. *Et collocavit illic exercitum*] Δύναμιν, id eſt, *copias aliquas militares*.

Vt ſervarent eum] Sic & in Græco αὐτό [*eum*, Montem]. Ioſephus, φύλακας ἐν αὐτοῖς κατέστησε [*cuſtodes in eis poſuit*], nempe in turribus.

Et munivit eum ad cuſtodiendam Bethſuram] Καὶ ὠχύρωσαν αὐτὸ τηρεῖν τὴν Βαιθσούραν, id eſt, *& ei* (Monti, id eſt, Vrbi) *magis cuſtodiendo munierunt* etiam *Bethſuram*.

Vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ]

Vt populus (Hieroſolymitanus) *hoc munimentum haberet contra Idumæam*. Nam Bethſura erat in illo fine Iudææ qui ad Idumæam pertingebat. Ioſephus, τὴν Βεθσοῦραν δὲ πόλιν ὠχύρωσεν, ὅπως ἀντὶ φρουρίου αὐτῷ πρὸς τὰς τῶν πολεμίων ἀνάγκας ἔχῃ χρῆσθαι [*oppidum autem Bethſuram munivit, ut tutamen eſſet adverſùs hoſtium inſultus*].

CAPVT V.

1. V*T audierunt gentes in circuitu*] Τὰ ἔθνη κυκλόθεν in Græco : in Ioſepho τὰ πέριξ ἔθνη [*quæ circùm erant gentes*], id eſt, Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Phœnices.

2. *Et cogitabant tollere genus Iacob qui erant inter eos, & cæperunt occidere de populo & perſequi*] Non tantùm illos Iſraëlitas occiderunt qui apud ipſos vivebant, ſed & eos qui in Iudæa habitabant; per inſidias nempe, ut exponit Ioſephus.

3. *Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumæa, & eos qui erant in Acrabatane*] Legendum videtur in Græco, καὶ ἐπολέμει Ἰούδας πρὸς τοὺς υἱοὺς Ἠσαῦ ἐν τῇ Ἰδουμαίᾳ τῇ Ἀκραβαττηνῇ, pro τὴν Ἀκραβαττήνην, *Ideo* (nempe ob illos Iſraëlitas obtruncatos) *Iudas bellum intulit Eſavi poſteris in Idumæa Acrabattene*. Pars Idumææ Acrabattene ea eſt quæ *Adſcenſus Scorpionum* dicitur Numerorum XXXIV. 4. Ioſuæ XV. 3. Iud. I. 36. *Adſcenſus* dicitur quòd acclivis eſſet; עקרבים verò, id eſt *ſcorpionum*, ideo quòd ſcorpiones ibi invenirentur, Deuteronomii VIII. 15.

Quia circumſedebant Iſraëlitas] Id eſt, *incurſabant*, ut hîc Ioſephus bene explicat.

4. *Filiorum Bean*] Βαάνου [*Baani*] apud Ioſephum, viri potentis apud Idumæos.

Qui erant populo in laqueum & ſcandalum] Ea locutio hîc non ad mores ſed ad vitæ pericula pertinet: nam & *cadere* de utroque dicitur. Vide ſuprà I. 37.

5. *Et concluſi ſunt ab eo in turribus*] *Obſeſſi intra turres, in quibus ſe tenebant*. Ità explicat Ioſephus.

Et applicuit ad eos] Παρενέβαλεν ἐπ' αὐτοὺς, *oppugnavit eos*.

Et anathematizavit eos] Votum fecit ſe neminem eorum in vita relicturum, bona verò ſe conſecraturum Deo, ut Ioſuæ VI. 17.

8. *Et cepit Gazer civitatem*] In Græco legitur τὴν Γαζήρ. ſed Ἰαζὴρ [*Iazer*] legendum : nam Ioſephus habet Ἰαζωρὸν [*Iazorum*]. Ea eſt יעזר Numerorum XXI. 32. & XXXII. I.

Et filias ejus] Oppida minora, ut Ioſuæ XVII. 11. & alibi.

9. *Gentes quæ ſunt in Galaad*] Circùm Galaaditida. Ità Ioſephus.

Adverſùs Iſraëlitas qui erant in finibus eorum] *Adverſùs Iſraëlitas ſibi conterminos*.

Et fugerunt in Datheman munitionem] Nempe illi Iſraëlitæ Galaaditidos. Ioſephus, οἱ δὲ καταφυγόντες εἰς Δάθεμα τὸ φρούριον [*illi autem cùm fugiſſent in caſtellum Dathema*].

13. *Qui erant in locis Tubin*] Quæ *Terra Tob* Iud. XI. 3. 5. *In* eſt terminatio pluralis. Hinc populus Τουβιηνοὶ [*Tubieni*] II Maccabæorum XII. 17.

15. *Dicentes conveniſſe adverſùm ſe à Ptolemaïda & Tyro & Sidone, & repleta eſt omnis Galilæa alienigenis*] In Græco, *& omnem Galilæam alienigenarum*. Sic & Ioſephus, τοὺς ἐκ Πτολεμαΐδος καὶ Τύρου καὶ Σιδῶνος καὶ τῶν ἀλλοφύλων τῆς Γαλιλαίας [*ex Ptolemaïde & Tyro & Sidone & ex alienigenis Galilææ*]. In Galilæa non ſoli Iudæi erant, ſed multa colluvies externorum, ut diximus ad Matth. IV. 15. ii ſe Phœnicibus contra Iudæos conjunxere hoc tempore.

16. *Convênit Eccleſia magna*] Quotquot de populo potuerunt in unum locum contrahi.

19. *Et nolite bellum committere*] Id eſt, prælium.

23. *Et in Arbatis*] Καὶ ἐν Ἀρβάττοις, *& eos qui erant in locis planis & incultis*, quæ ערבות Hebræis. Sic & infrà IX. 2. ubi ἐν Ἀρβηλοῖς ſcribitur, legendum ἐν Ἀρβάττοις, ut hîc.

24. *Per deſertum*] Per Arabiam deſertam.

25. *Et occurrerunt eis Nabuthæi*] *Occurrerunt Nabatæis*. ſic eſt in Græco : nec aliter Ioſephus. *Nabatæi* aut *Nabuthæi* pars Arabum; Straboni, Ovidio, Lucano, Iuvenali, Plinio, Senecæ *Nabatæ*; Ptolemæo Ναπαταῖοι· orti à Nabajotho Iſmaëlis filio, Geneſeos XXV. 13.

26. *In Baraſa*] Legendum eſt *in Boſorra*, ut eſt in Græco, & apud Ioſephum. בצרה ſignificat *locum munitum* : unde & Carthaginis arx ſic appellata, quam inverſis literis Βύρσαν dixere Græci, ex quo vocabulo malè intellecto fluxit fabula de taurino tergo. Erant autem in vicinia Iudæorum urbes duæ quibus nomen בצרה, altera Idumææ, de qua Eſaïas XXXIV. 6. LXIII. I. Ieremias XLIX. 13. altera Moabitidos, de qua Ieremias XLVIII. 24. Illa in his libris & Ioſepho Βοσόρρα dicitur, Ptolemæo & Stephano Βόστρα. Hæc verò in his libris Βοσὸρ, ut hoc ipſo commate, & infrà 36. nec aliter apud Ioſephum.

Et in Alimis] Ἐν Ἀλέμοις hîc in Græco. ſed legendum videtur literis tranſpoſitis ἐν Μαλέοις [*in Maleïs*]. Ea urbs Moabitarum Μάλλη [*Malle*] dicitur Ioſepho in hac hiſtoria, Ptolemæo *Maliattha*, Stephano Μαλσάνη [*Malſane*], מלאות.

Et in Caſphor] In Græco, Χασφώρ. ſed reſcribendum Χασφὼν [*Chaſphon*], ut infrà 36. Χάσφωμα [*Chaſphoma*] Ioſepho. Nomen Hebræum eſt חשבון, ut Eſaïæ XVI. 8. & alibi. LXX ſolent ſcribere Ἐσεβὼν [*Eſebon*]. Ptolemæo eſt Ἐσβοῦς [*Esbus*].

Et Mageth] In Græco Μακὲδ, tam hîc quàm infrà 36. Ea eſt מעכתי, Deuteronomii III. 14. & Ioſuæ XII. 5. in Græcis ibi Μαχαθὶ [*Machathi*], Ptolemæo Μοχά [*Mocha*].

Et Carnaïm] In Græco & hîc & infrà 43. Καρναΐν [*Carnaïn*] terminatione duali Arabicâ. קרנים [*Carnaïm*] Hebraïcâ deſinentiâ Geneſeos XIV. 5. Sed LXX etiam ibi Καρναΐν. Vide & Ierem. XLVIII. 24. Idem eſt Καρνίον [*Carnium*] II Maccab. XII. 26. *Carna* in Arabia eſt & apud Strabonem & apud Ptolemæum.

27. *Conſtituerunt admovere*] In Græco, τάσσονται παρεμβαλεῖν; *conſtitutum habent*: ſic τάσσονται habes infrà XII. 26. nec multò aliter II Maccabæorum VI. 21.

28. *Et occidit omnem maſculum in ore gladii*] Implens vaticinium quod eſt Eſaïæ LXIII. ex lege Deuteronomii XX. 13. *Os gladii* eſt acies.

29. *Vſque ad munitionem*] Ἐπὶ τὸ ὀχύρωμα. Ioſephus, ἐπὶ τὸ φρούριον, ἔνθα τοὺς Ἰουδαίους ἐγκεκλεῖσθαι συνέβαινε [*ad illud caſtellum in quo incluſi erant Iudæi*]. Intellige caſtellum ſuprà nominatum *Dathema* 9.

30. *Et machinas*] Arietes, teſtudines.

Vt comprehenderent munitionem] Vt impetu caperent.

33. *Et venit tribus ordinibus*] *Tripartito agmine.* ὡς τρία διελὼν τὸν στρατὸν [*cùm exercitum in tres partes diviſiſſet*], Ioſephus.

35. *In Maſpha*] Ex Ioſepho diſcimus eandem eſſe quæ ſuprà dicta eſt *Malea.* hoc eſt vetus nomen מצפה, I Samuelis XXII. 3. ubi in Græco Μασσηφάθ [*Maſſephath*]. Alterum nomen videtur recentius. qualia binominum urbium exempla complura habemus & in Sacris & in profanis hiſtoriis.

36. *Et reliquas civitates Galaaditidis*] Nempe quas Moabitæ occupaverant. Vide ſuprà II. 8.

37. *Contra Raphon*] Vrbis eſſe nomen docet nos Ioſephus. *Raphana* urbs Syriæ in *Arabiam recedens*, Plinius v. 18. Ῥαφανέαι [*Raphaneæ*] Ptolemæo & Stephano.

39. *Et Arabas conduxerunt*] Rectè: nam quod in Græco eſt μεμίσθωνται refertur ad ἔθνη· itaque vi eſt plurale.

40. *Quia potens poterit adversùm nos*] Δυνάμενος δυνήσεται. Locutio Hebræa, quæ ſignificat *multùm nobis prævalebit.*

41. *Et poſuerit caſtra extra flumen*] *Flumen* dixit quod modò *torrentem:* & Latinus dixit *extra* pro *ultra.* intellige, reſpectu habito ad Timotheum.

Transfretemus ad eos] Κατάχρησις [*Abuſio*]. nam de torrente loquens verbum hîc Interpres mari conveniens uſurpat. In Græco eſt διαπεράσομεν [*transibimus*], in Ioſepho διαβαίνειν, περαιοῦν עבר [*tranſire*].

42. *Statuit ſcribas populi ſecus torrentem*] *Præfectos matriculæ* ſive *recenſioni militari.* ספרים Eſaïæ XXXIII. 18. ubi dicta vide.

43. *Ad fanum quod erat in Carnaïm*] *Lucum:* τέμενος habet hîc Græcum, & Ioſephus. Ἀτεργατεῖον [*Atergateum*] II Maccabæorum XII. 26. Ἀτάργατις [*Atargatis*] dea, aliis Δερκετώ [*Derceto*], דרעתא, & cum א addito אדרעתא, id eſt, ורעתא, ἡ σπείρουσα [*ſatrix*], breviùs אדרעה, Ἀθάρα [*Athara*], quod idem eſſe cum antè dictis docet nos Strabo fine libri XVI. Ἀφροδίτην dicunt Græci, & *Venerem* Latini.

46. *Vſque Ephron*] In Ioſepho Ἔμφρων [*Emphron*], & populus Ἐμφραῖοι [*Emphræi*]· ſed frequens eſt interjectio literæ *μ* pro נ Syriaco. Vide II Paralipomenôn XIII. 19. II Maccabæor. XII. 27.

Dextrâ vel ſiniſtrâ] Id eſt, in ullam partem. Locutio Hebræa.

48. *Tranſeamus per terram veſtram, ut eamus in terram noſtram, & nemo vobis nocebit*] Imitatur Moſem, Numerorum XX. 17. XXI. 22. Vide quæ ad hoc argumentum pertinentia attulimus ſecundo De Iure Belli & Pacis, cap. II, § 13.

49. *Vt applicarent unusquisque*] Τοῦ παρεμβαλεῖν, *ut irruerent.* ſic ſuprà II. 32.

50. *Et tradita eſt civitas in manu ejus*] Pervênit in ipſius poteſtatem, Deo ſic res dirigente. Non enim dedita fuit urbs, ſed vi capta.

51. *Et peremerunt omnem maſculum in ore gladii*] Vt ſuprà 28.

Et eradicavit eam] Funditus ſuſtulit.

Et tranſivit per totam civitatem ſuper interfectos] Significat ſtragis magnitudinem. τοσοῦτο ἦν τὸ τῶν πεφονευμένων πλῆθος [*tanta erat interfectorum multitudo*], ait Ioſephus.

52. *Contra faciem Bethſan*] *Contra faciem*, id eſt, è regione. Βαιθσὰν [*Baithſan*] hîc in Græco, Βεθσάνη [*Bethſane*] Ioſepho, בית שאן Ioſuæ XVII. 11. & Iudic. I. 27. ubi in Græco, ut hîc, Βαιθσάν. Docet Ioſephus eandem eſſe quæ poſtea à Scytharum incurſu dicta eſt Σκυθόπολις [*Scythopolis*]· quod nomen eſt apud Strabonem libro XVI. Plinium v. 18. & ſic vocatur hæc urbs in hac ipſa hiſtoria II Maccabæorum XII. 29.

53. *Et erat Iudas congregans extremos*] Ἐπισυνάγων τοὺς ἐσχατίζοντας, id eſt, quod Græci unâ voce dicerent, οὐραγὸς, id eſt, *claudebat agmen.* Hebræi אסף, quod eſt ἐπισυνάγειν [*aggregare*], hoc ſenſu uſurpant, ut videre eſt Ioſuæ VI. 9.

55. *Contra faciem Ptolemaïdis*] *In conſpectu Ptolemaïdis.* Vide ſuprà 22.

56. *Ioſephus Zachariæ filius & Azarias princeps virtutis*] In Græco ambo vocantur ἄρχοντες τῆς δυνάμεως, *copiarum principes.*

57. *Et eamus pugnare adversùs gentes*] Mendosè, quippe contra imperatoris interdictum ſuprà 17. & mox 61. quod non omiſit hîc notare etiam Ioſephus.

58. *Et abierunt Iamniam*] De qua ſuprà IV. 15.

59. *Et exivit Gorgias de civitate*] *Vir belli admodum peritus,* II Maccabæorum VIII. 9.

62. *Non erant de ſemine virorum illorum*] Non erant de domo Aſmonæa.

63. *Et viri Iuda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſraël*] Meliùs in Græco, *Et vir ille Iudas fratréſque ejus magnum nomen adepti ſunt apud omnem Iſraëlem.*

65. *Et percuſſit Chebron*] Χεβρὼν in Græco, quomodo & in Græca verſione Ioſuæ x. 36. & alibi: Χεβρῶνα [*Chebrona*] Ioſephus.

Et filias ejus] Accipe ut ſuprà 8.

Et turres ſuccendit igni in circuitu] *Omnia munimenta detraxit*, ut hîc Ioſephus explicat.

66. *Et perambulabat Samariam*] Pro Σαμάρειαν lege Μάρισσαν [*Mariſſam*], ex Ioſepho, & II Maccabæorum XII. 35. nam Samaria longè eſt ab iis locis ubi tum bellum gerebatur. Μάρισσα eſt מרשה I Paralipomenôn II. 42. II Paralipomenôn XI. 8. & XIV. 9. ubi in Græco Μαρησά [*Mareſa*]. Illud autem διεπορεύετο non malè vertas *tranſiit:* captam enim narrat Ioſephus.

67. *In die illa ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere, dum ſine conſilio exeunt in prælium*] Ex hoc Latino facilè reſtituas Græca, quæ corrupta ſunt, hunc in modum, Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἔπεσον ἱερεῖς ἐν πολέμῳ, βουλόμενοι αὐτοὶ ἀνδραγαθῆσαι ἐν τῷ αὐτοὺς ἐξελθεῖν εἰς πόλεμον ἀβουλεύτως. Dicit *eos inconſultò proceſſiſſe in prælium* (nam id πολέμου voce in his libris ſignificatur), quia Dei opem priùs non invocaverant.

68. *Et declinavit Iudas in Azotum, in terram alienigenarum*] In Græco, εἰς Ἄζωτον γῆν ἀλλοφύλων [*in Azotum urbem alienigenarum*]· ubi γῆν ſignificat urbem, ut Matth. II. 6. ubi dicta vide.

Et diruit aras eorum, & ſculptilia deorum ipſorum ſuccendit igni] Ex lege Deuteronomii VII. 5.

Et cepit ſpolia civitatum] Tum Azoti ipſius, tum minorum circà oppidorum.

CAPVT VI.

1. ET *Rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones*] Ità dicebantur Syromacedonibus omnia quæ erant trans Euphratem.

Et audivit civitatem eſſe Elymaïdem in Perſide nobiliſſimam & copioſam in auro & argento] Secutus eſt hoc loco Latinus Interpres Ioſephum, qui urbem vocat *Elymaïda*, nempe quia in hoc libro Græco, quem plerúmque ſequitur, legerat, ὅτι ἐστὶν Ἐλυμαῒς ἐν τῇ Περσίδι πόλις ἔνδοξος, &c. cùm hoc tempore ſincerior exſtet lectio, ἐν Ἐλύμαις ἐν τῇ Περσίδι. Hebræi עילם ſolent dicere pro toto Imperio Perſico, Danielis VIII. 2. ideo hic Scriptor Hebræis lectoribus ſcripſit ἐν Ἐλύμαις, id ipſum verò Græcis lectoribus interpretans addidit, ἐν τῇ Περσίδι. *Elymaïs* eſt apud Græcos regionis nomen, non urbis. Hanc urbem verò de qua hîc agitur *Perſepolim* eſſe vult Scriptor Maccabaïci ſecundi IX. 2. At Perſepolim ab Alexandro dirutam omnes Scriptores conſentiunt. Sed poteſt fieri ut in proximo templum fuerit à Græcis conditum, & in eo donaria plurima.

2. *Templúmque in eo locuples valde*] Deæ Nannææ, ut ait Scriptor Maccabaïci ſecundi I. 13. & reſtituendum fortè id nomen Straboni libro XVI. ut ſit Ναναίας ἱερὸν, pro Ἀναίας. Hanc Ἀρτέμιδα, id eſt, *Dianam* dixit Polybius Ioſepho memoratus, quia lucis præerat, ut Diana apud Græcos. *Dianam Perſicam* nominat & Tacitus Annalium III. Dianam in Elymaïde fuiſſe quam Antiochus hîc ſpoliare voluerit, dicit Hieronymus ad Danielem ex Polybio, ut ait, & Diodoro. Significat נאני Perſis *patrem*, ut ait Aruch & Scholiaſtæ ad Sotam & Ialkutum. נאניה ergò, Νανναία, *matrem* ſignificaverit linguâ Perſicâ illâ veteri, non hac novâ, quæ multum de Scythico trahit, ideóque multa vocabula habet communia cum Germanis, qui Scythicæ ſunt originis. Mater autem omnibus gentibus dicta eſt Terra, quam in lucis coli ſolitam alibi oſtendimus, cùm de Aſtarte ageremus. Appianus hanc ipſam deam *Venerem Elymæam* vocat; nimirum quomodo & Aſtarten nonnulli *Venerem* interpretantur. Et fieri poteſt ut ab Elymæis primùm hujus numinis cultus ad Macedonas, & per Macedonas ad Perſas devenerit. Sic & *Anaïtis* aliis Diana credita, Straboni Venus.

Et illic velamina aurea] In uſum templi.

Et lorica & ſcuta] *Et arma* capta de hoſtibus, nempe in urbe Perſepoli priuſquam incenderetur. Vide Curtium.

Quæ reliquit Alexander Philippi Rex Macedo] Signum victoriæ.

Qui regnavit primus in Græcia] Id eſt, in Syria & Ægypto, poſt Perſas primus. Vide ſuprà I. I. & quæ diximus ad Iohan. I. 15.

3. *Et venit & quærebat capere civitatem*] Antiochus templum cum ædificiis circumjectis ſpoliare volebat, ut olim pater ejus Elymæi Iovis templum, nihilo meliore ſucceſſu.

4. *Et inſurrexerunt in prælium*] Ioſephus, καρτερῶς ἀντισχόντων, ἀποκρούεται τῆς ἐλπίδος· ἀπωσάμενοι γὰρ ἀπὸ τῆς πόλεως καὶ ἐπεξελθόντες ἐδίωξαν [*cùm illi fortiter obſiſterent, ſpe decidit: quin & depulſum ab urbe egreſſi perſequuntur*].

Et reverſus eſt in Babyloniam] Eſt quidem in Græco, εἰς Βαβυλῶνα, quomodo & in Ioſepho. ſed Βαβυλὼν interdum regionem ſignificat. Neque in urbe, ſed *in montanis locis mortuum* dicit Scriptor ſecundi Maccabaïci IX. 28. Eruditè ergò vertit hunc locum Latinus Interpres.

5. *Quia fugata ſunt caſtra*] Exercitus Seronis, Lyſiæ, Gorgiæ.

7. *Diruerunt abominationem*] Idolum, ſuprà I. 57. IV. 42.

Et ſanctificationem] Τὸ ἁγίασμα. Templum Hieroſolymitanum.

Circumdederunt muris excelſis] IV. 60.

Sed & Bethſuram civitatem ſuam] Dilectam Antiocho ob ſitûs opportunitatem. Vide ſuprà IV. 29. 61.

9. *Et arbitratus eſt ſe mori*] Συνεὶς ὅτι μέλλει τελευτᾶν Ioſephus, *Intelligens inſtare ſibi mortem.*

11. *Qui jucundus eram & dilectus in poteſtate mea*] *Quàm eram ſuavis atque amabilis in imperio meo?* ὅτι hîc eſt admirantis. χρηστὸς *ſuavis*, *gratioſus*. Vide Lucæ V. 39.

12. *Spolia aurea & argentea*] Suprà I. 23.

Et miſi auferre habitantes Iudæam] Ἐξᾶραι, *ut occiderentur*. Suprà I. 60, & ſequentibus.

Sine cauſa] Ob ſolam religionem; quæ certè tali ſævitiæ cauſam juſtam præbere non poterat.

13. *Pereo triſtitiâ magnâ*] Φθίνων ἐτελεύτησεν [*tabe periit*], ait Appianus.

In terra aliena] Procul ab Antiochia, ubi ſedes Regia.

14. *Et vocavit Philippum unum de amicis ſuis*] Ἕνα τῶν φίλων hîc in Græco: ἕνα τῶν ἑταίρων [*unum è ſodalibus*], Ioſepho: ſecundi Maccabaïci Scriptori IX. 29. vocatur ὁ σύντροφος αὐτοῦ [*collactaneus*].

15. *Et dedit ei diadema & ſtolam ſuam*] Veſtem Regiam.

Et annulum] Hæc omnia Philippi fidei permiſit, ut is ea filio Antiochi Antiocho Eupatori ſervaret. Ità Ioſephus.

Vt adduceret Antiochum filium ſuum] Ex iis locis in quibus agebat nonum ætatis annum, ut ex Appiano diſcimus. At is, ut & Ioſephus, educatum ſub Lyſia Antiochum Eupatora ait, nimirum quia Philippus metu Lyſiæ copias ſibi paraturus ivit in Ægyptum primùm, II Maccabæorum IX. 29. inde in Perſidem, infrà VI. 56. Ioſephus XII. 14.

Et nutriret eum & regnaret] *Ad regnandum.* In Græco enim eſt τοῦ βασιλεύειν, ſubaudito ἕνεκα.

16. *Anno centeſimo quadrageſimo nono*] *Ab initio Seleuci*, quod hîc addit Ioſephus.

Et vocavit nomen ejus Eupator] Διὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἀρετὴν [*ob patris virtutem*], ait Appianus.

18. *Et hi qui erant in arce*] Nam cùm Iudas Vrbem ingreſſus Templum purgavit, arcis obſidendæ tempus non habuerat: ideo quòd Idumæi, Ammonitæ, Moabitæ, Phœnices undique in eum inſurgerent.

Concluſerant Iſraël in circuitu Sanctorum] Id eſt, infeſtos Iſraëlitis faciebant ad Templum aditus. ita explicat Ioſephus, qui per excurſus ex arce multos ait interfectos.

Et quærebant eis mala ſemper, & firmamentum Gentium] Quanquam multi inter eos arcis cuſtodes gente erant Iudæi, ſed Legis deſertores.

20. *Et fecerunt baliſtas & machinas*] Quod hîc eſt *baliſtas* in Græco eſt βελοστάσεις, quomodo דיק redditur Ezechielis XVII. 17. XXI. 22. Erant autem contabulationes quibus imponebantur catapultæ, aliæque id genus machinæ. Vide Vitruvium X. 20. *Aggeres* dixit hîc Ioſephus. Vide & infrà 51.

21. *Et exierunt quidam ex iis qui obſidebantur*] Noctu inobſervati, ut fieri ſolet: & hoc exprimit Ioſephus.

22. *Quouſque non facis judicium*] *Id quod æquum eſt.* Iam enim dicent, *ob patrem tuum ſumus in his anguſtiis.*

Et vindicas fratres noſtros] Populares noſtros, qui in eadem ſunt causa, & nunc obſidentur.

24. *Et quicunque inveniebantur ex nobis interficiebantur, & hereditates noſtræ diripiebantur*] Suprà v. 22. 45. 52.

26. *Et munitionem Bethſuram munierunt*] IV. 61.

27. *Et non poteris obtinere eos*] Redigere iterum ſub tuam ditionem.

29. *Et de inſulis maritimis*] Id eſt, oris maritimis. Nam ita ad Hebræorum imitationem vocem νήσους uſurpant iſti noſtri Scriptores.

30. *Centum millia peditum, & viginti millia equitum, & elephanti triginta duo*] Convenit in his numeris Ioſephus.

Docti ad prælium] Aſſuefacti parêre imperiis. πειθαρχεῖν εἰθισμένοι [*obedire docti*], de elephantis Polybius hiſtoriarum tertio.

31. *Et fecerunt machinas*] Macedones.

Et exierunt, & ſuccenderunt eas igni] Bethſuræi eruptione factâ uſſerunt machinas Macedonicas.

32. *Ad Bethzacharam*] Ἔν τινι τόπῳ Βεθζαχαρία λεγομένῳ [*in loco qui Beithzacharia dicebatur*], Ioſephus; *ad villam Zachariæ viri nobilis*: nam בירה & *urbem* & *vicum* & *villam* ſignificat.

Contra caſtra Regis] *Intervallo ſtadiorum ſeptuaginta*, ut hîc Ioſephus.

34. *Et elephantis oſtenderunt ſanguinem uvæ & mori, ad acuendos eos in prælium*] *Vt pararent eos prælio.* Id enim eſt παραστῆσαι. *Sanguinem uvæ & mori* vocat ſuccum ſanguini ſimilem, more Hebræo, ut apparet Deuteron. XLIX. II. rubentia enim erant Iudææ vina. Hæc autem propoſita elephantis ut eorum conſpectu aſſuefierent in prælio ſanguinem conſpicere, neque eo viſo conſternari aut in furias agi.

35. *Et diviſerunt beſtias per legiones*] Θηρία, quod hîc *beſtias* vertit, etiam Polybius Græcique alii eximiè de elephantis uſurpant; ut *belluas* Terentius. Quod verò Latinus dixit *legiones*, id in Græco eſt voce Macedonicâ φάλαγγας [*phalangas*]. Eſt autem ea vox ὁμώνυμος [*ambigui ſignificatûs*]· nam, ut ait Vrbicius, τὸ μὲν τοι πεζικὸν ἅπαν στράτευμα ὁμωνύμως τοῖς μερικοῖς τάγμασι λέγεται φάλαγξ [*totus exercitus pedeſtris & partes ejus eodem vocabulo phalangis dicuntur*]. Sic Demoſthenes de Philippo Macedone, φάλαγγας ὁπλιτῶν ἄγει [*phalangas peditum ducit*], quod Scholiaſtæ interpretantur τάξεις [*legiones*]. Hîc ſignificat ea vox *millenarias cohortes*, ut docent ſequentia. Sic & Antiochus Magnus *partes phalangis elephantis diſtinguebat*, teſte Livio XXXVII.

Mille viri in loricis concatenatis] Τεθωρακισμένους ἐν ἁλυσιδωτοῖς, *habentes loricas ſquammatas.* Sic I Samuelis XVII. 5. שריון קשקשים vertitur θώρακα ἁλυσιδωτόν [*loricam ſquammatam*]. Eſt autem קשקש λεπίς [*ſquamma*]. Virgilius pro eodem dixit *loricam conſertam hamis.*

Et galeæ æreæ in capitibus eorum] Quales unâ voce χαλκοκορυστὰς [*caſſidahenos*] dicit Homerus.

Et quingenti equites ordinati unicuique beſtiæ electi erant] Qui latera phalangum tegere ſolebant, ut nos docet Livius dicto libro.

36. *Hi ante tempus ubicunque erat beſtia, ibi erant*] Πρὸ καιροῦ eſt in Græco, id eſt, *etiam antequam opus eſſet.*

37. *Turres ligneæ ſuper eos firmæ protegentes ſuper ſingulas beſtias*] Turritorum elephantorum mentio apud Hirtium, Florum, Vegetium, & alios.

Et ſuper eas machinæ] Miſſilia.

Et ſuper ſingulas viri virtutis triginta duo, & Indus magiſter beſtiæ] In Græco, ἐφ' ἑκάστου ἄνδρες δύο καὶ τριάκοντα οἱ πολεμοῦντες ἐπ' αὐτοῖς καὶ ὁ Ἰνδὸς αὐτοῦ, *Super ſingulos erant viri triceni & bini, qui ex iis depugnabant, & præterea Indus cujuſque.* Indus ſine alio additamento vocari ſolet belluæ rector, ut ex Polybio libro v. & ex Vegetio ſecundùm codices manuſcriptos III. 24. videre eſt; nimirum quòd ex India ut elephanti optimi (præſtant enim illi Africanis, teſtibus Polybio ac Livio) ità & elephantorum magiſtri, quos *rectores* dixit Livius. Interpres Latinus vocem minùs tritam, duabus aliis additis, clariorem fecit. Livius turribus ſuperſtetiſſe præter rectorem ait *quaternos armatos.* Sed ne numerum hîc poſitum nimis miremur facit Plinius VIII. 7. qui *turritis elephantis ſexagenos* aliquando fuiſſe ait *propugnatores.*

38. *Et reſiduum equitatum*] Bene vertit τὴν ἐπίλοιπον. Subauditur enim ἵππον, quod *equitatum* Hiſtoricis ſolet ſignificare.

Hinc & inde ſtatuit in duas partes] Id eſt, ad utrumque latus peditum: nam in Græco additur τῆς παρεμβολῆς [*exercitûs*].

Tubis exercitum commovere, & perurgere conſtipatos in legionibus ejus] Κατασείοντες καὶ καταφρασσόμενοι ἐν ταῖς φάραγξιν [*excitantes eos & protegentes in montium hiatibus*]. Legit Latinus φάλαγξιν. Sed quam habemus nos in Græco lectionem veram eſſe apparet ex Ioſepho, qui dicit *ductum peditem* ἐπὶ τὰ στενά [*in fauces ſeu anguſtos tranſitus*]. Senſus ergò eſt, Ab illo equitatu peditem in montium faucibus animatum munitúmque fuiſſe.

39. *In clypeos aureos & æreos*] In Græco tantùm eſt χρυσᾶς ἀσπίδας [*aureos clypeos*]· at in Ioſepho, τάς τε χρυσᾶς καὶ χαλκᾶς ἀσπίδας [*clypeos aureos & argenteos*]. Impropriè autem dixit *aureos clypeos*, qui erant argentei, ſed ex parte aurati. Vocabantur qui ſic

armati erant *Argyraſpides*, ut præter Scriptores rerum Alexandri tradidit Livius dicto jam libro. De Solis repercuſſu ab armis habes & apud Ioſephum; ubi & de parte exercitus per ſummos montes miſſa.

41. *Et commovebantur omnes inhabitantes terram à voce multitudinis*] In Græco, *Et perterrebantur omnes qui ipſorum multitudinis ſonum audiebant.*

43. *Et vidit Eleazar filius Saura*] In Græco, Ἐλεάζαρος ὁ Σαυαράν· ſed legendum, ut in aliis eſt codicibus, Αὐαράν [*Auaran*]. Ioſepho, Ἐλεάζαρος ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ (Iuda) ὃν Αὐρὰν ἐκάλουν [*Eleazarus frater ejus* (Iudæ) *quem Auran vocabant*]. Idem eſt qui ſuprà II. 3.

Loricatam loricis Regis] Nam & elephantos ſuus diſtinguebat ornatus. Fuiſſe qui veſtibus tegerentur purpureis dicit Plutarchus Eumene. Florus II. 8. *Elephantis ad hoc immenſæ magnitudinis, auro, argento, purpurâ, & ſuo ebore fulgentibus, aciem utrinque vallaverat.*

44. *Et dedit ſe ut liberaret populum ſuum*] Cæde regiâ, ut ſperabat. Vide quæ de hac re diximus De Iure Belli & Pacis libro tertio, cap. IV, § 8. ubi exempla habes ſimilia.

Et acquireret ſibi nomen æternum] Quæ cupido non miranda in homine Iudæo.

46. *Et occidit eum*] *Vulnerato ventre*, ut ait Ioſephus. *Ventres elephanto molles*, Plin. VIII. 10.

Et mortuus eſt illic] Obtritus ſcilicet mole elephanti, ὁ δὲ ἐπικατενεχθεὶς τῷ Ἐλεαζάρῳ διαφθείρει τὸν ἄνδρα ὑπὸ τοῦ βάρους [*ille verò cadens ſuper Eleazarum onere eum oppreſſum morti dedit*], ait Ioſephus.

47. *Et videntes*] Iudas & fratres ejus.

Virtutem Regis] Ἰσχὺν, id eſt, *copias ingentes.*

Diverterunt ſe ab eis] *Abierunt Hieroſolyma*, ut apertè ait Ioſephus, & ex hîc ſequentibus intelligitur.

48. *Caſtra autem Regis*] Pars exercitûs Regis: nam pars ivit ad Bethſuram. Ità hîc Ioſephus.

49. *Et exierunt de civitate*] Vitam ſalvam pacti, ut narrat Ioſephus.

Quia ſabbata erant terræ] Id eſt, erat annus Sabbaticus, ſive ſeptimus, per quem terra vacabat à frugibus.

50. *Et conſtituit illic cuſtodiam*] *Præſidium.*

51. *Et ſtatuit illic baliſtas*] In Græco, βελοστάσεις, de quo vide ſuprà 20.

Et machinas] Putà arietes.

Et ignis jacula] Πυρόβολα. Deſcriptio ἀγγείου πυροβόλου [*vaſis ignem jaculantis*] eſt apud Heronem.

Et tormenta ad lapides jactandos] Πετρόβολα. Sub eo nomine veniunt & catapultæ, ut diſci poteſt ex Cæſare primo De Bello Civili.

Et ſpicula] Non eſt in Græco.

Et ſcorpios] Ad mittendas ſagittas, quales deſcribit Vegetius IV. 22. Tertullianus, *Bellicam machinam & retractu tela vegetantem de ſcorpio nominant.*

Et fundibula] *Fundibala* ſcripſit Interpres, quomodo & Iſidorus XVIII. 10. Pari deſinentiâ *fuſtibalum* habes apud Vegetium.

52. *Fecerunt autem & ipſi machinas contra machinas eorum*] Vtuntur enim & obſeſſi *baliſtis*, *ſcorpionibus*, *fundis*, Vegetio teſte IV. 22. Arietibus autem opponunt *culcitas*, *laqueos*, *lupos*, ut habes eodem Vegetii libro, capite 23.

53. *Eſcæ autem non erant in civitate*] In Græco, ἐν τοῖς ἀγγείοις [*in vaſis*]. Vox eſt generalis quæ hîc *ſaccos* ſignificat.

Eò quòd ſeptimus annus eſſet] Vt modò dictum 49.

Et qui remanſerant in Iudæa de Gentibus] Tum in arce, tum in aliis præſidiis, quæ Maccabæi nondum expugnare potuerant.

Conſumſerant reliquias eorum quæ repoſita fuerant] Τὸ ὑπόλειμμα τῆς παραθέσεως, *reſidua repoſitorum*, in apothecis ſcilicet, quales fieri ſolebant anno ſexto.

54. *Et remanſerant in Sanctis viri pauci*] Ἐν τοῖς ἁγίοις, id eſt, ἐν τῷ ἱερῷ, *in Templo*, ut hîc Ioſephus. Plerique ob inediam diffugerant.

56. *Reverſus eſſet à Perſide & Media*] Vbi copias ſibi paraverat.

57. *Et dicere ad Regem*] Antiochum Eupatora, quem Lyſias, de quo hæc dicuntur, eo tempore habebat in ſua poteſtate.

Et locus quem obſidemus eſt munitus] *Templum in modum arcis, propriique muri*, ait Tacitus.

Et incumbit nobis ordinare de Regno] In Græco, ἐπίκειται ἡμῖν τὰ τῆς βασιλείας, id eſt, *Regni cura nobis incumbit*, nempe ne Philippus tutorio nomine cuncta ad ſe trahat. Id pluris Lyſiæ quàm Templum capere.

58. *Demus dextras hominibus iſtis*] Amicitiæ & ſecuritatis, ut Levit. VI. 2. Proverb. VI. 1. Galat. II. 9. infrà XI. 50. 62.

Et faciamus cum illis pacem] Cum illis qui in Templo ſunt.

Et cum omni gente eorum] Cum omnibus Iudæis qui in Iudæa.

59. *Et conſtituamus illis*] Στήσωμεν αὐτοῖς, *pacta ipſis concedamus.*

Vt ambulent in legitimis ſuis] Vtantur αὐτονομίᾳ [*ſuis legibus*]. Ioſephus, τοῖς πατρῴοις νόμοις χρησαμένους ζῆν [*vivere ſecundùm leges patrias*].

Sicut priùs] Ante Antiochi Illuſtris tempora.

Propter legitima enim eorum quæ deſpeximus irati ſunt] Senſus eſt bonus, ſed probabilius eſt ab Interprete ſcriptum *diſperſimus*. Eſt enim in Græco διεσκεδάσαμεν.

60. *Et receperunt illam*] *Acceperunt* pacem Iudæi qui in Templo erant.

61. *Et juravit illis Rex & principes*] More deducto à Perſis Regibus, ut vidimus Eſther. I. 19. Danielis VI. 7.

Et exierunt de munitione] De munimentis Templi.

62. *Et intravit Rex Montem Sion*] Arcem, & per eam ivit in Templum.

Deſtruere murum] Munimenta Templi.

63. *Et occupavit civitatem*] Ipſúmque Philippum, Lyſiâ haud dubiè auctore, occîdit, quod addit Ioſephus.

CAPVT VII.

1. *Exiit Demetrius Seleuci filius ab urbe Roma*] Id quomodo factum ſit narrat luculenter Polybius hujus abitûs Demetrio ſuaſor. Digna eſt hiſtoria quæ legatur in Excerpto de Legationibus CXIV. Vide & Iuſtinum XXXIV. 3. & Epitomen Livii libro XLVI. Antiochi Magni filius major fuit Seleucus:

hujus filius hic Demetrius, cui Regnum per injuriam eripuit Antiochus Illuſtris minor natu Antiochi illius Magni filius. Dictus poſtea hic Demetrius *Sôter*.

Et aſcendit cum paucis viris] Comitibus octo, famulis quinque. Hebræi omne iter Iudæam verſus *adſcenſum* vocant.

In civitatem maritimam] *Tripolin Syriæ.*Ità Ioſephus, & Scriptor Secundi Maccabaïci XIV. I.

2. *Vt ingreſſus eſt domum Regni patrum ſuorum*] Sedem Regni, Antiochiam ſcilicet.

4. *Et occidit eos exercitus*] Iuſſu Demetrii, ut ex Ioſepho, Appiano & Livii Epitome diſcimus.

5. *Et Alcimus dux eorum*] Qui Ἰάκειμος [*Iakimus*] יקים Hebræis, is, mutato nonnihil vocabulo, inter Græcos Ἄλκιμος [*Alcimus*] vocari voluit. Sic Ioſue *Iaſon*, Onias *Menelaus*, Hillel *Pollio*, Silas *Silvanus*, Poſides *Panſa*, Saulus *Paulus*.

Qui volebat fieri Sacerdos] In Græco eſt, *volens Sacerdos eſſe*, id eſt, manere. Adeptus jam quidem ſummum Sacerdotium erat popularium conſenſu, ut Ioſephus nos docet XII. 16. Sed Syris poſtea Hieroſolymorum poſſeſſionem adeptis non ſperabat ſe retinere honorem poſſe, niſi partâ Syriæ Regis gratiâ.

8. *Bacchidem, qui dominabatur trans flumen*] Euphratem, qui ſemper intelligendus ubi abſolutè ab Hebræis *flumen* nominatur. Erat hic Meſopotamiæ Præfectus, ut Ioſephus nos docet.

9. *Vt videret exterminium quod fecit Iudas*] Non eſt in Græco, ſed ſenſus eſt in ſuperioribus.

Alcimum impium conſtituit in Sacerdotium] Καὶ ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἱερωσύνην, id eſt, *firmavit ei Sacerdotium.* Vide II Maccabæorum XIV. 3.

10. *Verbis pacificis in dolo*] Nempe ut Iudam & fratres ejus comprehenderet.

11. *Et non intenderunt ſermonibus eorum*] Fidem non habuerunt.

Quia venerunt cum exercitu magno] Quomodo veniunt qui bellum meditantur, ut exponit hîc Ioſephus.

12. *Congregatio Scribarum*] Viri eruditi, ſed minùs periti aulæ artium.

Requirere quæ juſta ſunt] Vt nempe ſtaret iis quæ Seleucus Demetrii pater & ante eum Reges conſtituerant.

13. *Et primi Aſidæi qui erant in filiis Iſraël*] *Et primi* (ad Bacchidem acceſſere) *ii qui Aſidæi erant ex filiis Iſraël.* Nam in Græco ſcribendum οἳ Ἀσιδαῖοι ἦσαν, non οἱ. Vide ſuprà II. 42. Erant ii viri ſimplices. Confer II Maccabæor. XIV. 6.

16. *Secundùm verbum quod ſcriptum eſt*] Pſalmo LXXIX. qui ſcriptus quidem eſt de temporibus aliis, ſed in hæc tempora non minùs congruebat. Sic eadem Scriptura ſæpius *impleri* dicitur.

18. *Non eſt veritas & judicium in eis*] Nec fidem, nec jus curant.

Transgreſſi enim ſunt conſtitutum & jusjurandum] Id eſt, pactum, & quidem juratum.

19. *Et applicuit in Bethzecha*] Scripſit Interpres *Bethzetha.* In Græco Βηζαὶθ pro Βηθσαὶθ, Ioſepho Βηθζηθώ [*Bethzetho*]. Hebraïcè בית זית, Syriacè בית זיתא, quod effertur ab aliis tenuiùs *Bethzeitha*, ab aliis craſſiùs *Bethzeitho*, eſt *locus olivifer.* Ammianus libro XXIII. *Zaitam venimus locum, qui Olea arbor interpretatur.* Eſt ea vox Hebræis, Syris & Arabibus communis.

Et quoſdam de populo mactavit, & in puteum magnum projecit] Bene explicavit Interpres compendium dictionis quod eſt in Græco, ἔθυσεν αὐτοὺς εἰς τὸ φρέαρ τὸ μέγα [*mactavit eos in puteum magnum*].

20. *Et reliquit eum eo auxilium*] Δύναμιν, id eſt, *copias.* Ioſephus, μετὰ στρατιᾶς τινος [*cum quodam exercitu*].

21. *Et ſatis agebat Alcimus pro principatu Sacerdotii ſui*] In Græco, ἠγωνίσατο Ἄλκιμος περὶ τῆς ἀρχιερωσύνης, quod Ioſephus, qui hunc Scriptorem maximè ſequitur, explicat, Ἄλκιμος δὲ τὴν ἀρχὴν αὐτοῦ βουλόμενος βεβαιώσασθαι, *omni modo id agens ut ſummum Sacerdotium firmum ſibi faceret.*

22. *Et obtinuerunt Terram Iuda*] Per tantam vim milites plurima oppida occuparunt.

Et fecerunt plagam magnam in Iſraël] Legit ἐν Ἰσραὴλ, quod rectius quàm quod nunc habemus in Græco, ἐν Ἱερουσαλήμ. Natus error ex ſcriptionum compendiis ΙΛ & ΙΛΜ. Senſus eſt quem Ioſephus exprimit, *multos Iudæ partium ab eo interfectos.*

23. *Multò plùs quàm Gentes*] Vt ſolent acerrima eſſe fratrum odia.

24. *Et ceſſaverunt ultrà exire in regionem*] Tenuerunt ſe intra præſidia.

26. *Vnum ex principibus ſuis nobilioribus*] *Summum amicum Demetrii, & ex eis qui cum ipſo Româ profugerant.* Ita Ioſephus. *Elephantarchum* fuiſſe ait Scriptor ſecundi Maccabaïci XIV. 12.

Et mandavit ei evertere populum] Ioſephus, μηδεμίαν φειδὼ ποιεῖσθαι τοῦ ἔθνους [*nullâ gentis miſeratione duci*].

28. *Videam facies veſtras*] Amicè inter nos colloquamur.

29. *Parati erant capere Iudam*] Signo in id dato à Nicanore: quod Iudas animadvertit. Ità Ioſephus.

31. *Iuxta Capharſalama*] כפר Hebræis & Syris eſt *vicus.* Multa autem loca Iudææ ac Syriæ nomen habent inde incipiens.

32. *Et ceciderunt de Nicanoris exercitu ferè quinque millia viri*] Imò victoriam penes Nicanorem fuiſſe oſtendunt & Ioſephus, & II Maccabaïci Scriptor. Quare vertendum, *Interfecti ſunt à Nicanore ferme quinquies mille*, Iudæi nimirum.

Et fugerunt in civitatem David] In Templum ſcilicet. Nec aliter legendum apud Ioſephum, quàm ἐπὶ τὸ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἱερὸν φεύγειν [*fugere in templum quod erat Hieroſolymis*], non εἰς τὴν ἄκραν [*in arcem*]. Nam ἄκραν [*arcem*], ut ſtatim ſequentia oſtendunt, tenebant Macedones. Vide ſuprà VI. 62.

33. *Aſcendit Nicanor in montem Sion*] *In arcem*, ἄκραν.

De Sacerdotibus populi] Addit Græcum, *& de Senioribus populi.* Ita dici ſolent Senatores Magni Synedrii.

Holocautomata quæ offerebantur pro Rege] Vt olim pro Perſis Regibus Eſdræ VI. 10. & poſtea pro Auguſto ac Tiberio Romanorum Imperatoribus, ut nos docent Philo ac Ioſephus.

34. *Irridens ſprevit eos*] In Græco, *cum ſannis irriſit.*

Et polluit] Aures ſcilicet eorum verbis blaſphemis. Eam interpretationem Ioſephus nobis ſuggerit.

Et locutus eſt ſuperbè] Vt quondam Antiochus, ſuprà I. 26.

35. *Cùm regreſſus fuero in pace*] Id eſt, *feliciter.*

36. *Et ſteterunt ante faciem altaris & Templi*] Id eſt, inter altare holocauſtorum, & היכל, id eſt, *baſilicam Templi*, utrumque in conſpectu habentes.

37. *Tu, Domine, elegiſti domum iſtam*] Per Prophetas Solomoni locutos, II Regum XXI. 7. Pſalmo LXVIII. 17.

39. *Ad Bethoron*] In Græco, Βαιθωρὼν; Ioſepho Βεθωρόν. Vide ſuprà III. 16. & ibi dicta.

40. *In Adarſa*] In Græco, ἐν Ἀδασοί [*in Adaſa*]· & in Ioſepho, ἐν Ἀδασοῖ [*in Adaſæ*], qui *triginta ſtadiis eam diſtitiſſe* ait *à Bethoron* : nam legendum in Ioſepho τῆς Βεθωρὼν, non τῆς Βεθσωρους [*Bethſoru*], oſtendunt præcedentia. Videtur *Adaſa* nomen habuiſſe à *myrtis*, quæ הדס Hebræis.

41. *A Rege Sennacherib*] Explicationis causâ nomen proprium Regis adjecit, quod in Græco ſubauditur.

Exiit Angelus, & percuſſit ex iis] Hebraïca constructio, pro *eorum*; *Angelus exiens* (è cœlo) *percuſſit octoginta quinque millia.*

42. *Et ſciant cæteri quia malè locutus eſt contra ſancta tua*] *In Templum*, ſubaudi *cum ſuo malo.*

44. *Vt autem vidit exercitus ejus quia cecidiſſet Nicanor, projecerunt arma ſua & fugerunt*] Εἰς φυγὴν ἐτράπησαν ῥίψαντες τὰς πανοπλίας [*in fugam verſi ſunt omni armaturâ abjectâ*], ait Ioſephus. Solet planè fieri ut Ducis morte ſpes animíque militum cadant: ut Silius ait,

Poſtquam ſpes Italûm mentéſque in Conſule lapſæ.

45. *Ab Adazar*] In Græco rectè, ἀπὸ Ἀδασοί [*ab Adaſa*].

Vſquequo veniatur in Gazara] Vide ſuprà v. 8.

Et tubis cecinerunt poſt eos cum ſignificationibus] Eo cantu tubæ qui victoriam partam ſignificaret, ut nempe eo audito ex omnibus oppidis & vicis concurſus fieret ad perſequendos eos qui fugiebant. Hunc ſenſum innuunt & Græca hîc verba, ταῖς σάλπιγξι τῶν πέριξ κώμαις ἐσήμαινεν, ὅτι νικώη τοὺς πολεμίους [*vicinis vicis per tubas ſignificavit ſe de hoſtibus victoriam reportaſſe*].

46. *Et ventilabant eos cornibus*] In Græco eſt vox militaris, ὑπερεκέρων αὐτοὺς, quæ ipſa eſt Iudith. XV. 6. Propriè eſt *cornua ita extendere ut undique claudatur hoſtis*; impropriè, *quovis modo hoſtem circumvenire*, ſicut tunc fecere Iudæi concurſu facto undique. Habes hoc ſenſu hanc vocem apud Plutarchum Bruto.

Et convertebantur iterum ad eos] Id eſt, *adverſâ fronte pugnabant*; non tantùm tergis, ut antè, inſiſtebant. Hoc enim vult quod hîc Græcè dicitur, καὶ ἀνέστρεφον οὗτοι πρὸς τούτους· explicatiùs apud Ioſephum ἔκτεινον αὐτοὺς γινόμενοι κατὰ πρόσωπον [*occiderunt eos fronte fronti oppoſitâ*].

Et ceciderunt omnes gladio] *Ad novem millia*, ut ait Ioſephus.

47. *Et dextram ejus quam extenderat ſuperbè*] Nempe contra Templum; in hoc quoque ſimilis Sennacheribo II Regum XIX. 21. 22.

49. *Et conſtituit agi*] In Græco, καὶ ἔστησαν, *& conſtituerunt*, nempe Iudas cum Senatu & populi primis. Vide II Maccabæor. XV. 36.

Tertiâ decimâ menſis Adar] Oſtendit Ioſephus ad ſua tempora hunc diem celebratum. Poſtea celebrari deſiit.

50. *Et ſiluit terra Iuda dies paucos*] In Græco, ἡσύχασεν, id eſt, *quievit*, ab armis ſcilicet. Sic & infrà VII. 50. IX. 57. XI. 38. XIV. 4. *Dies paucos*, id eſt, *exiguo tempore*, ut hîc Ioſephus.

CAPVT VIII.

1. *ET audivit Iudas*] Iam ſummum Sacerdotium, & cum eo gentis principatum adeptus, ut Ioſephus nos docet.

Et acquieſcunt ad omnia quæ poſtulantur ab eis] Legit hîc Interpres προσπιθεμένοις [*quæ poſtulantur*], non προστιθεμένοις [*iis qui ſe ipſis applicant*], ut quidam habent libri. *Audiit Romanos facilè acquieſcere poſtulatis*, æquis ſcilicet. Deſcribitur hîc Romana Reſpublica, qualis erat ante Punicum bellum tertium, ad quod uſque tempus magnæ apud Romanos fuere virtutes, aut virtutum imitamenta. Florus de hac ætate, *Hactenus populus Romanus pulcher, egregius, pius, ſanctus atque magnificus.* Cicero *tunc penes Romanos patrocinium* ait *fuiſſe gentium non imperium.*

Et quicunque acceſſerunt ad eos ſtatuerunt cum eis amicitias] *Et ſervare eos amicitiam eis qui ſe ad ipſos applicuere.* Sic ἱστάναι habuimus & ſuprà II. 29.

2. *Quas fecerunt in Galatia*] In Gallogræcia, quam devicit Cn. Manlius, poſt pacem cum Antiocho Magno.

Et duxerunt ſub tributum] Partem aliquam. Tota enim Galatia ſeriùs facta eſt provincia.

3. *Et quanta fecerunt in regione Hiſpaniæ*] Celtiberis per M. Porcium Catonem, Fulvium Flaccum & Tiberium Sempronium Gracchum devictis; Vaccæis verò per L. Poſthumium temporibus Antiochi Magni, Seleuci & Antiochi Illuſtris.

Et quòd in poteſtatem redegerunt metalla argenti & auri] *Metallis plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota ferme Hiſpania ſcatet*, Plinius III. 3.

Et poſſederunt omnem locum conſilio ſuo & patientiâ] Loca illa Hiſpaniæ, ubi maximam Romani patientiam oſtendêre, ut breviter oſtendit Florus II. 17.

4. *Locáque quæ longè erant valde ab eis*] Vt Bojos, Dalmatas, Afros.

Et Reges qui ſupervenerant eis ab extremis terræ, contriverunt] Porſenam, Pyrrhum, Syphacem, Viridomarum, Gentium.

Cæteri autem dant eis tributum omnibus annis] Quæ provinciæ dictæ *tributariæ.* Plinius Hiſtoriæ Naturalis XII. 1. Inſtit. tit. De Rerum diviſione. § *Per traditionem.* L. *Ætatem.* D. De Cenſibus.

5. *Et Philippum & Perſen Ceteorum Regem*] Κιτιέων, id eſt, Macedonum, ut ſuprà I. 1. Eſt autem ὑποζεῦγμα [*Zeugma à poſteriore*]· nam & Philippus Rex Macedonum victus à T. Q. Flaminio, & Perſes victus, & in fidem acceptus à Paulo Æmilio.

Et cæteros qui adverſus eos arma tulerant, contriverunt in bello, ac obtinuerunt eos] Vt Ætolos, Iſtros, Illyrios.

6. *Et Antiochum Magnum Regem Aſiæ*] Syriæ, multarúmque præterea in Aſia regionum. Hiſtoriam vide

apud Polybium, in Excerptis Legationum, Livium libro XXXVII. & XXXVIII. Florum II. 8.

Et equitatum] Vide ejus deſcriptionem apud Livium XXXVII.

Currus] *Falcatas quadrigas* dixit Livius.

Et exercitum magnum valde] *Trecenta millia peditum*, Floro teſte. At Appianus omnem exercitum facit ſeptuaginta millium.

7. *Et quia ceperunt eum vivum*] Impropriè dictum. Effecerunt ut ipſe Romanis fide datâ ſe ſiſteret Lyſimachiæ, ut narrat Polybius libro XVII.

Et ſtatuerunt ei ut daret ipſe, & qui regnarent poſt eum tributum magnum] Intelligit *argenti probi Attica talenta* XII *millia duodecim portionibus æquis, & tritici* IↃXL *millia modiûm.* Narrat Polybius Excerpto de Legationibus XXXV. & Livius XXXVIII.

8. *Et daret obſides*] Viginti, iisdem auctoribus.

Et conſtitutum] In Græco, καὶ διαστολὴν, id eſt, partem Imperii; ea nimirum quæ Romanis cis Taurum. διαστολὴ eſt *diviſio*, Exodi VIII. 23.

Et regionem Indorum, & Medos, & Lydos de optimis regionibus eorum, & acceptas eas ab eis dederunt Eumeni Regi] Primùm *&* illud ante *acceptas* ſupereſt more Hebræo. Deinde pro *ab eis* in Græco eſt παρ' αὐτοῦ, *ab ipſo* Antiocho. Sed potuitne homo Iudæus ignorare ſuo tempore neque Mediam neque Indiam fuiſſe Romanorum, aut Eumenis Succeſſorum? Omnino exſcriptoris eſt vitium, ac legendum καὶ χώραν τὴν Ἰωνίαν καὶ Μυσίαν καὶ Λυδίαν [*& regionem Ioniam Myſiamque & Lydiam*]. Hæc enim Eumeni data videas apud Livium XXXVIII. In Ionia enim Epheſus & Tralles.

9. *Et quia qui erant apud Helladam voluerunt ire & tollere eos*] Intellige Ætolos, Cephaleniam, Zacynthum & alios qui Antiocho faverant.

10. *Et miſerunt ad eos ducem unum*] Fulvium Nobiliorem.

Et in ſervitutem illos redegerunt uſque in hunc diem] Id eſt, in fedus inæquale, quod exſtat apud Polybium & Livium.

11. *Et reſidua regna & inſulas quæ aliquando reſtiterunt illis exterminaverunt*] *Deſtruxerunt*, ut Capuam, Siciliæ & Sardiniæ urbes aliquas, in Illyrico Scordam.

12. *Cum amicis autem ſuis, & qui in ipſis requiem habebant*] *Qui fidem ipſis habebant*. Id enim eſt ἐπαναπαύοντες, ut Ezechielis XXIX. 7.

Conſervaverunt amicitiam] Vide ſuprà ad initium hujus capitis. Salluſtius, *in amicos fideles erant*.

13. *Quibus verò vellent auxilio eſſe ut regnarent, regnabant*] Vt Maſiniſſa, Eumenes, Pruſias.

14. *Et in omnibus iſtis nemo portabat diadema*] Poſt Tarquinios exactos.

15. *Quia curiam fecerunt ſibi*] *Et Senatum eos ſibi conſtituiſſe.* Dixit βουλευτήριον [*curiam*] pro βουλὴν [*Senatum*].

Et quotidie conſulebant trecentos viginti] Non erat numerus definitus; ſed tot fortè erant illis temporibus: ad quæ reſpiciens Prudentius,

Sic conſulta Patrum conſiſtere Conſcriptorum
Non aliter licitum priſco ſub tempore quàm ſi
Tercentum ſenſiſſe Patres legerentur in unum.

Gracchorum temporibus Senatores fuiſſe trecentos ait Plutarchus, & Epitome Livii libro LX. & Appianus Livii Druſi temporibus, primo Civilium.

Conſilium agentes ſemper de multitudine, ut quæ digna ſunt gerant] *Conſultantes de populo ut is officium faciat.* Hoc ideo dicit quia à Senatu ferme de omnibus cauſis publicis ac privatis Iudices dabantur. Itâ Polybius in Reipublicæ Romanæ deſcriptione.

16. *Et committunt uni homini magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt uni*] Bini quidem erant Conſules, ſed bellum uni mandabatur. Itaque *univerſam terram*, intellige, in qua bellum geritur. Belli gerendi & cuncta quæ eò pertinent adminiſtrandi poteſtatem habebat Conſul, ἐξουσίαν σχεδὸν αὐτοκράτορα [*poteſtatem propè Regiam*], ut ait Polybius; dilectus agebat; conſcribebat exercitum, auxiliis ſocialibus quæ viſum erat imperabat; Tribunos conſtituebat militum; in omnes qui in exercitu ac provinciis erant jus habebat animadvertendi; & de publicis pecuniis expendendi quantum ipſi videretur.

Et non eſt invidia neque zelus inter eos] Nempe quæ in malum publicum erumperent. Et intellige id de illis temporibus: nam ſeditiones ante & poſt ea tempora enatæ. Simultates autem, ſi quæ erant proderant magis quàm nocebant publico. Vide notabilem hiſtoriam de Graccho Gracchorum patre, & P. Scipione Africano apud Livium XXXVIII.

17. *Et elegit Iudas Eupolemum filium Ioannis filii Iacob*] In Græco, υἱὸν Ἰωάννου τοῦ Ἀκκῶς [*filium Iohannis Accos*], הקץ. Dicitur autem Iudas feciſſe ea quæ populo perſuaſit, ut oſtendunt ſequentia, & Reipublicæ illorum temporum forma exigit.

18. *Et ut auferrent ab eis jugum Græcorum, quia viderunt quod in ſervitutem premerent Regnum Iſraël*] In Græco, *Vt tollerent* (Romani) *jugum ab eis* (Iudæis), *quia viderent* (Romani) *Regnum Græcorum* (id eſt, Macedonum Reges) *Iſraëlem ſubjicere ſervituti.*

22. *Et hoc reſcriptum eſt*] Senſus federis relatus hîc locutionibus Hebraïcis.

In tabulis æreis] Vt mos erat ſcribi federa, & figi in Capitolio, quod hîc addit Ioſephus. Polybius libro tertio de federe primo inter Romanos & Carthaginenſes, τηρουμένων τῶν συνθηκῶν ἔτι νῦν ἐν χαλκώμασι παρὰ τὸν Δία τὸν Καπετώλινον ἐν τῷ τῶν ἀγορανόμων ταμιείῳ [*quæ federa etiam nunc æri inciſa ſervantur apud Iovem Capitolinum in Ædilium cella*].

23. *Bene ſit Romanis & Genti Iudæorum*] *Quod bonum fauſtum felíxque ſit Populo Romano & Genti Iudæorum.* Ita relationem incipiebant Conſules; Livius XLII. Suetonius Caligulâ 15.

24. *In omni dominatione eorum*] Ἐν πάσῃ κυρίᾳ αὐτῶν, *quà Romanum Imperium eſt.*

25. *Prout tempus dictaverit*] Ὡς ἂν ὁ καιρὸς ὑπογραφῇ αὐτοῖς· Ioſephus, κατὰ τὸ δυνατὸν, *quantum res eorum ferent.*

Corde pleno] *Fide quæ optima.*

26. *Et prælantibus non dabunt, neque ſubminiſtrabunt triticum, arma, pecuniam, naves, ſicut placuit Romanis*] *Quos Populus Romanus hoſtes judicavit, eos ne Gens Iudæorum commeatu, armis, pecuniâ, navibus, néve ullâ ope aliâ juvato.*

Et cuſtodient mandata eorum] *Imperium majeſtatémque Populi Romani Gens Iudæorum comiter conſervato.*

Nihil ab eis accipientes] *Suis impenſis.*

28. *Et adjuvantibus non dabitur triticum, arma, pecunia, naves, ſicut placuit Romanis*] Hîc in Græco voces duæ excidêre: legi enim debet, Καὶ τοῖς πολεμίοις καὶ τοῖς συμμαχοῦσιν οὐ δοθήσεται σῖτος, ὅπλα, ἀργύριον, πλοῖα, ὡς ἔδοξε Ῥώμῃ. *Hoſtes Iudæorum ſociόſque ejus commeatu, armis, pecuniâ, navibus non juvare placuit Populo Romano.*

Et cuſtodient mandata eorum abſque dolo] *Hæc uti palàm recitata ſunt, utique ea hîc hodie rectiſſimè intellecta ſunt, ſine dolo malo obſervantor.* Φυλάγματα hîc in Græco ſunt *leges federis*, משמרות.

30. *Quòd ſi poſt hæc verba hi aut illi addere aut demere ad hæc aliquid voluerint, faciant ex propoſito ſuo: & quæcunque addiderint vel demſerint, rata erunt*] *Si quid poſthac addi mutarίve de communi ſententia placeat, id ſalvo federe liceat.* In Græco rectè οὗτοι καὶ οὗτοι [*hi & illi*], non οὗτοι ἢ οὗτοι, ut legiſſe videtur Interpres. Ioſephus ſenſum bene reddidit, ἂν δέ τι πρὸς ταύτην τὴν συμμαχίαν θελήσῃ τὸ τῶν Ἰουδαίων ἔθνος ἢ προσθεῖναι ἢ ἀφελεῖν, τοῦτο κοινῇ γινέσθαι γνώμῃ τοῦ δήμου τῶν Ῥωμαίων· ὃ δ᾽ ἂν προστεθῇ τοῦτο εἶναι κύριον [*Siquid ad hoc ſociale fedus voluerit Gens Iudæorem addere, aut ab eo demere, id fiat cum conſenſu Populi Romani: quod ſic additum fuerit, ratum eſto*].

31. *Sed & de malis quæ Demetrius Rex fecit in eos*] Hæc ſunt verba non federis, ſed ſenatuſconſulti facti eodem tempore.

31. 32. *Quare gravaſti jugum tuum ſuper amicos noſtros & ſocios Iudæos? Si ergò iterum adierint nos adversùm te faciemus illis judicium, & pugnabimus tecum terrâ maríque*] Hæc quoque Hebraïcis locutionibus expreſſit hujus hiſtoriæ Scriptor. Romana hunc ferme in modum fuerint, *Senatus Populúſque Romanus Regi Demetrio: Gentem Iudæorum amicam eſſe ſociámque Populi Romani ſcito. Quæ cùm ad nos querelas detulerit, ſibi abs te per injuriam ſervitutem imponi, ea querelæ ſi ad nos redierint, faciemus quod federatos decet, & ab eis omnem injuriam, bellum terra maríque gerendo, propulſabimus.*

CAPVT IX.

1. *QVia cecidit Nicanor & exercitus ejus in prælio*] In Græco, ὅτι ἐποίησε Νικάνωρ καὶ δυνάμεις αὐτοῦ πόλεμον· ubi ὅτι eſt *quomodo. Audivit quomodo Nicanor & ejus exercitus bellaſſent*, id eſt, quàm infelice exitu.

Appoſuit Bacchidem & Alcimum rurſus mittere in Iudæam] Eſt πλεονασμὸς [*abundans locutio*], quales multi apud Hebræos: nam ſatis fuerat dicere aut προσέθετο ἀποστεῖλαι [*addidit mittere*], aut δεύτερον ἀπέστειλε [*iterum miſit*].

Et dextrum cornu cum illis] Id eſt, potiorem partem ſui exercitûs, quæ in cornu dextro, in quo Rex ipſe erat, præliari ſolebat.

2. *Quæ ducit in Galgala*] Vide Ioſuæ IV. 19.

Et caſtra poſuerunt in Maſaloth, quæ eſt in Arbellis] Sic & in Græco hîc & in Ioſephi libris legimus, ἐν Ἀρβήλοις, mendosè haud dubiè, pro ἐν Ἀρβάττοις, בערבות, ſuprà V. 23. Ioſephus hoc ponit quaſi nomen urbis Galilææ: ſed ſæpe evenit ut urbes regionis occupent nomen. Sunt qui putant pro Μεσαλώθ ductu vicino ſcribendum Χασαλώθ [*Chaſaloth*], ut Ioſuæ XIX. 18.

3. *Ad Ieruſalem*] Ivit verſus Hieroſolyma, ut Iudam quæreret. ἄρας ἐκεῖθεν ἐπὶ τὰ Ἱεροσόλυμα [*profectus inde Hieroſolyma*], ait Ioſephus.

4. *Et abierunt in Berean*] In Græco, εἰς Βερέαν. At Ioſephus, ἔν τινι κώμῃ Βηρζηθὼ τοὔνομα [*in vico dicto Berzetho*]. Sed ſcribendum in Ioſepho Βηθζηθὼ [*Bethzetho*], quomodo & ſuprà appellavit eum vicum, cujus mentio VII. 19.

5. *In Laiſa*] In Græco, ἐν Ἐλεασού· Fortè ἐν Ἀδασὶ [*in Adaſa*], ut ſuprà VII, 40. Apud Ioſephum quoque initio belli Iudaici, ubi hanc quoque tangit hiſtoriam, Ἀδασοῦν [*Adaſan*] legendum videtur, ubi ſcriptum eſt Ἀκεδασάν [*Acedaſan*].

7. *Et confractus eſt corde*] Συνετρίβη τῇ καρδίᾳ, hîc eſt, *indoluit*. זור vertitur συντρίβειν [*confringere*], מזור autem ὀδύνη [*dolor*].

Et diſſolutus eſt] In Græco, καὶ ἐξελύθη, quod verti poteſt *retroceſſit*; ut II Maccab. XII. 18. XIII. 16. *Retroceſſit* ut in tuto loco reſiduos hortaretur & ordinaret. Nam animo non defectum fuiſſe Iudam, quanquam in rebus valde arctis, ſatis ſequentia oſtendunt.

9. *Sed liberemus animas noſtras modò*] Nunc vitæ conſulamus; gloriæ verò, ubi plures erimus.

10. *Et ſi appropiavit tempus noſtrum, moriamur in virtute*] In Græco, locutione Hebræâ, καὶ ἤγγικεν ὁ καιρὸς ἡμῶν καὶ ἀποθάνωμεν ἀνδρίᾳ, *Et ſi fortè advênit tempus noſtrum* (moriendi ſcilicet), *at moriamur viriliter.* Sic ἤγγικεν ἡ ὥρα [*appropinquavit hora*], Matthæi XXVI. 45.

11. *Et diviſi ſunt equites*] Nempe Bacchidæ.

In duas partes] *Ad utrumque cornu peditatûs*, ut hîc ait Ioſephus.

Et fundibularii & ſagittarii præibant exercitum] Scribe *fundibalarii*, ut ſuprà. Ioſephus, τοὺς δὲ ψιλοὺς καὶ τοξότας προεστήσατο ἁπάσης φάλαγγος [*velites & ſagittarios poſuit in prima parte exercitûs*].

Et primi certaminis omnes potentes] In Græco, οἱ πρωταγωνισταὶ πάντες καὶ δυνατοὶ, *deinde* (poſt illos velites & ſagittarios) *in prima acie erant fortiſſimus quiſque.*

12. *Bacchides autem erat in dextro cornu*] Vt ſolebant Reges, & in Regum abſentia ſummi Duces.

Et proximavit legio] *Phalanx*, ut eſt in Græco.

Ex duabus partibus] Ab utroque cornu in Iudæos incurrit.

Et clamabant tubis] *Et cecinerunt tubis*, nempe Macedones.

13. *Vſque ad veſperam*] *Ad Solis occaſum*, Ioſephus.

14. *Et vidit Iudas quòd firmior eſt pars exercitûs Bacchidis in dextris*] *Vidit Bacchiden & quod erat exercitui robur in dextera eſſe parte.*

15. *Et contrita eſt dextera pars ab eis*] Diducta ab iis qui ſiniſtra in parte erant. Διασπᾷ αὐτῶν τὴν φάλαγγα [*diſſolvit eorum phalangem*], ait Ioſephus.

Vſque ad montem Azoti] Ioſephus, μέχρι Ἀζᾶ ὄρους [*uſque ad montem Aza*]. עורה aut in plurali עורות. Non enim de Philiſtina urbe hîc agitur.

16. *Et ſecuti ſunt poſt Iudam & eos qui cum ipſo erant à tergo*] *Circumiverunt eos*, ut narrat Ioſephus. Simile habuimus ſuprà VII. 40. Solet id præcipi iis qui numero præpollent.

19. *Tulerunt Iudam fratrem ſuum*] Concedentibus

hoſtibus νεκρῶν ἀναίρεσιν [*facultatem mortuos tollendi*]. Id Ioſephus hîc innuit.

In ſepulchro patrum ſuorum in civitate Modin] Vide ſuprà II. 70.

20. *Lugebant dies multos*] Longiùs ſolito, ut publicum parentem. Sic & infrà XIII. 26.

22. *Et cætera verba bellorum Iudæ*] In Græco tantùm eſt, τὰ περισσὰ τῶν λόγων Ἰούδα [*reliqua rerum Iudæ*], ubi λόγων ſignificat *rerum*, more Hebræo, דברי יהודה.

23. *Emerſerunt iniqui in omnibus finibus Iſraël*] Qui metu ejus latitaverant.

24. *Et tradidit ſe Bacchidi omnis regio eorum cum ipſis*] Non tota regio, ſed magna ejus pars, explicante Ioſepho.

25. *Et conſtituit eos dominos regionis*] Id eſt, *Præfectos*, eodem Ioſepho explicante.

26. *Et vindicabat in illos, & illudebat*] *Tortos & irriſos interficiebat*.Ità Ioſephus.

27. *Ex die quo non eſt viſus Propheta in Iſraël*] Idem valet quod apud Ioſephum eſt, μετὰ τὴν ἐκ Βαβυλῶνος ἐπάνοδον [*poſt reditum ex Babylone*]. Nam in illo reditu fuere Aggæus, Zacharias, Malachias, poſt quos ceſſavit Prophetia, ut diximus ſuprà IV. 46. infrà XIV. 41.

29. *Vir ſimilis ei non eſt qui exeat contra inimicos noſtros*] In Græco, καὶ ἀνὴρ ὅμοιος αὐτῷ οὐκ ἔστιν ἐξελθεῖν πρὸς τοὺς ἐχθροὺς, id eſt, ex eo neminem Ducem habuimus, quali nobis opus.

30. *In Principem*] Reipublicæ.

Et Ducem ad bellandum bellum noſtrum] Militiæ imperatorem.

31. *Et ſurrexit*] קום, ſolet id dici de iis qui ſupra populum eminent.

33. *In deſertum Thecuæ*] *Non longè ab urbe*, ait Ioſephus. Apparet id Ieremiæ VI. 1.

Ad aquam lacûs Aſphar] Non lacus fuit, ſed *foſſa*, λάκκος, quomodo hîc Græcum & Ioſephus, & in illo tractu prope Hieroſolyma; ut dubitandum non ſit quin errent qui de Aſphaltite hîc cogitant. אשפר Syris *pulchrum*, interdum *candidum*.

35. *Et Ionathas miſit fratrem ſuum*] Bene addidit nomen Ionathæ, quod implendo ſenſui in Græco deeſt. Congruit Ioſephus. *Frater* autem qui hîc deſignatur fuit Iohannes qui & *Gaddi*, teſte eodem Ioſepho.

Nabathæos amicos ſuos] Suprà V. 25.

Vt commodarent illis apparatum ſuum qui erat copioſus] Scripſit Interpres, *commendarent illis*, id eſt, apud eos deponerent. Vlpianus L. *Commendare*, D. De verb. ſignif. *Commendare nihil aliud eſt quàm deponere. Apparatum*, in Græco ἀποσκευήν, id eſt, *ſupellectilem omnem, vaſa omnia*. Vide ſuprà V. 13. 45. ſic & Geneſeos XXXIV. 29. & alibi.

36. *Filii Iambri*] In Græco, υἱοὶ Ἀμβρί [*filii Ambri*]. Ioſepho, οἱ Ἀμαραίου παῖδες [*filii Amaræi*]. Fuerit illorum parenti nomen אמרי [*Amri*], quale Regi cuidam Iſraëlis nominato 1 Reg. XVI. 22.

Ex Madaba] Vrbs Moabitica, Num. XXI. 30. Ioſuæ XIII. 9. Eſaiæ XV. 2. ubi diximus eſſe hanc Μήδαυα Ptolemæo. Non ſic in Græco, ſed ἀπὸ Ναβαδάθ. Vera lectio, ni fallor, apud Ioſephum, ἀπὸ Γαβαθὰ πόλεως [*ab urbe Gabatha*], גבתא. Ducebatur hæc ſponſa Medabam, ubi habitabant Amriadæ, ut nos docet Ioſephus: aliunde ergò.

Filiam unius de magnis principibus Chanaan] *Arabum* dicit Ioſephus: idque magis exigit hiſtoria. Sed Hebræi impropriè כנעני [*Chananæos*] vocabant omnes à Dei cultu alienos.

Cum ambitione magna] Μετὰ παραπομπῆς μεγάλης, *magno cum comitatu*. Sic & Ioſephus.

38. *Sub tegumento montis*] Id eſt, à monte ſic defenſi, ne ſpectarentur.

39. *Et amici ejus*] *Sodales*. Vide quæ dicta ad Iohannis III. 29.

Cum tympanis & muſicis] Ex more; Ierem. VII. 34. XVI. 8. XXV. 10. XXXIII. 11.

41. *Et converſæ ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum ipſorum in lamentum*] Meleager de caſu ſimili,

Ἄρτι γὰρ ἑσπέριοι νύμφης ἐπὶ δικλίσιν ἤχευν
Λωτοὶ, καὶ θαλάμων ἐπλαταγεῦντο θύραι·
Ἠῷον δ' ἀλαλαγμὸν ἀνέκραγον· ἐν δ' ὑμέναιος
Σιγαθεὶς γοερὸν φθέγμα μεθαρμόσατο.

[*Vixdum deſierat nocturnos tibia cantus,*
Fervebat thalami poſtis uterque ſono:
Cùm matutinas jam non hymenæus ad aures
Sed truce cum gemitu nænia mæſta venit.]

Philippus verò,

Ἄρτι μὲν ἐν θαλάμοις Νικιππίδος ἡδὺς ἐπήχει
Λωτὸς, καὶ γαμικοῖς ὕμνος ἔχαιρε κρότοις·
Θρῆνος δ' εἰς ὑμέναιον ἐκώμασεν· ἡ δὲ τάλαινα,
Οὔπω πάντα γυνὴ, καὶ νέκυς ἐβλέπετο.

[*Læta ſonabat adhuc Nicippidos ante cubile*
Lotos, & ob juvenum carmina plauſus erat:
Interrupit atrox hymenæum luctus, & illa
Non bene adhuc mulier mortua viſa citò eſt.]

42. *Et reverſi ſunt ad ripam Iordanis*] Vbi exercitum reliquerant.

44. *Non eſt enim hodie ſicut heri & nudius tertius*] Ὡς ἐχθὲς καὶ τρίτην ἡμέραν, id eſt, *ut antehac*. Locutio Hebræa, ut Geneſ. XXXI. 2. & alibi ſæpe. Senſus eſt, non poſſe his in locis recedendo vitari prælium, ut cùm in deſertis Thecuæ bellaretur; ſed planè pugnandum, aut pereundum: περὶ τῶν ψυχῶν αὐτοῖς εἶναι τὸν κίνδυνον [*de vita ipſis periculum eſſe*], ac propterea non obligari ſe Sabbati lege, ſecundùm decretum nuper factum II. 41.

45. *Ecce enim bellum ex adverſo*] Hoſtile agmen.

Aqua verò Iordanis hinc & inde] Id eſt, terga undique ambiens. Eſt enim *ambitioſus amnis*, ut Plinius loquitur, V. 15.

Et paludes & ſaltus] Loca impedita.

47. *Et extendit Ionathas manum ſuam percutere Bacchiden*] Qui ſcilicet cum parte ſuorum Iordanem tranſierat.

Et divertit ab eo retro] Bacchides retro ad ſuos trans Iordanem ſe recepit, & ſic evaſit periculum. Ità rem explicat Ioſephus.

48. *Et diſſiliit Ionathas & qui cum eo erant in Iordanem*] *Ad eos*, id eſt, ad hoſtes, quos ultro trans amnem perſequebatur.

Et tranſnataverunt ad eos Iordanem] Excidit negativa vocula quæ eſt in Græco, καὶ οὐ διέβησαν ἐπ' αὐτοὺς τὸν Ἰορδάνην, *non ultrà* (Bacchides cum ſuis) *adverſùs illos* (Iudæos) *Iordanem tranſiere*. Ioſephus, τῶν πολεμίων οὐκ ἔτι τὸν ποταμὸν ἐπιδιαβάντων [*cùm non ampliùs hoſtes amnem tranſirent*].

49. *Et reverſi ſunt in Ieruſalem*] In arcem, Bacchides ſcilicet cum ſuo milite, ut explicat Ioſephus.

50. *Et ædificaverunt civitates munitas in Iudæa*] Iidem illi qui cum Bacchide fecere ædificando ut oppida munita eſſent.

Munitionem quæ erat in Iericho] *Munitionem illam quæ eſt in Ierichunte.*

Et in Ammaum] Non eſt in Græco, ſed eſt in Ioſepho καὶ Ἐμμαοῦν [*& Emmaum*]. Vide ſuprà IV. 3.

Et in Bethoron] In Græco, Βαιθὴλ [*Baithel*], & in Ioſepho Βεθήλλαν [*Bethellam*]. Legendum fortè Βιθὴρ [*Bither*], & in Ioſepho Βεθηράν [*Betheram*]. Nam ביתר [*Bither*] erat non longè ab Hieroſolymis. Vide tabulam Iudaïcam.

Et Thamnata] Scribitur in Græco, Θαμνασὰ [*Thamnaſa*], & in Ioſepho Θαμναθᾶ [*Thamnatha*]. Idem eſt nomen: nam ת Iudæorum multi ut *S* pronuntiant. Eſt תמנתה Ioſuæ XIX. 42. ubi in Græco Θαμναθά. In Plinio *Thamica*: ſed ſcriptum fortè fuerit *Thamnita*. Ptolemæo eſt *Thamna*.

Et Phara] In Græco, Φαραθωνί [*Pharathoni*]. In Ioſepho, καὶ Φαραθώ [*& Pharatho*]. Eſt פרעתון, Φαραθὼν [*Pharathon*], Iudic. XII. 15.

Et Thopo] Τὴν Τεφὼ [*Tepho*], in Græco. In Ioſepho Τοχόαν [*Tochoam*]· ſed legendum Τοφόαν [*Tophoam*]. Eſt enim תפוח Ioſuæ XV. 33. ubi in Græco Τανὼ [*Tano*]· ſed ſcribendum Ταφώ [*Tapho*]. Hinc Plinio *Tephene regio.*

51. *Et poſuit cuſtodiam in eis*] *Præſidium*, φρουράν. Ioſephus, δύναμιν εἰς αὐτὰς κατέστησεν [*milites ibi poſuit*].

Vt inimicitias exercerent in Iſraël] *Vt nocerent Iſraëlitis*, τοῦ ἐχθραίνειν τῷ Ἰσραήλ. Ioſephus, ὅπως κακοῦν ἐκεῖθεν ὁρμώμενοι τοῖς Ἰουδαίοις ἔχωσι, *Vt inde factis excurſibus malum inferrent Iudæis.*

52. *Et munivit civitatem Bethſuram*] *Ampliùs munivit.* Vide ſuprà IV. 81. VI. 50.

Et Gazaram] Γαζαρὰ [*Gazara*] hîc ſcribitur: at ſuprà VII. 45 Γάζηρα [*Gazera*]. Ioſepho Γάζαρα.

Et arcem] Ἄκραν illam Hieroſolymis non operibus tantùm auxit, ſed & omnibus rebus inſtruxit ad bellum neceſſariis.

53. *Et poſuit eos in arce in Ieruſalem in cuſtodiam*] *Obſides*, ut hîc explicat Ioſephus: ut *eo pignore parentes propinquóſque eorum attineret*, ait in facto ſimili Tacitus Annalium III.

54. *Deſtrui muros domus ſanctæ interioris*] Legitur & in Græco, τὸ τεῖχος τῆς αὐλῆς τῶν ἁγίων τῆς ἐσωτέρας [*murum ſubdialis interioris in Templo*]. Tacitus, ut nos eum emendandum credimus, *Illic immenſæ opulentiæ templum, & primis munimentis urbi adjuge, intimis clauſum.* Ioſephus, διὰ τούτου (per ſubdiale Gentium, quod *Templum primum* vocat,) προϊόντων ἐπὶ τὸ δεύτερον ἱερὸν δρύφακτος περιεβέβλητο λίθινος, τρίπηχυς μὲν ὕψος, πάνυ δὲ χαριέντως διειργασμένος. ἐν αὐτῷ δ' εἱστήκεσαν ἐξ ἴσου διαστήματος στῆλαι τὸν τῆς ἁγνείας προσημαίνουσαι νόμον, αἱ μὲν Ἑλληνικοῖς, αἱ δὲ Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι, μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι. τὸ γὰρ δεύτερον ἱερὸν ἅγιον ἐκαλεῖτο [*per hoc* (ſubdiale Gentium) *procedentibus in Templum ſecundum lorica circumdabatur lapidea, in tres cubitos ſurgens, eleganter facta; in ea ſtabant pari intervallo columnæ legem ſanctimoniæ indicantes partim Græcis partim Romanis literis, nequis alienigena intra Sanctum ingrederetur: ſic enim vocabatur pars Templi ſecunda*]. Voluit ergò Alcimus Iudæus Iudaïſmi deſertor omne diſcrimen in Templo inter Iudæos & Græcos tollere, in Græcorum, quibus turpiter ſerviebat, gratiam.

55. *Et occluſum eſt os ejus, & diſſolutus eſt paralyſi*] Solet paralyſis, ſive ſideratio, ſi totum invaſit corpus, etiam oris functionem ad loquendum impedire.

Et mandare de domo ſua] Præcepta dare ultima, ut ſolent morituri; II Regum XX. 1. Sirach. XXXIII. 24.

57. *Siluit terra duobus annis*] *Quievit*, ut ſuprà VII. 50. Ioſephus, ἐπ' ἔτη δύο τῶν Ἰουδαίων ἠρέμησε πράγματα [*per annos duos Iudæorum res in tranquillo fuere*].

58. *Confidenter*] Πεποιθότες, id eſt, ſecuri.

62. *In Bethbeſſen quæ eſt in deſerto*] In Græco, εἰς Βαιθβασὶ τὴν ἐν τῇ ἐρήμῳ [*in Baithbaſi quæ in ſolitudine*]. At Ioſephus, εἰς Βηθαλαγὰν ἀναχωρεῖ κώμην οὖσαν τὴν ἐν ἐρήμῳ [*in Bethalagam procedit, vicum in ſolitudine poſitum*]. Intelligit haud dubiè eum locum, qui in tabula Iudaïca, בית עלה. Nam ע per r ſæpe vertitur Græcè: & ſolent in nominibus talibus frequenter tranſponi literæ. Vide infrà XIII. 23. Videtur בית בוסין [*Bethboſin*] fuiſſe in proximo, ut parùm referret hic locus an ille nominaretur. Nomen hoc à *frequentia latronum* illis in locis.

Et exſtruxit diruta ejus] Muros disjectos reſtituit. Itaque Ioſephus quem priùs *vicum* nominarat, mox *urbem* nominat; ut & hic Scriptor.

63. *Et his qui de Iudæa erant denuntiavit*] Deſertoribus Legis.

64. *Et caſtra poſuit deſuper Bethbeſſen*] Id eſt, locum noviter munitum obſedit, ut refert Ioſephus. In Græco, παρενέβαλεν ἐπὶ Βαιθβασί [*caſtra poſuit ad Baithbaſi*]. Ioſephus, ἐπολιόρκει [*obſedit*].

Et oppugnavit eam dies multos] Impetu primùm facto: ubi verò id non ſucceſſit, machinis, ut ſequitur.

65. *Et exiit in regionem*] In terras circumſitas.

66. *Et percuſſit Odaren*] In Græco, Ὀδομηρὰ [*Odomera*]. הר אמר, *pulchrum loquens.* Hæc hiſtoriola in Ioſepho non eſt.

Et filios Phaſeron] Φασιρὼν [*Phaſiron*], פשרן.

Et cœpit cædere & creſcere in virtutibus] Καὶ ἤρξατο τύπτειν καὶ ἀνέβαινεν ἐν ταῖς δυνάμεσι, *cœpit cædere* (obvios hoſtium) *& penetrare in exercitum hoſtilem.* Ioſephus, ἐπιπίπτει τῷ Βακχίδου στρατοπέδῳ [*irruit in Bacchidæ exercitum*].

67. *Exierunt de civitate*] Eodem tempore fecere eruptionem.

Et ſuccenderunt machinas] Vide ſimile belli Iudaïci VI: 2.

68. *Et afflixerunt eum valde, quoniam conſilium ejus & congreſſus erat inanis*] Eſt quidem in Græco, ἔθλιβον αὐτὸν σφόδρα, ὅτι ἦν ἡ βουλὴ αὐτοῦ καὶ ἡ ἔφοδος αὐτοῦ κενή. Sed legendum videtur ἔθλιβεν. *Doluit illi conſilium ſuum ac conatus in irritum cecidiſſe.* Idem loquendi genus I Samuel. XXX. 6. II Sam. XIII. 2. Ioſephus in hoc loco de hoc Bacchide, εἰς ἀθυμίαν ἅμα καὶ ταραχὴν τῆς διανοίας ἐνέπεσε [*in deſperationem animique perturbationem incidit*].

69. *Et iratus contra viros iniquos*] Contra illos Legis deſertores. Legit hîc Interpres ὠργίσθη, meliùs

ſanè quàm *ὠργίσθησαν* [*irati ſunt*]· ſequitur enim *αὐτῷ* [*ipſi*]. Ioſephus de eodem Bacchide, *τὸν μὲν τοίγε ὑπὲρ τούτων θυμὸν, εἰς τοὺς φυγάδας, οἳ μετεπέμψαντο παρὰ τοῦ βασιλέως αὐτὸν, ἐπέσκηψεν, ὡς ἐξηπατηκότας* [*iram inde collectam in exſules quos Rex ei miſerat vertit, quaſi ab eis deceptus*].

70. *Et reddere ei captivitatem*] Id eſt, *captivos*, locutione Hebræâ. Sic שבי Pſalmo LXVIII. 19. *αἰχμαλωσίαν* reddidere LXX, & Paulus Epheſ. IV. 8. id eſt, captivorum multitudinem. Nec aliter Numeror. XXXI. 12. Iudic. V. 12. & alibi ſæpe. Nota captivos non reddi, niſi id pace convenerit. Et vide noſtra III De Iure Belli & Pacis, cap. IX, § 4.

71. *Et juravit ſe nihil facturum ei mali*] Plus eſt in Græco, *μὴ ἐκζητήσειν αὐτῷ κακόν*, *nihil ſe quæſiturum ipſi mali.*

72. *Captivitatem quam priùs erat prædatus*] Ἣν ᾐχμαλώτευσε, *quam captivam fecerat*. Captivi utrinque redditi ex pacto. Ità Ioſephus.

73. *Et ceſſavit gladius ex Iſraël*] Vis Macedonica ab Iſraëlitis ſe abſtinuit.

Et habitavit Ionathas in Machmas] Ioſephus, ἐν Μαχμᾶ πόλει [*in Machma urbe*]. Eſt מכמש I Samuelis XIII. 2. & mutatâ literâ paris ſoni, מכמס Eſdræ II. 27. Græci utroque loco Μαχμάς [*Machmas*].

Et cæpit Ionathas ibi judicare populum] In pace regere.

Et exterminavit impios ex Iſraël] In Græco, ἠφάνισε τοὺς ἀσεβεῖς ἐξ Ἰσραήλ, id eſt, morte affecit ex Lege Deuteronomii XVII. 5.

CAPVT X.

1. ALexander Antiochi filius*] Id eſt, qui ſe filium Antiochi Illuſtris dicebat. Iuſtinus, *Subornant propalam quendam, ſortis extremæ juvenem, qui Syriæ Regnum, velut paternum, armis repeteret, &, nequid contumeliæ deeſſet, nomen ei Alexandri inditur, genitúſque ab Antiocho Rege dicitur.* Is dicitur in Epitome Liviani libri LII. *Alexander homo ignotus, & incertæ ſtirpis.* Appianus, ἐπανίσταται γὰρ αὐτῷ τις Ἀλέξανδρος ψευδόμενος εἶναι Σελευκείου γένους [*inſurgit adverſus eum Alexander, dicens ſe eſſe Seleucei generis*]· dictus ab adverſariis *Balles*, id eſt, בלי איש, *homo nihili.* Apud Strabonem libro XVI. τὸν Βάλαν Ἀλέξανδρον [*Balan Alexandrum*] legendum, non Ἀλεξάνδρου [*Alexandri*], monuit rectè Caſaubonus.

Qui cognominatus eſt Nobilis] Quod ſuprà dixit *Illuſtris*, hîc dixit *Nobilis*, reddens vocem Græcam Ἐπιφανοῦς. Atque Ἐπιφανοῦς hîc legendum in Græco, non Ἐπιφανής, tum alia nos docent, tum Ioſephus, Ἀλέξανδρον τὸν Ἀντιόχου τοῦ Ἐπιφανοῦς υἱόν [*Alexandrum Antiochi Illuſtris filium*].

Et occupavit Ptolemaïdam] Vrbem Phœnices, cujus & Ptolemæus meminit.

Et receperunt eum] *Milites* qui in præſidio erant, ut ex Ioſepho diſcimus; *odio* ſcilicet *Demetrii, ob ſuperbiam*, ut diſcimus etiam ex Iuſtino XXXV. & XXXIX. *crudelitatem* addit Epitome Livii LII. Ioſephus & ſuperbiam accuſat, *neminis colloquium admittentis*, & addit *ignaviam.*

3. *Verbis pacificis, ut magnificaret eum*] Id eſt, verbis talibus quibus perſuadere volebat Ionathæ, à ſe ipſum plurimi fieri. Prudenter autem admodum Ionathas hæc Regum diſſidia in uſus ſuorum popularium vertit.

6. *Et obſides qui erant in arce*] De quibus ſuprà IX. 53.

7. *Et eorum qui in arce erant*] Tum Macedonum, tum Iudæorum qui à Lege defecerant. Ità Ioſephus.

10. *Et habitavit Ionathas in Ieruſalem*] In urbe, non in arce.

11. *Et montem Sion in circuitu, lapidibus quadratis ad munitionem*] *Montem Sion* hîc vocat totam urbem, exceptâ arce & Templo. Ioſephus, ἐκέλευσε γὰρ οἰκοδομηθῆναι τὰ τείχη τῆς πόλεως ἐκ λίθων τετραγώνων, ὡς ἂν ᾖ πρὸς τοὺς πολεμίους ἀσφαλέστερα [*juſſit enim ædificari muros urbis ex lapidibus quadratis, ut eſſent illi ab hoſtibus tutiores*].

14. *Tantùm in Bethſura remanſerunt aliqui*] Vide ſuprà IX. 52.

15. *Alexander Rex*] Ità enim à plurimis in Syria appellabatur. Iuſtinus dicto libro XXXIX. *in Syria regnabat*, ait Livii Epitome.

18. *Fratri Ionathæ*] Sic Ædui *fratres Romanorum*, Tacito teſte; Arverni, Lucano; Batavi, in Inſcriptione antiqua.

20. *Conſtituimus te hodie Summum Sacerdotem gentis tuæ*] Sicut olim fecerant Reges Hebræi, ità tamen ut Aaronis ſtirpem non egrederentur.

Et miſit ei purpuram & coronam auream] Qualia viri principes à Regibus accipere ſolebant, Eſtheræ VIII. 15. Eſaiæ XXII. 22, in Græco. Secuti magnorum Regum exemplum Romani.

Et quæ noſtra ſunt ſentias nobiſcum] In Græco, καὶ φρονεῖν τὰ ἡμῶν· ubi duplex eſt ἔλλειψις [*omiſſio vocum*]. Senſus enim plenus eſſet, *& ſcripſit ei, Rogo te noſtras tueri partes.* Sic τὰ Ῥωμαίων φρονεῖν [*res Romanorum ſectari*], & ſimilia, in Hiſtoriis frequenter occurrunt.

21. *Stola ſancta*] Τὴν ἁγίαν στολὴν [*ſtolam ſanctam*], non illam miſſam ab Alexandro, ſed ἀρχιερατικὴν [*Pontificalem*], ut Ioſephus exponit.

24. *Et dignitates, & dona*]

Nec ſi muneribus certes concedat Iolas.

26. *Quoniam ſervaſtis ad nos fidem*] Prudenter maluit videri innocentes inveniſſe quàm feciſſe. Fides habita ipſam obligat fidem.

28. *Et remittemus vobis præſtationes multas*] In Græco, καὶ ἀφήσομεν ὑμῖν ἀφέματα πολλά, id eſt, *multas remiſſiones vobis faciemus.*

29. *Et nunc abſolvo vos & omnes Iudæos à tributis*] *Condono ac remitto tributa Iudæis omnibus.* Tributa ſunt quæ in caput aut ſolum dantur. Hîc intellige, ὧν ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τελοῦσι [*quæ pro capite penduntur*], collato Antiochi Magni edicto apud Ioſephum XII. 9.

Et pretia ſalis indulgeo] Καὶ τῆς τιμῆς τοῦ ἁλός. Sic & in Ioſepho legendum, τιμὴν ὑμῖν χαρίζομαι τῶν ἁλῶν [*pretium ſalis vobis condono*]. Sunt ſalinæ in Iudæa, ut apparet Pſalmo LX. 2. & infrà XI. 35. Reges permiſerunt indè Iudæo cuique certum modum ſalis capere, ſed dato Regibus pretio: id nunc Demetrius gratìs vult licere.

Et coronas remitto] Coronas aureas Iudæi ſoliti erant Regibus offerre quotannis. Id dicitur *aurum* *coronarium* in L.penult.C.De Iudæis.Quod Patriarchis ſolitum offerri Imperatores ad ſe traxere. Dicitur autem *aurum coronarium* tum ibi, tum in titulis Codicis Theodoſiani & Iuſtinianei De auro coronario, eo modo quo *æs coronarium* id quod in coronas impendebatur. Στεφανίτην φόρον [*tributum coronarium*] vocat in Edicto de quo cœpit agere Antiochus Magnus, qui ab eo liberavit Seniores, Sacerdotes, Scribas Templi, & Cantores.

Et tertias ſeminis] Καὶ ἀντὶ τοῦ τρίτου τῆς σπορᾶς [*& pro terno ſatorum*] eſt hîc in Græco,, quod Ioſephus dixit ἀντὶ τῶν τρίτων τῶν τοῦ καρποῦ [*pro tertiis fructuum partibus*]. Vnde intelligimus σπορὰν hîc eſſe non *ſemen*, ſed *fruges quæ ſeri ſolent*; de quibus Reges olim ſumſere tertiam partem, poſtea pretium ejus: quod hîc remittitur. Vide Nehemiæ IX. 37.

30. *Et dimidiam partem fructûs ligni, quod eſt portionis meæ*] Καὶ ἀντὶ τοῦ ἡμίσους τοῦ καρποῦ τοῦ ξυλίνου τοῦ ἐπιβάλλοντός μοι λαβεῖν [*& pro dimidia parte fructûs arborum, quam percipere mei erat juris*], id eſt, *pecuniam quam ſolebam accipere pro dimidio nemorum.* Eum ſenſum ſatis apertè exprimit Ioſephus. Neque verò aut Ioſephus aut hic Scriptor ipſa Demetrii verba poſuere. ſed ſenſum ab hoc Scriptore Hebraïzante deſumtum puriore Græcitate expreſſit Ioſephus.

Et à tribus civitatibus quæ additæ ſunt illi ex Samaria & Galilæa] *Ex tribus Præfecturis.* In Græco eſt τριῶν νόμων, voce uſitatâ in denotandis Ægypti partibus, ut nos docet Strabo, & uterque Plinius, quorum major Latinè interpretatur,ut nos jam fecimus, *præfecturas:* ſic & infrà 38. Ioſephus τοπαρχίας [*Toparchias*] dicit. Sed in Ioſepho mendum eſt: legitur enim, καὶ τῶν τριῶν τοπαρχιῶν τῶν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ προσκειμένων, Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας καὶ Περαίας [*& de tribus Toparchiis quæ in Iudæa jacent, Samariæ, Galilææ & Peræa*]· cùm ſcribi debeat, τῶν τῇ Ἰουδαίᾳ προσκειμένων ἐκ Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας καὶ Περαίας [*quæ Iudææ adjacent ex Samaria, Galilæa & Peræa*], quod oſtendit hujus libri Græcum, & hoc loco & infrà 38. atque idem hic Scriptor infrà XI. 34. & Ioſephus cap. VIII. ubi & ipſæ Toparchiæ nominantur, *Apherima*, *Lydda*, *Ramatha*, additúrque eas *Iudææ additas*, ἐκ τῆς Σαμαρείτιδος [*ex Samaritide*], ubi per Synecdochen ſola *Samaritis* nominatur, omiſsâ *Galilæâ & Peræâ*, ſicut hîc in Græco noſtro nominantur *Samaria* & *Galilæa*, omiſsâ *Peræâ.* Ἀφερειμᾶ rectè ſcriptum apud Ioſephum: non enim Græca vox eſt Ἀφαίρεμα, quomodo librarii ſcripſere in hoc libro infrà XI. 34. ſed Syriaca, אפרימה à פרם, quod eſt *lacerare.* *Videtur* autem jam olim id nomen accepiſſe ager circa Bethelem, quòd Abiæ bello abruptus eſſet à Decem Tribuum Regno, ut videre eſt II Paralipomenon XIII. 19. addito II Reg. XXIII. 4. Plinio etiam inter Toparchias Iudææ nominatur Bethole, qui & *Lyddam* ponit inter eaſdem Toparchias: quam eſſe in Peræa ex Ptolemæo diſcimus. Reſtat ergò de Galilæa *Ramatha*, cujus nominis cùm plures urbes fuerint, par hîc eſt eam intelligi quæ Iſachari olim obvênit, Ioſuæ XIX. 21. XXI. 37.

31. *Et Ieruſalem ſit ſancta & libera cum finibus ſuis, & decimæ & tributa ipſius ſint*] In Græco, καὶ Ἱερουσαλὴμ ἤτω ἁγία καὶ ἀφειμένη, καὶ τὰ ὅρια αὐτῆς, καὶ δεκάται, καὶ τὰ τέλη [*Et Ieruſalem ſit ſancta & libera, & fines ejus, & decimæ, & vectigalia*], ſupple ἔστω ἀφειμένα [*ſunto libera*]. Quod hîc dicitur ἁγία καὶ ἀφειμένη [*ſancta & libera*], in Ioſepho ἱερὰν καὶ ἄσυλον εἶναι [*ſacram & inviolabilem eſſe*], id ſignificat *ne ullo præſidio externo oneretur*, ad exemplum Delphorum in Græcia. *Fines* verò *Hieroſolymorum* intellige territorium circumjectum urbi. Vide quæ de eo diximus ad Matth. XXIV. 15. Quod hîc jubetur urbs cum agro *libera* eſſe *à decima*, id intellige quod ad Reges attinet. Datur eidem urbi agróque etiam *immunitas à vectigalibus*, quæ Iudæis cæteris non datur. Aliud enim φόρος *tributum*, aliud τέλος *vectigal*, quæ & Apoſtolus Paulus diſtinguit Romanorum XIII. 7. Nam, ut ait Favorinus, φόρος κυρίως τὸ ὑπὲρ ἰδίας εἰσφερόμενον γῆς· τέλος δὲ ὑπὲρ τῆς ἐμπορίας συντέλεια [*tributum propriè quod de terra cuique ſua penditur, vectigal quod de mercatura*]. Hoc modo diſtincta iſta reperies apud Strabonem, tum libro II. ubi de Britannia, tum libro IV. apud Dionem Caſſium libro XLV. Sic & εἰσφορὰς [*collationes*] & τέλη [*vectigalia*] diſtinguit Ioſephus Belli Iudaïci II. *tributa* & *vectigalia* Tacitus Annalium XIII.

32. *Remitto etiam poteſtatem arcis quæ eſt in Ieruſalem*] Τῆς ἄκρας, quam tunc etiam tenebant Macedones, ut apparet ſuprà 9.

Et do eam Summo Sacerdoti] Ionathæ ſcilicet. Eſt enim perſonalis conceſſio, interprete Ioſepho.

33. *Et omnem animam Iudæorum*] Omnem Iudæum.

Quæ captiva eſt à Terra Iuda in omni Regno meo] Intelligit captos bello Antiochi Illuſtris & Eupatoris. Bello enim capti, Regis fiebant. Vide quæ diximus tertio De Iure Belli & Pacis, cap. VI, § 10.

Relinquo liberam gratis] Vt Pyrrhus,

Nec mî aurum poſco, nec mî pretium dederitis.

Vt omnes à tributis ſolvantur etiam pecorum ſuorum] *Vt liberi ſint* Iudæi etiam *à tributis*, id eſt, oneribus *jumentorum.* φόρους [*tributa*] impropriè vocat angarias, ut explicat Ioſephus. Id onus à Perſis Regibus introductum retinuerant Macedones. Vide quæ diximus ad Matthæum V.41. Puto autem *tributum* dici, quia plerúmque pecuniâ redimi tale onus ſolebat.

34. *Et omnes dies ſolennes*] Vt Paſchatis, Pentecoſtes, Scenopegiæ.

Et dies decreti] Καὶ ἡμέραι ἀποδεδειγμέναι. Sic vocat dies feſtos populi inſtituto, quales Dies Sortium, Encæniorum, & Dies interfecti Nicanoris.

Et tres dies ante diem ſolennem, & tres dies poſt diem ſolennem] Nempe ut tutus eſſet Hieroſolyma & itus & reditus.

Sint omnes immunitatis & remiſsionis] Ἀτελείας καὶ ἀφέσεως. quod ſic expono, ἀτελείας, ut eo tempore de rebus quas ſecum ferrent nullum penderent vectigal; ἀφέσεως, ne ob debita capi poſſent.

Omnibus Iudæis qui ſunt in Regno meo] Nam & ex Syria Iudæi multi diebus feſtis ibant Hieroſolyma.

35. *Et nemo habebit poteſtatem agere aliquid, & movere negotia adverſùs aliquem illorum in omni cauſa*] In illis ſcilicet temporibus, ut jam explicavimus.

36. *Et adſcribantur ex Iudæis in exercitu Regis ad triginta millia virorum*] Id eſt, Si velint; quod addit

Ioſephus. Iam Alexandro Magno militaſſe Iudæos ex Chœrilo & Hecatæo docemur.

Et dabuntur illis copiæ ut oportet] *Copias* hîc intelligit annonam militarem, τὰ σιτηρέσια, quæ Græcè hîc vocantur ξένια. Hoc ſenſu *inopes copiarum* dixit Tacitus Annalium XV.

Omnibus exercitibus Regis] In Græco eſt, πάσαις ταῖς δυνάμεσι, id eſt, *militibus omnibus.*

Et ex eis ordinabuntur qui ſint in munitionibus Regis magni] Id eſt, *quidam Iudæorum in præſidiis collocabuntur.* Ita Ioſephus.

37. *Et ex his conſtituentur ſuper negotia Regni, quæ aguntur ex fide, & principes ſint ex eis*] In Græco, *Etiam ex his conſtituantur ad uſus Regni ad fidem pertinentium* (in quibus maxima fides exigitur, ut eſt cuſtodia Regii corporis: ſic enim Ioſephus exponit), *& qui eis præerunt* (id eſt, Centuriones) *Præfectique ex ipſis ſunto.* Magnus hic honos habere Centuriones & Præfectos de ſuis. Notat id ut rarum in Thracibus Tacitus; *aut ſi mitterent auxilia, ſuos ductores præficere*: & in Batavis, *tranſmiſſis illuc cohortibus quas vetere inſtituto nobiliſſimi popularium regebant*, Hiſtoriarum IV.

Et ambulent in legibus ſuis ſicut præcepit Rex in Terra Iudæ] Liceat illi ſuis uti ritibus non minùs quàm iis qui in Iudæa ſunt. Ioſephus XI. circa finem de Alexandro Magno, παρακαλεσάντων δὲ αὐτῶν ἵνα καὶ τοὺς ἐν Βαβυλωνίᾳ καὶ Μηδίᾳ Ἰουδαίους τοῖς ἰδίοις ἐπιτρέψῃ νόμοις χρῆσθαι, ἀσμένως ὑπέσχετο ποιήσειν ὅπερ ἀξιοῦσιν. εἰπόντος δὲ αὐτοῦ πρὸς τὸ πλῆθος εἴτινες αὐτῷ βούλονται στρατεύειν τοῖς πατρῴοις ἔθεσιν ἐμμένοντες καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντες, ἑτοίμως ἔχειν ἐπαγγέλλεσθαι, πολλοὶ σὺν αὐτῷ στρατείαν ἠγάπησαν [*oratus autem ut & qui in Babylonia & Media erant Iudæi eos ſuis pateretur legibus vivere, promtè promiſit facturum quod rogaretur. cùm verò ad hoc diceret multitudini, Si qui vellent ipſi militare manentes in ſuis inſtitutis eáque ſervantes, libenter ſe eos ſecum ducturum, multi ipſum in militiam ſunt ſecuti*].

38. *Et tres civitates*] Præfecturæ, ut diximus ſuprà 30.

Quæ additæ ſunt Iudææ ex regione Samariæ] Συνεκδοχή [*Comprehenſio*]· ſubauditur enim *& ex Galilæa & Peræa.*

Cum Iudæa reputentur ut ſint ſub uno] Τοῦ γενέσθαι ἐφ' ἕνα· ſed legendum ἐφ' ἕν, id eſt, *unum corpus reipublicæ cum ipſa Iudæa conſtituant.*

Et non obediant alii poteſtati niſi Summi Sacerdotis] Qui ſimul Princeps erat gentis. de his enim temporibus intelligenda illa Iuſtini, *Hic mos apud Iudæos ut eoſdem Reges & Sacerdotes haberent: quorum juſtitiâ religione permixtâ, incredibile quantum coaluere.* Et Tacitus, *Honor Sacerdotii, firmamentum potentiæ aſſumebatur.* Emendandus hoc loco Ioſephus: legitur enim, καὶ τοῖς τρισὶ τοῖς προσκειμένοις ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ νόμοις ὑποτάσσεσθαι βούλομαι· legendum verò, προσκειμένοις τῇ Ἰουδαίᾳ ἐπιτάσσεσθαι [*volo illos imperare tribus illis Præfecturis Iudææ attributis*].

39. *Ptolemaïda*] Si quando recuperaretur, occupata tunc ab Alexandro Balle.

Et confines ejus] Καὶ τὴν προσκυροῦσαν αὐτῇ, id eſt, *territorium ejus.*

Quas dedi donum ſanctis qui ſunt in Ieruſalem] *Quas* hîc ſupereſt: *dedi donum Templo quod eſt in Ieruſalem.* Mos enim eſt Templum vocare ἅγια [*Sancta*], ut Levit. x. 4. XXI. 12. Heb. IX. 12. XIII. 11.

40. *De rationibus Regis quæ me contingunt*] *De reditibus fundorum Regiorum*, putà ex balſamo.

41. *Et omne quod reliquum fuerit, quod non reddiderant qui ſuper negotia erant annis prioribus, ex hoc dabunt in opera Domûs*] Id eſt, *reliquatores fiſcales reliqua ſua dabunt, ut in ſarta tecta Templi impendantur.*

42. *Et ſupra hæc quinque millia ſiclorum argenti quæ accipiebant de Sanctorum ratione per ſingulos annos, & hæc ad Sacerdotes pertineant qui miniſterio funguntur*] Verte ex Græco & collatione Ioſephi, *Præterea quinque millia ſiclorum argenteorum, quæ percipiebant annis prioribus quotannis ex iis quæ Templo debentur* (lego enim χρεῶν, non χρειῶν), *hæc quoque remittuntur, quia pertinent jure ad Sacerdotes eos qui munus ſuum funguntur.* Sacerdotes qui erant in ἐφημερίαις [*vicibus*] ſuis habebant primitias unde viverent; de iis Reges ſummam aliquam decerpſerant: quod in poſterum fieri vetat.

43. *Et quicunque confugerint in Templum quod eſt Hieroſolymis, & in omnibus finibus ejus*] Καὶ εἰς τὰ ὑπ' αὐτῷ χρηματίζοντα [*& in ea quæ Templo accedunt*], ait Ioſephus. More Græcorum Ius aſyli dat Templo, & definito alicui ſpatio circa Templum, puta duobus millibus paſſuum, quod jus habuit delubrum Hierocæſarienſe, teſte Tacito Annalium III.

Obnoxii Regi in omni negotio] In Græco, ὀφείλοντες βασιλικὰ καὶ πᾶν πρᾶγμα, id eſt, *qui tenentur ex debitis fiſcalibus, aut ex re ulla alia* civili aut criminali. Ioſephus, ἢ βασιλικὰ ὀφείλοντες χρήματα ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν [*qui debitores eſſent pecuniæ fiſcalis aut ex re alia*].

Dimittantur] *Perfugium habeant inviolabile*, ut Tacitus loquitur.

Et univerſa quæ ſunt eis in Regno meo libera habeant] Καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν αὐτοῖς ἐν τῇ βασιλείᾳ μου [*& omnia quæ habent in Regno meo*]. Ioſepho καὶ τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῖς σῶα ἔστω [*& res ipſorum ipſis ſalvæ ſunto*]. Multum hoc eſt, etiam rebus confugarum parcere. Nimirum indultum id ut Sacerdotibus mediis res ex æquo & bono tranſigeretur. Neque enim futurum putabatur ut apertæ malitiæ faverent Sacerdotes.

44. *Et ad ædificanda vel reſtauranda opera Sanctorum ſumptus dabuntur de ratione Regis*] Id eſt, ſive novi aliquid adjiciendum Templo, ſive vetera reparanda, impenſas de meo fieri volo.

45. *Et ad exſtruendos muros Ieruſalem, & communiendos in circuitu*] *Turribus* ſcilicet, ut rectè Ioſephus explicat. Vide hiſtoriam Belli Iudaïci, ubi multa earum turrium mentio. Valerius Flaccus de Tito Veſpaſiano,

— *Solymo nigrantem pulvere fratrem,*
Spargentémque faces, & in omni turre furentem.

Et ad conſtruendos muros in Iudæa] Id eſt, ad munienda etiam loca alia, ſi opus ſit. Ità explicat Ioſephus.

47. *Et complacuit eis in Alexandrum*] Εὐδόκησεν ἐν Ἀλεξάνδρῳ [*erga Alexandrum animus fuit*], nempe αὐτοῖς [*eis*], quod bene hîc ſupplet Latinus interpres. Alexandri amicitiam prætulere, putantes non ad ſe pertinere de Regum controverſiis judicium, ſed quomodo maximè res ſuas in tuto ponerent.

Quia ipſe fuerat eis princeps ſermonum pacis] Prior fedus obtulerat.

48. *Et congregavit Rex Alexander exercitum magnum*] Adjuvante eum Ptolemæo Philometore Ægypti Rege. Vide Appianum fine Syriacorum, & Livii Epitomen LII. Iuſtinus addit & Aſiæ Regem Attalum, & Cappadociæ Ariarathen.

49. *Et commiſerunt prælium duo Reges*] Cujus initium proſperum fuit Demetrio, ut & Ioſephus & Iuſtinus narrant.

50. *Et cecidit Demetrius in die illa*] Poſtquam prælii fortuna ſe converterat, equo lapſo in voraginem, multis ipſe hoſtium telis interfectus, narrante Ioſepho.

51. *Ad Ptolemæum Regem Ægypti*] Philometora, ut jam diximus. Epiſtolæ iſtæ non ſunt authenticæ, ſed expreſſus eſt ſenſus locutionibus Hebraïſmum redolentibus; ut de Actis ſimilibus jam diximus.

54. *Et da mihi filiam tuam uxorem*] *Cleopatram* nomine, ut nos docet Ioſephus, & jam ſequetur.

56. *Ptolemaïdam*] Vrbem Phœnices, quæ olim *Aco*, Strabo XVI. Plin. V. 19. Ptolemæus *Phœnicê.*

58. *Et dedit ei Cleopatram filiam ſuam*] *Magna cum dote*; quod addit Ioſephus.

60. *Et occurrit ibi duobus Regibus*] Salutavit & Alexandrum & Ptolemæum.

61. *Viri peſtilentes*] Λοιμοί. Sic verti ſolet Hebræum לצים, Pſalmo I. 1. Proverb. XIX. 25. XXI. 24. XXII. 10. XXIV. 9. Oſeæ VII. 5.

62. *Et indui eum purpurâ*] Nempe velut Regni ſui Satrapam. Vide ſuprà 20.

Et collocavit eum Rex ſedere ſecum] Ἐπὶ τοῦ βήματος, id eſt, *in loco edito* unde Reges adſidentibus conſiliariis jus dicebant. *Pro tribunali* dicerent Romani. Vide Actorum XXV. 23.

63. *Vt nemo adverſus eum interpellet de ullo negotio*] *Nequis ei obloquatur*, nempe ob religionem à Græca diverſam.

Nec quisquam ei moleſtus ſit de ulla ratione] *Nemo etiam factis ei moleſtus ſit.* περὶ παντὸς λόγου, id eſt, *de re ulla*, more Hebræo.

64. *Vt viderunt qui interpellabant gloriam ejus*] *Vt illi accuſatores viderunt honorem ipſi habitum*: ita enim conſtruenda verba. ἐντυγχάνειν eſt *quidvis ad Regem perferre*; hîc verò de *accuſatione* accipitur, ut ſuprà VIII. 32. & ſuprà 61. & infrà XI. 25.

65. *Et ſcripſit eum inter primos amicos*] *Primum amicorum*, ait Ioſephus.

Et poſuit eum ducem] Ducem copiarum in Iudæa.

Et partem principatûs] In Græco, μεριδάρχην. Eſt honos Palatinus. ſignificat autem *menſæ Regiæ Præpoſitum*: nam μερίδες ſunt fercula, apud Athenæum, Plutarchum & alios. Vocem μεριδάρχου etiam Ioſephus alibi hoc ſenſu uſurpat.

67. *Venit Demetrius filius Demetrii à Creta in terram patrum ſuorum*] In Ciliciam, partem Regni paterni. Ita Ioſephus. De hoc Demetrio vide Iuſtinum libro XXXV. Livii Epitomen LII. Appianum fine Syriacorum, qui ei factum dicit cognomen Νικάτωρ [*Nicator*], pro quo apud Ioſephum malè ſcribitur Νικάνωρ [*Nicanor*].

68. *Et contriſtatus eſt valde*] Habebat enim Demetrius pro ſe favorem paterni nominis, & Cretenſium egregia auxilia.

69. *Apollonium ducem*] Daum gente.

70. *Ego autem factus ſum in irriſum & in opprobrium*] *Propter te*, addit textus Græcus. Irrideor quòd cum populo tantillo tamdiu bellum gero.

Quia tu poteſtatem adverſus nos exerces in montibus] Pro valido te geris, fiſus montanis locis, qualis Iudæa, Exodi XV. 17. Deuteronomii XI. 11. Ezechielis VI. 2.

71. *Comparemus illic invicem*] Certemus in æquis locis.

Quia mecum eſt virtus bellorum] Legit, ὅτι μετ' ἐμοῦ ἐστι δύναμις τῶν πολέμων, non ut nos habemus, πόλεων [*urbium*]. Sed lectionem hanc Græcam firmat Ioſephus, hunc Scriptorem plurimùm ſequens, ἴσθι μέντοι γε τοὺς ἀρίστους ἑκάστης πόλεως ἐμοὶ συστρατεύεσθαι [*Scito primores urbis cujuſque mihi militare*].

72. *Quia non poteſt ſtare pes veſter ante faciem noſtram*] Οὐκ ἔστιν ὑμῖν στάσις ποδὸς κατὰ πρόσωπον ἡμῶν. Locutio Hebræa, ſignificans *non poteris contra nos ſtare.*

Quia bis in fugam converſi ſunt patres tui in terra ſua] *Sæpius* ait Ioſephus. Vide ſuprà V. 60. IX. 6. 18.

73. *Vbi non eſt lapis neque ſaxum*] *Vbi armis, non ſaxis pugnandum erit*, ut refert Ioſephus. Solebant Iudæi ex montanis locis hoſtem ſaxis petere, II Maccabæorum I. 16.

Neque locus fugiendi] In ſpecus aut ponè montes, ſuprà I. 56. II. 31. 36. IX. 38. II Maccab. X. 6.

75. *Et excluſit eum à civitate, quia cuſtodia Apollonii Ioppe erat*] Καὶ ἀπέκλεισαν αὐτὸν ἐκ τῆς πόλεως, ὅτι φρουρὰ Ἀπολλωνίου ἐν Ἰόππῃ. Et eſt trajectio vocum ſimul & σύλληψις [*Complexio*]. Planus enim ſenſus ſic fuerit, *Et ii qui in urbe Ioppe habebant præſidium (erant enim Apollonii milites) excluſere eum ab urbe.*

Et oppugnavit eam] Legit ἐπολέμησεν αὐτὴν, ubi nos habemus ἐπολέμησαν [*oppugnarunt*]. Parum id refert. Admovit Ionathan machinas.

76. *Et obtinuit Ionathas Ioppen*] Strabo libro XVI. hanc tangit hiſtoriam de Ioppe locutus, καὶ δὴ καὶ ἐπινείῳ τούτῳ κέχρηνται καταβάντες μέχρι θαλάττης οἱ Ἰουδαῖοι [*& hoc navali utuntur Iudæi ex quo ad mare pervenerunt*].

79. *Et reliquit Apollonius in caſtris mille equites poſt eos occultè*] Supereſt illud *in caſtris*: non enim in caſtris ſed in inſidiis eos locavit ab hoſtium tergo. Ita Ioſephus.

80. *Et circuierunt caſtra ejus*] Legit, ut nos habemus, ἐκύκλωσαν αὐτοῦ τὴν παρεμβολήν· ſed legendum, ἐκύκλωσεν αὐτὸς τὴν παρεμβολήν, *Fecit quadratum agmen*: τάξας δὲ τὴν στρατιὰν ἐν πλινθίῳ [*exercitu in quadrum ordinato*], ait Ioſephus. Id κυκλοῦν [*in orbem redigere*] dixit Scriptor noſter, quia aptum erat ad pugnandum ex omni parte, non ex antica tantùm. Id faciendum ubi & à fronte & à tergo eſt hoſtis.

Et jecerunt jacula in populum à mane uſque ad veſperam] Macedones ſcilicet in Iudæos, ut ex Ioſepho apparet.

81. *Populus autem ſtabat ſicut præceperat Ionathas*] Nempe conſertis ſupra capita ſcutis, quod συνασπισμὸν Græci vocant. Deſcribitur à Floro V. 10. Vide Plutarchum Antonio, Appianum Parthicis. Ita factum ut tela in Iudæos innoxia caderent, notante & Ioſepho.

Et laboraverunt equi eorum] *Fatigati ſunt equi eorum.* Macedonum ſcilicet, totum diem ſtando, nec quicquam proficiendo telis.

82. *Et ejecit Simon exercitum ſuum*] *Traxit Simon militem ſuum,* id eſt, eum abduxit ab exercitu fratris.

Et commiſit contra legionem] Συνῆψε πρὸς τὴν φάλαγγα, *aggreſſus eſt phalangem* Macedonicam, id eſt, peditatum.

Equites enim fatigati erant] Ἡ γὰρ ἵππος ἐξελύθη. Hoc ideo repetit ut intelligatur cur eques phalangi opem non tulerit.

Et contriti ſunt ab eo, & fugerunt] Pedites, οἱ φαλαγγῖται.

83. *Et qui diſperſi ſunt per campum*] Scripſit Interpres, *& equi diſperſi ſunt per campum*, id eſt, equitatus. in Græco, ἡ ἵππος ἐσκορπίσθη ἐν τῷ πεδίῳ. Ioſephus, θεασάμενοι δὲ τοὺς πεζοὺς φεύγοντας οἱ ἱππεῖς οὐδ' αὐτοὶ μένουσιν [*conſpectâ peditum fugâ equites nec ipſi reſtitere*].

Fugerunt in Azotum] Hîc & ex Græco addendum. *Et fugerunt in Azotum* tum pedites tum equites Macedonum.

Et intraverunt in Bethdagon idolum ſuum] Scripſit Interpres *idolium*, ut *in idolio* 1 Corinth. VIII. 10. Nam & in Græco hîc eſt τὸ εἰδωλεῖον· ſic Iudæi vocabant falſorum deorum templa. ἐπὶ τὸν τοῦ Δαγῶνος ναὸν [*in Dagonis templum*], ait Ioſephus. Dagon apud Philiſthinos erat eâ ferè formâ quâ Triton apud Græcos. Diximus ad 1 Samuel. v. 1. unde diſcis quàm vetus apud Azotum cultus iſte fuerit.

84. *Et civitates quæ erant in circuitu ejus*] Dixit πόλεις, id eſt, *oppida*, quas Ioſephus κώμας, id eſt, *vicos*. Erant κωμοπόλεις [*vicoppida*], ut loquitur Marcus 1. 38.

86. *Et exierunt de civitate obviam illi in magna gloria*] *Cum donis & honore multo*, Ioſephus.

88. *Addidit adhuc glorificare Ionathan*] Hebræa locutio: id eſt, *ampliùs eum honoravit*.

89. *Miſit ei fibulam auream, ſicut conſuetudo eſt dari cognatis Regum*] More veteri Phœnicum. Virgilius de Didone,

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

Πόρπη eſt *fibula quæ veſtem ad pectus ſtringit*. Romanis magis vulgatus hic honor: nam & milites bene meritos aureâ fibulâ donabant, ut ex Livii non uno loco diſcere eſt.

Et dedit ei Accaron & omnes fines ejus] Territorium, ut ſuprà aliquoties. Hîc τοπαρχίαν αὐτῆς [*toparchiam ejus*], Ioſephus.

In poſſeſſionem] Perpetuam atque *hereditariam*, εἰς κληροδοσίαν. Ioſephus, εἰς κληρουχίαν. Addi hoc poteſt multis exemplis urbium dono datarum, quæ congeſſimus II De Iure Belli ac Pacis, cap. III, § 8. & in Annotatis ad eum locum.

CAPVT XI.

1. ET *Rex Ægypti*] Ptolemæus ille Philometor, ſocer Alexandri, qui *Balles* dictus, ſed in ſpeciem illius revera ſuum negotium gerens, ut hic quidem Scriptor exiſtimat. Ioſephus nihil tale.

Sicut arenam quæ eſt circa oram maris] Satis Poëticè. Sed maximas fuiſſe Regni Ægyptii vires certum eſt.

Et quærebat obtinere Regnum Alexandri dolo] Nunquam enim bonâ fide coaleſcere debebant duæ illæ tibiæ ſimulacri apud Danielem.

3. *Cùm autem introiret civitatem Ptolemæus*] Rectè legit hîc Interpres Πτολεμαῖος, non ut nos in Græco ſcriptum habemus, Πτολεμαΐδος [*Ptolemaidis*].

Ponebat cuſtodias militum in ſingulis civitatibus] Specie auxilii.

4. *Et eorum qui cæſi erant in bello tumulos*] Acervos mortuorum fecerant augendæ invidiæ. Putabant enim Ptolemæum æſtu religionis commotum iri in Iudæos. At ille eâ in parte frigidus, longè alia agitabat.

6. *Et occurrit Ionathas Regi in Ioppen cum gloria*] Honeſto comitatu, ut ſuprà 58.

7. *Vſque ad fluvium qui vocatur Eleutherus*] Vide Strabonem libro XVI. Plinium v. 20. & IX. 10. Ptolemæum in Phœnices deſcriptione.

8. *Vſque Seleuciam maritimam*] Quæ *Pieria* dicitur, ad Orontis oſtia. Sic Ptolemæus Syriâ Cœlê. Plinius *Seleuciam ad Belum* vocat.

9. *Ad Demetrium*] Dictum *Nicatora*.

10. *Quæſivit enim me occidere*] Per Ammonium. Hoc verum eſſe credidit Ioſephus. Sed hujus libri Scriptor planè Ballæ Alexandro favet.

12. *Et abſtulit filiam ſuam*] Honeſto aliquo obtentu ad ſe advocatam.

13. *Et intravit Ptolemæus Antiochiam*] Syriæ. Antiocheni infeſti erant Alexandro, quem inſperatæ opes (ut narrat Iuſtinus) & alienæ felicitatis ornamenta, velut captum, inter ſcortorum greges, deſidem in regia tenebant; ſed metuebant Demetrium, ideo quòd à patre ejus defeciſſent: ut nos docet Ioſephus.

Et impoſuit duo diademata capiti ſuo, Ægypti & Aſiæ] Id eſt, Syriæ, & multarum præter hanc Aſiæ regionum. Fecit autem hoc Ptolemæus ſubtili ingenio, ut auctoritatem nactus faciliùs Antiochenſes novo genero ſuo Demetrio conciliaret. Quæ omnia patefacit Ioſephus.

14. *Alexander autem Rex erat in Cilicia illis temporibus*] Cilicia enim iſtius Alexandri partibus adhæſit, ut & Ioſephus narrat.

Quia rebellabant qui erant in locis illis] *Quia defecerant qui erant in locis illis*, Syriæ ſcilicet. Ideo in Cilicia ſe tenebat, quia Syria ab eo deſciverat.

15. *Et fugavit eum*] Ad amnem Oenoparam. Auctor Strabo libro XVI.

16. *Et fugit Alexander in Arabiam ut ibi protegeretur*] Diffiſus populis ſuis.

Rex autem Ptolemæus exaltatus eſt] Egit ut victor.

17. *Et abſtulit Zabdiel Arabs caput Alexandri, & miſit Ptolemæo*] In Ioſepho eſt Ζάβηλος· ſed omnino legendum Ζάβδηλος [*Zabdelus*], זבדיאל. Dicitur hic Ioſepho Ἀράβων δυνάστης [*Arabum dynaſta*], id eſt, unus duodecim φυλάρχων [*principum qui tribubus præerant*], de quibus diximus ad Geneſin XXV. 16. Hic Arabs paris fuit animi cum Ægyptiis illis Ptolemæi poſtremi miniſtris, qui Pompeji capite abſciſſo Cæſaris amicitiam redimendam putavere.

18. *Et Rex Ptolemæus mortuus eſt in die tertia*]

Epitome Livii LII. *Ptolemaus in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum oſſa medici terebrare contendunt, exſpiravit.* Sic & Strabo & Ioſephus, niſi quod hic poſt diem quintum à terebratione dicit mortuum: ità ut fortè in Græco hîc ſcriptum olim fuerit I Γ. nempe à vulnere accepto. Polybius hoc tantùm ait, in prælio vulneratum deceſſiſſe, fragmento ultimo eorum quæ Valeſius edidit.

Et qui erant in munitionibus perierunt ab his qui erant intra caſtra] In Græco, οἱ ἐν τοῖς ὀχυρώμασιν αὐτοῦ ἀπώλλοντο ὑπὸ τῶν ἐν τοῖς ὀχυρώμασι, id eſt, quos Ptolemæus in Syriæ oppidis præſidio reliquerat (aliquot ſcilicet loca pro impenſis pignori retenturus) ii ſe mutuò interficiebant, nimirum nonnullis per Demetrium pecuniâ corruptis, ut narrat Ioſephus.

19. *Et regnavit Demetrius anno* CLVII] Nempe ejectis Ptolemæi præſidiis.

20. *Vt expugnarent arcem*] Τὴν ἄκραν, quam hucuſque tenebant Macedones, ut diximus x. 32. Conceſſio autem à Demetrio ſocero facta effectum non habuerat, Iudæis qui cum Ionathane erant partes contrarias ſecutis.

23. *Iuſſit obſidere*] Pergi in obſidione, nullis pactis id impedientibus. neque enim cum hoc Demetrio Ionathan quicquam contraxerat.

Et elegit de Senioribus Iſraël, & de Sacerdotibus] Eligi fecit Legatos, quorum ipſe princeps eſſet.

Et dedit ſe periculo] Commiſſurus ſe & amicos fidei Demetrii.

25. *Et interpellabant adverſus eum*] Ἐνετύγχανον. Vide ſuprà x. 63.

27. *Et ſtatuit ei principatum Sacerdotii*] Suâ auctoritate confirmavit. Sic ſuprà x. 20. infrà 57. & XIV. 38.

Et quæcunque alia habuit priùs pretioſa] Τίμια, id eſt, *honorifica*, putà purpuram, coronam, fibulam auream, & titulos tum στρατηγοῦ [*Ductoris*], tum μεριδάρχου [*menſæ Præfecti*]. Ioſephus breviter, τιμηθεὶς ὑπ' αὐτοῦ [*honoratus ab eo*].

28. *Et poſtulavit Ionathas à Rege ut immunem faceret Iudæam*] Nempe *à tributis:* quod Demetrius hujus Demetrii pater obtulerat. In Græco, ἀφορολόγητον [*liberum à tributis*].

Et tres toparchias & Samariam] Καὶ τὰς τρεῖς τοπαρχίας καὶ τὴν Σαμαρεῖτιν· ſed legendum κατὰ τὴν Σαμαρεῖτιν, *quæ ſunt in Samaria, & prope eam.* In Ioſepho hîc, ἐκ τῶν τριῶν τοπαρχιῶν Σαμαρείας καὶ Ἰόπης καὶ Γαλιλαίας [*ex tribus Toparchiis Samariæ, Ioppes & Galilææ*]· ſed legendum ex capite v. Σαμαρείας καὶ Περαίας καὶ Γαλιλαίας [*Samariæ, & Peraæ & Galilææ*]. Vide ibi dicta.

Et promiſit ei talenta trecenta] Nempe ad redimendam eam immunitatem, ut Ioſephus notat.

31. *Laſtheni parenti noſtro*] Sic & Ioſephus. Ex quibus corrigendus textus Græcus, in quo malè Ἀασθένῃ. Pro *parenti noſtro* eſt hîc in Græco τῷ συγγενεῖ ἡμῶν [*cognato noſtro*]. Poſterior Latinitas cognatos *parentes* dixit. Hic Laſthenes is erat qui ex Creta auxiliis Demetrium hunc juverat, ut nos docet Ioſephus. ὁ τῆς βασιλείας προεστηκὼς [*Regno præpoſitus*] dicitur Diodoro Siculo in Fragmentis.

32. *Rex Demetrius Laſtheni parenti ſalutem*] Hîc in Græco eſt, τῷ πατρὶ [*patri*], ut & in Ioſepho. Solebant Reges viros ſummæ auctoritatis *patres* vocare, ut & Romani poſtea Imperatores. Inſtit. Quibus mod. patria poteſtas ſolvitur. § *Filius familias.*

34. *Et tres civitates Lydan & Ramathan*] Et Græcum & ipſe numerus hîc expreſſus oſtendunt omiſſum hîc Ἀφερειμᾶ [*Apherima*]· ita enim legi debere, non ἀφαίρεμα ſuprà diximus x. 30. Pro *tres civitates* in Græco eſt τρεῖς νόμους [*tres Præfecturas*]. In Ioſepho ſimiliter ſuprà, τριῶν τοπαρχιῶν [*trium Toparchiarum*], ut diximus.

Quæ additæ ſunt Iudææ] In Græco, προσετέθησαν [*additæ ſunt*], ubi more Hebræo αἳ [*quæ*] ſubauditur, quod bene ſupplevit Latinus interpres.

Ex Samaria] Synecdoche, pro *ex Samaria, Peræa & Galilæa:* qualem notavimus ſuprà x. 30 & 38. Simili Synecdoche Ioſephus hîc utitur, ἐκ τῆς Σαμαρείτιδος [*ex Samaritide*].

Et omnes confines earum] In Græco, καὶ πάντα τὰ συγκυροῦντα αὐτοῖς. Ioſephus, καὶ τὰ προσκυροῦντα ταύταις, id eſt, *omnia ad illas Præfecturas pertinentia.*

Sequeſtrari omnibus ſacrificantibus in Ieroſolymis pro his quæ ab eis priùs accipiebat Rex per ſingulos annos & pro fructibus terræ & pomorum] *Sequeſtrari* non eſt in Græco: ſed reguntur hæc omnia ab eo quod ſequitur, ἐπαρκέσομεν [*donabimus*], pro quo Ioſephus poſuit ἀφίημι αὐτοῖς [*remitto ipſis*]. Cùm autem hîc dicitur ἀντὶ τῶν βασιλικῶν [*pro regalibus*], ſubaudiendum *pecunias*. Dicit enim *remiſiſſe ſe pecunias quas Reges accipere ſolebant à ſacrificantibus*, id eſt, ab offerentibus primitias & alia: ſuprà x. 42.

Et pro fructibus terræ & pomorum] Iterum ſubaudiendum *pecunias*. *Remittit* enim *illas etiam pecunias quæ dari ſolebant pro tertia parte frugum, & dimidia pomorum*, ſuprà x. 29. 30.

35. *Et alia quæ ad nos pertinebant decimarum & tributorum ex hoc tempore remittimus eis*] In Græco eſt, καὶ τὰ ἄλλα τὰ ἀνήκοντα ἡμῖν ἀπὸ τοῦ νῦν τῶν δεκατῶν καὶ τῶν τελῶν τῶν ἀνηκόντων ἡμῖν· ſed legendum ἐπὶ τὸ νῦν. Senſus eſt, *remittere ſe etiam quæ ad eundem diem ipſi debebantur decimarum nomine & vectigalium ad jus Regis pertinentium.* Non enim in poſterum decimas & vectigalia remittit. Decimas pecorum intellige. Multum enim in Iudæa agri paſcui.

Et areas ſalinarum] In Græco, *Lacus ſalis*, ut & in Ioſepho. Sal multis in locis *in lacubus gignitur*, Plinius XXXI. 7. Intelligit autem remittere ſe pecunias quæ dabantur ad ſal indè eximendum, ſuprà x. 29.

Et coronas quæ nobis deferebantur] Ibidem x. 29.

36. *Omnia ipſis concedimus*] Id eſt, *remittimus*, ut hîc loquitur Ioſephus. ἐπαρκεῖν eſt *largiri*, ut ſuprà VIII. 26. Eſt autem largitionis genus, de ſuo remittere.

Et nihil horum irritum erit] Id eſt, *ſit*. Futurum pro imperativo.

37. *Et ponatur in Monte ſancto*] In Templo.

In loco celebri] *In loco apto & conſpicuo.*

38. *Quòd ſiluit terra in conſpectu ſuo*] Omnia ſibi parêre. Sic ſuprà I. 3.

Excepto peregrino exercitu quem contraxit ab inſulis gentium] E Creta maximè.

Et inimici erant ei omnes exercitus patrum ejus] *Et* hîc eſt pro *ob id. Ob id*, inquit, *in odio eum habuere omnes aviti milites.* Quia ſcilicet in pace nulla illis præbebat ſtipendia: quod Syriæ Reges facere erant ſoliti, teſte Ioſepho. Ad culpam hanc avaritiæ ſatis per ſe gravem, addit crudelitatem Epitome Livii, ſegnitiem & inertiam Iuſtinus.

39. *Tryphon autem erat quidam*] Ità eum vocat κατὰ πρόληψιν [*per anticipationem*]· nam Tryphonis nomen ſibi indidit in majore fortuna, ut Appianus notat: antè *Diodotus* vocabatur, ut eſt apud Iuſtinum. Ioſephus utrumque nomen poſuit: ut & Livii Epitome & Strabo, qui Secoanis caſtello Apameenſium natum dicit libro XVI.

Ad Emalchuel Arabem] Puto rectè ſcriptum hoc nomen in Latino, & inde emendandum Græcum, ut pro Εἰμαλκουὲ [*Emalcue*], legatur Ἐλμαλκουὲλ [*Elmalcuel*]· & Ioſephum, ut pro Μάλχον [*Malchum*] legamus Μαλχουῆλον [*Malchuelum*]· nam ال articulus Arabicus in nominibus propriis modò poni, modò omitti ſolet. Significat hoc nomen, *Deus Rex ejus*. Videtur idem eſſe nomen quod contractius *Malichas* apud Arrianum, *Malcus* apud Hirtium Bello Alexandrino, Μάλχος Ioſepho de Bello Iudaico lib. III. *Iamblichus* apud Dionem Auguſto: quæ omnia loca agunt de Regibus Arabum.

Antiochum filium Alexandri] Balæ ſcilicet, ex Cleopatra Ptolemæi Philometoris filia. *Antiochum* hunc vocat & Iuſtinus: At Appianus *Alexandrum*.

40. *Et aſſidebat ei ut traderet eum ipſi*] Id eſt, *aſſiduus apud eum erat, rogans ut traderet eum ipſi*.

Vt regnaret loco patris ſui] Antiochus ille.

43. *Si miſeris in auxilium mihi viros*] Fidebat enim externis, ut de Nerone ait Tacitus.

45. *Et convenerunt qui erant de civitate centum viginti millia virorum*] Nempe quia Demetrius ob ea quæ diximus vitia, & in odium & in contemtum venerat. Meminit præter cæteros hujus ſeditionis Diodorus Siculus in Fragmentis.

46. *Et fugit Rex in aulam*] In regiam, ubi à populo Antiochenſi velut obſeſſus fuit.

Itinera civitatis] Exitus ex regia in urbem. Ità Ioſephus.

47. *Et diſperſi ſunt omnes per civitatem*] Nempe Antiochenſes à Iudæis ex ſuperna parte regiæ ſaxis & telis petiti.

48. *Et ſuccenderunt civitatem*] Ignem injecere tectis regiæ propinquis, qui deinde per totam urbem manavit, eò faciliùs, quòd magna pars domuum eſſet lignea.

49. *Et infirmati ſunt mente ſuâ*] Pro uxoribus liberiſque ſolliciti.

50. *Da nobis dexteras*] Id eſt, fidem incolumitatis.

51. *Et projecerunt arma ſua*] Qui mos ſemet dedentium.

Et nominati ſunt in Regno] Non eſt in Græco. Senſus ſatis expreſſus eſt verbis præcedentibus.

52. *Et ſiluit terra in conſpectu ejus*] Iterum ſcilicet. Vide ſuprà 38.

53. *Et mentitus eſt omnia quæcunque dixit*] In Græco, καὶ ἐψεύσατο πάντα ὅσα εἶπεν, In Ioſepho, καὶ τὰς ὑποσχέσεις διεψεύσατο, id eſt, fidem fefellit. Nam ſic & ψεύδεσθαι πίστιν Græci elegantiores dicunt, & noſtri Scriptores, ut Levit. VI. 2. 10. XXIV. 27. Pſalmo LXXXIX. 36. Eſaiæ LVII. 11.

Et vexabat eum valde] *Et* pro *ſed*, more Hebræo.

54. *Reverſus eſt Tryphon*] Apameam & in loca vicina. Strabo libro XIII.

Puer adoleſcens] Παιδίον in Græco: παιδάριον Appiano: μειράκιον Ioſepho: *puer admodum* Iuſtino: bimulum ait fuiſſe Epitome Livii.

55. *Omnes exercitus quos diſperſerat Demetrius*] *Omnes milites quos Demetrius disjecerat*: nempe negatis ſtipendiis, ſuprà 38. Deeſt hîc quoque in Græco pronomen relativum more Hebræo, planè ut ſuprà 34.

56. *Et accepit Tryphon beſtias*] Θηρία, id eſt, elephantos, ut explicat Ioſephus. Vide ſuprà VI. 35.

Et obtinuit Antiochiam] Malente populo Regem quem non offenderat.

57. *Et ſcripſit Antiochus adoleſcens Ionathæ*] Id eſt, ſcripſit Tryphon ſub ipſius nomine.

Super quatuor civitates] Præfecturas: tres modò dictas 34. & præterea Ptolemaïda. Vide ſuprà X. 39.

58. *Et miſit illi vaſa aurea in miniſterium*] Legit χρυσώματα εἰς διακονίαν, non malè. Nam *miniſterium* Latinè eximio ſignificatu eſt omne id quod ad menſam pertinet, & in Delphica poni ſolebat. In Gloſſario veteri, *Abacus, Delphica*, μινιστέριον· & alibi, *Delphica*, μινιστέριον. Lampridius Severo, *Ducentarum librarum argenti pondus miniſterium ejus nunquam tranſiit*. Pari ſenſu hanc vocem uſurpant ſerioris ævi Scriptores, Luitprandus, Walafredus, Anaſtaſius. Delphicæ vocem ſic explicat Procopius Vandalicorum I. ἐν Παλατίῳ τῷ ἐπὶ Ῥώμης, ἔνθα συμβαίνει στιβάδας τὰς βασιλέως εἶναι, τρίπους ἐκ παλαιοῦ εἱστήκει ἐφ' οὗ δὴ τὰς κύλικας οἱ βασιλέως οἰνοχόοι ἐτίθεντο. Δέλφικα δὲ τὸν τρίποδα καλοῦσι Ῥωμαῖοι, ἐπεὶ πρῶτον ἐν Δελφοῖς γέγονε. καὶ ἀπ' αὐτοῦ ἔν τε Βυζαντίῳ καὶ ὅπη βασιλέως εἶναι στιβάδα ξυμβαίνει, Δέλφικα τοῦτο καλοῦσι τὸ οἴκημα [*in Palatio quod Romæ eſt, ubi convivari Reges ſolebant, erat ab antiquo tripus cui pocula regia imponere miniſtri talium ſolebant. Solent autem Romani tripoda vocare Delphicam, quia Delphis primùm fieri cæpit. Inde jam & Byzantii & ubicunque Imperator convivatur id ipſum Delphicam vocant*]. Græcus autem hujus libri Scriptor *miniſterium*, verbum verbo reddens, διακονίαν tranſtulit, ut in Gloſſis, *Miniſterium* διακονία. Intelligit autem hîc *miniſterii* nomine vaſa quæ Paulus Iuriſconſultus in L. *Supellectili*. D. De ſupellectile legata, *eſcaria* vocat, quæ & tota aurea nonnullis fuiſſe ibidem dixit: ad uſum edendi parata dixit Iavolenus: σκεύη χρυσοῦ [*vaſa aurea*] hoc loco Ioſephus. His in Syriæ Regno ſolus Rex utebatur, aut cui Rex id honoris conceſſerat.

Et dedit illi poteſtatem bibendi in auro] Ioſephus dicit permiſſa ei χρυσοῦ ἐκπώματα· *vaſa potoria aurea*, dicto Vlpiani loco.

Et eſſe in purpura] Suprà X. 18.

Et habere fibulam auream] X. 89.

59. *Et Simonem fratrem ejus conſtituit Ducem*] Copiarum regiarum, ut X. 65.

A terminis Tyri uſque ad fines Ægypti] Id eſt, omnis oræ maritimæ.

60. *Et perambulabat trans flumen civitates*] Oppida trans Iordanem ſita. In Græco, καθ' ἓν διὰ δυοῖν [*re unâ per duas voces expreſſâ*]; legimus καὶ διεπορεύετο πέραν τοῦ ποταμοῦ καὶ ἐν ταῖς πόλεσι [*& proficiſcebatur trans amnem & in urbibus*].

Et occurrerunt ei honorificè de civitate] Quibus perſuaſit, ut relicto Demetrio Antiochi pueri partibus ſe adderent. Ità Ioſephus.

61. *Et ſuccendit quæ erant in circuitu civitatis*] Vicos, villas, & ſata.

62. *Et rogaverunt Gazenſes Ionatham*] Videntes nihil ſibi à Demetrio exſpectandum, quem jam deſeruerant, Antiochum tamen necdum ſecuti. Iuſtinus XXXVI. de hoc Rege Antiocho, *Civitates quæ initio fraterni imperii defecerant, ſummâ induſtriâ perſequitur, domitáſque rurſus Regni terminis adjicit.*

Et dedit illis dexteram] Vide ſuprà 50.

Et accepit filios eorum obſides] Ne Antiochum deſererent, quomodo Demetrium deſeruerant.

63. *Et audivit Ionathas quòd prævaricati ſunt principes Demetrii in Cades quæ eſt in Galilæa, cum exercitu multo, volentes eum removere à negotio Regni*] Græcè παρῆσαν, *venerunt in Cades*, ſive Κέδασαν [*Cedaſan*], quomodo hanc Galilææ urbem Ioſephus vocat, quæ eſt Ioſuæ XIX. 37. קדש, at Græcè Κάδες. Sed interpres Latinus pro παρῆσαν videtur legiſſe παρέβησαν, nam παραβαίνειν verti ſolet *prævaricari*: ut Levit. XXVI. 40. Pſalmo CXIX. 119. Ioſuæ VII. 11. 15. I Samuelis XV. 24. Sic & Sirach. XL. 14. & II Maccabæorum VII. 2.

64. *Fratrem autem ſuum Simonem reliquit intra provinciam*] In Iudæa, quæ ἡ χώρα [*Regio*] nudè dici ſolet.

65. *Et applicuit Simon ad Bethſuram*] Erat enim in ea præſidium à Demetrio, ut hîc memorat Ioſephus. Vide ſuprà X. 24.

Et expugnabat eam diebus multis] *Oppugnabat.* ἐπολέμει αὐτὴν, admovebat aggeres & machinas, ut ait Ioſephus.

Et concluſit eos] Συνέκλεισεν αὐτὴν, *acriter urbem obſeſſam tenuit.*

66. *Et ejecit eos indè*] Ἐξέβαλεν αὐτοὺς ἐκεῖθεν, הוציא, id eſt, *exire fecit*, quod per ἐκβάλλειν verti ſolet.

Et poſuit in ea præſidium] Suorum hominum, quod addit Ioſephus.

67. *Et Ionathas & caſtra ejus*] *Exercitus ejus.* παρεμβολή.

Ad aquam Geneſar] Τῶν Γεννησάρων [*Genneſarorum*], Ioſephus. Id nomen recentius, vetus eſt כנרת. Vide quæ dicta ad Matthæum XIV. 34.

Et ante lucem vigilaverunt in campo Aſor] Ὤρθρισαν τῷ πρωῒ εἰς τὸ πεδίον Ἀσώρ. Ità enim legendum tum ex Latino, tum ex Ioſepho, non Νασώρ. *Et manè venerunt in campum Aſor.* Is eſt חצור Ioſuæ XIX. 36. ibi in Græco, ut hîc, Ἀσώρ.

68. *Et ecce caſtra alienigenarum occurrebant in campo*] Demetrii milites, ut Ioſephus exponit, inſidiis alibi poſitis, alio in loco obviam ei proceſſere.

Et tendebant ei inſidias in montibus] *De ſuo numero poſuerunt ei inſidias*, ἐξέβαλον ἔνεδρον εἰς αὐτόν. Ioſephus, ἔνεδρον αὐτῷ καὶ τοὺς λοχήσαντας ἐν τῷ ὄρει καθίσαντες [*cùm inſidias ei poſuiſſent & homines in monte deliteſcentes*].

70. *Omnes*] Exceptis quinquaginta, quorum præcipui hîc nominantur.

Mattathias filius Abſolomi] Sic & in Græco. Ioſepho eſt contractius Ματθίας [*Matthias*]· ſed idem eſt nomen.

Et Iudas filius Calphi] Ὁ τοῦ Χαλφὶ [*filius Chalphi*] in Græco. Ioſepho ὁ Χαψαίου [*filius Chapſai*]· ſed ſcriptum fortè fuerit Χαλφαίου [*Chalphai*], חלפי.

Princeps militiæ exercitûs] In Græco de utroque dicitur, ἄρχοντες τῆς στρατιᾶς τῶν δυνάμεων, id eſt, præcipui Ducum ſub Ionatha. Ioſephus, τῆς ἁπάσης δυνάμεως ἡγεμόνες ὄντες [*qui Ductores erant exercitûs totius*].

71. *Et ſcidit Ionatha veſtimenta ſua*] Quod Sacerdoti etiam Summo licebat. Vide quæ diximus Matthæi XXVI. 65.

Et poſuit terram in capite ſuo] Vt ſolebant Deum humiliter deprecaturi, quaſi ſic teſtantes, nihil ſe eſſe niſi pulverem.

73. *Et viderunt qui fugiebant partis illius, & reverſi ſunt ad eum, & inſequebantur cum eo omnes uſque Cades ad caſtra ſua*] Ἕως τῆς παρεμβολῆς αὐτῶν, *uſque ad caſtra illorum*, nempe Macedonum. Ioſephus, ὥρμησαν αὐτοὺς διώκειν, καὶ τοῦτ' ἐποίησαν μέχρι Κεδασῶν οὗ τὸ στρατόπεδον ἦν τῶν πολεμίων [*impetum cepere eos perſequendi, & id fecerunt uſque ad Cedaſa ubi caſtra erant hoſtium*]. Verum hîc fuit dictum vetus,

Ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.
[*Pugnabit iterum qui priùs cepit fugam.*]

74. *Tria millia virorum*] Fortè & apud Ioſephum pro διχιλίους [*bis mille*] ſcriptum olim fuerat τρισχιλίους [*ter mille*]· multùm enim, ut diximus, hunc auctorem ſequitur.

C A P V T XII.

1. *Vidit Ionathas quia tempus eum juvat*] Id eſt, res ſuas bene procedere.

Statuere & renovare] Id eſt, novare fœdus cum Iuda factum, & quædam ex temporum ratione addere.

2. *Et ad Spartiatas*] Imperatum enim Legatis à Roma revertentibus Spartam adire, ut docet Ioſephus.

4. *Et dederunt illis*] Romani Legatis Iudæis.

Epiſtolas] Ad Reges Aſiæ & Europæ amicos Populi Romani, & ad provinciarum Præſides, ut iter tutum Legatis procurarent. Ità Ioſephus.

6. *Et Seniores Gentis*] Græcè, ἡ γερουσία τοῦ ἔθνους· ſic & Ioſepho. Eſt autem ἡ γερουσία Senatus ille Magni Synedrii, qui non judiciis tantùm, ſed & Reipublicæ præſidebat.

Et Sacerdotes] Tanquam præcipua pars populi.

Et Gens Iudæorum] In Græco hîc, ὁ λοιπὸς δῆμος [*reliquus populus*]· Ioſepho, τὸ κοινὸν τῶν Ἰουδαίων [*Commune Iudæorum*]. Erat ſtatus temperatus ἐξ ἀριστοκρατίας καὶ δημοκρατίας [*ex regimine optimatium & populi*] ſimul cum principatu, & propterea tam cum Romano quàm cum Laconico bene conveniens. Vide Polybii locum περὶ πολιτειῶν [*De Politiis*].

Spartiatis fratribus] Vide ſuprà X. 18. Epiſtolam hanc quoad ſenſum, cum Hebraïſmis expreſſit hic interpres: Ioſephus indè in elegantiorem ſermonem Græcum liberiùs tranſtulit, cum hac inſcriptione, Λακεδαιμονίοις Ἐφόροις καὶ Γερουσίᾳ καὶ Δήμῳ [*Lacedæmoniis Ephoris & Senatui Populóque*].

7. *Miſſæ erant epiſtolæ ad Oniam Summum Sacerdotem ab Ario qui regnabat apud vos*] Ἀρείου τοῦ βασιλεύοντος ἐν ὑμῖν legi debet in Græco, non Δαρείου. Sic & Ioſephus, παρὰ Ἀρείου τοῦ βασιλεύσαντος ὑμῶν [*ab Areo qui*

qui vobis imperabat]· & ſic infrà legendum 20. ἣν ἀπέστιλαν Ὀνίᾳ· Ἄρειος βασιλεὺς [*quam miſerant Oniæ: Areus Rex*], &c. Areum hunc etiam Livius bis nominat libro XXXIX. & Pauſanias. Onias qui hîc nominatur eſt Simonis Iuſti filius, qui vixit regnantibus in Ægypto primùm Euergete, deinde Philopatore & Epiphane Ptolemæis, in Syria autem Antiocho Magno ac Seleuco. Vide Ioſephum non hîc tantùm, ſed & XII. 3. 4. 5.

Quoniam eſtis fratres noſtri] Vox *fratrum* hîc non ſimpliciter ſocios & amicos, ſed cognatos ſignificat. Apertè id oſtendit hîc Ioſephus, & ipſa verba ſubſequentis epiſtolæ Lacedæmoniorum, qui ſe ab Abrahamo ortos prædicant. Nempe Dores, quorum pars Spartiatæ, ex Pelaſgis. Pelaſgorum autem lingua Græca non fuerat, ut Herodotus Clio nos docet, ἦσαν οἱ Πελασγοὶ βάρβαρον γλῶτταν ἱέντες [*Pelaſgi olim barbarâ linguâ loquebantur*]. Pelaſgi פלגי, id eſt, *diſperſi*. Venêre ergò illi Pelaſgi, ſive exſules, ex Arabiæ & Syriæ confiniis in quibus Abrahami & Cethuræ poſteri ſedes fixerant. Non multùm à vero abit Plutarchus in libro contra Herodotum, οἱ Δωριέων ἡγεμόνες φαίνοιντ' ἂν Αἰγύπτιοι ἰθαγενέες ἐόντες [*videntur Dorienſium præcipui ortu eſſe Ægyptii*]. Ægyptii enim Arabibus vicini. Hi vicinitate Græcorum ſermonem externum didicere, non ità tamen ut non ortivi ſermonis quaſdam retinerent reliquias, quales ſunt, θα nota ſecundæ perſonæ ſingularis, θεν pluralis, in verbis: ιν verò pluralis in nominibus. Sic & ἄττα alloquentis, סימן σημεῖον [*ſignum*], אדרכן δραχμὰ [*drachma*], כתנה χιτὼν [*tunica*], כרז καρύσσειν [*prædicare*], פילגש παλλακὰ [*pellex*], אשף σοφὸς [*ſapiens*], לשן λέσχα [*loquela*], סנבכא σαμβύκα [*ſambuca*], סרבל σαράβα [*ſaraba*], פטש πέτασος [*petaſus*], כתרס κίθαρις [*cithara*], קרן κέρας [*cornu*], שרק σύριγξ [*fiſtula*], את ἀράχνα [*aranea*], אזוב ὕσσωπος [*hyſſopus*], שק σάκκος [*ſaccus*], ספיר σάπφειρος [*ſapphirus*], כוה καίειν [*urere*], תור ταῦρος [*taurus*], ערבון ἀῤῥαβὼν [*arrhabo*], אוי οὐαὶ [*væ*], שכן σκᾶνος [*habitaculum*], לבנה λιβανὸς [*thus*], דו δύο [*duo*], שש σὲξ [*ſex*], גנזא γάζα [*gaza*], פתן πύθων [*python*], אור πῦρ [*ignis*], אויר ἀὴρ [*aër*], טוס ταὼς [*pavus*], לפיד λαμπὰς, λαμπάδος [*lampas*], קנה κανὼν [*regula*], בדלח βδέλλιον [*bdellium*], נבל νάβλα [*nablium*], ישפה ἴασπις [*jaſpis*], נרד νάρδος [*nardus*], עכשוב ἄσπις [*aſpis*], פרדס παράδεισος [*paradiſus*], מורה μωρὸς [*ſtultus*], אתנה ἕδνα [*dos*], כד κάδος [*cadus*], עדן ἁδονὰ [*voluptas*], מנה μνᾶ [*mina*], מסא μάζα [*maſſa*], multáque alia.

9. *Nos cùm nullo horum indigeremus*] Nempe teſtimonio ad recognoſcendam cognationem. Ità enim interpretatur Ioſephus.

Habentes ſolatio ſanctos libros] *Documentum habentes ſanctos libros* : in quibus ſcilicet de Cethuræ ſcriptum eſt poſteris. παράκλησις ſæpe *admonitionem* ſignificat; & hîc Ioſephus ἀπόδειξιν interpretatur: ſic ſuprà IX. 35.

10. *Maluimus mittere ad vos*] *Operam dedimus ut ad vos mitteremus*. ἐπειράθημεν ἀποστεῖλαι· oſtendunt difficultatem itineris.

Renovare fraternitatem & amicitiam] Id eſt, amicitiam fraternam.

Multa enim tempora tranſierunt ex quo miſiſtis ad nos] Anni fortè ſexaginta.

11. *In diebus ſolennibus*] Tribus magnis feſtis diebus, quibus maximus erat populi conventus.

Et cæteris quibus oportet] Sabbatis & interluniis.

Memores ſumus veſtri in ſacrificiis] Neque enim nefas habebant orare pro aliorum ſacrorum hominibus. Vide ſuprà Baruch. I. 11.

12. *Lætamur itaque de gloria veſtra*] Florebat enim hoc tempore Lacedæmon amicitiâ Romanorum.

13. *Nos autem circumdederunt multæ tribulationes*] Ex illo ſcilicet tempore ex quo ſcripta epiſtola à Lacedæmoniis fuerat.

Et impugnaverunt nos Reges] Antiochus Illuſtris, Antiochus Eupator, Demetrius Soter, Demetrius Nicator.

16. *Numenium Antiochi filium*] Nomina ſunt ex Hebræo in Græcum, commutatione quadam detorta, ne barbarus ſonus Græcos offenderet. Huic nomen Hebræum fuiſſe arbitror נעמן בן נתניה.

Et Antipatrem Iaſonis filium] נרב בן יהושע.

Renovare cum eis amicitiam & ſocietatem priſtinam] Eſt hîc in Græco ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*] manifeſtum: περὶ τῆς ἀνανεώσεως καὶ τῆς ἀδελφότητος ἡμῶν, *de innovanda fraternitate*.

18. *Bene facietis reſpondentes ad hæc*] *Si reſcribatis nobis* : ut hîc habet Ioſephus.

19. *Et hoc reſcriptum eſt epiſtolarum*] *Exemplum literarum*, ἀντίγραφον τῶν ἐπιστολῶν. Sanè Græci epiſtolas pluraliter de una dicunt, ſicut Latini literas. Sic Ioſephus de hac ipſa Lacedæmoniorum epiſtola XII. 4 in fine. ἔπεμπε καὶ ἐπιστολὰς ὧν τὸ ἀντίγραφόν ἐστι τοιοῦτον [*miſit & epiſtolas, quarum hoc eſt exemplum*].

20. *Arius Rex Spartiatarum Oniæ*] Quomodo Græcum hujus loci ſit emendandum diximus ſuprà VII.

22. *De pace veſtra*] De incolumitate veſtra.

23. *Pecora noſtra & poſſeſſiones noſtræ veſtræ ſunt*] *Iumenta noſtra* : id eſt, equi, resque noſtræ veſtris uſibus ſunt expoſitæ: ac ſi quis rebus veſtris noceat, nos injuriam velut nobis illatam vindicabimus. Ioſephus, τά τε ὑμέτερα ἴδια νομιοῦμεν, καὶ τὰ αὑτῶν κοινὰ πρὸς ὑμᾶς ἕξομεν [*quæ veſtra ſunt noſtra exiſtimamus, & noſtra vobiſcum faciemus communia*].

24. *Quoniam regreſſi ſunt principes Demetrii*] Duces. στρατηγοὶ Ioſepho.

25. *In Amathite regione*] Εἰς τὴν Ἀμαθῖτιν [*in Amathitin*], Græcum hîc, & Ioſephus. חמת Numeror. XIII. 22, Græcè Αἰμάθ [*Aimath*], ut & II Regum XVIII. 34. & alibi.

Non enim dederat eis ſpatium] Id eſt, *tempus*. ἀνοχὴν [*dilationem*] in Græco: σχολὴν [*otium*] Ioſepho.

Regionem ejus] Id eſt, Iudæam, ut hîc Ioſephus.

26. *Nuntiaverunt quod conſtituunt ſupervenire illis nocte*] Demetriani Iudæis. Hoc autem exploratores cognoverant ex captivis quos in reditu ceperant, ut ex Ioſepho diſcimus.

27. *Et poſuit cuſtodes per circuitum caſtrorum*] προφυλακάς· ità enim legendum in Græco, quomodo eſt & in Ioſepho. Latinè vertas *procubitores*. Ità enim Feſtus ait dictos, qui noctu cuſtodiæ causâ ante caſtra excubabant.

28. *Et timuerunt & formidaverunt in corde ſuo*] Ità ut abirent à caſtris. Ità Ioſephus.

Et accenderunt focos in caſtris ſuis] Ad diſſimulandam fugam, ut idem Ioſephus. Frequens id in hiſtoriis.

29. *Videbant autem luminaria ardentia*] Τὰ φῶτα καιόμενα, id eſt, ignes lucentes. Vicina Ignis & Lux, אור utrumque Hebræis : ideóque permiſcentur vocabula, ut Marci xx. 54. Lucæ xxii. 56.

30. *Et ſecutus eſt eos Ionathas*] Ad videndum ecquis eſſet in caſtris.

Et non comprehendit eos] Quanquam inſecutus, ubi caſtra cognovit vacua.

Tranſierunt enim flumen Eleutherum] *Tranſierant.* Ità hîc exponendus aoriſtus ex fide Ioſephi, ἤδη γὰρ τὸν Ἐλεύθερον διαβεβηκότες ποταμὸν, ἦσαν ἐν ἀσφαλεῖ [*jam enim flumen Eleutherum transgreſſi in tuto erant*]. De Eleuthero flumine ſuprà xi. 7.

31. *Ad Arabas qui vocantur Zabadæi*] Sic & in Græco ζαβαδαίους [*Zabadæos*] · ſed Ναβαταίους [*Nabatæos*] habet Ioſephus : atque ità hîc ſcribendum putem. Nam Nabatæi, quanquam olim amici Iudæ, manſerant in parte Demetrii Nicatoris, nec Alexandrum erant ſecuti.

32. *Et junxit & venit Damaſcum*] Καὶ ἀναζεύξας ἦλθεν εἰς Δαμασκὸν, *& motis caſtris venit Damaſcum.* Sic & ſuprà hæc vox uſurpata xi. 22. Eſt alioqui vox generalis, & cuivis itineri ſignificando idonea : Exodi xiv. 15. xl. 33. 37. Iudith. vii. 1. 6. xvi. 19. ii Maccabæorum v. 11. xii. 29. xiii. 26. xiv. 16.

Et perambulabat omnem regionem illam] Hoſtes perſequens.

33. *Vſque ad Aſcalonem*] Quæ urbs erat ipſi & Alexandro amica, ſuprà x. 86.

Et ad proxima præſidia] Proxima loca munita ; ὀχυρώματα hîc in Græco : quibus omnibus præſidium impoſuit, auxitque munimenta, ut docet Ioſephus.

Et occupavit eam] Latinè admodum vertit quod in Græco eſt προκατελάβετο· occupare enim eſt prævertere.

34. *Audivit enim quòd vellent præſidium tradere partibus Demetrii*] *Præſidium*, id eſt, ipſam urbem : τὴν πόλιν [*urbem*] Ioſephus : aut fortè arcem : nam ὀχύρωμα [*munitionem*] eſt hîc in Græco. Erat hactenus Ioppe in parte Alexandri, ſuprà xi. 6.

Et poſuit ibi cuſtodes ut cuſtodirent eam] Præſidiarios milites multos, ut ex Ioſepho cognoſcimus.

35. *Et convocavit Seniores populi*] Synedrium Magnum, advocato & populo Hieroſolymitano, quod hîc addit Ioſephus.

Et cogitavit cum eis] Conſilium cum eis cepit, καὶ ἐβουλεύσατο μετ᾽ αὐτῶν. Ioſephus, συνεβουλεύσατο [*conſilia communicavit*].

Ædificare præſidia in Iudæa] Loca quædam opportuna meliùs munire: putà Bethſuram & Gazam, de quibus ſuprà xi. 61. 65. & loca à Bacchide relicta x. 13.

36. *Et ædificare muros in Ieruſalem*] Tum urbem exteriùs munire, tum Templum, ut hîc Ioſephus. Munimenta enim Templi disjecerat Antiochus Eupator, ſuprà vi. 62. partim & Alcimus, ix. 54.

Et exaltare altitudinem magnam inter medium arcis & civitatis, ut ſepararet eam à civitate, ut eſſet ipſe ſingulariter, & neque emant, neque vendant] Id eſt, arcem muro excelſo interpoſito ità interſepire ab urbe, ut nemo ex urbe eò commeatus adferre, aut etiam prædas ab ipſis actas emere poſſet : ità paulatim iis qui ἐν τῇ ἄκρᾳ [*in arce*] erant res facturus arctas.

37. *Et cecidit murus qui erat ſuper torrentem ab Ortu Solis*] In Græco eſt, *Et acceſſit* (opus ſcilicet novum Ionathanis) *ad murum torrentis qui eſt ad Subſolanum*; id eſt, ad murum veterem reſiduum, eâ in parte ubi erat torrens Cedron : nam is ab Ortu urbem alluebat.

Et reparavit eum qui vocatur Caphetetha] In Græco, *id quod vocatur Caphenatha.* Fortè ità dictus locus à palmis ibi naſcentibus. nam כפניתא eſt *dactylus palmæ.* Palmas autem non in cæteris tantùm Iudææ partibus, ſed & apud Hieroſolyma natas conſtat ex Iohan. xii. 14.

38. *Et Simon*] Digreſſus in partes Iudææ alias, ut Ioſephus indicat.

Ædificavit] Muniit.

Adiada] In Græco, Ἀδιδά [*Adida*]. חדיד Eſdræ ii. 33. Nehemiæ vii. 37. Ἀδιδ [*Adid*] in Græco: quod cum Syriaco additamento fit Ἀδιδά.

In Sephela] Ἐν τῇ Σεφηλᾷ. Eſt hoc nomen שפלה multis locis commune, ſignificátque locum in plano ſitum tam Hebræis quàm Chaldæis & Arabibus, ſolétque verti πεδίον [*campus*], ut Deuteronomii i. 7. Ioſuæ xi. 2. xii. 8. aut πεδινὴ [*campeſtris*], nempe γῆ [*terra*], ut Ioſuæ ix. 1. x. 40. xi. 16. Iudic. i. 9. i Regum x. 2. i Paralipomenon xvii. 28. ii Paralipom. i. 15. xxviii. 18. Ieremiæ xvii. 26. Zachariæ vii. 7.

Et munivit eam, & impoſuit portas & ſeras] In Græco, *& firmas fecit portas & vectes.* Sic & infrà xiii. 33. & Sirachidæ xxviii. 28. xlix. 15.

39. *Et extendere manum in Antiochum Regem*] Quod poſtea effectum dedit, ut diſcimus. Hæc autem, ut ex Ioſepho cognoſcimus, evenere poſtquam Demetrius, pueri hujus æmulus, bellum in Parthos movens captus ab ipſis eſt. de quo vide Ioſephum hoc loco, Appianum fine Syriacorum, Iuſtinum xxxiv. & xxxvi.

40. *In Bethſan*] Vide ſuprà v. 52.

45. *Et veni mecum Ptolemaïdam, & tradam eam tibi*] Vt quæ una eſſet ex quatuor Præfecturis quas Rex puer Iudææ genti promiſerat, ſuprà xi. 57.

48. *Ptolemenſes*] οἱ Πτολεμαεῖς, *Ptolemaidenſes.*

Et comprehenderunt eum] Iuſſu nimirum Tryphonis, ut diſertè explicat Ioſephus.

49. *Et in Campum Magnum*] Hîc vertit vocem ערבות [*Arboth*], quam alibi ſervavit ut propriam v. 23. ix. 2.

50. *Et periit*] Hoc fama, ut ſolet, ſupra verum addiderat : ut mox diſcemus.

Et exierunt parati in prælium] Καὶ ἐπορεύοντο συνεστραμμένοι ἕτοιμοι εἰς πόλεμον, *Profecti ſunt conglobati, & parati prælio*, φραξάμενοι τοῖς ὅπλοις [*armis ſepti*], ait Ioſephus.

51. *Et videntes hi qui inſecuti fuerant*] Tryphonis milites.

Quia pro anima res eſt illis] *De vita ſibi eſſe*, periculum ſcilicet.

Reverſi ſunt] Retro iêre.

52. *Illi autem*] Ionathanis milites.

Et planxerunt Ionathan] Vt antè Iudam, ix. 20.

54. *Non habent Principem*] Mortuo Iudâ, capto Ionathane.

Et adjuvantem] Id eſt, *nec adjutorem:* infenſo illis & Demetrio Nicatore, & Tryphone.

Et tollamus de hominibus memoriam eorum] Loquendi genus Syris & Hebræis uſitatum: Deuteronomii XXXII. 26.

CAPVT XIII.

3. PRo legibus] Ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας ἐλευθερίας [*pro noſtra libertate*], ait Ioſephus.

Et pro ſanctis] Καὶ τῶν ἁγίων, id eſt, *pro Templo*: quam ſignificationem vocis ἁγίων etiam ſuprà notavimus.

Et anguſtias quales vidimus] Hebræis vox *videndi* ad omnes ſenſus refertur.

5. *Non mihi contingat parcere animæ meæ*] Quod Græci ſolent dicere uno verbo φιλοψυχεῖν.

6. *Inimicitiæ gratiâ*] Nullis à nobis acceptis injuriis.

8. *Tu es Dux noſter*] *Eſto Dux noſter.* Ità interpretatur Ioſephus: & ſolet εἶ etiam imperativè poni.

9. *Et omnia quæcunque dixeris nobis faciemus*] Oſtendunt illum fore Ioſuæ loco: nam verba ad ipſum dicta Ioſuæ I. 16. repetunt.

10. *Acceleravit conſummare omnes muros Ieruſalem*] Cœptos à Ionathane XII. 36.

11. *Ionâthan filium Abſalomi*] Amicum ſuum, quod addit Ioſephus, fratrem Matthathiæ dicti ſuprà XI. 70.

Et ejectis his qui erant in ea] Id eſt, indigenis, quibus ob Tryphonem diffidebat. Ità ſoli Iudæorum præſidiarii, à Ionathane impoſiti XII. 34, in oppido manſere.

12. *Et Ionathas cum eo in cuſtodia*] Nempe militari, quam *carcerem caſtrenſem* vocat Iuvenalis, & Scholiaſtes ejus. Solebant catenâ advinciri militi.

13. *In Addus*] In Græco, ἐν Ἀδίδοις [*in Adidis*]. Ioſephus, εἰς Ἀδδιδὰ πόλιν [*in Addida urbem*]. Eadem eſt urbs quæ nominata ſuprà XII. 39.

Contra faciem campi] Id eſt, ex quo loco deſpectus erat in campeſtria. Ioſephus ità explicat, ὑφ' ἧς ὑπόκειται τὰ τῆς Ἰουδαίας πεδία [*cui ſubjecta erant Iudææ campeſtria*].

16. *Vt non dimiſſus fugiat à nobis*] Id eſt, transfugiat in partes Demetrii: *nè Iudæam in defectionem trahat*, ait Ioſephus.

17. *Nè inimicitiam magnam ſumeret ad populum Iſraël*] Nè ad calumniam pateret:

Γλῶσσα γὰρ ἀνθρώπων φιλοκέρτομος.
[*Lingua dicax multis mortalibus*.]

Ioſephus, μὴ διαβληθῇ πρὸς τὸ πλῆθος [*nè apud populum traduceretur*], tanquam de imperio nolens decedere: Quia ubi de potentia agitur, fratrum quoque rara eſt gratia.

19. *Et mentitus eſt*] Nempe Tryphon, id eſt, fidem fefellit, ut ſuprà XI. 53. οὐκ ἐτήρησε τὴν πίστιν [*fidem non ſervavit*], Ioſephus hîc.

20. *Vt contereret eum*] *Vaſtaret.*

Per viam quæ ducit Ador] Legitur quidem in Græco, Ἄδωρα [*Adora*]. Sed *A* hîc eſt appoſitivum more Syriaco: nomen enim urbis eſt Δῶρα [*Dora*], quomodo & hîc Ioſephus eam vocat. Eſt autem in Idumæa. Alia ejus nominis eſt in Phœnice, cujus infrà fiet mentio. Vox hæc Syriaco ſermone *hoſpitium* ſignificat.

Et caſtra ejus ambulabant] Id eſt, *exercitus ejus.*

21. *Qui autem in arce erant*] Id eſt, ἐν ἄκρᾳ illa Hieroſolymitana. Ità enim accipere nos jubet Ioſephus & res ipſa: nam illis pridem arcti erant commeatus, ut videre eſt ſuprà XII. 36.

Per deſertum] *Idumææ*, ut explicat Ioſephus.

22. *Erat autem nix valde multa*] Incommoda itineri, maximè equeſtri.

Et non venit in Galaaditim] Aliter in Græco, *Non venit* (Hieroſolyma ſcilicet) *propter nivem. Itaque mutato itinere pervênit in Galaaditim.* Eundémque ſenſum Ioſephus habet.

23. *Et cùm appropinquaſſet Baſcaman*] In Græco eſt, τῇ Βασκαμά [*Baſcàma*] · ſed Ioſephus, Βασκά [*Baſca*]. Eadem eſt urbs quæ vocatur בצקת Ioſuæ XV. 39. Literâ emollitâ ob faciliorem pronuntiationem.

25. *Et miſit Simon*] Aliquanto pòſt tempore.

Et accepit oſſa Ionathæ fratris ſui] Reliquias. Loquuntur ſic & Græci, quòd oſſa diutius durent.

27. *Lapide poſito retro & antè*]In omnem partem.

28. *Et ſtatuit ſeptem pyramidas*] More Ægyptiorum. Lucanus,

— *Pyramidum tumulis evulſus Amaſis.*

Vnam contra unam] Recto ordine.

29. *Et his circumpoſuit columnas magnas*] Id eſt, porticum ex columnis μονολίθοις [*ſingulis uno ex lapide*]. Ità Ioſephus, qui hæc omnia exſtitiſſe dicit ad ſua tempora. Non diſſimile illud apud Plutarchum Themiſtocle, στῆλαι κύκλῳ λίθου λευκοῦ πεπήγασι [*in ambitu columnæ poſitæ ex lapide candido*].

Et ſuper columnas arma] Appenſa columnis. Virorum fortium ſepulchris addi ſolita arma vidimus Ezechiel. XXXII. 27. Virgilius in funere Pallantis,

Addit equos & tela quibus ſpoliaverat hoſtem.

Et juxta arma naves ſculptas] Quia etiam mari imperium habuerat. Vide ſuprà XI. 59.

31. *Dolo occîdit eum*] Appianus, τὸ παιδίον κτείνας αὐτὸς ἐπετόλμησε τῇ ἀρχῇ [*occiſo puero ipſe imperium arripuit*]. Iuſtinus, *Trypho occiſo pupillo Regnum Syriæ invadit.* Livii Epitome LV. *Alexandri filius Rex Syriæ decem annos admodum habens, à Diodoto qui Tryphon cognominabatur, tutore ſuo, per fraudem occiſus eſt, corruptis quidem medicis, qui eum calculi dolore conſumi ad populum mentiti, dum ſecant illum, occiderunt.* Occurrunt paſſim in hiſtoriis exempla tutorum, qui potentiæ adipiſcendæ pupillos ſibi creditos aut vi aut dolo interfecere; ut Grimoaldus Sigebertum ſecundum Regem Auſtraſiæ, Andronicus Comnenus Alexium Manuelis filium, Michaël Palæologus Theodori Laſcaris filium. Tentâſſe idem creduntur Philippus Macedo & Antiochus Magnus in Epiphanem, Stilico in Honorium.

32. *Et fecit plagam magnam in terra*] Multos interfecit ipſius facta improbantes.

33. *Et portis & ſeris*] Μοχλοῖς, *vectibus*, ut ſuprà XII. 38.

Et poſuit alimenta in munitionibus] Prudenter, contra obſidiones.

34. *Et miſit ad Demetrium Regem*] *Miſerat*: ità enim vertendus hîc aoriſtus. Nam capto demum à Parthis Demetrio, Tryphon impium conſilium necandi

necandi pupilli ſuſcepit, & effectum dedit. Ita diſertè Ioſephus, & Appianus, παρὰ τὴν ἀναρχίαν τήνδε [*in hac diſſolutione imperii*].

Vt faceret remiſſionem regioni] Vt remitteret tributa ad id tempus debita. Nam immunitas illa à Demetrio Demetrii patre valde liberaliter conceſſa ſuprà x. 29. effectum non habuerat, Iudæis alias partes ſecutis.

Quia actus omnes Tryphonis per direptionem fuerant geſti] *Actus Tryphonis meræ rapinæ fuerant.* Ità eſt in Græco: oſtendit ſervile ingenium. Vide Ioſephum XIII. 12.

35. *Reſpondit ei & ſcripſit*] *Reſponderat & ſcripſerat:* priuſquam ſcilicet à Parthis caperetur.

36. *Rex Demetrius Simoni Summo Sacerdoti*] Hunc enim gens Iudæa fecerat Summum Sacerdotem poſt Ionathanis mortem, pro libera gerere ſe incipiens, occaſione diſcordiarum inter Reges.

Et Senioribus & Genti Iudæorum] Vide quæ dicta XII. 6.

37. *Coronam auream*] Regibus mitti ſolitam à populis. Vide ſuprà XI. 35.

Et Bahem quam miſiſtis] Τὴν Βαΐνην in Græco. Sed legendum, quomodo interpres Latinus legit, τὴν Βαΐν. Βαΐς eſt *ramus palmæ*: aureum intellige, ut & II Maccabæorum XIV. 4. ſicut & vitis aurea aliis dono data. Sic uvæ, folia, palmites ex auro ſolita fieri diſcimus ex titulo Thalmudico Middoth & Rabbinis ad eum locum.

Remittere vobis quæ indulſimus] *Remiſſiones vobis remittere:* id eſt, effectas dare.

38. *Quæcunque enim conſtituimus vobis conſtant*] *Prætereáque quæ vobis conceſſimus manebunt.* Illa ſcilicet relata ſuprà XI. 37.

Munitiones quas ædificaſtis vobis ſint] Illæ de quibus ſuprà XII. 36. XIII. 10.

39. *Remittimus quoque ignorantias & peccata uſque ad hodiernum diem*] *Ignorantias, id eſt, peccata.* Hebræorum mos eſt ἀγνοίας שגגות dicere omne culpæ genus, ut Iudith. v. 19. & alibi notavimus. Hoc autem dicit propterea quòd Iudæi partes Alexandri Balæ partibus Demetrii patris prætulerant, ſuprà XI. 47.

Et coronam quam debebatis] Ne ſcilicet debeatur in poſterum. Vide ſuprà 37.

Et ſi quid aliud erat tributarium in Ieruſalem, jam non ſit tributarium] Ac ſi quid aliud erat vectigali obnoxium in Ieruſalem, id ne ſit poſthac vectigali obnoxium. Non de tributis agit, ſed de vectigalibus rerum quæ invehebantur, evehebantúrque: neque ea remittit per omnem Iudæam, ſed Hieroſolymis. Vide ſuprà x. 34.

40. *Et ſi qui ex vobis apti ſunt conſcribi, inter nos conſcribantur*] Id eſt, dent militiæ noſtræ nomen; ut ſuprà x. 36.

41. *Anno centeſimo ſeptuageſimo*] A quo Seleucus regnare cœperat, ut hîc explicat Ioſephus, apud quem τῆς Σύρων βασιλείας [*Regni Syrorum*] ſcribendum pro Ἀσσυρίων [*Aſſyriorum*].

Ablatum eſt jugum Gentium ab Iſraël] Id eſt, planè Iudæi pro liberis agere cœpere. Ioſephus de hoc Simone, τῆς ὑπὸ Μακεδόσι δουλείας τὸν λαὸν ἠλευθέρωσεν, ὡς μηκέτι φόρους αὐτοὺς τελεῖν [*à ſervitute Macedonum ità populum liberavit, ut tributa poſthac non penderent*]. Iuſtinus, ubi de Antiocho Demetrii fratre agit, Iudæorum ait vires tantas fuiſſe, ut poſt eum nullum Macedonum Regem tulerint, domeſticiſque imperiis uſi, Syriam magnis bellis infeſtaverint. Vbi quod de Syria dicitur, ad Hyrcani tempora pertinet.

42. *Scribere in tabulis & geſtis publicis*] In Græco, *in ſyngraphis* (id eſt, mutui tabulis) *& contractibus* aliis ſcilicet, ut venditionum, locationum. Ioſephus ampliùs, ἐν τοῖς πρὸς ἀλλήλους συμβολαίοις καὶ δημοσίοις γράμμασι [*tam in contractibus inter ſe quàm in publicis tabulis*]. Quod hîc narratur, idem dicit alius Ioſephus in libro Perek Ros Haſſana, auctorem referens Rabbinum Aham Barhunam.

Summo Sacerdote, Magno Duce] In Græco, ἀρχιερέως μεγάλου καὶ στρατηγοῦ [*Pontificis Magni & Ducis*], ubi μεγάλου [*Magni*] cohæret cum voce ἀρχιερέως [*Pontificis*]. Cœperat quidem ſcribi כהן גדול לאל עליון, ἀρχιερέως τοῦ ὑψίστου Θεοῦ [*Pontificis Magni Altiſſimi Dei*], ſed ſapientibus non placuit ità vulgari nomen Dei, ut is quem dixi Rabbinus refert. Vide infrà XIV. 27.

Et Principe Iudæorum] Ἡγουμένου Ἰουδαίων. Ioſephus, ἐθνάρχου [*Principis in Gente*], id eſt, נשיא, qui & alterum addit titulum Εὐεργέτου [*Benefici*], id eſt, נדיב: de quo vide Lucæ XXII. 25.

43. *Applicuit Simon ad Gazam*] Gazæorum portum intellige. Nam urbs ipſa ab Alexandro diruta fuerat, ut nos docet Strabo libro XVI. Indè vocatur Γάζα ἡ ἔρημος [*Gaza deſerta*] Actorum VIII. 26. Hinc emenda Ioſephum XIII. 11. ubi Γάζαραν [*Gazaram*] legitur pro Γάζαν [*Gazam*].

Et fecit machinas] *Fecit helepolim.* Ejus machinæ deſcriptionem habes apud Ammianum libro XXIII. Meminit & Athenæus libro v. & Vitruvius x. 22. item Diodorus Siculus & Plutarchus in Demetrii Poliorcetæ rebus.

Et applicuit ad civitatem] Machinam illam urbi admovit.

Et percuſſit turrem unam, & comprehendit eam] Vnam urbis turrium cepit.

44. *Et eruperunt qui erant intra machinam in civitatem*] In Græco, *Et irrupere in urbem ii qui in helepoli erant.* Erat enim ejus machinæ moles ingens & valida, quam rotis & funibus regebat numeroſus intrinſecus miles, ut Ammianus dicto libro XXIII, & XXIV. nos docet, & Procopius Gothicorum IV.

45. *Sciſſis tunicis ſuis*] Qui mos Phœnicum in gravi caſu.

Dextras ſibi dari] Id eſt, pacem: ut ſuprà XI. 50. 62. & infrà 50.

47. *Et flexus Simon*] Ad miſericordiam. In Græco, συνελύθη, pro quo malè in quibuſdam editionibus συνελύσθη.

Non debellavit eos] Id eſt, non interfecit belli lege.

Ejecit tamen eos de civitate] Ad tutiùs poſſidendam urbem, ut ſuprà 11.

Et mundavit ædes in quibus fuerant ſimulacra] Ædes privatas: quia Gaza erat ex locis à Deo attributis populo Iſraëlitico, Iudic. I. 18. ac proinde valere ibi debebat lex Deuteronomii VII. 25.

48. *Et ejectâ ab ea omni immunditiâ*] Omni cultu idololatrico.

Collocavit in ea viros qui Legem facerent] Bonâ fide Iudæos.

49. *Et eſurierunt valde*] Vide ſuprà xxi. & ibi dicta. Ità impletum vaticinium Zachariæ xiv. 13.

50. *Et mundavit arcem à contaminationibus*] Ἀπὸ τῶν μιασμάτων, id eſt, ab idolis, ut Ezech. xxxiii. 31. Ieremiæ xxxiii. 34.

51. *Et ramis palmarum*] Ramos manibus ferentes, ut in ingenti lætitia, ut Iohann. xii. 14.

Et cinyris] Suprà iv. 54.

Quia contritus eſt inimicus magnus ex Iſraël] Enallage numeri. Præſidiarios enim illos arcis intelligit, qui Iſraëli plurimùm nocuerant.

52. *Et conſtituit ut omnibus annis agerentur hi dies cum lætitia*] Hi quoque dies feſti, non minùs quàm decima Adar memorata ſuprà vii. 4. exolevere.

53. *Et munivit montem Templi qui erat ſecus arcem*] *Montem Templi* vocat, ut ſæpe, ipſum Templum, quod tutius reddidit Simon, dejectâ arce & eâ parte montis quæ erat Templo ſuperior. Ità Ioſephus hoc loco.

Et habitavit ibi ipſe & qui cum eo erant] Intra Templi ambitum, ut in loco tutiſſimo.

54. *Ducem virtutum univerſarum*] Ἡγούμενον τῶν δυνάμεων πασῶν, *omnium militum Ducem.*

Et habitavit in Gazaris] In Græco, ἐν Γαζάροις. Hæc ipſa eſt & Gadaris urbs, quæ *Gadara* Straboni, non longè à Gaza, Azoto, Aſcalone. Ait de ea Strabo, ἣν καὶ ἐξιδιάσαντο οἱ Ἰουδαῖοι [*quam ſuam fecere Iudæi*], hæc tempora deſignans. Syri ז in ר mutant.

CAPVT XIV.

1. *Congregavit Rex Demetrius exercitum*] Eſt hîc ἐπάνοδος ἱστορική [*Retrogreſſio hiſtorica*]. Res enim Iudaïcas connectere voluit. Nunc de Demetrio Nicatore ea narrat quæ ante occiſum à Tryphone pupillum evenerant. Ioſephus hæc in ſua tempora digeſſit.

Abiit in Mediam] Ità vocat omnia ea quæ Parthis parebant, συνεκδοχικῶς, ex parte totum.

Ad contrahenda ſibi auxilia] Sperans devictis Parthis multas ſibi gentes acceſſuras. Vide Ioſephum xiii. 9.

2. *Et audivit Arſaces*] *Arſacem* & hic Scriptor & Ioſephus dixere communi nomine: nam proprium ei nomen fuit Phraates, ut Appianus nos docet. Strabo nos expedit libro xv. Ἀρσάκαι καλοῦνται πάντες, ἰδίᾳ δὲ ὁ μὲν Ὀρώδης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δ᾽ ἄλλο τι [*Arſacæ vocantur omnes, ſingulatim autem hic Orodes, Phraates ille, alius alio proprio nomine*].

3. *Et percuſſit caſtra Demetrii, & comprehendit eum*] Etiam Ioſephus *captum* dicit *amiſſo exercitu.* Iuſtinus libro xxxvi. *pacis ſimulatione deceptum*; libro verò xxxviii. *inſidiis circumventum* ait.

4. *Siluit omnis Terra Iuda*] In alto fuit otio: ut ſuprà vii. 50. ix. 57.

Et placuit illis poteſtas ejus, & gloria ejus] Et regimen & res ab eo geſtæ.

7. *Et congregavit captivitatem multam*] Multos hoſtium captivos fecit, ut Bethſuræ.

Et dominatus eſt Gazaræ] Vide ſuprà xiii. 53.

Et Bethſuræ] Captæ à ſe, ſuprà xi. 36.

Et arci] Hieroſolymitanæ.

9. *Et de bonis terræ tractabant*] Laudabant præſentem ſtatum.

Iuvenes induebant ſe gloriam] Veſtibus magnificis.

Et ſtolas belli] Bello captis.

10. *Et conſtituebat eas ut eſſent vaſa munitionis*] Quicquid aliquem uſum ſui præbet, Hebræis כלי [*vas*], Helleniſtis σκεῦος dicitur.

Quoaduſque nominatum eſt nomen gloriæ ejus] *Ità ut nominatum ſit.* ἕως ὅτου hîc effectum ſignificat, non tempus. Eſt hîc εὐλογία [*laudatio*] Simonis, annectenda iis quæ ſunt apud Sirachiden.

12. *Et ſedit unuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficulnea ſua*] Locutio παροιμιώδης [*proverbialis*], ut 1 Regum iv. 25. Michææ iv. 4. Zachariæ iii. 10.

13. *Reges contriti ſunt in diebus illis*] Tum bellis inter ſe, tum Iudæorum virtute.

14. *Et confirmavit omnes humiles populi ſui*] Præſidio erat invalidis.

Et Legem requiſivit] In cura habuit.

15. *Sancta glorificavit*] Templum reddidit auguſtius, dejectâ arce quâ Templum premebatur.

Et multiplicavit vaſa Sanctorum] Donaria adjecit ex præda de hoſtibus capta.

18. *Scripſerunt in tabulis æreis*] Honoris causâ.

20. *Spartiatarum principes & civitates*] Ἄρχοντες καὶ ἡ πόλις, *Magiſtratus & populus.* Spartæ enim Reges poſt Cleomenem eſſe deſierant: Tyranni quoque in Nabide ſublati.

Simoni Sacerdoti Magno, & Senioribus, & Sacerdotibus, & reliquo Populo Iudæorum] Sic enim Iudæi ſcribere eo tempore ſolebant; ſuprà xii. 6.

Fratribus] Quomodo ipſi Iudæi Spartiatas *fratres* ſuos dixerant, ibidem.

21. *Et gaviſi ſumus in introitu eorum*] Pergratus nobis fuit eorum adventus.

22. *Et ſcripſimus quæ ab eis erant dicta in conciliis populi ſic*] Scripſit Interpres *in conſiliis*, ἐν ταῖς βουλαῖς τοῦ δήμου, id eſt, in publica Acta retulimus. Nam βουλὰς vocat ipſa ſcita, μετωνυμικῶς [*per tranſnominationem*]. Non eſt enim hæc epiſtola qualis à Laconibus ſcripta eſt, ſed quomodo ſenſum exprimendum putavit homo Iudæus.

23. *Gloriosè*] Cum honore maximo.

Et ponere exemplum ſermonum eorum] Verborum, quæ etiam ſcripto complexi fuerant.

In ſegregatis populi libris] Ἐν τοῖς ἀποδεδειγμένοις τῷ δήμῳ βιβλίοις, *in libris ad hoc à populo conſtitutis.* Sic ἀποδεδειγμέναι habuimus & ſuprà x. 34.

Exemplum autem horum ſcripſimus Simoni Magno Sacerdoti] Legit ἐγράψαμεν [*ſcripſimus*], pro quo in Græco eſt ἔγραψαν [*ſcripſere*]. Dicunt Spartiatæ ſe partem ex Actis deſcriptam miſiſſe ad Simonem, ut conſtaret bene acceptam fuiſſe Legationem.

24. *Clypeum aureum magnum*] *Clypei aurei inter honorum ſigna.* Trebellius Pollio Claudio Auguſto, & Hieronymus in Chronico Euſebiano ad eadem tempora.

26. *Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnavit inimicos Iſraël ab eis, & ſtatuerunt ei libertatem*] In Græco eſt, ἐστήρισε γὰρ αὐτὸς καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ καὶ

ὁ οἶκος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, καὶ ἐπολέμησαν ἐχθροὺς Ἰσραὴλ ἀπ' αὐτῶν, καὶ ἔστησαν αὐτῷ ἐλευθερίαν· quæ, ſanatâ trajectione Hebræis familiari, rectè ſic vertas, *Nam ipſe & fratres ejus, domúſque patris ſui* (id eſt, cognati & miniſtri) *firmaverunt Iſraëlem, hoſtes Iſraëlis bello depulere, & Iſraëli paraverunt libertatem.*

Et deſcripſerunt in tabulis æreis] *Prout ſcripſerunt ipſi Iudæi in tabulis æreis.* Ipſi Iudæi, ajunt Romani, hæc merita publicè agnoverunt.

Et poſuerunt in titulis in monte Sion] *Quas* (tabulas æreas) *appenderunt columnis in monte Sion*, id eſt, in Templo: nam Sionis nomen interdum tam latè ſumitur ut etiam Moriam comprehendat. In Templo autem figi ſolita acta publica apparet ſuprà xi. 37. & infrà 48. 49.

27. *Et hoc eſt exemplum Scripturæ*] Decreti gentis Iudæorum in honorem Simonis, quod decretum etiam Romani in ſua Acta referri voluerunt. Id decretum perducitur uſque ad xv. 15.

Menſis Elul] Qui menſis Auguſto menſi maximâ parte reſpondet.

In Aſaramel] Ἐν Σαραμέλ. Sed Latinus interpres rectiùs ſcripſiſſe videtur eruditis, qui cenſent Hebræum loci nomen fuiſſe, חצר מלוא, *Atrium Millo.* In Millo conventus publicos haberi ſolitos notat David Kimchi ad 1 Regum ix. 24.

28. *In conventu magno*] De tali conventu vide quæ diximus ad Matthæum x. 17.

Et principum gentis] Ἀρχόντων ἔθνους [*principum gentis*], id eſt, φυλάρχων [*eorum qui Tribubus præerant*].

Et Seniorum regionis] Synedrii Magni.

29. *Ex filiis Iarib*] Ἰαρίβ. Sed legendum Ἰωαρίβ [*Ioarib*], ut ſuprà ii. 1.

Vt ſtarent Sancta ipſorum] Templum, quomodo ſæpe antehac.

32. *Viros virtutis*] Id eſt, milites.

33. *Et munivit civitates Iudææ & Bethſuram*] Quod præcipuum eſt poſuit ultimo loco. Vide quæ diximus ad Marcum xvi. 7. Rem quæ hîc refertur habuimus & ſuprà 7.

34. *Et Gazaram*] Vide xiii. 54. Itaque & apud Ioſephum Belli Iudaïci 1. 2. pro Ζαρὰ [*Zara*] legendum videtur Γάζαρα [*Gazara*].

Et quæcunque apta erant ad correptionem eorum poſuit in eis] Scripſit Interpres *ad correctionem.* Senſus eſt, *Poſuit in illis oppidis omnia per quæ meliora redderentur.*

35. *Et vidit populus actum Simonis*] Πίστιν *fidem Simonis.* Sed quia Interpres ſcriptum reperit compendio π̅ν, legit πρᾶξιν [*actum*], quomodo & quidam habent libri Græci.

Et gloriam quam cogitabat facere genti ſuæ] *Et quantam gloriam conſiliis ſuis attulerat genti ſuæ.* Eſt hîc ἐβουλεύσατο [*cogitarat*] dictum per μετωνυμίαν [*transnominationem*] cauſæ pro effectu.

Et poſuerunt eum Ducem ſuum, & Principem Sacerdotum] Suprà xiii. 42.

Et juſtitiam & fidem] Repetendum hîc διὰ, id eſt, *propter*, ex membro ſuperiore.

36. *Et in diebus ejus proſperatum eſt in manibus ejus, ut tollerentur Gentes de regione ipſorum*] Εὐοδώθη ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ, *per eum feliciter evênit.*

Et qui in civitate David erant] In urbe à Davide adjecta. Vide ſuprà i. 35. & xiii. 50.

Et inferebant plagam magnam caſtitati] *Caſtitatem* hîc intellige Dei cultum. In Legibus Ciceronis eſt, *Caſtè deos adeunto.* Idem in Haruſpicum reſponſis de fano Peſſinuntio, *Quod cùm Dejotarus religione ſuâ caſtiſſimè tueretur.* Virgilius,

Quique ſacerdotes caſti.

37. *Ad tutamentum regionis & civitatis*] In Græco, *Et munivit eam* (ſupple *urbem*) *ad tutamen regionis.*

38. *Et Rex Demetrius ſtatuit illi ſummum Sacerdotium*] Ἔστησεν, *confirmavit, ratum habuit*: ſuprà xiii. 36. Hoc ideo additum quia Demetrius Nicator amicus erat populi Romani. Additur hîc in Græco κατὰ πάντα, *ſecundùm omnia*, nempe illa quæ in decreto Iudæorum continebantur.

39. *Fecit eum amicum ſuum*] Habes & hoc dicto jam loco.

Et glorificavit eum gloriâ magnâ] Remiſſione tributorum quæ debebantur, vectigalium in urbe Hieroſolymis, auri coronarii, conceſſione munitionum.

40. *Audivit enim*] *Audiverat enim.*

Quod appellati ſunt Iudæi à Romanis amici, & ſocii & fratres] Suprà viii. 20. xii. 3.

Et quia ſuſceperunt Legatos Simonis glorioſè] Suprà 17.

41. *Iudæi & Sacerdotes eorum*] Ità ſuprà xii. 6. *Sacerdotes* nominantur ut pars eximia populi.

Conſenſerunt eum eſſe Ducem ſuum] Suprà xiii. 7.

Et Summum Sacerdotem in æternum] Id eſt, ipſum, poſteróſque ejus, mares ex maribus. Opponitur enim לעולם [*In perpetuum*] dignitati merè perſonali.

Donec ſurgat Propheta fidelis] Indubitatus, fidem faciens ſuis prædictionibus & miraculis. Sic πιστὸν ſumi diximus alibi. Si quis eſſet Propheta ſe Ducem populi profitens, quales olim Iudices, ei imperium haud dubio jure debebatur. Standum quoque erat ejus dictis, tum de rebus aliis, tum de Sacerdotio. Prophetiâ autem poſt Malachiam ceſſante, Prophetiæ reſtitutio exſpectabatur paulò ante adventum Meſſiæ, ut diximus ſuprà iv. 46. & ix. 27.

42. *Et ut cura eſſet illi pro Sanctis, & ut conſtitueret præpoſitos ſupra opera eorum*] Bis repetitur Templi cura Simoni mandata, ſed ad effectus diverſos. Ideo *&* hîc ſumendum pro *nempe.* Hîc dicitur data ei ſumma inſpectio in opera & ſarta tecta Templi; infrà, in ceremonias quas cæteri Sacerdotes ex ipſius præſcripto adminiſtrarent.

Et ſuper regionem] Præfectos Toparchiis.

Et ſuper arma] Exercituum ductores. Vide ſuprà xiii. 54.

Et ſuper præſidia] Præfectos præſidiis oppidorum, arcium, caſtellorum.

43. *Et ut cura ſit illi de Sanctis, & ut audiatur ab omnibus*] Ità ut omnes Sacerdotes ipſius præſcriptum ſequantur, ut jam diximus.

Et ſcribantur in nomine ejus omnes conſcriptiones in regione] *Omnes ſyngraphæ:* ut ſuprà xiii. 42.

Et ut operiatur purpurâ & auro] Purpureâ veſte, & fibulâ aureâ, ut ſuprà x. 20. 89. xi. 58.

44. *Irritum facere aliquid horum*] *Facere contra hoc decretum.* Ità enim ἀθετεῖν ſumi diximus ad Marcum vii. 9.

Aut convocare conventum in regione ſine ipſo] In liberis populis præcipuorum magiſtratuum etiam hoc jus eſt, ne quis ſine eorum arbitratu comitia aut concionem convocare poſſet: quod Græci dicunt ἐκκλησιάζειν. Vide Numeror. I. 2.

Et veſtiri purpurâ, & uti fibulâ aureâ] Nempe nemini liceat præter ipſum, ex ſuperioribus. Nullus enim honos in veſte eſt niſi à quo arceantur cæteri. Vide titulum Codicis Iuſtiniani De veſtibus Holoberis.

48. *Et ſcripturam iſtam dixerunt ponere*] *Iuſſerunt poni.*

In tabulis æreis] Quibus inſcribi ſolebant decreta ejuſmodi, ſuprà VIII. 22.

Et ponere eas in peribolo Sanctorum] *In porticibus Templi.* id enim חמה, περίβολος, Ezechiel. XLI. 5. XLII. 20.

In loco celebri] *Conſpicuo*, ut ſuprà XI. 37. hoc eſt, *unde de plano rectè legi poſſint*, ut Romani loquebantur.

49. *Exemplum autem eorum ponere in ærario*] Ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, in arcis Templi, ubi acta ad Templum pertinentia ſervabantur.

Vt habeat Simon & filii ejus] Vt illis petentibus indè ſemper pariculum detur publicis ſigillis munitum.

CAPVT XV.

1. *ET miſit Rex Antiochus*] *Sidetes* dictus, qui ſe Tryphoni oppoſuit. Nomen id habuit à *Side* Pamphyliæ oppido, cujus meminere Plinius & Ptolemæus. Nam Pamphyliæ pars ultra Taurum eſt, eáque manſit penes Seleucidas, pace factâ ab Antiocho Magno cum Romanis.

Filius Demetrii] Soteris ſcilicet, ac proinde frater Demetrii Nicatoris, ut habes apud Appianum, Iuſtinum, & in Chronico Euſebii.

Ab inſulis maris] Id eſt, à Seleucia Pieria, quæ non longè eſt à mari. Indè enim belli initium feciſſe Antiochum hunc Sideten docet nos Ioſephus XIII. 12. Hebræi & Syri omnia mari adſita *inſulas* vocant.

Et Principi Gentis Iudæorum] Ἐθνάρχῃ eſt in Græco, ut & ſuprà XIV. 47. quâ voce Ioſephus ſæpe utitur. Valet autem idem quod נשיא, ἄρχων, ſuprà IX. 30. XIII. 42.

2. *Et Genti Iudæorum*] Ità mos erat ſcribi illo tempore. Vide ſuprà VIII. 29. XI. 33. XII. 6. XIII. 36. XIV. 20.

3. *Peſtilentes*] Ἄνδρες λοιμοὶ, לצים, ut ſuprà X. 61. Indicat Alexandrum Balen & filium ejus, maximè verò Tryphonem. Sunt hæ epiſtolæ, ut ſuprà diximus, ex Græcis veris factæ Hebraïcæ, verſione ſatis liberâ, iterum deinde Græcæ.

Et electam feci multitudinem exercitûs] Ioſephus, τῆς ἰσχύος αὐτῷ κατὰ πᾶσαν ἡμέραν αὐξανομένης [*cùm ei vires in dies creſcerent*].

4. *Volo autem procedere per regionem*] *Regionatim*, ex una regione in alteram.

5. *Nunc ergò ſtatuo tibi*] Id eſt, *firmo, rata facio.*

Omnes oblationes quas remiſerunt tibi ante me omnes Reges] Πάντα τὰ ἀφαιρέματα ἃ ἀφῆκάν σοι οἱ πρὸ ἐμοῦ βασιλεῖς. Vbi primùm eſt locutio inverſa: vult enim dicere *ratam ſe facere condonationem* τῶν ἀφαιρεμάτων *factam ab antè Regibus*, maximè verò à patre fratreque ſuo. Deinde ἀφαιρέματα ſunt in uſu frequenti *primitiæ quæ Deo debebantur*. indè ſumtâ tranſlatione omnia ea quæ de agris Regibus pendi erant ſolita, ut pars dimidia nemorum, tertia frugum: de quibus ſuprà X. 29. 30. XI. 34. Reges illi valde erant liberales de iis quæ ultrà non tenebant, ut hujus Demetrii pater ſuprà capite X. Alexander Magnus olim Legatis Darii, *Quæ poſt Euphratem ſunt, liberaliter donat. Vbi igitur me affamini? nempe obliti eſtis. Nam ultra Euphratem ſum.* Iuſtinus libro XXXVI. *Facilè tunc Romanis de alieno largientibus.*

Et quæcunque alia dona remiſerunt tibi] In Græco, καὶ ὅσα ἄλλα ἀφέματα ἀφῆκάν σοι, id eſt, *& quaſcunque præterea remiſſiones vobis fecere.* Par loquendi genus habuimus ſuprà X. 28. Intellige reliqua tributorum, ſalis redemtionem, vectigalia in Hieroſolymis.

6. *Et permitto tibi facere percuſſuram proprii numiſmatis in regione tua*] Id eſt, tuâ imagine, qui magnus honos olim habitus. Procopius tertio Gotthicorum de Regibus Francis, οὐ τοῦ Ῥωμαίων αὐτοκράτορος (ἧπερ εἴθισται) χαρακτῆρα ἐνθέμενοι τῷ στατῆρι τούτῳ, ἀλλὰ τὴν σφετέραν αὐτῶν εἰκόνα [*Non Romani Imperatoris, ut ſolitum olim, formam ſuo nummo imprimentes, ſed proprium*]. Adde quæ dicta Matth. XXII. 20.

7. *Ieruſalem autem ſanctam eſſe & liberam*] Interpretare ut ſuprà X. 31.

Et omnia arma quæ fabricata ſunt] Quod ipſum haberi ſolet inter jura Regia: Iuſtiniani Nov. LXXXV. In feudis c. *Quæ ſint regalia.*

Et præſidia quæ conſtruxiſti, quæ tenes, maneant tibi] Idem eſt ſenſus qui ſuprà XIV. 38.

8. *Et omne debitum Regis*] Quodcunque Regi ulla ex cauſa nunc debetur. Solet poſt multa ſpecialia addi clauſula quædam generalis, nè quid effugiat.

Et quæ futura ſunt Regi] Quæ in poſterum deberi poſſent quacunque ex cauſa: ex jure ſcilicet fiſcali.

9. *Glorificabimus te & gentem tuam, & templum gloriâ magnâ*] Donaria ſcilicet mittendo in Templum, ut Syriæ & Ægypti Reges non raró antehac fecerant.

10. *Exiit Antiochus in terram patrum ſuorum*] In ſuperiorem Syriam, ut Ioſephus explicat.

Et convenerunt ad eum omnes exercitus, ità ut pauci relicti eſſent cum Tryphone] *Exoleſcente favore recentis imperii*, ut ait Iuſtinus.

11. *Et venit Doram fugiens per maritimam*] Nempe Tryphon, ut Ioſephus nos docet. Eſt hæc Dora in ora maritima Phœnices: quod & Ptolemæus ſignificat.

14. *Et vexabant civitatem à terra & mari*] Obſidebant, ut ait Ioſephus.

15. *Habentes epiſtolas Regibus & regionibus ſcriptas*] Hæ ſunt illæ epiſtolæ quarum mentio aliqua facta ſuprà XII. 4. Tenor autem totus huic loco reſervatus, quia tunc uſus earum apparuit.

16. *Lucius Conſul Romanorum*] L. Furius Philus. Sic enim bis appellatur à Cicerone, nec aliter ab Obſequente, is qui in faſtis per errorem *Publius*. Cæterùm quilibet Romani ſermonis formularumque gnarus facilè intelliget hoc Senatuſconſultum (nam

Senatûs erat Legatis reſpondere, ut notavit Polybius) non eſſe quale Romæ ſcriptum eſt, ſed quomodo ſenſum ejus Hebræus Helleniſtis Hebræis ſcribens exprimere voluit. Senatuſconſulti autem hujus initium fuit, *Quod L. Furius Conſul verba fecit.* ſicut alterius Senatuſconſulti, cujus meminit Ioſephus XIII. 17, initium fuit, *Quod C. Fannius M. Filius Prætor verba fecit.*

21. *Si qui ergò peſtilentes*] Suprà 3.

22. *Hæc eadem ſcripta ſunt Demetrio Regi*] Regi Syriæ ei qui ante hunc Antiochum Rex fuerat. Mortuus igitur is dum Legati ſunt in itinere: literæ autem ad fratrem ejus Antiochum pervenere. In Græco ſequenda editio Sixtina, quæ habet Δημητρίῳ τῷ βασιλεῖ [*Demetrio Regi*], non autem illæ quæ habent Δημήτριος [*Demetrius*].

Ab Attalo] Scripſit Latinus interpres *ac Attalo*, καὶ Ἀττάλῳ, Regi nimirum Pergami, qui populum Romanum bonorum ſuorum reliquit heredem.

Et Ariarathi] Sic & in Sixtina Ἀριαράθῃ, cùm in aliis malè ſit Ἀράθῃ [*Arathæ*]. Fuit circa hæc tempora Cappadociæ Rex Ariarathes, cujus ſimul cum Attalo Rege Aſiæ, & Ægypti Ptolemæo, meminit Iuſtinus libro XXXV.

Et Arſaci] Qui *Phraates* proprio nomine, communi *Arſaces*, vel *Arſacides*, ut ſuprà diximus XIV. 2.

23. *Et in omnes regiones*] Amicas populi Romani gentes, aut civitates liberas & amicas, aut ſocias, aut quæ erant ſub ſociis Regibus: maritimas maximè, quia mari faciendum hoc iter Iudæis Legatis, qui ſæpe ad proximam oram volebant appellere.

Et Lampſaco] *Et* hîc eſt pro *nempe*. Ex hoc Latino Græcum corrige, & pro Σαμψάμῃ [*Sampſamæ*] repone Λαμψάκῳ [*Lampſaco*]. Eſt πόλις εὐλίμενος [*oppidum cum bono portu*], teſte Strabone.

Et Spartiatis] Civitati tunc liberæ, ut ſuprà diximus.

Et in Delum] Cycladum clariſſimam, & frequentem, tum ob templi ſanctimoniam, tum ob commercia quæ poſt Corinthum exciſam eò migrarunt.

Et in Myndum] Vrbem in Caria portu nobilem, ut Strabo nos docet.

Et in Sicyonem] Achajæ urbem vetuſtiſſimam, in qua portus & navale, ut idem nos docet Strabo.

Et in Cariam] Quam liberam eſſe juſſerant Romani, ut Livius teſtatur libro XLIV. Scripſerant ergò Romani & ad Commune Cariæ, & ſpecialiter ad Myndum civitatem. Vide tamen an hîc legendum Ἰκαρίαν [*Icariam*], quæ inſula Samo proxima.

Et in Samum] *Inſulam liberam*, ut ait Plinius, & *prædivitem*, ut Strabo, obtentam Aſiæ.

Et in Pamphyliam] Eam ſcilicet quæ cis Taurum, & ademta Antiocho Magno.

Et in Lyciam] Quam & ipſam ademtam cum Caria Rhodiis Romani liberam eſſe juſſerant, teſte Livio dicto libro XLIV.

Et in Halicarnaſſum] Hæc quoque urbs eſt Cariæ, & Regia olim.

Et in Coo] Coorum inſula & urbs appulſu jucunda, Cariæ præjacens. *Nobiliſſimam inſulam* Plinius vocat.

Et in Siden] Pamphyliæ urbem, ut antè diximus; niſi fortè legendum Σιδόνα [*Sidona*]· nam ea propinqua Arado. In Græco Sixtino eſt, καὶ εἰς Ἁλικάρνασσον, καὶ εἰς Ῥόδον, καὶ εἰς Φασηλίδα, καὶ εἰς Κῶ, καὶ εἰς Σίδην, καὶ εἰς Ἄραδον, καὶ εἰς Γόρτυναν, [*& in Halicarnaſſum, & in Rhodum, & in Phaſelida, & in Co, & in Siden, & in Aradum, & in Gortynam*], &c.

Et in Aradum] De qua diximus ad Geneſin x. 18.

Et in Rhodum] Hoc nomen malè deeſt in Græcis nonnullis. Ea inſula tunc amica magis quàm ſocia erat populi Romani, ut ex Livii libro XLV cognoſcimus.

Et in Phaſelidem] Oppidum eſt maritimum in confinio Lyciæ & Pamphyliæ. Ptolemæus Lyciæ tribuit, Pamphyliæ alii: meminit & Lucanus.

Et in Gortynam] Quæ Cretæ urbs prima dignitate Strabonis temporibus. Creta libera erat hoc tempore, & amica Romanis & Demetrii domo.

Et Cnidum] Inſula eſt non longè à Rhodo, portus habens duos, ut Strabo nos docet.

Et Cyprum] Quæ eo tempore ſub Ægypti erat Regibus fretis Romanorum auxilio. Teſtes Strabo & Iuſtinus.

Et Cyrenen] Et hæc erat tunc ſub Ægypti Regibus. Diviſis inter filios Regnis Cyrene ad Romanos devenit. Docent id nos Strabo & Iuſtinus.

24. *Exemplum autem eorum ſcripſerunt Simoni*] Literarum quas Legatis dederant exempla Romani etiam ad Simonem miſêre, ut cognoſceret quantæ curæ Romanis eſſent Iudæorum negotia.

25. *Antiochus autem Rex applicuit caſtra in Doram ſecundo*] Vbi erat Tryphon, ut dictum ſuprà 11. Cæterùm Græca, Ἀντίοχος ὁ βασιλεὺς παρενέβαλεν ἐπὶ Δῶρα ἐν τῇ δευτέρᾳ, ſic vertam, *Antiochus autem die altero* (poſt adventum Legatorum Iudæorum) *oppugnavit Doram.* Nam παρεμβάλλειν ità ſumi interdum ſolet etiam in his libris.

Admovens ei ſemper manus] Crebros inſultus faciens.

27. *Et noluit ea accipere, ſed rupit omnia quæ pactus eſt*] Legit ut nos nunc habemus in Græco, καὶ οὐκ ἠβούλετο. Sed Ioſephus vult nos legere καὶ ἠβούλετο [*& voluit*]. Accepit Antiochus militem & commeatum à Simone: ſed poſtea nihil eorum quæ Simoni promiſerat præſtitit. Notarunt hoc ante nos & alii.

28. *Vos tenetis Ioppen & Gazaram & arcem quæ eſt in Ieruſalem*] Sic & infrà 35. De Gadaris vide XIII. 54.

30. *Et tributa locorum in quibus dominati eſtis extra fines Iudææ*] Significat tres Toparchias: nam Ptolemaïs promiſſa fuerat, non tradita. Vide ſuprà x. 30. XI. 34. 57. Addi poſſunt Ioppe & Gaza, bello capta, ut infrà ſequetur.

Sin autem] Εἰ δὲ μὴ, *Si autem hæc non datis.*

31. *Et exterminii quod exterminaſtis & tributorum civitatum alia talenta quingenta*] Καὶ τῆς καταφθορᾶς ἧς κατεφθάρκατε, καὶ τῶν φόρων τῶν τόπων ἄλλα τάλαντα πεντακόσια. Vbi ex præcedentibus repetendum eſt ἀντὶ [*pro*]. Senſus enim eſt, *Et pro vaſtitate quam feciſtis, & pro tributis* (nempe præteritis) *locorum* (illorum ſcilicet trium) *date altera quingenta aurea.*

33. *Hereditatem patrum noſtrorum*] Olim à nobis poſſeſſâ, cúm Duodecim Tribus ſub uno eſſent Regno; nempe Bethel, Lyddam, & Ramatham.

35. *Et Gazara*] Vide ſuprà 28.

Ipſi faciebant in populo plagam magnam, & in regione noſtra] Non mirum ſi loca hoſtium jure belli cepimus.

Horum damus talenta centum] Id eſt, parati ſumus dare. Et eſt Græca conſtructio.

37. *Trypho autem fugit navi in Orthoſiada*] Portum Phœnices apud Ptolemæum. Strabo *Orthoſiam* vocat libro XVI. ut & Plinius II. 20. Hinc verò Trypho Apameam ſe contulit, ut collatio Ioſephi indicat. Indè enim ortus erat, & ibi fidiſſimos habebat amicos, ut Strabo nos docet.

38. *Et conſtituit Rex Cendebæum Ducem maritimum*] Nempe ut Iudam prehenderet, & Iudæam popularetur, exponente Ioſepho. Fuit hic amicus Regis, nomen habens à parte Phœnices quæ *Cendevia* Plinio XXXVI. 26. Eſt autem nomen pronuntiatione contractâ, Syriacum in morem, קן דוי pro קנין דויד, κτῆμα τοῦ Δαβίδ [*Acquiſitio Davidis*]. Hiſtoriam vide II Samuelis V. 25. VIII. I. I Paralipomenôn XVIII. I.

39. *Et mandavit ei ædificare Gedorem*] Ex hoc Latino emendandus textus Græcus, in quo perperam legitur τὴν Κεδρὼν [*Cedron*] pro τὴν Γέδωρα [*Gedora*]. Eſt ea גדור Ioſuæ XV. 58. ubi in Græco itidem malè ſcriptum Γεδδὼν [*Geddon*] pro Γεδδώρ [*Geddor*]. Et alio errore I Paralipom. IV. 39. Γέραρα [*Gerara*], ubi ſcribendum Γέδαρα [*Gedara*]. Ptolemæo eſt Γάδωρα. Vrbs fuit olim in Danitarum portione, confinis Philiſthinis & Idumæis. Alia eſt *Gazara* vel *Gadara* maritima, de qua ſuprà & infrà.

Et obſtruere portas civitatis] *Civitatis* non eſt in Græco. Rectè ergò monent viri eruditi πύλας hîc, ut in Græcis hiſtoriis, intelligendas *fauces montium*, quæ τὰ φαραγγώδη τῶν ὀρῶν dixit hîc Ioſephus.

Et debellare populum] *Populum* Iudaïcum *bello vexare*.

Rex autem perſequebatur Tryphonem] Quia, ut diximus, ab Orthoſia Apameam ſe contulerat.

40. *Et pervênit Cendebæus Iamniam*] Sic & Strabo & Ptolemæus appellant. Eſt prope Azotum & Aſcalonem. diximus de ea & alibi.

Et cœpit irritare plebem] Τὸν λαὸν, id eſt, *populum* Iudaïcum.

Et ædificare Gedorem] Hîc idem error in Græco commiſſus quem jam notavimus.

41. *Vt egreſſi perambularent viam Iudææ*] In Græco, *vias Iudææ*. Senſus eſt, *ut ex Gedore per omnia Iudææ itinera excurrerent*.

Sicut conſtituit ei Rex] *Conſtituerat*. Eſt enim Aoriſtus qui pro omnibus temporibus, maximè præteritis, ponitur.

CAPVT XVI.

1. E*T aſcendit Iohannes*] Simonis ille filius, memoratus ſuprà XIII. 54.

De Gazaris] Id eſt, Gadaris, ut XIII. 54. diximus.

2. *Ego & fratres mei, & domus patris mei*] Vide ſuprà XIV. 26. in Græco.

Et proſperatum eſt in manibus noſtris liberare Iſraël aliquoties] Succeſſit procuratio libertatis. Sic ſuprà III. 6. XIV. 36. II Maccab. X. 7.

3. *Sed eſtote loco meo & fratris mei*] In Græco eſt ampliùs, *Vos autem beneficio* (Dei) *eſtis per ætatem pares* (bellis). *Eſte ergò* (populo Iudaïco) *pro me & pro fratre meo*, nempe Ionathane, cujus recentior memoria.

4. *Et dormierunt in Modin*] Ibi interjunxerunt.

6. *Ad transfretandum torrentem*] Sic & ſuprà locutus eſt hic interpres; id eſt, *ad tranſeundum torrentem*.

Et transfretavit primus]

——— monſtrat tolerare labores,
Non jubet.

Vt apud Lucanum Cato.

7. *Et diviſit populum & equites in medio peditum*] Secundum *&* eſt pro *nempe*. *Ità diſtribuit populum ut in peditum intervallis ſe tenerent equites*.

8. *Et exclamaverunt ſacris tubis*] In Græco tantùm eſt, *Et cecinit tubis*. Sed Interpres *ſacras tubas* dixit, quia Sacerdos militiæ attributus (de quo Deuteronomii XX. 2), cæteris ut voce præibat, ità & tubæ cantu, Numeror. X. 8. 9.

In munitionem fugerunt] Gedorem, ut ex ſequentibus intelligitur.

9. *Donec venit Cedronem*] Idem hic error in Græco & Latino qui ſuprà XV. 39. in Græco, non in Latino. Legendum enim εἰς Γέδωρα, *Gedorem*.

Quam ædificavit] *Quam munierat*, ipſe ſcilicet Cendebæus.

10. *Et fugerunt*] Alii ſcilicet qui in illo prælio fuerant, ut non ſolet fuga de communi conſilio fieri.

Vſque ad turres quæ erant in agris Azoti] Ad *prætenturas & ſtationes agrarias*, ut loquitur Ammianus Marcellinus libro XIX. XXI. XXV. XXIX. XXXI. in Gloſſis, *Prætentura*, προβολὴ, ἐπιτείχισμα. In Baſilicon Gloſſis, Πρεπιντοῦρα, προδόμησις. Sunt in agris receptus militum ac ſpeculæ, quales & nunc in uſu; ſed nunc magis ex lapide: olim ſæpe ex ligno, ut ſequentia oſtendunt. Has ex ligno turres Romani veteres *falas* dicebant, ut ex Ennio Nonius Marcellus nos docet. Vtitur hac voce & Iuvenalis. Feſtus, Servius, & poſt eos Iſidorus *falaricæ* vocabulum indè deducunt.

Et reverſus eſt ad Iudæam in pace] Ἐν εἰρήνῃ τὸν λοιπὸν διήγαγε βίον [*tranquillum egit vitæ cæterum*], ait Ioſephus.

11. *Et Ptolemæus*] חלמי nomen eſt Hebræum à *ſulco*. Id autem ſono proximè accedit ad Macedonicum nomen à *bello* deductum Πτολεμαῖος. Ideo Hebræi Græcè ſcribentes hoc pro illo uſurpant.

Filius Abobi] אביבי, à *ſpica* ductum nomen: ut ſolebant veterum nomina multùm deſumi à re ruſtica.

12. *Erat enim gener Summi Sacerdotis*] Simonis. Hinc iterum in pejus labi cœpere res Iudaïcæ. *Fugas civium, urbium everſiones, fratrum, conjugum, parentum neces, aliáque ſolita Regibus auſi*, ait Tacitus.

13. *Et volebat obtinere regionem*] Imperium regionis.

14. *Simon autem perambulans civitates*] Vt videret ſi quid eſſet quod novæ opis egêret. Exemplum providi Ducis.

Ἁμαρτάνει τοι καὶ σοφῶν σοφώτερος,
[*Sæpe errat & qui plus ſapit ſapientibus*,]

ut jam apparebit.

Et Mathathias filius ejus] Ab avo dictus.

Hic eſt menſis Sabath] οὗτος ὁ μὴν Σαβάτ· non שבת,

id eſt, à *ſabbato*, ſed שבט, à *ſurculo*. Sic & Zachariæ 1.7. Meminit & magna paraphraſis Eſther. III. 7.

15. *In munitiunculam*] *In caſtellum.*

Quæ vocatur Doch] In Græco, Δώκ. דוק *ſpecula* Syris.

Quam ædificavit] *Quam munierat*, ut ſuprà 9.

16. *Et cùm inebriatus eſſet Simon*] *Adbibiſſet*. Eſt enim Hebræis שכר, & Helleniſtis μεθύεσθαι, vox non inhoneſta.

Et occiderunt eum] Hoc habet & Ioſephus.

Et duos filios ejus] Captos primùm, quod ex Ioſepho diſcimus.

17. *Fecit deceptionem magnam in Iſraël*] In Græco tantùm eſt, ἐποίησεν ἀθεσίαν μεγάλην, *magnâ uſus eſt perfidiâ*. Ità enim vocem ἀθεσίας ſæpe uſurpat Polybius. Ieremiæ xx. 8, חמס, id eſt, *violentia*, Græcè vertitur ἀθεσία. Danielis IX. 7, מעל, quod *defectionem* ſignificat, itidem ἀθεσία vertitur, & ἀσυνθεσία 1 Paralipomenon IX. 1. Eſdr. IX. 2. 4. X. 6. Hiſtorici boni, ubi factum aliquod narrarunt, ſolent judicium ſuum & proborum de tali facto addere.

18. *Et ſcripſit hæc Ptolemæus, & miſit Regi*] Antiocho Sidetæ: qui Ioſepho XIII. 16. Antiquæ Hiſtoriæ, Ἀντίοχος ὁ Εὐσεβής.

Et traderet ei regionem & civitates eorum, & tributa] Id eſt, ut ipſe Ptolemæus, accepto à Rege exercitu, *traderet* Regi *regionem Iudæam, & urbes eorum* (nempe Iudæorum, conſtructione πρὸς τὸ σημαινόμενον [*relatâ ad id quod ſignificatur*]) *cum tributis*.

19. *Et miſit alios in Gazaram*] *Gadara*, ut ſuprà ſæpe diximus.

Tollere Iohannem] Cui cognomen Hyrcano, ut ait hoc loco Ioſephus. הורקן *Spoliator*, hoſtium ſcilicet. Sic ſolebant boni ominis nomina dari, belli temporibus.

Et Tribunis miſit epiſtolas] Iis qui ſub Iohanne præſidio Gadarorum præfuerant.

Et daret eis argentum & aurum & dona] Id eſt, ut magna à ſe acciperent.

20. *Et alios miſit occupare Ieruſalem, & montem Templi*] Ipſe quoque eò ſe contulit, ſed à Iohanne Hyrcano, ob ſuas patríſque & patruorum virtutes favorabili, ipſe ob ſcelera exoſus, à plebe excluſus eſt.

22. *Cognovit enim quia quærebant eum perdere*] Hîc aut morte, aut aliâ aliquâ calamitate interceptus finem ſcribendi fecit hic quiſquis eſt illorum temporum Scriptor; ideóque in rebus popularium ſuorum fide digniſſimus. Cætera aliquis amicus aut deſcriptor addidit.

23. *Et cætera ſermonum Iohannis*] *Cætera verò rerum Iohannis*. דברי יוחנן.

Et bellorum ejus & bonarum virtutum quibus fortiter geſſit] *Et bellorum ejus, & pulchrorum facinorum quæ edidit*, nempe contra Syros, Moabitas, Idumæos, Samaritas, Antiochum Sideten, Demetrium à captivitate reverſum, filium Demetrii Antiochum Grypum, & Antiochum Cyzicenum.

Et ædificii murorum quos exſtruxit] Hieroſolymis: nam ad pacem ab Antiocho Sidete redimendam loricam eorum deſtruxerat, ut ex Ioſepho diſcimus.

24. *In libro dierum Sacerdotii ejus*] In commentariis quos Sacerdotes Summi aut faciebant aut fieri curabant. Quomodo favore populi ſummum Sacerdotium adeptus ſit hic Iohannes Hyrcanus, habes apud Ioſephum XIII. 15. Antiquæ Hiſtoriæ, & Belli Iudaïci 1. 2. Ex illis commentariis quos diximus Ioſephus ſua depromſit.

AD MACCABAICVM II.

MVlti ſemper in Cyrenaïca regione vixere Iudæi, ut ex Ioſepho apparet XIV. 13. XVI. 10. Antiquæ Hiſtoriæ, Belli verò Iudaïci VII. 38. Actorum II. 10. Ibi qui habitabant aut habitaverant Iudæi Κυρηναῖοι dicebantur, ut Matthæi XXVII. 32. Marci XV. 21. Lucæ XXIII. 26. Horum fuit Iaſon, id eſt, ישוע, Ἰησοῦς, qui libris quinque complexus eſt res illas quæ Iudæis evenere ſub Seleuco filio Antiochi Magni, & deinde eas quas jam in primo Maccabaïco legimus, ad Regnum uſque Antiochi Eupatoris, ut videmus infrà II. 20. & ampliùs dicemus infrà XII. 2. Ex hoc Iaſone vir ſanè diſertus, cujus nomen ad nos non pervênit, fecit Compendium, quod incipiet capite mox III. 1. præfatio verò capite II. 20. Huic Compendio addidit Breviator ea quæ contigere ad mortem uſque Nicanoris. Verùm huic & narrationi & præfationi Scriptor præponendas cenſuit Epiſtolas duas quas Iudæi Hieroſolymis agentes ad Iudæos in Ægypto agentes ſcripſerant. Eas habuit aut ex archivis Alexandrinæ Iudæorum Synagogæ, aut ex Callinico Sutorio, qui Alexandrinas hiſtorias decem complexus libris, ut ait Suidas, in iis Iudaïca horum temporum latè tractaverat, ut nos docet Hieronymus præfatione ad Danielem. Eſt autem hoc Compendium ſcriptum eâ libertate ut modò verba Iaſonis ferme ſubſequatur, modò ſaltuatim maximè ad rem viſa pertinere decerpat.

CAPVT I.

1. F*Ratribus qui ſunt per Ægyptum*] Hinc ad comma 6. nihil aliud eſt quàm ſalutatio in limine Epiſtolæ. Indè incipit Epiſtola.

7. *Regnante Demetrio*] Nicatore, cujus partes contra Tryphonem Iudæi tunc ſequebantur.

Anno centeſimo ſexageſimo nono] A Seleuci initio, ut mos erat putare tempora. Scripta hæc Epiſtola anno ante decretum factum in honorem Simonis, cujus mentio 1 Maccabæorum XIII. 41.

Nos Iudæi ſcripſimus vobis] Iam antè temporibus Antiochi Illuſtris.

In tribulatione & impetu] In Græco, ἐν τῇ θλίψει καὶ ἐν τῇ ἀκμῇ. Eſt autem ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*], pro ἐν τῇ ἀκμῇ τῆς θλίψεως, *in ſummis calamitatibus*.

Ex quo receſſit Iaſon] *Receſſerat.*

A ſancta terra] A fide quam patriæ debebat.

Et à Regno] Ab amicitia Regum Ægypti. Vide Ioſephum XII. 4. & 6.

8. *Portam ſuccenderunt, ac effuderunt ſanguinem innocentem*] *Quomodo portas incenderint, & ſanguinem innocentem effuderint*, Macedones.

Et oravimus ad Dominum, & exauditi ſumus] *Et quomodo ad Deum preces fecerimus, exauditíque fuerimus.*

Et obtulimus ſacrificium] *Quomodo* repurgato Templo *obtulerimus ſacrificium*, holocauſtum proſperitatis & laudis, 1 Maccab. IV. 56.

Et ſimilaginem] Id eſt, מנחה. Vide Levit. II.

Et accendimus lucernas] Ἧψάν τε φῶτα ἐπὶ τὰς λυχνίας [*accenderunt lumina in lucernis*], Ioſephus XII. 11. unde dies hic dictus φώτων [*Luminum*].

Et propoſuimus panes] Ἄρτους ἐπὶ τὴν τράπεζαν ἐπέθηκαν [*panes in menſa poſuere*], Ioſephus dicto loco.

9. *Et nunc*] *Propterea nunc quoque.*

Frequentate] Ἄγητε, *celebrate.*

Dies ſcenopegiæ menſis Caſleu] In Hebræo fuerit ימי חנכה [*dies Encæniorum*], quomodo vocari hi dies ſolebant. Sed Græcus Interpres dixit σκηνοπηγίας [*Tabernaculorum*], quia dies hi pari lætitiâ peragebantur, qua ἡ σκηνοπηγία, quod clarè explicatur infrà 18. & x. 6. Neque minùs his diebus quàm illis rami manibus ferebantur, infrà x. 7. Satis autem ſignificavit σκηνοπηγίαν [*diem Tabernaculorum*] à Moſe inſtitutam hîc non intelligi. Ea enim in menſem Tiſri incidebat, qui Septembri ferme reſpondet, hic in menſem *Caſleu* ſive Χεσλεῦον, qui ferme Novembri.

10. *Anno centeſimo octogeſimo & octavo*] Hæc altera eſt Epiſtola, nullius nomen Regis præferens, liberâ jam Republicâ.

Et Iudas]. Hic *Iudas* aliquis eſt Iohannis Hyrcani cognatus, ejuſque vicem gerens, Iohanne Hyrcano in Syros hoſtes bellante. Vide Ioſephum XIII. 16. 17.

Ariſtobulo] Hoc nomen non ex vicinitate ſoni, ſed ex paritate ſignificationis factum eſt de Hebræo Græcum. Hebræum nomen eſt יעוץ, quod exſtat 1 Paralipomenôn VIII. 10.

Magiſtro] Nempe in ſtudiis Philoſophicis, quibus hunc Ariſtobulum excelluiſſe tradit Euſebius Præparat. VIII. 3.

Ptolemæi Regis] *Phyſconis* dicti, prioris hoc nomine, qui Euſebio etiam Euergetes, alterius Euergetæ ſucceſſor, coævus Antiochis Grypo & Cyziceno. At Euſebius mirâ inconſtantiâ Ariſtobulum modò Philadelphi, modò Philometoris magiſtrum vocat. Philadelphi hunc fuiſſe magiſtrum, cujus hoc loco fit mentio, putavit & Clemens Alexandrinus Strom. V.

Qui eſt de genere chriſtorum Sacerdotum] Id eſt, Summorum, ex Aarone & filiis ejus Dei juſſu unctis, Exodi XL. 13.

11. *De magnis periculis à Deo liberati*] Repetunt memoriam rei quanquam pridem geſtæ, nè ulla tam ingentis à Deo beneficii obreperet oblivio.

Adverſùs talem Regem] Tam ſævum atque impium, Antiochum Illuſtrem.

12. *Ipſe enim ebullire fecit de Perſide*] Illud *de Perſide* extra Græcum non malè adjecit Interpres. Senſus enim eſt, Qui in nos è Perſide tot immiſit exercitus, ipſe in Perſide interiit, Idololatra in Idoleo.

13. *In Templo Nannææ*] Deæ matris, ut explicavimus ad 1 Maccabæorum VI. 1. 2. 3. Perſæ quidem veteres Templa non habuerant, ut & nos alibi diximus: ſed poſtquam Macedonibus paruere, imitati ſunt hac in re Macedonum mores, retentis deorum ſuorum nominibus.

14. *Etenim cum ea habitaturus*] Συνοικήσων. Dicitur id de conjugibus. Senſus eſt, Veniſſe Antiochum, quaſi ducturus eſſet Nannæam.

Dotis nomine] Sic Antonius cùm ei Athenienſes Minervam ſuam deſpondiſſent, *dotis nomine eis imperavit mille talenta.* Seneca pater in Suaſoriarum prima.

15. *Sacerdotes Nannææ*] In Græco, τοῦ Ναναίου. Scribendum τοῦ Ναναιείου, ſupple *templi.*

16. *Apertóque occulto aditu templi*] *Occultâ januâ laquearium.*

Percuſſerunt Ducem] *Fulminarunt* in Græco. Sed hæc aliter Ioſephus, & ipſe Iaſon Cyrenæus.

18. *Facturi igitur quintâ & vigeſimâ die Caſleu purificationem Templi*] Μέλλοντες ἄγειν, id eſt, *celebraturi Purificationem*, id eſt, memoriam Templi repurgati, diebus ſolennibus. Vide dictum locum 1 Maccabæorum IV. 59. & Ioſephum XII. 11.

Vt & vos quoque agatis diem Scenopegiæ] In Græco, ὡς σκηνοπηγίας, *velut Tabernaculorum*: quod optimè convenit cum explicatione data ſuprà 9. Sic & infrà x. 6. σκηνωμάτων τρόπον [*ad imitationem feſti Tabernaculorum*].

Et diem Ignis qui datus eſt quando Nehemias ædificato Templo & altari obtulit ſacrificia] Id eſt, *quaſi diem Ignis.* Nam ὡς [*tanquam*] repetitur ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto*]. Is dies ſacrificiorum Nehemiæ congruebat cum σκηνοπηγίᾳ [*tempore feſti Tabernaculorum*], ut videre eſt Nehem. VIII. Cogitandum verò etiam atque etiam an non quæ hîc ſequuntur ad uſque II. 19. ſint παρεμβεβλημένα [*interjecta*]. Confer, ſi libet, & Nehemiam & Ieremiam.

19. *In Perſidem*] Sic Iudæi, cùm ſub Regibus Perſis viverent, appellare didicerant omnia quæ ſunt trans Euphratem.

In valle ubi erat puteus altus & ſiccus] In Græco, ἐν κοιλώματι φρέατος τάξιν ἔχοντος ἄνυδρον, pro quo eruditi rectè monent ſcriptum olim fuiſſe βάσιν ἔχοντος ἄνυδρον [*in cavo putei in quo ſiccus erat fundus*]· quod probo.

23. *Dum conſummaretur ſacrificium*] Δαπανωμένης τῆς θυσίας. Ità voce δαπανᾶσθαι hic Scriptor utitur & infrà 32. & II. 10. נאכל.

25. *Qui feciſti patres electos*] Feciſti eos gentem tibi propriam.

Et ſanctificaſti eos] Egregiis inſtitutis ac ritibus.

27. *Congrega diſperſionem noſtram*] Iudæos extra patriam diſperſos. Διασπορὰ, נדח, Deuter. XXX. 4. Nehemiæ I. 9. Pſalmo CXLVII. 2.

34. *Fecit ei Templum*] *Rex locum obſepiens ſacrum eſſe voluit.*

Vt probaret quod factum erat] *Poſtquam rem exploraverat.*

35. *Et cùm probaſſet, Sacerdotibus donavit multa bona, & alia atque alia munera, & accipiens manu ſuâ tribuebat eis*] Καὶ οἷς ἐχαρίσατο ὁ βασιλεὺς πολλὰ διάφορα ἐλάμβανε καὶ μετεδίδου. Sed legendum ὡς ἐχρήσατο. *Et iis quorum operâ* (ad explorandam rei veritatem) *Rex erat uſus, multas pecunias acceptas* (in manus ſuas) *elargitus eſt.* διάφορα ſunt *pecuniæ*, ut & infrà III. 6. Sirach. VII. 19. XXVII. 1.

36. *Appellavit autem Nehemias*] In Græco, *Qui cum Nehemia erant.* Sed Græci ità & unum & plures denotare ſolent.

Nephthar] Pro Νέφθαρ lege Νέχφαρ [*Nechphar*], נכפר.

Vocatur autem] Nunc ſcilicet.

A pluribus] A plebe quæ vocabula ſolet corrumpere.

Nepha] Νέφθαρ, *Nephthar*, corruptè, ut diximus.

CAPVT II.

1. *Inveniutur autem*] Continuatur ſermo præcedens.

Vt ſignificatum eſt] Id eſt, ut ſuprà diximus I. 19.

2. *Et dedit illis legem*] Monita. Vide Ieremiæ II. & III.

4. *Erat autem in ipſa ſcriptura*] *In illa ſcriptura*, de qua cœpit dicere ſuprà 1. Nihil de tali ſcripto Iudæis innotuit.

Comitari ſecum] Solet ἀκολουθεῖν dici etiam de rebus inanimis, ut 1 Corinth. x. 4.

Ad montem] De quo Deuteronomii XXXII. 49.

7. *Donec congreget Deus congregationem populi*] Hebræa locutio, pro *congreget populum.*

8. *Et apparebit majeſtas Domini, & nubes erit, ſicut & Moſi manifeſtabatur*] Exodi XXXIV. 5.

Et ſicut cùm Salomon petiit ut locus ſanctificaretur magno Deo, manifeſtabat hæc] 1 Regum VIII. 11. legit μεγάλῳ [*magno*], non μεγάλως [*valde*].

9. *Magnificè etenim ſapientiam tractabat*] Ità expoſuit Græcum, διεσαφεῖτο δὲ, *apparuit quis vir eſſet.*

Obtulit ſacrificium dedicationis & conſummationis Templi] 1 Regum VIII. 62. & ſequentibus.

10. *Sicut & Moſes orabat ad Dominum, & deſcendit ignis de cœlo*] Id eſt, *Moſe orante Dominum, deſcendit ignis de cœlo,* Levitici IX. 23. 24.

Sic & Salomon oravit, & deſcendit ignis de cœlo, & conſumſit holocauſtum] Id eſt, *Sic & Solomone orante ignis de cœlo deſcendit, qui conſumeret holocauſtum,* II Paralipomenôn VII. 1.

11. *Et dixit Moſes, Eò quòd non ſit comeſtum quod erat pro peccatis, conſumtum eſt*] Tangitur hiſtoria quæ eſt Levitici X. 16. 17. 18. 19. 20.

12. *Celebravit dedicationem*] Hîc *dedicationem* non malè Latinus addidit ſenſui implendo.

13. *Inferebantur autem*] Ἐξηγοῦντο, *narrabantur.*

In deſcriptionibus] In Annalibus.

Et commentariis] In Diurnis.

Et ut conſtruens bibliothecam] In ipſo Templo.

Congregavit de regionibus libros] Τὰ περὶ τῶν βασιλέων, *libros de Regibus*, de Saüle, Davide, Solomone, aliiſque Iudææ & Iſraëlis Regibus, unde Eſdras fecit Paralipomena.

Et Prophetarum] Majorum & minorum voluminum.

Et David] Pſalmos.

Et epiſtolas Regum & de donariis] Alterum *&* hîc abundat, ut ex Græco apparet. Senſus eſt, *Repoſitas in eandem bibliothecam & Regum epiſtolas cum donariis miſſas*, unde apparebat quid quiſque Templo donaſſet.

14. *Similiter & Iudas*] Maccabæus.

Quæ deciderant congregavit omnia] *Quæ per bellum disjecta erant, recollegit.* Ità in Græco.

16. *Acturi itaque purificationem*] Vt ſuprà I. 18.

17. *Et reddidit hereditatem omnibus*] Bona cuique avita.

Et Regnum] Ità appellat ἐθναρχίαν [*principatum gentis*]. Nam Hebræis ut מלך [*Rex*], ità מלכות [*Regnum*] ſæpe laxiùs ſumitur.

Et Sacerdotium] In familia Aſmonæorum.

Et ſanctificationem] Sacra Templi.

18. *Sicut promiſit in Lege*] *Sicut promiſerat*, pœnitentiam acturis, Deuteronomii XXX.

Speramus quòd citò noſtri miſerebitur] Liberabit nos à Macedonibus aliiſque hoſtibus, quorum mentio apud Ioſephum XIII. 16. 17. 18.

Et congregabit de ſub cœlo in locum ſanctum] Eos nempe qui in Ægypto, Cyrenaïca, & longiùs erant.

19. *Eripuit nos de magnis periculis*] Quæ Maccabaïco primo ad finem uſque recitantur; ac maximè Hyrcanum ex Ptolemæi, qui ſororem ejus duxerat, inſidiis.

Et locum purgavit] Ejecit alienigenas è Templo, Vrbe & Iudæa.

21. *Ad Antiochum Nobilem*] Sic vertere huic interpreti libuit vocem Ἐπιφανῆ, ut &, qui primum Maccabaïcum vertit V. 10.

22. *Et de illuminationibus quæ de cœlo factæ ſunt ad eos*] Viſis cœleſtibus, ut infrà III. 24. V. 2.

24. *Tentavimus uno volumine breviare*] Vt Trogum Iuſtinus.

25. *Conſiderantes enim multitudinem librorum*] Τὸ χύμα τῶν ἀριθμῶν, *latè diſſitos numeros*, id eſt, partes illorum quinque librorum. χύμα, רחב.

Propter multitudinem rerum] Quia multas res ad Iudæos nihil pertinentes admiſcuerat Iaſon ille Cyrenæus.

26. *Curavimus volentibus quidem legere, ut eſſet animi oblectatio, ſtudioſis verò ut faciliùs poſſint memoriæ commendare, omnibus autem legentibus utilitas conferatur*] Nam,

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

27. *Non facilem laborem*]

Pingue ſolum laſſat, ſed juvat ipſe labor.

28. *Sicut hi qui præparant convivium, & quærunt aliorum voluntati parêre*] In Græco, *Sicut convivium paranti, ità & ei qui omnium ſpectat utilitatem, non leve* ſupple *negotium eſt.* Præceſſit enim πρᾶγμα [*negotium*], quod hîc ἀπὸ κοινοῦ [*ex communiter dicto*] repetendum.

Propter multorum gratiam libenter laborem ſuſtinemus] *Attamen ut de multis bene mereamur, libenter laborem tolerabimus.* εὐχαριστίαν τῶν πολλῶν eſt per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*] *bene meritum de multis.* Sic vocem εὐχαριστιῶν etiam Paulus uſurpat II Corinthiorum IX. 12.

29. *Veritatem quidem de ſingulis auctoribus concedentes*] *Minutim cuncta referre auctori concedentes.* Iaſoni Cyrenæo honorem hunc relinquimus, quòd cuncta penſiculatè exſecutus ſit: id enim eſt διακριβοῦν. Ariſtoteles, τοσοῦτον περὶ αὐτῶν εἰρήσθω· διακριβῶσαι γὰρ μεῖζον τοῦ προκειμένου ἐστίν [*hactenus de iis dixiſſe ſufficiat: nam exactè exſequi non eſt hujus inſtituti*].

Ipſi autem ſecundùm datam formam brevitati ſtudentes] In Græco, τὸ δὲ ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογραμμοῖς τῆς ἐπιτομῆς ἀπονοοῦντες· ubi legendum putem ἐπινοοῦντες, *ipſi propoſitum habentes inſiſtere lineis breviario convenientibus.* ὑπογραμμοὶ formam ſignificant *cuique rei convenientem.*

30. *De univerſa ſtructura curandum eſt*] Καταβολὴ propriè de ædificiis dicitur Hebræorum VI. 1. unde & ad mundum fit tranſlatio, tanquam Dei ædificium, Matthæi XIII. 35. & alibi.

Ei verò qui pingere curat] *Ei verò qui encauſtum aut picturam moliatur.* Encauſtum fiebat pictorum cauteriis ſive ceſtris in cera vel ebore. Martialis,

Encauſtus Phaëton tabulâ tibi pictus in hac eſt.
Quid tibi vis dipyrum qui Phaëtonta facis?

Seneca in Controverſia de Parrhaſio, Πῦρ καὶ ἄνθρωπος, Προμηθεῦ, τὰ σά σε δῶρα βασανίζει [*Ignis & homo, Prometheu, tua te munera cruciant*]· &, ἐν πίνακι διαπύρῳ ζωγραφοῦνται [*pinguntur in tabula ignita*]. Plinius & opus tale *encauſtum* vocat, ut & Vitruvius.

Quæ apta ſunt ad ornatum] Τὰ ἐπιτήδεια πρὸς διακόσμησιν, *quæ pertinent ad perornationem*, ſui ſcilicet operis, non ædificii totius. Ille nihil aliud ſpectat, niſi imaginem qualem concepit animo. Sic & Breviator.

31. *Etenim intellectum colligere & ordinare ſermonem, & curioſiùs partes ſingulas quaſque diſquirere hiſtoriæ congruit auctori*] In Græco, *Ità* arbitror *ſpatiari & ſermonem ambulatum ducere, & in particulis quibuſvis ſollicitam adhibere diligentiam, officium eſſe ejus qui hiſtoriam aliquam primus ſcribat.*

32. *Brevitatem verò dictionis ſectari, & executiones rerum vitare, brevianti concedendum eſt*] *Ei verò qui tranſcriptionem* (compendioſam) *faciat, permittendum ut dictionis compendia ſectetur, operoſam verò negotii cujusque perſecutionem omittat.*

33. *Stultum enim eſt*] Sit.

Ante hiſtoriam effluere] Abundare verbis.

In ipſa autem hiſtoria ſuccingi] *Ipſam autem hiſtoriam contractam dare.*

CAPVT III.

1. I*Gitur*] Hæc vox deeſt in Græco.

Cùm ſancta civitas habitaretur in omni pace] Maximè operâ Ioſephi filii Tobiæ. Vide Ioſephi Annales XII. 4.

Propter Oniæ Pontificis pietatem] *Oniam* intellige Simonis filium illius cujus laus eſt apud Sirachiden. Hic eſt is Onias ad quem ſcripſit Rex Lacedæmoniorum, Ioſepho teſte XII. 5. fortè idem cujus hoc monumentum eſt inter Inſcriptiones à Grutero editas, Αἰμαθίονι υἱῷ γλυκυτάτῳ Ὠνείας ἀρχιερεὺς καὶ προφήτης [*Æmathioni filio dulciſſimo Onias Summus Pontifex & Propheta*]· ubi Αἰμαθίων eſt אביתי, quod nomen fuit Ionæ patri. *Propheta* autem vox ſumenda hîc, non in maximè recepto ſignificatu (ceſſabat enim illis temporibus Prophetia) ſed ut *Legis doctorem* ſignificet, quomodo eam vocem interpretatur Chaldæus tum alibi, tum Ieremiæ XXVI. 11.

2. *Vt & ipſi Reges & Principes locum ſummo honore dignum ducerent*] Vrbem Hieroſolyma. Vide Ioſephum dicto libro cap. 2. 3. 4. 5.

Et Templum maximis muneribus illuſtrarent] Præſertim Ptolemæus Philadelphus, ut videre eſt dicto Ioſephi capite 2.

3. *Ità ut Seleucus ille reditibus ſuis præſtaret omnes ſumtus ad miniſterium ſacrificiorum pertinentes*] *Seleucus* hîc intelligendus Antiochi Magni filius, frater autem major illuſtris Antiochi. Imitatus ergò hac in re fuit hic Seleucus Antiochi Magni patris ſui liberalitatem, cujus epiſtola à Ioſepho recitata XII. 3. inter alia hæc continet, Πρῶτον μὲν αὐτοῖς ἐκρίναμεν διὰ τὴν εὐσέβειαν παρασχεῖν τὴν εἰς τὰς θυσίας σύνταξιν, κτηνῶν τε θυσίμων, καὶ οἴνου, καὶ ἐλαίου, καὶ λιβάνου, ἀργυρίου τιμὴν μυριάδων β′, καὶ σεμιδάλεως ἀρτάβας ἱερὰς κατὰ τὸν ἐπιχώριον νόμον πυρῶν μεδίμνους αυξ′, καὶ ἁλῶν μεδίμνους τοέ. ubi legendum videtur ἀρτάβας ἱερὰς ς′. [*Primùm pietatis causâ decrevimus illis exhibere quæ ad ſacrificia opus ſunt, de pecudibus quæ ſacrificari ſolent, de vino, de oleo, de thure, ad pretium argenteorum vicies mille, ſimilæ artabas ſacras ſecundùm regionis iſtius morem ſex, tritici medimnos mille quadringentos ſexaginta, ſalis medimnos trecentos ſeptuaginta quinque*].

4. *Simon autem de Tribu Benjamin*] Vnus Tobiæ filiorum, ut ex Ioſepho colligimus dicto capite 5.

Præpoſitus Templi conſtitutus] Προστάτης τοῦ ἱεροῦ, non eſt ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Prætor Templi*], de quo Lucas XXII. 4. 52. Actorum IV. 1. V. 24. ſed eſt *Templi Advocatus*, qui Templi jura apud Reges & regios Magiſtratus defendebat, quales Chriſtiani Græci ἐκδίκους, Latini *Defenſores* vocabant, ut videre eſt Synodo Carthag. Canone LXXV. Novellâ Iuſtiniani LVI. & alibi.

Contendebat, obſiſtente ſibi Principe Sacerdotum, iniquum aliquid in civitate moliri] Legit in Græco, quomodo eſt in Sixtina, διηνέχθη τῷ ἀρχιερεῖ περὶ τῆς κατὰ τὴν πόλιν παρανομίας [*diſſidium habuit cum Pontifice Maximo ob malefacta in Vrbe*]. At mihi verior videtur aliorum librorum lectio, ἀγορανομίας. ἀγορανομίαν more Græco vocat *præfecturam urbicam.* Erant autem duo ἀγορανόμοι, primus alter, alter ei additus, ut videre eſt Nehemiæ XI. 9. Hunc magiſtratum cùm ambiret Simon Benjaminites (conſtabat enim civitatis magna pars ex Benjaminitis) repulſam tulit, obſtante ſibi auctoritate principis Sacerdotis.

5. *Venit ad Apollonium Tharſeæ filium, qui eo tempore erat Dux Cæleſyriæ & Phœnices*] Dux, id eſt, Præfectus. In hac præfectura erat & Samaria, I Maccabæorum III. 10. Ioſephus X. 10.

6. *Ærarium Hieroſolymis*] Τὸ ἐν Ἱεροσολύμοις γαζοφυλάκιον. הקרבן. Vide quæ ad Marcum XII, 41.

Et communes copias immenſas eſſe] Ὥστε τὸ πλῆθος τῶν διαφόρων ἀναρίθμητον εἶναι, *ità ut ingens ſit copia nummorum.* Vox διαφόρων hîc ſumitur ut ſuprà I. 35.

Quæ non pertinent ad rationem ſacrificiorum] Hoc addit, nè videatur ſuadere ſacrilegium.

7. *Heliodorum qui erat ſuper negotia ejus*] *Super pecunias ejus*, id eſt, qui erat γαζοφύλαξ [*gazæ cuſtos*]. Vide quæ dicta ad Danielis XI. 20.

10. *Depoſita eſſe hæc & victualia viduarum & pupillorum*] *Et victualia* addidit Interpres. Mos vetus omnium propè gentium in Templis deponere quæ bene ſervata vellent. Hinc illa quæſtio apud Rhetores, *Sítne ſacrilegus qui pecuniam privatam ex templo furatus eſt:* de qua Quintilianus III. 8. Sopater Controverſiâ CCCXXIX. Martianus L. *Divi.* D. De Peculatu: ubi depoſitarum rerum ſpeciatim fit mentio. Hinc initium Perſarum Æſchyli.

Τάδε μὲν Περσῶν τῶν οἰχομένων
Ἑλλάδ᾽ ἐς αἶαν πιστὰ καλεῖται.
[*Res depoſitas hîc à Perſis,*
Qui ſola Græcûm petiere, vides.]

Quod de Phrynichi Perſis deſumtum notant Græci Scholiaſtæ.

11. *Quædam verò eſſe Hyrcani Tobiæ viri valde eminentis, in his quæ detulerat impius Simon*] Filius Ioſephi illius quem laudat hiſtoriæ Scriptor Ioſephus XIV. 4. ubi & de hoc Hyrcano hiſtoria eſt memorabilis. Quare ad *Tobiæ* hîc ſubintelligendum *nepoti.*

12. *Decipi verò eos*] Ἀδικηθῆναι, *injuriâ affici.*

Omnino impoſſibile eſſe] *Rem fore indigniſſimam.* Sic & Romani Iuriſconſulti *impoſſibilia* vocant ea quæ honeſtè fieri non poſſunt.

15. *Sacerdotes autem ante altare cum ſtolis ſacerdotalibus jactaverunt ſe*] Similis eſt διατύπωσις [*Depictio*] in tertio Maccabaïco, & in Philone De Legatione, & Adverſùs Flaccum.

Qui de depoſitis legem poſuit] Exodi XXII. 7. & ſequentibus.

18. *Pro eo quòd in contemtum locus eſſet venturus*] *Quia propè erat ut locus ille* (Templum) *contemtui exponeretur.* Sic μέλλειν ſæpe ſumunt Græci. Sic & ſuprà I. 18. II. 16.

19. *Virgines quæ concluſæ erant*] Αἱ κατάκλειστοι. Expreſſit vim vocis Hebrææ עלמות. Apparet id ex tertio Maccabaïco, ubi additur ἐν θαλάμοις [*in thalamis*]. ubi *thalami* ſic dicuntur quomodo apud Virgilium,

Ferreïque Eumenidum thalami.

Virgines honeſtè continebantur intra παρθενῶνα [*conclave virginum*]. Vide quæ diximus ad Matth. I. 23.

Quædam verò per feneſtras aſpiciebant] Διέκυπτον, voce admodum propriâ in hac re, ut patet Iudicum V. 28. II Samuelis VI. 16. II Regum IX. 30.

21. *Erat enim miſera commiſtæ multitudinis, & Magni Sacerdotis in agone conſtituti exſpectatio*] In Græco, *Erat miſeratione digna vulgi paſſim proſtratio, & exſpectatio de Summo Sacerdote, qui tunc maximè decertabat.*

24. *Sed Spiritus omnipotentis Dei magnam fecit ſuæ oſtenſionis evidentiam*] In Græco, *Sed ſpirituum* (id eſt, Angelorum, ut Hebræorum I. 14. & alibi) *& omnis poteſtatis* (etiam Regiæ) *Dominator magnum fecit oſtentum.* Ἐπιφάνεια non ſemper de *oſtento* ſumitur, ſed ſæpe pro quavis *Dei efficacia.* Sed hîc rectè uſurpari poteſt vox *oſtenti*, ob ſequentia.

Qui auſi fuerant parêre ei] *Convenire eò*, ad Heliodorum ſcilicet.

In diſſolutionem & formidinem] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expoſitum*], id eſt, *corporis debilitatem ex formidine.*

25. *Terribilem habens ſeſſorem*] Angelum aliquem ex præcipuis.

Optimis operimentis adornatus] Καλλίστῃ σάγῃ διακεκοσμημένος, *optimo ſagmate inſtratus.* Eſt vox σάγης apud Ioſephum alibi, & Suidam. Sed *ſagma* uſitatius & Latinis & Græcis.

Cum impetu Heliodoro priores calces eliſit] Scripſit Interpres *illiſit*, ἐνέσεισε. Pro *calces* quoque in Græco eſt *ungulas.* Simile illud apud Euripidem Phœniſſis,

——— πῶλοι δέ νιν
Χηλαῖς τένοντας ἐξεφοίνισσον ποδῶν.
[——— — ——— *equûm*
Cùm fortè ſummos ſauciat greſſus pedes.]

Videbatur arma habere aurea] Signum majeſtatis.

26. *Alii autem apparuerunt duo juvenes*] Stipatores illius præcipui, ut Geneſeos XVIII. 2.

Virtute decori] *Spectabiles robore* corporis.

Optimi gloriâ] Id eſt, decore vultus.

27. *In ſella geſtatoria poſitum*] Εἰς φορεῖον. In Gloſſis φορεῖον, *lectica, feretrum.* Vide Cantici III. 9.

28. *Nullo ſibi auxilium ferente*] *Extra omne ab armis* (ſuorum) *auxilium* conſtitutum. Quanquam illud ἐν ὅπλοις [*in armis*] abeſſe commodè poteſt, ſicut abeſt à Græco Sixtino.

31. *Et vitam donaret ei*] *Impetraret.*

Ei qui in ſupremo ſpiritu erat conſtitutus] Animam agenti.

32. *Conſiderans autem Summus Sacerdos*] Metuens.

Malitiam aliquam] *Maleficium*, κακοεργίαν. *Malefici* propriè dicuntur illicitæ magiæ ſe miſcentes, C. De Maleficis, in rubrica, & L. *Nemo*, & L. *Etſi.*

Obtulit pro ſalute viri hoſtiam ſalutarem] Hoc *ſalutarem* ad ſenſum bene addidit Interpres, ut intelligeretur fuiſſe ejus generis ſacrificium quod Hebræi שלם vocant, Græci σωτήριον.

33. *Cúmque Summus Sacerdos exoraret*] Ποιουμένου τοῦ ἀρχιερέως τὸν ἱλασμὸν, *dum Sacerdos Summus Deum propitiat.* Vox ἱλασμοῦ [*propitiationis*] non de ſacrificiis tantùm pro peccato, ſed & de aliis uſurpatur.

Nam propter eum Dominus tibi condonavit] Simile vide Iobi XLII. 8.

34. *Non comparuerunt*] Ἀφανεῖς ἐγένοντο. Sic ἄφαντος ἐγένετο [*evanuit ex oculis eorum*] Lucæ XXIV. 31.

35. *Hoſtia Deo oblata*] Laudis. תודה.

38. *Eò quòd in loco ſit verè Deï quædam virtus*] Simile Exodi VIII. 19.

39. *Viſitator*] Ἐπόπτης dicitur *is qui curam alicujus gerit*, פקיד.

CAPVT IV.

2. *PRoviſorémque Civitatis*] Εὐεργέτην, id eſt, *virum optimè de civitate meritum.* Sic Simon dictus εὐεργέτης Ἰουδαίων [*de Iudæis optimè meritus*], Ioſepho teſte XIII. 12.

Et æmulatorem Legis Dei] ζηλωτὴν τῶν νόμων, *ardenter ſtudioſum legum Divinarum.*

4. *Ad Regem*] Seleucum, de quo ſuprà.

5. *Non ut civium accuſator*] Non ut noceret cuiquam, ſed ut prodeſſet publico, quod ſine quorundam noxa abire non poterat.

7. *Qui Nobilis appellabatur*] Vide ſuprà II. 21.

Iaſon] Hebræis יהושע, ut antè diximus.

Frater Oniæ] עניה, qui ſe inter Græcos *Menelaum* dixit.

9. *Gymnaſium*] Vide 1 Maccabæorum 1.15. Ludos gymnicos inter ea quæ Herodes in Iudæam contra avitos mores induxit, ponit Ioſephus Antiquitatum XIII.

Et ephebiam] Ἐφηβίαν. Sed legendum videtur ἐφηβεῖον, quo modo Vitruvius vocat locum in quo exercebantur ephebi.

Et eos qui in Hieroſolymis erant Antiochenos ſcribere] Quoſdam amicos ſuos donare civitate Antiochenâ, qui magnus habebatur honos eo tempore, cùm Antiochia princeps eſſet urbium.

10. *Et obtinuiſſet principatum*] Τῆς ἀρχῆς κρατήσας· ubi ἀρχῆς eſt τῆς ἀρχιερωσύνης [*Sacerdotium ſummum*].

Ad Gentilem ritum contribules ſuos transferre cæpit] Ἐπὶ τὸν ἑλληνικὸν χαρακτῆρα τοὺς ὁμοφύλους μετῆγε. *Ad inſignia Græcæ religionis populares ſuos traduxit.*

11. *Et amotis his quæ humanitatis causâ Iudæis à Regibus fuerant conſtituta*] *Quæ benignè à Regibus fuerant indulta Iudæis*, putà ut ſuis moribus ritibúſque viverent, ut ſumtus ad ſacrificia fierent à Regibus, ut alienigenæ Templi liminibus arcerentur, & ſimilia.

Per Ioannem patrem Eupolemi] Nominantur & pater & filius 1 Maccabæorum VIII. 17.

Qui apud Romanos de amicitia & ſocietate functus eſt legatione] Hîc ponendum comma: nam quod ſequitur *legitima* ad ſequens comma pertinet. Patrem denotat ex filio, qui ob geſtam poſtea legationem notiſſimus erat omnibus. Hinc diſcimus Scriptorem aliquo certè tempore poſt mortem Nicanoris vixiſſe.

Prava inſtituta ſanciebat] Legi Divinæ repugnantia, παρανόμους θεσμούς.

12. *Sub ipſa arce gymnaſium conſtituere*] Prope locum ubi regia fuerat Davidis.

Et optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere] In Græco, τοὺς κρατίστους τῶν ἐφήβων ὑποτάσσων ὑπὸ πέτασον ἦγεν, *& pulcherrimos epheborum ſubjiciens* (legibus ephebei) *ſub petaſo ductavit.* πέτασος τῶν ἐφήβων φόρημα [*petaſus geſtamen epheborum*] Polluci. Sic Caſtores pileati in imaginibus Arateis & aliis.

13. *Erat autem hoc non initium, ſed incrementum quoddam & profectus Gentilis & alienigenæ converſationis*] In Græco, *Erat autem is vigor Græcitatis, ac proceſſus ad peregrina inſtituta.* ἀκμὴ hîc ſumitur ut ſuprà 1. 7. *Gymnaſiis indulgent Græculi*, ait Plinius in Epiſtolis.

Propter impii & non Sacerdotis Iaſonis] Indigni qui Sacerdos diceretur, ſacrorum à Deo inſtitutorum contemtor ac violator.

14. *Participes fieri palæſtræ & præbitionis ejus injuſtæ*] Τῆς ἐν παλαίστρᾳ παρανόμου χορηγίας, *impenſæ illegitimæ quæ in palæſtram fiebat.* Omnis impenſa in ludos aut exercitia dicitur Græcè χορηγία. Hanc qui faciebant in gymnaſia dicebantur Γυμνασίαρχοι, honoris vocabulo. Vlpianus ad orationem Demoſthenis in Leptinen, Γυμνασίαρχός ἐστιν ὁ παρέχων τοὔλαιον τοῖς γυμναζομένοις. Γυμνάσιον γὰρ τὴν παλαίστραν ἐκάλουν [*Gymnaſiarchus eſt qui oleum præbet iis qui exercentur. Gymnaſium enim vocabant palæſtram*]. Philo in Flaccum, εἰς τὴν οὐσίαν ἐπηρεάσθην φάσκων, ἠναγκάσθη γὰρ γυμνασιαρχεῖν [*dicens in facultatibus ſe vexari. Cogebatur enim ad gymnaſium ſumtus præbere*]. Conſtitutione Pii Imperatoris Medici immunitatem accepere à Gymnaſiarchiis. Sic Modeſtinus in Græco L. *Si duas.* D. De Excuſationibus.

Et in exercitiis diſci] Μετὰ τὴν τοῦ δίσκου πρόκλησιν, *poſt certamen quod diſco fiebat.* Ejus certaminis deſcriptionem habes apud Ovidium X Metamorphoſeos, & Statium libro VI.

15. *Et patrios quidem honores nihil habentes,*] *Nihili ducentes* etiam ipſum Sacerdotium.

Græcas glorias optimas arbitrabantur] Titulos γυμνασιάρχου, ἀγωνοθέτου [*Gymnaſiarchi, Agonothetæ*], & ſimiles.

16. *Quarum gratiâ periculoſa eos contentio habebat*] *Qua ex re etiam gravis eos deprehendit calamitas.* Sæpe Polybius vocem περιστάσεως eo ſenſu uſurpat, ſed & alii.

Et eorum inſtituta æmulabantur, ac per omnia his conſimiles eſſe cupiebant, quos hoſtes & peremtores habuerant] In Græco aliter, *Quorum enim mores imitabantur, & quibus ſtudebant per omnia eſſe ſimiles, eos hoſtes & punitores experti ſunt.* Par ſenſus Ezechielis XVI. 37.

17. *Sed hoc ſequens tempus declarabit*] Id eſt, narratio temporum hæc ſequentium.

18. *Cùm autem quinquennalis agon Tyri celebraretur*] Apud Græcos notiſſimus agon Olympicus, dictus *quinquennalis*, quod anno quinto fieret. Ad id exemplum inſtituti & alibi agones Olympii. Sic erant Olympia Alexandriæ, teſte inſcriptione vetere, & Athenienſia, inſtituta ab Adriano, teſtibus Euſebio & Xiphilino.

Et Rex præſens eſſet] Antiochus Illuſtris.

19. *Ab Hieroſolymis viros peccatores*] *Theoros ab Hieroſolymis, quaſi Antiochenſes*, id eſt, Hieroſolymitas jure civitatis Antiochenæ donatos, ut ſuprà 9. θεωροὶ Græcè dicuntur ii qui alicunde mittuntur ad ſacra externa; ab ὤρα, quod *curam* ſignificat. Vſurpant ſic Plato, Thucydides, Sophocles, Plutarchus & alii.

Argenti didrachmas trecentas] *Drachmas*, in Græco. Sed puto *trecentas* corruptum pro *ter mille.*

In ſacrificium Herculis] Non vocabatur Tyriis *Hercules*, ſed Μέλκαρτος מלך ארץ [*Rex terræ*], ut nos docet Philo Byblius. Sed Græci ob rerum ſimilitudinem *Herculem* dixere, ac ſic intelligendi

Dius apud Ioſephum, Herodotus Euterpê, Plinius XXXIV. 5. 10. Diodorus Siculus libro XX. Curtius, qui omnes vetuſtiſſimum Tyri fuiſſe Herculis templum nos docent.

Hi qui aſportaverant] Iudæi Iaſone aliquantò religioſiores.

Quia non oporteret, ſed in alios ſumtus eas deputari] Hoc addidit Interpres plenioris intelligentiæ causâ, ut & quod ſequitur, *Sed hæ oblatæ quidem ſunt ab eo qui miſerat, in ſacrificium Herculis; propter præſentes autem datæ ſunt in fabricam navium triremium.*

20. *In fabricam navium triremium*] Scripſit, puto, Interpres, *trierium.* Ità enim Latinè retineri ſolet vox Græca, cùm *triremes* ſint naviculæ quæ tribus remis aguntur; *trieres*, naves quæ tribus remorum ordinibus. τριηράρχημα *ſumtus in trieres* apud Athenienſes.

21. *Propter primates Ptolemæi Philometoris Regis*] Puto Interpretem ſcripſiſſe *primatus.* In Græco, διὰ τὰ πρωτοκλήσια, vel πρωτοκλίσια. Scribendum arbitror πρωτοκούρεια, id eſt, *ad convivium* quod fecerat Rex Ptolemæus, *cùm primùm comam longam deponeret.* Vide 1 Samuelis XIII. 24. Capillos diis vovebant, ut Achilles Sperchio, Athenienſes Dianæ, Earinus Æſculapio. Eo voto liberabant ſe ſolenniter ſacris factis. Sacra ſequebatur convivium.

Cùm cognoviſſet Antiochus alienum ſe à Regni negotiis factum] In Græco, *Cùm cognoſſet Antiochus à rebus ſuis alienum factum Ptolemæum.*

Propriis utilitatibus conſulens] *Securitati ſuæ*, id eſt, poſſeſſionis ſuæ. nam Reges Ægypti Cœlen-Syriam & Iudæam dicebant ad ſe pertinere. Vide Polybium libro V.

22. *Cum facibus*] Μετὰ δαδουχίας, id eſt, ἀπὸ τῶν στεγῶν λαμπάσι δαδουχουμένης τῆς πόλεως, ut de honoribus Antonio, cùm Athenis eſſet, exhibitis loquitur Plutarchus, *facibus per urbem è tectis fulgentibus.*

Et laudibus] Βοῶν, id eſt, *factis acclamationibus.*

23. *Et de negotiis neceſſariis reſponſa perlaturum*] Senſus bonus eſt, ſed verba in Græco habent, *de rebus neceſſariis monita facturum.*

24. *At ille commendatus Regi cùm magnificaſſet faciem poteſtatis ejus*] Ὁ δὲ συσταθεὶς τῷ βασιλεῖ, καὶ δοξάσας αὐτὸν (legam αὑτὸν) τῷ προσώπῳ τῆς ἐξουσίας, quæ ſic interpretor, *Ipſe autem cùm ſe commendaſſet, ac ſpectabilem feciſſet, prætextu poteſtatis acceptæ*, id eſt, legationis, συσταθεὶς. Niphal pro Hithphael [*paſſivum* pro *reciproco*]. Non Hebræi tantùm פנים, & Græci πρόσωπον, ſed & Latini *perſonam* dicunt de eo quod extrinſecus apparet, & ſæpe aliis rebus prætenditur. Addendum hoc exemplis legationum malâ fide obitarum.

Superponens Iaſoni talenta argenti trecenta] *Superponere*, quod *ſuperjacere* apud Senecam, ὑπερβάλλειν Græcè, eſt *licitando aliquem vincere, accendere rei pretium.*

25. *Acceptíſque à Rege mandatis*] Codicillis dignitatis.

Nihil quidem habens dignum Sacerdotio] Sacerdotem maximè decet lenitas, Hebræorum V. 2. Divinæ enim bonitatis præfert imaginem.

26. *Et Iaſon quidem qui proprium fratrem captivaverat*] Ὑπονοθεύσας. Variè accipitur ὑπονοθεύειν, ſed ità ut ſemper malas artes ſignificet. In Gloſſis ὑπονοθεύω, *ſollicito, ſeduco.* Prior ſignificatio locum habet ſuprà 7. poſterior hîc. Circumſcripſerat certè fratrem Oniam Iaſon, cui promiſerat ſe Sacerdotium ſervaturum filio Oniæ, qui & ipſe *Onias* dicebatur; atque interim ſe eo functurum tutorio nomine.

Ipſe deceptus] Ὑπονοθευθεὶς ὑφ' ἑτέρου, *deceptus, ab altero* ſcilicet fratre. Quod fecit fratri, paſſus eſt à fratre altero, viciſſim circumſcriptus.

Profugus in Ammanitem expulſus eſt regionem] Scripſit, puto, Interpres *Ammonitidem*, εἰς τὴν Ἀμμανῖτιν χώραν, Pulſus autem eſt, prævalente per Regiam vim Menelai factione.

27. *De pecuniis verò Regi promiſſis nihil agebat*] *Nihil bene conſtituebat*, οὐδὲν εὐτάκτει.

Cùm exactionem faceret Soſtratus, qui arci erat præpoſitus] *Quanquam flagitante Soſtrato.* De arce vide ſuprà 12.

28. *Nam ad hunc coactio vectigalium pertinebat*] Ἡ τῶν διαφόρων πρᾶξις, *Pecuniarum exactio*, fiſcalium ſcilicet.

29. *Et Menelaus amotus eſt à Sacerdotio, ſuccedente Lyſimacho fratre ejus*] Græcè, καὶ ὁ μὲν Μενέλαος ἀπέλιπε διάδοχον Λυσίμαχον τὸν ἑαυτοῦ ἀδελφόν. Sciendum eſt in hoc Scriptore διάδοχον aut διαδεχόμενον dici *qui vices obit alterius*, ut videre eſt infrà 31. IX. 23. XIV. 26. & II Paralip. XXVIII. 7. Vertendum igitur, *Et Menelaus quidem vicarium reliquit* (per abſentiam ſuam) *fratrem ſuum Lyſimachum.* Vide infrà 39.

Soſtratus autem prælatus eſt Cypriis] Legit, Σώστρατος δὲ ἐκράτησε ἐπὶ τῶν Κυπρίων. Sed nos habemus in libris Græcis omnibus, Σώστρατος δὲ Κράτητα τὸν ἐπὶ τῶν Κυπρίων, *Soſtratus autem* (vicarium ſcilicet habuit) *Crateta qui Cypriis præfuerat.*

30. *Tharſenſes*] In Cilicia ad Cydnum.

Et Mallotas] Mallus itidem in Cilicia prope amnem Pyramum. Meminere Strabo, Plinius.

Eò quòd Antiochidi Regis concubinæ dono eſſent dati] Solebant Reges iſti tota oppida, id eſt, oppidorum reditus, largiri iis quos magni faciebant. Sic Themiſtocli data Magneſia, Lampſacus, Myus, Pereota, Palæſcepſis. Pudebat autem nobiles Ciliciæ civitates peculium fieri regiæ pellicis.

31. *Relicto ſuffecto uno*] *Vicario.* Nam in Græco eſt vox διαδεχόμενον, de qua jam diximus.

32. *Et alia vendiderat Tyri & per vicinas civitates*] Nempe ut indè pecuniam, ex pecunia potentes amicos ſibi compararet.

33. *Quod cùm certiſſimè cognoviſſet Onias*] Hæc planè cum Ioſepho non conveniunt. nam is apertè Oniam Summum Sacerdotem dicit mortuum priuſquam Iaſon ſummum Sacerdotium adipiſceretur. Ioſephus Antiquit. XII. 6.

In loco tuto ſe continens Antiochiæ ſecus Daphnen] In Græco, ἀποκεχωρηκὼς εἰς ἄσυλον τόπον, ἐπὶ Δάφνης τῆς πρὸς Ἀντιόχειαν κειμένης. *Cùm ſeceſſiſſet in aſylum ad Daphnen, quæ adjacet Antiochiæ.* Antiochiæ multæ ſunt. Vna earum urbs princeps Syriæ eo tempore. Prope hanc templum Apollinis *Daphne* dictum, ut ex Ptolemæo, Chryſoſtomo & Hiſtoricis cognoſcimus; & ἄσυλον τέμενος [*terra ſacroſancta*], quod addit Strabo libro XVI. Indè hæc Antiochia ἡ ἐπὶ Δάφνῃ [*ad Daphnen*] etiam Straboni, Plinio *Antiochia libera*, *Epidaphne cognominata*.

34. *Suaſiſſet de aſylo procedere*] De templo Apollinis, quod aſyli jus habebat.

37. *Contriſtatus itaque animo*] Ψυχικῶς, id eſt, *ſeriò*; ut infrà XIV. 24.

Sobrietatem] Σωφροσύνην, id eſt, ſanctitatem in omni vita.

38. *Iubet circumduci*] Quod Latini elegantiores *traduci* dicunt. Vide ad Matth. I. 19.

40. *Iniquis manibus uti cœpit*] Κατήρξατο χειρῶν ἀδίκων, id eſt, *prior vim intentavit*. Loquendi eſt genus Hiſtoricis frequens.

Duce quodam tyranno] Προηγησαμένου τινὸς Τυράννου, quomodo eſt in Sixtino: nam in aliis, Αὐράνου. Eſt *Tyrannus* nomen proprium, ut Actorum XIX. 9. Fuit & Sophiſta eo nomine memoratus Suidæ.

Ætate pariter & dementiâ] In Græco, προβεβηκότος τῇ ἡλικίᾳ, οὐδὲν δὲ ἧττον καὶ τῇ διανοίᾳ· ubi eſt, μετάληψις [*Tranſſumtio*]. Vult enim dicere *hunc animo non minùs quàm annis fuiſſe decrepitum atque invalidum*.

41. *Quidam autem cinerem in Lyſimachum jecerunt*] In Græco, *Quidam & de adjacente cinere manum complentes paſſim in Lyſimachum ejusque comites id ejectabant*.

42. *Et multi quidem vulnerati, quidam autem & proſtrati, omnes verò in fugam converſi ſunt*] In Græco, *Quomodo* (refer hoc ad lapides & fuſtes) *multos fecere ſaucios, proſtravere nonnullos, omnes verò in fugam egerunt*.

43. *De his ergò*] Nempe ſacrilegiis antè dictis.

44. *Ad ipſum negotium detulerunt*] Ἐπ' αὐτοῦ τὴν δικαιολογίαν ἐποιήσαντο, *contra eum* (Menelaum) *accuſationem inſtituerunt*, nempe ut auctorem ſcelerum quæ Lyſimachus patraverat.

Miſſi tres viri à Senioribus] A Senatu Iudæorum, ὑπὸ τῆς γερουσίας.

45. *Et cùm ſuperaretur Menelaus*] Ἤδη δὲ λελειμμένος ὁ Μενέλαος. Sed rectiùs legitur λελημμένος, *Convictus verò jam Menelaus*. Id enim eſt λαμβάνεσθαι in re forenſi. Sic Demoſthenes, τὰ δεινότατα ἐργαζόμενον ληφθῆναι [*convictum eſſe de factis peſſimis*].

Promiſit Ptolemæo multas pecunias dare] Ptolemæo Dorymenis magnæ gratiæ atque auctoritatis viro: de quo I Maccabæorum III. 38.

Ad ſuadendum Regi] Πρὸς τὸ πεῖσαι τὸν βασιλέα, id eſt, *ad ſedandum Regis animum*. Vide quæ diximus ad Matth. XXVIII. 14.

46. *In quodam atrio poſitum quaſi refrigerandi gratiâ*] Plinius minor in villæ deſcriptione, *Subeſt cryptoporticus ſubterraneæ ſimilis: æſtate incluſo frigore riget*. περίστυλον aut περιστύλιον eſt *locus qui columnis*, id eſt porticibus, *ambitur*, ut apparet Ezechielis XL. 17. 18. XLII. I. 3. 5. Latinè quoque dicitur *periſtylium* Vitruvio V. II. *Periſtylum* Ciceroni Pro domo, & Varroni III. 5. De re ruſtica.

47. *Qui etiamſi apud Scythas cauſam dixiſſent, innocentes prædicarentur, hos morte damnavit*] Scytharum immanitas in proverbium abiit. Simile illud apud Senecam Thyeſte,

> ——— *tale quis vidit nefas?*
> *Quis inhoſpitalis Caucaſi rupem aſperam*
> *Heniochus habitans?*

Et Troadibus,

> *Quis Colchus hoc, quis ſedis incertæ Scytha*
> *Commiſit?*

Hìc illud proverbium verum fuit, *Æmilius fecit, plectitur Rutilius*: &, *Peccavit coquus, vapulat tibicen*.

50. *Permanebat in poteſtate*] Ἔμενεν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς, id eſt, in ſummo Sacerdotio, ut ſuprà 10.

CAPVT V.

1. *Secundam profectionem paravit in Ægyptum*] Vide quæ diximus ad Danielis XI. 29.

2. *Equites diſcurrentes*] Lucanus primo Pharſalici,

> *Tum fragor armorum magnæque per avia voces*
> *Auditæ nemorum.*

Deinde,

> *Inſonuere tubæ, & quanto clamore cohortes*
> *Miſcentur, tantum nox atra ſilentibus auris*
> *Edidit.*

Virgilius,

> *Armorum ſonitum toto Germania cœlo*
> *Audiit.*

6. *Iaſon verò non parcebat in cæde civibus ſuis*] Nimirum de illo dici poteſt, quod de Sulla,

> *Exceſſit medicina modum, nimiúmque ſecuta eſt*
> *Quà morbi duxere manus.*

Neuter ſatis memores fuere illius moniti quod apud Claudianum eſt,

> *Cautiùs ingentes morbos & proxima cordi*
> *Viſcera Pæoniæ tractat ſollertia curæ,*
> *Parcendóque ſecat, ferro nè longiùs acto*
> *Irrevocandus eat ſectis vitalibus error.*

Nec cogitabat proſperitatem adverſùm cognatos malum eſſe maximum] Ideo Cæſar *Civilium bellorum ſtragem non prodidit*, ut nos docet Plinius VII. 25. Lucanus verò,

> *Bella geri placuit nullos habitura triumphos.*

Tacitus queſtus referens populi Romani bellantibus Othone & Vitellio, *Vtraſque impias preces, utraque deteſtanda vota, inter duos, quorum bello ſolum id ſcires, deteriorem fore qui viciſſet*.

Arbitrans hoſtium & non civium ſe trophæa capturum] Ità agens quaſi ipſi cum hoſtibus non cum civibus res eſſet. Iocaſta apud Euripidem Polynici,

> Φέρ', ἢν ἕλῃς γῆν τήνδ', ὃ μὴ τύχοι ποτὲ,
> Πρὸς θεῶν, τρόπαια πῶς ἀναστήσεις δορός;
> Πῶς δ' αὖ κατάρξῃ θυμάτων ἑλὼν πάτραν;
> Καὶ σκῦλα γράψεις πῶς ἐπ' Ἰνάχου ῥοαῖς;
> Θήβας πυρώσας, τάς τε Πολυνείκης θεοῖς
> Ἀσπίδας ἔθηκε; μήποτ', ὦ τέκνον, κλέος
> Τοιόνδε σοι γένοιτ' ὑφ' Ἑλλήνων λαβεῖν.
> [*Fac Marte capias (omen avertat Deus!)*
> *Quod ſibi trophæum ſtatuet hæc victoria?*
> *Quam deinde cauſam victimis dices tuis?*
> *Quos ſpolia titulos Inachi ad ripas ferent?*
> *Thebis crematis ſcuta Polynices diis*

Suſpenſa ſacrat? ſit procul, per Græciam
Vt iſta nomen fama nobilitet tuum.]

7. *Profugus iterum abiit in Ammoniten*] *Ammonitin* ſcripſit Interpres, ſicut in Græco eſt Ἀμμανῖτιν.

8. *Ad ultimum in exitium ſui concluſus eſt ab Areta Arabum tyranno*] Πέρας οὖν κακῆς ἀναστροφῆς ἔτυχεν, ἐγκλεισθεὶς πρὸς Ἀρέταν τὸν τῶν Ἀράβων τύραννον. Vbi probo eorum conjecturam qui ἐγκληθεὶς legendum putant, ut ſenſus ſit, *Vicem ergò malæ vitæ ſuæ reperit, accuſatus apud Aretam Arabum tyrannum.* Vbi *Arabas* intellige ipſos Ammonitas: nam eouſque id nomen illis temporibus porrigebatur. Itaque Polybius libro quinto *Rabath Amana*, id eſt, רבת עמון, vocat *urbem Arabiæ*, quæ & Ῥαιβὰ [*Raiba*] Ptolemæo in Arabia Felice. *Aretas* nomen frequens Arabiæ Regibus eſt, & apud Strabonem libro XVI. & apud Ioſephum Antiquæ Hiſtoriæ XVIII. 6. Id vocabulum Arabes accepere à Perſis, quorum multa nomina ab hac voce incipiunt, ut diximus ad initium Eſtheris.

Fugiens de civitate in civitatem] In Ammonitide, ob eam quæ jam dicta eſt cauſam, non auſus conſiſtere.

Omnibus odioſus ut refuga legum] Ὡς τῶν νόμων ἀποστάτης, *ut legum*, patriarum ſcilicet, *deſertor*: quod etiam apud illas gentes infame erat, quæ de Lege Hebræorum nihil majus quàm de ſuis Legibus ſentiebant.

In Ægyptum extruſus eſt] Ἐξεβράσθη, *ejectus eſt.*

9. *Et qui multos de patria ſua expulerat peregre periit*] Bene legit in Græco, ὁ συχνοὺς τῆς πατρίδος ἀποξενώσας, quomodo eſt in Sixtino, non ὡσεὶ χνοῦς, quomodo eſt in aliis editionibus. Oſtendit Scriptor pœnas ejus delictis reſpondiſſe.

Lacedæmonas profectus] In Græco, *ad Lacedæmonas perlatus.* Puto autem intelligi Lacedæmonios qui in Ægypto militabant. Nam Lacedæmon eo tempore erat in corpore Achæorum, cum quo ſocietas erat Ægypti Regibus, ut videre eſt apud Polybium Excerptis de Legationibus 37. & 57.

Quaſi pro cognatione ibi refugium habiturus] *Vt propter cognationem tutelam* (ab illis) *impetraturus. Cognationem* intelligit illam, de qua 1 Maccab. XII. 21.

10. *Illamentatus & inſepultus abjicitur, ſepulturâ neque peregrinâ uſus, neque patrio ſepulchro participans*] In Græco, *Luctu caruit: neque exſequias ullas, nedum majorum ſepulchra obtinuit.* Fuit ἄκλαυστος, ἄταφος [*luctu carens tumulóque*], ut Euripides in Phœniſſis loquitur: quod Sophocles in Antigone ſic exprimit,

——— ——— τάφῳ
Μήτε κτερίζειν, μήτε κωκῦσαί τινα.
[——— *ne quis aut illum fleat,*
Aut membra condat mortua in terræ ſinu.]

11. *Suſpicatus eſt Rex ſocietatem deſerturos Iudæos*] *Defecturos ab imperio Iudæos*, nempe à Syriaco Imperio ad Ægyptiacum, irritato populo per ſacrilegia Menelai & Lyſimachi.

Civitatem quidem armis cepit] Id eſt, quaſi armis captam tractavit. Vide 1 Maccabæorum I. 21. 22. 23. Ioſephum XII. 7.

12. *Iuſſit autem militibus interficere*] 1 Maccabæorum I. 25.

Et per domos aſcendentes trucidare] Etiam eos qui à plateis in domos ſuas refugiebant.

13. *Et mulierum*] *Nuptarum*: quod oſtendit ſequens oppoſitio *virginum.*

Exterminia] Ἀφανισμοὺς, שמכרח, quod *internecionem* ſignificat.

14. *Octoginta millia interfecti*] Κατεφθάρησαν, id eſt, *deſiderati ſunt.* Eſt enim vox hoc loco communiter & ad *interfectos* & ad *venditos* pertinens: quod oſtendunt ſequentes particulæ μὲν & δὲ, quæ diſtributioni inſerviunt.

Quadraginta millia vincti] Ἐν χειρῶν νομαῖς, id eſt, *manibus diſcerpti.* Diviſi in partes.

Non minùs autem venundati] *Non pauciores interfectis venum ſunt dati.* Ità quadraginta millia interfecta, totidem vendita, faciunt ſummam illam octoginta.

15. *Auſus eſt etiam intrare Templum*] 1 Maccabæorum I. 23.

Vniversâ terrâ ſanctius] *Toto orbe ſanctiſſimum.*

16. *Sancta vaſa*] 1 Maccabæorum I. 23. 24.

17. *Ità alienatus mente Antiochus non conſiderabat*] Καὶ μετεωρίζετο τὴν διάνοιαν ὁ Ἀντίοχος οὐ συνορῶν, *Et ità elatus mente erat Antiochus ut non conſideraret*, &c. μετεωρίζεσθαι varias habet ſignificationes, hîc verò *ſuperbiæ*, ut Pſalmo CXXXI. ut & infrà 21.

Quòd propter peccata habitantium civitatem, modicùm Deus fuerat iratus] Similem ſenſum habes Iudith. V. 19. 20. & ſequentibus.

18. *Sicut Heliodorus*] Suprà III. 25. 26.

19. *Non propter locum gentem, ſed propter gentem locum Deus elegit*] 1 Reg. VIII. 27. 28.

20. *Poſtea autem fiet ſocius bonorum*] *Factus eſt particeps*, ἐκοινώνησε. Nam cùm hæc ſcriberentur jam repurgatum erat Templum.

Cum ſumma gloria exaltabitur] Etiam hîc eſt verbum præteriti temporis in Græco, ἐπανωρθώθη, *reſtitutum eſt.*

21. *Mille & octingentis ablatis de Templo talentis*] Partim in vaſis & ornamentis Templi, partim in pecuniis. Vide Ioſephum XII. 7.

Terram ad navigandum, pelagus verò ad iter agendum deducturum] Vt Xerxes, qui

Europámque Aſiæ, Seſtúmque admovit Abydo,
Inceſſitque fretum rapidi ſuper Helleſponti,
Non Eurum Zephyrúmque timens; cùm vela ratéſque
In medium deferret Athon.

Velut naturæ dominus, ait Iuſtinus: *rerum naturam ſtatione mutavit ſuâ*, Triarius in Declamatione apud Senecam.

22. *Reliquit autem & præpoſitos ad affligendam gentem*] Quos ἐπισκόπους vocat Ioſephus VII. 12. & Scriptor primi Maccabaïci I. 53.

Philippum genere Phrygem] Non temere nomen gentis addidit; nam Phryges maximè putantur barbari: unde Menelao Peleus apud Euripidem,

Βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις.
[*Barbarus & ipſe es factus inter Barbaros.*]

23. *In Garizim autem*] Vbi Samaritæ Templum & ſacra habebant, infrà VI. 2. Sirach. L. 29. Ioſephus XI. 8. XII. 7.

Imminebant civibus] *Imminebat* in Græco: de Menelao enim hoc dicitur.

24. *Cúmque appoſitus eſſet contra Iudæos*] *Animum*

in populares (ſuos) *Iudæos habens hoſtilem.* Ità in Græco, continuato ſermone de Menelao.

Odioſum principem Apollonium] Hic eſt *tributorum ille collector* I Maccabæorum I. 30. Idem is de quo I Maccab. III. 10. Ioſephi XII. 10. Legit autem hic interpres μισάρχην, cùm Græci codices nunc omnes habeant μυσάρχην, quod verti video *ſceleris principem*. Ego magìs putem ſignificari eum fuiſſe antea *Præfectum Myſiæ* : nam ſic & Κυπριάρχης infrà ſumitur XII. 2.

Præcipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere] Τοὺς ἐν ἡλικίᾳ, id eſt, *puberes*.

Mulieres ac juvenes vendere] Vide dicto loco I Maccabæorum I. 33. 34.

25. *Pacem ſimulans*] Ibidem 31.

26. *Omneſque qui ad ſpectaculum proceſſerant*] Τοὺς ἐξελθόντας πάντας ἐπὶ τὴν θεωρίαν, *qui ad ſacra proceſſerant.* Nam id θεωρία in primitivo ſignificatu; ut diximus ſuprà IV. 18.

27. *Iudas autem Maccabæus qui decimus fuerat, ſeceſſerat in deſertum locum*] Δέκατός που γενηθεὶς, *decimus factus*, id eſt, novem comites habens. Tale ὄγδοον Νῶε [*octavum Noë*] II Petri II. 5. & apud Martialem,

Dic quotus & quanti cupias cœnare :

quotus, id eſt, cum quot convivis.

Inter feras] In Græco, *ferarum more*, I Maccabæorum I. 55. Hebræorum XI. 38. ἐν ἐρημίαις πλανώμενοι καὶ ὄρεσι καὶ σπηλαίοις [*in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis*]· quomodo Virgilius,

——— *in ſylvis inter ſpelæa ferarum.*

Et fœni cibo veſcentes] Τὴν χορτώδη τροφὴν σιτούμενοι, *gramineo victu paſti.* Nam Helleniſtis χόρτος eſt herba.

Demorabantur] *Perſeverabant.*

Coinquinationis] Μολυσμοῦ, id eſt, idololatriæ. Vide I Maccab. I. 39.

CAPVT VI.

1. S*Enem quendam Antiochenum*] Scriptum fuiſſe credo per compendium ἀντ̄ν pro Ἀντιόχειον [*Antiochenum*]· Librarii indè fecere ἀθ̄ν, id eſt, Ἀθηναῖον [*Athenienſem*]. Fuerit aliquis ex Senatu urbis Antiochenæ. Sicut autem Hebræis *Senatores* זקנים, ità Helleniſtis γέροντες. Memoratur quidem Diodoro Siculo *Athenæus* quidam dux Antiochi: ſed ibi de Antiocho Sidete agitur. Locus eſt in fragmentis à Valeſio editis.

2. *Et cognominare Iovis Olympii*] Qui Syris בעל שמין [*Cæli Dominus*], aut ſimpliciter בעל, & Chaldæis בל, is à Græcis vocabatur Ζεὺς Ὀλύμπιος [*Iuppiter Olympius*], quòd pariter ille cœli Dominus crederetur ſicut Ζεὺς [*Iuppiter*] apud Græcos. Docuimus id alibi ex Philone Byblio, & Dio in hiſtoria Phœnicum. Diodorus Siculus narrans Antiochi Magni ſacrilegium, altero loco Δία [*Iovem*] nominat, quem altero Βῆλον [*Belum*]. Locus uterque eſt in fragmentis à doctiſſimo Valeſio editis.

Et in Garizin] De quo ſuprà V. 23.

Prout erant hi qui locum inhabitabant] Id eſt, quia loci ejus habitatores erant peregrini ex Myſiæ & Meſopotamiæ & longiùs ſitis regionibus, II Regum XVII. 24.

Iovis hoſpitalis] Διὸς ξενίου, בעל גרים.

4. *Nam Templum luxuriâ*] Ἀσωτίας, *luxu.*

Et comeſſationibus] Κώμων. Quid ſit κῶμος [*nocturna ambulatio ad mulieres*] diximus Sap. XIV. 23.

Scortantium cum meretricibus] Ῥαθυμούντων μεθ' ἑταιρῶν, ut eſt in Sixtina, non ἑταίρων, ut eſt in editionibus aliis : id eſt, *in otio inter amicas viventium.* ἑταίρας [*amicæ*] nomen erat aliquantò honeſtius quàm πόρνης [*Scorti*].

Sacratíſque ædibus mulieres ultro ſe ingerebant] *Et in ſacris porticibus miſcentium ſe mulieribus.* περίβολοι ſunt *porticus* Templi, Sirach. L. 2. I Maccabæorum XIV. 48. ſuprà I. 15. Sacerdotibus Hebræis, dum eſſent in ſua ἐφημερίᾳ [*vice*], ne uxores quidem ſuas attingere licebat. Tunc verò omnia confundebantur. Confer Ieremiæ nomine Epiſtolam quæ Barucho additur.

Intrò ferentes ea quæ non licebat] *Et intrò ferentium quæ fas non erat*, vaſa nempe profana, ut Nehemiæ XIII. 8.

5. *Altare etiam plenum erat illicitis, quæ legibus prohibebantur*] Putà victimis ſuillis, I Maccabæorum I. 50. Ioſephus XII. 7.

6. *Neque autem Sabbata cuſtodiebantur*] I Maccabæorum I. 41. 48.

Neque dies ſolennes patrii ſervabantur] Dicto commate 48. ut prædictum à Daniele VII. 25.

Nec ſimpliciter Iudæum ſe eſſe quiſquam confitebatur] *Iudæus* hîc ponitur non pro gentis, ſed pro religionis nomine, ut infrà IX. 17. & Eſther. VIII. 17. Sic Ioſephus XIII. 17. de Idumæis, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους [*ità ut de cætero eſſent Iudæi*].

7. *In die natalis Regis*] Εἰς τὴν κατὰ μῆνα τοῦ βασιλέως γενέθλιον ἡμέραν, *die Regis per quémque menſem natali*, id eſt, eo die menſis quo Rex erat natus. Cæteri Reges ſatis habuerant ſemel anno natalem ſuum celebrari. Vide quæ ad Matthæi XIV. 6.

Ad ſacrificia] Ἐπὶ σπλαγχνισμόν. Habes hanc vocem & infrà 21. & VII. 42. Σπλαγχνεύειν Ariſtophani, huic Scriptori σπλαγχνίζειν infrà 8. eſt, ut Ariſtophanis explicat interpres, σπλάγχνων μεταλαβεῖν [*de extis participare*]. Poſt ſacrum pars extorum reddebatur iis qui victimas obtulerant : de iis fiebant epulæ. Hoc eſt quod *vocare ad exta, adducere ad exta*, dicit Plautus.

Cogebantur hederâ coronati Libero circuire] *Pompam facere Libero*, πομπεύειν. Hedera Bacchi propria: quod & in tertio ſignificatur Maccabaico. Seneca Oedipode,

Effuſam redimite comam nutante corymbo,
Mollia Niſæis armati brachia thyrſis.

Feſtus, *Hedera in tutela Liberi patris putabatur eſſe.* In veteri hymno, Bacchus

——— κισσοστέφανος.
[— *hederæ redimitus tempora fronde.*]

8. *In proximas Gentilium civitates*] In Phœnice reliquáque Syria. Ἑλληνίδας in Græco. Senſum bene expreſſit Interpres. Mos enim erat Iudæis, ubi de religione agebatur, omnes qui Iudæi non erant vocare Græcos. Sic & τὰ Ἑλληνικὰ infrà 9. *inſtituta à Iudaïcis aliena.*

Suggerentibus Ptolemæis] In Græco, *ſuggerente Ptolemæo*, nempe Dorymenis filio: de quo ſuprà IV. 45.

Vt ſacrificarent] In Græco, καὶ σπλαγχνίζειν, id eſt, *ad exta eos adducerent*.

10. *Duæ enim mulieres delatæ ſunt natos ſuos circumcidiſſe*] Habes hoc & 1 Maccabæorum I. 64. & apud Ioſephum.

Cùm publicè per civitatem circumduxiſſent] *Traduxiſſent*, ut ſuprà IV. 38.

11. *Ad proximas coëuntes ſpeluncas, & latenter Sabbati diem celebrantes*] Eadem eſt hiſtoria quæ 1 Maccabæorum II. 31. & ſequentibus, & apud Ioſephum XII. 8.

Cùm indicati eſſent Philippo] Ei de quo ſuprà v. 22.

12. *Nè abhorreſcant propter adverſos caſus*] Μὴ συστέλλεσθαι, *nè animum abjiciant*, quaſi Iudaici ritus à Deo non eſſent.

Non ad interitum] Ob patres enim Deus Iudæos, quámvis corruptos, noluit unquam penitus interire: Eſaiæ I. 9. Ieremiæ IV. 18. Hoc ſignificatum Moſi per rubum, & Ezechieli per electrum.

13. *Etenim multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere*] In Græco, *Quod enim non diu tranſmittuntur qui impiè agunt.*

Statim ultiones adhibere, magni beneficii eſt indicium] *Sed ſtatim in pœnas incidunt, magnæ beneficentiæ inditium.* Nempe ſic Medicus amicum non diu patitur ægrotare ſine remedio. Egregiam habes hujus loci explicationem in Philocalia ex Origene.

14. *Cùm judicii dies advenerit*] *Menſura judicii*, ut loquuntur Hebræi.

In plenitudine peccatorum puniat] Exitio ſcilicet irreparabili, ut illos Diluvii tempore, Sodomitas & vicinos, aliquot populos Iudæorum vicinos.

15. *In finem devolutis*] Ad eum perductis gradum, ut ultrà adſcendere nequeant.

16. *Populum ſuum non derelinquit*] Nempe ut intereat ſtirpitus.

17. *Iam autem veniendum eſt ad narrationem*] Sic ſolent Hiſtoriæ poſt factam διέκβασιν [*digreſſionem*] velut redire in orbitam. Non diſſimile Taciti illud Hiſtoriarum II. *Sed me veterum novorúmque morum deputatio longiùs tulit: nunc ad rerum ordinem venio.*

18. *Igitur Eleazarus unus de primoribus Scribarum*] Id eſt, ſummè eruditus in Lege. Scriptor Sermonis Maccabaici, qui Ioſepho tribui ſolet, ait de hoc Eleazaro, τὴν ἐπιστήμην νομικός [*profeſſione Legiſperitus*]. Idem eſt νομικὸς [*Legisperitus*] & γραμματεὺς, ספר [*Scriba*].

Aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare] Id eſt, *cogebatur hiare, ut carnem porci comederet.*

19. *Voluntariè præibat ad ſupplicium*] Ἐπὶ τὸ τύμπανον. Idem eſt quod ἐπὶ τὰ βασανιστήρια [*ad tormenta*] dixit Sermonis illius Maccabaici Scriptor. Eſſe tormenti genus etiam Scholiaſtes nos docet ad Ariſtophanis Plutum, ſed quale fuerit non ſatìs explicat. Credo fuiſſe fidiculas, quibus pellis humana ità tendebatur quomodo bubula in tympano. Qui ſic cruciabantur ii dicebantur τυμπανίζεσθαι, qui verò ad mortem uſque ii ἀποτυμπανίζεσθαι, ut explicat vocem Græcam Syrus ad Hebræos XI. 35. Et utitur eâ voce ſenſu eodem Ariſtoteles Rhetoricorum II. 6. circa finem, & tertii Maccabaici Scriptor, & Plutarchus in Sulla & in libro de Stoicis ſibimet contradicentibus.

20. *Intuens autem quemadmodum oporteret accedere, patienter ſuſtinens deſtinavit non admittere illicita propter vitæ amorem*] Προπτύσας (malè Latinus legit προσπτύσας) δὲ καθ' ὃν ἔδει τόπον (ità legendum, non τρόπον) προσέρχεσθαι τοὺς ὑπομένοντας ἀμύνεσθαι, ὧν οὐ θέμις γεύσασθαι διὰ τὴν πρὸς τὸ ζῆν φιλοστοργίαν. Verba ſunt nonnihil trajecta, quæ ſic explices, ſupplendo ἦν [*erat*], quod ſubauditur ut & alibi, *In eo loco quò ire debebant qui ferebant ſupplicium, exſpuit ea quæ vel vitæ amore guſtare nefas erat.* Suillam in os ingeſtam exſpuit, nè ullo modo eum cibum admiſiſſe crederetur.

21. *Hi autem qui adſtabant iniquâ miſeratione commoti*] Quidam miniſtrorum Regiorum, ut eſt in illo Sermone Maccabaico. In Græco eſt, οἱ δὲ πρὸς τῷ παρανόμῳ σπλαγχνισμῷ τεταγμένοι, ubi σπλαγχνισμὸν Interpres putavit eſſe *miſerationem*, ſicut σπλαγχνίζεσθαι Græcis ſæpe eſt *miſereri*: verùm hoc loco σπλαγχνισμὸς eundem ſenſum habet quem ſuprà 7. & σπλαγχνίζειν ſuprà 8. Senſus eſt, *Illi qui advocandis ad exta contra Legem hominibus erant præpoſiti.*

Carnes quibus veſci ei licebat] Bubulas putà, aut ovillas. Additur in Græco παρασκευασθέντα, *præparata*, id eſt, cocta. ἡψημένων κρεῶν [*coctis carnibus*], ait Sermo ille Maccabaïcus.

Vt ſimularetur manducaſſe ſicut Rex imperaverat de ſacrificii carnibus] *Vt præ ſe ferret edentem de immolatitiis carnibus, ſecundùm juſſa Regis.* Simulatio non omnis mala eſt, ſed ea quæ exemplo aliis eſt ad ſpernendam Legem. In Sermone illo Maccabaïco, μὴ οὕτως κακῶς φρονήσωμεν οἱ Ἀβραὰμ παῖδες, ὥστε μαλακοψυχήσαντας ἀπρεπὲς ἡμῖν δρᾶμα ὑποκρίνασθαι [*non ità deſipiemus Abrahæ poſteri ut ex animi mollitie agamus fabulam nobis indecoram*].

23. *Præmitti ſe velle in infernum*] *Rogans ut citò ad Orcum dimitteretur.* λέγων hîc eſt *orans, rogans*; ᾅδης *ſtatus mortuorum*, ſive bonorum ſive malorum.

24. *Ad vitam alienigenarum*] Græcè egregiè εἰς ἀλλοφυλισμόν.

26. *Manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam*] Vides his temporibus ſupplicia poſt hanc vitam, ut & præmia, conſtanter credita, & apertè prædicta, nempe ex Ezechiele & Daniele intellectis ſecundùm ſenſum ſublimiorem. Vide quæ diximus ad Matthæum XII. 32. αἰώνιον βάσανον [*tormentum perpetuum*] & ἀκατάληπτον [*incogitabile*] habes in dicto Sermone Maccabaïco. Item, αἰώνιον πῦρ καὶ βασάνους [*æternum ignem & cruciatus*]. In Ioſepho verò Belli Iudaïci II. 12. μυχὸν γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων [*ſpecum plenam nunquam deſituris pœnis*].

28. *Ad ſupplicium trahebatur*] Ἐπὶ τὸ τύμπανον εὐθέως ἦλθε, *ſtatim ibat ad tympanum:* de quo ſuprà 19.

29. *Quos illi per arrogantiam prolatos arbitrabantur*] Bene vertit vocem ἀπόνοιαν. Quanquam enim ea vox varios ſignificatus habet, hîc tamen ſignificat hominum & famæ ipſius contemtum. Vide Theophraſti hoc de vitio χαρακτῆρα [*Notationem*].

30. *Domine, qui habes ſanctam ſcientiam, manifeſtè tu ſcis*] In Græco eſt in tertia perſona, *Domino ſanctam habenti cognitionem apertum eſt*: & mox, *propter timorem ejus. Sanctam ſcientiam*, intellige perfectam.

Secundùm animam verò propter timorem tuum libenter hæc patior] *Animo libente.*

CAPVT VII.

1. *ET taureis*] *Scuticis ex taurino corio*, ut apud Iuvenalem explicat Scholiaſtes. *Cenſuram bubulam* vocat Plautus : qui & alibi,

Vbi vivos homines mortui incurſant boves.

3. *Sartagines & ollas æneas accendi*] Etiam Sermo ille Maccabaïcus inter tortorum inſtrumenta recenſet hoc loco λέβητας τήγανά τε, *lebetes & ſartagines.*

4. *Amputari linguam*] Aliter Sermo ille Maccabaïcus.

Summas quoque manus & pedes ei præſcindi] *Avelli cruciatibus*, ait dictus jam Sermo Maccabaïcus, κατὰ πᾶν μέλος κλώμενος [*per omnia membra fractus*]· deinde, τέμνετέ μου τὰ μέλη [*ſcindite mihi artus*].

6. *Et conſolabitur in nobis, quemadmodum in proteſtatione cantici declaravit Moſes, Et in ſervis ſuis conſolabitur*] *Et ſatiabitur in eis* quæ evenere *nobis, quemadmodum in carmine coràm atteſtante populum explicavit Moſes, De ſervis ſuis ſatiabitur.* Vſus eſt hic interpres verſione Moſis, quam habemus per Septuaginta, ubi pro יתנחם, eſt παρακληθήσεται. Solet autem id verbum de Deo dici, ubi pœnis ſatiatus ſe rurſus propitium præbet; ut Ezechiel. v. 13. Ionæ III. 9.

7. *Cute capitis ejus cum capillis abſtractâ*] Idem narrat Sermo Maccabaïcus, καὶ τὴν τῆς κεφαλῆς δορὰν οἱ παρδάλειοι θῆρες ἀπέσυρον [*etiam cutem capiti detrahebant homines illi feri tanquam pardi*].

9. *Rex mundi*] מלך העולם, frequens Hebræis de Deo.

In æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit] Εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς, לתחיה. Vides hîc ſpem vitæ alterius, ut & infrà 14. 36. Sapient. v. 16. magnam quidem, non tamen comparandam cum ea quam Chriſtus attulit.

10. *Et manus conſtanter extendit*] Sermo Maccabaïcus, ὀρθρεμβόλοις ὀργάνοις τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τοὺς πόδας ἐξήρθρουν καὶ ἐξ ἁρμῶν ἀναμοχλεύοντες ἐξεμέλιζον [*inſtrumentis convellentibus manus ejus & pedes è ſuis locis velut vectibus emotos luxabant*].

11. *Quoniam ab ipſo me ea recepturum ſpero*] Membra iſta in ſtatu meliore.

14. *Potius eſt ab hominibus morti datos ſpem exſpectare à Deo iterum ab ipſo reſuſcitandos*] In Græco, *Satius eſt humanas ſpes cum eis quæ à Deo exſpectantur commutare, nempe fore ut ab ipſo reſuſcitemur.*

Tibi enim reſurrectio ad vitam non erit] Erit quidem *reſurrectio*, ſed non *ad vitam*, felicem nempe, ſed ad pœnam : αἰώνιον ὄλεθρον [*æternum exitium*], ut hîc eſt in Sermone Maccabaïco.

16. *Poteſtatem inter homines habens, cùm ſit corruptibilis, facis quod vis*] Quaſi dicat, Habes quidem poteſtatem, ſed à Deo (ut Lucæ XIX. 11) : homines regis, ſed homo es. Cogitare igitur debueras hominem te Deo rationem geſtuum tuorum debere. In Sermone Maccabaïco, παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβὼν τὰ ἀγαθὰ καὶ τὴν βασιλείαν [*cùm à Deo acceperis bona multa ipſumque Regnum*].

17. *Tu autem patienter ſuſtine*] Σὺ δὲ καρτέρει, *Tu verò exſpecta.*

Qualiter te & ſemen tuum torquebit] Antiochum Eupatora : de quo 1 Maccabæorum x.

18. *Peccantes in Deum noſtrum*] Ἁμαρτόντες εἰς τὸν ἑαυτῶν Θεὸν, *ut qui in Deum noſtrum deliquimus.* Loquitur ut unus de populo κατὰ κοίνωσιν [*per Communicationem*], quali utuntur Nehemias IX. 33. & Daniel IX. 5. & ſequentibus.

Et digna admiratione facta ſunt in nobis] In Sixtina, δι' ὃ ἄξια θαυμασμοῦ γέγονε· legetur rectiùs δι' ὃν, *per quem miranda nobis ſunt præſtita.* Exaggerat culpam ob beneficia præcedentia.

21. *Voce patriâ*] Id eſt, linguâ Hebræâ. ſic & infrà 27.

Et femineæ cogitationi maſculinum animum inſerens] *Et feminеam cogitationem animo maſculo excitans.*

22. *Neſcio qualiter in utero m[illegible] apparuiſtis*] Hanc vim διαπλαστικὴν [*formatricem*] fœtûs meritò & Galenus admiratur. Digeritur enim in matre maſſa in hominem, matre ipsâ & partes & ordinem partium ignorante, adeò non diſponente. Dei hoc opus, ut rectè agnoſcit Iob x. 10.

Neque enim ego ſpiritum & animam donavi vobis & vitam] In Græco, *ſpiritum & vitam*, id eſt, ſpiritum vitalem : ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*]· ſic ζωὴ καὶ πνοὴ [*vita & ſpiritus*] Actorum XVII. 25. quod πνοὴ ζωῆς [*ſpiritus vitæ*] Geneſeos II. 7. & II.

Et ſingulorum membra non ego ipſa compegi] Καὶ τὴν ἑκάστου στοιχείωσιν οὐκ ἐγὼ διερρύθμισα, *& compagem cujuſque ego non formavi.* Non fuit mihi id aut artis aut potentiæ.

23. *Et ſpiritum vobis iterum cum miſericordia reddet*] *Spiritum & vitam*, id eſt, ſpiritum vitæ, æternæ ſcilicet.

24. *Et exprobrantis voce ſuſpectâ*] Τὴν ὀνειδίζουσαν ὑφορώμενος φωνὴν, *ſuſpectam habens vocem exprobrantem*, id eſt, metuens nè ſibi turpe eſſet feminæ verba plus quàm ſua valere.

25. *Suadebat ei ut adoleſcenti fieret in ſalutem*] In Græco, *ut adoleſcenti conſilium daret ad ſalutem.*

27. *Novem menſibus*] Nonus menſis & decimus ad partum frequentiſſimi. Vide Sap. VII. 2. L. *Gallus.* D. De Liberis & Poſthumis. Plin. libro VII, epiſtolâ 5.

Et lac triennio dedi] Eo enim tempore ſolent pueri à lacte materno depelli.

Et alui] Cibis poſtea ſolidioribus, ut moris eſt, 1 Corinthior. III. 2. Hebræorum v. 13. 14.

28. *Quia ex nihilo fecit illa Deus*] Ἐξ οὐκ ὄντων [*ex non exſtantibus*]. Alii libri οὐκ ἐξ ὄντων [*non ex exſtantibus*]. ſic μὴ ὄντα [*non exſtantia*] Rom. IV. 17.

Et hominum genus] *Etiam hominum genus*, non ex ſemine humano, ſed ex limo primùm.

29. *Vt in illa miſeratione cum fratribus tuis te recipiam*] *Vt per miſericordiam* (nempe Dei) *cum fratribus tuis* te quoque *recipiam.*

30. *Quem ſuſtinetis?*] *Quem exſpectatis?* id eſt, Quin de me finem facitis?

32. *Nos enim pro peccatis noſtris hæc patimur*] Explica ut ſuprà.

33. *Modicùm iratus eſt*] Ad *breve tempus.* Vide ſuprà VI. 16.

34. *Noli fruſtrà attolli vanis ſpebus*] Μὴ μάτην μετεωρίζου. Noli fruſtrà tibi placere. Vide ſuprà v. 17.

35. *Nondum enim omnipotentis Dei & omnia inſpicientis judicium effugiſti*] *Omnia* bene addidit Interpres explendo ſenſui;

Θεοῦ δὲ πληγὴν οὐχ ὑπερπηδᾷ βροτός·
[*Contra Dei ictum non data eſt homini fuga*;]

&,

Ὀξὺς θεῶν ὀφθαλμὸς εἰς τὰ πάντ' ἰδεῖν·
[*Acutus oculus eſt & omnituens deûm*:]

ut eſt in Græcorum veteribus ſententiis.

36. *Sub teſtamento æternæ vitæ effecti ſunt*] *Sortem ſuam habent ſub Divino de vita æterna federe*, id eſt, vitam æternam ex Dei pacto exſpectant.

37. *Animam & corpus trado pro patriis legibus*] Id eſt, corpus lacerandum, vitam eripiendam. Quod ſi

Dulce & decorum eſt pro patria mori,

quantò magis pro Divinis legibus patriæ datis?

Invocans Deum] Id eſt, *orans*.

Maturiùs genti noſtræ propitium fieri] *Vt citò genti noſtræ propitius fiat.*

Teque cum tormentis & verberibus confiteri quod ipſe eſt Deus ſolus] *Et ut tu per tormenta & verbera adactus fatearis illum ſolum eſſe verum Deum.* Quod & contigit, ut videre eſt 1 Maccabæorum VI. 13. infrà IX. 12. & 13. & ſequentibus, apud Ioſephum XII. 13. Potuit ergò dici huic puero,

Τὰς σὰς δ' ἀρὰς ἔοικεν ἐκπλῆσαι Θεός.
[*Implere diras Numini viſum tuas.*]

38. *In me verò & in fratribus meis deſinet Omnipotentis ira*] Erimus nihil ultrà dolituræ gentis piamen.

40. *Mundus obiit*] Καθαρῶς μετήλλαξε, id eſt, nullâ idololatriâ pollutus.

42. *Igitur de ſacrificiis*] Περὶ τοὺς σπλαγχνισμούς. Vide ſuprà VI. 7. 8. 21.

CAPVT VIII.

1. I*Ntroibant latenter in caſtella*] Εἰς κώμας, *in vicos*. Sed quia quædam erant κωμοπόλεις [*vicoppida*], dixit Interpres *caſtella*.

Et eos qui permanſerunt in Iudaïſmo] In vita ſecundùm Legem. oppoſitum hoc eſt ἀλλοφυλισμῷ [*vitæ ſecundùm alienigenarum inſtituta*].

Eduxerunt ad ſe ſex millia virorum] 1 Maccabæorum III. 1. Ioſeph. XII. 9.

2. *Et invocabant Dominum*] 1 Maccabæorum III. 44. 50. IV. 10.

3. *Miſereretur etiam exterminio civitatis*] *Miſeraretur & urbem perditam.*

Et vocem ſanguinis ad ſe clamantis audiret] *Et ſanguinem ad ſe clamantem audiret.* In Græco eſt plurale αἱμάτων, quomodo & Hebræi ſæpe dicunt דמים. Locutio ſumta de Geneſi IV. 10. quò reſpicit & Scriptor ad Hebræos XII. 24.

5. *Ira enim Domini in miſericordiam verſa eſt*] *Irâ Domini* (nempe adversùs Hebræos) *verſâ in miſericordiam.*

6. *Et civitatibus improviſus*] 1 Maccab. III. 8.

7. *Maximè autem noctibus ad hujuſcemodi excurſus ferebantur*] Nam

Ἴσον φέρει νὺξ, τοῖς δὲ τολμῶσι πλέον,
[*Nox æqua, ſed facilior aſſultantibus*,]

ut eſt apud Euripidem. Exemplum vide 1 Maccabæorum IV. 1. V. 29. Ioſeph. XII. 11. & 12.

8. *Videns autem Philippus*] Dictus ſuprà V. 22.

Ad Ptolemæum Ducem Cœles-Syriæ & Phœnices] Filium Dotymenis, 1 Maccabæorum III. 38. & Ioſephi XII. 11. qui alio nomine *Macron*, ut infrà eſt X. 12. Hic autem Cœlen-Syriam & Phœnicen regebat ſub Apollonio, ut diſcere eſt ſuprà IV. 4. & mox ſub Lyſia, ut videmus dicto loco X. 11.

9. *Miſit Nicanorem Patrocli*] Dicto loco 1 Maccabæorum III. 38.

De permiſtis Gentibus] Παμφύλων ἔθνη, ubi παμφύλων non eſt proprium, ſed commune, ut apud Symmachum Geneſeos XIV. 1.

Armatis non minùs viginti millibus] Qui partem faciunt illorum XL *millium* quorum mentio 1 Maccabæorum III. 39. & Ioſephi XII. 11.

Adjuncto ei & Gorgia] Vt videre eſt 1 Maccabæorum III. 38. Ioſephi XII. 11.

10. *Tributum quod Romanis erat dandum, duo millia talentorum*] Id eſt, penſiones duorum annorum quantæ debebantur Romanis per annos XII. qui ad finem ferme Antiochi Illuſtris excurrunt, ex pace facta inter Romanos & Antiochum Magnum, cujus conditiones habes apud Polybium Excerpto legationum XXXV. & Livium libro XXXVIII. Non tamen hæc ſola erat cauſa expilandi Iudæam, ſed & Antiochi Illuſtris ingenium pronum ad ingentes largitiones faciendas: de quibus vide quæ dicta 1 Maccabæorum III. 29.

De captivitate Iudæorum] De Iudæis quos erat capturus. Vide 1 Maccab. III. 41.

11. *Nonaginta mancipia talento*] Vili admodum; cùm ſanato Antiocho Medicus Eraſiſtratus centum talenta accepiſſet.

12. *Iudas autem ubi comperit, indicavit iis qui ſecum erant Iudæis Nicanoris adventum*] Senſus bene expreſſus eſt. Verba hæc ſunt, *Iudæ autem* ad aures *accidit* (hic eſt ſenſus Græci προσέπεσε) *de adventu Nicanoris: & cùm iis qui ſecum erant communicaſſet, exercitum hoſtilem propè eſſe.*

13. *Non credentes Dei juſtitiæ*] Ἀπιστοῦντες τὴν τοῦ Θεοῦ δίκην, *non credentes Dei vindictam* venturam ſuper Nicanorem.

In fugam vertebantur] Additur in Græco, *& ſolum mutabant*, quod plus eſt quàm *fugere*. Vide 1 Maccabæorum III. 56.

14. *Alii verò ſi quid eis ſupererat vendebant*] Hæc eſt recta lectio Latini, in nonnullis libris corrupta. τὰ περιλελειμμένα, ea quæ tam avidi hoſtes reliqua ipſis fecerant.

Qui eos priuſquam cominus veniret vendiderat] Pellem urſi, ut eſt in apologo.

15. *Et ſi non propter eos, propter teſtamentum tamen quod erat ad patres eorum*] *Propter pacta cum majoribus eorum facta.* Vide Danielis IX. 18.

16. *Sed fortiter contenderent*] Confer quæ Iudas dicit 1 Maccabæorum IV. 8. & apud Ioſephum XII. 11.

18. *Illi quidem armis confidunt, ait, ſimul & audaciâ; nos autem in omnipotente Domino*] Sumtum ex Pſalmo XX. 8.

Et univerſum mundum uno nutu delere] 1 Maccabæorum III. 18.

19. *Et quod ſub Sennacherib*] Σενναχηρεὶμ ſcribunt

Græci: de qualibus mutationibus diximus ad Matthæum x. 25. Hanc hiſtoriam Iudas ſuis in animum revocat etiam I Maccabæorum VII. 41.

20. *Et de prælio quod eis adverſùs Galatas fuit in Babylonia, ut omnes, ubi ad rem ventum eſt, Macedonibus ſociis hæſitantibus, ipſi ſex millia ſoli peremerunt* CXX *millia*] In Græco pauló aliter, *Et de prælio in Babylonia contra Galatas* (id eſt, Gallos) *commiſſo, ubi cùm omnes ad rem veniſſent octies mille, cum Macedonibus quater mille, Macedonibus hæſitantibus, illi octies mille perdiderunt* CXX *millia, per opem cælitus ipſis datam, multúmque commodi indè ceperunt.* Ad hanc hiſtoriam pertinet quod Iuſtinus habet libro XXV. in temporibus Antigoni Macedonum Regis, *Gallorum eâ tempeſtate tantæ fœcunditatis juventus fuit ut Aſiam omnem velut examine aliquo implerent.* Ejuſdem Gallorum in Aſiam incurſus meminit Iuſtinus etiam libro XXXII. Strabo libro XII. Pauſanias quoque & Eutropius, quorum ille ad tempora Seleuci Nicatoris in Syria, alter ad tempora Ptolemæi Epiphanis in Ægypto regnantis eum refert. Iudæi ſicut Alexandro militaverant, ità & ejus ſucceſſoribus militârunt, ut alibi oſtendimus. *Macedones* hîc intellige illos qui ſub Syriæ erant Regibus, quorum imperium Babyloniam complectebatur.

22. *Duces utrique ordini*] Ἑκατέρας τάξεως. ſed ἑκατέρας hîc impropriè dicitur de tribus. Hebræorum exercitus vetuſtiſſimo more erant agminum quatuor. Horum primo præerat ipſe Iudas, duobus in media acie Simon & Ioſephus, poſtremo agmini Ionathan.

Simonem & Ioſephum & Ionathan] Vide I Maccabæorum II. circa initium, & V. 17. XII. 33. Ioſephum XII. 12.

23. *Ad hoc etiam ab Eſdra lecto illis ſancto libro*] Legit, Ἔτι δὲ καὶ διʼ Ἔσδρα. at nos habemus, Ἔτι δὲ καὶ Ἐλεάζαρον παραναγνοὺς τὴν ἱερὰν βίβλον. Interpretes illa *ac præterea Eleazarum* annectunt ſuperioribus, volúntque Ducis eſſe nomen. Ego legendum puto, Ἔτι δὲ καὶ Ἐλεαζάρου παραναγνοὺς τὴν ἱερὰν βίβλον, *Præterea cùm prælegiſſet ſacrum commentarium de Eleazaro*, qui ſcilicet ipſius dicta, facta & mortem pro Lege memorabat. Hunc autem prælêgit, ut tam illuſtri exemplo conſtantiæ, atque etiam tantæ ſævitiæ hoſtium exſecratione, accenderentur militum animi.

Et dato ſigno adjutorii Dei] Σύσσημον vertit *ſignum*, ut & Latini interdum, aliàs *teſſeram*. Sic Arati Sicyonii σύσσημον fuit, Ἡρακλῆς ἐπιδέξιος [*Hercules exſuperator*]. Tale ſignum eſt in Nerone Suetonii, *Optima mater*; apud Senecam de Cajo, *Venus, Priapus*; in Pertinace Capitolini, *Militemus*; in Antonino Spartiani, *Æquanimitas.* Σύνθημα [*ſignum*] in prælio Pharſalico à parte Cæſaris Ἀφροδίτη νικηφόρος [*Venus victrix*], à parte Pompeji Ἡρακλῆς ἀνίκητος [*Hercules invictus*], ut refert Appianus: in prælio ad Cordubam ex parte Cæſaris Ἀφροδίτη [*Venus*], ex parte Cn. Pompeji minoris Εὐσέβεια [*Pietas*]· in prælio Philippenſi à parte Bruti Ἐλευθερία [*Libertas*], Dione narrante. Sic Iudæ σύσσημον *ſignum* ſive *teſſera* fuit עמנואל [*Nobiſcum Deus*]. ſicut inter ſigna ſui temporis Vegetius III. 5. ponit *Deus nobiſcum.* Sic & infrà XIII. 15. ſignum eſt *Dei victoria.*

24. *Interfecerunt ſuper novem millia hominum*] Quorum tria millia in ipſa fuga interierunt, I Maccabæorum IV. 15.

25. *Qui ad emptionem ipſorum venerant*] Suprà II. I Maccabæorum III. 41. ac Ioſephus XII. 11.

26. *Nam erat ante Sabbatum*] Ἡ πρὸ τοῦ σαββάτου, dies quæ aliter παρασκευή [*Paraſceue*] & προσάββατον [*proſabbatum*], Marci XV. 42.

Quam ob cauſam non perſeveraverunt inſequentes] Nempe quia appetebat veſpera Sabbatum inchoans. Ceſſerat jam quidem lex Sabbati ſummæ neceſſitati, ſed eâ ceſſante vim ſuam habebat: quod & in hiſtoria obſeſſæ Vrbis obſervat Ioſephus.

27. *Arma autem ipſorum & ſpolia congregantes*] Ὁπλολογήσαντες δὲ αὐτοὺς καὶ τὰ σκῦλα ἐκδύσαντες, *Cùm autem legiſſent arma* (victi exercitûs), *& ſpolia eis detraxiſſent.* Aoriſti enim hi per præteritum hoc loco exponendi ſunt. Facta enim hæc fine Paraſceues.

Qui liberavit eos in iſto die, miſericordiæ initium ſtillans in illos] Legit στάξαντος αὐτοῖς, ut eſt in quibuſdam libris. Sixtina habet τάξαντος [*ordinans*]. Prius præfero, hoc ſenſu: *Domino qui in eum diem ipſis reſervarat initium miſericordiæ quæ in ipſos ſtillaret.* Nam hactenus Deus abſconderat miſerationes ſuas, ut vidimus ſuprà VII. 33. 37. 38. Miſericordia Dei ſic *ſtillare* dicitur quomodo Ira II Paralipomenon XII. 7. Ieremiæ XLII. 18. XLIV. 6.

28. *Poſt Sabbatum verò*] Μιᾷ τῶν σαββάτων [*unâ ſabbatorum*], ut loquuntur Euangeliſtæ: Matthæus, ὀψὲ σαββάτων [*poſt Sabbatum*].

Debilibus & orphanis & viduis diviſerunt ſpolia] *Viduis & pupillis.* Imitatione Legis Deuteronomii XIV. 29.

Ipſi cum ſuis habuere] *Cum pueris diviſere*, id eſt, inter milites. τὰ παιδία enim hîc idem valet quod Geneſeos XIV. 24. נערים, ubi in Græco, οἱ νεανίσκοι [*juvenes*]. Eodem ſenſu *juvenes* apud Ennium & Virgilium. Partitio hæc facta ex lege Davidis, I Samuelis XXX. 24.

29. *Vt in finem ſervis ſuis reconciliaretur*] *Porrò propitius eſſet.*

30. *Qui cum Timotheo & Bacchide erant*] Timotheo ut Duce, Bacchide ut adjutore. Ideo I Maccabæorum V. Timotheus nominatur ſolus.

Contra ſe contendentes] Συνερείσαντες, id eſt, *confligentes.* Ità enim hoc verbum Polybius uſurpat.

Super viginti millia] Tria millia primo prælio, octo altero, multos præterea in Boſore, in Maſpha, in Carnaimo, Ephrone, locíſque aliis, ut videre eſt I Maccabæorum V. Ioſephi XII. 12.

Et munitiones excelſas obtinuere] In Idumæa, Moabitide, Ammonitide, Galaaditide. Vide dicto jam loco.

32. *Et Philarchen*] Idem nomen quod *Philarchus*; quomodo libri veteres Hiſtoricum nominant horum temporum, quem alii *Phylarchum.*

33. *Et cum epinicia agerent*] Id eſt, *diem lætum ob partam victoriam.* Sic & Plutarchus hoc nomen in Romulo uſurpat.

Calliſthenem] Eſt & hoc nomen Græcis frequens, quale habuit is qui ab Ariſtotele malo ſuo fato Alexandro datus fuit comes.

Incenderunt, dignâ ei mercede pro impietatibus ſuis redditâ] Mos enim eſt gentibus ferme omnibus igne interficere incendiarios: L. *Qui ædes*. D. De incendio. L. *Capitalium*. § *Incendiarii*. D. De pœnis.

34. *Qui mille negotiantes ad Iudæorum venditionem adduxerat*] Supra 10.

35. *Ab his quos nullos exiſtimaverat*] *Ab his quos* omnium hominum *infimos exiſtimaverat*.

Depoſitâ veſte gloriæ] Quominus in itinere agnoſceretur.

Per mediterranea] Διὰ τῆς μεσογείας, id eſt, per illam regionem quæ inter Iudæam & Antiochiam ſita eſt; per viarum compendia.

Fugiens] In Græco, *fugitivi in morem ſolum ſe faciens*, id eſt, ſine ullo comite.

Summam infelicitatem de interitu ſui exercitûs conſecutus] Scripſit Interpres *felicitatem*: nam in Græco eſt διημερηκώς. Senſus eſt, *ſummè felix poſt amiſſum exercitum*. Satis felicem ſe exiſtimans quòd tantæ cladi ſuperſtes eſſet.

36. *Et qui promiſerat*] Id eſt, *in ſe receperat*, ἀναδεξάμενος, nempe apud Regem, ſuprà 10.

Romanis ſe tributum reſtituere] In Græco, *confecturum*. Id enim eſt κατορθώσεσθαι. Et tributum intellige penſionem ſummæ quæ ex pace debebatur, ut diximus ſuprà.

Prædicat nunc] *Prædicavit*, κατήγγελλεν.

Protectorem Deum habere Iudæos] *Propugnatorem*, ὑπέρμαχον.

Et ob ipſum] *Eo modo*, διὰ τὸν τρόπον τοῦτον.

Invulnerabiles eſſe] Id eſt, *invictos*.

CAPVT IX.

1. *De Perſide*] Cujus partem jam ante hunc Antiochum invaſerant Parthi. Georgius Monachus in Chronico de Seleuco Callinico, quem & *Antiochum* dictum dicit, ἐπὶ τούτου Πέρσαι τῶν Μακεδόνων καὶ Ἀντιόχων ἀπέστησαν [*hoc tempore Perſæ à Macedonibus & Antiochis defecere*]. Mox, καὶ βασιλεύει Περσῶν Ἀρσάκης [*& regnat apud Perſas Arſaces*]. His conveniunt quæ habet Strabo libro XI. Iuſtinus libro XLI. Euſebius in Chronico.

2. *Quæ dicitur Perſepolis*] Vide quæ dicta ad 1 Maccabæor. VI. 1. 2.

3. *Et cùm veniſſet circa Ecbatanam*] Caput Mediæ, ut ait Curtius libro V. & Plinius VI. 14. Vide Tobiam V. 8. in Latino.

4. *Iuſſit agitari currum ſine intermiſſione agens iter*] In Græco eſt, *juſſit aurigam ſuum inceſſanter agitantem currum iter abſolvere*, nempe Babylona versùs, ut ex Ioſepho diſcimus.

Et congeriem ſepulchri Iudæorum eam facturum] Πολυάνδριον, id eſt, *ſepulchretum*. Κοινὸν πολυάνδριον, *locus communis ad ſepulturam*, apud Ælianum.

5. *Dolor dirus viſcerum*] Ex mœrore, 1 Maccabæorum VI. 8. 9. 13. Ioſephus XII. 13. qui addit αὐξανομένων τῶν παθῶν [*auctis cruciatibus*].

8. *Iſque qui ſibi videbatur etiam fluctibus maris imperare*] Vt Xerxes,

Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum.

Vide ſuprà V. 21.

Et montium altitudines in ſtatera appendere] Quod Deo tribuitur Eſaïæ XL. 12. Vult dicere, transferre montes machinis.

In geſtatorio portabatur] In φορείῳ. Vide ſuprà III. 27. *Geſtatorium* hoc loco Interpres dixit pro *ſella geſtatoria*. Suetonius & Plinius minor pro *loco in quo fit geſtatio*.

9. *Ità ut de corpore impii vermes ſcaturirent*] Similis exitus hominis non diſſimilis Actorum XII. 23.

10. *Et qui paulò antè ſidera cæli contingere ſe arbitrabatur*] *Sublimi vertice ſidera ferire.*

——— ἴσ' οὐρανῷ
φρονεῖτε,
[——— *cælo pares*
Habetis animos,]

ait Soſiphanes.

Res gerere & captos oſtendere civibus hoſtes
Attingit ſolium Iovis.

12. *Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire*] Multi ſunt verſus Græci in eam ſententiam, quorum aliquos recitare potuit Antiochus. Antiphanis,

Εἰ θνητὸς εἶ, βέλτιστε, θνητὰ καὶ φρόνει.
[*Mortalis cùm ſis intra mortalem ſape.*]

Chæremonis,

Ὅλως τὸ κρεῖσσον οὐκ ἐᾷ φρονεῖν μέγα.
[*Vis major eſſe nos ſuperbos non ſinit.*]

Demonactis,

Θνητοὶ γεγῶτες μὴ φρονεῖθ' ὑπὲρ θεούς.
[*Supra deos nè ſapite mortales ſati.*]

Sophoclis,

Θνητὴν τὴν φύσιν χρὴ θνητὰ φρονεῖν,
Τοῦτο κατιδόντας, ὡς οὐκ ἔστι
Πλὴν Διὸς οὐδεὶς τῶν μελλόντων
Ταμίας, ὅ, τι χρὴ τετελέσθαι.
[*Nil mortales ſpirare ſupra*
Mortale decet, memores ſolo
Diſpenſari Iovis arbitrio
Homini quodcunque futurum eſt.]

13. *Orabat autem hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus*] Iam tempus miſericordiæ præterierat: venerat tempus vindictæ Divinæ. Sophocles Ajace Locro,

Εἰ δείν' ἔδρασας, δεινὰ καὶ παθεῖν σε δεῖ·
Δίκης γὰρ ἐξέλαμψε νῦν ὅσιον φάος.
[*Te qui patraſti dira tantundem pati*
Æquum eſt: ſacrum nam juris effulſit jubar.]

14. *Nunc optat liberam reddere*] Erant enim & ſub Regibus civitates quædam ſuo modo liberæ; ut Seleucia quæ *libera* dicitur Plinio V. 21. & VI. 26. de cujus regimine vide Tacitum VI. Annalium.

15. *Æquales nunc Athenienſibus facturum pollicetur*] Eſt quidem in Græco ἴσους Ἀθηναίοις, ſed error commiſſus idem qui ſuprà VI. 1. ex ſcriptionis compendio, & pro ἀθοις legendum ἀντοις, id eſt, Ἀντιοχείοις. Ius civitatis Antiochenæ Hieroſolymitis ſingulis vendebatur pretio, aut pro ingenti honore dabatur, V. 9. Sic Romani totos interdum populos civitate donarunt Romanâ. Vide orationem ea de re Claudii Annal. XI. & Actorum XXII. 28. Sic Iudæi qui in Ægypto facti ἰσοπολῖται [*cives æquales*] Macedonibus, qui Alexandriæ habitabant, Ioſephus XII. 1.

16. *Et pertinentes ad ſacrificia ſumptus de reditibus ſuis præſtiturum*] Vt olim Darius, Eſdræ VI. 9. Ptolemæus Philometor, Ioſephus XII. 2. poſtea Demetrius, 1 Maccabæorum X. 39. 40.

17. ***Et Iudeum ſe futurum***] Hîc quoque *Iudæus* religionis eſt nomen, ut ſuprà VI. 6.

19. ***Plurimam ſalutem, & bene valere, & eſſe felices***] χαίρειν καὶ ὑγιαίνειν καὶ εὖ πράττειν· quæ tria modò junctim modò ſeorſim uſurpata in Græcorum ſalutationibus.

20. *Si bene valetis & filii veſtri, & ex ſententia vobis cuncta ſunt, maximas agimus gratias*] Imperatores Romani ad Senatum Populúmque Romanum ità ſcribere ſolebant, *Si vos liberíque veſtri valetis, bene eſt* : ut apparet Epiſtolarum Ciceronis & ad Ciceronem X. 33. XV. 12. Xiphilinum Adriano. Imitati id Imperatores interdum & in literis ad populos amicos, ut C. Iulius Cæſar ad Sidonios apud Ioſephum XIV. 17. & M. Antonius ad Iudæos eodem libro Ioſephi c. 22. Sequuntur autem hîc in Græco quæ deſunt in Latino, εἰς οὐρανὸν τὴν ἐλπίδα ἔχων, ὑμῶν τὴν τιμὴν καὶ τὴν εὔνοιαν ἂν ἐμνημόνευον (rectiùs ἀνεμνημόνευον) φιλοστόργως, *Cùm in cælo* (id eſt, in Deo cœli) *ſpem habeam repoſitam, amicè recordor honorem & benevolentiam* quam in me oſtendiſtis olim, Deum ſcilicet pro me orando.

22. *Non deſperans memetipſum*] οὐκ ἀπογινώσκων τὰ κατ᾽ ἐμαυτὸν, *non deſperans de rebus meis.*

23. *Quibus temporibus in locis ſuperioribus ducebat exercitum*] *Ad loca ſuperiora*, id eſt, ad Elymæos. Sic & Ioſephus, τὴν ἄνω χώραν ἐπερχόμενος [*cùm ſuperna peragraret*], Antiq. XII. 13. id eſt, loca trans Euphratem.

Oſtendit qui poſt ſe ſuſciperet principatum] Solet quidem voce διαδεχομένου ſignificari *ſucceſſor*, ſed hîc Scriptor pro *vicario* ſumit, ut apparuit ſuprà IV. 29. 31. Senſus ergò eſt, *conſtituit vicarium*, ad regenda ſcilicet Syriæ loca. Id enim facere Reges ſolent, ubi in loca longinqua abeunt. Vide infrà 26. Antiochus Magnus abiens Syriam Seleuco Philopatori commiſerat.

24. *Si quid contrarium accideret*] Siqua clades nuntiaretur.

25. *Filium meum Antiochum*] *Eupatora.*

Regem] Solebant enim Reges etiam dum viverent Regium nomen dare filiis, ut eò magìs populos ſibi commendatos in fide retinerent. Frequens id Perſis Regibus, nec alia res magìs turbavit χρονολογίαν [*Temporum Numeros*]. Exemplum vide apud Plutarchum vitâ Artaxerxis.

Et ſcripſi ad eum quæ ſubjecta ſunt] Τὰ ὑπογεγραμμένα, id eſt, epiſtolam qua vos ei commendo, cujus epiſtolæ exemplum huic epiſtolæ ſubjeci.

27. ***Confido enim eum modeſtè & humanè acturum***, *& ſequentem propoſitum meum & communem vobis fore*] In Græco, *Confido* enim *eum conſequenter propoſito meo ſe accommodaturum vobis leniter atque humanè.* Inter officia Zeno probat συμπεριφέρεσθαι φίλοις, *accommodare ſe amicis*, ut eſt apud Laërtium; qui & in Socrate ſic loquitur. Laudantur Sirachidæ vir & uxor, ἑαυτοῖς συμπεριφερόμενοι, *qui ſe aptant alter alteri.* Hinc qui comes ſunt & ſociabiles dicuntur εὐσυμπερίφοροι. *Obſequium amicos parit*, id eſt, ἡ συμπεριφορά.

28. *In montibus*] Parætacenis circa Babyloniam. Vide Strabonem XI. & XV. Plinium VI. 26. 27. Polybius in fragmentis à Valeſio editis, & ex Polybio Hieronymus mortuum dicit in Tabis oppido Perſidis. Eſſe autem id oppidum in Parætacene Curtius nos docet libro V.

29. *Philippus collactaneus ejus*] De quo 1 Maccabæorum VI. 14. Ioſephus XII. 14.

Qui metuens filium Antiochi] Id eſt, Lyſiam, qui ſub nomine Antiochi Eupatoris regnabat.

Ad Ptolemaum Philometorem in Ægyptum abiit] Copias ſibi comparaturus contra Lyſiam, & ſic tutelam pueri ſibi vindicaturus. Eodem animi propoſito poſtea in Perſidem ſe contulit : 1 Maccabæorum VI. 56. Ioſephus XII. 14.

CAPVT X.

1. T*Emplum quidem & civitatem recepit*] *Receperat*, ἐκομίσαντο. Eſt enim ἐπάνοδος [*Retrogreſſio*], qualis frequens Hiſtoricis. Voluit enim primùm detexere res Antiochi Illuſtris : nunc ad Maccabæos retro ſe fert.

2. *Aras autem quas alienigenæ per plateas conſtruxerant*] Mos enim erat Gentium non in Templis tantùm ſed & in viis publicis aras ponere. Sic aræ Ἀγνώστῳ Θεῷ [*Ignoto Deo*] paſſim videbantur in viis Athenarum. Hinc Ζεὺς ἑρκεῖος, Ἀπόλλων ἀγυιεὺς, Ζεὺς καὶ Ἑρμῆς ἀγοραῖοι, Ἑκάτη τριοδῖτις [*Iuppiter Septalis, Apollo Vialis, Iuppiter & Mercurius Forenſes, Hecate Trivia*], multáque ſimilia.

Delubra] Τεμένη. ſic Græcis dicitur non *lucus* tantùm ſed & quodvis *ſolum numini alicui ſacratum.*

3. *Aliud altare fecerunt*] 1 Maccabæorum IV. 47. Ioſephus XII. 11.

Et de ignitis lapidibus igne concepto] Quòd is ignis nunquam profanis uſibus ſerviiſſet, reconditus intra lapidum viſcera : *ignitis*, mutuo nempe attritu.

Sacrificia obtulerunt poſt biennium] Eſt quidem in Græco μετὰ διετῆ χρόνον· ſed error eſt ſcribæ, & reponendum τριετῆ [*triennium*] ex Ioſepho XII. 11. Antiquæ Hiſtoriæ. Totam rem ut intelligas vide quæ diximus ad Danielem VII. 25.

Et incenſum, & lucernas, & panes propoſitionis poſuerunt] Vide Ioſephum dicto loco, & 1 Maccabæorum IV. 49. 50. 51. ſuprà I. 9.

4. *Rogabant Dominum proſtrati in terram*] 1 Maccabæorum IV. 40.

Vt ab ipſo mitiùs corriperentur] Fame aut peſtilentiâ potiùs quàm vi hoſtium, ſacra omnia evertente & multorum pervertente animos.

5. *Qua die autem Templum ab alienigenis pollutum fuerat*] Nempe per idolum ibi collocatum, ut ad dictum Danielis locum diximus.

Vigeſimâ-quintâ menſis qui fuit Caſleu] Planè idem, ut ſignum Divinæ providentiæ, obſervant Scriptor primi Maccabaïci IV. 52. & Ioſephus XII. 11. qui hunc menſem more Macedonico Ἀπελλαῖον [*Apellæum*] vocat.

6. *In modum Tabernaculorum*] Ad id exemplum, ut ſuprà I. 18.

Recordantes quòd ante modicum temporis diem ſolennem Tabernaculorum in montibus & in ſpeluncis more beſtiarum egerant]

——— *Quæ pati durum fuit*
Meminiſſe ſuave eſt.

More beſtiarum, ut ſuprà V. 27.

7. *Thyrſos*] *Haſtas foliis intextas*, ut Virgilius interpretatur Eclogâ V.

Et ramos virides] ὡραίους, *pulchros.* Nam & in Scenopegia celebranda nullum erat definitum genus arboris, ſed rami ſumebantur de pulcherrimis, quales imprimis palmæ, quæ jam ſequuntur.

Et palmas præferebant ei] In Græco plus eſt, *& hymnos canebant ei*, Pſalmum fortè LXXIX. aut aliquem extemporaneum. Vide quæ diximus Matthæi XXVI. 30.

Qui proſperavit mundari locum ſuum] *Ei qui ſucceſſum dederat purificantibus locum ſuum.*

8. *Communi præcepto & decreto*] Non in Senatu tantùm, ſed & in magno conventu, in quo erant principes non Tribuum tantùm ſed & familiarum.

Omnibus annis agere dies iſtos] Octo dies, τῶν φώτων [*Luminum*], aut ἐγκαινίων [*Innovationis*], I Maccabæorum IV. 59. Ioſephus XII. 11.

9. *Et Antiochi quidem qui appellatus eſt Nobilis*] Ἐπιφανὴς [*Illuſtris*], ut ſuprà IV. 7.

Vitæ exceſſus ità ſe habuit] Nempe ut dictum eſt capite IX.

10. *Breviantes mala quæ in bellis geſta ſunt*] *Continua bellorum mala*, longam malorum ſeriem: συνέχοντα, quod alii Græci dicerent συνεχῆ.

11. *Conſtituit ſuper negotia Regni Lyſiam quendam*] Hoc ideo dicit quia edicta omnia *Antiochi Eupatoris* nomen præferebant. Cæterùm revera is erat in Lyſiæ poteſtate.

Phœnices & Syriæ militiæ principem] Pars pro toto. Præfectus enim erat tractui & copiis ab Ægypto ad Euphratem, I Maccabæorum III. 32. Ioſephus XII. 11.

12. *Nam Ptolemæus qui dicebatur Macer*] Imò *Macron*, à longa corporis ſtatura, qui à patre *Ptolemæus Dorymenis.* Nihil enim video cur alius cenſeatur ab eo qui ſuprà indicatus IV. 45. VIII. 8.

13. *Eò quòd Cyprum ſibi creditam à Philometore deſeruiſſet*] Cyprus erat quidem poſſeſſa à primo Ptolemæo, ejúſque ſucceſſoribus, ut diſcimus ex Polybio V. Iuſtino XV. Strabone XIV. ſed & ſæpe rebellavit, ut idem Strabo indicat.

Et ad Antiochum Nobilem tranſlatus] *Tranſiſſet* à Rege Ægyptio ad Syriacum. Cyprus Syriæ objacet, & cohæſiſſe olim Syriæ creditur.

Etiam ab eo receſſiſſet] Non ità eſt in Græco, ſed *neque poteſtate nobili functus eſſet nobiliter*: nempe quia cum Iudæis colluſiſſe videbatur homo venalis.

Veneno vitam finivit] Contemtûs impatiens, ut multi inter Græcos.

14. *Gorgias autem cùm eſſet Dux locorum*] Locorum circa Iudæam, idque ſub Lyſia, I Maccabæorum III. 38. Ioſephus XII. 11.

Aſſumptis advenis] Ἐξενοτρόφει, id eſt, *milites habebat mercede conductos.* Ità ξενοτροφεῖν ſumunt Thucydides & Demoſthenes. ξένοι, *milites mercenarii.* Hinc ξεναγοὶ ſunt οἱ τῶν μισθοφόρων ἄρχοντες [*qui præſunt conducto militi*], ut exponit ad II Thucydidis Scholiaſtes.

Frequenter Iudæos debellabat] In Græco, πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἐπολεμοτρόφει, *contra Iudæos bellum ducebat.* Quod & Iudæos voluiſſe facere jam dicet, ſed non æquè facilè, quòd non illis tantum ſuppeteret pecuniæ, militis & commeatuum. Omnino apparet ità ſumi πολεμοτροφεῖν ex eo quod infrà eſt XIV. 6. Hoc Tacitus alibi dicit *bellum ducere*, alibi *trahere.* quod quando ſit utile, diſcet qui volet ex Suetonii Paulini ſermone apud Tacitum Hiſtoriarum II. & Flavianorum inter ſe diſputatione initio III. Idem eodem libro Hiſtoriarum III. opponit *urgere bellum* & *trahere*: & IV. in oratione Voculæ, poſtquam *viros & egregia caſtrorum munimenta, frumentum & commeatus* commemoraverat, *Eſt vallum*, ait, *murique & trahendi artes.*

15. *Qui tenebant opportunas munitiones*] In Græco hîc additur, *Iudæos exercebant*, ad arma ſcilicet.

Fugatos ab Hieroſolymis] Quæ habitatio minùs tuta erat, ob arcem impoſitam.

Et bellare tentabant] Πολεμοτροφεῖν ἐπεχείρουν, *bellum & ipſi ducere tentabant*, fiſi munimentis.

16. *Hi verò qui erant cum Maccabæo*] Iuda.

In munitiones Idumæorum] In *Acrabattena*, I Maccabæorum V. 3.

18. *In duas turres valde munitas*] *Filiorum Bajani*, I Maccabæorum V. 4. Ioſephus XII. 12.

19. *Relicto Simone*] Fratre.

Et Ioſepho itémque Zacchæo] Καὶ Ἰώσηφον ἔτι δὲ καὶ Ζακχαῖον. ſed legendum arbitror, καὶ Ἰώσηφον ἔτι καὶ τὸν τοῦ Ζαχαρίου [*Ioſephum inſuper & Zachariæ filium*], ex I Maccabæorum V. 55. & Ioſepho XII. 12.

20. *Suaſi ſunt pecuniâ*] *Inducti ſunt pecuniâ*, ἐπείσθησαν. Vide ſuprà IV. 45.

21. *Principibus populi congregatis*] Senatu Septuaginta virûm, qui judex erat rerum ad ſtatum publicum pertinentium, qui ἄρχοντες τοῦ λαοῦ [*principes populi*], ſæpe in Euangelio.

Accuſavit quòd pecuniâ fratres vendidiſſent] Quia Idumæi illi novis cladibus affecturi erant miſeros Iudæos.

23. *Pluſquam viginti millia*] Diverſa ab illis *viginti millibus* dictis ſuprà 17. quod locorum deſignatio oſtendit.

24. *Timotheus verò qui priùs à Iudæis fuerat ſuperatus*] Id eſt, poſtquam à Iudæis præliis aliquot erat victus, in Ammonitide ſcilicet, I Maccabæorum V. 6. 7. Ioſephus XII. 12.

Et congregato equitatu Aſiano] Ex Aſia illa peculiariter dicta, in qua Phrygia, Lydia, Myſia, Caria, terræ equis optimæ.

25. *Caput terrâ aſpergentes, lumbóſque ciliciis præcincti*] *Saccis* in Græco: ſed hæc affinia. Solebant hæc ſumi in gravi mœrore.

26. *Ad altaris crepidinem provoluti*] *In ſolo quod eſt prope altare*, id eſt, inter baſilicam Templi & altare. Nam Ioëlis II. 17. ubi in Hebræo eſt בין האולם ולמזבח, in Latino, *inter veſtibulum & altare*, Græcè optimè vertitur, ἀναμέσον τῆς κρηπῖδος τοῦ θυσιαστηρίου [*in media crepidine altaris*]. Illo in loco Sacerdotes, qualis erat Iudas, coram populo precari ſolebant.

Et adverſariis adverſaretur, ſicut Lex dicit] Exodi XXIII. 22. Levitici XXVI. 8.

28. *Vtrique commiſerunt*] Apud *Dathema.* Vide quæ diximus ad I Maccabæorum V. 29.

Illi autem ducem belli animum habebant] Τὸν θυμὸν, *iram* ſuam in Iudæos.

29. *Viri quinque in equis*] Angeli, ut ſuprà 25. 26. Tres velut pugnabant in hoſtem.

Ducatum Iudæis præſtantes] Hîc in Græco additur οἱ δύο, id eſt, *illorum duo*, non in membro ſequente.

30. *Ex quibus duo Maccabæum medium habentes*] *Et Maccabæum medium habentes*, nempe pugnantem in primori acie.

Armis ſuis circumſeptum] *Circumſepientes arma ejus.*

In adverſarios autem tela & fulmina jaciebant] Alii.

Et cæcitate confuſi] Quæ vis eſſe ſolet fulminis. ἀορασία reſpondet Hebræo עורון, ut apparet Deuteronomii XXVIII. 28. Habes eandem vocem Sapientiæ XIX. 16.

31. *Interfecti autem ſunt viginti mille quingenti, & equites ſexcenti*] Iaſon ille Cyrenæus nihil ſolitus eſt demere de interfectorum numero.

32. *In Gazaram*] Vide 1 Maccabæorum VII. 45.

Cui præerat Chæreas] Frater Timothei. Hiſtoricum eo nomine Polybius nominat. Habes id nomen & in Hiſtoria Romana, & in Comœdiis.

33. *Obſederunt præſidium*] Τὸ φρούριον, caſtellum illud Dathemam, quod modò ὀχύρωμα [*munimentum*] dixerat.

34. *Maledicebant, & ſermones nefandos jactabant*] Frequens id Antiochi militibus; ut videmus & 1 Maccabæorum II. 6. & ſuprà VIII. 4. & infrà XII. 14. XV. 24. Vide Daniel. VII. 11. XI. 36.

35. *Incedentes aſcendebant*] Τὸν ἐμπίπτοντα ἕκαστον, *quemvis obvium ſibi* (erumpentem ex caſtello) *feriebant.*

36. *Sed & alii ſimiliter aſcendentes turres portaſque ſuccendere aggreſſi ſunt*] In Græco, *Alii verò adſcendentes ad eos qui intus erant, idque converſo agmine, turres urebant.* περισπασμὸς eſt nomen caſtrenſe ſignificans *converſionem agminis*, qualem deſcribit Ælianus capite XXV. Senſus eſt, *adſcendiſſe eos non ubi erant propugnatores, ſed alia ex parte à tergo illis irruiſſe.*

Atque ipſos maledicos vivos concremare] In Græco, *Et rogis accenſis* (nempe circa turres) *Dei obtrectatores cremabant.* Sequitur hîc in Græco quod in Latino abeſt, *Alii frangebant portas, & ſic intromiſſo reliquo agmine, oppidum ſuæ poteſtatis fecere.* Sic apud Virgilium II Æneid.

——— portíſque patentibus omnes
Accipiunt ſocios, atque agmina conſcia jungunt.

Contrà quod in Latino ſequitur, *Per continuum autem biduum præſidio vaſtato*, abeſt in Græco.

37. *In quodam repertum loco*] Accedo credentibus ab Interprete ſcriptum *lacu.* Nam λάκκος ſolet verti *lacus*, ut in additis ad Danielem 30. 31. 34. Eſt autem propriè λάκκος *foſſa.* Ponitur in Gloſſis & pro *ciſterna*: quæ apta latebris, ut apparet II Samuelis XVII. 18. ubi λάκκος in Græco, in Latino puteus.

Et Apollophanem] Exſtat hoc nomen in Epigrammatis Græcis.

38. *In hymnis & confeſſionibus*] *Hymnis & gratiarum actione.* Vide 1 Maccabæorum IV. 33. XIII. 51. ſuprà 7. in Græco.

CAPVT XI.

1. *Lyſias procurator Regis*] Ἐπίτροπος alibi quidem *procuratorem*, at hîc *tutorem* ſignificat. Erat enim in pupillari ætate Antiochus Eupator, 1 Maccabæor. VI. 17. Ioſeph. XII. 14. Iuſtinus XXXIV. Propriè loqui ſi volumus, *pro tutore* erat Lyſias, non *tutor*: nam tutorem teſtamento Antiochus pater Philippum fecerat.

Et propinquus] 1 Maccabæorum III. 32.

Ac negotiorum præpoſitus] Negotiis ſummis etiam ab Antiocho Illuſtri præponi ſolitus, 1 Maccabæorum dicto loco, Ioſeph. XII. 11.

2. *Congregatis octoginta millibus*] *Centum millibus* ait Ioſephus, & Scriptor primi Maccabaïci, numero rotundiore.

Et equitatu univerſo] *Ad viginti millia*, ut ajunt nominati jam Scriptores.

Gentibus habitaculum facturum] Bene vertit Ἕλλησιν [illud *Græcis*]. Eo enim nomine hîc ſignificantur omnes à Iudaïſmo alieni.

3. *Templum verò in pecuniæ quæſtum*] Ἀργυρολόγητον, *Regi vectigale.*

Et per ſingulos annos venale Sacerdotium] Vt fecere poſtea Romani.

4. *Et in octoginta elephantis*] Quos diverſis in locis habebat. Secum autem adduxerat XXXII, ut antè dicti Scriptores nos docent. Antiocho Magno Polybius tribuit *elephantos centum.*

5. *Et appropians Bethſuræ*] 1 Maccabæor. VI. 31. Ioſephus XII. 14.

Quæ erat in anguſto loco] Ἐν ἐρυμνῷ χωρίῳ, *ſitu firmo.*

Illud præſidium expugnabat] Voluit dicere *oppugnabat*, ἔθλιβεν.

6. *Vt bonum Angelum mitteret ad ſalutem Iſraël*] Geneſeos XXIV. 7. 40.

8. *Eques in veſte candida*] Vide ſuprà X. 29.

Armis aureis haſtam vibrans] In Græco, *Arma quaſſans aurea.*

9. *Parati penetrare*] Τιτρώσκειν, *perfodere.*

11. *Leonum autem more*] Frequens apud Poëtas Viri fortis & Leonis comparatio.

Vndecim millia peditum, & equitum mille ſexcentos] Ioſephus *mille cæſos* habet, Scriptor Maccabaïci primi *ſexcentos.*

12. *Nudi evaſerunt*] Sine armis.

13. *Intelligens invictos eſſe Hebræos*] Et ſe ab his negotiis expedire cupiens ut totâ vi cum Philippo certaret.

17. *Iohannes & Abeſalom*] Legati à Iudæis qui in Templo obſidebantur miſſi. Ἀβεσσαλὸμ hîc, LXX Interpretibus Ἀβεσσαλώμ, eſt אבשלום, quod Latinus Interpres ſolet reddere *Abſalom.*

Tradentes ſcripta] *Cùm vidiſſent infrà poſitum oraculum.* Sic ſolebant gentes Orientis appellare epiſtolas Regias. Intelligit autem epiſtolam illam quæ jam ſequetur, quæ poteſtatem fecit Lyſiæ paciſcendi cum Iudæis: cujus oſtendendæ causâ Lyſias legatos ad ſe mitti voluerat.

18. *Quæcunque igitur Regi potuerunt perferri*] *Deferenda fuerunt.*

21. *Menſis Dioſcori*] Legit Διοσκύρου, pro eo quod Græci codices habent Διὸς Κορινθίου, mendoſè haud dubiè. Scaliger nomen putat menſis embolimi. Ego ſcriptum puto fuiſſe Δίου, quod ſcribæ ſumſere pro breviato Δι̅ου̅, & explicarunt Διοσκόρου. *Dius* notiſſimus eſt menſis Macedonum.

22. *Lyſiæ fratri*] Id eſt, cognato, ſuprà 1. infrà 35. Sed & omnes provinciarum Rectores à Romanis Principibus vocati *fratres*. Occurrit ſæpe in Theodoſiano Codice & Novellis eum ſequentibus, item in Iuſtiniani Novellis, ut illa CXXI. ſed & apud Caſſiodorum.

23. *Patre noſtro inter deos tranſlato*] Et hoc ab Orientis Regibus accepere Syromacedones. Mos enim erat Phœnicum & vicinorum bene meritos Reges in deos referre, quod & Romani imitari cœpere.

Et rebus ſuis adhibere diligentiam] *Vt rebus ſuis vacare poſſint.*

24. *Concedi ſibi legitima ſua*] Vitam & ſacra ſecundùm ſuas leges, quæ ipſis Alexander Magnus & Succeſſores ejus conceſſerant.

25. *Templum reſtitui illis*] Liberum nempe, ſine arce.

26. *Et dexteram dederis*] I Maccabæor. VI. 58.

Et utilitatibus propriis deſerviant] *Et læto agant animo, ob res ſuas recuperatas.*

27. *Senatui Iudæorum, & cæteris Iudæis*] Vide I Maccabæorum XII. 6. II Maccabæorum I. 10. IV. 44.

28. *Si valetis, ſic eſtis ut volumus*] Scripſit eſt, ἔτη.

Sed & ipſi bene valemus] Eſt formula à Romanis deſumta, *Si valetis bene eſt, ego quidem valeo.* Vide ſuprà IX. 20. & Ciceronis Epiſtolas, & ad Ciceronem plurimas.

29. *Adiit nos Menelaus*] Sacerdos Summus ab Antiocho Illuſtri factus ſuprà IV. 27. 50. Hunc pro Sacerdote Summo Græci habebant, quanquam Iudæi Iudæ detulerant Sacerdotium.

Dicens vos velle deſcendere ad veſtros qui ſunt apud nos] Illud *qui ſunt apud nos*, ut ſenſum faceret clariorem addidit Interpres. Ex Templo voluerant venire ad colloquia cum Iudæis illis qui ſub poteſtate erant Regis, neque tamen à Lege deſciverant, in quo numero erant Bethſurenſes, I Maccabæorum VI. 49.

30. *Damus dextras ſecuritatis*] Ὑπάρξει δεξιὰ μετὰ τῆς ἀδείας, *Dextera* (id eſt, fides) *quæ plenam ſecuritatem adferat*, continget *vobis*.

31. *Vt Iudæi*] Qui ad illud tempus inter nos verſabuntur.

Vtantur cibis] Bene ſenſum expreſſit. In Græco eſt, δαπανήμασι, quod per μετωνυμίαν [*tranſnominationem*] pro *cibis* ſumitur, ut vidimus De Dracone 9.

Et legibus ſuis] Non cogantur interim diis ſacrificare.

Et nemo eorum ullo modo moleſtiam patiatur] Id eſt, *accuſetur*.

De his quæ per ignorantiam geſta ſunt] Περὶ τῶν ἠγνοημένων, id eſt, *de his quæ peccata ſunt*, in Regem ſcilicet. Ità ἀγνοεῖν & ἀγνόημα lato quodam ſignificatu ſumi ab Helleniſtis Iudæis notavimus, tum alibi, tum Iudith. V. 19. Sirachid. XXIII. 2. LI. 26. I Maccabæorum XIII. 39.

32. *Miſimus autem & Menelaum qui vos alloquatur*] Παρακαλέσοντα ὑμᾶς, id eſt, *qui vobis det conſilia ad pacem.*

34. *Miſerunt autem etiam Romani*] Legati Romanorum, qui tunc erant in Aſia, & Eupatori favebant. Vide Iuſtinum XXXIV. Polybium Excerpto CVII.

Quintus Memmius, & Titus Manlius] Fuiſſe oportet hos Legatos aliquantò antè quàm in Aſiam mitterentur Cn. Octavius, Sp. Lucretius, & L. Aurelius, de quibus Polybius dicto Excerptorum loco. Cùm autem T. Manlius Torquatus ante hoc tempus anno quarto Conſul fuerit, ut ex Faſtis Capitolinis apparet, conſentiente & inſcriptione Hecyræ Terentianæ, ſequitur ut is qui prior nominatur ante eum Conſul fuerit. Quare pro Κόϊντος Μέμμιος [*Quintus Memmius*] reponendum cenſeam Κόϊντος Μούκιος [*Quintus Mucius*], Scævola ſcilicet, qui ante Manlium Conſul fuit anno nono, ut diſcimus ex Faſtis iiſdem Capitolinis, addito & Plinii loco II. 31.

35. *Et nos conceſſimus*] Καὶ ἡμεῖς συνευδοκοῦμεν, *Nos id approbamus.*

36. *Confeſtim aliquem mittite diligentiùs inter vos conferentes*] Legit ἐπισκεψάμενοι, quomodo habet & Sixtina. Sed præpono lectionem quæ eſt in libris aliis, ἐπισκεψόμενον, id eſt, *acturum conſideratè.*

Vt decernamus] In Græco, ἵνα ἐκθῶμεν, id eſt, *ut deſideria veſtra exponamus Regi.*

Sicut congruit nobis] Tanquam Legatis Populi Romani, cujus amici ſunt Iudæi. Promittunt apud Regem ſe commendaturos Iudæorum poſtulata.

Nos enim Antiochiam accedimus] Nempe Regis adeundi causâ, qui tum erat in urbe principe Regni ſui.

37. *Ideóque feſtinate reſcribere*] In Græco, *Feſtinate, & mittite aliquos*, id eſt, quamprimum mittite etiam ad nos, ut veſtræ voluntatis certi, noſmet ad eam, quantum fieri poterit, componamus.

CAPVT XII.

1. HIs *factis pactionibus*] Id eſt, induciis per Legatos factis.

Iudæi autem agriculturæ operam dabant] Vt in alta pace. Ariſtophanes Anatibus, de Pace loquens,

——— ταῦτα πάντ' ἐν τῇδ' ἔνι·
Οἰκεῖν μὲν ἐν ἀγρῷ τοῦτον ἐν τῷ γηδίῳ.
[——————— *paci hæc inſunt omnia:*
Habitare villam, colere rus villæ adſitum.]

Et Menander,

——— εἰρήνη γεωργὸν κἂν πέτραις
Τρέφει καλῶς, πόλεμος δὲ κἂν πεδίῳ κακῶς.
[——— *vel inter ſaxa agricolam nutriat*
Pax alma; bello ſordet & felix ager.]

2. *Sed hi qui reſederant*] *Sed Ducum qui in* (diverſis) *erant locis*, extra Hieroſolyma ſcilicet. Sciendum autem in iis quæ hucuſque habuimus deſiiſſe

Iaſonem Cyrenæum. Quæ jam ſequuntur ex Callinico aut alio aliquo deſumta ſunt: & ordine temporis ſequuntur ea quæ ſuprà habuimus x. uſque ad 32. Nam ex collatione 1 Maccabæorum v. manifeſtum eſt, eundem hunc eſſe Timotheum qui ſuprà x. 37. interfectus dicitur. Non eſt autem hæc hiſtoria ſuo loco poſita, quia hic liber excerpta continet non ex uno auctore.

Timotheus] De quo 1 Maccabæorum v. 6. 37. ſuprà VIII. 30. 32.

Et Apollonius Gennæi filius] Diverſus & minor illo Apollonio cujus ſæpe & in hoc & in Maccabaïco primo fuit mentio. Γενναῖος [*Generoſus*] nomen ex adjectivo, ut Εὐμενὴς [*Benignus*], multáque alia.

Sed & Hieronymus] Nomen hoc fuit frequens in Sicilia, Rhodo, in Ægypto, & in Græcis Thraciæ urbibus, ut Hiſtoriæ nos docent.

Et Demophon ſuper hos] Nomen eſt Atticum.

Et Nicanor Cypriarches] Notum eſt ex Actorum XIX. 31. & quæ eò allata ab eruditis, Sacerdotes Summos Gentium ſolitos vocari Ἀσιάρχας, Συριάρχας [*Aſiarchas*, *Syriarchas*], atque ità deinceps. Sed hîc putem denotari *Præfectum* hunc *Cypri* antea fuiſſe. Erat quidem Cyprus Ægyptiorum Regum provincia; ſed ortis ibi ſeditionibus, nonnulli ad Syriæ Reges ſe tranſtulerant. Vide ſuprà x. 13.

3. *Flagitium*] Δυσσέβημα, *factum impium.*

4. *Secundùm commune itaque civitatis decretum, & ipſis acquieſcentibus*] Id eſt, cùm illi hanc comitatem non recuſaſſent, freti publico Ioppenſium decreto, quo inter cives, quanquam diverſæ religionis, pax erat ſtabilita. Ioppe & Iamnia Phœniciæ urbes eo tempore erant ſectæ Antiochi Eupatoris.

5. *Præcepit viris qui erant cum ipſo*] Vt ſe ſcilicet bello pararent.

Et invocato juſto judice Deo] Qui ſcelera talia non ſolet relinquere impunita.

6. *Venit adversùs interſectores fratrum*] Popularium ipſius Iudæ.

Portum noctu incendit] Id eſt, ex ligno opera quæ erant in portu, qualia ſunt quæ *pilas* Vitruvius vocat.

7. *Et cùm hæc ità egiſſet*] *Cùm verò locus* (id eſt, ipſum oppidum) *bene clauſus eſſet* (ut intrare eo tempore non poſſet), *abiit.*

8. *Qui erant Iamniæ*] Vide 1 Maccab. IV. 15.

9. *Iamnitis quoque*] Sic & Ptolemæus & Stephanus vocant eos qui Iamniæ habitabant.

Portum cum navibus] Quæ in portu erant.

A ſtadiis ducentis quadraginta] *Cùm interſint ſtadia* CCXL. Hoc argumento evincit magnam fuiſſe flammam.

10. *Commiſerunt cum eo Arabes*] Latrociniis victitare ſoliti abuſque Iobi temporibus (I. 15.) ad hunc diem. Strabo libro decimoſexto, οἱ Σκηνῖται Ἄραβες λῃστρικοί τινες καὶ ποιμενικοί [*Arabes Scenitæ partim latrocinio, partim paſtione victitant*].

11. *Reſidui Arabes victi*] In Græco, Ἐλαττονωθέντες οἱ Νομάδες Ἄραβες, quod rectè vertas, *Victi Arabes illi Numidæ.* Nam & Strabo quoſdam Scenitarum Arabum Νομάδας [*Nomadas*] vocat, & Vitruvius *Arabiam Numidarum* dixit, & vox Latina *Numidæ* corrupta eſt ex Græca Νομάδες [*Nomades*]. Nominantur autem à Græcis hoc modo ii qui vagantur incertis ſedibus, ut vides apud Strabonem XI. qui & Arabas Numidas ſic deſcribit libro XVI. χώρα Νομάδων ἀπὸ καμήλων ἐχόντων τὸν βίον· καὶ γὰρ πολεμοῦσιν ἀπ' αὐτῶν, καὶ ὁδεύουσι, καὶ τρέφονται τῷ τε γάλακτι χρώμενοι καὶ ταῖς σαρξί [*Terra Nomadum ex camelis victitantium: nam iis & pugnant & iter faciunt, & eorum tum lacte tum carnibus aluntur*].

12. *Dextríſque acceptis diſceſſere ad tabernacula ſua*] Nempe Arabes illi, tentoria nunc hîc, nunc illic ponere ſoliti.

13. *Civitatem quandam firmam pontibus muríſque circumſeptam*] Legit, ἐπί τινα πόλιν γεφύραιν, ὀχυρὰν καὶ τείχεσι περιπεφραγμένην, non γεφυρῶν, *in urbem quandam duorum pontium, bene firmam, muríſque circumſeptam.*

Cui nomen Caſpin] Sic Græcus aliquis appellavit urbem *Eſebunta*, quæ *Casbon* 1 Maccabæorum v. 36. ubi diximus eſſe חשבון. Literam ח Græci in nominibus propriis modò omittunt, modò reddunt per χ vel κ.

14. *Et apparatu alimoniarum*] *Cibis* ibi *repoſitis.*

Remiſſiùs agebant] *Contumaciùs:* id enim valet ἀναγωγότερον.

Et blaſphemantes] Quod frequens Macedonibus eo tempore. Suprà VIII. 4. IX. 28. X. 4. 34. 35. 36.

15. *Invocato magno mundi Principe*] Δυνάστην, ut ſuprà III. 24. infrà 18. XV. 3. 23. 27.

Sine arietibus & machinis] Supple *aliis:* nam & aries machina, de qua videri poſſunt Vitruvius X. 19. Vegetius IV. 14. Ioſephus Belli Iudaïci III. 15. Ammianus XXII. Procopius Gothicorum IV.

Præcipitavit Iericho] Id eſt, *muros Ierichuntis.* Ioſephus VI. 20.

16. *Adjacens ſtagnum*] Apud Eſebunta.

17. *In Characa*] *Characmoba.* Sic enim legendum apud Ptolemæum in Arabia Petræa. Diximus Geneſeos XIX. 37. factum loco nomen ex clade aliqua Moabitarum.

Ad eos qui dicuntur Tubianæi Iudæos] Scribitur Τουβιανλωὺς· ſed ſatìs eſt Τουβιλωύς. Idem eſt nomen quod 1 Maccabæorum v. 13. ſcribitur Τουβίν. Vide ibi dicta.

18. *Nullóque negotio perfecto regreſſus eſt*] Nempe Timotheus: quod oſtendit Græcum ἐκλελυκότα [*regreſſum*], & quod ſequitur καταλελοιπότα [*relinquentem*].

Relicto in quodam loco firmiſſimo præſidio] Illud *firmiſſimo* ad *præſidium* refertur, ut ex Græco apparet.

19. *Doſitheus autem*] Nomen eſt Græcum factum ex Chaldæo רשתאי, quod *potatorem* ſignificat.

Et Soſipater] Hoc ſignificatu tranſlatum ex Hebræo אבישע [*Pater ſalutem adferens*].

20. *Habentem ſecum centum viginti millia peditum*] Novo delectu facto. Hic eſt *magnus* ille *exercitus* memoratus 1 Maccabæorum v. 37. 38.

21. *In præſidium quod Carnion dicitur*] *Carnaïm* à Scriptore primi Maccabaïci v. 44.

Erat enim inexpugnabile] Δυσπολιόρκητον, *difficile expugnatu.*

22. *Ex præſentia Dei qui univerſa conſpicit*] Ἐκ τῆς τοῦ πάντα ἐφορῶντος ἐπιφανείας. Vox ἐπιφανείας non ſemper *oſtentum*, ſed ſæpe *vim quandam divinam* ~~*ſubitam*~~ ſignificat.

24. *In partes Doſithei & Soſipatris*] *In agmen Doſithei & Soſipatris.*

Quos morte ejus decipi eveniret] *Quorum nullam rationem iri habitum.* Non fore ut quiſquam eis parceret ſi ipſe occideretur.

25. *Et cùm fidem dediſſet*] Πιστώσαντος δὲ αὐτοῦ διὰ πλειόνων τὸν ὁρκισμὸν, *Cùm autem pactum multis verbis firmaſſet*, de incolumitate, ut ſequitur, Iudæorum qui in poteſtate erant Macedonum. Ὁρκισμὸς reſpondet Hebræo, אסר, quod *obligationem* ſignificat, ut apparet Numerorum xxx. 4. 5. & ſequentibus. In Daniele *edictum Regium* ſignificat. Vide quæ diximus Prolegomenis ad Euangelia.

26. *Iudas autem egreſſus eſt ad Carnion*] Plus eſt in Græco, καὶ τὸ Ἀτεργατεῖον, hoc eſt ad *fanum* illud memoratum 1 Maccabæorum v. 43. Græci eandem deam vocabant Δερκετώ, Δέρκετιν, Ἀτέργατιν, ut nos docet Strabo libro xvi. Eſt hoc nomen *Atergatis* apud Theonem in Arateis, & apud Plinium v. 23. *Dercetis* apud Ovidium, pro quo *Phacetis* malè ſcribitur in Scholiaſte Germanici : ubi tamen aliis placet *Aphacitis.* Eſſe Venerem diximus ad dictum locum primi Maccabaïci. Dicitur autem Ἀτεργατεῖον eâdem formâ quâ Ἀσταρτεῖον apud Lxx, 1 Samuelis xxxi. 10. Ναναιεῖον ſuprà 1. 15. & εἰδωλεῖον 1 Maccabæorum 1. 50. x. 83. 1 Corinthior. viii. 10. & in Canonibus ſæpe.

27. *Ad Ephron civitatem munitam*] Eandem de qua 1 Maccabæorum v. 46. ubi ſimiliter ejus munimenta prædicantur. Ἐμφρὼν eſt Ioſepho xii. 12.

29. *Ad civitatem Scytharum*] Σκυθόπολιν unâ voce appellat dicto loco Ioſephus, & oſtendit eandem eſſe quæ Hebræis Βεθσάνη ſive *Bethſan*, ut 1 Maccabæorum v. 52.

30. *Conteſtantibus autem his qui apud Scythopolitas erant Iudæis, quòd benignè ab eis haberentur*] *Benevolentiam quam Scythopolitæ in ſe oſtendiſſent.*

Quòd modeſtè ſecum egerint] *Humanam tractationem.*

31. *Die ſolenni Septimanarum inſtante*] Idem eſt ἑβδομάδων ἑορτὴ [*Feſtum Septimanarum*] & quod jam ſequitur πεντηκοστὴ [*Pentecoſte*], ſolenne incidens in finem ſeptimæ ſeptimanæ ſive quinquageſimum diem a Paſchate. Vide Exodi xxiii. 16. Levitici xxiii. 15. 16. Deuteronomii xvi. 9. 10. Actorum 11.1. xx.16. 1 Corinthiorum xvi.8.

32. *Abierunt contra Gorgiam*] Nempe Ioſephus Zachariæ, & Azarias.

Præpoſitum Idumææ] Legitur quidem in Græco τῆς Ἰδουμαίας [*Idumææ*], ſed per errorem : legendum enim τῆς Ἰαμνείας [*Iamniæ*], ut nos docet 1 Maccab. v. 58. & apertiſſimè Ioſephus, qui xii. 12. ait, Γοργίου δὲ τοῦ τῆς Ἰαμνείας στρατηγοῦ [*Gorgiæ autem qui Iamniæ erat præfectus*].

33. *Exivit autem cum peditibus millibus & equitibus quadringentis*] Nempe Gorgias, & qui cum eo 1 Maccabæorum v. 59.

35. *Doſitheus verò quidam de Bacenoris eques*] Τῶν τοῦ Βακήνορος, id eſt, *eorum qui ſub Bacenore.* Hac ille notâ & voce *quidam* & *eques* diſtinguitur à majore Doſitheo, cujus ſuprà mentio 24. *Bacenor* eſt בכנרת, habitans *in* regione *Cinnereth.* Vide quæ dicta ad Matthæi xiv. 34.

Eques quidam de Thracibus] Habes *Thraces* in Antiochi Magni exercitu apud Polybium.

Irruit in eum] Doſitheum equitem.

Atque ità Gorgias effûgit in Mareſa] Quam Μάρισσαν [*Mariſſam*] dixit Ioſephus. Vide quæ diximus ad 1 Maccabæorum v. 66.

36. *At illis qui cum Eſdrin erant*] Περὶ τὸν Ἔσδριν. Legendum videtur περὶ τὴν Ἐφρὼν [*circùm Ephronem*]. Nam à Ioſephi & Azariæ rebus ad res Iudæ redit, qui circa Ephron pugnavit. Vide 1 Maccabæorum v. 65. & Ioſephum xii. 12. circa finem.

38. *Iudas autem collecto exercitu venit in civitatem Odollam*] Eſt hic locus unus ex illis quos complures in Idumæa cepiſſe Iudam Ioſephus poſt Ephronem captam commemorat. Hebraïcè ſcribitur עדלם, Geneſeos xxxviii. 12. unde gentilitium Ὀδολλαμίτης [*Odollamites*] ibidem in Græco.

Et cùm ſeptima dies ſuperveniret] Τῆς ἑβδομάδος. Dixit ἑβδομάδα, quam Philo & Ioſephus ἑβδόμην [*Septimam*]. Sic & infrà xv. 4. nec aliter in Decalogo Ioſephus, παρατηρεῖν τὰς ἑβδομάδας [*ſervare Dies Septimas*]· adverſus Appionem 11. τῆς ἑβδομάδος ἣν ἀργοῦμεν [*Die Septimâ per quam feriamur*]· & in oratione Agrippæ, τηροῦντες τὰ τῶν ἑβδομάδων ἔθη [*ſervantes ritum Dierum Septimarum*]. Sic & Chriſtiani Scriptores interdum; nimirum quomodo τετρὰς *dies quartus* Heſiodo & aliis.

39. *Et ſequenti die venit Iudas cum ſuis*] Additur in Græco, καθ' ὃν χρόνον τὰ τῆς χρείας ἐγεγόνει, *quo tempore quæ opus eſt fiebant* : id eſt, exacto planè Sabbato. Confer Lucam xxiii. 56.

Vt corpora proſtratorum tolleret] Quod ſignum victoriæ.

40. *De donariis idolorum quæ apud Iamniam fuerant*] Ἱερώματα τῶν ἀπὸ Ἰαμνείας εἰδώλων [*dona idolorum Iamniæ*], id eſt, *res dicatas idolis*, donaria ex auro, argento & rebus ſimilibus. Sed in voce Ἰαμνείας [*Iamniæ*] error eſt commiſſus contrarius ei quem modò notavimus 32. Nam ut ibi Ἰδουμαίας [*Idumææ*] ſcriptum pro Ἰαμνείας [*Iamniæ*], ità hîc pro Ἰαμνείας [*Iamniæ*] ſcribendum Ἰδουμαίας [*Idumææ*], præcedens hiſtoria collato Ioſepho & primo Maccabaïco apertum facit.

A quibus Lex prohibet Iudæos] Deuter. vii. 25. 26.

Omnibus ergò manifeſtum factum eſt ob hanc cauſam eos corruiſſe] Addita enim eſt præcepto jam dicto comminatio, *nè fias* ἀνάθεμα, id eſt, *pœnæ Divinæ ſacer.* Debuerant Iudæi illi ſtatim conflaſſe illud aurum & argentum, aut mari merſiſſe.

41. *Omnes itaque benedixerunt juſtum judicium Domini*] Approbarunt.

42. *Rogaverunt ut id quod factum erat delictum oblivioni traderetur*] Sperabant veniam poſſe obtineri iis qui Legem ſemper ſecuti in hac re peccaverant, pœnitentiam fortè acturi, ſi vixiſſent diutius. Mos eſt Hebræis precandi, *Sit mors illius pro expiatione peccatorum.* Satìs pœnarum luerit morte

violentâ, aut immaturâ, aut plenâ cruciatuum. Cœpere autem Iudæi orare pro mortuis in exſilio Babylonico: quod & formulæ ſermonem illorum locorum ac temporum redolentes oſtendunt. Nimirum ab Ezechiele & Daniele inſtituti certius aliquid quàm antè de judicio poſt hanc vitam perceperant.

Hortabatur populum conſervare ſe ſine peccato]

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

43. *Offerri pro peccatis mortuorum*] Tale ſacrificium Lege imperatum non erat; neque judicia poſt hanc vitam in Lege fuerant revelata: Quibus cognitis Prophetarum indicio, ex paritate quadam rationis credidere Iudæi rectè fieri poſſe pro mortuis quæ pro vivis fieri ſolebant Levitici v. 6. 16. Pari ferme ratiocinatione inductus Baptiſmus pro mortuis apud Chriſtianos, & Oblationes pro mortuis: de quibus aliàs.

Bene & religioſè de Reſurrectione cogitans] Id eſt, firmâ fide credens futuram Reſurrectionem, & in ea vitæ hîc actæ repenſationem.

44. *Niſi enim eos qui ceciderant reſurrecturos ſperaret*] *Exſpectaſſet*, προσεδόκα.

Superfluum videretur & vanum orare pro mortuis] In Græco, περισσὸν καὶ ληρῶδες ὑπὲρ νεκρῶν εὔχεσθαι, *ſupervacuum & nugatorium fuerat pro mortuis orare.* Simile illud Euripidis,

Τί δεῖ θεοὺς σέβειν σε κατθανούμενον;

[*Nam quid deos te colere moriturum attinet?*]

nempe ſi nihil aliud poſt mortem reſtat. Confer 1 Corinth. xv. 29. 30. 31. 32.

45. 46. *Et quia conſiderabat quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam. Sancta ergò & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur*] In Græco ſic eſt, *Ergò conſiderans iis qui cum pietate dormiunt optimam repoſitam gratiam* (*quæ ſancta eſt & pia cogitatio*), *ob id pro mortuis expiationem fecit* (ſacrum piaculare), *ut à peccato* (id eſt, à peccati pœna) *liberarentur. Cum pietate mortuos* dicit, quia ſemper dederant operam ſervandæ Legi, & pro Lege vitam objecerant periculis. Exiſtimabat autem, pronus ſcilicet quod ambiguum erat in partem trahere meliorem, quòd illi peccaverant ortum ex Legis ignorantia; qualem ſæpe accidere in tanta præceptorum multitudine erat credibile; nec minùs credibile facilè à Deo talium veniam impetrari.

CAPVT XIII.

1. A*Nno centeſimo quadrageſimo nono cognovit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine adversùs Iudæam*] Eſt eadem hiſtoria quæ ſuprà xi. xii. ſed ex alio Scriptore, ut modò diximus, rebus quibuſdam additis, demtíſque.

2. *Lyſiam procuratorem*] Ἐπίτροπον, *tutorem*, ut diximus modò xi. 1.

Et præpoſitum negotiorum] Ἐπὶ τῶν πραγμάτων, *negotiis* ſummis *impoſitum*. Eadem verba ſuprà xi. 1.

Centum decem millia] *Octoginta millia* habuimus ſuprà ex Iaſone Cyrenæo xi. 2. Medium inter utrumque numerum, id eſt, *centum millia* exprimunt Scriptor 1 Maccabæorum vi. 30. & Ioſephus, ut ſuprà ad xi. 2. notavimus. Non mirum eſt diſcongruere in tradendo numero eorum qui ſunt in exercitu Scriptores bonos, cùm lixas, calones & alios id genus militiæ ἐπιφύσεις [*accrementa*] alii annumerent, prætermittant alii. Tum verò intra medium temporis ſpatium aut ex auxiliis creſcunt, aut ex morbis decreſcunt exercitus.

Et equitum quinque millia] *Viginti*, ajunt Scriptor primi Maccabaïci & Ioſephus. Facilè potuit κ in ε mutari.

Et elephantos viginti duos] Etiam hîc videtur λ à ſcribis in κ mutatum. Nam *elephantos triginta duos* habet Scriptor primi Maccabaïci; nec aliter Ioſephus xii. 14.

3. *Cum multa fallacia*] Bene vertit Græcum μετὰ πολλῆς εἰρωνείας. Eſt enim εἰρωνεία ſæpe ὑπόκρισις [*ſimulatio*], ut Suidas, ψευδολογία [*mendacium*], ut Heſychius interpretatur.

Sed ſperans ſe conſtitui in principatum] Id eſt, ſperans vi Regiâ dejecto Iuda poſſe ſe reſtitui in ſummum Sacerdotium, quod ἀρχὴ [*principatus*] etiam ſuprà vocatur v. 7.

4. *Suſcitavit animos Antiochi*] Eupatoris.

In peccatorem] Vt ſolet malorum operâ in malos uti.

Hunc eſſe cauſam omnium malorum] Suaſorem Antiocho Illuſtri ad mutandos Iudæorum ritus, unde tot mala nata.

Vt eis eſt conſuetudo] In Græco, *Vt in illis locis moris eſt*, id eſt, nullo judicio præcedente, contrà quàm apud Iudæos fieri ſolebat.

Apprehenſum in eodem loco necari] In Græco, *necari abductum Berœam*, nempe ab Antiochia. Berœa eſt urbs Macedoniæ nominata in Excerptis libri vii. Strabonis, Plinii iv. 10. unde nomen habuit altera urbs in Syria, cujus meminere Plinius v. 26. Ptolemæus in Syria, utriuſque autem Stephanus.

5. *Aggeſtum undique habens cineris*] *Pleno cinere* ſubtus. Bene Latinus interpres dixit *aggeſtum cineris*, quem *cineris congeriem* Valerius Maximus ix. 11. 6. in ſimili apud Perſas commento Regis Ochi. Non diſſimilem morem dat Tauroſcythis Euripides: nam interroganti Oreſti,

Τάφος ἢ ποῖος δέξεταί μ' ὅταν θάνω;

[*Deinde quis me tumulus exanimem manet?*]

Reſpondet Iphigenia,

Πῦρ ἱερὸν ἔνδον, χάσμα τ' εὐρωπὸν πέτρας.

[*Sacer ignis intus, & cavum rupis ſpecus.*]

Hæc proſpectum habebat in præceps] Aliter in Græco, *Hæc machinam habebat ab omni parte verſatilem & præcipitem in cinerem.*

6. *Indè in cinerem juſſit dejici ſacrilegum, omnibus eum propellentibus ad interitum*] Aliter in Græco, *Illuc ſacrilegii reum, aut qui aliud quid eximii mali patraverit, omnes in exitium impellunt*, id eſt, ſolent impellere. Morem hîc deſcribit: de Menelao ſequitur.

7. *Et tali lege*] *Tali morte* in Græco.

Prævaricatorem Legis contigit mori, nec terræ dari Menelaum] *Ità ut nec terra ei contigerit.* Sic de parricidis Iuſtinianus Inſtitutionibus De publicis Iudiciis, *Vt terra mortuo auferatur.* Quintilianus autem Declamatione cccxviii. itidem de parricida, *Vt, quod*

quod diis hominibúsque videatur indignum, tumulo tectus videretur, cui leges terram negant. Deinde, *Cui lucem vivo, fluctuanti mare, naufrago portum, morienti terram, defuncto ſepulchrum negat*, lex ſcilicet.

9. *Sed Rex mente efferatus veniebat*] *Cæterùm Rex adventabat animo in barbarum corrupto.* Hoc ſignificat Menelaum quidem à Rege punitum, ſed Regem, quem Menelaus concitaverat, manſiſſe ut antè, infeſto in Iudæos animo.

Nequiorem ſe patre ſuo Iudæis oſtenſurus] *Peſſima eorum quæ pater fecerat in Iudæos deſignaturus*, tanquam κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν [*mali corvi mala proles*].

10. *Sicut ſemper*] *Si unquam*, in Græco: quaſi dicat, nunquam magìs neceſſariam fuiſſe opem Divinam.

11. *Privari vererentur*] *Periclitarentur*, μέλλουσι.

Qui nuper paululùm reſpiraſſet] Per victorias partas de Apollonio, Serone, Gorgia, Timotheo.

Nè ſineret blaſphemis rurſus nationibus ſubdi] Vt ſuprà x. 4.

12. *Cum fletu & jejuniis per triduum continuum proſtratis*] In Græco, *Et proſtratione per triduum perpetuâ.* Πρόσρωσις hîc, ut ſuprà III. 21.

13. *Ipſe verò cum Senioribus cogitavit*] *Ipſe autem ſeorſim cum Senatoribus* (id eſt, cum Synedrio) *conſilium cepit.* Sic καθ' ἑαυτὸν [*ſeorſim*] opponitur turbæ, ut καταμόνας [*ſolus*] Marci IV. 10. Lucæ IX. 18.

Et obtineret civitatem] Hieroſolyma.

Domini judicio committere exitum rei] *De re decernere Deo adjuvante.*

14. *Dans itaque poteſtatem omnium Deo creatori*] *Permittens igitur diſpenſationem* (belli) *Deo creatori.*

Circa Modin exercitum conſtituit] Loco ad caſtra apto.

15. *Dei victoriæ*] נצח לאל.

Nocte aggreſſus aulam Regiam in caſtris] *Noctu irruens caſtra qua parte erat Regis tentorium.* Nam αὐλὴ etiam hoc ſignificat.

Et maximum elephantorum cum his qui ſuperpoſiti fuerant] In Græco, καὶ τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων σὺν τῷ κατ' οἰκίαν (ità enim Sixtina) ὄχλῳ συνέθηκε· quæ ſic interpretor, *Et eum qui præerat elephantis cum omni turba ipſius domeſtica addidit interfectis.* Quod uno verbo Macedones dicebant ἐλεφαντάρχην [*elephantarcham*], ut infrà XIV. 12. id Græcus hic Scriptor expreſſit pluribus; ut & Terentius,

Elephantis quem Indicis præfecerat.

Solebant autem tales magnam ſecum habere familiam ad paſcendas regendáſque belluas.

18. *Accepto guſtu*] Id eſt, facto experimento. Proverbium eſt Græcum apud Athenæum, γεῦμα τὴν ὠνὴν καλεῖ [*Guſtus ad emendum invitat*]. De qua re vide L. *Hi qui in emtione.* § *Alia cauſa eſt.* D. De contrahenda emtione. L. *Si quis vina.* D. De periculo & commodo rei venditæ.

Arte difficultatem locorum tentabat] *Loca artibus tentabat*: nempe prælium devitans, volebat oppida capere de inſidiis, aut fame, aut machinis admotis.

19. *Et Bethſura, quæ erat Iudæorum præſidium munitum, caſtra admovebat*] Eadem tangitur hiſtoria quæ ſuprà XI. 5. & I Maccabæorum 31. & apud Ioſephum XII. 14.

Sed fugabatur, impingebat, minorabatur] Græcus unde hæc deſcripta multùm amavit ἀσύνδετα [*injugia*], ut jamjam 21. 22. 23. 26. XIV. 22. Senſus eſt, *modò agebatur in fugam, modò colliſus abibat cum damno.*

21. *Enuntiavit autem myſteria*] Arcana caſtrorum.

Rhodocus] Fortè fuerit Ῥοδοφὸς, רדף, διώκτης [*perſecutor*].

Et concluſus] In carcerem datus.

22. *Dextram dedit*] I Maccabæorum VI. 49. Ioſeph. XII. 14. Multa talia omiſerat Iaſon.

23 *Commiſit cum Iuda, ſuperatus eſt*] Inverſus hîc eſt paululùm ordo hiſtoriæ. Hæc enim victoria Iudæ anteceſſit deditionem Bethſuræ Antiocho factam. Eſt enim ea quæ narratur I Maccab. VI. 42. & apud Ioſephum dicto loco.

Cognovit rebellaſſe Philippum] Ἀπονενοῆσθαι Φίλιππον, *deſperata conſilia agitare*, nempe palàm ſe Regi & Lyſiæ opponendo.

Antiochiæ] Ἐν Ἀντιοχείᾳ· intellige Niſibin, quæ novo nomine *Antiochia* vocabatur, Plinius VI. 13. & propinqua erat Mediæ, ubi exercitum collegerat Philippus, ut docemur I Maccabæorum VI. 56.

Qui relictus erat ſuper negotia] Id eſt, cui negotia omnia mandata fuerant Antiochi Illuſtris teſtamento, I Maccabæor. VI. 14. & 55. Ioſeph. XII. 14. Sed quod teſtamentum non curabat Lyſias, ſanguinis jure ſibi tutelam vindicans: quales diſputationes etiam noſtro ſeculo multas vidimus.

Subditúſque eis] Ὑπετάγη, id eſt, *accommodavit ſe Iudæorum deſideriis.*

Iurat de omnibus quibus juſtum viſum ei] *Iurat in æqua omnia.*

Obtulit ſacrificium] Præbuit victimas Sacerdotibus, ut ſæpe Reges alii.

Honoravit Templum, & munera poſuit] In Græco, *Et locum* (id eſt, Hieroſolyma) *humanè tractavit*, nempe antequam fidem falleret: quod hic Scriptor intactum reliquit.

24. *Et fecit eum à Ptolemaïde usque ad Gerrenos Ducem & Principem*] Κατέλιπε στρατηγὸν ἀπὸ Πτολεμαΐδος ἕως τῶν Γερρηνῶν ἡγεμονίδην, *Reliquit Ducem à Ptolemaïde ad Gerrenos usque jure hereditario*, id eſt, ipſum liberóſque ejus fecit Præſides oræ maritimæ, ubi Ptolemaïs, ad fines Ægypti, ubi *Gerrum* terminus Ægypti Ptolemæo. Similis poteſtas poſtea Ionathani data ab Antiocho Sidete I Maccabæorum XI. 59.

25. *Graviter ferebant Ptolemenſes*] Ptolemæenſes, vel Ptolemaïdenſes.

Amicitiæ conventionem] *Pacta* cum Iuda inita.

Indignantes, nè fortè fœdus irrumperent] *Indignabantur enim, & ob id volebant irritum facere fedus.* ὑπὲρ ὧν [*quapropter*] hîc poſitum ut ὅθεν ſuprà XII. 45. לכן.

26. *Tunc aſcendit Lyſias tribunal*] Homines, quámvis imperioſi, in rebus turbidis faciunt ſe populares.

Regreſſúsque eſt Antiochiam] Syriæ ad Orontem, ſive apud Daphnen.

Et hoc modo Regis profectio] Antiochi Eupatoris bellum in Iudæos hunc finem, ipſo revertente, habuit.

CAPVT XIV.

1. SEd *poſt triennii tempus*] Hoc caput & ſequens eandem complectitur hiſtoriam quam habuimus I Maccabæorum VII. ſed nonnullis additis, & contrà omiſſis.

Demetrium Seleuci] Qui *Soter* dictus.

Per portum Tripolis] Eam quam in Phœnice ponit Ptolemæus. Nomen ea habet quòd habitari cœperit ex *urbibus tribus* Tyro, Sidone, & Arado, ut nos docent Scylax in Periplo, Diodorus Siculus libro XVI. Strabo XVI. & Plinius V. 20.

Ad loca opportuna] Hoc addidit Interpres explicandæ rei causâ.

2. *Adversùs Antiochum, & ducem ejus Lyſiam*] In Græco meliùs, *Occiſo Antiocho* (Eupatore) *& tutore ejus Lyſiâ*.

3. *Qui Summus Sacerdos fuerat*] *Qui jam antè Summus Sacerdos factus fuerat*, nempe ab Antiocho Eupatore, poſt mortem Menelai, ſed non à populo receptus ob facinora ejus contra Legem.

Sed voluntariè coinquinatus eſt] *Fuerat*. Et eſt paſſivum pro reciproco, Niphal pro Hithpahel : *ſe enim inquinaverat ſponte*, id eſt, cogente nemine.

Temporibus commiſtionis] Legit ut in Sixtina eſt, ἐν τοῖς τῆς ἐπιμιξίας χρόνοις, *temporibus confuſionis*, cùm Iudæorum multi promiſcuè cum Gentibus vixere. Malè in aliis libris ἀμιξίας.

Nullo modo ſibi eſſe ſalutem] Nihil boni ſibi ſperandum à popularibus ſuis.

Neque acceſſum ad altare] Neque paſſuros eos ut Sacerdotio fungeretur.

4. *Coronam auream*] Solitum munus, I Maccabæorum X. 29. XI. 35. XIII. 37.

Et palmam] Nempe ex auro itidem, ut I Maccabæorum XIII. 37.

Et thallos qui ex Templo eſſe videbantur] Πρὸς δὲ τούτοις τῶν νομιζομένων θαλλῶν τοῦ ἱεροῦ, *præterea de termitibus Templo ſolenniter dicatis*. In Templo erant multa donaria, inter ea & horti quidam ex auro varia arborum imitamenta complexi, in his & oleæ. Similia vide in his quæ diximus ad Lucæ XXI. 5.

6. *Ipſi qui dicuntur Aſſidæi*] Flagrantiſſimi in Legis ſtudio. Vide I Maccabæor. II. 42. & quæ ibi dicta.

Bella nutriunt] *Trahunt bellum*, ut ſuprà X. 14. 15.

Et ſeditiones movent] Odio Macedonum implent plebem.

Nec patiuntur Regnum eſſe quietum] Quaſi quietum futurum eſſet ſi per omne Regnum iidem ritus valerent.

7. *Nam & ego defraudatus parentum gloriâ* (*dico autem ſummo Sacerdotio*) *huc veni*] Erat ergò de ſtirpe Aaronis, contrà quàm putavit Euſebius.

8. *Primò quidem utilitatibus Regis fidem ſervans*] *Primùm quidem eis quæ ad Regem pertinent ſincerè ſtudens*.

Secundò autem civibus conſulens] Δεύτερον δὲ καὶ τῶν ἰδίων πολιτῶν στοχαζόμενος. Deeſt ἕνεκα more Græco: *Deinde verò etiam popularium meorum causâ ſatagens*.

Nam illorum pravitate] *Per dictorum jam hominum inconſiderantiam*, quaſi dicat, pertinaciam in tuendis ritibus.

9. *Et generi*] Additur in Græco, *in arctum redacto*, τοῦ περιισταμένου γένους.

Secundùm humanitatem tuam pervulgatam omnibus] *Patentem omnibus:* id enim eſt εὐαπάντητον.

12. *Præpoſitum elephantorum*] Vide ſuprà XIII. 15.

13. *Vt ipſum quidem Iudam caperet*] *Tolleret* in Græco.

Eos verò qui cum illo erant] Quos *Aſſidæos* modò vocavit.

Maximi Templi] *Maximi* hîc & infrà 31. dicitur non diſcriminis causâ (unum enim duntaxat in Iudæa Templum erat) ſed honoris. *Immenſæ opulentiæ Templum* ait Tacitus.

14. *Tunc Gentes quæ de Iudæa fugerant Iudam*] Qui Iudæ metu ſe ad vicinas gentes receperant, I Maccabæorum II. 44.

15. *Qui populum ſuum conſtituit*] Συνέστησε, collegit ex Ægypto.

Suam portionem] *Populum ſuum peculiarem*; Sirachidæ XVII. 15.

Signis evidentibus protegit] Μετ' ἐπιφανείας, quod non ſemper *oſtentum*, ſed ſæpe *opem præſentem* ſignificat, ut ſuprà XII. 22. diximus.

16. *Ad caſtellum Deſſau*] דישו, quòd ibi meſſium *tritura* fieret.

17. *Commiſerat cum Nicanore*] Id eſt, cum anteſignanis ejus.

Sed conterritus eſt] Βραχέως ἐπταικώς, id eſt, *damnum accepit leve*. πταίειν hoc ſenſu ſumitur I Samuelis IV. 2. 3. 10. VII. 10. II Samuelis II. 17. X. 15. XVIII. 7. I Regum VIII. 33. II Regum XIV. 12. Loquuntur ſic & Græci elegantiores, ut Ariſtides. Interpres Latinus legit ἐπτωκώς.

Repentino adventu adverſariorum] Legit Interpres hîc, βραχέως διὰ (non δὲ) τὴν αἰφνίδιον τῶν ἀντιπάλων ἐφοδείαν, non ἀφασίαν [*ſtuporem*]. Cauſa accepti damni fuit ſubitus ſuperventus totius exercitûs qui ſub Nicanore. In Gloſſis, Ἐφοδιαστής, *invaſor*. Ἐφοδιάζω, *impetum facio*, *irruo*.

18. *Sanguine judicium facere metuebat*] *Prælio decernere*. Similis locutio ſuprà XIII. 13. & infrà XV. 17.

19. *Poſidonium & Theodotium*] Macedones. *Poſidonii* nomine fuere & Philoſophi & Hiſtorici nobiles. Pro *Theodotium* rectiùs in aliis Latinis *Theodotum*. Eſt enim in Græco Θεόδοτον. Et fortè hic ipſe eſt qui res quaſdam Iudæorum ſcriptis complexus eſt, cujus teſtimonio Ioſephus utitur priore contra Appionem, & Euſebius Præparationis IX. I. & 22.

Et Matthiam] Hic fuit Iudæus ſecutus partes Macedonicas.

Vt darent dextras atque acciperent] Ennius,

Accipe dáque fidem, fedúsque feri bene firmum.

20. *Et ipſe dux*] Iudas.

Ad multitudinem retuliſſet] Τοῖς πλήθεσιν, convocato cum Senatu populi, & urbano, & Tribuum principibus, ut fieri ſolebat in rebus maximis. Vide quæ dicta à nobis ad Matthæi x. 17.

21. *Et ſingulis ſellæ prolatæ ſunt & poſitæ*] In Sixtina eſt, καὶ παρ' ἑκάστου διαφόρους ἔθεσαν δίφρους. In aliis, παρ' ἑκάστου διφραξ ἔθεσαν δίφρους, Scio διφραγας *genus* eſſe *militis*, ſed *apud Parthos*, teſte Heſychio: quare his nullus hîc locus. Sed ſcribendum παρ' ἑκάστου διφροφόροι ἔθεσαν δίφρους, *Sellarii ab utraque parte ſellas poſuere*. In Gloſſis, Διφροφόρος, *ſellarius*. Sellæ iſtæ non vulgares fuere ſed ſublimes & eburneæ. Idem honos à Conſulibus Romanis ſolitus Dynaſtis haberi. Notatum id in fragmentis Dionis Coccejani. Sic Sulla apud Plutarchum δίφρους [*ſellas*] jubet poni, ſibi, Ariobarzani & Orobazo.

22. *Præcepit autem Iudas armatos eſſe locis opportunis*] In proximo, ut auxilio eſſent ipſi, ſiqua vis contra fidem pararetur. Sic in colloquio Corbulonis & Tiridatis *viceni equites aſſumti*, Tacito narrante Annalium xv.

23. *Morabatur autem Nicanor Hieroſolymis*] In arce, 1 Maccabæorum vII. 33.

Gregéſque turbarum, quæ congregatæ fuerant, dimiſit] Id eſt, magnam partem exercitûs dimiſit, mediocri præſidio retento. Vide infrà 39. 40.

24. *Habebat autem Iudam ſemper carum ex animo, & erat viro inclinatus*] In Græco, *Habebat autem Iudam perpetuò in conſpectu, & ex animo ei favebat.* ψυχικῶς pro *ex animo* habuimus etiam ſuprà Iv. 37. כנפש.

25. *Nuptias fecit, quietè egit, communitérque vivebant*] In Græco, *Duxit uxorem, tranquillè vixit, & familiari conſuetudine utebatur*, nempe Nicanoris. Hîc iterum vides ἀσύνδετα [*injugia*] ei Scriptori unde hæc deſumta ſunt, uſitata. Hæc autem eò pertinent ut pateat Iudam nihil hoſtile molitum in Macedonas, aut ab ipſis exſpectaſſe, iſto tempore.

26. *Et conventiones, venit ad Demetrium*] In Græco, *aſſumtis conventis venit ad Demetrium*, ut ſcilicet illa oſtenderet Regi, & malignè interpretaretur.

Nicanorem rebus alienis aſſentire] Ἀλλότρια φρονεῖν, id eſt, *conſilia agitare à Regis rebus aliena.*

Iudámque Regni inſidiatorem ſucceſſorem ſibi deſtinaſſe] *Sibi*, id eſt, Alcimo: *ſucceſſorem*, id eſt, ſuo loco Summum Sacerdotem. Vide Ioſephum xII. 15. & 14. in fine.

27. *Peſſimis hujus criminationibus*] Scripſit Interpres *peſſimi*. Ità enim eſt in Græco.

Iubere tamen] *Verùm jubens.*

28. *Si ea quæ convenerant*] Τὰ διεσταλμένα, ut ſuprà διαστολαῖς xIII. 25.

30. *Videns ſecum auſteriùs agere Nicanorem*] Minùs familiariter, magiſque pro imperio.

Et conſuetum occurſum ferociùs exhibentem] Ἀγροικότερον, *aſperiùs*.

Paucis ſuorum congregatis] In Græco, *non paucis*, tot ſcilicet quot præſidio ipſi contra vim eſſe poterant.

32. *Extendens manum ad Templum*] Minantis modo, ut Eſaïæ xIv. 26. & alibi.

33. *In planitiem deducam*] *Solo æquabo*, quod eſt ἐδαφίζειν, Lucæ xIx. 44. Vide 1 Maccabæor. vII. 35. Ioſephum xII. 17.

Et templum hoc Libero patri conſecrabo] In Græco, *Et templum hîc illuſtre ædificabo Libero patri*, nempe exemplo vicinorum Arabum, quos Liberi patris fuiſſe veneratores docet nos Strabo xvI. Nec aliunde tranſlata ad Iudæos fabula quæ exſtat apud Tacitum & Plutarchum.

35. *Qui nullius indiges*] Cujus cùm ſint omnia, proinde Templo opus non habes, 1 Regum vIII. 27.

36. *Quæ nuper mundata eſt*] Ab idolis & idololatria repurgata.

37. *Razias*] In Græcis, Ῥαζίς. רזיא, *robur* Chaldaïcè.

De Senioribus] Id eſt, *ex Senatorum numero.*

Pater Iudæorum appellabatur] Quales eſſe debent Senatores.

38. *Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaïſmo*] Ἦν γὰρ ἐν τοῖς ἔμπροσθεν χρόνοις τῆς ἀμιξίας κρίσιν εἰσενηνεγμένος Ἰουδαϊσμοῦ· ubi non dubitem pro ἀμιξίας reſcribendum ἐπιμιξίας, ut ſuprà repoſuimus, faventibus libris quibuſdam, xIv. 3. ubi non minùs quàm hîc *tempora confuſionis* ſunt illa cùm Iudæi multi Græcè vivere inceperunt. At hic Razis illis temporibus dicitur *morem introduxiſſe Iudaïſmi*, id eſt, inter eos fuiſſe qui aliis exemplo præluxerunt ad vitam ſecundùm Legem, quæ hîc *Iudaïſmus* dicitur. κρίσιν, id eſt, משפט, *rationem vivendi, inſtitutum.*

Et animam tradere contentus pro perſeverantia] In Græco, *Et animam Iudaïſmi causâ cum omni conſtantia objecerat periculis.* παραβεβλημένος, quod hîc in Græco eſt, venit à παραβάλλεσθαι, quod eſt, πρὸς κίνδυνον ῥίπτειν ἑαυτὸν, Suidâ interprete, *pericula ſubire.* παράβολα Plinius in Epiſtolis vertit *periculoſa*. Et apud Paulum Philippenſ. II. 30. legendum παραβολευσάμενος, quod Interpres aliquis vetus vertit, *parabolatus eſt de anima ſua.* Heſychius, Παραβολευσάμενος, εἰς θάνατον ἑαυτὸν ἐκδοὺς [*morti ſe objiciens*]. Sic & in Codice Iuſtinianeo & Firmico, *parabolani*, ſive *parabolarii*, qui cum vitæ ſuæ periculo aderant contagioſo morbo ægrotantibus.

40. *Se cladem Iudæis maximam illaturum*] *Maximum malum*, ſublato tali exemplo ad ſervandos ritus, ſimúlque homine in pauperes benefico.

41. *Turbis autem*] Quingentis iſtis.

Irruere in domum ejus] Græcè, *in turrim*. Erant Hieroſolymis multæ domus factæ in turrium ſpeciem.

Et januam diſrumpere, atque ignem admovere cupientibus] In Græco, *Et in januam aulæ vim facientibus jubentibúſque ignem adferri ad incendendas fores.* αὐλαία θύρα, vel ſimpliciter αὐλαία, eſt ea quæ interiora ædium claudit. Menander,

——— πέρας γὰρ αὔλιος θύρα
Ἐλευθέρα γυναικὶ νενόμιστ' οἰκίας.
[——— *nam limes domus*
Matronis gravibus atrienſe eſt oſtium.]

42. *Eligens nobiliter mori potiùs*] Et quidem ſuâ manu. Quod an liceret, an non, variæ erant inter Hebræos veteres ſententiæ, ut oſtendimus libro II De Iure Belli ac Pacis, cap. xIx, § 5. & in Annotatis ad eum locum.

Quàm ſubditus fieri peccatoribus] *Quàm in manus venire impiorum.* Quæ & Saüli mortis ſibi conſciſcendæ cauſa fuerat. Tales Hebræi vocant אנשי מעשה [*viros operis*].

43. *Cùm per feſtinationem non certo ictu plagam dediſſet*] Sic & Cato Vticenſis, cùm vulnus ſibi inflixiſſet non letale, diſrupit viſcera.

Et turbæ intra oſtia irrumperent] Milites illi Nicanoris.

Recurrens audacter ad murum] Ad celſam aliquam Turris partem.

Præcipitavit ſemetipsum viriliter in turbas] De loco ſuperiore in illos qui extra oſtium adhuc erant.

44. *Quibus velociter locum dantibus caſui ejus*] Nè ruinâ opprimerentur.

Venit per mediam cervicem] Ἦλθε κατὰ μέσον εἰς τὸν κενεῶνα, *pervênit in mediam* turbæ *aream*. κενεὼν hîc non eſt *venter*, ſed *locus ab ædificio vacuus*, quomodo & apud Nonnum ſumitur.

45. *Surrexit*] De caſu.

Curſu turbam pertranſiit] Milites illos, qui jam ſæpe ſic vocati.

46. *Et ſtans ſuper quandam petram præruptam*] Nempe ut omnibus conſpici poſſit.

Et jam exſanguis effectus] Quia continuò ex vulnere per caſum adaperto ſanguis largè fluxerat.

Complexus inteſtina ſua utriſque manibus projecit ſuper turbas] Quaſi exta redderet.

Dominatorem vitæ & ſpiritûs] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*], id eſt, *ſpiritûs vitalis*, ut ſuprà VII. 22. 23.

Vt ea ſibi iterum redderet] In Reſurrectione. Vide ſuprà VII. 9. 11. 23. 29. 36.

CAPVT XV.

1. *VT comperit Iudam eſſe in locis Samariæ*] Nam in illis partibus erat Bethoron: de qua vide 1 Maccabæor. VII. 39. Vide & Tabulam Iudaïcam.

Die Sabbati committere bellum] Quod ſperabat, ſi non omnes, aliquos certè Iudæos ex veteri opinione abſtenturos à ſemet tutandis Sabbati religione. Vide 1 Maccabæorum II. 36. & ibi dicta.

2. *Qui illum per neceſſitatem ſequebantur*] Bello capti aut deprehenſi in illis locis quibus potiebantur Macedones.

Sed honorem tribue diei ſanctificationis, & honora eum qui univerſa conſpicit] In Græco eſt, *Honorem tribue diei quam is qui cuncta inſpicit ſanctimoniâ honoravit.* In qua Deus conſtituit primùm conditi orbis memoriam, deinde & quieſcendi legem.

3. *Interrogavit, ſi eſt potens in cælo, qui imperavit agi diem Sabbatorum*] *An ille qui diem Sabbatorum celebrari juſſit, cælo præeſſet?*

4. *Qui juſſit agi Septimam diem*] In Decalogo & Lege paſſim. Eſt & hîc in Græco τὴν ἑβδομάδα· de qua voce egimus ſuprà XII. 38.

5. *At ille ait*] Bene vertit ὁ γὰρ ἔπαρχος· hoc enim refertur ad ἔφη [*dixit*], non ad δυνάστης [*Rector*], ut quidam putarunt.

Potens ſum ſuper terram] Quaſi dicat, Hoc propiùs ad vos pertinet. Ne ità ſpectate cœleſtia ut in foveam cadatis. Sic ſolent aulici & milites de rebus Divinis loqui.

Qui impero ſumi arma] Etiam die Sabbati: nullam lucem habere ignavam.

Vt conſilium perficeret] *Impium ejus conſilium*, τὸ σχέτλιον αὐτοῦ βούλημα. Sic σχέτλιον ſæpe & Homerus ſumit, ut cùm dixit in Ξ Odyſſeæ,

Οὐ μὲν σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.
[*At non illa probant cæleſtes impia facta.*]

Non potuit *perficere conſilium*, quia multi Iudæi qui cum ipſo erant à pugna eo die abhorrebant.

6. *Commune trophæum ſtatuere de Iuda*] *De his qui cum Iuda.* συστήσασθαι τρόπαιον hîc dixit quod στῆσαι τρόπαιον [*ponere tropæum*] Euripides, Iſocrates, Demoſthenes, Æſchines & alii.

8. *Ad adventum nationum*] Τῶν ἐθνῶν. Hanc vocem, ubi Iudæis opponitur, Latini modò *Gentes* dicunt: modò *Nationes.* Sic Arnobii liber dicitur Contra Nationes.

Adjutoria ſibi facta de cælo] Etiam recenti in memoria: qualia multa hoc libro & ſecundo Maccabaïco continentur.

9. *Ex Lege*] Vt ex Deuteronomio XXVIII. 7.

Et Prophetis] Maximè ex Ezechiele & Daniele, qui de his temporibus egregia prædixerant.

10. *Simul oſtendebat Gentium fallaciam, & juramentorum prævaricationem*] Vt ſuprà v. 25. 1 Maccabæor. VI. 61. 62. Ioſephus XII. 7. 15. 17.

11. *Non clypei & haſtæ munitione, ſed ſermonibus optimis*] *Non tam clypei & haſtæ munitione quàm ſermonibus optimis.* Eſt enim in Græco in altero horum verborum membro ὡς [*quàm*], unde apparet in priori οὐ [*non*] breviter poſitum pro οὐχ οὕτως [*non tam*].

Digno fide ſomnio] Deus ſicut viros principes ſpeciali quadam curâ gubernat, ità ſolet eos ſæpe oſtentis aut ſomniis θεοσδότοις [*Divinitus immiſſis*] dirigere, quod & Homerus ſenſiſſe ſe oſtendit Iliados Β΄.

Εἰ μέν τις τὸν ὄνειρον Ἀχαιῶν ἄλλος ἔνισπε,
Ψεῦδός κεν φαῖμεν, καὶ νοσφιζοίμεθα μᾶλλον·
Νῦν δ' ἴδεν ὃς μέγ' ἄριστος ἐνὶ στρατῷ εὔχεται εἶναι.
[*Si Grajûm hæc alius narraret ſomnia quiſquam,*
Temnere poſſemus tanquam fallacia viſa;
At nunc is vidit qui primus in agmine toto eſt.]

12. *Erat autem hujuſmodi viſus*] Ἡ τούτου θεωρία. Etiam Latinis *viſum* pro ſomnio ponitur, & *videre inter quietem* pro *ſomniare* uſurpant non ſemel Cicero de Divinatione & Valerius Maximus titulo de Somniis.

Oniam, qui fuerat Summus Sacerdos] Eum de quo ſuprà IV. 34. & apud Ioſephum XII. 4. 5. 6.

Manus protendentem, orare pro omni populo Iudæorum] Erat enim hæc Iudæorum, ſi non omnium, certè plerorumque opinio, Animos exutos corporibus non omnem perdere eorum quos hîc reliquêre memoriam curámque, quin & preces eos ad Deum fundere pro populo, & iis quos caros habuere. Abrahamus apud Ioſephum, Iſaacum, ut jamjam moriturum, ſic alloquitur, Μετ' εὐχῶν γὰρ καὶ ἱερουργίας ἐκείνου (τοῦ Θεοῦ, quod præceſſerat) ψυχὴν τὴν σὴν προσδεξομένου, καὶ παρ' αὐτῷ καθέζοντος, ἔσῃ τέ μοι εἰς κηδεμόνα καὶ γηροκόμον, διὸ καὶ μάλιστά σε ἀνετρεφόμην, τὸν Θεὸν ἀντὶ σαυτοῦ παρεσχημένος [*Vbi autem Deus cum precibus & ſacro dimiſſam animam tuam ſuſceperit & apud ſe locaverit, tu mihi id eris cujus præcipuè causâ te educavi, adjutor & ſenectutis ſolatium, Deum mihi pro te exhibens*]. Quod hîc Latinus dixit *populo*, id in Græco eſt συςήματι. Vide ſuprà VIII. 5. Strabo σύςημα ſolet vocare *multarum civitatum liberarum corpus.*

Gloriâ mirabilem] Qui olim deſpectiſſimus fuerat, Eſaïæ LIII. 2. Similem mutationem vide Lucæ XVI. 25.

14. *Qui multùm orat pro populo & univerſa ſancta civitate, Ieremias Propheta Dei*] Credidere ergò Iudæi animas Prophetarum etiam rerum evenientium poſt ſe mortali vitâ exemtos aliquâ notitiâ à Deo perfundi, quaſi & ibi in Prophetico munere perſeverantes. Vide II Paralipomenôn XXI. 12. & ibi dicta. Olim vetitus eſt pro Iudæis orare, Ieremias cap. XV. Nunc ſinitur orare: mutata enim erant tempora.

15. *Et dediſſe Iudæ gladium*] Vt olim Achimelech Davidi, I Samuel. XXI. 9.

Aureum] Nam quæ à Deo veniunt ſicut ſunt excellentiſſima, ità ſub Auri ſpecie oſtenduntur; Suprà III. 25. V. 2. X. 27. XI. 8. & in Apocalypſi plurimis in locis.

17. *Statuerunt dimicare & confligere fortiter, ut virtus de negotiis judicaret*] In Græco, *Decreverunt non munire caſtra, ſed animosè ferri in hoſtem, & ſummo cum robore certando de rebus decernere.* Verba ſunt militaria. Vide ſuprà XIII. 13. XIV. 18.

Et quòd civitas ſancta & Templum periclitarentur] Quibus exitium minatus erat Nicanor ſi ſalvus rediret, ſuprà XIV. 33. addito loco I Maccabæorum VII. 35.

18. *Erat enim pro uxoribus & filiis, itémque pro fratribus & cognatis minor ſollicitudo*] Egregius χαρακτὴρ [*Egregia deſcriptio*] boni Principis, publica privatis, profanis ſacra antehabentis: Quales

——— numero vix ſunt totidem quot
Thebarum portæ, vel divitis oſtia Nili.

19. *Pro his qui congreſſuri erant*] In Sixtina eſt, ταρασσομένοις τῆς ἐν ὑπαίθρῳ προσβολῆς, ſupple ἕνεκα more Græco, *Ideo quòd conturbarentur ob eum qui in aperto futurus erat conflictum.*

20. *Et cùm jam omnes ſperarent judicium futurum*] *Certamen*, κρίσιν, eodem loquendi genere de quo modò diximus ad 17.

Beſtiæ equitéſque opportuno in loco compoſiti] In Græco, *Belluis opportuno loco diſpoſitis, equitatu autem ad cornu utrumque collocato.* ἐπὶ κέρας vel ἐπὶ κέρως vox eſt propria militiæ apud Ælianum & alios. Vult dicere ità locatas equitum alas ut cornu utrumque tegerent. Vide I Maccabæorum IV. 7. VI. 38.

21. *Conſiderans Maccabæus adventum multitudinis*] Τὴν τῶν πληθῶν παρουσίαν. Eſt ὑπαλλαγὴ [*Inverſio*], pro *multitudinem eorum qui aderant.*

Et apparatum varium armorum] Sic Virgilius,

Tam variæ linguis, habitu quàm veſtis & armis.

Sunt enim diverſis gentibus diverſæ armaturæ, ſariſſæ Macedonibus, geſa Gallis, frameæ Germanis, pila Romanis.

Et ferocitatem beſtiarum] *Belluarum:* id verò eſt elephantorum.

22. *Qui miſiſti Angelum tuum ſub Ezechia*] Vt I Maccabæorum VII. 41. ſuprà VIII. 19. Erat planè digna hiſtoria quæ ſæpe in memoriam revocaretur.

23. *Angelum tuum bonum*] Vt ſuprà XI. 6.

23. 24. *In timore & tremore magnitudinis brachii tui, ut metuant*] In Græco, *ad timorem & tremorem. Magnitudine brachii tui conſternentur*, &c. *Ad timorem & tremorem*, hoſtium ſcilicet.

Qui cum blaſphemia veniunt] Suprà X. 4. 34. 36. XII. 14. Adde & XIV. 33.

25. *Cum tubis & canticis*] *Pæana canendo.* Παιᾶνες δύο ἦσαν, ἐνυάλιος ὅτι ἦρχον, ὃς καὶ πρὸ τῆς μάχης ἐγίνετο, καὶ ἕτερος, ὅτι ἐνίκων [*Pæanum duo erant genera, Enyalius qui fiebat ante pugnam, & alter ubi viciſſent*], ut ait interpres Aphthonii. De priore hîc agitur qui Marti fiebat, ut alter Apollini.

27. *Triginta quinque millia*] *Triginta millia* habet Ioſephus XII. 17.

Præſentiâ Dei magnificè delectati] Eſt & hîc in Græco ἐπιφανεία· de qua voce diximus XII. 22. XIV. 15.

28. *Ruiſſe cum armis ſuis*] Προπεπτωκότα, id eſt, *inter primos cecidiſſe*, ut legimus I Maccabæorum VII. 43.

29. *Facto itaque clamore, & perturbatione excitatâ*] In Græco, γινομένης τῆς κραυγῆς καὶ ταραχῆς· ubi eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo expreſſum*]. Senſus enim, *excitato clamore turbulento*, qualis ſcilicet eſſe militum ſolet.

30. *Præcepit autem Iudas qui per omnia corpore & animo mori pro civibus paratus erat*] Plus eſt in Græco, *Præcepit autem ille, totus animo & corpore pro civibus pugnare, & quidem primore loco, ſolitus, qui benevolentiam in populares* toto *ætatis* ſuæ tempore *conſervarat.*

31. *Convocatis contribulibus & Sacerdotibus ad altare*] In Græco, *Convocatis popularibus*, & imprimis *Sacerdotibus*, *ſtans ante altare*, id eſt, inter baſilicam Templi & altare victimarum. Qui locus erat ſolennis Sacerdotibus populum alloquentibus; ut apparuit ſuprà III. 15. X. 26.

Accerſiit & eos qui in arce erant] Id eſt, quoſdam ex arce ad ſe vocavit, velut de pactis quibuſdam acturus. Nam arcem tenebant adhuc Macedones, nec ea in Iudæorum poteſtatem venit ante Simonis tempora.

32. *Et manu nefariâ quam extendens contra domum ſanctam omnipotentis Dei magnificè gloriatus eſt*] Vt audivimus XIV. 33. Eadem de cauſa affixa ad Templum manus Nicanoris refertur I Maccabæorum VII. 47.

33. *Iuſſit particulatim avibus dari*] Conciſam.

Manum autem dementis contra Templum ſuſpendi] Τὰ δ' ἐπίχειρα τῆς ἀνοίας. Meliùs fortè, τὰ δ' ἐπιχείρια. ἐπίχειρα ſunt *mercedes*, ἐπιχείρια ſunt *victoriæ teſtimonia*, νικητήρια, Polluce interprete. Ergò ἐπιχείρια τῆς ἀνοίας ſunt *teſtimonia reportatæ de amentia victoriæ.*

34. *Omnes igitur cæli benedixerunt Dominum*] In Græco, *Omnes igitur laudarunt illuſtrem Dominum, in cælum* ſublatâ voce.

Qui locum ſuum] Templum.

Incontaminatum ſervavit] Nè Libero dedicaretur is locus, ut minatus erat Nicanor.

35. *Nicanoris caput*] In Græco, προτομήν. Eſt autem προτομὴ *caput cum humeris*, qui & ipſi demti

de corpore Nicanoris fuerant, ſuprà 30. ſic προτομὰς *Cæſarum in clypeis Romanis fuiſſe* ait Ioſephus, quas alii *thoracas* vocant. Talis & in Sideribus, Equi προτομὴ [*prima portio*].

36. *Communi conſilio*] Μετὰ κοινοῦ ψηφίσματος, *communi decreto*. Vide 1 Maccabæorum VII. 49.

37. *Habere autem celebritatem tertiâ-decimâ die menſis Adar, quæ dicitur voce Syriacâ*] In Græco, *Feſtum autem habere diem decimum-tertium menſis duodecimi. Adar is dicitur Syriaco ſermone.* Vbi *Syriacus ſermo* eſt Iudaïcus, quia Iudæa pars Syriæ. Sic & Herodotus Iudæos *Syros* vocat, & Nonnus ſæpe. Eſt autem menſis Adar duodecimus ubi à Niſane initium ſumitur, ex Moſis ſcilicet inſtituto. Eundem diem notat Scriptor primi Maccabaïci VII. 49. & Ioſephus XII. 17.

Pridie Mardochæi diei] Qui aliter τῶν Φουραῖ, id eſt, *Sortium*, aut *Amania*, ut diximus ad Eſther. III. 7.

Is erat dies *decimus-quartus menſis Adar*, Additamento ad Eſther. XIII. 6. & apud Ioſephum I. 6.

38. *Ego quoque in his finem faciam ſermonis*] Verba ſunt Excerptoris.

39. *Concedendum eſt mihi*] Legit ἀφετέον μοι. Nos habemus τοῦτο ἐφικτέον μοι, *hoc eſt quantum potui*.

40. *Ità legentibus, ſi ſemper exactus ſit ſermo, non erit gratus*] In Græco, *Sic etiam ſtructura ſermonis* (nempe partim ſublimis, quæ *vino* comparatur; partim tenuior, quæ *aquæ*) *delectat aures eorum qui hiſtoriam legunt*. Σύνταξις quodvis *opus* dicitur, ſed eximiè *hiſtoricum*, ut apud Polybium ſæpius. Vult autem hic Scriptor, Si quid eſt ſublimiter dictum, id acceptum ferri iis unde excerpſit; ſi quid tenuius, id ſibi. Vide ſuprà II. 29. Hanc ejus modeſtiam qui accuſant, immodeſtè faciunt.

Hic ergò erit conſummatus] In Græco, *Verùm hìc erit finis*, hujus ſcilicet libelli.

AD MACCABAICVM III.

Liber hic res continet priùs geſtas quàm illæ quæ libris duobus continentur quos jam percurrimus. Nam Ptolemæus Philopator Rex Ægypti coævus fuit Antiocho Magno, qui pater fuit Seleuci & Antiochi Illuſtris. Poſtremo autem loco poſitus eſt, quia non tam latè patentem ut duo illi auctoritatem adeptus eſt: neque ulla vetus ejus Latina exſtat verſio. Solet tamen addi libris Græcis: & meminere ejus Græci Scriptores Chriſtiani interdum, ut & Euſebius in Chronico paulò ante annum mundi cIↃ IↃ ccc. Canones verò qui dicuntur Apoſtolici Sacris libris & hunc annumerant. Quare Græcum codicem indiſtinctum in commata in manus ſumemus, ut ſit hæc velut operis noſtri mantiſſa. Fuit hic Scriptor non multò poſterior Sirachide. MACCABAICVS autem vocatur, non quod ad Iudam Maccabæum ejúsve fratres quicquam pertineat, ſed quia de quibus hìc agitur ii pari cum Maccabæis animo pro Lege Dei multa fecere & pertulere. Qua de cauſa & Sermo ille de ſeptem fratribus & matre ſub Antiocho ad mortem cruciatis, qui Ioſephi operibus annecti ſolet, inſcribitur Εἰς Μακκαβαίους [*De Maccabæis*]. Non eſt hæc hiſtoria apud Ioſephum; ſed in Latina Rufini verſione ſecundi Adversùs Appionem (nam in Græco non pauca ibi deſunt) aliquid eſt quod huc pertinere videatur; ſed ibi nomen eſt *Phyſconis*, non *Philometoris*, ut notavit magnus Scaliger.

Ὁ δὲ Φιλοπάτωρ, *Philopator verò*] Apparet & hoc decerptum ex majore opere.

περὶ τῶν ἀποκομισθέντων, *à reverſis*] *Ab iis qui domum reverſi erant*. Sic enim ἀποκομίζεσθαι uſurpant Græci Scriptores.

τὴν γενομένην τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ κεκρατημένων τόπων ἀφαίρεσιν ὑπ᾽ Ἀντιόχου, *locorum quæ ſub ipſo fuerant ademtionem factam ab Antiocho*] *Ab Antiocho*, Magno ſcilicet. Loca autem illa erant Seleucia, Tyrus, Ptolemaïs, & alia Cœles-Syriæ, & Phœnices, ab Ægypti Regibus poſſeſſa ante id tempus, narrante Polybio libro V. Iuſtinus libro XXX breviter de Antiocho, *repentino bello multas ejus* (Ptolemæi) *urbes oppreſſit*.

παραγγείλας ταῖς πάσαις δυνάμεσι πεζικαῖς τε καὶ ἱππικαῖς αὐτοῦ, *cùm denuntiaſſet omnibus copiis ſuis pedeſtribus & equeſtribus*] Quarum copiarum, & adventus ad Raphiam, & prælii quo victor fuit Ptolemæus accuratam deſcriptionem habes dicto Polybii libro.

καὶ τὴν ἀδελφὴν Ἀρσινόην συμπαραλαβών, *ſororémque Arſinoën ſumſiſset comitem*] Quam & prælio interfuiſſe ait idem Polybius. *Arſinoë* nomen eſt Macedonicum: & complures fuere Reginæ in Syria & Macedonia hoc nomine. Vide Comam Berenices Catulli, & Epigrammata Græca.

μέχρι τῶν κατὰ Ῥαφίαν τόπων, *ad loca usque juxta Raphiam*] Eſt hæc urbs, ut Polybius ait, poſt Rhinocoluram prima Syriacarum ex Ægypto venienti. Strabo XVI. μετὰ δὲ Γάζαν Ῥαφία, ἐν ᾗ μάχη συνέβη Πτολεμαίῳ τε τῷ τετάρτῳ (is eſt Philopator) καὶ Ἀντιόχῳ τῷ Μεγάλῳ [*Poſt Gazam Raphia, in qua pugna evênit inter Ptolemæum quartum & Antiochum Magnum*]. Plinius V. 13. *Oppida Rhinocolura, & intus Raphæa*. Meminit ejus & Ptolemæus in Iudæa. Syris ea vox *medicinam* ſignificat.

ὅπου παρεμβεβλήκεισαν οἱ περὶ Ἀντίοχον. *ubi caſtra poſuerant Antiochi milites*] Nempe decem ſtadiis ab ea urbe, ut idem Polybius nos docet.

Θεόδοτος δέ τις ἐκπληρῶσαι τὴν ἐπιβουλὴν διανοηθεὶς, *Theodotus verò inſidias volens effectas dare*] Volens exſequi inſidias diu meditatas.

παραλαβὼν τῶν προϋποτεταγμένων αὐτῷ ὅπλων Πτολεμαϊκῶν τὰ κράτιστα, *arma ſumens de Ptolemaïcis optima, quæ olim ſub ipſo fuerant*] Hoc vult, *eum ſumſiſſe arma optima, qualia ſolebant habere milites Ptolemæi, quæ ipſi erant pernota, quia olim eisdem armis præfuerat*. Confer Polybium.

ἐπὶ τὴν τοῦ Πτολεμαίου σκηνὴν, *in Ptolemæi tabernaculum*] Id eſt, in præcipuum ejus tentorium, ubi cœnare & audire ad ſe venientes erat ſolitus: ſed tunc fortè aberat.

Τοῦτον δὲ διαγαγὼν, *Eum autem abducens*] Non quòd de inſidiis quicquam ſciſſet, ſed ità fortè evenerat.

Δωσίθεος, *Doſitheus*] רשתי, vel רסתי. Vide II Maccabæorum XII. 19.

ὁ Δριμύλου λεγόμενος, *Drimyli dictus*] Δρίμυλος, דרומלים, Chaldæis ſignificat *nemus*.

ὕστερον δὲ μεταβαλὼν τὰ νόμιμα, *poſtea verò ad alia inſtituta transgreſſus*] Vbi odium Regis in Iudaïcam religionem vidit.

ἄσημόν τινα κατέκλινεν ἐν τῇ σκηνῇ, *ignobilem quendam in tabernaculo cubare fecit*] Id eſt, *reliquerat in tentorio*, Medicum nempe Regis, ut Polybius nos docet.

ὃν συνέβη κομίσασθαι τὴν ἐκείνου κόλασιν. *cui evênit alienum ferre ſupplicium*] Obtruncatus enim is eſt, narrante eodem Polybio.

καὶ τῶν πραγμάτων μᾶλλον ἐρρωμένων τῷ Ἀντιόχῳ, *& rebus Antiochi prævalentibus*] Nam & elephanti Ptolemæi, & τὸ ἄγημα [*cohors prætoria*], ac cetrati, totum denique lævum cornu fugere cœperat.

ἡ Ἀρσινόη ἐπιπορευσαμένη τὰς δυνάμεις παρεκάλει, *Arſinoë copias obambulans obteſtabatur*]. Nam interfuiſſe eam prælio jam notavimus.

τοὺς πλοκάμους λελυμένη, *comas ſoluta*] Vt mos feminis in dolore. Hinc illud Senecæ,

Corduba ſolve comas.

Ovidius,

Flebilis indignos Elegeïa ſolve capillos.

ἐν χειρονομίαις διαφθαρῆναι] Χειρονομία eſt *ludicra manuum geſticulatio*. Omnino puto ſcriptum fuiſſe ἐν κρεωνομίαις, id eſt, *fruſtillatim diſcerpi*. Sic enim κρεωνομεῖν ſumitur Levit. VIII. 19. pro נתח, quod alibi vertitur μελίζειν [*membratim concidere*]. Decem peditum millia Antiochi cæſa, præter equites.

πολλοὺς δὲ καὶ δορυαλώτους συλληφθῆναι. *multos etiam captivos factos*] Nempe ad quater mille.

Κατακρατήσας δὲ τῆς ἐπιβουλῆς, *Superior factus inſidiis*] *Cùm ſe vindicaſſet de inſidiis vitæ ſuæ ſtructis.*

ἀπὸ τῆς γερουσίας, *à Senatu*] A Synedrio magno. Id γερουσία dicitur Iudith. IV. 8. XV. 8. I Maccabæorum XII. 6. II Maccabæor. I. 10. IV. 44. XI. 27. & apud Ioſephum ſæpe.

καὶ τῶν πρεσβυτέρων, *à Senioribus*] *A Senatu* etiam urbis Hieroſolymorum.

καὶ θύσας τῷ μεγίστῳ Θεῷ, *cùm maximo Deo ſacrificaſſet*] Id eſt, *victimis datis*, ut II Maccabæorum III. 32. Θεὸς μέγιστος [*Deus maximus*], nomen conveniens Deo rerum opifici. Loquitur ità ſæpe & Philo. Simile Θεὸς ὕψιστος [*Deus ſummus*], עליון, de quo diximus ad Marcum V. 7.

καὶ τῶν ἑξῆς τῷ τόπῳ ποιήσας] Legendum, καὶ ὧν ἔξεστι τῷ τόπῳ ποιήσας, *Cùm feciſſet ea quæ ipſi in illo loco facere fas erat*: id eſt, cùm Deum maximum veneratus eſſet in ſubdiali Gentium.

εἰς τὸν ναὸν εἰσελθεῖν. *in Templum intrare*] Intra הדביר, *intimum penetrale.*

μόνῳ τῷ προηγουμένῳ πάντων ἀρχιερεῖ, *ſoli Pontifici principi qui præerat cæteris*] Ideo addidit προηγουμένῳ, id eſt, הגדול, quia ἀρχιερεῖς ſæpe dicebantur etiam Sacerdotalium familiarum principes, ut notavimus ad Matth. II. 4.

καὶ τοῦτο κατ’ ἐνιαυτὸν ἅπαξ, *idque ſemel anno*] Ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, de eadem re agens ait Scriptor ad Hebræos IX. 7. in die הכפרים, ἐξιλασμοῦ [*Propitiationis*].

Τοῦ τε νόμου παραναγνωσθέντος, *Lege ſpretâ*] Nempe ex Levitici XVI.

οὐδαμῶς ἀπέλειπε προφερόμενος ἑαυτὸν, *non deſtitit proferre ſe*] *Non deſtitit progredi.*

εἰ ἐκεῖνοι ἐστέρηνται ταύτης τῆς τιμῆς, *quòd ſi illi eo honore abſtenti ſunt*] Sacerdotes ſcilicet.

εἰς πᾶν τέμενος, *in omne delubrum*] In cæteras Templi partes, in quas alienigenis aditus non erat. τέμενος Græci vocant omnem locum Deo ſacratum.

οὐδεὶς ἐκώλυσε τῶν παρόντων. *nemo prohibuiſſet eorum qui aderant*] Sacerdotum.

Καί τις ἀπρονοήτως ἔφη, *Et dixit aliquis impræmeditatò*] *Subito quodam animi impetu dixit.*

κακῶς αὐτὸ τοῦτο περατεύεσθαι.] Legerim ἱερατεύεσθαι. *Malè etiam ea in re Sacerdotes ſuo munere functos*: debuiſſe enim eum à limine arceri. *Ad fores tantùm Iudæo aditus*, ait Tacitus, intra θριγκὸν nempe ſive *interſepimentum* illud quod Iudæos ab alienigenis ſeparabat: de quo dicemus ad Actor. XXI. 28. partim & diximus ad I Maccabæor. IX. 54.

Γενομένου δέ, φησι, τούτου, *Ità autem re, inquit, actâ*] *Cùm hoc mihi permiſſum fuerit.*

διά τινα αἰτίαν οὐχὶ πάντως εἰσελεύσεσθαι καὶ θελόντων αὐτῶν καὶ μή; *quam ob cauſam non omnino intraret illis volentibus ſive nolentibus?*] *Cur non etiam in reliqua intraret vel bonâ vel malâ Sacerdotum gratiâ?*

ἐν πάσαις ταῖς ἐσθήσεσι, *in omnibus veſtibus*] Id eſt, ἐν ταῖς νομίμοις στολαῖς, quæ erant [*in habitu ex Lege*, qui erat] ex byſſo. Vide Ioſeph. XI. 3. Confer ſimilem διατύπωσιν [*deſcriptionem*] II Maccabæor. III. 15.

προπεσόντων, *procidentibus*] *Solo ſtratis*, ut mos mœrentibus.

καὶ δεομένων τοῦ μεγίστου Θεοῦ, *& rogantibus Deum maximum*] De hoc cognomine jam diximus.

βοηθεῖν τῇ ἐφεστώσῃ ἀνάγκῃ, *opem ferre præſenti calamitati*] Ἀνάγκη hîc *infortunium* ſignificat. Vide dicta Lucæ XXI. 23. Tobiæ III. 6. Baruchi VI. 37. Frequens Chaldæis & Thalmudicis אננקי hoc ſenſu.

Οἱ κατὰ τὴν πόλιν ἀπολειπόμενοι, *Qui in urbe relicti erant*] Qui non unà ad Templum iverant.

ταραχθέντες, *perturbati*] Audito clamore & ejulatu Sacerdotum & aliorum qui in Templo erant.

αἵ τε κατάκλειστοι παρθένοι ἐν θαλάμοις, *& virgines recluſæ in cubiculis*] Idem loquendi genus II Maccabæor. III. 19. Philo de Flacco, καὶ θαλαμευόμεναι παρθένοι δι’ αἰδῶ τὰς ἀνδρῶν ὄψεις καὶ τῶν οἰκειοτάτων ἐκτρεπόμεναι, τότε οὐ μόνον ἀσυνήθεσιν, ἀλλὰ καὶ στρατιωτικὸν δέος ἐπανατεινομένοις ἐμφανεῖς ἐγένοντο [*& virgines in thalamo aſſervatæ, quæ præ pudore conſpectum virorum etiam propinquorum defugere ſolebant, tunc non ignotis tantùm ſed & militarem terrorem incutientibus fiebant conſpicuæ*]. His vocabulis exprimi Hebræum עלמות diximus ad Matth. I. 23. θάλαμοι [*thalami*] hîc ſunt παρθενῶνες [*virginum cubicula*], ut & apud Virgilium.

καὶ ἀπέδωκαν κόνιν τὰς κόμας πασσόμεναι] Rectiùs legas ἐπέδωκαν κόνιν ταῖς κόμαις πασσομέναις, *Pulverem impoſuere ſparſis comis.*

Αἱ δὲ καὶ προσαρτίως ἐσταλμέναι τοὺς πρὸς ἀπάντας νῦν διαπεταγμένους καὶ τὴν ἁρμόζουσαν αἰδῶ παραλείπουσαι] Legendum, τὴν πρὸς ἀπάντας νῦν διαπεταγμένους καὶ τὴν ἁρμόζουσαν αἰδῶ παραλείπουσαι, *Etiam modò veſtem*

veſtem (nuptialem) *indutæ*, *pudoris oblitæ*, *tum adversùs omnes circumſtantes*, *tum ejus qui ſexum decebat*. Confer quæ jam ex Philone attulimus.

δρόμον ἄτακτον ἐν τῇ πόλει συνεστήσαντο. curſum ſine modo per urbem curſarunt] Indecorum feminis ſemper curſare, maximè ad virorum conventus.

Τὰ δὲ νεογνὰ τῶν τέκνων, *Nuper genitos infantes*] Eſt accuſativus qui regitur à *προλιποῦσαι* [*derelinquentes*].

ἱκανὴν ἐποίησαν ἐν τῷ τόπῳ τραχύτητα] *Motum magnum concitaverunt.*

ὑπό τε τῶν γηραιῶν καὶ τῶν πρεσβυτέρων, à Senatoribus Senioribúsque] Hîc *γηραιοὺς* vocat quos ſuprà *γερουσίαν*.

τὸν ἀγέρωχον αὐτοῦ νοῦν, *ferocem qui in ipſo animum*] *Ferocem animum.* Sic *ἀγερωχία* [*ferocia*] ponitur II Maccabæor. IX. 7.

οἱ περὶ αὐτὸν, *qui ipſi aderant*] Etiam Macedones, metuentes tumultum.

ἀλλὰ καὶ τὰ τείχη καὶ τὸ πᾶν ἔδαφος ἠχεῖν, *ſed & muros & ſolum omne reſonare.*] Clamorum repercuſſu.

ἅτε δὴ τῶν πάντων τότε θάνατον ἀλλασσομένων ἀντὶ τῆς τόπου βεβηλώσεως.] *Omnibus mortem præoptantibus præ loci profanatione.* *οὐκ ἀλλάξαιτο τῆς ἐλευθερίας τὴν Περσῶν βασιλείαν* [*non præferret libertati Regnum Perſarum*], Plutarchus in Laconicis apophthegmatis.

καὶ εἶπον ὁμοθυμαδὸν, *& dixere concorditer*] Ità quædam editiones. At Sixtina, Ὁ μὲν οὖν ἀρχιερεὺς Σίμων ἐξ ἐναντίας τοῦ ναοῦ κάμψας τὰ γόνατα, καὶ τὰς χεῖρας προτείνας εὐτάκτως, ἐποιήσατο τὴν δέησιν τοιαύτην [*At Simon Pontifex Maximus coram Templo flexis genibus, manibúsque ex decoro protenſis, tales incepit preces*]. *Simon* hic ille eſt Oniæ majoris filius, minoris pater, cujus mentio apud Ioſephum XIV. 4. in fine. ἐξ ἐναντίας τοῦ ναοῦ [*coram Templo*] hîc eſt לפני הבית, *inter Templum & altare*, ut II Maccabæor. XV. 31. *Manus tollere*, mos precantium, I Timoth. II. 8. Vide quæ diximus ad Luc. XVIII. 13.

ἅγιε ἐν ἁγίοις, *Sancte in ſanctis*] *Qui ſanctus in locis ſanctis*, id eſt, in cœlo, *habitas*.

ὁ κτίσας τὰ πάντα, *qui omnia creaſti*] Etiam Reges.

ἐν οἷς καὶ γίγαντες ἦσαν, *inter quos erant & gigantes*] Sapientiæ XIV. 6. Sirachidæ XVI. 8.

πυρὶ καὶ θείῳ, *igne & ſulphure*] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo explicatum*], pro *igne ſulphurato*.

παράδειγμα τοῖς ἐπιγινομένοις καταστήσας. exemplum eos poſtfuturis faciens] Sic de iiſdem Sodomitis Petrus, ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν τεθεικώς [*exemplar eos faciens impiè victuris*]. Iudas verò, πρόκεινται δεῖγμα, πυρὸς αἰωνίου δίκην ὑπέχουσαι [*in exemplum proponuntur ferentes ſupplicium ignis æterni*].

ἐφ' αἷς ἐγνώρισας, *per quas notum feciſti*] Nempe *τιμωρίαις* [*pœnas*], quod præceſſit.

κτίσας τὴν ἀπέραντον καὶ ἀμέτρητον γῆν, *qui creaſti Terram infinitam & immenſam*] Nempe comparatione Iudææ.

ἐξελέξω τὴν πόλιν ταύτην, *elegiſti urbem hanc*] *Hanc urbem tibi voluiſti eſſe ſepoſitam ac peculiarem.*

τῷ τῶν ἁπάντων ἀπροσδεεῖ, *nullius rei egenti*] Vt II Maccabæor. XIV. 35.

καὶ παρεδόξασας ἐπιφανείᾳ μεγαλοπρεπεῖ, *& honoraſti magnificâ præſentiâ*] *Præſente auxilio*, quomodo vocem *ἐπιφανείας* ſæpe ſumi diximus ad II Maccabæorum XIV. 15. XV. 27.

σύστασιν ποιησάμενος] *Compage* ejus *factâ*, per Solomonem primùm, deinde per Nehemiam.

ἐπηγγείλω δὴ ὅτι ἐὰν γένηται ἡμῶν ἀποστροφή, *promiſiſti etiam ſiqua nobis eveniret averſio*] Id eſt, *defectio à Deo.* Sumtum ex I Regum VIII. 33.

καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον τοῦτον δεηθῶμεν, *& in hunc locum veniremus oratum*] Pœnitentiâ ducti ſcilicet: quod additur dicto Regum loco.

διὰ τὰς πολλὰς καὶ μεγάλας ἡμῶν ἁμαρτίας, *propter crimina noſtra multa & magna*] Vide Daniel. IX. 16.

καὶ παρείμεθα ἐν ἀδυναμίαις.] *Relinquimur imbecillitati* noſtræ.

Τὸ μὲν γὰρ οἰκητήριόν σου οὐρανὸς τοῦ οὐρανοῦ, *Habitaculum tuum cœlum cœli*] Summum illud cœlum ſuper ſidera. Vide quæ ad Matth. III. 2. Non arbitramur vim tuam Templo includi, ut ſtultæ gentes. Sumtum ex ſermone Solomonis I Regum VIII. 27. ut & illud quod eſt II Maccabæor. XIV. 35.

ἀνέφικτος ἀνθρώποις, *inacceſſum hominibus*] Φῶς ἀπρόσιτον [*lumen inacceſſum*] I Timoth. VI. 16.

ἐπεὶ εὐδόκησας τὴν δόξαν σου ἐν τῷ λαῷ σου Ἰσραὴλ, *quia approbaſti gloriam in populo tuo Iſraël*] *Quia voluiſti laudari per populum Iſraëlis.* Oſtendit Deum in hoc ipſo beneficium dediſſe, non accepiſſe.

ἡγίασας τὸν τόπον τοῦτον. conſecraſti locum hunc] Noſtri, non tui causâ.

Μὴ ἐκδικήσῃς ἡμᾶς ἐν τῇ τούτων ἀκαθαρσίᾳ, *Ne in nos vindices horum impuritatem*] *Per horum hominum impia facta.* Idem ſenſus II Maccabæor. X. 4.

ἐν βεβηλώσει] *Per* Templi *profanationem.*

τῶν προσοχθισμάτων. offenſaculorum] *Idolorum*, ut Deuteronomii VII. 26. I Regum XI. 33. XVI. 32. II Reg. XXIII. 13. 24. Ezech. V. 11. XXXVII. 23.

ἐπίφανον τὸ ἔλεός σου, *fac illuceſcere bonitatem tuam*] Hîc *ἐπιφαίνειν* ſumitur, ut ſuprà *ἐπιφάνεια*.

προκαταλαβέτωσαν οἱ οἰκτιρμοί σου, *præveniant miſerationes tuæ*] יקדמנו רחמיך Pſalmo LXXIX. 8. id eſt, *quamprimùm nobis ſuperveniant tua benefacta.*

συντετριμμένων τὰς ψυχάς, *iis qui animo contriti ſunt*] Ex Pſalmo LI. 19.

ποιήσας ἡμῖν εἰρήνην. faciens nobis pacem] *Dans nobis res proſperas.*

ἐν ἁγίοις, *in ſanctis*] In cœlo, ut ſuprà.

τῆς ἐνθέσμου λιτανείας, *legitimas preces*] *Preces Legi Divinæ congruentes.* In Gloſſis, Λιτανεύω, *precor.* Λιτανεία, *precatio.* Λιτανεύειν eſt apud Heſiodum, & II Maccabæor. XIV. 15. *λιτανεία* II Maccabæor. III. 20. X. 16.

ἐμάστιξεν αὐτὸν, *flagellavit eum*] Μαστίζειν & *μαστιγοῦν* de quavis *pœna* uſurpatur, II Paralipom. XXV. 16. Ierem. V. 3. Tob. XI. 9. XIII. 2. 4. 10. Iudith. VIII. 23. Sap. XII. 22. XVI. 16. ſic & nomen *μάστιξ* [*flagellum*], ut diximus ad Marcum III. 10.

ταχέως αὐτὸν ἐξείλκυσαν, *ſtatim eum è loco traxere*] Extra Templum, ut olim Oziam ſive Azariam II Paralipom. XXVI. 20.

οὐδαμῶς εἰς μετάμελον ἦλθεν, *neutiquam ad pœnitentiam venit*] Vt alter Pharao.

διά τε τῶν προαποδεδειγμένων συμπότων, *& per antè dictos compotores*] Sic rectè in Sixtina. malè in aliis *συμπόνων*. *Prædictos* dicit, quia ſuprà dixerat, *οἱ περὶ αὐτὸν* [*qui cum ipſo erant*].

Οὐ μόνον ταῖς ἀναριθμήτοις ἀσελγείαις διηρκέσθη, *Non* *tantùm in libidinibus innumeris perſeveravit*] *Perſtitit in libidinibus innumeris.* Polybius de eo, ἑλκόμενος ὑπὸ τῆς συνήθους ἐν τῷ βίῳ ῥαθυμίας καὶ καχεξίας [*tractus à ſolita vitæ diſſolutione & pravitate*]. Idem in Fragmentis à doctiſſimo Valeſio editis ex lib. XIII. μετὰ τὸ συντελεσθῆναι τὸν περὶ Κοίλην Συρίαν πόλεμον, ἀποστὰς πάντων τῶν καλῶν ἐτράπη πρὸς βίον ἄσωτον [*exacto in Cœle-Syria bello, ab omnibus honeſtis rebus ad vitam verſus perditam*]. Vide & quæ ſequuntur ex libro XV. Iuſtinus verò libro XXX. *Contentus recuperatione urbium quas amiſerat, factâ pace, avidè materiam quietis arripuit, revolutúsque in luxuriam, occisâ Eurydicê uxore, eâdémque ſorore ſuâ, Agathocleæ meretricis illecebris capitur. Atque ità omnem magnitudinem nominis ac majeſtatis oblitus, noctes in ſtupris, dies in conviviis conſumit. Adduntur inſtrumenta luxuriæ, tympana & crepundia: nec jam ſpectator Rex, ſed magiſter nequitiæ, nervorum oblectamenta modulatus*, & quæ ſequuntur. Adde Plutarchum in vita Cleomenis. Strabo lib. XVII. de Regibus Ægypti, ἅπαντες μὲν οὖν οἱ μετὰ τὸν τρίτον Πτολεμαῖον (Euergeten) ὑπὸ τρυφῆς διεφθαρμένοι· χείριστα δ' ὁ τέταρτος [*omnes qui poſt tertium Ptolemæum* (Euergeten) *fuere luxu perditi; maximè verò quartus*]. is eſt Philopator, ut & ſuprà diximus.

ὥστε δυσφημίας ἐν τοῖς τόποις συνίστασθαι] *Vt* multis *nilocis maledicta* in Iudæos *proponeret* legenda omnibus.

τοῦ κατὰ τὴν αὐλὴν πύργου, *turris quæ ad aulam*] *Turri per quam in regiam erat aditus.*

ἐκόλαψε γραφὴν, *incidit ſcripturam*] *Inſculpſit literas.* Sic κολάπτειν habes & Exodi XXXII. 15. XXXIX. 5. 1 Regum VII. 9. Sirach. XLV. 11. Solebant in foribus talia dicta ſcribi: ut à Platone, Ἀγεωμέτρητος μὴ εἰσίτω [*Geometriæ expers nè intret*].

Μηδένα τῶν μὴ θυόντων εἰς τὰ ἱερὰ αὐτῶν, εἰσιέναι, *Nequis intraret qui non ſacrificaret in Templis*] Ita hæc diſtinguenda, notâ inciſi poſitâ poſt αὐτῶν, & εἰς ſumendum pro ἐν. *Nè quis huc intret qui in Templis publicis non ſacrificat.*

εἰς λαογραφίαν καὶ οἰκετικὴν διάθεσιν ἀχθῆναι, *in plebis cenſum & in famularem conditionem perduci*] Tria hominum genera Alexandriam habitabant, ut ex Polybio nos docet Strabo lib. XVII. *Ægyptii veteres, miles mercede conductus, & Macedones* qui propriè dicebantur *Alexandrini*, & quorum longè optima erat conditio, ità ut etiam in pœnis diſtinguerentur, ut notat Philo contra Flaccum. His Iudæos Ptolemæus Lagi filius æquaverat, ut Ioſephus nos docet XII. 1. Philopator Iudæis iratus hoc beneficium reſcidit, neque aliis indulſit quàm qui initiarentur. Cæteros Iudæos qui hederæ χάραγμα [*notam*] acciperent dejecit in plebem Ægyptiam. Id hîc dicitur λαογραφία [*relatio in plebem*]· & quibus id fiebat, οἱ ἀπογραφόμενοι [*relati in matriculam*]. At qui talem notam detrectarent, eos ſervorum loco haberi voluit. Ergò καὶ [*&*] eſt hîc disjunctivum.

τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας, *contradicentes verò*] *Qui huic ſtatûs mutationi contradicerent.*

Τούς τε ἀπογραφομένους, *Et relatos in matriculam*] *Qui in plebem Ægyptiam aſſcribi vellent.*

χαράττεσθαι, *notari*] Hoc eſt quod λαμβάνειν χάραγμα [*accipere notam*] dixit Apocalypſ. XIV. 9. 11.

διὰ πυρὸς, *per ignem*] Sic enim notæ tales inſcribebantur. quod Philo dixit καταστίζεσθαι σιδήρῳ πεπυρωμένῳ [*ignito ferro punctis inſcribi*].

παρασήμῳ Διονύσου κισσοφύλλῳ, *inſigni Liberi patris hederæ folio*] Παράσημα deorum habes & apud Philonem in Legatione. Sic fulmen ſignificabat Iovem, galea vel haſta Martem, tridens Neptunum, hedera verò Liberum patrem, cujus multus in Oriente cultus, ut alibi diximus. Præterea Ptolemæi Reges dicebant ſe ex Libero patre ortos, ut ex Satyri hiſtoria nos docet Theophilus Antiochenus. Confer quod ſuprà II Maccabæor. VI. 7. XIV. 33. Erant ergò κισσοφόροι [*Hederigeri*] in honorem Liberi patris, ſicut δενδροφόροι [*Arborigeri*] in honorem deæ Cœleſtis Carthaginenſium. Hæc erat εἰδωλολατρεία [*idolorum cultura*] per interpretationem: illa quæ ſequitur, aperta.

οὓς καὶ καταχωρίσαι εἰς τὴν προσυνεσταλμένην αὐθεντίαν. *quos & ſeorſim ſcribi in jus deminutum*] Αὐθεντία *jus* ſignificat. *Ius conciſum* eſt libertas par Ægyptiorum conditioni, quæ minor quàm Macedonum, quibus olim æquati fuerant Iudæi. In hoc jus aſſcribebantur Iudæi

——— *inſcripti victuris in cute punctis.*

καταχωρίσαι eſt *in album proprium referri*, ſeorſim ab illis qui ſervis accenſebantur.

ἐν τοῖς κατὰ τὰς τελετὰς μεμυημένοις ἀναστρέφεσθαι, *cum iis verſari qui ſacris arcanis initiati eſſent*] Τελεταὶ hîc idem ſunt quod μυστήρια [*myſteria*,] ſacra quædam arcana nullíſque nota niſi initiatis & obſtrictis ad ſilentii fidem. Intelligenda autem hîc ſacra arcana Liberi patris, quæ propriè dicebant *Orgia*. Virgilius IV Æneidos,

> ——— *qualis commotis excita ſacris*
> *Thyas, ubi audito ſtimulant trieterica Baccho*
> *Orgia, nocturnúsque vocat clamore Cithæron.*

Statius,

> *Et Thebana metu juratus in orgia Ganges.*

Vide & Euripidem Bacchis.

τούτους ἰσοπολίτας Ἀλεξανδρεῦσιν εἶναι, *hi ut cives eſſent pari cum Alexandrinis jure*] Id eſt, *pari jure cum Macedonibus*, quos Alexandriæ collocavit Alexander, & eum ſecuti Reges. Ioſephus de Ptolemæo Lagi, τοῖς Μακεδόσιν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ποιήσας ἰσοπολίτας [*cives eos fecit pari jure cum Macedonibus qui Alexandriæ erant*]. Et contra Appionem II. εἰς κατοίκησιν δὲ αὐτοῖς ἔδωκε τόπον Ἀλέξανδρος, καὶ ἴσης παρὰ τοῖς Μακεδόσι τιμῆς ἐπέτυχον [*dedit eis Alexander quem habitarent locum, & par cum Macedonibus jus conſecuti ſunt*].

Ἔνιοι μὲν οὖν ἐπὶ πόλεως τὰς τῆς πόλεως εὐσεβείας ἐπιβάθρας στυγοῦντες] *Quidam igitur præ civitate*, Alexandrina ſcilicet, *odio habentes eos gradus per quos ad civitatem piorum adſcenditur. Civitas piorum* eſt *cæleſtis civitas, cujus opifex Deus*, Hebræor. XI. 10. 16. XII. 22. Apocalypſ. III. 12. *Gradus* ad eam ſunt Divina præcepta, quæ multis tunc ſordebant præ dignitate civitatis Alexandrinæ.

ὑπὸ τῆς ἐσομένης τῷ βασιλεῖ συναναστροφῆς. *ob futuram cum Rege converſationem*] *Ob liberum in regiam aditum.*

τά τε χρήματα περὶ τοῦ ζῆν ἀντικαταλλασσόμενοι ἀδεῶς] *Vitam pecuniis datis redimentes.* Putem ſcriptum fuiſſe περὶ τοῦ εὖ ζῆν, id eſt, ut *honeſtè viverent*: ut manerent in eo jure quod priores Reges ipſis conceſſerant, pecunias dabant iis quibus matricularum cura erat mandata. Faciebant ut poſtea inter Chriſtianos Libellatici : quod in Chriſtianis minùs fuit ferendum quàm in Iudæis.

ἐπειρῶντο ἑαυτοὺς λύσασθαι ἀπὸ τῶν ἀπογραφῶν. *laborarunt ut ab illa relatione in matriculam ſemet liberarent*] *Ab illa tranſlatione* de matriculis Alexandrinorum in matriculam Ægyptiorum.

Εὐέλπιδές τε καθειστήκεισαν ἀντιλήψεως τεύξεσθαι, *Et in bona ſpe erant auxilium ſibi venturum*] *Sperantes* interventurum Θεὸν ἀπὸ μηχανῆς [*Deum ex machina*] .

καὶ τοὺς ἀποχωροῦντας ἐξ αὐτῶν ἐβδελύσσοντο, καὶ ὡς πολεμίους τοῦ ἔθνους ἔκρινον, καὶ κοινῆς ἀναστροφῆς καὶ εὐχρηστίας ἐστέρουν, *& qui ab ipſis diſcederent eos abominabantur, & hoſtes eos gentis judicabant privabántque communi converſatione & benevolentiâ*]. Multis verbis id circumſcribit quod Hebræi נדוי dicebant, Helleniſtæ ἀφορίζειν [*ſegregare*] aut ἀποσυνάγωγον ποιεῖν [*Synagogâ excludere*]. qua de re egimus ad Lucæ VI. 22. εὐχρηστίαν hîc intellige *amicitiæ ſigna*, quale eſt convivio adhibere. Vide 1 Corinth. V. 9. 11.

τοῖς ἐν τῇ χώρᾳ, *in regione*] Multi enim etiam extra Alexandriam in omni Ægypto Iudæi : Ioſephus XII. 1. Philo libro in Flaccum, οὐκ ἀποδέουσι μυριάδων ἑκατὸν τὴν Ἀλεξάνδρειαν καὶ τὴν χώραν Ἰουδαῖοι κατοικοῦντες ἀπὸ τοῦ πρὸς Λιβύην καταβαθμοῦ μέχρι τῶν ὁρίων Αἰθιοπίας [*non pauciores ſunt millenis millibus Iudæi qui Alexandriam habitant omnémque regionem à Catabathmo ad Libyam, uſque ad fines Æthiopiæ*].

Τούτων δὲ οἰκονομουμένων, *Hæc dum adminiſtrantur*] *Dum hæc ità diſponuntur* à Rege.

ἀνθρώποις συμφρονοῦσιν εἰς κακοποίησιν, *hominibus ad malè agendum conſentientibus*] Intellige Iudæos defectores : id enim ſuadent ſequentia.

ἀφορμῆς διδομένης εἰς διάθεσιν] *Dato illis argumento* (ſive prætextu) *ad id quod inſtituerant*.

ὡς ἂν ἀπὸ τῶν νομίμων αὐτοὺς κωλυόντων.] *Tanquam illi* Iudæi Legis defenſores *ipſos à rebus æquis ac debitis arcerent*, nempe ab aditu Synagogæ, à convictu, rebúſque aliis.

τὴν μὲν πρὸς τοὺς βασιλεῖς εὔνοιαν καὶ πίστιν ἀδιάστροφον ἦσαν διαφυλάσσοντες· *fidem & benevolentiam in Reges inconcuſſam ſervaverant*] Vt & Chriſtiani inter graviſſimas vexationes fecere, Rom. XIII. 5. 1 Timoth. II. 2. 1 Petri II. 13. 17.

καὶ τῷ τούτου νόμῳ πολιτευόμενοι, *vitam inſtituentes ex lege ipſius*] *Secundùm ejus legem vitam inſtituentes*. id enim eſt πολιτεύεσθαι & Græcis & Helleniſtis, ut Actorum XXIII. 1. Philippenſ. 1. 27.

χωρισμὸν ἐποίουν ἐπί τινων, *ſeparabant ſe à nonnullis*] A quorundam Legem deſerentium *convictu abſtinebant*, ut jam dixit.

καὶ καταστροφάς·] Omnino legendum eſt ἀποστροφάς, *averſationem*. idem enim ἀποστρέφεσθαι [*averſari*] quod ſuprà βδελύσσεσθαι [*abominari*].

δι' ἣν αἰτίαν ἐνίοις ἀπεχθεῖς ἐφαίνοντο. *unde & quibusdam odioſi fiebant*] Nempe Iudæis illis defectoribus, qui deinde & Græcos ſuſcitabant.

Τῇ δὲ τῶν δικαίων εὐπραξίᾳ, *eorum quæ juſta erant bonis actibus*] *Rerum honeſtarum pulchris actibus*, quales præcepit Lex Moſis.

κοσμοῦντες τὴν συναναστροφὴν, *ornantes converſationem*] *Ornantes ſuam converſationem* cum omnibus non deſertoribus Legis, etiam cum Græcis. quem laudabilem Iudæorum morem etiam Chriſtianis præſcribit Paulus 1 Corinthiorum V. 10. 11. Coloſſenſium IV. 5. 1 Theſſalonicenſ. IV. 11.

ἅπασιν ἀνθρώποις εὐδόκιμοι καθειστήκεισαν. *omnibus hominibus probabantur*] Id eſt, *apud æquos homines egregiam famam erant conſecuti*.

οἱ ἀλλόφυλοι, *alienigenæ*] Id eſt, illi Macedones aulici, & aulicis adulantes.

οὐδαμῶς διηριθμήσαντο. *nullius æſtimabant*] *Nullo loco habebant*. Sic apud Callimachum οὐ λόγος, οὐδ' ἀριθμός [*ratio nulla erat aut numerus*].

Τὴν δὲ περὶ τῶν προσκυνήσεων καὶ τροφῶν διάστασιν ἐθρύλλουν] *Differebant malignis ſermonibus diverſitatem in cultu & cibis*. Quia à multis Lege vetitis abſtinebant. Bene cum hoc loco convenit Ioſephi illud XVI. 10. ubi odium in Iudæum injuſtè ſuſceptum deprecatur, ἔθεσι μὲν γὰρ οὐδέν ἐστι γένος ὃ τοῖς αὐτοῖς ἀεὶ χρῆται, κατὰ πόλεις ἐσθ' ὅπη πολλῆς ἐγγινομένης τῆς διαφορᾶς. τὸ δίκαιον δὲ πᾶσιν ὁμοίως ἀνθρώποις ἐπιτηδεύειν λυσιτελέστατον ὂν Ἕλλησίν τε καὶ βαρβάροις, οὗ οἱ παρ' ἡμῖν νόμοι λόγον ἔχοντες, ἅπασιν ἡμᾶς, εἰ καθαρῶς ἐμμένοιμεν αὐτοῖς, εὔνους καὶ φίλους ἀπεργάζονται [*nulla eſt gens quæ tota eisdem utatur inſtitutis : multæ enim inter civitates ſunt differentiæ. At quod juſtum eſt id omnibus hominibus conducit, tam Græcis utile quàm Barbaris; cujus rei curam habentes leges noſtræ, ſi eas rectè obſervemus, nos hominibus omnibus amicos & benevolos reddunt*].

μήτε τῷ βασιλεῖ μήτε ταῖς δυνάμεσιν ὁμοσπόνδους τοὺς ἀνθρώπους γενέσθαι, *nec Regi nec exercitibus eſſe concordantes*] *Non eſſe Iudæos ſociabiles aut cum Regibus aut cum Regum exercitibus*. Vide ad hanc rem dicta à nobis libro II De Iure Belli ac Pacis, cap. XV, § 9.

καὶ μέγα τι τοῖς πράγμασιν ἐναντιουμένους· *& multùm rebus obſtare*] Eſdræ IV. 15. II Maccabæorum XIV. 6.

οὐ τῷ τυχόντι περιῆψαν ψόγῳ. *non modico adſperſerunt probro*] Sic περιάπτειν αἰσχύνην [*adſpergere pudorem*] dixit Plato, quod Homerus μῶμον ἀνάψαι [*culpam adſpergere*].

Οἱ δὲ κατὰ τὴν πόλιν Ἕλληνες, *Qui Græcorum in urbe erant*] Macedonum illi quibus cum aula nihil negotii.

συνδρομὰς ἀπροσκόπους γινομένας, *ſubitos factos concurſus*] A militibus.

Μὴ γὰρ οὕτω παροραθήσεσθαι τηλικοῦτο σύστημα μηδὲν ἠγνοηκός] Hæc recta lectio, non ἠγνοηκώς. Sed & παροραθήσεσθαι legendum eſt : pendet enim & hoc ab eo quod præceſſit ὑπελάμβανον. *Neque enim* (arbitrabantur) *fore ut ità* (in tantis malis) *deſpiceretur* (à Deo) *gens quæ nihil peccaſſet in Regem*. σύστημα *gentem* ſignificat etiam II Maccabæorum XV. 12. ἀγνοεῖν autem *peccare*, ut diximus ſæpe, tum 1 Maccabæorum XIII. 39. & II Maccabæor. XI. 31.

καὶ συμπραγματευόμενοι, *& cum eis negotia habentes*] *Conſortes negotiorum* cum Iudæis aliquibus.

πᾶν ἐντινὲς προσοίσεσθαι] *Omnem diligentiam adhibituros*.

ἔγραψε κατ' αὐτῶν ἐπιστολὴν τήνδε. *ſcripſit contra eos talem epiſtolam*] Qualem olim Rex Perſa, Amanis inſtigatu, Eſther. XIII. 1.

τοῖς κατ' Αἴγυπτον καὶ κατὰ τόπον στρατηγοῖς, *Præfectis* per *Ægyptum & loca ſingula*] Præfectis toti Regno, deinde etiam præfectis partibus ſingulis, quos *Nomos* dicebant.

Ἔῤῥωμαι δὲ καὶ ἐγὼ, *Et ego valeo*] Vide II Maccabæorum XI. 28.

ἀπροσπτώτῳ συμμαχίᾳ] Legendum ἀπροόπτῳ συμμαχίᾳ, *auxilio improviſo.*

κατὰ λόγον] Id eſt, *ex animi ſententia.*

καὶ τοῖς ἐκπρεπέσι καὶ καλλίστοις ἀναθήμασι τιμῆσαι, *& ſpecioſis atque excellentibus donariis honorare*] Vt multi antè Reges fecerant: Ioſephus XII. 3.

Εἶρξαν ἡμᾶς τῆς εἰσόδου, *Excluſerunt nos ab introitu*] Ab intimo penetrali, ut ſuprà audivimus.

τύφοις φερόμενοι παλαιοτέροις] *Agitati vetere typho*, id eſt, faſtu.

λειπόμενοι τῆς ἡμετέρας ἀλκῆς] Id eſt, *vires noſtras non experti.*

καὶ τοῖς ἑαυτῶν εὐεργέταις, *& in ſe beneficis*] Quomodo aliquot Ægyptiorum Reges ſpeciatim dici ſe voluere, cùm ſit alioqui communis Regibus Principibúſque titulus, reſpondens Hebræo נדיב. Diximus ad Lucæ XXII. 25. & II Maccabæorum IV. 2. Planè eundem ſenſum & vocem εὐεργέτου. habes in ſimili edicto Additamentis ad Eſtherem XVI. 2.

ὑψαυχενοῦντες, *elatis cervicibus*] Habuimus hanc vocem & II Maccabæorum XV. 6. Vtitur & Plutarchus. *Cervices attollere* dicuntur qui parêre nolunt.

οὐδὲν γνήσιον βούλονται φέρειν. *nihil æquum ferre volunt*] *Nè æqua quidem imperia pati poſſunt.*

τῇ τούτων ἀνοίᾳ συμπεριενεχθέντες] *Concedentes illorum amentiæ.* Vide de hoc verbo II Maccabæor. IX. 27.

καθὼς ἔπρεπεν ἐποιήσαμεν. *ità ut oportebat fecimus*] *Omnia fecimus quæ bonum Regem decebant.*

πρὸς τοὺς ὁμοφύλους αὐτῶν, *erga illorum populares*] Iudæos qui in Ægypto ſunt.

διά τε τὴν συμμαχίαν, *tum per militiæ ſocietatem*] *Aſſcriptis in militiam noſtram Iudæis.* Confer Ioſephum XI. 8. I Maccabæorum X. 36. XIII. 40.

καὶ τὰ πεπιστευμένα μετὰ ἁπλότητος αὐτοῖς ἀρχῆθεν μυρία πράγματα, *tum per credita ipſis ab initio negotia plurima ex fide ipſis habita*] *Credentes ipſis ſumma cum fiducia ab initio Regni noſtri negotia plurima.* Nempe vectigalium, in quibus exercendis miri ſemper artifices Iudæi. Vide Eſther. X. 1. 2. 3.

τολμήσαντες ἐξαλλοιῶσαι, *laborantes immutare*] *Cum ſummo labore id agentes, ut eos mutaremus*, id eſt, ad Græcos ritus traduceremus. τολμᾷν ſæpe non *audaciæ* ſed *laboris* ac *patientiæ* habet ſignificatum, & valet καρτερεῖν, ὑπομένειν [*perferre, tolerare*]. Theognis,

Χρὴ τολμᾷν χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι.
[*Noſtrum eſt ferre malum, quamvis grave.*]

& alibi,

Τολμᾷ ἔχειν τὸ κακὸν κ' οὐκ ἐπίδηλος ὅμως.
[*Injunctúmque ſibi fértque tegítque malum.*]

Nec aliter Romanorum V. 7.

μετόχους τῶν ἀεὶ ἱερέων καταστῆσαι ἐβουλήθημεν, *participes eos ſempiternorum ſacrorum facere voluimus*] Omnino legendum cenſeo τῶν ἀεὶ ἱερῶν, *antiquiſſimorum ſacrorum*, Liberi Patris ſcilicet. ἀεὶ dicitur quod diu duravit, ut in Oriente cultus Liberi patris.

καὶ πολιτείας αὐτοὺς Ἀλεξανδρέων καταξιῶσαι. *& dignari eos civitate Alexandrinorum*] *Iure donare quo Macedones Alexandriæ utebantur.*

τὴν ἀτίμητον πολιτείαν] *Ius civitatis inæſtimabile.* Sic φίλος ἀτίμητος, *amicus ſupra omnem æſtimationem.*

βδελύσσονται, *abominantur*] Hoc ad illum ἀφορισμὸν [*ſegregationis actum*] pertinet, de quo actum ſuprà.

λόγῳ τε, *& verbis*] Verbis contumelioſis.

καὶ σιγῇ, *& ſilentio*] Nè ſermone quidem dignantes, ut nefarios. Alii libri habent καὶ ἔργῳ [*& opere*].

τοὺς ἐν αὐτοῖς ὀλίγους πρὸς ἡμᾶς γνησίως διακειμένους, *paucos eorum qui bene in nos erant animati*] Qui noſtra ſacra non abhorrent.

παρέκαστα ὑφορώμενοι] *Semper exſpectantes.*

διὰ τῆς δυσκλεεστάτης ἐμβιώσεως διὰ τάχους ἡμᾶς καταστρέψαι τὰ κατορθώματα] *Fore ut nos turpiter in vita poſteriore, & quidem citò, immutemus rectè conſtituta.* Nempe ea quæ de mutandis ritibus aut amittendâ libertate conſtituimus. ἐμβίωσις eſt vita longior, ut diximus ad Sirach. XXXVIII. 14.

αἰφνιδίου μετέπειτα ταραχῆς ἐνστάσης, *ſubito indè exorto tumultu*] Bello è Syria quod ſemper metuebatur.

κατὰ νώτου, *à tergo*] Quaſi dicat *inſidiantes tempori:* nam inſidiæ ſolent incautos à tergo adoriri.

βαρβάρους, *barbaros*] Sic vocat Iudæos, ut Græcorum omnium inimicos.

τοὺς ἐννεμωμένους] Alii codices ἐννομομένους. Sed vera lectio eſt ἀνομουμένους, Attico dicendi genere, id eſt, *eos qui legi parêre noluerunt.*

ἐν εὐσταθείᾳ καὶ βελτίστῃ διαθέσει] *In firmo ſtatu optimâque poſitura fore.*

Ὃς δ' ἂν σκεπάσῃ τινὰ τῶν Ἰουδαίων, *Qui verò Iudæum aliquem receptarit*] Cùm adversùs graviter ſontes edicta fiunt, ſolet addi pœna in receptatores: qua de re titulus eſt in Digeſtis. Sophocles Oedipode,

Τὸν ἄνδρ' ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ, γῆς
Τῆς δ' ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω
Μήτ' εἰσδέχεσθαι, &c.
[*Hunc quiſquis ille eſt nequis in terris, veto,*
Quarum poteſtas atque jus ſolii meum eſt
Tecto recipiat, &c.]

ἀποτυμπανισθήσεται] *Ad mortem cruciabitur.* Vide quæ de hac voce diximus ad II Maccabæor. VI. 19.

πανοικία.] Legendum πανοικίᾳ aut πανοικὶ, id eſt, *cum omni familia.*

ἐφ' ᾧ, *ut*] Hæ particulæ hîc finem actionis ſignificant, ut Matthæi XXVI. 50.

τὴν οὐσίαν τοῦ ἐμπίπτοντος ὑπὸ τὴν οὐσίαν λήψεται, *facultates deprehenſi ſuis addet facultatibus*] Frequens id omnibus gentibus, ut delatoribus aut accuſatoribus cederet ſubſtantia damnati aut pars ejus. Exempla multa apud Tacitum. Vide & II Samuelis XVI. 4.

καὶ τῆς ἐλευθερίας στεφανωθήσεται.] In Sixtina, καὶ τῆς ἐλευθερίας τεύξεται καὶ στεφανωθήσεται. Veram lectionem puto, τοῖς ἐλευθερίοις στεφανωθήσεται, *feſtis diebus Liberi patris publicitus coronam accipiet.* In Gloſſis, Ἐλευθέρια, ἑορτὴ Διονύσου, *Liberalia.* Solebant Liberalibus coronari ii qui bene de publico eſſent meriti, ut nos docent argumenta orationis Demoſthenicæ De Coronis.

ἄβατος καὶ πυριφλεγὴς ἔσω, *vaſta & igne incenſa ſit*] Id eſt, ejectis inhabitantibus comburatur.

καὶ πάσῃ θνητῇ φύσει κατὰ πᾶν ἄχρηστος φανήσεται, *& extra uſum ſemper maneat humani generis*] Id eſt, vetitum ſit eam domum unquam inſtaurare, ut inane ſolum monumentum ſit delicti.

ὁ μὲν τῆς ἐπιστολῆς τύπος, *epiſtolæ tenor*] *Tenor*, ut ſæpe Cicero.

μετ' ἀλαλαγμῶν] *Lætis clamoribus.* ἀλαλάξαι, παιωνίσαι [*pæana canere*], interpreti Sophoclis. Ἀλαλαγμὸς Suidæ ὕψωμα φωνῆς [*vocis elatio*], Heſychio ἐπινίκιος ὕμνος [*cantus ob victoriam*].

προκαπισκηρωμένης] Legendum ut in Sixtina προκαπισκιῤῥωμένης, *odio vetere & quod occalluerat.*

μετὰ παῤῥησίας νῦν ἐκφαινομένης, *libertate nunc datâ*] *Nunc tutò aperire ſe volente* ſub Edicti præſidio.

Tunc data libertas odiis,

ait Lucanus in ſecundo Pharſalico.

Τίς νόμος, *Quæ regio*] Malè novi interpretes quidam, *Quæ lex.* νόμος, ubi de Ægypto agitur, *regionem* ſive *præfecturam* ſignificat, ut ex Strabone, Plinio utroque, Ptolemæo notiſſimum eſt.

ἐπὶ ταῖς ἐξάλλοις τιμωρίαις] *Ob pœnas eximias.* ſic ἔξαλλος ſumitur II Samuelis VI. 14.

ἀνατροπῆς ὁρμῇ βιαίας] *Vi ſubitæ necis.*

καταχρωμένων, *abutentibus*] Nempe τῶν Μακεδόνων [*Macedonibus*].

ὑπεληλυθυῖαι παστὸν, *quæ ſubierant nuptiale velamen*] Hæ ſunt quæ ſuprà προσφάτως ἐσταλμέναι [*recens nuptæ*]. παστὸς eſt *thalamus nuptialis*, ut & I Maccabæorum I. 28. & Ioël. II. 16. חפה. In Gloſſis, Παστὸς ἐπὶ νύμφης, *thalamus*.

ἀντὶ τέρψεως μεταλαβοῦσαι γόους, *pro gaudio nactæ gemitum*] Similis δείνωσις [*gravis odioſæ rei elocutio*] dicto loco I Maccabæor. I. 28. & dicto loco Ioëlis.

τὴν μυροβρεχῆ πεφυρμέναι κόμην] *Comam, unguento antè delibutam, nunc pulvere conſperſæ.*

ἀκαλύπτως δὲ ἀγόμεναι, *cùm agerentur non opertæ*] Facie nudâ, quam honeſtiores feminæ ſolebant velis obtegere, quæ Hebræis ביתי אפים [*domus faciei*].

θρῆνον ἀνθ' ὑμεναίων, *leſſum pro nuptiali carmine*] Sic in Epigrammate Græco quod alibi citavimus,

θρῆνος δ' εἰς ὑμέναιον ἐκώμασεν.
[*Interrupit atrox hymenæum luctus.*]

δημοσίαι, *publicè viſæ*] Id eſt, *publicis conſpectibus expoſitæ.*

Οἵ τε τούτων συζυγεῖς] *Novi mariti.*

ἀντὶ στεφέων, *pro coronis*] Moris enim erat coronari novos maritos, Cantici III. II.

καὶ νεωτερικῆς ῥαθυμίας] *Iuvenili otio ac luſu.* Vide II Maccabæorum VI. 4.

παρὰ πόδας ἤδη τὸν ᾅδην ὁρῶντες κείμενον. *ante pedes Orcum videntes poſitum*] Simile illud apud Suetonium, *Orcus vobis trahit pedes.* ᾅδης, *ſtatus poſt mortem.*

Ἔτι καὶ τῷ καθύπερθεν πυκνῷ σανιδώματι διακειμένῳ, *Præterea multis deſuper intercedentibus tabulatis*] Significat eos projectos in imam navem, multis tabulatis inter ipſos & liberum aërem intercedentibus.

ἀγωγὴν ἐπιβούλων ἐν παντὶ τῷ κατάπλῳ λαμβάνωσι.] *In omni cataplo tractarentur ut perduelles ſolent.* *Cataplus* vox propria Alexandriæ, claſſem *mercatorum ſignificans.* Is *Niliacus cataplus* Martiali; *Lagea cataplus* Marcello Empirico, qui femininum fecit Græcum hoc nomen, ad Latinum fortè ſimilis ſignificatûs reſpiciens. ἐπίβουλος, *perduellis*, etiam infrà & II Maccabæor. IV. 2. XIV. 26.

ἐπὶ τὴν λεγομένην σχεδίαν ἀχθέντων, *cùm ad locum ductarentur cui nomen Schedia*] Multùm falluntur qui σχεδίαν hîc ſumunt pro *rate*: nam jam præceſſit conjectos Iudæos, non ſanè in rates, ſed in naves. Verùm *Schedia* locus eſt in Ægypti parte inferiore quatuor Schœnis ab Alexandria, navale habens, ut nos docet Strabo libro XVII.

καὶ τοῦ παράπλου περανθέντος, *ad finem quoque perductâ navigatione oram legente*] Sicut κατάπλους [*cataplus* ſive *navigatio deſcendens*] præceſſit à ſuperioribus Ægypti partibus in Schediam, ità nunc ſequitur παράπλους, *navigatio oram legens*, à Schedia ſcilicet Alexandriam. Exſtat hæc vox apud Thucydidem lib. 2. παραπλευστέον [*adnavigandum*] apud Ciceronem ad Atticum X. 13.

ἐν τῷ πρὸ τῆς πόλεως ἱπποδρόμῳ, *in hippodromo qui ante urbem*] *Hunc hippodromum* deſcribit Strabo libro XVII. Ei nomen *Lageo* fuiſſe docet nos Epiphanius libro De ponderibus & menſuris.

πρὸς παραδειγματισμὸν, *ad exemplum*] *Ad Iudæos exemplum faciendos omnibus ad urbem vel ab urbe iter facientibus.*

καὶ τοῖς ἐκ τούτων, *& iis qui ex illis erant locis*] *Ex illis locis*, urbanis ſcilicet. ſubintelligitur enim τόπων.

πρὸς τὸ μηδὲ ταῖς δυνάμεσιν, *ità ut nec militi*] *Militi mercenario.*

αὐτοῦ, *ipſius*] Id eſt, Regis, cujus mentio ſatìs longè hinc remota: ſed de eo agi facilè quivis intelligit. Eodem refertur id quod mox ſequitur ἀκούσας [*cùm audîſſet*]. Simili modo αὐτῶν [*ipſorum*] poni in Novo Teſtamento aliquoties obſervavimus.

μηδὲ τὸ σύνολον καταξιῶσαι τῶν περιβόλων. *neque omnino dignari mœnibus*] *Omnino intra mœnia non admitti.*

τῶν ἀδελφῶν, *fratrum*] *Popularium.*

ἐξ ὀνόματος] *Nominatim.* Hîc comma ponendum: pendet enim ſenſus.

οὐ γὰρ τὴν ἔμπροσθεν βραχὺ προδεδηλωμένην τῶν ἔργων κατάπονον λατρείαν, *non ſecundùm illam paulò antè edictam moleſtorum operum ſervitutem.*] Legendum οὐ παρὰ, id eſt, πρὸς [*ſecundùm*]. Intelligitur autem ſervitus illa priore edicto irrogata, neque notam, neque initia Liberi patris ſuſcipere volentibus.

στρεβλωθέντας δὲ παρηγγελμέναις αἰκίαις, *cruciatos verò per denuntiatas pœnas*] Illud παρηγγελμέναις referendum ad edictum illud, ſive epiſtolam poſteriore loco recitatam.

ἐπὶ ἡμέρας τεσσαράκοντα. *poſt dies quadraginta*] Intra quod tempus pœnitentiam Rex agere vel Ninives exemplo debuerat.

συμπόσια ἐπὶ πάντων τῶν εἰδώλων καθιστάμενος, *conviviis apud idola omnia conſtitutis*] Vide II Maccabæorum VI. 7.

κατὰ τὴν χώραν, *per agros*] Id eſt, extra urbes.

τῶν μὲν κατὰ τὰς οἰκίας ἔτι συνεστηκότων, *aliis intra domos ſe tenentibus*] Id eſt, in vicis.

τῶν δὲ κατὰ τόπον, *aliis hîc illic*] In ſilvis & latibulis.

ὡς ἀδυνάτου καθεστῶτος] Pro ὡς ἀδύνατον καθίστασθαι, *ità ut poſſibile non ſit.*

ὡς δεδωροκοπημένοις] *Quaſi donis corrupti eſſent.*

εἰς μηχανὴν ἐκφυγῆς] *Ad inveniendum Iudæis effugium.*

καὶ τὴν χαρτηρίαν, *& chartariam*] Eſt vox Latina *chartaria*: ſubauditur autem *officina*. Plin. XVIII. 10. de ſimilagine, *Hocærariæ officinæ chartariæque utuntur.*

Ἕρμωνα, *Hermonem*] Fortè Ἑρμάωνα [*Hermaonem*], quod inter Mercurii nomina. Attamen & *Hermon* nomen proprium Græcum eſt apud Plutarchum.

τὸν πρὸς τῇ τῶν ἐλεφάντων ἐπιμελείᾳ, *curæ elephantorum impoſitum*] Præcipuum ἐλεφαντάρχην, quomodo & infrà vocatur, & II Maccabæor. XIV. 12. τὸν πρωτεύοντα τῶν ἐλεφάντων [*præpoſitum elephantis*] II Maccabæorum XIII. 15.

δαψιλέσι δράκεσι λιβανωτοῦ] *Multis manipulis thuris.* Vehementer calfacit thus, Plinio teſte XXV. II. & largè ſumtum in inſaniam agit, Dioſcoride tradente I. 70. Hoc eſt quod modò dicet ἀγριοῦσθαι [*efferari*]. Homines elephantis objicere mos Pœnorum. Diodorus in Fragmentis de Hamilcare, τοὺς ἁλισκομένους αἰκιζόμενος παρερρίπτει τοῖς θηρίοις, ὑφ' ὧν καταπατούμενοι πικραῖς τιμωρίαις περιέπιπτον [*captivos indignè tractatos objiciebat belluis, à quibus conculcabantur inque amaras ultiones incidebant*]. Aurelius Victor Bacchum à Magalſare Mauritaniæ Principe elephantis objectum memorat.

καὶ οἴνῳ πλείονι ἀκράτῳ, *& multo mero*] Eidem fini.

τὸν ἀριθμὸν πεντακοσίους, *numero quingentos*] Nam ingens in Africa elephantorum multitudo. Totidem elephantos Seleuco Nicatori tribuit Strabo libro XVI.

Ὁ μὲν τόδε προστάσσων, *Is qui id juſſerat*] Rex Ptolemæus.

ἀσφάλειαν, ἔννυχον δόξαντες, *cuſtodiam nocturnam, arbitrantes*] Diſtingue ἀσφάλειαν ἔννυχον. Noctu enim cuſtodiebantur, ut de die elephantorum obtritu perirent.

μετὰ μεγαλομεροῦς ἐπιφανείας, *magnificâ ſui præſentiâ*] Hîc quoque ἐπιφάνεια non *oſtentum*, ſed, *ut* ſæpe notavimus, *præſens auxilium* ſignificat.

ὑπὸ τοῦ χαριζομένου πᾶσιν οἷς ἂν αὐτὸς θελήσῃ] Recta conſtructio fuerat, ὁ δὲ χαριζόμενος πᾶσιν οἷς ἂν αὐτὸς θελήσῃ, ὕπνου μέρος, τὸ ἀπ' αἰῶνος χρόνου κτίσμα καλὸν ἐν νυκτὶ, καὶ ἡμέρᾳ ἀπέστειλε, ἐπιβαλλόμενον πρὸς τὸν βασιλέα [*qui autem dat quibus vult ſomni portionem, quæ ab omni ævo creatura eſt nocte grata, tunc etiam de die eam immiſit Regi*]. Sed more Hebræo ex obliquo rectus ſubauditur.

καλὸν ἐν νυκτὶ] Hîc ponendum comma. *Somnus donum nocturnum.*

καὶ ἡμέρᾳ ἐπιβαλλόμενον] *Nunc etiam de die immiſſum Regi.*

τοῦ δὲ ἀμεταθέτου λογισμοῦ μεγάλως διεψευσμένος.] *Multùm deceptus pertinaci ſpe ſuâ.*

τὸν εὐκατάλλακτον] *Eum qui facilè placatur*, nempe à piis. Dei deſcriptio.

δεκάτης ὥρας, *horâ decimâ*] Vltra tempus ſolitum dilatum erat convivium ob ſomnum Regis. Hora frequentiſſima conviviis nona. Martialis,

Imperat exſtructos frangere nona thoros.

Ideo mox dicet, καιρὸν παρατρέχοντα [*tempus prælapſum*].

ὁ πρὸς ταῖς κλήσεσι τεταγμένος, *invitandis convivis impoſitus*] Qui unâ voce κλήτωρ. In Gloſſis, κλήτωρ, *invitator*. Ejus erat convivas vocare, deinde eosdem, ubi adventaſſent, excipere.

ἀθρόους τοὺς κλητοὺς ἰδὼν, *multos videns eorum qui vocati fuerant*] *Convivas vocatos.* His opponuntur ἄκλητοι apud Homerum, *invocati* apud Plautum.

ἔνυξε, *vulſit*] Νύττειν hîc eſt *vellere, excitandi causâ.*

τὸν περὶ τούτων λόγον ποιούμενος. *ſermonem de eis habens*] Recitans quales & quantos viros vocaſſet, dignitatis ſcilicet eximiæ, partim & cognatos Regis, ut infrà dicemus.

Ὃν ὁ βασιλεὺς λογισάμενος, *Quem Rex reputans*] Ea monita expendens, non ultrà differendum ſibi convivium ſenſit.

ἄντικρυς ἀνακλιθῆναι αὐτοῦ. *coram eo diſcumbere*] Ἄντικρυς non ſemper *ex adverſo* ſignificat, ſed ſæpe *in conſpectu.* לפניו Geneſ. XLIII. 32. ubi ἐναντίον αὐτοῦ in Græco.

τὸ παρὸν τῆς συμποσίας χαιρομένους εἰς εὐφροσύνην καταθέσθαι μέρος.] Conſtructio eſt, τὸ παρὸν μέρος τῆς συμποσίας χαιρομένους εἰς εὐφροσύνην καταθέσθαι, *ut partes ad convivium appoſitas grato accipientes animo lætè fruerentur.* μέρος & μερίδες ſunt *dapes in convivio appoſitæ*, unde μεριδάρχης [*præpoſitus menſæ*] I Maccabæorum X. 65.

νυκτὸς τὸ προσταχθὲν ἐπὶ τέλος ἀγηοχέναι, *quod noctu fieri erat juſſum id planè effectum*] *Quæ juſſa erant de nocte fieri, facta omnia.* Cuſtoditos vinctósque Iudæos.

Τὴν ὠμότητα χείρονα Φαλάριδος, *Crudelitatem majorem crudelitate Phalaridis*] Cicero libro Officiorum II. *Phalaridis præter cæteros nobilitata crudelitas.* Hinc Φαλαρίζειν [*Phalarim imitari*] in epiſtolis dixit idem Cicero.

οἱ παρόντες ὁμοῦ συναινέσαντες, *qui aderant uno ore laudantes*] Vt mos eſt in aula viventium, *omnia Principum honeſta atque inhoneſta* (ut Tacitus loquitur Annalium II) *laudare.*

ὡς εἰς τὸ παντοίους μηχανᾶσθαι τοῖς ταλαιπώροις δοκοῦσιν ἐμπαιγμούς.] *Vt comminiſcerentur varia eorum quos pro deploratis habebant ludibria.* Sic de Chriſtianis Tacitus Annalium XV: *Pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur.*

ἀλεκτρυὼν ἀνέκραγεν ὄρθριος, *gallus cecinit matutinus*] Τὸ ὄρθριον, ait Ariſtophanes. Hic eſt galli cantus ſecundus, de quo diximus ad Matthæi XXVI. 34.

ἐν τῷ μεγάλῳ περιστύλῳ] *In magna area porticibus circumdata.* Vide II Maccabæorum IV. 46.

διεκίνει. *excitabat*] Accendebat thure & vino.

κατὰ τὸν ἀμερῆ ψυχουλκούμενοι χρόνον] *Quaſi ad punctum tantùm victuri.* Ità enim videbatur. ἀμερὴς χρόνος [*tempus individuum*] eſt στιγμὴ χρόνου [*punctum temporis*]. Idem infrà ſic eloquitur, ὑστάτην βίου ῥοπὴν αὐτοῖς ἐκείνην δόξαντες εἶναι [*ultimum illud exiſtimantes vitæ momentum*]. Pari modo infrà, ἐν ἀμερεῖ χρόνῳ λυθέντες [*intra tempus individuum liberati*].

Οὔπω δὲ ἡλίου βολαὶ κατεσπείραντο, *Nondum ſpargebantur Solis radii*] Locutio Poëtica, quales nonnullæ in hoc libro.

ἐκάλει πρὸς τὴν ἔξοδον, *vocabat ad exitum*] Vt vellent ex aula venire in arenam.

ἀποδεικνύων τὸ πρόθυμον τοῦ βασιλέως ἐν ἑτοίμῳ, *oſtendens voluntatem Regis in parato*] *Parata eſſe omnia quæ Rex voluerat.*

ἐπὶ τῇ παρανόμῳ ἐξόδῳ, *ob exitum ſine more*] *Præter morem*, tam manè.

τῶν πρὶν αὐτῷ μεμηχανημένων λήθην κατὰ διάνοιαν ἐμπεθεικότος. *qui ante cogitationem oblivionem ei in animum injecerat*] Paria habes de Claudio apud Suetonium, *Occiſâ Meſſalinâ, paulò poſtquam in triclinio decubuit, cur Domina non veniret, requiſivit. Multos ex iis quos capite Damnaverat, poſtero die ſtatim & in convivium & ad aleæ luſum admoveri juſſit, & quaſi morarentur ut ſomniculoſos per nuntium increpuit.*

ἡτοιμάσθαι, βασιλεῦ, κατὰ τὴν σὴν ἐκτενῆ πρόθεσιν. *parata eſſe, ô Rex, ſecundùm tuum intenſum propoſitum*] Tranſitio ab oratione indirecta ad directam, quæ & Græcis & Latinis, Hiſtoricis maximè, frequens.

διὰ τὸ περὶ τούτων προνοίᾳ Θεοῦ διεσκεδάσθαι πᾶν αὐτοῦ τὸ νόημα, *ideo quòd Deo procurante tota illa de rebus iſtis cogitatio erat excuſſa*] *Diſcuſſa erat de animo mox illa cogitatio.*

Ὅσοι γονεῖς παρῆσαν] Πὲρ ἦσαν, *Quotquot ſunt parentes.*

τήνδε θηρσὶν ἀγρίοις ἐσκεύασαν, *hanc immitibus feris paraverint*] Σκευασάτωσαν, *paraverint.* Et ſubauditur more Hebræo nominativus, οἱ σκευάσαντες, *ii qui paraverunt. Suis parentibus liberíſque hæc ſtruxerint ſtructores.*

καὶ προγόνοις ἐμοῖς ἀποδεδειγμένων ὁλοσχερῆ βεβαίαν πίστιν, *& qui meis majoribus perpetuò conſtantem fidem exhibuerunt*] Ptolemæo Lagi, Philadelpho & aliis. Sic & poſtea Ptolemæus & Cleopatra totum Regnum ſuum Iudæis credidere, ut teſtatur ſecundo contra Appionem Ioſephus.

διὰ τὴν τῆς συντροφίας στοργὴν, *ob affectum natura ex communi educatione*] Hæc ad Hermonem dicuntur. Sic συνεκτρόφους [*ſodales pariter educatos*] Alexandri Magni dixit Scriptor primi Maccabaïci I. 7.

καὶ τῆς χρείας, *& ob miniſterium*] *Ob miniſterium diu præſtitum.* Sic χρεία ſumitur I Maccab. x. 37.

καὶ τῇ ὁράσει, *& viſu*] Oculis.

καὶ τῷ προσώπῳ, *& facie*] *Cætero vultu.*

Ὁ καθεὶς δὲ τῶν φίλων σκυθρωπῶς ὑπεκρέων] *Amicorum quiſque cum mœrore ſe ſubducens.*

ἀπέλυσαν ἕκαστον ἐπὶ τὴν ἰδίαν ἀσχολίαν. *dimiſerunt quemque ad ſua negotia*] Eſt conſtructio κατὰ σύνθεσιν [*ſenſu non voce congruens*], quia illud καθεὶς [*quiſque*] valet plurale. *Amici illi diſcedentes ſpectatoribus copiam fecere ad ſua negotia abeundi*, cùm viderent nihil ultrà eſſe quod ibi exſpectarent.

καὶ τῆσδε τῆς βοηθείας αὐτοῦ τετυχότες.] *Etiam hanc ab ipſo* (Deo) *opem adepti*, nempe poſt illam priorem ex ſomno Regis.

Κατὰ δὲ τούτους τοὺς νόμους, *Poſt hæc præcepta*] *Poſtquam hæc imperia* tam diſcrepantia *dederat*.

Οἱ δὲ συνανακείμενοι συγγενεῖς, *Et cognati Regis qui cum ipſo diſcumbebant*] Vide I Maccabæor. x. 89.

καὶ πληθυούσῃ συστροφαῖς, *& plena tumultibus*] *Seditionibus agitata*, ad quam nulla plebs pronior illâ Alexandrinâ, ut notatum Ammiano Marcellino libro xxii.

ἤδη καὶ κινδυνεῦσαι πολλάκις διαρπασθῆναι. *jam & ſæpe in periculo fuit direptionis*] *Iam ſæpe in periculo fuit nè* à militibus diriperetur, qui libenter tales prætextus accipiunt.

πρὸς ἐπισκοπὴν τῶν Ἰουδαίων] *Ad ſalutem Iudæorum*, quomodo ἐπισκοπὴ ſæpe ſumitur ab Hellemiſtis.

πέμψειν εἰς ᾅδην, *Orco miſſurum*] Etiam hæc locutio Poëtica eſt.

ἐν γόνασι καὶ ποσὶ] Id eſt, *per genua & pedes.* Hebraïſmus.

καὶ τὸν ἄβατον αὐτῶν ἡμῖν ναὸν, *& Templum eorum ad quod introitum nobis prohibent*] Quem (ναὸν) à nobis penitus intrari non ſinunt. Illud ἡμῖν [*nobis*] rurſus ab indirecta oratione ad directam tranſit, à qua directa rurſus ad indirectam tranſitur.

ἀπλέστατον βεβαίως ὅρκον, *juramentum· quod planè futurum erat irritum*] *Iuramentum quod Deus firmè decreverat irritum facere.* Multi juramentum faciunt vinculum improbitatis: de quo hominum genere diximus Matthæi xiv. 7.

τῶν συντελούντων ἐκεῖ θυσίας, *ibi ſacrificantium*] Refer ad illud quod præceſſit πυρὶ, *eo igne quo ad ſacrificia uti ſolent, Templum*, ait, *comburant.*

φοβερῶς κεκοσμημένα κατασκευαῖς, *horribili paratu conſpicuas*] Puto ſcriptum fuiſſe φοβεραῖς.

ὤτρυνε τὸν βασιλέα. *excitavit Regem*] Vt ex aula in hippodromum veniret.

καὶ κόραις ὀφθαλμῶν θεάσασθαι, *& pupillis oculorum ſpectare*] Pejor in hoc Nerone, qui, ut ait minor Plinius, *juſſit ſcelera, non ſpectavit.* Hoc *paſcere oculos* vocat Vitellius Taciti Hiſtoriarum iv.

κατεφίλουν ἀλλήλους περιπλεκόμενοι τοῖς συγγενέσιν, *cognatos amplexi oſcula mutua exhibuere*] Extremum alter alteri *vale dicentes.*

ῥίψαντες ἑαυτοὺς, *cùm ſe projeciſſent*] *Solo proſtrati.*

πρὸς πύλαις ᾅδου καθεστῶτας. *ad Orci portas conſtitutos*] De hac locutione diximus ad Matthæi xvi. 18.

Ἐλεάζαρος δέ τις, *Quidam verò Eleazarus*] Nomen Iudæis frequens, ut II Maccabæor. vi. 18.

τῶν ἀπὸ τῆς χώρας ἱερέων, *Sacerdotum qui in agris erant*] Multi erant ἐν ταῖς διασποραῖς [*in diſperſionibus*] è genere Sacerdotali, qui etſi functiones Sacerdotis in ſolo peregrino obire nequirent, vocabantur tamen à ſuis כהנים, & Græcè ἱερεῖς [*Sacerdotes*], & ſi familiæ alicujus eſſent principes, ἀρχιερεῖς [*principes Sacerdotum*]. In Codice Theodoſiano de Iudæis eſt lex Conſtantini, cujus inſcriptio, *Hiereis & archiſynagogis:* initium, *Hiereos* (ſic legendum non *Hieros*) *& archiſynagogos.* ἀπὸ τῆς χώρας, id eſt, *eorum qui in agris habitabant*, & ad quos Regii edicti exſecutores nondum pervenerant.

τοὺς περὶ αὐτὸν καταστείλας πρεσβυτέρους, *advocatis qui circum ſe erant Senioribus*] *Accitis Senioribus vicinis. Seniores* hîc intellige eos qui Synagogam unà cum Archiſynagogo regebant, dicti זקנים, aut etiam פרנסין, id eſt, *paſtores.*

Θεὲ, *ô Deus*] Solent hoc vocativo uti interdum Helleniſtæ.

ἐπὶ Ἀβραὰμ σπέρμα, *Abrahami progeniem*] Ἀβραὰμ hîc eſt genitivus.

ποντοβρόχους ἀπώλεσας, *in mari ſubmerſos perdidiſti*] Etiam hoc Poëticum eſt.

φέγγος ἐπιφάνας ἐλέους, *lucem benignitatis affulgens*] Lux apud Hebræos gaudium, *tenebræ* mœrorem ſignificant. φέγγος ἐλέους, *lucem ortam è Divina miſeratione.* Nota iterum ἐπιφαίνειν in ſenſu *auxilii.*

Σεναχηρεὶμ, *Senacherim*] Vide I Maccab. vii. 41. II Maccabæorum viii. 19. xv. 22.

δόρατι τὴν πᾶσαν ὑποχείριον ἤδη λαβόντα γῆν, *qui* *jam omnem terram haſtâ ſibi ſubegerat*] *Omnem terram* circa Iudæam, cujus partes nominatas habes II Regum XVIII. 34.

βάρεα λαλοῦντα κόμπῳ καὶ θράσει, *durè loquentem in faſtu & arrogantia*] II Regum loco jam dicto, & XIX. 22.

σὺ δέσποτα ἔθραυσας, *tu Domine fregiſti*] Per Angelum, II Regum XIX. 35.

εἰς τὸ μὴ λατρεῦσαι τοῖς κενοῖς, *nè ſervirent vanis*] *Diis falſis*, ut Iudicum v. 8. Simili ſenſu invenies ψεῦδος [*mendacium*] & μάταιον [*inane*].

διάπυρον δροσίσας κάμινον, *caminum ardentem irrorans*] Ἐποίησε τὸ μέσον τῆς καμίνου ὡς πνεύματι δρόσου [*fecit medium camini velut ſpiritus roris*], in Additamentis ad Danielem 50.

μέχρι τριχὸς ἀπημάντους, *illæſos ad pilum uſque*] Danielis III. 94.

κατὰ γῆς, *ſub terra*] *Infrà terram*, id eſt, in ſpecu.

ῥιφέντα θηρσὶ βορὰν, *projectum ut à feris ederetur*] At præceſſit λέουσι [*leonibus*]. Fortè ſcriptum hîc fuit unâ voce θηρόβορον, *ut à feris ederetur*.

Ἰώναν τηκόμενον ἀφειδῶς, *Ionam perpetuò liqueſcentem*] Ionæ II. 8.

ἐπιφάνηθι, *præſens adeſto*] Hîc iterum hoc verbum eſt in ſenſu auxilii.

Εἰ δὲ ἀσεβείαις κατὰ τὴν ἀποικίαν ὁ βίος ἡμῶν ἐνέσχηται] *Si vita noſtra aliquam impietatis labem traxit in hoc incolatu.*

ἀπόλεσον ἡμᾶς μόρῳ. *perde nos peſtilentiâ*] *Peſtilentiâ*, quæ per excellentiam מות [*mors*] Hebræis. Vide quæ ad Matthæi XXIV. 7.

Μὴ τοῖς ματαίοις, *Nè vanis rebus*] *Nè idolis gratias habeant*, quæ hîc μάταια, ut ſuprà κενά. Par ſenſus ſuprà in Simonis oratione, & II Maccabæorum X. 4.

καθ' ὕβριν ἀνόμων ἀλόγιστον] *Per vim impiorum nullâ de causâ in nos inſurgentem.*

ἐν ἐπιβούλων τρόπῳ] *Tanquam perduelles*, ut ſuprà.

δύναμιν ἔχων ἐπὶ σωτηρίᾳ Ἰακώβ] *Qui validus ſatis es ad ſervandam Iacobi progeniem*, nempe vel invitis Regibus.

καθὼς εἶπας, *ità ut dixiſti*] Levitici XXVI. 42. Deuteronomii XXX. 9. 10.

καὶ παντὶ τῷ τῆς δυνάμεως φρυάγματι, *& toto militum ſtrepitu*] *Cum ingenti militum ſtrepitu*. Solet hoc nomen φρύαγμα uſurpari de flumine exundante.

ὥστε καὶ τοὺς παρακειμένους αὐλῶνας συνηχήσαντας ἀκατάσχετον οἰμωγὴν ποιῆσαι, *ità ut valles conſonantes perpetuum ederent clamorem*] Repercuſſo à montibus clamorum ſono.

ἐπιφάνας τὸ ἅγιον αὐτοῦ πρόσωπον, *ſanctam ſuam faciem allucens*] Hîc quoque ἐπιφαίνειν, eo quo diximus ſenſu.

ἠνέῳξε τὰς οὐρανοῦ πύλας, *aperuit cæli fores*] Vide quæ dicta ad Matthæi III. 16.

φανεροὶ πᾶσι πλὴν τοῖς Ἰουδαίοις, *conſpicui omnibus extra Iudæos*] Noluit enim ſatìs territos Iudæos terreri inſuper horribili conſpectu.

Καὶ ἀντίστησαν, *Et obſtiterunt*] *Oppoſuerunt* ſe Macedonibus.

ὑπόφρικον καὶ τὸ τοῦ βασιλέως σῶμα ἐγενήθη] *Ipſi Regi corpus inhorruit.*

ἀπέστρεψαν τὰ θηρία ἐπὶ τὰς συνεπομένας ἐνόπλους δυνάμεις, *verterunt belluas in milites qui armati ſequebantur*] Etiam in præliis ſæpe evênit ut conſternati elephanti in ſuos verterentur. Polybius in Fragmentis à Valeſio editis, οὐκ ἔτι δυνατὸν ἦν κρῖναι τὰ θηρία, τίς ὑποπιπτόντων φίλιος ἢ πολέμιός ἐστιν [*nec jam ampliùs diſcernere belluæ poterant, quis objicientium ſeſe amicus aut hoſtis eſſet*].

πρηνεῖς ἅπαντας εἰς τὴν ἀπώλειαν, *proſtratos ad exitium omnes*] *Stratos ſolo & interitum exſpectantes.*

Παραβασιλεύετε, *Ius Regium invaditis*] Sicut παρασοφίζεσθαι dicitur *qui ſine jure ſapientis ſibi nomen arrogat*, παρασυνάγειν *qui illegitimos conventus habet*: ſic παραβασιλεύειν *qui ſine jure Regiam poteſtatem ſibi vindicat*. Ità apud Terentium, *quandoquidem ſolus regnas* valet παραβασιλεύεις.

τὸν ὑμῶν εὐεργέτην, *in vos beneficum*] Qui vos honoribus atque opibus extuli.

τῆς ἀρχῆς ἤδη καὶ τοῦ πνεύματος μεθιστᾶν, *jam & imperio & vitâ ſpoliare*] Quia multi in Regno Iudæos commiſerabantur, unde facilè ſeditio oriri poterat.

τοὺς κρατήσαντας ἐν πίστει τὰ τῆς χώρας ὀχυρώματα, *qui munitiones noſtras cum fide ſervarunt*] De Ptolemæo Lagi Ioſephus, πολλοὺς αὐτῶν (τῶν Ἰουδαίων) εἰς τὰ φρούρια καταλοχίσας [*multos Iudæorum munitionibus impoſuit*].

Τίς τοὺς ἐξαρχῆς εὐνοίᾳ πρὸς ἡμᾶς κατὰ πάντα διαφέροντας πάντων ἐθνῶν, *Quis eos qui jam olim ſupra gentes alias fide in nos excelluerunt*] Vide quæ ſuprà hac de re habuimus.

τὰ προπεπραγμένα παραιτησάμενοι.] *Deprecantes quæ hactenus facta ſunt.*

τοὺς υἱοὺς τοῦ παντοκράτορος ἐπουρανίου Θεοῦ ζῶντος, *filios Dei omnipotentis ſupercæleſtis vivi*] Qui verum Deum pro patre colunt, quos Deus ille paternè protegit. Hunc poſteriorem ſenſum etiam infrà in epiſtola Regis habebimus.

ἄρτι τὸν θάνατον ἐκπεφευγότες.] *Iam modò vitatâ morte.*

τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων, *reditibus regiis impoſitum*] Cui nomen Ἴδιος λόγος [*Propria ratio*], ut ex Strabone diſcimus libro XVII.

σωτήρια ἄγειν· *agere ob ſalutem acceptam lætos dies*] Σωτήρια interdum *ſacrificia*; hîc verò *lætos dies & convivia ob ſalutem acceptam teſtantia* ſignificat.

πλησίον ᾅδου, μᾶλλον δὲ ἐπ' αὐτοῦ βεβηκότες, *proximè Orcum, imò jam in ipſo poſiti*] *Qui velut in ipſa morte poſiti fuerant*. Nam quæ propè adſunt, jam *adeſſe* dicuntur. *Sic ereptum aliquem* dicimus *ex Orci faucibus*.

κώθωνα σωτήριον, *poculum ob ſalutem*] *Poculum quo gratiæ Deo agebantur de accepta ſalute*. In Pſalmo CXVI. 13. כוס ישועות in Græco vertitur ποτήριον σωτηρίου. Vide quæ dicta ad Matthæi XXVI. 27.

τόπον κλισίαις κατεμερίσαντο, *locum tabernaculis diviſere*] *In hippodromo tentoria poſuere*, imitantes σκηνοπηγίαν [*feſtum Tabernaculorum*], ut ſolebant in rebus ſimilibus. Vide quæ diximus ad II Maccabæorum I. 9.

ἀνέλαβον ᾠδὴν πάτριον, *repetiverunt avitum carmen*]

Pſalmum CXXXVI. uſitatum in bonis rebus. Vide II Paralipomenôn v. 13. Eſdræ III. 11.

χοροὺς συνίσταντο, *choros inſtituerunt*] Qui mos avitus Hebræis in rebus lætis; Exodi XV. 20. Iudicum IX. 27. XI. 34. XXI. 21. I Samuelis XXIX. 5. I Regum I. 40. Thren. V. 15. Iudith. XV. 15.

συμπόσιον βαρὺ] Id eſt, *magnificum convivium*: nam quod magnificum eſt Hebræis כבד, id eſt, *grave*, dicunt. Sic δύναμις βαρεία [*exercitus magnus*] I Regum X. 2. II Regum VI. 14. XVIII. 17. II Paralipomen. IX. 1. Sic & ἐν ὄχλῳ βαρεῖ [*magno cum hominum numero*] I Maccabæorum I. 19.

ἐπὶ τῇ παραδόξῳ γενηθείσῃ αὐτῷ σωτηρίᾳ. *ob ſalutem quæ inopinatò ei obvenerat*] Nempe quia ſeditiones metuerat, ut antè vidimus.

οἰωνοβρώτους, *avium eſcam*] Habes hanc vocem & II Maccabæorum IX. 15.

καὶ ψαλμοῖς, *& pſalmis*] Cantibus ad citharas ac nablia.

τὰς προειρημένας ἡμέρας ἄγειν, *jam dictas dies agere*] Nempe in Ægypto: Nam extra eam non fuere celebres illæ dies. Id autem verum eſſe etiam infrà in re ſimili apparebit.

Ἐνέτυχον δὲ τῷ βασιλεῖ] *Precibus Regem adiere.*

Ἀπογράφονται δὲ αὐτοὺς, *Deſcribunt autem eos*] Præſens pro præterito. *deſcripſerant* (Regis miniſtri) *illos* nempe Iudæos.

ἀπὸ πέμπτης καὶ εἰκάδος τοῦ Παχὼν, *à viceſima-quinta Pachon*] Qui menſis ferme Aprili reſpondet.

συνίστανται δὲ αὐτῶν τὴν ἀπώλειαν] *Exitium autem ipſis conſtituerant*, in hippodromo.

ἀπὸ πέμπτης τοῦ Ἐπὶφ ἕως ἑβδόμης, *à quinta Epiph ad ſeptimam*] Ἐπὶφ vel Ἐπαφὶ menſis Iunio maximè reſpondet, dictus ab *Epapho* Iſidis filio. Euripides Phœniſſis,

Καὶ σὲ τὸν προμάτορα
Ἰοῦς ποτ᾽ ἔκγονον
Ἔπαφον.
[*Nunc ades votis, Epaphe, & Tonantis*
Germen & noſtræ genitricis Iûs.]

Ovidius Metamorphoſeon I.

Hinc Epaphus magno genitus de ſemine tandem
Creditur eſſe Iovis.

ἐπιφάνας, *allucens*] Rurſus ἐπιφάνας hîc eſt eo quem ſæpius diximus ſenſu.

τὴν ἐκτινίαν ἔχουσαν. *habentem hunc tenorem*] Id eſt, *cujus epiſtolæ is erat qui ſequitur tenor*. Hîc dixit ἐκτινίαν, quod ſuprà τύπον. Hoc ſenſu ἐκτινίαν Heſychius exponit ἄπλωσιν [*expoſitionem*].

Ἐρρώμεθα δὲ καὶ αὐτοὶ, *Nos certè valemus*] Formula ſolennis, ut vidimus in poſita jam antè epiſtola.

συναθροίσαντες σύστημα, *gente contractâ*] In unum contractâ gente totâ, nempe quæ in Ægypto habitat. De voce συστήματος diximus ſuprà.

ἀποστατῶν τιμωρίαις, *pœnis quæ defectoribus congruunt*] Ἐπιβούλων, ut ſuprà habuimus aliquoties, & jam ſequetur.

μετὰ σκυλμῶν, *cum vexationibus*] Σκύλλειν [*vexare*] interdum ſumitur in atrociſſimo ſenſu, quomodo apud Virgilium poni, *Dulichias vexaſſe rates*, notarunt Gellius & Servius. Sic & Chriſtiani διωγμοὺς ſæpe vertunt *vexationes*.

ἄνευ πάσης ἀνακρίσεως καὶ ἐξετάσεως, *ſine omni interrogatione & inquiſitione*] Verba ſunt Iuris. ἀνάκρισις eſt *teſtium interrogatio* Platoni VI. De Legibus, Actorum XXV. 26. ἐξέτασις, *reorum interrogatio*, Iohannis XXI. 12. quod & ἀνετάζεσθαι Actor. XXII. 24. His modis verum inquirunt quibus veri cura eſt. Quæ in hoc tam gravi & tam multos tangente negotio neglecta meritò queritur Ptolemæus.

νόμου Σκυθῶν ἀγριωτέραν, *ſæviorem Scytharum moribus*] *Scytharum immanitatem* proverbiis notatam etiam alibi notavimus.

ἐμπεπορπημένοι] *Innexi*. Propriè de veſtibus dicitur quæ fibulâ nectuntur.

σκληρότερον διαπειλησάμενοι, *aſperiùs minantes*] *Duriora comminati* Iudæis ex malo conſilio.

μόγις τὸ ζῆν αὐτοῖς χαρισάμενοι, *vix vitam ipſis concedentes*] Quia in ſervitute vita vix vitalis eſt.

καὶ τὸν ἐπουράνιον Θεὸν ἐγνωκότες ἀσφαλῶς ὑπερησπικότα τῶν Ἰουδαίων, *apertè agnoſcentes Deum fuiſſe protectorem Iudæorum*] Nempe primùm immiſſo Regi ſomno, deinde oblivione decreti, deinde pœnitentiâ, poſtremò Angelis deſtinata impedientibus.

Τήν τε τοῦ φίλου δι᾽ ἣν ἔχουσι πρὸς ἡμᾶς βεβαίαν καὶ τοὺς προγόνους ἡμῶν εὔνοιαν ἀναλογισάμενοι, *& gentis iſtius reputantes quam in nos majoréſque noſtros habent & habuere benevolentiam*] Scriptum putem, τήν τε τοῦ φύλου ἣν ἔχουσι, per σύνθεσιν [*conſtructionem rem non voces ſpectantem*]. nimirum φῦλον eſt *gens Iudaïca*.

εὔνοιαν, *benevolentiam*] Cujus & ſuprà mentio aliquoties.

πάσης καθ᾽ ὃν τιν᾽ οὖν αἰτίας τρόπον · *ab accuſatione cujuſcunque modi*] Trajectio pro, αἰτίας καθ᾽ ὅν τινα τρόπον.

μήτε ὀνειδίζειν περὶ τῶν γεγενημένων παρὰ λόγον.] *Nè quis exprobret Iudæis edicta illa priora, quæ præter jus facta* Rex agnoſcit.

αὐθαιρέτως παραβεβηκότας, *qui ſponte ſpreviſſent*] *Cogente nemine*. Nam id culpam gravat. Vide Canonem Nicænum XI.

τῆς ὀφειλομένης κολάσεως, *debitam pœnam*] Mortis ſcilicet, ut explicant ſequentia. Hanc olim ex lege quæ Deuteronomii XIII. 6. quilibet Iudæus exigere poterat de Iudæo, qui alios incitaret ad falſorum Deorum cultus. Sed in alieno Imperio jus non habebant ſive judicio publico ſive iſto judicio quod *zeli* vocabatur quenquam interficere, niſi ex permiſſu Regis: qualem dedit olim Rex Perſidis Eſther. VIII. 11. & Romani in alienigenas intra Templi ſepta deprehenſos.

γαστρὸς ἕνεκεν, *ventris cauſâ*] Romanor. XVI. 18. Philippenſium III. 19.

τὰ θεῖα παραβεβηκότας προστάγματα. μηδέποτε εὐνοήσειν μηδὲ τοῖς βασιλέως προστάγμασι. *qui Dei præcepta tranſgreſſi eſſent, eos nec Regiis unquam præceptis fidos fore*] Sic Conſtantius Chlorus Conſtantini pater, cùm tentaſſet miniſtrorum ſuorum Chriſtianiſmum profitentium animos, dignitatum amiſſionem minatus à Chriſtianiſmo non diſcedentibus, mox ubi aliorum conſtantiam, aliorum levitatem hoc teſtimonio didicit, ſolos eos retinuit qui perſeveraverant ſe Chriſtianos oſtendere, dicens *nè Imperatori quidem fidos fore qui Deo fidem non ſervarent*.

ἄνευ πάσης βασιλικῆς ἐξουσίας ἢ ἐπισκέψεως. *ſine ulla Regis permiſſione aut inſpectione*] Sine ſpeciali de ſingulis permiſſu, cùm generalis ſufficeret, ac ſine ulla Iudicum Regiorum cognitione. Similem permiſſum habes in Codice, *Quando liceat unicuique ſine judice ſe vindicare vel publicam devotionem.*

Τότε καταφημήσαντες] Rectiùs in Sixtina, κατευφημήσαντες [*bonis ominibus proſecuti*].

οἱ τούτων ἱερεῖς , *Sacerdotes ipſorum*] Quorum & ſuprà mentionem habuimus.

ἐπιφωνήσαντες τὸ ἀλληλούϊα, *acclamantes Alleluja*] הללויה [*Alleluja*], læta acclamatio, quam ex Hebræo retinuere in Pſalmis Helleniſtæ , & Tobiæ XIII. 21. & in Apocalypſi aliquoties.

παντοίοις εὐωδεστάτοις ἄνθεσι κατεστεμμένοι, *omnigenis coronati floribus odoratis*] Miſturâ verſicolori. Vide Plinium XXI. 2. qui & *Ægyptias* ſpeciatim nominat *coronas.* Talibus uſi Antonius & Cleopatra, eodem teſte Plinio XXI. 3. Res frequens in gaudiis.

εἰς Πτολεμαΐδα τὴν ὀνομαζομένην διὰ τὴν τοῦ τόπου ἰδιότητα Ῥοδοφόρον, *in Ptolemaïda illam quæ ex loci ingenio dicebatur Roſifera*] Hæc eſt Ptolemaïs in Arſinoite Nomo, memorata Plinio & Ptolemæo, qui eam Ὅρμον [*Stationem*] cognominat. Ægyptus roſis celebrata apud Martialem.

πότον σωτήριον, *potum ob ſalutem adeptam*] Quod antè dixerat κώθωνα σωτήριον.

ἕως εἰς τὴν ἰδίαν οἰκείαν.] Meliùs Sixtina οἰκίαν [*ad domum usque propriam*].

καὶ ταύτας ἄγειν τὰς ἡμέρας, *& has dies celebrare*] In memoriam reditûs ſui domum.

ἐπὶ τὸν τῆς παροικίας αὐτῶν χρόνον, *per tempus incolatûs ſui*] Id eſt, quamdiu in Ægypto victuri eſſent. Vide quæ ſuprà diximus de diebus *Pachon* & *Epiphi* menſium.

Ἃς καὶ ἀνιερώσαντες ἐν τῇ στήλῃ, *Quas & in columna ſacrarunt*] *Dies illas, ut ſacras, columnæ inſcripſerunt.*

κατὰ τὸν τῆς συμποσίας τόπον, *in loco compotationis*] *In loco ubi illum* πότον [illam *potationem*] *fecerunt* σωτήριον [*ob ſalutem adeptam*].

προσευχῆς καθιδρύσαντες, *proſeuchis ibi conſtitutis*] Scribendum eſt προσευχάς. *Fecerunt ibi proſeuchas*, id eſt, oratoria. Iuvenalis Satyrâ III.

——— *In qua te quæro proſeucha.*

Vbi Scholiaſtes, *Locus Iudæorum ubi orant*. Poſſunt quidem & Synagogæ *proſeuchæ* dici generali notione. Alioqui ità diſtinguebantur, ut apud Chriſtianos ab *Eccleſiis* εὐχητήρια [*oratoria*], Novellâ CXXXI. 10.

πλείστην ἢ ἔμπροσθεν ἐν τοῖς ἐχθροῖς ἐξουσίαν ἐσχηκότες, *majorem quàm antè poteſtatem in inimicos conſecuti*] In illos defectores Legis uſi poteſtate tali quæ aliis terrorem incuteret.

ἐξ ἀπογραφῆς] *Ex inventario.* Solebant enim bona confiſcata referri in inventarium, ut & apud Romanos; & ex eo inventario reſtitui, ubi Princeps id juſſiſſet.

τὰ μεγαλεῖα τοῦ μεγίστου Θεοῦ ποιήσαντος τελείως ἐπὶ σωτηρίᾳ αὐτῶν. *quia Deus ad finem usque pro ipſorum ſalute res maximas effecerat*] *Deo continuante magna ſua ipſorum bono opera.*

Ἀμήν. *Amen*] Hæc eſt vox lectoris gratias Deo actas à Scriptore animo approbantis: 1 Paralipomenôn XVI. 36. Nehemiæ V. 13. VIII. 6. 1 Corinthiorum XIV. 16.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM,

Primus numerus, qui eſt Romanus, allegati libri caput exhibet; ſecundus, iſque vulgaris, capitis verſum notat; tertius numerus paginam adducit; a, b *columnas diſtinguit; poſtremus numerus lineam demonſtrat.*

A.

AARON ubinam mortuus ſit, *Deut.* X, 6. 86, a 38.
Abia qualis erat, II *Paralip.* XIII, 4. 183, a 25.
Abimelech quomodo occiſus fuerit, *Judic.* IX, 53. 113, a 11.
Abiſaï quomodo occiderit Abner, II *Regum* III, 30. 132, a 32.
Abra quid propriè ſignificet, *Judith.* VIII, 32. 582, b 27.
Abraham cur dictus amicus Dei, *Deut.* VI, 5. 85, a 46. quoties fuerit tentatus, *Geneſ.* XXII, 12. 16, a 53. *Ebræus* cur & à quibus dictus, *Ib.* XIV, 13. 12, a 34. quid unicè & præ cæteris agebat, *Malach.* II, 15. 569, a 54. Abrahami quodnam ſit proprium cognomentum, *Sapient.* X, 5. 599, b 7.
Abſalom quò fugerit poſt ſuum parricidium, II *Reg.* XIII, 37. 137, a 22. quale illius erat ingenium, *Ib.* XIV, 30. 137, b 4.
Abſides Ezechielis quales ſint, & quid per eas ſignificetur, *Ezech.* I, 18. 402, b 21.
Abſinthium miſcere melli quid ſit, *Sirach.* XVIII, 15. 644, b 31.
Abſtracta ponere pro concretis quibuſnam ſit frequens, *Eſaïæ* XLI, 2. 309, b 39.
Abyſſus quid, *Habac.* III, 10. 540, a 40, 42.
Achab propter quid in maxima inciderit mala, *Jerem.* IX, 23. 354, a 55. cur non ipſe judicaverit Naboth, III *Reg.* XXI, 8. 156, a 51. quàm impius fuerit, *Ib.* XVI, 25, 33. 153, a 31, 44. Dei dono victoriam nactus in quo peccârit, *Ib.* XX, 42. 156, a 24. ejus Domus propter quid everſa ſit, *Oſeæ* VII, 1. 493, b 21.
Achaz Deo diffiſus opem Aſſyriam muneribus ambibat, *Eſaïæ* VII, 12. 279, a 39. quid malitiæ Regum præcedentium addiderit, IV *Reg.* XVI, 4. 168, a 1.
Actio omnis injuſta quæ proprium nomen non habet, quomodo ab Hebræis vocetur, *Habac.* II, 9. 538, a 59. actiones hominis quales, I *Reg.* XXIV, 14. 128, a 43, ſeqq.
Adad quid erat apud Aſſyrios, *Eſa.* LXVI, 17. 341, b 52.
Adam quodnam habuerit dominium, *Sap.* II, 23. 591, a 55. quæ mors per eum intraverit in Mundum, *Ibid.* vers. 24. *lin. penult.*
Adeps & *ſanguis* quibuſnam in ſacrificiis Deo cedebant, *Eſa.* XXXIV, 6. 305, b 59. Adeps nocet ſtomacho, *Levit.* VII, 23. 62, b 15.
Aditus ad ſapientiam quis ſit, *Sirach.* I, 5. 611, a 21.
Adorare Latinis quid propriè, *Exod.* XX, 5. 41, b 27, 28.
Adramelech quid erat, IV *Reg.* XVII, 31. 169, a 52.
Adſeſſoris officium, *Eſai.* X, 1. 282, b 29, 30.
Advenæ quinam erant, & quandonam pari jure cum civibus agebant, II *Paral.* II, 17. 181, a 46.
Adverſa uni imputari, Judith. VII, 13. 581, b 37.
Adulator quomodo diſcernendus ſit ab amico, *Sirach.* VI, 10. 620, a 36. adulatoris præmium, *Prov.* XVI, 29. 252, a 55.
Adulterarum mores, *Prov.* VII, 10, ſeqq. p. 248, b 50, ſeqq. *Ezech.* XVI, 24, 25. p. 417, b 50, 51. & verſ. 32, 33. p. 418, a 53, ſeqq.
Adulterina ſoboles, *Sap.* III, 16, ſeqq. p. 592, b 1, ſeqq. ad honores non admittebatur, *Sap.* IV, 3. 593, a 15.
Adulterium etiam Gentibus turpiſſimum, *Gen.* XX, 9. 15, b 13. adulterii pœna apud Chaldæos, *Adject. Dan.* XIII, 1. 722, a 6. apud Hebræos, ac demum in Imperio Romano, *Exodi* XX, 13. 48, b 27, ſeqq.
Ædes ſacræ ut ſuum retineant ſtatum quis curare debeat, IV *Reg.* XII, 4. 165, a 27.
Ædificare Syris & Hebræis quid ſit, *Ezech.* XXVI, 14. 434, a 29.
Ægyptii cur ſuillâ carne abſtinebant, *Levit.* XI, 7. 63, a 56. quid ſummo Judici appendere ſoleant, *Exod.* XXVIII, 30. 56, a 29. à quorum animalium eſu abſtinebant, *Gen.* XLIII, 32. 24, a 21. inſtituta quænam illis propria, *Ib. lin.* 30. quid dicere ſoleant in Judæorum odium, *Deut.* VII, 2. 85, b 7, 8. quid ultimo cujuſque anni & menſis die obſervare ſoleant, *Eſa.* LXV, 11. 339, a 53. Ægyptiorum Regis inſolentia, *Ezech.* XXIX, 3. 439, b 16, 17, 29, ſeqq. Ægyptiarum mulierum fœcunditas, *Exodi* XII, 37. 31, a 54, ſeqq. Ægyptiis Septentrionalia quæ, *Gen.* XIII, 9. 11, b 34.
Ægyptus ex quo ſoleat deſcribi, *Oſeæ* XIV, 4. 503, a 56. quibuſnam maximè valebat, *Ezech.* XVII, 15. 421, a 11. à quibus idololatriam didicerit, *Gen.* XLVI, 34. 25, a 19, 21. an Joſephi tempore, *ibid.* cur *Rahab* dicta ſit, *Pſalm.* LXXXVII, 4. 237, b 18. Sethone mortuo in quot Reges diviſa ſit, *Eſa.* XIX, 1. 289, a 30. per quem facta fuerit provincia Populi Romani, *Dan.* VII, 11. 467, a 37. quandonam terrori fuerit Judæis, *Ezech.* XXXII, 32. 443, b 54. quonam tempore ſeditionibus belliſque Civilibus fuerit agitata, *ib.* XXIX, 17. 440, a 55, 62.
Ælia dicta quæ urbs, *Malach.* IV, 3. 571, b 49.
Ærarium ſub Domitiano quid, III *Regum* XXI, 19. 156, b 34.
Æs coronarium quodnam erat, I *Macc.* X, 29. 746, a 5. Æs quibuſnam naturaliter noceat, *Numer.* XXI, 8. 77, b ult. Æris celebritas ubinam ſit, *Ezech.* XXVII, 13. 436, a 5.
Æſculapii templis quid fieri ſolebat, *Eſa.* LXV, 4. 338, b 37.
Ætas adultior quænam ſit, *Gen.* XVII, 14. 14, a 27, 28. *Deut.* I, 39. 83, a pen. ætas militaris, *Deut.* II, 14. 83, b 19, 20. viripotens, *Deut.* XXII, 23. 97, b 30, 31.
Æthiopes quouſque venerint bellando, II *Par.* XIV, 9. 183, a 57. quid in ſuis Regibus amabant, I *Reg.* IX, 2. 122, b 21.
Æthiopum bellum in Aſſyrios quandiu duraverit, *Eſa.* XX, 3. 290, a 60, 61.
Affabilitas, *Sirach.* VI, 5. 620, a 11, 12.
Affectus cunctis flagrantior quis ſit, II *Reg.* XI, 4. 135, a 53.
Agag quorumnam Regum ſit nomen, *Num.* XXIV, 7. 79, a 5.
Ager quis erat immunis à decima, I *Maccab.* X, 31. 746, b 9, 10. ager Romæ quis, quando, venditus, *Jer.* XXXII, 8. 377, b 52, ſeqq. agri poſterorum Saülis cur fuerint confiſcati, II *Reg.* IX, 7. 134, b 27. *agrum ſuum ſerere diverſo ſemine* quid ſit, *Levit.* XIX, 19. 67, a 39, 42.
Agmen in Iſraëlitarum exercitu quot Tribuum erat, *Num.* X, 15. 74, a 27.
Agmina ſagittifera quænam erant, *Pſalm.* LXVIII, 31. 234, b 19.
Agnum locutum fuiſſe quis aſſerat, *Numer.* XXII, 22. 78, b 6.
Agon Olympicus cur *Quinquennalis* dictus, II *Macc.* IV, 18. 767, b 44.
Ἀγορανόμοι quot erant, II *Macc.* III, 4. 765, b 54.
Agricola à quo inſtitui docerique ſoleat, *Eſa.* XXVIII, 26. 299, b 7. quid cavere ſoleat, *Ibid.* vers. 28, *lin.* 31.
Agrippa Rex impius qualem habuerit interitum, II *Par.* XXI, 15. 186, a 3, 7.
Agrippina Neronis mater qualis erat, IV *Reg.* XI, 1. 164, a 13.
Alæ quid ſignificent ſecundùm Hebræos, *Eſa.* VIII, 8. 280, b 5. alæ ventorum, *Oſeæ* IV, 19. 491, a 29, ſeqq.
Alexander Magnus cùm Judæis conceſſit ſuis uti legibus, addidit Septimi anni immunitatem, *Levit.* XXV, 4. 70, b 13. quam à Deo receperit felicitatem, *Eſa.* XLV, 1, 2. 316, a 3, 7. Alexander M. Fulmini comparatus, *Nahum.* II, 4. 533, a 20. cur idem Pardo aſſimiletur, *Dan.* VII, 6. 466, a 49, ſeqq. ejus IV ſummi Duces, *ib.* b 1. filii ac fratres quales, *Dan.* VIII, 8. 470, a 21, ſeqq. XI, 4. 476, a 57, 58.
Alexandria quomodo dicta fuerit olim, *Nahum.* III, 8. 534, a 49. Alexandriam quot hominum genera inhabitabant, III *Macc.* p. 792, a 41, 42.
Alexandrini quid ultimo cujuſque anni & menſis die obſervare ſoleant, *Eſa.* LXV, 11. 339, a 53.
Alexius Manuelis filius à quo fuerit occiſus, I *Macc.* XIII, 31. 755, b 47, 50.
Algerii urbis nomen ſub Romanis quod, *Ezech.* XXI, 21. 426, a 27, 28.
Alienigena interdum is qui non eſt ex ſtirpe Aaronis, *Sirach.* XLV, 16. 701, a ult.
Alimenta homini ſoli propria, quæ, *Geneſ.* I, 29. 2, a 23.
Alloquia, Sap. VIII, 9. 598, a 24, 25.
Altaria quæ erant ſupra tecta, ad cujus rei cultum, IV *Reg.* XXIII, 12. 173, b 35. altaria in domibus privatis, *Jud.* XVII, 5. 116, a 6.
Alyattæ bellum contra Mileſios, *Jud.* VI, 4. 111, a 13, ſeqq.
Aman qualis erat, *Eſther.* V, 13. 201, a 23. ex quibuſnam Regibus erat ortus, *Eſth.* III, 1. 199, b 15.
Amaſias quid fecerit contra interdictum Prophetæ Azariæ, II *Par.* XXV, 6. 186, b 32.
Amatores quomodo ſuas adire ſolebant amicas, *Ezech.* XXIII, 12. 429, a 41.
Ambulantibus in via lubrica, nocte quid ſoleat accidere, *Jer.* XXIII, 12. 368, a 43.
Americæ pars Peruana cur ita ab Hiſpanis dicatur, II *Par.* III, 7. 181, b 25.
Amiantus lapis quali ſit natura, *Sap.* IV, 2. 593, a 3.

Amicitia quænam ſit firma & individua, *Ruth.* i, 16. 117, a 44. amicitia vera; ficta, *Prov.* xvi, 29. 252, a 55. xvii, 17. 252, b 38. *Eccleſ.* vii, 4. 262, a 4. *Sirach.* vi, 7, ſeqq. p. 620, a 24, ſeqq. xii, 8. 633, b 13. xxxvii, 1. 683, b 10. perfecta, *Prov.* xiv, 9. 250, b 18. quomodo colenda, *Prov.* xxv, 17. 256, a 18, ſeqq.

Amictus lineus quorumnam erat ornatus, *Dan.* x, 5. 474, b 24.

Amiculum aureum Jovis Olympii quanti ponderis erat, *Eſa.* xxx, 22. 302, a 9.

Amicus in rebus adverſis quomodo appareat, *Prov.* xvii, 17. 252, b 40.

Ammonitæ unde Judæorum erant cognati, *Ezech.* xvi, 45. 419, a 14. vitium illis proprium, *Ibid.* verſ. 49, a 34, 35.

Ammonitarum urbs princeps quænam erat, *Ezech.* xxi, 19. 425, b 41. xxv, 5. 432, b 11. *Dan.* xi, 41. 483, a 60. Ammonitis ante Moabitidem vaſtata à Chaldæis, *Ezech.* xxv, 10. 432, b 53.

Amor Terræ & Ætheris, *Oſeæ* ii, 21. 488, b 25. amor ex ſola forma conceptus qualis ſit, ii *Reg.* xiii, 2. 136, a 61. amoris Chriſti erga Eccleſiam typus, *Cant.* 1. p. 267, a 50, 57.

Amorrhæi qualis erant ſtaturæ, *Amoſi* ii, 9. 510, b 45. quem Deum antè colebant, *Num.* xxi, 14. 78, a 13. Amorrhæorum Regni portio olim *Cenereth*, Amoſi ii, 9. 510, b 45.

Amri quale malum fecerit in conſpectu Domini, iii *Reg.* xvi, 25. 153, a 31, 32.

Amygdala quonam menſe floreat, *Jerem.* i, 12. 343, a 55.

Anamelech quid erat, iv *Reg.* xvii, 31. 169, a 54.

Ancillæ Oppidula & Vici, *Nahum.* ii, 7. 533, a 46.

Angariator quale opus exerceat, *Job* xxxix, 7. 217, b 57.

Angelus à facie Dei quis erat, *Eſa.* lxiii, 9. 336, a 60. Angelus in Apocalypſi cur à ſe ſignum reverentiæ amoverit, *Exodi* xx, 3. 37, a 60, 61. Gabriel Prophetis mittebatur, *Zach.* i, 9. 548, b 12. *Angelus Domini* qui adſcendit de Galgalis quis erat, *Jud.* ii, 1. 110, a 10. *Angelus Domini* quomodo Gedeoni apparuerit, *Jud.* vi, 12. 111, a 44. Angelus Inſpector, *Eccleſ.* v, 5. 260, b antep. *Angelus Teſtamenti* quiſnam erat futurus, *Malach.* iii, 1. 570, a 3, 6. Angelum Moſi & Populo locutum, non Secundam Dei Hypoſtaſin, *Exodi* xx, 1. 35, a 9, 10, ſeqq. Angeli Templorum cuſtodes, *Zach.* ix, 8. 555, b 45. Angeli aërei & ignei tam boni quàm mali quomodo vocentur, *Pſal.* civ, 4. 240, a 8. Angeli boni miniſtrantes, & mali machinantes, quomodo ſoleant exprimi, *Job.* i, 6. 203, a 38. Angeli (boni) apparitores, *Exodi* xx, 1. 35, a 29, 30. Angeli cur hominum ſpecie ſoleant apparere, *Dan.* viii, 15. 470, b antep. quomodo homines appellent, *Ibid.* vers. 17. 471, a 15. cur nomine *ſtellarum* appellentur, *Jud.* v, 20. 110, b 51. Angeli minores à quibuſnam inſtruantur, *Ezech.* x, 6. 411, b 54. Angeli poſsíntne Dei proprietates intueri, *Ezech.* i, 22. 402, b 50. Angelos preces hominum ad Deum, & Dei mandata ad homines deferre, *Malach.* ii, 7. 568, b 6. quot modis ſint hominum Advocati, *Job.* xxxiii, 23. 214, a 41. Angelos habere corpora, ſed ſubtiliſſima, quinam docuerint & crediderint, *Pſalm.* civ, 4. 240, a 10. Angelici Hæretici qui, *Exod.* xx, 3. 38, a 10. *Angulus agri non metendus* quis erat, *Levit.* xix, 9. 66, b 50, 51.

Anima quid ſit ſecundùm Varronem, *Sap.* ii, 2. 590, a 24. anima incredula cur *Salis columnæ* comparetur, *Sap.* x, 7. 599, b 43. anima quænam dicatur *gigantea*, *Sirach.* xxiii, 5. 655, a 43. animæ ſedes quæ ſit, *Levit.* xvii, 11. 65, b 40, 58. animam eſſe immortalem creditum veteribus Hebræis, unde colligatur, *Joſ.* vii, 19. 105, a 11. *animam percutere* quid ſit, *Jer.* xl, 14. 384, a 39. animarum præexſiſtentia quibus credita, *Sap.* viii, 19, 20. p. 598, a 46, ſeqq.

Animal mutum cur pretio redimebatur, homo verò minimè, *Lev.* xxiv, 18. 70, a 59. animal quod in Oriente ſacrum erat Soli, iv *Reg.* xxiii, 11. 173, b 28, 29. animalia diis dicata apud Græcos quomodo vocabantur, *Jud.* xi, 37. 114, a 40.

Animantia num ſicut homo ſpiritum habeant à Deo, *Gen.* ii, 7. 2, b 16. animantium mors, *Sap.* i, 13. 589, b 10. animantia quandonam inceperint animantibus veſci, *Gen.* i, 30. 2, a 27. animantibus non licebat veſci ante Diluvium, *Gen.* iv, 3. 6, b 26.

Animus quibus malis dicatur lacerari, *Eſa.* lvii, 21. 329, b 7. animi fortis ſignum quodnam ſit ſecundùm Ariſtotelem, *Gen.* xxv, 20. 18, a 13. animi fortes quibus placentur, *Iud.* viii, 2. 112, a 27.

Annæ matris Samuelis votum quando fuerit ratum, i *Reg.* i, 11. 119, b 21.

Annalium munus præcipuum, *Neh.* iii, 5. 194, a 42, 43.

Annibal poplites ſuccîdit Romanis, ii *Reg.* viii, 4. 134, a 28.

Annuli ad mira perpetranda quinam erant, *Gen.* xxxv, 4. 21, a 31.

Annus Sabbaticus quis erat, i *Macc.* vi, 49. 738, a 40. anni per quos in Terra Judæa Prophetam egerit Jeremias quot ſint, *Jer.* i, 2. 343, a 22.

Anthylla urbs in quid dabatur à Rege Perſarum ſuis uxoribus, *Eſth.* ii, 18. 199, a 40.

Antiochus Magnus cuinam Cleopatram ſuam filiam in matrimonium collocârit, *Dan.* ii, 43. 456, b 47.

Antiochus Illuſtris, Rex impius, qualem habuerit interitum, ii *Par.* xxi, 15. 186, a 6. cujuſnam erat inſtrumentum, *Judith.* pag. 578, b 53. Antiochus, *Deus* à ſuis dictus, quas duxerit uxores, *Dan.* ii, 43. 456, b 42. Antiochus Rex Syriæ, Alexandri Balæ filius, quomodo & à quo fuerit occiſus, i *Macc.* xiii, 31. 755, b 42.

Antiochiæ urbes quot ſint ita dictæ, ii *Macc.* iv, 33. 768, b antep.

Anus libidinoſæ, *Ezech.* xxiii, 43. 430, b 19, ſeqq.

Apis quibuſnam erat numen, *Eſa.* xix, 1. 289, a 40. Apidis veneratio apud Ægyptios unde orta, *Gen.* xlix, 6. 26, a 21, 24.

Apparitor an debeat fugere qui reum reſiſtentem occiderit, *Exodi* xxi, 12. 52, b 31. apparitores cuinam officio præerant, i *Par.* xxvi, 29. 180, a 20. apparitores Magiſtratuum & Judiciorum exſecutores ex quibuſnam ſumebantur, ii *Par.* xix, 11. 185, a 49.

Appetitus quomodo à Chriſtianis debellentur, *Deut.* vii, 22. 85, b 39.

Appii Clodii quale fuerit ingenium apud Romanos, iii *Reg.* xii, 11. 150, b 26.

Approbatores ſuæ ſententiæ quinam facilè inveniant, *Eſth.* i, 10. 198, a 56.

Aqua quæ egreſſa eſt ex percuſſione Virgæ quid myſticè ſignificet, *Num.* xx, 11. 77, b 14, 15. aquæ cur ſub Terra eſſe dicantur, *Exod.* xx, 4. 33, b 51. quænam erant mundæ, *Lev.* xi, 34. 63, b 31. *aquas de fontibus Salvatoris in gaudio haurire* quid ſit, *Eſa.* xii, 3. 285, a 25.

Ara & *Arii*, i *Par.* v, 26. 176, b 37, 49.

Arabia quomodo ſoleat vocari ab Hebræis, *Job.* p. 203, a 27.

Arabes quâ re erant celebres, *Jer.* xlix, 7. 392, b 7. quomodo ab iis vocentur *loca viridia*, Judith. i, 8. 579, a 32. quâ in arte fuerint egregii, *Baruch.* iii, 23. 716, b 18. Arabum ſumma exſecratio quæ, *Jer.* iii, 1. 346, a 34, 35.

Arandum cur *non* erat *in bove ſimul & aſino*, Deut. xxii, 10. 97, a 56.

Arbor vitæ Paradiſi qualem vim habebat, *Prov.* iii, 18. 247, b 40. *arbores juſtitiæ* quinam dicantur, *Eſa.* lxi, 3. 334, a 39. *arbores ſtillantes oleum in ampullas* quid ſignificabant, *Zach.* iv, 3. 551, a 6.

Arca Teſtamenti Domini cur in caſtra afferri ſolebat, *Jer.* iii, 16. 346, b 60. in quo agmine erat, *Joſ.* iv, 11. 104, a 54. quomodo figuratè ab Hebræis appellabatur, ii *Reg.* vi, 2. 133, a 13. quarum imaginum præſtiterit vicem, *Exod.* xxv, 16. 55, a 35. quandonam deſierit eſſe in Silo, *Jud.* xviii, 30. 116, a 58, 60. Arcam capi ab hoſtibus cur Deus permiſerit, *Jer.* vii, 12. 351, a pen.

Arcanum retentum, *Sirach.* xix, 10. 646, b 55.

Ardeliones, *Sirach.* xi, 10. 631, a 17, 18.

Arferia, aqua, ii *Reg.* viii, 5. 134, 39.

Argentum quandonam eviluerit, iii *Regum* x, 21. 149, a 19.

Argyraſpides quinam erant, i *Macc.* vi, 39. 737, b 62, 63, ſeqq.

Ariel quale nomen erat, *Eſa.* xxix, 1. 299, b 47.

Aries quid ſecundùm Perſas ſignificet, *Dan.* viii, 3. 469, b 3. *arietibus* quid ſignificetur, *Ezech.* iv, 2. 405, b 14.

Ariopharnis Regis Thracum judicium de tribus ſe filios Cimmeriorum Regis dicentibus, iii *Reg.* iii, 24. 145, b 24, ſeqq.

Ariſtoteles quid de Angelis cenſuerit, *Pſalm* civ, 4. 240, a 10, 12. quoto ætatis anno vult viros ſe ad conjugium applicare, *Gen.* xxv, 20. 17, b antep.

Arma ab hoſtibus capta ubinam ponebantur, i *Reg.* xxxi, 10. 130, b 39. arma Davidis quouſque ſint prolata, *Pſalm.* lx, 1. 232, b 23, 24. arma ferentes in Decem Tribubus quot erant, iii *Reg.* xix, 18. 155, a 24.

Armamentarium Domûs Saltûs quodnam erat, *Eſa.* xxii, 8. 292, a 22, 25.

Armaturæ multarum gentium diverſæ, ii *Macc.* xv, 21. 788, a 55.

Armenius Rex cuinam Regi paruerit, *Ezech.* xxvi, 7. 433, b 31.

Armilla quid ſit, *Job.* xl, 21. 219, a 53.

Ar-Moab quid ſit, *Eſa.* xv, 1. 286, b 3.

Armus victimæ quibuſnam ex lege cedebat, *Malach.* ii, 3. 568, a 22. cujuſnam ſolebat eſſe portio, i *Reg.* ix, 24. 122, b ult.

Aromata unde ſic dicta, *Exod.* xxx, 1. 56, b 41.

Artaxerxes nomen commune, *Tob.* xiv, 13. 578, b 41, ſeqq.

Aſima Hirci formâ cultus quibus, *Exod.* xx, 3. 37, a 36, 37.

Aſinus pacis animal, *Zach.* ix, 9. 556, a 41.

Aſmodæus Dæmonum Rex, *Tob.* iii, 8. 574, b 53.

Aſſyrius cur *onager ſibi paſcens* dicatur, *Oſeæ* viii, 9. 495, a pen.

Aſſyrii quomodo epulari ſolebant, *Ezech.* xxiii, 41. 430, a 59. quaſnam imagines venerabantur, *Eſa.* xxiv, 21. 295, a ult. Aſſyriorum exercitus cuinam rei comparetur, *Eſa.* xxxiii, 23. 305, b 2. Aſſyriorum Imperium in quot partes diviſum ſit, *Eſa.* xi, 15. 284, b pen.

Aſtaroth quid erat, & à quibus colebatur, *Jud.* ii, 13. 110, a 24, 32.

Aſtronomiæ ſtudium, *Sap.* vii, 18, 19. p. 596, b 40, ſeqq. viii, 8. 598, a 18.

Aſylum apud Græcos ubinam erat, i *Maccab.*

I Maccab. x, 43. 747, b 24. aſyla, *Numer.* xxxv, 6. 81, b 59. quandonam non patebant advenis, *Exod.* xxi, 12. 52, b 36.
Athalia mater Ochoſiæ qualis erat, iv *Regum* xi, 1. 164, a 11.
Atticorum quondam plaga, i *Reg.* vi, 11. 121, b 10, 11.
Attonſi Lacones, quomodo, *Nahum.* i, 12. 532, a 56.
Avaritiæ malum, *Prov.* xv, 27. 251, b 5, ſeqq. *Habac.* ii, 6. 538, a 22, ſeqq. Avaritiâ quinam populi maximè laborarint, *Eſa.* lvii, 17. 319, a 37.
Avarus injuſtus, *Sirach.* x, 9. 628, a 47. xxxi, 5. 673, a 52.
Auctoritas ſpectatorum virorum quantum valeat, *Joſ.* xxiv, 31. 109, b 6, 10.
Averſandi formula, *Dan.* iv, 16. 460, b 12.
Auguſta privilegiorum Principis particeps, *Eſth. Addit.* xv, 13. 587, b 50, 51.
Auguſtus pro Deo vivus habitus, *Dan.* vi, 7. 464, a 23, 25.
Aviditatis egregia deſcriptio, *Eccleſ.* iv, 8. 260, b 10.
Avis Ægyptia quænam ſit, *Oſeæ* xi, 11. 500, a 15. aves vetitæ Judæis quænam erant, *Levit.* xi, 13. 63, b 24.
Aula, Aulici: ſtatus & ingenia, *Gen.* xii, 11. 11, b 6, 7. ii *Reg.* x, 3. 134, b 52. *Eſa.* xxxii, 1. 303, a 39, 40. *Jer.* xxxix, 17. 383, b 25. *Sirach.* xiii, 13. 635, a 33.
Aula mores transfundit, *Sirach.* x, 2. 627, b 33, 41. ad Aulam quomodo ſit accedendum, *Sirach.* xiii, 13. 635, a 36. Aulici quomodo de rebus Divinis loqui ſoleant, ii *Macc.* xv, 5. 787, a 60. Aulicorum lubricus ſtatus, *Eſth.* vii, 8. 201, b 30. Aulicus pius, *Jer.* xxxviii, 7. 382, a 52. Aulicus tacere & loqui gnarus, *Nehem.* ii, 12. 194, a 20.
Aures binas cur nobis Deus dederit, *Sirach.* v, 13. 619, a 15.
Auroræ filius quis ſit ſecundùm Græcos, *Eſa.* xiv, 12. 285, b 59.
Aurum coronarium quodnam erat, i *Maccab.* x, 29. 745, b ult.
Auri fertilitas ubinam ſit maxima, *Jer.* x, 9. 355, a 20.
Auſter quomodo vocetur ab Hebræis, *Job.* xxiii, 8. 210, b 13.
Azarias cur à Domino percuſſus, & leproſus factus, iv *Reg.* xv, 5. 167, b 6.
Azyma quid ſignificabant, *Exod.* xii, 15. 31, a 20.

B.

BABYLON vetus ubinam ſita erat, *Eſa.* xiii, 2. 285, a 54. cur dicatur *Filia latronis*, *Micchæ.* v, 1. 526, b 57. cur dicatur *Mons*, & cur *Mons peſtifer*, Jer. li, 25. 397, a 59. ex quot urbibus conſtabat, *Ibid.* vers. 43. 398, b 33. cur tota fumare videbatur, *Ezech.* xvii, 4. 420, a 38. quandonam ſit à Medis capta, *Eſa.* xxi, 2. 290, b 42, 44. quot muris circumdabatur, *Jer.* li, 58. 399, b 2.
Babylonis fabrica à quibus Semiramidi adſcripta, *Gen.* xi, 9. 11, a 19.
Babylonii quid conſecrare diis ſuis ſolebant, *Dan.* i, 8. 454, a 39.
Bajazetes Turcarum Imperator quomodo fuerit à Tamerlano exceptus, *Jud.* i, 7. 109, b 17.
Balſamum quæ terra ſola ferat, *Exodi* xx, 12. 48, a 3, 4.
Baltazaris regnum cur tam breve fuerit, *Dan.* v, 27. 463, a 45.
Baptiſmus quibuſnam verbis fuerit prædictus, *Ezech.* xxxvi, 25. 447, a 3, 6.
Barbam radere quorumnam ſacerdotum ſit mos, *Lev.* xix, 27. 68, a 10. *Barbam vellere* quid hoc ſignificet, *Eſa.* l, 6. 321, b 18.
Barbarorum corpora cur rectiora Romanorum. *Ezech.* xvi, 4. 416, b 16, ſeqq.
Barbarorum ope uti quid cogat, iv *Regum* viii, 2. 162, a 27.
Baſan quomodo vocetur à Chaldæis, *Nahum.* i, 4. 531, b 47.
Batavi *fratres Romanorum*, i *Macc.* x, 18. 745, b 22, 23.
Batus quid erat, *Eſa.* v, 10. 277, b 45.
Beatitudinem in voluptate ſenſuum poſitam non primus dixit Epicurus, *Eccl.* ii, 1. 259, a 50.
Beelzebub à quibus colebatur ut Deus, & quinam eum deridiculi cauſâ *Dominum muſcarum* vocabant, iv *Reg.* i, 2. 158, a 7.
Beelſephon idolum ad quid erat, & propter quid colebatur, *Exodi* xiv, 2. 32, a 10.
Bel quid olim fuerit, & in quid conſecratus, *Baruch.* vi, 40. 719, b 49, 52.
Bellerophon à quo & quomodo fuerit occiſus, ii *Reg.* xi, 14. 135, a ult.
Belli commercia, ii *Reg.* iii, 14. 132, a 2, 3. belli fortuna quomodo diſpenſetur, *Judic.* xi, 27. 113, b 45, ſeqq. belli juſtæ cauſæ apud Hebræos quænam cenſebantur, *Deut.* xx, 10. 95, a 27. belli leges, *Deut.* xx, 1, ſeqq. p. 94, b 56, ſeqq. i *Par.* v, 21. 176, b 32, 33. captâ urbe, *Joſ.* ii, 19. 104, a 11, 12. captivos non reddi niſi id pace convenerit, i *Macc.* ix, 70. 745, a 11, 12. belli ſumma cuinam concredita ſit Abſalomo mortuo, ii *Regum* xix, 13. 141, a 9. bello duo neceſſaria, quæ, *Eſa.* xxxvi, 5. 307, a 22. bello cultus Dei perit, *Nahum.* i, 14. 532, b 19, 20. bello quænam acquirantur, *Numer.* xxi, 25. 78, a 38, 39. bello injuſto quà Deum nihil acquiri, *Jer.* xlix, 1. 392, a 18, 19, ſeqq. *bella Dei* quænam dicebantur, i *Reg.* xvii, 47. 126, a 47. bella Civilia ſæpe unius ſanguine tranſiguntur, ii *Reg.* xvii, 3. 139, b 3. bellorum Civilium qualia ſoleant eſſe initia, *Jud.* ix, 25. 112, b 58.
Belus quibuſnam erat Deus, *Vide* Bel. quàm impotens erga ſuos cultores fuerit, *Dan.* iii, 96. 459, a 59.
Beneficentia cur in pios omni modo, etiam contra Regum edicta, ſit exercenda, iii *Reg.* xviii, 4. 153, b 47.
Beneficia Dei prima ſine meritis contingere, *Deut.* ix, 5. 86, a 16. quid fuerint Judæis, & quid nobis ſint, *ibid.* beneficia quæ Deus pollicitus Chriſtianis, *Ier.* xxxi, 33. 376, b 53, 55. beneficia quinam Reges multa in Populum Judaïcum & Templum Hieroſolym. contulerint, *Eſa.* xlix, 23. 320, b 45. beneficia ſtultorum cur fructu careant, *Sirach.* xx, 13. 649, a 60.
Berenice Ptolemæi Philadelphi filia à quo fuerit trucidata, *Dan.* xi, 6. 477, b 30.
Berzillajus in quem fuerit liberalis, ii *Regum* xvii, 29. 140, a 26.
Beſſus quo ſupplicio fuerit affectus Alexandri Magni juſſu, *Dan.* ii, 5 455, a 26.
Beſtiis omnis agri quinam intelligantur, *Eſa.* lvi, 9. 327, a 48.
Bethel in quorum Regum erat ditione, iv *Reg.* xxiii, 4. 173, a 49.
Bethſabea qualis erat femina, ii *Reg.* xi, 4. 135, a 51. cur non fruſtrà in Chriſti genealogia nominetur, *Ibid.* vers. 27, b 29.
Bethſabeæ nomen quale fuerit apud feminas, ii *Reg.* xv, 1. 137, b 33.
Bethſura ubi ſita erat, i *Macc.* iv, 61. 734, a 2.
Blanditiæ muliebres, *Iud.* xiv, 15. 114, b 50. blanditiæ malæ, *Eccleſ.* v, 5. 260, b 56.
Blaſphemia quomodo puniebatur, *Deuter.* xiii, 9. 87, a 39, 46. & vers. 15. b 20.
Bonitas Dei erga quos ſe ſoleat aperire, *Eſa.* xxxii, 16. 304, a 21.
Bonum hominis in hoc Mundo quodnam ſit, *Eccleſ.* ii, 24. 259, b 29.
Bona quænam ſint *ἀδιάφορα*, quænam minimè, *Ier.* xlix, 1. 391, a 6.
Bos arator, *Exodi* xv, 10. 46, a 54. bos cornu petere ſolitus, *Exodi* xxi, 29. 53, a 30.
Bos cur erat in Ephraimi vexillo, *Geneſ.* xlix, 6. 26, a 16. Bovem quinam ſemper magni fecerint, *Ezech.* x, 14. 412, a 49. bovem locutum fuiſſe quinam aſſerant, *Num.* xxii, 22. 78, b 7.
Boſra urbs à quo capta & incenſa ſit, *Eſa.* lxiii, 1. 335, b 5.
Bruchus quid denotet, *Ioël.* ii, 25. 507, a 26. quodnam animalis genus ſit, *Ier.* li, 14. 397, a 42.
Brutiani quinam erant, & unde ſic dicti, *Ioſ.* ix, 23. 106, a 7.
Bubaſtis quibuſnam erat numen, *Eſa.* xix, 1. 289, a 40.
Buccina in quo differat à *tuba*, *Oſeæ* v, 8. 491, b 34.

C.

CABALISTARUM inſtitutum apud Hebræos, *Exodi* xx, 3. 38, a 10, 11, 12, ſeqq.
Cædes quibuſnam ſacrificiis ſoleat comparari, *Eſa.* xxxiv, 6. 305, b 59.
Cæſar quam felicitatem à Deo receperit, *Eſa.* xlv, 1, 2. 316, a 3, 7.
Cæſareæ in Mauritania hodiernum nomen, *Ezech.* xxi, 21. 426, a 26, 27.
Caligo pro quo ponatur apud Hebræos, *Eſa.* viii, 20. 281, a 26.
Calix ſalutis quis ſit, *Pſalm.* cxvi, 13. 242, a 4.
Callirrhoë fons ubi, qualis, *Ezech.* xlvii, 12. 452, b 1, ſeqq.
Calor qualis proſit maximè Senibus, iii *Reg.* i, 2. 143, a 19.
Calvitium ſibi ob mortuos *inducere* quibuſnam in more, quibus verò minimè, *Michæ.* i, 16. 523, b 12. *Calvitium* in quo erat vetitum, *Eſa.* xxii, 12. 292, a 59.
Calumnia, ii *Reg.* xvi, 3. 138, b 28. omni telo nocentior, *Ier.* ix, 3. 353, b 20. calumniæ quomodo refutandæ, *Nehem.* vi, 3. 195, a 27.
Canis & Hyæna quanto ſeſe odio proſequantur, *Sirach.* xiii, 22. 635, b 45.
Canis quàm vile Hebræis erat animal, *Eſa.* lxvi, 3. 340, b 38.
Canones quomodo vocentur apud Chriſtianos, *Lev.* xviii, 30. 66, b 30.
Canticum Canticorum ad quid ſenſu allegorico pertineat, *Prov.* xxii, 20. 255, a 16. ejus lectio quibuſnam erat prohibita, *Cant.* i, 267, a 48.
Canticum ad molam, *Ier.* xxv, 10. 369, b 47.
Capillus promiſſus cujus rei nota erat, *Iudic.* xiii, 5. 114, b 9.
Captivitas juſti quæ ſit, *Eſa.* xlix, 24. 321, a 13.
Captivi an, & quando, reddantur, i *Maccab.* ix, 70. 745, a 11. quomodo ſe habebant aut à victoribus ducebantur, *Eſa.* xx, 2. 290, a 56, 57. captivorum multitudo gravis & periculoſa, *Ier.* xli, 15. 384, b 51. captivarum pudicitia, *Eſa.* lxvi, 21. 342, b 25, 26. captivis parcendum, iv *Reg.* vi, 22. 161, a 36, ſeqq.
Caput calcare quænam ſit nota, *Gen.* iii, 15. 5, a 29.
Cardinales quo titulo Judæi inſigniant, *Pſalmo* lxviii, 32. 234, b 29, ſeqq.
Carmina Solomonis quot & qualia erant, iii *Reg.* iv, 32. 146, a 54.
Caro, *Deut.* xiv, 26. 87, b 59, 60. *Carnem cum ſanguine comedere* quid ſit, *Geneſ.* ix, 4. 9, b 46.
Caſtella & vici quomodo vocentur ab Hebræis, *Num.* xxi, 25. 78, a 36.

Caſtitas pro Dei cultu, I *Macc.* XIV, 36. 758, b 3, 4.
Caſtra cuſtodientes, I *Reg.* XXX, 24. 130, a 38, ſeqq.
Catena ferrea quid ſignificet, *Jer.* XXVIII, 13. 373, a 24.
Cavenda, quæ, quot, *Eccl.* X, 1. 265, a 8, 9. *Sirach.* XII, 10. 633, b 33. XXIII, 6. 655, b 1, 2.
Cedris, Libani quinam intelligantur, *Eſa.* II, 13. 275, b 45.
Celeritas per quid in Scriptura ſignificetur, *Eſa.* LXVI, 15. 341, b 12.
Celtiberiæ inſulæ cur à Græcis dictæ *Caſſiterides*, *Ezech.* XXVII, 12. 435, b 42.
Cenotaphia Pythagoricorum quibus exſtrui ſolita, *Sirach.* XXII, 13. 653, a 57. 58.
Centuriones Romæ quid Imperatoribus dicere ſolebant, *Ezech.* IX, 11. 411, a 59.
Centuriones quot erant apud Hebræos, *Exodi* XVIII, 21. 33, a 20.
Ceremonias Templi regere quorumnam erat, *Zach.* III, 7. 550, a 57.
Chaldæi quomodo epulari ſolebant, *Ezech.* XXIII, 41. 430, a 59. quam artem callebant, *Eſa.* XLIV, 25. 315, b 22. XLVII, 10. 318, b 23, ſeqq. *Jer.* L, 35. 395, b 48, 49.
Chamaam Rus cur ita dictum, *Jer.* XLI, 17. 384, b 58, ſeqq.
Chamos quid Moabitis erat, *Jer.* XLVIII, 7. 389, b 9.
Chananæi cur in montibus pernoctabant, *Eſa.* LVII, 7. 328, a 56.
Chananæorum quiſnam mos fuerit primitus, *Ezech.* XVI. 45. 419, a 3.
Cherubini quid erant, *Exod.* XXV, 18. 55, a 37. III *Reg.* VII, 29. 147, a antep. *Ezech.* X, 14. 412, a 46—57.
Chiliarchæ quot erant apud Hebræos, *Exodi* XVIII, 21. 33, a 19.
Chriſtiani cur invicem *fratres ſororeſque* vocentur, *Tob.* V, 26. 576, a 7, 9. à quibuſnam omnium calamitatum publicarum facti ſint rei, IV *Reg.* VI, 31. 161, b 31. quid in excommunicationibus ſint ſecuti, *Jud.* XX, 23. 116, b 60. intra quos limites debeant in omni obſequio eſſe ſubditi Principibus & Magiſtratibus, IV *Reg.* XVI, 11. 168, a 33. priſci pro quibuſnam orabant, *Lev.* XVI, 24. 65, a 36. cur ad Orientem verſi orent, *Geneſ.* XII, 8. 11, a 59. quid in Dei honorem interimere debeant, *Lev.* III, 5. 61, a pen. quomodo facilè Diabolo reſiſtant & eum ſuperent, *Gen.* III, 15. 5, a 37. in quo gloriari debeant, *Ier.* IX, 24. 354, a 59, 60. quibus utantur verbis de Reſurrectione, *Iob.* XIX, 25. 208, b 42, 46. ſoli innocentes, *Exodi* XX, 17. 50, a ult.
Chriſtianorum Eccleſia qualis fuerit in Vrbe Hieroſolymorum poſt ejus excidium, *Malach.* IV, 3. 571, b 48. Chriſtianorum mos vetus jejunii tempore quis erat, *Dan.* X, 3. 474, b 5.
Chriſtus quibus verbis prædictus, *Zachar.* IX, 9. 555, b 59, ſeqq. XII, 10. 561, b 16, 22, 32. clarè, *Malach.* III, 1. 570, a 3. *vide* Meſſias. quorumnam cuſtos, & quænam ſtudia inter Angelos exſtinxerit, *Dan.* X, 21. 475, b 39, 42, 44. quem Spiritum impetret in ſe credentibus, *Malach.* IV, 2. 571, b 32. quoſnam numeros ſervarit in ſuorum Miniſtrorum delectu, *Exodi* XV, 27. 32, b 10. ex quonam monte in regiam ſuam adſcenderit, judicia in Judæos exerciturus, *Ezech.* XI, 23. 413, b 31, 32, 34. Chriſti figuram quis geſſerit, *Eſa.* LXII, 1. 334, b 55. Chriſti typus quis Princeps fuerit, *Oſeæ* I, 11. 487, a 35. *junge* Meſſias.
Chronici canones incerti, III *Reg.* VI, 1. 146, b 62, ſeqq.
Chryſolithus qualis ſit coloris, *Ezechiel.* XXVIII, 13. 438, b 11.
Chuſai quiſnam fuerit, *Pſalmo* VII, 1. 222, b 48.
Chutæi quomodo Deum colebant, *Eſdræ* IV, 3. 191, a 36.
Cibus Dei ſuper altare offertur, Malach. I, 7. 567, a 6, 9, 17. *Cibus Domini* quis ſit, *Num.* XV, 4. 75, b 24.
Ciconiarum exemplum, *Exodi* XX, 12. 47, b 7.
Cidaris quid ſit, *Exodi* XXVIII, 4. 55, b 55.
Cingulum urbis Munimenta, *Eſa.* XXIII, 10. 294, a 39, 40.
Cippus carceris apud Hebræos qualis, *Jer.* XX, 2. 364, b 6, 11.
Circumciſio cur de die fieri ſolita, & à quibus peragi poterat, à quibus minimè, *Gen.* XVII, 12. 14, a 15, 17. Circumciſionis mos quibuſnam mirus videbatur, *Exodi* IV, 26. 29, a 24.
Civium officium quodnam ſit, IV *Reg.* VII, 9. 162, a 5.
Civitas quænam dicebatur *Vinea optimi vini*, Eſa. XXVII, 2. 297, a 38. *Civitas piorum* quæ ſit, III *Maccab.* p. 792, b 52. civitatis publica ſalus unde ægrotet, *Prov.* XI, 10. 249, b 20.
Claudii judicium de femina ſuum filium non agnoſcente, III *Reg.* III, 24. 145, b 36.
Claves pro quo ſumantur apud Hebræos, *Eſa.* XXII, 24. 293, a 37.
Clementia Divina Jechoniæ tempore in quo apparuerit, *Baruch.* II, 27. 715, b 13.
Cleopatra cur dicta *Femina feminarum*, *Dan.* XI, 17. 479, a 22.
Clientes Regum majorum, *Oſeæ* X, 6. 498, a 14, ſeqq.
Cœlibatûs feminis indicti exemplum, *Judic.* XI, 30. 114, a 27.
Cœlum cœlorum quodnam ſit, *Deut.* X, 14. 86, a 54. *Cœli columnæ* quænam ſint, *Iob.* XXVI, 11. 211, b 3. Cœli & Terræ quis ſit ornatus, *Gen.* II, 2. 2, a 44.
Cœnaculum pro contignatione, *Gen.* VI, 16. 9, a 4.
Cœtus qualis erat numerus, *Num.* XVI, 2. 76, a 31.
Cognitio de vero aut falſo Propheta ad Synedrium pertinebat, *Deut.* XVIII, 22. 94, a 54. cur ſoli Synedrio permiſſa, *Deut.* XVII, 12. 91, a 32. cognitio de criminibus ad quoſnam ſpectabat, *Deut.* XVII, 5. 88, b 58.
Colles idololatriæ ſacrati ubinam erant, *Eſa.* XV, 2. 286, b 17.
Colloquia prava, *Sap.* IV, 12. 593, b 43.
Colonus partiarius, II *Reg.* IX, 10. 134, b 33, 34.
Color ſacris proprius apud omnes gentes quis ſit, *Lev.* XVI, 4. 64, b 51.
Colores in Iride quid ſignificent, *Gen.* IX, 13. 10, b 6. colores quatuor qui erant in Velis quorum erant imagines, *Exodi* XXV, 4. 55, a 22.
Coluber cur facilè caveri poſſit, *Eſa.* XIV, 29. 286, a 34.
Columba ubinam ſoleat ſibi nidum ſtruere, *Jer.* XLVIII, 28. 390, b 23. quibuſnam in terræ partibus ſit frequentiſſima, *Oſeæ* XI, 11. 500, a 19. *Columbam mutam* cur ſe vocet David, *Pſalm.* LVI, 1. 232, a 47. Columbæ apud quas gentes erant ſacræ, & cuinam deæ dicatæ, *Jer.* XXV, 38. 371, a 35.
Comam alere quodnam erat ſignum, *Num.* VI, 5. 73, b 1. *comam radere* in luctu ob mortuos, cur Judæis vetitum, *Eſdræ* IX, 3. 192, b 55, 60. comas quinam ſuas diis ſacrabant, *Num.* VI, 18. 73, b 18. *comas vellere*, lacerare, laniare, quorumnam mos erat, *Eſdræ* IX, 3. 192, b 55.
Comedere animam cum carnibus quid ſit, *Gen.* IX, 4. 10, a 10.
Comitiorum materia, III *Reg.* XX, 7. 155, b 12. I *Par.* XIII, 1, 2. p. 178, a 30, ſeqq.
Commemorationes quænam fieri ſolebant in Synagogis, *Sirach.* XLIV, p. 698, b 42.
Compediti quinam dicantur, *Pſalmo* CXLVI, 7, 8. 246, b 3.
Conceptus, II *Reg.* XI, 4. 135, a 48.
Concordiæ veræ fundamentum quodnam ſit, *Deut.* XXIX, 18. 101, a 26.
Concubina qualis ſit apud Hebræos, *Geneſ.* XXV, 1. 17, b 30. *Concubina* quomodo diſtabat à *Matrona*, *Jud.* VIII, 31. 112, a 57.
Concubinatus quo tempore non erat vetitus, *Jud.* VIII, 31. 112, a 57.
Concubitus qua ætate intelligatur ſecundùm Hebræos, *Deut.* XXII, 23. 97, b 30.
Concupiſcendum alieni nec minimum, & quare, *Exodi* XX, 17. 50, b 63, ſeqq. *Concupiſcentiæ* vox quàm latè Hebræis uſurpetur, *Habac.* II, 9. 538, a 59, 60.
Concuſſio, *Levit.* VI, 2. 62, a 46.
Confeſſio delicti apud Hebræos qualis erat, *Lev.* V, 4. 61, b 59. confeſſio generalis peccatorum quandonam fiebat, *Pſalmo* XXXII, 1. 227, b 43. confeſſio qualis erat in Exſilio, *Dan.* IX, 20. 472, b 54, 55, 56.
Conjugium maritale ad quid inſtitutum ſecundùm Ciceronem, *Gen.* II, 18. 3, b 44. conjugia apud Hebræos quænam prohibita, *Deut.* XXI, 11. 95, b 49, 55.
Conjuges quomodo ſeſe vocabant apud Hebræos, *Tob.* V, 26. 576, a 7.
Conopeum, *Iudith.* X, 19. 583, b 45, 46.
Conſcientia mala, *Sirach.* XIV, 9. 637, a 25, ſeqq. non ſinit eſſe fortem, *Sap.* XVII, 10. 607, a 20, ſeqq.
Conſiliarius ſibi quiſque optimus, *Sirach.* XXXVII, 17. 684, a ult. conſiliarii ſunto pauci, *Sirach.* VI, 6. 620, a 18, ſeqq. à quibus conſiliariis cavendum, *Sirach.* XXXVII, 7, ſeqq. p. 683, b 37, ſeqq.
Conſiliarius Status vir ſapiens, *Prov.* XIII, 20. 250, a 51. *Sap.* VI, 26. 595, b 47. Legum & Hiſtoriarum peritus, II *Par.* XVII, 7. 184, b 38, 39. *Sirach.* VIII, 12. 625, b 30, 31. longo rerum uſu & ætate provectus, III *Reg.* XII, 6. 150, a 18, ſeqq. *Sirach.* XXV, 6. 661, a 18-35. Conſiliarii dignitas, *Sirach.* X, 5. 627, b 59-63.
Conſilium quod per Chriſtum ejuſque Legatos plenè exſecutus eſt Deus, *Malach.* I, 11. 567, b 3, 6, 9. conſilium malum, *Eccleſ.* X, 8. 265, a 45, 46. conſiliorum Dei & Regum differentia, *Tob.* XII, 7. 577, b 48, 49. conſiliorum ſalus, *Prov.* XX, 18. 254, a 39-51. *Sap.* VI, 26. 595, b 48-50.
Conſtantia in agendo unde, *Sirach.* XXII, 19. 653, b 38-43.
Conſtantii Chlori factum notatu digniſſimum, III *Maccab.* p. 799, b 53.
Conſtitutio prudens ut reperiri poſſint qui caſtra cuſtodiant, I *Reg.* XXX, 24. 130, a 38.
Contemtus ſigna quæ, *Ier.* XVIII, 16. 363, a 42, 47.
Contractus apud Hebræos ubinam ſcribi ſoleant, *Pſalmo* XL, 9. 230, a 24.
Contraria, *Sirach.* XLII, 25. 696, b 6. ſe mutuò commendant, *Ibid. verſu* 26. b 19.
Contribuendi ratio, IV *Reg.* XV, 20. 167, b 32.
Conventus veri Dei colendi causâ in quo populo frequentabantur Davidis tempore, *Pſalm.* LXVIII, 11. 233, b 49.
Converſatio cum quibus inſtituenda, *Prov.* XIII, 20. 250, a 55. *Sirach.* XXXVII, 15. 684, a 47. quomodo continuanda, *Prov.* XXV, 17. 256, a 23. *Sirach.* XX, 13. 649, a 58 (alibi, *Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci*). Converſatio felix, quæ, *Dan.* VI, 5. 464, a 3.

Conver-

Converſiones rerum quibuſnam ſignis portendi ſoleant, *Ioel.* ii, 30. 507, b 1.

Convivæ quales, ubi, *Sophon.* i, 7. 541, b 11, 16. Convivialia præcepta, *Sirach.* xxxi, 12. 673, b 51, 52, 53.

Convivium apud Romanos *chariſtia* dictum inter quos erat, i *Reg.* xx, 6. 126, b 43. convivia ad quid ſint apta, iii *Regum* i, 9. 143, b 21. convivia ex ſymbolis, *Sirach.* xxxii, 1. 675, b 10.

Cor ſimum quinam dicantur *aggravare*, Pſalmo iv, 3. 222, a 30. *cordis parietes* quinam ſint, *Ier.* iv, 18, 19. 348, a 11.

Corduini montes, *Gen.* viii, 4. 9, a 51, 52.

Corpus animam prægravat, Sap. ix, 15. 599, a 4, 5. *corpus curvare* qualenam ſignum, *Eſa.* lx, 14. 333, a 43. corpora rectiora unde, *Ezech.* xvi, 4. 416, b 16, ſeqq. Corpora tria prima quænam, *Gen.* i, 3. 1, a 42

Correptio fraterna quando facienda, *Sirach.* xix, 28. 648, b 7.

Crater Semiramidis cujuſnam erat ponderis, *Dan.* viii, 3. 469, b 19.

Crimina ex voluptatis deſiderio venientia graviora iis quæ ex ira, *Exodi* xx, 13. 48, b 5. *crimina patrum* propter quæ Deus filiis iniquitatem reddet in tertiam, &c. quænam ſint, *Exodi* xxxiv, 7. 58, b 20. crimina quænam ſpectabant ad Synedrium, *Deut.* xvii, 5. 88, b antep. criminum capitalium venia quomodo impetrari à Deo credita Hebræis, *Ioſ.* vii, 19. 105, a 14.

Crucis myſterium, *Sap.* ii, 22. 591, a 42, ſeqq.

Cubile deceptum quid ſit, *Iudith.* ix, 2. 583, a 17.

Culpa qualis *prava dare conſilia*, Deut. xxvii, 18. 100, a 46, 51.

Cultus Dei primus apud Iſraëlitas in tentorio, *Ezech.* xxiii, 4. 428, b 38. cultus Dei quomodo vocetur ab Hebræis, *Amoſi* viii, 14. 517, a 18. cultus quo Deus non vult coli quis ſit, *Eſa.* xxix, 13. 300, a 59. cultus veri Dei penes quas nationes olim fuerit, *Amoſi* ix, 12. 517, b 63, ſeqq. cultûs unius Dei philtrum, *Exodi* xx, 3. 39, a 9, 10. *Deut.* xxix, 18. 101, a 26. *Ruth.* i, 16. 117, a 44. ſeqq.

Cupiditas fons malorum, *Exodi* xx, 17. 51, b 39, 40. cujus tres rivuli, *Ibid.*

Cura Regum magnitudine digna, *Eſth.* vi, 3. 201, a 51. cura quænam propriè erat Sacerdotum apud Hebræos, *Lev.* x, 11. 63, a 27.

Curioſitas fugienda in rebus Divinis, *Prov.* xxv, 2. 255, b, 39 ſeqq. *Sirach.* iii, 22, 23. 614, b 49. & verſ. 24. 615, a 27, 30, ſeqq. in arcanis Principum, *Prov.* xxv, 3. 256, a 3, ſeqq. in ſermonibus aliorum, *Eccleſ.* vii, 22. 262, b 9, 10.

Currus regius quomodo vocabatur, i *Reg.* xxvi, 5. 128, b 55.

Cuſtodes magnorum pomariorum ubinam excubare ſolebant, *Pſalmo* lxxix, 2. 236, b 26. *Cuſtodes terræ* quinam dicendi, *Eſa.* xxi, 11. 291, a 52.

Cyprus ubinam ſita ſit, ii *Macc.* x, 13. 778, a 42. cujus ditionis, *eod.* xii, 2. 781, a 24.

Cyrus & ejus Succeſſores quibuſnam Regibus imperârint, *Ezech.* xxvi, 7. 433, b 31. devictâ Aſiâ quot pondo invenerit, *Eſa.* xlv, 3. 316, a 16. *Dan.* viii, 3. 469, b 15. quid ſignificet Perſis, *Eſa.* xlv, 3. 316, a 26. quandonam unicum eſſe Deum didicerit, *Ibid.* verſ. 5. lin. 40. ejus mores, *Ibid.* verſ. 8. lin. 60. poſt quem Babylone regnârit, *Dan.* vi, 28. 465, a 56. cur *Dei ſervus* dictus ſit, *Dan.* vii, 13. 467, b 8.

D.

DÆMON malus ſub Angeli ſpecie apparens, *Exodi* xx, 3. 37, b 15, 16.

Dæmones anguiformes, tauriformes, &c. *Exodi* xx, 3. 37, a 31, 32. Dæmones res quæ longiſſimo itinerum intervallo gerebantur, eod. momento alibi præſentes exhibuiſſe, & quas, *Ezech.* xxiv, 2. 430, b 60, ſeqq.

Dagon quid erat, *Jud.* xvi, 23. 115, b 29. quali erat formâ, i *Macc.* x, 83. 749, a 27.

Damaſcus à quo capta, à quo & cur exciſa, *Eſa.* xvii, 1. 288, a 19.

Daniel cur pane vinoque regio abſtinuerit, *Dan.* i, 8. 454, a 37. ejus ſcientia quanta erat, *Dan.* p. 453, a 7. propter quid liberatus fuerit de ore leonum, *Dan.* vi, 23. 465, a 34.

Darius Medus quomodo vocabatur antequam Rex fieret, *Dan.* v, 31. 463, b 9, 13.

Darius Perſarum Rex quem patrem & quam matrem habuerit, *Eſther.* i, 1. 198, a 17.

David quantus, & qualis, i *Reg.* p. 119, a 26. quot annis regnârit, iii *Reg.* vi, 1. 146, b 53. cur interfuerit funeri Abner, cùm non ſolerent Reges intereſſe funeribus, ii *Reg.* iii, 31. 132, a 35. quomodo vicerit univerſas Tribus Iſraël, *Eod.* v, 1. 132, b 16. quandonam de tota pietatis via deceſſerit, iii *Reg.* xv, 5. 152, a 31. cur ſe vocet *columbam mutam*, Pſalmo lvi, 1. 232, a 47. illius arma quouſque ſint prolata, *Pſalmo* lx, 1. 232, b 22. in qua urbe ſolus ſepultus ſit, *Levit.* xix, 30. 68, a 46, 48. fugiens Abſalomum à quo fuerit receptus, ii *Regum* xvii, 29. 140, a 15, 26. Davidi quid datum ſit unctione quam à Samuele recepit, i *Reg.* xvi, 13. 125, b 15. Davidis poſteritas per quot annos Regnum poſſederit, ii *Reg.* vii, 13. 133, b 28.

Debora mulier quali dono donata ſit, *Ezech.* xiii, 17. 515, a 17.

Decalogi Explicatio, *Exodi* xx, 1—17. p. 34. (b 26) adusque p. 51.

Decima quæ dicitur *decimarum conſummatio*, quænam ſit, *Deut.* xiv, 29. 87, b antep. quænam dabatur Levitis, & quæ Sacerdotibus, *Num.* xviii, 27. 77, a 3. decimæ quibuſnam dabantur, *Malach.* iii, 8, 10. 570, b 43. & p. 571, a 4. quando dabantur Levitis quinam adeſſe debebant, *Nehem.* x, 38. 196, b 35. quotuplices erant, *Tob.* i, 7. 573, b 2. num vendi poſſent aut redimi, *Levit.* xxvii, 31. 72, b 10. quibuſnam jure dari debeant. *Sirach.* xxxv, 11. 681, a 41.

Decreta Dei non omnia eſſe abſolutè definita, ſed multa conditionem in ſe continere, i *Reg.* ii, 30. 120, b 13. *decretorum obſignatio* quid apud Hebræos, *Eſa.* lv, 6. 326, a 54.

Decuriones quot erant apud Hebræos, *Exodi* xviii, 21. 33, a 22.

Dedendi formula, iv *Reg.* xvi, 7. 168, a 16, ſeqq. dedere noxæ, *Judic.* xx, 13. 116, b 50.

Delatores falſi apud Deum non audiuntur, *Iobi* xiii, 16. 206, a 43.

Delphica quid, i *Macc.* xi, 58. 751, b 20, ſeqq.

Delus propter quid clariſſima ſit, i *Macc.* xv, 23. 760, a 38.

Demetrius cujuſnam fuerit filius, *Dan.* vii, 8. 466, b 40. quot millia nummorum ad victimas dederit, *Zach.* xiv, 20. 565, b 26. quomodo fuerit occiſus in prælio, i *Macc.* x, 50. 748, a 11.

Demoſthenis arma quænam erant, *Dan.* x, 20. 475, b 16.

Dentium mundities pro quo ponebatur, *Eſa.* iii, 26. 277, a 5.

Denuntiatio ubinam requiratur, *Joſ.* xxii, 16. 108, b 16.

Deſideriorum motus ſimul atque ſentiuntur, reprimendi, *Exodi* xx, 17. 50, a 51, 52. & p. 51, b 25, ſeqq.

Devotæ urbes, quæ, à queis, *Ioſ.* vi, 26. 104, b 38—55.

Deus cur hoc Univerſum ſex diebus creaverit, cùm potuiſſet citiùs, *Exodi* xx, 10. 46, b 44, 45. Deus quibuſnam modis ſuſtineat cœlum, *Pſalmo* civ, 2. 240, a 2, ſeqq. quibus ſignis oſtendere ſoleat quàm cari ſibi ſint ſancti etiam mortui, iv *Reg.* xiii, 21. 166, a 53, ſeqq. quæ dona Saüli dederit, i *Reg.* x, 9. 123, a 44. adverſus quos utatur malis hominibus, iii *Reg.* xvi, 12. 153, a 1. quam infligat pœnam contumacibus populis, *Ibid.* verſ. 21. lin. 19. quibuſnam & quomodo coli velit, i *Par.* xxviii, 9. 180, b 16. qualibus decretis agat cum hominibus, *Ibid.* lin. 28. quid dicatur *facere*, i *Par.* xxix, 18. 181, a 2. quanto largior ſit in benefaciendo quàm in puniendo, *Exodi* xx, 6. 34, a 4. & p. 43, b 42, ſeqq. in Sinaï locutus Patribus, *Pſalmo* lxii, 12. 233, a 4. volens vim ſuam eximiè oſtendere per quid operetur, *Num.* xxi, 8. 78, a 1. cur permittat homines ferino more inter ſe vivere, *Eccleſ.* iii, 18. 260, a 28. quomodo deſignabat eos quos ſui populi Principes fieri vellet, *Ioſ.* iii, 7. 104, a 29. per quid ſæpe voluntatem ſuam ſignificârit, *Lev.* xix, 26. 67, b 42. quibus miniſtris uſus ſit ad puniendos Iſraelitas, *Iud.* iii, 3. 110, a 56. quomodo pavorem ſuis hoſtibus immittat, *Iud.* vii, 13. 111, b ult. cur dicatur *Redemtor* ante Chriſti Incarnationem, *Iob.* xix, 25. 208, b 56. quoſnam magis ac magis illuſtret, *Pſalmo* xxv, 5. 226, b ult. per quid apparuerit Moſi, *Exodi* iv, 27. 29, a 28. quid mittat eis quos corrigere vult, *Exodi* viii, 15. 30, a 9. quomodo *indurare* dicatur, *Iobi* xxxiii, 29. 214, a antep. poſt quot annos vindictam exercuerit in Ægyptios, *Exodi* xii, 40. 31, b 26, 30. quantam pro Davide habuerit curam, i *Reg.* xxii, 5. 127, b 24. quomodo ſe oſtendat & naturæ artificem & ejuſdem mutatorem, iii *Reg.* xvii, 4. 153, b 11. ducto pœnitentiâ populo ſuo ignoſcit, *Deut.* iv, 29. 85, a 4. quomodo agat cum hominibus & eorum voluntates moveat, *Deut.* v, 29. 85, a 37. quibus homines tentare ſoleat, *Deut.* viii, 2. 85, b 44. quid à nobis petat, *Deut.* x, 12. 86, a 46. cur injuriam Moſis ulciſcendam crediderit, *Num.* xii, 3. 75, a 1. quid Iſraelitis abſtulerit poſt Vituli cultum, *Exodi* xxiii, 20. 54, b 19, 22. quomodo & quoties in die laudabatur, *Nehem.* ix, 3. 196, a 4. quot modis ſe teſtatum fecerit in Templo, ii *Par.* vii, 1. 182, a 10. quibuſnam excæcet mentem, ii *Par.* xxv, 20. 186, b 50. an ſtatim confitentibus remittat peccata, *Iud.* x, 14. 113, a 45. ubi nova ſit inſtituenda Religio quibuſnam rebus uti ſoleat, iii *Reg.* xviii, 24. 154, a 49. per quos regnet, i *Reg.* viii, 7. 122, a 29.

Deus Iſraelis quomodo vocabatur à Gentibus, iii *Reg.* v, 7. 146, b 25. quorumnam imprecationes ſoleat implere, *Iud.* ix, 20. 112, b 45. cujus rei miniſterio ſæpe magna efficiat, *Ruth.* i, 1. 117, a 27. ubi vult ſuam vim apparere qualibus utatur hominibus, *Iud.* vi, 15. 111, a 49. quæ peccata parentum puniat in filiis uſque in tertiam generationem, *Exodi* xxxiv, 7. 58, b 20. quibuſnam contentus erat in Lege victimali, *Lev.* i, 1. 60, a 11. cur nolebat Reges Iſraelis in ſuum Regnum multos equos accerſere, & cur nolebat Iſraelitas in Ægypto habitare, *Deut.* xvii, 16. 91, b 9, 14. cur graviter peccata Sacerdotum puniat, i *Reg.* ii, 17. 120, a 35. cur impietatem ferre non poſſit, *Eſa.* lxiii, 10. 336, b 23. ubinam ſuum Templum collocaverat, quod *tentorii* nomine appellat, *Ezech.* xxiii, 4. 428. b 41. Deus quomodo & in quo spolietur suo jure, *Malach.* iii, 8. 570. b 55. quomodo castigârit Judæos, *Esa.* xxvii, 7. 297, b 11, 19. quomodo nobis cognoscendus, *Jer.* ix, 24. 354, a 59. quorum sit pars, *Esa.* lxi, 7. 334, b 2. quomodo Populum sibi parentem tutatus sit, & unde ejecerit deos lapideos, *Esa.* v, 2. 277, b 5. 8. cur dictus sit impiis favere, *Malach.* ii, 17. 569, b 23. per quid sæpe significârit minas suas omnibus Jacobi posteris, *Esa.* ix, 8. 282, a 18. cur Israelitarum pœnis non fuerit satiatus, *Ibid.* vers. 13. *lin.* 53. ut habeatur placidus & amicus quid agendum, *Esa.* lxvi, 1. 340, a 56. quo sensu dicatur *pœnitere*, Jer. xviii, 7. 363, a 5. quam felicitatem præstiterit Alexandro Magno & Cæsari, *Esa.* xlv, 1, 2. 316, a 3, 7. quandonam dicatur *exire de cælo*, Michææ i, 3. 522, a 43.

Deus Bethel & deus Dan quales erant, *Amosi* viii, 14. 517, a 9, 10, 11. Deus belli apud Phœnices, *Dan.* xi, 38. 482, b 14. Deus quis erat qui inter deos Chaldæorum principatum tenebat, *Baruch.* vi, 40. 719, b 49, 53.

Deus cur pœnam de hominibus sumere non festinet, *Sirach.* xviii, 9. 644, a 48. Deus cur sæpius suum differat auxilium, *Esa.* xxx, 18. 301, b 50. in quosnam sua promissa impleat, *Dan.* ix, 4. 472, a 50. cur diu ante Christi nativitatem Judæos Prophetis carere voluerit, *Aggæ.* p. 545, a 19. quomodo agat adversus Reges qui longis monitis non se correxerint, *Sirach.* x, 11, 12. 628, b 32. cur voluerit ut diu Sacerdotium magnum in Phineæ familia maneret, *Sirach.* xlv, 28. 702, a 48. quandonam dicatur *avertere vultum*, Sirach. xviii, 24. 645, a 50. cur ab Hebræis sæpissime vocetur *Sanctus*, Sirach. iv, 15. 616, b 34.

Dei dominium in res omnes liberrimum quo significetur, *Iobi* xlii, 8. 220, b 28. ejus majestas per quid conspiciatur, *Adj. Dan.* xii, 60. 721, b 28. ejus decreta quomodo soleant exprimi, *Iobi* i, 6. 203, a 37. ejus potentiam & beneficia quinam agnoscant, *Sirach.* xvii, 25. 643, a pen. ejus judicia per quid figurabantur, *Ezech.* viii, 2. 409, b 34, 37. ejus judicia quomodo exprimi soleant à Scriptura, *Esa.* xxvi, 21. 297, a 12. ejus proprietates an Angeli intueri possint, *Ezech.* i, 22. 402, b 50. ejus tentationes quò tendant, *Deut.* viii, 16. 86, a 1. ejus bonitas quanta sit permittere de suis actionibus judicium hominibus, *Esa.* v, 3. 277, b 24. ejus *equi* quinam, *Habac.* iii, 8. 540, a 19. ejus *tentorium* quodnam sit, *Iobi* xxxvi, 29. 216, a 48. ejus *filii* quinam dicantur, & quinam *primogeniti*, Psalmo ii, 7. 221, b 38, 42. ejus vindicta cur à Prophetis *convivio* soleat comparari, *Esa.* xxv, 6. 295, b 54. ejus clementia Jechoniæ temporibus in quo apparuerit, *Baruch.* ii, 27. 715, b 13. ejus præsidium per quid ab Hebræis significetur, *Esa.* iv, 5. 277, a 38. ejus *vultu* & *tergo* quid significetur, *Exodi* xxxiii, 18. 57, b 41. non esse curiosè quærendum post ejus opera, *Ibid.* vers. 22. 58, a 36. ejus misericordia quomodo *stillare* dicatur, ii *Macc.* viii, 27. 775, b 24.

Dei nomen polluere quid sit, *Levit.* xx, 3. 68, b 24. ejus *semen* quodnam sit, *Oseæ* ii, 22. 488, b 35. ejus dominium in omnes Mundi partes quibus significabatur, *Exod.* xxix, 24. 56, b 23, 26.

Deo devota in usus privatos vertere quale malum sit, *Zach.* vi, 14. 553, a 19. Deo dicata ut rectè administrentur cui curæ esse debeat, ii *Par.* xxxi, 13. 188, b 39. Deo quid maximè displiceat, & quid ei maximè placeat, ii *Par.* xxxii, 26. 188, b 54. Deo Judæorum quinam ex Regibus Paganis obtulerint victimas, *Esdræ* i, 2. 190, a 30. Deo per Idoli nomen maledicentes quomodo puniebantur, *Deut.* xiii, 9. 87, a 39, 46.

Deum esse quænam ostendant, *Sap.* xiii, 9. 603, a 1. Deum esse unum etiam Reges Pagani profiteri coacti sunt, *Esdræ* i, 2. 190, a 18. eum *cognoscere* quinam dicantur, *Jer.* xxxi, 16. 366, b 19. eum quinam *tentent*, Sap. i, 2. 589, a 7. eum *sanctificare* quid sit, *Num.* xx, 12. 77, b 17. Deum Mosi & Populo per Angelum locutum, *Exodi* xx, 1. 35, a 4, seqq. *Deum odisse* quid, *Exodi* xx, 5. 43, b 39. Deum velle suo jure fraudare in opulentia, quale peccatum, ii *Reg.* xxiv, 1. 142, b 26, 28.

Deorum summus quis erat Assyriis, *Jud.* ii, 1. 110, a 20. Deorum primus apud Babylonios quis erat, *Jer.* l, 2. 394, a 15, 17. Deorum falsorum nomen cur pronuntiare Judæis non erat permissum, *Exodi* xxiii, 13. 54, a 53. Deorum nomina ubinam describi solebant, *Jerem.* xvii, 1. 361, b 42, 48.

Devotionis signum quodnam erat, iii *Reg.* xx, 26. 155, b 52.

Dextra, Sinistra, quæ, *Gen.* xiii, 9. 11, b 29, 30, seqq. quid significent, *Jonæ* iv, 11. 522, b 9, 10.

Diabolus an coactus dicat aliquando veritatem, i *Reg.* xxviii, 17. 129, b 42. quandonam ex insidiis agat, *Gen.* iii, 15. 5, a 48. Diaboli instrumentum, *Judith.* p. 578, b 53.

Diaconi ferentes orarium in Ecclesia unde, *Exodi* xxiv, 16. 55, a 10.

Diagoras Melius atheus, *Ionæ* i, 7. 520, a 20.

Dialectices studium, *Sap.* viii, 8. 598, a 15.

Diaria, iv *Reg.* xxv, 30. 175, b 21.

Dibon quid erat, *Esa.* xv, 2. 286, b 12, 17.

Dictum quod omnia Legis præcepta continet, secundum Hebræos, *Habac.* ii, 4. 537, b 43, 54. Dictum vetus imprimis utile Principibus, ii *Reg.* xvi, 3. 138, b 20.

Dies quinam apud Hebræos vocentur *boni*, Zachar. viii, 19. 554, b 39. dies fratres, qui, quare, *Exodi* xx, 8. 45, a 32, 33. Dies Mardochaïca, *Esth. Addit.* x, 13. 586, b 35, 36. dies jejunii à Deo anniversarii instituti, *Zach.* vii, 3. 553, a pen. dies læti, & quibus vetitum erat jejunare, quinam erant Israelitis, *Judith.* viii, 6. 582, a 30. dies nuptiales quot erant tempore Tobiæ, *Tob.* viii, 23. 577, a 27. dierum festorum nomen apud Babylonios quodnam erat, *Jer.* xxv, 26. 370, b 21.

Diffamator virginis quantum peccet, *Deut.* xxii, 29. 97, b 46.

Dii prohibebunt hæc, Esdræ i, 5. 190, b 7—9.

Dirigere gressus quid sit, & cujusnam sit, *Ier.* x, 23. 355, b 52.

Disciplina ecclesiastica Christianorum & Judæorum quàm convenerint, *Dan.* vii, 27. 468, b 49, 50, seqq.

Discipuli ubinam sedebant ut jus discerent, *Deut.* xvi, 18. 88, b 31.

Discordia summa per quid exprimi soleat, *Sirach.* xiii, 21. 635, b 31.

Discrimen inter filios Core & Dathan, *Num.* xxvi, 10. 79, b 48, 51.

Discriminare & *discriminale*, Judith. x, 3. 583, a 44, 45.

Dissimulatio quibus necessaria, *Proverb.* xxix, 11. 257, a 12.

Divinatio per virgas, *Ezech.* xxi, 21. 425, b 46, seqq.

Divites qui semper promittunt, & nihil dant unquam quomodo vocentur à Græcis, *Sirach.* xxv, 4. 660, b 58.

Divitiæ sub Euangelio, *Sap.* vii, 11. 596, b 19, 20. divitiæ virtutis instrumentum, *Sirach.* x, 34. 630, a 39, seqq.

Diurna Alexandri M. iv Reg. xx, 20. 172, a 56.

Dius quarumnam gentium sit mensis, ii *Macc.* xi, 21. 780, a 5.

Doctor quibus ornari debeat, *Exodi* xxviii, 30. 56, a 27.

Doctrina vera cur *potui* & *cibo* comparetur, *Esa.* lv, 1. 326, a 5.

Documentum egregium Regibus circa bene Instituta, sed non necessaria, iv *Reg.* xviii, 4. 169, b 26.

Dolor & ira quid generent, *Jer.* xxv, 16. 370, a 19, 20.

Dolorem suum testari super peccatis populi piis convenit, *Joel.* ii, 17. 506, b 23.

Dolus in hostem, iv *Reg.* vi, 19. 161, a 29.

Dominantes quinam sint secundum Hebræos, *Deut.* xi, 17. 86, b 6.

Dominatus Regum qualis erat initio apud Judæos, i *Reg.* viii, 11. 122, a 37, 48.

Dominatum ambientes quid agere soleant, ii *Reg.* xv, 5. 138, a 3.

Domus rarò fuit tranquilla duas uxores habentibus, i *Reg.* i, 6. 119. b 5. *Domus laci* quænam, *Ier.* xxxvii, 15. 381, b 51. *Domus Oceani* quænam sint, *Genes.* i, 4. 1, a 49. Domus *regia* apud Hebræos quæ erat, *Genes.* xiv, 18. 12, b 1.

Dorsum quinam *durum* habere dicantur, *Baruch.* ii, 33. 715, b 36.

Duce cæso animos militum labascere, i *Macc.* vii, 44. 740, a 29, 30. Duces castrorum per quid significentur, *Ezech.* iv, 2. 405, b 13. Duces providi quibusnam crebrò uti soleant, i *Reg.* xxiii, 22. 128, a 26. Duces summi post Alexandrum quinam erant, *Dan.* vii, 6. 466, b 1. Duces egregii ad Euangelium quinam fuerint, *Ier.* vii, 9. 351, a 39.

E.

Ebrietas *membra solvens*, Sirach. xxxi, 30. 674, a 40. *operta recludens*, Sirach. xxxi, 31. 674, b 51—53—60. *in prælia trudens inermes*, *Ibid.* vers. 38 & 40. p. 675, a 25—48.

Ecclesiæ typus quis sit, *Malach.* i, 3. 566, a 10, 25. Ecclesiæ sedes perpetuò mansura, *Dan.* ii, 44. 457, a 5. Ecclesiæ Patres posse aliquid præcipere ad vitandas mali occasiones, & ad virtutum adminicula, *Ier.* xxxv, 6. 380, b 24.

Educatio prava, *Sap.* iii, 12. 592, a 18—22.

Efficacia per quid à Scriptura significetur, *Esa.* lxvi, 15. 341, b 12.

Effundere spiritum suum super aliquem quid sit secundum Hebræos, *Ezech.* xxxix, 29. 450, b 40.

Egestas urbe Hierosolymorum obsessâ, quandiu durârit, *Ezech.* iv, 8. 406, a 19.

Elephas quodnam morbi genus non sentiat, *Iobi* xl, 11. 218, b 46. ejus clementia, *Ibid.* vers. 15. 219, a 10.

Elephantes ubinam frequentes sint, *Ezech.* xxvii, 15. 436, a 39. quibus modis acuebantur in prælium, & assuefiebant in prælio sanguinem conspicere, i *Macc.* vi, 34. 737, a 50, 55. eorum sanguis qualis sit, *Ier.* xiv, 6. 359, a 12.

Elias Thesbites qualis erat, iii *Reg.* xvii, 1. 153, a 54. cur præcipiente Rege non descenderit de monte, iv *Reg.* i, 9. 158, a 33. à qua re sibi cavere monitus sit, iii *Reg.* xix, 12. 154, b 54, 60.

Elisæus quæ mira fecerit, *Sirach.* xlviii, 15. 707, b 16.

Eloquentia regina, *Prov.* xvi, 21. 252, a 47.

Elymaïs quid sit apud Græcos, i *Macc.* vi, 1. 736, a 26.

Emath urbs ubi sita, *Amosi* vi, 15. 515, a 32. à quo à quo Regno Judæ adjecta, IV *Reg.* XIV, 28. 167, a 29.

Emmanuel quid ſignificet, *Eſa.* VII, 14. 279, a 47.

Emoræi, i. Amorrhæi, quem quondam Deum colebant, *Num.* XXI, 14. 78, a 13.

Emphyteuſis, *Gen.* XLVII, 26. 25, a 54.

Encauſtum pictorum quomodo fiebat, II *Macc.* II, 30. 765, a 25.

Engaddi ubi ſit, *Ezech.* XLVII, 10. 452, a 51.

Engalim ubinam ſit, *eodem.*

Ephod cujuſnam erat nota, *Oſeæ* III, 4. 489, a 41.

Epiſcopus, *Nehem.* XI, 22. 196, b 60, ſeqq. Epiſcopus cur in Apocalypſi dicatur *Angelus*, Malach. II, 7. 568, b 6, 8, 11. Epiſcoporum officium eſſe miſerabiles perſonas commendare Principibus, IV *Reg.* IV, 13. 159, b 19.

Epityrum quid ſit, *Baruch.* VI, 42. 720, a 29.

Epulandi morem in lectis à quibuſnam hauſerint Judæi, *Ezech.* XXIII, 41. 430, a 59.

Epulum de qua re fiebat in Templo, *Deut.* XIV, 22. 87, b 55.

Equus rufus & *equus niger* quid ſignificabant, *Zachar.* VI, 2. 552, a 4, 48. equus cui ſacer erat in Oriente, IV *Reg.* XXIII, 11. 173, b 29. equi alacritas & generoſitas, *Iobi* XXXIX, 20, 21. p. 218, a 40—51. *Zachar.* IX, 9. 556, a 40. ardor, *Tob.* VI, 17. 576, a 50. manè, *Jer.* V, 8. 349, a 10. equorum cinctus pretioſus, *Zachar.* XIV, 20. 565, b 7, ſeqq. pictura naturalis, *Gen.* XXX, 39. 19, b 34, ſeqq.

Eraſiſtratus Medicus, Ariſtotelis filiâ genitus, à quo centum talentis donatus ſit, *Sirach.* XXXVIII, 2. 685, b 17.

Eruca quid denotet, *Ioel.* II, 25. 507, a 27. quid ſit, *Amoſi* IV, 9. 512, b 9.

Eſau cur dicatur *profanus*, Gen. XXV, 31. 18, a 29.

Eſdras ejúſque comites Levitæ quonam bene functi ſint officio, *Eſa.* LXII, 10. 335, a 43. qualis fuerit, & quis ei comparandus, *Eſdræ* p. 190, a 1.

Eſther *Hadaſſa* alio nomine, *Eſa.* LV, 13. 326, b 45.

Ethices ſtudium, *Sap.* VII, 20. 596, b pen.

Euagoras Cypri Rex cuinam Regi paruerit, *Ezech.* XXVI, 7. 433, b 31.

Euchariſtia ex quibuſnam rebus fiebat, *Malach.* I, 11. 567, b 23.

Eulæi amnis aquæ quales, *Dan.* VIII, 2. 469, a 57, 59, ſeqq.

Eunuchus Iſraelita cur Legem obſervare deberet, quæ ſe ſequentibus multam ſobolem promittebat, *Eſa.* LVI, 3. 327, a 22.

Eunuchi cur non permittebantur judicare, *Deut.* XVI, 18. 88, b 34.

Euphrates pro quo ſoleat uſurpari, *Zachar.* XI, 3. 558, b 47.

Examen diei transacti Pythagoricum, *Pſalmo* IV, 5. 222, a 43—56.

Excubiæ ad quam Templi partem fiebant, IV *Reg.* XI, 6. 164, a 53...61. Excubias palatii deſerentium quæ ſit pœna, I *Reg.* XXVI, 16. 129, a 1.

Excubitores, *Procubitores*, Judith. XIV, 2, 3. p. 584, b 37—42.

Exedræ quid erant, *Ier.* XXXV, 2. 380, a 59. Exedras ſuas Reges mutabant, *Ier.* XXXVI, 22. 381, a 36.

Exempla ad perſuadendum valent, *Jer.* XXVI, 18. 371, b 51.

Exercitus Iſraelitarum in quot agmina partitus erat, *Num.* X, 15. 74, a 24. Exercitus Nabuchodonoſori quibus conſtabat gentibus, IV *Reg.* XXIV, 2. 174, a 60.

Exhalationes ex multa ſanguinis copia editæ quid efficiant in aere, *Eſa.* XXXIV, 4. 305, b 46.

Expenſæ & *impenſæ* unde ita dictæ, *Nahum.* II, 9. 533, b 2.

Experientia, *Sap.* VIII, 8. 598, a 10, 12. *Sirach.* XXXIV, 9. 679, b 5—25.

Expiatio ignorantiæ pro quibuſnam fiebat, *Lev.* IV, 13. 61, b 28.

Expiare quorumnam erat, *Num.* VIII, 14. 73, b 38.

Exploratio & hoſtium receptatio quando ſint res improbæ, & quando minimè, *Ioſ.* II, 1. 103, b 13.

Exſequiæ à quibuſnam cum hilaritate & puerperia cum luctu celebrentur, *Eccleſ.* VII, 2. 261, b 40.

Exſilium, Exſul, *Exodi* XX, 12. 47, b 60, ſeqq. *Sirach.* XXIX, 32. 671, a 2. exſul proſperè agens, *Sirach.* XX, 11. 649, a 42—45. Exſilium inter pœnas Legis non erat, *Eſdræ* X, 8. 193, b 18.

Extorum pars quibuſnam poſt ſacrificium reddebatur, II *Macc.* VI, 7. 771, b 42.

Ezechias cur periculum effugerit, Philiſtini verò minimè, *Eſa.* XX, 6. 290, b 15. quam vallem ab omni idolorum cultu purgarit, *Eſa.* XXX, 33. 302, b 20. audiens ex Aſſyria venire Sennacheribum quomodo ſe geſſerit, *Eſa.* XXX, 1. 301, a 15. ubinam cultum Dei reſtituerit, *Oſeæ* XI, 12. 500, a 32, 35.

Ezechiel ingenio & eruditione cui poſſit comparari, *Ezech.* p. 401, a 12.

F.

F*Abri liberûm*, Exodi I, 21. 28, a 46. Fabula apud Judæos Meſſiam inter leproſos morari, unde orta, *Eſa.* LIII, 4. 323, b 57, 60.

Facere aliter quàm juſſum eſt, dicitur *addere*, Deut. IV, 2. 84, a 8. *facere* quis dicatur, *Exod.* XXV, 31. 55, b 4, 5.

Falæ quid, I *Macc.* XVI, 10. 761, b 37.

Faliſci quomodo Romanorum aciem turbaverint, *Jud.* VII, 20. 112, a 9.

Famæ bonum, *Prov.* XXII, 1. 254, b 40—43. *Sirach.* VII, 2. 261, b 36. *Sap.* III, 17. 592, b 20. Famæ ſuæ curam habentibus quid cavendum, *Eccleſ.* X, 1. 265, a 8.

Fames ſuis notis depicta, *Zach.* XIV, 12. 564, b 11—24. qua de cauſa ſæpius immittatur, *Eccleſ.* XI, 2. 266, a 1. quantam vim habeat, IV *Reg.* VI, 25. 161, b 6. *famis ſagittæ* quæ, *Ezech.* V, 16. 407, b 29.

Familia ex quibus fiat, *Sirach.* XXXVI, 28. 683, a pen.

Familiaritas per quid denotari ſoleat, *Dan.* XI, 26. 480, a 58.

Famulum opus, quod, *Exodi* XII, 16. 31, a 32, ſeqq. XX, 10. 34, a 19. & verſ. 9. p. 45, b 56, ſeqq.

Far & *ſpelta*, Eſa. XXVIII, 25. 299, b 1, 2.

Faſciandi induſtria quid conferat, *Ezech.* XV, 4. 416, b 16.

Faſtus Regum Orientis quis erat, *Eſa.* LI, 23. 322, b 52.

Fatis injicientibus manus hebetari ſenſus, II Reg. XVII, 14. 139, b 50, 51. II *Par.* XXV, 20. 186, b 50, 51. *Sap.* XIX, 4. 609, a 18, ſeqq.

Fedus ſociale quodnam erat, *Ioſ.* IX, 7. 105, b 44. federum ſanciendorum mos antiquus, *Ier.* XXXIV, 18. 380, a 34—36.

Felicitas domeſtica, *Sirach.* XXV, 10, 11. p. 661, a 50, ſeqq. & b 5, ſeqq. Felicitatis humanæ tres partes, quæ, *Sirach.* XXX, 14. 672, a 18.

Femina armata quomodo vocabatur à Græcis, *Deut.* II, 11. 83, b 11. Femina à vera pietate aliena quid poſſit, *Prov.* II, 16. 247, a 45.

Feminæ quomodo vocabantur olim à Romanis, *Gen.* II, 23. 4, a 2. Feminæ à quo vendi poterant, *Lev.* XXV, 39. 71, a 19. an venundatæ ob furtum, *Exod.* XXII, 3. 53, a ult. Feminæ in cujuſnam Idoli honorem vulgabant ſe, *Oſeæ* IV, 14. 490, b 21, 26. ubinam in honorem Veneris, *Eſa.* XLV, 19. 317, a 22. Feminarum mos in luctu gravi, *Deut.* XXI, 12. 96, a 7. in gravi dolore, *Jer.* II, 37. 346, a 24. & IV, 31. 348, b 24. Feminis quid ignominiæ causâ ſolebat fieri, *Eſa.* III, 17. 276, a 22. *vide* Mulier.

Feriæ Stultorum quid erant apud Romanos, *Num.* IX, 10. 73, b 47.

Ferrum quid denotet, *Jer.* XI, 4. 356, a 14.

Ferrum à ſacris amoveri vetus lex, *Exodi* XX, 25. 34, b 9. *Ferrum Aquilonare* quodnam ſit, *Ier.* XV, 12. 360, b 5.

Fidejuſſio à quibus fieri poſſit & debeat, à quibus verò minimè, *Sirach.* VIII, 16. 626, a 3.

Fides operans & perfecta, *Exodi* XX, 17. 51, b 50, 51.

Fides data malis & irreligioſis Principibus ſervanda, II *Par.* XXXVI, 13. 189, b 46.

Filia à patre in ſervitutem vendita quando liberabatur, *Exodi* XXI, 7. 52, a 18. Filiæ cum patribus concumbentes, quæ, ubi, *Ezech.* XXII, 10. 427, b 18. Filias quinam ſuas in honorem ſuorum deorum proſtituerint, *Levit.* XIX, 29. 68, a 38.

Filius Dei ex Ægypto vocatus quis ſit intelligendus, *Oſeæ* XI, 1. 499, a 30.

Filii quid debeant parentibus, *Exodi* XX, 11. 34, a 44. *Filii* quinam dicantur ab Hebræis, *Zachar.* I, 1. 548, a 9. Filii quando & quomodo caſtigandi, *Prov.* XIX, 18, 19. 253, b 52, 59. Filii quinam ſint robuſtiores, *Pſalmo* CXXVII, 4. 243, a 48. Filii Aaron qualibus utebantur tunicis, *Exodi* XXVIII, 40. 56, a 54. Filii David num erant Sacerdotes, II *Reg.* VIII, 18. 134, b 7. Filii Eſaïæ nomen quodnam ſit, quid ſignificet, & cur illud ſcribi Deus voluerit, *Eſa.* VIII, 1. 280, a 9. *Filii olei* quinam dicti, *Zachar.* IV, 14. 551, a antep. Filii virorum excellentium cur ſæpe peſſimi exiſtant, I *Reg.* II, 12. 120, a 21. Filii qui regnare voluerint ante mortem patris, III *Reg.* I, 5. 143, a 29. Filiis Divinæ Legis deſertoribus quid prædicatur, *Eſa.* XXX, 1. 301, a 6, 24.

Flos & forma, *Sap.* II, 8. 590, b 44.

Flumina quid frequenter ſignificent in Sacra Scriptura, *Eſa.* XI, 15. 285, a 4.

Fœcunditas quale ſit Dei beneficium, *Gen.* IV, 1. 6, b 9.

Fœnus in qua Lege vetitum, *Eſa.* XXIV, 2. 295, a 8.

Forma viri, I *Reg.* XVI, 12. 125, b 10. *Dan.* I, 4. 453, b 40.

Formæ quatuor ab Ezechiele viſæ quid ſignificent, *Exodi* XXV, 18. 55, a 50.

Fornax quid denotet, *Ier.* XI, 4. 356, a 14.

Fornicationes quales ſint cultus, *Nahumi* III, 4. 534, a 11.

Fortitudo circa quid verſetur, *Sap.* VIII, 7. 597, b 60.

Franciæ poſſeſſionem unde Rabbini ſuis polliceantur, *Abdiæ* I, 20. 519, b 1, 2.

Fratres Federati, *Amoſi* I, 9. 510, a 27.

Fraudes quibus uti ſoleant Magiſtratus medicamenti vice, III *Reg.* III, 24. 145, b 24, 40.

Fructus de arboribus naſcentes cuinam ſint alimenta propria, *Gen.* I, 29. 2, a 23. Fructus primi agrorum incultorum quales ſint, *Levit.* XIX, 23. 67, b 7.

Frugalitas quo exemplo commendetur à Deo, III *Reg.* XIX, 6. 154, b 45.

Fugæ tempus, III *Reg.* XIX, 3. 154, b 39.

Fugientes ex acie quo afficiebantur ſupplicio, *Deut.* XX, 3. 94, b 58.

Fulmen quem deum ſignificabat, III *Maccab.* p. 792, b 5.

Funes quibus trahuntur homines quinam ſint, *Oſeæ* XI, 4. 499, a 56, 58.

Fur effringens domum an vulnerari poterat,

rat, & quid de eo agi debebat, *Exodi* xxii, 2. 53, a 51, 52, 53.

Furti pœna quænam olim erat, *Gen.* xliv, 17. 24, b 19. *Furtum & adulterium naturâ turpe,* Exodi xx, 14. 49, a 18, 19.

G.

GABAA, quibuſnam locis ſit illud nomen commune, *Iudith.* iii, 14. 580, a 35.

Gabaon in quo itinere erat, *Ier.* xli, 12. 384, b 38.

Gabriel Angelus quibuſnam à Deo mittebatur, *Zachar.* i, 9. 548, b 11.

Galaaditis Regio qualis ſit, *Jer.* xxii, 6. 366, a 32. per quem vaſtata, *Ibid.* lin. 34.

Galbanum ad quid per Philonem referatur, *Exodi* xxx, 34. 57, a 26.

Galbæ judicium de proprietate jumenti, iii *Reg.* iii, 24. 145, b 30.

Galea quem deum ſignificabat, iii *Maccab.* p. 792, b 6.

Galgala ubinam erat, & quid ibi agi ſolebat, *Oſeæ* iv, 15. 490, b 37.

Gallia, *vide* Francia.

Gaudii corona quænam ſit, *Sirach.* xv, 6. 638, b 30.

Gaza, Philiſthinorum urbs, à quo obſeſſa fuerit, *Ier.* xlvii, 1. 388, b 22, 24.

Gazophylacium quid erat, iv *Reg.* xii, 9. 165, b 17, 20.

Gazophylax quonam fungebatur munere, i *Par.* xxvii, 25. 180, a 49.

Gedeonis cognomen quodnam erat, *Oſeæ* x, 14. 498, b 50, 54.

Gelimer ex quo monte detractus fuerit, *Ier.* xlix, 16. 392, b 57.

Gemere de quibuſnam propriè dicatur, *Ezech.* vii, 16. 408, b 44.

Generationis quænam ſint principia, *Deut.* xxxiii, 14. 102, b 12.

Generoſitas circa quid verſari ſoleat, *Eſa.* xxxii, 8. 303, b 36, 40.

Genituræ ordo qualis ſit, *Iobi* x, 11. 205, b 6.

Gentis Hebr. miſeria in Ægypto quomodo exprimatur, *Ezech.* xvi, 7. 417, a 5, 7. Gentes quæ idololatriam deſeruerant, quò ibant ut tutò vivere poſſent, *Eſa.* xiv, 2. 285, b 33. Gentes quænam erant Hebræis infeſtiſſimæ, *Eſa.* xi, 15. 284, b 63, ſeqq. Gentes Judæis vicinæ quomodo ſuas aras vocabant, *Ezech.* xx, 29. 424, a 24. quomodo in luctu ſe gerebant, *Deut.* xiv, 1. 87, b 42. Gentes Hebræis vicinæ ubinam ſacra facere ſolebant, ii *Par.* xxviii, 4. 187, b 4. Gentes idololatricæ quibuſnam feris denotentur, *Eſa.* xliii, 20. 313, b 56, 57. quid victimis faciebant, *Levit.* xix, 26. 67, b 28. quonam modo præſagiebant futura, *Ezech.* xxi, 21. 425, b 46. Gentes diſtributis Divinitatis officiis, quibuſnam diis holocauſta ſacrabant, *Levit.* i, 9. 60, a 56. quomodo aſtra colebant, *Deut.* iv, 19. 84, b 37, 45, 54. ubinam deponebant quod bene ſervari volebant, ii *Maccab.* iii, 10. 766, a 13. ubinam aras ponere ſolebant, ii *Maccab.* x, 2. 777, b 19. quomodo ſeſe gerebant coram Pehore idolo, *Exodi* xxviii, 42. 56, a 57. Gentes quænam ex ſuis Regibus deos ſibi fecerint, *Sophon.* i, 5. 541, a antep.

Gentium mos ante ſacrum quis erat, *Exodi* xxx, 19. 56, b pen. Gentium multarum antiquus ſtatus quis erat, *Iud.* i, p. 109, a 22, 25, 38. Gentium vocatio per Euangelium, prædicta, *Eſa.* xix, 18. 289, b 56. Chriſto ſerviturarum typus, i *Par.* xxii, 4. 179, a 40.

Genuflexio in Dei cultu frequens, iii *Reg.* xix, 18. 155, a 32.

Germani quomodo olim præſagiebant futura, *Ezech.* xxi, 21. 426, a 14, 15.

Germen Domini quid ſit, & quid myſticè ſignificet, *Eſa.* iv, 2. 277, a 23.

Geſſuritæ quorumnam erant reliquiæ, i *Reg.* xxvii, 8. 129, a 40.

Geſtus coram Imaginibus, *Exodi* xx, 5. 42, a 36, 37, ſeqq. Rege, *Exodi* xx, 3. 38, b 20—49. quales prohibebatur Iſraelitis exhibere coram ullo Simulacro, iv *Reg.* v, 18. 160, b 32, 33, 34.

Gladius quis nobis timendus, *Iob.* xix, 29. 209, a 12.

Gnoſticorum nomen unde, *Exod.* xx, 3. 38, b 4.

Godolias quiſnam fuerit, *Ier.* xxxix, 14. 383, b 20. qualis erat ingenii, & cur fuerit occiſus, iv *Reg.* xxv, 22. 175, a 8.

Goliath cur dictus ſit *vir ſpurius*, i Reg. xvii, 4. 125, b 44, 46, 56.

Gradus ad Civitatem Piorum quinam ſint, iii *Maccab.* pag. 792, b 54. Gradus quot reperiantur in *culpa*, Deut. xvii, 8. 89, a 34.

Græca editio, quæ in Exodo Adulterii legem ante Homicidii legit, probatur, *Exodi* xx, 13. 48, b 1, ſeqq.

Græcia à quibuſnam victa fuerit, *Dan.* vii, 12. 467, a 40.

Græci cur Regem Perſarum venerari noluerint procumbendi more, *Exodi* xx, 3. 38, b 42.

Græci Interpretes nomen Dei dicturi, cur dicere maluerint Dominus quàm Deus, *Exodi* xx, 1. 34, b 54, ſeqq.

Græci in Synodis nonnullis inclementius tractati propter Imaginum honorem dicuntur, *Exodi* xx, 5. 42, a 46. 47.

Græci olim vocati non ſunt *Dei populus*, Eſa. lxiii, 18. 337, a 44. Græcorum dii quinam erant, iii *Reg.* v, 7. 146, b 27.

Gratiæ vis quanta ſit in N. Federe & qualis debeat eſſe ejus profectus, iv *Reg.* xx, 3. 171, b 57.

Gubernationis Divinæ ingens indicium, iii *Reg.* xiii, 2. 151, a 34.

Gygæus Lacus ubi, *Ezech.* xxxviii, 2. 448, a 39, 40, 41.

Gygis quantæ divitiæ fuerint atque potentia, *Ezech.* xxxviii, 2. 448, a 51, ſeqq.

Gymnaſium Hieroſolymis conſtitutum, ii *Maccab.* iv, 12. 767, a 52.

H.

HABACUC Propheta quandonam ſcripſerit, *Habac.* i, 535, a 51, ſeqq. & *Nahum.* i, 1. 531, a 25, ſeqq.

Habitus Summi apud Judæos Sacerdotis qualis erat ſecundum Plutarchum, *Exodi* xxix, 6. 56, b 3.

Hæreſis Samaritanorum unde eruperit, *Ioſ.* xxiv, 26. 109, a 12, 13, 14.

Haſta quem deum ſignificabat, iii *Maccab.* pag. 792, b 6.

Hebdomas annorum, *Dan.* ix, 24. 473, a 28.

Hebræi quomodo Dei cultum ſive bonum ſive malum appellent, *Amos.* viii, 14. 517, a 18, ſeqq. quid Lotione manuum teſtari ſolebant, *Pſalmo* xxvi, 6. 227, a 7. quid *benedictionis* nomine appellent, *Eſa.* lxv, 8. 339, a 26. de qua re ſolebant commentarios facere, *Tob.* 573, a 9, ſeqq. in quo Davidem arbitrentur peccaſſe poſt mortem Abſalomi, ii *Reg.* xix, 29. 148, a 31, 33. quomodo devorati ſint ab Igne, *Levit.* x, 2. 62, b 51, 52. ad quid ſua holocauſta omnia referebant, *Levit.* i, 9. 60, a 58. de quali materia calceos habebant diebus feſtis, *Ezech.* xvi, 10. 417, a 31. quid *panis* nomine intelligant, *Ibid.* verſ. 19. p. 417, b 27. quomodo vocent quidquid *rectum* eſt, *Ezech.* xviii, 9. 422, a 24. quid *præputii* nomine intelligant, *Levit.* xix, 23. 67, b 4. quo nomine ſoleant quodvis tempus exprimere, *Baruch.* i, 20. 714, a 56.

Hebræi & gentes vicinæ qua re utebantur pro ponderibus, *Prov.* xvi, 11. 252, a 23. *Michæ.* vi, 11. 529, a 7, ſeqq. quid *lactis* & quid *mulctralium* nomine ſignificent, *Job.* xxi, 24. 209, b 49. quid velint ſignificare per *alas*, Eſa. viii, 8. 280, b 5. quid *lucis* nomine ſignificent, *Ibid.* verſ. 20, p. 281, a 24, 25. quibus verbis exprimant omnes creaturas, *Gen.* i, 1. 1, a 10, 11. quomodo ſoleant de Deo loqui, *Ibid.* verſ. 26, p. 1, b 40. quomodo ſoleant vocare Reges quorum nomina non norunt, *Tob.* xiv, 13. 578, b 42, ſeqq. cur in precibus labra exiſtiment eſſe movenda, *Iudith.* xiii, 6. 584, b 6, ſeqq. cur ſæpiſſime Deum vocent *Sanctum*, Sirach. iv, 15. 616, b 35, ſeqq. quid de Remiſſione peccati exiſtimabant, *Num.* v, 8. 72, b 43. quid ſuper caput hoſtiæ imponebant, *Levit.* i, 4. 60, a 21. quomodo ſoleant vocare virtutes, *Oſeæ* iv, 1. 489, b 16. quomodo vocent omnia Dei opera quibus ille extra ordinem utitur, *Gen.* iii, 23. 6, a 30. cur ſuas uxores vocabant *ſorores*, Tob. v, 26. 576, a 7. cur omnes morbos adſcribere ſoleant dæmonibus, *Tob.* vi, 8. 576, a 23. quid ſoleant ſæpius repetere, *Ier.* xliii, 13. 386, a 14. quid per *natos alienos* intelligant, *Eſa.* ii, 6. 275, b 6. quid vocent *pedem*, Ezech. i, 7. 401, b 23. quid intelligant per *claves & vaſa*, Eſa. xxii, 24. 293, a 37.

Hebræorum miſeria in Ægypto, *Ezech.* xvi, 7. 417, a 5, 7.

Hebræorum Exercitus quot agminum erant, ii *Maccab.* viii, 22. 775, a 27, 28.

Hebræis mos precandi pro mortuis qualis ſit, ii *Maccab.* xii, 42. 782, b 62. *Iunge,* Judæi. Hebræis quot ſint gradus ſignorum Honoris, *Gen.* xxiii, 12. 16, b 49, 52.

Hedera Jonæ à Deo præparata qualis erat, *Ion.* iv, 6. 521, b 50, ſeqq. *Hedera* quem deum ſignificabat, iii *Maccab.* pag. 792, b 6, 7.

Helenæ forma, *Iudith.* x, 18. 583, b 29, ſeqq.

Helleniſtæ quinam erant & ubi degebant eorumque lingua, i *Maccab.* iii, 3. 729, b 60, ſeqq.

Helix inſtrumentum aquaticum, *Deut.* xi, 10. 86, b 28, ſeqq.

Heracleotæ quomodo appellabant ſervos, *Levit.* xxii, 10. 69, b 2.

Hereditas quænam dicenda ſecundum Hebræos, *Prov.* xx, 21. 254, a 53. Hereditas dupla cuinam filiorum dabatur, & quem habebat uſum, *Deut.* xxi, 17. 96, b 1, 2, ſeqq. *Hereditas luctuoſa & triſtis* quænam, *Num.* xxvii, 9. 80, a 27, 34.

Heredes quinam erant legitimi apud Hebræos, *Num.* xxvii, 11. 80, a 60. Heredes Regni ſine controverſia apud Hebræos non ungebantur, iii *Reg.* i, 34. 144, a 18.

Heredibus futuris regni in Regem arma ſumentibus quid ſoleat accidere, ii *Reg.* xviii, 15. 140, b 18.

Heroes Homerici; Heroes ſub luce Euangelii, *Iud.* xv, 3. 115, a 41.

Hieropolis Syriæ quomodo vocabatur, *Ezech.* xxxviii, 2. 448, b 4.

Hieroſolyma Sancta, & Libera à decimis ac tributis, i *Maccab.* x, 31. 746, a antep. vocatur *vinea optimi vini*, cur, *Eſa.* xxvii, 2. 297, a 38. comparatur *lebeti*, homines *carnibus*, Ezech. xi, 3. 413, a 20. quandiu fuerit obſeſſa, *Ezech.* iv, 8. 406, a 12. obſeſſæ Urbis imago, *Ezech.* iii, 25. 405, a 30. quo menſe fuerit incenſa, *Ier.* xl, 10. 384, a 18. quo regnante incenſa, & quo regnante capta & non incenſa, *Baruch.* i, 2. 713, a 36, ſeqq. ejus & Templi incendium quandiu durârit, *Ezech.* iv, 8. 406, a 19. Urbs & Templum reſtaurantur, *Eſdræ* iii, 2, ſeqq. 191, a 9, ſeqq.

19, ſeqq. *Nehem.* III, 1, ſeqq. 194, a 39, ſeqq. Hieroſolymitani aquæductus, *Zach.* XIV, 8. 564, a 20. fontes, piſcinæ & ciſternæ, *Nehem.* III, 14. 534, b 51, 52. Epiſcopi recenſentur, *Malach.* IV, 3. 571, b 48, ſeqq.

Hircus quid ſignificet, *Dan.* VIII, 5. 469, b 47. cuinam à Gentibus offerebatur, *Num.* XXVIII, 15. 80, b 60.

Hiſpaniæ poſſeſſionem unde Rabbini Judæis polliceantur, *Abdiæ* I, 20. 519, b 1. ſeqq.

Hiſtoria Canonis Hebræi quando & ubi finiat, *Nehem.* XII, 11. 197, a 23.

Hædus cur *non* erat *in lacte matris ſuæ coquendus*, Exodi XXIII, 19. 54, b 16.

Holem pro I poni ſolere dicitur, *Ezech.* XXXVIII, 2. 448, a 45.

Holocauſtum ad quid pertineat, *Iob.* XLII, 8. 220, b 28. Holocauſta in quibus victimæ corpus collo connexum relinquebatur ex quibus fiebant, *Levit.* I, 15, 60. b 41. an in uſu erant antequam homines veſcerentur carnibus, *Gen.* IV, 3. 6, b 25, ſeqq. p. 7. quandonam offerebantur, *Sirach.* XLV, 17. 701, b 11, ſeqq. de quibus fieri debebant, *Jud.* XI, 30. 114, a 18.

Holophernes quid ſignificet, *Judith.* pag. 578, b 56.

Homicida ſacrilegus, *Exod.* XX, 15. 48, b 41, 42.

Homicidium omne an in Decalogo ſit prohibitum, *Exod.* XX, 15. 48, b 52. ſeqq. homicidium cujus auctor ignoratur, *Deut.* XXI, 6, 7. 95, b 41, ſeqq. homicidium deliberatò factum, *Num.* XXXV, 32. 82, b 41, 42, ſeqq. homicidii non præmeditari vindicta, *Deut.* XIX, 6. 94, b 23.

Homo ita creatus ut mori poſſet, *Sap.* I, 13. 589, b 11. Homo labilis ac infirmus, *Pſalmo* CXXX, 3. 243, b 35, 36. *Eccleſ.* VII, 21. 262, b 3. *Sap.* V, 9. 594, b 15, ſeqq. *Sirach.* XXVIII, 12. 668, a 45. I *Maccab.* XVI, 14. 761, b 60. Homo cur libertatem habeat, *Pſalmo* CXV, 3. 241, b 42. cur ab Angelis *filius hominis* vocetur, *Dan.* VIII, 17. 471, a 15.

Hominis mœſta conditio, *Sirach.* XL, 1. 690, a 37. hominis natura à Deo ad ſalutem apta reddi poteſt, *Sap.* I, 14. 589, b 24. hominis ortus, *Sap.* VII, 2. 596, a 4, ſeqq. hominis potior pars quænam ſit, *Eccleſ.* II, 2. 259, a 56. hominis ſors contrariis ſententiis obnoxia, quibus, *Eccleſ.* IV, 2, 3. p. 260, a 49, ſeqq. VII, 2. 261, b 40, ſeqq. IX, 4. 264, b 9, ſeqq. XI, 7. 266, a 27. *hominem homini inſidiari nefas*, Exod. XX, 15. 48, b 47, 48.

Homines quot modis Deum colunt, *Deut.* VI, 5. 85, a 46. homines quale jus habebant in animantia ante Diluvium, *Gen.* IX, 3. 9, b 32, ſeqq. homines quot de cauſis promiſſis non ſtent, *Numer.* XXIII, 19. 78, b 51. homines quot eſſe debeant ut dici poſſet *turba*, Numer. XXXV, 25. 82, a 53. homines opulenti quibuſnam comparentur, *Amos.* IV, 1. 511, b 51, ſeqq. homines impii quo nomine ſignificentur, *Eſa.* XI, 4. 284, a 43. homines impios cur ad Principatum & Sacerdotium permittat Deus provehi, *Malach.* II, 17. 569, b 34, ſeqq. homines quandonam dicendi ſint *bruteſcere*, Jer. X, 14. 355, a 59. homines feroces qui coguntur ſuam deponere ferociam & parêre legibus, cuinam comparantur, *Eſa.* LXV, 25. 340, a 36, 37. homines improbi & rapaces quibuſnam denotari ſoleant, *Job.* IV, 10. 204, a 5, 6. homines pios irridentes quales dicendi, *Pſalmo* I, 1. 221, a 43, 45. homines qui ſuis rebus cum pietatis detrimento conſulunt, cuinam comparandi, *Eſa.* LVII, 4. 328, a 6. homines pertinaces qualem ſoleant eventum habere, *Sirach.* VI, 23. 619, b 45, ſeqq. homines *carnibus* comparati, & Vrbs *lebeti*, Ezech. XI, 3. 413, a 20, 22. homines nullius frugis cuinam rei comparentur, *Ezech.* XXII, 24. 428, a 19, 21. homines morituri quinam non lugendi, *Job.* XXVII, 15. 211, b 23.

Hominum quot genera Alexandriam habitabant, III *Maccab.* pag. 792, a 41, 42.

Honeſta ſemper & ubique, *Oſeæ* VI, 6. 493, a 8.

Honorandi gradus apud Hebræos, *Gen.* XXIII, 12. 16, b 49, ſeqq.

Honorii Imp. factum, II *Reg.* XIII, 15. 136, b 37, ſeqq.

Horologium Achaz quale erat, IV *Reg.* XX, 11. 172, a 7.

Hoſtiæ quænam erant eximiæ, *Amos.* VI, 4. 514, b 5. Hoſtiarum genera quot ſint, *Lev.* XVII, 11. 65, b 51.

Humilitati ſtudendum, I *Reg.* II, 7. 120, a 3, ſeqq. II *Par.* XXXII, 26. 188, b 54. *Eccleſ.* VII, 17. 262, a 55. *Ezech.* XXI, 26. 426, b 49. *Tob.* IV, 20. 575, b 20, ſeqq. *Sirach.* I, 38. 612, b 1. III, 20. 612, b 12, ſeqq. IV, 7. 616, a 50. X, 7. 628, a 8, ſeqq. XXI, 5. 651, a 46. II *Maccab.* IX, 12. 776, b 16.

Humor corporum parvulorum quomodo ſiccandus, *Ezech.* XVI, 4. 416, b 14. quandonam in pilos acuatur, *eod.* verſ. 7. l. pen.

Huſaï, ut fidem ſibi inveniret apud Abſalomum, quid egerit, II *Reg.* XVI, 18. 138, b 60.

Hyæna & Canis quanto ſeſe odio proſequantur, *Sirach.* XIII, 22. 635, b 45, ſeqq.

Hymnus quem David volebat cani poſt introductam Arcam, quis erat, I *Par.* XVI, 7. 178, b 30.

Hyrcanus cur dicebatur non poſſe fungi Pontificatu, *Eſa.* LXVI, 21. 342, b 23.

Hyſſopus quid myſticè ſignificet, & qualem vim habeat, *Lev.* XIV, 4. 64, b 16.

I.

JACOB quamdiu ſervierit pro ſuis uxoribus, *Oſeæ* XII, 12. 501, a 46. *Jacob* quandonam dicatur *erubeſcere*, Eſa. XXIX, 22. 300, b 53. *Jacob dilexi Eſau autem odio habui* exponitur, *Malach.* I, 3. 566, a 10, ſeqq.

Iaſon à quo Pontificatum ſibi pretio mercatus eſt, *Eſa.* LXVI, 3. 340, b 53. à quo expulſus, *Ibid.* lin. 56.

Idolum quid ſignificet, *Exodi* XX, 4. 39, b 12.

Idola non colentes quid ea colentibus debebant dare, *Amos.* II, 8. 510, b 30, ſeqq. Idola quibuſnam exitialia ſoleant eſſe, *Sirach.* XXXI, 7. 673, b 12. eorum origo, *Sap. Solom.* XIV, 15. 603, b 42, ſeqq.

Idololatræ cur feminas induebant armis, *Deut.* XXII, 5. 97, a 20, ſeqq. quid in Valle Topheth immolare ſolebant, *Eſa.* XXX, 33. 302, b 34, 35.

Idololatriæ gradus & ſpecies, *vide* Dii falſi.

Idololatria quid ſit, *Exodi* XX, 4. 39, b 10, 11. & verſ. 5. 43, a 26, ſeqq. Idololatria Ægyptiorum qualis fuerit, *Exodi* XX, 3. 37, a 2, 11, 27. unde orta, *Gen.* XLVI, 34. 25, a 19, 20, 21. num ante Joſephi tempus, *Ibid.* Idololatria occulta, *Exodi* XX, 3. 38, b 16. Idololatria Phœnicum, Tyriorum, aliorumque, *Exodi* XX, 3. 36, b 61, ſeqq Symbolica, Veneris & Bacchi, *Ibid.* verſ. 4. p. 39, a 49, 50. Idololatriæ objecta & origo, *Exodi* XX, 3. 36, b 13, ſeqq. *lin.* 44, ſeqq. p. 37, a 5, ſeqq. *Sap.* XIV, 15. 603, b 41, ſeqq. Idololatriæ morbus quo medicamine ſanari poterat, *Exodi* XV, 26. 32, b 5, 6. Idololatriæ vetus conſuetudo in Ægypto & in Alexandria, *Eſa.* LXV, 11. 339, a 53, 54.

Idololatricæ figuræ, Cœleſtes, Terreſtres, Aquaticæ, quæ, *Exodi* XX, 3. 41, a 3, ſeqq. *Deut.* IV, 16, 17. p. 84. b 19—27.

Idomeneus Cretenſium Rex ex quo ſemine natus, *Jud.* XI, 30. 113, b 56. quid Neptuno ſacrificârit, & cur è Regno fuerit pulſus, *Ibid.* p. 113, b. l. 56, 57, ſeqq.

Idumæa ubi ſita ſit, III *Reg.* IX, 28. 148, a 32. à quo fuerit vaſtata, *Eſa.* LXIII, 1. 335, b 6.

Idumæus quo ſenſu dicatur *frater Iſraelis*, Malach. I, 2. 566, a 3, ſeqq. Idumæi quibus in partibus habitâbant, *Eſa.* XXI, 1. 290, b 27.

Jehu à quo fuerit occiſus, III *Reg.* XVI, 7. 152, b 35. Jehu regnante quid egerint principes & populi, *Oſeæ* VII, 5. 493, b 53, 54.

Jejunium quandonam inutile, *Eſa.* LVIII, 4. 329, b 51. Jejunii tempore quid obſervari ſolebat, I *Maccab.* III, 47. 731, a 27, 28. Jejunium Davidis quale fuerit, II *Reg.* XII, 16. 136, a 20. Jejunia à Deo inſtituta & à Judæis quomodo obſervabantur, *Zachar.* VII, 3. 553, b 4. ſeqq. quomodo Deo placeant, *Zach.* VII, 5. 553, b 36.

Jeremias cui aſſimilatur, II *Par.* XXXV, 25. 189, b 32, 33. ſub quot & quibus Regibus vixerit, & quot annos Prophetam egerit in Judæa, *Jer.* I, 2. 343, a 14, 22. cur irriſus fuerit ab Hebræis, *Ezech.* XI, 3. 413, a 20, 21. peccata reprehendens quid nominet, *Jer.* VII, 9. 351, a 34. cur in carcerem & lutum ſit conjectus, *Eſa.* LIII, 4. 323, b. pen. quomodo *peccata multorum abſtulerit*, Eſa. LIII, 12. 324, b antep.

Jeroboam Domus quænam erat, *Amos.* VII, 9. 515, b 35, ſeqq.

Jeruſalem, *vide* Hieroſolyma.

Jeſus Joſedecis ex quo ſanguine ortus, & per quos in Summum Sacerdotem electus, *Aggæ.* I, 1. 545, b 27, ſeqq.

Jezabel qualis erat, III *Reg.* XVI, 31. 153, a 34.

Ignis à quibuſnam colebatur ut Deus, *Sap. Solom.* XIII, 2. 602, b 33. Ignis ſulphureus quo Sodoma flagravit unde venerit, *Gen.* XIX, 24. 15, a 33. Ignis ab altari ſumtus quid ſignificabat, *Eſa.* VI, 6. 278, a 41. Ignis quomodo devoravit Hebræos qui obtulerant Deo ignem alienum, *Levit.* IX, 2. 62, b 51, 52.

Ignes cœleſtes pro Diis habiti primi, *Exodi* XX, 3. 36, b 13, 14.

Illecebræ pravorum motuum tres, quæ, *Exodi* XX, 17. 51, b 46.

Imagines, *Eſa.* XL, 18. 309, a 24, 25. XLIV, 17. 315, a 34. Imagines quas venerabantur Aſſyrii, quænam erant, *Eſa.* XXIV, 21. 295, a 63, ſeqq. Imagines quomodo frangendæ & non frangendæ dicantur, *Exod.* XX, 5. 43, a 31, ſeqq. Imagines Judæis non omnes promiſcuè vetitas fuiſſe, *Exodi* XX, 4. 39, a 45, ſeqq. & p. 41, a 22, ſeqq. Alexandrini tamen à quibuslibet abſtinebant, *Sap.* XV, 4. 604, b 43, 44. Imagines Imperatorum quomodo nonnulli Chriſtianorum honorâſſe vel non honorâſſe dicantur, *Exodi* XX, 3. 38, b 47. Imagines quædam locutæ traduntur, *Ibid.* verſ. 4. p. 39, b 40, 42, 45, ſeqq. Imagines in locis precationum, *Exodi* XX, 5. 42, a 36, 37. Imagines credebantur ſpiritum quendam habere, *Exodi* XX, 4. 39, b 20, ſeqq. Imagines quas & quomodo honorabat Synodus Nicæna ſecunda, ſive Conſtantinus Epiſcopus, *Exodi* XX, 5. 42, b 13, 14. Imaginum Cherubinorum Serpentiſque juſſu Divino factarum, nec non Boum atque Leonum Solomonis ratio, *Exodi* XX, 4. 40, a 26, 34, 37. Imaginum Interdicti uſus, *Exodi* XX, 4. 40, a 60, 61.

Imber temporaneus, *ſerotinus*, Oſeæ VI, 2, 3. p. 492, b 31, 32. *Zach.* X, 1. 557, a 11.
Impenſæ & expenſæ unde nominis habeant originem, *Nahum.* II, 9. 533, b 2, 3.
Imperatoris boni officium in bello quodnam ſit, II *Par.* XXXII, 7. 188, b 49.
Imperatorum imagines quatenus Chriſtiani honorarint, *Exodi* XX, 3. 38, b 47.
Imperatores Chriſtiani quomodo purgârint Orbem à Paganiſmo, II *Par.* XIV, 5. 183, a 49.
Imperium quibuſnam artibus facilè retineatur, *Nehem.* IX, 28. 196, a 41.
Imperium cur in Judæ potiùs quàm aliis Tribubus manſiſſe dicatur, *Gen.* XLIX, 10. 26, a 47, 50.
Imperium Rom. ad Judæos perveniſſet, ſi humilem Meſſiam non reſpuiſſent, *Dan.* VII, 18. 467, b 41, ſeqq.
Imperium Romanum quandonam geſſerit typum Euangelii. *Dan.* II, 34. 456, a 52.
Imperia per quid floreant, *Eſa.* IX, 7. 282, a 7—9. per quid transferri ſoleant de familia in familiam, *Prov.* XXVIII, 2. 256, b 40.
Imperia in Oriente qualia erant, *Eccleſ.* VIII, 3. 263, a 17, 20.
Impius ex quo ingenium trahat, & ex quo *natus* dicatur, *Sirach.* XXI, 30. 652, b 20, 21.
Impudicæ feminæ nota, *Sirach.* XXVI, 12. 664, b 15.
Inaures cuinam olim & à quibus dicabantur, *Gen.* XXXV, 4. 21, a 7. inter ſuperſtitioſa ab Auguſtino numerantur, *Ibid.* a l. 9.
Incedere per ignes quid ſit, *Eſa.* XLIII, 2. 313, a 15.
Incendiarii apud gentes omnes quo mortis genere mulctentur, II *Maccab.* VIII, 33. 775, b ult. & 776, a 1.
Incendium Urbis & Templi quamdiu durârit, *Ezech.* IV, 8. 406, a 19, 20.
Inceſtus, *Amoſi* II, 7. 510, b 23. quinam morte puniebantur, *Levit.* XX, 11. 68, b 29.
Incola paſchatizare non cogebatur, ſed ſi id vellet præſtare quid ei agendum, *Num.* IX, 14. 73, b 58. incola cur ad obſervationem Sabbati fuerit obligatus, *Exodi* XX, 10. 34, a 26, ſeqq. & p. 46, b 7, ſeqq.
Indago quid, II *Par.* XIII, 13. 183, a 34, 39.
Induratio peremtoria quænam ſit, I *Reg.* II, 25. 120, a 55, 58.
Infamia injuſti belli, *Judic.* XI, 15. 113, b 13, 14.
Infans ætas quomodo deſcribi ſoleat, *Jonæ* IV, 11. 522, b 13, 14.
Infernus quid, *Sap.* V, 13. 594, b 39.
Infirmitas humana quibus verbis exprimatur ab Hebræis, *Sirach.* XIV, 19. 637, b 41.
Ingratus animus pœnam auget, *Amoſi* III, 2. 511, a 21.
Ingenium ſubtile qua re impediatur, *Dan.* I, 12. 454, b 1, 6. *Sirach.* LI, 27. 712, b 10—13.
Iniquitas viri in quo ſit melior quàm *mulier benefaciens*, Sirach. XLII, 14. 695, b 44.
Injuriæ in hominem quot ab Hebræis afferantur genera, *Exodi* XXI, 19. 52, b 57.
Inquilinus Sacerdotis quis erat, *Levit.* XXII, 10. 69, a pen.
Inſtitutio prava, *Sap.* III, 12. 592, a 18, ſeqq.
Inſtrumentum ex optimis Dei, per quod piis benefaciat, quodnam ſit, *Eſdræ* I, 1. 190, a 12.
Inſula quid ſit Hebræis, *Ezech.* XXVI, 18. 434, a 60.
Interſeminium, Gen. XLIX, 10. 26, b 28.
Interpretatio Actorum Nicænæ Synodi Latina qualis, *Exodi* XX, 5. 42, a 50, 51, ſeqq.
Interreges quinam erant, *Deut.* XVII, 9. 89, b 58. p. 90, a 15. in quo differebant à Regibus, *Ibid.* lin. 27.
Invaſores, I *Par.* VII, 21. 177, a 28—57.
Invidia malorum peſſimum, *Prov.* XIV, 30. 250, b 28—44.
Joab filius Sarviæ qualis erat, II *Reg.* II, 13. 131, b 14. quem dolo occiderit, II *Reg.* III, 30. 132, a 32. quare ſummam belli & quando recuperaverit, II *Reg.* XIX, 13. 141, a 8. videns omnia ſibi impunè cedere, quid egerit, II *Reg.* XX, 10. 141, b 6.
Joannes Baptiſta cur dicatur Elias, *Malach.* IV, 5. 572, a 3. quibuſnam Sectis attulerit remedia, & quomodo, *Ibid.* verſ. 6. lin. 15, ſeqq. illius votum quale erat, *Num.* VI, 18. 73, b 15.
Joas à quibus occiſus, & cur non in ſepulchris Regum ſepultus, IV *Reg.* XII, 21. 166, a 15, 16, 17.
Joathan quot annis regnârit, IV *Reg.* XV, 30. 167, b 46, 47.
Joëlis dicta ad quoſnam pertineant, *Joel.* I, p. 504, a 30.
Jonas Propheta quo tempore vixerit,. IV *Reg.* XIV, 25. 167, a 14e
Joſephus Patriarcha cur Tauri imagin. deſignatus, *Gen.* XLIX, 6. 26, a 14, 16, 21
Joſias Rex cur & ubi fuerit occiſus, IV *Reg.* XXIII, 29. 174, a 13, ſeqq. quot annis regnârit, *Jer.* XXV, 3. 369, b 27.
Joſue quis & qualis fuerit, *Joſ.* I, 1. 103, a 6. quis ex aliis gentibus ei comparandus, *Ibid.*
Ira Divina uſquequò perſecuta ſit Reges, *Ezech.* XIX, 12. 423, a 54. cur populum occidioni dediderit, *Ibid.* verſ. 14. lin. 60.
Iræ Divinæ inſtrumenta quænam ſint graviſſima, *Jer.* XIV, 12. 359, a 44.
Ira quomodo deſcribi ſoleat à Poëtis, II *Reg.* XVII, 8. 139, b 19.
Iris cujuſnam rei ſit ſymbolum, *Ezech.* I, 28. 403, a pen.
Irrumare, Jer. II, 16. 344, b 18.
Iſaaci liberatio à morte quam ſignificabat liberationem, *Levit.* XXIII, 24. 69, b 60, 62.
Iſai filii quot fuerint, I *Par.* II, 15. 176, a 7.
Iſis quibuſnam erat numen, *Eſa.* XIX, 1. 289, a 40,
Iſmael Nathaniæ filius quorumnam ope Judææ Principatum invaſerit, *Ezech.* XXI, 28. 427, a 17.
Iſmaelitæ qua in re periti, *Baruch.* III, 23. 716, b 11. Iſmaelitarum inſigne quodnam erat, *Jud.* VIII, 21. 112, a 36.
Iſraelitæ quinam ſummi & quinam infimi, *Eſa.* IX, 14. 282, a 56. quid per Vituli cultum amiſerint, *Exodi* XXIII, 20. 54, b 19, 22. quot annis in Ægypto remanſerint, *Exodi* XII, 40. 31, b 16. quotuplici de cauſa Deo parêre debebant, *Deut.* VI, 21. 85, a 58. in quas peccaverint leges poſt Joſuæ tempora, *Joſ.* XXIII, 12. 108, b 39. cur petentes Regem peccârint, I *Reg.* VIII, 5, & 7. 122, a 13, 28, 34. Iſraelitarum probitas quandonam apparebat, & quando improbitas, *Jud.* III, 4. 110, a 51. Iſraelitas ad novos deos excitantes, quomodo puniebantur, *Deut.* XIII, 9. 87, a 39.
Iſthmus Arabicus quibus verbis deſcribatur, *Eſa.* XXX, 6. 301, a 57.
Judæ Tribui cur Ductus datus ſit, *Jud.* I, 4. 109, a 42.
Judæa à quibuſnam fuerit vexata, *Joel.* III, 19. 509, a 2. quibuſnam Sectis agitabatur ante adventum Chriſti, *Malach.* IV, 6. 572, a 20. Judææ ſtatus poſt reditum ex Captivitate qualis fuerit, *Sophon.* III, 15. 544, b 35.
Judæi à quo ita dicti, *Gen.* XLIX, 10. 26, a 47. quandonam inceperint orare pro mortuis, II *Maccab.* XII, 42. 783, a 2. quid de animis exutis corpore cenſeant, II *Maccab.* XV, 12. 787, b 48. quibus verbis utantur cùm de piis mortuis loquuntur, *Eſa.* LVII, 2. 327, b 40, 49. quot in oris longinquis ſervientes à Ptolemæo Philadelpho pretio dato liberati ſunt, *Sophon.* III, 10. 544, a 51. qui tempore Sennacheribi volebant ſalvari quonam erat eis eundum, *Eſa.* XXVIII, 16. 298, b 53. audientes ex Aſſyria venire Sennacheribum quid egerint, *Eſa.* XXX, 1. 301, a 15. quibus petebant hoſtem ſuum ex montibus, I *Maccab.* X, 73. 748, b 24. qua nota ab aliis gentibus dignoſcebantur, *Zach.* VIII, 23. 554, b 52, 54. qua in re miri ſemper artifices, III *Maccab.* p. 794, a 41—44. pro hominibus aliorum ſacrorum orabant, I *Maccab.* XII, 11. 753, b 4, 5. cur carne ſuillâ abſtinebant, *Levit.* XI, 7. 63, b 1.
Judæi myſtici quinam ſint, *Dan.* VII, 18. 467, b 47.
Judæorum captivitas in Ægypto & alibi, qualis erat, *Eſa.* LXI, 1. 334, a 8. Judæorum mos vetus jejunii temporibus, *Dan.* X, 3. 474, b 5. Judæorum querelæ cùm adhuc obſiderentur, *Eſa.* XXVI, 18. 296, b 47, 52. Judæorum tubæ quales erant, *Num.* X, 1. 74, a 12. Judæis quinam fuerint auctores ad idololatriam, *Jer.* XII, 16. 357, b 41. Judæis quid manſiſſet ſi Meſſiam recepiſſent, *Baruch.* II, 35. 715, b 53. Judæos cur graviter increpet Jeremias, *Jer.* XXIII, 33. 369, a 14, 20. *vide* & Hebræi.
Judex inflexibilis, *Exodi* XXIII, 3. 54, a 32—44. Judex ſi crimen vidiſſet quid agebat, *Levit.* V, 1. 61, b 48.
Judices quomodo vocentur ab Hebræis, *Exodi* XXI, 6. 52, a 7. & XXII, 9. 53, b 25. Judices urbani in quorum locum ſucceſſere, *Exodi* XVIII, 21. 33, a 25. Judices oppidani cur in cauſis difficilioribus relationem faciebant ad Synedrium, II *Par.* XIX, 10, & 11. 185, a 29. 37. Judices quinam originem habebant à Deo, & qui à Regibus, *Oſeæ* VIII, 4. 495, b 4. Judices quem ritum obſervabant cùm aliquis verberibus excipiebatur, *Deut.* XXV, 3. 99, a 36.
Judicia quandonam fuerint inſtituta, *Gen.* IX, 6. 10, a 50, 56. Judicare de vero vel falſo Propheta cujuſnam erat, *Ier.* XXXVIII, 5. 382, a 30. Judicium contra delinquentes in Templo penes quos erat, *Ier.* XX, 1. 364, a 51, 54, 58. Judicia Divina quomodo ſoleant depingi, *Ioel.* III, 2. 507, b 53. per quid figurabantur, *Ezechielis* VIII, 4. 410, a 3.
Iugum ferreum quid ſignificet, *Ier.* XXVIII, 13. 373, a 24.
Jupiter quibuſnam erat ſummus deus, *Eſa.* XLVI, 1. 317, b 24. ejus ſimulacrum Romæ ex quo ligno factum, *Eſa.* XL, 20. 309, a 38.
Juramentum quid ſit, *Exodi* XX, 7. 44, b 24, ſeqq. ubi præſtabatur, I *Reg.* XX, 11. 126, b 57, 58. juramentum quandonam jurantis perſonam non egrediatur, II *Reg.* XIX, 22. 141, a 22. juramentum multis vinculum improbitatis, III *Maccab.* p. 797, b 12. juramentum apud Ægyptios quodnam ſit graviſſimum, *Gen.* XLII, 15. 24, a 10. juramenti promiſſorii ſedes, *Exodi* XX, 7. 44, a 39, 40—42. juramenti formula, *Per Deum qui in Dan colitur*, Amoſi VIII, 14. 517, a 11, 12.
Jurare tacto altari quorumnam mos erat, III *Reg.* VIII, 31. 147, b 24, 25. jurandi mos Abrahami tempore quis erat, *Gen.*

Gen. xxiv, 2.17,a12. pejerans per deos falſos punitur, *Sap.* xiv, 31. 604, b 15, ſeqq. jurantium mos manum ad cœlum elevandi, *Dan.* xii, 7.484, b46.
Jurgia quandonam incidenda, *Prov.* xvii, 14.252, b24.
Juriſconſulti Romani quid *impoſſibile* vocent, ii *Maccab.* iii, 12.766, a 34.
Juriſprudentia, *Sap.* viii, 11.598, a26.
Jus quodnam non prohibeat ſe ulciſci, *Jud.* xv, 3. 115, a 27. jus hominum in animantia ante Diluvium quale erat, *Gen.* ix, 3.9, b 32. Jus Poſtliminii omnia reſtituens, *Eſa.* lxvi, 21. 342, b 26, 27. jus populi convocandi quid oſtendat, *Jud.* vi, 35. 111, b24. jus ſanctè dicere & quamplurimis prodeſſe quorum ſit, iii *Reg.* x, 9. 148, b43. jus cuinam erat prehenſionis in eos qui in Templo delinquebant, *Jer.* xx, 1.364, a54. jus patris aſſignandi filiis ſuis ſuas portiones, *Deut.* xxi, 16. 96, a52. jus tertium primogenituræ quodnam erat, *Deut.* xlix, 3.25, b pen. jus teſtimonii quinam non habebant, *Deut.* xvii, 6. 89, a 2,
Juris conſociatio Populum facit, *Deut.* xxxii, 21.102, a 10, 11. juris ſpecie vim peragi, *Amoſi* vi, 13. 515, a23, 24. Jure Gentium quæ fiunt non ſemper apud Deum pro licitis haberi, ſed quando, *Habac.* ii, 8. 538, a 53, 54.
Juſtinianus quid fecerit de vaſis Templi quæ Veſpaſianus attulerat Romam, *Dan.* v, 23.463, a 15.
Juſtitia cùm à judicio diſtinguitur, quid ſignificet, *Gen.* xviii, 18.14, b 12. circa quid verſetur, *Sap. Solom.* viii, 7. 597, b 61. cauſam dat immortalitati, *Sap.* i, 15. 589, b 39. Homini propria, *Ezech.* i, 26. 403, a 32—40. Juſtitiæ inceſſus tardus, *Jer.* xx, 8. 364, b 44—48. *Sap.* i, 8. 589, a51—60. Juſtitiæ Divinæ Symbolum, *Ezech.* v, 1.406, b 52. Juſtitia Divina quandonam exactiùs apparuerit, *Ezech.* xviii, 3. 421, b 28. Juſtitiæ Divinæ effectus quanti ſint, *Sirach.* xvi, 22.641, a 17. *Juſtitiæ arbores* quinam dicantur, *Eſa.* lxi, 3. 334, a 39. juſtitiæ fruendæ causâ quinam ſint conſtituti, *Prov.* xx, 8.254, a 8.
Juſtus, juſtum, quis, quod, *Exodi* xxi, 17. 51, a 20, 27. Juſtus cur ſit Abrahami proprium cognomentum, *Sap.* x, 5. 599, b 7.

L.

LABAN quem cultum tenebat, *Gen.* xxiv, 3. 17, a 20. an fuerit idololatra, *Ibid.*
Laborandum, *Prov.* xx, 13.254, a 26, 27. *Sirach.* iv, 19. 617, a 11. vii, 16.623, a 19.
Lacedæmoniorum matrimonia, qualia, *Deut.* xxiv, 4.98, b 37—40.
Lamentationum Jeremiæ quodnam ſit argumentum, *Lament.* p. 271, a 11.
Lapidatio ubi & quomodo fieri ſolebat, *Levit.* xxiv, 14.70, a 46, 47, 48.
Lapis oneris in quo quiſque ſuas experiebatur vires, *Zachar.* xii, 3.561, a 8.
Latona quibuſnam erat numen, *Eſa.* xix, 1.289, a 40.
Latrocinium quis primus exercuerit in Arabia Deſerta, *Gen.* iv, 16.7, b 40.
Latus dextrum quid denotet, & quid *ſiniſtrum*, Ezech. iv, 4.405, b 37, 40.
Legatos malè excipere quale ſit crimen, ii *Reg.* x, 7.134, b 58.
Lena quarundam vox, *Sirach.* ix, 4.626, b 42.
Lenitas inconceſſa, iii *Reg.* xx, 42, 156, a 28, 29. lenitas in animantia quò tendat, *Exodi* xx, 10.46, a 49, ſeqq. *Deut.* xxv, 4. 99, a 48, 49. lenitas quoſnam deceat maximè, ii *Macc.* iv, 25.768, a 61.
Lenitas eximia quid efficere ſoleat, i *Reg.* xxvi, 17.129, a 4.
Lepra quænam ſit pertinacior, *Lev.* xiii, 12.64, a 59. cujuſnam peccati ſit pœna. *Levit.* xiv, 4.64, b 7.
Leproſi ubinam morabantur, iv *Reg.* vii, 3.161, b 60.
Leviathan quale ſit animal, *Iob.* xl, 20. 219, a 33.
Levitæ quæ bona ſibi comparare poterant, *Deut.* xviii, 8.92, a 4. quas res diligenter diſcebant, *Deut.* xvii, 9. 89, b 8. eorum miniſteria non adeò gravia erant, i *Par.* xxiii, 27.179, b 15. ex qua debebant eſſe familia ut jure manum ad Arcam extendere poſſent, ii *Reg.* vi, 6.133, a 26. eorum officia quænam erant, *Num.* viii, 14. 73, b 35. Deo in Templo militabant, *Dan.* viii, 10.470, a 40, 41. eorum perfugium quid erat, *Num.* xxxv, 6. 81, b 59.
Lex de Sacrificiis cur non data ſit Abrahamo, Iſaaco & Jacobo, *Exodi* xv, 26. 32, a 55, 56, b 2. ex cujus rei occaſione cæteris data ſit, *Ibid.* lex de Nuptiis apud Hebræos & apud Athenienſes qualis ſit, *Num.* xxxvi, 8.82, b 57. lex qualis data ad præcavenda ſchiſmata, *Deut.* xvii, 8. 89, a 61. lex de offerendis victimis uno in loco tantùm, quando ceſſaverit, *Deut.* xii, 8. 86, b 55. lex de libertate ob membrum ruptum, quibus ſervis proderat, *Exodi* xxi, 27.53, a 24. Legis Divinæ ſtudium quid apud Hebræos comprehendebat, *Sirach.* xxxviii, 39.688, a 7. Legis minima quàm ſollicitè ſervanda, *Num.* xv, 39. 76, a 2, ſeqq. legis optimus interpres quis ſit, *Levit.* xviii, 18. 66, b 8.
Legem docere & explicare quorum erat, ii *Par.* xvii, 7. 184, b 35. Legem per Moſem datam à Deo profectam negantibus quæ pœna debebatur, *Deut.* xiii, 9. 87, a 39, 48.
Leges de Rege, de Templo, & excidio Amalecitarum ad quod tempus pertineant, *Deut.* xvii, 14.91, a 44. Leges Moſis in quas gentes derivatæ, *Eſther. Addit.* xvi, 15.588, b 9, ſeqq. leges quæ pœnas graves publicæ alicujus utilitatis causâ inferunt, quibus egeant, iv *Reg.* viii, 6.162, a 40. leges rituales quandonam ſe vinci patiantur, i *Reg.* xxi, 4.127, a 36. leges qua forma fiebant immutabiles apud Perſas, *Eſth.* i, 19.198, b 49.
Libanus pro Templo, *Ezech.* xvii, 3.420, a 22.
Liberi ubinam à parentibus in honorem deorum ſuorum morti dabantur, *Deut.* xviii, 10. 92, a (8), b ſeqq. Liberi in cujuſnam honorem cremabantur à ſuis parentibus, *Eſa.* xxx, 33.302, b 33. Liberi à quibuſnam parentibus vendebantur creditoribus, iv *Reg.* iv, 1.159, b 9.
Liber Joſuæ quandonam ſcriptus, *Joſ.* xv, 63.107, b 33. xix, 47.108, a 24. & xxiv, 31. 109, b 4, 11. Liber Jeremiæ cur ſcriptus ſit, *Jer.* i, 2.343, a 10. Liber Tobiæ à quo & qua lingua ſcriptus ſit, *Tob.* p. 573, a 2, 8. Libri Maccabæorum cur ita dicti, i *Maccab.* p. 723, a 37. Libri Regum à quo ſcripti, i *Reg.* p. 119, a 29. Libri Samuelis & Libri Regum unde ſumti ſint, i *Paral.* xxix, 29. 181, b 10.
Liberalitas in quem primùm exerceri debeat, *Deut.* xv, 11.88, a 30.
Libertas quomodo definiatur à Romanis & Zenone, *Gen.* iii, 16.5, b 9. libertate noſtra quomodo uti debeamus, iii *Reg.* xviii, 9.154, a 4.
Libido punita, ii *Reg.* xv, 1. 137, b 46. *Sirach.* xix, 3.646, a 40.
Libidinis militaris expletæ pœna, *Deut.* xxi, 14.96, a 41, 47. libidini addentes injuriam quinam ſint, *Sirach.* xxiii, 25. 657, a 1, 2, 4.
Libyes quinam ſint populi, *Nahum.* iii, 9. 534, b 13.
Limes aliquando in Dei miſericordia, *Gen.* xi, 1. 10, b 27.
Lingua Hebræa unde ſuam habeat originem, *Ezech.* xviii, 32.422, b 47. lingua primæva qualis, *Gen.* xi, 1.10, b 35.
Lingua dicax, i *Maccab.* xiii, 17. 755, a 50. linguæ pernicies, *Sirach.* xx, 20. 650, a 11. xxii, 30.654, b 1—21. etiam in ſecreto cubiculi, *Eccleſ.* x, 20. 265, b 50.
Liquores corporibus humanis quinam gratiſſimi, *Iud.* ix, 13. 112, b 40. *Pſalmo* civ, 15.240, a 16, 18.
Litantes hoſtiæ, quæ, *Levit.* xxii, 22. 69, b 10—12.
Literæ Regum Perſarum quantam vim habebant, *Eſth.* viii, 8.202, a 11. *Literarum Civitas* apud Hebræos quæ erat, *Ioſ.* xv, 15.107, b 5.
Lites undenam oriri ſoleant, *Ier.* xv, 10. 360, a 52. unde accendantur inter multos, *Prov.* xviii, 18.253, a 36.
Livor ubinam maximè regnet, *Dan.* vi, 4.463, b 55.
Locus qui diu in honorem Jacobi pro Templo fuit, *Ioſ.* xxiv, 26. 109, a 12. loca quænam ſint fertiliſſima, *Eſa.* vii, 25. 279, b 50. loca quænam facillimè oppugnentur admotis ignibus, *Iud.* ix, 49.113, a 8.
Locorum ſitus explorare cujus ſit, i *Reg.* xxvi, 5.128, b 52.
Locuſta quid denotet, *Ioel.* ii, 25.507, a 26.
Longævitas felicitatis cacumen, *Exodi* xx, 10.47, b 40.
Loqui Hebræis quid ſæpe ſignificet, iii *Reg.* xiv, 13. 151, b 33. *loqui ad cor* quid ſit, *Oſeæ* ii, 14.488, a 22.
Loquendi genus Hebræum, quod ſumma pericula ſignificat, *Pſalmo* cxix, 109. 242, b 3, ſeqq. loquendi genus quod jam ad certas virtutes, jam ad dignitates refertur, *Eſther. Addit.* xv, 16.587, b 54, 55.
Lori diſſolutio pro quo per ſimilitudinem dicatur, *Eſa.* lxii, 1.334, a 17.
Lotus cur *Iuſti* vocabulo appelletur, *Sap. Solom.* x, 6. 599, b 20, ſeqq.
Luctus Gentium qualis erat & qualis Hebræorum, *Deut.* xiv, 1.87, b 44, 45 : 51. luctûs Danielis cauſa quænam erat, *Dan.* x, 1.474, a 30. luctûs ſignum quodnam erat, iii *Reg.* xx, 31.155, b 51.
Luci apud Templum cur prohibiti, *Eſa.* lvii, 5.328, a 19—23.
Ludovicus Franciæ Rex reſtitutus, *Dan.* iv, 33.461, b 34.
Ludus Regum Solomonis tempore quis erat, iii *Reg.* x, 1.148, b 25.
Lugentium mos, *Ezech.* xxvi, 16.434, a 38; 43, 44: 50. lugentium mos apud Moabitas quis erat, *Eſa.* l, 2.286, b 25, 26. lugentium mos apud omnes Veteres qualis, *Ier.* vii, 29. 352, a 15. quis nunc, *Ibid.* lin. 17. lugentium pedes, myſtax, quales, *Ezech.* xxiv, 17. 431, b 44—48. lugentibus quid ab amicis mitti ſolebat, *Ier.* xvi, 7.361, a 22.
Luna ſive *Lunus* potiùs, *Exodi* xx, 3. 37, a 11, 12.
Luna num Joſua imperante verè ſteterit, *Ioſ.* x, 13.106, a 39, 40, ſeqq.
Lupus habitaturus cum agno quid figurabat, *Eſa.* xi, 6. 284, a 53. *Lupi*, qui, *Zach.* xi, 9.559, b 4.
Lux quid ſignificet & pro quo ponatur apud Hebræos, *Eſa.* viii, 20.281, a 24, 25. lx, 19. 333, b 20, 21. iii *Maccab.* pag. 797, b 58.
Luxus ubinam ſoleat modum omnem excedere, *Ion.* i, 2.519, a 53, ſeqq.

Lydia cur Gygæa dicta ſit, *Ezech.* XXXVIII, 2. 448, a 39, ſeqq. & l. 50, 51. Lydia à quo bis ſubjugata fuerit, *Eſa.* LXVI, 19. 342, a 34.

Lyſimachus qualis fuerit, & quomodo mortuus ſit, *Eſa.* LXVI, 3. 340, b 57. *Ibid.* verſ. 4. l. ult.

M.

MACEDONIA à quonam victa fuerit, *Dan.* VII, 12. 467, a 40.

Magas Philadelphi pater quam uxorem duxerit, *Dan.* II, 43. 456, b 44, 45.

Magaſin nomen unde factum, *Dan.* XI, 38. 482, b 18, 19.

Magdalum urbs ubi ſita, *Ezech.* XXIX, 10. 440, a 12.

Magiſter qui diſcipulum caſtigans occiderit an debeat fugere, *Exodi* XXI, 12. 52, b 31, 33. Magiſtri quinam ſint peſtilentes, *Ezech.* XVIII, 24. 422, b 22.

Magiſtratus crimina puniens cujuſnam vice fungatur, *Job.* XX, 29. 209, b 22.

Mahumetiſtæ, unde ſe *Muſſulmannos* appellent, *Eſa.* XLII, 19. 312, b 1, 5.

Majeſtas Regia quo nomine exprimi ſolebat, *Lam.* II, 3. 272, a 25, 26.

Majeſtatis crimen cur primò in Legibus ponatur, *Exodi* XX, 12. 47, a 47.

Majores natu Iſrael quinam erant, III *Regum* VIII, 1. 147, b 7.

Malachias quid ſignificet, *Malach.* p. 565, a 48.

Malagmata quid ſint ſecundùm Medicos, *Sap. Solom.* XVI, 12. 605, b 62, ſeqq.

Malchus, *Malchuel*, *Malichas* & *Malcus* qualia nomina, I *Maccab.* XI, 39. 751, a 15, ſeqq.

Maledicentiæ pœna quænam ſit, *Num.* XII, 10. 75, a 27.

Malefici quinam dicantur, II *Maccab.* III, 32. 766, b 41, 42.

Mala domeſtica quomodo obtegenda, II *Reg.* XIII, 20. 136, b 56.

Malorum maximorum Solomonis poſteris Populóque Hebræo quis fuerit fons, III *Reg.* XI, 1. 149, b 6, 11.

Malthare, quale verbum ſit, *Jer.* XLIII, 9. 385, b 34.

Mamzer, qui non debebat ingredi Eccleſiam Domini, quis erat, *Deut.* XXIII, 2. 97, b 52.

Manaheth in cujus ſorte erat, I *Par.* VIII, 7. 177, b 7, 8.

Manaſſes quid mali fecerit, II *Par.* XXXIII, 2. 189, a 20. quale habebat ingenium, & quibus ſimilis erat, IV *Reg.* XXI, 1. 172, a pen. quibus provocaverit Deum, IV *Reg.* XXIII, 26. 174, a 1, 2.

Mancipia ubi plurima fuerint, *Ezech.* XXVII, 13. 436, a 1.

Mandata cur ſerventur, *Sirach.* XXXII, 27. 676, b 61.

Mandragoræ ſemen quid potum purget, *Gen.* XXX, 14. 19, a 56.

Manna ubinam gignebatur, *Sap. Solom.* XVI, 29. 606, b 24. quid ſignificet, *Ibid.* pruinæ ſimile, non liquefiebat ignibus coctum, *Sap. Solom.* XIX, 20. 610, a 3, ſeqq.

Manus pro auctoritate, *Jer.* XXVI, 24. 372, a 19, 20.

Manum manui jungere quibuſnam erat ſocietatis ſignum, *Tob.* VII, 15. 576, b 38, ſeqq. *Eſth. Addit.* XIV, 8. 587, a 58.

Manum alterius oſculari quale ſignum ſit, *Job.* XXXI, 27. 213, b 35. quàm ſit antiquus venerationis mos, *Exodi* XX, 5. 41, b 45. *manuum* nomine quid Hebræi intelligant, *Sap.* III, 14. 592, a 40—43.

Maozim quinam ut deum coluerint, *Dan.* XI, 38. 482, b 12, ſeqq.

Maranatha unde, *Dan.* II, 47. 457, a 39.

Marcipores quinam ita vocabantur, *Exodi* XX, 10. 46, a 34. *Eſa.* XLIII, 1. 313, a 2.

Mare Rubrum, *Exodi* X, 19. 30, b 1. cur ita dictum, I *Maccab.* IV, 9. 732, a 3, 4. cur à Latinis ita malè dicatur, III *Reg.* IX, 26. 148, a 32, 35.

Maris canales, *Eccleſ.* I, 7. 259, a 20, ſeqq.

Marginalia quæ irrepſerunt Græca in S. Scripturam, *Exodi* XX, 12. 47, b 25.

Maritus quæ debeat, *Exodi* XXI, 10. 52, a 56, ſeqq. dominus eſt conſtituendi laris, *Tob.* VII, 15. 576, b 44.

Mariti quinam levibus de cauſis inſtrumentum divortii dabant uxoribus, *Eſa.* L, 1. 321, a 33. Mariti zelotypi uxoribus impudicis quid facere ſoleant, *Ezech.* XXIII, 25. 429, b 55.

Martis Sidus quo nomine vocetur à Chaldæis, *Dan.* XI, 38. 482, b 23, 25, 26.

Martyrum ad monumenta cur tam multa fieri mira permiſerit Deus, IV *Reg.* XIII, 21. 166, a 53, 54, 55.

Maſoreticorum diligentia; conjecturæ, *Zachar.* XI, 7. 559, a 43.

Mater omnibus gentibus quæ dicta, I *Maccab.* VI, 2. 736, a 48. Matres Regum quid poſſint, II *Par.* XXII, 3. 186, a 32, 33.

Matrona in quo diſtabat Gedeonis tempore à Concubina, *Jud.* VIII, 31. 112, a 57, 58. Matronæ opulentæ quibuſnam comparentur, *Amos.* IV, 1. 511, b 45, ſeqq.

Maximianopolis Vrbs ubi ſita, & quomodo vocabatur olim, *Zachar.* XII, 11. 561, b 48, ſeqq.

Media fortuna optima, *Prov.* XXIX, 8. 257, b 13.

Mediæ pleraque montana, I *Par.* V, 26. 176, b 44.

Medicinæ ſtudium, *Sap.* VII, 20. 597, a 3—6.

Medici quid dubitent de lepra, *Deut.* XVII, 8. 89, a 50.

Meditationis ſeriæ index, *Sirach.* XIII, 32. 636, b 1, ſeqq.

Medi quandonam Regnum Babylonicum tenere inceperint, & à quo ab eo expulſi, *Eſa.* XXXIX, 1. 308, a 9.

Medorum leges quales erant, *Dan.* VI, 12. 464, b 32, 33.

Mel in quibuſnam Sacris uſurpabatur, *Levit.* II, 11. 60, b 60. an ſacris Hebræorum admiſcebatur, *Ibid.* l. 60. & p. 61, a 4. mel quod in Arabia reperitur quale ſit, *Exodi* XVI, 15. 32, b 36, 37.

Melchom (Idolum) eſt *Moloch*, Sophon. I, 5. 541, a 52, ſeqq.

Melita, urbs Cappadociæ, à quo condita, *Judith.* II, 13. 579, b 33, ſeqq.

Memoria recens benefactorum quantum valeat, *Joſ.* XXIV, 31. 109, b 9.

Mendacium fugiendum, *Exodi* XX, 17. 51, b 21. cur, *Sirach.* VII, 14. 623, a 8, ſeqq. quid ſuo auctori afferat, *Sap. Solom.* I, 13. 589, b 12, ſeqq. quandonam viris bonis fuerit ſalutare, *Joſ.* II, 4. 103, b 35, 36. *mendacii arcus*, Jeremiæ, IX, 3. 353, b 20. mendacia quandonam maximè cavenda ſint, *Sirach.* XLI, 21. 694, a 61, ſeqq.

Menelaus quem ex Pontificatu ejecerit, quem occiderit, quemque ſibi Succeſſorem conſtituerit, *Eſa.* LXVI, 3. 340, b 55.

Mens cur bene *luci* comparetur, *Sirach.* XXII, 10. 653, a 41, 42. mentis perfectio quænam ſit, *Sap. Solom.* VII, 24. 597, a 29.

Mercatus Tyriorum, quis, quantus, *Ezech.* XXVII, 12, ſeqq. p. 435, a 29—p. 436—p. 437.

Mercenarius perpetuus quis ſit, *Levit.* XXV, 40. 71, a 21.

Merces diurna, *Zachar.* XI, 12, 559, b 48.

Meretrix cui comparetur, *Sirach.* XXVI, 23. 665, a 56. Meretrices cur *fornicariæ* dicantur, *Sirach.* IX, 6. 626, b 58, ſeqq.

Meſſalina Auguſta, quæ, qualis, *Ezech.* XVI, 24, 25. p. 417, b 50.

Meſſias quibus verbis Geneſeos indicetur, *Gen.* XLIX, 10. 26, b 36, ſeqq. qualis futurus erat, *Gen.* XLIX, 10. 27, a 25, 26. quibus verbis noviſſimè prædictus, *Zachar.* IX, 9. 556, a 6, 7. XII, 10. 561, b 32. *Malach.* III, 1. 570, a 6. quomodo à Chaldæis depingatur, *Eſa.* LIII, 7. 324, a 34, 35. quid debebat vincere, *Pſalmo* CX, 1. 241, a 6, ſeqq. quibus verbis à Daniele prædictus ſit, *Dan.* IX, 24. 473, b 1. quo ſenſu à Judæis dicatur *ungi debere ab Elia*, Zachar. IV, 5. 571, b 60, ſeqq. quibus verbis clariſſimè promiſſus, *Eſa.* IX, 6. 281, b 32, ſeqq. illius laudes ſub cujus laude lateant, *Eſa.* XI, 1. 284, a 4, 5. Loca Scripturæ quæ Meſſiæ myſticè aptantur etiam ab ipſis Judæis, *Num.* XXIV, 17. 79, a 25. *Pſalm.* II, 1. 221, b 21, ſeqq. XXII, 1. 226, a 19, 20. XLV, 1. 230, b 47, ſeqq. *Jer.* III, 14. 346, b 51, 52. XXXI, 22. 376, a 57, 58. XXXIII, 16. 379, b 21, 22. *Zachar.* III, 8. 550, b 18, 23, ſeqq. IX, 9. 556, a 7, ſeqq. XII, 10. 561, b 22, 32. loca quæ iidem aliàs unà cum Chriſtianis aperte, licet interdum ægrè, applicant, *Pſalm.* CX, 1. 241, a 1, 2. *Dan.* IX, 24. 473, b 7, 8. *Malach.* III, 1. 570, a 6, 7. loca quæ præterea applicantur, *Deut.* XVIII, 15. 94, a 17, ſeqq. *Pſalm.* LXVIII, 19. 234, a 59. *Eſa.* IV, 2. 277, a 26. XI, 1. 284, a 5, 6. XL, Proleg. pag. 308, a 46, 47. XLII, 1. 311, a 52, 53. L, 6. 321, b 24, 25. LIII, 1. 323, b 25, ſeqq. LXI, 1. 333, b 54, 55. *Jer.* XXIII, 5. 367, b 56. *Ezech.* XXXVI, 29. 447, a 22. *Dan.* II, 45. 457, a 16, 17. VII, 13. 467, b 10. *Oſeæ* IX, 15. 497, a 49, 50. XI, 1. 499, a 31, 32. *Mich.* IV, 8. 526, a 59, 60. *Zachar.* IV, 6. 551, a 18. XI, 12. 559, b 33. Meſſiæ locus quidam Scripturæ, aliàs incertus, ſingulariter tamen applicatus à Patribus quibusdam, *Pſalm.* XCVI, 10. 239, a 19, ſequentibus. Meſſiæ dolores à quo præfigurabantur, II *Reg.* XV, 23. 138, a 52, 53. Meſſiam apparituram in Templo ſecundo quinam credidere, *Aggæ.* II, 8. 546, b 50, ſeqq. *Malach.* III, 1. 569, b 52, 55. Meſſias duos credunt Judæorum plerique, *Zach.* IX, 9. 556, a 12, 14.

Metus à peregrinis, ubi multùm increſcit eorum numerus, quotuplex, *Exodi* I, 10. 28, a 12. metûs quales reddere ſoleat homines, I *Reg.* XXVII, 9. 129, a 47, 48. metûs maximi deſcriptio, *Sap.* XVII, 11. 607, a 31, ſeqq. metûs cauſæ, ſigna, & effectus, IV *Reg.* XIV, 12. 166, b 42, ſeqq. *Eſa.* LI, 21. 322, b 45. *Jer.* XLV, 5. 387, a 31, ſeqq. *Dan.* V, 6. 462, b 10. *Sap.* XII, 16. 601, b 29, ſeqq.

Michael Archangelus cujuſnam gentis ſub Deo Præſes erat, *Zach.* I, 8. 548, a 52.

Michol an habuerit filios, II *Reg.* XXI, 8. 142, a 8, ſeqq.

Miles futurus qualis naturâ eſſe debeat, & quibus exercitiis tentandus, I *Par.* XII, 8. 178, a 20. militis juſta ætas, *Deut.* II, 14. 83, b 19, 20. miles acer, *Pſalm.* CX, 7. 241, b 5. meticuloſus, *Deut.* XX, 8. 95, a 9, ſeqq. *Jud.* VII, 3, 5. p. 111, b 35, ſeqq. *Sirach.* XXXVII, 12. 684, a 21. juſſa interpretans, *Num.* XV, 30. 76, a 11, ſeqq. officium detrectans, *Jud.* XXI, 10. 117, b 8, 9. I *Reg.* XI, 7. 123, b 38. fugiens, *Deut.* XX, 3. 94, b 58. milites coccinati, *Nahum.* II, 3. 533, a 3. milites quomodo de rebus Divinis loqui ſoleant, II *Macc.* XV, 5. 787, a 61. militum virtus quomodo verbis accendatur, II *Par.* XXXII, 7. 188, b 49, 50. militibus quandonam plus liceat quàm Ducibus, II *Reg.* XVIII, 4. 140, a ult.

Mi-

Militiæ detrectatæ crimen apud quos erat grave, *Jud.* V, 23. 110, b 55, 56.

Miniſterium, 1 Maccab. XI, 58. 751, b 19, ſeqq.

Miracula ab Eliſæo facta, *Sirach.* XLVIII, 14. 707, b 12, ſeqq.

Miſericordia Dei ad quid pertineat, *Sirach.* XVIII, 12. 644, b 17, ſeqq. quomodo *ſtillare* dicatur, II *Macc.* VIII, 27. 775, b 27. non ultrà quàm rectum ſit extendenda, *Gen.* XIX, 14. 15, a 3.

Miſericordiæ falſa ſpecies quàm diligenter vitanda, *Exodi* XXIII, 3. 54, a 32, 33.

Mithridates quomodo octoginta millia civium Romanorum interemerit, *Eſth.* III, 13. 200, a 37, 38.

Mithridatis alterius filii propter quid trucidati fuerint, *Ezech.* XXIV, 23. 432, a 29.

Mneves, qui apud Ægyptios colebatur cum cornibus, quis erat, *Exodi* XXXIV, 29. 58, b 55.

Moabitæ cujuſnam Regis oſſibus uſi ſint pro calce ad oblinendos parietes, *Amos.* II, 1. 510, b 2. quibus rebus abundabant, & quam eorum deæ formam habebant, IV *Reg.* III, 4. 159, a 12, 13. quem Deum colebant, *Num.* XXI, 14. 78, a 16, 17. *Jer.* XLVIII, 7. 389, b 9. unde Judæorum erant cognati, *Ezech.* XVI, 45. 419, a 14, 15. vitium illis proprium quodnam erat, *Ezech.* XVI, 49. 419, a 35.

Moabitarum fines quouſque pertingebant, *Eſa.* XVI, 2. 287, a 44.

Moderatioris animi calcar, *Eccleſ.* VII, 23. 262, b 13.

Modeſtiæ in divitiis exempla, 1 *Par.* XXII, 14. 179, a 53, ſeqq.

Modimperatores, *Eſth.* I, 8. 198, a 39. *Sirach.* XXXII, 1. 675, b 8.

Modus precandi quo uſi Sacerdotes, *Levit.* XVI, 24. 65, a 34, ſeqq.

Mœchorum mos quis ſit, *Oſeæ* II, 14. 488, a 17.

Mœror cui comparetur, *Eſa.* LVII, 16. 329, a 34. mœror criminoſus quis ſit, *Sirach.* XIV, 1. 636, b 18, 19.

Moloch Idolum à quibus colebatur, *Deut.* XVIII, 10. 92, a 26, 27. quid erat, *Ibid.* lin. 31. etiam ab Iſraelitis cultum, *Amoſi* V, 26. 513, b 32. Molocho Idolo quid ſacrificari ſolebat, *Eſa.* XXX, 33. 302, b 35, 36.

Moneta formandi hominis, Sap. VII, 2. 596, a 8, 9.

Monile ſuper naſum quinam gerebant, *Ezech.* XVI, 12. 417, a 44.

Montes Ararat quinam, *Gen.* VIII, 4. 9, a 43, ſeqq. montes in quibus multa exercebantur aucupia, *Oſeæ* V, 1. 491, a 49.

Mora quàm periculoſa in diſcordiis Civilibus, III *Reg.* II, 25. 144, b 34, 35.

Morbi cur adſcribantur omnes dæmonibus, *Tob.* VI, 8. 576, a 24, ſeqq.

Mors Animantium, Hominis, unde, *Sap.* I, 13. 589, b 10, 11. mors immatura quibus nominibus ſoleat ab Hebræis exprimi, *Exodi* XII, 15. 31, a 27. *Lev.* XX, 3. 68, b 20. *Ezech.* XIV, 19. 415, b 61. *mors quænam* intraverit in Mundum *per Adam*, Sap. Solom. II, 24. 591, a 62. *Mortis* nomine quid ſæpiùs intelligatur, *Pſalmo* LXIX, 29. 234, b 53. *Mortis primogenitus* quis ſit, *Job.* XVIII, 13. 208, a 54. mortem quinam magis metuant, *Eccleſ.* VI, 9. 261, b 12.

Morticinis cur Hebræi abſtinebant, *Lev.* XVII, 15. 66, a 18, 19.

Mortuos quinam lugebant inciſo corpore, *Levit.* XIX, 28. 68, a 14, 15.

Mos loquendi de Deo apud Hebræos quis ſit, *Gen.* I, 26. 1, b 40. mos diſcipulorum quis erat, *Deut.* XXXIII, 3. 102, a 51. mos epulandi in lectis undenam ad Judæos devenerit, *Ezech.* XXIII, 41. 430, a 59. mos jurandi tempore Abrahami quis erat, *Gen.* XXIV, 2. 17, a 12. mos bene precandi liberis quiſnam erat apud Hebræos, *Sirach.* XLIV, 25. 700, a 30. mos loquendi per res, *Ier.* XIX, 10. 364, a 18. mos orantium apud omnes ferè gentes, *Exodi* IX, 29. 30, a 42. mos orantium apud Hebræos, *Iudith.* IV, 9. 580, a 61. mos fundendi plumbum fervens in os damnatorum, unde ortus, *Levit.* X, 2. 62, b 51, 52, 54. mos amicorum Regum inter ſe, II *Reg.* X, 2. 134, b 43, 44. mos ſacrificandi ac ſimul victimas edendi in locis excelſis, cùm antiquiſſimus eſſet, cur Lege vetitus, *Lev.* XIX, 26. 67, b 28. mos ſacrificandi Saturno à Gentibus obſervatus, *Deut.* XVIII, 10. 93, a 6, ſeqq. mos vinum infundendi inter cornua Victimæ, *Lev.* I, 4. 60, a 21, 22. mos irridentium qualis erat, IV *Reg.* XIX, 21. 170, b 52.

Moſes propter quid à multis laudetur, *Eſa.* XL, 18. 309, a 24, 25. à quo affectu multùm abfuerit, *Jud.* IX, 3. 112, b 14. quid à Deo petebat dum dixit, *Oſtende mihi faciem tuam*, Exodi XXXIII, 13. 57, b 25, ſeqq. qualis erat in ferendis injuriis, *Num.* XII, 3. 75, a 1, 2. cur Aaronis ſibi filios adoptans eos ad omnia quæ ad Sacerdotium obeundum erant neceſſaria potiùs quàm ſuos inſtituerit, *Num.* III, 1. 72, a 21, ſeqq. à quibus ſepultus, & ubi ſit ſepultus, cur Judæos ignorare Deus voluerit, *Deut.* XXXIV, 6. 103, a 3, 4. quem modum impoſuerit rerum conſecrationi, *Exodi* XXXVI, 6. 59, a 31.

Mores optimos & pietatem potiſſimùm Sapientia comprehendit, *Sap.* VI, 10. 595, a 59, ſeqq.

Moſi cur dicatur *tu eris Pharaoni in Deum*, Exodi IV, 16. 29, a 13. & VII, 1. 29, b 37, ſeqq. per quid Deus ei apparuerit, *Exodi* IV, 27. 29, a 28.

Moſis uxor cur *Æthiopiſſa* dicta cum Madianitis eſſet, *Habac.* III, 7. 539, b 62, ſeqq.

Mula publico ſumtu alita, quæ, cur, ubi, *Exodi* XX, 10. 46, a 58.

Muliebris mundi & ornatus cenſus, *Eſa.* III, 18—23, ſeqq. p. 276, a 26, ſeqq. b 1—17, ſeqq. *Jer.* II, 32. 345, b 41. *Ezech.* XVI, 12. 417, a 47, ſeqq.

Mulier, *Eſth.* V, 10. 201, a 20. bona; mala, *Prov.* XXXI, 10, ſeqq. p. 258, a 30, ſeqq. *Sirach.* XXV, 19, 26, ſeqq. p. 662, a 15, ſeqq. XXVI, 8, 9, ſeqq. p. 664, a 19, ſeqq. XXXVI, 23—27. p. 683, a 23—54. XL, 19. 691, b 31. XLII, 13, 14. p. 695, b 41, ſeqq. mulier caſta, quæ, *Judith.* VIII, 8. 582, a 42. *mulier* quid allegoricè ſit, *Gen.* III, 15. 5, a 12. *mulier* quo ſenſu dicatur ſuum *relinquere maritum*, Sirach. XXIII, 32. 657, a 51, ſeqq. *mulieris ſemen* quodnam ſit, *Gen.* III, 15. 5, a 7, ſeqq. mulierem ducere cupiens quid in ea ſpectare debeat, *Sirach.* XXXVI, 23. 683, a 25, ſeqq. mulierem vinolentam quænam mala ſequantur, *Sirach.* XXVI, 11. 664, b 5, ſeqq.

Mulieres quibus ex cauſis abortire ſoleant, *Michæ.* VI, 14. 529, a 25, ſeqq. Ægyptiæ quàm ſint fœcundæ, *Exodi* XII, 37. 31, a 54, ſeqq. mulieres quænam vix credantur caſtæ, *Levit.* XXI, 1. 68, b 52. mulieres an poterant ex Lege infantes circumcidere, 1 *Maccab.* I, 63. 726, b 11, 12. mulieres quæ funeri intererant feretrum præcedebant, II *Reg.* III, 31. 132, a 34, 35. mulieres quænam comparentur *Iezabeli*, III *Reg.* XVI, 31. 153, a 34, 35. mulieres ubi multis imperârint ſeculis, III *Regum* X, 1. 148, b 16. mulieres quibuſnam incendi ſoleant, *Ezech.* XXIII, 6. 429, a 7. mulieres impudicæ in quonam ultimam habeant voluptatem, *Ezech.* XVI, 24, 25. p 417, b 48. mulieres parturientes ubinam apponere manus ſoleant, *Ier.* XXX, 6. 374, a 31. mulieres cur poſt partum per triginta dies non adibant Templum, *Levit.* XII, 4. 63, b 51, 53. mulieres ſuperſtitioſæ, *Ier.* XLIV, 19. 386, b 5. mulierum blanditiæ quàm periculoſæ, *Sirach.* XLII, 14. 695, b 46, ſeqq. *mulierum* nomine quinam intelligantur, *Eſa.* III, 4. 276, a 12. mulieribus Hebræis cur ſalvâ religione ſuâ licebat nubere marito externo, II *Par.* II, 14. 181, a 36, 37. mulieribus cur prohibitum ſit indui veſte virili, *Deut.* XXII, 5. 97, a 18, ſeqq. mulieribus quidnam ſemper fuerit indecorum, VII *Maccab.* p. 791, a 5.

Multis commiſſa minùs rectè curari, *gum* XII, 6. 165, a 62, 63.

Munditiès dentium, Eſa. III, 26. 277, a 5, 6.

Munera quænam Deo non offerenda, *Sirach.* XXXV, 14. 681, a 55.

Murus quem Deus præceperat fieri *in circuitu tecti* quam debebat habere altitudinem, *Deut.* XXII, 8. 97, a 47, 51. muri quibus circumdabatur Babylon quot & quàm lati erant, *Ier.* LI, 58. 399, b 1.

Mus quot denariis venierit in Caſilino ab Annibale obſeſſo, IV *Reg.* VI, 25. 161, a 60.

Muſſulmannos Mahumetiſtæ unde ſe dicant, *Eſa.* XLII, 19. 312, b 1, 5.

Mutuum accipientis ſervitus, *Prov.* XXII, 7. 245, b 59, 60.

Myſtacem lugentes & leproſi obtegebant, *Ezech.* XXIV, 17. 431, b 47, ſeqq. *Michææ* III, 7. 525, a 47.

N.

NABO quid erat apud Babylonios, *Eſa.* XLVI, 1. 317, b 40, 43.

Nabuchodonoſor quid Hebræis ſignificet, *Judith.* p. 578, b 51. cur *Leoni*, *Lupo* & *Pardo* comparetur, *Ier.* V, 6. 348, b 55. quot annos in obſidenda Tyro impenderit, *Ezech.* XXIX, 17. 440, a 61. & verſ. 18, b 7. quali erat ingenio, *Dan.* III, 15. 458, b 15. quot Reges ſubjugârit, aut domuerit, IV *Reg.* XXIV, 1, 2. 174, a 45, ſeqq. & XXV, 4, ſeqq. p. 174, b 50, ſeqq. *Ier.* XXVII, 3. 372, a 41. XLVI, 2. 387, a 60. à quo Rege bello laceſſitus ſit, *Ier.* XLVI, 2. 387, a 60.

Nabonnedus ultimus Babyloniæ Rex verum Deum cognovit, *Dan.* VII, 4. 466, a 29, 30.

Nabuzardan in qua regione collegerit Judæos catenis vinctos, *Ier.* XXXI, 15. 375, b 28, 30.

Nachoris filius cur dictus *Aram*, Gen. XXII, 21. 16, b 18.

Nahum Propheta quo tempore vixerit, IV *Reg.* XV, 32. 167, b 51. quandonam ſcripſerit, *Nahum.* I, 1. 531, a 26. illius Prophetia per quem impleta ſit, *Ibid.* lin. 31.

Naſibis, *Neſabis*, *Niſibis*, Oſeæ X, 2. 497, b 37, 38. *Nahumi* II, 7. 533, a 37.

Naſus aquilinus, *Eſa.* XLVI, 11. 318, a 21, ſeqq.

Nationes penes quas olim fuerit veri Dei cultus, *Amoſi* IX, 12. 517, b 63, ſeqq.

Naturæ Divinæ ſymbolum quodnam ſit, *Exodi* XL, 36. 59, b 40.

Natura humana ad quid Dei bonitate apta ſit, *Sap.* I, 14. 589, b 24.

Navigandi ars à quibuſnam inventa, *Baruch.* III, 22. 716, b 1, 2, 5. navigantium vita, *Sap.* X, 4. 599, a 56.

Nechao quorumnam Rex erat, & quem bello laceſſiverit, *Ier.* XLVI, 2. 387, a 56, 57, 60.

Nefas erat myſteria conſpici apud omnes ferè gentes, 1 *Reg.* VI, 19. 121, b 31.

Nehemias qualis erat, & quis ei comparandus, *Nehem.* I, 1. 193, a 41. ejus prudentia, *Nehem.* IV, 9. 194, b 7, 9.

Nemrodus, *Gen.* x, 9. 10, b 19. prædo maximus, *Michææ* v, 1. 527, a 1.

Nergalis vel *Nergel* à quibus, & ſub qua forma colebatur, *Exodi* xx, 3. 37, a 38. iv *Reg.* xvii, 30. 169, a 46.

Nero quamdiu fuerit bonus, iv *Reg.* xii, 2. 165, a 25. cur *pupillus* à Poppæa dicebatur, iii *Reg.* xxi, 7. 156, a 46. Neronis icuncula, *Exodi* xx, 3. 39, b 41, 42.

Nervæ laus, *Sirach.* xviii, 27. 645, b 7, 8.

Ninive cujuſnam gentis erat urbs regia, & quales erant illius muri, *Jonæ* iii, 3. 521, a 8. illius Onus quod, *Nahum.* i, 1. 531, a 22. à quibus Regibus capta, *Tob.* xiv, 13. 578, b 39.

Nobilitatis ſplendor, *Eccleſ.* x, 17. 265, b 24, ſeqq.

Noe cur in aquis fuerit ſervatus ligno exiguo, *Sap.* x, 4. 599, a 52, 53.

Νομάδες quinam ſint apud Græcos, ii *Maccab.* xii, 11. 781, a 63, ſeqq.

Nomen *beati* quinam mereantur in hoc mundo, *Eccleſ.* xii, 8. 267, a 13. nomen quo Deus verus ab imaginariis diſtinguebatur, *Michææ* iv, 5. 526, a 26. nomen patriæ Balaam quodnam erat, *Num.* xxii, 5. 78, a 48. nomine *ſanctorum* quinam intelligantur apud Job, *Jobi* v, 1. 204, a 17. nomina quæ aſſumebantur ab evectis ad Imperium, *Dan.* v, 1. 462, a 6, 9. nomina boni ominis quænam dari ſolebant belli temporibus, i *Maccab.* xvi, 19. 762, a 33. nomina impoſita filiis Davidis Eliſama & Eliphaleth, i *Par.* iii, 6. 176, a 25.

Nota qua Judæi ab aliis gentibus dignoſcebantur, *Zach.* viii, 23. 554, b 52. notæ ad Jeremiam deſignandum cuinam magis congruant, *Eſa.* liii, 1. 323, b 19, 24.

Nothi quinam apud quasdam gentes, *Judith.* xi, 2. 113, a 60.

Notio qualis ſit quam debeamus habere de Deo, *Ier.* ix, 24. 354, a 63, ſeqq.

Novæ nuptæ apud Romanos domuum limina tranſilientes, *Sophon.* i, 9. 541, b 30, 31. apud eoſdem & Judæos priores cubitum ducebantur, *Tob.* vii, 19. 576, b 54.

Nox aggreſſoribus favens, ii *Macc.* viii, 7. 774, a 61.

Numa Solomoni comparatur, iii *Reg.* p. 143, a 4. cur ſimulacra ſuſtulerit, *Deut.* iv, 15. 84, a 38.

Numerandi mos per digitos, *Exodi* xx, 2. 36, a 29.

Numerus Ternarius cui ſacer, & quid Septenarius deſignet, *Dan.* x, 2. 474, a 61.

Numina ab Ægyptiis culta Sethonis tempore quænam erant, *Eſa.* xix, 1. 289, a 25, 40.

Nuptiæ, *Gen.* xxiv, 50—67. p. 17, a 51, ſeqq. *Deut.* xxii, 7. 97, b 13, 14. Iure Gentium, *Gen.* xx, 3. 15, b 4—6. ſollemnes, *Tob.* vii, 15, 16. p. 576, b 37—42, 47, ſeqq. coram teſtibus x, *Eſa.* viii, 2. 280, a 15, 16. diebus 7, *Gen.* xxix, 26. 19, a 31, 32. *Tob.* viii, 23. 577, a 27, 28. nuptiæ fauſtæ, iv *Reg.* viii, 18. 162, b 30, 31. *Tob.* vi, 17. 576, a 49. viii, 9. 577, a 10. *Sirach.* vii, 21. 623, a 61. xxv, 28. 662, b 49, 50. xxvi, 23. 665, a 53. nuptiæ cum Paganis, *Eſdræ* x, 3. 193, a 19, ſeqq. nuptiæ ſerviles quomodo ſolvebantur, *Exodi* xxi, 4. 52, a 5.

O.

OBDURATIONIS judicium, *Jobi* xxxiii, 29. 214, a 61, ſeqq.

Obedientia quibus præſtanda, *Ioſ.* i, 18. 103, a 39.

Objectio quæ fieri ſolet bonis & piè viventibus & tamen afflictis, *Ier.* xii, 1. 357, a 1.

Oblationes de quibus licebat poſt ſanguinis effuſionem offerentibus cum ſuis epulari, in ſignum amicitiæ cum Deo, *Lev.* iii, 1. 61, a 33, 38, 41.

Obſeſſio urbis Jeroſolymitanæ quamdiu duraverit, *Ezech.* iv, 8. 406, a 10.

Obſidio per Sennacheribum facta quot annis antea prædicta ſit, *Eſa.* xxix, 1. 299, b 54.

Obſignatio decretorum quid ſit apud Hebræos, *Eſa.* lv, 6. 326, a 54.

Obſtinatio quænam dicebatur *ſuperbia*, *Num.* xv, 30. 75, b 36.

Occaſionem dare impiis gentibus malè ſentiendi de Lege Divina, quale malum, ii *Reg.* xii, 14. 136, a 15.

Oceani domus quænam ſint, *Gen.* i, 4. 1, a 49.

Ocriſia quibuſnam peregrina Regem genuerit, *Ruth.* i, 4. 117, a 28.

Oculi Dei in univerſam terram diſcurrentes quid ſint, *Zach.* iv, 10. 551, a 50. oculi quibuſnam adimi ſolebant, *Iud.* xvi, 21. 115, b 24.

Odor divinus qui effundebatur in fundamento Altaris quid erat, *Sirach.* l, 17. 710, b 9.

Offa penita, Levit. iii, 9. 61, a 48.

Offendiculum ponere coram cæco quid ſit, *Levit.* xix, 14. 67, a 5.

Olachas amnis quam vim habeat in perjuros, *Num.* v, 17. 73, a 38.

Olda mulier quonam dono donata ſit, *Ezech.* xiii, 17. 415, a 17.

Olea quid amet, *Gen.* viii, 7. 9, a pen. Hebræis cara, cur, *Iudith.* xv, 15. 585, b 9.

Oleum à quibuſnam ſacrificiis aberat, *Num.* v, 15. 73, a 5, 6, 7. oleum in Judæa præſtantiſſimum, *Oſeæ* xii, 1. 500, a 52, 53. olei vis qualis ſit, *Eſa.* x, 27. 283, b 12, 14.

Onias Pontifex optimus à quo fuerit ejectus, *Eſa.* lxvi, 3. 340, b 52. à quo interfectus, *Ibid.* lin. 55.

Onocrotalorum genera quot ſint, *Sophon.* ii, 14. 543, a 25.

Onera quid ſint ſecundùm Prophetas, iv *Reg.* ix, 25. 163, a 10.

Onyx ad quid per Philonem referatur, *Exodi* xxx, 34. 57, a 25. Onyx lapis qualis ſit formæ, *Ezech.* xxviii, 13. 438, b 17.

Operæ diurnæ æſtimatio, *Zach.* xi, 12. 559, b 48.

Opes quæ olim, *Gen.* xxxiii, 19. 20, b 40. opes nimiæ quid eas poſſidentibus afferant, *Deut.* xvii, 9. 89, b 28.

Opes malè partæ, *Prov.* xx, 21. 254, a 63, ſeqq. *Sirach.* xxvii, 4. 666, a 1. xli, 9. 693, a 35, 36.

Ophir Terra ubi ſita ſit, iii *Reg.* ix, 28. 148, a 51. & xxii, 49. 157, b 48.

Opus Dei peculiare quodnam ſit, *Habac.* iii, 2. 539, b 1, 6. opus facientibus mos erat bene precari, *Ruth.* ii, 4. 117, a pen. *opus famulum* quodnam erat apud Romanos, *Exodi* xii, 16. 31, a 32, 35. *vide* Fam. op.

Opera Dei quàm ſint hominibus inſcrutabilia, *Exodi* xxxiii, 19. 58, a 2. opera Divina quibus extra ordinem Deus utitur quomodo ab Hebræis vocentur, *Gen.* iii, 23. 6, a 30.

Oræ maritimæ quomodo ab Hebræis vocabantur, *Eſa.* xx, 6. 290, b 10.

Orare quouſque liceat pro peccatoribus, i *Reg.* xvi, 1. 125, a 58.

Orantium mos apud Hebræos, *Jud.* iv, 9. 580, a 61.

Orandi mos apud omnes ferè gentes, *Exodi* ix, 29. 30, a 42.

Oratio quæ dicitur *cadere* à quibuſnam fiat, *Jer.* xxxvi, 7. 381, a 14. & xlii, 2. 385, a 20. oratio pro mortuis quandonam inceperit apud Judæos, ii *Maccab.* xii, 42. 783, a 2.

Orbis rerum humanarum, *Eccleſ.* i, 4. 258, b 50, ſeqq. & verſ. 9. p. 259, a 29, ſeqq.

Ordo quis ſit in genitura, *Jobi* x, 11. 205, b 7. ordo in liberalitate ſervandus, *Deut.* xv, 11. 88, a 30. ordo Regum ſub quibus vixit Jeremias quis ſit, *Ier.* i, 2. 343, a 15.

Ordinum Delegati, *Dan.* iv, 33. 461, b 29, 30.

Orgia quid erant, & cuinam deo ſacra, iii *Macc.* p. 792, b 26.

Orientis filii quinam, *Eſa.* xi, 14. 284, b 41. Orientis ſimulacra pleraque alia, *Ier.* x, 3. 354, b 51.

Ornamenta quænam dicantur *muliebria*, Jer. ii, 32. 345, b 41. *adde* Muliebr. mund.

Orpheus quo ſupplicio fuerit affectus à mulieribus Thraciæ, *Dan.* ii, 5. 455, a 21, 22, 25.

Orus quibuſnam erar numen, *Eſa.* xix, 1. 289, a 40.

Os dilatare quid ſit, *Eſa.* lvii, 4. 328, a 8.

Oſeæ dicta ad quoſnam pertineant, *Ioel.* i. p. 504, a 30.

Oſiris quibuſnam numen erat, *Eſa.* xix, 1. 289, a 40.

Oſſa olivarum quid ſint, *Baruch.* vi, 42. 720, a 19.

Oſtentatoris character, *Sirach.* xxv, 4. 660, b 40.

Otium quàm hominibus fugiendum quinam ex Antiquis doceant, *Exodi* i, 11. 28, a 19, 27, 29.

Oves in Meſopotamia quoties in anno pariant, *Gen.* ii, 10. 3, a 36.

Oza cur manum extendens in Arcam peccârit, ii *Reg.* vi, 6. 133, a 25.

Ozias Rex quarum rerum fuerit peritus, ii *Par.* xxvi, 6. 187, a 4.

P.

PACIS cauſa in populo quænam ſit, *Zach.* viii, 16. 554, b 31.

Pactum quinam dicantur *tranſgredi*, Deut. xvii, 2. 88, b 55.

Palmarum Civitas quænam erat, & à quibus habitata uſque ad ædificationem Templi, *Jud.* i, 16. 109, b 35.

Paludes Pomptinas quis ſiccârit, *Iobi* xiv, 11. 206, b 20.

Panicum, Ezech. xxvii, 17. 436, b 14.

Panis urbibus obſeſſis ex quo fieri ſoleat, *Ezech.* iv, 9. 406, a 23. *panis pollutus* qui offerebatur quis erat, *Zach.* i, 7. 567, a 3, 9. *panem frangere* cur dicatur pro communicare, *Eſa.* lviii, 7. 330, a 29, 31.

Panſophia, *Sap.* viii, 8. 598, a 6, 7.

Paradiſus Adamo datus ubinam fuerit, *Ezech.* xxxi, 8. 441, b 38. Paradiſus terrenus cur inter magna flumina fuerit à Deo conſtitutus, *Gen.* ii, 6. 2, a 59, 62, ſeqq.

Paralipomenωn Libri à quo fuerint ſcripti, i *Par.* p. 175, a 26. cur ita dicti à Græcis. *Ibid.* lin. 45.

Paraſiti vita, *Sirach.* xl, 30. 692, a 56, ſeqq.

Pardus apud Perſas & Ægyptios quid ſignificet, *Dan.* vii, 6. 466, a 52.

Parentes mali, *Sap.* iii, 12. 592, a 20—22. Parentes mortui quot diebus olim lugebantur, *Sirach.* xxxviii, 17, 18. 686, b 2. Parentum honos, *Exodi* xx, 12. 47, a 21, ſeqq. Parentum vitia naturaliter transfundi, *Sap.* iii, 13. 592, a 25, 26. Parentibus bonis prognati, *Tob.* vii, 7. 576, b 10, ſeqq.

Parmenidis Principia quæ, quot, *Gen.* i, 3. 1, a 43.

Pars in dubiis quænam ſumenda, *Levit.* v, 1. 61, b 41.

Parthorum Regum quodnam erat oblectamentum, *Baruch.* iii, 16. 716, a 44. & verſ. 17. lin. 47.

Parvulorum nomine quinam intelligantur, *Eſa.* iii, 4. 276, a 9.

Paſcha an ſit ſacrificium, *Exodi* xv, 26. 32, b 3. *Paſchata* quid erant, ii *Par.* xxx, 17. 188, a 58.

Paſtophoria quid erant, I *Macc.* IV, 38. 732, b 38.
Paſtoralis vita cui conveniens, *Gen.* XIII, 7. 11, b 24, 25.
Pater quodnam habebat jus aſſignandi cuique liberûm ſuas portiones, *Deut.* XXI, 16. 96, a 53. Pater qui filium caſtigans occiderit an debeat fugere, *Exodi* XXI, 12. 52, b 31.
Patri quandonam licebat ſuam filiam vendere, *Exodi* XXI, 7. 52, a 18.
Patientia exercenda, *Sirach.* II, 4, 5. p. 612, b 45, ſeqq. patientiæ laus, *Prov.* XVI, 32. 252, à 60.
Patientia Dei in furorem verſa, *Ezech.* I, 13. 402, a 29, 31.
Pauperes cur divitibus diſpliceant, *Sirach.* XIII, 24. 635, b 54.
Paupertatis ſolatia, *Prov.* XIX, 1. 253, a 52, ſeqq.
Pax quibuſnam ponatur pro Beneficio, *Levit.* III, 1. 61, a 34. pacis tempore de bello cogitandum, II *Par.* XIV, 7. 183, a 55, 56. pax inconcuſſa quibus verbis à Propheta prædicebatur, *Eſa.* XI, 6. 284, a 53. Pax Marte potior, *Prov.* XII, 20. 250, a 9, ſeqq. II *Macc.* XII, 1. 780, b 50—60.
Peccatum aberratio à lege, *Tob.* III, 3. 574, b 23. peccatum non dimitti niſi factâ reſtitutione, *Num.* V, 8. 72, b 60, ſeqq. *Ionæ* III, 8. 521, b 6, 7. peccatum multorum, *Oſeæ* X, 3. 497, b 47. peccata omnia hoc habent, quòd quò frequentiùs fiunt eò exuantur difficiliùs, *Sirach.* XXIII, 24. 656, b antep. peccata quænam plus Deum offendant, I *Reg.* II, 25. 120, a 48. peccata cur quaſi à facie colubri fugienda, *Sirach.* XXI, 2. 651, a 28. peccata exprimuntur Populi, *Zach.* XII, 14. 562, a 50. Sacerdotum, *Malach.* II, 8. 568, b 21. *peccata populi comedere* quid ſit, *Oſeæ* IV, 8. 490, a 27.
Peccare in animam ſuam quinam dicantur, *Num.* XVI, 38. 76. b 27. peccandi conſuetudo unde procedat, *Jer.* XIII, 23. 358, b 13, ſeqq. peccantium duo inſignes gradus, *Jer.* XXIII, 3. 367, b 30, ſeqq. peccari propoſito, actu non ſecuto, *Exodi* XX, 17. 49, b 62, ſeqq. peccatores quos præſertim reſpiciat ira Dei quinam ſint, *Sirach.* V, 7. 618, b 21.
Pecunia, Ezech. XXVI, 20. 434, b 21. quid olim erat, *Gen.* XXXIII, 19. 20, b 37. cuinam non danda mutuò, *Sirach.* VIII, 15. 625, b 57. ex qua Templum reparari debebat, quotuplex erat, IV *Reg.* XII, 4. 165, a 33, 35, 39, 49. pecunia nulli uſui, quæ, *Eccleſ.* V, 9. 261, a 30, 31.
Pedes nudi ad quid pertineant, *Exodi* III, 5. 28, b 29.
Pekos turris, Zachar. XIV, 10. 564, a antep.
Pella cur ſubverſa fuerit, *Eſa.* LX, 12. 333, a 27.
Pellis detractio à qua victimæ parte incipiebat, *Levit.* I, 6. 60, a 30.
Pentapolis Judaica quænam ſit, *Sap.* X, 6. 599, b 23.
Percuſſio per virgam quid myſticè ſignificet, *Num.* XX, 11. 77, b 14.
Peregrinationis fructus, *Sirach.* XXXIV, 9. 679, b 8, 9, ſeqq.
Perfidia in hoc facto atrox, II *Reg.* XX, 10. 141, b 6.
Periculum non minus eſſe ex magna fama quàm ex mala, II *Par.* XXI, 4. 185, b 49.
Peritia quam habere debebant qui Regi à conſiliis erant, qualis erat, II *Par.* XVII, 7. 184, b 38.
Perjurii vindicta, *Exodi* XX, 7. 44, b 9, 10. *Zach.* V, 4. 551, b 36, ſeqq. *Sirach.* XXIII, 12. 656, a 3, ſeqq. *Junge* Jurare.
Perſæ quomodo ſuum honorent Regem, *Eſth.* III, 2. 199, b 25, 27, 28. eorum mos in explorandis diebus rei propoſitæ proſperis aut adverſis, *Eſther.* III, 7. 199, b 45. Perſæ quem honorem Cyro detulerint, *Eſa.* XLV, 14. 316, b 56. Perſæ quandonam inceperint habere templa, II *Macc.* I, 13. 763, b 9. Perſarum leges quales erant, *Dan.* VI, 12, & 15. 464, b 31, 50. Perſarum mos de damnatis quis erat, *Eſdræ* VI, 11. 192, a 31. eorum Reges quale pileum gerebant, & quale Satrapæ, *Ezech.* XXI, 27. 426, b 58. quomodo appellabantur, *Eſdræ* VII, 12. 192, a 55.
Pertinaciæ incommoda, *Sirach.* III, 29. 615, b 4, 5, ſeqq.
Peſtilentia quid ſequi ſoleat, *Amoſi* VI, 9. 514, b 43, ſeqq.
Petra Vrbs in quo monte erat, *Num.* XX, 25. 77, b 34. cur ita dicta, IV *Reg.* XIV, 7. 166, b 14, 16.
Pharaonis nomen ad quodnam tempus Ægypti Regibus manſerit, *Gen.* XII, 11. 11, b 8.
Pherezæi qui & unde dicti, *Gen.* XV, 20. 13, b 12.
Phialæ quid? *Amoſi* VI, 6. 514, b 17. Phialarum numerus in Templo quantus erat, *Zach.* XIV, 20. 565, b 16.
Philiſthini in quo meliores erant quàm nunc multi Chriſtianorum, I *Reg.* X, 5. 123, a 26.
Phœnices quemnam coluerint pro deo belli, *Dan.* XI, 38. 482, b 14. Phœnicum mos primitus quis & quàm crudelis, *Ezech.* XVI, 45. 419, a 3.
Phœniſſa ſive Chananæa Lingua & Hebræa penè eadem, *Eſa.* XIX, 18. 289, b 42, 43.
Phul qualis erat, *Jonæ* I. p. 519, a 43.
Phyſices ſtudium, *Sap.* VII, 17. 596, b 35. ſeqq. & verſ. 20. b 54, ſeqq. p. 597, a 3.
Pietatis veræ fundamentum quodnam ſit, *Deut.* XXIX, 18. 101, a 26. pietatem Sapientia præcipuè comprehendit, *Sap.* VI, 10. 595, a 59, ſeqq. VII, 7. 596, a 48, 49. & verſ. 21. p. 597, a 9, ſeqq. X, 4. 599, a 52. pietatis retinentes quot fuere in Decem Tribubus, III *Reg.* XIX, 18. 155, a 23.
Pili cur relinqui debebant in ulcere, *Lev.* XIII, 3. 64, a 47.
Pingere Idolorum formas in pariete quorum mos erat, *Ezech.* VIII, 10. 410, a 29, 34.
Piſcatores à Deo ad Hebræos miſſi quinam erant, *Jer.* XVI, 16. 361, a 51.
Piſcium ſanguis non erat Hebræis vetitus, *Levit.* VII, 26. 62, b 17, 20.
Piſcinæ apud Hieroſolyma quot erant, *Eſa.* XXII, 9. 292, a 36.
Piſidæ quam prædæ partem cuſtodientibus domos dabant, I *Reg.* XXX, 24. 130, a 40.
Piſiſtratus quomodo dominatum obtinuerit, & illum muniverit, *Jud.* IX, 4. 112, b 23.
Pia mens templum Dei, *Eſa.* LXVI, 1. 340, a 50, ſeqq. pii hominis character, *Eſa.* XXXIII, 15. 304, b 58, ſeqq.
Piorum mos erga Deum quis ſit, *Dan.* IX, 20. 472, b 54.
Plagium eſſe capitale, *Exodi* XXI, 16. 52, b 51. de qua ætate intelligendum, *Exodi* XX, 14. 49, a 33, ſeqq.
Plato quid de Angelis cenſuerit, *Pſalmo* CIV, 4. 240, a 10.
Plaudere ſuper femur quale ſignum, *Ezech.* XXI, 12. 425, b 1.
Ploſtellum, Eſa. XXV, 10. 296, a 9, ſeqq. *Amoſi* I, 3. 509, b 39—48.
Pluvia, *vide* Imber.
Pœna quæ debebatur cum idololatride femina concumbentibus, *Deut.* XIII, 9. 87, a 39, 47. pœna hominum ſanguinolentorum & doloſorum Legis tempore, *Pſalm.* LV, 24. 232, a 26, 31. pœna ἀϛρατείας, *vide* Miles, Militia. Pœnâ duplâ digni, qui, *Ezech.* XVIII, 24. 422, b 21, 22. & pœna gravior quorum, *Ezech.* V, 9. 407, b 1, 2. pœna multorum ob unius crimen, *Joſ.* VII, 1. 104, b antep. II *Reg.* XXIV, 13—17. p. 142, b 50, ſeqq. *Ezech.* XIX, 14. 423, a 60, 61. pœna plagarum apud Judæos quando locum habuerit, *Deut.* XXV, 2. 99, a 18, ſeqq. pœnam quid mitiget, *Sap.* VI, 7. 595, a 45, ſeqq.
Pœnæ cuique peccato propriæ, *Deut.* XXVIII, 48. 100, b 31, 34. pœnarum diverſitas, *Deut.* XVII, 8. 89, a 32. & 36.
Pœnitentia ſalutaris dea, *Sirach.* XXXII, 23. 24. p. 676, b 40, 41. non deſpicienda, *Sirach.* VIII, 6. 625, a 41, ſeqq. loco virtutis habita, IV *Reg.* XIII, 4. 166, a 37. facit ut quis non volens peccaſſe videatur, *Sirach.* XX, 4. 648, b 53, 54. rapta reſtituit, *Ionæ* III, 8. 521, b 6, 7. pœnitentiæ magnum ſignum, II *Reg.* XII, 23. 136, a 27.
Politices ſtudium, *Sap.* VII, 20. 596. b 62, 63.
Polluti quinam erant apud Gentes, *Lament.* IV, 15. 273, b antep.
Pondera Hebræorum & vicinarum gentium ex qua erant materia. *Prov.* XVI, 11. 252, a 23.
Pontifex Maximus apud Hebræos aliquem reperiens inhumatum an eum humare potuerit, *Lev.* XXI, 11. 69, a 1, 23.
Pontificis victima cur comburebatur, *Lev.* III, 1. 61, a 46. *vide* Sacerdos Summ.
Pontificium in quo populo erat etiam magiſtratus, IV *Reg.* XI, 3. 164, a 33.
Popæ, *Malach.* I, 10. 567, a 57.
Popilius virgâ Antiochum circumſcribens, *Dan.* XI, 30. 481, a 13, 14.
Populus alienus quis erat, *Exodi* XXI, 8. 52, a 35.
Populus quem Propheta *baculum* & *virgam* nominat, quis erat, *Jer.* XLVIII, 17. 390, a 4.
Populus quoto Die Tabernaculorum pecunias ad ſacrificia publica conferebat, *Levit.* XXIII, 36. 70, a 20, 23. populus cur optimè comparetur *oſſibus*, aut *corpori mortuo*, Ezech. XXXVII, 1. 447, a 57.
Populus Romanus in quo ſit Chriſti imago, *Dan.* VII, 13. 467, b 9.
Populus ſempiternus quis ſit, *Ezech.* XXVI, 20. 434, b 22.
Populi Judaici figura quæ, *Ezech.* XV, 2. 416, a 19.
Populum quid faciat, *Deut.* XXXII, 21. 102, a 10, 11.
Populi quinam præter Judæos obligati erant ad Circumciſionem, *Jer.* IX, 26. 354, b 31. populi ſuos filios morti tradentes in deorum ſuorum honorem quinam erant, *Deut.* XVIII, 10. 92, a (8), b, ſeqq. populi Judæorum cognati qui Aſſyriorum ſecuti erant partes reprehenduntur, *Eſa.* XXI, 1. 290, b 22. populi Orientis quid in ſuis Regibus amabant, I *Reg.* IX, 2. 122, b 15, 21. populi Judæis infeſtiſſimi quinam erant, *Michææ* IV. 3. 526, a 8.
Populorum mos hoſtium Rege capto quis ſit, *Ioſ.* VIII, 23. 105, b 8.
Populos uno contineri religionis vinculo utiliſſimum, III *Reg.* XVIII, 31. 154, b 14.
Porphyrius notatur, *Dan.* XI, 45. 483, b 54.
Porſena quam legem in federe cum Romanis poſuerit, I *Reg.* XIII, 19. 124, b 6.
Portæ à quo ſoleant nomen accipere, *Dan.* VIII, 2. 469, a 54.
Poſſeſſionis ſymbolum, *Gen.* XIII, 17. 11, b 48, 49. commodum, *Ioſ.* I, 3. 103, a 12, 13. poſſeſſiones ambulatoriæ, IV *Reg.* XIV, 28. 167, a 29, ſeqq.
Poſtes quot erant in Templo ſub gazophylaciis, *Prov.* IX, 1. 249, a 40.
Potentiæ rarum accidens, (*nemo potentiam ejus injuriâ ſenſit*), ... potentiæ firmamentum, I *Macc.* III, 21. 730, a 57, 58.

Poteſtas Patria apud quos ingens erat in filiarum matrimoniis, *Joſ.* XV, 16. 107, b 8.

Poteſtates omnes magnæ quo nomine ab Hebræis nominentur, *Sapient.* X, 14. 600, a 20.

Præceptum ſenibus in conviviis ſervandum, *Sirach.* XXXII, 4, 5. 675, b 31. junioribus, *Ibid.* verſ. 10. lin. 57. præceptum de vitando fœnore quos obliget, *Exodi* XXII, 25. 54, a 17. præcepta omnia Legis in quonam dicto contineantur ſecundùm Hebræos, *Habac.* II, 4 537, b 43, 54. præcepta in bello obſervanda quænam erant, *Deut.* XX, 10, 11, 13, 14, 19. p. 95, a 15, ſeqq. præcepta redeuntibus à convivio obſervanda, *Sirach.* XXXII, 15, 16, 17. 676, a 34, ſeqq.

Prædones cur comparentur *onagris*, Jobi XXIV, 5. 210, b 40.

Præfecti quinquaginta militibus quot erant apud Hebræos, *Exodi* XVIII, 21. 33, a 21.

Prælii figuratio, II *Maccab.* V, 2. 769, b 19—29.

Præparatio egregia ad Euangelium, *Michææ* VI, 8. 528, b 32, 33, 34.

Præputium quò projiciebatur, *Gen.* XVII, 12. 14, a 16.

Præputii nomine quid intelligant Hebræi, *Levit.* XIX, 23. 67, b 4. *præputia cordium auferre* quid ſit, *Jer.* IV, 4. 347, b 11.

Præſcientia Dei quò pertingat, *Jerem.* XXXVIII, 20. 382, b 49, ſeqq. præſcientiæ Divinæ ingens indicium, III *Reg.* XIII, 2. 151, a 34. præſcientiam auferre Deo, & eam iis dare qui non habent, quantum ſit crimen, IV *Reg.* I, 2. 158, a 21.

Præſcriptio Juris, *Jud.* XI, 26. 113, b 23, ſeqq.

Præſidium Dei per quid ab Hebræis ſignificetur, *Eſa.* IV, 5. 277, a 38.

Prævaricari, Ezech. XV, 8. 416, a 42, ſeqq.

Precari bene populo, Sacerdotum erat, *Malach.* II, 2. 568, a 15.

Preces pro mortuis quandonam inceperint apud Judæos, II *Macc.* XII, 42. 783, a 2. preces qui ad Regem perferre vult, ad Deum priùs perferat, *Nehem.* II, 4. 193, b ult. preces quid impediat quominus audiantur à Deo, *Eſa.* LIX, 2. 331, b 3.

Prenſatores, *Sirach.* X, 31. 630, a 5.

Presbyteri à quibus myſticè generentur, *Num.* XVIII, 1. 76, b 45.

Preſter, *Num.* XXI, 6. 77, b 42.

Priapi forma ubinam poni ſolebat apud Græcos & Italos, III *Reg.* XV, 13. 152, a 40.

Primitiæ frugum quò deferri debebant, *Exodi* XXIII, 19. 54, b 7. *primitiæ ſanctorum* quænam erant, *Sirach.* VII, 33, 34, 35. 624, a ult. primitiæ quandonam dabantur, & qualis pars fructuum debebat eſſe, *Deut.* XVIII, 4. 91, b 59. primitiæ frugum quibuſnam & quo jure cedant, *Jer.* II, 3. 343, b 54. *Malach.* III, 8. 570, b 43, 47.

Primogenitus quo jure poſſideat principatum in familia, & duplam habeat hereditatem, *Gen.* XLIX, 3. 25, b 60. *Deut.* XXI, 17. 96, b 1. IV *Reg.* II, 9. 158, b 24. *primogenitus mortis* quis ſit, *Iobi* XVIII, 13. 208, a 54.

Primogeniti qualem abſentibus parentibus in fratres auctoritatem habebant, *Gen.* IV, 7. 7, a 51.

Princeps inter manſueta animantia quis ſit, *Gen.* XLIX, 6. 26, a 19. Princeps à qua re nomen Hebræum habeat, *Eſa.* XXXII, 8. 303, b 39. Principis boni quodnam ſit officium, *Deut.* III, 28. 83, b antep. Principis boni character egregius, II *Macc.* XV, 18. 788, a 31, 32. Principes in Judæa qualia ſibi imponebant nomina, *Amoſi* VI, 1. 514, a 33. Principes familiarum ſub Davide Rege quot millibus virûm militaris ætatis præerant, I *Par.* XXVII, 1. 180, a 36. Principes pernicioſi quàm malè de republica mereantur, III *Reg.* XIV, 16. 151, b 39, 40. Principum honeſta atque inhoneſta quibuſdam laudari, II *Reg.* XIII, 5. 136, b 11, 12. Principum ſanguinis Regii factionem ſequentes quid agere & impedire ſoleant, II *Reg.* XVI, 21. 139, a 4. Principibus quid ſit maximè neceſſarium, *Prov.* XII, 16. 250, a 3, 4.

Principia generationis quænam ſint, *Deut.* XXXIII, 14. 102, b 12.

Privatus, Dan. VII, 13. 467, a 62, ſeqq.

Privilegium apertæ viſionis cur datum Moſi, *Num.* XII, 8. 75, a 20.

Proculus quomodo factus fuerit Imperator, *Sirach.* XI, 5. 630, b 41.

Promiſſio vinculum, *Baruch.* VI, 42. 720, a 17, 18.

Promiſſa Dei ſub conditione intelligenda, *Dan.* IX, 4. 472, a 50, 51. promiſſis vitæ æternæ non credentibus quid accidet, IV *Reg.* VII, 2. 161, b 56.

Prophetæ cur à turba ſe ſegregare ſolebant, I *Reg.* X, 5. 123, a 31. quinam viderint Populum reducem, *Aggæ.* p. 545, a 12. quinam fuerint *σύγχρονοι*, *Oſeæ* I, 1. 486, a 4. in quibus imperio Regio non tenebantur, IV *Reg.* I, 9. 158, a 33. quot ſint numero, *Eſa.* p. 275, a 20, ſeqq. quandonam inceperint, & quando finierint, *Ibid.* lin. 36. vulgaturi dira & triſtia ac gravia portatu, quanam utebantur præfatione, *Jer.* XXIII, 33. 369, a 14, 17, 18. qua voce uti ſoleant in luctus gravis ſignificatu, *Jer.* XLVII, 2. 388, b 38. ad quid ungebantur, III *Regum* XIX, 16. 155, a 12.

Prophetia quandiu deſierit ante Chriſti tempora, I *Par.* p. 175, b 41. Prophetiarum inſcriptiones à quo factæ ſint, *Amoſi* I, 1. 509, a 19.

Proprietates Dei Beneficæ cur multis exprimantur verbis, *Exodi* XXXIV, 7. 58, b 6, 9.

Proſelytus qui non Iſraelitam generaſſet, quoſnam habuerit heredes, *Num.* XXVII, 11. 80, b 33. Proſelyti quales debebant eſſe ut jus connubii accipere poſſent in Populo Dei, *Deut.* XXIII, 2. 97, b 53, 56.

Proſelyti honorum capaces, *Zach.* IX, 7. 555, b 34.

Protector quorum nomen, *Oſeæ* X, 6. 498, a 15.

Providentia Dei, *Jer.* XXXII, 19. 378, a 36, ſeqq. circa pios, *Sap.* X, 10. 599, b 53, 54. Providentiæ cognitio in Rep. ſollicitè cuſtodienda, *Sap.* XIII, 1. 602, b 1, ſeqq. providentiam negantes quomodo docentur, *Sap.* I, 3. 589, a 9. providentiam Dei quænam maximè oſtendant, I *Reg.* II, 4. 119, b 48.

Proximus quomodo corripiendus, *Sirach.* XIX, 17. 647, a 37.

Prudens quis ſit, & in quo differat à *ſapiente*, Deut. I, 13. 83, a 11.

Prudentum conſilia in teneris principatuum principiis, III *Reg.* XII, 7. 150, a 42, 51.

Prudentia, *Sap.* VIII, 8. 598, a 3. ex quibus conſtet ſecundum Ciceronem, *Gen.* II, 9. 2, b 42. quandonam maximè neceſſaria, *Sirach.* XLI, 17. 693, b 37. quantum proſit hominibus, *Prov.* III, 16. 247, b 29. circa quid verſetur, *Sap.* VIII, 7. 597, b 59. prudentiæ teſſera, *Sirach.* XXII, 19. 653, b 42. prudentiam quibuſnam adimat Deus, I *Reg.* II, 25. 120, a 56.

Pſalmus Iſcarioticus quis ſit, & in quem ſcriptus, *Pſalm.* CIX. p. 240, b 27, 31. Pſalmus ad Meſſiam pertinens, *Pſalm.* XLV, 1. 230, b 47. Pſalmus qui Expiationum Die cantabatur, *Pſalmo* XXXII, 1. 227, b 43.

Pſalterium quodnam ſit inſtrumentum, *Dan.* III, 5. 458, a 30.

Pſeudopropheta quo feſto tempore ſupplicio mulctabatur, *Deut.* XVIII, 22. 94, a 56. idem à quovis interfici poterat, *Deut.* XIII, 9. 87, a 39. *Zach.* XIII, 3. 562, b 51, 52, ſeqq.

Ptolemæus Philadelphus quot Judæos in oris longinquis ſervientes pretio dato liberârit, *Sophon.* III, 10. 544, a 51. ejus divitiæ, *Dan.* XI, 5. 476, b 43, ſeqq. p. 477, a 22, ſeqq.

Ptolemæus Philometor quomodo è vivis abierit, I *Macc.* XI, 18. 750, a 1.

Pudor quandonam *bonus* & ubi & quando *malus*, Sirach. XLI, 20, ſeqq. p. 693, b 53, ſeqq. & XLII, 1, ſeqq. p. 694, b 30, ſeqq.

Puella quæ peccaverat ubinam lapidabatur, *Deut.* XXII, 21. 97, b 25. puellæ delectatæ paſſeribus, & columbis, *Iobi* XL, 24. 219, a antep. puellæ in ſervitutem redactæ quodnam jus habebant ſe redimendi, *Exodi* XXI, 8. 52, a 32.

Puerorum nomine quinam intelligantur, *Eſa.* III, 4. 276, a 10.

Puerperia à quibuſnam flebiliter & exſequiæ cum hilaritate celebrentur, *Eccleſ.* VII, 2. 261, b 40.

Pugna naturæ inter Hyænam & Canem quanta ſit, *Sirach.* XIII, 22. 635, b 45.

Pulverem pedum lingere quorumnam ſit, *Eſa.* XLIX, 23. 321, a 1.

Pupilli quinam ſint intelligendi, *Oſeæ* XIV, 4. 503, b 1, 2.

Purgatio quænam ſit optima, *Num.* XIX, 9. 77, a 38.

Putredo nomen generale apud Hebræos, *Prov.* XIV, 30. 250, b 28.

Pyramides Ægyptiæ cur factæ, *Exodi* I, 11. 28, a 19.

Pyrrhus quomodo fuerit occiſus, *Jud.* IX, 53. 113, a 11, 12.

Pythagoras quid de Angelis cenſuerit, *Pſalmo* CIV, 4. 240, a 10.

Pythagorici unde ſumſerint *Non pergendum in via ubi aſinus procubuerat*, Num. XXII, 27. 78, b 10, 11.

Pythius in quem fuerit liberalis, II *Reg.* XVII, 29. 140, a 26.

Q.

QUÆSTIONES quas Sacerdotes ad Synedrium aut Prophetas referre debebant, *Zach.* VII, 2. 553, a 46.

Quæſtores cùm Ærarium aperire non auderent privatus patefecit, & cur, *Eſth.* IV, 16. 200, b 45.

Quæſtus quandonam non faciendi, *Eſa.* LVIII, 13. 331, a 23, 25. quæſtus quis *peculium Dei* dicatur, *Eſa.* XXIII, 18. 294, b 41.

Qualitates Samuelis, Saülis, Davidis, I *Reg.* p. 119, a 21.

Quercus Baſan quoſnam ſignificent, *Eſa.* II, 13. 275, b 47.

Querela beneficiis non adjungenda, *Sirach.* XVIII, 15. 644, b 27. Querelæ Judæorum cùm adhuc obſiderentur, *Eſa.* XXVI, 18. 296, b 48, 52.

Queſtus Jeremiæ ubinam incipiant, & quibus ſint ſimiles, *Jer.* XX, 7. 364, b 29.

Quies domeſtica cùm ſeditionum fluctibus agitatur quid fieri ſoleat, *Eſth.* IV, 16. 200, b 50.

Quintipores quinam ita vocabantur, *Exodi* XX, 10. 46, a 34. *Eſa.* XLIII, 1. 313, a 2.

R.

RABBATHA cujuſnam gentis erat urbs princeps, *Ezech.* XXI, 19. 425, b 41.

Rabab quæ erat, ubi habitârit, & cui fuerit nupta, *Ioſ.* II, 1. 103, b 23, 26.

Rama Urbs in qua Tribu ſit, *Jer.* xxxi. 15. 375. b 28.

Rami in cujus rei ſignum manibus gerebantur. 1 *Macc.* xiii, 51. 757, a 10.

Rapinæ ubinam ſoleant modum excedere, *Jonæ* 1, 2. 519, a 53.

Ratio potior pars hominis, *Eccleſ.* ii, 2. 259, a 56. bono conſilio à Deo data, *Sirach.* xix, 19. 647, b 16. vaga, *Sap.* xiii, 1. 602, a 60, 61.

Receptatio hoſtium quandonam odioſa, & quando minimè, *Joſ.* ii, 1. 103, b 13.

Recuperatores quinam dicebantur Romæ, *Sirach.* xiii, 26. 636, a 1.

Redituum nomine quid intelligatur, *Eſdræ* iv, 13. 191, b 41.

Regina cœli, cui ſacrificabatur, quænam erat, *Jer.* xliv, 17. 386, a pen.

Regnum per quot annos in poſteritate Davidis duraverit, ii *Reg.* vii, 13. 133, b 28. *Regnum perpetuò manſurum*, quod, *Dan.* ii, 44. 457, a 3, 5. *regno cujus Rex puer eſt*, quænam accidere ſoleant, *Eccleſ.* x, 16. 265, b 12. regna antiquiſſima quomodo ſeſe habebant circa populum, *Gen.* xxiii, 12. 16, b antep. regna quæ Xerxis tempore ſub Perſis erant, *Dan.* xi, 2. 476, a 14. regnorum mutatio unde, 1 *Par.* x, 14. 177, b pen. *Sirach.* x, 8. 628, a 29—46. regna quænam Romanis nunquam paruerint, *Dan.* vii, 18. 467, b 59. regna ubi transferuntur quid præcedere ſoleat, 1 *Par.* x, 14. 177, b pen.

Religio vinculum concordiæ, *vide* Cultûs unius philtrum. Religio Veterum in juramentis quanta erat, *Gen.* xxiv, 8. 17, a 34. Religio victoris arbitrio expoſita, *Nahum.* 1, 14. 532, b 14, 15. Religio vix ulla eſt, ubi non voluntaria, 1 *Par.* xiii, 1, 2. 178, a 36. Religionis læſæ crimen quando ſupponatur, *Dan.* vi, 5. 464, a 1, 2. Religionem acuunt pericula, *Jonæ* 1, 14. 520, a 47.

Remedium contra Regis iram, 1 *Reg.* xix, 12. 126, b 25. remedia ab Antiquis adverſus otium quæſita, *Exodi* 1, 11. 28, a 19—35.

Repagula quibuſnam feris conveniant, *Jobi* vii, 12. 204, b 45.

Res Deo voto promiſſa, ſi, priùs quàm ſolvatur, perierit, quid agendum, *Deut.* xxiii, 21. 98, a pen. res eaſdem Deus cur à Prophetis voluerit ſæpe prædicari, *Eſa.* xxix, 1. 299, b 56. res proſperæ & adverſæ quibus nominibus ſignificentur apud Hebræos, *Eſa.* viii, 20. 281, a 24. rerum ſacrarum & profanarum cujuſnam ſit habere curam, iv *Reg.* xii, 4. 165, a 27.

Reſina quibuſnam utilis & ad quid reſolvatur, *Jer.* viii, 22. 353, a 58.

Reſpectare quid ſit propriè, *Ezech.* 1, 9. 401, b 51.

Reſpectus noſtrî quales nos efficiet, ſi conſuluerimus nos, *Eccleſ.* vii, 23. 262, b 13. *Sirach.* viii, 6. 625, a 50.

Reſpublica ut conſtituatur quænam imprimis requirantur, *Jer.* xxxiii, 24. 379, b 54. Reſpublicæ immortales, & quid inde, *Sirach.* xxxvii, 28. 685, a 26—29.

Reſpublica Romana qualis erat ante bellum Punicum, 1 *Macc.* viii, 1. 740, b 17, 18. cuinam rei comparetur, *Eſa.* xxxiii, 23. 305, b 2.

Reſtituere quid ſit propriè, iv *Reg.* viii, 6. 162, a 47.

Reſurrectio mortuorum quibuſnam verbis fuerit prædicta, *Eſa.* xxvi, 19. 296, b 55, 57. *Ezech.* xxxvii, 3. 447, b 5. *Dan.* xii, 2. 484, a 33, 39. reſurrectionis fides quomodo apud pios creverit, *Zach.* xiii, 7. 563, a 28. quibus verbis probetur à Chriſtianis, *Iobi* xix, 25. 208, b 42, 46. reſurrectionis ordo quis debeat eſſe, *Iobi* x, 11. 205, b 7. Reſurrectionis Chriſti figura, *Ionæ* ii, 1. 520, b 9, 11.

Reverentia Gentium Juris qua Tobias ſepeliebat mortuos, *Tob.* 1, 21. 574, a 1.

Reus alicujus facti quo ſigno cognoſci ſoleat, *Iobi* xxxviii, 14. 217, a 47.

Rex terrorum quis ſit, *Iob.* xviii, 14. 208, a 58.

Reges & Imperatores, communi titulo, EVERGETÆ. *Eſther. Addit.* xvi, 3. 588, a 8. Reges cur inventi, *Prov.* xx, 8. 254, a 8—15. quinam ſoleant eſſe optimi, & quinam mali, *Sirach.* vii, 4. 621, b antep. Reges Sapientes, *Sap.* vi, 26. 595, b 51, ſeqq. quorumnam matriculas habere ſoleant, *Dan.* xii, 1. 484, a 30. comparantur excelſis arboribus, *Ezech.* xxxi, 3. 441, b 15. à quibuſnam legibus ſint liberi, *Pſalmo* li, 6. 231, b 12. providi crebris utuntur exploratoribus, 1 *Reg.* xxiii, 22. 128, a 24. quem honorem habebant ſibi cariſſimis, iv *Reg.* vii, 2. 161, b 52. viros ſummæ auctoritatis *Patres* vocabant, 1 *Macc.* xi, 32. 750, b 1. cur oppugnationibus intereſſe non debeant, *Iud.* ix, 53. 113, a 11, 14. concioni & comitiis dant operam ubi pericula ingruunt, iii *Reg.* xx, 7. 155, b 12. Regum bonorum character, iii *Regum* x, 9. 148, b 42—61. Sapientum icon, *Prov.* xvi, 10. 252, a 17—20. Regum opes à quibuſnam ſoleant everti, ii *Par.* xxiv, 17. 186, b 10. virtus in pace remiſſior, *Nehem.* ix, 28. 196, a 38, ſeqq. Regibus plurimum nocere poſſunt gnari conſiliorum, ii *Reg.* xv, 12. 138, a 25. iiſdem metuendi qui milites ſibi habent obnoxios, iii *Reg.* xvi, 9. 152, b 45.

Reges ad inopiam redacti, *Eccleſ.* iv, 14. 260, b 21, ſeqq.

Reges nullius conſilii per quid ſignificentur, *Eſa.* iii, 4. 276, a 10. item crudeles, *Amoſi* ix, 3. 517, a 56. qui minutiores Principes opprimunt quomodo vocentur. *Eſa.* xxvii, 1. 297, a 27. quandonam ſub Ferarum nominibus deſcribantur, *Pſalmo* lxxiv, 13. 235, b 53, 54.

Reges caſtigare Propheticum munus, ii *Par.* xvi, 10. 184, a 53. *Jer.* xxvii, 2, 3. 372, a 35, ſeqq.

Reges Chriſtiani plus Deo debent quàm David, *Pſalmo* ci, 1, 2. 239, b 12, 13, 16.

Regum nomen quo ſenſu ſingulis Chriſtianis detur, *Exodi* xix, 4. 33, b 4.

Reges Iſraelitarum: Regem facere Iſraelitis quandonam planè non licuit, *Gen.* xxxvi, 31. 21, b 12. non talibus circumſtantiis, *Deut.* xvii, 14. 91, a 42. 1 *Regum* viii, 5, 7. 122, a 13, ſeqq. Rex cur & quomodo ungebatur, 1 *Reg.* x, 1. 123, a 10. heres ſine controverſia non ungebatur, iii *Reg.* 1, 34. 144, a 18. dominatus qualis erat initio, 1 *Reg.* viii, 11. 122, a 37. ubinam Rex ſedebat ut tutior eſſet, iii *Reg.* vii, 8. 147, a 38. conſtituturus aliquid de ſacris conſenſum populi adhibebat, 1 *Par.* xiii, 1, 2. 178, a 32. ii *Par.* 1, 2. 181, a 23. quonam vehebatur animali, *Deut.* xvii, 16. 91, b 7. exiſtimatio quanta apud ſuos, *Ioſ.* 1, 18. 103, b 3. Regis Duarum & Decem Tribuum diſtincta auctoritas, *Ier.* xxi, 12. 365, b 46. iii *Reg.* xxi, 8. 156, a 50. Regi quænam condonare licebat, 1 *Reg.* xi, 13. 123, b 45. victori, Regis victi corona omniſque ornatus cedebat, ii *Regum* xii, 30. 136, a 45. Rege graviter peccante ultio ad Deum pertinebat, 1 *Reg.* viii, 11. 122, a 54. mortuus ſeptem diebus cum jejuniis & vili habitu lugebatur, *Sirach.* xxxviii, 17, 18. 686, b 2.

Reges Lacedæmonii quantum terræ poſſederunt, *Deut.* xvii, 17. 91, b 31, ſeqq.

Reges Orientis quibuſnam uſi ad feminarum miniſteria, *Eſth.* 1, 10. 198, a 60. eorum faſtus, *Eſa.* li, 23. 322, b 52. bene meriti inter deos referebantur; ii *Macc.* xi, 23. 780, a 13.

Reges Orientis à Nabuchodonoſoro ſubjugati, aut domiti, *Jer.* xxvii, 3. 372, a 41, 42, 43. *vide pleniùs*, Nabuchodonoſor.

Reges Pagani quinam Deum eſſe unum ſint profeſſi, *Eſdræ* 1, 2. 190, a 20, 21. quot & quinam in Judæos ſævituri erant, *Dan.* vii, 7. 466, b 24.

Reges Parthorum magnam ævi ſui partem venatu terere ſolitos, *Baruch.* iii, 16. 716, a 44.

Reges regum Perſiæ Reges, *Eſdræ* vii, 12. 192, a 55. Regium nomen dare filiis ſoliti dum viverent, ii *Macc.* ix, 25. 777, a 39. Rex Perſarum poſtremus quiſnam fuerit, *Dan.* viii, 3. 469, b 21. *vide* Perſæ.

Reges Syri à quibus nomen ſibi ſumere ſolebant, *Zach.* xii, 11. 561, b 59.

Regum nomen cur Angelis datum, *Dan.* x, 5. 474, b 25.

Regum ordo ſub quibus vixit Jeremias, *Ier.* 1, 2. 343, a 15.

Regum veterum Latinorum ſolia qualia erant, iii *Reg.* vii, 8. 147, a 38.

Regum ludus Solomonis tempore quis erat, iii *Reg.* x, 1. 148, b 25.

Rimmon idolum, *Zach.* xii, 11. 561, b 58.

Ritualia inſtituta quibuſnam facilè cedant, ii *Par.* xxx, 18, 19. 188, b 13.

Ritus intermiſſos quis debeat revocare, *Ioſ.* v, 3. 104, b 3. ritus in ſumenda uxore quis erat, *Ezech.* xvi, 8. 417, a 13. ritus quo fiebant ſponſiones apud Hebræos, *Prov.* vi, 1. 248, a 51. Palæſtinæ circa triturationem, *Eſa.* xxv, 10. 296, a 8, 9. ritus idololatricus in Ægypto & in Alexandria, ultimo cujuſque anno & menſis die, qualis obſervabatur, *Eſa.* lxv, 11. 339, a 53. ritus quo idololatræ colebant Martem & Venerem, *Sophon.* 1, 8. 541, b 21, 23. ritus quo ſacrificium faciebant idololatræ Veneri, *Deut.* xxii, 5. 97, a 31. Perſarum & vicinarum gentium in explorandis diebus rei propoſitæ proſperis vel adverſis, *Eſth.* iii, 7. 199, b 45. Gentium ſacrificantium ſuos liberos Saturno, *Deut.* xviii, 10. 92, b 34, ſeqq. & p. 93, a 1, ſeqq. ritus qui quondam in parentum & Regum morte obſervabantur, *Sirach.* xxxviii, 17, 18. 686, b 2. ritus qui obſervabantur in mortuis ſepeliendis tempore Tobiæ, *Tob.* iv, 18. 575, b 5.

Roboami quale fuerit ingenium, iii *Reg.* xii, 11. 150, b 25.

Romæ ager venalis quis, quando, *Ier.* xxxii, 8. 377, b 52, ſeqq.

Romani quid vocabant *Stultorum ferias*, Num. ix, 10. 73, b 47. quid pro Æſculapio colebant, *Exodi* xxxii, 1. 57, a 46. in quos bellum ſumſere ob Legatos contumelioſè exceptos, ii *Reg.* x, 7. 134, b 58. quomodo feminas olim vocabant, *Gen.* ii, 23. 4, a 2. cur ramum *cupreſſi* ante domum funeſtam ponere ſolebant, *Lev.* xxi, 11. 69, a 13. eorum acies à quibus fuerit turbata facibus, *Iud.* vii, 20. 112, a 9. *Iunge* Imperium Rom. & Reſp. Rom.

Romulus per quem occiderit Remum, iii *Reg.* ii, 25. 144, b 30. cum quibus Sabinas rapuerit, *Iud.* xxi, 21. 117, b 10.

Rubigo quid denotet, *Ioel.* ii, 25. 507, a 26.

Rudimenta ad Euangelium, *Num.* xii, 3. 74, b 61, ſeqq.

Ruth cujuſnam maximi Regis progenitorem genuerit, & cur meritò in Meſſiæ genealogia poſita, *Ruth.* 1, 4. 117, a 28, 29.

S.

SABBATUM cur incola obſervaverit apud Judæos, *Exodi* xx, 10. 34, a 26, ſeqq. & p. 46, b 24, ſeqq. Sabbati obſervatio quando ſtrictè intellecta, 1 *Macc.* 11, 37. 728, a 11. quandonam laxiùs, *Ibid.* verſ. 41. lin. 49. Sabbato an ſurrogatus Dies Dominicus, *Exodi* xx, 8. 45, b 5, ſeqq.

Sabbatizare, Sabbata obſervare, *Exodi* xx, 8. 45, a 12, 15.

Sacerdotes Hebræi propriè curabant ceremonias, *Lev.* x, 11. 63, a 26. & explicabant Legem, *Sirach.* xlv, 21. 701, b 56. nec Legem ſolùm diligenter diſcebant, ſed & Medicinam, aliasque artes, *Deut.* xvii, 9. 89, b 8. hinc in ambiguis conſulebantur, *Deut.* xvii, 8, 9. p. 89, a (9) & b. *Zach.* vii, 2. 553, a 44. cur & quomodo ungebantur, 1 *Reg.* x, 1. 123, a 16. iii *Reg.* xix, 16. 155, a 12. quandonam unctiones deſierint, *Exodi* xl, 13. 59, b 29.

Sacerdotes ſoli expiabant, non etiam Levitæ, *Num.* viii, 14. 73, b 38. ut verò hodienum poſſint alios mundare quales debeant eſſe, *Nehem.* xii, 30. 197, a 32. cur vocentur *patres*, Jud. xviii, 19. 116, a 35.

Sacerdotes in quo agmine erant, *Ioſ.* iv, 11. 104, a 54.

Sacerdotes veſtes & vaſa ſua ubinam aſſervabant, *Ier.* xxxv, 2. 380, b 1.

Sacerdotes qui erant in ſuis ἐφημερίαις unde vivebant, 1 *Macc.* x, 42. 747, b 17. Sacerdoti quid de capite victimæ cedebat, quid de pedibus, quid de corpore, *Levit.* iii, 9. 61, a 55.

Sacerdotes qualem debebant uxorem ducere, *Lev.* xxi, 13. 69, a 37. quandonam ſuas attingere uxores non licebat, ii *Macc.* vi, 4. 771, b 13. Sacerdotis filiam qui corruperat quonam afficiebatur ſupplicio, *Lev.* xxi, 9. 68, b 60.

Sacerdotes quid vetentur in luctu, *Baruch.* vi, 30. 719, b 5 — 19. iiſdem non licebat intereſſe funeribus, nec in ſepulchretis reſidere, *Lev.* xxi, 1. 68, b 39.

Sacerdotes negligentes à decimis arcentur, & cur, *Num.* xviii, 27. 77, a 10. polluti ſacris operam ſi dabant qua ratione puniebantur, *Deut.* xiii, 9. 87, a 39, 45. Sacerdotum peccata manifeſta qualenam malum, 1 *Reg.* ii, 17. 120, a 35. à munere fungendo prohibitorum alimentum, 1 *Reg.* ii, 36. 120, b 52. qualis, cui nihil aliud quàm Deum orare licebat, 1 *Reg.* ii, 36. 120, b 37.

Sacerdotes ut ſecundum Legem ſuum officium faciant cujuſnam ſit efficere, iv *Regum* xii, 4. 165, a 27.

Sacerdotes cur maximè deceat lenitas, ii *Macc.* iv, 25. 768, a antep. Sacerdotis verba à Deo ſæpe reguntur, 1 *Reg.* i, 17. 119, b 41.

Sacerdotes Jeremiæ adverſatores qui, *Ier.* xi, 21. 356, b 41.

Sacerdotes Summi apud Hebræos à quibus eligebantur, & à quibus gravi ex culpa deſtitui, ac vel morte puniri poterant, 1 *Reg.* ii, 35. 120, b 29. iii *Reg.* ii, 27. 144, b 44.

Sacerdotis Summi inauguratio, *Exodi* xl, 13. 59, b 22, 26, 33. nota quænam, *Oſeæ* iii, 4. 489, a 41. quid inprimis in eo requirebàtur, *Num.* xvii, 8. 76, b 36. quali utebatur habitu, *Exodi* xxix, 6. 56, b 2, ſeqq. in Die Expiationis, *Lev.* xvi, 4. 64, b 52, 53. quandonam coronam ferebat, *Zach.* vi, 11. 552, b 54. cur dicatur *Angelus Domini*, Malach. ii, 7. 568, b 6. Mortuo Sacerdote quid fiebat, *Num.* xxxv, 27. 82, b 4.

Sacerdotes quo ſenſu Iſraelitæ quivis, *Eſa.* lxi, 6. 334, a 51.

Sacerdotes ubinam ſiderum cognitioni & Mathematicis artibus operam dabant, iii *Reg.* iv, 30. 146, a 36. qualibus ornamentis utebantur, *Exodi* xxviii, 40. 56, a 55. cur vino abſtinebant, *Lev.* x, 8. 63, a 21, 22, 23. Sacerdotum nomine quinam apud Ægyptios comprehendebantur, *Gen.* xlvii, 26. 25, a 55, 56.

Sacerdotum perfugium & aſylum apud Hebræos quid, *Num.* xxxv, 6. ſeqq. p. 81, b 59 ſeqq.

Sacerdotium quotum jus erat in hereditate, *Gen.* xlix, 3. 25, b pen. Sacerdotium Magnum apud Hebr. cur in familia Phineæ diu manſerit, *Sirach.* xlv, 28. 702, a 48. quomodo ad Phineæ poſteritatem redierit, iii *Reg.* ii, 35. 145, a 6.

Sacrificium quid ſit, *Num.* xv, 4. 75, b 24.

Sacrificium è quibus Deo fiebat ante Diluvium, *Gen.* iv, 3. 6, b 24, 25. *Sacrificium ſanctificationis* quodnam erat, *Sirach.* vii, 33, 34, 35. p. 624, a 59. Sacrificium quodnam erat, in quo licebat offerre *victum familiarem*, Lev. ii, 11. 60, b 57. *Sacrificium propter viam* quodnam erat, *Exodi* xii, 10. 30, b 61, ſeqq. Sacrificium quod Gentes de ſuis filiis Molocho faciebant quomodo fiebat, *Deut.* xviii, 10. 93, a 28.

Sacrificia in quibus *adeps* & *ſanguis* Deo cedebant qualia erant, *Eſa.* xxxiv, 6. 305, b 59. Sacrificia in quibus victimæ caput ad collum retorquebatur, *Lev.* i, 15. 60, b 41. Sacrificia quamdiu ceſſaverint Antiochi tempore, *Dan.* viii, 14. 470, b 40 — 54.

Sacrum quodnam Chaldæis dicatur *ſanctificatorium*, Lev. iii, 1. 61, a 33, 36. Sacra *depulſoria*, *commendationis* & *impetrita*, Levit. i, 9. 60, b 14, 15, 16.

Sagittæ irremediabili ſcelere mortem adferentes, quorum, *Nahum.* ii, 3. 533, a 10 — 13.

Sagittarii quo in exercitu plurimi erant, *Eſa.* xxii, 3. 291, b 47.

Sal cur fedus ſignificet, *Lev.* ii, 13. 61, a 21, 25. ſal in quod converſa eſt uxor Loth unde venerat, *Gen.* xix, 24. 15, a 40, 41.

Salomon, *vide* Solomon.

Samaria Urbs à quo fuerit capta, *Eſa.* xxii, 1. 291, b 33.

Samaritæ unde Judæorum erant cognati, *Ezech.* xvi, 45. 419, a 14. quoſnam deos pro Vitulis ſuis receperint, *Ibid.* lin. 12. Samaritani à quo coacti ſint ſuſcipere Chriſtianiſmum, *Levit.* xvii, 4. 65, b 26. Samaritanorum Hæreſis unde orta, *Ioſ.* xxiv, 26. 109, a 12, 13.

Sambuca quale ſit inſtrumentum, & quinam eo utantur, *Dan.* iii, 5. 458, a 21.

Samſon cur Philiſtinam duxerit contra Legem, *Jud.* xiv, 4. 114, b 25. quis ei comparandus, *Ibid.* verſ. 15. lin. 51. Samſonis votum quale erat, *Num.* vi, 18. 73, b 15.

Samuel qualis, 1 *Reg.* p. 119, a 21. per quid fuerit cognitus verus Propheta, *Sirach.* xlvi, 17, 18. 704, a 7. quamdiu judicârit Iſraelem, 1 *Reg.* vii, 15. 121, b 55. Samuelis filii quinam erant, 1 *Par.* vi, 28. 176, b 59.

Sandalia ex melinis pellibus, ubi, quo tempore uſitata, *Judith.* x, 3. 583, a 56, 57.

Sanguis pro quo ſumatur ab Hebræis, *Ezech.* iii, 18. 405, a 4. *ſanguis* & *adeps* in quibuſnam ſacrificiis Deo cedebant, *Eſa.* xxxiv, 6. 305, b 59. *ſanguinem comedere* quid ſit, *Gen.* ix, 4. 9, a 46. *ſanguinem ſuillum offerre* quàm illicitum, *Eſa.* lxvi, 3. 340, b 43. ſanguine ſimul cum lacte quinam uſi ſint, *Gen.* ix, 4. 10, a 34.

Sapiens quis ſit, & in quo differat à *prudente*, Deut. i, 13. 83, a 11. quale ſit bonum, *Sirach.* xxxvii, 26. 685, a 16. quid in ſuis omnibus actionibus reſpicere debeat, *Prov.* xv, 24. 251, b 3.

Sapientiæ encomium & commendatio, *Prov.* iii, 12. 247, b 23. *Sap.* vi, 1. 595, a 29. vii, 8, 9. p. 596, a 50. *Sirach.* li, 29. 712, b 29. Sapientia quid, *Prov.* iv, 7. 248, a 4, 5. viii, 1. 449, a 6, ſeqq. *Sap.* vi, 10. 595, a 59, ſeqq. vii, 7. 596, a 48, 49. & verſ. 21. p. 597, a 11, 12. viii, 7. 597, b 54, ſeqq. ix, 4. 598, b 28—31. *Sirach.* xix, 18. 647, a 54 — 63. quomodo acquiratur, *Sap.* viii, 21. 598, b 7 — 15. *Sirach.* li, 26, 27. p. 712, b 3, 4. & 10, 11. ejus adjuncta ornamenta, *Sapient.* vii, 17—21. 596, b 35. p. 597, a 12, 13. viii, 8. 597, b 62, 63, ſeqq. effecta cunctæ virtutes, cardinales, reliquæ, *Sap.* viii, 7. 597, b 54, ſeqq. bona multiplicia, eáque pretioſiſſima, *Prov.* iii, 16. 247, b 28, ſeqq. *Sap.* vi, 21. 595, b 25, ſeqq. vii, 27, 30. p. 597, a 62. b 7, ſeqq. & viii, 1. p. 597, b 22, ſeqq. *Sapientia* in quid dividatur apud Hebræos, *Prov.* xxii, 20. 255, a 8. Sapientia Divina quo ſenſu dicatur *creata*, Sirach. i, 4. 611, a 13. Sapientia quomodo bona largiatur hominibus, *Prov.* iii, 16. 247, b 28. *Sapientiam non eſſe nequitiæ diſciplinam*, Sirach. xix, 19. 647, b 13—23. Sapientia apud quos non ſoleat habitare, *Jobi* xxviii, 14. 212, a 12. Sapientia cani ſunt hominis, *Sap.* iv, 9. 593, a 50. Sapientia Solomonis qualem ſe oſtenderit ab initio, iii *Reg.* i, 52. 144, a 36. Sapientiæ Divinæ ingens teſtimonium, *Jobi* xxviii, 22. 212, a 37. egregia documenta, *Sap.* vii, 20. 596, b 54. Sapientiæ partes quò tendant omnes, *Sirach.* xix, 18. 647, a pen. partes præcipuæ, quæ, *Sap.* viii, 7. 597, b 55. *Sirach.* xxiv, 13. 658, a 29. Sapientiæ Humanæ pars ſumma, *Jobi* xxviii, 28. 212, a 43.

Saraballæ quid erant, *Dan.* iii, 21, 458, b 42.

Sardiniæ fontes quam vim habeant, *Num.* v, 17. 73, a 46.

Saturnus, Exodi xx, 3. 36, b 59, 60. quomodo à Syris vocabatur, iv *Reg.* xxiii, 34. 174, a 32. Saturni ſtatua cui Gentes ſuos liberos ſacrificabant, qualis erat, *Deut.* xviii, 10. 93, a 28. Saturno quid offerri ſolebat, *Eſa.* xxx, 33. 302, b 34.

Saül qualis, 1 *Reg.* p. 119, a 24. quot annos regnârit, iii *Reg.* vi, 1. 146, b 53.

Scala Jacob quid myſticè ſignificet, *Jobi* xxxiii, 23. 214, a 41, ſeqq.

Scalas, apud Veteres, cur non niſi Græcas licebat plus tribus gradibus ſcandere; & Græcas licebat, *Exodi* xx, 26. 34, b 17.

Scalpellum, *Jer.* xxxvi, 23. 381, a 43 — 55.

Scelerati de quibus Deus vult ultionem ſumere, quomodo ſoleant appellari, *Ezech.* ix, 2. 411, a 4.

Scholæ quæ florebant ad Chriſti tempora, *Gen.* xlix, 10. 26, b 34.

Scientia, *Gen.* iii, 5. 4, b 8 — 17. inter res medias, *Gen.* ii, 9. 2, b 32, ſeqq. ſcientia quæ remota eſt à juſtitia, qualis dicenda, *Sirach.* xix, 19. 647, b 20.

Scopuli duo vitandi, qui, *Sirach.* vii, 9. 622, b 24.

Scortatio, ſcortatores, ſcorta, *Gen.* xxxviii, 14. 22, a 8, ſeqq. & verſ. 23, a 40, 41. *Deut.* xxiii, 14. 98, a 31, 32. & verſ. 17, a 40—45. *Jud.* xvi, 1. 115, b 3, ſeqq. *Sirach.* xxiii, 23. 656, b 35, ſeqq. ſcortatio mentem aufert, *Oſeæ* iv, 11. 490, a 49, 50. ſcortatoris finis, *Proverb.* vi, 26. 248, b 19, 20, 21. *Sirach.* XIX, 3. 646, a 32—40—60. & verſ. 5, a 62 ſeqq. Scortum vile, *Eſa.* lvii, 9. 328, b 47 — 50. *Ezech.* xvi. 31. 418, a 47. ſummæ infamiæ, *Ezech.* xvi, 24, 25. p. 417, b 48, 49, ſeqq. xxiii, 19. 429, b 16. Scorta foveæ, Sphinges, &c. *Prov.* xxiii, 27. 255, b 48, ſeqq. *Sirach.* ix, 6. 627, a 2, 3. inviſere pudeat, *Sirach.* xli, 25. 694, a 48, 49. ducere in uxores quibus prohibitum fuit, *Oſeæ* i, 2. 486, a 23, ſeqq.

Scribæ quinam intelligebantur, *Eſa.* x, 1. 282, b 29.

Scri-

Scribonianus ſub quo Imperatore fuerit interfectus, & cui rei finem impoſuerit ejus mors, II *Reg*. xx, 22. 141, b 35.

Scriptores pii quomodo loquantur de *Sapientia*, *Sap*. IX, 4. 598, b 28.

Scriptura quomodo ſoleat exprimere Dei judicia, *Eſa*. XXVI, 21. 297, a 12.

Scriptura veritatis quænam ſit, *Dan*. x, 21. 475, b 30.

Sculptilia quæ Judæis prohibita, *Exodi* 20, 4. 39, a 45 — 47. p. 40, a 1, 2. exceptiones in Templo, *ib*. p 40, l. 25, ſeqq.

Sculptilium Interdictum quale, *ibid. lin*. 52 — 55. Interdicti uſus duplex, *ib. lin*. 55, 61, 62

Scythæ quomodo præſagiebant futura, *Ezech*. XXI, 21. 425, b antep.

Sectæ quibus diſtrahebatur Judaïcus Populus ante adventum Chriſti, *Malach*. IV, 6. 572, a 20.

Secubatio comes jejunii, *Joël*. II, 16. 506, b 17. in luctu & pœnitentiæ tempore, *Zach*. XII, 12. 562, a 23, 24.

Sedecias Rex quid Babylonio debebat præter fidem, *Ezech*. XVII, 9. 420, b 34.

Sedeciæ crimen quid intulerit Populo, *Ezech*. XIX, 14. 423, a 60. quale illud fuerit, *ibid*. XXI, 23. 426, b 7 ſeqq.

Sedere in pulvere quale ſignum erat, *Eſa*. XLVII, 1. 318, a 47.

Sedigiti, II *Reg*. XXI, 20. 142, a 38, ſeqq.

Sedilia in Oriente cur rotas habebant, *Dan*. VII, 9. 467, a 7.

Seditionum cauſa frequentiſſima quæ ſit, III *Reg*. XII, 18. 150, b 53.

Seleucus *Nicator* cur ita dictus, *Dan*, XI, 5. 477, a 42, 46. quot regiones poſſederit, & urbes condiderit, *ibid. lin*. 51.

Sellumus à quo fuerit occiſus, *Oſeæ* IV, 2. 489, b 25.

Semei maledicendo Davidi quale peccatum commiſerit, II *Reg*. XVI, 10. 138, b 48. quotuplici de cauſa, & à quo fuerit occiſus. III *Reg*. II, 46. 145, a 15.

Semen Dei quodnam ſit, *Oſeæ* II, 22. 488, b 35.

Semen mulieris quodnam, *Gen*. III, 15. 5, a 7.

Seminare in juſtitia quid ſit, & quid *metere*, Oſeæ x, 12. 498, b 13.

Semiramis quale ſignum bellicum habebat, *Jer*. XXV, 38. 371, a 33. unde dicta, *ibid. lin*. 36. Semiramidis crater quodnam pondus habebat, *Eſa*. XLV, 3. 316, a 20.

Semiſeculum quid ſit, *Exodi* XXI, 6. 52, a 11.

Senarius numerus, *Gen*. I, 31. 2, a 32.

Senatus Iudicum cur *Dei ſenatus* dicatur, *Pſalmo* LXXXII, 1. 236, b 43, 44.

Senes quid in conviviis deceat loqui, *Sirach*. XXXII, 4, 5. 675, b 35. Senibus dedecus ſi dicantur ab uxoribus aut liberis regi, *Sirach*. XXXIII, 23, 24. 678, a 55.

Seniles conſuetudines ſectandæ, *Sirach*. VI, 35. 621, b 11.

Senſûs juxta Stoïcos quot, *Sirach*. XVII, 5. 642, a 20 — 31.

Sententia quandonam à Judice qui eam protulit revocari poſſit, *Lev*. XIX, 15. 67, a 10.

Septenarius numerus, *Exodi* XX, 11. 34, a 39. & p. 47, a 2. IV *Reg*. VIII, 1. 162, a 23. Humanarum virtutum conſummationem deſignat, *Dan*. x, 2. 474, a pen.

Septentrio quomodo vocetur ab Hebræis, *Jobi* XXIII, 8. 210, b 12.

Sepulchrum commune, *Jerem*. VIII, 2. 352, b 4, ſeqq. conjugum, *Judith*. XVI, 28. 586, a 12. Sepulchra ubinam ſolebant eſſe, *Sirach*. XLVI, 14, 15. 703, b 45.

Seraphim quali ſint forma, & cujuſnam rei miniſtri, *Eſa*. VI, 2. 278, a 6.

Sermo character animi, *Sirach*. XXVII, 5. 666, a 15.

Serpentes quinam coluerint ut Deos, *Sap*. XV, 18. 605, a 60. quodnam habeant alimentum, *Eſa*. LXV, 25. 340, a 36. quoſnam allegoricè ſignificent, *Gen*. III, 15. 5, a 3. Serpentum vis maxima mali in quo ſit, *Gen*. III, 15. 5, a 36. Serpentum quot ſint ſpecies, *Gen*. III, 1. 4, a 40.

Servire hero quali moleſtum, *Sirach*. IV, 31. 617, b 57, 58. ſervire nolentibus Deo quæ pœna imponatur, II *Par*. XII, 8. 182, b pen.

Servitus quænam ſit Humano generi neceſſaria, *Gen*. III, 16. 5, b 28. Servitus qualis ſit Jure naturæ peccati pœna, *Gen*. IX, 25. 10, b 8.

Servus Hebræus an aliis vendi poterat quàm Hebræis, *Exodi* XXI, 8. 52, a 37. quomodo liberabatur, *Exodi* XXI, 6. 52, a 11, ſeqq. Servi in quibus terræ partibus nomen domini in fronte habebant, *Ezech*. IX, 4. 411, a 25. ſervis aſperi qui, *Prov*. XXX, 22. 257, b 42, 43.

Sevum quorumnam animantium ſit ſalubre, *Lev*. XI, 3. 63, a 50.

Sibilus cujuſnam rei ſignum ſit, *Jer*. XVIII, 16. 363, a 42.

Siccitas quoſnam habeat effectus, *Amoſ*. I, 2. 509, b 25. ſiccitas pluviâ non deficiente in vicinia, *Amoſi* IV, 7. 512, a 48 — 50.

Sicimiticum Templum, *Zachar*. XI, 16. 560, b 1 — 4. & verſ. 17. b 20, ſeqq. XII, 1. p. 560, b 41. *adde* Templ. Garizit.

Sidon, *Gen*. XLIX, 13. 27, a 53 — 55. Sidoniorum deus primus quis erat, III *Reg*. XVI, 31. 153, a 40.

Sidus labores impediens, quodnam ſit, *Jobi* XXXVIII, 31. 217, b 14. Sidera quibus mortales regi dicantur, quæ ſint, *Deut*. XVIII, 10. 92, a 31.

Sigebertus ſecundus Rex Auſtraſiæ à quo fuerit occiſus, I *Macc*. XIII, 31. 755, b 47.

Sigilli cuſtodia quanta olim erat dignitas, *Tobiæ* I, 24. 574, a 19.

Signa cœleſtia quid præcedere ſoleant, *Joel*. II, 30. 507, b 1. Signum imperii in Levitas quodnam erat, *Num*. XX, 9. 77, b 8. Signa qualia erant in vexillis agminum Iſraelitarum, *Num*. x, 15. 74, a 24. Signum luctûs quodnam erat, & quod devotionis, III *Reg*. XX, 31. 155, b 51, 52. Signum eorum qui negotii alicujus meminiſſe volebant, *Eſa*. XLIX, 16. 320, b 11.

Siloe aquis quid ſignificetur, *Eſa*. VIII, 6 280, a 36.

Similitudo egregia pertinens ad eos qui in rebus adverſis ſe non amicos oſtendunt, *Jobi* VI, 16. 204, b 5, ſeqq.

Simulatio quænam ſit mala, II *Macc*. VI, 21. 772, b 28.

Sin Regio deſerta, in qua mons eſt *Sinaï*, unde ſic dicta, *Eſa*. XLIX, 12. 320, b 3.

Sionis portæ ex quo genere fuerint, *Pſalmo* XXIV, 9. 226, b 40. Sionem arcem quinam videantur ſemper tenuiſſe, *Pſalmo* LXXIX, p. 236, b 15.

Sitis & *fames* quid ſignificent, *Eſa*. XLI, 17. 310, b 7, 8.

Situs Orbis terrarum, *Geneſ*. XIII, 9. 11, b 27 — 37.

Slavi quomodo præſagiebant futura, *Ezech*. XXI, 21. 426, a 6, 11.

Sobna quis erat, *Eſa*. XXII, 1. 291, b 34. ex lepra ſanatus, an recuperarit ſuam dignitatem, *ibid*. verſ. 18. 292, b 50.

Societatis Civilis fundamentum quodnam ſit. *Exodi* XX, 12. 34, a 55.

Sol & *Luna* quibuſnam dicantur *deficere*. Eccleſ. XII, 2. 266, a 55, 57. Sol an verè Joſua imperante ſteterit, *Joſ*. X, 13. 106, a 39. *Sol* & *Luna* à quibuſnam colebantur, *Eſa*. XXIV, 23. 295, b 14. Sol ceu ſummus deus, *Eſa*. XLVI, 1. 317, b 25. Solis ardor in locis letalis iter facientibus, *Pſalmo* XCI, 6. 238, b 22.

Solatium cui comparetur, *Eſa*. LVII, 16. 329, a 34.

Sollertia duplex, *Sirach*. XXI, 14, 15. p. 651, b 55.

Solomon quibus gradibus in gravia inductus ſit peccata, *Num*. XV, 39. 75, b 59, 62. in quo errare cœperit, III *Reg*. VII, 25. 147, a 54. & X, 19. 149, a 11. I *Par*. XXVIII, 17. 180, b 40. quot crimina commiſerit adamando mulieres alienigenas, III *Reg*. XI, 1. 149, b 6. Solomonis carmina quot & qualia erant, & quodnam ex illius Idylliis nobis reſtet, III *Reg*. IV, 32. 146, a 55.

Somnia, & interpretatio, *Gen*. XXXVII, 2. 21, b 40. XL, 17. 22, b 30, ſeqq. XLI, 3. 23, a 26, ſeqq. *Num*. XII, 8. 75, a 18, ſeqq. *Judic*. VII, 13. 111, b 63, ſeqq. *Dan*. I, 17. 454, b 26, ſeqq. II, 43. 456, b 60. IV, 7. 459, b 58. & verſ. 8. p. 460, a 9. verſ. 11. p. 460, a 27. VII, 5, 6. p. 466, a 32, ſeqq. & verſ. 6, a 61. VIII, 3, 5. p. 469, b 1, ſeqq. *Eſth*. *Addit*. x, 6, 7. p. 586, a 40, ſeqq. *Sirach*. XXXIV, 6, 7. p. 679, a 46, ſeqq. ſomnia Divinitus immiſſa bis ſæpe rem exprimere; *Gen*. XLI, 4. 23, a 46. ſomnia multa, *Eccleſ*. v, 6. 261, a 4. ſomnia Principum, II *Macc*. XV, 11. 787, b 30 — 40.

Somnus, Sap. IV, 6. 593. a 23, ſeqq. donum nocturnum, III *Macc*. pag. 796, a 44, 45. nimius, *Prov*. XX, 13. 254, a 23. *Somnus ſempiternus* quis ſit, *Jer*. LI, 39. 398, b 17.

Sontes furti quinam dicantur, *Lev*. XIX, 11. 66, b 53.

Sophonia Propheta ſub quonam Rege floruerit, *Habac*. I. p. 535, a 55.

Sors ubi adhibenda, *Prov*. XVIII, 18. 253, a 36 — 39. Sortis Judæ pars ubinam erat, *Jer*. XVII, 26. 362, b 40. Sortes Dei, *Eſth*. *Addit*. x, 10. 586, a pen.

Spadones, *Sap*. III, 14. 592, a 38, ſeqq. Spadonibus quinam utantur ad feminarum miniſteria, *Eſth*. I, 10. 198, a 61.

Speculatores quinam intelligantur, *Eſa*. LVI, 10. 327, a 55

Spem quinam fruſtra in Deo collocent, I *Reg*. IV, 3. 121, a 26.

Spintria, Deut. XXIII, 17. 98, a 44, 45.

Spiritus pro quibus uſurpari ſoleat, *Sirach*. XXXIX, 33. 689, b 24. *Spiritus Chriſti* quomodo fuerit in Noe, *Gen*. VI, 3. 8, b 6. *Spiritus Dei* quomodo ſe per Orbem univerſum extendat, *Sap*. I, 7. 589, a 26. Spiritus hominibus à Deo datus qualis ſit, *Gen*. II, 7. 2, b 16. *Spiritus ſanctus* de qua re ſoleat uſurpari ab Hebræis, *Joel*. II, 29. 507, a 56.

Spiritus mali an coacti dicant aliquando verum, I *Reg*. XXVIII, 17. 129, b 42.

Sponſiones de ænigmatibus quandonam fieri ſolebant, *Jud*. XIV, 12. 114, b 43. ſponſiones quo ritu fiebant apud Hebræos, *Prov*. VI, 1. 248, a 51.

Sponſor dea, *Sap*. IX, 4. 598, b 27.

Stacte ad quid per Philonem referatur, *Exodi* XXX, 34. 57, a 25.

Statuæ, *Dan*. III, 18. 458, b 33 — 36.

Stellæ quæ è cœlo cadere videntur unde fiant, *Eſa*. XXXIV, 4. 305, b 46.

Sternutatio ſignum ad ſanitatem; IV *Reg*. IV, 35. 160, a 6, 7.

Stibii uſus ad quid utilis, IV *Reg*. IX, 30. 163, a 26. ejus præcipua vis, *Ib. lin*. 46, 63.

Struthiocamelus quale ſit animal, *Jobi* XXXIX, 17. 218, a 27.

Stulti vel *inſipientes* quinam dicantur, *Eſa*. XXXII, 5. 303, b 1.

Subditorum voces in luctu, *Ier*. XXII, 18. 366, b. 36. Subditorum bonorum quale ſit officium, *Num*. XVI, 21. 76, a 55.

Subjectionis ſignum apud gentes è Germanis ortas quodnam ſit, I *Par*. XXIX, 24. 181, b 2.

Suffetes quinam erant, *Deut*. XVII, 9. 90, a 14.

Superbiæ comes inhumanitas, *Amoſi* VI, 8. 514. b 39. *Superbiæ* elogium quibus conveniat, *Deut.* XVII, 12. 90, b 60. p. 91, a 7. Superbiæ pœna quænam ſit, *Num.* XII, 10. 75, a 27.

Superbus homo cur multos habeat inimicos, *Sirach.* XXI, 5. 651, a 51.

Supha in qua regione ſit, *Num.* XXI, 14. 78, a 22.

Supplicium corruptoris filiæ Sacerdotis quale erat, *Lev.* XXI, 9. 68, b 60.

Suſa Urbs qualis, & cur ita dicta, *Neh.* I, 1. 193, a 49.

Suſpenſio quid erat apud Hebræos, *Deut.* XXI, 22. 96, b 48. ſuſpenſio ex more Hebræorum quid requirat, *Num.* XXV, 4. 79, b 30.

Syene Urbs ubi ſita, *Ezech.* XXIX, 10. 440, a 13.

Symphonia quale ſit inſtrumentum, *Dan.* III, 5. 458, a 41.

Synagoga Magna quænam erat, II *Par.* XXX, 2. 188, a 28, ſeqq. Synagogæ reprobatæ typus quis ſit, *Malach.* I, 3. 566, a 10, 25.

Synedrium in cujus locum ſucceſſerit, *Exodi* XVIII, 21. 33, a 25. quam habuerit poteſtatem, *Deut.* XVII, 10. 90, a 55. 59. an errare potuerit, *ibid.* p. 90, b 23. cur ab Herode fuerit ſublatum, II *Par.* XXI, 4. 185, b 45, ſeqq.

Synedrorum creatio quo tempore & per quid omiſſa, *Jud.* I, p. 109, a 22.

Synodi Nicænæ Acta quomodo Latinè reddita, *Exodi* XX, 5. 42, a 50, ſeqq.

Syrus quibuſnam nominibus ſignificet *perfectam pulchritudinem*, Pſalm. L, 2. 231, a 45. Syri qualem eſſe putabant Iſraelis Deum, III *Reg.* XX, 23. 155, b 41. Syria per quem facta fuerit provincia Populi Romani, *Dan.* VII, 11. 467, a 36. Syræ mulieres quonam muſico inſtrumento utantur, *Dan.* III, 5. 458, a 21, 24. Syrorum mos antiquus de *inauribus*, Gen. XXXV, 4. 21, a 7.

T.

TAAUTES deus, *Exodi* XX, 3. 37, a 35. *Tabernaculorum feriæ* in cujuſnam rei memoriam fiebant,, *Lev.* XXIII, 34. 70, a 16. Tabernaculorum feſtum Romæ, *Lev.* XXIII, 34. 70, a 17.

Tabularium, *Eſdr.* V, 17. 192, a 15.

Tacere pro quo ſumatur ab Hebræis, *Habac.* I, 13. 537, a 21. Tacens conſentit, *Num.* XXX, 4. 81, a 25—34.

Tænia Alexandriæ, *Nah.* III, 8. 534, a 57.

Talentum Ægyptium quodnam pondus habebat, *Eſa.* XLV, 3. 316, a 21. *Dan.* VIII, 3. 469, b 20.

Talio, *Sirach.* VII, 3. 621, b 59, 60. XLI, 13. 693, b 2.

Taphnes quis locus, *Jer.* II, 16. 344, b 12.

Tarquinienſes quomodo Romanorum aciem turbaverint, *Jud.* VII, 20. 112, a 9.

Tarquinius cur plebem Romanam in foſſas cloacaſque exhauriendas demerſerit, *Exodi* I, 11. 28, a 27.

Taurus inter quæ animantia principatum habeat, *Gen.* XLIX, 6. 26, a 20. *Tauri Baſan* pro quibuſnam hominibus ſoleant poni, *Ezech.* XXXIX, 18. 450, b 13.

Teleſphorus Rhodius quomodo fuerit exceptus à Lyſimacho, *Jud.* I, 7. 109, b 19.

Telo omni nocentius quodnam, *Ier.* IX, 3. 353, b 20.

Temeritas acerbiſſimè caſtigata, II *Reg.* II, 23. 131, a 24, 25. IV *Reg.* XIV, 8. 166, b 21, ſeqq. temeritas quænam reperiatur in rebus diſputationem recipientibus, *Deut.* XVII, 12. 90, b ult.

Temperantia circa quid verſetur, *Sap.* VIII, 7. 597, b 60.

Tempeſtatis deſcriptio, *Dan.* VII, 2. 465, b 30—59.

Templum Hieroſolymitanum in quo monte erat, *Eſa.* XIV, 13. 286, a 4. Templi maxima pars cujuſnam rei ferebat imaginem, *Exodi* XXV, 4. 55, a 24. cur, *Domus orationis*, III *Reg.* VIII, 30. 147, b 20. cuſtodes Angeli, *Zachar.* IX, 8. 555, b 45. Templi Præpoſitus ubi habitabat, *Ierem.* XXXV, 2. 380, a antep. Templi ceremonias regere quorumnam erat, *Zach.* III, 7. 550, a 57. ſacrilegi quomodo puniebantur, *Deuter.* XIII, 9. 87, a 39, 45. Templum quotuplici pecuniâ reparabatur, IV *Reg.* XII, 4. 165, a 33, 39, 49. per quot annos ſteterat cùm combureretur, IV *Reg.* XXV, 9. 175, a 3. exſcindi id cur Deus paſſus ſit, *Ezech.* VIII, 18. 410, b 29. Templum ab Ezechiele viſum explicatur, *Ezech.* XL, 2. 451, a 1. Templum poſt reditum ex Captivitate à quibuſnam fuerit reſtitutum, *Aggæi* I, 1. 545, a 27. ſtructuram quinam impedire voluerint, *Mich.* IV, 3. 526, a 1. quàm munitum fuerit, *Dan.* XI, 31. 481, a 40.

Templum Dei contra ſcelera neminem defendit, *Ier.* VII, 11. 351, a 49.

Templum Garizitanum ſive Sicimis cur & à quo conſtructum, *Nehem.* II, 10. 194, a 13. *vide* Sicimit. Templ.

Templa ubinam olim conſtruebantur, *Mich.* IV, 1. 525, b 46. Templis Æſculapii quid fieri ſolebat, *Eſa.* LXV, 4. 338, b 37.

Tempus, bonum non facit majus, Sap. IV, 8. 593, a 46. tempus rei honeſtæ, *Eccleſ.* III, 7. 259, b 60, 61.

Tempus intra quod & Chriſtus vitam & ejus Eccleſia ſpem erat receptura, quibus verbis præfiguratum, *Oſeæ* VI, 2, 3. 492, b 12, ſeqq.

Tempus quod requirebatur viduis ut poſſent ad novas tranſire nuptias, *Deut.* XXV, 5. 99, b 21. *Tempus ſuperborum* quodnam ſit, *Sirach.* LI, 14. 712, a 2. Temporis ordo inter Prophetas, *Eſa.* p. 275, a 33. *Tempora*, per excellentiam, *anni*, Dan. VII, 25. 468, b 5, 6. Temporum cardines quinam, *Sap.* VII, 18. 596, b 45.

Tenebræ pro quo ponantur apud Hebræos, *Eſa.* IX, 2. 281, a 60. III *Macc.* p. 797, b 58.

Tentationes, *Zach.* XIII, 9. 563, a 43, ſeqq. per aſpera & proſpera, *Deut.* VIII, 2. 85, b 44, 45. tentationes Dei quò tendant, *Deut.* VIII, 16. 86, a 1. Tentationes Abrahami quot ſint, *Gen.* XXII, 12. 16, a 53.

Tentare Deum, quid, *Sap.* I, 2. 589, a 7.

Tentorium Dei quodnam ſit, *Iobi* XXXVI, 29. 216, a 8.

Ternarius numerus Deo ſacer, *Dan.* X, 2. 474, a 61, 62.

Terra per quid dicatur *contaminari*, Jer. II, 7. 344, a 26. alio modo, *Deut.* XXI, 23. 96, b ult. cur dicatur habere gremium, *Iobi* XXVI, 6. 211, a 45. cur aliquando moveatur, *Amoſi* I, 2. 509, b 25.

Terra per excellentiam, quæ, *Dan.* VII, 23. 468, a 30. *Terræ cujus Rex puer eſt* quid accidere ſoleat, *Eccleſ.* X, 16. 265, b 12. *Terræ plenitudo* quænam ſit, *Ezech.* XIX, 7. 423, a 24. Terræ bello captæ in cujuſnam erant arbitrio, I *Reg.* XXX, 24. 130, a 47.

Tertia, Sexta, Nona, *Dan.* VI, 10. 464, b 11, ſeqq.

Teſſeræ aliquot in præliis recenſentur, II *Macc.* VIII, 23. 775, a 46, ſeqq.

Teſtamentum ſeu ſupremum mandatum, IV *Reg.* XX, 1. 171, b 18—51.

Teſtimonium ingens Sapientiæ Divinæ, *Iobi* XXVIII, 22. 212, a 37.

Teſtimonii falſi notatio, *Exodi* XX, 16. 49, b 6, ſeqq.

Teſtis unicus ad quid ſufficiat, *Deut.* XIX, 16. 94, b 39—42. teſtes quinam non admittebantur apud Hebræos, *Deut.* XVII, 6. 89, a 2. quot requirebantur adverſus inſignis famæ virum, III *Reg.* XXI, 10. 156, b 9. quot adhibebantur ad matrimonium, & ad Circumciſionem, *Deut.* XXIV, 3. 98, b 11, 12.

Thaletis fama, *Dan.* I, 20. 454, b 44, ſeqq.

Thau litera cujus rei ſignum, *Ezech.* IX, 4. 411, a 22.

Theman quid inſigne habuerit, *Baruchi* III, 22 & 23. 716, b 7, 16.

Theodoſius M. Eccleſiæ Chriſtianæ diſciplinæ ſe ſubjiciens, *Dan.* VII, 27. 468, b 49—51.

Theologia, *Sap.* VIII, 8. 598, a 7. contemplativa, activa, *Sirach.* XXXVIII, 39. 688, a 8, 9.

Theraphim quid erat, & quam habebat formam, *Jud.* XVII, 5. 115, b 55.

Thorum patris violare quantum ſit peccatum, II *Reg.* XVI, 21. 139, a 11.

Thronus quid ſignificet, *Ezech.* I, 26. 403, a 25.

Thummim & Urim à quo & quibus in rebus conſulebatur, *Exodi* XXVIII, 30. 56, a 34.

Thus ad quid per Philonem referatur, *Exodi* XXX, 34. 57, a 25. à quibuſnam ſacrificiis aberat, *Num.* V, 15. 73, a 7.

Thyrſi, *Judith.* XV, 15. 585, a 58. II *Macc.* X, 7. 777, b pen.

Tiara qualis erat Regibus, & qualis Regulis, *Eſther.* VI, 8. 201, a 61, 62. *Ezech.* XXI, 27. 426, b 54, 55, ſeqq.

Tiberii principatûs initium quodnam fuerit, III *Reg.* XII, 7. 150, a 44.

Titulus communis Regum & Imperatorum quis erat, *Eſth. Addit.* XVI, 3. 588, a 8.

Topazos Inſula, *Jer.* X, 9. 355, a 24, 27.

Torquem in collo gerere qualis erat honor, *Dan.* V, 7. 462, b 22.

Tribus Juda nullum habuit Regem niſi ex regio ſanguine, cæteræ non item, III *Reg.* XV, 28. 152, b 16. Tribus quænam primi agminis ductum obtinebat, quænam ſecundi, *&c.* *Num.* X, 15. 74, a 28. Tribus quænam fuerint quibus Deus majus contulerit beneficium, *Oſeæ* II, 1. 487, a 56. Tribus Ephraim quibuſnam rebus pollebat, *Oſeæ* XIII, 1. 501, b 15.

Tributi nomine quid intelligatur, *Eſdræ* IV, 13. 191, b 41.

Tridens quem deum ſignificabat, III *Macc.* p. 792, b 6.

Trieres & triremes in quo differant, *Eſa.* XXXIII, 21. 305, a 59.

Triſtitia furor quidam, *Eſa.* LI, 21. 322, b 44.

Tuba in quo differat à *buccina*, Oſeæ V, 8. 491, b 34. Tubæ Judæorum quales erant, *Num.* X, 1. 74, a 12.

Tubæ ſonus apud veteres Romanos qualis & quotuplex, *Num.* X, 5. 74, a 16.

Tunicæ quibus utebantur filii Aaron quales erant, *Exodi* XXVIII, 40. 56, a 54.

Turpitudo non diſcooperienda, Lev. XVIII, 6. 66, a 34, 38.

Turres ex ligno factæ quomodo vocabantur à Romanis, I *Macc.* XVI, 10. 761, b 37.

Tutela Regum quot annis durabat, II *Par.* XXXIV, 3. 189, a 51.

Tutores qui pupillos ſibi creditos occiderunt potentiæ adipiſcendæ cauſa, I *Macc.* XIII, 31. 755, b 47.

Typus amoris Chriſti erga Eccleſiam, *Cant.* I, p. 267, a 50, 57. Typus Gentium Chriſto ſerviturarum quis fuerit, I *Par.* XXII, 4. 179, a 39. Typus Synagogæ & Eccleſiæ, *Malach.* I, 3. 566, a 10, 25.

Tyranni optima deſcriptio, *Jobi* XV, 22. 207, a 10. Tyranni cur patienter tolerandi, *Eccleſ.* VIII, 11. 264, a 1.

Tyrus quàm latè imperârit, *Eſa.* XXIII, 4. 293, b 58. *Ezech.* XXVII, 4. 434, b antep. quanta erat ejus opulentia. *ibid.* verſ. 8. 435, 435, a 45. quot annis à Salmanaſare vexata, *Eſa.* XXIII, 1. 293, b 1. à Nabuchodonoſore obſeſſa, *Eſa.* XLII, 10. 311, b 57. *Ezech.* XXVI, 4. 433, a 51. ſub quorum deinceps fuerit dominatu, *Ezech.* XXVI, 4. 433, a 57.

Tyriorum dii quinam erant, III *Reg.* V, 7. 146, b 27. Summi Magiſtratus quomodo vocabantur, *Deut.* XVII, 9. 90, a 2. eorum aliquot nominatim referuntur, *ibid. lin.* 5, 6 — 13. Tyriorum commercia, *Ezech.* XXVII, 12, ſeqq. 435, b 29, ſeqq. quid vendebant Regibus, *Eſa.* XXIII, 17. 294, b 38.

V.

VACCA cur potiùs *rufa* debebat offerri quàm alia alterius coloris, *Num.* XIX, 2. 77, a 25.

Valentiniani Edictum in latrones & eis pares, *Eſth.* VIII, 11. 202, a 34.

Valetudo cur tribuatur *cordi*, Sirach. XVII, 27. 643, b 14.

Vallis Arabum quæ, *Eſa.* XV, 7. 287, a 8. vallis in qua Molocho immolabatur, quænam erat, *Jer.* XXXI, 40. 377, a 47, 49.

Vallum exterius, Vallum interius, *Jer.* XXXIII, 4, 5. 379, a 12.

Vandalorum feminæ cur olim atrociſſimam ſeditionem commoverint in Africa, *Gen.* XLVII, 21. 25, a 47.

Vaſa quid apud Hebræos ſignificent, *Eſa.* XXII, 24. 293, a 37. Vaſa Templi vertere in uſus profanos quàm Chriſtianiſmo repugnet, *Jer.* L, 14. 394, b 15.

Vaſtationes aliquot memorandæ, *Jerem.* IX, 10. 353, b 55 — 63.

Vectigalis nomine quid intelligatur, *Eſdræ* IV, 13. 191, b 41.

Vellere barbam quam habeat ſignificationem, *Eſa.* L, 6. 321, b 18.

Venatio ad quid homines egregiè paret, I *Reg.* XVII, 36. 126, a 33.

Venatores quid vocent *indaginem*, II Par. XIII, 13. 183, a 34, 39. *Venatores* à Deo ad Iſraelitas miſſi quinam erant, *Jer.* XVI, 16. 361, a 54, 56.

Vendi quàm latè uſurpatum, *Nahumi* III, 4. 534, a 20 — 24.

Venena fictilibus vaſis non bibi, ſed quibus, *Ierem.* LI, 7. 396, b 44 — 48.

Ventriculus victimæ quibuſnam ex lege cedebat, *Malach.* II, 3. 568, a 22.

Ventus ab Oriente qualis ſit, *Oſeæ* XIII, 15. 502, b 59. venti unde plerique flare ſoleant, *Iobi* XXXVII, 9. 216, a 54, 55. ventis quinam tribuant *alas*, Oſeæ IV, 19. 491, a 31.

Venus quomodo à Babyloniis vocabatur, *Eſa.* XLV, 19. 317, a 23. Veneri quo habitu ſacrificium faciebant viri, & quo mulieres, *Deut.* XXII, 5. 97, à 26.

Venus contra naturam, *Oſeæ* IV, 10. 490, a 41, 42.

Veracitas, *Sirach.* V, 12. 619, a 9, 12.

Verbum inter genita primum, *Prov.* VIII, 22. 249, a 25, 26. verba quæ ſolent uſurpare Hebræi de omnibus impiis, *Eſa.* XIV, 12. 285, b 57, 60. verba quibus Hebræi exprimunt omnes creaturas, *Gen.* I, 1. 1, a 10, 11. verba quibus Judæi utebantur cùm de piis mortuis loquebantur, *Eſa.* LVII, 2. 327, b 40, 49.

Veritas alter Sol inter homines, *Exodi* XX, 16. 49, b 7, 8.

Veru mali Punicæ, *Exodi* XII, 8. 30, b 58.

Veſtigia adorare quid ſit, *Eſa.* XLIX, 23. 321, a 3.

Veſtis Prophetica, *Eſa.* XX, 2. 290, a 54, 55. *veſtis* quænam in ſacris dicebatur *pura*, Num. XIX, 9 (10). 77, a 55. *veſtem lacerare* ubi Deus offendebatur, Judæorum erat mos, *Eſdræ* IX, 3. 192, b 52. veſtium honos quando demum obtineat, I *Macc.* XIV, 44. 759, a 7 — 10.

Vetuſtiſcere, *Eſa.* LXV, 17. 339, b 32, 33.

Vexillum primi agminis Iſraelitici exercitus qualem habebat figuram, qualem ſecundi, qualem tertii, *&c.* *Num.* X, 15. 74, a 28.

Via Hebræis quid, *Amoſi* VIII, 14. 517, a 18, 19. via virtutis, & via vitiorum quibus verbis ſignificentur ab Hebræis, *Eccleſ.* X, 2. 265, a 11. *viæ Dei* quænam ſint, & quodnam earum *principium*, Jobi XL, 14. 218, b ult.

Vicarius Sacerdotis Summi quid in ejus abſentia agebat, III *Reg.* I, 34. 144, a 12.

Vicinus bonus; malus, *Prov.* XXVII, 10. 256, b 24 — 33. *Sirach.* XXV, 2. 660, b 5, 6, 9.

Victimam quid ſemper comitabatur, *Num.* XV, 4 75, b 23. Victimæ ante ſanguinem ablatum non edendæ, *Levit.* XIX, 26. 67, b 18. cur id vetetur, *ibid. lin.* 21. *Victimæ ſollemnes* quænam erant, I *Reg.* XX, 6. 126, b 41. Victimæ quales eſſe debebant, *Exodi* XII, 5. 30, b 22 — 52. *Levit.* I, 3. 60, a 15 — 17. *Deut.* XXI, 3. 95, b 25, ſeqq. *Malach.* I, 14. 567, b 61, 62. Victimarum probatio in quo erat, *Levit.* XXII, 23. 69, b 19.

Victores deos ſuos in locum priorum ſubſtituentes, *Nahumi* I, 14. 532, b 14, 15. in Oriente quomodo victos excipiebant, *Pſalmo* CX, 1. 241, a 6. Victores quomodo ſepeliebantur, *Ezech.* XXXII, 27. 443, b 20.

Victoria quænam omnium *pulcherrima*, II Reg. V, 1. 132, b 16. victoriæ monumentum verſum in uſum idololatriæ, *Iud.* VIII, 27. 112, a 50.

Vici & Caſtella quomodo vocentur ab Hebræis, *Num.* XXI, 25. 78, a 36.

Videre apud Hebræos quid ſit, *Ezech.* XIV, 22. 416, a 8.

Viduæ quo tempore ad novas nuptias poterant tranſire, *Deut.* XXV, 5. 99, b 21. Viduæ Regis quibuſnam nubere poterant, II *Reg.* XII, 8. 135, b 52.

Villicorum commoditas, *Eccleſ.* V, 10. 261, a 42.

Vindicandi libertas ſine Judice, *Eſther.* VIII, 11. 202, a 33 — 46.

Vindicta Dei, III *Reg.* II, 46. 145, a 16 — 39. *Jobi* XIX, 29. 209, a 12 — 15. *Sap.* XVI, 17. 606, a 32. *Sirach.* XVI, 11. 640, a 34, 35, ſeqq. II *Macc.* VII, 35. 774, a 1, ſeqq. etiam per actiones aliorum non probas, IV *Reg.* VIII, 22. 162, b 34, 35. cur differatur, *Eccl.* VIII, 11. 263, b 28 — 50. cur à Prophetis *convivio* ſoleat comparari, *Eſa.* XXV, 6. 295, b 54. vindicta quâ Deus utebatur in Judices officium non facientes, qualis, *Eſa.* LXV, 20. 339, b 40. vindictæ Divinæ ſymbolum, *Ezech.* V, 1. 406, b 53. *Junge* Juſtit. Provid.

Vinea, *vinitores*, Oſeæ II, 15. 488, a 27, 28. *Vinea optimi vini* quænam erat, *Eſa.* XXVII, 2. 297, a 35.

Vinum ſacrificium offerentibus prohibitum, *Lev.* X, 8. 63, a 7.

Vir quæ debeat uxori ex lege Divina, *Exodi* XXI, 10. 52, a 50, ſeqq. *Vir Sapiens* quale ſit bonum, *Sirach.* XXXVII, 26. 685, a 16.

Viri audaces & apud milites auctoritate valentes in quo ſint periculoſi, III *Reg.* II, 6. 144, a 55. Viri quandonam nuptis dotem dabant, & non nuptæ viris, *Gen.* XXIV, 53. 17, a 54. *Viri fortes* quandonam ſuo pretio æſtimentur, I *Reg.* XIV, 52. 125, a 12. Viri Magni quid ſibi heredibuſque ſtruere ſolebant, *Eſa.* XXII, 16. 292, b 29. Virorum mos in gravi luctu quis erat, *Deut.* XXI, 12. 96, a 7, 11. Virorum excellentium filii cur ſæpe peſſimi, I *Reg.* II, 12. 120, a 21. eorund. vetus mos de ingenio & ænigmatis certare, *Jud.* XIV, 12. 114, b 34. Viris cur prohibitum ſit indui veſte muliebri, *Deut.* XXII, 5. 97, a 18. Viris bonis quid Deus licere voluerit, *Sirach.* XII, 2. 633, a 31.

Virga de Iſrael ſurrectura quid myſticè ſignificabat, *Num.* XXIV, 17. 79, a 20.

Virgo ſignata, Cant. IV, 12. 269, a 22. Virginis diffamator quantum peccet, *Deut.* XXII, 29. 97, b 46. Virgines quæ novam cingebant nuptam, quomodo vocabantur, *Pſalmo* XLV, 1. 230, b 38. Virginum munus Abrahami tempore quale erat, *Gen.* XXIV, 15. 17, a 38.

Virtus quænam ex ſe cæteras omnes pariat, *Prov.* I. p. 247, a 16. *virtus* quæ, cui, *formidoloſa*, II Par. XXI, 4. 185, b 47. *virtus ſumma*, Sap. VI, 21. 595, b 36. virtutis viæ quot ſint, *Aggæi* II, 13. 547, a 14, 15, 16. virtutes cujuſnam rei ſint effectus, *Sap.* VIII, 7. 597, b 54. virtutum omnium cur Deus auctor præcipuus, III *Reg.* XIX, 18. 155, a 19.

Vis juris ſpecie peracta, *Amoſi* VI, 13. 515, a 23, 24. *Vis menſura juris*, Sap. II, 11. 590, b 61, 62.

Viſio quæ ſolis morituris apparebat, *Exodi.* XXIV, 11. 55, a 1, 6.

Vita bene acta ſatis longa, *Sap.* IV, 13. 593, b 45. vita bellum & peregrinatio, *Jobi* VII, 1. 204, b 31, 32. vita ſine fama, *Sap.* III, 17. 592, b 20. vitæ genera quænam omnium antiquiſſima, *Gen.* IV, 2. 6, b 11. vitæ terminus, *Pſalmo* XC, 10. 238, a 40 — 49.

Vitium quodnam ſit maximè contagio noxium, *Sirach.* XIII, 1. 634, b 9. vitia ubinam omnia regnent, *Gen.* XX, 11. 15, b 20. vitiorum viæ quot ſint, *Aggæi* II, 13. 547, a 14, 15, 16.

Vitrum in Judæa repertum, *Jobi* XXVIII, 17. 212, a 17.

Vitulus in cujus rei memoriam offerebatur, *Lev.* IX, 2. 62, b 43. levis victima in gravibus peccatis, *Lev.* IV, 3. 61, b 15.

Vituli nomen ac ſpeciem aſſumens, *Tob.* I, 5. 573, a 40, 41.

Vituli duo in Bethel & Dan *Jehova* dicti, *Oſeæ* IV, 15. 490, b 56 — 59. quomodo per eos jurabant, *Amoſi* VIII, 14. 517, a 9 — 15.

Vitulorum cinis Romæ quid præſtare credebatur, *Num.* XIX, 9. 77, a 39.

Viventes quinam intelligantur, *Pſalmo* LXIX, 29. 234, b 50.

Umbilicus qua de cauſa balſamo perfundi ſolebat, *Cant.* VII, 2. 269, b 42.

Unguentorum craſſiſſimi confectura, *Judith.* X, 3. 583, a 39 — 42.

Unguis adamantis quid, *Jer.* XVII, 1. 361, b 36.

Unus totum Populum repræſentans, qua in re, *Dan.* IX, 5. 472, a 58, ſeqq.

Vocari apud Hebræos quid, *Eſa.* XLII, 2. 334, b pen.

Voluntatem aliquid poſſe in Intellectum unde diſcamus, *Pſalmo* XXXVI, 4. 228, b 44.

Voluptates nimiæ, *Levit.* II, 11. 61, a 3, 4.

Votum voventes cur *comam* alebant, *Num.* VI, 5. 73, b 1, 3. votum ubinam erat complendum in Palæſtina viventibus, *Num.* VI, 18. 73, b 13. votum Annæ, matris Samuelis, quandonam fuerit ratum, I *Reg.* I, 11. 119, b 20. vota operum miſericordiæ, *Jonæ* I, 16. 520, a 61, 62. & II, 10. 520, b 62, 63. vota quandonam cenſebantur obligare, *Num.* XXX, 3. 81, a 6. votorum materia quænam erat, *Ib. lin.* 7.

Voventis ætas qualis debebat eſſe, *Ibid.* verſ. 4. *lin.* 16.

Urbes perfugii qua re abundabant; quid in eis facere erat vetitum, & qua re occupari debebant qui eò confugerant, Num. XXXV, 6. 82, a 1.

Urbes quot à Seleuco fuerint conditæ, *Dan.* XI, 5. 477, a 17.

Urbium vita quæ, *Ezech.* XXVI, 20. 434, b 18, 19. Urbibus malum quodnam ſit ultimum, *Ioſ.* VI, 20. 104, b 26.

Urias Sacerdos in quo peccârit, IV *Reg.* XVI, 11. 168, a 28.

Urim & *Thummim* à quo & quibus in rebus conſultabatur, *Exodi* XXVIII, 30. 56, a 34.

Uſura prohibetur, *Lev.* XXV, 36. 71, a 13. quibuſnam in rebus fiat, *Ezech.* XVIII, 8. 422, a 5. quomodo vocetur Hebraïcè, *Exodi* XXII, 25. 54, a 19.

Vulcanus à quibuſnam colebatur, *Eſa.* XIX, 1. 289, a 40.

Vulgus quibus capiatur & quid amet, I *Reg.* VIII, 19. 122, a pen.

Vultus hilaris cujus rei ſit indicium, *Sirach.* XIII, 32. 636, a antepen. *vultum operire* quàm ſit in honeſtis mulieribus mos antiquus, *Gen.* XXIV, 65. 17, b 8.

Uxor, *Ezech.* XXIV, 25. 432, a 4. *Mich.* VII, 5. 529, b 49—52. ducta puellari ætate, *Malach.* II, 14. 569, a 38—40. quales ardentiùs ſuum diligunt virum, *Sirach.* XV, 2. 638, b 3. quid in uxore ducenda ſit ſpectandum, *Sirach.* XXV, 28. 662, b 50.

Uxores plures habere quando & cur conceſſum viris fuerit, *Iud.* VIII, 30. 112, a 54. Uxores ubinam ſuos viros repudiare poterant, *Deut.* XXIV, 3. 98, b 21.

X.

XEROPHAGIÆ quænam erant, & quid in eis obſervabatur, *Eſth.* IV, 16. 200, b 29, ſeqq.

Xerxes an Perſarum Regum nomen fuerit gentilitium, *Eſdræ* IV, 6. 191, a 45. Xerxis exercitus quantus fuerit, III *Reg.* XX, 10. 155, b 25. quot numero militum conſtabat, *Dan.* XI, 2. 476, a 16. Xerxis tempore quænam regna ſub Perſis erant, *Ibidem lineâ* 14.

Z.

ZACHARIAS Rex à quo fuerit occiſus, *Oſeæ* IV, 2. 489, b 25.

Ζεὺς quibuſnam ſummus erat deus, *Eſa.* XLVI, 1. 317, b 23.

Zona quorumnam erat ornatus, *Dan.* X, 5. 474, b 24.

Zorobabel cur ſe Regem dicere non auſus ſit, *Eccleſ.* XII, 11. 467, b 2. cujuſnam figuram geſſerit, *Ier.* XXIII, 5. 367, b 56. *Oſeæ* I, 11. 487, a 35.

OMISSA.

Imbricitor Ventus, *Iob.* XXXVII, 9. 216, a 47.

Minari baculo, *Minare*, IV Reg. IV, 24. 159, b 49.

Pharuſi, vel *Phauruſi*, qui, *Ezech.* XXIX, 14. 440, a 27—30.

FINIS.

INDICES
VOCUM ET PARTICULARUM:

Unde & Errata quædam ſuprà prætervisa corrigi poterunt.

Voces & particulæ Hebrææ, & vicinarum gentium.

א

א ſine puncto, Syriacum, *Eſa.* x, 13. 283, a 19. א abundans, *Pſalmo* xxii, 18. 226, a 53, 54. Ezech. xxi, 16. 425, b 28. א omiſſum, *Jobi* xxxv, 11. 215, a 57. א præpoſitum, *Jobi* xxxiii, 7. 214, a 24. Dan. i, 20. 454, b 47. i Maccab. xiii, 20. 755, a 60. א pro ה Eſa. lxiii, 3. 335, b 60. Ezech. xxvi, 2. 433, a 42. Oſeæ i, 6. 486, b 35. א pro י Oſeæ x, 14. 498, b 58.
אב בית דין ii Paral. xix, 11. 185, a 34.
אב רב הם & אברהם Sirach. xliv, 20. 699, b 40.
אבד Deut. xxvi, 5. 100, a 16. Proverb. xxxi, 6. 258, a 27.
אבובא vel אבובה Gen. iv, 21. 7, b 48. Jobi xxi, 12. 209, b 39.
אבי Jobi xxxiv, 36. 215, a 40.
אביב Jobi viii, 12. 205, a 5.
אבבי i Maccab. xvi, 11. 761, b 48.
אבשע ii Maccab. xii, 19. 781, b 58.
אבנים Exodi i, 16. 28, a 40. Jer. xviii, 3. 362, b 59.
אברא Ezech. xvii, 3. 420, a 12.
אברך Gen. xli, 43. 23, b 43.
אבשלם ii Macc. xi, 17. 779, b 54.
אברת Levit. xix, 31. 68, a 53.
אגם Eſa. lviii, 5. 330, a 5.
אגמון Eſa. ix, 14. 282, a pen.
אד Gen. ii, 6. 2, b 5.
אדוני Exodi xx, 1. 34, b 44
אדונים Gen. xviii, 3. 14, a 61.
אדיר Sirach. x, 27. 629, b 17. אדירים Eſa. xlv, 1, 2. 316, a 11.
אדם Num. xxxi, 35. 81, b 2. Pſalmo lxxxii, 7. 236, b pen. Eſa. lxiii, 2. 335, b 41. Ezech. xxviii, 13. 438, a 60. Oſeæ vi, 7. 493, a 20. & xi, 4. 499, a 57.
אדמה Sap. vii, 1. 596, a 2.
אדרגזריא Dan. ii, 27. 455, b 58. & cap. iii, 2. 457, b 46.
אדרכון i Maccab. xii, 7. 753, a 30.
אדרעתא & אדרעה i Macc. v, 43. 735, a 45, 46.
אדרת Joſ. vii, 21. 105, a 19.
אהה Ezech. iv, 14. 406, b 3.
אהוה Eſdræ viii, 15. 192, b 19.
אהי Oſeæ xiii, 9. 502, a 59.
אהל Ezech. xxiii, 4. 428, b 38.
אהלים Prov. vii, 16. 248, b 57.
אהל מקנה ii Paral. xiv, 15. 183, b 8.
אהליבה Ezech. xxiii, 4. 428, b 41.
אוב Lev. xix, 31. 68, a 54.
אובד Jobi xxix, 13. 212, b 10.
אובלא Dan. viii, 2. 469, a 50.
אודה Sirach. li, 1. 711, b 9.
אוה Deut. v, 21. 85, a 33.
אוי i Macc. xii, 7. 753, a 39.
אויר i Macc. xii, 7. 753, a 41.
אולם Gen. xxviii, 19. 19, a 9. Jud. xviii, 29. 116, a 47. ii Par. xv, 8. 184, a 5. Jer. vii, 4. 351, a 13. Ezech. viii, 16. 410, b 7. Joel. ii, 17. 506, b 20.
און Eſa. lxvi, 3. 340, b 51. Ezech. xxx, 17. 441, a 38. Oſeæ vi, 8. 493, a 35. Michææ ii, 1. 523, b 37. Sirach. xvi, 23. 641, a 42.
אונו Jobi xl, 11. 218, b 43.
אופז Dan. x, 5. 474, b 19.
אופיר iii Reg. ix, 28. 148, a 51. & xxii, 49. 157, b 48. Sirach. vii, 20. 623, a 43.
אוצר Jer. xxxviii, 11. 382, b 6.
אור Jobi xxxi, 26. 213, b 24. xxxvii, 21. 216, b 35. i Maccab. xii, 7. 753, a 41. & verſ. 29. p. 754, a 6.
אור פני Dan. iv, 33. 461, b 18.
אורים ותמים Sirach. xlv, 12. 701, a 19.
אז Exodi xv, 1. 32, a 25. Sophon. iii, 9. 544, a 23.
אזוב i Macc. xii, 7. 753, a 36.
אזכרה Sirach. xxiv, 27. 659, a 26. xxxviii, 11. 685, b 60.
אזל Ezech. xxvii, 19. 436, b 57.
אזן Deut. xxiii, 13. 98, a 23. iii Reg. xxii, 38. 157, b 13.
אח Zachar. viii, 17. 554, b 36.
אחד Eſa. lxvi, 17. 341, b 52. אחד אחד i Paral. xxiv, 6. 179, b 40.
אחז Jer. xxii, 15. 366, b 10.
אחזיהו ii Paral. xxii, 6. 186, a 39.
אחר Pſal. lxxiii, 24. 235, b 31. Jer. l, 21. 395, a 45. אחר אחר Eſa. lxvi, 17. 341, b 50. אחר אחד Eſa lxvi, 17. 341, b 47.
אחר כבוד Zach. ii, 8. 549, b 31, 34.
אחרון Dan. ii, 28. 456, a 4. Joel. ii, 20. 506, b 57. Aggæi ii, 10. 547, a 1. Sirach. xxx, 1. 671, a 51.
אחרין Dan. iv, 5. 459, b 40
אחרית Gen. xlix, 1. 25, b 54. אחריתכן Amoſi iv, 1. 511, b 49.
אחשדרפנא & אחשדרפנים Dan. iii, 2. 457, b 25.
אחשורוש Eſdræ iv, 6. 191, a 42.
שחשתרנים Eſther. viii, 10. 202, a 30.
אטימוס Jobi xv, 24. 207, a 31.
אי & איים Jobi xxii, 30. 210, a 53. Eſa. xi, 11. 284, b 28. xxxiv, 14. 306, a 58. xli, 1. 309, b 31. Jer. l, 38. 396, a 6. Sirach. xlvii, 16, 17. 705, b 20.
איל Deut. xviii, 10. 92, b 7. Eſa. xxxiii, 7. 304, b 6.
אילת השחר Pſalmo xxii, 1. 226, a 16.
אימים Jer. l, 38. 396, a 6.
איש Exodi xix, 13. 33, b 8. Baruchi ii, 3. 714, b 15. איש ſubauditum, *Jobi* xxvi, 12. 211, b 12. איש את רעו Sirach. xvi, 28. 641, b 15. אישי לחכך Abdiæ i, 7. 518, a ult.
איתל Eſa. lxvi, 19. 342, a 44.
איתן Pſalmo lxxiv, 15. 236, a 10.
אך Pſalmo xxxix, 7. 229, b 46.
אכל Deut. xviii, 10. 92, a 16. & p. 93, a 26. Jerem. v, 17. 349, a 43. Ezech. ii, 8. 403, b 60. Habac. i, 16. 537, a 44.
אכפי Jobi xxxiii, 7. 214, a 24.
אל Geneſ. xxxvii, 35. 21, b 54. iv Reg. xxiii, 34. 174, a 33. Jobi xxxii, 21. 214, a 13. Pſalmo xc, 2. 238, a 28. Jer. xlviii, 34. 391, a 24. Ezech. xxi, 10. 425, a 45.
אל additum fini vocis, *Oſeæ* x, 14. 499, a 8.
אלגביש Ezech. xxxviii, 22. 449, b 52.
אלוה Exodi vii, 1. 29, b 38. Num. xi, 16. 74, b 20. Deut. x, 17. 86, a ult. Jud. xvii, 5. 115, b pen. i Reg. xxviii, 11. 129, b 38. Pſalmo lxxxii, 1. 236, b 51. xcvii, 7. 239, a 39. cxxxviii, 1. 245, a 15. Sirach. v, 7. 261, a 18. Jer. xxxi, 1. 375, a 7. Malach. iii, 8. 570, b 39. i Macc. i, 57. 726, a 37.
אלוה מעזים i Maccab. ii, 1. 726, b ult.
אלהא עליא Dan. 3, 93. 459, a 15.
אלה אלהין & אלה אלהים Exodi xx, 1. 34, b 36. & verſ. 2. p. 35, b antep. & verſ. 3. p. 36, b 6. verſ. 4. p. 39, b 53. Dan. iii, 93. 459, a 15.
אלהיך Exodi xx, 5. 43, b 2.
אלה Eſa. vi, 13. 278, b 15.
אלהותא Levit. xxvi, 30. 71, b 26.
אלנים Ezech. xxvii, 6. 435, a 17.
אלוף Michææ vii, 5. 529, b 45.
אלי Pſalmo vii, 8. 223, a 3.
אליו & אלי Zach. xii, 10. 561, b 16, 17.
אלמוני Dan. viii, 13. 470, b 23.
אלסר Gen. xiv, 1. 11, b 54.
אלץ Pſalmo vii, 5. 222, b ult.
אם Lament. v, 22. 275, b 12. Dan. iv, 24. 460, b ult.
אם־לפני Exodi xx, 3. 36, a 55.
אמה Exodi xx, 10. 46, a 40. Pſalmo lvi, 1. 232, a 39.
אמון Jer. xlvi, 25. 388, a 49.
אמון מנא ibid. & lin. 45, 50.
אמונה Pſalmo xxxvii, 3. 228, b 59. Oſeæ ii, 20. 488, b 11. אמונתי Habac. ii, 4. 537, b 49.
אמוץ Amoſi i, 1. 509, a 24.
אמ ם Gen. xxi, 13. 16, a 19.
אמל Joel. i, 10. 504, b 51.
אמן Deuter. xxviii, 66. 100, b 54. Eſa. lxv, 16. 339, b 21. Sirach. iv, 17. 616, b 46.
אבן אמן Judith. xiii, 26. 584, b 22.
אמן במעיך Jerem. li, 13. 397, a 37.
אמרורי Pſalmo xxxvii, 20. 229, a 9.
אמרי i Macc. ix, 36. 743, a 56.
אמרין Pſalm. xxxvii, 20. 229, a 9.
אמרכלא Jer. xxxv, 4. 380, b 12.
אמש Jobi xxx, 3. 213, a 1.
אמת Jer. li, 13. 397, a 37. Dan. iv, 34. 461, b 42. x, 1. 474, a 43.
אנין Ezech. xxvi, 18. 434, a ult.
אננקי Baruchi vi, 36. 719, b 40.

אנק

אנק Ezech. xxiv, 17. 431, b 35.
אנה ibid. lin. 36.
אנש Jer. xvii, 9. 362, a 34. אנשי חסד
i Macc. ii, 42. 728, b 3. אנשי מעשה
ii Macc. xiv, 42. 787, a 2.
אסמון Exodi xxi, 22. 53, a 2.
אסוף אסף Jobi xxvii, 19. 211, b 39. Eſa. lviii, 8. 330, b 4. Jer. viii, 2. 352, b 3. & verſ. 13. b 38. i Macc. v, 53. 735, b 21.
אסר Pſal. cxviii, 27. 242, a 41. ii Macc. xii, 25. 782, a 16. אסר־הרן Tob. i, 24. 574, a 14.
אף־הוא iv Reg. ii, 14. 158, b 38.
אפדנא Dan. xi, 45. 483, b 36.
אפוש i Macc. ii, 5. 727, a 24.
אפם & אפי Ezech. viii, 17. 410, b 19.
אפלי & אפילות Jer. ii, 31. 345, b 35, 37.
אפיקים Eſa. lxiii, 15. 337, a 5. Ezech. xxxi, 12. 441, b 57.
אפס Jobi vii, 6. 204, b 39.
אפעה & אפע Eſa. xli, 24. 310, b 56.
אפעורית Deut. xxii, 5. 97, a 37.
אפר iii Reg. xx, 38. 156, a 10. Oſeæ viii, 1. 494, b 38.
אפרחין Eſa. lix, 5. 331, b 36.
אפריון Cant. iii, 9. 268, b 3.
אפרימה i Macc. x, 30. 746, a 50.
אצל Exodi xxiv, 11. 54, b 60. Zach. xiv, 5. 563, b 37.
אריאל & אראיל, אראל Eſa. xxxiii, 7. 304, b 4.
ארב Oſeæ x, 14. 499, a 9.
ארבאל Oſeæ x, 14. 498, b 51.
ארבה Oſeæ xiii, 3. 501, b pen. Nahumi iii, 17. 535, a 40, b 4.
ארג i Macc. xii, 7. 753, a 36.
ארז Jerem. xxii, 15. 366, b 9.
ארוכה & ארכה Jer. xxx, 17. 374, b 25, 26.
ארם Geneſ. xxii, 21. 16, b 25. Ezech. xxvii, 16. 436, a 53. ארם מני Jer. li, 27. 397, b 30.
ארמון Jer. xxx, 18. 374, b 40. ארמנות Pſalmo cxxii, 7. 242, b ult. Jerem. xvii, 27. 362, b 50.
ארן Eſa. xliv, 14. 315, a 15.
ארשה Jobi xxix, 18. 212, b 23.
אשב Ezech. iii, 15. 404, b 37.
אשדוד i Macc. iv, 15. 732, a 15.
אשור Oſeæ xiii, 7. 502, a 36.
אשות Sirach. xlv, 20. 701, a 33.
אשה Gen. ii, 23. 4, a 10. Jer. iii, 1. 346, a 41. Sirach. xxx, 19. 672, a 53.
אשכר Ezech. iii, 15. 404, b 38.
אשם Gen. xxvi, 10. 18, a 48. Levit. i, 9. 60, b 27. v, 1. 61, b 38. Eſa. liii, 10. 324, b 15. Oſeæ v, 15. 492, a 52. Habac. i, 11. 536, b 53. Sapient. x, 13. 600, a 12. Sirach. v, 18. 619, b 10. vii, 33. 624, a 56.
אשמודי Judith. viii, 25. 582, b 23.
אשפים Dan. i, 20. 454, b 43.
אשפר i Macc. ix, 33. 743, a 39.
אשר Exodi xx, 1. 35, a 38. Judic. xi, 30. 114, a 9. Ezech. iii, 15. 404, b 37. Amoſi ii, 9. 510, b 44.
אשרות & אשרים Judic. ii, 13. 110, a 24.
את Gen. iv, 1. 6, b 8. Eſa. vii, 17. 279, b 4. Jerem. li, 59. 399, b 18. Ezech. xx, 4. 423, b 14. Oſeæ i, 4. 486, b 11. Zach. ix, 11. 556, b 2.
אתה & את vice Vocativi, *Gen.* xxiv, 60. 17, b 1. Eſa. xli, 8. 310, a 21. Ezech. xxxiii, 7. 444, a 26.
אתבש Jer. xxv, 26. 370, b 14. li, 1. 396, a 54.
אתכל Ezech. xxvii, 5. 435, a 11.
אתנן & אתנה Oſe. ix, 1. 496, a 4. i Macc. xii, 7. 753, a 46.

ב

ב literæ duplex ſonus, *Eſa.* xv, 2. 286, b 23. ב omiſſum aut ſubauditum, *Jobi* xxxvii, 12. 216, a penult. Oſeæ x, 14. 498, b pen. xii, 14. 501, a pen. abundans, *Amoſi* ix, 1. 517, a 42. maximè poſt Sentiendi verba, *Habac.* i, 5. 536, a 30. ב particulæ uſus, *Ezech.* xviii, 24. 422, b 26. Dan. iv, 32. 461, a antep. Joel. iii, 3. 508, a 5. Sirach. xlii, 18. 696, a 26. ב mutatur in μ, *Nahumi* i, 4. 531, b 48. Judith. iii, 1. 580, a 18, 19. redditur per ȣ interdum, *Jer.* xlviii, 18. 390, a 12.
בוא Gen. xxxvii, 2. 21, b 36.
באחרית Dan. x, 14. 475, a 36. Oſeæ iii, 5. 489, b 7. Sirach. xvi, 22. 641, a 31.
באחרית הימים Sirach. xi, 28. 632, a 49.
באר Gen. xxvi, 33. 18, b 13. Num. xvi, 30. 76, a 60. Habac. ii, 2. 537, b 10. Sap. x, 13. 600, a 15.
בארה Num. xvi, 30. 76, a 61.
באש Joel. i, 17. 505, a 31.
בושה & באש Eſa. v, 2. 277, b 20.
בגדי Habac. i, 5. 536, a 32.
בד Oſeæ xi, 6, 499, b 22. בדיך Jobi xi, 3. 205, b 30.
בדור דורים Sirach. xvi, 27. 641, b 8.
בדין Eſa. xvi, 6. 287, b 24. Jer. xlviii, 30. 390, b 42, 44.
בדלה i Macc. xii, 7. 753, a 43.
בדרה Sophon. iii, 9. 544, a 31.
בדרך התלדות Pſalmo xxiv, 2. 226, b 28.
בהיר Jobi xxxvii, 21. 216, b 36.
בהלה ſeu בלהה, בלהות Jobi xviii, 14. 208, a pen. Eſa. lxv, 23. 340, a 16, 22. Ezech. xxviii, 19. 439, a 40.
בהמה Lev. vii, 26. 62, b 18. Joel. i, 18. 505, a 35.
בהמת Exodi xx, 10. 46, b 3. בהמות Deut. x, 17. 86, b 2. Jobi xl, 10. 218, b 32. Eccleſ. v, 7. 261, a 20. Jer. ix, 10. 353, b 57.
בהמת בהמות Exodi xx, 1. 34, b 37.
בודד Eſa. xiv, 31. 286, a 48.
בוז Ezech. xxi, 10. 425, a 45.
בוס i Macc. ii, 49. 728, b 41.
בוץ Ezech. xxvii, 16. 436, a antep.
בוצע בוצע Sirach. xxxv, 14. 681, a 60.
בור Eccleſ. x, 8. 265, a 50. Jer. xli, 7. 384, b 8. Ezech. xxvi, 20. 434, b 14.
בורית Jer. ii, 22. 345, a 5. Malach. iii, 2. 570, a 23.
בוש Joel. i, 17. 505, a 32. Tob. x, 1. 577, a 55.
בוזה & בז ii Par. xiv, 14. 183, b 4.
בחור i Reg. ix, 2. 122, b 7.
בחל Eſa. xxxii, 14. 304, a 7. Jer. xxxi, 32. 376, b 49. Zach. xi, 8. 559, a 57.
בחן Eſa. xxxii, 14. 304, a 8.
בחסדו Sirach. xxxv, 25. 682, a 18.
בחר Eccleſ. ix, 4. 264, b 4, 7.
בטן Pſalmo cxxxii, 11. 244, a 30. Sirach. xix, 12. 647, a 5.
ביד Oſeæ x, 14. 499, a 1. Sirach. xiv, 25. 638, a 29. בידו Oſeæ xi, 6. 499, b 24.
בידיו Jerem. xlviii, 30. 390, b 43.
ביד עבדך Baruchi ii, 28. 715, b 18.
ביד רמה Sophon. iii, 11. 544, b 7.
ביום Geneſ. ii, 4. 2, a 54. Eſa. xxx, 25. 302, a 33.
בין האולם ולמזבח ii Macc. x, 26. 778, b 53.
ביר Pſalmo ii, 12. 221, b 52.
בית Judic. xviii, 28. 116, a 42. Jerem. xlviii, 23. 390, a 46. i Maccab. vi, 32. 737, a 46. בית־און Exodi xxiii, 13. 54, a 57, 58. ii Reg. xi, 21. 135, b 17. Joſ. viii, 12. 105, a 53. Eſa. xxiv, 10. 295, a 27. Oſeæ iv, 15. 490, b 54. בית־אל Exodi xxiii, 13. 54, a 57. Joſ. viii, 12. 105, a 49, 54. Eſa. xxiv, 10. 295, a 28. Oſeæ iv, 15. 490, b 45, 53. בית־אל־יה Judith. p. 578, a ult. בית ארבאל Oſeæ x, 14. 498, b 51. בית הבור Sap. x, 13. 600, a 17. בית־זיתא & בית־זית i Macc. vii, 19. 739, a 60. בית־חרון Judith. iv, 3. 580, a 44. בית־יהודה Sirach. xlvii, 15. 705, b 3. בית לה סביב Ezech. i, 27. 403, a 50. בית־עין Jer. xlviii, 22. 390, a 36. בית־עלגה i Maccab. ix, 62. 744, b 21. בית־צור i Maccab. iv, 29. 732, a pen. בית־שמש & בית־שמשתא Jer. xliii, 13. 386, a 7. Judith. iv, 5. 580, a 53, ſeqq. בית־שני Malach. iii, 1. 569, b 54.
בכה ii Reg. v, 23. 132, b 59.
בכור Geneſ. iv, 3. 6, b pen. Eſa. xiv, 30. 286, a 39.
בכם Michææ i, 2. 522, a 37.
בכנו Eſa. lvii, 2. 327, b 51.
בכנרת ii Maccab. xii, 35. 782, b 5.
בכרה Jer. ii, 23. 345, a 27.
בל Eſa. xlvi, 1. 317, b 21. Jer. l, 2. 394, a 15. Dan. vi, 14. 464, b 40. Oſeæ x, 14. 498, b 59. Baruchi vi, 40. 719, b 52. ii Macc. vi, 2. 771, a 52.
בלאשצר Dan. vii, 1. 465, a 10.
בלהות Jobi xviii, 14. 208, a pen. Vide בהלה
בלטאשצר Dan. i, 7. 454, a 15. x, 1. 474, a 36, 39.
בלטין Ezech. xxvii, 6. 435, a 18.
בלטשאצר Dan. i, 7. 454, a 14, 17.
בלי Dan. vi, 14. 464, b 41.
בלי־איש i Macc. x, 1. 745, a 44.
בליעל i Reg. i, 16. 119, b 33. x, 27. 123, b 21. Nahumi i, 15. 532, b 33.
בלמודים Eſa. l, 4. 321, b 9.
בלשאצר Dan. v, 1. 462, a 6.
בלתי Pſalmo xcii, 11. 238, b 35, 36.
במות & במה Jerem. xlix, 1. 392, a 32. Ezech. xx, 29. 424, a 25, 31. במות־בעל Eſa. xv, 2. 286, b 19.
במקום Oſeæ i, 10. 487, a 27.
בן Deut. xxv, 5. 99, a 58. בני אדם & בנות האדם Ezech. xxxi, 14. 442, a 19. Oſeæ vi, 7. 493, a 21. בני אלהים Pſalmo lvi, 1. 232, a 42. בניהם Ezech. xxvii, 32. 437, b 39.
בנה Exodi i, 21. 28, a 43. Deut. xxv, 9. 99, b 38. Prov. xiv, 1. 250, b 10. Malach. iii, 15. 571, a 45. Sirach. iii, 16. 614, a 47.

בנפשו II Macc. XIV, 24. 786, a 29.
בנפשד Sirach. I, 38. 612, b 7.
בנות Jer. XLIX, 1. 392, a 32.
בעה Psalmo XXXVII, 3. 229, a 1.
בעלה Esa. LXII, 4. 335, a 7.
בעל Esa. XLVI, 1. 317, b 21. Jer. XXXI, 32. 376, b 49. Oseæ II, 16. 488, a 52. X, 14. 498, b 59. Malach. II, 11. 569, a 3. Baruchi VI, 40. 719, b 51. II Maccab. VI, 2. 771, a 51.
בעל־גרים II Macc. VI, 2. 771, b 1.
בעל־זבוב Exodi XXIII, 13. 54, a 56. IV Reg. I, 2. 158, a 9.
בעל־חנן Gen. XXXVI, 38. 21, b 16.
בעל־מי , בעל־מין & בעל־מים Judith. IV, 3. 580, a 46. VII, 3. 581, b 6. VIII, 3. 582, a 21.
בעל־שמים vel אעל־שמין Genes. XXXI, 53. 20, a 51. Exodi XXIII, 13. 54, a 55. Judic. II, 1. 110, a 20. IV Reg. I, 2. 158, a 8. Dan. XI, 31. 481, a 57. Dan. XI, 38. 482, b 30. Sapient. XIII, 2. 602, b 49. II Macc. VI, 2. 771, a 51. בעל־שמן Eccles. IX, 8. 264, b 26.
בעלים Oseæ XIII, 1. 501, b 21.
בעלת vel בעלית vel בעלים Jer. VII, 18. 351, b 27. XL, 14. 384, a 31. XLIV, 17. 386, a ult. Sap. XIII, 2. 602, b 50.
בעלת־שמין Sap. XIII, 2. 602, b 50.
בער Deut. XXVI, 13. 100, a 23.
בצע Psalmo X, 3, 4. 223, a 11. Jer. LI, 13. 397, a 36. Ezech. XXII, 12. 427, b 37. Joel. II, 8. 506, a 10. Amosi IX, 1. 517, a 39.
בצק Deut. VIII, 4. 85, b 55.
בצר Jobi XXII, 24. 210, a 47. Jer. XLVIII, 24. 390, a 53.
בקבק Jer. XIX, 1. 363, b 14.
בקעת־און & בקעת־שמש Amosi I, 5. 509, b 58, 60.
בקרבה Amosi III, 9. 511, b 2.
בקש Psalmo CIX, 11. 240, b 45. Oseæ III, 5. 489, a 56.
בר Psalmo II, 12. 221, b 50. LXXII, 16. 235, a 41.
ברא Prov. VIII, 22. 249, a 18. Esa. XLI, 20. 310, b 26. Malach. II, 10. 568, b 42. Sirach. I, 4. 611, a 12. Baruchi III, 32. 716, b 51.
ברומים Ezech. XXVII, 24. 437, a 54.
ברורה Sophon. III, 9. 544, a 30.
בריש Num. XV, 30. 75, b 37.
ברית II Reg. V, 3. 132, b 29. Jer. XXXIII, 20. 379, b 37. Sirach. XXXVIII, 38. 687, b 45. XLIV, 21. 699, b 50. I Macc. I, 16. 724, a 54.
ברך Gen. XXIII, 12. 16, b 54. Psalmo X, 3. 4. 223, b 8.
ברק Ezech. XXVIII, 13. 438, b 40.
ברקן vel ברקת Ezech. XXVIII, 13. 438, b 40. 44.
ברש Esa. LV, 13. 326, b 36. Oseæ XIV, 9. 504, a 7.
ברשית Prov. XXII, 20. 255, a 9. Esa. XI, 2. 284, a 19. Ezech. I, 4. 401, a 33. Sap. VII, 17. 596, b 36. & vers. 27. pag. 597, b 9.
בשגגה Jos. XX, 3. 108, a 40.
בשנה בשנה I Reg. VII, 16. 121, b 59.
בשעת־חדא Dan. IV, 16. 460, b 4.
בשר Ezech. XXII, 6. 427, b 8. בשר ודם Sirach. XIV, 19. 637, b 42.
בשורי & בשרי Oseæ IX, 12. 497, a 20. 21.
בשת Jer. III, 24. 347, a 49.
בת Ezech. XXVII, 6. 435, a 30. Sirach. XXXVI, 23. 683, a 28. בת הנשים vel בת אשת הנשים Dan. XI, 17. 479, a 21, 22. בת ירשת נחלה Num. XXXVI, 8. 83, a 3. 4. בת־קול Jobi IV, 16. 204, a 8. 9. Sap. p. 610, a 36.
בתולים Ezech. XXIII, 3. 418, b 29.

ג

גאל Genes. XLVIII, 16. 25, b 15. Deuter. XXV, 5. 99, b 19. Ruth. II, 20. 118, a 4. Esa. LIX, 20. 332, b 11. LXIII, 3. 335, b 60. Jer. XXXII, 8. 377, b 45. Sophon. III, 1. 543, a antep. גאל הדם Num. XXXV, 19. 82, a 45.
גאלתך Ezech. XI, 15. 413, a 47.
גב & גבים Esa. XXXIII, 4. 304, a 58. Ezech. XVI, 24, 25. 417, b 59. Dan. VI, 7. 464, a 33.
גבה Eccles. V, 7. 261, a 22. גבה גבהים ibidem.
גבור I Macc. IV, 30. 732, b 1.
גבנה Psalmo LXVIII, 15. 234, a 28.
גבירה Jer. XL, 14. 384, a 30.
גביש Jobi XXVIII, 18. 212, a 26.
גבל Jobi XXXVII, 12. 216, b 3.
גבעים I Macc. IV, 49. 733, a 38.
גברים Genes. VI, 4. 8, b 39. XIV, 5. 12, a 12. Sap. XIV, 6. 603, a 57.
גבתא I Macc. IX, 36. 743, a pen.
גג גמל Jer. XLVIII, 23. 390, a 43, 44.
גגת Jer. XIX, 13. 364, a 40.
גדבריא Dan. III, 2. 457, b 49.
גד , גדד Gen. XXX, 11. 19, a 51. XLIX, 19. 27, b 7. Exodi XVI, 31. 32, b 43. Esa. LXV, 11. 339, a 46. Michææ V, 1. 526, b 61. Zach. XII, 11. 562, a 10.
גדודים IV Reg. VI, 23. 161, a 53. IV Reg. XXIV, 2. 174, a 59. Jobi XXIX, 25. 212, b 43.
גדולות IV Reg. VIII, 4. 162, a 33.
גדלני Jobi XXXI, 18. 213, b 14.
גדר & גדיר III Reg. X, 22. 149, a 27. Esa. LVIII, 12. 331, a 4. Jerem. XLIX, 3. 392, a 48.
גובי גוב Jer. XLIX, 25. 393, a 47. Nahumi III, 17. 535, a 40.
גוג Amosi VII, 1. 515, a antep.
גוח Ezech. XXXIII, 2. 442, b 17.
גוי & גוים Genes. XXI, 13. 16, a 18. Esa. XLI, 1. 309, b 31.
גויות Psalmo CX, 6. 241, a 61.
גומץ Eccles. X, 8. 265, a 48.
גוע Gen. XXV, 8. 17, b 36.
גוף Sirach. XXXVIII, 33. 687, b 18.
גור Esa. LIV, 15. 325, b 31. Jer. XX, 3. 364, b 23. Sirach. XXIX, 34. 671, a 30.
גורל Esther. III, 7. 199, b 45.
גזברים Jer. XXXV, 4. 380, b 15. Dan. III, 2. 457, b 51.
גזי Amosi VII, 1. 515, a 61.
גזל Levit. VI, 2. 62, a 48. Levit. XIX, 13. 67, a 3.
גזר Eccles. IX, 1. 264, a 34. Dan. II, 27. 655, b 49, 56.
גזרין Dan. II, 27. 655, b 47.
גיחון Genes. II, 13. 3, a 52.
גיר , גירא Esa. XXVII, 9. 297, b 39.
גלגל & גלגלתא Oseæ IX, 15. 497, a 51, 52.
גלד Jobi XVI, 15. 207, b 50.
גלה Zach. IV, 2. 550, b 58. & vers. 12. p. 551, a 59.
גלו־ערות Judith. IX, 2. 583, a 6.
גלולים , גללים III Reg. XV, 12. 152, a 35. Ezech. XXIII, 7. 429, a 18.
גלותך Ezech. XI, 15. 413, a 48.
גלש Cant. IV, 1. 268, b 21.
גמדים Ezech. XXVII, 11. 435, b 24.
גמטריא Zachar. III, 8. 550, b 22.
גמל Num. XVII, 8. 76, b 35. Psalmo XIII, 6. 223, b 56.
גנזא I Maccab. XII, 7. 753, a 40.
גנזי Ezech. XXVII, 24. 437, a 54.
גער Esa. LXVI, 15. 341, b 20.
גפרים Ezech. XXVII, 11. 435, b 27.
גרים II Paralip. II, 17. 181, a 47.
גר צדק Exodi XII, 48. 31, b 44. Esther. VIII, 17. 202, a 51. גרי תושב, Exodi XX, 10. 46, b 16.
גרם IV Reg. IX, 13. 162, b 59. Jobi XL, 13. 218, b 61.
גרמסיא Ezech. XXVII, 14. 436, a 12.
גרף Joel. I, 17. 505, a 15.
גרפתים Joel. I, 17. 505, a 13.
גרש Gen. XLIX, 14. 27, a 60.
גשן Iudith. I, 9. 579, a 34.
גת Esa. LXIII, 3. 335, b 49.
גתית Psalmo VIII, 1. 223, a 25.

ד

ד omissum *Esa.* LXV, 15. 339, b 17. Oseæ VI, 4. 492, b 46. ד scriptum pro ר, *Ezech.* VI, 14. 408, a 26. Dan. I, 11. 454, a 54. pro ז, *Esa.* LVI, 10. 327, b 1.
דביונים IV Reg. VI, 25. 161, b 4.
דבא Deut. XXXIII, 25. 102, b 42.
דביר Ier. VII, 4. 351, a 14. I Macc. IV, 48. 733, a 25. III Macc. p. 790, a 55.
דבק III Reg. XXII, 34. 157, b 2.
דבר II Par. XXII, 10. 186, a 44. Psalm. LI, 6. 231, b 22. XCI, 6. 238, b 14. Eccles. VII, 9. 262, a 17. Cant. VII, 9. 270, a 3. Esa. IX, 8. 282, a 20. Ier. XL, 16. 384, a 42. Habac. III, 5. 539, b 39. דברי יהוה I Maccab. IX, 22. 743, a 9. דברי יוחנן I Macc. XVI, 23. 762, b 18.
דג Iudic. XVI, 23. 115, b 31.
דגלי מחנה Num. X, 15. 74, a 32.
דדנים I Par. I, 7. 175, b antep.
דו I Maccab. XII, 7. 753, a 40.
דוד Psalmo LXVIII, 13. 233, b antepen. Prov. V, 19. 248, a 39. דודי Esa. V, 1. 277, a 61.
דום Oseæ IV, 5. 489, b 60.
דון Psalmo CX, 6. 241, a 57.
דוק I Macc. XVI, 15. 762, a 24.

דחון Dan. vi, 18. 465, a 11.
די Deut. xv, 10. 88, b 12.
דין Deut. xvii, 8. 89, a 41.
דינא Dan. vii, 10. 467, a 20.
דיק Ezech. iv, 2. 405, a 61. i Macc. vi, 20. 737, a 13.
דישו ii Macc. xiv, 16. 785, b 29.
דל Esa. xxxviii, 12. 307, b 6.
דלטיר Jobi xiii, 16. 206, a 43.
דלף Psalmo cxix, 28. 242, a 51.
דלק Deut. xxviii, 22. 100, b 17.
דלתים Iobi xxxviii, 8. 217, a 24.
דם & דמים Lev. vi, 6. 62, a 54. xix, 26. 67, b 25. iv Reg. ix, 26. 163, a 14. ii Macc. viii, 3. 774, a 51.
דמה Lament. iii, 49. 273, a 33. Ier. L, 30. 395, b 24. Li, 6. 396, b 31. Ezech. xxvii, 32. 437, b 43. Oseæ iv, 5. 489, b 58.
דמם Psalmo xxxv, 15. 228, b 26. Ierem. xlviii, 2. 389, a 51. L, 30. 395, b 24. Li, 6. 396, b 32. Ezech. xxvii, 32. 437, b 44.
דמשק Sophon. ii, 9. 542, b 41.
דעת & דעה Eccleſ. viii, 6. 263, a 39. Dan. i, 4. 453, b 45. Sirach. xxxiii, 8. 677, b 6. xl, 5. 690, b 36. דעת אלהים Oseæ vi, 6. 493, a 13.
דעך Iobi xvii, 1. 208, a 17.
דק Esa. xl, 15. 309, a 4.
דקר Zach. xii, 10. 561, b 20.
דרגא Ezech. xxxviii, 20. 449, b 26.
דרדע iii Reg. iv, 31. 146, a 44.
דרומלים iii Macc. p. 790, a 6.
דרך Esa. lvii, 10. 328, b 53. דרך ארץ Eccleſ. viii, 16. 264, a 16. דרכך Oseæ x, 13. 498, b 38.
דרכמונים Esdræ ii, 69. 190, b ult.
דרעתא i Macc. v, 43. 735, a 44.
דרש Ezech. xxxiv, 11. 445, a 59.
דשא Gen. i, 12. 1, b 13.
דשתאי ii Maccab. xii, 19. 781, b 55. iii Macc. p. 790, a 3.
דתבריא Dan. iii, 2. 457, b 58.

ה

ה mutatum in א *Oſeæ* i, 6. 486, b 35.
ה paragogicum, *Eſa.* lvii, 3. 327, b 56. Zach. v, 1. 551, b 13. ה particula, *Gen.* xlix, 10. 26, b 49. Ezech. xxxviii, 13. 449, a 52. Dan. iii, 17, 18. 458, b 30.
האת Iobi xxxix, 25. 218, a 54.
הביש Ier. xlviii, 20. 390, a 19.
הבל Ier. ii, 5. 344, a 13.
הבנים i Reg. xvii, 4. 125, b 45.
הגרה Psalmo xc, 9. 238, a 36. Sophon. iii, 18. 544, b 53.
הגלגל גלה יגלה Amosi v, 5. 513, a 5.
הד אמר i Macc. ix, 66. 744, b 41.
הדפ Ier. Li, 27. 397, b 40.
הדברי Dan. iii, 94. 459, a 20. iv, 33. 461, b 25.
הדר Zachar. xii, 11. 561, b pen.
הדו Esther. i, 1. 198, a 20.
הדורים Esa. xlv, 1, 2. 316, a 10.
הדיב Ier. Li, 27. 397, b 41.
הדם i Macc. vii, 40. 740, a 17.
הדר Zachar. xii, 11. 561, b antepen.
הדר ראון Zachar. xii, 11. 562, a 9.
הדרת & הדרית & הדרי Dan. iv, 33. 461, b 10, 11.
הדרשתי Esa. lxv, 1. 338, b 7.
הוא iv Reg. ii, 14. 158, b 38, 39. ii Paral. xxviii, 22. 187, b 40. Sirach. xxiv, 25. 659, a 14. הוא פרת Geneſ. ii, 14. 3, b 18.
הובנים Ezech. xxvii, 15. 436, a 42.
הוד Esa. xi, 6. 308, b 19. Zach. xii, 11. 562, a 1.
הודיע Sirach. xlii, 19. 696, a 37.
הורה Michææ vii, 3. 529, b 23.
הוי Sophon. iii, 18. 544, b 54.
הוכן Sirach. xlix, 3. 708, a antep.
הומה Ier. iv, 18, 19. 348, a 12.
הוציא i Macc. xi, 66. 752, a 38.
הותי Iobi vi, 2. 204, a 51.
החטיא Esa. xxix, 21. 300, b 40.
החרים Esa xi, 15. 284, b 51.
היו Sophon. iii, 18. 544, b 54.
היום i Reg. xiv, 33. 124, b 47.
היכל ii Paral. vi, 13. 181, b 52. Ier. vii, 4. 351, a 13. i Maccab. iv, 48. 733, a 27. vii, 36. 740, a 5. היכלקדש Psalmo lxxix, p. 236, b 17.
הילל Esa. lii, 5. 323, a 18. Ier. xlvii, 2. 388, b 38. הילילו Ioel. i, 5. 504, a 56.
הכביר Habac. ii, 6. 538, a 38.
הכותת Iudith. xv, 8. 585, a 39.
הכעים Ezech. xxxii, 9. 442, b 59.
הלוא Esa. lviii, 7. 330, a 38.
הלך Zachar. x, 12. 558, b 4.
הללו יה Tob. xiii, 22. 578, b 1. iii Macc. p. 800, a 9.
הלם Ezech. xxviii, 13. 438, b 5.
הלפר וחש Iudith. p. 578, b 55.
המון Eccleſ. v, 9. 261, a 33.
המורים i Reg. xxxi, 3. 130, b 5.
המלאה Ezech. xxvi, 2. 433, a 42.
המלוא Sirach. L, 2. 702, b 14.
המליך Sirach. xxii, 4. 652, b 58. xlvi, 2. 703, a 6.
המלך Dan. v, 31. 463, b 11.
הן Dan. iv, 24. 460, b ult.
הנדי Esther. i, 1. 198, a 21.
הנחיל Sirach. xxii, 4. 652, b 60. xlvi, 2. 703, a 6.
הניח Sirach. iii, 7. 614, a 2.
העביר Deut. xviii, 10. 92, a 16.
הערל Habac. ii, 16. 538, b pen.
הפגיע Esa. liii, 12. 324, b ult.
הפחתים & הפחתם Malach. i, 13. 567, b 47, 48.
הפיל Deut. xxv, 2. 99, a 31. Sirach. i, 39. 612, b 11.
הפעל Sirach. xxxiii, 26. 678, b 10.
הצדא Dan. iii, 14. 458, b 6.
הצדיק Esa. liii, 11. 324, b 31.
הצן Ezech. xxiii, 24. 429, b 42.
הקים Sirach. xxxvi, 17. 682, b 51.
הקף Iudith. xv, 2. 585, a 17.
הקנה Zach. xiii, 5. 563, a 11.
הקש i Macc. viii, 17. 741, b 30.
הרשמשתא iv Reg. xxiii, 29. 174, a 18.
הראה Adj. Dan. iii, 44. 721, a 53.
הרי Zachar. xiv, 5. 563, b 48.
הרמון Amosi iv, 3. 512, a 5.
הרם Exodi xix, 24. 33, b 26.
הרעל Habac. ii, 16. 538, b antep.
הרשיע Deut. xxv, 1. 99, a 16. Esa. xxix, 21. 300, b 41.
הרקן i Macc. xvi, 19. 762, a 34.
השדמות Ier. xxxi, 40. 377, a 55.
השמיע Ier. L, 2. 394, a 10.
השרמות Ier. xxxi, 40. 377, a 54.
התאחדי Ezech. xxi, 16. 425, b 28.
התיחש ii Par. xii, 15. 183, a 6.
התמו Habac. i, 5. 536, a 40.
התפלשתי & התפלשי Michææ i, 10. 523, a 8.
התקדש Esa. lxvi, 17. 341, b 40.

ו

ו in *β* vertitur, *Ier.* xlviii, 21. 390, a 25.
ו particula, *Levit.* xxv, 35. 71, a 5. Deut. xvii, 9. 89, b 57. Iobi xli, 1. 219, b 40. Prov. xxv, 27. 256, a 32. Esa. xliii, 14. 313, b 31. xliv, 14. 315, a 12. lviii, 13. 331, a 41. Ezech. iii, 14. 404, b 23. Dan. vii, 20. 468, a 5. Oseæ i, 10. 487, b 25. Zachar. xi, 7. 559, a 29. Malach. iii, 3. 570, a 29.
וו Exodi xxxviii, 10. 59, b 14.
ויחי Ezech. xvii, 7. 420, b 9.

ז

ז mutatur in ד & Græcè in *δ*, *Ier.* xlviii, 32. 390, b 58. Dan. xi, 38. 482, b 20.
זבדיאל i Maccab. xi, 17. 749, b 55.
זבח Deut. xii, 15. 87, a 1. xviii, 10. 92, a 20. Ezech. xxi, 10. 425, a 45.
זדון Deut. xvii, 12. 90, b pen. & verſ. 13. p. 91, a 39. xviii, 22. 94, a antep. Psalmo xix, 14. 225, b 28.
זדים Psalmo xix, 14. 225, b 17, 28.
זהר Dan. xii, 3. 484, b 4.
זוב Deut. xxxiii, 25. 102, b 42.
זוד Psalmo xix, 14. 225, b 20.
זונה Levit. xxi, 1. 68, b 46, 51.
זונות iii Reg. xxii, 38. 157, b 15, 20. ii Par. xvi, 14. 184, b 4.
זור i Maccab. viii, 7. 742, b 15.
זיו Dan. iv, 33. 461, b 17.
זין Deut. xxiii, 13. 98, a 24.
זיקות Esa. L, 11. 321, b 46.
זית Oseæ xiv, 7. 503, b 33.
זכה Ioel. iii, 21. 509, b 2.
זכר Sirach. xxiv, 27. 659, a 20.
זכרון ibidem.
זלל Deuter. xxi, 20. 96, b 45. Sirach. ix, 13. 627, a 37.
זמרה Levit. xxv, 23. 70, b 48. Psal. xvii, 3. 224, b 49. Ezech. xvi, 43. 418, b 54.
זמורה Ezech. viii, 17. 410, b 20.
זמירה Ier. xxv, 38. 371, a 38.
זנב Deut. xxv, 18. 99, b antepen.
זנה Numer. xv, 39. 76, a 14. Iud. xix, 2. 116, b 12, 14.
זנה Iud. xix, 2. 116, b 12.
זני Sirach. xxiii, 23. 656, b 41.
זעף Dan. i, 10. 454, a 53.
זקן הממרא Deuter. xvii, 12. 91, a 10.
זקנים Ioſ. viii, 33. 105, b 30. iii Reg. viii, 1. 147, b 7. ii Macc. vi, 1. 771, a 46. iii Macc. p. 797, b 49.

זר & זרים Exodi xxix, 33. 56, b 28. Num. xi, 20. 74, b 29. Pſal. xix, 14. 225, b 16. Sirach. xlv, 16. 701, b 1.
זרבבל Eſdræ i, 8. 190, b 28.
זרנץ Iobi i, 15. 203. a 46.
זרה Num. xi, 20. 74, b 31. Zachar. i, 19. 549, a 18.
זרעים Dan. i, 12. 454. b 1.
זרעתא i Macc. v, 43. 735, a 45.

ח

ח pro ה Amoſi iv, 3. 512, a 6.
חבור iv Reg. xvii, 6. 168, b 19.
חבלים Zach. xi, 7. 559, a 37.
חבקיק Habac. i. p. 535, b 55.
חבר Eccleſ. ix, 4. 264, b 7. Eſa. xlvii, 9. 318, b 20. חבר חבר Deut. xviii, 11. 93, b pen.
חברה Iudith. viii, 32. 582, b 32.
חבש Iobi xxxiv, 17. 214, b 34.
חג & חגים Pſalmo cxviii, 27. 242, a 36. Eſa. xxix, 1. 299, b 60. Malach. ii, 3. 568, a 32.
חדד Eſa. lxvi, 17. 341, b 56.
חדון Dan. vi, 18. 465, a 12.
חדקל Gen. ii, 14. 3, b 6.
חדך Ezech. xxi, 14. 425, b 20. Zachar. ix, 1. 555, a 6.
חדש Eſa. xli, 1. 309, b 26. Oſeæ v, 7. 491, b 29. Amoſi viii, 5. 516, a 46.
חות Iobi xxxvi, 2. 215, b 12.
חוזי ii Par. xxxiii, 19. 189, a 37.
חוח Oſeæ ix, 6. 496, b 14.
חור Ier. xx, 3. 364, b 19.
חור מני Ier. li, 27. 397, b 32.
חורי Ier. xlix, 25. 393, a 48.
חותם Ierem. xxii, 24. 367, a 23. Ezech. xxviii, 12. 438, a 46.
חוה Pſalmo xxxviii, 20. 229, b 15, 17.
חגים Exodi xxiv, 16. 55, a 12.
חוק Levit. xx, 4. 68, b 28. חוקים Iobi xxxvii, 18. 216, b 27.
חטא Lev. i, 9. 60, b 27. v, 1. 61, b 37, 39. xvi, 21. 65, a 26. Iobi xxxv, 3. 215, a 48. Prov. xiv, 34. 250, b ult. Eſa. liii, 10. 324, b 17. Ierem. xliii, 12. 386, a 1. Oſeæ xii, 8. 500, b pen. Zach. xiii, 1. 562, b 5. Sapient. x, 13. 600, a 12. Sirach. vii, 33. 624, a 55.
חטאה Deut. xix, 15. 94, b 36. Ier. xxx, 14. 374, b 13.
חי Pſalmo lxix, 29. 234, b 54.
חירה Exodi xxv, 18. 55, a 49. Pſalmo lxviii, 11. 233, b 48, 49.
חיים vel חיות vel חיין Exodi xxv, 18. 55, a 48. Iobi xxiv, 22. 211, a 26. Pſalmo lxviii, 11. 233, b 47. Habac. iii, 2. 539, b 10.
חיל Pſalmo lxxxiv, 8. 237, a 55. cx, 3. 241, a 22. Sirach. xvii, 31. 643, b 37.
חין Iobi xli, 3. 219, b 55.
חך Oſeæ viii, 1. 494, b 35.
חכם Sirach. xxxiv, 10. 679, b 42.
חכמה Eſa. xi, 2. 284, a 16. Sap. vi, 10. 595, a antep. חכמות Deut. x, 17. 86, b 2. Eccl. v, 7. 261, a 20. חכמה חכמות Exodi xx, 1. 34, b 38. חכמת בינה Dan. i, 20. 454, b 35.
חלא Ezech. xxiv, 6. 431, a 25.
חלב Gen. iv, 3. 6, b 29.
חלה Oſeæ v, 13. 492, a 14. Malach. i, 8. 567, a 32.
חלות Levit. xxiv, 5. 70, a 36. Numer. xv, 20. 75, b 34.
חלח iv Reg. xvii, 6. 168, b 16.
חלל Ier. li, 47. 399, a 2. Ezech. xxii, 16. 427, b 55.
חללה Levit. xxi, 1. 68, b 45, ſeqq.
חלמות השוא Exodi xx, 7. 44, a 26.
חלץ Pſalmo vii, 5. 222, b 60. Eſa. lviii, 11. 330, b 48.
חלק Exodi xx, 3. 36, b 25. Pſalmo lxviii, 19. 234, a 56. Ierem. xxxvii, 11. 381, b 39.
חלקים Iobi xxxvii, 18. 216, b 29.
חם Ier. xxxi, 2. 375, a 13.
חמד Exodi xx, 16. 34, a 60. & verſ. 17. p. 49, b 32. Deut. v, 21. 85, a 33.
חמדה Sirach. i, 21. 611, b 19. חמדות Aggæi ii, 8. 546, b 45.
חמה Eſa. xxiv, 23. 295, b 18, 19. i Macc. xiv, 48. 759, a 16.
חמוד Num. xvi, 15. 76, a 50. חמודים Ioel. iii, 5. 508, a 28.
חמור Zachar. ix, 9. 556, a 35.
חמנים Levit. xxvi, 30. 71, a 61.
חמס Gen. xvi, 5. 13, b 24. Eſa. lix, 6. 331, b 38. Ier. li, 46. 398, b 53. i Macc. xvi, 17. 762, a 16.
חמץ Amoſi iv, 5. 512, a 26.
חמשים Exodi xiii, 18. 31, b 61.
חמת Habac. ii, 15. 538, b 47. i Macc. xii, 25. 753, b 47.
חן Ier. xxxi, 2. 375, a 13. Sirach. xvii, 18. 643, a 6.
חנית iv Reg. xi, 10. 164, b 19.
חנם Sirach. xx, 25. 650, b 7. xxix, 8. 669, b 27.
חנס Eſa. xxx, 4. 301, a 40.
חנף Iobi xiii, 16. 206, a 42. Ier. xxiii, 11. 368, a 38.
חנק ii Reg. xvii, 23. 140, a 3.
חסד ii Reg. x, 2. 134, b 41. Iobi xxxi, 18. 213, b 14. Prov. xiv, 34. 251, a 1. Eſa. lv, 3. 326, a 34. Oſeæ vi, 4. 492, b 38. Sirach. iii, 15. 614, a 42. xviii, 4. 644, a 14. xxxvi, 25. 683, a 40. xl, 17. 691, b 9. li, 37. 713, a 5. חסד ורחמים i Macc. iii, 44. 731, a 8.
חסיד Michææ vii, 2. 529, b 8. i Macc. ii, 42. 728, b 4.
חסידים & חסיים & חסיי & חסיין Exodi xx, 6. 43, b 49. Eſa. lv, 3. 326, a 34. lxv, 15. 339, b 15. Oſeæ vi, 4. 492, b 44. i Maccab. ii, 42. 728, a 60, ſeqq. חסידי
אמוה Exodi xx, 10. 46, b 20. Sophon. ii, 11. 542, b pen.
חסידה Iobi xxxix, 13. 218, a 7. Zachar. v, 9. 552, a 12.
חסיל Oſeæ v, 7. 491, b 29. Ioel. i, 4. 504, a 44.
חסן Dan. iv, 27. 461, a 24.
חסר Sirach. xxiii, 11. 655, b 60. חסר לב Sirach. vi, 21. 621, a 11.
חפה Deut. xxxiii, 12. 102, b 9. Pſalmo xix, 6. 225, b 4. iii Macc. p. 795, a 27.
חפז Iobi xl, 12. 218, b 51. Pſalmo xxxi, 23. 227, b 35. cxvi, 11. 241, b 61.
חפץ Exodi xxiii, 19. 58, a 2.
חפר Pſalmo xxxv, 7. 228, b 12. חפר־
פרות Eſa. ii, 20. 275, b 51.
חצור i Macc. xi, 67. 752, a 50.
חצות iii Reg. xx, 34. 155, b pen.
הציר־גוזל Gen. xv, 9. 13, a 15.
חצן Eſa. xlix, 22. 320, b 41.
חצף Dan. ii, 15. 455, b 11.
חצר & חצרים Ioſ. xix, 6. 108, a 20. Iudith. i, 8. 579, a 28, 30. i Macc. iv, 48. 733, a 31. חצר אלין Iudith. i, 8. 579, a 28.
חצר מות Ezech. xlvii, 17. 452, b 43.
חצר מלוא i Macc. xiv, 27. 758, a 24.
חקים & חקות Numer. xix, 2. 77, a 20. iv Reg. xvii, 34. 169, b 3. Ezech. v, 6. 407, a 49. xx, 11. 423, b 32. Sirach. vi, 37. 621, b 28.
חקק Gen. xlix, 10. 26, b 20.
חרב Geneſ. iii, 23. 6, a 38: 43. Ier. xxv, 38. 371, a 28. Ezech. v, 1. 406, b 46. xxvi, 9. 433, b 50. Nahum. iii, 15. 535, a 15. Sophon. ii, 14. 543, a 37.
חרב ולה שני פיות & חרב פיפיות &
חרב פיות Sirach. xxi, 4. 651, a 39.
חרבות Iobi iii, 14. 203, b 40. Dan. ix, 2. 472, a 35.
חרד Ezech. xxi, 14. 425, b 19.
חרה Ier. xxii, 15. 266, b 13.
חרוץ Levit. xxii, 22. 69, b 13.
חרטום & חרטמים Gen. xli, 8. 23, a 57. Dan. i, 20. 454, b 38. Sap. xii, 4. 601, a 35.
חרם Levit. xxvii, 21. 72, a 11. Numer. xviii, 14. 76, b 54. Deut. iii, 3. 83, b 36. Ioſ. xi, 14. 106, b 24. Eſdr. x, 8. 193, b 11. Nehem. xiii, 25. 197, b 28. Dan. xii, 2. 484, a antep. Zachar. xiv, 11. 564, b 6, 8. Malach. iv, 6. 572, b 15.
חרס Ier. xix, 2. 363, b 33.
חרסית & חרסות ibid. lin. 32, ſeqq.
חרף Iobi xxix, 4. 212, a 55.
חרפה Pſalmo xv, 3. 224, a 30.
חרש Pſalmo xxviii, 1. 227, a 29. Eſa. xli, 1. 309, b 25. Oſeæ x, 11. 498, b 5.
חרש Ier. xix, 2. 363, b 38.
חרשת Eſa. xvi, 7. 287, b 29.
חשב i Macc. ii, 63. 729, b 21.
חשבון i Macc. v, 26. 734, b 43. ii Macc. xii, 13. 781, b 21.
חשק Deut. xxi, 11. 95, b 50. Eſa. xxi, 4. 291, a 1.
חתיתו Ezech. xxxii, 32. 443, b 53.
חתם Gen. xxxviii, 18. 22, a 21.
חתת Gen. l, 19. 27, b 58.

ט

טבות Eſther. Addit. xv, 11. 587, b 41.
טבח Dan. ii, 14. 455, b 6.
טהור Eſa. lxvi, 20. 342, b 16.
טהר Ier. xxxiii, 8. 379, a 39.
טוב לב ביין Tob. vii, 9. 576, b 31.
טוביה Tob. p. 573, a 6.
טוס i Macc. xii, 7. 753, a 42.
טוטפות Deut. vi, 8. 85, a 51.
טחרים i Reg. v, 6. 121, a 43.
טלאות Ezech. xvi, 16. 417, b 19.
טמא Eſa. lxiv, 6. 337, b 32.
טמאה Deut. xxiv, 4. 98, b 28. Ezech. xxii, 15. 427, b 50.
טנא Deut. xxviii, 5. 100, b 9.

טפח Levit. xv, 2. 64, b 24.
טפל Ier. xliii, 9. 385, b 32.
טפסר Ier. li, 27. 397, b 54. Nahum. iii, 17. 535, a 37.
טרף Malach. iii, 10. 571, a 8.

י

י abundans, *Exodi* XXV, 31. 55, a ult. *Psalmo* XVI, 10. 224, b 25. י additum fini, *Jer.* xlix, 25. 393, a 45, 47. li, 13. 397, a 32. י omissum, *Lament.* iv, 3. 273, b 13. Dan. v, 19. 463, a 5. Oseæ v, 11. 492, a 5, 6. vi, 11. 493, b 15. י mutatur in א, Oseæ x, 14. 498, b 58, 59. י vertitur per ζ, Ezech. xxv, 9. 432, b 43.
יאצר Zachar. xi, 13. 560, a 3.
יאתיו Jobi xvi, 22. 208, a 9.
יבב Zach. ix, 17. 556, b antepen.
יביש Esa. xxviii, 16. 298, b antep.
יבל Dan. viii, 2. 469, a 49.
יבלו Jobi xxxvi, 11. 215, b 26.
יבם Deuter. xxv, 5. 99, b 20. Tob. vi, 12. 576, a 35.
יבש Gen. viii, 13. 9, b 8. Joel. i, 17. 505, a 30.
יגע Prov. xxiii, 4. 255, a 23. Jer. xxxi. 39. 377, a 45.
יגע vel יגיע Jobi xx, 18. 209, a 33.
יד Exodi iv, 13. 29, a 3. Sirach. xxix, 1. 669, a 43.
ידון Psalmo lxviii, 13. 233, b 60.
ידידי Esa. v, 1. 277, a antep.
ידע Esa. lxiii, 16. 337, a 16. Jer. xv, 12. 360, a ult. xxxi, 34. 377, a 7. Oseæ ii, 8. 487, b 39. Amosi iii, 10. 511, b 4. Sap. xii, 27. 602, a 34. xv, 3. 604, b 37.
יהודיה i Par. iv, 18. 176, a 57.
יהודית Judith. p. 578, a penult.
יהוה Gen. xviii, 22. 14, b 45. xix, 24. 15, a 29. Exodi iv, 24. 29, a 17. vi, 5. 29, a 60. xx, 1. 34, b 40. pag. 35, a 18, 33, seqq. & vers. 5. p. 43, b 1. vers. 7. b 58. xxxiii, 19. 57, b 52, 54. Jud. vi, 14. 111, a 46. xvii, 5. 116, a 13. iii Reg. v, 7. 146, b 25. iv Reg. xviii, 25. 170, a 40. Esa. xlii, 8. 311, b 37. xlv, 25. 317, a 60. lii, 6. 323, a 24. Jer. xvi, 21. 361, b 28. Ezech. xx. 44. 424, b 34. Oseæ iv, 15. 490, b 58. Jonæ i, 14. 520, a 45. Mich. iv, 5. 526, a 26. Sirach. xxxvi, 14. 682, b 24. l, 28. 711, a 34.
יהוה צבאות i Reg. i, 11. 119, b 13. 14.
יהושע Jos. i, 1. 103, a 2. ii Macc. p. 762, a 47. iv, 7. 767, a 15.
יהושפט Joel. iii, 2. 507, b 51.
יהלום Ezech. xxviii, 13. 438, b 5.
יום Genes. ii, 4. 2, a 54. iii, 8. 4, b 44.
יום אחרון Esa. xxx, 8. 301, b 8.
ימים Gen. xxiv, 55. 17, a 59. Amosi iv, 4. 512, a 17.
ימי חנכת ii Macc. i, 9. 763, a 25.
יון Jer. xxv, 38. 371, a 27. Ezech. xxvii, 13. 635, b 48. Dan. ii, 39. 456, b 24.
יונה Jer. xxv, 38. 371, a 17.
יוצא לשנים פועלים Numer. xxv, 4. 79, b 28.
יוצר Zachar. xi, 13. 560, a 2.
יורה Prov. xvi, 15. 252, a 39.
יושע Zach. ix, 9. 556, a 24.
יזרעאל Oseæ i, 11. 487, a 43.
יחד Psalmo xxxiii, 15. 228, a 40.
יחדו Psalmo xxxvii, 38. 229, a 49. Sirach. xviii, 1. 643, b 48.
יחל Oseæ viii, 10. 495. b 21.
יין גוים Jer. vii, 18. 351, b 32, 33. Esth. Addit. xiv, 17. 587, b 31.
יכלו Jobi xxxvi, 11. 215, b 25.
יכלכלו Zachar. xi, 16. 560, a 45.
ילד Levit. xviii, 11. 66, a 51.
ילדה Dan. xi, 6. 477, b 26.
ילכו Ezech. x, 22. 412, b 52.
ים per errorem additum, *Esa.* vii, 8. 279, a 15. xxiii, 1. 293, b 16.
ים אדום Jer. xlix, 21. 393, a 19.
ימים Gen. xxxvi, 24. 21, b 4.
ינובב Zachar. ix, 17. 556, b antep.
יסד Aggæi ii, 19. 547, b 6.
יעה & יעא Jer. lii, 18, 400, a 49.
יעוץ ii Macc. i, 10. 763, a 45.
יעזר i Macc. v, 8. 734, a 48.
יצא Gen. xxxvii, 2. 21, b 37. Michææ i, 11. 523, a 22. v, 2. 527, a 25.
יצמיח Esa. lxi, 11, 334, b 41.
יצק Jer. xlii, 18. 385, a 59.
יצר iv Reg. xix, 25. 171, a 15. Jobi xx, 22. 209, a 45. Esa. xxvi, 3. 296, a 37. Sirach. xxiii, 29. 657, a 32.
יקב Levit. xxiv, 11. 70, a 39.
יקדמנו רחמיך iii Macc. p. 791, b 37.
יקהת Gen. xlix, 10. 27, a 22.
יקום Gen. vii, 4. 9, a 19.
יקים Sirach. xliv, 22. 699, b 59. xlvii, 1. 704, b 6. i Macc. vii, 5. 739, a 14.
יראי אלהים Adj. Dan. iii, 90. 721, b 48.
ירב Oseæ v, 13. 492, a 25. x, 6. 498, a 14.
ירבעל Oseæ x, 14. 498, b 56.
ירבשת ii Reg. xi, 21. 135, b 14.
ירושלים הקדש Sirach. xlix, 8. 708, b 23.
יריעה Psalmo civ, 2. 240, a 2.
ירע Jer. xv, 12. 360, b 1.
ירע אל מנותו Ezech. xix, 7. 423, a 21, 22.
ירעתיך Oseæ xiii, 5. 502, a 19.
ירק Ezech. xxviii, 13. 438, b 3.
ירקון Aggæi ii, 18. 547, a 48.
ירקן Ezech. xxviii, 13. 438, b 2.
ירש Jer. xlix, 1. 392, a 36.
ירשיע Jobi xxxiv, 12. 214, b 23.
ישב Deut. xiii, 13. 87, b 8. Jerem. xl, 5. 383, b 57. Baruchi ii, 21. 715, a 26.
ישוד Psalmo xci, 6. 238, b 21.
ישוע Esa. xxvi, 1. 296, a 32.
ישפה Ezech. xxviii, 13. 438, b 24. i Macc. xii, 7. 753, a 44.
ישקון Oseæ xiii, 2, 501, b 44.
ישקטון Oseæ xiii, 2. 501, b 49.
ישרון Deut. xxxii, 15. 102, a 5. Esa. xliv, 2. 314, a 49.
יתנחם ii Macc. vii, 6. 773, a 24.
יתרה Jer. xlviii, 36. 391, a 49.

כ

כ subauditum, *Psalmo* xc, 9. 238, a 36.
כ Particula, *Joel.* ii, 5. 505, b 50.
כאב Jobi xxxi, 18. 213, b 12. Prov. iii, 12. 247, b 18.
כאב אנוש Esa. xvii, 10, 11. 288, a 52.
כארו Psalmo xxii, 18. 226, a 53.
כבד Psalmo iv, 3. 222, a 29. iii Macc. p. 799, a 8.
כבוד, כבודי Psalmo cvi, 20. 240, a 49. Jer. ii, 11. 344, a 46. Oseæ iv, 7. 490, a 21, 23. Sirach. xiv, 27. 638, a 49.
כבודו & כבודם Psalmo cvi, 20. 240, a 47, 48.
כבול iii Reg. ix, 13. 147, b 54.
כבירים Gen. vi, 4. 8, b 40.
כבר Jobi xxxv, 16. 215, b 7.
כד i Maccab. xii, 7. 753, a 46.
כדוי Jobi vi, 7. 204, a 56.
כהן ii Reg. viii, 18. 134, b 9. Jobi xii, 19. 206, a 3. Psalmo xcix, 6. 239, a 61.
כהן גדול אל עליון i Maccab. xiii, 42. 756, b 19.
כהן הגדול Sirach. l, 1. 709, b 1. iii Maccab. pag. 790, a 59.
כהנים iii Macc. p. 797, b 38.
כוח i Macc. xii, 7. 753, a 37.
כומז Exodi xxxv, 22. 59, a 19.
כון Psalmo lxxxvii, 5. 237, b 29.
כונתין Ezech. iv, 9. 406, a 31.
כוס הלל Psalmo cxvi, 13. 242, a 7.
כוס ישועות iii Macc. p. 798, b 55.
כור Ezech. xxii, 18. 428, a 7.
כוש Gen. ii, 13. 3, b 4.
כזב Gen. xxxviii, 5. 22, a 4.
כחל Ezech. xxiii, 40. 430, a 50.
כחשי Jobi xvi, 8. 207, b 37.
כי Gen. iii, 5. 4, b 5. Deuter. xx, 19. 95, a pen. ii Reg. xvi, 10. 138, b 44. Jobi xxxix, 14. 218, a 16. Psalmo cxxx, 4. 243, b 41. Eccles. vii, 21. 262, b 1. Lamentat. i, 21. 272, a 1. Esa. xviii, 4. 288, b 54. lv, 12. 326, b 19. Joel. iii, 1. 507, b 34.
כי גם Jer. li, 12. 397, a 27.
כי nomen appellat. *Esa.* iii, 25. 276, b 61.
כידון Jos. viii, 18. 105, b 2. i Par. xiii, 9. 178, a 41. Jer. vi, 23. 350, b 15.
כידור Jobi xv, 24. 207, a 34.
כיאן & כיון iv Reg. v, 18. 160, b 29. Amosi v, 26. 513, b 60, 61.
כילפות Psalmo lxxiv, 6. 235, b 47.
כים Lamentat. ii, 13. 272, a 52.
כימה Jobi xxxviii, 31. 217, b 8.
כישור Prov. xxxi, 19. 258, b 24.
כל ימי Psalmo cxix, 33. 242, a 60.
כל נפש החיה Sirach. xvi, 31. 641, b 34.
כלקבלתנה Dan. vi, 9. 464, a 57.
כלא Exodi iii, 19. 28, b 46. Esa. xlii, 22. 312, b 29.
כלה ii Reg. xiii, 39. 137, a 33. Psalmo xxxii, 3. 227, b 48. Sirach. xxxix, 34. 689, b 35.
כלחי Psalmo xcii, 11. 238, b 36.
כלי Esa. liv, 17. 325, b 45. lxvi, 20. 342, b 11, 13. Sirach. xxxviii, 30. 687, a 60.
כלי חמד i Macc. i, 24. 724, b 58.
כלנה Ezech. xxvii, 23. 437, a 29.
כמה Psalmo lxiii, 2. 233, a 19.
מי כמכה באלם יהוה i Macc. p. 723, a 41.
כמרים iv Reg. xxiii, 5. 173, a 52. Jobi iii, 5. 203, b 26.
כנגדו Gen. ii, 18. 3, b 40.
כנור Sirach. xxxix, 20. 688, b 53. i Macc. iv, 54. 733, b 15.

כנה Ezech. xxvii, 23. 437, a 26.
כניהו Jer. xxii, 24. 367, a 16.
כנים Geneſ. xLii, 11. 24, a 4. Sap. xix, 10. 609, a 51.
כנעה Deut. xi, 6. 86, b 17.
כנען Eſa. xxiii, 8. 294, a 26. Ezech. xvii, 4. 420, a 33. I Macc. ix, 36. 743, b 4.
כנעני Zach. xi, 11. 559, b 27. I Macc. ix, 36. 743, b 4.
כנעתך Jer. x, 17. 355, b 13.
כנף Jerem. ii, 34. 346, a 2. Dan. ix, 27. 474, a 7.
כנפשך Sirach. xxxiii, 31. 678, b 48.
כנרת I Maccab. xi, 67. 752, a 45.
כסא Exodi xvii, 16. 32, b antepen.
כסיל Jobi xxxviii, 31. 217, b 14. Sirach. vi, 21. 621, a 5.
כסמים Ezech. iv, 9. 406, a 27.
כסף Eſdræ viii, 17. 192, b 25.
כעס Ezech. xxxii, 9. 442, b 58.
כף אמונת Joel. ii, 5. 505, b 51.
כפורי Eſdræ i, 10. 190, b 38.
כפיס Habac. ii, 11. 538, b 17, 24.
כפן Jobi xxx, 3. 212, b antepen.
כפניתא I Maccab. xii, 37. 754, b 12.
כפף Eſa. ix, 14. 282, a antepen.
כפר Levit. i, 4. 60, a 25. Dan. ix, 24. 473, a 47. Oſeæ xii, 8. 500, b pen. Sirach. xvi, 11. 640, a 53. I Macc. vii, 31. 739, b 37.
כפרה Ezech. vii, 25. 409, a 60.
כפרים Eſa. Lviii, 1. 329, b 16. & verſ. 4. b 59. Jer. xxxi, 19. 376, a 14. Sirach. xxxiv, 31. 680, b 20. III Macc. p. 790, b 1.
כפתור & כפתרים Deuter. ii, 23. 83, b 25. Jerem. xLvii, 4. 388, b 60.
כרבל Dan. iii, 21. 458, b 55.
כרבלתא Dan. iii, 21. 458, b 52.
כרה Gen. L, 5. 27, b 46. Pſalmo xL, 7. 230, a 8. Oſeæ iii, 2. 489, a 3.
כרוב Exodi xxv, 18. 55, a 42. Pſalmo xviii, 11. 225, a 17.
כרז I Macc. xii, 7. 753, a 31.
כרים Pſalmo xxxvii, 20. 229, a 5, 8. Jerem. Li, 40. 398, b 25. Ezech. iv, 2. 405, b 13.
כרמיה Oſeæ ii, 15. 488, a 26.
כרמל Eſa. xvi, 10. 287, b 55. Eſa. xxix, 17. 300, b 21. Jer. ii, 7. 344, a 23. L, 19. 395, a 11. Amoſi i, 2. 509, b 20. Michææ vii, 14. 530, b 12.
כרע Pſalmo xvii, 13. 224, b 58. xx, 9. 225, b 50.
כרת Exodi xii, 15. 31, a 27. Levit. xx, 3. 68, b 20. Num. xv, 30. 75, b 42. Deut. xxiii, 2. 97, b 53. Eſa. Lvii, 8. 328, b 32. Jerem. xxxiii, 17. 379, b 26. Zachar. ix, 6. 555, a 57.
כרתים & כרתי II Reg. viii, 18. 134, b 5. Ezech. xxv, 16. 433, a 17.
כשדים Jer. Li, 1. 396, a 55.
כשיל Ezech. xxi, 10. 425, a 45.
כשל I Macc. ii, 61. 729, a 58.
כשר Proverb. xxxi, 19. 258, b 26.
כתבה Deut. xxiv, 3. 98, b 19.
כתנה I Maccab. xii, 7. 753, a 31.
כתים Num. xxiv, 24. 79, a 59. I Macc. i, 1. 723, b 24.
כתר Eſther. vi, 8. 201, b 1. Jobi xxxv, 16. 215, b 7.
כתרס I Macc. xii, 7. 753, a 34.

ל

ל omiſſum, *Ezech.* xxvii, 23. 437, a 27. ל pro נ *Jer.* L, 18. 395, a 2. ל particula, *Gen.* xvi, 3. 13, b 21. Exodi xxvii, 3. 55, b 40. Judic. xi, 40. 114, a 48. III Reg. x, 1. 148, b 22. Jobi xxxvii, 18. 216, b 23. Pſalmo xxxii, 9. 228, a 6. cx, 1. [illegible]40, b 55. Prov. xxiv, 23. 255, b 26. Jer. i, 18. 343, b 30. xxxi, 7. 375, a 57. Malach. ii, 15. 569, a 47.
לא היטיב Michææ vii, 3. 529, b 21.
לא נמות & לא תמות Habac. i, 12. 536, b 63, ſeq.
לארה Sirach. xLiii, 11. 697, a 42.
לאו Lamentat. i, 12. 271, b 31.
לאון Oſeæ iv, 15. 490, b 53.
לאלהים Jonæ iii, 1. 521, a 12.
לאמים Eſa. xLi, 1. 309, b 30.
לב־אין Sirach. vi, 21. 621, a 10.
לב קמי Jer. Li, 1. 396, a 51.
לביא Joel. i, 6. 504, b 27.
לבנה Eſa. xxiv, 23. 295, b 17, 18. I Macc. xii, 7. 753, a 39.
לבנון Oſeæ xiv, 7. 503, b 40.
לבש Dan. iii, 21. 458, b 58.
לדראון Dan. xii, 2. 484, a 54.
להחיה Gen. xix, 19. 15, a 19.
להט החרב Gen. iii, 23. 6, a 38.
להיטיב Michææ vii, 3. 529, b 20.
לו Jobi xvi, 4. 207, b 11. Eſa. xLv, 25. 317, b 4.
לוחש Nehem. iii, 12. 194, a 51.
לון Pſalmo xLix, 13. 231, a 37. Sirach. Li, 31. 712, b 37.
לזכרון IV Reg. xi, 12. 164, b 36.
לחטא Oſeæ viii, 11. 495, b 25.
לחי I Reg. xxv, 6. 128, b 1.
לחם Joſ. xxiv, 11. 108, b 56. I Reg. xiv, 24. 124, b 37. Jobi xx, 23. 209, a 54. xxviii, 5. 212, a 3. Oſeæ ix, 4. 496, a 46. Sophon. i, 17. 542, a 29. Malach. i, 7. 567, a 3. 9. Tob. i, 12. 573, b 18. Sirach. xLv, 26. 702, a 25.
לחנתי Jobi xix, 15. 208, b 33.
לחץ IV Reg. vi, 32. 161, b 39.
לחתים Ezech. xxvii, 5. 435, a 10.
לטי Exodi vii, 22. 29, b 59.
לילית Eſa. xxxiv, 14. 306, b 1.
ליער Oſeæ ii, 12. 487, b penult.
לכן Jerem. xxii, 18. 366, b 23. xxiii, 7. 368, a 4. Sirach. xxxi, 15. 674, a 5. II Macc. xiii, 25. 784, b 60.
למה Pſalmo xxii, 2. 226, a 31, 32.
למו Eſa. Liii, 8. 324, a 54.
לנצח Jer. L, 39. 396, a 14.
לעד Jobi xix, 24. 208, b 38. Oſeæ ii, 12. 487, b ult.
לעולם Gen. vi, 3. 8, b 10. Sophon. ii, 9. 542, b 44. I Macc. xiv, 41. 758, b 32.
לעולם ועד Dan. xii, 3. 484, b 13.
לעיניחם Ezech. xxxvi, 23. 446, b pen.
לעלמין Dan. vi, 21. 465, a 21.
לעני Pſalmo cii, 1. 239, b 28.
לפי Oſeæ x, 12. 498, b 16.
לפיד I Macc. xii, 7. 753, a 42.
לפני Exodi xx, 3. 36, a 56. Pſalmo v, 9. 222, b 20. Judith. xi, 18. 584, a 29. Sirach. i, 37. 612, a 53. III Macc. p. 796, b 12. לפני הבית III Maccab. p. 791, a 34. לפני יהוה Sirach. xLvi, 8. 703, a 46, 47.
לצים Pſalmo i, 1. 221, a 44. Oſeæ vii, 5. 493, b 59. I Maccab. x, 61. 748, a 28. I Macc. xv, 3. 759, a 50.
לקח Jobi xi, 4. 205, b 33. Pſalm. Lxviii, 19. 234, a 55.
לראון Dan. xii, 2. 484, a 53.
לשבות I Macc. iv, 38. 732, b 38.
לשן I Macc. xii, 7. 753, a 33.

מ

מ abundans, *Eſa.* Liii, 8. 324, a 55. מ apertum alieno loco, *Nehem.* ii, 13. 194, a 23. ם clauſum alieno loco, *Eſa.* ix, 7. 281, b 59. מ omiſſum, *Jer.* xviii, 14. 363, a 27. Judith. iii, 14. 580, a 29. viii, 3. 582, a 21, 22. מ pro נ interjectitio, *Jer.* xxxix, 3. 383, a 46. מ ponitur pro ב *Nah.* i, 4. 531, b 48. מ vertitur per β, Ezech. xxvii, 18. 436, b 33. per ν, *Jer.* xLviii, 23. 390, a 48, 49. מ Particula, *Jobi* xxxiv, 30. 215, a 27. Pſalmo xviii, 22. 225, a 25. Lamentat. i, 3. 271, a 37.
מאסף Eſa. Lviii, 8. 330, b 7.
מאסת Ezech. xxi, 10. 425, a 45.
מאפליה Jer. ii, 31. 345, b 35.
מארב Sirach. viii, 14. 625, b 54.
מארת Levit. xiii, 51. 64, b 2.
מאשם Sirach. xviii, 27. 645, b 4.
מבוסה I Macc. ii, 49. 728, b 41.
מבין Sirach. xxxiv, 10. 679, b 41.
מבין חדות Judith. v, 10. 580, b 39.
מבצרים Dan. xi, 24. 480, a 26.
מבשרת Eſa. xL, 9. 308, b 29.
מגדון Zachar. xii, 11. 562, a 9.
מגדיל Sirach. L, 24. 710, b 59.
מגלה & מגל Zachar. v, 1. 551, b 10, 12.
מגן Eſa. Lxiv, 7. 338, a 3.
מגני Pſalmo vii, 11. 223, a 13.
מגניה Oſeæ iv, 18. 491, a 28.
מגפה Zachar. xiv, 15. 564, b 51.
מדבר Cantici iii, 6. 268, a 61. Eſa. xxxii, 16. 304, a 19. Lxiii, 13. 336, b 51. Jer. ix, 10. 353, b 47. Joel. i, 19. 505, a 49.
מדברא & מדברנא Dan. iii, 94. 459, a 21, 22.
מדרה Jer. ix, 24. 354, b 3.
מדון Sirach. viii, 19. 626, a 37.
מדות Exodi xxxiii, 13. 57, b 28.
מדים Ezech. xxvii, 11. 435, b 25.
מדינה Eſther. i, 3. 198, a 33. Dan. ii, 48. 457, a 49. iii, 1. 457, b 19.

מדינים Prov. xviii, 19. 253, a46.
מדמן Jer. xlviii, 2. 389, a51.
מדע Dan. i, 4. 453, b48. Sirach. xl, 5. 690, b 36.
מרה Ecclesiastæ ii, 12. 259, b6.
מה שחו Amosi iv, 13. 512, b 41.
מהימני Gen. xli, 34. 23, b 28.
מהיר Esdræ vii, 6. 192, a 45.
מהלאה Jer. xxii, 19. 366, b 42.
מובא Deut. xi, 6. 86, b 16.
מורא Dan. vi, 10, 464, b26.
מוטה & מוט Esa. lviii. 9. 330, b 15. Jer. xxvii, 2. 372, a 39.
מולדת Levit. xviii, 11. 66, a49.
מום Levit. xxiv, 19. 70, b 1. Dan. i, 4. 453, b 34. Sirach. xx, 26. 650, b 14.
מוסרות Jer. xxvii, 2. 372, a 38.
מועד Oseæ ix, 5. 496, a 53.
מופת Zachar. iii. 8. 550, b 12.
מורה Deuter. xxi, 20. 96, b 42. Jobi xxix, 23. 212, b 31. xxxvi, 22. 216, a 1. Prov. xvi, 15. 252. a 39.
מושבה Jer. iii, 6. 346, b 15.
מות Psalmo xlviii, 15. 231, a 30. Jer. xxxi, 40. 377, a 55. iii Macc. p. 798, a 30.
מזבח Ezech. xx, 29. 424, a 33.
מזור Oseæ v, 13. 492, a 17. i Macc. ix, 7. 742, b 15.
מזרות & מזלות iv Reg. xxiii, 5. 173, b 14.
מוליא Eccles. ix, 1. 264, a 33.
מחא Jerem. xx, 2. 364, b 2. Dan. v, 19. 463, a 3.
מחי Ezech. xxvi, 9. 433, b 46.
מחלת Psalmo liii, 1. 232, a 14.
מחץ Psalmo cx, 6. 241, b 1.
מחקק Gen. xlix, 10. 26, b 17.
מטה Num. x, 15. 74, a 37. Ezech. vii, 10. 408, b 1. Michææ vi, 9. 528, b 49.
מטטרון Esa. lxiii, 9. 336, a pen.
מטעו & מטעי Esa. lx, 21. 333, b 35, 38.
מטפחות Esa. iii, 22. 276, a antep.
מי Jer. xxx, 21. 374, b 59. xlix, 19. 393, a 9. Mich. vi, 9. 528, b 47.
מי יתן Psal. xiv, 7. 224, a 15. Sirach. xxii, 33. 654, b 37.
מיכל ii Reg. xvii, 20. 139, b ult.
מים Nahumi ii, 8. 533, a 57.
מין ii Par. xvi, 14. 184, b 8.
מישך & מישאל Jer. xxv, 26. 370, b 20, 21.
מך Levit. xxv, 47. 71, a 37.
מכבר iv Reg. viii, 15. 162, b 18.
מכה אלהים Psalmo xxxvii, 21. 229, a 19.
מכונים ii Par. xxxv, 3. 189, b 7.
מכלילא Ezech. xxiii, 12. 429, a 39.
מכמש & מכמס i Maccab. ix, 73. 745, a 23, 24.
מכסה Num. iv, 25. 72, b 12.
מכרתיהם Gen. xlix, 5. 26, a 2.
מכשפים & מכשף Dan. ii, 2. 455, a 10. Sap. xii, 4. 601, a 36.
מכתב Psalmo xvi, 1. 224, a 44.
מכתם Psalmo xvi, 1. 224, a 45.
מכתש Sophon. i, 11. 541, b 43.
מלא Levit. iii, 1. 61, a 37.
מלאות i Macc. v, 26. 734, b 40.
מלאך Num. xx, 16. 77, b 21. Esa. xiv, 32. 286, a 52.
מלאכים Exodi xx, 1. 34, b ult.
מלאכה Gen. xxxiii, 14. 20, b 34. Exodi xii, 16. 31, a 32. xx, 9. 45, b 57.
מלבן Jer. xliii, 9. 385, b 36.
מלוח Jobi xxx, 4. 213, a 3.
מלח Esdræ iv, 14. 191, b 47.
מלחה Sirach. xxxix, 29. 689, a 50.
מלחים Jer. xxxviii, 11. 382, b 14.
מלט Jer. xliii, 9. 385, b 29.
מליץ Jobi xxxiii, 23. 214, a 37.
מלך Exodi xx, 3. 36, b 61. Deut. xviii, 10. 92, b 22. Nehem. v, 6. 194, b 55. Esa. xxiv, 21. 295, b 6. Ezech. xii, 10. 414, a 35. ii Maccab. ii, 17. 764, b 21.
מלך־ארץ ii Macc. iv, 19. 767, b antep.
מלך העולם ii Macc. vii, 9. 773, a 32.
מלכין & מלכים Dan. vii, 17. 467, b 37. x, 13. 475, a 31.
מלכי יון Exodi xx, 1. 34, b 59. Zach. ix, 13. 556, b 27.
מלכות ii Maccab. ii, 17. 764, b 21.
מלכות יון Dan. vii, 7. 466, b 16.
מלכם Deut. xviii, 10. 92, b 24.
מלקוח Num. xxxi, 11. 81, a 58.
מלקוש Jobi xxix, 23. 212, b 33. Prov. xvi, 15. 252, a 39.
ממנו & ממני Oseæ xiv, 5. 503, b 16, 17.
ממשך Ezech. xxviii, 14. 438, b pen.
ממשק Sophon. ii, 9. 542, b 40.
מן Gen. xiii, 11. 11, b 42. Exodi xvi, 15. 32, b 24. Sirach. xxiv, 39. 659, b 46.
מן omissum, *Psalmo* xvii, 4. 224, b 53. Esa. vi, 10. 278, a 61.
מנגד Gen. xxi, 16. 16, a 23. Psal. xxxviii, 12. 229, b 3.
מנדעה Sirach. xl, 5. 690, b 35.
מנדעי Dan. iv, 33. 461, b 7.
מנה Psalmo xc, 11. 238, a 57. Esa. lxv, 11. 339, b 2. i Macc. xii, 7. 753, a 47.
מנוחה Jer. li, 59. 399, b 29.
מנזרי Nahumi iii, 17. 535, a 31.
מנחות & מנחה Nehem. xiii, 9. 197, b 12. Esa. lvii, 6. 328, a 47. Jer. xxxiii, 18. 379, b 33. xli, 5. 384, a 59. li, 59. 399, b 30, 32. Joel. i, 9. 504, b 46. Amosi v, 22. 513, b 13. Malach. iii, 4. 570, a 43. Sirach. xxxiv, 23. 680, a 41. xxxv, 4. 680, b 54. Baruchi i, 10. 713, b 32. ii Macc. i, 8. 763, a 14.
מנחם Zachar. iii, 8. 550, b 20.
מנצח Psalmo iv, 1. 222, a 21.
מנרות i Macc. iv, 49. 733, a 37.
מס Gen. xlix, 14. 27, a 63.
מסבות Jobi xxxvii, 12. 216, a pen.
מסגר iv Reg. xxiv, 14. 174, b 35.
מסה Deut. xvi, 10. 88, b 10, 13.
מסכה Num. iv, 25. 72, b 14.
מסלות & מסלה Jud. v, 20. 110, b 51. iv Reg. xii, 20. 166, a 14.
מסע Judith. ii, 8. 579, b 19.
מספח Habac. ii, 15. 538, b 47.
מערך Ezech. xxvii, 13. 436, a 5.
מעזים & מערן i Maccab. ii, 1. 726, b 63, seq.
מעולם Sirach. l, 25. 711, a 9.
מעטפות Esa. iii, 22. 276, a 56.
מעיל Baruchi v, 2. 717, b 50.
מעכה ii Par. xiii, 2. 183, a 12.
מעכתי i Macc. v, 26. 734, b 47.
מעל Levit. v, 15. 62, a 17. Num. v, 6. 72, b 32. Ezech. xiv, 13. 415, b 45. xv, 8. 416, a 43.
מעלות & מעלה iv Reg. xx, 11. 172, a 11. Psalmo cxxix, 3. 243, b 6. Eccles. v, 9. 261, a 36. Judith. vi, 6. 581, a 26.
מעלו ii Par. xxxiii, 19. 189, a 35.
מעמיד ברית i Macc. ii, 27. 727, b 42.
מעון & מענה Deuter. xxxiii, 27. 102, b 50, 51.
מענות Psalmo cxxix, 3. 243, b 7.
מעץ Psalmo xcvi, 10. 239, a 23.
מערבך Ezech. xxvii, 13. 436, a 4.
מעשה Sirach. li, 25. 712, a ult.
מף Esa. xix, 13. 289, b 21.
מפלה Esa. xxiii, 13. 294, b 18.
מפלצת Jer. xlix, 16. 392, b 46.
מפנה Nahumi ii, 8. 533, a 61.
מפקד i Maccab. i, 53. 726, a 8.
מפרחין Esa. lix, 5. 331, b 36.
מצא Deut. xxxii, 10. 102, a 2. Sirach. xxix, 4. 669, a 59.
מצבית & מצבה Ezech. xxvi, 11. 434, a 8. Oseæ iii, 4. 489, a 34. x, 2. 497, b 34.
מצוה ii Par. xix, 10. 185, a 19.
מצור Deut. xx, 20. 95, b 12.
מצלא Dan. vi, 10. 464, b 23.
מצלות Zachar. xiv, 20. 565, b 8.
מצנפת Sap. xviii, 24. 608, b ult.
מצפה i Maccab. v, 35. 735, a 14.
מצרות Esa. xxix, 3. 300, a 15.
מקוה & מקוא iii Reg. x, 28. 149, a 48, 49.
מקומה Nahumi i, 8. 532, a 18.
מקור Sirach. l, 8. 710, a 3.
מקש Jobi xxxiv, 30. 215, a 30.
מראני & מרא Dan. ii, 47. 457, a 38. ibid. lin. 40.
מראה Ezech. x, 22. 412, b 49.
מר־דרור Exodi xxx, 23. 57, a 9.
מרבה Jer. ix, 6. 353, b 35.
מרבית Levit. xxv, 36. 71, a 17.
מרה Oseæ xiv, 1. 503, a 13. i Macc. xii, 7. 753, a 46.
מרות Michææ i, 12. 523, a 37.
מרזח Amosi vi, 7. 514, b 31.
מרי שחי Jobi xxiii, 2. 210, a 61.
מרכבה & מרכב Prov. v, 17. 248, a 35. xxii, 20. 255, a 10. Esa. xi, 2. 284, a 17. Ezech. i, 4. 401, a 30. Sap. vii, 27. 597, b 10.
מרקים Esther. ii, 3. 199, a 9.
מרר Oseæ xiv, 1. 503, a 13. Sirach. iv, 3. 616, a 24.
מררה Jobi xvi, 13. 207, b 48. xx, 25. 209, b 3.
מרשה Michææ i, 15. 523, b 3. i Macc. v, 66. 735, b 50.
מרתים Jer. l, 21. 395, a 34.
משא Prov. xxx, 1. 257, a ult. xxxi, 1. 258, a 11. Jer. xxiii, 39. 369, a 35.

משאות

משאורת Lamentat. II, 14. 272, a 58.

משבר Oſeæ XIII, 13. 502, b 27.

משוע Eſa. XXXII, 5. 303, b 6.

משושי Jer. XLIX, 25. 393, a 45.

משחות & משח IV Reg. XXIII, 13. 173. b 38, 39.

משיחו Amoſi IV, 13. 512, b 41.

משכב Eſa. LVII, 8. 328, b 30, 36.

משכיל Pſalmo XXXII, 1. 227, b 40. LIII, 1. 232, a 16.

משכר Eſa. XLII, 19. 312, b 1.

משל Sap. V, 3. 594, b 6. Sirach. V, 3. 618, a 51.

משלטן Eſa. XLII, 19. 312, b 2.

משלים Proverb. XXII, 20. 255, a 9. Habac. II, 6. 538, a 16. Sirach. XXXIX, 3. 688, a 31.

משלם Eſa. XLII, 19. 312, b 1.

משלש Gen. XV, 9. 13, a 8.

משם Jer. L, 9. 394, a antepen.

משמים Ezech. III, 15. 404, b 43.

משמרות & משמרת I Paral. XI, 25. 178, a 13. I Macc. VIII, 28. 742, a 12.

משנה Deut. I, 1. 83, a 1. XVII, 18. 91, b 43. Joſ. VIII, 32. 105, b 27. IV Reg. XXII, 14. 173, a 13.

משפחות & משפחה Num. XXVII, 11. 80, a 61. XXXVI, 6. 82, b 55. Ezech. XIII, 18. 415, a 25.

משפטים, משפטי, משפט Exodi XXI, 9. 52, a 45. Deut. IV, 8. 84, a 17. I Reg. II, 13. 120, a 31. VIII, 11. 122, a 37. Prov. I, 3. 247, a 25. Eſa. XLIX, 4. 319, b 48. LIX, 9. 331, b 55. Jer. XII, 1. 356, b antepen. XLIX, 12. 392, b 33. Ezech. V, 6. 407, a 45. XX, 11. 423, b 34. Oſeæ II, 19. 488, b 6. Tobiæ VII, 14. 576, b 36. Sirach. XVII, 10. 642, b 15. XXXIII, 14. 677, b 57. XXXVIII, 16. 686, a 45. XLIII, 11. 697, a 36. II Maccab. XIV, 38. 786, b 26.

משפט הגאלה Tob. III, 25. 575, a 33.

משפט המלכה I Reg. X, 25. 123, b 11.

משפטי יה Joel. III, 2. 507, b 52.

משקל Sirach. XVI, 25. 641, a 48.

משרוקיתא Dan. III, 5. 458, a 14.

משרים Prov. I, 3. 247, a 29.

משרת Sirach. VII, 32. 624, a 36.

משתה Judith. VI, 20. 581, a 47. Sirach. XIII, 10. 635, a 19.

מתג האמה II Reg. VIII, 1. 133, b ult.

מתי Eſa. XLI, 14. 310, a 54.

מתנן Nahumi I, 4. 531, b 47.

נ

נ abundans, *Pſalmo* LXIV, 7, 8. 233, a 34. Lament. III, 22. 272, b 56. Eſa. XIX, 13. 289, b 20. Judith. II, 18. 580, a 10, ſeqq.

נ litera inverſa, *Num.* X, 39. 74, a 55.

נ litera ſuſpenſa, *Judic.* XVIII, 30. 116, a 55.

נ pro Dageſch, *Eſa.* XXIII, 11. 294, a 51. Dan. III, 5. 458, a 23. נ pro ל & λ, *Jer.* L, 18. 395, a 2. Dan. III, 5. 458, a 29. נ vertitur per μ, *Eſa.* XIX, 13. 289, b 20.

נא Gen. XXII, 2. 16, a 32. Exodi V, 3. 29, a 36.

נא אמן Jer. XLVI, 25. 388, a 50.

נאבל II Macc. I, 23. 763, b 56.

נאמן Sirach. XXVII, 18. 666, b 36.

נאמן יהוה &c. Pſalm. CXLV, 13. 246, a 30.

נאמנים Jobi XII, 20. 206, a 7.

נאניה & נאני I Maccab. VI, 2. 736, a 42, 44.

נאכף Jobi XXVII, 19. 211, b 39.

נאף Exodi XX, 13. 48, b 12.

נבא I Reg. XVIII, 10. 126, b 16.

נבוכה Dan. II, 6. 455, a 34.

נבל Jobi XXX, 8. 213, a 6. I Macc. XII, 7. 753, a 44.

נבלה Deut. XXII, 21. 97, b 28.

נברא Sirach. I, 4. 611, a 12.

נגב Jer. XXXII, 44. 378, b 52.

נגהא Dan. I, 7. 454, a 29.

נגו Dan. I, 7. 454, a 27.

נגוע Eſa. LIII, 4. 323, b 58.

נגח Ezech. XXXII, 2. 442, b 18.

נגיד Jer. XX, 1. 364, a 55.

נגינות Pſalmo IV, 1. 222, a 25. LIV, 1. 232, a 21.

נגע Deut. XVII, 8. 89, a 43. Sirach. XXII, 26, 27. 654, a 47.

נגף Judith. XV, 8. 585, a 40. Sirach. XXII, 26, 27. 654, a 47.

נגש I Macc. I, 53. 726, a 12.

נד Pſalmo XXXIII, 7. 228, a 22.

נדב בן יהושע I Maccab. XII, 16. 753, b 20.

נדבה Levit. VII, 16. 62, b 10, 13. Amoſi IV, 5. 512, a 31.

נדברו Zach. IX, 9. 556, a 26.

נדד Pſalmo LXVIII, 13. 233, b pen.

נדחם Jerem. XIV, 9. 359, a 32.

נדוי Nehem. XIII, 25. 197, b 28. Dan. XII, 2. 484, a 60. III Maccab. pag. 793, a 17.

נדוניה Deut. XXIV, 3. 98, b 18.

נדיב Eſa. XXXII, 5. 303, a 63. & verſ. 8. b 39. Eſther. Addit. XVI, 3. 588, a 10. I Macc. XIII, 42. 756, b 26. III Maccab. p. 794, a 21.

נדח II Macc. I, 27. 763, b pen.

נדמה Eſa. XV, 1. 286, b 3.

נדן Gen. VI, 3. 8, a 58.

נדנה Pſalmo XL, 7. 230, a 19.

נדע Ezech. XXXVIII, 14. 449, b 2.

נוני Sophon. III, 18. 544, b 46.

נוה Jer. L, 7. 394, a 53.

נושע Zachar. IX, 9. 556, a 22.

נזה Eſa. LII, 15. 323, a 61.

נזם Eſa. III, 21. 276, a 52.

נזעכו Jobi XVII, 1. 208, a 15.

נזר Exodi XXIX, 6. 56, b 11. Levit. XXI, 12. 69, a 33. XXV, 5. 70, b 23.

נחילות, נחיל Pſalmo V, 1. 222, b 8, 9.

נחל Numer. XXXVI, 8. 83, a 4, & ſeqq. Ezech. XXII, 16. 427, b 55. Sirach. XV, 6. 638, b 36.

נחש Gen. III, 1. 4, a 57. XLIV, 5. 24, a 51. Levit. XIX, 26. 67, b 34. Eſa. XXVII, 1. 297, a 29. Ezech. XVI, 36. 418, b 2.

נחשב Num. XVIII, 27. 77, a 8.

נחרת Sap. IV, 7. 593, a 37.

נטה Oſeæ XI, 4. 499, b 6.

נטף Pſalmo LXVIII, 9. 233, b 35. Michææ II, 6. 524, a 26.

נטש Eſa. LXVI, 15. 341, b 24.

נין Pſalmo LXXII, 17. 235, b 10.

ניר Jobi XXXVI, 22. 216, a 2.

נכה Jer. XX, 2. 364, b 3. Zachar. V, 3. 551, b 28.

נכון I Par. XIII, 9. 178, a 42. I Macc. I, 17. 724, a 59.

נכסף Sophon. II, 1. 542, a 44.

נכפר II Macc. I, 36. 764, a 17.

נכרי Deut. XV, 3. 88, a 13.

נכשל Dan. XI, 19. 479, b 8.

ננרץ Michææ II, 10. 524, b 14.

נס Num. XXI, 8. 78, a 4. Zachar. XIV, 5. 563, b 41.

נסיכים Joſ. XIII, 3. 106, b 61.

נסתם Zachar. XIV, 5. 563, b 40.

נעורים Pſalmo CXXVII, 4. 243, a 42.

נעמן ב׳ נתניה I Maccab. XII, 16. 753, b 19.

נערים & נער Gen. XLIX, 22. 27, b 22. Eſa. XL, 30. 309, b 11. Ezech. XXIII, 3. 428, b 18. Zachar. II, 4. 549, b 7. Sirach. XXX, 12. 671, b antepen. II Macc. VIII, 28. 775, b 35.

נערה Judith. VIII, 32. 582, b 30.

נף Eſa. XIX, 13. 289, b 17.

נפוז Prov. XVIII, 19. 253, a 44.

נפט Adj. Dan. III, 46. 721, a ult.

נפילים Sirach. XVI, 8. 639, b pen.

נפך Ezech. XXVIII, 13. 438, b 35.

נפל Prov. XXIV, 16. 255, b 14.

נפש Levit. XVII, 11. 65, b 61. XIX, 28. 68, a 14, 16.

נפשי Habac. II, 4. 537, b 36.

נצב Oſeæ X, 2. 497, b 34. Nahum. II, 7. 533, a 39.

נצה Jobi XXXIX, 13. 218, a 9.

נצח לאל II Macc. XIII, 15. 784, a 39.

נציבים III Reg. IV, 5. 145, b 60.

נצרים Jer. XXXI, 6. 375, a 51.

נקב Jobi III, 8. 203, b 30. Zachar. XII, 10. 561, b 28.

נקדים Amoſi, I, 1. 509, a 31.

נקה Exodi XX, 3. 44, a ult. Jer. XXX, 11. 374, a 57. XLIX, 12. 392, b 36. Zachar. V, 3. 551, b 28. Sirach. XVI, 11. 640, a 53.

נקם Levit. XIX, 18. 67, a 22.

נקרים Amoſi I, 1. 509, a 31.

נקש Pſalmo CIX, 11. 240, b 47.

נרד Cantici I, 12. 267, b ult. I Macc. XII, 7. 753, a 44.

נשא Eſa. LIII, 11. 324, b 39. Jer. XXIII, 39. 369, a 35.

נשבע Ezech. VI, 9. 408, a 3.

נשבר Ezech. VI, 9. 408, a 3.

נשה Oſeæ I, 6. 486, b 35.

נשיא II Par. XIX, 11. 185, a 28. Ezech. XII, 10. 414, a 31, ſeqq. I Maccab. XV, 1. 759, a 45.

נשיאים Joſ. XIII, 3. 106, b 61. Ezech. XIX, 1. 422, b 55.

נשק Pſalmo II, 12. 221, b 56.

נתח III Macc. p. 790, a 32.

נתך Jer. XLII, 18. 385, a 59.

נתץ

נתץ Jobi xix, 10. 208, b 24.
נתק Jobi xix, 10. 208, b 24. Jerem. ii, 20. 344, b 41.

ס

ס mutatur in ת *Nahum.* i, 4. 531, b 48. ס pro ש *Jer.* li, 27. 397, b antep. *Michaea* vi, 14. 529, a 23. ס pro ת *Jer.* xl, 14. 384, a 31.
סבאים Oseæ iv, 18. 491, a 19.
סביב Judith. xv, 2. 585, a 17.
סבבא Dan. iii, 5. 458, a 22.
סגור Pſalmo xviii, 46. 225, a 40.
סגן , סגנין & סגניא Dan. iii, 2. 457, b 37.
סגר Pſalmo xvii, 10. 224, b 57.
סוג Ezech. xxii, 18. 427, b antepen.
סומפניא & סומפוניה Dan. iii, 5. 458, a 40, 41.
סופא Pſalmo cxix, 33. 242, a pen.
סופה Sirach. xvi, 21. 641, a 16.
סופיר iii Reg. ix, 28. 148, a 52. xxii, 49. 157, b 49. Tobiæ xiii, 22. 578, a 40. Sirach. vii, 20. 623, a 43.
סור Gen. xlix, 10. 26, a 42, 47.
סורר Deut. xxi, 20. 96, b 41.
סחי Lamentat. iii, 45. 273, a 25.
סחיש iv Reg. xix, 29. 171, a 41.
סהר אל ארץ vel סחר את ארץ Jer. xiv, 18. 359, b 5.
סיג Ezech. xxii, 18. 427, b antepen.
סימן i Macc. xii, 7. 753, a 30.
סין & סינים Eſa. xlix, 12. 320, a pen. & b 5. Ezech. xxx, 15. 441, a 34.
סירות Pſalmo lviii, 10. 232, b 2. Amoſi iv, 2. 511, b 59.
סכות iv Reg. xvii, 30. 169, a 43. Amoſi v, 26. 513, b 45. סכות בנות iv Reg. xxiii, 7. 173, b 12.
סכיים ii Par. xii, 3. 182, b 49.
סכך Jobi xxxviii, 8. 217, a 22.
סכל Sirach. v, 18. 619, b 10.
סכנת iii Reg. i, 2. 143, a 16.
סכסך Eſa. ix, 11. 282, a 37.
סלא Deut. xxviii, 5. 100, b 4.
סלה Pſalmo iii, 3. 222, a 10. Habac. iii, 1. 539, a 57.
סליחה Pſalmo cxxx, 4. 243, b 42.
סללה iv Reg. xix, 32. 171, a 60.
סמך Ezech. xxiv, 2. 430, b 57.
סמגר נבו Jer. xxxix, 3. 383, a 45.
סמק Ezech. xxviii, 13. 438, a ult.
סמקן Ezech. xxviii, 13. 438, a pen.
סנבוכא i Macc. xii, 7. 753, a 33.
סעד Levit. xx, 4. 68, b 27. Jer. xxiii, 19. 368, b 31.
סף Jer. xxxv, 4. 380, b 10. Sophon. ii, 14. 543, a 40.
ספורות Pſalmo lxxi, 15. 235, a 19.
ספחת Eſa. lxiv, 6. 337, b 37.
ספיח iv Reg. xix, 29. 171, a 38.
ספיר Ezech. xxviii, 13. 438, b 30. i Macc. xii, 7. 753, a 37.
ספל Judic. v, 25. 110, b antepen.
ספם Ezech. xxiv, 17. 431, b 49.
ספר & סופר Numer. xxi, 14. 78, a 11. i Par. xxvii, 32. 180, a ult. Eſa. xxxiii, 18. 305, a 24. Ier. ii, 8. 344, a 31. Ezech. ix, 2. 411, a 2. Sirach. xxxviii, 25. 687, a 3. xliv, 4. 699, a 5. i Macc. v, 42. 735, a 39. ii Maccab. vi, 18. 772, a 46.
ספר רבא Eſa. lxiii, 9. 336, b 2.
ספרד vel ספ־רד Abdiæ i, 20. 519, b 3.
ספריא. Ezech. vii, 7. 408, a 55.
סר Oſeæ iv, 18. 491, a 16, 18.
סרבל Dan. iii, 21. 458, b 46. i Macc. xii, 7. 753, a 33.
סרה Eſa. lix, 13. 332, a 26.
סרחת Ezech. xvii, 6. 420, a 60.
סריסים Eſther. i, 10. 198, a 61.
סרכין Dan. vi, 2. 463, b 38.
סרר Eſa. lxv, 2. 338, b 18. סררים Adj. Dan. iii, 32, 721, a 37.

ע

ע omittitur interdum aut mutatur in leniorem literam, *Oſea* x, 14. 498, b 59. ע vertitur in ., Dan. xi, 38. 482, b 19. i Macc. ii, 1. 727, a 2. ע vertitur in γ, Jer. xlix, 3. 392, a 42. Ezech. xxvii, 22. 437, a 17. i Macc. ix, 62. 744, b 21.
עב Levit. xv, 2. 64, b 24. Ezech. xxxi, 3. 441, b 19.
עבד Exodi xx, 5. 43, a 1. & verſ. 10. p. 46. a 38. Dan. iii, 95. 459, a 48. Baruchi ii, 21. 715, a 23. עבד־אדום i Macc. ii, 1. 727, a 3. עבד־יה i Macc. ii, 1. 727, a 3. עבד־נגו Daniel. i, 7. 454, a 30.
עבד־עליונים Dan. i, 7. 454, a 31.
עבדה Exodi xx, 5. 33, b ult. עבדה זרה Exodi xx, 4. 39, b 11. & verſ. 5. p. 43, a 22, 23.
עבר Num. xxiv, 24. 79, b 4. ii Paral. xxviii, 3. 187, a ult. Jer. ii, 20. 344, b 50. Sophon. iii, 10. 544, a 41. Oſeæ vi, 7. 493, a 18.
עברון i Macc. ii, 5. 727, a 20.
עברים Gen. xi, 1. 10, b 28.
עברתא Ezech. xvii, 3. 420, a 26.
עבת Pſalmo cxviii, 27. 242, a 39.
עגלה i Reg. xxvi, 5. 128, b 58.
עד Dan. ix, 25. 473, b 18. & verſ. 26, b 56. עד־גמירא Pſalm. cxix, 33. 242, a 59. עד־דברת Dan. iv, 14. 460, a 48.
עד־פה Jobi xxxviii, 11. 217, a 37.
עדה Numer. xxxv, 25. 82, a 52, 56. Deut. xiii, 9. 87, a 52. Ruth. iv, 2. 118, a 29. Pſalmo lxxiv, 6. 235, b 42. Ezech. xvi, 7. 416, b 53. עדה ſubauditum, *Nahumi* i, 8. 532, a 22.
עדין Eſa. xlv, 25. 317, b 3.
עדים Eſa. lxiv, 6. 337, b 36.
עדלם ii Macc. xii, 38. 782, b 21.
עדן i Macc. xii, 7. 753, a 47.
עדנה Tob. vii, 2. 576, a ult.
עדר Michææ iv, 8. 526, a 47.
עוא, עוים Deut. ii, 23. 83, b 21. iv Reg. xvii, 24. 169, a 22, 23.
עוגב Gen. iv, 21. 7, b 47. Jobi xxi, 12. 209, b 41. Pſalmo cl, 4. 246, b penult. Ezech. xxxiii, 31. 444, b 54.
עוה Oſeæ xii, 8. 501, a 4.
עוז Sirach. xxiv, 2. 657, b 52.
עול Eſa. lvii, 3. 327, b 55. Ezech. xviii, 8. 422, a 20. Oſeæ vii, 16. 494, b 14.
עולה Eſa. lxi, 8. 334, b 8. Sophon. iii, 13. 544, b 17.
עולות i Macc. iv, 56. 733, b 27.
עולם Gen. vi, 3. 8, b 10. Eſa. lxi, 4. 334, a 45. Joel. ii, 26. 507, a 39. Michææ iv, 5. 526, a 32. Sap. xiii, 9. 602, b antep.
עון Levit. xxvi, 41. 71, b 48. Deut. xix, 15. 94, b 36. Eſa. lxvi, 3. 340, b 51. Ezech. xxxii, 27. 443, b 25. Oſeæ xii, 8. 500, b 60. Sirach. xxxvii, 7. 683, b 39.
עונה Oſeæ xii, 8. 500, b antep.
עונת Levit. xvi, 21, 65, a 28.
עורון ii Macc. x, 30. 779, a 14.
עזאזל Levit. xvi, 8. 64, b 59, 60.
עזב Pſalmo xxii, 2. 226, a 30. Ezech. xxvii, 12. 435, b 46.
עזה , עזות i Macc. ix, 15. 742, b 57.
עזז Dan. xi, 38. 482, b 14.
עזיה i Macc. ii, 1. 727, a 3.
עזיאל i Macc. ii, 1. 727, a 4.
עזרה Pſalmo xxii, 1. 226, a 13.
עזריה & עזיהו iv Reg. xv, 1. 167, a 52, 53. עזיהו ii Par. xxii, 6. 186, a 38.
עט Ezech. xxi, 15. 425, b 24.
עטה Eſa. xxii, 17. 292, b 40.
עטרת הפארת Eſa. lxi, 3. 334, a 30.
עי Joſ. viii, 12. 105, a 58.
עיים & עיין Pſalmo lxxix, 2. 236, b 25. Michææ iii, 12. 525, b 25.
עילם Dan. v, 28. 463, a 55. viii, 2. 469, a 41. i Macc. vi, 1. 736, a 22.
עין Ezech. vii, 13. 408, b 33. עינו Zachar. ii, 8. 549, b 40.
עיר Dan. iv, 10. 460, a 18.
עכו Judith. ii, 18. 580, a 8.
עכר Joſ. vii, 25. 105, a 38.
עכרבים Joſ. xv, 3. 107, a 54.
עכשוב i Macc. xii, 7. 753, a 45.
על pro *apud*, Pſalmo xvi, 2. 224, a 53. pro *coram*, Eſa. liv, 15. 325, b 37. pro *cum*, Michææ v, 3. 527, a 42. Zach. xiv, 20. 565, b 9. pro *per*, Zachar. xiv, 13. 564, b 35. pro *propter*, Tobiæ iv, 18. 575, b 7. על pro מן Pſalmo vii, 11. 223, a 15. pro עול Oſeæ vii, 16. 494, b 13. pro עד Pſal. xlviii, 15. 231, a 30. על ſubauditum, *Eſa.* vi, 10. 278, a 61.
על־דבר Eccl. viii, 2. 263, a 7. על־דברי Jer. xiv, 1. 358, b 41. על־דברת Pſalmo cx, 4. 241, a 48. Eccleſ. viii, 2. 263, a 8. על הנציבים ii Reg. viii, 18. 134, b 21. iii Reg. iv, 5. 145, b 59. על־
עלמות i Par. xv, 20. 178, b 1. Pſalmo xlvi, 1. 231, a 4. על־פני Exodi xx, 3. 33, b 38. p. 36, a 59. xxxiv, 6. 58, a antep.
עלה Levit. i, 9. 60, b 31. Jer. xlviii, 34. 391, a 25. Sirach. xxx, 19. 672, a 55.
עלה תמיד Sirach. xlv, 17. 701, b 13.
עלון Gen. xxiii, 2. 16, b 46.
עלז Jer. li, 39. 398, b 14.
עליה & עלית Dan. vi, 10. 464, b 5.
עליו Habac. ii, 6. 538, a 33.

עליון Gen. xlix, 22. 27, b 12.
עלילה Judith. xi, 4. 583, b 59. Sirach. ix, 4. 626, b 40. עלילות Jer. xxxii, 19. 378, a 35.
עלם Exodi xxi, 6. 52, a 13. Sirach. xxxviii, 39. 687, b 56.
עלמות & עלמה Pſalmo xlviii, 15. 231, a 25. Sirach. xlii, 9. 695, a 37. ii Macc. iii, 19. 766, a 47. עלמתך Cantici iv, 1. 268, b 16.
עלפה , עלף Jer. li, 39. 398, b 15. Habac. ii, 4. 537, b 36, 37. Geneſ. i, 12. 1, b 13. iii, 18. 5, b 53.
עלתה Zach. xiv, 13. 564, b 33.
עם Eſdræ i, 4. 190, a 50. Pſalmo xlvii, 10. 231, a 11. Oſeæ ix, 8. 496, b 31. ſubauditum, *Nahumi* i, 8. 532, a 22.
עמד Ezech. xxix, 7. 439, b pen.
עמדה Gen. xviii, 22. 14, b 39.
עמוס Amoſi i, 1. 509, a 24.
עמך Pſalmo cx, 3. 241, a 21.
עמי Gen. xxvi, 18. 18, b 2.
עמיר Jer. ix, 22. 354, a 46.
עמנואל ii Macc. viii, 23. 775, a 60.
עמק Jer. xlvii, 5. 389, a 13.
עמר Deut. xxi, 14. 96, a 38.
עמרה Jer. xlix, 3. 392, a 43.
ענה Exodi xx, 16. 49, a 50. Deut. xxi, 14. 96, a 43. Pſalmo xx, 10. 225, b 54, 55. Prov. xv, 33. 251, b 42. xvi, 4. 251, b 60, 62. Lamentat. v, 11. 274, b 56. Eſa. xiv, 32. 286, a 54. lix, 12. 332, a 11. Ezech. xxii, 10. 427, b 22. Dan. iv, 27. 461, a 18. Oſeæ ii, 15. 488, a 42. Habac. ii, 11. 538, b 16. Zachar. iv, 11. 551, a 54. Sirach. xviii, 21. 645, a 15. xxxiv, 31. 680, b 29. i Macc. ii, 17. 727, b 3.
ענו Eſa. lxvi, 2. 340, b 22. Sophon. iii, 12. 544, b 11. Zachar. xi, 11. 559, b 26.
עני Eſa. lxvi, 2. 340, b 20. Sophon. iii, 12. 544, b 11. Zachar. xi, 11. 559, b 26.
עניה ii Macc. iv, 7. 767, a 16.
ענן Sap. vii, 25. 597, a 34.
עננה Eſa. lvii, 3. 327, b 54.
עפלים i Reg. v, 6. 121, a 43.
עפר Eſa. lxiii, 3. 335, b 53.
עפרה Michææ i, 10. 523, a 11.
עצב Gen. v, 29. 8, a 44. Eſa. lviii, 3. 329, b 49, 50. Oſeæ xiii, 2. 501, b 30. Tob. v, 25. 576, a 4. Sirach. iv, 3. 616, a 24.
עצים Ezech. xxiv, 10. 431, a 48.
עצם Pſalmo xxxv, 18. 228, b 33.
עצמות Ezech. xxiv, 10. 431, a 49.
עצרה Levit. xxiii, 36. 70, a 21. iii Reg. viii, 66. 147, b 40. iv Reg. x, 20. 163, b 51.
עצרת פסח Jer. xxxi, 8. 375, b 1.
עקב Geneſ. xxv, 25. 18, a 20. xlix, 19. 27, b 7. Sirach. xii, 18. 634, a 48.
עקרבים i Macc. v, 3. 734, a 28.
ער Ezech. xxv, 9. 432, b 34.
ערב Exodi viii, 21. 30, a 17. Deut. xxxii, 2. 101, b 50. Jer. xxv, 20. 370, a 25. xxx, 21. 374, b 60. Sophon. ii, 14. 543, a 37. Judith. i, 9. 579, a 47.
ערבות & ערבה Joſ. iii, 16. 104, a 42. Jobi xxiv, 5. 210, b 48. Pſalmo lxviii, 5. 233, b 23. i Macc. v, 23. 734, b 13. xii, 49. 754, b 49.
ערבון i Macc. xii, 7. 753, a 38.
ערג Pſalmo xlii, 1. 230, a 49. Joel. i, 20. 505, a 59.
ערוד Jobi xxxix, 5. 217, b 54.
ערוה Levit. xviii, 6. 66, a 34. Sirach. xxvi, 11. 664, b 3.
עריסה Num. xv, 20. 75, b 33.
עריצים Ezech. xxxi, 12. 441, b 50.
ערירים Levit. xx, 20. 68, b 32. Jer. xxii, 30. 367, a 57.
ערך Levit. xxvii, 14. 72, a 1. Pſalmo v, 4. 222, b 14.
ערער Jer. xvii, 6. 362, a 18. xlviii, 6. 389, b 1.
ערמנים vel ערמנין Ezech. xxxi, 8. 441, b 40.
ערף Deut. xxxii, 2. 101, b 49.
ערפל Eſa. xxxii, 14. 304, a 7.
ערץ Amoſi iii, 12. 511, b 24. Ezech. xxix, 7. 439, b antep.
ערק Jobi xxx, 3. 212, b pen. & verſ. 17. 213, a 34.
ערש Amoſi iii, 12. 511, b 24.
עש Jobi xxxviii, 32. 217, b 24. Pſalmo xxxix, 12. 229, b 58.
עשב Gen. i, 12. 1, b 13. iii, 18. 5, b 53. Zachar. x, 1. 557, a 19.
עשבא Dan. iv, 22. 460, b 57.
עשה Gen. xix, 3. 14, b 55. Eccleſ. iii, 11. 259, b penult. Sophon. iii, 19. 544, b 59.
עשה לנו כחסדו Sirach. l, 24. 711, a 2.
עשה חסד Exodi xx, 6. 43, b 43.
עשור Gen. xxiv, 55. 17, a pen. i Par. xv, 21. 178, b 7.
עשיתי & עשירת Ezech. xvi, 43. 418, b 52, 53.
עשן Eſa. lxv, 5. 338, b 59.
עשק Gen. xxvi, 20. 18, b 5. Levit. vi, 2. 62, a 46. xix, 13. 66, b ult. Eſa. liv, 14. 325, b 23. Jer. l, 33. 395, b 31. Oſeæ xii, 7. 500, b 49. Michææ ii, 2. 523, b 54.
עשתרות Judic. ii, 13. 110, a 29.
עתודים Zachar. x, 3. 557, a 48.

פ

פאות Jer. xlviii, 45. 391, b 35.
פאר Ezech. xxiv, 17. 431, b 40.
פגלים Eſa. lxv, 4. 338, b 45.
פגע Eſa. xlvii, 3. 318, b 1.
פדה Dan. iv, 24. 460, b 43.
פדר Levit. i, 8. 60, a 35.
פה Jobi xxxviii, 11. 217, a 35. פה לפה iv Reg. xxi, 16. 172, b 23.
פוט Eſa. lxvi, 19. 342, a 27. Nahumi iii, 9. 534, b 13.
פוך iv Reg. ix, 30. 163, a 34. Ezech. xxiii, 40. 430, a 50.
פולאי Eſa. lxvi, 19. 342, a 30.
פוש Jer. xx, 3. 364, b 19.
פז Pſalmo xix, 11. 225, b 8. Jer. x, 9. 355, a 28.
פחותים & פחותא Dan. iii, 2. 457, b 41. Michææ v, 5. 527, b 10.
פחז Jer. xxiii, 32. 369, a 13.
פטדה Ezech. xxviii, 13. 438, b 1.
פטש Dan. iii, 21. 458, b 48. i Macc. xii, 7. 753, a 34.
פי Oſeæ x, 12. 498, b 16.
פי־בסת Ezech. xxx, 17. 441, a 43.
פיל ש i Macc. xii, 7. 753, a 32.
פלא Deut. xvii, 8. 89, a 14.
פלגי i Maccab. xii, 7. 753, a 18.
פלמוני & פלני Dan. viii, 13. 470, b 21, 23.
פנג Ezech. xxvii, 17. 436, b 11.
פנה Sophon. iii, 19. 541, b 61.
פניאל Gen. xviii, 22. 14, b 43.
פנים Exodi xxv, 18. 55, a 47. Ecclef. viii, 1. 262, b 57. Ezech. i, 6. 401, b 12. ii Macc. iv, 24. 768, a 50.
פנינים Prov. iii, 15. 247, b 24. Lamentat. iv, 7. 273, b 32.
פנת Eſa. xix, 13. 289, b 23, 24.
פנת שבטיה *ibid.*
פנתרין Ezech. xxviii, 13. 438, b 26.
פס ii Reg. xiii, 18. 136, b 43.
פסל Exodi xx, 3. 39, b 5.
פסנתרין vel פסנטרין Dan. iii, 5. 458, a 28, 29.
פסת בר Pſalmo lxxii, 16. 235, a 41.
פעור Deut. xxii, 5. 97, a 38.
פצין Jer. xxxvi, 23. 381, a 41.
פצע Sirach. xl, 9. 691, a 16.
פקד Deut. xx, 9. 95, a 14. ii Reg. xviii, 1. 140, a 38. Jer. iii, 16. 347, a 6. Ezech. xxxviii, 8. 449, a 1. Sophon. iii, 7. 543, b 57.
פקדה Num. iii, 36. 72, a 33. Pſalmo cix, 8. 240, b 37. Eſa. lx, 17. 333, a 55.
פקוד Ezech. xxiii, 23. 429, b 32. i Macc. i, 53. 726, a 7.
פקיד Nehem. xi, 22. 196, b antepen. i Macc. i, 53. 726, a 8. ii Macc. iii, 39. 766, b ult.
פקח־קוח Eſa. lxi, 1. 334, a 12.
פרא Jobi xxxix, 5. 217, b 54. Oſeæ viii, 9. 495, b 1.
פרדות Joel. i, 17. 505, a 13.
פרדס Sirach. xl, 17. 691, b 3. i Macc. xii, 7. 753, a 45.
פרה Oſeæ viii, 9. 495, b 2. Sirach. xxiv, 36. 659, b 26.
פרות Joel. i, 17. 505, a 12.
פרזון Judic. v, 7. 110, b 38.
פרח Ezech. xiii, 20. 415, a 52. Oſeæ xiv, 6. 503, b 25.
פרט Amoſi vi, 5. 514, b 8.
פרים Eſther. iii, 7. 199, b 51. Eſther. Additam. x, 13. 586, b 37.
פרוים & פרים ii Par. iii, 7. 181, a pen. & ſeqq.
פריץ Ezech xviii, 10. 422, a 27.
פרם i Macc. x, 30. 746, a 50.
פרנסין iii Macc. p. 797, b 50.
פרס Eſa. xxiv, 23. 295, b 17.
פרעתון i Macc. ix, 50. 744, a 22.
פרץ Oſeæ iv, 10. 490, a 43.
פרק Eſa. lxv, 4. 338, b 42. Dan. iv, 24. 460, b 42.
פרש Levit. xxiv, 5. 70, a 40. Eſa. lxv, 2. 338, b 16.
פרת Gen. ii, 14. 3, b 18. Sirach. xxiv, 36. 659, b 26.
פרתמים & פרתנאי Dan. i, 3. 453, b 27, 31.
פשע Levit. v, 1. 61, b 39. xvi, 21. 69, a 28.

a 28. Eſa. lix, 13. 332, a 20. Ezech. xxxiii, 12. 444, a 45. Dan. ix, 24. 473, a 40. Sirach. vii, 40. 624, b 56.
פשר Eccleſ. vii, 30. 262, b 51.
פשרון 1 Macc. ix, 66. 744, b 43.
פתבג Dan. i, 8. 454, a 35.
פתוחיה Pſalmo lxxiv, 6. 235, b 40.
פתיל Eſa. iii, 24. 276, b 54.
פתן 1 Macc. xii, 7. 753, a 41.
פתרסים Ezech. xxix, 14. 440, a 28.

צ

צ per *S* & per *T* vertitur, *Num.* xiii, 23. 75, a 53. צ vertitur per δ, Jer. xlviii, 21. 390, a 27. צ pro ז, Jobi xl, 12. 218, b 51.
צאן Joel. i, 18. 505, a 43.
צאנן Michææ i, 11. 523, a 21.
צאצאים Eſa. xxii, 24. 293, a 31.
צבא Dan. viii, 10. 470, a 42. x, 1. 474, a 51. צבא שמים Gen. ii, 2. 2, a 44.
צבי ii Reg. i, 19. 131, a 38. Jer. iii, 19. 347, a 28. Dan. viii, 9. 470, a 35. xi, 41. 483, a 51. & verſ. 45, b 42. Zachar. vii, 14. 554, a 26. Iudith. p. 578, b 57.
צד Eſa. lx, 4. 332, b 38.
צדה Dan. iii, 14. 458, b 8.
צדו Lamentat. iv, 18. 274, a 26.
צדיה Dan. iii, 14. 458, b 8. Sirach. viii, 14. 625, b 55.
צדיקים, צדיק Exodi xx, 6. 43, b 54. 1 Macc. ii, 42. 728, a antep.
צדק Gen. xxx, 11. 19, a 53. Pſalmo cx, 4. 241, a 49. Prov. i, 3. 247, a 24. xiv, 34. 251, a 1. Eſa. liii, 11. 324, b 31. Dan. viii, 14. 470, b 56.
צהל Ier. l, 11. 394, b 9.
צהרים Pſalmo xci, 6. 238, b 21.
צואה iv Reg. vi, 25. 161, b 5.
צוד Iobi xviii, 7. 208, a 43. Lamentat. iv, 18. 274, a 26.
צוי Oſeæ v, 11. 492, a 6.
צוער Gen. xix, 22. 15, a 27.
צור Iobi xviii, 7. 208, a 43. Pſalmo cxxxix, 5. 245, a 44. Lamentat. iv, 18. 274, a 26. Eſa. xxiii, 4. 293, b 56. li, 1. 321, b 56. Oſeæ ix, 13. 697, a 26. 1 Macc. iv, 29. 732, a pen.
צידה Pſalmo cxxxii, 15. 244, a 35.
ציים Eſa. xxxiv, 14. 306, a 56, 58.
צינק Ier. xxix, 26. 373, b 54.
ציץ Ier. xlviii, 9. 389, b 14.
ציצית Levit. xix, 27. 68, a 5.
צלח Tob. iv, 20. 575, b 16. Sirach. xi, 17. 631, b 33.
צלם Pſalmo. xxxix, 7. 229, b 48, 49.
צלמות Ier. ii, 6. 344, a 17.
צלע Gen. ii, 21. 3, b 54. Pſalmo xxxv, 15. 228, b 15. xxxviii, 18. 229, b 7. Michææ iv, 6. 526, a 37.
צמח Ierem. xxiii, 5. 367, b 46. Zachar. iii, 8. 550, b 19.
צמח כבור Sap. vii, 25. 597, a 37.
צמרת Ezech. xvii, 3. 420, a 25.
צנה, צן Ezech. xxiii, 24. 429, b 45.
צנורא, צנתר, צנתרות Zachar. iv, 12. 551, a 59, 60.
צעיף Gen. xxiv, 65. 17, b 9.
צען Eſa. xix, 11. 289, b 9. Ezech. xxx, 14. 441, a 26.
צעיר Iobi xviii, 7. 208, a 44. Lament. iv, 18. 274, a 31.
צפה Ezech. xvii, 5. 420, a 49.
צפון Ier. xlvi, 6. 387, b 31.
צפחית Exodi xvi, 31. 32, b 47.
צפים Sirach. xxxvii, 18. 684, b 7.
צפן Pſalmo xxxi, 20. 227, b 32.
צפנת־פענח Gen. xli, 46. 23, b 55.
צפעות & צפע Eſa. xi, 8. 284, a antepen. xxii, 24. 293, a 32.
צפצפה Ezech. xvii, 5. 420, a 50, 54.
צפרדע Exodi viii, 2. 30, a 4.
צרה Michææ ii, 12. 524, b 41.
צרי Ier. viii, 22. 353, a 48.
צרר Lamentat. iv, 18. 274, a 26.

ק

קבה Num. xxv, 8. 79, b 33.
קבל Ezech. xxvi, 9. 433, b 46.
קבלה Iobi xi, 4. 205, b 35.
קבען & קבע Malach. iii, 8. 570, b 38, 39.
קדד Gen. xxiii, 12. 16, b 53. Num. xxii, 31. 78, b 20.
קדחת Deut. xxviii, 22. 100, b 20.
קדם Deut. xxxiii, 27. 102, b 52, 54. Pſalmo xxi, 4. 226, a 5. Michææ vi, 6. 528, a 55.
קדמון Iobi xviii, 20. 208, b 14. קדמנים Sirach. xxxix, 1. 688, a 17.
קדמת Gen. ii, 14. 3, b 13.
קדרנית Malach. iii, 14. 571, a 35.
קדש Geneſ. xxxviii, 21. 22, a 31. Deut. xxiii, 17. 98, a 42. Pſalm. cx, 3. 241, a 32. Ier. vii, 4. 351, a 14. li, 27. 397, b 20. Ezech. xxvii, 6. 435, a 25. Dan. xi, 45. 483, b 43. Tobiæ i, 1. 573, a 28. 1 Macc. iv, 48. 733, a 31. xi, 63. 752, a 20.
קדש קדשים Sirach. vii, 33, 34, 35. p. 624, a pen.
קדשה Gen. xxxviii, 21. 22, a 30. Deut. xxxiii, 17. 98, a 40.
קדשים Oſeæ iv, 14. 490, b 22.
קהל Deut. xxiii, 2. 97, b 54. Iudic. xx, 2. 116, b 41. Eccleſ. p. 258, a 51. Ezech. xxiii, 46. 430, b 37. Ioel. ii, 16. 506, b 8. Iudith. vii, 10. 581, b 28. Sirach. xv, 5. 638, b 23.
קהלת Eccleſ. p. 258, a 42. vii, 28. 262, b 33. Eſa. xl, 9. 308, b 30.
קו·לקו קו לקו Eſa. xxviii, 10. 298, b 13.
קובה Num. xxv, 8. 79, b 33.
קולם Pſalmo xix, 5. 225, a 54.
קים Pſalmo i, 5. 221, a 58. xix, 5. 225, a 51. Proverb. xxiv, 16. 255, b 15. Sirach. xlvii, 1. 704, b 5. 1 Maccab. ix, 31. 743, a 32.
קוסמים Zachar. x, 2. 557, a 29.
קוע Ezech. xxiii, 23. 429, b 35.
קוף iii Reg. x, 22. 149, a 32.
קופסא Deut. xxxi, 26. 101, b 35.
קטב Pſalmo xci, 6. 238, b 18.
קיחה Eſa. lxi, 1. 334, a 17.
קים Iobi xxii, 20. 210, a 35.
קיץ Amoſi viii, 2. 516, a 37.
קיקיון Ionæ iv, 6. 521, b 44.
קיר Eſa. xv, 1. 286, b 8.
קירה iv Reg. xvi, 9. 168, a 24. Eſa. xv, 1. 286, b 8.
קיתרם Dan. iii, 5. 458, a 17.
קלה Deut. xxvii, 16. 100, a 4.
קלל Sap. x, 19. 600, a 49.
קללה Deut. xxi, 23. 96, b 58.
קמא Ezech. xxvi, 11. 434, a 9.
קמט Iobi xvi, 8. 207, b 29.
קן־דוי pro קנין דויד 1 Maccab. xv, 38. 761, a 17.
קנא Exodi xx, 5. 43, b 5.
קנה Prov. viii, 22. 249, a 16. Ier. xix, 1. 363, b 20. Zachar. xiii, 5. 563, a 10. Sirach. vi, 7. 620, a 26. 1 Macc. xii, 7. 753, a 43.
קנמון Exodi xxx, 23. 57, a 16.
קסם Prov. xvi, 10. 252, a 7. Ier. l, 36. 395, b 52.
קסם קסם Deut. xviii, 10. 93, b 59.
קפדה Ezech. vii, 25. 409, a 59.
קץ Amoſi viii, 2. 516, a 36.
קצה Gen. xlvii, 2. 25, a 30. Deut. xv, 1. 88, a 6, 8. Ezech. xxxix, 14. 450, a 50. Habac. ii, 10. 538, b 8.
קציני & קצין Dan. xi, 18. 479, a 46. Michææ iii, 1. 525, a 6.
קצירי & קציר Oſeæ vi, 11. 493, b 13, 15.
קרא Ioel. ii, 32. 507, b 29.
קרא לה Ier. xxxiii, 16. 379, b 19.
קרב Sophon. iii, 2. 543, b 11.
קרבן Sophon. iii, 2. 543, b 11. ii Macc. iii, 6. 766, a 2.
קרדו Ier. li, 27. 397, b 23.
קרה Eſa. lx, 18. 333, b 6. Ier. vi, 7. 350, a 21.
קרי Levit. xv, 16. 64, b 32. 1 Reg. xx, 26. 127, a 11.
קרן Exodi xx, 3. 36, b 58. xxxiv, 29. 58, b 50. Ier. xlviii, 25. 390, a 55. 1 Macc. xii, 7. 753, a 35.
קרנים 1 Macc. v, 26. 734, b 51.
קרץ Ier. xlvi, 20, 388, a 26.
קרר Ier. vi, 7. 350, a 21.
קרש Ezech. xxvii, 6. 435, a 24.
קרתא Gen. xxiii, 2. 16, b 34.
קשט Dan. iv, 34. 461, b 42.
קשקש 1 Macc. vi, 35. 737, b 13.
קשר iv Reg. xiv, 19. 166, b 53. Ier. xi, 9. 356, a 37.

ר

ר in λ vertitur interdum, *Sophon.* i, 4. 541, a 45. ר pro ד lectum, *Amoſi* i, 4. 509, b 52, 53.
ראמות Iobi xxviii, 18. 212, a 23. Ezech. xxvii, 16. 436, b 1.
ראש Gen. xl, 13. 22, b 60. Pſalmo cxl, 10. 245, b 20. Ezech. xxxviii, 2. 448, b 10. Oſeæ x, 4. 497, b 56. Sirach. x, 14. 628, b 53. ראשי גלה & ראש הגלות Nehem. i, 1. 193, a 35. Ier. lii, 1. 400, a 24.
Adj. Dan. xiii, 5. 722, a 24. ראשהקהל
Neh. xi, 22. 197, a 11. ראש כל־בשם &
ראשי בשמים Pſalm. xcli, 5. 245, b 41.
ראשנה משני Ierem. xvi, 18. 361, b 1.
ראשיהם

ראשיהם Pſalmo cxxxix, 17. 245, b 6.
ראשית Deut. xxxiii, 4. 91, b 57. Iobi xl, 14. 219, a 21.
רבים & רב Iobi xvi, 13. 207, b 44. xxxv, 9. 215, a 51. Dan. 11, 10. 455, a 48. 1 Maccab. 11, 17. 727, b 6.
רבא Gen. xxxix, 1. 22, a pen.
רבב Gen. xlix, 23. 27, b 26.
רבם Pſalmo xc, 10. 238, a 54.
רפעה & רבע Eſa. xliv, 20. 315, a 49.
רבעי Pſalmo cxxxix, 3. 245, a 28.
רברבני & רברב Dan. iv, 33. 461, b 27. Sirach. x, 27. 629, b 17.
רבת־עמון 11 Macc. v, 8. 770, a 13.
רגזו Pſalmo iv, 5. 222, a 38.
רדרה Pſalmo xxx, 8. 227, b 9.
רדם Pſalmo lxviii, 28. 234, b 13.
רדנים & רדן 1 Paralip. 1, 7. 175, b 50. Ezech. xxvii, 15. 436, a 25.
רדף 1 Reg. xxx, 7. 130, a 19.
רהב Iobi xxvi, 12. 211, b 12. Pſalm. xc, 10. 238, a 51. Eſa. li, 9. 322, a 40.
רוד Pſalmo xxx, 8. 227, b 9.
רוח Levit. xvii, 11. 65, b pen. Sap. 1, 5. 589, a 14. Sirach. ix, 13. 627, a 50. Baruchi vi, 60. 720, b 37.
רוטבא Iobi xv, 27. 207, a 48.
רום Pſalmo lxiv, 7, 8. 233, a 31. Oſeæ xi, 4. 499, a ult.
רוע Ier. 11, 16. 344, b 13. xv, 12. 360, b 1.
רזא Dan. 11, 18. 455, b 22.
רזן Eſa. xl, 23. 309, a 52.
רחב 11 Macc. 11, 25. 764, b 47.
רחץ Pſalmo lx, 10. 232, b 47.
רי Eſa. 111, 25. 276, b pen.
ריב Deut. xvii, 8. 89, a 42.
רים Deut. xxxiii, 17. 102, b 21.
רך Gen. xli, 43. 23, b 46.
רכוב Pſalmo xviii, 11. 225, a 17. רכבך Oſeæ x, 13. 498, b 38.
רכלים Ezech. xvii, 4. 420, a 36.
רמבן, רמבם, רלבג 1 Macc. p. 723, a 44, ſeqq.
רם Gen. xxii, 21. 16, b 25.
רמה Prov. xii, 24. 250, a 20. Jer. xxxi, 15. 375, b 27. & verſ. 40. 377, a 60. Ezech. xvi, 24, 25. 417, b 59.
רמות Michææ 1, 12. 523, a 40.
רמיה Prov. xii, 24. 250, a 19.
רמון & רמן Amoſi v, 26. 513, b 63, ſeqq.
רננים Iobi xxxix, 13. 218, a 6.
רע Levit. xix, 18. 67, a 30. 1 Reg. ix, 2. 122, b 13. Pſalmo cxxxix, 17. 245, b 2. Eccleſ. 1, 13. 259, a 41. Zachar. viii, 17. 554, b 36.
רעה Pſalmo xxxvii, 3. 228, b 59, 60. Ier. xv, 12. 360, b 2.
רעל Eſa. li, 17. 322, b 16.
רעננים Pſalmo xcii, 15. 238, b 46.
רעש Ezech. 111, 12. 404, a 61.
רעת Eccleſ. viii, 6. 263, a 39.
רפאי אלל Zachar. xi, 17. 560, b 7.
רפאים Iobi 111, 8. 203, b 34. Prov. ix, 18. 249, a 51.
רפת Eccleſ. x, 4. 265, a 27, 28. Ezech. 1, 25. 403, a 17.
רפסדות 11 Par. 11, 16. 181, a 40.
רצון Sirach. 11, 19. 613, a 58.
רצח Exodi xx, 15. 48, b 53.
רק Pſalmo xxxii, 6. 227, b ult.
רקיע Gen. 1, 6. 1, a 54. Ezech. 1, 22. 402, b 48.
רקם Pſalmo cxxxix, 15. 245, a 55, 56
רשם Dan. vi, 9. 464, a antepen.
רשע Pſalmo xxxix, 2. 229, b 28. cxli, 5. 245, b 33. Eccleſ. viii, 8. 263, a 54.
רשף Habac. 111, 5. 539, b 44.

ש

ש abundat, *Cantici* viii, 6. 270, a 48. mutatur in ס, Ier. li, 27. 397, b antepen. *Michææ* vi, 14. 529, a 23. ponitur pro ס. Oſeæ viii, 6. 495, a 31. vertitur per *T*, Dan. v, 1. 462, a 8.
שאגה Pſalmo xxii, 2. 226, a 38.
שאולה, שאול Numer. xvi, 30. 76, b 4. Pſalmo xvi, 10. 224, b 16. Tobiæ vi, 15. 576, a 48.
שאון Oſeæ x, 14. 498, b 43.
שאל לשלם Ier. xv, 5. 360, a 3.
שאננים Pſalmo cxxiii, 4. 243, a 8.
שארות הנפש Sap. 1, 14. 589, b 21.
שבא Ezech. xxvii, 23. 437, a 34.
שבה Ier. xxx, 3. 374, a 21.
שבט Geneſ. xlix, 10. 26, a 43. Num. xxiv, 17. 79, a 20. Eſa. lxiii, 17. 337, a 29. Ezech. xxi, 13. 425, b 6. Tob. v, 16. 575, b 38. 1 Macc. xvi, 14. 762, a 1.
שבבא Dan. 111, 5. 458, a 23.
שביסים, שבס Eſa. 111, 18. 276, a 30.
שבע Exodi xx, 11. 47, a 4.
שבעי שבעות להם Ezech. xxi, 23. 426, a 62.
שבעות Ier. v, 24. 349, a 58.
שבעתים Prov. vi, 31. 248, b 34.
שבק Pſalmo xxii, 2. 226, a 31.
שבר Eſa. xlviii, 10. 319, a 18. lxiii, 6. 336, a 38. Ier. 11, 20. 344, b 40. Ezech. vi, 9. 408, a 3. Oſeæ xiii, 13. 502, b 27. 1 Macc. 11, 7. 727, a 29. שבור Levit. xxii, 22. 69, b 9.
שבת Exodi xx, 11. 46, b 55.
שגג Sirach. v, 18. 619, b 10. xxiii, 13. 656, a 12.
שגגה Gen. xxvi, 10. 18, a 54.
שגגתי Pſalmo xxii, 2. 226, a 37.
שגה Tob. 111, 3. 574, b 23.
שגה Prov. v, 19. 248, a 44.
שגיאות 1 Macc. xiii, 39. 756, a 39.
שגיון Pſalmo vii, 1. 222, b 44.
שגיונות Prov. v, 19. 248, a 47. Habac. 111, 1. 539, a 56.
שדין & שדים, שד Deut. xxxii, 17. 102, a 8. Pſalmo xci, 6. 238, b 18. Eſa. lx, 4. 332, b 38. Dan. 1, 7. 454, a 20.
שדה Ier. xxxi, 40. 377, a 55. Ioel. 1, 20. 505, a 56.
שדי Eſa. lxiii, 9. 336, b 3.
שדמות Ier. xxxi, 40. 377, a 55: 58.
שדף Amoſi iv, 9. 512, b 1.
שה Exodi xii, 5. 30, b 22. xiii, 12. 31, b 51.
שהד Iobi xvi, 20. 208, a 3.
שהם Ezech. xxviii, 13. 438, b 17.
שוא Exodi xx, 7. 34, a 11. & p. 44, a 11, 13. tum verſ. 16. p. 49, a 44. Deut. v, 20. 85, a 30.
שוב Ier. xxx, 3. 374, a 20. XL, 5. 383, b 58.
שובך 11 Reg. x, 18. 135, a 18.
שודדים Ier. li, 48. 399, a 17.
שוט Ier. xlix, 3. 392, a 48.
שוך Sirach. xxxviii, 39. 687, b 55.
שול Exodi xxviii, 30. 56, a 41.
שוע Iobi xxxiv, 19. 214, b 48. Eſa. xxxii, 5. 303, b 6.
שופט Deut. xvii, 9. 90, a 1, ſeqq. Ioſ. viii, 33. 105, b 34. Iud. 1. p. 109, a 14. Sirach. x, 1. 627, b 23. 1 Macc. 11, 55. 729, a 29.
שופך 11 Reg. x, 18. 135, a 18.
שושבנים Deut. xxii, 17. 97, b 19.
שושן Nehem. 1, 1. 193, a antep.
שחה Gen. xxiii, 12. 16, b 55. Exodi xx, 5. 41, b 16. Num. xxii, 31. 78, b 20. iv Reg. v, 18. 160, b 32. Dan. 111, 5. 458, a 49.
שחט Levit. xxii, 28. 69, b 42.
שחל Oſeæ v, 14. 492, a 42. xiii, 7. 502, a 31.
שחץ Iobi xli, 25. 220, a 56
שחקים, שחק Iobi xxxvii, 18. 216, b 22. Eſa. xl, 15. 309, a 1.
שחת Pſalmo xxxv, 7. 228, b 5. Ionæ 11, 7. 520, b 44.
שטים Michææ vi, 5. 528, a 50.
שטנה Sirach. xxvi, 6. 663, b antep.
שטרים Deut. 1, 16. 83, a 17. Ioſ. viii, 33. 105, b 32. xxiii, 2. 108, b 34.
שיאן Pſalmo cxxxiii, 3. 244, a ult.
שיבה Pſalmo xcii, 15. 238, b 47.
שיד Amoſi 11, 1. 510, a ult.
שיהיה Eccleſ. viii, 7. 263, a 42.
שיח Gen. 11, 5. 2, a 56.
שיחור Ioſ. xiii, 3. 106, b 56. Ier. 11, 18. 344, b 27.
שיר השירים 111 Reg. iv, 32. 146, a 59.
שך Ier. xxv, 26. 370, b 18. Dan. 1, 7. 454, a 24.
שכח Eccleſ. viii, 10. 263, b 8.
שכך Nahumi 111, 18. 535, b 22.
שכינה Num. v, 3. 72, b 25. iv Reg. 111, 15. 159, a 34. Adj. Dan. 111, 55. 721, b 26.
שכיר Levit. xxii, 10. 69, b 1.
שכם Gen. xlviii, 22. 25, b 36.
שכן 1 Macc. xii, 7. 753, a 39.
שכנתי Ier. li, 13. 397, a 32.
שכר Eſa. lxiii, 6. 336, a 37. Sirach. 1, 20. 611, b 12. 1 Macc. xvi, 16. 762, a 8.
שלה Gen. xlix, 10. 26, b 47.
שלו Sap. xvi, 2. 605, b 24.
שלום Eſth. Addit. xv, 11. 587, b 41.
שלח Ioel. 11, 8. 506, a 7. Aggæi 1, 12. 546, a 32. Sap. ix, 10. 598, b 54.
שלחה Ier. xl, 14. 384, a 32.
שלמני & שלמן Dan. 111, 2. 457, b pen. Oſeæ 111, 4. 489, a 32. 1 Macc. 11, 53. 729, a 16.
שליט Dan. 11, 10. 455, a 48. i Macc. 11, 53. 729, a 14.
שלמים & שלם Gen. xxxiv, 21. 20, b 45. Levit. 1, 9. 60, b 25. 111, 1. 61, a 33. 1 Reg. 1, 4. 119, a 44. Pſalmo vii, 5. 222, b 55. Michææ v, 5. 527, a 58. Sirach. xxxv, 2. 680, b 46. xlvii, 2. 704, b 13. 1 Macc. iv, 56. 733, b 28. 11 Macc. 111, 32. 766, b 47.

שלמי Judic. I, 16. 109, b 30.
שלמן Oseæ X. 14. 499, a 6.
שם Pſalmo XL, 5. 230, a 5.
שם־בל Dan. VI, 14. 464, b 40.
שמחה, שמרה II Par. XXX, 7. 188, a 44. Eſa. XXXIII, 8. 304, b 17, 19. Jer. L, 23. 395, a 53. II Macc. V, 13. 770, b 3.
שמוטא Joel. I, 4. 504, a 47.
שמיר III Reg. VI, 7. 147, a 11.
שמחא Pſalmo CXXXVII, 3. 244, b 44.
שמי רם Jer. XXV, 38. 371, a 38.
שמירא תקיף מטנרא Ezech. III, 9. 404, a 46.
שמם Pſalmo XC, 9. 238, a 35.
שמם Eſa. XXXIII, 8. 304, b 17.
שממית Prov. XXX, 28. 257, b 58.
שמן Pſalmo XXIII, 5. 226, b 18. XCII, 11. 238, b 35. Eccleſ. VII, 2. 261, b 38.
שמן ראש Pſalmo CXLI, 5. 245, b 40.
שמע Joſ. XIX, 2. 108, a 14. 15.
שמרה, שמר Exodi XX, 8. 44, b 46. Pſalmo XVII, 4. 224, b 52. Jer. LI, 27. 397, b antep. Zachar. III, 7. 550, a 55.
שמש Judith. IV, 5. 580, a 55.
שמשת Eſa. LIV, 12. 325, b 1.
שנת Sirach. XIX, 14. 647, a 16. XXXVI, 6. 682, a 49.
שנים Habac. III, 2. 539, b 9.
שנער Joſ. VII, 21. 105, a 19, 20.
שנת ימים Amoſi IV, 4. 512, a 19.
שעטנז Levit. XIX, 19. 67, a 48.
שערים Levit. XVII, 7. 65, b 30.
שפט Deut. XXV, 1. 99, a 10. Sirach. XXXV, 22. 681, b 47. XLVI, 17. 703, b 56.
שפטיך & שפטוך Ezech. XXIV, 14. 431, b 19, 20.
שפיר I Reg. IX, 2. 122, b 11.
שפלה Jer. XXXII, 44. 378, b 49. I Macc. XII, 38. 754, b 22.
שפם Ezech. XXIV, 17. 431, b 49.
שפתים Pſalmo LXVIII, 14. 234, a 11, 16.
שקד Num. XVII, 8. 76, b 38. Jer. I, 12. 343, a 55.
שקה Ezech. XVII, 7. 420, b 24.
שקט לפניו I Macc. I, 3. 723, b 48.
שקצים, שקוץ vel שקץ Ezech. V, 11. 407, b 16. Dan. IX, 27. 474. a 9. Oſeæ IX. 10. 496, b pen.
שקר Exodi XX, 7. 34, a 11. & p. 44, a 11, 13. it. verſ. 16. p. 49, a 44. Levit. XIX, 11. 66, b 60. Deut. V, 20. 85, a 29.
שרים. שר Jobi XII, 19. 206, a 6. Eſa. XV, 8. 287, a 15. XIX, 13. 289, b 25. Jer. XXVI, 17. 371, b 48. LI, 40. 398, b 25. Dan. VIII, 25. 471, b 48. X, 13. 475, a 30. Oſeæ III, 4. 489, a 31. Sirach. X, 27. 629, b 17.
שרה Gen. XXXII, 28. 20, b 10.
שריון קשקשים 1 Macc. VI, 35. 737, b 12.
שרף Deut. XVIII, 10. 92, a 21.
שרפים Sap. XVI, 5. 605, b 38.
שרץ Ezech. XLVII, 9. 452, a 42.
שרק Dan. III, 5. 458, a 14. I Macc. XII; 7. 753, a 35.
שש I Macc. XII, 7. 753, a 40.
ששבצר Eſdræ I, 8. 190, b 26.
ששך Jer. XXV, 26. 370, b 13. Dan. , 7. 454, a 25.
ששנים Pſalmo XLV, 1. 230, b 32.
ששר Jer. XXII, 14. 366, b 5.
שתה Jobi XXXIV, 7. 214, b 19.

ת

ת omiſſum, *Jer.* XLVIII, 23. 390, a 48.
ת pro ם, *Nahum.* I, 4. 531, b 48. & pronuntiatur ut *s*, I Macc. IX, 50. 744, a 17.
ת pro תורה Ezech. IX, 4. 411. a 23, 24. Dan. XII, 1. 484, a 28.
תאותה Jer. II, 24. 345. a 42.
תאלה Lament. III, 65. 273, a 56.
תבל Nahumi I, 5. 532, a 1.
תהו ובהו Jer. IV, 23. 348, a 38. Sap. XI, 18. 600, b 46.
תהירה Ezech. XXXVIII, 16. 449, b 6.
תוא Eſa. LI, 20. 322, b 35.
תובל Eſa. LXVI, 19. 342, a 40.
תודה Levit. I, 9. 60, b 28. Pſalmo C, 1. 239, b 4. Jer. XXXIII, 11. 379, a 56. Amoſi IV, 5. 512, a 22. Jonæ II, 10. 520, b 57. Sirach. XVII, 25. 643, a antep. XXXV, 4. 680, b 59. I Maccab. IV, 56. 733, b 29. II Macc. III, 35. 766, b 58.
תולדות Gen. XXXVII, 2. 21, b 25.
תועבה Ezech. V, 11. 407, b 16. XXII, 11. 427, b 26.
תור I Macc. XII, 7. 753, a 38.
תורא Pſalmo CXXX, 4, 5. 243, b 46.
תורנטים Ezech. XXVII, 14. 436, a 13.
תורה Pſalmo CXXX, 4, 5. 243, b 47. Eſa. VIII, 16. 280, b 56. LI, 4. 322, a 4. Amoſi IV, 5. 512, a 25. Tobiæ VII, 14. 576, b 35.
תושב Levit. XXII, 10. 69, a pen. XXV, 45. 71, a 32.
תחיה II Macc. VII, 9. 773, a 35.
תחת Gen. XLIX, 6. 26, a 10.
תחפנים & תחפנחס Eſa. XXX, 4. 301, a 37. 38.
תיכון Ezech. XLVII, 15. 452, b 32.
תימן Ezech. XXV, 13. 432, b pen.
תיקה Deut. XXII, 8. 97, a 49.
תכונה Jobi XXIII, 3. 210, b 5.
תכלת Ezech. XXVII, 5. 635, a 11, 12.
תלאוה Lament. III, 65. 273, a 57.
תגלת פלאסר vel תלגת פלנאסר IV Reg. XV, 29. 167, b 38.
תלמי I Macc. XVI, 11. 761, b 44.
תמים, תם Exodi XII, 5. 30, b 25. Sap. X, 10. 599, b 48. XVIII, 21. 608, b 9. XXXIII, 3. 677, a 42.
תמהו Habac. I, 5. 536, a 40.
תמח Ezech. VIII, 14. 410, a 55.
תמך Prov. XIII, 8. 250, a 43.
תמם Habac. I, 5. 536, a 41.
תמנו Lamentat. III, 22. 272, b 55.
תמנת־סרח & תמנת־חרס Joſ. XXIV, 30. 109, a 19. ſeq.
תמנתה I Macc. IX, 50. 744, a 18.
תמרורים Oſeæ XII, 14. 501, a ult.
תנות Judic. XI, 40. 114, a 47. Malach. I, 3. 566, b 34.
תנין Jobi VII, 12. 204, b 40. Lamentat. IV, 3. 273, b 5. Eſa. XXVII, 1. 297, a 29. Ezech. XXIX, 3. 439, b 21.
תנגא Malach. I, 3. 566, b 37.
תפוח I Macc. IX, 50. 744, a 26.
תפסח III Reg. IV, 24. 146, a 21.
תפש Sap. p. 610, a 55.
תפת Jobi XVII, 6. 208, a 21.
תפתיא Dan. III, 2. 457, b 60.
תצדיק Sirach. XVIII, 1. 643, b 51.
תקוה Jobi VII, 6. 204, b 38. Oſeæ II, 15. 488, a 38.
תרבית Levit. XXV, 36. 71, a 17. Ezech. XVIII, 8. 422, a 1.
תרומה Exodi XXV, 2. 55, a 19. XXIX, 24. 56, b 25. Numer. XVIII, 27. 77, a 1. Deut. XII, 11. 86, b 59. XVIII, 4. 91, b 58. Ezech. XX, 40. 424, b 18. Malach. III, 8. 570, b 44. Sirach. VII, 33, 34, 35. p. 624. a 50.
תרזה Eſa. XLIV, 14. 315, a 9. Judith. XV, 15. 585, a 59.
תרפים Exodi XX, 4. 39, b 53.
תרשיש Ezech. XXVII, 12. 435, b 29. & verſ. 25. 437, b 1. XXVIII, 13. 438, b 11. Jonæ I, 3. 519, b 38.
תשב Tobiæ I, 1. 573, a 23.
תשומת יד Levit. VI, 2. 62, a 41.
תתקפהו Jobi XV, 24. 207, a 30.

F I N I S.

INDEX
ſingularum vocum
ARABICUS.

لبوة Joel. I, 6. 504, b 29.
لجام Gen. XLI, 2. 23, a 14.
لحم Jobi XX, 23. 209, a 55.
ال I Macc. II, 39. 751, a 16.
بالي Dan. VI, 14. 464, b 41.
بهر Jobi XXXVII, 21. 216, b 36.
جبل Jobi XXXVII, 12. 216, b 4.
جبيس Jobi XXVIII, 18. 212, a 27.
جح Sirach. XLVIII, 19. 707, b 44.
جلد Jobi XVI, 15. 207, b 53.
حبر Eſa. XLVII, 9. 318, b 20.
حبس Jobi XXXIV, 17. 214, b 35.
حدل Eſa. LIII, 3. 323, b 49.
حرق مواب Gen. XIX, 37. 15, a pen.
حشم Pſalmo LXVIII, 32. 234, b 33.
حصن Eſa. XLIX, 22. 320, b 41.
خال Ezech. XXIV, 6. 431, a 25.
خبل III Reg. IX, 13. 147, b 57.
خمل Ezech. XXIV, 21. 432, a 4.
دف Jobi XVII, 6. 208, a 23.
دهر Eſa. XLI, 19. 310, b 21.
دهم Jerem. XIV, 9. 359, a 33.
رزن Eſa. XL, 23. 309, a 54.
رحل Jobi XXXII, 6. 214, a 7.
سنط Exodi XXV, 5. 55, a 31.
سنغير Ezech. XXVIII, 13. 438, b 33.
شاهد Jobi XVI, 20. 208, a 6.
شحص Jobi XLI, 25. 220, a 55.
ضرق Jer. VIII, 22. 353, a 51.
صفصف Ezech. XVII, 5. 420, a 54.
ضغير Ezech. VII, 7. 408, a 58.
ضنك Jer. XXIX, 26. 373, b 55.
عروق Jobi XXX, 17. 213, a 35.
قصص Eſa. LVIII, 3. 329, b 49.
عون Ezech. XXXII, 27. 443, b 25.
عيس Jobi XXXVIII, 32. 217, b 25.
كدورة Jobi XV, 24. 207, a 36.
كسل Jobi XXXVIII, 31. 217, b 17.
كوم Jobi XXXVIII, 31. 217, b 7.
مارة Levit. XIII, 51. 64, b 1.
نجسة Ezech. XVI, 36. 418, b 2.
نجل Zach. XI, 8. 559, a 59.
نعل Pſalmo V, 1. 222, b 11.
نغط Adject. Daniel. III, 46. 721, a ult.
هدي Eſa. LVI, 10. 327, b 2.

FINIS.

VOCES ET PARTICULÆ
GRÆCÆ,
aut in Græcis libris repertæ.

A.

Ἀβάπτιστος φελλὸς ὡς Sap. vii, 30. 597, b 17.
ἄβατος, ἄβατον Jerem. xlii, 18. 385, b 2. Sap. ix, 8. 598, b 43.
ἄβατος ἡμῖν ναὸς iii Macc. p. 797, b 5.
ἀββακοὺμ Habac. i. p. 535, b 55.
ἀβδιοὺ iii Reg. xviii, 7. 153, b 57.
ἀβεσσαλὸμ vel Ἀβεσσαλὼμ ii Macc. xi, 17. 779, b 53.
ἀβιλαμμαρώδαχος iv Reg. xxv, 27. 175, b 4.
ἀβόῤῥας Judith. ii, 14. 579, b 54.
ἀβουλεύτως ἐξελθεῖν εἰς πόλεμον i Macc. v, 67. 735, b 60.
ἄβρα vel ἅβρα Esther. iv, 16. 200, b 37. Judith. viii, 32. 582, b 27. Adject. Dan. xiii, 15. 722, a 43.
ἀβροχία Jer. xiv, 1. 358, b 44, 45. xvii, 8. 362, a 29. Sirach. xxxv, 26. 682, a 23.
ἀβρωνᾶ Judith. ii, 14. 579, b 52.
ἄβυσσος Exodi xx, 10. 46, b 38. Psalmo xxxiii, 7. 228, a 27. Sirach. xliii, 25. 698, a 7.
ἀγάζεσθαι ἀρετῆς i Macc. ii, 61. 729, b 1.
ἀγαθοὶ δαίμονες Gen. xi, 1. 10, b 46. Adject. Dan. xiv, 22. 723, b 7. ἀγαθὰ Sirach. vi, 11. 620, a 52. ἀγαθὰ αὐτῶν Sirach. xlv, 31. 702, b 27. ἀγαθά τινι Sirach. xxxix, 32. 689, b 16.
ἀγαθόω Sirach. xlix, 11. 708, b 52, 53.
ἀγαθύνω Sirach. xiii, 32. 636, a 59, 60.
ἀγαπᾶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ Sirach. xiv, 16. 637, b 8. ἀγαπᾶν τὴν στρατείαν i Macc. x, 37. 747, a 32. ἀγαπᾶσθαι Sirach. xlvii, 17. 705, b 22. ἀγαπώμενος Jud. xi, 34. 114, a 31. ἠγαπημένος Sirach. xlv, 1. 700, a 60.
ἠγαπημένη Sirach. xxiv, 15. 658, a 52.
ἀγάπησις Sirach. xix, 18. 647, a 49, 50.
ἀγάπησις σοφίας Sirach. xl, 20. 691, b 39, 40.
ἀγαπητὸς Gen. xxii, 2. 16, a 34. Jud. xi, 34. 114, a 31.
ἀγαυρίαμα Baruchi iv. 34. 717, b 33.
ἀγγεῖον, ἀγγεῖα πυροβόλα i Maccab. vi, 51. 738, a 47.
ἀγγελία Sap. v, 9. 594, b 21.
ἄγγελος Exodi xx, 1. 34, b ult. & verſ. 3. p. 37, b 14. Dan. iv, 10. 460, a 79. Malach. ii, 7. 568, b 15. Sap. xviii, 15. 608, a 46. Sirach. xliii, 28. 698, a 40.
ἄγειν Jobi xxviii, 18. 212, a 31. ἄγειν λάφυρα ἀπὸ λαφύρων Ezech. xxix, 19. 440, b 21. ἄγειν ἐπὶ πλοῦ iii Macc. p. 796, b 21. ἄγειν ἡμέρας iii Macc. p. 799, a 20.
ἀγερωχία Sap. ii, 9. 590, b 50. iii Macc. p. 791, a 15.
ἀγέρωχος iii Macc. p. 791, a 14.
ἁγία καὶ ἀφειμένη i Macc. x, 31. 746, a ult.
ἅγια Judith. xvi, 24. 585, b 61, seqq. i Maccab. iii, 43. 731, a 4. vi, 54. 738, b 12. x, 39. 747, b 1. xiii, 3. 755, a 13.
ἁγιάζειν Sirach. vii, 36. 624, b 10. xlv, 4. 700, b 24, seqq. ἁγιάζειν τόπον iii Macc. pag. 791, b 25. ἁγιάζεσθαι ἐν μήτρᾳ Sirach. xlix, 9. 708, b 37. ἡγιάσθη προφήτης, Sirach. xlix, 9. 708, b 37. ἡγιασμένοι, Judith. vi, 15. 581, a 42.
ἁγίασμα Zachar. xi, 1. 558, b 15. Sirach. xlvii, 15. 705, b 4. i Maccab. i, 23. 724, b 25. ii, 8. 727, a 32. vi, 7. 736, b 22.
ἁγιασμὸς Jerem. vi, 16. 350, b 2. Sirach. xvii, 7, 8. p. 642, a 61.
ἅγιε ἐν ἁγίοις iii Macc. p. 791, a 38.
ἅγιον πρόσωπον iii Macc. p. 798, a 52.
ἀγκάλη Sirach. ix, 10. 627, a 27.
ἄγκιστρον iv Reg. xix, 28. 171, a 31.
ἀγκωνίσκος Exodi xxvi, 17. 55, b 25.
ἀγνείας νόμος i Macc. ix, 54. 744, a 57.
ἀγνοέω Sirach. v, 18. 619, b 7. xxiii, 13. 656, a 12. ii Maccab. xi, 31. 780, a 61. iii Macc. p. 793, b 48. ἠγνοημένα ii Macc. xi, 31. 780, a 61, 62.
ἀγνόημα Tob. iii, 3. 574, b 20. Sirach. xxiii, 2. 654, b ult. ii Macc. xi, 31. 780, a ult. ἀγνοήματα ψυχῆς Sirach. li, 26. 712, b 6.
ἄγνοια Gen. xxvi, 10. 18, a 48. Levit. iv, 2. 61, b 4. Eccleſ. v, 5. 260, b 59. Sirach. xxiii, 3. 655, a 14. xxviii, 9. 668, a 20. i Macc. xiii, 39. 756, a 39. ἄγνοια αἰτίας Sap. xvii, 12. 607, a 46.
ἀγνωσία Θεοῦ Sap. xiii, 1. 602, a 41, 42.
ἄγνωστος Θεὸς ii Macc. x, 2. 777, b 21.
ἀγνῶτες Sap. xix, 13. 609, b 1.
ἀγορανομία ii Macc. iii, 4. 765, b 52.
ἀγοραστὴς Tob. i, 14. 573, b 20.
ἄγροικοι Gen. xvi, 1. 13, b 18.
ἀγελᾶσθαι iii Macc. p. 796, a 13.
ἀγροικότερον ii Macc. xiv, 30. 786, a 55, 56.
ἀγρὸς Cant. iii, 6. 268, a pen.
ἀγχίνοια Prov. xvi, 10. 252, a 9. Dan. v, 11. 462, b 43.
ἀγχιστεὺς Gen. xlviii, 16. 25, b 16. Num. xxxvi, 8. 83, a 7. Tob. vi, 12. 576, a 34.
ἀγχιστεύω Numer. xxxvi, 8. 82, b 61, 62. Ruth. ii, 20. 118, a 4, Tob. iii, 25. 575, a 34.
ἀγχιστεύων τὸ αἷμα Num. xxxv, 19. 82, a 46.
Jer. xxxii, 8. 377, b 45.
ἄγω ii Macc. i, 9. 763, a 23.
ἀγωγὴ ἐπιβούλων iii Macc. p. 795, a 55.
ἀγὼν i Macc. iv, 17. 732, a 22.
ἀγωνία Sirach. xl, 2. 690, a 59.
ἀγωνίζεσθαι περὶ τῆς ἀληθείας Sirach. iv, 33. 618, a 1. ἀγωνίζεσθαι περὶ τῆς ἀρχιερωσύνης, i Macc. vii, 21. 739, b 10.
ἀγωνοθέτης ii Macc. iv, 15. 767, b 29.
ἄδαδος ii Reg. viii, 5. 134, a 34. iii Reg. xi, 1. 155, a 51.
ἀδασοῦ, Ἀδασοῖ i Macc. vii, 40. 740, a 12, 13. & verſ. 45, a 33. ix, 5. 742, b 9.
ἀδὲρ ii Reg. viii, 5. 134, a 35.
ἀδέσποτα Jer. xlix, 1. 392, a 9.
ἀδηδὲ Ezech. xxvii, 20. 437, a 8.
ᾅδης Geneſ. xxxvii, 35. 21, b 55. Num. xvi, 30. 76, b 4. i Reg. xxviii, 11. 129, b 29. Proverb. xv, 11. 251, a 36. Oſeæ xiii, 14. 502, b 34. Habac. ii, 5. 538, a 6. Tobiæ iii, 6. 574, b 45. Sap. i, 14. 589, b 32. Sirach. xvi, 31. 641, b 36. ᾅδης κατώτατος Psalmo lxxxvi, 13. 237, b 11. ᾅδης κείμενος παρὰ πόδας iii Macc. p. 795, a 48.
ᾅδου μυχοὶ Sap. xvii, 13. 607, b 2.
ἀδιάπτωτος ῥίζα Sap. iii, 15. 592, a 59, 60.
ἀδιάστροφον φυλάττειν πίστιν καὶ εὔνοιαν iii Macc. 793, a 41.
ἀδιάτρεπτος Sirach. xxvi, 13. 664, b 22.
ἀδιάφορος Sirach. xx, 19. 650, a 4.
ἀδὶδ, Ἀδιδὰ i Macc. xii, 38. 754, b 19, 20. xiii, 13. 755, a 37.
ἀδιέξιτος Sirach. xxi, 21. 652, a 39, 40.
ἀδικεῖσθαι Sirach. xiii, 4. 634, b 42. ii Macc. iii, 12. 766, a 32. ἠδικημένος Sirach. xxxv, 16. 681, b 13.
ἀδικία Gen. xxvi, 20. 18, b 4. Levit. xvi, 21. 65, a 24. Esa. xxxiii, 15. 305, a 4. Oſeæ vi, 8. 493, a 38.
ἄδικος λόγος Sirach. xix, 23. 647, b 50.
ἀδμῆτες i Reg. vi, 7. 121, b 5.
ἀδονὰ i Macc. xii, 7. 753, a 47.
ἀδοξεῖν Sirach. x, 33. 630, a 37.
ἀδραμύτιος Ezech. xlvii, 17. 452, b 43, 44.
ἀδυναμία iii Macc. p. 791, b 11.
ἀδυνατέω Deut. xvii, 8. 89, a 13.
ἄδυτα τῆς σκηνῆς Sap. ix, 8. 598, b 40.
ἄδυτος Sapient. xvii, 13. 607, a 61. ἄδυτον ii Par. xxvii, 3. 187, a 50.
ἀδωναΐ i Reg. i, 11. 119, b 17.
ἄδωρα i Macc. xiii, 20. 755, a 60.
ἀεὶ χρεῖσθαι Sirach. xxiv, 25. 659, a 11.
ἀειλὰ, Αἰλὰ iii Reg. ix, 26. 148, a 24, seqq.
ἀζᾶ i Macc. ix, 15. 742, b 56.
ἀζαὴλ, Ἀζάηλος iii Reg. xix, 15. 155, a 2, 3.
ἀζανῖται Exodi xxiv, 16. 55, a 13.
ἀζαρίας iv Reg. xv, 1. 167, a 52. Tob. v, 18. 575, b 44.
ἄζυμα Exodi xii, 15. 31, a 20.
ἀὴρ τμηθεὶς Sap. v, 12. 594, b 32.
ἀθεεὶ Amosi iii, 6. 511, a 44.
ἀθῷος Jonæ i, 7. 520, a 21. Sirach. xxxviii, 14. 686, a 21.
ἀθεσία i Macc. xvi, 17. 762, a 14, seqq.
ἀθετέω Deut. xxi, 14. 96, a 37. Esa. xxix, 14. 300, b 8. i Macc. xiv, 44. 758, b pen.
ἀθλιαῖος ii Macc. vi, 1. 771, a 44.
ἆθλα ἀμίαντα Sap. iv, 2. 592, b ult.
ἀθροισμὰ καὶ ἐκκλησίαν i Macc. iii, 13. 730, a 35.
ἀθροισμὸς Jobi xxxviii, 31. 217, b 8.
ἀθυμέω Ezech. xxxii, 9. 442, b 59.
ἀθυμία i Macc. ix, 68. 744, b 59. ἀθυμία μετοχῆς Esth. Addit. xvi, 5. 588, a 21.
ἀθῷον οὐκ ἀθῳώσει Nahumi i, 3. 531, b 27.
ἀθῳοῦσθαι Sirach. xvi, 11. 640, a 31.
αἰδεῖσθαι Sirach. xxxii, 14. 676, a 25.
αἰδὼς Sirach. iv, 25. 617, a 61. xx, 24. 650, a 51. αἰδὼς ἁρμόζουσα iii Macc. p. 790, b antep.
αἰκίζομαι i Macc. i, 65, 66. 726, b 34.
αἴλουρος Baruchi vi, 21. 719, a 14, 15.
αἷμα Sirach. ix, 13. 627, a 47: 57. αἷμα ἀθῷον Esther. Addit. xvi, 5. 588, a 21. αἷμα βοτρύων Gen. xlix, 12. 27, a 51. αἷμα περικάρδιον Sap. ii, 2. 590, a 32. αἵματα ii Macc. viii, 3. 774, a 51.
αἱμαθῖτις i Macc. xii, 25. 753, b 48.
αἱμαθίων ii Macc. iii, 1. 765, b 5.
αἴνεσις Psalmo c, 1. 239, b 4. Sirach. xvii, 25. 643, a antepen. xxxv, 4. 680, b 56. i Macc. iv, 56. 733, b 29. αἴνεσις σοφίας Sirach. xxiv, 1. 657, b 41.
αἰνετὸς Sirach. xxxvii, 25. 685, a 9.
αἰνέω Sirach. xvii, 24. 643, a 51. & verſ. 27, b 12. xliv, 8. 699, a 35. l, 20. 710, b 23.
αἴνιγμα Sirach. p. 610, a 56. 57.
αἰνοποιέω Deut. xxxii, 43. 102, a 40.
αἶνος Jud. ix, 8. 112, b 36. ii Reg. xii, 1. 135, b 37. iv Reg. xiv, 9. 166, b 33. Proverb. i, 6. 247, a 30. Ezech. xvii, 2. 420, a 4.
αἰνῶς Judith. x, 18. 583, b 33.

ᾶος terminatio *Jer.* xlix,28. 393,a58.
αἱρετίζω Oseæ iv,18. 491,a21. Aggæi ii,24. 547,b50.
αἱρετὶς ἔργων Sap. viii,4. 597,b41.
αἱρετὶς Sirach. xi,33. 632,b51, seqq. αἱρετὸν Sirach. xi,33. 632,b55. xx,27. 650,b25. αἱρετώτερον ibid. p. 650.
αἴρω Jer. viii,13. 352,b39. Oseæ xi,4. 499,b1. αἴρειν τὰ λόγια Sirach. xxxvi,16. 682,b36. αἴρεσθαι ἀπὸ προσώπου ἀδικίας Sap. iv,10. 593,b11.
αἰσχύνειν Psalmo xxii,18. 226,a57. αἰσχύνειν ἄνδρα Sirach. xxiii,36. 657,b17. αἰσχύνεσθαι Joel. i,17. 505,a33. Sirach. iv,24. 617,a46.
αἰσχύνη Sirach. iv,25. 617,a59. xx,24. 650,a49. αἰσχύνη μοχθηρὰ Sirach. v,17. 619,a antep.
αἰτέειν γῆν καὶ ὕδωρ Judith. ii,5. 579,b7.
αἴτια ἑλομένου Sirach. xv,18. 639,a antep.
αἰφνίδιος ἐφοδεία ἀντιπάλων ii Macc. xiv,17. 785,b40.
αἰφνιδίως Sirach. xxii,33. 654,b41.
αἰχμαλωσία i Macc. ix,70. 745,a9.
αἰχμαλωτάρχαι Jer. lii,1. 400,a5.
αἰχμαλωτεύω i Macc. ix,72. 745,a18.
αἰχμαλωτοὺς λαμβάνειν i Macc. i,34. 725,a39.
αἰὼν, Nom. Pr. Gen. iii,20. 6,a18.
αἰώνιος βάσανος & αἰώνιον πῦρ ii Macc. vi,26. 772,b45,47. αἰώνιος ὄλεθρος ii Macc. vii,14. 773,a52. αἰώνιος τόπος Tobiæ iii,6. 574,b44.
ἀκαθαρσία iii Macc. p. 791,b27.
ἀκαλύπτως ἀγόμεναι iii Macc. p. 795,a34.
ἀκατάληπτος Jobi xxxvii,23. 216,b47.
ἀκατάστατος Oseæ viii,6. 495,a32.
ἀκατάσχετος οἰμωγὴ iii Macc. p. 798,a48,49.
ἀκέραιος εὐγνωμοσύνη Esth. Addit. xvi,5. 588,a20.
ἀκηδία Sirach. xxii,16. 653,b12. xxix,6. 669,b10,11.
ἀκηδιάζω Sirach. xxii,16. 653,b9. xxix,6. 669,b12.
ἀκκὼς, pro N. Pr. i *Macc.* viii,17. 741,b29.
ἄκλαυστος ii Macc. v,10. 770,a46.
ἀκλεία βιότου i Macc. iii,59. 731,b20.
ἄκληρος iii Macc. p. 796,b1.
ἄκλιζον Amosi ii,9. 510,b45.
ἀκμάζω Psalmo xcii,15. 238,b44.
ἀκοὴ Ezech. vii,26. 409,a pen. Nahumi iii,19. 535,b36. ματαία Exodi xx,7. 44,a22. ἀκοὴν ποιεῖν Jerem. l,2. 394,a10.
ἀκολασία ὅρκου Sirach. xxiii,17. 656,a44.
ἀκολουθεῖν ii Macc. ii,4. 764,a33.
Ἀκονάομαι· ἠκονηθέντος νοῦ Psalmo cxxvii,4. 243,a44,45.
ἀκούσιον Levit. iv,2. 61,b5.
ἀκουσίως ibid. lin. 4.
ἀκουστικὸν Sirach. xvii,5. 642,a40.
ἀκουστὸν ποιεῖν Jer. l,2. 394,a10.
ἀκούειν τῆς φωνῆς Baruchi i,19. 714,a42.
ἀκούων Sirach. xlviii,7. 707,a6.
ἄκρα i Macc. ii,31. 727,b51. iv,2. 731,b37. & verſ. 4. p. 732,b52. vii,32. 739,b48. ix,52. 744,a40. x,32. 746,b25. xi,20. 750,a18. xii,36. 754,b2.
ἀκραβαττιλὼν Joſ. xv,3. 107,a58. Judith. vii,10. 581,b22. i Maccab. v,3. 734,a23.
ἀκραβεὶν Joſ. xv,3. 107,a55.
ἄκρατος iii Macc. p. 796,a22.
ἀκριβάζω ii Reg. i,19. 131,a40.
ἀκρίβεια Dan. vii,16. 467,b31. Sapient. xii,21. 601,b antep.
ἀκριβὴς Sirach. xxxi,29. 674,b33. ἀκριβὲς Sap. xii,21. 601,b ult.
ἀκρὶς Oſeæ xiii,3. 501,b antep. Joel. i,4. 504,a52.
ἀκρίτως Sirach. xiii,13. 635,a31.
ἀκρόαμα Sirach. xl,21. 691,b43.
ἀκροάομαι Sirach. xiv,24. 638,a18.
ἄκων Sirach. xx,4. 648,b53.
ἀλάβωνα Jer. xlviii,21. 390,a24.
ἀλάβαστρος iv Reg. xxi,13. 172,b16.
ἀλαζονεία ἐπὶ φρονήσει Sap. xvii,7. 607,a5.
ἀλαλαγμὸς Judic. vii,18. 112,a7,8. i Maccab. ix,41. 743,b18. iii Maccab. p. 795,a5.
ἀλαλάζω Jer. xlvii,2. 388,b40. iii Macc. p. 795,a5.
ἀλγέω Pſalmo xxix,9. 227,a51.
ἀλεκτρυὼν ὄρθριος iii Macc. p. 796,b40.
ἀλεξανδρεῦδης Dan. xi,3. 476,a41.
ἀλήθεια Exodi xxviii,30. 56,a24,31. Tobiæ viii,9. 577,a13. Sirach. vii,22. 623,b5. xxxiii,3. 677,a42.
ἀλήθω Eccleſ. xii,4. 266,b18.
ἀληθῶς Ἰσραηλίτης Eſa. xliv,5. 314,b9.
ἀλικαρνασσὸς i Macc. xv,23. 760,b1,2.
ἀλιμαζονεῖς ii Par. xiv,15. 183,b9.
ἀλισγεῖν Sirach. xl,30. 692,b1.
ἁλίσκω Jer. xx,2. 364,b4. Sirach. xxvii,29. 667,a48. ἁλῶναι ἐν τοῖς χείλεσι Sirach. xxiii,7. 655,b20.
ἄλκιμος i Macc. vii,5. 739,a15.
ἄλλαγμα Pſalmo xliv,13. 230,b20. Eſa. xl[illegible],3. 313,a18. ἄλλαγμα ταπεινώσεως Sirach. ii,4. 612,b50.
ἀλλάττω Sir. vii,20. 623,a34. iii Macc. p. 791,a21.
ἀλληγορικοὶ ὄνειροι Num. xii,8. 75,a26.
ἀλληλούια Tob. xiii,22. 578,a43. iii Macc. p. 800,a8.
ἀλλογενὴς Exodi xxix,33. 56,b28. Zach. ix,6. 555,a59.
ἀλλογενεῖς τῆς Γαλιλαίας i Macc. v,15. 734,b4.
ἀλλοιόω Sirach. xii,19. 634,a antep. xxxvi,6. 682,a49.
ἀλλοίωσις καρδίας Sirach. xxxvii,21. 684,b30.
ἀλλότριος Sap. xix,14,15. p. 609,b16. Sirach. xxvi,23. 665,a46.
ἀλλοτριοφρονεῖν ii Macc. xiv,26. 786,a42.
ἀλλοφυλισμὸς ii Maccab. vi,24. 772,b39. viii,1. 774,a41.
ἀλλόφυλος Zachar. ix,7. 555,b5. i Macc. ix,54. 744,a58. iii Macc. p. 793,b8.
ἄλλυδις Sirach. xl,30. 692,b5.
ἅλμη Sirach. xxxix,29. 689,a49.
ἄλσος Judic. ii,13. 110,a30.
ἀλυσιδωτὸς i Macc. vi,35. 737,b12,13.
ἄλφιτον Judith. x,5. 583,b10.
ἅλωα Oſeæ ix,2. 496,a12.
ἀμαθῖτις i Macc. xii,25. 753,b46.
ἀμαραῖος, N. P. i Macc. ix,36. 743,a55.
ἁμαρτάνειν Jer. xxii,15. 366,b14. Sirach. vii,40. 624,b57. xxiv,30. 659,a43,44. xxv,34. 663,b9. ἁμαρτάνειν εἰς τὸ ἴδιον σῶμα Sirach. xxiii,23. 656,b45,46. ἁμαρτάνειν ἐν λόγῳ ὑπερηφάνῳ Sirach. xxxii,16. 676,a42. ἁμαρτόντες εἰς τὸν ἑαυτῶν Θεὸν ii Macc. vii,18. 773,b3.
ἁμαρτία Levit. xvi,21. 65,a24,25. ἁμαρτία προσθέσιν Sirach. xiii,30. 636,a46. ἁμαρτία σοί ἐστι Sirach. xix,8. 646,b36.
ἁμαρτωλὸς Sirach. vii,17. 623,a21. xxi,7. 651,a pen. xxix,22. 670,a39.
ἀματταρεὶ i Reg. xx,20. 127,a4.
ἀμαυροτέρα χρυσία Sirach. xli,9. 693,a39.
ἀμαυρόω Sap. iv,12. 593,b32.
ἀμαχητὶ Ezech. xxxviii,11. 449,a30.
ἀμβρὶ i Macc. ix,36. 743,a54.
ἀμβροσία τροφὴ Sap. xix,20. 610,a5.
ἀμετάθετος λογισμὸς iii Macc. p. 796,a48.
ἀμείδητος Sap. xvii,3. 606,b50.
ἀμελσὰδ Dan. i,11. 454,a55.
ἀμελῶς Jer. xlviii,10. 389,b20.
ἄμεμπτος Sap. xviii,21. 608,b8. ἄμεμπτος τοῦ Θεοῦ Sap. x,5. 599,b11.
ἀμερὴς χρόνος iii Macc. p. 796,b47, ſeqq.
ἀμεταμέλητον Jer. xxxi,36. 377,a20. ἀμεταμέλητα δῶρα Michææ vii,20. 531,b12,13.
ἀμελῶ iii Macc. p. 800,b29.
ἀμητὸν ποιεῖν Sirach. vii,13. 622,b antep.
ἀμήχανον Sirach. xx,11. 649,a35.
ἀμίαντος Sap. iv,2. 592,b ult.
ἀμιγὴς Sap. vii,24. 597,a31.
ἀμμανῖτις ii Macc. iv,26. 768,b15. v,7. 770,a4.
ἀμνημονεύω Sirach. xxxvii,6. 683,a34.
ἀμνησία Sirach. xi,27. 632,a41.
ἀμοιβαῖον Oſeæ ii,15. 488,a41.
ἀμύμων Sap. xviii,21. 608,b7.
ἀμφίκυρτος Sirach. xliii,8. 697,a17.
ἄμωμος Exodi xii,5. 30,b26. Sirach. xxxi,8. 673,b22,23.
ἀναβαλλόμενος Habac. i,6. 536,b9,10.
ἀνάβασις Judith. vi,6. 581,a23.
ἀναβίωσις ζωῆς αἰώνιος ii Macc. vii,9. 773,a34,35.
ἀναβράζειν Sap. x,19. 600,a44.
ἀναβράσσων Nahumi iii,2. 533,b60.
ἀνάγεσθαι ὑπὸ τοῦ πνεύματος iii Reg. xviii,12. 154,a8.
ἀναγκάζοντες Deut. i,16. 83,a20.
ἀνάγκη Ier. ix,15. 354,a15. Eſther. Addit. xiv,16. 587,b19. Sap. xix,4. 609,a22,23 & 24. Baruchi vi,36. 719,b38. iii Macc. p. 790,b37. ἀνάγκαι πολεμίων i Macc. iv,61. 734,a5.
ἀνάγραπτοι φίλοι aut εὐεργέται Eſther. vi,1. 201,a38, ſeqq.
ἀνάγω Tob. xiii,2. 578,a15.
ἀναγωγότερον ii Macc. xii,14. 781,b26.
ἀναδέχομαι ii Maccab. viii,36. 776,a19,20.
ἀναδίδωμι Sirach. i,29. 612,a9,12.
ἀνάδυσις Sap. xix,7. 609,a37.
ἀναζεύγνυμι i Macc. xii,32. 754,a23.
ἀναζάω Sirach. iv,12. 616,b15,16.
ἀναθάλλω Oſeæ viii,9. 495,b2. Sirach. i,22. 611,b30.
ἀνάθεμα Num. xv,30. 75,b51. Deut. iii,3. 83,b36. Ioſ. xi,14. 106,b24. Pſalmo xv,3. 224,a31. Sirach. xlviii,10,11. 707,a43.
ἀναθεματισμὸς Prov. xxvi,2. 256,a42,43.
ἀναθήμασι τιμῆσαι iii Macc. p. 794,a9.
ἀναθυμιωμένη ὄρεξις Exodi xx,17. 50,b6,7.
ἀναιδὴς Sirach. xl,32. 692,b12. ἀναιδὴς ὀφθαλμὸς Sirach. xxiii,6. 655,b11. ἀναιδὴς ψυχὴ ibid. lin. 10.
ἀναιρέω· ἀνῃρημένοι Ier. vii,32. 352,a35.
ἀναισθητῶν Sirach. xxii,14. 653,b1.
ἀναισθήτως Sirach. iii,22,23. p. 614,b42.
ἀναίτιος ὁ Θεὸς Sirach. xv,18. 639,a61,62.
ἀναιτίως Sirach. xx,25. 650,b8.
ἀνακαλυπτήρια Eſther. ii,18. 199,a39.
ἄνακες Deut. ii,11. 83,b10.
ἀνακεφαλαιοῦν Sirach. xxxii,11,12. p. 676,a6.
ἀνακλητικὸν Ezech. i,25. 403,a14,15.
ἀνακλίνεσθαι iii Macc. p. 796,b10.
ἀνακόπτειν τὴν ὀργὴν Sap. xviii,23. 608,b34.
ἀνακράζω iii Macc. p. 796,b40.
ἀνάκρισις iii Macc. p. 799,a pen.
ἀνάκτησις i Macc. iv,56. 733,b21.
ἀναλαμβάνω Amoſi v,26. 513,b37. ἀναλαμβάνειν ᾠδὴν iii Macc. p. 798,b ult. ἀναλαμβάνεσθαι Sirach. xlviii,9. 707,a16.
ἀνάλημμα Sirach. l,2. 709,b10.
ἀναλογία Zachar. xii,12. 562,a19.
ἀναλογίζεσθαι iii Macc. p. 799,b22.
ἀναλύω Sap. xvi,14. 606,a11.
ἀναμεμιγμένοι Ezech. xxii,18. 428,a3.
ἀνάμεσον τῶν πετρῶν Eſa. lvii,5. 328,a34.
ἀνάμεσον τοῦ πλησίον Sirach. xxv,24,25. p. 662,b21.
ἀναμιμνήσκων iii Reg. iv,3. 145,b49.
ἀναμιμνήσκομαι· ἀναμνησθήσεταί σου Sirach. iii,17. 614,a52.
ἀναμνημονεύειν ii Macc. ix,20. 777,a17.
ἀναμοχλεύειν ii Macc. vii,10. 773,a41.
ἀνανίας Tobiæ v,18. 575,b44.
ἀναξυρὶς Eſa. xxvii,11. 297,b56.
ἀναπαύειν μητέρα Sirach. iii,7. 613,b ult.
ἀναπαύομαι Ier. xlviii,11. 389,b23. Sirach. xxii,11,12. p. 653,a46.
ἀνάπαυσις Sap. iv,7. 593,a37. Sirach. xx,23. 650,a37.

INDEX

ἀναπίπλειν Sirach. xxv, 24, 25. p. 662, b 21, 22, 28.
ἀναπλήθειν γλῶ ἐν παραβολαῖς Sirach. xlvii, 16, 17. 705, b 15, 16.
ἀναποδίζω Sap. ii, 5. 590, a 52.
ἀναποδισμὸς ibid.
ἀναποιέω Eſa. xxx, 24. 302, a 20, ſeqq.
ἀνάπλεων μῶμον iii Macc. p. 793. b 40.
ἀναπτερόω Sirach. xxxiv, 1. 679, a 16.
ἀναπτύσσω 1 Macc. iii, 48. 731, a 40. ἀναπτυσσόμενος Zach. v, 1. 551, b 12.
ἀναῤῥήγνυμι iv Reg. viii, 12. 162, b 8.
ἀναρχία Eſa. iii, 5. 276, a 15. Dan. iv, 33. 461, b 32. Sirach. xvii, 12. 642, b 27. 1 Macc. xiii, 34. 756, a 2.
ἀνασταυροῦν Eſther. ii, 23. 199, b 1.
ἀναστενάζω Sirach. xxv, 24, 25. p. 662, b 22.
ἀναστρέφω Sap. xvi, 14. 606, a 11. 1 Macc. vii, 46. 740, a 54.
ἀναστροφὴ ii Macc. v, 8. 770, a 6. iii Macc. p. 793, a 13.
ἀνασύρω Eſa. lvii, 8. 328, b 25.
ἀνατέλλειν Eſa. lviii, 8. 330, a 52, 53. Oſeæ xiv, 6. 503, b 25. Sirach. xxxvii, 21. 684, b 31. ἀνατέλλοντα iv Reg. xix, 29. 171, a 41.
ἄναυδος Sirach. xxvii, 30. 667, b 10.
ἀναφεστοῦν Sirach. iv, 12. 616, b 18.
ἀνδρεῖος Sirach. xxvi, 2. 663, b 46.
ἀνδρείως ἀποθανεῖν 1 Macc. ix, 10. 742, b 27.
ἀνδριαντοποιΐα Sap. xiv, 20. 603, b ult.
ἀνδρὶς Gen. ii, 23. 4, a 9.
ἀνδρομάχη Sirach. xxvi, 23. 665, b 3.
ἀνειμένος Sirach. xxx, 8. 671, b 36.
ἀνελεήμων Malach. iii, 5. 570, b 5. Sirach. xiii, 15. 635, a 55. xxxv, 22. 681, b 46. xxxvii, 13. 684, a 31, 32.
ἀνελεημόνως Sirach. xiii, 15. 635, a 58.
ἄνεμος Sap. ii, 2. 590, a 27.
ἀνεμόφθορα Oſeæ viii, 7. 495, a 37.
ἀνεμοφθορία Amoſi iv, 9. 512, b 1.
ἀνεμώλια βάζων Jer. v, 13. 349, a 22.
ἀνεξέταστος Sirach. xi, 7. 630, b antep.
ἀνεξιχνίαστος Eccleſ. viii, 17. 264, a 19, 20.
ἀνέρχομαι· ἀνελήλυθεν εἰς ἑαυτὸν Sapient. v, 12. 594, b 32, 33.
ἄνεσιν εὑρίσκειν Sirach. xxvi, 13. 664, b 26.
ἀνετάζεσθαι iii Macc. p. 799, b 3. ἀνετάζεσθαι μάστιξι Sirach. xxiii, 11. 655, b 53.
ἀνέφικτος ἀνθρώποις iii Macc. p. 791, b 19.
ἄνευ βουλῆς Sirach. xxxii, 23, 24. 676, b 32.
ἀνήκεστος σπλάγχνων ἀλγηδὼν Ezech. xxviii, 22. 449, b 42, 43.
ἀνὴρ ἐπιθυμητὴς Dan. ix, 23. 473, a 19. ἀνὴρ τὴν ἀρχὴν ἔδειξε Sirach. xx, 11. 649, a 49.
ἀνθίστασθαι Pſalmo xix, 14. 225, b 25. Dan. xi, 25. 480, a 50.
ἀνθιστάναι Sirach. li, 3. 711, b 13. ἀνθιστάναι Θεῷ Malach. iii, 15. 571, a 49. ἀνθιστάναι ὁλκὴν Sirach. viii, 1, 2. p. 625, a 2.
ἀνθομολογεῖσθαι Sirach. xx, 1. 648, b 33.
ἄνθος ἀέρος Sap. ii, 7. 590, b 33. ἄνθος σταφυλῆς Sirach. li, 19, 20. p. 712, a 22, 23.
ἄνθος χόρτου Pſalmo xxxvii, 2. 228, b 55.
ἀνθοσμίας Sirach. xxiv, 23. 658, b 53.
ἄνθραξ Exodi xxviii, 18. 56, a 15. Ezech. xxviii, 13. 438, b 15. Habac. iii, 5. 539, b 46. Sirach. xx, 15. 649, b 26, 27.
ἄνθρωπος Zachar. vi, 12. 552, b 57.
ἀνιερῶν ἡμέρας iii Macc. p. 800, b 1.
ἀνιηροὶ Sirach. xl, 29. 692, a 53.
ἀνιστάναι Dan. xii, 13. 485, b 23. Sirach. xxxviii, 22. 686, b 47. ἀνιστάναι πρὸς τὸν Θεὸν Oſeæ xiv, 1. 503, a 15.
ἄνοι Prov. i, 32. 247, a 39.
ἄνοια Sap. xv, 18. 605, b 1.
ἀνοίγειν μήτραν Judith. ix, 2. 583, a 2.
ἀνοίγειν οὐρανοῦ πύλας iii Macc. p. 798, a 55.
ἀνοίγειν στόμα Sirach. xxix, 31. 670, b 48.
ἀνοίγειν φαρέτραν Sirach. xxvi, 15. 664, b 44, 45. ἀνοίγειν ὦτα Eſa. l, 4. 321, b 10.
ἀνομβρεῖν Sirach. xxxix, 9. 688, a 49. l, 29. 711, a 46.
ἀνομβρία iii Reg. xvii, 1. 153, a 59. Eſa. lviii, 11. 330, b 44. Jer. xiv, 1. 358, b 47. Amoſi iv, 7. 512, a 41. Sirach. xxxv, 26. 682 a 25.
ἀνομία Levit. xvi, 21. 65, a 24. xxv, 23. 70, b 49. Pſalmo xvii, 3. 224, b 49. Jer. xxix, 23. 373, b 13. Oſeæ vi, 8. 493, a 38. Tobiæ iii, 3. 574, b 28. Sirach. xli, 22. 694, a 19, 20.
ἄνομος iii Macc. p. 798, a 36.
ἀνοχὴ 1 Macc. xii, 25. 753, b 50, 51.
ἀντακούω Sirach. xxii, 30. 654, b 8.
ἀντάλλαγμα Sirach. xxvi, 17, 18. p. 665, a 2.
ἀνταποδίδωμι Sirach. xvii, 19. 643, a 17. xxxv, 24. 682, a 4.
ἀνταπόδομα Sirach. xvii, 19. 643, a 17, 18.
ἀνταπόδοσις Pſalmo cxix, 33. 242, b 2.
ἀντὶ ἁμαρτιῶν Sirach. iii, 16. 614, a 45.
ἀντὶ τῶν βασιλικῶν 1 Macc. xi, 34. 750, b 27.
ἀντιβασιλεὺς iii Reg. xvi, 16. 153, a 12.
ἀντιγεννῆσαι Sirach. vii, 30. 624, a 26.
ἀντίζηλος 1 Reg. i, 6. 119, b 5. Sirach. xxxvii, 12. 684, a 15.
ἀντικαταλλάσσεσθαι χρήματα περὶ τοῦ ζῆν iii Macc. p. 792, b 6[illegible], 62.
ἀντικείμενος iii Reg. v, 4. 146, b 11.
ἄντικρυς iii Macc. p. 796, b 10.
ἀντιλαμβάνειν & ἀντιλαμβάνεσθαι Sirach. ii, 6. 613, a 8. iii, 14. 614, a 29. xxix, 12. 669, b 53.
ἀντιλέγω 1 Macc. ii, 36. 728, a 1.
ἀντίληψις Dan. xi, 6. 477, b 20. ἀντίληψις ἑωθινὴ Pſalmo xxii, 1. 226, a 10, 11. ἀντιλήψεως τεύξεσθαι iii Macc. 793, a 9.
ἀντιλογία Deut. xvii, 8. 89, a 42. Sirach. viii, 19. 626, a 38.
ἀντιόχεια ii Macc. iv, 33. 768, b 60. xiii, 23. 784, b 25.
ἀντιόχειος ii Macc. vi, 1. 771, a 42. ix, 15. 776, b 52, 53.
ἀντίοχος ὁ εὐσεβὴς 1 Maccab. xvi, 18. 762, a 24. ἀντίοχοι ii Macc. ix, 1. 776, a 37.
ἀντιπαραβεβλημένοι Sirach. xxiii, 15. 656, a 29.
ἀντίστοιχα Eccleſ. vii, 15. 262, a 39.
ἀντιφερίζων πρὸς κρείσσονα Sirach. xxvii, 28. 667, a 34.
ἀντοφθαλμέω Sap. xii, 14. 601, b 27. ἀντοφθαλμεῖν ἡδοναῖς Sirach. xix, 5. 646, b 7.
ἄνυδροι τόποι Tob. viii, 3. 577, a 5.
ἀνυπαρξία Eſa. lxv, 23. 340, a 22. Ezech. xxviii, 19. 439, a 40.
ἀνυπεύθυνος 1 Reg. viii, 11. 122, a 42, 43.
ἀνυπονόητος Sirach. xi, 5. 630, b 35.
ἀνυψόω Sirach. iv, 12. 616, b 16. xiii, 28. 636, a 24. xxviii, 12. 668, a 41. ἀνυψοῦν καρδίαν Sirach. xvi, 23. 641, a 39. ἀνυψοῦν ἀπὸ γῆς ἱκετείαν Sirach. li, 13. 711, b 53.
ἀνώμοτος Sirach. xxiii, 14. 656, a 21.
ἀνώτατα Αἰγύπτου Tob. viii, 3. 577, a 2.
ἄνω χώρα ii Macc. ix, 23. 777, a 26.
ἄξια θαυμασμοῦ ii Macc. vii, 18. 773, b 9.
ἀξίως Sirach. xiv, 11. 637, a 44. xvi, 20. 640, b antep. ἀξίως ἀδικίας Sirach. xiv, 11. 637, a 45.
ἀοίκητος Pſalmo lxviii, 5. 233, b 24.
ἀορασία ii Macc. x, 30. 779, a 14.
ἀόρατος Sap. xii, 21. 601, b 60.
ἀπαγγέλλω Sirach. xlii, 19. 696, a 38.
ἀπάγχειν 1 Macc. i, 64. 726, b 16. ἀπάγξασθαι ii Reg. xvii, 23. 140, a 5. Tobiæ iii, 10. 574, b pen.
ἀπάγειν πρὸς τὸν πατέρα Tob. vii, 15. 576, b 43.
ἀπαγωγὴ Sirach. xxxviii, 20. 686, b 30.
ἀπαιδευσία Sirach. iv, 30. 617, b 39. xxiii, 17. 656, a 47.
ἀπαίδευτος 1 Reg. i, 16. 119, b 39. Sirach. vi, 21. 621, a 4. x, 3. 627, b 43. xx, 21. 650, a 30.
ἀπαίρω Oſeæ xi, 4. 499, b 1. Sirach. xlviii, 20. 707, b 52.
ἀπαιτηθεὶς χρέος Sap. xv, 8. 604, b 60.
ἀπαλλοτριοῦσθαι εἰς αἰσχύνην Oſeæ ix, 10. 496, b 56, 57.
ἀπαντᾶν Sirach. xl, 23. 691, b 55.
ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ, vel ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν iii Maccab. p. 790, a pen.
ἅπαξ ἅπαξ Pſalmo xxxvii, 38. 229, a 50.
ἀπαρτία Judith. ii, 8. 579, b 16.
ἀπαρτίζεσθαι Dan. xi, 16. 479, a 2, 3.
ἀπαρχὴ Levit. iii, 9. 61, a 55. Sirach. vii, 33, 34, 35. p. 624, a 45. xxxv, 10. 681, a 32.
ἀπαρχῆς Sirach. xxiv, 14. 658, a 37. Baruchi iii, 26. 716, b 34.
ἀπατᾶν Exodi xxii, 16. 53, b ult. Prov. xvi, 29. 252, a 51.
ἀπάτη Sirach. xli, 24. 694, a 42.
ἀπαύγασμα Sap. vii, 26. 597, a 39, 40.
ἀπαυδᾶν εἰσδέχεσθαι iii Maccab. p. 794, b 34, 36.
ἀπειθεῖν Eſa. lxv, 2. 338, b 19, 20. Sirach. xvi, 7. 639, b 57. xxx, 12. 671, b ult. Baruchi i, 17, 18. p. 714, a 34. ἀπειθεῖν φόβῳ Κυρίου Sirach. i, 36. 612, a 35. ἀπειθῶν Sirach. xli, 4. 692, b 56. ἀπειθοῦντες ἦμεθα Baruchi i, 19. 714, a 39, 40.
ἀπειλεῖν κόλασιν 1 Macc. i, 52. 726, a 2. ἀπειληθῆναι Judith. viii, 15. 582, b 3.
ἀπειλὴ Eſa. lxvi, 15. 341, b 23.
ἀπειπεῖν Sap. xi, 15. 600, b 29.
ἀπελλαῖος ii Macc. x, 5. 777, b 52.
ἀπεργάζεσθαι δούλους καὶ φίλους iii Macc. p. 793, b 23.
ἀπερείδω Ezech. xxiv, 2. 430, b 58.
ἀπερίσπαστος Sirach. xli, 2. 692, b 33. ἀπερίσπαστοι τῆς εὐεργεσίας Sap. xvi, 11. 605, b 55.
ἀπεχθεῖς ἐφαίνοντο iii Macc. p. 793, a 56.
ἀπεχθῶς προσδέχεσθαι Sap. xix, 14, 15. p. 609, b 16.
ἀπεψία Num. xi, 20. 74, b 32.
ἀπηλιώτης Jer. xlvi, 6. 387, b 32.
ἀπήμαντος μέχρι τέλους iii Macc. p. 798, a 16.
ἀπηνιάσθη Dan. iv, 16. 460, b 2.
ἀπιστεῖν Sap. x, 7. 599, b 40. Sirach. xli, 20. 693, b 59. ἀπιστοῦντες τὴν τοῦ Θεοῦ δίκην ii Macc. viii, 13. 774, b 40. ἀπιστούμενος Sap. xii, 17. 601, b 43.
ἀπιστία Sirach. xiii, 29. 636, a 32. xli, 20. 693, b pen.
ἄπλαστος Sap. x, 10. 599, b 48.
ἀπλανὴς Sirach. xvi, 28. 641, b 16. ἀπλανῆ Sap. vii, 19. 596, b 52.
ἀπληστία Sirach. xxxvii, 34. 685, a antep.
ἁπλότης 1 Macc. ii, 37. 728, a 9. *& verſ.* 60. p. 729, a 52. iii Macc. p. 794, a 39.
ἁπλοῦς Sap. x, 10. 599, b 48.
ἅπλωσις iii Macc. p. 799, a 48.
ἀπὸ Sirach. xxiv, 39. 659, b 44. ἀπὸ τοῦ δακτυλίου Tob. i, 24. 574, a 19. ἀπὸ τοῦ νῦν Sirach. xi, 25. 632, a 27. ἀπὸ πλημμελείας Sirach. xviii, 27. 645, b 3, 4. ἀπὸ προσώπου τῆς μαχαίρας Jer. xxv, 38. 371, a 24. ἀπὸ προσώπου τῆς δόξης Sirach. xxix, 34. 671, a 17. ἀπὸ προσώπου ὕβρεως Sirach. viii, 14. 625, b 43. ἀπὸ τῆς στρωμνῆς Judith. xiv, 14. 584, b ult. ἀπὸ τῆς χώρας iii Maccab. pag. 797, b 34. ἀπ' ἄκρων ἕως ἄκρων Jer. xxv, 33. 370, b 51. ἀπ' αἰῶνος χρήσιμον κτίσμα iii Macc. p. 796, a 38.
ἀπογινώσκειν Sirach. xiv, 2. 636, b 22. ἀπογινώσκειν τὰ καθ' ἑαυτὸν ii Macc. ix, 22. 777, a 22, 23.
ἀποδείκνυσθαι ὁλοσχερῆ πίστιν iii Macc. p. 797, a 24. ἀποδεδειγμένος & ἀποδεδειγμένη 1 Macc. x, 34. 746, b 46.
ἀπόδειξις 1 Macc. xii, 9. 753, a 55.
ἀποδίδωμι· ἀποδοῦναι εὐχὴν Sirach. xviii, 22. 645, a 28. ἀποδῴη & ἀποδώῃ Pſalmo cix. p. 240, b 25, 27.
ἀποδοχεῖον Sirach. i, 21. 611, b 16. ἀποδοχεῖον ὕδατος Sirach. l, 3. 709, b 18.
ἀποθαυμάζω Sirach. xl, 7. 690, b 54.
ἀποθήκη Deut. xxviii, 5. 100, b 13.
ἀποθησαυρίζω Sir[illegible], 4. 613, b 42.
ἀποκαθημένη Baruchi vi, 28. 719, a 52, 53.
ἀποκαλύπτω Sirach. xix, 8. 646, b 36.
ἀποκάλυψις λόγων κρυφίων Sirach. xlii, 1. 691, b 23.

ἀποκεί-

ἀποκατάστασις Jer. xlvi, 26. 388, b 3.
ἀποκείμενα Gen. xlix, 10. 26, b 51.
ἀπόκλεισμα Jer. xx, 2. 364, b 8.
ἀποκλείω I Macc. x, 75. 748, b 30.
ἀποκομίζεσθαι III Macc. p. 789, a 56.
ἀποκρίνεσθαι Prov. xv, 33. 251, b 41. Sirach. xxxiii, 4. 677, a 53. I Macc. ii, 17. 727, b 2. ἀποκρίνεσθαι βουλὴν καὶ γνώμην Dan. ii, 14. 455, b 1.
ἀποκρύσθαι ἐλπίδος I Macc. vi, 4. 736, b 8.
ἀποκρυπτόμενος Esa. xlv, 15. 317, a 1, 2.
ἀπόκρυφα μέρη Sirach. xxiii, 28. 657, a 27.
ἀπολείπειν III Macc. p. 790, b 5. ἀπολείπειν σύνεσιν Sirach. iii, 15. 614, a 32.
ἀπόλλυμαι Jer. viii, 13. 352, b 38. xlix, 1. 392, a 36, 37. ἀπολλύναι μόρῳ III Macc. p. 798, a 29. ἀπολλύειν τὴν φιλίαν Sirach. xxvii, 29. 767, a 47. ἀπόλλυσθαι τὸν αἰῶνα Baruchi iii, 3. 716, a 2. ἀπόλλυσθαι ὑπομονὴν Sirach. xvii, 20. 643, a 30. xli, 4. 692, b 57.
ἀπόλλων ἀγγέλους II Macc. x, 2. 777, b 22.
ἀπολύειν εἰς τὴν ἰδίαν ἀσχολίαν III Maccab. p. 797, a 41. ἀπολύεσθαι Tobiæ iii, 6. 574, b 43.
ἀπονοεῖσθαι II Macc. xiii, 23. 784, b 22.
ἀπόνοια Sirach. xxii, 16. 653, b 10. II Macc. vi, 29. 772, b 54.
ἀποξενόω II Macc. v, 9. 770, a 31.
ἀποπαρθενόω Sirach. xx, 2. 648, b 40.
ἀποπίπτειν ἐπιτηδευμάτων Judith. xi, 4. 583, b 56.
ἀποπνίγουσα τοὺς ἄνδρας Tobiæ iii, 8. 574, b 58.
ἀποπομπαῖος Levit. xvi, 8. 64, b 57.
ἀποπτερνίζειν Gen. xxv, 25. 18, a 20.
ἀπορρύμβοι τὰ ἴχνη Sirach. xxxvii, 19. 684, b 17.
ἀπόρροια τῆς τοῦ παντοκράτορος δόξης Sap. vii, 25. 597, a 36.
ἀποστῆναι τῷ Θεῷ Baruchi vi, 43. 720, a 37.
ἀποσκευὴ Judith. vii, 2. 581, a 59. I Macc. ix, 35. 743, a 51.
ἀπόσκοποι Oseæ vii, 16. 494, b 18.
ἀποσκορακίζειν Esa. lxvi, 15. 341, b 18.
ἀποσκορακισμὸς ibidem.
ἀποσοβεῖν Sirach. xxii, 25. 654, a 18.
ἀποστασία Esa. lix, 13. 332, a 26. I Macc. ii, 15. 727, a 51.
ἀποστάσιον Judic. v, 23. 110, b 56.
ἀπόστασις II Par. xxxiii, 19. 189, a 35.
ἀποστάτης Adj. Dan. iii, 32. 721, a 30. ἀποστάτης νόμων II Macc. v, 8. 770, a 23, 24.
ἀποστατῶν πραγματείας III Macc. p. 799, a 54.
ἀποστέλλω Gen. xlix, 10. 27, a 8, 14. Sap. ix, 10. 598, b 55. ἀπεσταλμένα Sap. xvi, 3. 605, b 28, 29, 30.
ἀποστερέω Sirach. iv, 1. 616, a 6. ἀποστερεῖσθαι Sirach. xxix, 10. 669, b 38, 39.
ἀποστολὴ Baruchi ii, 25. 715, a 57.
ἀποστρέφειν & ἀποστρέφεσθαι Sirach. xxiii, 5. 655, a 41, 42. xxix, 10. 669, b 41. Baruchi i, 8. 713, b 20. III Maccab. p. 793, a 54. ἀποστρέφειν ὀργὴν Sirach. i, 27. 611, b 56. ἀποστρέφειν τὰ θηρία III Macc. p. 798, b 1.
ἀποστροφὴ Prov. i, 32. 247, a 36. III Macc. p. 791, b 3. p. 793, a 53, 54.
ἀποσυνάγωγον ποιεῖν III Macc. p. 793, a 18.
ἀποτέμνειν ἀπὸ τῶν σαρκῶν αὐτοῦ Sirach. xxv, 35, 36. p. 663, b 17.
ἀποτίθημι Ezech. xxi, 10. 425, a 46.
ἀποτιννύω Sirach. xx, 12. 649, a 56.
ἀποτρίβειν ἐλεγμοὺς Sirach. xx, 31. 650, b pen.
ἀποτρόπαιον Dan. i, 7. 454, a 21.
ἀποτροπὴ φθόνου Baruchi vi, 69. 721, a 7.
ἀποτροπιασμὸς Levit. xvi, 8. 65, a 2, 3.
ἀποτυμπανίζεσθαι II Macc. vi, 19. 772, a 59. III Macc. p. 794, b 40.
ἀποφθεγματικὸν Sirach. iii, 31. 615, b 43, 44.
ἀποχέω Lament. iv, 21. 274, a 59.
ἄπρακτος Judith. xi, 8. 583, b ult.
ἀπραξία Sap. xvii, 13. 607, b 12.
ἀπρεπής Ezech. xxix, 2. 439, b 18.
ἀπροαίρετον Sirach. xix, 16. 647, a 33.
ἀπρονόητοι Ezech. xvi, 5. 416, b 28.
ἀπρονοήτως Sirach. v, 18. 619, b 13. III Macc. p. 790, b 14.
ἀπρόοπτος συμμαχία III Macc. p. 794, a 6, 7.
ἀπροσεξία Prov. i, 32. 247, a 38.
ἀπρόσκοπος & ἀπροσκόπητος Sirach. xxxii, 25. 676, b 49. III Macc. p. 793, b 45.
ἅπτειν φῶτα ἐπὶ τὰς λυχνίας II Macc. i, 8. 763, a 15.
ἀπφὼ IV Reg. ii, 14. 158, b 39.
ἀπφῦς I Macc. ii, 5. 727, a 22.
ἀπώλεια ἐγένου Ezech. xxviii, 19. 439, a 44.
ἀραβὰ & ἀρβαττία Jerem. xxxix, 4. 383, a 59. I Macc. v, 23. 734, b 12. ix, 2. 742, a 59.
ἄραδος I Macc. xv, 23. 760, b 3.
ἀραὶ Psalmo cix, p. 240, b 22. Jer. xi, 8. 356, a 31.
ἀράομαι Judic. xvii, 2. 115, b 52.
ἀράσκη IV Reg. xix, 37. 171, b 6.
ἀράχνη Psalmo xc, 9. 238, a 34. I Macc. xii, 7. 753, a 36.
ἀργαρεζὶν IV Reg. xxiii, 29. 174, a 16.
ἀργέω II Macc. xii, 38. 782, b 29.
ἀργύριον Tob. v, 24. 575, b 59, 60.
ἀργυρολόγητος II Macc. xi, 3. 779, b 23, 24.
ἀρεὶς Amosi iii, 12. 511, b 22.
ἀρεστὸν Judith. xii, 14. 584, a 60, 61.
ἀρεταὶ Esth. Addit. xiv, 10. 587, b 2, 3. ἀρεταὶ φυσικαὶ Malach. i, 3. 566, a 58.
ἀρέτας II Macc. v, 8. 770, 27.
ἀρετεύω Sap. vi, 26. 595, b 54.
ἄρη βασιλείων Jer. xlviii, 7. 389, b 5.
ἀρὴν γαλαθηνὸς Sirach. xlvi, 19. 704, a 12.
ἀρθρέμβολα ὄργανα II Macc. vii, 10. 773, a 40.
ἀριαράθης I Macc. xv, 22. 760, a 20.
ἀριθμὸς Psalmo cxxxix, 17. 245, b 8. Sirach. xlv, 13. 701, a 38.
ἄριμοι Gen. xxii, 21. 16, b 16.
ἀριστοκρατία I Macc. xii, 6. 752, b 49, 50.
ἄριστον Judith. xii, 14. 584, a 60.
ἀρκεύθος Oseæ xiv, 9. 504, a 9.
ἀρκοῦνται Sirach. xxix, 30. 670, b 34.
ἄρκος Sirach. xxv, 24, 25. 662, b 14.
ἀρμαγεδὼν IV Reg. xxiii, 29. 174, a 16.
ἁρμονία κτίσεως Sirach. xlii, 26. 696, b 26.
ἁρμόνιον ἅπασι Sirach. p. 610, a 50.
ἀρνούμενοι προσιδεῖν Sap. xvii, 9. 607, a 17.
ἀροτριάω Psalmo cxxix, 3. 243, b 3.
ἅρπαγμα ἐξ ἀδικίας Esa. lxi, 8. 334, b 10.
ἅρπαξ Malach. iii, 5. 570, b 3.
ἀρραβὼν I Macc. xii, 7. 753, a 38.
ἀρρώστημα βαρὺ Sirach. xxxi, 2. 673, a 29.
ἄρρωστος Malach. i, 8. 567, a 33.
ἀρσάκης I Macc. xiv, 2. 757, a 50. II Macc. ix, 1. 776, a 39.
ἀρσινόη III Maccab. p. 789, b 32. p. 790, a 21.
ἀρτάβη II Macc. iii, 3. 765, b 30.
ἄρτεμις I Macc. vi, 2. 736, a 36.
ἄρτος Levit. xxiv, 5. 70, a 37. Tob. i, 12. 573, b 17. Judith. x, 5. 583, b 17. Sirach. xlv, 26. 702, a 25. ἄρτος ἀγγέλων Sap. xvi, 20. 606, a 48. ἄρτος καθαρὸς Judith. x, 5. 583, b 18. ἄρτος προθέσεως Ezech. xli, 22. 451, b 22. ἄρτους ἐπὶ τὴν τράπεζαν ἐπιτιθέναι II Macc. i, 8. 763, a 19.
ἀρχαῖοι γίγαντες Baruchi iii, 26. 716, b 35.
ἀρχαῖα Sap. viii, 8. 598, a 8.
ἀρχέκακος γυνὴ Sirach. xxv, 33. 663, a 44.
ἄρχεσθαι ἐπί τινας Esth. Addit. xiv, 11. 587, b 9, 10.
ἀρχὴ & ἀρχαὶ Jos. viii, 33. 105, b 36. Jobi xl, 14. 219, a 3. Psalmo cx, 3. 241, a 17. cxxxix, 17. 245, b 7. Ezech. xxxix, 14. 450, a 51. Sirach. xi, 3. 630, b 10. xvi, 27. 641, b 3. xxix, 28. 670, b 18. xxxix, 31. 689, b 9. II Macc. iv, 10. 767, a 30. xiii, 3. 783, b 21. ἀρχὴ υἱῶν Ἀμμὼν Dan. xi, 41. 483, a 59. ἀρχῆς Baruchi iii, 26. 716, b 34.
ἀρχηγὸς τῆς ἀποικίας I Par. viii, 7. 177, b 7.
ἀρχιερεὺς I Macc. xiii, 42. 756, b 18. ἀρχιερεὺς μέγας ibid. lin. 16, 17. ἀρχιερεὺς προηγούμενος III Macc. p. 790, a 57. ἀρχιερεὺς τοῦ ὑψίστου Θεοῦ ibid. lin. 20. ἀρχιερεῖς III Macc. p. 750, a 59. p. 797, b 39, 40.
ἀρχισυνάγωγος Nehem. xi, 22. 197, a 10, 11.
ἄρχων & ἄρχοντες Levit. iv, 22. 61, b 31. Jobi xli, 16. 220, a 26. Esa. xl, 23. 309, a 52, 53. Oseæ iii, 4. 489, a 31. Esther. Addit. xvi, 3. 588, a 10. I Macc. i, 27. 725, a 4. xv, 1. 759, a 45. ἄρχων δυνάμεως I Macc. v, 56. 735, b 27. ἄρχων τῶν Ἰουδαίων Aggæi i, 1. 545, b 19, 20. ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου Psalmo cx, 6. 241, b 3, 4. ἄρχων τοῦ οἴκου Michææ vii, 5. 529, b 44. ἄρχοντες ἔθνους I Macc. xiv, 28. 758, a 29. ἄρχοντες καὶ ἡ πόλις I Macc. xiv, 20. 757, b 28, 29. ἄρχοντες τοῦ λαοῦ IV Reg. xi, 19. 165, a 14. II Macc. x, 21. 778, b 32. ἄρχοντες μισθοφόρων II Maccab. x, 14. 778, a 55. ἄρχοντες τῶν πόλεων Judith. vi, 11. 581, a 28. ἄρχοντες τῆς συναγωγῆς Jos. xxii, 30. 108, b 26.
ἀρώματα unde dicta, *Exodi* xxx, 1. 56, b 41.
ἀσαὴλ Zach. xiv, 5. 563, b 43.
ἀσαχερδὰν Tob. i, 24. 574, a 13.
ἀσέβεια Deut. xviii, 22. 94, a pen.
ἀσεβεῖν Psalmo xix, 14. 225, b 23. Sirach. vii, 40. 624, b 56.
ἀσεβὴς I Reg. i, 16. 119, b 37. Malach. iii, 5. 570, b 7. Sirach. vi, 21. 621, a 5. I Macc. i, 36. 725, a 52.
ἀσελγείαις ἀναπλησθῆναι III Maccab. p. 791, b ult.
ἄσημός τις III Macc. p. 790, a 10.
ἀσθένεια Psalmo xxxviii, 18. 229, b 9. Mich. iv, 6. 526, a 40.
ἀσθενεῖν IV Reg. xix, 26. 171, a 26. Dan. xi, 34. 481, b 58. I Macc. i, 27. 725, a 27.
ἀσιάρχαι II Macc. xii, 2. 781, a 21.
ἀσιδαῖοι Esa. lxv, 15. 339, b 15, 16. Michææ vii, 2. 529, b 9. I Macc. vii, 13. 739, a 47.
ἀσκοπυτίνη Judith. x, 5. 583, b 8.
ἀσπὶς Jos. viii, 18. 105, b 1. Esa. xi, 8. 284, a pen. I Macc. xii, 7. 753, a 45. ἀσπίδα λαμβάνειν Sirach. xxxvii, 5. 683, b 29. ἀσπίδες χρυσαῖ, χαλκαῖ I Macc. vi, 39. 737, b 60: 61.
ἀσπιδίσκη I Macc. iv, 57. 733, b 31.
ἀσσαρεδῶνος IV Reg. xix, 37. 171, b 14.
ἀσσαρημὼθ Jer. xxxi, 40. 377, a 54.
ἀσσοὺρ Ezech. xxxii, 30. 443, b 46.
ἀσσυρίων ὁδὸς Oseæ xiii, 7. 502, a 35.
ἀστάνδαι Esther. viii, 10. 202, a 26.
ἀσταρτεῖον I Reg. xxxi, 10. 130, b 37.
ἀστατεῖν Deut. xxviii, 66. 100, b 54. Esa. lix, 10. 332, a 2.
ἀστερισμὸς Sap. xiii, 2. 602, b 41.
ἀστοργεῖν Jobi xxxix, 15. 218, a 24.
ἄστοργος Sap. xiv, 24. 604, a 38.
ἀστρατεία Judic. xxi, 10. 117, b 9. I Reg. xi, 7. 123, b 38.
ἄσυλον τέμενος II Macc. iv, 33. 769, a 2.
ἄσυλος τόπος II Macc. iv, 33. 768, b 59.
ἀσύνετος Sirach. xxi, 18. 652, a 22.
ἀσυνήθεις III Macc. p. 790, b 49.
ἀσυνθεσία I Macc. xvi, 17. 762, a 18.
ἀσύνθετος Sap. xiv, 24. 604, a 38.
ἀσύμπακτος Jobi xxix, 25. 212, b 46.
ἀσυρὴς Sirach. xxiii, 17. 656, a 51.
ἀσφάλεια ἔννυχος III Macc. p. 796, a 30.
ἀσφαλίσασθαι τοὺς πολέμους I Macc. x, 11. 745, b 14.
ἀσφαλίζω Sap. iv, 17. 594, a 14.
ἀσφαλῶς Baruchi v, 7. 718, a 10.
ἀσχημοσύνη Levit. xviii, 6. 66, a 35, 36. Sirach. xxvi, 11. 664, b 3. ἀσχημοσύνην συγκαταλύειν Sirach. xxvi, 11. 664, a 60, 61.
ἀσχήμων Levit. xviii, 6. 66, a 37.
ἀσχολία Sirach. xl, 1. 690, a 30.
ἀσωτία II Macc. vi, 4. 771, b 2.
ἀτεργάτις I Maccab. v, 43. 735, a 43, 44. II Macc. xii, 26. 782, a 23.
ἄταφος II Macc. v, 10. 770, a 47.
ἀτεκνία Sap. iv, 1. 592, b 40.
ἄτεκνος Lev. xx, 20. 68, b 33. Deut. xxv, 5. 99, b 5.

INDEX

ἀτέλεια I Reg. xvii, 25. 126, a 17. I Macc. x, 34. 746, b 52.
ἀτελεῖς ὧραι Sap. x, 7. 599, b 29.
ἀτελέστων βεβαίως ὅρκοι III Macc. p. 797, b 10.
ἄτη Sirach. iv, 6. 616, a 41.
ἄτιμα τῶν ἐχθρῶν Sap. xii, 24. 602, a 23.
ἀτιμάζω Deut. xxvii, 16. 100, a 42. Sirach. x, 32. 630, a 29. xi, 6. 630, b 46, 47. xxii, 5. 653, a 9, 10.
ἀτίμητος III Macc. p. 794, b 1.
ἀτιμία Sirach. v, 15. 619, a 38, 39. xx, 28. 650, b 35. xxi, 27. 652, b 7. Baruchi vi, 25. 719, a 28. ἀτιμίαν κατατρίβειν Sirach. xxvi, 23. 665, a 59, 60.
ἀτμὶς Sap. vii, 25. 597, a 34. Sirach. xxiv, 21. 658, b 40.
ἀτμὸς Sirach. xxiv, 21. 658, b 40.
ἀτμώδης ἀναθυμίασις Sirach. xliii, 24. 697, b 57.
ἀτρύφερος Sirach. xxv, 28. 662, b 57. xl, 23. 692, a 3.
ἄττα I Macc. xii, 7. 753, a 30. ἄττα γέρον Sirach. xlii, 8. 695, a 29.
ἀττάλῳ I Macc. xv, 22. 760, a 18.
αὐαρὰν I Macc. ii, 5. 727, a 19, 20. vi, 43. 738, a 10.
αὔκιρος Eſa. xvii, 2. 288, a 28.
αὔτε I Macc. xii, 7. 753, a 41.
αὐθάδης Sirach. iii, 27. 615, a 60.
αὐθαδία Sirach. xxv, 34. 663, a 58.
αὐθαιρέτως παραβαίνειν III Macc. p. 799, b 35.
αὐθέντης Sap. xii, 5, 6. 601, a 47.
αὐθεντία προσυνεσταλμένη III Macc. p. 792, b 17.
αὐλαία vel αὔλιος θύρα Sirach. xxv, 34. 663, a 58. II Macc. xiv, 41. 786, b 51.
αὐλαρχία & αὐλάρχης II Reg. viii, 18. 134, b 13, 14, 17.
αὐλὴ Judith. i, 8. 579, a 31. Baruchi vi, 17. 718, b 46. II Macc. xiii, 15. 784, a 41. αὐλὴ ἐσωτέρα τῶν ἁγίων I Macc. ix, 54. 744, b 48.
αὐλίζεσθαι Sirach. xxiv, 11. 658, a 21. li, 31. 712, b 36.
αὐλὼν Judith. vii, 3. 581, b 2. αὐλῶνες III Macc. p. 798, a 48.
αὐξάνω Jobi xlii, 10. 220, b 44. Sirach. ii, 3. 612, b 42. αὐξανόμενα πάθη II Macc. ix, 5. 776, a 56.
αὐρὰν I Macc. ii, 5. 727, a 20. vi, 43. 738, a 11.
αὐρανίτης Ezech. xlvii, 16. 452, a 36, 37.
αὐσίτης Job. p. 203, a 12, 13.
αὐταρκεῖν Deut. xxxii, 10. 102, a 1.
αὐτάρκης Sirach. xl, 18. 691, b 16. αὐτάρκη Ibid. lin. 15.
αὐτόδικοι· αὐτόνομοι· αὐτοτελεῖς Dan. vii, 22. 468, a 20.
αὐτοδικία Eſdræ vii, 14. 192, b 3.
αὐτοκράτορες ἡγεμόνες Judic. i. p. 109, a 20.
αὐτονομία Eſdræ vii, 14. 192, b 2. Nehem. ix, 36. 196, a 49. Lament. ii, 9. 272, a 42. I Macc. ii, 37. 728, a 41, 42. vi, 59. 738, b 35.
αὐτὸς, αὐτοῦ, αὐτῶν Sirach. xlii, 16. 696, a 9. xlviii, 8. 707, a 11. & verſ. 24. p. 708, a 21. III Macc. p. 795, b 26: 29. αὐτὸς μαρτυρεῖ Sirach. p. 610, a 37.
αὐχμώδης Michææ iv, 8. 526, a 54.
ἀφαιρεῖν & ἀφαιρεῖσθαι Oſeæ xi, 4. 499, b 1. I Macc. viii, 30. 742, a 21. ἀφαιρεῖσθαι συμβίωσιν Sirach. xxxiv, 26. 680, a 59.
ἀφαίρεμα Num. xviii, 27. 77, a 1, 2. Deut. xviii, 4. 91, b 58, 59. Malach. iii, 8. 570, b 44. Sirach. vii, 33, 34, 35. p. 624, b 3. xxxv, 10. 681, a 36. I Macc. xv, 5. 759, a pen.
ἀφαίρεσις τόπων III Macc. p. 789, a 58.
ἀφανὴς Sirach. xx, 32. 651, a 5. ἀφανεῖς ἐγένοντο II Macc. iii, 34. 766, b 55.
ἀφανίζειν & ἀφανίζεσθαι IV Reg. ii, 1. 158, b 7. Dan. iv, 22. 460, b 33. Sap. iii, 16. 592, b 6. I Macc. i, 57. 726, a 44.
ἀφανισμὸς II Par. xxix, 8. 187, b 56. xxx, 7. 188, a 45. Sap. i, 14. 589, b 32. II Macc. v, 13. 770, b 3.
ἄφαντος ἐγένετο II Macc. iii, 34. 766, b 56.
ἀφαίρεμα I Macc. x, 30. 746, a 47. xi, 34. 750, b 6.
ἄφεσις I Macc. x, 34. 746, b 53. ἄφεσιν ποιεῖν Eſth. ii, 18. 199, a 36.
ἄφετε Judic. xi, 37. 114, a 41.
ἀφετέον μοι II Macc. xv, 39. 789, b 5.
ἀφηλιώτης Jer. xxv, 26. 370, b 4.
ἀφθαρσία Sap. vi, 19. 595, b 20.
ἄφθαρτον πνεῦμα Sap. xii, 1. 601, a 20, 21.
ἀφίημι II Reg. xix, 19. 141, a 15. I Macc. xi, 34. 750, b 26. xv, 5. 759, a pen. ἀφιέναι ἁμαρτίας Sirach. ii, 13. 613, a 26. ἀφιέναι ἀφέματα I Macc. x, 28. 745, b 47. xv, 5. 759, b 15.
ἀφιστάναι & ἀφίστασθαι Sirach. xxiii, 5. 655, a 40. xxvii, 25. 667, a 10. xxxix, 12, 13. p. 688, b 4. ἀφιστάναι ὕπνον Sirach. xlii, 9. 695, a 41. ἀφίστασθαι ἀπὸ καρδίας Judith. xiii, 25. 584, b 18.
ἄφλογος ἐσχάρα Sap. xvii, 15. 607, b 25.
ἄφοβος Sirach. v, 5. 618, b 13.
ἀφόμοιος Sirach. p. 610, b 47.
ἀφορίζω Gen. xlix, 10. 26, b 21. III Macc. p. 793, a 18.
ἀφόρισμα Levit. xxi, 12. 69, a 36.
ἀφορισμὸς Num. xii, 14. 75, a 39.
ἀφορολόγητος I Macc. xi, 28. 750, a 42, 43.
ἀφροδίτη Sirach. xlvii, 22, 23. p. 706, a 10. I Macc. v, 43. 735, a 48. ἀφροδίτη & ἀφρόδιτος Deut. xxii, 5. 97, a 33, 36. ἀφροδίτη λυσιμελὴς Sirach. xix, 4. 646, a 59. ἀφροδίτη Νικηφόρος II Maccab. viii, 23. 775, a 53.
ἀφροσύνη Deut. xxii, 21. 97, b 29. II Reg. xiii, 13. 136, b 21. Oſeæ ii, 10. 487, b 54. Sirach. xlvii, 22, 23. p. 706, a 11. ἀφροσύνη Sirach. iii, 22, 23. 614, b 42.
ἄφρων & ἄφρονες I Reg. i, 16. 119, b 37. II Reg. xiii, 13. 136, b 21. Sap. iii, 12. 592, a 15. Sirach. xvi, 23. 641, a 42.
ἄφωνος Sap. iv, 19. 594, a 23.
ἀχαΐδης Nahumi iii, 13. 534, b 42.
ἀχάλινα στόματα Sirach. xx, 20. 650, a 18.
ἄχαρις Sirach. xx, 21. 650, a 29. ἄχαρις χάρις Sirach. iv, 1. 616, a 13. ἀχάριστος Sirach. xxix, 22. 670, a 43, 44.
ἄχι Gen. xli, 2. 23, a 9, 22. Sirach. xl, 16. 691, a 58.
ἀχερδωνὸς Tobiæ i, 24. 574, a 13.
ἄχθος οἴκων Sirach. xx, 24. 650, a 52, 53.
ἀχιάχαρος Tobiæ ii, 15. 574, a 49. xi, 20. 577, b 23.
ἀχρειότης Tobiæ iv, 13. 575, a 60.
ἀχρειοῦσθαι Eccleſ. xii, 4. 266, b 20.
ἄχρηστος πάσῃ θνητῇ φύσει III Macc. p. 794, b pen.
ἄχρι Βεθώρων I Macc. iii, 16. 730, a 38.
ἄχυρον Eſa. xxx, 24. 302, a 20.
ἀψοδεῖν ἐν ἀγορᾷ Sirach. xli, 21. 694, a 12.
ἄωρος Jobi xxii, 16. 210, a 30.

B.

B pro ו Hebræo *Jer.* xlviii, 21. 390, a 25.
β pro מ Hebræo *Ezech.* xxvii, 18. 436, b 33.
βαὰλ τῇ δαμάλει Tobiæ i, 5. 573, a 39.
βαβανὰ Jer. xlviii, 23. 390, a 48.
βαβυλὼν I Macc. vi, 4. 736, b 13, 14.
βαβυλωνία I Macc. x, 37. 747, a 28.
βαθαΐς Jer. xlviii, 22. 390, a 35.
βάθος ἀβύσσου Sap. x, 19. 600, a 44. βάθος κοιλίας Sirach. li, 7. 711, b 26.
βαθύνειν εἰς κάθισιν Jer. xlix, 30. 393, b 21.
βαιθακὰθ IV Reg. x, 12. 163, b 40.
βαιθβασὶ I Macc. ix, 62. 744, b 17. & verſ. 64, b 34.
βαιθὴλ I Macc. ix, 50. 744, a 10.
βαιθοσάμεσθα Judith. iv, 5. 580, a 57.
βαιθοσεμὼς ibid. lin. 54.
βαιθσὰν I Macc. v, 52. 735, b 13.
βαιθσούρα, Βίθσουρα & Βιθσοῦρα I Macc. iv, 29. 732, a 60. & verſ. 61. p. 733, b 60, ſeqq.
βαιθωρὼν I Macc. vii, 39. 740, a 10.
βαίνω· βεβηκότες ἐφ' ᾅδῃ III Macc. p. 798, b 48.
βαῒς I Macc. xiii, 37. 756, a 25.
βαιτύλια Gen. xxviii, 19. 19, a 7.
βακήνωρ II Macc. xii, 35. 782, b 2.
βάκχος II Reg. v, 23. 132, b pen.
βάλανος πίνθυς N. Pr. Gen. xi, 1. 10, b 61, 62.
βάλας I Macc. x, 1. 745, a 45.
βάλλειν ῥίζας Oſeæ xiv, 6. 503, b 28. βάλλειν χῶμα Habac. i, 10. 536, b 41.
βαλτάσαρ Dan. v, 1. 462, a 9.
βάπτω· βαφήσεται Dan. iv, 22. 460, b 31.
βαρβαροῦσθαι II Macc. v, 22. 770, b 56.
βάρβαρος Ezech. xxi, 31. 427, a 40. III Macc. p. 794, b 23.
βαρέα λαλεῖν III Macc. p. 798, a 4.
βαρυκάρδιος Pſalmo iv, 3. 222, a 28.
βαρύνειν & βαρύνεσθαι Sirach. viii, 18. 626, a 25, 26. xxi, 27. 652, b 6. βαρύνεσθαι ὑπὲρ μόλυβδον Sirach. xxii, 17. 653, b 17, 18.
βαρὺ III Macc. p. 799, a 7. βαρύτεροι Sap. xvii, 20. 607, b 46.
βασανίζω Sap. xi, 10. 600, b 18. xii, 23. 602, a 14. II Macc. ii, 30. 765, a 31.
βασανιστήριον Jer. xx, 2. 364, b 9. II Macc. vi, 19. 772, a 52.
βάσανος Sap. iii, 1. 591, b 17. I Macc. i, 65, 66. p. 726, b 34. βάσανος αἰώνιος, ἀναπόληπτος II Macc. vi, 26. 772, b 45, ſeqq.
βασιλεία Dan. v, 31. 463, b 10. II Macc. vii, 16. 773, a 60. βασιλεία αἰώνιος I Macc. ii, 54. 729, a 20.
βασίλειος ποταμὸς Gen. ii, 13. 3, a 59, 60.
βασίλειον ἱεράτευμα Exodi xix, 4. 33, a 60.
βασιλεὺς Ezech. xii, 10. 414, a 34, 35. Sap. vi, 26. 595, b 52. βασιλεὺς βασιλέων Exodi xx, 1. 35, a 3, 4.
βασιλεύω Geneſ. xix, 19. 15, a 23. Sirach. xxii, 4. 652, b 57. xxxiii, 26. 678, b 12. xxxvi, 26. 683, a 49, 50. xlvi, 2. 703, a 6.
βασίλισσα βασιλέως Jer. xl, 14. 384, a 27.
βάσις ἄνυδρος II Macc. i, 19. 763, b 51, 52.
βάσις τοῦ λεὼ Sap. vi, 26. 595, b 52.
βάσκα & Βασκαμὰ I Maccab. xiii, 23. 755, b 16.
βασκαίνω Sap. iv, 12. 593, b 35.
βασκανία φαυλότητος ibid. lin. 31, 32.
βασκάνιον Baruchi xiii, 69. 721, a 4, 5.
βάσκανος Sirach. xiv, 3. 636, b 35.
βάτος Eſa. v, 2. 277, b 21.
βαφὴ Sirach. xxxi, 31. 674, b 42.
βδέλυγμα & βδελύγματα Exodi viii, 26. 30, a 25. Deut. xxiv, 4. 98, b 33. Eſa. xliv, 19. 315, a 46. Oſeæ ix, 10. 497, a 1. Sirach. x, 15. 629, a 2. xiii, 24. 635, b 52. xv, 13. 639, a 16. xvii, 23. 643, a 48. I Macc. i, 57. 726, a 34, ſeqq. βδέλυγμα ἐρημώσεως I Maccab. i, 57. 726, a 31, 32. βδέλυγμα ἠφανισμένων Dan. xi, 31. 481, a 58, 59. I Macc. i, 57. 726, a 33.
βδελυρὸν Sirach. xxiii, 17. 656, a 53.
βδελύσσεσθαι Sirach. xx, 8. 649, a 12. III Macc. p. 793, a 12. p. 794, b 3.
βεβαία εὔνοια III Macc. p. 799, b 21, 22.
βεβαιοῦσθαι ἀρχὴν I Macc. vii, 21. 739, b 12, 13.
βεβηλῶσαι σάββατα καὶ ἑορτὰς Dan. vii, 25. 468, a 53. βεβηλοῦσθαι Sirach. xlii, 10. 695, b 3.
βεβηλωμένη Lev. xxi, 1. 68, b 45, 46.
βεβήλωσις III Macc. p. 791, b 30.
βεδὲκ IV Reg. xii, 8. 165, b 8, 14.
βεελεὶμ Ezech. xxvii, 4. 435, a 1.
βεελσεμὼ Dan. xi, 38. 482, b 36.
βέθηλα I Macc. ix, 50. 744, a 11.
βεθηρὰ ibid. lin. 12.
βεθσὰν I Macc. v, 52. 735, b 11. II Macc. xii, 29. 782, a 39.
βεθσούρα & Βέθσουρα Vide βαιθσούρα.
βεθωρὰ, Βέθωρα, Βεθωρὸν, Βεθωρὼν Judith. iv, 3. 580, a 44. I Macc. iii, 16. 730, a 38. vii, 39. 740, a 10, 11, 15.
βεθζαχαρία, ſeu, ut in Joſepho, Βεθζαχαρεία I Macc. vi, 32. 737, a 44.

βιλμὰρ & Βιλμαὶμ Iudith. IV, 3. 580, a 45. VII, 3. 581, b 4, 5. VIII, 3. 582, a 20.
βελομαντία Deuter. XVIII, 10. 93, b 58. Ezech. XXI, 21. 425, b 52.
βέλος Ioel. II, 8. 506, a 10.
βελόστασις Ezech. XXI, 22. 426, a 56. 1 Macc. VI, 20. 737, a 13. 1 Macc. VI, 51. 738, a 44.
βέλτιον χρυσίου Sirach. XXX, 15. 672, a 24.
βέρεθρον Sap. XVII, 13. 607, b 8.
βετάνη Iudith. I, 9. 579, a 38.
βετημεσθαὶμ & βετομασθαὶμ vel potius βετομεσθαὶμ & βαιτομασθαὶμ Iudith. IV, 5. 580, a 52. XV, 5. 585, a 22, 23, 26.
βετυλούα aut βετυλύα Iudith. XV, 2. 585, a 14, 15.
βηζαιθ, βηθζαιθ & βηθζηθὼ 1 Macc. VII, 19. 739, a 59, 60. IX, 4. 742, b 6.
βηθαλαγὰ 1 Macc. IX, 62. 744, b 18.
βῆλος II Macc. VI, 2. 771, a 58.
βῆλτις Ier. VII, 18. 351, b 28. XLIV, 17. 386, a ult.
βῆμα Sirach. XIX, 27. 648, a 57. 1 Macc. X, 62. 748, a 32.
βηρύλλιον Ezech. XXVIII, 13. 438, b 23.
βιάζειν ῥοῦν ποταμοῦ Sirach. IV, 31. 617, b 45.
βίαιος μόρος Dan. V, 30. 463, b 7. βίαιοι Gen. VI, 4. 8, b 29.
βιβλίον ἑλισσόμενον Eſa. XXXIV, 4. 305, b 41, 42.
βιβλιοφόρος Eſther. III, 13. 200, a 33.
βίβλος ἱερὰ 1 Macc. I, 59. 726, a 52. βίβλοι λόγων Tobiæ p. 573, a 12.
βίη Ἡρακλῆος Sirach. XLVII, 5. 704, b 40.
βιθὴρ 1 Macc. IX, 50. 744, a 11, 12.
βίοι ἀλλότριοι Sirach. XIX, 8. 646, b 34.
βίον ἐν εἰρήνῃ διάγειν 1 Macc. XVI, 10. 761, b 41, 42.
βίος Sirach. XXXI, 4. 673, a 48. βίος πτωχοῦ Sirach. XXXVIII, 20. 686, b 35, 36.
βλασφημεῖν Dan. VII, 25. 468, a 46. Zachar. XII, 10. 561, b 29.
βλασφημία Dan. XI, 36. 482, a 35, 38. 1 Macc. II, 6. 727, a 26.
βλάσφημος Dan. XI, 36. 482, a 40. Sirach. III, 18. 614, a 57.
βλέπων εἰς τράπεζαν Sirach. XL, 30. 692, a 57.
βλοσυρὰ Cantici VI, 3. 269, b 1.
βοείῳ ποδὶ Ezech. I, 7. 401, b 26.
βοήθημα πρὸς τὸ ῥῖγος III Reg. I, 2. 143, a 18.
βόησις Pſalmo XXII, 2. 226, a 41.
βολαὶ ἡλίου κατεσπείραντο III Macc. p. 796, b 54.
βομβέω Baruchi II, 29. 715, b 26.
βόμβησις Ibid. lin. 24.
βορρᾶς Ier. XLVI, 6. 387, b 31.
βοσὸρ, Βοσόρρα, Βόσορα Eſa. XXXIV, 6. 306, a 3. LXIII, 1. 335, b 7. Ier. XLVIII, 24. 390, a 53. 1 Macc. V, 26. 734, b 32, 33.
βότρυς Michææ VII, 1. 529, b 4.
βουγαθὰν Eſther. VII, 9. 201, b 38, 39.
βουγαῖος Eſth. Addit. XII, 1. 587, a 11.
βουλεύομαι Sap. IV, 17. 594, a 10, 11. 1 Macc. XII, 35. 754, a 50.
βουλευτήριον 1 Macc. VIII, 15. 741, a 55.
βουλευτικὸν Sirach. XVII, 5. 642, a 37.
βουλὴ Michææ IV, 9. 526, b 11. Sirach. XXI, 16. 652, a 7. XXXIII, 8. 677, b 7. 1 Macc. VIII, 15. 741, a 55. XIV, 22. 757, b 40, 41.
βουλὴ κενὴ 1 Macc. IX, 68. 744, b 55, 56.
βούλομαι 1 Macc. XV, 27. 760, b 40.
βουνὸς Gen. XXXI, 46. 20, a 48. II Reg. VI, 4. 133, a 21.
βοῶπις IV Reg. IX, 30. 163, a 60.
βραδύνω Sirach. XXXV, 22. 681, b 44.
βραχιάλιον Iudith. X, 3. 583, a 62, 63.
βραχίων Sirach. VII, 33, 34, 35. p. 624, a 45. βραχίονες πεπηγμένοι Ezech. XXX, 22. 441, a 57, 58.
βρέτας Exodi XX, 4. 39, a 56.
βρόγχος Sirach. VI, 5. 620, a 1.
βρόμος Sap. XI, 19. 600, b 51, ſeqq.
βρομώδης Ibid. lin. 54, 55.
βροῦχος Ioel. I, 4. 504, a 51.
βρυγμὸς Sirach. LI, 4. 711, b 15.
βρύχημα Pſalmo XXII, 2. 226, a 39.
βύρσαι 1 Macc. V, 26. 734, b 26.
βύσσος Eſa. III, 23. 276, b 13. 1 Macc. I, 23. 724, b 46.
βωμὸς, βωμοὶ Ezech. XX, 29. 424, a 27. 1 Macc. I, 62. 726, b 9. βωμὸς χρυσοῦς 1 Macc. I, 23. 724, b 27.

Γ.

Γ pro Hebræo ע Ier. XLIX, 3. 392, a 42. Ezech. XXVII, 22. 437, a 17. 1 Macc. IX, 62. 744, b 21.
γαβαᾶ Iudith. III, 14. 580, a 34.
γαβαθὰ 1 Macc. IX, 36. 743, a pen.
γάδαρα 1 Macc. IV, 15. 732, a 10. XIII, 54. 757, a 29. XV, 39. 761, a 29.
γαδδὶς vel Γαδδὶς 1 Macc. II, 2. 727, a 9, 10.
γάζα 1 Macc. XII, 7. 753, a 40.
γάζα ἡ ἔρημος 1 Macc. XIII, 43. 756, b 31.
γάζαρα, Γαζαρὰ, Γάζηρα 1 Macc. IX, 52. 744, a 38, 39. XIII, 54. 757, a 28. XIV, 34. 758, a 44.
γαζὶ Amoſi VII, 1. 515, a pen.
γαζαρηνοὶ Dan. II, 27. 455, b 48.
γαζοφόροι Dan. III, 2. 457, b 54.
γαζοφυλάκιον 1 Macc. XIV, 49. 759, a 22. II Macc. III, 6. 766, a 1, 2.
γαζοφύλαξ II Macc. III, 7. 766, a 10.
γαὶ Ioſ. VIII, 12. 105, a 59.
γαῖα Ier. XLIX, 3. 392, a 42.
γαισὸς Ioſ. VIII, 18. 105 b 4. Ier. VI, 23. 350, b 16.
γαλιλαία 1 Macc. X, 30. 746, a 35.
γαλιμὲ Ezech. XXVII, 24. 437, a 47.
γάμος Tobiæ XI, 21. 577, b 32.
γαστρὸς ἕνεκεν III Macc. p. 799, b 48.
γεβουλίμ Ezech. XXVII, 4. 435, a 2.
γεγενημένα τὰ διὰ λόγων III Macc. p. 799, b 32.
γεγυμνωμένη ἀνδρὸς Sirach. XXVI, 12. 664, b 17.
γέγονε βασιλεὺς Adj. Dan. XIV, 27. 723, b 14.
γέδδαρα, Γέδωρ, Γεδδὼρ 1 Macc. XV, 39. 761, a 23, ſeqq. XVI, 9. 761, b 25.
γελὼδ Iudith. I, 6. 579, a 24.
γέλως, nomen proprium, *Gen.* XXI, 3. 16, a 11.
γενεὰ Ier. L, 39. 396, a 16. Sap. III, 19. 592, b 32. Sirach. XXXIII, 15. 677, b pen. Baruchi VI, 2. 718, a 34. γενεὰ πονηρὰ καὶ μοιχαλὶς Eſa. LVII, 3. 327, b ult. γενεαὶ Sirach. IV, 17. 616, b 49.
γενεαλογέω II Paralip. XII, 15. 183, a 6.
γενεαλογία Ibid. lin. 3.
γένεσις Sap. I, 14. 589, b 23. III, 13. 592, a 23. γενέσεως ἐναλλαγὴ Deut. XXII, 5. 97, a 24. Sap. XIV, 26. 604, a 45. γενέσεις καρπῶν Sap. XVI, 26. 606, b 4. γενέσεις κόσμου Sap. I, 14. 589, b 23.
γενέσθαι ἐφ' ἓν 1 Macc. X, 38. 747, a 44, 45.
γενναῖος Sirach. XLVII, 26, 27, 28. p. 706, a 44. II Macc. XII, 2. 781, a 13.
γεννᾶν Levit. XVIII, 11. 66, a 51. Ezech. XVI, 3. 416, b 2.
γέννημα Sirach. I, 21. 611, b 16. III, 1. 613, b 29. VI, 20. 621, a 1. XXIV, 26. 659, a 20. γεννήματα γῆς ἀδίκου Sap. XVI, 19. 606, a 43.
γεννήσαρ 1 Macc. XI, 67. 752, a 44
γένοιτο, γένοιτο Iudith. XIII, 26. 584, b 21.
γεραίρεσθαι III Macc. p. 796, b 14.
γέρας Sirach. XXXVIII, 16. 686, a 33. γέρας σιγῆς ἀκίνδυνον Sirach. XIX, 28. 648, b 19.
γέροντες II Macc. VI, 1. 771, a 46.
γεροντογωγεῖν Sirach. XXXIV, 20. 680, a 22.
γερουσία 1 Maccab. XII, 6. 752, b 42, 43. II Macc. IV, 44. 769, a 41. γερουσία τοῦ ἔθνους 1 Macc. XII, 6. 752, b 42. γερουσία τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ Iudith. XV, 9. 585, a 42.
γεσὲμ Iudith. I, 9. 579, a 33.
γεῦμα τὴν αὐτὴν καλεῖ II Macc. XIII, 18. 784, a 55, 56.
γεῦσις Sap. XVI, 20. 606, a 51.
γεωδαῖται Ioſ. XVIII, 4. 108, a 6.
γεωμετρεῖν Sap. XI, 21. 600, b pen.
γεώργιον Sirach. XXVII, 7. 666, a 26.
γῆ Oſeæ VIII, 1. 494, b 38. Sap. I, 14. 589, b 34. 1 Macc. V, 68. 736, a 3. γῆ ἄδικος Sap. XVI, 19. 606, a 43. γῆ ἀλλοφύλων 1 Macc. IV, 22. 732, a 38. V, 68. 736, a 2. γῆ ἁλμυρὰ Sirach. XXXIX, 29. 689, a 51. γῆ ἀπέραντος καὶ ἀμέτρητος III Macc. p. 791, a 53. γῆ καὶ ὕδωρ Iudith. II, 5. 579, b 4.
γηγενὴς & γηγενεῖς Deut. II, 11. 83, b 16. Sap. VII, 1. 596, a 1.
γήδιον II Macc. XII, 1. 780, b 53.
γηραιοὶ III Macc. p. 791, a 11.
γηροκόμος II Macc. XV, 12. 787, b 58.
γίβλιοι Ezech. XXVII, 9. 435, a pen.
γίγαντες Deut. II, 11. 83, b 16. Sirach. XVI, 8. 639, b pen. III Macc. p. 791, a 41.
γιγαντώδης ψυχὴ Sirach. XXIII, 5. 655, a 40.
γίνεσθαι κατὰ πρόσωπον 1 Macc. VII, 46. 740, a 55.
γινώσκειν Eſa. XL, 13. 308, b 54, 57. Ierem. II, 16. 344, b 16. γινώσκειν ἀσφαλῶς III Macc. p. 799, b 16.
γλαῦξ Sirach. XL, 2. 690, a 58.
γλυκαίνειν & γλυκαίνεσθαι Sirach. XXVII, 26. 667, a 13. XLIX, 2. 708, a 54.
γλύμμα σφραγῖδος Exodi XXVIII, 11. 56, a 7.
γλυπτὴρ σιδήρεος Ier. XXXVI, 23. 381, a 54.
γλυπτὸν Exodi XX, 4. 39, a 4. Deut. XII, 3. 86, b 51. Oſeæ XIII, 2. 501, b 34.
γλύφιον Iobi XIX, 24. 208, b 41.
γλύφομαι Sap. VII, 2. 596, a 5.
γλῶσσα εὔλαλος, εὔχαρις Sirach. VI, 5. 620, a 7, 8. γλῶσσα παιδείας Eſa. L, 4. 321, a antepen. γλῶσσα τρίτη Sirach. XXVIII, 16. 668, b 10. γλῶσσα φιλοκέρτομος 1 Macc. XIII, 17. 755, a 49.
γλωχὶν πλατέως σιδήρου Ier. XXXVI, 23. 381, a 47.
γνήσιος ἀδελφὸς Sirach. VII, 20. 623, a 45.
γνώμη Sirach. p. 610, a 59.
γνωμολόγος Sirach. XXX, 21. 672, b 10. XXXI, 5. 673, b 1.
γνῶσις Eccleſ. VIII, 6. 263, a 39. Sirach. XXXIII, 8. 677, b 6. γνῶσις νόμου Sirach. XV, 1. 638, a 58. γνῶσις παντοκρατορείας Sirach. XIX, 18. 647, b 1.
γοερὸν φθέγμα 1 Macc. IX, 41. 743, b 19.
γοθολία IV Reg. XI, 1. 164, a 12.
γοὶδ Exodi XVI, 31. 32, b 43.
γοιράθα Ier. XLVIII, 24. 390, a 51.
γομὸρ Oſeæ III, 2. 489, a 10.
γομόῤῥα Ier. XLIX, 3. 392, a 43.
γομφιάζω Sirach. XXX, 10. 671, b 42.
γομφίασις Ibid. lin. 44.
γομφιασμὸς Ibidem.
γομφόω Ier. X, 4. 355, a 2.
γονεῖς Tobiæ X, 13. 577, b 4.
γόρτυνα 1 Macc. XV, 23. 760, b 3.
γράμματα μνημόσυνα τῶν ἡμερῶν Eſth. VI, 1. 201, a 34.
γραμματεία Pſalmo LXXI, 15. 235, a 21, 22. Sirach. XLIV, 4. 699, a 6, 7.
γραμματεὺς & γραμματεῖς Deut. I, 16. 83, a 19. Ioſ. VIII, 33. 105, b 33. Sirach. X, 5. 627, b 59. II Macc. VI, 18. 772, a 46.
γραμματεισαγωγεῖς τοῖς κριταῖς Deut. I, 16. 83, a 18.
γραμματικὴ Dan. I, 17. 454, b 19, 20.
γραμματοφόροι ἐκ διαδοχῆς Eſth. III, 13. 200, a 34, 35. VIII, 10. 202, a 27, 28.
γραφὴ κεκολαμμένη Sirach. XLV, 13. 701, a 37, 38.
γράφεσθαι ἐν δέλτοις Ier. L, 20. 395, a 24. Malach. III, 16. 571, a 60, 61.
γρυπὸς Eſa. XLVI, 11. 318, a 24.
γωγαία Ezech. XXXVIII, 2. 448, a 43.
γώγω [illegible] Ezech. XXXVIII, 2. 448, b 1.
γυμναζόμενοι II Macc. IV, 14. 767, b 13.
γυμνάσιον II Macc. IV, 12. 767, a 52.
γυμνασίαρχοι & γυμνασιαρχεῖν II Macc. IV, 14. 767, b 12. & verſ. 15. b 28, 29.
γυμνοῦν μηρὸν Iudith. IX, 2. 583, a 5. γυμνασαμένη Iudith. IX, 1. 582, b 47, 48.
[illegible] πήχεως Sirach. XI, 3. 630, b 6, 7.
γυνὴ ἀλλοτρία Tob. IV, 13. 575, a 5. γυνὴ ἄμωμος Sirach. XL, 19. 691, b 33. γυνὴ μισθία Sirach. XXVI, 23. 665, a 55. γυνὴ

παρθενίας Sirach. xv, 2. 638, b 2. γυνὴ ὕπανδρος Sirach. xli, 27. 694, a antepen.
γυναῖκες ἀνδρείας Sirach. . . . . .
γυπαιτὸς Jobi xxxix, 30. 218, b 9.
γῶν Sirach. xlviii, 19. 707, b 43.

Δ.

Δ pro ז Jer. xlviii, 32. 390, b 58.
δ pro צ Jer. xlviii, 21. 390, a 27, 28.
δαγῶνος ναὸς I Macc. x, 83. 749, a 26, 27.
δᾳδουχία II Macc. iv, 22. 768, a 35.
δᾳδουχουμένης πόλεως ibid. lin. 36.
δαὴρ Tob. vi, 12. 576, a 35.
δάθεμα I Macc. v, 9. 734, a 58.
δαίμονες Exodi xx, 1. 34, b pen.
δαιμόνιον πνεῦμα πονηρὸν Tobiæ vi, 8. 576, a 21, 22. δαιμόνια ἐγκαθεζόμενα I Reg. xvi, 14. 125, b 23. δαιμόνια τραγόμορφα Esa. xiii, 21. 285, b 14. δαιμονίων παροχὴ I Reg. xvi, 14. 125, b 22.
δάκνω Sirach. xxi, 2. 651, a 32.
δακρυχέων Sap. vii, 3. 596, a 41.
δακτύλιος Ezech. xxviii, 12. 438, a 46, 47.
δάκτυλος ἐκτεταμένος Esa. lviii, 9. 330, b 20, 21.
δάμαλις παροιστρῶσα Oseæ iv, 16. 490, b ult.
δαμάλεις χρυσαῖ III Reg. xii, 28. 151, a 9.
δάμαρ Sirach. xlii, 11. 695, b 23.
δὰν Ezech. xxvii, 19. 436, b 45.
δανείζειν Sirach. viii, 15. 625, b 58. xx, 16. 649, b 32. xxix, 1. 669, a 35. δεδανεισμένος τὸ πνεῦμα Sap. xv, 8. 604, b 60, 61.
δαπάνημα II Macc. xi, 31. 780, a 54.
δαπανωμένης τῆς θυσίας II Macc. i, 23. 763, b 54, 55.
δασὺς IV Reg. i, 8. 158, a 26.
δάφνη II Macc. iv, 33. 769, a 4.
δαψιλεῖ χειρὶ I Macc. iii, 30. 730, b 22.
δὲ II Macc. v, 14. 770, b 8.
δεῖρα & Δειρᾶ Dan. iii, 1. 457, b 15.
δέησις Psalmo xxii, 2. 226, a 42. Sirach. iv, 6. 616, a 36.
δεῖ Psalmo xxxii, 9. 228, a 7. ἔδει ibid.
δείκηλον Exodi xx, 4. 39, a 56.
δεικνύειν τι τῆς δόξης Sirach. xlv, 3. 700, b 20.
δειλιάω vel δειλιάζω Psalmo xxxi, 23. 227, b 35. Sirach. xxii, 19. 653, b 36, 38.
δεινὰ δρᾶν· δεινὰ πάσχειν Sirach. xli, 13. 693, b 1.
δεκάδες Baruchi vi, 2. 718, a 40.
δεκάκις Gen. xxxi, 7. 20, a 8.
δεκάτη I Macc. x, 31. 746, b 1.
δέκατός που γενηθεὶς II Macc. v, 27. 771, a 21.
δεκάτη ὥρα III Macc. p. 796, a 52.
δεκτοὶ Sirach. ii, 5. 613, a 6.
Δέλα Jer. xlviii, 22. 390, a 38.
δέλφικα I Macc. xi, 58. 751, b 34.
δενδροφόροι III Macc. p. 792, b 13.
δεξιὰ Psalmo xc, 12. 238, b 2, 3. II Macc. xi, 30. 780, a 48.
δέομαι III Macc. p. 791, b 6.
δερκετὶς & Δερκετῶ I Macc. v, 43. 735, a 44. II Macc. xii, 26. 782, a 23.
δέρρις Psalmo civ, 2. 239, b antepen.
δέσις ξύλων Habac. ii, 11. 538, b 21. Sirach. xxii, 19. 653, b 31.
δέσμιοι σκότους Sap. xvii, 2. 606, b 34, 35.
δεσμοὶ vel δεσμὰ Sirach. vi, 31. 621, a 51. xiii, 15. 653, b 4.
δεσπόζων ἰσχύος Sap. xii, 17. 601, b 48.
δεσπότης III Macc. p. 798, a 7.
δευτερόω Sirach. xxxvi, 6. 682, a 50.
δευτεροδεκάτη Deut. xiv, 22. 87, b 56.
δευτεροῦν Ibid. & cap. l, 23. 710, b 45.
δευτεροῦν λόγον Sirach. xix, 7. 646, b 26.
δευτέρωσις Sirach. xlii, 1. 694, b 18.
δέχεσθαι ἀσμένως Sirach. ii, 4. 612, b 47. δέχεσθαι ἐν εὐδοκίᾳ Sirach. xxxv, 20. 681, b 29, 30.
δέω Tob. viii, 3. 577, a 7.
δὴ Sirach. xlii, 15. 695, b 53.
δῆλα· δῆλα ἀληθείας· δῆλα καὶ ἀλήθεια· δήλωσις Exodi xxviii, 30. 56, a 24. Oseæ iii, 4. 489, a 45. Sirach. xxxiii, 3. 677, a 32, seqq. xlv, 12. 701, a 14, seqq.
δημαγωγὸς Eccles. ix, 17. 264, b 55.
δημητρίῳ τῷ βασιλεῖ I Macc. xv, 22. 760, a 14, 15.
δημοβόροι Zachar. xi, 3. 558, b 43.
δημοκρατία μετ' ἀριστοκρατίας I Macc. iv, 59. 733, b 40, 41. xii, 6. 752, b 49, 50.
δημοσίᾳ I Macc. i, 64. 726, b 22. δημόσιαι III Macc. p. 795, a 41. δημόσια γράμματα I Macc. xiii, 42. 756, b 12.
δῆνα Jer. xlviii, 18. 350, a 11.
δι' ἀσέβειαν Michææ i, 5. 522, a pen. δι' ἀντάμειψιν Psalmo cxix, 33. 242, a 62, 63. δι' αὐτὸ Sirach. xlvii, 14. 705, a 54. δι' ὃ I Macc. ix, 41. 743, b 16.
διὰ πλειόνων II Macc. xii, 25. 782, a 13. διὰ πορείαν Tob. viii, 9. 577, a 12. διὰ πραγμάτων Baruchi vi, 42. 720, a 15. διὰ πυρὸς III Macc. p. 792, a ult. διὰ τοῦτο Sirach. xxxi, 15. 674, a 5. xliii, 15. 697, a 59. διὰ τὸν τρόπον τοῦτον II Macc. viii, 36. 776, a 28.
διαβαίνω I Macc. v, 41. 735, a 36. διαβαίνειν τὸν Ἰορδάνην I Macc. ix, 48. 743, b 59, 60.
διαβάλλεσθαι πρὸς τὸ πλῆθος I Macc. xiii, 17. 755, a 51.
διαβολὴ Sirach. xix, 15. 647, a 20, 21. xxvi, 6. 663, b 59. xxviii, 11. 668, a 32. I Macc. i, 38. 725, b 1. διαβολὴ γλώσσης ἀδίκου Sirach. li, 7. 711, b 29, 30.
διάβολος Sirach. xi, 31. 632, b 25. & vers. 32, b 37. διάβολος πονηρὸς I Macc. i, 38. 725, a 61, 62.
διαβούλιον Sap. i, 9. 589, a 61, 62. Sirach. xvii, 5. 642, a 36.
διάγειν II Par. xxviii, 3. 187, b 2, I Macc. xvi, 10. 761, b 42. διάγειν σκέλη Ezech. xvi, 24, 25. p. 418, a 3.
διαδεχόμενος II Macc. iv, 29. 768, b 28. & vers. 31, b 49. ix, 23. 777, a 29.
διάδημα κάλλους Sap. v, 17. 594, b 57, 58.
διαδιδόναι ὀσμὴν Sirach. xxxix, 18. 688, b 38.
διαδοχὴ Gen. iv, 12. 7, b 10.
διάδοχος II Paral. xxviii, 7. 187, b 9, 10. II Macc. iv, 29. 768, b 27. διάδοχοι Dan. xi, 5. 476, b 9.
διάθεσις βελτίστη III Macc. p. 794, b 28.
διαθήκη & διαθῆκαι Ezech. xxx, 5. 440, b 59. Sap. xviii, 22. 608, b 30. Sirach. xiv, 18. 637, b 20, 22. xvi, 22. 641, a 22. xlv, 21. 701, b 51. διαθήκη ἁγία Dan. vii, 25. 468, a 58. xi, 28. 480, b 27, 28. διαθήκη αἰῶνος & ἀπ' αἰῶνος Sirach. xiv, 18. 637, b 20. xvii, 10. 642, b 11, 12. διαθήκη τοῦ Δαβὶδ Sirach. xlv, 31. 702, b 23. διαθήκη κρίματος Sirach. xvi, 22. 641, a 26. xlv, 21. 701, b 52, 53. διαθήκη ὑψίστου Sirach. xxviii, 9. 668, a 15.
διαιρεῖ τραύματα Sirach. xxvii, 28. 667, a 37.
διεῖλε τὰ ὑπάρχοντα Judith. xvi, 28. 586, a 16.
διελὼν εἰς τρία τὸν στρατὸν I Macc. v, 33. 735, a 10.
διαιτηθῆναι Judith. viii, 15. 582, b 4.
διακείμενος γνησίως III Macc. p. 794, b 9.
διακεκοσμημένος II Macc. iii, 25. 766, b 12, 13.
διακενῆς Sirach. xx, 25. 650, b 8.
διακινέω III Macc. p. 796, b 46.
διακονία I Macc. xi, 58. 751, b 20.
διακελεύω Sirach. li, 25. 712, a 59. II Macc. ii, 29. 765, a 10, 11.
διακρίνω Num. xv, 39. 75, b 59, 60. Sirach. i, 36. 612, a 42.
διακύπτω II Macc. iii, 19. 766, a 53.
διαλέγεσθαι ἐν συνέσει Sirach. xiv, 22. 637, b 60.
διαλεκτικὴ Sap. viii, 8. 598, a 16, 17.
διαλλάττω Sap. xix, 17. 609, b 40.
διαλογισμὸς Sirach. xiii, 32. 636, a antep. I Macc. ii, 63. 729, b 20.
διαμασσῶμαι Sirach. xxxi, 19. 674, a 32.
διάμετρος Jer. lii, 21. 400, b 7.
διαμονὴ τῶν ψυχῶν Sap. i, 14. 589, b 20.
διάνοια Sirach. xvi, 20. 640, b antep. xvii, 5. 642, a 42. xxxi, 19. 674, a 28. διανοοῦμαι ποιῆσαι Sirach. li, 24. 712, a 50. διανοούμενος ἐν νόμῳ Sirach. xxxviii, 39. 688, a 3.
διανόημα μωρὸν Sirach. xxii, 21. 653, b 59.
διάνοια συνέσεως Sirach. xxii, 20. 653, b 47.
διανοῖξαι σύνεσιν αὐτοῖς Oseæ ii, 15. 488, a 36.
διαπαντὸς Psalmo cxix, 33. 242, a 58, 59. Sirach. xxiv, 30. 659, a 39. xxvii, 12. 666, a 57.
διαπειλεῖσθαι σκληρότερον III Maccab. p. 799, b 12.
διαπερᾶν I Macc. v, 41. 735, a 35.
διαπλαστικὴ II Macc. vii, 22. 773, b 17.
διαρκεῖσθαι ἀσελγείαις III Macc. p. 791, b ult.
διαρπαγὴ II Par. xiv, 14. 183, b 5.
διαρπάζειν τὴν πόλιν I Macc. i, 33. 725, a 30.
διαρρήγνυμι Jer. ii, 20. 344, b 39, 40.
διαρρυθμίζειν II Macc. vii, 22. 773, b 28.
διαρτάω Num. xxiii, 19. 78, b 48.
διασαφέομαι II Macc. ii, 9. 764, a 44.
διασκεδάζειν & διασκεδάζεσθαι Sap. iii, 3. 591, b 30. I Macc. vi, 59. 738, b 41, 42. III Macc. p. 797, a 13.
διασπᾶν φάλαγγα I Macc. ix, 15. 742, b 54.
διασπείρω Tob. xiii, 4. 578, a 18, 19.
διασπορὰ III Macc. p. 797, b 35.
διάσταλσις II Macc. xiv, 28. 786, a 52.
διάστασις συνωνήσεων καὶ τροφῶν III Macc. p. 793, b 13.
διαστέλλων ἅγια ἀπὸ βεβήλων Sirach. xviii, 1. 643, b 57, 58. διεσταλμένα· II Macc. xiv, 28. 786, a 51.
διαστολὴ Num. xix, 2. 77, a 19, 20. I Macc. viii, 8. 741, a 18, 20.
διαστρέφειν & διαστρέφεσθαι III Reg. xviii, 17. 154, a 29. Judith. v, 9. 580, b 30, 31. Sirach. xix, 23. 647, b 44. διεστραμμένα Psalm. cxxv, 5. 243, a 23, 24.
διασώζεσθαι Sirach. xlvi, 10. 703, b 2.
διαπήσσομαι· διαπεπηγμένοι III Macc. p. 790, b pen.
διαπλεῖν ἐν οἰκείοις ἤθεσι Sap. xvi, 19. 588, b 34.
διάτομος Sirach. xliii, 8. 697, a 17.
διατρέπω Sirach. xxvi, 13. 664, b 20.
διαφανῆ Λακωνικὰ Esa. iii, 23. 276, b 7, 8.
διαφέρεσθαι Sap. xviii, 2. 607, b 53.
διαφέροντες εὐνοίᾳ III Macc. p. 798, b 29, 30.
διαφθείρεσθαι ὑπὸ τρυφῆς III Macc. p. 792, a 21, 22.
διαφθορὰ IV Reg. xi, 6. 164, b 2. Psalmo xvi, 10. 224, b 27. Jonæ ii, 7. 520, b 44. διαφθορὰ παγίδος Psalmo xxxv, 7. 228, b 3. διαφθορὰ ἐθῶν III Macc. p. 793, b 18, 20.
διάφορον Sirach. vii, 20. 623, a 35, 36. xiv, 3. 636, b 29. xxxi, 5. 673, a pen. II Macc. i, 35. 764, a 11. iii, 6. 766, a 5. iv, 28, 768, b 23.
διαφυλάττω Sirach. xli, 20. 693, b 54.
διαφωνέω Exodi xxiv, 11. 55, a 2, seqq. Judith. x, 13. 583, b 24.
διαχύω Sap. ii, 3. 590, a 38. iii, 3. 591, b 30.
διαχωρίζεσθαι Sirach. xii, 9. 633, b 26, 27.
διαψεύδεσθαι λογισμοῦ III Macc. p. 796, a 48.
διαψεύδεσθαι ὑποσχέσεως I Macc. xi, 53. 751, a 59.
δίβαφος Cantici vii, 5. 269, b 54.
δίγλωσσος Sirach. v, 11. 618, b 58. & vers. 17. p. 619, a pen.
διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ Psalmo xxxvii, 21. 229, a 21. Sap. xii, 24. 602, a 24. Sirach. xlii, 11. 695, b 30. διδακτοὶ Πνεύματος ἁγίου Psalm. xxxvii, 21. 229, a 21.
δίδακτρον Michææ i, vii. 522, b 43.
διδάσκω Esa. lxv, 2. 338, b 16. Sirach. xlv, 6. 700, b 39.
δίδραχμον IV Reg. xii, 4. 165, a 47.
διδόναι δεξιὰς Jer. l, 15. 394, b 23. διδόναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τινι Sirach. ix, 2. 626, b 18, 19.
διδόναι ὑποχειρίους Baruchi ii, 4. 714, b 18.
δῶν Sirach. xlv, 31. 702, b 25.

διέξοδος ὑδάτων Sirach. L, 8. 709, b ult.
διεσπαρμένως Sirach. IV, 18. 616, b 58.
διηγέομαι Sirach. XXII, 9. 653, a 30. XLIII, 26. 698, a 18. διηγούμενος Sirach. XXV, 12. 661, b 46.
διήγησις Sirach. XXII, 6. 653, a 12. XXVII, 12. 666, a 56, 58.
δικαιολογίαν ποιεῖσθαι II Macc. IV, 44. 769, a 37.
δίκαιος Exodi XX, 17. 51, a 13. δίκαιον Ibid. lin. 27. δίκαιον πᾶσι λυσιτελέστατον III Macc. p. 793, b 20, 21.
δικαιοσύναι Sirach. XLIV, 10. 699, a 48.
δικαιοῦν & δικαιοῦσθαι Esa. XLV, 26. 317, b 12. LIII, 11. 324, b 32. Esther. Addit. X, 12. 586, b 31. Sap. VI, 11. 595, b 4. Sirach. I, 28. 611, b ult. XXXI, 10. 673, b 38. δικαιῶν κρίσιν Sirach. XIX, 23. 647, b 53, 54.
δικαιώματα I Macc. I, 14. 724, a 35. δικαιώματα τοῦ βασιλέως I Reg. X, 25. 123, b 12.
δικασία Prov. XVIII, 19. 253, a 46.
δικαστὴς Deut. XVII, 9. 89, b 20. XVII, 9. 90, a 33, seqq. Judic. I. p. 109, a 18.
δίκη Sap. I, 8. 589, a 53. δίκης φάος II Macc. IX, 13. 776, b 42. δίκης χάριν σοφὰ φάρμακα Aggæi II, 8. 546, b 54.
δικλίδες I Macc. IX, 41. 743, b 16.
διοδεύω Sap. V, 7. 594, b 9.
δῖος II Macc. XI, 21. 780, a 4.
διπλοΐδες Baruchi V, 2. 717, b 48.
δὶς ἐπιδεσμεύειν Sirach. VII, 8. 622, b 12, 13.
δισεξάδελφος Tobiæ VII, 2. 576, b 4.
δίσκου πρόσκλησις II Macc. IV, 14. 767, b 22.
διστάζειν Sirach. I, 36, 612, a 41.
δίστομος ῥομφαία Sirach. XXI, 4. 651, a 38, 39.
διπλογραφία Sirach. XX, 24. 650, a 56.
δίφραγες II Macc. XIV, 21. 786, a 5, 6.
δίφρος Sirach. XXXVIII, 38. 687, b 40. II Macc. XIV, 21. 786, a 4, seqq.
διφροφόροι II Macc. XIV, 21. 786, a 8, 9.
διχομηνία Sirach. XXXIX, 16. 688, b 22.
διχοστατεῖν Sirach. XXV, 2. 660, b 30.
διωγμὸς III Macc. p. 799, a 60, 61.
διώκειν Esa. LXVI, 15. 341, b 19. Sirach. XXX, 20. 672, b 2. I Macc. VI, 4. 736, b 9.
διώκειν διάφορον Sirach. XXXI, 5. 673, a 62.
διώκειν τὴν εὔκλειαν I Macc. II, 64. 729, b 25.
διώκτης II Macc. XIII, 21. 784, b 12.
διώρυξ Ezech. XXX, 12. 441, a 10. Sirach. XXIV, 41. 659, b 53, 54.
δοκεῖν κυβερνᾶν Adj. Dan. XIII, 5. 722, a 30.
δοκησίσοφος Prov. III, 7. 247, b 13, 14.
δοκιμάζω Dan. I, 12. 254, a ult. Sirach. XXXI, 31. 674, b 41.
δοκιμώτατοι I Macc. I, 65, 66. p. 726, b 31.
δόμα Lev. VII, 16. 62, b 10. Sirach. XXXVIII, 2. 685, b 16.
δόξα Esa. XL, 6. 308, b 17. Sirach. V, 15. 619, a 38. VIII, 17. 626, a 20. XIV, 27. 638, a 49. XLV, 31. 702, b 27. δόξα ἐν ὑψίστοις Θεοῦ Ezech. III, 12. 404, b 1. δόξα ἱματισμοῦ Esa. III, 18. 276, a 26, 27. δόξα προσώπου Exodi XXXIV, 29. 58, b 52. Sirach. XXXV, 15. 681, b 4. δόξαν ἔχειν παρά τινι I Macc. III, 32. 730, b 27.
δοξάζειν & δοξάζεσθαι Exodi XXXIV, 29. 58, b 46. Sirach. III, 4. 613, b 42. XLVI, 14, 15. 703, b 43. L, 5. 709, b 43. δοξάζειν αὐτὸν II Macc. IV, 24. 768, a 45, 46.
δοξολογία Esa. LVI, 5. 327, a 32, 34. Sap. XVIII, 9. 608, a 25. Sirach. p. 610, b 22. XLII, 15. 695, b 54, 55.
δορὰν κεφαλῆς ἀποσύρειν II Maccab. VII, 7. 773, a 29, 30.
δόρυ IV Reg. XI, 10. 164, b 21. δόρυ κέντρου Sirach. XXXVIII, 25, 26. p. 687, a 23.
δορυάλωτος III Macc. p. 790, a 35.
δορύκτητοι Sirach. XXXIII, 31. 678, b 54.
Δορυμένης I Macc. III, 38. 730, b 44, 45.
δόσις Sirach. I, 10. 611, a 41. IV, 3. 616, a 26. XX, 10. 649, a 27. δόσις καὶ λῆψις Sirach. XLI, 24. 694, a 44.
δουλεία Judith. III, 14. 580, a 24, 27. VIII, 3. 582, a 18.
δουλόω Sirach. XLI, 10. 693, a 45.
δούμαθα Gen. XXV, 13. 17, b 51.
Δοῦρα Dan. III, 1. 457, b 21.
δοχαὶ ἐπιτάφιοι Tob. IV, 18. 575, b 10.
δράκες λιβανωτοῦ δαψιλεῖς III Macc. p. 796, a 10.
δράκων Jobi XL, 20. 219, a 42.
δράσσεσθαι Jobi V, 13. 204, a 33.
δρέπανον πετόμενον Zach. V, 1. 551, b 14, 15.
δρομὰς κούφη Jer. II, 23. 345, a 25.
δρόμον ἄπαυστον συνίστασθαι III Macc. p. 791, a 4.
δροσίζειν (δροσίσας) κάμινον III Macc. p. 798, a 12.
δρόσος Oseæ XIV, 6. 503, b 21.
δρῦς Ὑψηλή, N. P. Gen. XI, 1. 10, b antep.
δρυὸς πεσούσης Esa. IX, 12. 282, a 46.
δρύφακτος λίθινος I Macc. IX, 54. 744, a 54.
δυνάμενος δυνήσεται I Macc. V, 40. 735, a 27.
δύναμις & δυνάμεις Num. X, 15. 74, a 39. Deut. VIII, 18. 86, a 10. Psalm. LXXXIV, 8. 237, a 53, 54. Sirach. XVII, 31. 643, b 38. LI, 23. 712, a 47. I Macc. II, 37. 728, a 22. IV, 61. 733, b 54. X, 36. 747, a 7, 8. III Macc. p. 798, a 44. δύναμις βαρεῖα III Macc. p. 799, a 9. δύναμις ἰδία Sap. XIX, 19. 609, b 59. δύναμις πολέμων· δύναμις πόλεων I Macc. X, 71. 748, b 12, 13. δύναμις πολλὴ I Macc. I, 18. 724, b 9. δυνάμει Sap. VII, 27. 597, a ult. δύναμιν ἔχειν ἐπὶ σωτηρίᾳ III Macc. p. 798, a 39. δύναμιν καθιστάναι I Macc. IX, 51. 744, a 30. δυνάμεις ἔνοπλοι III Macc. p. 798, b 1, 2.
δυναστεύειν τινὰ Sirach. V, 3. 618, a 50.
δυνάστης, δυνάσται Jobi XXXIV, 19. 214, b 49. Esa. XXXII, 5. 303, b 6. Ezech. XXXI, 12. 441, b 50. Sirach. X, 27. 629, b 20. XLVI, 8. 703, a 49. I Macc. IV, 30. 732, a ult.
δυνάστης Ἀράβων I Macc. XI, 17. 749, b 56.
δυνατὸς I Reg. XVII, 4. 125, b 50. IV Reg. XI, 19. 165, a 14. II Par. XXXV, 3. 189, b 10. I Macc. IX, 11. 742, b 39. δυνατὸς τοῖς ἔργοις Jer. XXXII, 19. 378, a 34. δυνατοὶ θεοὶ Gen. VI, 4. 8, b 41, 42.
δύο I Macc. XII, 7. 753, a 40. δύο φύσεις ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ Malach. I, 3. 566, b 2.
δυσάλωτος Sirach. XXI, 14, 15. p. 651, b 57.
δυσδιάθετος Sirach. XLII, 9. 695, a 46.
δυσδιήγητος Sap. XVII, 1. 606, b 32.
δυσεντερία I Reg. V, 6. 121, a 47. II Par. XXI, 15. 186, a 4.
δυσεντερικὰ πάθη Sirach. XXXI, 23. 674, a antep.
δυσθυμία Sirach XXX, 25. 672, b 32.
δυσκλεῶς θανούμενος I Macc. III, 59. 731, b 16.
δυσπολιόρκητος II Macc. XII, 21. 782, a 1.
δυσσέβημα II Macc. XII, 3. 781, a 27.
δυστοκέω Jer. XLVIII, 41. 391, b 16.
δυσφημίας συνίστασθαι III Macc. p. 792, a 25.
δυσωπία Sirach. XX, 24. 650, a 49.
Δωθαείμ Judith. VIII, 3. 582, a 15.
Δὼκ I Macc. XVI, 15. 762, a 4.
δῶμα Jer. XIX, 13. 364, a 40. δώματα ἐρήμου Malach. I, 3. 566, b 35.
Δωρᾶ I Macc. XV, 25. 760, b 32.
δῶρα Sirach. I, 21. 611, b 24.
δωρεαὶ ἀπροσδόκητοι I Macc. III, 30. 730, b 14.
δωρεὰν Psalmo XXXV, 7. 228, b 2. Sirach. XX, 25. 650, b 7. XXIX, 8. 669, b 27.
δωρήματα Sirach. XXXIV, 21. 680, a 39.
Δωριεῖς I Macc. XII, 7. 753, a 22.
δωροδέκτης Jobi XV, 34. 207, a antep.
δωροδοκία Sirach. XL, 12. 691, a 29.
δωροκοπεῖν & δωροκοπεῖσθαι Sirach. XXXV, 14. 681, a 55, 57. III Macc. p. 795, b 58.
δωρολήπτης Sirach. XXXV, 14. 681, a 60.
δωροφόροι Levit. XXII, 10. 69, b 3.
δώσων & δώσοντες Prov. III, 28. 247, b 45. Sirach. XXV, 4. 660, b 59.

E.

Ἐὰν ἰσχύσῃ Sirach. XXIX, 7. 669, b 17.
ἑαυτὸν τιμωρούμενος Jobi XV, 20. 207, a 3.
ἑβδομὰς Jer. XXVIII, 1. 372, b 48. II Macc. XII, 38. 782, b 24, seqq. XV, 4. 787, a 54.
ἑβδομάδων ἡμέρα sive ἑορτὴ Judith. VIII, 6. 582, a 30, 31. II Macc. XII, 31. 782, a 47.
ἕβδομον ἱερὸν ἦμαρ Exodi XX, 8. 45, a 20, 21.
Ἐγγαδὶ Sirach. XXIV, 18. 658, b 8.
ἐγγαστρίμυθος Lev. XIX, 31. 68, a 56. I Reg. XXVIII, 7. 129, b 19, 20.
ἐγγίζεσθαι Θεῷ Judith. VIII, 23. 582, b 15.
ἐγγυᾶν & ἐγγυᾶσθαι Sirach. VIII, 16. 626, a 4. XXIX, 19. 670, a 25.
ἔγγυος Sirach. XXIX, 22. 670, a 39.
ἐγένετο εἰς ποταμὸν Sirach. XXIV, 43. 660, a 15.
ἐγείρειν προφητείας Sirach. XXXVI, 17. 682, b 48, 49. ἐγείρεσθαι Ezech. II, 1. 403, b 22. ἐγερθήσῃ Ezech. XXXVIII, 14. 449, b 1.
ἐγκαίνια Ezech. XXXIX, 13. 450, a 47. Dan. III, 2. 458, a 6. I Macc. IV, 36. 732, b 27. & vers. 50. p. 733, a 53. II Macc. X, 8. 778, a 15.
ἐγκαινισμὸς Dan. VIII, 14. 470, b 54. & vers. 19 p. 471, a 32.
ἐγκαλέομαι· ἐγκληθεὶς II Macc. V, 8. 770, a 8.
ἔγκατα Jobi XXI, 24. 209, b 49.
ἐγκαταλείπω Esa. LXVI, 15. 341, b 26, 27. Sirach. XXIX, 22. 670, a 44.
ἐγκελευστικὸν Nehem. IV, 20. 194, b 20.
ἐγκεντρίζεσθαι Sap. XVI, 11. 605, b 58.
ἔγκλημα βασιλείας Dan. VI, 4. 463, b 59.
ἐγκλητὸς λαοῦ Sirach. XLII, 11. 695, b 29.
ἐγκρατεύεσθαι γλώσσῃ Sirach. XIX, 5. 646, b 11.
ἐγκρατὴς Sap. VIII, 21. 598, b 9. Sirach. XV, 1. 638, a 60. XXVII, 33. 667, b 20.
ἐγκρίδες Exodi XVI, 31. 32, b 44, 45.
ἐγρήγορος Dan. IV, 10. 460, a 21. & vers. 32. p. 461, a 60.
ἐγχειρίδιον Jer. VI, 23. 350, b 17.
ἐγχρίζω Jer. IV, 30. 348, b 8.
ἐδαφίζω II Macc. XIV, 33. 786, a pen.
ἔδαφος Sirach. XX, 20. 650, a 10.
ἔδνα Tobiæ VII, 2. 576, a pen. I Macc. XII, 7. 753, a 46.
ἕδρα I Reg. V, 6. 121, a 44.
ἡδρασμένη καρδία Sirach. XXII, 20. 653, b 46.
ἔδω· ἐδήδοκα Sap. II, 9. 590, b 54.
ἐθελοκωφέω Sirach. XIX, 24, 25. p. 648, a 15, 16.
ἔθη πάτρια I Macc. I, 65, 66. 726, b 32.
ἐθίζω Sirach. XXIII, 17. 656, a 45, 48.
ἐθισμὸς Sirach. XXIII, 18, 19. p. 656, a ult.
ἐθνάρχης Aggæi I, 1. 545, b 19. I Macc. XIII, 42. 756, b 25. XV, 1. 759, a 43.
ἐθναρχία II Macc. II, 17. 764, b 20.
ἔθνος ἁμαρτωλὸν Tobiæ XIII, 7. 578, a 25.
ἔθνη Gen. XXI, 13. 16, a 20. II Macc. XV, 8. 787, b 12. ἔθνη κυκλόθεν I Macc. V, 1. 734, a 11, 12.
εἰ Sap. XVI, 9. 607, a 12.
εἰ δὲ μὴ Sirach. XXIX, 8. 669, b 23. I Macc. XV, 30. 760, b 52.
εἰδέναι· ἤδει Sirach. XLII, 19. 696, a 39. εἰδότες Jer. XLVIII, 17. 389, b ult.
εἰδέχθεια Sap. XVI, 3. 605, b 30.
εἶδος σπιλωθὲν Sap. XV, 4. 604, b 49.
εἴδω· ἰδεῖν Psalmo XVI, 10. 224, b 27.
εἰδωλεῖον I Macc. X, 83. 749, a 25. II Macc. XII, 26. 782, a 32.
εἴδωλον Exodi XX, 4. 39, a 21, 27. b 1, seqq. Jer. II, 5. 344, a 13. Oseæ IX, 10. 496, b ult. XIII, 2. 501, b 33. I Macc. I, 57. 726, a 39.
εἰδωλόθυτα Esa. LXVI, 17. 342, a 3. Jer. II, 23. 345, a 15, 16. Zachar. IX, 7. 555, b 3. Esther. Addit. XIV, 17. 587, b 32.
εἰδωλολατρεία III Macc. p. 792, b 14. κεκρυμμένη Exodi XX, 3. 38, b 17.
εἰθισμένοι πειθαρχεῖν I Maccab. VI, 30. 737, a 38, 39.
Εἰθώβαλος III Reg. XVI, 31. 153, a 37.
εἰκάζω Sap. XIX, 17. 609, b 50.
εἰκότα III Reg. III, 24. 145, b 42.
εἰκὼν Sap. XVII, 20. 607, b 43. εἰκὼν Θεοῦ

Sap. VII, 26. 597, a 45, 46. εἰκὼν ἐν σωτηρίᾳ 1 Macc. XV, 6. 759, b 24, 25.
εἴλημα Psalmo XL, 9. 230, a 23.
εἵματα ἐξημοιβά IV Reg. V, 5. 160, a 40. Esa. III. 22. 276, a 54.
εἰμί· εἶ 1 Macc. XIII, 8. 755, a 22. εἴη II Macc. XI, 28. 780, a 32. εἰ ᾗ ματί τινος Esa. LVIII, 11. 330, b 41.
εἶπεν· εἶπας Baruchi II, 21. 715, a 13. III Macc. p. 798, a 42.
εἰσάγειν εἰσόδῳ III Macc. p. 794, a 12.
εἰρεσιώνη Levit. XXIII, 40. 70, a 31.
εἰρηνεύειν Sirach. XXVIII, 15. 668, b 5, 6. XLI, 1. 692, b 31. XLIV, 6. 699, a 22.
εἰρήνη Sirach. I, 21. 611, b 24. XIII, 22. 635, b 49.
εἴραμος III Reg. V, 1. 146, b 8.
εἴρων Prov. XIII, 7. 250, a 37.
εἰρωνεία II Macc. XIII, 3. 783, b 16.
εἰς ἄβατον Baruchi II, 4. 714, b 25. εἰς ἀγαθὰ Sirach. II, 9. 613, a 14. εἰς αἰῶνα χρόνου Baruchi III, 32. 716, b 53. εἰς αἰῶνας καὶ ἔτι Dan. XII, 3. 484, b 13, 14. εἰς ἀμπελουργοὺς καὶ γεωργοὺς Jer. LII, 16. 400, a 37. εἰς ἀπώλειαν ψυχῶν Sirach. XLI, 12. 693, a 52. εἰς ἀρὰν Baruchi III, 8. 716, a 21. εἰς γενεὰν αὐτῆς Sophon. III, 9. 544, a 31. εἰς γενεὰς αὐτῶν Sirach. XLV, 31. 702, b 27, 28. εἰς γενεὰς γενεῶν Sirach. XVI, 27. 641, b 7. εἰς ἑαυτὸν Sirach. XXXVII, 9. 683, b 57. εἰς εἰκῆ Exodi XX, 7. 44, a 5. εἰς εἰρήνην Sirach. I, 21. 611, b 24. εἰς ἐρήμωσιν Baruchi II, 22, 23. p. 715, a 45. εἰς καιρὸν αὐτῆς Sirach. XLIII, 6. 696, b 62, 63. εἰς καιροὺς Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 25. εἰς καλλονὴν Sirach. IV, 28. 617, b 23. εἰς κατακυριεύειν Sirach. XVII, 4. 642, a 14, 15. εἰς κατάραν Esa. LXV, 23. 340, a 17. εἰς κόρακας Jerem. XXIII, 10. 368, a 32. εἰς μαρτύριον Jobi XIX, 24. 208, b 39. εἰς μέσον νεφελῶν Ezech. XXXI, 3. 441, b 20. εἰς μηχανὴν ἐκφυγῆς III Macc. p. 795, b 59. εἰς μνημόσυνον Sirach. XLV, 13. 701, a 37. εἰς ὀνειδισμὸν Baruchi II, 4. 714, b 24. III, 8. 716, a 21. εἰς ὄφλησιν Baruchi III, 8. 716, a 21, 22. εἰς παράδειγμα Nahumi III, 6. 534, a 37, 38. εἰς παρεμβολὰς Judith. XVI, 4. 585, b 18. εἰς περιποίησιν Malach. III, 17. 571, b 4. εἰς πολεμίων τρυφὴν Sirach. XXVI, 23. 665, a 61. εἰς σκέπην Sirach. XLIII, 6. 696, b pen. εἰς συντέλειαν Sirach. XXIII, 3. 655, a 20. εἰς σωτηρίαν Sirach. XIII, 18. 635, b 19. εἰς τὰ ἴδια Sirach. XLII, 10. 695, b 8. εἰς τέλος Esa. XIII, 20. 285, b 6. εἰς τὸν αἰώνιον τόπον Tob. III, 6. 574, b 41. εἰς χρόνον πολὺν Esa. XXXIV, 10. 306, a 32. εἰς ὕψος Judith. XVI, 9. 585, b 24, 25. εἰς ὥρας 1 Reg. XXV, 6. 128, b 1.
εἰσάγειν πόδα Prov. XXV, 17. 256, a 20.
εἰσαγωγὴ Zach. I, 7. 548, a 39.
εἰσδέχεσθαι Sap. XIX, 14, 15. p. 609, b 17.
εἰσέρχεσθαι καὶ ἐκπορεύεσθαι Dan. II, 30. 480, b 53.
ἐκ δεξιῶν δυνάμεως Sap. V, 24. 595, a 16. ἐκ δευτέρας Tobiæ I, 24. 574, a 16. ἐκ λόγου ψευδοῦς Sirach. LI, 7. 711, b 29. ἐκ μέρους τῆς γῆς καὶ ἕως μέρους τῆς γῆς Jer. XXV, 33. 370, b 50. ἐκ μέσου πονηρίας Sap. IV, 14. 593, b 53. ἐκ πάνυ ἀρχαίου 1 Macc. II, 42. 728, b 9. ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων Esa. XLIII, 5, 6. p. 313, a 35, 36. ἐκ χειρὸς ἀδικοῦντος Sirach. IV, 9. 616, a 55.
ἑκατέρα τάξις II Macc. VIII, 22. 775, a 26.
ἑκάτη Τελοδίτης II Macc. X, 2. 777, b 23.
ἐκβάλλειν 1 Macc. XI, 66. 752, a 37, 38. ἐκβάλλειν ἔνεδρον 1 Macc. XI, 68. 752, a 56.
ἐκβάτανα τῆς Μηδίας Tobiæ III, 7. 574, b 50.
ἐκβιαστὴς Deut. I, 16. 83, a 21.
ἔκβολος Judith. XI, 8. 583, b ult.
ἐκβράζω Sap. X, 19. 600, a 45. II Macc. V, 8. 770, a 28.
ἔκβρασμα & ἐκβρασμὸς Levit. XIII, 6. 64, a 50, seqq.
ἐκδειματόω Sap. XVII, 6. 606, b 59.
ἐκδέχεσθαι παιδείαν Sirach. XXXII, 18. 676, a 55.
ἐκδιδόναι Oseæ XI, 8. 499, b 42. ἐκδιδόναι ἑαυτὸν πρὸς θάνατον II Macc. XIV, 38. 786, b 37.
ἐκδιηγέομαι Sirach. XXXI, 11. 673, b 49. XLII, 15. 695, b 58.
ἐκδικεῖν Joel. III, 21. 509, b 4. Judith. II, 1. 579, a 54. VIII, 23. 582, b 14. III Macc. p. 791, b 27. ἐκδικεῖν ἐκδίκησιν 1 Macc. II, 67. 729, b 30.
ἐκδίκησις Esa. LIX, 9. 331, b 55. LXVI, 15. 341, b 16. Sirach. XXV, 21. 662, a 29.
ἐκδικητὴς Psalmo VIII, 3. 223, a 38.
ἐκδοχεῖα ἐκκλείσεως Ezech. VII, 21. 409, a 29, 30.
ἐκζητεῖν Joel. III, 21. 509, b 2. Sirach. XII, 8. 633, b 9. LI, 29. 712, b 20. ἐκζητεῖν κακὸν 1 Macc. IX, 71. 745, a 15. ἐκζητεῖν πᾶσαν πονηρίαν Sirach. XLVII, 31. 706, b 13.
ἐκθεατρίζειν Nahumi III, 6. 534, a 38, 39.
ἐκθλίβων ἐκτεθλιμμένη Michææ IV, 6. 526, a 36.
ἐκκαίω Sirach. XXVIII, 12. 668, a 39, 40. LI, 5. 711, b 23.
ἐκκαλεῖν Sirach. XII, 11. 633, b 57.
ἐκκεντέω Zachar. XII, 10. 561, b 21.
ἐκκλησία Judic. XX, 2. 116, b 42. Psalmo LXXIV, 6. 235, b 44. Judith. VI, 12. 581, a 32, 33. Sirach. XV, 5. 638, b 24. XXIV, 2. 657, b 49. XXVI, 6. 664, a 1, 2. XXXI, 11. 673, b 49. ἐκκλησία συγκεχυμένη Sirach. XXVI, 6. 664, a 3.
ἐκκλησιάζω 1 Macc. XIV, 44. 759, a 5.
ἐκκλησιαστὴς Sirach. I. p. 258, a 49.
ἐκκλίνω Sirach. VII, 2. 621, b 45. ἐκκλιθέντες Judith. XV, 2. 585, a 12.
ἐκλέγομαι III Macc. p. 791, a 56. ἐκλεγόμενοι ὑπὸ Θεοῦ Sirach. XXIV, 25. 659, a 11.
ἐκλείπειν ὑπομονὴν Sirach. XVII, 20. 643, a 29. ἐξέλιπε φῶς· ἐξέλιπε συνέσεις Sirach. XXII, 10. 653, a 37, 38.
ἔκλειψιν ποιήσω φωνὴν εὐφροσύνης Baruchi II, 22, 23. p. 715, a 30, 31.
ἐκλεκτὸς & ἐκλεκτοὶ Psalmo II, 12. 221, b 53. Sap. III, 9. 592, a 7. Sirach. XI, 33. 632, b 54, 55. XLIX, 15. 709, a 25.
ἐκλογὴ Deut. VII, 8. 85, b 35.
ἐκλύειν II Macc. XII, 18. 781, b 48. ἐκλύεσθαι Jer. IV, 31. 348, b 23. Sirach. XXIV, 34. 659, b 5. XLIII, 11. 697, a 41. 1 Macc. IX, 7. 742, b 17. ἐκλελυμένος III Reg. XX, 43. 156, a 33, 34.
ἐκμαγεῖα Deut. XXII, 17. 97, b 10.
ἐκμάσσειν ἔσοπτρον Sirach. XII, 11. 633, b 48.
ἐκμάσσειν ἰὸν Ibidem, lin. 55.
ἐκμελίζειν II Macc. VII, 10. 773, a 41.
ἐκνίπτω Sirach. XXXI, 2. 673, a 31, 33.
ἑκούσια δόματα Judith. IV, 16. 580, b 7.
ἑκουσιάζω 1 Macc. II, 42. 728, b 14. ἑκουσιαζόμενος ἐν τῷ νόμῳ Ibid. lin. 13, 14, 16.
ἐκπετάζειν 1 Macc. III, 48. 731, a 39.
ἐκπετάννυσθαι τὰς χεῖρας Sirach. XLVIII, 22. 708, a 7.
ἐκπιέζω· ἐκπεπιεσμένος Sophon. III, 19. 545, a 1.
ἐκπιέσματι τῶν ἐλαιῶν Baruchi VI, 42. 720, a 32.
ἐκπίπτω Esa. VI, 13. 278, b 19.
ἐκπληθεῖν ἀρχὰς II Macc. VII, 37. 774, a 26.
ἐκπληροῦν τὴν ἐπιβουλὴν III Maccab. p. 789, b 51.
ἐκπλήσσω vel ἐκπλήττω & ἐκπλήσσομαι Dan. IV, 16. 460, b 2. Sirach. XLVII, 26, 27, 28. p. 706, a 55.
ἐκπειρατὴς III Macc. p. 794, a 9.
ἔκριβεν Judith. VII, 10. 581, b 16, 21, 22.
ἐκριζόω Sirach. III, 30. 615, b 30.
ἐκσπάω Esa. LIII, 11. 324, b 40.
ἔκστασις II Par. XXIX, 8. 187, b 56. Esa. VI, 1. 277, b antep.
ἐκταράττω Sap. XVII, 3. 606, b 49.
ἔκτασις Ezech. XVII, 3. 420, a 11.
ἐκτείνειν χεῖρας 1 Macc. II, 37. 728, a 20, 21.
ἐκτείνεσθαι συμβολαῖς Sirach. IX, 13. 627, a 37.
ἐκτέμνω Joel. II, 8. 506, a 11.
ἐκτενὴς πρόθεσις III Macc. p. 797, a 9.
ἐκτενία III Macc. p. 799, a 45.
ἐκτενῶς Jonæ III, 8. 521, b 2.
ἐκτεθῆναι II Macc. XI, 36. 780, b 32.
ἐκτινάσσω· ἐκτετιναγμένοι Psalmo CXXVII, 4 243, a 43
ἐκτύπωμα σφραγῖδος ἁγιάσματος Sirach. XLV, 14. 701, a 45, 46.
ἐκφεύγειν θάνατον III Macc. p. 798, b 40.
ἐκφοινίσσειν τένοντας ποδῶν II Macc. III, 25. 766, b 21.
ἐκφυσῶν κάμινον Sirach. XLIII, 3, 4. p. 696, b 49, 50.
ἐκχέων αἷμα Sirach. XXXIV, 27. 680, b 2.
ἐκχυθέντες Judith. XV, 2. 585, a 13.
ἐλανίτης κόλπος III Reg. IX, 26. 148, a 24, 26, 27.
ἐλαττοῖ ζωὴν Sirach. XIX, 5. 646, b 5. ἐλαττοῦται κακία Sirach. XIX, 6. 646, b 21. ἐλαττοῦσθαι Sirach. XXIII, 11. 655, b 59. XXXI, 33. 675, a 7. XXXII, 28. 677, a 6, 7. ἐλαττούμενος καρδίᾳ Sirach. XVI, 23. 641, a 35. ἐλαττούμενος πράξει αὐτοῦ Sirach. XXXVIII, 25. 687, a 12, 13.
ἐλαττονήσῃ Sirach. XIX, 7. 646, b 28.
ἐλάττωμα ἰσχύος Sirach. XIX, 24, 25. p. 648, a 18.
ἐλάχιστοι Jobi XVIII, 7. 208, a 45.
ἐλεάζαρος III Macc. p. 797, b 32. ἐλεαζάρου βίβλος II Macc. VIII, 23. 775, a 40.
ἐλεγμὸς Esa. LXVI, 15. 341, b 23. Sirach. XX, 31. 651, a 1. XLVIII, 7. 707, a 3. & verf. 10, 11. 707, a 25. 1 Macc. II, 49. 728, b 38.
ἔλεγχος Sap. XVII, 7. 607, a 5. Sirach. XIX, 28. 648, b 8, 9.
ἐλέγχω Sap. IV, 20. 594, a 41. XII, 2. 601, a 25. Sirach. XX, 1. 648, b 25.
ἐλεημοσύνη Dan. IV, 24. 460, b 49. Oseæ VI, 4. 692, b 38, 39. Sirach. III, 15. 614, a 41.
ἐλεήμων Sirach. II, 13. 613, b 23.
ἔλεος Sirach. XVIII, 12, 13. p. 644, b 13. XXXVI, 25. 683, a 40. XL, 17. 691, b 9. LI, 37. 713, a 6. ἔλεος καὶ οἰκτιρμὸς 1 Macc. III, 44. 731, a 8. ἔλεος παρ' αὐτῷ Sirach. V, 7. 618, b 18, 19.
ἐλευθερία 1 Macc. XIII, 3. 755, a 11. II Macc. VIII, 23. 775, a 58.
ἐλευθέρια III Macc. p. 794, b 54, 56.
ἐλευθεροῦν δουλείας τὸν λαὸν 1 Macc. XIII, 41. 756, a pen.
ἐλεφαντάρχης II Macc. XIII, 15. 784, a 48. III Macc. p. 796, a 6.
ἕλιξ Deut. XI, 10. 86, b 20.
ἐλίσσω Jobi XL, 12. 218, b 52. Esa. XXXIV, 4. 305, b 39, seqq.
ἕλκεσθαι ὑπὸ ῥᾳθυμίας III Macc. p. 792, a 2, 3.
ἐλλάμπειν ἐπὶ ναὸν Sirach. L, 7. 709, b 54, 55.
ἑλλὰς II Macc. III, 10. 766, a 22.
ἐλλειπὴς Sirach. XIV, 10. 637, a 35.
ἕλληνες II Macc. XI, 2. 799, b 20, 21.
ἑλληνίδας πόλεις II Macc. VI, 8. 771, b 57.
ἑλληνικὰ Ibidem, lin. 60.
ἐλμαλκουὲλ 1 Macc. II, 39. 751, a 14.
ἕλος Jer. LI, 32. 398, a 32.
ἐλπίδα ἔν τινι ἔχειν Jer. XLIV, 14. 386, a 53, 54. ἐλπίδα ἔχειν εἰς οὐρανὸν II Macc. IX, 20. 777, a 16.
ἐλπίζειν ψυχαῖς ἐπί τινα Jer. XLIV, 14. 386, a 54, 55.
ἐλύμαι ἐν Περσίδι Ezech. XXXVIII, 5. 448, b 32. 1 Macc. VI, 1. 736, a 21, 22.
ἐλυμαῒς Tob. II, 15. 574, a 50. 1 Macc. VI, 1. 736, a 15, 20.
ἐλυμαῖοι Dan. VIII, 2. 469, a 44, 45. Judith. I, 6. 579, a 21.
ἐμβατεύειν Exodi XX, 3. 38, a 48, 49.
ἐμβιοῦν Sirach. XXXVIII, 14. 686, a 25.
ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον Jos. VIII, 18. 105, b 5.
ἐμμελικὰ Sirach. XXXI, 25. 674, b 13.
ἐμμαοῦς, Ἐμμαοὺμ & Ἐμμαοῦν 1 Macc. III, 40. 730, b 46, 48. IX, 50. 744, a 9.
ἐμμένειν ἐντολαῖς Sirach. XXVIII, 6, 7. p. 668, a 5. ἐμμένειν πατρῴοις ἔθεσι 1 Macc. X, 37. 747, a 31.
ἔμπαιγμα Sap. XVII, 7. 607, a 2.
ἐμπαιγμὸς III Macc. p. 796, b 34.
ἐμπειρία Sirach. XXXIV, 10. 679, b 33.
ἐμπίπτω Sirach. XIII, 13. 635, a 33. XXXVIII, 15. 686, a 29, 30. ἐμπίπτοντα κόπτειν II Macc: X, 35. 779, a 31.

ἐμπιστεύω

ἐμπιστεύω Sirach. I, 14. 611, b 2. IV, 17, 616, b 44. L, 26. 711, a 15. ἐμπιστεύειν τῷ ἔλεει Sirach. XXXVI, 18. 682, b 61. ἐμπιστεύειν τινὶ Sirach. XIX, 4. 646, a 51. ἐμπιστεύεσθαι Sirach. XXXVI, 18. 682, b 59.
ἐμπλησθῆναι εὐφροσύνης Sirach. IV, 13. 616, b. 24. πνεύματος Sirach. XLVIII, 13. 707, a ult.
ἐμπνέον πᾶν Jos. X, 28. 106, b 9.
ἐμποδίζειν ἄρτους Sirach. XII, 6. 633, a 46.
ἐμποδισθῇς Sirach. XVIII, 22. 645, a 27.
ἐμποιέω Sirach. XLII, 17. 696, a 13.
ἐμπορεύομαι Jer. XIV, 18. 359, b 6, 7.
ἔμπορος Ezech. XVII, 4. 420, a 33.
ἐμπορπάω· ἐμπεπορπημένος III Macc. p. 799, b 10.
ἐμπυρίζω Gen. IV, 4. 7, a 11. Psalmo LX, 1. 232, b 19.
ἐμφέρεσθαι Gen. I, 2. 1, a 30, 31.
ἐμφράττειν τὰς εἰσόδους I Macc. II, 36. 728, a 5.
ἐμφράττεσθαι Zach. XIV, 5. 563, b 42.
ἐμφρὼν & ἐμφραῖοι I Macc. V, 46. 735, a 50, 51. II Macc. XII, 27. 782, a 36.
ἐν Sirach. XLII, 18. 696, a 26. XLIII, 2. 696, b 40. ἐν ἀγαθοῖς Sirach. XIII, 32. 636, a 59. ἐν ἀγαθότητι Sap. I, 1. 589, a 4. ἐν ᾅδου Sirach. XVII, 24. 643, a 51. ἐν ἀλλοτρίοις Sirach. XXIX, 29. 670, b 28. ἐν ταῖς γενεαῖς αὐτῶν I Macc. II, 51. 728, b 54, 55. ἐν γόνασι καὶ ποσὶ III Macc. p. 797, b 3. ἐν δέσει χρυσίου Sirach. XLV, 13. 701, a 31. ἐν δόξῃ αὐτοῦ Sirach. XLII, 17. 696, a 15. ἐν εἴδει Num. XII, 8. 75, a 14. ἐν ἐλέει Sirach. XXXV, 25. 682, a 17. ἐν ἐλαττώσει εἶναι Sirach. XIX, 7. 646, b 27. ἐν ἐπιβούλων τρόπῳ III Macc. p. 798, a 38. ἐν ἐπιτιμίοις εἶναι Sirach. VIII, 6. 625, a 46. ἐν ἡμέραις αἰῶνος Sirach. XVIII, 8. 644, a 42. ἐν ἰδίῳ γένει Sap. XIX, 6. 609, a 27. ἐν ἰσχύϊ αὐτῶν I Macc. I, 61. 726, b 2. & c. II, 46. 728, b 25, 26. ἐν ἴχνει Sirach. XXI, 7. 651, a pen. ἐν καιρῷ Sirach. XIX, 9. 646, b 46. XXII, 6. 653, a 15. ἐν καταχίσει εἶναι Sirach. IV, 17. 616, b 48, 49. ἐν κινήσει καρδίας Sap. II, 2. 590, a 29. ἐν κλίσει Sirach. XLIX, 19. 709, a 54, 55. ἐν λογισμῷ ζωῆς Sirach. XL, 30. 692, a 58. ἐν λύπῃ Sirach. XIV, 10. 637, a 35. ἐν μέσῳ δύο ζώων Habac. III, 2. 539, b 10. ἐν μέσῳ συναγωγῆς Sirach. I, 39. 612, b 11, 12. ἐν μεταμελείᾳ Sirach. XX, 4. 648, b 52, 53. ἐν μέτρῳ πιεῖν ἐδίδουν Judith. VII, 10. 581, b 30, 31. ἐν μήτρᾳ Sirach. I, 14. 611, a 60. ἐν ὀδύνῃ Sap. IV, 19. 594, a 31. ἐν ὁμοιώματι Sirach. XVII, 4. 642, a 16. ἐν τῷ ὀνόματι ἰδίῳ Jerem. XXIX, 25. 373, b 40. ἐν ὅπλοις II Macc. III, 28. 766, b 35. ἐν παρθενίᾳ Sirach. XLII, 10. 695, a 63, seq. ἐν παντὶ ἔργῳ Sirach. XXXII, 27. 676, b 60. ἐν πάσαις ταῖς ὁδοῖς Amosi V, 16. 513, a 53, 54. ἐν πάσῃ τῇ ἰσχύϊ Sirach. III, 15. 614, a 37. ἐν πίστει ποιεῖν IV Reg. XII, 15. 165, b 56. ἐν πρώτοις Sirach. IV, 18. 616, b 60, 61. ἐν σοφίᾳ Sirach. XIV, 22. 637, b 59. ἐν σήμασι Sirach. I, 37. 612, a 53. ἐν πλούτῳ Sirach. XVI, 22. 641, a 30. ἐν τοῖς τοῦ πατρὸς Sirach. XLII, 10. 695, b 7. ἐν χειρὶ Sirach. XVI, 27. 641, b 3. ἐν χειρὶ ἀγγέλου Malach. p. 565, a 51. ἐν χειρὶ αὐτοῦ Sirach. XLVI, 5. 703, a 23. ἐν τῇ χειρί σου Sirach. XXIX, 33. 671, a 11, 12. ἐν χρήμασιν ἀλλοτρίοις Sirach. XXI, 9. 651, b 12. ἐν ὠλένῃ Baruchi VI, 3. 718, a 44.
ἐνάκειμαι Jer. XLVII, 5. 389, a 13.
ἐναλλαγὴ γενέσεως Sap. XIV, 26. 604, a 45.
ἐναλλάττω· ἐνηλλαγμένοι Oseæ IV, 14. 490, b 23.
ἔναντι Sirach. XV, 18. 639, a 57. ἔναντι βίλους Sirach. XXVI, 15. 664, b 44. ἔναντι Κυρίου Sirach. XXV, 1. 660, a 51. ἔναντι πολεμίου Sirach. XXXVII, 5. 683, b 29. ἔναντι τῶν ἀνθεστηκότων Sirach. LI, 3. 711, b 13.
ἐναντία Sirach. XXXIII, 15. 678, a 10, & 16, 17.
ἐναντίον αὐτοῦ III Macc. p. 796, b 12. ἐναντίον Κυρίου Sirach. XLVI, 8. 703, a 46. ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ I Macc. III, 18. 730, a 45.
ἐναντιότητος ἐν τῷ κόσμῳ Sirach. XLII, 26. 696, b 25.
ἐναντιοῦσθαι Zachar. I, 19. 549, a 20. ἐναντιοῦσθαι τοῖς πράγμασι III Macc. p. 793, b 35.
ἐναρίθμιος Sirach. XXXVIII, 32. 687, b 9.
ἐνάρχομαι Sirach. XXXVI, 26. 683, a 48.
ἐνδεὴς Sirach. I, 36. 612, a 35. ἐνδεὴς φρενῶν Sirach. VI, 21. 621, a 12. ἐνδεέστερος Aggæi II, 4. 546, b 7.
ἐνδελεχίζω Sirach. XX, 21. 650, a 30. XXXVII, 15. 684, a 48.
ἐνδελεχισμὸς Dan. VII, 25. 468, b 8. XII, 11. 485, b 4. Judith. IV, 16. 580, b 6.
ἐνδιδύσκω Judith. IX, 1. 582, b 47.
ἐνδοιάζεσθαι Sirach. I, 36. 612, a 44.
ἔνδοξος Esa. XXVI, 15. 696, b 29. I Macc. III, 32. 730, b 26.
ἐνδύματα ἀλλότρια Sophon. I, 8. 541, b 22.
ἐνδύω· ἐνδεδυκὼς ποδήρη Ezech. IX, 2. 410, b 53.
ἐνεδρεύειν τῇ γλώσσῃ Sirach. V, 16. 619, a 56.
ἔνεδρον Sirach. VIII, 14. 625, b 52. ἔνεδρον ἐκβάλλειν, καθίζειν I Macc. XI, 68. 752, a 56, 57.
ἐνεμάσσαρος Tob. I, 2. 573, a 31.
ἐνεξουσιάζω Sirach. XLVII, 21. 705, b 54, 55.
ἐνεργεία Sap. VII, 27. 597, a pen.
ἔνεργος καύματος Sirach. XLIII, 3, 4. p. 696, b 51.
ἐνέχεσθαι ἀσεβείαις III Macc. p. 798, a 26.
ἔνη καὶ νέα Amosi VIII, 5. 516, a 46.
ἔνθεος IV Reg. III, 15. 159, a 33.
ἐνθυμέομαι Sap. VII, 15. 596, b 28, 29. Sirach. XVII, 30. 643, b 30. ἐνθυμεῖσθαι θανόντος Sirach. XXXVIII, 17, 18. 686, b 8.
ἐνθύμημα Sirach. XXVII, 7. 666, a 27. ἐνθυμήματα αὐτοῦ ποιεῖν Sirach. XXXII, 16. 676, a 41, 42.
ἐνθυσιάζω Sirach. IV, 12. 616, b 18.
ἐνὶ πνεύματι Sap. XI, 21. 600, b 57.
ἐνισχύω Esa. XLV, 5. 316, a 38. Sirach. L, 5. 709, b 31, 32. ἐνισχῦσαι ὁρισμὸν Dan. VI, 7. 464, a 16.
ἔννοια Sirach. XXX, 11. 671, b 52.
ἐνοχλέω Dan. VI, 2. 463, b 44.
ἐντέλλεσθαί τινι πρὸς λαὸν Sirach. XLV, 3. 700, b 18, 19.
ἐντενὲς πᾶν προσίεσθαι III Macc. p. 793, b 58.
ἐντεριώνη Oseæ VIII, 7. 495, a 38, 39.
ἐντιναγμὸς Sirach. XXII, 15. 653, b 5.
ἐντολὴ Num. XIX, 2. 77, a 20. Sirach. VI, 37. 621, b 28. XXXVIII, 38. 687, b 46. XXXIX, 37. 689, b 55.
ἐντὸς τοῦ ἁγίου I Macc. IX, 54. 744, a 58.
ἐντόσθια Sirach. X, 10. 628, b 15.
ἐντρέπεσθαι Sirach. IV, 26. 617, b 9. XLI, 19. 693, b 51.
ἐντρεχεῖς Sirach. XX, 11. 649, a 37.
ἐντυγχάνειν I Macc. X, 64. 748, a 44. XI, 25. 750, a 30. ἐντυγχάνειν τῷ βασιλεῖ III Macc. p. 799, a 24.
ἐνυάλιος II Macc. XV, 25. 688, b 9.
ἐνυβρίζεσθαι Oseæ II, 5. 487, b 23.
ἔνυδρος Oseæ X, 1. 497, b 14.
ἐνώπιον αὐτῶν Sirach. XXIII, 18, 19. p. 656, a 62, 63. ἐνώπιον Κυρίου Sirach. XLVI, 8. 703, a 46. ἐνώπιόν μου Exodi XXXII, 33. 57, b 15.
ἐνωραΐζεσθαι Sirach. XXV, 1. 660, a 49.
ἔνωσις ὑποστατικὴ ἀχώριστος, ἀδιάλειπτος Malach. III, 1. 569, b 48, 49.
ἐξ ἁμαρτίας Sap. X, 13. 600, a 10. ἐξ ἀπογραφῆς III Macc. p. 800, b 21. ἐξ ἀπροσδοκήτου Jer. L, 9. 394, a pen. ἐξ ἐμοῦ Tob. III, 6. 574, b 34, 36, 37. ἐξ ἐμοῦ ποίησον Ibidem, lin. 37. ἐξ ἐναντίας Sap. IV, 20. 594, a 41. Sirach. XXXVII, 10, 11. 684, a 4. ἐξ ἐναντίας τοῦ ναοῦ III Macc. p. 791, a 28. ἐξ ἡμερῶν εἰς ἡμέρας I Reg. I, 3. 119, a 41. ἐξ ὀνόματος III Macc. p. 795, b 34. ἐξ οὐκ ὄντων II Macc. VII, 28. 773, b 48.
ἐξαγγέλλω Sirach. XLIV, 15. 699, b 10.
ἐξάγω Baruchi I, 20. 714, a 54.
ἐξάδελφος Tobiæ VII, 2. 576, b 4. XI, 20. 577, b 28.
ἐξαίρετον Judic. VIII, 24. 112, a 48. Judith. XV, 14. 585, a 51.
ἐξαιρέω & ἐξαιροῦμαι Sirach. XXXIII, 1. 677, a 18. XXXVII, 8. 683, b 44.
ἐξαίρειν & ἐξαίρεσθαι Jer. XLIX, 1. 392, a 37. Oseæ XI, 4. 499, b 1. Sirach. X, 20. 429, a 32. XVI, 10. 640, a 20. XLIX, 3. 708, a pen. I Macc. VI, 12. 736, b 34.
ἐξακολουθεῖν τῇ ψυχῇ ἑαυτοῦ καὶ τῇ ἰσχύϊ ἑαυτοῦ Sirach. V, 2. 618, a 44.
ἐξακόσιαι χιλιάδες πεζῶν Sirach. XVI, 11. 640, a 29.
ἐξάλειπτρον Jobi XLI, 22. 220, a 44.
ἐξαλείφεσθαι Oseæ XI, 9. 499, b 60. Sirach. XXXIX, 12, 13. p. 688, b 2, 3.
ἐξαλλάττω· ἐξηλλαγμέναι Sap. II, 15. 591, a 16.
ἐξαλλοιοῦν III Macc. p. 794, a 45.
ἐξαμαρτάνειν Sirach. XLVII, 29. 706, a 60.
ἐξαναλίσκειν Jer. XLIX, 1. 392, a 37. Judith. XI, 12. 584, a 8, 9.
ἐξανίστασθαι Oseæ XIV, 6. 503, b 26. Sirach. VIII, 14. 625, b 42.
ἐξαπέστειλας Zachar. IX, 11. 556, a pen.
ἐξαρθροῦν II Macc. VII, 10. 773, a 41.
ἐξαριθμέω Psalmo LXXI, 15. 235, a 18.
ἔξαρχοι Dan. VI, 2. 463, b 39.
ἐξάρχομαι· ἐξῆρξαν τύπτειν I Macc. IX, 66. 744, b 44, 45.
ἐξατράπης Jer. LI, 27. 397, b 51. Dan. III, 2. 457, b 25.
ἐξελέγχω Sap. XII, 17. 601, b 44. ἐξηλέγχθη νόμος I Macc. II, 37. 728, a 24, 25.
ἐξελκύειν III Macc. p. 791, b 54.
ἐξερευνάω I Macc. III, 48. 731, a 33.
ἐξέρχομαι· ἐξῆλθε δόγμα Dan. II, 13. 455, a 56. ἔξελθε Sirach. XXIX, 34. 671, a 17.
ἐξετάζω Sap. II, 19. 591, a 29. XI, 11. 600, b 20. Sirach. XXIII, 11. 655, b 51.
ἐξέτασις Sirach. XVI, 22. 641, a 29, 30. III Macc. p. 799, a pen.
ἐξετασμὸς Sap. IV, 6. 593, a 27.
ἐξέχεε φιάλην Zachar. X, 11. 558, a 24.
ἐξηλιάζειν II Reg. XXI, 6. 141, b 55.
ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ Zach. X, 11. 558, a 25.
ἐξιδιάζεσθαι I Macc. XIII, 54. 757, a 31.
ἐξιλάσκεσθαι ἁμαρτίας Sirach. III, 4. 613, b 42. & vers. 33. p. 615, b 52. ἐξιλάσκεσθαι περί τινος Sirach. XLV, 29. 702, a 60.
ἐξιλασμὸς Jobi XXXIII, 24. 214, a 51. Sirach. XXXIV, 31. 680, b 21. L, 5. 709, b 46. III Maccab. p. 790, b 1. ἐξιλασμὸν εὑρίσκειν Sirach. XVIII, 19, 20. p. 645, a 10, 11.
ἕξις Sirach. III, 30. 615, b 34. XI, 15. 631, b 16.
ἐξίστημι & ἐξίσταμαι Oseæ III, 5. 489, b 1. Judith. XV, 1. 585, a 4. Sap. V, 2. 594, b 2.
ἐξιχνιάζω Sirach. XXIV, 38. 659, b 40.
ἐξόδιον σκηνῆς Psalmo XXIX, 1. 227, a 36.
ἔξοδος III Reg. XX, 34. 155, b pen.
ἐξολοθρεύω Jer. XLIX, 1. 392, a 36.
ἐξομβρέω Sirach. X, 15. 629, a 1, 2. XVIII, 29. 645, b 23.
ἐξομολογέομαι Sirach. XXXIX, 9. 688, a 52.
ἐξομολόγησις Oseæ XIV, 3. 503, a 37. Sirach. XVII, 26. 643, b 3. XVIII, 28. 645, b 13.
ἐξορίζω Esa. LXVI, 15. 341, b 19.
ἐξορκισμὸς I Reg. III, 17. 121, a 13.
ἐξορχεῖσθαι Zach. XII, 10. 561, b 25.
ἐξουδενοῦν Sirach. XLVII, 8. 704, b antep.
ἐξουδένωσις Ibid. lin. ult.
ἐξουθενέω Ezech. XXI, 10. 425, a 46. Sirach. XXII, 14. 653, b 1.
ἐξουσία Sirach. XXIV, 15. 658, a 51. ἐξουσία αὐτοκράτωρ I Macc. VIII, 16. 741, b 14.
ἐξουσία βασιλικὴ III Macc. p. 799, b antep.
ἐξουσία τυραννούντων Sap. XI, 14. 600, a 25.
ἐξουσίαν ἔχειν ἐν τοῖς ἐχθροῖς III Macc. p. 800, b 17.
ἐξουσιάζομαι Nehem. V, 15. 195, a 13.
ἐξοχὴ Nahumi I, 5. 532, a 1.
ἐξυψόω Sirach. I, 38. 612, a 57.
ἔξω βεβλημένοι Judith. XI, 8. 584, a 2.

ἑορτάζω I Macc. IV, 56. 733, b 20.

ἑόρτασμα Sap. XIX, 14, 15. p. 609, b 17.

ἑορτὴ Judith. VIII, 6. 582, a 28. Baruchi I, 14. 714, a 24. ἑορτὴ τῆς συσκηνοπηγίας, vel σκηνοπηγίας, συλλογῆς, σκηνοπηγίας Exodi XXIII, 16. 54, b 1. Deut. XVI, 13. 88, b 21, seqq.

ἐπαγγέλλεσθαι III Macc. p. 791, b 3.

ἐπαγλαΐζεσθαι Sirach. XXV, 1. 660, a 50.

ἐπάγειν Oseæ XI, 4. 499, b 7. Sirach. II, 2. 612, b 32, 33. I Macc. X, 37. 747, a 32. ἐπάγειν πόλεμον Sirach. XLVI, 4. 703, a 19. ἐπαγαγὼν τοὺς ἐσχατίζοντας I Macc. V, 53. 735, b 19, 20.

ἐπαγωγὴ Sirach. III, 30. 615, b 24. V, 1. 618, a 40. & verſ. 10. p. 618, b 41. X, 16. 629, a 10. XXIII, 14. 656, a 25, 26. XXV, 20. 662, a 22.

ἐπαείδων ἐπαοιδὴν Deut. XVIII, 11. 93. b antepen.

ἐπαινέω Eccleſ. VIII, 10. 263, b 7.

ἐπαίρειν χεῖρα Sirach. XLVII, 5. 704, b 35.

ἐπῆρεν ἡ χεὶρ Sirach. XLVIII, 20. 707, b 52.

ἐπαίρεσθαι III Reg. I, 5. 143, a 26.

ἐπαμύνασθαι Sirach. XXXVI, 22. 683, a 21.

ἐπαμφοτερίζειν III Reg. XVIII, 21. 154, a 45.

ἐπαναπαύσασθαι I Macc. VIII, 12. 741, a 46, 47.

ἐπανατείνασθαι στρατηγικὸν δέος III Macc. p. 790, b 49, 50.

ἐπάνοδος ἐκ Βαβυλῶνος I Macc. IX, 27. 743, a 20, 21.

ἐπανορθοῦσθαι II Macc. V, 20. 770, b 35.

ἐπαξονεῖν Num. I, 18. 72, a 6.

ἐπαοιδὸς Levit. XIX, 31. 68, a antep. Dan. I, 20. 454, b 38. Sap. XII, 4. 601, a 36.

ἐπαρχία I Macc. XI, 34. 750, b 25.

ἐπαύλιον Tobiæ XI, 21. 577, b 33.

Ἔπαυλις Joſ. XIX, 6. 108, a 21.

ἐπαυτοφώρῳ Adj. Dan. XIII, 38. 722, b 18.

Ἔπαφος III Macc. p. 799, a 37.

ἔπεα πληρόοντα Pſalmo XC, 9. 238, a 38, 39.

ἐπεγειρομένους Nahumi I, 8. 532, a 19.

ἐπεισοδιώδη Judith. p. 579, a 4.

ἐπέκεινα Jer. XXII, 19. 366, b 42. ἐπέκεινα Βαβυλῶνος, & Δαμασκοῦ Amoſi V, 27. 514, a 14, 16.

ἐπενδύτης Exodi XXIX, 5. 56, b 1.

ἐπεξέρχομαι I Macc. VI, 4. 736, b 9.

ἐπέρχομαι Dan. IX, 11. 472, b 14.

ἐπέχω Sirach. V, 10. 618, b 30. XIII, 14. 635, a 41.

ἐπὶ Sirach. III, 3. 613, b 31. XXXV, 16. 681, b 9. ἐπ' αὐτῆς Sirach. VI, 31. 621, a 47. ἐπ' ἄνδρα ἔθνος Jobi XXXIV, 23. 214, b pen. ἐπ' ἀφθαρσίᾳ Sap. II, 23. 591, a 52. ἐπὶ δάφνῃ II Macc. IV, 33. 769, a 4. ἐπ' ἐξαγωγῆς Joel. III, 6. 508, a 37. ἐπ' ἐξουσίαις πεπραγμένοι Eſth. Addit. XVI, 5. 588, a 15, 16. ἐπ' ἐσχάτου Sirach. XXI, 11. 651, b 35. ἐπ' ἐσχάτων Sirach. II, 3. 612, b 43. ἐπὶ κέρως, vel ἐπὶ κέρας II Macc. XV, 20. 788, a 46. ἐπ' ὀλίγῳ Sap. XVI, 3. 605, b 34. ἐπὶ παντὶ ῥήματι Sirach. XXXI, 19. 674, a 28. ἐπὶ προσώπου τῆς γῆς Sirach. XXXVIII, 7, 8. p. 685, b 40, 41. ἐπὶ σποδοῦ Jonæ III, 6. 521, a 49. ἐπὶ στόματος Sirach. XXXVII, 25. 685, a 12. ἐπὶ σωτηρίᾳ Sirach. XLVI, 2. 702, b antep. III Macc. p. 800, b 25, 26. ἐπὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ Sirach. XXXIV, 31. 680, b 20. ἐπὶ τῶν πραγμάτων II Macc. XIII, 2. 783, a 58.

ἐπιβαίνειν ἐπὶ τὴν ἰσχύν τινος Sirach. IX, 2. 626, b 19.

ἐπιβάλλει κληρονομῆσαι αὐτὴν Tobiæ III, 25. 575, a 31. ἐπιβάλλον μοι I Macc. X, 30. 746, a 19. ἐπιβαλλόμενον ὕπνου μέρος III Maccab. p. 796, a 38, 39.

ἐπιβάτης Eſa. XLII, 10. 311, b pen.

ἐπιβλέπω Sirach. XI, 32. 632, b 41. ἐπιβλέπειν ἐπὶ τὸ πρόσωπον Judith. VI, 15. 581, a 41, 42. ἐπιβλεπόμενον Ezech. XVII, 5. 420, a 51.

ἐπιβλήματα τὰ κατὰ τὴν οἰκίαν Eſa. III, 22. 276, b 1.

ἐπιβόλαιον Ezech. XIII, 18. 415, a 26.

ἐπίβουλος Sirach. XVIII, 33. 646, a 18. III Macc. p. 795, a 55. p. 799, a 55. ἐπίβουλος τῆς ἰδίας ψυχῆς III Reg. V, 4. 146, b 10.

ἐπίγαμος Sirach. XLII, 9. 695, a 55.

ἐπιγινώσκεσθαι Sirach. XII, 8. 633, b 6. XIX, 24, 25. p. 648, a 17.

ἐπιγράφειν χειρὶ αὐτοῦ Eſa. XLIV, 5. 314, b 4, 5. ἐπιγράφειν ὁμοιώματα εἰδώλων I Macc. III, 48. 731, a 33, 34.

ἐπιδήσεις, Fut. Sirach. XXXIII, 31. 678, b 56, 57, 58.

ἐπίδεσις Oſeæ V, 13. 492, a 17.

ἐπιδεσμεύειν ἁμαρτίαν Sirach. VII, 8. 622, b 12, 13.

ἐπιδιαβαίνειν τὸν ποταμὸν I Macc. IX, 48. 743, b penult.

ἐπιδιδόναι τὴν ψυχὴν Sirach. XXXVIII, 39. 688, a 3.

ἐπίδοσις Tobiæ II, 20. 574, a ult.

ἐπίδοξοι Sirach. III, 19. 614, b 21.

ἐπιείκεια Jer. XXXV, 11. 380, b 41. Judith. XI, 12. 584, a 19. Sap. II, 19. 591, a 30. XII, 17. 601, b 48. Baruchi II, 27. 715, b 10.

ἐπίζημα Oſeæ X, 7. 498, a 26.

ἐπίθετα [illegible] Sirach. XL, 2. 690, a 60.

ἐπιθυμεῖν Exodi XX, 17. 49, b 17, 31. p. 50. b 46, 56.

ἐπιθυμήματα Oſeæ IX, 16. 497, b 4. ἐπιθυμήματα ὀφθαλμῶν Sirach. XLV, 14. 701, a 59.

ἐπιθυμητὸς Dan. IX, 23. 473, a 19.

ἐπιθυμία Sirach. XXIII, 5. 655, a 41, 45. ἐπιθυμίας εὐδοκίας Sirach. XVIII, 31. 645, b 39, 40.

ἐπιθυμιῶν Baruchi VI, 42. 720, a 24, 25.

ἐπικαλέσασθαι Κύριον Sirach. LI, 14. 711, b pen.

ἐπικαλεῖσθαι ὄνομα Eſa. XLIII, 7. 313, a 38, 39.

ἐπικαταφέρεσθαι I Macc. VI, 46. 738, a 29.

ἐπίκειται ἡμῖν I Macc. VI, 57. 738, b 22.

ἐπίκληρος Num. XXXVI, 8. 83, a 7. Tobiæ III, 18. 575, a 24, 25. Judith. VIII, 2, 3. p. 582, a 11.

ἐπίκλητος Num. XVI, 2. 76, a 34.

ἐπικοινωνεῖν Sirach. XXVI, 9. 664, a 46, 47.

ἐπιλαμβάνομαι Jobi XVI, 8. 207, b 34. Sirach. IV, 12. 616, b 20.

ἐπιλανθάνομαι Sap. XIX, 19. 609, b 59, 60. Sirach. XXXV, 9. 681, a 23.

ἐπιλείπω Jer. XXXIII, 17. 379, b 25.

ἐπίλεκτος Exodi XXIV, 11. 54, b 58.

ἐπιμανὴς Dan. XI, 21. 479, b 33. I Macc. I, 11. 724, a 9.

ἐπίμετρον τοῦ νόμου I Macc. II, 42. 728, a ult.

ἐπίμικτος Num. XI, 4. 74, b 1. Jer. XXV, 20. 370, a 27. Ezech. XXX, 5. 440, b 55. Judith. I, 9. 579, a 47.

ἐπιμιξία II Macc. XIV, 3. 785, a 32. & verſ. 38. p. 786, b 19.

ἐπιμύλιον Deut. XXIV, 6. 98, b 42.

ἐπίνειον Jonæ I, 3. 519, b 45. I Macc. X, 76. 748, b 40.

ἐπινοέω & ἐπινοοῦμαι Sap. XIV, 14. 603, b 37. II Macc. II, 29. 765, a 17, 18.

ἐπιξενόω & ἐπιξενοῦμαι Sirach. XXIX, 34. 671, a 25, seqq. XLVII, 3. 704, b 18, 19.

ἐπιορκεῖν Exodi XX, 7. 44, a 47.

ἐπιπίπλειν εἰς στρατόπεδον I Macc. IX, 66. 744, b 47. ἐπιπίπλοντες Gen. VI, 4. 8, b 30.

ἐπιπορεύεσθαι τοῖς ὑπογεγραμμένοις II Macc. II, 29. 765, a 16.

ἐπιῤῥακτὸς Pſalmo XXIV, 9. 226, b 41.

ἐπίῤῥινον Jobi XLII, 11. 220, b antepen.

ἐπισημαίνομαι Sirach. XXVII, 25. 667, a 6.

ἐπισιτισμὸς Pſalmo CXXXII, 15. 244, a 34.

ἐπισκέπτω & ἐπισκέπτομαι Sap. II, 20. 591, a 39, 40. Sirach. II, 17. 613, a 51. ἐπισκέπτεσθαι ἐπὶ ἀμνοὺς Zachar. X, 3. 557, a 46, 47.

ἐπίσκεψις Num. III, 36. 72, a 30. III Macc. p. 799, b antep.

ἐπισκήπτειν θυμὸν I Macc. IX, 69. 745, a 4.

ἐπισκοπὴ Pſalm. CIX, 8. 240, b 37, 38. Ezech. VII, 22. 409, a 36. Sap. III, 6. 591. a 56. & verſ. 13. p. 592, a 35. IV, 15. 593, b ult. XIV, 11. 603, b 7, 8. XIX, 14, 15. p. 609, b 15, 25. III Macc. p. 797, a pen. ἐπισκοπὴ ἔσται Sirach. XXIII, 34. 657, b 5.

ἐπίσκοπος Nehem. XI, 22. 196, b antepen. Jobi XX, 29. 209, b 20. Pſalmo CIX, 8. 240, b 40. Dan. XI, 39. 483, a 7. I Macc. I, 53. 726, a 7, 14. II Macc. V, 22. 770, b 51.

ἔπεσιν Sirach. XXXI, 31. 675, a 4.

ἐπίσπαστρον Num. IV, 25. 72, b 15.

ἐπισπάω Sirach. p. 610, a 55. ἐπισπᾶσθαι Zachar. XII, 14. 562, a 50, 51. I Macc. I, 16. 724, a 45, 46.

ἐπιστήμη Sirach. XVII, 5. 642, a 44. XXVI, 16. 664, b 55, 56. XXXVIII, 3. 685, b 23. ἐπιστήμη συνέσεως Sirach. XVII, 5. 642, a 44, 45.

ἐπιστήμην νομικὸς II Macc. VI, 18. 772, a 45.

ἐπιστημονικὸν Gen. I, 26. 1, b antep. Sirach. XVII, 5. 642, a 45.

ἐπιστρέφω & ἐπιστρέφομαι Jer. XXIII, 20. 368, b 33. XXXI, 18. 376, a 2, 3. Judith. VI, 6. 581, a 21. Sirach. XVIII, 12, 13. p. 644, b 15. ἐπιστρέψαι καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 26.

ἐπισυνάγειν Eſa. LVIII, 8. 330, b 6, 7. Aggæi II, 19. 547, b 9. I Macc. V, 53. 735, b 22. ἐπισυνάγεσθαι Sirach. XVI, 11. 640, a 29.

ἐπισυνίστημι & — σταμαι Sirach. XLV, 22. 701, b 60, 63.

ἐπισφαλὴς Sap. IX, 14. 599, a 2.

ἐπιταγὴ Sap. XIX, 6. 609, a 28.

ἐπιτάσσομαι I Macc. X, 38. 747, a 56.

ἐπιτείχισμα I Macc. XVI, 10. 761, b 33.

ἐπιτήδεια πρὸς διακόσμησιν II Macc. II, 30. 765, a 36.

ἐπιτηδεύματα Judith. XIII, 7. 584, b 12.

ἐπιτίθεσθαι Exodi XVIII, 11. 33, a 10, 11. Pſalmo XIX, 14. 225, b 25.

ἐπιτιμᾶν Eſa. LXVI, 15. 341, b 20. Zachar. X, 11. 558, a 19.

ἐπιτιμήσαι σοι Κύριος vel ἐπιτιμήσαι Κύριος ἐν σοὶ Zachar. III, 1 & 2. p. 550, a 15, 16: 23, 24.

ἐπιτολμᾶν τῇ ἀρχῇ I Macc. XIII, 31. 755, b 40.

ἐπίτροπος Gen. XLI, 34. 23, b 26. II Macc. XI, 1. 779, b 4. XIII, 2. 783, a 56.

ἐπίτυρον Baruchi VI, 42. 720, a 29.

ἐπιφ, Ἐπιφὶ III Macc. p. 799, a 33.

ἐπιφαίνειν III Macc. p. 791, b 34, 35. p. 799, a 43. ἐπιφαίνειν πρόσωπον III Macc. p. 798, a 52, 53. ἐπιφαίνειν φέγγος III Macc. p. 797, b 57, 60.

ἐπιφάνεια II Macc. III, 24. 766, b 2. XII, 22. 782, a 4. XIV, 15. 785, b 26. XV, 27. 788, b 17. III Macc. p. 791, a 60, 62. & b 35. p. 796, a 33, 34. ἐπιφάνεια μεγαλομερὴς III Maccab. p. 796, a 33.

ἐπιφανὴς Dan. VII, 8. 466, b 52. XI, 21. 479, b 32. I Macc. I, 11. 724, a 8. II Macc. II, 21. 764, b 39. X, 9. 778, a 18.

ἐπιφλυγμὸς Gen. II, 6. 2, b 6.

ἐπιφύσεις II Macc. XIII, 2. 783, b 4.

ἐπιφωνεῖν III Macc. p. 800, a 8.

ἐπιχαιρεκακία Pſalmo CXXXVII, 7. 244, b 60. Ezech. XXXV, 15. 446, b 5.

ἐπίχειρα II Macc. XV, 33. 788, b 52. ἐπίχειρα τυραννικῆς φιλίας Dan. p. 453, a 13. Sirach. VII, 4. 622, a 29, 30.

ἐπιχείρημα II Macc. XV, 33. 788, b 51, 52.

ἐπιχορηγία Sirach. XXV, 29. 30. p. 663, a 2.

ἐπόπτης II Macc. III, 39. 766, b pen.

ἔπου Θεῷ Gen. XII, 1. 11, a 39.

ἐπουράνιος Pſalmo CXIII, 4. 241, b 29.

ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας Ezech. XXI, 22. 426, a 48. ἑπτὰ τῶν Περσῶν Eſth. I, 13. 198, b 27.

ἑπτὰς olim σεπτὰς, unde, *Exodi* XX, 10. 47, a 2, 3.

ἐπώνυμος κλήρων ἑορτὴ Eſther. Addit. XVI, 22. 588, b 38.

ἐρανισμὸς Jobi XLII, 11. 220, b 59.

ἔργα τῆς γῆς. Jer. XIV, 4. 359, a 2. ἔργα ἰσχύος Sirach. XLV, 14. 701, a 54.

ἐργάζομαι Habac. I, 5. 536, a 50. Sirach. XXXIII, 26. 678, b 9. Baruchi II, 21. 715, a 24. ἐργαζόμενοι δεινότατα II Macc. IV, 45. 769, a 45, 46.

ἐργασία Sirach. XXXVIII, 32. 687, b 10. ἐργασία ὑφάντου Exodi XXVI, 1. 55, b 12.

ἐργοδιώκτης I Macc. I, 53. 726, a 12.

ἐργολαβεῖν· ἐργολάβος· ἐργολαβία Sirach. XXIX, 26. 670, b 3, 4, seqq.

ἔργον Exodi XX, 9. 45, b 39, 56. & verſ. 10. p. 46,

p. 46, a 18, 23. Oseæ XIV, 4. 503, a pen. Sirach. IX, 4. 626, b 40. Baruchi VI, 50. 720, a pen.
ἐργῶδες κλῆμα Sirach. XLII, 9. 695, a 43.
ἐριθίζω Oseæ IV, 18. 491, a 22.
ἐριθισμὸς Sirach. XXXI, 38. 675, a 29.
ἐρείπια Sirach. XLIX, 15. 709, a 32.
ἔρεμβοι Gen. XXII, 21. 16, b 16.
ἔρημος ἄβατος Sap. V, 7. 594, b 9, 10.
ἐρημόω Sirach. XXI, 5. 651, a 50. XLIX, 8. 708, b 27.
ἐρήμωσις II Par. XXX, 7. 188, a 45.
ἐριθεύομαι Tob. II, 19. 574, a 59.
ἔρις Sirach. XL, 4. 690, b 31. XLII, 25. 696, b 13.
ἔρχος πολὺ περιβάλλειν Sirach. L, 5. 709, b 38.
ἕρμακες, ἑρμαῖοι λόφοι, Ἑρμαῖα Prov. XXVI, 8. 256, a 56, seqq.
ἑρμηνεία Dan. I, 17. 454, b 30. ἑρμηνεία ἀποκαλύψεων II Par. XXVI, 5. 187, a 2.
ἑρμῆς ἀγοραῖος II Macc. X, 2. 777, b 23.
ἕρμων, ἑρμιῶν III Macc. p. 796, a 1.
ἑρπετὰ Baruchi VI, 19. 718, b pen.
ἔῤῥιψαν Sirach. X, 10. 628, b 15.
ἔῤῥωμαι ἢ καὶ ἐγὼ III Macc. p. 794, a 4. ἐῤῥώμεθα ἢ καὶ αὐτοὶ III Macc. p. 799, a 49.
ἐρυθρὰ θάλασσα I Macc. IV, 9. 732, a 3.
ἐρυμνὸν χωρίον II Macc. XI, 5. 779, b 33.
ἐρυσίβη Joel. I, 4. 504, a 45.
ἔρχεσθαι εἰς μεταμέλον III Macc. p. 791, b 57.
ἐρωδιὸς Zachar. V, 9. 552, a 13.
ἐρώτημα δήλων Sirach. XXXIII, 3. 677, a 32.
ἐσδρηλὼμ, & G. Pl. Ἐσδρεήλων (nisi f. Ἐσδρηλὼν, ut est in (cod. Vaticano) *Judith*. I, 9. 579, a 37. III, 14. 580, a 24.
ἐσεβὼν, Ἐσεβοῦς Jerem. XLVIII, 2. 389, a 48. I Macc. V, 26. 734, b 44, 45.
ἐσθίοντες ἄρτον Sirach. XX, 18. 649, b 50.
ἐσκεμμένως ποιεῖν Baruchi I, 19. 714, a 45.
ἐσκευασμένον ἔργον μυρεψοῦ Sirach. XLIX, 1. 708, a 47, 48.
ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον Sap. VII, 26. 597, a 51, 52.
ἐσσαῖοι sive Ἐσσηνοί I Macc. II, 42. 728, b 6.
ἐσιαβεία Jer. XL, 5. 384, a 1.
ἐσχάτη κακὴ τύχη Sirach. XXV, 4. 661, a 1.
ἐσχατόγηρως Sirach. XLI, 4. 692, b 51, 52.
ἔσχατοι Esa. LVIII, 8. 330, b 8.
ἐτάζω Esther. II, 23. 199, a pen.
ἑταίρα II Macc. VI, 4. 771, b 6, 8.
ἑταῖρος Sirach. XL, 23. 691, b 59. I Macc. VI, 14. 736, b 43.
ἐτασμὸς Sirach. XXIII, 11. 655, b 55.
ἑτερόγλωσσος Ezech. III, 5. 404, a 26.
ἑτοιμάζειν & ἑτοιμάζεσθαι Psalmo V, 4. 222, b 15. Sirach. XXXIII, 4. 677, a 49. III Macc. p. 797, a 9. ἑτοιμάζειν γῆν καὶ ὕδωρ Judith. II, 5. 579, b 4. ἑτοιμάζειν οἰκίαν Tobiæ XI, 3. 577, b 13, 14.
ἕτοιμος Judith. IX, 5. 583, a 19. ἕτοιμος εἰς μάστιγας Psalmo XXXVIII, 18. 229, b 6.
εὖ ποιεῖν τινι Sirach. XXXIX, 15. 688, b 17. εὖ πράττειν II Macc. IX, 19. 777, a 4.
εὐαρεία Sirach. XXXVIII, 7, 8. 685, b 41.
εὐαπάντητος II Macc. XIV, 9. 785, b 9.
εὐάρεστος Θεῷ Sap. IV, 10. 593, a 57.
εὐγένειαν δοξάζει Sap. VIII, 3. 597, b 36.
εὐγενὴς Dan. VIII, 24. 471, b 33. Sirach. XLVII, 26, 27, 28. p. 706, a 49.
εὔγεως κλῆρος Sirach. XXVI, 23. 665, a 49.
εὐδοκεῖν Sirach. XXV, 18. 662, a 11. εὐδοκεῖν δόξαν III Macc. p. 791, b 21. εὐδοκεῖν ἔν τινι Aggæi II, 24. 547, b antep. I Macc. X, 47. 747, b 58, 59.
εὐδοκητὸς Sirach. XV, 16. 639, a 45.
εὐδοκία Sirach. II, 19. 813, a 56. XVIII, 31. 645, b 40. XXXIII, 14. 677, b 49.
εὐδοκιμεῖται Sirach. XL, 25. 692, a 24.
εὔδοκιμοι καθεστήκεισαν III Macc. p. 793, b 5.
εὐέλπιδες καθεστήκεισαν III Macc. p. 793, a 9.
εὐεξία Sirach. XXX, 15. 672, a 24.
εὐεργετέω Psalmo XIII, 6. 223, b 55, 56.
εὐεργετεῖν λαὸν Sap. XVI, 1. 605, b 22, 23.
εὐεργετεῖσθαι μεγάλα Sap. III, 5. 591, b 42, 43.
εὐεργέτης Oseæ VIII, 3. 494, b 57, 58. Esth. Addit. XVI, 3. 588, a 6. I Macc. XIII, 42. 756, b 26. II Macc. IV, 2. 767, a 6. III Macc. p. 794, a 18. p. 798, b 18.
εὐθανασία Jobi XXI, 13. 209, b 44.
εὐθύνειν Sirach. II, 2. 612, b 26. XXIX, 24. 670, a 52. εὐθυνούσας ὁδοὺς Sirach. XLIX, 11. 708, b 55.
Εὐιλμαρωδάχος, Εὐιλμαλύραχος, Γλαμαρώδαμος, Ἀβιλαμαρώδαχος, Εὐιαλμαραδὶκ IV Reg. XXV, 27. 175, a 21, seqq.
εὐκατάλλακτος III Macc. p. 796, a 50.
εὐκλεὴς μοῖρα I Macc. III, 59. 731, b 20.
εὐκληματοῦσα Oseæ X, 1. 497, b 13.
εὐλάβεια τιμωρίας I Macc. I, 45. 725, b 27.
εὐλαβεῖσθαι Sophon. I, 7. 541, b 8. Sirach. VII, 6. 622, a 57. XXIX, 10. 669, b 39. εὐλαβεῖσθαι ἀπὸ προσώπου Habac. II, 20. 539, a 48.
εὐλίμενος πόλις I Macc. XV, 23. 760, a 34.
εὐλογεῖν Tobiæ VII, 7. 576, b 7. IX, 10. 577, a 43. Sirach. XXXI, 28. 674, b 22. I Macc. II, 36. 728, a 2. εὐλογεῖν τὸν λαὸν Sirach. XLV, 19. 701, b 26, 27. εὐλογοῦντες Psalmo XXXVII, 21. 229, a 15, 16.
εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς & εὐλογημένοι ὑπ' αὐτοῦ Ibid. lin. 17, 22.
εὐλογία Deut. XXI, 23. 96, b 59. Zach. XIV, 17. 565, a 13. Sirach. XLIV, p. 698, b 44. XLV, 1. 700, b 4. XLIX, 12. 709, a 7. L, 23. 710, b 47. I Macc. III, 7. 730, a 18, 19. XIV, 10. 757, b 13. εὐλογία παρ' ἀνθρώπων Sirach. III, 10. 614, a 17, 18.
εὐμεγέθης I Reg. IX, 2. 122, b 9.
εὐμενὴς Sirach. XIX, 18. 647, a 45. II Macc. XII, 2. 781, a 14.
εὐνοεῖν βασιλέως προστάγμασι III Macc. p. 799, b 50, 51.
εὔνοια Exodi XXI, 10. 52, b 10. III Macc. p. 799, b 22.
εὐοδία Sirach. XX, 9. 649, a 21. XXXVIII, 12, 13. p. 686, a 16.
εὐοδοῦν, εὐοδοῦσθαι, εὐοδεῖσθαι Tobiæ IV, 20. 575, b 15. Sirach. XI, 17. 631, b 31. XXXVIII, 12, 13. p. 686, a 18. XLI, 2. 692, b 36. XLIII, 28. 698, a 38, seqq. εὐοδοῦσθαι ἐν χερσί τινος I Macc. XIV, 36. 758, a 62, 63.
εὔορκος Eccles. IX, 2. 264, a 62.
εὐπαθεῖν Psalmo XCII, 15. 238, b 43, 44.
εὐπάθειαι Jer. LI, 47. 399, a 7.
εὐπειθὴς Baruchi VI, 60. 720, b 33.
εὐπορίζειν Sap. X, 10. 599, b 59.
εὐπραξία δικαίων III Macc. p. 793, a 59.
εὐπροσήγορος Sirach. VI, 5. 620, a 7.
εὕρεμα vel εὕρημα Jer. XXXIX, 18. 383, b 31. Sirach. XX, 9. 649, a 25. XXXV, 12. 681, a 48, 51.
εὕρεσις παραβολῶν Sirach. XIII, 32. 636, a antepenult.
εὑρίσκειν καιρὸν Sirach. XIX, 24, 25. p. 648, a 19. εὑρέθην Esa. LXV, 1. 338, b 7.
εὐσέβεια Sirach. XXV, 13. 661, b 57. II Macc. III, 3. 765, b 26.
εὐσεβὴς Sirach. XII, 4. 633, a 41. XVI, 14. 640, b 13, 14. XXIII, 16. 656, a 39. XXXIX, 32. 689, b 17.
εὐσεβίης χάρις ἐσθλή Sirach. XLI, 16. 693, b 30.
εὔσκιον ὕψος Oseæ IV, 13. 490, b 8.
εὐστάθεια III Macc. p. 794, b 28.
εὐσταθὴς Sirach. XXVI, 23. 665, a 40, 43.
εὔστοχος Sap. V, 22. 595, a 5. εὔστοχοι βολίδες Ibid. lin. 4, 5.
εὐσυμπερίφοροι II Macc. IX, 27. 777, a 57.
εὐτακτεῖν II Macc. IV, 27. 768, b 18.
εὐταξία II Par. IX, 5. 182, a 46.
εὐτελὴς Sap. X, 4. 599, a 58. XI, 16. 600, b 33.
εὐτελίζω Esa. LXVI, 15. 341, b 19.
εὐφημεῖν ταῖς πανηγύρεσι Nehem. VIII, 10. 195, b 56.
εὐφραίνεσθαι Sirach. XXXIX, 37. 689, b 58.
εὐφροσύνη καρδίας Sirach. L, 25. 711, a 5. εὐφροσύνη αἰῶνος καὶ ἔλεος Sirach. II, 9. 613, a 17.
εὐφυὴς Judith. VIII, 1. 581, b 58. Sap. VIII, 19. 598, a 45.
εὐχαριστία Sirach. XXXVII, 12. 684, a 28. εὐχαριστία τῶν πολλῶν II Macc. II, 28. 765, a 3.
εὐχαριστικὸν Oseæ XIV, 3. 503, a 48.
εὔχρηστοι εἶναι II Macc. XV, 11. 787, b 37. εὔχεσθαι κατὰ πρόσωπον Θεοῦ Sirach. XVII, 22. 643, a 41.
εὐχὴν ἀποδοῦναι Sirach. XVIII, 22. 645, a 28.
εὐχητήρια III Macc. p. 800, b 15.
εὐχρηστία III Macc. p. 793, a 20.
εὐωδιάζω Sirach. XXXIX, 18. 688, b 37.
ἐφηβεῖον II Macc. IV, 9. 767, a 23.
ἔφηβος II Macc. IV, 12. 767, a 55.
ἐφημερία Nehem. XII, 9. 197, a 17, 18. Jer. XX, 1. 364, a 53. XXI, 1. 365, a 58. I Macc. II, 1. 726, b 51. X, 42. 747, b 17, 18. II Macc. VI, 4. 771, b 14.
ἐφίεσθαι λέγειν Sirach. XX, 5. 648, b 58.
ἐφικτὸν II Macc. XV, 39. 789, b 6.
ἐφιστάναι Jer. XXI, 2. 365, b 1. ἐπὶ κοίτην Sirach. XLI, 27. 694, b 3, 4.
ἐφίστασθαι ψυχὴν aut τοῦ Sirach. XII, 11. 633, b 45.
ἐφοδεία II Macc. XIV, 17. 785, b 41.
ἐφοδιάζω· ἐφοδιαστὴς II Macc. XIV, 17. 785, b 43, 44.
ἔφοδος κενὴ I Macc. IX, 68. 744, b 55, 56.
ἔφορος & ἔφοροι Baruchi VI, 6. 718, a 53. I Macc. XII, 6. 752, a 58.
ἐφορῶν τὰ πάντα II Macc. XII, 22. 782, a 4.
ἐφρὼν II Macc. XII, 36. 782, b 14.
ἐφύβριστος Sap. XVII, 7. 607, a 5.
ἐφ' ᾧ III Macc. p. 794, b 44.
ἔχειν κακοῦν I Macc. IX, 51. 744, a 33, 34.
ἔχειν τὸ κακὸν III Macc. p. 794, a 53.
ἐχθραίνειν καταφθορὰν Sirach. XXVIII, 6, 7. p. 668, a 3.
ἐχθρὸς Sirach. LI, 12. 711, b 49. ἔχθιστα Sap. XV, 18. 605, a 59.
ἐχῖνοι Esa. XXXIV, 11. 206, a 37.
ἔψομαι· ἡψημένα κρέα II Macc. VI, 21. 772, b 24.
ἕωλον Esa. LXV, 4. 338, b 52. Ezech. IV, 14. 406, b 18.
ἕως Sirach. XLII, 21. 696, a 50. ἕως ᾅδου καταβιβάζεσθαι Ezech. XXVI, 20. 434, b 18. ἕως αἰῶνος Sirach. XLIV, 13. 699, a 61. XLVIII, 28. 708, a 35, 36. ἕως καιροῦ συντελείας Dan. XII, 4. 484, b 20. ἕως ἔτη I Macc. XIV, 10. 757, b 12. ἕως πότε I Macc. II, 33. 727, b 57. ἕως Σεφραθὰ Abdiæ I, 20. 519, b 12.

Z.

Z pro ז Hebræo *Ezech.* XXV, 9. 432, b 43.
Ζάβδιηλος I Macc. XI, 17. 749, b 55.
ζάω Sirach. XXXIX, 12, 13. p. 688, b 8. ζῆν ζωῇ Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 28, 29.
ζέα sive ζειὰ Esa. XXVIII, 25. 299, a ult. Ezech. IV, 9. 406, a 28.
Ζεὺς Jer. L, 2. 394, a 18. Baruchi VI, 40. 719, b 55. Ζεὺς ἀγοραῖος II Macc. X, 2. 777, b 23. Ζεὺς ἑρκεῖος Ibid. lin. 22. Ζεὺς ξένιος II Macc. VI, 2. 771, b 1. Ζεὺς ὀλύμπιος Dan. XI, 38. 482, b 33, 34. II Macc. VI, 2. 771, a 52.
ζῆλος Cantici VIII, 6. 270, a 43. Sirach. XXVI, 8. 664, a 39.
ζηλοῦν Sap. I, 12. 589, b 3. & vers. 16, b 57. Sirach. IX, 16. 627, b 16. I Macc. II, 24. 727, b 28. ζηλοῦν τὸ ἀγαθὸν Sirach. LI, 24. 712, a 51. ζηλοῦν τῷ νόμῳ I Macc. II, 50. 728, b 45.
ζηλωταὶ νόμου Sap. I, 12. 589, b 4. II Macc. IV, 2. 767, a 8.
ζητεῖν εὐδοκίαν Sirach. II, 19. 613, a 55, 56. ζητεῖσθαι Sirach. XXXIX, 12, 13. p. 688, b 7.
ζίζα Ezech. XXV, 9. 432, b 42.
ζυγὸς Sirach. XXVIII, 29. 669, a 14.
ζυγομαχεῖν Lamentat. III, 28. 272, b ult.
ζωαρὰ Jer. XLVIII, 25. 390, a antepen.
ζωγραφεῖσθαι II Macc. II, 30. 765, a 33.
ζωγραφία Sap. XIV, 20. 603, b ult.

ζωγρίω III Reg. xx, 18. 155, b 36.
ζωὴ Sirach. xxiii, 1. 654, b 46, 48. ζωὴ καὶ πνοὴ II Macc. vii, 22. 773, b 25. ζωὴ πτωχοῦ Sirach. iv, 1. 616, a 6.
ζωὴ N. Pr. Gen. iii, 20. 6, a 16.
ζῶντες τεθνήκασι Sirach. xxii, 11, 12. p. 653, a 49.
ζώωσις Gen. xlv, 5. 24, b 29.

H.

Ἡ ἵππος I Macc. vi, 38. 737, b 45. x, 82. 749, a 29. ἡ πρὸ τοῦ σαββάτου II Macc. viii, 26. 775, b 5.
ἡγεμονία τεταγμένη Sirach. x, 1. 627, b 32.
ἡγεμονίδην II Macc. xiii, 24. 784, b 47.
ἡγεμονικὸν Sirach. xvii, 5. 642, a 31. ἡγεμονικὸν πνεῦμα Psalmo li, 14. 231, b 57, 58.
ἡγεμὼν Psalmo xxxvii, 20. 229, a 7, 8. Aggæi i, 1. 545, b 19. ἡγεμόνες τῆς ἁπάσης δυνάμεως I Macc. xi, 70. 752, b 6, 7.
ἡγούμενος Jobi xli, 16. 220, a 26. Dan. iii, 2. 457, b 47. Sirach. x, 24. 629, a 51. xvii, 14, 15. p. 642, b 37. xxxii, 1. 675, b 6. Adj. Dan. iii, 38. 721, a 37. ἡγούμενος δυνάμεων πασῶν I Macc. xiii, 54. 757, a 26, 27. ἡγούμενοι τῶν παρατρεχόντων III Reg. xiv, 27. 152, a 19, 20. ἡγούμενος συστρεμμάτων II Reg. iv, 1. 132, a 55, 56.
ἤδη vide in εἰδέναι.
ἡδέως γίνου vel ἦσθι Tob. vii, 9. 576, b 27.
ἡδύνεσθαι Jobi xxiv, 5. 210, b 49. ἡδυνθήσονται Psalmo cxli, 6. 245, b 45.
ἡδὺς Ibid. lin. 48.
ἠθικὴ Sap. vii, 19. 596, b pen.
ἡλιούπολις Jer. xliii, 13. 386, a 8. Amosi i, 5. 509, b 60.
ἤμελλε, vide Μέλλω.
ἡμέρα ἀγαθῶν, κακῶν Sirach. xi, 27. 632, a 41. ἡμέρα ἀδικίας Judith. vi, 6. 581, a 19, 20. ἡμέρα ἀριθμῶν Num. ix, 20. 74, a 4. ἡμέρα γενέθλιος κατὰ μῆνα II Macc. vi, 7. 771, b 33, 34. ἡμέρα διαγνώσεως Sap. iii, 18. 592, b 28, 29. ἡμέρα τελευτῆς Sirach. xi, 28. 632, a 48, 49. xviii, 24. 645, a 47, 48. ἡμέραι ἀποδεδειγμέναι I Macc. x, 34. 746, b 46. ἡμέρας ἄγειν III Macc. p. 799, a 20. p. 800, a 27.
ἡμίνη Levit. xix, 36. 68, b 13, 14.
ἡμίονος IV Reg. v, 17. 160, b 20. Dan. ii, 39. 456, b 19.
ἡμισεύω Psalmo lv, 24. 232, a 27.
ἥμισυ καρποῦ I Macc. x, 30. 746, a 18.
ηνος terminatio *Jer.* xlix, 28. 393, a 59.
ἡπατοσκόποι Dan. ii, 27. 455, b 55.
ἡραῖον I Reg. xxxi, 10. 130, b 38.
ἡρακλῆς ἀνίκητος II Macc. viii, 23. 775, a 54.
ἡσυχία Sirach. xxviii, 20. 668, b 24.
ἡττώμενος ἐν συνέσει Sirach. xix, 21. 647, b 35.
ἠχέω Esa. xiii, 21. 285, b 11.
ἦχος Esa. xiii, 21. 285, b 10. Sap. xix, 17. 609, b 37. Sirach. xlvii, 11. 705, a 23.

Θ.

Θα terminatio I *Macc.* xii, 7. 753, a 28.
θάλασσα Sap. xiv, 3. 603, a 43. Sirach. xxxix, 35. 689, b 40.
θαλαμευόμεναι III Macc. p. 790, b 47.
θαλγαθφελλασάρ, vel θεγλαφαλλάσαρ IV Reg. xv, 29. 167, b 35, 36.
θαλία Sirach. xiii, 10. 635, a 21.
θάλλω Sirach. xiii, 32. 636, a 60.
θαλλοὶ τοῦ ἱεροῦ II Macc. xiv, 4. 785, a 44.
θαμναθᾶ, — θὰ, — σὰ I Macc. ix, 50. 744, a 15, seqq.
θάνατος Ezech. xiv, 19. 415, b 58.
θάπτοντες Ezech. xxxix, 15. 450, a 57.
θάρσει Baruchi iv, 5. 717, a 29.
θαρσῆς, aut Θαρσὶς Judith. ii, 13. 579, b 41.
θάρσος Sap. xii, 17. 601, b 44. Sirach. xl, 26. 692, a 33.
θασσὶ I Macc. ii, 3. 727, a 14.
θαῦμα Sirach. xl, 7. 690, b 56.
θαυμάζω Esa. lii, 15. 523, a 61, 62. Sirach. vii, 31. 624, a 31, 32. xi, 22. 632, a 10. xl, 7. 690, b 53.
θαυμάσιος Sirach. xlii, 17. 696, a 14.
θαυμαστὸς Esa. xxii, 23. 293, a 19.
θαυμαστόω Sirach. xliii, 8. 697, a 15.
θεατρίζειν Jobi xxxiv, 26. 215, a 15.
θεᾶσθαι κόραις ὀφθαλμῶν III Macc. p. 797, b 22.
θεήλατον Joel. ii, 20. 506, b 50.
θειασμὸς Sap. xii, 5, 6. p. 601, a 51.
θεὶς παρεμβολὰς Judith. xvi, 4. 585, b 18, 20.
θέλγητρον Sirach. xxxi, 2. 673, a 37.
θέλημα προηγούμενον, ἑπόμενον ......
θεληταὶ Levit. xix, 31. 68, a 59. θεληταὶ νόμου I Macc. iv, 42. 732, b antep.
θέλω I Macc. iv, 42. 732, b pen. θελήσῃς εἰ μὴ ἐγεννήθης Sirach. xxiii, 18, 19. p. 656, a ult.
θεμέλιος vel θεμέλιον Ezech. xxvi, 20. 434, b 15. θεμέλιος αἰώνιος Prov. x, 25. 249, b 5, 6. θεμέλιον αἰῶνος Sirach. i, 14. 611, b 1.
θεμελιοῦν Esa. li, 16. 322, b 8. θεμελιοῦν τὰ ἀγαθὰ Judith. xv, 9. 585, a 47.
θεν terminatio I Macc. xii, 7. 753, a 28.
θεόδοτος II Macc. xiv, 19. 785, b 51.
θεοκρατία Sirach. xvii, 14, 15. p. 642, b 41.
θεομάχοι Deut. ii, 11. 83, b 14, 15.
θεοπλαστεῖν Sap. xi, 16. 600, b 36.
θεὸς Exodi xx, 1. 34, b antep. θεὸς ἀπὸ μηχανῆς III Macc. p. 793, a 11. θεὸς ἐπουράνιος III Macc. p. 799, b 16. θεὸς μέγιστος III Macc. p. 790, a 47. p. 800, b 25. θεὸς πάσης τῆς γῆς Sirach. xlvii, 19, 20. p. 705, b 42. θεὸς σωτὴρ Habac. iii, 18. 540, b 50, 51. θεὸς ὕψιστος III Macc. p. 790, a 49. θεοῦ εἶπε Gen. xii, 1. 11, a 39. Eccles. xii, 8. 267, a 16. Sirach. iv, 15. 616, b 34. Θεὲ III Maccab. p. 797, b 51.
θεόσδοτοι ὄνειροι II Macc. xv, 11. 787, b 32.
θεοστυγεῖς Sirach. xxvii, 27. 667, a 31.
θεραπεία ἐφθαρμένων IV Reg. xii, 8. 165, b 15.
θεραπεύω Sirach. xxxv, 20. 681, b 29. θεραπεύσεις Exodi xx, 3. 37, b 8.
θέριστρον Gen. xxiv, 65. 17, b 9. θέριστρα κατάκλιτα Esa. iii, 23. 276, b 16.
θερμαίνειν κοπετὸν Sirach. xxxviii, 17, 18. p. 686, a 57, 58.
θέρμη Jer. lii, 18. 400, a 43.
θεσμοὶ Sap. xiv, 23. 604, a 28. θεσμοὶ παράνομοι II Macc. iv, 11. 767, a 51.
θεωρηματικοὶ ὄνειροι Num. xii, 8. 75, a 24, 25.
θεωρία II Macc. v, 26. 771, a 17. xv, 12. 787, b 41.
θεωρὸς II Macc. iv, 19. 767, b 54.
θήκη Jobi xx, 25. 209, a pen. Esa. vi, 13. 278, b 19.
θημωνία Sirach. xx, 30. 650, b 50. xxxix, 22. 689, a 11.
θῆρες ἄγνωστοι Sap. xi, 19. 600, b 48.
θηρευτὴς πέρδιξ Sap. xi, 32. 632, b 31, 32.
θηριακὴ Sirach. xii, 13. 634, a 15.
θηρίον & θηρία Prov. xix, 12. 253, b 25. Esa. xiii, 21. 285, b 7. Jer. iv, 7. 347, b 24, 25. l, 17. 394, b 55. Sirach. xii, 13. 634, a 14. I Macc. vi, 35. 737, a 58. xi, 56. 751, b 11. III Macc. p. 798, b 1.
θησαυρίζω Sirach. iv, 21. 617, a 26. θησαυρίζειν ὀργὴν Mal. iii, 5. 570, b 12, 13.
θησαυρὸς Sirach. xxv, 19. 662, a 18. I Macc. iii, 28. 730, b 1. θησαυρὸς ἀπόκρυφος I Macc. i, 24. 724, b 61.
θητεύειν III Reg. ix, 21. 148, a 10.
Θίσβη Tobiæ i, 1. 573, a 24.
θλίβω Lev. xxv, 17. 70, b 37. Psalmo vii, 5. 222, b antepen. I Macc. ix, 68. 744, b 55. II Macc. xi, 5. 779, b 36. Zach. xii, 2. 560, b penult. θλίβων Jerem. xxv, 38. 371, a 19.
θλίψις καὶ ἀκμὴ II Macc. i, 7. 762, b 60, 61.
θνησείδια Lev. xvii, 15. 66, a 7.
θοάνα Ezech. xxvii, 15. 436, a 29.
θοβὰλ Ezech. xxxviii, 2. 448, a 34.
θόρυβος νέων ἀνδρῶν Sirach. xlvii, 26, 27, 28. p. 706, a 55. θόρυβος πανικὸς IV Reg. vii, 6. 162, a 2.
θράσος ἰσχύος I Macc. iv, 32. 732, b 11, 12.
θρασὺς Sirach. iv, 34. 618, a 8. θρασεῖα Sirach. xxii, 5. 653, a 5.
θρασύσπλαγχνος Sirach. xli, 10. 693, a 45.
θραύω Judith. ix, 13. 583, a 31. III Macc. p. 798, a 7.
θρεπτὴρ Esth. ii, 7. 199, a 19.
θρηνέω Jer. xlvii, 2. 388, b 40. li, 8. 396, b 57.
θρῆνος I Macc. ix, 41. 743, b 27. θρῆνος ἀνθ' ὑμεναίων III Macc. p. 795, a 37.
θρησκεία Exodi xx, 3. 38, a 40.
θελκτὸς Esa. lvi, 7. 327, a 39. III Maccab. p. 790, b 19.
θρυλλεῖν III Macc. p. 793, b 14.
θύαι IV Reg. xii, 13. 165, b 49.
θυγάτηρ τῆς ἰταμίας Jer. xlix, 4. 392, a 55.
θύειν Tobiæ vii, 9. 576, b 20. quid propriè, *Exodi* xxx, 1. 56, b 42. θύειν εἰς τὰ ἱερὰ III Macc. p. 792, a 35. θύειν εἰς φρέαρ Jer. xli, 7. 384, b 12. I Macc. vii, 19. 739, b 5, 6. θύειν σῦς I Macc. i, 50. 725, b 46.
θυηπολίαι ἀφρόνων Esa. lxvi, 3. 340, b 34.
θυίσκη I Macc. i, 23. 724, b 39.
θυμίαμα I Macc. iv, 50. 733, a 48. θυμίαμα προσφερόμενον Judith. ix, 1. 582, b 51, 52.
θυμιάω Tobiæ vii, 9. 576, b 22. Baruchi vi, 42. 720, a 19, 20, 22.
θυμὸς Malach. ii, 15. 569, a 60. Sirach. xl, 4. 690, b 27, 28. II Macc. x, 28. 778, b pen. θυμὸς θηρίων Sap. vii, 20. 596, b 57. θυμὸς νεόκτιστος Sap. xi, 19. 600, b 48.
θυμοῦσθαι Sirach. xx, 1. 648, b 25.
θυμώδης Sirach. i, 28. 611, b ult.
θύρα Sirach. xxi, 26. 652, a pen.
θυρὶς Tobiæ iii, 11. 575, a 7.
θυρσὸς Esa. xliv, 14. 315, a 10. Judith. xv, 15. 585, a 57.
θυρσοφορεία Deut. xvi, 13. 88, b 27. Judith. xv, 15. 585, b 1.
θυσία Gen. xiv, 18. 12, a 56. Exodi xx, 5. 42, a 8. Levit. ii, 13. 61, a 8. II Reg. xiv, 17. 137, a 55, seqq. Esa. lvii, 6. 328, a 45. θυσία περὶ τοῦ βωμοῦ I Macc. iv, 56. 733, b 21, 22. θυσία ἐνδελεχισμοῦ Sirach. xlv, 17. 701, b 13, 14. θυσία σεμιδάλεως Sirach. vii, 33, 34, 35. p. 624, a 60. θυσία σωτηρίου I Macc. iv, 56. 733, b 28. θυσίαι καθημεριναὶ Dan. viii, 12. 470, b 5. xi, 31. 481, a 46. θυσίαι σωτήριοι Amosi v, 22. 513, b 16.
θυσιάζων σωτήρια Sirach. xxxv, 2. 680, b 40, 41.
θῦται Dan. ii, 27. 455, b 52.
θύω, vide θύειν.
θωρακίζεσθαι· τεθωρακισμένοι I Macc. vi, 35. 737, b 10.
θωράκιον Deut. xxii, 8. 97, a 48.
θώραξ ἁλυσιδωτὸς I Maccab. vi, 35. 737, b 12, 13.

I.

Ἰαδδοῦς Nehem. xii, 11. 197, a 21.
ἰαδοὺ Neh. xii, 11. 197, a 20. Jer. xlviii, 21. 390, a 27.
ἰαζὴρ, ἰαζωρὸς I Macc. v, 8. 734, a 47, 48.
ἰάματα Esa. lviii, 8. 330, a 52, 57.
ἰάμνεια, Γαμνία· Γάμνεις I Macc. iv, 15. 732, a 17, 18. II Macc. xii, 32. 782, a 57, 59. II Macc. xii, 40. 782, b 41, seqq.
ἰαυὰν Ezech. xxvii, 19. 436, b 45, 52.
ἰαρεὶβ Oseæ v, 13. 492, a 27.
ἰασιὴλ Tobiæ i, 1. 573, a 19.
ἴασις Nahumi iii, 19. 535, b 31. Sirach. iii, 30. 615, b 25.
ἴασπις I Macc. xii, 7. 753, a 45.
ἰατρὸς κακῶν Sirach. xxx, 17. 672, a 32.
ἰδάρα Jer. xlviii, 32. 390, b 58.
ἴδε ἄνθρωπος Zachar. vi, 12. 552, b 57.
ἰδέα Dan. i, 15. 454, b 8.
ἰδεῖν, vide εἴδω.
ἰδία οἰκία III Macc. p. 800, a 25.
ἴδιος λόγος III Macc. p. 798, b 43.
ἰδιώτης Ezech. xliii, 19. 451, b 50.

ἰδουμαία

ἰδυμαία II Macc. XII, 32. 782, a 56. & verſ. 40. p. 782, b 47.
ἰεβάλ Levit. XXVI, 4. 71, a 46.
ἱερὰ καὶ ἄσυλος I Macc. X, 31. 746, b 4.
ἱερατεία Oſeæ III, 4. 489, a 41.
ἱερατεῦσαι III Macc. p. 790, b 16.
ἱερεὺς φωτίζων Nehem. VII, 65. 195, b 15.
ἱερεῖς III Macc. p. 797, b 38. p. 800, a 6.
ἱερὸν I Macc. VI, 54. 738, b 12. ἱερὸν δεύτερον I Macc. IX, 54. 744, a 59.
ἱεροσόλυμα I Macc. II, 37. 728, a 16.
ἱερουργία II Macc. XV, 12. 787, b 55.
ἱερώματα εἰδώλων II Macc. XII, 40. 782, b 41.
ἱερωσύνη Jer. XXXIII, 24. 379, b 56.
ἰησοῦς Joſ. I, 1. 103, a 3. II Macc. p. 762, a 48.
ἱκανὸν Deut. XVI, 10. 88, b 17. Sirach. XXIX, 30. 670, b 34.
ἱκεσία I Macc. XV, 23. 760, a 49.
ἱκέται ἐπορεύθημεν Malach. III, 14. 571, a 39.
ἴκτερος Amoſi IV, 9. 512, b 6.
ἴκτινος Eſa. XXXIV, 15. 306, b 13.
ἶλ Deut. XVIII, 10. 92, a 37, 62, ſeqq.
ἱλαδὸν Sirach. XXI, 11. 651, b 29.
ἱλαρὸν πρόσωπον Sirach. XIII, 32. 636, a 59.
ἱλαρόω Sirach. XLIII, 24. 698, a 1.
ἱλάσκομαι IV Reg. V, 18. 160, b 45.
ἱλασμὸν ποιεῖν II Macc. III, 33. 766, b 48. 49.
ἱλασμὸς Ibid. lin. 50.
ἵλεως ἡμῖν I Macc. II, 21. 727, b 15.
ἰλμαρώδαμος IV Reg. XXV, 27. 175, b 2.
ἰλὺς Exodi XX, 10. 46, b 37.
ἱμάντωμα Sirach. XXII, 19. 653, b 30.
ἱμάντωσις Habac. II, 11. 538, b 20. Sirach. XXII, 19. 653, b 29.
ἰν terminatio I *Macc.* XII, 7. 753, a 29.
ἵνα μὴ ἀφανισθῇ Sirach. XLV, 31. 702, b 26, 27.
ἴνδαλμα Sap. XVII, 3. 606, b 49.
ἰνδὸς I Macc. VI, 37. 737, b 30.
ἰόππη I Macc. X, 75. 748, b 31.
ἰὸς Ezech. XXIV, 6. 431, a 28. Sirach. XII, 11. 633, b 55. ἰὸς ἀσπίδων Sirach. XII, 11. 633, b 56.
ἰουδαῖος II Macc. VI, 6. 771, b 32.
ἵππος εἰς ὀχείαν Sirach. XXXIII, 6. 677, a 60.
ὕπποι Gen. XXX, 39. 19, b 7. vide & ἡ ἵππος.
ἴσης τε δὴ τοῖς Μακεδόσι τιμῆς III Macc. p. 792, b 46, 47.
ἰσηγορεῖσθαι Sirach. XIII, 14. 635, a 39, 40.
ἰσηγορία Ibid. lin. 46.
ἰσομοιρεῖν Sirach. XXXIII, 15. 678, a 11.
ἰσοπολῖται II Macc. IX, 15. 776, b 58. ἰσοπολῖται Ἀλεξανδρεῦσι & Μακεδόσι III Macc. p. 792, b 39, ſeqq.
ἰσόρροπος τιμὴ Sirach. VII, 30. 624, a 18, 19.
ἰσραηλίδιον Eſa. XLIV, 2. 314, a 49.
ἱστάναι Eſa. XLIV, 11. 314, b 52. LI, 16. 322, b 8. Sirach. XLVII, 11. 705, a 19. I Macc. VI, 59. 738, b 33. VII, 49. 740, a antep. ἱστάναι ἐλευθερίαν I Macc. XIV, 26. 758, a 2. ἱστάναι ἱερωσύνην I Macc. VII, 9. 739, a 30, 31. XIV, 38. 758, b 11, 12. ἵστησι Sirach. XLIV, 22. 699, b 59. στῆσαι Sirach. VIII, 1, 2. p. 625, a 3. στῆσαι στάσιν Dan. VI, 7. 464, a 11. στῆσαι τρόπαιον II Macc. XV, 6. 787, b 9, 10. σταθῆναι Pſalmo I, 5. 221, a 60.
ἱστορίαι θεοφιλεῖς Sirach. p. 610, a pen. ἱστορίαι μικραὶ Ibid. lin. ult.
ἰσχναίνειν Sirach. XIX, 28. 648, b 11.
ἰσχυρὸν φυλάττειν Sap. X, 5. 599, b 15. ἰσχυρότερα Sirach. III, 22, 23. p. 614, b 42.
ἰσχὺς Dan. I, 4. 453, b 51. Sirach. XVII, 3. 641, b 59, 62. XXVI, 23. 665, a 46. XXVIII, 12. 668, a 40. XXXVIII, 33. 687, b 18. XXXIX, 33. 689, b 28. XLIII, 34. 698, b 14. XLV, 9. 700, b 55. & verſ. 14. p. 701, a 54, 55. I Macc. VI, 47. 738, a 33. ἰσχὺς αὐξανομένη I Macc. XV, 3. 759, a 56.
ἰσχύω Sap. XIX, 19. 609, b 59.
ἕως ἔσται μακρόθυμος Dan. IV, 24. 461, a 2.
ἴυγγες Sap. IV, 2. 592, b 56.
ἰχθὺς ἀπὸ κεφαλῆς ὄζειν ἄρχεται Malach. I, 6. 566, b pen.
ἴχνος ἀλλοιώσεως Sirach. XXXVII, 21. 684, b 30. ἴχνος καρδίας Sirach. XIII, 32. 636, a 58, 59.
ἰὼ III Macc. p. 799, a 36.
ἰωάννης I Macc. VIII, 17. 741, b 29.
ἰωαρὶβ I Macc. XIV, 29. 758, a 33.
ἰώθαμος vel ἰωάθαμ IV Reg. XV, 32. 167, b 50.
ἰωνᾶς III Macc. p. 798, a 22.
ἰώσηφος II Macc. X, 19. 778, b 23, 24.

K.

Κάβειροι Gen. VI, 4. 8, b 40.
κάδης, Κάδης Tob. I, 1. 573, a 28. I Macc. XI, 63. 752, a 20. Κάδης Βαρνῆ Judith. V, 14. 580, b 48.
κάδος I Macc. XII, 7. 753, a 47.
καθαρός εἰμι ἀπὸ πάσης ἁμαρτίας ἀνδρὸς Tobiæ III, 16. 575, a 13.
καθαρίζω Exodi XXXIV, 7. 58, b 15. Deut. XXVI, 13. 100, a 27. καθαρίζων οὐ καθαριῶ Jer. XXX, 11. 374, a 53, 54. καθαρίσαι ναὸν I Macc. IV, 36. 732, b 22.
καθαρισμὸς Neh. IV, 23. 194, b 26. Amoſi IV, 6. 512, a 37.
καθαρὸς Sap. VII, 23. 597, a 22.
καθαρόω Dan. IV, 24. 460, b 54.
καθαρῶς ἐμμένειν τοῖς νόμοις III Macc. p. 793, b 22, 23. καθαρῶς μεταλλάσσειν II Macc. VII, 40. 774, a 30.
καθέδρα χλευαστῶν Pſalmo I, 1. 221, a 43, 44.
καθεὶς III Macc. p. 797, a 39.
καθίζειν ἐπ' ἐδάφους Sirach. XI, 5. 630, b 32, 33.
καθίστημι· καθιστάναι III Maccab. p. 795, b 49, 56. καθιστάναι βασιλέας Sirach. XLVI, 16. 703, b 49, 50. καταστῆσαι φυλὰς Ἰακὼβ Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 27.
καθόλου Sap. VII, 27. 597, b 3.
καθοσίωσις Joſ. I, 18. 103, a pen.
καθυβρίζω Zach. I, 19. 549, a 21.
καθυποστιβίζεσθαι IV Reg. IX, 30. 163, a 37, 38.
καθυστερίζειν Sirach. XXXVII, 23. 684, b 60.
καὶ Pſalmo LXXXIII, 9. 237, a 18. Sirach. I. 29. 612, a 9. X, 15. 628, b 57. XXV, 1. 660, a 52. XXVI, 21. 665, a 18. XLIV, 18, 19. p. 699, b 32. XLVII, 11. 705, a 23. καὶ abundans *Judith.* XI, 12. 584, a 13, 14, 17.
καί γε Pſalmo LXXXIII, 9. 237, a 17. καὶ ἐὰν Sirach. III, 15. 614 a 32.
καίειν I Macc. XII, 7. 753. a 37.
καινίζω Sirach. XXXVIII, 30. 687, a 55.
καιρὸς Pſalmo XXXI, 16. 227, b 22, 25. Eccleſ. VIII, 6. 263, a 35. Sirach. XXXIX, 34. 689, b 33. Baruchi I, 14. 714, a 24. καιρὸς ἐπισκοπῆς Sap. III, 6. 591, b 56. καιρὸς περιστείχων III Macc. p. 796, a 56. καιρὸς συντελείας Sirach. XXXIX, 34. 689, b 33, 34. καιρὸς χρείας Sirach. VIII, 12. 625, b 29. καιρὸν ἐξαγοράζειν Dan. II, 8. 455, a 41, 42. καιρὸν συντηρεῖν vel λαμβάνειν Sirach. IV, 23. 617, a 37, 39.
κακία Jonæ III, 10. 521, b 17. Sap. VII, 30. 597, b 14.
καχεξία Sirach. XIX, 5. 646, a pen.
κακουργία II Macc. III, 32. 766, b 41.
κακοποιεῖν τινα Sirach. XIX, 24, 25. p. 648,
κακὸς ἄγγελος Ezech. III, 14. 404, b 21. a 19. κακῇ κόρακος κακὸν αἰὸν II Maccab. XIII, 9. 784, a 13. κακὰ Sirach. VII, 1. 621, b 40. XII, 9. 633, b 25.
κακοῦργος Sirach. XI, 35. 633, a 8.
κακόω Sirach. VII, 22. 623, b 1. XXXIII, 32. 679, a 2. XXXVI, 11. 682, a pen. κακοῦν πόνοις Sap. XIX, 14, 15. p. 609, b 18.
κακῶς ἀπόλλυσθαι I Macc. I, 59. 726, a 53, 54.
κάκωσις Eccleſ. VIII, 6. 263, a 38. Sap. III, 2. 591, b 24. Sirach. XI, 29. 632, a 58. XIII, 15. 635, b 4. κακώσεως δίκη Sirach. VII, 22. 623, b 2.
καλαμᾶσθαι Deut. XXIV, 21. 99, a 2. Sirach. XXXIII, 16. 678, a 24.
καλάμη Deut. XXIV, 21. 99, a 1.
καλαφατεῖν Ezech. XXVII, 9. 435, a 58.
καλεῖν πρὸς ἔξοδον III Macc. p. 796, b 57.
καλλιεργεῖν Sirach. XVIII, 19, 20. p. 645, a 7.
κάλλος Sap. XIII, 3. 602, b 52. Sirach. XI, 2. 630, a 58. XL, 22. 691, b 49.
καλλιωνεῖν Sirach. XXXIX, 16. 688, b 25.
κάλυμμα Num. IV, 25. 72, b 13.
καλυπτὴρ Jer. LII, 18. 400, a 43.
καλῶς ἀκούειν Sirach. XLI, 15. 693, b 16.
κάμαλα Jer. XLVIII, 23. 390, a 43.
καμάραι IV Reg. XVII, 30. 169, a 44.
κάματος Sirach. XL, 27. 692, a 37.
κάμηλος Jer. II, 23. 345, a 27, 28. II Macc. XII, 11. 781, b 5.
κάμινος Sirach. XXXI, 31. 674, b 41. κάμινος διάπυρος III Macc. p. 798, a 12.
κάμπτειν Eccleſ. XII, 6. 266, b 53. κάμπτειν γόνυ ſive γόνατα III Reg. XIX, 18. 155, a 31, 32. III Macc. p. 791, a 28.
κάνδυς Eſa. XXVII, 11. 297, b 56.
κάνθαρος Habac. II, 11. 538, b 22.
κανοῦν Deut. XXVIII, 5. 100, b 11.
κανὼν Pſalmo XIX, 5. 225, a 52. I Macc. XII, 7. 753, a 43.
κάπη Sirach. XXVI, 28. 665, b 29.
καπηλεύειν Prov. XX, 14. 254, a 31.
κάπηλος Ibid. lin. 28.
καρδία Sirach. XVI, 23. 641, a 35, ſeqq. XIX, 12. 647, a 6. καρδία δειλὴ Sirach. II, 14. 613, a 32. καρδία δισσὴ Sirach. I, 36. 612, a 40. II, 14. 613, a 31. καρδία εὐφρανθῇ ἐν αὐτῇ Sirach. LI, 19, 20. p. 712, a 23, 24. καρδία παρωργισμένη Sirach. IV, 3. 616, a 22, 23. καρδία ταπεινὴ Sirach. XXV, 31. 663, a 27.
καρδοῦχα ὄρη Gen. VIII, 4. 9, a 50.
κάρνα Jer. XLVIII, 25. 390, a 56.
καρναὶν & καρνίον I Macc. V, 26. 734, b 50, ſeqq.
κάρος Jonæ I, 5. 520, a 5.
καρόω Jer. LI, 39. 398, b 13.
κάρπιμος στάχυς Sirach. XIV, 19. 637, b 45.
καρπὸς Judith. X, 3. 583, b 3. καρπὸς ξύλινος I Macc. X, 30. 746, a 18. καρπὸς χειλέων Oſeæ XIV, 3. 503, a 46.
καρποφορέω Sap. X, 7. 599, b 29.
κάρπωμα Sirach. XXX, 19. 672, a 52.
κάρπωσις Sirach. XXX, 19. 672, a 49, 50. XLV, 20. 701, b 31.
καρπωτὸς II Reg. XIII, 18. 136, b 49.
κάρταλλος Deut. XXVIII, 5. 100, b 8. Sirach. XI, 32. 632, b 30, 31.
καρτερέω Sirach. XII, 14. 634, a 26. II Macc. VII, 17. 773, a penult. III Macc. p. 794, a 49.
καρτερῶς ἀντέχειν I Macc. VI, 4. 736, b 7, 8.
καρύσσειν I Macc. XII, 7. 753, a 31.
καρχηδόνιοι Ezech. XXVII, 12. 435, b 32.
καρχηδὼν Eſa. XXIII, 1. 293, b 23. & verſ. 6. p. 294, a 9, 10.
κασσίτερος Sirach. XLVII, 19, 20. p. 705, b 46.
κάσυ Ezech. IX, 2. 410, b 60.
κατὰ Oſeæ X, 12. 498, b 17. κατὰ γενεὰν καὶ γενεὰν I Macc. II, 61. 729, a 55. κατὰ γωνίας Sap. VII, 27. 597, b 5, 6. κατὰ γῆς III Macc. p. 798, a 18. κατὰ διαθήκην Sirach. XLV, 31. 702, b 23. κατὰ διάνοιαν III Macc. p. 797, a 1. κατὰ εὕρημα χειρὸς Sirach. XXXV, 12. 681, a 48. κατὰ λόγον III Macc. p. 794, a 8. κατὰ μέρος Sap. VII, 27. 597, b 3. κατὰ μέσον II Macc. XIV, 44. 787, a 14. κατὰ μηδὲ ἓν Sirach. IV, 30. 617, b 36. VII, 20. 623, a 35. κατὰ νώτου III Macc. p. 794, b 21. κατὰ πύλας I Macc. XIV, 38. 758, b 14, 15. κατὰ πρόσωπον ἡμῶν I Macc. X, 72. 748, b 18. κατὰ σπουδὴν Sirach. XX, 20. 650, a 11. κατὰ τῆς ψυχῆς Sirach. IV, 26. 617, b 7. κατὰ τὴν ἀπόνοιαν III Macc. p. 798, a 26. κατὰ τὴν ἀξίαν αὐτοῦ Sirach. XXXVIII, 17, 18. p. 686, a 58. κατὰ τὴν κρίσιν αὐτοῦ Sirach. XXXIII, 14. 677, b 56. καθὰ τὸ δυνατὸν I Macc. VIII, 25. 741, b 54. κατὰ τὸ εἶναι Sirach. XLVII, 22. 704, a 52. κατὰ τὸ ὄνομα αὐτῆς Sirach. VI, 23. 621, a 26. κατὰ τὸ σύσκεμμα I Macc. I, 60. 726, a 60. κατὰ τὸ φαίνεσθαι Sirach. XLVI, 23. 704,

23. 704, a 53. κατὰ τόπον III Macc. p. 795, b 55. κατὰ τὰς οἰκίας III Macc. p. 795, b 53. κατὰ τὰς πράξεις Sirach. XXXV, 24. 682, a 10. κατὰ τὰ θαυμάσιά σου Adj. Dan. III, 43. 721, a 50, 51. κατὰ χώραν III Macc. p. 795, b. 52. καθ' ἑαυτὸν & καθ' ἑαυτοὺς Sirach. XVII, 3. 641, b 59, 60. II Macc. XIII, 13. 784, a 28. καθ' ὁμοίωσιν Zachar. XII, 14. 562, a 48. κατ' εἰκόνα Sirach. XVII, 3. 642, a 1. κατ' ἐνιαυτὸν, ἐνιαυτὸν I Reg. VII, 16. 121, b 59, 60. κατ' ὀλίγον Sap. XII, 2. 601, a 25.

καταβαίνειν εἰς τὴν ἄβυσσον Baruchi III, 30. 716, b 41, 42.

καταβάλλειν Sirach. I, 39. 612, b 10. XLVII, 5. 704, b 35. καταβάλλειν γαυρίαμα Sirach. XLVII, 5. 704, b 35, 36. καταβάλλειν τὰ τείχη I Macc. I, 33. 725, a 35.

καταβαρύνειν Sirach. VIII, 18. 626, a 27, 28.

καταβαθμὸς πρὸς Λιβύην III Macc. p. 793, a 26.

καταβοᾶν Sirach. XXXV, 18. 681, b 21.

καταβολὴ II Macc. II, 30. 765, a 21.

καταβραχὺ Sap. XII, 10. 601, a 59.

καταγγέλλω II Macc. VIII, 36. 776, a 25.

καταγινώσκεσθαι ἐπὶ καχεξίᾳ Sirach. XIX, 5. 646, a pen.

κατάγνωσις Sirach. V, 17. 619, a 61.

καταγραφεὶς Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 25.

κατάγειν αἷμα Esa. LXIII, 6. 336, a 41 κατάγειν εἰς ᾅδου Tob. XIII, 2. 578, a 15.

καταδείκνυμι Esa. XLI, 20. 310, b 25. Sirach. XXIII, 29. 657, a 33.

καταδεσμεύειν τραύματα Sirach. XXX, 7. 671, b 24.

καταδικάζω Sap. XI, 11. 600, b 19, 20.

καταδουλόω Judith. V, 10. 580, b 44.

καταδυναστεύειν Jer. L, 33. 395, b 31.

καταθύμιον Esa. XLIV, 9. 314, b 35.

καταιγὶς Jer. XXIII, 19. 368, b 30. Sirach. XVI, 21. 641, a 12. XXXIII, 2. 677, a 23, 24.

καταισχύνω· κατῄσχυνεν ἑαυτὴν Oseæ II, 5. 487, b 21, 22. καταισχυνθῇ Esa. XXVIII, 16. 298, b 61, 62, 63. Tobiæ X, 1. 577, a 53.

κατάκειμαι Sap. XVII, 7. 607, a 2.

κατάκλειστοι II Macc. III, 19. 766, a 46. κατάκλειστοι παρθένοι III Macc. p. 790, b 45.

κατακληρονομεῖν & κατακληρονομεῖσθαι Sirach. XV, 6. 638, b 34. XXIV, 13. 658, a 35. XXXVI, 13. 682, b 11, seqq.

κατακλίνω III Macc. p. 790, a 10.

κατακλῖναι ἐπ' ἀγκαλῶν Sirach. IX, 10. 627, a 27.

κατακρατεῖν ἐπιβουλῆς III Macc. p. 790, a 37.

κατακυριεύω Sirach. XVII, 4. 642, a 14.

καταλαμβάνω Jos. X, 19. 106, b 4, 5. Jobi V, 13. 204, a 31. I Macc. I, 20. 724, b 18.

καταλείπειν Sirach. XIII, 5. 634, b 53. XLVII, 24. 706, a 15. II Macc. XII, 18. 781, b 49. καταλείπειν νόμον I Macc. II, 21. 727, b 15. καταλείπειν στρατηγὸν II Macc. XIII, 24. 784, b 46.

καταλοχίζειν εἰς τὰ φρούρια III Macc. p. 798, b 26, 27.

κατάλυμα I Macc. III, 45. 731, a 13.

καταλύτης Sap. V, 15. 594, b 48.

καταλύω Psalmo VIII, 3. 223, a 35. Sirach. XLIII, 19. 697, b 24. Baruchi II, 22, 23. p. 715, a 34.

καταλύειν ἐν πλατυσμῷ Sirach. XLVII, 14. 705, a 53, 54.

καταμόνας Psalmo XXXIII, 15. 228, a 38. II Macc. XIII, 13. 784, b 29.

κατανοέω Sirach. XXIII, 28. 657, a 26.

κατανόησις γυναικὸς Sirach. XLI, 27. 694, a antepen.

κατανύσσεσθαι Sirach. XII, 12. 634, a 8. XX, 23. 650, a 37, 38. XLVII, 22, 23. p. 706, a 4.

καταξιοῦν πολιτείας III Macc. p. 794, a 61.

καταξιῶσαι περιβόλων III Macc. p. 795, b 31.

καταπτοιοῦμαι III Macc. p. 796, a 17.

κατάπαυσις Jer. XXXI, 2. 375, a 20.

καταπαύω Sirach. V, 7. 618, b 22. XLV, 2. 700, b 13. XLVII, 15. 705, a 60. κατέπαυσεν ἐπὶ κεφαλὴν Sirach. XLIV, 25. 700, a 24.

καταπέτασμα I Macc. I, 23. 724, b 45.

καταπίνεσθαι Sirach. XXIII, 22. 656, b 32.

καταπίπτειν Sap. XVII, 15. 607, b 21.

καταπλάττεσθαι Sap. VII, 2. 596, a 5, 6.

καταπλήττειν & καταπλήττεσθαι Sirach. XXI, 5. 651, a 43. XXVII, 26. 667, a 21.

κατάπλους III Macc. p. 795, b 8.

κατάπτωμα Amosi IX, 11. 517, b 55.

κατάρα καρδίας Sirach. XXXVIII, 20. 686, b 37, 38.

καταρᾶσθαι Sirach. XXIII, 18, 19. p. 656, b 1.

καταρώμενοι Psalmo XXXVII, 21. 229, a 16.

καταρώμενοι ὑπ' αὐτοῦ Ibid. lin. 18.

καταρράκτης Psalmo XXIV, 9. 226, b 41. Jer. XX, 2. 364, b 7. Oseæ XIII, 3. 501, b 58, 59.

καταρράττειν Sirach. XLVI, 7. 703, a 37.

κατέρχεσθαι θυμάτων II Macc. V, 6. 769, b 54.

κατέρχεσθαι χειρῶν ἀδίκων II Macc. IV, 40. 769, a 14.

κατασείω I Macc. VI, 38. 737, b 51.

κατασκάπτω· κατεσκαμμένα Amosi IX, 11. 517, b 56.

κατασκολαὶ φοβεραὶ III Macc. p. 797, b 18, 19.

κατασκηνώσει πεποιθὼς Sirach. IV, 16. 616, b 40.

κατασκήνωσις Ezech. XXXVII, 27. 448, a 15, 16.

κατάσκοπος Jobi XXIX, 25. 212, b 45. Sirach. XI, 32. 632, b 41.

κατασοφίζεσθαι Judith. V, 10. 580, b 35. X, 18. 583, b 38, 39.

κατασπεύδω II Par. XXVI, 20. 187, a 35. Sirach. XLIII, 5. 696, b 58. & vers. 14. p. 697, a 55.

κατασύρειν III Macc. p. 797, b 46.

καταστέφεσθαι ἄνθεσι παντοίοις III Macc. p. 800, a 12.

καταστίζεσθαι σιδήρῳ πεπυρωμένῳ III Macc. p. 792, b 1.

καταστολὴ δόξης Esa. LXI, 3. 334, a 33.

καταστρέψαι καθεστηκότα III Macc. p. 794, b 14.

καταστροφὴ Oseæ VIII, 7. 495, a 41. Sirach. XVIII, 10. 644, a 59. I Macc. II, 49. 728, b 42.

κατατίθεσθαι εἰς εὐφροσύνην III Macc. p. 796, b 16.

κατατρίβειν Psalmo XXXII, 3. 227, b 49. κατατρίβειν ἀτιμίαν Sirach. XXVI, 23. 665, b 59, 60.

καταφαγεῖν Sirach. VI, 2, 3. p. 619, b 37.

καταφθείρεσθαι II Macc. V, 14. 770, b 5.

καταφθορὰν καταφθείρειν I Macc. XV, 31. 760, b 54, 55.

καταφιλεῖν Psalmo II, 12. 221, b 53. Oseæ XIII, 2. 501, b 45. III Macc. p. 797, b 26.

καταφρονεῖσθαι I Macc. VI, 38. 737, b 51, 52.

καταφρονητὴς Habac. I, 5. 536, a 37.

καταχεῖσθαι III Macc. p. 795, a 22.

καταχωρίζω III Macc. p. 792, b 24.

καταψευσμὸς Sirach. XXVI, 7. 664, a 13.

κατέναντι Gen. II, 14. 3, b 14. κατέναντι ἀνέμου Sirach. XXII, 21. 653, b 58. κατέναντι ἐλεήμονος eod. L, 21. 710, b 30. κατέναντι θυσιαστηρίου eod. XLVII, 11. 705, a 20. κατέναντι προσώπου ὁμοίωμα προσώπου eod. XXXIV, 3. 679, a 26. κατέναντι φόβου eod. XXII, 21. 653, b 59.

κατευθύνειν & κατευθύνεσθαι Dan. VI, 28. 465, a 59. Sirach. XXIX, 24. 670, a 50. XLIX, 3. 708, a 59, 60.

κατευφημεῖν III Macc. p. 800, a 4, 5.

κατέχεσθαι Dan. IV, 28. 461, a 29.

κατηγορεῖν Exodi XX, 17. 51, a 44.

κατηφεῖν & κατηφᾶν Lament. II, 10. 272, a 44, 45.

κατοικία Jer. III, 6. 346, b 16. Sirach. XLIV, 6. 699, a 23.

κατοικίζομαι Psalmo XCIII, 1. 238, b 53.

κατορθοῦμαι II Macc. VIII, 36. 776, a 22.

κάττα Baruchi VI, 21. 719, a 15.

κατώτερα τῆς γῆς Ezech. XXXI, 14. 442, a 15.

καυλοκαυῶ Esa. XXVIII, 10. 298, b 13.

καυνάκη Judic. IV, 18. 110, b 26.

καύσων Deut. XXVIII, 22. 100, b 19. Sirach. XVIII, 16. 644, b 37.

καύχημα Sirach. I, 11. 611, a 51. X, 25. 629, a ult. XXV, 8. 661, a 44. XXXI, 10. 673, b 39, 40. XLV, 10. 700, b 58, 59. καύχημα τιμῆς Sirach. XLV, 14. 701, a 51.

καύχησις Sirach. I, 23. 611, b 38, 41.

καχεξία III Macc. p. 792, a 3.

κάδησα I Macc. XI, 63. 752, a 18. & vers. 73, p. 752, b 18.

κεδνὰ ἤθη Sirach. XXXVII, 21. 684, b 4, 5.

κεὶρ Ἀρὰς, Κεὶρ Ἀρεσὼθ Jer. XLVIII, 31. 390, b 53, seqq.

κείρεσθαι κόμην Sirach. XXXVIII, 16. 686, a 34.

κενὰ III Macc. p. 798, a 33.

κενεὼν II Macc. XIV, 44. 787, a 15.

κενοδοξία Sap. XIV, 14. 603, b 34.

κενὸς Jer. IV, 23. 348, a 39. κενοὶ ἄνδρες Judic. XI, 3. 113, b 4, 5.

κενόω I Macc. I, 24. 724, b 60.

κέντρον Eccles. XII, 11. 267, a 23.

κεπφωθεὶς Prov. I, 32. 247, a 39.

κεραμεὺς Sap. XV, 7. 604, b 54.

κέρας I Macc. XII, 7. 753, a 35. κέρατα πολλὰ Dan. VIII, 3. 469, b 9.

κεράστης Esa. XI, 8. 284, a antepen.

κερατίζω Ezech. XXXII, 2. 442, b 19. XXXIV, 21. 445, b 38.

κέρδος φέρειν Sirach. XXX, 17. 672, a 36.

κεύθειν Sirach. XXV, 4. 660, b 56.

κεφαλαιοῦν Gen. XL, 13. 22. b antep. Sirach. XXXII, 11, 12. p. 676, a 6.

κεφαλὶς Esdræ VI, 2. 192, a 20. Psalmo XL, 9. 230, a 22.

κεφφουρὲ I Par. XXVIII, 17. 180, b 37.

κῆποι III Reg. X, 22. 149, a 33, seqq.

κὴρ & κῆρι Esth. Addit. X, 10. 586, b 23. Sirach. XX, 26. 650, b 19.

κῆτος Jobi XL, 20. 219, a 42. Lament. IV, 3. 273, b 7. Sirach. XLIII, 27. 698, a 33.

κιβωτὸς Gen. VI, 14. 8, b 57.

κίδαρις Judith. IV, 16. 580, b 13. Sap. XVIII, 24. 608, b ult.

κιθάρα & κιθάρις Gen. IV, 21. 7, b 47. Jobi XXI, 12. 209, b 41. Dan. III, 5. 458, a 17, 18. Sirach. XXXIX, 20. 688, b 56. I Macc. IV, 54. 733, b 15. XII, 7. 753, a 34.

κιλικία ἡ ἄνω Judith. II, 12. 579, b 27.

κινδυνεύειν διαρπάζεσθαι III Macc. p. 797, a 58.

κίνδυνος περὶ τῶν ψυχῶν I Macc. IX, 44. 743, b 40, 41.

κινεῖν Ezech. XLVII, 9. 452, a 43. κινήσατε αὐτῷ Jer. XLVIII, 17. 389, b 58.

κινύρα Sirach. XXXIX, 20. 688, b 52. I Macc. IV, 54. 733, b 14.

κίσσιοι Gen. II, 13. 3, b 4.

κισσοστέφανος II Macc. VI, 7. 771, b 54.

κισσοφόροι III Macc. 792, b 12.

κισσόφυλλον Ibid. lin. 3.

κίστη Nahumi III, 4. 534, a 16.

κίτιοι vel Κιτιεῖς Dan. XI, 30. 480, b 53. I Macc. VIII, 5. 740, b 54.

κίτιον Num. XXIV, 24. 79, a 60. Jer. II, 10. 344, a 37. I Macc. I, 1. 723, b 24.

κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν Zachar. I, 6. 548, a 27.

κλαίειν ἐπὶ νεκρῷ, ἐπὶ μωρῷ Sirach. XXII, 10. 653, a 37, 38. κλαίειν ἥδιον Sirach. XXII, 11, 12. p. 653, a 45, 46.

κλάσμα Jer. XXXVII, 20. 382, a 4.

κλᾶσθαι κατὰ πᾶν μέλος II Macc. VII, 4. 773, a 15, 16.

κλαυθμὸς Jer. XXXI, 9. 375, b 10.

κληδόνες συντέλειοι Sirach. XXX, 4. 671, b 3.

κλῆθρα χαλκότευκτα Baruchi VI, 17. 718, b 50.

κληροδοσία I Macc. X, 89. 749, a 51.

κληρονομεῖν Num. XXVII, 11. 80, b 13. Tobiæ III, 25. 575, a 31, 35. Sirach. XXII, 4. 652, b 59. XXXIX, 27, 28. p. 689, a 44. XLVI, 2. 703, a 4. κληρονομεῖν ἄνδρα Sirach. XXII, 4. 652, b 59.

κληρονομία Sirach. XXIV, 33. 659, a pen. κληρονομία Ἀαρὼν, βασιλέως Sirach. XLV, 31. 702, b 24, 25. κληρονομία Θεοῦ Esth. Addit. X, 12. 586, b 31. Sirach. XXIV, 11. 658, a 20, 21.

κλῆροι Psalmo LXVIII, 14. 234, a 18.
κληρουχία I Macc. X, 89. 749, a 51.
κλητοὶ III Macc. p. 796, a pen.
κλήτωρ Ibid. lin. 59.
κλίβανος Malach. IV, 1. 571, b 21.
κλίνειν ὦμον Baruchi II, 21. 715, a 18, 20.
κλίνεσθαι ἐπ' ἀγκοίναις Sirach. IX, 10. 627, a 29.
κλισίαις καταμερίζειν τόπον III Macc. p. 798, b 58.
κλοιὸς Esa. LVIII, 9. 330, b 16. Sirach. VI, 25. 621, a 37.
κλύδων Jer. XXIII, 19. 368, b 30. κλύδων βίαιος Sap. XIX, 7. 609, a 41.
κνὴφ Exodi XX, 3. 37, a 34. Deut. IV, 17. 84, b 26.
κνίζω Sirach. XXVI, 8. 664, a 32.
κνίπες Exodi VIII, 16. 30, a 13.
κοζεῖ Abdiæ I, 3. 518, a 42.
κοιλὰς Ιωσαφὰτ Joel. III, 2. 507, b 48. κοιλὰς ὀρέων Zachar. XIV, 5. 563, b 42.
κοιλία ᾅδου Sirach. LI, 7. 711, b 26. κοιλία ἀπεράχθη Sirach. LI, 29. 712, b 20.
κοίλωμα φρέατος II Macc. I, 19. 763, b 50.
κοιμᾶσθαι Ezech. XXXII, 32. 443, b 58.
κεκοιμημένοι ἐν ἀγαπήσει Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 28.
κοιμητήριον Esa. LVII, 2. 327, b 43.
κοινῇ Sirach. XVIII, 1. 643, b 47.
κοινὸς Esther. Addit. XV, 13. 587, b 47. κοινῇ γνώμῃ I Macc. VIII, 30. 742, a 21. κοινὸν I Macc. XII, 6. 752, b 48. κοινὸν πολυάνδριον II Macc. IX, 4. 776, a 52. κοινὸν ψήφισμα II Macc. XV, 36. 789, a 5. κοινὰ πρὸς ὑμᾶς ἔξομεν I Macc. XII, 23. 753, b 41.
κοινωνία Sirach. XIII, 21. 635, b 29.
κοΐντος Μύκιος II Macc. XI, 34. 780, b 21.
κοῖτος Psalmo CXXXIX, 3. 245, a 29.
κόκκινον Esa. III, 23. 276, b 12.
κόκκος I Macc. I, 23. 724, b 46.
κολάζω Sap. XII, 14. 601, b 25, 26. XVIII, 22. 608, b 17.
κολάπτειν γραφὴν III Macc. p. 792, a 30.
κολλᾶσθαι Sirach. XXIV, 34. 659, b 6. Baruchi III, 4. 716, a 11.
κολλύρα Num. XV, 20. 75, b 35.
κολοβόκερκος Levit. XXII, 23. 69, b 19, 20.
κολοβότης Exodi VI, 9. 29, b 12, 14.
κόλυρος Sap. XIX, 21. 610, b 5.
κόλπος Oseæ VIII, 1. 494, b 38.
κολωνὸς Gen. XXXI, 46. 20, a 48.
κόμη μυροβρεχὴς III Macc. p. 795, a 32. κόμαι πεποτόμεναι III Macc. p. 790, b 58.
κομίζεσθαι κόλασιν III Macc. p. 790, a 14.
κόμπος III Macc. p. 798, a 4.
κόνδυ Gen. XLIV, 2. 24, a 37.
κόνδυλος Sirach. XVIII, 15. 644, b 34.
κονίαμα Dan. V, 5. 462, b 2.
κονίζειν ὕδασι Dan. XI, 2. 476, a 9.
κόνιν ἐπιδιδόναι κόμαις III Macc. p. 790, b 58.
κοντίον Jos. VIII, 18. 105, b 6.
κόνυζα Esa. LV, 13. 326, b 32, 33.
κοπάζειν Psalmo XXIX, 9. 227, a 51. Sirach. XXXIX, 34. 689, b 37. κοπάζειν ἄβυσσον Sirach. XLIII, 25. 698, a 7. κοπάζειν ὀργὴν Sirach. XLVIII, 10, 11. p. 707, a 25.
κοπὴ Judith. XV, 8. 585, a 33. seqq.
κοπιᾶν Psalmo VI, 7. 222, b 34. Prov. XXIII, 4. 255, a 23. Jer. XXXI, 39. 377, a 45.
κόπος Sirach. XIII, 32. 636, a antep.
κόπτω Sirach. X, 11, 12. p. 628, b 29.
κόρος ὕβρεων Ezech. XVI, 49. 419, a 43.
κορυφαῖοι χορῶ I Par. VI, 31. 177, a 4.
κοσμεῖν & κοσμεῖσθαι Psalmo V, 4. 222, b 16. Sirach. XLII, 21. 696, a 46. XLV, 14. 701, a 61. III Macc. p. 797, b 18. κοσμεῖν τὴν συναναστροφὴν III Macc. p. 793, a pen.
κόσμος Gen. I, 31. 2, a 37. Judith. VII, 10. 581, b 24. Sap. I, 14. 589, b 23. I Macc. II, 11. 727, a 40. κόσμος φωτίζων Sirach. XLIII, 10. 697, a 30, 31. κόσμος χρυσοῦς Sirach. VI, 31. 621, a 46.
κὺθ Ezech. XXIII, 23. 429, b 31.
κυριώτης ἑορτὴ II Reg. XIII, 24. 137, a 12.
κουριδία ἄλοχος Malach. II, 14. 569, a 39. Sirach. XV, 2. 638, b 2.
κυροπυλάτης Esa. XXII, 18. 292, b 52.
κυφόνες Sirach. XIX, 4. 646, a 51.
κρᾶσις Sap. VIII, 20. 598, a 58.
κραταιὸς Sirach. XXXV, 22. 681, b 45.
κραταιοῦν Sirach. XXIV, 34. 659, b 5.
κραταιωθῆναι ἐπὶ βασιλείαν Dan. IV, 33. 461, b 13, 14.
κρατεῖν II Reg. XIX, 19. 141, a 16. κρατεῖν ἀρχῆς II Macc. IV, 10. 767, a 29, 30. κρατεῖν ἐν πίστει τοῦ ὀχυρώματος III Macc. p. 798, b 24.
κρατῆρες I Par. XXVIII, 17. 180, b 35.
κράτης II Macc. IV, 29. 768, b 36.
κράτος ἔχων θανάτου Jobi XVIII, 14. 208, a 60, 61.
κραυγὴ καὶ ταραχὴ II Macc. XV, 29. 788, b 23.
κρέας βέβηλον Esa. LXV, 4. 338, b 47. Ezech. IV, 14. 406, b 19.
κρείσσων λόγος Sirach. XIX, 23. 647, b 50, 51.
κρεμᾶν ἐκ μασθῶν I Macc. I, 64. 726, b 21.
κρεωνομεῖν III Macc. p. 790, a 32.
κρεωνομία Ibid. lin. 31.
κρήνη III Reg. XXII, 38. 157, b 10.
κρῆτες Ezech. XXV, 16. 433, a 21.
κρίκος Jobi XL, 21. 219, a 51. Esa. IX, 14. 282, a pen. LVIII, 5. 330, a 4.
κρίμα Deut. IV, 8. 84, a 17. Tobiæ VII, 14. 576, b 35. Sirach. XLIII, 11. 697, a 34. κρίμα αὐτοῦ Sirach. XXXVIII, 23. 686, b 51. κρίμα μου Ibid. lin. 49. κρίματα Sirach. XVII, 10. 642, b 14, 15. XVIII, 14. 644, b 25.
κρίνειν & κρίνεσθαι Sap. XII, 10. 601, a 59. Sirach. II, 5. 613, a 3. VIII, 17. 626, a 18. II Maccab. III, 3. 765, b 25. III Macc. p. 798, b 5. κρίνειν ἐν δικαιοσύνῃ Sirach. XLV, 31. 702, b 26. κρίνειν ἐν ἐπιεικείᾳ Sap. XII, 17. 601, b 48. κρίνειν ὡς πολεμίους III Macc. p. 793, a 12, 13.
κρίσις Deut. XVII, 8. 89, a 13. Michææ VI, 2. 528, a 19. Sap. XVII, 1. 606, b 31. Sirach. XVIII, 19, 20. p. 645, a 6. XXV, 6. 661, a 18. XXXIII, 14. 677, b 56. XLIII, 11. 697, a 36. II Macc. XV, 20. 788, a 42. κρίσις τοῦ Κυρίου Michææ VI, 2. 528, a 19. κρίσιν Ἰουδαϊσμοῦ εἰσφέρειν II Macc. XIV, 38. 786, b 18.
κριτὴς Sirach. X, 27. 629, b 19. κριτὴς ἐν Ἰσραὴλ I Macc. II, 55. 729, a 28.
κρόνος Exodi XX, 3. 36, b 58, 59.
κρότος γαμικὸς I Macc. IX, 41. 743, b 26.
κρυπτῶν Sirach. III, 22, 23. p. 614, b 44.
κρύπτω Esa. XXIX, 14. 300, b 6. κρύπτειν λόγον Sirach. I, 30. 612, a 18. κρύπτειν σοφίαν Sirach. IV, 28. 617, b 23.
κρύσταλλος Jobi XXVIII, 17. 212, a 15. Sap. XVI, 22. 606, a 60.
κρυφαῖος Esa. XLV, 15. 317, a 2.
κρύφιος IV Reg. II, 14. 158, b 41. κρύφια μυστήρια Sap. XIV, 23. 604, a 19.
κρύφος I Macc. I, 56. 726, a 27. II, 36. 728, a 3.
κτᾶσθαι Prov. VIII, 22. 249, a 14. Sirach. VI, 7. 620, a 26. XLIV, 2. 698, b 50. LI, 36. 713, a 2.
κτερίζειν II Macc. V, 10. 770, a 51.
κτῆνος, κτήνη Exodi XX, 10. 46, a 48, 63. Sirach. VII, 24. 623, b 18. κτήνη θύσιμα II Macc. III, 3. 765, b 27.
κτῆσις Sap. II, 6. 590, a 58.
κτίζειν & κτίζεσθαι Prov. VIII, 22. 249, a 18. Aggæi II, 19. 547, b 8. Sirach. XI, 16. 631, b. 19. XXIII, 29. 657, a 30, seqq. XXIV, 14. 658, a 38, 41. XXXVI, 17. 682, b 44. XXXVIII, 1. 685, b 10. XXXIX, 26. 689, a 31. XL, 1. 690, a 32. XLIX, 16. 709, a 38.
κτίσις Sap. II, 6. 590, a 58. κτίσις κητῶν Sirach. XLIII, 27. 698, a 33.
κυαμὼν, ῶνος Judith. VI, 3. 581, b 8.
κυβερνᾶν Sap. X, 4. 599, a 60. Sirach. XLII, 25. 696, b 10.
κυδίως Tobiæ I, 1. 573, a 27.
κύκλος Eccles. I, 4. 258, b 51. κύκλος ἄστρων Sap. XIII, 2. 602, b 40.
κυκλοῦν Sirach. XXIV, 8. 658, a 7. κυκλοῦν αὐτοῦ τὴν παρεμβολὴν I Macc. X, 80. 748, b 49.
κυνώδη φασμάτων Exodi XX, 3. 37, a 40.
κυπριάρχης II Macc. V, 24. 771, a 9.
κύπρις ἐν πλησμονῇ Jer. V, 7. 349, a 1, 2. Sirach. XXIII, 6. 655, b 3, 4.
κύπτω Baruchi II, 18. 715, a 1.
κυρεία I Macc. II, 53. 729, a 16.
κυρηναῖος II Macc. p. 762, a 45.
κυρία I Macc. VIII, 24. 741, b 51.
κυρία ἀρχὴ Jer. XXXIII, 24. 379, b 56. κύριοι I Macc. VIII, 30. 742, a 22.
κυριεύειν γῆς Baruchi II, 34. 715, b 47, 48.
κύριος Exodi XX, 1. 34, b 32, 55. & p. 35, a 5, 6. vers. 5, p. 43, a 59, 63. I Reg. I, 11. 119, b 15. Amosi IV, 1. 511, b 54. Judith. XVI, 16. 585, b 29.
κῦρος Esa. XLV, 3. 316, a 26.
κώθων σωτήριος III Macc. p. 798, b 53.
κωκύειν II Macc. V, 10. 770, a 51.
κωλύειν ἀπὸ τῶν νομίμων III Macc. p. 793, a 37.
κωλύεσθαι Sirach. XX, 1. 648, b 33, 34.
κωμάζειν Sap. XIV, 23. 604, a 32. I Macc. IX, 41. 743, b 27.
κώμη Jos. XIX, 6. 108, a 20. I Macc. II, 1. 726, b 56. X, 84. 749, a 32. II Macc. VIII, 1. 774, a 37.
κωμόπολις I Macc. II, 1. 726, b 55. X, 84. 749, a 33. II Macc. VIII, 1. 774, a 38.
κῶμος Sirach. XXXI, 40. 675, a 45. II Macc. VI, 4. 771, b 3. κῶμοι ἐμμανεῖς Sap. XIV, 23. 604, a 28.
κωνωπεῖον Judith. X, 19. 583, b 43.
κῶς I Macc. XV, 23. 760, b 2.

Λ.

Λαγνεία Sirach. XXIII, 6. 655, a ult.
λαῖλαψ Jer. XXIII, 19. 368, b 30.
λακκίζω Sirach. L, 3. 709, b 20.
λάκκος Judic. XV, 19. 115, a 59. Sap. X, 13. 600, a 14, seqq. I Macc. IX, 33. 743, a 37. II Macc. X, 37. 779, a 53, seqq. λάκκος βορβόρου Jer. XXXVIII, 6. 382, a 46.
λαλεῖν εἰς τὴν καρδίαν Genes. L, 21. 27, b 62.
λαλεῖν κατὰ πρόσωπόν τινος Judith. XI, 4. 583, b 52.
λαλιὰ Psalmo CXXXIX, 4. 245, a 38. Sirach. XIX, 6. 646, b 21.
λαμβάνειν ἀγαθὰ II Macc. VII, 16. 773, a 59, 60. λαμβάνειν βασιλείαν παρὰ Θεοῦ Ibidem. λαμβάνειν τὴν δωρεὰν III Macc. p. 797, b ult. λαμβάνειν ἐν ὀρθῇ αἰσθήσει Sirach. XX, 19. 650, b 3. λαμβάνειν ὑπὸ τὴν ὁσίαν III Maccab. p. 794, b 46. λαμβάνειν χάραγμα III Macc. p. 792, a 61, 62.
λαμπὰς, λαμπάδος I Macc. XII, 7. 753, a 42. λαμπάδες ἀπὸ πυρῶν II Macc. IV, 22. 768, a 35, 36.
λάμψακος I Macc. XV, 23. 760, a 34.
λαξευτὴ Jos. XIII, 20. 107, a 14.
λαογραφία III Macc. p. 792, a 40, 53.
λαπιστὴς Sirach. XX, 7. 649, a 7.
λάπισμα Ibidem, lin. 10.
λάρναξ Gen. VI, 14. 8, b 59. Exodi II, 2. 28, a 51.
λασθένης I Macc. XI, 31. 750, a 54, 56, 58.
λατομεῖν· λελατομημένος ἐκ σιδήρου I Macc. IV, 47. 733, a 20.
λατρεία ἔργων κατάπονος III Maccab. p. 795, b 36, 37.
λατρεύειν Exodi XX, 5. 42, b 58, seqq. III Macc. p. 798, a 9.
λέβης Psalmo LX, 10. 232, b 46. II Macc. VII, 3. 773, a 10. λέβης λουτροῦ Psalmo LX, 10. 232, b 50.
λεγόμενοι θεοὶ Exodi XX, 3. 36, b 9. Esa. XLIV, 6. 314, b 14.
λεῖος Sirach. XXI, 11. 651, b 30.
λείπεσθαι ἀλκῆς III Macc. p. 794, a 16.
λειτουργεῖν II Reg. VIII, 18. 134, b 10.
λειτουργὸς Θεοῦ Ibidem, lin. 12. Sirach. VII, 32. 624, a 34, 35.
λεπὶς I Macc. VI, 35. 737, b 13.
λεπτὸς νόος Sirach. LI, 27. 712, b 12. λεπτότατα Sap. VII, 23. 597, a 23.
λέχα I Macc. XII, 7. 753, a 33.
λευχειμονεῖν I Par. XV, 27. 178, b 13.

λεχώ, λεχοῦς Num. xix, 11. 77, a 52.
λειφόρῳ βαδίζειν & Λειφόρῳ μὴ βαδίζειν Prov. xxvi, 4. 256, a 47, 48.
λήθη Θεοῦ καὶ διαθήκης Sirach. xli, 24. 694, a 33. λήθη κακῶν Sirach. xxxi, 2. 673, a 35.
λήθην ἐμποιῆσαι III Macc. p. 797, a 1, 2.
λίθος συγκεκομμένος Oseæ x, 2. 497, b 36, 37.
λίθος σφενδόνης Sirach. xlvii, 5. 704, b 35.
λίθος τίμιος Psalmo xix, 11. 225, b 12. λίθοι ξυστοὶ πολυτελεῖς Esdræ v, 8. 192, a 13. λίθοι πολυτελεῖς Prov. xxxi, 10. 258, b 3. λίθοι σύμμικτοι 1 Macc. iv, 47. 733, a 20. λίθοι τετράγωνοι 1 Macc. x, 11. 745, b 13, 14.
λιθώδη Sirach. xxxii, 25. 676, b 45.
λικμᾶν Sap. xi, 19. 600, b 51, 52. Sirach. v, 11. 618, b 46.
λιμένα Γαμνειτῶν 1 Macc. iv, 15. 732, a 17.
λιτὴ Sirach. iv, 6. 616, a 38.
λιτανεία ἔνθεσμος III Macc. p. 791, b 44, seqq.
λιτανεύειν Ibid. lin. 45, 46.
λογεῖον Sirach. xlv, 12. 701, a 9, 18, 24. λογεῖον κρίσεως Ibid. lin. 13, 14.
λογίζεσθαι II Reg. xix, 19. 141, a 13, 14. Sirach. xl, 19. 691, b 33.
λογισμὸς Sirach. xxvii, 5. 666, a 9.
λόγος Psalmo cxxxix, 4. 245, a 36. Habac. iii, 5. 539, b 40. Esth. Addit. x, 5. 586, a 34. Sap. xviii, 15. 608, a 42, 45. Sirach. i, 5. 611, a 16, 19. iv, 24. 617, a 55. xxxix, 37. 690, a 5. xliii, 28. 698, a 47. 1 Macc. ix, 22. 743, a 8. λόγος ἀκηδίας Sirach. xxix, 6. 669, b 10. λόγος ἀκοῆς Sirach. xlii, 1. 694, b 20. λόγος ἀνθρώπου Sirach. i, 5. 611, a 19. λόγος θεῖος ibidem. λόγος Θεοῦ ἄγγελος Sap. vii, 26. 597, a 46. λόγος ψευδοῦς βασιλεῖ Sirach. li, 7. 711, b 29. λόγον ἔχειν Tobiæ v, 26. 576, a 6. λόγον ἔχειν δικαίου III Macc. p. 793, b 20, 22. λόγον συντελῶν Esa. x, 22. 283, a antepen. λόγον συντέμνειν Ibidem.
λόγχη Nahumi iii, 15. 535, a 16.
λοιδορεῖσθαι Sirach. xxii, 30. 654, b 8.
λοιδορία Ibid. lin. 2.
λοιμὸς Levit. xxvi, 25. 71, a 55. 1 Reg. i, 16. 119, b 36. Baruchi ii, 25. 715, a antepen. 1 Macc. xv, 3. 759, a 50. λοιμὸς μετὰ λιμοῦ Amosi vi, 9. 514, b 47. λοιμοὶ Ezech. xxxi, 12. 441, b 51. 1 Macc. x, 61. 748, a 27.
λοξὴν θεατισμάτων Esa. xlviii, 16. 319, a 47. Jer. xxi, 7. 365, b 22.
λοῦδ Judith. ii, 13. 579, b 35.
λοχᾶν Sap. xiv, 24. 604, a 36. 1 Macc. xi, 68. 752, a 57.
λόχος Jobi xix, 12. 208, b 31.
λυδία 1 Macc. viii, 8. 741, a 29.
λυδὸν εἰς πεδίον [illegible] Esa. lxvi, 19. 342, a 37, 38.
λύειν μίτραν Judith. ix, 2. 582, b 62, seqq. λύεσθαι ἀπὸ τῶν ἀπογραφῶν III Macc. p. 793, a 5.
λυμαίνειν Sirach. xxviii, 27. 668, b pen.
λύπη Esa. li, 21. 322, b 43. λύπη ἁμαρτιῶν Sirach. xiv, 1. 636, b 15, 16. λύπη μείζονος μετρίων Sirach. xxxviii, 19. 686, b 25, 26.
λύσαι Esa. xv, 5. 286, b 58.
λυσίμαχος II Macc. iv, 29. 768, b 27.
λυσιμελὴς Βάκχος Sirach. xxxi, 30. 674, b 39, 40.
λύσεις αἰνιγμάτων Sap. viii, 8. 598, a 15.
λύτρον Michææ vi, 7. 528, b 16. λύτρα ψυχῆς Exodi xxx, 12. 56, b 57.
λυτροῦσθαι Sirach. xlix, 12. 708, b ult. λυτροῦσθαι ἐν χειρί τινος Sirach. xlviii, 23. 708, a 16.
λυχνία χρυσία 1 Macc. i, 23. 724, b 29.
λῶμα Exodi xxviii, 30. 56, a 39.
λωτὸς 1 Macc. ix, 41. 743, b 26.

M.

M scriptum pro β Oseæ v, 13. 492, a 30. μ pro ν sive ן Hebræo, ante β & alias literas Dan. iii, 5. 458, a 23, 24. 1 Macc. v, 46. 735, a 52.

μάγδαλον IV Reg. xxiii, 29. 174, a 13.
μαγικὴ τέχνη Sap. xvii, 7. 607, a 1, 2.
μάζον ἐπ' ἀλλόφυλον Sirach. xl, 30. 692, b 6.
μαζοὺρ Jobi xxxvii, 9. 216, a 52.
μαζουρὼθ ibidem.
μαιμάσσει Jer. iv, 18, 19. p. 348, a 14.
μαίφα Jer. xlviii, 21. 390, a 31.
μαγγελίζω Sirach. xi, 30. 632, b 4. xxxvii, 27. 685, a 23.
μακὶδ 1 Macc. v, 26. 734, b 46.
μάκκαλα Jer. xlviii, 23. 390, a 42.
μακρὰν ἐπί Sirach. xxiii, 3. 655, a 29.
μακροημερεύσεις Sirach. i, 25. 611, b 46, 47.
μακροθυμεῖν ἐν τινὶ Sirach. ii, 4. 612, b 50, 51. ἐπί τινι Sirach. xxxv, 22. 681, b 45, 51.
μακρὸς τῇ ἐκτάσει Ezech. xvii, 3. 420, a 11.
μαλακοψυχεῖν II Macc. vi, 21. 772, b 31, 32.
μάλλα 1 Macc. v, 26. 734, b 37.
μάκεδ 1 Macc. v, 26. 734, b 38.
μᾶλλον δὲ Sap. viii, 20. 598, a 49.
μαλιτάνη 1 Macc. v, 26. 734, b 40.
μαλχιῆλος 1 Macc. xi, 39. 751, a 16.
μαναὰ Esa. lxvi, 3. 340, b 41. Jer. xxxiii, 18. 379, b 34. xli, 5. 384, a 59. Jer. li, 59. 399, b 32. Dan. ii, 46. 457, a 29. Joel. i, 9. 504, b 47. ii, 14. 506, a 59. Amosi v, 25. 513, b 29. Malach. i, 7. 567, a 5. & vers. 11, b 23, 24. cap. ii, 13. 569, a 30.
μαντεύομαι Jer. xxvii, 9. 372, b 6.
μάντις κακῶν Psalmo lxxviii, 49. 236, b 8.
μάντεις Zachar. x, 2. 557, a 29.
μάργαρον Baruchi vi, 71. 721, b 3.
μαρδοχαϊκὴ ἡμέρα Esther. Addit. x, 13. 586, b 35.
μάρισα 1 Macc. v, 66. 735, b 48, 50. II Macc. xii, 35. 782, b 10. 11.
[illegible] Sirach. xxvii, 30. 667, b 7.
μάρσυπος, μαρσύπιον Sirach. xviii, 33. 646, a 14.
[illegible] Sirach. xlv, 21. 701, b 54.
μάρων Dan. ii, 47. 457, a 43.
μασσηφὰθ 1 Macc. v, 35. 735, a 14.
μαστιγοῦν Prov. iii, 10. 247, b 19. III Macc. p. 791, b 49. μαστιγοῦν εἰς νουθεσίαν Judith. viii, 23. 582, b 15. μεμαστιγωμένος εἰς τὸ σῶμα Sirach. xxx, 14. 672, a 14, 15.
μάστιξ & μάστιγες Deut. xvii, 8. 89, a 45. Michææ iv, 6. 526, a 41. Sirach. xxii, 6. 653, a 15, 16. xxiii, 2. 654, b 57. xxx, 1. 671, a 49. & vers. 14. p. 672, a 16. III Macc. p. 791, b 52. μάστιξ γλώσσης Sirach. xxvi, 9. 664, a 46. μάστιξιν ἀνετάζεσθαι Sirach. xxiii, 11. 655, b 53.
μάχεσθαι Psalmo lx, 1. 232, b 20.
μαχηταὶ υἱοὶ Sirach. xlii, 8. 695, a 29.
μάχιμος Jobi xxix, 25. 212, b 45.
μαχμᾶς Μαχμὰς 1 Maccab. ix, 73. 745, a 23, 25.
μαψάρτυρος II Reg. xxiv, 7. 142, b 36.
μεγαλεῖα IV Reg. viii, 4. 162, a 33. μεγαλεῖα ποιεῖν III Macc. p. 800, b 25.
μεγαλοποιῶν Sirach. l, 24. 710, b 58.
μεγαλόψυχος Dan. xi, 24. 480, a 23. 1 Macc. iii, 30. 730, b 16.
μεγαλύνω Psalmo xx, 6. 225, b 43. Sirach. xlix, 13. 709, a 10.
μεγαλωσύνη Psalm. cxxxi, 1. 244, a 10. Dan. iv, 33. 461, b 36, 37. Sap. xviii, 24. 608, b 60. Sirach. ii, 23. 613, b 19. μεγαλωσύνην διδόναι Tobiæ xii, 6. 577, b 43, 44.
μεγιστᾶνες Dan. iv, 33. 461, b 28. Sirach. x, 27. 629, b 14. xi, 1. 630, a 56. xx, 30. 650, b 54.
μεγίστου Θεοῦ III Macc. p. 790, a 45.
μέδιμνοι πυρῶν, ἁλῶν II Macc. iii, 3. 765, b 29.
μεθαρμόζεσθαι Sap. xix, 6. 609, a 34. & vers. 17, b 38, 39.
μέθη Sirach. xxxi, 31. 674, b 57.
μεθιστᾶν ἀρχῆς, [illegible] III Macc. p. 798, b 20.
μεθύσκω Sirach. i, 20. 611, b 9. xxxii, 17. 676, a 52.
μεθύω Judith. vi, 2. 581, a 9. Sirach. xxiv, 42. 660, a 10. 1 Macc. xvi, 16. 762, a 8.
μειράκιον 1 Macc. xi, 54. 751, b 4.
μελανία Sirach. xix, 23. 647, b ult.
μέλι Ezech. xxxviii, 2. 448, a 54, 57.
μελετᾶν Ezech. ii, 9. 404, a 9. μελετᾶν ἐν σοφίᾳ Sirach. xiv, 22. 637, b 59, 60.
μέλλειν II Macc. iii, 18. 766, a 44. xiii, 11. 784, a 18. μέλλεις πλουτεῖν 1 Macc. vi, 9. 736, b 27, 28. ἤμελλε Sap. xviii, 4. 607, b ult.
μέλλοντες ἄγειν II Macc. i, 18. 763, b 28.
μέλλοντες ἀσεβεῖν III Macc. p. 791, a 47.
μέλος & μέλη Ezech. ii, 9. 404, a 8. Sirach. xlvii, 11. 705, a 25.
μελχὸμ Deut. xviii, 10. 92, b 24.
μέμφις Esa. xix, 13. 289, b 21.
μὲν II Macc. v, 14. 770, b 8.
μένειν ἐπὶ τῆς ἀρχῆς II Macc. iv, 50. 769, b 12.
μενέλαος II Macc. iv, 29. 768, b 26.
μένων κατὰ πρόσωπον τοῦ πλησίον Judith. xv, 2. 585, a 9, 10.
μεριδάρχης 1 Macc. x, 65. 748, a 50. xi, 27. 750, a 37, 38. III Macc. p. 796, b 19.
μερίζεσθαι εἰς [illegible] Sirach. xli, 12. 693, a 53.
μερικὰ τάγματα 1 Macc. vi, 35. 737, b 2.
μέριμνα ἀγρυπνίας Sirach. xxxi, 2. 673, a 28, 29.
μερὶς Jer. xxxvii, 20. 382, a 4. Sirach. xvii, 14, 15. p. 642, b 37. 1 Macc. x, 65. 748, a 52. μερὶς βασιλικὴ 1 Reg. ix, 24. 123, a 2.
μερίδες 1 Macc. x, 65. 748, a 52. III Macc. p. 796, b 18.
μέροπες Gen. xi, 9. 11, a 23, 24.
μέρος III Macc. p. 796, b 15, 18.
μεσσαλὼθ 1 Macc. ix, 2. 742, a antep.
μεσσὰς IV Reg. xi, 6. 164, b 2.
μεσσινὰ IV Reg. xxii, 14. 173, a 11.
μεσρὰχ IV Reg. xix, 37. 171, b 5.
μεσίτης Jobi xxxiii, 23. 214, a 38, 41.
μεσόγειος II Macc. viii, 35. 776, a 9.
μεσοπόρφυρον Esa. iii, 22. 276, a 58.
μετὰ ἀνδρὸς εἶναι Sirach. xlii, 10. 695, b 12.
μεταβάλλειν τὰ νόμιμα III Macc. p. 790, a 7.
μετάγω II Macc. iv, 10. 767, a 33.
μεταίχμιον 1 Reg. xvii, 4. 125, b 51, 52.
μετακλίνεσθαι ἐπ' ἀγκῶνα Sirach. ix, 13. 627, a 55.
μεταλαμβάνειν γοὺς III Macc. p. 795, a 29.
μεταλλάσσειν τὴν φυσικὴν χρῆσιν Oseæ iv, 14. 490, b 24. Sap. xiv, 26. 604, a 49.
μεταλλεύειν Sap. iv, 12. 593, b 38, 39. xix, 6. 409, a 32, 33.
μεταμέλεια Sirach. xxxii, 23, 24. 676, b 40.
μεταμελεῖσθαι Ibidem, lin. 33, 38.
μετανάστης ἀτίμητος Sirach. xxix, 32. 671, a 1.
μετάπτωσις τοῦ φρονεῖν Sirach. xxxviii, 19. 686, b 26.
μεταστροφὴ II Par. x, 15. 182, b 6.
μετατίθεσθαι Sap. iv, 10. 593, b 3.
μετενσωμάτωσις Jobi xxxiii, 29. 214, a antepen.
μετέχειν δικαίων Sap. xix, 14, 15. p. 609, b 17, 18.
μετέωρα Sap. xiii, 9. 603, a 6.
μετεωρίζεσθαι II Macc. v, 17. 770, b 23. μετεωρίζεσθαι μάτην II Maccab. vii, 34. 773, b 62, 63.
μετεωρισμὸς ὀφθαλμῶν Sirach. xxiii, 5. [illegible]
μετέωρον Sirach. xxii, 21. 653, b 57.
μετοικεσία Psalmo lxxxix, 1. 237, b 53, 54.
μετοικίζω Amosi v, 27. 514, a 13.
μέτοικος Jer. xx, 3. 364, b 23.
μέτοχοι ἱερῶν III Macc. p. 794, a 56, 58.
μέτρον IV Reg. xxi, 13. 172, b 8. Zach. i, 16. 549, a 8.
μὴ Amosi v, 25. 513, b 27.
μήδαμα Jer. xlviii, 2. 389, a 53.
μηδαμῶς Ezech. iv, 14. 406, b 5.
μήδαβα & Μήδαβα Num. xxi, 30. 78, a 42. Esa. xv, 2. 286, b 22. Zachar. ix, 7. 555, b 17.
μηδὲ πυρφόρος σωθήσεται Oseæ iv, 9. 490, a 35.
μηδὲν ἀδικεῖν ἰσχυρὰ δύναμις 1 Macc. iii, 21. 730, a 56, 57.
μηδὲν πράξασα Dan. xiii, 23. 722, a 60.

μήδης Dan. ix, 1. 472, a 28.
μηδία I Macc. x, 37. 747, a 28.
μηδίζοντες Dan. v, 28. 463, a 60.
μὴ εἰσιέναι III Macc. p. 792, a 35.
μὴν θεὸς Esa. lxv, 11. 339, a penult.
μῆνις συγχυθεὶς Sirach. xxiii, 18, 19. p. 656, b 16, 17.
μήνιμα Sirach. xl, 4. 690, b 25, 27.
μῆνις Ibid. lin. 27, 28. & Sirach. xxviii, 8. 668, a 11.
μηνοειδὴς Sirach. xliii, 8. 697, a 16.
μὴ ὄντα II Macc. vii, 28. 773, b 50. μή ποτε Sirach. xxxvii, 10. 683, b 59.
μηροὶ μολυνθήσονται ὑγρασίᾳ Ezech. vii, 17. 408, b 48.
μία τῶν αὐλῶν Jer. xxxv, 2. 380, a 60. μία τῶν σαββάτων II Macc. viii, 28. 775, b 27. μία ψυχὴ I Reg. xviii, 1. 126, a 63, seq.
μιαίνεσθαι Deut. xxiv, 4. 98, b 29. μεμιαμμένος Tobiæ ii, 10. 574, a 39.
μίασμα Oseæ ix, 10. 497, a 1. μιάσματι I Macc. xiii, 50. 757, a 8.
μίγμα Jos. iii, 16. 104, a 46. Sirach. xxxviii, 7, 8. 685, b 39.
μικρὸς Sirach. xxv, 24, 25. p. 662, b 24.
μικρολογεῖν πρὸς τοὺς θεοὺς vel μικρολογεῖσθαι πρὸς τὰ θεῖα Malach. i, 12. 567, b 40, 41. Sirach. xxxv, 10. 681, a 29.
μικρολογία Sirach. xiv, 3. 636, b 28.
μίλτειον στάγμα Esa. xliii, 13. 315, a 4.
μίλτος Jer. xxii, 14. 366, b 6. Sap. xiii, 14. 603, a 28.
μίμησις Sirach. xxix, 32. 671, a 5, 6.
μινιστέριον I Macc. xi, 58. 751, b 23.
μινυρίζειν Amosi vi, 5. 514, b 9.
μισάρχης II Macc. v, 24. 771, a 6.
μισητὸς Sirach. x, 7. 628, a 10. xx, 16. 649, b. 37. xxxvii, 23. 684, b 59.
μισθοῦσθαι I Macc. v, 39. 735, a 25.
μισθωτὸς τοῦ Ἀμμὼν Judith. vi, 6. 581, a 17.
μισῶν λαλιὰν Sirach. xix, 6. 646, b 21.
μίτρα Esa. lxi, 10. 334, b 37. Ezech. xxiv, 17. 431, b 42. μίτραι λύειν Judith. ix, 2. 583, a 9, 12.
μιτροφόρος Judith. iv, 16. 580, b 16.
μνᾶ I Macc. xii, 7. 753, a 47.
μνάομαι· μνησθήσονται Baruchi ii, 33. 715, b 42. μνήσθητι eod. iv, 14. 717, a 51.
μνημόσυνον Esa. lxvi, 3. 340, b 49, 50. Sirach. xxiv, 27. 659, a 23. xxxix, 12, 13. p. 688, b 3. μνημόσυνον εἴη ἐν εὐλογίαις Sirach. xlix, 12. 709, a 7. μνημόσυνον ἐπὶ πολὺ Sirach. xlix, 15. 709, a 23, 25, 26. μνημόσυνον Ἰσραὴλ Baruchi iv, 5. 717, a 32.
μνήμων III Reg. iv, 3. 145, b 50. μνήμων συμπότης Sirach. xxxi, 42. 675, a pen.
μνησικακεῖν κακίαν Zach. vii, 10. 553, b 63, seq.
μνεύης Exodi xxxiv, 29. 58, b 60.
μόγις τὸ ζῆν αὐτοῖς χαρισάμενοι III Maccab. p. 799, b 14.
μοδούλου Ezech. xxvii, 19. 436, b pen.
μοιχεύω Michææ ii, 1. 523, b 41.
μοιχοὶ Sap. iii, 17. 592, b 15.
μολὸχ Deut. xviii, 10. 92, b 29.
μολσὰδ Dan. i, 11. 454, a 56.
μολύνω I Macc. ii, 49. 728, b 41.
μολυσμὸς II Macc. v, 27. 771, a 36.
μονογενὴς Gen. xxii, 2. 16, a 34. Judic. xi, 34. 114, a 29. μονογενὲς Sap. vii, 22. 597, a 17.
μονόζωνος IV Reg. xxiv, 2. 174, a 59, 60. Jobi xix, 12. 208, b 30.
μονοήμερος Sap. v, 15. 594, b. 48.
μονόθεοι Dan. xii, 1. 484, a 12.
μονοθεΐα Dan. vii, 27. 468, b 44.
μονόλιθοι κίονες I Macc. xiii, 29. 755, b 28.
μοόζηλ Ezech. xxvii, 19. 436, b 45.
μόρσιμον Sirach. xli, 6. 693, a 18.
μορφὴ ἐπίστρεψε Dan. iv, 33. 461, b 16.
μορφώματι Judic. xvii, 5. 115, b 56.
μόσχευμα Sap. iv, 3. 593, a 12, 13.
μόσχοι ἀδίδακτοι Esa. xxxi, 18. 376, a 2. μόσχοι ἐκλελοίπασι Oseæ xiii, 2. 501, b 51.
μοζὰ I Macc. v, 26. 734, b 49.
μοζαλὴμ Ezech. xxvii, 24. 437, a 47.
μοχθεῖν Jer. xxxi, 39. 377, a 45.
μοχλὸς I Macc. xiii, 33. 755, b 57. μοχλοῖς σύζειν Sirach. xxviii, 29. 669, a 21.
μυεῖσθαι· μεμυημένος III Macc. p. 792, b 26.
μυθικός· μυθικὸν Judith. ii, 12. 579, b 31.
μῦθος & μυθολόγος Baruchi iii, 23. 716, b 18, 22. μῦθος ἄκαιρος Sirach. xx, 21. 650. a 29, 30.
μυῖα θεὸς IV Reg. i, 2. 158, a 5.
μύλιττα Baruchi vi, 42. 720, a 5.
μυρεψητήριον Jobi xli, 22. 220, a 45.
μυρεψὸς Sirach. xxxviii, 7, 8. p. 685, b 39.
μυριάδες χιμάρων πιόνων Michææ vi, 7. 528, b 9.
μύρον ·Ezech. xxvii, 17. 436, b 12.
μύῤῥα Ezech. xxxviii, 2. 448, a 46.
μυσάρχης I Macc. iii, 10. 730, a 26. II Macc. v, 24. 771, a 7.
μυσία I Macc. viii, 8. 741, a 29.
μυσὸς Sap. xii, 5, 6. p. 601, a 50.
μυστήριον Dan. ii, 18. 455, b 22. Sap. xiv, 15. 603, b 52. III Macc. p. 792, b 28.
μύστης Sap. xii, 5, 6. p. 601, a 50.
μύστις τῆς τοῦ Θεοῦ ἐπιστήμης Sap. viii, 4. 597, b 40.
μυχὸς II Macc. vi, 26. 772, b 49.
μωδιεὶμ vel Μωδεὶν Dan. xi, 38. 482, b 21, 23.
μωκᾶσθαι· μεμωκημένα Sirach. xxxiv, 21. 680, a 35.
μωκήματα Sirach. xxxiv, 21. 680, a 38.
μώλωψ Sirach. xxviii, 21. 668, b 26.
μῶμος Levit. xxiv, 19. 70, b 2. Dan. i, 4. 453, b 37. Sirach. xx, 26. 650, b 14.
μωραίνεσθαι Sirach. xxiii, 18, 19. p. 656, a 58.
μωρὸς Sirach. xxii, 11, 12. p. 653, a 46. I Macc. xii, 7. 753, a 46.
μῶφι Esa. xix, 13. 289, b 18.

N.

N pro μ Jer. xlviii, 23. 390, a 48, 49.
ναβαταῖοι I Macc. xii, 31. 754, a 18.
ναβάτης Gen. xxv, 13. 17, b 44.
νάβλα I Macc. xii, 7. 753, a 44.
ναβουχοδονόσορος, Ναβουχοδρόσορος, Ναουχοδρόσορος IV Reg. xxiv, 1. 174, a 45, seqq.
ναγὲβ Jer. xxxii, 44. 378, b 52.
ναΐσκος Amosi v, 26. 513, b 33.
ναναία I Macc. vi, 2. 736, a 36.
ναναιεῖος II Macc. i, 15. 763, b 22.
ναὸς Sirach. l, 1. 709, b 4. III Macc. p. 790, a 55. ναὸς ὑψίστου Sirach. l, 7. 709, b 55.
ναουμὸς Tobiæ xiv, 6. 578, b 15.
ναπαταῖοι I Macc. v, 25. 734, b 21.
νασβᾶς Tobiæ xi, 20. 577, b 23, seqq.
νασὶβ I Reg. xiii, 4. 124, a 53.
νάσιβις Oseæ x, 2. 497, b 34.
ναυῆ Jos. i, 1. 103, a 6.
νεανίας Zachar. ii, 4. 549, b 8.
νεανίσκος Esa. xl, 30. 309, b 12. Dan. i, 4. 453, b 32. II Macc. viii, 28. 775, b 35.
νεβὲλ οἴνου Oseæ iii, 2. 489, a 15.
νεζὲρ IV Reg. xi, 12. 164, b 27.
νεῖκος Sirach. viii, 19. 626, a 38. xxxiii, 15. 678, a 1. xlii, 25. 696, b 13.
νεκρόδειπνα Oseæ ix, 4. 496, a 37.
νεκρὸς Sirach. xvii, 26. 643, b 3. νεκρᾶ καρδία Sirach. xviii, 29. 645, b 29. νεκρῷ ἀντέχεσθαι Ibidem. νεκρῶν ἀναίρεσις I Macc. ix, 19. 743, a 1.
νεκυΐα I Reg. xxviii, 11. 129, b 23.
νεκυόμαντις Jer. xxvii, 9. 372, b 13. νεκυομάντεις Jer. xxvii, 9. 372, b 13.
νεογνοὶ παῖδες Sirach. xxx, 5. 671, b 10. νεογνὰ τῶν τέκνων III Macc. p. 791, a 7.
νέος Esa. xl, 30. 309, b 12. νεώτεροι Baruchi iii, 19. 716, a 58.
νεότης Psalmo cxxvii, 4. 243, a 46.
νίσαβις Oseæ x, 2. 497, b 36.
νεφέλαι δόξης Sirach. l, 8. 709, b 58.
νέφθαρ II Macc. i, 36. 764, a 16.
νέχφαρ Ibidem.
νηκτὰ Habac. i, 14. 537, a 30. Sap. xix, 18. 609, b 55.
νήπιος & νήπιοι Prov. i, 32. 247, a 41. Sap. x, 21. 600, a 56. Sirach. iii, 20. 614, b 23. xxx, 12. 671, b 59.
νῆσος & νῆσοι Sirach. xliii, 25. 698, a 9. I Macc. vi, 29. 737, a 33.
νικᾶν ἀγῶνα Sap. iv, 2. 592, b ult.
νικάτωρ I Macc. x, 67. 748, a 59, 60.
νικητήρια II Macc. xv, 33. 788, b 53.
νικοποιὸς ἐν ψαλμοῖς Psalmo iv, 1. 222, a 21.
νίνος Nahumi i, 1. 531, a 33. νίνος εὐφραίνουσα Jonæ i, 2. 519, b 54, 55.
νιεραχαστολάσταρος Jer. xxvii, 7. 372, a 60.
νοερὸς Sap. vii, 23. 597, a 23.
νόημα Sap. ii, 2. 590, a 32. III Macc. p. 797, a 14.
νόθος Judic. xi, 2. 112, a antepen.
νομάρχαι Jer. xlvi, 25. 388, a 54.
νομάδες II Macc. xii, 11. 781, a 60, seqq.
νομὴ χειρῶν II Macc. v, 14. 770, b 10.
νομιζόμενοι I Macc. i, 54. 726, a 16. II Macc. xiv, 4. 785, a 44.
νομικὸς II Macc. vi, 18. 772, a 45, 46.
νόμιμα Dan. vii, 25. 468, a 57. Sirach. l, 19. 710, b 21. νόμιμα ὑψίστου Sirach. xix, 21. 647, b 36.
νόμος & νόμοι Esa. xix, 2. 289, a 49. I Macc. ii, 21. 727, b 15. xi, 34. 750, b 8. III Macc. p. 795, a 16. νόμος ὑψίστου Sirach. xxxviii, 39. 688, a 3, 4. νόμοις χρῆσθαι ἰδίοις Esth. Addit. xvi, 19. 588, b 31, 32. I Macc. x, 37. 747, a 28, 29.
νόννος Psalmo lxxii, 17. 235, b 12.
νοσερὸν Malach. i, 8. 567, a 33.
νόσος Sirach. xxii, 3. 652, b 48.
νοσσεύω Sirach. i, 14. 611, b 1.
νοσφίζεσθαι Dan. xi, 43. 483, b 13. II Macc. xv, 11. 787, b 36.
νοῦς Exodi xx, 3. 38, a 55, 56. Esa. xl, 13. 308, b 54. νοῦς ἀγέρωχος Dan. xi, 12. 478, a 50. νοῦς ἄκακος Sap. iv, 12. 593, b 39.
νυμφίος I Macc. i, 28. 725, a 12.
νὺξ τολμῶσι πλέον φέρει II Macc. viii, 7. 774, a 60. νυκτὸς τὸ προσταχθὲν III Macc. p. 796, b 21. νύκτα Sap. xvii, 13. 607, a pen.
νύσσειν Sirach. xxii, 24. 654, a 9. III Macc. p. 796, b 2.
νυσταγμὸς Sirach. xxxi, 2. 673, a 32.
νυστάζω Psalmo cxix, 28. 242, a 54. Sirach. xxii, 9. 653, a 26, 27.
νυχθημερινὸς Dan. viii, 12. 470, b 5.
νωθρὸς Sirach. xi, 12. 631, a 56.

Ξ.

Ξεναγοὶ II Macc. x, 14. 778, a 55.
ξενοδόχοι Sirach. xli, 23. 694, a 29.
ξενίζω Sirach. xxix, 32. 670, b 59.
ξένια Sirach. xx, 31. 650, b 57. I Macc. x, 36. 747, a 5.
ξένοι II Macc. x, 14. 778, a 54.
ξενοτροφεῖν Ibid. lin. 53.
ξέρξης Esdræ iv, 6. 191, a 46.
ξηραίνειν & ξηραίνεσθαι Sirach. xiv, 9. 637, a 23. xix, 3. 646, a 45.
ξίφος Jobi iii, 14. 203, b 39. ξίφος ὀξὺ Sap. xviii, 16. 608, a 53.
ξόανα Amosi v, 26. 513, b 41.
ξύλον εἰς ἄρτον Jer. xi, 19. 356, b 22.
ξυλοφορία Nehem. xiii, 31. 197, b 46.
ξωνειδῆ Sirach. xli, 10. 693, a 46.

O.

O pro ע Hebræo Dan. xi, 38. 482, b 19. I Macc. ii, 1. 727, a 2, seqq.
ὁ· τοῦ, τῷ, τὸ, vide lit. T.
ὀαριστὺς III Reg. iv, 32. 146, a 58. Cantici i, p. 267, a 43. Sirach. xlvii, 18. 705, b 26.
ὄγμα Deut. ii, 11. 83, b 13.
ὀδολλαμίτης II Macc. xii, 38. 782, b 22.
ὁδοιπορία Sirach. iii, 30. 615, b 30.
ὁδομηρῷ I Macc. ix, 66. 744, b 40.
ὁδοποιέω Psalmo lxviii, 5. 233, b 22. Esa. xlix, 11. 320, a 49.
ὁδὸς Esa. xlix, 11. 320, a 50. Sirach. xvii, 16. 642, b 55. ὁδὸς θαλάσσης Sap. xiv, 3. 603, a 43.

a 43. ὁδὸν καὶ ἀγρῶν αὐτῶν Num. 20, 17. 77, b 30. ὁδοὶ ἀληθείας καὶ δικαιοσύνης Tob. i, 2. 573, a 33, 34.
ὀδυνᾶν Sirach. iv, 3. 616, a 24, 25.
ὀδυρμὸς Psalmo xxii, 2. 226, a 40.
ὁ ἐπὶ τῶν προσόδων III Macc. p. 798, b 42. ὁ πρὸς τῇ τῶν ἐλεφάντων ἐπιμελείᾳ III Macc. p. 796, a 5. ὁ πρὸς ταῖς κλήσεσι τεταγμένος Ibidem, lin. 58. ὁ τοῦ Ζαχαρίου II Macc. x, 19. 778, b 25. οἱ ἀπ᾽ ἐσχάτου τῆς γῆς Esa. xlv, 22. 317, a 44. οἱ ἔγγιστα τοῦ γένους Judith. xvi, 29. 586, b 1. οἱ ἐν ἡλικίᾳ II Macc. v, 24. 771, a 11, 12. οἱ ἐν τοῖς ὀχυρώμασι I Macc. xi, 18. 750, a 10. οἱ ἐν τῇ χώρᾳ III Macc. p. 793, a 22. οἱ ἐπὶ ἐξουσιῶν Dan. iii, 2. 457, b 56. οἱ μὴ ὄντες Esth. Addit. xiv, 11. 587, b 6. οἱ τῆς μερίδος ὄντες Sap. ii, 25. 591, b 4.
ὀζίας IV Reg. xv, 1. 167, a 53.
ὅθεν II Macc. xiii, 25. 784, b 59.
οἴ μοι Tobiæ x, 4. 577, a 59.
οἰκεῖοι σπέρματος Esa. lviii, 7. 330, a 44.
οἰκέτης Sirach. xxxiii, 31. 678, b 56.
οἰκετικὴ διάθεσις III Macc. p. 792, a 40.
οἰκητήριον III Macc. p. 791, b 13.
οἰκία μύλωνος Jer. lii, 11. 400, a 25, 26.
οἰκοδομεῖν Judith. xvi, 17. 585, b 33.
οἰκονομεῖσθαι III Macc. p. 793, a 30.
οἰκόπεδα Sirach. xlix, 15. 709, a 31.
οἶκος Esa. xlii, 22. 312, b 31. Oseæ x, 14. 498, b 52. οἶκος ἀδικίας Oseæ iv, 15. 490, b 43. οἶκος ἀνωφελὴς Ibid. lin. 44. οἶκος Ἱεροβοὰλ Oseæ x, 14. 498, b 52. οἶκος καταπτύσματος Sirach. l, 5. 709, b 44. οἶκος τοῦ πατρὸς αὐτοῦ I Macc. xiv, 26. 758, a 1. οἶκος φίλος, οἶκος ἀλλότριος Sirach. xxix, 29. 670, b 30. οἶκος Ὢν Oseæ iv, 15. 490, b 40.
οἴκους ξεστοὺς οἰκοδομεῖν Amosi v, 11. 513, a 32, 33.
οἰκτείρω Esa. lxiii, 16. 337, a 17.
οἰκτίρμων Sirach. ii, 13. 613, a 23.
οἰνοποτέω Prov. xxxi, 4. 258, a 26.
οἶνος ἐκ συκοφαντιῶν Amosi ii, 8. 510, b 36, 37.
οἶστρος κτηνῶν Sirach. xxxi, 1. 673, a 13.
οἰωνόβρωτος III Macc. p. 799, a 16.
οἰωνίζεσθαι Levit. xix, 26. 67, b 34.
οἰώνισμα I Reg. xv, 23. 125, a 33.
οἰωνισμὸς Sirach. xxxiv, 5. 679, a 37.
ὀκλάζειν γόνυ III Reg. xix, 18. 155, a 30.
ὄλεθρος αἰώνιος II Macc. vii, 14. 773, a 52.
ὀλιγοστὸς Esa. xli, 14. 310, a 55. lx, 22. 333, b 44.
ὀλιγοψυχεῖν Habac. ii, 4. 537, b 38. Sirach. iv, 9. 616, a 60, 61, ult. vii, 9. 622, b 20.
ὀλιγοψυχία Exodi vi, 9. 29, b 9.
ὀλίσθημα ἀπ᾽ ἐδάφους· ὀλίσθημα ἀπὸ γλώσσης Sirach. xx, 20. 650, a 10.
ὁλκὴ Sirach. viii, 1, 2. p. 625, a 2, 3.
ὀλοθρευτὴς Judith. viii, 25. 582, b 22, 23.
ὀλοθρεύων τὰ πρωτότοκα Sap. xviii, 15. 608, a 49.
ὁλοκαυτοῦν Jer. xlviii, 35. 391, a 38.
ὁλοκαύτωμα Oseæ vi, 6. 493, a 4, 5. Sirach. xxx, 19. 672, a 55. I Macc. iv, 56. 733, b 26.
ὁλοκαύτωσις Judith. iv, 16. 580, b 6.
ὀλολύζω Jer. xlvii, 2. 388, b 39.
ὀλόσφυρα Jer. lii, 19. 400, a 52.
ὀλύρα Ezech. iv, 9. 406, a 27.
ὁμιλέω Sirach. xi, 21. 632, a 1.
ὁμιλία Exodi xxi, 10. 52, a 56.
ὁμίχλη Jobi xxxviii, 9. 217, a 28. Sirach. xxiv, 6. 657, b 60, 61. xliii, 24. 697, b 57.
ὅμοιος ἐξελθεῖν πρὸς τοὺς ἐχθροὺς I Macc. ix, 29. 743, a 26, 27.
ὁμοιότης Sirach. xiii, 20. 635, b 26.
ὁμόνοια I Reg. xviii, 1. 126, b 3. Sirach. xxv, 2. 660, a 58.
ὁμόσπονδος βασιλεῖ· ὁμόσπονδος δυνάμεσι III Maccab. p. 793, b 30.
ὁμόφυλος II Macc. iv, 10. 767, a 33. III Macc. p. 794, a 34.
ὁμόψυχος Sirach. xxxvii, 16. 684, a 51.
ὀμνύειν Ezech. vi, 9. 408, a 4. ὀμόσῃ ἐπίορκον Sirach. xxiii, 12. 656, a 7.
ὀμφαλὸς γῆς Ezech. xxxviii, 12. 449, a 40, 41.
ὄμφαξ Jer. xxxi, 29. 376, b 14.
ὀναῖτο Oseæ ix, 4. 496, a 46.
ὄνειαρ Sirach. xxv, 2. 660, b 8.
ὀνειδίζειν Sirach. xx, 13. 649, b 1. xxii, 26, 27. p. 654, a 37. III Macc. p. 799, b 32. ὀνειδίζουσα φωνὴ II Maccab. vii, 24. 773, b 34, 35.
ὀνειδισμὸς Psalmo xv, 3. 224, a 28. Sirach. xxii, 26, 27. p. 654, a 36. xxix, 35. 671, a 39. eod. vers. 30. p. 670, b 40. ὀνειδισμὸς παροικίας Sirach. xxix, 30. 670, b 40.
ὄνειδος II Reg. xiii, 13. 136, b 19.
ὀνειροκρίται Jer. xxiii, 27. 368, b 54.
ὀνειρομάντεις Jer. xxvii, 9. 372, b 8.
ὄνημι· ὀνήσεται ἐπ᾽ αὐτῷ Sirach. xxx, 2. 671, a 55, 56.
ὄνησις γλώσσης Sirach. vii, 29. 624, a 3, 4.
ὀνίας I Macc. xii, 7. 753, a 2.
ὄνομα Sap. xix, 17. 609, b 39. Sirach. vi, 23. 621, a 26, 30. ὄνομα ἀντικαταλλασσόμενον Sirach. xlvi, 14, 15. p. 703, b 42, 43. ὄνομα πονηρὸν Sirach. vi, 1. 619, b 23.
ὀνομασία ἁγίου Sirach. xxiii, 10. 655, b 43, 44.
ὀνοματοποιία Jer. xix, 1. 363, b 15.
ὄνυξ Sirach. xxiv, 20. 658, b 30.
ὀνύχιον Exodi xxviii, 20. 56, a 21. Ezech. xxviii, 13. 438, b 43.
ὅπλα I Macc. viii, 28. 742, a 5.
ὁπλολογέω II Macc. viii, 27. 775, b 14.
ὅπλον Esa. liv, 17. 325, b 46.
ὀπτασία Ezech. viii, 2. 409, b 37. xiii, 3. 414, b 21. xxxvii, 1. 447, a 55. xl, 1. 450, b 57. Dan. viii, 1. 469, a 19. Zachar. xi, 13. 560, a 14.
ὀπώρα Jer. xl, 10. 384, a 15.
ὀπωροφυλάκιον IV Reg. xvii, 9. 168, b 49. Psalmo lxxix, 2. 236, b 24.
ὀπωροφύλαξ Jobi xxvii, 18. 211, b 33.
ὅρασις Sirach. xli, 25. 694, a 49. III Macc. p. 797, a 37. ὅρασις ἐνυπνίων Sirach. xxxiv, 3. 679, a 25, 26.
ὁρατικὸν Sirach. xvii, 5. 642, a 39.
ὄργανον Jobi xxi, 12. 209, b 42. ὄργανον ἔμψυχον Sirach. xxxiii, 31. 678, b pen.
ὀργὴ Malach. ii, 15. 569, a 61. Sirach. xxviii, 23. 668, b 40. xlvii, 22. 705, b 61. ὀργὴ παρ᾽ αὐτῷ Sirach. v, 7. 618, b 19.
ὀργίζομαι I Macc. ix, 69. 744, b ult.
ὀρειβάτης III Reg. xx, 23. 155, b 43.
ὀρεκτικὸν Sirach. xvii, 5. 642, a 42.
ὀρθὴ αἴσθησις Sirach. xx, 19. 650, a 3.
ὀρθότης Jer. ix, 24. 354, b 5.
ὀρθρίζειν Sirach. iv, 13. 616, b 26. vi, 36. 621, b 21. xxxii, 18. 676, a pen. I Macc. xi, 67. 752, a 47, 48.
ὄρθρος Sirach. xxiv, 44. 660, a 25.
ὀρθῶς συζῶντες Sirach. vii, 20. 623, a 46.
ὅρια Ezech. xxvii, 4. 435, a 1. ὅρια Αἰθιοπίας III Macc. p. 793, a 27. ὅρια δύο θαλασσῶν Judith. i, 9. 579, a 44. ὅρια Ἱερουσαλὴμ I Macc. x, 31. 746, a ult.
ὁρισμὸς II Macc. xii, 25. 782, a 13, 15.
ὁρκίζω Jos. ii, 17. 103, b antepen.
ὁρκισμὸς Sirach. xxxvi, 10. 682, a 53, 54.
ὅρκος Sirach. xxiii, 12. 656, a 6.
ὁρμᾶσθαι I Macc. ix, 51. 744, a 34.
ὁρμὴ βιαίας ἀναστροφῆς III Macc. p. 795, a 21.
ὁρμίσκος Gen. xxxviii, 18. 22, a 23.
ὅρμος III Macc. p. 800, a 21.
ὀρνιθοσκοπεῖν Lev. xix, 26. 67, b 40.
ὀρνίθων Jer. v, 27. 349, b 10.
ὄρος Cant. iii, 6. 268, a pen. ὄρος Σηείρ Sirach. l, 28. 711, a 22. ὄρη II Macc. v, 27. 771, a 29. ὄρεα Ἀερμὼν Sirach. xxiv, 17. 658, b 4.
ὀρτὴ Jer. li, 38. 398, b 2.
ὀρτυγομήτρα Exodi xvi, 13. 32, b 17. Psalmo xxiii, 5. 226, b 22.
ὀρύττειν Psalmo xxii, 18. 226, a 56.
ὀρώδης I Macc. xiv, 2. 757, a 51.
ὁρῶν II Par. xxxiii, 19. 189, a 38, 39.
ὅσιοι Sap. iii, 9. 592, a 6. Sirach. xxxix, 17. 688, b 30. ὅσια Esa. lv, 3. 326, a 33, 35.
ὁσιότης Ibidem, 35.
ὁσίως Sirach. xvii, 28. 643, b 18.
ὀσμὴ Sirach. xxxix, 18. 688, b 37, 38.
ὅση κόνις Esa. xxix, 5. 300, a 28. ὅσον ἐπιποθῆσαι Sap. xv, 19. 605, b 7.
ὀστᾶ ἀναθάλλοι Sirach. xlvi, 14, 15. p. 703, b 41, 42.
ὀσφὺς Sirach. xxxv, 22. 681, b 46.
ὅτε καιρὸς Sirach. xxxviii, 12, 13. p. 686, a 11.
ὅτι Judith. xi, 12. 584, a 13, 17. Sirach. vi, 17. 620, b 44. I Macc. vi, 11. 736, b 30. ix, 1. 742, a 45, 46.
οὐ pro ב Hebræo *Jer.* xlviii, 18. 390, a 11.
οὐ pro οὐχ οὕτως II Macc. xv, 11. 787, b 29.
οὐ θέμις II Macc. vi, 20. 772, b 6. οὐ λόγος οὐδ᾽ ἀριθμὸς III Macc. p. 793, b 11, 12.
οὐαὶ I Macc. xii, 7. 753, a 39.
οὐαφρὴς Ezech. xxix, 2. 439, b 17.
οὐβάλ Dan. viii, 2. 469, a 47.
οὐδαμῶς διαφέρειν III Macc. p. 793, b 10.
οὐδὲν γνήσιον φέρειν III Macc. 794, a 28.
οὐδὸς τῆς θύρας τῆς σκηνῆς Judith. xiv, 14. 584, b 57.
οὐκ ἀγαθοὶ .... οὐκ ἐξ ὄντων II Macc. vii, 28. 773, b 49. οὐκ ἔστιν ἴασις Sap. ii, 1. 590, a 11. οὐκ ἠλεημένη Oseæ i, 5. 486, b 29. & ii, 23. 488, b 40. οὐκ ἦν ἄνθρωπος Judith. xv, 2. 585, a 9.
οὐραγεῖν Esa. lviii, 8. 330, b 2, 3. οὐραγοῦντες Ibid. lin. 8.
οὐραγίαν καταλαμβάνειν Jos. x, 19. 106, b 4, 5.
οὐραγὸς I Macc. v, 53. 735, b 21.
οὐρανία Gen. xi, 1. 10, b 47.
οὐρανίσκος Ezech. i, 22. 402, b 49.
οὐρανὸς οὐρανοῦ III Macc. p. 791, b 13.
οὐρανομήκης Dan. iv, 8. 459, b ult.
οὖς ἀκροατοῦ Sirach. iii, 31. 615, b 46.
οὐσία τοῦ πατρὸς Sirach. xxxiii, 15. 678, a 10.
οὐσία ἐμπίπτοντος III Macc. p. 794, b 46.
οὗτος. τοῦτο, vide T.
οὕτως Sirach. ii, 23. 613, b 20.
οὐχ ἑκὼν Sirach. xiv, 7. 637, a 1. οὐχ οὕτως ἔσται Judith. ix, 2. 583, a 14. οὐχ ὑποδύθμιος κρατεῖ Mal. i, 3. 566, a 41. οὐχὶ Sirach. xlvii, 4. 704, b 28.
ὀφείλοντες βασιλικὰ καὶ πᾶν πρᾶγμα I Macc. x, 43. 747, b 28, 29. ὀφείλεται θανεῖν Sirach. xli, 5. 693, a 9 & 13. ὀφειλομένη κόλασις III Macc. p. 799, b 38.
ὀφθαλμὸς αὐτοῦ Zachar. ii, 8. 549, b 40, 41. ὀφθαλμὸς Διὸς Sirach. xxiii, 28. 657, a 23. ὀφθαλμοὶ ἀνθρώπων Sirach. xxiii, 26. 657, a 16. ὀφθαλμοὶ ἐπιδεεῖς Sirach. iv, 1. 616, a 11. ὀφθαλμοὶ φλέγοντες Sirach. xix, 26. 648, a 40, 41. xxvi, 12. 664, b 16.
ὄφις Gen. iii, 1. 4, a 57. Esth. Addit. x, 7. 586, a 45.
ὀφιώδης Gen. iii, 1. 4, a antepen.
ὀφρὺς Sirach. i, 38. 612, a antepen. ὀφρῦς αἴροντες Sirach. xxiii, 5. 655, a 36.
ὀχοζίας II Par. xxii, 6. 186, a 36.
ὄχλος βαρὺς Ezech. xxxviii, 9. 449, a 22. Dan. xi, 31. 481, a 32, 33. III Macc. p. 799, a 11. ὄχλος κατ᾽ οἰκίαν II Macc. xiii, 15. 784, a 44, 45.
ὀχυρὸς Sirach. l, 5. 709, b 36. II Macc. xii, 13. 781, b 15, 16.
ὀχυρόω I Macc. iv, 61. 733, b 60.
ὀχύρωμα I Macc. v, 29. 735, a 1. xii, 33. 754, a 34. II Macc. x, 33. 779, a 25.
ὀψὲ σαββάτων II Macc. viii, 28. 775, b 29.
ὄψις Sap. xix, 17. 609, b 50. Sirach. xix, 26. 648, a 35. ὄψις μὴ θεωρουμένη Sap. xvii, 6. 606, b 59.

Π.

ΠΑγὶς Esa. xlii, 22. 312, b 27. I Macc. i, 37. 725, a 55.
πάγος Sap. xvi, 22. 606, a antepen.
πάζιον Psalmo xix, 11. 225, b 13.
πάζος Jer. x, 9. 355, a 25.
παθητικὸν Baruchi iv, 17. 717, b 2.
πάθος Exodi xx, 17. 49, b 38.
παιᾶνες II Macc. xv, 25. 788, b 8.
παιανίζειν Sophon. iii, 17. 544, b 42.
παιδάριον I Macc. xi, 54. 751, b 3.
παιδαγωγεῖν Sirach. xxxiv, 20. 680, a 22.
παιδεία Sirach. iv, 29. 617, b 33. xxii, 6. 653, a 15. xxxi, 20. 674, a 36, 37. παιδεία Κυρίου Esa. l, 4. 321, b 10. παιδεία στόματος Sirach. xxiii, 7. 655, b 15, 16.

παιδεύειν

παιδεύειν & παιδεύεσθαι Jer. XXXI, 18. 376, a 1. Sirach. XXI, 14, 15. p. 651, b 49. πεπαιδευμένη ψυχὴ Sirach. XXVI, 17, 18. p. 665, a 2.

παιδίον & παιδία Judith. IV, 9. 580, a antep. I Macc. XI, 54. 751, b 3. II Macc. VIII, 28. 775, b 34.

παιδίσκη Gen. XXX, 3. 19, a 45. παιδίσκη σου Judith. XI, 4. 583, b 52.

παίζειν Gen. XXVI, 8. 18, a 43. Sirach. XXXII, 16. 676, a 41. XLVII, 3. 704, b 18.

παῖς τύχης Sirach. XXIII, 18, 19. p. 656, b 14. παῖδες I Macc. I, 7. 723, b 51. παῖδες Ἀβραὰμ II Macc. VI, 21. 772, b 31.

παιωνίσαι III Macc. p. 795, a 5, 6.

παλάθη vel πάλαθος Judith. IX, 5. 583, b 12. Sirach. XXIV, 20. 658, b 23.

παλαιὰ Sap. VIII, 8. 598, a 9.

παλαισταῖος Psalmo XXXIX, 6. 229, b 38.

παλλακὴ, παλλακαὶ Judic. XIX, 1. 116, b 6. I Macc. XII, 7. 753, a 32.

παμφάγον ζῶον Dan. VII, 5. 466, a 32, 33.

παμφυλία Gen. XIV, 1. 11, b antep.

παμφύλων ἔθνη II Macc. VIII, 9. 774, b 10.

πανάρετος Sirach. p. 610, a 28.

πανδαισία Exodi XXXII, 6. 57, a 60.

πανήγυρις Jer. XLIII, 13. 386, a 9. Sap. XV, 12. 605, a 21.

πανηγυρισμὸς Sap. XV, 12. 605, a 20.

πανοικὶ III Macc. p. 794, b 42.

πανοικία Ibid. & Esth. Addit. XVI, 18. 588, b 22, 23.

πανοπλία Ezech. XXXVIII, 4. 448, b 27.

πανούργημα Sirach. XXXIV, 10. 679, b 39.

πανουργία Gen. III, 1. 4, a 31. Sirach. XXI, 14, 15. p. 651, b 50, seqq. XXXIV, 10. 679, b 39.

πανοῦργος Genes. III, 1. 4, a 30. Sirach. XXXIV, 10. 679, b 41.

πανσέληνος Sirach. XLIII, 8. 697, a 18.

παντοδύναμος Sap. VII, 23. 597, a 19.

παντοκράτωρ ὁ Θεός· παντοκράτωρ ἐπουράνιος Θεὸς Sirach. XXIV, 34. 659, b 6, 7. III Macc. p. 798, b 35.

παρὰ Σεδεκίου Jer. LI, 59. 399, b 20. παρὰ τοὺς πλησίον Sirach. XV, 3, 4. p. 638, b 19, 20. παρὰ πάντα Exodi XXXIII, 12. 57, b 24. παρέκαστα III Macc. p. 794, b 12.

παραβαίνειν I Macc. XI, 63. 752, a 22. παραβαίνειν ἀπὸ τῆς κλίνης αὐτοῦ Sirach. XXIII, 25. 657, a 3. παραβαίνειν νόμιμα Sirach. XIX, 21. 647, b 36. παραβαίνειν τὰ θεῖα προστάγματα III Macc. p. 799, b 50.

παραβάλλεσθαι II Maccab. XIV, 38. 786, b 30, 31.

παραβαπτὰ Ezech. XXIII, 15. 429, a 54.

παραβασιλεύειν III Macc. p. 798, b 12.

παραβιάζεσθαι Psalmo XIX, 14. 225, b 25, 26.

παραβλέπειν Sirach. XXXVIII, 9. 685, b 49.

παραβολεύεσθαι, & παράβολα, II Macc. XIV, 38. 786, b 33, seqq.

παραβολὴ Prov. I. p. 247, a 5. Sirach. p. 610, a 59. XXXIX, 3. 688, a 30. παραβολὴ ἐπιστήμης Sirach. I, 31. 612, a 24. παραβολὴ ὀνειδισμοῦ Sap. V, 3. 594, b 5, 6.

παραγγέλλω· παρηγγελμέναι αἰκίαι III Maccab. p. 795, b 42.

παράδειγμα καταστῆναι vel τεθῆναι III Macc. p. 791, a 45, seqq. παράδειγμα ἐπιγινομένοις III Macc. p. 791, a 45.

παραδειγματισμὸς III Macc. p. 795, b 19.

παράδεισος Amosi I, 5. 509, b ult. Sirach. XL, 17. 691, b 2. Adj. Dan. XIII, 4. 722, a 17. I Macc. XII, 7. 753, a 45.

παραδιδόναι & παραδίδοσθαι Esa. LXIV, 7. 338, a 4. Oseæ XI, 8. 499, b 44. Esth. Addit. XVI, 7. 588, a 36, seqq.

παραδοξάζειν Sirach. X, 16. 629, a 10. III Macc. p. 791, a 60.

παράδοξος Sirach. XXXIII, 15. 678, a 16. XLIII, 27. 698, a 24. παράδοξος σωτηρία· παράδοξον τῆς σωτηρίας Sap. V, 2. 594, b 2. III Macc. p. 799, a 13.

παραθλίβειν IV Reg. VI, 32. 161, b 39.

παραίνεσις φροντίδων καὶ λύπης Sap. VIII, 9. 598, a 23, 24.

παραιτεῖσθαι τὰ προστεταγμένα III Macc. p. 798, b 33.

παρακαλεῖν & παρακαλεῖσθαι Sirach. XVII, 20. 643, a 27. XXXVIII, 17, 18. p. 686, a 59. XLIX, 12. 708, b ult. II Macc. VII, 6. 773, a 24. XI, 32. 780, b 5. παρακαλεῖν δυνάμεις III Macc. p. 790, a 21. παρακαλεῖν λόγοις εἰρηνικοῖς Esth. Addit. XV, 11. 587, b 38, 39.

παρακληθήσεται II Macc. VII, 6. 773, a 24.

παρακεκλημένοι Psalm. CXXVI, 1. 243, a 30.

παρακληθεὶς Ibid. lin. 33, 34.

παρακαταθήκη Sirach. XXII, 26, 27. p. 654, a 40.

παρακείμενα Sirach. XXXI, 19. 674, a 31.

παράκλησις I Macc. XII, 9. 753, a 54.

παρακμάζω Sirach. XLII, 9. 695, a 52.

παρακύπτω Sirach. XII, 3. 266, b 11. XIV, 24. 638, a 17, 20.

παραλαμβάνειν βασιλείαν Dan. V, 31. 463, b 10.

παράλιος· παραλία Judith. II, 18. 580, a 4. I Macc. II, 24. 430, a antep.

παραλογίζεσθαι Esther. Addit. XVI, 5. 588, a 22.

παραλύεσθαι· παραλελυμένη Esa. LI, 18. 322, b 23, 24.

παραμύθων Sirach. I, 27. 611, b 55, 56

παραναγινώσκειν II Maccab. VIII, 23. 775, a 37, 40.

παράνομος· παράνομοι I Reg. I, 16. 119, b 36. III Reg. XXI, 10. 156, b 12. Prov. XVI, 29. 252, a 49, 50. παράνομος ἔξοδος III Macc. p. 796, b pen.

παραπικρασμὸς Oseæ XII, 14. 501, a antep.

παραπλούτιον III Macc. p. 795, b 13.

παράπλους III Macc. p. 795, b 11.

παραπομπὴ I Macc. IX, 36. 743, b 6.

παραρρίπτειν θηρίοις III Macc. p. 796, a 16.

παράσημον III Macc. p. 792, b 3.

παράσιτος Gen. XI, 1. 10, b 53.

παρασκευασθέντα II Macc. VI, 21. 772, b 23.

παρασκευὴ II Macc. VIII, 26. 775, b 6.

παρασφίζεσθαι III Macc. p. 798, b 12, 13.

παρασπονδεῖν Dan. XI, 43. 483, b 14.

παραστάτης Psalmo CX, 5. 241, a 52.

παρασυνάγειν III Macc. p. 798, b 14.

παράταξις Judith. I, 6. 579, a 24.

παράτασις I Macc. XVI, 10. 761, b 34.

παρατίθεσθαι Psalmo CX, 3. 241, a 32.

παραχρῆμα Dan. IV, 28. 461, a 27, 28.

παρδάλειοι θῆρες II Macc. VII, 7. 773, a 30.

παρεγκλίνειν λαγόνας Sirach. XLVII, 21. 705, b 49.

πάρειμι· παρὼν ἁπανταχοῦ Sap. I, 7. 589, a 47.

παρελκύειν ὀφθαλμοὺς Sir. IV, 1. 616, a 10, 11.

παρεμβάλλειν I Maccab. V, 5. 734, a 41. & vers. 49. p. 735, a antep. IX, 64. 744, b 34. XV, 25. 760, b 31. παρεμβεβλημένα II Macc. I, 18. 763, b 44.

παρεμβολὴ I Macc. III, 3. 729, b 55, 56. IV, 1. 731, b 31, 32. VI, 38. 737, b 48, 49. XI, 67. 752, a 43. & vers. 73, b 16.

παρέρχεσθαι Esther. Addit. X, 5. 586, a 34. Sap I, 8. 589, a 52. Sirach. XXIX, 33. 671, b 7.

παρέχειν βάσανον Sap. XVII, 12. 607, a 46.

παρέχειν ἐλεημοσύνην Sirach. VII, 9. 622, b 21.

παρέχειν τοὔλαιον II Macc. IV, 14. 767, b 12.

παρεσχημένος τὸν Θεὸν ἀνθ' ἑαυτοῦ II Macc. XV, 12. 787, b 59.

παρήλιος Sap. VII, 26. 597, a 40.

παρθενὼν II Maccab. III, 19. 766, a 51. III Macc. p. 790, b 56.

παρελθεῖν Sirach. VII, 9. 622, b 21.

παριέναι & παρίεσθαι Psalmo XXVIII, 1. 227, a 30. Sirach. XXIII, 2. 655, a 7. III Macc. p. 791, b 11.

παριστάναι & παρίστασθαι Esa. LX, 10. 333, a 7. I Macc. VI, 34. 737, a 52.

παροδεύειν Sap. V, 15. 594, b 48.

παροικεῖν Exodi XX, 10. 46, b 7, 29, 30, 31. Sirach. XXIX, 31. 670, b 48.

παροίκησις Sirach. XXI, 31. 652, b 27.

παροικία Sap. XIX, 10. 609, a 47. Sirach. p. 610, b 52. XVI, 9. 640, a 6. XLI, 8. 693, a 33. παροικίας χρόνος III Macc. p. 800, a 29.

πάροικος Sap. XIX, 10. 609, a 49. Sirach. XXIX, 34. 671, a 17.

παροιμία Proverb. I, p. 247, a 3, 8. Sirach. XXXIX, 3. 688, a 30. XLVII, 18. 705, b 29.

παροιμία συνέσεως Sir. VI, 35. 621, b 19, 20.

παροινεῖν Sirach. XXII, 30. 654, b 9.

παροξύνειν Esa. XLIII, 22. 314, a 3. LXIII, 10. 336, b 21.

παρορᾷν Psal. XXXIX, 3. 229, b 34. III Macc. p. 793, b 47, seqq.

παρεγχίζειν Sirach. IV, 3. 616, a 23.

παρουσία πληθῶν II Macc. XV, 21. 788, a 51.

παρρησία Sap. V, 1. 594, a 52. Sirach. XXIX, 31. 670, b 54. παρρησία ἀπηνὴς Sirach. V, 12. 619, a 11. παρρησία ἐκφαινομένη III Macc. p. 795, a 11. παρρησίαν θάλλειν Sirach. XXIII, 36. 657, b 19.

παρρησιαζομένη Ezech. XVI, 30. 418, a 44, 45.

πᾶσα κτίσις Sap. I, 7. 589, a 36. πᾶσα σὰρξ Sirach. XVIII, 12, 13. p. 644, b 14. πᾶσα σοφία Sirach. XIX, 18. 647, a 54.

παστὸς I Macc. I, 28. 725, a 14. III Macc. p. 795, a 24, seqq. παστὸς ἐπὶ νύμφης III Macc. p. 795, a 27, 28.

παστοφόριον II Par. XXXI, 11. 188, b 33. Jer. XXXV, 2. 380, a antepen.

πάσχα II Par. XXXV, 6. 189, b 15, 20.

πάταικος Exodi XXVIII, 11. 56, a 13.

πατάσσειν Jer. XX, 2. 364, a ult. Dan. XI, 28. 480, b 23. I Macc. I, 1. 723, b 29, 30.

πατεῖν ἐπάνω ὄφεων Gen. III, 15. 5, a 32.

πατὴρ I Macc. XI, 32. 750, a ult. πατήρ μου Sirach. LI, 14. 711, b pen. πατέρων δόξαι Sap. XVIII, 24. 608, b 55. πατέρων ὕμνος Sirach. XLIV, p. 698, b 47.

πατριὰ Num. XXVII, 11. 80, b 3. I Par. XI, 25. 178, a 11. Tob. V, 16. 575, b 34. Judith. VIII, 2, 3. p. 582, a 9.

παύειν Psalmo XXXV, 15. 228, b 27. παύειν τελέως τὰς ἀναμέσον Esa. LVIII, 12. 331, a 11. παῦσαι τῆς βασιλείας Ezech. XXIX, 3. 439, b 32.

παχεῖα γαστὴρ Sirach. LI, 27. 712, b 12.

πάχνη Sap. V, 15. 594, b 44. XVI, 22. 606, a antep. Sirach. XXIV, 6. 657, b antep.

παχὼν III Macc. p. 799, a 28.

πεδινοὶ Psalmo CXXVII, 4. 243, a 44.

πεδινὴ γῆ I Macc. XII, 38. 754, b 26, 27.

πεδίον Ibid. lin. 25. πεδίον Δεειρᾶ Dan. III, 1. 457, b 17. πεδίον ἐκκοπτόμενον Zach. XII, 11. 562, a 11, 12.

πεζικὸν στράτευμα I Macc. VI, 35. 737, b 1.

πείθειν βασιλέα II Macc. IV, 45. 769, a 51.

πείθεσθαι II Macc. X, 20. 778, b 28, 29.

πεποιθὼς Deut. XXXIII, 12. 102, b 2, 3. πεποιθότες I Macc. IX, 58. 744, b 15.

πεῖρα θανάτου Sap. XVIII, 20. 608, b 34.

πειρᾷν, πειράζειν, πειρᾶσθαι, πειράζεσθαι Dan. I, 12. 454, a pen. Sap. II, 25. 591, b 4. XII, 26. 602, a 28, 29. I Macc. XII, 10. 753, a 58. πειράζειν θάνατον Sap. II, 25. 591, b 4, 5. πειρᾶσθαι ἀποστέλλειν I Macc. XII, 10. 753, a 58.

πειρασμὸς Sap. XXIII, 1. 677, a 14.

πελασγοὶ I Macc. XII, 7. 753, a 17.

πέμματα Jer. VII, 18. 351, b 22.

πέμπειν I Macc. XII, 19. 753, b 31. πέμπειν εἰς ᾅδην III Macc. p. 797, b 1.

πέμπτη καὶ εἰκὰς III Macc. p. 799, a 28.

πενθεῖν Jud. XX, 23. 116, b pen. Jer. XLVII, 2. 388, b 40. Sirach. LI, 26. 712, b 6.

πενθερὸς Tobiæ X, 13. 577, b 1, 2.

πεντηκοστὴ II Macc. XII, 31. 982, a 48.

περαία I Macc. X, 30. 746, a 35.

περαιόω I Macc. V, 41. 735, a 36.

περαίτης Gen. XIII, 13. 12, a 34.

πέρας τυγχάνει κακῆς ἀναστροφῆς II Macc. V, 8. 770, a 6.

πέρδιξ θηρευτὴς Sirach. XI, 32. 632, b 32.

περὶ ἐξιλασμοῦ Sirach. V, 5. 618, b 13. περὶ παντὸς λόγου I Macc. X, 63. 648, a 40. περὶ τῆς ψυχῆς Sirach. IV, 24. 617, a 46, 47.

περίαπτα Jer. XVII, 1. 361, b 43.

περιάπτειν αἰσχύνην III Macc. p. 793, b 39.

περιάπτειν ψόγον Ibid. lin. 38.

περιαυχένιον χρυσοῦν Eſther. VI, 8. 201, b 3.
περιβάλλειν Aggæi I, 6. 546, a 1. περιβάλλειν σάκκους I Macc. II, 14. 727, a 46, 47. περιβάλλειν συμφοραῖς Eſth. Addit. XVI, 5. 588, a 18.
περίβολος Eſa. LIV, 12. 325, b 9. Sirach. L, 2. 709, b 11. II Macc. VI, 4. 771, b 11.
περιγραφὴ Sirach. XXII, 29. 654, a 57. περιγραφὴ ἔθνους, πόλεως Jer. L, 16. 394, b 41, 42.
περίδειπνον Jerem. XVI, 7. 361, a 27. Ezech. XXIV, 17. 431, b 52. Oſeæ IX, 4. 496, a 38. Baruchi VI, 31. 719, b 25.
περιδιπλοῦν αἰγεῖα Judith. X, 5. 583, b 19, 20.
περίεργα I Reg. XII, 21. 124, a 36.
περιεργία Sirach. XXXIII, 15. 678, a 9. περιεργία παιδίσκης Sirach. XLI, 27. 694, b 3. περιεργίαι, quorum, *Exodi* VI, 9. 29, b 26, 27.
περίζωμα Jer. XIII, 1. 357, b 55.
περίθεσις I Macc. VI, 53. 738, b 9.
περιϊστάμενον γένος II Macc. XIV, 9. 785, b 7.
περιλελειμμένα II Macc. VIII, 14. 774, b 48.
περιμένω Sap. VIII, 12. 598, a 29.
περίμετρος Jer. LII, 21. 400, b 4, 5.
πέριξ ἔθνη I Macc. V, 1. 734, a 12.
περιούσιος Malach. III, 17. 571, b 5.
περιοχὴ IV Reg. XXIV, 10. 174, b 13.
περιπαθὴς Michææ VI, 3. 528, a 26.
περιπετάσματα Ezech. XVI, 10. 417, a 37. I Macc. IV, 51. 733, a 59.
περιπλέκεσθαι III Macc. p. 797, b 26.
περιπλόμενοι ἐνιαυτοὶ Jerem. XXVIII, 3. 372, b 55, 56. I Macc. I, 30. 725, a 23.
περισπασμὸς II Macc. X, 36. 779, a 37.
περισπᾶσθαι Exodi XX, 3. 38, a 31, 39. Sirach. XLI, 2. 692, b 34.
περισσεύειν ὑπὲρ τοὺς βασιλεῖς I Macc. III, 30. 730, b 20. περισσεύων ἐν φρονήσει Sirach. XIX, 21. 647, b 35, 36.
περισσὸν II Macc. XII, 44. 783, a 25. περισσὰ τῶν λόγων I Macc. IX, 22. 743, a 8. περισσὰ τῶν ἔργων σου Sirach. III, 24. 615, a 29, 30.
περιστάσεις Eſther. IV, 16. 200, b 43. περιστάσεις ὅπλων Ezech. XXVI, 7. 433, b 42.
περιστροφὴ λαοῦ Sirach. L, 709, b 43.
περίστυλον vel περιστύλιον II Macc. IV, 46. 769, a 57. III Macc. p. 796, b 44.
περισῶσαι κληρονομίαν ἐξ ἄλλων Sirach. XXIII, 32. 657, a 56.
περιτέμνω I Macc. I, 51. 725, b 53. & verſ. 64. p. 726, b 15, 20.
περιτομὴν ἐπικαλύπτειν I Maccab. I, 16. 724, a 50, 51.
περιφράττω· περιπεφραγμένη τείχεσι II Macc. XII, 13. 781, b 16.
περίψημα Tob. V, 25. 575, b ult.
περιψύχειν Sirach. XXX, 7. 671, b 24.
περπερεύειν Sirach. XXXIII, 30. 678, b 34, 37.
πέρσαι II Macc. III, 10. 766, a 21.
περσοσκύθαι Eſdræ IV, 9. 191, b 31.
πέτασος Dan. III, 21. 458, b 49. I Macc. XII, 7. 753, a 34. I Macc. IV, 12. 767, a 56, 57.
πέτρα Eſa. XXIII, 4. 293, b 56, 57. II Macc. XII, 1. 780, b 57.
πετροβόλος Ezech. XXXVIII, 22. 449, b 54. πετροβόλος θυμὸς Sap. V, 23. 595, a 12.
πεφασμένον Baruchi III, 18. 716, a 52.
πεφυσιαμένα, vel πεφυσιασμένα, ſi non φυσιώμενα, à φυσιάομαι Sap. XIII, 1. 602, a 45.
πηγὴ ζωῆς Sirach. XXI, 16. 652, a 8.
πήλιον Exodi XXVIII, 4. 55, b 56.
πηλὸς Sirach. XVII, 1. 641, b 42.
πῆμα Sirach. XXV, 2. 660, b 8.
πῆξις αἰσχροῦ Sirach. XLI, 24. 694, a 38.
πικρὰ Sirach. XXV, 24, 25. p. 662, b 23. πικρὰ ἀκούειν Sirach. XXIX, 32. 670, b 60.
πικραίνειν κλαυθμὸν Sirach. XXXVIII, 17, 18. p. 686, a 57.
πικρία Deut. XXIX, 18. 101, a 31. Sirach. XXI, 14, 15. p. 652, a 1. πικρία ψυχῆς Sirach. XXXI, 38. 675, a 28.
πικρὸς δεσπότης I Macc. II, 37. 728, a 24.
πῖλος aut πῖλος Sap. XVIII, 24. 609, a 2. πῖλος βασιλικὸς Ezech. XXI, 26. 426, b 39.
πίναξ διάπυρος II Macc. II, 30. 765, a 32, 33.
πιπράσκειν μηδενὸς Pſalmo XLIV, 13. 230, b 15, 16.
πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον Dan. II, 46. 457, a 20. πίπτειν ἐν πολέμῳ I Macc. V, 67. 735, b 59. πεπτωκότα Amoſi IX, 11. 517, b 54.
πιστεύειν Θεῷ τῇ ψυχῇ Sirach. XXXII, 27. 676, b antepen. πιστεύειν πράγματι III Macc. p. 794, a 39, 40. πιστεύσαντες I Macc. II, 59. 729, a 48. πιστευθέντες χειρίζειν πράγματα Eſth. Addit. XVI, 5. 588, a 16, 17.
πίστις Habac. II, 4. 537, b 42, ſeqq. πίστις εὐδοκίας Sirach. XV, 16. 439, a 44. πίστις μου Habac. II, 4. 537, b 46.
πιστὸς Sirach. XXXI, 28. 674, b 28. XXXIII, 3. 677, a 32. I Macc. II, 52. 728, b 58. XIV, 41. 758, b 34. πιστὸς ὁράσεως vel πιστὸς ἐν ὁράσει αὐτοῦ Sirach. XLVIII, 25. 708, a 22, 23.
πιστὰ II Macc. III, 10. 766, a 22.
πιστοῦν & πιστοῦσθαι Sirach. XXVII, 18. 666, b 35. XXIX, 3. 669, a 52. II Macc. XII, 25. 782, a 12. πιστούμενος Sirach. p. 610, a 56.
πίστωσις χειρὸς Levit. VI, 2. 62, a 42.
πίτυρα Baruchi VI, 42. 720, a 20.
πιτυρίδες Ibid. lin. 27.
πλαγίαυλος Dan. III, 5. 458, a 42.
πλαγία θύρα Adj. Dan. XIII, 18. 722, a 49.
πλάζομαι Sirach. XXXIV, 9. 679, b 14.
πλανᾶν & πλανᾶσθαι Ibidem, lin. 7. & Sirach. XXXIV, 9. 679, b 8. LI, 18. 712, a 9. πλανῶν Oſeæ VIII, 6. 695, a 32. πλανᾶσθαι ἐν ἐρήμοις vel ἐν ἐρημίαις Sirach. IX, 7. 627, a 7, 8. II Macc. V, 27. 771, a 28. πεπλανημένος Sirach. XXXIV, 9. 679, b 8.
πλάνη Sirach. XXXIV, 9. 679, b 10.
πλάνος Jer. XXIII, 32. 369, a 12.
πλατυγεῖν I Macc. IX, 41. 743, b 17.
πλάττειν Sirach. XV, 12. 639, b 8.
πλατύνειν Sirach. I, 23. 611, b 38, 40.
πλατυόφθαλμος Jer. IV, 30. 348, b 5, 6.
πλείονα συνέσεως ἀνθρώπων Sirach. III, 25. 615, a 36. πλείονα τῶν λόγων Sirach. XXXIV, 12. 679, b 51.
πλεῖστος οἶκος· πλεῖστος ἦχος Sirach. L, 20. 710, b 25, 27. πλεῖστον αὐτῶν Pſalmo XC, 10. 238, a 54, 55.
πλεονάζων Sirach. XIII, 12. 635, a 28.
πλεονεκτεῖν Ezech. XXII, 12. 427, b 38. Joel. II, 8. 506, a 10.
πλεονέκτημα Oſeæ XII, 7. 500, b 49, 50.
πλεονεξία Sap. X, 11. 600, a 3. Habac. II, 6. 538, a 24.
πληγὴ δολία Sirach. XXVII, 28. 667, a 36.
πλῆθος & πλήθη Sapient. VIII, 15. 598, a 39. II Macc. XIV, 2. 785, b pen.
πληθύνειν & πληθύνεσθαι Sirach. VI, 5. 620, a 7, 8. XXIII, 3. 655, a 14. & verſ. 14. p. 656, a 24, 25. XLI, 12. 693, a 52, ſeqq. I Macc. II, 30. 727, b 47, 48. πληθύνειν ἐν ἰσχύϊ Sirach. XLIII, 34. 698, b 14. πληθύνειν ἐξιλασμὸν Sirach. XVIII, 11. 644, a ult. πληθύνειν πικρίαν Sirach. XXI, 14, 15. p. 651, b 50. πληθύνειν συστροφαῖς III Macc. p. 797, a 54.
πλήθω Sirach. XXXVI, 16. 682, b 36.
πλημμέλεια Sirach. XVIII, 27. 645, b 4. πλημμέλειαν πλημμελεῖν Sirach. XLIX, 5. 708, b 10.
πλημμελεῖν Levit. V, 15. 62, a 22. Sirach. X, 7. 628, a 13. XXIII, 13. 656, a 11, 13. πλημμελεῖν εἰς ψυχὴν αὐτοῦ Sirach. XIX, 4. 646, a 57, 58.
πλὴν Sirach. XLV, 16. 701, b 6.
πλήρης δόλου Sirach. XIX, 23. 647, b 58, 59.
πλήρης φόβου Sap. XVII, 6. 606, b 56.
πληροῦν & πληροῦσθαι Dan. XI, 16. 479, a 7. Sirach. XXXIX, 16. 688, b 22, 25.
πληρώματα Eſa. XLII, 10. 311, b 59, ſeqq.
πλησίον Pſalmo XV, 4. 224, a 33. πλησίον ᾅδου III Macc. p. 798, b 48.
πλησμονὴ εὐδοκίας Deut. XXXIII, 23. 102, b 34.
πλινθίον Ezech. IV, 1. 405, a 57.
πλίνθος Eſa. XXIV, 23. 295, b 20.
πλοῖον Sirach. XXXIII, 2. 677, a 24. Eſa. XXIII, 1. 293, b 23.
πλοκὴ Ezech. VII, 7. 408, a 56, 57.
πλόκιον Eſa. XXXVIII, 12. 307, b 6, 10.
πλοκάμους λύσασθαι III Macc. p 790, a 24.
πλούσιος Pſalmo CXXIII, 4. 243, a 8.
πνεῦμα Sap. I, 5. 589, a 15, ſeqq. XVI, 14. 606, a 16. Sirach. IX, 13. 627, a 48. Baruchi VI, 60. 720, b 38. πνεῦμα ἅγιον Eſa. LXIII, 10. 336, b 21. πνεῦμα ἀκηδιῶν Baruchi III, 1. 715, b antepen. πνεῦμα διὰ τῆς ὕλης διῆκον Sap. I, 7. 589, a 32, 33. πνεῦμα ἔλαττον τοῦ θειοτέρου πνεύματος Ibid. lin. 32, 34. πνεῦμα Θεοῦ ἁγίου Dan. IV, 5. 459, b 48, 49. πνεῦμα νοερὸν Sap. VII, 23. 597, b 22. πνεῦμα παιδείας Sirach. XXXIX, 8. 688, a 45, 46. πνεῦμα πραότητος Sap. I, 5. 589, a 18, 19. πνεῦμα τὸ περιέχον Sap. I, 7. 589, a 36, 37.
πνευματικὸς διήκων τόνος Ibid. lin. 40.
πνικτὸν Gen. IX, 4. 10, a 31, 32.
πνοὴ ζωῆς II Macc. VII, 22. 773, b 26.
ποδήρης Ezech. IX, 2. 410, b 53. Sap. XVIII, 24. 608, b 52. Sirach. XXVII, 9. 666, a 38.
ποδένιπτρον Pſalmo LX, 10. 232, b 50.
ποθητὴ Judic. XI, 34. 114, a 30.
πόθον λαμβάνειν I Macc. I, 17. 724, b 5, 6.
ποιεῖν Sirach. XXIII, 29. 657, a 32, ſeqq. ποιεῖν εἰρήνην III Macc. p. 791, b 41. ποιεῖν ἐλεημοσύνην Sirach. XXXV, 4. 680, b 56. ποιεῖν κατὰ τὸν λόγον τοῦ βασιλέως I Macc. II, 33. 727, b 56. ποιεῖν κρίσιν Sirach. XXXV, 22. 681, b 45. ποιεῖν πένθος Sirach. XXXVIII, 17, 18. p. 686, a 58. ποιεῖν πίστιν Sirach. XV, 16. 639, a 38. ποιεῖν πόλεμον I Macc. IX, 1. 742, a 45, 46. ποιεῖν σοφίαν Sirach. LI, 24. 712, a 50, 51. ποιεῖν τινα Sap. XII, 12. 601, b 10, ſeqq. ποίησον τόπον Sirach. XVI, 15. 640, b 21.
ποίησις νόμου Sirach. XIX, 18 647, a antepen.
ποιμαίνειν Eſa. LXIII, 16. 337, a 16.
ποιμένες λαῶν Num. XXVII, 17. 80, b 40.
ποιότητες ψυχῆς Sap. I, 5. 589, a 21, 22.
πολεμεῖν Pſalmo CXXIX, 1. 243, a ult. Jer. I, 19. 343, b 35. I Macc. VI, 37. 737, b 30. X, 75. 748, b 35. πολεμεῖν ἐχθροὺς I Macc. XIV, 26. 758, a 1. πολεμεῖν πόλιν I Macc. XI, 65. 752, a 32, 33. πολεμεῖν πρός τινας I Macc. V, 3. 734, a 22. πολεμῶν Pſalmo VIII, 3. 223, a 38, 39.
πολέμιος Baruchi VI, 55. 720, b 23. I Macc. VIII, 28. 742, a 4, 5.
πόλεμος I Macc. II, 32. 727, b 52, 53. πόλεμοι Κυρίου Sirach. XLVI, 4. 703, a 19.
πολιὰ Sap. IV, 9. 593, a 50.
πολιορκεῖν Sirach. L, 5. 709, b 32, ſeqq. I Maccab. IX, 64. 744, b 35. πολιορκουμένη Ibid. lin. 36, 37.
πολιορκία Sirach. L, 5. 709, b 39.
πόλις I Macc. II, 1. 726, b 56. X, 84. 749, a 32. III Macc. p. 792, b 49. πόλις γεφυροῦν II Macc. XII, 13. 781, b 15. Πόλις Γραμμάτων, N. Pr. Gen. XI, 1. 10, b pen. πόλις ἔνδον· πόλις ἔξω Jer. LI, 43. 398, b 35. πόλις δυσσεβείας III Macc. p. 792, b 49. πόλεως φυλακὴ Sirach. L, 5. 709, b 39.
πολιτεία Dan. IX, 24. 473, a 34. & verſ. 27. p. 474, a 17. πολιτεία ἀριστοκρατικὴ μετ᾽ ὀλιγαρχίας Nehem. X, 1. 196, a 60, 61.
πολιτεύεσθαι κατὰ τοὺς πατρῴους νόμους I Macc. II, 37. 728, a 44, 45. πολιτεύεσθαι τῷ νόμῳ III Macc. p. 793, a 46.
πολιτικὴ Eccleſ. VIII, 16. 264, a 15. Sap. VII, 20. 596, b 62, 63. Sirach. XLVI, 17. 703, b 55.
πολυάνδρειον Jerem. II, 23. 345, a 21, 22. II Macc. IX, 4. 776, a 52.
πολυθεΐα Exodi XX, 3. 39, a 1.
πολύθεοι Exodi XX, 4. 39, b 18. Aggæi II, 23. 547, b 42.
πολυκοιρανία Dan. IV, 33. 461, b 31.
πολυμερὴς Sap. VII, 22. 597, a 17.
πολύμιτος II Reg. XIII, 18. 136, b 45.
πολυορκία Sirach. XXIII, 9. 655, b 33.
πολυπειρία Sap. VIII, 8. 597, b ult. Sirach. XXV, 8. 661, a 40.
πολυπραγμονεῖν Sirach. XI, 10. 631, a 16, 17.
πολὺς Pſalmo XXXV, 18. 228, b 31. Adde πλείων, πλεῖστος.
πολύχαλκος Deut. XXXIII, 25. 102, b 39.

πομπεύειν ii Macc. vi, 7. 771, b 47.

πονεῖν Pſalmo xxix, 9. 227, a 51. πονοῦντες ἐν Ἰσραὴλ Judith. xvi, 9. 585, b 25, 26.

πονηρεύεσθαι Sirach. xix, 23. 647, b 57, 58.

πονηρία Sirach. xxv, 24, 25. p. 662, b 8. xxxi, 29. 674, b 34.

πονηρὸς i Macc. i, 36. 725, a 52. πονηρὰ & πονήρα Sirach. xxix, 31. 670, b 46. πονηρὸν & πόνηρον Sirach. xxxvii, 30. 685, a 41, 42. πονηρὸν εἶναι Jer. xxii, 15. 366, b 15.

πόνος καὶ πλίνθος pro πόνος πλίνθου Judith. v, 10. 580, b 41, 43.

ποντοβρόχους ἀπολλύειν iii Macc. p. 797, b 55.

πόπανα Levit. ii, 13. 61, a 11, 16. Baruchi vi, 29. 719, b 2.

πορεία Eſa. xlix, 11. 320, a 50. πορεία ἀφ' ἡμῶν Sap. iii, 3. 591, b 27.

πορεύεσθαι Oſeæ vii, 12. 494, a 44. πορεύεσθαι κατὰ χεῖρα Sirach. xxv, 35, 36. p. 663, b 17. πορεύεσθαι ὀπίσω Sirach. xxxi, 8. 675, b 26.

πορνεύειν & πορνεύεσθαι Deut. xxiii, 17. 98, a 43, 44. Amoſi vii, 17. 516, a 21.

πόρνη iii Reg. iii, 16. 145, b 18, 19. ii Macc. vi, 4. 771, b 9.

πορνοκόπος Sirach. ix, 13. 627, a 42.

πορνομανὴς Sirach. xxiii, 23. 656, b 38, 39.

πόρνος Sirach. xxiii, 23. 656, b 36, ſeqq.

πόρπη i Macc. x, 89. 749, a 43.

πορφύρα Baruchi vi, 71. 721, b 2.

πορφυροζώνητος Eſa. ix, 6. 281, b 38.

ποσειδώνιον i Reg. xxxi, 10. 130, b 39.

ποταμοὺς περιοχῆς iv Reg. xix, 24. 171, a 5.

ποτήριον εὐλογίας Eſa. xxx, 29. 302, a 61. ποτήριον σωτηρίου iii Macc. p. 798, b 56.

ποτίβαζις Dan. i, 8. 454, a 35.

πότος σωτήριος iii Macc. p. 800, a 23.

πρᾶγμα ii Macc. ii, 28. 764, b antepen. πρᾶγμα τοῦτο Jer. xl, 16. 384, a 43. πράγματα ἐρρωμένα iii Macc. p. 790, a 17.

πραγματεία Pſalmo lxxi, 15. 235, a 20.

πράκτωρ i Macc. i, 53. 726, a 12, 13.

πράξεις διαφόρων ii Macc. iv, 28. 768, b 23.

πραότης Sirach. iii, 19. 614, b 10.

πρασιά Sirach. xxiv, 42. 660, a 10.

πράσινος Ezech xxviii, 13. 438, b 20.

πρασοκουρίδες Eſa. xxxiii, 4. 304, a 59.

πραΰς Sirach. iii, 20. 614, b 23. x, 17. 629, a 17.

πρεσβυτέριον Adj. Dan. xiii, 50. 722, b 35.

πρεσβύτερος Jer. xxxii, 8. 377, b 46. πρεσβύτερος τῆς πόλεως Judith. vi, 11. 581, a 29. πρεσβύτεροι οἱ περὶ αὐτὸν iii Macc. p. 797, b 46.

πρεπεντοῦρα i Macc. xvi, 10. 761, b 34.

πρηνὴς Sap. iv, 19. 594, a 23. πρηνεῖς εἰς ἀπώλειαν iii Macc. p. 798, b 9.

πρῖνος Adj. Dan. xiii, 1. 722, a 15.

πρίων Judith. iii, 14. 580, a 25. πρίονες σιδηροῖ Amoſi i, 3. 509, b 37.

πρὸ ἔργου λογίσαι Sirach. xxxvii, 20. 684, b 25. πρὸ θυμοῦ Sirach. xlviii, 10, 11. p. 707, a 26. πρὸ καιροῦ i Macc. vi, 36. 737, b 22. πρὸ τοῦ αἰῶνος Sirach. xxiv, 14. 658, a 36, 37. πρὸ τοῦ σαββάτου, vide ή.

προάγειν ἑαυτὸν Sirach. xx, 29. 650, b 44, 45.

προαγωνιστὴς i Macc. ix, 11. 742, b 39.

προαίρεσις Sirach. xv, 17. 639, a 48. i Macc. i, 64. 726, b 16.

προαιρεῖσθαι μεταβαίνειν i Macc. i, 52. 725, b ult.

προαπαντᾷ Sap. vi, 14. 595, b 12.

προαποδεδειγμένος iii Macc. p. 791, b 59.

προάστειον Jer. xxxi, 40. 377, a 57.

προβαίνω· προβεβηκὼς ii Macc. iv, 40. 769, a 21, 22.

προβασκάνιον Baruchi vi, 69. 720, b pen. & 721, a 2, 3.

προβατικὴ Nehem. iii, 1. 194, a 39.

πρόβατον Exodi xii, 5. 30, b 25. πρόβατα σφαγῆς Pſalmo cii, 21. 239, b 37.

προβολὴ i Macc. xvi, 10. 761, b 33.

προβούλευμα Joſ. xxii, 30. 108, b 28. Neh. x, 29. 196, b 19.

προγινώσκω Zachar. xiv, 7. 564, a 13.

πρόγνωσις Judith. ix, 5. 583, a 21, 22. πρόγνωσις Θεοῦ Judith. xi, 16. 584, a 25, 26.

πρόγονοι iii Macc. p. 799, b 22.

προγράφομαι· προγεγραμμένοι Jobi xiii, 26. 206, a 47.

προδεδηλωμένος iii Macc. p. 795, b 36.

προδίδωμι Sap. xvii, 11. 607, a 39.

προδοσία Ibid. lin. 32, ſeqq.

προεδρία Eſther. iii, 1. 199, b 23.

προειρημένος iii Macc. p. 799, a 20.

προεστηκὼς βασιλείας i Macc. xi, 31. 750, a 60.

προηγεῖσθαι ii Macc. iv, 40. 769, a 17.

πρόθεσις Sirach. xlv, 19. 701, b 23.

πρόθυμον τοῦ βασιλέως iii Macc. p. 796, b 59.

προθυραῖος i Macc. i, 58. 726, a 49.

πρόθυρον Eſa. lxvi, 17. 341, b 48.

προϊστάναι τῆς φάλαγγος i Macc. ix, 11. 742, b 36.

προικῷα Tobiæ vii, 16. 576, b 47.

προκαλύμματα iv Reg. v, 7. 160, a 47.

προκαταλαμβάνειν i Macc. xii, 33. 754, a 37. προκαταλαβέτωσαν οἱ ἐχθροὶ iii Maccab. p. 791, b 36.

προκατασκιρρῶσαι iii Macc. p. 795, a 9, 10.

πρόκειται δεῖγμα iii Macc. p. 791, a 48, 49.

προκοπὴ Sirach. li, 21, 22. p. 712, a 38, 42.

πρόνοια αἰώνιος Sap. xvii, 2. 606, b 39. πρόνοια Θεοῦ iii Macc. p. 797, a 13.

προνομεύειν Judith. ii, 13. 579, b 39. Sirach xlviii, 16. 707, b 29.

προνομὴ ii Par. xiv, 14. 183, b 6.

προνουμηνία Judith. viii, 6. 582, a 28.

προορᾶν i Reg. ix, 9. 122, b 42.

προπετὴς Sirach. xxx, 8. 671, b 38.

προπετῶς Sirach. ii, 2. 612, b 30.

προπίνω Pſalmo cxvi, 13. 242, a 6.

προπίπτω iii Macc. p. 790, b 33. προπιπτωκὼς ii Macc. xv, 28. 788, b 19.

προπτύω ii Macc. vi, 20. 772, b 3.

προσάββατον Judith. viii, 6. 582, a 27. ii Macc. viii, 26. 775, b 6.

πρὸς ὀλίγον Sap. xvi, 3. 605, b 35. πρὸς πύλαις ᾅδου καθεστῶτες iii Macc. p. 797, b 30. πρὸς χάριν Sirach. xxvii, 26. 667, a 14.

προσαίτης Sirach. iv, 3. 616, a 28.

προσανατρέπω Sirach. xiii, 29. 636, a 40.

προσανοικοδομεῖσθαι Sap. iii, 16. 614, a 45.

προσαπειλεῖσθαι Sirach. xiii, 4. 634, b 42, 43.

προσβολὴ ii Macc. xv, 19. 788, a 38.

προσδεῖσθαι Sirach. xiii, 4. 634, b 41. προσδεῖσθαι συμβολῆς Sirach. xviii, 32. 645, b 61.

προσδεόμενος Sirach. iv, 3. 616, a 28. προσδεόμενοι ἀντιλήψεως Sirach. xi, 12. 631, a 57.

προσδέχεσθαι ψυχὴν ii Maccab. xv, 12. 787, b 56, 57.

προσδιδάσκειν Sirach. xxv, 2. 660, b 4.

προσδοκᾶν ii Macc. xii, 44. 783, a 23.

προσδοκία Sap. xvii, 12. 607, a 48.

προσεπιτιμᾶν Sirach. xiii, 27. 636, a 14, 15.

προσευχαῖς καθιδρύειν iii Macc. p. 800, b 7, 8.

προσευχόμενος Sap. xiii, 17. 603, a 36.

προσεχθίζειν Sap. vi, 26. 621, a 41.

προσέχω· πρόσχες μοι Pſalm. xxii, 2. 226, a 27. προσέχειν ἀπὸ πλημμελείας Sirach. xviii, 27. 645, b 3, 4. προσέχειν ἐν τοῖς χείλεσι Sirach. i, 37. 612, a 48.

προσήλυτος Exodi xx, 10. 46, b 7, 8.

προσημασία Ezech. i, 1. 401, a 26.

προσθήκη Tobiæ xii, 1. 577, b 40.

προσκείμεναι τοπαρχίαι· προσκείμενοι νομοὶ i Maccab. x, 30. 746, a 34, 35. verſ. 38, p. 747, a 54, 55.

προσκολλᾶσθαι Gen. ii, 24. 4, a 12. Oſeæ iii, 5. 489, a 56.

πρόσκομμα Judith. viii, 15. 582, b 10. Sirach. xxxi, 7. 673, b 13.

προσκόπτειν Sirach. xiii, 29. 636, a 38. xxxii, 25. 676, b 44, 45.

προσκυνεῖν & προσκυνεῖσθαι Gen. xxiii, 12. 16, b 51. Exodi xx, 3. 38, b 27, ſeqq. & verſ. 5. p. 41, b 3, 15, ſeqq. Eſther. iii, 4. 199, b 36. Pſalmo xcvii, 7. 239, a 35. Eſth. Addit. xiii, 14. 587, a 32. Baruchi vi, 5. 718, a 46.

προσκύνησις Sirach. l, 23. 710, b 47. προσκύνησις χειρικὴ, vide χείρ.

προσκυροῦντα i Macc. xi, 34. 750, b 19. προσκυροῦσι αὐτῇ i Macc. x, 39. 747, a 60.

πρόσληψις Sirach. xix, 18. 647, a 48, 49. πρόσληψις σοφίας Sirach. xxi, 13. 651, b 43.

προσλογίζεσθαι Sirach. vii, 17. 623, a 22, 23.

προσμανθάνειν Sirach. xxv, 2. 660, b 4.

προσόζω Joel. i, 17. 505, a 31.

προσοχὴ Sap. xii, 20. 601, b 56.

προσοχθίζω Sirach. vi, 26. 621, a 40.

προσόχθισμα Jer. vii, 30. 352, a 27. Sirach. xxxi, 7. 673, b 13, 14. iii Macc. p. 791, b 31.

προσπίπτω Exodi xx, 3. 38, b 28. Dan. ii, 46. 457, a 19. Sirach. xxv, 28. 662, b 41.

προσπιτνεῖν Eſa. xliv, 15. 315, a 22.

προσπορίζειν Sirach. xl, 2. 690, a 56.

προστατεῖν ἁγίων καὶ λαοῦ τοῦ Θεοῦ Sirach. xlv, 30. 702, b 5.

προστάτης Eſdræ i, 8. 190, b 19. Sirach. x, 2. 677, b 39. προστάτης τοῦ ἱεροῦ ii Macc. iii, 4. 765, b 39.

προστιθέναι & προστίθεσθαι Jobi xxviii, 19. 211, b 36, ſeqq. Sirach. xix, 13. 647, a 11, 12. i Macc. viii, 1. 740, b 16. & verſ. 30. p. 742, a 20, 21. προστίθεσθαι ἁμαρτίαν ἁμαρτίᾳ Sirach. v, 5. 618, b 13, 14. προστίθεσθαι ἀποστέλλειν δεύτερον i Macc. ix, 1. 742, a 51. προστίθεσθαι πρὸς τὸν οἶκον Ἰσραὴλ Judith. xiv, 6. 584, b 49.

προσερίζεται Sirach. xx, 20. 650, a 15.

πρόσρωσις ii Macc. xiii, 12. 784, a 25.

προσσυνεσταλμένη αὐθ. vide αὐθεντία.

προσφέρειν θυσίας νενομισμένας i Macc. iv, 36. 732, b 24, 25.

προσφορὰ Exodi xx, 5. 42, a 8. Sirach. xxxiv, 23. 680, a 41.

πρόσωπον ii Macc. iv, 24. 768, a 51. iii Macc. p. 797, a 38. πρόσωπον ἀνακάλυπτον Tob. ii, 10. 574, a 40, 41. πρόσωπον λαμβάνειν Sirach. iv, 32. 617, b 60. προσώπῳ ἀμειδήτῳ Sap. xvii, 6. 606, b 50, 51. προσώπῳ ἐξουσίας ii Macc. iv, 24. 768, a 46.

προ[illegible]ειν iii Macc. p. 796, a 27.

προτείνειν χεῖρα iii Macc. p. 791, a 28, 29.

προτείχισμα ii Reg. xx, 15. 141, b 20. Pſalmo cxxii, 7. 242, b 56.

πρότερος Sirach. xxxi, 21. 674, a 43.

προτίθεσθαι i Macc. viii, 1. 740, b 15.

προτομὴ ii Macc. xv, 35. 789, b 62, 63.

προϋπαρξις ψυχῶν Jobi xxxviii, 21. 217, a 59. Pſalmo cxxxix, 5. 245, a 47. Sap. viii, 20. 298, a 52.

πρόφασις & προφάσεις iv Reg. v, 7. 160, a 46, 47. Malach. ii, 16. 569, b 11. Sap. iv, 11. 593, b 15. Sirach. xl, 1. 690, a 36.

προφέρεσθαι ἑαυτὸν iii Macc. p. 790, b 5.

προφήτης ii Par. xxiii, 19. 189, a 41. ii Macc. iii, 1. 765, b 6.

προφθάνειν Sirach. xix, 24, 25. p. 648, a 17.

προφυλακὴ & προφυλακαὶ Exodi xx, 5. 42, a 16. Judith. xiv, 2, 3. p. 584, b 34, 35, 37. i Macc. xii, 27. 753, b 57, 58.

προφυλακτικὴ ἀγωγὴ Sirach. xviii, 19, 20. p. 644, b 62, 63.

πρωτεύων ἐλεφάντων ii Macc. xiii, 15. 784, a 44. iii Macc. p. 796, a 8.

πρωτόγονος Sap. x, 1. 599, a 34. Sirach. xxxvi, 14. 682, b 28.

πρωτοκουρία & πρωτοκούρια Tob. i, 6. 573, a 45, 46. ii Macc. iv, 21. 768, a 21.

πρωτολογία Prov. xviii, 17. 253, a 29.

πρωτοπολῖται Judic. ix, 2. 112, b 10.

πρωτόπλαστος Sap. vii, 1. 596, a 1. x, 4. 599, a 33, 34.

πρῶτος Dan. i, 3. 453, b 31. πρῶτα τρία Gen. i, 3. 1, a 41.

πρωτοτοκεῖα & πρωτοτόκια Deut. xxi, 17. 96, a 60. i Par. v, 2. 176, b 24.

πρωτοτοκοῦσα Jer. iv, 31. 348, b 18.

πταίειν Sirach. ii, 8. 613, a 13. πταίειν βραχέως ii Macc. xiv, 17. 785, b 33.

πταίρειν Sirach. xl, 2. 690, a 57.

πτερνίζειν Malach. i, 3. 566, b 7. Sirach. xii, 18. 634, a 49.

πτεροφυεῖν Pſalmo ciii, 5. 239, b 49.

πτολεμαῖος i Macc. xi, 3. 749, b 5. xvi, 11. 761, b 46. πτολεμαῖος τρίτος iii Macc. p. 792, a 21. πτολεμαῖος τέταρτος iii Mac-

cab. p. 789, b 41, 42. III Maccab. p. 792, a 21, 22.
πτολεμαΐς I Macc. v, 15. 734, b 3. Πτολεμαΐς Ῥοδοφόρος III Macc. p. 800, a 17, 18.
πτολεμαεῖς I Macc. xii, 48. 754, b 45.
πτῶμα Pſalmo cx, 6. 241, a 60, 62. Amoſi ix, 11. 517, b 55.
πτῶσις Habac. iii, 5. 539, b 40. Sirach. iv, 22. 617, a 33, 34. v, 15. 619, a 45. xi, 32. 632, b 47. πτῶσις κακῶν Sir. xx, 20. 650, a 11.
πτωχαλαζόνες Prov. xiii, 7. 250, a 32. Sirach. xxv, 4. 660, b 39.
πτωχεία Sirach. x, 34. 630, a 46.
πτωχὸς Eſa. lxi, 1. 333, b ult. Sirach. x, 25. 629, a ult.
πύθων I Macc. xii, 7. 753, a 41.
πυκάζω Pſalmo cxviii, 27. 242, a 40.
πύλη, πύλαι Eſa. lxvi, 19. 342, a 31. I Macc. xv, 39. 761, a 32. πύλαι ᾅδου III Macc. p. 797, b 30.
πῦρ I Maccab. xii, 7. 753, a 41. πῦρ ἱερὸν II Macc. xiii, 5. 783, b 47. πῦρ καὶ θεῖον III Macc. p. 791, a 43. πῦρ καὶ σκώληκες Judith. xvi, 21. 585, b 41. πυρὸς αἰωνίου δίκη III Macc. p. 791, a 49.
πυρὰ αὐτομάτη Sap. xvii, 6. 606, b 55.
πυραθεῖον Levit. xxvi, 30. 71, b 1.
πυράμμη Jer. xxxvi, 22. 381, a 39.
πυργοβάρεις Pſalmo cxxii, 7. 242, b 58.
πύργος Ezech. iv, 2. 405, a ult. xxi, 22. 426, a 55. πύργος θανάτου Sirach. xxvi, 23. 665, a 57. πύργος κατὰ τὴν αὐλὴν III Macc. p. 792, a 28.
πυρεῖον Levit. xxvi, 30. 71, b 2, 3, ſeqq. Eſa. xxvii, 9. 297, b 42. Jer. lii, 18. 400, a 43. Sirach. l, 9. 710, a 8, 9.
πυριφλεγὴς III Macc. p. 794, b 60.
πυροβόλα I Macc. vi, 51. 738, a 47.
πυροῦν εἰς ἐτασμὸν Judith. viii, 23. 582, b 13, 14.
πυρπολεῖν Sirach. xxvi, 8. 664, a 39.
πυῤῥοῦσθαι Lament. iv, 7. 273, b 35.

Ρ.

Ῥαβαθαμμανὰ Jer. xlix, 1. 392, a 28.
ῥαβδομαντία vel ῥαβδομαντεία Ezech. xxi, 21. 425, b 52. Oſeæ iv, 12. 490, a 54.
ῥάβδος χειρὸς Tobiæ v, 23. 575, b 50.
ῥάγα, Ῥάγεια Tobiæ i, 16. 573, b 29, ſeqq.
ῥαγὰς Eſa vii, 19. 279, b 23.
ῥαζὶς II Macc. xiv, 37. 786, b 11.
ῥαθυμία III Macc. p. 792, a 3. ῥαθυμία νεωτερικὴ III Macc. p. 795, a 46.
ῥαιβὰ II Macc. v, 8. 770, a 14.
ῥάκος ἀποκαθημένης Eſa. lxiv, 6. 337, b 35.
ῥάμνος Baruchi vi, 70. 721, a 11.
ῥαμφὰ, ῥαιφὰν, ῥεμφὰν Amoſi v, 26. 513, b 51, ſeqq.
ῥασὶμ IV Reg. xi, 4. 164, a 41. & verſ. 19. p. 165, a 10.
ῥαφανίαι I Macc. v, 37. 735, a 22.
ῥαφία III Macc. p. 789, b 38, 41.
ῥαψωδία II Par. ii, 16. 181, a 41.
ῥεμβασμὸς Sap. iv, 12. 593, b 38. Sirach. xxvi, 11. 664, b 2.
ῥέμβεσθαι & ῥεμβεύειν Oſeæ viii, 6. 495, a 33. Sirach. xxvi, 11. 664, a ult.
ῥέμβος Sirach. xxvi, 11. 664, a 59.
ῥεῦμα ἀρχοῦ Sirach. xxxix, 17. 688, b 33.
ῥέω, vide προειρημένος.
ῥήγνυμι Sap. iv, 19. 594, a 23.
ῥῆμα γογγυσμοῦ Eſa. lviii, 9. 330, b 27, 28.
ῥητορικὴ Sap. viii, 8. 598, a 14.
ῥίζα ἁμαρτωλὸς I Macc. i, 11. 724, a 5.
ῥιζοῦν Sirach. iii, 30. 615, b 31.
ῥιπιστὴς Jer. xxii, 14. 366, b 3.
ῥίπτειν ἑαυτὸν πρὸς κίνδυνον II Macc. xiv, 38. 786, b 31, 32. ῥίπτειν πανοπλίαν I Macc. vii, 45. 740, a 28. ῥίψαντες ἑαυτοὺς III Macc. p. 797, b 29. ῥίπτεσθαι Jer. l, 30. 395, b 25. ῥιφεὶς θηρόβορος III Macc. p. 798, a 19. adde in ε lit. ἔῤῥιψαν, Sirach. x, 10.
ῥόδος I Macc. xv, 23. 760, b 2.
ῥόδιοι Ezech. xxvii, 15. 436, a 24.
ῥοδοφὸς II Macc. xiii, 21. 784, b 12.
ῥομφαία Gen. iii, 23. 6, a 44. Jobi iii, 14. 203, b 41. I Macc. iii, 12. 730, a 31.
ῥοπὴ βίου ὑστάτη III Macc. p. 796, b 50. ῥοπὴ θυμοῦ Sirach. i, 28. 611, b ult.
ῥουβὶμ Judith. viii, 1. 581, b 58.
ῥοῶνος Zachar. xii, 11. 562, a 9.
ῥυθμὸς Sap. xix, 17. 609, b 39.
ῥύσις Sirach. li, 13. 711, b 56.
ῥύω Sirach. xxix, 22. 670, a 44.
ῥώννυμι· ἔῤῥωμαι, ἐῤῥώμεθα III Macc. p. 794, a 4. p. 799, a 49.
ῥῶς Ezech. xxxviii, 2. 448, a 34. & b 11.

Σ.

Σ pro ח Hebræo I *Macc.* ix, 50. 744, a 17.
σαβάζειν Deut. xxi, 20. 96, b 46.
σάββατα Judith. viii, 6. 582, a 28.
σαββατίζειν Exodi xx, 8. 45, a 11, ſeqq.
σάβη Jer. xlviii, 32. 390, b 60.
σαβουχάδας Eſther. vii, 9. 201, b 39.
σαγάρεις Pſalmo xviii, 46. 225, a 41.
σάγη II Macc. iii, 25. 766, b 12, 13.
σαδηρώθ IV Reg. xi, 15. 164, b 47.
σάκκος Judith. ix, 1. 582, b 46. x, 2. 583, a 37. I Macc. xii, 7. 753, a 36, 37.
σακκῶν ἑορτὴ Jer. xxv, 26. 370, b 25.
σάκος ἐπιβόειον Jobi xv, 26. 207, a 45.
σακχαῖα Jer. xxv, 26. 370, b 21. Dan. i, 7. 454, a 25.
σαλευόμενος Sirach. xiii, 25. 635, b 56.
σάλπιγξι σημαίνειν I Macc. vii, 45. 740, a 41.
σάλπιγγες ἐλαταὶ Sirach. l, 18. 710, b 15.
σάλπιγγες σημασίας I Macc. iv, 40. 732, b 47.
σαμαὰ Joſ. xix, 2. 108, a 14, 16.
σαμαρεῖτις I Macc. x, 30. 746, a 44. xi, 28. 750, a 45.
σαμβύκη I Macc. xii, 7. 753, a 33.
σαμεῖον I Macc. xii, 7. 753, a 30.
σαμιάμινθος Prov. xxx, 28. 257, b 57.
σαναχάριβος IV Reg. xviii, 13. 170, a 10, 11.
σανίδωμα πυκνὸν καθύπερθεν III Macc. p. 795, a 51.
σαοκέρα Ezech. iii, 15. 404, b 40.
σαπρίζειν τὴν ὀσμὴν Joel. i, 17. 505, a 31, 32.
σάπφειρος Ezech. xxviii, 13. 438, b 21.
I Macc. xii, 7. 753, a 37.
σαράβα I Macc. xii, 7. 753, a 34.
σαραμὲλ I Macc. xiv, 27. 758, a 22.
σαρκοφαγεῖν Dan. vii, 5. 466, a 48.
σὰρξ Exodi xx, 3. 38, a 55, 58.
σασύγης III Reg. xiv, 25. 152, a 13.
σατράπης Jer. li, 27. 397, b 52. Dan. iii, 2. 457, b 27. σατράπαι οἱ ἄνω I Macc. iii, 37. 730, b 41.
σαφῶς Habac. ii, 2. 537, b 11.
σέβειν θεοὺς II Macc. xii, 44. 783, a 28.
σεισαὶ ζόφου Sap. xvii, 13. 607, b 5.
σειρὴν Lamentat. iv, 3. 273, b 8.
σεῖελς Joſ. xiii, 3. 106, b 51.
σειρομάστης IV Reg. xi, 10. 164, b 20.
σεισάχθεια Levit. xxv, 10. 70, b 30.
σεμίδαλις II Macc. iii, 3. 765, b 28.
σελάχια Levit. xi, 9. 63, b 19.
σενναὰρ vel Σενναὰρ Joſ. vii, 21. 105, a 21. Dan. i, 2. 453, b 17.
σενναχηρεὶμ II Macc. viii, 19. 774, b ult. III Macc. p. 797, b antep.
σὲξ I Macc. xii, 7. 753, a 40.
σεύτλιον ἡμίεφθον Eſa. li, 20. 322, b 40.
σεφηλὰ & Σεφήλα Jer. xxxii, 44. 378, b 50. I Macc. xii, 38. 754, b 22.
σημασία I Macc. iv, 40. 732, b 47. ſeqq.
σημεῖον Ezech. xxxix, 15. 450, a 55. Eſther. Addit. x, 9. 586, a 48. Sirach. xlii, 19. 696, a 34. σημεῖον ἀντιλεγόμενον Jer. xv, 10. 360, a 47.
[illegible]πεσθαι Baruchi vi, 71. 721, b 7.
σήτινον δένδρον, Σήτιμ Exodi xxv, 5. 55, a 29, 30.
σθένος Jobi xvi, 15. 207, b 56.
σίαι Ezech. xxiii, 23. 429, b 35.
σίαλος Sirach. xxvi, 23. 665, a 56.
σιβύνη Jer. vi, 23. 350, b 13.
σιγᾶν Sirach. xxxii, 10. 675, b pen.
σίδη I Macc. xv, 23. 760, b 3.
σίδηρος Ezech. xxvi, 9. 433, b 53. Nahumi iii, 15. 535, a 16.
σιδὼν I Macc. xv, 23. 760, a ult.
σίελος Eſa. xl, 15. 309, a 5.
σίκερα Eſa. lvi, 12. 327, b 20.
σικυήλατον Baruchi vi, 69. 720, b ult.
σικυοκύπελα Jonæ iv, 6. 521, b 48.
σινᾶ, Σιννᾶ, Σιναῖον Exodi xix, 1. 33, a 44, 47. Judith. v, 14. 580, b 47.
σίνεσθαι Sirach. xx, 24. 650, a 52.
σιοῦαν Baruchi i, 8. 713, b 20.
σιπφαρα· Σιπφαρωῶν πόλις IV Reg. xvii, 24. 169, a 28, 30.
σιτηρέσια I Macc. x, 36. 747, a 4.
σίτησις Pſalmo cxxxii, 15. 244, a 35.
σῖτος Gen. xlvii, 12. 25, a 36. σίτου δράγμα Pſalmo lxxii, 16. 235, a 40.
σιτώνης Tobiæ i, 14. 573, b 21.
σκάζειν Pſalmo xxxviii, 18. 229, b 12.
σκανδαλίζειν & σκανδαλίζεσθαι Sirach. xxiii, 8. 655, b 30. xxxii, 19. 676, b 4.
σκάνδαλον Judith. xii, 2. 584, a 39.
σκᾶνος I Macc. xii, 7. 753, a 39.
σκασμὸς Pſalmo xxxviii, 18. 229, b 10.
σκεπάζειν & σκεπάζεσθαι Sirach. xxii, 31. 654, b 23. xlviii, 13. 707, a pen. III Macc. p. 794, b 30. σκεπάζεσθαι ἐν λαίλαπι Sirach. xlviii, 13. 707, a pen.
σκέπη Pſalmo cxxi, 5. 242, b 37. Sirach. xiv, 27. 638, a 44. xxxiv, 19. 680, a 16.
σκέπη ἡμέρας Sap. x, 17. 600, a 37.
σκευάζειν III Macc. p. 797, a 19, 20.
σκεῦος & σκευὴ Judith. vii, 2. 581, a ult. xvi, 23. 585, b 55. Sap. viii, 20. 598, a 56. Sirach. xxxviii, 30. 787, a 60. xlv, 14. 701, a 55. σκευὴ ἐπιθυμητὰ I Macc. i, 24. 724, b 57.
σκευὴ χρυσᾶ I Macc. xi, 58. 751, b 47.
σκηνὴ Amoſi v, 26. 513, b 46. Judith. i, 8. 579, a 30. viii, 34. 582, b 37. Sirach. xiv, 25. 638, a 30.
σκηνῖται· Σκηνῖται Ἄραβες Eſa. xxiii, 13. 294, b 8. xlii, 11. 312, a 9. II Macc. xii, 10. 781, a 56, 57.
σκηνοπηγία Exodi xxiii, 16. 54, b 4. Deut. xv, 13. 88, b 21, 25. Baruchi i, 14. 714, a 21. II Macc. i, 9. 763, a 26, ſeqq. III Macc. p. 798, b 60. σκηνοπηγίας ἡμέρα Judith. viii, 6. 582, a 30, 33.
σκῆνος· σκῆνος γεῶδες Sap. ix, 15. 599, a 13, ſeqq.
σκηνωμάτων τρόπον II Macc. i, 18. 763, b 35.
σκῆπτρα τῆς βασιλείας Sapient. x, 14. 600, a 19, 20.
σκήψεις IV Reg. v, 7. 160, a 47.
σκιὰ ἄνθρωπος Sap. ii, 5. 590, a 50. v, 9. 594, b 18. σκιὰ θανάτου Jer. ii, 6. 344, a 18. σκιὰ καπνοῦ Sap. v, 9. 594, b 14.
σκιαγραφία Ezech. iv, 1. 405, a 57, 58.
σκιρτᾶν Sap. x, 19. 600, a 47. xvii, 18. 607, b 36, 37. Baruchi v, 8. 718, a 12.
σκληρὰ λαλοῦντες Jobi ix, 4. 205, a 22.
σκληροκαρδία Jer. iv, 4. 347, b 13, 14. Sirach. xvi, 11. 640, a 29, 30.
σκληροπρόσωπος Ezech. ii, 4. 403, b 30.
σκληροτράχηλος Sirach. xvi, 11. 640, a 30.
σκληρυσμὸς Sirach. x, 24. 629, a 56.
σκνὶψ, σκνίφες, σκνῖπες Exodi viii, 16. 30, a 13. Sap. xix, 10. 609, a 50.
σκολιότης Pſalmo cxxv, 5. 243, a 23.
σκόλοψ Jobi xxxiii, 55. 81, b 40.
σκοπιὰ Oſeæ v, 1. 491, a 48.
σκοπιάζω Sirach. xl, 6. 690, b 42.
σκοπὸς I Reg. xx, 20. 127, a 1. Sir. xxxviii, 18. 684, b 7.
σκορακίζειν Eſa. lxvi, 15. 341, b 27.
σκορακισμὸς Sirach. xli, 24. 694, a 41.
σκορπίζεσθαι I Macc. x, 83. 749, a 16.
σκοτεινὸς II Par. xxvii, 3. 187, a 50.
σκοτοῦν πρόσωπον Sirach. xxv, 24, 25. p. 662, b 13, 14.
σκύβαλα Sirach. xxvii, 5. 666, a 8.
σκυθῶν ἀγριώτερος III Macc. p. 799, b 7.
Σκυθῶν πόλις, vel Σκυθόπολις Judith. iii, 14. 580,

580, a 34. I Macc. V, 52. 735, b 15. II Macc. XII, 29. 782, a 37.

σκυθρωπάζων Malach. III, 14. 571, a 38.

σκυθρωπότερος Dan. I, 10. 654, a 51.

σκυθρωπῶς III Macc. p. 797, a 39.

σκυλμὸς III Macc. p. 799, a 57.

σκῦλον II Paral. XIV, 13. 183, b 1. XV, 11. 184, a 14. σκῦλα γράψαι II Macc. V, 6. 769, b 55. σκῦλα ἐκδύειν II Macc. VIII, 27. 775, b 14.

σκυτάλη II Reg. III, 29. 132, a 31.

σκύφος Gen. XLIV, 2. 24, a 39.

σκώπτειν Sirach. X, 11, 12. p. 628, b 27.

σκῶψις Sirach. XXII, 30. 654, b 6.

σμάραγδος Ezech. XXVIII, 13. 438, b 43.

σμῆγμα Adj. Dan. XIII, 17. 722, a 45.

σμικρύνειν ἀπαρχὴν Sirach. XXXV, 10. 681, a 31, 32.

σμίλη δονάκων ἀκροβελῶν γλυφὶς Jer. XXXVI, 23. 381, a 44.

σοβαρὰ Cant. VI, 3. 269, b 2.

σορὸς Ezech. XXVII, 18. 436, b 42.

σοῦσα Nehem. I, 1. 193, a antepen.

σούσινον μύρον aut χρῖσμα Ibid. lin. ult.

σουφὶρ vel σουφεὶρ I Par. XXIX, 2. 180, b 49. Tobiæ XIII, 22. 578, a 39. Sirach. VII, 20. 623, a 42.

σοφία Sap. VIII, 6. 597, b 50. Sirach. I, 5. 611, a 17. XXII, 6. 653, a 15. σοφία κρίνειν Sirach. XLV, 31. 702, b 25, 26.

σοφίζειν & σοφίζεσθαι Sirach. X, 29. 629, b 41, 42. XVIII, 29. 645, b 16. XXXVIII, 25. 787, a 13. XLVII, 15. 705, b 9, 10. L, 30. 711, a 53. σοφιζόμενος ἐν λόγοις Sir. XXXVII, 23. 684, b 59.

σοφιστὴς Sirach. XXXVII, 21. 684, b 52.

σοφὸς αὑτῷ Sirach. XXXVII, 21. 684, b 52.

σοφοῦ σοφώτερος I Macc. XVI, 14. 761, b 59.

σοφοὶ Dan. I, 20. 454, b 46.

σπάδων Gen. XXXIX, 1. 22, a 54.

σπάργανον Sap. VII, 4. 596, a 43.

σπαργανοῦν Jobi XXXVIII, 9. 217, a 28.

σπαρτίον vel σπαρτεῖον οἰκοδόμων Ezech. XL, 3. 451, a 58. 59. Zach. I, 16. 549, a 8.

σπαταλᾶν Sirach. XXVII, 14. 666, b 11.

σπᾶν ἀέρα Sap. VII, 3. 596, a 26.

σπείρουσα I Macc. V, 43. 735, a 45, 4.

σπέρμα Gen. III, 15. 5, a 21. Deut. XXV, 5. 99, a 59. Sirach. I, 14. 611, b 2. σπέρμα Ἀβραὰμ III Macc. p. 797, b 53. σπέρμα ἴσον Sirach. XLIV, 13. 699, a 60, 61. σπέρμα μοιχῶν καὶ πόρνης Eſa. LVII, 3. 327, b 59, 60. σπέρμα πατριᾶς Tobiæ I, 9. 573, b 11, 12.

σπερματικὸν Sirach. XVII, 5. 642, a 29, 30.

σπήλαιον Judith. XVI, 28. 586, a 9. II Macc. V, 27. 771, a 29. σπήλαιον πέτρας ἰσχυρᾶς Eſa. XXXIII, 16. 305, a 7, 8.

σπιθαμὴ Sirach. XVIII, 1. 643, b 55.

σπινθὴρ Sap. II, 2. 590, a 29.

σπλαγχνεύειν, σπλαγχνίζειν II Macc. VI, 7. 771, b 39, 40. & verſ. 8. p. 792, a 1.

σπλαγχνισμὸς II Macc. VI, 7. 771, b 38.

σπλάγχνα τέκνων Sap. X, 5. 599, b 15.

σπλάγχνων μεταλαβεῖν II Macc. VI, 7. 771, b 41.

σποδὸς Judith. IV, 16. 580, b 13. IX, 1. 582, b 44, 45.

σπονδεῖον Gen. XLIV, 5. 24, b 1. Eſdræ I, 9. 190, b 35. Sirach. L, 15. 710, b 5. I Macc. IV, 49. 733, a 45.

σπονδαὶ Jer. VII, 18. 351, b 33.

στάζειν Pſalmo CXIX, 28. 242, a 52. II Macc. VIII, 27. 775, b 19.

στάθμια μαρσίππου Proverb. XVI, 11. 252, a 25, 26.

σταθμὸς Sirach. XVI, 25. 641, a 47. XXVIII, 29. 669, a 14, 15.

σταὶς Jer. VII, 18. 351, b 19.

στακτὴ Sirach. XXIV, 21. 658, b 37.

στάλικες ὀρθοπαγεῖς Sirach. XXII, 21. 654, a 2.

στάσις Dan. VI, 7. 464, a 11. στάσις δικαία Sirach. XII, 14. 634, a 21. στάσις ποδὸς I Macc. X, 72. 748, b 18.

σταφυλὴ περκάζουσα Sir. LI, 19, 20. p. 712, a 23.

στειροῦσθαι Sirach. XLII, 10. 695, b 16.

στέλλειν φιλίαν Sap. VII, 14. 596, b 26. ἐσταλμέναι III Macc. p. 790, b 60.

στενὰ I Macc. VI, 38. 737, b 56.

στέξαι λόγον Sirach. VIII, 20. 626, a 52.

στέξεται Sirach. VIII, 21. 626, a 58.

στερεὰ Sirach. XXVI, 23. 665, a 40.

στερεοῦν Sirach. III, 3. 613, b 34, 35. L, 1. 709, b 4.

στερέωμα Ezech. IV, 16. 406, b 31.

στερεῖν κοινῆς ἀναστροφῆς καὶ δυσχρηστίας III Macc. p. 793, a 13. 14.

στερεῖσθαι τιμῆς III Macc. p. 790, b 7.

στερνομάντεις Levit. XIX, 31. 68, a 57, 58.

στεῤῥὸς Pſalmo LXXIV, 15. 236, a 10.

στεφανίτης φόρος I Macc. X, 29. 746, a 6.

στέφανος Judith. XV, 15. 585, b 5. στέφανος ἀγαλλιάματος Sirach. VI, 32. 621, a 62, 63.

στεφανοῦν ἐλαίαν Judith. XV, 15. 585, b 4. στεφανοῦν τὴν ζώνην αὐτοῦ Sirach. XIX, 5. 646, b 7. στεφανοῦσθαι III Macc. p. 794, b 52.

στέφεα III Macc. p. 795, a 44.

στήλη Gen. XXXV, 20. 21, a 51. IV Reg. XI, 14. 164, b 43. Oſeæ III, 4. 489, a 34. X, 2. 497, b 35. Sapient. X, 7. 599, b 41. III Macc. p. 800, b 1. στήλη ἁλὸς vel ἁλῶν Sap. X, 7. 599, b 41, 42. στῆλαι I Macc. XIII, 29. 755, b 31. στῆλαι ἐξ ἴσου διαστήματος I Macc. IX. 54. 744, a 56.

στηλογραφία Pſalmo XVI, 1. 224, a 41.

στηλοῦν II Reg. I, 19. 131, a 39.

στήριγμα Ezech. IV, 16. 406, b 29. Zachar. X, 4. 557, b 15. στήριγμα ἰσχύος Sirach. XXXIV, 19. 680, a 11.

στηρίζειν & στηρίζεσθαι Sirach XIII, 25. 635, b 59. XLII, 17. 696, a 14, 15. I Macc. XIV, 26. 757, b ult. στηρίζειν κτίσμα αἰῶνος Sirach. XXXVIII, 39. 687, b 53. ἐστηριγμένοι ἐν σιωνί Sirach. ......

στιβάδες I Macc. XI, 58. 751, b 30, 34.

στιβίζεσθαι IV Reg. IX, 30. 163, a 35, ſeqq.

στιγμὴ χρόνου III Macc. p. 796, b 49.

στίμμις, στίμμι IV Reg. IX, 30. 163, a 25, 26. Jer. IV, 30. 348, b 9.

στοιβὴ Eſa LV, 13. 326, b 30.

στοιχεῖα Sap. XIX, 17. 609, b 38.

στοιχείωσις II Macc. VII, 22. 773, b 28.

στολὴ Sirach. XLV, 12. 701, a 8. στολὴ θῆλυς Sirach. XIX, 27. 648, a 52. στολὴ ἁγία ἀρχιερατικὴ I Macc. X, 21. 745, b 38, ſeqq.

στόμα εἰς στόμα IV Reg. XXI, 16. 172, b 24.

στόμωμα Sirach. XXXI, 31. 674, b 42.

στοχαστὴς Zachar. X, 2. 557, a 30.

στρατηγὸς Dan. III, 2. 457, b 39. I Macc. XII, 24. 753, b 45. XIII, 42. 756, b 17. II Macc. XII, 32. 782, a 59. στρατηγὸς Σαμαρείας I Maccab. III, 10. 730, a 24, 25. στρατηγὸς τῆς Κοίλης Συρίας I Macc. III, 13. 730, a 33, 34. στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ IV Reg. XXIII, 4. 173, a 44. Nehem. XI, 11. 196, b 57. Jer. XX, 1. 364, a 55. XXVI, 8. 371, a 57, 58. XXIX, 26. 373, b 48. στρατηγοὶ κατ' Αἴγυπτον, κατὰ τόπον III Macc. p. 793, b ult.

στρατιὰ I Macc. VII, 20. 739, b 8.

στρεβλοῦσθαι III Macc. p. 795, b 42.

στρεβλωτήριον Jer. XX, 2. 364, b 10.

στρεπτὸν Gen. XXXVIII, 18. 22, a 23. στρεπταὶ τρίχες Eſth. Addit. XIV, 2. 587, a 44.

στρουθίον Lamentat. IV, 3. 273, b 10, 13. Tobiæ II, 11. 574, a 45.

στρουθοκάμηλος Lament. IV, 3. 273, b 11.

στρουθὸς Ibid. lin. 13.

στροφαὶ λόγων Sap. VIII, 8. 598, a 13.

στρόφος Sirach. XXXI, 23. 674, a 59, 60.

στρῶμα IV Reg. VIII, 15. 162, b 20.

στρωμνὴ ἀπατηθεῖσα Judith. IX, 2. 583, a 15. 16. & verſ. 13. a 29, 30.

στῦλος IV Reg. XI, 14. 164, b 41. στῦλος ἐν τῷ ναῷ τοῦ Θεοῦ Sap. III, 14. 592, a 57, 58.

συγγένεια Num. XXVII, 11. 80, b 4.

συγγενῆ Sirach. XIII, 20. 635, b 24. συγγενεῖς III Macc. p. 797, a 52.

συγγνώμην ἔχειν Sirach. p. 610, b 36, 37. III, 15. 614, a 34.

συγγραφὴ ἄδικος Eſa. LVIII, 6. 330, a 23.

συγκαθυφαίνεσθαι Eſa. III, 23. 276, b 13.

συγκαλύπτεσθαι III Reg. XXII, 30. 157, a 50, 51.

συγκαταγηρᾶσθαι Tobiæ VIII, 10. 577, a 23.

σύγκειμαι Sirach. XLIII, 28. 698, a 47.

συγκεκρυφὼς Sirach. XIX, 23. 647, b 60, 61.

συγκεχυμένος III Reg. XX, 43. 156, a 32. Jerem. IV, 23. 348, a 40.

συγκλᾶν ὀσφὺν Ezech. XXIX, 7. 439, b 59.

συγκλείειν I Macc. XI, 65. 752, a 35. συγκλείειν ἐν ταμιείοις Sirach. XXIX, 15. 670, a 9, 10.

συγκλείων IV Reg. XXIV, 14. 174, b 29.

συγκοινωνεῖν ἁμαρτίαις Jer. LI, 6. 396, b 34.

συγκόπτειν Judith. V, 26. 580, b pen.

σύγκριμα Sirach. XXXII, 7. 675, b 53. & verſ. 21. p. 676, b 18, 20. I Macc. I, 60. 726, a 60. 62.

συγκρίνεσθαι Sap. XV, 18. 605, b 1.

σύγκριμα Sirach. XXXII, 7. 675, b 54.

συγκυροῦντα I Macc. XI, 34. 750, b 19.

συγκύφων πρόσωπον Sirach. XIX, 23. 647, b penult.

σουὲ Ezech. XXIII, 23. 429, b 31, 34.

συζυγεῖς III Macc. p. 795, a 43.

συκοφαντεῖν Jer. L, 33. 395, b 32.

συλλογὴ Prov. XXX, 1. 257, b 1. Tob. p. 573, a 12.

συλλογεῖς Eccleſ. XII, 11. 267, a 30.

συλλογισμὸς Pſalmo CXXXIX, 17. 245, b 9.

συλλύεσθαι I Macc. XIII, 47. 756, b 55.

συμβάλλειν Sirach. XXII, 1. 652, b 32, 34.

συμβὰν I Macc. II, 37. 728, b 25. συμβεβηκὸς χωριστὸν Sirach X, 22. 629, a 36, 37.

συμβιοῦσθαι ἀμώμῳ Sirach. XIX, 5. 646, b 12.

συμβίωσις Sap. VIII, 3. 597, b 36. Sirach. XXXIV, 26. 680, a 59, 61.

σύμβλημα III Reg. XXII, 34. 157, b 2.

συμβόλαια I Macc. XIII, 42. 756, b 11.

συμβολὴ Exodi XXVI, 5. 55, b 18, 20. Sirach. XVIII, 32. 645, b 58, ſeq. XIX, 15. 647, a 19, 20. συμβολὰς ποιεῖν Sirach. IX, 13. 627, a 56.

συμβολοκοπεῖν Ibid. lin. 34, ſeqq. & Sirach. XVIII, 33. 446, a 5. 7.

συμβολοκόπος Sirach. IX, 13. 627, a 39, 40.

σύμβολον Jer. IX, 26. 354, b 30. XIX, 10. 364, a 20. XXVII, 8. 372, b 2. Oſeæ IV, 12. 490, a 57. σύμβολον σωτηρίας Sap. XVI, 6. 605, b 40.

συμβουλεύεσθαι I Macc. XII, 35. 754, a 50. συμβουλεύεσθαι ἑαυτῷ Sirach. XXXVII, 9. 683, b 56.

συμεὼν Judith. VIII, 1. 581, b 59.

συμμαχοῦντες I Macc. VIII, 28. 742, a 5.

συμμετρία Jer. XI, 16. 356, b 4. Zach. III, 8. 550, b 22. Sirach. XL, 22. 691, b 49.

σύμμικτος, συμμικτὶς Jer. XXV, 20. 370, a 25. Nahumi III, 17. 535, a 32. Judith. I, 9. 579, a 46.

συμπαθὴς Sirach. XXV, 11. 661, b 10.

συμπεραίνειν Habac. II, 10. 538, b 9.

συμπεριφέρεσθαι ἄλλων ἀνοίᾳ III Macc. p. 794, a 30. συμπεριφέρεσθαι ἑαυτοῖς II Macc. IX, 27. 777, a 55. συμπεριφέρεσθαι φίλοις Ibid. lin. 52, 53.

συμπεριφορὰ II Macc. IX, 27. 777, a 58.

συμπλοκὴ Sirach. XVIII, 32. 645, b 59. p. 646, a 6.

συμπονεῖν Sirach. XXXVII, 5. 683, b 24.

συμποσίας τόπος III Macc. p. 800, b 4.

συμποσιάρχης Sirach. XXXII, 1. 675, b 7.

συμπόσιον Judith. VI, 20. 581, a 48. III Macc. p. 799, a 7. συμπόσια ἐπὶ τῶν εἰδώλων III Macc. p. 795, b 49. συμπόσια καθιστάναι Ibidem.

συμπραγματευόμενοι III Macc. p. 793, b 56.

συμφρονεῖν εἰς κακοποίησιν III Macc. p. 793, a 32.

συμφωνία Dan. III, 5. 458, a 41. Sirach. XLII, 26. 696, b 24.

σὺν Pſalmo LXXIII, 24. 235, b 31. σύν τι δύ' ἐρχόμενοι Eccleſ. IV, 9. 260, b 17. Amoſi III, 3. 511, a 24.

συνάγειν Eſa. LVIII, 8. 330, b 6. Aggæi II, 19. 547, b 8. Tobiæ XIII, 4. 578, a 18. συνάγειν ἀποφθέγματα Sirach. p. 610, a 39.

συναγωγὴ Levit. iv, 13. 61, b 20. Num. xvi, 2. 76, a 30. xxxv, 25. 82, a 52. Prov. xxx, 1. 257, b 1. συναγωγὴ μεγάλη II Paral. xxx, 2. 188, a 28, 29. Neh. i, 1. 193, a 40. Ezech. xi, 18. 413, a 15. Aggæi i. p. 545, a 17.
συναθροιστὴς Eccleſ. i. p. 258, a 50.
συναθροίζω Ibid. lin. 51. συναθροίζειν σύστημα III Macc. p. 799, a 51.
συναινεῖν III Macc. p. 796, b 29.
συνάλλαγμα Sirach. xli, 24. 694, a 42.
συναλλακτικὸν Prov. i, 3. 247, a 26.
συνανακείμενος III Macc. p. 797, a 52.
συναναστροφὴ τῷ βασιλεῖ III Macc. p. 792, b 57.
συνάπαντα Sirach. xlii, 25. 696, b 10.
συνάπτειν πρὸς τὴν φάλαγγα I Macc. x, 82. 749, a 6, 7.
συνασπισμὸς IV Reg. xix, 32. 171, a 59. I Macc. x, 81. 748, b 60, 61.
συνάψεις IV Reg. x, 34. 164, a 6.
σύνδεσμος Habac. ii, 2. 538, b 18.
συνδεῖν παιδείαν Sirach. xxxiii, 4. 677, a 53.
συνδρομὴ III Macc. p. 793, b 45.
συνεδρεύειν Sirach. xlii, 12. 695, b 37, 38.
συνεδρία Judith. vi, 12. 581, a 35.
συνέδριον Dan. vii, 10. 467, a 21. συνέδριον μέγα Sirach. xli, 22. 694, a 19.
συνειθίζεσθαι Sirach. xxiii, 10. 655, b 44.
συνειδέναι· σύνοιδα Sirach. xiv, 9. 637, a 30.
συνέκτροφος III Macc. p. 797, a 32.
συνέλκειν ἀέρα Sap. vii, 3. 596, a 31, 32.
συνεργία Sirach. xl, 23. 691, b 60.
συνεργὸς Sirach. xl, 23. 692, a 4.
συνερείδω II Macc. viii, 30. 775, b 44.
σύνεσις Sirach. xiv, 9. 637, a 30. xxiv, 36. 659, b 26. Baruchi iii, 23. 716, b 25. σύνεσις ἀσφαλὴς Sirach. v, 12. 619, a 4. συνέσεως Pſalmo xxxii, 40. 227, b 40.
συνευδοκεῖν II Macc. xi, 35. 780, b 25.
συνεχὴ II Macc. x, 10. 778, a 23.
συνέχοντα II Macc. x, 10. 778, a 22, 23. συνέχον τὰ πάντα Sap. i, 7. 589, a 31.
συνήθειαι Gen. xxxi, 35. 20, a 38.
συνημερεύειν Sirach. xxii, 25. 654, a 23.
συνημοσύναι II Reg. iii, 14. 132, a 3.
συνηχεῖν III Macc. p. 798, a 48.
συνθήκην τίθεσθαι Sap. i, 16. 589, b ult. συνθῆκαι I Macc. viii, 22. 741, b 43.
σύνθημα II Macc. viii, 23. 775, a 52.
συνθλᾶν Pſalmo cx, 6. 241, b 1.
συνιστάναι & συνιστᾶσθαι I Macc. ii, 16. 727, a antepen. II Macc. xiv, 15. 785, b 22. συνιστάναι τινῶν ἀπώλειαν III Macc. p. 799, a 30. συνίστασθαι τρόπαιον II Macc. xv, 6. 787, b 9. συνίστασθαι χορὸν III Macc. p. 799, a 3.
συσταθεὶς II Macc. iv, 24. 768, a 45.
συνιὼν Dan. viii, 27. 472, a 15.
συνοδία Gen. xxxvii, 25. 21, b 49. Sirach. viii, 18. 626, a 34.
σύνοδος Judic. xx, 2. 116, b 43.
συνοικεῖν Sirach. xlii, 10. 695, b 11. II Maccab. i, 14. 763, b 14.
σύνταγμα Sirach. p. 610, a 50.
σύνταξις II Macc. xv, 40. 789, b 11. σύνταξις εἰς θυσίας II Macc. iii, 3. 765, b 26.
συντέλεια Sirach. xi, 29. 632, a 61, 62. xxi, 10. 651, b 24. συντέλεια καυχήματος Sirach. xlv, 10. 700, b 58, 59. συντέλεια ὑπὲρ ἐμπορίας I Macc. x, 31. 746, b 16, 17.
συντελεῖν Pſalmo x, 3, 4. p. 223, b 13. Dan. xi, 16. 479, a 6. συντελεῖν θυσίας III Macc. p. 797, b 15. συντελεῖν λόγον Eſa. x, 22. 283, a 61. συντελεῖσθαι Sirach. xlv, 23. 702, a 12.
συντέμνειν λόγον Eſa. x, 22. 283, a antepen.
συντηρεῖν ἐντολὰς Sirach. xv, 16. 639, a 37, 38.
συντηρεῖν καιρὸν Sirach. iv, 23. 617, a 37.
συντηρεῖν λόγους Sirach. xiii, 15. 635, a 55.
συντίθεσθαι II Macc. xiii, 15. 784, a 45.
σύντομον τέλος Sap. xiv, 14. 603, b 37.
συντρίβειν Gen. iii, 15. 5, a 28, 29. Jer. ii, 20. 344, b 39. συντρίβεσθαι τῇ καρδίᾳ I Macc. ix, 7. 742, b 14. συντετριμμένος & συντετριμμένη Lev. xxii, 22. 69, b 9. Mich. iv, 6. 526, a 35. Sophon. iii, 19. 545, a 2. συντετριμμένοι ψυχὰς III Macc. p. 791, b 39.
συντριβὴ Nahumi iii, 19. 535, b 31, 32.
σύντριμμα Sap. iii, 3. 591, b 27. Sirach. xl, 9. 691, a 14. I Macc. ii, 7. 727, a 29.
συντροφίας στοργὴ III Macc. p. 797, a 30.
σύντροφος I Macc. vi, 14. 736, b 45.
συρράξαι II Macc. xii, 2. 781, a 21, 22.
σύριγξ I Macc. xii, 7. 753, a 35.
συρίζω, συρίσσω Dan. iii, 5. 458, a 15, 16. Zachar. x, 8. 557, b 52.
σύρων βασιλεία I Macc. xiii, 41. 756, a 58.
σύσσημον II Macc. viii, 23. 775, a 48 & 59.
σύστασιν ποιεῖσθαι III Macc. p. 791, b 1.
συστέλλεσθαι II Macc. vi, 12. 772, a 13, 14.
σύστημα II Macc. xv, 12, 788, a 1, 2. III Macc. p. 793, b 47. p. 799, a 51.
συστοιχεῖν Prov. xvi, 4. 251, b antep.
συστρέφομαι· συνεστραμμένοι I Macc. xii, 50. 754, b 53, 54.
συστροφὴ πνεύματος Sirach. xliii, 17, 18. p. 697, b 17.
συχνῶν Judith. v, 20. 580, b 53.
συχνοὺς II Macc. v, 9. 770, a 30.
σφάλλεσθαι Sirach. xiii, 26. 636, a 1.
σφάττω ſeu σφάζω Ezech. xxi, 10. 425, a 46.
σφενδονεῖν Jer. x, 18. 355, b 19.
σφίγγειν IV Reg. xii, 10. 165, b 30. Sirach. xi, 18. 631, b 37.
σφιγγία Sirach. xi, 18. 631, b 36.
σφραγῖδες Gen. xxxv, 4. 21, a 29.
σφραγίζειν IV Reg. xxii, 4. 172, b 54. 55.
σφριγῶν θυμὸς Sirach. xix, 28. 648, b 11.
σφῦραι Sirach. xxxviii, 30. 687, a 56.
σχεδία Sap. xiv, 5. 603, a 51. III Macc. p. 795, a 63, ſeqq.
σχεδιάζειν Baruchi i, 19. 714, a 42, 43.
σχετικὴ προσκύνησις Exodi xx, 5. 42, a 39.
σχέτλιον βούλημα II Macc. xv, 5. 787, b 2.
σχέτλια ἔργα Ibid. lin. 4.
σχίζειν Adj. Dan. xiii, 1. 722, a 14.
σχῖνος Michææ vi, 5. 528, a 49. Adj. Dan. xiii, 1. 722, a 14.
σχοίνισμα Zachar. xi, 7. 559, a 37.
σχοινοτενέες διέξοδοι Baruchi vi, 42. 720, a 10.
σχολάζεσθαι τῶν ἰδίων πολιτῶν II Macc. xiv, 8. 785, a ult.
σχολὴ I Macc. xii, 25. 753, b 51.
σῶα ἔστω I Macc. x, 43. 747, b 38.
σώζειν· σώζεσθαι Eſa. lxiii, 16. 337, a 17. Sap. ix, 19. 599, a 23. σώζειν μοχλοῖς· σώζειν σφραγίσμασι Sirach. xlii, 11. 695, b 22, 23. σώζεσθαι ἐκ πυρός· σώζεσθαι ἐκ φλογὸς Amoſi iv, 11. 512, b 27, 28. σωζόμενοι Eſa. xlv, 20. 317, a 26, 27.
σῶμα, σώματα Pſalmo xl, 7. 230, a 14. Ezech. xxvii, 13. 435, b 60. σῶμα εἰς γῆν Sirach. xvii, 2. 641, b 48, 49. σῶμα σαρκὸς Sirach. xxiii, 23. 656, b 44.
σωρὸς Sirach. xx, 30. 650, b 50.
σώστρατος II Macc. iv, 29. 768, b 36.
σώτειρα δαίμων Sir. xxxii, 23, 24. p. 676, b 40.
σωτὴρ Sirach. xxiv, 34. 659, b 7. xlvi, 2. 702, b pen.
σωτηρία σώματος Sirach. xxxi, 2. 673, a 40.
σωτήριον Sirach. vii, 33, 34, 35. p. 624, a 57. xxxv, 2. 680, b 41, ſeqq. II Macc. iii, 32. 766, b 47. σωτήρια ἄγειν III Macc. p. 798, b 45.
σωτήριος Sap. i, 14. 589, b 23. Sirach. xlvii, 2. 704, b 14. l, 13, 14. p. 710, a 51.
σωφὶρ Jobi xxii, 24. 210, a 51.
σωφροσύνη Sirach. xli, 16. 693, b 26. II Macc. iv, 37. 769, a 10.
σώφρων Sirach. xxix, 30. 670, b 34.

T.

T pro ש Dan. v, 1. 462, a 8.
τὰ ἀεὶ ἱερὰ III Macc. p. 794, a 56, 58. τὰ Ἑλληνικὰ I Macc. i, 52. 725, b ult. τὰ ἐντὸς Sirach. xix, 23. 647, b 58. τὰ ἐντὸς τοῦ οἴκου I Macc. iv, 48. 733, a 26, 27. τὰ θεῖα Sirach. xl, 26. 692, a 33. τὰ κυκλόθεν Sirach. xlvii, 15. 705, a 60. τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ Sap. vii, 27. 597, b 10. τὰ νεκρὰ Sap. i, 14. 589, b 17. τὰ ὄντα πάντα Sap. xi, 25. 601, a 6, 7. τὰ πάντα Dan. vi, 4. 463, b 50. Sapient. i, 7. 589, a 46. τὰ περὶ τῶν βασιλέων II Macc. ii, 13. 764, b 2, 3. τὰ πρός τι Sirach. xlv, 16. 701, b 4. τὰ τοῦ βασιλέως I Macc. vi, 57. 738, b 22. τὰ χερουβεὶμ Ezech. x, 1. 411, b 8.
τάγματα παρεμβολῆς Num. x, 15. 74, a 33.
ταινία Ezech. xxvii, 5. 435, a 12. Nahumi iii, 8. 534, 54.
τάκεται ὀφθαλμοὺς Sirach. xviii, 18. 644, b 52.
ταλαιπωρία Eſa. lix, 6. 331, b 40.
τάλανις ὑπὲρ ψυχὰς νηπίων Sap. xv, 14. 605, a 36.
τάλαντα Eſther. Addit. x, 10. 586, b 22. τάλαντα πεντακόσια I Maccab. xv, 31. 760, b 55, 56.
ταμεῖον IV Reg. xi, 2. 164, a 21. Eſa. xlii, 22. 312, b 27. ταμεῖον ἀργυρονόμων I Macc. viii, 22. 741, b 44, 45.
ταμίας μελλόντων II Maccab. ix, 12. 776, b 31, 32.
τάνις Eſa. xix, 11. 289, b 10.
τανύω Sirach. xliii, 13. 697, a 51.
τάξις & τάξεις Sirach. xvi, 26. 641, a 55. I Macc. vi, 35. 737, b 6.
ταπεινὸς Eſa. lxvi, 2. 340, b 20. Sirach. x, 31. 630, a 18. xxxv, 21. 681, b 33.
ταπεινοῦν & ταπεινοῦσθαι Deut. xxi, 14. 96, a 41, 42. Dan. xi, 30. 481, a 13. Oſeæ ii, 15. 488, a 44. Tobiæ iv, 20. 575, b 20, 21. Judith. v, 10. 580, b 41. Sirach. xviii, 21. 645, a 15. xxix, 5. 669, b 6. ταπεινοῦν τὰς ψυχὰς Sirach. ii, 20. 613, a pen. ταπεινοῦσθαι ἑαυτὸν Sirach. iii, 20. 614, b 13.
ταράττειν, ταράσσειν· ταράσσεσθαι, ταράττεσθαι Pſalmo lxviii, 9. 233, b 37. II Macc. xv, 19. 788, a 38.
ταραχὴ Sirach. xi, 36. 633, a 15. ταραχὴ αἰφνίδιος ἐνίστησι III Macc. p. 794, b 19.
ταριχεύειν Baruchi vi, 27. 719, a 39, 40.
ταρταροῦν Sap. xvii, 13. 607, b 5.
τάσις Gen. i, 6. 1, a 55.
τάσσειν στρατιὰν ἐν πλινθίῳ I Macc. x, 80. 748, b 50. τάσσονται παρεμβαλεῖν I Macc. v, 27. 734, b 57, 58.
ταῦρος I Macc. xii, 7. 753, a 38.
τάφναι Jer. xliii, 7. 385, b 27.
τάφος Tobiæ vi, 15. 576, a 46.
ταφὼ I Macc. ix, 50. 744, a 27.
ταχὺ Sirach. xlviii, 22. 708, a 11.
ταχὺς Sirach. iv, 34. 618, a 7. v, 13, 619, a 14.
τεθνάναι Sap. iii, 2. 591, b 22.
τείρειν Sirach. xlii, 8. 695, a 29.
τειρήσεις Gen. iii, 15. 5, a 52.
τειχίζειν ἐν κύκλῳ πόλιν I Macc. iv, 60. 733, b 46.
τείχισμα Jer. x, 17. 355, b 16.
τεῖχος Eſa. xxiv, 23. 295, b 21. τεῖχος αὐλῆς I Macc. ix, 54. 744, b 48. τείχη τὰ ἔξω τῆς πόλεως Jer. li, 32. 398, a 33. τείχη τῆς πόλεως I Macc. x, 11. 745, b 13.
τεκνοποιεῖν Exodi i, 21. 28, a 45. Malach. iii, 15. 571, a 46, 47.
τέκτων IV Reg. xxiv, 14. 174, b 29.
τελεῖν ὑπὲρ κεφαλῆς I Macc. x, 29. 745, b 52.
τελεσθεὶς Sap. iv, 16. 594, a 3.
τέλειος Exodi xii, 5. 30, b 25.
τελειότης δυνάμεως Sap. xii, 17. 601, b 43, 44.
τελειοῦν & τελειοῦσθαι Dan. xi, 16. 479, a 6, 7. Sirach. vii, 36. 624, b 8, 10. xxxi, 10. 673, b 37. τελειωθεὶς Sap. iv, 16. 594, a 4.
τελείως III Macc. p. 800, b 25.
τελέσματα Exodi xx, 4. 41, a 36, 37.
τελετὴ Sap. xiv, 15. 603, b 52, 54. III Macc. p. 792, b 26.
τελισκόμενος Deut. xxiii, 17. 98, a 47, 52.
τέλος & τέλη I Macc. x, 31. 746, b 1, 13, ſeqq.
τέμενος & τεμένη I Macc. i, 50. 725, b 40, 41. v, 43. 735, a 41, 42. II Macc. x, 2. 777, b 26. III Macc. p. 790, b 9.
τέμνειν μέλη II Macc. vii, 4. 773, a 17.
τέρατα Eſth. Addit. x, 9. 586, a 48.
τερέβινθος Eſa. vi, 13. 278, b 13, 14.

τερπνὸν

τερπνὸν καλὸν Sirach. XLII, 14. 695, b 50.
τερπνότης I Macc. III, 45. 731, a 17.
τετράχορδον Dan. III, 5. 458, a 26.
τέφρα θυμιαμάτων Tobiæ VI, 19. 576, a 52.
τεφὼν I Macc. IX, 50. 744, a 24.
τήγανον II Macc. VII, 3. 773, a 10.
τήκειν & Dor. τάκειν, τήκεσθαι Esa. XXIV, 23. 295, b 20. LXIV, 1. 337, a antepen. Ezech. XXIV, 10. 431, a 53. Sirach. XVIII, 18. 644, b 52. I Macc. IV, 32. 732, b 11, 12. III Macc. p. 798, a 22. τήκεσθαι ὡς κηρὸς Esa. LXIV, 1. 337, a 62, 63. τηκομένη ψυχὴ I Macc. IV, 32. 732, b 13.
τηρεῖν Psalmo XXXI, 20. 227, b 32. I Macc. IV, 61. 733, b 60. τηρεῖν πίστιν I Macc. XIII, 19. 755, a 56.
τιάρα Esa. XXVII, 11. 297, b 56.
τιθέναι ψυχὴν Esa. LIII, 12. 324, b 55. I Macc. II, 50. 728, b 50. τιθέναι εἰς παράδειγμα Esth. Addit. XIV, 11. 587, b 13.
τιθηνεῖν Sirach. XXX, 9. 671, b 39.
τίλλεσθαι χαίτας Esdræ IX, 3. 192, b 58.
τιμᾷν Exodi XX, 11 (12). 34, a 45. & eod. verſ. 12. pag. 47, a 21, b 9.
τιμὴ Sirach. XLVII, 8. 704, a ult. τιμὴ ἁλὸς vel ἁλῶν I Macc. X, 29. 745, b 55. τιμῆς λαγχάνειν Sirach. XLI, 16. 693, b 25.
τίμια I Macc. XI, 27. 750, a 35.
τιμωρεῖν μετὰ προσοχῆς Sapient. XII, 20. 601, b 55, 56.
τιμωρία ἀδιάλειπτος II Macc. VI, 26. 772, b 49, 50.
τίς αὐτοῦ χρεία Sirach. XXXVII, 9. 683, b 53. τί Sirach. XXXIX, 21. 689, a 3. τί μάντεως ἔδει Sirach. XXII, 30. 654, b 10. τί ὄνομα αὐτῷ Sirach. XXII, 17. 653, b 18, 19. τίνι οὐ γνωστὸν Baruchi VI, 51. 720, b 3, 4. τινί ποτε Dan. VIII, 13. 470, b 19. τινὰς ſubauditum, *Jer.* XIX, 1. 363, b 25.
τιτᾶνες Deut. II, 11. 83, b 15.
τιτρώσκειν II Macc. XI, 9. 779, b 42.
τὸ ἔχειν Sirach. XX, 19. 650, a 3. τὸ καλὸν πεφιλημένος Sirach. XXIV, 24. 658, b 60. τὸ καλῶς Sirach. XLI, 2. 692, b 41. τὸ κρεῖσσον II Macc. IX, 12. 776, b 23. τὸ μὴ ἔχειν Sirach. XX, 19. 650, a 3. τὸ μηδὲν ὢν Sirach. XLVII, 26, 27, 28. p. 706, a 45. τὸ πᾶν Sirach. XLII, 17. 696, a 15. XLIII, 29. 698, a 58. τὸ παρὸν μέρος τῆς συμποσίας III Macc. p. 796, b 14, 15. τὸ τῆς χρείας II Macc. XII, 39. 782, b 35. τοῦ βασιλεύειν I Macc. VI, 15. 736, b 59.
τοῖχος μύλης Tobiæ II, 10. 574, a 36, 37. τοῖχος ξυστὸς Sirach. XXII, 20. 653, b 47, 48.
τολμηροὶ III Reg. XXI, 10. 156, b 13.
τόξον Jer. VI, 23. 350, b 13. Sirach. L, 8. 709, b 58.
τοξόται I Macc. IX, 11. 742, b 36.
τόπαζος, τοπάζιον Pſalmo XIX, 11. 225, b 13. Jer. X, 9. 355, a 27, 28.
τοπάρχης Dan. III, 2. 457, b 41.
τοπαρχία I Macc. X, 30. 746, a 32. I Macc. XI, 28. 750, a 44, 45, 47.
τόπος γαζοφυλακίου Eſdræ VIII, 17. 192, b 24, 25.
τότε Amoſi IX, 11. 517, b 49.
τουβίν· Τουβιηνοὶ I Macc. V, 13. 734, a pen. II Macc. XII, 17. 781, b 44, 45.
τοῦτο Jobi XIII, 28. 206, a 52.
τοφόα I Macc. IX, 50. 744, a 25.
τραγίζειν Cantici I, 8. 267, b 51.
τράγου φάσμα Levit. XVII, 7. 65, b 33.
τράπεζα I Macc. I, 23. 724, b 34. τράπεζα ἀλλοτρία Sirach. XL, 30. 692, a 58.
τραῦμα Judic. XV, 19. 115, a antep.
τραχηλίζεσθαι Levit. I, 6. 60, a 28.
τραχὺς Sirach. IV, 34. 618, a 8.
τραχύτης ἱκανὴ III Macc. p. 791, a 9.
τρέπεσθαι εἰς φυγὴν I Maccab. VII, 44. 740, a 27, 28. τρέπεσθαι πρὸς βίον ἄσωτον III Macc. p. 792, a 7.
τρίβειν σταῖς Jer. VII, 18. 351, b 19.
τρίβος Eſa. XLIX, 9. 320, a 39.
τριετὴς Eſa. XV, 5. 286, b 53. Dan. VII, 25. 468, b 26. I Macc. IV, 54. 733, b 11. II Macc. X, 3. 777, b 35.
τριηράρχημα II Macc. IV, 20. 768, a 16.
τρίοδος Pſalmo LI, 7. 230, a 37.
τρίπηχυς ὕψος I Macc. IX, 54. 744, a 55.
τρίπους I Macc. XI, 58. 751, b 30, 32.
τρισάγιον Eſa. VI, 3. 278, a 22.
τρισσὸς IV Reg. XI, 10. 164, b 24.
τρίστεγον Gen. VI, 16. 9, a 7, 10.
τρίτης μοίρας ἡγεμὼν IV Reg. VII, 2. 161, b 50, 51. τρίτον τῆς σπορᾶς ſive τῶν καρπῶν I Macc. X, 29. 746, a 10, 12.
τρίτωνος κύων Jonæ II, 1. 520, b 4.
τρόπαια ἀνιστάνειν II Macc. V, 6. 769, b 53.
τροπὴ, τροπαὶ Sap. VII, 18. 596, b 45. Sirach. XLV, 29. 702, a 55.
τρόπος αἰτίας III Macc. p. 799, b 29. τρόπος χρηστὸς Sirach. VII, 21. 623, a 59.
τρυβλίον μύρου Jobi XLI, 22. 220, a 46.
τροφὴ Sirach. XXXVII, 32. 685, a 51. τροφὴ μισθὸς δούλῳ Sirach. XXXIII, 25. 678, b 4, 5.
τροφὸς Eſther. II, 7. 199, a 19.
τροχοκουράδες Levit. XIX, 27. 67, b 51. Jer. XXV, 23. 370, a 48, 49. XLIX, 32. 393, b 29.
τρυγητῶν κατάλειμμα Deuter. XXIV, 21. 98, b ult.
τρυφὴ Sirach. XI, 29. 632, a 60. XVIII, 32. 645, b 61.
τρώξιμος Jer. II, 21. 345, a 2.
τυγχάνειν βοηθείας III Macc. p. 797, a 47.
τυμπανίζεσθαι II Macc. VI, 19. 772, a 58.
τύμπανον II Macc. VI, 19. 772, a 51, 52. & verſ. 28, b 51.
τύπος ἐπιστολῆς III Macc. p. 795, a 3. p. 799, a 47.
τυραννικὸν Sirach. XX, 5. 648, b 58.
τύραννος II Macc. IV, 40. 769, a 17. τύραννοι φρικτοὶ Sap. VIII, 15. 598, a 35. τύραννοι Ἀράβων II Macc. V, 8. 770, a 7.
τυρὸς Judith. X, 5. 583, b 18.
τύρσις Eſa. XXIII, 4. 293, b 58.
τυφλοῖς ἀνάβλεψις Eſa. LXI, 1. 334, a 20.
τύφοις φέρεσθαι III Macc. p. 794, a 14.
τῷ Θεῷ Jonæ III, 1. 521, a 12, 13.
Τωβὴτ, Τωβὶτ, Τωβίας Tob. p. 573, a 5, 6.

Υ.

Υ pro Holem Hebræo *Ezech.* XXXVIII, 2. 448, a 45.
ὑάκινθος Ezech. XXVIII, 13. 438, b 15.
ὑακίνθινος Eſa. III, 23. 226, b 12. Sirach. VI, 31. 621, a 52, 57.
ὑβρίζεσθαι Oſeæ II, 5. 487, b 23.
ὕβρις II Reg. XIII, 13. 136, b 18. Sirach. V, 3. 618, a 54. XXXI, 40. 675, a 44. ὕβρις ἀλόγιστος III Macc. p. 798, a 36.
ὑβριστὴς Sirach. VIII, 14. 625, b 43. XXXV, 23. 681, b antepen.
ὑγιαίνειν II Macc. IX, 19. 777, a 4.
ὑγίεια ἰάσεως Sirach. I, 22. 611, b 30.
ὑγιὴς τῇ καρδίᾳ Sirach. XVII, 27. 643, b 12.
ὕδατος ἔξοδος Sirach. L, 8. 710, a 4.
ὑδραγωγὸς Sirach. XXIV, 41. 660, a 1.
ὕελα Jer. XLVIII, 34. 391, a 25.
ὑετὸς ὄψιμος, πρώϊμος Jobi XXIX, 23. 212, b 29, 30.
υἱοὶ ἀλαζόνων Jobi XXVIII, 8. 212, a 8. υἱοὶ ἀπωλείας Eſa. LVII, 4. 328, a 13. Sirach. XVI, 10. 640, a 17. υἱοὶ Θεοῦ III Maccab. p. 798, b 35. υἱοὶ τῆς διαθήκης Ezech. XXX, 5. 440, b 59.
ὕλη Sirach. XXVIII, 12. 668, a 39. ὕλη ἄμορφος Sap. XI, 18. 600, b 44.
ὑλομανοῦσα Oſeæ X, 1. 497, b 14, 15.
ὕμνος Judith. XV, 15. 585, b 6. I Macc. IX, 41. 743, b 26.
ὕπαιθρος II Macc. XV, 19. 788, a 38.
ὕπανδρος Sirach. XXVI, 23. 665, a 55.
ὑπάρχοντα I Macc. X, 43. 747, b 37, 38.
ὑπάρχω Sirach. XXXVIII, 11. 686, a 2, ſeqq.
ὕπατος Dan. III, 2. 457, b 34.
ὑπείκειν Sirach. XXXII, 13. 676, a 12.
ὑπεικρεῖν III Macc. p. 797, a 39.
ὑπὲρ θάνατον Sirach. XXVI, 7. 664, a 16. ὑπὲρ Μαλλὰν πλεύσας εὐσεβὴς ἔση Jonæ I, 14. 520, a 48. ὑπὲρ μέτρον Sirach. XXXI, 31. 674, b 50. ὑπὲρ νεκρῶν εὔχεσθαι II Macc. XII, 44. 783, a 25. ὑπὲρ ὧν II Macc. XIII, 25. 784, b 59.
ὑπεράγειν Sirach. XXXIII, 23, 24. p. 678, a 54. XXXVI, 24. 683, a 33.
ὑπέρακμος Sirach. XLII, 9. 695, a 53.
ὑπερασπίζειν τῶν Ἰουδαίων III Macc. pag. 799, b 16, 17.
ὑπερασπισμὸς δυναστείας Sirach. XXXIV, 19. 680, a 8.
ὑπερβαίνων ἀσεβείας Michææ VII, 18. 530, b 46.
ὑπερβάλλοντα Pſalmo CXXXI, 1. 244, a 10, 11.
ὑπερείδω· ὑπερεῖδη Sirach. XXIII, 13. 656, a 15, 16.
ὑπερέχειν Sirach. XLIII, 32. 698, b 9.
ὑπερηφανεύεσθαι Exodi XVIII, 11. 33, a 8. Pſalmo XIX, 14. 225, b 21.
ὑπερήφανα Pſalmo XIX, 14. 225, b 19, 20.
ὑπερηφανία Eſth. Addit. XIV, 16. 587, b 21. Sirach. X, 24. 629, a 57.
ὑπερήφανος Sirach. XI, 32. 632, b 38. XXI, 5. 651, a 50.
ὑπέρθυρον Eſa. VI, 4. 278, a 28.
ὑπέρμαχος II Macc. VIII, 36. 776, a 27.
ὑπεροπλία Sirach. XXIII, 5. 654, a 48.
ὑπερόπλεσθαι Ezech. VII, 19. 408, b pen.
ὑπερπηδᾷν πληγὴν II Macc. VII, 35. 774, a 4.
ὑπερφίαλος Sirach. XI, 32. 632, b 38.
ὑπέχεσθαι πιστὸν III Macc. p. 795, a 24.
ὑπερῷον Dan. VI, 10. 464, b 4.
ὕπνος Sap. VII, 2. 596, a 22.
ὑπὸ ζυγὸν ἵνα Sophon. III, 9. 544, a 36. ὑπὸ πέτασον ἄγειν II Macc. IV, 12. 767, a 56. ὑπὸ τοῦ βάρους I Maccab. VI, 46. 738, a 30. ὑπὸ χλαῖναν πίπτειν Ezech. XVI, 8. 417, a 15.
ὑποβλέπεσθαι Sirach. XXXVII, 7. 683, b 38.
ὑπογραμμὸς II Macc. II, 29. 765, a 16.
ὑπογεγραμμένα II Macc. IX, 25. 777, a 45.
ὑπόδειγμα Sap. XVII, 20. 607, b 44. III Macc. p. 791, a 47.
ὑποζύγια Exodi XX, 10. 46, a pen.
ὑποκάτω τῆς γῆς Exodi XX, 4. 41, a 13. ὑποκάτω τῆς θαλάσσης Jerem. LII, 20. 400, a antepen.
ὑπόκειται τὰ πεδία I Macc. XIII, 13. 755, a 42.
ὑποκρίνεσθαι Dan. XI, 32. 481, b 8. Sirach. I, 37. 612, a 47, 48. ὑποκρίνεσθαι δρᾶμα ἀπρεπὲς II Macc. VI, 21. 772, b 32. ὑποκρινόμενος Sirach. XXXII, 19. 676, b 4. XXXIII, 3. 677, a 23.
ὑπόλειμμα I Macc. VI, 53. 738, b 9.
ὑπόληψις ματαία Sirach. III, 26. 615, a 47.
ὑπομένειν Malach. III, 2. 570, a 12. Sirach. XXII, 21. 653, b 59, 60. III Macc. p. 794, a 49.
ὑπομονὴ Pſalmo LXXI, 5. 235, a 10, 12. ὑπομονὴ ἀπαραίτητος Sirach. XX, 33. 651, a 16, 17.
ὑπονοθεύειν, ὑπονοθεύεσθαι II Macc. IV, 26. 768, b 2, 3, 4 10.
ὑπόνοια Sirach. III, 26. 615, a 52. I Macc. II, 37. 728, a 27.
ὑποπίπτοντες III Macc. p. 798, b 6.
ὑποσκελίζειν Sirach. XII, 18. 634, a 46.
ὑπόστασις Deut. XI, 6. 86, b 14, 15. I Reg. XIII, 4. 124, a 55. Jobi XXII, 20. 210, a 35. Pſalmo LXXXIX, 48. 238, a 11. Sap. XVI, 21. 606, a 54.
ὑποστέλλειν & ὑποστέλλεσθαι Jobi XIII, 8. 206, a 19. Habac. II, 4. 537, b 39, 40.
ὑπόστημα I Reg. XIII, 4. 124, a 54.
ὑποστολὴ Habac. II, 4. 537, b 41.
ὑποστρωννύειν Sirach. IV, 31. 617, b 50, 51.
ὑποσχάζειν Sirach. XII, 18. 634, a 43.
ὑποτάσσειν, ὑποτάσσεσθαι II Macc. IV, 12. 767, a 55. XIII, 23. 784, b 35.

ὑποφέρων τὸ σῶμα ἠλγύνθη III Macc. p. 798, a pen.
ὑποχόνδρια I Reg. xxxi, 3. 130, b 9.
ὑποχείριος Esa. lviii, 3. 329, b 49. ὑποχείριον γλῶ λαμβάνειν III Macc. p. 797, b ult.
ὑπόχρεως Esa. lviii, 3. 329, b 47.
ὑποχωρεῖν Sap. xiii, 12. 635, a 26.
ὑπώπιον Sirach. xxxi, 40. 675, a 45.
ὕπατος I Macc. xii, 7. 753, a 36.
ὑστεροφημία Sap. xv, 9. 605, a 4.
ὑστερῶν ἰσχύϊ Sirach. xi, 12. 631, a 59.
ὑφορᾶσθαι II Macc. vii, 24. 773, b 35.
ὑψαυχενεῖν III Macc. p. 794, a 25.
ὑψηλὸς Sirach. iii, 20. 614, b 20.
ὑψηλοφρονεῖν Eccles. vii, 17. 262, a 55.
ὕψιστος Sirach. xvii, 24. 643, a 51. L, 23. 710, b 47. ὕψιστα Κυρίου Sirach. xliii, 10. 697, a 31.
ὕψος Sirach. xliii, 1. 696, b 34.
ὕψωμα Judith. xiii, 7. 584, b 10. ὕψωμα φωνῆς III Macc. p. 795, a 7.

Φ.

Φαγέδαινα I Reg. v, 6. 121, a 48.
φάγω, φάγομαι Esa. lv, 1. 326, a 8. Sirach. xlv, 26. 702, a 31.
φαθουρὰ Num. xxii, 5. 78, a 49.
φαίνω vide πιφασμ.
φακὲθ Ezech. xxiii, 23. 429, b 31.
φάλαγξ I Macc. vi, 35. 737, a 62, & b 2. φάλαγγες ὁπλιτῶν Ibid. b 5.
φάλαρις III Macc. p. p. 796, b 24.
φαλαρίζειν Ibid. lin. 27.
φαντασία Sap. xvii, 12. 607, a 54, 55. Exodi xx, 17. 49, b 37.
φαντασιοσκόπος Sirach. iv, 35. 618, a 19.
φάντασμα Gen. xxxii, 24. 20, a pen.
φάος παίδων Sirach. xxx, 5. 671, b 10.
φάραγξ Esa. lvii, 5. 328, a 30. φάραγξ ὀρέων Zachar. xiv, 5. 563, b 43.
φαραγγώδη τῶν ὀρῶν I Macc. xv, 39. 761, a 34.
φαραθωνὶ, φαραθὼ, φαραθὼν I Macc. ix, 50. 744, a 21, seqq.
φαραώθης Gen. xii, 11. 11, b 12.
φαρὲς Dan. v, 25. 463, a 40.
φάρος, φάροι Esa. xxviii, 25. 299, b 2. Nahumi iii, 8. 534, a antep.
φαρουὶμ II Par. iii, 7. 181, b 22.
φαρμακεία Malach. iii, 5. 370, a 60. Sap. xii, 4. 601, a 32.
φάρμακον κακῶν Sirach. xxx, 17. 672, a 32.
φασηλὶς I Macc. xv, 23. 760, b 2.
φασιρὼν I Macc. ix, 66. 744, b 43.
φάσεις Exodi xxv, 18. 55, a 47.
φάσμα Sap. xvii, 3. 606, b 50. & vers. 9. p. 607, a 13.
φαῦλοι τῇ γλώσσῃ Sirach. xx, 18. 649, b 50.
φαυλότης Sap. iv, 12. 593, b 32.
φαύλως ὡπλισμένοι I Maccab. iv, 6. 731, b 54, 55.
φέγγος ἡλίου III Macc. p. 797, b 57.
φεθαουρὰ Num. xxii, 5. 78, a 49.
φείδεσθαι Sirach. xiii, 15. 635, b 3, 4. xxiii, 2. 654, b ult.
φειδὼ μηδεμίαν ποιεῖσθαι I Macc. vii, 26. 739, b 30, 31.
φειδωλία Sirach. xiv, 3. 636, b 28, 29.
φελεθὶ II Reg. viii, 18. 134, a 62, 63.
φελμονὶ vel φελμουνὶ Dan. viii, 13. 470, b 21.
φερεθὼν Gen. xii, 11. 11, b 12.
φέρειν ἐν μακροθυμίᾳ Sapient. xii, 20. 601, b 57. φέρειν χρυσίου ἐκλεκτοῦ Baruchi iii, 30. 716, b 44, 45. φέρων Gen. xii, 11. 11, b 11.
φερνοφόρος Dan. xi, 6. 477, b 13.
φεύγειν ἐπὶ τὸ ἱερὸν I Macc. vii, 32. 739, b 47. φεύγων μαχήσεται I Maccab. xi, 73. 752, b 22.
φθὰ Sap. xiii, 2. 602, b 34.
φθάνω Tobiæ v, 24. 575, b 58, 60.
φθίνειν I Macc. vi, 13. 736, b 38.
φθόγγος Psalmo xix, 5. 225, a 54, 55. Sap. xix, 17. 209, b 39.
φθονερὸς Tobiæ iv, 7. 575, a 47.
φθονεῖν Ibid. lin. 44. φθονοῦμαι Esth. Addit. xvi, 7. 588, a 40.
φθορὰ Sirach. xxxi, 1. 673, a 19. xxxiii, 15. 677, b pen.
φιλαδελφία Sirach. xxv, 2. 660, a 59.
φιλάργυρος Sirach. xxxi, 15. 674, a 8.
φιλήκοος Judith. viii, 1. 581, b 59.
φιλία Sap. vii, 14. 596, b 26. φιλία ἀδιάβλητος Sirach. xxiv, 24. 658, b penult. φιλία, ἰσότης Sirach. xxxvii, 16. 684, a 52.
φιλιάζω Sirach. xxxvii, 1. 683, b 6, 8.
φιλόδωρος Dan. xi, 24. 480, a 23. I Macc. iii, 30. 730, b 16.
φιλομαθεῖν Sirach. p. 610, b 53.
φιλομαθεῖς Judith. viii, 1. 581, b 59.
φιλοξενία Esa. lviii, 7. 330, a 37.
φιλόπολις Zachar. ix, 9. 556, a 18.
φιλοπάτωρ III Macc. p. 789, a 53.
φίλος Psalmo cxxxix, 17. 245, b 1. Michææ vii, 5. 529, b 47. Sirach. xl, 23. 691, b 57. I Macc. vi, 14. 736, b 43. φίλος τοῦ νυμφίου Psalmo xlv, 1. 230, b 41. φίλοι λόγῳ, οὐκ ἔργῳ Sirach. xxxvii, 1. 683, b 13.
φιλόσοφος Sap. viii, 2. 597, b 27.
φιλοσοφία Sirach. xl, 20. 691, b 38.
φιλοφροσύνη Exodi xxi, 10. 52, b 2.
φιλοψυχεῖν I Macc. xiii, 5. 755, a 18.
φιμὸς Sirach. xx, 31. 650, b pen.
φλεγμαίνειν Nahumi iii, 19. 535, b 33.
φλιὰς Esa. lv, 13. 326, b 30.
φοβεῖσθαι Psalmo xxix, 9. 227, a 52.
φόβος αὐτοῦ Ezech. xxxii, 32. 443, b 54. φόβος Κυρίου Sirach. xix, 18. 647, a 48, 54. φόβος ὑψίστου Ibid. lin. 41.
φοιβάζειν, φοιβᾶσθαι Deut. xiv, 1. 87, b 39. III Reg. xviii, 29. 154, b 12.
φοῖνιξ Jobi xl, 25. 219, b 5. Esa. xxiii, 8. 294, a 31. Oseæ xii, 7. 500, b 40.
φονεύειν Exodi xx, 15. 48, b 38, 51. πεφονευμένον πλῆθος I Macc. v, 51. 735, b 7, 8.
φορεῖον II Macc. iii, 27. 766, b 31. ix, 8. 776, b 1.
φόρημα ἐφήβων II Macc. iv, 12. 767, a 57, 58.
φορολόγος I Macc. i, 53. 726, a 12.
φόρος I Macc. x, 31. 746, b 13. xv, 31. 760, b 55. φόρους τελεῖν I Macc. xiii, 41. 756, a ult.
φοὺδ Judith. ii, 13. 579, b 35.
φουρεὶ· φουραῖοι Esther. iii, 7. 199, b 56, 59. Esther. Addit. xi, 1. 586, b 51. II Macc. xv, 37. 789, a 17.
φραάτης I Macc. xiv, 2. 757, a 51.
φραγμὸς Jobi xxxviii, 31. 217, b 13.
φράσσω· φραξάμενοι τοῖς ὅπλοις I Macc. xii, 50. 754, b 55. πεφραγμένος Sirach. xxi, 14, 15. p. 651, b 57.
φρέαρ Jer. xli, 7. 384, b 10.
φρένες μου Dan. iv, 33. 461, b 7.
φρονεῖν θνητὰ II Macc. ix, 12. 776, b 20. φρονεῖν μέγα Ibid. lin. 23. φρονεῖν μὴ κατ' ἄνθρωπον Habac. i, 11. 536, b 50, 51. φρονεῖν τὰ ἡμῶν, τὰ Ῥωμαίων I Macc. x, 20. 745, b 33, 35. φρονεῖν ὑπὲρ θεοὺς II Macc. ix, 12. 776, b 26.
φρόνησις Sirach. xxv, 12. 661, b 47.
φρονιμώτερος Gen. iii, 1. 4, a 35. Jer. iv, 22. 348, a 35.
φροντίζειν Sirach. viii, 16. 626, a 15.
φρένωσις αὐτῶν Sap. v, 16. 594, b 53, 54.
φρουρὰ I Macc. i, 36. 725, a 50. ix, 51. 744, a 29, 30. x, 75. 748, b 31.
φρούριον I Macc. iv, 61. 734, a 4. v, 9. 734, a 58. & vers. 29. p. 735, a 2. II Macc. x, 33. 779, a 24.
φρύαγμα δυνάμεως III Macc. p. 798, a 44.
φρυκτωρία Jer. vi, 1. 349, b 44. Sirach. xliii, 9. 697, a 25.
φυγὰς Sirach. xxix, 31. 670, b 51. φυγάδες τῆς αἰωνίου προνοίας Sapient. xvii, 2. 606, b 38, 39.
φῦκος Sapient. xiii, 14. 603, a 28.
φύλαγμα Levit. xviii, 30. 66, b 24. I Macc. viii, 28. 742, a 11.
φυλακὴ Jerem. xx, 2. 364, b 11. φυλακὴ ἀπὸ προσκόμματος Sirach. xxxiv, 20. 680, a 19, 20.
φυλακαῖς κατιστῆσαι I Macc. iv, 61. 733, b 57.
φύλαρχος Genes. xvii, 20. 14, a 37. Jos. viii, 33. 105, b 36. I Macc. xi, 17. 749, b 57. xiv, 28. 758, a 30.
φυλάσσων Sirach. xxiii, 7. 655, b 19, 20. φυλάσσων τὴν ὁδὸν Jerem. xxxv, 4. 380, b 17.
φυλάττεσθαι Sirach. xix, 9. 646, b 46. xl, 31. 692, b 10.
φυλὴ Numer. xxvii, 11. 80, b 11. Tobiæ v, 16. 575, b 34. Judith. viii, 2, 3. p. 582, b 8.
φῦλον III Macc. p. 799, b 25, 26.
φύραμα Num. xv, 20. 75, b 34.
φύρεσθαι III Macc. p. 795, a 32.
φυσιάομαι, vide πεφυσ.
φυσικὰ Sap. vii, 27. 597, b 10.
φύσις Sapient. xiii, 1. 602, a 41, 43. Sirach. xxxiii, 15. 678, a 10.
φυτεύειν Sirach. xliii, 25. 698, a 8.
φυτὸν πονηρίας Sirach. iii, 30. 615, b 31. φυτὰ Sapient. vii, 20. 597, a 3. x, 7. 599, b 29.
φύω· πέφυκεν ἐπὶ τὸ πλεῖον ἔχειν Sirach. xxxi, 5. 673, a 54.
φωνὴ φόβου Esa. xxxiii, 3. 304, a 49. φωνὴ χαιρόντων, sive χαρμοσύνης Baruchi ii, 22, 23, p. 715, a 38, 39.
φωνητικὸν Sirach. xvii, 5. 642, a 30, 31.
φῶς ἀπρόσιτον III Macc. p. 791, b 19, 20. φῶτα καιόμενα I Macc. xii, 29. 754, a 4, 5. φώτων ἡμέρα Ezech. xxxix, 13. 450, a 46. Judith. xvi, 29. 586, b 12, 13. I Macc. iv, 50. 733, a 54. II Macc. i, 8. 763, a 17. x, 8. 778, a 14, 15.
φωστὴρ Sirach. xliii, 8. 697, a 14.
φωτίζειν Sirach. l, 8. 709, b 58. φωτίζειν παιδείαν Sirach. xxiv, 44. 660, a 25.
φωτισμὸς καὶ πλείωσις Exodi xxviii, 30. 56, a 26.

Χ.

Χαιλὼν Jer. xlviii, 21. 390, a 23.
χαῖρε Tobiæ vii, 1. 576, a antepen.
χαίρειν II Macc. ix, 19. 777, a 4.
χαιρετίζειν Tobiæ vii, 1. 576, a 60.
χάλαζα Sirach. xxxix, 35. 689, b 39.
χαλδαῖοι Jerem. l, 35. 395, b 43.
χαλεπὰ τὰ τέλη Sap. iii, 19. 592, b 34.
χαλεπαίνειν Sirach. xxxvi, 22. 683, a 21.
χαλκεῖον Psalmo lviii, 10. 232, b 5.
χαλκοῦς Sirach. xxxviii, 29. 687, a 44.
χαλκηδὼν Ezech. xxvii, 16. 436, b 6.
χαλκοκορυσταὶ I Macc. vi, 35. 737, b 17.
χαλκολίβανος Ezech. i, 7. 401, b 30, 31.
χαλκὸς τέκτων δονάκων Jerem. xxxvi, 23. 381, a 50.
χαλκώματα I Macc. viii, 22. 741, b 43, 44.
χαμαιτύπη Esa. lvii, 9. 328, b 48, 49.
χάραγμα, χαράγματα Jer. xvii, 1. 361, b 44. III Macc. p. 792, a 51.
χαρακτὴρ Ἑλληνικὸς II Macc. iv, 10. 767, a 33. χαρακτῆρα ἐντίθεσθαι στατῆρα I Maccab. xv, 6. 759, b 24.
χαράκωσις Deut. xx, 20. 95, b 13.
χάραξ Ezech. iv, 2. 405, b 23. Sirach. xxii, 21. 653, b 57. χάρακα περιβάλλειν IV Reg. xxiv, 10. 174, b 14. Esa. xxix, 3. 300, a 9, 10.
χαράττεσθαι III Macc. p. 792, a antepen.
χαρίζεσθαι Sirach. xxvii, 26. 667, a 15, 16. χαριζόμενος ὕπνου μέρος III Macc. p. 796, a 37, 38.
χάρις Sirach. xvii, 18. 643, a 4. xl, 17. 691, b 10. χάρις βραδύνους Prov. ii, 28. 247, b 48. χάρις ἐξαλλάσσουσα Sirach. xxxii, 14. 676, a 26, 27. χάρις ὑπὲρ χάριν Sirach. xxvi, 19. 665, a 7. χάριν διαβολῆς Sir. xxxviii, 17, 18. p. 686, a 59. χάριν πονηρίας Sirach. xxix, 10. 669, b 38. χάριν τοῦ ἐκφᾶναι Sirach. xix, 23. 647, b 45.
χαριτόω· κεχαριτωμένη Dan. ix, 23. 475, a 20. κεχαριτωμένου Sir. xviii, 17. 644, b 43, 44.
χαρμὰν Ezech. xxvii, 23. 437, a 43.
χαρτηρία III Macc. p. 795, b antepen.

χασπλὼθ 1 Macc. IX, 2. 742, a pen.
χασβὶ Gen. XXXVIII, 5. 21, b antepen.
χασελεῦ 1 Macc. IV, 51, 52. p. 733, b 1.
χασφωμὰ 1 Macc. V, 26. 734, b 42.
χασφὼν Ibidem.
χαυλοταῖοι Gen. II, 11. 3, a 47.
χαῦνος ἀὴρ Sap. II, 3. 590, a 38.
χαυὼν Jer. VII, 18. 351, b 23.
χεβρὼν, χεβρῶνα 1 Macc. V, 65. 735, b 43.
χείλη Sirach. XL, 16. 691, a antepenult.
χείλη ἀπάτης Judith. IX, 13. 583, a 27, 28.
χεὶρ συνεσταλμένη Sirach. IV, 36. 618, a 22, 23. χεῖρες παρειμέναι Sirach. II, 14. 613, a 37, 38. χεῖρας τιθῆναι Esth. Addit. XIV, 8. 587, a 55, 56.
χειριδωτὸς II Reg. XIII, 18. 136, b 48.
χειροδίκαι Sirach. XVI, 8. 640, a 1.
χειροτονία Esa. LVIII, 9. 330, b 18. Sap. VI, 4. 595, a 41.
χειρώνακτες Sirach. XXXVIII, 35. 687, b 25.
χεῖσθαι Dan. IX, 11. 472, b 14.
χελβὼν Ezech. XXVII, 18. 436, b 31.
χελιθὶ II Reg. VIII, 18.-134, a penult.
χελλοὺς Judith. I, 9. 579, a 39. XV, 5. 585, a 30.
χελλὼν Judith. XV, 5. 585, a 30.
χελμὼν Judith. VII, 3. 581, b 9.
χέρσος Levit. XXV, 5. 70, b 19, 20.
χεσλαῦος 1 Macc. IV, 51, 52. p. 733, b 2. II Macc. I, 9. 763, a 34.
χεττιεὶμ, χεττιίμ Numer. XXIV, 24. 79, a pen. Ezech. XXVII, 6. 435, a 32.
χέω, vide ἐκχέω.
χθὲς ϗ πρώην Exodi IV, 1. 28, b penult.
χιλίαρχος 1 Macc. III, 55. 731, b 3.
χιτὼν 1 Macc. XII, 7. 753, a 31.
χλευάζω Sap. XI, 15. 600, b 29.
χλιδῶν Judith. X, 2. 583, a 59, seqq.
χόαι Ezech. IV, 11. 406, a 50.
χοβὰρ Judith. II, 14. 579, b 53.
χολὴ Deut. XXIX, 18. 101, a 31, seqq. χολὴ πικρίας Ibid. lin. 34.
χόλος ἐπίμονος Sirach. XXVIII, 8. 668, a 11.
χορεύειν Jer. LI, 47. 399, a 4.
χορηγεῖν Sirach. I, 10. 611, a 44.
χορηγία παράνομος II Macc. IV, 14. 767, b 7.
χορὸν ποιεῖν Judith. XV, 15. 585, a 54.
χοῤῥὶ IV Reg. XI, 4. 164, a 41. & verſ. 19, p. 165, a 10.
χορτάζεσθαι ὑῶν Pſalmo XVII, 14. 224, b 62, 63.
χόρτασμα Sirach. XXXIII, 25. 678, a ult.
χόρτος Pſalmo XXXVII, 2. 228, b 53, seqq. LXXII, 16. 235, b 1. CXXIX, 6. 243, b 12. II Macc. V, 27. 771, a 33.
χορτώδης τροφὴ II Macc. V, 27. 771, a 32.
χουθαῖοι IV Reg. XVII, 24. 169, a 20.
χοῦς 1 Macc. II, 63. 729, b 16.
χουσὶ Judith. VII, 10. 581, b 16.
χρεία Sirach. XXXIX, 26. 689, a 31. III Macc. p. 797, a 35, 36.
χρέος 1 Macc. X, 42. 747, b 15. χρέος ψυχῆς Sap. XV, 8. 604, b 59, 60.
χρηματίζειν ὑπὸ τοῦ ἱεροῦ 1 Macc. X, 43. 747, b 23.
χρῆσθαι Geneſ. XIX, 3. 14, b 54. Deut. XI, 10. 86, b 26. χρῆσθαι ἔθισι III Macc. p. 793, b 18, 19. χρῆσθαι ἰδίοις νόμοις 1 Macc. X, 37. 747, a 28, 29. χρῆσθαι πατρῴοις νόμοις 1 Macc. VI, 59. 738, b 36.
χρηστοήθεια Sirach. XXXVII, 13. 684, a 32.
χρηστομάθειαι Eccleſ. XII, 11. 267, a 25.
χρηστὸς 1 Macc. VI, 11. 736, b 31.
χρηστῶς Sap. VIII, 1. 597, b 26.
χρίζεσθαι Pſalmo XXVII, 1. 227, a 14, 15.
χριστὸς Dan. IX, 24. 473, b 2.
χρίων Sirach. XLVIII, 7. 707, a 6.
χρονίζω Sirach. VI, 22. 621, a 19.
χρόνος Dan. VII, 25. 468, b 5. χρόνος παροικίας III Macc. p. 800, a 29. χρόνοι κάτω Sirach. p. 610, a 33.
χρυσοῦ ἐκπώματα 1 Macc. XI, 58. 751, b 51.
χρυσίον Σωφεὶρ Sirach. VII, 20. 623, a 42.
χρυσόλιθος Ezech. XXVIII, 13. 438, b 14
χρυσώματα εἰς διακονίαν 1 Macc. XI, 58. 751, b 20.
χρῶμα Jer. XXII, 14. 366, b 6.
χύμα ἀριθμῶν II Macc. II, 25. 764, b 46.
χωλὰ Judith. XV, 5. 585, a 23.
χῶμα Ezech. IV, 2. 405, b 1. χῶμα βάλλειν Habac. I, 10. 536, b 41. χῶμα ταφῆς Sirach. XXI, 9. 651, b 15. χώματα ἐπὶ (περὶ, ap. Joſeph.) τὸν κύκλον Ezech. XXI, 22. 426, a 51, 52.
χώρα 1 Macc. XI, 64. 752, a 27. χώρα τῆς κρίσεως Joel. III, 2. 507, b 48, 49.
χωρεῖν κατὰ τρόπον 1 Maccab. I, 17. 724, a 61, 62.
χωρισμὸν ποιεῖν ἐπί τινων III Macc. p. 793, a 50.
χωχβὰ Judith. IV, 3. 580, a 46. XV, 5. 585, a 29.

Ψ.

Ψαλμὸς Jobi XXI, 12. 209, b 41. Eſa. LXVI, 20. 342, b 12. III Macc. pag. 799, a 18.
ψαλτήριον Jobi XXI, 12. 209, b 41, 42. Sap. XIX, 17. 609, b 39. Sirach. XXXIX, 20. 688, b 56.
ψαμμακόσια Gen. XIII, 16. 11, b 47. Numer. XXIII, 10. 78, b 31.
ψαμμωτὸς Sirach. XXII, 20. 653, b 47.
ψαρὸς Zachar. VI, 3. 552, a antepen.
ψέλλιον Jobi XL, 21. 219, a 54. Judith. X, 3. 583, a 59, b 2.
ψευδεῖς ὄνειροι Sirach. XXXIV, 2. 679, a 20.
ψεύδεσθαι, ψεύδεσθαι πίστιν 1 Macc. XI, 53. 751, a 58, 60.
ψευδολογία II Macc. XIII, 3. 783, b 17.
ψευδόμαντις Sap. XIV, 28. 604, a 56.
ψευδορκία ἐκ πολυορκίας Sirach. XXIII, 9. 655, b 33, 34.
ψεῦδος III Macc. p. 798, a 10, 11.
ψῆφος Jer. III, 16. 272, b 32, 33.
ψιθυρίζειν Sirach. XII, 19. 634, a 58.
ψίθυρος Sirach. V, 16. 619, a 52. XII, 19. 634, a 57. XXVIII, 15. 668, a ult.
ψιλοὶ 1 Macc. IX, 11. 742, b 35.
ψιμύθιον Sirach. IX, 5. 626, b 50.
ψόα II Reg. II, 23. 131, b 28.
ψυκτὴρ Eſdræ I, 9. 190, b 37.
ψυχάρια Geneſ. XII, 5. 11, a 53. Ezech. XXVII, 13. 435, b 58.
ψυχὴ Sap. XVI, 14. 606, a 15. ψυχὴ ἤγγισεν ἕως θανάτου Sirach. LI, 8. 711, b 34, 35. ψυχὴ παντὸς ζώου Sirach. XVI, 31. 641, b 29. ψυχαὶ ἀνθρώπων Geneſ. XII, 5. 11, a 51, 52. Ezech. XXVII, 13. 435, b 56, 57. ψυχαὶ εὐθυεῖς 1 Macc. I, 65, 66. p. 726, b 31.
ψυχικῶς II Macc. IV, 37. 769, a 8. XIV, 24. 786, a 28.
ψυχουλκεῖσθαι III Macc. p. 796, b 47.
ψωμίζω Jer. IX, 15. 354, a 14. Sirach. XXIX, 33. 671, a 12.

Ω.

Ω pro ע Hebræo 1 *Macc.* II, 1. 727, a 2, ſeqq.
ὢ Ezech. IV, 14. 406, b 6.
ᾧ ἀπόκειται Gen. XLIX, 10. 26, b 54. ὧν ἔξεστι III Macc. p. 790, a 51.
ὠβδίας III Reg. XVIII, 3. 153, b 43.
ὠὰ ὑπηνέμια Eſa. XXVI, 18. 296, b 39.
ᾠδὴ πάτριος III Macc. p. 798, b ult. ᾠδαὶ χειλέων Sirach. XXXIX, 20. 688, b 50.
ὠδὶν Jer. XIII, 21. 358, a 61.
ὠδινέω & ὠδίνω Pſalmo XXIX, 9. 227, a 50. Habac. III, 10. 540, a 34, 38. Sirach. XIX, 11. 646, b 57, 58.
ὠκεανὸς Sap. XIII, 2. 602, b 44.
ὠκύμοροι Oſeæ IX, 14. 497, a 33.
ὠμόλινον Sirach. XL, 4. 690, b 16.
ὠμότης III Macc. p. 796, b 24.
ὥρα II Macc. IV, 19. 767, b 55. ὥρα ἐπισκοπῆς Sirach. XVIII, 19, 20. p. 645, a 10. ὥρα ἤγγικεν 1 Macc. IX, 10. 742, b 29.
ὡραΐζεσθαι Sirach. XXV, 1. 660, a 49.
ὡραῖος Sirach. XIX, 28. 648, b 9. II Macc. X, 7. 778, a 1. ὡραῖα Sirach. XXV, 1. 660, a 52.
ὠρίων Jobi XXXVIII, 31. 217, b 13.
ὡς Sirach. II, 23. 613, b 19. ὡς ἀδυνάτου καθεστῶτος III Macc. p. 795, b 56. ὡς ἂν ὁ καιρὸς ὑπογράφῃ 1 Maccab. VIII, 25. 741, b 53, 54. ὡς ἀπ᾽ ἀρχῆς Sirach. XXXVI, 13. 682, b 14. ὡς ἀποπίσων Sirach. VIII, 16. 626, a 15. ὡς βέλος ὠκὺ Sap. V, 12. 594, b 29. ὡς ἔδοξε 1 Macc. VIII, 28. 742, a 6. ὡς ἐχθὲς ϗ τρίτην ἡμέραν 1 Macc. IX, 44. 743, b 36. ὡς ἡ ψυχή σου Sirach. XXXIII, 31. 678, b 47. ὡς οὐχ ὑπάρξαντες Sirach. XLIV, 9. 699, a 40, 41. ὡς πατὴρ ἀνθρώπου Eſa. XVII, 10, 11. p. 288, a 52. ὡς σκηνοπηγίας II Macc. I, 18. 763, b 33. ὡς σοῦ τὴν ψυχὴν Sirach. VII, 23. 623, b 9. ὡς ἀνθυμὴ Pſalm. XXXIX, 6. 229, b 39, 40. ὡς τὸ πρότερον vel τοπρότερον Jer. XXX, 20. 374, b 48. ὡς ψυχῆς σου Sirach. XXXIII, 31. 678, b 57.
ὠσαννὰ Jer. XXXI, 7. 375, a 60. Zachar. IV, 7. 551, a 33.
ὡσεὶ θαλάσσης τὸ περίμετρον Sirach. L, 3. 709, b 19.
ὠτίον Pſalmo XL, 7. 230, a 13.
ὠφεὶρ Gen. XXV, 4. 17, b 33.
ὠχρία Amoſi IV, 9. 512, b 8.

Omiſſa aut Tranſpoſita.

In Ind. Hebr. בער, adde II *Par.* XXVIII, 3. 187, a ult.

In Ind. Arab. لبوة ſuo loco legendum.

Ad Ind. Græc. εἷς, vide μία. ἐπί· junge ibidem ἐφ᾽. ζάω· vide ibidem, & adde, ζῶντες. θνήσκω, vide τεθνάναι vel — άναι. μή· adde quæ ibidem μὴ εἰσιέναι, & μὴ ὄντα. ξηραίνεσθαι· adde, & vide, ἐξηράνθη. ὁ· huc refer quæ mox ſequuntur ὁ ἐπὶ, ὁ περὶ, &c. ὅς, vide ᾧ, & ὧν. συνειδέναι· σύνοιδα. & ab εἰδέναι vide ξυνειδῆ· Adjice &, ſi libet, in Indice Lat. ubi eſt, *Peccata recenſentur* aut *exprimuntur Populi*, Sirach. XVI, 11. 640, a 41, ſeqq.

FINIS.

INDEX

TROPI & FIGURÆ *tum Grammaticæ tum Rhetoricæ, & minùs frequentia* LOQUENDI *genera.*

Αἶνος Judic. ix, 8. 112, b 36. ii Reg. xii, 1. 135, b 37.

αἴνιγμα, αἰνιγματῶδη Num. xii, 6. 75, a 8, 9. Sap. viii, 8. 598, a 15. V. & Indic. præc.

αἰτιολογία iv Reg. xvii, 7. 168, b 37.

ἀλληγορία Psalmo cix, p. 240, b 29. Prov. v, 17. 248, a 33. Cantici i, p. 267, a 53. vii, 1. 269, b 36. Ezech. xxiii, 46. 430, b 38, 39. xxxi, 4. 441, b 26. Oseæ xiii, 13. 502, b 27. & verſ. 15, b pen. Habac. ii, 15. 538, b 52. Malach. iii, 6. 570, b 22. Sirach. xi, 3. 630, b 10. xxiv, 35. 659, b 16. xxix, 15. 670, a 11. xxxix, 3. 688, a 29.

ἀμοιβαῖα Michææ vii, 15. 530, b 19.

ἀναγραμματισμὸς Pſalmo ix, 1. 223, a 53.

ἀναλόγως ὀνομαζόμενα Sap. ix, 4. 598, b 30.

ἀναφορὰ Sirach. xxv, 1. 660, a 55.

ἀνθρωποπάθεια Eſa. lxiii, 9. 336, a 54, 55. Oſeæ xi, 8. 499, b 54.

ἀνταπόδοσις vel ἀπόδοσις Jerem. ii, 25. 345, a pen. xviii, 14. 363, a 19. Ezech. xvi, 36. 418, b 12. xxxi, 14. 442, a 10. mixta Comparationi *Ezech.* xxxi, 12. 441, b antepen. & verſ. 16. 442, a 40. Oſeæ ii, 13. 488, a 10, 11.

ἀντίθετα Prov. xviii, 1. 253, a 9. & verſ. 2, a 13. Eſa. lix, 6. 331, b 41. Jer. iii, 1. 346, a 40. xlviii, 15. 389, b 54. Michææ iii, 5. 525, a 35. Tob. xii, 7. 577, b 48. Sirach. vii, 28. 623, b 60. x, 26. 629, b 12, 13.

ἀντίπτωσις Sirach. l, 13, 14. p. 710, a 38.

ἀντιστοιχία ii Reg. v, 23. 132, b 59. Dan. iii, 2. 457, b 54. Oſeæ i, 6. 486, b 35. x, 14. 498, b 58.

ἀντίφρασις Pſalm. x, 3, 4. p. 223, b 9. Sirach. xxiii, 15. 656, a 32.

ἀντονομασία Deut. xvii, 8. 89, a 47, 48. xviii, 10. 92, b 21. Pſalmo xcix, 6. 239, a antepen. Habac. iii, 4. 539, b 29, 30.

ἀπὸ κοινοῦ Jobi xxviii, 17. 212, a 20. Pſalmo lxviii, 9. 233, b 41. Eſa. lviii, 13. 331, a 24. Ezech. xxii, 26. 428, a 40. Michææ vi, 5. 528, a 40, 41. Nahumi i, 4. 531, b 43. Zachar. xiv, 18. 565, a 21. Sirach. xxii, 3. 652, b 51. i Macc. xiv, 35. 758, a 59, 60. xv, 31. 760, b 56. ii Macc. i, 18. 763, b 39. & cap. ii, 28. 764, b penult.

ἀποκοπὴ Joſ. x, 13. 106, a 36. Dan. iv, 33. 461, b 12. Oſeæ v, 11. 492, a 5.

ἀποσιώπησις Eſa. xxii, 14. 292, b 14. lxvi, 18. 342, a 11.

ἀποστροφὴ Nahumi iii, 9. 534, b 11. Zach. ix, 13. 556, b 23.

ἀπόφθεγμα Num. xxiv, 20. 79, a 32, 33. Sirach. xxxiii, 4. 677, a 54, 55.

ἀσύνδετα ii Macc. xiii, 19. 784, b 6. xiv, 25. 786, a 33.

αὔξησις Eſa. lix, 4. 331, b 21.

ἀφαίρεσις Gen. ii, 14. 3, b 8, 9.

ἀφοριστικῶς λεγόμενα Sirach. ii, 6. 613, a 11.

γνώμη, γνῶμαι i Paral. xv, 12. 178, a 59. ii Par. xxxii, 26. 188, b antep. Prov. i. p. 247, a 9. vi, 2. 248, a 55. xxvi, 4. 256, a 47, 48. Eccleſ. ix, 11. 264, b 38. Eſa. ix, 12. 282, a 46. lxi, 6. 334, a 57. Jer. v, 7. 349, a 1. Ezech. xvi, 49. 419, a 43. Sirach. p. 610, a 58.

δεικτικῶς Pſalmo xvi, 4. 224, a 56.

δείνωσις iv Reg. xix, 2. 170, b 12. Ezech. xxiii, 3. 428, b 22. iii Macc. p. 795, a 30.

διατύπωσις Gen. vii, 11. 9, a 25. Eſa. iii, 5. 276, a 15. Jerem. ix, 21. 354, a 34. ii Macc. iii, 15. 766, a 37. iii Macc. p. 790, b 32.

διέκβασις ii Macc. vi, 17. 772, a 38.

εἰρωνεία Eſa. lvii, 12. 329, a 9.

ἔλλειψις Gen. xxiv, 47. 17, a 44. Exodi xx, 1. 34, b 35. & verſ. 2, p. 36, a 5. verſ. 11, p. 46, b 56. Deut. x, 17. 86, b 1. Pſalm. lxxii, 16. 235, a pen. Prov. iii, 12. 247, b 21. xxxi, 3. 258, a 19. Eccl. v, 7. 261, a 18. Eſa. xvi, 2. 287, a 49. lvi, 12. 327, b 18. Jer. iv, 18, 19. p. 348, a 6. ix, 25. 354, b 13. x, 14. 355, a 59. xix, 1. 363, b 19. xli, 7. 384, b 7. xlviii, 32. 391, a 8. lii, 20. 400, a 57. Ezech. i, 27. 403, a 46. iii, 5. 404, a 24. Dan. xi, 17. 479, a 20. Oſeæ ix, 1. 496, a 7. x, 11. 498, b 3. xii, 11. 501, a 29. xiii, 4. 502, a 6. Amoſi iv, 4. 512, a 18. viii, 5. 516, b 6. Abdiæ i, 7. 518, a pen. Mich. vi, 5. 528, a 42. & verſ. 16, p. 529, a 45. Nahumi ii, 8. 533, a 59. Habac. i, 11. 536, b 55. & ii, 14. 538, b 41. Zach. iii, 2. 550, a 21. ix, 1. 555, a 15. Malach. i, 8. 567, a 38. & verſ. 11, b 5. Judith. vii, 13. 581, b 42. Sirach. iii, 15. 614, a 38. iv, 28. 617, b 24. xxxv, 4. 680, b 58. xlviii, 23. 708, a 17. xlix, 8. 708, b 30. l, 13, 14. p. 710, a 38. i Maccab. ii, 48. 728, b 31. x, 20. 745, b 33.

ἔμφασις iii Reg. xiii, 19. 151, a 48. Oſeæ xii, 4. 500, b 17. xiv, 3. 503, a 47.

ἓν διὰ δυοῖν Geneſ. iii, 16. 5, a 54, 56. & verſ. 23, p. 6, a 35. Jerem. xxix, 11. 373, a 62, 63. Ezech. ii, 2. 403, b 27. xvi, 58. 419, b 34. xxxviii, 22. 449, b 47. Oſeæ iii, 5. 489, b 3. Judith. v, 10. 580, b 42. Sirach. xxxiii, 3. 677, a 43, 44. xliv, 25. 700, a 19. xlv, 12. 701, a 21. & verſ. 20, b 35. i Maccab. iii, 13. 730, a 37. & verſ. 42, b ult. xi, 60. 751, b 60, 61. xii, 16. 753, b 22. ii Macc. i, 7. 762, b antep. iii, 24. 766, b 7. xiv, 46. 787, b 27. xv, 29. 788, b 23, 24. iii Macc. p. 791, a 43.

ἐναλλαγὴ Michææ iv, 9. 526, b 10. Zach. i, 21. 549, a 47. *Adde infrà*, Singularis pro plur. *&*, Temporum permutatio.

ἐξήγησις Geneſ. i, 26. 1, b 45. ii, 3. 2, a 50. Exodi xx, 4. 33, a 48. Levit. xxv, 35. 71, a 6. Num. xvi, 2. 76, a 43. Deut. xxix, 18. 101, a 35. i Reg. xiv, 35. 124, b 59. Eſa. lvi, 11. 327, b 7. Jerem. l, 41. 396, b 21. Ezech. xxxvii, 16. 447, b 43, 44. xxxviii, 22. 449, b antepen. Dan. vii, 20. 468, a 6. Oſeæ vii, 1. 493, b 26. ix, 6. 496, b 7. Joel. ii, 32. 507, b 28.

ἐξοχὴ Levit. xxv, 23. 70, b 48. Eſa. lviii, 13. 331, a 42. Daniel. vii, 23. 468, a 30. ix, 24. 473, b 5. Amoſi iv, 10. 512, b 12. Sophon. iii, 13. 544, b 18. Sirach. xxiv, 2. 657, b 49.

ἐπάνοδος ἰσοελκὴ Gen. i, 9. 1, b 8. Exodi vi, 9. 29, b 25. Judic. i, 4. 109, a 43. iv Reg. iii, 5. 159, a 17. Eſa. x, 28. 283, b 16. i Macc. xiv, 1. 757, a 37. ii Macc. x, 1. 777, b 14.

ἐπανόρθωσις Jer. vi, 15. 350, a 56. viii, 12. 352, b 34, 35.

ἐπένθεσις Pſalmo lxiv, 7, 8. p. 233, a 33. Eſa. xxxiii, 7. 304, b 7. liii, 8. 324, a 55. Ezech. xxi, 16. 425, b 29. i Macc. v, 46. 735, a 50, 51.

ἐπίθετον Eſa. ix, 6. 281, b 44. lxii, 4. 335, a 9. lxvi, 20. 342, b 16. Sirach. xv, 2. 638, a pen.

ἐπιμύθιον Ezech. xvii, 12. 420, b 58.

ἐτυμολογία Eſa. xxxii, 8. 303, b 38. Sirach. xliv, 20. 699, b 39

εὐφημισμὸς Exodi xx, 10. 46, a 30. i Reg. xxv, 22. 128, b 14. Pſalmo x, 3, 4. p. 223, b 11. Joel. iii, 1. 507, b 35, 36.

εὐφωνία Exodi iii, 15. 28, b 43.

ἵνα ἐκβατικὸν iii Reg. ii, 27. 144, b 50. Jer. xxvii, 10. 372, b 15, 16. xxxiii, 4, 5. p. 379, a 19, 20. Ezech. xxii, 3. 427, a 57.

ἰσοψηφία Zachar. iii, 8. 550, b 19.

κατ' ἀνθρωποπάθειαν Eſa. lxiii, 9. 336, a 54, 55. Oſeæ xi, 8. 499, b 54. κατὰ διάνοιαν Pſalmo xl, 7. 230, a 17. κατ' ἐπικράτειαν iv Reg. xvii, 24. 169, a 19. κατὰ τὸ σημαινόμενον Gen. iii, 15. 5, a 27. Jer. iv, 18, 19. p. 348, a 21. Judith. vii, 2. 581, a 61, 62. Sirach. xxxv, 25. 682, a 16. i Macc. xvi, 18. 762, a 28, 29. κατὰ φάσιν Jerem. xxiii, 9. 368, a 14.

κατάχρησις Eſa. lix, 20. 332, b 12. Ezech. xxxii, 9. 442, b 60. Joel. i, 20. 505, a 60. Judith. ii, 1. 579, a 54. Sirach. xli, 1. 692, b 28, 29. i Macc. i, 1. 723, b 25. v, 41. 735, a 33.

κοίνωσις Eſdræ ix, 6. 193, a 2. ii Macc. vii, 18. 773, b 5.

κρύψις *Athbaſch* dicta Judæis *Jer.* li, 1. 396, a 54.

λιτότης Exodi xx, 7. 44, b 5. iv Reg. xxiii, 29. 174, a 21. Eſa. xxvii, 3. 297, a 45. xlii, 3. 311, b 4. & verſ. 8, b 41.

μετάθεσις Dan. vi, 18. 465, a 11.

μετάληψις Pſalmo lxxiv, 15. 236, a 5. Ezech. xxxvi, 37. 447, a 37. Michææ iv, 8. 526, a 49, 50. Soph. iii, 9. 544, a 34. Zachar. iii, 2. 550, a 21. Sirach. xxxv, 26. 682, a 20. ii Macc. iv, 40. 769, a 23.

μεταφορὰ Jobi xxxix, 19. 218, a 38. Pſalmo xx, 10. 225, b 58. xxii, 19. 226, b 1. Ezech. xxxvi, 38. 447, a 48, 49. Habac. ii, 16. 538, b ult. Zachar. xiv, 17. 565, a 10, 11. Sirach. xl, 25. 692, a 19.

μετωνυμία Geneſ. iv, 7. 7, a 30, 31. Jobi xxxv, 3. 215, a 49. Eſa. xlix, 4. 319, b 51. liii, 11. 324, b 37. lv, 11. 326, b 14. lviii, 10. 330, b 32. lx, 17. 333, a 56. lxi, 8. 334, b 15. lxiii, 3. 335, b 57. lxiv, 7. 337, b 62, 63. lxvi, 14. 341, b 5. Jer. ii, 12. 344, a 54. vii, 20. 351, b 39. xi, 20. 356, b 38. xvii, 17. 362, b 13. xx, 3. 364, b 21. xxi, 14. 366, a 3. xlix, 29. 393, b 19. Ezech. xvi, 61. 419, b 53. xxxi, 12. 441, b 58. Daniel. iv, 24. 460, b 51. viii, 26. 471, b 58. Oſeæ v, 1. 491, a 45. Amoſi iii, 10. 511, b 5. Mich. i, 5. 522, b 20. Zach. vi, 2. 552, a 49. Malach. ii, 2. 568, a 12, 13. Judith. vii, 13. 581, b 40. Eſth. Addit. xiv, 4. 587, a 47. Sapient. i, 15. 589, b 38. xii, 2. 601, a 28. xvii, 2. 606, b 41. Sirach. i, 11. 611, a 48. xv, 8. 638, b 43. xvi, 14. 640, b 10, 11. xvi, 22. 641, a 32. xx, 28. 650, b 36. xxiv, 23. 658, b 55, 56. xxv, 31. 663, a 25. xxxii, 27. 677, b ult. xxxv, 21. 681, b 35. xlii, 19. 696, a 30, 31. l, 24. 710, b pen. & verſ. 31, p. 711, a 59. li, 23. 712, a 48. i Maccab. xiv, 22. 757, b 42. & verſ. 35, p. 758, a 55. ii Macc. xi, 31. 780, a 54.

μίμησις Eſa. lxiv, 6. 337, b 42. Jer. iv, 22. 348, a 31. ix, 19. 354, a 25. Michææ ii, 5. 524, a 19. Sirach. xxix, 32. 671, a 5.

ὁμοίωσις Sirach. xlvii, 18. 705, b 31.

ὁμωνυμία Num. xxi, 14. 78, a 24.

ὀνοματοποιΐα Jer. xix, 1. 363, b 15.

ὀξύμωρον Sirach. xi, 12. 631, a antepen.

ὁρισμὸς παχυμερὴς Sap. xvii, 11. 607, a 33.

πάθος i Reg. xxiv, 15. 128, a 48. Michææ vi, 3. 528, a 26. Baruchi iv, 17. 717, b 2.

παραβολὴ Proverb. i, p. 247, a 5.

παραγωγὴ Geneſ. ii, 11. 3, a 46. & verſ. 14, b 7.

παραίνεσις Sirach. iii, 19. 614, b 8. iv, 9. 616, a 57, 58.

παράφρασις Jobi xlii, 8. 220, b 23. Sirach. iv, 21. 617, a 27, 28.

παρένθεσις Geneſ. iv, 7. 7, a 49. Levit. xxi, 13. 69, a 42. Eſa. viii, 11. 280, b 26. Jer. xxxviii, 28. 383, a 28. xlviii, 33. 391, a 16. Ezech. x, 3. 411, b 28. Zachar. xi, 14. 560, a 19. xiv, 5. 563, b ult. Sap. xvi, 11. 605,

ii.605, b60. Sirach. xxv, 22.662, a35.
Repetitio post παρένθεσιν i Macc. i, 1.723, b29, ſeqq.
παροιμία, παροιμίαι Geneſ. xii, 1.11, a39. xix, 17.15, a8. xxxii, 11.20, a57. Exodi xi, 7.30, b12. xx, 5.43, b24, 25. & verſ. 10, p.46, b46. verſ. 17, p.50, a53. 54. xxv, 18.55, a55. Levit. xxvi, 13. 71, a50. Num. xxii, 27.78, b15. xxxii, 6.81, b14. Deut. vi, 11.85, a56. xxix, 19. 101, a42. i Reg. xxii, 5.127, b22. iii Reg. xvi, 11.152, b59. xviii, 4.153, b53. xx, 11.155, b30. iv Reg. v, 16:160, b14. & verſ. 26, b59, 60. vii, 6.162, a2. viii, 1.162, a21. verſ. 6, a43. x, 11.163, b38. xx, 19.172, a31. i Par. iv, 23.176, b4, 5. xxix, 14.180, b60. Proverb. i, p.247, a3, 8. vi, 2.248, a55. xxvi, 11.256, b11, ſeqq. Eccleſ. iv, 15.260, b34. vii, 3.262, a3. ix, 10.264, b31. Eſa. xxxi, 9. 303, a22, 23. xxxiii, 23.305, b17. lxvi, 19.342, a37, 38. Jerem. x, 23.355, b48. Amoſi iv, 11.512, b25, ſeqq. Jonæ i, 14. 520, a48. Michææ ii, 8.524, a59. Malach. i, 6.566, b pen. Judith. xi, 15.584, a22. Eſth. Addit. xvi, 10.588, b3. Sap. xi, 21.600, b56. i Maccab. xiv, 12.757, b16. ii Macc. xiii, 18.784, a54.
παρονομασία Eccl. vii, 2.261, b37. Amoſi v, 5.513, a5. Michææ i, 15.523, b2, 3. Adj. Dan. xiii, 1.722, a13.
περίφρασις Jer. ix, 26.354, b24, 25.
πλεονασμὸς Habac. iii, 2.539, b2. Sirach. viii, 22.626, a ult. xvii, 4.642, a13, 14. i Macc. ix, 1.742, a49.
πλοκὴ Zachar. i, 3.548, a14. Sirach. vii, 1.621, b39.
προλεγόμενα Exodi xx, 2.36, a19, ſeqq. Malach. iv, 6.572, b9.
πρόληψις Geneſ. i, 27.2, a20. xii, 8.11, a54. xxxviii, 5.22, a2. Judic. viii, 27. 112, a50. Ezech. xxx, 14.441, a30. Nahumi iii, 8.534, a52. Sirach. xlviii, 1. 706, b27. i Macc. xi, 39.751, a6.
πρόθεσις Exodi xx, 2.36, a4. Jer. xxx, 15. 374, b16. Sirach. xlv, 6.700, b34. & verſ. 12, p.701, a24.
προσωποποιΐα Pſalmo lxviii, 17.234, a32, 33. Eſa. v, 14.277, b51. xiv, 8.285, b42. Ezech. vi, 2.407, b45. xxxii, 18.443, a32. & verſ. 31, p.443, b50. xxxvii, 4. 447, b8, 9. Oſeæ ii, 21.488, b12. Sirach. xxxv, 21.681, b38. xliii, 28.698, a50.
πύσμα Eccleſ. vii, 30.262, b48.
σεμνολογία Geneſ. xxxi, 35.20, a38. Prov. v, 15.248, a23. xxx, 20.257, b36. Ezech. xxiii, 3.428, b26. Sirach. xxvi, 11.664, b3.
συγχώρησις Eſa. viii, 9.280, b13. Habac. iii, 17.540, b39.
σύλληψις Geneſ. vi, 3.8, b4. Jer. xix, 1. 363, b19. Dan. xii, 11.485, b7. Michææ vii, 13.530, a antepen. i Macc. ii, 67. 729, b31, 32. x, 75.748, b32.
σύμβολα iii Reg. xx, 37.156, a6, 7. Jer. xix, 10.364, a20. xxvii, 8.372, b2.
συνεκδοχὴ Gen. xlvi, 4.24, b58, 59. iii Reg. vii, 29.147, b1. iv Reg. ix, 6.162, b47. ii Paral. xxiii, 2.186, a52, 53. Jobi xl, 25.219, b6. Eſaiæ xlvii, 11.318, b33. lx, 13.333, a41. lxiv, 11.338, a31. Jerem. ii, 12.344, a50, 51. vii, 15.351, b8. xvii, 24.362, b35. xxxiii, 24.379, b47. xlix, 23.393, a29. Ezech. xxix, 7. 439, b57. xxxviii, 8.449, a8, 9. & verſ. 20, p.449, b27, 28. Daniel. iv, 24.460, b52. vii, 27.468, b41. xi, 39.482, b56. Oſeæ i, 11.487, a34. ii, 15.488, a49. viii, 1.494, b36. Amoſi viii, 5.516, a47. Michææ vi, 2.528, a16. Zachar. x, 3.557, a48. Malach. iii, 12.571, a23. Sapient. v, 1.594, a50. Sirach. i, 37.612, a54. xvi, 31.641, b33. i Macc. ii, 24. 727, b31, 32. x, 38.747, a41, 42. xiv, 1. 757, a43.
σύνθεσις iii Macc. p.797, a42. p.799, b25. Junge, κατὰ τὸ σημαινόμ.
ταυτολογία Ezech. v, 11.407, b18.
τυπολογία Oſeæ xi, 1.499, a34.
ὑπαλλαγὴ Sirach. vii, 8.622, b14. i Macc. ii, 15.727, a55. ii Macc. xv, 21.788, a51.
ὑπερβολὴ Gen. viii, 21.9, b21, ſeqq. Jobi xxxi, 18.213, b18. Pſalmo li, 7.231, b33. Eſa. lix, 4.331, b21. lxiv, 7.337, b56. Jerem. viii, 6.352, b16. Dan. vii, 27.468, b41, 42. Joel. i, 9.504, b44. Michææ vii, 2.529, b10. Sirach. xiii, 17.635, b15.
ὑπόνοια Malach. i, 3.566, b21. Judith. viii, 1.581, b52.
ὑπόζευγμα Sirach. xl, 24.692, a12. i Macc. viii, 5.740, b55, 56.
ὑποτύπωσις Malach. iii, 3.570, a31. Sirach. l, 13, 14. p.710, a47.
χαρακτηρισμὸς Dan. iv, 34.461, b48. Sirach. v, 1.618, a35, xx, 17.649, b46. xxv, 4.660, b40. ii Macc. vi, 29.772, b57. xv, 18.788, a31, 32.
χλευασμὸς Exodi v, 16.29, a46. Jer. iii, 16.347, a5. Ezech. xviii, 3.421, b20. Amoſi iv, 6.512, a38. Sirach. xlvi, 22. 704, a26, 27. i Macc. ii, 69.729, b39.
χλευασμὸς καὶ διασυρμὸς iii Reg. xviii, 27. 154, b3. Eſa. xlvi, 1.317, b50, 51. Jer. iv, 16.347, b60. vi, 1.349, a34. & verſ. 2, b51. xlvi, 3.387, b17. Ezech. ix, 1. 410, b40. Oſeæ ii, 14.488, a15. iv, 16. 491, a5.

Abſtractum pro Concreto *Baruchi* ii, 29. 715, b25, 26.
Activum ſimplex pro duplici *Sirach.* xxii, 4.652, b56, 57. xxxiii, 26.678, b9, 10, ſeqq. xxxvi, 26.683, a48, 49. xlvii, 8. 704, b61, 62. & verſ. 29, p.706, a60, ſeqq. Activum pro Reciproco *Sirach.* i, 23.611, b38, ſeqq. xxix, 24.670, a50, 51. xlviii, 20.707, b55. Activum ſine perſona poſitum pro imperſonali Paſſivo *Sirach.* viii, 17.626, a19, ſeqq. x, 10.628, b14, ſeqq. xl, 28.692, a44, 46. Activum Plurale pro Singulari Paſſivo *Sirach.* xliv, 18, 19. p.699, b33.
Aoriſtus pro quovis Tempore *Sirach.* xv, 14. 639, a28. pro præſenti *Sirach.* xxxvii, 1. 683, b7. pro pluſquamperfecto *i Macc.* xii, 30.754, a12, 13. xv, 41.761, a49, 50.
A ſpecie ad genus *Sirach.* xxi, 3.651, a35, ſeqq.
Comparationis nota ſæpe ſubticetur *Proverb.* iv, 3.248, a1, 2.
Conſtructio ad Relativum *Sirach.* xxiv, 33. 659, a53, ſeqq.
Conſtructio ad ſenſum relata; vide σύνθεσις.
Copula pro Comparationis particula *Eſa.* lxii, 5.335, a15, 16. Sirach. xiii, 1.634, b4, ſeqq.
Et pro *aut* Judic. xi, 30.114, a13. & pro *nempe* i Macc. xv, 23.760, a32. xvi, 7.761, b13, 14. & pro *qui* vel *quæ* Sirach. xiv, 5. 636, b57, ſeqq. i Macc. iv, 50.733, a52. & pro *ſed* Sirach. xv, 7.638, b38, 39. i Macc. xi, 53.751, a ult. & pro *cùm* Sirach. xliv, 18, 19. p.699, b32.
Facere pro *manifeſtare* Sirach. xlii, 10.695, b15, ſeqq.
Futurum pro Aoriſtis *Sirach.* xliii, 23.697, b51, 52.
Genitivus ſubſtantivi pro adjectivo *Sirach.* xvii, 7, 8. p.642, a61.
Hiphil verba ſæpe non facere, ſed tractare ut talem ſignificant *Exodi* xx, 7.44, a ult.
Hiphil verba ſæpe tantùm manifeſtationem ſignificant *Sirach.* xlii, 10.695, b14, ſeqq.
In abundans *Gen.* ii, 10.2, b62, 63.
Infinitivus pro Adverbio *Habac.* ii, 2.537, b10, 11.
Maſculinum pro Communi *Exodi* xix, 13. 33, b10, 11. Eccleſ. i. p.258, a42, ſeqq. Tobiæ x, 13.577, b2, 3.
Metaphyſice *Sap.* vii, 27.597, b10.
Modus ſinendi & præcipiendi idem omnibus propè gentibus *Exodi* xx, 9.45, b40, ſeqq.
Neutrum pro Maſculino *Sirach.* xl, 18. 691, b19, 20.
Niphal pro Pohal *Ezech.* vi, 9.408, a4. Niphal pro Hithpael ii *Macc.* xiv, 3.785, a28, 29.
Nomen pro Pronomine *Exodi* xx, 7.43, b62, 63. Nomen vice Pronominis reciproci *Sirach.* xlvii, 7.704, b50, ſeqq. Nomen pro Infinitivo *Baruchi* ii, 22, 23. p.715, a32, 33.
Nominativus ſubauditus iii *Macc.* p.797, a19, ſeqq. Nominativus nominis cum genitivo pronominis vice genitivi ipſius nominis *Sirach.* xlvi, 13, 14. p.703, b30, ſeqq.
Pahel aut Pihel pro Hiphil *Ezech.* x, 22. 412, b50, ſeqq.
Participia præſentia aut præterita pro Aoriſtis *Eſa.* lxvi, 10.341, a44, 45. Sirach. xliv, 3.698, b60, ſeqq.
Phyſice *Sap.* vii, 27.597, b9.
Præſens pro Præterito *Sap.* xii, 26.602, a27, ſeqq.
Præteritum apud Hebræos idem Perf. Imperf. & Pluſquamperfect. *Gen.* i, 9.1, b9.
Pronomen demonſtrativum pro Relativo *Sirach.* xliv, 4.699, a7, ſeqq.
Qui ſubauditum *Sirach.* xiv, 24.638, a15, ſeqq.
Rectus ex obliquo ſubauditus *Gen.* vi, 3. 8, b4. iii Macc. p.796, a42, 43. Rectus pro Obliquo poſterius ponendo *Sirach.* xxvii, 30.667, a55, 56. b12, 13. xli, 17.693, b39, 40. Baruchi iii, 33.716, b55.
Regimen pro Abſoluto *Michææ* vi, 9.528, b52, 53. Nahumi iii, 17.535, a37, ſeqq. Zach. xiv, 5.563, b46, ſeqq. & vice verſa, ſtatus abſolutus pro conſtructo *Eſa.* xlix, 23.320, b57, 58.
Relativum ſubauditum i *Macc.* xi, 34.750, b11, 12.
Senſus ſinendi, non approbandi *Exodi* xx, 3.36, b28.
Singularis pro Plurali *Eſa.* xxi, 7.291, a21, ſeqq.
Temporum permutatio *Eccleſ.* viii, 7.263, a41, ſeqq.
Trajectio *Eſa.* xi, 11.284, b9. Oſeæ x, 4. 497, b54. Habac. ii, 14.538, b40. iii Maccab. p.799, b30.
Tranſitus ab oratione directa ad indirectam iii *Macc.* p.797, b7, 8. & contra *Ibid.* a9, ſeqq. Tranſitus de perſona in perſonam *Eſa.* lii, 14.323, a48, ſeqq. Jer. xxi, 14.366, a2. Oſeæ v, 2.491, a53, ſeqq. Baruchi iv, 14.717, a50, 51. Tranſitus de Singulari in Pluralem *Eccleſ.* ix, 1.264, a36, ſeqq. Zachar. ix, 13.556, b21, ſeqq. Sirach. xvii, 3.641, b52, ſeqq.
Tranſpoſitio ſententiæ *Eſa.* vii, 5.279, a5. Jer. li, 40.398, b23. Ezech. i, 26.403, a23. iv, 6.405, b54. xi, 24.413, b38, 39. xxi, 25.426, b32. xxiii, 32.430, a23. xxxiii, 1.444, a8, 9. Oſeæ vi, 9.493, a47. Zach. x, 5.557, b23.
Verba ſignificatui eventum ſimul includentia *Deut.* xxix, 4.101, a11, 12.
Zeugma i *Par.* viii, 7.177, b5. Junge ὑπόζευγμα.

FINIS.

HVGONIS GROTII

OPERVM THEOLOGICORVM

TOMI II. VOLVMEN I.

continens

ANNOTATIONES

IN

quatuor Euangelia & Acta Apoſtolorum.



LONDINI,
Proſtant venalia apud MOSEM PITT,
ad inſigne Angeli in Cœmiterio Pauli.
M DC LXXIX.

Thomas Wright

LECTORI CHRISTIANO

H. GROTIVS.

SI quis dicat me quæ ad Euangelia ſcripſi debere aliis qui in eodem ſe argumento exercuerunt, is neque penitùs mentietur, neque penitùs verum dicet. Ego per omnes eos qui ſcripſère antehac profeciſſe me non diffiteor, quin gaudeo etiam gloriorque. Itaque omnibus me eis gratiam habere puta, quaſi nominaſſem ſingulos. Peperci autem plerumque recitandis nominibus quod ea videam factioſo hoc ſæculo magis ad oblimandum quam ad defœcandum judicium valere. Mihi autem, cùm iſta annotarem captivus, cùm perficerem privatus, cùm ederem in aliquo jam honore conſtitutus, propoſitum ſemper fuit, non alicui earum ſervire partium, in quas ingenti ſæculi noſtri malo diviſi ſumus Chriſtiani, ſed Chriſtianis plane omnibus, meaque dirigere ad notitiam Euangelicæ veritatis & incrementum pietatis ejus, ad quam omni ſtudio debemus contendere, ſi ex tanto nomine cenſeri volumus. Cæterum videbit qui & priorum & hæc noſtra ſcripta cum curâ leget, etiam tunc cùm aliorum ſequor ſententias, nova à me adjungi argumenta quibus eas ſuſtentem: & cùm ab aliis abeo, rationes cur id faciam diligenter à me adſcribi. Teſtor autem, ſi quid uſquam à me ſcriptum eſt pugnans cum iis Sacræ Scripturæ ſenſibus, quos Eccleſiæ Chriſtianæ à prima ætate acceptos perſeverante conſenſu tenuère, quod repertum non iri ſatis confido, me id pro non ſcripto habere ac mutare paratiſſimum.

27608

Continentur hoc Volumine

ANNOTATIONES

Ad Euangelium ſecundùm
- Matthæum, 3
- Marcum, 291
- Lucam, 330
- Joannem, 473

Ad Acta Apoſtolorum, 579

HVGONIS GROTII

ANNOTATIONES

IN LIBROS

EVANGELIORVM.

Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ, NOVVM TESTAMENTVM] Tribus modis homines hominibus obligantur, Lege, Sponſione, Teſtamento; quæ ita inter ſe diſtincta ſunt ut tamen communitate juris cohæreant: unde & Legem συνθήκης [*conventionis*] nomine definivit Ariſtoteles ex Sophiſta Lycophrone, & poſt eum Demoſthenes, quod Papinianus *ſponſionem* tranſtulit: & pacta contractuum *leges* vocantur, & teſtatoris voluntas *lex* dicitur, natumque hinc verbum teſtamentis proprium *legare*. Nam (ut erat in Tabulis duodecim) *uti quiſque rei ſuæ legaſſit, ita jus eſto.* Apud Græcos verbum eſt quod tria iſta complectitur, διατίθεσθαι [*diſponere*], quod de legibus uſurpat Plato, de ſponſione Ariſtophanes, de teſtamento Iſocrates, aliique. Cui conſequens eſt nomen διαθήκη æque late patens; nam & *teſtamentum* frequentiſſime deſignat, & pro *ſponſione* ponitur apud eum quem dixi Ariſtophanem, & pro *legibus* uſurpatum eſt ab Orphicis & Pythagoriſtis. nam hi præſcriptas ſuo gregi vivendi normas διαθήκας vocabant. Communis quoque eſt legibus & ſponſionibus ſanctio. Nam pacta, præſertim publica, quæ *federa* dicuntur, antiquitus ſanciri ſolebant pecude cæſa, ipſaque vox *ſanciendi*, ut recte à Servio eſt obſervatum, à *ſanguine* deducitur: quæ cauſſa Hebræos magiſtros movit ut crederent ברית [*pactum*] deductum à ברא, quod pro *ſuccidere* uſurpatur, & Latinos, ut *fedus* à *feriendo* derivarent. Atque hinc *fedus percutere*, loquendi modus Hebræis Græcis Latiniſque pariter uſitatus: qua de re iterum agendi ad caput XXVI dabitur occaſio. In legibus autem Sanctio dicitur ea pars quæ ſanguinem delinquentis legi conſecrat. Hinc Hebræi voces ברית [*pactum*] & חוק [*ſtatutum*] ſæpe alteram per alteram exponunt. Rurſum lex cum teſtamento hoc habet commune, quod neutrum conventione indiget. Nam & heres eo ipſo quod heres eſt præſtare debet factum defuncti, & ſubjectus alterius imperio eo ipſo quod ſubjectus eſt ejuſdem legibus parere debet. Conventio autem in hoc cum teſtamento congruit, quod & contrahendi & hereditatis adeundæ initium ſolet eſſe liberum; at ſubjectionis non item, ut quæ multis in locis ex origine ſola deſcendat.

Hæc cum ita ſint, quæri poteſt cur Septuaginta interpretes, quos ſecuti ſunt omnes Helleniſtæ, atque inter eos viri ſancti qui Euangelia atque Epiſtolas ſcripſerunt, vocem Hebræam ברית [*pactum*] interpretari maluerint διαθήκην [*teſtamentum*] quàm aut συνθήκην [*conventionem*], ut fecit Aquila, aut aliter etiam; quippe cum multas ejus ſignificationis voces ſuppeditet Græcæ linguæ ubertas. Videntur igitur mihi eo reſpexiſſe quod latius pateret vox Hebræa ברית [*pactum*] quam Græca συνθήκη [*conventio*], aut alia quæ vim ſimilem obtinet. Nam συνθῆκαι [*conventiones*] ex conſentienti duarum voluntatum teſtimonio vinculi poteſtatem accipiunt. At quod Moſes aliique ברית [*pactum*] vocant, plerumque eſt ejuſmodi ut nullum partis alterius conſenſum requirat, cùm obligandi vis ei adſit ex ſolo ſuperioris, puta Dei, juſſu atque imperio, qui tamen interdum ſponte ſua ſe quoque promittendo obliget: ut ſolent legum auctores quoties præmia addunt legibus. Quia vero vocem Hebræam unam una quoque Græca exprimere ſtudebant Senes eruditiſſimi, ideo etiam ubi ברית [*pactum*] ad conventiones mutuas pertinebat, ut 1 Regum V, 12. atque alibi, generali vocabulo διαθήκης uti maluerunt: credo quod ipſam quoque vocem ברית ab alia notione vocis ברא [*creare*] natam arbitrarentur. Nam ברא ut proprie *creare*, ita ſimilitudinis jure *ordinare* atque διατίθεσθαι ſignificat: quo factum eſt ut Iudæi Helleniſtæ etiam τὸ κτίζειν [*creare*], quod Hebræo ברא reſpondet, ad eum ſignificatum produxerint. Neque enim aliter poteſt accipi illud apud Ieſum Sirachiden, Eccleſiaſtici XI, 16. πλάνη καὶ σκότος ἁμαρτωλοῖς συνέκτισται [*error & tenebræ peccatoribus concreata ſunt*]. & XXXIX, 35. πῦρ καὶ θάλασσα καὶ λιμὸς καὶ θάνατος, πάντα ταῦτα εἰς ἐκδίκησιν ἔκτισται [*ignis, grando, fames & mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt*]. & XL, 1. ἀσχολία μεγάλη ἔκτισται παντὶ ἀνθρώπῳ [*occupatio magna creata eſt omnibus hominibus*]. & ibid. 9. θάνατος καὶ ἔρις, καὶ ῥομφαία καὶ αἷμα, ἐπαγωγὴ λιμοῦ καὶ συντρίμματος καὶ μάστιγος, ἐπὶ τοὺς ἀνόμους ἐκτίσθη [*mors & contentio, & romphæa & ſanguis, oppreſſiones famis & contritio & flagella, ſuper iniquos creata ſunt hæc omnia*]. Hinc & Petrus τὴν ἐξουσίαν [*poteſtatem*] ab hominibus inſtitutam, aut ad res humanas, vocat ἀνθρωπίνην κτίσιν [*humanam creationem*]. Voces autem διατίθεσθαι & διαθήκης latiore ſenſu ab Helleniſtis uſurpatas, quam quo vox συνθήκης poſſet extendi, indicio nobis eſt locus Lucæ XXII, 29. multoque magis Eccleſiaſtici XXXVIII, 37. ubi διαθήκη κρίματος nihil aliud eſt quam *jus judiciarium*. Viſo cur ברית [*pactum*] Helleniſtæ interpretati ſint διαθήκην, ſequitur videamus, cur Chriſtiani veteres hunc librum maluerint καινὴν διαθήκην [*novum teſtamentum*, ſive *pactum*] appellare quam καινὸν νόμον [*novam legem*], præſertim cum Hebræi & Pentateuchum peculiariter & communiter omnes libros ad ſacrum codicem pertinentes תורה [*Legem*] ſive νόμον appellaverint, & Chriſtiana doctrina ſuo jure *Legis* nomen ſibi vindicet, ut Gal. VI, 2. Iacobi II, 8. Exiſtimo igitur Chriſtianos veteres præcipue reſpexiſſe ad ipſa Chriſti verba, qui conſummatiſſimam doctrinam morte ſua ſanciturus eam *novi* ברית [*pacti* ſive *federis*] nomine appellavit. Nam ea voce haud dubie eſt uſus, pro quo Græci ſcriptores more Septuaginta virûm poſuerunt διαθήκης vocabulum. Proprie autem federis notationem â Chriſto ſpectatam oſtendit addita ſanguinis mentio Matthæi XXVI, 28. Marci XIV, 24. Lucæ XXII, 20. Quod accurate explicat ſcriptor epiſtolæ ad Hebræos. Cujus dicti memores Apoſtoli διακόνους καινῆς διαθήκης [*miniſtros novi pacti*] dici haberique ſe voluerunt, II Corinth. III, 6. Accedebat quod vox *federis* aliquanto dilucidius exponebat ſummam bonitatem & συγκατάβασιν [*demiſſionem*] Dei, ut qui miſſo ad nos Ieſu Chriſto, non ſummo nobiſcum jure egiſſet, ut ſolent legiſlatores, neque imperioſe & minaciter, quæ ſolet vox eſſe legum, ſed blande admodum & cum magna comitate, planeque ut ſolent qui bona fide inter ſe contrahunt. Quo factum eſt ut ſancti ſcriptores ſæpiſſime doctrinam Chriſti νόμῳ [*Legi*] opponant, & *gratiæ* appellent vocabulo, aut ſicubi eam *legis* voce indigitant, addant condimenta quæ nominis ejus rigorem, temperent, ut cum dicitur *lex fidei*, non operum, Romanorum III, 27. & *lex libertatis*, Iacobi I, 25. Merito igitur Chriſtiani, ut ipſo nominis ſono doctrinam ſalutarem commendarent, διαθήκης [*pacti*] quam νόμου [*legis*] titulum præfigere ei maluerunt. Quanquam autem διαθήκη, ut diximus, ubi de doctrina Chriſtiana agitur, *federis* potiſſimum habeat ſignificationem, cum tamen Græca vox uſitate admodum teſtamentum denotet, non mirum eſt ad hunc quoque vocis uſum alludi à ſcriptore epiſtolæ ad Hebræos IX, 17. præſertim cùm Teſtamentum, imprimis ubi heres ſub conditione inſtituitur, aut fidei ejus aliquid committitur, ad federum aut pactionum naturam quam proxime accedat. Latini autem Chriſtiani non eo tantum loco, ſed ubicunque διαθήκη invenitur in Novo codice, quin & in Vetere, etiam ubi διαθήκη Θεοῦ [*pactum Dei*] nominatur, Ambroſius etiam ubi de federe à Ioſua facto agitur, vocem adhibuerunt *teſtamenti*; non tam juris forique uſum ſecuti, quam naturam originemque vocis, quæ apta eſt omne id complecti quo quis voluntatem ſuam teſtatam facit: præſertim vero eam qua bonorum quædam univerſitas alicui confertur. quo ſenſu & vox *heredis*, citra mortis indicationem, ſumi ſolet, ut cum *heredes Dei* dicimur. Cum autem plures olim fuerint διαθῆκαι Θεοῦ [*pacta Dei*], ut apparet Romanorum IX, 4. Epheſiorum II, 12. ipſaque circumciſio καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ut ברית [*pactum*] in Moſis & Prophetarum libris receptiſſimaque Iudæorum conſuetudine, ita Græce διαθήκη appelletur Actorum VII, 8. promiſſiones quoque de Chriſto olim factæ hoc nomine veniant Lucæ I, 72. Actor. III, 25. Galat. III, 15. 17. *nova* tamen διαθήκη proprie ac peculiariter illi federi publico maximeque ſolenni, quod in exitu Ægypti inchoatum, & in monte Sinai peractum, adhibitoque pecudum ſanguine ſancitum eſt, opponitur; ut apparet Ieremiæ XXXI, 32. Atque hæ ſunt δύο διαθῆκαι [*duæ pactiones*] quas ἀντιδιῃρημένας [*ex adverſo diſtinctas*] nobis ob oculos ponit Paulus ad Gal. IV, 24. atque ut illam παλαιὰν διαθήκην [*vetus pactum*] 2 Corinth. III, 14. ita hanc ejus reſpectu καινὴν [*novum*] vocat verſ. 6. eodemque modo ſcriptor nobiliſſimæ ad Hebræos epiſtolæ illam vocat πρώτην [*prius*], hanc modo καινὴν [*novam*], modo νέαν [*recens*], quin & κρείττονα [*melius*], itemque αἰώνιον [*æternum*]. Apparet hinc Latine hunc librum Novum Teſtamentum dici non poſſe, niſi laxiore illa atque recentiore vocis acceptione: non quod non proprie teſtamentum ſit quod eo continetur (eſt enim voluntas Chriſti morte ipſius confirmata) ſed quod eo ſenſu vetus ei opponi non poſſit: quare aut *Fedus* dicendum, aut *Teſtamenti* vox extra uſus veteris atque communis terminos producenda eſt.

ANNOTATIONES
IN EVANGELIVM
ΚΑΤΑ ΜΑΤΘΑΙΟΝ
[SECVNDVM MATTHÆVM].

ΕΥΑΓΓΕΛΙΟΝ, EVANGELIVM] Sicuti vocem *Novi federis*, ita & hanc Chriſtiani à ſummo Magiſtro accepere, ipſe à Prophetis acceperat. Vox Hebræa eſt בשר εὐαγγελίζεσθαι [*euangelizare* ſive *bonum nuntiare*]· unde Syri per μετάθεσιν [*tranſpoſitionem literarum*] ſatis receptam סבר fecere: nam ס & ש conſtat eſſe ἰσοδυνάμα [*tantundem valentia*]. Vocem Hebræam latè ſatis patentem, ita ut quamvis ἀγγελίαν [*nuntiationem*] ſignificet, de doctrina Chriſti uſurpaverat Eſaias LII, 7. quem in hunc ſenſum citat Paulus Romanorum x, 15. Deſcribitur autem ea doctrina apud Prophetam duplici nomine, *pacis & regni Dei*. Atque hinc eſt, quod hæc doctrina tum ab ipſo Chriſto, tum ab ejus Apoſtolis crebrò vocetur εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας [*euangelium regni*], addita etiam interdum voce τοῦ Θεοῦ [*Dei*], Matth. IV, 23. IX, 35. XXIV, 14. Marci I, 14. neque minus frequenter εὐαγγέλιον εἰρήνης [*euangelium pacis*], Epheſ. II, 17. VI, 15. Actorum x, 36. E quibus locis inter ſe collatis apparet propriè ac primariò Euanglium dici κήρυγμα [*prædicationem illam*] illud à Ioanne Baptiſta inchoatum (nam & illi tribuitur τὸ εὐαγγελίζεσθαι [*euangelizare*] Lucæ III, 18.), à Chriſto verò tum per ſe, tum per Apoſtolos (nam per hos ipſe Chriſtus dicitur εὐαγγελίσασθαι [*euangelizaſſe*], etiam Gentibus, Epheſior. II, 17.) conſummatum, de regno ſpirituali Dei in nobis, deque parta remiſſione peccatorum. Hoc enim κήρυγμα [*prædicatio hæc*], ſicut Legi ac Prophetis, ut majus ac perfectius quiddam, opponitur, ita manifeſte oſtenditur à Baptiſta ſumſiſſe exordium ipſius Chriſti pronunciato quod eſt Lucæ XVI, 16. ipſumque tam Baptiſtæ quàm Chriſti κήρυγμα [*prædicatio ipſa*] ad id quod diximus Eſaiæ vaticinium quaſi digitum intendit. Ioannis enim quaſi prima vox fuit, *Adventavit regnum cæleſte*, Matth. III, 2. & Lucæ III, 3. Chriſtus deinde ſuam annunciationem inchoans ab eadem illa voce incipit: *Adventavit*, inquiens, *regnum cæleſte*, Matth. IV, 17. Marci I, 15. ubi hoc ipſum explicatur addita εὐαγγελίου [*euangelii*] voce: idque ipſum eſſe quod εὐαγγελίου voce indicetur apertiſſimè declarat Lucæ IV, 18. Atque hinc eſt quòd doctrina quævis à Chriſti doctrina diſcrepans ἕτερον εὐαγγέλιον [*alterum euangelium*] à Paulo vocatur II Corinthior. XI, 4. Galat. I, 6. id eſt aliud κήρυγμα [*prædicatio alia*]. Quia verò ad explicandam, illuſtrandam & confirmandam doctrinam à Chriſto annunciatam pertinent omnes ejus κηρύγματος [*prædicationis*] circumſtantiæ, ideo ipſa quoque hiſtoria *Euangelii* nomen accepit, cujus ambitus propriè deſcribitur eo tempore quod ab annuntiatione Baptiſtæ ad Chriſti adſcenſum interceſſit, ut clarè indicant Petri verba Actor. I, 22. & x, 37. Hinc eſt quòd Marcus narrationem incipiens ab annuntiatione Baptiſtæ, titulum ei præfigit, *Initium* Εὐαγγελίου [*Euangelii*] *Ieſu Chriſti Filii Dei*: ita ut quæ Matthæus & Lucas, ille de Chriſti ortu, hic verò etiam de Baptiſtæ natalibus ediſſerunt, itemque comparatio illa Baptiſtæ & Chriſti à Iohanne Apoſtolo libri ſui primordio inſtituta, anteloquii cujuſdam & εἰσαγωγῆς [*rudimenti*] habenda ſint loco: quod ipſe etiam Lucas non obſcurè videtur profiteri Actorum I, I. In hoc ſenſu ſecundario, qui ut dixi, cum doctrina ſimul hiſtoriæ ipſius cohærentiam complectitur, ipſe Chriſtus vocem Hebræam בשר aut Syriacam סברה videtur uſurpaſſe, quam Marcus εὐαγγέλιον [*euangelium*] transtulit XIV, 9. Iuſtiſſimis igitur de cauſis veteres Chriſtiani hos libros de rebus Chriſti εὐαγγέλιον [*euangelium*] inſcripſere: ut ipſo quoque nomine admoneretur lector quantò dulciora hic liber contineat, quàm Prophetarum vaticinia, quorum pleraque triſte illud nomen משא [*onus*] ſibi præſcribunt. Eſſe autem antiquiſſimum & ab ipſis Apoſtolicis deductum temporibus *Euangelii* titulum, docet nos Iuſtinus in Apologia pro Chriſtianis, quæ non dubiè ipſius eſt, ubi ita inquit, οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν ἃ καλεῖται εὐαγγέλια, οὕτως παρεδέδωκαν [*Apoſtoli enim in commentariis à ſe factis quæ Euangelia dicuntur ita tradidere*]. Accedit quòd non Latini tantùm, ſed & Syrus & Arabs interpretes, omneſque omnium linguarum Eccleſiæ hac ipſa voce hos libros & inſcripſerunt & appellarunt. Admodum autem ſignificanter Iuſtinus in iſto & aliis in locis ἀπομνημονεύματα [*commentarios*] hos libros vocavit, qua voce Xenophon eos libros inſcripſerat quibus præcipua dicta factaque Socratis annotarat, Laërtio teſte. quo exemplo Latinè hoſce libros *commentarios de rebus Chriſti* rectè appellaveris.

Κατὰ Ματθαῖον· *Secundùm Matthæum*] Vetus inſcriptio non habuit nude Εὐαγγέλιον [*Euangelium*], ſed Εὐαγγέλοιν Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Euangelium Ieſu Chriſti*], ut eſt initio Marci; quia nimirum argumentum libri erat, ut jam diximus, κήρυγμα [*prædicatio*] Chriſti:

Ideo non potuit ſcriptoris nomen poni patrio caſu: ſicuti non dicimus *Vita Cæſaris Plutarchi*, ſed *ſcripta à Plutarcho*. Hanc cauſam eſſe arbitror cur non Ματθαίου [*Matthæi*], & Μάρκου [*Marci*], atque ità deinceps, ſed κατὰ Ματθαῖον [*ſecundùm Matthæum*], κατὰ Μάρκον [*ſecundùm Marcum*] hi libri inſcripti fuerint, cum alioquin non minus recte id quod ſcriptum eſt à Matthæo *Euangelium Matthæi* poſſit dici, quam Paulus de doctrina Chriſti à ſe prædicata agens dixit, εὐαγγέλιόν μου [*Euangelium meum*], Romanorum XVI. 25. collato loco I. 9. Eſt ergò εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ Ματθαῖον [*Euangelium Ieſu Chriſti ſecundùm Matthæum*] nihil aliud, quam doctrina à Ieſu Chriſto tradita, prout ea à Matthæo perſcripta eſt: id enim ſignificat Græcum κατὰ [*ſecundùm*]· quod cum Latina voce haud æque poſſit exprimi, minus mirandum eſt ſi Latini quidam in citandis his libris Græcam dictionem ſervaverunt.

Matthæum in Palæſtina regione manſiſſe annos aliquammultos poſt Chriſti ἔνσαρκον ἐνδημίαν [*converſationem in carne*] (octo minimum, ut Græci aliique exſcriptores fine libri annotarunt) magno antiquorum conſenſu traditur. Quare par credi eſt ſcriptam ab eo Euangelicam hiſtoriam eo ſermone, qui ea in regione frequentabatur. Nam quod quidam magno conatu probatum eunt Græcum id quod habemus eſſe ipſius Matthæi primitivum, in eo nullis juſtis de cauſis maximam piæ antiquitatis conſenſionem repudiant. Nam Papias, Irenæus, Origenes atque alii, quibus ejus rei veritatem quam nobis exquirere promtius fuit, pro comperto tradiderunt ſcripſiſſe Matthæum Hebraïce. Addit ex Pantæno Euſebius idipſum Euangelium Hebraïcis literis ſcriptum apud Indos ſervatum fuiſſe, quibus tradiderat Bartholomæus. Neque unquam ea de re dubitaſſe videtur Hieronymus, quanquam an illud Hebræum Matthæi eſſet illud ipſum quo ſuo tempore utebantur Nazaræi, quodque tum in bibliotheca Cæſareenſi, tum Berœæ atque alibi exſtitiſſe ſua ætate memorat, in dubio relinquit. Addit Hieronymus tertio contra Pelagium, ſcriptum fuiſſe Chaldaïco Syroque ſermone, ſed Hebraïcis literis, ubi *Chaldaïcum Syrumque ſermonem* intelligo idioma Hieroſolymitanum, linguam ejus temporis. Quod autem illi adferunt argumentum ex verbis Hebraïcis quæ in Græco contextu videmus expreſſa additis interpretationibus, pondus apud me non habet. Solenne enim eſt omnibus ſcriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora ſervare integra, ſed addito interpretamento, quod aliquoties etiam factum videmus à ſenibus Septuaginta. Illud quidem Hebraïcum Euangelium quod à Tilio, & alterum quod à Munſtero eſt editum, non eſſe Matthæi adeo certum eſt ut nullis indigeat argumentis. Sed vetus illud Nazaræorum Berœæ habitantium, quod à ſe conſultum tranſlatumque in linguas alias narrat Hieronymus, omnino arbitror ex ipſo Matthæi codice fluxiſſe: quod ab illis quidem conſtantiſſime aſſeveratum fuiſſe tradit idem Hieronymus: Addit Epiphanius, ſed quem non inſpexiſſe apparet, fuiſſe penes ipſos Euangelium Matthæi pleniſſimum. Certe Nazaræi illi Berœenſes genuina erant progenies eorum qui primi in Palæſtina Chriſti fidem erant amplexi. Nam id illis nomen primitus fuiſſe inditum ex Domini noſtri nomine, qui vulgo *Nazaranus* vocabatur, apparet Actorum XXIV. 5. plane ſicut illi qui lingua Græca Chriſtum ſunt amplexi dicti ſunt Χριστιανοὶ [*Chriſtiani*], Actorum XI. 26. Adde quod & Epiphanius teſtatur hos ipſos Nazaræos fuiſſe propaginem eorum qui Divinitus admoniti Hieroſolymis Pellam diſceſſerant obſidii tempore. Attamen narrationes quædam non perſcriptæ à Matthæo, ſed auditu perceptæ, videntur paulatim à Nazaræis aſſutæ iis quæ penes ipſos erant exemplaribus, unde nata diverſitas inter ipſorum Hebraïcum, & quod nos habemus Græcum. Nam hiſtoria de adultera, quam nos à Ioanne proditam habemus, in illorum Euangelio legebatur. Tale eſt illud cap. XII. illum nempe cum arida manu fuiſſe cæmentarium qui miſerabilibus verbis imminentem mendicitatem deprecaretur, quod refert Hieronymus. Et hic locus poſt reſurrectionis hiſtoriam, *Dominus autem cum dediſſet ſindonem ſervo Sacerdotis ivit ad Iacobum & apparuit ei: juraverat enim Iacobus ſe non comeſturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis.* Mox, *Afferte*, ait *Dominus*, *panem & menſam. Tulit panem & benedixit ac fregit & dedit Iacobo Iuſto & dixit ei, Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit Filius hominis à dormientibus.* Sed & id quod apud Ignatium in epiſtola ad Smyrnæos legimus Chriſtum Petro dixiſſe poſt reſurrectionem, *Ecce palpate me & videte quia non ſum dæmonium corporale*, & ſtatim tetigiſſe eum & crediſiſſe, exſtabat in eodem illo ſecundùm Hebræos Euangelio. Et locus ille de divite capite XIX. aliter habebat, ut dicemus cum eo ventum erit. Narrabatur in eodem Euangelio fractum atque diviſum fuiſſe limen ſuperum Templi, cum Chriſtus mortem obiret. Eſt & alius ex eodem Hebræo Euangelio locus in dialogo Hieronymi tertio adverſus Pelagianos, *Ecce mater Domini & fratres ejus dicebant ei, Ioannes Baptiſta baptizat in remiſſionem peccatorum. Eamus, & baptizemur ab eo. Dixit autem eis, Quid peccavi ut vadam & baptizer ab eo?* Adde his locum qui eſt infrà XVIII. 22. Sed & ſententiæ quædam Chriſti quæ in noſtris libris perſcriptæ non ſunt, ex fama in eum librum ſunt relatæ: ut illa quam laudat Clemens Alexandrinus, Ὁ θαυμάσας βασιλεύσει, καὶ ὁ βασιλεύσας ἀναπαύσεται [*Qui contemplabitur regnabit, & regnans requieſcet*]· & apud Hieronymum altera: *Nunquam læti ſitis, niſi cum fratrem veſtrum videritis in caritate.* & illud quod eſt apud Origenem & alios, Γίνεσθε δόκιμοι τραπεζῖται, τὰ μὲν ἀποδοκιμάζοντες, τὸ δὲ καλὸν κατέχοντες [*Eſte probi nummularii, alia rejicientes, bona retinentes*]. cujus generis plures quoque fuiſſe ſententias per manum traditas, ſed cum perſcriptis ſenſu congruentes credibile eſt. Nam & in Actis ut Chriſti dictum citatur quod illis verbis perſcriptum non exſtat, Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν [*Melius eſt dare quam accipere*], XX. 35. Puto autem Tatianum, cum ex quatuor Euangeliis unum concinnaret, ſecutum in Matthæi verbis non Græcos tantum ſed & Hebræos codices, unde Euangelium illud Tatiani, quod vulgo vocabatur διὰ τεσσάρων [*ex quatuor*], ab aliis dictum κατὰ Ἑβραίους [*ſecundùm Hebræos*] narrat Epiphanius. Atque hinc etiam factum arbitror ut iſtud Euangelium alii vocent non διὰ τεσσάρων [*ex quatuor*], ſed διὰ πέντε [*ex quinque*], ut Victor Capuanus. Neque id mirum nobis videri debet, cum Ignatius tanto antiquior illam hiſtoriam de verbis poſt reſurrectionem, Iuſtinus alteram de Baptiſmo Chriſti recitet, ita ut legebatur in Euangelio Nazaræorum. Video eſſe qui putent non auctum tantum ex traditionibus, ſed & mutilatum fuiſſe Euangelium Nazaræorum, cujus rei nuſquam idoneum reperio teſtem. Nam Epiphanius contrarium dicit, ἔχουσι δὲ τὸ κατὰ Ματθαῖον εὐαγγέλιον πληρέστατον Ἑβραϊστί [*habent Matthæi Euangelium pleniſſimum Hebraicè*]. Nec aſſentiri poſſum iis qui Epiphanii verbis negationem interſerunt: quanquam ſcio ab eodem Epiphanio de Ebionæis dici, uſos eos Matthæi Euangelio οὐχ ὅλῳ δὲ πληρεστάτῳ ἀλλὰ νενοθευμένῳ καὶ ἠκρωτηριασμένῳ [*non pleno, ſed partim corrupto partim mutilato*]· neque ignoro Hieronymum ita Hebræum Matthæi exemplar citare ut id commune videatur facere Nazaræis & Ebionitis. Sed commune illis arbitror fuiſſe Euangelium Matthæi, ſicut olim Catholicis commune fuit cum Marcione Euangelium Lucæ, paucis ſcilicet mutatis quæ Marcioni diſplicebant. Ita & Ebionitæ deleverunt totam γενεαλογίαν [*generis recenſionem*] & quæ ſequuntur ad eum locum ubi Chriſtus à Ioanne baptizatur, plane ſicut Marcio prima Lucæ capita induxit. Fecerunt autem hoc Ebionitæ pro ſuo inſtituto, ut qui Dominum Ieſum credi vellent natum ex Ioſephi concubitu, & virtutum merito conſecutum unctionis gratiam, ut alibi dicemus. Hoc autem cur Nazaræi facerent nihil erat cauſæ, qui non probantur in fidei negotio à cæteris Chriſtianis diſcrepaſſe, quanquam ritus Iudaicos tradita à majoribus conſuetudine obſervabant, Apoſtolis non prohibentibus. Bene enim notat Sulpicius, in Palæſtina Chriſtianos pene omnes ad Adriani uſque tempora Chriſtum Deum ſub Legis obſervatione credidiſſe. Et cum dubitet Epiphanius an hi quoque ψιλὸν ἄνθρωπον [*nudum hominem*] Chriſtum dicerent, an vero nobiſcum faterentur ipſum διὰ Πνεύματος ἁγίου γεγεννῆσθαι ἐκ Μαρίας [*per Spiritum ſanctum natum ex Maria*], ſed & neſcire ſe dicat an abſcindant τὰς γενεαλογίας τὰς ἀπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ἄχρι Χριστοῦ [*generis recenſiones ab Abrahamo ad Chriſtum*], alii vero qui de iis ſcribunt nihil plane illis tribuant proprium præter Hebræorum rituum obſervationem: Irenæus vero nullam eorum mentionem faciat in recenſu hæreſeon, in partem meliorem de illis judicandum eſt, eoque magis quod Auguſtinus, qui vetuſtiores ſcriptores conſuluit, diſerte affirmet confiteri Nazaræos Chriſtum eſſe Dei filium: & Origenes cùm duplices facit Ebionæos in diſputatione contra Celſum, ἤτοι ἐκ παρθένου ὁμολογοῦντας ὁμοίως ἡμῖν τὸν Ἰησοῦν, ἢ οὐχ οὕτω γεγεννῆσθαι ἀλλ' ὡς τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους [*aut ex virgine nobiſcum fatentes Ieſum eſſe natum, aut ſic prout alios homines*], *Ebionæorum* nomine laxius abutens, ſub priore illa nota Nazaræos, ut credibile eſt, deſcribat. Quare Hebræum illud Nazaræorum Euangelium, quod ſæpe laudat Hieronymus, eſt quidem idem ac Ebionis Euangelium, ſed, ut recte judicavit Gelaſius, ab Ebione maculatum. Sicut autem Marcus uſus eſt Matthæi Hebræo, ni fallor, codice: ita Marci libro Græco uſus mihi videtur quiſquis is fuit Matthæi Græcus interpres. Nam quæ Marcus ex Matthæo deſumſerat, idem hic iiſdem prope verbis poſuit, niſi quod quædam à Marco Hebraico aut Chaldaico loquendi genere expreſſa propius ad Græci ſermonis normam emollivit. De cujus verſionis ab ipſo Chriſtianiſmi initio per Eccleſias receptæ auctoritate ac fide dubitare nefas arbitror.

CAPVT I.

Βίβλος γενέσεως, *Liber generationis*] Non eſt hæc inſcriptio totius libri, ut quidam putarunt; ſed particulæ primæ quæ velut extra corpus hiſtoriæ prominet. Quales ἐπιγραφαὶ μερικαὶ [*inſcriptiones ſpeciales*] multæ ſunt in Moſe & Prophetis. Quod Græci uno verbo dicerent γενεαλογίαν [*genealogiam*], id Hebræi non poſſunt niſi duabus vocibus exprimere. Solent autem Græci Hebræorum codicum interpretes verbum verbo reddere: ideo raro compoſitis vocibus utuntur. Βίβλος ex Hebræo uſu vocis ספר ſcriptum quamvis breve ſignificat; quod recte animadvertit Syrus qui ejus loco poſuit כתבא [*ſcriptura*]. Γένεσις Latine eſt *origo*. Ita enim ex Platone Cicero tranſtulit in libro De univerſitate. Eſt ergo βίβλος γενέσεως, quomodo & LXX verterunt ספר תולדות Geneſ. v. I. Latine, *deſcriptio originis*. Nec quicquam opus ſuppleri, non magis quam in rubricis quas partes librorum præferunt, aut quoties in Orationibus ponitur ΝΌΜΟΣ [LEX], ΜΑΡΤΥΡΊΑ [TESTIMONIVM], aut ΨΉΦΙΣΜΑ [SVFFRACIVM, SCITVM].

Υἱοῦ Δαβὶδ, υἱοῦ Ἀβραάμ. *filii David, filii Abraham*] Hoc eſt, qui eſt è poſteris Davidis atque Abrahami; nam בן in Hebraiſmo (quem ſequuntur οἱ Ἑλληνισταὶ [*Iudæi Græce loquentes*]) tam late patet quam apud Græcos τέκνων, apud Latinos *liberûm* appellatio: cum alioquin Græcis υἱὸς, & *filius* Latinis primum duntaxat gradum notet. Facit autem Matthæus Abrahami & Davidis ſpecialiter mentionem ob promiſſa illis facta, Abrahamo de populoſa progenie, Davidi autem de Regni ſtabilitate, quorum utrumque in Chriſto eminenter impletum eſt. Quare & qui de Ieſu majus aliquid quam cæteri conceperant, *filium* eum *Davidis* vocant, ut multis Euangeliorum locis apparet. Quiſquis autem fuit Matthæi interpres, vir haud dubie Apoſtolicæ gravitatis, nomina Hebræa Græce eo ſono extulit cui Helleniſtæ per Septuaginta aliorumque verſiones jampridem aſſueverant, ne qua ſcilicet novitate non neceſſaria turbarentur legentium animi.

2. Τὸν Ἰούδαν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ. *Iudam & fratres ejus*] Obiter Matthæus Chriſtum ut cognatum omnibus Iſraelitis commendat.

3. Καὶ τὸν Ζαρὰ, *Zaram*] Hoc nomen addidit, ad memoriam innovandam illuſtris rei quæ in horum partu evenit, gradus futurus ad credendum partum è virgine.

5. Ἐκ τῆς Ῥαχάβ. *de Raab*] Hoc ex traditione Iudæorum.

6. *Δαβὶδ τὸν βασιλέα, David Regem*] Solebant Hebræi honoris cauſâ Davidem ferme addito hoc titulo nominare דוד המלך, vide librum Regum I, cap. I. Id ſecutus videtur Matthæus. *B* litera hîc locum obtinet τοῦ *δίγαμμα* [*duplicati gamma*], quod jam ſcribi deſierat. itaque Græci ipſi literam ſextam quæ nunc in numeris ordinem ſuum ſervat, at olim in Alphabeto quoque eodem quo apud Hebræos loco conſpiciebatur, nominabant hoc modo *βαῦ*, ut ex Varrone & Didymo tradiderunt Cornutus, Marius Victorinus, Priſcianus & Donatus.

ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου, ex illa Vriæ] Similis locutio apud Virgilium:

> *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſervas?*

Nam & *uxor*, & *quondam* deeſt ut plenus fiat ſermo. Mulieres in hoc cenſu obiter paucæ nominantur, extraneo ortu aut criminibus nobiles, quarum hiſtoria ad vocationem idololatrarum & criminoſorum per Chriſti Euangelium proludit.

11. *καὶ τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, & fratres ejus*] Omnes calamitate ſua nobiles: neque id ab hoc loco alienum, ne quis miretur regiam ſtirpem ad humilem fortunam detrudi.

ἐπὶ τῆς μετοικεσίας, in transmigratione] Temporis laxior deſignatio. Vide Lucæ III, 23.

16. *Ἰακὼβ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἰωσήφ, Iacob autem genuit Ioſeph*] Quod quidam exiſtimant à Matthæo recenſeri genus Ioſephi, à Luca autem Mariæ, nequaquam probabile mihi videtur. Nam cùm Lucas eodem contextu dicat *ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ἰωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ* [*ut putabatur filius Ioſephi, qui fuit Heli*], atque ita cætera deinceps, filios patribus continua ſerie connectens, aut Ioſepho omiſſo velle Chriſtum Heli nepotem dici, aut Ioſephum ipſius Heli non filium ſed generum, à recto ſermone uſuque alienum eſt. Fatendum igitur eſt ejuſdem Ioſephi genus ab altero prorſum, ab altero retrorſum cenſeri. Neque verò aliena à Chriſto exiſtimanda eſt origo Ioſephi, cùm natus ſit Chriſtus ex ea quam Ioſephus in matrimonio retinuerit. Nam ſi ea vis eſt legis, ut partus viduæ ex agnato defuncti viri conceptus in omne jus defuncti ſuccedat, non aliter quàm ſi ex ipſius genitura ortum traxiſſet, quid ni id quod ſine humana opera ex legitima illius conjuge natum eſt, quaſi ipſius ſolo Divinitus inſitum, ipſius proprium cenſeatur? Atque hinc eſt nimirum quod non tantùm ab Euangelii ſcriptoribus Ioſephus *pater Chriſti*, nuptiis videlicet patrem demonſtrantibus, nominatur, ſed & Chriſtus omnia obſequia atque operas illi præſtitit, quæ exſpectari poſſunt à filio in ſacris paternis conſtituto. Quòd ſi ubique gentium adoptivi liberi ex ejus gentis, cui velut inſiti ſunt nobilitate cenſentur, quantò juſtiùs omnia jura gentilitia Ioſephi ac promiſſiones Divinæ ipſius majoribus factæ ad Dominum Ieſum pertinebant? Quod verò receptum eſt etiam Mariæ ſtemma poſſe ex Ioſephi ſtemmate colligi, non arbitror ſatis rectè ſuperſtrui iis quæ vulgò ponuntur fundamentis. Nam quod ajunt tribules tribulibus nubere debuiſſe, neque perpetuum eſt, neque ſi ſit eò uſque valere poteſt ut etiam ex Davidis familia Mariam fuiſſe natam inde appareat. Quare ſtatuendum non modo extra tribum, ſed ne extra familiam quidem nubere Mariam potuiſſe: quod veriſſimum eſt, quando fratres conſanguineos nullos habuit. Nam puellæ Iſraëlitides, quæ fratres non haberent, Lege Moſis jubentur nubere agnatis proximis: idque definitum exſtat Numerorum capite ultimo, ex ſpecie facti quæ ſe Moſi obtulerat. Vocem enim מטה, quæ aliquoties ibi reperitur, non *tribum*, ſi modò *Tribûs* nomine *δωδεκατημόριον* [*pars duodecima*] Iſraëlitici populi intelligatur, ſed laxiore ſignificatu *ſtirpem* notat, præſertim hoc loco, ubi additur vox altera משפחה, quæ idem valet quod *familia* Latinis, ita ut משפחת מטה אביהם propriè ſit *familia ſtirpis paternæ*. Neque aliter acceperunt LXX, qui hoc loco modò *δῆμον* modò *φυλὴν* nominant. *Δῆμον* apud illos partem eſſe integræ Tribus, id eſt, *τοῦ δωδεκατημορίου*, ex Ioſuæ libro aliquot locis apparet. Sed & *φυλὴν* pro *familia* uſurpat Ioſephus, ut cùm *φυλὰς ἀρχιερατικὰς* [*familias pontificales*] nominat belli Iudaici libro IV. Eodemque modo tum ipſe tum LXX verterunt משפחה I Samuelis XX, 6. ubi de familiari non tribuli convivio agi videtur. Et viciſſim *πατριὰ* [*familia*] dicitur interdum quæ propriè eſt *φυλὴ* [*tribus*], unde *οἱ δώδεκα πατριάρχαι* [*duodecim Tribuum principes*] in oratione Stephani, id eſt, *φύλαρχοι* aut *ἀρχίφυλοι*, ut loquuntur alii. Quare manifeſtum, voces illas non ſemper idem ſignificare, ſed pro materiæ diverſitate variè interpretandas. Vt autem hoc loco familia deſignata intelligatur, exigit ratio legi addita, quæ hæc eſt, Ne bona avita mancipii jure ad extraneos deveniant, quod non Tribuum tantùm, ſed & gentium familiarumque conſervandarum cauſâ conſtitutum eſſe ex ſimili lege quæ eſt de Redemturis intelligi poteſt. Hinc eſt quòd is qui Tobiæ hiſtoriam ſcripſit, moris Iudaici non indiligens obſervator, Saram virginem conquerentem introducit, quòd pater ipſius filios heredes non haberet, neque verò eſſet frater ei, cujus filio ſe uxorem ex lege ſervaret, cap. III, 18. Nec ſecus is qui Iudithæ hiſtoriam ſcripſit, maritum ejus ait fuiſſe non modò *τῆς φυλῆς αὐτῆς* [*ejuſdem tribus*] ſed *τῆς πατριᾶς αὐτῆς* [*familiæ ejuſdem*]. Chryſoſtomus quoque & Epiphanius quibus mores Iudæorum ignoti eſſe vix poterant iis in locis viventibus ubi maxima Iudæorum erat multitudo, ita legem quam dixi Moſis interpretantur. Legibus ſanè Atticis, quarum antiquiſſimas ex Moſis legibus deſumtas ac tantùm non deſcriptas eſſe facillimum probatu eſt, idem quod diximus invenitur conſtitutum. Vocabatur autem puella talis ſive ſola ex aſſe heres eſſet patri, ſive ſorores non etiam fratres haberet, vulgò *ἐπίκληρος* [*hereditatis compos*], ab ipſo Solone *ἐπικληρῖτις*, ab aliis etiam *πατροῦχος*. Ad quem ejus nuptiæ lege pertinebant, agnatus nimirum proximus, is dicebatur *ἐπιδικαζόμενος* [*vindicans*], Hebraicè הנחל [*hereditario jure ducens*], id eſt, *ὁ κληρονομῶν αὐτήν*, ut eſt in ea quam dixi Tobiæ hiſtoria III, 25. Ex hac lege argumentum comœdiæ ſumſit Apollodorus cui nomen fecit *Ἐπιδικαζόμενος*, aut, ut Donatus vult *Ἐπιδικαζομένη*, ex puellæ perſona quæ lege maritum petit. Eam Terentius Latinè vertit inſcripſitque *Phormionem*: in qua fabula hi ſunt verſus ad eam legem pertinentes,

Lex eſt, ut orba, qui ſint genere proximi,
Iis nubant, & illos ducere eadem hæc lex jubet.

Ibidem Donatus, *Orba proximo nubat; Orbam proximus ducat, lex Attica eſt.* Græca legis verba apud Sopatrum exſtant, τῇ ἐπικλήρῳ ἐπιδικαζέσθω ὁ ἀγχιστεὺς [*filiam heredem ex aſſe, ducat proximus*]. Sed & apud Diodorum Siculum lib. XII. indidem ſumtum illud Adelphis,

Hic meus amicus illi genere eſt proximus:
Huic leges cogunt nubere hanc.

Eſt & apud Demoſthenem, Iſæum, alioſque oratores Græcos frequens ejus legis mentio, ut & apud Ariſtophanem & Pollucem. Ipſam ἐπιδικασίας vocem Atticam poſuit Philo in hiſtoria Thamaris libro de Nobilitate. Apparet ergo quod dixi non ad omnes puellas hoc jus pertinuiſſe. Nam quæ fratres habebant, cum nullam rerum ſoli hereditatem cernerent, ea lege non tenebantur. Quippe ut Ariſtophanes ludens ait, non poteſt ulla eſſe ἐπίκληρος ὄντων ἀδελφῶν γνησίων [*filia heres quæ fratres habeat legitimos*]· quem ſenſum Iſæus ſic extulit in oratione de hereditate Philemonis, οὐ γὰρ δήπου γνησίου ὄντος υἱέος Εὐκτήμονι ἐπίκληρος ἂν εἴη ἡ θυγάτηρ αὐτοῦ [*neque enim cum Euctemoni legitimus eſſet filius, filia heres eſſe potuit*]. Atque idipſum evincit hiſtoria quæ eſt in libro Iudicum XXI, 18. ubi Tribus cæteræ, quo minus filias ſuas nuptum darent Benjaminitis, oſtendunt ſe non lege Divina, ſed jurisjurandi religione prohiberi. Et David Iuda proſatus ex Benjaminis progenie Micholem ducit uxorem, nunquam eo nomine reprehenſus: & de Hillele Phariſæo ſcriptum reperimus, apud Hebræos patrem ei fuiſſe ex Tribu Benjamin, matrem ex Tribu Iuda. Quod & aliis exemplis confirmabitur ad Lucæ caput I. Adjicit Ioſephus, potuiſſe quaſvis virgines cuivis Hebræo nubere, ſi hereditatem ſibi delatam repudiarent. Quare nec Leviticæ gentis virgines eo vinculo obſtringebantur, ut quæ ex lege rerum ſoli capaces non eſſent, ideoque rite cuivis de populo nuberent. Errant igitur qui non putant ſalva lege fieri potuiſſe ut Elizabeth, quæ Aaronicæ eſſet familiæ, Mariam cognatione attingeret. Nam nihil obſtabat, quo minus pater, avus, aliuſve quis majorum Mariæ Davide proſatus Leviticam virginem in matrimonium duceret: neque enim eo facto jura hereditatum lædebantur. Quanquam vero Maria in re tenui fuit, quod & hoſpitium Bethlehemiticum & paupertina turturum oblatio ſatis oſtendit, nihilominus valere in ipſa jus τῶν ἐπικλήρων [*filiarum heredum*] debuit, ob Divinas promiſſiones factas Davidis poſteritati, quæ tanto in pretio erant apud Iudæos, ut etiam poſt exciſa Hieroſolyma in exſilii ſui ſedibus Patriarchas ſibi non aliunde quam ex Davidis ſtirpe præfecerint, quibus ferme ut regibus parebant, quemadmodum Origenes, Epiphanius, Theodoretus, Chryſoſtomus nos docent, & ea quæ in Codice Theodoſiano eſt coronarii auri mentio. Ita cum in Babylonico exſilio Iudæi agerent, rerumque ſoli præter ſpem nihil retinerent, virgines tamen μονοκληρόνομοι [*ex aſſe heredes*] agnato proximo nubebant, ut ex Tobiæ hiſtoria apparet. Non ignoro in Thalmudicis ſcriptis & poſt ſecutis interpretibus tradi præceptum illud Moſis de ducendis virginibus proximis tantum in illis diviſionis primæ temporibus valuiſſe. Sed ut in aliis rebus non paucis, ita in hac quoque videntur Thalmudis collectores ex variis Iuriſconſultorum ſententiis eas tantum retuliſſe, quæ tempore collectionis factæ moribus invaluerant, omiſſis aliis à quibus diſceſſum erat. Nam ſi perpetuo is fuiſſet piorum atque eruditorum conſenſus, quomodo aut Ioſephus hiſtoriæ conditor id ignoraſſet inſtitutus in patrio jure, aut quî in mentem veniſſet ſcriptori Tobiæ mentionem facere moris incogniti? Philo quoque hanc legem ut perpetuam refert. Cætera quæ ad conciliandam cum Lucæ Matthæi γενεαλογίαν [*recenſionem generis*] pertinent, ad Lucam tractabimus.

Τὸν ἄνδρα, *virum*] Quod notatum eſt à viris doctis *maritum* atque *uxorem* etiam ex ſponſalibus dici, non Hebræorum tantum ſed & aliarum gentium inſtitutis convenit. Nam & Servius Iuriſconſultus (citante Pomponio) recte dicebat *ſoceri* & *ſocrus*, & *generi* & *nurus* appellationem etiam ex ſponſalibus acquiri. Ita in epiſtolis Heroidum Hermione pacta Oreſti:

Vir precor uxori, frater ſuccurre ſorori.

Servius ad Eclogam octavam: *Conjugis*, inquit, *non quæ erat, ſed quæ fore ſperabatur.* Vide Deuteronomii XXII, 23.

Μαρίας, *Mariæ*] Hebræum nomen eſt מִרְיָם, quomodo appellata fuit ſoror Moſis. Sed poſteriores Hebræi more Syro מַרְיָם extulere, id eſt, Μαριὰμ, quomodo id nomen ſæpius reperias apud Matthæum & Lucam: nec aliter apud Ezechielem Poetam qui Iudaicas tragœdias Græce ſcripſit. Nam ut Iod conſonans in vocalem mutaretur extorſit Græca literatura eam conſonantem ignorans. Cum vero nulla Græca vox in μ terminetur, eoque omnia in μ ſint ἄκλιτα [*indeclinabilia*], formam Græci nominis ac declinationis accipere poſſunt aut detractione aut additamento. Additamento uſus eſt Ioſephus, qui hoc nomen ita effert Μαριάμμη [*Mariamme*]· detractione Lucas & Matthæi interpres, qui ubi variare ſuis caſibus hoc nomen volunt ſcribunt Μαρία, Μαρίας [*Maria, Mariæ*]. Ita cum ſimiliter λ terminationem Græca lingua neſciret, Punica nomina à *Baal* derivata Græci aut auxere, ut Ἱερόμβαλον, Ἀβέλβαλον [*Hierombalum, Abelbalum*], dixit Philo Byblius, aut imminuerunt appoſita litera Græcæ terminationis, ut Ἀσδρούβας, Ἀννίβας [*Aſdrubas, Annibas*]. Tale & *Amilcar* Ἀμίλκας, *Bogud* Βόγος. Et apud Ioſephum *Cain* Καῒς. Et in Maccabaicis *Ionathan* Ἰωνάθας. Ita pro Ἀβραὰμ [*Abraham*] alii dixere Ἀβράμος, ut Artapanus in Iudaicis, alii Ἀβραὰς, manentibus utriuſque nominis veſtigiis etiam in uſu Latino. Idem Nicolao Damaſceno eſt Ἀβράμης. Simile eſt pro Ἰωσὴφ Ἰωσῆς [*Ioſeph, Ioſes*] Matth. XXVII, 56. Marc. VI, 3. XV, 47. Actor. IV, 36. Luc. III, 29. & Ἰώσηπος [*Ioſepus*]. Sic etiam ex שבת factum eſt σάββα, σάββατος & σάββατον, σαββάτου.

Ὁ λεγόμενος Χριστός. *qui vocatur Chriſtus*] Referendum eſt participium ad tempus ſcriptionis: indicat enim de illo Ieſu ſe agere qui jam omnibus *Chriſti* cognomento innotuiſſet. Sic & Ioſephus de

Iacobo ſcribens ἀδελφὸν [*fratrem*] eum vocat Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριστοῦ [*Ieſu ejus qui Chriſtus dicebatur*]. Vocantur autem Hæbraice משיחים [*Vncti*] qui ſingulari Divinæ providentiæ beneficio ad eximias dignitates erant provecti,ut Abraam & Iſaac Pſalm. CV,15. ita ἱερεὺς ὁ χριστὸς [*unctus Sacerdos*] in Veteri teſtamento eſt ὁ ἀρχιερεὺς [*Sacerdos ſummus*]. βασιλεὺς ὁ χριστὸς [*Rex unctus*] *Rex eximius*,ut Cyrus Eſaiæ XLV,1. Rex Tyri Ezech. XXVIII,14. καθηγητὴς ὁ χριστὸς [*magiſter unctus*] *doctor eximius* infra XXIII,8. καθ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vero Iudæi, Prophetarum ac præſertim Danielis vaticiniis excitati,eo nomine illum appellabant quem à Deo exſpectabant Regem Doctoremque ſummum, Ioh. IV,25. Illum autem Chriſtum eximium ſe eſſe Ieſus profeſſus eſt, cauſamque nominis reddit tum ipſe tum diſcipuli ipſius, quod ad proferendam confirmandamque doctrinam cœleſtem vi plane incomparabili eſſet instructus, ut videre eſt Luc. IV,18. Act. IV,27. X,36,38. Hebræor. I,9. Ioh. III,34. Quo ſenſu etiam vitam adhuc agens terrenam, Regem ſe agnoſcit, quia nimirum per veritatem à ſe teſtatam jam regnum in ſuorum animis obtineret, Ioh. XVIII,37. Cum alioqui ſenſu alio poſt reſurrectionem demum dicatur eſſe *conſtitutus Dominus & Chriſtus*, Act. II,36. Adeo autem invaluit hæc *Chriſti* appellatio, ut apud τοὺς ἔξω [*eos qui extranei ſunt Eccleſiæ*] vix cognito *Ieſu* nomine, agnomen illud in nominis uſum tranſiret. Ita enim eum appellant Tacitus, Suetonius, Plinius. quo factum eſt ut Iudæi Græco utentes ſermone, qui Ieſum eſſe Chriſtum agnoſcere nolebant, ſuum illum quem fruſtra exſpectabant miſeri, non ut ante Χριστὸν [*Chriſtum*], ſed diſcriminis cauſa ἠλειμμένον [*delibutum*] vocare inceperint.

17. Γενεαὶ, *generationes*] Varias ſignificationes hæc vox habet, de quibus alias erit agendi locus. Quod hic ſignificatur,videtur mihi non ſatis commode una Latina voce exprimi poſſe; itaque interpretor *generatæ perſonæ*: Ita enim loquuntur Iuriſconſulti, *Semper generata perſona gradum adjicit*. Atque hoc ipſo ſenſu Græcam hanc vocem reperio apud Iſocratem Buſiride, cum ait Herculem fuiſſe Perſeo τέτρασι γενεαῖς νεώτερον [*quatuor generationibus poſteriorem*]. Quod autem perſonas quaſdam omiſerit Matthæus, factum id eſt rotundandi numeri cauſa. Vt enim memoriæ conſuleret, primum ſtemma omne in tria tempora digeſſit, quibus dilucidas ἐποχὰς [*epochas, claſſes, gradus*] attribuit, ante Regnum, Regni florentis, & Regni ceſſantis: rurſumque ternis his ordinibus perſonas pari numero adſcripſit, ut ſolent qui memoriæ cauſa imagines locis diſponunt. Quod ut conſequeretur, parvi duxit perſonas quaſdam minus nobiles tranſilire, quod & alios hiſtoricos ubi rem in ſummam conferunt facere videmus, ut Solinum in Macedoniæ Regibus; & apud Hebræos Eſdram I Paralip. IV,1. & ſcriptorem quarti qui dicitur Eſdræ, initio, ubi ſex nomina omitti collatio Paralipomenon docet: Etiam I Paralip. VI. in cenſu poſterorum Aaronis omiſſos quoſdam facile ex Ioſepho deprehendere eſt: Præſertim cum genuiſſe non tantum pater filium, ſed & avus nepotem & pronepotem proavus ſalva recti ſermonis ratione dicatur. Non conſtabit autem numero ſuo ſumma, niſi Iechonias ponamus duos, alterum Ioacim (quod nomen, ut recte Hieronymus notat, facile cum vicino *Iechoniæ* nomine confundi potuit; nam & in Apocrypho Eſdræ priore in Latinis exemplaribus hic Ioacim dicitur Iechonias), alterum ejus filium Iechoniam (quem tamen & ipſum Hebræi temporum digeſtores יהויכין *Ioacin* vocant, quos ſequitur Alexandrinus Clemens Strom. I. & Ἰωάχιμον Ioſephus); qui tamen quaſi cognomines diſtinguuntur ipſo tam longi exſilii intervallo: ac niſi Chriſtum ipſum annumeremus ut perſonam ultimam tertiæ claſſis. Quanquam autem de binario & ſeptenario numero, quorum inter ſe πολλαπλασιασμὸς [*multiplicatio*] efficit quatuordecim, aut etiam de ſenario & ſeptenario qui itidem πολλαπλασιασθέντες [*multiplicati*] totum ſtemma conficiunt, multa poſſint ſubtiliter dici, etiam ex Hebræorum diſciplina, qui & in aureo candelabro membra notant fuiſſe XLII, & totidem columnas in tribus porticibus quæ templi Baſilicam ambiebant, abſtinere tamen ταύτης τῆς περιεργείας [*ab hac ſupervacua operoſitate*] ſatius cenſeo, cum mihi perſuadeam non affectatum hunc numerum Matthæo, ſed quem obtulerat claſſis prima eaque notiſſima, eundem in claſſibus ſequentibus expreſſum.

18. Ἡ γέννησις, *generatio*] Olim plerique codices habuerunt γένεσις [*ortus*]. Nam quiſquis eſt ſcriptor Dialogi adverſus Macedonianos non tantum citat eum in modum, ſed diſerte adjicit, ἡ γένεσις εἶπεν οὐχ ἡ γέννησις [*ortus, non nativitas*]· eoque argumento utitur ut probet ὅτι τὸν ναὸν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔκτισε [*à Spiritu ſancto conditum templum corporis Chriſti*]. & mox iterum, πρῶτον γένεσιν ἄκουε τοῦ ναοῦ, καὶ τότε γέννησιν [*primùm ortum intellige templi, deinde natales*]. mihi non multum intereſſe videtur, utro legamus modo.

Μνηστευθείσης γὰρ, *Cum enim eſſet deſponſata*] Illud γὰρ [*enim*] hic abundat,ut Lucæ XII,58. & alibi. Donatus ad prologum Andriæ: nam *incipiendi vim habet modo*. ubi illud Virgilii adfert,

Nam quis te, juvenum confidentiſſime, noſtras
Iuſſit adire domos?

Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, *antequam convenirent*] Non videtur perpetuum fuiſſe ut à ſponſalium die ſponſa in ſponſi domum tranſiret; quanquam Chryſoſtomus id affirmat, credo quia Antiochiæ ſua ætate id fieri videbat. Cum Iudæi ipſi diſſentiant, credibilius eſt liberi juris id fuiſſe, aliterque atque aliter uſurpatum pro utriuſque commodo. Nam Rebecca deducta eſt ad Iſaacum ante nuptiarum ſollemnia, quia Iſaaco incommodum erat in Meſopotamiam proficiſci. Contra Samſonis ſponſa manſit in domo paterna: Et id fuiſſe uſitatius ſatis probabiliter colligitur ex loco Deut. XX,7. quod & Romanis moribus proditum eſt à Modeſtino, eam quæ deſponſa eſt ante contractas nuptias domicilium non mutare. Cæterum illud conſtat, ſponſas intactas fuiſſe donec convocato cœtu matrimonium ſolenni prece initiaretur: quod non tam lege præceptum, quam ab antiquiſſimis, ut arbitror, patribus traditum, Iudæi ut olim ita nunc quoque obſervant, à quibus ad Chriſtianos id inſtitutum honeſtatis pleniſſimum manavit, qua de re agemus infra infrà ad caput xxv. Itaque etiam ſi virginalis pudicitiæ cuſtodiam in ſe ſponſus recepiſſet, manebat tamen ſponſa ad nuptiarum diem ἐν τῇ γυναικωνίτιδι [*in mulierum conclavi*] à ſponſo ſequeſtrata, perinde quaſi in alia domo ageret. Id enim ſignificare videntur Moſis verba Geneſ. xxiv, 67. ubi Iſaacus narratur Rebeccam ad ſe deductam in tentorium quod matris fuerat introduxiſſe, ac deinde eam ſibi accepiſſe in uxorem. Atque eidem mori, ut jam recepto, ſuperſtructa eſt lex illa de captiva muliere, quæ exſtat Deut. xxi, 13. Quæ cùm ita ſe habeant, ex duabus ſignificationibus quas vox τοῦ συνελθεῖν [*conveniendi*] recipit, ut nempe aut *domicilii* ſignificet aut *tori conjunctionem*, priorem præferam, propter id quod ſequitur μὴ φοβηθῇς παραλαβεῖν Μαριὰμ [*noli timere accipere Mariam*], & deinde, παρέλαβε τὴν γυναῖκα αὐτοῦ [*accepit conjugem ſuam*]. Ea enim vox, niſi ubi ad animum refertur, φορὰν τινα [*motum quendam à loco in locum*] ſignificare ſolet apud Scriptores Novi Federis, atque hoc quidem loco nihil mihi videtur differre ab eo quod Ioannes dixit xix, 27. λαμβάνειν εἰς τὰ ἴδια [*accipere in ſua*]. Eſt ergo παράληψις [*aſſumtio*], ubi de ſponſo ſponſaque ſermo eſt idipſum quod Romani *domum ductionem* vocant. Tobiæ Scriptor ejus loco dixit κομίζειν [*deducere*] vii, 15. quo modo eam vocem & Andocides uſurpavit, ſed addito εἰς τὴν οἰκίαν [*in domum*]. Huic hujus loci interpretationi favet traditio vetus Nazarethanorum, memorata Hieronymo locis Hebraicis.

19. δίκαιος, *juſtus*] Non videtur hîc mihi ſignificari juſtitia illa generalis, cujus nomine Zacharias & Elizabeth commendantur, & quæ verſu iſto Græco deſcribitur,

Ἐν ᾗ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι·
[*Iuſtitia in ſeſe virtutes continet omnes*;]

ſed potiùs ſpecialis aliqua, neque verò διανεμητικὴ [*diſtributiva*] aut συναλλακτικὴ [*commutativa*], ſed illa quam peculiariter *bonitatem* vocare ſolemus; ſicut apud Danielem & alibi ſæpe צדקה χρηστότητα ſive *miſericordiam* ſignificat: quo factum eſt ut etiam benignitas erga pauperes eo nomine Hebræis ſignificetur. Neque malè huc referas quod eſt 1 Ioannis 1, 9. Ἐὰν ὁμολογῶμεν τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν, πιστός ἐστι καὶ δίκαιος ἵνα ἀφῇ ἡμῖν τὰς ἁμαρτίας [*Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata*]. Tobiæ quoque Scriptor conjunxit ut affinia ἐλεημοσύνην καὶ δικαιοσύνην [*miſericordiam & juſtitiam*] xiv, 10. Propiùs autem huc pertinet quod Ariſtoteles ait τὸ ἐπιεικὲς [*æquum*] eſſe δίκαιον δικαίου τινὸς βέλτιον [*juſtum aliquod melius juſto altero*]· & τὸν ἐπιεικῆ [*virum æquum*] deſcribit τὸν μὴ ἀκριβοδίκαιον, ἀλλ' ἐλαττωτικόν [*non ſummo jure utentem, ſed cedentem de ſuo*]. Donatus ad illud Terentii Andriâ, *juſta fuerit ſervitus*, *Iuſta*, inquit, *moderata*. Præcipuè autem bonitas hæc ſe oſtendit quoties pœnas legibus præſcriptas non rigidè exigimus: nam ut ait Sopater Philoſophus, τὸ ἐπὶ τοῖς ἐγκλήμασι κείμενον τῆς δίκης οὐκ ἀναίνεται τὸ πρᾶον καὶ φιλάνθρωπον τῶν χαρίτων πρόσωπον [*pars juris quæ circa delicta verſatur non repudiat mitem & humanum vultum Gratiarum*]. Chryſoſtomus bene hoc loco, Δίκαιος οὖν ὢν, τοῦτ' ἐστι χρηστὸς καὶ ἐπιεικής [*juſtus cùm eſſet*, id eſt, *bonus ac facilis*].

παραδειγματίσαι] Latinè interpretari licet, *cùm curare nollet ut ea exemplum eſſet*, hoc eſt, ut explicat Hilarius, *cùm nollet in eam lege decerni*, κολάζειν Theophylactus, *puniri* Auguſtinus. Quod de lapidationis pœna Lege Moſis ſtatuta in ſponſas ſtupri compertas par eſt intelligi. Nam ad id tempus judicia Legis in Iudæa per Herodem, qui Legis ſtudioſus videri volebat, exercebantur. Et vox παραδειγματίζειν Polybio de mortis ſupplicio uſurpatur: ideoque & Demoſthenes διακριτικῶς [*diſtinctè*] dixit ζῶντα παράδειγμα ποιῆσαι· [*vivum facere ut exemplum ſit*]. Apud Helleniſtas autem de mortis pœna uſurpatum τὸ παραδειγματίζειν apparet tum ex Lxx interpretatione Num. xxv, 4. tum ex additamentis ad Eſtherem xiv, 9. Quod autem objiciunt viri eruditi, potuiſſe Ioſepho in animum venire ante ſponſalia vitiatam eſſe virginem, mihi veriſimilius videtur uteri ſigna reſpondiſſe tempori conceptionis, quod ſponſalibus poſterius fuit, Luc. 1, 26. Neque diſſentit hîc à nobis Iuſtinus in Colloquio cum Tryphone, cùm dicit putaſſe Ioſephum τὴν μνηστὴν αὐτῷ Μαριὰμ ἐγκυμονεῖν ἀπὸ συνουσίας ἀνδρὸς, τοῦτ' ἔστιν ἀπὸ πορνείας [*putaſſe eum Mariam ſponſam gravidam eſſe ex viri complexu, id eſt, ex ſtupro*]. Nam vox πορνείας [*ſtupri*] extra controverſiam ſuo ambitu τὴν μοιχείαν [*adulterium*] comprehendit, ut apparet Matthæi v, 32. Ideoque non veritus eſt Auguſtinus dicere, *cùm nihil aliud quàm adulteram crediſſet*. Neque verò, id ſi ita eſſet, indignum fuit viro bono puellæ de vita famaque ſimul periclitanti parcere. Nam ut omittam quod de vitio in urbe oblato Lex decernit Deut. xxii, 24. ejus eſſe generis cujus ſint pleraque legum, quæ ita reſpiciunt id quod ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*plerumque*] accidit, ut tamen evenire poſſint facti ſpecies in quibus deficiat lex διὰ τὸ καθόλου [*ob univerſalitatem*], eóque egeat ἐπανορθώματος [*correctione*], etiam præter vim multa alia poſſunt accidere quæ culpam non tollant quidem ſed minuant, in quam partem ſemper credula eſt bonitas. Adde quòd Ioſepho omnia benigniùs interpretandi cauſam præbuerunt perſpecti virginis mores. Deinde accuſatæ & convictæ lex pœnam irrogat, accuſationem autem nemini imperat. Quin ſi Ambroſio credimus non ſolùm ab ultionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeveritate aliena juſti perſona eſt.

λάθρα, *occultè*] Non quidem conſcio nemine (id enim fieri non poterat, cùm mos eſſet Iudæis non minùs quàm Romanis ut nec contraherentur nec dirimerentur ſponſalia niſi adhibitis teſtibus), ſed privatim, id eſt, ſine judicio publico & non redditâ cauſâ. Id enim hîc valet vox iſta, oppoſita τῷ παραδειγματίζειν [*ei quod eſt exemplum facere*].

ἀπολῦσαι αὐτήν] *Repudium ei mittere.* Id enim de ſponſa non minùs quàm de uxore dicitur.

20. ἐνθυμηθέντος] *Cùm hæc animo agitaret*: ut plerumque hæc vox ſumitur apud Græcos ſcriptores, & Actor. x, 19. Videtur enim inclinaſſe quidem ad repudium Ioſephi animus, ita tamen ut nihil dum certi conſtituiſſet, ſed variis ſuper hac re cogitationibus diſtraheretur.

Ἄγγελος] Hebræi ſpiritus iſtos qui inter Deum rerum opificem hominesque ſunt interpoſiti modò

אלהים [*deos*], modò מלאכים [*nuntios*] vocant, quorum illud Græcè θεοὺς, iſtud ἀγγέλους ſignificat. Atque inde eas appellationes ſumſit Pythagoras, quem multa hauſiſſe ab Hebræis Numenius aliique Pythagorici profitebantur, cujuſque adeò inſtituta eadem eſſe cum Eſſenorum inſtitutis Ioſephus prodidit. Sed & eas voces uſurpavit adhibito diſcrimine. Nam θεοὺς [*deos*] vocabat mentes ſublimiores & ad Divinam naturam propiùs accedentes, quas ſtatuebat ἀτρέπτους [*immutabiles*]· ἀγγέλους [*Angelos*] autem eos ſpiritus qui proximum primis illis locum eſſent ſortiti, ὡς ἐκφαίνοντας καὶ διαγγέλλοντας ἡμῖν τοὺς πρὸς εὐζωΐαν κανόνας [*ut qui aperiant nuntientque nobis bene vivendi regulas*], ut loquitur Hierocles: qui itidem nos docet illos communiter dictos ἀγγέλους iterum diſtinctos in claſſes tres, in ἀγγέλους [*Angelos*] propriè ac peculiariter ita dictos, in δαίμονας ἀγαθοὺς, καὶ ἥρωας [*Dæmonas bonos, & Heroas*]. Quæ omnia ex Pythagoræ ſchola in Platonicam ſunt derivata. Scriptor eorum carminum quæ olim ab ipſis etiam paganis pro Orphicis ſunt habita, quem alii Cecropem, alii Onomacritum Pythagoræ diſcipulum ajunt fuiſſe, Angelorum meminit iſtis verſibus,

> Σῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρεστᾶσιν πολύμοχθοι
> Ἄγγελοι, οἷσι μέμηλε βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται).
> [*Cælicolûm rutilam circumſtant agmina ſedem,*
> *Queis labor inſpicere eſt quid agant mortalia ſecla.*]

Quod ex Hoſtane mago ſumtum videri poteſt, ſi eum rectè verſum habuit Cyprianus cùm de Idolorum vanitate ſcriberet. Vſurpat vocem ἀγγέλων [*Angelorum*] hoc ſenſu & Ariſtides hymno in Minervam. Vſurpaverat & Labeo Romanus, ut ex Auguſtino diſcimus de Civitate Dei lib. IX, cap. 19. Vſurpant & Porphyrius & Iamblichus paſſim, & Chalcidius in Timæum, & Iulianus in Laude Athenienſium. At Hebræi Helleniſtæ de iiſdem ſpiritibus agentes θεοὺς [*deos*] non libenter eos vocarunt, quia id nomen jam paſſim apud omnes gentes in unius ſummi atque opificis Dei injuriam uſurpabatur. Sed & ἡρώων [*heroum*] vocabulo repudiato & δαιμόνων [*dæmonum*] ad maleficos ſpiritus relegato, in uſu apud eos manſit nomen ἀγγέλων [*Angelorum*]· quo & Septuaginta utuntur ſæpiſſime, & eorum exemplo Novi Federis ſcriptores; imò & Veteris Teſtamenti Chaldæi Paraphraſtæ. Quidam Helleniſtæ Angelos vocabant ἐγρηγόρους [*Vigiles*], quod nomen & apud Clementem Alexandrinum alioſque Chriſtianos legitur ex Daniele IV, 10. ubi עיר legitur, quod Aquila & Symmachus verterunt ἐγρηγόρους.

καθ' ὄναρ] Optimè Vetus interpres, *in ſomnis*: ita enim loquuntur Accius, Ennius, Virgilius, cùm de Viſis nocturnis agunt. Cicero *ſecundùm quietem* dixit. Ferme autem quatuor modis, ut Hebræi rectè notant, ſolet Deus hominibus voluntatem ſuam aut res futuras patefacere, viſis diurnis, viſis ſecundùm quietem, voce, afflatu. Græcè ita dixeris δι' ὀπτασίας, δι' ἐνυπνίων, διὰ φωνῆς, δι' ἐπιπνοίας. Chalcidius ὀπτασίαν dividit in Viſum, quod à Deo, & Spectaculum, quod per Angelos. Reliqua vocat Somnium, Admonitionem, Revelationem.

21. Ἰησοῦν, *Ieſum*] Nomen illud quod Moſis temporibus יהושע ſcribebatur, poſt exſilium Babylonicum cœpit ſcribi ישוע, in locum ה & ו, quæ uſus detriverat, productâ ſub Iod vocali. Atque ita ſcriptum reperimus apud Eſdram & Nehemiam, quamquam Aggæus & Zacharias antiquam ſcripturam retinuerunt. Nimirum venerat hoc ex Syrorum commercio, quibus receptum literas ejus generis prætermittere. Quare & Syrus interpres eodem modo ſcribit hanc vocem. Sic ex Βαριωαννᾶ [*Barioanna*] factum eſt Βαριωνᾶ [*Barjona*]. Sic urbs צען [*Tzoan*] Chaldæo eſt טנס, Græcis Τάνις [*Tanis*]· & משיח [*Meſſia*], Μεσσίας. Babyloniis בל [*Bel*] qui aliis בעל [*Baal*]. Sic שיחא *fovea* pro שיחתא, multaque alia ſimilia apud Hebræos poſteriorum temporum, & apud Chaldæos interpretes. Sed & ultima vocis litera primùm leviter pronunciata, ut apparet ex Latina voce *Ioſue* & Græca Ἀβισουε [*Abiſue*], id eſt, אבישוע 1 Par. VIII, 3. cui ſimile eſt Ὠσηὲ [*Oſee*] ex הושע, & in ſimili litera נוח Νῶε [*Noë*], paulatim & ipſa evanuit: quam ſoni facilitatem ſecuti Helleniſtæ Iudæi Ἰησοῦ [*Ieſu*] ſcripſerunt circumflexâ ultimâ, quia nomina Hebræa ferme omnia apud Græcos ſcribuntur cum accentu in ſyllaba ultima, ut paſſim videre eſt; qui quidem accentus ob ſyllabam naturâ longam factus hîc eſt productior, ut & in Μανασσῆ [*Manaſſe*]. Cùm autem tales exitus ignoti eſſent Græco ſermoni, ideoque caſuum variationem non paterentur, facilioris tamen conſtructionis gratiâ duo caſus ſunt effigiati in Græcum morem, rectus addito σ, & quartus caſus addito ν. Itaque dicitur ὁ Μανασσῆς, τὸν Μανασσῆν [*Manaſſes, Manaſſen*] (quanquam & τὸν Μανασσῆ legimus ſuprà commate 10.) & ὁ Ἰησοῦς, τὸν Ἰησοῦν [*Ieſus, Ieſun*]. Sic Ἡσαῦν [*Eſaun*] quarto caſu apud Ioſephum. Sic Ἐλιοῦς [*Elius*] ab Ἐλιοῦ [*Eliu*] apud Græcos interpretes. Cæteroqui manent hæ voces ἄκλιτοι [*indeclinabiles*]. Dicimus enim τοῦ Μανασσῆ, τῷ Μανασσῆ, ὦ Μανασσῆ, & τοῦ Ἰησοῦ, τῷ Ἰησοῦ, ὦ Ἰησοῦ. Atque hoc modo nomen iſtud & ſcribitur & declinatur, tum apud LXX, tum apud Sirachiden; de quo nihil immutarunt ſcriptores Novi Federis, nullâ ſcripturæ differentiâ diſtinguentes hoc Chriſti proprium nomen ab ejus nomine qui Moſi ſuccedens populumque ducens in terras promiſſas Chriſtum, æternæ quietis datorem, non tantùm nominis ſono ſed & rebus geſtis adumbravit: ut videre eſt Act. VII, 45. & Hebræor. IV, 8. Neque alia ſignificatio hujus vocis comminiſcenda eſt ab ea quam nos Angelus docet ἀπὸ τοῦ σώζειν [*à ſoſpitando*], quæ cum Hebræa origine manifeſtè conſentit. Eſt ergo *Ieſus* Græcè σωτήρ· qua voce tantum ait ſignificari Cicero *ut id Latinè uno verbo exprimi non poſſit*. Mihi non videtur deeſſe vox Latina ejuſdem originis atque efficaciæ, ſed antiquior & in ſacris magis quam in uſu populari recepta, *Soſpitatoris*. Cæterùm quòd Chriſtiani quidam ſcriptores & quidem Hebræi ſermonis non imperiti nomen hoc ἀπὸ τοῦ ἰᾶσθαι [*à medendo*] deducunt, in eo mihi non videntur ad aliam vocem Hebræam reſpexiſſe, ſed quæſiviſſe vocem Græcam, quæ Hebrææ ישע non ſola ſignificatione ſed ſono inſuper cohæreret; Philonis more, qui ita ad Græcas voces amat alludere, ut ab Hebræa notatione quàm minimùm recedat. Certum autem

eſt Hebræum ישע modò idem valere quod Græcum ἰᾶσθαι, modò per receptiſſimam tranſlationem *ſalutis dandæ* ſignificationem ea voce exprimi, ſicut & Latinè *mederi alterius malis* dicitur qui alterum ab incommodo liberat. Vnde & ἰᾶσθαι [*mederi*] pro σώζειν [*ſervare* ſive *ſoſpitare*] Matth. XIII, 15. Lucæ IV, 18. & viciſſim σώζειν [*ſervare*] pro ἰᾶσθαι [*mederi*] ponitur, ut Matth. IX, 21. Marci VI, 56. Actorum IV, 9. Quin & David Kimchi apud Ieremiam III, 22. *ſanare* explicat *peccata condonare.* Et hinc factum arbitror ut Iudæi quidam inter Græcos verſantes & Græcanicâ literaturâ imbuti, cùm hoc ipſo nomine Hebræo vocarentur, Græcè ſibi nomen Iaſonis fecerint, quòd id nomen Græcæ conſuetudinis ad Hebræum illud & ſoni vicinitate & originis ſignificatu proximè accederet. Quos inter fuit Cyrenæus ille Maccabaicæ hiſtoriæ ſcriptor, paris fati cum Trogo Pompejo. Quod verò apud Theodoretum eſt, Ιαὼ ἡ σωτηρία παρὰ τοῖς Ἑβραίοις λέγεται [*Iao Hebræis ſalus dicitur*], mendoſum mihi videtur, ſcribendumque Ιασὼ [*Iaſo*], ut ſit ישע: nam ut ע Græcè per ω exprimatur non eſt inſolens.

σώσει τὸν λαὸν ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτῶν, *ſalvum faciet populum à peccatis ſuis*] Cùm triplici modo dici nos poſſit Chriſtus à peccatis liberare, primùm quia remiſſionem peccatorum nobis peperit, deinde quia in hac vita efficit ne peccatum in nobis regnet, poſtremò quia per vitam alteram delebit funditus & peccatum & mortem peccati ſtipendium, mihi tamen ad remiſſionem peccatorum præcipuè videtur reſpexiſſe Angelus, quia & Apoſtoli ejus rei maximè meminerunt ubi vocis iſtius Σωτῆρος [*Soſpitatoris*] vim explicant, Actorum V, 31. & XIII, 23. juncto commate 32, & 38. Quanquam autem voce λαοῦ omnes credentes non incommodè poſſint intelligi, cùm tamen plerumque etiam in Novo Federe ea vox Iſraeliticum populum ſignificet, ad quem peculiariter miſſus eſt Chriſtus, ut de eo hæc verba primo ſaltem maximéque obvio intellectu ſumenda arbitrer, facit is quem dixi locus Act. V, 31. & qui infrà eſt XV, 21. Adde quòd vocationem Gentium ſeriùs didicere etiam Angeli, Epheſ. III, 8 & ſeq.

22. ἵνα πληρωθῇ, *ut adimpleretur*] Quæ vis ſit hujus vocis multùm refert rectè intelligatur. Nam hunc ſimileſque locos olim Celſus & Iulianus, Iudæi, veteres olim & nunc quoque, ſoliti ſunt Chriſtianis objicere, tanquam minùs fideliter ab Apoſtolis eorumque ſectatoribus adducta eſſet Prophetarum auctoritas. Sed notandum eſt non pugnare Apoſtolos adversùs Iudæos his quaſi teſtimoniis ut probent Ieſum eſſe promiſſum Meſſiam: pauca enim ſunt oracula quæ in hunc finem uſurpant, contenti cæterùm Chriſti miraculis & reſurrectione. Nam (ut ille olim dicebat) aut hæc ſatis erant, aut nihil erat ſatis. At quibus id jam perſuaſum erat Ieſum eſſe illum Meſſiam, his ſimul oſtenſum voluerunt quomodo tota Divina οἰκονομία [*diſpenſatio*] priorum temporum hunc ipſum Chriſtum ejuſque res geſtas, ut pulcherrimam ac perfectiſſimam ſpeciem, perpetuò velut ante oculos habens, cætera omnia ad illud inſtar effinxerit. Huc ſpectat, præter alia multa quæ ſuis locis explicabuntur, quòd Chriſtus dicitur προεγνωσμένος πρὸ καταβολῆς κόσμου [*præcognitus ante mundi conſtitutionem*] 1 Petri 1, 20. Et hæc ſapientia Divina quæ in Chriſto mittendo elucet προωρισμένη πρὸ τῶν αἰώνων [*quam prædeſtinavit Deus ante ſecula*] 1 Corinth. II, 7. Sed maximè perſpicuum illud ad 1 Corinth. X, 11. *Hæc omnia illis* (qui ſcilicet ſub Veteri Federe fuerunt) *evenerunt* τυπικῶς [*in figura*]. *ſcripta autem ſunt ad noſtri admonitionem* εἰς οὓς τὰ τέλη τῶν αἰώνων κατήντησεν [*in quos fines ſeculorum devenerunt*]. Sic alibi tempus Chriſti vocatur πλήρωμα [*plenitudo*] *temporum*, Gal. IV, 4. Epheſ. I, 10. Non igitur inſtituta tantùm Legis, umbra Chriſti fuerunt, quod oſtenditur Hebræor. VIII, 5. X, 1. & Coloſſ. II, 17. ſed & res geſtæ præſertim nobiliores. Quod rectè monet Iuſtinus adversùs Tryphonem, Ἔσθ' ὅτι γὰρ τὸ ἅγιον Πνεῦμα καὶ ἐνεργῶς πράττεσθαί τι, ὃ τύπος τοῦ μέλλοντος γίνεσθαι ἦν, ἐποίει [*Interdum ſanctus Spiritus effecit ut etiam re ipſa fieret aliquid quod figura eſſet rei futuræ*]. Et poſtea res geſtas ait eſſe προκηρύγματα τῶν κατὰ Χριστοῦ ἁπάντων [*prænuntiationes omnium quæ ad Chriſtum pertinent*]. Tertullianus de Reſurrectione carnis: *Talia interim divinarum virium lineamenta, non minùs parabolis operato Deo, quàm locuto.* Item: *Scimus ut vocibus ita & rebus prophetatum.* Chryſoſtomus ad Romanos, Οὐ γὰρ ἔλεγον οἱ προφῆται μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔγραφον ἅπερ ἔλεγον· οὐκ ἔγραφον δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ πραγμάτων ἐτύπουν [*Non locuti ſunt tantùm Prophetæ, ſed & ſcripſere quæ locuti ſunt; nec ſcripſere tantùm, ſed & rebus figurarunt*]. Et in priorem ad Corinthios, Τὰ μὲν διὰ ῥημάτων, τὰ δὲ διὰ τύπων ἐστὶν αὐτοῖς κείμενα [*Quædam apud illos verbis, quædam rebus ponuntur*]. Et ſecundo ſermone de Iejunio ait aliam eſſe προφητείαν διὰ τύπου ſive πραγμάτων [*Prophetiam per figuram* ſive *res*], aliam διὰ λόγου ſive ῥημάτων [*per ſermonem* ſive *verba*]. Illud autem quod Paulus dicit τυπικῶς [*in figura*], ſumtum eſt à pictoribus ac ſtatuariis, aut etiam ab ædificiorum ſtructoribus, qui egregium aliquod opus molientes primùm craſſiùs idipſum delineant, deinde paulatim id efficiunt quod animo conceperant. Nam prima illa lineamenta τύποι [*typi*] dicuntur: unde illud Ariſtotelicum ὡς ἐν τύπῳ [*ut in typo*] oppoſitum τῷ ἀκριβεῖ [*exactæ formæ*]. Illud autem ἀκριβὲς [*exactum*] ab Apoſtolis vocatur τὸ πλήρωμα [*plenitudo*] more Hebræorum, qui מלאה vocant cujuſque rei πλειότητα [*perfectionem*], ut Canticor. V, 12. explicat Abenezra, quo loco LXX habent ἐπὶ πληρώμασι [*in plenitudine*]. Quod ſi res ipſæ Divino conſilio Chriſtum ſpectant, ſanè & ſigna rerum Divinitus inſtituta eòdem referenda ſunt. Sunt autem ſigna duum generum, ὁρατὰ καὶ ἀκουστὰ [*quæ ſpectantur, & quæ audiuntur*]. Et quæ ſignantur ſunt præterita, inſtantia, futura. Omnium autem horum generum exempla nobis Chriſtus, Apoſtoli, aliique Novi Federis ſcriptores ſuppeditant. Contenti ſimus paucis, neque aliis quàm in quibus hæc eadem vox τοῦ πληροῦσθαι [*complendi*] reperitur. Ὁρατὸν [*Viſibile*] ſignum rei præteritæ, liberationis ſcilicet ex Ægyptia ſervitute, fuit agnus Paſchalis. Liberatio autem illa τύπος [*typus* ſive *præfiguratio*] liberationis noſtræ à peccatis. Hac de cauſa Chriſtus oſtenditur in Paſchali agno fuiſſe adumbratus 1 Corinth. V, 7. Impietatem

veterum Iudæorum Deus providè permiſit ſummæ impietati quæ in Chriſtum exercita eſt quaſi præludere. Illa autem vetus impietas præſente ſigno nummorum haud magni pretii, quo ſe Deus æſtimatum querebatur, Dei ipſius juſſu ac Zachariæ miniſterio conteſtata eſt Zachar. XI, 13. in eo igitur ſigno oſtenditur delineatio fuiſſe ſceleratæ pactionis inter Sacerdotes & Iudam Iſcarioten, Matthæi XXVII, 9. Ad ἀκουστὰ [*ea quæ audiuntur*] ut veniamus, ea nimirum quæ voce ſunt pronunciata aut quaſi pronunciata eſſent literis perſcripta (nam literæ duntaxat ſecundariæ ſunt notæ vocum, ut voces rerum), commemorationem præteriti beneficii habet Oſeæ locus XI, 1. liberationis nimirum ex Ægypto, quæ, ut jam diximus, majoris libertatis per Chriſtum partæ rudimentum quoddam fuit. Ipſa autem hiſtoria Chriſti nos admonet ità directam à Deo mentem Prophetæ loquentis, ut quod de populo Iſraëlitico ab ipſo dicebatur, non minus rectè aut etiam rectius in Chriſtum conveniret, Matth. II, 15. Ejuſdem argumenti eſt carmen Aſaphi Pſalmo LXXVIII, 2. cujus verba itidem ſunt talia ut in Chriſtum optimè quadrent, Matth. XIII, 35. Sic Pſalmum LXXII. ſcriptum honori Solomonis, ut titulus indicat, ad Meſſiam referunt Paraphraſtes eo loco, & Salomon Iarchi, ut & Saadia Gaon ad Daniel. VII, 14. Locutionum quæ ad inſtans tempus directè pertinebant & tamen Divino conſilio ad Chriſtum referebantur hæc habemus exempla. Ea quæ de ſtragibus ſuo tempore editis in Bethlehemitica regione dixerat Ieremias XXXI, 15. ita depingunt id quod ab Herode patratum eſt, ut vix aliis verbis poſſit id ipſum ſignatius exprimi. Quod legitur Eſaiæ LXI. ipſo initio, videtur quidem id Propheta dicere de munere ſibi impoſito conſolandi captivam multitudinem ſpe reditus; at ea ſunt verba quæ Chriſto aptata rem ipſam luculentiſſimè deſignent, ſicut & ipſe reditus è Babylonia Chriſti beneficia figuravit. Cùm verò veterum nullus majoribus malis à Deo exercitus, rurſumque majore gloria adfectus fuerit, quam David, plane apparet hoc à Deo actum, ut res Chriſti in illo propius quam in cæteris præſignarentur. Ideo & verba quibus conqueritur immerito ſe exoſum, imo ab eo quem amicis accenſuerat proditum, ejuſmodi ſunt ut ad Chriſti res nihil poſſit accommodatius dici, quod apparet Pſalm. XXXV, 19. Iohan. XV, 25. Pſalm. XLI, 10. Iohan. XIII, 18. Actorum I, 17. Quid quod quædam ita de ſe elocutus eſt David, ut quæ ipſi conveniebant κατὰ λέξιν ἐσχηματισμένην [*ſecundùm figuratum ſermonem*], ea ad Chriſtum ſervata verborum proprietate pertinerent? quale eſt illud de veſtium diviſione & ſortibus jactis Pſalmo XXII, 19. Matth. XXVII, 35. Iohan. XIX, 24. deque amaro atque acido potu Pſalm. LXIX, 22. Iohan. XIX, 28. Idem obſervare eſt in præſagiis futurorum, niſi quod hæc poſſumus dicere bis impleri, ſemel cum res illa evenit quæ directè prædicitur, iterum vero & quidem excellentius cum id apparet cui adumbrando ipſa illa res, ac proinde etiam verba eam notantia ſerviebant. Ita Eſaiæ IX, 1. videtur Galilææ lux aliqua annunciari quæ Ezechiæ temporibus affulſerit, ſed ita ut ea ipſa lux prævia eſſet luci à Chriſto afferendæ, atque adeo omnia Prophetæ verba reperiuntur ad res Chriſti vel maxime accommodata. Ita poſſunt quæ dicuntur Eſaiæ XLII. ad Zorobabelem, & quæ leguntur Zachariæ IX, 9. ad Iudam Maccabæum aut ad alium quempiam referri, dum tamen fateamur, quod verum eſt, horum quoque factis Chriſtum fuiſſe adumbratum, jam tum volente Deo populum ſuum aſſuefacere, ne Divina beneficia ex pompa ſtrepituque rerum exteriorum metiretur, atque ita movente mentes Prophetarum, ut eorum dicta & primis eventibus reſponderent, & per Chriſtum tamen inſignius præſtarentur. Hæc igitur omnia, & quæ alia ſunt ejus generis, ſuis locis excutienda, non in vim argumenti proprie adhibentur, ſed ad illuſtrandam atque confirmandam rem jam creditam. Ideo Paulus Veteris Federis hiſtoriam aptans ad annunciati Euangelii tempora addit, ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα [*quæ ſunt per allegoriam dicta*]. Quæ ratio Scripturas interpretandi, præſertim incolumi manente ſenſu altero ſimpliciori minuſque elaborato, nullo jure à Iudæis improbari poteſt, ut qui inter genera explicationum numerent maximique faciant τὸ ἀλληγορούμενον [*ubi aliud enuntiatur aliud innuitur*] quod Hebraiſtæ מדרש, Philo autem Platonem ſecutus ὑπόνοιαν vocat. Imo Hebræorum magiſtri & veteres & novi multis locis Prophetarum ſenſus duos aſſignant, atque ipſe David Kimchi Pſalmum II. tum de Davide tum de Meſſia exponit. Quod amplius eſt, etiam ubi factum aliquod veteri ſimile occurrit, dicunt מתקיים, ἐπληρώθη, ſive *comprobatus* eſt hic vel ille Scripturæ locus. Quod ſi ſenſiſſent Apoſtoli omnem Divinam de Chriſto diſpenſationem palam à Prophetis ſine ullo involucro fuiſſe proditam, neutiquam dicerent arcanum id eſſe, quod ab omni ævo abſconditum, iſta demum ætate patefieret, Coloſſ. I, 26. I Corinth. II, 7. Epheſior. III, 9. Quiſquis vero credit Ieſum eſſe Chriſtum, quod ut diximus etiam extra vaticiniorum fidem miraculis ipſius ac reſurrectione abunde probatur, is vero clare perſpicit, quomodo Divina providentia & res & verba Antiqui Federis ad Chriſtum, tanquam ad ſcopum ſibi propoſitum, certiſſime direxerit. Quibus verò ſua pertinacia obſtat quominus id credant, ii in lectione ejuſdem Federis, quaſi velo obnuptos animi oculos habent, neque aufertur id velum, niſi his qui ſe jam ad Dominum Ieſum converterint, II Corinth. III, 14. Hæc in ipſo noſtræ commentationis primordio uberius paulo præloquenda cenſui, quia tum ad explicationem locorum aliquot, tum ad diluendas eas obtrectationes quibus adverſarii plurimum videntur confidere, non exigui momenti mihi eſſe videbantur. Vt ergo veniamus ad hunc locum qui nobis in manu eſt, & in quo Iuſtinus, Origenes aliique tantopere ſudarunt, mihi nihil videtur periturum veritati, ſi concedamus aliud apud Eſaiam prima fronte indicari, aliud autem ſub involucro tegi: atque ita quidem ut quod in Pſalmis eveniſſe modo oſtenſum eſt, verba ipſa Prophetæ relata ad ultimum illud complementum ſignificatum obtineant magis proprium magiſque excellentem. Sed illud ſimul admonendi ſumus, ſæpe fieri ut ejuſdem περικοπῆς [*particulæ*] non verba ſingula in Chriſtum congruant, ſed præcipua quædam: ut ecce in Nathanis vaticinio illa verba, *Ipſe ædificabit domum nomini meo, & firmabo ſolium regni ejus uſque in ſeculum: Ego ero illi in patrem, & ipſe erit mihi in filium*, II Samuel. VII, 13. ita de Salomone dicuntur, ut tamen Chriſtum eminentiori quodam modo reſpiciant. quæ autem ſequuntur ad Chriſtum neutiquam pertinent. Videamus nunc quis eſſe poſſit verborum Propheticorum ſenſus primo intuitu ſe offerens, ut eo rectius alterum, tunc ἐν μυστηρίῳ abſconditum, ſed Chriſti temporibus plane revelatum intelligamus. Rex Achaz perterritus Syrorum & Iſraëlitarum in ſe conſpiratione, neque tantum de regno retinendo ſollicitus, ſed & famem cæteraque obſidii mala metuens, nullam ſpem ſalutis animo concipiebat, niſi ſe in fidem & clientelam Regis Aſſyrii, illis temporibus potentiſſimi, daret. Contra Eſaias hortabatur ipſum, ut omiſſis ejuſmodi conſiliis ſpem ſuam in Deo collocaret, adfirmans non tantum irritos fore conatus Regum Syriæ atque Iſraëlis, regnumque Hieroſolymorum manſurum penes Davidis poſteros, ſed brevi imminere excidium Iſraëlis regno, Syri autem potentiam ſtaturam intra ſuos limites. Quibus pollicitationibus cum fidem Achaz non adhiberet, Eſaias Divino imperio dat illi optionem ſigni alicujus à Deo expetendi, cujus ſigni teſtimonio fides verbis fieret. Sed cum Achaz verbis honeſtis, animo autem impio, quippe abjecta omni in Deum fiducia, hoc ipſum recuſaret, Eſaias poſt ſeriam impietatis objurgationem, ait Deum tamen ſponte ſua brevi id effecturum quod tum minimè ſperaretur, quodque velut arrhabonis eſſet loco ad obſignandas promiſſiones cæteras. Nam & diſceſſuras ex Iudæa copias Syrorum & Iſraëlitarum conatu irrito, atque interea temporis Iudæos nulla, quod tum maxime timebatur, laboraturos rerum neceſſariarum penuria. Deſcribitur autem temporis iſtius ambitus hoc ſpatio quo puella quæ tum virgo adhuc erat nuberet, conciperet, pareret, & infantem educaret, ſed intra infantiæ annos ſive priuſquam puerilis ætas ad boni malique notitiam perveniret: aut, quod eodem recidit, priuſquam is infans parentes ſalutare didiciſſet. Copia autem victûs hac nota exprimitur, quod dicatur ei infanti, donec adoleſcat, nec mel nec butyrum defore. Nam Hebræis *lac & mel* συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] rerum non neceſſariarum tantum, ſed & ſuperfluentium copiam deſignant, ut Iobi XX, 17. & alibi. Sicut autem hac ratione Achazo oſtenditur, quàm iniquè faciat quod Deo recuſet confidere: ita ſequentibus verbis indicatur, quantopere ipſum ſit deceptura fiducia in Rege Aſſyrio poſita. Nam inde Iudæis mala omnibus quæ metuerent malis graviora imminere, planeque contrarium ei rei quam tam anxie metuerent eventurum: non enim victûs inopia, ſed vilitate laboraturam Iudæam præ habitantium infrequentia. Infans autem in quem iſta convenirent, quantum ex ſequentibus colligere eſt, non videtur fuiſſe Ezechias, ut exiſtimant Hebræorum multi, inter quos & Tryphon adverſus Iuſtinum diſputans, ut qui, ſi tempora recte ſupputentur, jam ante Achazi regnum ad ætatem aliquam pervenerat, quemadmodum à Rabbino Salomone recte eſt annotatum, quamquam quæ capite nono poſtea dicuntur ad eum recte videantur poſſe referri; ſed potiùs eſt is infans ipſius Eſaiæ filius, natus ex ea quæ virgo adhuc editi vaticinii tempore, teſtibus Vria ac Zacharia adhibitis, Eſaiæ nupſit, quæ & ipſa προφῆτις [*Prophetiſſa*] fuiſſe indicatur. Sicut autem cum Regem accederet Eſaias juſſus erat ſecum ducere filium ſuum cui *Schearjaſub* boni ominis nomen ad ſpem Iudæorum excitandam, inditum fuerat: ita huic infanti duo nomina ſunt impoſita, primùm quidem *Emmanuel*, quo oſtenderetur Deus ita adeſſe Eſaiæ ejuſque liberis, ut quæ verbis ſigniſque per ipſos eſſent prænotata, eadem certo evenirent: deinde vero *Maherſchalalchasbas*, qua voce ſignificabatur brevi imminere Aſſyrii adventum ad ſpoliandam Syriam ac Samariam. Atque hoc eſt quod ait Eſaias, ſe filioſque ſuos à Deo datos in ſignum & documentum populi: vaticinii ſui certitudinem nullis humanis conſiliis impediendam, repetita exclamatione *Emmanuel* velut obſignans. Atque hic quidem nobis videtur ſimplex primoque obvius eſſe ſenſus verborum Eſaiæ, in quibus tamen ineſſe μυστήριον [*arcanum*] de Chriſto Chriſtum agnoſcentibus liquido apparet. Nam ſi omnes liberationes populi Iudaici præſagia fuere ejus liberationis quam Deus per Chriſtum erat effecturus, ſane & illa inſignis liberatio ab obſidione hoſtili quam Propheta promittebat, eò pertinuit. Stabilitatem regni Davidici, item à Propheta promiſſam, verum πλήρωμα [*complementum*] in æterno Chriſti regno habuiſſe, Gabriel ipſe Mariam docuit Lucæ I, 32. Illud autem *Virgo concipiet* quanto excellentiorem habet ſenſum, ſi referatur ad eam quæ ita concepit ut virgo poſt conceptum maneret, quod ſoli Mariæ evenit? Nomen autem *Emmanuel*, ſicut & *Ieſu*, habere quidem & in aliis ſuam poteſt ſignificationem, reſtrictam atque limitatam, at in Chriſto aliam habet infinitis partibus perfectiorem. Nam is eſt in quo illa præclara *Dei promiſſa omnia ſunt* ναὶ καὶ ἀμὴν [*eſt & Amen*], II Corinth. I, 20. is eſt *Verbum quod caro factum inter nos habitavit*, Iohan. I, 14. *in ipſo* denique *habitat* τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς [*plenitudo Divinitatis corporaliter*], Coloſſ. II, 9. In hunc qui non credunt, eos manet φοβερὰ ἐκδοχὴ κρίσεως [*terribilis quædam exſpectatio judicii*], Hebræor. X, 27. Objiciunt Iudæi Dominum noſtrum iſto *Emmanuelis* nomine non appellatum; quibus Tertulliani verbis reſpondeo, *Sonus Hebraicus quod eſt* Emmanuel *ſuæ gentis eſt; ſenſus autem ejus quod eſt* Deus nobiſcum, *ex interpretatione communis eſt. Quæro ergo an iſta vox*, nobiſcum Deus, *quod eſt* Emmanuel, *exinde quo Chriſtus illuxit, agitetur in Chriſto: & puto ex toto non negabis. Nam qui ex Iudaiſmo credunt Chriſto, ex quo in eum credunt*, Emmanuel *cum volent dicere*, nobiſcum Deum *eſſe ſignificant. Atque ita conſtat jam veniſſe illum qui prædicabatur* Emmanuel, *quia quod ſignificat* Emmanuel *venit, id eſt*, nobiſcum Deus. Certe qui Prophetas non ſupinè legit, neſcire non poteſt *vocatum iri aliquo nomine* dici ab illis eum etiam qui non eo vocis ſono ſit appellandus, ſed cujus rebus celebrandis vox iſta conveniat. Loca paſſim occurrunt, Eſaiæ I, 26. IX, 6. LVI, 7. LX, 14. LXII, 4. Ieremiæ III, 17. & XXIII, 6. Ezechiel. XLVIII, 35. Zachar. VIII, 3. Ideo ubi Eſaiæ XIV, 20. eſt יקרא [*vocabitur*], Chaldæus habet יתקים *manebit*; & Lucas citans dictum locum Eſaiæ LVI, 7. יקרא vertit ἐστὶν [*eſt*] XIX, 46. Tale eſt infrà Ναζωραῖος κληθήσεται [*Nazaræus vocabitur*], & υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*filii Dei vocabuntur*], ubi & ſimilem Philonis locutionem citabimus. Quòd ſi quis rectè attendat, eadem vis eſt in voce *Emmanuel* & in voce *Ieſu*. Nam *ſervare* eſt Deum nobis præſtare propitium. *Deus* autem *nobiſcum eſſe* Hebræis dicitur, quoties benignus nos reſpicit atque adjuvat, Ioſ. I, 5. Ierem. I, 8. Actorum XVIII, 10. quanquam & latentiorem quendam ſignificatum iſti nomini ineſſe non negaverim. Sed & alterum illud nomen quo tanquam apertiore (id enim valet quod inibi dicitur *ſtylo humano*) infantem ſuum inſignire Eſaias jubetur, perfectiſſimè Chriſto congruit, qui celerrimè Diabolum devicit & victor ſuis ſpolia diviſit, ut poſt Iuſtinum annotavit Chryſoſtomus. Vide Lucam XI, 22. & Epheſ. IV, 8. Sicut autem Chriſto nomina iſta apud Eſaiam poſita eminentiſſimè conveniunt, ita & προφήτιδος [*Prophetiſſæ*] nomen quod in eodem oraculo reperitur ſingulariter convenit Mariæ ſemper virgini, quæ inter feminas fuit εὐλογημένη καὶ κεχαριτωμένη [*benedicta & gratiâ plena*], Lucæ I, 28. & ſuper quam venit Spiritus ſanctus, Lucæ I, 35. Veriſſimè ergo à Matthæo ſcriptum eſt in nativitate Chriſti verba Eſaiæ πληρωθῆναι, id eſt, *conſummata eſſe*. Ita enim puto id verbum optimè reddi. Quod autem dicit Matthæus *factum hoc ut conſummaretur quod prædictum erat per Eſaiam*, non ita intelligi debet quaſi Deus Chriſtum ex virgine naſci voluerit hoc propriè conſilio ut quod Eſaias dixerat fieret, cùm potiùs quia id Deus voluerit fieri, ideo & voluerit per Eſaiam dici. Aut ergo hoc vult Matthæus, eò hæc eveniſſe, quòd Deus decretum ſuum vellet exſequi, cujus decreti indicium eſſet apud Eſaiam, aut vox ἵνα [*ut*], ut ſæpe, non finem agentis ſed ſolam rei conſequentiam ſignificat, ut Pſalmo LI, 19. Romanorum V, 20. Lucæ XIV, 10. & alibi crebrò.

ὑπὸ τοῦ Κυρίου, *à Domino*] Paſſim dicitur Deus id dixiſſe quod dixerunt Prophetæ, primùm quia ipſam verborum ſententiam Deus menti illorum inſeruit; deinde quia & verba ita eſt moderatus ne à ſententia aberrarent. Nam ut etiam verba à Deo illis dictata ſint, ſicuti interdum eveniſſe non eſt negandum, ita non videtur perpetuum. Atque hinc factum eſt ut pro temporum atque loquentium varietate etiam ſermo Prophetarum differret.

λέγοντος, *dicentem*] Mihi ne dubium quidem videtur quin & hîc & capite II, 15. cohæreat iſte genitivus cum voce προφήτου [*Prophetam*]. Nam eædem voces ſimili modo cohærentes alibi apud hunc Scriptorem reperiuntur, ubi nulla fingi poteſt ἀμφιβολία [*ambiguitas ſermonis*], ut infrà II, 17. III, 3. IV, 14. VIII, 17. XIII, 35. XXI, 4. XXVII, 9.

23. παρθένος, *Virgo*] Fruſtra negant Iudæi vocem עלמה, ſi proprietas vocis ſpectetur, viro intactam ſignificare. Nam origo optima proprietatis index eſt à עלם, quod eſt *abſcondere*: nimirum quia Hebræis, non minùs quàm Græcis, in more poſitum fuit, innuptas puellas diligenter aſſervare ἐν τῷ παρθενῶνι [*in conclavi virginum*]. Huc illud ſpectat Heſiodi,

Ἥτε δόμων ἔντοσθε φίλῃ παρὰ μητέρι μίμνει,
Οὔπω ἔργ' εἰδυῖα πολυχρύσου Ἀφροδίτης.
[*Illa manet carâ cum matre penatibus imis,*
Nondum experta Venus quos aurea donat honores.]

Et apud Euripidem ſenex Antigonen ità alloquitur,

Ὦ τέκνον, εἴσβα δῶμα, καὶ κατὰ στέγας
Ἐν παρθενῶσι μίμνε σοῖς.
[*Iam, virgo, tectum repete, teque intra tuos*
Tene receſſus.]

Et ipſa Antigone matri dicenti ἕπου [*ſequere*], reſpondet

Ποῖ, παρθενῶνας ἐκλιποῦσ';
[*Quónam, cætu relicto virginum?*]

Quod & Seneca imitatus in Agamemnone dixit:

Quo more cætus publicos virgo petis?

Papinius de eadem illa Antigone,

——— *nondum conceſſa videri*
Antigone populis.

Ab hac origine non recedit uſus quem penès loquendi norma eſt, ut apparet Geneſ. XXIV, 43. Exodi II. 8. Deuteron. XXII, 23. In Cantico autem Salomonis VI, 7. apertior etiam eſt hujus vocis ſignificatio: nam ab *uxoribus* & *concubinis* diſertè ibi ſeparantur עלמות [*virgines*]. In eodem Cantico I, 3. עלמות à Rabbino Salomone exponitur בתולות. Et Septuaginta tum Gen. XXIV, 43. tum hoc ipſo Eſaiæ loco non νεᾶνιν [*adoleſcentulam*], ut poſteriores τῇ ὑποθέσει δουλεύοντες [*inſervientes ſuæ poſitioni*], ſed παρθένον [*virginem*] verterunt: Aquila, ἀπόκρυφον [*abditam*]. Et notat Hieronymus manſiſſe hunc vocis uſum ad ſuam ætatem apud Pœnos, traduces videlicet Phœnicum, quorum lingua Syriaca cognata Hebrææ. Neque ſpernendum quod idem Hieronymus adfert de voce Latina *alma*. Nam priſcas Latii voces, præſertim in ſacris uſitatas, ab Oriente veniſſe tam multis argumentis demonſtrari poteſt ut ſuſpicioni fortuitæ συνεμπτώσεως [*concurſionis*] non ſit locus. *Alma* autem Latinis non ab *alendo* venit, ut quidam exiſtimant, ſed idem valet quod *ſancta*. Non evincit contrarium id quod legitur Proverbiorum XXX, 19. Commune enim eſt omnibus linguis, ut voces ἀπὸ τοῦ εἶναι πρὸς τὸ δοκεῖν [*ab eo quod eſt ad id quod videtur*] transferantur. Quippe & Græcè παρθένος [*virgo*] & propriè & uſitatè viro intactam ſignificat. Attamen apud Ariſtophanem, ut notat Scholiaſtes, ſignificat τὴν ἔτι παρθένον νομιζομένην [*eam quæ virgo adhuc habebatur*], quomodo & Muſæus dixit,

Ἡρὼ δ' ἑλκεσίπεπλος ἑοὺς λήθουσα τοκῆας
Παρθένος ἠματίη, νυχίη γυνή.
[*Fallebat miſeros Ero bene culta parentes*
Virgo die, noctu mulier.]

Et Homerus Aſtyochen παρθένον [*virginem*] eodem ſenſu dixerat. Vt nunc omittam audaciorem Virgilii κατάχρησιν [*abuſionem*], qui, ut Servius notat, Paſiphaen trium liberûm matrem *virginem* dixit. Scriptor hiſtoriæ Alexandrinæ, cui nomen factum eſt libri tertii Maccabæorum, item ſcriptor libri ſecundi Maccabæorum capite III, 9. ut omnem vocis Græcæ ambiguitatem evitarent, dixerunt κατακλείστους παρθένους [*occluſas virgines*] voce Græcis ſcriptoribus in hunc quoque ſenſum uſitatâ, exactè exprimente Hebræum עלמות: quia עלם, ut diximus, eſt κατακλείειν [*abſcondere*]. Philo in libro adversùs Flaccum eodem ſenſu dixit θαλαμευομένας παρθένους [*thalamo cohibitas virgines*]. & ad Leges ſpeciales, παρθένοις μὲν ἔσω κλισιάδων τὴν μεσαύλιον ὅρον πεποιημένας [*virginibus limitem ſibi ſtatuentibus intra tecta januam medianam*]. Contrà exuti pudoris feminæ Chaldæis vocantur *in publicum prodeuntes*. Apparet igitur idem eſſe עלמה & quod Syrus hîc poſuit בתולה.

ἕξει, *habebit*] Ità rectiùs quàm ἔχει [*habet*], quod legere videtur Hieronymus. Meritò enim Græcus interpres id quod in Hebræo hîc eſt temporis incerti, futuri temporis verbo eſt interpretatus, quia & quæ ſequuntur apud Prophetam huic verbo cohærentia, futuri ſunt temporis.

καλέσουσι, *vocabunt*] Non dubitem ſequi optimorum codicum & Syri interpretis fidem, præſertim cùm ita jam olim legerint Origenes & Chryſoſtomus. Et rectè me judice hoc modo expreſſit Græcus Matthæi interpres Hebræum וקראת [*vocabis*], quia ſecunda perſona omnino hîc ponitur indefinitè, ut cûm dicitur apud Homerum,

φαίης ἂν ζάκοτόν τινα ἔμμεναι.
[*Dicas iraſci facilem.*]

Sic Donatus ad illud Terentii, *Quid facias? pro, Quid faciat, unuſquique ſcilicet*. Idem notat ſecundam perſonam poni pro tertia ibi,

Ridentem haud facile mulieri invenias virum.

Paria notat ad illud, *ut facile pro eunucho probes*: & in Phormione, *eveniunt quæ non audeas optare*. Servius ad IV Æneidos, *Migrantes cernas. Honeſta figura ſi rem tertiæ perſonæ in ſecundam referas:* hoc eſt, *ſi quis cernat*. Poſtea, *Mugire videbis. Videbit quis*; *ut, Migrantes cernas*. In VI. *nec dum poteris committere ferro. Poterit quis. Tertiæ enim perſonæ ſignificationem ad ſecundam tranſtulit & generaliter loquitur*. In VIII. *credas innare revulſas Cycladas. Credat quis*. In XI. *velis*, *pro*, *ſi quis velit*. Ita Lucæ V, 34. Μὴ δύνασθε ποιῆσαι νηστεύειν; [*Numquid poteſtis facere jejunare?*] Hoc ipſum autem non minùs uſitatè exprimitur tertiâ perſonâ numeri pluralis. Subauditur enim *homines quilibet*, ut infrà VII, 16. Actorum XIII, 39. & aliis locis ubi iterum monebimus. καλέσεις [*vocabis*], quod quidam codices & Euſebius ſequuntur, eſt à Græco LXX ſenum, qui hic Hebraiſmum ſecuti ſunt. Chaldæus maluit ponere *vocabit*, nimirum *quilibet homo*; ſenſu eódem recidente. Tot enim modis imperſonalia exprimi ſolent. Qui verò ſpeciatim ad Mariam hoc dici volunt, atque eo indicari Chriſtum fuiſſe ἀπάτορα [*patre carentem*], quia patri alioqui jus imponendi nominis fuerit competiturum, quid facient illis Angeli verbis ad Ioſephum? καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦν [*vocabis nomen ejus Ieſum*].

ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, *Quod eſt interpretatum*] Similes interpretationes Hebræorum nominum in uſum eorum qui Hebraicè neſciebant addidit aliquot in locis optimus interpres, ut videre eſt XXVII, 33 & 46. Quas cùm habeat & Syrus, convincitur hinc quoque Matthæi librum de Græco, non de Hebræo tranſtuliſſe. Idem de Arabe apparet.

25. ἐγίνωσκεν, *cognoſcebat*] Antiquiſſima Hebræorum locutio ut apparet Geneſ. IV, 1. atque alibi; inde porro in cæteras linguas derivata. Neque tantùm de viris hoc dicitur, ſed & de feminis, ut Lucæ I, 34. Ovidius in Hypſipylæ epiſtola,

Turpiter illa virum cognovit adultera virgo.

ἕως οὗ, *donec*] Negationem hanc de tempore ante partum, nihil affirmare de tempore poſteriore, multis exemplis ab aliis eſt demonſtratum, quibus addam locum qui infrà eſt XII, 20. Iudæis adeò notum atque uſitatum eſt hoc loquendi genus ut doctiſſimi inter ipſos vaticinium Iacobi Geneſ. XLIX, 10. ita conentur interpretari. De loco autem Geneſ. XXVIII, 15. nemo unquam Iudæorum dubitavit quin hoc modo eſſet intelligendus; neque magis de illo qui eſt Pſalmo CIII, 2. Tum qui eſt I Samuel. XV, 35. aliter explicari nequit. Addi poteſt Iob XXVII, 5. Eſaias XXII, 14. II Samuel. VI, 23. Hîc verò intra id tempus quod diximus conſiſtere nos jubet ipſa mens Scriptoris, hoc agentis, ut oſtendat compertiſſimum Ioſepho fuiſſe, Partum hunc non eſſe ex ſe conceptum. ad quam rem poſterioris temporis mentio nullum habere poterat momentum.

πρωτότοκον, *primogenitum*] Quanquam in Hebræis vocibus nulla eſt *primi* ſignificatio, rectè tamen hoc Græco nomine exprimitur partus ὁ διανοίγων τὴν μήτραν [*adaperiens vulvam*], ut poſt LXX Lucas loquitur II, 23. Nam *primi* vox requirit ut nemo antecedat, non ut ſequatur aliquis, quemadmodum à Grammaticis annotatum eſt ad illud Virgilii,

Hîc mihi reſponſum primus dedit ille petenti.

& ad illud Æneidos I.

——— *Trojæ qui primus ab oris.*

Servius in libro Fuldenſi: *primus poſt quem nullus*. Et ſimiliter in Iure Civili *proximus* dicitur etiam qui ſolus eſt. Et res ipſa contra Helvidium loquitur ita hîc ſumendam hanc vocem. Reſpicitur enim ad dignitatem & jura præcipua quæ antiquitus, etiam ante Moſis Legem, tribuebantur filiis maribus tam unicis quàm natu maximis. Nec hodie aliter loquimur, ut teſtantur omnium gentium leges de feudorum ſucceſſione. Erant autem πρωτοτόκια [*promogenituræ jura*] tria ut Hebræi notant Gen. XLIX, 2. Principatus, Sacerdotium, & Prælatio in hereditate: quæ omnia in Chriſtum competere nativitate ipſius indicatum eſt. De Regno agit ſæpe Apocalypſis. De Regno & Sacerdotio ſcriptor ad Hebræos, de Prælatione in hereditate vide Romanorum VIII, 17. Coloſſ. I, 15. Hebræorum I, 2 & 9.

ἐκάλεσε, *vocavit*] Quanquam ambigua videri poteſt conſtructio, rectiùs tamen hoc ad Ioſephum quàm ad Mariam referas: impletur enim hîc quod Angelus ſuprà dixerat 21. Atque ita intellexit Syrus, qui verbum maſculini generis uſurpat. Nomen *primogeniti* Meſſiæ tribuunt & Thalmud in Peſachim & R. Nathan in Schemoth rabba.

CAPVT II.

Απὸ ἀνατολῶν, *ab Oriente*] Perplacet mihi vetuſtiſſima Chriſtianorum atque inter eos Iuſtini Martyris ac Tertulliani ſententia, quam & Epiphanius ſequitur, ab Arabia veniſſe hos ſapientes. Eam enim Iudæi ut ſibi ab Ortu adſitam hoc nomine vulgò appellabant, ut videre eſt Gen. X, 30. XXV, 6, 18. Iobi I, 3. Iudic. VI, 3. I Regum IV, 30. Eſaiæ XI, 14. Ieremiæ XLIX, 28. Tacitus in deſcriptione Iudææ: *Terra fineſque qua ad Orientem vergunt Arabia terminantur.* Chaldæi Septentrionalium potiùs nomine cenſebantur, Ieremiæ XXV. 9. Et munera quæ attulerunt Arabica ſunt, non Perſica, ut infrà dicemus. Neque verò ſoli Perſarum ſapientes Hebræis Græcâ linguâ utentibus *magi* vocabantur, ſed & alii, ut videre eſt in Græca Danielis hiſtoria. Habuit autem & Arabia antiquitus ſapientes ſuos, tum naturæ omnis tum aſtrorum imprimis ſtudioſos, quod nos docent Iobi ejuſque amicorum colloquia. Nec aliter ſumam quod Solomon dicitur antecelluiſſe ſapientibus ut Ægypti ita & Orientis, id eſt Arabiæ, I Regum IV, 30. Et Pythagoram ſapientiæ causâ Arabes adiiſſe ſcriptum Porphyrio, cujus in eam rem verba apud Cyrillum exſtant decimo contra Iulianum. Quin ipſum nomen Ελύμας quod à Luca *μάγος* vertitur Actorum XIII, 8. ab Arabia venit: & Plinius magorum Arabiæ meminit: & Ptoleæmus in Arabia ponit Magorum Sinum. Quod autem de *biennio* infrà dicitur, non obſtat quò minùs ab Arabia Magi venerint. Quippe ex Meſopotamia quoque in Iudæam veniri multò celeriùs potuit. Nam eos qui ſupra Euphratem habitabant, Hieroſolyma Ioſephus veniſſe ait menſium quinque itinere. Neque verò ſequitur, ſi Herodes omni modo cavens ne puer elaberetur, latiùs ſævitiam extendit, non minùs in ætate quàm loci ratione, ideo ſtellam quoque tantò antè apparuiſſe. Quanquam & ſtella aliquo tempore ante iter ſuſceptum apparere potuit, ut ipſa ſui diuturnitate ſapientum animos in ſe adverteret. Stellas certè ejuſmodi (cujus ſunt generis qui Cometæ appellantur) nova imperia portendere apud omnes ferme gentes recepta ſententia eſt. Notum eſt Lucani illud:

Et terris mutantem regna Cometen.

Vulcanius aruſpex, ut nos Servius docet ad nonam Eclogam, dicebat cometâ ſignificari exitum veteris & ingreſſum novi ſeculi. Et Chæremon Stoïcus notaverat interdum per Cometas etiam in melius mutationem prænotari. Idem ille Servius ad illud Georg. I *diri Cometæ*; *Quia ſunt & boni.* Et de illo comete Æneid. X. *Hic blandus eſſe dicitur.* Credibile autem eſt apparuiſſe hanc ſtellam in ea cœli parte quæ conſenſu Aſtrologorum ad Iudæam pertinuerit, ut ſolent ab ejus artis profeſſoribus terrarum regiones certis cœli ſpatiis adſcribi: Quæ dico, non quòd ſuperſtitioſis ariolationibus patrocinari cupiam, ſed quòd arbitrer Deum ita res diſponere, ut ea quæ ſive jure ſive injuriâ magni apud homines fiunt, interdum trahat in veri teſtimonium. Artibus verò non uſquequaque probandis operam dediſſe hos Magos, Origeni, Ambroſio, Baſilio & Chryſoſtomo placet: atque id perquam probabile faciunt illarum gentium atque illorum temporum mores. Nam ſi in ipſo Dei populo Phariſæi, ſingularis cujuſdam ſanctimoniæ oſtentatores, fatorum indicia à ſideribus petiverunt, quid par eſt credi factum ab iis qui etiam aſtrorum cultui ſe mancipaverant? Peripatetici & qui eos ſequuntur pro certo habent cometas infra Lunam exiſtere, quo argumento multi aſſerunt nunquam novum ſidus extra hoc de quo agit Matthæus in ſiderea regione exortum: ſed utrùm ſatis explorata ſit utraque hæc aſſertio ab aliis dubitatur. Certè Cometam fuiſſe hoc ſidus Origenes quaſi pro certo ponit libro adversùs Celſum VI, Cæterùm qualecunque fuit ſidus, motus ille quo poſtea narratur Chriſti hoſpitium fuiſſe monſtratum, non modò præter naturam fuit, ſed etiam citra exemplum: unde Græci Angelum potiùs quàm ſtellam fuiſſe exiſtimant. Simile aliquid in Martyrologio narratur accidiſſe Diocletiani temporibus, cùm Chriſtiani quærentes trium martyrum, Tharaci, Probi & Andronici corpora, viderunt ſubitò velut ſtellam ſplendidam de cœlo miſſam ſuper ſingula ſanctorum corpora reſidentem. Balaami vaticinium, quo multi Magos putant excitatos, ut non nego ab Hebræis quibuſdam tractum ad res Meſſiæ (nam & Aquila hoc teſtimonio uſus eſt ut Barchochebam probaret eſſe promiſſum illum Meſſiam), ita obſcurius eſt quàm ut lectum auditumve certi temporis comprehenſionem potuerit cuiquam externo ingerere; præſertim cùm commodè poſſit, imò, quod ſenſum primum attinet, etiam debeat ad Davidem Moabitarum victorem referri. Sed & quæ apud Danielem oracula ad deſignanda Chriſti tempora propriè pertinent, non Chaldæis ſunt tradita, ut quidam ſuſpicantur, ſed Iudæis οἷς ἐπιστεύθησαν τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ [*quibus credita ſunt eloquia Dei*], Romanorum III. 2. Quare magis ad rem pertinet quod alii monent, receptam fuiſſe apud Iudæos opinionem, circa illa tempora inſtare Meſſiæ adventum, idque vicinas apud gentes vulgatum. Dico autem circa illa tempora, quia cùm definitum tempus ignoraretur, non longè tamen à vero tempore aberravit conjectura. Nam Sibyllina oracula, non nova illa quæ citant Chriſtiani, ſed vetera Romæ à xv. viris aſſervata inter alia videntur habuiſſe verſus Græcos Iudæorum. Ex his autem depromtum illud quod Cicero recitat, opus eſſe ut ſi ſalvi eſſe vellent eum qui Rex eſſet Regem agnoſcerent; itemque Virgilii Idyllium quartum novi cujuſdam Regni pollicitationem continens, & quidem ferme verbis iiſdem quæ Prophetæ Hebræi uſurpant. Hinc quoque factum ut Herodem Magnum quidam eſſe Meſſiam interpretarentur; mox Theudam, Iudam Gauloniten, aliosque id genus impoſtores. Iudæorum certè animos, in terris agente Ieſu, arrectos fuiſſe exſpectatione Meſſiæ, eumque rumorem ad Samaritas etiam manaſſe, paſſim nos docet Euangelii hiſtoria. Hinc Baptiſta interrogatur an ipſe ſit Meſſias; & populus conſpectis Ieſu miraculis ſtatim dubitare incipit an non ſit ille ipſe qui exſpectabatur: duravitque ea fama atque adeò Orientem totum pervagata eſt ad Veſpaſiani tempora, quod oſtendunt Ioſephus, Tacitus & Suetonius; imò ad Adriani uſque ævum: nam id Barchochebæ audendi occaſionem præbuit. Duæ autem præcipuè notæ in exſpectationem Meſſiæ circa ea tempora Iudæos erexerant: numeri annorum Danielis, & deſtructio Regni Syriaci & Ægyptiaci. Hæc igitur ipſa fama ex Iudæorum vicinia facilè Arabiam pervagata inuſitato ſideri auctoritatem adſtruxit.

2. *αὐτοῦ τὸν ἀστέρα, ſtellam ejus*] Ita dictum ut apud Maronem,

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum,

hoc eſt, aſtrum ejus honori dicatum.

ἐν τῇ ἀνατολῇ, in Oriente] Terra unde venerant, non cœli regio hac voce denotatur, ut & ſuprà & infrà commate 9.

προσκυνῆσαι αὐτῷ. adorare eum] Helleniſtæ vocem hanc modò cum tertio caſu componunt, ut hîc, & Lxx Geneſ. XXXVII, 10. modò cum quarto, ut Græci ſcriptores. Significat autem procumbentis corporis geſtum honoris habendi gratiâ. Græci aſſueti libertati hoc modo neminem hominem ſalutabant, ut nos docet Herodotus aliique. Orientis populos Regibus eum honorem habuiſſe & ſacra & profana hiſtoria nos docet. Ioſephus de Davide Saulem venerante, προσκυνεῖται αὐτὸν πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον ὡς ἔθος [*adorat eum in faciem procidens, ut erat moris*]. Livius de Legatis Carthaginienſium, *More adorantium* (*accepto credo ritu ex ea regione ex qua oriundi erant*) *procubuerunt*. Significat Phœnicum, quorum vicini Hebræi, hunc morem fuiſſe; ut & Euripides, apud quem ſic Phœniſſæ loquuntur,

Γονυπετεῖς ἕδρας προσπίτνω
Σ', ἄναξ, τὸν οἴκοθεν νόμον σέβουσα.
[*Supplex te, Rex, venerans genubus*
Patrio advolvor de more tuis.]

Scriptor Latinus vitæ Cononis: *Neceſſe eſt enim ſi in conſpectum veneris, venerari te Regem, quod* προσκυνεῖν *illi vocant*. Magi igitur, quibus perſuaſum erat huic puero Regnum deſtinari, more ſuæ gentis eum venerantur. Deſcribitur iſta προσκύνησις [*adoratio*] infrà commate 11. verbo πίπτειν [*cadere*], ut & inferiùs IV, 9. XVIII, 26. Marci V, 22. IX, 20. πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον [*procidens in faciem*] dixit Lucas V, 12. προσπίπτειν [*accidere*] Herodotus atque alii ſcriptores Græci, προσπιτνεῖν Æſchylus Perſis, ubi luculenta ejus moris notatio.

3. *πᾶσα Ἱεροσόλυμα, omnis Hieroſolyma*] Et accentus & terminatio docent non vocem femininam ſingularem, ſed pluralem eſſe neutrius generis, ut & ſuprà commate 1. & alibi paſſim tum in his libris tum apud Græcos Latinoſque ſcriptores. Nam quod apud Ciceronem ſemel, ſemelque apud Tacitum *Hieroſolymam* legitur, mendum eſſe arbitror creatum unius literæ adjectione, cùm illi ipſi ſcriptores alibi ſemper *Hieroſolyma* eam urbem vocent. Neque tamen ſine exemplo eſt quòd ei componitur illud πᾶσα [*omnis*, femin.] Ad rem enim reſpicitur, non ad vocis ſonum. Ita ſuprà capite 1, commate 21. αὐτῶν refertur ad τὸν λαόν. Tale eſt *Præneſte ſub ipſa*.

4. *τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ γραμματεῖς τοῦ λαοῦ, principes Sacerdotum & Scribas populi*] Quod quidam arbitrantur, duos fuiſſe Senatus ſummos Iudæorum, alterum qui Civilibus, alterum qui Eccleſiaſticis negotiis præeſſet, de eo quid nobis videatur alibi aptior erit agendi locus. Hoc verò loco, cùm nihil celebratum ſit negotii publici, ſed duntaxat exquiſita Prophetarum oracula ab iis qui eorum ſcientiâ præſtare cæteris credebantur, non videtur mihi certus aliquis atque legitimus conſeſſus debere intelligi, ſed doctorum hominum conventus extra ordinem à Rege convocatus. Atque ideo nec πρεσβυτέρων [*Seniorum*] hîc fit mentio, qui plerúmque nominantur ubi aut judicii aut conſilii publici res eſt. γραμματέων [*Scribarum*] autem nomine cùm Hebræis diverſa munia denotentur, hîc officium Adſeſſoris puto intelligi, quo juris ſtudioſi (ut inquit Paulus Iuriſconſultus) partibus ſuis funguntur. Nam ſicut Romani Præſides habebant comites juriſperitos, quorum conſiliis in jure dicendo utebantur: ita & Hebræis Magiſtratibus, itemque Sacerdotibus, ut docet Thalmud Hieroſolymitanum in Ioma, & Maimonides titulo De die propitiationis, ſui aderant Adſeſſores delecti plerumque ex Levitica Tribu, quæ è publico ſuſtentata, neque domeſticis diſtracta negotiis, ad literarum ſtudia otio abundabat. Sicut autem Lex erat una, præceptrix Divini omnis Humanique juris: ita apud Hebræos penes eoſdem erat Iuris utriuſque interpretatio. Ad hoc pertinet illud Sirachidæ σοφία γραμματέως ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς [*ſapientia Scribæ in tempore vacuitatis*], Eccleſ. XXXVIII, 25. Et Hebræi ספרים [*Scribas*] interpretantur רבנים [*Rabbinos*]. Noſtri ſcriptores eos interdum νομικοὺς [*Legiſperitos*] vocant: Ioſephus ἐξηγητὰς νόμων [*Explicatores legum*]. Quanquam verò Sacerdotibus præcipuè injunctum erat ut Legis ſtudio vacarent, tamen cùm honos ſucceſſorio jure delatus interdum ad ingenia minùs idonea delaberetur, factum eſt ut ipſi etiam Sacerdotes alieni conſilii egerent. Seraja certè Sacerdotalis Scriba Davidis temporibus memoratur II Samuelis VIII, 17. Auctaque procul dubio ejus muneris neceſſitas ignaviâ ſacerdotum, &, quæ ſequentibus ſeculis inolevit, honorum nundinatione. Ἀρχιερέων [*Sacerdotum Summorum*] autem nomine ut hîc intelligi putem non eos tantùm qui Maximo Pontificatu aut fungebantur, aut functi erant, eorumque Vicarios, ſed alios quoque Principes XXIV ſacerdotalium familiarum, ἄρχοντας τῶν πατριῶν τῶν ἱερέων [*principes familiarum ſacerdotalium*], ut loquuntur Lxx Paralip. XXIV, 6. facit addita vox πάντων [*omnium*], quæ majorem numerum deſignare mihi videtur quàm ut paucis illis conveniat. Neque aliter utitur hac voce Ioſephus Originum XX, 6. ubi ſeditionem narrat ortam inter ἀρχιερέας [*Summos Sacerdotes*] & ἱερέας [*Sacerdotes*], inde quod οἱ ἀρχιερεῖς [*Summi Sacerdotes*] omnes decimas ad ſe pertraherent ac cæteros Sacerdotes rerum neceſſariarum inopiâ conſumi paterentur. Rem apertiſſimam facit alter ejuſdem Ioſephi locus Belli Iudaici lib. IV, ubi à ſeditioſis narrat ſorte lectos ἀρχιερέας [*Summos Sacerdotes*] ex quaque familia, cùm is honos naſcendi ordine deferri ſoleret. Sed & II Paralip. XXXVI, 14. familiarum Principes vocantur שרי הכהנים.

6. *γῆ Ἰούδα, Terra Iuda*] Rectè interpres Græcus ita expreſſit quod in Hebræo erat *Bethlehem*

Ephrata, ut eundem locum nomine ſuis temporibus notiore certiùs indicaret. Demetrius Hiſtoricus de Iacobo, ἔνθεν παραγενέσθαι εἰς Ἐφραθὰ, ἣν εἶναι Βηθλεέμ [*inde veniſſe Ephratam, quæ eſt Bethlehem*]. Γῆ Ἰούδα [*Terra Iudæ*] eſt terræ portio ei Tribui adſcripta; quomodo γῆ Ζαβουλὼν καὶ γῆ Νεφθαλείμ [*Terra Zabulon & Terra Nephthalim*] dicitur infra IV, 15. Per συνεκδοχὴν [*Comprehenſionem*] autem id nomen oppidis tribuitur, ut γῆ Σοδόμων καὶ Γομόῤῥων [*Terra Sodomorum & Gomorrhæorum*] infra X, 15, 24. Sophocles citante Ariſtotele, Καλυδὼν μὲν ἥδε γαῖα Πελοπείας χθονός [*Et Calydon quidem terra eſt Pelopei ſoli*]. Servius ad Æn. XI.

——— *qua concidit Ilia tellus*;

pro *Vrbs Ilia*. Regionis autem nomen Bethlehemo additur, quia alterum Bethlehemum erat in Galilæa, Ioſuæ XIX, 15.

οὐδαμῶς, *nequaquam*] Cùm & Propheta Hebraicè ſcripſerit & ipſius Prophetæ verba retulerint Legiſperiti, neque credibile ſit ab iis diſceſſiſſe Matthæum, quæritur meritò unde illud οὐδαμῶς [*nequaquam*] ſumſerit Græcus interpres, præſertim cùm non exſtet apud LXX. qui nodus Hieronymum alioſque multùm torſit. Mihi expeditiſſima hæc videtur reſponſio, viſum interpreti verba Prophetæ interrogationem continere, quæ more omnium gentium negationi tantundem valeat; hoc modo, *Tune Bethlehem minima ſis in cenſu familiarum Tribûs Iudæ? imò verò ex te originem ſumturus eſt Meſſias.* Sic & Chaldæus Paraphraſtes id quod eſt Gen. IV, 24. legit cum interrogatione, interpretatur cum negatione: & Latinus interpres id quod eſt Deuter. IX, 2. & locum II Sam. XVI, 18. alii cum negativa particula, alii ſine ea legunt ſenſu eodem. Idemque evênit Iobi XIII, 15. Et Eſaiæ XLIX, 7. Senſus eſſet apertior, ſi adeſſet ה interrogativum, ſed id ſæpe omittitur, ut Iobi XL, 20. I Reg. XXI, 7. Zach. VIII, 6. Sic *non* pro *nempe* poni notat Servius ad Æneidos XI.

ἐν τοῖς ἡγεμόσιν, *in principibus*] Vox Hebræa אלף, quæ χιλιάδα [*mille*] ſonat, partem tribûs, hoc eſt familiam deſignat, ut apparet Iud. VI, 15. non quòd familiis iſte numerus reſponderet (id enim fieri non potuit) ſed quòd certus numerus poſitus eſt pro incerto; ita tamen ut ἐπὶ τὸ πλεῖστον [*plerúmque*] à proportione non longè recederetur. Quare & שרי אלפים [*principes millium*] Ex. XVIII, 25. ii mihi eſſe videntur quos πατριάρχας vocat Ioſephus, ſenſu contractiore quàm quo vox ea in Novo Fœdere uſurpari ſolet. Eoſdem πατριάρχας, id eſt familiarum principes, Græcus interpres hoc loco vocavit ἡγεμόνας [*principes*], capitis appellatione totum corpus συνεκδοχικῶς [*per Comprehenſionem*] deſignans: niſi malumus illum in Hebræo legiſſe non אַלְפֵי [*millium*] ſed אַלֻּפֵי [*Ductorum*].

ἐκ σοῦ γὰρ, *ex te enim*] Videtur propriè Propheta originem indicare ex familia Bethlehemitica nimirum, ſive Davidica non numeroſa per ſe, à Babyloniis autem, propter Regiam quam obtinuerat dignitatem, omnibus modis atterenda. Voluit tamen Deus delecto ad Chriſti nativitatem hoc oppidulo pleniſſimè præſtare quod Propheta dixerat, & ſimul ex naſcendi loco originem quoque actis publicis teſtatam facere, ut docemur à Luca II, 4. ubi πατριὰ Δαβίδ [*familia David*] eſt idem quod אלף apud Prophetam.

7. ἠκρίβωσε, *diligenter didicit*] Eleganter expreſſit Interpres una voce idem quod paulò pòſt dixit duabus, ἀκριβῶς ἐξετάζειν [*interrogare diligenter*]. Ita apud Iſocratem, οἱ τὰ ἐκείνων ἀκριβοῦντες eſt ἀκριβῶς ἐξετάζοντες, [*qui res illorum perdidicerunt.*

φαινομένου, *quæ apparuit eis*] φαινόμενα [*apparentia*] Græcis dicuntur ſtellæ perpetuæ, præſertim αἱ ἀπλανεῖς [*fixæ*]. Attamen origo vocis latiùs patet & ab ipſo Ariſtotele τῇ ἅλῳ, τῷ παρηλίῳ, τῷ κομήτῃ [*Areæ, geminato Soli, ſtellæ Crinitæ*] etiam aptatur. Rectè autem transferas τὸν χρόνον τοῦ φαινομένου ἀστέρος, *quanto jam tempore ſtella appareret.* Videtur enim electum participium præſentis temporis, ut non initium ſed continuitas denotaretur.

8. πέμψας αὐτοὺς, *mittens eos*] Πέμπω [*mitto*] apud Homerum eſt idem quod frequentiùs dicitur προπέμπω. Latini dicebant *proſequi*. Nam & hoc propriè eſt, abeuntem honoris causâ aliquouſque comitari: unde ad cætera officiorum genera transferri cœpit.

9. ἔστη ἐπάνω οὗ ἦν τὸ παιδίον, *ſtaret ſuprà ubi erat puer*] id eſt, deſiit procedere, nec multò pòſt, ut credi par eſt, evanuit, ubi Magi ad eum pervenerant locum in quo erat infans Ieſus. Nam alioqui, ut locum in terris tam exiguum ſtella cœleſtis certò deſignet, fieri non poteſt. Domum igitur ipſam invenerunt Magi non ſolo ſtellæ ductu, ſed ἀκριβῶς ἐξετάσαντες περὶ τοῦ παιδίου [*cùm de puero omnia diligenter exquiſiiſſent*], fortè & paſtorum non longè ἀγραυλούντων [*in agris agentium*] indicio. Non diſſimile eſt quod Varro ſecundo Rerum divinarum ſcripſerat, referente Servio ad primum Æneidos: ex quo de Troja egreſſus eſt Æneas, Veneris eum per diem quotidie ſtellam vidiſſe, donec ad agrum Laurentem veniret, in quo eam non vidit ulteriùs.

11. εἰς τὴν οἰκίαν, *domum*] Non poſſum accedere Epiphanio exiſtimanti fixum domicilium hîc intelligi, quo Ioſephus & Maria cum Ieſu jam ferme bimulo Nazaretâ relictâ immigraverint, quanquam favere ejus ſententiæ videtur quod infrà Ioſephus Ægypto rediens narratur metu Archelai impeditus quò minùs Iudæam peteret, Nazaretæ larem poſuiſſe, quaſi in Ægyptum diſcedens non ibidem habitaſſet. Sed & quod de bimatu dicitur infirmum eſt (ut jam antè diximus). Et ad alterum illud reſponderi poteſt, Ioſephum cùm ab Ægypto reveniſſet cauſas habuiſſe domeſticas, quæ ad victum parandum aut ad conſuetudinem cognatorum (quos habebat iſtis in partibus, ut patet Lucæ II, 44.) aut ad pueri denique inſtitutionem pertinebant, cur in Iudæa peculiariter ita dicta quàm in Galilææ partibus habitare mallet; ſed metu Archelai conſilium mutaſſe. Contrà ut credam Magorum adventum accidiſſe intra ſpacium illud temporis triginta & octo dierum quod erat puerperis à Divina lege præſtitutum, movent me verba Lucæ, qui ſtatim poſt καθαρισμὸν [*purgationem*] puerum

cum matre Nazaretam deducit ; movent & illa ſuperiùs poſita , τοῦ δὲ Ιησοῦ γεννηθέντος ἐν Βηθλεὲμ τῆς Ιουδαίας ἐν ἡμέραις Ηρώδου τοῦ βασιλέως , ἰδοὺ μάγοι ἀπὸ ἀνατολῶν [*cùm ergo natus eſſet Ieſus in Bethlehem Iuda in diebus Herodis Regis, ecce Magi ab Oriente*], & quæ ſequuntur. Planè enim verba hæc rem paulò poſt Chriſtum natum geſtam denotant ; quomodo Heb. XI, 23. Μωσῆς γεννηθεὶς [*Moſes natus*] ſignificat, *paulò poſtquam natus erat* : & Bethlehemiticam illam manſionem , in qua Magi Ieſum ſalutaverunt , non deducunt à nova aliqua migratione , quæ poſt interpoſitùm iter Hieroſolymitanum & repoſitam Nazaretæ habitationem contigerit , ſed cum ipſo puerperio continuant. Quibus accedit quòd commoratio Bethlehemitica tam exigui fuerit temporis , ut ne minima quidem ejus fama ad populum pervaſerit, Ioh. I, 45,46. Neque ſcrupulum injicere nobis debet vox παιδίου [*pueri*] quaſi provectiorem recenter nato indicaret. Nam & de Iohanne Zachariæ filio necdum circumciſo vocem παιδίου Lucas uſurpat I, 59. & de Chriſto jamjam nato loquens promiſcuè utitur nominibus βρέφους [*infantis*] & παιδίου [*pueri*] II, 12, 16, 17, 21. Illud verò perquam credibile eſt, peracto cenſu copiam datam paulò laxioris hoſpitii ; atque adeò ex eo ſpecu, in quo τὴν φάτνην [*præſepe*] fuiſſe antiqui ſcriptores memorant , Ioſephum & Mariam in domum tranſiiſſe antequam Magi adventarent : quanquam aliter ſenſiſſe videtur Iuſtinus.

τοὺς θησαυροὺς, *theſauros*] Ita Græci vocant non tantùm , ut Iuriſconſulti , depoſitionem illam veteris pecuniæ cujus non exſtat memoria & quæ proinde dominum non habeat , ſed omnes omnino ἀποθήκας [*repoſitiones*] & conditoria : quomodo & Varro,

Non fit theſauris, non auro pectus ſolutum.

Servius ad IV Georg. *theſauris , id eſt repoſitionibus , quaſi diceret apothecis.* Et fortè origo non eſt Græca ſed Orientalis ex תשורה quæ vox eſt I Sam. IX, 7. Græcè non tantùm ita loquuntur Xenophon, Plutarchus, aliique, ſed & Ioſephus. Idem valet אוצר Hebræum quo Matthæum uſum exiſtimo. Quædam exemplaria Epiphanii tempore habebant hoc loco πήρας [*ſacculos*], quod ex interpretamento eveniſſe arbitror.

δῶρα, *munera*] Non Perſis tantùm & eorum ſucceſſoribus Parthis in more poſitum fuit Reges cum donis adire, ſed totus Oriens idem frequentavit. Vide Geneſ. XXXII, 13. XLIII, 11 & 25. I Sam. XXV, 18, 27. I Reg. X, 2. Pſal. LXXII, 10. Attulerunt autem Magi ſuæ regionis præſtantiſſimas dotes. Nam myrrha non niſi in Arabia naſcitur ; nec thus niſi apud Sabæos Arabum portionem : ſed & aurifera eſt felix Arabia. Itaque & Salomoni Arabum Reges aurum dono tulere, II Par. IX, 14. Neque aliud ſpectatum à Magis arbitror, ita ut hîc fortè nihil ſit opus ἀλληγορεῖν [*ſenſus abditos inquirere*]. Si tamen μυστικώτερον [*abstruſius*] aliquid Divino conſilio volumus indicatum, mihi non diſpliceat his ſignis tribus tria illa notari, quæ nunc , abrogatis veteribus ſacrificiis, Deo per Chriſtum offerimus : opera Miſericordiæ, Philipp. IV, 18. Corporum puritatem, Rom. XII, 1. & preces, Pſal. CXLI, 2. & Apoc. V, 8. Et Thuris quidem ſimilitudine preces intelligi poſſe ipſe ille Pſalmorum & Apocalypſeos locus apertè nos docet ; bonorum autem hujus ſeculi , quibus aliorum egeſtatem ſublevamus , quaſi communis menſura eſt Aurum : & Myrrhæ vix alius eſt uſus quàm ut corpora incorrupta conſervet , ut nos Plinius docet, & ipſe Ioannes XIX, 39.

12. χρηματισθέντες, *reſponſo accepto*] Similis hujus vocis uſus Lucæ II, 26. Act. X, 22. Heb. VIII, 5. & XI, 7. Eſt autem χρηματισμοῦ [*reſponſi*] vox latiùs patens quàm Latina *oraculi* , quod de viſis diurnis nocturnisve dici non memini.

13. Αναχωρησάντων δὲ αὐτῶν, *Qui cùm receſſiſſent*] Cùm non exprimatur locus ubi hoc factum ſit, poteſt intelligi aut Hieroſolymis id accidiſſe , aut etiam Nazaretæ , quò poſt luſtrationem puerperæ Ioſephus & Maria redierint, Lucæ II, 39. ut inde porro in Ægyptum conceſſerint.

15. πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν , *impleretur quod dictum eſt*] Quid hîc ſit τὸ πληροῦσθαι [*impleri*] ſuprà diximus. Voluit planè Deus beneficiorum Veteris Federis & eorum quæ Chriſto & per Chriſtum nobis præſtitit (nam & noſtræ ex Ægypto liberationis, de qua dicemus ad Luc. XXII, 16. iſta res geſſit imaginem) circumſtantias quaſdam eſſe ſimiles , ut eò magis conſtaret conſilio quodam peculiari iſta diſponi. Immeritò igitur vexatus eſt hic locus olim à Iuliano, poſtea etiam à Iudæis.

τὸν υἱόν μου. *filium meum*] Populus Iſraeliticus à Deo peculiariter dilectus Chriſti geſſit imaginem : ac, ni fallor, ipſe populus, quemadmodum *filius* Dei *primogenitus* à Deo ipſo vocatur Exodi IV, 22. & Ierem. XXXI, 9. ita & *Chriſti* appellatur nomine , tum apud Prophetam Abacucum III, 13. tum in epiſtola ad Hebr. XI, 25, 26. nempe eodem modo quo Patres , unde ortum ducebat populus , *uncti* ſive *Chriſti* vocantur Pſalmo CV, 15.

16. ἀποστείλας , *mittens*] *Miſſis militibus* : nam ſævitia hæc nullam habuit ſpeciem judicii publici.

ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, *in omnibus finibus ejus*] Id eſt, *in omni territorio ejus* : Ita *territorium coloniæ* dixit Cicero. Eſt autem territorium , definiente Pomponio Iurisconſulto , *univerſitas agrorum intra fines cujusque civitatis.* Sic infra ὅρια Μαγδαλὰ [*territorium Maggedan*] XV, 39.

ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, *à bimatu & infrà*] Hæc locutio ἀπὸ διετοῦς proba eſt & apud Pollucem apparet. Latinè admodum quiſquis ille eſt ex quo Macrobius Auguſti dicta deſcripſit, *intra bimatum* ; niſi ab ipſo Macrobio , qui Theodoſianis temporibus vixit honoreſque geſſit, ac proinde aut Chriſtianus fuit , aut certè legit Apoſtolorum libros, hoc additum malumus : quod eò eſt credibilius , quia non ſatis rectè dici poteſt Antipater Herodis filius , jam provectæ ætatis , quique Bethlehemi non fuit, inter infantes Bethlehemiticos occiſus. Adde quod Antipater occiſus quinto ante mortem Herodis die, hæc autem laniena antè aliquantò contigit , ut docent quæ ſequuntur infrà commate 19. Videtur ergo Macrobius errore quodam hiſtorias duas ejuſdem temporis miſcuiſſe. Certè laniena illa infantum, aut ob raritatem habitantium in eo tractu, aut quia tumultûs ſeditionisve obtentu, diſſimulato Regis imperio, fuit peracta, aut denique quòd majoribus Herodis ſceleribus obſcuraretur, minùs nobilis fuit quàm ut ad Auguſti aures perveniret; quippe cùm nec Ioſephus ſcriptor tam diligens ejus meminerit. Deinde ſola filii cædes ad rem pertinet; ſævitia autem εἰς τοὺς διετεῖς καὶ κάτω [*in bimos & qui infrà erant*] efficere non potuit ut diceret Auguſtus *malle ſe Herodis porcum eſſe quàm filium.* Nota autem hîc impleri in poſteris quod in majoribus fuerat adumbratum. Olim inſidiatus fuerat Eſau Iacobo: nunc Idumæus Chriſto, qui & *Iacobus* apud Prophetas.

18. Ῥαμᾶ, *Rama*] Ita & antè hanc vocem LXX proprio nomine tranſtulerant, ſed & Chaldæus interpres, meliùs, ni fallor, quàm qui appellativo. Nec obſtat quòd Rama eſt in Benjaminis portione, Bethlehem autem in parte Iudæ. Eſt enim Bethlehem in ultimis finibus Iudæ, ipſumque Rachelis ſepulchrum in territorio Bethlehemitico, ſed proximè agros Benjaminis, Gen. XXXV, 16, 19, 20. Dicitur autem hoc ἐμφατικῶς [*ſignificanter*] ut longè latéque clamor exauditus intelligatur. Quanquam nec longè nimiùm Ramam à Bethlehemo diſtitiſſe liquidò conſtat ex hiſtoria quæ eſt Iud. XIX. Iuſtino autem Ramam interpretanti Arabiæ locum non video cur aſſentiri debeam.

κλαυθμὸς καὶ ὀδυρμὸς πολύς, *ploratus & ululatus multus*] Quod in Hebræo conſtructè dicitur בכי תמרורים, id copulatis vocibus optimè reddidit interpres, & pluralis numeri vim addito πολὺς pleniſſimè expreſſit.

Ῥαχὴλ κλαίουσα, *Rachel plorans*] Videtur mihi eſſe προσωποποιΐα [*perſonæ fictio*] frequens Poetici ſermonis ornamentum. Nec multùm diſſimile illud Lucani,

Deplorat Libycis perituram Scipio terris
Infauſtam ſobolem: major Carthaginis hoſtis
Non ſervituri mæret Cato fata nepotis.

Poſſunt tamen & per *Rachelem* intelligi feminæ ex Rachele ortæ, quomodo nomina Iudæ & Davidis uſurpari ſolent.

ὅτι οὐκ εἰσί· *quia non ſunt*] Sic & Græci. In Hebræo eſt ſingulare pro plurali, ſenſu diſtributivo, & deeſt verbum ὑπαρκτικόν [*ſubſtantivum*]· quæ ἔλλειψις [*defectio*] ei linguæ uſitatiſſima eſt. *Eſſe* autem hîc valet idem quod *vivere*, quomodo mortui Latinis *fuiſſe*, id eſt vixiſſe, dicuntur. Et Sophocles mortuos dicit, -- οὐκ ἔτ' ὄντας [-- *qui non ſuperſunt*]· ſicut *periiſſe* dicimus id quod conſpectum aut notitiam noſtram effûgit: quò ſpectare videtur illud in Pſalmo XXXIX, 14. *antequam abeo ut non ſim ampliùs.* Et Pſal. XXXVII, 36. de impio, *non fuit*, ipſe Pſalmographus interpretatur, *quæſivi eum, & non eſt inventus.* Sic & Geneſ. V, 24. de Enocho *non erat*, LXX vertunt οὐχ εὑρίσκετο [*non fuit inventus*]. Sic & Sirachides XVII, 25. ἀπὸ νεκροῦ, ὡς μηδὲ ὄντος, ἀπόλλυται ἐξομολόγησις [*à mortuo, quaſi nihilo, perit confeſſio*]. Niſi malimus illud *non eſſe* κυριολεκτῶς [*propria locutione*] dici de homine, quia nec corpus ab animo ſeparatum, neque à corpore animus homo propriè dicitur. Loquitur hunc in modum & Ioſephus, καὶ γὰρ εἰλήφαμεν παρ' ἐκείνου (τοῦ Θεοῦ) τὸ εἶναι, καὶ τὸ μηκέτι εἶναι πάλιν ἐκείνῳ δίδομεν [*nam ab illo (Deo) accepimus eſſe: & ut non ſimus rurſum ei permittimus*]. Mox ſequitur, ψυχὴ ἀθάνατος ἀεί [*anima ſemper morte carens*]. Similis eſt apud Euripidem locus tragœdiâ Helenâ, ubi animas negat vivere, quas tamen puniri poſt hanc vitam agnoſcit,

Καὶ γὰρ τίσις τῶνδ' ἐστὶ τοῖς τε νερτέροις,
Καὶ τοῖς ἄνωθεν πᾶσιν ἀνθρώποις. Ὁ νοῦς
Τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ· γνώμην δ' ἔχει
Ἀθάνατον εἰς ἀθάνατον αἰθέρ' ἐμπεσών.
[*Magnò luuntur ſcelera & hîc viventibus,*
Et mox ſepultis. Anima poſt fati diem
Iam non ut antè vivit, at ſenſus tamen
Servat perennes, hoſpes æterni ætheris.]

19. Τελευτήσαντος, *Defuncto*] Vſitatiſſima Græcis ea vox etiam non addita voce βίου [*vitæ*] aut αἰῶνος [*ævi*]. Sophocles,

——— πρὶν τελευτήσαντ' ἴδῃς.
[——— *donec morte functum adſpexeris.*]

Et alius,

Πρὸς τὸν τελευτήσανθ' ἕκαστος, κἂν σφόδρα
Ἂν ἐχθρὸς ᾖ τις, γίνεται φίλος τότε.
[*Nam morte functis, quamlibèt fuerint priùs*
Hoſtes, amici quiſque tum fieri ſolent.]

Nec aliter Iuriſconſulti.

20. τεθνήκασι γὰρ οἱ ζητοῦντες τὴν ψυχὴν τοῦ παιδίου. *defuncti ſunt enim qui quærebant animam pueri*] Non temere eſt quòd ipſa verba uſurpantur quæ extant Exodi IV, 19. id enim ſolet in Sacris literis rei geſtæ ſimilitudinem denotare. Sanè Pharaoni quoque, ut Herodi, cauſam infanticidii Ioſephus hanc ait fuiſſe, quòd ex vaticiniis intellexiſſet magnum Ducem ex Hebræis exſtiturum.

22. ὅτι Ἀρχέλαος βασιλεύει, *quòd Archelaus regnaret*] Cùm potiùs futurum ſperaſſet ut Iudæa in provinciam redigeretur à Romano Imperatore, à quo minùs ſibi metuebat quàm à minutis Regulis, ad omnes ſuſpiciones pavidis, eóque crudelibus. Erat autem etiam fratribus ſuis truculentior Archelaus.

ἀντὶ, *pro*] Fuerit in Hebræo חלף, ut nunc in Syro, quæ vocula interdum delegationem, hîc verò aliiſque in locis ſucceſſionem indicat. Latinè loqui ſi velis βασιλεύειν ἀντὶ Ἡρώδου vertendum erit *Herodi in regnum ſuccedere*, aut *regnare loco Herodis*; quomodo Martialis, *Heredem*
Scribis, & eſſe tuo vis, furioſe, loco.

Sic 1 Maccab. XIII, 32. dicitur ἐβασίλευσεν ἀντ' αὐτοῦ [*regnavit loco ejus*].

23. διὰ τῶν προφητῶν, *per Prophetas*] Vox νόμου [*legis*] & προφητῶν [*Prophetarum*] modò ſtrictè ponuntur, ita ut partes conſtituant diverſas τῆς θεοπνεύστου γραφῆς [*Scripturæ Divinitus inſpiratæ*], modò laxiùs, ita ut harum vocum alterutra totam Antiqui Federis Scripturam comprehendat; quia ſcilicet & Moſes ipſe Propheta fuit, & Prophetæ cæteri Legis Moſi datæ interpretes. Ita ſumi προφητῶν [*Prophetarum*] vocem poteſt & aliis locis oſtendi: ſed uno ero contentus Act. III, 21, 22. ubi Petrus Prophetis generaliter numeratis ſubjungit Μωσῆς γὰρ εἶπε [*Moſes quidem dixit*]. Cur autem hîc vocem iſtam laxiore ſignificatu ſumendam arbitrer jamjam apparebit.

ὅτι Ναζωραῖος κληθήσεται]. *quoniam Nazaræus vocabitur*] ὅτι illud, etiam cum Veteris Federis teſtimonia citantur, ſæpe ſenſum magis multis ex locis depromtum quàm unius loci verba indicat : ut apparet Actor. x, 42. & alibi. Quanquam verò urbs hæc Ioſephi & Mariæ domicilio notiſſima Syriacè ſcribatur per צ, id tamen mihi non ſatis cauſæ videtur, quò minùs credamus Hebraicè antiquitus ſcriptam per ז : facilè enim commutatio fieri potuit inter literas ſoni adeò affinis, ut & hæc & illa eâdem Græcâ literâ exprimi ſoleat. Sic & pro צדק Syri ſcribunt זדק, & זדקיא illis ſunt Sadducæi. Quin & in ipſis Sacrarum literarum codicibus harum inter ſe literarum commutatio apparet. Confer I Paralip. xvi, 32, cum Pſal. xcvi, 12. Et I Paral. xiii, 9, cum II Sam. vi, 6. Item Num. xxvi, 12, cum Geneſ. xlvi, 10. Sic & Num. xxvi, 15, cum Geneſ. xlvi, 16. Et ubi nunc eſt ז Græci legerunt צ Geneſ. xlix, 24. Et ubi eſt צ legerunt ז Eſaï. xxxiii, 18. Sic Moſes Gerundenſis Iobi xl, 12. יחפץ ait poſitum pro יחפז, quia duæ hæ literæ ſæpe commutentur, addens exempla צעקה & זעקה item זרב & צרב. Quare hæc mihi videtur eſſe Matthæi ſententia, In Veteri Federe eos qui ſupra communia Legis præſcripta, peculiari cuidam ſanctimoniæ, Deo non res ſuas ſed ſemetipſos dedicarent *Nazaræos* vocari; id autem in Chriſto eminenter impletum, ut qui non vini abſtinentiæ aliiſve id genus ceremoniis ſed morti cruentæ atque ignominioſæ ſe ultro devoverit, quo reſpiciunt Chriſti verba Ioh. xvii, 19. ubi eſt vox ἁγιάζω [*ſanctifico*], unde ἡγιασμένος [*ſanctificatus*], quod apud Lxx ponitur pro *Nazaræo*. Lucem adfert huic interpretationi locus Philonis de Nazaræis, ubi cauſam reddit cur eorum votum μεγάλη εὐχὴ [*magnum votum*] vocaretur, Ὅταν ἀπάρξωνταί τινες ἀπὸ παντὸς μέρους κτίσεως, πυροὺς, κριθὰς, ἔλαιον, οἶνον, τὰ κάλλιστα τῶν ἀκροδρύων, ἔπειτα τῶν ζώων τὰ πρωτότοκα, τὰ μὲν ἐκ τῶν καθαρῶν καθιερώσαντες, τὰ δ' ἐκ τῶν μὴ καθαρῶν κατ' ἀξίαν τιμησάμενοι· μηκέτι δ' ἔχοντες ὕλας ἐν αἷς διαθήσονται τὴν εὐσέβειαν, αὐτοὺς ἀνατιθέασι καὶ καθιεροῦσιν, ἄλεκτον ἐπιδεικνύμενοι ὁσιότητα καὶ ὑπερβολήν τινα γνώμης φιλοθέου· διὸ καὶ μεγάλη προσηκόντως εὐχὴ καλεῖται· κλημάτων γὰρ τὸ μέγιστον αὐτός τις ἐστὶν αὐτῷ, οὗ παραχωρεῖ καὶ ἐξίσταται [*Vbi voverunt aliqui de rebus creatis aliquid, puta frumentum, hordeum, oleum, vinum, pomorum pulcherrima, deinde & animalium primogenita, partim ipſa quæ pura erant conſecrantes, partim pro impuris repenſo pretio; cùm jam nulla ampliùs ſupereſſet materia in qua pietatem oſtenderent, ſeipſos vovent atque conſecrant, ac ſic oſtendunt pietatem ineffabilem & animi Deum amantis excellentiam : unde & meritò magnum hoc votum dicitur, Nam cùm quiſque ſibi maxima ſit poſſeſſio, de ea cedit eâque ſe abdicat*]. His ſi conferas quæ tractat ſcriptor ad Hebræos x, 5, 6, 7, 8, 9, 10. apertiſſimè videbis Chriſto perfectiſſimo modo competere nomen *Nazaræi*. Dicit igitur Matthæus, ita diſpoſitis à Deo rebus, ut Ioſephus & Maria ab Ægypto reverſi Nazaretæ larem figerent, hoc actum, ut ex ea habitatione Chriſto nomen illud adhæreſceret, quo ſanctimonia ipſius perfectiſſima & votum pro noſtra ſalute ſuſceptum notaretur. Neque ſanè fortuitum videri debet, quòd ſermo popularis Dominum noſtrum *Ieſum Nazaræum*, quaſi perpetuo cognomento vocaverit, ut apparet Matth. xxvi, 71. Marci I, 24. x, 47. xiv, 67. xvi, 6. Lucæ iv, 34. xviii, 37. xxiv, 19. Ioh. xviii, 5, 7. xix, 19. Act. ii, 22. iii, 6. iv, 10. vi, 14. xxii, 8. xxvi, 9. Vnde & qui ipſius ſanctiſſimæ diſciplinæ nomen dederant *Nazaræi* ſunt appellati, Act. xxiv, 5. Tertullianus adversùs Marcionem quarto, *Nazaræus vocari habebat ſecundùm Prophetiam Chriſtus creatoris : unde & ipſo nomine nos Iudæi Nazaræos appellant per eum : nam & ſumus de quibus ſcriptum eſt*, Nazaræi exalbati ſunt ſuper nivem. Nec illud omiſerim, cùm nomen ab oppido deductum habeat exitum apud Novi Federis Scriptores Ναζωραῖος & Ναζαρηνὸς (quod in pleriſque appellationibus gentilitiis Orientalium populorum uſu venire nos docet Stephanus περὶ πόλεων [*de Vrbibus*]) maluiſſe Matthæum uti voce Ναζωραίου, ut quæ recepta eſſet in ſignificatu votivæ ſanctimoniæ: nam quòd apud Lxx & Helleniſtas alios Ναζαραῖος vel Ναζηραῖος, apud Ioſephum & ſcriptores Chriſtianos Græcos Ναζιραῖος, in Novo autem Federe modò Ναζωραῖος modò Ναζαραῖος ſcribitur, pronunciationis eſt non vocis diverſitas.

CAPVT III.

2. Μετανοεῖτε, *Pœnitentiam agite*] Vide Marcum. τῶν οὐρανῶν, *cælorum*] Hebræi quidem cœlum, etiam cùm aëream aut ſideream regionem ſignificat, appellant voce ſoni pluralis, aut potiùs binarii; at Græci id non faciunt: ideoque paſſim etiam in his ſcriptoribus utramvis illam regionem dictam invenies numero unitatis. Quid ergo & hîc & aliis multis in locis ſibi vult plurale hoc οὐρανῶν; [*cælorum?*] Nimirum idem quod Hebræi dicunt שמי שמים [*cælum cælorum*], id eſt, cœlum ſupremum atque inadſpectabile, qui Chryſoſtomo in viii caput ad Romanos ὁ τοῦ οὐρανοῦ οὐρανός [*cæli cælum*]. Mos enim eſt Hebræis in ejuſmodi constructionibus interdum prius membrum ſubticere : ita חכמות dicitur pro חכמת חכמות, id eſt, excellentiſſima ſapientia; בהמות pro בהמת בהמות, id eſt, eximia ferarum; אלהים pro אלהי אלהים, id eſt, Deus ſummus. Simili planè modo ſcriptor ad Hebræos, quæ primùm nominarat ἅγια ἁγίων [*ſancta ſanctorum*], mox per compendium ἅγια [*ſancta*] nominat cap. ix. *Regnum* autem *cæli* apud Hebræos, quorum ſermonem Chriſtus ſequitur, interdum ſignificat beatiſſimum illum ſtatum poſt reſurrectionem, cùm Deus erit omnia in omnibus; interdum quæ eò ducunt, id eſt, Legem tum Veterem (nam hanc quoque eo nomine appellant), tum Novam, id eſt, regnum Meſſiæ, quomodo hic *regnum cæli* ſumitur: Reſpicitur enim Danielis vaticinium, cujus implementum circa hæc tempora etiam à populo exſpectabatur. Hæc omnia dici ſolent & *regnum Dei* ex Pſalmo xlvii, 9. Idem enim eſt regnum Dei & regnum cœli. Nam quia ſummum illud cœlum velut arx & regia eſt Dei, ideo pro Deo poni ſolet. Maxima autem bona Meſſiæ temporibus cùm exſpectarent Hebræi, ſatis intelligere poterant, ad ea adipiſcenda opus eſſe amoveri impedimenta, id eſt,

crimina, quæ ipſos indignos tantis beneficiis eſſent reddıtura.

3. Ἑτοιμάσατε, *Parate*] Rectè LXX & hos ſecutus Matthæi interpres פנו vertit ἑτοιμάσατε. Apertum eſt ita ſumi hoc verbum Gen. XXIV, 31. de ſenſu vide quæ dicentur ad caput Lucæ III.

4. ἀπὸ τριχῶν καμήλου, *de pilis camelorum*] Habitus haud dubiè ſeverior, victûs parſimoniæ congruens: qualem Catoni ſuo Lucanus adſcribit,

Huic epulæ viciſſe famem, magnique penates
Summoviſſe hiemem tecto, pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper, Romani more Quiritis,
Induxiſſe togam.

Antea dixerat,

Intonſos rigidam in frontem deſcendere canos
Paſſus erat, mæſtamque genis increſcere barbam.

Apud Hebræos in luctu pilis veſtiri mos erat, ut ex Ioſepho libro XVI. Antiquitatum diſcimus. Planè tales erant Hebræorum Nazaræi, ſive temporarii ſive perpetui. Nam & comam barbamque promittebant, & hirtâ togâ induebantur, cui togæ nomen erat אדרת, ut nos docent Hebræorum Magiſtri. Fuit autem Iohannes perpetuus quaſi Nazaræus, quod nos docet Lucas I, 15. Cùm verò & Elias deſcribatur nobis comâ promiſſâ II Reg. I, 8. & toga ipſius illo ipſo nomine אדרת vocetur I Reg. XIX, 19. ſequitur eundem fuiſſe habitum Prophetæ & Nazaræi. Quod eò magis credibile eſt, quia Zacharias XIII, 4, habitum Prophetæ vocat אדרת שער *togam hirſutam*, & ſcriptor ad Hebræos, fortè & de aliis, ſed de Prophetis præcipuè agens eos nobis deſcribit ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν [*in melotis, in pellibus caprinis*]. Clemens autem Romanus ſcriptorem ad Hebræos in multis imitatus, ut veteres nos docent, in epiſtola ad Corinthios, de Prophetis, quos inter & Iohannem Baptiſtam nominat, ita loquitur, ἐν δέρμασιν αἰγείοις καὶ μηλωταῖς, καὶ τριχῶν καμηλείων πλέγμασιν περιεπάτησαν [*in pellibus caprinis & melotis & camelorum tortis crinibus incedebant*]. Illud obſervatu non indignum, factum Divinâ providentiâ ut qui veniebat in ſpiritu Eliæ, *Elias* propterea à Prophetis nominatus, etiam habitu exteriori Eliam referret.

ζώνην δερματίνην, zonam pelliceam] Scripſerit Matthæus אזור עור, quod de Elia dicitur II Reg. I, 8. ubi LXX ſimiliter vertunt ζώνην δερματίνην. Etiam hoc ad ſeverioris vitæ profeſſionem pertinuit, cùm Iudæi cæteri cinctum haberent de materie exquiſitiore, eumque ditiores etiam auro & monilibus variarent.

περὶ τὴν ὀσφὺν αὐτοῦ, *circa lumbos ejus*] במתניו, ut eſt dicto loco. Apparet ita vocari partem corporis quæ cingi ſolet, Lucæ XII, 35. Epheſiorum VI, 14. I Petri I, 13.

ἀκρίδες, *locuſtæ*] Ad ea quæ viri docti de locuſtarum uſu ad cibum notarunt adde quæ habet Leo Afer libro IX.

5. ἡ περίχωρος, *regio circa Iordanem*] Denotari mihi videtur regio quæ Iudææ erat trans Iordanem. Certum enim eſt hac voce non circumſita tantùm, ſed & adſita ſignificari.

6. ἐβαπτίζοντο, *baptizabantur*] Ceremonia hæc neque nova planè fuit & vocationi Gentium præluſit. Tradunt enim Hebræi eos qui circumcidi vellent, ſi ab idololatria venirent inſuper ablutos; ſed & feminas extraneas Iudæis nubentes ajunt ablutas: idque ipſum factum olim Saræ ac Rebeccæ. Et hujus baptiſmi Iudaici meminit Scholiaſtes ad Iuvenalem, & Arrianus Epicteto. Et qui ex gentibus circumciſis, ut Iſmaelitis, Perſis, Turcis, ad Iudaiſmum veniunt baptizari debent. Credibile eſt ablutionem hanc fuiſſe inter vetera inſtituta, orta, ut arbitror, poſt magnum diluvium in memoriam purgati mundi; unde illud celebre apud Græcos

Θάλασσα κλύζει πάντα τ᾽ ἀνθρώπων κακά.
[*Mortalium omnes abluit culpas mare.*]

Certè baptiſma ἀντίτυπον [*reſpondens*] eſſe Diluvio etiam in Petri epiſtola legimus. Et à Gentibus ablutiones præmiſſas myſteriis oſtendemus ad finem Matthæi. Cùm verò τὸ βάπτισμα [*baptiſmus*] multa deſignet quæ paſſim apud Apoſtolos videre eſt, prima tamen ejus inſtituti ratio propriè ſpectaſſe videtur ut obſignaret propoſitum ac pollicitationem vitæ emendatioris, quomodo lavacrum hoc deſcribit Petrus I epiſt. III, 21. cui conſequens deinde fuerit peccatorum remiſſio. Paſſim enim Iohannis βάπτισμα [*baptiſma*] vocatur βάπτισμα μετανοίας [*baptiſma pænitentiæ*], addito interdum εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*ad remiſſionem peccatorum*]. Videtur igitur Iohannes hac ſacra ceremonia indicare voluiſſe, Iudæos, quantúmvis Dei veteres federatos, in tantum jam à vera pietate deſciviſſe ut idolorum cultoribus accenſendi eſſent, planéque eorum exemplo totum vitæ genus mutare deberent, ſi vellent eſſe ſalvi. Nam is mos Eſſenorum fuerat, qui purius cæteris vitæ genus inſtituerant & unde plurimi ad Chriſtianiſmum tranſiere, omnes ad cœtum ſuum venientes, etiam Iudæos, baptizare; cùm Phariſæi & alii Iudæi non baptizarent niſi a paganiſmo venientes. Ioſephus, ut hanc Ioannis lotionem diſcerneret à luſtrationibus profanarum gentium, quæ aquâ marinâ aut etiam vivo flumine culpas ipſas elui animoſque purgari delictorum conſcientiâ exiſtimabant, de quibus Poëta,

O nimiùm faciles, qui triſtia crimina cædis
Tolli flumineâ poſſe putatis aquâ.

& Tertullianus ad Vxorem II, *Penes veteres quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat.* ait illo auctore mentibus primùm juſtæ vitæ propoſito purgatis, uſurpatam deinde aquam quæ corpora ablueret. Verba ſunt, οὕτω γὰρ καὶ τὴν βάπτισιν ἀποδεκτὴν αὐτῷ (τῷ Θεῷ) φανεῖσθαι (docebat nimirum Iohannes) μὴ ἐπί τινων ἁμαρτάδων (quibus ſcilicet indulgere adhuc vellent) παραιτήσει χρωμένων, ἀλλ᾽ ἐφ᾽ ἁγνείᾳ τοῦ σώματος, ἅτε δὴ καὶ τῆς ψυχῆς προκεκαθαρμένης [*ita enim acceptam Deo fore ablutionem, ſi eâ uterentur non ad excuſandam vitam malam, ſed ad corporis puritatem poſtquam jam bene purgatus eſſet animus*]. Simile eſt quod dicit Tertullianus libro de Pœnitentia: *Non ideo abluimur ut delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus: quoniam jam corde loti ſumus. Hæc enim prima audientis intinctio eſt, metus integer*: legendum fortè *mens integra* aut *motus integer*. Sic & Iuſtinus adverſùs Tryphonem, τὸ μόνον βάπτισμα καθαρίσαι δυνάμενον [*ſolum baptiſma quod purgare poſſit*] ait eſſe μετάνοιαν καὶ γνῶσιν τοῦ Θεοῦ

[*pæni-*

[*pœnitentiam & Dei notitiam*], addens & hanc ſententiam, Ioſephi dicto non diſſimilem, Τί γὰρ ὄφελος ἐκείνου τοῦ βαπτίσματος ὃ τὴν σάρκα καὶ μόνον τὸ σῶμα φαιδρύνει; βαπτίσθητε τὴν σάρκα ἀπὸ ὀργῆς καὶ ἀπὸ πλεονεξίας, ἀπὸ φθόνου, ἀπὸ μίσους, καὶ ἰδοὺ τὸ σῶμα καθαρόν ἐστι [*Cui enim bono illud baptiſma quod carnem aut corpus ſolum mundat? Abluite carnem ab ira, ab avaritia, ab invidia, ab odio, & ſatis mundum erit corpus*]. Clemens Alexandrinus eundem in ſenſum adfert dictum vetus, Ἴσθι μὴ λουτρῷ ἀλλὰ νόῳ καθαρός [*Eſto purus non lavacro, ſed mente*]· deinde addit, Ἱκανὴ δὲ, οἶμαι, ἀνθρώπῳ κάθαρσις, μετάνοια ἀκριβὴς καὶ βεβαία, εἴγε καταγνωκότες ἑαυτῶν ἐπὶ ταῖς προημαρτημέναις πράξεσι, προΐεμεν εἰς τὸ πρόσθεν, μετὰ ταῦτα νοήσαντες, καὶ τὸν νοῦν ἐξαναδύοντες τῶν τε κατ' αἴσθησιν τερπόντων καὶ τῶν πρόσθεν πλημμελημάτων [*Sufficit, ni fallor, homini purificatio hæc, Sincera & conſtans pœnitentia, id eſt, ſi noſmet damnantes de antè actis procedamus in ante nos poſita, poſtpoſitis illis pejoribus, ac mente exuta ab iis quæ ſenſus titillant & ab antè delictis*]. Merſatione autem non perfuſione agi ſolitum hunc ritum indicat & vocis proprietas, & loca ad eum ritum delecta, Ioh. III, 23. Act. VIII, 38. & alluſiones multæ Apoſtolorum quæ ad adſperſionem referri non poſſunt, Rom. VI, 3, 4. Coloſſ. II, 12. Seriùs aliquanto invaluiſſe videtur mos perfundendi ſive adſpergendi in eorum gratiam qui in gravi morbo cubantes nomen dare Chriſto expetebant, quos cæteri κλινικοὺς [*Cubitorios*] vocabant. Vide epiſtolam Cypriani ad Magnum. Quòd autem *tingere* pro *baptizare* uſurpant Latini veteres mirum videri non debet, cùm Latinè *tingendi* vox & propriè & plerúmque idem valeat quod *merſare*.

ἐξομολογούμενοι τὰς ἁμαρτίας, *confitentes peccata ſua*] Verum eſt hoc loquendi genere ſæpe nihil aliud indicari quàm actum ſive internum ſive externum ſontem ſe profitentis, 1 Ioh. 1, 9. Attamen acceſſiſſe etiam ſpecialem deteſtationem eorum peccatorum quæ præcipuè Deum irritant, ex loco Actor. XIX, 18. intelligi datur, ubi voci ἐξομολογούμενοι [*confitentes*] additur καὶ ἀναγγέλλοντες τὰς πράξεις αὐτῶν [*& annuntiantes peccata ſua*]. Hoc autem & eos qui Iohannem adibant feciſſe credibile eſt, tum ut precibus ipſius apud Deum juvarentur, Iac. V, 16. tum ut inſtruerentur conſilio ad ſpeciales circumſtantias accommodato, Lucæ III, 12, 14. Ἐξαγορεύειν [*edicere*], quod ſunt qui putant multùm differre ab ἐξομολογεῖσθαι [*confiteri*], pro eodem uſurpant LXX interpretes Lev. V, 5. Num. V, 7. Neque eos terruit quòd ea vox in ſacris Gentium uſurparetur, cùm alioqui & *altaris* & *templi*, multiſque aliis vocibus abſtinendum fuerit. Quòd autem diſputant viri eruditi an dictis legibus Levitici & Numerorum exigatur tantùm confeſſio apud Deum & eum cujus intereſt, an verò etiam apud Sacerdotem, ea de re probabilis maximè videtur eorum ſententia qui exiſtimant etiam apud Sacerdotem factam aliquam particularem culpæ confeſſionem, in iis quæ cognita capitis pœnam non adferebant; in cæteris ſuffeciſſe generalem: eundemque morem etiam ſolito religioſiùs ac liberiùs obſervatum credibile eſt à Iudæis qui ad Baptiſtam optimæ fidei hominem, nec Sacerdotem tantùm ſed & Prophetam, accedebant.

7. Γεννήματα ἐχιδνῶν, *Progenies viperarum*]

Δεινῆς ἐχίδνης θρέμμα
[*Malæ propago viperæ*]

dixit Sophocles. Et in Proverbio eſt Κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν [*Mali corvi malum & ovum*]. Viperæ venenum in lingua, pellis ſpecioſa. Alluditur ſimul ad locum Geneſeos, ubi diabolus ſerpens.

8. καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, *fructum dignum pœnitentiæ*] Idem eſt quod Act. XXVI, 20. ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα [*digna pœnitentiæ opera*]. Et paſſim opera *fructuum* nomine appellantur. Lucas plurali numero dixit καρποὺς ἀξίους [*dignos fructus*], quod & hoc loco in codices quoſdam pervaſit, ſequente Syro. Sed illam lectionem Latinus & plurimi codices præferunt.

9. μὴ δόξητε λέγειν, *ne velitis dicere*] *Ne lubeat vobis dicere*, ut Demoſthenes, οὐκ ἐδόκουν μ' ὁρᾷν ἔτι, *non lubebat ipſis ampliùs me videre*. Neque longè diſcedit illud, οἱ δοκοῦντες ἄρχειν τῶν ἐθνῶν, Marci X, 42. *qui in eo ſibi placent quòd gentibus imperant*. Simile 1 Cor. XI, 16.

ἐκ τῶν λίθων τούτων, *de lapidibus iſtis*] Figuratum loquendi genus, quanquam Divinæ potentiæ menſuram non excedens. Simile eſt Lucæ XIX, 40. οἱ λίθοι κεκράξονται [*lapides clamabunt*]. Nec abſurdum utroque loco gentes extraneas obſcurè indicatas intelligere. Nam ab his non magis quàm à lapidibus fidem ac pietatem Iudæi exſpectabant. Et ſolent Sacræ literæ lapidibus comparare eos qui lapides colunt. Sed & alia videtur alluſio ſubeſſe, quaſi dicat Chriſtus, Ne incredibile vobis videatur, ſi ex lapidibus faciat Deus liberos Abrahami, cùm ipſe Iſaac ex Abrahamo jam effœto natus ſit: nam corpus effœtum Abrahami lapidi comparatur Eſaiæ LI, 1.

ἐγεῖραι τέκνα τῷ Ἀβραάμ, *ſuſcitare filios Abrahæ*] קום זרע לאברהם ut Gen. XXXVIII, 8. quod aliàs vertit hic interpres ἀναστῆσαί τινι σπέρμα [*ſuſcitare ſemen alicui*] XXII, 24. Nam ut nati ex fratre ſuperſtite filii erant fratri defuncto non naturâ ſed lege, ita credentes omnes Abrahamo inſeruntur, fiuntque non quidem τέκνα τῆς σαρκὸς [*filii ſecundùm carnem*], ſed τέκνα τῆς ἐπαγγελίας [*filii promiſſionis*], Rom. IX, 8. Paſſim Baptiſta, Chriſtus, Apoſtoli dant operam ut Iudæis adimant ſuperbiam & ſpem impunitatis de parentum ſanctitate conceptam, quod illis maximum fuit bonæ mentis impedimentum. Vide Epiſtolam ad Romanos, & Iuſtinum in Colloquio cum Tryphone.

10. Ἤδη δὲ καὶ ἀξίνη πρὸς τὴν ῥίζαν τῶν δένδρων κεῖται. *Iam enim ſecuris ad radicem arboris poſita eſt*] Iam Deus vobis ni reſipiſcatis non levia mala minatur, ſed federis ſui derelictionem, quod eſt velut arborem radicitus exſcindere.

πᾶν οὖν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, *omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum excidetur*] Explicatio συμβολικὴ [*ſacramentalis*] legis ejus quæ exſtat Deut. XX, 20. quam ſimili modo Philo interpretatur non uno loco. Vide & Dan. IV, 11.

11. εἰς μετάνοιαν, *in pœnitentiam*] Poteſt non incommodè exponi hoc modo: *Baptizo vos ſuper profeſſione pœnitentiæ, quam facitis.*

ὁ δὲ ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui autem poſt me venturus eſt*] *Is qui paulò poſt me munus ſuum auſpicabitur.* Id enim voce ἔρχεσθαι [*venire*] ſignificant ſancti Scriptores.

ἱκανὸς, dignus] Idem valet quod ἄξιος Iohannis I, 27. Actorum XIII, 25. ubi λῦσαι τὸν ἱμάντα τοῦ ὑποδήματος ſive τὸ ὑπόδημα [*ſolvere corrigiam calceamenti* aut *calceamenta*] idem planè miniſterium denotat quod hîc βαστάσαι τὸ ὑπόδημα [*portare calceamenta*], viliſſimis ſcilicet ſervis mandari ſolitum. Quò ſpectant illa in comœdiis, *date jam ſoleas*; & apud Æſchylum Agamemnone,

——— ὑπαί τις ἀρβύλας
Λύοι τάχος, πρόδουλον ἔμβασιν ποδός.
[——— ——— *calceum celerrimè*
Diſſolvat aliquis, quod miniſterium eſt pedis.]

Apud Terentium Heautontimorumeno : *Accurrunt ſervi, ſoccos detrahunt.* Apud Tibullum :

Vinclaque de niveo detrahet ipſe pede.

Ideo & David ait *Idumæo ſe objecturum ſoleas*, Pſalmo CVIII, 10. nimirum ut exutas auferat : hoc enim eſt βαστάζειν [*portare*]. Sic & in expoſitione præcepti vetantis CLXXVI, Hebræi vile miniſterium hoc explicant exemplo, puta ut ſolvat corrigiam calceamentorum, aut ut extrahat ea.

ἐν Πνεύματι ἁγίῳ καὶ πυρί. In Spiritu Sancto & igni] Agi hîc de Spiritu illo quem in ſe credentibus daturus erat Chriſtus, ita tamen ut non interna tantùm ejus Spiritus dona, ſed & externa teſtimonia intelligi debeant, facilè viſurum puto qui rectè attenderit ad loca Actorum I, 5. & Actorum XIX, 2. Priore loco Chriſtus ipſe opponit Iohannis baptiſma quod per aquam fiebat baptiſmo per Spiritum, quem à ſe brevi accepturi erant Apoſtoli. Altero loco oſtenditur eos qui à Iohanne aut diſcipulis Iohannis baptizati erant cum baptiſmo nulla accepiſſe dona qualia accipiebant hi qui ab Apoſtolis baptizati nomen Chriſto dederant. His adde locum eum qui eſt Iohan. VII, 38, 39. ubi verba Chriſti de *fluminibus aquæ vivæ* Apoſtolus Iohannes interpretatur de *Spiritu quem accepturi eſſent credentes in Chriſtum. Nam ad id tempus non fuiſſe Spiritum Sanctum.* Quod hîc & apud Lucam dicitur *baptizare Spiritu Sancto & igne*, id Marcus I, 8. & Iohan. I, 33. dixerunt ſimpliciter *baptizare Spiritu*; ut appareat illud πυρὶ [*igni*] adjectum ἐξηγητικῶς [*explicandi causâ*], nimirum quia ut aëris ita ignis ſubtiliſſima atque efficaciſſima natura vim illam Divinam quam in ſe credentibus Chriſtus erat collaturus, τὸ σφοδρὸν τῆς χάριτος [*vehementiam gratiæ*], ut hîc loquitur Chryſoſtomus, optimè exprimit; unde & linguæ ſuper Apoſtolos miſſæ cum venti ſono ignis ſpeciem prætulerunt, Actorum II, 2, 3. Vide vaticinium Eſaiæ IV, 4, 5. Vox autem *baptizandi* de donis illis per tranſlationem uſurpata eorundem ubertatem ſignificat : ut & Ioëlis illud, *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem*, Actorum II, 17. Quòd autem Æthiopes juxta baptiſmum uſtionem quoque uſurpant, factum arbitror more veterum Chriſtianorum, qui traditis à Chriſto ceremoniis ſigna addebant quæ verba Scripturæ eandem rem aliter atque aliter adumbrantia ſimul in memoriam revocarent : Talis fuit lactis & mellis prægustatio, ſignatio crucis, dæmonum adjuratio, ſalis admotio, unctio, aliaque ejuſmodi. Morem autem hunc vetuſtiſſimum eſſe, neque proprium gentis Æthiopicæ docet nos Heracleon citatus à Clemente Alexandrino in libro de Prophetia : ἔνιοι, inquit, πυρὶ τὰ ὦτα τῶν σφραγιζομένων κατεσημειώσαντο [*quidam obſignatorum aures igni notabant*]. An Seleuciani & Hermiani, quos igne baptizaſſe legimus, hunc morem obſervarint incertum habeo, ut & de Valentino, de quo Tertullianus :

Bis docuit tingi, traducto corpore flammâ.

Horum mos, ut videtur, librariis audacioribus cauſam dedit delendi hoc loco voculam πυρὶ [*igni*], quod in quibuſdam codicibus videre eſt. Cæterùm ſenſus magis reconditus hic videtur eſſe, Non ſatis eſſe, Chriſto judice, ſi malis factis abſtineamus, quod lotio indicabat; ſed requiri vim ad bona agentem magno quodam impetu, quæ donis illis conſpicuis adumbrata eſt,

12. *οὗ τὸ πτύον ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ, cujus ventilabrum in manu ſua*] Hebraiſmus pro ἐν οὗ χειρὶ τὸ πτύον [*in cujus manu ventilabrum*]. Sicut autem poſteriora hujus commatis verba de colligendis frugibus & comburendis paleis ad ultimi judicii diem pertinent, ut apparet ex collatione verborum Chriſti infrà XIII, 30, & 49. cujus judicii adumbratio quædam eſt Pſalmo I, 4. & Danielis II, 35. ita priora ad ipſam verbi annunciati naturam non incommodè poſſunt referri, cujus tanta eſt puritas, ut magna ex parte etiam in hoc ævo, præſertim quoties crux accedit, probos ab improbis ſegreget. Sed & in ſingulis hominibus ſimilis quædam purgatio inſtituenda, quam ſimilitudine planè eadem qua hîc Baptiſta utitur Philo depingit libro de Caino, Καθάπερ οὖν ἐν τῇ ἅλῳ εἰσὶ πυροὶ καὶ κριθαὶ καὶ ὅσα τοιαῦτα καθ᾽ ἑαυτὰ χωρίζεται, ἀθέρες καὶ ἄχυρα καὶ εἴ τις ἄλλος φορυτὸς ἑτέρωσε σκίδναται, οὕτω καὶ παρ᾽ ἡμῖν, τὰ μέν ἐστι ἄριστα καὶ ὠφέλιμα καὶ τὰς ἀληθεῖς τροφὰς παρέχοντα, δι᾽ ὧν ὁ ὀρθὸς ἀποτελεῖται βίος, ἅπερ ἀναθετέον Θεῷ· τὰ δ᾽ ἄλλα ὅσα μὴ θεῖα ὑπολειπτέον ὥσπερ σκύβαλα γένει τῷ θνητῷ [*Quomodo igitur in area ſunt frumentum & hordeum, ac talia quæ ſunt ſeorſim ponuntur, ariſtæ verò & paleæ & ſordes cæteræ ſparguntur aliò : ſic & in nobis optima & utiliſſima & verè alentia ſunt per quæ recta vita conſummatur, eaque Deo dicanda : cætera verò quæ divina non ſunt, tanquam retrimenta, aſſignanda mortali generi*]. Servius ad illud I Georg. — *myſtica vannus Iacchi, Ideo quòd Liberi patris ſacra ad purgationem animi pertinebant : & ſic homines ejus myſteriis purgabantur ſicut vannis frumenta purgantur.*

ἅλωνα, aream] Hæc vox ſimili flexione eſt apud Dionyſium Halicarnaſſenſem.

καὶ συνάξει τὸν σῖτον αὐτοῦ, & congregabit triticum ſuum] קבצם כעמיר συνήγαγεν αὐτοὺς ὡς δράγματα ἅλωνος [*ſegregavit eos ut manipulos areæ*], Mich. IV, 12.

14. Ἐγὼ χρείαν ἔχω ὑπὸ σοῦ βαπτισθῆναι, *Ego à te debeo baptizari*] Si alter noſtrum omnino baptizandus ſit, ego potiùs abs te, ut digniſſimo, baptiſmum petere debui.

15. Ἄφες ἄρτι· *Sine modò*] Ἀφιέναι hîc eſt *ſinere*, ut infrà VII, 4. VIII, 22. *Sinito* autem tantundem eſt ac ſi diceret, *Fiat nunc quod volo.*

δικαιοσύνην· juſtitiam] Vox hæc hoc quidem loco latiſſimè ſumitur, ita ut ſignificet non modò τὸ νόμιμον, ſed & quicquid ullam æqui atque honeſti habet rationem. Nam Lex Moſis de hoc baptiſmo nihil præſcripſerat, & cœleſte mandatum quod

Baptiſta acceperat ad peccatores reſipiſcentes propriè pertinebat. Attamen cùm Chriſtus perfectiſſimæ innocentiæ exemplar fuerit, ne in ipſo quidem inanis erat ceremonia quæ innocentiæ propoſitum obſignabat. Neque efficaciùs oſtendi potuit quantus honos inſtitutis à Deo ritibus deberetur, quàm ſi Chriſtus ipſe uſum eorum nobis exemplo ſuo commendaret. Præterea ipſe per hanc ceremoniam, quæ nos populo Dei inſerit, eidem populo velut concorporatus eſt, certoſque ſuo exemplo fecit omnes, qui, ut oportet, baptizantur, apertæ ipſis regiæ cœleſtis, conſequendi ſpiritûs & juris filiorum Dei. Ita δίκαιον [*juſtum*] ſumitur & Philip. 1,7. & aliis aliquot in locis. In Clementis quæ dicuntur Conſtitutionibus legimus libro VII, cap. XXIII. Ἐβαπτίσθη μὲν καὶ ἐνήστευσεν (Ieſus) οὐκ αὐτὸς ἀπορυπώσεως ἢ νηστείας χρείαν ἔχων ἢ καθάρσεως, ὁ τῇ φύσει καθαρὸς καὶ ἅγιος, ἀλλ' ἵνα καὶ Ἰωάννῃ ἀλήθειαν προσμαρτυρήσῃ καὶ ἡμῖν ὑπογραμμὸν παράσχηται [*Et baptizatus eſt, & jejunavit, non ipſe indigens mundationis aut jejunii aut expiationis, quippe per ſe purus ac ſanctus, ſed ut & Iohanni redderet veracitatis teſtimonium & nobis daret exemplum*].

16. ἀνέβη εὐθὺς, *confeſtim adſcendit de aqua*] Id eſt, *vix adſcenderat*. Non enim vult ſubitò adſcendiſſe Chriſtum ex amne, ſed ut adſcenderat ſubitò factum quod ſequitur. In hunc ferme modum εὐθέως [*protinus*] utitur Marcus I, 29. & XI, 2. Non diſſimile loquendi genus eſt apud Æſchylum Prometheo, ἐπεὶ τάχιστ' ἤρξαντο [*ſimul repente cæperant*] pro τάχιστ' ἐπεὶ ἤρξαντο [*repente ſimulac cæperant*]. Et apud Ariſtotelem III Polit. XIII. ἐπεὶ θᾶττον ἐγκρατῶς ἔσχον τὴν ἀρχὴν [*poſtquam ſubitò imperium firmè tenuere*] pro θᾶττον ἐπεί [*ſubitò poſtquam*].

ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοί, *aperti ſunt ei cæli*] Id velut ſolenne ſignum prævium ταῖς ὀπτασίαις [*Viſis*]· Ezechielis I, 1. Iohan. I, 52. Actor. VII, 56. Puto autem cum Origene, Hieronymo & aliis intelligendum hoc κατὰ φάσιν [*ſecundùm id quod videtur*] potiùs quàm reipſa. Hebræorum quidam nihil aliud eſſe volunt quàm figuratum loquendi genus, quo ſignificetur factum aliquid aut oſtenſum cœleſti virtute. Sed & pagani cœleſtibus oſtentis tale aliquid præmitti crediderunt. Livius libro XXXII. *Faleriis cælum findi viſum, velut magno hiatu; quaque patuerit, ingens lumen effulſiſſe.* Servius ad illud IX Æneidos, *diſcedere cælum: In Auguralibus libris inter oſtenta etiam cælum diſceſſiſſe dicitur.*

καὶ εἶδε, *& vidit*] Ego nullam cauſſam video cur non hunc locum interpretemur ex eo qui eſt Iohann. I, 32. cùm appareat rem eandem narrari, neque inſolens ſit tum profanis tum ſacris Scriptoribus ut verbum aptetur perſonæ etiam quæ non proximè notata eſt.

τὸ Πνεῦμα τοῦ Θεοῦ καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, *Spiritum Dei deſcendentem ſicut columbam*] Rectè annotatum eſt jampridem ambiguum videri poſſe loquendi genus. Poteſt enim intelligi aut ſpecies columbæ viſa, aut quod viſum eſt ita deſcendiſſe quomodo columbæ ſolent. Cæterùm cùm Lucas dicat disertè deſcendiſſe Spiritum σωματικῷ εἴδει [*corporali ſpecie*] III, 22. & Iuſtinus apertè exprimat columbæ ſpeciem, cùm dicit ἐπελθόντος ἐν εἴδει περιστερᾶς Πνεύματος [*ſuperveniente Spiritu in forma columbæ*], nec quiſquam veterum, quod ſciam, aliter ſentiat, planè credo columbæ ſpeciem apparuiſſe, igneam fortè, quomodo linguæ igneæ viſæ ſunt ſupra Apoſtolos. Φάσμα ὄρνιθος [*ſpeciem avis*] dixit Origenes: quanquam veram fuiſſe columbam affirmat Tertullianus libro de Carne Chriſti. Ignem autem eodem hoc tempore in Iordane apparuiſſe disertè prodit Iuſtinus Colloquio cum Tryphone, ex tradita haud dubiè fama. Nam & in Ebionæorum Euangelio, quod idem erat cum Nazaræorum, præter ſiqua Ebion ὑποθέσεως χάριν [*poſitionis ſuæ causâ*] interpolavit, ita legebatur, καὶ εὐθὺς περιέλαμψε τὸν τόπον φῶς μέγα [*& ſtatim lux ingens circa locum fulſit*]. Et idem reperitur in Liturgia Syrorum in hujus hiſtoriæ narratione circa Baptiſmum. Columbæ autem ſpeciem huc pertinuiſſe puto, quòd is qui in Chriſto erat ſpiritus ſpeciali manſuetudinis notâ jam olim deſcriptus eſſet ab Eſaia XLII, 1, 2, 3. ut infrà explicatur XII. quò reſpicere etiam videntur Chriſti verba quæ ſunt apud Lucam IX, 55. Notum eſt autem proverbium Πραότερος περιστερᾶς [*Columbâ mitior*], ſicut & τὸ ἀκέραιον [*ſinceritatem*] columbæ ſimilitudine exprimit Chriſtus infrà X, 16. Eò autem credibilius eſt vaticinium illud Eſaiæ à Deo hîc peculiariter ſpectatum, quod & vox prolata, quæ ſequitur, eadem propè verba, quæ in eadem Eſaiæ pericopa exſtant expreſſerit. Philo ex Hebræorum diſciplina per Columbam ſignificari ait ſapientiam, non illam φιλέρημον [*ſolitudinis amantem*] (qualis erat Baptiſtæ) ſed eam quæ ſit ἥμερος καὶ τιθασὸς καὶ ἀγελαῖος [*manſues, cicur & gregalis*]. Negare tamen nolim tacitè reſpici veterem figuram columbæ quæ poſt diluvium ſigna renovati orbis ad Noam pertulit. Volatu autem ſignificari influxum Divinum notatum & Ioſepho Iacchai ad IX Danielis.

17. ἀγαπητὸς, *dilectus*] Quod apud Eſaiam eſt בחירי, ἐκλεκτός μου [*electus meus*]. nam ἐκλεκτὸς & ἀγαπητὸς pro eodem poni ſolent. Vide Pſalm. II.

ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo mihi complacui*] Vox hæc, ut Latina, *placet*, modò ad voluntatis decretum, modò ad propenſum affectum refertur. Hoc intereſt, quòd Latina vox de objecto, Græca de ſubjecto dicitur. Ad affectum ſignificandum Græci Scriptores dicunt εὐδοκεῖν τινι [*bene velle alicui*]. At εὐδοκεῖν ἔν τινι [*in aliquo complacere*], ut hîc & infrà XVII, 5. Marci I, 11. Lucæ III, 22. I Cor. X, 5. Hebræor. X, 38. aut εἴς τινα, ut infrà XII, 18. II Petri I, 17. manifeſtus eſt Hebraiſmus חפץ בו, ut Geneſ. XXXIV, 14. aut רצה בו ut I Paralipomenôn XXVIII, 4. Quod Hieronymus dicit loquendi hoc genus à LXX interpretibus eſſe confictum, intelligendum eſt de iſta conſtruendi forma, & de nomine inde derivato εὐδοκία [*beneplacitum*], quod niſi apud Iudæos Helleniſtas non eſt invenire. Sæpe autem & רצה hoc modo vertunt LXX, ut Pſal. XL, 14. (in Hebræo: ita enim Pſalmos citare ſoleo) XLIV, 4. CXLVII, 10. CXLIX, 4. ubi רוצה בעמו vertitur εὐδοκεῖ ἐν τῷ λαῷ [*beneplacitum eſt Domino in populo ſuo*]. Eſt autem planè ſenſus idem in his verbis ἐν ᾧ εὐδόκησα [*in quo mihi complacui*] qui in illis Eſaiæ רצתה נפשי, ubi & Græci quidam interpretes habent εἰς ὃν εὐδόκησεν ἡ ψυχή μου [*complacuit ſibi in illo anima mea*].

mea]. Invenies eodem ſenſu & ἐυδοκεῖν cum dativo, omiſsâ ἐν [*in*] particulâ. Sic ἐυδοκεῖν τῇ λατρείᾳ [*conſentire ſervituti*, ſive *cultui*] dixit Scriptor primi Maccabaïci I, 45. Irenæi interpres hoc ἐν ᾧ ἐυδόκησα vertit, *in quo bene ſenſi*, libro III, cap. II.

CAPVT IV.

1. Ἀνήχθη, *ductus eſt*] Omnino verum puto tam hîc quàm aliis ſacrorum Scriptorum locis huic voci ineſſe vim τοῦ ἄνω [*ſurſum*], ut ſcilicet à Iordane ſurſum ductus eſſe Chriſtus intelligatur. Surſum autem dicitur quod propiùs abeſt ab Hieroſolymis. Erat quidem & Iohannes in loco deſerto; ſed Chriſtus in horridiorem ſolitudinem actus eſt, in qua feræ degebant, ut apud Marcum videre eſt.

εἰς τὴν ἔρημον, *in deſertum*] Ad complementum veteris figuræ. Nam & populus Iſraelis per ſolitudinem ductus.

ὑπὸ τοῦ Πνεύματος, *à Spiritu*] Non errare Syrum interpretem & alios, qui articulo iſto indicari putant relationem ad id quod proximè anteceſſit, Lucas nos docet, qui quia generis recenſionem interpoſuerat, hiſtoriam hanc cum hiſtoria baptiſmi & Spiritus ſancti continuat hoc modo, Ἰησοῦς δὲ Πνεύματος ἁγίου πλήρης ὑπέστρεψεν ἀπὸ τοῦ Ἰορδάνου, καὶ ἤγετο ἐν τῷ Πνεύματι εἰς τὴν ἔρημον [*Ieſus autem plenus Spiritu ſancto regreſſus eſt à Iordane & agebatur à Spiritu in deſertum*]. Quo in loco breviter dictum eſt ἐν πνεύματι· pro quo plenior Hebraiſmus diceret ἐν χειρὶ τοῦ Πνεύματος [*in manu Spiritûs*]· id enim idem valet quod διὰ τοῦ Πνεύματος [*per Spiritum*], ut infrà v, 13. ἐν τίνι; [*in quo?*] eſt διὰ τίνος; [*per quod?*] Lucas eundem ſenſum extulit IV, 14. his verbis, ἐν τῇ δυνάμει Πνεύματος [*in virtute Spiritûs*]· quæ omnia eò libentiùs noto, ne quis cum veteribus quibuſdam noviſque exiſtimet, quæ hic narrantur Chriſto non verè ſed κατὰ φαντασίαν [*imaginariè*] eveniſſe. Diſcimus autem in hoc Chriſti exemplo, ſtatim poſt baptiſmum, id eſt vitæ ſinceræ profeſſionem, imminere tentamenta. Sapiens Hebræus Eccleſiaſtici II, 1. Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν [*Fili, accedens ad ſervitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*].

διαβόλου. *Diabolo*] Vox ab Helleniſtis reperta, qua vim vocis Hebrææ *Satan* exprimerent. Generalis enim *adverſarii* ſignificatio nulli magis quàm calumnioſo accuſatori convenit. Quod autem ab Hilario, Phœbadio aliiſque Latinæ Eccleſiæ Doctoribus *Zabulus* ſcribitur non ex Græca vetere dialecto petendum eſt, ſed ex poſteriorum temporum corrupta pronuntiatione; duabus enim ſyllabis in unam coaleſcentibus factum eſt ex *dia* idem ſonus qui per *za* exprimi ſolebat. Ita in Scriptoribus hiſtoriæ Auguſtæ *zeta* pro *dieta* legimus.

2. νηστεύσας, *cùm jejunaſſet*] Preces accendit jejunium. Ideo Chriſtus, cujus omnis actio noſtræ ſerviebat inſtitutioni, functionem mandati ſibi muneris jejunio initiabat. Imitati hoc ſunt Chriſtiani veteres, ut apparet Actorum XIII, 3. XIV, 23.

ἡμέρας τεσσαράκοντα, *quadraginta diebus*] Solenne jejunii tempus, ut ex Moſis & Eliæ hiſtoria apparet: quò multi pertinere putant dies quadraginta Ninevitis ad pœnitentiam datos: unde mos ad Chriſtianos videtur derivatus. Certè in Æthiopica aliiſque Eccleſiis etiam nunc jejunium, quod rigidiſſimè exercent, *Nineviticum* appellatur. Sed & quadraginta dies, quibus aquæ creverant in cataclyſmum, & dies totidem quibus peccata populi portare juſſus eſt Ezechiel, ſunt qui non improbabiliter huc referunt.

3. ὁ πειράζων, *tentator*] Hebræi, cum verbalibus deſtituantur, vice eorum participia uſurpant: quod ſæpe ſequuntur Helleniſtæ. Itaque ὁ πειράζων [*tentans*] eſt ὁ πειραστής [*tentator*]. Vſitatam fuiſſe hanc vocem ad Satanam ſignificandum oſtendit Pauli locus 1 Theſſalon. III, 5. Eſt autem πειράζειν [*tentare*], ut *explorare* Latinè, vox media; ſed pro circumſtantiis modò in bonam, modò in malam partem ſumitur; in malam quoque non uno modo: nam eſt illicere ad peccandum, ut hîc, aut calumniam ſtruere, aut etiam irritando patientiæ periculum facere. נחש inter alia *tentare* ſignificat: & ſic vertit Chaldæus Geneſ. XXX, 27. Hinc נחש ſerpens qui diabolo figuram & nomen præbuit Geneſ. III, 1. Apocalyp. XII, 9. XX, 2.

εἰπὲ, *dic*] Poteſt intelligi εἰπὲ τῷ Θεῷ, ut ſenſus hic ſit, Si te Deo carum eſſe confidis, compella Deum, ut hi lapides panis fiant tui causâ. Sanè Diabolum majus aliquid homine in Chriſto agnoviſſe hoc quidem tempore conſtanter, nec ſine magnis argumentis, negant ſcriptores antiqui. Neque dixit ὁ υἱὸς [*ille filius*], ut ſæpe Apoſtoli, ſed υἱὸς [*filius*]. Tentatio omnis diaboli ad peccatum tendit. Peccant autem qui non generaliter Dei auxilium implorant, ſed & modum ei præſcribunt.

4. ἐπὶ παντὶ ῥήματι, *in omni verbo*] Id eſt, In omni mandato Divino, ſive generali ſive ſpeciali, ineſt aut expreſſa aut tacita promiſſio rerum neceſſariarum. Ex horum mandatorum numero Lex non eximenda, quæ inter alias hanc quoque promiſſionem habet obedientibus propoſitam, *Benedictus corbis tuus & mactra tua*, Deuteron. XXVIII, 5. Imò ipſa Dei verba Deuter. VIII, 3. unde hæc Chriſtus depromſit, eò tendunt ut ad Legis obedientiam animarentur Hebræi, cum certa ſpe Deum quæ neceſſaria eſſent ipſis ſuppeditaturum, ſive naturæ miniſterio, ſive inſolitis atque admirandis rationibus, ſicut jam fecerat, cùm ad ipſius imperium populus ex Ægypto in vaſtam ſolitudinem exiiſſet. Rectè autem Chriſtus id quod occaſione legis communis dictum erat univerſaliter, etiam ad legem ſibi pro eo tempore peculiariter impoſitam aptat.

5. παραλαμβάνει, *aſſumſit*] Vt Philippum Dei Spiritus Actorum VIII, 39.

εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *in ſanctam civitatem*] Ità Matthæus Hebræis ſcribens urbem Hieroſolyma appellavit, & infrà XXVII, 53. ſicut & Ioannes in Apocalypſi, nimirum ex receptiſſima conſuetudine. vide Dan. IX, 16. Siclorum inſcriptio erat IERVSALEM SANCTA. Et Chriſtus ipſe eam vocat *urbem magni Regis*, Dei nimirum. Sirachides pro eadem urbe Deum orans, οἴκτειρον πόλιν ἁγιάσματός σου Ἱερουσαλήμ, τόπον καταπαύσεώς σου [*miſerere civitatis ſanctificationis*

tua

tuæ Ieruſalem, civitatis requietis tuæ]. עיר הקדש [*civitas ſancta*] Eſaiæ XLVIII, 2. Nehemiæ XI, 1.

ἐπὶ τὸ πτερύγιον τοῦ ἱεροῦ· *ſuper pinnaculum Templi*] Non in columen tecti, quod neque planum erat ut Thalmudiſtæ notant, & horrebat aureis verubus, ut ex Ioſepho diſcimus, ſed in id quod Hieronymus dixit *Loriculam*, LXX στεφάνην Deuteronom. XXII, 8. quod enim lex in planis tectis requirit, id in Templi tecto ornatûs causâ erat additum. Eſt autem πτερύγιον vox Helleniſtica adumbrata ex Hebræo כנף quod *oram* aut *marginem* ſignificat. Græci idem ſimili voce περίπτερον vocant, interdum & περίδρομον, Latini *circuitionem*.

6. *μήποτε, ne fortè*] Hebræum פן ſignificat *ne*, ſed ita ut plerúmque oſtendat id quod ſequitur eſſe non τῶν ἀναγκαίων [*ex neceſſariis*] ſed τῶν ἐνδεχομένων [*ex iis quæ fieri & non fieri poterant*], ut & infrà XXVII, 64. & alibi. Ab eadem radice eſt אפונה *dubitabo* Pſalmo LXXXVIII, 16. Idem valet apud Græcos μήποτε, quod ad פן exprimendum uſurpant ſæpe LXX interpretes. Nam ποτὲ ἄτονον [*tono carens*], ut Grammatici Græci annotant, plerúmque non temporis ſed incertitudinis habet ſignificationem; ut apparet in τίς ποτε [*quiſnam*] aliiſque id genus vocibus. Quò minùs mirandum eſt, ſi vetus Latinus interpres & hîc & aliis aliquot in locis Hebræum פן aut Græcum μήποτε per *ne fortè* tranſtulit. Reperitur pari ſenſu & ἴσως [*fortè*] in Græca verſione, pro Hebræo אולי, ut Ieremiæ XXXVI, 3. ad quem locum Chryſoſtomus in oratione Cur obſcura ſint vaticinia, uſurpatam eam vocem ait ἵνα μὴ ἡ πρόγνωσις αὐτοῦ νομισθείη ἀναγκαστική τις εἶναι τῆς παρακοῆς [*ne Dei præſcientia videretur non obediendi neceſſitatem imponere*]. Paria de ea voce dicit Origenes in Fragmentis Φιλοκαλίας. Significat Pſalmographus Deum peculiari cura ſibi dilectos proſequi, ita ut Angelorum miniſterio ipſos à malis fortuitis ſervet. Palàm eſt fortuita hoc loco dici ea quæ contingere poterant aut inſciis aut invitis. Cavillatur igitur ſuo more ſpiritus mendax cùm hoc transferre vult ad mala ſponte quæſita.

προσκόψῃς πρὸς λίθον, offendas ad lapidem] Παροιμιώδης [*proverbialis*] locutio non Hebræis tantùm, ſed & Græcis uſitata ad damni cujuſlibet ſignificationem.

7. *ἐκπειράσεις, tentabis*] Si locum Deuteronomii cum hiſtoriis antecedentibus & cum Pſalmo XCV, 8 conferas, apparebit ἐκπειράζειν propriè hîc eſſe Dei potentiam aut providentiam velle ampliùs experiri cùm ſatis magna jam ejus documenta apparuerint. Sic Actorum XV, 10.

8. *δείκνυσιν αὐτῷ, oſtendit ei*] Nimirum quaſi in pictura ponens omnem qui uſquam eſſet Regiæ fortunæ apparatum. Nam neque oculos neque vim imaginatricem Chriſti illuſam puto, ſed potiùs à dæmone effictas quaſdam imagines rerum quæ εἴδωλα Græci vocant, & exponunt φαινόμενα ἐν τῷ ἀέρι φαντάσματα ἄστατα ὄντα καὶ ἀβέβαια [*apparentes in aëre ſpecies fluxas & non diuturnas*].

9. *πεσὼν προσκυνήσῃς, cadens adoraveris*] De more hoc venerandi proſtrato in humum corpore egimus ſuprà cùm diceremus Regibus Orientis exhibitum id honoris. Sed & Deum eodem modo venerabantur Iudæi, cæterique Orientis populi, quin & Græci, quò illud ſpectat Herodoti cùm negant Spartiatæ σφι ἐν νόμῳ εἶναι ἄνθρωπον προσκυνέειν [*moris ſibi eſſe hominem procumbendo honorare*]. Sed & Prophetis is honos habitus, 1 Regum XVIII, 7. unde quæri poteſt Regeſne Prophetis, an Prophetæ Regibus, an neutri neutris id honoris detulerint. Mihi diſtinguendum videtur, an Prophetæ Reges acceſſerint cum ſpeciali ad ipſos mandato, an verò aliis de cauſis. Nam Nathan de publica re Davidem alloquens citra mandatum ſpeciale, coram Davide procumbit, 1 Regum 1, 23. Contrà Nabuchodonoſor Danielem ut à Deo miſſum ad ſe arcanorum interpretem procumbens veneratur, Danielis II, 46, 47. & Saul eum quem putabat eſſe Samuelem. Cùm ergo ipſum illud externum reverentiæ ſignum Divini cultus proprium non fuerit, quoties extra Divinum cultum uſurpatum eſt, recténe id an ſecus fieret, ex ſenſu tum exigentis tum præſtantis erat æſtimandum. Ideo laudatur apud Sozomenum vir Chriſtianus, qui priùs προσεκύνησε [*procumbendo honoravit*] Regem Perſarum κατὰ τὸ νενομισμένον [*ex more*], poſtea verò ſollicitatus ad defectionem à Chriſto eodem modo iterum venerari Regem recuſavit. Et apud Nazianzenum legimus non Imperatores tantùm Romanos ſed & eorum ſtatuas etiam à Chriſtianis adorari, προσκυνεῖσθαι, ſolitas: ſed cùm Iulianus ſuis imaginibus Deos Gentium appingi juſſiſſet, ut faceret μικτὴν τὴν προσκύνησιν [*mixtam adorationem*], deceptos quidem ſimpliciores, ſed prudentiores quaſvis potiùs pœnas ſubiiſſe quàm ut venerantium ſpeciem præberent: Δίκην, inquit, ἔδοσαν τῆς συνέσεως, πρόσχημα μὲν ὡς εἰς τιμὴν βασιλέως παρανομήσαντες, τὸ δὲ ἀληθὲς, ὑπὲρ τοῦ ἀληθινοῦ βασιλέως καὶ τοῦ εὐσεβοῦς δόγματος κινδυνεύσαντες [*Pœnas dederunt ſapientiæ, obtentu quidem quaſi adversùs Imperatoris majeſtatem deliquiſſent, revera autem in periculum adducti veri Regis & pii dogmatis causâ*].

10. *Ὕπαγε, vade*] Latinè dixeris *faceſſe hinc*. Eſt enim averſantis dictio. Quod in quibuſdam codicibus additur ὀπίσω μου [*mihi à tergo, in averſum*] aliunde aſſutum eſt, quod & Syrus & Græci ad hunc locum Scriptores oſtendunt.

προσκυνήσεις, adorabis] In Hebræo eſt תירא, quod internam reverentiam ſignificat: quomodo & προσκυνεῖν Græcum ſæpe uſurpatur. Rectè autem ab interna reverentia ad ſignum ejus externum procedit argumentatio. Quanquam enim diabolo, ut Dei perfugæ, nullus honos debetur, imò omnis honos negandus eſt, ſatis tamen Chriſto viſum eſt reſponſum dirigere ad id quod petebatur. Volebat autem diabolus honorem ſibi exhiberi tanquam plenam poteſtatem habenti in Regna omnia, quod eſt unius Dei. Multùm ab hac Chriſti pietate abfuit R. Iuda, qui in libro Chaſidim ait, *Si quis diabolum videat, ſibique ab ipſo metuat, procidat coram eo.*

αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις, illi ſoli ſervies] In Hebræo eſt תעבד, quæ vox etiam de debita aut exhibita hominibus ſubjectione uſurpatur. At hîc quid ſignificet oſtendunt præcedentia ac ſubſequentia, præcipuè verò addita jurisjurandi mentio. Græcam quoque vocem λατρεύειν neque ſui origine neque uſu eorum quos optimos Græci ſermonis auctores habemus propriam eſſe Divino cultui rectè ab aliis eſt demonſtratum. Quin & Lxx, quanquam rariùs, aliquot tamen locis λατρεύειν laxiùs uſurpant. Sed plerúmque λατρεία ipſis eſt עבודה; cultus qui conſpicuis ſignis Deo exhibetur. Fatendumque eſt, Scriptores Novi Federis eam vocem vix uſquam uſurpare niſi de cultu qui Deo vero exhibetur, ut plerumque, aut ſanè de cultu qui exhibetur tanquam Deo, ut Act. VII, 42. Rom. I, 25. Nam quòd Levitæ dicuntur τῇ σκηνῇ λατρεύειν [*tabernaculo deſervire*] Hebr. XIII, 10. item ὑποδείγματι τῶν ἐπουρανίων [*exemplari cæleſtium*], Hebr. VIII, 5. ad locum modumque ſerviendi commodè referri poteſt. Hinc igitur nata eſt illa, Auguſtino etiam celebrata, λατρείας & δουλείας diſtinctio: non quòd δουλεία non ad Deum quoque pertineret (contrarium enim multa Scripturæ loca evincunt), nec quòd proprietas vocis λατρείας aliquid haberet peculiare, ſed quòd uſus primùm Iudæorum Helleniſtarum, deinde Chriſtianorum, voci δουλείας relicto ſignificatu generali atque communi, λατρείας nomen Divino cultui aſſignaſſet. Græci veteres pagani θρησκείαν dicebant, quod ipſum quanquam, ut creditur, ab Orphicis myſteriis ductum, Apoſtoli non reformidarunt, adeò verborum incurioſi, dum mentem commodè explicarent. Proximam huic venerationem iidem Græci θεραπείαν vocabant. Scriptor libri de Mundo, θεῶν θυσίαι καὶ ἡρώων θεραπεῖαι [*deorum cultus & Heroum veneratio*]. Quod diſcrimen ſecutus Origenes adversùs Celſum lib. VIII. de Dæmonibus agens, πρὸς τοὺς μηδὲν εὐεργετοῦντας ἀλλὰ καὶ ἐκ τοῦ ἐναντίου ἱσταμένους μηδὲν ἀχάριστον ἡμᾶς ποιεῖν ὅταν αὐτοῖς μὴ θύωμεν, ἀλλὰ μηδὲ θεραπεύωμεν [*in eos qui non modò nihil proſunt ſed & obſunt nihil facimus unde ingrati dicamur, ſi non tantùm eis non ſacrificamus, ſed nec eos veneramur*]. Vt autem illud μόνῳ [*ſoli*] hîc adjicerent Lxx, quos ſequitur interpres Græcus Matthæi, ipſe etiam Hebræorum verborum ordo exigebat: neque enim ſcriptum eſt ותעבדו [*ſervies ei*], quod fuiſſet καὶ αὐτῷ λατρεύσεις, ſed ואתו תעבד [*ipſi ſervies*], quod planè emphaſim continet, quæ in Græcis verbis intelligi non poteſt niſi viva pronuntiatione: ideoque addendum aliquid fuit, quo lector ejus ἐμφάσεως [*altioris intellectus*] admoneretur. Eſt enim tacita relatio ad id quod eodem capite commate 4. præceſſerat, *Deum unum eſſe*. Quare nec Ioſephus dubitavit eandem vocem in præcepto hoc explicando adjicere, ὅτι Θεός ἐστιν εἷς [*Deum eſſe unum*], inquiens, καὶ τοῦτον σέβεσθαι μόνον [*& hunc ſolum eſſe colendum*]. Adde quod in Deuteronomii loco ſequitur continuò, *Non ſectaberis Deos alienos*. Et Samuel idem hoc præceptum populo inculcans diſertè dixerat ועבדהו לבדו, & *ei ſoli ſervite*, 1 Samuelis VII, 3.

11. Τότε ἀφίησιν αὐτὸν ὁ διάβολος· *Tunc reliquit eum Diabolus*] Tergemina tentatione, ut olim primorum parentum, diuque humani generis victor, ita nunc victus à Chriſto, & à Chriſtianis vincendus, 1 Ioh. V, 18. Tentationes autem iſtæ ſunt ab egeſtate, à confidentia prædeſtinationis, & à ſpe ſplendoris humani.

12. ἀνεχώρησεν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *ſeceſſit in Galilæam*] Intellige Galilæam non Herodis (cujus ſævitiam certo conſilio, & non ſui ſed hominum quibus profuturus venerat reſpectu, vitabat) ſed Philippi: Nam huic pars maritima, in qua Bethſaida & Capharnaum, obvenerat, ut clarè perſpicere eſt ex Ioſepho Originum libro XVIII, capite 3. Erat autem Philippus ingenii minimè ſanguinarii.

14. ἵνα πληρωθῇ, *ut adimpleretur*] Quod antè diximus de ſenſu hujus vocis πληροῦσθαι [*compleri*] idem hîc repetitum volumus. Planè enim videntur Eſaiæ verba directè agere de liberatione aliqua quæ propiùs illa tempora contigerit, ita tamen ut ſubeſſet ὑπόνοια [*latens intellectus*] temporum Chriſti. Citavit autem Matthæus κατὰ λέξιν [*verbo tenus*] comma 2 capitis IX Eſaiæ. Sed quia non ſatis inde intelligi poterat quo de populo ageret Propheta, ideo ex antecedenti commate addidit ea duntaxat quæ ad populi illius deſignationem pertinebant, omiſſis cæteris, inter quæ vox eſt Hebræa הקל, quam Lxx ſenes verterant ἐταχυποίει [*citifecit*], voce ab ipſis noviter confictâ, qualis eſt & μοσχοποιεῖν [*vitulificare*] apud Lucam Actorum VII, 41. Nam קל propriè eſt ταχύς [*citus*]· & forma verbi eſt Hiphil, quæ Græcè vocibus ex ποιεῖν [*facere*] compoſitis optimè exprimitur. Sed deſcriptorum vitio vox noviter compoſita in duas diſſiliit, factumque eſt ταχὺ ποίει [*fac citum*], deinde etiam corruptiùs ταχὺ πίε [*citùm bibe*]· poſtremò lectio utraque, hæc mendoſior, illa propiùs originem referens, in contextum recepta eſt: jamque Tertulliani tempore id mendum inoleverat, ut apparet ex Latina ipſius citatione.

15. ὁδὸν θαλάσσης, *via maris*] Id eſt, καθ' ὁδόν [*ſecus viam*]. Vide Ezechielis XLVII.

πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Iordanem*] *Ad Iordanem*. Sic enim vox πέραν ſumitur & alibi & Ioh. I, 28. & in Græco Numeror. XXXII, 19.

τῶν ἐθνῶν, *Gentium*] Id eſt *Galilæa Convenarum*. Nam tractus iſte non unius nationis hominibus ſed undique collectis ob adjacentis maris commoda habitatus nomen hoc habuit; non ex Solomonis cum Hiromo pactione, ut quidam exiſtimant, ſed ab antiquiſſimis uſque temporibus. Nam Gen. XIV, 1. nominatur Tidhal מלך גוים βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν [*Rex Gentium*], & Ioſ. XII, 23. poſt multos Reges Syriæ Palæſtinæ itidem recenſetur ὁ βασιλεὺς τῶν ἐθνῶν [*Rex Gentium*]· addito לגלגל: ubi *Gilgal* idem eſſe videtur quod apud Prophetam hoc loco & 1 Regum IX, 11. גליל alibi גלילה aut גלילות proprium nimirum Galilææ nomen, ſed ex communi limitis notione veniens. Et Strabo notat Galilæam habitatam ab Ægyptiis, Arabibus, Phœnicibus. Σύγκλυδας [*convenas*] multos fuiſſe Tiberiade ait Ioſephus.

16. καθήμενος, *qui ſedebat*] Duas voces Hebræas ההולכים & ישבי rectè una eadémque voce Græcâ Interpres tranſtulit: neque ſubtilior explicatio hîc quærenda eſt. Nam καθήμενος ſimpliciter eſt *degens*. Quod Hebræi modò *ambulandi* modò *ſedendi* voce exprimunt. Eadem locutio & eundem Prophetæ locum reſpiciens, eſt in Zachariæ carmine Lucæ I, 79. Vnde apparet his vocibus

non ſolùm locorum ſed temporum calamitates indicari.

ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου, *in regione & umbra mortis*] Ita hoc dicitur quomodo βίου φάος [*lux vitæ*]. Eſt autem χώρᾳ καὶ σκιᾷ [*regione & umbra*] dictum per ἓν διὰ δυοῖν [*Vnum per duo*] pro χώρᾳ σκιᾶς θανάτου [*regione umbræ mortis*]. Sic 1 Macc. XII, 17. περὶ τῆς ἀνανεώσεως καὶ ἀδελφότητος [*de innovatione & fraternitate*], id eſt, τῆς ἀδελφότητος [*fraternitatis*].

18. ἀμφίβληστρον, *rete*] *Rete jaculum. fundam* dixit Virgilius. Locutio ſumta eſt ex Eſaiæ XIX, 8.

19. ἁλιεῖς ἀνθρώπων, *piſcatores hominum*] Simili modo ἀνθρωποθηρίαν [*venatum hominum*] dixit Plato τέχνην τῶν ἀνθρώπων οἰκειωτικήν [*artem homines ſibi conciliandi*]. Veritatem prophetiæ piſcatoribus patefactam ait Iſaac ben Aram. Vide Nebienſem ad Pſalmum CVII.

23. ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, *in ſynagogis eorum*] Vox hæc συναγωγὴ tam latè patet quàm Hebræa עדה aut Latina *conventus*. Omnis enim hominum cœtus qui ex inſtituto eſt ſive judiciorum, ſive publici conſilii, ſive rerum ſacrarum gratiâ hoc nomine appellatur. Deinde verò cœpit & ad loca transferri in quibus iſti conventus habebantur, ut Lucæ VII, 5. Hîc ſive cœtum, ſive locum in quo Lex Divina exponi ſolebat intelligas, nihil refert. Ne Chriſtianos quidem ab hoc vocabulo abhorruiſſe apparet Iac. II, 2. Theophilus adverſus nationes libro II. οὕτω δέδωκεν ὁ Θεὸς τῷ κόσμῳ λύμαινομένῳ καὶ χειμαζομένῳ ὑπὸ τῶν ἁμαρτημάτων, τὰς συναγωγὰς, λεγομένας ἐκκλησίας ἁγίας [*ita dedit Deus mundo corrupto ac periclitanti ob peccata, Synagogas, quas ſanctas Eccleſias dicimus*]. Eadem loca Philo modò διδασκαλεῖα modò φροντιστήρια appellat, alibi ἱερὸν τόπον. Sed & à precibus *Proſeuchæ* vocabantur, Romæ præſertim: quod nos docent Satyræ. Fruſtra enim dubitaſſe mihi videtur vir doctiſſimus an idem fuerint Proſeuchæ & Synagogæ, cùm omnem, ni fallor, hæſitationem eximat Philo Legatione ad Cajum his verbis: Ἐπίστατο οὖν (Auguſtus) καὶ προσευχὰς ἔχοντας καὶ συνιόντας εἰς αὐτὰς, καὶ μάλιστα ταῖς ἱεραῖς ἑβδόμαις, ὅτε δημοσίᾳ τὴν πάτριον παιδεύονται φιλοσοφίαν· τὰ γὰρ κατὰ πόλεις προσευκτήρια τί ἕτερόν ἐστιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρείας, καὶ σωφροσύνης, καὶ δικαιοσύνης, εὐσεβείας τε καὶ ὁσιότητος καὶ συμπάσης ἀρετῆς; [*Norat eſſe eis Synagogas, in quas convenirent, ſeptimis maximè diebus, quo tempore publicè inſtituuntur de avita ſapientia: nam illi oppidatim precum loci quid ſunt aliud quàm ludi ad diſcendam prudentiam, fortitudinem, temperantiam, juſtitiam, pietatem, ſanctitatem, virtutem denique omnem?*] Neque mirari debemus ſi Chriſto permiſſum eſt in Synagogis verba ad populum facere. Solebat enim ab Archiſynagogis is honos deferri viris gravibus & non ineruditis, ut nos docet hiſtoria quæ eſt Actorum XIII, 15. Quod rectè adverſus Marcionem obſervat Tertullianus libro IV. *Sed etſi paſſim Synagoga adiretur, non tamen ad docendum niſi ab optime cognito & explorato & probato jam pridem in hoc ipſum, vel aliunde commendato.* Manſit is mos aliquamdiu in Eccleſia Chriſtiana, ut conceſſu Epiſcoporum Scripturas interpretarentur, non Presbyteri tantùm aut Diaconi, ſed & οἱ τῆς χειροτονίας οὐδέπω τετυχηκότες [*ii quibus manus nondum impoſitæ erant*]. Vide Euſebium, qui Origenis aliorumque exemplo probat λαϊκοὺς ὁμιλεῖν οὐκ ἀνέθιστον [*non eſſe præter morem ut & laïci populum alloquantur*], ſed τῇ τοῦ προεστῶτος ἐπιτροπῇ [*permiſſu præſidis*]· quò & illa ſpectant quæ leguntur 1 Corinth. XIV, 29.

Clemens Conſtitut. VIII, 32. Ὁ διδάσκων εἰ καὶ λαϊκὸς ᾖ, ἔμπειρος δὲ τοῦ λόγου καὶ τὸν τρόπον σεμνὸς, διδασκέτω [*Qui docere vult, etiamſi laïcus ſit, ſed ſermonis peritus & moribus gravis, doceat*].

μαλακίαν, *infirmitatem*] Satis latè patet hæc vox Iudæis Græcè loquentibus, ita ut dolorem malumque omne includat, reſpondens Hebræis vocibus מכאוב, ut Iobi XXXIII, 19. & אסון, ut Geneſeos XLII, 4. Impletur autem hîc promiſſum legis Deuteronomii XXVIII.

24. δαιμονιζομένους, *dæmonia habentes*] Apud Græcos media eſt vox δαίμονος [*dæmonis*], & quidem, ut arbitror, initio in partem meliorem uſurpata, non ex Græca origine quòd ſint δαήμονες [*gnari*], ſed ex Arabica potiùs دايم [*perennis*]. Græcam vocem leviter mutatam eodem ſenſu Syri uſurpant: dicunt enim דיונא. Nam ab Oriente ferme venerunt antiquiſſimæ ſacrorum voces: quomodo & illud ſimilis notionis κάβειροι, *divi potes* Latinè, כבירים. Sicut autem Hebraiſtæ Iudæi Deum noluerunt appellare בעל, quòd ea vox à profanis gentibus eſſet occupata, alioqui nihil aliud quàm *dominum* ſignificans: ita & Helleniſtæ Angelos lucis noluerunt appellare *Dæmonum* vocabulo, ſed in deteſtationem paganicæ ſuperſtitionis nomen id proprium eſſe voluerunt ſpiritibus noxiis, quos Græci diſcriminis causâ κακοδαίμονας, veteres Latini *Vejoves* appellarunt. Δαιμονιζομένους [*dæmonia habentes*] autem eſſe apparet non quovis modo inſanientes, ſed impurorum ſpirituum vi majore correptos atque agitatos, quales erant quos Græci νυμφολήπτους, Latini *larvatos, ceritos, limphaticos* vocabant. Cum hoc enim malo conflictantium copiam magnam exhibuit non Chriſti tantùm Apoſtolorúmque, ſed & ſerior ætas, ut videre eſt apud Origenem, Tertullianum, Cyprianum. Exſtitit vox δαιμονιζομένων in Thiraſylli Ægyptiacis.

σεληνιαζομένους, *lunaticos*] Quanquam Græci morbo caduco laborantes σεληνιακοὺς interdum vocant, videtur tamen hîc malum gravius & à naturalibus cauſis remotius indicari, cui tamen adſit ἐπίληψις [*morbus comitialis*]. Nam infrà XVII, 15. & deinceps, qui σεληνιαζόμενος [*lunaticus*] vocatur, oſtenditur fuiſſe & ἐπιληπτικὸς [*caducus*] & δαιμονιζόμενος [*à dæmone vexatus*]. Firmicus apertè diſtinguit *lunaticos* à *caducis*; & Ægineta quoſdam σεληνιακοὺς [*lunaticos*] ait eſſe ὡς ἐνθεάζοντας [*quaſi afflatos*]. Neque aliter interpretantur σεληνιαζομένους tum Baſilius tum Hieronymus. Lunâ moveri ἐπιληψίαν [*morbum comitialem*] notatum & aliis & Antyllo apud Stobæum.

παραλυτικοὺς, *paralyticos*] *Sideratos.* Plautus, *Sideratus eſt, moveri non poteſt.* Scribonius Largus, *Facit ad tremulos & ſideratione tentatos utralibet, una enim ex contractione, altera cum remiſſione nervorum* *conſpicitur;* παράλυσιν *hoc utrumque vitium vocant.* Tralatio ducta eſt ab arboribus quæ Caniculari ſidere tactæ exareſcunt. Celſus παράλυσιν transfert *nervorum reſolutionem.*

CAPVT V.

1. Εἰς τὸ ὄρος· *in montem*] Sicut Lex vetus de monte erat promulgata, ita & novam Chriſtus in monte propoſuit. Quomodo autem cum hac narratione conveniant ea quæ dicit Lucas capite VI, ad Lucam dicemus.

καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ· [*& cum ſediſſet acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus*] Non Duodecim aut Septuaginta ſolùm, ſed omnes qui doctrinam ejus ſectabantur. Quare οἱ μαθηταὶ [*diſcipuli*] ſunt iidem qui & hîc & infrà VII, 28. ὄχλοι [*plebs*], & Lucæ VI, 17. ὄχλος μαθητῶν [*plebs diſcipulorum*] dicuntur. Atque ita vocem μαθητῶν [*diſcipulorum*] ſcimus paſſim uſurpari, ut infrà XII, 49. Lucæ VI, 13. Actor. XI, 26. multiſque aliis in locis. Præcepta quæ propria ſunt ac peculiaria ſegregatorum ad prædicationem Euangelicam infrà ſequentur capite demum decimo.

3. Μακάριοι, *Beati*] Imitatur Chriſtus Davidem, aut certè eos qui Pſalmos veteres in unum corpus collegerunt. Nam quod ei libro προοιμίου [*exordii*] vice præponitur, deſcriptionem hominis beati continet, ſimili verborum initio אשרי האיש [*Beatus vir*]. Neque id ratione caret: nam diſciplinæ activæ à finis tractatione ordiendæ ſunt, unde pendet bonorum malorumque notitia. Bonum enim ſummum finis ipſe, deinde & alia quatenus eò ducunt; mala quæ abducunt. Oſtendit igitur Chriſtus finem homini propoſitum eſſe debere vitam alteram meliorem; & in hac vita pacem conſcientiæ & quæ eam conſequuntur: proinde cætera hinc æſtimanda. Et quò attentiores reddat auditores explicat hoc ipſum per enuntiata quædam παράδοξα [*inopinata*], beatos pronuntians eos qui vulgò miſeri vocentur.

οἱ πτωχοὶ τῷ, *pauperes*] Cùm duæ à veteribus afferri ſoleant horum verborum explicationes, quarum altera ad tenuitatem facultatum, altera ad animi demiſſionem pertineat, cur priorem præferendam exiſtimem has habeo cauſas: primùm quòd Lucas ſimpliciter ſcribat Μακάριοι οἱ πτωχοὶ [*Beati pauperes*] VI, 20. eiſque opponat divites, non additâ ſpiritûs voce: deinde quòd πτωχοὺς [*pauperes*] illo altero ſignificatu vix exiſtimem reperiri. Beatos ergo pauperes Chriſtus pronuntiat eodem ſenſu quo & lugentes commate ſequenti, quia plerúmque res opimæ & ſecundæ fomenta ſunt vitiorum. Sic alibi dixit, vix evenire ut dives in Regnum cœleſte perveniat, infrà XIX, 23. Cui convenit illud Pauli, *Conſiderate vocationem veſtram, fratres: Non multi potentes, non multi nobiles*, 1 Cor. 1, 26. Et Iacobi, *Nónne elegit Deus pauperes mundi hujus divites in fide?* II, 5. Satis quippe eſt ad veritatem pronuntiati moralis ut valeat ἐπὶ τὸ πολὺ [*plerúmque*]· neque τ'ἀκριβὲς [*exquiſitæ tractationis libramentum*] ultrà exigendum eſt quàm rei fert natura, ut eſt apud Ariſtotelem initio ad Nicomachum. Tales ſunt & iſtæ Græcorum ſententiæ:

Euripidis,

Δεινόν γε, τοῖς πλουτοῦσι τοῦτο δ' ἔμφυτον,
Σκαιοῖσιν εἶναι.
[*Res miſera, verùm propria divitibus tamen,*
Carêre mente.]

Ejuſdem,

Πλουτεῖς; ὁ πλοῦτος δ' ἀμαθία, δειλόν θ' ἅμα.
[*Es dives? at iners res & ignava eſt, opes.*]

Et hoc,

Ἄδικον δ' ὁ πλοῦτος, πολλὰ δ' οὐκ ὀρθῶς ποιεῖ.
[*Divitiæ iniqua multa meditari ſolent.*]

Item,

Εἰσορῶ· δειλὸν δ' ὁ πλοῦτος, καὶ φιλόψυχον κακόν.
[*Cerno; verùm ignava, vitæ parca res, opulentia eſt.*]

Et hoc,

Ἐν τῷ γὰρ ὄλβῳ φαυλότης ἔνεστί τις,
Πενία δὲ σοφίαν ἔλαχε διὰ τὸ δυστυχές.
[*Solet divitiis comes eſſe imperitia:*
Magis malo coacta paupertas ſapit.]

Euphorionis,

Κακὸν τὸ παίδευμ' ἐστὶν εἰς εὐανδρίαν
Ὁ πλοῦτος ἀνθρώποισιν, αἵ τ' ἄγαν τρυφαί.
[*Conſilia nunquam animoſa ſuppeditant opes,*
Nec auctor eſſe luxus audendi ſolet.]

Antiphanis,

Ὁ δὲ πλοῦτος ἡμᾶς, καθάπερ ἰατρὸς κακὸς,
Τυφλοὺς, βλέποντας παραλαβὼν, πάντας ποιεῖ.
[*At nos divitiæ, mos ut eſt Medicis malis,*
Cæcos efficiunt, cùm oculatos acceperint.]

Menandri,

Ἀεὶ νομίζονθ' οἱ πένητες τῶν θεῶν.
[*Deorum cura pauperes credi ſolent.*]

Tale & Latinum illud, *Bonæ mentis ſoror paupertas.* Diogenes dicebat paupertatem ſubſidium eſſe ad ſapientiam αὐτοδίδακτον [*ſponte partam*], quia re doceat quod alii verbis vix docentur. Teles Philoſophus duas adferebat cauſas cur aptior ad ſapientiam eſſet paupertas divitiis; priorem, quòd labores minùs ſubterfugeret; alteram, quòd aliarum rerum curis minùs diſtraheretur: quod ipſum Chriſtus quoque ſignificat infrà VIII, 22. Lactantius hac de re ſic diſſerit: *Eò fit ut pauperes & humiles Deo credant faciliùs qui ſunt expediti, quàm divites qui ſunt impedimentis plurimis implicati.*

τῷ πνεύματι. *ſpiritu*] Hoc quod à Luca prætermiſſum eſt expreſſit Matthæus ut oſtenderet μακαρισμὸν hunc [*beatitudinis* hanc *prædicationem*] ad eos pauperes pertinere qui malam fortunam non haberent oſtentui, neque verò eſſent μεμψίμοιροι [*queruli*], ſed animo placido in re ſua modica acquieſcerent, neque divitias appeterent. πνεῦμα enim *animum* hîc ſignificat, ut Eſaiæ LXVI, 2. infrà XXVI, 41. Ioh. XI, 33. & XIII, 21. Rom. I, 9. 1 Cor. II, 13. VII, 34. Eph. IV, 3. Sic Hebræis רוח נמוכה *ſpiritus pauper*, id eſt, patiens. Sunt ergò πτωχοὶ πνεύματι [*pauperes ſpiritu*] hi qui non fortunâ tantùm ſed & animo ſunt pauperes; ſicut infrà καθαροὶ καρδίᾳ [*mundi corde*] qui non operibus tantùm, ſed & animo ſunt innocentes.

αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν· *ipſorum eſt regnum cælorum*] Idem loquendi genus infrà XIX, 14. *Talium* (nimirum qui moribus puerilem ætatem referunt) *eſt regnum cælorum.* Senſus eſt, Talibus enim ſolent contingere divitiæ cœleſtes, cognitio veritatis, remiſſio peccatorum, donum ſpiritûs, & quæ alia Regni iſtius nomine veniunt. Eſt enim oppoſitio in voce πτωχοὶ [*pauperes*] & in voce βασιλεία [*regnum*]. Scriptor Tobiæ IV, 22. μὴ φοβοῦ, παιδίον, ὅτι ἐπτωχεύσαμεν· ὑπάρχει σοι πολλὰ ἐὰν φοβῇ τὸν Θεόν [*ne time, fili, eò quòd pauperes ſumus. Multa habes, ſi Deum timeas*]. Memineris enim ubi uni virtuti beatitudo, aut vita æterna promittitur, id ſumendum comparatè ad eos qui tali careant virtute, eóque minùs ſint ad illa beneficia accipienda idonei, aut id eò pertinere ut vis magna in tali virtute ſita intelligatur, aliis tamen non excluſis.

4. οἱ πενθοῦντες· *qui lugent*] Γνώμη [*ſententia*] ſimilis ſuperiori, quam Paulus explicat, θλίψις, inquiens, ὑπομονὴν κατεργάζεται [*tribulatio patientiam operatur*], & quæ ſequuntur Rom. v, 3. Nimirum

—— *gaudet patientia duris*:

contrà autem res ſecundæ vitiis ſunt obtentui. Neque fruſtra dictum, Ὑπὲρ Μαλέαν πλεύσας εὐσεβὴς ἔσῃ [*Super Maleam navigans pius eris*], & Plinio, *Optimos eſſe nos dum infirmi ſumus*. Sed propriè hîc lugentes intelliguntur cum ſua qualitate, id eſt, qui mala ab hominibus aut à Deo inflicta patienter ferunt.

παρακληθήσονται. *conſolabuntur*] Hîc pro parte, plenè in poſterum. vide Paulum II Cor. I, 4. Ioh. XVI, 20. Iacobi I, 12. Apocalypſ. 7, 17.

5. πραεῖς· *mites*] Qui alios placidè ferunt & blandè inſtituunt. Opponuntur πραεῖς [*mites*] ſive πρᾶοι propriè τοῖς ὀργίλοις [*iracundis*], Ariſtoteles Magnorum moralium libr. I, 23. Plato II de Republica, ἐναντία γάρ που θυμοειδεῖ πραεῖα φύσις [*contraria enim iracundiæ mitis indoles*].

κληρονομήσουσι τὴν γῆν. *poſſidebunt terram*] Ex Pſalmo XXXVII, 11. Vſurpant hoc verbum Helleniſtæ ut Hebræum ירש exprimant, id autem non ſignificat *titulo hereditatis acquirere*, ſed *jure mancipii adipiſci* aut *poſſidere*, quia talia quæ ſunt ad heredes tranſeunt. Et hoc eſt quod propriè Græcis dicitur κτᾶσθαι. Opponi enim ſolet κτῆσις τῇ χρήσει, ut Latinis *mancipium uſui*. τὴν γῆν autem dicere videtur firmas atque conſtantes amicitias, quæ in terris longè optima eſt poſſeſſio. Has autem comparare ſibi facillimè ſolent qui miti placidóque ſunt animo: quanquam & ad alias res minores tuendas multùm valet hæc virtus. Quippe ὁ θυμὸς [*ira*], ut eſt apud Philoſophum, φόνων αἴτιον, συμφορᾶς σύμμαχον, βλάβης συνεργὸν καὶ ἀτιμίας, χρημάτων ἀπώλεια, ἔτι δὲ καὶ φθορᾶς ἀρχηγόν [*cauſa cædium, fautor calamitatis, comes damni & probri, pernicies rerum, auctor exitii*]. Adde Pſalmum XLI, 1.

6. οἱ πεινῶντες καὶ διψῶντες τὴν δικαιοσύνην· *qui eſuriunt & ſitiunt juſtitiam*] Fames & ſitis tralatione uſitata vehementem quandam appetitionem ſignificant, ut cùm dicitur *auri ſacra fames*. & apud Plutarchum, ὁ μὴ πεινῶν μηδὲ διψῶν τιμωρίας [*qui non eſurit aut ſitit vindictam*]. Atque ita διψῆν [*ſitire*] ſumitur Eſaiæ XLI, 17. & LV, 1. Ioh. VII, 37. & aliis aliquot horum librorum locis. δικαιοσύνης [*Iuſtitiæ*] autem vox hîc ſignificat ὁδὸν δικαιοσύνης [*viam juſtitiæ*], ut infrà hic Scriptor loquitur XXI, 32. id eſt, doctrinam ejus obedientiæ quam à nobis Deus exigit, quæ obedientia & infrà commate 20 voce eadem δικαιοσύνης [*juſtitiæ*] notatur. Etiam Philo dixit λιμὸν ἀρετῆς [*famem virtutis*] libro de Allegoriis. Cæterùm ſi quis Lucam cum Matthæo conferat, videbit tale deſiderium hîc indicari quo acti homines alia incommoda, puta famem ſitimque, libenter ſubeant.

χορτασθήσονται. *ſaturabuntur*] Ex Pſalmo XVII, 15. Omnia quidem Dei beneficia ſub imagine cibi ac potûs deſcribi ſolent: Eſaiæ LXV, 13. Luc. I, 53. præcipuè verò doctrina cœleſtis. Nam & Hebræi Legem *cibum animæ* vocant, & Chriſtus Euangelium ſuum modò *panis* modò *aquæ* nomine appellat.

7. οἱ ἐλεήμονες· ὅτι αὐτοὶ ἐλεηθήσονται. *miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*] Eſt quidem & in uſu humano verum illud Publii,

Bona comparat præſidia miſericordia.

Item:

Habet in adverſis auxilia qui in ſecundis commodat.

Cæterùm hic arbitror rectè à Latino interprete aliiſque ſcriptoribus antiquis illud ἐλεηθήσονται [*miſericordiam conſequentur*] ad Divinam miſericordiam referri. Nam ſicut omnes hi μακαρισμοὶ [hæ *beatitudinis attributiones*], ſi rectè advertas, in præceptorum traditione explicantur: ita quod hîc dicitur γνωμικῶς [*per modum ſententiæ*] infrà traditur παραινετικῶς [*per modum exhortationis*] v, 45. & VI, 14. Stoici docebant *ſuccurrere eſſe ſapientis, miſereri non eſſe*: & miſericordiam *vitium* vocabant *animi*. At Chriſtus non opera tantùm miſericordiæ præcipit, ſed & affectum ſuo exemplo commendat. Sæpe enim legitur σπλαγχνισθῆναι [*miſertus fuiſſe*], quo affectus & quidem vehemens denotatur. Sic Paulus vult τὰ μέλη συμπάσχειν [*membra compati*], I Corinth. XII, 26. Nimirum ut rectè monet Lactantius, Chriſtiana diſciplina neque exſcindit affectus, neque mediocritatem indiſtinctè præcipit, ſed rectum eorum uſum monſtrat, modò intenſiorem, modò remiſſiorem pro rei dignitate. Qua de re pleniùs agemus ad Lucam XIX, 41.

8. οἱ καθαροὶ τῇ καρδίᾳ· *mundo corde*] Intelligi poſſunt οἱ ἀκέραιοι, id eſt qui à fuco omni & fallaciis abſunt, quos *ſinceros* vocant Latini. Solet enim τὸ καθαρὸν [*mundum*] conjungi τῷ ἀνυποκρίτῳ [*non ficto*], I Tim. I, 5. I Petri I, 22. Atque ita erit hujus γνώμης [*ſententiæ*] explicatio παραινετικὴ [*hortatoria*], petenda ex iis quæ infrà capite VI diſſeruntur. Sed magis mihi placet καθαρὸν [*mundum*] hîc accipi eum qui ſit

Integer vitæ ſceleriſque purus,

quem ſcriptores Latini etiam *ſanctum* & *caſtum* vocant. Græcè καθαροὶ τὰς χεῖρας [*manu puri*] dicuntur qui homicidio affines non ſunt, & femina καθαρεύειν [*in caſto eſſe*] quæ concubitu abſtinet. ideo addidit Chriſtus καρδίᾳ [*corde*] ex Pſ. LXXIII, 1. nimirum etiam exigens animi innocentiam. Illo enim cenſore (ut Taciti utar verbis) *qui deliberant deſciverunt*. Vt autem καθαρὸν [*mundum*] ita interpreter movet me quod ſequitur, ὅτι αὐτοὶ τὸν Θεὸν ὄψονται [*quoniam ipſi Deum videbunt*]. Nam & apud Iohannem I Ep. III, 2. itidem legimus, ὀψόμεθα αὐτὸν καθώς ἐστι [*videbimus eum ſicuti eſt*]· deinde ſubjungitur, καὶ πᾶς ὁ ἔχων τὴν ἐλπίδα ταύτην ἐπ' αὐτῷ ἁγνίζει ἑαυτὸν, καθὼς ἐκεῖνος ἁγνός ἐστιν [*Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut & ille ſanctus eſt*]. Solent enim pro eodem uſurpari ἁγνὸς & καθαρός. Quæſivit nimirum Chriſtus attributa quæ aut ex ſimili aut ex diſſimili ſubjectis convenirent. Ideo his qui puro ſunt corde (quatenus ſcilicet id in hac vita obtineri poteſt) præmium proponit, quod conſpecturi ſint Deum, puriſſimam ſcilicet mentem. Quare petenda eſt hujus γνώμης [*ſententiæ*] explicatio ex his quæ infrà in præceptis ſequuntur commate hujus capitis 21, 27 & deinceps.

9. *εἰρηνοποιοί· pacifici*] Propriè Græcis ita vocantur *pacificatores*, qui aliis diſſidentibus medios ſe interponunt. At Hebræa vox quam Græca voce expreſſit Interpres שלמים latiùs patet, *paciſque ſtudioſos* ſignificat, neque aliter hoc loco ea vox accipienda eſt. Sequitur enim hujus dicti explicatio infrà commate 23 & deinceps.

υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται. *filii Dei vocabuntur*] Deus vocatur *Deus pacis* Rom. XVI, 20. I Cor. XIV, 33. II Cor. XIII, 11. Phil. IV, 9. I Theſſ. V, 23. II Theſſ. III, 16. Hebr. XIII, 20. Senſus eſt, Eos qui paci ſtudent, Deo ſimillimos, ac proinde etiam Deo dilectiſſimos fore. Sic infrà, ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς ὑμῶν τοῦ ἐν οὐρανοῖς [*ut ſitis filii patris veſtri qui in cælis eſt*], commate 45. Sirachides olim dixerat, Γίνου ὀρφανοῖς ὡς πατὴρ, καὶ ἀντὶ ἀνδρὸς τῇ μητρὶ αὐτῶν, καὶ ἔσῃ ὡς υἱὸς ὑψίστου· καὶ ἀγαπήσει σε μᾶλλον ἢ μήτηρ σου *Eſto pupillis ut pater, & pro viro matri illorum: & eris tu velut filius Altiſſimi, & miſerebitur tui magis quàm mater*], IV, 10. Philo de ſacrificantibus, Οἱ τὸ ἀρεστὸν τῇ φύσει δρῶντες καὶ τὸ καλὸν, υἱοί εἰσι τοῦ Θεοῦ [*qui id faciunt quod naturâ probum honeſtumque eſt, filii ſunt Dei*]. Hierocles docet nos ita locutos & Pythagoriſtas, haud dubiè accepto ab Hebræis more, τῷ ἤδη προειργάσθαι τὰ παιδὸς ἄξια τὸν Θεὸν πατέρα καλῶν [*Deum patrem vocans quòd jam fecerit ea quæ filium decent*]. Eſt autem καλεῖσθαι [*vocari*] hîc, rem ea voce indicatam conſequi. I Iohan. III, 1. Ἴδετε ποταπὴν ἀγάπην δέδωκεν ἡμῖν ὁ πατὴρ, ἵνα τέκνα Θεοῦ κληθῶμεν [*Videte qualem caritatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominaremur*]· quod alibi dixerat, ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι [*dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*], Euang. I, 12. Sic quod Eſaiæ XIV, 20. eſt יקרא [*vocabitur*], Chaldæus vertit יתקים [*manebit*]; & quod eſt Eſaïæ LVI, 7. Lucas vertit per ἐστὶν [*eſt*] XIX, 46. ut notavimus ſuprà I, 22. Nec aliter Syrus id quod eſt Geneſ. XXI, 12. Sic & Philo De linguarum confuſione, Οἱ ἐπιστήμῃ κεχρημένοι τοῦ ἑνὸς υἱοὶ Θεοῦ προσαγορεύονται δεόντως [*Scientiâ præditi rectè unius Dei vocantur filii*]. Ex hac vera Dei imitatione ſequitur porro etiam Divinæ gloriæ participatio, ut oſtendit Iohannes dicto Epiſtolæ loco & Paulus Romanorum VIII, 17.

10. δεδιωγμένοι, *perſecutionem patiuntur*] Græcis διώκειν eſt non tantùm *accuſare*, ſed & *expellere*, ut διώκειν ἐκ τῆς γῆς, διώκειν τῆς οἰκίας [*pellere terrâ, pellere domo*]. Sed apud Helleniſtas Iudæos latiùs ea vox patet, ut exprimat Hebræum רדף, quod omne genus vexationis, præſertim gravioris, continet. Latinè *perſequi* nullâ re adjectâ hunc ſenſum non habet. Alioqui *perſequi judicio*, *perſequi bello* rectè dicitur. Sed Chriſtiani Hebræos & Helleniſtas imitati dixerunt *perſequi*, pro quo veteres Romani dixiſſent *vexare* aut *exagitare*.

ἕνεκεν δικαιοσύνης· *propter juſtitiam*] Vox hæc vix unquam in his libris Finem, at plerumque cauſam ſignificat qua agens impellitur. Latinis *ergo* eandem habet notionem, ut *virtutis ergo*. Δικαιοσύνη autem hîc iterum *obedientiam Divinorum mandatorum* ſignificat.

αὐτῶν ἐστιν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *ipſorum eſt regnum cælorum*] Cùm βασιλεία οὐρανῶν [*regnum cælorum*] modò doctrinam cœleſtem & quæ eam in hac vita conſequuntur, modò gloriam cœleſtem ſignificet, ut multis in locis videre eſt, ut priorem ſenſum ſuprà, ita poſteriorem hîc amplectendum ſentio, tum ut ſingulis ſubjectis ſingula attributa reſpondeant, tum quòd omnino proximè ſequens comma videatur dicti hujus generalis particularem ἐπεξήγησιν [*latiorem expoſitionem*] continere; ibi autem *mercedis cæleſtis* expreſſa eſt mentio. Atque hinc factum eſt ut jam Clementis temporibus diverſo modo hic locus legeretur, Ipſe citat, ὅτι αὐτοὶ υἱοὶ Θεοῦ κληθήσονται [*quia ipſi filii Dei vocabuntur*], quod ex præcedenti commate irrepſit. Ab aliis legi teſtatur, ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι [*quoniam ipſi erunt perfecti*]· atque etiam, ὅτι ἕξουσι τόπον ὅπου οὐ διωχθήσονται [*quoniam locum habebunt ubi nemo eos perſequetur*]. quæ omnia gloſſemata eſſe arbitror explicantia quid eſſet βασιλεία τῶν οὐρανῶν [*regnum cælorum*] hoc loco.

11. ὅταν ὀνειδίσωσιν, *cùm maledixerint*] Vt olim Eliſæo factum II Reg. II, 23.

12. ὅτι ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς, *quoniam merces veſtra copioſa eſt*] Ex Geneſi XV, 1.

οὕτως ἐδίωξαν τοὺς προφήτας, *ſic perſecuti ſunt Prophetas*] Ioſephum, Moſem, Samuelem, Davidem, Eſaiam, Ieremiam, atque alios. Vide Nehemiam IX, 26. orationem Stephani in Actis, & quæ infrà dicuntur XXIII, 31. Nimirum ita eſt, *veritas odium parit*, præſertim ea quæ ad mores emendandos pertinet. Hoc ſi Heraclito, ſi Democrito, ſi Socrati evênit, tantillam faculam allucentibus, quantò magis Chriſti diſcipulis exſpectandum eſt? Plato ſecundo de Republica ait, ad explorationem veræ virtutis opus eſſe ut vir bonus μηδὲν ἀδικῶν, δόξαν ἔχῃ τὴν μεγίστην ἀδικίας, ἵνα ᾖ βεβασανισμένος εἰς δικαιοσύνην τῷ μὴ τέγγεσθαι ὑπὸ κακοδοξίας καὶ τῶν ὑπ' αὐτῆς γιγνομένων, ἀλλ' ἤτω ἀμετάστατος μέχρι θανάτου [*cùm nihil injuſtè agat famam tamen ſuſtineat maximæ injuſtitiæ, ut exploratæ ſit juſtitiæ eo ipſo quòd non inflectitur amotâ famâ & quæ eam conſequuntur, ſed immobilis manet ad mortem uſque*].

13. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς· *Vos eſtis ſal terræ*] Vt modò dicere occœpi, nihil ſatis cauſæ video cur hæc ad Apoſtolos reſtringantur. Nam & μακαρισμοὶ [*beatitudinis prædicationes*] communes ſunt omnibus: & allocutio quæ præceſſit commatibus duobus antecedentibus omnes ſpectat qui pro veritate injurias ſuſtinent. Tum verò clarum eſt eoſdem dici ἅλας τῆς γῆς [*ſal terræ*], & commate ſequenti φῶς τοῦ κόσμου [*lumen mundi*]. At φωστῆρες ἐν κόσμῳ [*luminaria in mundo*] dicuntur non Epiſcopi tantùm, ſed omnes verè Chriſtiani, ut apparet Philip. II, 15. Cui ſimile eſt illud apud Iuſtinum, Ὅπερ ἐστὶν ἐν σώματι ψυχὴ, τοῦτ' εἰσὶν ἐν κόσμῳ Χριστιανοί [*Quod in

corpore eſt anima, id in mundo Chriſtiani]. Iam verò hoc ipſum quod de Sale dicitur, Lucas directè dictum ait πρὸς τοὺς ὄχλους [*ad turbas*] xiv, 25, 34. Senſus ergo eſt, Eos, qui ab ipſo Chriſto veram ac ſalutarem doctrinam percepiſſent, non exemplum vivendi ab hominibus aliis petere, ſed aliis exemplo eſſe debere. Salis autem præcipua vis eſt adversùs putredinem. Hinc illud Varronis, *Suillo pecori animam pro ſale datam ne putiſceret*, ex Cleanthe deſumtum, cujus hæc erant verba, τοὺς ὗς ἀνθ' ἁλῶν ἔχειν τὴν ψυχὴν ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα. Neque alia de cauſa ἅλα θεῖον [*ſal divinum*] dixit Homerus. Hinc *ſapientia ſal* dici cœpit, ut eſt apud Comicum, *qui habet ſalem qui in te eſt*. Atque eòdem reſpicit Paulus, cùm ſermonem noſtrum ita blandum vult eſſe ut tamen *ſale condiatur*, Coloſſenſ. iv, 6. Sed proximè ad hoc loquendi genus accedit quod Livius Græciam *ſal gentium* vocat. Oſtendit ergo Chriſtus officii eſſe eorum qui veræ ſapientiæ præcepta hauſiſſent, aliorum ſordes expurgare.

τῆς γῆς· *terræ*] Vox γῆς, & quæ eſt commate ſequenti vox κόσμου [*Mundi*], haud dubiè generis humani univerſitatem ſignificant, quomodo & *terrarum* & *mundi* vox Latinis uſurpantur. Nimirum pauci iſti à Chriſto inſtituti fermentum fuere quo tota farina fermentata eſt, infrà xiii, 33.

μωρανθῇ, *evanuerit*] Quod Græci dicunt ἄναλον [*inſulſum*], ut & Marcus ix, 50. id Hebræis dicitur תפל, ut Iobi vi, 6. eademque vox τὸ μωρὸν [*ſtultum*] ſignificat Iobi xxiv, 12. Ierem. xxiii, 13. Thren. ii, 14. Hebræam igitur vocem quàm proximè potuit expreſſit Græcus interpres.

ἐν τίνι ἁλισθήσεται; *in quo ſalietur?*] Non abſolutè ſumendum, ſed relatè. ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; [*in quo illud condietis?*] inquit Marcus omni ambiguitate remota. Sal in ſe habere debet vim excoquendi: nam ſi putruerit, non eſt quo corrigatur. Sic illi qui à Domino Ieſu veram doctrinam hauſerant, ipſi emendare alios debebant, non autem exſpectare ut ab aliis ipſi emendarentur. Simile eſt huic proverbio illud Græcis uſitatum, Ὅταν τὸ ὕδωρ πνίγῃ, ἐπιπίνειν τί δεῖ; [*Vbi aqua ſuffocat, quid opus ultrà bibere?*]

καταπατεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων. *conculcatur ab hominibus*] Παροιμιώδης [*proverbialis*] locutio de re nihili. Sed intelligenda hîc ſimul pœnæ comminatio, quam explicat Lucas xxi, 24. איש Hebræis eſt quod ἕκαστος [*quilibet*] Græcè loquentibus, ut fine libri Iudicum vertunt Lxx.

14. πόλις κρυβῆναι, *civitas abſcondi*] Vult Chriſtus auditorum ſuorum integritatem non minùs eſſe conſpicuam quàm ſolent eſſe urbes quæ in montis vertice ſunt collocatæ: qualis erat Hieroſolyma, Eccleſiæ figura. Vide Ezechielem in fine. De cœtu autem piorum hîc directè non agi & præcedentia & ſequentia oſtendunt.

15. μόδιον, *modio*] Μοδίου vox quanquam Græcis minùs uſitata, ex Græcia tamen in Latium venit. Nam & Dinarchus eâ utitur. Credibile eſt à Matthæo ſcriptum סאה, quod hîc habet Syrus, quando & Hieronymus in Veteri Federe סאה *modium* vertit.

καὶ λάμπει, *& lucet*] Hebraiſmus pro ἵνα λάμπῃ [*ut luceat*] rectè notatus à veteri Latino interprete. Sic candelabrum in medio Tabernaculo, deinde in media æde Templi lucebat.

16. ἴδωσιν ὑμῶν τὰ καλὰ ἔργα καὶ δοξάσωσι, *ut videant opera veſtra bona & glorificent*] Eſt & hîc Hebraiſmus pro ἰδόντες δοξάσωσι [*videntes glorificent*]. tum verò vocis δοξάζειν [*honorare*] notio non Græca eſt ſed Helleniſtica, auctoribus Lxx, qui ita optimè putarunt exprimi Hebræum כבר & פאר [*magni facere*].

τὸν πατέρα ὑμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *Patrem veſtrum qui in cœlis eſt*] Inter nomina Dei quæ commentatores Hebræi tradunt eſt אבינו שבשמים [*Pater noſter qui in cœlis*]. Quanquam verò Deus omnium opifex rectè eam ob cauſam *Pater* dici poſſit, ut

——— πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε,
[——— *deûm pater ille hominumque*,]

apparet tamen ex eo quod hîc additur ὑμῶν [*veſtrum*], Chriſtum & hîc & aliis in locis magis reſpexiſſe ad amorem peculiarem veréque paternum, quo pietatis ſtudioſos Deus proſequitur. Senecæ vir bonus, *vera Dei progenies*, libro de Providentia. Quid vox pluralis οὐρανῶν [*cœlorum*] in Helleniſtarum ſermone ſignificet, ſuprà diximus, nimirum beatiſſimam illam regionem quam ſola mente complectimur, τὸν κόσμον τὸν νοητὸν [*mundum illum qui animo comprehenditur*]. Quanquam autem Deus ſæpe dicitur eſſe ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*in cœlis*], non id tamen intelligendum eſt quaſi Deus ullis extra ſe ſpatiis terminetur. Verè enim dixit Solomo Deum neque cœlo adſpectabili neque illo ſupremo cœlo, quod שמי שמים [*cœlum cœlorum*] vocat, comprehendi, 1 Regum viii, 27. Ante res conditas Deus haud dubiè ſibi ſuffecit pro loco: neque cùm res condidit natura ipſius immutari aut à ſui ipſius opificio limitari potuit. Rectè ergo Hebræi Magiſtri Deo inter alia nomen tribuunt מקום [*Locus*], quia ipſius immenſa natura nullo extra ſe loco tenetur, atque adeò ſibi eſt quaſi locus rebus à ſe factis infinito major, eaſque excellentiùs & efficaciùs continens quàm locus ſoleat res locatas: Quam Hebræorum veterum ſententiam hunc in modum exponit Philo, Ἐπεὶ αὐτὸς ἑαυτῷ τόπος (hoc eſt מקום) καὶ αὐτὸς ἑαυτοῦ πλήρης καὶ ἱκανὰ ὄντα πληρῶν καὶ περιέχων, αὐτὸς δ' ὑπ' οὐδενὸς ἄλλου περιεχόμενος [*quoniam ipſe ſibi locus, & ipſe ſui plenus, & tot illa quæ ſunt implet ac continet, ipſe verò à nullo continetur*]. Eademque veterum Chriſtianorum ſententia, Θεὸς περιέχει τῇ βουλήσει τὸ πᾶν, μείζων τοῦ παντὸς, ὥσπερ τῇ οὐσίᾳ οὕτως καὶ τῇ ἀξίᾳ [*Deus voluntate totum hoc continet, major Vniverſo, ut ſubſtantiâ, ita & majeſtate*], ut doctè diſſerit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos quæſtione undecima. Theophilus libro ſecundo adversùs Gentes, Θεὸς οὐ χωρεῖται, ἀλλὰ αὐτός ἐστι τόπος τῶν ὅλων [*Deus non comprehenditur, ſed ipſe Locus eſt omnium*]. Dicitur tamen ἐν οὐρανοῖς [*in cœlis*] eſſe potiùs quàm alibi, quia ſicut in illa regione majeſtas Dei ſingulari & eximio modo apparet: ita & olim in ea regione ſumma ab ipſo præmia exſpectamus, tunc cùm ſe pleniſſimè nobis & Deum & Patrem eſt demonſtraturus. Sed & Græci ut multa ex Oriente ita hoc quoque hauſerunt. Nam ſedem Deorum ponunt ſupra ſideream regionem. Aratus de Eridano aſtro,

——— θεῶν ὑπὸ ποσὶ φορεῖται.
[——— *deûm ſe ſub pedibus fert.*]

Quod imitatus eſt Callimachus & ex Callimacho Catullus in coma Berenices,

Sed quanquam me nocte premunt veſtigia Divûm.

17. Καταλῦσαι, *ſolvere*] Quod hîc καταλύειν, infrà λύειν dicitur commate decimo nono. Eſt quidem λύειν νόμον [*legem ſolvere*] ſæpe apud Demoſthenem *abrogare*. Sed hîc vox iſta laxiùs paulò ſumenda eſt, pro eo quod eſt *Legem oppugnare factis dictisve*. Tale eſt illud οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή [*non poteſt ſolvi Scriptura*] Ioannis capite decimo, verſu trigeſimoquinto, & quod λύειν τὸ σάββατον [*ſolvere Sabbatum*] dicitur qui contra Sabbatum facit, capite quinto, verſu decimo octavo. Imò illud ipſum λύειν τὸν νόμον [*ſolvere Legem*] apertum eſt ita ſumi Iohannis VII, 23. pro quo & καταργεῖν τὸν νόμον [*deſtruere Legem*] dixit Paulus Rom. III, 31. Atque hanc veram eſſe hujus loci explicationem oſtendit id quod ſequitur commate decimo nono, ubi ποιεῖν καὶ διδάσκειν [*facere & docere*] opponitur τῷ λύειν [*ei quod eſt ſolvere*]. Sed hîc inſurgunt in nos Iudæi clamitantes itum ab Apoſtolis contra hanc Magiſtri profeſſionem. Sed labi illos rerum noſtrarum ignorantiâ vel hinc pateat, quòd hæc ipſa Domini verba Apoſtoli memoriæ conſecrarunt, nunquam id facturi, ſi ipſorum documenta ab hoc documento diſcrepaſſent. Adde quòd ille ipſe Apoſtolus, quo nemo conſtantiùs libertatem Chriſtianam contra neceſſitatem Hebraicorum rituum defendit, idem de ſe dicit quod Magiſter dixerat: νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως; μὴ γένοιτο· ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν [*Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit, ſed Legem ſtatuimus*]. At idem eſt qui alibi dicit Chriſtum νόμον τῶν ἐντολῶν ἐν δόγμασι καταργῆσαι [*Legem mandatorum decretis evacuaſſe*], Eph. II, 15. Rurſum quod hîc Chriſtus dixerat veniſſe ſe πληρῶσαι τὸν νόμον [*adimplere Legem*], hoc & ille Apoſtolorum eximius non ſemel agnoſcit, ut cùm Chriſtum vocat τέλος τοῦ νόμου [*finem Legis*], Rom. X, 4. & νόμον παιδαγωγὸν εἰς Χριστὸν [*Legem pædagogum ad Chriſtum*], Gal. III, 24. Iam verò in ſcriptis Apoſtolicis eſt ubi invenias νόμον [*Legem*] dici πνευματικὸν [*ſpiritualem*], Rom. VII, 14. eſt iterum ubi vocatur νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς [*lex mandati carnalis*] Hebræor. VII, 16. Quare cum ſano nemini in mentem venire poſſit viros graves & in defenſione doctrinæ ſuæ adeò conſtantes, non modò alios aliis, ſed ipſos ſibimet pugnantia ſcripſiſſe, videndum eſt quomodo dicta iſta inter ſe conſentiant. Primùm igitur notiſſimum eſt, Ius aliud eſſe Naturale, perpetuum, commune omnibus, aliud conſtitutum, quod plerumque ſolet eſſe peculiare ac mutabile: quale eſt jus populi cujuſque proprium quod Civile vocamus. Ius Naturale, hoc eſt rectæ rationis præſcriptum, animum præcipuè reſpicit, & externas actiones ex animo æſtimat. Ius Civile eódem quidem tendit, ſed cùm id per hominum pravitatem obtinere nequeat, contentum eſt exteriori innocentia: &, quod inter homines fieri neceſſe eſt, animum ex factis metitur. Itaque corpori præcipuè ponitur, & de rebus agit quatenus cerni oculis manibuſque tangi poſſunt. Conſilia conatumque non punit, niſi in rebus atrociſſimis. Hinc Seneca *exiguam rem eſſe* dicit *ad legem bonum eſſe*. Cumque perpetuum illud Ius bonos certet efficere virtutis amore, hoc Civile malos formidine pœnæ coercet, quo jure opus non fuiſſet, ſi homines ſinceris naturæ (id eſt, rationis à Deo illuminatæ atque adjutæ) præceptis obtemperaſſent: Sed cùm parentes darent progeniem in dies vitioſiorem, refrænanda fuit gliſcens malitia, & reſuſcitanda notitiæ veſtigia, quæ prava conſuetudo pæne obliteraverat. Ergo τῶν παραβάσεων ἕνεκα νόμος προσετέθη [*propter tranſgreſſiones lex appoſita eſt*], id eſt, addita eſt lex ſcripta in tabulis ad legem illam in mentibus ſcriptam Gal. III, 19. Atque adeò quod de lege Moſis dixit Paulus δικαίῳ νόμον οὐ κεῖσθαι [*legem juſto non eſſe poſitam*] 1 Tim. 1, 9. hoc in univerſum de lege Civili Socrates pronuntiaverat, νόμον ἕνεκα ἀγαθῶν οὐ γίνεσθαι [*legem non eſſe factam virorum bonorum cauſâ*]. Quin ad minora etiam quædam delicta externa connivère coguntur leges Civiles, ne irrito adversùm adulta vitia niſu hebeſcat acies publicæ auctoritatis. Lex igitur Moſis, cùm data ſit uni populo Iſraelitico, non minùs quàm leges Civiles humanæ, habere debuit quædam tralatitia ex jure naturali, quædam verò propria iſti populo iſtiſque temporibus accommodata. Agnoſcit hoc diſcrimen in lege patria Ioſephus accuratè ea de re diſſerens Originum lib. XVI, cap. X. ubi illud jus conſtitutum vocat τὰ ἔθη [*Conſuetudines*], illud autem perpetuum partim τὸ δίκαιον πᾶσιν ἀνθρώποις ὁμοίως λυσιτελέστατον [*Iuſtum illud quod omnibus ex æquo hominibus utile eſt*], partim τὸ πρὸς καλοκαγαθίαν κοινὸν ἅπασι καὶ μόνον ἱκανὸν διασώζειν τὸν τῶν ἀνθρώπων βίον [*id quod ad probitatem omnibus communiter patet, ſolumque per ſe ſufficit ad tuendam hominum vitam*], quod quidem jus potiſſimùm à Lege ait reſpici. Hebræorum Magiſtri hæc propriè volunt dici מצות [*præcepta*], illa חקים [*ſtatuta*], ut initio ad Lucam dicetur. Iuſtinus in Colloquio cum Tryphone idem diſcrimen clarè Iudæo ob oculos ponit, cùm alia ait eſſe καθόλου καὶ φύσει καὶ αἰώνια καλὰ [*generatim ac per ſe & ſemper honeſta*], quæ qui olim præſtiterunt, communem cum Chriſtianis gloriam erunt reportaturi, alia verò πρὸς σκληροκαρδίαν τοῦ λαοῦ (addere poterat, *& ob occaſiones temporum ac locorum*) διαταχθέντα [*ob populi duritiem conſtituta*]. Sic & in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis plurimis locis diſtinguuntur τὰ φυσικὰ τοῦ νόμου [*naturalia Legis*] & τὰ ἐπείσακτα [*ſuperinducta*]. Irenæus quoque IV, 27. illa prioris potioriſque generis *naturalia Legis* vocat. Sicut igitur ante Legem conditam, vera pietas, ſive fiducia in Deum per caritatem efficax, id fuit quod hominem Deo acceptiſſimum faceret, ita in ipſa Lege voluit Deus exſtare ejus εὐδοκίας [*ſui beneplaciti*] veſtigia. Itaque *amari ſe integro corde* poſtulat, cor vult *circumcidi*, & quæ alia ſunt ad eam formam. Sed hoc omne ut dixi tralatitium eſt, neque pars propriè Legis ejus quà erat Civilis, ſed ſcopus atque propoſitum: quomodo & in Zaleuci & in Charondæ legibus & XII Tabulis quædam inſerta erant ad animi caſtimoniam pertinentia. Apparet hoc ex ſanctione Legis quæ erat Civilis. Ea enim capitale ſupplicium legirupis minabatur; tantum autem abeſt ut intra animum peccantibus tale ſupplicium irrogatum fuerit, ut etiam externa quædam delicta victimis aut verberibus expiarentur. Hoc verò præcipuum habebat Lex illa Civilis ſupra humanas leges, quod obſequentibus, hoc eſt, ad

Legis normam viventibus, non tantùm impunitatem ſed & vitam longam atque proſperam præſtabat. At Chriſti Lex, ut comminationem graviorem habet, perpetui ſcilicet ſupplicii, Hebræor. II, 3. ita & *melioribus promiſsis firmata eſt*, Hebræor. VIII, 6. nimirum Regni cœleſtis. Videamus nunc quid ſit quòd Chriſtus dicit ſe veniſſe νόμον πληρῶσαι [*adimplere Legem*]. Legis ſcopus erat homines quàm optimos efficere, quales fiunt Dei reverentiâ & caritate mutua hominum inter ſe. Hæc duo maxima Legis præcepta vocat Chriſtus Matth. XXII, 37, 38, 39. Imò ait *hinc pendêre Legem totam & Prophetas*, 40. Paulus *diligendo hominem alterum Legem* ait πληροῦσθαι [*impleri*], Rom. XIII, 8. Galat. V, 14. Et Iacobus II, 8. *legem Regiam* ait πλειοῦσθαι [*perfici*] eâdem dilectione, addens κατὰ τὴν γραφήν [*ſecundùm Scripturam*], Veteris Federis libros intelligens. Sed quod Lege monſtrabatur quidem, Legis tamen tempore à paucis in ipſo etiam Iſraelitico populo præſtabatur, id ut omnes in ſe credentes præſtare poſſent, Chriſtus effecit, idque non vi Legis (quæ malos coercebat magis quàm faciebat bonos), ſed peculiaribus Dei præſidiis, remiſſionem promittens antecedentium peccatorum omnium, certam faciens fidem beatæ immortalitatis, & largè effundens Spiritus ſui copiam. Apparet igitur quomodo Chriſtus id quod in Lege erat præcipuum atque immutabile, non modò non everterit, ſed & ſtabiliverit atque confirmaverit. Ius autem alterum quod Conſtitutum diximus, partim ad Cultum Divinum, partim ad Societatem Civilem pertinet. Agamus primùm de jure ad cultum Divinum pertinente, quod Rituale aut Pontificium Ius liceat vocare. Hoc igitur jus Chriſtus neque exemplo neque doctrinâ oppugnavit. Nam dum in terris vitam vixit mortalem, & ipſe præſcriptis ritibus paruit, & aliis Hebræis ut itidem facerent auctor fuit, ut videre eſt infra VIII, 4. XXVI, 18. Quod verò poſteà id jus evanuit, factum eſt ex ipſius juris natura. Neque enim tale erat ut Deo per ſe placeret, ſed populi ingenio temporibusque illis aptatum. Nam Sacris illis ceremoniisque populum Iſraeliticum, nimis patentem ad ſuperſtitionis contagia, Deus ab aliis gentibus ſegregare voluit, & occupatum diſtinere ne ad falſorum numinum cultum deficeret. Quare cùm veniſſet tempus tot vaticiniis prædictum, quo gentes aliæ cum piis Iudæis in unius veri Dei cultum coaleſcerent, impleta Circumciſionis promiſſione, Legis cauſâ ceſſante, æquum erat Legem quoque Ritualem ceſſare. Data enim hæc Lex erat uſque dum veniret ſemen illud Abrahamo promiſſum, Galatar. III, 16. Et hoc ipſum non obſcurè indicaverant Prophetæ, Novum Fedus, ſacrificiaquè nulli loco adſtricta, & animo peragenda prænuntiantes, & Prophetis conſentiens Chriſtus, cùm diceret imminere tempus quo Deus coleretur non alibi minùs quàm Hieroſolymis, in ſpiritu & veritate. Nihil igitur opus fuit Legem antiquari quæ ad tempus conſtituta ipſa temporis maturitate evanuit; ſicut leges propriæ belli temporibus pace facta ſponte ſua exoleſcunt. Tantum opus erat pacem hanc Iudæorum & Gentium promulgari: quod fecit Chriſtus tum voce ſua, jam à diſcipulis diſceſſurus, tum Viſis cœlitus miſſis, tum palàm Spiritu, miraculorum opifice, dato non tantùm Iudæis, ſed & alienigenis qui in ipſum crediderant. Nihil ergo à Chriſto factum eſt contra Legem Ritualem, ſicut nec contra leges ad belli tempora pertinentes facit qui pacem ſancit atque promulgat. Imò Ius hoc quoque à Chriſto ἐπληρώθη [*impletum*], primùm quia & paruit ei & pareri præcepit, quamdiu jus illud valere juris auctor voluit: deinde quia homines perduxit ad puram piamque Dei venerationem, quod ſolum principaliter Deo fuiſſe propoſitum, ſacrificiorum autem ritus ex occaſione duntaxat inſtitutos, Moſes Maimonides ingenuè fatetur, probatque ſententiam ſuam his Ieremiæ verbis, *Non egi cum majoribus veſtris neque præcepta ipſis dedi de holocauſtis & victimis quo die eos ex Ægypto duxi, ſed hoc eſt quod eis præcepi, ut voci meæ auſcultarent, egoque eſſem eis Deus & ipſi eſſent mihi populus*, VII, 22, 23. quo ipſo loco adversùs Tryphonem idem probat Iuſtinus Martyr. Vt autem πλήρωσις [*impletio*] iſta magis eſſet conſpicua, voluit Deus optimus maximus ſingulas propè circumſtantias Iudaicorum rituum congruere rebus Chriſti. Atque adeò demonſtratu facile eſt, ut inquit idem ille Martyr, πάντα τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα eſſe τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων, καὶ τῶν ὑπ᾽ αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόντων [*omnia illa quæ à Moſe conſtituta ſunt* eſſe *figuras & ſigna & annuntiationes eorum quæ Chriſto, & eis qui in ipſum credituri providebantur, erant eventura, & quæ à Chriſto ipſo erant facienda*]. Quare quod de vaticiniis dicit Chriſtus, oportuiſſe ea in ſe πληρωθῆναι [*adimpleri*], idem ad ceremonias etiam ſuo modo referri poteſt. Sed ejus rei accuratiùs tractandæ materiam præbebit Epiſtola ad Hebræos. Reſtant Inſtituta ad Societatem Civilem pertinentia. In his autem exigit ubique gentium ipſa reipublicæ neceſſitas ut multa quæ per ſe non probantur legum auctoribus, permittantur tamen ne majoribus malis detur occaſio, aut etiam ne vileſcant ſine moribus leges. Quamobrem Cicero ſententiam vult dici *ut in fæce Romuli*, non *ut in Platonis Politia*. Sed & ipſe Plato cùm finxiſſet quandam ex ſuo ingenio Rempublicam, nullo ad homines reſpectu, aliam deinde deſcripſit in Legibus quam vocat ἐξ ὑποθέσεως [*ex ſuppoſitione*]. Alius quidam interrogatus, εἰ τοὺς καλλίστους ἔθετο τοῖς πολίταις νόμους; [*An optimas leges civibus ſuis præſcripſiſſet?*] reſpondit, οὐ τοὺς καθάπαξ καλλίστους, ἀλλ᾽ ὧν ἐδύνατο τοὺς καλλίστους [*Non optimas ſimpliciter, ſed optimas ex iis quas potuiſſet*]. Talibus ergo inſtitutis, quæ Legum auctori expreſſit neceſſitas, ſi quis non utitur, aut alios etiam tam bonos reddit, ut uti eis nolint, nihil profectò committit aut contra Legis verba, aut contra ſententiam: imò verò cenſendus eſt id facere quod Legis auctori maximè placet. Nam, ut ab Ariſtotele veriſſimè ſcriptum eſt, omnibus Legum auctoribus propoſitum eſt cives bonos efficere. Cætera verò inſtituta quæ ad veram virtutem videri poterant ἀδιάφορα [*media*], Chriſtus nuſquam oppugnavit: imò ipſe eis paruit, & diſcipulos docuit cujuſque reipublicæ legibus, quantùmlibet humanis, obedire. Bene de Chriſtianis Scriptor ad

Diognetum, πείθονται τοῖς ὡρισμένοις νόμοις, καὶ τοῖς ἰδίοις βίοις νικῶσι τοὺς νόμους [*obediunt legibus conſtitutis, & vitâ ſuâ ſuperant leges*]. Quòd ſi humanis ejus generis legibus parêre juſſi ſunt Chriſtiani, multò magis iis quæ Deum habebant auctorem. Attamen hoc etiam jus emortuum eſt, cùm in pœnam Iudæorum contumaciæ exſtinctum eſt quicquid reipublicæ reſtabat: quia ſublato eo quod principale eſt neceſſe eſt etiam acceſſiones corruere. Quare ne hanc quidem juris partem Chriſtus oppugnavit: imò cùm omnia ejus generis inſtituta tendant ad alendam civium inter ſe concordiàm, ipſe ad veram pacem hominum animos flectendo, propoſitum iſtius etiam partis implevit. Videmus igitur optimè conſentire Apoſtolos & ſecum & inter ſe & cum Chriſto. Nam illa quæ in Lege ſunt, ut Iuſtinus loquitur, φύσει καλὰ καὶ εὐσεβῆ καὶ δίκαια [*naturâ honeſta, pia ac juſta*], *naturalia legis*, ut loquitur Irenæus libro IV, capite XXVII. perfecit Chriſtus, explicans ea clàriùs quàm antè unquam explicata fuerant, & præceptis quibuſdam exactioribus muniens, & in eorum obſequium animos redigens, promiſſorum magnitudine & certitudine, ſpirituſque ſui obſignatione. Atque hic eſt νόμος ille τέλειος, ut eum [*lex illa perfecta*, ut eam] appellat Iacobus I,25. Ritus autem implevit & conſummavit Chriſtus, id exhibendo cujus cauſâ ritus erant reperti, quodque ritus ipſi figurabant. Delevit autem eoſdem eo ipſo implemento ac conſummatione, non tollendo legis vinculum, ſed cauſam ſubtrahendo propter quam lex ea nata erat, & cui morienti ex primævo decreto erat commoritura. Νόμος πνευματικὸς [*Lex ſpiritualis*] dicitur ob ſcopum illum in quem dirigitur. Dicitur & σαρκικὸς [*carnalis*] ob ritus in ſe ſpectatos, qui corpus à pœna defendunt, cæterùm ſpiritum hominis non perficiunt Hebr. VII, II. IX, 9.

ἢ τοὺς προφήτας· *aut Prophetas*] Spectantur hîc *Prophetæ* non tantùm ut futurorum præſagi, verùm etiam ut Legis interpretes & quotidiani commemoratores. Quo ſenſu à præcepto dilectionis *pendêre* dicuntur *Lex & Prophetæ* Matth. XXII, 40.

18. Ἀμὴν, *Amen*] Vox hæc Hebræa, quæ modò in exordio, modò in clauſula ſermonis ponitur, diverſas ſignificationes habet, quæ una voce Latina reddi nequeunt. Nam ſi λόγος ſit ἀποφαντικὸς, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν καὶ ψεύδεσθαι ὑπάρχει [*ſermo* ſit *enuntiativus, in quo verum aut falſum dicitur*], ut Ariſtoteles loquitur, idem valet quod Græcum ἀληθῶς [*verè*]· atque ita vocem Hebræam reddi tum à LXX Senibus, tum à Luca, viri doctiſſimi pridem annotarunt. At precandi optandive verbis adjunctum eam vim habet quam apud Latinos aut *quæſo* aut *utinam*; quo ſenſu à Septuaginta rectè redditur Γένοιτο [*fiat*]. Vtramque autem ſignificationem complectitur vox Græca ναὶ, ut quæ modò aſſeverat, modò deſiderii vehementiam exprimit. Quare accuratè Lucas Ἀμὴν voce Ναὶ tranſtulit; Paulus autem & Iohannes ναὶ & ἀμὴν conjunctum poſuerunt, ut altera vox ab altera lucem acciperet. Vox autem hæc Hebræa, ut valde efficax, etiam in Græca lingua ab Helleniſtis Iudæis ſervata eſt: quos ſecuti Chriſtiani, non in libris duntaxat ſed in uſu quoque populari eam retinuerunt, ut videre eſt I Corinthior. XIV, 16.

ἕως ἂν παρέλθῃ ὁ οὐρανὸς, *donec tranſeat*] Παρέρχεσθαι quidem *interire* hîc ſignificat, ut & apud Petrum II Epiſt. III, 10. Neque tamen hîc reſpici tempus τῆς ἐκπυρώσεως [*incendii univerſalis*], ut in Petri Epiſtola, ſed dictum eſſe παροιμιῶδες [*proverbiale*], quaſi Latinè dicas, *uſque dum cælum ruat*, Lucas nos docet, apud quem hæc ſententia hunc in modum effertur: *Facilius ſit cælum & terram perire quàm ullum Legis apicem collabi.* In quo loquendi genere non Dei potentia ſed naturalis ordo reſpicitur. At ſecundùm naturam videtur hoc eſſe τῶν ἀδυνάτων [*inter impoſſibilia*], ut cœlum aut terra pereat, quorum utrumque Heſiodus dixit Deorum immortalium

——— ἕδος ἀσφαλὲς αἰεί.
[——— *ſolidiſſima ſedes*.]

Similia apud Græcos & Latinos paſſim reperire eſt, *Dum terra ſtabit, Dum aſtra current*, aut in hunc modum,

Deſinet eſſe priùs contrarius ignibus humor.

Atque id ipſum clariùs conſpicere eſt infrà XXIV, 35. Marci XIII, 31. Lucæ XXI, 33. ubi ita loquitur Chriſtus de ſuis prædictionibus agens, Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι [*Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*]. Nam poſtrema vox, quæ eſt modi potentialis, oſtendit ſenſum eſſe, Priùs fieri poſſe ut cœlum ac terra pereant quàm ut prædicta non impleantur. Quòd autem prior vox iſtis locis poſita eſt ὁριστικῶς [*in indicativo*] id ex Hebraiſmo venit. Sic Eſaiæ LIV, 10. כי ההרים ימושו והגבעות תמוטינה וחסדי מאתך לא ימוש וברית שלומי לא תמוט. Ad verbum, *Nam montes movebunt ſe & colles nutabunt, & miſericordia mea non recedet, & fedus pacis meæ non movebit ſe*: id eſt, Priùs montes ſe moverent & colles nutarent quàm hoc fieret. Simillimum loquendi genus Pſal. LXXII, 7. עד בלי ירח [*donec auferatur Luna*], Græcè ἕως οὗ ἂν ἀναιρεθῇ (malè vulgò legitur ἀνταναιρεθῇ) ἡ σελήνη. Adde quod eſt Ierem. XVIII, 8 & 10. XXXIII, 20, 21.

ἰῶτα ἓν ἢ μία κεραία, *Iota unum aut apex unus*] Certum quidem eſt & hoc eſſe παροιμιῶδες [*proverbiale*], qualia ſunt pleraque in Domini noſtri ſermonibus de medio uſu ſumta. Atque neceſſe eſt id adagium ex ſcribendi ratione quæ tum vigebat originem duxiſſe: unde ſequitur jam tum in lingua Hebraica Iod literam minus ſpatium occupaſſe quàm literas cæteras: ac proinde eos characteres quos ſicli præferunt, jam Chriſti tempore uſurpari deſiiſſe, & in uſu fuiſſe quas habemus Aſſyriacas, ab Eſdræ, ut creditur, temporibus ſcribi Hebræis cœptas. Κεραίας autem nomen ad puncta vocalia à quibuſdam trahitur, ſed idem eſt quod *apex* Latinè. *Apices literarum* ipſos literarum ductus aut partes dixit Gellius, & hinc nata tranſlatio, *de juris apicibus diſputare*. Etiam Ariſtides de Græcorum legibus ajens dixit νόμου κεραίαν [*legis apicem*]. In gloſſis veteribus, *Apex*, κεραία, γράμματος ἄκρον. Sed & apud Plutarchum, Dionem, Chryſoſtomum, Philonem Iudæum, Clementem Alexandrinum, & in Pſeudoſibyllinis exſtat vox κεραία eo ſenſu. Apice literam Reſch à Daleth differre dixit Hieronymus. Eundemque, ni fallor, ſenſum recipit خطة quod hîc poſuit Arabs. Libros veteres etiam poſt Eſdram ſine punctis vocalibus ſcribi ſolitos, adeò perſpicuis argumentis à viris harum rerum doctiſſimis demonſtratum eſt, ut id ampliùs inficiari non niſi pertinacium ſit.

οὐ μὴ παρέλθῃ ἀπὸ τοῦ νόμου, ἕως ἂν πάντα γένηται. non præteribit à Lege, donec omnia fiant] Παρέρχεσθαι eſt *irritum fieri*, ut infrà XXIV, 34. quare ἕως [*donec*] hîc vim habet adverſativam: Non peribunt, inquit, quin imò penitus implebuntur. Quod quomodo ad ceremonias etiam pertineat, ſuprà diximus. Sed de induſtria eam rem Chriſtus obſcuriùs tractat, ne teneriores animos offenderet. Nam hoc vel præcipuè, ut prudenter ab Origene eſt annotatum libro contra Celſum ſecundo, inter illa erat quæ ipſi Apoſtoli ferre nondum poterant, & quamobrem venire debebat Spiritus qui eos *duceret in omnem veritatem*, Iohan. XVI, 13.

19. *τῶν ἐντολῶν τούτων, de mandatis iſtis minimis*] Hieronymus ad verba Legis refert; meliùs alii veterum ad mandata Regni cœlorum, quæ ſunt τὸ πλήρωμα τοῦ νόμου [*implementum Legis*]. Ideo non dicit Chriſtus ἐκείνων [*illis*] ſed τούτων [*his*], reſpiciens tum ad præcedentia, in quibus ſub beatitudinis deſcriptione compendium quoddam eorum mandatorum erat traditum, tum ad ſequentia, quæ fuſiorem eorum explicationem continent. Eſt autem talis Chriſti argumentatio, Si Legem rumpere nulli licet, multò minùs impunè feret qui ea ruperit quibus præparandis Lex ancillatur. Vide Hebræor. 11, 2. Sua autem eſſe talia oſtendit in ſequentibus, λέγω γὰρ ὑμῖν [*dico enim vobis*], & deinceps.

τῶν ἐλαχίστων, minimis] Subauditur κἂν [*vel*]. Senſus enim eſt, Si quis vel id contemſerit quod minimum eſt in his præceptionibus. Ita infrà XXV, 40. ἑνὶ τούτων τῶν ἀδελφῶν μου τῶν ἐλαχίστων [*ex his fratribus meis minimis*], valet κἂν ἐλαχίστων [*vel minimis*]. Diſcant hinc Chriſtiani, nullum eſſe in his Chriſti ſermonibus præceptum tam leve quod ſine ſalutis detrimento liceat adſpernari.

καὶ διδάξῃ οὕτω, docuerit ſic] Hoc eſt διδάξῃ λύειν [*docuerit ſolvere*]. Poſitum eſt autem καὶ [*&*] pro ἢ [*vel*]. Nam conjunctionem ſæpe pro disjunctione accipi & Grammatici & Iuriſconſulti notant. Senſus eſt, Qui contrà fecerit quive contrà facere docuerit, minimi erit pretii. Clarum hoc faciunt quæ ſequuntur verba his verbis directè oppoſita.

ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν· minimus vocabitur in Regno cælorum] De verbo καλεῖσθαι [*vocari*] diximus ſuprà: illud autem ἐν [*in*] hîc poſitum arbitror ad temporis deſignationem. Planè ut apud Lucam XIV, 14. ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων [*in reſurrectione juſtorum*]. Nam & alio loco idem Lucas quod dixerat ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ [*in Regno Dei*] XXII, 16. mox exponit ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ [*donec Regnum Dei veniat*], 18. Neque de Eccleſia hæc interpretanda judico, ſed de ſumma illa patefactione Divinæ majeſtatis in fine temporum, propter id quod ſequitur, *non intrabitis in Regnum cælorum*. Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Βασιλείαν Θεοῦ οἶδεν ἡ θεία γραφὴ λέγειν οὐ τὴν ἀνάστασιν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀποκατάστασιν, ἐν ᾗ γίνεται κολαζομένων τε καὶ δοξαζομένων ἡ διαίρεσις [*Regnum Dei ſolet Scriptura dicere non nudè ipſam reſurrectionem, ſed reſtitutionem eam quæ eſt poſt reſurrectionem in qua fiet diſcrimen eorum qui punientur, & qui honorabuntur*]. Senſus ergo hujus loci eſt, eum qui contrà fecerit docueritve minimi habitum iri, tunc cum Regni cœleſtis conſummatio advenerit.

ὃς δ᾽ ἂν ποιήσῃ καὶ διδάξῃ, qui autem fecerit & docuerit] Quanquam hæc præcipuè Apoſtolos ſpectant, non ita tamen ad eos adſtringenda ſunt ut alii excludantur. Nam Chriſtianorum omnium eſt non modò exemplo præire aliis, ſed & alios verbis commonefacere, Romanorum XV, 14. Coloſſ. 1, 28. ubi hæc ipſa vox διδάσκειν [*docere*] reperitur.

20. *ἐὰν μὴ περισσεύσῃ ἡ δικαιοσύνη ὑμῶν πλεῖον, niſi abundaverit juſtitia veſtra plùs*] Δικαιοσύνης voce *obedientiam* ſignificari ſuprà diximus. Illud autem περισσεύσῃ πλεῖον Latinè uno verbo vertere poſſis *ſuperaverit*.

τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, quàm Scribarum & Phariſæorum] *Legiſperitos* Chriſtus nominat ut Iudæorum eruditiſſimos; Phariſæos ut peculiaris ſanctimoniæ famâ nobiles, & quorum ſecta erat in Iudaiſmo ἀκριβεστάτη [*accuratiſſima*], Actor. XXVI, 5. Hinc autem intelligi datur quàm neceſſaria eſſet novæ hujus doctrinæ promulgatio, cùm qui ſapientiſſimi ac religioſiſſimi inter Iudæos habebantur, tum à ſapientia tum à religione tam longè aberrarent, ipſique *filii Levi* aliorum purgatores *purgandi eſſent*, Malach. III, 3. Multùm autem ad horum verborum & eorum quæ ſequuntur intellectum refert, rectè noſcere quale fuerit de obedientia præſtanda Deo dogma Legiſprudentium & Phariſæorum. A quo autem potiùs hoc diſcemus quàm à Paulo Apoſtolo, qui & doctrinam Iudaicam à ſummo Legiſperito Gamaliele hauſerat, & Phariſaicæ ſectæ nomen dederat? Is igitur eo tempore vixiſſe ſe ait *inculpatum, quod juſtitiam attinebat eam quæ eſt in lege*, Galat. III, 16. Vbi *legis* nomen palàm eſt ita uſurpari quomodo retulimus à Seneca dictum, *exiguum eſſe quiddam ad legem bonum eſſe*. Quare & legem hanc idem Apoſtolus paſſim diſcriminis cauſâ *legem factorum* vocat, eam nimirum legem indicans quam in cognoſcendis cauſis Hebræi Iudices ſequi tenebantur: qui neque animum poterant introſpicere, neque verò ad punienda omnia ſecus facta, ſed ea duntaxat quæ ſocietatem civilem præcipuè læderent, poteſtatem acceperant. Quo ſenſu & Clemens Alexandrinus cordis delictum vocat ἁμαρτίαν νόμῳ οὐχ ὑποπίπτουσαν [*peccatum quod legi non ſubjacet*]. Sed paganos tali quadam innocentia contentos vixiſſe minùs mirum eſt, quos cum Chriſtianis comparans Tertullianus ita loquitur: *Nos ergo ſoli innocentes? quid mirum, ſi neceſſe eſt. Enimvero neceſſe eſt: innocentiam à Deo edocti & perfectè eam novimus ut à perfecto Magiſtro revelatam, & fideliter cuſtodimus ut ab incontemtibili diſpectore mandatam. Vobis autem humana æſtimatio innocentiam tradidit, humana item dominatio imperavit: unde nec plena nec adeò timendæ eſtis diſciplinæ ad innocentiæ veritatem.* At de Iudæis minùs id videtur credibile, ut qui ſcirent Legem latam à Deo mentium inſpectore, qui & ex animo ſe diligi vellet, & pravas cupiditates interdiceret. Sed nimirum ita res fuit, quia talibus præceptis pœna nulla diſertè erat appoſita, ideo eam interpretabantur in conſilii magis partem quàm in Legis neceſſitatem, aut certè partim quotidianis victimis, partim annuo ſacro piaculari, ita putabant eas labes expurgari ut nulla earum memoria apud Deum reſtaret. Verum eſſe quod dico, docet nos idem ille Paulus, qui ſe attentâ demum Legis conſideratione didiciſſe ait, pravas cupiditates in peccati eſſe cenſu, cùm alioqui idipſum fuiſſet ignoraturus, Phariſaicis nimirum præjudiciis impeditus, Romanor. VII, 7. Hinc eſt quòd Tryphon Iudæus adversùs Iuſtinum diſputans, ait tam magna tamque admiranda ſibi videri τὰ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ παραγγέλματα [*præcepta quæ ſunt in Euangelio*] ut planè videantur à nemine poſſe præſtari, interioris nimirum innocentiæ. mandata, & eorum quæ pro parvis haberi ſolent vitiorum fugam intelligens. Sed nihil apertiùs dici potuit eo quod ſcriptum reliquit Hebræorum doctiſſimus David Kimchi, qui verba iſta Pſalmi LXVI, 18. *Iniquitatem ſi vidiſſem in corde meo, non exaudiſſet Dominus*, planè contra Scriptoris ſententiam ita interpretatur, *Etiamſi viderim iniquitatem in corde meo, quam vel paratus eſſem in actum perducere, utut illa ſit coram Deo ac ſi eam labiis protuliſſem, tamen non audiet eam Dominus, quaſi dicat non ducet mihi eam ſceleri: cogitationem enim pravam Deus non habet vice facti, niſi concepta fuerit in Dei fidem atque religionem.* En quàm manifeſtè omnia animi decreta, etiam quæ quominus implerentur penes hominem non ſtetit, excepta ſola defectione à Iudaiſmo, ait à Deo non imputari, neque pro peccatis duci. Et hanc ipſam ſententiam à multis Hebræis probatam notat ad Decalogum Abeneſdra. Quin & Ioſephus in Phariſaiſmo, ut ipſe fatetur, accuratè inſtitutus Polybium nobiliſſimum hiſtoriarum Scriptorem reprehendit, quòd mortem Antiochi adſcribat cogitato quidem ſed non perpetrato ſacrilegio, ſubjiciens, τὸ γὰρ μηκέτι ποιῆσαι τὸ ἔργον βουλευσάμενον οὐκ ἦν τιμωρίας ἄξιον [*nam cùm nondum actu impleſſet id quod deſtinaverat, non erat ea res pœnâ digna*]. Hæc igitur eſt illa innocentia Phariſaica, quam Chriſtus contra receptam tunc ſententiam apud Deum non ſufficere pronuntiat. Clemens Alexandrinus Phariſaicam & Chriſtianam juſtitiam hoc modo explicat, Ἐὰν μὴ πλεονάσῃ ὑμῶν ἡ δικαιοσύνη πλεῖον τῶν γραμματέων καὶ Φαρισαίων, τῶν κατὰ ἀποχὴν κακῶν δικαιουμένων, σὺν τῷ μετὰ τῆς ἐν τούτοις τελειώσεως καὶ τῷ τὸν πλησίον ἀγαπᾶν καὶ εὐεργετεῖν δύνασθαι, οὐκ ἔσεσθε βασιλικοί [*Niſi abundaverit veſtra juſtitia plusquam Scribarum & Phariſæorum, qui juſtitiam ponunt in mali abſtinentia, nempe ut præter talium implementum etiam proximum amare eique benefacere noritis, non eritis Regales*]. Quod eódem ferme recidit. Nam lex dilectionis, quanquam factis impletur, tamen non venit ex certo præſcripto, ſed ex ubere animi bonitate. Sapientiſſimo autem conſilio Chriſtus veræ ſanctimoniæ præcepta ſuis inſtillaturus primùm amovet dogmata quæ ejus neceſſitatem conſpici vetabant. Nam, ut rectè ait Seneca, præmitti debent præceptis decreta quædam, ut illis decretis præcepta velut infixa penitiùs animo hæreant.

οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *non intrabitis in Regnum cælorum*] Βασιλεία τῶν οὐρανῶν [*Regnum cælorum*], ut jam diximus, diverſas notiones habet. Hîc tamen non de doctrina aut cœtu piorum, ſed de præmiis æternis has voces accipi æquiſſimum eſt: Primùm, quia ferme ubicunque in his libris invenitur *Regnum cæleſte* junctum *intrandi* verbo, gloria illa cœleſtis intelligitur, Matth. VII, 21. XVIII, 3. XIX, 23,24. Marci X, 23,24. Lucæ XVIII, 24,25. Iohannis III, 5. Actorum XIV, 22. In quibus locis, ut in hoc noſtro, tacita eſt alluſio ad comminationes illas in Lege, *Non intrabitis in Terram*, Numerorum XIV, 30. Pſalmo XCV, 11. Deinde quia in ipſius ſermonis continuatione Chriſtus τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*] oppoſuit *Gehennæ*, ut palàm videre eſt apud Marcum IX, 47. Hieronymus adversùs Pelagium, qui dixerat Regnum cœlorum in Veteri Teſtamento repromitti, *perſpicuum eſſe* inquit *Regnum cælorum primùm in Euangelio prædicari.* Cui convenit illud Chryſoſtomi, *Legens Legem, legens Prophetas, legens Pſalterium, nunquam Regnum cælorum audivi niſi in Euangelio.* Quibus conſentit Auguſtinus: *Denique quod non temere dixerim, neſcio utrùm quiſquam in illis libris inveniet nomen Regni cælorum, quod tam crebrò nominat Dominus.* Et hoc quidem dictum ſit quod vocem ipſam attinet. De re vero ipſa agens adversùs Pelagium Auguſtinus in libro de geſtis Synodi Palæſtinæ, diſtinguit nomen *Veteris Teſtamenti:* nam eo intelligi ait aut pactum illud quod in monte Sinai factum eſt, aut omnia quæ in Moſe & Prophetis continentur. Pactum in Sinai monte factum, quod & ſæpe *Legem* vocant, promiſſa dicit habuiſſe terrena, & quidem terrena tantùm: quod ſæpe probat verbis Pauli ad Galatas III, 12. *qui fecerit ea* (ſcilicet opera Legis) *vivet in eis*, id eſt habebit præmium ne iſtâ morte moriatur, ne lapidationem, gladium vel aliquid hujuſmodi patiatur. Nihilominus fatetur & Auguſtinus & Chriſtiani Scriptores alii, etiam Legis tempore non defuiſſe qui majora terrenis bonis ſperarent. Sed hoc hauſtum ajunt non ex Lege ſed ex Patribus, quibus Deus multis indiciis ſpem majoris boni fecerat: in quo indiciorum genere non minimum eſt & illud, quòd multi eximiè boni terreſtris felicitatis expertes vixerunt, quod argumentum latè proſequitur Scriptor ad Hebræos cap. XI. Addunt iidem Scriptores terrena illa promiſſa data Legi operum, ſigna fuiſſe eorum bonorum quæ Legem ſpiritûs ſequebantur; ſed hoc intellectum à paucis: qui ſcilicet quanquam Veteris Teſtamenti tempore vixerunt, ad gratiam tamen pertinebant eam quæ Novi Teſtamenti temporibus revelata eſt. Philo in hiſtoria Legationis ſuæ, ἢ οὐκ ἐνετράφης, οὐδ᾽ ἐνησκήθης τοῖς ἱεροῖς γράμμασιν· ἐλπίδων εἰσὶ πλήρεις οἱ ὄντως εὐγενεῖς· καὶ οἱ νόμοι τοῖς ἐντυγχάνουσι μὴ χείλεσιν ἄκροις ἐλπίδας ἀγαθὰς δημιουργοῦσιν [*an non educatus exercitatuſque es in ſacris literis? Pleni ſunt ſpei illi qui verè ſunt generoſi: ipſæque Leges iis qui non ſummis tantùm labiis eas delibant, ſpes optimas efficiunt*]. Ioſephus Albo Iudæus hac de re diſputans ait, *Diſertè quidem in Moſis Lege non promitti ſpiritualem felicitatem, ſed ſignis tamen quibuſdam & involucris eam indicari: idque factum quia Lex non tantùm data eſt doctis & ſapientibus, ſed univerſo populo, in quo rudes perſpicacioribus erant permixti: quare in communi promulgatione* *ea poni debuiſſe quæ ab omnibus percipi omniumque animos movere poſſent; eſſe autem ejuſmodi* αἰσθητὰ [ſenſibus obnoxia], *cùm* τὰ νοητὰ [quæ intelliguntur] *apud ſapientes tantùm valeant, vulgi autem judicio ne credibilia quidem videantur. Hæc*, inquit, *de cauſa Lex res corporales atque conſpicuas & in vulgi notitiam cadentes explanatè propoſuit, ea verò quæ ſolo intellectu capiuntur ſub ſignorum involucris.* Hæc ille acerrimi judicii Iudæus. Nimirum id quod mente ſola percipitur tale eſt quale dixit Xenophanes,

> Οὐκ ἔστιν πελάσασθ᾽ οὐδ᾽ ὀφθαλμοῖσιν ἐφικτὸν
> Ἡμετέροις, ἢ χερσὶ λαβεῖν· ἧπερ τε μεγίστη
> Πειθοῦς ἀνθρώποισιν ἀμαξιτὸς εἰς φρένα πίπτει.
> [*Res ad eas non eſt accedere, ſed neque noſtris*
> *Vſurpare oculis manibusve prehendere fas eſt,*
> *Ducit ad humanas via quæ certiſſima mentes.*]

Talia autem eſſe bona vitæ alterius apertè pronunciat Paulus 1 Corinth. 11, 9. Non mirandum igitur, ſi populo craſſo, &, quod ex omni hiſtoria apparet, valde σαρκικῷ [*carnali*] Deus non apertè propoſuit ea quæ captum illorum excederent; ſed ipſorum ingenio ſe accommodans rerum adſpectabilium commodis atque incommodis imminuere voluit adultam peccandi conſuetudinem. Sicut nimirum parentes primæ ætatis liberos non alliciunt ſpe hereditatis, quam non intelligunt, ſed partim verberum metu à delinquendo abſterrent, partim, ut ait ille,

> ——— *pueris dant cruſtula blandi*
> *Doctores, elementa velint ut diſcere prima.*

Neque tamen per hæc rudimenta exercitis via erat ademta profectus melioris. Aderant quippe Prophetæ qui obtecta evolverent, & ſingulis tantum aperirent quantum captus ipſorum & utilitatis ratio ferebat. In publicis autem concionibus Prophetæ ac ſapientes ita loquebantur, ut nec in contemtum adducerent arcana ſanctioris diſciplinæ, & tamen auditorem attentum ad inveſtigandi ſollicitudinem excitarent. Bene Iuſtinus, Ὅσα εἶπον καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται παραβολαῖς καὶ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως τὰ πλεῖστα ὑπὸ πάντων νοηθῆναι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, ὡς καὶ πονέσαι τοὺς ζητοῦντας εὑρεῖν καὶ μαθεῖν [*Quæ dixere & fecere Prophetæ ea comparationibus & figuris involverunt, ut non facilè pleraque ab omnibus intelligerentur: ideo verò abſconderunt veritatem, ut laborandum haberent qui illam invenire ac diſcere cuperent*]. Quem ſequitur Origenes contra Celſum VII. Οἱ μὲν οὖν προφῆται ὅσα ἦν αὐτόθεν νοηθῆναι τοῖς ἀκούουσι χρήσιμα καὶ συμβαλλόμενα τῇ τῶν ἠθῶν ἐπανορθώσει χωρὶς πάσης ἐπικρύψεως κατὰ τὸ βούλημα τοῦ Θεοῦ εἰρήκασιν· ὅσα δὲ μυστικώτερα ἦν καὶ ἐποπτικώτερα, καὶ ἐχόμενα θεωρίας τῆς ὑπὲρ τὴν πάνδημον ἀκοὴν, ταῦτα δι᾽ αἰνιγμάτων καὶ ἀλληγοριῶν καὶ τῶν καλουμένων σκοτεινῶν λόγων καὶ τῶν ὀνομαζομένων παραβολῶν ἢ παροιμιῶν ἀπεφήναντο, ἵνα οἱ μὴ φυγοπονοῦντες, ἀλλὰ πάντα πόνον ὑπὲρ ἀρετῆς καὶ ἀληθείας ἀναδεχόμενοι, ἐξετάσαντες εὕρωσι, καὶ εὑρόντες, ὡς λόγος αἱρεῖ, οἰκονομήσωσιν [*Prophetæ ea quæ facilè percipi poterant eſſe audientibus utilia, & ad mores ſanandos conducentia, ſine ullis involucris ſecundùm voluntatem Dei dixere; quæ verò magis erant myſtica atque recondita, & conſiderationem requirentia ſuprà quàm fert vulgaris auditus, hæc per ſcirpos & locutiones aliud ſonantes, per ſermones qui dicuntur obſcuri, per ea quæ parabolæ & adagia nominantur, extulerunt: ita ut qui ſegnes non eſſent, ſed laborem quemvis veri piique causâ ſuſciperent, quærendo invenirent, & inventis ut ratio poſcit, uterentur*]. Atque hinc natum arbitror diſcrimen antiquitus inter Iudæos celebratum, ut ex Ioſepho, Philone, aliiſque apparet, ſcriptæ Legis & legis vocalis, תורה שעל פה [*lex quæ per os*], quam & קבלה [*traditionem*] hoc eſt παράδοσιν vocant: utramque dicentes à Moſe profectam: quòd ea quæ Lege ſcripta occultiùs continebantur, ſtudioſis indagatoribus enodaret accurata interpretatio. Et hæc quidem docendi ratio apud populum craſſior, limatior apud τοὺς προκόψαντας [*eos qui multùm profecerant*] obtinuiſſe videtur ad ea tempora quæ Babylonicum exſilium ſunt ſecuta. Tum verò gravi periculo imminente, ne populus ſolitus ea tantùm audire quæ in ſenſum caderent, ablato ſplendore Iudaici imperii, gemens ſub externo dominatu, damni, cruciatûs, mortis denique metu ſollicitus deficeret à Iudaiſmo, primus omnium Daniel *reſurgendi* verbo uſus eſt, ambiguo quidem, ſed in quo magnum aliquid latêre crederetur. Danielem ſecutus Ezechiel. Ad quod reſpiciens Scriptor Parænеſeos ad Græcos, inter opera Iuſtini, quæ de Iudicio poſt hanc vitam habet Plato, ait è Prophetis hauſta. Hinc incipiunt Sapientes, quos החכמים vocant, qui humanitus non Divinitus eruditi, Prophetis, ſed impari auctoritate, ſucceſſerunt. Hi quoque neceſſarium judicarunt ex Danielis verbis ſublimiùs intellectis populum adversùs tentamenta præmunire. quod fieri ſatis non poterat, niſi palàm Dei causâ morientibus propoſitâ ſpe vitæ melioris. Itaque ea tum doctrina velut è latebris educta & certis vocibus obſignata eſt. Hinc illud Taciti de Iudæis, *Animas prælio aut ſuppliciis peremtorum æternas putant. Hinc moriendi contemtus.* Numenius quoque libro primo de Bono, inter nationes Platoni de animorum immortalitate conſentientes poſuit Brachmanas, Iudæos, Ægyptios. Neque verò animarum tantùm immortalitatem, ſed & reſurrectionem, id eſt, quandam corporis recuperationem, palàm traditam creditamque, tum ex Scriptoris ad Hebræos capite XI, tum ex Act. XXIII, 8. manifeſtiſſimè apparet. Quibus addendi loci illuſtres duo ex hiſtoria Maccabaica lib. II, cap. 7. quorum prior ſic habet, Ὁ τοῦ κόσμου βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει [*Rex Mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit*]· alter verò ita, Οἱ μὲν γὰρ νῦν ἡμέτεροι ἀδελφοὶ βραχὺν ὑπενέγκαντες πόνον, ἀεννάου ζωῆς ὑπὸ διαθήκην Θεοῦ πεπτώκασιν [*Fratres noſtri, modico nunc labore ſuſtentato, ſub teſtamento vitæ æternæ effecti ſunt*]. Statum piarum animarum poſt mortem, ab horto illo in quo Adam initio conſtitutus fuerit גן עדן Hebraicè, Græcè παράδεισον [*Paradiſum*] appellarunt, ut apud Philonem etiam & Ioſephum videre eſt: At ſtatum poſt reſurrectionem excellentiori vocabulo dixerunt Hebraicè מלכות אלהים [*Regnum Dei*] aut מלכות השמים [*Regnum cælorum*], Græcè βασιλείαν τοῦ Θεοῦ aut βασιλείαν τῶν οὐρανῶν· quò pertinet inter cætera locus ille Sirachidæ, Δίκαιοι δὲ εἰς τὸν αἰῶνα ζῶσι, καὶ ἐν Κυρίῳ ὁ μισθὸς αὐτῶν, καὶ ἡ φρόντισις αὐτῶν παρὰ ὑψίστῳ· διὰ τοῦτο λήψονται τὸ βασίλειον τῆς εὐπρεπείας καὶ τὸ διάδημα τοῦ κάλλους ἐκ χειρὸς Κυρίου [*Iuſti autem in ſeculum vivunt, & in Domino merces eorum, & cogitatio ipſorum apud Altiſſimum: idcirco accipient Regnum decoris & diadema ſpeciei de manu Domini*]. Hoc dogmate animati Maccabaicis temporibus plurimi præ Legis ſtudio exquiſitiſſimas mortes pertulerunt, ut illorum temporum Annales nos docent, & à Scriptore ad Hebræos ſapienter annotatum eſt. Et Chaldæus Paraphraſtes ad Geneſin, qui ante Chriſtum fuiſſe creditur, Iudicii poſt hanc vitam, tum alibi tum in Abelis hiſtoria apertam facit mentionem. Quæ cùm ita ſint, haud immeritò quæritur, quo igitur ſenſu Chriſtus *vitam atque immortalitatem per Euangelium in lucem produxiſſe* dicatur, II Timoth. I, 10. Nimirum, ſicut inter Græcos Philoſophos immortalitatem animorum alii aſſerebant, alii negabant, Socrates verò id tanquam in medio relinquebat, quem ſecutus videtur Ariſtoteles multùm hîc hæſitans, ut & Latinorum Cicero & Seneca: ita apud Iudæos δόγμα [*placitum*] tanti ad pietatem momenti erat τῶν ἀμφισβητουμένων [*inter controverſa*]. Ajebant Phariſæi, ſed negabant Sadducæi, quippe nihil recipientes niſi quod totidem verbis in Moſe expreſſum invenirent. Phariſæis contrà ferme nihil habentibus quo probarent quod contenderent præter Traditionis auctoritatem, inter diverſæ Scholæ certamina fluctuabant multorum animi. De impiorum exitu res erat planè incerta, ut & nunc eſt apud Iudæos: Nam alii reſurrecturos credebant, contradicentibus aut diſtinguentibus aliis. Chriſtus his tam controverſis atque caliginoſis attulit definitionis ſuæ lucem, & pœnas impiorum & piorum præmia non tantùm diuturna, ut multi putaverant, ſed & æterna, & quidem non qualiacunque, ſed quæ in Angelorum conſortio & Dei ipſius conſpicua ac ſingulari præſentia conſiſterent, ut rem certam miniméque dubiam, publicè omnibus annuntians. Cui doctrinæ obſignandæ cùm mortuos in vitam palàm revocaverit, ipſe ſe poſt mortem obitam vivum multis oſtenderit, quoſdam etiam per Apoſtolos vitæ reddi curaverit, nihil jam potuit ab æquis animis ampliùs ad fidem ei rei faciendam deſiderari. Ex his quæ diximus apparet verum quidem eſſe quod dixerant citati à nobis Scriptores, vocem *Regni Divini* aut *cœleſtis* hoc ſenſu à Moſe & Prophetis non uſurpari, attamen non eam à Chriſto primitus repertam, ſed deſumtam ex ſermone populari, unde & *Paradiſi* & *Gehennæ* nomina accepit. His ſi jungamus ea quæ modò de Phariſaica Legis obedientia dicta à nobis ſunt, jam clarè apparebit fons ejus erroris qui hîc & omni conſequenti ſermone à Chriſto tam diligenter refellitur. Innocentia enim illa factorum habebat ſuam δικαίωσιν [*juſtificationem*], ſed apud homines; & proderat ad temporalem felicitatem. At Regnum cœlorum à Deo ſpiritu, non iſti corporali innocentiæ, ſed ſpirituali juſtitiæ erat deſtinatum, cujus fons eſt fides vera quæ in animo ſita eſt. Nam lex illa exteriùs ſpectata non poterat τελειῶσαι τὴν συνείδησιν [*conſcientiam perfectam facere*], Hebræor. IX, 9. ſed proderat πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα [*ad emundationem carnis*], ibid. 13. Ex hoc pernicioſo errore illud etiam ſequebatur, quòd cùm facta illa externa crederent non minùs apud Deum quàm apud homines ſufficere, de ſeriò expetenda peccatorum remiſſione non erant ſolliciti, neque verò expurgandis animis, exſtirpandiſque vitiis illis quæ inter homines diſſimulari ſolent, operam navabant; neque Meſſia tali opus ſibi putabant qui medicinam afferret ei parti quam ipſi ægrotare non ſentiebant. Et hoc eſt quod multis locis Chriſtus illis exprobrat, & Paulus ad Romanos Epiſtolâ, dilucidè oſtendens hoc eſſe illis exitiale, quod *Dei juſtitiæ*, quæ eſt ſpiritualis, *ſe non ſubjicerent, quærentes ſtabilire ſuam* quandam, hoc eſt humanam, *juſtitiam*. Erant & alii errores Phariſæorum, ut Quòd hominum conſtitutiones Divinis mandatis æquarent, interdum præferrent etiam; Quòd ſæpe ne exteriorem quidem illam innocentiam præſtarent, intenti frigidis quibuſdam ceremoniis, quibus etiam gravia delicta expiari poſſe confiderent: ſed iſtos hoc loco Chriſtus non attingit. Nam benignè illis largiens præſtari ab ipſis eam innocentiam quæ pœnas in Lege expreſſas effugeret, oſtendit inde falsò ab ipſis concipi ſpem adipiſcendi Regni cœleſtis. Aliam enim longè obedientiam ab iis requiri qui tantæ gloriæ eſſent candidati. Bene Clemens Alexandrinus, Τῷ τελείῳ οὐκ ἐν συμβολαίοις πολιτικοῖς, οὐδὲ ἐν ἀπαγορεύσει νόμου, ἀλλ' ἐξ ἰδιοπραγίας καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀγάπης ἡ δικαιοσύνη [*Homini perfecto juſtitia ſita eſt non in Civilibus contractibus, aut in Lege interdictis, ſed in ſponte factis & Dei dilectione*]. Hæc ſi quis diligenter conſideraverit, facilè animadvertet ea quæ deinceps dicturus eſt Chriſtus in hoc ſermone, non relinquere conſilii libertatem, ſed intra certos fines imponere præcepti neceſſitatem, neque ad ſolos Apoſtolos & Epiſcopos, ſed verò ad omnes eos qui Regni cœleſtis participes fieri expetunt pertinere.

21. Ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, *quia dictum eſt antiquis*] De horum quoque verborum ſenſu, qui non parum ad conſequentium intelligentiam facit, variant Interpretes. Alii enim τοῖς ἀρχαίοις [*antiquis*] poſitum putant pro ὑπὸ τῶν ἀρχαίων [*ab antiquis*], alii pro πρὸς τοὺς ἀρχαίους [*ad antiquos*]· rurſum ἀρχαίους [*antiquos*] alii referunt ad Moſis tempora, alii ad ætatem quæ Eſdræ & Chriſti tempora interceſſit. Ego pro comperto habeo dandi caſu non eos qui verba fecerant, ſed eos ad quos verba facta erant, indicari. Evidens enim eſt oppoſitio, *Dictum eſt antiquis*; *Ego autem dico vobis*: quare quomodo hoc *vobis*, ita & illud *antiquis* ſumendum eſt. Ac paſſim videre eſt in his libris nomina δοτικῆς πτώσεως [*caſus dativi*] adjuncta verbis quæ dicendi habent notionem hoc ſenſu uſurpari: nec Græcorum qui in hunc locum ſcripſere quiſquam aliter eſt interpretatus. Supereſt videamus ad quæ tempora Antiquitas hæc ſit referenda. Cur eorum accedam ſententiæ qui ab ipſo Moſis tempore hanc antiquitatem repetunt, has cauſas habeo. Primùm quòd vox illa ἀρχαῖος [*antiquus*] & plerúmque apud Græcos longævam quandam vetuſtatem ſignificat, & apud Novi Teſtamenti Scriptores eundem ferme uſum habet. Nam excepto eo loco qui eſt Actorum XXI, 16. alibi ad Prophetarum aut Moſis ætatem aut etiam ulteriùs refertur, ut videre eſt Lucæ IX, 8, 19. Act. XV, 7, 21. II Corinth. V, 17. II Petri II, 5. Apocalyp. XII, 9.

xx, 2. Deinde verba quæ recitat Chriſtus, ea ipſa ſunt quæ in Lege reperiuntur, interdum nulla interpretatione adjecta, ut infrà 27, 31, 33, 38. Et quod hic adjicitur *obnoxius erit judicio*, quodque infrà additur commate 43, *Hoſtem odio habebis*, non eſſe extra Legis ſententiam infrà explanabitur. Adde jam quod plerúmque Apoſtoli comparationem inſtituunt inrer eos qui Moſem doctorem ducemque habuerunt, & Chriſti ſectatores, & ita quidem ut his majorem multò quàm illis lucem affulſiſſe teſtentur, 1 Corinth. x. Hebræor. 11. Quin & pactum hoc Novi Federis oſtendunt multis partibus præſtare ei pacto quod in monte Sinai promulgatum eſt, Galat. IV, 24. Hebræor. VIII, 6. & deinceps. Quare videtur Chriſtus de jure Moſaico hîc agere eo ſenſu quo de eo jure loquebantur Legis periti & Phariſæi, & quomodo id jus in judiciis forenſibus vigebat, ad quæ Chriſtum alludere ex commate proximè ſequenti manifeſtum eſt. Et verò credibile eſt etiam Moſis tempore multos de populo illo, ut erant σαρκικοὶ [*carnales*], nec penetraſſe in ea quæ ſub umbra latebant, nec multùm attendiſſe ad ea mandata quæ contrà facientibus nullum ſupplicium minabantur. Senſus ergo eſt, Majoribus quidem veſtris iſta dicta ſunt, quæ illi ut erant σαρκικοὶ [*carnales*] non niſi σαρκικῶς [*carnaliter*] interpretabantur: At ego, qui colligere volo populum ſpiritualem, ſicut clarè & ſine involucris præmia vobis propono ſpiritualia, & pœnam, quæ non ſit hujus vitæ, contumacibus denuntio, ita etiam apertè atque explicatè vobis dictabo præcepta, quorum vim potiſſimam in ipſo ſpiritu conſiſtere minimè obſcurum ſit.

ὃς δ' ἂν φονεύσῃ, ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει. *qui autem occiderit, reus erit judicio*] Non exſtat quidem hoc totidem verbis in Lege, ſed ſenſus eſt apertus, Lege præcipi ut homicida deducatur ad Iudices & ex eorum ſententia condemnatus capitali ſupplicio afficiatur, Levitici XXIV, 21. Num. XXXV, 16, 17, 30. Vnde apparet ut hoc, ita & ſequenti commate κρίσιν [*judicium*], quod Matthæus dixit דין non eſſe conſeſſum Triumvirorum ſive pedaneorum Iudicum, ſed auditorium Iudicum qui in portis cujuſque civitatis jus ſuper cauſis majoribus reddebant, & in homicidas etiam lege agere ſolebant, de quibus agitur Deuter. XVI, 18. XXI, 2. Quanquam enim capitalia judicia jam eo tempore cum Chriſtus hæc diceret Iudæis erant ademta, erat tamen mos ille judiciorum notus omnibus & in recenti memoria. Cùm autem conſeſſum iſtorum Iudicum Hebræi omnes dicant fuiſſe viginti trium, mirum multis videtur quòd Ioſephus, quem patrii moris nihil latuit, ſeptem ſolos ſtatuere videtur: ita enim ait in Legum deſcriptione, Αρχέσθωσαν δὲ καθ' ἑκάστην πόλιν ἄνδρες ἑπτὰ, οἱ καὶ τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν περὶ τὸ δίκαιον σπουδὴν προησκηκότες [*Præſint autem civitati cuique homines ſeptem, qui in virtute & æqui ſtudio antè exerciti fuerint*]. Sed mihi ipſe Ioſephus hunc nodum ſolvere videtur, cùm verbis ſequentibus dicit, Ἑκάστῃ δὲ ἀρχῇ ἄνδρες δύο ὑπηρέται διδόσθωσαν ἐκ τῆς τῶν Λευιτῶν φυλῆς [*Cuique autem Magiſtratui bini attribuantur adminiſtri ex Levitica Tribu*]. Nam ἀρχὴν intelligit ſingulos magiſtratum gerentes, quibus ſingulis bini erant additi aſſeſſores periti juris, quos Ioſephus ὑπηρέτας vocat, quod eſt Hebraicè שוטרים. Septem ergo municipes loci erant Iudices, præterea Adſeſſores XIV qui ex Levitis maximè ſumebantur. His ſupernumerarii acceſſiſſe videntur unus & alter.

22. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, *Ego autem dico vobis*] Sapientiſſimè Chriſtus delicta omnia refert ad ejuſdem generis præcepta. Nam quia ex ira atque convitiis naſci ſolent homicidia, ut modò ex Ariſtotele recitabamus, ὁ θυμὸς πάθος φόνων αἴτιον [*ira affectus eſt qui cædibus cauſam dat*], ideo iram ejuſque propagines ad præceptum de homicidio refert.

Ὁ ὀργιζόμενος, *qui iraſcitur*] In hac tractatione diligenter diſtinguenda ſunt τὸ πάθος, ἡ ὁρμὴ, ἡ συγκατάθεσις [*innata qualitas, impetus, conſenſus*]. Πάθος eſt facultas illa qua iraſcimur, τὸ θυμοειδὲς, quod à natura nobis inſitum evelli nequit, & in rebus eſt mediis quibus rectè aut ſecus uti liceat. Quia autem pars iſta animi in qua ſunt τὰ πάθη [*qualitates innatæ*] per ſe eſt ἄλογος [*rationis expers*], inde fit ut non exſpectato rationis judicio ὁρμαὶ [*impetus*] ſe exſerant: quæ niſi diligenter refrænentur, ſolet ſequi συγκατάθεσις [*conſenſio*], cùm ſcilicet pars illa quæ data eſt moderandis affectibus, habenis remiſſis trahi ſe patitur. Eſt igitur, ut Gellius dicit, συγκατάθεσις voluntaria, fitque hominis arbitratu: Sed & primi illi motus, quos Philoſophi comparant oculorum nictibus, ne aut durent diu aut invaleſcant, diligenti attentione atque exercitatione, ante omnia verò Dei Spiritu, obtineri ſolet. Oportet igitur, ut Plutarchus loquitur, τὰς ἑκάστοτε προσπιπτούσας ὀργὰς διορθοῦσθαι καὶ διανεύειν [*iras ſubinde incidentes corrigere & detorquere*]. Deinde addit, ἀλλ' ἐπιμελείας εἰς αὐτὰ δεῖ καὶ μελέτης [*ſed has ad res curâ & exercitatione opus*]. Alii ὁρμὰς [*impetus*] vocant προπαθείας· eaſdem autem adultas vocant πάθη. Hieronymus epiſtolâ ad Demetriadem, *Difficile quin potius impoſſibile perturbationis initiis carere quempiam, quas ſignificantiùs Græci* προπαθείας vocant. Idem ad Euſtochium De cuſtodia virginitatis, *Ille laudatur, ille prædicatur qui ut cœperit cogitare ſordida, ſtatim interficit cogitatus, & allidit ad petram. Petra autem Chriſtus eſt.* Ipſa quoque πάθη gradibus quibuſdam diſtingui ſolent. Egregius eſt ad hoc argumentum pertinens locus Senecæ libro de Ira II, cap. 4. *Et ut ſcias quemadmodum incipiant affectus, aut creſcant, aut efferantur; eſt primus motus non voluntarius, quaſi præparatio affectûs, & quædam comminatio; alter cum voluntate non contumaci, tanquam oporteat me vindicari, cùm læſus ſim: aut oporteat hunc pœnas dare, cùm ſcelus fecerit. tertius motus eſt jam impotens, qui non, ſi oportet, ulciſci vult; ſed utique, qui rationem evicit. Primùm illum animi ictum effugere ratione non poſſumus; ſicut ne illa quidem quæ diximus accidere corporibus, ne nos oſcitatio aliena ſollicitet, ne oculi ad intentionem ſubitam digitorum comprimantur. Iſta non poteſt ratio vincere; conſuetudo fortaſſe & aſſidua obſervatio extenuet. Alter ille motus, qui judicio naſcitur, judicio tollitur.*

τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ, *fratri ſuo*] Id eſt, alteri cuivis. Hebraiſmus. Nam Hebræi ita loqui ſolent: Gen. XXVI, 31. Ioel. II, 8. etiam de rebus inanimis, ut Exodi XXVI, 3. Ezech. I, 9 & 23. III, 13. Hîc igitur *frater* eſt homo quivis. Sic infrà, *Niſi remiſeritis hominibus.*

εἰκῆ, inconſultò] Meritò hoc additum. Neque enim iracundus eſt quiſquis iraſci ſolet, ſed qui οἷς οὐ δεῖ, καὶ ἐφ᾽ οἷς οὐ δεῖ, καὶ μᾶλλον ἢ δεῖ [*quibus non oportet, & ob quæ non oportet, & pluſquam oportet*], ut Ariſtoteles loquitur. Eſt igitur εἰκῆ aut *ſine cauſa*, aut etiam *ſine modo*. Illa ira optimam cauſam habet quæ concipitur ex dolore læſi Numinis, qualis illa fuit Chriſti Marci III, 5. Sed & in humanis rebus honeſta eſſe poteſt ira, præſertim cùm non tam noſtra quàm aut virtutis ipſius, aut etiam hominum aliorum res agitur: cúmque dicere licet illud Soſiphanis,

Νῦν σοι περὶ τὴν ὄψιν θυμὸς ἡβάτω γέρον·
Νῦν δεῖ γὰρ ὀργὴν, ἡνίκ᾽ ἔνδικον, λαβεῖν.
[*At nunc tibi ira purpuret vultum, ſenex:*
Quum jus & æquum poſcit iraſci decet.]

Sed tunc quoque oportet nos παραδεξαμένους τὸν θυμὸν ὡς σύμμαχον ἀρετῆς, ἀπολαύειν ὅσον χρήσιμόν ἐστι· τὸ δὲ πολὺ αὐτοῦ καὶ τὸ ἐπιπόλαιον ἐκκρίνειν καὶ ἐκβάλλειν τῆς ψυχῆς [*acceptâ irâ velut propugnatrice virtutis uti, quatenus expedit; at nimium ejus & ſupervacuum excernere & ex animo ejicere*, ut Plutarchi utar verbis. In modo autem comprehenditur, tum ne plus æquo iraſcamur, tum ne æquo diutiùs. Adverſùs priorem partem hujus cautionis delinquunt οἱ ὑπὸ μικρῶν ἁμαρτημάτων ἀνυπερβλήτως ὀργιζόμενοι [*qui ob modica delicta ſupra modum iraſcuntur*], qui, ut ajebat Philoſophus Apollonius, non permittunt delinquentibus ſcire quando plùs minúſve deliquerint. In alteram partem peccant illi, qui plumbeas, &, quod dici ſolet, immortales iras gerunt, quos Arianus comparat τοῖς λεπτῶς πυρέττουσι [*tenuiter febrientibus*]. Hæc eſt nimirum radix illa πικρίας [*amaritiæ*] in corde germinans, quam caveri præcipit Scriptor ad Hebræos XII, 15. quo & illud Pauli monitum pertinet, cùm nos ita vult iraſci ut ne peccemus, id eſt, ne æqui modum excedamus, quòd ipſe ita explicat, ne ad Solis occaſum producamus iram, Epheſ. IV, 26. Et hæc dicta ſunto quo rectiùs intelligatur vis vocis εἰκῆ, quam quidem Syrus interpres tam propriam atque ſignificantem hoc loco exiſtimavit, ut retinere eam maluerit quàm vertere. Quominus accedendum Hieronymo hanc vocem eradenti ex quorundam exemplarium fide, præſertim cùm & Græcos interpretes eam legiſſe appareat, & Iuſtinus ipſe ita proferat hanc ſententiam Epiſtolâ ad Zenam & Serenum; deinde & Irenæus duobus locis libro II, capite LVI. & libro IV, cap. 31. Multò credibilius eſt, inductam ab iis qui metuebant ne hîc omnis ira ex juſta aliqua cauſa procedens probari videretur, cùm vox εἰκῆ, ut diximus, latiùs pateat.

ἔνοχος ἔσται τῇ κρίσει· reus erit judicio] Legiſperiti, inquit, Chriſtus, ea tantùm pro delictis habent quæ ſolent legitimis pœnis coerceri: ideoque ab homicidio abſterrent homines, quia homicidas gladio feriri lex imperat. At ego etiam iracundiam volo caveatis, certò perſuaſi ei quoque propoſitam eſſe pœnam in ſeculo altero, non minùs gravem quàm ea eſt quam hîc homicidæ ſuſtinent. Quòd ſi quis iracundiæ maledicentiam adjunxerit, is pœnam iſtâ graviorem feret, qualis eſt pœna lapidationis; aut etiam, ſi atrocior fuerit maledicentia, exquiſitiores cruciatus ſentiet, quales eſſe illorum ſolent qui in valle Hinnomi lentis ignibus uſtulantur. Hæc mihi ſimpliciſſima videtur hujus loci παράφρασις [*uberior explicatio*], cujus rationes membratim reddemus. Κρίσις [*Iudicium*], ut commate præcedenti didicimus, eſt Conſeſſus XXIII virûm, quanquam & Magnus, Senatus, de quo pòſt acturi ſumus, vocatus eſt דין, unde is qui alter erat à principe Senatûs vocari ſolebat אב בית דין ὁ πατὴρ τοῦ οἴκου τῆς κρίσεως [*Pater domûs judicii*], ſicut & viciſſim Conſeſſus XXIII Iudicum appellabatur συνέδριον [*Synedrium* ſive *Senatus*]· ſed diſtinctionis causâ videtur uſu receptum ut Conſeſſus ille ſingularum civitatum κρίσις [*Iudicium*], ſummus autem ille συνέδριον [*Senatus*] vocaretur. Κρίσεως [*Iudicii*] autem pœna uſitatiſſima erat gladius, quia de homicidis inibi cognoſcebatur, ut & Moſes nos docet, & Chriſtus commate antecedente. Volens autem indicare Chriſtus pœnarum gradus futuros in altero ſeculo, pro delictorum gradibus, ei rei explicandæ ſimilitudinem adhibuit diverſarum mortium quæ populo notæ, cruciatûs magnitudine differebant.

ὃς δ᾽ ἂν εἴπῃ, qui autem dixerit] Repetendum ἀπὸ κοινοῦ [*ut communiter dictum*] quod præceſſit εἰκῆ ὀργιζόμενος [*inconſultò iraſcens*]. Agit enim de eo qui temerariæ iracundiæ indulgere ſolitus etiam ad maledicta prorumpat. Nam ut Ariſton dixit, τὴν κακολογίαν ἡ ὀργὴ φαίνεται ἀπογεννῶσα, ὥστε ἡ μήτηρ οὐκ ἀστεία [*videtur ira maledicentiam ex ſe gignere, ut inelegans mater*]. Vox *Rica*, quod mutata vocali Syrorum ſermo *raca* pronuntiat, ut apparet, minus aliquid eſt quàm μωρὲ [*fatue*]. Significationem autem habet *vani*, quod & Latinis in convitio, ut, *vane Ligur; ſenior vaniſſime.* Non eſt autem in ipſa voce crimen poſitum. Quippe & ἄνθρωπε κενὲ [*homo inanis*] dixit Iacobus II, 20. quod eſt propriè *Rica* (nam & Græci quidam interpretes quod eſt Iudicum XI, 3. אנשים ריקים verterunt ἄνδρες κενοὶ [*vani homines*], & Heſychius ῥακὰ κενός [Raca, *vanus*]) & illud quod diximus μωροὶ [*ſtulti* ſive *fatui*] ad Phariſæos Chriſtus extulit infrà XXIII, 17, 19. & ἀνοήτους [*ſtultos* ſive *vecordes*] diſcipulos ſuos vocat Chriſtus Lucæ XXIV, 25. & Galatas Paulus Galat. III, 1, 3. ut jam omittam quæ duriora ſunt, ut, *progenies viperarum*, *ſimulatores*, atque alia ejuſmodi. Sed nimirum dicta ſunt hæc ab iis quibus alios caſtigandi officium incumbebat, quique nihil in eo privatim ſpectabant, ex cauſis graviſſimis, atque eo propoſito ut aliorum animi talibus ſtimulis ex veterno excitarentur. At Phariſæi non tantùm modum non ſervabant, ſed innocentiſſimum quemque convitiis impetebant animo malevolo, quod Chriſtus & ipſius ſectatores ſæpiſſime ſunt experti. Nimirum hic quoque morbus ab aliquoties jam indicato errorum fonte proceſſerat. Lex enim Moſis id genus injurias non exſequebatur, niſi quis aut parentibus aut Principi maledixiſſet.

ἔνοχος ἔσται τῷ συνεδρίῳ· reus erit Concilio] Quia hîc primùm hæc vox occurrit, quanquam ab aliis multa ſatis dicta ſunt, addam tamen quæ hiſtoriæ lucis aliquid afferant. Sicut in memoriam duodecim liberûm marium primi gradûs quos genuerat Iacobus, factæ ſunt tribus duodecim & Phylarchæ totidem: ita in memoriam eorum capitum quæ Iacobus in Ægyptum adduxerat, Iſraelitæ, ut qui à cæteris ſeorſim habitarent, viros ſeptuaginta (aut potiùs ſeptuaginta duos, qua de re dicemus ad Lucam) ſibi præfecerunt, qui res eorum curarent ac moderarentur quantum Regia imperia permittebant. Hi ab ætate ex qua legebantur *Senes* ſunt vocati, unde & apud Græcos *γερουσίας*, & apud Romanos *Senatûs* vocabulum. Sed & apud Homerum eſt,

Βουλὴν δὲ πρῶτον μεγαθύμων ἷζε γερόντων.

[*Coge prior conventum magnanimûm ſeniorum.*] Apud hos Senes ante alios jubetur Moſes exponere mandata quæ à Deo acceperat, Exodi III, 16. quod & fecit, Exodi IV, 29. Ex horum numero & illi videntur fuiſſe à quibus Ægyptii *ἐργοδιῶκται* [*operum exactores*] quotidiani laboris rationem exigebant, V, 14. Poſtea cùm ſoceri conſilio Moſes Iudices conſtituiſſet qui lites minores dijudicarent, cauſarum majorum cognitio penes Moſem ſolum manſit, ad quem & de minoribus cauſis difficiliores controverſiæ referebantur, Exodi XVIII, 22. Ergo ad id tempus Septuaginta illi nullam habebant judicandi poteſtatem: cujus rei indicium eſt quòd Moſes juſſus cum Aarone, Naddabo, Abihu & illis Septuaginta (nam numerus iſte diſertè exprimitur) ad montem accedere, cùm deinde ſolus à Deo in montis verticem ſevocaretur, juſſit inferiùs ſubſiſtere Septuaginta Senes. *Sunt*, inquit, *vobiſcum Aaron & Hur, ſi quis aliquid habet controverſiæ, illos accedat*, Exodi XXIV, 14. ubi apertè Moſes pro abſentiæ ſuæ tempore ſuas judicandi partes, non illis Septuaginta, ſed Aaroni & Huri delegat. Aliquantò demum pòſt tempore cùm quereretur Moſes iſti quoque ſupremorum judiciorum ac relationum oneri ſe non ſufficere, ita ad eum locutus eſt Deus, Numer. XI, 16. *Sume tibi è ſenibus Iſraelitis ſeptuaginta, quos ſcis populi Senatores & moderatores.* Habebant ergo jam tum curam rerum populi: deinde eos Deus ſpiritu novo, judiciali ſcilicet, inſtruens, jubet partem oneris ferre, quod ſolus Moſes hactenus ſuſtinuerat: id autem eſt, ut diximus, ſupremorum judiciorum & relationum. Eorum autem verborum quæ Deuteronomii leguntur XVII, 8. hæc videtur eſſe ſententia. Cùm Sacerdotes opimo fruentes otio omnibus ſapientiæ partibus præter cæteros operam darent, æquum erat ex horum numero aliquammultos allegi in ordinem illum, cui jam ſuprema etiam judicia credita fuiſſe diximus: quanquam neminem fuiſſe qui originis dignitate eum locum ſibi poſſet vindicare, ſcripſit Maimonides, atque adeò ne Pontificem quidem maximum eò adlectum, niſi de ſapientia ipſius probè conſtaret: quàm in rem inſtituta erat *δοκιμασία* [*exploratio*], quæ manuum impoſitione obſignabatur. Sed, ut dixi, florentibus Hebræorum rebus fieri aliter non poterat, quin in Sacerdotum claſſe plurimi reperirentur digni eo loco. His addebantur alii, qui in aliis Tribubus doctrinâ & ſanctimoniâ eminebant. Ita enim vox ראשי [*principes*] accipienda videtur II Paralipom. XIX, 8. Quamobrem Moſes Deuteronomii XIX, 17. de falſi teſtimonii cognitione agens & Senatum hunc deſcribens, *Sacerdotes* & *Iudices* nominat. Alibi autem, ubi agitur de exploranda diligentia Iudicum inferiorum in conquirendo homicida, ſoli Sacerdotes, tanquam ejus Senatus pars præcipua, nominantur; additurque ex eorum præſcripto omnes controverſias & vulnerum quæſtiones definiendas. Quoties autem Deus cœleſti indicio aliquem populo præfecerat, qualis fuit Ioſua, Gedeon, Iephthes, Samſon, Samuel, eis etiam citra Senatum judicandi jus erat, ut apparet Iudic. VIII. Vocabantur autem tales Reipublicæ liberæ ſummi Magiſtratus ac velut Interreges שופטים, quòd nomen etiam vicinæ gentes uſurparunt. Nam & apud Tyrios Interreges ita vocabantur: ex quorum Archivis hæc adfert Ioſephus, Μετὰ τοῦτον δικασταὶ κατεστάθησαν καὶ ἐδίκασαν· Ἐκνίβαλος Βασλάχου μῆνας δύο, Χέλσης Ἀβδαίου μῆνας δέκα, Ἄββαρος ἀρχιερεὺς μῆνας τρεῖς, Μύτγονος καὶ Γεράστρατος τοῦ Ἀβδηλίμου δικασταὶ ἔτη ἕξ [*Poſt hunc Iudices conſtituti ſunt & judicarunt: Ecnibalus Baſlachi menſes duos, Chelſes Abdæi menſes decem, Abbarus Pontifex menſes tres, Mytgonus & Geraſtratus Abdelimi filius annos ſex*]· ubi *δικαστὰς* [*Iudices*] haud dubiè Ioſephus vertit quos Tyrii vocabant שופטים. Nam & Tyriorum coloni Carthaginienſes idem nomen retinuerunt, quòd Romani Scriptores *Suffetem* pronuntiant, literâ Schin emollitâ, quomodo Ephraimitæ in eam partem vergentes pronunciabant. Ioſephus talem à Deo excitatum Præſidem etiam *Prophetam* vocat, quia Prophetiæ dono, ut Ioſua & Samuel, aut alio non diſſimili ipſos animante & ſucceſſus dante, præfulgere ſolebant, quod & Maimonides notat Ducis dubitantium lib. II, cap. 45. Iiſdem quanquam minùs propriè ob poteſtatem *ἀνυπεύθυνον* [*nemini ſubditam*] & *Regum* datur nomen Iudicum IX, 6. & XVIII, 1. Quibus verò temporibus neminem talem Deus exciverat, recurrendum omnino erat ad Senatum, in quo ferme eminebat Pontifex Maximus. Nam & Moſes, ut modò diximus, cùm abeſſe à populo cogeretur Aaroni partes ſuas mandabat. Hoc jure Heli Sacerdos Summus principatum in Republica obtinuit, idemque obſervatum fuit Aſmonæorum temporibus. Vult igitur Deus à Iudicibus civitatum, ſi quid incidiſſet obſcurius, quòd aut juris ſubtilioris, aut etiam Medicinæ peritiam deſideraret, adiri Pontificem Maximum, ut eruditione præſtantem; ſive eum qui à Deo excitus Suffetis dignitatem obtineret. Ad utraque enim tempora Deus ſermonem accommodat. Horum reſponſo parêre omnes tum minores Iudices, tum privati jubebantur, propoſitâ etiam mortis pœnâ in contumaces. Indicat autem Deus ſedem ejus Senatûs fore in loco publicorum conventuum, qui primùm habiti ſunt Silunte, poſtea Hieroſolymis. Quod ergò dicitur commate 9, *Adibis Sacerdotes Leviticos & Suffetem*, explicandum eſt ex eo quod ſequitur commate 12, *Sacerdoti, vel Suffeti.* Nam in Hebraiſmo non minùs quàm in linguis omnibus receptum eſt ut conjunctiva vim habeat disjungendi. Neque verò alia fuerunt judicia Sacerdotis, alia Senatûs; id enim omnes Hebræorum Magiſtri conſtanter negant. Ioſephus, qui patriæ ſuæ morem ignorare non potuit, clarè oſtendit eundem fuiſſe conſeſſum: ita enim loquitur ſecundo adverſùs Appionem, Καὶ γὰρ ἐπόπται πάντων καὶ δικασταὶ τῶν ἀμφισβητουμένων οἱ ἱερεῖς ἐτάχθησαν [*Inſpectores rerum omnium & controverſiarum Iudices conſtituti ſunt Sacerdotes*].

Idem nos docet Philo, Συνήδρευον μὲν οἱ ἱερεῖς [*aſsidebant Sacerdotes*], libro De vita Moſis. Et in libro de Principe conſtituendo, Οταν οὖν ἀμαυρὰν ποιῆται τὴν ἀντίληψιν τῶν πραγμάτων ἀσάφεια καὶ πολὺ σκότος ἀπεργαζομένων, παραιτείσθω τὰς κρίσεις, καὶ ἀναπεμπέτω πρὸς ἀκριβεστέρους δικαστάς· οὗτοι δὲ τίνες ἂν εἶεν ἢ ἱερεῖς καὶ ὁ τῶν ἱερέων ἔξαρχος ἡγεμών; [*ubi igitur difficilem faciet inſpectionem rerum obſcuritas & factorum multa caligo, excuſent notionem & mittant ad exactiores Iudices: hi autem qui potiùs quàm Sacerdotes & Sacerdotum Ductor eximius?*] Qui omnes quanquam in tam nota hiſtoria teſtes haberi debent locupletes, tamen idem veritatis diſcendæ cupidis ex Sacro codice demonſtrare non eſt difficile. Nam primùm hoc ipſo loco non diſtinguuntur cauſarum genera, neque verò cauſæ ullæ nominantur, quæ propriè videri poſſint ſacerdotales, ſed ſi quid controverſi incidiſſet, de homicidio, de lite, de vulnere, jubentur adiri Sacerdotes, aut is quem Suffetem diximus nominari. Rurſum ſine ullo cauſarum diſcrimine, quod hi pronuntiaverint, id omnes jubentur exſequi. Pœna in nec parentes eadem. Deinde verò conſtat, tam inter Hebræos quàm inter recentiores Interpretes, à Ioſaphato Rege reſtituta fuiſſe judicia ad vetus inſtar. Eſdras autem, aut quiſquis eſt Paralipomenôn Scriptor, primùm narrat ab optimo Rege conſtitutos Iudices civitatium, ſuique officii admonitos. Tum pergens, *At Hieroſolymis*, inquit (nempe in urbe publicorum conventuum, ut lex jubebat), *conſtituit Ioſaphat è Levitis & Sacerdotibus* (quia inter eos, ut diximus, maximam hominum peritorum copiam erat reperire) *& ex præcipuis Iſraeliticarum gentium ad judicia Dei & ad lites, qui redierunt Hieroſolyma. Iudicia Dei* ex notiſſimo Hebraiſmo judicia ſignificat quæ non humano arbitratu ſed ex Legis juſſu peragenda ſunt. Sequitur in hiſtoria, *Præcepit autem eis Rex in hunc modum, Hoc agite, religioſè, fideliter, atque ſincero animo: Quæcunque lis ad vos relata fuerit à popularibus veſtris qui in civitatibus morantur, de diſcrimine homicidiorum, de Lege, de præcepto, de inſtitutis, de judiciorum ordine, admonete eos ne rei Deo teneantur, Deique vehemens ira vobis popularibusque veſtris incumbat. Hoc, inquam, agite, ne ſontes ſitis.* Ecce quàm apertè omnes illos quos Hieroſolymis conſtituerat de omni cauſarum genere vult cognoſcere. Neque his obſtat quod ſequitur, *Enimvero Amarias Sacerdos, princeps veſter in omni negotio Dei, & Sabadias filius Iſmaelis dux domûs Iuda in omni negotio Regio, & magiſtri Levitæ vobis adſunt. Eſtote bono animo, & hoc agite. Deus bono aderit.* Nam primùm hinc quoque apparet in eodem Senatu fuiſſe agitatas res Dei, id eſt, Legis & res Regias: ei autem Senatui interfuiſſe & Amariam, ſive is Pontifex Maximus, ſive alius Sacerdos fuerit, & Sabadiam. Neque poſſe per *Dei negotia* res ſolis Sacerdotibus mandatas intelligi, palàm eſt ex altero ejus hiſtoriæ loco, ubi Hebronitæ quidam narrantur à Davide præfecti partibus Rubenis, Gadis & Manaſſis, impoſitique omni negotio tum Dei tum Regis. Solebant ergo utriuſque generis negotia, tum judiciorum tum deliberationum politicarum, à Senatu tractari. Sed nimirum hæc eſt dicto loco παράφρασις [*ulterior explicatio*]. Nolite animum deſpondere quaſi pares non ſitis tanto oneri, inopiâ eruditionis quæ ad res tantas deſideretur. Habetis viros egregios qui vobis conſilio prælucere poſſint; qualis eſt princeps veſtri Senatus Amarias Sacerdos, vir in judiciis verſatiſſimus: quòd ſi quid inciderit ad Civilem magis prudentiam quàm ad juris cognitionem pertinens, adeſt vobis Sabadias Iſmaelites, qui in eo deliberandi genere primas obtinet: deinde habetis aſſeſſores Levitas multarum artium peritiâ excellentes. Tantùm bene animati eſte & æquo bonoque operam date. Deus cætera ſecundabit. Videtur omnino Sabadias fuiſſe princeps Senatûs. Nam vocem נגיד Hebræi per נשיא exponunt. Ita autem conſtat appellatum Senatûs principem. Ex his quæ diximus apparet etiam Regno conſtituto magnam fuiſſe Senatûs auctoritatem & Regiæ velut parem: quippe, ut Hebræi Magiſtri rectè notant, Rex ipſe de quibuſdam cauſis non judicabat, & ſua judicia non niſi gladio exſequebatur. Atque huc pertinere videtur quod dicit Sedecias, Senatoribus Ieremiam Prophetam ad mortem depoſcentibus, *Rex contra vos nihil poteſt.* Quin ne veniſſe quidem Regem in Senatum, ne ſuâ ſententiâ aliis cenſendi adimeret libertatem, Hebræi notant; excepto Davide. Quod diximus cum Ioſepho, Philone, cumque ipſis Sacris literis, in ſummo hoc Senatu fuiſſe Sacerdotes, non refellitur Hiſtoria Ieremiæ quæ eſt libri ejus cap. XXVI. ubi Sacerdotes videntur accuſare Ieremiam, & Senatores abſolvere. Nam ut taceam poſſe videri magis eſſe diſputationem collegarum inter ſe, qualis deſcribitur Iohan. VII, 50. & Actorum V, 35, quàm legitimam accuſationem judicantibus aliis, certum eſt multos fuiſſe Sacerdotes extra Senatum, & ſi qui eorum accuſatoris perſonam ſuſceperint, ſibimet judicandi ademiſſe poteſtatem. Erant quidem munia Sacerdotalia, docere populum univerſum & ſingulos conſulentes tum de rebus aliis, tum præſertim de iis omnibus quæ ad ſacra ceremoniaſque pertinerent, Levit. X, 10, 11. Ezech. XLIV, 23. Agg. II, 12, 13. Præterea ſicut aliæ Tribûs ſuos habebant moderatores qui Tribûs communia curarent: ita & in Levitica Tribu Sacerdotum potiſſimi Tribûs ſuæ rebus erant præpoſiti, per quos curabatur perceptio & erogatio decimarum aliarumque obventionum, quæ Sacerdotum ac Levitarum alimentis, Templique uſibus erant deſtinata, ut videre eſt II Regum XXII. & II Paralipomenôn XXXIV. & apud Ioſephum pluribus locis. Sed hæc omnia nihil ad Iudiciariam poteſtatem pertinebant, quæ non erat penes collegium aliquod merè Sacerdotale aut Leviticum, ſed penes Senatum quem dixi, cujus bona pars ex Sacerdotibus conſtabat, ut aliquot petitis ex Moſe teſtimoniis ſuprà probatum eſt. Ideo de Sacerdotibus ut in eo Senatu præcipuis per Ezechielem dicitur, *In cauſis cognoſcendis jus ſervanto, ſecundùm jura legeſque & ſtatuta mea judicanto*, XLIV, 24. Idem verò Ezechiel aliquantò antè, deſcribens corruptos mores populi, ſpeciatim meminerat Senatus magni, *Septuaginta Senes* nominans, & eorum principem *Iaazaniam* VIII, 11. In exſilio Babylonico hos Septuaginta auctoritatem ſuam apud Iudæos retinuiſſe non eſt dubitandum. Imò & judicia capitalia ab hoc Senatu exercita conceſſu Regum Perſarum tradunt

Hebræi. Domum autem reverſis Iudiciaria poteſtas conceſſa eſt à Rege Artaxerxe, Eſdræ VII, 25, 26. Poſtea armis adverſùs Antiochum reddita libertate, ſumma rerum penes hunc Senatum fuit, unde & ſceptrum Regium in curia aſſervabatur. Erat autem curia in ipſo Templo parte Auſtrina, vocabatúrque לשכת הגזית *conclave exciſi lapidis.* Manſit is ordo continua ſurrogatione, per manuum, ut diximus, impoſitionem, ad Herodem uſque Magnum, cujus potentiam atque audaciam magis magiſque contra leges inſurgentem, cùm non in tempore ſeveris, ut oportuit, judiciis repreſſiſſent Senatores, Deo ita res diſponente, graves neglecti muneris pœnas dedêre, interfecti ab Herode omnes, extra unum Sameam, quem talia monentem ſæpe contemſerant. In peremtorum locum Herodes alios ſurrogavit, ſuam haud dubiè factionem, ex iis qui beneficio ipſius ad Sacerdotia aut honores alios pervenerant. Sed & antè non parum imminuta erat Senatûs Hieroſolymitani auctoritas, cùm poſt Pompeji victoriam Gabinius Syriæ Præſes alios quatuor conſeſſus erexiſſet Gadaris, Amathunte, Hierichunte, Sephoris, ſed non pari jure cum Hieroſolymitano. Nam Herodes nondum Rex de rebus in Galilæa geſtis cauſam dixit apud Senatum Hieroſolymitanum. Fuerunt ergo conſeſſus illi curandæ magis Reipublicæ quàm judiciorum causâ inſtituti, aut ſi & judiciorum causâ, ſub Senatu tamen Hieroſolymitano. Quin & extra Palæſtinam Iudæi ad exemplum hujus Synedrii Senatus ſuos habebant. Ita γερουσίας [*Senatûs*] Iudæorum Alexandriæ habitantium mentio eſt apud Philonem. Ipſe Ioſephus ſimili Senatorum numero γερουσίαν in Galilæa conſtituit, cum bello inibi præfectus eſſet. At Senatus Hieroſolymitani arctior facta eſt poteſtas Auguſti temporibus, cùm pars Iudææ potior in provinciam eſſet redacta, conſtituto, ut ferme in omnibus provinciis Romani Imperii, ne Senatus quenquam mortis ſupplicio afficeret niſi Romani Præſidis conſenſu: ſervatâ ei reliquâ Iudiciariâ poteſtate. Et hoc eſt quod ajunt Thalmudici titulis de Synedrio & de Sabbato, *judicia animarum*, id eſt capitalia, *ablata fuiſſe ab eo Senatu* XL *annis ante excidium Vrbis.* Nam exciſis demum à Tito Hieroſolymis ſimul & is Senatus planè interiit. Nomen uſitatiſſimum hujus Senatus fuit συνέδριον, non quòd alii quoque Iudicum cœtus non ita appellarentur, ſed quòd ob excellentiam propriè maximus ille Conſeſſus eo nomine honeſtaretur, qui & Athenis atque in aliis Græcis civitatibus uſus erat ejuſdem nominis. Poſtquam Macedones illis in partibus præpollurerant, ut multæ aliæ voces Græcæ, ita hæc quoque in Hebræorum ſermonem migravit. Itaque Thalmudiſtis vocatur hic Senatus modò סנהדרין ſimpliciter, modò cum additamento סנהדרין גדולה [*Magnus Senatus*] τὸ συνέδριον τὸ μέγα. Vox hæc συνεδρίου pro *Senatu*, aut etiam pro *Senatûs curia* poſita conſpicitur multis in locis in Euangelica hiſtoria & Actis Apoſtolicis. Vocatur & γερουσία in edicto Antiochi & alibi apud Ioſephum; Iudith. XI, II. I Maccab. XII, 6. II Macabæorum & III Maccabæorum non longè ab initio, itemque Act. V, 21. quo nomine etiam Spartiatæ utebantur. Item πρεσβυτέριον τοῦ λαοῦ [*Senatus populi*], Lucæ XXII, 66. ut diſtinguatur à conſeſſibus civitatium, qui itidem πρεσβυτέρια vocabantur. Senatores ipſi modò communiter vocantur πρεσβύτεροι [*Senes*], aut etiam ἄρχοντες τοῦ λαοῦ [*principes populi*], Ioſepho etiam γηραιοὶ τοῦ δήμου [*Seniores populi*], modò diſtinctè ita appellantur hi qui Senatores erant extra Sacerdotes. Adſidebant his conſilii causâ Legisperiti, ut antè diximus, οἱ γραμματεῖς τῆς βουλῆς [*Scribæ Curiæ*] ut Ioſephus loquitur, qui Ariſtæum quendam eo honoris nomine indigetat: unde paſſim videmus eum Senatum hiſce partibus deſcribi, præcipuis Sacerdotibus, Senibus aliis, & Legisperitis. His explicatis ad Chriſti verba veniamus. Si quis rectè advertat ad ea crimina quæ ſoli ſummo Synedrio reſervabantur, inveniet graviſſimis eorum pœnam lapidationis aut uſu aut Lege eſſe conſtitutam; quæ ad ipſos etiam falſos Prophetas & perduellionis reos pertinebat, Deuteronomii XVII, 5. I Regum XXI, 10. Quare hanc pœnam ut gladio graviorem in ſecundo gradu poſitam arbitror.

εἰς τὴν γέενναν τοῦ πυρός· *gehennæ ignis*] Hîc jam tertius ſequitur gradus. Vt autem priores duo gradus enuntiati ſunt per comparationem adſpectabilium cruciatuum, ita & hic tertius. Cùm autem ſupra lapidationem nulla pœna in uſu Iudaico eſſet (nam ignis pœna non erat lenti vivicomburii, ſed immiſſo in viſcera candente ellychnio) quæſivit Chriſtus aliunde nomen horrendi cruciatûs, qui & gladium & lapidationem excederet. Nota autem res erat Iudæis omnibus, quomodo extra urbem Hieroſolyma majores ipſorum, turpiter imitati crudelem Phœnicum ſuperſtitionem, inſtituiſſent miſeros infantes ignibus ad mortem uſque cruciare, circumſtrepentibus interim tibiis tympaniſque, ne dolore expreſſus clamor exaudiretur. Locus tam ſævo ſacro dicatus *Tophet* dicebatur: ipſius loci locus amplior, *Vallis filiorum Hinnomi* גי חנום, quod poſteriorum temporum pronuntiatio extulit γέεννα. Quod autem ex Hebræis Magiſtris affertur in eundem locum delata fuiſſe cadavera, cum Ieremiæ vaticinio congruit VII, 32. cœptumque id fieri temporibus Ioſiæ, II Reg. XXIII, 10. Nam is legitur eum locum polluiſſe, illatis nimirum cadaveribus. Mos enim erat Iudæis loca vetitis ceremoniis uſurpata eo modo impura atque abominanda efficere, ut videre eſt dicto capite XXIII, commate 16. Sic Samaritas narrat Ioſephus odio Iudaici templi διαῤῥιψιν ἀνθρωπείων ὀστῶν ἐν ταῖς στοαῖς ποιῆσαι [*oſſa humana disjeciſſe per porticus*], Originum XVIII, 3. Sed hoc ad verborum Chriſti explicationem non pertinet. Apparet enim à Chriſto cruciatum & quidem graviſſimum indicari. Sicut autem hîc graviora futuri ſeculi ſupplicia Gehennæ ignibus comparantur, ita alibi, comparatione in conſuetudinem migrante, hoc ipſo nomine pœnæ ævi alterius ſignificantur. Et hoc ſenſu vox hæc invenitur in paraphraſi Hieroſolymitana Geneſeos III.

23. προσφέρῃς, *offers*] Id eſt offerre cupias, oblatum eas, ut ſequens comma oſtendit. Nam propriè fit oblatio cùm res altari imponitur.

δῶρόν σου, *munus tuum*] Syrus קורבנך. Significatur autem eo nomine alibi quidem pecunia quæ in gazophylacium mittebatur, hîc verò ſacrificium voluntarium, cujus ritus præſcribitur Levit. I, 2. ubi eandem vocem Hebræam reperire eſt. Idem pleniùs vocatur δῶρον τὸ ἐπάνω τοῦ θυσιαστηρίου [*donum quod eſt ſuper altare*] infrà XXIII, 18. Eſt & ubi id quod ex imperio legis offerebatur venit δώρου [*muneris*] nomine, ut infrà VIII, 4. Duo autem ſunt quæ per hunc χαρακτηρισμὸν [*hanc vivam deſcriptionem*] Chriſtus nos docet: Primùm, quanquam vera in Deum religio cæteris officiis præſtat, id tamen non protendendum ad rituum obſervationem. Caritatis enim benevolæ officia rituali curæ antevertenda: quod latiùs infrà proſequitur IX, 13. XII, 7. Deinde ne placere quidem Deo ſacra quantúmvis ſumtuoſa aut operoſa quæ animo celebrantur irâ aut odio æſtuante, quod clarè nobis ob oculos ponit Caini hiſtoria: nimirum quia, ut Seneca etiam vidit, *non in victimis, licèt opimæ ſint auróque præfulgeant, Dei ſit honos, ſed in pia ac recta voluntate venerantium.* Plato Alcibiade ſecundo, Δεινὸν εἴη εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ [*Durum ſit ſi ad dona & ſacrificia noſtra reſpiciant dii, & non ad animum, nempe ſi quis ſit pius ac juſtus*]. Philo De victimis, Βούλεται αὐτοὺς ἀναδιδάξαι διὰ συμβόλων, ὁπότε προσέρχοιντο εἰς βωμοὺς, ἢ εὐξάμενοι ἢ εὐχαριστήσοντες, μηδὲν ἀῤῥώστημα ἢ πάθος ἐπιφέρεσθαι τῇ ψυχῇ [*Vult eos docere per ſigna, ubi ad aras accederent, precum aut gratiarum causâ, ne quid labis aut morbi in animo ſecum ferrent*]. At contrà Legisperiti & Phariſæi ſacrificia & dona Templo oblata valere putabant ad expiationem omnium culparum quas Iudices non puniunt, etiam citra animi emendationem.

ὁ ἀδελφός σου, *& frater tuus*] Id eſt *alter*, ut modò dictum eſt.

ἔχει τι κατὰ σοῦ. *habet aliquid adverſùm te*] Id eſt, habet quod de te queri poſſet. Ita enim locutio eadem ſumitur Apoc. II, 4, 12, 20. pro quo Paulus dicit μομφὴν πρός τινα ἔχειν [*querelam adverſùs aliquem habere*] Col. III, 13. Videntur mihi hæc cum præcedentibus hoc modo cohærere: Cùm jam intellexeritis quantopere Deo diſpliceat iraſcendi & convitiandi libido, primum quidem fuit ab omni tali delicto diligenter ſibi cavere; Quod ſi quid tamen per humanam infirmitatem tale tibi evenerit, ſupereſt πλοῦς ὁ δεύτερος [*altera navigatio*], nempe ut celeri pœnitentia id ipſum eluas. Id fiet ſi qui prior offendiſti prior quoque ineas pacis viam: & id quidem properiter adeò, ut nihil ſit, quantumvis ſpecioſum, quod ei curæ prævertendum putes.

24. διαλλάγηθι, *reconciliator*] Non eſt ſemper διαλλαγῆναι, quod vult Scholiaſtes ad Thucydidem, τὸ δι' αὐτοῦ τοῦ ἐχθροῦ παρακληθῆναι καὶ φιλιωθῆναι αὐτῷ [*ab ipſo inimico invitari & ſic amicum ei fieri*]. Nam & hîc ei tribuitur qui de reſtituenda amicitia ſollicitus eſt, quomodo & καταλλάττεσθαι θεοῖς [*cum dîs redire in gratiam*]. Etiam Latini utrovis ſenſu dicunt *redire in gratiam.* Senſus autem eſt, dandam operam ut cum eo quem atrociore vultu aut facto offendimus, redeamus in gratiam: id autem fieri ſolet teſtando nolle nos factum, quod Latini vocant *ſatisfacere.* Eventus enim non ſemper in noſtra eſt manu. Sed ut hîc eum qui læſit ad quærendam pacem Chriſtus excitat, ita apud Marcum XI, 25. eum qui læſus eſt monet, ne difficilem ſe præbeat ad condonandam injuriam; quod dilucidè explicat Paulus Coloſſenſium III, 13.

ἐλθὼν, *veniens*] Παρέλκει [*abundat*] hæc vox, ut apud Diphilum ἅρπαζ' ἀπελθὼν [*faceſſe hinc abiens*], & in his libris ſæpe.

πρόσφερε τὸ δῶρόν σου· *offer munus tuum*] Id eſt, conſumma oblationem, munus imponendo altari. antè enim dixerat, *relinque munus pro altari.*

25. ἴσθι εὐνοῶν, *eſto conſentiens*] Planè idem eſt quod antè dictum erat διαλλάγηθι. Eſt ſententia frequens apud Thalmudicos אגב ארחך לבעל רבבך אשתמע [*Dum es in via obedito inimico tuo*]. Errant autem qui hæc trahunt ad ἀλληγορίας [*ſensûs inverſiones*] obſcuriores, cùm hæc dicta Chriſti ſint admodum popularia. Tantùm id notandum eſt, ex eo quod inter homines fieri videmus, doceri nos conjecturam capiendam quid à Deo ſit exſpectandum, quod apertè indicat Lucas XII, 58. Inter homines benignioribus conditionibus depaciſcitur qui cedit in tempore. At qui pertinaciter judicio contendit, is in ſolidum condemnatur, & ſine gratia cogitur judicatum facere. Sic & apud Deum, in quem præcipuè delinquunt etiam quorum injuria directè hominem alterum petit, matura pœnitentia veniam impetrat, dilata ſeveritatem provocat. Hæc ſine dubio verborum ſententia; ſed quia ſatis manifeſtum eſt quò tendat comparatio, ideo hîc, ut alibi ſæpe, ἀνταπόδοσις [*quod reſpondet*] ſubticetur. Cæterùm non alienum fortè ab hoc loco eſt quod ex libro Tanaith diſcimus, Hebræis creditum à mortuis accuſari apud Deum vivos eos quibus in hac vita conciliati non fuere.

ὁ κριτής σε παραδῷ τῷ ὑπηρέτῃ, *Iudex tradat te miniſtro*] Τῷ πράκτορι [*exactori*] Lucas XII, 58. In Hebræo fuerit לשוטר Latinè dicendum eſt *viatori*. Ita enim in Iure Romano appellantur exſecutores litium, ut explicat ipſe Tribonianus Inſtitutionibus de Actionibus, § Tripli. Græci Iuriſconſulti vocant ἐκβιβαστάς. Eſt autem vocis παραδιδόναι [*tradere*] uſus valde ſimilis apud Ariſtiden Pro arte oratoria, ὁ μὲν γὰρ ἐλέγχει τὰ ἀδικήματα ῥήτωρ καὶ παραδίδωσι τῷ δικαστῇ· ὁ δ' ἀκούσας καὶ μαθὼν παραδίδωσιν αὐτὸν ὑπηρέταις [*Orator patefacit crimina, traditque Iudici; Iudex autem, ubi ea audiit ac didicit tradit hominem miniſtris*].

εἰς φυλακὴν βληθήσῃ· *in carcerem mittaris*] Hinc apparet apud Iudæos, itidem ut apud Græcos Romanóſque, ſolitos fuiſſe in carcerem conjici, qui ſe ære alieno non exſolvebant. Vide L. I. C. Qui bonis cedere poſſint. Adde quod infrà eſt XVIII, 29.

26. κοδράντην, *quadrantem*] Quadrans minimum in nummorum genere. Plutarchus Cicerone, Τὸ λεπτότατον τοῦ χαλκοῦ νομίσματος κουαδράντην ἐκάλουν [*Minimum in nummis æreis quadrantem vocabant*]. Iuvenalis,

——— *Pieriâ quadrans tibi nullus in arca.*

Hinc *meretrix quadrantaria.* Apud Horatium,

——— *& qui nondum ære lavantur,*

tanti enim plebeji lavabantur in balneis.

27. Οὐ μοιχεύσεις· *Non mœchaberis*] לא תנאף, quod Hebræi plerique explicant de concubitu cum femina nupta, de quo agitur Deut. XXII, 22. Abenezras putat latiùs protendendam ſignificationem ad omnem Venerem non conjugalem. Et ſanè ſicut πορνεία [*fornicatio*] interdum μοιχείαν [*adulterium*] ſignificat, ut infrà verſu 32. & XIX, 9, ita novum non eſt μοιχείαν [*adulterium*] dici quæ πορνεία [*fornicatio*] propriè diceretur. Ita Danaen Iupiter dicitur μοιχεῦσαι [*adulteraſſe*] apud Lucianum, & Ovidius Medeam vocat *adulteram virginem*. Fuit autem in Iudaico populo etiam πορνεία [*fornicatio*] hactenus vetita, quòd neque meretriciam vitam agere puellæ permittebantur, & qui innuptam ſtupraverat, ducere eam, aut ſi parentes nollent dotare cogebatur; & quæ polluto corpore nupſerat, aut ſponſa cùm eſſet alteri ſe ſubſtraverat, lapidationis pœnam ſubibat: quæ omnia videre eſt Deuteronomii XXII. Et hoc eſt quo nomine Legis Hebraicæ puritatem eximiam prædicat Origenes, Θαυμαστὸν δὲ καὶ τὸ τῶν νέων ὑπεκκαύματα τὰς ἑταίρας ἀναιρεῖσθαι ἀπὸ τῆς πολιτείας αὐτῶν [*Admirandum hoc eſt quòd incitamenta juvenum, ſcorta, ex ipſorum republica aberant*]. Et Philo, cujus ad hanc rem inſignis eſt locus De vita Ioſephi, Τοῖς δ' ἄλλοις ἐφεῖται μετὰ τὴν τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡλικίαν πόρναις καὶ χαμαιτύποις καὶ ταῖς ὅσαι μισθαρνοῦσιν ἐπὶ τῷ σώματι μετὰ πολλῆς ἀδείας χρῆσθαι· παρ' ἡμῖν δὲ οὐδ' ἑταίρᾳ ἔξεστιν, ἀλλὰ κατὰ τῆς ἑταιρούσης ὥρισται δίκη θανάτου· πρὸ δὴ συνόδων νομίμων ὁμιλίαν ἑτέρας γυναικὸς οὐκ ἴσμεν, ἀλλ' ἁγνοὶ γάμων ἁγναῖς παρθένοις προσερχόμεθα, προτιθέμενοι τέλος οὐχ ἡδονὴν, ἀλλὰ γνησίων παίδων σποράν [*Aliis permittitur poſt annos quatuordecim cellulariis & fornicariis; aliiſque feminis quæſtum corpore facientibus impunè uti; at apud nos ne amicâ quidem uti licet: ſed contra feminam talem mortis pœna conſtituta eſt. Ante igitur legitimum thalamum nullius feminæ habemus notitiam, ſed puri cum virginibus puris nuptias auſpicamur, propoſitam in eo habentes non voluptatem, ſed liberûm ſationem*]. Verumtamen ſervanda potiùs videtur vocis proprietas, quæ ſolet μοιχείαν ἀπὸ τῆς πορνείας [*adulterium à fornicatione*] diſcernere, ut apparet infrà XV, 19. Galat. V, 19. Hebr. XIII, 4. quomodo & Hebræi diſcernunt נאף & זנה, ut videre eſt Oſeæ IV, 14. quia in Decalogo non omnia delicta, ne ea quidem quæ Lege Civili puniuntur, comprehenſa ſunt, ſed ea duntaxat quæ in quoque genere ſummam habent atrocitatem; neque enim vulnerationis fit mentio ſed homicidii; neque omnis lucri cum jactura alterius, ſed furti; neque omnis perfidiæ, ſed falſi teſtimonii. Accedit huc quòd Iudæorum haud pauci ita Legem de meretricatu interpretabantur, ut cenſerent id vitæ genus puellis Hebræis interdictum, non etiam vetitum ne peregrinæ in populo habitantes, ſed à Iudaiſmo alienæ, quæſtum corpore facere ſinerentur; imò & cum bello capta primum concubitum cenſent impunè habitum; neque verò virili ſexui legem poſitam exiſtimabant: nimirum, ut in Comœdia eſt, *non eſſe flagitium ſcortari hominem adoleſcentulum*; ex Catonis etiam ſententia,

Nam ſimulac venas inflavit dira libido
Huc juvenes æquum eſt deſcendere.

Hæc opinio cum moribus etiam invaluiſſet (nam & coram Solomone judicio ſe ſtitiſſe ejus quæſtus feminas legimus) factum inde eſt ut זרה, quod *peregrinam* ſignificat, ad meretricem denotandam uſurparetur, ut Prov. V, 3. Sic & veteri jure Attico, quod ex Hebræo derivatum diximus, nulli civi Atticæ proſtare licebat: & ſi quis virginem Atticam vitiaſſet ducere eam cogebatur, ut Comœdiæ etiam nos docent. Neque tamen meretrices deerant, quas propterea ſimiliter, ut Hebræi, appellabant ξένας· quod ſecutus eſt & Terentius, cùm *peregrinam* Andriam dixit. Sed quod de aliis rebus jam antè diximus, etiam hîc repetendum eſt, non omninò fuiſſe excuſandam hanc Iudæorum ſibi blandientium ſupinitatem. Satis enim conſtare ipſis poterat, multa Deo non placere quæ tamen erant extra Legum pœnam. Inſtituerat Deus nuptias liberûm quærendûm & honeſtè educandûm gratiâ. Non poterat cum eo inſtituto non pugnare concubitus qui & à matrimonio arcet, & ſui natura efficit ut aut proles incerti ſit patris, aut certè non ita uti par eſt communi parentum ſtudio educetur. Apparet enim cauſam vetandi fuiſſe ipſam facti turpitudinem. Meritò igitur Apoſtolus Paulus ſtragem illam tot millium, cujus mentio eſt Numerorum XXV. eveniſſe refert ob crimen πορνείας [*fornicationis*], 1 Cor. X, 8. ſcilicet id vel ſolum, etiamſi falſorum Deorum cultus non acceſſiſſet, ſatis dignum eo ſupplicio meritum exiſtimans. Neque ſanè debebant Iudæi Lege adjuti neſcire quod multos in Gentibus ſola ratio ac recta inſtitutio docuerat. Iob ſuam non à nuptis tantùm ſed & ab innuptis abſtinentiam prædicat. Epictetus jubet καθαρεύειν τῶν ἀφροδισίων πρὶν τοῦ γάμου [*abſtinere à Venere ante nuptias*], idémque aliquot argumentis probat Dion Chryſoſtomus. Sed imprimis præclara ſunt iſta Muſonii, Ὅσαι συμπλοκαὶ μοιχείας ἐκτὸς οὖσαι πρὸς θηλείας εἰσὶν, ἐστερημέναι τοῦ γίνεσθαι κατὰ νόμον, καὶ αὗται πᾶσαι αἰσχραί· πράττονται γὰρ δι' ἀκολασίαν, ὡς μετά γε σωφροσύνης οὐκ ἂν ἑταίρᾳ πλησιάζειν ὑπομένειέ τις οὔτ' ἂν ἐλευθέρᾳ γάμου χωρὶς, οὔτε, μὰ Δία, θεραπαίνῃ τῇ αὐτοῦ· τὸ γὰρ μὴ νόμιμον μήτ' εὐπρεπὲς τῶν συνουσιῶν τούτων, αἶσχος δὲ καὶ ὄνειδος μέγα τοῖς θηρωμένοις αὐτάς [*Quicunque ſunt extra adulterium cum femina congreſſus, ideo quòd non ſecundùm legem fiunt, turpes ſunt: fiunt enim ob intemperantiam, cum verecundia enim nemo poſſit ad amicam accedere, ſive ea libera innupta ſit, ſive ipſius ancilla. Quod enim in tali concubitu lege vacat, vacat etiam honeſtate: ideóque dedecus & probrum adfert ſe quærentibus*]. Ejuſdem hoc, Χρὴ δὲ τοὺς μὴ τρυφῶντας, ἢ μὴ κακοὺς μόνα μὲν ἀφροδίσια νομίζειν δίκαια τὰ ἐν γάμῳ, καὶ ἐπὶ γενέσει παίδων [*Oportet eos qui nec delicati ſunt, nec mali, ſolùm juſtam cenſere Venerem in matrimonio*]. Charond. verò, Γυναῖκα δὲ τὴν κατὰ νόμους ἕκαστος στεργέτω, καὶ ἐκ ταύτης τεκνοποιείσθω, εἰς ἄλλο δὲ μηδὲν προϊέσθω τέκνων τὴν αὑτοῦ σποράν· μηδὲ τὸ φύσει καὶ νόμῳ τίμιον ἀνόμως ἀναλισκέτω, καὶ ὑβριζέτω· ἡ γὰρ φύσις τεκνοποιΐας ἕνεκεν, οὐκ ἀκολασίας ἐποίησε τὴν σποράν [*Feminam legitimè ductam quiſque amet & ex ea liberos quærat, aliò autem ne projiciat id quod ſerendæ proli datum eſt; neque id quod & naturâ & lege pretioſum eſt iniquè prodigat & contumeliâ afficiat: natura enim ſobolis non intemperantiæ causâ ſemen dedit*]. Porphyrius de non eſu Animantium IV. Ἐπεὶ γὰρ ἑταίραις ὁμιλεῖν ἀπαγορεύει τοῖς πολλοῖς (nempe ὁ νόμος ὁ πολιτικός), ἀλλὰ καὶ πραττόμενος τὰς ἑταίρας τὸ μίσθωμα ἐπονείδιστον ἡγεῖται τοῖς μετρίοις ἀνδράσι καὶ αἰσχρὰν τὴν πρὸς ταύτας ὁμιλίαν [*Lex enim Civilis ad amicas accedere non vetat; ſed cùm tales proſtare faciat, tamen honeſtis viris indignum judicat ex lupanari quæſtum & turpem talem concubitum*]. Hæc naturalis ſuggeſtio obſtitit quò minùs vaga Venus uno impetu aut etiam ſine diſcrimine pudoris ſepta perrumperet. Eſt enim memoriâ non indignum quod ea de re Chryſippus prodidit, Πρῶτον μὲν ἔξω πόλεως καὶ προσωπεῖα περικείμεναι αἱ ἑταῖραι ἐξεμίσθουν ἑαυτὰς τοῖς βουλομένοις· εἶθ' ὕστερον καταφρονήσασαι ἀπέθεντο τὰ προσωπεῖα, καὶ ὑπὸ τῶν νόμων μὴ ἐπιτρεπόμεναι εἰσιέναι εἰς τὰς πόλεις, ἔξω ἦσαν αὐτῶν [*Primùm meretrices extra urbes & perſonas ſibi imponentes volentibus ſui faciebant copiam; poſtea inverecundiores abjecere perſonas: attamen Legibus non ſinentibus eas in urbes ingredi, extra eas ſe tenebant*]· quæ verba eò libentiùs refero, quia quod dicit antiquitus meretrices non in urbibus ſed in agro (moris cujus veſtigia etiam apud ipſos Peruanos & Tartaros reperta ſunt) neque aperto ſed obtecto vultu proſtitiſſe, veriſſimum eſſe ex ipſius Moſis narratione apparet, Geneſ. XXXVIII, 14. Apud Romanos qui virginem ingenuam ſtupraſſet pœna capitali afficiebatur. Neque meretricia vita permittebatur niſi eam vitam profeſſis, quas Leges exiſtimabant, ut inquit Tacitus, ſatis ipſo pudore cruciari. Quare quod ad Iudæ ac Thamaris hiſtoriam Hebræi notant, ſcorti uſum ante Legem permiſſum fuiſſe, concedi poteſt ſi de impunitate eſt quæſtio; non item ſi de eo agitur quod ſine turpitudine fieri potuit. Atque adeò etiam primùm cum bello capta congreſſum illicitum cenſuit Rabbinus Iohannes Maimonidæ memoratus. Gerundenſis verò & alii cenſent diſſimulatum magis quàm probatum. In libro qui inſcribitur Conſtitutiones Clementis refertur decretum Apoſtolicum quod exſtat Actorum XV hiſce verbis, ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν ἐθνῶν, εἰδωλοθύτου καὶ αἵματος καὶ πνικτοῦ καὶ πορνείας, ἅπερ καὶ τοῖς πάλαι ἐνενομοθέτητο τοῖς πρὸ τοῦ νόμου φυσικοῖς, Ἐνὼς, Ἐνὼχ, Νῶε, Μελχισεδὲκ, Ἰὼβ καὶ εἴ τις τοιοῦτος ἐγεγόνει [*mandare eis ut abſtineant à Gentium inquinamentis, immolatitiis & ſanguine & fornicatione: quæ præcepta data fuerant etiam illis qui ante Legem, Naturæ Iure vixerunt, Enoſo, Enocho, Noæ, Melchiſedeco, Iobo, & ſi qui alii tales*]. Adde quæ dicentur infrà XV, 19.

28. ὅτι πᾶς ὁ βλέπων, *quia omnis qui viderit*] Quia nimirum

——— *oculi ſunt in amore duces*,

ut ille ait; aut ut Plato loquitur ἀρχὴ τοῦ ἔρωτος ὅρασις [*principium amori dat adſpectus*]. Apud alium eſt, Ἡ ἐπιθυμία διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται [*Cupido per oculos intrat*]· quod ipſum exſequitur Platonem ſequens Plutarchus Sympoſiacôn III, 6. Bene Salvianus dixit *feneſtras quodammodo eſſe noſtrarum mentium lumen oculorum, & omnes cupiditates in cor per oculos, quaſi per naturales cuniculos intrare.* Hinc *oculi pleni adulterii* apud Petrum II Epiſt. II, 14. Tertullianus De Pudicitia, *Carnem ſpiritu librare, animum fide moderari, oculum metu temperare Chriſtiani eſt.*

Γυναῖκα, *mulierem*] Poteſt de quavis muliere ſumi, ita ut quod ſequitur μοιχᾶται [*mœchatur*] ſumatur laxius: atque adeò vetetur hîc etiam τῆς πορνείας [*fornicationis*] proluſio. Simplicius tamen eſt ut γυναῖκα [*mulierem*] intelligamus τὴν γαμετὴν [*nuptam*], quomodo ſæpe ea vox ſumitur, ut & Latina *mulieris*: non quòd non etiam τὴν πορνείαν [*fornicationem*], quippe etiam Iudæis non probatam, vehementer improbet Chriſtus, ſed quòd in eodem peccandi genere intraque eaſdem perſonas maluerit conſiſtere, quò apertior eſſet actuum internorum atque externorum comparatio.

Πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς, *ad concupiſcendum eam*] Hoc eſt propriè quod dicit Iob XXXI, 7. *Si animus oculos eſt inſecutus.* Hebræi poſteriores id vocant זן עיניו מן הערוה *paſcere oculos illicito ſpectaculo:* ὁρᾶν ἀκολάστως [*adſpicere intemperanter*] Chryſoſtomus VIII ad Roman. Apparet ergo à Chriſto eum hîc notari qui impuro amori animum mancipans vulnus ſuum fovet adſpectu. Petulcos impudicorum hominum intuitus hîc notari ait Salvianus. Tertullianus, de Velandis Virginibus, *Chriſtianus ſalvis oculis feminam videt, animo adversùs libidinem cæcus eſt.* Quintilianus pater, *Tu alienam matronam aliter quàm Leges permittunt adſpexiſti.* Lactantius libro VI, cap. 23. *Non tantùm adulterium eſſe vitandum præcipit Deus, ſed etiam cogitationem, ne quis adſpiciat alienam & animo concupiſcat.* Quamvis autem τὸ ἐπιθυμεῖν [*concupiſcere*] ſoleat & in bonam partem accipi, hîc tamen ut multis aliis in locis in vitio ponitur, ut *cupere* apud Afranium, *Amabit ſapiens, cupient cæteri.* Iuſtinus τὸ ἐπιθυμεῖν exponit τῆς ὀρέξεως ἀναθυμίασιν [*appetitus exhalationem*]. Idem ad Zenom. Πάσης οὖν ἐπιθυμίας καὶ ὀρέξεως σαρκικῆς ἐκτὸς δεῖ εἶναι τὸν πιστόν [*Debet ergò vir fidelis eſſe extra omnem concupiſcentiam & appetitum carnalem*]. Clemens paulò ſubtiliùs, Ἐὰν εἰς κάλλος σώματος βλέψῃ τις, ὁ λόγος φησὶ, καὶ αὐτῷ ἡ σὰρξ εἶναι κατ' ἐπιθυμίαν δόξῃ καλὴ, σαρκικῶς ἰδὼν καὶ ἁμαρτητικῶς, δι' οὗ τεθαύμακεν, κρίνεται [*Si ad formam corporis quis reſpexerit, ait Sermo, & ei caro pulchra viſa fuerit ſecundùm concupiſcentiam carnaliter, quia vitioſè adſpexit, per id ipſum quod contemplatus eſt damnatur*]. Athenagoras, Ἡμεῖς δὲ τοσοῦτον ἀδιάφοροι εἶναι ἀπεχόμεθα ὡς μηδὲ ἰδεῖν ἡμῖν πρὸς ἐπιθυμίαν ἐξεῖναι [*Nos tantum abeſt ut talia ponamus in rebus mediis, ut ne adſpicere quidem ad concupiſcentiam nobis liceat*]. Poſſet & ἐπιθυμῆσαι hîc interpretari *ſollicitare*, quomodo & חמד Hebraicum ſumi ſolet. Sic in Canone IV Synodi Neocæſarienſis, ἐὰν πρόθηταί τις ἐπιθυμῆσαι γυναικὸς, συγκαθευδῆσαι μετ' αὐτῆς [*ſiquis propoſuerit ſollicitare feminam ad concubitum*].

ἤδη ἐμοίχευσεν αὐτὴν ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ. *jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*] Homines qui de animo niſi ex ſignis exterioribus judicare non poſſunt, delicti nomen actui ultimo imponunt. Et tamen ipſi Iuriſconſulti fatentur animum diſtinguere maleficia. Itaque ſi telum manu fugit, qui hominem occîdit homicida non eſt: Contrà Romanis Legibus etiam is homicida eſt qui hominis occidendi causâ cum telo ambulavit, quod & ad Moſis Legem trahit Philo, Καὶ ἂν ἐξ ἐνέδρας μέντοι τις ἐπιχειρήσας ἀνελεῖν τινα, μὴ δυνηθῇ κτεῖναι, τῇ τῶν ἀνδροφόνων οὐδὲν ἧττον ὕποχος δίκῃ καθέστηκεν, ὡς ὁ γραφεὶς περὶ τούτων δηλοῖ νόμος.

ἐὰν γάρ φησί τις ἐπιθῆται τῷ πλησίον, ἀποκλεῖναι αὐτὸν δόλῳ, καὶ καταφύγῃ ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου, λήψῃ αὐτὸν θανατῶσαι. καί τοι ἐπιτέθειται μόνον, οὐκ ἀνῄρηκεν, ἀλλ' ἴσον ἡγήσατο ἀδίκημα τῷ κτεῖναι τὸ βουλεῦσαι τὸν φόνον [*Si quis ex inſidiis conatus aliquem interficere, non potuerit, is nihilominus homicidarum pœnæ ſubjacet, ut oſtendit de eo ſcripta lex : Siquis, inquit, inſidiatus ſit proximo, ut eum dolo necet, & profugiat ad altare, capies eum ut occidas. Atqui inſidiatus eſt, non occidit; ſed par judicavit crimen hoc egiſſe ut occideret, & occidiſſe*]. Oſtendunt nimirum Leges quid cupiant; ſed quod cupiunt plenè præſtare non poſſunt. Bene Tertullianus, *Mediocritas humana de factis ſolùm judicat, quia voluntatis latebris par non eſt. Latro eſt*, inquit Seneca, *etiam antequam inquinet manus. Exercetur atque aperitur opere nequitia non incipit.* Ejuſdem eſt, *Fecit quiſque quantum voluit.* Ariſtophanes, δύναται γὰρ ἴσον τῷ δρᾶν τὸ νοεῖν [*Par eſt facere & voluiſſe malum*]. Apud Deum mentium exploratorem, qui voluit ſcelus is fecit. Vide apud Herodotum de Glauco hiſtoriam, quæ & apud Iuvenalem exſtat cum hoc epiphonemate,

Has patitur pœnas peccandi ſola voluntas.

Ejuſdem eſt,

Nam ſcelus intra ſe tacitum qui cogitat ullum,
Facti crimen habet.

In ipſo hoc adulterii crimine verum hoc eſſe vidit magiſter nequitiæ, planè idem de muliere dicens quod hîc de viro dicitur:

Siqua metu demto caſta eſt, ea denique caſta eſt.
Quæ quia non liceat non facit, illa facit.
Vt jam ſervaris bene corpus adultera mens eſt:
Omnibus excluſis intus adulter erit.

Quod imitatus Lactantius dixit, *adulteram fieri mentem, ſi vel imaginem voluptatis ſibi ipſa depinxerit.* Seneca, *Non immeritò in numerum peccantium refertur qui pudicitiam timori præſtitit, non ſibi.* Pater Seneca, *Inceſta eſt etiam ſine ſtupro, quæ cupit ſtuprum.* Præcipuè autem hoc dictum Chriſti locum habere poſt τὴν συγκατάθεσιν [*conſenſionem*] prudenter vidit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, cujus hæc ſunt verba, Οὔτε εἰ ἡ γνῶσις ἐξυπνίσει τὸ τῆς ἐπιθυμίας πάθος, οὐδ' οὕτως πόρνος ἐστίν· ἐὰν δὲ συγκατατίθηται τῷ πάθει ἡ προαίρεσις, τότε ἐστὶ πόρνος ἢ κατὰ τὴν πρᾶξιν ἢ κατὰ τὴν διάθεσιν [*Si notitia excitaverit cupiendi affectum, non utique erit ſcortator; at ſi voluntas affectui conſenſerit, tunc erit talis aut actu aut animi propoſito*]. Tertullianus De Pœnitentia, *Voluntas facti origo eſt, quæ ne tunc quidem liberatur, cùm aliqua difficultas perpetrationem ejus intercepit: ipſa enim ſibi imputatur, nec excuſari poterit per illam perficiendi infelicitatem, operata quod ſuum fuerat.* Pertinet huc quod Iudæi olim dixerunt teſte libro Alcath Rochel, *Meſſiam ablaturum ab homine* יצר הרע *malum fomentum*, τὴν ἐπιθυμίαν [*cupiditatem*].

29. Εἰ δὲ ὁ ὀφθαλμός σου ὁ δεξιός, *Quod ſi oculus tuus dexter*] In hunc quoque locum, ni valde animi fallor, multa congeruntur ſubtiliora quàm ferat ſermonis popularitas. Mihi tum illud εἰ δὲ, tum quòd hæc verba non præceptorum congeriem ſequuntur, ſed indivulsâ continentiâ annectuntur ei quod de adulteris amoribus dictum eſt, præterea verò repetitum *oculi* nomen quod paulò ante præceſſerat, planum facere videntur hujus ſententiæ, quamvis ejus vis latiùs ſe porrigat, occaſionem natam ex his quæ dicta erant commate antecedente, ita ut ad tacitam quandam objectionem reſponderetur, argumento ab eo quod majus eſt ducto hunc in modum. Dicat fortè aliquis hæc audiens, Feminæ præſertim formoſiores ſunt ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν [*dolores oculorum*], quod de Perſicis dici ſolebat; & naturâ ita eſt comparatum ut difficile ſit non amare quod pulchrum eſt: Quapropter

caſſo ſaltem delectamine
Amare liceat ſi potiri non licet.

Reſpondetur ex duobus incommodis eligendum eſſe id quod eſt minus; nempe ut modò citatus Poëta hoc argumentum ex prudentiæ non ex pietatis præſcripto tractans dixerat,

Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
Eſſe, ſed ut valeas multa dolenda feres.

Si gangræna aut morbus ſimilis partem corporis quamvis caram occupaſſet, æquum eſſet ut patereris eam præcidi potiùs quam proſerpens malum toti corpori exitium crearet; ut apud Plutarchum eſt, Καὶ τὸν πόδα καὶ τὴν χεῖρα ὁ γεννήσας ἐποίησεν· ἀλλ' ὅταν σαπῇ, μισθὸν δίδωσι τῷ ἀποκόπτοντι [*Pater & pedem & manum filii effecit; ſed ſi ea putuerint, dat ultro abſcindenti mercedem*]. quantò juſtiùs id faciendum eſſet ubi æterna animi corporiſque pernicies imminet ni antevertas. Simili ferme modo argumentatur idem ille quem dixi,

Vt corpus redimas ferrum patieris & ignes,
Arida nec ſitiens ora levabis aquâ.
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis?

Subticetur autem id quod ab auditore facilè ſuppleri poteſt in hunc ſenſum. Atqui cùm majus ſit periculum quod tibi monſtro quàm hujus vitæ mortalis jactura, minus tamen eſt quo vitari id periculum poteſt. Deberes, ſi aliter te ſervare non poſſes, vel oculum tibi eruere; at mihi ſatis eſt ſi eum à vultu illecebroſo avertas: manum deberes tibi præcidere; ego nihil ampliùs poſtulo quàm ut eam arceas ab impudicis contrectationibus. Eorum qui pedem ſibi abſcindi paſſi ſunt habemus exempla; mihi ſufficit ut aliò quàm ubi mali fomenta ſunt greſſum dirigas:

Perfer & invitos currere coge pedes.

Non diſſimile eſt dictum apud Senecam, *Projice quæcunque cor tuum laniant, quæ ſi aliter extrahi nequirent, cor ipſum cum illis evellendum erat.* Senſus hic ipſe quem dicimus latè fuſéque tractatus exſtat apud Porphyrium libro primo circa finem De abſtinentia ab animalibus. Oſtendit enim & ille, cùm corporis ſervandi cauſâ tam dura patiamur, multò majora patienda ut divina immortalitas animis pareretur; & hanc tamen plerúmque minoris conſtare, nempe voluptatum abſciſſione. Philo, Ἐὰν κάλλος ἰδὼν αἱρεθῇς αὐτῷ καὶ μέλλῃς παλαίειν περὶ αὐτό, φύγε λαθὼν ἀπὸ τῆς φαντασίας αὐτοῦ [*Si conſpectâ pulchritudine ab ea captus ſis & inde labi pericliteris, clàm fuge ab iſta imagine*]. In hac circumlocutione Pedum quoque memini, quia & eorum fit mentio infrà XVIII, 8. & Marci IX, 45. quibus in locis id quod hîc occaſione ejus affectûs qui ſolet eſſe impotentiſſimus dictum erat, generaliter omnibus vitiis aptatur. Eſt enim eadem ratio. Hinc Iob cap. XXXI. de fuga tam injuſtitiæ quàm obſcœni amoris agens ait, *fedus ſe cum oculis pepigiſſe, manibus nihil adhæſiſſe iniqui, pedem ſuum non feſtinaviſſe ad dolum.* Summa igitur hujus præcepti eſt, Vitanda pravarum cupiditatum alimenta. Cupiditas enim actum parturiens, ſi eum eniti prohibeatur, abortum faciens, ipſa quoque interit. Neque verò dubito quin & hoc Chriſtus, minimè novandi cupidus, ſumſerit ex veterum Hebræorum præceptis, unde & Philo hæc hauſit, Διόπερ ἐλέσθαι ἂν μοι δοκοῦσιν οἱ μὴ τελείως ἀπαίδευτοι πεπηρῶσθαι μᾶλλον ἢ τὰ μὴ προσήκοντα ὁρᾶν, κεκωφῶσθαι μᾶλλον ἢ βλαβερῶν ἀκούειν λόγων, καὶ ἐκτετμῆσθαι γλῶτταν ὑπὲρ τοῦ μηδὲν τῶν ἀῤῥήτων ἐκλαλῆσαι [*Ideoque homines non planè imperiti, potiùs optabant excæcari quàm illicita cernere, potiùs obſurdeſcere quàm noxios audire ſermones, & linguam exſcindi quàm dicere non dicenda*], & quæ ſequuntur. Chryſoſtomus de Iejunio ſermone ſecundo, præceptum hoc Chriſti, quod durum videtur, ait eſſe mitiſſimum: Durum futurum fuiſſe, ſi juſſiſſet nos adeſſe feminis, eas adſpectare & abſtinere: Adde ſi id præcepiſſet quod Xenocratem præſtitiſſe narrat Valerius Maximus.

ὁ δεξιὸς, *dexter*] Id eſt, κἂν ὁ δεξιός [*quamvìs dexter*]· quod ideo dictum quia, ut ait Ariſtoteles, φύσει βέλτιον τὸ δεξιὸν τοῦ ἀριστεροῦ [*naturâ dextrum ſiniſtro melius*].

σκανδαλίζει σε, *ſcandalizat te*] יקש לך, ut loquuntur Prophetæ. Nam quod inde venit מוקש σκάνδαλον vertunt LXX Pſalmo LXIX, 23. CVI, 36. CXL, 6. quos ſequitur Paulus Romanorum XI, 9. Et certè reſpondet primitiva ſignificatio. Nam σκανδάληθρον apud Ariſtophanem interpres exponit τὸ ἐν τῇ παγίδι ἐπικαμπὲς ξύλον [*obliquum in pedica lignum*], Pollux τὸ ἐν ταῖς μυάγραις ἐνιστάμενον παττάλιον [*ſtantem in muſcipulis paxillum*]. Idem autem eſſe σκάνδαλον docet nos Heſychius. Sed & σκώλου nomine res eadem ſignificatur, qua voce מוקש interdum transferunt LXX interpretes. Per tralationem deſignat hæc vox omne id quod exitii cauſam præbet, ut Pſalmo CXL, 6. ἐχόμενα τρίβου σκάνδαλα ἔθεντό μοι [*juxta iter ſcandalum poſuerunt mihi*], quo ſenſu reperitur & in libro Iudith V, 22. & XII, 2. Ac proinde etiam id quo quis ad delinquendum incitatur, uti Deuteronomii VII, 16. & paſſim apud Novi Federis Scriptores. Senſum affinem, quanquam aliunde ducta ſimilitudine, habet vox מכשל, quod propriè eſt πρόσκομμα [*offendiculum*], cujus vocis additamento vocem σκάνδαλον interpretatur Paulus Romanorum XIV, 13. Quare mirum non eſt quòd Syrus hîc σκάνδαλον vertit מכשלא, cùm & LXX מכשל verterint σκάνδαλον, Levitici XIX, 14. Id ipſum *offenſam* dixit Seneca, *Per hujuſmodi*, inquiens, *offenſas emetiendum eſt confragoſum hoc iter.*

βάλε ἀπὸ σοῦ· *projice abs te*] *Projice.* quo verbo Latini quoque rei contemtum indicant.

συμφέρει γάρ σοι, *expedit enim tibi*] Ἀγαθὸν γὰρ ἀντὶ μείζονος κακοῦ ἐλάττονος λῆψις [*bonum enim eſt minoris mali ſumtio pro majori*], ut inquit Ariſtoteles Rhetoricorum I, cap. VI.

καὶ μὴ, *& non*] Hebraiſmus ולא, quod valet *ne.* Quare ita optimè verteris, *Expedit enim tibi unum membrorum tibi perire ne totum corpus projiciatur in gehennam.*

γέενναν. *gehennam*] Vox iſta quæ modò comparatè ſupplicia alterius ſeculi figurabat, nunc tranſlatè eadem notat. Et Matthæus quidem nihil ultrà addidit, quippe Palæſtinæ habitatoribus ſcribens, apud quos pridem vox iſta eum ſenſum acceperat: ut ex veterum Hebræorum libris apparet. Marcus verò, ut & qui ei vocabulo minùs ſueti erant vim ejus intelligerent, appoſuit πῦρ τὸ ἄσβεστον [*ignem inextinguibilem*]. Ponitur autem in his libris ubique pro ſuppliciis poſt Reſurrectionem, non pro ſtatu qui mortem & reſurrectionem intercedit.

31. Ἐῤῥέθη δὲ, *Dictum eſt autem*] Nimirum à Moſe, juſſu Divino, non privato Moſis conſilio, quod ſenſit Origenes & eum ſecutus Ambroſius; quem errorem in Ptolemæo quodam graviter accuſat Epiphanius: niſi hoc potiùs ſenſiſſe putemus Origenem & Ambroſium, à Moſe hæc & alia quædam hujus generis pro prudentia ſua excogitata & relata ad Deum, qui ea deinde ut iſti populo & temporibus commoda probaverit. Certè Deuteron. I, 3. V, I. VI, I. apertè dicitur Moſes populo propoſuiſſe ea quæ Deus præceperat: Inde autem ad caput uſque de divortio unus eſt atque continens ſermo. Neque verò credibile eſt Moſem, qui de ſpecie controverſa juris hereditatium reſpondere nihil voluit Deo inconſulto, in re momenti multò majoris quicquam conſtituiſſe Dei injuſſu. Neque movere quemquam in contrariam ſententiam debuit, quòd Moſi hoc factum aſſcribit Chriſtus infrà XIX, 8. Nam paſſim ea etiam quæ à Deo profecta nemo dubitat, Moſes, quippe lectus in eam rem à Deo miniſter, dixiſſe ac præcepiſſe memoratur, ut infrà VIII, 4. Marci I, 44. VII, 10. Lucæ V, 14.

ὃς ἂν ἀπολύσῃ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, *quicunque dimiſerit uxorem ſuam*] Nam maritis id jus conceſſum, non viciſſim mulieribus, ut apud Romanos. Prima enim apud Iudæos Salome Coſtobari uxor contra antiquos mores eam licentiam uſurpavit, teſte Ioſepho. Differentia hæc originem habuit ex jure maritali. Nam uxores jure Hebræo in manu erant conjugis, ut multis indiciis apparet. Rectè autem verteris ἀπολύσῃ *repudiaverit*, quia id actum animi maximè denotat quem teſtatur libellus, unde ſequitur divortium. Neque enim recepit uſus, ne Iuriſconſultorum quidem, ut divortium poſt nuptias, repudium tantùm ante nuptias dicatur, ſed ipſa renuntiatio ſive ante nuptias ſive poſt eas ita appellari ſolet. Cajus Iuriſconſultus, *In repudiis autem, id eſt in renuntiatione, comprobata hæc ſunt verba*, Tuas res tibi habeto. *Item hæc*, Tuas res tibi agito. *In ſponſalibus quoque diſcutiendis placuit renuntiationem intervenire oportere, in qua re hæc verba probata ſunt,* Conditione tua non utar. Paulus, *Per calorem miſſo repudio ſi brevi reverſa eſt uxor nec divortiſſe videtur.* Iuſtinus Martyr ad Senatum Romanum, τὸ καλούμενον παρ' ὑμῖν ῥεπούδιον [*id quod à vobis dicitur Repudium*], de matrimonio dirimendo agens.

δότω αὐτῇ ἀποστάσιον. *det illi libellum repudii*] Infrà, βιβλίον ἀποστασίου. Ioſepho γραμματεῖον ἀπολύσεως. *Libellum divortii dare*, dixit Papinianus; *libellum repudii*

repudii tradere, Imperator Diocletianus. Origo nominis ab ἀφίστασθαι, quod eſt *diſcedere*. *Divortere* autem & *diſcedere* propriè in Latino ſermone uxor dicitur quæ ſponte ſua matrimonium dirimit: Quod Attici vocabant ἀπολείπειν. At feminis Iudæis ut diximus id non licebat. Virorum autem propriè eſt τὸ ἀποπέμπεσθαι [*dimittere*], qua voce & Ioſephus utitur: Hebræis גרש. Rectè autem libellus divortii aut diſceſſionis dicitur etiam is quo maritus jubet uxorem à ſe divortere aut diſcedere. Id autem continebat expreſsè, continetque etiamnum hodie Iudaici libelli formula, quæ talis eſt, *Mea ſponte, nullius coactu te uxorem hactenus meam dimittere à me, deſerere ac repudiare decrevi; jamque adeò te dimitto, deſero ac repudio, atque à me ejicio, ut tua ſis poteſtatis, tuoque arbitratu ac lubitu quò libet diſcedas: neque id quiſquam ullo tempore prohibeſſit. Atque ita dimiſſa eſto ut cuivis viro nubere tibi liceat.* Veterem eſſe hanc formulam Ioſephus nos docet cùm ait, Γυναικὶ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ᾽ ἑαυτὴν ἔξεστι γαμηθῆναι μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος [*Mulieri verò ne quidem ſi divorterit ſuo arbitratu nubere permittitur, ſed ita demum ſi vir ſuus eam à ſe dimiſerit*]· & alibi, λάβοι γὰρ ἂν οὕτως ἐξουσίαν συνοικεῖν ἑτέρῳ [*ita enim facultatem accipiet nubendi viro alteri*]. Et hinc eſt quòd hic actus dicitur ἀπόλυσις [*dimiſſio*]. *Domo egredi juſſa*, inquit Quintilianus; & Iuvenalis,

Collige ſarcinulas dicet libertus & exi.

Martialis, *Vxor vade foras.* Titinnius, *ædibus faceſſat.* Varro, *foràs betere juſſit.* In Epiſtola Medeæ ad Iaſonem, *Cede domo.* Sed & *ejiciendi* verbum, quod Iudæi uſurpant, Latinus ſermo eodem ſenſu recepit. Cicero, *Mimam exegit.* Hebræa vox ספר כריתת ad verbum ſi reddas, erit *libellus abſciſſionis*, id eſt χωρισμοῦ. Nam & χωρίζεσθαι pro *divortium facere* dixit Paulus 1 Corinth. VII, 10, 11, 15. Iuſtinus τῆς συζυγίας χωρίζεσθαι [*à conjugio abſcindi*]. *Diſſolvere, ſeparare, dirimere matrimonium* dicunt Latini Iuriſconſulti. Errare autem eos qui putant Iudæis non licuiſſe uxorem dimittere niſi causâ apud Iudicem probatâ, ſatis ex hoc loco apparet. *Dictum* enim *eſſe* ait Chriſtus, *Qui uxorem dimiſſam vult, libellum det repudii.* Dubitationem omnem nobis Ioſephus eximit, qui de ſe agens ita ait, Καθ᾽ ὃν δὴ καιρὸν καὶ τὴν γυναῖκα μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν ἀπεπεμψάμην [*Quo tempore & uxorem dimiſi quòd ejus mores mihi non placerent*]. Verum tamen eſt hunc actum non minùs quàm hereditatis ceſſionem atque alios ſolenniores ſolitos coram Iudicibus peragi, quod nos Digeſta Thalmudica docent: ſed erat hoc juriſdictionis voluntariæ, non contentioſæ, quomodo manumiſſio apud Prætorem Iure Romano. Cognitionem igitur ſuam Iudex non interponebat, niſi de dote aut donatione propter nuptias controverſia inciderat; planè ut & apud Romanos. Nam Romano veteri jure inſtituta erat de moribus actio, qua victa mulier dotem aut totam aut partem ejus amittebat. Sed & poſtulare mulier poterat ſi innocentiæ ſuæ confideret, ut ſcripto teſtaretur aut maritus aut Iudices nullius ſe flagitii compertam. Alioqui quoties, ut Romani loquebantur, bonâ gratiâ fiebat divortium, nullâ opus erat cognitione. Exemplum hujus illuſtre eſt apud Ioſephum Originum XVII, 1. Ἐν τούτῳ δὲ καὶ τὴν Ἀρχελάου θυγατέρα τοῦ βασιλέως Ἡρώδης ὡς τὸν αὐτῆς πατέρα ἐξέπεμψεν Ἀλεξάνδρῳ συνῳκηκυῖαν, ἐκ τοῦ αὐτοῦ τὴν προῖκα ἀποδούς, ὥστε ἀμφισβήτημα αὐτοῖς μηδὲν εἶναι [*Hoc ipſo tempore Herodes Regis Archelai filiam Alexandri uxorem ad patrem emiſit, de ſuo dotem reddens ne quid eſſet controverſiæ*]. Sed & illos falli apertum eſt, qui apud Moſen ערות דבר [*propter aliquam fœditatem*] ad ſtupri ſuſpicionem trahunt: quanquam ea non nova eſt ſed vetus Sameæ interpretatio, diſſentiente Hillele quem *Pollionem* Ioſephus appellat. Nam ſi Moſes in ea duntaxat ſpecie divortium conceſſiſſet in qua eam concedit Chriſtus, non diceret Chriſtus, eam conceſſionem factam *ob duritiem* Iudæorum contra originale inſtitutum, ad quod ipſe nos revocat, infrà XIX. 8. Marci X, 5. Neque rectè tum dixiſſet Moſes, *Si non ſit gratioſa apud eum.* Quid enim id opus dicere de adultera? Ex diverſis igitur Scholæ auctoribus nata illa quæſtio, *An liceret viro uxorem dimittere* κατὰ πᾶσαν αἰτίαν [*ex quavis cauſa*], infrà XIX, 3. Hodie Iudæi neque Sameam ſequuntur neque Hillelem. Probant enim divortium non κατὰ πᾶσαν αἰτίαν, ut Hillel, ſed ob multas tamen cauſas ἐκτὸς τῆς πορνείας [*extra ſtuprum*], quæ enumerantur in Digeſtis Thalmudicis, & nunc quoque à Magiſtris anxiè expenduntur. At Sameæ ſententiam ille ſequebatur cujus hoc proverbium exſtat de uxore, *Os quod tibi contigit rode.* Huic quæ de vocum iſtarum explicatione eſt quæſtioni adhæret altera inter Sacrorum librorum interpretes multùm agitata, An ſcilicet jus illud in Deuteronomo conſtitutum effecerit ut rectè id de quo agitur fieret, an duntaxat ut fieret impunè. Quin Deus potuerit introductum à ſe matrimonii vinculum relaxare, ſi vellet; quin etiam potuerit manente vinculo Iudicibus diſſimulationem imperare, dubitari non poteſt: ſola ergo voluntatis conjectura eſt. Mihi id quod poſterius dixi vero ſimilius videtur. Primùm, quia ob duritiem Iudæorum permiſſionem hanc factam Chriſtus docet, nimirum ne duriori tractationi aut etiam veneficiis daretur occaſio. Ad talem autem finem ſufficit ſola impunitatis conceſſio: neque ſolet malitia hominum privilegiis ſublevari. Accedit huc, quòd conſuetudo legis interpres nullam à marito cauſam diremti matrimonii exegerit. Alioqui enim non potuiſſet Ioſephus Mariam clàm dimittere. Potuit igitur maritus dicere quod Romæ dixit Paulus Æmilius, *Sibi optimè notum qua calceus urgeret.* Atqui aut nulla aut leviſſima de cauſa uxorem dimittere, ut jam de primæva Dei inſtitutione nihil dicam, vel ſola caritatis lex prohibebat, ſive uxorem reſpicias, quæ veluti ſupplex ad mariti tutelam confugit, ſive communes etiam liberos. Non potuit igitur factum quavis ex cauſa divortium rectum probumque cenſeri. Vnde ſequitur permiſſionem hanc, ſaltem in nonnullis caſibus, à pœna, non à vitio liberaſſe. Quin ne exemplum quidem ullius laudati viri, qui licere id ſibi voluerit, invenitur. Et Romani, cùm nulla lex repudium vetaret, annos tamen quingentos & viginti ſine exemplo repudii egerunt. Nec quiſquam ferme Scriptorum eſt qui non graviter reprehendat M. Tullium Ciceronem quòd levibus de cauſis Terentiam dimiſerit. Voluit igitur Deus vocibus illis ערות דבר, quæ *probrum* aut, ut LXX verterunt, ἄσχημον πρᾶγμα ſignificant, admonere Hebræos ne temere uxores dimitterent: cæterùm ut graviora mala evitarentur, & veritatem & gravitatem cauſæ noluit ad alienum arbitrium referri, ſed ipſius mariti animo id æſtimandum permiſit. Quod mirum non eſt, cùm veterum Gallorum aliarumque gentium leges jus vitæ ac necis in uxores maritis conceſſerint. At notum eſt quoſvis Iudices, quorum ſummæ ac liberrimæ poteſtati res aliqua permittitur, inſontes non eſſe ſi ab æqui bonique regula diſcedant. Ius ergo fuit ut quavis de cauſa uxorem maritus poſſet expellere, ſed ea notione qua Prætor *jus reddere* dicitur etiam cum injuſtè decernit, ut Paulus Iuriſconſultus loquitur: qui & alibi dixit *non omne quod licet honeſtum eſſe. Licere* enim in communi uſu aliquid dicitur quod extra pœnam eſt, & quominus fiat à nemine impediri poteſt. Ita licebat ante Antonini tempora dominis ſervos occidere indictâ cauſâ; ſed tamen qui id facerent ob cauſas non admodum graves eorum inhumanitas bonis odio erat: & Auguſtus narratur Senatori cuidam eo nomine ſuccenſuiſſe. Seneca optimè, *In mancipio cogitandum eſt non quantum illud* IMPVNE *pati poſſit, ſed quantum tibi permittat* ÆQVI BONIQVE *natura.* Sed Iudæi & humanitatis & caritatis immemores, quod Lex diſſimulabat, in eo nihil à ſe peccari arbitrabantur, aut certè cauſas quantúmvis futiles admittebant in moroſitatis ſuæ patrocinium. De loco Malachiæ II, 15. qui eſt obſcurior, illis aſſentior qui כי שנא שלח interpretantur *ſi odiſti, dimitte.* Fert hanc interpretationem Hebræa conſtructio: nempe potiùs quàm ut uxorem Hebræam velut mancipium tractes in gratiam extranearum mulierum. De hac duritie ait Propheta feminas apud Deum conqueri: & ut oſtendat facti iniquitatem, exemplo utitur Abrahami, viri cordatiſſimi, qui cùm juſtiſſimo teneretur deſiderio prolis, tamen eam noluit habere niſi ex piis matribus. Nam אחד [*Vnum*] Abrahamum vocari ſolere Iudæi magno conſenſu tradidere. Videtur autem nomen illud אחד Abrahamo adhæſiſſe ex eo quòd unus ex tanto hominum numero à Deo eſſet electus auctor ſancti & immenſi generis. Indicare hoc videtur Scriptor ad Hebr. XI, 12. Διὸ καὶ ἀφ' ἑνὸς ἐγεννήθησαν [*propter quod & ab Vno orti ſunt*], ubi ἀφ' ἑνὸς [*ab Vno*] eſt מאחד. quò trahi poteſt illud ejuſdem Scriptoris II, 11. Ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες [*qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur ex Vno omnes*]. Nam mox ſequitur, σπέρματος Ἀβραὰμ ἀντιλαμβάνεται [*ſemen Abrahæ apprehendit*]. Sicut autem Abrahamus אחד [*Vnus*], ita filius ejus Iſaacus cognomento vocatus creditur יחיד, id eſt, μονογενὴς [*Vnigenitus*], Geneſ. XXII, 2. Hebr. XI, 17. Sanchuniatho in Phœniciis, Ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς τῶν κινδύνων ἀντὶ τῆς πάντων φθορᾶς τὸ ἠγαπημένον τῶν τέκνων τοὺς κρατοῦντας ἢ πόλεως ἢ ἔθνους εἰς σφαγὴν ἐπιδιδόναι, λύτρον τοῖς τιμωροῖς δαίμοσι· κατεσφάττοντο δὲ οἱ διδόμενοι μυστικῶς· Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας, καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης υἱὸν ἔχων ΜΟΝΟΓΕΝΗ, ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι, κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμόν τε κατασκευασάμενος κατέθυσεν [*Mos fuit antiquis ut ubi magna pericula ſupervenerant, is qui in civitate aut gente regnaret dilectiſſimum filiorum in cædem daret, velut pretium diis Vltoribus pro communi exitio. Saturnus igitur, quem Phœnices Iſrael vocant, in ea regione regnans, qui & poſt vitæ exitum in Saturni ſtellam conſecratus eſt, filium habens* Vnigenitum *ex Nympha indigena dicta Anobret, quem ob id Iehud vocabant, quo nomine etiam nunc Phœnices unigenitum appellant, cùm maxima ex bello pericula eam regionem invaſiſſent, filium ornatum regaliter altari exſtructo mactavit*]. Quibus verbis homo Tyrius multis modis Sacram hiſtoriam depravans, quod ferè omnibus contigit non Iudæis qui res Iudaicas tradiderunt, Iſraelem pro Abrahamo, hoc eſt nepotem pro avo nominaſſe putatur, eundem dicens eſſe *Saturnum*, nimirum quia poſteri ejus Saturni die feriabantur: Ἀνωβρὲτ autem, id eſt הנברת ἐκλεκτὴν [*electam*], vocaſſe Saram. Nam Ἰεοὺδ pro Ἰεὶδ dialectus magis eſt quàm corruptio vocabuli. Sic & Orpheus μουνογενῆ [*Vnigenitum*] poſuit ἀντὶ τοῦ ἑνὸς [*pro Vno*], יחיד pro אחד, id eſt, Iſaacum pro Abrahamo, cùm ei dicitur nemo fuiſſe qui Deum verum rectè cognoſceret,

> Εἰ μὴ μουνογενής τις ἀπορρὼξ φύλου ἄνωθεν
> Χαλδαίων· ἴδρις γὰρ ἔην ἄστροιο πορείας.
> [*Vnigena ille niſi Chaldæo ſanguine cretus,*
> *Norat enim Solis qua ſe aſtrum lege rotaret.*]

Nam ſideralis ſcientiæ famam Abrahamus habuit, non Iſaacus. Beroſus, Μετὰ τὸν κατακλυσμὸν δεκάτῃ γενεᾷ παρὰ Χαλδαίοις τις ἦν δίκαιος ἀνὴρ, καὶ μέγας, καὶ τὰ οὐράνια ἔμπειρος [*Poſt Diluvium generatione decima apud Chaldæos vir fuit juſtus, & magnus, & cæleſtium peritus*]. Eupolemus, γενέσθαι Ἀβραὰμ γενεᾷ εὐγενείᾳ καὶ σοφίᾳ πάντας ὑπερβεβηκότα, ὃν δὴ καὶ τὴν ἀστρολογίαν καὶ χαλδαϊκὴν εὑρεῖν [*fuiſſe hoc tempore Abrahamum nobilitate & ſapientiâ ſupra cæteros eminentem, qui & Aſtrologiam & Chaldaicam artem invenerit*]. Artapanus, τὸν δὲ Ἄβραμον τὴν ἀστρολογικὴν ἐπιστήμην παιδευθέντα πρῶτον μὲν ἐλθεῖν εἰς Φοινίκην, καὶ τοὺς Φοίνικας ἀστρολογίαν διδάξαι· ὕστερον δὲ εἰς Αἴγυπτον παραγενέσθαι [*Abrahamum inſtitutum in Aſtrologica diſciplina primùm veniſſe in Phœnicen, ubi Phœnicas in Aſtrologia inſtituerit, inde iviſſe in Ægyptum*]. Nicolaus Damaſcenus, Θαυμασθεὶς οὖν ἀπ' αὐτῶν (Abrahamus ſcilicet ab Ægyptiis) ἐν ταῖς συνουσίαις ὡς συνετώτατος καὶ δεινὸς ἀνὴρ ὢν ἂν ἐπιχειρήσειε διδάσκειν, τήν τε ἀριθμητικὴν αὐτοῖς χαρίζεται, καὶ τὰ περὶ ἀστρολογίαν παραδίδωσι· πρὸ γὰρ τῆς Ἀβραάμου παρουσίας Αἰγύπτιοι τούτων εἶχον ἀμαθῶς· ἐκ Χαλδαίων γὰρ ταῦτ' ἐφοίτησεν εἰς Αἴγυπτον· ὅθεν ἦλθε καὶ εἰς τοὺς Ἕλληνας [*Cùm ex colloquiis admirati illum eſſent, ut qui peritiſſimus eſſet & aptiſſimus ad ea quæ vellet alios docenda, ipſe eis & Arithmeticam & Aſtrologiam tradidit: nam ante Abrahami adventum ignorabant iſta Ægyptii. A Chaldæis quippe iſta in Ægyptum, inde ad Græcos pervenerunt*]. Orpheus igitur, quem in Ægypto fuiſſe docet nos Diodorus Siculus, ibi de Abrahamo deque Moſe ea intellexerit quæ deinde aut ab ipſo aut (quod Tatiano placet) ex ipſius libris ab Onomacrito in verſus relata ſunt. Hæc quidem ita probabiliter de illo Philonis Byblii loco ſecundùm alios dicta ſunto.

Ego enim magis credo Ισραὴλ errore apud Euſebium ſcriptum pro ἶλ, quia tali compendio ἶλ Græcis Chriſtianis Ισραὴλ notabatur: ἶλ autem apud Philonem Byblium nomen fuerit Regis, cujus vocabulum datum fuerit ſideri Saturni. Nam & alibi idem Philo Byblius Ιλον [*Ilum*] ait Phœnicibus dici qui Κρόνος [*Saturnus*] eſt Græcis; איל [*fortitudo*, *virtus*] ſcilicet, pro quo alii אל.

32. Εγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, *Ego verò dico vobis*] Quod antè diximus, nullam juris per Moſem promulgati partem à Chriſto infringi, at præcepta interim dari meliora quàm Lex illa, præſertim quatenus in judiciis obſervabatur, exigebat, ei tamen Divinæ voluntati convenientia cujus veſtigia in Moſe & Prophetis apparerent, hîc in memoriam revocandum eſt. Senſus enim eſt, Lex Moſis ne quid gravius eveniret, tibi de uxore judicium indulſit: Tu vide ut tanta poteſtate humanè utaris, certus nulla Deo placere divortia niſi quæ ſumma neceſſitas extorſit. In expoſitione ſententiarum Benſyræ legitur, *Si quis uxorem habeat moroſam & eam non repudiet*, *eum non venire in judicium*, id eſt, eâ patientiâ Deum obtinere propitium.

παρεκτὸς λόγου πορνείας, *excepta fornicatione*] Εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, infrà XIX, 9. לבר מן מלתא דזניותא Syrus hoc loco, id eſt, *extra cauſam ſtupri*; altero loco דלא גורא, *quæ non ſit adultera. Præter crimen adulterii* dixit Lactantius. Πορνείας [*fornicationis*] nomine omnem modum imminutæ pudicitiæ intelligi poſſe pridem diximus: quomodo & Plautus aliique *ſtuprum* pro *adulterio* poſuerunt. At ſunt qui πορνείας vocem imitatione Hebraiſmi latiùs porrigi velint, ad ea etiam delicta quæ ad pudicitiæ damnum non pertinent. Argumentum ſumunt ex loco Iud. XIX, 2. ubi de concubina Levitæ dicitur ותזנה עליו, quo ſignificari videtur non concubinam cum ipſo Levita conſueſſe (id enim nihil novi, neque concubina apud Hebræos ſtupri aut lege aut infamiâ tenebatur, cùm à matre familias tantùm dignitate diſtaret, & eo quòd liberis ex ea natis jus non eſſet ſuccedendi patribus in rebus ſoli: unde Ioſephus παλλακίσι [*concubinis*] directè opponit εὐγενίδας [*nobiles feminas*]· & alibi τὰς διασήμων θυγατέρας [*virorum illuſtrium filias*]), ſed potiùs eam ipſi contumaciter immorigeram fuiſſe, ac tandem (quod ſequitur) fugâ deſeruiſſe ipſius contubernium. Quam interpretationem & conſtructio vocum exigere videtur, & clarè exprimit Chaldæus interpres. LXX verterunt ὠργίσθη αὐτῷ [*irata ei fuit*]. Ioſephus, ἀλλοτρίως εἶχε [*alieno fuit animo à viro*]· deinde, καταλιποῦσα τὸν ἄνδρα [*cùm virum deſeruiſſet*]. Alterum quod affertur de falſorum Deorum cultu, qui eodem nomine indicari ſolet, minùs firmum eſt, cùm in ea tralatione maneat adulterii ſignificatus, quia nimirum fedus cum Deo initum matrimonii habet ſimilitudinem. Ego, cùm vox πορνείας [*fornicationis*], & quæ huic ſunt παρώνυμα [*agnata*], tum apud Græcos tum apud horum librorum Scriptores perpetuam impudicitiæ ſignificationem habeat, ne hîc quidem recedendum ab uſu & proprietate vocis exiſtimem. Interim, ut hujus loci ſenſus rectè accipiatur, obſervandum eſt Chriſtum toto hoc ſermone non Leges conſtituere Civiles, ſed animis ſingulorum dare Præcepta: & hîc nominatim ab eo exponi, quo caſu vir bonus legis communis ad divortia ſpectantis beneficio uti poſſit. Quare cum lex ipſa maritum ad Iudicem non remittat, ne Chriſtus quidem id facere cenſendus eſt. Et ſanè ſi maritus paratus eſſet probare adulterium Iudici, jam non de dirimendo matrimonio, ſed de punienda adultera ageretur. Quòd ergo ſtuprum juſta eſſe divortii cauſa dicitur, id referri debet aut ad maritos lenes, qui ad pœnam depoſcere uxores nolunt, qualis erat Ioſephus Mariæ conjunx; aut ad eos qui quod ipſi credunt aut fortè etiam certò compererunt probare tamen ſe in judicio poſſe diffidunt, quò illud Hieronymi pertinet, *Vbicunque eſt fornicatio & fornicationis ſuſpicio*, *liberè uxor dimittitur*. Quod tamen non ita accipiendum eſt ut quivis motus animi ſuſpicacis ad piè ſanctéque faciendum divortium valere debeat; ſed ne ad legum ſubtilitatem res exigatur. In iſto autem quæſtionum genere nihil certi definiri poteſt: ſed omne hoc ex æquo bonoque æſtimandum eſt, medio itinere inter anxiam credulitatem & craſſam ſupinitatem. Theodoſius junior Imperator Chriſtianus, & pius, & Epiſcoporum quotidiano uſus conſilio, in quæſtione divortii, impudicitiæ conjecturas ad ſui ſeculi mores temperans, ſufficere judicavit ſi mulier viro ignorante vel nolente extraneorum virorum convivia appeteret; ſi ipſo invito, ſine juſta & probabili cauſa, foris pernoctaret niſi apud ſuos parentes; vel ſi Circenſibus Theatralibusve ludis aut arenarum ſpectaculis ipſo prohibente gauderet. Quibus iſtas addidit Iuſtinianus, Si uxor de induſtria abortum fecerit; ſi commune lavacrum cum viris habuerit ſi dum eſt in matrimonio cum alio viro de matrimonio egerit. Reſtat difficilis quæſtio, An quod hîc dicitur *extra adulterii cauſam* tam rigidè ſit accipiendum ut nulla alia cauſa animum poſſit tranquillum reddere. Qui in hac ſola cauſa conſiſtunt urgent verba ἐκτὸς [*extra*], εἰ μὴ [*niſi*], &, quod dici ſolet, eam eſſe vim exceptionis ut poſitæ definitionis generalitatem adſtruat. Sed contrà notat Origenes verba hæc poni magis enuntiando quàm jubendo. Neque rarum eſt ut in tali ſermone id quod ex occaſione dicitur exempli magis quàm adſtringendi vim habeat. Non enim in humanis tantùm ſed & in Dei legibus palàm eſt ſæpe facti aliquam ſpeciem frequentiorem exprimi, ex qua deinde cætera colligi debeant, ut Exodi XXI, 18, 19, 20, 26. Deuteronomii XIX, 5: Atque ea interpretatio multò faciliùs procedet, ſi παρεκτὸς λόγου πορνείας hîc interpretemur *cùm nulla ſubſit cauſa adulterii*, & ſi infrà XIX, 9. cum codice Complutenſi legamus non εἰ μὴ ἐπὶ πορνείᾳ ſed μὴ ἐπὶ πορνείᾳ id eſt *non ob adulterii cauſam*. Nam tales locutiones (quas utroque loco de induſtria Syrus videtur expreſſiſſe) ſpeciem facti declarant magis quàm ſtrictam exceptionem. Sed etſi ponamus eſſe exceptionem, poteſt eadem manere ſententia. In omnibus enim legibus, etiam maximè odioſis, quales ſunt quæ pœnam irrogant, receptum eſt, ut ubi eadem eſt ratio jus idem valeat: in benignioribus autem legibus etiam à paribus ad paria procedit interpretatio. Quòd ſi diligenter advertamus ad naturam omnium Chriſti præceptorum, reperiemus & originem eorum

& conſummationem in caritate conſiſtere, quæ ita nos vult aliis conſulere ut ne in nos ipſos crudeles ſimus, quemadmodum docet Paulus II Corinth. VIII, 13. Quavis de cauſa uxorem protrudere, ſævum eſt, inhumanum eſt. Ciceroni exprobrabat Antonius ἐκβαλεῖν αὐτὸν γυναῖκα παρ' ᾗ ἐγήρασε [*quòd uxorem ejeciſſet cum qua conſenuerat*]. Dictum prudenter à Varrone,

Vxoris vitium tollas opus eſt, aut feras.
Qui tollit vitium, uxorem commodiuſculam
Sibi præſtat; qui fert, ſeſe meliorem facit.

Ad quem locum appoſitè Gellius *vitium* ait *ferendum eſſe quod ferri ſcilicet à viro honeſtè poteſt: vitia enim flagitiis leviora eſſe.* Quantò autem hoc juſtiùs à Chriſtiano patientiæ diſciplinam profeſſo exigitur? qui in ipſos inimicos benignus eſſe jubetur, is in ſociam vitæ erit implacabiliter iracundus? Hîc ſtatim ſuccurrit, Nulláne igitur de cauſa dimittere licet, nequidem ſi alienæ libidini ſe ſubſtraverit? Imò verò eadem æquitas quæ uxori conſuluerat, hîc & viro conſulit, ne retinere cogatur impudicam. In Clementis Conſtitutionibus legitur, ὁ κατέχων τὴν παραφθαρεῖσαν, φύσεως θεσμοὺς παράνομος· ἐπείπερ ὁ κατέχων μοιχαλίδα ἄφρων καὶ ἀσεβής [*qui impudicam retinet in naturæ leges eſt injurius: nam qui adulteram retinet & imprudens eſt, & impius*]. In canone VIII Synodi Neocæſarienſis, Ἐὰν μετὰ τὴν χειροτονίαν μοιχευθῇ (γυνή τινος) ὀφείλει ἀπολῦσαι αὐτήν [*Si poſt ipſius ordinationem uxor ipſius mœchetur, debet eam dimittere*]. Eliberini Concilii canon LXV. *Si cujus Clerici uxor fuerit mœchata, & ſcierit eam maritus ſuus mœchari, & non ſtatim eam projecerit, nec in fine accipiat communionem: ne ab his qui exemplum bonæ converſationis eſſe debent, ab eis videantur ſcelerum magiſteria procedere.* Et hæc cauſa videri poteſt, cur Marcus X, 11. & Paulus I Corinth. VII, 10. hoc Chriſti præceptum commemorantes, verbis utantur generalibus, nulla exceptione appoſita: nimirum quia tales exceptiones ex naturali æquitate venientes tacitè inſunt legibus quantúmvis generaliter pronuntiatis. Videndum ergo eſt an eadem æquitas non poſſit etiam in aliis caſibus, quanquam minùs frequentibus, ideoque memoratu haud æquè neceſſariis, locum habere. Quid ſi enim uxor veneno vitæ mariti inſidiata fuerit? quid ſi, quod ponit Origenes, communia pignora interfecerit? aut abortum ſibi procuraverit, quod ad jus divortii valere voluit Imperator Leo? Dicat hîc fortè aliquis adulterium magis quàm cætera crimina pugnare cum fine matrimonii. At enim non prolis ſolius, ſed & mutui auxilii causâ conjugium eſt inſtitutum: nec quicquam poteſt contractui tam arctæ ſocietatis magis eſſe adverſum quàm quod in vitam committitur. Romani veteres diſtinguebant in divortiis inter mores graviores & leviores: ac fortè putet aliquis tale diſcrimen à Chriſto reſpici & notiſſimo exemplo declarari. Chriſtiani quos dixi Imperatores extra adulterium aliquot ſcelera enumerant, quibus probatis maritus ſine ullo damno uxorem repudiet: & quod eſt amplius, ea ſi probare nequeat, non ſimpliciter repudium vetant, ſed in arbitrio mariti relinquunt, malitne uxorem retinere, an dotem reddere & amittere quod propter nuptias donavit. Feminis Iudæis non licebat ſponte ſua à marito divortere. Neque Chriſtus quicquam de illis pronuntiat, ne quidem in adulterii caſu. At legibus Romanis par erat jus mariti & feminæ, quos propterea pari ſorte componit Paulus Apoſtolus I Cor. VII, 15. Iuſtinus Martyr Apoſtolicis temporibus proximus in Oratione ad Senatum Romanum laudat feminam Chriſtianam quæ uſa Romano legis beneficio marito ultra fas libidinanti repudium miſit & ab eo divortit, ὅπως μὴ κοινωνὸς τῶν ἀδικημάτων καὶ ἀσεβημάτων γένηται, μένουσα ἐν τῇ συζυγίᾳ, καὶ ὁμοδίαιτος καὶ ὁμόκοιτος γινομένη [*ne participaret ipſius flagitia & impietatem, ſi in conjugio maneret vitæ ei & cubilis conſors*]. Sed additur, feciſſe hoc illam poſtquam diu monendo precandoque nihil apud eum profecerat. Viri autem ſcortantis uxorem eam ob cauſam diſcedere à matrimonio non potuiſſe, obſervatum perpetuò inter Chriſtianos notant Græci ad Canonem Apoſtolicum XLVIII. & Baſilius Reſponſo IX. Idemque in Occidente obſervatum apparet ex Eliberino canone IX. *Femina fidelis, quæ adulterum maritum reliquerit fidelem, & alterum ducit, prohibeatur ne ducat: ſi duxerit, non priùs accipiat communionem niſi quem reliquerit priùs de ſeculo exierit.* Hæc aliaque hujus generis cogitatu ſunt non indigna. At mihi expendenti ea quæ Paulus ad Corinthios ſcribit, certum fit Chriſti hæc verba non ulteriùs extendenda quàm ad conjuges quorum uterque Chriſti diſciplinam profitetur. De his enim Paulus præceptum Dominicum ait exſtare; de aliis diſertè aliquid à Domino præceptum negat. Auguſtinus Epiſtolâ LXXXIX. *Ambobus quippe Chriſtianis Dominus præcepit, ne quiſquam dimittat uxorem, exceptâ causâ fornicationis*: quæ diſtinctio maximi eſt momenti. Nam inter tales, etiamſi quid peccatum ſit gravius, non eſt deſperanda reconciliatio, quamdiu uterque manet in eadem profeſſione. Sunt enim communes monitores quorum æquis conſiliis parêre debeant. Ab hac profeſſione non vitium quodlibet ſed præfracta in vitiis contumacia excludit: *Qui* enim, ut Tertullianus loquitur, *excedunt de regula diſciplinæ, deſinunt haberi Chriſtiani.* Quo rectè expenſo ceſſare videntur præcipuæ quas movimus difficultates. Eſto enim, deliquerit conjunx in conjugem: Debet eſſe pœnitentiæ, debet & veniæ locus. Iracundia & ultionis cupiditas abeſſe debent. Quid igitur obſtat, quominus in matrimonio retineatur ea quam ſeriò facti pœnitet, niſi pudicitia ſit imminuta? Quo tamen ipſo caſu multi Chriſtianorum ab altero matrimonio abſtinebant, quod ipſum ita probare videtur Clemens Alexandrinus ut tamen non exigat quaſi neceſſarium. Quidam etiam, ut Hermas, putabant mulierem poſt unum delictum verâ pœnitentiâ tactam recipi iterum debere; atque ob eam ſpem ab altero matrimonio abſtinendum. Quam ſententiam ex bonitate peculiari magis ortam quàm ex communi receptaque lege tum ex aliis tum ex Tertulliano apparet, qui non uno loco oſtendit ſolitos ſuo tempore ad matrimonium alterum admitti qui ob adulterium uxorem dimiſiſſent. Idem ſuo tempore à quibuſdam Epiſcopis permiſſum narrat Origenes: ſed & ſeriùs Conciliis Eliberino & Aurelianenſi & Arelatenſi primo & Venetico decretum eſt id licere: quod nunc quoque Græci obſervant. Vide Chryſoſtomum Oratione altera De his qui cum Iudæis jejunabant, circa finem. Etiam Lactantius dixit, *adulterum eſſe qui à marito dimiſſam duxerit, & eum qui præter crimen adulterii uxorem dimiſerit ut alteram ducat.* Vide notas doctiſſimas Iacobi Sirmondi ad Aviti Epiſtolam XLIX.

ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι· *facit eam mœchari*] Lex per Moſem data feminæ dimiſſæ libertatem concedit migrandi ad alteras nuptias; ſed poſt eas contractas vetat eam ad priorem maritum redire, ne ſcilicet ſpecie divortii alii aliis uxores darent uſurarias, quod profani etiam Scriptores in Lacedæmoniis & Catone reprehendunt. Et libellus ipſe, ut diximus, continet expreſſam ejus libertatis mentionem. Neque hîc poteſt dici, quod modò de marito dicebamus, permitti quidem ipſi arbitrium, ſed quo debeat ex bono & æquo uti. Nam marito liberum eſt uxorem retinere; uxori autem non ſemper liberum eſt ad maritum reverti. Neque poterat maritus judicio cogi ut dimiſſam reciperet. Nec cuiquam interdictum erat repudiatam ducere præterquam Sacerdoti, cujus uxor, ut ille dicebat, non culpâ tantùm ſed & culpæ ſuſpicione vacare debebat, Levitici XXI, 7. Ezechiel. XLIV, 22. Cæteris ergo rite nubebat. At Chriſtus, quod majoris mali vitandi cauſa Lex Moſis diſſimulabat, ex naturali æquitate prohibet ſua inſtituta ſectantibus. Quomodo autem qui dimittit uxorem adulteram eam efficiat videamus. Nimirum fieri poterat fiebatque ſæpe apud Iudæos (quos *projectæ libidinis* Tacitus notat) ut mulier ignominiâ divortii notata, & ut Moſes loquitur *polluta* maritum alterum non inveniret, atque ita dejecta à ſpe nuptiarum tandem ad vagos concubitus delaberetur; nam eos quoque μοιχείας [*mœchiæ*] voce indicari ſolere jam antè indicatum eſt. Ejus autem mali culpam meritò Chriſtus in eum rejicit qui levi de cauſa ſuæ fidei tutelæque traditam, neque dum ullius talis flagitii compertam, à ſe inclementer amoverat. Quin etiamſi caſu fortè eveniret ut illibata maneret mulieris pudicitia, tamen quia per illum non ſtetit quò minùs res peſſimè verteret, meritò illi quod fieri potuit pro facto imputatur. Hunc ſenſum rectè mihi videtur attigiſſe Ambroſius: *Quàm periculoſum*, inquit, *ſi fragilem adoleſcentulæ ætatem errori offeras!*

καὶ ὃς ἐὰν ἀπολελυμένην γαμήσῃ μοιχᾶται. *& qui dimiſſam duxerit, adulterat*] Abfuiſſe hanc particulam à quibuſdam exemplaribus teſtatur Auguſtinus. At nunc in omnibus legitur, ut & infrà cap. XIX. Videtur autem Chriſtus agere de ducente dimiſſam à viro qui tamen diſciplinæ ejuſdem maneat, ac cujus proinde ingenium haberi debeat ſanabile. Nam de talibus conjugiis à Chriſto agi Paulus, ut dictum eſt, nos docet. Alioqui manente Moſis Lege, ut certè manebat eo tempore, durum fuiſſet ſine diſcrimine tanquam adulteros damnari qui dimiſſam duxiſſent. Quid ſi enim feminam alienâ injuriâ proculcatam & de pudicitia periclitantem miſericordiâ motus aliquis in matrimonium ſuſcepiſſet? Intelligendum hoc ergo de illis qui dimiſſas excipiebant, non tentatis priùs omnibus viis ad reconciliandum prius matrimonium, quod omnino faciendum docet Paulus I Corinth. VII, 11. aut quod pejus eſt, alienis uxoribus inhiantes per divortia ſibi nuptiis ſternebant viam. Neque aliò mihi ſpectare videntur pleniora verba quæ infrà legimus XIX, 9. ubi dicitur *committere adulterium* maritus prior, hoc addito *ſi aliam duxerit*; atque itidem *committere adulterium qui dimiſſam ducit:* ut ſcilicet in illum recidat adulterii crimen qui novo matrimonio interjecto ſpem reſtituendæ concordiæ abrupit. Clemens Strom. II. Οὐ μόνον δὲ ὁ ἀπολύσας αἴτιος γίνεται τούτου, ἀλλὰ καὶ ὁ παραδεξάμενος αὐτὴν, ἀφορμὴν παρέχων τοῦ ἁμαρτῆσαι τῇ γυναικί· εἰ γὰρ μὴ δέχοιτο, ἀνακάμψει πρὸς τὸν ἄνδρα [*Non ſolùm is qui dimiſit culpam hanc contrahit, ſed & is qui eam recipit, peccandique occaſionem dat mulieri: nam ſi eam nemo reciperet, rediret ad maritum*]. Canon decimus Concilii Eliberini ſic habet: *Quod ſi fuerit fidelis quæ ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, & cùm ſcierit illum habere uxorem quam ſine cauſa reliquit, placuit huic nec in fine dandam communionem.* Hac ſcilicet de cauſa Theodoſii Lege conſtitutum fuit, ut mulier quæ viro miſiſſet repudium, intra quinquennium nubendi non haberet poteſtatem: & Anaſtaſii Lege, ne etiam bonâ gratiâ ſive communi conſenſu facto divortio intra annum liceret mulieri ad ſecundas nuptias convolare. Nec longè abit quòd Athenis mulier à viro divertere volens non per aliam ſed per ſe ipſa ferre libellum ad Magiſtratus debuit, eóque virum vocare, ut Plutarchus Alcibiade notavit. Quæ omnia ſicut prudenter ac ſalutariter ſunt conſtituta ad fovendam ſpem reconciliationis, & ne per divortiorum facilitatem adulteria nuptiis agglutinarentur: ita durum viſum eſt Imperatoribus eam quæ à viro ſit dimiſſa, nullo unquam tempore, ac ne quidem poſt tentata omnia quæ ad reconciliationem faciebant, exploratamque inſanabilem & indignam Chriſtiano homine mariti contumaciam, ad alteras nuptias admitti. Itaque Conſtantini Lege uxor mariti abſentis, poſt interventum annorum quatuor, nullo ſoſpitatis ejus accepto indicio nubere alteri permittitur: quod quanquam ſublatum eſt ab Imperatore Iuſtiniano, aliud tamen ab eodem conſtitutum eſt in quo multò minus eſt æquitatis, nimirum ut marito aliquanto tempore in captivitate detento ſolvi poſſit matrimonium. Quod verò Paulus ait I Corinth. VII, 39. manere feminas maritis obnoxias vita manente, ad divortiorum quæſtionem non pertinet, cùm nihil aliud ibi probare inſtituerit Paulus quàm ultra mortem mariti conjugale vinculum non extendi, ac proinde ſecundas nuptias non rectè damnari. Quin idem Apoſtolus alibi, quanquam diverſo fine, idem enuntiatum uſurpans Legem Moſis citat autorem Romanor. VII, 1. At Lege Moſis dubium non eſt etiam ante mortem poſſe divortio connubium dirimi. Sed ad Chriſti verba redeamus. Dicit is adulterii crimine teneri eum qui dimiſſam arripit, non modò quia feſtinatæ poſt divortium nuptiæ ſuſpectæ eſſe ſolent retro adulterii: quò ſpectans Martialis dixit,

toties quæ nubit adultera lege eſt:
Offendor mœcha ſimpliciore minus.

Et Mimus,

Habent locum maledicti crebræ nuptiæ.

Verùm etiam quia adulterium eſt apud Deum quicquid matrimonio adverſatur, neque multùm refert amorem quis conjugi debitum in ſe derivet, quod adulterium eſſe etiamſi actus non ſequatur jam ante apparuit, an verò ſemet interponat ne poſt friguſculum amor redintegretur. Sed hæc quæ de divortiis dixi poſt Eraſmum, Cajetanum, Catharinum & alios, eo dixi animo ut piis & eruditis occaſionem darem rei diligentiùs excutiendæ. Nihil definio, nihil certi pronuntio. Valeat in dubio ea ſententia quæ quàm maximè ſanctam & inconcuſſam vult eſſe matrimonii fidem, ne temere rumpamus vinculum à Deo inſtitutum.

33. Οὐκ ἐπιορκήσεις, *Non perjurabis*] Quid ſit τὸ ἐπιορκεῖν [*perjurare*], de eo non idem Philoſophi exiſtimarunt: atque inter alios duo nobiles Magiſtri Porticûs diverſa tradiderunt. Cleanthis erat ſententia, τὸν ὀμνύοντα εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν καθ' ὃν ὄμνυσι χρόνον· ἐὰν μὲν γὰρ οὕτως ὀμνύῃ, ὡς ἐπιτελέσων τὰ κατὰ τὸν ὅρκον, εὐορκεῖν· ἐὰν δὲ πρόθεσιν ἔχων μὴ ἐπιτελεῖν, ἐπιορκεῖν [*eum qui jurat, ſanctè agere aut perjurare quo tempore jurat; nam ſi eo animo juret, ut effecturus id quod jurat, ſanctè eum jurare: ſin propoſito id non efficiendi, perjurare*]. At longè aliter ſentiebat Chryſippus: aliud enim eſſe τὸ ἀληθορκεῖν [*verum jurare*], aliud τὸ εὐορκεῖν [*ſanctè agere in jurejurando*]· item aliud τὸ ἐπιορκεῖν [*perjurare*], aliud τὸ ψευδορκεῖν [*falſum jurare*]· quod ita explicat; verba enim ipſa apponam, quia ad horum verborum intellectum apprimè faciunt: Τὸν μὲν γὰρ ὀμνύοντα καθ' ὃν ὀμνύει καιρὸν πάντως ἢ ἀληθορκεῖν ἢ ψευδορκεῖν· τὸ γὰρ ὀμνύμενον ὑπ' αὐτοῦ ἢ ἀληθὲς εἶναι ἢ ψεῦδος, ἐπειδὴ ἀξίωμα τυγχάνει ὄν· τὸν δὲ ὀμνύοντα μὴ πάντως καθ' ὃν ὀμνύει χρόνον ἢ εὐορκεῖν ἢ ἐπιορκεῖν, ὅτε μὴ πάρεστιν ὁ χρόνος εἰς ὃν ἡ ἀναφορὰ τῶν ὅρκων ἐγίγνετο· ὃν τρόπον γὰρ λέγεταί τινα εὐσυνθετεῖν ἢ ἀσυνθετεῖν, οὐχ ὅτε συντίθεται, ἀλλ' ὅτε οἱ χρόνοι ἐνίστανται τῶν κατὰ τὰς ὁμολογίας, οὕτω καὶ εὐορκεῖν τις καὶ ἐπιορκεῖν ῥηθήσεται, ὅταν οἱ καιροὶ παραστῶσι καθ' οὓς ὡμολόγησεν ἐπιτελέσειν τὰ κατὰ τοὺς ὅρκους [*Nam eum qui jurat quo tempore jurat, omnino aut verum aut falſum jurare; nam quod juratur aut verum eſſe aut falſum, cùm ſit enuntiati genus. At eum qui jurat non ſemper quo jurat tempore aut ſanctè obſervare jusjurandum, aut perjurare, ubi tempus nondum adeſt ad quod ſe refert juratio. Sicut enim dicitur aliquis pacta ſervare aut frangere, non cum paciſcitur, ſed cum dies advênit pacto præfinitus: ſic & ſervare ſanctè jusjurandum aut perjurare quis dicitur, poſtquam advenerit tempus quo ſe impleturum jurata dixerat*]. Quibus verbis ſignificat Chryſippus verba juramenti promittentis in futurum tempus concepta veritatem ſuam aut falſitatem habere non ex eventu qui ſit incertus, ſed ex animo jurantis; quare verbum *Hoc faciam* ita accipiendum, *Dico ex animi ſententia me facturum.* Nam ita ſi proferatur enuntiatio, jam hoc ipſo tempore aut vera eſt aut falſa: quia verò per talem prolationem juratam voluntas antè ſoluta ita colligatur ut perſeverare debeat, eò fieri ut cùm ab eo propoſito diſceditur, quod apparet ubi implendi tempus advênit, dicatur tum demum perjurium committi. Et hanc ſententiam amplexus eſt Cicero De officiis tertio. Cæterùm communior uſus non tam ſubtiliter iſta diſtinguens promiſcuè uſurpat ἐπιορκεῖν [*perjurare*] & ψευδορκεῖν [*falsò jurare*] tum de eo juramento quod fallendi animo committitur, tum de levitate ejus qui promiſſa non implet. Quare quod hîc eſt οὐκ ἐπιορκήσεις Syrus vertit דלא תרגל במומתך *Non mentieris in jurejurando.* Omnino autem arbitror hoc loco à Chriſto uſurpata ipſa Decalogi verba לא תשא את שם יהוה אלהיך לשוא [*Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum*] Nam שוא, quod Philo vertit ἐπὶ ματαίῳ [*in vanum*] (quomodo & LXX), Hebræorum doctiſſimi, quos inter Rabbinus Abraham, interpretantur *falsò*, ut nimirum propriè ac primariò vetetur omnis diſconvenientia aut animi aut facti cum jurejurando. Sane שוא, & שקר quod *mendacium* denotat, pro eodem poni ex ipſo etiam Decalogo apparet. Nam quod in Exodo eſt לא תענה ברעך עד שקר [*Non loquêris contra proximum tuum falſum teſtimonium*], id ipſum in Deuteronomio ſcribitur לא תענה ברעך עד שוא. Vtroque autem loco LXX verterunt οὐ ψευδομαρτυρήσεις κατὰ τοῦ πλησίον σου μαρτυρίαν ψευδῆ [*Non loquêris contra proximum tuum teſtimonium vanum*]. Sic Exodi XXIII, 1. לא תשא שמע שוא [*Non ſuſcipies vocem vanam*] Hieroſolymitanus interpres vertit דשקר [*mendacii*] quo ipſo loco LXX cùm vertant ἀκοὴν ματαίαν [*ſermonem vanum*], ſatis oſtendunt ſibi ματαίαν idem valere quod ψευδῆ [*falſum*]. Sic & in Pſalmo XII, 3. שוא ידברו μάταια ἐλάλησεν ἕκαστος, haud dubiè eſt *mentiti ſunt*: ſequitur enim χείλη δόλια [*labia doloſa*], Zachariæ X, 2. חלמות השוא iidem LXX vertunt ἐνύπνια ψευδῆ [*ſomnia falſa*]. Sic & Pſalmus XXIV in deſcriptione ejus qui in Domini montem eſſet adſcenſurus, cùm dixiſſet לא נשא לשוא נפשי οὐκ ἔλαβε ἐπὶ ματαίῳ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*non accepit in vano animam ſuam*] (reſpicitur formula jurisjurandi, *Ita vivam*) ſtatim explicat ולא נשבע למרמה καὶ οὐκ ὤμοσεν ἐπὶ δόλῳ [*nec juravit in dolo*]. Hieronymus etiam שוא voce *mendacii* aliquoties reddidit: unde apparet non ſatis certam eſſe eorum ſententiam qui dictis Decalogi verbis directè putant vetari juramenta ob cauſas non ſatis graves. Nam, ut modò dixi, Decalogus ſumma peccata nominat, cætera ex mente auctoris vult colligi

Ἀποδώσεις δὲ τῷ Κυρίῳ τοὺς ὅρκους σου· *reddes autem Domino juramenta tua*] Expoſitio eſt ejus quod præceſſit: nam qui nolit pejerare, eum oportet implere fidem jurisjurandi. Sed & verba propè eadem exſtant Numer. XXX, 2. Vocem ἀποδιδόναι [*reddendi*] eodem ſenſu de voto uſurpat Ariſtides ubi ait, *Si totum perſolvi nequeat, certè partem perſolvendam:* οὐ γὰρ ἐκλειπτέον οὐδὲν εὐκταῖόν φασιν, ἀλλὰ πᾶν ὁτιοῦν ἀποδιδόμενον κρεῖττον ἢ καθάπαξ ἐκλειφθέν [*nihil omittendum, ajunt, de eo quod quis voverit: ſed quidvis redditum melius eſt quàm ſi totum omittatur*]. Deo autem perſolvi dicitur id quod juratum eſt, quia etiam qui homini aliquid promittit Deum teſtem & perfidiæ ultorem invocans, ſimul Deo ſe obligat. Ideo dicto Numerorum loco conjunxit Moſes Votum & Iusjurandum. Apparet hinc propriè Chriſtum hoc loco agere de Iuramento quod Promiſſorium dicitur. Nam de Iurejurando Teſtimoniali exſtat alterum Moſis præceptum: quanquam verum eſt quæ de illo dicuntur etiam ad iſtud ex paritate rationis intra certos limites & poſſe & debere aptari. Vir bonus

Pſalmo XV inter alia hac nota depingitur, *Quòd juratus aliquid, etiam cum damno ſuo id præſtet.* Sapienter à Seneca notatum eſt quædam non rectè facta extra fori cognitionem poni debere, quò magis in voluntariis actionibus eluceat virtutum vitiorumque diſcrimen; atque ideo in ingratos nullam apud pleroſque populos prodi Actionem. Plato De Legibus undecimo, venditori qui de rei venditæ pretio in creditum iverit, Actionem negat; quod & Charondæ placuiſſe notarunt alii. At Romæ ex pacto Actio non dabatur, niſi aut συνάλλαγμα [*contractus*] aut ſolennis ſtipulatio acceſſiſſet. Apud Iudæos nulla pacta in Iudiciis valuiſſe videntur niſi quæ firmata eſſent religione jurisjurandi, neque verò cujuſlibet jurisjurandi, ſed talis in quo Deus aut expreſsè nominaretur aut ex ſapientium interpretatione pro nominato haberetur. Quemadmodum verò apud Romanos veteres, narrante Polybio, rarus fuit uſus jurisjurandi, imò & teſtium & ſignorum in contractibus, quia vix inveniebatur qui quovis modo datam fidem læderet, ita par credi eſt, & apud Iudæos initio non adeò frequentem fuiſſe jurisjurandi conſuetudinem: ſed creviſſe eam creſcente perfidia.

34. μὴ ὀμόσαι ὅλως· *non jurare omnino*] Graviter falluntur qui ſolam à Chriſto improbari putant conſuetudinem jurandi per res alias extra Deum. Nam Iacobus optimus Chriſti interpres ait *Non jurandum, neque per cœlum, neque per terram, neque alia quavis jurandi formula.* Imò ſenſus Chriſti eſt, Non jurandum ne quidem per cœlum, per terram, per Hieroſolyma, per caput, quod oſtendit membrum oppoſitum, *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt; non, non.* Cauſa hujus dicti non dubiè hæc eſt, quòd Iudæorum Magiſtri probatiores ita abſterrerent homines à facilitate jurandi, ut id tamen vellent ad eas duntaxat formulas pertinere quibus directò Deus nominaretur, quale eſt illa Iudæis ſanctiſſima חי אלה [*Deus vivit*], quod corruptè Martialis extulit, *jura, verpe, per Anchialum.* At quominus in uſu quotidiano per res minores juraretur non intercedebant. Apertiſſimum hoc facit Philo in libro περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων [*De ſpecialibus Legibus*]. Cùm enim indecorum eſſe dixiſſet ob res quaſlibet ἐπὶ τὸν ποιητὴν καὶ πατέρα τῶν ὅλων ἀνατρέχειν [*recurrere ad omnium auctorem ac patrem Deum*], addidit jurari poſſe per parentes, terram, Solem, aſtra, Vniverſum. Planè ut ad Homerum notant interpretes, Græcorum vetuſtiſſimos non eſſe ſolitos προπετῶς κατὰ τῶν Θεῶν ὀμνύειν, ἀλλὰ κατὰ τῶν προστυγχανόντων [*facilè per Deos jurare, ſed per res obvias*]. At optimus veri Magiſter oſtendit hæc miſera eſſe mali moris præſidia, hoc uſus argumento, quòd illæ etiam formulæ *per res alias* tacitè tamen ad Deum referrentur, quod deinde ſingulatim explicat. Verum hoc eſſe vidit & Vlpianus Iuriſconſultus: *Qui per ſalutem, inquit, ſuam jurat Deum jurare videtur; reſpectu enim Divini numinis jurat.* Erat & alius Iudæorum error, quòd ex illis formulis minoribus jurandi alias putarent vim obligandi habere, alias non habere; ſed iſtud quia ad horum Chriſti verborum explicationem propriè non pertinet alibi tractabitur. Videamus ergo quid ſit ὅλως [*omnino*]. Maimonides ex antiquiſſimis Hebræorum Magiſtris hauſit hanc ſententiam, *Optimum eſſe homini non jurare* כלל, id eſt, *prorſus.* Et ſimilis eſt apud Epictetum locutio, Παραίτησαι ὅρκον εἰς ἅπαν [*Declina jusjurandum omnino*]. Apparet idem eſſe כלל, ὅλως, εἰς ἅπαν. Sic & Iuſtinus ait Chriſtianos μὴ ὀμνύναι ὅλως [*omnino non jurare*]· & Chryſoſtomus ex hoc Matthæi loco, Οὐ θέμις ὅλως ὀμνύναι, οὐδὲ ἀνάγκην ἐπάγειν ὅρκου [*Nefas omnino aut jurare aut jurandi neceſſitatem imponere*]· idemque VII ad Romanos, Κωλύει οὐκ ἐπιορκίαν, ἀλλὰ τὸ ὀμνύναι καθόλου [*Vetat non perjurium ſed jurare omnino*]. Et De ſtatuis octavo, Καθόλου μὴ ὀμνύναι ὁ Θεὸς ἐκέλευσε [*Omnino non jurare Deus juſſit*]. Cui ſimilia legere eſt apud Hilarium, Ambroſium, Hieronymum, Chromatium, Oecumenium, Theophylactum, Euthymium. Apud Euſebium Baſilides quidam Origeni coævus jusjurandum exactus ait μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ τὸ παράπαν ὀμνύναι· Χριστιανὸν γὰρ ὑπάρχειν [*non licere ſibi omnino jurare; Chriſtianum enim ſe eſſe*]. Sed & apud alios Scriptores, quantúmvis paganos, exſtant dicta non minùs latè patentis ſoni; ut Platonis, Ὅρκος περὶ παντὸς ἀπέστω [*Iuramentum de re quavis abeſto*]. Chœrili,

Ὅρκον τ' οὔτ' ἄδικον χρεὼν ἔμμεναι οὔτε δίκαιον.
[*Injuſtè juſtéve nefas jurare putandum eſt.*]

Et Menandri,

Ὅρκον δὲ φεῦγε κἂν δικαίως ὀμνύῃς.
[*Iusjurandum omne, quamvìs ſit juſtum, fuge.*]

De Phrygibus Nicolaus Damaſcenus, Ὅρκοις οὐ χρῶνται, οὔτε ὀμνύντες οὔτε ἄλλους ἐξορκοῦντες [*Iurejurando non utuntur, id eſt nec ipſi jurant nec alios jurejurando adigunt*]. Opponitur ergò τὸ ὅλως μὴ ὀμνύναι [*omnino non jurare*] tanquam majus atque ſanctius quiddam ei quod præceſſerat, id eſt τῷ εὐορκεῖν [*ſervare jusjurandum*], quaſi dicat Chriſtus, Quamvìs propoſueris facturum te quod promittis, tamen jurare noli. Sic explicatur hoc præceptum collatum cum præcepto Legis Veteris in lib. VII Conſtitutionum quæ dicuntur Clementis, Ὁ εὐορκεῖν νομοθετήσας, καὶ τὸ ἐπιορκεῖν ἀπαγορεύσας, τὸ μηδ' ὀμνύναι παρήγγειλε [*Is qui ſervare jurata juſſerat & perjurare vetuerat, præcipit non jurare omnino*]. Hîc verò rurſus illa exoritur quæſtio, An igitur hæc interdictio nullam ferat exceptionem. Veteres Chriſtiani, quorum aliquos jam nominavimus, ſæpe ita loqui videntur quaſi nulla admittenda eſſet exceptio: ſed benigna interpretatio illorum quoque dictis debet ſuccurrere. Quis enim credat Paulum Præcepti Dominici fuiſſe immemorem? At ejus ſunt verba, *Teſtis mihi eſt Deus,* Romanorum primo, verſ. 9. & *in conſpectu Dei non mentior,* Galat. 1, 20. *Scit Deus pater Chriſti me non mentiri,* II Corinth. XI, 31. Non potuit jurari expreſſiùs. Nihil enim aliud eſt jusjurandum quàm *religioſa affirmatio,* ut Cicero definit, aut, ut ait Clemens Alexandrinus, ὁμολογία καταληπτικὴ μετὰ παραλήψεως θείας [*definita locutio cum Dei aſſumtione*], aut, ut Philo duobus locis definit, μαρτυρία Θεοῦ περὶ πράγματος ἀμφισβητουμένου [*Dei teſtimonium de re dubitata*]. Ergo aliquod adhibendum eſt temperamentum. Ideo Epictetus addidit εἰ μὲν οἷόν τε [*ſi fieri poteſt*]. Quintilianus, *In totum jurare, niſi ubi neceſſe eſt, gravi viro parum convenit.* Auguſtinus, *Iuramentum cave,* inquit, *quantum potes.* alio loco dixit, *quantum in te eſt.*

te eſt. Clemens Alexandrinus Chriſtianum ait eſſe οὐκ εὐεπίφορον ἐπὶ τὸ ὀμνύναι [*non facilem ad jurandum*], quod interpretatur σπανίως ἐπὶ τὸ ὀμνύναι ἐφικνούμενον [*rarò venientem ad jurandum*]. Illud primùm extra controverſiam eſt, peſſimè facere τοὺς ἔθει πονηρῷ κατακόρως καὶ ἀνεξετάστως ὀμνύοντας ἐν τοῖς τυχοῦσιν [*eos qui mala conſuetudine frequenter ac re non expenſa de incidentibus jurant*], ut Philo loquitur, addens naſci ἐκ πολυορκίας ψευδορκίαν [*ex multa juratione perjurium*]· ſicut & Vlpianus dixit *nonnullos eſſe faciles ad jurandum contemtu religionis*. Sapiens Hebræus Eccleſiaſt. XXIII, 9. Ὅρκῳ μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου, καὶ ὀνομασίᾳ τοῦ ἁγίου μὴ συνεθισθῇς [*Iurationi non aſſueſcat os tuum: nominatio verò Dei non ſit aſſidua in ore tuo*]. Et mox, Ἀνὴρ πολύορκος πλησθήσεται ἀνομίας, καὶ οὐκ ἀποστήσεται ἀπὸ τοῦ οἴκου αὐτοῦ μάστιξ [*Vir multùm jurans implebitur iniquitate, & non diſcedet à domo illius plaga*]. Quò & illud Platonis pertinet undecimo De Legibus, Θεῶν ὀνόματα μὴ χραίνειν ῥᾳδίως [*Deorum nomina non facilè uſurpanda*]· & Hieroclis iſtud, Μελέτη δὲ ἀρίστη τοῦ τηρεῖν τὸ περὶ αὐτὸν σέβας, τὸ μὴ πυκνῶς μηδὲ ὡς ἔτυχε χρῆσθαι τῷ ὅρκῳ, μηδὲ ἐπὶ τοῖς παρατυχοῦσι, μηδὲ εἰς ἀναπλήρωσιν λόγου, μηδὲ εἰς πίστωσιν διηγήματος [*Optima exercitatio ad ſervandam ei venerationem, nec ſæpe, nec quavis de re uti jurejurando, id eſt, non de levibus, aut ad ſermonis implementum, aut ad adſtruendam narrationi fidem*]· & poſtea, Τὸ δὴ, Σέβου ὅρκον, οὐ μόνον εὐορκεῖν ἀλλὰ καὶ ἀπέχεσθαι ὅρκου παρεγγυᾷ· οὕτω γὰρ ἂν τηρήσαιμεν τὸ ἀεὶ εὐορκεῖν, εἰ μὴ καταχρησοίμεθα τοῖς ὅρκοις· καὶ γὰρ ἐν τῇ συνεχείᾳ τοῦ ὀμνύειν ῥᾳδίως ἂν μεταπέσοι τις εἰς ἐπιορκίαν· φειδοῖ δὲ τήρησις ἕπεται· ἢ γὰρ οὐκ ὀμεῖται, ἢ ὅταν ὄμνυσιν εὐορκήσει· καὶ οὔτε ἂν ὑπὸ συνηθείας προδράμῃ ἡ γλῶσσα, οὔτε ὑπὸ παθῶν ἀκρατείας ἡ διάνοια σφαλείη· τὴν μὲν γὰρ ὁ τρόπος ὀρθώσει χρηστὸς ὤν, τὴν δὲ τὸ ἔθος τῆς ἐποχῆς τοῦ ὀμνύναι [*Illud, Iusjurandum reverenter habe, non ſolùm præcipit ſervare jusjurandum, ſed & jurejurando abſtinere. Nam ita implebimus illud de ſervando jurejurando, ſi jurejurando non abutamur; nam aſſiduè jurando facilè quis incidet in perjurium: parco uſui conſequens eſt rei obſervatio. Nam aut non jurabit aliquis, aut ſi juraverit, ſtabit jurato; neque aut ex aſſuetudine linguâ prolabetur, neque animus abducetur ab affectuum intemperantia: nam hanc corriget vita honeſta, illam conſuetudo abſtinendi à juramento*]. Deinde iterum, Σέβου ὅρκον, τοῦ μὴ προχείρως αὐτῷ καταχρῆσθαι, ἵν' ἐθισθῇς εὐορκεῖν ἐκ τοῦ μὴ ἐθισθῆναι ὀμνύναι [*Iusjurandum reverenter habe, ne temere eo abutaris; utque non jurando ſanctè agere in jurando aſſueſcas*]. Neque tamen hîc videtur conſiſtendum, ut facilitas duntaxat & aſſidua jurandi conſuetudo vetetur, quò ſcilicet tutiores à perjurio ſimus. Mihi perſuaſum eſt, non tantùm à Chriſto, ſed & ab his quos dixi, Iudæo Maimonide, Græcis Chœrilo, Menandro, Epicteto plus indicari. Iuravit Paulus, at non in re ſua, non in re modica alterius, ſed in negotiis maximi momenti ad Deum & ſalutem aliorum pertinentibus. Nos hodie, ſi ita res ferat, de pecuniola juramus, & quidem in re etiam noſtra, quod Plato valde improbat. Et tamen Chriſtiani haberi volumus, quaſi nefas ſit reverentiâ Divini numinis nummorum aliquot jacturam facere. Vtinam ea ſaltem jurisjurandi religio nos teneret quæ non paucos à Chriſto alienos tenit. Iſocratem audiamus, Ὅρκον ἐπακτὸν πρόσδεχου διὰ δύο προφάσεις, ἢ σαυτὸν αἰτίας αἰσχρᾶς ἀπολύων, ἢ φίλους ἐκ μεγάλων κινδύνων διασώζων· ἕνεκα δὲ χρημάτων μηδένα θεὸν ὀμόσῃς, μηδ' ἂν εὐορκεῖν μέλλῃς· δόξεις γὰρ τοῖς μὲν ἐπιορκεῖν, τοῖς δὲ φιλοχρημάτως ἔχειν [*Iusjurandum ſi deferatur accipe duabus de cauſis, Aut ut temet à turpi criminatione liberes, aut ut amicos ex magnis periculis eripias; ob pecunias verò neminem Deum jures, ne quidem ſi verum juraturus ſis: aliis enim putaberis perjurare, aliis avarus eſſe*]. Ecce duas tantùm cauſas admittit jurisjurandi, & quidem Iudicialis, ut infamiam fugias, aut ut amicum è magno periculo ſerves: quo exemplo & Simplicius ad Epictetum utitur, adjiciens, aut ut patriæ magnam operam naves. Hi ergo de re pecuniaria jusjurandum omne improbant. Clinias Pythagoricus cùm trium talentorum mulctam jurejurando effugere poſſet, maluit tantæ pecuniæ damnum facere quàm jurare, quod exemplum ſui ſeculi Chriſtianis exprobrat Baſilius. Hierocles ille quem dixi ſimiliter nullum probat jusjurandum niſi ob res neceſſarias atque egregias & quæ obtineri citra jusjurandum nequeant. Verba ejus aurea ad Aureum Pythagoræ carmen hæc ſunt, Τηρεῖν αὐτοῦ (τοῦ ὅρκου) τὴν χρείαν ἐν τοῖς ἀναγκαίοις ἅμα καὶ τιμίοις, καὶ τότε ὅτε οὐδεμία ἄλλη τῶν πιστῶν σωτηρία παραφαίνηται, εἰ μὴ διὰ μόνης ἐκ τοῦ ὅρκου ἀληθείας [*Servandus jurisjurandi uſus ad res neceſſarias, & magni æſtimandas, & tunc cum talia aliter obtineri non poſſunt quàm per jurisjurandi veritatem*]. Et hæc quidem illi dixerunt de jurejurando quod præſtatur teſtandæ veritatis ergo. In pollicitationibus autem & pactionibus, de quibus propriè hic agit Chriſtus, vix eſt ut tam gravis aliqua cauſa poſſit obtendi, niſi fortè ea res ſit in qua ſalus publica vertatur; quanquam & in ejuſmodi negotiis idem fortè præſtare poſſet nuda promiſſio ſi adjiceretur ad eam ſanciendam pœna perjurii, quæ pleroſque plùs terret quàm jurisjurandi religio: & monerentur qui aliquid ſpondent ne quid agerent niſi deliberatò ſerióque & quod apud Romanos etiam vicem jurisjurandi implevit, EX ANIMI SVI SENTENTIA. Ad hoc jurisjurandi genus ſpectant iſta Hieroclis, Ὁ δὲ, Σέβου ὅρκον, ἐν ἀρχῇ παραγγείλας, τὴν ἀποχὴν τοῦ ὀμνύναι προστάττει περὶ τῶν ἐνδεχομένων καὶ ἀόριστον τὴν ἐκβάσεως ἐχόντων τὸ πέρας. Ταῦτα γὰρ τὰ μικρὰ καὶ μεταπίπτοντα· διὸ οὔτε ἄξιον ἐπ' αὐτοῖς ὀμνύναι οὔτ' ἀσφαλές· οὐ γὰρ ἐφ' ἡμῖν εἰς πέρας αὐτὰ ἀγαγεῖν· περὶ δὲ τῶν παρόντων ἀναγκαίως τε συνημμένων καὶ μεγίστων ὄντων ἀσφαλὲς τὸ ὀμνύναι καὶ πρέπον· οὔτε γὰρ τὸ μετάπιπτον τῶν πραγμάτων ἡμᾶς ἄν ποτε σφαλῇ, οὔτε τὸ ταπεινὸν αὐτὸ καὶ χαμαιπετὲς τοῦ θείου τὴν ἐπιμαρτυρίαν ἀρνῆται [*Idem qui initio reverenter habendum jusjurandum dixerat, imperat jurejurando abſtinere de rebus fortuitis & quorum incertus eſt exitus; hæc enim ſunt & exigua & mutabilia: quare nec digna ſunt de quibus juretur, nec id tutum eſt. De rebus autem præſentibus certóque connexis & momenti maximi & tutum eſt jurare & honeſtum: nam neque rei mutabilitas nos decipiet, neque rerum vilis & abjecta conditio Divinum reſpuit teſtimonium*]. Cæterùm eos etiam qui indiſtinctè videntur omne jusjurandum rejicere, aliquas tamen admittere exceptiones, præſertim magnæ utilitatis publicæ, multis indiciis apparet. De Eſſenis dixit Ioſephus, Τὸ ὀμνύειν αὐτοῖς περιΐσταται [*Iurare ſuper-*

ſupervacuum habent]·quod & alii teſtantur. Atqui eoſdem jurejurando adactos ad obſervationem religionis idem Ioſephus apertum facit, Πρὶν δὲ τῆς κοινῆς ἄψασθαι τροφῆς, ὅρκους αὐτοῖς ὄμνυσι φρικώδεις· πρῶτον μὲν εὐσεβήσειν τὸ θεῖον, ἔπειτα τὰ πρὸς ἀνθρώπους δίκαια φυλάξειν, καὶ μήτε κατὰ γνώμην βλάψειν τινὰ, μήτε ἐξ ἐπιτάγματος· μισήσειν δὲ ἀεὶ τοὺς ἀδίκους καὶ συναγωνιεῖσθαι τοῖς δικαίοις. τὸ πιστὸν ἀεὶ παρέξειν πᾶσι, μάλιστα δὲ τοῖς κρατοῦσιν· κἂν αὐτὸς ἄρχῃ, μηδέποτε ἐξυβρίσειν εἰς τὴν ἐξουσίαν, μηδὲ ἐσθῆτι ἤ τινι πλείονι κόσμῳ τοὺς ὑποτεταγμένους ὑπερλαμπρύνεσθαι· τὴν ἀλήθειαν ἀγαπᾶν ἀεὶ, καὶ τοὺς ψευδομένους ἐλέγχειν· προβάλλεσθαι χεῖρας κλοπῆς, καὶ ψυχὴν ἀνοσίου κέρδους φυλάξειν· καὶ μήτε κρύψειν τι τοὺς αἱρετιστὰς, μήτε ἑτέροις αὐτῶν τι μηνύσειν, κἂν μέχρι θανάτου τις βιάζηται. πρὸς τούτοις ὀμνύουσι μηδενὶ μὲν μεταδοῦναι τῶν δογμάτων ἑτέρως ἢ αὐτὸς παρέλαβεν· ἀφέξεσθαι δὲ λῃστείας καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. τοιούτοις μὲν ὅρκοις τοὺς προσιόντας ἐξασφαλίζονται [*Priusquam verò communes dapes attingant, horrenda præſtant juramenta. Primùm quidem, piè ſe culturum Deum: Deinde & jus ſervaturum cum hominibus, neque ſe læſurum quenquam ſive ſponte ſive ex imperato; improbis ſe inimicum, juſtis verò hominibus adjutorem fore; fidem ſe ſervaturum omnibus, maximè iis qui imperant: quòd ſi ipſe imperium ſit adeptus, non ſuperbè uſurum poteſtate, neque aut veſtitu aut ornatu cætero ſubditos ſe exſuperaturum; amatorem ſeveri fore, detectorem mendacii, procul ſe manus à furto habiturum, & animum ab iniquis lucris cuſtoditurum; nec quicquam ſe celaturum ſodales de dogmatis, neque aliis ea indicaturum, nec ſi ad mortem cogatur. Præterea jurant quiſque, nemini ſe aliter dogmata proditurum quàm ipſe acceperit, ſe abſtenturum latrociniis, parique reverentiâ ſervaturum ſectæ ſuæ libros & Angelorum nomina. His illi juramentis ad cœtum ſuum venientes devinciunt*]. A qua narratione non longè diſcedit quod de veteribus Chriſtianis, quorum inſtituta multis partibus cum Eſſenis congruebant, narrat Plinius, *quòd eſſent ſoliti ſe ſacramento non in ſcelus aliquod obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depoſitum appellati negarent.* Iuraſſe Chriſtianos *per ſalutem Cæſarum* memorat Tertullianus. & alii juramentum *per genium Cæſaris* detrectantes cauſam attulerunt, quòd is genius eſſet dæmon, non quòd jurare ſine ulla exceptione eſſet illicitum, ut mox videbimus. Athanaſius qui ſermone De paſſione & cruce Domini jusjurandum videtur indiſcriminatè rejicere, ipſe tamen per calumniam accuſatus purgat ſe Conſtantio hunc in modum: *Tuæ pietati magna & clara voce manúque extenta, quod ab Apoſtolo didici, Deum in meam ipſius animam teſtor, &, ut ſcribitur in libris Regum, jusjurandum concipio, Teſtis ſit Dominus & teſtis Chriſtus ejus, quòd nunquam in malum tui mentionem feci apud fratrem tuum Conſtantem Auguſtum, neque illum adversùm te irritavi.* Et mox, *Vellem hunc hominem quisquis is eſt hîc in præſentia adeſſe, ut delato juramento ſub atteſtatione veritatis hæc ab eo ſciſcitarer: quæ enim ita dici audirique volumus quaſi Deo præſente, ea ſub hac formula jurisjurandi* NOS CHRISTIANI HOMINES CONCIPERE SOLEMUS. In Synodo Epheſina, cui multi interfuerunt quorum ſcriptis itidem jurandi mos videtur oppugnari, & Neſtorio & Victori impoſitum videmus jusjurandum, ita ut ſequentium temporum mentionem facere nihil ſit neceſſe. Monachi vice jurisjurandi, ſi quid affirmarent aut teſtarentur, addebant, *tanquam coram Domino.*

μήτε ἐν τῷ οὐρανῷ, *neque per cælum*] Id eſt, *ne quidem per cælum*, ut jam diximus. Eſt autem Hebraiſmus ὀμνύειν ἐν τῷ οὐρανῷ [*jurare in cælo*], pro quo Græci dicerent ὀμνύειν τὸν οὐρανὸν [*jurare cælum*], aut etiam κατὰ τοῦ οὐρανοῦ [*per cælum*]. Iam diximus non hos modos jurandi à Chriſto ſpecialiter prohiberi, ſed ne hos quidem à prohibitione excipi. Iudæis Lege Moſis vetitum erat Deum alium jurare præter Deum Iſraelis: itaque jurare illis nefas erat per Baalem, Aſtarten, aliaque id genus falſa numina. Quamobrem & Chriſtianos ſui temporis reprehendit Tertullianus, qui aut ignorantiâ aut conſuetudinis vitio dicerent *Mehercule* & *Medius-fidius*: quod & poſt eum fecit Hieronymus. Eâdem hac cauſâ Iudæi Alexandrini recuſabant Caji Cæſaris ὄνομα ὅρκιον ποιεῖσθαι [*nomen jurando uſurpare*] ut Ioſephus narrat, quia nomen ſuum ut Dei in jurejurando Cajus uſurpari volebat. At nominare quædam, ut Philo loquitur, τῆς θείας δυνάμεως ἀπεικονίσματα [*Divinæ poteſtatis ſimulacra*], ita ſcilicet ut animi religio Deum ſpectaret, inter vetita habitum non eſt. Iurat Ioſephus Geneſeos XLII, 15. *Ita vivat Pharao*, more quidem Ægyptiorum, ut rectè ab Abenezdra eſt annotatum; ſed quem imitaturus non fuiſſet vir eximiè pius ſi quid in eo irreligioſi eſſe exiſtimaſſet. Et quid eſt aliud, *Ita vivat Rex*, quàm, *Ita Regem ſoſpitem Deus præſtet?* Eliſæus Propheta II Reg. II. Eliæ ita jurat, *Vivit Deus & vivit* (aut *vivat* potiùs, nam Hebraiſmus iſta non diſtinguit) *anima tua.* Nec aliter Vrias II Samuelis XI, 11. Sed & Paulus jurare videtur, cùm dicit, νὴ τὴν ὑμετέραν καύχησιν [*per veſtram gloriam*], 1 Corinth. XV, 31. Narrat in Apologetico Tertullianus Chriſtianos non juraſſe, ut cæteros, *per Genium Principis*, quod Græci dicunt τὴν Καίσαρος τύχην, quòd jusjurandum Polycarpo delatum & ab eo recuſatum legimus; meritò, quia iſti voci inerat falſi numinis ſenſus, quod ita explicat Origenes, Τύχην μέντοι βασιλέως οὐκ ὄμνυμεν, ὡς οὐδ' ἄλλον νομιζόμενον θεόν· εἴτε γὰρ (ὡς ὠνόμασάν τινες) ἐκφορὰ μόνον ἐστὶν ἡ τύχη, οὐκ ὄμνυμεν τὸ μηδαμῶς ὂν ὡς θεὸν, ἢ ὅλως ὑφεστηκὸς καὶ δυνάμενόν τι ποιῆσαι· ἵνα μὴ τὴν ὀμητικὴν δύναμιν εἰς ἃ μὴ δεῖ παραλαμβάνωμεν· εἰ δὲ καὶ, ὥς τισιν ἔδοξεν, εἴπωσι τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως τὸν δαίμονα (id eſt *Genium*) ὀμνύειν οἱ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύοντες, δαιμόνων ἐστὶν ἡ ὀνομαζομένη τύχη τοῦ βασιλέως, καὶ οὕτως ἀποθνητέον ἐστὶ μᾶλλον ὑπὲρ τοῦ μὴ ὀμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα καὶ ἄπιστον, πολλάκις συνεξαμαρτάνοντα ᾧ ἔλαχεν ἀνθρώπῳ ἢ καὶ πλέον αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα [*Per Fortunam Imperatoris non juramus, nec per alium qui creditur Deus; nam ſi (ut quidam explicant) eventus eſt tantùm qui Fortuna dicitur, non juramus per id quod Deus omnino non eſt, imò nec ſubſiſtit, nec efficere quicquam poteſt: ne ſcilicet vim jurandi in ea in quæ non æquum eſt impendamus. Quòd ſi dicant, ut quibusdam placet, ſe per Fortunam Romani Imperatoris jurando per Genium ejus jurare, jam Fortuna illa Imperatoris quæ dicitur, erit ex dæmonum numero: ac proinde moriendum potiùs ne juretur per dæmonem malum & infidelem, & ſæpe peccantem cum eo homine cui eſt additus, aut etiam plus* pſo peccantem]. Sed eoſdem Chriſtianos Tertullianus eodem loco juraſſe ait *per Salutem Principis omnibus geniis auguſtiorem.* Poſtquam verò Imperatores Chriſto nomen dederant, inſtitutum eſt hoc ſacramentum militare, ut jurarent *per Deum & Chriſtum & Spiritum ſanctum & per majeſtatem Imperatoris, quæ ſecundùm Deum generi humano diligenda eſt & colenda:* quod nos Vegetius docet. Sic Marcellinus in collatione Carthaginienſi ſecundùm allegationes partium ſe judicaturum *per ſalutem Principum* jurat. Et hoc ipſum eſſe juramentum quod Epiſcopi faciebant, memoratum canone XXV. Chalcedonenſi, notant ibi Græci interpretes. Iurisjurandi *per cælum* etiam Philo meminit. Sed & Origenes adversùs Celſum ſexto, Iudæos ait ſolitos *per cælum* jurare. *Cælum* autem hîc par eſt regionem ſideream intelligi.

θρόνος ἐστὶ τοῦ Θεοῦ· *thronus Dei eſt*] Ex Eſaia LXVI, 1. Hæc eò dicta ſunt ut oſtendatur omnibus jurandi modis tacitè Deum contineri. Id clarè apparet infrà XXIII, 22. ubi ita infert Chriſtus, *Qui per cælum jurat ſimul jurat per eum qui cælo tanquam ſolio inſidet. Solium* autem *Dei* dicitur quòd in eo opificio pulcherrimis aſtris picturato ejúſque perpetuo & æquabili motu Divina majeſtas eximiè eluceat, quemadmodum Regum gloria tunc maximè conſpicua eſt cum ſolio ſuo inſident. Et formula hujus juramenti, & cauſa ejus apparet in verſu iſto ex Sophoclis Menalippa,

Ὄμνυμι δ' ἱερὸν αἰθέρ' οἴκησιν Διός.
[*Sacrata juro templa cæli, arcem Iovis.*]

Sed & Iulianus contra Chriſtianos οὐρανὸν [*cælum*] vocat Θεοῦ θρόνον [*Dei ſolium*].

35. ὑποπόδιόν ἐστι τῶν ποδῶν αὐτοῦ· *ſcabellum eſt pedum ejus*] הדם habet Eſaias, quo obiter ſignificari videtur vilitas terræ cœlo comparatæ. Nam eo ſenſu הדם Hebræi uſurpant, quod ὑποπόδιον vertunt LXX, ut Pſalmo CX, 2. Varro nos docuit quæ unius ſunt ſcanſionis, *ſcabella*, quæ plurium, *ſcamna* appellari. At Syrus vertit כבשא ſatis appoſitè, quia θρόνου [*throni*] mentio præceſſit. Eſt enim כבש II Paral. IX, 18. ſcabellum ſolii regalis, quod ipſum LXX eo loco ὑποπόδιον vocant, quale pictum videre eſt ſub ſeliquaſtro Caſſiopeæ in libro Germanici quem edidimus olim. Alterius generis ſunt *cava ſcamna*, quorum Ovidius meminit, quæ Græci αἴθρανα appellant. Suppedanei ſub throno regali meminit Pauſanias non uno in loco. Quod autem hîc de Terra dicitur, idem Proclus in Timæo Terræ aſſcribit ex Orpheo, qui cum Deum deſcriberet dixit,

———πυμάτη δὲ βάσις χθονὸς ἔνδοθε ῥίζαι.
[———*ima pedum ſola ſunt fundamina terræ.*]

Macrobius ex Oraculo citat,

Γαῖα δὲ σοῦ πόδες εἰσί.
[*Suntque pedes tibi terra.*]

Apud Clementem Alexandrinum & alios habemus hoc Orphei de Deo,

Αὐτὸς γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται,
Χρυσέῳ εἰνὶ θρόνῳ· Γαίη σ' ἐπὶ ποσὶ βέβηκε.
[*Auratæ ſedi, quam ſuſtinet æneus æther,*
Inſidet; in terra verò veſtigia figit.]

μήτε εἰς Ἱεροσόλυμα, *neque per Hieroſolymam*] Helleniſtæ promiſcuè pro Hebræo ב modò ἐν [*in*] modò εἰς [*per*] uſurpant. Ita hîc Matthæi interpres εἰς Ἱεροσόλυμα dixit, cùm antè ἐν τῷ οὐρανῷ, ἐν τῇ γῇ [*in cælo, in terra*] dixiſſet. Iurarunt autem Iudæi *per Hieroſolyma*, ut Romani *per Romam.* Ovidius,

——— *Per Patriæ numen.*

πόλις ἐστὶ τοῦ μεγάλου βασιλέως· *civitas eſt magni Regis*] In Pſalmo XLVIII planè idem ſignificantia ſunt עיר אלהינו [*civitas Dei noſtri*] & קרית מלך רב [*civitas Regis magni*]. Et apud Syrachiden τόπος καταπαύσεως Θεοῦ [*locus quietis Dei*]. Hoc igitur eò pertinet, ut qui per Hieroſolyma jurat intelligatur per eum jurare qui Hieroſolymis Regnum ſuum poſuit, quemadmodum qui per Templum jurat, jurat per habitatorem Templi, infrà XXIII, 21.

36. Μήτε ἐν τῇ κεφαλῇ ὀμόσῃς, *Neque per caput tuum juraveris*] Vlpianus, *Cæterùm ſi ego detuli ut per Deum jurares, tu per caput tuum juraſti.* Ovidius,

Per caput ipſe ſuum ſolitus jurare.

Martialis,

Per tua jurares ſacra tuúmque caput.

De eo jurandi modo hîc agitur, non de eo ad quem alludit Iuvenalis cùm ait,

——— *nondum Græcis jurare paratis*
Per caput alterius.

Cujus itidem paſſim exſtant exempla: & conjunctim,

Perque tuum noſtrumque caput.

Apud Syneſium, Νὴ τὴν ἱερὰν σοῦ κεφαλὴν καὶ τὴν τῶν παίδων μου σωτηρίαν [*Per ſanctum caput tuum, perque liberûm meorum ſalutem*].

ὅτι οὐ δύνασαι, *quia non potes*] Hoc eò pertinet ut probetur per Deum jurare qui *per caput ſuum* jurat, non minùs quàm qui *ſalutem ſuam* jurat, quod jusjurandum *reſpectu Divini numinis* fieri Vlpianus etiam dixit. Cauſa utriuſque dicti eſt, quia homo nec ſalutis nec capitis ſui eſt dominus. Sic Menander Dyscolo dixit hominem κύριος εἶναι μηδ' ἑαυτοῦ [*ne ſui quidem eſſe dominum.*

μίαν τρίχα λευκὴν ἢ μέλαιναν ποιῆσαι. *unum capillum album facere aut nigrum*] Hoc tale eſt quale quod infrà dicimur *non poſſe cubitum unum ad ſtaturam adjicere.* Sed *pili* hîc potiùs fit mentio, ut ne minimum quidem naturæ à nobis poſſe immutari oſtendatur. Nam Hebræi, ut & Græci & Latini, *pilum* dicunt ad rei minimæ indicationem.

37. Ἔστω δὲ ὁ λόγος ὑμῶν, ναὶ, ναὶ, οὒ, οὔ· *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt: non, non*] Id eſt, ut Iacobus explicat, ἤτω δὲ ὑμῶν τὸ ναὶ, ναὶ, καὶ τὸ οὒ, οὔ [*ſit veſtrum eſt, eſt, & non, ſit non*]. Tam ναὶ quàm οὒ hoc loco formulæ ſunt quibus ad ſtipulationem reſpondebatur. Nam de promiſſionibus, ut diximus, inſtitutum ſermonem Chriſtus proſequitur. Itaque Syrus rectè pro ναὶ poſuit אין quæ reſpondendi particula eſt. Romana lingua in reſpondendo verbum interrogantis repetit: ut, *Dabis? Dabo. Facies? Faciam.* Sed & ſi quis interrogatus *Dabis?* reſponderit *Quid ni?* in ea cauſa eſſe ut obligetur ſcripſit Vlpianus; quia vox *Quid ni?* ſolet habere ſignificationem Græci ναί. Sicut autem ad interrogationem ajentem per ναὶ, ita ad negantem per οὒ reſpondebatur. Quod verò hîc & apud Iacobum dicitur oportere ut ναὶ ſit ναὶ & οὒ ſit οὔ, eum ſenſum habet, Debere facta dictis congruere: aut, ut Iuſtinus rectè explicat Apologetico ad Antoninum, debere nos τ' ἀληθῆ λέγειν ἀεί [*ſemper vera dicere*]. Eſt enim figura quam Græci ἀντανάκλασιν, [*Refractionem*] quidam & πλοκὴν [*Copulationem*], vocant,

ubi vox eadem continuò repetitur ſignificatu paululùm mutato, ut

Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.
Ad illum diem Memmius erat Memmius, & ſimilia.

Nam priore loco ναὶ dictum ſignificat, poſteriore factum ipſum quod dicto ſignificatur. Ita Paulus *Dei promiſſa in Chriſto* ait eſſe ναὶ II Corinth. I, 21. voculam hanc poſteriore quem dixi ſignificatu uſurpans, ut indicaret omnia promiſſa per ipſum impleri. Quod autem de ναὶ diximus, idem de οὒ vocula intelligendum eſt; nempe eam quoque primùm pro nota promiſſi negantis, deinde pro effectu poni. Eſt autem locutio hæc ut pleræque aliæ Chriſti & Apoſtolorum ſumta ex medio uſu illorum temporum. Nam ut ab aliis notatum eſt, γνώμη [*ſententia*] erat tritiſſima, Τῶν δικαίων ναί ἐστι ναὶ, καὶ οὒ ἐστιν οὔ [*Iuſtorum fiet eſt fiet, & non eſt non*]. Contrà quorum facta dictis diſcrepabant, apud hos dicebatur eſſe ναὶ καὶ οὒ [*fiet & non*], id eſt ναὶ [*eſt* vel *fiet*] ipſorum dicebatur eſſe οὒ [*non*], & οὒ [*non*] dicebatur eſſe ναὶ [*eſt* vel *fiet*], quo loquendi genere Paulus utitur dicto loco II Corinth. I, 18, 19. idque ipſum explicat, cùm negat ſe χρήσασθαι ἐλαφρίᾳ *levitate uſum.* Feſtus ad vocem *naucum, Quidam ex Græco ναὶ καὶ οὐχὶ* eſt & non *levem hominem ſignificari.* Quo manifeſtius eſt ibidem commate 17 in quibuſdam codicibus malè repeti ναὶ & οὒ, cùm ſemel duntaxat ponenda fuerint: quanquam veterum eſſe errorem librariorum ad Matthæi & Iacobi loca imprudenter reſpicientium ex Syro & Arabe interpretibus apparet. Cùm verò ναὶ, ut & hujus loci cohærentia & Pauli verba oſtendunt, ad ἐπαγγελίας [*promiſſa*] pertineat, rectiùs Latinè per *fiet* quàm per *eſt* transferetur. Senſus verborum Chriſti eſt, Fidem à nobis præſtari debere in promiſſis etiam injuratis, perinde quaſi jusjurandum acceſſiſſet: quem ſenſum apertiorem facit quod apud Iacobum ſequitur μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε [*ne in ſimulationem incidatis*], id eſt, ne fallaces inveniamini, quod Chriſtianos minimè decet. Simile eſt illud Alexidis,

Ὅρκος βέβαιός ἐστιν, ἂν νεύσω μόνον.
[*Nutus mei pro jurejurando valent.*]

Et quod apud Philonem eſt, ὁ τοῦ σπουδαίου λόγος ὅρκος ἔστω βέβαιος, ἀκλινὴς, ἀψευδέστατος [*Viri boni ſermo pro jurejurando eſt firmo, immutabili, nunquam mentiente*]. Et Hierocles dixit, *nihil viris bonis veritate carius eſſe debere*, εἴτε ἀνωμότοις εἴτε καὶ ὀμνύουσι [*ſive jurarint ſive non jurarint*]. Talis eſſe debet Chriſtianus, &, ut Clemens Alexandrinus loquitur, τὸ πιστὸν τῆς ὁμολογίας ἐν ἀμεταπτώτῳ καὶ ἑδραίῳ δεικνύειν βίῳ τε καὶ λόγῳ [*fidelitatem promiſſionis oſtendere in firma atque immutabili tum vita tum oratione*]. Optimè autem hoc cohæret cum præcedentibus; quia, ut inquit Philo, κάλλιστον καὶ βιωφελέστατον καὶ ἁρμόττον λογικῇ φύσει τὸ ἀνώμοτον, οὕτως ἀληθεύειν ἐφ' ἑκάστου δεδιδαγμένῃ, ὡς τοὺς λόγους ὅρκους εἶναι νομίζεσθαι [*pulcherrimum & vitæ utiliſſimum ac Naturæ ratione utenti conſentaneum, abſtinere à jurejurando, quippe cùm ea ita ſit inſtituta ut de re quavis verum dicat, poſſintque vel nudi ſermones pro juramento haberi*]. Ioſephus de Eſſenis, Πᾶν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν ἰσχυρώτερον ὅρκου· τὸ δὲ ὀμνύειν αὐτοῖς περιΐσταται, χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες· ἤδη γὰρ ἤδη κατεγνῶσθαί φασι τὸν ἀπιστούμενον δίχα Θεοῦ [*Quicquid ab ipſis dictum ſit firmius eſt jurejurando; jurare autem ipſis ſupervacuum, ita ut perjurio pejus æſtiment: jam enim eum damnatum dicunt cui abſque Dei nomine non creditur*]. Quoniam igitur apparet de promiſſorum præſtatione hîc agi à Chriſto, exigit hic locus videamus id quousque pertineat. Sunt qui exiſtimant promiſſa per ſe vim obligandi non habere, ſed eam accipere à Lege Civili certâ formâ, modoque. Sed ei ſententiæ conſenſus Gentium repugnat. Verùm ſanè eſt ſimplicem aſſeverationem de eo quod quis facturus ſit debere quidem ex eo animo proficiſci qui tum temporis id velit facere quod ſe facturum dicat, at non item ex eo teneri eum, qui dicit, in propoſito perſeverare; quia voluntas humana habet jus ſua decreta mutandi, neque id jus ſolo ſui reſpectu ſibi poteſt auferre. At in promiſſione plus eſt: Habet enim promiſſio ſimul juris tranſlationem. ſicut enim dominus rei corporalis eam poteſt in alium transferre ſigno aliquo voluntatis: ita etiam jus ipſum quod quis habet ad ſuos actus aut res, poteſt in alterum transferri, in ſolidum aut pro parte definita. Et quia tali facto jus aliquod in alterum tranſit, ideo voluntas jam ultrà ſe honeſtè mutare non poteſt, quia nemo honeſtè poteſt aut velle aut facere contra jus alteri quæſitum. Hinc votorum quæ Deo fiunt & promiſſorum inter homines vis oritur. Sed ut Iure Naturæ valeat Promiſſio, tria ſunt neceſſaria: nempe ut qui promittit ad promittendum ſit idoneus, & ut res ipſa promiſſi ſit capax, deinde ut res poſſit præſtari à promittente. Prima conditio deficit in his qui rationis uſum non habent: Nullum enim velle eſſe poteſt ſine intellectu: Ideo infantium & furioſorum verba non habent promiſſi efficaciam. Secunda deficit in rebus quæ aut per rerum naturam fieri non poſſunt, ut cœlum digito attingere, aut quæ per ſe ſunt inhoneſta, quale erat Iohannem Baptiſtam innocentem & Dei Prophetam occidere: Quod enim facere non licet, id ne promitti quidem validè poteſt, cùm promiſſio ad factum tendat. Tertia conditio deſideratur quoties actus qui promittitur non eſt in jure promittentis, ut ſi ſervus non domino operas promittat: Nam cùm promiſſum emanet è jure promittentis, nihil poteſt efficere ultra juris illius amplitudinem. Et hæc quidem ipſo Naturæ lumine ita ſunt clara ut probationis non indigeant. Verumtamen ſæpe Lex aliqua efficit ut rectè promiſſa non præſtentur. Quod mirum videtur his qui judicium in iſtis rebus ſubactum non habent; putant enim legem ejuſmodi pugnare cum Iure Naturali, quod ſit immutabile: id verò non ita eſt. Neque enim conſtituunt Leges ne promiſſa quæ quis promittendi jus habuit alteri jus ex promiſſione nacto non præſtentur; quod eſſet contra Ius Naturæ: ſed ipſa materia mutationem accipit; quod etiam citra legem fit, quoties ſtipulator promiſſorem liberat. Hîc enim nemo dicturus eſt promiſſorem adhuc teneri, & contra naturam facturum ni faciat quod dixerit. Ius enim ejus cui promiſſum eſt, quod fundamentum erat obligationis, interiit, ac proinde nulla jam reſtat obligatio. Solet autem lex efficere ne promiſſa ad effectum perduci debeant duobus modis, aut antevertendo orituram alioqui obligationem, aut ortam tollendo. Vtrumque ex probabili cauſa facere Lex poteſt, ut quæ in ſingulos atque jura ſingulorum ad utilitatem publicam jus quoddam ſuperius obtineat eo jure quod eſt penes ſingulos. Antevertitur obligatio, ut cùm conſtituitur ne efficax ſit promiſſum uxoris niſi maritus auctor acceſſerit. Hîc enim jure ad obligandum ſe uxori ademto naſci obligatio non poteſt. Orta exſtinguitur duobus iterum modis, aut quia Lex jus quod alicui quæſitum eſt aufert, aut quia non hoc tantùm facit ſed etiam ei qui promiſit aufert implendi libertatem. Illo caſu licet non implere, quia Lex jus alteri quæſitum abſtulit; hoc caſu non licet implere, quia hoc quoque jus ſublatum eſt imperio Legis, quæ plus ſingulis poteſt polletque. Illud addam, eſſe Leges quaſdam quæ obligationem nec oriri impediant nec ortam reſcindant, ſed tantùm in foro de eo jus dici vetent, ut Leges Romanæ de pactis nudis: Charondas de rebus creditis. Hoc caſu promiſſor adversùs fidem delinquit ſi non ſtet promiſſo. Non enim jus omne ſtipulatoris ſublatum eſt, ſed ſola coactio ei denegatur. Quod religioſis animis diligenter eſt annotandum, ne pravis Magiſtris uſi latebram perfidiæ quærant.

τὸ δὲ περιοσότερον τούτων, *quod autem his abundantius*] Id quod eſt ultra ναὶ καὶ οὔ [*eſt & non*].

ἐκ τοῦ πονηροῦ ἐστι. *à malo eſt*] Quidam iſtud πονηροῦ eſſe putant à recto ὁ πονηρὸς [*malus*], quâ voce diabolus indicatur. Mihi magis placet & hîc & aliis aliquot in locis ſumi à recto quod eſt τὸ πονηρόν [*malum*]· quomodo Iohannes dixit *mundum jacêre* ἐν τῷ πονηρῷ [*in malo*] v, 19. Intelligo hîc τὸ πονηρὸν [*malum*] morem non ſtandi promiſſis. Nam ut ex Polybio dicebamus, mos jurandi ex eo maximè eſt frequentatus, ex quo labare cœpit dictorum fides. Qui enim juramentum poſcitur, ut Philo notat, ἤδη εἰς ἀπιστίαν ὑπονοεῖται [*jam de infidelitate ſuſpectus eſt*]. Sic & Eſſeni ἤδη καταγνῶσθαί φασι τὸν ἀπιστούμενον δίχα Θεοῦ [*eum jam damnatum dicunt cui non creditur ſine Dei nomine*], ut eſt apud Ioſephum. Apud Sophoclem ille in Colono Oedipus ad Theſea,

Οὔτοι σ' ὑφ' ὅρκου γ' ὡς κακὸν πιστώσομαι.
[*Non te alligabo jurejurando ut malum.*]

Levitas hominum & inconſtantia diffidentiam genuit, cui remedium quæſitum eſt jurejurando. Eſt autem hujus dicti cum ſuperioribus hæc connexio, Ne putate vos ab hominum commercio excludi, ſi jurejurando quàm religioſiſſimè abſtineatis. Nam cùm de vitiis ortus ſit jurandi mos, facilè erit iiſdem ſublatis tollere jurisjurandi neceſſitatem. Id autem fiet, ſi, quemadmodum dixi, tam conſtanter quævis dicta ac promiſſa impleatis ut injuratis vobis potiùs quàm juratis aliis credatur. Iſocrates dixit, Δεῖ γὰρ τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδρας τρόπον ὅρκου πιστότερον φαίνεσθαι παρεχομένους [*Debent viri boni palàm præſtare vitam ſuam digniorem fide quàm ſit jusjurandum*]. Non igitur eò tantùm pertinet Chriſti præceptum, ne Chriſtiani à Chriſtianis exigant jusjurandum; verùm etiam ne jurent Chriſtiani à quocunque tandem exigatur. Nam, ut rectè explicat Clemens, decet Chriſtianum etiam πρὸς τοὺς ἔξω τὸν βίον ἔχειν ἀξιόπιστον, ὡς μηδὲ ὅρκον αἰτεῖσθαι [*etiam apud extraneos eam vitâ ſuâ fidem mereri, ut jusjurandum ab eo ne poſtuletur quidem*]. Sed, ut antè etiam dixi, omnia hæc præcepta non tam ex verborum apicibus quàm ex rei ipſius natura metienda ſunt. Non vetat Chriſtus jusjurandum ut rem per ſe malam, ſed ut rem quam niſi in negotiis maximi momenti uſurpare non liceat. Quæ autem ſint res ejuſmodi non tam certis definitionibus comprehendi poteſt quàm ſpiritu charitatis dijudicari. Concludam hanc tractationem dicto Auguſtini, *Qui intelligit non in bonis ſed neceſſariis jurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt, ut non eâ utatur niſi neceſſitate, cùm videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis utile eſt credere, niſi juratione firmetur.*

38. Ἠκούσατε ὅτι ἐῤῥέθη· *Audiſtis quia dictum eſt*] Intellexiſtis dictum eſſe, majoribus nimirum veſtris. Oſtendit autem hoc quoque illud ἐῤῥέθη ad antiquum tempus referri, cujus ad poſteros fama pervenerit.

Ὀφθαλμὸν ἀντὶ ὀφθαλμοῦ, καὶ ὀδόντα ἀντὶ ὀδόντος· *Oculum pro oculo, & dentem pro dente*] Defectivam orationem commodè ſupplebis ſi addas *reddet qui injuriam fecit.* Eſt autem hoc jus vetuſtiſſimum apud omnes propè gentes. Ariſtoteles τὸ ἀντιπεπονθὸς [*talionem*] vocat, & dictum ait Ius Rhadamanthi iſto verſu deſcriptum,

Εἴκε πάθοι τά κ' ἔρεξε δίκη κ' ἰθεῖα γένοιτο.
[*Quæ fecit ſi quisque ferat, jus fiet & æquum.*]

Ex Græcia & hoc Romam tranſiit: unde in XII Tabulis, *Si membrum rupit, talio eſto.* Apparet autem ex Lege Moſis, præcipuè ex verbis quæ ſunt Deuteronomii XIX, 21. non exactam talionem niſi Iudicis decreto. Nimirum, ut rectè Lucretius dixit,

Ampliùs ex ira quod enim ſe quisque volebat
Vlciſci, quàm nunc conceſſum eſt legibus æquis,
Idcirco eſt homines pertæſum vi colere ævum.

Quam ſententiam Honorius & Theodoſius Imperatores ita expreſſerunt: *Idcirco Iudiciorum vigor Iuriſque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quisquam ſibi ipſi permittere valeat ultionem.* Verum quidem eſt in quibuſdam caſibus Leges aliquid indulſiſſe juſto dolori, ſicut Iura Romana permittunt patri adulteram filiam aut filiæ raptorem occidere: Quomodo & apud Hebræos homicidium vindicare manu privata proximus agnatus potuit, ita tamen, quemadmodum ab Hebræorum Magiſtris rectè notatum arbitror, ut ſi prius illud homicidium ſine dolo malo patratum eſſet, ipſe ultor capitis pœnam ſubiret. Sed in delictis quæ infra homicidium ſunt nihil ultrà conceſſum læſis quàm adire Iudicem & ab eo ultionem, tanquam jure ſuo, expoſcere. Et hoc pœnæ genus eſt quod τιμωρίαν propriè vocant Plato, Ariſtoteles, & Taurus Philoſophus apud Gellium, quam definit Clemens Alexandrinus κακοῦ ἀνταπόδοσιν εἰς τὸ τοῦ τιμωροῦντος συμφέρον ἀναφερομένην [*repoſitionem mali eam quæ refertur ad utilitatem ſe vindicantis*]. Vbi τὸ συμφέρον [*utilitas*] paulò laxiùs ſumitur, ut & apud Ariſtotelem κέρδος [*lucrum*] in hoc ipſo argumento. Quia enim pleriſque

——— *vindicta bonum vitâ jucundius ipſâ;*

ideo quod adverſario nocet, ipſis quaſi prodeſſe intelligitur; quod ita Mimus extulit,

Læſo doloris remedium inimici dolor.

Ariſtoteles in arte Oratoria τιμωρίαν [*ultionem*] eſſe dicit τοῦ ποιοῦντος ἕνεκα ἵνα ἀποπληρωθῇ [*exigentis causâ ut ei ſatisfiat*], ubi ὁ ποιῶν eſt is qui ultionem exigit. Facere enim cenſemur etiam quod per Iudicem facimus. Non dubito autem, quin ſi jus ſtrictum reſpicimus, licuerit vulnerato à Iudice præcisè exigere ut adverſario quoque vulnus infligeretur, quemadmodum Bathos docebat, & Ioſephus diſertè teſtatur. Quòd autem apud Hebræos, ut notant eorum Magiſtri atque idem Ioſephus, & apud Romanos teſte Gellio, pro membro pecunia ſolvi ſolebat, id natum ex læſorum æquitate, quæ multis exemplis in morem tranſierit. Sed hæc ipſa pecunia quatenus damni dati æſtimationem & impendia excedebat, ultio erat; non imperata Hebræis, ſed conceſſa: cujus generis & apud Romanos erant tum accuſationes publicorum judiciorum, tum ex privatis delictis Actiones pœnales, in duplum, triplum, quadruplum.

39. Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ· *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*] Rectè eos ſentire arbitror, qui illud πονηρῷ de homine interpretantur, & eſſe id ipſum quod Hebraicè Moſes dixit Exodi II, 13. לרשע, quod LXX vertunt τῷ ἀδικοῦντι· quo exemplo τῷ πονηρῷ vertere ſic liceat, *ei qui injuriam fecit*. Et manifeſtum eſt non poſſe τὸ ἀντιστῆναι [*reſiſtere*] universè ſumi. Nam reſiſtit & qui innocentiam ſuam verbis teſtatur, quod fecit Chriſtus, & poſt eum Apoſtoli. Sed cùm præcedentia verba, quibus hæc ſententia opponitur, agant περὶ τῆς τιμωρίας [*de ultione*], omnino τὸ ἀντιστῆναι [*reſiſtere*] eódem referri debet, quod & Paulus nos docet, hoc præceptum his verbis explicans, Μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες [*Nulli malum pro malo reddentes*], Roman. XII, 17. quæ eſt ut diximus τῆς τιμωρίας [*ultionis*] perſpicua deſcriptio. Ex quo etiam apparet quid ſit eodem Pauli loco μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες [*non voſmetipſos defendentes*, id eſt, *ulciſcentes*]. Nam ἐκδικεῖν cùm modò *ulciſci* ſignificet, modò *defendere*, neceſſe eſt ibi pro ultione accipiatur; qui enim ſe defendit tantùm, is non reddit malum pro malo, ſed is demum qui ſe ulciſcitur: quod & ſequentia Pauli verba declarant, *ſed dantes locum iræ*, id eſt, Divinæ ultioni, ut ibidem videre eſt. Ariſtoteles paſſim τὸ ἀμύνειν [*vindicare*] ponit in virtutis parte; quem ſecutus Cicero vindicationem ad Ius Naturæ refert, *per quam*, inquit, *vis & injuria defendendo aut ulciſcendo propulſatur*. Ejuſdem eſt in Officiis illud, *Iuſtitiæ primum munus eſt ut ne cui noceat, niſi laceſſitus injuriâ. O quam ſimplicem veramque ſententiam*, inquit Lactantius, *duorum verborum adjectione corrupit. Nocendum enim nemini, ne ei quidem qui prior nocuerit*. Quod Plato propiùs cæteris perſpexit; ejus enim eſt in Critone, οὐδὲ ἀδικούμενον δεῖ ἀνταδικεῖν [*nec ſi injuriam acceperis, reponenda ea eſt*]· item, Οὔτε ἄρα ἀνταδικεῖν δεῖ, οὔτε κακῶς ποιεῖν οὐδένα ἀνθρώπων, οὐδ' ἂν ὁτιοῦν πάσχῃ ὑπ' αὐτῶν [*Non igitur reponenda injuria eſt, neque nocendum cuiquam, etiamſi quidvis ab aliis patiendum ſit*]. quod latè explicat, demonſtratis incommodis quæ ultionem ſequi ſolent, ſectator dogmatum Platonis Maximus Tyrius diatribâ cui titulum fecit, Εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον [*An injuria retorquenda in auctorem*]. Sed & Hierocles dixit, τῷ ἀνταδικεῖν ἡμᾶς εἰς τὴν ἴσην τοῖς ἀδικοῦσι καχεξίαν ἔρχεσθαι [*injuriam reponendo in eundem nos morbum incidere cum iis qui priores injuriam fecere*]. Lacedæmonii precibus addere ſolebant τὸ ἀδικεῖσθαι δύνασθαι [*poſſe injuriam pati*]. Dignum memoriâ & Menandri illud,

Οὗτος κράτιστός ἐστ' ἀνήρ, ὦ Γοργία,
Ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖστ ἐπίσταται βροτῶν.
[*O Gorgia, ille vir virorum eſt optimus,*
Qui meliùs aliis callet ferre injurias.]

Inter Pythagoræ ſcita refert Iamblichus, Μήτε ἄρχειν λοιδορίας, μήτε ἀμύνεσθαι τοὺς λοιδοροῦντας [*Neque convitiari priorem, neque reponere convitium*]. Idem, Πολλῷ μᾶλλον ἀδικεῖσθαι δεῖν παρήγγειλεν ἢ κτείνειν ἄνθρωπον· ἐν ᾅδου γὰρ κεῖσθαι τὴν κρίσιν [*Monuit multò potius ferre iniuriam quàm hominem occidere: Eſſe enim apud Inferos Iudicium*]. Metellus Numidicus in Oratione ad populum, *Probi iniuriam faciliùs accipiunt quàm alteri tradunt*. Eſt in iiſdem partibus Seneca: *Immane*, inquit, *verbum eſt ultio & ab iniuria tantùm diſtans ordine. qui ulciſcitur non niſi excuſatiùs peccat*. Sed & hoc ipſum, excuſatiùs peccare qui rependit injuriam, non concedit is quem dixi Maximus, quo judice ὁ τιμωρῶν τοῦ προϋπάρξαντος ἀδικώτερος [*qui ulciſcitur pejor eſt eo à quo cœpit injuria*]. Addam his Muſonium, Τὸ σκοπεῖν ὅπως ἀντιδήξηταί τις τὸν δάκνοντα, καὶ ἀντιποιήσῃ κακῶς τὸν ὑπάρξαντα, θηρίων τινὸς, οὐκ ἀνθρώπου ἐστίν [*Hoc agere ut mordentem remordeas, & malum reddas ei qui fecerit, feræ eſt, non hominis*]. Et hæc quidem videri poſſunt propriè ad ultionem eam pertinere ubi quis aut manu ſtatuit

Ἄνδρ' ἀπαμύνασθαι ὅστις πρότερον χαλεπήνῃ,
[*Fortiter ulciſci ſi quis malè fecerit antè,*]

aut etiam,

Ἀλωπεκίζειν πρὸς ἑτέραν ἀλώπεκα.
[*Adversùs vulpes moribus uti vulpium.*]

At Chriſti præceptum apertè illud ultionis genus reſpicit quod minùs immodeſtum videri ſolet: certè publicè non æquè periculoſum eſt cùm apud Magiſtratum exercetur Actio ad vindictam inſtituta. Nam hoc ipſum vetat quod Deus per Moſem non quidem indiſtinctè probaverat (ſemper enim ei lenitas præ iracundia placuit), ſed quod fieri erat paſſus, & de quo judicium reddi voluerat, ut majoris mali vitaretur occaſio. Nam alioqui Lex ipſa hoc agebat, ut ſi fieri poſſet homines à vindictæ cupiditate retraheret: quod agnoſcit Philo apud quem Iudæi Alexandrini Deum ita alloquuntur, Οὐκ ἐφηδόμεθα, ὦ Δέσποτα, τιμωρίαις ἐχθρῶν, δεδιδαγμένοι πρὸς τῶν ἱερῶν νόμων ἀνθρωποπαθεῖν [*Non delectamur, ô Domine, hoſtium malis, per ſanctas leges edocti miſericordiâ affici*]. Sed quis ſcopus fuerit legis per Moſem latæ, ac quomodo ea non pugnet cum præcepto hoc Chriſti congruente cum Prophetarum monitis, videtur mihi ſatis perſpicuè expoſuiſſe Tertullianus adversùs Marcionem IV. *Novam planè patientiam docet Chriſtus, etiam vicem injuriæ prohibens permiſſam à Creatore, oculum exigentem pro oculo & dentem pro dente: contrà ipſe alteram ampliùs maxillam offerri jubens, & ſuper tunicam pallio quoque cedi. Planè hæc Chriſtus adjecerit, ut ſupplementa conſentanea diſciplinæ Creatoris. Atque adeò hoc ſtatim renuntiandum eſt, an diſciplina patientiæ prædicatur penes Creatorem. Sic* *per Zachariam præcepit, ne unusquiſque malitiæ fratris ſui meminerit, ſed nec proximi. Nam & rurſus, Malitiam, inquit, proximi ſui unusquiſque ne recogitet. Multò magis patientiam indixit injuriæ, qui indixit oblivionem. Sed & quum dicit, Mihi vindictam & ego vindicabo, proinde patientiam docet vindictæ exſpectatricem. In quantum ergo non capit, ut idem videatur, & dentem pro dente, oculum pro oculo in vicem injuriæ exigere, qui non modò vicem, ſed etiam ultionem, etiam recordationem & recogitationem injuriæ prohibet, in tantum aperitur nobis, quomodo oculum pro oculo & dentem pro dente cenſuerit, non ad ſecundam injuriam talionis permittendam* (intellige, ut rectè ac piè exigeretur) *quam prohibuerat interdicta ultione, ſed ad primam coërcendam quam prohibuerat talione oppoſito, ut unusquiſque reſpiciens licentiam* (id eſt, permiſſionem illam facti cum auctoritate Iuris Civilis) *ſecundæ injuriæ, à prima ſemetipſum contineret. Faciliùs enim vim comprimi ſcit repræſentatione talionis quàm repromiſſione ultionis. Vtrumque autem conſtituendum fuit pro natura & fide hominum, ut qui Deo crederet, ultionem à Deo exſpectaret; qui minùs fideret, leges talionis timeret. Hanc legis voluntatem de intellectu laborantem, Dominus & Sabbati & Legis & omnium paternarum diſpoſitionum Chriſtus & revelavit & compotem fecit, mandans alterius quoque maxillæ oblationem, ut tantò magis vicem injuriæ exſtingueret, quam & Lex per talionem voluerat impediſſe, certè quam Prophetia manifeſtè coercuerat, & memoriam injuriæ prohibens, & ultionem ad Deum redigens. Ita ſi quid Chriſtus intulit, non adverſario ſed adjutore præcepto, non deſtruxit diſciplinas Creatoris. Denique ſi in ipſam rationem patientiæ præcipiendæ & quidem tam plenè atque perfectè conſiderem, non conſiſtet, ſi non eſt Creatoris qui vindictam repromittit, qui Iudicem præſtat. Alioquin ſi tantum patientiæ pondus non modò non repercutiendi ſed & aliam maxillam præbendi, & non modò non remaledicendi ſed etiam benedicendi, & non modò non retinendi tunicam ſed ampliùs & pallium concedendi, is mihi imponit qui non ſit me defenſurus, in vacuum patientiam præcepit, non exhibens mihi mercedem præcepti, patientiæ dico fructum, quod eſt ultio, quam mihi permiſiſſe debuerat ſi ipſe non præſtat; aut ſi mihi non permittebat, ipſe præſtaret. Quoniam & diſciplinæ intereſt injuriam vindicari. Metu enim ultionis omnis iniquitas refrenatur. Cæterùm paſſim emiſſa libertate dominabitur, utrumque oculum effoſſurâ, & omnem dentem excitaturâ præ impunitatis ſecuritate.* Locum hunc lectu & conſideratu non indignum tranſcripſi eò libentiùs quòd inde intelligi poſſit cur & quatenus etiam in Chriſtianorum terris retineri poſſent ejuſmodi leges, quæ talionis aut pœnæ formidine eos coërcent qui ſponte rectè facere nondum didicerunt: incolumi interim piis omnibus manente patientiæ regulâ, quam obſcurè natura inſinuat, commendant non Prophetæ tantùm, ſed & Philoſophi, præcepit autem diſertè Chriſtus. Idem ille Tertullianus libro de Patientia, *Chriſtus gratiam Legi ſuperducens, ampliandæ adimplendæque Legi patientiam ſuam præfecit, quòd ea ſola ad juſtitiæ rationem retro defeciſſet.* Hujus præcepti memores Chriſtiani illi meliorum ſeculorum non dubitabant ad ipſorum hoſtium teſtimonium provocare. Iuſtinus in Apologetico, Ὃ γὰρ καὶ ἐπὶ πολλῶν τῶν παρ' ἡμῖν γεγενημένων ἀποδεῖξαι ἔχομεν, ἐκ βιαίων καὶ τυράννων μετέβαλον ἡττηθέντες ἢ γειτόνων καρτερίαν βίου παρακολουθήσαντες, ἢ συνοδοιπόρων πλεονεκτουμένων ὑπομονὴν ξένην καταννοήσαντες, ἢ συμπραγματευομένων πειραθέντες [*Nam, quod multis apud nos exemplis oſtendere poſſumus, multi de violentis & tyrannis alii facti ſunt, ſuperati exemplis ſive dum vicinorum in vita conſtantiam imitantur, ſive conſpectâ admirabili patientiâ comitum itineris injuriam paſſorum, ſive periculo facto eorum quibuscum negotium habebant*]. Athenagoras, Οὕτως ἐκκεκαθαρμένοι εἰσὶ τὰς ψυχὰς, ὡς ἀντὶ τοῦ μισεῖν τοὺς ἐχθροὺς ἀγαπᾷν, καὶ ἀντὶ τοῦ, τὸ μετριώτατον, κακῶς ἀγορεύειν τοὺς προκατάρξαντας λοιδορίας, εὐλογεῖν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἐπιβουλευόντων εἰς τὸ ζῆν, προσεύχεσθαι [*Ita purgati ſunt animis ut inimicos pro odio amore proſequantur: & pro eo, quod in mediocribus ducitur, eos qui priores convitiati ſunt rurſum convitiis impetere, bene de eis loquantur, & precentur pro eis qui vitæ ipſorum inſidias ſtruunt*]. Ipſe Iuſtinus de accuſatoribus Chriſtianorum ita loquitur, Οὐ γὰρ τοὺς κατηγοροῦντας κολάζειν ὑμᾶς ἀξιώσομεν· ἀρκοῦνται γὰρ τῇ προσούσῃ πονηρίᾳ καὶ τῇ τῶν καλῶν ἀγνοίᾳ [*Neque enim à vobis id expetimus ut accuſatores noſtros puniatis. Sufficit eis pravitas in qua verſantur & rerum bonarum ignorantia*]. Iulianus, qui dogmata Chriſtianorum perdidicerat, vetuit Chriſtianorum querelas de injuriis apud Magiſtratus audiri, additâ causâ, Ὑμέτερον τὸ κακοπαθεῖν [*Veſtrum eſt ferre injuriam*]. Lubet in pudorem eorum qui ſe nunc Chriſtianos dici volunt verba adferre Muſonii propriè ad hanc judicialem vindictam pertinentia. Ait is, Ὕβρεως γραφὴν οὔτ' αὐτὸς γράψασθαί τινα ποτὲ, οὔτ' ἂν ἑτέρῳ συμβουλεῦσαι [*Injuriæ actionem neque ſe cuiquam intentaturum, neque cuiquam ut id faciat auctorem fore*]. Et apud Lyſiam legimus, Ἀνελεύθερον καὶ πάνυ φιλόδικον κακηγορίας δικάζεσθαι [*Hominis eſt non ingenui, ſed litigioſi, injuriarum inſtituere actionem*]· cauſamque ſententiæ ſuæ explicans, *Irrideri, conſpui, verberari denique non eſt turpe*, ait, *ſapienti; ſed irridere, conſpuere, verberare.* Mox prolatis exemplis eorum qui illatas injurias diſſimulaverant, ita concludit, Πόσῳ γὰρ κρεῖττον οὕτως ἔχοντα φαίνεσθαι τὸν φιλόσοφον ὥστε συγγνώμης ἀξιοῦν εἴ τις πλημμελήσειεν εἰς αὐτὸν, ἢ δοκεῖν μὲν ἀμύνειν ἑαυτῷ δικαζόμενον καὶ ἐγκαλοῦντα, τῇ γὰρ ἀληθείᾳ ἀσχημονεῖν, ἀνακόλουθα τοῖς ἑαυτοῦ λόγοις πράττοντα [*Quantò rectius Philoſophum talem ſe oſtendere ut veniâ dignetur eum qui in ipſum peccaverit, quàm videri quidem ſemet vindicare, in jus eundo & accuſando, at re ipſa indecorè ſe gerere, & dogmatis ſuis non conſentanea agere*]. Zenon dicenti, Ἀπολοίμην ἐὰν μή σε τιμωρήσωμαι [*Peream niſi te ulciſcar*], reſpondit, Ἐγὼ μὲν ἐὰν μή σε φίλον κτήσωμαι [*Ego verò niſi te amicum reddam*].

ἀλλ' ὅστις σε ῥαπίσει ἐπὶ τὴν δεξιάν σου σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην· *ſed ſiquis te percuſſerit in maxillam dexteram tuam, præbe illi & alteram*] Sæpe in Hebraiſmo accidit ut adverſativa comparationem in ſe includat; qua addita ſententia hæc erit planiſſima hunc in modum, Noli ſi quis te malo affecit ei viciſſim malum rependere aut odium ejus induere; quin potiùs ferienti maxillarum unam, alteram quoque cædendam obverte: Potiùs ſcilicet quàm te ulciſcaris. Deinde ex proverbio petitum eſt *maxillam obvertere cædenti* pro eo quod eſt *patienter aliquid ferre*, ut videre eſt Threnor. III, 30. Iulianus dixit preceptum Chriſtianis, μήτε τὴν παρειὰν παιομένους φείδεσθαι τῆς ἑτέρας [*nec ſi in maxillam verberetur alteri maxillæ parcere*]. Eſt autem & hîc, ut ſuprà aliquoties, ſolutio tacitæ objectionis. Nam qui jubetur ab ultione omni abſtinere, ei ſtatim in mentem venit Mimi illud,

Veterem ferendo injuriam invitas novam.

Chriſtus igitur, ne quis hoc obtentu ſibi blandiatur, multò ait potius eſſe ut altera injuria accipiatur quàm ut ſumatur ultio. Et hoc eſt quod Plato dixit, non referendam injuriam ἔτι δεῖ ἡμᾶς ἔτι τῶνδε χαλεπώτερα πάσχειν [*etiamſi quid gravius ferendum ſit*]. Eſt eadem objectio & apud Maximum Tyrium, Διὰ τοῦτο, φαίη ἄν τις, ὁ δίκαιος ἀνὴρ προπηλακίζεται, καὶ συκοφαντεῖται, καὶ διώκεται, καὶ χρήματα ἀφαιρεῖται, καὶ ἐς δεσμωτήριον ἐμβάλλεται, καὶ φεύγει, καὶ ἀτιμᾶται, καὶ ἀποθνήσκει [*Ob hoc ipſum, dicet aliquis, vir juſtus & contemnitur, & injuriis impetitur, & pecuniis ſpoliatur, & in carcerem conjicitur, & in exſilium agitur, & dedecore afficitur, & interficitur*]. Reſpondet, nihil mirum talia viro bono evenire, quia parum præſidii ſit in nuda innocentia apud pravos judices: licere illi interim cum magna animi fiducia exclamare Achilleum illud,

——— φρονέω γὰρ τετιμῆσθαι Διὸς αἴσῃ.
[——— *Mî ſpero decus Iove dante futurum.*]

40. Καὶ τῷ θέλοντί σοι κριθῆναι, *Qui vult tecum Iudicio contendere*] Latinus interpres vertit *Iudicio contendere*. Nec dubium eſt quin olim ita intellexerint plerique. Et habet eum ſenſum vox κρίνεσθαι apud Græcos interpretes, ut Iobi IX, 3. Eccleſiaſtici VI, 10. Ioelis III, 2. Oſeæ II, 2. Salvianus hoc loco juberi ait ut ea ipſa de quibus lis eſt relinquamus dum litibus exuamur. Irenæus, *Vt non quaſi nolentes fraudari contriſtemur, ſed quaſi volentes donaverimus gaudeamus.* Alii verò κριθῆναι *rixari* malunt exponere. Et מדון quidem pro *contentione* poni aliquot exemplis demonſtratum eſt. Addendum verò quod hîc eſt κρίνεσθαι propriè reſpondere Hebræo נדון; id autem *contendere* ſignificat, ut videre eſt II Samuelis XIX, 9. ubi Græci habent alii ἦν κρινόμενος, alii ἦν διακρινόμενος [*certabat*]. Quo ſenſu & ἄνδρα διακρινόμενον [*virum diſcordiæ*] poſuere Græci Ieremiæ XV, 10. pro Hebræo איש מדון, quod alibi vertunt μάχιμον. Illud autem נדון hîc poſuit Syrus: unde videri poſſet κριθῆναι hîc eſſe μάχεσθαι [*vi contendere*]· eóque magis quia Lucas quod hîc eſt κρίνεσθαι [*contendere*] dixit αἴρειν [*auferre*] vi ſcililet non Iudicio. Chriſtus ab uno injuriæ genere quod ad corpus aut etiam ad dignitatem pertinet, tranſit ad alterum quo fortunæ læduntur, quod oſtendit ipſa copula quæ præcedens comma cum iſto connectit. Quare & hîc pari modo ſenſus videtur ſuppleri poſſe addito comparandi ſigno: Si quis vi cupiat à te tunicam auferre, etiam pallium potiùs illi permitte quàm illi noceas aut odium ejus animo concipias. *Tunicam ſumere ſupra pallium* proverbiale, Michææ II, 8. Et hoc eſt quod Lucas dixit μὴ κωλύσῃς [*ne prohibe*]. Nam κωλύειν ibi eſt non verbis raptorem commonefacere, aut etiam quod ſuum eſt retinere, ſed nocendo abſterrere aut abſpellere. Quod ſi tamen demus κρίνεσθαι ſignificare hoc loco *litem movere*, ſicut Iulianus hanc vocem expreſſit voce δικάζεσθαι, & Hieronymus dicens, *Docet nos Euangelium ei qui nobiſcum velit Iudicio contendere, & per lites ac jurgia auferre tunicam, etiam pallium eſſe concedendum*, poterit & hoc intra certum modum intelligi, nimirum ne causâ rei cujuſvis, & talis qualis eſt pallium aut tunica, litem ſubire liceat. Nam quæ adversùs lites hoc loco dici à tractatoribus ſolent, ea mihi videntur circumſtantias ſatis frequentes litium magis quàm ipſa Iudicia reſpicere. Dixit quidem Paulus hoc ipſum eſſe ἥττημα [*delinquentiam* aut *defectum*] quòd Corinthii Chriſtiani lites inter ſe haberent, additque, *Cur non potiùs perfertis injuriam? cur non potiùs patimini vos deſpoliari?* Sed ἥττημα [*defectum*] dixit non ἁμάρτημα [*peccatum*]· quia ſcilicet ſicut præclari atque excelſi eſt animi ſuum amittere potiùs quàm Iudicio perſequi, ita nullum de ea re præceptum Chriſti omnino univerſale exſtabat. Alioqui non rejeciſſet lites ad arbitria piorum hominum. Quid enim differt pius Iudex, præſertim cum bona partium gratia aditus, ab arbitro, niſi quod publicè eſt lectus juris miniſter? quare ſi diu de jure ſuo incerti Iudicem adeant, aut aliquis ut viduam aut pupillum defendat, aut domui ſuæ conſulat, aut ut habeat quod pauperibus largiatur juri ſuo confiſus ob rem momenti maximi ad Iudicium provocet, nullo interim odio flagrans, ſed æquo animo laturus quicquid judicatum fuerit, neſcio an in caritatem peccare ſit dicendus. Verùm ſi ſpectentur quæ plerúmque litibus ſolent accedere, animus exulceratus, vafræ artes, ſine fine ampliatio, impendia, avocatio à negotiis melioribus, odia denique, non dubium eſt quin vir bonus & prudens multò, ſi poſſet, libentiùs ſit iturus ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili pactione tot moleſtias redemturus; maximè ſi de re agatur facilè reparabili, quales ſunt tunica & pallium & ſimilia. *Non improbat Prætor* (inquit Vlpianus) *factum ejus qui tanti habuit re carere, ne propter eam ſæpius litigaret: Hæc enim verecunda cogitatio ejus qui lites exſecratur non eſt vituperanda.* Iſocrates de ſe Oratione περὶ ἀντιδόσεως [*De ſurrogatione*] ſic ait, Ἠπιστάμην αὐτὸς μὲν εἰς τοὺς ἄλλους μηδὲν ἐξαμαρτάνειν· ἀδικούμενος δὲ μὴ μετὰ δικαστηρίου ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας, ἀλλ' ἐν τοῖς φίλοις τῶν ἐκείνων διαλύεσθαι περὶ τῶν ἀμφισβητουμένων [*Didiceram ego in alios quidem nihil peccare: at ſi injuria eſſem affectus, non Iudicio me ulciſci, ſed apud eorum amicos diſcedere de controverſia*]. Ariſtides, Τῶν ἰδιωτῶν ἐπαινεῖτε συγγνώμονας καὶ βλαφθῆναί τινα μᾶλλον αἱρουμένους ἢ διαφέρεσθαι πρός τινας [*Laudatis privatos qui æqui ſunt & aliquid damni malunt pati quàm litigare*]. Cicero De officiis II. laudat à litibus quantum liceat, aut etiam paulò pluſquam liceat, abhorrentem. Certè de veteribus Chriſtianis, qui non tam ſubtiliter quàm fieri nunc ſolet, Conſilia à Præceptis diſtinguebant, ſed in omnibus rebus id ſectabantur quod erat optimum, dixit Athenagoras, οὐ δικάζονται τοῖς ἁρπάζουσι [*non litigant cum raptoribus*]. Altera ex hoc loco difficilior oritur quæſtio, An quod Leges permittunt vim vi repellere, id Chriſtianæ etiam diſciplinæ conveniat. Nam quin Legibus multa concedantur quæ bonitatem ac patientiam hominis Chriſtiani non decent

dubitandum non eſt. Et eſſe quædam talia in hoc etiam genere exiſtimo, quale interdum eſſe poteſt quod lex Moſis concedit furem nocturnum occidere, & quod lex Romana addidit etiam diurnum, ſi ſe telo defendat: multoque magis quod interpretes Iuris Romani addiderunt, quemlibet bonorum noſtrorum invaſorem rectè necari ſi aliter ſervari poſſeſſio nequeat. Neque hàc ſtetit Iuriſconſultorum indulgentia, non animis tantùm ſed & reipublicæ, ni fallor, periculoſa. Si ob bona hoc licet, quid ni ſervandæ exiſtimationis cauſâ? inquiunt. Eſt autem turpe fugere; licet igitur homicidium facere etiamſi fuga pateat. Item turpe eſt convitium pati, præſertim viro nobili; ergo etiam ea de cauſa homicidium patratum culpâ vacat. Quin & ſingulares dimicationes habent ſuos patronos, & res omnibus legibus vetanda, etiam legibus ordinatur. Eò ventum eſt ut inter Chriſtianos, crucis candidatos, quotidie palàm publicè fiat quod profanarum gentium leges ſeverè puniiſſent. Adeò pati injuriam dedecus putatur; laus hominem occidere. Ego verò neque illud quod honorem vocant, qui non eſt honor ſed vanorum hominum ſtulta perſuaſio; neque poſſeſſiones ullas cum vita hominis etiam viliſſimi comparandas puto. Et quæ tandem caritas ſinit nos iſtas reculas noſtras pluris facere quàm quod hic orbis digniſſimum habet vitam humanam, cui res conditæ omnes famulantur? At Leges permittunt. Imò horum pleraque Leges improbant: ſed ſunt iſta Iuriſconſultorum ſeculo ſuo blandientium commenta. Longè aliter olim Vlpianus, *Furem nocturnum ſi quis occiderit, ita demum impune feret ſi parcere ei ſine periculo ſuo non potuit.* Quid ſi tamen permitterent? Non probant, non laudant; tantùm præſtant impunitatem. Eſtne autem qui Chriſtiano exiſtimet ſufficere, ſi pœnas legum effugiat, in ſcelera tantùm non etiam in vitia conſtitutas? Sed illud etiam videamus quantùm liceat homini pro vita tuenda facere. Sunt & hîc Iuriſconſulti qui exiſtiment, etiam innocentem qui dirimendæ rixæ ſe interponit interfici poſſe ſi alia ratio nulla ſit expediendæ ſalutis; quod confido paucis placiturum: & ne illud quidem recipit religioſus animus quod à nonnullis eſt proditum, non eſſe exſpectandum dum præſens immineat periculum, ſed tollendum in tempore qui credatur nociturus. Non enim eouſque timori indulgendum eſt. Rectiùs Cicero, *Quis hoc ſtatuit unquam, aut cui concedi ſine ſummo omnium periculo poteſt, ut eum jure potuerit occidere à quo metuiſſe ſe dicat ne ipſe poſteriùs occideretur.* Eſtque in eandem rem apud Gellium diſſertatio libro VII, cap. 3. Sunt rurſum alii qui ne aggreſſorem quidem occidi poſſe arbitrantur etiamſi vita, ni id fiat, omnino ſit amittenda. Quæ ſententia multos habuit auctores in primis Chriſtianiſmi ſeculis, quo tempore fervida pietas facilè honeſta omnia pro præceptis amplectebatur. Origenes Celſo Chriſtianos ſeditioſos appellanti, ita reſpondet, Καί τοι γε εἰ στάσις ἦν τῆς συστάσεως τοῖς Χριστιανοῖς ἡ αἰτία, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰληφόσιν, οἷς ἐξῆν καὶ ὅπλα ὑπὲρ τῶν οἰκείων ἀναλαβεῖν, καὶ πολεμίους ἀναιρεῖν, οὐκ ἂν ὁ νομοθέτης Χριστιανῶν πάντῃ ἀναίρεσιν ἀνθρώπων ἀπηγόρευε, μήποτε δίκαιον εἶναι διδάσκων τὸ κατ' ἀνθρώπου τόλμημα τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν, κἂν ἀδικώτατος ἐκεῖνος ᾖ· οὐ γὰρ πρέπειν ἡγεῖτο τῇ ἐνθέῳ ἑαυτοῦ νομοθεσίᾳ τὸ συγχωρεῖν ὁποίαν δήποτε ἀνθρώπου ἀναίρεσιν [*Atqui ſi Chriſtianis factio cauſa eſſet conventuum, cùm originem à Iudæis trahunt, quibus licebat & arma pro rebus ſuis ſumere, & hoſtes tollere, non illis Legiſlator ipſorum omnem hominis interfectionem prohibuiſſet, docens illicitum eſſe ſuis ſectatoribus talem conatum adversùs hominem quamvis injuſtiſſimum. Neque enim convenire exiſtimabat Divinæ ſuæ diſciplinæ pati qualemcunque hominis cædem*]. Ego ſi quis ſit tam forti animo ut vitam eripi ſibi patiatur potiùs quàm alterius quantúmvis infeſti morte eam redimat, laude aut etiam admiratione dignum cenſeam. Rara dilectio eſt pro inimicis atque improbis mortem oppetere, inquit Paulus Roman. V, 6, 7, 8. Sed an præcepti jure à Chriſtianis hoc exigatur, videndum eſt ampliùs. Nam Chriſti hæc verba propriè de ultione agere videntur, aut etiam de vi ad arcendum malum quod facilè ſit reparabile. At hinc utrinque vitæ res vertitur: ut aut inde moriatur qui hoc malum in ſe accerſivit, aut hinc qui invitus eò neceſſitatis detruditur. Iam verò ne in bonis quidem vitæ huic ſervientibus, ne inter amicos quidem, per præcepti modum à nobis exigitur ut aliis eſſe velimus ἄνεσιν [*remiſſionem*], nobis θλίψιν [*tribulationem*], ut Paulus loquitur II Corinth. VIII, 13. Cur igitur de vita aliud dicamus? Nam ſi dicas vitam alterius bonis eſſe digniorem; ſanè tantò & vita noſtra bonis eſt dignior. Itaque manet eadem ἀναλογία [*proportio*]. Sunt qui præceptum Noë ejuſque liberis datum urgent, quo vetatur fundi ſanguis humanus. Verùm idem hoc Natura præcipit. at omnia præcepta Naturalia, quantúmvis univerſaliter enuntiata, habent ſuas ex æquo & bono exceptiones. Et videmus populos omnes, quorum conſentiens judicium non temere ſperni debet (nam, ut Heraclitus dicebat, ὁ ξυνὸς λόγος πιστὸν τεκμήριον [*communis ratio fidum eſt indicium*]), ita Ius illud Naturæ interpretari ut innocentem pronuntient qui cùm aliter vitam tueri nequiret vim ſibi inferentem occiderit. De quo Cicero dicit *non ſcriptam exſtare ſed natam legem, quam non didicimus, accepimus, legimus, verùm ex ipſa natura arripuimus, hauſimus, expreſſimus.* Videtur autem debere Lex Dei idem dictans quod Natura, ita accipi, quomodo ipſa Natura accipiendam monſtrat, niſi addatur aliquid expreſſius. Vna cauſa eſt quæ vitæ periculo æquanda videatur, ſi quis ſtuprum corpori parans inferre, aliter quàm occidendo arceri nequeat. Neque enim Leges tantùm hoc permittunt, ſed ſolent facta ejuſmodi apud omnes populos magnis laudibus celebrari, exſtantque etiam in veteri Chriſtianiſmo ejus exempla. Quod tamen de vita armis, ſi neceſſitas urgeat, tuenda dictum eſt, id non audeam proferre ad arcendam vim, quæ infertur à publica poteſtate. Nam id neque Leges indulgent, & ſi indulgeatur, reipublicæ ſit periculoſum. Ceſſat & ratio quam attulimus. Non enim æqualia inter ſe ſunt bona, tranquillitas publica, & vita quantúmvis innocentis. Itaque Petrus in cauſa, quæ omnium juſtiſſima videri poterat, armatam vim incœptans, à Chriſto reprehenſus eſt, & ipſe Dominici præcepti memor aliis in ſimili poſitis neceſſitate præſcribit patientiæ leges 1 Epiſtolâ IV, 15, 16. Et hoc Chriſtiani religioſiſſimè obſervarunt, adeò ut ſi quam per vim obſtitum eſſet graſſanti ſævitiæ, id publicè ipſorum univerſitas improbaret. Videtur tamen alia eſſe cauſa eorum qui decreto ſuperiorum poteſtatum inferioribus reſiſtunt: Inferiores enim quatenus ſuperiorum mandata egrediuntur, privatis ſunt accenſendi. Quò referendum eſt factum Nehemiæ & ſociorum, quos contra vicinos Præſides armabat Regii edicti auctoritas. Abſoluta quæſtione de ſui tutela, veniamus ad alteram quæ eſt de Iudiciis publicis, præſertim capitalibus. Nam ea quoque à Chriſto his verbis prohiberi, ſunt qui exiſtimant. At jam oſtendimus de Vltione Chriſtum agere ſive ea in Iure, ſive extra Ius exigatur. Longè autem aliud eſt Vltio, ut plerúmque ea vox ſumitur, aliud Pœna, quam nullo poſtulante Leges exigunt. Vltio ex ira poſtulatur. *Iudex* verò, ut Seneca verè dixit, *nunquam minùs iraſcitur quàm cùm punit.* Exigitur Vltio, quia factum eſt quod non oportebat; Pœna verò publicorum Iudiciorum ideo exigitur, ne peccetur in poſterum. Eſt enim aut νουθεσία [*admonitio* ſive *caſtigatio*], aut παράδειγμα [*exemplaris pœna*], ut Philoſophi rectè diſtinguunt. Νουθεσία [*admonitio*] vult eum qui peccavit meliorem facere, ut paterna caſtigatio liberûm, quam ab iis quoque uſurpari intelligo domi qui eam in republica reprehendunt. παράδειγμα autem exemplo triſtiore alios à delinquendo abſterret. Sæpe autem conjungitur caſtigatio cum exemplo. Vtrumque autem ab ultione longiſſimè differre tum ex origine tum ex fine apparet. Quomodo igitur quæ de ultione dicta ſunt à Chriſto ad rem adeò diverſam producentur? Dicam aliquid ampliùs. Ipſa illa ſupplicia ultionis ſive τῆς τιμωρίας quod attinet, Chriſti præcepto is qui læſus eſt ea exigere doloris reponendi causâ prohibetur, non prohibetur Iudex ſi exigantur Lege agere. Nam manebat adhuc Moſis Lex tota, quam Chriſtus profitetur hoc ipſo ſermone à ſe nulla in parte infringi. Poterat autem Chriſtus ſalva Lege imperare læſo ne talionem poſtularet: quia hoc Lex illi non imperabat, ſed concedebat. nihil autem contra Legem facit qui conceſſo non utitur. At Iudici interdicere ne ſecundùm Legem judicaret, incolumi Lege non poterat. Quia non permittebat hoc Lex Iudicis arbitrio, ſed diſtrictè & addita comminatione hoc ei imperabat, ut videre eſt tum alibi, tum præſertim Deuteron. XIX, 21. Pertinet autem hoc argumentum etiam ad capitis Iudicia. Nam ad ea quoque Iudicem Lex obligabat, niſi quatenus vi majore, ut puta poteſtate Romanorum, prohibebatur. Quare cum & Lex Chriſti ſtatim ut promulgata erat auditores obligaverit, & Lex Moſis eo tempore non fuerit antiquata, ſequitur ut utrique ſimul pareri potuerit. Quod ſi tempore promulgationis verba Chriſti non obſtiterunt publicis Iudiciis, ne nunc quidem obſtare poſſunt. Manet enim ea quæ initio fuerat verborum ſententia. Nec eſt quòd quiſquam regerat excidio Iudaicæ Reipublicæ leges Moſis concidiſſe; neque enim id quæritur an ex Legibus Moſis judicari debeat in illis populis quos Lex Moſis ne tunc quidem obſtrinxit cum publicaretur, ſed an cum Chriſti præcepto pugnet aut eaſdem aut ſimiles Leges figere. Illud quidem certum eſt, ſupervacuum eſſe ut tales Leges ferantur in eos qui ex Chriſti vivunt diſciplina. Nam qui ſponte ſua rectè faciunt, eos nihil opus eſt coerceri mali formidine. Verùm docent nos vaticinia, docet rerum eventus Mundum non eſſe Chriſtianum, ſed verè Chriſtianos minimam eſſe Mundi portionem: Leges autem reſpiciunt id quod plerúmque accidit. Quare cùm humani generis pars major nunc ſit non minùs σαρκικὴ [*carnalis*] quàm erat Moſis ætate gens Iudæorum, ſimili morbo ſimilia ſunt adhibenda remedia. Neque enim ſine publicis Iudiciis nunc tutior eſſe poteſt innocentia quàm tum fuit. Quanquam verò Lex Hebræa, ut diximus, à Deo data ſit ſoli populo Hebræo, tamen dubium non eſt quin eam rectè imitari potuerint gentes cæteræ. Nihil igitur allatum quo conſtet hæc publica Iudicia Deo diſplicere. Imò contrarium Paulus docet, cùm dicit publicam poteſtatem *à Deo ordinatam, & Dei miniſtram eſſe.* Neque enim intelligi id poteſt de ſola provida permiſſione & directione, quomodo etiam latrocinia Deus permittit eiſque utitur. Nam ex ea ordinatione ſive inſtitutione Paulus colligit honorem eis & obedientiam etiam ex animo deberi: quod de latrociniis rebuſque aliis à Deo permiſſis dici non poteſt. Sentit ergo Deo grata eſſe ac placere publica imperia. Quicquid autem eſt in quo Deus εὐδοκεῖ [*ſe oblectat*], id rectè præſtatur. Capitalia autem judicia adeò non excludit Paulus, ut de ea parte imperii publici præcipuè agat. Ait enim publicam poteſtatem Dei eſſe *miniſtram ad iram* (id eſt, ad pœnam, nam eum ſenſum plerúmque ea vox habet) *adversùm maleficos:* & quod ampliùs eſt, ait *non fruſtra ab ea gladium ferri*, ad iſtud ſcilicet miniſterium, ut contextus verborum docet. *Gladii* autem nomine publica Iudicia tanquam à nobiliſſima ſui parte nuncupantur; unde & in Iure *jus gladii* eſt Ius publicarum animadverſionum. Colligitur hinc probari à Deo ipſum etiam gladii uſum adversùm maleficos. Cùm verò Deus non habeat decreta ſibi contraria, neutiquam poteſt peccatum eſſe in eo quod Deus probet, niſi aliunde vitium accedat. Ac ne quis putet probari à Deo hanc poteſtatem, ſed non probari ut ea ſit penes Chriſtianos, notet primùm ea quæ hîc exſtant præcepta comminationem habere jacturæ Regni cœlorum & gravis ſupplicii. Ad omnes igitur pertinent. Deinde apertè teſtatur Paulus *velle Deum omnes homines ſalvos fieri & ad cognitionem veritatis Euangelicæ venire*, etiam *Reges*, 1 Timoth. II, 2, 3, 4. Poſſunt igitur & Reges per Euangelium ſervari; quod intelligendum etiam non exutâ Regiâ dignitate oſtendunt verba præcedentia; vult enim *pro Regibus orari, ut quietam & tranquillam vitam agamus*: at hoc præſtare Reges non poſſunt niſi quà Reges ſunt. Vult ergo orari pro Regibus etiam quà tales ſunt, additâ causâ quia vult eos Deus ſervari, etiam quà tales ſcilicet, ut rectè procedat argumentatio. Tranquillam autem & quietam vitam quomodo Reges præſtant? Laudando bonos, malos puniendo, etiam gladii jure ut idem Apoſtolus explicat Romanorum XIII, 3, 4. Vult ergo Deus Reges, quà Reges ſunt, & quà utuntur gladii jure, poſſe per Euangelium ſervari. Neque aliter verba Apoſtoli acceperunt Chriſtiani veteres, εὐχόμενοι, ut Iuſtinus loquitur Apologetico ſecundo, τοὺς βασιλεῖς καὶ ἄρχοντας μετὰ τῆς βασιλικῆς δυνάμεως καὶ σώφρονα τὸν λογισμὸν ἔχοντας εὑρεθῆναι [*precantes ut Reges & Principes cum Regia poteſtate etiam ſapienti ratione præditi reperiantur*]. Preces autem iſtæ Chriſtianorum, & antiquiſſima vaticinia de Regibus Chriſto famulaturis, extra controverſiam in Conſtantino ejuſque Succeſſoribus eventum habuerunt. Ab his autem ita recepta eſt Chriſti doctrina, ut nec imperio excederent, neque publica Iudicia abolerent. Neque verò in tanta Epiſcoporum multitudine quiſquam fuit qui eos ut id facerent hortaretur; quod mihi certiſſimum eſſe videtur indicium, conſtanter ab omnibus creditum, nihil eſſe in iſtis Iudiciis Chriſti præceptis & Imperatorum ſaluti contrarium, cùm alioqui libertatis Epiſcoporum adversùs Reges peccantes illuſtria exſtent exempla. Nimirum meminerant & Sergium Proprætorem olim à Paulo ad Chriſti fidem converſum, neque tamen ab eo exactum ut ſe Proprætura, in qua continebatur & jus gladii, abdicaret. Videbitur fortè quibuſdam aliter ſenſiſſe Tertullianus, cum dicit, *Sed & Cæſares credidiſſent ſuper Chriſto, ſi aut Cæſares non eſſent ſeculo neceſſarii, aut ſi & Chriſtiani potuiſſent eſſe Cæſares.* Sed fortè hoc voluit Tertullianus, cùm is eſſet Romani Imperii ſtatus ut Chriſtianum Imperatorem ferre non poſſet, Divino interim numine ita res gubernatas ut per paganos Imperatores aliquatenus publicæ tranquillitati conſuleretur. Nam idem ille Scriptor jam ſuo tempore dicit Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum impleta fuiſſe Chriſtianis. Alia etiam veterum loca, quæ obſtare publicis Iudiciis videntur, commodiorem longè interpretationem recipiunt. Nam aut hoc dicitur, Chriſti præcepta nullas habere ſanctiones adſpectabilium pœnarum, quales Lex Moſis habuit, & ſine ejuſmodi ſuppliciis in Chriſti populo ſervari diſciplinam; quo ſenſu ab eodem Tertulliano dictum eſt, *Nova Lex ſe non vindicat ultione gladii:* aut magiſtratum ſuſcipere diſſuadent, non ut rem illicitam, ſed ut multis delinquendi periculis expoſitam. Hoc ſenſu Tatianus ex Chriſtiani perſona dicit, στρατηγίαν παρῄτημαι [*Præturam defugio*]. *Chriſtianus nec Ædilitatem affectat*, inquit Tertullianus, *multóque juſtius æſtimat abſtinendum judiciis de capite & pudore*. Et tamen ejuſdem eſt, *Bonum eſſe cùm puniantur nocentes nemo negat*. Et alibi juſtitiam vocat *violentiæ vindicem*. Origenes verò adversùs Celſum objicientem Chriſtianis quòd Præturas alioſque magiſtratus defugerent ita reſpondet, οὐ φεύγοντές γε τὰς κοινοτέρας τοῦ βίου λειτουργίας Χριστιανοὶ τὰ τοιαῦτα παραιτοῦνται, ἀλλὰ τηροῦντες ἑαυτοὺς θειοτέρᾳ καὶ ἀναγκαιοτέρᾳ λειτουργίᾳ [*Chriſtiani non ab his ſe excuſant quòd communia vitæ miniſteria defugiant, ſed quòd ſemet ſervent diviniori magiſque neceſſario miniſterio*]. Clemens autem, utroque antiquior, loquens de Chriſtiano qui jam ad ſummum probitatis gradum pervenerit, Κἂν εἰς ἀρχὴν, inquit, κατασταίη ποτὲ, καθάπερ ὁ Μωσῆς, ἐπὶ τῇ σωτηρίᾳ τῶν ἀρχομένων ἡγήσεται, καὶ τὸ ἄγριον καὶ τὸ ἄπιστον ἐξημερώσεται, τιμῇ μὲν τῶν ἀρίστων, κολάσει δὲ τῶν μοχθηρῶν, τῇ κατὰ λόγον εἰς παιδείαν ἐγγραφομένη· μάλιστα γὰρ ἄγαλμα θεῖον καὶ θεῷ προσεμφερὲς ἀνθρώπου δικαίου ψυχὴ, ἐν ᾗ διὰ τῆς τῶν παραγγελμάτων ὑπακοῆς τεμενίζεται καὶ ἐνιδρύεται ὁ πάντων ἡγεμὼν θνητῶν τε καὶ ἀθανάτων βασιλεύς τε καὶ γεννήτωρ τῶν καλῶν, νόμος ὢν ὄντως, καὶ θεσμὸς καὶ λόγος αἰώνιος ἰδίᾳ τε ἑκάστοις καὶ κοινῇ πᾶσιν εἷς ὢν σωτὴρ [*Quòd ſi, ut Moſes, ad imperium vocetur, fungetur eo ad bonum ſubditorum, & id quod ferum atque infidum eſt ad manſuetudinem perducet, bonos honorando, malos puniendo, afficiendo eâ pœnâ quæ ſecundùm rationem ad correctionem ipſis velut inſcribatur. Maximè enim Dei inſtar & ad Deum accedens eſt juſti hominis mens, in qua per obedientiam præceptis præſtitam templum ſedemque habet omnium mortalium & immortalium Rex bonorumque genitor, qui revera lex eſt & norma & æterna ratio ac ſoſpitator tum ſingulis tum univerſis*]. Verumtamen ut illa publicorum Iudiciorum poteſtas exerceatur citra diſpendium Chriſtianæ lenitatis, multis cautionibus opus eſſe video, quæ paſſim negligantur. Vt notiſſimis utar exemplis, Legem de necandis ob captam feram agricolis, miror tanta diligentia à Iuriſconſultis defendi, cùm multò meliorem poſituri eſſent operam in ſeria talium diſſuaſione. Tale etiam eſt quòd necari fures jubentur, & quidem iis in locis ubi adulterium, tantò extra controverſiam gravius delictum, vix cenſoriâ notâ perſtringitur. Ego ſanè non video quid nos cogat Lege Hebræa eſſe immitiores. In ipſis homicidiis non tam factum nudum ſpectandum mihi videtur, quàm quæ anteacta vita occiſoris fuerit, veneritne ad hoc facinus impetu an deliberatione, &, quod præcipuum eſt, ſitne ingenium ſanabile. Nam hoc & Seneca præcipit, *ne quis pereat niſi quem perire etiam pereuntis interſit*: quod ipſum tamen videtur aut nunquam aut rariſſimè locum habere poſſe. Quando enim conſtabit ſpem omnem pœnitentiæ præciſam? Hæc diſcrimina à Iudicibus expendi multò eſſet ſatius quàm alios ex ſolo facti nomine audito ad mortem rapi, aliis qui gratiâ & amicis valent per indulgentiam Principalem plenam contingere, quantùmvis atrocium facinorum, impunitatem. Nam quod quidam exiſtimant homicidio naturaliter reſpondere capitis pœnam, in eo falluntur. Pœnæ enim delictorum non ſunt ipſo Naturæ Iure aut ullâ Dei perpetuâ Lege conſtitutæ, ſed pro modo inde imminentis periculi intendi ac remitti ſolent. Docet nos Caini hiſtoria primâ illâ Mundi ætate; pœnam homicidii fuiſſe latam fugam, cujus acceſſio erat quòd pii purique homines ita contaminatorum adſpectum contactumque declinabant. Cujus antiquiſſimi inſtituti & Euripides meminit,

Καλῶς ἔθεντο ταῦτα πατέρες οἱ πάλαι,
Εἰς ὀμμάτων μὲν ὄψιν οὐκ εἴων περᾶν
Οὐδ' εἰς ἀπάντημ' ὅστις αἷμ' ἔχων κυρεῖ,
Φυγαῖσι δ' ὁσιοῦν, ἀνταποκτεῖναι δὲ μή.
[*Quàm bene parentum provida ætas ſtatuerat,*
Vt cogeretur de via decedere
Hominumque viſu cæde patratâ nocens,
Fugâque lueret triſte non letho ſcelus.]

Quem morem reduci volebat Plato. Feritas quæ ante Diluvium humanos mores invaſerat occaſionem novæ Legi dedit, ut nimirum homicidæ ſanguis effunderetur: quæ Lex, ut illis temporibus accommodata, à Deo in ipſa humani generis poſt Diluvium inſtauratione promulgata eſt. Sed optimus ſuæ Legis interpres Deus id refert ad cædem quæ fit deliberatò ſtructiſque inſidiis, Exodi XXI, 14. Diu ſtetit & floruit Romana Reſpublica, cùm Magiſtratuum cognitio deportationem non excederet. Poſtea quoque cùm jam Leges latæ eſſent de morte puniendis homicidis aliorumque criminum convictis, multas tamen exceptiones uſus repperit, ita ut ſæpe intra relegationem ſeveritas conſiſteret. Difficile eſt exactam ſervare mediocritatem; at ſi quid peccandum eſt, in iſtam lenitatis partem potiùs peccandum eſt. Fortè non pauciores à delinquendo abſterreret ad opus damnatio quàm mors ipſa: & ſimul, quod præcipuè ſpectandum eſt Chriſtianæ dilectioni, daretur ſpatium agendæ pœnitentiæ, quæ nunc interdum ſupplicii præcipitatione præciditur. Certè & Conſtantinus cum primùm Chriſtianam probavit religionem in pleriſque delictorum generibus ſupplicia capitalia inhibuit, quæ mox reducta ſunt διὰ τὴν τῶν μοχθηρῶν ἄδειαν [*ob licentiam ab improbis ſumtam*], ut nos docent hiſtoriæ. Itaque & quod de puniendis gladio adulteris legimus Conſtantini Conſtitutione, quæ inſerta eſt Codici Iuſtinianeo, deeſt in antiquiori Codice Theodoſiano. Reſtat controverſia de Bello, quæ itidem à pleriſque ad hunc locum tractari ſolet. Si Chriſti verba moderatam ſui defenſionem ſingulis non prohibent, minùs obſtabunt iis armis quæ publica auctoritate pro neceſſaria totius populi defenſione ſuſcipiuntur. Nam quantò pluris eſt multorum quàm unius ſalus, tantò etiam juſtiùs propugnatur. Rurſus ſi piis Regibus licet uti Iure gladii in latronem unum, quid ni liceat in plures, qui, ut rei fiant, acie vincendi ſunt? Neque Sacrarum literarum, etiam Novi Federis, auctoritas hìc nobis deeſt, quanquam vetitum affirmantibus juſtiùs incumbit onus probandi. Vt enim omittam Baptiſtæ verba de quibus agemus aliàs, & Centurionis illius fidem à Chriſto prædicatam, & operam à Paulo datam ut contra Iudæorum inſidias ſervaretur, vel unum illud ſufficere mihi videtur, quòd Cornelius non depoſito Centurionatu & Baptiſmum à Petro acceperit, & à Deo Spiritum ſanctum; neutiquam tacituro Luca, ſi Cornelius vitæ prioris profeſſionem deſeruiſſet, cùm nunquam ſoleat omittere ſigna reſipiſcentiæ, & hoc vel maximè ad docendam poſteritatem pertineret. Neque aliter ſenſiſſe reperio Chriſtianos veteres. nam & ſub Marco conſtat Chriſtianos militaſſe, & Tertullianus non ſolùm militum Chriſtianorum meminit, ſed tantum eorum indicat fuiſſe numerum ut caſtra propè implerent. Origenes quoque apes ait nobis documentum à Deo datas πρὸς τὸ δικαίους καὶ τεταγμένους πολέμους εἴποτε δέοι γίνεσθαι ἐν ἀνθρώποις [*ut juſta ac bene ordinata bella, ſi quando ita ferret neceſſitas, ab hominibus gererentur*]. Quòd autem interdum Chriſtianos militiam detrectaſſe legimus, ideo evênit quòd illorum temporum Imperatores à militibus exigerent aut expreſſam à Chriſto diſceſſionem, aut tacitam, dicto ſcilicet ſacramento per Deos, vel per Imperatorem ut Deum; aut etiam quòd propoſitis contra Chriſtianos edictis quotidie ad ea exercenda manu militari uterentur. Talibus enim temporibus Chriſtiani monebantur defugere militiam, & ſi qui militarent à piis cœtibus arcebantur. Neque aliò pertinet quod in Nicena Synodo conſtitutum eſt adversùs eos qui ſemel depoſitâ ſub Licinio militiâ cingulum reſumſiſſent, nempe ſub eodem Licinio, qui, ut nos Euſebius docet, τοὺς στρατιώτας ἐκέλευε ἀποβάλλεσθαι τοῦ ἀξιώματος εἰ μὴ τοῖς δαίμοσι θύειν αἱροῖντο [*milites juſſit militari dignitate exui, niſi diis ſacrificare vellent*]. Nam ut generaliter de omni militia is canon intelligatur hiſtoriæ temporum repugnat: Quippe major pars exercitus Conſtantini ex Chriſtianis erat. Et ſi qui Chriſtiani ſub Licinio militiam omiſerant, iis liberum fecit Conſtantinus an militiam reſumere vellent, an à militia vacare. Quòd autem militiam interdum diſſuadent Scriptores, ſimile eſt ei quod de honorum fuga dicebamus: partim etiam cauſas habet temporum illorum proprias, ut ad Lucæ caput III. oſtendemus. Neque verò dubito quin multò impenſiùs diſſuaſuri fuerint, ſi bellorum noſtri temporis rabiem & caſtra, perjuriis, ſtupris, latrociniis, omni denique vitiorum confluxu inquinata vidiſſent. Eò ventum eſt ut rem magnam præſtare videatur miles Chriſtianus, ſi non veteris & paganæ Romæ militem, ipſos denique Turcas flagitioſis moribus vincat. Longè alii milites ſint oportet cum quibus ex Euangelio agamus: nam iſtos & ſenſus communis & comparatio veteris diſciplinæ ſatis condemnant. Vt verò quæ fuſiùs à multis de bello tractata ſunt paucis complectar, & ſi quid à pietate alienum illis probatur, obiter refellam, conſtat tres eſſe belli partes, initium, progreſſum, exitum. In ipſo initio ſpectari debent leges juſtitiæ, prudentiæ, caritatis. Iuſtam cauſam belli ſuſcipiendi eſſe non arbitror hoc unum, quòd populus alter à recta pietate abhorreat. Quis enim in illum populum alteri populo aut Regi id judicium dedit?

Σπάρταν ἔλαχες ταύτην κόσμει.
[*Spartam tibi quæ contigit orna.*]

Et rectè à Plutarcho dictum πρόφασιν εἶναι πλεονεξίας ἡμερῶσαι τὰ βαρβαρικά [*alieni cupiditatem eſſe uti hoc prætextu quòd barbariem emolliat*]. Quòd ſi etiam populus alter nos læſerit, tamen ad vim confugiendum non eſt quamdiu res poteſt verbis diſceptari. Hinc mos res repetendi antequam bellum indicatur apud Hebræos, Græcos, Romanos. Si is quicum agimus paratus ſit de rebus controverſis ad arbitros ire, abſtinendum adhuc bello eſt, Οὐ γὰρ νόμιμον ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα ὡς ἐπ᾽ ἀδικοῦντα ἰέναι [*Non enim æquum eſt in eum qui ſe Iudicio præbeat, tanquam in injurioſum agere*], ut ait apud Thucydidem Archidamus. Nullo autem modo recipiendum eſt, quod quidam tradiderunt, juſtum utrinque eſſe bellum poſſe: nam id ne in lite quidem poteſt contingere: niſi juſtum intelligi volumus id quod ex moribus receptis jura habet captivitatis, prædæ, poſtliminii. Sed quæ hoc ſenſu juſta dicuntur plerúmque nihil ſunt aliud quàm magna latrocinia. Vel Senecam audiamus: *Homicidia compeſcimus & ſingulas cædes. Quid bella & occiſarum gentium glorioſum ſcelus? Non avaritia, non crudelitas modum novit. Ex Senatusconſultis plebiſque ſcitis ſæva exercentur, & publicè jubentur vetita privatim. Quæ commiſſa capite luerent, tum quia* *paludati fecerunt laudamus. Non pudet homines, mitiſſimum genus, gaudere ſanguine alterno, bella gerere, gerendaque liberis tradere, cùm inter ſe etiam mutis & feris pax ſit?* Sanè ſi Ius Naturæ reſpicimus, quid intereſt uno myoparone pirata mare infeſtum habeat, an Aſiam cum exercitu & claſſe Alexander? Nec multis refutandi ſunt qui juſta bella ſuſcipi docent ab his qui ſedibus ſuis expulſi aut egreſſi in alienarum ſedium poſſeſſionem recipi volunt; aut qui metuunt ne creſcens potentia aliquando ipſis periculum faciat. Verùm etiam cùm juſta eſt cauſa bellandi, ſæpe obſtabunt prudentiæ leges. Vtrinque ferrum & corpora humana: nec in ejuſdem poteſtate eſt initium belli & finis. Bene Euripides,

Οταν γὰρ ἔλθῃ πόλεμος εἰς ψῆφον λεῷ
Οὐδεὶς ἔθ' αὑτοῦ θάνατον ἐκλογίζεται·
Τὸ δυστυχὲς δὲ τοῦτ' ἐς ἄλλον ἐκτρέπει·
Εἰ δ' ἦν παρ' ὄμμα θάνατος ἐν ψήφου φορᾷ,
Οὐκ ἄν ποθ' Ελλὰς δοριμανὴς ἀπώλετο.
[*De Marte quoties itur in ſuffragia*
Nemo imminere cogitat mortem ſibi;
Sed quiſque cladem deſtinamus alteri.
Quòd ſi in comitiis funera ante oculos forent,
Furiata bello non periſſet Græcia.]

Sed imprimis Chriſtiano ſpectandum eſt, quid caritas exigat. Nam ſi lites vitari diſſuadens Paulus dixit, *Cur non potiùs injurias ſuſtinetis?* quantò magis æquum eſt quantùmvis dura nos pati quàm ad eam venire diſceptationem quæ bonos maloſque iiſdem malis involvit? Privata defenſio in periculum adducit ſolum invaſorem. Supplicia capitalia in facinoroſos ſunt conſtituta. At in bello innocentes non minùs quàm nocentes utrinque pereunt & ſpoliantur. Principi Seneca præſcribit ut *alieno ſanguini tanquam ſuo parcat, ſciatque homini non eſſe homine prodigè utendum.* quid illum exigere credimus qui pacem nobis *cum omnibus quantum fieri poteſt* tam ſollicitè commendavit? Nimirum iſta omnia ſi quo modo debent expendantur, videbimus non fruſtra ad externa quoque bella & alias bellorum cauſas aptari poſſe quod Favonius dixerat, χεῖρον εἶναι μοναρχίας παρανόμου πόλεμον ἐμφύλιον [*pejus eſſe injuſto dominatu bellum Civile*], & pia arma ea demum eſſe quæ ſunt neceſſaria, hoc eſt quæ ſuſcipiuntur ad evitanda mala armis ſæviora. Ad belli progreſſum leges iſtæ pertinent, ut pacta ſerventur quàm religioſiſſimè, ut pacato noceatur nemini, ut quàm minimo ſanguine decertetur, ne ſæviatur in captos, in deditos, in pueros, in feminas, in agricolas, & cæteram imbellium turbam. Poſtremò circa exitum belli videndum eſt, ne ira & ultionis cupiditate bellum trahatur; ſed appareat nihil aliud bello quàm pacem quæſitam: quod fiet, ſi quavis tolerabili pactione ab armis diſcedatur, aut etiam poſt victoriam nihil victis dematur præter injuriæ licentiam. *Bellorum*, inquit ille, *egregii fines, ubi ignoſcendo tranſigitur.* Et hæc quidem ad eos præcipuè pertinent quos penes belli ſuſcipiendi, regendi, finiendique jus eſt. De ſociis illud addendum eſt, non caritati tantùm ſed & juſtitiæ adverſari ea federa quæ aut inferentibus aut etiam propulſantibus bellum auxilia pollicentur ſine cauſarum diſcrimine. Hi verò qui bello miniſterium duntaxat exhibent, ſcire debent, ſi ſubditi ſunt, ſubditos quoque Regibus obſequium non ſine exceptione debere. Et ut probabilis aliqua cauſa excuſet parendi neceſſitatem, certè qui mercede conducti militant cives, multòque magis externi, nihil habent quo cauſam ſuam poſſint tueri, niſi planè ipſis conſtet juſtè piéque ſuſceptum eſſe bellum cui operam addicunt. Et ut hoc conſtet, tamen graviter peccant quicunque non caritate populi periclitantis, ſed mercede aut prædâ illecti bellum in genere quæſtûs habent. Rident hæc multi, & negant rempublicam ſine injuria geri poſſe; ſua retinere privatæ domûs, de alienis certare Regiam ajunt eſſe laudem; qui alios perdere poſſit eum perdendum in tempore; nihil injuſti in eum qui quod juſtum eſt recuſet: quæque alia ſunt in eam formam. Dicant quod velint, & ubi ſolitudinem faciunt pacem appellent. Ex illorum ſcitis, quæ verè ſcripta ſunt humano ſanguine, Rex ille pacis de genere humano non judicabit. Imò verò id potiùs vereor, ne in hac tractatione in eam partem quæ bello nimiùm indulget fuerim æquo pronior. Quare ſciat lector non definiendi animo hæc à me dicta, ſed ut verum diligentiùs inquiratur: Interim ſuadeo omnibus injurias ferant potiùs quàm humanum ſanguinem quamvis nocentium fundant, & illius dicti ſæpe meminerint, *Quod dubitas ne feceris.*

41. Καὶ ὅστις σε ἀγγαρεύσει μίλιον ἕν, *Et quicunque te angariaverit mille paſſus*] Tria injuriarum genera Chriſtus ponit; primum quod in corpus committitur, alterum quod contra jus dominii, tertium quod contra libertatem. Hebræi, ex quo Perſarum potentia Orientem invaſerat, coacti fuerant inter cætera ejus ſervitii incommoda etiam onus Angariæ ferre, cujus immunitas ipſis à Demetrio conceſſa eſt: ut apud Ioſephum videre eſt Originum XIII. Inde factum ut rei vehementer exoſæ nomen etiam ad privatas vexationes producerent, ut apparet infrà XXVII, 32. & ex multis Hebræorum Scripturæ interpretum locis. Atque in eum ſenſum vocem hanc Chriſtus uſurpat.

μίλιον ἕν, *mille paſſus*] Hæc una eſt earum vocum quæ cum Romano Imperio non in Græciam tantùm ſed & in Palæſtinam pervenerunt, quam & Syrus hîc uſurpat, & paſſim Hebræorum Magiſtri.

ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο. *vade cum illo & alia duo*] Et hîc ſupplenda ſententia, addito μᾶλλον [*potiùs*]. Vt enim iterum vapulare, majuſque damnum accipere, ita & duplum operæ ejus quæ exigatur præſtare nos ſatiùs eſt, quàm ultionem aut per nos ipſos aut per Iudices exigere, aut alio quovis modo peccare in diligendi Legem. Aut certè hoc vult Chriſtus, quæ præſtari à nobis ſine magno incommodo poſſunt, qualis eſt miliaris unius deambulatio ea non recuſanda etiamſi per injuriam exigantur: Irenæus, *ut non quaſi ſervus ſequaris ſed quaſi liber præcedas.* Nihil autem hæc obſtant, quò minùs placidis atque ſedatis rationibus jugum grave à nobis arceamus. *Si liber eſſe potes*, inquit Paulus, *eo potiùs utitor.* &, *Nolite fieri ſervi hominum*, 1 Cor. VII, 21, 23. Eſt enim ad res multas agendas inſtrumentum partim utile, partim neceſſarium libertas: ut non immeritò vetus Poëta dixerit,

Ἥμισυ τῆς ἀρετῆς ἀποαίρει δούλιον ἦμαρ.
[*Dimidia virtute caret ſervire coactus.*]

42. Τῷ αἰτοῦντί σε δίδου· *Qui petit à te da ei*] Aliam morum partem Chriſtus ordinat, eam ſcilicet quæ ad beneficia pertinet, ut rectè explicat Tertullianus adversùs Marcionem IV. Beneficium autem maximè neceſſarium eſt ſublevare egentes: Qui ſolent duorum eſſe generum, aut enim ſunt πτωχοὶ [*inopes*], qui nullam ſpem habent reddendi quod accipitur; aut ſunt ἐρανισταὶ, qui temporariâ fortunâ afflicti pecuniam non donatam ſed mutuam poſtulant. Ab his igitur beneficiis quæ non tam homini præſtantur quàm humanitati, neminem vult Chriſtus excludi: quod haud dubiè ex æqui bonique regula intelligendum eſt, quatenus & noſtræ facultates ferunt, & ipſorum neceſſitas poſtulat, ut Paulus ad Corinthios docet. Quod ſi omnibus ſublevandis pares non ſimus, æquum eſt eos præferri quos pietatis profeſſio nobis conjungit.

δανείσασθαι, *mutuari*] Solet iſta vox Græcis uſurpari modò ut ſignificet *pecuniam ſumere mutuam*, modò ut ſit *fœnori ſumere*. Sed cum fœnus Iudæis inter ſe interdictum fuerit, & quorum in arcto res ſunt fœnore jugulentur magis quàm adjuventur, omnino ad ſignificatum priorem vox hîc trahenda eſt. Nam fœnus ne ſpeciem quidem habet beneficii.

43. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου, *Diliges proximum tuum*] רע Hebræis & Græcis ὁ πλησίον plerúmque non ſimpliciter alterum ſignificat, ſed eum qui conjunctus nobis ſit ſanguinis, vicinitatis aut amicitiæ vinculo. Et quidem apud Moſen Levitici XIX, 18. quem locum hîc reſpicit Chriſtus, רע eſt is ipſe qui ibidem dicitur בן עם, id eſt, *popularis.* Iudæi hoc arripientes ab alienigenis adeò liberalitatem ſuam arcebant ut ne communia quidem humanitatis officia illis præſtarent, quale eſt viam monſtrare comiter: quod qui non faceret is apud Athenienſes diris devovebatur, ut nos Diphilus docet,

——— ἀγνοεῖς ἐν ταῖς ἀραῖς
Ὅτι ἐστὶν, εἴ τις μὴ φράσῃ ὀρθὴν ὁδὸν,
Ἢ πῦρ ἐναύσῃ, ἢ διαφθερεῖ ὕδωρ.
[——— *neſcis in Dirarum carmine*
Hoc eſſe, Ni quis rectam monſtraſſit viam,
Ignem ni accenſit, ſiquis aquas infecerit.]

Hujus generis & illa ſunt quæ Cicero dicit tribuenda vel ignoto, *Non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, conſilium fidele deliberanti dare.* Hæc ipſa autem non ſolita eſſe à Iudæis præſtari hominibus extraneis teſtantur verſus Iuvenalis,

Non monſtrare vias eadem niſi ſacra colenti:
Quæſitum ad fontem ſolos deducere verpos.

Sed & Tacitus, *Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promtu, adversùs omnes alios hoſtile odium.* Sed nimirum hic quoque error inhumanus Iudæorum ex ſæpe jam indicato fonte oriebatur, quòd abunde ſe omnes officiorum partes impleſſe crederent ſi iis præceptis paruiſſent quibus ipſorum Civilis ſocietas continebatur. At certè neque Lex Iudaica naturalem tollebat, neque ſocietas illa propior antiquiorem generis humani ſocietatem, ad quam ille reſpexit qui ſe κοσμοπολίτην [*Mundi civem*] dixit, & Florentinus Iuriſconſultus cùm à Natura cognationem quandam inter homines ait inſtitutam. Inde illud,

Homo ſum: humani nihil à me alienum puto.

Et quæ ſunt alibi in eandem ſententiam. Hoc ipſum eſt quod apologo Samaritani Iudæo vulnerato ſuccurrentis, quem Sacerdos & Levita prætererant, Chriſtus docuit. Non negat Iudæum Iudæo eſſe τὸν πλησίον [*proximum*], arctiore nexu conſanguinitatis & propriæ ipſorum Legis vinculo: Sed oſtendit id non obſtare quominus communis ortus & Lex ipſa Naturæ omnem hominem omni homini faciat eſſe τὸν πλησίον, id eſt, non alienum, ſed neceſſitudine quadam cohærentem, ac propterea neminem eſſe cui non data occaſione benefacere debeamus. Illud quidem fatendum eſt, cùm victûs rationem peculiarem Deus Iſraelitis præſcripſit, hoc ipſo conſuetudinem admodum familiarem externarum gentium redditam eſſe difficilem: poſtea etiam, cùm ſummum imperium Iudæi amiſiſſent, arctiorem eam redditam ex Sapientum præſcripto. Atque hinc eſt quod paſſim legimus in his libris Iudæos non ſolitos συγχρῆσθαι, συνεσθίειν, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι [*couti, unà manducare, conjungi, accedere*] alienigenis. Et hoc ipſum Apollonius Molo, M. Tullii Ciceronis præceptor, invidioſè objiciebat Iudæis, ὅτι μὴ παρεδέχοντο τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ Θεοῦ, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον τοῖς καθ᾽ ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις [*quòd non reciperent aliter de Deo ſentientes, neque commercium haberent cum alterius inſtituti hominibus*]· quod Ioſephus non negat, ſed exemplo Laconicæ ξενηλασίας [*peregrinorum expulſionis*] defendere conatur. Et paſſim apud Ioſephum inimici Iudæis objiciunt τὸ ἄμικτον, τὸ ἀσύμφυλον [*vitam ſegregem atque ſepoſitam*], quod alio loco vocat τὴν διαίτης ἀμιξίαν [*vitæ inſociabilitatem*]. Sed qui ſapiunt, facilè vident extra Legis præſcripta & Sapientum ſententiam à Iudæis itum, cùm communia quædam officia etiam iis debeantur quos à propioris neceſſitudinis vinculo aut lex arcet aut ratio. In Lege Moſis Deus, ut cum Tertulliano loquar, *quorundam fidem paulatim ad diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibuſque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Quare cùm illam indefinitam dilectionem illi præſtare nondum poſſent, neque promiſcuam conſuetudinem ferret ipſorum infirmitas, in tanto præſertim vitiorum atque impiarum ſuperſtitionum Regno, ſaltem in conſortes ſanguinis ac religionis omnia benevolentiæ officia exhiberi Deus voluit, idque ipſum, præter communes Naturæ regulas, Lege promulgata ſanxit. *Quamdiu*, ut ad Tertulliani verba redeam, *intra Iſraelem erat ſacramentum, meritò in ſolos fratres miſericordiam mandabat* (nempe in Federis formula); *At ubi Chriſto dedit Gentes hereditatem & poſſeſſionem terminos terræ, & cœpit expungi quod dictum eſt per Oſee, Non populus meus, populus meus, & non miſericordiam conſecuta, miſericordiam conſecuta, Natio ſcilicet, exinde Chriſtus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miſeratione, ſicut in vocatione.*

καὶ μισήσεις τὸν ἐχθρόν σου· *& odio habebis inimicum tuum*] Hîc multi putant firmum ſe habere argumentum quo probent omnia quæ Chriſtus antiquis ait dicta, non ad Moſis Legem, ſed ad interpretationem Legiſperitorum referenda. Nos autem, qui cum veteribus pleriſque arbitramur Moſis verba reſpici, ſed ita ut ſimul refellatur prava interpretatio eorum qui ex obedientia Legis illius, quà propria erat Iudæorum, non tantùm vitæ hujus commoda, ſed & Regnum cœleſte ſibi ſpondebant, neglectis Naturæ & Caritatis legibus, etiam horum verborum ſenſum in Moſis Lege exſtare non dubitamus. Iubentur quidem in ea Lege Iudæi beneficia quædam vulgaria præſtare etiam inimicis, Exodi XXIII, 4. ſed popularibus ſcilicet, quod collatus locus qui eſt Deuteronomii XXII, 1. apertum facit. Rurſum verò Exodi XXXIV, 11. & Deuteronomii VII, 1. vetantur Hebræi cum ſeptem illis populis, Hettæo, Girgaſæo, Emoræo, Cananæo, Perizæo, Chivæo, & Iebuſæo, affinitatem jungere, fedus facere, aut etiam eorum miſereri. Habemus ergo hoſtes, habemus & odium, non tamen ferinum, ſed certis limitibus circumſcriptum. Nam his ipſis populis pacis conditiones offerri debuerunt, ut, ſi vellent, exitium imminens ſervitute redimerent; quemadmodum rectè ab Hebræis annotatum eſt ad locum Deuteronomii XX, 10. Et quòd poſt pacem repudiatam ſine ulla venia jubentur internecione deleri, ad ejus ætatis homines, non etiam ad eorum poſteros pertinet: nam eos in ſervitutem Solomo recepit laudatiſſimis Regni ſui temporibus, 1 Regum IX, 20. His ſeptem populis aſſcribi poſſunt Amalecitæ, in quos Hebræi jubentur habere πόλεμον ἄσπονδον [*bellum impacatum*], atque eorum memoriam delere funditus, Exodi XVII, 16. Deuteronomii XXV, 19. quod itidem intelligendum puto, ut aut occidione delerentur, aut dedititiorum eſſent numero. Ammonitarum & Moabitarum paulò eſſe alia videtur ratio. Nam quod de illis dicitur Deuteronomii XXIII, 6. nolim cum Hebræis quibuſdam ita accipi quaſi arma illis inferri poſſent priuſquam ad pacem invitarentur. Neque enim jus ullum Hebræis Deus in illorum populorum terras conceſſerat, ut liquet Deuter. I, 19. Sed nec Iephthes Ammonitis bellum intulit niſi poſt tentatas æquæ pacis vias, Iudic. XI, 14. & David pacem cum iis ſervavit uſque dum atrociſſimis injuriis laceſſeretur, II Sam. X. Quare illis Deuteronomii verbis ſola federa συμμαχίας [*conſociationis armorum*] vetari exiſtimo, aut, ut alii volunt, prohiberi Iſraelitas pacem ab illis poſcere, ſi illi bellum cœptaſſent. Videmus igitur quouſque Hebræi illos populos odiſſe, aut etiam, ut Moſes loquitur dicto Deuteronomii loco, abominari potuerint. Neque verò ea præcepta cum Lege Naturæ pugnant; nam ut ſontes juſtâ pœnâ afficiantur cum Iure Naturæ non pugnat, quin potiùs ei valde eſt conſentaneum. Sicut autem quælibet poteſtas publica in ſui imperii ſubditos id jus habet, ita in Reges ac populos ſummus omnium Rex Deus: qui hanc pœnæ exſecutionem, quam per ſe facere potuerat, maluit Hebræo populo mandare, idque poſt longiſſimi temporis patientiam, cùm jam ipſarum gentium ſacrilega ſacra, ferina crudelitas, inceſta libido ad ſummum perveniſſent, ut legere eſt Levit. XVIII, 24. & facundè explicatur libro Sapientiæ qui dicitur capite XII, & XIII. Quare hoc jus ex ſpeciali Dei ſententia venit, non ex lege aliqua communi, ac proinde in cæteros ἀλλοφύλους [*alienigenas*] idem non licuit. Quod ut rectiùs intelligatur, diſtinguenda ſunt tria ἀλλοφύλων [*alienigenarum*] genera. Alii enim ſunt qui cum Circumciſione Iudaiſmum recipiunt, qui vocabantur προσήλυτοι [*Proſelyti*], ac proinde pari ferme cum Hebræis jure erant, hòc inter alia excepto quòd qui ex Ammonitis & Moabitis facti erant προσήλυτοι ad honores non admittebantur. Iuſtinus rectè, Προσήλυτος ὁ περιτεμνόμενος εἰ τῷ λαῷ προσκεχώρηκεν ἐστιν ὡς αὐτόχθων [*Proſelytus circumciſus qui ſe populo adjunxit, æquatur indigenæ*]. Erant alii qui à falſorum Deorum cultu abſtinebant, & cæteris parebant quæ in commune Adami Noæque poſteris erant imperata, liberi tamen à peculiaribus Hebræorum inſtitutis. His quoque permiſſum erat inter Hebræos vivere, quod oſtendit apertè lex Deuteronomii XIV, 20. ubi de cadavere beſtiæ ſuopte fato emortuæ ita imperat Moſes, *Peregrino qui intra portas tuas eſt illud dabis ut comedat, aut vendes extraneo.* Vbi *peregrinus* eſt ἀλλόφυλος [*alienigena*] cum Iudæis habitans, ſed jus non habens civitatis; *extraneus* autem cui extra fines Iudæorum domicilium erat. Iudæi igitur veteres incolas iſtos Iudaiſmum non profeſſos, ſed pios tamen, quos vocabant חסידי אמות [*Pios ex Gentibus*], ut non lædebant, ita nec communioribus excludebant; At poſtquam ſummâ poteſtate ad extraneos delatâ non potuere diſcerni qui Noæ præcepta obſervabant ab eadem non obſervantibus, inſtitutum fuit, vitandi contagii causâ, ne quis eos extra neceſſitatem accederet, aut alloqueretur, ut apparet Actorum X, 18. Cæterùm quicunque falſorum deorum cultu ſe inquinabant, eos Iudæi, qui Chriſti vixere temporibus, nullo diſcrimine pro hoſtibus habebant, neque eos aut necare aut ſpoliare, ſi qua poſſent, religio erat: quod fatetur atque etiam defendit Ioſephus Albo in diſputatione adverſùs Chriſtianos, hanc rationem adferens, quòd qui ſine Lege vivat is communis omnium hoſtis meritò habeatur, ideóque in eum nihil ſit illicitum. Verè igitur Tacitus dixerat eſſe Iudæis *adverſùs alios omnes* (nam omnes populi à vero Deo deſciverant) *hoſtile odium*. Addit is quem dixi Ioſephus Albo idem Philoſophis placuiſſe. Et ſanè ſunt quædam apud Philoſophos talia. Nam Democritus planè maleficos homines quoſvis feris & ſerpentibus comparabat, atque ideo qui eos occidiſſet innocentem pronuntiabat, ſive id feciſſet privata manu, ſive juſſu publico. Neque longè hinc abit Ariſtoteles, qui ait τὴν πολεμικὴν εἶναι φύσει κτητικήν [*bellum eſſe acquirendi modum naturalem*], & cum Euripide, Græcos in id natos ut Barbaris imperent, qua in re creditur Philippo & Alexandro bellum in Aſiam molientibus ultra æquum gratificatus. Neque Iudæi ſoli tales fuere in externos, ſed & Græci ut Thucydides ex Homero probat. Quin & in Romanorum Iure inhumanitatis iſtius exſtant veſtigia: cenſebant enim ſuum fieri quod ad ſe perveniſſet ex populo non federato. nec quodvis fedus adverſùs hoc jus proderat, ſed id demum in quo de amicitia aliquid convenerat: planè quaſi Natura nullam inter homines amicitiam conſtituiſſet. Sed lux artium & diſciplinarum Legem

Naturæ ſub pravis moribus ſepultam paulatim reſuſcitavit. Verùm ad Hebræos poſteriores ut redeamus, receptam fuiſſe apud ipſos ſententiam rectè occidi ac ſpoliari eos qui Idolis ſerviebant, ipſorum ſcripta oſtendunt. Atqui in Lege Moſis Deus certos populos nominatim puniendos delegans ſatis oſtendit in alios quamvis falſis cultibus implicatos non idem juris eſſe, præſertim cùm temporis maturitatem ſui voluerit eſſe arbitrii. Quanquam enim valde corrupti erant iſtarum gentium mores jam Abrahami temporibus, tamen nondum eum impleverant modum quem Divinæ lenitati viſum erat operiri, ut Moſes nos docet Geneſeos XV, 16. Iam verò ut de Idumæis taceam, Ægyptios conſtat ante Hebræorum exitum Bovis ſimulachrum coluiſſe: nam inde exemplum fœdæ ſuperſtitionis ad Hebræos manavit: Neque tamen permittit Lex Hebræos nocere Ægyptiis. Sed & meliorum temporum conſuetudo legis interpres Iudæis adverſatur. nunquam enim aut populus Hebræus aut boni Principes in populos quantúmvis ſuperſtitioſos bellum moverunt, niſi novis cauſis provocati. Mendosè igitur Iudæi quod in populos definitos à Deo conſtitutum erat, aliovorſum traxere. Sed illud quoque notari convenit, non omnia præcepta Divinæ Legis omnium fuiſſe temporum. Nam quæ de prædiis erant conſtituta, ea certum eſt in exſilio Babylonico non potuiſſe obſervari, cùm prædia victor obtineret. Sic etiam poſt tranſlatam in Romanos ſummam imperii, etſi manebant aliqua veteris Reipublicæ veſtigia, leges tamen de bello indicendo gerendoque ſilebant, quia eminentior illa poteſtas, quæ armorum movendorum jus in ſe complectitur, ad Romanos tranſierat. Non erat ergo quod Chriſti tempore Iudæi leges ejus generis ſuo in alias gentes odio obtenderent. Sublatis igitur illis exceptionibus quas certis cauſis Deus præſcripſerat, integrum manebat Ius Naturæ, quod homines omnes hominibus commendat. οὐδεὶς ἐχθρὸς τῷ σπουδαίῳ [*Nemo hoſtis viro bono*] veteres ſapientes dicere ſolitos ait Hierocles. Huc Chriſtus Iudæos retrahens præcipit aliquid majus Lege Civili Iudaica. Ideo non malè Tertullianus, *Lex Vetus amorem docet in proximos, Nova in extraneos*. Neque tamen quod Chriſtus docuit cum Lege Moſis pugnabat, imò & apud Moſem Iuris iſtius perpetui non obſcura exſtabant veſtigia. Nam eo jure vixerant Abrahamus, Iſaacus, Iacobus, Ioſephus, homines demerendis hominibus nati, qui omnem beneficii collocandi occaſionem ponebant in lucro; quanquam illorum temporum dilectio non talis ac tanta erat quantam Chriſtus præcepit & exemplo ſuo monſtravit: Ideo hæc præcepta non niſi apud Chriſtianos reperiri, ait Nazianzenus.

44. ἀγαπᾶτε τοὺς ἐχθροὺς, *diligite inimicos veſtros*] Ἐχθροὺς [*inimicos*] vocat eoſdem quos μισοῦντας [*odio accenſos*], qui hoſtili in nos ſunt animo: poteſtque id de totis populis intelligi, ut quod ſequitur μισοῦντες ad ſingulos pertineat. Præceptum diligendi inimicos nos didiciſſe per Euangelium ait Ambroſius De Ioſepho capite I. Docet Chriſtus delicto alterius non tolli naturam, & propterea benevolentiam in neminem debere claudi. Neque ſanè ulla poteſt eſſe præclarior victoria quàm ſi cùm ab altero cœperit injuria, à nobis beneficium incipiat. Plutarchus libro De utilitate ex inimicis capienda, Ἐχθροῦ δὲ, καὶ τὸ τιμωρίαν παραλιπεῖν ἐν καιρῷ παρασχόντος ἐπιεικές ἐστι. Τὸν δὲ καὶ πταίσαντι συμπαθήσαντα καὶ δεηθέντι συλλαβόμενον, καὶ παισὶν ἐχθροῦ καὶ οἰκείοις πράγμασιν ἐν χρείᾳ γενομένοις σπουδήν τινα καὶ προθυμίαν ἐνδειξάμενον, ὅστις οὐκ ἀγαπᾷ τῆς εὐμενείας, ἐκεῖνος ἐξ ἀδάμαντος ἢ σιδήρου κεχάλκευται μέλαιναν καρδίαν [*Eſt & illud humanitatis, ultionem de inimico cujus occaſio ſe dedit prætermittere. Quod ſiquis præterea infortunio ejus moveatur, & precantem ſublevet, & liberis inimici aut rebus ipſius ſic exigentibus promtum oſtendat animum: Qui talem bonitatem non amat, is cor habet nigrum ex adamante aut ferro fabricatum*].

εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους, *benedicite maledicentibus*] Per gradus ſcandit oratio, ab affectu ad verba, à verbis ad res ventura. Vt autem differat τὸ εὐλογεῖν [*benedicere*] ab eo quod ſequitur προσεύχεσθαι [*precari*], omnino putem εὐλογεῖν [*benedicere*] hîc eſſe *benignis verbis compellare*, quo ſenſu & Hebræum ברך poni ſolet. Nam & Paulus εὐλογίας [*benedicentiæ*] vocem ita videtur uſurpare Romanorum XVI, 18. Et κατάρα, quæ [*maledictum*, quod] τῇ εὐλογίᾳ. [*benedicentiæ*] directè opponitur, tum hîc tum Romanorum XII, 14. & Iacobi III, 10. frequenter idem valet quod Latinè *maledicti* voce exprimitur. Certè Paulus quoque oppoſuit inter ſe εὐλογεῖν & λοιδορεῖν [*maledicimur & benedicimus*] 1 Corinth. IV, 12. Rectè ergo verteris *benedicite maledicentibus*, non tamen ex vulgari uſu earum vocum, ſed quomodo Plautus & Cicero loquuntur.

προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ὑμᾶς, καὶ διωκόντων ὑμᾶς· *Orate pro perſequentibus vos & calumniantibus vos*] Quod olim Moſes fecit, poſtea Chriſtus, ejuſque exemplo Stephanus, Paulus, alii. Differunt enim διώκειν & ἐπηρεάζειν ferme quomodo *injuria* & *contumelia*. Quid ſit διώκειν ſuprà diximus. ὁ δὲ ἐπηρεάζων φαίνεται καταφρονεῖν [*qui contumeliâ aliquem afficit oſtendit eum à ſe contemni*], ut Ariſtoteles nos docet Rhetoricorum II, capite 11. Vetus Gloſſarium ἐπηρεάζειν vertit *calumniari*. Narrant Hebræi inter Haſidæorum inſtituta fuiſſe ita precari Deum, *Remitte & condona omnibus qui vexant nos*. Hi Haſidæi, iidem qui aliis Eſſeni, potiſſima ſementis Chriſtianorum in Iudæa. Iuſtinus Apologetico altero de Chriſtianis, ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν εὐχόμενοι, καὶ τοὺς ἀδίκως μισοῦντας πείθειν πειρώμενοι [*precantes pro inimicis, & conantes mitigare eos à quibus injuſtè odio habentur*].

45. Ὅπως γένησθε υἱοὶ τοῦ πατρὸς, *Vt ſitis filii Patris*] *Filii Patris*, id eſt, ſimiles Patri, ut ſuprà explicavimus commate 5. quod oſtendit & collatio verborum quæ infrà ſunt commate 48. Vnde etiam factum ut in quibuſdam codicibus pro υἱοὶ [*filii*] legeretur ὅμοιοι [*ſimiles*], interpretamento in textum recepto, quod ex Chryſoſtomo apparet. Ergo illud ὅπως γένησθε [*ut ſitis*] non finem ſed connexionem ſignificat; ut ſi cui dicam, Præſta te bonum civem ut patrem imiteris.

Ὅτι τὸν ἥλιον αὐτοῦ ἀνατέλλει ἐπὶ τοὺς πονηροὺς, *qui Solem ſuum oriri facit ſuper malos*] Seneca ad rem eandem eodem utitur argumento, *Sceleratis*, inquiens, *Sol exoritur*. Et alibi, *Quàm multi indigni luce ſunt, &*

tamen dies oritur. Rurſus alio loco, *Ne Deos quidem immortales ab hac tam effuſa benignitate ſacrilegi negligentesque eorum deterrent: Vtuntur naturâ ſuâ, & cuncta, interque illa ipſos munerum ſuorum malos interpretes, juvant.* Plinius Panegyrico, *Sol & dies non oritur uni & alteri, ſed omnibus in commune.* Adde & Iobum xxv, 2. Ἀνατέλλειν autem etiam apud Homerum eſt μεταβατικόν [*tranſitivum*]. Et ſolent alioqui Helleniſtæ omnia verba per ſe ἀμετάβατα [*neutralia*] eo ſignificatu uſurpare, ut exprimant Hebræum Hiphil. Itaque & in Pſalmo CXLVIII. המצמיח vertitur τῷ ἐξανατέλλοντι [*oriri facienti*]· ita ſuprà 15 καίουσι eſt *faciunt ut ardeat.* Senſum hunc Hierocles non malè expreſſit de viro bono in hunc modum loquens, Μιμούμενος ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέτροις τὸν Θεὸν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸν δὲ ἀγαθὸν διαφερόντως ἀσπάζεται [*In amicitiæ menſuris Deum imitans qui neminem odit, ſed viros bonos eximiè amat*].

βρέχει, *pluit*] Mos antiquiſſimus omnium propè gentium naturæ effectus referre ad naturæ auctorem. Ita Romani veteres *Iove tonante, Iove fulgurante* dicebant; nec aliud intelligitur cùm κατ' ἔλλειψιν [*per defectum*] dicimus, *pluit, tonat.*

ἐπὶ δικαίους καὶ ἀδίκους. *ſuper juſtos & injuſtos*] Reſtrictè igitur intelligendum eſt quod dicit Scriptor Syrachidæ capite XII. μὴ δῷς ἀσεβεῖ [*ne des impio*], & quod bis ponit μὴ ἀντιλάβῃ ἁμαρτωλοῦ [*ne ſuſcipias peccatorem*]· ut ſenſus ſit, aut ſi tale ſit liberalitatis genus quod in multos ſpargi nequeat ut tum præferatur vir melior, aut etiam ne mali adversùs juſta Iudicia protegendi ſuſcipiantur. Hierocles, Ἐν τάξει δὲ τῇ πρεπούσῃ τὰ τῆς φιλίας μέτρα ποιησώμεθα, τοὺς μὲν ἀγαθοὺς, ὡς ἀποσώζοντας τὴν τοῦ ἀνθρώπου τελειότητα, καὶ διὰ τὴν φύσιν καὶ τὴν γνώμην παντοίως ἀσπαζόμενοι· τοὺς δὲ φαύλους, ὡς μηδὲν ἀπὸ γνώμης εἰς αἵρεσιν φιλίας ὑπέχοντας, διὰ δὲ μόνην τὴν κοινὴν φύσιν ἀγαπῶντες [*Amicitiæ menſuras in ſuo ordine ſervabimus: bonos quidem viros, ut qui in ſe ſervent id quod homines perfectos facit, & ob indolem & ob animi propoſitum ſummè amantes: malos autem diligentes ob ſolam communem naturam, cùm ipſi ex ſuopte ingenio nihil exhibeant de cætero quod dignum ſit amicitiâ*]. Eſt in hanc rem notabilis Senecæ ſententia.

46. τίνα μισθὸν ἔχετε; *quam mercedem habebitis*] Nimirum apud Deum. Nam apud homines habent iſta mercedem. Vide quæ ſequuntur infrà VI.

οἱ τελῶναι, *publicani*] Publicanos Iudæos fuiſſe malè negat Tertullianus; quem & Matthæi & Zacchæi exemplum revincit. Quanquam exiſtimo etiam in Iudæa, ut in aliis provinciis Romanis, mancipes fuiſſe Equites Romanos; ſed quia illi per ſe exercere publicum non poterant, Iudæis elocaſſe, aut certè eos admiſiſſe in partem quæſtûs: quod ipſum nos docet Gemara Thalmudica De damno dato libro 1, capite 10. Quanta autem fuerit Publicanorum improbitas, tum Baptiſtæ ad ipſos ſermo docet, tum & Iuriſconſulti, in quorum numero Vlpianus, *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis ſint Publicanorum factiones, nemo eſt qui neſciat.* Exſtat apud Livium narratio de Poſthumio publicano qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem habuerat. Apud Plutarchum eſt de Græcis, Τὸ τελωνεῖν ὄνειδος ἡγοῦνται [*Vectigal conducere probro ducunt*]. Verùm Iudæi non tantùm improbitatem quæſtui plerúmque connexam, ſed ipſum etiam quæſtum exſecrabantur: nimirum quòd indignum crederent Iudæo homine inſtrumentum fieri externæ ſervitutis, quam ipſi ægerrimè tolerabant, adeò ut multi ipſa etiam tributa & vectigalia ſpecie pietatis abnuerent, ut Ioſephus nos docet & Euangelii hiſtoria. His de cauſis Publicani planè eodem loco habebantur quo ἐθνικοὶ [*Gentiles*], id eſt, ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*] à Deo alieni. Et quia ἁμαρτωλοὶ Hebræorum Magiſtris dicti חטאים hoc eſt παράνομοι, ἄτακτοι [*exleges, diſſoluti*], qui neque Legis neque diſciplinæ Iudaicæ ullam habebant rationem, propterea Publicani modò junguntur ἐθνικοῖς [*Gentilibus*] modò ἁμαρτωλοῖς [*peccatoribus*], ac nominatim ταῖς πόρναις [*meretricibus*], ut multis in locis videre eſt. Et hunc ipſum locum deſignans Iuſtinus Apologetico ſecundo, pro eo quod hîc eſt τελῶναι [*Publicani*] ponit πόρνοι [*cinædi, exoleti*], quia pariter iſti omnes impuri atque inteſtabiles habebantur, neque Sacris tantùm, ſed & communi convictu indigni, ut alibi apertum fiet. Ac ne ad teſtimonii quidem dictionem admiſſos fuiſſe Publicanos apud Iudæos Iudices in Pandecte Thalmudico perſcriptum eſt. Atque hinc etiam factum reor, ut ſequenti commate pro οἱ τελῶναι [*publicani*] quidam codices ſcriberent οἱ ἐθνικοὶ [*Gentiles*], tanquam iſta tantundem valerent. Optimè autem Chriſtus oſtendit quàm exiguæ virtutis ſit benemerentibus benefacere, quando idem faciant non modò Legisperiti & Phariſæi, quos longè ſuperandos à nobis antea dixerat ſi in cœlum ingredi vellemus, verùm ipſi etiam profani & vitæ alterius ſecuri homines, quales vulgò exiſtimabantur eſſe Publicani. Talium enim eſt iſta ſententia,

> Μισοῦντα μίσει, καὶ φιλοῦνθ' ὑπερφίλει.
>
> [*Malus malevolo ſis, amantem plus ames.*]

Et quæ alia ſunt ad eam normam.

47. ἀσπάσησθε τοὺς ἀδελφοὺς, *ſalutaveritis fratres veſtros*] Rectè interpretatur Syrus de blanda compellatione, qualis eſt iſta, *Vt vales? Rectène omnia?* Vide II Regum IX, 17, 18, 19, 22. Id enim propriè eſt quod Hebræi & Syri dicunt *de pace interrogare.* Hæc autem officia Iudæi ſolis fratribus, id eſt, Iudæis præſtabant; cæteros indignos habentes quos ſalutarent: quos Chriſtiana diſciplina adversùs eos ſolos obſervavit qui Chriſtum profeſſi poſtea ab eo defecerant, ut docemur Epiſtolâ Iohannis II, commate 10. Quod hîc quidam codices habent φίλους [*amicos*] ex interpretamento eſt.

περισσὸν, *ampliùs*] Scilicet τῶν τελωνῶν [*quàm publicani*]· ſicut in Phariſæorum comparatione τὸ περισσεύειν [*abundare*] ſuprà uſurpavit.

48. Ἔσεσθε οὖν ὑμεῖς τέλειοι, *Eſtote ergo vos perfecti*] Fuerit fortè in Hebræo Matthæi קדשים [*ſancti*], ut ſumta ſit ſententia ex Levitico XI, 44. XIX, 2. XX, 7. unde eam Petrus accepit, ut videre eſt priore Epiſtolâ 1, 16. aut תמימים [*perfectus*], ut Deuteronomii XVIII, 13. Valde affinis ſunt ſignificationis ἅγιος [*ſanctus*] & τέλειος [*perfectus*], unde & τελειοῦν [*perficere*] Græcis & Scriptori ad

Hebræos eſt ἁγιάζειν [*ſanctificare*]. Propriè autem τὸ τέλειον ſive ſanctitatem hîc Chriſtus vocat bonitatem veram atque ſinceram, quæ ſit ἐν τῷ εἶναι [*in re ipſa*] non ἐν τῷ δοκεῖν [*in eo quod appareat*]. Nam & תמים [*perfectum*] LXX modò vertunt τέλειον, ut Geneſeos VI, 9. modò ἄπλαστον, ut Geneſeos XXV, 27. Ioſephus non malè in hanc ſententiam dixit de Moſe agens, ὁ ἡμέτερος νομοθέτης ἀκραιφνῆ καὶ καθαρὰν τὴν ἀρετὴν ἔχοντα τὸν Θεὸν ἀποφήνας, ᾠήθη δεῖν τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνης πειρᾶσθαι μεταλαμβάνειν [*Noſtrarum legum auctor cùm docuiſſet in Deo eſſe ſinceram puramque virtutem, exiſtimavit hominibus hoc agendum ut ejus virtutis fierent participes*]. Rem ipſam antiquiſſimi Scriptoris ad Diognetum verbis rectiùs quàm meis explicabo, Ὅστις τὸ τοῦ πλησίον ἀναδέχεται βάρος, ὃς ἐν ᾧ κρείσσων ἐστὶν ἕτερον τὸν ἐλαττούμενον εὐεργετεῖν ἐθέλει, ὅσα παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβὼν ἔχει ταῦτα τοῖς ἐπιδεομένοις χορηγῶν, Θεὸς γίνεται τῶν λαμβανόντων, οὗτος μιμητής ἐστι Θεοῦ [*Quiſquis onus proximi in ſe ſuſcipit, qui in quo plus valet in eo minus valenti opitulari vult, ea quæ à Deo accepta habet aliis indigentibus impartiens, Deus fit accipientium in eo quod Deum imitatur*]. Ita optimè cohæret hoc ἐπιφώνημα [hæc *acclamatio*] monitis ſuperioribus, ſimulque ſequentia connectit. Confirmat eandem interpretationem Lucas qui quod hîc eſt τέλειοι [*perfecti*] exponit οἰκτίρμονες [*miſericordes*], quod eſt *benefici*: Sic & Iuſtinus Martyr pro eo quod hîc ſcribitur τέλειοι [*perfecti*] poſuit χρηστοὶ καὶ οἰκτίρμονες [*benigni ac miſericordes*]. Ita enim Helleniſtæ eam vocem uſurpant. In Dei imitatione ſummam hominis felicitatem eſſe poſitam quidam etiam Philoſophorum viderunt. Plato dicebat, Τέλος τῶν ἀγαθῶν τὸ ὁμοιωθῆναι Θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσιν δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι [*Finis bonorum Deo ſimilem fieri quoad fieri poteſt. Similitudo verò in eo conſiſtit ut juſti & ſancti ſimus accedente & prudentia*]. Idemque optimus eſt Dei cultus, ut Pythagorei dicebant, Τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριστα ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς [*Optimè Deum honorabis ſi ei mente ſis ſimilis*]. Hanc autem imitationem Pythagorei peculiariter etiam ſpectari volebant in beneficentia erga homines quosvis. Nam vir bonus, inquit Hierocles, μιμεῖται καὶ ἐν τοῖς τῆς φιλίας μέτροις τὸν Θεόν, ὃς μισεῖ μὲν οὐδένα ἀνθρώπων, τὸ τῆς φιλανθρωπίας ἀγαθὸν κοινῷ τῷ γένει προτείνων [*etiam in amicitiæ menſuris Deum imitatur, qui neminem hominum odit, toti generi porrigens bonitatis ſuæ munera*]. Iamblichus, Εὐδαίμων ἐστὶν ὁ Θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ὅμοιος [*Felix eſt qui Deo quantum pote eſt ſimilis*]. Errant autem qui hinc colligunt ea quæ in his ſermonibus à Chriſto dicuntur, conſilia eſſe non præcepta, aut certè præcepta peculiaria τοῖς τελειότητος ἐφιεμένοις [*ad perfectionem tendentibus*]. Verba enim apertiora ſunt quàm ut negari poſſit præcipi hæc, & quidem omnibus qui intrare cupiant in Regnum cœleſte. Ita & Paulus omnes Chriſtianos vult eſſe τελείους [*perfectos*], I Corinth. XIV, 20. Coloſſenſium I, 28. & IV, 12. & imitatores Dei, Epheſ. V, 1. Adde Lucæ VI, 36. Iacobi I, 4. III, 2. I Iohannis I, 7. III, 3. I Petri I, 15. Sed & Iuſtinus in dialogo cum Tryphone τέλειον γενέσθαι [*perfectum fieri*] ipſe interpretatur Chriſtianum fieri. Quanquam ſcio alibi vocem τελείους [*perfecti*] Chriſtianorum inter ſe comparatione accipi: ſed hîc ei ſignificationi locus non eſt.

CAPVT VI.

1. Τὴν δικαιοσύνην ὑμῶν, *juſtitiam veſtram*] Cùm ita legiſſe Syrum & Arabem appareat, nec deſit librorum auctoritas, omnino hîc accidiſſe arbitror quod alibi ſæpe in his libris, ut altera lectio ex interpretamento gloſſematis nata ſit. Quia enim δικαιοσύνη [*juſtitia*] in ſenſu ἐλεημοσύνης [*miſericordiæ*] erat gloſſema, id eſt, vox minùs uſitata, & Iudæis Helleniſtis quàm Græcis notior, ideo aſſcripta eſt vox altera uſûs frequentioris. Docet hîc Chriſtus exemplis beneficentiæ, precationis & jejuniorum non poſſe Deo probari quæ ideo fiunt ut aut laus captetur aut gratia. Quam ſententiam Philo facundè, ut ſolet, his verbis expreſſit libro De Caino, Εὑρήσεις τοίνυν σκοπῶν ἅπαντας καὶ τοὺς λεγομένους χαρίζεσθαι πιπράσκοντας μᾶλλον ἢ δωρουμένους, καὶ οὓς οἰόμεθα λαμβάνειν χάριτας, πρὸς ἀλήθειαν ὠνουμένους· οἱ μὲν γὰρ διδόντες ἀμοιβὴν ἔπαινον ἢ τιμὴν θηρώμενοι, ζητοῦντες χάριτος ἀντίδοσιν, εὐπρεπεῖ δωρεᾶς ὀνόματι κυρίως πρᾶσιν ἐργάζονται [*Si rectè conſideres, invenies plerosque eorum qui benefici dicuntur vendere magis ſua quàm donare, & eos qui accipere putantur ea emere veriùs. Nam qui pro datis repenſationem venantur honoris aut laudis, ac ſic beneficio vicem expetunt, ſub honeſto liberalitatis nomine auctionem potiùs faciunt*], & quæ ſequuntur. Sic & Abenesdra ad Decalogi initium, *Si quis*, inquit, *pauperi largiatur aliquid, ne id faciat ſpe gloriæ ab ipſo conſequendæ, aut ut hominibus ſe jactet: nam ſi id faciat, potiorem ducet gloriam quæ eſt apud homines quàm eam quæ à Deo eſt opum largitore.* Eſt in hunc ſenſum inſignis locus in ſecundo de Republica Platonis, ubi τὸν δίκαιον [*juſtum*] deſcribit ἄνδρα ἁπλοῦν καὶ γενναῖον, κατ' Αἰσχύλον, οὐ δοκεῖν ἀλλ' εἶναι ἀγαθὸν ἐθέλοντα [*virum ſincerum atque generoſum, qui ſecundùm Æſchylum bonus non videri ſed eſſe velit*]. Nam, inquit, ἀφαιρετέον τὸ δοκεῖν· εἰ γὰρ δόξει δίκαιος εἶναι, ἔσονται αὐτῷ τιμαὶ καὶ δωρεαί, δοκοῦντι τοιούτῳ εἶναι· ἄδηλον οὖν εἴτε τοῦ δικαίου εἴτε τῶν δωρεῶν τε καὶ τιμῶν ἕνεκα τοιοῦτος εἴη· γυμνωτέος δὴ πάντων πλὴν δικαιοσύνης [*Removendum eſt illud Videri velle. Si enim juſtus eſſe videri velit, honores & munera ejus erunt qui juſtus eſſe videtur; incertumque evadet, ſitne ille ejus quod juſtum & rectum eſt an verò honorum & munerum cauſâ talis. Exuendus ergo præter juſtitiam omnibus*], & quæ ſequuntur. Æſchyli verſus quos reſpicit noti ſunt, de Amphiarao quidem dicti à Poeta, at de Ariſtide Athenis intellecti,

Οὐ γὰρ δοκεῖν ἄριστος ἀλλ' εἶναι θέλει,
Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
[*Namque allaborat eſſe, non credi, optimus,*
Sulcos profundos mente demerſos gerens,
Vnde illa ſeſe pulchra conſilia exſerunt.]

Quibus addere liceat & hos Philemonis verſus,

Ἀνὴρ δίκαιός ἐστιν, οὐχ ὁ μὴ ἀδικῶν,
Ἀλλ' ὅστις ἀδικεῖν δυνάμενος μὴ βούλεται·
Οὐδ' ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχετο,
Ἀλλ' ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,

Ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως·
Οὐδ᾽ ὅστε ταῦτα πάντα διαθηρώμενος,
Ἀλλ᾽ ὅστις ἄδολον γνησίαν τ᾽ ἔχων φύσιν
Εἶναι δίκαιος κ᾽ οὐ δοκεῖν εἶναι θέλει.
[*Non juſtus omnis abſtinens injuriæ eſt,*
Sed qui nocere cùm poteſt tunc abſtinet;
Nec qui recuſat parva, ſed qui maximis
Tentatus animi robur invictum gerit:
Nec quisquis iſta quolibet præſtat modo,
Sed qui doloſi neſcius fuci, integrâ
Probitate, juſtus eſſe, non credi, cupit.]

Et illa egregia Hieroclis, Πᾶν γὰρ ὃ ἀμείνονα τὴν ψυχὴν ποιεῖ τοῦτο ὄντως ἀρετὴ καὶ φιλοσοφίας νόμος. Τὰ δὲ μόνον πρὸς ἀνθρωπίνην εὐσχημοσύνην τείνοντα, δουλοπρεπῆ ἐστι σοφίσματα καὶ σκιαγραφία τῶν καλῶν, τὸν παρὰ τῶν πολλῶν ἔπαινον θηρωμένη, καὶ τοῦ δοκεῖν μόνον αὐτὸν εἶναι ἀγαθὸν τὴν πᾶσαν ποιουμένη φροντίδα. [*Omne enim id quo melior redditur animus, hoc virtus eſt & lex Philoſophiæ. Quæ verò in hoc tendunt ut apud homines ſpecioſi ſimus, ſerviles ſunt fallaciæ & rerum honeſtarum adumbrationes, quæ laudem ab aliis venantur, & omnem curam in eo ponunt ut quis bonus videatur*]. At *pleriſque hominum*, ut dicebat ille, *major famæ ſitis eſt quàm virtutis.* Quod autem Chriſtus cohærenter hìc poſuit opera miſericordiæ, preces, & jejunium, fecit hoc quoque non ſine exemplo. Paſſim enim iſta ut ὁμογενῆ [*congenera*] jungi ſolebant. Vide Tobiæ XII, 9.

μισθὸν, *mercedem*] Voces Hebrææ quæ Græcæ huic ſæpe reſpondent נדה & אתנה promiſcuè *mercedis* & *doni* habent ſignificationem, quò magis apparet non eam eſſe vim hujus vocis ut æqualitatem inter factum & rem deſideret. Sed neque Latina vox id exigit. Eſt quidem *merces*, ut Varro vult, à *merendo:* at *merere* aut *mereri* Latinis veteribus erat *conſequi pro re aliqua.* Terentius, *Egóne illam cum illo ut patiar nuptam unam diem? nil ſuave meritum eſt.* Cicero, *Quid enim mereas ut Epicureus eſſe deſinas*, & ſimilia. Strictiùs autem *mercedis* vox uſurpatur ubi anteceſſit promiſſio; ea enim jus dat etiamſi origo promiſſi ex liberalitate & miſericordia procedat, ut inter Deum & nos evenit. Nam ſi obedientiam noſtram cum vita æterna commetimur, non digna ſunt quæ hìc patimur (eſt autem patientia pars nobiliſſima obedientiæ noſtræ) glorioſo præmio quod nobis obventurum eſt. Breviter & bene Salvianus, *Indignum eſt ad futuræ gloriæ comparationem omne opus humanum.* Sed de his pleniùs ad Lucam capite XVII.

2. μὴ σαλπίσῃς, *noli tubâ canere*] Rectè poſt Chryſoſtomum Theophylactus notat non moris id fuiſſe apud Iudæos, ſed locutionem eſſe παροιμιώδη [*proverbialem*]. Nam tubâ convocare populum Hebræi ſolebant, ut Moſes nos docet: atque inde ad Tyrios, à Tyriis ad Tyrrhenos, qui & ipſi propago ſunt Tyriorum, ut nominis veſtigium indicat, à Tyrrhenis ad Græcos tubæ uſus pervênit. Eſt autem σαλπίζειν [*tubâ canere*] populum teſtem quærere. Baſilius facundè dixit, ut ſolet, Τῆς εὐποιΐας σαλπιζομένης ὄφελος οὐδὲν [*Beneficentiæ quaſi per tubam proclamatæ nullus uſus*].

Οἱ ὑποκριταὶ, *hypocritæ*] Quorum ſunt, ut cum Poeta loquar, *mores perſonati.* Vetus dictum eſt, *Totus mundus exercet hiſtrioniam.*

ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *in ſynagogis*] Rectè transferas *in circulis.* Latiſſimè enim patet vocis uſus; neque hîc reſtringi debet ad Proſeuchas, quod & ſequentia oſtendunt: quin & nunc Iudæi liberalitatem ſuam maximè oſtentant in exſequiis mortuorum.

ἀπέχουσι, *receperunt*] Ita & Latinè dicimus *habeat ſibi*, id eſt, nihil ultrà exſpectet. Apud Arrianum Epicteto, ἀπέχεις πάντα [*habes omnia*]. Plutarchus Solone, Ὁ ἐν γάμῳ παρορῶν τὸ καλὸν οὐ τέκνων ἕνεκα δῆλός ἐστιν ἀλλ᾽ ἡδονῆς ἀγόμενος γυναῖκα, τόν τε μισθὸν ἀπέχει [*Qui in nuptiis id quod honeſtum eſt prætervidet, oſtendit uxorem ſe ducere voluptatis non liberûm causâ: habet ergo mercedem*]. Directè opponitur hoc Chriſti enuntiatum opinationi Hebræorum ſentientium opera miſericordiæ quæ fiunt invocato Deo, ſpe tamen & reſpectu humanæ laudis, minus habitura mercedis apud Deum, neque tamen mercede caritura. At Chriſtus docet habituros eos quod voluerunt, inanem ſcilicet gloriam nec quicquam præterea.

3. μὴ γνώτω ἡ ἀριστερά σου, *neſciat ſiniſtra tua*] Eſt & hoc è proverbio ſumtum, cui non diſſimile illud Imperatoris, qui interrogatus quando ſignum itineri daret, dixit ſe tunicam quoque abjecturum ſi conſciam putaret. Senſus eſt, Benefac quàm potes occultiſſimè.

4. Ὅπως ᾖ σου ἡ ἐλεημοσύνη ἐν τῷ κρυπτῷ· *Vt ſit eleemoſyna tua in abſcondito*] ᾖ [*ſit*] id eſt γένηται [*fiat*]· & ἐν τῷ κρυπτῷ [*in abſcondito*] expreſſum eſt ex Hebræo. Nam quod Græci uno verbo dicerent κρύφα [*clàm*] id Hebræi dicunt בלאט, atque ita cætera ejusdem formæ. Græci quidam Iudicum IV, 21. בלאט vertunt ἐν κρυφῇ [*abſconditè*]. Vocem hanc ἐλεημοσύνης [*eleemoſynæ*] impiè irridet Iulianus.

ὁ βλέπων ἐν τῷ κρυπτῷ, *qui videt in abſcondito*] Deeſt articulus, ut ſit ὁ βλέπων τὸ ἐν τῷ κρυπτῷ [*qui videt id quod clàm eſt*], quod eſt, ut diximus, τὸ κρύφα γενόμενον [*quod clàm fit*]. Sic quod infrà XXII, 30. dicitur ἐν οὐρανῷ [*in cælo*], Marcus addito articulo explicat οἱ ἐν οὐρανῷ [*qui in cælo*]. Sic infrà X, 23. ἐν τῇ πόλει [*in civitate iſta*] poſitum eſt pro οἱ ἐν τῇ πόλει [*ii qui in civitate iſta*]. Marci VIII, 26. ἐν τῇ κώμῃ [*in vico*] pro τῶν ἐν τῇ κώμῃ [*eorum qui ſunt in vico*].

5. ἐν ταῖς γωνίαις τῶν πλατειῶν, *in angulis platearum*] Latinè *in compitis*, ut Cicero atque alii loquuntur. Eodem ſenſu dicitur *in triviis.* Catullus,

Omnibus in triviis vulgatur fabula paſſim.

Muſæus,

——— ἐν δὲ σιωπῇ
Ἔργον ὅπερ τελέει τις ἐνὶ τριόδοισιν ἀκούει.
[——— *in caligine ſiquid*
Fecerit, in triviis hoc idem protinus audit.]

Solebat enim plebis concurſus eſſe in triviis: inde *verba trivialia.*

ἑστῶτες, *ſtantes*] Stantes orabant Iudæi niſi luctûs tempore; tunc enim orabant proni aut in genibus. Vide Danielis IX, 20. Imitati hoc

Chriſtiani: nam in Quadrageſima, quod tempus pœnitentiæ dicatum, orabant in genibus; diebus Dominicis & in Pentecoſte, id eſt, totis quinquaginta diebus poſt Paſcha, non niſi ſtantes: ut docet Tertullianus De corona militis, & canon ultimus Synodi magnæ Nicæenſis. Et qui pœnitentiam agebant delictorum intra præſtituta tempora erant ὑποπίπτοντες, poſtea συνεστῶτες. *Statio* igitur apud veteres non quemvis ſed receptiſſimum orandi modum ſignificat. Ita Marci XI, 25. ὅταν στήκητε προσευχόμενοι [*& cùm ſtabitis ad orandum*]. Lucæ XVIII Phariſæus ſtans orat, & apud Nehemiam IX, 5. populus ad preces jubetur conſurgere. Et Geneſeos XVIII, 22. ubi in Hebræo eſt *Abraham ſtabat coram Deo*, Chaldæus vertit *orabat*. Neque aliter verbum *ſtandi* uſurpatur Ieremiæ XV, 1. XVIII, 19. & Iobi XXX, 20. Atque ita vocem *ſtationis* uſurpant tum Iudæi tum Chriſtiani veteres; interdum & συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] pro piorum conventu. Loca paſſim obvia apud Hermiam, Tertullianum, Cyprianum, qui libro de Oratione, *quando ſtamus ad Orationem.*

6. εἰς τὸ ταμιεῖόν σου, *in cubiculum tuum*] Agit hîc Chriſtus maximè de precibus quæ non in commune fiunt, ſed in uſus peculiares; quales erant illæ Cornelii Centurionis. Alioqui δοξολογίας [*laudationes*] & preces pro bono communi non vetat palàm in conventibus fieri, imò alibi etiam jubet, ut infrà XVIII, 19. Præterea omnia iſta quæ de conclavi & obſerando oſtio dicuntur ſunt deſumta ex communi uſu ad ea denotanda quæ ſine ſtrepitu fiunt. Vide Eſaiam XXVI, 20.

τῷ ἐν τῷ κρυπτῷ· *qui eſt in abſcondito*] Placet hæc lectio, quam & infrà commate 18. ipſe Latinus interpres ſequitur; ut id notet quod ex Hebræorum literis hauſit Orpheus ita de Deo unico loquens,

——— οὐδέ τις αὐτὸν
Εἰσοράᾳ θνητῶν· αὐτός γε δὲ πάντας ὁρᾶται.
[——— *nec conſpicit illum*
Mortalis quiſquam; videt ipſe ſed omnia ſolus.]

Sed & Philemoni idem eſt,

Ὃ πάνθ' ὁρῶν τε καὶ αὐτὸς οὐχ ὁρώμενος.
[*Qui cuncta cernit, ipſe ſed non cernitur.*]

Eſt locus huic loco non diſſimilis in Epicteto Arriani I, 14. Ὅταν κλείσητε τὰς θύρας καὶ σκότος ἔνδον ποιήσητε μέμνησθε μηδέποτε λέγειν ὅτι μόνοι ἐστέ· οὐδὲ ἐστε, ἀλλ' ὁ Θεὸς ἔνδον ἐστί [*Vbi oſtia occluſeritis, & tenebras feceritis intus, nolite dicere Solos vos eſſe: nam Deus intus eſt*].

7. μὴ βαττολογήσητε, ὥσπερ οἱ ἐθνικοί· *nolite multùm loqui, ſicut ethnici*] Non vetamur aliquandiu continuare orationem, quod fecit Chriſtus & Apoſtoli, neque id quod ſollicitè expetimus repetere aliquoties, quod itidem Chriſtum feciſſe videmus, præſertim in ſuprema illa pro Apoſtolis & credentibus precatione, ut & Paulum; ſed prohibemur Deo verba annumerare, quaſi ille preces ex prolixitate potiùs & labore externi iſtius operis quàm ex intimo animi affectu, cui excitando non indicando in precibus verba inſerviunt, metiretur: *Ne agmine verborum adeundum putemus ad Dominum*, ait Tertullianus. *Aliud eſt ſermo multus, aliud diuturnus affectus*, ait Auguſtinus Epiſtolâ CXXI. Erant autem huic vitio minùs obnoxii Iudæi, ut qui potiùs docerent preces conciſas eſſe debere; quod hodiéque exſtat apud Abeneſdram initio ad Eccleſiaſten, & in aliis ipſorum libris: & apud Sirachiden eſt, Μὴ δευτερώσῃς λόγον ἐν προσευχῇ σου [*Non iteres verbum in oratione tua*]· ubi δευτεροῦν τὸν λόγον [*iterare verbum*] idem eſt quod hîc βαττολογεῖν, *petitionem commendandam modeſtè Deo tumultuosâ loquacitate ja[illegible]are*, ut loquitur Cyprianus ſermone De oratione Dominica. Ideo Chriſtus exemplum vitandi moris ab exteris gentibus petiit, quibus id erat perquam familiare. Vnde illud in Comœdia,

Ohe jam deſine deos, uxor, gratulando obtundere,
Tuam eſſe inventam gnatam: niſi illos tuo ex ingenio judicas,
Vt nil credas intelligere niſi idem dictum eſt centies.

Contra eum morem eſt illud Plauti in Pœnulo,

Paucis verbis rem divinam facito.

Centies idem dicere eſt βαττολογεῖν. Quod verò ibi de gratiarum actione dicitur, idem in precibus fieri conſueſſe oſtendunt hymni Græcorum, & quæ in eam rem diſſerunt Plato, Iuvenalis, Perſius: ἐθνικοὺς [*Gentiles*] autem Iudæi Helleniſtæ vocabant τοὺς ἀλλοφύλους [*alienigenas*] ex ſtrictiore uſu ejus vocis. Quanquam enim ſignificatu laxiore etiam Iudæi ἔθνος [*gens*] vocantur Iohan. XI, 51. Actorum X, 22. XXIV, 10. & alibi; receptius tamen erat ut Iudæos vocarent λαοὺς [*populum*], cæteros ἔθνη [*Gentes*], quomodo Hebraicè illi עם, iſti גויים vocabantur. Atque ita oppoſita inter ſe inveniuntur λαὸς καὶ ἔθνη [*populus & Gentes*] Actorum XXVI, 17, 23. Cauſa diſtinctæ appellationis hæc, quod ἔθνη [*Gentes*] vocarent quamvis hominum multitudinem, λαὸν [*populum*] autem cœtum jure ac legibus ſociatum, quod in Iudæos eximiè competebat. Quo ſenſu Deus gentes profanas ad Euangelium vocans dicitur ſibi comparaſſe λαὸν ἐξ ἐθνῶν [*populum ex Gentibus*], Actorum XV, 14.

ἐν τῇ πολυλογίᾳ, *in multiloquio ſuo*] Id eſt, πολυλογίας ἕνεκα [*longæ orationis causâ*]. Sperant, inquit, profanæ illæ gentes ideo ſe exauditum iri quia longæ orationis tædio ſe defatigant. πολύλογοι [*multiloqui*] autem ſolent iidem eſſe βαττόλογοι [*verborum repetitores*], quia ut multa dicant neceſſe habent ſæpe jam dicta repetant. At quæ nihil niſi quod opus eſt complectitur oratio non poteſt πολύλογος [*verboſa*] dici. Facetè Philemon,

Τὸν μὴ λέγοντα τῶν δεόντων μηδὲ ἓν
Μακρὸν νόμιζε, κἂν δύ' εἴπῃ συλλαβάς·
Τὸν δ' εὖ λέγοντα μὴ νόμιζ' εἶναι μακρὸν,
Μηδ' ἂν σφόδρ' εἴπῃ πολλὰ καὶ πολὺν χρόνον.
Τεκμήριον δὲ τοῦδε τὸν Ὅμηρον λάβε.
Οὗτος γὰρ ἡμῖν μυριάδας ἐπῶν γράφει,
Ἀλλ' οὐδὲ εἷς Ὅμηρον εἴρηκεν μακρόν.
[*Quicunque dicit ad rem quæ non pertinent,*
Duas locutus ſyllabas prolixus eſt;
At bene dicentem ne prolixum dixeris,
Quatúmvis dicat multa & multo tempore.
Ab Homero ſume teſtimonium tibi;
Is cùm exararit verſuum tot millia,
Nemo eſt Homerum qui prolixum dixerit.]

8. *οἶδε γὰρ ὁ πατὴρ ὑμῶν ὧν χρείαν ἔχετε, ſcit enim Pater veſter quid opus ſit vobis*] Solebant Græci Romanique etiam ſcelerata & inhoneſta à Diis ſuis petere, votis clàm conceptis, ut paſſim docemur. Chriſtus tamen eò non reſpicit, ſed quod non contenti in genere ſe ſuaque commendaſſe, longo verborum ambitu exprimerent quæ bona ſibi vellent dari, vitam longam, robur corporis, formam, victoriam, eloquentiam, gratiam potentum; quæ omnia latè exſequitur Iuvenalis. At Plato potiùs ita orandum ait ut Poeta quidam præſcripſerat,

> Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις
> Ἄμμι δίδου· τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν.
> [*Da, Deus, hæc nobis quæ ſunt bona, ſive precemur*
> *Seu non; quæ mala ſunt, etiam illa precantibus aufer.*]

aut ut Lacedæmonii, τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς Θεοὺς διδόναι [*ut honeſta cum bonis det Deus*]· nec quicquam addendum ultrà. Conſentit Platoni vetus Poeta cujus hîc eſt verſus,

> Μή μοι γένοιθ' ἃ βούλομ' ἀλλ' ἃ συμφέρει.
> [*Ne ſit mihi quod opto, ſed quod expedit.*]

Quos ſecutus Iuvenalis, cùm dixiſſet,

> *Evertêre domos totas optantibus ipſis*
> *Di faciles.*

idque multis comprobaſſet exemplis, tandem ita concludit,

> ——— *Si conſilium vis,*
> *Permittes ipſis expendere numinibus quid*
> *Conveniat nobis rebuſque ſit utile noſtris:*
> *Nam pro jucundis aptiſſima quæque dabunt Di.*
> *Carior eſt illis homo quàm ſibi; nos animorum*
> *Impulſu & cæcâ magnâque cupidine ducti*
> *Conjugium petimus, partumque uxoris; at illis*
> *Notum qui pueri, qualiſque futura ſit uxor.*

Addit & formulam precandi,

> *Orandum eſt ut ſit mens ſana in corpore ſano.*

Ex quibus ſatis apparere arbitror, quomodo hæc Chriſti verba cum ſuperioribus cohæreant. Quid, inquit, multis verbis opus eſt ea commemorare quæ ad vitæ hujus uſum pertinent? ſatis ſit generaliter optare id quod expedit, Nam quid cuique expediat plerúmque ipſi homines neſciunt; at ſcit Deus. Adde quod infrà eſt commate 32. Ex hoc loco ſumſit Iulianus quod dicit, Φθάνουσιν οἱ Θεοὶ τὰς εὐχὰς [*Dii preces anteveniunt*], ut illud quod apud eundem ſequitur, καὶ αὐτῷ πρότερον τὰ θεῖα δόντες οὐδὲ τῶν ἀνθρωπίνων ἐστέρησαν [*& priùs ei dederint quæ divina ſunt, ne ea quidem quæ humana ſunt negarunt*], eſt ex eo quod infrà eſt commate 33. Hoc enim ille agebat, ſed irrito conſilio, ut Chriſtianorum bene dicta factaque ad Paganos transferret.

9. Οὕτως, *Sic*] In hunc ſenſum. Non enim præcipit Chriſtus verba recitari (quod nec legimus Apoſtolos feciſſe, quanquam id quoque fieri cum fructu poteſt), ſed materiam precum hinc promere. Et ſanè nihil eſt dignum oratu quod non in partes hujus formulæ tanquam in locos ſuos rectè digeri poſſit. *Oratio enim hæc*, ut Tertullianus loquitur, *quantum ſubſtringitur verbis tantum diffunditur ſenſibus.* Docent autem nos ea quæ ex Hebræorum libris ab aliis ſunt citata, non tam formulam hanc à Chriſto ſuis verbis conceptam quàm in eam congeſtum quicquid in Hebræorum precibus erat laudabile: ſicut & in admonitionibus paſſim utitur notis eo ſeculo proverbiis. Tam longè abfuit ipſe Dominus Eccleſiæ ab omni affectatione non neceſſariæ novitatis.

Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς· *Pater noſter qui es in cælis*] Vide quæ ſuprà à nobis dicta ſunt.

Ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, *Sanctificetur nomen tuum*] Rectè Hebræorum Magiſtri τὸν ἁγιασμὸν τοῦ ὀνόματος Θεοῦ [*ſanctificationem Divini nominis*] ad pietatis opera referunt. Vide quæ habuimus ſuprà v, 16. II Petri II, 12. & Hebræos ad Pſalm. LXVIII, 35. Rabbinum Iſraelem De Anima cap. 7. Bene autem notant veteres, primis his tribus membris pia deſideria potiùs exprimi quàm petitiones; neque verò opus eſt ut ſingulis ſenſus proprios atque diſtinctos aſſignemus. Nam & Lucas videtur tertium omiſiſſe ut prioribus comprehenſum.

10. Ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου· *Adveniat Regnum tuum*] Non puto eum eſſe ſenſum quem nonnulli arbitrati ſunt, quaſi rogare jubeamur ut gloria vitæ alterius quàm celerrimè adveniat. Quare magis eſt ut hoc pertineat ad ejus doctrinæ quæ tum Iudæam duntaxat perſonabat propagationem per omnes terras. Vide Lucæ IX, 27.

Γενηθήτω τὸ θέλημά σου, *Fiat voluntas tua*] *In hoc dicto ad ſufferentiam nos ipſos admonemus*, inquit Tertullianus. Neque aliter hoc loquendi genus uſurpatur infrà XXVI, 42. Lucæ XXII, 42. Actorum XXI, 14. Sed quæ ſequitur comparatio videtur ad imperia potiùs Divina pertinere, non excluſo tamen eo quem dixi ſenſu. Nam & hoc inter imperata eſt, ut quicquid de nobis ſtatuerit Divina providentia æquo feramus animo. Quò pertinet Cleanthis illud ſanè intellectum,

> Ἄγε δή με, ὦ Ζεῦ, καὶ σύ γ' ἡ πεπρωμένη,
> Ὅποι ποθ' ὑμῖν εἰμὶ διατεταγμένος·
> Ὡς ἕψομαί γ' ἄοκνος· ἢν δέ γε μὴ θέλω,
> Κακὸς γενόμενος, οὐδὲν ἧττον ἕψομαι.
> [*Duc me, Parens celſique dominator poli,*
> *Quocunque placuit, nulla parendi mora eſt,*
> *Aſſum impiger. fac nolle; comitabor gemens,*
> *Maluſque patiar quod pati licuit bono.*]

Et vetus Epigramma,

> Εἰ τὸ φέρον σε φέρει φέρε καὶ φέρου· εἰ δ' ἀγανακτῇς,
> Καὶ σαυτὸν λυπῇς καὶ τὸ φέρον σε φέρει.
> [*Si quem Fors agat atque ferat, ferat atque feratur;*
> *Sin minùs, & feret hunc Fors magis & feriet.*]

Ex Pythagoræ ſcito quod apud Iamblichum, Ἐπιστημονικὸν τοῦτο καὶ εὔγνωμον, τὸ μὴ ἀντιτείνειν καὶ προσαγανακτεῖν τῇ θείᾳ προνοίᾳ [*Sapientiæ & æquitatis eſt, non contrà niti nec iraſci Divinæ providentiæ*]. Vide ſi lubet Hieroclem ad illa Aurei carminis,

> Ὅσσα τε δαιμονίαισι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν,
> Ἣν ἂν μοῖραν ἔχῃς πρᾴως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει.
> [*Qui veniunt homini Divina lege dolores*
> *Fer placidè atque irâ ſine quæ tibi contigerit pars.*]

Quam ſententiam Chriſtianè admodum hunc in modum explicat Clemens Alexandrinus, εἴη δ' ἂν ἡ τελεία εἰρηνοποίησις, ἡ ἐπὶ παντὶ τῷ συμβαίνοντι ἄτρεπτον φυλάσσουσα τὸ εἰρηνικόν, ἁγίαν τε καὶ καλὴν τὴν διοίκησιν λέγουσα, ἐν ἐπιστήμῃ θείων καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων καθεστῶσα, δι' ἧς τὰς ἐν τῷ κόσμῳ ἐναντιότητας ἁρμονίαν κτίσεως καλλίστην λογίζεται) [*Perfecta pax animi eſt quæ circa omne quod evenit immutabilem ſervat tranquillitatem, ſanctam & pulchram dicens talium diſpenſationem, ipſa firmam ſe tenens in notitia Divinarum Humanarumque rerum; unde quæ in Mundo inter ſe ſunt contraria pulcherrimum rerum conditarum conſenſum eſſe judicat*].

ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς. *ſicut in cælo, & in terra*] Hîc καὶ [*&*] vim habet ἀποδόσεως [*redditionis in Comparatione*]. Plutarchus ſimiliter, ὡς γὰρ δι' ὁμίχλης τὰ σώματα, καὶ δι' ὀργῆς τὰ πράγματα μείζονα φαίνεται [*ſicut corpora per nebulam, & per iram res majores quàm ſunt apparent*]. Illud ἐν οὐρανῷ [*in cælo*] poſſis de Aſtrorum curſu interpretari: ἐν οὐρανῷ οὐδὲν ἀπὸ αὐτομάτου γίνεται [*in cælo nihil caſu fit*] inquit Ariſtoteles. Sic & Lucanus ſapientis animum ita ſe habere ait,

——— *Sicut cæleſtia ſemper*
Inconcuſſa ſuo volvuntur ſidera motu.

Sed probabilius eſt de Angelis ſenſiſſe Chriſtum, & ſpectatum ab eo Pſalmi locum CIII, 21. *Laudate Dominum omnes exercitus ejus, miniſtri facientes voluntatem ejus.* In Clementis Conſtitutionibus lib. II, cap. 56. ὅπως ὡς αἱ ἐπουράνιοι φύσεις τῶν ἀσωμάτων δυνάμεων πᾶσαι δοξάζουσι τὸν Θεὸν συμφώνως, οὕτως καὶ τῆς γῆς πάντες οἱ ἄνθρωποι ἐν ἑνὶ στόματι καὶ μιᾷ διαθέσει δοξάσωσι τὸν μόνον Θεόν [*ut, quomodo ſupercæleſtes Naturæ virtutum incorporalium omnes concorditer Deum celebrant, ita & qui in terra ſunt homines omnes uno ore parique propoſito unum celebrent Deum*].

11. Τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον, *Panem noſtrum craſtinum*] Longè aliud eſt περιούσιος [*eximius*], quod LXX uſurpant ut ſignificent τὸ ἐξαίρετον, aliud ἐπιούσιος, quod eo ſenſu nec invenitur neque reduci poteſt ad ejus ſignificationis originem. Quod ſi voluiſſet Scriptor dicere *ſuperſubſtantialem*, dicendum fuerat ὑπερουσιώδη. Nam ἐπὶ in compoſitionibus eam ſignificationem non habet. Adde quod ἐπὶ in compoſitione ante vocalem literam ι ſolet amittere. Itaque Platonici ἐπουσιῶδες vocant *quod ſubſtantiæ accedit*; quæ ſignificatio præterea hîc locum non habet. Denique non patiuntur Grammaticæ leges ἐπιούσιος aliunde deduci quàm à nomine ἐπιοῦσα quod *diem poſterum* ſignificat, ut monuit Ambroſius. Hoc verò quanquam per ſe ſufficere debebat, accedit tamen maximi ponderis argumentum ab Hieronymi teſtimonio, qui conſultum à ſe ſcribit Hebræum Euangelii codicem quo Nazareni, hoc eſt Chriſtiani ἑβραΐζοντες [*Hebræâ utentes linguâ*], utebantur; atque ibi reperiſſe מחר, id autem eſt *craſtinum.* Quare περὶ τῆς λέξεως [*de vocabulo*] ampliùs quæri non debet: tantùm reſtat videamus quæ ſit τῆς λέξεως ſignificatio. Mirum enim videtur, cùm Chriſtus vetet nos eſſe ſollicitos pro craſtino die, hîc tamen ab eo præcipi ut oremus dari nobis panem craſtinum. Sed ſciendum eſt, quod & ab Hieronymo eſt annotatum, מחר Hebræis non ſignificare ſtrictè *diem proximè ſequentem*, ſed *quicquid futurum imminet*, ut Exodi XIII, 14. ubi LXX habent μετὰ ταῦτα [*poſt id*]· Exodi XIX, 10. Ioſuæ IV, 6. Proverbiorum XXVII, 1. quibus locis ſervarunt LXX vocem αὔριον [*cras*]· quo ſenſu & αὔριον uſurpat Lucas XIII, 33. Sicut & exactum tempus Hebræis dicitur תמול, id eſt, *heri.* Eſt ergò ἐπιοῦσα omne id ſpatium vitæ quod nobis emetiendum reſtat, incognitum nobis, Deo cognitum; ἐπιούσιον id quod ei ſpatio ſufficit. Multi homines incerti quamdiu ſint victuri, ſenectutis exſpectationem avaritiæ prætendunt: & ſæpe quò minus eſt viæ eò plus quæritur viatici. Vult Chriſtus nos Deo hanc curam committere, ut quantum vitæ supereſt tantum nobis ſuppeditet alimentorum: neque ita tamen ut poſcamus id omne nobis repræſentari. Eſt enim valde illiberalis animi non credere Deo niſi ſub pignore. Quemadmodum igitur hi qui in poteſtate ſunt patris familias & boni & ſapientis & divitis, non poſtulabunt ut alimenta in multos annos ſibi in cellis recondere liceat, ſed contenti erunt dimenſo diurno: ita & Chriſtus abeſſe vult à noſtris precibus tum diffidentiam, tum aviditatem. Eſt ergo hîc σήμερον [*hodie*] poſitum pro eo quod pleniore Hebraiſmo diceretur σήμερον σήμερον [*hodie hodie*], id eſt Luca interprete τὸ καθ' ἡμέραν [*in diem*]· unde Græcè καθημερόβιοι, & ἐφ' ἡμέραν ἔχοντες apud Herodotum libro 1. Latinè *in diem viventes* dicuntur, qui contenti ſunt præſentibus neque in longum ſunt ſolliciti. Sic & τροφὴν καθ' ἡμέραν [*victum in diem*] dixerunt Alexis & Antiphanes. Quod Græci interpretes Daniel. 1, 5. dixere τὸ τῆς ἡμέρας καθ' ἡμέραν [*id quod eſt de die in diem*]. Ita optimè cum hac prece conſentit præceptum Chriſti quod infrà eſt commate 34. Omninoque idem nobis apertè ſignificat quod quotidiana Mannæ largitione olim adumbrabatur, quam hiſtoriam ita explicat Philo ut vice interpretis ſit ad hæc Chriſti verba, καλὸν τὸ ἐνάριθμον καὶ μεμετρημένον, καὶ μὴ τὸ ὑπὲρ ἡμᾶς λαμβάνειν πλεονεξίᾳ· τοῦτό γε τὸ τῆς ἡμέρας οὖν εἰς ἡμέραν συναγαγέτω ἡ ψυχή, ἵνα μὴ ἑαυτὴν φύλακα τῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ τὸν φιλόδωρον Θεὸν ἀποφήνῃ [*pulchrum eſt id quod in numero ac menſura conſiſtit, & non ex aviditate id ſumere quod modum excedit. Congreget ergò anima id quod de die in diem ſufficit, neque ſe bonorum cuſtodem cenſeat, ſed liberaliſſimum Deum*]. Αρτον [*panem*] autem dixit Interpres, ut exprimeret Hebræum לחם, aut Syriacum לחמא, quod *cibum* ſignificat, & peculiariter pro ciborum præcipuo, pane, uſurpatur: imò, ſi Athenæo credimus, Syri panem non merum ſed cum lacte, oleo & ſale λάχμαν vocabant. Sic & apud Scriptorem Tobiæ 1, 10. ἄρτοι τῶν ἐθνῶν ſunt *edulia Gentium;* quod patebit ſi conferas locum Danielis 1, 8. Laxior uſus ad ea omnia protulit

Queis humana ſibi doleat natura negatis.

διατροφὰς ſcilicet καὶ σκεπάσματα [*alimenta & quibus tegamur*], ut Paulus loquitur 1 Timoth. VI, 8. aut ut Philo loco quem infrà adducemus, τροφὴν καὶ σκέπην [*alimentum & tegumentum*]. Æquè latè patet in Iure Romano *victûs* appellatio: comprehendit enim ea *quæ eſui, potui, cultuique corporis, quæque ad vivendum hominibus ſunt neceſſaria*, ut tradidit Vlpianus. Hæc ſola nobis in Novo Federe Deus promittit, hæc ſola vult à nobis poſtulari, neque in anteceſſum, ſed quantum in præſens ſat eſt; cùm contrà Iudæi à Magiſtris ſuis didiciſſent magnam ſibi opulentiam precari. Senſus ergò horum verborum eſt, Da nobis Deus victum qui ætati in poſterum agendæ ſufficiat: & ſi non placet dare annua, da menſtrua, da ſaltem diurna: quicquid ultrà dabitur, id erit adventitium.

12. *ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, dimitte nobis debita noſtra*] Sicut Græci dicunt ὀφείλειν δίκην, Latini *pœnas debere*: ita Hebræis חוב, quod *debitorem* ſignificat, etiam de his qui pœnæ obſtricti ſunt uſurpari ſolet, ut Daniel. 1, 10. Tertullianus, *Debitum in Scripturis delicti figura eſt, quod perinde Iudicio debeatur & ab eo exigatur.* Quod ergò hîc Interpres κατὰ λέξιν [*verbo tenus*] expreſſit, id Ἑλληνικώτερον [*magis Græcè*] reddidit Lucas cùm poſuit ἁμαρτίας [*peccata*]. Sic idem Lucas in eodem ſenſu, cùm priùs dixiſſet ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*] mox poſuit ὀφειλέτας [*debitores*] XIII, 2, 4. ἀφιέναι autem ἁμαρτίας [*dimittere* autem *peccata*] opponitur τῷ κρατεῖν [*ei quod eſt retinere*]. Eſt autem utrumque dictum de Deo ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*], quia homines ea quæ bona fide condonant quaſi ex animo projiciunt; quæ condonare nolunt, aſſervant. Similia ſunt *non meminiſſe delictorum*, Ieremiæ XXXI, 34. & *in mare delicta projicere*, Michææ VII, 19. Sic etiam inter ſe opponuntur χαρίζεσθαι [*condonare*] & λογίζεσθαι [*imputare*], ſed apertiùs ducta tralatione à debitis pecuniariis. Servius ad XI Æneidos, *Luiſti ſupplicium: Iuris verbo uſus eſt. Luere enim debitor dicitur qui pecuniam ſolvit; quod hîc uſurpatum eſt in capitalem pœnam.* Illud *uſurpatum eſt*, Servio ſignificat λελεγμένον καταχρηστικῶς [*dictum per abuſionem*]. Erraſſe autem eos qui putarunt hanc precationem ad paucos duntaxat pertinere, aut debere quidem omnes ita precari, non tamen pro ſe, aut à quibuſdam hoc pronuntiari etiam pro ſe humiliter non veraciter, docet nos optimus Chriſti interpres Iohannes Epiſtolâ 1, cap. 1, 8, 9, 10. Ex quo ſimul intelligimus hanc orationem non eſſe alligandam ad ſola peccata quæ fiunt poſt datum nomen Chriſto, ſive illa ſint ἁμαρτίαι ſtrictè nominatæ [*peccata* ſtrictè nominata], de quibus Iohannes pergit agere II, 1. ſive παραπτώματα [*offenſiones*], de quibus agit Iacobus III, 2. & quæ potiſſimùm hîc reſpici putat Auguſtinus, ſed referendam inſuper ad delicta quæ Chriſtianam profeſſionem anteceſſerunt. Quanquam enim Novi Federis ictu promiſit Deus veniam antecedentium delictorum omnibus in Chriſtum credituris, eamque etiam in animis credentium obſignat, noluit tamen ejus juris effectum, id eſt, liberationem à morte, cui connexa eſt gloria æterna, nobis contingere, niſi hac Lege ut dum in hac vita ſumus demiſsè ſemper coram Deo agnoſcamus etiam exacti temporis culpam, & in petenda eo quoque nomine venia perſeveremus. Vide Paulum 1 Corinth. XV, 9. & 1 Timoth. 1, 15. ubi ſe vocat τῶν ἁμαρτωλῶν πρῶτον [*primum inter peccatores*], quæ pia eſt ὑπερβολὴ [*Superjectio*], qualis & illa in Epiſtola Barnabæ, ὅτι ἐξελέξατο τοὺς ἰδίους ἀποστόλους Ἰησοῦς ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἀνομίαν ἀνομωτέρους [*quia elegit Ieſus Apoſtolos ſuos cùm eſſent ſuper omnem improbitatem improbi*]. Vtilia ad hanc rem habet Chryſoſtomus oratione De Statuis duodecimâ. Hieronymus III dialogo contra Pelagium, *De Baptiſmatis fonte ſurgentes & regenerati in Dominum Salvatorem, impleto illo quod de ſe ſcriptum eſt, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates & quorum tecta ſunt peccata, ſtatim in prima corporis communione Chriſti dicunt, Et dimitte nobis debita noſtra, quæ illis fuerant in Chriſti confeſſione dimiſſa.*

ὡς καὶ ἡμεῖς, ſicut & nos] Senſus eſt, Non fruſtra hanc indulgentiam à te ſperamus, cùm nos filii tui tuo exemplo ſimili indulgentia homines alios proſequamur, id eſt, læſi vindictam nec facto nec voto expetamus. Idem planè Lucas voluit cùm dixit, καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν [*ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis*]. Sunt autem ὀφειλέται ſive οἱ ὀφείλοντες [*debitores*] *qui in nos deliquerunt.* Senſus idem apud ſapientem Hebræum Eccleſ. XXVIII, 2. Ἄφες τὸ ἀδίκημα τῷ πλησίον, καὶ τότε δεηθέντος σου αἱ ἁμαρτίαι σου λυθήσονται [*relinque proximo tuo nocenti te, & tunc deprecanti tibi peccata ſolventur*]· ubi & quæ ſequuntur vide.

13. *μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ne nos inducas in tentationem*] Frequens Hebræis אל תביאנו ליד נסיון. Non hîc ſenſus eſt, ne Deus nos permittat πειρασμοῖς περιπίπτειν [*objici tentationibus*], quæ communis ſors eſt Chriſtianorum omnium, ac maximè eorum qui plurimùm in Chriſti doctrina profecerunt, Iacobi 1, 2, 3. ſed, ne nos ſinat oneri ſuccumbere. Nam בא במסה εἰσέρχεσθαι εἰς πειρασμὸν [*intrare in tentationem*] ſignificat ita involvi illecebris aut periculis ut non extriceris, infrà XXVI, 41. Marci XIV, 38. Lucæ XXII, 40, 46. Pleniùs interdum dicunt Hebræi, *intrare in manum tentationis*, hoc eſt in poteſtatem ejus ac dominium. Hinc in forma Hiphil dicitur Hebraicè הביא. Syris (nam illis על valet בוא) העל, quod & hîc reperitur & apud Danielem σὺν ἐπενθέσει [*cum inſertione literæ*] הנעל, *facere intrare*, quod Helleniſtæ vertunt εἰσφέρειν. Certum autem eſt & ab Hebræis traditum verba ejus formæ quam Hiphil vocant non ſemper ſignificare actum καταφατικὸν [*affirmativum*], ſed ſæpe ἀποφατικὸν [*negativum*] duntaxat, ſæpe etiam non cauſam ſed occaſionem eâ flexione indicari. Deus non tantùm homines impios vitiis ſuis ſæpe relinquit, παραδιδοὺς ἐν ταῖς ἐπιθυμίαις τῶν καρδιῶν αὐτῶν [*tradens eos in deſideria cordis eorum*], ut loquitur Paulus Romanorum 1, 24. ſed eos etiam qui viribus ſuis plùs æquo confidunt ad tempus velut abdicat. Hoc jubemur agnitione infirmitatis noſtræ & aſſiduis precibus antevertere, ut apparet iis quos jam adduximus locis. Cyprianus oſtendit in veteri Latina verſione fuiſſe, niſi fortè ipſe ita vertit, *ne nos patiaris induci.*

ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ· ſed libera nos à malo] Hebræi dicunt תצילנו מכל רע. Membrum hoc priori opponitur. Ita Petrus dixit ῥύεσθαι ἐκ πειρασμοῦ [*eripere de tentatione*], & Iohannes τηρεῖν ἐκ τῆς ὥρας τοῦ πειρασμοῦ [*ſervare ab hora tentationis*] Apocalypſeos III, 10. Facit autem hoc Deus, aut explorationem clementer temperando ad eas quas accepimus vires, aut vires etiam augendo arcanis & ineffabilibus auxiliis. Nam utroque modo præſtatur τὸ δύνασθαι ἡμᾶς ὑπενεγκεῖν [*ut poſſimus ſuſtinere*], ut loquitur Paulus 1 Corinth. X, 13. Vtrum autem ſit potius, paternæ Dei providentiæ permittendum eſt. Quanquam verò multi πειρασμοὶ [multæ *tentationes*] ſint ἐκ τῆς ἐπιθυμίας [*ex-concupiſcentia*], Iacobi I, 14. multi etiam ab hoſtibus noſtræ profeſſionis, Lucæ VIII, 13. ſolet tamen utrumque genus τῷ πονηρῷ [*malo*], diabolo ſcilicet, aſſcribi, quia ille miris artibus & cupiditates inflammat, & hoſtes inſtigat; unde ὁ πειράζων [*tentator*] dicitur. Ita I Corinth. VII, 5. ὁ πειρασμὸς ἐξ ἀκρασίας [*tentatio ex incontinentia*] ad diabolum refertur, neque minùs gravioris metús incuſſio Lucæ XXII, 31. Hæc quanquam vera ſunt, tamen non refrager iſtud τοῦ πονηροῦ [*à malo*] volenti ſumere paulò generaliùs ab eo quod eſt τὸ πονηρὸν [*malum* in neutro], hoc ſenſu nimirum, ut jubeamur precari non immunitatem ab incommodis omnibus ſed animum invictum adversùs tentamenta. Nam & Hebræi ita dicere ſolebant, *Ne nos inducas in manum tentationis, ſed nos libera ab occurſu mali*, ut ab aliis obſervatum eſt.

Quod ſequitur, *Quoniam tuum eſt Regnum, poteſtas, & gloria in ſecula ſeculorum*, cum in vetuſtiſſimis exemplaribus Græcis non exſtiterit, exſtet autem & in Syriaco & in Latino contextu & in Arabico, argumentum nobis exhibet unde diſcamus non Arabicam tantùm & Latinam verſionem, ſed & Syriacam factam poſtquam Eccleſiarum λειτουργία [*formula ſacrarum actionum*] formam certam acceperat. Nam ex Græciæ conſuetudine cœpta eſt aſſcribi hæc δοξολογία [*concelebratio*] magis quàm pars precationis, Latinis omnibus ignota.

Sed & *Amen* apparet non à Chriſto additum, ſed ex more veteris Eccleſiæ publicam vocum recitationem ea voce approbantis. Id enim factitaſſe Chriſtianos veteres docemur I Corinth. XIV, 16. idque, ut multa, exemplo Hebræorum, Deuter. XXVII, 15 & deinceps. Sic & in Latinis codicibus ex Rituali Latino multa adhæſerunt, ut infrà XXI, 17. hæc verba, *& docebat eos de Regno Dei*, Lucæ XVIII, 13, *Amen*, in quibuſdam exemplaribus.

14. Ἐὰν γὰρ ἀφῆτε τοῖς ἀνθρώποις τὰ παραπτώματα αὐτῶν, *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum*] Eſt quidem ubi παράπτωμα [*lapſus*] oppoſitum τῇ ἁμαρτίᾳ [*peccato*] ſignificet delicta minora, ut Epheſ. II, 1. Sed & hoc loco, quod præcedentia quoque evincunt, & alibi, ut Romanorum IV, 25. Coloſſ. II, 13. omnia delictorum genera complectitur. Docet hîc Chriſtus, ſicut Regnum cœleſte, ita eam quæ Regnum præcedit peccatorum indulgentiam, non patêre nobis niſi ſub conditione novæ obedientiæ, cujus pars magna ſit lenitas in condonandis injuriis. Non vetat Chriſtus παιδείαν καὶ νουθεσίαν [*inſtitutionem & caſtigationem*] quam parentes liberis, imò & alii aliis debent; neque, ut ſuprà oſtendimus, Iudiciorum leges tollit, quanquam certum eſt in illis etiam exercendis clementiam requiri; ſed vult nos ab ultione animo eſſe alieno, ita ut eam nec exigamus ipſi, nec à Iudice, imò ne à Deo quidem poſtulemus, ſed, ut modò dicebat, benefaciamus iis qui nos læſerunt. Beneficium autem eſt etiam precibus ipſos apud Deum adjuvare. Neque verò, ut quidam putant, præſtandum hoc eſt iis ſolis qui pœnitentiam factis teſtantur, ſed illis etiam qui errore quodam in nos ſæviunt, Chriſti exemplo Lucæ XXIII, 34. Illi verò qui maligno animi propoſito inexcuſabiliter peccant, Deo permittendi ſunt, Romanorum XII, 19.

Danda autem eſt opera ut delicta aliorum quàm benigniſſimè interpretemur, præſertim quæ in nos ſunt commiſſa, cùm alioqui in partem ſequiorem nimium ſua ſponte provergat dolens animus. Eſt autem hæc etiam Chriſti ſententia ex veterum Hebræorum placitis: quod & apud Thalmudicos legitur & apud ſapientem Hebræum Eccleſ. XXVIII, 3. Ἄνθρωπος ἀνθρώπῳ συντηρεῖ ὀργὴν, καὶ παρὰ Κυρίου ζητεῖ ἴασιν· καὶ ἐπ' ἄνθρωπον ὅμοιον αὐτῷ οὐκ ἔχει ἔλεον, καὶ περὶ τῶν ἁμαρτιῶν αὐτοῦ δεῖται· αὐτὸς σὰρξ ὢν διατηρεῖ μῆνιν, καὶ τίς ἐξιλάσεται τὰς ἁμαρτίας αὐτοῦ; [*Homo homini reſervat iram, & à Deo quærit medelam: In hominem ſimilem ſibi non habet miſericordiam, & de peccatis ſuis deprecatur. Ipſe, cùm caro ſit, reſervat iram, & quis exorabit pro delictis ejus?*] Vbi tacitè ex nomine *hominis* & *ſimilis* & *carnis* datur intelligi Deus tantò major, ſicut hîc ex voce *Patris cæleſtis* intelligitur oppoſitum terreſtris & fratris. Senecæ eſt, *Vt abſolvaris, ignoſce:* & in Tragœdia,

Det ille veniam facilè, cui veniâ eſt opus.

16. Ὅταν δὲ νηστεύητε, *Cùm autem jejunatis*] Propriè agit hîc Chriſtus non de communibus populi jejuniis, quale erat à Deo præceptum ſolenne unum circa dies Sacri piacularis, & tria alia addita Exſilii temporibus, ſed de his quæ privatim ſibi quiſque indicebat, ſive per continuos aliquot dies extra ordinem, ſive perpetuo quodam more ſtatis diebus, nimirum Lunæ & Iovis, ut plerique Phariſæi, quorum qui videri volebant religioſiores etiam Martis & Veneris diem adjungebant. Erat autem ſevera admodum Phariſæorum ἀπαστία [*inedia*]· nam cibum planè nullum ſumebant ante Solem occaſum, & tunc quoque non niſi oleribus aut ovis veſcebantur. Sed & in cubitu erant in ſe duriores: neque enim tantùm ab uxoribus ſecubabant, ſed alii ſervabant χαμευνίας [*humi cubationes*], alii, Epiphanio teſte, etiam ſpinas ſibi ſubſternebant quominus conquieſcerent. Chriſtus ut non improbat jejunii exercitationem, ita eos hîc notat qui per talia famam ſanctimoniæ aucupabantur. Quod præcipuè in Phariſæos convenit, qui nomen etiam inde acceperant, quòd non contenti implere ritus Lege præceptos, aliis ſeverioribus inſtitutis à reliqua plebe *diſcernerentur*. Vide Lucæ XVIII, 12.

σκυθρωποί] *Triſtes:* bene Vulgata verſio. Vide Lucæ XXIV, 17. Adde Græcos interpretes Geneſeos XL, 7. Danielis I, 10.

ἀφανίζουσι γὰρ τὰ πρόσωπα, *exterminant enim facies ſuas*] *Deformant:* quomodo faciem neglectam perire dixit Ovidius. Citantur ex Euplœa Antiphanis apud Stobæum hi verſus,

Ὥσπερ πονηρῷ ζωγράφῳ τὰ χρώματα·
Πρώτιστον ἀφανίζουσιν ἐκ τοῦ σώματος.

ſed legi debet Πόνηρα δ' ὥσπερ ζωγράφοι. Senſus eſt,

At res adverſæ, quomodo pictor ſolet,
Primùm colorem delinunt de corpore.

Sic & fuco ac pigmentis ἀφανίζεσθαι τὰς ὄψεις [*deformari faciem*] ait Nicoſtratus. Cæterùm Chriſtus hîc non tam agit de macie & pallore, quæ inediam naturaliter comitantur, quàm de affectata quadam vultûs triſtitia & geſtibus, quales deſcribit graphicè Ieremias LVIII, 5. Mirari hoc in Phariſæis eò minùs debemus, quòd iidem & ſpinas inſeruerint veſtibus ſuis ut ſibi ſanguinem elicerent, & capita alliſerint parietibus.

17. *ἄλειψαί σου τὴν κεφαλὴν, καὶ τὸ πρόσωπόν σου νίψαι· unge caput tuum, & faciem tuam lava*] Hoc eſt præfer vultum & habitum quotidianum. Nam & lavari & ungi ſolebant Iudæi eorumque vicini extra luctus tempora; præcipuè verò quoties ſolito erant lætiores, ut diebus feſtis, Ruth III, 3. II Samuel. XII, 20. XIV, 2. II Regum IV, 2. Eſther II, 12. ad unctionem autem plerique utebantur oleo, Pſalmo CIV, 15. ſic apud Homerum Odyſſ. Z,

Χρῶτ' ἀπονίπτεσθαι καὶ ἀποχρίεσθαι ἀλοιφῇ,
[*Corpora mundari lymphis oleoque perungi,*]

Scholiaſtes ἀλοιφῇ interpretatur ἐλαίῳ [*oleo*]· nitidiores aliis etiam unguentis. Vide Iudithæ hiſtoriam X, 3. & XVI, 8. Chriſtiani quoque veteres unguentis non in totum abſtinuerunt: qua de re videndus Clemens Pædagogo II, cap. 18. ubi τὸ μυραλοιφεῖν [*pigmentari*] improbat, τὸ δὲ χρίεσθαι τῷ μύρῳ [*ungi unguento*] oſtendit uſus honeſtos interdum habere, etiam nobile illud Ariſtippi dictum referens, *Pereant cinædi qui rem tam bonam infamarunt.* Sed rerum ejuſmodi honeſtas aut turpitudo non tam ex ipſarum natura quàm ex gentium moribus æſtimanda eſt. Valeat hîc illud,

Νόμοις ἕπεσθαι τοῖσιν ἐγχωρίοις καλόν.
[*Leges honeſtum patrias ſemper ſequi.*]

Iuſtinus, aut quiſquis eſt Scriptor vetuſtiſſimus ad Diognetum, Chriſtianos ait vivere ubique terrarum inter Græcos & Barbaros τοῖς ἐγχωρίοις ἔθεσιν ἀκολουθοῦντας ἐν τῇ ἐσθῆτι καὶ διαίτῃ καὶ τῷ λοιπῷ βίῳ [*utentes moribus locorum tam in veſte ac victu quàm in vita cætera*].

18. *ἀποδώσει σοι, reddet tibi*] Habet ergo jejunium ſuam quoque mercedem, nimirum non ſeorſim ſpectatum (nam σωματικὴ γυμνασία [*corporalis exercitatio*] *exiguum per ſe uſum habet*) ſed quatenus pietati inſervit, quæ *promiſſiones habet vitæ præſentis & futuræ*, I Timoth. IV, 8. Vſum jejunii non malè explicat Salvianus libro I de Divina providentia, *Non imprudenter quidam hoc loco dixit, quòd ſi repugnante corporis fortitudine quæ optamus facere non poſſumus, infirmandum nobis ſit carne ut optata faciamus. Infirmitas enim carnis*, inquit, *vigorem mentis exacuit, ut affectis artubus vires corporum in virtutes transferantur animorum, non turpibus flammis medullæ æſtuent, non maleſanam mentem latentia incentiva ſuccendant, non vagi ſenſus per varia oblectamenta laſciviant, ſed ſola exſultet anima, læta corpore affecto, quaſi adverſario ſubjugato.*

ἐν φανερῷ. in aperto] Quod pauciores codices hîc addunt, ex locis ſuperioribus repetitum eſt.

19. *Μὴ θησαυρίζετε ὑμῖν θησαυροὺς, Nolite theſaurizare vobis theſauros*] Putavit Cœleſtius hoc & aliis Euangelii locis omnem rerum non neceſſariarum poſſeſſionem, quas divitias vocamus, prohiberi. Quod validè refutatur Pauli verbis I Timoth. VI, 17. Sed in alteram quoque partem errari poteſt, ut ſi hîc aut eos tantùm putemus notari qui genium ſuum fraudantes auro defoſſo incubant, aut qui per vim dolumque malum lucra ſectantur, quorum illud vitium φειδωλίαν [*tenacitatem*], hoc πλεονεξίαν [*fraudationem aliorum*] diſtinctè Græci vocant: cùm hîc potiùs notetur vitium τῆς φιλαργυρίας, *pecuniæ ſtudium*, ut Salluſtius loquitur, quod commatis 25 & ſequentium cum his antecedentibus connexio manifeſtum facit. Hi ſunt quos Paulus jam dictâ Epiſtolâ VI, 8. vocat τοὺς βουλομένους πλουτεῖν [*qui volunt divites fieri*], quoſque ait illaqueari multis iritamentis, ac tandem in exitium ſolere demergi. ubi βούλεσθαι [*velle*] ita ferme ſumitur quomodo βούλεσθαι τὰ τῶν Συρακουσίων [*velle ea quæ ſunt Syracuſanorum*] dicuntur οἱ τὰ αὐτῶν φρονοῦντες [*qui ipſis ſtudent*]. Eſt quidem vox θησαυρίζειν [*theſaurizare*] per ſe media, ita ut & de factis laudabilibus I Corinth. XVI, 2. aliiſque non in vitio poſitis uſurpetur II Corinthior. XII, 14. Sed ei voci accidit quod aliis pluribus, ut interdum πρᾶξιν [*actionem*], interdum verò, ut hîc, τὴν ἕξιν [*permanentem animi affectionem*] ſignificet, cui conjuncta eſſe ſolet tenacitas erogandæ in alienos uſus pecuniæ. Nam qui hoc agunt ut quamplurimum habeant, aut id faciunt ut ipſi lautiùs molliùs ac ſuperbiùs vivant, aut nuda poſſeſſione delectantur. Vtrumque autem obſtat beneficentiæ. Eodem ſenſu ſumitur τὸ θησαυρίζειν [*theſaurizare*] Lucæ XII, 21. & Iacobi V. 3.

ὅπου σὴς καὶ βρῶσις ἀφανίζει, ubi ærugo & tinea demolitur] Hebræi אכל, quod Græco βρώσκειν [*comedere*] reſpondet, uſurpant de quavis conſumtione, etiam per ignem aut gladium. Hinc factum ut id præcipuè quod rem intus depaſcitur diceretur אכלה, quod hîc poſuit Syrus, id eſt, βρῶσις [*adeſio*]· unde σητόβρωτα *quæ à tineis depaſcuntur* Iacobi V, 2. Hoc verò loco cum σὴς [*tinea*] ſpecialiter nominetur, generis vox ad omnes alias ejuſdem generis ſpecies referenda eſt, ut id quod Græci ἰὸν, Latini pro materiæ diverſitate *æruginem*, aut *ferruginem* vocant. Nam quod σὴς eſt in veſtibus hoc ἰὸς ſive βρῶσις eſt in metallis: unde iſta frequenter conjungi ſolent, ut apud Menandrum,

Καὶ πάντα τὰ λυμαινόμεν' ἔνεστιν ἔνδοθεν,
Οἷον ὁ μὲν ἰὸς τὸν σίδηρον ἂν σκοπῇς,
Τὸ δ' ἱμάτιον οἱ σῆτες, ἡ δὲ θρὶψ ξύλον.
[*Et rei cujuſque pernicies intus latet:*
Hoc eſt ferrugo ferro, ſi conſideres,
Ligno teredo, tineæque veſtibus.]

Quin & ipſe Iacobus Apoſtolus haud dubiè hæc Chriſti verba reſpiciens τὰ ἱμάτια ὑμῶν σητόβρωτα γέγονεν· ὁ χρυσὸς ὑμῶν καὶ ὁ ἄργυρος κατίωται [*veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt: aurum & argentum veſtrum æruginavit*], dicto capite V, 2, 3. ἀφανίζειν [*demoliri*] hîc eſt quod Menandro λυμαίνεσθαι, Lucæ διαφθείρειν.

καὶ ὅπου κλέπται διορύσσουσι καὶ κλέπτουσιν· & ubi fures effodiunt & furantur] Simili argumento Martialis homines ad liberalitatem invitat: nam cùm enumeraſſet caſus quibus ſubjecta eſſe ſolent quæ poſſidemus, atque inter cætera dixiſſet quod huic loco apprimè convenit,

Callidus effractâ nummos fur auferet arcâ,

tandem concludit,

Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

In Menandri etiam Dyſcolo filius patrem ad beneficentiam hortatur ex eadem poſſeſſionum inſtabilitate,

Περὶ χρημάτων λαλεῖς, ἀβεβαίου πράγματος.
Εἰ μὲν γὰρ οἶσθα ταῦτα παραμένοντά σοι
Εἰς πάντα τὸν χρόνον, φύλαττε μηδενὶ
Ἄλλῳ μεταδιδούς· αὐτὸς ὢν δὲ κύριος.
Εἰ μηδ' ἑαυτοῦ, τῆς τύχης ἅπαντ' ἔχεις,
Τί ἂν φθονοίης, ὦ πάτερ, τούτων τινί;
Αὐτὴ γὰρ ἄλλῳ τυχὸν ἀναξίῳ τινὶ
Παρελομένη σου πάντα προσθήσει πάλιν.
Διόπερ ἐγώ σε φημὶ δεῖν, ὅσον χρόνον
Εἶ κύριος, χρῆσθαί σε γενναίως, πάτερ,
Αὐτὸν ἐπικουρεῖν πᾶσιν, εὐπόρους ποιεῖν
Ὡς ἂν δύνῃ πλείστους διὰ σαυτοῦ τῶν φίλων.
[*Divitias mihi commemoras, rem fluxa fide:*
Quas ſi perennaturas es certus tibi,
Non intercedo quò minùs cuſtodias,
Nec quicquam partiaris. ſin nec tui
Es ipſe dominus, quæque habes ſibi vindicat
Fortuna, cur iſta aliis invideas, pater?
Atque illa, ut levis eſt, jam tuis pecuniis
Indigniorem fortè munerabitur.
Quare, me ſi audis, dum te pro domino geris,
Mi pater, uteris illis liberaliter,
Opem feres pauperibus, & quantos potes
Amicos opulentabis ex opibus tuis.
Laus hæc perpetua, & ſiquid eveniat ſecus,
Idem exſpectabis quod tute antè feceris.]

Adde quæ jam ex Xenophonte adferemus. Rabirius dixit, *Hoc habeo, quodcunque dedi.* Seneca De vita beata, *Nihil magis poſſidere me credam quàm bene donata.*

20. Θησαυρίζετε δὲ ὑμῖν θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ, *Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo*] Οὐρανὸν [*cælum*] hîc & aliis aliquot in locis dixit quod frequentiùs οὐρανοὺς [*cælos*]. Senſus eſt, *apud Deum*: quomodo baptiſma Iohannis dicitur fuiſſe ἐξ οὐρανοῦ [*ex cælo*], id eſt, à Deo, Lucæ xx, 4. Penu autem iſtud quod Chriſtus recondi jubet ſunt opera bona, ut Paulus interpretatur 1 Timoth. vi, 17, 18. ut quæ Deus in memoria ſua aſſervet olim nobis profutura, ut ibidem à Paulo exponitur. Inter hæc autem bona opera eximium quendam locum obtinent benefacta in pauperes, quæ peculiariter θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ [*theſaurum in cælo*] Chriſtus vocat Lucæ xviii, 22. ſed & Tobiæ Scriptor: ut appareat & hoc ex veteribus eſſe dictis Hebræorum. Eſt autem locus planè huic ſimilis apud Xenophontem De Cyri inſtitutione libro ultimo, ubi Cyrus ait longè alios à ſe theſauros comparari quàm à cæteris Regibus, tales nempe qui non marceſcant, niſi quod ille hæc ad hujus vitæ præſidia, non ad vitam meliorem refert. Verba ſunt, Ὁρᾷς, ὦ Κροῖσε, ὡς εἰσὶ καὶ ἐμοὶ θησαυροί· ἀλλὰ σὺ μὲν κελεύεις με παρ' ἐμοὶ αὐτοὺς συλλέγοντα φθονεῖσθαί τε δι' αὐτοὺς καὶ μισεῖσθαι, καὶ φύλακας αὐτοῖς ἐφιστάντα μισθοφόρους, τούτοις πιστεύειν· ἐγὼ δὲ τοὺς φίλους πλουσίους ποιῶν, τούτους μοι νομίζω θησαυροὺς, καὶ φύλακας ἅμα ἐμοῦ τε καὶ τῶν ἡμετέρων ἀγαθῶν πιστοτέρους εἶναι, ἢ εἰ φρουροὺς μισθοφόρους ἐπεστησάμην [*Vides, Cræſe, eſſe & mihi theſauros. Tu verò ſuades ut eos apud me coacervans invidiam in me & odium accerſam, & cuſtodibus appoſitis conductitiis eos committam: Ego verò amicos ditans, hos mihi theſauros exiſtimo, & fidos magis ad mea meorumque bona cuſtodienda quàm ii quos mercede conducerem*]. Mox, Ἐγὼ δὲ ὑπηρετῶ μὲν τοῖς θεοῖς, καὶ ὀρέγομαι ἀεὶ πλειόνων· ἐπειδὰν δὲ κτήσωμαι ἃ ἂν ἴδω περιττὰ ὄντα τῶν ἐμοὶ ἀρκούντων, τούτοις τάς τ' ἐνδείας τῶν φίλων ἐξαρκοῦμαι, καὶ πλουτίζων καὶ εὐεργετῶν ἀνθρώπους εὔνοιαν ἐξ αὐτῶν κτῶμαι καὶ φιλίαν, καὶ ἐκ τούτων καρποῦμαι ἀσφάλειαν καὶ εὔκλειαν, ἃ οὔτε κατασήπεται οὔτε ὑπερπληροῦντα λυμαίνεται [*Ego verò Deis quidem inſervio, & majora in id expeto; quæ aſſecutus ubi ea ſuperare video id quod mihi ſatis eſt, inde amicorum neceſſitatibus ſubvenio, & hominibus bene faciendo eoſque ditando benevolentiam & amicitias mihi acquiro: & ex his conſequor vitam tutam & laudem, quæ neque putreſcunt neque ſui abundantiâ corrumpuntur*]. Locutio huic noſtræ non diſſimilis apud Philoſtratum de Herode Sophiſta, ἐθησαύριζε τὸν πλοῦτον ἐν ταῖς τῶν μετεχόντων αὐτῷ γνώμαις [*divitiarum theſaurum reponebat in animis eorum quos reddebat participes*].

21. Ὅπου γάρ ἐστιν ὁ θησαυρὸς ὑμῶν, ἐκεῖ ἔσται καὶ ἡ καρδία ὑμῶν. *Vbi enim eſt theſaurus veſter, ibi erit & cor veſtrum*] Καρδία [*cor*], id eſt, νοῦς [*animus*], ut Iuſtinus hunc locum profert Apologetico II. Veriſſimam eſſe hanc ſententiam oſtendit Aulularia Plauti. Diligenter aſſervare ea demum ſolemus quæ magni facimus. Hoc ergo vult Chriſtus, Prout de rebus judicamus, ita nos erga eas affici. Si in divitiis poſitam credimus felicitatem, futurum ut nihil prævertamus conquirendæ pecuniæ ſtudio; ſin veram virtutem ſolidum credimus bonum, ei nos omnem daturos operam. Et ſanè verum eſt, quod Philoſophi etiam docent, ex decretis in animo conceptis ſequi τὰς ὁρμὰς καὶ τὰς ἐκκλίσεις [*impetus & fugas*]. Epictetus, ut ſolet, nervosè, Ὅπου τὸ συμφέρον ἐκεῖ καὶ τὸ εὐσεβές [*Vbi utilitas, eò fertur veneratio*]. Vnde etiam monent ſollicitos nos eſſe debere ut diſcamus rem quamque ſuo pretio æſtimare. Bene ergo Horatius,

——— *quod magis ad nos*
Pertinet, & neſcire malum eſt agitamus, utrúmne
Divitiis homines, an ſint virtute beati.

atque alibi avaritiæ Staberii hanc cauſam adfert,

——— *quoad vixit credidit ingens*
Pauperiem vitium, & cavit nihil acriùs, ut ſi
Fortè minùs locuples uno quadrante periret,
Ipſe videretur ſibi nequior.

Neque tamen excuſanda ſunt vitia, quia ex corruptis judiciis naſcuntur: nam ut rectè dicit Hierocles, τὰ δεικνύμενα ὑπὸ τοῦ Θεοῦ οἱ πολλοὶ οὐχ ὁρῶσι, διὰ τὸ μὴ ὀρθῶς χρῆσθαι ταῖς κοιναῖς ἐννοίαις ἃς προσέφυσεν ὁ δημιουργὸς τῷ λογικῷ γένει πρὸς ἐπίγνωσιν ἑαυτοῦ [*quæ à Deo oſtenduntur multi non vident, quia non rectè utuntur communibus notitiis, quas Deus inſevit ratione utentibus ad ſui cognitionem*]. Eſt ergo noſtri officii τὸν νοῦν προσέχειν [*diligenter attendere*], & pravas illas judicationes aut non admittere, aut admiſſas ejicere; quam ad rem datæ nobis ſunt illæ κοιναὶ ἔννοιαι [*communes notitiæ*] ſive προλήψεις [*anticipationes*], ut ad earum trutinam minimè fallacem opinationum pondera examinemus, ad quas Chriſtus hîc provocat.

22. Ὁ λύχνος τοῦ σώματός ἐστιν ὁ ὀφθαλμός, *Lucerna corporis eſt oculus*] Hinc oculi φάεα Græcis, Latinis *lumina.* Comparat autem Chriſtus judicium oculis, animum corpori, ſimilitudine etiam apud Philoſophos uſitatâ. Ariſtoteles Topicorum 1, 14.

Ὡς ὄψις ἐν ὀφθαλμῷ, νοῦς ἐν ψυχῇ [*Vt viſus in oculo, ita in anima mens*]. Ariſtides, Καὶ γὰρ οὖν ἔχει τι παραπλήσιον ὁ νοῦς τῇ ὄψει· ὡς γὰρ ἐκείνη διεφθαρμένη μὲν οὐδὲν οὐδὲ τῶν πλησιαίτατα ὁρᾷ, ὑγιὴς δὲ οὖσα μέχρις οὐρανοῦ τε καὶ ἀστέρων ἐξικνεῖται, ταυτὸ δὴ τοῦτο ἡ μὲν τοῦ φρονίμου διάνοια καὶ πάντας ἀνθρώπους ἱκανὴ γίνεται διοικεῖν, ἡ δὲ τοῦ ἄφρονος οὐδὲ ἓν σῶμα τὸ ἐκείνου δύναται φυλάττειν, οὐδὲ ἕνα οἶκον [*Habet enim ſimile aliquid mens viſui; ſicut enim hic ubi corruptus eſt nihil videt etiam eorum quæ ſunt proxima, contrà ubi ſanus eſt ad cælum & ſidera pervenit: pari modo prudentis intellectus vel omnes homines rectè reget, imprudentis verò ne corpus quidem unum aut domum unam præſtet incolumem*]. Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Φῶς γάρ ἐστιν ἡ ἐντὸς ψυχή [*lux enim eſt anima interior*]. Iamblichus in Symbolis Pythagoricis, Ὁ κατὰ φρόνησιν νοῦς τῷ φωτὶ ἔοικε τῆς ψυχῆς, καὶ ἀόριστον οὖσαν αὐτὴν ὁρίζει, περιάγει τε ὥσπερ ἐκ σκότους εἰς φῶς [*Mens prædita prudentiâ velut lux eſt animæ, & eam per ſe indefinitam definit, & quaſi transfert ex tenebris in lucem*]. Proclus ad libros Platonis De Republica comparat oculis τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς ᾧ δὴ νοεῖ [*oculum illum animæ per quem anima videt*]. Galenus ſimiliter, Ὥσπερ ὀφθαλμὸς τῷ σώματι, τοιοῦτος ἐν τῇ ψυχῇ νοῦς [*Sicut in corpore oculus, ita ſe habet mens in anima*]. M. Antoninus libro XII. Ἦ τὸ μὲν τοῦ λύχνου φῶς μέχρι σβεσθῇ φαίνει, καὶ τὴν αὐγὴν οὐκ ἀποβάλλει· ἡ δὲ ἐν σοὶ ἀλήθεια καὶ δικαιοσύνη καὶ σωφροσύνη προαποσβήσεται; [*An verò lucernæ lux donec exſtinguatur lucebit, & fulgorem ſuum non amittet; quæ verò in te eſt veritas & juſtitia & modeſtia antè evaneſcet?*] Sic & de Pythagora agens Ovidius,

——— *Et quæ natura negavit*
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Sed & apud Iudæos, Philo De Mundi conditura, Ὅπερ γὰρ νοῦς ἐν ψυχῇ τοῦτ᾽ ὀφθαλμὸς ἐν σώματι [*Quod mens in anima, id in corpore oculus*]. Poſtea, τὸν ἄνθρωπον, ᾧ νοῦν ἐξαίρετον ἐδωρεῖτο (ὁ Θεὸς) ψυχῆς τινα ψυχὴν, καθάπερ κόρην ἐν ὀφθαλμῷ [*hominem dico, cui Deus eximium illud dedit mentem, quaſi animæ ipſius animam, qualis in oculo eſt pupilla*]. Clemens in Epiſtola ad Corinthios, Ἐκβλέψωμεν τοῖς ὄμμασι τῆς ψυχῆς εἰς τὸ μακρόθυμον αὐτοῦ βούλευμα [*Intueamur animi oculis in lenem ejus voluntatem*]. Chryſoſtomus in prioris ad Corinthios caput IV. oculo comparat τὸ τῆς διανοίας προορατικόν [*vim animi providam*].

ἁπλοῦς, *ſimplex*] Ἁπλοῦς eſt oculus qui non fallit, cui opponitur πονηρὸς, oculus fallax. Hebræis ille תם, hic רע.

φωτεινὸν ἔσται. *lucidum erit*] φωτεινὸν hîc valet πεφωτισμένον *illuſtratum*; ut σκοτεινὸν, ἐσκοτισμένον *tenebris involutum*. Pleræque corporis actiones ductu oculorum diriguntur: ideo corpus dicitur oculis rectè ſe habentibus illuſtrari, ægrotantibus tenebris involvi. Hierocles, Ὥσπερ γὰρ ὀφθαλμῷ λημῶντι καὶ οὐ κεκαθαρμένῳ τὰ σφόδρα φωτεινὰ ἰδεῖν οὐχ οἷόν τε, οὕτως καὶ τῇ ψυχῇ μὴ ἀρετὴν κεκτημένῃ τὸ τῆς ἀληθείας ἐνοπτρίσασθαι κάλλος [*Sicut enim oculus lippiens & impurus etiam maximè lucentia videre non poteſt, ita & anima virtute non prædita videre nequit veritatis pulchritudinem*].

23. εἰ οὖν τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ σκότος ἐστὶ, *ſi ergo lumen quod in te eſt tenebræ ſunt*] Iudicium, ut diximus, ὄψις τῆς διανοίας [*viſus animi*] Socrati in Sympoſio, ὄμμα τῆς ψυχῆς [*oculus animi*] Hierocli, ὀφθαλμοὶ τῆς διανοίας [*oculi cordis*] Paulo Epheſiorum I, 18. σκότος [*tenebræ*] autem poſitum eſt pro σκοτεινὸν [*tenebricoſum*] more Hebræo.

τὸ σκότος πόσον; *ipſæ tenebræ quantæ erunt?*] Quàm cæcos affectus neceſſe eſt ſequi judicio mentis corrupto? Præclarè Hierocles, Ἐπεὶ οὖν τὸ δεῖξαι ὁπωοῦν δύο προσώπων ἐνεργείας εἰς αὐτὸ δραμούσας ἐμφαίνει, (πῶς γὰρ ἂν δείξαις τυφλῷ, κἂν μυριάκις προσφέρῃς ὃ βούλει δεῖξαι, ἢ πῶς ἂν τῷ ὁρῶντι δείξαις μηδὲν προάγων;) ἀμφότερα οὖν παρεῖναι δεῖ, τό τε παρὰ τοῦ δεικνύντος προσαγόμενον ἀγαθὸν, καὶ τὸ παρὰ τοῦ ᾧ δείκνυται διορατικὸν ὄμμα, ἵνα ἐκεῖθεν μὲν τὸ ὁρατὸν, ἐντεῦθεν δὲ ἡ ὅρασις συνδράμῃ πρὸς τὴν τῆς δείξεως συμπλήρωσιν [*Nam oſtendere aliquid ſignificat duarum perſonarum efficacias in idem concurrentes, (quomodo enim oſtendas cæco, etiamſi millies proferas id quod velis oſtendere? aut quomodo viſu prædito homini oſtendas id quod non proferas?) utrumque igitur adeſſe oportet, tum bonum quod ab oſtendente producitur, ac præterea ejus cui fit oſtenſio præditus viſu oculus, ut illinc res viſibilis, hinc verò viſio ipſa concurrat ad oſtenſionis effectum*].

24. Οὐδεὶς δύναται δυσὶ κυρίοις δουλεύειν· *Nemo poteſt duobus dominis ſervire*] Occurrit Chriſtus, ut mos eſt ipſius, objectioni tacitæ. Facilè enim ὁ φιλάργυρος [*habendi ſtudio qui flagrat*] vitio ſuo hunc in modum patrocinetur, Fateor intendi à me animum ad divitias parandas; verùm interim nec omittam ea quæ Divini ſunt cultûs. Reſpondet Chriſtus, *Non poſſe quenquam duobus dominis ſervire; futurum enim ut aut hunc amet, illum oderit, aut certè alterum curet neglecto altero.* Intelligendum eſt hoc proverbium de dominis in ſolidum, quomodo & Iuriſconſulti dicunt non poſſe duos eſſe dominos ejuſdem rei. Sunt autem tales domini, Pietas & φιλοχρηματία [*Habendi ſtudium*]· utraque enim totum ſibi hominem poſtulat. Nam ſi ſtudia literarum & opum cupiditas in unam ſedem convenire non poſſunt, ut Iuvenalis contendit,

Quis locus ingenio: niſi cùm ſe carmine ſolo
Vexant, & dominis Cyrrhæ Niſæque feruntur
Pectora veſtra, duas non admittentia curas?
Magnæ mentis opus, nec de lodice paranda
Attonitæ.

Et Quintilianus, *Neque enim ſe bona fide in multa ſimul intendere animus totum poteſt, & quocunque reſpexerit, deſinit intueri quod propoſitum fuerat.* & alibi, *Mentem tantæ rei intentam vacare omnibus aliis etiam culpâ carentibus vitiis oportet.* Quantò minùs unus idemque homo poterit & pietati ſe quantum opus eſt impendere, & ſimul circa divitias quærendas ſervandasque perpetua ſollicitudine diſtrahi? Ælianus libro 11, cap. 27. Ἀδύνατόν ἐστι, τὸν εἰς μικρὰ οὕτω καὶ οὐδενὸς ἄξια τοσαύτην φροντίδα κατατιθέμενον, ὑπὲρ μεγάλων τινῶν σπουδάσαι· πᾶσαν γὰρ αὐτῷ τὴν διάνοιαν εἰς ἐκεῖνα ἀποτεθεῖσαν ἀνάγκη ὀλιγωρεῖν τῶν ὄντως θαυμάζεσθαι δικαίων [*Fieri non poteſt ut qui curam ponit in rebus exiguis & nihili faciendis, idem magnis ſe rebus intendat. Nam qui cogitationem ad iſta dejicit, ei neceſſe eſt negligens fiat eorum quæ digna ſunt conſideratu*]. Epictetus, Τοῦ ἑτέρου ἐπιμελούμενος τοῦ ἑτέρου ἀμελήσει πᾶσα ἀνάγκη [*Omnino neceſſe eſt ut qui alteri ſe impendit negligat alterum*]. Perſius,

——— duplici in diverſum ſcinderis hamo.
Hunccine, an hunc ſequeris? ſubeas alternus
oportet
Ancipiti obſequio dominos.

Arrianus Epicteto IV, 2. οὐδεὶς γὰρ ἐπαμφοτερίζων δύναται προκόψαι [*nemo alternans proficere poteſt*].

μαμμωνᾷ. *mammonæ*] Vocem hanc Syriacam eſſe omnes teſtantur, & oſtendit hoc etiam loco Syriaca interpretatio. Quod ſi Syriaca eſt, etiam Punica, ut nos Auguſtinus docet ſermone XXXV De verbo Domini, ubi *lucrum* interpretatur. nam Pœni Sarrâ oriundi. Idem dicit Auguſtinus De ſermone Domini in Monte libro II. Vide & Chaldæum interpretem Pſalmo XLIV, 13. Quidam & Hebræam arbitrantur, ſed corruptam ex מטמון quod eſt *theſaurus*. Id ſi verum eſt, optimè hæc cohærent cum ſuperioribus, περὶ τοῦ μὴ θησαυρίζειν [*de non theſaurizando*]. Heſychius certè μαμωνᾶν θησαυρὸν [*Mamonan, theſaurum*] interpretatur. Apud Thalmudiſtas ſæpe vox hæc occurrit: nam illis דיני ממונות ſunt *judicia pecuniarum*. Non longè abit vox Chaldæa מכמני, quam pro *theſauris* uſurpat Daniel XI, 43.

25. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Quia ſcilicet non poteſt animus ſimul in pietatis & divitiarum ſtudia intendi.

μὴ μεριμνᾶτε, *ne ſolliciti ſitis*] Vox μεριμνᾶν [*ſollicitum eſſe*] & nomen μέριμνα [*ſollicitudo* ſive *cura*] haud dubiè mediæ ſunt ſignificationis, I Corinth. VII, 32, 33, 34. II Corinth. XI, 28. Philippenſ. II, 20. Neque hîc per ſe videtur poni in partem ſequiorem, quia infrà ſequitur, Ἡ αὔριον μεριμνήσει τὰ ἑαυτῆς [*craſtinus dies ſollicitus erit ſibi ipſi*]· ſed additæ circumſtantiæ vitium denotant. Nam iſta τί φάγητε, τί πίητε, τί ἐνδύσησθε [*quid manducetis, quid bibatis, quid induamini*], ad tempus futurum referenda ſunt. Vnde apparet hoc commate & infrà commate 31 ſollicitudinem quæ modum finemque neſciat deſcribi: quo ſenſu eadem vox uſurpatur Philipp. IV, 6. & I Petri V, 7. Lucas idem vocat μετεωρίζεσθαι, hoc eſt, *ſuſpenſo eſſe animo*. Res ut intelligatur, ſciendum & hîc Chriſtum ſuo more objectionem tacitam ſolvere. Eſto enim, dicat aliquis, ut de ſupervacuis non ſit laborandum,

Ἐπεὶ τά γ' ἀρκοῦνθ' ἱκανὰ τοῖσι σώφροσι·
[*Animo modeſto quod ſat eſt, ſemper ſat eſt*;]

at eorum quæ natura deſiderat non eam habeo copiam quæ in vitam omnem poſſit ſufficere: quam ubi ſum habiturus finem faciam ſtudio habendi. Chriſtus hanc objectionem oſtendit procedere ἐξ ὀλιγοπιστίας [*ex modica fide*] infrà commate 30. quia de bonitate ac potentia Divina minùs quàm oportet magnificè ſentiamus. Nam Deum nobis & poſſe & velle proſpicere de neceſſariis, etiamſi nos, obiter tantùm curantes ea quæ præſens uſus requirit, omnem animi vim intendamus in ſtudium pietatis: quod illuſtribus argumentis fulcit. Laudat alicubi Seneca animum curioſum ad corpus pertinentium, non anxiè tamen.

τί φάγητε, καὶ τί πίητε· *quid manducetis & quid bibatis*] Aſſentior codicibus ita ſcribentibus. Græcus Poëta,

Ἐπεὶ τί δεῖ βροτοῖσι πλὴν δυοῖν μόνον,
Δήμητρος ἀκτῆς, πώματός θ' ὑδρηχόου;
[*Homini quid eſt neceſſe, præterquam duo,*
Cereale germen atque limpharum latex?]

Et Latinus,

Satis eſt populis fluviusque Ceresque.

Neque obſtat quod ſequitur τροφῆς [*victûs*] ſolius mentio. Nam eo nomine, ut & Latino *cibariorum*, potus etiam comprehenditur.

οὐχὶ ἡ ψυχὴ πλεῖόν ἐστι τῆς τροφῆς, καὶ τὸ σῶμα τοῦ ἐνδύματος; *nonne anima plus eſt quàm eſca, & corpus plus quàm veſtimentum?*] Rectè Ariſtoteles, Κρεῖττον τὸ δι' ἑαυτὸ αἱρετὸν τοῦ διὰ θάτερον [*Melius eſt quod propter ſe expetitur quàm quod propter aliud*]· & trita eſt regula, *Qui finem vult idem vult & neceſſaria ad finem.* Πλεῖον [*plus*], hoc eſt יותר, *pluris faciendum*: ψυχῆς [*animæ*] nomine hîc perſpicuum eſt vitam intelligi, σώματος voce corpus ipſum. Ad vitam ſuſtentandam cibariis opus eſt, veſtitu autem ad defendendum corpus contra cœli injurias; Deus autem eſt qui vitam & corpus nobis dedit: Quid ni igitur dare & poſſit & velit bonis quæ ad utrumque tuendum ſunt neceſſaria? Confer Philonis locum De præmiis, πλοῦτος δὲ ὁ μὲν τῆς φύσεως εὐτελής ἐστι, τροφὴ καὶ σκέπη. Τροφὴ μὲν οὖν ἄρτος καὶ ναματιαῖον ὕδωρ, ἃ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης ἀνακέχυται· σκέπης δὲ διττὸν εἶδος, τὸ μὲν ἀμπεχόνη, τὸ δ' οἰκία, διὰ τὰς ἀπὸ κρυμοῦ καὶ θάλπους παρακολουθούσας ζημίας, ὧν ἑκάτερα, εἴτις ἐθελήσειε τὴν περίεργον καὶ περιττὴν ἀφελεῖν πολυτέλειαν, εὐποριστότατον [*Divitiæ naturales quidem parabiles ſunt, victus & tegmen. Victus nempe panis & aqua de fonte, quæ ubique terrarum patent. Tegminis verò duplex genus, veſtis & habitatio ad vitanda mala quæ ab æſtu & frigore imminent: quorum utrumvis paratu facile, ſiquis ſupervacuo & inutili apparatu abſtineat*]. Ariſtides, Ἐσθῆτος γὰρ οἶμαι καὶ σκέπης καὶ τροφῆς δεόμεθα [*Veſtitu, tegmine & victu nos puto indigere*].

26. τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ, *volatilia cœli*] Ex Hebræo עוף השמים, Pſalmo CIV, 12. Lucas ſpeciem poſuit κόρακος [*corvi*], nimirum quòd id animal in volucrium genere cibi ſit avidiſſimum.

οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας, *neque congregant in horrea*] Non reprehendit hîc Chriſtus omnem συγκομιδὴν [*comportationem*], non magis quàm ſementem & meſſem; ſed argumentum eſt à majori: Si Deus volucribus proſpicit adversùs inediam, quibus non eſt ea induſtria quæ eſt hominibus, quantò magis hominibus proſpiciet? Simile eſt argumentum infrà commate 28. In Thalmudico libro Kidduſchim recitatur dictum Simeonis Eleazaridæ, *Vidiſtíne unquam beſtiam vel avem quæ tenuerit artificium aliquod? & tamen aluntur, neque difficulter.*

μᾶλλον διαφέρετε, *pluris eſtis*] Μᾶλλον hîc παρέλκει [*abundat*], ut & Marci VII, 36. II Corinth. VII, 13. Ariſtoteles αἱρετώτερον μᾶλλον [*eligibilius*] & μᾶλλον κάλλιον [*pulchrius*] dixit. Sed & apud Demoſthenem & Platonem ſimilia reperias.

27. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν μεριμνῶν δύναται προσθεῖναι ἐπὶ τὴν ἡλικίαν αὐτοῦ πῆχυν ἕνα; *Quis autem veſtrum cogitans poteſt adjicere ad ſtaturam ſuam cubitum unum?*] Argumentum eſt à minori ad majus, quod nos docet Lucas XII, 25, 26. Redit Chriſtus ad id quod dixerat περὶ ψυχῆς καὶ σώματος [*de anima & corpore*]. Hæc extra controverſiam pluris ſunt quàm menſura

corporis: parum enim refert qua quis ſit ſtatura. Quod ſi hoc quod minus eſt Deus efficit citra ſtudium noſtrum, quantò magis citra anxiam noſtram ſollicitudinem illa potiora in nobis conſervabit, ac proinde largietur quæ ad conſervationem eorum ſunt neceſſaria? Vocem ἡλικίας pro *ſtatura* reperies apud Ariſtotelem de Plantis I, 4. & Plutarchum De pueris inſtituendis, apud Lucianum de Vera narratione & de Dea Syria, apud Conſtantinum Porphyrogennetam capite De caſtro Cherſonis. Sic & Lucæ II, 52.

28. *καταμάθετε τὰ κρίνα τοῦ ἀγροῦ, conſiderate lilia agri*] Μεταβατικῶς [*tranſitivè*], ut rectè verterunt Syrus & Latinus interpres: ita καταμανθάνειν τὴν φύσιν, *naturam rerum conſiderare*, dixit Plutarchus.

29. Σολομὼν, *Solomon*] Solomonem nominat quia ejus temporibus ob longam pacem & navigationem in terras auriferas res Iudæorum fuerunt florentiſſimæ.

Ἐν πάσῃ τῇ δόξῃ αὐτοῦ, in omni gloria ſua] Id eſt, cùm auguſta ſpecie in ſolio eburno aurato ſedens (de quo vide II Paralip. IX, 17.) jura daret civibus, aut reſponſa externis. Vocatur enim illud ſolium θρόνος δόξης [*thronus gloriæ*], quò alluditur infrà XIX, 28. XXV, 31. aut etiam כסא דין [*thronus Iudicii*], id eſt, ſolium Iudicii. Moris autem erat apud omnes ferme populos ut Rex ſolio inſidens trabeâ auratâ fulgeret. Sed illam quoque trabeam Chriſtus ait pulchritudine liliorum ſuperari, quia nimirum ars nulla poteſt cum natura contendere. Simillimum huic Chriſti dicto eſt Solonis illud, qui cum Regem Crœſum in throno ſedentem conſpicatus interrogaretur, num pulchrius ullum vidiſſet ſpectaculum, Vidi, inquit, gallos ſcilicet, pavones & phaſianos: *Φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηνται καὶ μυρίῳ καλλίονι* [*ornantur enim nativâ elegantiâ & quidem multò pulchriore*]· quod ipſum facundè ad hunc locum explicant Chryſoſtomus & Hieronymus.

περιεβάλετο, coopertus eſt] Ita verti ſolet Hebræum לבש.

30. *χόρτον, fœnum*] Ita vocat ipſum lilium. Nam Hebræi τὰ φυτὰ [*plantas*] diſtribuunt in duo genera, עשב & עץ, ut videre eſt Geneſ. I, 11. Helleniſtæ cùm voces Græcas non haberent æquè latè patentes, עץ verterunt ξύλον, quo continentur arbores, frutices, & ſimilia: עשב autem aut etiam חציר, χόρτον, quod Thalmudiſtæ ſcribunt כרתי, in quo genere ſunt farra, herbæ, flores. Hoc ſenſu ita δένδρον [*arbor*] & χόρτος [*fœnum*] pariter poſita comprehendunt omnia ea quæ terrâ naſcuntur, Apocalypſeos VIII, 7. Et apud Iacobum idem vocatur ἄνθος & χόρτος [*flos & fœnum*], & conjunctim ἄνθος χόρτου [*flos fœni*] I, 10, 11. quod & apud Petrum eſt I Epiſt. I, 24. Qui loci deſumti ſunt ex eo quod eſt apud Eſaiam XL, 6. ubi in Græco eſt χόρτος [*fœnum*], in Hebræo חציר, quod, ut dixi, Thalmudiſtæ voce à Græcis acceptâ כרתי interpretantur.

σήμερον ὄντα, quod hodie eſt] Brevis duratio indicatur, ut Pſalmo XC, 5, 6.

κλίβανον, clibanum] Bene Syrus תנורא, ut Geneſeos XV, 17. Exodi VIII, 3. Levit. II, 4. XXVI, 26. Pſalmo XXI, 10. Neque enim ſolere ſemper diſtingui ſubtiliter ἰπνὸν καὶ κλίβανον [*furnum & clibanum*] rectè ab aliis eſt annotatum. Quin & Græci quidam κλίβανον exponunt κάμινον [*caminum*], ut Scholiaſtes Acharnenſium Ariſtophanis, & Hebræi quidam תנור exponunt פורני, id eſt, *furnum*, quamquam Kimchi iſtud diſtinguit. Solebant autem furni incendi non tantùm ramalibus arborum, ſed & floribus poſtquam exaruerant, quemadmodum & paleis & lolio. Vlpianus, *Lignorum appellatione in quibuſdam regionibus, ut in Ægypto, ubi arundine pro ligno utuntur, & arundines & papyrum comburitur, & herbulæ quædam vel ſpinæ vel vepres continebuntur.* Exſtat L. 55. D. de Leg. III. ubi & ſarmenta, & ſuperamenta materiarum, & vitium ſtirpes dicuntur venire *ligni* nomine, ſi voluntas non refragatur.

ὀλιγόπιστοι; modicæ fidei] קטני אמנה Hebræis etiam vocantur hi qui cùm in præſens habeant ſatis, futuri incertitudine cruciantur. Vox autem אמנה [*fides*], quam exprimit vox πίστεως, præſertim in uſu Helleniſtarum, non ſemper ſignificat perſuaſionem qua credimus vera eſſe quæ dicuntur, ſed ſæpe fiduciam quam in alicujus bonitate ac potentia ponimus, etiam ſi verba nulla interceſſerint: quæ ſignificatio hoc loco videtur amplectenda. Quanquam enim promiſſiones exſtant in Lege ad hanc rem pertinentes, non tamen inde argumentum ducit Chriſtus, ſed à manifeſtis bonitatis potentiæque Divinæ teſtimoniis.

32. Πάντα γὰρ ταῦτα τὰ ἔθνη ἐπιζητεῖ. *Hæc enim omnia Gentes inquirunt*] Πάντα [*omnia*] ſignificat copiam ſufficientem in omne tempus, & ἐπιζητεῖν [*inquirere*] vehemens quoddam ſtudium deſignat.

ὅτι χρῄζετε, quia indigetis] Opus eſſe vobis illis rebus ad vitam & valetudinem tuendam. Sunt enim hæc in genere *τῶν πως ἀναγκαίων* [*eorum quæ certo ſenſu neceſſaria ſunt*], ut loqui amant Philoſophi.

33. *Ζητεῖτε δὲ πρῶτον, Quærite ergo primùm*] Hoc agite, ut in Sacris dici ſolebat. Neque enim contentus eſt Deus aut perfunctoriâ aut dimidiatâ operâ: ſed vult in ſui cultu præcipuè nos eſſe occupatos. Nam plerique hominum

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.
[*Operosè id agimus, agere quod non eſt opus;*
At in eo quod opus eſt, opera perfunctoria eſt.]

Atqui egregiè dictum eſt à Poeta,

Nec propter vitam vivendi perdere cauſas.

A Platone autem, Ἐπιμελεῖσθαι χρὴ τοῦ σώματος ψυχῆς ἕνεκα ἁρμονίας [*Cura habenda corporis ad concentum animi*]. Nam certè, ut alter Poeta cecinit,

——— *pars hæc pretium corpore majus habet.*

Reſpicitur non obſcurè id quod eſt in hiſtoria Solomonis, cui ſapientiam optanti, & ſapientia data eſt, & ea quæ non optaverat, I Regum III, 11.

τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, καὶ τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ, Regnum Dei, & juſtitiam ejus] *Regnum Dei* ſive Regnum cœleſte, ut metam; *Iuſtitiam*, id eſt, viam qua ad Regnum perveniatur, quomodo hæ voces ſuprà ponuntur V, 20.

προστεθήσεται ὑμῖν. adjicientur vobis] Significanter admodum: nam προσθήκην Græci vocant quod & ἐπίδοσιν, πρόσδομα, ἐπίμετρον, Latini *corollarium*, *acceſsionem, auctarium, mantiſſam.* Habet quidem pietas promiſſa utriusque vitæ I Timoth. IV, 8. Marci X, 30. Sed principale eſt gloria vitæ alterius: quæ ad hanc vitam deſiderantur acceſſionis habent vicem, quapropter etiam parciùs ſolent piis contingere, quò magis illis rebus honos & pretium detrahatur. Atque adeò ipſo etiam Veteris Legis tempore, ſicut mercedis temporariæ gratiâ operantibus conſtanter Deus præſtitit eam ubertatem quam Lex pollicebatur: ita his qui Spiritûs ductu ad cœleſtem patriam anhelabant, interna magis ſolatia exhibuit quàm rerum exteriorum affluentiam, ſine ullo ipſorum damno, cùm pro vilioribus meliora acciperent, ut videre eſt Hebræor. XI. Ac ſic in illis paucis anticipata eſt ea diſpenſatio quæ poſt Chriſti adventum latiſſimè diffuſa. Vidit hîc nonnihil Plato cùm dixit, Διττὰ δὲ ἀγαθά ἐστι, τὰ μὲν ἀνθρώπινα, τὰ δὲ θεῖα, κἂν μὲν δέξηταί τις τὰ μείζονα, κέκτηται καὶ τὰ ἐλάττονα [*Duorum generum ſunt bona, Humana & Divina: ac ſi quis majora amplexus fuerit, acquirit & minora*]. Hebræorum eſt proverbium: כל המקבל עליו עול תורה מעבירים ממנו עול מלכות ועול דרך ארץ. *Qui ſuſcipit in ſe jugum Legis, tollitur ab eo jugum onerum publicorum & moleſtia quærendæ vitæ.*

34. εἰς τὴν αὔριον· *in craſtinum*] Id eſt, Nolite curam in longum promittere. Nam *craſtini* appellatione, ut diximus, futurum Hebræis continetur. Simillimum loquendi genus, quanquam in ſenſum alium, eſt apud Philetætum Comicum,

> Εἰς αὔριον δὲ μηδὲ φροντίζειν.
> [*Nec quid futurum cras ſit noſtrum eſt quærere.*]

Alludit autem hîc ἡ λέξις [*dictio*] ad id quod de Manna, nobili pignore Divinæ providentiæ, legimus Exodi XVI, 20.

κακία, *malitia*] Bene olim verſum fuerat citante Tertulliano *vexatio.* nam in Hebræo proverbio quo Chriſtus utitur eſt צרה, quod LXX θλῖψιν ſolent vertere. Sic & κακότητα pro *vexatione* ſumi docet Plutarchus libro De legendis Poetis. Græci interpretes ſæpe ita uſurpant vocem κακίας ut exprimant Hebræum רעה [*malum*], ut Amoſi III, 6. Vide, ſi placet, Chryſoſtomum Oratione adversùs eos qui dæmonibus aſſcribunt rerum humanarum regimen.

CAPVT VII.

1. Μὴ κρίνετε, *Nolite judicare*] Meliùs transfertur *judicate* quàm *condemnate*, quia Lucas cùm dixiſſet μὴ κρίνετε [*nolite judicare*] addit μὴ καταδικάζετε [*nolite condemnare*]. Apparet autem ex ſequentibus, non de qualibuscunque judiciis Chriſtum agere, ſed de iis quæ rigidè exercentur, quomodo & Iacobus ἔλεος [*miſericordiam*] opponit τῇ κρίσει [*judicio*] II, 13. Hebræi dicunt הוי דן את כל האדם לכף זכות *Iudico omnem hominem ad lancem innocentiæ.* Et de Haſidæis, *ſollicitos fuiſſe ut judicarent unumquemque lance innocentiæ, etiam ſi quem viderent peccare.*

2. ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. *remetietur vobis*] *Remenſum vobis ibitur.* Erat autem proverbium hoc quo Chriſtus ad res diverſas utitur tritum uſu Hebræorum, quod enuntiare ſolebant במדה האדם מודד בה דדין לו [*In menſione hominis metietur illi*], aut breviùs מדה כנגד מדה [*Menſio ſicut menſio*]. Sunt & qui dicant במדה שמדדת לי אמדד לך [*Qua menſura menſus es metiar tibi*]. Vtuntur & Arabes. Scholiaſtes vetus ad illud Horatii lib. I, Sat. 3. *In trutina: Idem judicium de ipſo erit, & eadem æſtimatio;* ἀλληγορικῶς. *Nam qui ignoſcit peccatis alterius, mox eandem veniam conſequetur.* Polybius ubi de Timæo agit Hiſtorico in fragmentis à Valeſio editis, Πικρὸς γὰρ γεγονὼς καὶ ἀπαραίτητος ἐπιτιμητὴς τῶν πέλας, εἰκότως ὢν καὶ ὑπὸ τῶν πλησίον αὐτὸς ἀπαραιτήτου τυγχάνοι τιμωρίας [*Cùm enim cenſor aliorum fuerit aſper & inexorabilis, meritò & ipſe ab aliis cenſuram talem feret*]. Planè autem ſtatuo de Dei judicio hîc agi, non minùs quàm apud Iacobum cùm dicit, Ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος [*Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*], II, 13. Mos nimirum erat Chriſto dicta de rebus humanis uſurpari ſolita ad Divinas transferre.

3. Τί δὲ βλέπεις τὸ κάρφος, *Quid autem vides feſtucam*] Bene videtur mihi apud Heſychium exponi κάρφος, κεραία ξύλου λεπτή [*feſtuca tenuis ligni particula*]. Septuaginta Senes טרף Geneſ. VIII, 11. vertunt κάρφος. Quod autem Chriſtus hîc explicat proverbio inter Iudæos frequentato (ut ex ipſorum quoque libris apparet) idem ferme Phryx ille fabulator intellectum voluit narratiunculâ de duabus manticis, quarum altera alienis vitiis onuſta ante oculos, altera verò noſtra ferens vitia retrò nos pendeat: unde illud dictum eſt,

> *Sed non videmus manticæ quod in tergo eſt.*

Libet hoc illuſtrare Græcorum Poetarum verſibus. Menandri eſt,

> Ἅπαντές ἐσμεν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί·
> Αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες οὐ γινώσκομεν.
> [*Alios quidem culpare ſapientes ſumus;*
> *At noſtra nos delicta non agnoſcimus.*]

Ejuſdem,

> Οὐδεὶς ἐφ' αὑτοῦ τὰ κακὰ συνορᾷ, Πάμφιλε,
> Σαφῶς· ἑτέρου δ' ἀσχημονοῦντος ὄψεται.
> [*Quicunque fœdum admittit aliquid, Pamphile,*
> *Non videt hoc ipſe; at alius ſi faxit, videt.*]

Alterius ignoti,

> Τὸ μὲν ἀλλότριον, ἄνθρωπε βασκανώτατε,
> Κακὸν ὀξυδερκεῖς, τὸ δ' ἴδιον παραβλέπεις.
> [*Alienum vitium, quæ tua eſt malignitas,*
> *Acutè cernis; at tuum prætervides.*]

Cicero Tuſculanarum tertio, *Stultitiæ proprium eſt aliorum vitia cernere, oblviviſci ſuorum.* Seneca, *Aliena vitia in oculis habemus, à tergo noſtra ſunt.* Et hæc quidem propriè pertinent ad vitia quæ nos cum aliis habemus communia, quæque in aliis ſeverè advertimus, cùm ignoſcamus nobis, ut apud Horatium Mænius. Certè, ut idem ille canit,

> *Stultus & improbus hic amor eſt dignusque notari.*

At quorundam malignitas ultrà progreditur, ut etiam quæ bonam capiunt interpretationem in peſſimam partem rapiat,

> *At nos virtutes ipſas invertimus, atque*
> *Sincerum cupimus vas incruſtare.*

Cujus κακοήθους [*pravi moris*] exempla videre eſt in eadem Satyra lib. I, III. Aut etiam, quod ulcus hîc propriè tangit Chriſtus, ad minora aliorum vitia perſpicaces, ad ſua longè majora connivent: qualis ille quem Flaccus ita objurgat,

Cùm tua prævideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum
Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius?

Et deinde ita admonet,

——— denique te ipſum
Concute; numqua tibi vitiorum inſeverit olim
Natura, aut etiam conſuetudo mala.

Hoc enim facto appariturum quàm nos dedeceat rigida illa Cenſoris perſona.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat, ignoſcat verrucis illius. æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem, reddere rurſus.

Aliter qui faciunt eos docet legem in ſe iniquam ſancire. Seneca De vita beata, *Papulas obſervantes alienas, ipſi obſiti plurimis ulceribus*. At certè, ut idem Seneca in Tragœdia dixit, æquum eſt

Det ille veniam facilè cui veniâ eſt opus.

Porrò ex Latinis quos citavimus verſiculis apparet quod hîc eſt βλέπειν, & apud Menandrum διορᾷν, rectè poſſe verti *videre* aut *cernere*.

3. οὐ κατανοεῖς; *non vides?*] Οὐ γινώσκεις [*non agnoſcis*], ut Menander loquitur; παραβλέπεις, ut alter Comicus; *prævides*, id eſt, *prætervides* Horatio.

5. Ὑποκριτά, *Hypocrita*] חנף Iobi VIII, 13.

ἔκβαλε πρῶτον, *ejice primùm*] Vetus eſt proverbium quod in Zemach David refertur ſub nomine R. Tarphon ſive Tryphonis.

καὶ τότε διαβλέψεις ἐκβαλεῖν, *& tunc videbis ejicere*] Non tantùm quia culpâ careat oportet qui paratus eſt in alterum dicere, ſed quia ſeveri iſti caſtigatores plerúmque habent ulcus in animo latens, quod obſtat quò minùs æqua lance aliorum facta examinent, ſuperbiam ſcilicet, cum contemtu aut etiam odio aliorum. Hunc morbum ubi expulerint, tum demum idonei erunt qui de aliis judicium ferant.

6. Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, *Nolite dare ſanctum canibus*] Chaldæi, Hebræi, Ægyptii vetuſtiſſimi ſapientiæ profeſſores præcepta ſua tradebant ἐν συμβόλοις [*ſub ſignis*], ut docet Clemens Alexandrinus. Pythagoras hunc morem in Græciam attulit, ſive ex Ægypto, ubi vixit aliquandiu, ſive ex Syria, unde erat magiſter ipſius Pherecydes, & ut quidam exiſtimant ipſe Pythagoras. Nam Tyrrhenum fuiſſe multi prodiderunt; alii Tyrium. Sed & Tyrrheni origine, ut diximus, Tyrii erant: & ipſe Iudæos adierat, ut complures de eo Scriptores prodiderunt. Neque verò morem tantùm præcipiendi ſed & ipſa præceptorum verba à Barbaris Philoſophis accepit Pythagoras, cujus rei magnum eſt argumentum quòd illud Τὸ πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν [*Ignem gladio ne fodias*], cujus ut Pythagorici præcepti in Numa Plutarchus meminit, totidem verbis reperitur in Gnomologico Arabum. Talia ſunt & illa, Χελιδόνα ἐν οἰκίᾳ μὴ ἔχειν. Τῆς χύτρας ἀρθείσης ἀπὸ τοῦ πυρὸς ἐν τῇ σποδῷ τύπον μὴ ἀπολιπεῖν. Ἀναστάντας ἐξ εὐνῆς συγχεῖν τὰ στρώματα. Ἐπὶ γῆς μὴ πλεῖν. Κυάμων ἀπέχειν [*Hirundinem domi ne habe. Poſtquam olla de igne ſublata eſt in cinere notam ne relinquas. Qui de lecto ſurgunt ſtratum confundant. In terra ne navigato. Abſtine à fabis*]. Ejuſdem generis & hoc eſt, Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί, μηδὲ βάλετε τοὺς μαργαρίτας ὑμῶν ἔμπροσθεν τῶν χοίρων [*Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos*]· quem ſenſum Pythagorici hoc dicto exprimebant, Σιτίον εἰς ἀμίδα μὴ ἐμβάλλειν [*Frumentum in matellam ne conjice*]. Egerat Chriſtus de temerario atque inclemente judicio, ne quis hinc ſuſpicaretur omnem etiam de rebus manifeſtiſſimis judicandi libertatem tolli, ſubjungit præceptum ad eam prudentiam pertinens quam alibi vult cum ſimplicitate conjungi. Canis in Lege animal erat adeò exſecrandum ut ne pretium quidem inde redactum conſecrare fas eſſet, & quæ erant profaniſſima canibus darentur, Exodi XXII, 31. Suem edi vetitam Moſis Lege Græcis quoque & Romanis notum erat. Conjunxit hæc duo animalia etiam Petrus II Epiſtolâ II, 21. & in quo maximè conveniant docet, nempe in projectiſſima immunditie. Quod autem in univerſum de omnibus ſapientiæ præceptis dici ſolebat apud Hebræos, id Chriſtus ſuæ ſapientiæ præceptis, præſertim interioribus applicavit, docens qua cautione ea aliis ſint impartienda, quod erat non Apoſtolorum duntaxat, ſed piorum quoque omnium officium, etſi non æquali jure ac gradu. Senſus ergo eſt, Prudentiam adhibendam; neque hæc inculcanda iis qui admoniti de apertis manifeſtiſque flagitiis in veteri tamen luto fœdarum voluptatum pergerent volutari. Nam & Chriſtus pœnitentiæ prædicationem prædicationi cœleſtis Regni voluerat antecedere. Et cùm Apoſtolos ad docendum mitteret, explorare eos juſſit in quaque urbe aut vico, ecquis ibi eſſet dignus ſermone, infrà X, 14. Non diſſimilem ſenſum habet Platonis illa cautio, Εὐλαβοῦ μέντοι μήποτε ἐκπέσῃ ταῦτα εἰς ἀνθρώπους ἀπαιδεύτους· σχεδὸν γάρ, ὡς ἐμοὶ δοκεῖ, οὐκ ἔστι τούτων πρὸς τοὺς πολλοὺς γελαστότερα ἀκούσματα [*Cave ne hæc ad homines imperitos deveniant: nam, ut mihi quidem videtur, ſermonibus his apud multos nihil magis ridiculum*]. Et illud Heracliti, Τὰ τῆς γνώσιος βάθη κρύπτειν, ἀπιστίη ἀγαθή [*Scientiæ profundum occultare, laudabilis diffidentia*]. Et Lyſidis Pythagorici in Epiſtola ad Hipparchum, Μὴ κοινὰ ποιῆσθαι τὰ σοφίας ἀγαθὰ τοῖς οὐδ' ὄναρ τὰν ψυχὰν κεκαθαρμένοις [*Ne fac ſapientiæ bona illis communia qui ne minimùm quidem animo purgati ſunt*]. De his qui contrà faciunt idem Lyſis ſic pronuntiat, ἐγκίρναντι γὰρ ἤθεσι τεταραγμένοις τε καὶ θολεροῖς θεωρήματα καὶ λόγως θείως, καθάπερ εἴ τις εἰς φρέαρ βαθὺ βορβόρω πλῆρες ἐγχέοι καθαρὸν καὶ διειδὲς ὕδωρ· τόντε γὰρ βόρβορον ἀνετάραξε καὶ τὸ ὕδωρ ἠφάνισεν [*infundunt enim moribus turbidis & lutulentis præcepta ſermonesque divinos, velut ſiquis in puteum profundum cœno plenum infundat aquam puram & limpidam: nam is & lutum commoveat & aquam perdat*]. Quod ſi accuratiùs libet diſtinguere inter canes & porcos, *canes* cum Clemente Alexandrino poterimus intelligere eos qui monitis impudenter oblatrant, quales erant Iudæi illi Antiocheni ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες [*contradicentes & blaſphemantes*], Actorum XIII, 45. qui propterea dicuntur *ſemet indignos judicaſſe vitâ æternâ*. Cujus ingenii Iudæos etiam Paulus diſertè *canes* vocat Philipp. III, 2. ac fortè iidem ſunt qui *canes* appellantur à Iohanne Apocalyp. XXII. 15.

Nam & Pſalmus XXII, commate 17. quos *canes* vocarat, interpretatur συναγωγὴν πονηρευομένων [*ſynagogam malignantium*]. *Porci* autem intelligi poterunt qui non contradicunt quidem, ſed vitæ impuritate oſtendunt quanto contemtui monita habeant. Nam hos propriè ſub porcorum imagine à Iudæis intellectos apertum fiet ad caput VIII. ſub finem. Idque diſcrimen hîc ſequitur Chryſoſtomus. Et ſanè videntur hoc diſcrimen requirere quæ ſequuntur; nam aliud eſt datum proculcare, quod porcorum eſt; aliud porrigentem morſibus petere, quod canum.

καὶ στραφέντες ῥήξωσιν ὑμᾶς. *& converſi dirumpant vos*] Plerúmque fit ut obſtinati contemtores Divinæ veritatis in ejus profeſſores, ut commodis aut gloriæ ſuæ adverſos, & diverſitate morum ſua ipſis flagitia exprobrantes, immane odium concipiant, plebemque & Poteſtates in ipſos concitent: quod in Iudæis præſertim Chriſtus ejuſque Apoſtoli experti ſunt. Talem Creſcentem Cynicum Philoſophum noverat Iuſtinus, & ab eo non vanus vates mortis ſuæ cauſas exſpectabat. Sicut autem Chriſtus horum ſolorum causâ non vult proponi ſacram doctrinam, ita neque illorum causâ eam vult reticeri. στραφέντες autem hîc eſt *commoti*, ut explicabimus infrà ad caput XVI.

7. Αἰτεῖτε, καὶ δοθήσεται ὑμῖν· *Petite, & dabitur vobis*] Diverſis modis hæc ſolent cum ſuperioribus connecti. Mihi videntur multis ſpecialibus præceptis generalia quædam ſubjungi; atque hîc tradi ratio quomodo conſequi poſſimus dona illa quæ ad inſiſtendum conſtanter hoc iter à Chriſto monſtratum ſunt neceſſaria. Nam de impetrando Spiritu ſancto hîc agi, rectè ex Luca probat Maximus Dialogo contra ἀνομοίους [*eos qui Filium Dei Deo diſſimilem dicunt*]. Idem hoc donum ſapientiæ nomine videtur Iacobus appellare I, 5. Paulus utrumque conjunxit cùm pro Epheſiis orare ſe ait *ut Deus ipſis det Spiritum ſapientiæ & revelationis ad cognitionem ipſius, mentis oculos illuſtratos ad cognoſcendum quæ ſit illa ſpes vocationis, & quæ opulentia gloriæ ejus quæ hereditario jure ſanctis datur*, Epheſ. I, 17, 18. Nimirum ſuprà dixerat Chriſtus ad affectus rectè dirigendos opus eſſe ut mentis oculi luceant. Ad hanc rem impetrari vult à nobis lumen cœleſte, idque contentis precibus.

8. ὁ ζητῶν εὑρίσκει, *qui quærit invenit*] Sophocles,

——— τὸ δὲ ζητούμενον
Ἁλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον.
[——— *quicquid quæritur*
Reperire ſpes eſt; quod nihil curas, fugit.]

Sed hîc verbis αἰτεῖν, ζητεῖν, κρούειν [*petere, quærere, pulſare*] idem denotatur, ſtudium ſcilicet precandi. Non malè Hierocles, Εὐχὴ μεθόριον τῆς παρ᾽ ἡμῖν ζητήσεως καὶ τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ δόσεως, ἐχομένη τῆς αἰτίας ἡμῶν τῆς εἴς τε τὸ εἶναι προαγούσης ἡμᾶς καὶ πρὸς τὸ εὖ εἶναι τελειούσης [*Precatio confinium eſt noſtræ quæſitionis & donationis Divinæ, cohærens cauſæ ei quæ & ad eſſe nos produxit, & ad bene eſſe perficit*].

9. Ἢ τίς ἐστιν ἐξ ὑμῶν ἄνθρωπος, *Aut quis eſt ex vobis homo*] Mirum videri poteſt quod interrogativo τίς alterum interrogativum μὴ [*numquid*] ſubjungitur. Sed notandum eſt apud Hebræos *quis* ſæpe poni non tam πευσματικῶς [*interrogativè*] quàm ὑποθετικῶς [*conditionaliter*], pro *ſi quis*, ut & infrà XII, 11. & XXIV, 45. Lucæ XI, 5 & 11. Iacobi III, 13. Sic & in Pſalmo CVII, 43. & Deuteron. XX, 8. Neque aliter interpretandum illud apud Aggæum II, 4. *Quis ex vobis reliquus qui viderit iſtam domum in gloria ſua priore?* Nemo enim videtur Zorobabelis comitum fuiſſe qui templum à Solomone conditum videre potuiſſet: ſed hoc vult Propheta, Si quis nunc veſtrum eſſet qui prius templum vidiſſet, quàm valde hoc templum præ illo ſorderet. Hujus igitur loci ſenſus eſt, *Si quis inter vos eſt quem filius panem poſcit, an lapidem ei dabit?* nam τὸ ἐὰν [*ſi*] poſt ὃς [*qui*] poſitum ſolet παρέλκειν [*abundare*], ut ſuprà cap. V, commate 19. infrà cap. X, commate 14, 42. XI, 27. XII, 36. XV, 5. XVI, 19. XVIII, 5, 19. XX, 4, 7, 26, 27. & alibi. ſed & poſt ὅσος, οὗ, ὅπου [*quantus, ubi, ubi locorum*] aliaque relativæ notationis, ut paſſim in his libris videre eſt. μὴ [*numquid*] autem interrogativum hic eſt; quo ſenſu & vox Iudaica ſed ex Græco ſermone veniens מי in Gemara & alibi. Adagium autem hoc de pane & lapide ab Hebræis ad alias etiam gentes tranſiit, ut ex Plauto apparet,

Alterâ manu fert lapidem, panem oſtentat alterâ.

11. πονηροὶ ὄντες, *cùm ſitis mali*] Deo ſcilicet comparati. Vide Iobum XV, 14, 15.

ἀγαθὰ δόματα, *bona data*] Dona Spiritus ſancti, ut ſuprà diximus. Vide Iacobi I, commate 17. & confer cum commate 5. eodem capite. Bene autem vetus interpres δόματα *data* tranſtulit. Eſt enim ea vox Latinis etiam ſubſtantiva. Gloſſarium vetus, Δόσις, *datum*. *Plenus datorum* de Deo dixit Auſonius.

12. ὅσα ἂν θέλητε, *quæ vultis ut faciant*] Cùm de precibus dixiſſet Chriſtus, jam ea addit quæ conatus noſtros excitent. Oportet enim iſta conjungi, ὅπως ὃ ἐργαζόμεθα καὶ εὐχώμεθα, καὶ ὃ εὐχόμεθα ἐνεργῶμεν [*ut quod operamur & precemur, & quod precamur operemur*], ut ex Pythagoræ diſciplina tradit Hierocles. Iubet autem Chriſtus operam nos dare ut aliis præſtemus ea quæ ratio dictat non iniquè nos ab aliis poſtulaturos: hoc autem ideo dicitur, quia plerúmque rectiùs videmus quid æquum ſit ubi nobis nihil decedit. Laberius hoc voluit,

Homo ſemper in ſe aliud fert, in alterum aliud cogitat.

Contingit autem hoc ex nimio noſtri amore. Euripides,

Ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ.
[*Quàm quiſque ſeſe plùs amat quàm cæteros!*]

Vnde illud Salluſtii, *Nemini ſuæ injuriæ leves videntur.* Atqui æquiſſimum eſt id quod idem ille Mimus dixit,

Ab alio exſpectes alteri quod feceris.

Severus Imperator narratur in ore habuiſſe nobilem hanc ſententiam à Chriſtianis aut à Iudæis acceptam, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Iſocrates ad Nicoclem, Ἃ πάσχοντες ὑφ᾽ ἑτέρων ὀργίζεσθε, ταῦτα τοῖς ἄλλοις μὴ ποιεῖτε [*Quæ ſi vobis fierent iraſcamini, ea aliis ne facite*]. Senſus idem in Appii Cæci oratione apud Halicarnaſſenſem. Non fruſtra autem adjicit Hiſtoricus *aut à Iudæis*: nam & illis in ore fuit hoc dictum, ὃ μισεῖς μηδενὶ ποιήσῃς [*Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias*], ut patet Tobiæ IV, 16. Ergò ut rectè judicemus, perſona mutanda eſt: idemque ſtatuendum in altero quod in nobis æquum ſimus exiſtimaturi.

οὗτος γάρ ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται. *hæc enim eſt Lex & Prophetæ*] Hoc eſt, *Hinc pendet Lex & Prophetæ*, ut infrà habetur XXII, 40. Per hoc Lex πληροῦται [*impletur*], ut Paulus loquitur Romanorum XIII, 8. Gal. V, 14. Hîc nimirum ſcopus eſt quem ſibi Lex proponit. nam quæ præceſſit ſententia idem planè valet illi ſententiæ, *Dilige alterum quemadmodum te diligis.* Quòd autem dicitur & hîc & apud Paulum *in hoc uno præcepto Legis & Prophetarum ſumma conſiſtere*, intelligendum eſt de Lege & monitis ſpectantibus mutua inter ſe hominum officia. Nam quæ ad Dei cultum pertinent altero præcepto comprehenduntur, ut infrà apparebit. Cùm autem de precibus dixiſſet, rectè ſubjunxit Chriſtus ea quæ diligentiam noſtram excitarent, ob hoc quoque ne otioſi Divinam opem exſpectaremus,

Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ Θεὸς ξυλλαμβάνει.
[*Et ipſe fautor eſt laboranti Deus.*]

Quod & ſequente adhortatione proſequitur.

13. στενῆς πύλης· *per anguſtam portam*] Sicut דרך plerúmque apud Hebræos, & ὁδὸς [*via*] apud Helleniſtas, ita & hîc πύλη [*porta*] vitæ inſtitutum ſignificat.

ὅτι πλατεῖα ἡ πύλη, καὶ εὐρύχωρος ἡ ὁδὸς, *quia lata porta, & ſpatioſa via eſt*] Si compares verba membri oppoſiti, videbitur τὸ πλατὺ [*latum*] opponi τῷ στενῷ [*arcto*], at τὸ εὐρύχωρον τῷ τεθλιμμένῳ [*campeſtre impedito*]. Poteſt via aliqua lata eſſe quæ non ſit εὐρύχωρος, hoc eſt, campeſtris, ſed confragoſa, nam id valet τεθλιμμένη. Puto igitur viam pietatis *anguſtam* dici, quia ſuapte natura diſplicet carni; *confragoſam* verò, quia externis impedimentis quaſi muricibus quibuſdam ſtrata eſt: ſed has moleſtias vincit conſuetudo, auxilium Spiritus (Iohan. Epiſtolâ I, cap. V, 4.) & ſpes præmii. De conſuetudine eſt Heſiodi ſententia,

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι· μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτὴν,
Καὶ τρηχὺς τὸ πρῶτον· ἐπὴν δ' εἰς ἄκρον ἵκηται,
Ῥηϊδίη δ' ἤπειτα πέλει χαλεπή περ ἐοῦσα.
[*Sudorem ante aditum virtutis dî poſuerunt;*
Et longa huc & celſa ſimul via ducit euntem,
Ardua principio, ſed ubi eſt ad culmina ventum
Incipiet molli ſeſe ſubmittere clivo.]

quam Silius imitatur, Virtutem, Prodici exemplo, ita loquentem inducens,

Ardua ſaxoſo perducit ſemita clivo,
Aſpera principio (nec enim mihi fallere mos eſt)
Proſequitur: labor ad nitendum intrare volenti.
Nec bona cenſendum quæ fors infida dediſſet,
Atque eadem rapuiſſe valet: mox celſus ab alto
Infra te cernes hominum genus.

Exſtant in eandem ſententiam verſus in catalectis quæ Virgilio ſubjungi ſolent De litera Pythagoræ. Non alienus ab hoc ſenſu eſt ille apud Plutarchum De Socratis Dæmone, Εὐρεῖαι μὲν γὰρ ἀτραποὶ βίων· ὀλίγαι δὲ δι' ἃς δαίμονες ἀνθρώπους ἄγουσιν [*Latè patent vitarum viæ; at paucæ ſunt per quas dii homines ducunt*].

πολλοί εἰσιν οἱ εἰσερχόμενοι δι' αὐτῆς. *multi ſunt qui intrant per eam*] Bias verè πλείους κακοὺς ἔφη [*plures dixit malos*]. Neque id mirum,

Ἐσθλοὶ μὲν γὰρ ἁπλῶς, παντοδαπῶς δὲ κακοί.
[*Vnica namque bonis eſt via, multa malis.*].

Vitia latè patent, & quibusvis affectibus famulantur. Pietatis unica via eſt, non cupiditatibus noſtris indulgens, ſed Divinis præceptis undique circumſepta.

14. Τί στενὴ, *Quàm anguſta*] Τί pro ὡς Helleniſtarum eſt. Nam in Pſalmo VIII, 1. ubi LXX ὡς θαυμαστὸν τὸ ὄνομά σου [*quàm admirabile nomen tuum*], alii Græci interpretes habent τί μέγα τὸ ὄνομά σου. Pſalmo XXXI, 20. ubi LXX ὡς πολὺ τὸ πλῆθος τῆς χρηστότητός σου [*quàm magna multitudo dulcedinis tuæ*], Symmachus poſuit τί πολὺ τὸ ἀγαθόν σου. Ita autem hoc loco legiſſe Græcos apparet, ita Syrum, ita Latinum interpretem. Nihil igitur mutandum. Simile dictum Philonis libro de Agricultura, αἱ δὲ φρονήσεως καὶ σωφροσύνης καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν ὁδοὶ, καὶ εἰ μὴ ἄβατοι, ἀλλά τοι πάντως ἄτριπτοι· ὀλίγος γὰρ ἀριθμός ἐστι τῶν αὐτὰς βαδιζόντων, οἳ πεφιλοσοφήκασιν ἀνόθως [*prudentiæ & temperantiæ & aliarum virtutum viæ, non quidem planè inviæ ſunt, ſed parum tritæ. Exiguus enim eſt numerus per eas incedentium, qui ſincerè philoſophantur*].

οἱ εὑρίσκοντες αὐτήν· *qui inveniunt eam*] *Qui eam aſſequuntur*, ut infrà XI, 29. Lucæ I, 30. & alibi. Quare autem non aſſequuntur? Quia de rerum finibus viiſque ad finem non rectè judicant, neque ut rectè judicare poſſint operam ponunt.

Incertè errat animus: præterpropter vitam vivitur.

Magna autem hujus rei culpa eſt penes malos magiſtros, de quibus conſequenter agit Chriſtus. Vlpianus ad Demoſthenis Orationem in Leptinen, οἱ ἀγαθοὶ ὀλίγοι ἀναγκαίως· κακοὶ γὰρ οἱ πολλοί [*boni neceſſariò pauci, quia multi mali*]. Opponitur autem hoc dictum, ut & caput VII Apocalypſeos, falſæ Iudæorum opinioni, de univerſali hominum pietate temporibus Meſſiæ.

15. ἀπὸ τῶν ψευδοπροφητῶν, *à falſis Prophetis*] Id eſt, ψευδοδιδασκάλων [*falſis Magiſtris*], ut interpretatur Petrus II, cap. II, 1. Nam Hebræis *Prophetæ* dicebantur, non tantùm præſagi futurorum, ſed & alii qui ad populum docendum procedebant, præſertim ſi mandata cœlitus data præ ſe ferrent. Qualis erat Simon, & Barjeſus quem ψευδοπροφήτην [*falſum Prophetam*] Lucas vocat Actorum XIII, 6. Hos Pſeudoprophetas Chriſtus diſtinguit à Pſeudochriſtis infrà XXIV, 5, 11, 24. qualis erat Barchochebas. Neque tamen hîc de quibusvis Pſeudoprophetis agi arbitror, ſed de iis qui ſe Chriſti ſectatores profiterentur, ob ea quæ cohærent infrà commate 21. *Falſos* autem vocat non ratione miſſionis, ut ex eodem commate 21 convincitur, ſed ob doctrinam falſam atque exitialem. Vide Petrum dicto loco.

ἐν ἐνδύμασι προβάτων, *in veſtimentis ovium*] Ἐν μηλωταῖς [*in melotis*], ut loquitur Scriptor ad Hebræos XI, 37. Namque is ferme habitus erat

Prophetarum. At Chriſtus, ut ex oppoſito membro liquet, ſub habitus nomine omnem exteriorem innocentiæ ſpeciem in vultu, verbis & operoſis ritibus vult intelligi, præſertim verò illas χρηστολογίας καὶ εὐλογίας [*dulces ſermones & benedictiones*] de quibus agit Paulus Romanorum XVI, 18. idque exemplo Zachariæ XIII, 4.

λύκοι ἅρπαγες. *lupi rapaces*] *Non enim Chriſto ſerviunt, ſed ventri*, Romanorum XVI, 18. & *pietatem quæſtui habent*, I Timoth. VI, 5. Sic & in Æſopi fabulis lupus inducitur ovina pelle obtectus.

16. Ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς· *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos*] Ex operibus iniquitatis, ut infrà dicitur 23. Atqui, dicat aliquis, jam dictum eſt pietatem ab iſtis vel maximè ſimulari. Sanè. ſed verum eſt illud Mimi,

Citò ad naturam ficta reciderunt ſuam.

Lyſias, Ὀλίγον χρόνον δύναιτ' ἄν τις πλάσασθαι τὸν τρόπον τὸν αὑτοῦ [*Ad modicum tantùm poteſt quis habere fictos mores*]. Interdum morâ aliquâ, interdum attentione ſolâ opus eſt. *Secerni*, inquit Cicero, *blandus amicus à vero, & internoſci tam poteſt adhibitâ diligentiâ quàm omnia fucata & ſimulata à ſinceris & veris. Non diu proficient*, inquit Paulus; *nam inſipientia illorum manifeſta fiet. Habent enim ſpeciem pietatis, ſed vim ipſam evertunt*, II Timoth. III, 5, 9. atque ita revera *repudiant Dominum ac Redemtorem ſuum*, II Petri II, 1. Fructus eorum hi eſſe ſolent, quòd perpeſſiones defugiunt; allectant eos qui in vitiis hærent, præſertim opulentiores; quæſtiones movent nihil facientes ad profectum pietatis; libenter obtrectant aliis, præſertim in dignitate poſitis, ut eâ libertatis ſpecie ſe apud populum jactent: & ad iſtas res dogmata ſua accommodant, ut videre eſt in utraque ad Timotheum, in Iudæ Epiſtola & Petri ſecunda: atque ita oſtendunt ſe tales eſſe quales revera ſunt, faſtuoſos, odii & invidentiæ plenos, maledicos, avaros, neque tam alienos à voluptatibus quàm exiſtimari volunt, ut iiſdem locis videre eſt. Quæ ſi quis diligenter conferat cum iis quæ de Cerintho deque Nicolao, aut ſi Clementi credimus, Nicolai nomen falsò obtendentibus Gnoſticis & Carpocratitis, aliiſque primævæ veritatis adulteris apud Eccleſiaſticos Scriptores leguntur, facilè inveniet ab illis ferme omnibus ſummam religionis conſtitutam aut ἐν τῇ γνώσει [*in cognitione*] aut in ceremoniis, multa autem cum Chriſti præceptis pugnantia poſita in numero ἀδιαφόρων [*rerum mediarum*], aut certè neceſſitatem præceptorum variis obtentibus imminutam.

μήτι συλλέγουσιν, *numquid colligunt*] Et hîc activum perſonale pro paſſivo imperſonali eſt poſitum, ut ſæpe. Eſt proverbium etiam apud Arabas frequens, *Qui ſerit ſpinas, non metet cum eis uvas.*

17. τὸ δὲ σαπρὸν δένδρον, *mala autem arbor*] Σαπρὸν [*putre*] eſt באש, quod interdum ſic, interdum πονηρὸν [*malum*] vertunt Græci.

18. Οὐ δύναται δένδρον ἀγαθὸν καρποὺς πονηροὺς ποιεῖν, *Non poteſt arbor bona malos fructus facere*] Tale eſt & Menandri illud,

Οὐδεὶς πονηρὸν πρᾶγμα χρηστὸς ὢν ποιεῖ.
[*Nemo ſceleſtum facinus vir faciet bonus.*]

Propiùs etiam accedit illud M. Antonini, Ὁ μὴ θέλων τὸν φαῦλον ἁμαρτάνειν, ὅμοιος τῷ μὴ θέλοντι συκῆν ὀπὸν ἐν τοῖς σύκοις φέρειν [*Qui non vult peccare hominem vitioſum, par eſt ei qui nolit in ficu eſſe ſui generis ſuccum*]. Cauſam reddit Chriſtus infrà XII, 34. quia *ex ubertate cordis os loquatur*; quod ſimili ratione ad facta protendi debet. Philoſophi dicunt, actiones ſimiles eſſe qualitatibus: quæ omnia ut in moralibus intelligenda ſunt ἐπὶ τὸ πολὺ [*ut plerùmque*]. Hoc ergo vult Chriſtus, Si verè eſſent iſti amantes pietatis, quales haberi volunt, non talia admitterent. Hoc autem non eò perducendum ut dicantur qualitates mutari non poſſe, rectè adversùs ſui temporis ſectarios defendit Tertullianus, cujus verba abſcribam ex libro De anima, *Non dabit arbor mala fructus bonos, ſi non inſeratur: & bona malos dabit, ſi non colatur. Et lapides filii Abrahæ fient, ſi in fidem Abrahæ formentur: Et genimina viperarum fructum pœnitentiæ facient, ſi venena malignitatis exſpuerint. Hæc erit vis Divinæ gratiæ, potentior utique naturâ, habens in nobis ſubjacentem ſibi liberi arbitrii poteſtatem, quod* αὐτεξούσιον *dicitur: quæ cùm ſit & ipſa naturalis atque mutabilis, quoquò vertitur, natura convertitur.* Chryſoſtomus VII ad Romanos, Ὥσπερ οὖν ἐν τῷ εὐαγγελίῳ φησὶν, Οὐ δύναται δένδρον σαπρὸν καρποὺς καλοὺς ποιεῖν, οὐ τὴν ἀπὸ κακίας εἰς ἀρετὴν μεταβολὴν κωλύων, ἀλλὰ τὴν ἐν τῇ κακίᾳ διατριβὴν, λέγων μὴ δύνασθαι φέρειν καρποὺς καλούς· οὐ γὰρ εἶπεν, Οὐ δύναται δένδρον πονηρὸν καλὸν γενέσθαι· ἀλλ' ὅτι φέρειν καρποὺς καλοὺς οὐ δύναται μένον πονηρόν [*Sicut ergo in Euangelio dicit, Non poteſt arbor mala bonos fructus proferre, non impediens tranſitum à vitio ad virtutem, ſed hoc dicens, perſeverantiam in malo talem eſſe ut bonos fructus proferre nequeat: non enim dixit, Non poteſt arbor mala bona fieri, ſed hoc vult, dum manet mala non poſſe eam bonos proferre fructus*].

19. Πᾶν δένδρον μὴ ποιοῦν καρπὸν καλὸν ἐκκόπτεται, *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur*] Probat Baptiſtæ ſententiam ex Daniele deſumtam. Vide ſuprà III, 10.

20. ἀπὸ τῶν καρπῶν αὐτῶν ἐπιγνώσεσθε αὐτούς. *ex fructibus eorum cognoſcetis eos*] Cùm libenter homines moribus ſuis convenientia doceant, ex factis iſtiusmodi ſuſpectos ipſos habete priusquam dogmata ſua vobis inſtillent. Quales enim magiſtri ſunt tales facturi ſunt & diſcipulos.

21. Οὐ πᾶς ὁ λέγων μοι, Κύριε, Κύριε, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine*] Quanquam iſta locutio Hebræis univerſaliter negat, hîc tamen manifeſtum eſt negationem eſſe particularem; nam & qui obediunt Deo comprehenduntur in iſta univerſalitate dicentium Chriſto, *Domine, Domine*, id eſt, eorum qui ſe Chriſti ſectatores profitentur, Iohan. XIII, 13. Communis utriſque eſt profeſſio Chriſtianiſmi, ſecundùm quam ἀκροαταὶ τοῦ λόγου [*auditores verbi*] dicuntur Iacobi I, 22. at obedientia eos diſtinguit.

ποιῶν, *qui facit*] Ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ πατρὸς [*facere voluntatem Patris*] dicuntur qui ſerium habent obediendi propoſitum, nimirum οἱ πίστιν ἔχοντες οὐ νεκρὰν, ἀλλὰ δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην [*qui fidem habent non mortuam ſed operantem per dilectionem*]. Neque enim rarum eſt ut agendi verbis ſignificetur ſtudium, ſed tale quod data occaſione actuoſum eſt. Hunc locum in Apologetico ita explicat Iuſtinus, Οἳ δ' ἂν μὴ εὑρίσκωνται βιοῦντες, ὡς ἐδίδαξε, γνωριζέσθωσαν μὴ ὄντες Χριστιανοὶ, κἂν λέγωσι διὰ γλώττης τὰ τοῦ Χριστοῦ διδάγματα. οὐ γὰρ τοὺς μόνον λέγοντας, ἀλλὰ τοὺς καὶ τὰ ἔργα πράττοντας σωθήσεσθαι ἔφη [*Qui verò deprehenduntur non ita viventes ut ille juſsit, norint ſe non eſſe Chriſtianos, etiamſi memoriter recitent Chriſti documenta. Dixit enim ſalvos fore non qui dicerent tantùm, ſed qui & opere facerent*]. Idem in Colloquio cum Tryphone refutat noxiam opinionem non Iudæorum tantùm ſed & quorundam qui Chriſtiani dicerentur, οἳ λέγουσιν ὅτι κἂν ἁμαρτωλοὶ ὦσι, Θεὸν δὲ γινώσκουσιν, οὐ μὴ λογίσηται αὐτοῖς Κύριος ἁμαρτίαν [*qui dicunt etiamſi peccatores ſint, at Deum norint, Deum ipſis peccata non imputaturum*]. Bene in eandem ſententiam Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Τὸ ἀγαθοὺς ἡμᾶς εἶναι ἢ κακοὺς ὁ Θεὸς οὐκ ἐν τῇ γνώσει ἔθηκε τῶν γινωσκομένων, ἀλλ' ἐν τῇ αἱρέσει τῶν αἱρουμένων [*Vt boni ſimus vel mali Deus non in cognitione poſuit rerum noſcendarum, ſed in electione eligendarum*]. Vetuſtior his Ignatius in Epiſtola ad Magneſios, Πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι· οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ [*Oportet nos non dici tantùm ſed eſſe Chriſtianos. neque enim dici, ſed eſſe beatos facit*]. Baſilius ad Amphilochium, Ἐάν τις τὸ ὄνομα λαβὼν τοῦ χριστιανισμοῦ, ἐνυβρίζῃ τὸν Χριστὸν, οὐδὲν ὄφελος αὐτῷ ἀπὸ τῆς προσηγορίας [*Si quis nomen Chriſtianiſmi induens Chriſtum contumeliâ afficiat, nihil ipſi vocabulum proderit*]. Eandem ſententiam hunc in modum explicat & confirmat Salvianus, *Totum in id revolvitur, ut qui Chriſtiani nominis opus non agit, Chriſtianus non eſſe videatur. Nomen enim ſine actu atque officio ſuo nihil eſt. Nam ſicut ait quidam in ſcriptis ſuis, Quid eſt aliud principatus ſine meritorum ſublimitate niſi honoris titulus ſine homine, aut, quid eſt dignitas in indigno niſi ornamentum in luto? Itaque ut iiſdem verbis etiam nos utamur, quid eſt aliud ſanctum vocabulum ſine merito niſi ornamentum in luto?* & quæ porro ſequuntur initio libri iv. De providentia. Hi omnes illud εἰσελεύσεται εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν [*intrabit in Regnum cælorum*] de æterna felicitate interpretantur. Neque verò aliter eam locutionem ſumi ſolere à Scriptoribus noſtris ſuprà obſervavimus v. 20.

22. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ· *in illa die*] Refer ad præcedentia. In illa die qua intrabitur in Regnum cœleſte. ביום הוא dicunt Hebræi.

τῷ σῷ ὀνόματι, *in nomine tuo*] Hoc eſt, profitendo nos id facere ad teſtandam potentiam tuam. Ita enim in his libris paſſim ſumuntur iſta, τῷ ὀνόματι, ἐν ὀνόματι, ἐπὶ τῷ ὀνόματι [*nomine, in nomine, per nomen*]. quorum verborum explicatio petenda eſt ex Actorum locis xvi, 18. xix, 13. Miror Origenem tantum Philoſophum hoc argumento niti, ut contra Ariſtotelem probet nomina non eſſe ex inſtituto, quaſi ipſa ſyllabarum prolatio, & non potiùs Dei voluntas teſtatam facere cupientis veritatem ſyllabis expreſſam ad miraculum valeret, præſertim cùm ipſe etiam narret juxta nomen Ieſu in exorciſmis ſolitas etiam referri res geſtas Ieſu præcipuas. Cum verò, ut dixi, miracula in teſtimonium veritatis data ſint, mirum non eſt, etiam per eos fuiſſe edita qui veritatem palàm agnoſcebant, quanquam animum ad ejus obedientiam non compoſuiſſent. Interdum enim non tam ad commendandos eos per quos fiebant quàm ad convincendos ſpectatores adhibebantur: quanquam ipſa Chriſti promiſſio quæ exſtat Marci xvi, 17. præcipuè credentes, hoc eſt pœnitentiâ ductos in Chriſtum confiſos eique obedientes reſpiciebat, teſte Petro Actorum ii, 38. & v, 32. Iuſtinus martyr Apol. ii. Πιστεύοντες, μᾶλλον δὲ καὶ πεπεισμένοι, κατ' ἀξίαν τῶν πράξεων ἕκαστον τίσειν διὰ πυρὸς αἰωνίου δίκας, καὶ πρὸς ἀναλογίαν ὧν ἔλαβε δυνάμεων παρὰ Θεοῦ, τὸν λόγον ἀπαιτηθήσεσθαι [*Credentes, planéque perſuaſi, quemque pro actionum merito pænam paſſurum per ignem æternum, & rationem redditurum pro modo efficaciarum quas à Deo acceperit*]. Origenes, Ταῦτα γὰρ λεγόμενα πολλάκις τοὺς δαίμονας πεποίηκεν ἀνθρώπων χωρισθῆναι, καὶ μάλισθ' ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ διαθέσεως ὑγιοῦς καὶ πεπιστευκυίας γνησίως αὐτὰ λέγωσι. τοσοῦτον μέν γε δύναται τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ κατὰ τῶν δαιμόνων, ὡς ἔσθ' ὅτε καὶ ὑπὸ φαύλων ὀνομαζόμενον ἀνύειν [*Hæc enim enuntiata ſæpe effecere ut dæmones ab hominibus diſcederent, præcipuè ubi qui ea enuntiant id faciunt ex animo ſano & ſincerè credente. Tantum poteſt nomen Ieſu contra dæmonas ut interdum etiam à malis hominibus prolatum vim habeat*]. Quibus ſimilia ſunt apud Scriptorem Reſponſionum ad Orthodoxos quæſtione v. & in Clementis quæ dicuntur Conſtitutionibus lib. viii, cap. ii.

προεφητεύσαμεν, *prophetavimus*] Cùm hîc de factis admiratione dignis agatur, planè hîc futurorum præſagia intelligenda arbitror.

23. ὁμολογήσω αὐτοῖς, *confitebor illis*] Græci hanc vocem iſto ſenſu non uſurpant. Sed quia Hebræum ידה, quod ſæpe valet *confiteri*, latiùs patet, & quamvis publicam profeſſionem ſignificat, ideo & τὸ ὁμολογεῖν Helleniſticus uſus eouſque extendit.

οὐδέποτε ἔγνων ὑμᾶς· *nunquam novi vos*] *Nunquam vos pro meis habui*, ut Galat. iv, 9. more Hebræo, apud quos ידע [*novit*] ita ſumi ſolet: Pſalmo i, 6. ii Timoth. ii, 19. i Corinth. viii, 3.

ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν. *qui operamini iniquitatem*] Ita lxx verterunt in Pſalmo v, 6. פעלי און. Lucas vim participii rectè vertit per verbale ἐργάται τῆς ἀδικίας [*operarii iniquitatis*]. Vtitur autem hoc Chriſti dicto Paulus, dicto jam ad Timotheum loco, ex oppoſito, hoc modo, Ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ· καὶ ἀποστήτω ἀπὸ ἀδικίας πᾶς ὁ ὀνομάζων τὸ ὄνομα Κυρίου [*Cognovit Dominus qui ſunt ejus: & diſcedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Domini*].

24. ὅστις ἀκούει μου τοὺς λόγους τούτους, *qui audit verba mea hæc*] Sicut modò oſtendebamus ex Iacobo ἀκροατὰς [*auditores*] dici eos qui Chriſtianiſmum profiterentur, ita hîc verbo ἀκούειν [*audire*] tota profeſſio deſignatur.

καὶ ποιεῖ αὐτοὺς, *& facit ea*] Ποιεῖν [*facere*], ut modò diximus, propoſitum agendi ſignificat. Atque hîc notandum eſt diſcrimen aſſenſionis contemplativæ tantùm, & aſſenſionis activæ. Nam ut aſſenſio fiat activa hæc tria requiruntur: primùm, ut diligenter conſideretur quæ ſit via à Chriſto præſcripta, quæque difficultates internæ atque externæ eam comitentur; deinde, ut attentè itidem expendatur magnitudo æternæ ejus gloriæ quam Chriſtus promittit; tertiò, ut bene infigatur animo certa connexio viæ iſtius cum meta, & metæ cum via, nempe ut conſtet fieri non poſſe quin iſthac eò veniatur, nec aliâ eundo eódem poſſe perveniri. His bene perceptis atque meditatis, flectitur voluntas in obedientiam intellectæ veritatis, unde inſurgit in animo dilectio, quæ radicis & fundamenti vicem præſtat, Epheſiorum III, 17. Confer quæ infrà ſunt capite XIII. & Lucæ XIV, 28. Hæc eſt quæ adversùs blanditias voluptatum, formidinem doloris, paupertatis, exſilii, ignominiæ, mortis denique, & novam falſi magiſterii diſciplinam, aſſenſionem illam priorem & contemplativam, ejusque profeſſionem inconcuſſam retinet. Contrà qui rebus non bene expenſis neque jacto tali fundamento veracem doctrinam intellectu atque etiam profeſſione approbant, peccandi illecebris, metu imminentis mali, novitatis lenocinio facilè eò adducuntur ut quod lubidini ſuæ adverſatur malint non eſſe verum, & quovis modo quærentes effugium dubitent primùm, paulatim labaſcant & à profeſſione deficiant. Conſequens enim eſt docente Paulo I Timoth. I, 19. ut qui bonam conſcientiam aut non acquirunt aut non conſervant, etiam fidei naufragium faciant. Bonæ autem conſcientiæ comitem antè dederat dilectionem ſinceri cordis commate 5. Eſt autem ſimilis ædificii comparatio apud Philonem libro de Caino, Οἶκον μὲν οὖν ἐπίγειον τὴν ἀόρατον ψυχὴν τοῦ ἀοράτου Θεοῦ λέγοντες ἐνδίκως καὶ κατὰ νόμον φήσομεν· ἵνα δὲ βέβαιος καὶ περικαλλέστατος εἴη ὁ οἶκος, θεμέλιοι μὲν ὑποβεβλήσθωσαν εὐφυΐα καὶ διδασκαλία· ἀρεταὶ δὲ μετὰ καλῶν πράξεων ἐποικοδομήσθωσαν αὐτῷ. [*Verè igitur & ſecundùm Legem loquemur, ſi dicamus inviſibilem animam Dei inviſibilis eſſe terreſtre domicilium. Vt verò hoc domicilium ſit quàm firmiſſimum atque pulcherrimum, fundamenta ei ſubſtruentur bona indoles & inſtitutio. Ei autem ſuperſtruantur virtutes & pulchræ actiones*]. Senſus ferme idem in dicto Hebræorum, *Cujus ſcientia major eſt quàm opera ſimilis eſt arbori cujus rami multi ſunt, radices paucæ; in quam irruens ventus evellit eam radicitus & ſubvertit.* Accedit illud Plutarchi Sertorio, Ἀρετὴν εἰλικρινῆ καὶ κατὰ λόγον συνεστῶσαν, οὐκ ἄν ποτε δοκῇ τύχη τις ἐκστῆσαι πρὸς τοὐναντίον [*Sinceram virtutem atque conſilio firmatam nulla unquam fortuna videtur in contrarium deflectere poſſe*].

25. τεθεμελίωτο, *fundata enim erat*] Ita hæc vox exſtat in omnibus codicibus, cùm uſus poſtularet ἐτεθεμελίωτο. Sic & apud Ioſephum aliquoties invenies πεποιήκει.

ἐπὶ τὴν πέτραν. *ſuper petram*] Subſtrato ſolo ſaxeo cui ſuperficies incumbat. Nam ut arces intelligamus in rupibus poſitas non ſatis patitur id quod ſequitur de fluminis impetu. Oppoſitum eſt in *arena ædificare*, etiam Latino proverbio tritum.

27. ἦλθον οἱ ποταμοί, *venerunt flumina*] Inundatio in Pſalmis ſæpe res adverſas ſignificat: quod & βάπτισμα [*baptiſma*] infrà vocatur XX, 22. Sic & Eſaiæ LIX, 19. hoſtilis adventus *fluvio* comparatur. Et eidem Deus dicitur *protectio contra inundationem* XXV, 4.

καὶ ἔπνευσαν οἱ ἄνεμοι, *& flaverunt venti*] Compara Danielem VII, 2. Chriſtus contra fluvios & ventos firmum præſidium, Eſaiæ XXXII, 2.

29. ὡς ἐξουσίαν ἔχων, *ſicut poteſtatem habens*] Manifeſtum eſt ex eo quod ſequitur, non Prophetis vetuſtis Chriſtum comparari, quos plebs illa nunquam loquentes audierat, ſed Legiſperitis quos quotidie audiebant Legem interpretantes. Legiſperiti omni efficacia miraculorum deſtituti, ne ipſi quidem aliud quàm doctrinam humanæ inſtitutionis præ ſe ferebant, laudantes ſententiarum ſuarum auctores alii Sameam, alii Hillelem, alii alios: Chriſtus contrà ea majeſtate loquebatur, qua ſolebant qui à Deo præfinita mandata acceperant, ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως [*in oſtenſione ſpiritus & virtutis*], ut loquitur Paulus. Atque hoc ipſum novum jam & inſolitum erat, quando jam aliquot à ſeculis Prophetia, certè illa quæ erat ordinaria & quaſi publica, deſierat. Solent annotare Iudæi ad Eſdræ tempora, *Hactenus Prophetæ, deinceps viri eruditi*, החכמים. Nam hoc erat vice ἐποχῆς [*notæ temporum*]. Hinc I Maccabæorum IX, 27. Καὶ ἐγένετο θλίψις μεγάλη ἐν τῷ Ἰσραὴλ ἥτις οὐκ ἐγένετο ἀφ' ἧς ἡμέρας οὐκ ὤφθη προφήτης αὐτοῖς [*Et facta eſt tribulatio magna in Iſrael, qualis non fuit ex die qua non eſt viſus Propheta in Iſrael*]. Et ſi quid erat difficilioris controverſiæ id indefinitum relinquebant μέχρι τοῦ παραγενηθῆναι προφήτην [*quoadusque veniret Propheta*], ut videre eſt I Maccabæorum IV, 46. quod eodem libro XIV, 41. dicitur ἕως τοῦ ἀναστῆναι προφήτην πιστόν [*donec ſurgat Propheta fidelis*]. Hoc igitur eſt quod narrat Lucas VII, 16. dixiſſe populum, *Magnus Propheta inter nos excitatus eſt, & inviſit Deus populum ſuum.* Atque hinc apparet ἐξουσίαν hîc ſignificare *jus ac poteſtatem extraordinariam.* Vide infrà XXI, 23. Marci XI, 28. Lucæ XX, 2. Huic autem ἐξουσίᾳ [*poteſtati*] appoſitè aliquot locis additur δύναμις [*virtus*] tanquam nota τῆς ἐξουσίας [*poteſtatis*] Lucæ IV, 36. IX, 1. Iuſtinus martyr Apologetico II de Chriſto, Οὐ γὰρ σοφιστὴς ὑπῆρχεν, ἀλλὰ δύναμις Θεοῦ ὁ λόγος αὐτοῦ ἦν [*Non enim declamator erat, ſed ſermo ejus erat virtus Dei*]. Hæc explicatio loci Pſalmo XLV, 4.

CAPVT VIII.

2. Προσεκύνει αὐτῷ, *adorabat eum*] Projecto in terram corpore, ut Lucas explicat V, 12. Ita autem procidit ut genua Chriſti contingeret, quod eſt γονυπετῶν [*genua amplectens*] apud Marcum, non autem flexis genibus, ut quidam interpretantur, quæ minor erat venerandi ſpecies. Sic & quod infrà Matthæi interpres dixit προσκυνεῖν [*adorare*] IX, 18. Marcus & Lucas dixerunt πίπτειν πρὸς πόδας [*procidere ad pedes*]. Alibi quod hîc noſter προσκυνεῖν [*adorare*] dixit, Lucas exponit πίπτειν ἐπὶ πρόσωπον [*procidere in faciem*]. Videtur omnino vitilitigioſus iſte magnum aliquid & eximium de Ieſu animo concepiſſe, nimirum liberrimam ſanandi poteſtatem. Sed an hunc eſſe promiſſum Meſſiam crediderit, dubitari poteſt, cùm ipſe Ieſus id nondum palàm eſſet profeſſus neque is rumor in vulgus manaſſet.

Κύριε, *Domine*] Moris erat Iudæis hoc modo quemvis etiam ignotum appellare, Iohan. XX, 15.

ἐὰν θέλῃς, δύνασαί με καθαρίσαι, *ſi vis, potes me mundare*] Perſuaſio de potentia Dei initium eſſe ſolet pietatis. Nam hinc fit ut *ad Deum accedamus*, Hebræorum XI, 6. & ſi quid promiſit ei habeamus fidem, quantúmvis difficillimum videatur id quod promiſſio continet, Romanorum IV, 21. Hebræor. XI, 19. Sic etiam Chriſtianæ religionis principium eſt confidere Dei potentiæ in Chriſto, per quam etiam corpora noſtra ſint revictura: quod ut ſigno viſibili adumbraretur, ſanitatem corporis, alterius majoris ſanitatis imaginem, iis demum Chriſtus conferre voluit qui ipſum id poſſe confiderent. Vide quod infrà eſt IX, 28. Simul notanda hominis modeſtia, qui à Deo correptum ſe humiliter agnoſcens (morbus enim ille plerúmque à Deo in pœnam criminis alicujus, maledicentiæ præſertim, ut Numer. XII. immittebatur) nihil poſtulare apertè audet; tantùm quid Chriſtum poſſe credat teſtatur: καθαρίζειν [*mundare*] autem טהר propriè dicitur de lepra.

3. *ἥψατο αὐτοῦ, tetigit eum*] Ex hac hiſtoria, tum ex duabus aliis in quibus mortua corpora Chriſtus contigiſſe dicitur, argumentum trahunt Græci interpretes ut doceant Chriſtum non fuiſſe Legi ſubditum. Atqui Paulus diſertè dicit Chriſtum γενέσθαι ὑπὸ νόμον [*factum ſub Lege*] Galat. IV, 14. & Chriſtus ipſe, ut jam diximus, negavit veniſſe ſe in terras ut quicquam contra Legem committeret committendive auctor eſſet. Sed præterquam quòd iſtis factis immunditia quidem aliqua contrahebatur, non autem propriè peccabatur in Legem (nam alioqui nec pollincire nec condere corpora, nec ſcabiem ſanare licuiſſet), certum inſuper eſt omnia opera patrata virtute Divinâ ſemper exemta fuiſſe præceptis ritualibus, quemadmodum de lege Sabbati infrà dicemus. Nam & Eliſæus puero mortuo incubuit ut vitam ei reſtitueret, II Regum IV, 34. neque eo facto quicquam admiſit Legi contrarium. Contactus autem iſte maximi erat uſus, ut appareret neque fortuitò redditam ſanitatem, neque virtutem eam aliunde quàm ab ipſo Ieſu profectam.

καθαρίσθητι. mundare] Actiones imperare etiam homines ſolent: at res ſolo imperio effectas dare verè Divinum eſt. Ideo Chriſtus ad miracula uſus ſæpe eſt vocibus imperandi paſſivis. Nam & Moſes creationem ita deſcripſerat, *Et dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux:* quibus in verbis majeſtatem eſſe miram & σεμνότητα τοῦ λόγου rectè animadvertit paganus homo Longinus Rhetor cujus hæc ſunt verba, Ταύτῃ καὶ ὁ Ἰουδαίων θεσμοθέτης οὐχ ὁ τυχὼν ἀνὴρ, ἐπειδὴ τὴν τοῦ Θείου δύναμιν κατ' ἀξίαν ἐγνώρισε κἀξέφηνεν, εὐθὺς ἐν τῇ εἰσβολῇ γράψας τῶν νόμων, Εἶπεν ὁ Θεὸς, φησί, τί; Γενέσθω φῶς· καὶ ἐγένετο· Γενέσθω γῆ· καὶ ἐγένετο [*Sic & is qui Iudæis leges ſcripſit, homo minimè vulgaris; nam is Dei potentiam dignè ſignificavit & oſtendit cùm in principio legum ſcripſit, Dixit Deus; quid vero? Fiat, inquit, Lux: & facta eſt. Fiat Terra: & facta eſt*].

4. Ὅρα μηδενὶ εἴπῃς· *Vide nemini dixeris*] Diverſæ cauſæ afferuntur indicti ſilentii. Alibi non nego modeſtiæ exemplum nobis à Chriſto datum. Sed hoc loco videtur mihi Chriſtus non diutius ſilentium imperaſſe quàm dum ſe ille ſtitiſſet Sacerdoti explorandum, ne ſi antè ad Sacerdotes perveniſſet rumor ab Ieſu hoc eſſe factum, Sacerdotes, quorum ea notio erat, invidiæ veneno tacti, hominem à ſcabie mundatum adhuc immundum pronuntiarent. Notandum enim eſt hoc miraculum in Galilæa accidiſſe, quod priora ac poſteriora indicant & apertiſſimè Marcus I, 39. Sacerdotes autem Hieroſolymis erant: quare ſanatus iſte à Chriſto juſſus eſt quantum poterat properare: id enim notant illa apud Marcum εὐθέως ἐξέβαλε [*ſtatimque ejecit illum*]· ſcilicet ne fama ipſum anteverteret. Evocandus autem erat extra portam Sacerdos, ut ibi de morbo judicaret.

τῷ ἱερεῖ, Sacerdoti] Cuivis è Sacerdotum numero cui cæteri eam provinciam delegaverant, Levitici XIII, 22. Sacerdotes autem Hebræi, non minùs quàm Ægyptiorum παστοφόροι [*palliati*], omnibus Sapientiæ partibus operam dabant; atque inter eas etiam cognoſcendæ rerum naturæ corporumque affectionibus: in qua parte qui plurimum profeciſſet, ei morbidorum inſpectio mandabatur.

τὸ δῶρον, munus] At duplex munus debebat ſcabie purgatus, primùm paſſerculos duos cum cedro, cocco & hyſſopo; deinde & agnos duos, aut ſi pauperior eſſet agnum unum cum pari turturum aut columbarum additâ ſimilâ & oleo. Sed cùm Marcus & Lucas diſertè exprimant τὸ δῶρον περὶ τοῦ καθαρισμοῦ [*munus pro emundatione*], prius illud munus hîc intelligi ſatius eſt quod dabatur ביום טהרה, id eſt, αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ τοῦ καθαρισμοῦ [*in die emundationis ſuæ*], Levitici XIV, 1, 7. cùm poſterius illud daretur octavo pòſt die, idque partim in ſacrificium ἱλαστικὸν [*pro peccato*], partim in holocauſtum.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς· in teſtimonium illis] Vt nimirum poſt id munus acceptum fateri debeant mundum te eſſe. Neque enim recipiebatur munus niſi poſt valetudinem diligenter exploratam. Ita illud μαρτύριον αὐτοῖς [*teſtimonium illis*] pro argumento quo quis convinci poſſit ſumitur infrà X, 18. Marci VI, 11. XIII, 9. Iacobi V, 3.

5. *προσῆλθεν αὐτῷ, acceſſit ad eum*] Sicut Latinè *convenire aliquem* dicimur etiam per epiſtolam, ita & προσέρχεσθαι [*accedere*] Græcè uſurpatur citra præſentiam corporis. Sic & Deo προσέρχεσθαι [Deum *adire*] dicimur Hebræorum IV, 16. VII, 25. X. 22. XI, 6. Et προσέλευσις pro libello ſupplice ſumitur. Quamquam, etiamſi proprietas vocis hac in parte non ſuffragaretur, ſufficere deberet illud in Iure receptiſſimum, *facere nos & quod per alium facimus.* Ita & infrà XI, 3. Iohannes dixiſſe dicitur quæ per diſcipulos nuntiabat. Atque ita hæc & ſequentia exponenda eſſe non dubito. Nam ut aliam credamus hiſtoriam à Luca narrari, tanta circumſtantiarum ταυτότης [*in idem concurſio*] non patitur: neque magis vero ſimile eſt poſt allegatos ad Chriſtum Seniores Iudæos & familiares alios, ipſum Centurionem veniſſe ad colloquium Chriſti, cùm eadem planè κατὰ λέξιν [*verbo tenus*] Lucas narret per amicos dicta quæ hîc adſcribuntur Centurioni, addatque cùm rediiſſent amici ut legationis ſuæ eventum renuntiarent, jam revaluiſſe ſervum. His adde quod Lucas vocem λέγων [*dicens*] eandem quæ hîc exſtat uſurpat de Centurione ea commemorans quæ verbis ipſius per alios dicebantur: Et τὸ παρακαλεῖν [*præcipere*] ipſe à Centurione allegatis tribuit, quod hîc tribuitur Centurioni. Eſt ergo hoc unum ex iis

quæ à Matthæo παχύτερον [*craſſiùs*] tradita Lucas ἀκριβέστερον [*diſtinctiùs*] exſequi voluit.

6. *παῖς μου, puer meus*] Mos veterum dura molliter efferendi. Nec Hebræi tantùm ita loquuntur, ut videre eſt 1 Samuelis XXI, 2, 5. 1 Regum XX, 15. Eſther. 11, 2. ſed & Ariſtophani παῖς & Terentio, Ciceroni, Horatio *puer* ſervum ſignificat. Sic & dominus *paterfamilias* dicebatur. Macrobius, *Noſtri majores omnem dominis invidiam, omnem ſervis contumeliam detrahentes, dominum patremfamilias, ſervos familiares appellaverunt.* Vide ſi libet Servium ad illud Maronis, *Claudite jam rivos pueri.* & Plinium in Epiſtolis. Tertullianus, *Gratius eſt pietatis nomen quàm poteſtatis: etiam familiæ magis patres quàm domini vocantur.*

βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ, jacet in domo] Βεβλῆσθαι *decumbere* interpretor, ut infrà de febricitante commate 14. & de alio cui nervi itidem reſoluti, initio capitis ſequentis. Decumbebat ergo iſte, &, quod Lucas in hac hiſtoria addidit, cum mortis periculo: quare credibile eſt παράλυσιν hîc dici non partis ſed totius corporis reſolutionem, ἀποπληξίαν ſcilicet. Nam ſuo tempore hanc etiam παράλυσιν dictam docet Celſus. Accedit quòd Medici ἀποπληξίαν vehementiorem dicunt inſanabilem: quod auget orandi cauſam & magnitudinem beneficii.

βασανιζόμενος. & malè torquetur] Vox hæc eſt, ut multæ aliæ, iſto ſenſu Helleniſtica, quam propterea ut minùs Græcam culpat Lucianus Pſeudoſophiſtâ: non autem dolorem vox iſta ſignificat, quo carent ſiderati, ſed miſeram corporis conſtitutionem.

8. *ἀποκριθεὶς, reſpondens*] Secunda legatione, quæ Chriſto jam adventanti obviam proceſſit.

ἑκατόνταρχος, Centurio] Romani in Iudæa non minùs quàm per alias Imperii ſui partes in potiſſimis urbibus milites habebant ad continendos in officio provinciales. Ioſephus de Veſpaſiano, ἐγκαθιστὰς ἑκατοντάρχους πόλεσι [*cùm Centuriones urbibus impoſuiſſet*]. Hieroſolymis major erat numerus ſub Tribuno & Centurionibus: Cæſareæ, Capharnaumi atque aliis in locis pauciores erant ſub Centurionibus, quam Romanam vocem ut vulgo notiſſimam Syrus ſervavit.

οὐκ εἰμὶ ἱκανὸς, non ſum dignus] Sciebat ſe magnam vitæ partem exegiſſe in cultu falſorum deorum & aliis mundi inquinamentis. Videbat Iudæos, in quorum gratiam etiam ſynagogam exſtrui curaverat, convictum ipſius propiorem abhorrere. His motus de ſe quàm humillimè ſentiebat.

εἰπὲ λόγον, dic verbo] Excitavit Centurionem fama tum eorum quæ fine capitis quinti narrata ſunt, tum proximè ſanatæ vitiliginis: neque enim ille ſervaverat reticentiæ Legem ut ex Marco & Luca apparet. Sed talibus narrationibus, etiamſi teſtimoniis validis nitantur, fidem nemo adhibet, niſi qui de Dei potentia rectè ſentit.

9. *Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπός εἰμι ὑπὸ ἐξουσίαν, ἔχων ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας· καὶ λέγω τούτῳ, Nam & ego homo ſum ſub poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites, & dico huic*] Hebraiſmus, εἰμὶ καὶ λέγω [*ſum & dico*] pro ὢν λέγω [*cùm ſim, dico*]. Senſus enim eſt, Καὶ γὰρ ἐγὼ ἄνθρωπος ὢν ὑπ' ἐξουσίαν, ἔχων δὲ ὑπ' ἐμαυτὸν στρατιώτας, λέγω τούτῳ. *Nam & ego cùm ſim alienæ ſubditus poteſtati, tamen militibus, in quos poteſtatem habeo, verbo quid fieri velim edico.* Simile eſt illud Pauli Roman. VI, 17. χάρις δὲ τῷ Θεῷ, ὅτι ἦτε δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας, ὑπηκούσατε δὲ ἐκ καρδίας εἰς ὃν παρεδόθητε τύπον διδαχῆς [*Gratias autem Deo, quòd fuiſtis ſervi peccati, obediſtis autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi eſtis*], pro ὅτι οἱ πρὶν ὄντες δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας ὑπηκούσατε [*quòd qui priùs fuiſtis ſervi peccati obediſtis*]. Nec aliter infrà XI, 25. & XVIII, 21. ut ibi dicemus. Nec longè aliter infrà XXIII, 15. Neque enim reprehenditur in Phariſæis quòd proſelytos faciant, ſed quòd factos corrumpant. Centurio igitur tacitè ſe alieno imperio ſubditum, nec poteſtate præditum niſi quæ eſſet ὑπάλληλος [*ſubalterna*], Chriſto comparat, quem planè ſumma ac liberrima poteſtate præditum agnoſcit. Ait autem ſe eſſe ὑπὸ ἐξουσίαν [*ſub poteſtate*], nimirum non Imperatoris tantùm & Procuratoris, ſed & Tribuni. Et propriè hîc ſumitur vox ἐξουσίας [*poteſtatis*], quomodo οἱ ἐπ' ἐξουσίας [*poteſtate præditi*] dicuntur qui aliis imperant, & tutela definitur ἐξουσία κατ' ἐλευθέρας κεφαλῆς [*poteſtas in caput liberum*]. Quod autem hîc ait Centurio ſe ſub imperio conſtitutum, in alios viciſſim imperium habere, ea de re locus eſt dignus legi in Papinii Sylvis, ——— *Vice cuncta reguntur,*

Alterniſque premunt.

Vbi & exempla ſubjicit, imitatus ut videtur Philiſcum, qui allatis itidem exemplis ita concluſerat ſententiam,

——— Πάντα δ' ἂν σκοπῇς, ὅλως
Ετέρων πέφυκε μειζόνων ἐλάττονα·
Τούτοις ἀνάγκη ταῦτα δουλεύειν ἀεί.
[——————— *juris alieni vides*
Quodcunque rerum eſt: parva ſub magnis jacent,
Aliiſque debent alia ſervitii fidem.]

προσέρχηται, καὶ προσέρχεται· veni, & venit] Citra exceptionem, ut mos habet diſciplinæ militaris, quæ non ſciſcitando imperia ſed parendo conſtat. Ideo apud Tacitum reprehenditur miles qui imperia Ducum interpretari mallet quàm exſequi.

10. *οὐδὲ ἐν τῷ Ισραὴλ τοσαύτην πίστιν εὗρον, non inveni tantam fidem in Iſrael*] Πίστις [*fides*] hoc loco firmam de Divina in Ieſu potentia animi perſuaſionem ſignificat. Hæc autem in Romano homine major fuit quàm in Iſraelitis antehac ſanatis, quia vim Divinam credebat efficacem ſatis eſſe ſine ullo contactu. Vide hiſtoriam quæ eſt II Regum IV, 30.

11. *πολλοὶ ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἥξουσι, multi ab Oriente & Occidente venient*] Senſus eſt, Quemadmodum hic ἀλλόφυλος [*extraneus*] de Divina in me potentia ſupra Iudæos perſuaſus ſanitatem corpori afflicto impetravit, ita ex Gentibus plurimi ſimili perſuaſione ad me confugientes æternam ſalutem conſequentur. Apud Lucam eſt pleniùs, ἀπὸ ἀνατολῶν καὶ δυσμῶν ἀπὸ βορρᾶ καὶ νότου [*ab Oriente & Occidente & Aquilone & Auſtro*], quomodo Græci quoque & Latini loqui ſolent quoties ſignificare volunt omnes orbis regiones: ſed & Hebræi, ut patet Eſaiæ XLIII, 5. & XI, 12. & alibi. Apertè autem reſpicit Chriſtus promiſſionem Iacobo factam Geneſ. XXVIII, 14.

ἀνακλιθήσονται μετὰ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ, *recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob*] Τὰ νοητὰ [*res intelligendæ*] deſcribi ſolent imaginibus τῶν αἰσθητῶν [*rerum ſenſibilium*]. Ita virtutes Divinæ humanis membris exprimuntur: cœleſte gaudium convivii ſpecie depingitur. Qui mos à vetuſtiſſima ætate deductus Poetis & Thalmudiſtis & Mahumeti uberem fabulandi materiam præbuit. De more diſcumbendi agemus infrà XXVI, 20. Eſt autem notanda ἔμφασις [*prægnans locutio*] in hoc verbo ἀνακλιθήσονται [*recumbent*], quaſi diceretur, Omnes Iudæi tam ſanctos ſe exiſtimant ut cum extraneo nolint cibum capere; at multi extranei cum ipſorum majoribus, quorum nomina Iudæi ſolent jactare, cibum capient, ipſis Iudæis excluſis.

12. υἱοὶ τῆς βασιλείας, *filii autem Regni*] Sicut בן מות [*filius mortis*] Hebræis eſt *mortis damnas*, υἱὸς θαλάμου [*filius thalami*] is qui in thalamum admittitur, ita *filii Regni* ſunt quibus ex Federis privilegio Regnum præ cæteris deſtinabatur, niſi ipſi ſibi obſiſterent. Vide Romanorum IX, 4.

τὸ ἐξώτερον· *exteriores*] Locorum nominibus ſtatum vitæ alterius exprimi antè diximus: quare τὸ ἐξώτερον σκότος [*tenebræ exteriores*] & hîc & infrà XXII, 13. & XXV, 30. pœnas ſignificat non quaſlibet, ſed graviores, quibus ad pleniorem notationem omnibus iiſdem locis additur *fletus* & *dentium ſtridor*. Agitur autem omnibus iſtis locis de iis quibus maximè teſtata fuit Dei voluntas, quod genus hominum duplis ſuppliciis puniendum alibi Chriſtus pronuntiat. Eſt ergo σκότος ἐξώτερον ſtatus qui longiſſimè remotus eſt à cœleſti gaudio, quod *lucis* nomine ſolet appellari. Hunc ſtatum myſticè notat Pſalmus XLIX, 20. Ioſephus ᾅδην σκοτιώτερον [*Inferos tenebricoſiores*] dixit Belli Iudaici libro III. quomodo Æſchylo & Græcorum aliis τάρταρος νέρθεν ᾅδου [*tartarus infra Inferos*]· & Statius,

> *Indeprenſa tenent nobis qui Tartara, quorum*
> *Vos eſtis ſuperi.*

Ita Salvianus alicubi monet quoſdam, *Vt ſi beati fieri poſſe deſperent, certè operam dent ne urantur, ne torqueantur, certè ne in tenebras exteriores injiciantur.* Eandem interpretationem hîc ſequitur Theophylactus.

κλαυθμὸς, *fletus*] Eſaiæ LXV, 14.

βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. *ſtridor dentium*] Ex Pſalmo CXII, 10.

13. ὕπαγε, *vade*] Hebræi cùm quod petitur concedunt ſolent dicere לך, ut I Samuelis XVII, 37. ubi LXX habent πορεύου [*vade*]. II Samuelis XIV, 8. ubi alii itidem habent πορεύου, ipſi βάδιζε. Sic ὕπαγε uſurpatur infrà Marci V, 34. VII, 29. X, 52. πορεύου apud Lucam VII, 50. VIII, 48. Iohan. IV, 50. & VIII, 11. Diximus alibi ὕπαγε [*vade*] nonnunquam averſantis eſſe. Eſt & imperantis, ut infrà XXI, 28. Marci VI, 38. XVI, 7. Has ſignificationes diſtinguebat pronuntiatio. Interdum in prima illa notione addebatur ἐν εἰρήνῃ [*in pace*], vel ſimile aliquid, ut aliquot locis jam citatis videre eſt. Neque dubium quin Syri זל, quod hîc habet interpres, ſimili modo uſurpaverint, ut non tam verbi quàm interjectionis vim haberet. Eſt eadem vox Eſdræ V, 15.

ἐπίστευσας, *credidiſti*] Quod me poſſe credidiſti, effectum habe.

ἐν τῇ ὥρᾳ ἐκείνῃ· *in illa hora*] Sic αὐτῇ τῇ ὥρᾳ vertunt LXX Danielis IV, 30. ubi in Chaldaico eſt בה שעתה *ipſo illo temporis momento*. Occurrit & infrà ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης [*ex illa hora*] ſenſu eodem XV, 28. XVII, 18.

14. εἰς τὴν οἰκίαν Πέτρου, *in domum Petri*] In quam Petrus & Andreas quoties erant Capharnaumi recipere ſe ſolebant. Credibile enim eſt ſocrûs domum fuiſſe, cùm Petrus & Andreas Bethſaidæ habuiſſent larem antequam Chriſtum ſectarentur.

17. Ὅπως πληρωθῇ, *Vt adimpleretur*] Sicut veterum res geſtæ rerum Chriſti figuram habuerunt, ita & ipſius Chriſti actiones aliæ aliis denotandis inſerviverunt. Nam beneficium corporibus redditæ ſanitatis quin figuram remiſſionis peccatorum & ſanatarum mentium tulerit, dubitari non poteſt. Bis ergo impletum eſt vaticinium; priùs, cùm Chriſtus ſemet defatigans ad veſperam uſque aliorum morbis levandis vacavit, ut hîc oſtendit Matthæus; poſteriùs, cùm crucis ſupplicium perferens remiſſionem peccatorum nobis impetravit, ut docet Petrus I Epiſtolâ II, 24. Nam eundem locum Eſaiæ à Petro reſpici docet collatio verſionis LXX, quam ferme κατὰ πόδας [*verbo tenus*] Petrus ſequitur.

ἀσθενείας, *infirmitates*] חלײנו propriè admodum LXX & Petrus ἁμαρτίας [*peccata*], reſpicientes ſenſum ſecundum ac pleniorem.

ἐβάστασεν· *portavit*] *Abſtulit* interpretatur Tertullianus. Sed eſt in hac voce, ut & in Hebræa סבל, & ei ſimili טען quam hîc Syrus poſuit, *oneris* quædam, id eſt, moleſtiæ, ſignificatio: ſicut & quod præceſſit ἀνέλαβε [*accepit*] eſt quaſi dicas *in humeros ſuſtulit*. Senſus eſt ergo, Chriſtum ut morbos hominibus demeret, nullos labores quantúmvis intempeſtivos defugiſſe. Nam quòd hîc, neque minùs apud Marcum & Lucam, tempus exprimitur *poſt ſolem occaſum*, habere ſuam ἔμφασιν [*locutionem prægnantem*] non malè à Theophylacto notatum eſt. Sed neque altera circumſtantia omittenda eſt, quòd Chriſtus inter hæc penè obliſus ſit hominum concurrentium turbâ, quod Marcus & Lucas annotandum putaverunt cùm paralytici ſanati hiſtoriam referrent. Sanè Eſaias etiam præter mortem, moleſtias ærumnaſque multas Chriſti in obeundo munere μυστικῶς [*ſub figura*] deſcribit. Eandem vim verbi סבל Paulus expreſſit cùm dixit Roman. XV, 1. τὰ ἀσθενήματα τῶν ἀδυνάτων βαστάζειν [*imbecillitates infirmorum ſublevare*], & Galat. VI, 2. Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε [*Alter alterius onera portate*]. hoc enim vult, ſublevandos alios etiam cum noſtro aliquo incommodo. Bis igitur impletum eſt Eſaiæ vaticinium etiam in Chriſto: primùm in morborum ſanatione, non ſine Chriſti moleſtia, deinde multò perfectiùs in ipſa morte quæ animi morbos ſuſtulit.

18. ἐκέλευσε ἀπελθεῖν εἰς τὸ πέραν .. *juſſit ire trans fretum*] Eſt ἔλλειψις [*dictionis defectio*] pro ἐκέλευσε πάντα ἑτοιμάσαι εἰς τὸ ἀπελθεῖν [*juſſit parari omnia ad abeundum*]. Nam in navi cùm eſſet, tum demum juſſit ſe transvehi.

19. ἀκολουθήσω σοι ὅπου ἐὰν ἀπέρχῃ. *ſequar te quocunque*

quocunque ieris] Erat hic Legiſperitus, quales plerique ejus ævi, honorum & lucri ſtudioſus: quare cùm magnam Chriſto tot miracula edenti potentiam brevi adfuturam opinaretur, ſectam ejus profiteri voluit. Sed Chriſtus paupertatem ſuam profitens, ipſum hominis ulcus tetigit.

20. Αἱ ἀλώπεκες φωλεοὺς ἔχουσι, *Vulpes foveas habent*] Eſt in hac Comparatione δεινότης [*in dicendo vehementia*] quam Plutarchus obſervat in ſimili illa Tiberii Gracchi, Τὰ μὲν θηρία τὴν Ἰταλίαν νεμόμενα καὶ φωλεὸν ἔχει, καὶ κοιταῖόν ἐστιν αὐτῶν ἑκάστῳ καὶ καταδύσεις· τοῖς δὲ ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας μαχομένοις καὶ ἀποθνήσκουσιν ἀέρος καὶ φωτὸς, ἄλλου δὲ οὐδενὸς μέτεστιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνίδρυτοι μετὰ τέκνων πλανῶνται [*Feræ quæ Italiam depaſcuntur & luſtra habent & cubilia & receptus. At iis qui pro Italia & pugnant & moriuntur patent aër & lux, præterea nihil: ſine lare, ſine certa ſede cum liberis palantur*].

κατασκηνώσεις· *nidos*] Quin vox hæc ad arborum ramos pertineat dubitaturum non puto qui loca infrà XIII, 32. Marci IV, 32. & Lucæ XIII, 19. inſpexerit.

ὁ δὲ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *filius autem hominis*] Objecerunt Chriſtianis pagani & ſectarii hanc appellationem, quaſi virginali partui contrariam: quod quomodo ſolverint veteres videre eſt apud Scriptorem Reſponſionum ad Orthodoxos. Simpliciſſimum autem erat id dicere quod Tryphoni dixit Iuſtinus, πατέρας τῶν γεννωμένων τῶν θυγατεράσιν αὐτῶν τέκνων τοὺς τῶν θηλειῶν γεννήτορας ἐπιστάμεθα. [*ſcimus feminarum genitores dici parentes eorum qui ex iis feminis nati ſunt*]. Sed cùm Chriſtus nunquam hoc modo niſi à ſe ipſo appelletur, quærenda eſt alia vocabuli hujus ratio. Sciendum igitur אדם [*hominem*] & בן אדם [*filium hominis*] Hebræis ſæpiſſime deſignare hominem contemtæ ſortis. Palàm eſt אדם [*hominem*] ita ſumi Iud. XVI, 7, 11. & Pſalmo LXXXII, 7. nec aliter בנות האדם [*filias hominis*] Geneſ. VI, 2. veteres Hebræi interpretantur, quibus opponuntur, ut eorum multi cenſent, בני האלהים [*filii Dei*], id eſt, האיתנים υἱοὶ τῶν ἡρώων, aut ut Græci poſt LXX verterunt, τῶν δυναστευόντων [*Summatum*], ut & Chaldæus vertit; quomodo decem illos primæ ætatis pios Patres appellare ſolebant Hebræi. Sic & in Pſalmo XLIX, 3. opponuntur בני אדם [*filii hominis*] iis qui ibidem dicuntur בני איש [*filii viri*], ubi בני אדם [*filios hominis*] LXX verterunt γηγενεῖς, id eſt, *ignobiles*, quos & Latini *Terræ filios* vocabant. Sic Ezechiel, Daniel, Zacharias cum Angelis verſantes appellatione *filii hominis* ſuæ fragilitatis admonentur: quo ſignificari vilitatem notatum & Iacchiadæ ad Danielis X, 16. Neque aliter בר אנש [*filius hominis*] accipiendum apud Danielem VII, 13. Dicit enim ei qui *filius hominis*, hoc eſt, contemtæ ſortis videbatur, datam eſſe Regiam poteſtatem. Deſcripſit ergo hac voce Chriſtus ſuam illam κένωσιν [*exinanitionem*] de qua agitur Philipp. II, 7. Nec aliud eſt hîc ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*filius hominis*] quàm apud Eſaiam LIII, 3. נבזה וחדל אישים [*deſpectus & noviſſimus virorum*].

οὐκ ἔχει ποῦ τὴν κεφαλὴν κλίνῃ. *non habet ubi caput reclinet*] Adeò ſe remotum à divitiore fortuna Chriſtus oſtendit ut ne domum quidem habeat propriam. Habitavit ergo Capharnaumi in conducto, aut divertit apud diſcipulos Vide ſuprà commate 14.

21. τῶν μαθητῶν, *de diſcipulis*] Philippum hunc fuiſſe docet nos Clemens Alexandrinus ex antiqua traditione.

θάψαι, *ſepelire*] Id eſt, eouſque patri adeſſe donec ei faciam ſupremum officium. Vide Tobiæ IV, 3. XIV, 12. Satis maturè poſt patris mortem putabat ſe Chriſti ſectatorem fore, & præcepta ejus hauſurum. Chriſtus oſtendit auditioni ſermonum ſuorum nihil eſſe antehabendum, ſed rapiendam ambabus manibus diſcendi occaſionem. Agi enim rem maximam, conſecutionem aut jacturam vitæ æternæ. *Etiam ſepelire patrem tardum erat fidei*, ait Tertullianus libro De Idololatria.

22. ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς. *dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos*] Chriſtus ex rebus obviis occaſionem ſumere ſolebat ſuarum ſententiarum. Ita cùm ille ab ipſo vocatus excuſaſſet ſe ſepulturæ officio, Chriſtus & Legem & Legis ſenſum ſpiritualem illi atque aliis in memoriam revocavit. Lex tum Pontifici Maximo tum Nazaræo præſcripta erat Levitici XX. & Numerorum VI. ne quantúmvis proximorum exſequiis intereſſent. Nam corpus animâ caſſum, ut Philo explicat fine τῶν ἐν εἴδει νόμων [*De legibus ſpecialibus*], ſignificat res eas omnes quæ corporales ſunt & ad animum nihil pertinent. Ab harum rerum cura abſtrahere ſe debent qui Deo inſerviunt. Iam verò Chriſtiani *ſacerdotes* vocantur & *Nazaræi*: Ad hos igitur & inter hos peculiariter ad Euangelii præcones præcipuè pertinet præceptum illud intellectum πνευματικῶς [*ſpiritualiter*]. Philo De Sacerdote, Παρ' ἣν αἰτίαν ἀμίαντος ἀεὶ διατελείτω, μὴ προσαπτόμενος νεκροῦ σώματος, ὅπως τὰς ὑπὲρ τοῦ κόσμου εὐχὰς καὶ θυσίας ἕτοιμος ὢν ἐν καιροῖς τοῖς προσήκουσιν ἀκωλύτως ἐπιτελῇ· καὶ γὰρ ἄλλως προσκεκληρωμένος Θεῷ καὶ τῆς ἱερᾶς τάξεως γενόμενος ταξίαρχος, ὀφείλει πάντων ἀλλοτριοῦσθαι τῶν ἐν γενέσει, μὴ γονέων, μὴ τέκνων, μηδὲ ἀδελφῶν εὐνοίας οὕτως ἡττώμενος, ὡς ἢ παρελθεῖν ἢ ὑπερθέσθαι (hoc eſt propriè de quo hîc agitur) τι τῶν ὄντων ὃ πραχθῆναι αὐτίκα ἄμεινον [*Eâ de cauſa maneat ſemper impollutus, non attingens corpus mortuum, ut paratus ſuis temporibus peragat preces & ſacrificia pro genere humano, nullo intercedente impedimento. Nam certè cùm Deo dicatus ſit, & ſancti ordinis princeps, debet ſeorſim ſe habere à rebus genitis: neque liberûm, neque parentum, neque fratrum amore ita vinci ut aut omittat aut differat quicquam eorum quæ quàm primùm fieri optimum eſt*]. Eſt autem in dicto hoc Chriſti docta alluſio in duplici ſignificatu vocis νεκρῶν [*mortuorum*]. Nam νεκροὶ [*mortui*] dicuntur propriè ipſa cadavera, ut in parte dicti poſteriore, per quæ tamen, ut diximus, intelligi debent res omnes ad animum non pertinentes; impropriè verò homines à vera diſciplina, quæ animi vita eſt, alieni. Ἐν γὰρ τῇ βαρβάρῳ φιλοσοφίᾳ, inquit Clemens, νεκροὺς καλοῦσι τοὺς ἐκπεσόντας τῶν δογμάτων καὶ καθυποτάξαντας τὸν νοῦν τοῖς πάθεσι τοῖς ψυχικοῖς [*In Barbarica enim Philoſophia mortuos vocant eos qui rectis placitis exciderunt, & mentem manciparunt animæ affectibus*]. Philo Θάνατον ἐκ τιμωρίας [*Pœnalem mortem*] definit, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ [*ubi anima, vitæ quæ ſecundùm*

virtutem mortua, vivit vitiis]· & alibi, οἱ ἄθλιοι τὰς ψυχὰς τεθνᾶσιν [*Miſeri mortui ſunt animos quod attinet*]. multaque in eam ſententiam occurrunt apud Hebræos & Arabas Scriptores. Hauſit hoc quoque ut alia ab Orientis Philoſophia Pythagoras, τὰς τῶν Ἰουδαίων δόξας μιμούμενος [*Iudæorum ſectans ſententias*], ut de eo ſcribebat Hermippus; ſiquidem καὶ πρὸς Ἑβραίους ἀφίκετο [*nam & ad Hebræos pervenerat*], ut de eo ex Diogene ſcribit Malchus: unde mos ortus, ut his qui cœtu Pythagoreorum eſſent ejecti cenotaphia ſtruerentur, quod Hipparcho cuidam factum legimus. Arrianus Epicteto IV, 5. Τούτου τὸ αἰδῆμον ἀπονενέκρωται [*Verecundia talis hominis emortua eſt*]. Senſus ergo verborum Chriſti eſt, Eorum eſſe curam rerum corporalium animi culturæ antevertere quibus animus hebes atque iners torperet. Sunt & aliæ leges duæ apud Moſem quæ ſignificationem aliquatenus habent ſimilem. Nam qui nec Sacerdotes eſſent, nec voto adſtricti, non vetabantur cadaver tangere; ſed ſi tetigiſſent erant ad tempus aliquod impuri & aquâ luſtrandi. Deinde Iudæi omnes vetabantur edere carnem animalis fato ſuo emortui. Cujuſmodi inſtituta etiam extra Iudaicam Rempublicam obſervare eſt. Nam prioris illius mentio eſt apud Euripidem,

> Τὰ τῆς θεοῦ δὲ μέμφομαι σοφίσματα,
> Ἥτις βροτῶν μὲν ἄν τις ἅψηται φόνου,
> Ἢ καὶ λοχείας, ἢ νεκροῦ θίγῃ χεροῖν
> Βωμῶν ἀπείργει.
> [*Mihi iſta Divæ non placet ſapientia,*
> *Quæ ſiquis ullâ cæde fœdavit manus,*
> *Vel inane corpus vel puerperium attigit,*
> *Hunc arcet aris.*]

In Chryſippi libris erat, Τὸ προελθεῖν ἀπὸ λεχοῦς ἢ θανάτου πρὸς ἱερὸν, ἀλόγως διαβέβληται [*Immeritò culpatur ire ad templum rectà à puerpera aut à mortuo*]. In Calpurnii ſententiis, *Magis religio polluitur funeſtato quàm mortuo ſacerdote*. Apud Tacitum, *Neque Imperatorem auguratu & vetuſtiſſimis ceremoniis præditum attrectare feralia debuiſſe*. Quibus locis videre eſt etiam puerperarum contactu homines impuratos; quod & Lex Moſis præſcribit, incertum an, ut alia quædam, etiam antè moribus uſurpatum: ut videri hæc poſſint à Noæ liberis profecta. Alterius teſtem habemus Hieroclem, qui inter Pythagoræ præcepta refert, Τὸ θνησιμαίων ἀπέχεσθαι [*Abſtine à morticinis*], quo avocatos ait diſcipulos ipſius à cura rerum mortalium. Meminit ejus moris & Porphyrius Epiſtolâ ad Anebonem, & Ælianus libro IV.

23. οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. *diſcipuli ejus*] Hîc quoque plures illis duodecim intelligi ſatis apparet ex commate 27.

24. σεισμὸς μέγας, *motus magnus*] סער גדול Ionæ I, 4. *Moti fluctus* Virgilio; aliis *motum mare*. Sed & *quati æquora* dicunt Poetæ.

25. σῶσον ἡμᾶς, *ſalva nos*] הושיעני Pſalmo III, 8.

26. ὀλιγόπιστοι, *modicæ fidei*] Confidere debuerant, ſe, dum Chriſtum comitabantur, in peculiari eſſe Dei tutela; quia id Divinæ bonitati erat conſentaneum. Oſtendit ergo Chriſtus δειλίαν, hoc eſt, trepidam illam formidinem quæ de ſede ſua animum dimovebat, prolem eſſe τῆς ὀλιγοπιστίας [*defectûs fidei*]. Nimirum, ut Varro olim dicebat, Deus à religioſo veretur, à ſuperſtitioſo timetur, anxio ſcilicet metu; cujus exemplum nobile habemus in illo qui ad quemvis tonitrûs ſonum abditiſſimas latebras quærebat. Contrà verum eſt quod Ariſtoteles aliovorſum tamen dixerat, habere cur forti excelſoque ſint animo qui de rebus Divinis rectè judicant.

ἐπετίμησε τοῖς ἀνέμοις, *imperavit ventis*] Figurata locutio, qualis Pſalmo CVI, 9. id eſt, ventos compeſcuit.

27. ὅτι καὶ οἱ ἄνεμοι καὶ ἡ θάλασσα ὑπακούουσιν αὐτῷ; *quia venti & mare obediunt ei*] Incipiunt majus quiddam humana magnitudine in Chriſto ſuſpicari. Nam Dei ἐπίθετον eſt in Pſal. LXV, 8. משביח שאון ימים, *compeſcens fremitum marium*. Adde Pſalmum CVII, 25.

28. τῶν Γεργεσηνῶν, *Gergeſenorum*] Ex reliquiis Chananæorum.

ἐκ τῶν μνημείων, *de monumentis*] Putat Theophylactus viguiſſe eo tempore dogma animas hominum mortuorum dæmonas fieri. Mihi vero ſimilius eſt creditum à multis animas mortuorum circa cadavera hærere, & in dæmonum eſſe poteſtate. Nam & nunc Iudæi talia tradunt, & olim ei probando hiſtoriâ Pythoniſſæ Samuelem Sauli excitantis abutebantur. quæ opinio ad Chriſtianos etiam manavit, ut videre eſt in Colloquio Iuſtini cum Tryphone. Hanc ergo opinionem καὶ τὴν νεκυομαντείαν [*& vaticinia ex mortuis*], ut in animis hominum foverent diaboli, multùm in ſepulchretis verſati ſunt, ac pleraque φάσματα [*ſpectra*] ad hominum mortuorum inſtar effinxerunt.

29. Τί ἡμῖν καὶ σοὶ, *Quid nobis & tibi*] Hoc ſi ex uſu Latini ſermonis interpreteris contemtum videtur inducere. Ita enim Latini ajunt, *Quid tibi mecum eſt?* At Hebræis aliud ſignificat, nimirum, Cur mihi moleſtiam exhibes? Quod clarè apparet II Samuelis XVI, 10. & II Paralipom. XXXV, 21. Nec aliter accipio quod eſt Ioelis III, 4. Negat enim Deus ſe Tyriis aut Sidoniis cauſam ullam dediſſe cur populo ſuo infeſti eſſent. Et eodem propè ſenſu apud Curtium hoc loquendi genus uſurpant Scythæ, *Quid nobis tecum eſt? nunquam terram tuam attigimus.*

πρὸ καιροῦ, *ante tempus*] Ante diem illum Iudicii in quem ſervari ſe norunt impuri ſpiritus, II Petri II, 4. Iudæ 6.

βασανίσαι, *torquere*] Mali cùm injuriam facere non ſinuntur injuriam ſe accipere exiſtimant. Hoc eſt mitti εἰς ἄβυσσον [*in abyſſum*]. Vide quæ ad Lucam & ad Apocalypſim.

30. ἀγέλη χοίρων· *grex porcorum*] Solere & ſues gregatim paſci Ælius Marcianus in Iuris Romani inſtitutionibus probabat his Homeri verſibus,

> Δήεις τόν γε σύεσσι παρήμενον· οἱ δὲ νέμονται
> Πὰρ Κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε κρήνῃ Ἀρεθούσῃ.
> [*Invenies illum porcis adſidere, Corvi*
> *Qui paſcuntur apud ſcopulum fontemque Arethuſæ.*]

31. ἐπίτρεψον ἡμῖν, *permitte nobis*] Ita & Marcus, ἐπέτρεψεν αὐτοῖς εὐθέως ὁ Ἰησοῦς [*conceſſit eis ſtatim Ieſus*]. Lucas quoque eandem vocem bis uſurpat, tum in exprimenda poſtulatione dæmoniorum, tum in narrando Chriſti facto. Quare cùm hoc

ipſum Marcus etiam *πέμπειν εἰς τοὺς χοίρους* [*mittere in porcos*] vocet, apparet veriſſimum eſſe vocibus activis ſæpe nihil aliud quàm permiſſionem, præſertim ſapientem ac providam, indicari. Vide loca Geneſeos XX, 6. XXXI, 7. Exodi III, 19. XII, 23. Pſalmo XVI, 10. Actorum II, 27. Ejicere diabolum ex homine, Chriſti fuit actio; in porcos ut irent nulla actione Chriſti erat opus: hoc enim optabant ipſi diaboli, & viribus nativis id ipſum efficere poterant, dum ne vi majore impedirentur. Non ergo Chriſtus in hac re vim agentem exſeruit, ſed vim impedire valentem ſuſtinuit; magnis haud dubiè de cauſis. Habitabant illis in locis, ut ex Ioſepho apparet, homines Iudæi Græcis permixti. Græcis in more erat poſitum ridere Iudaica inſtituta, præſertim verò abſtinentiam à ſuillis carnibus, tanquam humanæ ſuperſtitionis inane commentum. Notum eſt illud Iuvenalis,

Nec diſtare putant humanâ carne ſuillam.

Sed jampridem Anaxandrides Comicus dixerat,

Οὐκ ἐσθίεις ὕει', ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι.
[*Non veſceris ſuillâ: mihi nulla eſt caro*
Quæ ſapiat meliùs.]

Et Plato itidem Comicus,

Τῶν γὰρ τετραπόδων οὐδὲν ἀποκτείνειν ἔδει
Ἡμᾶς τὸ λοιπὸν πλὴν ὑῶν· τὰ γὰρ κρέα
Ἥδιστ' ἔχουσι, κ' οὐδὲν ἀφ' ὑὸς γίνεται
Πλὴν ὕστριχες ἡμῖν καὶ πηλός τε καὶ βοή.
[*Profectò nullum nos quadrupedem occidere*
Præter ſues decebat: nam ſuaviſſima
Caro eſt ſuilla, & de ſue nîl ad nos redit
Præter clamorem & cœnum & ſetas hiſpidas.]

Neque alia ſententia cujuſdam apud Plutarchum, qui Iudæos dicebat abſtinere eo cibo qui omnium eſſet juſtiſſimus. Eandemque ob cauſam dicebat Æſopus ex omni animantum genere ſues maximum clamorem tractas edere, quia ſcirent ſe niſi morientes nulli eſſe uſui. Sic & Caligula Iudæos Alexandrinos cum irriſu interrogabat, Διὰ τί χοιρείων κρεῶν ἀπέχεσθε; [*Cur à ſuilla abſtinetis?*] cúmque illi varia variarum gentium inſtituta memorarent, atque inter cætera eſſe qui ne agninâ quidem veſcerentur, *Meritò*, inquit, *neque enim tam ſuavis eſt.* Quidam etiam, ut idem Plutarchus notat, exiſtimabant Iudæos veneratione quadam ejus animalis teneri, quod & Perſius voluiſſe videtur cùm ait,

Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Alii alias cauſas conjectabant; ut illi ex quibus hoc hauſit Tacitus, *Sue abſtinent, memoriâ cladis quòd ipſos ſcabies quondam turpaverat, cui id animal obnoxium.* Chriſtus igitur permittens dæmonibus in ſues irruere, oſtendit Græcis, Iudæorum religionem ex Dei eſſe præcepto, ſimulque Iudæos qui ſe Græcorum moribus nimiùm aptabant, contra majorum conſtitutionem factam Hyrcani temporibus in ſepimentum Legis, Ne cui porcum alere liceret, admonuit de myſtico Legis ſenſu, ſignificans homines qui ſe in fœdis voluptatibus ſuum more volutarent, Deo quàm maximè diſplicere & diaboli eſſe mancipia. Barnabas Apoſtolus, Οὐδὲ ἐν ὁδῷ ἁμαρτωλῶν ἔστη, καθὼς οἱ δοκοῦντες φοβεῖσθαι τὸν Κύριον ἁμαρτάνουσιν ὡς ὁ χοῖρος· πεινῶν γὰρ κραυγάζει, πληρωθεὶς δὲ τὸν δεσπότην οὐ γνωρίζει [*Neque in via peccatorum ſtetit. ſicut quidam qui Deum timere videntur peccant ſuis inſtar; nam ſus dum eſurit clamat: ubi ſatiata eſt, dominum non novit*]. Philo, Παγκάλως τοὺς οὕτω βιοῦντας τῶν σοφιστῶν ὁ νομοθέτης τῷ σύων παραβάλλει γένει· διαυγεῖ μὲν οὐδενὶ καὶ καθαρῷ, θολερῷ δὲ καὶ βαραθρώδει βίῳ καὶ τοῖς αἰσχίστοις ἐμφερομένῳ [*Egregiè ſapientiæ ſimulatores qui ad eum vivunt modum Legum Scriptor ſuum generi comparat; quæ vitam non quærunt limpidam ac puram, ſed cænoſam & res fœdas dictu*]. Idem alibi eos qui ſe ſaginæ & potui mancipant ait συὸς τρόπον ἐν βορβόρῳ διαιτωμένους χαίρειν [*ſuis in morem gaudere cùm in luto verſantur*]. Quibuscum conferenda quæ legimus II Petri II, 22. Eandem interpretationem myſticam legis de ſuilla carne non edenda aut ex Philone aut ex Apoſtolorum traditione acceptam pulchrè explicat Lactantius libro IV Inſtitutionum, cap. 17. *Eòdem ſpectat etiam ſuillæ carnis interdictio: A qua cùm eos abſtinere Deus juſſit, id potiſſimùm voluit intelligi, ut ſe à peccatis atque immunditiis abſtinerent. Eſt enim lutulentum hoc animal atque immundum, nec unquam cœlum adſpicit, ſed in terra toto & corpore & ore projectum ventri ſemper & pabulo ſervit; nec ullum alium, dum vivit, præſtare uſum poteſt, ſicut cæteræ animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plauſtra collo trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuviis ſuis exhibent, vel copiâ lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo ne porcina carne veſcerentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur: ne ventri ac voluptatibus ſervientes ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent ac morte afficerentur.* Ad hanc ergo Moſis legem Chriſtus ut verbis aliàs, ita nunc facto digitum intendit. Simul autem oſtenſum voluit, quomodo Deus ſapientiſſimus vim diaboli limitibus quibuſdam circumſcribat, ut in Iobi hiſtoria videre eſt: quod ni eſſet, haud dubiè acturum cum hominibus diabolum quemadmodum cum porcis iſtis agebat. Obſervat etiam contra Manichæos Auguſtinus tum ex hoc loco tum ex illo de ficus execratione, nullam eſſe hominibus juris ſocietatem aut cum belluis aut cum arboribus.

32. ὅπως μεταβῇ ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. *ut tranſiret à finibus eorum*] *Præmetu*, ut Lucas explicat. Nimirum peccatorum ſibi conſcii vim in Chriſto Divinam metuebant. Confer locum I Regum XVII, 18. Et verba Iobi de hominibus ætate Diluvii, XXII, 17.

CAPVT IX.

1. Εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. *in civitatem ſuam*] Etiam in Romano Iure *civitas noſtra* dicitur ubi larem fiximus. Capharnaumum autem Chriſtum immigraſſe jam antè à Matthæo erat proditum. Quare miror veterum & recentium quoſdam Nazaretham hîc interpretari, cùm Capharnaumi hæc eſſe acta mihi ſatis certum videatur Marci teſtimonio II, 1.

2. τὴν πίστιν αὐτῶν, *fidem illorum*] Sicut Centurionis ſervo profuerat domini fides, ita prodeſt huic ægroto fides amicorum: quanquam & ipſi fiduciam non defuiſſe credibile eſt.

Θάρσει τέκνον· ἀφέωνταί σοι αἱ ἁμαρτίαι σου. *Confide* *fili: remittuntur tibi peccata tua*] Percellebat ipſum haud dubiè facinorum graviorum conſcientia, quæ timebat obſtitura ſibi quominus ſanitatem reciperet. Nam quia non omnia contra Legem delicta ad Iudicum cognitionem perveniebant, ideo Deus mortis intempeſtivæ atque etiam morborum comminationibus Legem ſanxerat, ut videre eſt Deuteronomii XXVIII, 22 & 27. Sunt quidem & naturales interdum morborum aut vitiorum corporalium cauſæ, Deo permittente, ut videbimus apud Iohan. cap. IX. Sed hic morbus haud dubiè cauſam trahebat ex ipſius hominis culpa. Quod ſæpe contingere docemur Iohan. V, 14. I Corinth. XI, 30. Quare Chriſtus, ut eum in ſpem ſanitatis erigat, teſtatur veniam ipſi factam peccatorum. Θάρσει omnino vertendum eſt *Bono eſto animo*, ſicut etiam vertit Syrus & hîc & infrà 22. Hanc enim ſignificationem habet vox iſta ubi ponitur ἀμεταβατικῶς [*neutraliter*]. Hinc θαῤῥεῖν κελεύειν, *animum addere*. Deinde τέκνον [*fili*] amica & blanda eſt compellatio, ut Marci X, 24. Non omnino alienum eſt ab hoc loco quod Plato à Zamolxi dictum refert, ὅτι ὥσπερ ὀφθαλμοὺς ἄνευ κεφαλῆς οὐ δεῖ ἐπιχειρεῖν ἰᾶσθαι, οὐδὲ κεφαλὴν ἄνευ σώματος, οὕτως οὐδὲ σῶμα ἄνευ ψυχῆς [*quomodo non tentanda eſt medicatio oculorum non ſanato capite, aut capitis non ſanato corpore, ita nec corporis non ſanato animo*].

3. *βλασφημεῖ. blaſphemat*] Vocem hanc in Græco etiam ſermone propriè referri ad Dei injuriam præter cætera iſtis Menandri verſibus docemur,

Ὁ λοιδορῶν τὸν πατέρα δυσφημεῖ λόγῳ·
Τὴν εἰς τὸ θεῖον δὲ μελετᾷ βλασφημίαν.
[*Qui patrem incilat, voce maledicit patri;*
At in hoc ſe parat ut ipſi maledicat Deo.]

Eſt & apud Pythagoricos frequens ejus vocis uſus. Hierocles τὸ βλασφημεῖν [*blaſphemare*] exponit ἀρᾶσθαι κατὰ Θεοῦ ἀνόσια [*impia contra Deum optare*]. Dicitur autem hîc βλασφημεῖν [*blaſphemare*] non qui Deo maledicit, ſed qui quod Dei eſt ſibi arrogat. Vide infrà XXVI, 65. & quæ ad Marcum hoc loco.

4. Καὶ ἰδὼν Ἰησοῦς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν, *Et cùm vidiſſet Ieſus cogitationes eorum*] Erat id inter notas Meſſiæ, ut contra Barchochebam obſervant Thalmudici titulo De Synedrio.

5. εὐκοπώτερον, *facilius*] Plus eſt condonare peccatum quàm ſanare morbum. Sed non æque facilè vanitatis convincitur qui rem inconſpicuam pollicetur quàm qui id ſe facturum ſpondet quod ſub adſpectum cadit.

6. Ἵνα δὲ εἰδῆτε, *Vt autem ſciatis*] Miraculum adſpectabile ſpecialiter adhibitum ad probandam rem alteram quæ ſpectari non poteſt, firmam ejus fidem facit. Neque ullas hîc preces adhibet, ſed imperium nudum. Et æger non ſenſim, ſed ſubitò totuſque revaleſcit.

ἐπὶ τῆς γῆς ἀφιέναι, *in terra dimittendi peccata*] Illud ἐπὶ τῆς γῆς cum verbo ἀφιέναι conjungendum Marcus nos docet. ac ſimilis conſtructio λύειν ἐπὶ τῆς γῆς [*ſolvere in terra*], quanquam non eodem remittendi ſenſu, invenitur infrà XVIII, 18. Significanter autem à Chriſto dictum eſt, ſibi, quanquam inter homines vitam agenti mortalem, tantum jus eſſe conceſſum. Non igitur agit Chriſtus de annuntiatione veniæ, quæ Nathani etiam ad Davidem & Prophetis aliis mandata fuerat, ſed de poteſtate peccata ſuo arbitrio remittendi. Diſtinguenda tamen eſt poteſtas Chriſto ut homini in terris agenti data ab ea quam poſt Reſurrectionem ſibi datam profitetur. Illa poteſtas ad ea extendebatur quæ ad miniſterii tum ſuſcepti functionem pro locorum ac temporum ratione pertinebant, altera nullis locorum limitibus circumſcripta, cœleſtia omnia ac terreſtria complectebatur.

8. *τοῖς ἀνθρώποις. hominibus*] Ἐναλλαγὴ [*permutatio*] numeri familiaris omnibus propè linguis, quoties aliquid ἀόριστον [*indefinitum*] denotare volumus. Tale eſt, *Sepultus in urbibus Galaad*, *Deſcendit in latera navis*: & quæ notabimus infrà XXI, 7. XXVII, 44. Sic & pluraliter poſitum Geneſ. XXVII, 29. mox 37. explicatur per ſingulare; & Oſeæ II, I. in Hebræo plurale eſt, in Græco & Latino ſingulare: & Geneſ. XXI, 7. in Hebræo plurale, ſingulare in Græco. Non hoc plebs admirabatur, iſti potiſſimùm Ieſu Nazareno hoc jus eſſe conceſſum, ſed ulli hominum tantum juris datum eſſe cum ſtupore intelligebat. Nullum enim talis rei exemplum in omni vetuſtate exſtabat. Hæc autem omnia eò tendebant ut libentiùs majoreque cum fiducia homines ſe in Chriſti traderent diſciplinam, confiſi ſe veniam peccatorum non tantùm per ipſum ſed & ab ipſo conſecuturos.

9. *τελώνιον, in telonio*] Ita dictus locus in quo publicum exigebatur. Quare quod in veteri eſt Gloſſario, Τελώνιον, *vectigalium*, *telonatum*, *mancipatum*, ſcribendum eſt *vectigalarium*, *telonarium*, *manciparium*, eâ nimirum formâ qua *ſpoliarium* dicitur. *Mancipes* vocabantur ipſi publicorum redemtores.

Ματθαῖον λεγόμενον· *Matthæum nomine*] Eum nimirum qui Apoſtolus poſtea eſt factus, ut apparet infrà X, 3. quique hunc librum ſcripſit ſermone Hebræo. Video omnes hodie ita exiſtimare hunc eundem eſſe quem Marcus & Lucas *Levin* nominant: & ſanè congruunt narrationum circumſtantiæ. Tamen neque Matthæus uſquam ſe *Levin* vocat, neque iſti Levin *Matthæum* nominant, neque in recenſione Apoſtolorum Matthæum alio quàm *Matthæi* vocant nomine, cùm alios cognomentis ſuis indigitent. Sed magis me movet quòd Heracleon, illis temporibus proximus, recitans eos quibus publicum teſtimonium apud Poteſtates Chriſto exhibendi negata eſt occaſio, nominat Matthæum, Philippum, Thomam, Levin; quódque ea verba ita citat Clemens Alexandrinus ut quod dicitur non obſcurè approbet. Sed & Origenes adversùs Celſum diſputans, cùm dixiſſet Matthæum publicanum fuiſſe, addit deinde: ἔστω δὲ καὶ Λεβὶς τελώνης ἀκολουθήσας τῷ Ἰησοῦ, ἀλλ' οὔτι γε τοῦ ἀριθμοῦ τῶν ἀποστόλων αὐτοῦ ἦν, εἰ μὴ κατά τινα τῶν ἀντιγράφων τοῦ κατὰ Μάρκον εὐαγγελίου [*eſto verò & Levis qui Ieſum ſectatus eſt publicanus; at is ex numero non fuit Apoſtolorum, niſi ſecundùm quædam exemplaria Euangelii à Marco ſcripti*]. Ecce apertè negat Levin Apoſtolum fuiſſe, quanquam, ut ait, Marci quædam exemplaria id videantur præferre: unde conjectare licet in recenſu

Apoſtolorum libros quoſdam Marci nomen *Levi* ſeorſim à nomine *Matthai* habuiſſe. Fortè is Levis ſimul cum Matthæo vocatus frater fuerit Iacobi, quando utrique pater Alphæus adſcribitur; unusque non illorum duodecim, ſed aliorum Chriſti ſectatorum. Quod ſi recipimus, in hujus domo, non in Matthæi domo, ut qui tum omnia ſua reliquerat, dicemus celebratum convivium; nam Levin dominum domûs nominant alii; Matthæus autem nudè *domum* dixit, domino non nominato. Fortè Levis fuit ἀρχιτελώνης, ut Zacchæus, in cujus miniſterio fuerit Matthæus.

10. *καὶ ἁμαρτωλοὶ, & peccatores*] Suprà diximus ita Iudæis vocatos eſſe eos quos ipſi ob vitæ inſtitutum aut morum impuritatem non minùs quàm profanos ἀλλοφύλους [*alienigenas*] deteſtabantur.

11. *ἰδόντες, videntes*] Id eſt, *cùm animadverterent*. Neque enim præſentes fuiſſe videntur. Eodem ſenſu vox iſta tum in his tum in aliis libris non rarò invenitur.

ἐσθίει, manducat] Contrà quàm fieri oportere Legiſperiti docebant. Publicanos autem & ſimilis vitæ homines eodem habebant loco quo τοὺς ἀλλοφύλους [*alienigenas*]· unde conjungi ſolent τελῶναι καὶ ἐθνικοὶ [*publicani & Gentiles*].

12. Οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατροῦ, *Non eſt opus valentibus Medicus*] Loquitur Chriſtus ex ſuppoſitione, Si vos tales eſtis quales vobis videmini, ſanè meæ operæ non indigetis. Sic Antiſthenes cùm objectum illi eſſet quòd cum improbatæ vitæ hominibus verſaretur, *Etiam Medici*, inquit, *cum ægrotis*. Pauſanias, Οὐδὲ ἰατρὸς παρὰ τοῖς ὑγιαίνουσιν, ὅπου δὲ οἱ νοσοῦντες διατρίβειν εἰώθασι [*Neque Medici ibi eſſe ſolent ubi ſunt ſani, ſed ubi ægroti*]. Ovidius III De Ponto, elegiâ IV.

Firma valent per ſe, nullumque Machaona quærunt:
Ad medicam dubius confugit æger opem.

Et Diogenes rogatus cùm Lacedæmoniorum laudaret inſtituta cur non apud eos viveret, Οὐδὲ γὰρ ἰατρὸς, εἶπεν, ὑγιείας ὢν ποιητικὸς ἐν τοῖς ὑγιαίνουσι τὴν διατριβὴν ποιεῖται [*nam nec Medicus ſanitatis effector cum ſanis verſari ſolet*]. Phariſæi tam egregii erant pietatis ſimulatores ut non aliis tantùm ſed & ſibi imponerent. Vide Lucæ XVIII, 11. Interea animus erat plenus odii, invidiæ, faſtûs, avaritiæ, crudelitatis. Adeò verum eſt, faciliùs ſanari corporis quàm animi morbos; quia cùm corpus ægrotat, animus morbum intelligens corpori conſulit: at animo ægrotanti corpus, quippe brutum, conſulere non poteſt, & animus ipſe morbo impeditur quò minùs morbum intelligat, quem ſentire pars aliqua eſt ſanitatis. Vide quæ ad Marcum cap. 11.

13. ἔλεον θέλω, καὶ οὐ θυσίαν· *miſericordiam volo & non ſacrificium*] חסד apud Oſeam eſt quod hîc ἔλεος. Latinè rectè reddideris *beneficentiam*. Huic opponitur זבח θυσία [*ſacrificium*], quæ vox hîc συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] omnem rituum obſervationem ſignificat, quia in eo operum genere ſacrificia excellebant. Sub priori membro comprehenditur, peccantem hominem ad bonam frugem revocare; ſub altero, abſtinere à convictu hominum flagitioſorum. Quanquam autem poſterius hoc non erat diſertè præceptum in Lege Moſis, tamen cùm experientia doceat multos inquinari pravorum conſuetudine, neque poſſint viri graves apertiùs oſtendere quantum ſibi diſpliceat vita turpis quàm ſi talium hominum congreſſum conſpectumque defugiant, qui mos ab antiquiſſimis ſeculis deductus omnes propè gentes pervaſerat, non improbat tale inſtitutum Chriſtus, ut alibi apertiùs demonſtrabitur; ſed comparatis inter ſe duabus legibus, alterâ naturaliter honeſtâ quæ dilectionem & beneficentiam erga quoſvis homines à nobis exigit, alterâ rituali, quæ vitari nocentes præcipit, ex Oſea docet utra utri præponderare debeat. Nam illud ולא, quod hîc transfertur καὶ οὐ [*& non*], non ſimplicem ſed comparatam negationem deſignat, quod ſequentia apud Oſeam verba manifeſtiſſimum faciunt, ודעת אלהים מעלות, id eſt, *& religionem præ holocauſto* Vide & infrà X, 19, 20. Notus eſt apud Rhetoras locus de legibus non ex auctorum propoſito ſed caſu aliquo inter ſe pugnantibus. Græci hanc ἀντινομίας [*legum repugnantiæ*] ſpeciem vocant τὴν ἐκ περιστάσεως μάχην [*pugnam ex caſu*]. Ad talis controverſiæ dijudicationem regulæ quædam tradi ſolent, quarum præcipuam Ciceronis verbis explicabo, qui ſic ait De Inventione ſecundo, *Primùm igitur leges oportet contendere, conſiderando utra lex ad majores, hoc eſt, ad utiliores, ad honeſtiores ac magis neceſſarias res pertineat: ex quo conficitur ut ſi leges duæ, aut ſi plures, aut quotquot erunt, conſervari non poſſint, quia diſcrepent inter ſe, ea maximè conſervanda putetur quæ ad maximas res pertinere videatur.* Iam docet nos Oſeas Dei ipſius nomine, pietatem in animo poſitam & humanitatis officia apud Deum multò majoris eſſe momenti quàm rituum ceremoniarumque obſervationem. Cauſa in promtu eſt, quia Dei reverentia & vitæ integritas ac beneficentia per ſe καὶ προηγουμένως [*principaliter*] Deo probantur, ritualia autem opera ἑπομένως [*conſectaneè*] duntaxat, quatenus ex inſtituto, non naturaliter pietatem teſtantur: unde ſequitur illa Deo nunquam non placere, hæc verò non aliter niſi illa præceſſerint. Adduximus ſuprà ad caput V. ex Platone & Seneca quædam in hanc ſententiam: ſed infrà pleniùs hac de re agendi ſe dabit locus. Rectè igitur Chriſtus colligit ita obſervandum illud inſtitutum de vitanda familiari conſuetudine τῶν ἀτάκτων [*non ex ordine viventium*] ut non negligantur interim occaſiones eos reducendi in rectam viam: quamobrem cùm palàm appareat ſe vocatum ad eos venire qui ſpem melioris vitæ facerent, neque alio animo quàm ut Dei fugitivos ad Deum retraheret, iniquiſſimè id ſibi vitio vorti. Hoc documentum ſequens Paulus Theſſalonicenſes Chriſtianos monet μὴ συναναμίγνυσθαι [*non commiſceri*] iis qui verbo Euangelii non obedirent; ſed ne quis omnem ad eos aditum indiſcriminatim vetitum putaret, adjecit, *non pro hoſtibus ducendos* (quod facere ſolebant Iudæi) *ſed fraternè admonendos*. Nimirum reſoluto illo nexu propiore qui pietatis ſtudioſos inter ſe colligat, manet commune humanæ naturæ vinculum & prioris amicitiæ memoria. Bene monet Hierocles, cùm dixiſſet amicum à nobis ſeparandum διὰ τὴν πρὸς τὸ χεῖρον μεταβολὴν [*propter*

mutationem in pejus], addidit, ἡ δ' ἀπόθεσις φυλαττέτω τὸ μὴ εἰς ἔχθραν μεταπεσεῖν· δέον γὰρ, εἰ κἀκεῖνος τῆς φιλίας ἑαυτὸν ἀπεξήγαγεν, ἡμᾶς γοῦν πλείστην ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι ὅπως ἐπανακληθείη πρὸς τὸ δέον, οὐκ ἀγαπῶντας τὴν ἀπόπτωσιν τοῦ φίλου, οὐδὲ ὑπερφρονοῦντας τὸ καταδεὲς αὐτοῦ τῆς γνώμης [*ita autem obſervetur iſta declinatio ut non in hoſtilitatem tranſeat; oportet enim nos, etiamſi ille ab amicitia ſe ſubduxit, omnem curam adhibere ut ad officium revocetur, ut qui non delectemur lapſu amici, nec ſpernamus ſapientiæ in ipſo penuriam*].

οὐ γὰρ ἦλθον, *non enim veni*] Vide ad Marcum II, 17.

14. οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου, *diſcipuli Ioannis*] Eandem controverſiam motam Apoſtolis etiam à Phariſæis Lucas & Marcus docent; an eodem tempore, incertum: quanquam Marcus iſta connectit.

νηστεύομεν πολλὰ, *jejunamus frequenter*] Agitur & hîc, ut ſuprà, non de publicis jejuniis, ſed de iis quæ privatim ſuſcipiebantur: quod fiebat à Phariſæis quidem ad aucupium famæ, à Baptiſtæ autem diſcipulis ob captivitatem magiſtri pro quo preces apud Deum fundebant. Hoc enim oſtendere videtur & ratio temporum, & quæ apud Lucam eſt δεήσεων [*obſecrationum*] mentio.

οὐ νηστεύουσι;] Id eſt, *non ſolent jejunare;* nam verbum hoc ut & alibi frequentiam actûs ſignificat: ita Marci XIV, 12. ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον [*quo tempore Paſcha immolabant*], *quo tempore Paſcha mactare ſolebant*; & XV, 6. ἀπέλυε *ſolebat dimittere.* Lucas pro eodem dixit ἐσθίουσι καὶ πίνουσι [*edunt & bibunt*], id eſt, vivunt populariter: quo ſenſu & infrà dicitur Baptiſta veniſſe μήτε ἐσθίων μήτε πίνων [*neque manducans neque bibens*], Chriſtus autem ἐσθίων καὶ πίνων [*manducans atque bibens*], XI, 18, 19.

15. οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filii thalami*] מרעים [*ſodales*] in Iudicum hiſtoria, ubi νυμφαγωγοὺς verterunt LXX. Sed νυμφαγωγὸς propriè eſt *auſpex;* cui reſpondet *pronuba:* hîc magis eſt ut παρανυμφίοι [*ſponſi deductores*] intelligantur, ὁμήλικες Græcis, *æquales* etiam Latinis, Hebræis poſterioribus שושבנין. Iohannes Apoſtolus pro eodem dixit τὸν φίλον τοῦ νυμφίου [*amicum ſponſi*] III, 29. quomodo & αἱ παρανυμφίοι virgines vocantur ידידות, id eſt, αἱ φίλαι [*amicæ*], Pſalmo XLV, 1. & רעות ibidem commate 15. ubi LXX vertunt αἱ πλησίον. Eſt autem Hebraiſmus υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος [*filii thalami*], ſignificans eos qui intra thalamum admittebantur, nempe cum ſponſo ſicut cum ſponſa virgines. Sic apud Oſeam בני ים [*filii aquarum*] ſunt *maritimi:* primo Maccabaico IV, 2. υἱοὶ τῆς ἄκρας [*filii Acræ*] *Acræ cuſtodes.* Apud Græcos prior cubitum ibat novus maritus, ad quem deinde nova nupta deducebatur, ut nos docet Epithalamium Helenæ apud Theocritum. Contrà Romæ factum ex Catullo diſcimus,

Iam licèt venias, marite:
Vxor in thalamo eſt tibi.

Vtrum apud Hebræos obſervatum ſit haud facilè dixerim. Narrant Iudæi collocatis in cubili novis conjugibus hos ſodales extra thalamum ſtetiſſe, ac deinde in thalamum regreſſos ad cognoſcenda ſigna illa de quibus agitur Deuteronom. XXII, 17. Apud Pollucem invenio, Καλεῖται δέ τις τῶν νυμφίου φίλων καὶ θυρωρὸς, ὁ ταῖς θύραις ἐφεστηκὼς καὶ εἴργων τὰς γυναῖκας βοηθεῖν τῇ νύμφῃ βοώσῃ [*Vocatur & quidam amicorum ſponſi Ianitor, qui januæ adſtat vetatque mulieres ſponſæ clamanti opem ferre*]. Hac autem comparatione Chriſtus, omiſſis jejuniis Phariſaicis, de quibus egerat antehac, propriè reſpondet Baptiſtæ diſcipulis, oſtendens cauſam propter quam ipſi jejunarent in ſuos diſcipulos nunc quidem non congruere; ſed ventura tempora, cùm ipſi quoque Magiſtro orbati non jejunia tantùm, luctûs ſcilicet ſigna, ſed graviora etiam tolerarent. Æquum igitur eſſe, quos tam acerba manerent, eos interim frui brevis gaudii interuſurio. Sic obiter Baptiſtæ diſcipulis in mentem revocatur ipſius Baptiſtæ dictum qui Ieſum νυμφίου [*ſponſi*] nomine deſignaverat, & locus Oſeæ II, 16.

πενθεῖν, *lugere*] Iejunia luctûs ſigna, aut magni periculi, I Maccabæorum III, 17, 47. II Maccabæorum XIII, 12. I Samuelis XIV, 24. unde Sabbato jejunare religio erat Iudæis, quia Sabbatum lætitiæ dicatum. Quare peccatum eſt à Romanis Scriptoribus ignorantiâ moris Iudaici, aut certè vox *Sabbati* per abuſionem ſumta pro quovis religioſo die, cùm ita ſcribit Martialis,

Et jejunia Sabbatariorum.

Perſius autem,

Exercent ubi feſta mero pede ſabbata Reges.

Nam nudipedalia certum eſt dies eſſe jejuniorum. Chriſtiani Iudæorum exemplo à jejuniis abſtinuerunt diebus Dominicis & totâ Pentecoſtê, quia totum illud tempus quinquaginta dierum poſt Paſcha non minùs quàm Dominici dies conſecrati erant memoriæ Reſurrectionis.

καὶ τότε νηστεύσουσι. *& tunc jejunabunt*] Sæpiſſime in luctu erunt, interque multa incommoda etiam fame & ſiti torquebuntur, I Corinth. IV, 11. II Corinth. VI, 5. XI, 27. Sed & jejunia ſibi indicent, Actorum X, 30. XIII, 2, 3. XIV, 22. I Corinth. VII. 5. Chriſtianus apud Lucianum, Ἡλίους δέκα ἄσιτοι διαμενοῦμεν, καὶ ἐπὶ παννύχους ὑμνῳδίας ἐπαγρυπνοῦντες [*Per decem ſoles manſimus absque cibo, noctes autem pervigiles in cantibus exegimus*]. Oſtendit autem in ſequentibus Chriſtus factum Dei benignitate ne tanti labores diſcipulos ſuos exciperent adhuc infirmos.

16. Οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· *Nemo autem immittit commiſſuram panni rudis in veſtimentum vetus*] Optimè & Latiniſſimè hunc locum expreſſit vetus Marci interpres Latinus, *Nemo aſſumentum panni rudis aſſuit veſtimento veteri.* Nam *pannum aſſuere* etiam Horatius dixit. Et *rudis pannus* eſt ἄγναφος nunquam interpolatus: Nam & Iuriſconſulti *nova veſtimenta* opponunt *interpolis*. Et Lucas quod hîc eſt ῥάκος ἄγναφον [*pannus rudis*] dixit ἱμάτιον καινὸν [*veſtimentum novum*], quomodo & Syrus hîc vertit. Tertullianus *plagulam* III in Marcionem. ἐπίβλημα [*commiſſura*] eſt συμβολὴ, מחברת Exodi XXVI, XXVIII, XXXVI.

αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, *tollit enim plenitudo ejus à veſtimento*] Πλήρωμα [*plenitudo*] eſt nominativus, αὐτοῦ [*ejus*] intellige τοῦ ῥάκους [*panni*]: αἴρει ἀπὸ τοῦ ἱματίου [*aufert à veſtimento*] dictum ἐλλειπτικῶς [*defectivè*] pro τι ἀπὸ τοῦ ἱματίου [*aliquid de veſtimento*], ſicut & alibi τινὲς [*quidam*], cùm ἀπὸ [*ab*] ſequitur, ſubaudiri ſolere infrà oſtendemus XXVII, 9. Atque ita hæc omnia accepit Syrus. Significat autem hîc πλήρωμα *commiſſuram* ſive *juncturam rudis panni cum veſte vetere*, Hebræorum exemplo, apud quos מלאים ſive מלאות dicuntur *commiſſuræ*, & מלא *committere*, ut Exodi XXV, 7. & XXVIII, 17. cujus originis nomen etiam Syrus tum hîc tum apud Marcum poſuit. Hebræorum Magiſtri omne id quod concavitatem implet vocari ajunt מלאת aut מלאה aut מלאים. Vocem מלאת, quanquam ſenſu paulùm diverſo, πλήρωμα [*plenitudinem*] verterunt etiam LXX Cantici V, 12. Dicitur igitur illa commiſſura *partem veſtis abrumpere*, id eſt, cauſam rupturæ dare. Exſtat non diſſimilis ſententia apud Philonem ubi exponit legem quæ ἔρια καὶ λινὰ συνυφαίνεσθαι [*unà texi linum & lanam*] vetat, Καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων οὐ μόνον ἡ διαφορότης ἀκοινώνητον, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐπικράτεια θατέρου, ῥῆξιν ἀπεργασομένου μᾶλλον ἢ ἕνωσιν ὅταν δέῃ χρῆσθαι [*Nam in his rebus non tantùm differentia eſt inſociabilis, ſed & alterius rei prævalentia faciliùs fracturam quàm juncturam efficiet ubi opus erit uti*].

17. εἰς ἀσκοὺς παλαιούς· *in utres veteres*] Cogitemus an apud Iobum XXXII, 19. *utres novi* dicantur hi in quibus eſt vinum novum, continens pro contento.

18. ἄρχων· *princeps*] Nimirum τῆς συναγωγῆς [*ſynagogæ*], quod addit Lucas VIII, 41. Notandum eſt Synagogæ Iudaicæ præpoſitos fuiſſe viros ſpectatæ probitatis qui vocabantur Chaldaico vocabulo פרנסים, id eſt, οἱ ποιμαίνοντες [*Paſtores*], quæ vox & in Itinerario Benjamini non ſemel legitur, aut etiam רבים [*magiſtri*], ut Syrus apud Marcum poſuit, aut כשישים, quod eſt *congregatores* aut *diſceptatores*, quod in Actis apud Syrum legitur. Helleniſtæ hos vocabant ἀρχισυναγώγους [*Archiſynagogos*], ut docemur Actorum XIII, 15. ubi plurium ἀρχισυναγώγων unius ejuſdemque cœtus fit mentio. Sed inter eos unus eminebat, eruditionis nomine prælatus cæteris, cujus proprium erat munus Legem interpretari & preces concipere, ut Iuſtinus adversùs Tryphonem nos docet. Is Hebræis vocabatur ממנה [*Præpoſitus*], aut etiam ראש הקהל, Syriacè ריש כנושתא, Græcè ἄρχων τῆς συναγωγῆς [*princeps ſynagogæ*], quam vocem hîc Syrus retinuit, & κατ' ἐξοχὴν ὁ ἀρχισυνάγωγος [*per excellentiam Archiſynagogus*] Lucæ XIII, 14. Philoni ὁ πρόεδρος [*præſes*], interdum etiam ὁ πρεσβύτατος [*maximus natu*], cui tribuit τὰ μὴ γνώριμα ἐν ταῖς βίβλοις ἀναδιδάσκειν [*quæ in libris obſcuriora ſunt, enodare*], item τὸ διαλέγεσθαι καὶ τὸν ὕμνον ᾄδειν [*diſſertare & hymnum præire*]. talis fuit Iairus iſte Capharnaumi, ubi unam duntaxat Synagogam fuiſſe arbitror. Quare nihil neceſſe eſt hîc τὶς [*aliquis*] ſubaudiri, cùm unus duntaxat ἄρχων [*princeps*] fuerit, quàmvis ille idem eſſet ut Marcus loquitur εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων [*unus Archiſynagogorum*]. Non erant autem iſti archiſynagogi Sacerdotes; nam Sacerdotum opera Templo erat aſſignata: iſti in ſuis urbibus morabantur. Quin & diruto Templo manſit ordinum diſcrimen. Conſtantinus in Lege quæ exſtat Codicis Theodoſiani titulo De Iudæis, *Hiereos* & *Archiſynagogos* & *patres ſynagogarum*, ubi *patres* ſunt quos dixi פרנסים [*Paſtores*]. Epiphanius nominat ἀρχισυναγώγους, ἱερέας, πρεσβυτέρους [*Archiſynagogos, ſacerdotes, presbyteros*], & de quibus infrà dicetur ἀζανίτας [*Azanitas*]. Idem Epiphanius alibi ait Ebionitis ſuos fuiſſe πρεσβυτέρους καὶ ἀρχισυναγώγους [*presbyteros & Archiſynagogos*]. Et Severum Imperatorem, quòd Iudaiſmo favere crederetur, legimus convitio *Archiſynagogum* & *Archierea* fuiſſe appellatum.

ἄρτι ἐτελεύτησε· *modò defuncta eſt*] Id eſt, *jam mortua eſt*. Neque enim ἄρτι ſemper exactum tempus, ſed ſæpe præſens ſignificat: εἰς τὸ παρὸν [*in præſens*], ut interpretantur Græci Scholiaſtæ, quemadmodum apud Sophoclem,

> Ενδὸν γὰρ ἀνὴρ ἄρτι τυγχάνει.
> [*Eſt jam vir intus ille.*]

Apud, Philoſtratum, ἄρτι περὶ τὸν καιρὸν τῶν ῥημάτων [*jam quo loquimur tempore*]. Atque ita plerúmque in his libris ſumitur, ut ſuprà III, 15. XXVI, 53. Iohan. IX, 19, 25. XIII, 7, 33, 37. XVI, 12. & hinc ἀπ' ἄρτι *deinceps*, & ἕως ἄρτι *hactenus*, paſſim occùrrunt. Neque aliter hîc ea vox interpretanda eſt. Non enim hoc ſignificat Iairus, multum parumve temporis effluxiſſe ex quo mortua ſit filia, ſed hoc ipſo tempore cùm Chriſtum compellaret non dubitare ſe quin exſpiraſſet, idque ideo quia jam animam agentem reliquerat. Hoc enim eſt quod ait Lucas αὕτη ἀπέθνησκεν [*quòd mortua eſſet*]· cui convenit quòd colloquenti cum Chriſto supervênit nuntius pro certo affirmans quòd ille ex conjectura dixerat, filiam ſcilicet exſpiraſſe; ut nos idem Lucas docet.

ἐπίθες τὴν χεῖρά σου, *impone manum tuam*] Notum erat Iudæis ſolere Deum Prophetis hunc exhibere honorem ut in alios dona ſua conferret ad Prophetarum preces, quarum ſymbolum erat manuum impoſitio. Ita Moſes Ioſuæ juſſus erat manus imponere, ut ille ea ratione ad Moſis preces Divini ſpiritus augmenta acciperet, Num. XXVII, 18, 20. Et Naaman Syrus invocationem Dei conjungit cum manuum impoſitione, II Regum V, 11. Propriè manuum impoſitio deſignat efficaciam Divinæ potentiæ. Nam χεῖρα ἐκτεῖναι [*manum extendere*] de Deo eum in ſenſum uſurpatur Actorum IV, 30. Ideo quia per preces Divina potentia pro altero invocabatur, uſitata erat cum precibus manuum impoſitio. Vide quæ infrà XIX, 13. Videtur autem Iairus minùs præclarè de Chriſto ſenſiſſe quàm alii qui ſolo contactu ſanitatem à Chriſto ſperabant, quam Iairus, ut credibile eſt, arbitrabatur ab Ieſu non niſi precibus poſſe præſtari.

20. τοῦ κρασπέδου τοῦ ἱματίου αὐτοῦ· *fimbriam veſtimenti ejus*] Videri poteſt hîc alludi ad id quod de Meſſiæ temporibus dicit Malachias IV, 2. מרפא בכנפיה *ſanatio in fimbriis ejus*. Nam Deuteronomii XXII, 12. quod in Hebræo eſt כנפות in verſione LXX eſt κράσπεδον. Et Syrus infrà XIV, 36. vocem κρασπέδου vertit כנפא. Videntur autem & hîc & dicto loco XIV, 36. & infrà XXIII, 5. κρασπέδων nomine συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] intelligi filamenta illa ἐν τοῖς κρασπέδοις [*in fimbriis*] quæ ציצית Hebræi vocant: ut & Zachariæ VIII, 23.

ubi itidem in Hebræo eſt כנף, in Græco κρασπέδου. Sic dicto Deuteronomii loco pro Hebræo גדלים, quod *filamenta* ſignificat, Chaldæus poſuit כרוספדין, quæ vox eſt ipſa Græca κράσπεδον [*fimbria*]. Erat autem hæc peculiaris nota ſanctimoniæ Iſraeliticæ.

21. Ἐὰν μόνον ἅψωμαι τοῦ ἱματίου αὐτοῦ, σωθήσομαι. *Si tetigero tantùm veſtimentum ejus, ſalva ero.*] Videtur hæc femina partim rectè partim non rectè de Chriſto ſenſiſſe: Rectè, quòd Chriſtum totum quantus erat plenum eſſe intelligeret Divinæ virtutis; & quemadmodum unguentum fuſum in caput Sacerdotis ad imas uſque veſtimenti oras defluebat, ita ab ipſo undique vim mirificam emanare. Non rectè, quòd hanc emanationem putaret naturalem magis eſſe quàm arbitrii ac diſpenſationis Chriſti ipſius: ſicut Philoſophi multi dicebant Deum agere omnia φύσει, οὐ βουλήσει [*naturâ, non voluntate*], quos ſolidè refutat Scriptor Reſponſionum ad Græcos. Hinc ſpem aliquam conceperat ſanitatem ſe poſſe ab ipſo furtim ſubducere. Quòd autem Chriſtus ab hac femina ſe paſſus eſt contingi, nihil eâ in re fecit contra Legem, ut ſuprà de factis ſimilibus dictum eſt: quanquam & illud addi poteſt quod adversùs Marcionem Tertullianus obſervat, Legis interdicto contineri profluvium ſollemne ex officio naturæ, non ex vitio valetudinis.

22. Θάρσει θύγατερ· ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. *Confide, filia: fides tua te ſalvam fecit*] Θάρσει, ut ſuprà ſignificat, *Bono eſto animo.* Solent enim trepidare qui clàm aliquid agunt, timentes ne deprehendantur, ſicut hæc mulier, quæ verebatur ne Chriſtus contactum ſuum ut impurum declinaret. At Chriſtus ſimul errorem ipſius corrigens, & tamen quid in ea probandum eſſet oſtendens, ſignificat non contactum ſed inſignem illam de Divina potentia perſuaſionem ipſi ad ſanitatem profuturam: quod præſagium fuit, ut aliquoties jam diximus, veniæ delictorum & ſalutis æternæ conſequendæ per obedientem in Deum & Chriſtum ejus fiduciam: unde etiam factum eſt ut hoc Chriſti effatum frequens eſſet in ore Chriſtianorum, quod etiam Celſus Chriſtianis objecit quaſi ſignum animi non rationibus fulti, ſed cæco quodam aſſenſu occupati. Huic duobus locis reſpondens Origenes fatetur doctrinam Chriſti ſimpliciter traditam, ut quæ ſalutifera eſſe deberet non hominibus tantùm ſtudio literarum vacantibus, ſed quibusvis de plebe, etiam maximè occupatis, à quibus iniquum eſſet exigere diſputandi ſubtilitatem: Interim verò iſtam συγκατάθεσιν ſive κατάληψιν [*aſſenſionem*] niti certiſſimis argumentis, hinc Dei potentiâ, inde virorum optimorum conſentiente teſtimonio. Clemens autem idem dictum explicans rectè monet, οὐχ' ἁπλῶς τοὺς ὁπωσοῦν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι [*non quovis modo credentes ſervatum iri*], ſed eos demum qui pia opera (datâ ſcilicet occaſione) fidei adjunxerint, hoc eſt, eos qui fidem habuerint vivam atque efficacem. De Pythagora Iamblichus, Ὑπῆρχε δὲ αὐτῷ ἀπὸ τῆς εὐσεβείας καὶ ἡ περὶ τῶν θεῶν πίστις· παρήγγελλε γὰρ ἀεὶ περὶ θεῶν μηδὲν θαυμαστὸν ἀπιστεῖν, μηδὲ περὶ θείων δογμάτων, ὡς πάντα τῶν θεῶν δυναμένων [*Inerat illi ex pietate magna etiam in Deos fiducia; ſemper enim præcipiebat, Nihil, quámvis mirum, in Diis pro incredibili habere, nec ullum Divinorum dogmatum, cùm Dii poſſint omnia*]. Vide & Danielis VI, 23.

23. τοὺς αὐλητὰς, *tibicines*] Tibias in luctu uſitatas apud Iudæos etiam Ioſephus Belli Iudaici lib. III. nos docet. Puto etiam falli eos qui à profanis gentibus morem hunc ad Hebræos putant deductum. Rectè enim ab aliis demonſtratum eſt, exſtare in antiquiſſimis Hebræorum ſcriptis ejus moris veſtigia; ſicut & præficarum mentio eſt apud Ieremiam IX, 17. neque verò in Lege ulla ejus rei interdictio invenitur. Denique tota pompa funeralis non novitium erat inventum, ſed Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Ioſephi exemplo nitebatur. Quo convincitur Taciti error putantis curam corporis, moremque condendi magis quàm cremandi, ab Ægyptiis ad Iudæos perveniſſe. Apparet enim ex Sacra hiſtoria multò antè quàm Hebræi in Ægyptum immigraſſent eundem morem ab ipſorum majoribus uſurpatum. Vero autem ſimile eſt ritus funerales, præſertim verò humandorum corporum morem (qui apud omnes gentes crematione eſt antiquior) originem habere à primis poſt Diluvium temporibus, ad deteſtationem τῆς ἀνθρωποφαγίας [*moris edendi humanas carnes*], quæ inter cætera extremæ feritatis ſcelera priſtinum orbem invaſerat. Nam & ejus rei famam ad Græcos manaſſe oſtendunt verſus Moſchionis,

——— Καὶ τὸ ἠγριωμένον
Εἰς ἥμερον δίαιταν ἤγαγον βίον·
Κἀκ τοῦδε τοὺς θανόντας ὥρισεν νόμος
Τύμβοις καλύπτειν, κἀπιμοιρᾶσθαι κόνιν
Νεκροῖς ἀθάπτοις, μηδ' ἐν ὀφθαλμοῖς ἐᾶν
Τῆς πρόσθε θοινῆς μνημόνευμα δυσσεβές.

[——— ——— *Illud agreſte ac ferum*
Senſim domari cæpit & manſueſcere:
Tunc morte raptos imperatum legibus
Mandare terræ, pulveremve inſpergere
Necdum ſepultis, ne darentur conſpici
Abominanda ſigna paſtûs priſtini.]

Sic & luctus ſeptemdialis, cujus mentio eſt in hiſtoria ſepulturæ Iacobi, Geneſeos L, 10. & apud Ioſephum fine ſexti & libro XVII. Originum, apud Iudæos manſit, non ex lege ulla, ſed ex antiqua & Lege non vetita conſuetudine. Hinc Sirachides, Πένθος νεκροῦ ἑπτὰ ἡμέραι [*Luctus mortui ſeptem dies*], XXII, 13. Quin & apud Ioſephum ejuſdem moris ad ultima uſque tempora ſervati memoria eſt, & apud Clementem Stromateon quarto. Sed ne hoc quidem peculiare fuiſſe Iudæis, ſed aliis quoque gentibus uſurpatum ex Marcellino diſcimus, libro ejus XIX. Verba ſic habent, *Per dierum ſpatium ſeptem, viri quidem omnes per contubernia & manipulos epulis indulgebant, ſaltando & cantando triſtia quædam genera naniarum, Regium juvenem lamentantes; feminæ verò miſerabili planctu in primævo flore ſucciſam ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant.* His adde quæ infrà dicentur XI, 17. Tibiam tamen non antiquiſſimis temporibus ſed ſeriùs adhibitam funeribus notat Plutarchus libro περὶ τοῦ ΕΙ [*De* EI]. At idem aut quiſquis eſt auctor libri De Muſica ait, Ὄλυμπον ἐπὶ τῷ Πύθωνι ἐπικήδειον αὐλῆσαι Λυδιστί [*Olympum Lydio more tibiâ ceciniſſe in Pythonis funere*].

24. οὐ γὰρ ἀπέθανε τὸ κοράσιον, *non eſt enim mortua puella*] Εὐφημισμὸς [*emolliens ſermo*], qualis ille apud Antiphanem,

> Οὐ γὰρ τεθνᾶσιν, ἀλλὰ τὴν αὐτὴν ὁδὸν
> Ἣν πᾶσιν ἐλθεῖν ἐστ' ἀναγκαίως ἔχον
> Προεληλύθασιν.
> [*Nec enim perierunt ; ſed eam quam neceſſitas*
> *Indixit cunctis anteverterunt viam.*]

Vocem κοράσιον minùs puris accenſet Phrynichus.

ἀλλὰ καθεύδει. *ſed dormit*] Κατέδαρθεν ὁ δαίμων [*miſer ille dormit*] inquit Menander de mortuo. Hæ autem locutiones, ut & quod mortuos μάκαρας aut μακαρίτας [*beatos*] vocabant, & quòd Tertullianus apud Romanos antiquitus uſurpatum ſcribit, *Abiit, & reverti debet*, veſtigia eſſe videntur antiquiſſimæ traditionis, oppoſita Sadducæis, quorum ſententiæ faviſſe videtur Iairi domus.

25. ἐκράτησε τῆς χειρὸς αὐτῆς· *tenuit manum ejus*] Sicut ſolemus facere cùm aliquem ex ſomno excitamus. Ita demonſtravit Chriſtus non minùs Deo in proclivi eſſe mortuos in vitam revocare quàm expergefacere dormientes: quod ad fidem noſtram confirmandam maximi erat momenti. Alioqui κρατεῖν τῆς χειρὸς eſt etiam *manu ducere* aut *ſuſtentare*, ut apud LXX Eſaiæ XLI, 13. & XLV, 1. Nihil autem hac contactione Chriſtum in Legem deliquiſſe apparet ex iis quæ dicta ſunt ad caput VIII.

27. υἱὲ Δαβίδ. *fili David*] Frequentiora & majora veteribus exemplis miracula jam hoc effecerant ut à quibuſdam Ieſus non Propheta tantùm ſed promiſſus ille Meſſias crederetur. Vide Iohan. VII, 31. Idem autem valet ὁ υἱὸς Δαβίδ [*filius David*] & ὁ Χριστὸς [*Chriſtus*], ut apparet infrà XII, 23.

28. οἰκίαν, *domum*] Notant Iuriſconſulti Romani *domum alicujus dici etſi quis in aliena domo habitet, ſive in conducto ſive gratuito.* Vide quæ ſuprà ad caput VIII.

ὅτι δύναμαι, *quia poſſum*] Vide quæ dicta ſunt ad caput VIII.

29. Κατὰ τὴν πίστιν ὑμῶν, *ſecundùm fidem veſtram*] Vide ibidem.

30. ἀνεῴχθησαν, *aperti ſunt*] Hebraiſmus ſignificans facultatem utendi inſtrumento ſenſûs. Vide Marci VII, 34. ubi de auribus dicitur, ut hoc loco & alibi de oculis. Vide Pſalmo CXLVI, 7, 8. cujus hîc complementum.

33. Καὶ ἐκβληθέντος τοῦ δαιμονίου, *& ejecto dæmonio*] Hoc eſt *ſolvere vinctos* dicto Pſalmi loco.

οὐδέποτε ἐφάνη οὕτως, *nunquam apparuit ſic*] Subauditur τι [*aliquid*], ut ſuprà quoque, ac præterea γινόμενον [*factum*]. Sic & Marci II, 12. Senſus eſt, Tot ſigna, tam admirabilia, tam celeriter, neque contactu tantùm ſed & verbo, & in omni morborum genere, à nemine antehac edita, ne à Moſe quidem. Locutio eadem Iudic. XIX, 30.

34. Ἐν τῷ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων, *in principe dæmoniorum*] De hujus loci ſenſu agemus infrà cap. XII. ἐν [*in*] autem hîc eſt poſitum pro ἐν χειρὶ [*in manu, id eſt, per*], ut ſuprà quoque admonuimus: ὁ ἄρχων τῶν δαιμονίων [*princeps dæmoniorum*] eſt ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου [*princeps mundi*], Iohan. XII, 31.

35. καὶ τὰς κώμας, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *& caſtella, docens in ſynagogis*] Erant quidem plerúmque in urbibus tantùm Synagogæ, ad quas conveniebant omnes qui in earum urbium erant territorio, οἱ τῆς περιοικίας. Cæterùm in vicis quoque majoribus ac frequentioribus aliquas conſtitutas ex hoc loco videtur poſſe colligi. Sic etiam primis Chriſtianiſmi temporibus fieri ſolebat, πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων συνέλευσις ἐπὶ τὸ αὐτό [*conventus omnium qui in urbibus aut agris habitabant*]. Et Cenchreis, qui portus erat Corinthiorum, Eccleſia fuit jam Pauli tempore, cujus diaconiſſa erat Phœbe.

36. ἐσκυλμένοι, *vexati*] Apparet ita legiſſe non veterem tantùm Latinum interpretem ſed & Syrum, qui poſuit דלאין. Videbat Chriſtus plebem Iſraeliticam peſſimè haberi ab iis qui paſcere ipſos debebant, Sacerdotibus & Legisperitis, ut qui ſuis ſtuderent commodis, *vindicantes* (quemadmodum loquitur Salvianus) *improbiſſimis quæſtibus nomen religionis, & præferentes ad ſordidiſſimas negotiationes titulum ſanctitatis.* Videbat præterea miſeros homines hinc à Phariſæis inde à Sadducæis in partes diverſas trahi, ita ut quid ſequerentur, quid fugerent non ſatis eſſet ipſis exploratum. Ita ἐσκυλμένοι [*vexati*] ad malam tractationem, ἐρριμμένοι [*disjecti*] ad ſectarum ſtudia pertinebit. Confer Ieremiæ L, 6. Et figuram hujus rei Eſther III, 8.

μὴ ἔχοντα ποιμένα. *non habentes paſtorem*] Qui nimirum paſtorali animo gregem curet, gregis commodo non ſuo ſtudens, quod eſt καλοῦ ποιμένος [*boni paſtoris*] officium, ut Chriſtus docet Ioh. X, 11. Homerus de ovibus,

> ——— Αἵ γ' ἐν ὄρεσσι
> Ποιμένος ἀφραδίῃσι διέτμαγεν.
> [——— *Quæ per juga fuſæ*
> *Ob culpam paſtoris eunt.*]

Locutio hæc ſumta ex Numerorum XXVII, 17. & 1 Regum XXII, 17.

37. Ὁ μὲν θερισμὸς πολὺς, *Meſſis quidem multa*] Hoc eſt quod apud Iohannem IV, 35. dicitur, *agros albos eſſe ad meſſem:* id eſt, animos multorum ſatis erectos exſpectatione ſanioris doctrinæ καὶ εὐθέτους πρὸς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*aptos Regno Dei*]· λαὸς πολὺς [*populus multus*], Actorum XVIII, 10. Figura hujus rei in Ruthis hiſtoria cap. II.

38. ἐκβάλῃ ἐργάτας, *mittat operarios*] Ἐκβάλλειν ſæpe non eſt aliud quàm ἐξάγειν [*emittere*], Iohan. X, 4. aut προφέρειν [*proferre*], infrà XII, 35. hîc idem quod ἀποστέλλειν [*dimittere*] Paulo Romanorum X, 15. Vtroque ſignificatur non ſola Divinæ providentiæ diſpenſatio, ſed collatio ſpecialis poteſtatis, cum peculiaribus mandatis doniſque. Ita olim miſſus Moſes, Elias, Ieremias, atque alii. Optimè autem cum his verbis cohæret ſequens hiſtoria de miſſione Apoſtolorum, quo cœpit impleri id quod Chriſtus optandum dixerat.

ἐργάτας, *operarios*] Ἐργάτην γῆς *agricolam* vocant Græci, ut Plutarchus. Hîc apparet *meſſores* intelligi, ut ſimilitudo ſuis partibus conſtet.

CAPVT X.

1. Τοὺς δώδεκα μαθητὰς, *duodecim diſcipulos*] Familiariores cæteris & convictores quotidianos aliquantò priùs à ſe ſelectos, ut ex Luca apparet.

Olim ad dividendum duodecim factæ partes per Achiam Siloniten; nunc ad colligendum duodecim per Chriſtum.

καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν, *& dedit illis poteſtatem*] Hîc Chriſti Divina vis manifeſtiùs quàm unquam antea elucet. Fecerant mira etiam Prophetæ, ſed mira faciendi poteſtatem nemini ſuopte arbitrio conceſſerant; ne Moſes quidem Ioſuæ, nec Elias Eliſæo. Sic impletus Pſalmus xcii, 12.

2. ἀποστόλων, *Apoſtolorum*] Quod Hebraicè eſt שלוח id Lxx vertunt ἀπόστολον [*miſſum*], ut I Regum iv, 6. Propriè autem vocabantur in Thalmudicis libris שליחין qui decimas atque alia percipiebant & ad Levitas deferebant, οἱ τὰς θυσίας ἀνάγοντες [*qui res ſacratas perferunt*], ut eos vocat Philo Legatione ad Cajum. Auguſtus in edicto ad Aſiæ civitates eoſdem vocat ἀποδοχέας [*receptores*], Philo etiam ἱεροπόμπους τῶν χρημάτων ἀριστίνδην ἐπικριθέντας [*ſacrarum pecuniarum portatores electos ex optimis*]· functionem eorum ἀποστολὴν [*miſſionem*] Iulianus in Epiſtola ad Iudæos, & Epiphanius. Manſit hoc nomen inter Iudæos etiam poſt Vrbis excidium; nam Patriarcharum adſeſſores vocabantur ἀπόστολοι, teſte Epiphanio. Honorius & Arcadius in Lege quæ eſt Codice Theodoſiano, titulo De Iudæis. *Superſtitionis indignæ eſt ut Archiſynagogi ſive presbyteri Iudæorum, vel quos ipſi Apoſtolos vocant, qui ad exigendum aurum atque argentum à Patriarcha certo tempore diriguntur, à ſingulis ſynagogis exactam ſummam atque ſuſceptam ad eundem reportent.* Ad quod exemplum etiam primâ Chriſtianorum ætate qui ad perferenda ultro citroque Eccleſiarum munera ab Eccleſiis mittebantur dicti ſunt ἀπόστολοι [*apoſtoli*] eorum à quibus mittebantur, ut videre eſt II Corinth. viii, 23. Philipp. ii, 25. Ignatius eoſdem modò θεοδρόμους [*curſores Dei causâ*], modò θεοπρεσβύτας [*Dei causâ legatos*] appellat. Quanquam autem vox ἀποστόλων [*Apoſtolorum*] per ſe latiſſimè patet (nam & Chriſtus ipſe eo nomine appellatur Hebræorum iii, 1. & apud Iuſtinum Martyrem atque alios), credibile tamen eſt Chriſtum hac appellatione alludentem ad uſum Hebræorum, ſimulque ad Moſis hiſtoriam qui duodecim exploratores in eandem terram dimiſerat, ubi in Hebræo eſt vox שלח [*mittere*], in Græco vox ἀποστέλλειν, ſignificatum voluiſſe & ſe habere miniſtros quos cum mandatis ſed longè aliis mitteret, qui ſibi fructus optatos reportarent. Data autem hæc appellatio peculiariter illis qui cum eximia poteſtate mittebantur, numero duodecim, teſtes omnium rerum Chriſti dum in terris vixit, ut docemur Actorum i, 21. Poſt Chriſti reſurrectionem idem honos datur Matthiæ, Paulo, Barnabæ, fortè etiam aliis Eccleſiarum fundatoribus, de quibus ſuo tempore erit agendi locus.

δώδεκα, *duodecim*] Chriſtus ſpirituale Regnum exſtructurus exprimit Iudaicæ Reipublicæ imaginem, quò clariùs appareat Regni æterni promiſſiones in ipſo ſolidè impletas. Sicut enim Tribus duodecim, ita duodecim erant φυλάρχαι [*Tribuum principes*] eximiâ dignitate, ad quam alludunt verba Chriſti infrà xix, 28. Luc. xxii, 30. Vide Apocal. xxi, 12 & 14.

ὀνόματα, *nomina*] Magni retulit ſciri horum nomina ex quorum conſentiente teſtimonio veritas erat æſtimanda. Non defuerunt enim qui id nomen ementirentur.

πρῶτος Σίμων ὁ λεγόμενος Πέτρος, *Primus Simon qui dicitur Petrus*] Princeps haud dubiè collegii à Chriſto deſignatus, ad retinendam corporis compagem. Nec offendat quenquam quòd Gal. ii, 9. Cephas medius inter Iacobum & Ioannem legitur. In manuſcripto enim antiquiſſimo, qui ex Græcia in Angliam devênit, abeſt ibi id nomen, ut & in aliis manuſcriptis nonnullis: Græci poſteriores appoſuere.

3. ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος· *dictus Thaddæus*] Puto idem eſſe nomen quod vetuſtè Lucas extulit Ἰούδας [*Iudas*], cujus nominis pronuntiatione quidam Iudæi, ut videtur, abſtinebant ob concurſum literarum τοῦ τετραγραμμάτου [*nominis quadriliteri*]. Origo, ni fallor, eadem eſt, ſed alia flexio. Neque novum ut pro vocali longa ponatur geminatio conſonantis. Nomen autem hujus Apoſtoli alterum Λεββαῖος [*Lebbæus*], Hieronymus *Corculum* interpretatur, quo nomine Romæ P. Naſica fuit appellatus. Plinius maſculina terminatione *Corculos* nominatos refert qui ſapientiâ præſtabant. Sed malunt alii eſſe לבי, quia Hebræi eos qui nomen habebant *Iudæ Leones* vocabant ex Iacobi vaticinio. Neque mirum eſt τὸ ἐπικαλεῖσθαι [*agnominari*] hîc uſurpari de nomine maximè proprio. Nam & Appianus dixit, Κράσσος ὁ Μάρκος ἐπίκλην [*Craſſus agnominatus Marcus*]. Et Iohannes alius ab Apoſtolo dicitur ἐπικαλούμενος Μάρκος [*agnominatus Marcus*], Actorum xii, 12, 25.

4. Κανανίτης, *Cananites*] Non originem ſignificat, quomodo Vrias *Chittæus* dicitur, ſed eſt cognomen Hebræum קנא, quod Lucas propriè reddidit Ζηλωτὴς [*Zelota*], quomodo & Lxx eam vocem reddiderant Exodi xx, 5. & alibi. Quare & Syrus per ק non per כ hoc nomen expreſſit. Græcanicam terminationem nomini addidit Græcus Matthæi interpres, repetitâ ν literâ & interpoſitâ vocali, ut magis ad Græcam formam vox hæc accederet: quomodo Athenodorum Philoſophum Κανανίτην [*Cananiten*] vocabant, ſed à pago quodam, ait Strabo. Sic Ἄνναν [*Annam*] Ioſephus Ἄνανον [*Ananum*] vocat, ſimili literæ ejuſdem repetitione.

Ἰσκαριώτης, *Iſcariotes*] Videtur eſſe contractum ex איש יששכר [*vir de Iſſaſchar*], quod exſtat Iud. x, 1. ſed addita terminatione Græcis familiari.

5. Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν μὴ ἀπέλθητε, καὶ εἰς πόλιν Σαμαρειτῶν μὴ εἰσέλθητε· *In viam Gentium ne abieritis, & in civitatem Samaritanorum ne intraveritis*] Εἰς ὁδὸν ἐθνῶν [*in viam Gentium*] eſt versùs Gentes, ut Ieremiæ ii, 18. εἰς πόλιν [*in civitatem*] ſubaudiendum τινὰ [*aliquam*], ut ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται αὐτοῦ [*os non comminuetis ex eo*], Iohan. xix, 36. eſt ὀστοῦν τι [*os quodpiam*]. Vetat Chriſtus Legatos ſuos egredi fines Palæſtinæ. Per agrum Samaritanorum tranſiri non vetat (erat enim is tranſitus opportunus ex Galilæa tractum Hieroſolymitanum petentibus) ſed prohibet oppida intrari, ut appareat Samaritanorum causâ non inſtitutam hanc legationem. Nam Samaritani partim erant & ipſi externæ originis non conſociati cum Iudæis conſortio religionis, partim erant Iudæi qui relictis patriis ritibus ad illos defecerant.

Voluit igitur Chriſtus ſervari Iudæis nobilitatis ſuæ privilegium: quod neque tantum erat quantum ipſi exiſtimabant, hac propè ſola fiducia ſecuri, neque tamen momenti erat exigui, ut Paulus ad Romanos & alibi docet. Hujus igitur prælationis illuſtre ſignum hoc eſt, quòd Chriſtus in ipſis inſtituendis primam curam poni voluit: quod etiam poſt Chriſti reſurrectionem ab Apoſtolis diligenter ſervatum eſt, ut liquet Actorum 11, 39. XIII, 46.

6. πρὸς τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα οἴκου Ἰσραήλ. *ad oves qui perierunt Domûs Iſrael*] Quibus ſervandis Chriſtus ipſe propriè ſe miſſum profitetur infrà XV, 24. Nam ut plena conſtaret fides promiſſis quæ Deus Iudæorum majoribus fecerat, ipſe Chriſtus ſe exhibuit διάκονον περιτομῆς [*miniſtrum Circumciſionis*], Romanorum XV, 8. Lucæ 1, 54, 55. Externis autem nulla niſi obiter beneficia præſtitit, expectans patientiſſimè Iudæorum ad ſe converſionem, ut deinde per ipſos cum ſumma ipſorum gloria gentes aliæ converterentur.

7. ἤγγικεν ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν. *appropinquavit Regnum cœlorum*] Si quis hoc conferat cum proclamatione Baptiſtæ, & exordio ſermonum Chriſti, reperiet nihil nunc quidem ultrà mandatum Apoſtolis quàm ut Iudæos ad vitam meliorem hortarentur, & ad Chriſtum audiendum pertraherent, à quo accepturi eſſent cætera quæ ad ſalutem ipſis eſſent neceſſaria.

8. καθαρίζετε, *mundate*] Quod hîc quidam aſſcribunt, νεκροὺς ἐγείρετε [*mortuos reſuſcitate*], id non miror abeſſe à vetuſtiſſimis exemplaribus, neque agnoſci à Græcis hunc locum exponentibus. Nullum enim mortuum ab Apoſtolis vitæ redditum legimus ante Chriſti reſurrectionem. Adjectum ex aliis locis eò eſt credibilius, quia Syrus & Latinus non eodem loco ponunt hoc membrum.

δωρεὰν ἐλάβετε, δωρεὰν δότε. *gratis accepiſtis, gratis date*] Dictum eſt non inuſitatum apud Hebræos. Nam Deuteronomii IV, 5 & 14. ubi Moſes dicit ſe ita tradidiſſe Legem ſicut acceperat, explicant Interpretes מה אני בחנם אף אתם כמי בחנם, *Quod ego gratis feci, & vos gratis facere oportet.* Ita & hîc Chriſtus, *Gratis accepiſtis*, inquit, nempe poteſtatem hanc ſanandi. Cùm Medicorum diſcipuli non niſi magno temporis impendio, & magnâ magiſtris mercede ſolutâ qualemcunque morborum medendorum peritiam accipiant, vos hanc pleniſſimam facultatem uno momento, ſine ullo ſumtu veſtro accepiſtis. Hinc χαρίσματα [*gratiæ*] dici ſolent iſtæ δυνάμεις [*virtutes*]. Oſtendit hinc Chriſtus nec grave nec iniquum eſſe quod imperat, ut earum poteſtatum actus gratis quoque exerceantur. Et quidem mercedem paciſci pro actu tali qui directè ordinatur ad Dei gloriam, haud dubiè Dei gloriæ adverſatur: quod ipſa dictat ratio naturalis, ex qua Simonem Magum, hujus alioquin præcepti ignarum, acriter convincit Petrus. Nam ſi *Civilem ſcientiam pretio nummario non eſſe æſtimandam nec dehoneſtandam* dixit Vlpianus, quantò id juſtiùs de donata Divinitus virtute dicitur? Cæterùm citra pactionem pro actu ejuſmodi dona ſponte oblata recipere non habent naturalem turpitudinem. *Quædam* enim, ut idem ait Vlpianus, *tametſi honeſtè accipiantur, inhoneſtè tamen petuntur.* Imò, ut ad Michæam notat Hieronymus, qui Prophetas conſulebant ſolebant iis munuſcula aliqua donare, cujus moris indicia habemus 1 Samuelis IX, 7. 8. & 1 Regum XIV, 3. Sic & Græcorum Philoſophi, ut Origenes adversùs Celſum notat, ἀπὸ τῶν γνωρίμων ἐλάμβανον τὰ πρὸς τὰς χρείας [*à diſcipulis accipiebant quæ ipſis erant neceſſaria*]. Neque tamen ea ſemper recipiebant Prophetæ, ſed ex temporum ac perſonarum circumſtantiis quid opus factu eſſet æſtimabant. Ideo à Satrapa Syro nihil omnino accipere voluit Eliſæus, ne apud hominem externum vileſceret accepti beneficii gratia. Hinc ad puerum ſuum inquit Propheta, *Eratne nunc tempus accipiendi argentum aut veſtes?* & quæ ſequuntur II Regum V, 26. Et à Rege Baltaſare dona accipere abnuit Daniel V, 17. Simili olim prudentia Abrahamus vivens inter homines à veri Dei cultu alienos, nihil de præda ab hoſtibus parta ad ſe pervenire voluit, Geneſeos XIV, 22. Chriſtus, qui videret multum deceſſurum auctoritati doctrinæ Euangelicæ, quin neque extra calumniam futuros diſcipulos ſuos, ſi pro actibus qui ad teſtandam duntaxat veritatem pertinere debebant aliquid acciperent præmii, non fœdas tantùm pactiones, ſed omnem omnino ex rebus ejuſmodi, aut etiam ex ipſa docendi opera quæſtum prohibuit. Quod à veris Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus ſanctiſſimè eſt obſervatum, apud quos, ut Tertullianus loquitur, *nulla res Dei pretio conſtabat.* Tatianus Oratione contra Græcos, φιλοσοφοῦσί τε οὐ μόνον οἱ πλουτοῦντες, ἀλλὰ καὶ οἱ πένητες τῆς διδασκαλίας ἀπολαύουσι· τὰ γὰρ παρὰ Θεοῦ τῆς ἐν κόσμῳ δωρεᾶς ὑπερπαίει τὴν ἀμοιβήν [*non ſoli divites philoſophantur, ſed & pauperes de doctrina hauriunt. Nam quæ à Deo veniunt omnem humanæ liberalitatis vicem longè ſuperant*]. Lactantius, *Nemo vereatur nos. Aquam non vendimus, nec Solem mercede præſtamus.* Interim & Chriſtus & Apoſtoli tum verbis tum exemplo docuerunt æquum eſſe ut qui rebus omnibus neglectis procurandæ aliorum ſaluti vacarent ab ipſis viciſſim honeſtè alerentur. Quomodo à Quintiliano notatum eſt, & Socrati collatum ad victum, & ſapientes, ſi res familiaris id exigeret, paſſos ſibi gratiam referri. *Suſtentationem neceſſitatis*, ut Auguſtinus loquitur, *recipiebant à populo, mercedem diſpenſationis à Domino:* quanquam huic quoque juri ſuo Apoſtoli, & Paulus præſertim, ſæpiſſime ceſſerunt, manibus ſuis victum ſibi potiùs quærentes quàm aut pauperculis oneri eſſent, aut ad malevolorum calumnias paterent. His artibus Euangelica veritas per orbem totum propagata eſt: A quibus quantopere receſſerint poſteriorum temporum mores, tam dictu ſupervacuum eſt quàm triſte cogitatu.

9. μὴ κτήσησθε, *Nolite poſſidere*] Cùm vetuiſſet mercedem pro ſanatione accipi, non dubitabat quin ſtatim in mentem venturum eſſet Apoſtolis, Oportet nos igitur hoc iter non incipere niſi rerum omnium commeatu pulchrè inſtructos. Huic cogitationi occurrens Chriſtus affirmat Deum, cujus res gerant, proſpecturum ipſis de rebus neceſſariis. Quò autem certius habeant documentum, jubet illos ſine ullo commeatu proficiſci. Hoc σύμβολον [*ſignum*] pro illo tempore

præceptum, quò certior ipſis eſſet Divinæ providentiæ experientia, ut rectè notavit Chryſoſtomus in ſermone, Οτι οὐ χρὴ ὀνειδίζειν τοὺς ἱερεῖς [*Non contumelioſè tractandos Sacerdotes*]. Res notata διὰ συμβόλου [*per ſymbolum*], fiduciæ ſecuritas, in perpetuum erat valitura. Eſt ergo hîc κτᾶσθαι [*acquirere*] *in anteceſſum comparare*, quod σκέπτεσθαι & περιποιεῖσθαι dixit Menander,

> Αν μὲν πλέωμεν ἡμερῶν που τεττάρων,
> Σκεπτόμεθά τ' ἀναγκαῖ' ἑκάστης ἡμέρας·
> Αν ᾖ δὲ φείσασθαί τι τοῦ γήρως χάριν,
> Οὐ φεισόμεσθ' ἐφόδια περιποιούμενοι;
> [*Si navigandum ſit diebus quatuor,*
> *Quantum ſat eſt paramus in totidem dies:*
> *Cur non item ſollicita parſimonia eſt,*
> *Viaticum ne deſit ætati malæ?*]

In Hebræo haud dubiè fuerit קנה, quod eo ſignificatu uſurpari notiſſimum eſt.

εἰς τὰς ζώνας, *in zonis veſtris*] Ζώνην [*zonam*] rectè βαλάντιον [*ſacculum*] dixit Lucas x, 4. xxii, 35. C. Gracchus apud Gellium, *Zonas quas plenas argenti extuli, eas ex provincia inanes retuli.* Eundem vocis uſum apud Horatium, Iuris auctores, Suetonium, Spartianum, Lampridium alii annotarunt: ex quibus apparet non æra tantùm ſed & aureos & argenteos nummos in zona portari ſolitos.

10. πήραν, *peram*] *Manticam* Latinè, in quam viatores condere panem & obſonioli aliquid ſolebant. *Peram* Latinè dixit etiam Martialis.

μηδὲ δύο χιτῶνας, *neque duas tunicas*] Qui mos ferme eorum etiam qui minimo contentos ſe putant. Galenus libro De corrigendis animi paſſionibus, Ουτω δὲ καὶ τὴν ἐσθῆτα διπλῆν ἔχειν αὔταρκες [*Sic & binas habere veſtes ſufficit*]. Vnam veſtem habere valde pauperum, quales ſubulci apud Homerum, qui ſic loquuntur Odyſſeâ ξ.

> Οὐ γὰρ πολλαὶ χλαῖναι ἐπημοιβοί τε χιτῶνες
> Ενθάδε ἕννυσθαι, μία δ' οἴη φωτὶ ἑκάστῳ.
> [*Non etenim multas tunicas & pallia multa*
> *Induere eſt nobis, ſed ſufficit unica veſtis.*]

Idem contrà, ubi luxum Phæacum deſcribit, nominat

> Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λόετρά τε θερμὰ, καὶ εὐνάς.
> [*Mutatos habitus, lectoſque, undaſque calentes.*]

Vide II Regum v, 22. Inter Eſſenorum, unde plurimi Chriſtiani, inſtituta Ioſephus memorat, Οὐδὲ ἐσθῆτας οὐδὲ ὑποδήματα ἀμείβουσι πρὶν ἢ διαῤῥαγῆναι τὸ πρότερον, ἢ παντάπασι δαπανηθῆναι χρόνῳ [*Neque veſtes neque calceos mutare, priuſquam priores ruptæ ſint, aut uſu planè detritæ*]. Muſonius, Τὸ μὲν γε ἑνὶ χρῆσθαι χιτῶνι τοῦ δεῖσθαι δυοῖν προτιμητέον [*Vna veſte bene uti honeſtius quàm duabus egere*].

μηδὲ ὑποδήματα, μηδὲ ῥάβδον· *neque calceamenta, neque virgam*] Ῥάβδον non ῥάβδους legerunt Syrus & Latinus. Intellige baculum alium quàm quem manu geritis, aut ſoleas alias quàm quibus nunc induti eſtis. nam hunc eſſe ſenſum oſtendit tum quod præceſſit δύο χιτῶνας, hoc eſt, veſtem alteram ab ea qua veſtimini; tum quod apud Marcum eſt, ubi disertè permittitur unus baculus quem gerebant, & ſoleæ illæ quibus erant induti. Nimirum quia iter facientibus ſoleæ facilè atterebantur, neque raro fiebat ut baculus frangeretur, aut alicubi adhæreſceret, ideo in ſarcinulis ſolebant ponere alias ſoleas alioſque baculos. Hac cautione Chriſtus Apoſtolos ſuos vult abſtinere, quocunque iter facturi eſſent reperturos & victui & itineri neceſſaria. Atque ideo multitudinis numero ῥάβδους [*baculos*] dixit Lucas, ut ſignificaret non interdici quò minùs baculum unum haberent, ſed quò minùs plures: quod æquo jure de paribus ſolearum debet intelligi. Vide etiam quæ ad Marcum dicentur.

ἄξιος, *dignus*] Vox iſta Græcis, & quæ huic reſpondent Hebræis ac Latinis, non ſemper τὸ ἴσον [*æquale*], ſed qualemcunque rei convenientiam notat, ut liquet Epheſior. IV, 1. Philipp. I, 27. Coloſſ. I, 10. I Theſſalon. II, 12. III Iohan. 6. Pro *idoneo* ea voce utitur Origenes contra Celſum II.

τροφῆς, *cibo*] Sumitur hîc τροφῆς nomen generaliùs, quomodo Iuriſconſulti pronuntiant legatis alimentis, cibaria & veſtitus & habitationem deberi, quia ſine his ali corpus non poteſt. Quanquam autem ſententia hæc, *Eum qui operas præſtet, victu*, aut, ut Lucas & Paulus loquuntur, *mercede dignum eſſe*, referri poſſit ad Divinæ benignitatis æſtimationem, tamen cùm Lucas & Paulus apertè hanc σχέσιν [*relationem*] ponant, non inter Deum & Euangelii præcones, ſed inter eoſdem præcones & qui eorum præconio edocentur, putem hîc quoque ejuſdem pronuntiati eandem eſſe ſententiam; ut hoc dicat Chriſtus, Deo providente victum accipietis ab illis ipſis quibus docendis ſanandiſque operam navabitis; idque jure æquiſſimo. Quid enim juſtius quàm τοὺς πνευματικὰ σπείροντας τὰ σαρκικὰ θερίζειν [*qui ſpiritualia ſerunt metere carnalia*], I Corinthiorum IX, 11. Quantillum eſt tenuis victus, ſi cum tantis beneficiis comparetur? Atque hîc iterum apparet μισθὸν [*mercedem*] dici citra æqualitatis rationem; neque tantùm ubi merces operam excedit, quod alibi oſtendimus, verùm etiam ubi indigna eſt merces quæ ad operam comparetur. Nam & de humanæ ſententiæ documentis non eſt veritus dicere Ariſtoteles, Οὐ πρὸς χρήμαθ' ἡ ἀξία μετρεῖται, τιμὴ δ' ἰσόῤῥοπος οὐκ ἂν γένοιτο· ἀλλ' ἴσως ἱκανὸν, καθάπερ καὶ πρὸς Θεοὺς καὶ πρὸς γονεῖς τὸ ἐνδεχόμενον [*Non poteſt dignitas harum rerum pecuniis remenſionem recipere, par enim nullum ſit pretium; at fortè ſufficit id quod dari poteſt ut adversùm Deos ac parentes*].

11. κἀκεῖ μείνατε, *ibi manete*] Diſplicet Chriſto levitas deſultoria: nihil vult temere mutari. Qui parvo didicit vivere, is neque cœnas lautiores captabit, neque timebit ne hoſpitem ſumtu exhauriat. Ergo κ'ἀκεῖ [*ibi*] ad domum pertinet; quod ſequitur ἕως ἂν ἐξέλθητε [*donec exeatis*], ad urbem aut pagum. Vide Lucam x, 7.

12. ἀσπάσασθε αὐτήν. *ſalutate eam*] Veriſſimum arbitror in Hebræo fuiſſe שאלו שלם [*poſtulate pacem domûs*] quomodo eſt in Syriaco. Ita appoſitè ſecuta eſt mentio *pacis* commate ſequenti. At Græcus interpres non verbum verbo reddidit, ſed vim Hebraicæ locutionis Græcâ notiſſimâ voce expreſſit. Alii poſtea cùm non putarent ſatis cohærere quod ſequitur ἡ εἰρήνη ὑμῶν [*pax veſtra*], voces aliquot ex Luca huc infarſerunt. Atqui vis ipſa vocis εἰρήνης, hoc eſt, *ſalutis*

ſive *incolumitatis*, in illo ἀσπάσασθαι [*ſalutare*] ſatis comprehendebatur.

13. ἡ οἰκία ἀξία, *domus illa digna*] Οἰκίαν pro *familia* etiam Xenophon poſuit cùm dixit οἰκίαν διατρέφειν [*familiam alere*]. Neque aliter uſurpatur Iohan. IV, 53. I Corinth. XVI, 15. Philipp. IV, 22. Sed iſtis in locis familia ab ipſo capite diſtinguitur, hîc verò ipſum patrem familias ſimul comprehendit: quomodo & in uſu Romano *familiam* dici Cajus notavit. Ἀξία [*digna*] hoc loco vocatur familia quæ animo eſt docili, non à pietate averſo, ac quæ proinde ſperetur reſponſura vocationi: ſicut contrario modo qui ſunt affecti, dicuntur οὐκ ἀξίους κρίνειν ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς [*indignos ſe judicare æternâ vitâ*], Actorum XIII, 46. Pothinus Lugdunenſis Epiſcopus interrogatus à Præſide, Quis eſſet Chriſtianorum Deus, reſpondit, Ἐὰν ἦς ἄξιος, γνώσῃ [*Si dignus es, diſces*].

ἡ εἰρήνη, *pax*] Helleniſtæ, Hebræorum imitatu, hac voce appellant quicquid in bonorum cenſu habetur, hoc eſt, quicquid expeti atque optari ſolet.

ὑμῶν, *veſtra*] Id eſt, quam vos ipſis precati fueritis.

πρὸς ὑμᾶς ἐπιστραφήτω. *revertetur ad vos*] Hebraiſmus. *Reverti* verbum ad proferentem dicitur quod eventu optato caret, ut videre eſt Eſaiæ LV, 11, & Pſalmo XXXV, 13.

14. ἐκτινάξατε τὸν κονιορτὸν, *excutite pulverem*] Non videtur mihi ritus iſte, directè quidem, denuntiationem Divini judicii continere, qualem Nehemias excuſſo brachio, & Romani projecto lapide volebant intelligi, ſed tantundem valuiſſe quaſi dicerent Apoſtoli, Veneramus huc non noſtri commodi ſed ſalutis veſtræ causâ: Nunc quando monitis noſtris auſcultare non vultis, res veſtras vobis habete: nihil nobis vobiſcum ultrà commercii eſt, quin adeò ne tantillum quidem veſtri expetimus. Quomodo Tertullianus explicat, *Pulverem jubet excuti in illos in teſtificationem & adhorrentiam terræ eorum, nedum communicationis reliquæ.* Hunc enim ſenſum poſtulare videtur id quod Lucas uno loco imperativè poſuit, καὶ τὸν κονιορτὸν ἀπὸ τῶν ποδῶν ὑμῶν ἐκτινάξατε [*pulverem pedum veſtrorum excutite*], IX, 5. altero verò enuntiativè ipſorum Apoſtolorum verbis, Καὶ τὸν κονιορτὸν τὸν κολληθέντα ἡμῖν ἐκ τῆς πόλεως ὑμῶν ἀπομασσόμεθα ὑμῖν [*pulverem qui adhæſit nobis de civitate veſtra extergimus in vos*], X, 11. contrà ſcilicet quàm fecerat Neeman, qui de humo Iudaica ſecum aſportaverat reverentiæ causâ, II Regum V, 17. Bene autem addunt Marcus & Lucas εἰς μαρτύριον αὐτοῖς [*in teſtimonium ipſis*], quia eodem ritu ſimul teſtatum ſit veniſſe ad ipſos doctores veritatis. Ita ad Ezechielem Deus, II, 5. *Vt ſciant Prophetam fuiſſe in medio ſui.*

15. ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, *in die Iudicii*] Non reſpicit Chriſtus tempus præteritum quo urbes iſtæ cœleſti incendio conflagrarunt, ſed futurum, ut oſtendit verbum ἔσται [*erit*]. Nam & diem hanc quam Matthæus vocat ἡμέραν κρίσεως [*diem judicii*], Lucas cum nota eminentiæ dixit, ἡμέραν ἐκείνην [*diem illam*], ut Iudas κρίσιν μεγάλης ἡμέρας [*judicium magnæ diei*], pro quo Petrus dixerat, ut hîc Matthæus, ἡμέραν κρίσεως [*diem judicii*]. alibi ἡ κρίσις [*judicium*] idem ſignificat; nimirum diem univerſali judicio deſtinatum. De Sodomis ergo non tam judicatum eſt olim quàm præjudicatum. neque verò iniquum nobis videri debet ſi gravior pœna imminet Euangelii contemtoribus quàm illis fœdiſſima libidine & omni vitiorum genere inquinatiſſimis. Peccata enim non præcisè tantùm ex ſuapte natura, verùm etiam ex aliis circumſtantiis rerum & perſonarum æſtimanda ſunt. Habuerunt Sodomi notitias naturales & parentum traditionem; Iudæi Legem Moſis multò clariorem. Habuerunt Sodomi monitorem Lotum; at Iudæi Apoſtolos tanta adferentes promiſſa, tantis miraculis ſpectabiles. Atque hinc quoque non minùs quàm ex aliis locis plurimis apparet, contemtum Euangelii non eſſe effectum neceſſarium alicujus vitii quod ſit commune humano generi; ſed aut culpam eſſe peculiarem, & quæ vitari potuit, aut certè culpæ talis certum teſtimonium. Quod enim ex culpa aliqua neceſſariò fluit, id ſupra ſortem ei culpæ communem pœnam alicujus gravare non poteſt.

16. ἀποστέλλω ὑμᾶς, *mitto vos*] Præſentis temporis verbo futurum ſimul complectitur. Quæ enim ſequuntur non tam ad hanc legationem pertinent quàm ad eas quas Chriſtus poſtea Apoſtolis erat mandaturus.

ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων· *ſicut oves in medio luporum*] Sophocles,

Σκαιοῖσι πολλοῖς εἷς σοφὸς διόλλυται.
[*Sapiens malorum poſitus in turba perit.*]

Φρόνιμοι ὡς οἱ ὄφεις, *prudentes ſicut ſerpentes*] Neſcio an id ſpectaverit Chriſtus quod non à profanis tantùm Scriptoribus plurimis ſed & à Davide proditum eſt, angues diligentiſſimè aures ſibi obturare adversùs ſuſurros magicos, Pſalmo LVIII, 5. Sed & pedes hominum ne ab iis obterantur, diligentiſſimè obſervant. Simpliciſſimum eſt ut dicamus reſpici τὸ ὀξυδερκὲς [*acutum tueri*] quod ſerpentibus eſt proprium,

——— *tam cernis acutum*
Quàm aut aquila aut ſerpens Epidaurius.

καὶ ἀκέραιοι ὡς αἱ περιστεραί. *& ſimplices ſicut columbæ*] Bene monet Cicero II De officiis multos eſſe qui verſutos homines & callidos admirantes, malitiam ſapientiam judicent. Ideo Chriſtus commendationem Prudentiæ ab omni fraude doloque ſegregans, comitem ei adjungit Innocentiam ſive ſimplicitatem. Etiam Martiali inter ea quæ beatiorem vitam efficiunt, eſt *prudens ſimplicitas.*

17. Προσέχετε δὲ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων· *Cavete autem ab hominibus*] Dictum eſt eleganter à Comico vetere,

Ὡς χαρίεν ἔστ᾽ ἄνθρωπος ἂν ἄνθρωπος ᾖ.
[*Quàm res venuſta eſt homo, ſed qui verè eſt homo.*]

Sed contrà nihil hoc animante ſævius, ubi ſemel ab humanitate deſcivit, ut rectè Græcus epigramma quoddam ita inceperit,

Ὦ θηρῶν βροτὲ μᾶλλον ἀνήμερε.
[*O ſuperans feritate feras homo.*]

Et epiſtolam Ovidius,

Mitius inveni quàm te genus omne ferarum.

Cavere ergo *homines* jubentur Apoſtoli; id eſt, de commodis & honoribus hujus ævi cum aliis non contendere, vitare offenſas quantum fieri poteſt incorrupta veritate, ipſa veritatis verba non perdere apud eos quorum deplorata eſt improbitas.

εἰς συνέδρια, in conciliis] Suprà vidimus à Chriſto *ſynedrium* dici propriè Synedrium Magnum. Talia autem Gabinius quinque inſtituerat in Iudæa, ut ſuprà diximus; quorum aliqua (nam de omnibus non arbitror) ſupereſſe potuerunt Chriſti tempore. Quòd ſi placet intelligere conſeſſus minores XXIII Iudicum, ne id quidem cum vocis uſu pugnabit.

καὶ ἐν τῶν συναγωγαῖς, & in ſynagogis ſuis] Tam obſcurus viris doctiſſimis hic locus viſus eſt ut ſuſpectam haberent lectionem omnium codicum fide munitam. Sed nimirum impoſuit illis quòd *ſynagogarum* nomine Proſeuchas intelligerent. Atqui certum eſt *συναγωγὰς* dici etiam civiles & juridicos conventus, I Maccab. VII, 12. Additamentis ad Danielem XIII, 41. Scandit igitur hîc oratio à Synedriis ad Synagogas: quod ut intelligatur notandum eſt ſolitos fuiſſe interdum Iudæos in rebus ad ſummam religionis aut imperii ſpectantibus advocare ad Synedrium quotquot haberi poterant Tribuum primores aliiſve honoribus præditos, ut quod conſtituerent legis potiùs à populo probatæ quàm ſenatusconſulti haberet auctoritatem. Talis conventus vocabatur Hebræis קהל, Græcè interdum *ἐκκλησία* [*eccleſia*], interdum *συναγωγὴ μεγάλη* [*Synagoga Magna*]. Ejuſmodi fuit is conventus ex cujus decreto Paſcha indixit Rex Ioſias, II Paralip. XXX, 2. Sed & alibi Ioſephus narrat conveniſſe *γερουσίαν σὺν τοῖς φυλάρχοις* [*Senatum cum principibus Tribuum*], inter cætera, Ioſuæ temporibus. De anathemate quo Eſdræ tempore puniti contumaces narrant Hebræi factum à Synedrio majore & minore. Libro I Maccab. XIV, 18. *ψήφισμα* [*decretum*] quoddam invenitur in hanc formam, Οκτωκαιδεκάτῃ Ἐλοὺλ, ἔτους δευτέρου καὶ ἑβδομηκοστοῦ καὶ ἑκατοστοῦ, καὶ τοῦτο τρίτον ἔτος ἐπὶ Σίμωνος ἀρχιερέως ἐν Σαραμὲλ, ἐπὶ συναγωγῆς μεγάλης ἱερέων καὶ λαοῦ καὶ ἀρχόντων ἔθνους, καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῆς χώρας [*Decimâ octavâ Elul, anno ſecundo & ſeptuageſimo & centeſimo: & hic tertius annus ſub Simone Principe Sacerdotum, in Saramel, in conventu magno Sacerdotum & populi & principum gentis & Seniorum regionis*]. Ita Hebræorum Magiſtri *μεγάλην συναγωγὴν* [*Magnam Synagogam*] כנסת הגדולה vocant cœtum illum centum, ut ajunt, & viginti virorum circa tempora ædificationis Templi ſecundi, in quo cœtu præter *τοὺς συνέδρους* [*Senatores*] & Prophetæ fuerunt & primores alii. Ioſephus talem cœtum vocat *ἐκκλησίαν πάνδημον* [*cœtum collectum undique*], qualem coactum ait ab Herode Magno convocatis multis, non ex Vrbe tantùm ſed & *ἐκ τῆς χώρας* [*ex regione*]. Sic Herodem eundem, nondum Regem, ob interfectum Ezechiam accuſatum ait Gorionides coram Synedrio majore & minore. Veriſſimum eſſe quod dico oſtendet eventus Chriſti verbis ad amuſſim reſpondens. Actorum IV. ſiſtuntur Petrus & Iohannes Pontificibus, Senioribus & Legiſperitis, quorum conſeſſus ibidem ut & alibi *Συνέδριον* [*ſynedrium* ſive *concilium*] vocatur commate 15. Mox Actorum V. narratur Pontifex convocaſſe non tantùm *Συνέδριον* [*ſynedrium*] ſed & *πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ἰσραὴλ* [*omnes Seniores filiorum Iſrael*], commate 21. quia ſcilicet populis ex omnibus oppidis ad Apoſtolos confluentibus (ut narratur commate 16), res hæc ad ſummæ reipublicæ periculum ſpectare videbatur, ita ut operæ pretium eſſet omnium honoratorum ſuffragia exquirere, aut ſaltem, ut in duobus exemplis ſuprà jam adductis, Senatum urbis Hieroſolymitanæ cum Senatu populi conjungere. Hæc ergo fuit *Συναγωγὴ μεγάλη* [*Synagoga Magna*]. Senſuſque verborum Chriſti eſt, Non tantùm ordinariis conſiſtoriis ſiſtemini, ſed & conventus extraordinarii veſtri causâ habebuntur. Coram tali autem conventu extraordinario cæſos virgis Apoſtolos apparet dicto Actorum capite commate 40. Poſſunt etiam *ſynagogæ* intelligi vulgari ſignificatu loci conventuum, præſertim extra Romanum Imperium. Sæpe enim Regum beneficio illis in partibus Iudæis *αἰχμαλωτάρχαις* [*deportatorum principibus*] conceſſa eſt animadverſio in populares, quam in Synagogis ſolitam exerceri non incredibile eſt. nam & Epiphanius narrat Iudæum quendam cùm ad Chriſtianos deficere vellet in Synagoga flagris cæſum. Vide quæ Actorum XXII, 19. & XXVI, 11. Et apud Euſebium citatur liber imperante Commodo adversùs Montaniſtas ſcriptus, ubi ait eorum gregis neminem *ἐν Συναγωγαῖς Ἰουδαίων μαστιγωθῆναι ἢ λιθοβοληθῆναι* [*in ſynagogis Iudæorum aut flagris cæſum aut lapidatum*].

18. *καὶ βασιλεῖς, & Reges*] Quanquam Hebræis מלכים dicuntur interdum qui vicariam aut mandatam habent poteſtatem, quo ſenſu nomen illud etiam Pontio Pilato videtur aptari Act. IV, 26, 27. cùm tamen *ἡγεμόνων* [*Præſidum*] mentio præceſſerit, neceſſe eſt vocem illam hic ſtrictiùs accipi. Eadem oppoſitio *ἡγεμόνων & βασιλέων* [*Regum & Ducum*] eſt & apud Petrum I Epiſtolâ II, 13. *εἴτε βασιλεῖ, ὡς ὑπερέχοντι· εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις* [*ſive Regi quaſi præcelleniti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis*]. Conſtitit igitur huic oraculo ſua fides cùm Petrus apud Neronem, Iohannes apud Domitianum, alii apud Parthorum, Scytharum, Indorum Reges cauſam dixere.

εἰς μαρτύριον αὐτοῖς καὶ τοῖς ἔθνεσιν· in teſtimonium illis & gentibus] Quæ ſit vis hujus locutionis vide ad cap. VIII. Hoc facto convincentur, inquit Chriſtus, Præſides, & Reges, & populi qui illorum tribunalibus adſtabunt, auditæ veritatis.

19. *μὴ μεριμνήσητε, nolite cogitare*] Vox *μεριμνᾶν* non qualemcunque meditationem ſed animi anxietatem ſignificat & laborioſam præparationem qualis eſſe Oratorum ſolet. Vide quæ diximus ad cap. VI. *προμεριμνᾶν* [*præcogitare*] dixit Marcus, *προμελετᾶν* [*præmeditari*] Lucas.

δοθήσεται γὰρ ὑμῖν ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ τί λαλήσετε. dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini] Reſpicitur locus Exodi IV, 11. Etiamſi quid vobis antea deſit, eo ipſo tempore ope cœleſti ſupplebitur, Spiritu Divino ſuppeditante & animo ſapientiam, & ori eloquium non calamiſtratum ſed ſimplici gravitate ipſam nudæ veritatis naturam referens. Hujus promiſſionis complementum in Petro & Srephano videmus; imò in omnibus martyrologiis. Ab Apoſtolis exigit Chriſtus ut ſuæ doctrinæ velint præbere teſtimonium; ut rectè id faciant ipſe præſtiturus. ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ [*in illa hora*] dictum ut ſup. VIII,13. IX,22.

20. Οὐ γὰρ ὑμεῖς ἐστε οἱ λαλοῦντες, *Non enim vos eſtis qui loquimini*] Nota iterum negationem non abſolutè ſed comparatè interpretandam. Non tam vos eritis qui loquemini quàm per vos Spiritus ſanctus. Vide jam nominatas hiſtorias in Actis Apoſtolicis, addito loco II Samuelis XXIII, 2. Ne conſternarentur tantis periculis Apoſtoli, magnum illis auxilium Chriſtus promittit, non Angelos, ſed ipſum Dei Spiritum, quo nihil majus promitti potuit.

ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα, *ſed Spiritus*] Apud Lucianum dicitur Chriſtiano, ἀλλὰ λέγε, παρὰ τοῦ πνεύματος τὴν δύναμιν τοῦ λόγου λαβών [*ſed loquere, à Spiritu acceptâ loquendi facultate*].

21. Παραδώσει δὲ, *tradet autem*] Hæc ſigna temporum Meſſiæ afferunt Hebræi in Thalmude, titulis *Sanhedrin* & *Ketubath*.

22. μισούμενοι ὑπὸ πάντων, *odio habebimini ab omnibus*] Id eſt, à pleriſque hominibus. Ita enim ſumi ſolent particulæ univerſitatis. Petronius Arbiter, *Si quis vitiorum omnium inimicus rectum iter vitæ cæpit inſiſtere, primùm propter morum differentiam odium habet. Quis enim poteſt probare diverſa?* Athenagoras, Ἄνωθέν πως ἔθος, καὶ οὐκ ἐφ' ἡμῶν μόνον, κατά τινα θεῖον νόμον καὶ λόγον παρηκολούθηκε προσπολεμεῖν τὴν κακίαν τῇ ἀρετῇ [*More veteri, nec apud nos tantùm cognito, ex Divina quadam lege atque diſpoſitu connexum eſt vitio bellum inferre virtuti*].

τὸ ὄνομά μου· *nomen meum*] Eam ob cauſam quòd vos diſcipulos meos profiteamini. Hæc enim eſt ſignificatio ὀνόματος [vocabuli illius *nomen*] · quia moris erat diſcipulos vocari ex Magiſtrorum nomine. Explicat Petrus cùm dicit *gratias laudeſque agendas Deo cùm patimur ut Chriſtiani* I Petri IV, 15. cui loco adjunge eum qui eſt Actorum V, 41.

ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος, οὗτος σωθήσεται. *qui autem ſuſtinuerit uſque in finem hic ſalvus erit*] Vim vocis ὑπομένειν [*ſuſtinendi*] optimè Virgilius illo verſu expreſſit,

Durate & rebus voſmet ſervate ſecundis.

Patientiam enim cum exſpectatione boni alicujus ſignificat. אשרי המחכה [*Beatus qui exſpectat*] Danielis XII, 12. Bene autem monet Irenæus ὑπομονὴν [*perſeverantiam*] eſſe duplicem, aliam ἐξ ἀρχῆς [*ab initio*], aliam ἐκ μετανοίας [*ex pænitentia*] · Ad illam Apoſtolos hortatur Chriſtus, ita tamen ut hanc interim à ſpe ſalutis non excludat.

23. διώκωσιν, *perſequentur*] Cùm ſequatur φεύγειν [*fugere*], planè arbitror διώκειν [*perſequi*] hîc strictè ſumendum pro ἐκβάλλειν [*ejicere*]. Itaque ἐν τῇ πόλει ταύτῃ [*in civitate iſta*] poſitum eſt pro οἱ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ [*qui in civitate iſta*], ut diximus ſuprà VI, 6. quod quia erat obſcurius ideo adjecta eſt olim interpretatio διώκωσιν ἐκ τῆς πόλεως ταύτης [*perſequentur ex civitate iſta*], quæ deinde ut fieri ſolet in aliquorum codicum textum admiſſa eſt. Senſus eſt, Ex una urbe per vim ejecti ne deſiſtite ab impoſito vobis munere. Idcirco fugite non in ſolitudinem aliquam ubi ſitis tutiores, ſed in urbem aliam, ibi quoque experturi proventum veſtræ inſtitutionis. Apparet igitur non rectè ex hoc loco peti argumentum ad quæſtionem de Fuga voluntaria ſolo vitandi periculi reſpectu. Non eſt autem facile de fuga quicquam univerſim definire, cùm pro circumſtantia temporum ac locorum aliter atque aliter ſit ſtatuendum. Tertulliani ſententiàm, qui fugam omnem damnabat, Cyprianus, alioqui magni ejus auctoritatem faciens, exemplo ſuo improbavit. Optimè Clemens Stromateon IV & VII. quæ pericula ſubeunda, quæ vitanda ſint, animo mortem neque optanti neque metuenti, ex Dei gloria & hominum uſu æſtimandum reliquit. Κἂν φεύγῃ ὁ Χριστιανὸς, inquit adverſùs Celſum Origenes, οὐ διὰ δειλίαν φεύγει, ἀλλὰ τηρῶν ἐντολὴν τοῦ διδασκάλου, καὶ ἑαυτὸν φυλάττων καθαρὸν, ἑτέρων ὠφεληθησομένων σωτηρίᾳ [*Etiamſi fugiat Chriſtianus non præ formidine fugit, ſed ſervans Magiſtri præceptum, & ſeipſum ſervans purum ad ſalutem aliorum quibus utilis eſſe poterit*]. Neque contemnenda quæ hac de re idem Origenes ad Ioannem, & poſt eum Athanaſius libro ejus argumenti; & Auguſtinus in Epiſtola ad Honoratum ſcripſere.

οὐ μὴ τελέσητε τὰς πόλεις τοῦ Ἰσραὴλ, ἕως ἂν ἔλθῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *non conſummabitis civitates Iſrael, donec veniat filius hominis*] Τελέσητε τὰς πόλεις [*conſummabitis civitates*], id eſt, τελέσητε διδάξαι τὰς πόλεις [*conſummabitis docere civitates*], qualem infinitivi ἔλλειψιν [*defectum*] ſuprà quoque annotavimus & annotabimus alibi. Et ἕως ἂν [*donec*] poſitum eſt vice τοῦ πρὶν [*priuſquam*], ut diximus etiam ſuprà V, 18. Quis autem hîc adventus intelligendus ſit diſcrepant Interpretes. Mihi conſtat *adventum Chriſti* in hiſce libris multis modis dici, & ſæpe eo non corporis præſentiam ſed virtutis documenta intelligi, in quo genere excellit miſſio illa copioſiſſimæ gratiæ Spiritus ſancti, nec in Apoſtolos tantùm, ſed in credentes alios, quo certiſſimo indicio conſtitit Regnum illud diu exſpectatum jam adveniſſe, & Chriſtum ejus Regem cum pleniſſima poteſtate à Patre conſtitutum. Fundum do huic ſententiæ meæ Iohannem Apoſtolum, apud quem Chriſtus jam clariùs aliquantò explicans quod hîc obſcuriùs dixerat, adverſùs omnem vim ingruentium periculorum diſcipulos ſuos eo ſolatur quòd *miſſurum ſe* dicat ipſis *Spiritum illum veracem*, ſtatimque addit, *Non relinquam vos velut pupillos parente orbos: venturus ſum ad vos*, XIV, 18. ubi apertiſſimum puto Chriſti adventu miſſionem Spiritus ſignificari. Adde illa Petri verba Actorum II. 33. *Dextrâ Dei in ſublime evectus, & à Patre nactus Spiritum illum diu promiſſum, effudit hoc quod ipſi adſpicitis atque auditis.* Eſt ergo verborum Chriſti hæc paraphraſis, *Dixi quæ mala vobis imminerent; dixi nihilo minùs veſtrum eſſe inſtare cæpto: ſed nolite animum deſpondere: præ foribus eſt mea magna & Regia poteſtas, quæ apparitura eſt brevi, imò antequam finem feceritis docendis Iudæis intra fines Palæſtinæ.* His verbis oſtendit Chriſtus gratiam Spiritus anticipaturam ipſorum longinquas profectiones. Nam & poſtea, jam jamque ab Apoſtolis diſceſſurus, mandatum ipſis dedit omnes gentes inſtituendi, ſed ita tamen ut ab Hieroſolymis exordium facerent, ibique ſubſiſterent donec promiſſus ille Spiritus ipſis ſuperveniſſet, Lucæ XXIV, 47, 48, 49.

Actorum 1, 4, 5, 8. Optimè ergo cohærent quæ ſequuntur. Nam ſi Chriſtus ad iſtam gloriam pervenire niſi per graviſſimas calamitates non potuit, non debent Chriſti ſectatores eandem ſortem defugere.

24. Οὐκ ἔστι μαθητὴς ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον, *Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum*] Videtur pugnare hoc adagium Hebræis receptiſſimum iſti adagio Græco,

Πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων.
[*Vincunt magiſtros ſæpe diſcipuli ſuos.*]

Sed Græcus verſus agit de iis qui diſcipuli fuere; Hebræa ſententia de iis qui diſcipuli manent, ſicut Chriſti diſcipuli nunquam debent deſinere ejus eſſe diſcipuli. Hoc autem proverbium, ut & alterum non diſſimile, quo ſervus negatur eſſe domino major, Chriſtus non eodem ſemper ſenſu uſurpat, ut videre eſt Lucæ VI, 40. Iohan. XIII, 16. XV, 20. quod & in aliis proverbiis occurrit. Hîc par eventus ſignificatur ob doctrinæ ejuſdem ingenium.

25. Ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, *Sufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus*] דין לעבד להיות כרבו Midraſch in Pſalmo x.

Βεελζεβοὺβ, *Beelzebub*] Ita Syrus, ita Latini veteres, ita Hebræus ſermo. Quod alii ſcribunt Βεελζεβοὺλ [*Beelzebul*] aut ſcriptoris aut pronuntiationis eſt corruptio, quæ in poſtremas literas ſæpe incidit. Ita Ἀβακοὺμ [*Abacum*] pro Ἀβακοὺκ [*Abacuc*] legitur in verſione LXX. Et Σενναχαρεὶμ [*Sennecharim*] pro Σενναχηρεὶβ [*Sennacherib*]. Sic pro Μαναὴν [*Manaen*] Actorum XIII, 1. Syrus habet מנאיל [*Manael*], & pro בליעל [*Belial*] paſſim legimus Βελίαρ [*Beliar*]. Cùm verò hoc fuerit nomen ejus qui inter deos Gentium excellere crederetur, vix credibile eſt ab ipſis Accaronitis eorumque vicinis dictum fuiſſe *Beelzebub*, id eſt, *Muſcarum dominum.* Nam Μυίαγρος [*Muſciceps*], Σμινθεὺς [*Murifugus*] & ſimilia minorum numinum ſunt vocabula. Mihi valde placet quod à viris optimè de Sacra hiſtoria meritis eſt annotatum, Solitos Gentium deos ab Hebræis appellari nominibus in contumeliam mutatis, ſicut & *Bethelem*, hoc eſt, Domum Dei, *Bethaven*, id eſt, Vanitatis domum dixere. Sic illud numen quod Accaronitæ, ut Phœnices alii, vocabant Βεελσαμὴν [*Beelſamen*], hoc eſt, Δία οὐράνιον [*Iovem Cæleſtem*], aut Δία Ὀλύμπιον [*Iovem Olympium*], ut Dius ſcribebat in Phœnicum hiſtoria, Iudæi vocarunt Βεελζεβοὺβ [*Beelzebub*], hoc eſt, *Iovem muſcarium.* Beelſamen autem vocatum fuiſſe Deum iſtarum nationum, præter Philonem Byblium Auguſtinus nos docet ad Iudicum cap. 11. Sed quæri adhuc poteſt, Vnde origo contumelioſi nominis. Dicam quod videtur. Narrant magno conſenſu Iudæi veteres inter alia privilegia quæ Deus templo Hieroſolymitano conceſſerat, hoc etiam fuiſſe, quòd cùm tantus quotidie victimarum numerus cæderetur, nulla tamen unquam in Templo muſca conſpecta ſit; quod cùm præſtare non poſſet ille celeberrimus inter profanas gentes Ζεὺς οὐράνιος [*Iuppiter Cæleſtis*], ſed perpetuò templum ipſius muſcarum gregibus ſcateret, ideo à Iudæis *muſcarum Iuppiter* appellatus eſt. Coluerunt autem Phœnices & eorum coloni Carthaginienſes *Deum cæleſtem*, qui eſt בעל שמין, & *Deam cæleſtem*, quæ eſt בעלת שמין, Eſaiæ מלכת השמים [*Regina cæli*], *Iuno* Maroni. Sed dubitandum non eſt quin illo vocabulo Solem, iſto Lunam indicaverint, antiquiſſima omnium propè gentium numina. In veteri Epiſtolâ Nabuchodonoſoris, quam deſcripſit Abydenus Aſſyriorum hiſtoriographus, בעל eſt Βῆλος, בעלת eſt Βῆλτις. Cæterùm Iudæi ex Prophetis edocti deos Gentium dæmonia eſſe, hoc eſt, oracula quæ ab ejuſmodi deorum ſtatuis edebantur non vi iſtorum ſiderum edi, quod putabant gentes, ſed operâ impurorum ſpirituum, ad quos proinde revera omnis cultûs illius honos redundaret, malorum dæmonum principem eo appellarunt nomine quo creditorum falsò deorum princeps appellabatur. Vide infrà XII, 24. Iam verò cùm plebi perſuaſum vellent Phariſæi quæ à Chriſto ederentur miracula edi virtute illius principis dæmonum, ideo ipſum quoque Chriſtum per ſummum ſcelus, tanquam dæmonis iſtius procuratorem ac vicarium, *Beelzebub* appellarunt.

πόσῳ μᾶλλον τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ; *quantò magis domeſticos ejus*] Dictis reſpondet eventus. Apoſtolos γόητας [*maleficos*] vocat Celſus; Vlpianus Iuriſconſultus Chriſtianos qui exorcizabant impoſtores appellat; Tacitus eos dicit *convictos in odio humani generis:* Paſſim Chriſtiani & ἄθεοι [*Dei expertes*] pari loco ponebantur. Hanc gratiam à mundo ineunt incorrupti veritatis doctores.

26. οὐδὲν γάρ ἐστι κεκαλυμμένον ὃ οὐκ ἀποκαλυφθήσεται· *nihil enim eſt opertum quod non revelabitur*] Sophocles,

Ἅπανθ' ὁ μακρὸς κἀναρίθμητος χρόνος
Φύει τ' ἄδηλα.
[*Humana longis cuncta curriculis dies*
Immutat: occulta aperit & aperta occulit.]

Idem alibi,

Πρὸς ταῦτα κρύπτε μηδέν· ὡς ὁ πάνθ' ὁρῶν
Καὶ πάντ' ἀκούων πάντ' ἀναπτύσσει χρόνος.
[*Studeas nihil cèlare: quæ videt omnia*
Et omnia audit, omnia evolvit dies.]

Euripides,

Χρόνος δὲ δείξει, τῷ τεκμηρίῳ μαθὼν
Ἢ χρηστὸν ὄντα γνώσομαί σε ἢ κακόν.
[*Tempus docebit, cujus indicia intuens*
Diſcam bonusne ſis vir, an contrà malus.]

Menander,

Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.
[*In lucis oras protrahit verum dies.*]

Neque aliter accidit. Nam & Iudæorum calumnias de magicis artibus & impoſturis Chriſti atque Apoſtolorum, & paganorum improbiſſima mendacia de inceſtis congreſſibus & ſanguinis humani potatione dies revicit. Adde Deuteronomii XXXII, 35.

27. καὶ ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. *quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta*] Non ea tantùm quæ ego nunc ad populum loquor, ſed & quæ poſthac vobis ſolis familiariter ediſſeram, & poſtea per Spiritum clariùs explicabo, ut de promiſcua Gentium vocatione & exſpiratione Iudaicorum rituum, palàm omnibus enuntiate. Δώματα autem propriè quidem ſunt, ut ab aliis annotatum eſt, *ſolaria*, ſed apparet ad eorum ſimilitudinem ita vocari cœpiſſe podia illa projecta de quibus

præcones, aut etiam ipſi Magiſtratus, populum ſolebant alloqui. Vtrumque autem proverbiale eſt, & in *aurem dicere, & de projecto promulgare.* Latinis quoque proverbium eſt, *acta in aurem legere*, quo notantur qui res omnibus notas pro arcanis venditant.

28. μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι· *nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*] Sententia haud dubiè celebris inter Iudæos ab Eſdræ temporibus. Scriptor libri περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*De rationis imperio*] qui Ioſepho adſcribitur, ita loquentem facit unum ex Eleazari filiis, Μὴ φοβηθῶμεν τὸν δοκοῦντα ἀποκτείνειν τὸ σῶμα· μέγας γὰρ τῆς ψυχῆς κίνδυνος ἐν αἰωνίῳ βασανισμῷ κείμενος τοῖς παραβαίνουσι τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ [*Ne timeamus eum qui videtur corpus poſſe occidere: magnum enim æterni tormenti periculum animis proponitur iis qui Dei præcepta violant*]. Scriptor Sapientiæ XVI, 13. Σὺ γὰρ ζωῆς καὶ θανάτου ἐξουσίαν ἔχεις, καὶ κατάγεις πύλας ᾅδου καὶ ἀνάγεις· ἄνθρωπος δὲ ἀποκτείνει μὲν τῇ κακίᾳ αὐτοῦ· ἐξελθὸν δὲ πνεῦμα οὐκ ἀνατρέψει, οὐδὲ ἀναλύει ψυχὴν παραληφθεῖσαν· τὴν δὲ σὴν χεῖρα φυγεῖν ἀδύνατόν ἐστιν. In quo loco repoſui ἀνατρέψει pro ἀναστρέψει, quod alii vertunt *revertetur*, alii *reducet*, nullo ſenſu commodo: At una literâ demtâ idem erit ſenſus qui in his Chriſti verbis, *Tu, ô Deus, vitæ neciſque ſummam habes poteſtatem: tu ad inferos ducis ac reducis. Homo quidem malitiâ ſuâ actus interficit, ſed corpus tantùm: nam egreſſam è corpore animam evertere non poteſt, neque diſſolvere ſpiritum à te ſuſceptum. Tuam autem vim nec anima nec corpus poſſunt effugere.* Sciendum autem eſt primæ hujus ſententiæ verba depromta eſſe ex libro Samuelis I, cap. II, 6. Simili argumento probat Hierocles parentibus non eſſe obtemperandum ſi quid injuſti præcipiant, quia ſævitia illorum ultra corpus extendi non poteſt. Verba ipſius luculenta ſanè apponam, Εἰ γὰρ προτείνειαν θάνατον μὴ πειθομένοις ἢ βίου ἀλλοτριώσιν, οὐδὲν ἐκφοβεῖσθαι δεῖ τοῖς τοιούτοις, ἀλλ' εὖ εἰδέναι τί τὸ ταῦτα πεισόμενον, καὶ ὅτι ᾧ ἐγέννησαν ἀπειλοῦσι μόνῳ· τὸ δὲ ἀπαθὲς τούτων ἐλεύθερον προσήκει τηρεῖν καὶ μόνῳ Θεῷ εὐπειθές [*Nam ſi non obedientibus minantur mortem aut exheredationem, non ſunt iſta pertimeſcenda; ſed ſciendum quid ſit illud cui iſta erunt patienda: Ei quod genuerunt minantur. At illam partem quæ extra tales eſt perpeſſiones liberam ſervare oportet & Deo ſoli obnoxiam*]. Arrianus Epicteti libro I, cap. 9. Οἱ τύραννοι δοκοῦντες ἔχειν τινὰ ἐφ' ἡμῖν ἐξουσίαν διὰ τὸ σωμάτιον [*Tyranni qui videntur aliquam in nos habere poteſtatem ob corpuſculum*]. Confer Eſaiæ LI, 7. Iuſtinus ad Diognetum, Τότε τῆς ἀπάτης τοῦ κόσμου καὶ τῆς πλάνης καταγνώσῃ ὅταν τὸ ἀληθῶς ἐν οὐρανῷ ζῆν ἐπιγνώσῃ, ὅταν τοῦ δοκοῦντος ἐνθάδε θανάτου καταφρονήσῃς, ὅταν τὸν ὄντως θάνατον φοβηθῇς, ὃς φυλάσσεται τοῖς κατακριθησομένοις εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον, ὃ τοὺς παραδοθέντας αὐτῷ μέχρι τέλους κολάσει [*Tunc impoſturam mundi & errorem damnabis quum verè in cælo vivere didiceris, quum ejus quod hîc mors eſſe cenſetur contemtor eſſe & mortem quæ revera eſt mors formidare cæperis, quæ ſervatur eis qui ad ignem æternum damnabuntur, qui ſibi traditos afficiet ſupplicio ad finem uſque*].

τὸν δυνάμενον καὶ ψυχὴν καὶ σῶμα ἀπολέσαι ἐν γεέννῃ. *qui poteſt & animam & corpus perdere in Gehennam*] Suprà capite V. egit Chriſtus de corporis ſupplicio in Gehenna: nunc addit Deum eſſe qui & animam poſſit perdere, *animæ* nomine non vitam intelligens totius hominis, quam nemo non homini poteſt eripere, ſed ſubſtantiam illam nobiliorem quæ ſimul cum corpore hominem conſtituit: quæ aliis in locis πνεῦμα [*ſpiritus*] appellatur. Sic Rabbi Iſrael De Anima cap. VIII. ait Iſraelitarum qui in corpore peccarint & corpus & animum comburi. Quomodo autem pereat anima ita Hierocles explicat, ὡς οἷόν τε ἀθανάτῳ οὐσίᾳ θανάτου μοίρας μεταλαχεῖν, οὐ τῇ εἰς τὸ μὴ εἶναι ἐκβάσει, ἀλλὰ τῇ τοῦ εὖ εἶναι ἀποπτώσει [*quo poteſt modo immortalis ſubſtantia mortem perpeti, non eo exitu ut non ſit, ſed amiſſione boni ſtatus*]. Videtur autem Chriſtus de induſtria non repetiſſe hîc verbum *occidendi*, quod erat in membro priore, ſed poſuiſſe verbum *perdendi*, quod cruciatûs habet ſignificationem, ut in Tiberii Epiſtola ad Senatum, *Quid ſcribam Vobis, Patres Conſcripti, aut quid omnino non ſcribam hoc tempore, di me deæque omnes pejùs perdant quàm perire quotidie ſentio, ſi ſcio.* Ad quæ verba ita Tacitus ex Platone, *Adeò facinora atque flagitia ſua ipſi quoque in ſupplicium verterant. Neque fruſtra præſtantiſſimus ſapientiæ firmare ſolitus eſt, ſi recludantur tyrannorum mentes poſſe adſpici laniatus & ictus; quando ut corpora verberibus, ita ſævitiâ, libidine, malis conſultis animus dilaceretur: quippe Tiberium non fortuna, non ſolitudines protegebant, quin tormenta pectoris ſuaſque ipſe pœnas fateretur.* quæ eò libentiùs adſcribo, quia non obſcuram mihi videntur præferre imaginem triſtiſſimi ſupplicii quod impiorum animis imminet, quo tempore omnibus arcanis evolutis ſua in quemque conſcientia furialibus quaſi facibus armabitur. De impiorum autem animis non idem ſenſiſſe Hebræorum Magiſtros ſuprà quoque attigi. David Kimchi ad primum Pſalmum & ad Pſalmum CIV, 30. ex receptiore Thalmudiſtarum ſententia tradit eos exſtingui unà cum corpore, ſicut Seneca dixit,

> *Mors individua eſt noxia corpori,*
>
> *Nec parcens animæ.*

Eademque eſt ſententia Rabbi Bechai quod ἀλλοφύλους [*Gentiles*] attinet: nam reſurrectionem propriam vult eſſe Iſraelitarum. At Iſraelitas qui à Lege defecerunt arbitratur reſurrecturos & æterna ſenſuros ſupplicia animorum & corporum; eos verò, qui non defecerunt, neque tamen vixerunt ex Legis regula, poſt præfiniti temporis cruciatum in nihilum abituros. At Rabbi Higgaon, Rabbi Saadia, & Abenezra omnes Iſraelitas qui non reſurrecturi ſunt ad vitam æternam manſuros ajunt in ſtatu ignominiæ finem non habituræ. Eandem fuiſſe alibi Eliezeri ſententiam tradere videtur ille Kimchi ad I Samuelis XXV, 29. Tacitus Iudæis ait eandem fuiſſe de inferis perſuaſionem quæ eſſet Ægyptiis. Crediderunt autem Ægyptii quorundam ſceleratiſſimorum gravia & æterna ſupplicia, aliorum temporaria. Hinc ſuam νεκυίαν [*narrationem de mortuis*] hauſit Homerus, quem in Ægypto fuiſſe conſtat, apud quem Tantalus & Tityus perpetuò cruciantur, ſicut apud Virgilium

> ——— *ſedet æternúmque ſedebit*
> *Infelix Theſeus.*

Quos ſecutus Plato in libro De anima de ſummè facinoroſis ait, τούτους ἡ προσήκουσα μοῖρα ῥίπτει εἰς τὸν τάρταρον ὅθεν οὔποτε ἐκβαίνουσι [*hos æqua lex fati abjicit in Tartarum, unde nunquam exibunt*]. Minùs autem ſceleratos ad tempus torqueri exiſtimat. Non poſſum omittere quin hîc addam egregium Hieroclis locum adversùs eum qui perſuaſione interituræ animæ ſceleribus ſuis blanditur, quem ait μόνην ἴασιν εὑρίσκειν τὴν εἰς τὸ μὴ εἶναι καταφυγὴν, ὅθεν αὐτῷ παρίσταται κακῷ τὸ κακὸν ἰᾶσθαι, φθορᾷ τῆς ψυχῆς τὴν κακίαν παραμυθουμένῳ, καὶ τὴν μετὰ θανάτου οὐδένειαν ἑαυτοῦ καταψηφίζεσθαι, φυγὴν τὴν τῆς κρίσεως πόνων· οὐ βούλεται γὰρ ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὐτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρούμενος, καὶ φθάνει τὸν ἐκεῖ δικαστὴν, θανατὸν ἑαυτοῦ καταψηφιζόμενος, ὡς πρέπον τὴν πονηρὰν ψυχὴν μηδὲ εἶναι· ἀλλ' οὗτος μὲν ὡς ἀβουλίᾳ πρὸς κακίαν ὑπενεχθεὶς εἰκότως ἀμετρίᾳ τὴν καθ' ἑαυτοῦ ψῆφον ἐκφέρει· οἱ δὲ ἐν ᾅδου δικασταὶ, ἅτε πρὸς τὸν τῆς ἀληθείας κανόνα τὴν κρίσιν ποιούμενοι, οὐ κρίνουσι μὴ εἶναι δεῖν τὴν ψυχήν [*unum habere remedium confugere ad non eſſe, ſic illi id reſtat ut malum malo medeatur, id eſt malitiam ſuam ſoletur animæ interitu, ſibique pœnam irroget poſt mortem in nihil redigi, ad fugienda Iudicii mala. Non vult enim homo malus immortalem eſſe ſuam animam, ut non ferat pœnas. Præcurrit ergo Iudicem ſe interitu damnans, tanquam mala anima ne eſſe quidem deberet. At ille quidem qui per inſipientiam in vitio inſit meritò imperitè de ſe fert ſententiam. At qui apud inferos ſunt Iudices, ad veri regulam judicium exercentes, nolunt animam non eſſe*]. Similis ſententia eſt apud Iuſtinum Apologiâ ſecundâ, Ἀποβλέψατε γὰρ πρὸς τὸ τέλος ἑκάστου τῶν γενομένων βασιλέων, ὅτι τὸν κοινὸν πᾶσι θάνατον ἀπέθανον· ὅπερ εἰ εἰς ἀναισθησίαν ἐχώρει, ἕρμαιον ἂν ἦν τοῖς ἀδίκοις πᾶσι [*Reſpicite ad exitum uniuſcujusque Regum qui fuere, Pari cum cæteris morte functi ſunt. Quòd ſi id duceret ad inſenſibilitatem, lucrum id ipſis eſſet*]. Sapienter Philo libro De præmiis & pœnis, Ἄνθρωποι μὲν γὰρ πέρας τιμωριῶν εἶναι νομίζουσι θάνατον· ἐν δὲ τῷ θείῳ δικαστηρίῳ μόγις ἐστὶν οὗτος ἀρχή· ἐπεὶ τοίνυν καινὸν τὸ ἔργον, ἔδει καὶ τὴν ἐπ' αὐτῷ τιμωρίαν καινὴν εὑρεθῆναι· τίς οὖν ἐστιν αὕτη; ζῆν ἀποθνήσκοντα ἀεὶ, καὶ τρόπον τινὰ θάνατον ὑπομένειν ἀτελεύτητον· θανάτου γὰρ διττὸν εἶδος, τὸ μὲν κατὰ τὸ τεθνάναι, ὅπερ ἀγαθόν ἐστιν ἢ ἀδιάφορον, τὸ δὲ κατὰ τὸ ἀποθνήσκειν, ὃ δὴ κακὸν πάντως, καὶ ὅσῳ χρονιώτερον βαρύτερον [*Homines finem pœnarum eſſe putant mortem; at in Divino Iudicio id vix initium eſt. Cùm ergo novum fuiſſet hoc facinus, oportuit & novum ſupplicium inveniri: Quod illud? Vt vivat ſemper moriens, & aliquo modo mortem ſuſtineat interminabilem. Mortis enim duo ſunt genera, alterum in mortuum eſſe, quod aut bonum eſt, aut in rebus mediis; alterum in mori, quod penitus malum, & quò durabilius, eò gravius*]. Quem ſenſum breviter expreſſit Tatianus, Ἀνίσταται δὲ εἰς ὕστερον (ἡ ψυχὴ) ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ κόσμου σὺν τῷ σώματι θάνατον διὰ τιμωρίας ἐν ἀθανασίᾳ λαμβάνουσα [*Siſtitur autem poſtea in conſummatione ſeculi anima unà cum corpore, mortem habitura in pœna immortali*]. Sed de animorum immortalitate diſſerendi poſthac ſe dabit benignior occaſio.

29. στρουθία, *paſſeres*, vel *aviculas*] Moſchopulus ait ita vocari πάντα τὰ μικρὰ τῶν ὀρνίθων [*omnes aves minutas*].

ἀσσαρίου, *aſſe*] אישר vel אשר nummus eſt valens dimidium τοῦ λεπτοῦ [*quadrantis*].

ἄνευ τοῦ πατρὸς, *ſine patre*] Hoc eſt, ut Cyprianus interpretatur, *non ſciente aut non permittente Deo.* Oppianus non diſſimiliter dixit,

> ——— Τί γὰρ μερόπεσσιν ἄνυστὸν
> Νόσφι θεῶν, οὐδ' ὅσσον ὑπ' ἐκ ποδὸς ἴχνος ἀεῖραι,
> Οὐδ' ὅσον ἀμπετάσαι βλεφάρων περιφαέα κύκλα.
> [——————— *Quid enim mortalia ſecla*
> *Abſque Diis poſſint, nec vel veſtigia ſola*
> *Figere, vel patulos expandere luminis orbes.*]

Epicurus Providentiam omnino negat; Ariſtoteles eam cœlo includit; Arabes nonnulli circa univerſalia eam volunt occupari, non circa ſingularia: quam ſententiam in Græcis etiam Philoſophis notat & ut impiam reprehendit Iuſtinus initio Colloquii cum Tryphone; Hebræorum aliqui circa homines, non circa beſtias: quod & didiciſſe ab Hebræis & Græcos docuiſſe videri poteſt Pythagoras. Ita enim Hierocles, Μὴ ταραττέτω δὲ ἡμᾶς τὸ καὶ ἐπὶ τῶν ζώων ἀλόγων καὶ φυτῶν καὶ αὐτῶν τῶν ἀψύχων τὴν αὐτὴν ἀνωμαλίαν ἐπιφαίνεσθαι ἣν καὶ ἐπ' ἀνθρώπων· οὐ γὰρ διὰ τοῦτο τὰ καθ' ἡμᾶς ἀπρονόητα, εἴγε ἐκείνοις ταῦτα ὡς ἔτυχε συμβαίνει [*Neque turbet nos quòd circa muta animantia & plantas & inanima eadem quæ circa homines apparet inæqualitas: non enim quia illis talia fortuitò eveniunt etiam nobis accidunt citra Dei providentiam*]. A qua ſententia non abhorrere videtur Hieronymus Expoſitione ad Abacucum, niſi verba ejus benigniùs libeat interpretari. Cæterùm quod Chriſtus hîc docet idem monſtrat recta ratio, quod explicabo Athenagoræ verbis, Δεῖ τοὺς ποιητὴν τὸν Θεὸν τοῦδε τοῦ παντὸς παραδεξαμένους τῇ τούτου σοφίᾳ καὶ δικαιοσύνῃ τὴν τῶν γινομένων ἁπάντων ἀνατιθέναι φυλακήν τε καὶ πρόνοιαν, εἴγε ταῖς ἰδίαις ἀρχαῖς παραμένειν ἐθέλοιεν· ταῦτα δὲ περὶ τούτων φρονοῦντας, μηδὲν ἡγεῖσθαι μήτε τῶν κατὰ γῆν μήτε τῶν κατ' οὐρανὸν ἀνεπιτρόπευτον μηδ' ἀπρονόητον, ἀλλ' ἐπὶ πᾶν ἀφανὲς ὁμοίως καὶ φαινόμενον, μικρόν τε καὶ μεῖζον, διήκουσαν γινώσκειν τὴν παρὰ τοῦ ποιήσαντος ἐπιμέλειαν [*Par eſt ut qui Deum univerſi opificem agnoſcunt ejus ſapientiæ ac juſtitiæ omnium quæ fiunt cuſtodiam gubernationemque attribuant, ſi modò ſuis principiis velint inſiſtere. Hæc qui intelligunt credere debent nihil aut cæleſtium aut terreſtrium à tutela providentiaque abdicari; ſed Dei curam pertingere ad res inconſpicuas & conſpicuas, parvas magnaſque*]. Verum quidem eſt non circa omnia uno modo ſe habere Providentiam, ſed hoc ipſum, ut rectè dixit Chryſoſtomus, προνοίας μέγιστον εἶδός ἐστι [*providentiæ maxima pars eſt*]. Nam cùm Dei infinita ſit & ſcientia & potentia, conſtetque eum in multis agere præter naturæ ordinem rebus inſitum, modò apertiùs, modò verò occultiùs, ſequitur, ut quæ naturali ordini permittit, eadem certo ac ſapiente conſilio permittat, quippe impediturus ſi aliter ipſi viſum eſſet. Hominem curat, ut animal Deo proximum & propriæ felicitatis fruendæ causâ conditum, beſtias verò ut in uſum hominum ordinatas. Itaque genera ipſa beſtiarum conſervari videmus, quod ſine ſingularium ſuſtentatione fieri non poteſt, cùm in ſingulis rebus conſiſtat generis cujuſque univerſitas. Egregiè Plato, De legibus decimo, Medici & Nautæ exemplo demonſtrat totius partem non conſiſtere ſine partium etiam minimarum cura: unde infert minimè dignum eſſe creditu, τὸν Θεὸν ὄντα σοφώτατον, βουλόμενόν τε ἐπιμελεῖσθαι καὶ δυνάμενον, ὧν μὲν ῥᾷον ἦν ἐπιμεληθῆναι, σμικρῶν ὄντων, μηδαμῇ ἐπιμελεῖσθαι, καθάπερ ἀργὸν ἢ δειλόν τινα διὰ πόνους ῥαθυμοῦντα, τῶν δὲ μεγάλων [*Deum qui ſit ſapientiſſimus, velitque cuncta curare & poſſit, curam magnis impendere, non etiam parvis curatu perfacilibus, quaſi aut otium amaret aut laborum metu abſterreretur*]. Quare quæ effata negare videntur Dei curam circa beſtias, comparatè ſunt intelligenda: quod vel ex Paulo apparet quærente *an Deus boum gerat curam*, 1 Corinthiorum IX, 9. Nam ipſe legem Moſis citaverat quæ bovi trituranti os vetat obligari. Negari non poteſt quin qui eam legem juſſit, geſſerit & boum curam; ſed non præcipuè, neque tam boum quàm hominum causâ, ut ſequentia apud Apoſtolum explanant. Plutarchus ex Homero probat antiquorum ſapientum fuiſſe ſententiam curari Divino numine, οὐ μόνον βόας (hæc enim illius verba ſunt) ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ ἄλλα ζῷα, ὡς τῆς φύσεως ζωτικῆς μετέχοντα [*non boves tantùm ſed & animantia omnia, ut quæ de natura vitali participent*]. Sed & circa homines ipſos ſunt certi Providentiæ gradus: *Novit viam juſtorum*, inquit de Deo Pſaltes, id eſt, peculiariter eam curat ac fovet. Vide Iachiaden ad Danielem VII, 3. Salvianus lib. II. *Licèt gubernator omnium Deus ſit, illis tamen peculiariter regimen præſtari à Deo dicitur qui regi peculiariter à Divinitate mereantur.* Sic aliter Reges ac Regna reſpicit Dei providentia, aliter privatos, ut Platonis iterum verbis utar, τῷ τοῦ παντὸς ἐπιμελουμένῳ πρὸς τὴν σωτηρίαν καὶ ἀρετὴν τοῦ ὅλου πάντ' ἐστὶ συντεταγμένα· ὧν καὶ τὸ μέρος εἰς δύναμιν ἕκαστον τὸ προσῆκον πάσχει καὶ ποιεῖ [*ab eo qui cuncta curat, omnia conſtituta ſunt ad Vniverſi ſalutem & ad virtutem; ſingula autem quæ eò tendunt, & agunt & patiuntur pro ſua pollentia*]. Quare ubi dicit Sapiens Hebræus de Deo VI, 8. ὁμοίως προνοεῖται περὶ πάντων [*æqualiter ipſi cura eſt de omnibus*], illud ὁμοίως intelligendum ἀπροσωπολήπτως [*citra perſonæ acceptionem*]· præceſſit enim, οὐκ ἐντραπήσεται μέγεθος [*non verebitur magnitudinem*].

30. Ὑμῶν δὲ καὶ αἱ τρίχες τῆς κεφαλῆς πᾶσαι ἠριθμημέναι εἰσί. *veſtri autem capilli capitis omnes numerati ſunt*] *Veſtrûm*, inquit, qui non tantùm eſtis homines, verùm etiam nuntii Divinæ veritatis, quos proinde Deus, ut miniſtros ſuos, in tutelam ſpecialem ſuſcipit. Eſt autem dictum παροιμιῶδες [*proverbiale*]· numerare enim ſolemus ea quæ habemus in pretio, ſicut ea quæ contemnimus dicimur *nullo loco numerare*, vel *extra numerum habere*. Deinde *pilus* ſignificat rem minimam, etiam Græcis & Latinis. Hinc Hebræa locutio, *Ne pilus quidem ejus peribit*, id eſt, ne minimum quidem damnum ſentiet, 1 Samuelis XIV, 45. Lucæ XXI, 18. Actorum XXVII, 34. Seneca epiſtolâ XXIX. *Et legem barbæ & canorum nondum natus infans habet.* Senſus ergo eſt, Vtcunque in vos ſæviant homines, certi eſtote nihil damni vobis eventurum niſi quod futurum ſit in veſtram aliorumque utilitatem: alioquin minimè id Deum permiſſurum, qui vos amat, quique plus omnibus poteſt polletque.

31. διαφέρετε, *meliores eſtis*] Optimè puto verti *pluris eſtis*; quia paulò antè dixerat Chriſtus *duas aviculas unius aſſis æſtimari.*

32. ὁμολογήσει ἐν ἐμοὶ, *confitebitur* in *me*] יודה לי. Nam ל particulam in hac conſtructione paſſim Helleniſtæ per ἐν [*in*] vertunt, quomodo & Syrus hîc poſuit דנודא בי.

33. ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ, *negabo & ego eum*] Non cordis tantùm fidem, ſed & oris confeſſionem Chriſtus exigit, Rom. X, 10. Sicut autem antecedens promiſſio perſeverantiæ includit conditionem: ita hæc comminatio intelligenda eſt tacitam in ſe habere conditionem, Niſi ſubſecuta ſit ſeria pœnitentia, ut Petro evênit, ſed ante acceptum fortitudinis ſpiritum.

34. Μὴ νομίσητε ὅτι ἦλθον βαλεῖν εἰρήνην ἐπὶ τὴν γῆν· *nolite arbitrari quia pacem veni mittere in terram*] Vt multi tum exiſtimabant ex Eſaiæ cap. XI. malè intellecto.

Μάχαιραν. *gladium*] Μαχαίρας voce hîc non bellum (neque enim bellum eſt ubi alter cædit, alter vapulat tantùm, quemadmodum factum eſt puris illis Chriſtianæ innocentiæ temporibus) ſed Diſſidium debet intelligi, quod ex Luca apertiſſimum eſt, qui pro eodem poſuit διαμερισμὸν [*ſeparationem*] XII, 51. quo tamen ipſo loco quædam exemplaria olim habuerunt μάχαιραν [*gladium*], idemque hîc ſequentia declarant. Tralatio inde ſumta quia μαχαίρας [*gladii*] proprium quaſi officium eſt μερίζειν [*dividere*], quò alludit etiam Scriptor ad Hebræos IV, 12. Quod autem hîc manifeſtiſſimum eſt, verbis ἦλθον βαλεῖν μάχαιραν, ἦλθον διχάσαι [*veni mittere gladium, veni ſeparare*] non propoſitum, ſaltem τὸ προηγούμενον [*antecedaneum*], Chriſti, cujus omnia conſilia & vota ad pacem atque concordiam ſpectabant, ſed eventum potiùs intelligi; ejus meminiſſe ad aliorum quoque locorum explicationem debemus. Similia apud omnes Scriptores occurrunt; ut in veteri Epigrammate,

Hæc peperi flammis, cætera, dixit, aquis.

Niſi quòd hîc præter eventum præcognitio eventus & eâ non obſtante ſeminandæ veritatis firmum conſilium intelligi debet. Senſum talem ἐκβατικὸν [*eventualem*] vocant Græci, etiam Chriſtiani. Tale illud, Ἀπολῶ τὴν σοφίαν τῶν σοφῶν [*Perdam ſapientiam ſapientium*], 1 Corinthior. 1, 19.

35. κατὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *adverſùs patrem ſuum*] Oſtendit ventura tempora non minùs periculoſa quàm ea fuerant quæ deplanxerat Michæas VII, 6. ideo verba ejus repetit. Ait Tertullianus in Scorpiaco, multis ſui temporis Chriſtianis patres & fratres fuiſſe traditores.

37. Ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμὲ οὐκ ἔστι μου ἄξιος· *qui amat patrem aut matrem plùs quàm me, non eſt me dignus*] Id eſt, non convenit meæ diſciplinæ. Ita enim Lucas interpretatur XIV, 26. Ideo Paulus jubens nos *pacem colere cum omnibus*, providè adjecit, *quoad fieri poteſt, & quantum in vobis.* Semper enim amicior eſſe debet veritas & ſalutaris ſapientiæ ſtudium. Vide exemplum Abrahami Geneſeos XII. Vocandus hîc iterum mihi Hierocles, Εἰ δέ ἐστιν ὅτε τῶν θείων νόμων ἀνήκοός ἐστιν ἡ τῶν γονέων προαίρεσις, τί δεῖ ποιεῖν εἰς ἀντινομίαν ἐμπεσόντας τοιαύτην,

ἢ τοῦτο ὃ καὶ ἐπὶ πολλῶν καθηκόντων ἐκ περιστάσεως εἰς ἐναντίωσιν ἐλθόντων προσήκει φυλάττειν; μειζόνων γὰρ καὶ ἐλαττόνων προκειμένων καλῶν, τὰ μείζονα πρὸ τῶν ἐλαττόνων ποιεῖσθαι δεῖ, ὅταν μὴ ἀμφότερα ἐξῇ διασώζειν. οἷον καλὸν μὲν τῷ Θεῷ πείθεσθαι, καλὸν δὲ καὶ τοῖς γονεῦσιν· εἰ δὴ πρὸς ταῦτα ἡ ἀμφοτέρων ἄγοι πειθὼ, ἕρμαιον ἂν εἴη καὶ ἄμαχον· εἰ δὲ πρὸς ἄλλο μὲν ὁ θεῖος νόμος, πρὸς ἄλλο δὲ οἱ γονεῖς φέροιεν, μαχομένης τῆς αἱρέσεως, τοῖς ἀμείνοσιν ἕπεσθαι δεῖ, πρὸς ταῦτα μόνον ἀπειθοῦντας γονεῦσι, πρὸς ἃ καὶ αὐτοὶ τοῖς θείοις νόμοις οὐ πείθονται· τὸν γὰρ φυλάττειν βουλόμενον τοὺς τῆς ἀρετῆς κανόνας, οὐχ οἷόν τε τοῖς τούτους παραβαίνουσι συμφωνεῖν [*Quòd ſi eveniat ut parentum voluntas Divinis legibus ſit inobſequens, quid facere oportet eos qui in talem legum pugnam inciderunt: Quid aliud quàm quod ſemper facere oportet ubi plures officiorum regulæ ex caſu emergente inter ſe colliduntur? Certè ubi majora & minora bona ſe nobis offerunt, majora minoribus antehabenda ſunt, ſi non utraque ſervare liceat; exempli causâ, Honeſtum eſt Deo obedire: ſed & parentibus obedire honeſtum. ſi ergo ab utraque parte idem nobis ſuadetur, lucrum in eo eſt & res controverſiâ carens. At ſi aliò lex Divina, aliò parentes trahant, cùm utrum eligas id pugnet alteri, meliora ſequenda ſunt: & in iis ſolis non obſequendum parentibus, in quibus ipſi Divinis legibus non obſequuntur. Qui enim virtutis regulas velit obſervare, is eas violantibus conſentire non poteſt*]. Et ad illa carmina,

Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς
Οφρα δύνῃ· δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει.
[*Ne veterem abjicito propter leve crimen amicum,*
Si potes: hæc etenim propè ſunt, poſſe atque neceſſe.]

Idem ille optimus Interpres, Εἰς πάντα οὖν τοὺς φίλους ἀνεξόμεθα, ὡς ὑπὸ μεγίστης ἀνάγκης τῆς φιλικῆς διαθέσεως πιεζόμενοι, πλὴν ἑνός· οὐ γὰρ δὴ καὶ πρὸς τὸ χεῖρον ὑποφερομένοις αὐτοῖς εἰξόμεν, οὐδὲ μεταβαλλομένοις ἐκ τῆς πρὸς φιλοσοφίαν σπουδῆς εἰς ἑτέραν τινὰ τοῦ βίου πρόθεσιν ἐπακολουθήσομεν καὶ αὐτοὶ συνεκφερόμενοι τοῖς ἀποπίπτουσιν ἀπὸ τοῦ πρὸς τὴν ἀρετὴν σκοποῦ [*Per omnia ergo amicos tolerabimus, velut coacti à neceſſitate maxima, amico animo, extra unum: Non enim ſi ad pejora trahantur eis cedemus, neque ſi à ſtudio ſapientiæ ad aliud vitæ genus tranſeant eos ſequemur, & trahi nos patiemur ab eis qui à virtutis propoſito excidêre*].

38. τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *crucem ſuam*] Reperitur hoc loquendi genus etiam apud Rabbinos: ut in Arama in Geneſin in Iſaaci hiſtoria. Crux atrociſſimum & pleniſſimum ignominiæ ſupplicium Romanis uſitatiſſimum, apud quos ea vox transferri ad omnia incommodorum genera cœpit: ut, *I in malam crucem*; *Summum jus, ſumma crux*; *Cruciare*. Ad Iudæos igitur quibus non erat avitum id ſupplicii genus (nam Iudaica ſuſpenſio alterius erat modi) locutio iſta venit aut à Romanis, quorum imperium jam per aliquot annos pertulerant, aut etiam à Perſis: nam hos quoque uſos crucis ſupplicio, etſi fortè à Romana cruce aliquatenus diverſæ, ut viri docti monent, tum ex Ioſepho tum aliis multis auctoribus conſtat. Quò inter cætera pertinet locus ille in decreto Darii Eſdræ VI, 11. ubi eſt זקיף vox Chaldæa, quam hîc etiam poſuit Syrus. Cæterùm Chriſtus ita vocem generalem uſurpavit ut tamen ad propriam quoque notionem digitum intenderet; ſignificans ne illud quidem infame & atrox ſupplicium defugiendum eſſe veritatis profitendæ causâ. Hæc autem Chriſti adhortatio præter generalem ſui uſum in Chriſtianis omnibus, etiam peculiarem eventum habuit in Petro aliiſque Apoſtolis & martyribus qui illam ipſam pœnam crucis, Chriſti exemplo dedicatam, fortiſſimè pertulerunt. Quæ cum cogito, videtur mihi non ſine Divinæ providentiæ inſtinctu olim Plato dixiſſe De republica II, de vero juſtitiæ cultore, πάντα κακὰ παθὼν ἀνασχινδυλευθήσεται [*poſtquam omnia mala pertulerit crucifigetur*]. Nam ἀνασχινδυλεύειν per ἀνασκολοπίζειν [*palo* ſeu *cruci affigere*] exponunt Græci interpretes. Quod autem hîc dicitur λαμβάνειν τὸν σταυρὸν [*accipere crucem*], infrà XVI, 24. & Marci VIII, 34. & X, 21. & Lucæ IX, 23. dicitur αἴρειν τὸν σταυρὸν [*tollere crucem*], Lucæ autem XIV, 27. βαστάζειν τὸν σταυρὸν [*bajulare crucem*]· quæ loca ſi conferas cum hiſtoria paſſionis Chriſti, in qua itidem eſt vox αἴρειν [*tollere*] infrà XXVII, 32. & Marci XV, 21. & βαστάζειν [*bajulare*] Iohan. XIX, 17. apertiſſimè conſtabit hæc loquendi genera morem illum reſpicere quo τῷ σώματι τῶν κολαζομένων ἕκαστος ἐξέφερε τὸν ἑαυτοῦ σταυρὸν [*quiſque damnatorum corpore ſuo crucem ferebat*], ut Plutarchus loquitur. Itaque λαμβάνει hîc verterim *ſuſcipit*. Nam eodem ſenſu *ſuſcipere onus, pericula, labores, dolorem* dixit Cicero. Hebræi onus in humeros tollere נשא dicunt; quod Helleniſtæ modò vertunt φέρειν [*ferre*], ut Eſaiæ LIII, 4. modò ἀναλαμβάνειν [*ſuſcipere*], ut eundem Eſaiæ locum ſuprà vertit Matthæi interpres VIII, 17. modò λαμβάνειν [*accipere*], ut Levitici XVII, 16. & alibi.

ἀκολουθεῖ ὀπίσω μου, *ſequitur* poſt *me*] Purus putus Hebraiſmus. Nam Hebræi verbis *ſequendi* ſubjungunt κατὰ πλεονασμὸν [*per ſermonis abundantiam*] particulam אחרי [*poſt*], ut Iud. IV, 16. Pſalmo CXLIII, 3. & alibi. Idem hic interpres infrà eundem ſenſum locutione Græcanica extulit ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, καὶ ἀκολουθείτω μοι [*tollat crucem ſuam, & ſequatur me*], XVI, 24. quomodo etiam loquitur Marcus & Lucas uno loco: nam altero dixit ἔρχεται ὀπίσω μου [*venit poſt me*], quæ itidem eſt Hebraica περίφρασις τοῦ ἀκολουθεῖν [*circumlocutio verbi, ſequi*]· ita ut ſubtiliorem interpretationem comminiſci ſit ſupervacuum. Sectatur autem Chriſtum qui vitam ſuam quatenus fieri poteſt ad dicta ipſius ac facta componit.

39. Ὁ εὑρὼν, *qui invênit*] Εὑρίσκειν [*invenire*] hîc eſt σώζειν [*ſalvam facere*], qua voce idem hic Scriptor utitur infrà XVI, 25. Marcus VIII, 35. & Lucas IX, 24. in eodem hoc ſenſu. Neque aliud vox iſta ſignificat Lucæ XV, 24, 32. Simile eſt Proverb. XXIX, 10. יבקשו נפשו, ἐκζητήσουσι ψυχὴν αὐτοῦ, *quærent vitam ejus*, id eſt, ſervare ſtudebunt.

ψυχὴν αὐτοῦ, *animam ſuam*] Id eſt, *ſemetipſum*, genere loquendi Hebræis & Syris familiari. Ita exponere malo quàm *vitam*, ob locum Iohannis XII, 25. Quin & ipſe Lucas ita interpretatur. Nam quod apud Matthæum eſt XVI, 26. ψυχὴν ἑαυτοῦ [*animam ſuam*] ille dixit ἑαυτὸν [*ſeipſum*]. Dicuntur autem *ſemet lucrari* ex ſua ipſorum opinione qui abnegatione veri periculum effugiunt.

ἀπολέσει αὐτήν· *perdet illam*] Ζημιωθήσεται αὐτὴν [*detrimentum patietur*], ut infrà XVI, 26. *ſui ipſius damnum faciet.*

40. ὁ δεχό-

40. ὁ δεχόμενος, *qui recepit*] Solatur iterum diſcipulos Chriſtus, oſtendens inter tot infeſta non defore ipſis ſolatia à piis hominibus, quos Deus in id ipſum excitet magnâ propoſitâ mercede: ita Abrahamo olim dictum fuit, *benefaciam tibi benefacientibus*, Geneſeos XII, 3.

41. προφήτην, *prophetam*] Si quis rectè advertat videbit tres poni diſcipulorum Chriſti gradus. Primus eſt infimorum, qui hic μικροὶ [*parvi*] vocantur, ut & infrà XVIII, 6. Marci IX, 42. Lucæ XVII, 2. aut ἐλάχιστοι [*minimi*], ut infrà XXV, 40, 45. & νήπιοι [*parvuli*] *in Chriſto*, 1 Corinth. III, 1. τεκνία & παιδία [*filioli, infantes*], 1 Iohannis II, 12, 13. qui in primis adhuc Chriſtianiſmi rudimentis verſantur, ac proinde faciliùs offendi ſolent. Secundus gradus eſt mediocrium, qui hîc & infrà XIII, 17. vocantur δίκαιοι [*juſti*], alibi νεανίσκοι [*adoleſcentes*], 1 Iohann. II, 13. Tertius eorum qui jam maxima Spiritûs dona acceperunt, qui & hîc & dicto loco XIII, 17. προφῆται [*prophetæ*], ἄνδρες τέλειοι [*viri perfecti*] Epheſiorum IV, 13. πατέρες [*patres*] 1 Iohan. II, 13, 14. Sic & Clemens Alexandrinus tres ponit Chriſtianorum gradus: In primo illi eſt ὁ ἐξ ἐθνῶν ἐπιστρέφων [*qui ex Gentibus convertitur*], in ſecundo ὁ εἰς γνῶσιν ἀναβαίνων [*qui ad ſcientiam adſcendit*], in tertio ὁ κορυφαῖος γνωστικός [*ſummum obtinens ſcientiæ gradum*]. Alibi dixit κλητοὺς, ἐκλεκτοὺς, τελείους [*vocatos, electos, perfectos*]. Origenes, τοὺς ἁπλουστέρους, τοὺς ἐπὶ πόσον ἀναβεβηκότας, τοὺς τελείους [*ſimpliciores, aliquouſque provectos, perfectos*].

εἰς ὄνομα προφήτου, *in nomen prophetæ*] Hoc eſt quod barbarè vulgò dicitur, *in qualitate prophetæ.*

42. ποτήριον ψυχροῦ μόνον, *calicem aquæ frigidæ*] Proverbiale loquendi genus, quo hodieque in multis linguis utimur quoties minimum aliquod beneficium ſignificatum volumus. Docemur hîc facta ex animo, non animum ex factis apud Deum æſtimari.

CAPVT XI.

1. Ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν. *in civitatibus eorum*]. Id eſt, Iudæorum. Ita ſolent, Hebræi & noſtri Scriptores eos ſecuti, relativos ponere, etiam cùm nomen nullum anteceſſit, dum tale ſit quod facilè poſſit ſubintelligi. Occurret infrà in Luca aliquoties; ita in Pſalmo XCIX, 8. Sic infrà XII, 9. ἦλθεν εἰς τὴν συναγωγὴν αὐτῶν [*venit in ſynagogam eorum*]. Similiter Lucæ IV, 15. poſitum eſt ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν [*in ſynagogis eorum*]. Vide & Lucæ V, 17.

2. τὰ ἔργα τοῦ Χριστοῦ, *opera Chriſti*] Facta nimirum cum veteribus de Chriſto oraculis apertiſſimè congruentia, quorum teſtes oculatos volebat eſſe diſcipulos ſuos, ut etiam vinctus, quatenus poterat, defungeretur mandato ſibi Indicis munere.

3. ὁ ἐρχόμενος, *qui venturus*] Ille de quo verbum illud *veniendi* uſurpavit Iacobus, Geneſ. XLIX, 10. & Eſaias XXXV, 4.

4. ἀπαγγείλατε Ἰωάννῃ, *renuntiate Ioanni*] Vt ipſe, cui vos fidem adhibetis, dicat vobis, quid de eo qui iſta ſit facturus Prophetæ dixerint. Ita propoſitio erit certiſſima nixa Divina auctoritate; aſſumtio quoque indubitata, quippe conſtans oculata fide: unde conſecutionis neceſſitate ſequetur illatio quæſtionem definiens.

5. νεκροὶ ἐγείρονται, *mortui reſurgunt*] Verum eſt quod Iudæi proverbio celebrant, *Deum promiſſa beneficia præſtare non contentum, aliquid ad cumulum addere.* De cæcis, ſurdis, claudis ſanandis, vaticinatus erat Eſaias, & Pſalmographus Pſalmo CXLVI, 8. Addidit Deus, quod amplius eſt, mortuorum reſuſcitationem.

πτωχοὶ εὐαγγελίζονται· *pauperes euangelizantur*] ענו, quod ejuſdem eſt originis cum עני, non ſemper animo mitem ſed ſæpe ſorte humilem atque abjectum ſignificat; præſertim apud Eſaiam. Nam & cap. XI, 4. ענוי ארץ ſunt iidem quos דלים vocat, id eſt, *pauperes.* Non malè igitur Septuaginta illud Eſaiæ LXI, 1. לבשר ענוים verterunt εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς [*Euangelizari pauperibus*], quos hîc ſequitur Matthæi interpres & Lucas IV, 18. Ex eiſdem Eſaiæ verbis certum eſt εὐαγγελίζονται [*euangelizantur*] hîc ſumendum paſſivè; ut ſolent Græci paſſiva formare etiam ab activis dativum regentibus, cùm εὐαγγελίζω [*euangelizo*] etiam cum accuſativo reperiatur. Sic infrà ponitur vox διακονηθῆναι [*miniſtrari*], XX, 28. Sed præcipuè videtur Chriſtus hoc vaticinio uti ut oſtendat quantum ſua docendi ratio diſtet à moribus Doctorum ſui ſeculi. Nam Legiſperiti vix quemquam niſi magno pretio docebant, contemnebant plebem, quam vocabant *populum terræ;* imò proverbium repererant & ſtultum & ſuperbum, *Spiritum non requieſcere niſi ſuper divitem.* Olim Prophetæ ad Reges potiſſimùm mittebantur, Chriſtus piſcatoribus ſe primùm patefecit.

6. μὴ σκανδαλισθῇ ἐν ἐμοί. *non fuerit ſcandalizatus in me*] Non offenſus fuerit ſtatu meo humili ac paupere & imminentibus mihi vexationibus. Vide infrà XXVI, 31. 1 Corinthior. 1, 23.

7. κάλαμον ὑπὸ ἀνέμου σαλευόμενον; *arundinem vento agitatam*] Senſus eſt, Habuiſtis puto cauſam aliquam ob quam tanto ſtudio in loca illa deſerta cucurriſtis. Neque enim credibile eſt vos coiviſſe ut arundines vento agitatas videretis. Hoc ideo, quia extra Iohannem nihil ferme aliud iſtis in locis erat ſpectare.

8. μαλακοῖς ἱματίοις, *mollibus veſtibus*] Sericis: nam ſerica *molles lanas* etiam Virgilius dixit. Sericorum autem tanta erat caritas ut auro contrà penſarentur.

ἐν τοῖς οἴκοις τῶν βασιλέων εἰσίν. *in domibus Regum ſunt*] Non in locis deſertis: quare ne iſta quidem concurſus veſtri cauſa eſſe potuit.

9. προφήτην; *Prophetam*] Etiam Gorionides Iohannem hunc *Prophetam* vocat.

10. ἄγγελόν μου, *Angelum* ſive *nuntium meum*] מלאכים ſive ἄγγελοι dicebantur non quivis Prophetæ, ſed qui de re magna à Deo ad populum erant legati, ut Moſes, Num. XX, 16. Aggæus 1, 33. & ille unde hoc vaticinium ſumtum eſt, Malachias, cujus nomen ipſum ἄγγελον ſignificat; unde factum eſt ut Chriſtiani veteres ſæpe eum Græce Ἄγγελον [*Angelum*] quaſi proprio nomine appellent. Dictus eſt eodem vocabulo in Eccleſia Chriſtiana ὁ τοῦ πρεσβυτερίου προεστὼς [*princeps presbyterii eccleſiaſtici*], ut qui Deï nomine verba ad populum facere ſoleret; quod ſcilicet eundem locum in Eccleſia obtineret quem in Templo Magnus Sacerdos, qui & ipſe מלאך, id eſt, ἄγγελος

[*nuntius* ſive *Angelus*], dicitur, Malachiæ II,7. Diodorus Siculus de Iudæis citatus Photio, Ἀρχιερέα τοῦτον προσαγορεύουσι, καὶ νομίζουσιν αὐτοῖς Ἄγγελον γίνεσθαι τῶν τοῦ Θεοῦ προσταγμάτων [*Vocant hunc Summum Sacerdotem, & exiſtimant eum ſibi nuntium eſſe Dei juſſuum*].

πρὸ προσώπου σου, *ante faciem tuam*] Apparet hinc etiam verba Prophetarum non citari à Chriſto κατὰ λέξιν [*verbotenus*], ſed ita ut voces interdum mutentur manente ſententia; quomodo & apud Græcos ſæpiſſime citantur Homeri verſus mutatâ perſonâ aut modo verbi. Nam apud Prophetam dictio ad populum dirigitur, hîc ad ipſum Meſſiam; & quod hîc eſt ἔμπροσθέν σου [*ante te*], apud Prophetam ἔμπροσθέν μου [*ante me*].

ὃς κατασκευάσει τὴν ὁδόν σου, *qui præparabit viam tuam*] Deſcribitur officium metatoris: quam vocem Romanam ita exponit Suidas, μιτάτωρ, ὁ προαποστελλόμενος πρὸ τοῦ ἄρχοντος [*qui mittitur ante Principem*]. Confer quæ ſuprà III, 3. ex Eſaia.

11. ἐγήγερται, *ſurrexit*] Notanda ſermonis proprietas. Nam Prophetæ propriè dicuntur ἐγείρεσθαι [*ſurgere*], Lucæ VII, 16. Iohannis VII, 52.

ἐν γεννητοῖς γυναικῶν, *inter natos mulierum*] Senſus eſt, Major Iohanne nullus ante ipſum Propheta humano generi apparuit. Ita apud Lucam dicto loco, Προφήτης μέγας ἐγήγερται ἐν ἡμῖν [*Propheta magnus ſurrexit in nobis*], id eſt, *apparuit in medio noſtri*. Neque aliud eſt apud Lucam in hac ipſa narratione εἶναι ἐν γεννητοῖς γυναικῶν [*eſſe inter natos mulierum*] quàm *in rebus humanis eſſe*, aut *ab hominibus conſpici*. Sic Iobo XIV, 1. XV, 14. XXV, 4. homo dicitur ילוד אשה γεννητὸς γυναικὸς [*natus de muliere*], apud Sirachiden X, 17. γέννημα γυναικὸς [*natio mulierum*].

ὁ δὲ μικρότερος ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, *qui autem minimus eſt in Regno cælorum*] Id eſt, in prædicatione Regni cœleſtis; quod antehac adumbratum non apertè annuntiatum à Prophetis fuerat. Comparatio tota eſt in ipſo dono Prophetiæ, quod Lucas apertiùs expreſſit. Quantò ergo Iohannes præſtitit omnibus ante ſe Prophetis, tantò Prophetæ Novi Federis, etiam infimi, anteſtabunt Iohanni, nimirum amplitudine notitiæ de liberatione humani generis: Namque id ante Iohannem myſterium fuit, Iohannis tempore cœpit illuceſcere, poſt Chriſti paſſionem & reſurrectionem, & miſſum Spiritum ſanctum, meridiana luce clariùs patuit. Sic infrà XIII, 17. ait Chriſtus multos Prophetas optaſſe ea poſſe videre quæ videnda dabantur Diſcipulis ſuis. Μικρότερος [*minor*] hîc eſt ἐλάχιστος [*minimus*], ut & apud Luc. IX, 48. Nulla igitur neceſſitas nos cogit ad duos hanc comparationem reſtringere, ut inde porro colligamus Chriſtum de ſe ipſo hîc agere. Nam quod affirmat vir harum rerum peritiſſimus, μείζων [*major*] & μικρότερος [*minor*] niſi adſit expreſſum nomen pluralis numeri ſemper de duobus dici, in eo ipſum falli docemur verbis infrà poſitis XVIII, 1. ubi ſine plurali eſt Τίς ἄρα μείζων ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; [*Quis, putas, major eſt in Regno cælorum?*] neque tamen ibi inter duos comparationem ſiſti, apertius eſt quàm ut probationis indigeat.

12. βιάζεται, *vim patitur*] Magno concurſu hominum invaditur. Olim populus vetitus βιάζεσθαι [*involare*] ad montem Sinæ ſcandendum: eſt enim ea vox in verſione Græca Exodi XIX, 24. Nunc id licet in montem illum μυστικώτατον [*maximè myſticum*].

βιασταὶ, *violenti*] Oſtendit Chriſtus magno opus eſſe animo his qui poſſeſſionem velint adipiſci Regni illius cœleſtis, quod à Prophetis obſcuriùs prædictum, à Iohanne propiùs indicatum, ab ipſo Chriſto apertiſſimè erat revelatum. Sic Ioſuam Deus ad invadendam Cananæam, Regni cœleſtis imaginem, *forti & intrepido eſſe animo* jubet, Ioſuæ 1, 6, 7, 9.

13. ἕως Ἰωάννου, *uſque ad Ioannem*] Non hoc vult, cum adventu Iohannis emortuam Legem; debebat enim illa durare uſque ad ſolennem illam miſſionem Spiritus ſancti: neque, nulla vaticinia ultra Iohannem extendi; ſunt enim quæ ad poſtremum urbis Hieroſolymorum excidium pertinent: ſed Meſſiam illum novi Regni Principem, quem Legis ceremoniæ adumbraverant, Prophetæ prædixerant, & doctrinam perfectiorem ſimul cum Iohanne & per Iohannem cœpiſſe cognoſci. Vide quæ ad Lucam.

14. εἰ θέλετε δέξασθαι, *ſi vultis recipere*] Si patimini verum vobis dici.

Ἠλίας, *Elias*] Elias corruptiſſimis temporibus nullo periculo abſterritus eſt quominus Regi omnique populo peccata ipſorum ob oculos poneret. Idem *ſpiritus ac virtus*, id eſt, fortitudo eadem, in Iohanne apparuit. Ob hanc ζήλου [*zeli*] eminentiam Iudæi animam Phineæ in Eliam veniſſe fabulabantur. Sed à vetuſtioribus dictum puto fuiſſe, *Eliam veniſſe in ſpiritu Phineæ*, quomodo Iohannem venturum in ſpiritu Eliæ dicit Angelus Lucæ 1, 17.

ὁ μέλλων ἔρχεσθαι. *venturus*] Ἐρχόμενος, ut modò de Meſſia commate 3. aut μέλλων ἔρχεσθαι, ut hoc loco, ſignificat officium certo Dei decreto præfinitum.

15. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. *qui habet aures audiendi, audiat*] Ἐπιφώνημα, quo [*acclamatio*, qua] Chriſtus & eum ſecutus in Apocalypſi Iohannes ſæpiſſime claudunt pronuntiata ſua de rebus magni momenti. Lucas alibi ita explicat, θέσθε εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν τοὺς λόγους τούτους [*ponite in aure veſtra ſermones iſtos*]. Talia apud Poëtas,

Audire eſt operæ pretium; Et
— *Audite atque animis advertite veſtris.*

Aures autem hîc aliiſque locis per tranſlationem poſitæ ſunt ad ſignificandam intellectivam facultatem, quomodo & *mentis oculos* dicimus. Hierocles agens de malis affectionibus, Τούτων δὲ λύσις μία ἡ πρὸς Θεὸν ἐπιστροφὴ, ἣν ἐξευρίσκουσιν οἱ τὸ ὄμμα τῆς ψυχῆς καὶ τὸ οὖς πρὸς τὴν τῶν ἀγαθῶν ἀνάληψιν ἐπεγείροντες [*Ab his una libertatis via, ad Deum converſio, quam inveniunt qui animæ oculum & aurem ad rerum bonarum perceptionem excitant*]. Erat autem res de qua agit Chriſtus maximè notanda, vel ideo quòd tota Prophetia in illis ipſis verbis deſierat, & quando poſt longi temporis intermiſſionem inſtauranda eſſet indicium fecerat. Iudæi autem ſicut Prophetiæ privilegio maximè gloriabantur, ita ejus jacturam graviter ferebant.

16. Τίνι δὲ ὁμοιώσω, *Cui autem ſimilem æſtimabo*] Exordium familiare Iudæis parabolam inceptantibus, ut apparet tum ex Thalmudicis libris, tum Marci IV, 30. Lucæ XIII, 18, 20.

γενεὰν, *generationem*] Hominum genus certo tempore ac loco circumſcriptum. Ita *ferream prolem* in Arateis dixit Cicero. Propriè autem de Phariſæis & Legisperitis agi docemur Lucæ VII, 30.

ὁμοία ἐστὶ παιδίοις, *ſimilis eſt pueris*] Semel notandum eſt quia ſæpe occurrit, vim iſtius dativi non eſſe ut denotet ipſum comparationis terminum, qui plerúmque non illa proxima voce ſed tota inſequenti narratione continetur. Neque enim Iudæos Chriſtus comparat illud puerile carmen in foro cantantibus, ſed potiùs carmen illud in ipſos ait quadrare. Sic infrà XIII, 24. dicitur *Regnum cælorum ſimile eſſe ſatori*, cùm tamen non ſatorem Regno compararet Chriſtus, ſed rem Regni cœleſtis ita ſe habere dicat quaſi aliquis ſerat, & deinde quæ ſequuntur eveniant. Sic & alibi idem Regnum dicitur *Regi eſſe ſimile*.

17. ὠρχήσασθε· *ſaltaſtis*] Sapienter præfatur Æmilius Probus ad Vitas virorum illuſtrium, leve multis viſum iri quòd in Epaminondæ virtutibus commemoretur ſaltaſſe eum commodè. Sed reſpondet hoc ſe ab iis demum exſpectare qui expertes Græcarum literarum nihil rectum niſi quod moribus ipſorum conveniat putent. Addit talia non omnibus honeſta eſſe atque turpia, ſed ex majorum inſtitutis judicari. Iudæorum hac in parte mores Græcis quàm Romanis propiores fuere. Neque enim turpe illis viſum fuit publica aut privata gaudia tam ſaltatione quàm cantu teſtari: quò refero τὰς συνήθεις ἐν τοῖς ἐπινικίοις παιδιὰς [*luſiones in victoriis uſitatas*], quarum mentio apud Ioſephum Originum XII, 12. Quin hodieque Iudæi tum in conventibus ſacris tum in nuptiis uſurpant motus quoſdam ſatis inconditos, abolitâ pridem apud ipſos veteris harmoniæ memoriâ. Quanquam autem Chriſtianos maximè deceat gravis perſona, ac proinde non dubitem etiam in rebus ejuſmodi Romanos mores præ Iudaicis ac Græcis ipſis antiquitus placuiſſe, tamen non indignum notatu eſt quæ in Synodis antiquis ea de re conſtituta ſunt, non tam ad mera tripudia quàm ad molles mimicaſque geſticulationes pertinere.

ἐθρηνήσαμεν ὑμῖν, καὶ οὐκ ἐκόψασθε. *lamentavimus, & non planxiſtis*] Θρηνεῖν eſt *leſſum facere* aut *næniam canere*, ut ſolebant apud Romanos præficæ, ad quarum κέλευσμα [*ſonum prævium*] plangebatur. Scriptor de Mundo, καθάπερ ἐν χορῷ κορυφαίου κατάρξαντος συνεπηχεῖ πᾶς ὁ χορὸς [*ſicut in choro præeunte præcentore grex ſuccinit*]. Appianus Civilium ſecundo, poſt relatum Antonii leſſum ſuper morte Cæſaris, ἐφ᾽ οἷς ὁ δῆμος, οἷα χορὸς, αὐτῷ πενθικώτατα συνωδύρετο [*ad quæ populus, in chori modum, triſtiſſimè ei adlamentabatur*]. Ita apud Euripidem & Senecam leſſu præit Hecuba, ſequuntur Troades, quarum planctum his verſibus Seneca deſcribit,

Tibi noſtra ferit dextra lacertos,
Humeroſque ferit tibi ſanguineos:
Tibi noſtra caput dextera pulſat.

Planè morem apud Iudæos ſimilem obtinuiſſe tum ex hoc loco diſcimus, tum ex Ioſepho, qui Belli Iudaici tertio, mercede conductos ait αὐλητὰς οἳ θρήνων ἐξῆρχον [*tibicines qui leſſu præirent*]. Euſtathius ad Iliados ultimum, Βαρβαρικὸν οἱ τῶν θρήνων ἔξαρχοι ἀοιδοί [*Barbaricus mos eſt ut cantores leſſu præeant*]. Eſt autem dictum huic noſtro ſimile quod ex R. Papa in Gemara refertur, *Ploravi tibi, ſed animum non advertiſti; riſi tibi, ſed non curaſti: væ tibi, qui bonum malumque non internoſcis.*

19. φάγος, *vorax*] *Comeſſator, cænipeta.*

οἰνοπότης, *potator vini*] *Bibaculus.* Nam Hebræis שותה שכר aut שותה יין dicitur non quivis vinum bibens, ſed qui vino indulget, ut Pſalmo LXIX, 13. Amos VI, 6. Proverbiorum XXXI, 4.

καὶ ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς, *& juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis*] Verum eſt quod monet vir de plurimis locis optimè meritus, καὶ [*&*] hîc ſumi pro ἀλλὰ [*ſed*], nimirum Hebræorum exemplo apud quos ו ſæpiſſime ita ponitur. Sed & ὁ ἀττικώτατος [*Atticiſſimus*] Theophraſtus καὶ [*&*] aliquoties eo ſenſu dixit. Puto autem quod ſequitur proverbium eſſe Iudicum, ſed præſenti inſtituto accommodatum: ἡ σοφία [*ſapientia*] hîc nihil aliud eſt quàm quod apud Lucam VII, 30. βουλὴ τοῦ Θεοῦ [*conſilium Dei*], ſapientiſſimum nimirum Dei conſilium Iudæos & Iohannis ſeveritate & Chriſti comitate ad pœnitentiam revocantis, ne quid inexpertum relinqueret, atque etiam ne quid illi cauſari poſſent. Placebant ſibi multi vitæ auſteritate; hac ipſa in re multum illos Iohannes anteceſſit. Alii popularitatem requirebant; Chriſto nemo unquam fuit popularior. Rurſum Iohannes, ut pœnitentiæ præco, ad ſeveritatem compoſitus, Lucæ I, 15. Matthæi III, 4. Chriſtus comis, ut veniæ largitor. Illum rara neque imitabilis vivendi ratio, hunc miraculorum vis maxima commendabat. Δικαιοῦν [*juſtificare*] hîc, ut in Pſalmo LI, 6. & Romanorum III, 4. & apud Lucam VII, 29. eſt *approbare* aut etiam *laudare*. ἀπὸ pro ὑπὸ etiam apud Græcos Scriptores non caret exemplo. Thucydides ita dixit, ἀπὸ πολέμου ἐφθάρησαν [*bello everſi ſunt*]. Neque aliter hîc reddidit Syrus, qui & τέκνων αὐτῆς [*filiis ſuis*] vertit עבדיה, id eſt, *cultores ejus*, non incommodè. Filii autem ſive cultores ſapientiæ non ſunt intelligendi qui jam tum ſapiebant, ut quidam putant, ſed illi potiùs qui pia quadam Divinæ ſapientiæ reverentia tenebantur, quales Iohannis & Chriſti tempore erant publicani & de plebe aliqui Lucæ VII, 29, 30. Simili modo υἱὸν εἰρήνης [*filium pacis*] dixit Lucas X, 6. Hoc autem ideo Chriſtus addidit, ut intelligeretur non omnino ſterilem hactenus fuiſſe operam tum Iohannis tum ſuam.

20. ὀνειδίζειν τὰς πόλεις, *exprobrare civitatibus*] Ita Plato, ὀνειδίζων ἕνα ἕκαστον [*increpans ſingulos*].

21. εἰ ἐν Τύρῳ καὶ Σιδῶνι ἐγένοντο αἱ δυνάμεις, *ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes*] Miraculorum haud dubiè magna vis eſt ad incutiendam hominibus Divini numinis reverentiam, & ad obſignandas promiſſiones ac minas. Quod niſi miracula conjuncta cum iis adminiculis quæ miracula comitari ſolent ad corrigendos animos valerent, non diceret Chriſtus peculiarem atque inſignem culpam talium beneficiorum contemtu contrahi. Vide Iohan. XV, 24. Nec obſtant huic ſententiæ verba Abrahami ad epulonem in parabola dicentis, *Si Moſi & Prophetis non auſcultant nec ſi quis mortuorum reſurrexerit perſuadebuntur*, Lucæ XVI, 31. De iis enim

loquitur qui cùm non ignorarent Legem Moſis magnis miraculis eſſe comprobatam, tamen vitam inſtituerent quam ſcirent Legi Moſis directè adverſari. Tales enim homines hoc ipſo oſtendebant ita ſe vitiis ſuis delectari ut nullâ miraculorum reverentiâ ea vellent exuere. Longè autem alia eſt ratio tum eorum ad quos Lex Moſis non pertinebat, tum eorum quibus alia annuntiabantur quàm quæ ſatis certò ſcirent Moſis Lege comprehendi. De utroque hoc hominum genere hîc agit Chriſtus. Adde quæ ad Lucam dicemus.

πάλαι ἂν ἐν σάκκῳ καὶ σποδῷ μετενόησαν. olim in cilicio ſive ſacco & cinere pœnitentiam egiſſent] Πάλαι [*olim*] illud ad vetuſta tempora refero, ut initio ad Hebræos. Puto autem deſignari ea tempora quibus vixit Ezechiel, qui Tyrios & Sidonios de peccatis ipſorum & imminente Divina ultione graviter admonuit. Dicit igitur Chriſtus, ſi eo tempore ad illas Ezechielis conciones miracula talia ac tanta acceſſiſſent qualia Chriſtus in Galilæis urbibus ediderat, facturos illos fuiſſe quod olim Ninevitæ, pœnitentiam nimirum acturos delictorum etiam cum maxima luctus teſtatione. Hinc colligit quanta ſit illorum culpa qui ſuam Divinam ac ſalutarem doctrinam tantis ſignis admoniti non recepiſſent. Conjunguntur hæc, σάκκος [*ſaccus*] & σποδὸς [*cinis*], etiam apud Eſaiam LVIII, 5. Ieremiæ VI, 26. Danielis IX, 3. & in Iudithæ hiſtoria IV, 11. Neque verum eſt, Hebræis *ſaccum* idem ſignificare quod Latinis, quanquam eſſe aliquid ſimile in utroque ſignificatu non nego. Nam Latinis *receptaculum* ſignificat aut *pecuniæ* aut *frumenti* aut alterius rei; Hebræis autem *cilicium*, ut rectè tranſtulit aliquot in locis vetus Latinus interpres. Aliud autem eſſe *cilicia*, aliud *ſaccos*, etiam ex tertia Verrina apparet, ubi legimus *imperata civitatibus cilicia & ſaccos*. Sed Helleniſtæ Hebræam vocem ſenſu Hebraico uſurparunt etiam in Græco ſermone, quos & Ioſephus ſequitur, ut Origenes XX, cap. 5. μετενδυσάμενοι σάκκους, σποδοῦ τὰς κεφαλὰς ἀναπλήσαντες [*induti ſaccos, capita pulvere adſperſi*]· qui ipſe alibi, ubi in Hebræo eſt שק, poſuit nunc σχῆμα ταπεινὸν [*vilem habitum*], nunc πενθικὴν ἐσθῆτα [*lugubrem veſtitum*]. Imò & Græci Scriptores alii: Plutarchus De ſuperſtitione, ἔξω κάθηται σακκίον ἔχων ἐν πηλῷ καλινδούμενος [*foris ſedet ſaccum habens volutans in cœno*]. Menander de Syris dixerat,

——— εἶτα σακκίον ἔλαβον, εἰς θ' ὁδὸν
Ἐκάθισαν αὐτοὶ ἐπὶ κοπροῦ.
[——— ——— *tum ſaccum induti, in via*
Proſternunt ſeſe provoluti in ſtercore.]

Idem & Chriſtiani facere cœperunt, nec in Græco tantùm, ſed & in Latino. Ita in Tertulliano legimus *preces in ſacco & cinere factas* ob anni ſiccitatem. *Cineris* autem nomine Hebræi ſordes omnes intelligunt. Itaque Iobi 11, 8. ubi in Hebræo eſt *in cinere*, Græci poſuerunt ἐπὶ τῆς κοπρίας [*in ſterquilinio*], & Latinus *in ſterquilinio*. Quanquam autem non ea fuerit Tyriorum & Sidoniorum durities Ezechielis tempore quæ fuit magnæ partis Galilæorum ætate Chriſti, id tamen Tyrios à culpa non liberat. Satis enim damnabat ipſos lex inſcripta mentibus, æquitatem in commerciis exigens, & miſericordiam adversùs eos quorum res erant afflictæ; cùm illi contrà vim dolumque miſcerent mercimoniis, & ſolâ ſpe derivandi ad ſe quæſtûs Iudæis, amicis veteribus ac federatis ſuis, à Chaldæo victis jam atque proſtratis crudeliter inſultarent: quæ omnia atque alia inſuper videre eſt apud Prophetam. Sed & Homerus adversùs eos teſtimonium dixit,

Δὴ τότε Φοῖνιξ ἦλθεν ἀνὴρ ἀπατήλια εἰδώς,
Τρώκτης, ὃς δὴ πολλὰ κακ' ἀνθρώποισιν ἐώργει.
[*Inde venit gnarus fraudum, vir origine Phœnix,*
Qui multùm nocuit multis ſermone doloſo.]

Τρώκτης, id eſt, κερδαλέος [*vulpinans*], ait Euſtathius. Huc ſpectat illud in Philoſtrati dialogo ad Phœnicem, τὰς ἐμπορίας διαβέβλησθε ὡς φιλοχρήματοί τε καὶ τρῶκται [*circa commercia malè auditis ut avari & fraudatores*]. His accedebat quòd tanta Iudæorum propinquitas, communis lingua, quotidiana commercia, non patiebantur eos ignorare certiſſima argumenta cultûs uni Deo debiti; præſertim cùm ab eodem Deo miſſi Prophetæ ipſos nominatim aut voce aut literis ſæpius compellarent. Hæc igitur atque alia Phœnicas aut emendare ſi vellent, aut ſi nollent contumaciæ convincere poterant, etiamſi miracula illa tot ac tanta quæ ſapientiſſimo Dei conſilio Meſſiæ temporibus aſſervabantur ipſis non contingerent. Noſtrum eſt grata manu accipere dona quæ Deus largitur, non quæ ac quanta dare debeat ipſi præſcribere. Quod autem hîc Chriſtus conqueritur, idem & olim conqueſtus eſt Deus, ſi eam quam Iudæis impendebat operam impendiſſet iis populis quos Iudæi ut feros ac barbaros contemnebant, aliquantò plùs ſe profecturum fuiſſe, Ezechiel. 11, 6. oſtendens ſimul incommeritam ſuam bonitatem erga Iudæos, bonorum parentum malam progeniem, viamque ſternens demonſtrandæ juſtitiæ ſuæ in uberrima illa quæ per Chriſtum ventura erat gentium profanarum vocatione, cujus gratiæ ipſi illi adeò deſpecti Iudæis Tyrii & Sidonii participes fuere, nec ſine fructu, ut apparet Actorum XXI & XXVII. Quanquam verò non dubium mihi eſt, fuiſſe in Chriſto certam cognitionem de rebus multis quæ poſitâ aliquâ conditione eventuræ erant aut fuerant, tamen cùm hi quos alloquebatur eo tempore tantum Chriſto non tribuerint, ſatius arbitror hæc, ut alia Chriſti dicta, exponere populariter, ut dixerit quod humano judicio rebus bene expenſis admodum erat probabile. Quò reſpiciens, ut videtur, Latinus interpres, quod mox ſequitur ἔμειναν ἂν vertit *fortè manſiſſent*.

22. Πλὴν λέγω, *Verumtamen dico*] Latinè dicas, *Hoc amplius*. Alibi valet *cæterùm*, aut *verumtamen*, ut ſolent particulæ illæ varias habere ſignificationes.

ἐν ἡμέρᾳ κρίσεως, in die Iudicii] Cur non diem ἐπισκέψεως [*viſitationis*] ſpecialis, ſed commune generis humani Iudicium hîc intelligendum putemus, cauſas reddidimus ad caput proximè antecedens.

23. *ἡ ἕως τοῦ οὐρανοῦ ὑψωθεῖσα, ἕως ᾅδου καταβιβασθήσῃ· quæ ad cœlum uſque exaltabaris, uſque in infernum deſcendes*] Hoc non dubito quin ad res hujus

vitæ pertineat, ut in his quæ ſequuntur commate proximo aſſurgat oratio. Florebat Capharnaumum piſcatu, mercatu, & quæ alia eſſe ſolent commoda ad mare ſitarum urbium. Neque enim fruſtra παραθαλασσία [*maritima*] dicitur ſuprà IV, 13. neque ſine cauſa Chriſtus huc habitationem ſuam transtulit. Iam Chriſtus ei urbi perſeveranti in incredulitate graviſſimas clades denuntiat, quas putamus eveniſſe bello Veſpaſiani & motibus qui tum in Galilæa acciderunt. Proverbialis autem eſt locutio, etiam Græcis & Latinis, *ad aſtra tolli* aut *ſublimi vertice ſidera ferire*, pro eo quod eſt *rebus florentibus & illuſtri loco eſſe*. Huic contrarium eſt εἰς ᾅδου, hoc eſt, ad infima loca, demergi: quo fortunarum everſio ſignificatur. Eſaiæ XIV, 15. de Babylone אל שאול תורד εἰς ᾅδου καταβήσῃ [*ad infernum deſcendes*], & LVII, 9. תשפילי עד שאול, Græcè ἐταπεινώθης ἕως ᾅδου [*humiliata es uſque ad inferos*]. Et hæc ſimpliciſſima eſt ſententia verborum Annæ in Cantico, *Deus facit deſcendere ad inferos, & adſcendere*, I Sam. II, 6. quod in Tobia ita explicatur, ὅτι αὐτὸς μαστιγοῖ, καὶ ἐλεεῖ· κατάγει εἰς ᾅδην, καὶ ἀνάγει [*quoniam tu flagellas, & ſalvas; deducis ad inferos, & reducis*]. Interim ſciendum eſt Divinâ providentiâ dirigente factum ut talia loquendi genera in Propheticis ſcriptis exſtarent quæ figuratè ſignificarent liberationem à cladibus, ipsâ tamen vocum proprietate latens Reſurrectionis myſterium adumbrarent, quomodo illo Sámuelis loco uti Scriptorem libri Sapientiæ paulò antè oſtendimus. Idemque in Pſalmorum, Danielis & Ezechielis aliquot locis obſervare eſt.

25. ὅτι ἀπέκρυψας ταῦτα, *quia abſcondiſti hæc*] Eſt Hebraiſmus qualem ſuprà obſervavimus VIII, 9. Neque enim pro occultatione ſed pro revelatione propriè gratias agit Chriſtus. Vſitata locutio eſſet, ὅτι ἀποκρύψας ταῦτα ἀπὸ σοφῶν καὶ συνετῶν, ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις [*quòd cùm abſcondideris iſta ſapientes & prudentes, parvulis eadem revelaſti*]. Sapientes illi, tota domus Hillelis & Sameæ.

ἀπεκάλυψας αὐτὰ νηπίοις. *revelaſti ea parvulis*] Νηπίους [*parvulos*] hîc apparet opponi συνετοῖς [*prudentibus*], id eſt, iis qui ſibi multùm ſapere videbantur, κρίνοντες τοῦ εἰδέναι πολλὰ [*judicantes ſe ſcire multa*], ut cum Paulo loquar I Corinth. 11, 2. Sunt ergo νήπιοι [*parvuli*] hi qui de ſe humiliter ſentiunt. Erat autem hæc quoque γνώμη [*ſententia*] antiquitus celebrata inter Iudæos: Sirachides III, 19, 20. Πολλοί εἰσιν ὑψηλοὶ καὶ ἐπίδοξοι, ἀλλὰ πρᾳέσιν ἀποκαλύπτεται μυστήρια· ὅτι μεγάλη ἡ δυναστεία τοῦ Κυρίου, καὶ ὑπὸ τῶν ταπεινῶν δοξάζεται [*Multi ſunt ſublimes & illuſtres, at manſuetis aperiuntur myſteria; quia magna eſt potentia Domini, & ab humilibus honoratur*]. Vbi junctim ponuntur πρᾳεῖς καὶ ταπεινοὶ [*manſueti & humiles*], ut & hoc capite infrà commate 29. Pſaltes dixerat, *Myſterium Domini timentibus ipſum*, XXV, 14. Et Hebræi omnes notant Moſe neminem fuiſſe ταπεινοφρονέστερον [*modeſtiorem*], nemini plus à Deo revelatum. His addendum quod infrà dicit Chriſtus, Ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται [*Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cælorum, illis autem non eſt datum*], XIII, 11. Etiam Pythagorici ab Hebræis ut multa alia ita hoc quoque edocti dicebant Deum ſe non omnibus patefacere, quod commoda diſtinctione ita explicat Hierocles, Οὐκ ἄρα αὐτὸς αἴτιος τοῦ μὴ πᾶσι δεῖξαι, ἀλλ' οἱ τῶν ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὔτε ἐσορῶντες, οὔτε κλύοντες. καὶ διὰ τοῦτ' αὐθαίρετα πήματ' ἔχειν λέγομεν. αἰτία οὖν τοῦ ἑλομένου, Θεὸς δὲ κακῶν ἀναίτιος, προλάμπων μὲν ἀεὶ τὰ ἀγαθὰ πᾶσιν ὅσον ἐφ' ἑαυτῷ, οὐ δεικνὺς δὲ πᾶσιν ἀεὶ, τῷ τὸ θεωρὸν ὄμμα τῶν προτεινομένων ἀγαθῶν ἐν τοῖς πλείστοις μεμυκέναι καὶ κάτω νεύειν ἀσχολίᾳ τῇ πρὸς τὰ χείρονα [*Non igitur ille in cauſa eſt quòd non omnibus ſe oſtendat, ſed qui bona propè poſita nec vident nec audiunt: & ideo ſponte quæſitis eos malis laborare dicimus. Culpa igitur penes eligentem; Deus extra culpam, prælucens quidem omnibus bona quantum in ſe eſt, non tamen ea oſtendens omnibus, ideo quòd oculus quo ſpectanda ſunt propoſito bono in multis connivet & deorſum vergit diſtrictus circa deteriora*]. Huic ordini Divinæ patefactionis intus peragendæ accommodata fuit etiam diſpenſatio exterior. Nam Regno cœlorum præmittitur pœnitentiæ κήρυγμα [*prædicatio*], Chriſto Baptiſta: Tum verò & Baptiſta & Chriſtus ipſe nullo fulgebant rerum exteriorum apparatu, ac ne eloquentiæ quidem aut ſapientiæ humanæ præſidiis, quò magis appareret nullam in rebus ejuſmodi ponendam eſſe fiduciam, ſed humilem obedientiam præſtandam humili magiſterio. Huc ſpectant & ſuperiora, ut cùm de ſe dixit Chriſtus, *Beatus qui in me non offendetur*, & de Baptiſta loquens, *Si vultis accipere*. Sed notandum eſt, ſicut decimo capite de prima Apoſtolorum legatione ita egit Chriſtus ut multa attexeret ad poſteriores legationes pertinentia, ita hoc etiam loco de iis quæ contigerant hactenus ita agere Chriſtum ut occultè etiam ventura præmonſtret. Nam ſicut vaticinia de mittendo Meſſia non intellexerunt homines ſcientiâ inflati, ob ſtatum ipſius deſpicabilem, quod principium erat τῆς αὐτοῦ κενώσεως [*exinanitionis ipſius*], ita poſtea crux Chriſti & auctus inde ignominiæ metus iiſdem obſtitit quominus in Chriſtum jam apertiùs revelatum crederent; ita ſemper diſpenſationes ſuas Domino temperante ut idem iter admitteret humiles, & excluderet ſuperbos.

26. εὐδοκία, *placitum*] Vox Helleniſtica, ut ad caput III. diximus, quæ alibi *propenſum affectum*, hîc verò & aliis in locis *decretum Divinum* ſignificat. Ita & Paulus, Εὐδόκησεν ὁ Θεὸς διὰ τῆς μωρίας τοῦ κηρύγματος σῶσαι τοὺς πιστεύοντας [*Placuit Deo per ſtultitiam prædicationis ſalvos facere credentes*], I Corinth. 1, 21. Simile eſt II Maccabæorum XIV. 35. Σὺ Κύριε τῶν ὅλων ἀπροσδεὴς ὑπάρχων εὐδόκησας ναὸν τῆς σῆς σκηνώσεως ἐν ἡμῖν γενέσθαι [*Tu Domine univerſorum, qui nullius indiges, voluiſti Templum habitationis tuæ fieri in nobis*]. Neque eâ voce oſtenditur cauſas nullas fuiſſe cur ita viſum fuerit; ſed non omnibus patentes. Nam laudat Chriſtus in hoc decreto Dei & æquitatem & ſapientiam. Et ſic etiam in humanis negotiis eam vocem uſurpavit Paulus Romanorum XV, 26.

27. Πάντα μοι παρεδόθη ὑπὸ τοῦ πατρός μου· *Omnia mihi tradita ſunt à Patre*] Pergit Chriſtus agere de decretis Divinæ diſpenſationis, ex quibus conſequens eſſe, ut nec ad cognitionem myſteriorum veniatur niſi per fidem ſibi habitam, neque ad fidem niſi per ſenſum miſeriæ & pœnitentiam. Monſtrat

orationis ſeries agi de myſteriis ad ſalutem humanam pertinentibus, quorum revelatio Filio eſt credita.

οὐδεὶς ἐπιγινώσκει τὸν υἱὸν εἰ μὴ ὁ πατήρ· *nemo novit Filium niſi Pater*] Quid Filius facturus paſſuruſque ſit, quæ ipſum maneat gloria, ſolus novit qui præfinivit ab æterno Pater.

οὐδὲ τὸν πατέρα τις ἐπιγινώσκει εἰ μὴ ὁ υἱὸς, *neque Patrem quis novit niſi Filius*] Quomodo Pater diſpenſari velit vocationem Iudæorum primùm, deinde & Gentium, conſcius ipſi ſolus eſt Filius. Nam ne Prophetæ quidem ea quæ ſuper iſtis rebus prædixerunt videbant, niſi per tranſennam, quod dicitur. Vide 1 Petri I, 10.

καὶ ᾧ ἐὰν βούληται ὁ υἱὸς ἀποκαλύψαι. *& cui voluerit Filius revelare*] Hoc ad utrumque referendum, tum ad id quod de Patre tum ad id quod de Filio noſcitur. Filii enim ſapientiæ permiſſum erat & quibus & quantum & quando vellet aperire. Neque ille aperuit myſteria omnibus, ſed partem aliquam jam in ſe credentibus, partem Apoſtolis ſolis. Vide infrà XIII, 11. Marci IV, 11. Lucæ VIII, 10. Romanorum XVI, 25. 1 Corinth. II, 7. Epheſ. III, 5. Coloſſ. I, 26. Clemens Alexandrinus Stromateon VI, Πλέον δέ ἐστι τοῦ πιστεῦσαι τὸ γνῶναι [*Plus eſt ſcire quàm credere*]· ſed & γνωστικῶν [*ſcientium*] facit gradus: quoſdam enim vocat γνωστικοὺς τελείους [*ſcientes perfectos*], Strom. VII. & alibi. Similia videas apud Origenem adversùs Celſum tertio.

28. Δεῦτε πρός με πάντες οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis*] Revelationem myſteriorum dixerat non omnibus dari: Ad fidem verò in ſe omnes vocat, excluſo nemine, ſed ita ut præire velit pœnitentiæ præparationem. *Non enim omnium eſt fides.* Sunt igitur οἱ κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι [*laborantes & onerati*], qui peccati onere ſuſpirant & ad libertatem adſpirant: quos non malè deſcribit Baruch, aut quiſquis eſt libri illius auctor, II, 18. Ἡ ψυχὴ ἡ λυπουμένη ἐπὶ τὸ μέγεθος, ὃ βαδίζει κύπτον καὶ ἀσθενοῦν, καὶ οἱ ὀφθαλμοὶ οἱ ἐκλείποντες, καὶ ἡ ψυχὴ ἡ πεινῶσα, δώσουσί σοι δόξαν καὶ δικαιοσύνην, Κύριε [*Anima quæ triſtis eſt ſuper magnitudine mali & incedit curva & infirma, & oculi deficientes & anima eſuriens dat tibi gloriam & juſtitiam, Domine*]. Confer locum Iohan. VII, 37. Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με καὶ πινέτω [*Siquis ſitit, veniat ad me & bibat*]. Sequitur autem ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ [*qui credit in me*] &c. ut appareat *venire* eſſe *credere*, ut & Iohan. VI, 44.

ἀναπαύσω ὑμᾶς. *reficiam vos*] Liberos vos præſtabo à dominio peccati in poſterum, tandem etiam à morte & miſeriis.

29. τὸν ζυγὸν, *jugum*] *Iugum* mandata ſignificat. Ita vox iſta ſumitur Actorum XV, 10. & Iohannes hunc locum explicans pro jugo ἐντολὰς [*mandata*] dixit 1 Epiſtolâ cap. V, 3.

μάθετε ἀπ' ἐμοῦ, *diſcite à me*] Puto abſolutè poni, ſine relatione, quomodo μανθάνειν [*diſcere*] & alibi uſurpatur, Iohan. VI, 45. 1 Corinth. XIV, 31. 1 Timoth. II, 11. ut ſenſus ſit, Date vos in meam diſciplinam.

ὅτι πρᾶός εἰμι καὶ ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. *quia mitis ſum & humilis corde*] Non eſt quòd me formidetis ob peccatorum conſcientiam. Non ſum, quales illi ſuperbi atque inclementes magiſtri. Humilis humiles amo, clemens pœnitentiâ ductis ignoſco. Suprà diximus jungi ſolere πρᾶον καὶ ταπεινόν [*manſuetum & humilem*]. Neque id immeritò: moroſum enim & inhumanum quiddam eſt ſuperbia. Reſpicitur locus Zachariæ IX, 9.

καὶ εὑρήσετε ἀνάπαυσιν ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν. *& invenietis requiem animabus veſtris*] Amat Chriſtus loqui Prophetarum verbis. Exſtant hæc apud Ieremiam VI, 16.

30. Ὁ γὰρ ζυγός μου χρηστὸς, καὶ τὸ φορτίον μου ἐλαφρόν ἐστι. *Iugum enim meum ſuave eſt, & onus meum leve*] Nimirum ob Spiritus auxilium, & magnitudinem ac certitudinem propoſiti præmii, explicante Iohanne 1 Epiſtolâ V, 4. qua de re egimus ſuprà ad caput VII. Adde his, quòd præcepta Chriſti etiam per ſe talia ſunt ut naturæ humanæ conveniant, quippe in diligendo Deo & hominibus ſita; ita ut ſi par ponatur conſuetudo, unius hominis ad rectè vivendum, alterius ad flagitia, non dubiè multò dulcior ſit futura vita quæ ſecundùm virtutem eſt. Graviſſima enim tributa pendunt qui ambitioni, qui avaritiæ, qui libidini ſerviunt. Ideo Sapiens Hebræus peccatis ſervientes ait διοδεύειν ἐρήμους ἀβάτους [*ambulare vias difficiles*]. Philo, Ἡ ἀρετὴ φαντασίᾳ μὲν κατὰ τὴν πρόχειρον ἔνδειξιν ἀργαλέον εἶναι δοκεῖ· μελέτῃ δὲ ἥδιστον καὶ ἐξ ἐπιλογισμοῦ συμφέρον [*Virtus primo quidem intuitu durum quid eſſe videtur; at exercenti ſuave & bene examinanti utile*]. Quo ſenſu & illud Chryſoſtomi verum eſt, Δυσκολώτερον ἡ κακία τῆς ἀρετῆς [*Vitium virtute difficilius*]. Salvianus, *Quid namque à nobis exigit, quid præſtari ſibi à nobis jubet, niſi ſolam tantummodo fidem, caſtitatem, humilitatem, ſobrietatem, miſericordiam, ſanctitatem, quæ utique omnia non onerant nos ſed ornant?*

CAPVT XII.

1. Τοῖς σάββασι, *Sabbato*] Suprà diximus voces Hebræas ad Græcam nominum figuram flecti additione aut imminutione. Ita ex Hebræo שבת addendo facta eſt vox Græca σάββατον, diminuendo autem σάββα σάββατος, unde dativus pluralis σάββασι. Sed poſterior vox in ſingulari numero uſurpari deſiit; ideoque iis cœpit accenſeri quæ plurali ſono ſingularem habent ſignificationem, ut hîc apparet, & infrà XXVIII, 1. Actorum XIII, 14 & alibi. Ita apud Horatium, *ſunt hodie triceſima ſabbata.*

τίλλειν στάχυας, *vellere ſpicas*] Τίλλειν [*vellere*] hoc Lucas interpretatur ψώχειν *fricare*, quo ſenſu vox τίλλειν eſt & apud Diodorum Siculum, & in Gloſſis τιλμὸς ὀσπρίων [*vulſio leguminum*]. Vellere ſpicas in agro alieno licebat per legem Deuteronomii XXIII, 25. quæ non impunitatem ſed jus ad factum concedit. Sed an Sabbato vellere ac fricare liceret alia erat quæſtio. Lex Moſis interdicit Sabbato facere מלאכה, quod Hebræi rectè interpretantur *opus ſervile*. In Iure Pontificio Romano, cujus pars magna ab Ethruſcis erat, Ethruſci autem ab Hebræis per Tyrios acceperant, quo loco de feſtis diebus agebatur, erat idem loquendi genus, *Ne famula opera patranto*: nam inde accepit Cicero

De legibus II. *Feriis jurgia amovento, easque in famulis operibus patratis habento.* Sed apud Romanos uſus indulgentior multas exceptiones famulorum operum invenerat. Itaque apud Virgilium hæc ſunt ex Iure Pontificio petita, ut nos Macrobius docet,

Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
Fas & jura ſinunt: rivos deducere nulla
Relligio vetuit, ſegeti prætendere ſepem,
Inſidias avibus moliri, incendere vepres,
Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.

Servius eo loco utitur ut probet neceſſitati parêre religionem. Hebræi tales exceptiones non admittebant, quippe gnari decreto Dei lapidatum hominem quòd lignatum iviſſet in Sabbato. Ac nominatim in Pandectis ipſorum ſpicas confricare numeratur inter famula opera. Neque negat Chriſtus opus eſſe famulum, ſed ex circumſtantiis oſtendit factum hoc Diſcipulorum Legis ſententiâ non comprehendi. Eſt ergo quæſtio τοῦ ῥητοῦ καὶ τῆς διανοίας, *ſtatûs ſcripti & voluntatis*, ut hac de ipſa re agens Tertullianus loquitur.

2. ὃ οὐκ ἔξεστι ποιεῖν ἐν σαββάτῳ. *quod non licet facere Sabbato*] Vulſionem ſpicarum intelligunt, non deambulationem. Nam ambulat & Chriſtus: at Phariſæi ſolos diſcipulos notant. Iter majus Hebræi famulis operibus accenſebant; minus non item, ut quod ad reficiendum animum magis quàm ad laboris ſpeciem pertinebat. Diſcrimen autem inter Iter & Ambulationem naturâ indefinitum, ut certi aliquid eſſet in Iudiciis, lege humana definitum erat ſpatio bis mille cubitorum. Hac igitur in parte nihil habebant Phariſæi quod calumniarentur.

3. Οὐκ ἀνέγνωτε τί ἐποίησε Δαβίδ, *Non legiſtis quid fecerit David*] *Scire leges*, inquiunt Iuriſconſulti, *non eſt verba earum tenere, ſed vim ac poteſtatem; quia prior atque potentior eſt quàm vox mens dicentis.* Ideo quoties certis indiciis comprehendi poteſt mens ejus qui legem ſcripſerit, præferri debet διάνοια τῷ ῥητῷ [*mens dicto*]. Verum enim eſt quod apud Ciceronem libro De Inventione ſecundo legimus, *Nullam rem neque legibus neque ſcripturâ ullâ, denique ne in ſermone quidem quotidiano, atque imperiis domeſticis, rectè poſſe adminiſtrari, ſi unuſquiſque velit verba ſpectare, & non ad voluntatem ejus qui verba habuerit accedere.* In legibus autem prohibitoriis plerúmque verba latiùs patent quàm mens ipſa legis. Nam, ut eodem loco apud Ciceronem eſt, *non omnia ſcriptis, ſed quædam, quæ perſpicua ſunt, tacitis exceptionibus caventur.* Hinc æquitatis, quam ἐπιείκειαν vocat, proprium eſſe dicit Ariſtoteles ἐπανορθοῦν τὸν νόμον ᾗ ἐλλείπει διὰ τὸ καθόλου [*corrigere legem ea parte qua deficit ob locutionem univerſalem*]. Ea niſi adhibeatur, jus illud ſummum, τὸ ἀκριβοδίκαιον, fit ſumma crux ſummáque injuria. Neque verò ea quæ diximus in humanis tantùm legibus locum habent, ſed & in Divinis, ejus nempe generis quod non naturâ juſtum eſt, ſed conſtitutione. Deus enim cum hominibus loquens humano more ita vult intelligi quomodo idem dicens homo intelligeretur. Inter omnes autem exceptiones, quæ tacitè inſunt legibus, nulla eſt aut receptior aut juſtior quàm ea quæ fluit ex neceſſitate. Bene Seneca, *Neceſſitas magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, quicquid cogit excuſat.* Neque verò neceſſitas ea demum intelligenda eſt quæ in extrema, ut ita dicam, linea conſiſtit; ſed habet & illa ſuum πλάτος [*latitudinem ſuam*], modò majus, modò minus, pro neceſſitate aut utilitate legis ipſius. In omni autem legum genere minimæ neceſſitatis utilitatiſque ſunt leges ſacrorum rituum & inſtitutorum Civilium, quas certum eſt non ob id ipſum quod in lege eſt, ſed aut εὐταξίας [*recti ordinis*] aut ſignificationis alicujus gratiâ repertas. In harum igitur legum interpretatione neceſſitas ſumitur paulò laxiùs. Poterat hîc Chriſtus multa afferre ex Iudaico Iure huc pertinentia. Nam Maccabaicis temporibus decretum eſt ut pugnare in hoſtem Sabbatis liceret. Sed & ex ſententia receptiore curſores publici & mercatores ſtatis temporibus proficiſcentes ἐν συνοδίᾳ, quam nunc *Carvanam* vocant, lege Sabbati eximebantur. Sed quia hæc ſolâ conſuetudinis nitebantur auctoritate, nec deerant qui diſſentirent, cujus rei magnum eſt argumentum quòd poſt Maccabaica tempora bis Hieroſolyma Sabbato ſunt expugnata, Chriſtus ex ipſis literis Sacris validiſſimum à pari cauſa ſumit argumentum, quod tale eſt, In pari cauſa jus idem eſſe oportet; Lex Sabbati & lex de Propoſitis panibus non edendis niſi à Sacerdotibus, ambæ ſunt rituales: David ejuſque comites, pari neceſſitate preſſi qua nunc premuntur diſcipuli mei, fecerunt contra τὸ ῥητὸν [*verba*] legis de Panibus, neque tamen cenſentur feciſſe contra τὴν διάνοιαν [*mentem*]: Sequitur ergo nec diſcipulos meos hoc facto quicquam adverſùs Legis ſententiam committere.

καὶ οἱ μετ' αὐτοῦ; *& qui cum eo erant*] Nimis aperta ſunt hæc verba quàm ut negari poſſit Davidem ejus fugæ comites aliquos habuiſſe. Et ut hæc verba aliqua ratione poſſent eludi, illa certè apud Marcum non poſſunt, καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι [*& dedit eis qui cum eo erant*]. Quare quòd Pontifex in Samuelis hiſtoria miratur Davidem eſſe ſolum, ita intelligi debet, comites alibi ſubſtitiſſe.

4. εἰς τὸν οἶκον τοῦ Θεοῦ, *in domum Dei*] Id eſt, locum in quo erat ἡ σκηνή [*Tabernaculum*]. Nam Templum adhuc nullum exſtabat.

τοὺς ἄρτους τῆς προθέσεως, *Panes propoſitionis*] LXX modò ἐνωπίου [*coràm poſitos*], modò προσώπου [*faciei*], modò προκειμένους [*præjacentes*] dicunt; ſæpiſſime verò, ut hîc, ἄρτους προθέσεως, quod & Philo ſequitur.

οὓς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, *quos non licebat ei edere*] *Quibus veſci ipſum fas non erat* κατὰ τὸ ῥητὸν rigidè ſumtum [*ſecundùm verba* rigidè ſumta]; fas autem erat κατὰ διάνοιαν [*ſecundùm ſententiam*]· quod inde apparet, quia neque David reprehenditur eo nomine, neque Achimelec Sacerdos religioſiſſimus conceſſurus fuerat quod ſciret cum Lege pugnare.

5. Ἢ οὐκ ἀνέγνωτε ἐν τῷ νόμῳ, *Aut non legiſtis in Lege*] Alterum Chriſti argumentum à minori ad majus; Lex Sabbati eam recipit interpretationem ut non obſtet operibus Templi: Ergo nec Propheticis operibus obſtare debet. Antecedens probatur ex lege Num. XXVIII, 9. & notiſſima conſuetudine: unde regula erat Iuris Iudaici, *In Templo non eſſe Sabbatum.* Conſequentiam probat Chriſtus commate ſequenti.

βεβηλοῦσι, violant] Βεβηλοῦν τὴν ἡμέραν τῶν σαββάτων [*violare* aut *polluere diem Sabbati*] dixit etiam Scriptor hiſtoriæ Maccabaicæ libro 1, cap. 11, 34. Sed hîc ſubintelligi debet κατὰ τὸ ῥητὸν [*ſi verba ſpectemus*]. Ideo ſequitur καὶ ἀναίτιοί εἰσι [*& ſine crimine ſunt*], quia ſcilicet contra Legis διάνοιαν [*ſententiam*] nihil admittunt. Atque adeò hoc ipſo loquendi genere utuntur Hebræi veteres in Pandecte Thalmudico, & ex illis David Kimchi, cùm dicunt rectè interdum violari Sabbatum; idque probant exemplo operarum ſacerdotalium. Addunt & hiſtoriam, qua & Iuſtinus adversùs Tryphonem utitur, Arcæ circùm Hierichuntem portatæ Sabbato non minùs quàm diebus cæteris. Sic ex Iure Pontificio veterum Romanorum *Vmbro negabat eum pollui qui opus ad Deos pertinens ſacrorumve causâ feciſſet*: Macrobius 1 Saturnalium 16.

6. τοῦ ἱεροῦ μεῖζόν ἐστιν ὧδε. *Templo major eſt hîc*] Plus Templo erat omnis Propheta; unde Prophetis extra Templum ſacrificare licuit, ut Eliæ. Ieſus autem pluſquam Propheta, ut infrà dicet commate 41. Sed dicat aliquis Templi ritus obſervari non poterant niſi labor aliquis die Sabbati inſumeretur; quæ autem talis connexio eſt inter Propheticum Chriſti ejuſque Apoſtolorum munus & inter ſpicarum vulſionem? Nimirum iſta, quòd Chriſtus ejuſque Apoſtoli ita occupati fuerant in obeundo ſuo munere ut non vacaret ipſis cibum ſibi parare quo Sabbati die veſcerentur. Aut ergo intermittere debuerant munus Propheticum, aut facere contra τὸ ῥητὸν [*verba*] legis Sabbati. Sacerdotale autem munus non intermittebatur ob legem Sabbati; igitur nec Propheticum, quod majus erat, intermitti eo nomine debebat.

7. Εἰ δὲ ἐγνώκειτε τί ἐστιν· *Si autem ſciretis quid eſt*] Tertium Chriſti argumentum petitum ex loco de contrariis legibus. Eſtque idem προσυλλογισμὸς [*ſyllogiſmus antecedaneus*] qui ſuprà capite IX. Quoties leges ex circumſtantia colliduntur, ita ut ſimul utraque ſervari nequeat, ſervanda eſt lex potior; Potior autem eſt lex quæ beneficentiam præcipit quàm quæ ad ritus pertinet: Præferenda igitur. Propoſitio notiſſimi eſt juris: aſſumtio probatur, ut ſuprà quoque, Oſeæ verbis. Reſtat complexionis generalis ad hanc ſpeciem applicatio. Lex quæ beneficos nos eſſe jubet, haud dubiè ante omnia à nobis exigit ut quantum in nobis eſt æternæ aliorum ſaluti conſulamus, & quidem quàm celerrimè, cùm nemo ſibi poſſit craſtinum polliceri. Legem de Sabbato eſſe ritualem res ipſa docet, & extra controverſiam eſt. Simul non poterant Chriſtus docendis, Apoſtoli ad ejus doctrinam præparandis hominibus incumbere, & ea parare quæ ad rigidam Sabbati obſervationem pertinebant, ut antè etiam diximus. Debebat ergo ex eo quod antè concluſum erat lex Sabbati cedere præcepto ſanctæ inſtitutionis. Quod autem hic ex Oſea probatur, Leges omnes rituum multò minoris eſſe pretii apud Deum quàm leges morum, præſertim verò religionis ac beneficentiæ, conſpectiſſimæ eſt veritatis, quæ multos etiam ex profanis gentibus non effûgit. Ex multis pauca adferam. Plato Alcibiade II. Καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ Θεοὶ, ἀλλὰ μὴ πρὸς τὴν ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ [*iniquum enim ſit, ſi ad dona noſtra & victimas reſpiciant Dii, non ad animum, nempe an quis juſtus ſanctuſque ſit*]. In quam ſententiam & in De republica libris multa præclarè ſunt dicta. Verſus quos jam adducam alii Menandro adſcribunt, alii Philemoni, neutro indignos. Referam autem ita ut emendandos cenſeo.

Εἰ θυσίαν τις προσφέρων, ὦ Πάμφιλε,
Ταύρων τε πλῆθος ἢ ἐρίφων, ἢ νὴ Δία
Ετέρων τοιούτων, ἢ κατασκευάσματα
Χρυσᾶς ποιήσας χλαμύδας ἤτοι πορφυρᾶς,
Ἢ δι' ἐλέφαντος ἢ σμαράγδου ζώδια,
Εὔνουν νομίζει τὸν Θεὸν καθιστάναι,
Πλανᾶτ' ἐκεῖνος καὶ φρένας κούφας ἔχει·
Δεῖ γὰρ τὸν ἄνδρα χρήσιμον πεφυκέναι,
Μὴ παρθένους φθείροντα καὶ μοιχώμενον,
Κλέπτοντα καὶ σφάττοντα χρημάτων χάριν.
Μηδὲ βελόνης ἕναμμ' ἐπιθυμῇς, Πάμφιλε·
Ὁ γὰρ Θεὸς βλέπει σε πλησίον παρών.
[*Adducat ſiquis victimas, ô Pamphile,*
Sive ex caprigeno pecore, ſive ex bucero,
Sive adeò pecudes alias, aut dona ferat
Paludamentum ex auro ſive ex purpura,
Aut ex ebore aut ſmaragdo ſigillaria,
Atque his propitium ſperet adipiſci Deum,
Decipitur vanitate mentis credulæ;
Sed oportet ipſum hominem eſſe puris moribus,
Non felem virginalem, non adulterum,
Non furem, non qui occîdit quæſti gratiâ.
Nec acuis filum, Pamphile, concupiveris:
Quando ipſe præſens Deus inſpectat omnia.]

Ejuſdem auctoris eſt & hoc,

Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὢν,
Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
[*Deo ſacrifica ſemper ingenio probo:*
Nec tu albas veſtes magis quàm mores induas.]

Accedat his Perſius,

Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum jus faſque animi, ſanctoſque receſſus
Mentis, & incoctum generoſo pectus honeſto.
Hoc cedo ut admoveam templis & farre litabo.

Hierocles in eundem ſenſum, Οἶδε τιμᾶν Θεὸν ὁ προηγουμένως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν [*Novit is Deum honorare qui ſemetipſum præcipuè victimam offert, ſimulacrumque Deo ſtatuit animum ſuum, templumque receptandæ Divinæ luci parat mentem ſuam*]. Nam Deus, ut ille ibidem ait, Τὸ εὐτελέστατον προκρίνει τῆς πολυτελείας ὅταν θεοσεβείας γνώμῃ κοσμεῖται· μετ' αὐτῆς γὰρ πάντα θεοφιλῆ, καὶ ἄνευ ταύτης οὐδὲν Θεῷ φίλον ἄν ποτε γένοιτο [*Parabilia præfert ſumtuoſis ubi illa animo commendantur pio; cum eo enim omnia Deo grata, ſine eo nihil Deo placet*].

8. Κύριος γάρ ἐστι καὶ τοῦ σαββάτου ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. *Dominus enim eſt filius hominis etiam Sabbati*] Errant qui υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου [*filium hominis*] hoc loco Chriſtum peculiariter intelligunt. Chriſtus enim in terris agens Legi ſe ſubditum profeſſus eſt, neque ei aut derogavit aut obrogavit, ſed ex Patris ſententia eam eſt interpretatus, ſuamque interpretationem

& Legis auctoritate & ductis ex æquo bonoque argumentis confirmavit. Eſt ergo hîc υἱὸς ἀνθρώπου [*filius hominis*] *homo quivis*; quod ita apertum facit Marcus ut contradici nequeat. Ita enim apud illum loquitur Chriſtus, *Sabbatum eſt hominis cauſâ, non homo Sabbati cauſâ: quare filius hominis etiam Sabbati eſt Dominus.* Hæc enim verba non cohærent, ſi *filium hominis* interpreteris Meſſiam miſſum cum poteſtate Legis antiquandæ. Adde jam quòd Ieſus eo tempore ſe eſſe Chriſtum populo aut Phariſæis nec prædicaverit nec prædicari voluerit. Vide inf. XVI, 21. Marci VIII, 30. Sed, ut dixi, notiſſimum eſt Hebræis בן אדם [*filium hominis*] hominem quemvis ſignificare, quanquam interdum, ut diximus, ad minùs illuſtres reſtringitur. Neque aliter dicitur infrà 32. Ὃς ἐὰν εἴπῃ λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου [*quicunque dixerit verbum contra filium hominis*], ut inibi dicemus. Senſus igitur Chriſti verborum, quæ pleniùs aliquantò ſunt à Marco expreſſa, hic eſt, Quod alterius rei cauſâ comparatum eſt, id cedere debet ei cujus cauſâ comparatum eſt; At Sabbatum comparatum eſt hominis cauſâ: Debet ergo homini cedere, nimirum ubi de hominis ſalute agitur. κύριος εἶναι [*dominus eſſe*] Græcè, ut Hebraicè בעל, dicitur *qui aliqua re utendi jus habet:* ſicut homo in tali caſu jus habet vertendi in uſum ſuum etiam Sabbati diem. Planè idem eſt quod dixit Rabbi Ionathan, *Sabbatum traditum eſſe in manum hominum, & non homines in manum Sabbati.* Nam *tradi in manum* idem eſt quod *eſſe in dominio.* Ergo hîc etiam notam inter Iudæos regulam Chriſtus uſurpavit.

11. τίς ἔσται ἐξ ὑμῶν, *quis erit ex vobis*] Modus loquendi quo Iudæi formabant τὰς ὑποθέσεις [*facti ſpecies*], ut ad caput VII. obſervavimus. Diſſentiebant in explicatione legis Sabbati Eſſeni à cæteris, vix ullam recipientes excuſationem: At communior interpretatio exceptiones admittebat. Iure Iudæorum noviſſimo, quod Chriſti ætate aliquot ſeculis eſt poſterius, conſtituitur ut pecus in foſſam prolapſum in Sabbato alatur, & ſi opus ſit ſtramine ſubjecto fulciatur, ut duret in diem ſequentem. Quòd ſi talis ſit foſſa quæ demerſura ſit pecudem ni continuò educatur, quid nunc facturi ſint Iudæi omitto, certè Chriſti ætate receptior erat ſententia, non obſtare Sabbati religionem quominus vitæ pecudis conſulatur. Hoc enim eſt quod in veteri Babylonico Hebræorum Iure legitur, *Periculo animæ pelli Sabbatum*; quod ipſi dicunt, סכנת נפש רחת שבת Verba in Miſnajot ſunt, *Omne opus prohibetur in Sabbato niſi ſit pro anima.* Atque adeò recepta erat apud Iudæos iſta exceptio, ut in multis codicibus Legi vice interpretamenti adſcribi cœperit; quod ex Tertulliano colligo. Ita enim is ait IV adverſùs Marcionem, *Sicut & rurſus in Lege: Non facies omne opus in eo, niſi quod fiet omni animæ.* Et contra Iudæos ita legem citat, *Omne opus ſervile non facietis in eo, præterquam quod ad animam pertinet.* Sed & Hieronymus ad XXVIII Eſaiæ, *Lege præceptum eſt ne in Sabbato opus ſervile faciamus, ne accendamus ignem, ut in uno ſedeamus loco, ut illa tantùm faciamus quæ ad animæ ſalutem pertinent.* *Animæ* autem nomine antiqui interpretes pecudis vitam comprehendebant. Quare nova illa interpretatio rigidior odio Chriſtianorum eſt excogitata, ſicut & Doſitheus ille, cujus Origenes & Epiphanius meminerunt, ſtatim poſt Chriſti ætatem exaſperavit interpretando legem Sabbati. Ex hac ergo Iuris regula Chriſtus fulcit argumentum illud quod ſuprà tertio loco propoſitum duximus. Non eſt ab hoc loco alienum quod ex Romanorum Iure Pontificio Scævola notaverat, *Si bos in ſpecum decidiſſet, eumque paterfamilias adhibitis operis liberaſſet, non eſſe viſum ferias polluiſſe.* Meminit Macrobius Saturnal. 1, cap. 16.

12. Πόσῳ οὖν διαφέρει ἄνθρωπος προβάτου; *Quantò magis melior eſt homo ove*] Ne objicerent Phariſæi in ſuo Iure agi de vita, hîc de membri integritate, occurrit Chriſtus, oſtendens tantò hominem pecude eſſe potiorem ut meritò hominis ſanitas pecudis vitæ præponderet.

καλῶς ποιεῖν. *benefacere*] Hoc eſt, ἀγαθοποιῆσαι, ut uno verbo dixerunt Marcus & Lucas. ἀγαθοποιεῖν autem apud Lucam VI, 9. Actorum XIV, 17. ut & ἀγαθοεργεῖν apud Paulum 1 Timoth. VI, 18. idem eſt quod εὐεργετεῖν. Quæ Chriſti ſit ſententia pleniùs intelligitur ex Marco & Luca, ubi Chriſtus interrogat *Liceatne in Sabbato* ἀγαθοποιῆσαι [*benefacere*], *an verò* κακοποιῆσαι; ubi κακοποιῆσαι eſt *nocere*, ſed eo ſenſu quo *necare* dicitur qui alimentum negat. Nam ſic nocet qui miſerum non juvat quem poteſt juvare, ſive Divina ope ſive etiam arte humana. Lepida eſt apud Syneſium narratio de Nauta ſabbatario, qui die ſeptimo adventante omittebat gubernaculum, ac diu neque vi neque minis cogi poterat ut munere ſuo fungeretur, donec ingraveſcente tempeſtate & manifeſto jam periculo ultro ſurrexit, dictitans rem in eum caſum perductam quo & Sabbato opus facere liceret. Sic apud Ioſephum Ionathas Iudæ Maccabæi frater ſuos Sabbato in prælium animat, dicens περὶ τῶν ψυχῶν αὐτοῖς εἶναι τὸν κίνδυνον [*vitam in periculo eſſe*]. Vbi ergo ægrotus aliquis aut debilis auxilium quod in tua ſit facultate implorat, reſtat aut opem ei benignè feras, aut crudeliter deneges. Vtrum verò, inquit Chriſtus, vobis videtur diei feſto ac ſacro meliùs convenire? Repetendum memoriâ eſt quod ſuprà diximus, ut locum habeat æquitatis exceptio, Non requiri ultimam neceſſitatem, ſed talem quam facilè admittat Legis natura.

13. λέγει τῷ ἀνθρώπῳ· *ait homini*] Vera doctrina de Sabbato expoſita jam omnem calumniæ anſam præcidit. Nam ſine contactu ſola voce hominem ſanat, quod ne ſpeciem quidem violati Sabbati habere poterat.

καὶ ἐξέτεινε, καὶ ἀποκατεστάθη ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη. *& extendit, & reſtituta eſt ſanitati ſicut altera*] Hîc quoque conjunctio cum verbo vim participii habet. Senſus enim eſt ἐξέτεινε ἀποκαταστᾰθεῖσαν ὑγιῆ ὡς ἡ ἄλλη [*extendit eam ita reſtitutam ſanitati ut eſſet qualis altera*]. Neque enim extendere manum potuiſſet niſi Divina virtute reſtitutam.

14. συμβούλιον ἔλαβον, *conſilium capiebant*] Συμβούλιον λαμβάνειν, aut, ut Marcus loquitur, ποιεῖν, non eſt *concilium vocare*, ſed *conſilium capere*, ſive id fiat in legitimo conſeſſu ſive aliter. Itaque infrà capite XXVII. poſt convocationem cœtûs ſequitur, συμβούλιον λαβόντες [*conſilium inierunt*]. Phariſæorum

autem ſcorſim nullus erat cœtus legitimus. Eſt ergo συμβούλιον [*conſilium*] idem quod Platoni συμβουλή, qui & συμβουλὴν ποιεῖν [*conſilium inire*] dixit, ut Marcus συμβούλιον ποιεῖν, & hoc loco quidam codices ex interpretamento habent συμβούλιον ἐποίησαν. In Hebræo fuerit נועצין, quod Lxx modò ἐβουλεύσαντο modò συνεβουλεύσαντο vertere ſolent.

ἐξελθόντες, *exeuntes*] Ex Synagoga ſcilicet, in qua hæc erant geſta, ut apparet ſuprà commate 9.

15. ἀνεχώρησεν, *receſſit*] Vtitur hoc quoque loco Athanaſius, ut probet licitam eſſe fugam. Qua de re diximus ſuprà.

πάντας. *omnes*] Nempe qui ſanari ab ipſo cuperent: quomodo ſæpe interpretandæ ſunt particulæ univerſales.

16. ἵνα μὴ φανερὸν αὐτὸν ποιήσωσι. *ne manifeſtum eum facerent*] Ante tempus reſurrectionis ſcilicet. Non videtur mihi hoc loco notam cenſoriam meruiſſe qui injuncti ſilentii cauſam eandem eſſe putat quæ ſeceſſûs fuerat. Nam & quod ex Propheta ſequitur eum videtur ſenſum poſtulare. Gregorius Nazianzenus non malè inter cauſas juſtæ fugæ adfert τὴν φειδὼ τῶν διωκόντων [*animum parcendi ipſis perſecutoribus*]· quod Origenes Ariſtotelis quoque exemplo illuſtrat, qui Athenis diſcedens dixerit id ſe facere, ne occaſionem daret Athenienſibus alterum ſcelus admittendi poſt cædem Socratis, καὶ δεύτερα εἰς τὴν φιλοσοφίαν ἀσεβεῖν [*iterumque impiè agendi contra Philoſophiam*]. Videbatur adhuc excuſabile aliquo modo ſi non omnium ſaltem magnæ partis Phariſæorum ſtudium pro avitis traditionibus. Itaque additis aliis ſuper alia miraculis opperiri illorum pœnitentiam Chriſtus voluit, interim eos arcens ab atrocitate facinoris, donec ſuam ipſi conſcientiam oppugnantes, ut mox quoſdam ipſorum feciſſe videbimus, magis magiſque meruiſſent innoxio ſanguine inquinari, eoque ſcelere graviſſimas in ſe pœnas accerſere, quod fieri non oportebat niſi conſummatâ jam Chriſti doctrinâ, ut Tertullianus, nimius alioqui fugæ accuſator, non malè obſervat. Origenes Celſo hoc ipſum objicienti, præter id quod diximus, hunc in modum reſpondet, Οὐκ ἔστι γὰρ ἀγεννές, τὸ μετ' οἰκονομίας περιϊστάμενον τοὺς κινδύνους, μὴ ὁμόσε αὐτοῖς χωρεῖν· οὐ διὰ φόβον θανάτου, ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ χρησίμως αὐτὸν τῷ βίῳ ἐπιδημοῦντα ἑτέρους ὠφελεῖν, ἕως ἐπιστῇ ὁ ἐπιτήδειος καιρὸς τοῦ τὸν ἀνειληφότα τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ἀνθρώπου θάνατον ἀποθανεῖν ἔχοντά τι χρήσιμον τοῖς ἀνθρώποις [*Non eſt degeneris animi ob cauſam vitare pericula, neque ſe eis offerre; idque non mortis metu, ſed ut qui in vita hac utiliter verſatur proſit aliis donec advenerit aptum tempus, ut qui naturam humanam accepit, mortem obeat hominibus profuturam*].

18. Ἰδοὺ ὁ παῖς μου, *Ecce puer meus*] Septuaginta multis in locis de ſuo quædam addiderunt ad explicandam Hebraicorum verborum ſententiam: ut hoc loco ante ὁ παῖς μου [*puer meus*] poſuerunt Ἰακὼβ [*Iacob*], & ante ὁ ἐκλεκτός μου [*electus*], Ἰσραὴλ [*Iſrael*]. atque ita bis citat cum Tryphone Iudæo diſputans Iuſtinus. Quod enim ait Euſebius nono Euangelicæ demonſtrationis, παρὰ τοῖς ἑβδομήκοντα ὠβέλισται τὸ τοῦ Ἰακὼβ καὶ τὸ τοῦ Ἰσραὴλ ὄνομα [*in libris Septuaginta veru notatur vox Iacob & Iſrael*], ita accipiendum eſt, à Criticis ea verba obelo notata tanquam quæ adjecta ſint, cùm in Hebræo ſermone non exſtarent. Nam eum fuiſſe obeli uſum in editionibus verſionis Græcæ veteris Teſtamenti docent nos Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus. Errat igitur vir ſummæ eruditionis qui ideo negat hæc verba à Septuaginta interpretibus ſcripta eſſe. Neque dubito quin ab iiſdem interpretibus hic Prophetæ locus ita intellectus ſit quaſi de Hebræo populo ageret, idque propter ea quæ præcedunt capite XLI, 8. & quæ ſequuntur XLIII, 1. cùm tamen ex aliis Eſaiæ locis, præſertim verò ex iis quæ ſunt apud Prophetam capite XLIV, 6. obſervare debuiſſent agi hîc de eo qui lucem allaturus ſit tum Iudæis tum Gentibus: quod rectè vidit Chaldæus paraphraſtes qui, ſublimiorem ſenſum ſequens, *Meſſiæ* nomen hîc addidit. Cæterùm Iuſtinus, ut Septuaginta interpretum auctoritatem in ſuas partes perduceret, *Iacobi* & *Iſraelis* nomine Chriſtum vult indicatum, quod mihi hîc quidem veriſimile non videtur.

ᾑρέτισα· *elegi*] Eruditè atque efficaciter expreſſit Matthæi Græcus interpres vocem אתמך, neque minùs rectè Hieronymus cùm vertit *quem ſuſcepi.* Nam αἱρετισταὶ Græcis dicuntur *qui ſtant ab alicujus partibus*, qui ſi potentiores ſint vocantur Latinè *ſuſceptores.* Hinc rubrica in Codice Iuſtinianeo, *Vt nemo ad ſuum patrocinium ſuſcipiat ruſticanos.* hinc *ſuſcepti* apud Salvianum, Symmachum atque alios. Idem valet ἀντιλαμβάνεσθαι, quod hîc poſuerunt Septuaginta, quæ vox eodem ſignificatu reperitur Lucæ I, 54. ubi Latinus interpres itidem reddidit *ſuſcepit*; quo verbo hîc quoque utendum fuit ad exprimendam Græcæ vocis proprietatem, quæ Hebrææ optimè reſpondet.

ἀγαπητὸς, *dilectus*] Apparet hinc quoque eandem eſſe vim vocis ἀγαπητοῦ [*dilecti*] & ἐκλεκτοῦ [*electi*], quod ſuprà diximus. Verbum verbo reddiderunt Lxx. noſter interpres rem ipſam expreſſit: ſicut contrà quod ſequitur רצתה noſter magis propriè, & ut alibi ſolent Lxx, expreſſit per εὐδόκησε [*in quo bene complacuit mihi*], cùm ipſi Lxx hoc loco poſuerint προσδέξεται [*ſuſcipiet*]. Sed de vocis εὐδοκεῖν ſignificatione egimus ad caput III. quæ eadem quoque eſt, etſi minùs efficax, in verbo προσδέχεσθαι.

πνεῦμά μου, *ſpiritum meum*] Spiritum propriè manſuetudinis & humilitatis, deſignatum viſibili Columbæ ſigno: quem ſenſum exigunt tum quæ ſequuntur apud Prophetam, tum occaſio quæ Matthæum ad citandum Prophetam adduxit. Vide quæ diximus ad caput IV.

κρίσιν τοῖς ἔθνεσιν ἀπαγγελεῖ. *judicium gentibus nuntiabit*] Originem vocis κατὰ τὸ λεπτότατον [*exactiſſimè*] ſecuti Lxx poſuerant ἐξοίσει [*efferet*]. Cæterùm propriè ἐξαγγέλλειν [*publicare*] ea voce ſignificari apparet, Deuteronomii XXII, 19. aliiſque multis in locis: unde etiam collectu facile eſt quæ ſignificatio vocis πολυσήμου משפט, quam κρίσιν paſſim vertunt Helleniſtæ, hîc maximè quadret, ea nempe quæ *legem* ſive *normam vivendi* indicat. Legis enim maximè proprium eſt publicari. Verum hoc eſſe oſtendit quod mox in Hebræo ſequitur, *Ad legem ejus longinquæ gentes exſpectabunt.*

19. Οὐκ ἐρίσει, οὐδὲ κραυγάσει, *Non contendet, neque clamabit*] Cùm in Hebræo duæ ſint voces ejusdem ſignificationis *clamorem* denotantes, rectè noſter interpres alterius loco ſubſtituit ἐρίζειν [*contendere*], ut oſtenderet de eo clamore hîc agi qui ſignum eſſe ſolet excandeſcentis animi. Hinc Paulus cùm nominaſſet πικρίαν, θυμὸν καὶ ὀργὴν [*amaritudinem, iram & indignationem*] addidit κραυγὴν [*clamorem*], & Quintilianus *clamoſum altercatorem* dixit. Iuſtinus ad Zenam & Serenum, Τῶν δὲ κεκραγότων οὐδεὶς σώφρων ἐστί [*clamantium nemo modeſtus eſt*]. In Septuaginta virûm verſione eſt οὐ κεκράξεται, οὐδὲ ἀνήσει [*non clamabit, neque attollet*] ſcilicet φωνὴν [*vocem*]. Attamen Iuſtinus altero loco citat οὐκ ἐρίσει, οὔτε κράξει [*non contendet, neque clamabit*], altero οὐ κεκράξεται [*non clamabit*] tantùm. Symmacho, qui ישא tranſtulit ἀπατηθήσεται [*decipietur*] errandi cauſam præbuit exemplar in quo apex τοῦ ש perperam fuit notatus, quanquam ſic quoque ἀπατήσει [*decipiet*] potiùs quàm ἀπατηθήσεται transferre debuit.

οὐδὲ ἀκούσει τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ. *neque audiet aliquis in platea vocem ejus*] Idem valet quod habent Lxx, οὐδὲ ἀκουσθήσεται ἔξω ἡ φωνὴ αὐτοῦ [*neque foris audietur vox ejus*], quomodo & Iuſtinus citat altero loco; altero verò, οὔτε ἀκούσεταί τις ἐν ταῖς πλατείαις τὴν φωνὴν αὐτοῦ [*neque audiet quiſquam in plateis vocem ejus*], credo quia nunc ex tempore citarat Prophetam ita ferme ut hîc legitur, nunc inſpecto codice Lxx interpretum. חוץ ad verbum eſt ἔξω [*extrà*]· quia verò platea eſt extra ædificia, ideo eo nomine frequentiſſimè appellatur. Marcus alibi utrumque conjunxit, dicens ἔξω ἐπὶ τοῦ ἀμφόδου [*foris in bivio*], XI, 4. Iracundiæ ſignum eſt extra fores clamitare. Menander,

Τὸ δ' ἐπιδιώκειν εἴς τε τὴν ὁδὸν τρέχειν
Ἔτι λοιδορουμένην, κυνός ἐστ' ἔργον Ῥόδη.
[*At inſequi ultro & excurſare in publicum,*
Rhode, & differre pipulo, id verò eſt canum.]

Plautus dixit *pipulo ante ædes differre.* Haud dubiè oſtendit proverbialis hæc locutio, Chriſtum eâ fuiſſe bonitate ut palàm fieri nollet eorum vitia de quibus aliquid ſupereſſet bonæ ſpei. Hoc eſt quod dicto ad Zenam libro Iuſtinus his verbis expreſſit, Νουθετητέον τὸν ἁμαρτάνοντα μὴ κατὰ κοινὸν, ἐκτὸς εἰ μὴ χρήζει διὰ τὸ ὑπεροπτικόν [*Is qui peccat monendus eſt non in publico, niſi ita opus ſit ob ejus contumaciam*].

20. Κάλαμον συντετριμμένον οὐ κατεάξει, *arundinem quaſſatam non confringet*] Ita Iuſtinus uno loco; altero, ut habent Lxx, κάλαμον συντεθραυσμένον οὐ συντρίψει [*arundinem fractam non conteret*]. Syrus συντετριμμένον רעיעא [*quaſſatam*] dixit, κατεάξει נתבר [*franget*]. Sicut autem Hebræa רצץ & שבר non multùm differunt ſignificatu, ita nec רעע quod & Hebræis eſt *frangere*, & תבר Syriacè pro שבר poſitum; neque apud Græcos eximium aliquod diſcrimen eſt inter συντρίβειν, συνθλᾶν, κατάγνυσθαι. Nam & quod hîc in priori parte poſitum eſt ab Interprete, à Lxx viris poſitum eſt in poſteriori, & mox apud Prophetam לא ירוץ dicitur pro ישבר. quare ſenſus eſt arundinem aliquatenus jam fractam non ultrà franget; id verò eſt, Non præcipitabit in ruinam imbecillitate aliquâ lapſos, quales ad iſtum diem videri poterant Phariſæorum plerique, imò contrà τὸ συντετριμμένον καταδήσει [*quod confractum erit alligabit*], ut eſt apud Ezechielem XXXIV, 16.

τυφόμενον, *fumigans*] Ita habent & quædam exemplaria Lxx interpretum, neque aliter citat Iuſtinus, quanquam in aliis eſt καπνιζόμενον ſenſu eodem. Verbum Hebræum ſignificat *id quod propè eſt ut exſtinguatur*, qualia ſunt ellychnia in quibus fumus aliquod flammæ veſtigium refert, quæ proinde faciliùs flammam ad ſe rapiunt quàm ſi planè refrixiſſent: τὸ ἀλληγορούμενον [*id quod occultè innuitur*] apparet idem eſſe quod in membro ſuperiore. Philo De Coloniis, σπινθὴρ γὰρ καὶ ὁ βραχύτατος ἐντυφόμενος, ὅταν καταπνευσθεὶς ζωπυρηθῇ μεγάλην ἐξάπτει πυράν [*ſcintilla enim quamvis minima ubi flando excitata eſt, magnum accendit ignem*].

ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν. *donec ejiciat ad victoriam judicium*] Non aſſentior Hieronymo ſuſpicanti omiſſum hîc aliquid exſcribentium vitio. Sed verba ποιητικῶς πλεονάζοντα [*Poëtico more exuberantia*] omiſit Matthæus. Nam quod in Hebræo interjicitur לא יכהה ולא ירוץ [*non caligabit, nec frangetur*] nihil aliud ſignificat quàm, Non exſtinguetur, ſcilicet ipſius operâ, ellychnium ampliùs quàm exſtinctum eſt; neque frangetur, ſcilicet arundo ampliùs quàm fracta eſt. Sunt enim voces repetitæ ex priori commate; unde apparet verum eſſe quod diximus voces ibi poſitas non ἀντιδιαιρεῖσθαι [*opponi*] ſuapte vi, ſed ex eo quod ſenſus exigit. Nam quæ ibi voces uſurpatæ ſunt de imperfecta fractione atque exſtinctione, hîc de perfecta uſurpantur. At Lxx interpretes quaſi non de arundine atque ellychnio ſed de ipſo Dei ſervo ageretur tranſtulerunt ἀναλάμψει καὶ οὐ θραυσθήσεται [*ſplendebit & non frangetur*], putantes *non caligabit* dictum eſſe κατὰ λιτότητα [*per extenuationem*] pro *ſplendebit:* unde emendanda eſt ſcriptura Iuſtini Martyris, apud quem bis poſitum ἐστὶ ἀναλήψει pro ἀναλάμψει, etiam diſtinctione vitioſa. Sed & quod bis dixerat Eſaias, *ad veritatem judicium educet*, & *donec ponat in terra judicium*, rectè contraxit Matthæus, & *donec* retinuit ex poſteriori membro, ex priori autem id poſuit quod Græcus interpres tranſtulit εἰς νῖκος [*ad victoriam*], ſenſum pleniſſimè exprimens; quod malo quàm ambiguitate vocabuli Syriaci lapſum dicere Interpretem. Quod Septuaginta verterant εἰς ἀλήθειαν ἐξοίσει κρίσιν (ita ex Iuſtino emendanda verſio Lxx, in qua malè legitur εἰς ἀληθῆ) [*in veritatem efferet judicium*] interpres noſter eâdem planè ſententiâ dixit, ἕως ἂν ἐκβάλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν [*donec ejiciat ad victoriam judicium*]· imò & Iuſtinus citat altero loco ἕως οὗ νῖκος ἐξοίσει [*donec victoriam reportet*], itidem ſenſum exprimens, non verba annumerans. משפט ſive κρίσιν [*judicium*] hoc loco aliter quàm ſuprà interpretor, pro *cauſa quæ in diſceptationem vocatur*, receptiſſima ſignificatione. Ergo κρίσιν ἐκβάλλειν aut ἐκφέρειν (hæc enim nihil differunt) [*cauſam proferre*] εἰς ἀλήθειαν [*ad veritatem*], ſive εἰς νῖκος *ad victoriam*], ſive εἰς τέλος [*in finem*], ut Iobi XXIII, 7. aut etiam ἐκφέρειν νῖκος [*reportare victoriam*] is dicitur, qui juſta ſua ita manifeſta facit ut quovis judice victoriam referre poſſit. Vide

Pſalm. LI, 6. Hoc autem fecit Chriſtus, cùm ſummâ illâ lenitate ac patientiâ malos Iudæorum mores pertulit, nihilque operæ pepercit eis ad meliorem frugem revocandis. Ita apud eundem Prophetam Deus referens quanta beneficia vineæ ſuæ præſtitiſſet, quantâque cum patientiâ probas uvas exſpectaſſet, ad judicium provocat cap. V, commate 3, qui locus mirè huic explicando facit.

21. Καὶ ἐν τῷ ὀνόματι αὐτοῦ ἔθνη ἐλπιοῦσι. *Et in nomine ejus Gentes ſperabunt*] Optimè cum præcedentibus cohæret. meritò enim fiduciam Gentes collocant in ejus bonitate qui Iudæos immorigeros tanta lenitate pertulit. איים, quod in Hebræo eſt, non ſemper *inſulas*, ſed ſæpe *regiones* quaſvis ſignificat, ut Geneſ. X, 5. Rectè igitur & LXX & noſter interpres ſenſum reddiderunt voce ἐθνῶν [*Gentium*]. Iidem יחלו ἐλπιοῦσι [*ſperabunt* ſive *exſpectabunt*] optimè: nam ita & alibi exponunt tum LXX tum Hebræi. Quod autem pro לתורתו [*in lege ejus*] apud LXX viros habemus ἐπὶ τῷ ὀνόματι, nullum eſt exſcriptorum vitium: nam & Iuſtinus bis ita citat: & noſter hic, qui toto hoc loco LXX non eſt ſecutus, itidem reddit ἐν τῷ ὀνόματι aut τῷ ὀνόματι [*in nomine*], ut quidam habent codices. Nimirum תורה Hebræis frequenter ſignificat id quod ipſi alias דרך, Græci elegantiores dicut αἵρεσιν [*ſectam*], Helleniſtæ autem idem vocant ὄνομα, quia moris eſt ſectatores ab inſtituti ſui auctore nominari. Ita Paulus negat ſe quenquam *in ſuo nomine baptizaſſe*, indicans nullius ſe novi inſtituti eſſe auctorem. Putarunt igitur LXX, qui locum hunc de populo Iſraelitico interpretabantur, hoc velle Prophetam, Exteras gentes fiduciam collocaturas in profeſſione Iudaiſmi; cùm ſenſus, certè ὁ μυστικώτερος, ſit, ut Matthæus & res ipſa nos docet, id ipſum facturas Gentes in profeſſione Chriſtianiſmi, qui in ſe Iudaiſmi perfectionem continet.

23. Μήτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Δαβίδ; *Numquid hic eſt filius David*] Ob miracula cum quibus venturum Meſſiam populus exſpectabat. Quid enim juſtius quàm eum qui Princeps futurus erat Prophetarum, etiam miraculorum magnitudine anteire Prophetas cæteros? ut mira ſit Iudæorum cæcitas qui nunc contra veteres auctores omnes Meſſiam negant miracula facturum.

24. εἰ μὴ ἐν τῷ Βεελζεβοὺλ ἄρχοντι τῶν δαιμονίων. *niſi in Beelzebub principe dæmoniorum*] Inter impuros ſpiritus unum eſſe qui præſideat, & Iudæorum & Apoſtolorum ſcripta nos docent. Is eſt ἄρχων κόσμου [*princeps mundi*], Iohan. XII, 31. XIV, 30. XVI, 11. ἄρχων τοῦ αἰῶνος τούτου [*princeps hujus ſeculi*], 1 Corinthiorum II, 6, 8. ἄρχων ἐξουσίας τοῦ ἀέρος [*princeps poteſtatis aëris*], Epheſ. II, 2. Hic cur *Beelzebub* à Iudæis diceretur ſuprà attigimus. Solebant autem incantatores ubi omnia tentando nihil proficerent, poſtremò adversùs dæmones uti vi ac poteſtate illius dæmonum principis, cujus etiam arcanum nomen enuntiaturos ſe minabantur. Apud Lucanum Erichtho,

——— An ille
Compellandus erit quo nunquam terra vocato
Non excuſſa tremit, qui Gorgona cernit apertam,
Verberibuſque ſuis trepidam caſtigat Erinnyn,
Indeſpecta tenet vobis qui Tartara, cujus
Vos eſtis ſuperi, Stygias qui pejerat undas?

Tireſias apud Papinium,

Spernite ne, moneo, & nobis ſævire poteſtas:
Scimus enim & quicquid dici noſcique timetis,
Et turbare Hecaten, ni te, Thymbrææ, vererer,
Et triplicis mundi ſummum quem ſcire nefaſtum eſt
Illum, ſed taceo.

Porphyrius hunc principem dæmonum, τὴν προεστῶσαν (ut ipſe loquitur) τῶν κακοδαιμόνων δύναμιν [*poteſtatem malis dæmonibus præſidentem*], vult dici *Serapin*; cujus hæc ſunt verba, Τοὺς δὲ πονηροὺς δαίμονας οὐκ εἰκῆ ὑπὸ τὸν Σάραπιν ὑποπτεύομεν [*Malos dæmonas non fruſtra ſub Sarapide poſitos ſuſpicamur*]· & alibi, Μήποτε οὗτοί εἰσιν ὧν ἄρχει ὁ Σάραπις καὶ τούτων σύμβολον ὁ τρικάρηνος κύων, τοῦτ' ἔστιν ὁ ἐν τοῖς τρισὶ στοιχείοις, ὕδατι, γῇ, ἀέρι, πονηρὸς δαίμων [*An non hi ſunt quibus præeſt Sarapis, & quorum ſignum triceps canis, hoc eſt, malus dæmon in tribus elementis aqua, terra, aere*]. qui locus Statiana illa de *triplici mundo*, ni fallor, illuſtrat. Idem Porphyrius alio loco, quem citat Theodoretus ſermone de Angelis, Βούλονται γὰρ εἶναι θεοί, καὶ ἡ προεστῶσα αὐτῶν δύναμις δοκεῖ Θεὸς εἶναι μέγιστος [*Volunt enim dii eſſe, & quæ præſidet eis poteſtas vult credi Deus maximus*]. Ad eundem pertinent verſus illi apud eum quem dixi Porphyrium,

Δαῖμον ἀλιτρονόων ψυχῶν διάδημα λελογχώς
Ἠερίων ὑπένερθε μυχῶν, χθονίων δ' ἐφύπερθεν.
[*Tu, qui ſceptra tenes ſcelerata in pectora, dæmon,*
Terrenos ſuper, aerios ſubterque receſſus.]

& minarum formulæ apud Iamblichum libro VI, cap. 5 & 6 & 7. Hi ſunt *ſecretarum artium ritus, quibus affantur neſcio quas poteſtates*, ut ait Arnobius.

25. Πᾶσα βασιλεία, *omne regnum*] Gnome notiſſima inter Hebræos; qualis illa Saluſtiana, *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ maximæ dilabuntur.* Cicero ferme ipſa verba poſuit. Ita enim ait De amicitia, *Quæ domus tam ſtabilis, quæ tam firma civitas eſt, quæ non odiis atque diſſidiis funditus poſſit everti?* Nec longè abſcedit illud Sophocleum,

Ἀναρχίας γὰρ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν·
Αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους
Οἴκους τίθησιν.
[*Nam nulla major peſtis imparentiâ eſt:*
Hæc & domos evertit & totas ſimul
Peſſundat urbes.]

Eſt autem hoc argumentum Chriſti validiſſimum ad id conficiendum quod vult, nempe ad evertendam ὑπόθεσιν [*ſuppoſitionem*] illam quam à Magis Phariſæi mutuabantur, dæmones ſcilicet vi aliorum dæmonum coactos aliqua facere: quod & Porphyrius probabat hoc oraculo Hecates,

Ἤλυθον εἰσαΐουσα τεῆς πολυφραδμόνος εὐχῆς,
Ἣν θνητῶν φύσις εὗρε θεῶν ὑποθημοσύνῃσι.
[*Advenio precibus ſapientibus indigetata,*
Quas genus humanum monitu reperere deorum.]

Et iſto,

Τίπτε μ' ἀεὶ θείοντος ἀπ' αἰθέρος ὧδε χατίζων
Θειοδάμοις Ἑκάτην με θεὴν ἐπέδησας ἀνάγκῃ.
[*Cujus egens Hecaten me ſummo ex æthere tractam*
Carmine vinxiſti, ſuperos cui cogere fas eſt.]

Clemens Alexandrinus, Μάγοι δὲ ἤδη ἀσεβείας τῆς σφῶν αὐτῶν ὑπηρέτας δαίμονας αὐχοῦσιν,. οἰκέτας αὐτοὺς ἑαυτοῖς καταγράψαντες, τοὺς κατηναγκασμένους δούλους τῶν ἐπῳδαῖς πεποιηκότες [*Magi verò jactant ſuæ impietatis miniſtros eſſe dæmonas, eos ſibi famulos adſcribentes, nempe quòd incantamentis ſuis eos ſibi ſervire coegerint*]. Hoc ita convellit Chriſtus: Sapere dæmonas conſtat; at qui ſapiunt hoc agunt ut res ſuas ſtabiliant, quod niſi concordiâ fieri non poteſt; Non diſſident igitur dæmones, quod tamen neceſſe eſſet ſi alter alterum cogeret, ut vos populo perſuaſum vultis. Quare notanda ἔμφασις [*efficax locutio*] in voce ἐκβάλλει [*ejicit*].

οὐ σταθήσεται. *non ſtabit*] לא יקום [*non durabit*].

26. ἐφ' ἑαυτὸν ἐμερίσθη, *adverſùs ſe diviſus eſt*] Nimirum ὁ σατανᾶς, id eſt, univerſitas Satanica. Vide Marcum.

27. οἱ υἱοὶ ὑμῶν, *filii veſtri*] Non Apoſtoli, qui à Phariſæis unà cum Chriſto accuſabantur, ſed populares Phariſæorum atque diſcipuli: neque inter eos illi qui herbis, ſuffitibus & vinculis adverſùs dæmonas utebantur (quod non erat inſtitutum origine Iudaicum atque à Solomone deductum, quod vult Ioſephus, ſed à Gentibus deſumtum, ut rectè docet Tryphonem Iuſtinus), ſed ii qui dæmonas ejiciebant non quidem ipſius *Ieſu* nomine, quod tum nemo faciebat præter eos qui Ieſum ſectabantur, ſed invocantes *Deum Abrahami, Deum Iſaaci, Deum Iacobi.* Nam has fuiſſe ſolennes carminis formulas, quas à Solomone manaſſe non negaverim, diſertè prodiderunt non Iudæi tantùm ſed & Chriſtiani Scriptores, quorum teſtimonia ad lucem huic loco afferendam producere erit operæ pretium. Iuſtinus adverſùs Tryphonem diſputans, Ἐὰν γὰρ κατὰ παντὸς ὀνόματος τῶν παρ' ὑμῖν γεγενημένων ἢ βασιλέων ἢ δικαίων, ἢ προφητῶν, ἢ πατριαρχῶν ἐξορκίζητε ὑμεῖς, οὐχ ὑποταγήσεται οὐδὲν τῶν δαιμονίων· ἀλλ' εἰ ἄρα ἐξορκίζοι τις ὑμῶν κατὰ τοῦ Θεοῦ Ἀβραὰμ καὶ Θεοῦ Ἰσαὰκ καὶ Θεοῦ Ἰακὼβ, ἴσως ὑποταγήσεται [*Si exorcizetis per nomen cujuſvis Regis aut viri juſti aut Prophetæ, eorum qui apud vos fuere, nullus dæmonum ei obediet; at ſiquis exorcizet per Deum Abraham & Deum Iſaac & Deum Iacob, credo, obediet*]. Irenæus lib. II, cap. V. *Altiſſimi & Omnipotentis appellationi omnia ſubjecta ſunt:* & *hujus invocatione etiam ante adventum Domini noſtri ſalvabantur homines & à ſpiritibus nequiſſimis & à dæmoniis univerſis.* Mox, *Et propter hoc Iudæi uſque nunc hac ipſa advocatione dæmonas effugant, quando omnia timent invocationem ejus qui fecit ea.* Tertullianus hiſtoriam quæ nunc eſt præ manibus ex Lucæ Euangelio tractans adverſùs Marcionem. *Si ego, inquit, in Beelzebule ejicio dæmonia, filii veſtri in quo ejiciunt? Hac voce quid magis portendit quàm in eo ejicere ſe in quo & filii eorum? In virtute ſcilicet Creatoris. Nam ſi putas ſic accipiendum, Si ego in Beelzebule ejicio dæmonia, filii veſtri in quo? quaſi ille ſugillaret in Beelzebule ejicientes, reſiſtet tibi prior ſenſus, Non poſſe Satanam dividi adverſùs ſeipſum. Adeò nec illi in Beelzebule ejiciebant, ſed, ut diximus, in virtute Creatoris.* Theophilus adverſùs Nationes, Καὶ μέχρι τοῦ δεῦρο ἐξορκίζονται κατὰ τοῦ ὀνόματος τοῦ ὄντος Θεοῦ, καὶ ὁμολογεῖ αὐτὰ τὰ πλάνα πνεύματα εἶναι δαίμονες [*Et ad hunc uſque diem exorcizantur per nomen Dei qui eſt, & fatentur impuri ſpiritus ſe eſſe dæmones*]. Vbi quod dicit τοῦ ὄντος [*ejus qui eſt*] haud dubiè eſt nomen τετραγράμματον [*quadriliterum*], quod & Philo & alii eo modo interpretantur. Origenes autem oſtendit recitatione eorum quæ dixi nominum ſuo ævo non Iudæos tantùm ſed & Ægyptios in exorciſmis uſos. Primo adverſùs Celſum, Τοῦ δ' Ἀβραὰμ τὸ ὄνομα οὐ Μωϋσῆς ἀναγράφει μόνος οἰκείων αὐτὸν Θεῷ, ἀλλὰ γὰρ καὶ πολλοὶ τῶν ἐπᾳδόντων δαίμονας χρῶνται ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν τῷ, Ὁ Θεὸς Ἀβραάμ, ποιοῦντες μὲν διὰ τὸ ὄνομα καὶ τὴν πρὸς τὸν δίκαιον τοῦ Θεοῦ οἰκειότητα, διὸ παραλαμβάνουσι τὴν, Θεὸς Ἀβραάμ, λέξιν, οὐκ ἐπιστάμενοι δὲ τίς ἐστιν ὁ Ἀβραάμ· τὰ δ' αὐτὰ λεκτέον καὶ περὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ περὶ τοῦ Ἰακὼβ καὶ περὶ τοῦ Ἰσραήλ, ἅτινα ὁμολογουμένως Ἑβραῖα ὄντα ὀνόματα, πολλαχοῦ τοῖς Αἰγυπτίοις ἐπαγγελλομένοις ἐνέργειάν τινα ἐνέσπαρται μαθήμασι [*Non ſolus Moſes nomen Abrahami ſcripſit ut Deo amici, ſed & multi qui dæmonas incantant in verbis ſuis utuntur illo*, Deus Abrahami, *efficientes quidem per hoc nomen & Dei cum illo viro juſto amicitiam idipſum propter quod iſtam dictionem*, Deus Abraham, *uſurpant, at ignorantes ipſi quis ſit Abraham. Idem dicendum de Iſaaco & Iacobo & de Iſraele, quæ cùm extra controverſiam Hebraica ſint nomina, ſæpe inſerta reperiuntur Ægyptiorum diſciplinis efficaciam quandam promittentibus*]. Libro IV. σαφῶς δ' ὅτι γενεαλογοῦνται Ἰουδαῖοι ἀπὸ τῶν τριῶν πατέρων, τοῦ Ἀβραὰμ καὶ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ τοῦ Ἰακὼβ, ὧν τοσοῦτον δύνανται τὰ ὀνόματα συναπτόμενα τῇ τοῦ Θεοῦ προσηγορίᾳ, ὡς οὐ μόνον τοὺς ἀπὸ τοῦ ἔθνους χρῆσθαι ἐν τῶν πρὸς Θεὸν εὐχαῖς καὶ ἐν τῷ κατεπᾴδειν δαίμονας, ἀλλὰ γὰρ σχεδὸν καὶ πάντας τοὺς τὰ τῶν ἐπῳδῶν καὶ μαγειῶν πραγματευομένους· εὑρίσκεται γὰρ ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασι πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ Θεοῦ ἐπίκλησις [*Conſtat originem ſuam recenſere Iudæos ad Abrahamum, Iſaacum & Iacobum, quorum nomina addita ad nomen Dei tantum valent ut non tantùm ab Iudæis uſurpentur in precibus ad Deum & in dæmonum adjurationibus, ſed etiam ab aliis ferme omnibus qui incantamenta & res magicas exercent. Reperitur enim in magicis libris multis in locis illa Dei cognominatio*]. Ejus quod Origenes hîc dicit veſtigium me deprehendere memini in Luctatio Papinii interprete. Idem Origenes libro IV. non iſta tantùm nomina *Dei Abraham, Iſaac* & *Iacob*, ſed & *Zebaoth* & *Adonai* uſurpata ait ad fugandos dæmonas. *Aſſyriorum nominum* meminit & Iamblichus libro VII, cap. 4. De myſteriis. Per Aſſyria autem intelligit Hebraica: quomodo & Themiſtius illud, *Cor Regis in manu Dei*, dicit eſſe *ex libris Aſſyriis.* Photius ex Iſidoro, ὡς δ' οὐκ ἐπείθετο τὸ δαιμόνιον τῆς γυναικὸς ἐξελθεῖν λόγοις ἡμερωτέροις, ὅρκῳ αὐτὸ ἐπηνάγκαζεν ὁ Θεοσέβιος, καίτοι οὐδὲ μαγεύειν εἰδὼς οὐδὲ θεουργίας μελετήσας· ὥρκιζε τὰς τοῦ ἡλίου ἀκτῖνας καὶ τὸν Ἑβραίων Θεόν [*cùm autem non obediret verbis lenioribus dæmonium ut exiret à muliere, Theoſebius adjurando id extorſit, quanquam nec magicas nec theurgicas exercuerat artes. Adjurabat autem per Solis radios ac Deum Hebræorum*]. A dæmonibus ad morbos quoque mos tranſiit. Marcellus Empiricus in Corci dolore, *In nomine Dei Iacob, in nomine Dei Sabaoth.* Alexander Trallianus contra Podagram, Ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ (lege Ἰάω) Σαβαώθ [*Adjuro te per nomen magnum Iao Sabaoth*]. Vide & Nicephorum in Syneſii librum De ſomniis. Ejuſmodi ergo exorciſmi eventum ſæpe ſuum habuerunt;

non quòd vis ulla in ſyllabarum pronuntiatione eſſet ſita, ſed quòd verus Deus illis potiſſimùm nominibus noſci appellarique vellet, atque ideo vim ſuam tum demum exſereret cùm apertiſſima locutione conſtaret ipſum, non aliquem Gentilium deorum, eſſe invocatum. Eſt autem ſecundum hoc Chriſti argumentum tale, In pari cauſa par judicium fieri oportet; Creditis vos diſcipulos veſtros dæmonia ejicere vi Divina; Cur de me idem non creditis. Si illi gloriam operis ad Deum veſtrum referunt, idem ego facio.

ὑμῶν ἔσονται κριταί. *veſtri erunt judices*] Hoc eſt, ipſorum factum ſufficiet vobis convincendis atque condemnandis; ut infrà 42 & 43.

28. ἐν πνεύματι Θεοῦ, *in ſpiritu Dei*] Paſſim Sacra Scriptura Spiritui tribuit τὸ ἐνεργητικόν [*vim activam*]. Hinc idem Spiritus vocatur δύναμις ὑψίστου [*virtus Altiſſimi*], & hoc loco apud Lucam, Moſis exemplo, *digitus Dei.*

ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *Regnum Dei*] Danielis II, 44. VII, 14. Ita vocatur tempus Meſſiæ. Quomodo autem ſequitur, ſi iſta dæmonum ejectio fiebat Divina virtute, tempus illud adveniſſe? Quia Ieſus expreſsè iſta faciebat ac ſe facere prædicabat ut ſe à Deo vero miſſum probaret; quod providentia Divina nunquam permiſiſſet niſi res ipſa vera fuiſſet cui teſtandæ miracula adhibebantur, ut ex eo apparet quod legimus Deuteronomii XVII. ſigna facienti non eſſe credendum ſi populum perducere conetur ad cultum falſorum deorum, quia ſcilicet Deus poſt tot tamque eximia ſigna in conſpectu populi patrata, tam certum atque exploratum fecerat omnibus ſe eſſe verum atque unicum Deum ut nullis prodigiis inducti ab ea fide deberent diſcedere: ex qua exceptione rectè Iudæi regulam colligunt, Ei qui miracula faciat credendum ſi non ſit auctor cultûs idolorum. Nam niſi in Lege ſua certam aliquam normam judicandi de miraculis Deus ſtatuiſſet, inania fuiſſent omnia illa oſtenta quibus Prophetæ miſſionem ſuam confirmabant. Sicut autem multa ac magna miracula à Moſe edita per Dei digitum, ſignum erant inſtantis liberationis ex Ægypto, ita Ieſu miracula plura ac majora ſignificabant eam liberationem inſtare quæ prioris illius beneficii memoriam eſſet obumbratura. Vide Pſalmum CXLVI, 7, 8.

29. Ἢ πῶς δύναται, *Aut quomodo poteſt*] Tertium Chriſti argumentum quod non ut priora certis duntaxat hominibus refellendis inſervit, ſed rem ipſam planè conficit, Qui ſummum rebus alterius diſpendium affert, is oſtendit ſe cum eo non colludere, ſed hoſtem eſſe ejus atque adeò victorem; Hoc autem ego facio: doctrina enim mea homines à vitiis, in quibus ſita eſt diaboli potentia, ad veram vitæ ſanctimoniam perducit.

τοῦ ἰσχυροῦ, *fortis*] Eſaiæ XLIX, 24. Vide Iohann. XVI, 11.

30. ὁ μὴ ὢν μετ' ἐμοῦ κατ' ἐμοῦ ἐστι· *qui non eſt mecum, contra me eſt*] Proverbium Iudaicum in utramque partem uſurpatum: nam & dici ſolebat, *Qui non eſt contra vos pro vobis eſt*, Lucæ IX, 50. Sic Pythagorici modò dicebant, Λεωφόρῳ βαδίζειν [*Incede viâ publicâ*], modò, Λεωφόρῳ μὴ βαδίζειν [*Ne incedas viâ publicâ*]· & in Gnomis Solomonis, *Reſpondeas ſtulto*, &, *Ne reſpondeas ſtulto*, quæ omnia veritatem ſuam habent pro materia cui aptantur. Videtur autem mihi proverbium iſtud hoc loco à minori ad majus hoc modo procedere, Si in bello internecino, quale eſt inter Dei ſervos & dæmonas, nemini licet neutrarum eſſe partium, ſed medii pro hoſtibus habentur, quantò magis ego hoſtis cenſendus ſum diaboli, qui non modò illi non proſum, ſed obſum quàm maximè? Neque contra hanc interpretationem movere quenquam debet quòd de ſe loqui videtur Chriſtus. id enim non eſt neceſſarium, cùm in ſententiis ejuſmodi modò primæ, modò ſecundæ, modò tertiæ perſonæ pronomina uſurpentur ἀορίστως, pro quovis homine: quod ad multorum locorum interpretationem memoriâ tenendum eſt. Tale eſt quod infrà notabimus XXVI, 31. Nec diſſimile illud apud Virgilium,

Neve tibi ad Solem pergant vineta cadentem.
Nec mihi tum molles ſub divo carpere ſomnos,
Neu dorſo nemoris libeat jacuiſſe per herbas.

Non enim (ut Quintilianus explicat) *neſcio cui alii priùs, nec poſtea ſibi uni, ſed omnibus præcipit.*

καὶ ὁ μὴ συνάγων μετ' ἐμοῦ σκορπίζει. *& qui non congregat mecum ſpargit*] Non diſſimile eſt illud apud Quintilianum VIII, 6. *Obſtat quicquid non adjuvat.*

31. Διὰ τοῦτο, *ideo*] Referendum eſt hoc ad totam orationem quæ præceſſit, hoc modo, Cùm tam manifeſtis rationibus conſtet quæ facio non dæmonum ſed Dei virtute fieri, videte quàm gravem in vos pœnam accerſatis cùm dicitis iſta vi dæmonum effici. Hanc connexionem docet nos Marcus III, 30. Neque tamen ſolis argumentis ſuis confiſus hoc Chriſtus dicebat, ſed ſimul, ut modò dixerat Matthæus, εἰδὼς τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν [*ſciens cogitationes eorum*]. Videbat nimirum mentium Inſpector agnoſcere ipſos virtutem verè Divinam, ſed quidvis potiùs comminiſci quàm ut plebem paterentur à ſuo magiſterio ad Chriſtum tranſire.

πᾶσα ἁμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις· *omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus*] Cùm apertiſſimum ſit non hoc dicere Chriſtum, Omnia alia peccata condonatum iri (quàm multa enim ſunt quæ non condonantur!) notandus omnino hic eſt Hebraiſmus qualem obſervavimus ſuprà ad caput V. in illis verbis Lucæ, Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι [*Cælum & Terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*]· quod alibi idem Lucas ita extulit, Εὐκοπώτερον δέ ἐστι τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν παρελθεῖν ἢ τοῦ νόμου μίαν κεραίαν πεσεῖν [*Facilius autem eſt cælum & terram perire quàm de Lege unum apicem cadere*]. Et ita ſæpiſſime Hebræi dicunt, *Hoc fiet & iſtud non fiet*, non quòd prius membrum affirment, ſed quòd oſtendere velint quod poſteriùs ponitur multò eſſe difficilius: quomodo Latini dicunt,

Antè pererratis amborum finibus exſul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrin.

Senſus ergo eſt, Facilius eſt quicquid criminum unquam patrari poterit, atque adeò calumnias etiam omnes, quæ in criminibus primum facilè locum obtinent, remitti quàm ut remittatur ea calumnia quæ adverſùs Spiritum Dei committitur. Vide ſimilem comparationem 1 Samuelis 11, 25.

32. κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, *contra filium hominis*] Quod ſuprà ad comma 8. obſervavimus, idem hîc obſervandum puto per υἱὸν ἀνθρώπου [*filium hominis*], quámvis addito articulo, non hîc Chriſtum ſolum intelligi, ſed hominem quemvis, ne Chriſto quidem excepto. Eſt enim ſæpe articulus ſignum generalitatis, ut ὁ ἐθνικὸς [*Ethnicus*] infra XVIII, 17. τῷ ἱερεῖ [*Sacerdoti*], Marci 1, 44. Qua de re dicemus & ad Apocalypſin XIII, 15. Senſus eſt, Scitis grave eſſe crimen innocentem hominem calumniari; nam Lege Moſis in id crimen tanquam graviſſimum capitis pœna eſt conſtituta: Cogitate ergo quantò gravius ſit Dei ipſius opera calumniis oppugnare, peccare ביד רמה *manu elata*: quod exponitur *Deum probris afficere*, Numeror. XIV, 29. ut Core cum ſuis. Illuſtrat hunc locum illud in Actis Apoſtolicis V, 4, ubi quàm gravis ſit culpa Ananiæ ſimili oppoſitione à Petro oſtenditur, οὐκ ἐψεύσω ἀνθρώποις ἀλλὰ τῷ Θεῷ [*non es mentitus hominibus, ſed Deo*]· antè autem dixerat Petrus propoſitum fuiſſe Ananiæ ψεύσασθαι τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον [*mentiri Spiritui ſancto*]. Sicut ergo ille κυριωτάτως [*valde propriè*] dicitur *Deo mentiri* qui præſentem Spiritum Dei non reveretur, ita ille jam non hominem ſed Deum calumniatur, qui cùm intra ſe Dei opera agnoſcat tamen perſtat in calumnia. Quantum autem hoc ſit crimen quantóque aliis omnibus antiſtet, tribus comparationibus intelligi poteſt: Primùm iſto Ananiæ exemplo, qui avaritiâ tentatus, ut diximus, præſentem in Apoſtolis Dei Spiritum non reverebatur; Deinde exemplo Simonis Magi, qui cùm donum Spiritus ſancti nundinationis propoſito dehoneſtaſſet, audiit à Petro, *Pecunia tua tibi in perniciem ſit, quia donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſe comparari.* & poſtea, *Pœnitentiam age hujus malitiæ, & Deum precare, ſi fortè condonetur tibi cogitatio cordis tui.* Ecce tanti pendit hanc culpam Petrus ut de venia penè deſperet. Tertium exemplum eſto Pharaonis, quod hîc reſpici à Chriſto ex Luca, qui ipſa, ut diximus, Moſis verba uſurpat, manifeſtum eſt. *Quámvis*, inquit Moſes, *magi dicerent Pharaoni, Digitum Dei ibi eſſe, tamen Pharaonis cor ſemet obſtinavit.* poſt quod tempus Deus ita mentem ademit Pharaoni ut nullis oſtentis monitus reſipiſceret, ſed præceps ferretur in ruinam. Ita οἱ ἐνυβρίζοντες τὸ Πνεῦμα τῆς χάριτος [*qui contumeliam faciunt Spiritui gratiæ*], ut loquitur divinus ad Hebræos Scriptor, verba Moſis imitans Numerorum XV, 30. *incidunt in manus Dei viventis*: qui & alibi ita argumentatur, Si contumacia adverſùs præcepta per Angelos data tantis ſuppliciis compenſata eſt, quid æquum eſt eos exſpectare qui hanc ſalutem neglexerint quæ à Deo per tot ſigna atque oſtenta teſtimonium accepit? At nulla ὕβρις [*contumelia*] eſſe poteſt gravior quàm quæ contemtui calumniam adjungit, qualis erat hæc Phariſæorum.

ἀφεθήσεται αὐτῷ, *remittetur ei*] Faciliùs, ut jam diximus.

οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. *neque in hoc ſeculo, neque in futuro*] Simplex eſt Chryſoſtomi expoſitio κατὰ λιτότητα [*per extenuationem*], *punietur graviter & in hoc & in futuro ſeculo*: cui firmandæ facit quòd ſic loqui ſolebant Iudæi. Nam in Miſnaoth legimus נפרעין מן האדם בעולם הזה ואין לא חלק לעולם הבא [*Vltio de tali fiet in hoc ſeculo, & non fiet ei remiſſio in ſeculo futuro*]. Et Eleazarus in Epitome Iaſonis Cyrenæi, *Si*, inquit, *tranſeam* εἰς ἀλλοφυλισμὸν [*ad ſacra Gentium*], *Omnipotentis manus non effugiam, neque vivus neque mortuus*, II Maccabæorum VI, 26. Nec aliter Maimonides in Regulis Pœnitentiæ capite VI. *Quoſdam*, ait, *peccatores eſſe de quibus pœna exigatur & in hoc ſeculo & in futuro.* Videtur tamen Chriſtus de induſtria utrumque ſeculum nominaſſe, ut Iudæis auferret eam qua ſibi blandiebantur adverſùs graviſſima delicta perſuaſionem. Exiſtimabant enim peccata commiſſa ab his qui in Iudaiſmi profeſſione perſeverarent remitti aut per meram pœnitentiam, ut quæ admitterentur contra præcepta jubentia; aut in die ſolenni Reconciliationis, ut quæ admitterentur contra pleraque præcepta vetantia; aut per hujus vitæ caſtigationes, ut quæ mortis aut excidii pœnam adjunctam habent; aut ſaltem poſt mortem, ſive ſtatim ſive poſt temporis alicujus moras, ut quæ cum contemtu facta eſſent Divini numinis. Hinc illa precatio morientium, *Sit mors mea remiſſio peccatorum meorum omnium.* Hinc illa precandi formula pro mortuo quam קדיש [*ſanctificationem*] vocant; hinc Thalmudicum illud enuntiatum, *Omnis Iſraelita partem habet ſeculi futuri.* Contrà ergo Chriſtus docet, ea peccata quæ gravem Dei contemtum continent & hîc & in poſterum ſine fine modoque plectenda. In Clementis Conſtitutionibus libro VI, cap. 18. Οἱ βλασφημήσαντες τὸ Πνεῦμα τῆς χάριτος, καὶ ἀποπτύσαντες τὴν παρ' αὐτοῦ δωρεὰν μετὰ τὴν χάριν, οἷς οὐκ ἀφεθήσεται οὔτε ἐν τῷ αἰῶνι τούτῳ οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι [*Qui blaſphemarunt Spiritum gratiæ, & poſt acceptam gratiam donum ejus deſpuunt, his non continget remiſſio neque in hoc ſeculo neque in futuro*]. Confer loca Apocalypſeos XIV, 10, 11. & XX, 10. Tertullianus libro De Pudicitia blaſphemiam vocat *crimen & in hoc & in futuro ſeculo irremiſſibile.* Quod jam indicavimus creditum à Iudæis pleriſque eos qui gravibus morbis aut aliis incommodis in hac vita premerentur liberari à pœnis vitæ alterius, ejus opinionis multa exſtant in Hebræorum ſcriptis & proverbiis hodieque manentibus veſtigia. Origenes citans locum III Regum II. de Ioabo, ſed in quo perperam legit κατάξεις [*deduces*] pro οὐ κατάξεις [*non deduces*], adfert hoc ab Hebræo homine temere dictum, quod ipſe nimia facilitate arripuit, Δῆλον δ' ὅτι, ὡς καὶ ὁ Ἑβραῖος ἡμῖν ἀπήγγελλε, τὸ διὰ τοῦ κολασθῆναι αὐτὸν ἐν εἰρήνῃ κοιμηθήσεσθαι, οὐκ ἔτι ὀφειλομένης αὐτῷ κολάσεως καὶ βασάνου, διὰ τὸ ἐντεῦθεν ἤδη ἀπειληφέναι αὐτὸν, μετὰ τὴν ἐνθεῦθεν ἀπαλλαγήν [*Apparet autem, ut & Hebræus quidam nobis ſignificavit, illum quia punitus eſt ideo in pace dormiiſſe, nullâ ampliùs pœnâ aut tormento ei debito poſtquam hinc exceſſit, quòd jam pœnam pertuliſſet*]. Antiquiorem autem Chriſti temporibus eſſe perſuaſionem de peccatis quibusdam poſt mortem remittendis apertiſſimum eſt ex eo quem dixi Iaſone Cyrenæo, qui oblata narrat ſacrificia περὶ ἁμαρτίας τῶν προπεπτωκότων [*pro peccatis eorum qui antè lapſi erant*]. De Eccleſiæ Chriſtianæ judicio hîc agi planè perſuadere mihi non poſſum:

ita enim locutum credo Dominum noſtrum quomodo loquentem ſe ſciebat optimè à Iudæis intelligi.

33. Ἢ ποιήσατε, *Aut facite*] Ita & Latini dicunt *fac*, pro quo Græci dicerent τίθει [*pone*]. Veriſſima autem eſt Chriſti ſententia, ex actibus aut perpetuis aut frequentioribus ac diuturnis de animi qualitate judicium fieri debere: qua de re egimus ad cap. VII. Opera Chriſti omnia plena erant beneficentiæ, doctrina omnis ad pietatem ſpectabat; quæ igitur cauſa ſequiùs de ipſo aliquid ſuſpicandi?

σαπρὸν, *malum: putre*] בוש Hebræis, בישא Syris. Ita illi quicquid malum eſt vocant; quæ locutio & infrà XIII, 48.

34. πῶς δύνασθε, *quomodo poteſtis*] A vobis, inquit Chriſtus, documentum ſumite quàm vera ſit illa ſententia. Nam cùm intus mali ſitis, videmus etiam mala eſſe quæ profamini. neque aliter fieri poteſt: Nam quantúmvis diſſimulatum ingenium faciſlimè proſilit. Non agit hîc Chriſtus de communi hominum imbecillitate, ſed de graviſſimis vitiis Odii, Invidiæ atque Arrogantiæ, quæ Phariſæi ſua ſponte contraxerant. Et pro ſubjectæ materiæ ratione τὸ δύνασθαι [*poſſe*] intelligendum non κατὰ τὴν φυσικὴν ἀκρίβειαν [*ſecundum rigorem naturalem*] ſed κατὰ τὴν ἠθικὴν πλατύτητα [*ſecundum moralem latitudinem*], & ἀγαθὰ λαλεῖν [*bona loqui*] non de uno aut altero actu, ſed de eo quod ἐπιτοπολὺ [*plerúmque*] accidit, quod etiam ſubjecta ratio apertiſſimè oſtendit. Sic Ierem. XIII, 23. 1 Corinth. 11, 14. Ioh. VIII, 43. & XII, 39. Vide quæ ad Marcum VI, 5.

ἐκ γὰρ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ στόμα λαλεῖ. *ex abundantia enim cordis os loquitur*] Sicut ventriculus quod in ſe abundat evomit, ita & cor. περίσσευμα καρδίας [*abundantiam cordis*] & poſtea θησαυρὸν [*theſaurum*] vocat ἕξιν [*affectionem inolitam*] ipſam: & quod de operibus in univerſum dixerat hîc ad ſermones aptat. Idem dicit Menander,

> Ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.
> [*Ingenium cuique quale ſit, ſermo indicat.*]

Et Ariſtides, Οἷος ὁ τρόπος, τοιοῦτος καὶ ὁ λόγος [*Quale ingenium, talis ſermo*]. Quintilianus lib. XI, 1. *Profert enim mores plerúmque oratio, & animi ſecreta detegit. Nec ſine cauſa Græci prodiderunt, Vt vivat quemque etiam dicere.*

36. ῥῆμα ἀργὸν, *verbum otioſum*] Κενὸν λόγον, ut Paulus loquitur Epheſ. v. 6. Latinè *ſermonem vanum* dixerim. Puto autem non eum ſermonem hîc notari qui quoquo modo ſit inutilis, ſed eum qui veri ſoliditate careat; quomodo שוא Hebræum uſurpari ſuprà diximus. Ineſt autem tacita à majori argumentatio, Si quodvis mendacium in Iudicium deducetur, quantò magis calumnia?

ἀποδώσουσι περὶ αὐτοῦ λόγον, *reddent rationem*] Locutio hæc, qua & Paulus utitur Romanor. XIV, 12. tranſlata eſt à diſpenſatoribus qui ad calculum vocantur. Significat autem hoc loco *examen ſubire*; ſicut viciſſim in Iure Civili ἀνεξέταστοι vocantur quibus remiſſum eſt onus reddendarum rationum.

37. Ἐκ γὰρ τῶν λόγων σου δικαιωθήσῃ, *Ex verbis enim tuis juſtificaberis*] Proverbium hoc in judiciis humanis frequentatum, ad Divinum judicium, quod ſub humani judicii forma deſcribi nobis ſolet, Chriſtus refert, quaſi dicat, Etiamſi facta alia non exſtarent, ex ſolis ſermonibus facilè conſtabit probi an improbi ſitis. Itaque καὶ [*&*] quod ſequitur vim habet disjunctivam, ut Exodi XXI, 15, 17. Numeror. XXX, 4, 5, 6.

38. Τότε ἀπεκρίθησάν τινες, *Tunc reſponderunt ei quidam*] Ἀποκρίνεσθαι hîc ut ſæpe eſt alloqui tantùm. Ideo autem addidit τινες [*quidam*], ne putarentur eidem eſſe qui Chriſtum magicæ artis accuſaverant. Nam hi non accuſantium ſed dubitantium ſpeciem præferebant. Ideo Lucas expreſſit, ἕτεροι δὲ πειράζοντες [*& alii tentantes*].

σημεῖον, *ſignum*] Solent interdum apud Helleniſtas promiſcuè uſurpari σημεῖον, τέρας, δύναμις [*ſignum, prodigium, virtus*]· ſed ſæpe inter ſe diſtincta invenias σημεῖον & δύναμιν [*ſignum & virtutem*], ſæpe etiam tria iſta δύναμιν, τέρας, σημεῖον [*virtutem, prodigium, ſignum*], nempe voce σημείου modò laxiùs modò anguſtiùs uſurpatâ. Hîc σημεῖον [*ſignum*] opponitur δυνάμει [*virtuti*]. Nam vis quæ in ſanandis hominibus expellendiſque dæmonibus oſtenditur, propriè & ſtrictè vocatur δύναμις [*virtus*]. Hujus generis prodigia cùm ſatis multa eſſent à Chriſto edita, iis tamen ſatisfieri ſibi Phariſæi iſti & Legiſperiti non patiebantur, ſed, quaſi iſta res non Divini ſed ſui eſſet arbitratûs, exigebant non δύναμιν [*virtutem*] ſed σημεῖον [*ſignum*], nec qualecunque σημεῖον ſed, ut Lucas & alio loco Matthæus exponit, σημεῖον ἀπ᾽ οὐρανοῦ [*ſignum de cælo*], importunè atque inverecundè, cùm ipſa ſanandi ratio qua Chriſtus utebatur, aut nudo contactu aut voce ſola, itemque doctrina dæmonum votis contraria Divinam virtutem apertè oſtenderent. Sed Deus, qui in negotio pietatis ita cum hominibus agit ut malitiam revincat pleniſſimè, non ut immoderatis hominum cupiditatibus inſerviat, ſciebat ea quæ erant præſtita abundè ſufficere, niſi ipſi honorum aut commodorum aucupes undique incredulitati ſuæ mantellum quæſiiſſent. Adde quòd Legis ſeveritati convenerant ſigna terribilia, Servatoris perſonæ ſigna benefica.

39. μοιχαλὶς, *adultera*] Ad verbum *adultera*, ſed magis eſt ut *adulterina ſoboles* hîc ſignificetur, quaſi dicas *ſuppoſititia*, quæ falsò parentes jactat Abrahamum, Iſaacum, Iacobum. Ita intellexit Syrus, qui ponit גריתא. Atque ut ita accipiam facit illud apud Iohan. VIII, 41. ubi cùm Chriſtus negaſſet Iudæos iſtos Abrahami eſſe ſobolem, reſpondent, Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα [*nos ex fornicatione non ſumus nati*]. Erant quidem ex Abrahamo κατὰ σάρκα [*carnis ortu*], ſed ſpiritu non minùs ab illo alieni quàm quos mater ex adulterio concipit.

σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ, *ſignum non dabitur ei*] Σημεῖον [*ſignum*], ut dixi, opponitur δυνάμει [*virtuti*], quaſi majus aliquod atque excellentius. Senſus ergo eſt, quaſi dicat Chriſtus, Nullum oſtentum illis dabitur majus atque excellentius quàm id quod dabitur non ex cœlo, ut ipſi faſtidioſè poſtulant, ſed contrà ex ipſis terræ viſceribus, non tam illis convertendis qui poſt tot δυνάμεις [*virtutes*] converti noluerunt, quàm teſtandæ innocentiæ meæ ſimulque ipſorum immanitati, ut qui in me innocentem odia ſua ad mortem uſque extenderint. Vide Iohan. 11, 18. & XVI. 10. & Lucam XI, 29, 30. Quia autem ſignum hoc ratione majoris partis

Phariſæorum & Legis prudentium ἐλεγκτικὸν [*convincens*] magis erat quàm νουθετητικὸν [*edocens*], ideo nulli eorum Chriſtus poſt mortem redivivus apparuit. Satis enim datum erat illorum contumaciæ.

40. ἐν τῇ καρδίᾳ τῆς γῆς, *in corde terræ*] Alludit Chriſtus ad verba Ionæ qui ſe projectum dicit בלבב ימים εἰς καρδίας θαλάσσης [*in cor maris*], ut transferunt Lxx. Sicut autem Ionas non fuit in meditullio maris præcisè, ita nec Chriſtus in meditullio terræ: ſufficit enim ad hujus locutionis veritatem quòd Chriſtus intra terram in ſpecu abditus fuerit. *Ionas* animæ humanæ imago, Rabbinis.

τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας· *tribus diebus & tribus noctibus*] Hebræi quia voces componendi libertatem ſua ipſis lingua non indulget, coguntur uti circumlocutionibus, quas ſequuntur Helleniſtæ. Ita quod Moſes dixit ויהי ערב ויהי בקר יום אחד [*factum eſt veſpere & mane dies unus*] Geneſ. 1, 5. Græci dicerent καὶ ἐγένετο τὸ νυχθήμερον πρῶτον [*tranſiit primum dienoctium*]. Daniel VIII, 14. ſine conjunctione dixit עד ערב בקר אלפים ושלש מאות [*ad veſperam mane mille & trecenta*], id eſt, ἕως νυχθημέρων δισχιλίων καὶ τριακοσίων [*uſque ad dienoctia mille trecenta*]. Sic Paulus cùm dixit ſe fuiſſe in profundo νυχθήμερον [*nocte & die*], II Corinth. XI, 25. Græcè expreſſit Hebræum ערב בקר. Ita hîc nihil aliud ſignificatur quàm futurum Chriſtum in ſepulchro τρισὶ νυχθημέροις [*per tria dienoctia*], cui ſenſui implendo ſufficit eum ſepultum fuiſſe tempore eo cujus partes ad τρία νυχθήμερα [*tria dienoctia*] pertingerent. Nam in temporis deſignatione Græci diſcrimen quarti & tertii caſus non rigidè obſervant. Videtur autem mihi Latinus interpres vetus non imprudenter ſextum caſum elegiſſe. Neque omittendum hîc, ubi Lex Moſis dierum numerum exprimit, ut in circumciſione, receptum apud Interpretes etiam ſemihoram unius νυχθημέρου [*dienoctii*] diem facere; quia *dies legalis*, ajunt, *non computatur de tempore ad tempus.* Vide Abeneſdram ad Levitici XII, 3. Porphyrius in Quæſtionibus Homericis, καὶ γὰρ ὁ ληγούσης ἡμέρας ἐποικήσας καὶ τῆς τρίτης ἕωθεν ἐξιὼν, τῇ τρίτῃ ἀποδημεῖν λέγεται [*nam & qui veſperè domum venit, manè autem diei tertiæ exiit, dicitur tertiâ die iiſſe peregrè*]. Cui ſimilis eſt illa Romani Iuris locutio, de qua Paulus Iuriſconſultus in L. *Mores*, D. de Feriis, *Quicquid in his viginti quatuor horis actum eſt, perinde eſt quaſi quavis hora lucis actum eſſet.*

41. ἀναστήσονται, *ſurgent*] Rurſus judicium Divinum ad humani judicii formam deſcribitur, in quo teſtes cùm teſtimonium ſunt dicturi ſurgere ſolent ex ſubſelliis, quod ut apud Romanos ita & apud Iudæos moris fuiſſe oſtendit Marcus XIV, 57. Adde Actorum VI, 13. Præſtant autem vicem teſtium Ninevitæ, quia oſtendunt ſuffeciſſe ad convertendos animos multò minora beneficia. Nam & barbari erant, & nulla Ionæ miracula conſpexerant, & pauca duntaxat verba audierant, cùm ſe ad pœnitentiam compoſuerunt.

μετὰ τῆς γενεᾶς ταύτης, *cum generatione iſta*] Nam & rei ſtabant.

κατακρινοῦσιν αὐτήν· *condemnabunt eam*] Id eſt, efficient ut condemnetur; quomodo & ſuprà dixit, *judices veſtri erunt.* Ita Cicero à ſe Verrem, Tacitus à Domitio accuſatore *condemnatam* ait Claudiam.

μετενόησαν, *pœnitentiam egerunt*] Non exſpectato fine dierum quadraginta fecerunt quod iſti neque nunc faciunt, neque facient exſpectati per annos quadraginta.

πλεῖον, *plus*] יותר. Plus vobis præſtitum eſt quàm illis in Iona. Non enim perſona tantùm perſonæ, ſed beneficia per eos præſtita inter ſe comparantur.

42. ἐκ τῶν περάτων τῆς γῆς, *venit à finibus terræ*] Ὑπερβολικὸν [*dictum per ſuperjectionem*] pro eo quod eſt *è longinqua regione.* Habet autem hoc vim in comparatione, quia Chriſtus ipſe ad Iudæos venit, ita ut nullum iter ipſius causâ neceſſe eſſet ſuſcipi, quod illa fecerat Regno relicto.

ἀκοῦσαι τὴν σοφίαν Σολομῶντος· *audire ſapientiam Solomonis*] Διὰ προβλημάτων [*per quæſita*], qui Regum inter ſe mos antiquiſſimus. Hæc autem σοφία [*ſapientia*] partim in hiſtoria naturali conſiſtebat, cujus argumenti multos libros à Solomone ſcriptos legimus, partim in doctrina de officiis, de qua libri ejus aut potiùs aliorum librorum ἐκλογαὶ [*excerpta*] etiam nunc exſtant.

πλεῖον, *plus*] Plenitudo Divinæ ſapientiæ ad æternam hominum ſalutem ultro ſe offerens.

43. Ὅταν δὲ τὸ ἀκάθαρτον, *Cùm autem immundus ſpiritus*] Mihi videtur hæc non eſſe παραβολὴ [*comparatio*], ſed commune enuntiatum pictum multis tranſlationum luminibus, quod deinde peculiariter Iudæis applicatur. Vniverſalis autem hujus enuntiati hunc ſenſum eſſe arbitror, Eos qui cùm inquinamenta mundi ſemel effugerint, iiſdem rurſus implicantur, graviùs quàm antè ruere, contemtum gratiæ ſuæ Deo ulciſcente. Cujus interpretationis fundum do Petrum, qui & ipſa Chriſti verba, *ſit noviſſima eorum conditio pejor priore*, in hunc ſenſum uſurpat Epiſtolâ II, cap. II, commate 20. Illud intereſt, quòd Petrus ſui temporis habens rationem agit de his qui Chriſtianiſmum ſunt profeſſi, cùm Chriſti enuntiatum ad omnia ſe tempora extendat. Nec aliò tendit illud à Chriſto dictum paralytico, *Sanatus es: vide ne pecces, ne quid pejus tibi eveniat*, Iohan. v, 14. Dici autem paſſim à ſpiritu maligno poſſideri eos qui mundo huic ſerviunt, adeò obvium eſt ut probationis non egeat. Senſus eſt huic perſimilis apud Dionem Pruſæenſem Oratione v. Τῶν πολλῶν μὲν εἴπου τις ἐπεχείρησε καθᾶραι τὴν αὑτοῦ ψυχὴν, ὥσπερ ἄβατον καὶ μεστόν τινα θηρίων χαλεπῶν τόπον, ἐξελὼν δὲ καὶ ἀπολέσας τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν γένος, εἶτ' ἐλπίσας ἀπηλλάχθαι καὶ διαπεφευγέναι, οὐκ ἰσχυρῶς ἀποδράσας, ὀλίγον ὕστερον ὑπὸ τῶν λειπομένων ἐπιθυμιῶν ἀπολέσθαι καὶ διαφθαρῆναι [*Multis evenit, ut ubi cœpere purgare animum ſuum, velut locum invium & feris animalibus plenum, jamque exemerunt & interfecerunt cupiditatum partem, poſtquam ſperarunt ſe liberatos & extra periculum poſitos, cùm tamen non ſtrenuè ſatis fugerint, paulò pòſt à cupiditatum reliquiis evertantur ac pereant*].

ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, *ab homine*] *Ex homine quovis:* quod pari ratione etiam ad populum applicatur, qui per multas quámvis ætates continuata ſucceſſione unius hominis vice cenſetur. Vide Flori Breviarium & Iuris Romani auctores.

ἀνύδρων τόπων, *per loca arida*] Id eſt, loca in quibus nemo libenter habitet, quales ſunt

——— *Libyæ ſquallentis arenæ*

Poëtarum verſibus in hunc ſenſum celebratæ. Talia autem ſunt dæmoni loca omnia extra hominem, ut qui ſolus vitii ſit capax. Applicat ad ſenſum moralem Chriſtus quòd apud Hebræos receptum erat, Dæmonas locis deſertis gaudere, & ob id dici שרים [*ſolitarios*]. Id verò ideo dictum quòd illi ſpiritus inimici ſunt humanorum cœtuum ac civitatum, ἀφρήτορες, ἀθέμιστοι, ἀνέστιοι [*inſociabiles*, *ſine jure ac lare*].

ἀνάπαυσιν. *requiem*] Id eſt, habitandi locum: ita enim Hebræi uſurpant מנוח.

44. σχολάζοντα, σεσαρωμένον, καὶ κεκοσμημένον. *vacantem*, *ſcopis mundatam & ornatam*] Id eſt, poſſeſſionem non vacuam tantùm ſed & paratam. Quia homo *domus* hìc dicitur, ideo à domo ſumitur reliquum tranſlationis. Tales diabolo ſunt homines qui ad vias ſuas non attendunt. Tales Hebræi ſub Regibus poſt reditum è Babylone. Verbum σαροῦν minùs puris accenſet Phrynichus.

45. ἑπτὰ ἕτερα πνεύματα, *ſeptem alios ſpiritus*] Sicut ἑπτὰ πνεύματα [*ſeptem ſpiritus*] in Divinis miniſteriis dixit Iohannes Apocalypſeos I, 4. Vocatur ἑβδομὰς τελεσφόρος [*numerus ſeptem perfectorius*], ut notat Philo. Ideo quicquid in ſuo genere ad plenam menſuram pervenit, eo numero ſignificatur: ut I Samuelis II, 5. Eſaiæ IV, I.

καὶ τῇ γενεᾷ ταύτῃ τῇ πονηρᾷ. *ſic & generationi huic peſſimæ*] Videtur mihi Chriſtus populum Hebræum intueri ab eo tempore quo in Babyloniam adductus eſt ad Titi excidium. Ante deportationem gravia erant populi flagitia, quæ videre eſt apud Prophetas; in ipſo exſilio cœperunt ſe emendare plerique, atque ita Deo occaſiones diſponente in patriam redierunt: Sed Aſmonæorum temporibus rurſum in vitia vel Barbaris pudenda prolapſi, adjecerunt his omnibus contemtum Meſſiæ tantis cum miraculis tantâque cum clementia miſſi: Quo facto, à Deo derelicti, evaſerunt homines omnium ſceleratiſſimi, quales eos Ioſephus in ultimorum temporum hiſtoria deſcribit.

46. ζητοῦντες αὐτῷ λαλῆσαι. *quærentes loqui ei*] Latinè, *conventum ipſum volentes:* nimirum quia intellectis Phariſæorum adversùs ipſum conſpirationibus eum quovis modo periculo ſtudebant ſubtrahere. Hoc enim ſeries hiſtoriæ & ea quæ apud Marcum ſunt indicare mihi videntur.

48. Τίς ἐστιν ἡ μήτηρ μου, *Quæ eſt mater mea*] Oſtendens ſe in mandato ſibi officio neque affectus neque conſilia carnis ſequi. Conjunge Lucæ II, 49. Iohan. II, 4. Ita Petro de vita Domini ſollicito reſpondet, οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων [*non ſapis ea quæ Dei ſunt*, *ſed quæ hominum*], infrà XVI, 23.

49. ἐκτείνας τὴν χεῖρα αὐτοῦ, *extendens manum*] Hoc eſt, δακτυλοδεικτῶν [*digito monſtrans*], ut Græci loquuntur.

Ἰδοὺ ἡ μήτηρ μου καὶ οἱ ἀδελφοί μου· *ecce mater mea & fratres mei*] Ita Andromache Hectori apud Homerum,

——— σύ μοι ἐσσὶ πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητοι.

[——— *tu namque pater mihi, tu bona mater,*
Tu fratres.]

Quicum confer illud Cantici VIII, I. Significat Chriſtus, Quò quis Deo eſt obſequentior, ita & ſibi eſſe propiorem: qui myſticus eſt ſenſus Cantici Canticorum. Neque ullo modo trahenda hæc verba ſunt ad ſanctiſſimæ matris injuriam.

CAPVT XIII.

I. Ἀπὸ τῆς οἰκίας, *de domo*] Quæ anguſtior erat quàm ut auditores capere poſſet, ut apparet ſuprà XII, 46.

ἐκάθητο, *ſedebat*] Docentium more, ut ſuprà V, I.

2. εἰς τὸ πλοῖον, *in naviculam*] Quod vice ſuggeſti, ut ſæpe colliculus.

3. ἐν παραβολαῖς, *in parabolis*] Παραβολὴ, cui reſpondet משל Hebræum, latiore ſignificatu (nam arctiùs definiunt Rhetores) eſt rerum differentium inter ſe comparatio, quæ adhiberi ſolet ἢ αὐξήσεως ἢ ἐνεργείας ἢ καὶ σαφηνείας χάριν [*rei augendæ aut efficaciùs exprimendæ aut perſpicuitatis gratiâ*], ut apud loquendi Magiſtros legimus: Cicero *collationem* dixit. Hujus duæ ſunt partes, παράθεσις καὶ ἀνταπόδοσις [*poſitio & repoſitio*]· παράθεσις [*poſitio*] aut à rebus veris aut à fictis petitur. Ad fictam παράθεσιν [*poſitionem*] pertinent fabellæ quas Græci αἴνους vocant: qualis eſt illa apud Heſiodum de Accipitre & Luſcinia, multóque antiquior in Iudicum hiſtoria IX, 7. & altera II Samuelis XII. itemque alia in II Paralipomenôn XXV, 18. Talis & illa fabella qua Menenius plebem Romanam Senatui reconciliavit, & qua Demoſthenes evaſit ne Alexandro dederetur, & qua Themiſtocles magiſtratuum mutationem diſſuaſit. Poſterior ætas hos ἀπολόγους vocare cœpit, in quo genere maximum nomen conſecutus eſt Phryx ille fabulator. Sæpe autem ſubticetur ἀνταπόδοσις [*repoſitio*]· cujus moris hanc cauſam adfert Phædrus in fabellis,

——— *Servitus obnoxia*
Quia quod volebat non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.

Sed credibile eſt etiam majeſtati orationis conſultum à ſapientibus, & ſimul excitatam auditorum diligentiam: αἶνος autem conciſus [*fabula* conciſa] vocatur παροιμία [*proverbium*], quale illud quod habuimus, *Margaritas porcis non objiciendas*; ideo *fabellam breviorem* Quintilianus vocat. Sed Hebræi & παραβολὴν [*comparationem*] & αἶνον [*fabulam*] משל dixere; & latiùs, ut fieri ſolet, porrecto ſignificatu, eâdem voce appellarunt πάντα λόγον ἐσχηματισμένον [*omnem ſermonem figuratum*], ut videre eſt tum alibi tum apud Ezechiel. XX, 49. Porro autem quia γνῶμαι [*ſententiæ*] ſolebant efferri tali ſermone, ideo omnes γνῶμαι etiam quæ figuram non continebant idem nomen acceperunt, ut videre eſt I Samuelis XXIV, 14. & in titulo libri Solomonis qui multas continet γνώμας ἀσχηματίστους [*ſententias non figuratas*]. Sic & Latini quaſvis ſententias *proverbia* dixere. Iudæi Helleniſtæ, qui ut vim Hebraicarum vocum quàm proximè effingant ad Græci ſermonis proprietatem minùs ſolent attendere, משל modò παροιμίαν [*proverbium*] modò παραβολὴν [*parabolam*] vertunt. Atque ita hos Chriſti αἴνους [*fabulas*] (nam paucæ ſunt plenæ παραβολαὶ [*comparationes*]) cæteri Scriptores παραβολάς, Iohannes παροιμίας [*proverbia*] dixit: ſicut viciſſim γνώμη [*ſententia*] vocatur παραβολὴ [*parabola*], infrà xv, 15. Familiare eſſe Syris & maximè Palæſtinis uti parabolis docet nos qui in illis locis vixit Hieronymus infrà ad cap. xviii. Seneca epiſtolâ lix. *Illi qui ſimpliciter & demonſtrandæ rei causâ eloquebantur, parabolis referti ſunt; quas exiſtimo neceſſarias, non ex eadem cauſa qua Poëtis, ſed ut imbecillitatis noſtræ adminicula ſint, & ut diſcentem & audientem in rem præſentem adducant.*

ὁ σπείρων, *qui ſeminat*] *Sator.* Nam Hebræos linguæ penuria coegit pro verbalibus participia ponere. Deum autem ſatori comparare frequens Hebræis. Philo De legum Allegoria, σπορὰν ἣν ὁ ποιητὴς ἐν ἀρετώσῃ χώρᾳ κατέσπειρε λογικῇ ψυχῇ [*ſemen quod Opifex ſevit in fœcundo ſolo, anima ratione utente*]. Idem libro De Coloniis, τίκτομεν γὰρ καὶ πρὶν εἰσελθεῖν τινας ἐπινοίας ἀνθρώπων πρὸς ἡμᾶς, ἄνευ τῶν ἐξ ἔθους συνεργούντων, σπείροντος καὶ γεννῶντος Θεοῦ τὰ ἀστεῖα γεννήματα [*parimus ſæpe etiam antequam humani conceptus ad nos perveniant; Deo pulchram ſubolem gignente ac ſerente etiam ſine eis quæ cooperari ſolent*]. Et alibi ſæpe.

5. Διὰ τὸ μὴ ἔχειν βάθος γῆς. *quia non habebant altitudinem terræ*] Quia deorſum penetrare non poteſt, vim ſurſum erigit; & quia à terræ ſuperficie non longè abeſt ſtatim ſe oſtentat. Huic loco, nec minùs ei qui infrà eſt 21. intelligendo non inutilis hic Quintiliani, *Nam ut terra altiùs effoſſa generandis alendisque ſeminibus fœcundior eſt, ſic profectus non à ſummo petitus ſtudiorum fructus effundit uberiùs, & fideliùs continet. Nam ſine hac quidem conſcientia illa ipſa ex tempore dicendi facultas inanem modò loquacitatem dabit, & verba in labris naſcentia. Illic radices, illic fundamenta ſunt; illic opes velut ſanctiore ærario reconditæ, unde ad ſubitos quoque caſus, cùm res exiget, proferantur.* Nec illud omittendum ex declamatione Paſti cadaveribus, quæ ſub eodem Quintiliani exſtat nomine, *Aut adſtricta citra conatum ſata ſub ipſis tabuere ſulcis, aut levi rore evocata radix in pulverem incurrit, aut peruſtis torrido Sole herbis moribunda ſeges palluit.* Panegyriſtes Flavienſis in honorem Conſtantini, *Radices enim vitium quarum jam neſcimus ætatem, millies replicando congeſtæ, altitudinem debitam ſcrobibus excludunt, & ipſam propaginem non debitâ ſede obtectam* (malè editur, *non debitam, ſed obtectam*) *perdunt imbribus eluendam & ſolibus perurendam.*

6. ἀνατείλαντος, *orto*] *Fulgente Sole*, ut זרח Hebræum interdum accipitur.

ἐκαυματίσθη· *æſtuaverunt*] *Torrefacta ſunt*, ut Columella loquitur. Quæ talia ſunt ἡλιούμενα vocat Ariſtoteles. Ovidius,

Et minus eſt in te quàm ſumma pondus ariſta,
Quæ levis aſſiduis ſolibus uſta riget.

Æſtus hic imago gravis vexationis, ut infrà exponitur.

Διὰ τὸ μὴ ἔχειν ῥίζαν ἐξηράνθη. *quia non habebant radicem aruerunt*] Ἀνάλογον αἱ ῥίζαι τοῖς φυτοῖς καὶ τὸ καλούμενον στόμα τοῖς ζώοις, δι' οὗ τὴν τροφὴν, τὰ μὲν ἐκ τῆς γῆς λαμβάνει, τὰ δὲ δι' αὑτῶν [*reſpondent inter ſe radices in plantis, & ora animantium: per hæc enim nutriuntur illa ex terra, hæ ſuâpte operâ*] inquit Ariſtoteles. Hæc ergo ſemina, quia deorſum vergere non potuerunt, defecta ſunt radice, ac propterea etiam humore qui ex terra per radicem bibitur. Humoris autem penuria, accedente calore externo, efficit ut exareſcant. Aratus de Sirio,

——— Οὐκ ἔτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα
Φυταλιαὶ ψεύδονται, ἀναλδέα φυλλιόωσαι·
Ῥεῖα γὰρ οὖν ἔκρινε διὰ στίχας ὀξὺς ἀΐξας,
Καὶ τὰ μὲν ἔρρωσεν, τῶν δὲ φλόον ὤλεσε πάντα.

Quæ Marcus Tullius ita παραφράζει [*uberiùs explicat*],

Hic ubi ſe pariter cum Sole in lumina cæli
Extulit, haud patitur foliorum tegmine fruſtra
Suſpenſos animos arbuſta ornata tenere.
Nam quorum ſtirpes tellus amplexa prehendit,
Hæc augens animâ vitali flamine mulcet:
At quorum nequeunt radices findere terras,
Denudat foliis ramos & cortice truncos.

Seneca epiſtolâ lxxxvi. *Et ob hoc naſcentes radices prodire patitur & ſolum apprehendere, quas neceſſe eſt teneras adhuc & precariò hærentes levis quoque revellat agitatio.*

7. ἀνέβησαν αἱ ἄκανθαι, *creverunt ſpinæ*] Virgilius,

Carduus & ſpinis ſurgit paliurus acutis.

ἀπέπνιξαν αὐτά. *ſuffocaverunt ea*] Calpurnius,

——— *præfocata malignum*
Meſſis habet lolium.

8. τὴν καλὴν; *bonam*] Cultam, aratam, ſartam.

ὃ μὲν, *aliud*] Ὃ cum accentu: ita enim optimi codices. Perſeverat oratio in neutro genere; neque maſculinum aliquod nomen hîc ſubintelligendum eſt.

ἑκατὸν, *centeſimum*] Quod de Sybaritano agro à Varrone proditum, De re ruſtica; à Plinio de Byzacio & Babylonia.

9. Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. *qui habet aures audiat*] Vide quæ diximus ad cap. xi.

10. αὐτοῖς; *eis*] Hoc eſt, ut Marcus explicat iv, 34. nos quidem ſeorſim multa perſpicuè doces, apud turbam autem loqueris δι' αἴνων [*per fabulas*], qui, quia ἐπιμύθιον [*adfabulatio*] non accedit, habent aliquid αἰνιγματῶδες [*perplexum*]. Et hoc eſt quod Ioſephus Albo imprimis Legi Chriſtianæ objicit, quòd tradita ſit δι' αἴνων [*per fabulas*], cùm lex debeat eſſe perſpicua. Sed quod ſibi ſumit longè à vero recedit. Nam ipſa credendi, ſperandi, vivendique præcepta jam antè Chriſtus tradiderat apertiſſimis verbis, ut apparet cap. v, vi, vii. hujus libri & apud cæteros Novi Federis Scriptores. At illa ſunt quæ propriè Legis habent rationem. Quæ verò δι' αἴνων [*per fabulas*] explicat ſunt alterius generis, quæ Chriſtus ipſe appellat μυστήρια τῆς βασιλείας [*myſteria Regni*]. In quibus partim explicatur diſpenſatio Divina admirabilis, partim quis futurus ſit Euangelicæ inſtitutionis eventus tum in Iudæis tum in Gentibus prædicitur. Solere autem vaticinia proponi verbis obſcurioribus fatentur Iudæi. Finis enim præcipuus eſt, ut poſtea cùm res evenit Divinæ præſcientiæ certitudo appareat. Hinc προφητεία [*Prophetia*] ſæpe vocatur *liber ſignatus*.

11. ὑμῖν δέδοται, *vobis datum eſt*] Τοῖς νηπίοις, τοῖς ταπεινοῖς [*parvulis, humilibus*], ut ſuprà cap. XI. explicatum eſt; vobis qui præcepta illa apertiſſimis verbis propoſita humili ac docili accepiſtis animo. Δέδοται [*datum*] autem, à Patre ſcilicet ad quem ſua omnia Chriſtus ſolet referre. Διδόναι γνῶναι [*dare ſcire*] eſt pro una voce Hebræa הודיע.

ἐκείνοις δὲ οὐ δέδοται. *illis autem non eſt datum*] Qui ſibi videntur σοφοὶ καὶ συνετοὶ [*ſapientes & prudentes*], atque adeò præcepta illa ad humilitatem & manſuetudinem ducentia, quæ omnis pietatis elementa ſunt, faſtidioſè reſpuunt. Cùm autem tales multi eſſent in turba, ſufficiebat hæc ratio cur ea quæ utilia magis erant quàm ad ſalutem neceſſaria obſcuriùs proponerentur. Si qui erant diſcendi cupidi, poterant extra turbam Chriſtum privatim accedere, & explicationem petere eorum quæ per ſe non ſatis aſſequebantur: quod & Prophetarum temporibus factitatum alibi diximus. Iuſtinus, Ὅσα εἶπον καὶ ἐποίησαν οἱ προφῆται παραβολαῖς καὶ τύποις ἀπεκάλυψαν, ὡς μὴ ῥᾳδίως τὰ πλεῖστα ὑπὸ πάντων νοηθῆναι, κρύπτοντες τὴν ἐν αὐτοῖς ἀλήθειαν, ὡς καὶ πονέσαι τοὺς ζητοῦντας εὑρεῖν καὶ μαθεῖν [*Quæ dixere & fecere Prophetæ comparationibus & figuris occultarunt, ita ut non facilè à quibuſvis intelligerentur: ideo verò abdiderunt veritatem, ut eam quærentes invenire & laborarent & diſcerent*]. Simile eſt illud Iamblichi de Pythagora, συνεπικρύπτεσθαι αὐτὸν πολὺ τῶν λεγομένων, ὅπως οἱ μὲν καθαρῶς παιδευόμενοι σαφῶς αὐτῶν μεταλαμβάνωσιν· οἱ δὲ, ὥσπερ Ὅμηρός φησι τὸν Τάνταλον, λυπῶνται παρόντων αὐτῶν ἐν μέσῳ τῶν ἀκουσμάτων, μηδὲν ἀπολαύοντας [*ſolitum eum multa occultè dicere, ut ii quidem qui ad puritatem erant inſtituti clarè ea intelligerent, cæteri verò, ut de Tantalo Homerus refert, dolerent ex eo quòd coràm poſitis doctrinis frui nequirent*].

12. Ὅστις γὰρ ἔχει, δοθήσεται αὐτῷ, *Qui enim habet, dabitur ei*] Æquitatem Divini conſilii, cujus ipſe præſcriptum ſequatur, ex tritiſſima inter ipſos ſententia probat, qua & alibi in rem paulò diverſam utitur, ut ἐν γνώμαις [*in ſententiis*] fieri ſolet. Frequens autem eſt ut in ſententiis ejuſmodi vox eadem modò hoc modò alio ſenſu uſurpetur; ut paulò pòſt, βλέποντες οὐ βλέπουσι, καὶ ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι [*videntes non vident, audientes non audiunt*]. Et Marci X, 14,15. Sic hoc loco ἔχειν modò eſt *uti* modò ſimpliciter *accepiſſe*. Auguſtinus De doctrina Chriſtiana I. *Ille enim ait, Qui habet, dabitur ei. Dabit ergo habentibus, id eſt, cum benignitate utentibus eo quod acceperunt, adimplebit atque cumulabit quod dedit.* Tale eſt illud Mimi,

Tam deeſt avaro quod habet quàm quod non habet.

Deeſt quia non utitur. Sic *non habuiſſe* talentum infrà dicitur, qui ſub terram defoderat; *Habuiſſe*, qui in fœnore nummos poſuerat. Et Ariſtoteli Nicomacheorum VII, 5. dicitur is cui perturbatus animus notitiam recti ἔχειν πως καὶ μὴ ἔχειν [*aliquatenus habere, aliquatenus non habere*]. Ariſtonymus, ὁμοίως γὰρ σπανιεῖ τροφῆς καὶ ἔχων ταύτην καὶ μὴ ἔχων· τί οὖν ὄφελος τὸ οὕτως ἔχειν; [*pari modo egebit victu ſive habeat, ſive non habeat; quid ergo prodeſt ſic habere?*] Columella ex Xenophonte, *Paupertatem certiſſimam eſſe cùm alicujus indigeas, uti eo non poſſe. Dabitur autem*, inquit Tertullianus, *adauctio fidei vel intellectus vel ſalus ipſa.*

καὶ περισσευθήσεται· *& abundabit*] *Diteſcet datis.* Opponuntur apud Paulum περισσεύειν καὶ ὑστερεῖσθαι [*abundare & penuriam pati*]. Simile eſt illud Mimi,

Beneficia plura recipit qui ſcit reddere.

Philo, Τοῖς ἀγαθοῖς ἀγαθὰς ὑπηχεῖν ἔοικε γνώμας ὁ Θεὸς δι' ὧν ὠφελοῦντες ὠφεληθήσονται [*Bonis bonas cogitationes Deus ſubjicere ſolet, per quas aliis utiles ſe præſtando, plura accipient*].

ὃ ἔχει, *quod habet*] *Quod jam accepit*, atque eatenus *habere* dicitur: quanquam alio ſenſu apud Lucam dicitur *videri* potiùs *habere*. *Habere*, inquit Vlpianus, *dupliciter accipitur; nam & eum habere dicimus qui rei dominus eſt; & eum qui dominus quidem non eſt, ſed tenet; denique habere rem apud nos depoſitam ſolemus dicere.* Itaque ſi cui aliquid datum eſt ſub conditione, is habet, quia tenet; non habet ſed habere videtur, quatenus non habet jus plenum. Cajus Iuriſconſultus, *Non videtur perfectè cujuſque id eſſe quod ex caſu auferri poteſt.*

ἀρθήσεται ἀπ' αὐτοῦ. *auferetur ab eo*] A majori argumentum. Ingratis, aut qui non utuntur datis, quod datum eſt ſi juſtè auferri poteſt, aut ex Lege communi, aut ex pacto, auferri ſolet; tantum abeſt ut plura accipiant: Æquum igitur non eſt ut iſtis, quamdiu pridem data & ad ſalutem neceſſaria faſtidioſè reſpuunt, alia ingeram. Quin tacitè innuitur fore ut tandem etiam humana prudentia, qua ſuperbiebant Iudæi, ipſis auferretur: quod & contigit.

13. ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι, *quia videntes non vident*] Atqui Marcus Chriſtum dicit hanc attuliſſe cauſam cur arcana Regni obſcuriùs illis proponeret, ἵνα βλέποντες βλέπωσι, καὶ μὴ ἴδωσι, καὶ ἀκούοντες ἀκούωσι καὶ μὴ συνιῶσι [*ut videntes videant & non videant, & audientes audiant & non intelligant*]· quod & apud Lucam eſt. Sed optimè alterum alteri cohæret. Ideo, inquit Chriſtus, obſcuriùs ad illos loquor, ne poſteriora intelligant, qui priora clarè propoſita in animum admittere noluerunt. In Clementis Conſtitutionibus, διὸ ἤρθη ἀπ' αὐτῶν ἡ γνῶσις, ὅτι ἰδόντες παρεῖδον [*ob id ablata eſt illis ſcientia quòd quæ videbant prætervidebant*]. Fuiſſe autem adagium etiam apud Græcos receptum, ὁρῶντας μὴ ὁρᾶν, καὶ ἀκούοντας μὴ ἀκούειν [*videntes non videre, audientes non audire*], docet nos Demoſthenes contra Ariſtogitonem.

ἀκούοντες οὐκ ἀκούουσι, *audientes non audiunt*] Heraclitus, ἀξύνετοι ἀκούσαντες κωφοῖς ἐοίκασι· φάτις αὐτοῖσι μαρτυρεῖ παρεόντας ἀπεῖναι [*imprudentes etiam cùm audiunt ſurdis ſunt ſimiles: ſermo adverſùs ipſos teſtatur, eos quàmvis præſentes ſint abeſſe*]. Quem ſenſum & veteres illi verſus exprimunt,

Ὅταν δ' ὁ νοῦς ᾖ μὴ καθεστηκώς τινι,
Οὐκ ἔστ' ἀκούειν οὐδὲν αὐτῷ, οὐδ' ὁρᾶν.
[*Mens cujus eſt emota tranquillo è ſtatu*
Audire nihil is, contueri nil poteſt.]

Ariſtides, ὥσπερ ἐν μύθῳ τις ἀπόρρητος λόγος τοῖς μὲν ἀκούειν δυνατοῖς εἴρηται, σοὶ δὲ οὐδὲν μᾶλλον [*ſermo hic, ut ea quæ per fabulas occultantur, iis dictus ſit qui audiendis talibus apti ſunt, tibi verò nequaquam*]. Sed Chriſtus propriè hîc agit de intellectu aſſentiente.

14. ἀναπληροῦται ἐπ' αὐτοῖς, *adimpletur in eis*]

Dictum quidem apud Eſaiam de hominibus ſui temporis, ut & locus oſtendit, & Paulus explicat Actorum XXVIII, 25, 26. ſed ita ut illi horum gererent imaginem atque in his multò etiam pleniùs quàm in illis eadem verba implerentur. Vide quæ de voce πληροῦσθαι dicta ſunt alibi. Videtur autem Chriſtus de induſtria dixiſſe ἀναπληροῦται [*adimpletur*], non ἀναπεπλήρωται [*adimpleta eſt*], quia iſtius dicti completio in Iudæis tractum temporis habuit, ab adventu Chriſti uſque excidium Templi, magis magiſque creſcente & apertiùs erumpente Iudæorum malitiâ. Vide quem dixi in Actis locum.

Ἀκοῇ ἀκούσετε, *Auditu audietis*] Quia & Matthæi, quiſquis fuit, ſanctiſſimus interpres, & Paulus, aut certè Lucas in Actis hoc in loco, quod alibi non ſemper faciunt, ſequuntur Lxx interpretes, ideo non dubito quin judicarint ab iiſdem Lxx ſenſum Hebraicum optimè expreſſum, quod & mihi videtur. Sicut autem jam vidimus in antecedenti oratione Chriſti, quæ hoc vaticinio confirmatur, à Matthæo culpam Iudæorum exprimi ut cauſam impellentem, à Marco autem finem ipſum, cur Chriſtus apud turbam obſcuriùs loqueretur, pœnam ſcilicet: ita utrumque horum in Eſaiæ verbis arbitror apparere, ſed pœnam priùs, deinde cauſam pœnæ, αἰτιολογικῶς [*per ſubjectam rationem*]. In membro priore Eſaias utitur verbis imperativis, Lxx autem partim indicativo, partim ſubjunctivo; ſed ſi quis animum advertat eodem res recidit: ea enim pars quæ Græcè indicativum futurum habet, conceſſionem ſignificat; quæ ſubjunctivum, comminationem. Vtrumque autem ſolet etiam imperandi modo ſignificari. Sed Interpretes Lxx vitarunt τὸ ἀμφίβολον [*ambiguum ſermonem*]· ut ſi dicam, *Audite auribus quantum lubet, nihil intelligetis; & intendite oculorum aciem, nihil conſpicietis tamen*, idem valebit ac ſi dicam, *Audietis quidem, ſed ita ut nihil intelligatis; intendetis aciem oculorum, ſed ita ut conſpiciatis nihil.*

15. Ἐπαχύνθη γὰρ, *Incraſſatum eſt enim*] Sequitur cauſa quæ Deum movit cur eos ita compellari vellet tum Eſaiæ tum Chriſti temporibus, quia nimirum quæ videre poterant & debebant videre noluerant. Obſtat huic interpretationi apud multos, quòd Deus apud Prophetam verbis videtur uti imperativis, perinde quaſi præcipiat Prophetæ ut ipſe cor oblimet & oculos hebetet & aures aggravet, quomodo expoſuit etiam apud Iudæos Abrahamus Rabbinus. Quod quanquam accipere ſenſum quendam figuratum eumque non incommodum poteſt, nempe ut jubeatur Propheta facere id quod futurum prædicit, ut apud eundem Ieremiam 1, 10. tamen cùm Hebraicæ voces non minùs ad infinitivum modum quàm ad imperativum referri poſſint, Ioſepho Kimchi & plerifque aliis Hebræorum Magiſtris aſſentiri malo ad infinitivum referentibus, ita ſcilicet ut ſubaudiatur particula על vel מן [*ob*] vel aliqua ſimilis, quaſi dicas διὰ τὸ παχῦναι τὴν καρδίαν τοῦ λαοῦ τούτου [*propter incraſſeſcere cor populi hujus*]. notum enim eſt in ejuſmodi uſu verba tranſitiva & paſſiva promiſcuè uſurpari; ut mox ἐπιστρέψωσι [*convertant*]. Ita erit idem ſenſus qui eſt in Græco Lxx Interpretum, quique tum Chriſti tum Pauli in Actis Apoſtolicis propoſito multò meliùs convenit quàm alterum illud quod dixi. Nam quod apud Iohannem eſt, Τετύφλωκεν αὐτῶν τοὺς ὀφθαλμοὺς, καὶ πεπώρωκεν αὐτῶν τὴν καρδίαν [*Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*]· & apud Paulum ad Romanos, Ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς πνεῦμα κατανύξεως, ὀφθαλμοὺς τοῦ μὴ βλέπειν, καὶ ὦτα τοῦ μὴ ἀκούειν [*Dedit illis Deus ſpiritum compunctionis, oculos ut non videant, & aures ut non audiant uſque in hodiernum diem*], puto propriè circumlocutionem eſſe non hujus commatis ſed ejus quod præceſſit ἀκοῇ ἀκούσετε [*audiendo audietis*]· quanquam Iohannes, ut & Marcus, partem iſtam priorem cum hujus commatis poſteriori membro contexuit, quippe reddito magis univerſo ſenſu quàm verbis ſingulis, cùm Matthæo Pauloque in Actis propoſitum fuerit, ut palàm videre eſt, ipſa verborum veſtigia legere. Illud autem παχύνεσθαι καρδίαν [*incraſſari cor*] non quamvis ἀπροσεξίαν [*incuriam*] ſignificat, ſed eam quæ ex rebus ſecundis naſcitur, ut videre eſt Deuteronomii XXXII, 15. Sic Græci dicunt

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον.
[*Nec ventre ſenſus tenuis à craſſo venit.*]

Erant quidem Iudæi ſub Romano Imperio, ſed ita ut moderatè ac clementer ſatis regerentur, multa retinentes veſtigia αὐτονομίας [*libertatis*], demtâ tantùm rebellandi licentiâ. *Cor voluptatibus obſtupefactum* dicit Trebellius.

τοῖς ὠσὶ βαρέως ἤκουσαν, *auribus graviter audierunt*] *Craſſis auribus*, ait Apulejus. Τοσούτῳ κηρῷ ἔβυσαν τὰ ὦτα [*tantâ ceræ copiâ aures tibi obturavere*], Lucianus.

ἐκάμμυσαν, *oculos ſuos clauſerunt*] *Oculos ſibi occluſere* aut *ſugillavere*, *conniverunt*: nam id præteritum in Latino ſermone probat Priſcianus. Totius biennii prædicatione nihilo facti erant meliores. Etiam Philo dixit τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα καμμύειν [*animi oculis connivere*].

μήποτε ἴδωσι, *ne quando videant oculis*] Cohæret apud Prophetam & ejus Interpretes cum poſteriori ſenſu, qui non comminatur, ſed comminationis cauſam reddit; quaſi dicas, Hoc egerunt ne quid intelligerent: neque malè Marcus & Iohannes eadem ad pœnam referunt: quia & Deus apud Prophetam & Chriſtus hoc loco oſtendunt pœnam fore culpæ ſimilem. Ita apud Moſem legimus, *induravit Pharao cor ſuum*, &, *induravit Deus cor Pharaonis.*

ἰάσομαι αὐτούς. *& ſanem eos*] In Hebræo ad verbum, *& medicetur ei*, aut, *& ſanitas ei obveniat*, à me ſcilicet: nam Deus loquitur. Ideo rectè verterunt Lxx ἰάσομαι [*ſanabo*]. Hæc autem medicina, ut & David Kimchi exponit, eſt peccatorum venia. Ideo Marcus pro eodem poſuit καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα [*& dimittantur eis peccata*]. Quòd autem Marcus id ipſum, ut & quod præceſſit, ad pœnam refert, poteſt, ut Chryſoſtomo viſum eſt, aut maximam difficultatem ſignificare impetrandæ veniæ, aut etiam ſeveritatem Divinam ad tempus aliquod duraturam. Nam & apud Eſaiam comminatio non ultra Babylonicum exſilium extenditur: & eorum de quibus agit Chriſtus nonnullos poſt Chriſtum crudeliter trucidatum cum acerrimo cordis morſu ad pœnitentiam verſos credibile eſt. Ita enim humanum eſt ingenium, bona obvia ſpernere, negata ardentiùs concupiſcere:

——— Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Sed & de ſui temporis Iudæis agens Paulus, cùm dixiſſet eos πωρωθῆναι [*occæcatos*] & cæcutiente ſpiritu teneri, addidit ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας [*uſque in hodiernum diem*]. Neque malè à veteribus annotatum eſt, ſæpe ipſorum hominum intereſſe ut differantur remedia, quò magis quicquid intus impuri eſt ſe promat. Facilè enim recrudeſcunt citò obducta vulnera. Non malè in hanc ſententiam Origenes περὶ ἀρχῶν [*De principiis*] III. Ενιοτε τάχιον θεραπευθῆναι οὐ πρὸς καλοῦ γίνεται τοῖς θεραπευομένοις· εἴπερ ἑαυτοὺς χαλεποῖς περιπεσόντες εὐχερῶς ἀπαλλαγεῖεν τούτων οἷς περιπεπλώκασι· καταφρονοῦντες γὰρ ὡς εὐιάτου τοῦ κακοῦ δεύτερον οὐ φυλαττόμενοι περιπεσεῖν αὐτῷ, ἐν αὐτῷ ἔσονται. διόπερ ἐπὶ τῶν τοιούτων ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ τῶν κρύπτων γνώστης, ὁ εἰδὼς τὰ πάντα πρὶν γενέσεως αὐτῶν, κατὰ τὴν χρηστότητα αὐτοῦ ὑπερτίθεται τὴν ταχυτέραν πρὸς αὐτοὺς βοήθειαν, καὶ, ἵν' οὕτως εἴπω, βοηθῶν αὐτοῖς οὐ βοηθεῖ [*Sæpe citò curari non è re eſt eorum qui curantur. Sic enim facilè exſolverunt iis quibus ſe implicuerunt malis: ac ſic contemnentes morbum ut levem, nec ſatis caventes ſibi in poſterum, eòdem reciderent. Quapropter circa tales Deus æternus, qui occulta novit & omnia videt priuſquam fiant, pro ſua bonitate celeri auxilio abſtinet, &, ut ſic loquar, non opitulando eis opitulatur*].

16. οἱ ὀφθαλμοὶ, ὅτι βλέπουσι· καὶ τὰ ὦτα ὑμῶν, ὅτι ἀκούει. *oculi veſtri, quia vident; & aures veſtræ, quia audiunt*] De oculis auribuſque mentis hîc agi non dubito. Nam de iiſdem actum erat præcedenti commate. Itaque aliis verbis idem hîc dicitur quod dictum erat ſuprà commate 11. Quod & connexio commatis 18. apertum facit.

17. Ἀμὴν γὰρ λέγω ὑμῖν ὅτι πολλοὶ προφῆται, *Amen quippe dico vobis quia multi Prophetæ*] Cauſam reddit cur Apoſtoli beatos ſe eo nomine, hoc eſt, peculiari à Deo gratiâ affectos, æſtimare deberent, quia multis Prophetis aliiſque viris ſanctis is honos non contigiſſet, nempe diſcendi tam multa arcana Divinæ diſpenſationis, quæ in Meſſiæ tempora Deus ſervaverat, ut alibi à nobis dictum eſt. Ita ad ſubmiſſionem animi Apoſtolos revocat, facilè alioqui cogitaturos, quando iſta patefactio Iudæis aliis ob crimina denegaretur, ſibi eam virtutum merito tribui. Huic errori Chriſtus occurrens, Imò, inquit, meliores non eſtis Abrahamo, Iſaaco, Iacobo, Eſaia, Ieremia aliiſque Prophetis, quibus ea felicitas donata non eſt. Vide Eſaiam LXIV, 4. Ergo quòd Iudæis aliis negatur, juſtitiæ eſt; quòd vobis tribuitur, Divinæ diſpenſationis & gratiæ.

καὶ οὐκ εἶδον· *& non viderunt*] Non iſta omnia, neque tam clarè, intellexerunt, ut docet Scriptor ad Hebræos XI, 13. & Petrus I, cap. I, 10, 11. imò ne Angeli quidem, ut à Petro ibidem ſignificari videtur.

19. τὸν λόγον, *verbum*] Optimè λόγος ſemini comparatur. Nam & Latinè *ſermo* à *ſerendo* dici creditur; & Græci dixerunt ψεύδους καταβολὴν [*mendacii ſationem*]. Ariſtoteles Nicomachiorum decimo, Δεῖ προδιειργάσθαι τοῖς ἤθεσι τὴν τοῦ ἀκροατοῦ ψυχὴν πρὸς τὸ καλῶς χαίρειν, καὶ μισεῖν, ὥσπερ τὴν γῆν θρέψουσαν τὸ σπέρμα [*Oportet priùs excoli moribus animam auditoris ut quæ oportet amet oderitque, velut terram ad fovendum ſemen*]. Cicero Tuſculanarum II. *Philoſophia præparat animos ad ſatus accipiendos eaque mandat his, &, ut ita dicam, ſerit, quæ adulta fructus uberrimos ferant.* Etiam Plutarchus τὸν λόγον [*orationem*] vocat *ſemen.*

μὴ συνιέντος, *& non intelligit*] Id eſt, μὴ προσέχοντος [*animum non advertit*], ut exponitur apud Homerum σιγῇ νῦν ξυνίει [*nunc attende ſilens*]. Ita in Pſalmo XLI, 1. ὁ συνιὼν ἐπὶ πτωχόν [*qui intelligit ſuper egenum*]. Non temere olim in ſacris acclamatum, *Hoc age.*

ἔρχεται ὁ πονηρὸς καὶ ἁρπάζει, *venit malus & rapit*] Hominum negligentia, ut ſuprà vidimus, poteſtatem diabolo in ipſos facit. Quod ergo homines cùm audiunt contemnunt expendere, id ille etiam è memoria delet; ita fit, quemadmodum Lucas docet, ut non credant: unde diſcimus incredulitatis cauſam frequentiſſimam eſſe τὴν ἀπροσεξίαν [*incuriam*]. Quòd autem Avibus in parabola reſpondet in explicatione malus Dæmon, apud Iudæos novum non erat, qui ſoliti dæmonas *aves* appellare. Patet in libro Zoar & De morte Moſis. Pertinet ad hunc ſenſum Philonis illud libro De Gigantibus, Ἀλλὰ γὰρ καὶ τοῖς ἐξαγίστοις ἐπιπολάζει πολλάκις αἰφνίδιος ἡ τοῦ καλοῦ φαντασία, συλλαβεῖν δ' αὐτὴν καὶ φυλάξαι παρ' ἑαυτοῖς ἀδυνατοῦσιν [*Etiam profanis advolat interdum ſubita quædam honeſti ſpecies, at concipere eam & apud ſe cuſtodire non queunt*].

οὗτός ἐστιν ὁ παρὰ τὴν ὁδὸν σπαρείς. *hic eſt qui ſecus viam ſeminatus eſt*] Id eſt, *Qui talis eſt* μεταφορικῶς [*tranſlatè*] *dici poteſt juxta viam conſitus.* In his comparationibus totum complexum quod vocant complexo reſpondet, non minimæ particulæ particulis. Ideo Lucas homines ſemini comparat συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] ex parte complexum denotans.

20. Ὁ δὲ ἐπὶ τὰ πετρώδη σπαρεὶς, *Qui autem ſuper petroſa ſeminatus eſt*] Id eſt, *qui* μεταφορικῶς *dici poteſt ſuper ſaxoſa conſitus.*

εὐθὺς μετὰ χαρᾶς λαμβάνων αὐτόν· *& continuò cum gaudio accipit illud*] Μετὰ χαρᾶς eſt *libenter*, ut Hebræorum X, 34. λαμβάνειν ſeu δέχεσθαι *acceptare.* Cùm verò hîc opponatur τῷ μὴ συνιέντι [*ei qui non intelligit*], & infrà poſitum ſit συνιὼν [*intelligens*] pro eo quod hîc eſt μετὰ χαρᾶς λαμβάνων [*cum gaudio accipiens*], videmus hinc fieri vix poſſe ut qui ad verbum Dei animum diligenter advertat eidem non adhibeat aſſenſum. Tertullianus Apologetico, *Qui audierit, inveniet Deum: qui etiam ſtuduerit intelligere, cogetur & credere.*

21. Οὐκ ἔχει δὲ ῥίζαν ἐν ἑαυτῷ, *Non habet autem in ſe radicem*] Optimè cohæret cum eo quod dixerat εὐθὺς [*continuò*]. Ita de præcoci ingenio dixit Quintilianus quod de præcoci & malè cocto affectu Chriſtus hîc dicit, *Non multum præſtat, ſed citò; non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus innititur.* Similis eſt illa Callidori comparatio in Pſeudolo Plautina,

Quaſi ſolſtitialis herba pauliſper fui:
Repente exortus ſum, repentinò occidi.

Radix igitur hîc eſt bene meditatum rebus omnibus expenſis propoſitum ſummi boni adipiſcendi, ſpretis rebus aliis. Hoc ipſum τὸ στερέωμα τῆς πίστεως [*firmamentum fidei*] Paulus vocare videtur Coloſſ. II, 5.

& qui id conſecuti ſunt ἐῤῥιζωμένους ἐν ἀγάπῃ [*radicatos in caritate*], Epheſiorum III, 18. Eâdem ſimilitudine uſus Cicero virtutem dixit *altiſſimis defixam radicibus.*

πρόσκαιρός ἐστι· *eſt temporalis*] Sicut Paulus πρόσκαιρα [*temporalia*] opponit αἰωνίοις [*æternis*] II Corinth. IV, 18. ita hîc πρόσκαιρος [*temporalis*] opponitur ſtabili καὶ ἐῤῥιζωμένῳ [*& radicato*] id eſt, ei qui vim ſolidam atque durabilem in ſe continet. Conſtat is ſibi dum res ſunt ſatis proſperæ, ut ad Lucam exponit Syrus. Seneca epiſtolâ IX. *Non quid dicat, ſed quid ſentiat refert; nec quid uno die ſentiat, ſed quid aſſiduè.* Λόγου ἐφήμερος γένεσις [*Rationis ortus diarius*] Maximo Tyrio.

θλίψεως ἢ διωγμοῦ, *tribulatione & perſecutione*] Sumitur & vox διώκειν [*perſequi*] generaliter, ut alibi diximus, & θλίψις [*tribulatio*] pro eo quod frequentiùs διωγμὸν [*perſecutionem*] dicimus, ut Actorum XI, 19. Alioqui hoc in loco θλίψιν pro privata, διωγμὸν pro publica vexatione accipiendum arbitror. Sic Paulus diſtinxit διωγμοὺς [*perſecutiones*] & παθήματα [*paſſiones*], II Timoth. III, II.

εὐθὺς σκανδαλίζεται. *continuò ſcandalizatur*] נוקש *repente*, ut repente verbum admiſerat. Eſt autem hîc μετάληψις [*Transſumtio*] quæ ex antecedenti conſequens ſignificat. Nam ἐκ τοῦ σκανδαλίζεσθαι, vult intelligi τὸ ἀφίστασθαι, quod Lucas expreſſit, ſicut qui viæ ſalebris offenditur aliam ſibi viam eligit. Cauſa defectionis ad inſtabilitatem animi refertur, quæ ex ſecuritate naſcitur, ſecuritas ferme ex nimia ſui fiducia. Hinc Chriſtus toties ſuos monet ut in tempore, & antequam periculum ingruat, vigilent ac precentur.

22. εἰς τὰς ἀκάνθας σπαρεὶς, *qui autem ſeminatus eſt in ſpinis*] Etiam Poëtæ curas ſpinis comparant.

οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων· *hic eſt qui verbum audit*] Repete ἐκ κοινοῦ, καὶ μετὰ χαρᾶς λαμβάνων [*ex antè communiter dicto, & cum gaudio accipit*], aut, ut ſuprà infráque dicitur συνιών [*qui intelligit*]. Quod autem ſequitur καὶ [*&*] Hebræo more poſitum eſt vice relativi. Senſus enim eſt, Hic eſt qui audit & cum gaudio recipit, ſed in quo curæ ac ſollicitudines hujus ævi verbum ſuffocant.

ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου καὶ ἡ ἀπάτη τοῦ πλούτου, *ſollicitudo ſeculi hujus ex fallacia divitiarum*] Μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου dici hîc videtur id quod Iohanni eſt ἀλαζονεία τοῦ βίου [*ſuperbia vitæ*] in Epiſtolâ I, cap. II, commate 16. ſtudium ſcilicet earum rerum quæ in hac vita ſplendidiſſima videntur, in quo genere excellit honorum & gloriæ cupido, quæ ſapientibus etiam noviſſimè exuitur. Pro *divitiis* autem ſapienter hîc poſuit Matthæus ἀπάτην τοῦ πλούτου [*fallaciam divitiarum*], oſtendens eſſe quidem divitias in rerum mediarum numero, ſed plerúmque ineſcari earum dulcedine homines: qua de re inſignia veterum dicta citavimus. Maximè huc pertinet Menandri illud,

——— ὁ δὲ πλοῦτος τυφλόν·
Τυφλοὺς δ' ἐς αὐτὸν ἐμβλέποντας δεικνύει.
[——————— *cæca res pecunia eſt;*
Quique aciem in ſe defigunt hos cæcos facit.]

Quod imitatus Cicero dixit, *Non ſolùm ipſa fortuna cæca eſt, ſed eos etiam plerúmque efficit cæcos quos ipſa complexa eſt.* Mimus autem,

Fortuna nimiùm quos fovet ſtultos facit.

Eſt & ejuſdem Menandri alterum,

Ὑπερήφανόν που γίνεθ' ἡ λίαν τρυφή·
Ὅτι πλοῦτος ἐξώκειλε τὸν κεκτημένον
Εἰς ἕτερον ἦθος, οὐκ ἐν ᾧ τὸ πρόσθεν ἦν.
[*Deliciæ nimiæ pariunt inſolentiam,*
Pecuniæque dominum trajiciunt ſuum
In mores alios quàm quos induerat priùs.]

Hæc eſt Iohanni ἐπιθυμία τῶν ὀφθαλμῶν [*concupiſcentia oculorum*]. Cæterùm cur tertiam cauſam quæ itidem ſuffocare ſolet pietatis ſtudium, voluptates ſcilicet corporis, quas Iohannes dixit ἐπιθυμίαν σαρκὸς [*concupiſcentiam carnis*], Marcus hoc loco τὰς περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίας [*circa reliqua concupiſcentias*], Lucas ἡδονὰς τοῦ βίου [*voluptates vitæ*], Matthæus omiſerit, cauſam hanc fuiſſe ſuſpicor, quòd divitiis nominatis eas ſatis putaret intelligi, quia ferme propter voluptates corporis divitiæ expetuntur.

συμπνίγει τὸν λόγον, καὶ ἄκαρπος γίνεται. *ſuffocat verbum, & ſine fructu efficitur*] Cùm per gradus procedat comparatio, videtur hîc de iis agi qui majores quàm ſecundi illi profectus in pietate fecerant, atque adeò actis radicibus cœperant fructum non illaudabilem proferre, ſed variis cupiditatibus, quas purgare neglexerant, obruti vim illam frugiferam perdunt; hoc enim eſt ἄκαρπος γίνεται [*ſine fructu efficitur*], pro quo Lucas dixit οὐ τελεσφοροῦσι, hoc eſt *ad meſſem uſque frugem non perferunt.* Hujus generis exemplum habemus in Dema, de quo Paulus, Δημᾶς με ἐγκατέλιπεν, ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα [*Demas me reliquit, diligens hoc ſeculum*], II Timoth. IV, 10. *Strangulari ex copia* dixit & Seneca; & ἄγχεσθαι Plutarchus.

23. ἐπὶ τὴν γῆν τὴν καλὴν, *in terram bonam*] Planè ſimili modo Philo libro De præmiis ἀρετῶσαν χώραν [*bonam terram*] vocat τὴν λογικὴν ψυχὴν [*animam rationalem*], quæ à Deo ſit conſita. Sed & libro De Allegoriis verba Iacobi ad Rachelem myſticè ita interpretatur, Οὐ γὰρ ἀντὶ Θεοῦ ἐγώ εἰμι τοῦ μόνου δυναμένου τὰς ψυχῶν μήτρας (malè editur τὰ ψυχῶν μέτρα) ἀνοιγνύναι καὶ σπείρειν ἐν αὐταῖς ἀρετὰς, καὶ ποιεῖν ἐγκύμονας καὶ τικτούσας τὰ καλά [*Non enim ego ſum Dei vice qui ſolus poteſt animarum uteros aperire ac virtutibus conſerere, & ſic efficere prægnantes & pulchri partus puerperas*]. Rurſus libro De Caino, Ἀρεταῖς δὲ πολλὰ καὶ τέλεια τικτούσαις θέμις οὐκ ἔστιν ἀνδρὸς ἐπιλαχεῖν θνητοῦ. μὴ δεξάμεναι δὲ παρά τινος ἑτέρου ἐπιγονὴν ἐξ ἑαυτῶν μὲν μόνων οὐδέποτε κυήσουσι· τίς οὖν ὁ σπείρων ἐπ' αὐταῖς τὰ καλὰ, πλὴν ὁ τῶν ὅλων πατὴρ, ὁ ἀγένητος Θεὸς καὶ τὰ σύμπαντα γεννῶν; σπείρει μὲν οὖν οὗτος, τὸ δὲ γέννημα τὸ ἴδιον ὃ ἔσπειρε δωρεῖται· γεννᾷ γὰρ ὁ Θεὸς οὐδὲν αὑτῷ, χρεῖος ἅτε ὢν οὐδενὸς, πάντα δὲ τῷ λαβεῖν δεομένῳ [*Virtutibus quæ & multa & perfecta pariunt nefas eſt dare maritum mortalem. At ſi ab alio genituram non acceperint ex ſe ipſis ſolis nunquam fient prægnantes. Quis ergo eſt qui pulchrè in ipſis inſerit, niſi Vniverſi Pater, Deus non genitus & gignens omnia. Serit ergo hic; donat autem fœtum ſuum quem ſevit: nihil enim Deus ſibi ſerit, ut qui nullius rei indigeat, ſed omnia ei qui precatur ut accipiat*].

ὃς δὴ καρποφορεῖ, *& fructum adfert*] Id eſt, τελεσφορεῖ [*perfert*], ut oppoſitionis ratio monſtrat. Hoc eſt quod Lucas hîc dicit καρποφοροῦσιν ἐν ὑπομονῇ [*fructum adferunt in patientia*]. Notum eſt in Apoſtolicis ſcriptis ὑπομονῆς voce plerúmque ſignificari *perſeverantiam*, nec quamlibet, ſed eam quæ ad finem uſque perdurat, juxta illud Chriſti, ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται [*qui perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*]. Ex quorum locorum collatione diſcimus hîc *fructuum* nomine non præmia operum ſed opera deſignari.

ὃ μὲν ἑκατὸν, ὃ δὲ ἑξήκοντα, ὃ δὲ τριάκοντα. *aliud quidem centeſimum, aliud autem ſexageſimum, aliud verò trigeſimum*] Poteſt ſimpliciter intelligi ſignificata fructuum diverſitas pro vario ſoli ingenio & culturæ induſtria. Neque tamen ineptè fructum triplicem referas ad triplices, ut alibi diximus, Chriſtianos, παῖδας, νέους, πατέρας [*Pueros, Adoleſcentes, Patres*]. Centuplus autem fructus pro ſumma ubertatis menſura ponitur Geneſ. XXVI, 12. Sed & apud Poetas. Meminit & Plinius *centeſimæ frugis*.

24. Ἄλλην παραβολὴν παρέθηκεν αὐτοῖς, *Aliam parabolam propoſuit illis*] משל המשל [*parabolizare parabolam*], ut loquitur Ezechiel XII, 23.

ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ σπείροντι, *Regnum cælorum homini qui ſeminavit*] Tota narratio toti ſignificato comparatur. Vtrumque autem, ut diximus, συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] indicatur particulis quibuſdam ſæpe non directè reſpondentibus; quaſi dicas, *Ita ſe habet res Euangelii ac ſi quis eat ſatum* &c. quod clariùs exprimit Marcus: ἀνθρώπῳ [*homini*] enim hîc eſt *alicui*, more Hebræo.

25. Ἐν δὲ τῷ καθεύδειν τοὺς ἀνθρώπους, *Cùm autem dormirent homines*] Ἀνθρώπους [*homines*] hîc indefinitum eſt, non univerſale; quaſi dicas, *Cùm dormiretur*. Hoc autem nihil eſt aliud quàm deſcriptio opportunitatis.

ἔσπειρε ζιζάνια ἀνὰ μέσον τοῦ σίτου, *ſuperſeminavit zizania in medio tritici*] *Lolium in alienam ſegetem injecit*, ut loquitur Celſus Iuriſconſultus.

26. ὁ χόρτος, *herba*] Quàm latè hæc vox apud Helleniſtas pateat, vide quæ ſuprà dicta ſunt ad caput VI.

καὶ καρπὸν ἐποίησε, *& fructum feciſſet*] Deſcriptio non meſſis, ſed ejus temporis quo apparere ſata incipiunt. Marcus, ὅταν δὲ παραδῷ ὁ χόρτος [*cùm exſeruerit ſe fructus*], id eſt, חנט Cantici II, 13.

27. Προσελθόντες δὲ οἱ δοῦλοι, *accedentes autem ſervi*] Hæc allocutio non habet in Chriſti explicatione ullam ſpecialem ἀνταπόδοσιν [*redditionem*]. Et multa ſunt talia in iſtis aliiſque apologis, quæ non ſunt ad vivum reſecanda: adhibentur enim ad contextum narrationis. Servius ad illud Æneidos I.

Exercet Diana choros;

Hoc non ad deſcriptionem pertinet, ſed eſt Poeticæ deſcriptionis evagatio. Poſtea, *Multi vituperant Comparationem hanc, neſcientes exempla, vel parabolas, vel comparationes non ſemper uſquequaque congruere, ſed interdum omni parte, interdum aliquâ convenire*.

οὐχὶ καλὸν σπέρμα ἔσπειρας ἐν τῷ σῷ ἀγρῷ; *nónne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo*] Hebraiſmus, pro quo Latini dicerent, *Certè tu probum ſemen in agro ſeveras*.

28. ἀπελθόντες, *imus*] Παρέλκει [*abundat*], ut πορευόμενοι [*euntes*] apud Lucam VIII, 14. Et quod hîc modò præceſſit, καὶ ἀπῆλθεν [*& abiit*], quod ſemel dictum non eſt cur ſæpe repetatur.

29. ἐκριζώσητε ἅμα καὶ τὸν σῖτον. *eradicetis ſimul cum eis & triticum*] Eſt enim lolii genus quod à tritico viſu diſcerni vix poteſt.

30. Ἄφετε συναυξάνεσθαι, *Sinite utraque creſcere*] Similis locus in Bereſchit Rabba.

31. Ἄλλην παραβολὴν, *Aliam parabolam*] Duabus ſequentibus comparationibus indicari puto exiguum numerum Iudæorum qui in Chriſtum erant credituri, & incredibilem multitudinem quæ iſtorum operâ ex Gentibus ad veram religionem eſſet perducenda. Quàm latè enim quámque brevi tempore ſparſum ſit verbum ſalutare, quantoſque ſine ullis humanis præſidiis profectus fecerit, diſcimus ex Actis Apoſtolicis & Epiſtolis Pauli; quibus addi poſſunt illuſtria Scriptorum ſequentis ævi loca. Tertullianus iis nationibus quarum nomina in ſcriptis Apoſtolicis exſtant annumerat, ut jam ſua ætate Chriſto ſubditas, *Getulorum varietates, Maurorum multos fines, Hiſpaniarum omnes terminos, Galliarum diverſas nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum & Scytharum & abditarum multarum gentium & provinciarum & inſularum multarum Romanis ignotarum.* Scribebat autem Tertullianus circa annum à Dominico natali ducenteſimum. Eo etiam vetuſtior Irenæus lib. I, cap. 3. Eccleſias nominat *Germaniarum, Galliarum, Hiſpaniarum, Orientis, Ægypti, Libyæ, Meridiei.* Adde Origenem Homiliâ IV. in Ezechielem, Arnobium lib. II. Athanaſium epiſtolâ Synodicâ, quæ apud Theodoretum hiſtoriarum IV, 3. Hieronymum epiſtolâ ad Euagrium, Chryſoſtomum ſermone de Pentecoſte, Theodoretum Therapeutico.

32. ὃ μικρότερον μέν ἐστι πάντων, *quod minimum quidem eſt omnibus*] Vide quæ ad capitis XI. comma 11. dicta ſunt. Fit autem comparatio ad eas herbas quæ in Iudæa erant notiores. Ita infrà XVII, 20. κόκκος σινάπεως [*granum ſinapis*] pro re minima dicitur.

γίνεται δένδρον, *fit arbor*] *In arboris magnitudinem excreſcit.*

κατασκηνοῦν, *habitent*] Id eſt, *ut quaſi habitent in ramis ejus*, Pſalmo CIV, 13. Neque enim de nidis tantùm agitur. Reſpiciunt hæc verba Nabuchodonoſoris ſomnium apud Danielem IV, 9, ubi eſt ידרון [*habitabant*]. Vide & quod ſuprà dictum eſt ad caput VIII. Chriſti Regnum inter cætera Nabuchodonoſoris Regno comparat etiam Tertullianus dicto loco.

33. σάτα τρία, *ſatis tribus*] Tantum enim ſimul miſceri ſolebat; ut apparet Gen. XVIII, 6. Iud. VI, 19. 1 Samuelis 1, 24.

34. ἐλάλησεν ἐν παραβολαῖς, *locutus eſt in parabolis*] Major Solomone. Suprà XII, 42.

35. Ὅπως πληρωθῇ τὸ ῥηθὲν διὰ τοῦ προφήτου, *ut impleretur quod dictum erat per Prophetam*] Ὅπως [*ut*] non ſignificat propoſitum Aſaphi (qui hîc προφήτης [*Propheta*] generaliori notione dicitur) ſed eventum talem cui verba illa excellentiùs, imò etiam magis propriè, congruerent. Nam Aſaphus משל [*parabolam*] & חידות [*propoſitiones*] dixit pro

narratione ſententioſa καταχρηστικῶς [*per abuſionem*], quæ tamen ipſa narratio latentes rerum Meſſiæ figuras continebat. Hîc verò eo nomine indicantur αἶνοι [*ſcrupi*], qui propriè ſunt חידות, &, ſi addatur ἀπόδοσις [*redditio*] משלים [*parabolæ*]. Aſapho מני קדם eſt *ab antiquo tempore*, cùm propriè ſignificet, ut & Lxx tranſtulerunt, ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*], quod hîc non tam explicando quàm applicando dicitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à conſtitutione Mundi*]. Ita Paulus hoc ipſum de quo hîc agit Chriſtus vocat μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον [*myſterium temporibus æternis tacitum*], Rom. xvi, 25. & alibi μυστήριον ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων [*myſterium quod abſconditum fuit à ſeculis*], Coloſſ. 1, 26. alibi σοφίαν ἐν μυστηρίῳ ἀποκεκρυμμένην [*ſapientiam in myſterio abſconditam*], 1 Corinth. 11,7. Participium autem κεκρυμμένα [*abſcondita*] poſitum hîc eſt vice nominis αἰνίγματα [*ſcrupos*], aut, ut Lxx habent, προβλήματα [*propoſitiones*], quia quod ſequitur ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à conſtitutione Mundi*] cum participio rectiùs cohæret. Sæpe autem ubi de Euangelii doctrina Deique circa eam diſpenſatione agitur, mentio fit creationis mundi, ut oſtendatur jam tum hoc in Dei conſilio fuiſſe agitatum, atque eò directa omnia. Vide dictum locum 1 Corinth. 11, 7. καταβολὴν [*conſtitutionem, fundationem*] autem κόσμου [*mundi*] pro *mundi creatione*, tranſlatum ab ædificiis loquendi genus, paſſim Euangeliorum Scriptores, ſed & Paulus ad Epheſios, Petrus quoque, & Scriptor ad Hebræos uſurpant, & in Apocalypſi Iohannes, ut appareat receptiſſimam eorum temporum φράσιν [*locutionem*] fuiſſe.

ἐρεύξομαι, *eructabo*] Ita Hebræum אביעה exponunt Hebræi & Lxx quoque aliis locis, ut Pſalmo xix, 3. quanquam hîc poſuerunt φθέγξομαι [*effabor*]. Significat hæc vox orationem largè erumpentem.

38. ὁ δὲ ἀγρός ἐστιν ὁ κόσμος· *ager autem eſt mundus*] Ne putarent Diſcipuli in ſola Iudæa, ut hactenus, ſpargendum id ſemen.

τὸ δὲ καλὸν σπέρμα, οὗτοί εἰσιν οἱ υἱοὶ τῆς βασιλείας· *bonum vero ſemen hi ſunt filii Regni*] Vſu hîc venit quod ſuprà ex Luca obſervavimus in prima parabola. Nam ut ibi ille dixerat τὸ εἰς τὰς ἀκάνθας πεσὸν οὗτοί εἰσιν οἱ ἀκούσαντες [*quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt qui audierunt*], pro eo quod propriè magis Matthæus dixerat ὁ εἰς ἀκάνθας σπαρεὶς οὗτός ἐστιν ὁ τὸν λόγον ἀκούων [*qui ſeminatus eſt in ſpinis hic eſt qui verbum audit*]· ita hîc τὸ καλὸν σπέρμα [*bonum ſemen*] pro toto complexo ponitur, cùm alioqui dicendum fuiſſet οἱ τῷ καλῷ σπέρματι σπαρέντες [*qui bono ſemine ſunt conſiti*]. Craſsè igitur Manichæi ex his & ſequentibus verbis colligebant naturas ipſas bonas malasque à Deo & diabolo ſeri.

οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ. *filii illius nequam*] Non qualeſcunque mali homines per Lolium denotantur, ſed hi qui Chriſtianiſmum profitentur. Hoc eſt quod dictum erat *lolium ſeri inter triticum*, & infrà ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ [*de Regno ſuo*]. Et mox in ſimilis ſenſus comparatione τὰ καλὰ καὶ τὰ σαπρὰ [*bona & mala*] ſunt in eodem everriculo. Sicut autem *filii Dei* dicuntur qui Divinam imitantur bonitatem, ut ſuprà v, 9 & 45. ita *filii diaboli* qui diaboli imitantur malitiam, Iohannis viii, 44.

39. σπείρας αὐτά, *qui ſeminavit ea*] Magna vitiorum ſeges enaſcitur hominum ſomnolentiâ, diaboli aſtu, Dei ſapiente ac juſta permiſſione.

συντέλεια τοῦ αἰῶνος, *conſummatio ſeculi*] Scriptori ad Hebræos συντέλεια τοῦ αἰῶνος eſt tempus deſtinatum Meſſiæ adventui, Matthæo tempus judicii univerſalis. Ita Hebræis *ſeculum futurum* modò eſt tempus Meſſiæ, modò Reſurrectionis. Et *Regnum Dei* ſive *Regnum cæleſte* modò hoc, modò illud ſignificat.

41. πάντα τὰ σκάνδαλα, καὶ τοὺς ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν· *omnia ſcandala & eos qui faciunt iniquitatem*] In hoc tota vis eſt comparationis. Initio Chriſtiana Eccleſia erat admirandæ puritatis, ex hominibus conſtans plenis Spiritu ſancto, aut certè Spiritum illum jam jam exſpectantibus. Sed ubi prima illa dilectio refrixerat, jam ipſis Apoſtolorum temporibus, multóque magis poſtea, immiſcere ſe Chriſtianis cœperunt duo hominum vitioſorum genera, alii prava docentes, alii puram profeſſionem vita turpi dehoneſtantes. Prioris generis homines σκάνδαλα [*ſcandala*] hîc vocantur. Neque enim ea vox factis tantùm ſed & hominibus tribuitur, ut infrà xvi, 23. Sicut autem Paulus alibi conjunxit διχοστασίας καὶ τὰ σκάνδαλα παρὰ τὴν διδαχὴν [*diſſenſiones & offendicula præter doctrinam*], Romanorum xvi, 17. ita hîc σκάνδαλα [*ſcandala*] ſunt οἱ διχοστατοῦντες, ſeorſim abeuntes à veræ pietatis doctrina. Nam & quod Chriſtus dixerat ἀνάγκη ἐστὶν ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα [*neceſſe eſt ut veniant ſcandala*], Paulus ita extulit, δεῖ αἱρέσεις ἐν ὑμῖν εἶναι [*oportet hæreſes in vobis eſſe*], 1 Corinth. xi, 19. Atque ita hanc vocem uſurpare frequenter ſolebant Chriſtiani veteres. Origenes quinto adversùs Celſum, Ἀληθῶς δὲ τὸ τοῦ σκανδάλου ὄνομα πολὺ ἐν τοῖς γράμμασι τούτοις ἐστὶν, ὅπερ εἰώθαμεν λέγειν περὶ τῶν διαστρεφόντων ἀπὸ τῆς ὑγιοῦς διδασκαλίας τοὺς ἁπλουστέρους καὶ εὐεξαπατήτους [*Certè ſcandali nomen frequens eſt in iſtis ſcriptis, quod uſurpare ſolemus de iis qui ſimpliciores & falli faciles à ſana doctrina avertunt*]. Tales præcipuè fuerant Nicolaitæ & Gnoſtici ac Carpocratitæ, ſpecialiter notati in Epiſtolis Petri & Iudæ, qui ſub ſpecie libertatis Chriſtianæ docebant ἀδιάφορα [*in mediorum genere*] eſſe ea quæ naturali honeſtati repugnant. Alterum genus hominum ſunt qui nihil quidem pravi docent, ſed non ex regula Chriſtiana vitam inſtituunt, ἀδελφοὶ ἀτάκτως περιπατοῦντες [*fratres ambulantes inordinatè*], ut loquitur Paulus ii ad Theſſalonicenſes iii, 6, 11. Cum utroque hoc hominum genere Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus multum fuit negotii. Neque dubium eſt quin ſi tales quales erant cùm Chriſtus hæc loqueretur manſiſſent, Apoſtoli optaturi ſæpius fuerint ut ignis de cœlo tales homines conſumeret; quod illos æquiſſimum arbitratos in Samariæ vicanis Chriſtum non recipientibus Lucas nos docet ix, 54. Adversùs hanc vehementiam, non qua oportet lenitate temperatam, munit eos Chriſtus, oſtendens hoc ſuum conſilium, Pati in Chriſtianiſmo probos improbis, prava docentes recta docentibus permixtos vivere, uſque dum maturuiſſet univerſalis judicii tempus. Tertullianus, *Qui ſemel æternum judicium deſtinavit poſt ſeculi finem, non præcipitat diſcretionem, quæ eſt conditio judicii, ante finem.* Cur autem

ſibi ita videatur, cauſas Chriſtus hîc non exponit, niſi quòd obſcurè innuiſſe eas videri poteſt cùm dixit, Cavendum ne cum lolio ſimul evellatur triticum. Sed ex aliis Sacrarum literarum locis eas colligere non uſquequaque difficile eſt. Nam primùm quod ad pœnas generales attinet, quales ſunt diluvia, incendia, aliæque id genus peſtes, cùm non poſſint ita infligi ut ſolos improbos contingant, proborum etiam paucorum cauſâ Deus aut iis abſtinet, aut certè eas temperat. Vide Geneſ. xviii, 32. & id quod infrà eſt xxiv, 22. Deinde inter prava docentes aut extra regulam viventes ſunt alii aliis ſanabiliores, quorum pœnitentiam Deus patienter opperitur. Ob hanc cauſam dicit Petrus ultimum judicii diem differri, quia Deus *patienter cum hominibus agat, nolens quenquam perire, ſed omnes potiùs volens pervenire ad pœnitentiam*, ii Epiſtolâ, capite iii, commate 9. Præterea verò pravi doctores, & qui vitæ ſunt inemendatæ bonis ac probis materiam præbent in qua conſtantiam ſuam & lenitatem exerceant; conſtantiam dum malis exemplis non patiuntur ſe abripi; lenitatem dum eos quovis modo ſtudent ad meliorem viam retrahere. Hoc eſt quod Paulus dicit, ἵνα οἱ δόκιμοι φανεροὶ γένωνται ἐν ὑμῖν [*ut qui probati ſunt manifeſti fiant in vobis*], i Corinth. xi, 19. quod non incommodè explicat Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos quæſtione xxii. Quanquam verò certiſſimum eſt, hoc Chriſti dicto neque Magiſtratibus publica judicia adimi quæ malos formidine pœnæ coerceant, neque Eccleſiæ jus ſegregandi à ſuis cœtibus eos qui aut doctrinam adulterant, aut vitæ turpitudine maculant nomen Chriſtianum, tamen quin lenitas ac patientia Divina, aliquâ ſaltem ratione, hominibus omnibus atque inter cæteros etiam Magiſtratibus & Eccleſiæ præpoſitis imitanda proponatur, minimè eſt dubitandum. Nam etiam in lenitate adverſùs malos Patris noſtri bonitatem jubemur exprimere ſuprà v,45. Et de clementia quidem in publicis judiciis adhibenda ſuprà aliquid diximus; Quæ ſanè tum præcipuè locum habere debet cùm aut apparet ingenium eſſe ſanabile, aut propter multitudinem peccantium exerceri pœna aliter nequit niſi ut ſontibus inſontes involvat: quod præcipuè locum habet quoties delicti cauſâ bella ſuſcipiuntur. Sed & Eccleſiæ judicia magno cum temperamento ac lenitate exercenda eſſe paſſim docemur. Sunt enim & in dogmatibus errores ejuſmodi in quibus locum habere debeat, Τὸν ἀσθενοῦντα τῇ πίστει προσλαμβάνεσθε, μὴ εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν [*Infirmum in fide aſſumite, non in diſceptationibus cogitationum*]. Et abſtineri quidem à familiari nimiùm convictu τῶν ἀτάκτων [*inordinatorum* vult Paulus, ita tamen ut non habeantur pro deploratis, ſed fraternè admoneantur. Iam verò quoties magnus erat peccantium numerus, atque inter eos, ut fit, multi excuſabiliter prolapſi, remiſſum aliquid de rigore diſciplinæ multis exemplis probari poteſt, Et notæ ſunt Auguſtini in eam rem ſententiæ. Scriptor Quæſtionum ad Orthodoxos, itemque Chryſoſtomus & Hieronymus hanc Chriſti parabolam de hæreticis interpretantur; non malè, cùm ex collatione aliorum locorum, ut jam diximus, appareat σκανδάλων [*ſcandalorum*] vocem huc potiſſimùm pertinere. Auguſtinus eandem ſecutus interpretationem diu ejus fuit ſententiæ ut exiſtimaret nullas omnino pœnas uſurpandas in eos qui vocantur hæretici. Sed poſt multa cum Donatiſtis, hominibus ſatis pertinacibus, certamina hactenus ſententiam mutavit, ut eas pœnas non improbaret quæ pœnitentiæ tempus relinquerent: capitalibus autem ſuppliciis interceſſit ſæpiſſime. Si vetuſtioris Chriſtianiſmi exquiramus ſententiam, inveniemus ſanè argumenta quæ ipſi ut validiſſima torquent adverſùs paganos, id comprehendere quod adverſùs hæreticorum ſupplicia non minùs rectè poſſit uſurpari. Neque enim contenti veritatem fidei ſuæ defendere, probant, Etiamſi graviter errarent, tamen ejus cauſâ pœnas in ſe non eſſe exercendas. Conſtantinus Imperator cùm primis edictis liberum debere eſſe omnibus ex animi ſui ſententia Dei cultum profeſſus eſſet, poſtea, ſeu quòd imperio ita conducere arbitraretur, ſeu quòd Epiſcopi laborem quotidianæ diſputationis ſubterfugerent, pœnas conſtituit in eos qui ſe à communione τῆς μεγάλης ἐκκλησίας [*magnæ Eccleſiæ*] ſeparaverant, ſed maximè pecuniarias. Inter ſegreges iſtos erant & Novatiani, homines, ut apparet, minimè mali (non de ſectæ inſtitutoribus ſed de eorum poſteris loquor) & in dogmatibus ſatis conſentientes cum cæteris, cupidi tantùm rigidioris cujuſdam diſciplinæ. Secuti Imperatores, ut expedire rebus ſuis judicabant, ita aut coercuerunt aut diſſimularunt conventus ſegreges, qui indies novi novique ſuccreſcebant, ita ut Chriſtianarum ſectarum inire numerum res ſit difficillima. At pœnæ capitales adeò omnibus inviſæ erant, credo ob memoriam paganæ ſævitiæ, ut in Gallia Epiſcopi qui auctores Poteſtatibus fuerant ut in Priſcillianiſtas, praviſſimorum dogmatum auctores & vitæ inquinatæ homines, gladio animadverteretur, eam ob cauſam ab Eccleſiarum amoti ſint communione, & in Oriente damnata Synodus quæ in Bogomili exuſtionem conſenſerat. Certè Ario, Macedonio, Neſtorio, Eutycheti, novarum ſectarum principibus nihil durius relegatione evênit. Videntur Ariani Imperatores & ejuſdem ſectæ in Africa Reges primi graviora ſupplicia inſtituiſſe, deinde etiam imbuiſſe manus diſſidentium ſanguine. Quæ poſtea ſecuta ſint tempora, nihil opus eſt referre. Non quævis mors viſa ſufficere: ſed in exquirendis ſuppliciis ingenium ſuum ſævitia exercuit. Anathemata non in homines ſed in populos pronuntiata; &, ne bruta hæc eſſent fulmina, accenſi Reges ut ferro flammâque provincias exſcinderent, nullo ætatis, nullo ſexus diſcrimine. Ita ubi ſolitudinem fecerant, pacem appellabant. Et his omnibus obtendi ſolet ſtudium Divini nominis, ſed plerúmque obtendi tantum. Nam Deus dedignatur coacta ſervitia, nec placere illi poteſt quod vi humana exprimitur. Reipſa ſolent qui id faciunt, non nomini Divino, ſed ſuis honoribus, ſuis commodis & tranquillitati conſulere, quod ſcit ille qui mentes introſpicit. Atque ita fit ut lolium evellatur cum tritico, innocentes cum nocentibus; imò ut triticum ſæpe ſumatur pro lolio. Non enim tam bene agitur cum rebus humanis ut ſemper meliora pluribus aut validioribus placeant. Sed ut in grege taurus, ita inter homines qui viribus eſt editior, imbecilliorem cædit; & iidem ſæpe quæ pati ſe querebantur mox in alios audent. At ita paſſim agere ſi fas eſt, non video cur nobis dicere non liceat, *militiæ noſtræ arma carnalia eſſe*, quod negat Paulus; non video quæ futura ſit Chriſtianæ patientiæ exploratio, aut cur non inverti in partem alteram poſſit quod dictum eſt, Ὁ κατὰ σάρκα γεννηθεὶς ἐδίωκε τὸν κατὰ πνεῦμα [*Qui ſecundùm carnem natus fuerat perſequebatur eum qui ſecundùm ſpiritum*], Galat. IV, 29. Sunt qui ſæviſſima quæque defendunt Iudaicæ Legis exemplo. Vt jam nihil dicam de Legis Veteris Novæque diverſo ſpiritu, quos tandem ferit illa lex? nimirum eos qui maligniſſimo propoſito hoc agebant ut homines ab uno vero Deo abducerent, ab eo, inquam, Deo quem & Natura docebat & tot miracula apertiſſimè teſtabantur. At Chriſtianæ religionis pleraque non naturâ nobis nota ſunt, ſed cœleſti pateſactione; & miracula quibus olim ea religio obſignata eſt ad ſummam doctrinæ pertinebant, non ad ſingula capita quæ in controverſiam veniunt. Imò fatentur veteres etiam apud eos quos vocabant hæreticos aut ſchiſmaticos (ſæpe laxato nimiùm nomine, ut apud Epiphanium imprimis videre eſt) fieri miracula, Deo ſcilicet id curante, non in erroris confirmationem, ſed in teſtimonium ejus doctrinæ quæ diverſis cœtibus erat communis. Hæc autem non eo dico animo quòd judicio eximere velim Gaulonitas & Theudas, qui mentito religionis nomine bella excitant, aut imperii ſtatum concutiunt, aut circumcelliones in Africa latrocinio graſſantes, aut ſi quid eſt horum ſimile. Scelera enim manent ſcelera quocunque nomine commendentur, imò eò ſunt exſecrabiliora quò ſpecioſiorem ſibi titulum induunt. Sed facta velim diſcerni ab opinationibus, ut quæ non æquè ſint ἐφ' ἡμῖν [*in noſtra poteſtate*]. Opinationum autem ambitu ſimul ea comprehendo quæ opinationes quaſi neceſſariò ſequuntur. Sed & opinationum obſervari diſcrimen, tum ex ipſarum natura prout à vera pietate plùs minúſve abducunt, tum ex cauſa quæ homines in errorem pellexit. In dubiis autem rebus ſemper eligi id quod eſt mitius leniuſque, ne ille quem Dominum noſtrum profitemur neceſſe habeat nobis dicere, *Neſcitis quo ſpiritu ducamini.*

ποιοῦντας τὴν ἀνομίαν. *eos qui faciunt iniquitatem*] Intelligendum ut ſuprà VII, 23.

42. εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρός· *in caminum ignis*] לגוא אתון נורא [*in fornacem ignis ardentis*], ut eſt in Daniele III, 6. quod hîc ſecutus eſt Syrus. Lolium atque alia id genus in ignem conjici ſolere patet ex iis quæ ſuprà III, 12. VI, 30 & alibi. Plutarchus ab Ædilibus quibuſdam ait cautionem interpoſitam ne balneorum conductores ad ignem lolio uterentur. Simul autem alluditur ad ſupplicium vivicomburii, quod in Oriente erat uſitatum.

ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς, *ibi erit fletus*] Vide ſuprà VIII, 12.

43. Τότε οἱ δίκαιοι ἐκλάμψουσιν, *Tunc juſti fulgebunt*] Optimè Danielem interpretatur Chriſtus. Nam משכלים Hebræis dicuntur qui ſapienter vitam inſtituunt. Vera autem pietas, vera eſt ſapientia. Rurſum bene dixit Chriſtus τότε [*tunc*], quaſi dicat, Tunc cùm Eccleſia ab omni malorum hominum contagio erit purgata. Scriptor Sapientiæ III, 6. loquens de juſtis, ὡς χρυσὸν ἐν χωνευτηρίῳ ἐδοκίμασεν αὐτούς [*tanquam aurum in fornace probavit illos*]· deinde, καὶ ἐν καιρῷ ἐπισκοπῆς αὐτῶν ἐκλάμψουσι [*& in tempore reſpectûs eorum fulgebunt*].

ὡς ὁ ἥλιος, *ſicut Sol*] Hinc videmus *fulgorem cœli* apud Danielem eſſe Solis περίφρασιν [*circumlocutionem*], ut ſæpe *jubar* apud Latinos. Sed & Paulus gloriam eorum qui inter juſtos maximè excellunt Soli comparare videtur 1 Corinth. XV, 41 & ſequentibus.

Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. *Qui habet aures audiendi audiat*] Puto clauſulam hanc ad præcedentia potiùs quàm ad ſequentia referri. Nam ſimilem uſum ejuſdem ἐπιφωνήματος [*acclamationis*] habuimus hoc capite. Hoc ergo dicit Chriſtus, Advertite animum ad exitum cui pii atque impii deſtinantur: id vobis adversùs præſentis ævi moleſtias & impiorum proſpera erit ſolatium.

44. Πάλιν ὁμοία ἐστὶν, *Rurſum ſimile eſt*] Hæ fabellæ ſive Apoſtolis ſolis ſive coram turba propoſitæ ex prioribus explicationem accipiunt. Itaque duas harum priores, quanquam ἐπιμύθιον [*adfabulationem*] non habent, ut ſatis intellectas, peculiariter ſibi explicari non deſiderant Apoſtoli, ut apparet infrà 51.

κεκρυμμένῳ, *abſcondito*] Suprà verba Euangelii dicta erant κεκρυμμένα [*abſcondita*] commate 35. Eſt ergo *theſaurus* ὁ λόγος.

πάντα ὅσα ἔχει πωλεῖ, *vendit univerſa quæ habet*] Significat nimium ſtudium gloriæ, divitiarum & voluptatis abjiciendum, &, ſi preſſura ingruat, omnia, etiam vitam ipſam abdicandam, ut verbum ſalutare ſit non uſu tantùm temporario ſed jure mancupii noſtrum, hoc eſt, ut in ejus verbi obedientia ad finem perſeveretur. Petenda ergo explicatio ex iis quæ dicta ſunt commate 20, 21, 22. Videtur Iure Hebræo theſauri proprietas agri dominum ſecuta.

ἀγοράζει τὸν ἀγρὸν ἐκεῖνον. *emit agrum illum*] Id eſt, omnimodo nititur fidem ſuam firmam ac ſtabilem reddere, ut ſit non ἕξις [*facilitas agendi*] tantùm, ſed, ut Clemens Alexandrinus loquitur, ἕξις πεφυσιωμένη, *in naturam verſa.* Ita enim ille eo verbo aliquoties utitur.

45. ζητοῦντι καλοὺς μαργαρίτας· *quærenti bonas margaritas*] Doctrina Euangelica quibuſdam affulſit neque de Deo neque de vita emendanda neque de ſpe vitæ alterius quicquam cogitantibus, quales erant plerique in gentibus externis quibus illud vaticinium Paulus aptat, *Inventus ſum non quærentibus me.* Erant & ſapientiæ ſtudioſi inter Iudæos atque alibi, qui veritatis cognoſcendæ deſiderio quodam tangebantur, quive Prophetam aliquem aut ipſum etiam Meſſiam avidis animis exſpectabant. Priores reſpicit Theſauri comparatio; poſteriores iſta de Vnione.

46. πολύτιμον μαργαρίτην, *pretioſâ margaritâ*] Notum Iudæis mercimonium Maris Rubri vicinitate. *Principium*, inquit Plinius, *culmenque omnium rerum pretii margaritæ tenent.* Sicut ergo *theſaurum inveniſſe*

inveniſſe dicitur qui ingens bonum eſt adeptus, ita res pretii maximi *Vnioni* optimè comparatur. Reſpexit autem Chriſtus notam inter Iudæos *γνώμην* [*ſententiam*], quæ docet Sapientiam præferendam & auro & margaritis, quæ exſtat in Gnomologico Solomonis VIII, 10, 11. cui ſimilia invenies & in Pſalmis.

47. *σαγήνῃ*, *ſagenæ*] *Everriculo.* Vlpianus Iuriſconſultus, *Si quis me prohibet in mari piſcari vel everriculum, quod Græcè σαγήνη dicitur, ducere.* Et ita appellavit Varro De re ruſtica. Eſt autem everriculi ea natura, quemadmodum vox ipſa oſtendit, ut quicquid obvium eſt ſecum trahat. Hinc Cicero de dolo malo judicium *everriculum* vocat *malitiarum*, quia nullum genus malitiæ ejus judicii formulam poteſt effugere. Homerus hoc ipſum retis genus *πανάγραν* vocavit, ut à Plutarcho annotatum eſt libro quo De ſolertia terreſtrium & marinorum animantium diſputat. Hinc videmus cur hoc potiſſimùm retis genus hîc Chriſtus nominaverit.

ἐκ παντὸς γένους, *ex omni genere*] Quanquam ſolent & alia venire in everriculum, puto tamen rectè hîc à Latino interprete *piſces* intelligi: Solemus enim quiddam commune ſed definitum animo complecti cùm *omne genus* dicimus. Ergo *σαπρὰ* ſunt nugamenta & quiſquiliæ piſcium, quod genus ut ſervatu indignum videmus à piſcatoribus abjici. Arrianus *ῥίψον ἔξω, ἀδόκιμόν ἐστι, σαπρόν* [*abjice, rejectaneum eſt & nullius pretii*].

48. *ἀναβιβάσαντες*, *educentes*] Hoc eſt quod Romani Iuriſprudentes vocant *retia è mari ſubducere.*

49. Οὕτως ἔσται, *Sic erit*] Idem ἐπιμύθιον [*interpretamentum fabulæ*] quod in comparatione Lolii & Frumenti. Sunt ergo hîc *οἱ πονηροὶ* [*mali*], ut ſuprà *οἱ υἱοὶ τοῦ πονηροῦ* [*filii illius nequam*], illi qui in prædicatione Euangelica pertracti ad Chriſtianiſmi profeſſionem delectûs tempore mali comperiuntur. Vltrà enim extendi comparatio non debet, neque ſimilium natura patitur ut minima quæque eodem modo ſe habeant. Sententiam hac fabella indicatam ita exprimit Tertullianus Apologetico verbis quæ jam antè adduximus, *Qui ſemel æternum judicium deſtinavit poſt ſeculi finem, non præcipitat diſcretionem, quæ eſt conditio judicii, ante ſeculi finem.*

52. *πᾶς γραμματεὺς*, *omnis Scriba*] Γραμματεῖς [*Scribæ*] propriè dicebantur adſeſſores Magiſtratuum, ut ad ſecundum caput vidimus; ſed quia iidem erant Legiſperiti (ut & apud Romanos Iuriſconſultorum erat adſidere Magiſtratibus) ideo *γραμματεῖς* dicuntur qui aliàs *νομοδιδάσκαλοι* [*Legis doctores*] aut *νομικοὶ* [*Legiſperiti*]. Ita Eſdras vocatur ספר [*Scriba*] ab Artaxerxe. Mos autem eſt Chriſto, ut & Prophetis, nominibus apud Iudæos receptis ſignificare tum dona tum munia quæ futura erant in Eccleſia Chriſtiana. Vide Ioel. II, 28. Actor. II, 17. Eſaiæ LXVI, 21. Propriè autem *τοῖς γραμματεῦσιν* [*Scribis*] reſpondent ii qui in Eccleſia Chriſtiana dicti ſunt *διδάσκαλοι* [*doctores*], quod nomen in Actis & in Epiſtolis Pauli aliquoties legitur.

μαθητευθεὶς, *doctus*] מחכם Pſalmo LVIII, 6. & Proverbiorum XXX, 24.

εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, *ad Regnum cælorum*] *Doctor*, inquit, *bene paratus atque eruditus ad tradenda præcepta Regni cæleſtis.* Sic Lucas dixit *εὔθετον εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ* [*aptum Regno Dei*]. Quare non videtur hoc quidem loco *εἰς* pro *ἐν* poſitum.

θησαυροῦ, *theſauro*] Ἀποθήκης [*reconditorio*], ut diximus ad caput III, 12. Bene autem ab aliis explicatum mihi videtur quod ſequitur *vetera & nova*, ut ſignificet omne genus edulia, tam quæ ſervari ſolent quàm quæ ſervando ſervari non poſſunt. Hac autem ſimilitudine monentur Apoſtoli ut ad exemplum à Chriſto datum ſtudeant pietatis dogmata condire quadam tradendi varietate. Nam

Omne tulit punctum qui miſcuit utile dulci.

Ennius virum ſapientem Catum Ælium Sextum deſcribens dixerat,

— multa tenens antiqua, ſepulta, vetuſta,
Quæ faciunt mores veteresque novosque tenentem.

53. *μετῆρεν*, *tranſiit*] ישא רגליו [*ſuſtulit pedes ſuos*], ut Geneſeos XXIX, 1.

54. *πατρίδα*, *in patriam*] Nazaretham intelligi ne dubium quidem eſt. *Patria* autem rectè vocatur ex longo parentum incolatu. Credibile enim eſt ex quo vileſcere, imò & ſuſpecta eſſe imperantibus Davidis poſteritas cœperat, Mariæ eosdemque Ioſephi majores domicilium fixiſſe in loco obſcuriore. Hinc Chriſtus dicitur ἀπὸ Ναζαρὲτ [*à Nazaret*], Iohannis I, 46. Actorum X, 38. Et diſcimus ex ſequentibus cognatos eorum ibidem habitaſſe.

ἐν τῇ συναγωγῇ, *in ſynagoga*] Id rectius puto quàm quod Syrus & Latinus poſuerunt *in ſynagogis.* Nam Nazaret urbs haud ampla facilè contenta fuit unâ ſynagogâ.

55. ὁ τοῦ τέκτονος υἱός; *fabri filius*] Fabrum fuiſſe lignarium Ioſephum cùm Scriptor vetuſtiſſimus Iuſtinus tradat, ego non dubitem quin vox *τέκτονος* ita hîc ſit accipienda. Neque aliter ſenſiſſe Chriſtianos veteres apparet ex dicto illius qui contumelioſè à pagano interrogatus, *quid faceret ὁ τοῦ τέκτονος υἱὸς* [*fabri filius*], reſpondit *eum feretrum Iuliano fabricare.* Quin cùm ipſe etiam Chriſtus à plebe Nazaretana, in cujus conſpectu adoleverat, *τέκτων* [*faber*] vocetur apud Marcum, non audeam eis refragari qui Chriſtum Ioſepho adfuiſſe in fabrili opere tradunt &, ut Iuſtinus ait, aratra feciſſe & juga. Neque id indignum eo ſtatu quem aſſumſerat *ἑαυτὸν κενῶν* [*ſemet exinaniens*]. Nam præterquam quòd *ἔργον οὐδὲν ὄνειδος* [*non eſt turpe labor*], ut ab Heſiodo dictum eſt, mos ſanè laudabilis inter Hebræos fuit ut etiam quibus res eſſet lautior adversùs omnes fortunæ caſus opificium aliquod addiſcerent; atque illi etiam qui ſapientiæ ſtudiis operam dabant, quorum alios ſutores, alios piſtores, alios pelliones fuiſſe legimus. Aut memoria fefellit Origenem, aut Marci exemplaria eo tempore aliam habuerunt ſcripturam: diſertè enim dicit, *οὐδαμοῦ τῶν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις φερομένων εὐαγγελίων τέκτων αὐτὸς ὁ Ἰησοῦς ἀναγέγραπται* [*nuſquam in Euangeliis quæ recipiunt Eccleſiæ ipſe Ieſus faber ſcribitur*].

οὐχὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγεται Μαριάμ, *nonne mater ejus dicitur Maria*] Etiam in matre offendebantur, quam *χερνῆτιδα* fuiſſe, id eſt, aut netricem, aut alio manuum labore victum parantem Chriſtianis Celſus objicit. Tertullianus libro De Spectaculis de Chriſto loquens, *Hic eſt ille fabri aut quæſtuariæ filius*, id eſt, χερνήτιδος. Sic impletur quod dixit Eſaias XLIX, 7.

καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ Ἰάκωβος καὶ Ἰωσῆς καὶ Σίμων καὶ Ἰούδας; *& fratres ejus Iacobus & Ioſeph & Simon & Iudas*] Pro certo ponit Epiphanius, quem Græci ſequuntur, fuiſſe hos omnes filios Ioſephi ex priori matrimonio. Sed docet nos Origenes famam hanc initium ſumſiſſe ex libris qui falſò Petri & Iacobi nomen præferebant. Quare rectiùs Hieronymo accedemus arbitranti hos omnes Domini noſtri fuiſſe conſobrinos. Negari enim videtur non poſſe quin eadem quæ infrà Matthæo & ſimiliter Marco dicitur *Maria mater Iacobi & Ioſe*, Iohanni dicatur *Maria ſoror matris Domini*, ut quæ cum Domini matre & cum Magdalena cruci Chriſti adſtiterit. Quòd ſi ea eſt mater Iacobi & Ioſe, erit ſanè & Simonis & Iudæ. Hic ergo eſt Iacobus quem *Ieſu fratrem*, id eſt, conſobrinum, loquendi genere etiam Græcis & Romanis noto, vocat non Paulus tantùm ſed & Ioſephus in Iudaicis Annalibus: de quo quæ fabulatus eſt Hegeſippus neque recitare neque refutare eſt operæ pretium. Lapidatum à populo fuiſſe Anano Pontifice idem Ioſephus nos docet. Quod autem Iohannes in Euangelio narrat *ne ipſos quidem fratres Ieſu in ipſum crediddiſſe*, VII, 5. de remotioribus conſanguineis, non de conſobrinis iſtis, certè non de omnibus, intelligendum puto. Eos autem quos modò cum matre ad Ieſum veniſſe legimus hos ipſos fuiſſe conſobrinos vero perſimile eſt, ut qui Ioſepho jam mortuo (neque enim in Paſſionis hiſtoria ulla illius eſt mentio, & niſi mortuus is fuiſſet non tranſtuliſſet Iohannes Domini matrem in domicilium ſuum) Mariæ rerum curam gerebant. *Ioſes* autem nomen, ut alii annotarunt, idem eſt cum nomine *Ioſeph*, ſed abjectâ, ut fieri ſolet etiam ab Hebræis ipſis, literâ ultimâ, deinde appoſitâ terminatione Græcanicâ. Itaque tum de iſto tum de Barnaba, cui idem fuit nominis, Syrus & Latinus modò *Ioſe* modò *Ioſeph* nomen uſurpant. Imò & hîc quidam codices habent Ἰωσὴφ [*Ioſeph*] ex vetere haud dubiè interpretamento.

56. Καὶ αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ οὐχὶ πᾶσαι πρὸς ἡμᾶς εἰσι; *& ſorores ejus nónne omnes apud nos ſunt?*] Has ſorores Epiphanius & eum ſecutus Theophylactus *Mariam* & *Salomen* vocant. Conſentit & in hoc cum Epiphanio Theophylactus quòd Clopam facit Ioſephi fratrem. ſed addit Theophylactus *Clopæ* mortui uxorem nupſiſſe Ioſepho, atque inde natam Mariam, dictam *Clopæ* ex lege, & *Salomen*. Sed, ut dixi, puto hæc omnia eſſe ἐκ βιβλίων ψευδεπιγράφων [*ex falsò inſcriptis libris*], & ex non ſatis intellecta ſignificatione vocis *fratrum* & *ſororum*. Cæterùm & has ſorores, id eſt, conſobrinas aut alioqui cognatas proximas pauperculas fuiſſe apparet. Nam id quoque offendebat Nazarenos.

πόθεν οὖν τούτῳ ταῦτα πάντα; *unde ergo huic omnia iſta?*] Cùm neque antehac Nazaretâ abfuerit, neque domi à ſuis potuerit iſta diſcere, ut quorum nemo ſit literis ſupra plebem imbutus.

57. Καὶ ἐσκανδαλίζοντο ἐν αὐτῷ. *& ſcandalizabantur in eo*] Non puto eos tantæ fuiſſe malitiæ ut hæc Chriſti opera diabolo aſſcriberent. neque enim tale quid illis exprobrat Chriſtus. Sed quominus admiratio in reverentiam tranſiret obſtabat natalium ſors illis cognita. Vide ſuprà XI, 6. Erat autem hoc ſignum neque ſatis æqui neque de potentia Divina ſatis magnificè ſentientis animi. Atqui erant in ore ipſis ſententiæ quæ dicunt, *Ex pulvere à Deo ſuſcitari quos in procerum ſolio collocet*, & *Felicem eum eſſe qui de homine contemtæ ſortis æquè judicet.*

Οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. *non eſt Propheta ſine honore niſi in patria ſua*] Adagium celebre inter Iudæos, quod, ut de aliis ſententiis diximus, cum comparatione intelligendum eſt, quaſi dicas, Nuſquam magis quàm inter populares ſuos contemni viros eximios, quales imprimis ſunt Prophetæ. Nimirum

Quicquid quæritur, optimum videtur.

Et vitium eſt magnis parvisque civitatibus commune ſuper ignorantiam recti invidia. Sententia eſt huic perſimilis apud Ariſtiden, Πᾶσι τοῖς φιλοσόφοις ἔδοξε χαλεπὸς ἐν τῇ πατρίδι ὁ βίος [*Omnibus Philoſophis dura viſa eſt vita in patria*]. Nec abit illud quod Scopelianum Sophiſtam dixiſſe Philoſtratus memorat cùm rogaretur ut in patria declamaret, τὴν ἀηδόνα ἐν οἰκίσκῳ μὴ ᾄδειν [*luſciniam in cavea non canere*]. Plinius de Protogene, *Sordebat ille ſuis, ut plerúmque domeſtica.* Sic David à ſua domo contemtus, I Samuelis XVI, 11. XVII, 28.

58. Διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. *propter incredulitatem illorum*] Atqui de linguarum dono dixit Paulus datum eſſe ut ſignum ſit οὐ τοῖς πιστεύουσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀπίστοις [*non fidelibus, ſed infidelibus*]. Notandum igitur non dici hîc *nulla feciſſe Chriſtum miracula Nazaretæ*, ſed *feciſſe non multa*, quod & Marcus dicit. Fecit paſſim Chriſtus miracula, ut hi quibus de ipſo nihil conſtabat in ipſum crederent. Credere incipientibus alia addidit, quibus in fide jam inchoata confirmarentur. Prima ſpernentibus plura non ingeſſit, ne vileſceret Divina liberalitas. Ita ſolet Deus alternis beneficia præſtare & officia exigere.

CAPVT XIV.

1. EN ἐκείνῳ τῷ καιρῷ, *In illo tempore*] Quî tam ſerò Herodi Ieſus innotuit? Nimirum raró tyrannis dicuntur quæ audire eos non juvat. Sed credo pleraque Chriſti miracula contigiſſe dum Herodes in Romano eſt itinere. Mox Arabici belli negotia illum diſtinuere.

ὁ τετράρχης, *Tetrarcha*] Diſtinguuntur interdum Reges à Tetrarchis, ut Horatio,

——— modò Reges atque Tetrarchas,
Omnia magna loquens.

modò Tetrarchæ ipſi, ut Dejotarus Ciceroni, *Reges* appellantur. Sic & Marci VI, 14. Origo nominis ex Galatia, cujus tres partes ſingulæ quatuor habebant Principes. Inde ad alios gentis alicujus parti imperantes nomen tranſiit.

τὴν ἀκοὴν, *famam*] Ita Helleniſtæ transferunt Hebræum שמע, quod *famam* ſignificat, ut apparet Exodi XXIII, 1. Neque tantùm audienti ſed & famam vulganti ea vox aptatur, ut Eſaiæ LIII, 1. Simili ferme modo *auditionem* pro *fama* dixit Tacitus.

2. τοῖς παισὶν αὐτοῦ· *pueris ſuis*] Aulæ mancipiis hæc dixit liberiùs, neque aſſeverans, ſed dubitans an quod quidam dicebant Iohannem revixiſſe verum eſſet. Non temere dictum illud à Virgilio,

> *Omnibus umbra locis adero: dabis, improbe, pœnas.*

Et apud Euripidem Oreſtes exclamat,

> Ὦ μῆτερ, ἱκετεύω σε, μὴ 'πίσειέ μοι
> Τὰς αἱματωποὺς καὶ δρακοντώδεις κόρας.
> [*Ah parce mater, nec mihi precor incute*
> *Illas cruentas ore vipereo deas.*]

Dubitari non debet quin ſanctiſſimi & innocentiſſimi viri per ſcelus trucidati imago noctu diúque Herodis animo oberraverit. Conſcientiæ ſtimulis acceſſit comes indivulſus tyrannorum metus. *Eo quoque tempore*, inquit Seneca, *quo non captantur peti ſe judicant, nullumque momentum immune à metu habent.* Vtrumque conjungit Sapiens Hebræus XVII, 11. Δειλὸν γὰρ ἰδίῳ πονηρία μάρτυρι καταδικαζομένη· ἀεὶ δὲ προσείληφε τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει [*Timida res eſt nequitia, interno damnata teſte; ſemperque ſæva præſumit, conſcientiâ vexante*].

ὁ Βαπτιστής· *Baptiſta*] Ita & Ioſephus Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Βαπτιστοῦ [*Ioannis ejus qui dicebatur Baptiſta*] נטבל Hebræis: nam quin ibi Niphal ſit poſitum pro Piel, ut à Rabbinis ſæpe, dubitari non debet: ita apud Zachariam IX, 9. נושע LXX vertunt σώζων [*Salvator*]. Vocant eundem Iohannem Hebræorum Magiſtri כהן הגדל [*Sacerdotem Magnum*], unde arbitrari liceat Zachariam fuiſſe familiæ ſuæ principem: ſed cùm nunquam id dicat Sacra hiſtoria, imò contrarium potiùs indicet, cùm ſortitò Zachariæ λειτουργίαν [*miniſterium*] dicit obtigiſſe, inducor ut credam Iohannem כהן, id eſt, *Sacerdotem* dictum καταχρηστικῶς [*per abuſionem*], ut intelligeretur excellens Dei miniſter, quomodo & Moſes in Pſalmo כהן vocatur. Nam & Chaldæus Paraphraſtes haud dubiè ex Iudæorum conſuetudine Eliam & Ieremiam vocat *Sacerdotes Magnos:* Eliam quidem in paraphraſi Cantici Solomonis, Ieremiam autem in titulo Threnorum.

αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, *ipſe ſurrexit à mortuis*] Inter varias Hebræorum de anima ſententias credo antiquitus fuiſſe (nam nunc à multis Cabaliſtis id defendi non dubium eſt) qui tranſitionem in alia corpora docerent, atque inde hauſtum Pythagoricum δόγμα παλιγγενεσίας [*placitum renaſcentiæ*]. Nam quod quidam Iohannem ſatis ſibi notum (erat enim è gente Sacerdotali) cùm adhuc viveret eſſe putarunt Eliam, alii Ieremiam, non poteſt me judice ad ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*], aut etiam ad ſpiritus ſimilitudinem referri, ſed oſtendit creditam animarum μετενσωμάτωσιν [*transincorporationem*]. Quin & Hebræorum nonnulli tradiderunt Phineæ & Eliæ eandem fuiſſe animam; alii eandem Adami, Davidis, & Meſſiæ. atque eam quam Græci vocant μετενσωμάτωσιν ipſi apellant גלגול נפשות [*volutationem animarum*]. Ioſephi tamen locum eò trahendum non arbitror: agit enim non de quibusvis ex plebe Iudaica, ſed de Phariſæis, qui, ut & ſcriptis Apoſtolicis alibi docemur, crediderunt non παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] ſed ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*]. Ipſe Ioſephus alibi ita eorum dogma exprimit: Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε· καὶ τοῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, τοῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν [*credunt animis vim eſſe æternam, & pro ſtudio virtutis aut vitii in hac vita ſub terra præmia & pœnam; his quidem carcerem perennem, illis verò facultatem rurſum vivendi*]. Videtur igitur Ioſephus ita accepiſſe mentem Phariſæorum, Non eadem corpora animis reddi, ſed alio eas corpore à Deo veſtiri, non ut hîc vivant, ſed in locis noſtram notitiam fugientibus. Et hoc eſſe quod dicit, ψυχὴν δὲ πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην [*omnem animam immortalem; ſed ſolas bonorum animas in alia tranſire corpora*]· quod etiam manifeſtius facit Belli Iudaici libro III. ubi περὶ τῆς αὐτοχειρίας [*de ſui interfectione*] diſputans ita populares ſuos alloquitur: Ἆρα οὐκ ἴστε ὅτι τῶν μὲν ἐξιόντων τὸ Θεοῦ χρέος ἐκτινόντων, ὅταν ὁ δοὺς κομίσασθαι θέλῃ, κλέος μὲν αἰώνιον, οἶκοι δὲ καὶ γενεαὶ βέβαιοι, καθαραὶ δὲ ἐπήκοοι μένουσιν αἱ ψυχαὶ χῶρον οὐρανοῦ λαχοῦσαι τὸν ἁγιώτατον, ἔνθεν ἐκ περιτροπῆς αἰώνων ἁγνοῖς πάλιν ἀντενοικίζονται σώμασι [*An neſcitis morientium qui Deo debitum exſolvunt repetenti quod dederat, laudem eſſe æternam, domum ſubolemque firmam: animæ autem puræ ac felices manent in ſanctiſſima cœli parte, unde per ſeculorum lapſus rurſum mittuntur ad habitanda corpora*]. Et libro altero adversùs Appionem, ὅτι τοῖς τοὺς νόμους διαφυλάξασι, κἂν εἰ δέοι θνήσκειν ὑπὲρ αὐτῶν, προθύμως ἀποθανοῦσιν, ἔδωκεν ὁ Θεὸς γενέσθαι τε πάλιν, καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς [*iis qui leges ſervarunt & pro iis, ſi ita res ferat, mortem oppetierunt dat Deus naſci iterum, & ex temporum intervallo vitam adipiſci meliorem*]. Sic ex ſua & aliorum quorundam ſententia David Kimchi ad IV. Malachiæ Eliam ait venturum in novo corpore, vetere pridem reſoluto. Cæterùm illa Herodis atque etiam aliorum è vulgo opinio (nam ab aliis ortam docet nos Lucas) ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] pertinere non poteſt, quia ex illa ſententia animæ non jam adultis ſed naſcentibus inſinuantur. Sequitur igitur ut crediderint Iohannis animam aut novum aſſumſiſſe corpus, aut etiam rediiſſe in corpus illud quod à diſcipulis erat ſepultum. Neque id novum adeò videri debet, cùm reſuſcitatorum ab Elia & Eliſæo corporum veteres hiſtoriæ exſtarent. Suſpicionem hanc auxit quòd audiretur idem eſſe κήρυγμα Ieſu quod [*prædicatio eadem Ieſu quæ*] Iohannis fuerat, de pœnitentia & Regno cœleſti.

διὰ τοῦτο, *ideo*] Scilicet quia Deus eo modo teſtatam velit Iohannis innocentiam & Herodis ſceleratum facinus.

αἱ δυνάμεις, *virtutes*] Ita vocantur hîc non ipſa miracula, ut ſæpe, ſed dona miraculorum effectricia.

ἐνεργοῦσιν, *operantur*] *Vim ſuam exſerunt.* Ita enim ἀμεταβατικῶς [*intranſitivè*] hæc vox uſurpatur Galatarum II, 8. Epheſiorum II, 2.

3. Ὁ γὰρ Ἡρώδης, *Herodes enim*] Eſt παρεμβολὴ [*ſermo interjectus*] ex occaſione narrans quod antè erat geſtum, ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς [*dictum non ſuo ordine, more Homerico*], ut inquit Cicero; quam figuram Rhetores etiam una voce πρωθύστερον [*Præpoſterum*] vocant. Neque dubium eſt quin multa paſſim ſint talia in Veteris & Novi Federis ſcriptura, etſi non ubique tam conſpicua; Vt non immeritò dixerint Iudæi in Sacris literis non eſſe τὸ πρότερον καὶ τὸ ὕστερον [*prius & poſterius*]· hoc eſt, ordinem illum temporum non exactè obſervari, ſed multa narrari ut ſe tulit occaſio. Minus autem obſcuritatis ineſſet figuris talibus, ſi haberent Hebræi diſcrimina tranſacti temporis, ut habent Græci & Latini imperfectum, perfectum & pluſquamperfectum. Nunc illa omnia apud ipſos eundem habent ſonum. Hîc etiam noſter Interpres vice pluſquamperfecti poſuit ἀόριστον [*tempus indefinitum*]. Sic Geneſeos XII, 1. ויאמר vertendum *dixerat*, apparet ex eo quod præceſſerat XI, 31. & ex loco Actorum VII, 3. Sic & Pſalmo XXXIII, 7. Iobi XXXVIII, 8.

διὰ Ἡρωδιάδα, *propter Herodiadem*] *In ejus gratiam.* Quanquam Ioſephus alteram cauſam refert, Quod metuerit Herodes defectionem populi, non arbitror quòd Iohannem hominem ſeditioſum crederet, cujus tota vita ad pietatem erat compoſita, ſed quia oderunt & metuunt mali Principes quicquid vitiis inimicum eſt. *Boni*, inquit ille, *quàm mali ſuſpectiores ſunt, ſemperque aliena virtus formidoloſa eſt.* Ita videmus à peſſimis quibusque Imperatorum pulſos urbe Iudæos, Chriſtianos, etiamque ſapientiæ profeſſores, ne quid uſquam honeſtum oculis occurreret. Nam ut viri boni quàm maximè taceant, quod tamen non ſemper fas eſt, tamen ipſa illorum vita tyrannis ſua flagitia exprobrat. Cui rei non aliud inveniunt remedium quàm ut magna odia magno metu compeſcant.

Φιλίππου, *Philippi*] Cùm nomen hoc exſtet in Marci exemplaribus omnibus, in antiquiſſimis etiam Matthæi & Lucæ, atque omnibus iſtis locis apud Syrum & Interpretem, & in Latino Marci, ſollicitanda lectio non eſt. Neque errare hîc potuiſſe eos Scriptores facilè, ut arbitror, vel à non Chriſtiano evicerim. Primùm enim conſentiunt tres Scriptores qui illis ipſis temporibus, aut certè propiùs ea tempora quàm quisquam alius, rem iſtam non obſcuram neque ignobilem ſed, ut res ſunt Regum, omnibus notiſſimam memoriæ mandarunt. Adde quòd Iudæorum non unus hujus feminæ maritum Philippum nominet. Ioſephi autem ſumma fides & diligentia & quæ paſſim in eo apparet intima cognitio rerum familiæ iſtius meretur, ne quid temere contra eum pronuntiemus. Quare veriſſimum credo inter Herodis Magni filios, qui novem fuere, duos appellatos fuiſſe *Philippos*; ſed horum alterum, qui natus erat ex Simonis Pontificis filia, dictum fuiſſe *Philippum Herodem*, quomodo & iſte de quo hæc narratur hiſtoria *Antipater* aut *Antipas* *Herodes* dicebatur; atque iſto additamento Philippum hunc minorem diſtinctum ab altero majore, qui Trachonitidis fuit Tetrarcha. Neque duos in tot liberûm numero dictos fuiſſe Philippos magis mirum videri debet quàm duos itidem eodem in numero dictos *Antipatros*: nam *Antipatri* & *Antipæ* idem eſt nomen. Neque dubito quin inter Herodis Magni progenitores Philippus aliquis fuerit, unde id nomen in multos ejus gentis propagatum eſt.

4. Οὐκ ἔξεστί σοι, *Non licet tibi*] *Nefas eſt tibi*, utpote circumciſo ac proinde obligato ad obſervationem Legis per Moſem datæ. Ius Romanum Principem legibus ſolutum pronuntiat; at Moſis Lex Regi non magis quàm privato ſui gratiam facit: quanquam illud Herodis flagitium, tunc certè cùm patrari cœpit, non Moſis tantùm ſed & naturæ legibus adverſabatur, quæ omnes utique gentes & gentium Reges tenent. Bene Euripides

> Οὐ τοὺς κρατοῦντας χρὴ κρατεῖν ἃ μὴ χρεών.
> [*Non fas potentes poſſe quod facere eſt nefas.*]

ἔχειν αὐτήν. *habere eam*] Ἔχειν ſignificat hîc *habere in matrimonio*, quod expreſſit Syrus, non ut ἔχειν Λαΐδα [*habere Laidem*], &, *Quis heri Chryſidem habuit?* Nam Herodes

> *Conjugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.*

id enim & apertè Ioſephus & Marcus ſignificant. Scriptor τῶν μετὰ τὰς κατηγορίας [*Eorum quæ poſt Prædicamenta*] inter opera Ariſtotelis, Λέγεται καὶ ὁ ἀνὴρ γυναῖκα ἔχειν, καὶ ἡ γυνὴ ἄνδρα· ἔοικε δὲ ἀλλοτριώτατος ὁ νῦν ῥηθεὶς τρόπος· οὐδὲν γὰρ ἄλλο τῷ ἔχειν σημαίνομεν ἢ ὅτι συνοικεῖν [*Dicitur & vir uxorem habere, & uxor virum; ſed minimè proprium eſt hoc loquendi genus: nihil enim aliud habere hîc ſignificat quàm cohabitare*]. Atqui minor eſt abuſio cùm vir dicitur mulierem habere quàm cùm mulier virum. Nam plerarumque gentium legibus atque inſtitutis uxor in manu eſt mariti, certè Hebræorum jure qui propterea maritum בעל vocant, ut κύριον [*dominum*] Attici. Cauſam cur nefas Herodi fuerit Marcus explicat, cùm ita Iohannem loquentem facit, Οὐκ ἔξεστί σοι ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου [*Non licet tibi habere uxorem fratris tui*]. Quibus verbis cùm digitum intendere videatur Baptiſta in legem eam quæ exſtat Levitici capite XVIII, commate 16. quàm LXX hunc in modum verterunt, Ἀσχημοσύνην γυναικὸς ἀδελφοῦ σου οὐκ ἀποκαλύψεις [*turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis*], facilè adducor ut credam maritum Herodiadis cùm iſta Iohannes diceret defunctum fuiſſe. Videmus enim etiam in Lege γυναῖκα [*uxorem*] dici eam quæ non ampliùs ſit ὕπανδρος [*ſub viri poteſtate*], relatione facta ad id quod fuerat. In abducenda Herodiade duplex fuit Herodis Tetrarchæ παρανομία [*tranſgreſſio legis*]. Nam viventi marito uxorem, non ab ipſo dimiſſam, abducere raptus atque adulterium erat, hoc inſigniore injuriâ quòd in fratrem committebatur. Accedebat adulterio crimen inceſti ex lege Moſis quam diximus. Nam ea lex unam duntaxat habebat exceptionem, Si maritus mortuus eſſet illiberis. Herodiadis autem maritus & vivebat eo tempore, & filiam ex ipſa habebat Salomen, cujus hîc fit mentio. Breviter utrumque delictum perſtrinxit Ioſephus cùm dixit, μεθ᾽ ἧς (Σαλώμης) τὰς γονὰς Ἡρωδιὰς ἐπὶ συγχύσει φρονήσασα τῶν πατρίων (legem Levitici indicat) Ἡρῴδη γαμεῖται τοῦ ἀνδρὸς τῷ ὁμοπατρίῳ ἀδελφῷ διαστᾶσα ζῶντος [*poſt cujus* (*Salomes*) *nativitatem illa ſpretis patriæ legibus Herodi nubit fratri viri ſui prioris, à quo vivo diſceſſerat, fratri inquam ex patre eodem*]. Apparet hoc ex loco falli Tertullianum & qui eum ſunt ſecuti, cùm exiſtimant Herodiadem Tetrarchæ Herodi nupſiſſe poſt mortem demum mariti prioris. Videntur præterea illa verba διαστᾶσα ζῶντος [*à quo vivo diſceſſerat*] hoc innuere, maritum priorem non diu ſupervixiſſe iſti divortio. Et ſanè Iohannes non initium accuſat, ſed ipſum τὸ ἔχειν [*habere*]. David contra Legem uxorem Vriæ uſurpaverat; at mortuo Vria uxorem eam habuit optimo jure: quia ſoluto matrimonio priore nulla lex erat alia quæ nuptias impediret: At hîc etiam mortuo marito priore, aut etiam dum viveret teſtato ſe eam uxorem ſibi eſſe nolle, obſtabat lex alia, ea nempe quæ vetat ἔχειν τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ [*habere uxorem quæ fratris fuerit*]. Adversùs hanc legem facere erat συγχύειν τὰ πάτρια [*infringere patriæ leges*], quod nec Regi licebat, ut jam diximus. Notat idem crimen in Archelao Ioſephus qui fratris Alexandri mortui uxorem duxit Glaphyram liberos habentem, ἀπώμοτον ὂν Ἰουδαίοις γαμετὰς ἀδελφῶν ἄγεσθαι [*cùm apud Iudæos res deteſtanda ſit fratris habere uxorem*]. Addit Lucas reprehenſum fuiſſe Tetrarcham à Baptiſta non hujus tantùm delicti nomine ſed περὶ πάντων ὧν ἐποίησε πονηρῶν [*de omnibus malis quæ fecit*].

5. θέλων αὐτὸν ἀποκτεῖναι, *volens illum occidere*] Non definitâ voluntate, ſed ambiguus animi. Oderat liberum caſtigatorem; nam, ut veriſſimè dixit Ioſephus, Βαρὺ τοῖς ἀδικεῖν ἐθέλουσι τὸ συνεχῶς νουθετεῖν [*Grave malè agere volentibus reprehenſor aſſiduus*]. Præterea famæ ipſius invidebat. Sed nondum pervenerat ad ultimam improbitatis lineam quæ voluptatem ponit in magnitudine infamiæ. Reverebatur populi de ſe judicia ſi talem virum occideret; reverebatur ſuam quoque conſcientiam, ſolitus olim ipſius monitis auſcultare, antequam illicitus amor mentem tranſverſam ageret. Ita in dubio fluctuantem animum leve momentum in partem pejorem impulit.

ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον. *ſicut Prophetam eum habebant*] *Vt hominem à Deo miſſum.* Ita enim hæc vox infrà explicatur XXI, 25, 26.

6. γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου, *die autem natalis Herodis*] More Regum Orientis. Herodotus, Τοῦτο δὲ δεῖπνον παρασκευάζεται ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἡμέρῃ τῇ ἐγένετο βασιλεύς [*Tale epulum ſemel anno inſtruitur qua die natus fuit Rex*]. Antiquiſſimum exemplum ejus moris in Ægypto habemus, Geneſeos XL, 20. Ioſephus de Rege Agrippa, Ἡμέραν οὖν ἑορτάζων αὐτοῦ γενέθλιον ὅτε πᾶσιν ὧν ἦρχεν εὐφροσύναις καθίσταντο θάλειαι [*Cùm diem celebraret natalem quo omnibus qui ſub ejus erant imperio læta convivia agitabantur*]. Videtur Scriptor ſecundi Maccabæorum dicere ab Antiocho actum natalem non quotannis, ut mos erat aliis, ſed quot menſibus.

ὠρχήσατο, *ſaltavit*] *Motibus Ionicis*, ut inquit Horatius; non rudi illo atque incompoſito ſaltandi genere quod in publicis gaudiis matronis virginibusque Iudæis antiquitus uſurpatum diximus. A finitimis Regnis mos iſte in aulam Iudaicam pervaſerat. Sic in Ægyptii Regis convivium introductam ὀρχηστρίδα εὐπρεπῆ [*pulchram ſaltatricem*] narrat Ioſephus Originum XII. Dion de Rege Edeſſæ Trajani temporibus, καὶ εἱστίασεν αὐτόν· ἔν τε τῷ δείπνῳ παῖδα ἑαυτοῦ ὀρχησάμενον βαρβαρικῶς πως παρήγαγεν [*& convivio eum excepit: & dum cænatur filium ſuum introduxit barbarico ritu ſaltantem*].

ἐν μέσῳ· *in medio*] *Inſpectantibus convivis*, ut rectè interpretatur Syrus.

καὶ ἤρεσε, *& placuit*] Sic in veteri Inſcriptione, *Saltavit, & placuit.*

7. μεθ' ὅρκου ὡμολόγησεν, *cum juramento pollicitus eſt*] *Iuratò promiſit.* Vide quò tandem jurandi facilitas evaſerit, non jam apud profanas dico gentes, ſed apud eos ipſos qui Moſis legibus teneri ſe profitebantur. Philo libro Περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων [*De legibus ſpecialibus*], Εἰσὶ γὰρ οἳ ὀμνύουσιν ἐὰν τύχῃ κλοπὰς καὶ ἱεροσυλίας, ἢ μοιχείας καὶ φθορὰς, ἢ τραύματα καὶ σφαγὰς, ἤ τι τῶν ὁμοιοτρόπων κακῶν ἐργάσασθαι, καὶ ἀνυπερθέτως αὐτὰ δρῶσι, ποιούμενοι πρόφασιν τοῦ εὐορκεῖν [*Sunt qui jurant, ſi ita res tulerit, ſurta & ſacrilegia, aut adulteria & virginum corruptelas, aut vulnera aut cædes aut alia ejuſmodi mala ſe facturos; & ſtatim exſequuntur hoc prætextu, ut jusjurandum ſervent*]. Vbi etiam exemplum addit divitis adoleſcentis, qui juraverat ſe de facultatibus ſuis nemini quicquam benefacturum. Tales & illi erant Actorum XXIII, 12. qui diris ſe obſtrinxerant ni Paulum interficerent.

ὃ ἐὰν αἰτήσηται. *quodcunque poſtulaſſet*] Sic apud Ovidium,

——— *Elige, ait, nullam patiere repulſam*,

Metamorph. III. Sic Philippus Macedo Satyro hiſtrioni διεβεβαιώσατο πᾶν ὅ τι ἂν αἰτήσῃ χαρίσασθαι [*promiſit ſe ei præſtiturum quicquid petiiſſet*] apud Diodorum Siculum libro XVI. Sic Syrus quidam Rex Muſonio, ἀντὶ τούτων, ἔφη, αἴτησον ὅ τι βούλει με [*pro hac re, inquit, pete me quicquid volueris*]. Paria verba hîc Marcus exprimit, ὃ ἐάν με αἰτήσῃς δώσω σοι, ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου [*quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium Regni mei*]. Quod loquendi genus ſciendum eſt eſſe proverbiale Regibus uſitatum, ubi liberrimam optandi facultatem cuiquam faciunt. Vide Eſtheris hiſtoriam V, 3. ubi LXX eadem habent verba ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου [*uſque ad dimidium Regni mei*].

9. ἐλυπήθη, *contriſtatus eſt*] Exemplum ἀκρασίας [*incontinentiæ*]. Dictat ratio non occidendum innocentem. Ab altera parte memoria liberæ caſtigationis iram inſtigat; Accedit amor hoc fervidior quòd vetitus: illa inimicum ulciſci, hic uxori morem gerere imperat. Rei inhoneſtæ ſpeciem aliquam honeſti addit indefinita pollicitatio & pudor ne metuere plebem videretur. Ita animus dudum aſſuetus ſequi pejora, ejecto rationis fræno permiſit ſe raptandum concitatis affectibus. Notarunt Chriſtiani veteres admodum diligenter in Poëtis horum motuum deſcriptiones. Celebre præ cæteris illud Medeæ,

Καὶ μανθάνω μὲν οἷα δρᾶν μέλλω κακά·
Θυμὸς δὲ κρείσσων τῶν ἐμῶν βουλευμάτων.
[*Nec me latet nunc quàm cruenta cogitem;*
Sed vincit ira ſanitatem pectoris.]

Quod ita expreſſit Ovidius,

——— Video meliora probóque,
Deteriora ſequor.

Ejuſdem eſt,

Odi, nec poſſum cupiens non eſſe quod odi:
Heu quàm quod ſtudeas ponere ferre grave eſt!
Nam deſunt vires ad me mihi, jusque regendi:
Auferor ut rapidâ concita puppis aquâ.

Senecæ autem ex Phædræ perſona,

——— quæ memoras ſcio,
Vera eſſe nutrix: ſed furor cogit ſequi
Pejora: vadit animus in præceps ſciens,
Remeatque, fruſtra ſana conſilia appetens.
Sic cùm gravatam navita adverſâ ratem
Propellit undâ, cedit in vanum labor
Et victa prono puppis aufertur vado.

Solent ad excuſanda facinora ejuſmodi multa homines prætexere, modò Deum, ut ille,

Αἲ αἶ τὸ δ' ἤδη θεῖον ἀνθρώποις κακὸν,
Ὅταν τις ἴδη τ' ἀγαθὸν, δράσῃ δὲ μή.
[*Eheu malum illud advenit Divinitus,*
Cùm quis videt meliora nec ſequitur tamen.]

modò naturam, ut alter,

Λέληθεν οὐδὲν τῶν δὲ μ' ὧν σὺ νουθετεῖς·
Γνώμην δ' ἔχοντα μ' ἡ φύσις βιάζεται.
[*Quæ me mones honeſta nil me horum fugit;*
Sed ſentientem me iſta, natura abripit.]

Sed cauſam non aliam vult agnoſci Clemens Alexandrinus quàm quòd ipſi nos prodimus ἐκδότους σφᾶς αὐτοὺς ἐπιδόντες θυμῷ τε καὶ ἐπιθυμίᾳ [*dedentes noſmet ipſos iræ & cupidini*]. Cæterùm quomodo alternis ratio & affectus huc atque illuc hominem trahant optimè mihi in ejus quam dixi Medeæ perſona deſcripſiſſe videtur Tragicus Neophron,

Εἶεν, τί δράσεις, θυμέ; βούλευσαι καλῶς
Πρὶν ἢ 'ξαμαρτεῖν, καὶ τὰ προσφιλέστατα
Ἔχθιστα θέσθαι· ποῖ ποτ' ἐξῆξαι τάλας;
Κάτισχε λῆμα καὶ σθένος θεοσυγές.
Καὶ πρὸς τί ταῦτ' ὀδύρομαι, ψυχὴν ἐμὴν
Ὁρῶσ' ἔρημον καὶ παρημελημένην
Πρὸς ὧν ἐχρῆν ἥκιστα; μαλθακοὶ δὲ δὴ
Τοιαῦτα γιγνόμεσθα πάσχοντες κακά.
Οὐ μὴ προδώσης, θυμὲ, σαυτὸν ἐν κακοῖς.
Οἴμοι, δέδοκται· παῖδες ἐκτὸς ὀμμάτων
Ἀπέλθετ'· ἤδη γάρ με φοινία μέγαν
Δέδυκε λύσσα θυμόν· ὦ χέρες, χέρες,
Πρὸς οἷον ἔργον ἐξοπλιζόμεσθα; φεῦ
Τάλαινα τόλμης, ἣ πολὺν πόνον βραχεῖ
Διαφθεροῦσα τὸν ἐμὸν ἔρχομαι χρόνῳ.
[*Quid adeò properas anime? conſulta antequam*
Tam fœda peragis, capitáque hæc cariſſima
Tibi ſumis hoſtes. Miſera quò tendas vide;
Sævi furoris reprime conatum impium.
Sed, heu! quid iſta pectori mæſto queror,
Deſerta & his contemta præſidium mihi
Quos decuit eſſe? Cordis ignavi eſt nimis
Flagitia tanta poſſe inulta perpeti.
Sed anime ne tu te quoque his prode in malis.
Proh conſtitutum eſt! fugite conſpectus meos,
Iam fugite, pueri: pectus implevit mihi
Cruenta rabies. O manus, ambæ manus,
In quale facinus noſter armatur furor?
Audacia ô miſeranda, quàm longos meos
Perdo labores ipſa momento bevi!]

Confer cum iis quæ ſunt apud Senecam Medeæ actu quinto: ut rectè intelligas quale ſit hoc λυπεῖσθαι [*contriſtari*] quo de hîc agitur. Eſt autem ſæpe etiam in hominibus non tam rationis cum affectibus quàm affectuum inter ſe pugna, qualem in Herode Magno circa Mariammen prudenter notat Ioſephus.

διὰ δὲ τοὺς ὅρκους, *propter juramentum autem*] Erant, ut dixi, cauſæ veteres: ſed hæc quoque ſpecies arrepta eſt, infirmiſſima alioqui per ſe. Nam quid facilius dictu quàm juramenti verba generaliter enuntiata ita eſſe interpretanda ut illiciti nihil comprehendant. Neque dubito quin ita votum ſuum interpretatus ſit Iephthes, eóque filiam non mactaverit ut quidam volunt, ſed ut rem ſacram Deoque dictam ab hominum commercio ſepoſuerit. Deinde verò quid ſi διαῤῥήδην [*diſertè*] pollicitus eſſet Herodes inſontis cædem? nónne cogitare debuit id quod per ſe illicitum eſt interpoſito jurejurando licitum fieri non poſſe? Prætermittere non poſſum quin hîc apponam diſertiſſimi Scriptoris Philonis locum inſignem de id genus juramentis, Ἴστω δὲ πᾶς ἐνωμότως ἄδικα δρῶν, ὅτι εὐορκήσει μὲν οὔ, τὸν δὲ πολλῆς φυλακῆς καὶ ἐπιμελείας ἄξιον ὅρκον ἀνατρέπει, ᾧ τὰ καλὰ καὶ δίκαια ἐπισφραγίζεται· προστίθεται γὰρ ὑπαίτια ὑπαιτίοις ἐν οὐ δέουσι γινομένοις ὅρκοις, οἷς πολὺ βέλτιον ἦν ἡσυχάζεσθαι πράξεις παρανόμους· ἀπεχόμενος οὖν τοῦ ἀδικοπραγεῖν ποτνιάσθω τὸν Θεὸν, ἵνα μεταδῷ τῆς ἵλεω δυνάμεως αὐτῷ συγγνοὺς ἐφ' οἷς ἀβουλίᾳ χρησάμενος ὤμοσε· διπλάσια γὰρ αἱρεῖσθαι κακὰ, δυνάμενον τὴν ἡμίσειαν αὐτῶν ἀποφορτίσασθαι, μανία καὶ φρενοβλάβεια δυσίατος [*Norit quisquis juratus mala patrat, non ſe obſervantem eſſe jurisjurandi, ſed à ſe jusjurandum rem magnâ diligentíque curâ dignam, & ad obſignanda juſta & honeſta repertam everti: Addit ergò culpam culpæ ad juramentum illicitum, quo abſtineri oportuit actus injuſtos. Potiùs cavens ſibi ab actione mala Deum precetur ut miſericordiam, ſibi naturalem, ipſi impertiat de juramento improvidè facto. Nam dupla ſumere mala, cùm dimidio defungi liceat, dementis eſt & inſania immedicabilis*]. Neque hoc ignoratum viro ſapientiſſimo Ioſuæ in mentem mihi poteſt venire, quanquam video Auguſtinum atque alios quoſdam ita exiſtimare, permotum jurisjurandi religione feciſſe eum contra legem Divinam quæ Chananææ poſſeſſores internecioni devovebat: Plane enim veriſſimum puto, quod dixi ad caput v. legem illam collatione legis alterius quæ in Deuteronomio eſt ita temperandam ut in eos demum valeret qui bello ritè denuntiato dedere ſe Hebræis in ſervitutem recuſaſſent.

καὶ τοὺς συνανακειμένους, *& eos qui pariter recumbebant*] Qui, ut mos eſt aulæ, captantes Herodiadis gratiam, labantem Herodis animum impellebant. Similis hiſtoria apud Herodotum, ubi Ameſtris Xerxis uxor in convivio petit à marito Maſiſtis uxorem. Addit Scriptor invitum annuiſſe Regem, ὅτι ἀτυχῆσαι τὸν χρήζοντα οὔ σφι δυνατόν ἐστι βασιληΐου δείπνου προκειμένου [*quòd preces à ſe in menſa regali non debuerint repudiari*].

10. πέμψας ἀπεκεφάλισε, *miſitque & decollavit*] *Miſit per quem decollaret.* Ita enim Hebraiſmi vim rectè exprimi puto: ita ſuprà 11, 16. ἀποστείλας ἀνεῖλε, *miſit per quos occideret:* infrà XXVII, 19. ἀπέστειλε λέγουσα, *miſit per quem diceret.* Theophanes

in Vita Iuſtini Imperatoris, *πέμψας ἀπεκεφάλισεν αὐτόν* [*cùm miſiſſet decollavit eum*]. Sed in Hebræo haud dubiè fuit *miſit & decollavit*, *miſit & occîdit*, *miſit & dixit*. Nam ita Hebræi loquuntur, ſequentibus etiam Lxx, ut Pſalmo LVII, 4. *ἐξαπέστειλεν ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἔσωσέ με*, id eſt, *miſit è cælo qui me liberaret.* Pſalmo CV, 20. *ἀπέστειλεν βασιλεὺς καὶ ἔλυσεν αὐτόν*, *miſit per quem eum eximeret vinculis.* Arrianus Epicteto IV, 10. *οὐ πέμπεις, καὶ ἄλλην καινὴν ἀγοράζεις* [*non mittis ut aliam novam emas*].

ἐν τῇ φυλακῇ. in carcere] Apparet Machærunte celebratum hoc convivium. Trucidatur vir ſanctus ne judiciorum quidem ordine ſervato. Nam ſontes populo omni inſpectante plecti lex Moſis jubet. Romæ Flaminius accuſatus eſt imminuti magiſtratus crimine, quòd hominem haud dubiè nocentem non more majorum ſed in convivio juſſiſſet interfici.

13. *ἀκούσας ὁ Ἰησοῦς*, *cùm audiſſet Ieſus*] Ex divorticulo redit unde abierat. Audivit, inquit, Ieſus qui de ſe ſermones in aula haberentur.

ἐκεῖθεν, *inde*] Ex locis Galilææ frequentioribus in ſolitudinem ſecedit, ut ſine ullo diſpendio mandati muneris imminentem ſibi Herodem evitaret. Vide quæ ſuprà dicta ſunt ad caput XIII.

14. *ἐσπλαγχνίσθη*, *miſertus eſt*] Amant uti Helleniſtæ hac voce, ut exponant Hebræum verbum רחם, cujus origo eſt à nomine רחם quod *σπλάγχνα* [*viſcera*] ſignificat, quanquam plerumque pro *utero* ponitur. Lucas I, 78. *σπλάγχνα ἐλέους* [*viſcera miſericordiæ*] dixit, Eſaiam ſecutus apud quem מעיך [*viſcera tua*], id eſt, ad verbum *τὰ σπλάγχνα σου* [*miſerationes*], ſignificat *οἰκτιρμούς*, ut vertunt Lxx. Eſtque idem uſus vocis *σπλάγχνων* [*viſcerum*] apud Euripidem & in fabulis Æſopeis: *ἐσπλαγχνίσθη* [*miſertus eſt*] autem ideo hîc eſt additum quia Chriſtus quietem refovendo corpori quæſitam illorum causâ neglexit.

15. *Ὀψίας δὲ γενομένης*, *Veſpere autem facto*] Cùm infrà poſt cibum ſumtum & ſeceſſum Chriſti iterum legamus *ὀψίας δὲ γενομένης* [*veſpere autem facto*], negari non poteſt duas fuiſſe *ὀψίας* Hebræis, hoc eſt, ערבים, inter quas duas *ὀψίας* [*veſperas*] edi debuit Paſcha, ut in Exodo & Levitico legimus. Cæterùm non debere duas iſtas *ὀψίας* crepuſculi ſpatio definiri ex hoc loco mihi videtur apertiſſimum. Nam quæ narrantur hîc facta poſt priorem & ante poſteriorem *ὀψίαν* [*veſperam*] aliquot horarum ſpatium exigunt. Quare certiſſimum puto *ὀψίαν* priorem incipere ſimul atque Sol à meridie ad occaſum cœpit vergere majore diei parte exactâ, poſteriorem autem à Sole occaſo: ita illud בין הערבים [*inter veſperas*] interpretantur Rabbini Sadajas, Simeon filius Iohai & Salomo. Quin & in Mechilta legimus hanc eſſe *παράδοσιν* [*traditionem*] antiquiſſimam à qua recedendum non puto. Precandi igitur tempus veſpertinum medium ferme fuit inter initium prioris veſperæ & veſperam poſteriorem.

ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν· hora jam præteriit] Prandii tempus ſcilicet.

19. *ἀνακλιθῆναι*] *Collocari*, nempe à diſcipulis, Marci VI, 39. Lucæ IX, 14. Iohannis VI, 10.

ἐπὶ τοὺς χόρτους, *ſuper fænum*] *Per herbam*, ut ſæpe Poëtæ. Nam id quoque *χόρτου* voce ſignificatur, ut alibi annotatum eſt: & Marcus explicat dicens *χλωρὸν χόρτον* [*ſuper viride fænum*].

εὐλόγησε· benedixit] Εὐχαρίστησε [*gratias egit*] inquit Iohannes. Probat Chriſtus ut alios ritus Iudaicos à Sapientibus introductos ita & hunc benedicendi cibis. Vide quæ dicenda ſunt infrà ad caput XXVI.

20. *ἔφαγον πάντες*, *manducaverunt omnes*] Vt oſtenderetur ſigno conſpicuo adeſſe jam tempus quo impleretur illud Eſaiæ LV, 1.

τὸ περισσεῦον, *reliquias*] הותר II Regum IV, 43. Plus hoc eſt quàm aut Moſes in manna impetraverat, aut in farina Elias.

δώδεκα κοφίνους, *duodecim cophinos*] Singuli Apoſtoli, ut videtur, cophinum attulerant, more Iudæis uſitato, quoties longiùs ab oppidis iter facerent. Ita cum cophino ibant Iudæi Româ ad proſeuchas quæ erant in nemore Aricino ad decimum lapidem, & quidem cum fœno quod eſſet lecti vice. Vide Iuvenalis ſatyram tertiam, & ibi Scholiaſten. In his cophinis aut etiam ſportulis ferre ſecum panem ſolebant, ut apparet infrà XVI, 7. Marci VIII, 14. Lxx Interpretes דוד Hebræum, quod alibi *κάλαθον* vertunt, in Pſalmo LXXXI, 7. verterunt *κόφινον* [*cophinum*]. Eſt hæc vox & apud Pollucem.

22. *ἠνάγκασεν*, *compulit*] Quod alibi dixit *ἐκέλευσεν ἀπελθεῖν* [*juſſit ire*], VIII, 18. Noluit Chriſtus diſcipulos ſuos in partem venire ejus molitionis qua plebs Regnum ipſi deſtinabat.

24. *μέσον τῆς θαλάσσης ἦν βασανιζόμενον*, *in medio mari jactabatur*] *In alto jactabatur*, ut ad lacum transferamus quod dici de mari ſolet.

25. *Τετάρτῃ δὲ φυλακῇ τῆς νυκτός*, *Quartâ autem vigiliâ noctis*] Iudæi veteres dum penes ipſos jus armorum fuit noctem in ternas vigilias diviſerunt, quod à Davide Kimchi aliiſque rectè eſt notatum; Romani in quaternas: cui mori jam à Pompeji temporibus Iudæi aſſueverant, Græcorum vetuſtiore exemplo: nam *τετράμοιρον νυκτὸς φρουρὰν* [*quaternam noctis vigiliam*] Euripides dixit. Quare quod hîc dicitur ex Romano non ex Iudaico more interpretandum.

περιπατῶν ἐπὶ τῆς θαλάσσης. ambulans ſuper mare] Gravitatem corporis inhibente vi Divinâ, an ſolidato aquæ ſummo, an naturâ quadam inconſpicuâ inter corpus aquamque interpoſitâ, etiam veteres oſtendunt ſibi non conſtare. Videturque mihi rerum ejuſmodi libera eſſe conjectura, definitio autem temeraria. Cæterùm hoc quoque facto inſigniter Chriſtus Divinam ſuam potentiam oſtendit. Nam de Deo dictum eſt apud Iobum IX, 8. *ὁ περιπατῶν, ὡς ἐπὶ ἐδάφους, ἐπὶ θαλάσσης* [*qui graditur ſuper mare, velut ſuper pavimentum*]. Et ſanè pleraque de Deo dicta in libris Prophetarum Chriſtus viſibiliter implevit.

26. *Φάντασμά ἐστιν· phantaſma eſt*] Εἴδωλον [*ſpectrum*], ut alii appellabant. Vide Ciceronis epiſtolam ad Caſſium libro V. Opinio hæc ex Phariſæorum diſciplina, qui ſpiritus ut exiſtere per ſe putabant, ita & indutos humanâ figurâ hominibus apparere. Quia autem mali ſpiritus noctu potiùs quàm

interdiu oſtentare ſe creduntur, inde ſibi metuebant Apoſtoli. Hebræis ſpectrum nocturnum לילית dicitur: de quo non minùs portentoſa fabulantur quàm de Strige Latini veteres.

30. *καταποντίζεσθαι*, *mergi*] Sic Græci vertunt טבע Exodi xv, 4.

31. Ὀλιγόπιστε, εἰς τί ἐδίστασας; *Modicæ fidei quare dubitaſti?*] Opponitur hîc διστάζειν τῷ πιστεύειν [*dubitare ei quod eſt credere*], quomodo apud Iacobum I, 6. & infrà xxi, 21, 22. πίστις [*fides*] opponitur τῷ διακρίνεσθαι [*ei quod eſt hæſitare*]. Id ipſum quod Rabbini dicunt הרהור poſt Chaldæum Paraphraſten Numerorum xvi, 39. Clemens in epiſtola, Οἱ δίψυχοι καὶ διστάζοντες περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως εἰς κρίμα καὶ εἰς σημείωσιν πάσαις ταῖς γενεαῖς γίνονται [*Alternantes & hæſitantes de potentia Divina in judicium & ſignum omnibus ſeculis fiunt*]. Sic & Philo libro De herede rerum Divinarum, Τὸ μὲν γὰρ ἀπορεῖν ἐνδοιάζοντος, τὸ δὲ μηκέτι ζητεῖν πεπιστευκότος ἔργον εἶναι [*Dubitare hæſitantis, nihil ultrà quærere credentis eſt*]. Idem περὶ φυτουργίας [*De plantatione*] ſic ait, Τὰ δὲ δόγματα οὐκ ἐπαμφοτεριζόντων ταῦτ᾽ ἐστὶν, ἀλλὰ τῶν βεβαίᾳ πίστει κατεσχημένων [*Hæc ſunt dogmata non alternantium, ſed firmâ præditorum fide*]. Et alibi, Πῶς γὰρ οὐκ ἔμελλεν, εἰ τοσαῦτα καὶ τηλικαῦτα θεασάμενοι, πρὸς μὲν τὰς πιθανὰς καὶ εὐλόγους φαντασίας ἀδύνατα πραχθῆναι, τελειωθέντα δ᾽ εὐμαρῶς ἐπιφροσύναις θείαις, οὐκ ἐνδοιάζουσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀπιστοῦσιν, οἱ δυσμαθέστατοι πάντων [*Quid ni? cùm ii qui tot ac talia conſpexerant, quæ ſecundùm probabiles opiniones habebantur factu impoſſibilia, attamen facilè effecta erant Divinis conſiliis, illi non hæſitabant tantùm, ſed & manebant increduli, omnium hebetiſſimi*]. Idem ergo διστάζειν, διακρίνεσθαι, ἐπαμφοτερίζειν, ἐνδοιάζειν [*dubitare, diſcernere, alternare, hæſitare*]. Vnde intelligimus credere nihil hîc eſſe aliud quàm potentiæ Dei in Chriſto confidere: quod cur Chriſtus plerumque ante beneficia ſua exegerit, cœptum eſt dici ad caput viii. Inſigne fiduciæ ſuæ argumentum Petrus dederat cùm oſtendit credere ſe ſolo Chriſti verbo fieri poſſe quod per naturam fieri non poterat; ſed quod de ſe neſciebat promtus ille ſemper & calens animus, non parum adhuc ſibi deeſſe ad plenum fidei robur, id Chriſtus ipſum experimento diſcere voluit: ut quod deerat, ſupplici prece ac niſu impetrare contenderet. Hanc ὀλιγοπιστίαν [*tenuitatem fidei*] multis in locis diſcipulis ſuis Chriſtus objicit, quæ comparata ad ſolidam fidem ἀπιστία [*incredulitas*] etiam nominatur, ut ab illo qui dicebat Πιστεύω, Κύριε, βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ [*Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*], Marci ix, 24. In libro qui Eccleſiaſticus dicitur & Hebræorum veterum ſententias Græcè expreſſas continet ita legimus I, 28. Μὴ ἀπειθήσῃς φόβῳ Κυρίου ἐνδεὴς ὤν, καὶ μὴ προσέλθῃς αὐτῷ ἐν καρδίᾳ δισσῇ [*Ne ſis incredibilis timori Domini, ſi quo egeas, & ne acceſſeris ad eum duplici corde*]· ubi καρδία δισσὴ [*cor duplex*] eſt καρδία διστάζουσα inter fidem ad diffidentiam fluctuans. In Clementis Conſtitutionibus libro vii, cap. 12. Μὴ γίνου δίψυχος ἐν προσευχῇ σου, εἰ ἔσται, εἰ οὔ [*Ne ſis alternans in prece tua, an res ſit futura, an non*].

32. ἐκόπασε, *ceſſavit*] Aut שכך, ut alii notarunt, aut etiam שקע. Nam ita quod in Numeris eſt xi, 2. תשקע האש verſum eſt à LXX ἐκόπασε τὸ πῦρ [*ceſſavit ignis*]. Verbum hoc de lacu uſurpat Scriptor Problematum quæ exſtant ſub Ariſtotelis nomine xxiii, 34.

33. Οἱ δὲ ἐν τῷ πλοίῳ, *Qui autem in navicula erant*] Nautæ ipſi.

Θεοῦ υἱὸς εἶ. *Filius Dei es*] Apparet hoc cognomen vulgò Meſſiæ datum. Nam Nathanael Iohan. I, 50. *Rabbi*, inquit, *tu es Filius Dei, tu es Rex ille Iſrael.* Nimirum ex Pſalmo ſecundo, quem Hebræi veteres κατὰ τὸ μυστικώτερον [*ſecundùm abſtruſiorem ſenſum*] de Meſſia interpretabantur. Itaque infrà ubi apud Matthæum Ieſus à Petro dicitur eſſe *Chriſtus Filius Dei viventis*, Marcus & Lucas contenti fuerunt *Chriſti* vocabulo. Adde quæ infrà xxvi, 63. & Hebræorum v, 4, 5.

34. Γεννησαρέτ. *Genneſaret*] Origenes ad hunc locum, *Pervenerunt ad terram* Genneſaret, *cujus interpretationem ſi cognoſceremus, & hinc nonnihil juvaremur ad hujus interpretationem loci:* ad inveniendas ſcilicet ἀλληγορίας [*locutiones aliud innuentes*], quarum ſuprà modum fœcundus eſt. Hoc ipſum puto voluiſſe Hieronymum cùm dixit, *Si ſciremus quid in noſtra lingua ſonaret* Genneſareth, *intelligeremus quomodo Ieſus per typum Apoſtolorum & navis, Eccleſiam de perſecutionum naufragio liberatam transducat in littus.* Hoc eſt, Si notum eſſet τὸ ἔτυμον [*originatio*] ita ut id Latinè poſſimus interpretari. Fatetur igitur ignorare ſe vocis iſtius originem. Neque id mirum, non eſt enim Hebræum vocabulum, ſed pravâ pronuntiatione corruptum ex Hebræo כנרת [*Cinnereth*], quòd nomen multi inditum lacui putant ex eo quòd *citharæ* imaginem referret, quaſi ex lacu terra deinde nomen acceperit, contrà ſentiente Ioſepho qui ita ait, Ἡ δὲ λίμνη Γεννησὰρ μὲν ἀπὸ τῆς προσεχοῦς χώρας καλεῖται [*Lacus autem Genneſar ab adjacente terra nominatur*]. Sed maximè probabile eſt tum lacui tum regioni nomen factum ab antiquiſſima urbe quæ in Ioſuæ libro modò plurali numero כנרות [*Ceneroth*] vocatur, ut cap. xi, 2. modò כנרת [*Cenereth*] cap. xix, 35. Lacus vocabulum poſtera ætas emolliens *Ginoſar* maluit dicere, quod apud Chaldæum Interpretem Veteris Inſtrumenti aliquoties occurrit pro Hebræo כנרת. Γεννησὰρ [*Genneſar*] ſcribit auctor primi Maccabaici.

36. τοῦ κρασπέδου, *fimbriam*] Vide ſuprà ix, 20.

ὅσοι ἥψαντο, *quicunque tetigerunt*] Cùm fiducia recipiendæ ſanitatis. Ita enim ex circumſtantiis reſtringendæ ſunt particulæ univerſales.

CAPVT XV.

1. OI ἀπὸ Ἱεροσολύμων γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι, *Ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi*] Non miſſi à Synedrio; ſicut nec diſcipuli illi Phariſæorum & Herodianorum quorum infrà fit mentio xxii, 16. à Synedrio erant miſſi. Nuſquam enim legimus in Synedrio fuiſſe Herodianos; &, ut fuerint, conſtat majorem fuiſſe Sadducæorum quàm illorum auctoritatem. Atqui à Sadducæis nemo mittitur. Fuit igitur privata exploratio, ſed ab illis inſtituta qui Scholarum habebant principatum. Nam

doctiſſimi quique, ut diximus, γραμματεῖς [*Scribæ*] vocabantur. Horum autem auctoritatem ſequebatur Phariſæorum familia hoc tantùm diſtincta à cæteris, quòd ſuper communia præcepta peculiares ſibi ἐθελοθρησκείας [*cultus ſponte ſuſceptos*] injunxerat. Ideo autem ab Hieroſolymis venerunt, quia in primaria urbe habitabant nobiliſſimi Magiſtrorum & partium iſtarum duces.

2. *τὴν παράδοσιν, traditionem*] Παράδοσις [*traditio*] nihil aliud eſt quàm quod Græci Philoſophi vocant δόγμα [*dogma*]. Chriſtus ipſe infrà XVI, 12. διδαχὴν [*doctrinam*]· nam παραδιδόναι [*tradere*] eſt διδάσκειν [*docere*], ut & Latinis *tradere:* velut cùm Cæſar ait *Druides multa de deorum vi ac poteſtate juventuti tradere:* unde & *traditionis* vocem effinxit Gellius ad exemplum Græci vocabuli παραδόσεως. Ita Paulus & verbum παραδιδόναι [*tradendi*] & nomen παραδόσεως [*traditionis*] uſurpat agens de dogmatis Chriſtianiſmi, I Corinth. XI, 2, 13. XV, 3. quod alibi explicat dicens παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε [*traditiones quas didiciſtis*], II Theſſ. II, 15. παρεδόθητε [*traditam accepiſtis*] dixit Roman. VI, 17. Sic Iudæ παραδοθείσῃ πίστις [*tradita fides*]. Et ἀντίστροφον [*reciprocum*] huic eſt לקח λῆψις [*acceptio*] pro dogmate quatenùs admittitur. Sic Ovidius,

—— pro magno teſte vetuſtas
Creditur: acceptam parce movere fidem.

Δόγματα [*dogmata*] cùm dico non ita ſtrictè accipio vocem quomodo ſumi ſolet cùm opponitur ταῖς παραινέσεσιν [*præceptionibus*], ſed ita ut eas quoque comprehendat. Tam enim quæ agenda quàm quæ credenda præſcribuntur eo nomine veniunt, ut apparet dictis locis, addito eo qui eſt II Theſſ. III, 6. Commenta ergo merè humana vox iſta per ſe non ſignificat, ſed eò quoque vocis iſtius, ut & δογμάτων [*dogmatum*], latitudo ſe extendit. Ideo addi plerumque aliquid ſolet, ut cùm dicuntur παραδόσεις ἀνθρώπων [*traditiones hominum*], Coloſſ. II, 8. aut τῶν πρεσβυτέρων [*ſeniorum*], ut hîc atque alibi. At Hebræi poſteriores קבלה [*acceptionem*] dixerunt non quamvis παράδοσιν [*traditionem*], ſed ἄγραφον [*extra ſcriptum*]. Nunc autem ne omnis quidem ἄγραφος παράδοσις [*traditio non ſcripta*] ſed ea demum quæ eſt μυστικώτερος [*magis myſtica*] hoc vocabulo appellatur. Alioquin origo vocis latiùs patet: eſt enim à קבל, id eſt, παραλαμβάνω [*accipio traditum*], quod ἀντιστρέφεται τῷ παραδιδόναι [*reciprocum eſt voci tradere*], ut apparet I Corinth. XI, 23. XV, 1, 3. Galat. I, 9, 12. Philippenſ. IV, 2. Coloſſ. II, 6. I Theſſ. II, 13. IV, 1. II Theſſ. III. 6. Sed & veteres Chriſtiani laxiùs uſurpant; ut Cyprianus, *Vnde eſt iſta traditio, utrúmne de Dominica & Euangelica auctoritate deſcendens, an de Apoſtolorum mandatis atque Epiſtolis veniens? Ea enim facienda eſſe quæ ſcripta ſunt Deus teſtatur.* Mox, *Si ergo aut in Euangelio præcipitur, aut in Apoſtolorum Epiſtolis aut Actibus continetur, obſervetur etiam & hæc ſancta traditio.*

τῶν πρεσβυτέρων; ſeniorum] Πρεσβυτέρους [*ſeniores*] cur hîc non arbitrer dici Senatores magni Synedrii hæc cauſa eſt, quòd Synedrii erat judiciis præſidere, non docere populum aut leges planè novas conſtituere. Leges enim, quo tempore regnabantur Hebræi, conſtitui ſolebanr à Regibus, ut apparet I Samuelis XXX, 25. Liberâ autem Republicâ παρὰ τῆς ἐκκλησίας, *à populi conventu*, quomodo inſtituta ſunt τὰ ἐγκαίνια [*Encænia*] I Maccabæor. IV, 59. & alter dies feſtus menſe Adar VII, 49. Neque dubium eſt quin eodem modo inſtituta fuerint jejunia illa tempore Exſilii, quorum Zacharias meminit. Nam & in exſilio Iudæi, quatenus illis αὐτονομίαν [*libertatem regiminis*] aliquam Reges externi conceſſerant, eodem jure uſi ſunt. Nam dies Purim, quem Helleniſtæ vocarant *Amania,* inſtitutus eſt communi gentis conſenſu, ut apparet Eſtheræ IX, 20, &c. Quanquam non negem συναγωγὴν μεγάλην [*Synagogam magnam*], de qua egimus aliàs, quaſi compendium populi, locum impleſſe Conventûs, præſertim ſubſecutâ populi totius approbatione. Docere autem populum non erat aut Synedrii totius, aut cujuſlibet è Senatu, ſed eorum qui eximium eruditionis nomen apud populum erant conſecuti, ſive Senatores eſſent ſive privati. Nam ſicut Romæ olim de jure reſpondere non pro beneficio impetrabatur, ſed licebat eis qui fiduciam ſui habebant eam artem profiteri: ita & apud Iudæos. Hi dicebantur חכמים [*eruditi*]. Sed & πρεσβύτεροι [*Seniores*] non malè vocantur, ſeu quia id nomen omnibus aut dignitate aut etiam ſolâ auctoritate eminentibus dari ſolebat, quomodo & nomen πατέρων [*patrum*], ſive quia antiquitus ſapientes, præſertim aliquo poſt mortem tempore, apud Hebræos vocabantur הקדמנים [*antiqui*], inde illud I Samuelis XXIV, 14. כאשר יאמר משל הקדמני [*ſicut & proverbio ab antiquo dicitur*], quod propriè idem eſt cum eo quod Theocritus itidem de proverbio aliquo agens dixit, ὡς σοφὸς εἶπεν [*ut ſapiens dixit*]. Eſtque nunc etiam liber Hebræus continens veterum inſtitutorum recitationem, cui libro titulus eſt משל קדמני [*Sententiæ antiquorum*]. Sic & Plato γνώμην [*ſententiam*] vocat παλαιὸν λόγον [*veterem ſermonem*], Plautus & Terentius *verbum vetus*. Horum igitur πρεσβυτέρων δόγματα [*ſeniorum dogmata*] ſive παραδόσεις [*traditiones*] ut diverſi erant generis, ita non omnes uno ordine nobis ſunt habendæ. Quædam enim interpretationem continebant eorum quæ in Lege ambigua videbantur, ut quod diximus περὶ δυῶν ὀψιῶν [*de duabus veſperis*]. Philo principio libri I. De vita Moſis, τὰ γὰρ λεγόμενα τοῖς ἀναγινωσκομένοις ἀεὶ συνύφαινον [*quæ enim ore erant tradita cum iis quæ leguntur conjungebant*], ſeniores nimirum de quibus ibi agit. Alia definiebant id quod lex Divina viri boni arbitrio permiſerat, quale illud erat de itinere quod Sabbato facere fas eſſet. Alia erant quæ ipſi vocabant *ſepimenta Legis*, id eſt, cautiones quibus muniti homines à Lege violanda longiùs arcerentur, quomodo canonas Eccleſiaſticos Iuſtinianus dixit παραφυλακὰς τοῦ θείου νόμου [*propugnacula legis Divinæ*]. Exempli causâ, cùm quadragenas plagas infligi ſontibus neque plures lex permitteret, illi unam detraxere, ut infligerentur duntaxat triginta novem: ita & Azymorum & Sabbati tempus antevertere docuerunt. Hæc ita obſtringebant populum ſi doctorum ſententiæ à Synedrio eſſent approbatæ, ut diximus ad Deut. XVII, 8 & ſequentibus. Cætera pro conſiliis primùm habita, poſtquam ad auctoritatem usûs aliquis dies acceſſerat cœperunt à nonnullis in præcepta verti; neque in talia tantùm præcepta quibus externa ſocietas contineretur, ſed quæ etiam nemine inſpectante animum obſtringerent. Ioſephus de Phariſæis, Ὧν τι ὁ λόγος κρίνας παρέδωκεν ἀγαθῶν ἕπονται τῇ ἡγεμονίᾳ, περιμάχητον ἡγούμενοι τὴν φυλακὴν ὧν προαγορεύειν ἠθέλησε, τιμῆς γε τῆς ἡλικίας προήκουσι (hi ſunt οἱ πρεσβύτεροι הקדמנים) παραχωροῦσιν, οὐδὲν ἐπ' ἀντιλέξει τῶν εἰσηγηθέντων ταῦτα θράσει ἐπαιρόμενοι [*Quæ ratio judicavit bona ac tradidit, eorum regulam ſequuntur; tuenda omni modo cenſentes quod illa præſcripſit: honorem autem tribuunt majoribus natu, nec iis quæ illi docent audent contradicere*]. Contrà idem Scriptor Sadducæis notat in laude poſitum dubitare de majorum inſtitutis: φυλακῆς δ' οὐδαμῶν τινων μεταποίησις αὐτοῖς ἢ τῶν νόμων, πρὸς γὰρ τοὺς διδασκάλους (ita exprimit Hebræum החכמים) σοφίας ἣν μετίασιν ἀμφιλογεῖν ἀρετὴν ἀριθμοῦσι [*Obſervare præter leges nihil curant, ac virtutis putant contradicere magiſtris ejus quam ſectantur ſapientiæ*]. Idem Scriptor XIII. Originum, νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς, id eſt, מקבלת הקדמנים [*multa præcepta populo tradiderunt Phariſæi accepta à Patribus*]. Sadducæos autem ait ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα (in Lege Moſis nempe), τὰ δ' ἐκ παραδόσεως πατέρων μὴ τηρεῖν [*obſervanda putant præcepta quæ ſcripta ſunt; cæterùm non obſervanda ea quæ ex traditione ſunt*]. Ex nimia illa Magiſtrorum reverentia veniunt illæ ſententiæ, *Si dixerint Scribæ* (id eſt, Doctores) *dexteram eſſe ſiniſtram, & ſiniſtram eſſe dexteram, audi eos.* Habet hanc Rabbi Bachai. Item: *Quicquid ſapientes vetant palàm fieri, id etiam in penetralibus vetitum eſt.* Nec æquare contenti ſunt ſua commenta Divinis legibus, tandem etiam præponere cœperunt. Ita enim ajunt: *Plùs eſt in verbis Scribarum quàm in verbis Legis.* Habes hoc in titulis Thalmudicis Baba Metzia, Berachoth, Chagiga & de Synedrio; & R. Iacob in Caphthor. Adultæ ſuperſtitioni color ex mendacio quæſitus. Perſuaſum enim credulæ plebi, iſta inſtituta non eſſe quidem perſcripta in Lege, attamen à Deo Moſi data, deinde à Moſe Ioſuæ ejusque aſſeſſoribus, à quibus porro ad Prophetas manarint, à Prophetis autem tradita ſint Eſdræ & qui cum eo erant, deinceps verò parentum commemoratione tranſierint ad poſteros, unde hanc præceptorum congeriem תורה שבעל פה hoc eſt τὸν ἐν στόματι νόμον [*legem in ore poſitam*] appellant. Neque dubitant Iudæi quin ea ipſa præcepta nunc in Thalmudicis libris contineantur, ſcripturæ ſcilicet mandata, ne oblivione atteri poſſent. Docet autem nos Epiphanius in Diſſertatione adversùs Ptolemaitas, Hebræorum traditiones alias à Moſis veniſſe ævo (quod de melioribus quibusdam negandum non eſt, ut de Lege ter in hebdomade legenda in Synagogis, de precibus ante cibi ſumtionem, & ſiqua ſunt ſimilia), alias à Rabbi Akiba, alias ab Adda qui & *Iudas*, alias ab Aſmonæis: quo ex loco emendandi codices ejusdem Scriptoris titulo περὶ γραμματέων [*De Scribis*], ubi ἀνδᾶν ſcriptum eſt pro Ἀδδᾶν [*Addan*], & adversùs Marcionem, ubi corruptè ſcribitur τοῦ μὲν Δαβὶδ pro τοῦ μὲν Ἀδδᾶ [*Addæ*]. ex quo loco etiam diſcimus Akibam illum fuiſſe antiquiorem exſilio Babylonico, Addan autem poſt tempora poſtliminii exſtitiſſe.

νίπτονται, *lavant*] Propriè: nam, ut Pollux docet, νίπτεσθαι [*lavare*] eſt ante cibum, ἀπονίπτεσθαι [*abluere*] poſt cibum. Hæc autem lotio Iudaica, quam Marcus accuratè deſcribit, non erat ruſticitati oppoſita, cujus non exigua pars eſt ἡ ἀλουσία [*illuvies*], ſed fiebat definitis geſtibus καὶ ὁσίας χάριν [*dicis causâ*]. Cauſa hæc erat, quòd arbitrarentur Hebræorum Magiſtri (cæci nimirum cæcorum duces, ut nos mox docebit Chriſtus) ſi quis ἀλλόφυλος [*extraneus*] aut alioqui juxta Legem impurus aut cibum ipſum potumve attigiſſet, aut quicquam quod cibum potumve contingeret, puta ipſorum manus quibus cibum ſumturi erant, quæ pars corporis maximè ad contactum patet, aut vaſa in quibus obſonium coqueretur, aut pocula è quibus erant poturi, eum cibum potumve talis inquinamenti contagium ad corpus primùm ſuum, deinde ad animum immittere: quapropter καθαρισμὸν [*purificationem*] (ut Iohannes vocat) repererant, accurata lotione, nimirum inanis metus inane remedium, ut lepidè dixit Menander, cujus verſus non poſſum non apponere paulò quàm legi ſolent emendatiores,

——— Εἰ μὲν τι κακὸν ἀληθὲς εἶχες, Φειδία,
Ζητεῖν ἀληθὲς φάρμακον τούτου σ' ἔδει.
Νῦν δ' οὐκ ἔχεις. εὕρηκα κενὸν τὸ φάρμακον
Πρὸς τὸ κενόν. οἰήθητι δ' ὠφελεῖν τί σε.
Περιμαξάτωσάν σ' αἱ γυναῖκες ἐν κύκλῳ,
Καὶ περιθέτωσαν ἀπὸ τριῶν κρουνῶν ὕδωρ·
Τούτῳ περίρραναι, ἐμβαλὼν ἅλας, φακούς.
Πᾶς ἁγνός ἐσθ' ὁ μηδὲν οἱ συνειδὼν κακόν.
[——— *O Phidia vero ſi laborares malo,*
Nimirum vero opus eſſet & medicamine:
Nunc id cùm non ſit, inane medicamen dabo
Ad morbum inanem: tu tibi crede id profore.
Ergo te abſtergant undequaque mulieres,
Aquamque aſportent, ſed tribus de fontibus,
Qua perfundaris ſale permixtâ & lentibus.
Sat ille purus nullius ſceleris ſibi
Qui conſcit.]

Hujus Phariſaicæ opinionis non leve veſtigium eſt in Apoſtolis, cùm Chriſti dictum de fermento ita interpretantur quaſi nefas eſſet vel à Phariſæis vel à Sadducæis cibum comparare. Et notant Hebræorum Magiſtri Iudæos Samaritis, Samaritas Iudæis obviis proclamaſſe, *Noli attingere.* Ioſephus de Eſſenis notat, provectiores à minùs provectis contactos abluere ſe ſolere quaſi à contactu ἀλλοφύλων [*alienigenarum*]. Velarunt haud dubiè hanc ſuam ſententiam Divinæ legis auctoritate, quæ quorundam corporum contactu corpora impurari voluit, ita ut etiamſi id poſtea reſciſceretur, purgamentum aliquod eſſet adhibendum; quomodo & Eſſeni Ioſepho teſte crediderunt pollui ſe levatâ alvo, καίπερ φυσικῆς οὔσης τῆς ἐκκρίσεως [*quanquam naturalis eſt iſta excretio*], ſed aquâ ſumtâ purgari. At ne illis quidem rebus quas lex Dei impuras vocat culpam contrahebat animus, niſi poſt neglectum Divinæ juſſionis. Neque iſta Deus προηγουμένως [*præcipuo loco*] præceperat, ſed ut populum nimis amantem ceremoniarum iſtis ritibus diſtineret, quibus res etiam meliores ſignabantur. Dogma autem illud quod hîc Apoſtolis Chriſti objiciunt Legisperitorum & Phariſaicæ ſectæ legati, planè falsâ nitebatur perſuaſione. Exiſtimabant enim primùm aliquos contactus immundos eſſe ſui naturâ, de quibus lex Dei nulla exſtabat; deinde etiam ignorantis animum affici eâ impuritate; poſtremò autem elui poſſe maculam animo inuſtam ritu quem Deus non imperaverat ſed ipſi erant commenti. Ex ſimili ſtultitia ortum habuit τῶν ἡμεροβαπτιστῶν [*quotidie baptizantium*] ſuperſtitio, quam Mahumetes, ut multa alia undique corraſa, in legem ſuam tranſtulit.

3. Διὰ τί καὶ ὑμεῖς παραβαίνετε, *Quare & vos transgredimini*] Chriſtus antequam de illa quam objiciebant traditione disputet, convellit fundamentum ipſum cui tota illorum ratiocinatio innitebatur. Pro certo enim ponebant, ſtandum ſine ulla exceptione receptis Sapientum ſententiis, ut quorum conſenſio eſſet ἀναμάρτητος [*falli neſcia*]· quod falſum eſſe Chriſtus oſtendit exemplo evidentiſſimo recepti dogmatis quod cum lege Divina ἀσπόνδως [*ſine medio conciliandi*] pugnabat.

4. Τίμα, *Honora*] Vox Hebræa eſt כבר, qua comprehenditur etiam officium honeſtè alendi parentes. In quem ſenſum vox τιμῆς [*honoris*] etiam à Paulo uſurpatur & verbum τιμᾶν [*honorare*] I Timoth. v, 3, 17. Itaque id quod hîc ſequitur καὶ οὐ μὴ τιμήσῃ τὸν πατέρα [*& non honorificabit patrem*], Marcus exponit οὐκ ἔτι ἀφίετε αὐτὸν οὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ [*non dimittitis eum quicquam facere patri*], ubi ποιεῖν [*facere*] eſt ἀγαθοποιεῖν [*benefacere*]. Neque aliter exponunt Hebræorum eruditiſſimi Numerorum XXIV, 11. & qui eorum hoc ipſum præceptum explicant ajunt, cibi, potûs & veſtimenti præbitionem eo contineri. Itaque non erat quod in eo probando Chriſtus laboraret: Quin Græcorum quoque & Romanorum leges idem præcipiunt. Et verbum τιμᾶν [*honorare*] ita explicat etiam Hierocles, Εἰς γὰρ τὰ ἄλλα πάντα γονέας τιμήσωμεν ὑπερβαλλόντως, σώματος ὑπηρεσίαν καὶ χρημάτων χορηγίαν αὐτοῖς ὑπέχοντες ὅτι μάλιστα προθυμοτάτην [*in cæteris rebus eximio in honore habebimus parentes, exhibentes eis animo quàm promtiſſimo corporis miniſterium & facultatum auxilia*].

ὁ κακολογῶν, *qui maledixerit*] Verbum Hebræum קלל, quod in Exodo & Levitico reperitur directè opponitur verbo כבר. Nam ut כבר ſua origine eſt *pondus addere*, ita קלל eſt *pondus detrahere*. At LXX Interpretes, quos noſter hîc verbo tenus ſequitur, notiſſimo exemplo rem declarantes dixerunt ὁ κακολογῶν [*qui maledixerit*], in quem ſenſum certum eſt vocem Hebræam, quanquam latiùs patentem, ſæpiſſime accipi. Non fruſtra autem & hoc Chriſtus adjecit. Conſtat enim inter Dei præcepta ea eſſe maximi ducenda quæ capitali pœna ſanciuntur. Oſtendit ergo Chriſtus non quodlibet præceptum Legiſperitorum auctoritate violari, ſed tale quod inter præcipua habendum Deus ipſe teſtaretur.

5. Ὃς ἂν εἴπῃ, *Quicunque dixerit*] Non puto eſſe hîc ἀποσιώπησιν [*Reticentiam*], ut multi arbitrantur, ſed potiùs redundare Hebræo more καὶ [*&*], ut infrà XXVIII, 9. Marci XIII, 34. Lucæ II, 15 & 21 & 27, 28. Item Lucæ v, 35. IX, 51. XIII, 25. XIV, 1. quod ſemel dico, ne teſtimonia repetere cogar. Itaque ſic interpreter, *Vos autem docetis, Qui dixerit patri ſuo aut matri ſua*, Δῶρον ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς [*Donum ſit quod ex me habiturus eſſes*], *ne alat patrem aut matrem ſuam.* Et apud Marcum, *Vos autem docetis hunc in modum, Si quis patri matrive dixerit*, Κορβᾶν, ὃ ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς [*Corban, quod ex me habiturus eſſes*], *non permittitis eum quicquam ultrà patri matrive præſtare.* Λέγειν utrobique eſt *docere*. Ita enim in Scholis Hebraicis uſurpari ſolet אמר, hoc eſt, ἔφα [*dixit* ſive *præcepit*].

Δῶρον, *Munus*] Vocem ipſam poſuit Marcus Κορβᾶν [*Corban*], & Syrus hic קרבני. unde diſcimus non quodvis δῶρον [*munus*] hîc ſignificari, ſed id quod Deo ſacratur, quomodo vocem δώρου uſurpari vidimus & quinto capite. Atque hinc eſt quòd veterum quidam hunc locum citantes non δῶρον [*munus*] nudè ponunt, ſed δῶρον τῷ Θεῷ [*munus Deo*]. Formula hæc ex Hebræis Magiſtris citatur in hunc modum, קרבן שאתה נהנה לי [*Corban quicquid à me utilitatis habiturus eſſet*], & ſic etiam קרבן כל מה דתתהנא מני. unde non longè abit Syrus qui hoc loco ita poſuit, קרבני מדם דתתהנא מני. Videamus quid ſit ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, deinde quid hîc velit κορβᾶν ὃ ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς. Interpretes ejus quam dixi formulæ totidem propè verbis exprimunt מה שאתה נהנה ממני & nomen הנאה [*utilitatis*] ajunt tam latè patêre ut & alimenta & omne id quo homo ab homine juvari poteſt comprehendat. Ea vis meliùs exprimi non potuit quàm Græco verbo ὠφελεῖσθαι [*utilitatem capere*]. Eſt autem illud ὠφεληθῇς hîc δυνητικόν [*modi potentialis*]· quare Latinè ita licet exprimere, *quicquid eſt quo à me juvari poſſis.* In codice Nedardin invenitur, קונם שאני עושה על פי אבא וכוי אינם יכול להפר, quod ita interpretatur Maimonides, שכל מה שאעשה לא יאכל ממנו אבה מאנמה ר״ל שלא יהנה בו, *Quòd quicquid paravero, ex illo non comedet pater meus quicquam, id eſt, quòd utilitatem inde non percipiet.* Ad alteram vocem קרבן [*Corban*] quod attinet, ſolet ea apud Hebræos, ut & חרם [*anathema*], quoties ſola ponitur includere vim verbi ſubſtantivi: quare κορβᾶν valet κορβᾶν ἔστω, id eſt, *Deo dicatum eſto.* Quod autem ita Deo dicatum erat, id credebatur omnino eſſe extra hominum poteſtatem atque commercium. Hinc illud קרבן in hac formula non malè Hebræi interpretes exponunt אסיר עליך, id eſt, *prohibitum* ſive *præcluſum eſto tibi.* Liber Caph Nacal ita explicat hoc genus voti, הקדש יהא כל מה שאני עושה מלכו על פי אבא, *Sacrum erit quicquid paravero in futurum ad os patris.* Rabbi Niſſim hoc modo, כל שאני עושה לפי אבא יקונם אינו יכול להפר, *Quicquid paravero patri meo, ſacratum eſto. Qui ſic vovit non poteſt irritum facere votum.* Et quia in nomine κορβᾶν [*Corban*] Dei mentio erat incluſa (nam קרבן eſt, ut diximus, *res Deo ſacra*, unde Ioſephus de iis qui ſe Deo devovent, οἱ κορβᾶν αὑτοὺς ὀνομάζοντες [*qui ſemet Corban vocant*]) ideo hoc votum non eſſe nudum ſed jurisjurandi religionem & translationem complecti credebatur. Hinc Tyrii cùm vetarent τοὺς ξενικοὺς ὅρκους [*externa juramenta*], ſpeciatim nominarunt τὸν ὅρκον καλούμενον κορβᾶν [*juramentum quod dicitur Corban*], auctore Theophraſto libro De legibus, cujus juramenti mentionem & Matthæus infrà facit XXIII, 18. Planè frequens fuiſſe Iudæis ut non voto tantùm ſed & jurejurando ſe obſtringerent ne huic aut illi benefacerent, tum ex Hebræorum Magiſtris diſcimus, tum ex Philone, cujus hæc verba ſunt notatu ad hanc rem digna, Εἰσὶ δ᾽ οἱ τὴν φύσιν ἄμικτοι καὶ ἀκοινώνητοι δι᾽ ὑπερβολὴν μισανθρωπίας γεγονότες, ἢ καὶ ὑπ᾽ ὀργῆς οἷα χαλεπῆς δεσποίνης ἐκβιασθέντες, ὅρκῳ τὴν ἀγριότητα πιστοῦνται τῶν ἠθῶν, οἵ τινες οὔ φασιν ὁμοτράπεζον ἢ ὁμορόφιον ἕξειν τὸν δεῖνα, ἢ πάλιν ΤΩ ΔΕΙΝΙ ΜΗ ΡΕΞΕΙΝ ΩΦΕΛΕΙΑΝ ΤΙΝΑ, ἢ παρ᾽ ἐκείνου τινὰ λήψεσθαι, καὶ μέχρι τελευτῆς [*Sunt quidam qui ex immenſa feritate ingenium habentes durum atque inſociabile aut coacti ab ira, moleſta ſanè hera, morum ſuorum aſperitatem jurejurando firmant, dicendo, ſe hunc aut illum nunquam habituros conſortes tecti aut menſæ, aut rurſum* EI SE NIHIL FACTVROS BONI, *vel nihil ab eo ſe accepturos, vel ad mortem usque*]. ubi apertè deſcribit id votum quod Hebræi נדר הנאה, hoc eſt, εὐχὴν τῆς ὠφελείας [*votum utilitatis*] vocant. Hoc autem votum quò firmius ſanctiusque eſſet, ſolebat, ut ex Matthæo Marcoque diſcimus, adjici conſecratio rei in eum caſum ſi quando τῷ δεῖνι [*illi homini*] quicquam daretur. Quòd ſi is qui votum tale nuncupaſſet, poſtea immutata voluntate largiri aliquid vellet τῷ δεῖνι [*illi homini*], Sacerdotes, quorum pars magna erant Phariſæi, rem ex voti lege ſacro ærario vindicabant. Ejus autem ærarii obventiones, partim in opera Templi, partim in uſus pauperum, partim in ipſos Sacerdotes ac Levitas erogabantur. Quò magis credibile eſt Phariſæos, qui erant φιλάργυροι [*avari*], ut Lucas nos docet XVI, 14. contumaciter adfuiſſe utilitatibus ærarii contra quorumvis hominum juſta. Nam vota etiam jure Romano homines ita obligabant ut votum implere cogerentur. Cæterùm quod Origenes hîc narrat ab Hebræo ſe didiciſſe etiam creditores ſæpe nomina tranſcripſiſſe gazophylacio, ut debitoribus ſuis duriorem adverſarium obtruderent, ut verum credo, ita huc propriè non pertinet.

6. ἠκυρώσατε τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ, irritum feciſtis mandatum Dei] *Irritum feciſtis Dei præceptum*, quantum in vobis eſt. Meritò accuſat hoc Legisperitorum dogma legis Divinæ optimus Vindex. Nitebantur illi hoc argumento, in quo latiùs quàm par eſt extendendo & alibi eos lapſos vidimus, Quòd præcepta Deum ſpectantia iis eſſent anteferenda quæ ad hominum utilitatem pertinerent: In illo autem genere ponebant vota ac juramenta, in hoc autem omnia beneficentiæ munia. Sed non animadvertebant homines miſera ſuperſtitione faſcinati vota & juramenta modos eſſe quibus obligemur; omnem autem obligationem ex jure eo quod nobis competat debere proficiſci: quare materiam obligationis eſſe non poſſe id quod ante ademtum ſit noſtræ libertati, ut eſt Parentes non alere. Nam & naturalis æquitas & lex per Moſen edita efficiebant ne id liceret. Lex autem quæ vota ac juramenta ſervari vult intelligenda haud dubiè eſt de votis ac juramentis legitimis, hoc eſt, quibus id vovetur aut juratur quod honeſtum eſt, quodque eſt in voventis aut jurantis poteſtate. Quare hoc caſu lex illa objici non poteſt: debet ergo valere lex altera quæ pietatem in parentes præcipit. Pertinet huc Gangrenſis Synodi canon XVI. Εἴ τινα τέκνα γονέων, μάλιστα πιστῶν, ἀναχωροίη προφάσει θεοσεβείας, καὶ μὴ τὴν καθήκουσαν τιμὴν τοῖς γονεῦσιν ἀπονέμοι, προτιμωμένης δηλονότι παρ᾽ αὐτοῖς τῆς θεοσεβείας, ἀνάθεμα ἔστω [*Si qui liberi parentes, & maximè fideles, deſerant prætextu pietatis, & debitum honorem parentibus non deferant, tanquam pietatis prælatione, anathema ſunto*]. Imò, ut rectè contra populares quosdam ſuos Philo pronuntiat, nec ſi adversùs alterum quemvis, qui neque parens ſit, neque ſanguine proximus, conceptum ſit tale votum & jurejurando conſecratum valere debet, cùm hominem alterum alteri opem ferre, præcipuè verò quà poteſt egeſtatem ejus ſublevare, Deus & natura imperent.

7. προεφήτευσε, *prophetavit*] Verba quidem Eſaiæ primò ſpectare videntur ea tempora quæ Babylonicam obſidionem anteceſſerunt, ſed ita ut non minùs, imò etiam magis, quadrent Chriſti temporibus; quod manifeſtò conſtabit ſi inſpiciatur tota περικοπὴ [*pars capitis*]. Dicit enim Deus effecturum ſe ut Iudæi, præſertim verò Hieroſolymitæ, ſacra Prophetarum effata legentes non intelligant; idque in pœnam corruptæ religionis, quam à vera pietate ac dilectione ad inanes & commentitios ritus traduxiſſent. Itaque futurum, ut ipſi Magiſtri qui omnium ſapientiſſimi habebantur, in fœdos errores incidant. Ecquid potuit in iſtos homines aptius dici? Sciendum eſt, quod ſæpe notatum eſt, poſſe unum idemque vaticinium plùs ſemel impleri, ita ut & huic & illi tempori conveniat, non ſolo eventu ſed Divinâ etiam verborum directione.

8. Ἐγγίζει μοι, *Accedit mihi*] *Amicum ſe mihi præbet*: Iacobi IV, 8.

9. Μάτην δὲ, Sine cauſa autem] Ita & LXX, quos apparet pro ותהי, quod nunc legimus legiſſe ותהו, & accepiſſe תהו pro eo quod plerumque dicitur לתהו, id enim eſt μάτην aut εἰς μάταιον [*fruſtra*], ut iidem LXX tranſferunt Eſaiæ XLIX, 4. Apparet autem non hoc tantùm ſed multis aliis ex locis in veteri ſcriptura Hebraica Vau & Iod literas vix potuiſſe diſcerni. ſed & hoc, non omnes diſcrepantes lectiones à Maſoritis fuiſſe annotatas: quod apertiſſimum facit codex Samaritano charactere deſcriptus collatus cum exemplaribus quibus Iudæi utuntur: item Pſalmi duo alphabetici XXXVII. & CXLV. in quorum priore initium versûs incipientis ab ע, in altero initium versûs à נ deeſt, quo loco vulgata Latina verſio oſtendit pleniores codices ibi quidem habuiſſe עולם & aliquas voces alias, hîc verò & Græca & Latina oſtendit fuiſſe נאמן & aliquid præterea, quanquam tacente hîc Maſoritarum diligentiâ. Verùm utro modo hîc legas nihil refert. Neceſſe eſt enim fruſtra Deum colant quorum cultus Deo diſplicet.

σέβονταί με, colunt me] Hebraicè יראתם אתי, hoc eſt ad verbum, *τὸ σέβας αὐτῶν πρός με ἐστί* [*cultus eorum ad me eſt*]. Nam יראה quoties ad Deum refertur eſt ipſe cultus Divinus. Itaque optimè hoc verſum eſt.

διδάσκοντες διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων. docentes doctrinas mandata hominum] Verbum διδάσκοντες [*docentes*] adjecerunt LXX ut commodior eſſet conſtructio: & quod hîc eſt προσθετικῶς [*per Appoſitionem*], διδασκαλίας ἐντάλματα ἀνθρώπων [*doctrinas mandata hominum*], ibi eſt συνδετικῶς [*cum copula*], ἐντάλματα ϗ διδασκαλίας [*præcepta & doctrinas*]. In Hebræo eſt מצות אנשים מלמדה, ad verbum ἐντολὴν παρ' ἀνθρώπων δεδιδαγμένην [*præceptum quod homines docent*]. hoc autem eſt, dogmata quæ in faciendo conſiſtunt. *Humana* autem *dogmata* dicuntur Eſaiæ & Chriſto, neque ſola quæ pugnant directè cum lege Divina (neque enim hoc oraculo Chriſtus utitur tantùm ad confirmationem ejus quod jam dixerat, ſed etiam ut viam ſternat ad ſequentia, quibus Apoſtolos oſtendit non rectè accuſatos), neque omnia quæ homines docent facienda, puta probabili interpretatione ejus quod ambiguum eſt, aut definitione æqua ejus quod in àrbitrio relictum eſt, aut fideli conſilio circa ea quæ ad pietatem aut charitatem pertinent; ſed ea quæ fundamentum habent in perſuaſione non Divinitus traditâ ſed humanâ ac futili: qualia ſunt illa de quibus nunc agebatur, ut mox explicatiùs oſtenditur.

10. τὸν ὄχλον, *convocatis turbis*] *De plebe homines*, quos Legisperiti ut indoctos, Phariſæi ut parum religioſos, præ ſe faſtidiebant.

Ἀκούετε ϗ συνίετε. *Audite & intelligite*] Attentionem deſiderat Chriſtus, quia plerumque homines nolunt

Quæ juvenes didicere, ſenes perdenda fateri.

11. Οὐ τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον· *Non quod intrat in os coinquinat hominem*] Κοινοῦν [*commune reddere*] טמא opponitur τῷ ἁγιάζειν [*ei quod eſt ſanctificare*], & meritò: nam quæ ſancta ſunt Deo quaſi ſeparantur. Cætera ſunt velut extra Dei peculium. Hæc cùm ad animum referuntur, ut hoc loco τὸ ἁγιάζειν [*ſanctificare*] culpæ immunitatem, τὸ κοινοῦν [*commune reddere* vel *coinquinare*] culpam contractam ſignificat: μολύνειν [*polluere*] pro κοινοῦν dixit Porphyrius, hunc locum aut certè hoc Chriſtianorum dogma reſpiciens. Sic enim ait De abſtinentia ab animalibus primo: Οὐ γὰρ ἡμᾶς μολύνει, φασὶ, τὰ βρώματα [*Neque enim, ajunt, alimenta nos polluunt*]. Addit eundem Chriſtianorum ſenſum exſequens, Ἐὰν εὐλαβηθῶμεν βρῶσιν, ἐδουλώθημεν τῷ τοῦ φόβου φρονήματι· δεῖ δὲ πάνθ' ἡμῖν ὑποτετάχθαι [*Si vitemus edere, jam ſervi facti ſumus affectûs timoris: oportet autem cuncta nobis ſubjici*]. Putabant, ut diximus, Phariſæi ita immunda eſſe quædam naturâ ſuâ ut per ſe, non ex inſtituto, animum polluerent. Docet hoc præter cæteros Iudæus Scriptor libri περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*De imperio rationis*], qui Ioſepho aſſcribitur, ubi hæc ſunt verba, ὁ τοῦ νόμου κτίστης τὰ μὲν οἰκειωθησόμενα ἡμῶν ταῖς ψυχαῖς ἐπέτρεψεν ἐσθίειν, τὰ δὲ ἐναντιωσόμενα ἐκώλυσε σαρκοφαγεῖν [*Scriptor Legis quæ profutura erant animis noſtris ea edere permiſit, quæ verò carnium erant nocitura, vetuit edere*]. Id Chriſtus hîc negat. τὸ εἰσερχόμενον εἰς τὸ στόμα [*quod intrat in os*] igitur hîc ex ſubjecta materia intelligi debet, quod ita ingreditur ut nihil vitii accedat ab humana voluntate. Ideo Marcus dixit ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου εἰσπορευόμενον εἰς αὐτόν [*extra hominem introiens in eum*]. Nihil igitur hîc Chriſtus docet contra legem ciborum diſcriminatricem; neque enim tempus advenerat: quanquam obliquè, dum oſtendit nihil eſſe naturâ immundum, contrà quàm Phariſæi exiſtimabant, ſimul ſignificat legem illam non eſſe immutabilem. Nam & Paulus eodem argumento utitur, ὅτι πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν [*quia omnis creatura Dei bona eſt*] 1 Timoth. IV, 4. Ita æqua interpretatio legis de ciborum diſcrimine, ut & antè de Sabbato, earundem legum antiquationi viam molliter præſtruxit. Valde enim eò pertinebat intelligi materiam iſtarum legum per ſe eſſe ἀδιάφορον [*in rebus mediis*], & quod præceptum erat non eſſe præceptum προηγουμένως [*principaliter*], ſed datâ occaſione, aut alterius rei causâ.

ἀλλὰ τὸ ἐκπορευόμενον ἐκ τοῦ στόματος, *ſed quod procedit ex ore*] Generaliùs apud Marcum τὰ ἐκπορευόμενα ἐκ τοῦ ἀνθρώπου [*ſed quæ de homine procedunt*], hoc eſt, ea quæ ex voluntate procedunt. Sed quia eorum multa ſolent aut ore peragi, ut διαλογισμοὶ πονηροὶ, ψευδομαρτυρίαι, βλασφημίαι [*cogitationes malæ, falſa teſtimonia, blaſphemiæ*], aut certè non ſine oris adminiculo, quemadmodum ex rixis φόνοι [*cædes*], ex impudicis colloquiis & lenociniis naſcuntur μοιχεῖαι, πορνεῖαι [*adulteria, fornicationes*], & κλοπαὶ [*furta*] plerumque conjunctum habent mendacium, ideo hoc exempli causâ Chriſtus addidit, quò evidentior eſſet ἀντίθεσις [*oppoſitio*]. Simillima eſt oppoſitio eorum quæ per os intrant atque exeunt apud Platonem in Timæo, fortè ex barbara Philoſophia, unde multa in eo ſunt libro, Τὴν δὲ δὴ τοῦ στόματος ἡμῶν δύναμιν ὀδοῦσι ϗ γλώττῃ ϗ χείλεσιν ἕνεκα τῶν ἀναγκαίων ϗ τῶν ἀρίστων διεκόσμησαν οἱ διακοσμοῦντες, ᾗ νῦν διατέτακται· τὴν μὲν εἴσοδον τῶν ἀναγκαίων μηχανώμενοι χάριν, τὴν δὲ ἔξοδον τῶν ἀρίστων. ἀναγκαῖον μὲν γὰρ πᾶν ὅσον εἰσέρχεται τροφὴν διδὸν τῷ σώματι· τὸ δὲ λόγων νᾶμα ἔξω ῥέον ϗ ὑπηρετοῦν φρονήσει κάλλιστον ϗ ἄριστον πάντων ναμάτων [*Qui corporis humani fuere fabricatores, oris noſtri formam, qualis apparet, fecere inſtructam dentibus & linguâ & labiis, ad uſus partim optimos, partim neceſſarios; introitum enim repererunt ad res neceſſarias, exitum ad optimas. neceſſaria enim ſunt ea unde corpus alitur, ut ſermonum fluenta quæ exeunt optima ſunt fluentorum & pulcherrima prudentiæ miniſteria*]. Quem locum ita περιφράζει [*fuſiùs explicat*] Plato Iudæus, Philo ſcilicet, Στόμα τί; δι' οὗ γίνεται θνητῶν μὲν, ὡς ἔφη Πλάτων, εἴσοδος, ἔξοδος δ' ἀφθάρτων· εἰσέρχεται μὲν γὰρ αὐτῷ σιτία ϗ ποτὰ, φθαρτοῦ σώματος φθαρταὶ τροφαί· λόγοι δ' ἐξίασιν ἀθανάτου ψυχῆς ἀθάνατοι νόμοι, δι' ὧν ὁ λογικὸς βίος κυβερνᾶται [*Quid os dicam? per quod fit, ut dixit Plato, introitus rerum caducarum, exitus verò rerum immortalium. Intrant enim per os cibi & potus, caduci corporis caduca alimenta; At exeunt ſermones, vitæ immortalis leges immortales, per quas rationalis vita gubernatur*].

12. ἐσκανδαλίσθησαν; *ſcandalizati ſunt*] Quia Phariſæi maximi faciebant traditiones Sapientum, & in obſervatione tum earum traditionum tum rituum quorundam quos ſibi ipſi imperaverant maximam Divini cultus partem conſtituebant. Nam ad promiſcuos ciborum omnium uſus tracta ab ipſis Chriſti verba credibile non eſt; cùm omnia undique crimina conquirentes nunquam hoc illi objecerint.

13. Πᾶσα φυτεία, *Omnis plantatio*] Oſtendit Chriſtus ita vitanda eſſe offendicula (de quo monuerat antehac ſæpius) ut tamen non eò minùs liberè docerentur quæ ad ſolidam pietatem facerent, etiam cum refutatione dogmatum quæ pietatis profectui obſtarent. Dogmata enim vocantur φυτεία [*plantatio*]

eâdem ratione qua appellantur ſemen. A Deo autem non ſunt dogmata quæ fundamentum non habent in revelatione Divina rectæque rationis uſu. Ignatius quod de dogmatis Chriſtus dixerat ad dogmatum auctores transfert ſenſu ſalvo epiſtolâ ad Trallenſes, Οὗτοι οὐκ εἰσὶ φυτεία πατρὸς, ἀλλ᾽ ἔγγονα κατηραμένα· πᾶσα γὰρ, φησὶν ὁ Κύριος, φυτεία ἣν οὐκ ἐφύτευσεν ὁ πατήρ μου ὁ ἐπουράνιος, ἐκριζωθήτω. εἰ γὰρ ἦσαν τοῦ πατρὸς κλάδοι, οὐκ ἂν ἦσαν ἐχθροὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ [*Hi non ſunt Patris plantatio, ſed devota ſoboles. Omnis autem plantatio, inquit Dominus, quam non plantavit Pater meus cæleſtis evellatur. nam ſi eſſent Patris ſurculi, non eſſent inimici crucis Chriſti*].

ἐκριζωθήσεται. *eradicabitur*] Id eſt, *oportet eam evelli*. Nempe ducendo homines ad veri cognitionem, ut ex ſequentibus apparet.

14. Ἄφετε αὐτούς· *Sinite illos*] Quomodo dicimus,

——— *jubeas miſerum eſſe lubenter.*

Significat Chriſtus eorum offenſas tanti non eſſe ut propterea deſerenda ſit cauſa facientis ad ſalutem veritatis.

ὁδηγοί εἰσι τυφλοὶ τυφλῶν. *Cæci ſunt duces cæcorum*] Videtur mihi hic eſſe ſenſus atque connexio, Si illi conſuli ſibi nolunt, at plebi conſulamus, quæ alioqui tam cæcis ductoribus uſa ipſa quoque cæca in exitium ruet. Similis comparatio eſt apud Sextum Empiricum II. adversùs Mathematicos, ὅμοιον γὰρ ὡς εἴ τις λέγοι, τὸν βλέποντα ὑπὸ τοῦ πεπηρωμένου ὁδηγεῖσθαι [*perinde id eſt ac ſi quis dicat, eum qui videat cæco uti duce*]. Horatius dixit, ——— *ut ſi*

Cæcus iter monſtrare velit.

Erat autem vetus traditio apud Hebræos quæ exſtat in Midras Thillim Pſalmo CXLVI. *Doctores cæcos fore quo tempore Deus inter ipſos habiturus eſſet tabernaculum.* Vide Eſaiam XLII. 7. & infrà XXIII, 24.

εἰς βόθυνον ἐμπεσοῦνται. *in foveam cadunt*] Reſpicitur locus Eſaiæ III, 6, 8.

15. τὴν παραβολὴν ταύτην. *parabolam iſtam*] Id eſt, γνώμην [*ſententiam*], illam ſcilicet de eo quod in os intrat, quodque ex ore proficiſcitur. Nihil enim neceſſe eſt aliter hîc accipere παραβολῆς vocem, cùm ſæpiſſime apud Hebræos ita ſumi משל ſuprà oſtenſum ſit.

16. Ἀκμὴν καὶ ὑμεῖς, *Adhúcne & vos*] Vos qui jamdudum à me diſcere debuiſtis quæ ſint illa in quibus vera pietas conſiſtit.

17. εἰς τὴν κοιλίαν χωρεῖ, καὶ εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται; *in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur*] Nullam eſſe in cibo naturalem immunditiam quæ ad animum poſſit penetrare dilucidè Chriſtus explicat. ὑποτίθεται [*ſupponit*] autem id quod conſtabat inter Iudæos, Cor ſedem eſſe animi, ejus præſertim partis qua volumus, ex qua culpa naſcitur. Vnde ſequitur, ſi à cibo immunditia ad cor non pertingit, ne ad animum quidem pertingere. At cibus dum adhuc permixtus eſt ſuis fæcibus, non ad cor defertur ſed εἰς κοιλίαν, in partem ventris depreſſiorem in qua eſt ventriculus. Deinde purgatur cibus, & quicquid naturâ ſuâ immundum eſt, ac proinde homini alendo non idoneum, id per alvum dejicitur. Apparet ergo nec ante purgationem nec poſt purgationem quod in cibo eſt naturaliter immundum ad cor pervenire, multóque minùs ad animum. Hunc ſenſum nos Marcus docet cùm dicit, καθαρίζον πάντα τὰ βρώματα [*purgans omnes eſcas*]. Ergo quod hîc dicitur, πᾶν τὸ εἰσπορευόμενον εἰς τὸ στόμα εἰς ἀφεδρῶνα ἐκβάλλεται [*omne quod in os intrat, in ſeceſſum emittitur*], intelligendum eſt pro ratione ſubjectæ materiæ, nempe quatenus in eo dici poſſet aliquid eſſe immundi. Ita commodiſſimè ſolvitur id quod Chriſto hac in parte objectum narrant Hieronymus & Zacharias.

19. διαλογισμοὶ πονηροὶ, *cogitationes malæ*] Pravæ cogitationes quas effectu non ſecuto Iudæi ne apud Deum quidem in crimine poni putabant, ut alibi obſervatum eſt. Dixit autem διαλογισμοὺς πονηροὺς etiam Dionyſius Halicarnaſſenſis ſenſu ſimili.

πορνεῖαι, *fornicationes*] Obiter hîc Chriſtus oſtendit non μοιχείαν [*adulterium*] tantùm, ut craſſiores Iudæi exiſtimabant, ſed & πορνείαν [*fornicationem*] lege Divinâ eâque perpetuâ interdici; cùm alioqui nuſquam hoc ex profeſſo demonſtret, quia ſcilicet Magiſtri Hebræorum meliores eâ in re non hallucinabantur. Heſſenorum ἐγκράτειαν [*temperantiam*] à Ioſepho laudatam exponit Abraham Zachuth, *Cuſtodiebant ſeipſos à ſcortatione*. Imò congreſſum cum ſcorto ita impurum habent ut proverbii loco uſurpent, veluti cùm dicunt, *Panem edere illotis manibus perinde eſt atque cubare cum ſcorto*. Ad quam ſententiam fortè hîc Chriſtus alluſit, ut quæ illi comparabant ea multùm inter ſe differre oſtenderet. Quomodo autem hæc dicantur ex ore proficiſci, ſuprà diximus.

20. ἀνίπτοις χερσὶ φαγεῖν οὐ κοινοῖ τὸν ἄνθρωπον. *non lotis autem manibus manducare, non coinquinat hominem*] Ex conſequenti antecedens vult intelligi. Ideo enim ad puritatem animi nihil referebat manus lavarent necne, quia id quod illi lavando putabant emundari tale non erat ut animum bene ſibi conſcium poſſet inquinare.

21. εἰς τὰ μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος. *in partes Tyri & Sidonis*] Εἰς hîc eſt *versùs*, ut tranſtulit Syrus. Nam εἰς τὰ μεθόρια [*in fines*] inquit Marcus, id eſt, *ad confinia Tyri & Sidonis*. Neque enim videtur exiiſſe Chriſtus terræ Hebræorum fines.

22. Χαναναία, *Chananæa*] Quin idem ſit quod apud Marcum Συροφοίνισσα [*Syrophœniſſa*] ne dubitari quidem debet. Nam Χαναναῖοι [*Chananæi*] Hebræis dicti ſtrictè ac peculiariter hi qui Sidonem & Tyrum & quod adjacet oræ maritimæ habitabant. *Chananæus habitans ad mare*, inquit Moſes Numerorum XIII, 30. Et diſertè Tyri cives *Chananæos* vocat Eſaias XXII, 8. Rurſum Sidonii accenſentur Chananæis Iud. I, 31. & Procopius ad Geneſin *Chananæos* explicat *Sidonios*, & Stephanus, Χνᾶ, οὕτως ἡ Φοινίκη καλεῖται [*Chna, ſic dicitur Phœnice*], ubi Χνᾶ eſt כנע omiſſâ literâ ע, quam παραγωγικὴν [*adjectitiam*] Hebræi fatentur. Sic & Philo Byblius ex Sanchoniathone apud Euſebium libro I Præpar. cap. 10. ἀδελφὸς Χνᾶ τοῦ πρώτου μετονομασθέντος Φοίνικος [*frater ejus Chna qui primus tranſnominatus fuit Phœnix*]. Hi autem ſunt Φοίνικες [*Phœnices*] itidem propriè dicti Straboni, Plinio, aliis. Et ut Φοίνικες Homero omnibusque eum ſecutis celebrantur ex navigatu & mercatu, ita Solomoni, Eſaiæ, Oſeæ, Zachariæ Chananæi. Quare ſicut LXX, quod eſt in Hebræo

Ioſuæ v, 1. מלכי הכנעני verterunt βασιλεῖς τῆς Φοινίκης [*Reges Phœnices*], & Iobi xl, 25. Chananæos Φοινίκων ἔθνη [*Phœnicum gentes*], & quod Geneſeos xlvi,10. eſt υἱὸς τῆς Χαναανίτιδος [*filius Chananitidis*] id eſt τῆς φοινίκης [*Phœniſſæ*] Exodi vi, 15. parique modo nomina Φοινίκης & Φοινίκων poſita habes Exodi xvi, 35. Ioſ. v, 12. Proverb. xxxi, 24. ubi in Hebræo Chanaan & Chananæi: ita hoc loco quod Matthæi Interpres dixerat Χαναναίαν [*Chananæam*], Marcus poſuit Συροφοίνισσαν [*Syrophœniſſam*], qua in voce *Syri* adjectio, ut ſæpe apud Poetas, nihil aliud quàm Phœnicas Aſiæ αὐτόχθονας [*indigenas*] à colonis ipſorum Africanis Phœnicibus diſtinguit, ut pridem rectè eſt obſervatum. Hinc Syrus Interpres dicto Marci loco διακεριμικῶς [*per diſtinctionem*] dixit *Punicam Syriæ*. Nec aliter interpretandum Horatii illud,

——— *& uterque Pœnus*
Serviat uni:

Syrophœnices ſcilicet & Libyphœnices. Ipſi quoque in Africa Phœnices *Chananæos* ſe vocabant. Nam Auguſtinus libro Expoſitionum epiſtolæ ad Romanos ait, Ruſticos Afros Hipponæ vicinos ſi interrogarentur qui eſſent, Punicè reſpondiſſe, *Chananæi.* Vocis autem *Phœnicis* originem fruſtra viri eruditi ex Syriaco quærunt. Neque enim à ſeipſis ita vocabantur ſed *Chananæi.* *Phœnicas* autem Græci dixere, ut Ariſtoteles refert De mirandis narrationibus, quòd latrocinantes ut in quamque oram appulerant homines occiderent. Nam veteribus Græcis αἱμάξαι [*ſanguinem fundere*] dicebatur φοινίξαι· quod & Ariſtophanis interpres ad Acharnenſes notavit. Eâdémque de causâ etiam Cares dicti φοίνικες [*homicidæ*] Bacchylidæ & Corinnæ. Quod autem Ἑλληνὶς [*Græca*] hæc mulier Marco dicitur, ſignificat nec Hebræam fuiſſe gente, nec Ἰουδαΐζουσαν [*Iudaicæ religionis*]. Neque tamen ſequitur fuiſſe idolorum cultricem. Nam & in Iudæa & in vicinis regionibus & alibi erant viri feminæque εὐσεβεῖς σεβόμενοι τὸν Θεὸν [*religioſi colentes Deum*], extra profeſſionem Iudaiſmi, qualis Cornelius, Lydia, atque alii, de quibus videre eſt Actorum x, 2. xvii, 4, 17. Atque hoc ſenſu Ἕλληνα [*Græcum*] ſæpe dixit Paulus, omne humanum genus in Græcos & Iudæos diſpertiens. Hæc autem femina ex Sidoniis aut Tyriis finibus ad Chriſti famam proceſſit; Deo eventus ita diſponente ut quomodo antecedens diſputatio antiquationem Legis ritualis, ita hæc adoptionem Gentium adumbraret.

23. οὐκ ἀπεκρίθη αὐτῇ λόγον, *non reſpondit ei verbum*] Ita Lucilius,

——— *non audet dicere muttum.*

Nam *muttum* eſt *verbum*, ut rectè ad Perſium Scholiaſtes, qui mos loquendi manet in lingua Romanenſi Francorum.

Ἀπόλυσον αὐτήν, *Dimitte eam*] Verterim, *Abſolve hanc*; quomodo Terentius aliique hanc vocem uſurpant.

24. Οὐκ ἀπεστάλην, *non ſum miſſus*] Hoc mandatum, inquit, à Patre accepi, tanquam ab eo miſſus ut Iudæis proponam verba ſalutaris doctrinæ & miraculis conſignem. Nam ſemen illud numeroſum ex Gentibus, Chriſto promiſſum erat demum poſt mortem, cùm jam non ampliùs futurus eſſet Legatus, ſed Rex aſſidens dextræ Patris. Neque tamen hoc obſtabat quominus intra Iudææ fines ἀλλοφύλῳ [*extraneo*] uni atque alteri benefaceret. Sed Chriſtus veri partem enuntians, partem reticens, perſeverantem feminæ fiduciam teſtatam facere voluit in opprobrium Iudaicæ gentis.

τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα, *oves quæ periere*] Vide ſuprà ix, 36.

26. Οὐκ ἔστι καλὸν, *Non eſt bonum*] Id eſt, οὐ πρέπει [*non decet*]. Syrus לא שפיר. Alibi pro συμφέρει [*expedit*], ut infrà xviii, 8, 9. Marci xiv, 21. 1 Corinthiorum vii, 1.

τοῖς κυναρίοις. *canibus* ſeu *caniculis*] Verum eſt Canes Hebræis & Græcis veteribus dici ſolere eos quos contemnimus. Sed vox κυνάρια ei ſignificationi non convenit. Ita enim appellari vulgò ſolebant canes qui in deliciis erant, quales Melitenſes. Tantùm ergo indicatum voluit Chriſtus diſcrimen quod ad id tempus erat inter τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας [*filios promiſſionis*], & extraneos.

27. Ναί, Κύριε· *Etiam, Domine*] Quanquam non valde refragor viro doctiſſimo qui putat ναὶ eſſe obſecrantis particulam, tamen ſimpliciſſimus mihi ſenſus eſſe videtur ſi interpretemur pro nota aſſenſûs, hoc modo, *Verum dicis, Domine, Panes filiorum catellis non objici: contenti enim catelli eſſe debent micis de menſa cadentibus*; quaſi dicat, Et ego nec multa nec magna nimiùm beneficia poſtulo, ſed unum, quod obiter & ſine aliorum detrimento concedi mihi poteſt. Nam hoc ſupplere facillimum eſt ex ſimilitudine à Domino propoſita, quam perſequitur. Reliquias canibus dari receptum ubique. Euripides Creſſis,

——— νόμος γὰρ λείψαν' ἐκβάλλειν κυσίν.
[——— *reliquias mos habet canibus dari.*]

Phædrus,

——— *de menſa ſua*
Dat oſſa Dominus.

Apulejus, *reliquiis cœnæ canes ineſcatos.* Narrat Plutarchus Perſarum Regibus in more fuiſſe etiam canibus quod ederent in ſua menſa ponere. Apud Quintilianum eſt, *Etiam canem paſcit.* Philoſtratus Vitâ Apollonii, πλησίον τοῖς κυσὶ πράττειν τοῖς σιτουμένοις τὰ ἐκπίπτοντα τῆς δαιτός [*facere eos itidem ut canes qui paſcuntur iis quæ de menſa cadunt*]. Ariſtoteles ſecundo De Generatione animantium, capite vi. Ἐν γὰρ ταῖς οἰκονομίαις τῆς γινομένης τροφῆς ἡ μὲν βελτίστη τέτακται τοῖς ἐλευθέροις· ἡ δὲ χείρων καὶ τὸ περίττωμα ταύτης ἔοικεν οἰκέταις· τὰ δὲ χείριστα καὶ τοῖς συντρεφομένοις δίδοασι ζώοις [*In re familiari de alimentis optima dantur ingenuis, quod pejus de his336 ſupereſt famulis, peſſima dantur domeſticis animalibus*].

28. μεγάλη σου ἡ πίστις· *magna eſt fides tua*] Fides verè Iſraelitica in extranea muliere. Nam Iacobo cùm ei *Iſraelis* nomen inderetur dictum eſt כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל [*fuiſti princeps cum Deo & cum hominibus & prævaluiſti*] Geneſeos xxxii, 28. quod optimo jure huic feminæ dici poterat. Inſigne præſagium τῆς τῶν ἐθνῶν κλήσεως [*vocationis Gentium*].

30. κυλλοὺς, *mutilos*] Cùm vox hæc Græcis, & quidem uſitatiſſimè, *mutilum* ſignificet, atque ita

extra controverſiam ſumatur infrà & apud Marcum, neque alio ſignificatu in his libris appareat, & Syrus eum in modum interpretetur, non video quid obſtet quominus & talia corporis vitia à Chriſto ſanata credamus, quanquam alibi nihil tale legitur: ita ὑγιεῖς [*ſanos*] infrà ſumendum erit pro ἀρτίους [*integros*].

31. Ὥστε τοὺς ὄχλους θαυμάσαι, βλέποντας τοὺς κωφοὺς λαλοῦντας, *Ita ut turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes*] Videntes impleri vaticinium Eſaiæ xxxv, 5.

35. ἀναπεσεῖν, *ut diſcumberent*] Suprà ἀνακλιθῆναι. Planè nihil differt ἀναπίπτειν, ἀνακλίνεσθαι & ἀνακεῖσθαι, ubi de conviviis agitur; neque refert humine an in lectis diſcumbatur: ut ab aliis notatum eſt. Canon Synodi Ancyranæ quintus de iis agens qui in idoleo cœnaverant, ὅσοι δὲ ἀνῆλθον μετὰ ἐσθῆτος πενθικῆς καὶ ἀναπεσόντες ἔφαγον, id eſt, ἀνακείμενοι [*qui autem ivere in veſte lugubri & cum diſcubuiſſent, ederunt*]· ſequitur enim μεταξὺ δι' ὅλης τῆς ἀνακλίσεως δακρύοντες [*toto diſcubitus tempore flentes*].

36. εὐχαριστήσας, *gratias agens*] Idem eſt quod εὐλογήσας [*benedictione factâ*], ut ſuprà vidimus.

37. σπυρίδας, *ſportas*] Diſtinguitur infrà *ſporta* à *cophinis*. Fortè ad iter quod diuturnius fore putabant ſportas potiùs quàm cophinos aſſumſerant.

39. Μαγαδάν. *Magadan*] Ita olim habuit Græca lectio, ut ex Hieronymo & Auguſtino apparet, atque etiam nunc optimæ notæ codices; ita & Latinus vetus. Quare cùm etiam nunc exemplaria quædam Μαγαδὰν habeant, ea ſcriptura pluribus teſtimoniis niti videtur. Adde quòd in Marco pro Δαλμανουθὰ [*Dalmanutha*] quidam codices habent Μαδεγαδὰ [*Madegada*], & olim haud paucos codices ibidem habuiſſe Μαγαδὰ [*Magada*] commemorat Auguſtinus: Quod mihi quidem non ſufficit ut lectionem quæ apud Marcum eſt ſollicitem: nam ex tabula Iudææ quam Iudæi dederunt diſcimus eundem eſſe tractum in quo vici Magadan & Dalmanutha, ita ut ab utrovis denominari is tractus potuerit, ſicut idem eſt tractus Gadaræ & Gergeſæ, ut ſuprà dictum eſt: Sed cùm id quod in quibusdam eſt Marci codicibus interpretamentum eſſe arbitrer ex hoc Matthæi loco deſumtum, videtur mihi hoc quoque ad cætera teſtimonia ejus quam dixi lectionis Μαγαδὰν accedere. Neque tamen nego fuiſſe locum qui Μαγδαλὰ [*Magdala*] appellaretur, unde *Magdalenæ* nomen fuerit: imò ex ejus nominis vicinitate errorem natum arbitror. Suadeo & hîc & ubicunque lectiones diſcrepant, vetuſtiſſimos codices conſulant ſi quibus nanciſcendi eſt copia.

CAPVT XVI.

1. Πειράζοντες, *tentantes*] *Quærentes calumniæ occaſionem:* ita vox eadem infrà ſumitur xix, 3. xxii, 18. & alibi.

2. Εὐδία· *Serenum*] Auſter ſerenus, ex Africa.

3. πυῤῥάζει στυγνάζων, *rutilat triſtè*] Subnigrum rubet.

Ὑποκριταὶ, *Hypocritæ*] Phariſæos ſæpe hoc nomine compellat. Cur & Sadducæos, qui negando vitam alteram vim religionis apertè ſatis evertebant? Nimirum videri volebant φιλοπάτριδες [*amatores patriæ*], & legum publicarum acerrimi cuſtodes. Ioſephus de Sadducæis, εἰσὶ περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους [*ſunt circa Iudicia aſperi ſupra omnes Iudæos*]· atque hac ratione ſummos honores adipiſcebantur, ut alibi notat.

διακρίνειν, *dijudicare*] Id eſt, ita diſcernere ut inde prædicatis quæ immineat tempeſtas, atque ad ea præſagia, ſive, ut Græci vocant, διοσημεῖα, componatis res veſtras. Sic aſtra à Deo in ſuas ſignificationes diſcreta dicit Aratus,

Αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξε
Ἄστρα διακρίνας.
[*Ipſe etiam in magno diſtinxit ſidera mundo*
Signa futurorum.]

τὰ δὲ σημεῖα τῶν καιρῶν οὐ δύνασθε; *ſigna autem temporum non poteſtis ſcire*] Rectè σημεῖα [*ſigna*]· nam prognoſtiea, quæ cauſas ex qualitate cœli trahunt, ad ſignorum genus referri notavit & Quintilianus libro v, 10. Τῶν καιρῶν, *hujus temporis*, ut vertit Syrus, & Lucas ſingulariter dixit τὸν καιρόν [*tempus*]. Senſus hic eſt, Si Divina providentia tam benigna fuit in homines ut ſereni, venti, pluviæ ſigna quædam præmitteret, quomodo idem ille Aratus dicit ἐν διοσημείοις [*in Prognoſticis*],

Ἐκ Διὸς ἤδη πάντα πεφασμένα πάντοθι κεῖται,
[*Omnia, dante Deo, totum patuere per orbem,*]

quantò æquius credi eſt ab eadem providentia data eſſe ſigna imminentis adventus Meſſiæ, cùm ea res ſit infinitò majoris momenti, non ad ſuſceptionem dilationémve itineris alicujus, ſed ad vitam omnem inſtituendam pertinens? ſed vos ad illa ſigna conſideranda ſatis eſtis diligentes; de adventu autem Meſſiæ ſigna poſcitis, quaſi nulla ſint data, cùm data ſint & multa & certiſſima, ſed ad quæ vobis aut non vacat aut non lubet attendere. Nam ſi Prophetarum oracula tam ſollicitè inſpiceretis quàm aliquò profecturi cœli faciem intuemini, agnoſceretis haud dubiè inſtare finem hebdomadum Danielis, ablatum Syriæ & Ægypto Regni decus, populi mores depravatiſſimos, ipſos ductores populi, qui vos eſtis, aut exſtinguere pietatis ignem ademta ſpe vitæ melioris, aut omnem religionem in frigidas ceremonias convertere; contrà à me proponi doctrinam conſpicuæ puritatis: accedere ſigna, non quæ animi gratiâ fiant, ſed quibus homines juventur, cæcis reddi viſum, claudis greſſum, ægrotis ſanitatem: quæ omnia certiſſima ſunt ſigna Regni Meſſiæ. Quod autem dicit Chriſtus οὐ δύνασθε; [*non poteſtis?*] Senſus eſt, Quî fit ut videre nequeatis, niſi quia videre non vultis? ὅτι οὐ δοκιμάζετε τὸν καιρὸν [*quòd tempus hoc non probetis*], ut eſt apud Lucam. Eſt autem Comparatio non omnino diſſimilis apud Plutarchum, Ἄτοπον γάρ ἐστι κοράκων μὲν λαρυγγισμοῖς καὶ κνωσμοῖς ἀλεκτορίδων καὶ συσὶν ἐπὶ φορυτῷ μαργαινούσαις, ὥς ἔφη Δημόκριτος, ἐπιμελῶς προσέχειν σημεῖα ποιουμένους πνευμάτων καὶ ὄμβρων, τὰ δὲ τοῦ σώματος κινήματα καὶ σάλους καὶ προπαθείας μὴ προλαμβάνειν μηδὲ προφυλάττειν, μηδὲ ἔχειν σημεῖα χειμῶνος ἐν ἑαυτῷ γινομένου καὶ μέλλοντος [*Eſt enim perabſurdum crocitum corvorum & gallorum clamores & ſuum feſtinationem ad lutum, ut ajebat Democritus, diligenter obſervare, ut inde ſigna ſumantur ventorum & imbrium, corporis autem motus & agitationes & impetus non antever-*

antevertere & cavere, neque ſigna habere tempeſtatis in nobis naſcentis, aut futuri]. Cætera quæ huc pertinent explicata ſunt ſuprà ad caput XII. Notemus interim res eaſdem plùs ſemel à Chriſto dictas factaſque: quod cùm ſæpe ex unius Scriptoris narratione appareat, eò minùs laborandum eſt nobis ſicubi Scriptores diverſi interdum rebus eiſdem diverſa loca aut tempora aut circumſtantias aſſignant.

5. ἐλθόντες οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸ πέραν, *cùm veniſſent diſcipuli ejus trans fretum*] Id eſt, *cùm in ulteriorem ripam proficiſcerentur.* Sæpe enim ἔρχεσθαι in his libris eſt non *venire* ſed *ire*, ut bis iterum hoc capite 13 & 24. apertiſſimè verò Lucæ XV, 20. Sed & Lucæ 11, 44. Hieronymo enim aſſentior qui ex Marco colligit hos ſermones in ipſo itinere atque adeò in navi habitos. Nam quæ apud Lucam eſt hiſtoria capite XII. ab hac diverſam eſſe arbitror. Hìc de fermento & Phariſæorum & Sadducæorum agitur, ibi de fermento Phariſæorum duntaxat; hìc diſcipulos ſolos Chriſtus alloquitur, ibi totam populi multitudinem: ut jam taceam ibi potiùs de malis exemplis agi, quæ ζύμην [*fermentum*] etiam Paulus vocat 1 Corinth. V, 6. hìc de ipſis dogmatibus. Natura fermenti eſt vim ſuam latè ſpargere: ideo ſuprà vera doctrina fermento comparata eſt. Hìc & apud Paulum ad Galatas falſa dogmata fermento comparantur eandem ob cauſam, ſed & prætereа ob ſaporis amaritiem, & quia fermentatio corruptio quædam eſt. Alibi, ut dixi, mala exempla, quæ & ipſa nocent tranſitione; præſertim verò ea quæ ſunt hominibus inflandis. Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Ἡ ζύμη γέγονεν ἐκ φθορᾶς αὐτὴ, καὶ φθείρει τὸ φύραμα μιγνυμένη· γίνεται γὰρ ἄπνον, καὶ ὅλως ἔοικε σῆψις ἡ ζύμωσις εἶναι [*Fermentum ex corruptione naſcitur & rurſum maſſam corrumpit: fit enim ea inde flaccidior: planéque videtur fermentatio eſſe quædam putrefactio*]. Rabbini malos appetitus fermentum vocant.

6. Σαδδουκαίων. *Sadducæorum*] Atqui Marcus Sadducæis præteritis nominat ζύμην Ἡρώδου [*fermentum Herodis*]· credo quòd Sadducæorum nonnulli ſimul erant Herodiani, hoc eſt, Herodem Magnum eſſe dicebant Siloh à Iacobo promiſſum. Quod rectè à Tertulliano de Herodianis eſſe proditum docere nos poteſt etiam Perſius & vetus ad eum annotator; ut planè immeritò id negarit Hieronymus ad caput hujus Scriptoris XXII. qui tamen ipſe contra Luciferianos ſcribens idem affirmaverat. Idem de Herodianis tradit Epiphanius, niſi quòd ad Herodem Baptiſtæ interfectorem trahit id quod ad Herodem Magnum pertinebat. Non erat autem talis opinio aliena ab illis qui in hujus vitæ felicitate & florenti reipublicæ ſtatu ſpes omnes collocabant. Nam Regni gloria intermiſſa ab excidii Babylonici temporibus in Herode demum Iudæis erat reſtituta, qui ita comiter obſervabat Romanam majeſtatem ut interim plena haberet regni jura. Quare mirum non eſt ſi vivente & regnante Herode Sadducæi ad dignitates maximas pervenerunt, quod Ioſephus notat. Duo igitur dogmatum genera ſollicitè vitanda Chriſtus docet, ea quæ præcipuam pietatem ponunt in externa rituum, præſertim ab hominibus repertorum, obſervatione, & ea quæ religionem transformant in regnum hujus mundi.

7. ἐν ἑαυτοῖς, *intra ſe*] Non tacitos tantùm cogitaſſe, ſed inter ſe collocutos, non eſt veriſimile tantùm ſed certiſſimum ex Marci verbis VIII, 16.

Ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβομεν. *quia panes non accepimus*] Subaudi *ideo ſcilicet hoc dixit:* qualis ἔλλειψις [*defectus*] eſt & in ſequenti commate, & apertiſſima infrà XXV, 9. Exiſtimabant Ieſum cùm ſciret deeſſe illis panes, monere eos in tempore ne panem ſibi ab hominibus Phariſaicæ aut Sadducaicæ ſectæ compararent, planè quaſi is panis ipſos eſſet inquinaturus. Tam citò illis Chriſti præcepta exciderant, quibus docuerat nullam eſſe vim in rebus iſtiuſmodi ad animum inquinandum. Simul autem ne panis penuriâ laborarent anxiè metuere cœperunt, præſertim circumſcriptâ, ut exiſtimabant, & in magnas anguſtias redactâ emendi libertate.

8. ὅτι ἄρτους οὐκ ἐλάβετε; *quia panes non accepiſtis*] Id eſt, Quid exiſtimatis hoc à me ea de cauſa dictum quòd panum copiam non habeatis, quaſi ſcilicet neceſſe ſit vobis aut fame perire, aut ab hominibus panes accipere, ſed cavendum omnino ne à Phariſæis aut Sadducæis eos accipiatis? An non ego vos poſſum paſcere etiamſi à nemine homine panem comparetis? Itaque non erat quòd vobis eo nomine tam ſollicitè Sadducæorum & Phariſæorum commercia interdicerem.

11. εἶπον ὑμῖν προσέχειν, *dixi vobis ut caveretis*] Iterum ἔλλειψις [*defectus*] pro εἶπον ὑμῖν, ὅτε εἶπον προσέχειν [*dixi vobis, cùm dixi ut caveretis*]. Quam conſtructionem qui non intellexerunt addiderunt προσέχετε δέ [*cavete autem*].

13. ἐλθὼν δὲ Ἰησοῦς, *venit autem Ieſus*] Ἐλθὼν hìc iterum eſt *cùm proficiſceretur* non *cùm veniſſet*; Habiti enim ſunt hi ſermones ἐν ὁδῷ [*in via*], ut ait Marcus: quo non ſignificatur habitos in via publica (nam contrà ex Luca diſcimus habitos in ſeceſſu quodam ubi Chriſtus precabatur) ſed antequam ad itineris finem perventum eſſet.

Καισαρείας τῆς Φιλίππου, *Cæſareæ Philippi*] Id additum ne intelligeretur Cæſarea quæ ἁπλῶς [*ſimpliciter*] ſic dici in Actis ſolet, ab Herode condita, cui nomen vetus *Stratonis Turris.*

τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; *Filium hominis*] Id eſt, me, inquam, qui omni paratu exteriore nihil præter de plebe hominem præfero.

14. Ἰωάννην τὸν Βαπτιστήν· *Ioannem Baptiſtam*] Cur hoc ad παλιγγενεσίας [*renaſcentiæ*] opinionem referri nequeat ſuprà diximus. Multi Hebræorum putabant eos demum reſurgere qui ob Legem Divinam mortem oppetiſſent, ut ex Tacito alibi notavimus: quò & illud pertinere videtur II Maccabæorum VII, 9. ὁ δὲ τοῦ κόσμου βασιλεὺς ἀποθανόντας ἡμᾶς ὑπὲρ τῶν αὐτοῦ νόμων εἰς αἰώνιον ἀναβίωσιν ζωῆς ἡμᾶς ἀναστήσει [*Rex Mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit*]. Certè de his firmior quàm de cæteris fuit perſuaſio. Quare quibuſdam etiam in hoc ſeculo repræſentari Reſurrectionis tempus crediderunt.

Ἠλίαν· *Eliam*] Hoc neque ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] neque ad ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*] propriè referendum. Nam quia Elias corpore ſurſum raptus legitur, ideo is ipſe rediturus putabatur, & quidem ante Meſſiæ tempora; Quam receptam fuiſſe Magiſtrorum ſententiam, nimirum ex malè intellecto Malachiæ vaticinio, infrà docemur XVII, 10. Exſtant ejus ſententiæ veſtigia in Hebræorum libris; quorum tamen nonnulli venturum eum volunt in alio corpore, ut David Kimchi notavit ad Malachiam.

Ἱερεμίαν, *Ieremiam*] Hoc poteſt ad παλιγγενεσίαν [*renaſcentiam*] referri. Nam Hebræi exſpectabant reditum Ieremiæ, ut ex Gorionide apparet. Imò quidam animam Ieremiæ renatam in Zacharia exiſtimabant, quomodo animam Phineæ in Elia. Sed poteſt & de Reſurrectione accipi, ut quod ſequitur.

ἢ ἕνα τῶν προφητῶν. *aut unum ex Prophetis*] Qui ſcilicet nunc reſurrexerit, Lucæ IX, 8. Hæc autem qui opinabantur eos apparet nihil audiviſſe de natalibus Ieſu, primamque de eo famam ex miraculis, & quidem nuper admodum, accepiſſe. Poſſis etiam interpretari ἕνα τῶν προφητῶν [*aliquem Prophetarum*] Prophetam novum ſed veteribus parem, cujus opinionis Marcus meminit VI, 15.

16. Σίμων Πέτρος, *Simon Petrus*] Quem *os Apoſtolorum* non malè vocant Chryſoſtomus & Auguſtinus. Vide Iohan. VI, 68. Videtur autem arripuiſſe ſermonem magis διὰ τὸ πρόθυμον [*propter animi promtitudinem*], quod in eo ubique elucet, quàm jure προστασίας [*præſidentiæ*], ob ea quæ narrantur infrà XVIII, 1. atque aliis in locis. Quare quod in recenſu Apoſtolorum additur illi nomen *primi*, hoc eſt, προεστῶτος [*Præſidis*], credibile eſt eſſe πρόληψιν [*anticipatè dictum*], quia cùm iſta ſcriberentur eum honorem obtinebat, olim à Chriſto ipſi deſtinatum, apertè verò datum poſt Chriſti reſurrectionem: quod ex loco Actorum I, 15. aliiſque ita manifeſtum puto ut extra controverſiam poni debeat.

τοῦ ζῶντος. *vivi*] חי cognomen Dei antiquiſſimum, ut diſcimus Geneſeos XVI, 14. quo Iudæos frequenter uſos apparet infrà XXVI, 63. Romanorum IX, 26. II Corinth. III, 3. VI, 16. I Theſſ. I, 9. I Timoth. III, 15. IV, 10. Hebr. III, 12. IX, 14. X, 31. XII, 22. Videtur autem eo nomine Deus verus diſcerni à diis Gentium, qui revera non vivebant ſed hominum erant commenta. Vide Actorum XIV, 15.

17. Σίμων Βαριωνᾶ, *Simon Barjona*] Sicut Σίμων haud dubiè eſt שמעון Συμεὼν [*Symeon*], quomodo etiamnum id nomen ſcribitur in Petri quæ dicitur ſecunda, ita Βαριωνᾶ [*Barjona*], ut ex collatione aliorum locorum rectè ab aliis eſt demonſtratum, valet Βαριωαννᾶ [*Barjoanna*, id eſt, *filius Ioannis*], detritâ more ejus ſeculi literâ gutturis, ibi ע, hîc ח. Ita Lucæ III, 30. Ἰωνὰν [*Ionan*] videtur eſſe יוחנן [*Iuchanan*]. Nomen autem *Barjonæ* non alia de cauſa hîc adjectum reor quàm quòd ita vulgò appellari ſoleret antequam ſe in Chriſti diſciplinam daret. moris enim erat apud Hebræos ut nomini paulò communiori diſcriminis gratiâ adderetur πατρωνυμικὸν [*paternum*], ut videre eſt in Veteri Federe multis locis & in his libris alicubi, ut ſuprà X, 3. infrà XXIII, 35. Marci II, 14. Iohannis VI, 42. Quoties autem nomen alicui mutatum legimus ibi videmus & prioris & poſtea dati nominis fieri mentionem, ut diſcrimen appareat, ut Geneſ. XVII, 5. & XXXII, 28. Ad id exemplum Chriſtus cùm primùm novum nomen Petro inderet meminit veteris, ut apud Iohannem eſt I, 43. Σὺ εἶ Σίμων ὁ υἱὸς Ἰωνᾶ, σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς [*Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas*]. Id Chriſtus hîc repetit, quippe rationem redditurus mutati nominis.

ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψέ σοι, *quia caro & ſanguis non revelavit tibi*] *Caro & ſanguis* quoties Deo opponuntur Hominem ſignificant in Hebraiſmo: Ita Paulus Galat. I, 16. poſt revelationem ſibi à Deo factam negat ſe *contuliſſe conſilia cum carne & ſanguine*, id eſt, cum homine quoquam. Oſtendit Chriſtus hac oppoſitione cætera quæ Apoſtoli dixerant vulgò de Chriſto jactari, eſſe commenta hominum; illud verò quod Apoſtoli per Petrum profitebantur eſſe ipſiſſimam veritatem nunc à Deo Patre velut in anteceſſum revelatam, brevi per Spiritum revelandam.

18. Κἀγὼ δέ, *Et ego*] Ego viciſſim pro illa tua libera confeſſione hoc tibi repono. Similis locutio Lucæ XXII, 28, 29.

ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, *& ſuper hanc Petram*] Chriſtus cùm hoc diceret non ſemetipſum ſed Petrum digito aut nutu deſignavit: id enim conveniebat propoſito reddendæ rationis impoſiti nominis. Ita de Abrahamo dictum, *Nomen tuum erit Abraham; quia Patrem multarum gentium te conſtitui.* Iacobo, *Iſrael erit nomen tuum: nam ut Principem te geris apud angelos & homines.* Ita Chriſtus, *Petrus à me nominatus es, quia eris quaſi petra.* Vide Philonem De Nominum mutatione. Bene autem Matthæi Interpres vocis Hebrææ genus mutavit, quia neque vir πέτρα [*Petra*] dici ſalvâ Græci ſermonis regulâ poterat, neque πέτρος [*Petrus*] id uſitatè ſignificabat quod Chriſtus volebat indicatum: nempe ſaxum tale ſuper quo aliquid ædificari ſoleat.

οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν· *ædificabo eccleſiam meam*] Ἐκκλησίας [*Eccleſiæ*] vox adeò nobilis in Chriſtianiſmo hoc primùm loco occurrit, quam Syrus optimè vertit עדה, quod ſignificat, ut nos docent Hebræorum Magiſtri, *cœtum* οὐ τὸν τυχόντα [*non qualemcunque*] ſed eum *qui ex certo conſtet hominum genere*, cùm קהל *cœtum qualemcunque* denotet. Sed ſolent iſtæ voces in uſu permiſceri, neque LXX diſtinxerunt. Proverb. V, 14. ubi eſt בתוך קהל ועדה, LXX habent ἐν μέσῳ ἐκκλησίας καὶ συναγωγῆς [*in medio eccleſiæ & ſynagogæ*]. At in Pſal. XXVI, 5. קהל מרעים vertunt ἐκκλησίαν τῶν πονηρευομένων [*eccleſiam malignantium*]· ut & I Paralip. XIII, 2. לכל קהל ישראל interpretantur τῇ πάσῃ ἐκκλησίᾳ Ἰσραήλ [*omni Eccleſiæ Iſrael*]. Rurſus Levitici IV, 13, 14. ubi in Hebræo eſt primùm עדה deinde קהל LXX utroque loco poſuerunt συναγωγήν [*ſynagogam*]. Et Scriptor libri qui *Eccleſiaſticus* vocatur *collectionem promiſcuam turbæ* vocat ἐκκλησίαν ὄχλου [*eccleſiam* ſive *collectionem populi*]. Sed plerumque ἐκκλησία [*eccleſia*] nihil aliud eſt quàm populus Iſrael, quomodo עדה ſumitur dicto Levitici loco. ita vocem ἐκκλησίας [*eccleſiæ*] uſurpat Stephanus Actorum cap. VII, 38. Ita Caleb dicitur ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [*in eccleſia*] *accepiſſe hereditatem*, 1 Maccabæor. ii, 56. Et apud Eccleſiaſtici Scriptorem pro eodem ponitur λαὸς & ἐκκλησία [*populus* & *eccleſia*] xxiv, 1. & xliv, 15. ita πᾶσαν ἐκκλησίαν Ἰσραὴλ [*omnem eccleſiam Iſrael*] dixit idem Scriptor i, 15, & 22. itemque Scriptor Maccabaicæ hiſtoriæ libro 1, capite iv, 59. & capite iii, 13. & tabulæ federis dicuntur recitatæ ἐνώπιον τῆς ἐκκλησίας [*in conſpectu eccleſiæ*] xiv, 19. ubi mox ἐκκλησία [*eccleſia*] explicatur voce δήμου [*populi*] 21, 25. Neque dubitandum eſt quin hæc ſignificatio huic loco optimè conveniat. Nam populus ille Iſraeliticus una in regione habitans multitudinis Chriſtianæ per totum orbem diſperſæ geſſit imaginem. Ideo multitudo Chriſtiana paſſim λαοῦ [*populi*] nomine appellatur, ut videre eſt Actorum xv, 14. Romanorum ix, 25. ii Corinth. vi, 16. Tit. ii, 14. Idem autem eſt, ut diximus, λαὸς [*populus*] & ἐκκλησία [*eccleſia*]. Eximiè autem hunc Chriſti locum illuſtrat Paulus ii Corinth. vi, 16. ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐστε ζῶντος· καθὼς εἶπεν ὁ Θεὸς, Ὅτι ἐνοικήσω ἐν αὐτοῖς, καὶ ἐμπεριπατήσω· καὶ ἔσομαι αὐτῶν Θεὸς καὶ αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός [*vos enim templum eſtis Dei vivi, ſicut dicit Deus, Quoniam inhabitabo in illis & inambulabo inter eos, & ipſi erunt mihi populus*]. Nam quod de Iſraelitico populo dictum fuerat aptat Chriſtianorum multitudini, ſimulque *templum Dei* eos nominando explicat quid hîc ſit οἰκοδομεῖν [*ædificare*]. Nec dubito quin hæc ipſa Chriſti verba reſpexerit ille quem hîc Chriſtus alloquitur Petrus, cùm dicit 1 Epiſt. capite ii, 5. Καὶ αὐτοὶ ὡς λίθοι ζῶντες οἰκοδομεῖσθε οἶκος πνευματικὸς [*Et ipſi tanquam lapides vivi ſuperædificamini domus ſpiritualis*], eoſdem mox vocans λαὸν εἰς περιποίησιν [*populum acquiſitionis*]. Sic credentes Θεοῦ οἰκοδομὴν [*Dei ædificationem*] vocat Paulus 1 Corinth. iii, 9. quomodo autem *ſuper Petro ædificentur* credentes obſcurum non eſt cùm Paulo iidem dicantur ἐποικοδομηθέντες ἐπὶ τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν προφητῶν [*ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*] Epheſ. ii, 20. Et in Apocalypſi Dei civitas dicatur *habere duodecim fundamenta in quibus inſcripta ſint nomina duodecim Apoſtolorum.* Neque enim obſtat quòd alibi Deus *petra* dicitur, & Chriſtus *unicum fundamentum*, cùm novum non ſit eaſdem ſimilitudines ad diverſas res diverſo modo ſignificandas ſolere adhiberi. Nam & alibi Paulus ſe *architectum* vocat, quod officium Chriſtus hîc ſibi vindicat. Neque verò aliter *petræ* aut *fundamenti* nomen tribuitur Apoſtolis quàm τὸ σώζειν [*ſalvos facere*] Romanorum xi, 14. Cùm autem dicit Chriſtus οἰκοδομήσω [*ædificabo*], tempus illud reſpicit quo Petrus fidem nactus ſolidiſſimam miſſi Spiritus auxilio, primus omnium (quod rectè obſervat Tertullianus libro De Pudicitia cap. 21. & Baſilius contra Eunomium ii.) Iudæis, Actorum ii, 14. deinde & alienigenis, Actorum x, & xv, 7. erat annuntiaturus id ipſum quod hîc profitebatur, nempe *Ieſum eſſe Chriſtum & unigenam Dei Filium*, poſtquam nimirum Deus hoc ipſum apertiſſimè declaraſſet hunc ipſum Ieſum in vitam reſuſcitando: quo invictiſſimo argumento Petrus hujus ſuæ profeſſionis veritatem probat dictis Actorum locis. Ideo Chriſtus paulò poſt hæc dicta ex omni Apoſtolorum numero Petrum cum duobus alteris, qui unà cum Petro *columnæ* Eccleſiæ vocantur Galat. ii, 9. teſtem eſſe voluit ut antehac excitatæ Iairi filiæ in ſuæ reſurrectionis quaſi arrhabonem, ita tunc ſuæ μεταμορφώσεως [*transformationis*] quæ futuræ gloriæ erat præſagium; & poſt reſurrectionem Diſcipulis univerſis & nominatim Petro imperavit ut in Galilæam irent ibi ipſum conſpecturi. Et Paulus ſpecialiter etiam extra cœtum Apoſtolorum Chriſtum dicit Petro apparuiſſe, 1 Corinth. xv, 5. Reſurrectionem igitur Ieſu, cui conſequens eſt eum eſſe Chriſtum & Dei Filium, crediderunt & Iudæi & Gentes tum communi Apoſtolorum tum peculiari etiam Petri teſtimonio, qui hoc ipſum ſuum teſtimonium ſparſum per omnem Iudæam perque omnem Iudæorum διασπορὰν [*diſperſionem*] confirmavit vitæ ſanctimoniâ, miraculis, poſtremò etiam tolerata morte & quidem in Vrbe mundi principe. Per hunc modum Petrus factus eſt *petra* ſive *fundamentum* populi Chriſtiani, στερεὰ τῆς πίστεως πέτρα [*firma fidei rupes*], ut Chryſoſtomus loquitur. Ac ſimul apparet quomodo quæ ſequuntur cum his cohæreant.

πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς· *portæ inferi non prævalebunt adversùs eam*] De diaboli aut etiam de improborum molitionibus tanto conſenſu hunc locum exponi valde miror. Nuſquam enim reperio ᾅδου [*inferni*] vocem neque apud Helleniſtas neque apud Novi Federis Scriptores in alia ſignificatione quàm aut *mortis*, aut *ſtatûs poſt mortem*, quæ ſunt inter ſe affinia. Ab Interpretibus quos hac in parte ſequuntur Apoſtoli שאול verti ᾅδην à multis demonſtratum eſt. *Mortem* ᾅδης ſignificat Sapientiæ i, 14. Eccleſ. ix, 17. & in hiſtoria Maccabæorum aliquoties, ubi & προπέμπειν εἰς τὸν ᾅδην [*præmittere ad infernum*] invenias, quod Græcis Poetis familiare eſt: quomodo & Scriptor Baruchi dixit καταβαίνειν εἰς ᾅδου [*deſcendere ad infernum*], quod itidem apud Græcos uſitatiſſimum eſt. *Statum* potiùs *mortuorum* quàm *mortem* ipſam deſignat eadem vox Eccleſ. xli, 7. Reperias ſæpe & θάνατον [*mortem*] & ᾅδην [*infernum*] inter ſe conjuncta tum in priore illo tum in poſteriore ſignificatu, ut Eſaiæ xxviii, 15. Eccleſiaſtici xlviii, 5. & li, 8. Sapientiæ ii, 1. nec minùs in Apoſtolicis libris, ut 1 Corinth. xv, 55. Apocalypſ. i, 18. xx, 13, 14. In eadem autem Apocalypſi vi, 8. dicitur ᾅδης [*infernus*] ſequi θάνατον, ubi θάνατος ipſum *moriendi actum* aut ejus *cauſam* ſignificat, ᾅδης *ſtatum ſequentem*, qui & ipſe aliàs ſæpiſſime vocatur θάνατος [*mors*]. Actorum ii, 27 & 31. vocem ᾅδου [*inferni*] reſpondere Hebraicæ שאול notiſſimum eſt. Suprà autem xi, 23. & Lucæ x, 15. oſtendimus figuratam eſſe locutionem, quæ *mortis* aut *ſepulcri* nomine maximas miſerias denotat, ſicut & pericula gravia ᾅδου voce appellantur. Reſtat unicus locus Lucæ xvi, 23. ubi is qui eſt ἐν βασάνοις [*in tormentis*] dicitur eſſe ἐν τῷ ᾅδῃ [*in inferno*]. Sed ne ibi quidem ᾅδης [*infernus*] per ſe τὸ βασανιστήριον [*locum tormentorum*] ſignificat, ut oſtendemus cùm eò ventum erit. Vocem autem ᾅδου [*inferni*] de Angelorum defectorum ſede aut ſtatu, aut de improbis mortalem hanc vitam agentibus uſurpatam neminem eſſe puto qui legerit. Nec quid hîc ſignificent πύλαι ᾅδου [*portæ inferni*] difficilis eſt conjectura, cùm eadem locutio reperiatur in carmine Regis Ezechiæ quod apud Eſaiam eſt XXXVIII, 10. ubi in Hebræo eſt אלכה בשערי שאול, in Græco πορεύσομαι ἐν πύλαις ᾅδου [*vadam ad portas inferi*]. Opponitur autem ibidem τῷ ᾅδῃ ἡ γῆ ζώντων [*inferno, terra viventium*]. Sic & Pſalmo IX, 14. & CVII, 18. & Sapientiæ XVI, 13. Non ſunt aliud πύλαι ᾅδου [*portæ inferni*] quàm quod βασίλειον ᾅδου [*inferorum regnum*] dixit Scriptor libri Sapientiæ; κράτος θανάτου [*mortis imperium*] Hebræor. II, 14. Græci ut πέμπειν εἰς ᾅδου [*mittere ad inferos*], καταβαίνειν εἰς ᾅδου [*deſcendere ad inferos*], ita & πύλας ᾅδου [*portas Orci vel inferni*] dixere à Syris edocti, quorum locutiones paſſim ab Homero exprimi à viris doctiſſimis rectè eſt annotatum. Notiſſimo Homeri loco adjungi poteſt iſte veteris Comici,

Χρυσὸς δ᾽ ἀνοίγει πάντα, κ᾽ ᾄδου πύλας.
[*Aurum cuncta aperit etiam portas inferas.*]

& ille incerti auctoris,

Φύντα δ᾽ ὅπως ὤκιστα πύλας ἀΐδαο περῆσαι.
[*Aut jamjam genitum demitti protinus Orco.*]

Reperias ᾅδου πύλας [*portas inferûm*] & in Euripidis Alceſtide, & in Agamemnone Æſchyli. Themiſtius Theodoſium laudans quòd eos qui in eum deliquerant à morte liberaſſet, ἐπαναγαγεῖν, ait, εἰς τὸν ἥλιον ἐκ τῶν πυλῶν τοῦ Ἀχέροντος [*reduxiſſe* ait *ad Solem ex portis Acherontis*]· & poſtea, εἴδομεν ἀνθρώπους ἐκ τῶν τοῦ ᾅδου προθύρων εἰς τὸ ζῆν ἐπανιόντας [*vidimus homines ex Orci veſtibulo reduces ad vitam*]. Etiam Pythagoras, recitante Laertio, fabas, eò quòd nihil de ſe gignant, *ſimiles* dicebat ᾅδου πύλαις [*portis inferûm*]. Apud Plutarchum De ſuperſtitione, ᾅδου τινὲς ἀνοίγονται πύλαι βαθεῖαι [*aperiuntur profundæ quædam inferorum portæ*] Lucianus Menippo magos ait ἀνοίγειν τοῦ ᾅδου τὰς πύλας [*aperire portas inferorum*]. Sicut ergo de Chriſto capite dictum eſt à Paulo θάνατος αὐτοῦ οὐκέτι κυριεύει [*mors illi ultrà non dominatur*] Romanorum VI, 9. & à Petro οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπὸ τοῦ θανάτου [*fieri non poterat ut teneretur à morte*], Actorum II, 24. ita hîc Chriſti corpori, id eſt, populo credentium, promittitur fore ut mors ipſa, cujus maximum & inſatiabile eſt regnum, non eas vires habeat ut eos detinere poſſit ſub ſuo jure ac poteſtate. Nam *qui credit tranſiit de morte in vitam*, Iohan. V, 24. XI, 25, 26. nunc quidem ſpe ac fiducia, eventu autem olim cùm ultimus hoſtis triumphabitur, cùm dicere licebit, Ποῦ σοῦ, ᾅδη, τὸ νῖκος; [*Vbi eſt, Inferne, victoria tua?*] I Corinth. XV, 55. cùm Chriſtus eandem hanc ἐκκλησίαν [*Eccleſiam*] de qua hîc agitur παραστήσῃ ἑαυτῷ ἔνδοξον [*ſiſtit ſibi glorioſam*], Epheſ. V, 25. Niſi fortè de Eccleſia hîc agitur univerſim, non partitim, & ejus perpetua duratio promittitur, juxta dictum Hebræorum, כל כנסיא שהי לשם שמיים סופה להתקים *Omnis eccleſia quæ fit propter Deum firma permanebit.* Confer Actorum V, 39. Hunc in ſenſum Chryſoſtomus ᾅδου πύλας [*portas inferni*] interpretatur *pericula exitio proxima*, oratione ὅτι Θεὸς ὁ Χριστός [*Chriſtum eſſe Deum*]. Sic πρὸς πύλας ᾅδου καθεστῶτας [*ad portas inferni poſitos*] Maccabæorum III. Sic *ſepulchri januam* & *fores interitus* dixit Ovidius Triſtium III, 2.

19. τὰς κλεῖς, *claves*] Non illas Propheticas, quas ſibi creditas Hebræorum Magiſtri abdiderant, & quantum in ipſis erat aditum hominibus præcluſerant ad Regnum cœleſte, id eſt, ad gloriam illam æternam (vide Lucæ XI, 52.) ſed Apoſtolicas, quarum pars magna conſiſtit in illo quod diximus teſtimonio de Chriſti reſurrectione; qua nota Apoſtolicum munus deſcribit ipſe Petrus Actorum I, 22.

καὶ ὃ ἐὰν δήσῃς ἐπὶ τῆς γῆς, *& quodcunque ligaveris ſuper terram*] Δεῖν [*ligare*] eſt κρατεῖν [*retinere*], λύειν [*ſolvere*] eſt ἀφιέναι [*dimittere*], ut apparet Iohan. XX, 23. Vtrumque propriè tribuitur Deo Patri & Chriſto, ut videre eſt Epheſ. IV, 32. Coloſſ. III, 13. Matth. IX, 6. Marci II, 10. Lucæ V, 24. Apoſtolis ita ut σώζειν [*ſalvum facere*], nimirum ob eam qua funguntur legationem quæ eſt διακονία τῆς καταλλαγῆς [*miniſterium reconciliationis*] II Corinth. V, 18, 19, 20, 21. Remiſit hoc modo Petrus peccata τοῖς πιστεύουσι [*credentibus*], retinuit τοῖς προσκόπτουσι τῷ λόγῳ [*his qui offendunt verbo*], ut ipſe nos docet Epiſtola priore, cap. II, 7, 8. Vide & Actorum II, 38. & X, 43. Hæc legatio *in terris* peragitur, id eſt, per homines mortalem vitam viventes (quomodo eadem locutio uſurpatur citatis modò Matthæi, Marci & Lucæ locis) rata autem eſt *in cælo*, id eſt, apud Deum. Hebræi ſimiliter Legis interpretibus tribuunt אסר δεῖν [*ligare*] & התיר vel פטר λύειν [*ſolvere*]· ſed illi tam malè erant functi hoc officio ut multos ab illis ligatos ſolvere debuerint Apoſtoli, & ſolutos ligare: quia religionem veram in ſuperſtitioſa commenta verterant.

20. ἵνα μηδενὶ εἴπωσιν, ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστός. *ut nemini dicerent quia ipſe eſſet Chriſtus*] Ita omnino legendum, quomodo habet Syrus, vetuſtiſſimáque tum Græca tum Latina exemplaria. Et apparet non aliter legiſſe aut olim Origenem aut poſtea Ambroſium aut ſeriùs Theophylactum. *Ieſus* nomen eſt proprium, quo apud omnes noſcebatur; *Chriſtus* nomen eſt dignitatis: quare quod nonnulli codices hîc habent Ιησοῦς [*Ieſus*] haud dubiè interpretamentum fuit. Apparet ex hoc loco Apoſtolos in legatione cujus antehac facta eſt mentio notam omnibus feciſſe Ieſu ſanctimoniam & miracula, agendam pœnitentiam, & non longè eſſe Regnum cœlorum; Ieſum autem eſſe Chriſtum, hoc eſt, Regni illius Regem id non eſſe ab ipſis publicatum, ſed ejus rei enuntiationem reſervatam ipſi Domino pro ratione locorum & temporum diſpenſandam. Vide Iohannis V, 18. VIII, 58. X, 30. XI, 27. Marci XIV, 61. Multò enim majore cum fructu promiſcuè ad omnes perferri ea fama potuit poſtquam Chriſtus poſſeſſionem Regni ſui erat adeptus, idque ipſum teſtatus erat reſurrectione, adſcenſu in cœlum & miſſione Spiritus Sancti, non ultrà obnoxius humanis infirmitatibus, quarum reſpectus à recta veneratione ipſius avellere homines poterat. Eodem facit quod infrà eſt XVII, 9.

21. ὅτι δεῖ αὐτὸν, *quia oporteret eum*] Puto optimè interpretari Syrum *quod futurum eſſet.* Neque enim hîc aut de præfinito Dei conſilio aut de utilitate rei agitur, ut alibi, ſed res futura nudè prædicitur. Atque ideo Petrus Chriſto conatur perſuadere ut hoc ipſum evitet, quod vix credibile eſt facturum fuiſſe ſi eo ipſo momento intellexiſſet hoc eſſe præfinitum

Dei conſilium. Qui diligenter attenderit ad multa loca Novi Federis, inveniet δεῖ [*oportet*] ita non raro poni ut nihil aliud quàm rem futuram ſignificet, ut infrà XXIV, *6.* Marci XIII, 7. Apoc. I, I. IV, I. XXII, *6.* Actorum IV, 12. ita infrà XVII, 10. δεῖ ἐλθεῖν [*oportet venire*] de Elia, quod ſuprà XI, 14. erat μέλλει ἔρχεσθαι [*venturus eſt*].

πρεσβυτέρων, *Senioribus*] Πρεσβύτεροι hîc ſunt *Senatores*, Hebræis זקנים: unde συνέδριον [*Synedrium* ſive *Senatus*] ipſum non raro πρεσβυτέριον vocatur, Actorum XXII, 5. Lucæ XXII, *66.* ut & alibi γερουσία ſignificatu eodem. Ita epiſtola Spartiatarum inſcribitur τοῖς πρεσβυτέροις καὶ τοῖς ἱερεῦσι καὶ τῷ λοιπῷ δήμῳ [*Senioribus & Sacerdotibus & univerſo populo*] I Maccabæorum XIV, 20. Et Ionathan dicitur convocaſſe τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ [*Seniores populi*] I Maccabæorum XII, 35. Alibi diximus hos plerumque vocari τοὺς πρεσβυτέρους τοῦ λαοῦ ad diſcrimen eorum qui erant πρεσβύτεροι τῶν πόλεων [*Seniores oppidorum*], Iudices ſcilicet minorum cauſarum, quales erant non in aliis tantùm oppidis ſed & in urbe Hieroſolymorum. Quanquam autem in eodem Senatu plerumque erant & Sacerdotum Principes, tamen ſolent hi peculiariter nominari ob eminentem auctoritatem. Γραμματεῖς [*Scribæ*] autem tanquam adſeſſores aderant Senatui. Tria hæc hominum genera videmus ordine promiſcuo in his libris nominari quoties Synedrii coacti fit mentio.

καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι. *& tertia die reſurgere*] Nimirum ut ſic etiam κατὰ πόδας [*verbotenus*] impleretur quod μεταφορικῶς [*figuratè*] dictum erat ab Oſea VI, 2. & præſignificatum in Iſaaco, qui die tertio quaſi in vitam fuit reſtitutus Geneſ. XXII.

22. προσλαβόμενος, *& aſſumens*] Cùm προσλαμβάνεσθαι Græcè inter cætera *complecti* ſignificet, videtur mihi ea ſignificatio huic loco meliùs convenire quàm altera *ſeorſim abducendi*, quæ multis placet. Hoc enim geſtu ſummum ſuum amorem in Chriſtum teſtari Petrus voluit. Neque aliunde ducta videtur tranſlatio quæ Romanorum XV, 7. aliiſque in locis apparet.

Ἵλεώς σοι, Κύριε· οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο. *Abſit à te Domine: non erit tibi hoc*] Subaudiri vocem Θεὸς [*Deus*], neque aliter intellectum hunc locum à Syro, tam perſpicuis teſtimoniis ab aliis demonſtratum ut nullus ſit dubitandi locus. Ita LXX Geneſ. XLIII, 23. Ἵλεως ὑμῖν· μὴ φοβεῖσθε [*Propitius vobis: ne timete*]· nam quod ſequitur ὁ Θεὸς ὑμῶν [*Deus veſter*] ad ſequentem ſenſum pertinet, ſecus quàm habet vulgata diſtinctio. I Samuelis XIV, 45. Ἵλεως ζῇ Κύριος [*Propitius vivat Dominus*], & quæ ſequuntur. II Samuelis XX, 20. Ἱλεώς μοι, Ἱλεώς μοι, εἰ καταποντιῶ καὶ διαφθερῶ [*Propitius mihi, propitius mihi, quàm ut ſubmergam & perdam*]· ubi εἰ poſitum eſt pro *quàm ut*. Scriptor Maccabæorum primi, cap. II, 21. ἵλεως ἡμῖν καταλιπεῖν νόμον καὶ δικαιώματα [*propitius nobis relinquere Legem & juſtitias*], ubi præter Θεὸς [*Deus*] ſubauditur ὥστε μή [*quàm ut*]. Quod autem ſequitur οὐ μὴ ἔσται σοι τοῦτο [*non erit hoc tibi*] eſt hujus locutionis ἐξηγητικὸν [*explicatio*]. Futurum enim more Hebræo poſitum eſt pro optativo. Tantundem ergo hoc eſt quaſi dicas μὴ γένοιτο [*ne fiat*], quomodo LXX ſæpe vertunt חלילה, quod locis jam citatis è Samuele & alibi verterunt ἵλεως [*propitius*], ut I Samuelis XXVI, 11. Ioſuæ XXII, 19. Pro eodem ponitur μηδαμῶς ἐμοὶ [*nequaquam mihi*] I Samuelis XIV, 7. Et ubi illi habent ἵλεως [*propitius*] aliorum verſiones Græcæ habent μὴ γένοιτο [*ne fiat*]. Ita Latinè tantundem valent *Avertat Deus*, & *abſit*, quod hîc non ineruditè poſuit Latinus Interpres. Ioſephus pro eodem dicit ἀπείη ἡ πεῖρα τοῦ λόγου [*abſit dicti experimentum*].

23. στραφείς, *converſus*] Videtur hîc στραφεὶς denotare vultum ad majorem ſeveritatem compoſitum. Ita Lucæ IX, 55. στραφεὶς γὰρ ἐπετίμησεν αὐτοῖς [*converſus increpavit illos*]. Nam ibi quoque nulli alii erant quos alloqueretur quàm Diſcipuli; ut & hîc: neque verò Petrum ſolum ſed Diſcipulos omnes intuitus eſt Chriſtus cùm hæc diceret, ut ex Marco diſcimus. Ita & apud Iohannem XX, *16.* στραφεῖσα [*converſa*] animi aut vultus immutationem indicat. Vide & ſuprà VII, *6.* Solet eaſdem ſignificationes habere Hebræum פנה quod hîc poſuit Syrus.

Ὕπαγε ὀπίσω μου, *Vade poſt me*] Vide ſuprà IV, 10. ὀπίσω μου, id eſt, *extra conſpectum meum.*

σατανᾶ, *ſatana*] Apparet jam Chriſti ſeculo enuntiatam hanc vocem Συριστί [*Syriaco more*]. Nam Hebræum eſt שטן, quod LXX modò ἐπίβουλον [*inſidiatorem*], ut II Samuelis XIX, 22. III Regum V, 4. modò διάβολον [*calumniatorem*] reddiderunt, ut Pſalmo CIX, *6.* Hebræam vocem retinuerunt eodem quo hîc ponitur ſignificatu III Regum XI, 14. Καὶ ἐξήγειρε Κύριος σατὰν τῷ Σολομῶντι τὸν Ἄδερ τὸν Ἰδουμαῖον [*Et ſuſcitavit Deus Satan Solomoni Ader Idumæum*], quem locum ex Græco citans Tertullianus adversùs Marcionem III. *Suſcitavit enim illi Satan*, inquit, *id eſt, hoſtem.* Quare mirum non eſt à Matthæi Interprete retentam vocem Hebræam, cùm eſſet ea & Helleniſtis in uſu. Oſtendit Chriſtus Petrum, amoris ſpecie, revera ſibi eſſe adverſatorem, cauſamque reddit, ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων [*quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*]. Nam τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς ἔχθρα εἰς Θεὸν [*ſapientia carnis inimica eſt Deo*], Romanorum VIII, 7.

σκάνδαλόν μου εἶ· *ſcandalum es mihi*] Quantum in te eſt horrorem mihi ignominiæ, cruciatuum & mortis injicis: quem horrorem in Chriſti carne modò majorem modò minorem fuiſſe apparet. Vide infrà XXVI, 38. Hebræorum II, 18. IV, 15. Eſt autem hoc σκάνδαλόν μου εἶ [*ſcandalum es mihi*] explicatio vocis σατανᾶ [*ſatana*]. Nam & ſic qui Iudæos à Legis obſervatione abducebant dicuntur facti εἰς διάβολον τῷ Ἰσραὴλ [*in diabolum Iſraeli*] I Maccabæorum I, 36. quod ibidem exponitur εἰς παγίδα, εἰς ἔνεδρον [*in laqueum, ad inſidias*], & V, 4. εἰς παγίδα καὶ εἰς σκάνδαλον [*in laqueum & in ſcandalum*].

ὅτι οὐ φρονεῖς τὰ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τῶν ἀνθρώπων. *quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed ea quæ hominum*] Quem jam modò beatum prædicaverat, ei nunc quàm ſit adhuc infirmus demonſtrat, ut morbum agnoſcens à Deo remedium expeteret. Φρονεῖν autem & hoc & aliis in locis non arrogantiam ſed animi ſtudium ſignificat. Ita Græcè dicimus Φρονῶ σοι φίλα·

φρονῶ σοι κακά, φρονεῖν τὰ δέοντα [*volo tibi bene, volo tibi malè, curare quæ oportet*]· neque aliter Helleniſtæ. Ita φρονεῖν τὰ ἡμῶν [*ſentire nobiſcum*] dixit Scriptor Maccabæorum primi, cap. x, 20. Ioſephus φρονεῖν τὰ Ῥωμαίων [*ſtudere Romanis*] xiv Originum, x. φρονεῖν τὰ τῶν ἀνθρώπων [*ſapere quæ ſunt hominum*] eſt quod Paulus dixit φρονεῖν τὰ τῆς σαρκός [*ſapere quæ ſunt carnis*], ea curare magnique facere quæ ad vitæ hujus commoda pertinent, poſthabitis Dei negotiis, quæ nobis omnibus commodis eſſe debent potiora, ut ſequentibus verbis Chriſtus explicat.

24. ὀπίσω μου ἐλθεῖν, *poſt me venire*] Id eſt, πορεύεσθαι [*ire*]. Nam ὀπίσω πορεύεσθαι [*poſt aliquem ire*] dicunt Helleniſtæ pro ἀκολουθεῖν [*ſequi*], ut Ieremiæ ii, 25. & alibi paſſim. Vide ſuprà x, 38. Quare in hoc commate duabus locutionibus, alterâ Helleniſticâ, alterâ Græcâ, res eadem exprimitur. Senſus enim eſt, Qui me ſequi vult, ſe abdicet, crucemque in humeros ſuos tollat, ut verè ſequi me poſſit.

ἀπαρνησάσθω ἑαυτόν, *abneget ſemetipſum*] Tranſlatio ſumta ab iis qui partes alicujus deſerunt, idque palam profitentur. Ita ἀρνεῖσθαι [*abnegare*] de tali deſertione quæ non verbis quidem ſed re ipſa fit figuratè uſurpatur, ii Timoth. ii, 12. & iii, 5. Tit. i, 16. Hebræorum xi, 24. ii Petri ii, 1. Iudæ 4. Eſt ergo hîc ἀπαρνεῖσθαι ἑαυτόν [*abnegare ſemetipſum*] מאס, quod apud Lucam μισεῖν τὴν ἑαυτοῦ ψυχήν [*odiſſe animam ſuam*], xiv, 26. Loquitur autem Chriſtus ex vulgi opinione, quam deinde refellit. Nam is vulgò *deſertor ſui ſuique prodigus* dicitur qui vitæ commoda vitamque ipſam non omni ſtudio conſervat: φιλαύτους καλοῦσιν, inquit Ariſtoteles De moribus ix, capite 8. τοὺς ἑαυτοῖς ἀπονέμοντας τὸ πλεῖον ἐν χρήμασι καὶ τιμαῖς καὶ ἡδοναῖς ταῖς σωματικαῖς· τούτων γὰρ οἱ πολλοὶ ὀρέγονται [*ſui amantes vocant, qui ſibimetipſis plus tribuunt in pecuniis & honoribus & corporis voluptatibus: talia enim plerique appetunt*]. At ipſe contrà diſputat hominem dici debere τὸ κυριώτατον quod in homine præcipuum eſt, καὶ τὸν τοῦτο ἀγαπῶντα καὶ τούτῳ χαριζόμενον μάλιστα φίλαυτον εἶναι, κἂν δέῃ ὑπεραποθνήσκειν [*& qui hoc amat plurimique facit eum veriſſimè ſui eſſe amantem, etiamſi mori ob eam rem ſit neceſſe*]. Quæ ſententia an rectè defendi poſſit à Philoſopho nulla agnoſcente præmia pœnasve poſt hanc vitam, non immeritò dubitatur. Auguſtinus certè ſublatis illis præmiis pœnisque verum ſtaturum ait à partibus Epicuri. Ipſe Apoſtolus, poſt tot accepta à Deo dona, *Si in hac vita tantùm*, inquit, *in Chriſto ſpem noſtram habemus repoſitam, omnibus hominibus miſeriores ſumus.* Laudant multi dictum illud Antigoni, unde ortus dicitur Saducaiſmus: neque nego potuiſſe illum rectiùs ſentire quàm qui hoc dicto abuſi ſunt. At miſericors Deus, ſicut mancipiorum eſſe ait ſolâ pœnæ præſentis formidine malis abſterreri, & ingeniorum ſatis vilium ſpe rerum caducarum officium facere, ita veram illam cœleſtem atque æternam mercedem perpetuò nobis ob oculos ponit. Imò divinus ad Hebræos Scriptor religionis ipſam velut ſubſtantiam in eo locat ut agnoſcamus ὅτι Θεός ἐστι, καὶ ὅτι τοῖς ἐκζητοῦσιν αὐτὸν μισθαποδότης γίνεται [*credere quia Deus eſt & inquirentibus ſe remunerator ſit*]. Chriſtus quoque hoc loco nos ad faciendam rerum mortalium vitæque ipſius, ſi opus ſit, jacturam hoc argumento invitat, quod in ea jactura maximum ſitum ſit lucrum.

ἀράτω τὸν σταυρὸν αὐτοῦ, *tollat crucem ſuam*] *Suſcipiat crucem ſuam:* quo ſenſu ſuprà dictum eſt λαμβάνειν σταυρὸν [*accipere crucem*], x, 38. alibi βαστάζειν [*portare*]· hoc eſt, ne detrectet mala quæ ipſi inferuntur ob cauſam pietatis. Nam de hoc malorum genere propriè hîc agitur.

25. ψυχήν, *animam*] Qua notione ψυχήν hîc putemus accipiendam diximus ad ſententiam ſimilem x, 38.

26. τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ; *animæ verò ſuæ detrimentum patiatur*] Cùm de judiciis agitur dicunt Græci ζημιοῦν θανάτῳ [*mulctare morte*], non autem ζημιοῦν τὸν βίον [*mulctare vitam*]. Nihil mihi videtur certius quàm ζημίαν [*detrimentum*] hîc ſimpliciter opponi τῷ κέρδει [*lucro*], ut apud Ariſtotelem De moribus v, capite 7. idem valet נחסר apud Syrum. Bene ergo vertit vetus Interpres.

ἢ τί δώσει ἄνθρωπος ἀντάλλαγμα τῆς ψυχῆς αὐτοῦ; *aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*] In Hebræo fuerit מחיר, aut etiam כפר, pro quo Lxx ſolent ponere ἐξίλασμα [*propitiationem*] aut λύτρον [*redemtionem*]. Nam ſicut Lxx pro pretio redemtionis dicunt interdum ἐξίλασμα [*propitiationem*], ita viciſſim Scriptor Eccleſiaſtici xliv, 17. ἀντάλλαγμα [*commutationem*] dixit ubi propriè dicendum erat ἐξίλασμα [*propitiatio*]. Sunt enim hæc vicinæ ſignificationis. Proverbium eſt haud dubiè tritum eo ſeculo, &, ut puto, ſumtum ex illo Iobi, וכל אשר לאיש יתן בער נפשו, ubi Lxx, καὶ πάντα ὅσα ὑπάρχει ἀνθρώπῳ ὑπὲρ τῆς ψυχῆς αὐτοῦ ἐκτίσει [*cuncta quæ habet homo rependet pro anima ſua*]· ubi verbo ἐκτίσει [*rependet*] rectè expreſſerunt vim τοῦ ἀνταλλάγματος [*commutationis*]. Notandus & Hebraiſmus in illo τί δώσει; [*quid dabit?*] nam & futurum eſt loco δυνητικοῦ [*potentialis modi*], ut in illo Iobi loco; & τί [*quid*] eſt ἐρώτημα αὐξητικόν [*interrogatio augens*], ut cùm dicitur Pſalm. viii, 2. מה אדיר שמך, ubi Lxx, ὡς θαυμαστόν τι ὄνομά σου [*quàm valde mirandum eſt nomen tuum*]· alii, τί μέγα τὸ ὄνομά σου; [*quàm magnum nomen tuum!*] Ergo τί δώσει; [*quid dabit?*] eſt πόσα ἂν δώσῃ; [*quanta daret?*] Quàm multa ac magna libenter daret homo in mortis periculo conſtitutus ſui conſervandi gratiâ? Optimè autem Chriſtus proverbium hoc ſuo inſtituto aptat, argumentatur enim à vita hac temporaria ad vitam illam æternam. Nam ſi omnia quæ poſſidemus arbitramur rectè impendi ut noſmetipſos in hac vita ſervemus, certè multò magis eadem omnia, ipſáque hæc mortalis vita, impendenda ſunt, ut ad vitam immortalem perveniamus, quæ infinitò ampliùs hanc vitam ſuperat quàm vita hæc omnia quæ poſſidemus. Dubitandum non puto quin hæc ſit veriſſima hujus loci interpretatio quæ optimè monſtrat ſequentium cohærentiam. Huic Hebræorum γνώμῃ [*ſententiæ*] exſtant ſimiles apud Græcos; ut,

> Ψυχῆς γὰρ οὐδέν ἐστι τιμιώτερον.
> [*Vitâ profectò nulla res pretioſior.*]

& illud Sophoclis,

Τὸ ζῆν γὰρ, ὦ παῖ, παντὸς ἥδιστον γέρας.
[*O nate, vitâ munus eſt ſuaviſſimum.*]

& Quinti Smyrnæi,

Οὐ γάρ τι ψυχῆς πέλει ἀνδράσι φίλτερον ἄλλο.
[*Nec generi eſt hominum vitâ res carior ulla.*]

27. ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *in gloria Patris ſui*] Eadem gloria vocatur & Chriſti gloria, Matthæi xxv, 31. & Patris gloria, quia eſt à Patre, Iohan. xvii, 5. Atque ita fortè interpretandum illud Iohan. i, 14. δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς [*gloriam quaſi unigeniti à Patre*], ut ſubaudiatur δοθεῖσαν [*datam*], *Vidimus gloriam ejus talem qualem parentes dare ſolent filiis unicis.* Vide quæ ibi.

μετὰ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ· *cum Angelis ſuis*] Solebant Hebræi Deum de rebus magnis agentem deſcribere ad exemplum Regis conſidentis in cœtu procerum, ut i Regum xx. & apud Chaldæum paraphraſten ad primum Iobi caput videre eſt. Et ſic quidam ἀνθρωποπαθῶς [*quæ hominis ſunt Deo affingentes*] explicant illud, *Faciamus hominem.* Vide & Deuteronomii xxxiii, 2. & Danielis vii, 10.

κατὰ τὴν πρᾶξιν αὐτοῦ, *ſecundum opera ejus*] כמעשהו Pſalmo lxii, 13. κατὰ τὰ ἔργα Romanorum ii, 6. κατὰ τὸν ἴδιον κόπον [*ſecundùm ſuum laborem*], i Corinthior. iii, 8. πρὸς ἃ ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὸν, εἴτε κακὸν [*prout geſſit ſive bonum ſive malum*], ii Corinth. v, 10. qui loci præſertim verò ille i Corinthior. iii, 8. non tantùm differentem exitum bonorum malorumque videntur oſtendere, ſed & gradus non minùs præmiorum quàm pœnarum. De pœnarum gradibus illuſtres ſunt loci ſuprà xi, 22, 24. De præmiorum gradibus intelligi ſolet quod eſt apud Paulum i Corinth. xv, 41. Clemens Alexandrinus Strom. iv. εἰσὶ γὰρ παρὰ Κυρίῳ καὶ μισθοὶ καὶ μοναὶ πλείονες κατὰ ἀναλογίαν βίων [*ſunt apud Dominum & mercedes & habitationes multæ pro vitarum gradibus*]. Nec dubium eſt quin ea conſtans fuerit omnium veterum Chriſtianorum ſententia: πρᾶξιν [*actionem*] autem hîc intelligere debemus omnem hominis actum in quo bonitas aut malitia locum habeat, internum præcipuè, externum quatenus interno congruit.

28. οὐ μὴ γεύσονται θανάτου, *non guſtabunt mortem*] Idem eſſe γεύεσθαι θανάτου [*guſtare mortem*] & θάνατον θεωρεῖν [*mortem videre*] apparet Iohannis viii, 51, 52. Nimirum quia טעם [*guſtare*] Hebræis eſt experiri, Pſalmo xxxiv, 9. Proverbiorum xxx, 17. Adde Hebræorum ii, 9.

ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ. *in Regno ſuo*] Marcus exponit ἕως ἂν ἴδωσι τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ἐληλυθυῖαν ἐν δυνάμει [*donec videant Regnum Dei veniens in virtute*]. quæ verba ſatis clarè, ni fallor, indicant agi hîc de reſurrectione, adſcenſu in cœlum, miſſione Spiritus Sancti & propagatione Euangelii per ſigna & miracula; quibus certiſſimis teſtimoniis cognoſcebatur Chriſtum jam regnare. Meſſiæ autem Regnum & Hebræorum Magiſtris *regnum Dei* dicitur, & noſtris Scriptoribus paſſim. Vide Lucam xxii, 18. Atque adeò quæ de Regno Meſſiæ dicuntur in Pſalmo cx. ad ea quæ dixi tempora refert Petrus Actorum ii, 33, 34, 35, 36. Neque id ſuperioribus malè cohæret. Vt enim credant quod dixerat, ſe Iudicem humani generis fore, dicit propediem adfutura ſigna conſpicua Regni ſui; tunc ſcilicet præcipuè cùm ſceptrum ipſius, Lex Novi Federis, ex Sione eſſet exitura. Quanquam enim quorundam populorum inſtitutis diſtingui ſolent, ipsâ tamen rerum naturâ inter ſe cohærent βασιλεία, νομοθεσία, κρίσις [*Regnum, Legis datio, & Iudicium*]. Vide Iacobi ii, 8. iv, 12. Meritò igitur jubentur Iudicem credere quem viſuri ſunt Legis conditorem.

CAPVT XVII.

1. Μεθ' ἡμέρας ἓξ, *poſt dies ſex*] Matthæus deſignatum tempus poſuit: Lucas ſatis habuit παχυμερῶς [*craſſiùs*] loqui, ut ſolemus cùm à menſura aliqua celebriore non longè abſumus; ut ſi dicam *menſis eſt*, rectè dixiſſe intelligar etiamſi abſint dies aliquot. Quod enim Lucas dicit, ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ [*ferè dies octo*], tale eſt quale cùm vulgò dicimus *poſt ſeptimanam circiter*. Nam Iudæos *octo dies* appellaſſe id quod ab uno Sabbato eſt ad alterum, apparet Iohan. xx, 26. Ioſephus Ant. vii, cap. 9. cùm dixiſſet ἐπὶ ἡμέρας ὀκτὼ [*per dies octo*] ſtatim explicat ἀπὸ σαββάτου ἐπὶ σάββατον [*à Sabbato ad Sabbatum*].

τὸν Πέτρον καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, *Petrum & Iacobum & Iohannem*] Non dubito quin de duodecim Apoſtolis hi tres plurimos Chriſto diſcipulos collegerint: unde Petro vocabulum illud de quo antè egimus datum eſt, & cæteris duobus *Tonantium* nomen. Hos ergo Chriſtus aſſumſit, ut non duorum tantùm, ſed abundanter, trium ſcilicet teſtimonio res tanta conſtaret. Et ſicut futura Chriſti gloria tres habere teſtes debebat de cœlo & de terra totidem, Iohan. i, cap. v, 7, 8. ita & hoc ejus gloriæ rudimentum tres quaſi de cœlo teſtes habuit, Deum Patrem, Moſen, Eliam; tres itidem de terra, Petrum, Iohannem & Iacobum; Petrum Apoſtolici cœtus προεστῶτα· Iacobum qui primus Apoſtolorum ſanguine teſtimonium erat obſignaturus; Iohannem qui poſt omnes Apoſtolos ſuperſtes teſtimonium hoc ad ſequentem ætatem viva voce erat tranſmiſſurus. Cùm autem appareat Iacobum hunc Zebedæi fuiſſe filium, errant qui Syrorum Epiſtolis Iacobi, Petri & Iohannis hunc præfigunt titulum, *Tres Epiſtolæ trium Apoſtolorum ante quorum oculos Dominus noſter ſe transfiguravit*: niſi illam fortè Epiſtolam Iacobi Zebedaidæ crediderunt, contrà quàm veteres omnes ſentiunt, qui Iacobo Alphæi aut etiam Iacobo Epiſcopo Hieroſolymorum (quem à Iacobo Alphæi diverſum faciunt) eam aſſignant, haud dubiè temporum rationi congruentius. Similis eſt Auguſtini immemoria, qui ad hunc Iacobum, teſtem τῆς μεταμορφώσεως [*transformationis*], trahit id quod eſt ad Galatas; & Ambroſii, qui huic eidem tribuit cathedram Hieroſolymorum.

ἀναφέρει, *ſurſum ducit*] עלה ἀνάγειν & ἀναφέρειν vertunt Græci.

εἰς ὄρος ὑψηλὸν, *in montem excelſum*] Itabyrium haud dubiè, ut & vetus traditio habet, & ab aliis demonſtratum eſt. Neque obſtare huic ſententiæ Marci locum ix, 30. apertum fiet cùm eo erit ventum.

2. μετεμορφώθη, *transfiguratus eſt*] Μορφὴ [*forma*]

ſæpe Græcis eſt ὄψις, θέαμα, *facies rei exterior*, quam εἶδος vocavit Lucas. *Ita* Cicero, *Formam quaſi ipſam & tanquam faciem honeſti vides.* Et alibi *formam* & *figuram*, quanquam diſtinguunt Grammatici, promiſcuè uſurpat.

ἔλαμψε τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ὁ ἥλιος· *reſplenduit facies ejus ſicut Sol*] *Tanquam fulgur* dixerat Daniel x, 2. *Splendor ejus ut lux*, Abacuc III, 4.

λευκὰ ὡς τὸ φῶς. *alba ſicut lux*] Id eſt, ut lux Solis, non in Sole ſed alio corpore excepta, ſicut veſtes Chriſti ex ipſo Chriſti corpore lucem accipiebant: Talis autem lux ſolet candida apparere. Sic & Angeli paſſim nobis deſcribuntur veſtibus & candidis & coruſcantibus. Confer quod infrà XXVIII, 3. Marci XVI, 5. & Iohan. XX, 12. cum Luca XXIV, 4. Hoc eſt quod Herodes Agrippa imitari voluit veſte illa argentea de qua Ioſephus, ἔνθα ταῖς πρώταις τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐπιβολαῖς ὁ ἄργυρος καταυγασθεὶς θαυμασίως ἀπέστιλβε, μαρμαίρων τι φοβερὸν καὶ τοῖς εἰς αὐτὸν ἀτενίζουσι φρικῶδες [*deinde illapſu Solis radiorum illuſtratum argentum miro modo refulſit, rutilans ſic ut horrorem incuteret oculos in id defigentibus*]· quo conſpecto populus illum Deum vocavit, id eſt, Angelum, κρείττονα θνητῆς φύσεως [*ſuperiorem naturâ humanâ*], ut Ioſephus explicat. Similis apud Græcos Salmonei dementia,

——— *qui nimbos & non imitabile fulmen*
Ære & cornipedum curſu ſimulabat equorum.

Propiùs etiam accedit factum Clearchi Heracleenſium Tyranni, de quo Memnon Hiſtoricus hæc prodidit, τὸ πρόσωπον μὴ ἀνέχεσθαι ταῖς ἐκ φύσεως χρωματίζεσθαι βαφαῖς, ἄλλαις δὲ καὶ ἄλλαις ἰδέαις ποικιλλόμενον ἐπὶ τὸ στιλπνόν τι καὶ ἐρυθρὸν τοῖς ὁρῶσιν ἐπιφαίνεσθαι· ἐξαλλάττειν δὲ καὶ τοὺς χιτῶνας ἐπὶ τὸ φοβερόν τι καὶ ἁβρότερον [*non ſiviſſe eum faciem ſuam nativis tingi coloribus, ſed aliis atque aliis variatam formis in ſplendorem ac ruborem immutaſſe; variaſſe & veſtes ut & magnificentior & terribilior appareret*].

3. Μωσῆς καὶ Ἠλίας, *Moſes & Elias*] Alter Legis promulgator, alter Prophetarum nobiliſſimus, quos etiam in XL dierum jejunio Chriſtus expreſſerat, in hoc adſunt ut oſtendant, quod Lucas indicat, perpeſſiones Chriſti, tum Legis ritibus figuratas, tum Prophetarum oraculis prædictas. Vero autem ac ſuo corpore, in fidem Reſurrectionis & Chriſti & noſtræ, eos apparuiſſe eò credibilius eſt quia hæc corpora videri poſſunt à Deo in hunc uſum aſſervata. Nam Eliæ corpus in ſuperna raptum eſt, Moſis autem corpus non inventum, & cuſtoditum Angelico miniſterio ne perveniret in poteſtatem Diaboli τοῦ ἔχοντος τὸ κράτος τοῦ θανάτου [*habentis mortis imperium*], ut Scriptor ad Hebræos loquitur II, 14. quem *Angelum mortis* Hebræi vocant, & cujus imperio ajunt corpus in pulverem diſſolvi; quod ut rectè intellectum à vero non abit, ita ab illis magno fabularum cumulo involvitur. Sed quod dixi à putredine aſſervatum Moſis corpus, id indicare videtur in Epiſtola Iudas. Ioſephus autem de Moſe agens eum ait ἀφανισθῆναι [*ablatum conſpectui*], quomodo & de Enocho & de Elia loquitur. Ita ergo de perpeſſionibus Chriſti egerunt, ut ſimul reſurrectionem ei ſuam in ipſorum corporibus præfiguratam ob oculos ponerent. Apparuerunt autem horum quoque corpora ἐν δόξῃ [*cum claritate*], ſed minore haud dubiè quàm illa erat Chriſti, quantum ſcilicet ſidera Soli cedunt I Corinth. XV, 41. Atque hæc tum gloria illis quaſi pro mutuo data eſt, proprium ſolidumque jus adepturis poſtea. Nondum enim eo tempore acceperant τὴν τελείωσιν τῆς ἐπαγγελίας [*promiſſorum conſummationem*].

4. καλόν ἐστιν ἡμᾶς ὧδε εἶναι· *bonum eſt nos hîc eſſe*] Quid de cœna cœleſti exiſtimandum eſt, cujus promulſis adeò Petro allubeſcebat? Hæc omnia eò pertinebant ut adversùs futuras calamitates ſpe meliorum animi munirentur: Nam falli arbitror qui aliovorſum trahunt Petri verba.

5. νεφέλη φωτεινὴ, *nubes lucida*] Nubes ſignum Divinæ præſentiæ, ut Exodi XL, 34. lucida, ad diſcrimen legis veteris quæ data in nube denſa ac caliginoſa, quo diverſa temporum οἰκονομία [*diſpenſatio*] datur intelligi.

Οὗτός ἐστιν ὁ υἱός μου ὁ ἀγαπητὸς, *Hic eſt Filius meus dilectus*] Filius, non ſervus, ut Moſes Hebræorum III, 5, 6. & Prophetæ cæteri, Hebræor. I, 2. Vide & quæ ſuprà III, 17. Diſcit hîc Moſes plusquam prædixerat Deuteronomii XVIII, 18.

αὐτοῦ ἀκούετε. *ipſum audite*] Ἐμφατικῶς [*ſignificanter admodum*]. *Hunc audite* ſupra Moſen, ſupra Prophetas, ut complementum Moſis & Prophetarum. Sunt autem ipſa Moſis verba אליו תשמעון Deuteronomii XVIII, 15. quæ ita de Ieſu filio Nun, fortè etiam de Prophetis eum ſecutis, dicta ſunt ut Divina directione multò magis atque excellentiùs in hunc Ieſum, Dominum ac Principem Prophetarum, quadrent; quemadmodum Petrus, optimus Dei verborum interpres, nos docet Actor. III, 22. Et notanda ſunt quæ ſequuntur apud Moſen; quaſi dicatur, Poſtulaſtis ipſi ne Deus vobiſcum ſignis illis ad terrorem facientibus ageret: Præſtat Deus quod voluiſtis, *Verbum caro factum eſt: Inanivit ſe & ſervi formam induit*. En illum qui cùm vehementiâ τοῦ ζήλου [*zeli*] in domum Dei Eliam vincat, ſimul manſuetudine Moſen ſuperat. Non illi tonitrua, non caligo, non ignis de cœlo teſtimonium præbent, ſed blanda lux & comitas vocis paternæ.

6. ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν, καὶ ἐφοβήθησαν σφόδρα. *ceciderunt in faciem ſuam & timuerunt valde*] Non tam horror hic erat quàm ſtupor ob magnitudinem miraculi. Ideo Marcus in re ſimili dixit ἐξεθαμβήθησαν [*obſtupuerunt*] XVI, 5. ubi Lucas ἐμφόβων δὲ γενομένων [*cùm timerent*]. Quod autem præcedit, ἔπεσον ἐπὶ πρόσωπον αὐτῶν [*ceciderunt in faciem ſuam*], ad hunc ipſum ſtuporem potiùs quàm ad venerationem referendum eſt. Perculſi enim Apoſtoli & de ſtatu mentis dejecti, ut alii Scriptores nos docent, nihil aut loquebantur aut faciebant animi judicio. Sicut autem lux ſubita efficit ut oculos in terram dejiciamus, cujus rei exemplum eſt Lucæ XXIV, 5. ita mirum non eſt ſi major conſternatio corpora ipſa in terram dejiciat. Ita de ſe Daniel VIII, 17. inquit, ואפלה על פני [*corrui in faciem meam*], ubi LXX eâdem locutione πίπτω ἐπὶ πρόσωπόν μου. Præceſſerat autem ἐθαμβήθην [*pavens*]· qui locus hunc manifeſtè explicat. Neque videntur mihi quæ hîc ſequuntur aliam interpretationem pati. Confer locum Numerorum XVI, 22.

9. τὸ ὅραμα, *viſionem*] Vertere liceat *ſpectaculum*, quia *viſum* magis eſt φάντασμα, ut nos Cicero atque alii docent: quod tamen & ipſum ὅραμα ſæpe ſacris Scriptoribus Interpretibusque. Lucas quod hîc eſt ὅραμα aliquoties dixit ὀπτασίαν· utraque vox exprimit Hebræum מראה, quod eſt apud Prophetas & Danielem.

10. Τί οὖν οἱ γραμματεῖς λέγουσιν ὅτι Ἠλίαν δεῖ ἐλθεῖν πρῶτον; *Quid ergo Scribæ dicunt quòd Eliam oporteat primùm venire*] Adde ex ſequenti commate καὶ ἀποκαθιστάναι πάντα [*& reſtituere omnia*]. Nam utrumque tradebant Magiſtri Hebræorum, & venturum Eliam, & omnia curva correcturum. Imò & Eliam fore dicebant qui Meſſiam eſſet uncturus in Regem eumque populo notum facturus; quod pro certo affirmat Tryphon in diſputatione contra Iuſtinum. Quin hodiéque Iudæi ad omnes quæſtionum nodos ſolent dicere quod de Meſſia Samaritis, ὅταν ἔλθῃ Ἠλίας ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα [*ubi venerit Elias explicabit nobis omnia*]. Occaſio hujus dicti Apoſtolorum non aliunde petenda eſt quàm quòd Eliam vidiſſent quidem, ſed ita ut iterum abiiſſet è conſpectu. Atqui, inquiunt, ex recepta eruditiorum ſententia venire debebat non abiturus ſed omnia emendaturus, docturus populum, monſtraturus Meſſiam: πρῶτον [*primùm*] autem hîc eſt *ante manifeſtationem Meſſiæ*. Tryphon dicto loco de Meſſia ita loquitur: οὐδὲ ἔχει δύναμίν τινα μέχρις ἂν ἐλθὼν Ἠλίας χρίσῃ αὐτόν [*neque ullam habet facultatem priusquam Elias eum unxerit*].

11. ἔρχεται πρῶτον, καὶ ἀποκαταστήσει πάντα· *venturus eſt primùm, & reſtituet omnia*] Liquidum mihi videtur verba hæc eodem ſpectare quò ea quæ ſequuntur, ad Iohannem Baptiſtam ſcilicet. Nam finita omni hac oratione ſubjicitur Τότε συνῆκαν οἱ μαθηταὶ ὅτι περὶ Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ εἶπεν αὐτοῖς [*Tunc intellexerunt Diſcipuli quia de Ioanne Baptiſta dixiſſet eis*]. Quod autem futuro tempore dicitur ἀποκαταστήσει [*reſtituet*] (quomodo & ἔρχεται [*venturus eſt*] rectè explices per ἐλεύσεται) eò factum eſt quia oſtenditur veram fuiſſe veterem illam παράδοσιν [*traditionem*] rectè acceptam de venturo Elia; non quòd venturus adhuc eſſet cùm Chriſtus loqueretur. Planè ſimile eſt quod capite XI. dixit Chriſtus de eodem Baptiſta, Αὐτός ἐστιν Ἠλίας ὁ μέλλων ἔρχεσθαι [*Ipſe eſt Elias qui venturus eſt*]· non enim tum erat venturus: imò curſum ſuum ferme abſolverat morti vicinus. Sed ὁ μέλλων ἔρχεσθαι [*qui eſt venturus*] eſt ὃς ἔμελλεν ἔρχεσθαι [*qui erat venturus*]· ita hîc ἔρχεται καὶ ἀποκαταστήσει [*venit & reſtituet*], aut, ut Marcus loquitur, ἐλθὼν ἀποκαθιστᾷ [*veniens reſtituet*], nihil eſt aliud quàm ἔμελλεν ἔρχεσθαι καὶ ἀποκαθιστάναι [*erat venturus & reſtituturus*], quomodo & ſuprà II, 4. ποῦ γεννᾶται [*ubi naſcitur*], id eſt, μέλλει γεννᾶσθαι [*ubi naſcetur*], & XI, 3. ὁ ἐρχόμενος [*veniens*] eſt ὃς ἔμελλεν ἔρχεσθαι [*qui venturus erat*], Luc. XXIV, 44. ὅτι δεῖ πληρωθῆναι [*neceſſe eſt impleri*] pro ἔδει πληρωθῆναι [*neceſſe erat impleri*]. Veriſſimum hoc eſſe apparebit ſi conſiderare libeat unde ſumta ſit vox iſta ἀποκαθιστάναι [*reſtituere*]. Mihi pro certo eſt ſumtam ex Malachia, cujus poſtremum comma ita verterunt LXX, ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ [*qui reſtituet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ejus*]· ubi apparet השיב Hebræum verſum eſſe per ἀποκαταστήσει καρδίαν, non malè: nam ἀποκαθιστάναι inter cætera eſt *reponere in verum & naturæ congruentem ſtatum*. Ita membrum ἀποκαθίσταται cùm ſanatur, ſuprà XII, 13. & mores cùm emendantur. At hunc ipſum Malachiæ locum Angelus ita interpretatur ut eum oſtendat in Iohanne Baptiſta impletum iri, Αὐτὸς, inquiens, προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ ἐν πνεύματι καὶ δυνάμει Ἠλίου, ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα [*ipſe præcedet ante eum in ſpiritu & virtute Eliæ, ut convertat corda patrum in filios*]· nimirum τὸ ἀποκαθιστάναι [*reſtituere*] exponens per verbum ἐπιστρέψαι [*convertere*], & quod hîc eſt πάντα [*omnia*] fuſiùs ex Propheta explicans. Hæc ergo ἀποκατάστασις [*reſtitutio*] conſummata eſt cûm doctrinam pœnitentiæ publicavit Iohannes & baptiſmo obſignavit, κατευθύνων τοὺς πόδας εἰς ὁδὸν εἰρήνης [*dirigens pedes in viam pacis*], ut pater ipſius in carmine ſacro loquitur. Nam in verbis hujuſmodi ſæpe non tam fructus operæ quàm opera ipſa reſpicitur, quanquam & opera Iohannis fructu magno non caret. Angelo igitur contradicunt qui negant iſta Malachiæ verba Baptiſtæ poſſe aptari. Fateor ac do libenter, non ſolos Magiſtros Hebræorum qui Chriſti vivebant tempore, ſed & eos qui aliquot antè fuerunt ſeculis verba iſta κατὰ τὸ ῥητὸν [*ſecundum id quod ſonant verba*] accepiſſe. Nam & LXX ad vocem Ἠλίαν [*Eliam*] addiderunt Θεσβίτην [*Thesbiten*], & Eccleſiaſtici Scriptor verba illa Malachiæ ἐπιστρέψαι καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱὸν [*convertere cor patris ad filium*] ad eundem Thesbiten refert. Sed pleraque vaticinia ita ſunt concepta ut ante eventum intelligi vix queant. Neque dimovere nos ab hac verborum Malachiæ cœleſti interpretatione debet mentio ibidem facta *diei magnæ & terribilis* quam ante venturus ſit Elias, & quòd ſubjungitur, *ne percutiens feriam terram anathemate*. Hæc enim non ad commune de mundo judicium, ut multi putant, ſed ad eas pœnas referenda ſunt quæ Iudæos non emendatos manebant, quas Titi manu Deus exegit. Vide ſuprà III, 10. & Actorum II, 17. Scio objici veterem παράδοσιν [*traditionem*] de redituro Elia ante mundi exitum. Sed non quicquid Tertullianus credidit & aliis perſuaſit utique Apoſtolica traditio habenda eſt. Irenæus à diſcipulis Apoſtolorum manaſſe ait hanc traditionem, *Enochum & Eliam in paradiſum eſſe tranſlatos. Ibi eos manere usque ad conſummationem, coauſpicantes incorruptelam*, id eſt, ut in Græco fuiſſe ſuſpicor, προκαταρχομένους τῆς ἀφθαρσίας· quomodo & alibi de Enocho dixit, *conſervari eum teſtem juſti judicii Dei*. De reditu aut Enochi aut Eliæ nihil ne ibi quidem ubi tractat indicia adventûs Antichriſti. Si poſteriores Scriptores conſulere volumus, quorum in æſtimandis traditionibus non poteſt par eſſe auctoritas, diſſentit Procopius, diſſentit Primaſius, dubitat Nazianzenus; quod ſatis eſt ut liqueat nunquam hoc ita creditum quaſi diſſentire nefas eſſet. Ego verò arbitror perſuaſionem iſtam ab Hebræis ortam, in quorum libris reperimus Eliam poſt tempora Meſſiæ occultatum iri, iterumque ſe patefacturum in diebus Gog & Magog. Nam quia Apocalypſis quoque meminit τοῦ Γὼγ καὶ Μαγὼγ [*Gogi & Magogi*], ideo quicquid

aut in Prophetis dictum eſt de Gog & Magog, aut quicquid ad Prophetas adjecit Hebræa credulitas, ſolent Chriſtiani Scriptores ad Antichriſti tempora referre; quod multis exemplis probari poſſet, niſi ea tractatio rectiùs alii loco reſervaretur. Neque tamen nego eſſe & in ipſa Apocalypſi quod huic opinioni favere videatur; ubi nempe de duobus illis teſtibus agitur, quos alii Enochum & Eliam, Hilarius, ut mihi videtur, probabiliùs Moſem & Eliam vult intelligi; quia ſicut illud, *Ignis exibit de ore eorum* ad Eliam videtur pertinere, ita altero illo, *Poteſtatem habent ſuper aquas convertendi eas in ſanguinem*, Moſes videtur ſignificari. Sed etiamſi ipſa Moſis & Eliæ nomina ibi exſtarent, ut apud Malachiam exſtat nomen Eliæ, poſſemus, duobus maximis auctoribus, Chriſto & Angelo Dei, vaticinium illud interpretari de veri Doctoribus venturis in ſpiritu Moſis & ſpiritu Eliæ. Sed de hac re accuratiùs agemus ad ipſam Apocalypſin.

12. *ὅσα ἠθέλησαν. quæcunque voluerunt*] *Quicquid ipſis collibitum eſt*, Deo non impellente, ſed ſapienter permittente. Deeſt autem nominativus, qui diverſis modis ſuppleri poteſt. Mihi intelligendum videtur *Iudæi*, quæ vox tam Herodem & Galilæos proceres, quàm Pontifices, Senatores & Legisperitos, illos Baptiſtæ, hos Chriſti interfectores comprehendit.

14. *γονυπετῶν αὐτὸν, genibus provolutus*] Ita γονυπετὴς Euripidi *qui in genua procumbit*, Arato ὁ ἐν γόνασι, Latinis *nixus*. Lxx de Solomone Paralipomenôn II, cap. VI, 13. ἔπεσεν ἐπὶ τὰ γόνατα αὐτοῦ [*in genua ſua procidit*]. Γονυπετεῖν modò eſt *genibus advolvi*, quod dicitur προσπίπτειν τοῖς γόνασι, ut Lucæ V, 8. qua de re diximus ſuprà ad initium capitis octavi; modò *in genua procidere:* qui geſtus diverſi ſunt. De advolutione ad genua paſſim multa apud Homerum, Euripidem, Latinosque tum Poetas tum hiſtoriarum Scriptores. *Hominis genibus*, inquit Plinius, *religio quædam ineſt obſervatione gentium: hæc ſupplices attingunt*. Ad flexionem genuum pertinet illud ejusdem Scriptoris, *Regem adorant, genua ſubmittunt*. Et Ovidii iſtud,

Et genibus pronis ſupplex ſimilisque roganti.

Dicunt autem Helleniſtæ γονυπετεῖν τινι [*in genua accidere alicui*], ut hîc, & γονυπετεῖν τινα [*in genua ad aliquem accidere*], ut Marci I, 40. X, 17. pro eo quod eſt γονυπετεῖν ἔμπροσθέν τινος [*genu ante aliquem flectere*], ut infrà XXVII, 29. Lucas quoque pro γονυπετεῖν [*genubus provolvi*] aliquoties dixit θεῖναι γόνατα [*ponere genua*]. Marcus θέντες τὰ γόνατα προσεκύνουν αὐτῷ [*poſitis genubus adorarunt eum*], & Paulus γόνατα κάμπτειν [*flectere genua*]. Hoc quidem loco τὸ γονυπετεῖν poſteriore ſignificatu Syrus & Latinus Interpretes accipiunt.

15. *σεληνιάζεται, lunaticus eſt*] Vide quæ ſuprà ad caput IV. Cauſam hujus morbi fuiſſe dæmonium apparet infrà commate 18. Solent autem dæmones, qua pollent ſcientia, etiam naturales cauſas ad ſuam vim adjungere. Ita hic dæmon ea tempora occupare ſolebat quibus cerebrum eſt infirmius, quod Lunaribus intervallis contingere ſolet. Vide Avicennam libro III De morbis melancholicis. Eadem Pſelli ſententia.

17. *εἶπεν, Ὦ γενεὰ ἄπιστος καὶ διεστραμμένη, ait, O generatio incredula & perverſa*] Non in Apoſtolos hæc dicta ſunt, quorum tamen ὀλιγοπιστία [*fidei tenuitas*] infrà reprehenditur, ſed in patrem ægroti ejusque amicos, ut ex Marco liquet, ita tamen ut ex eorum exemplo commune Iudaicæ Gentis vitium accuſaretur. Sunt autem ſumta hæc verba ex Deuteronomio XXXII, 20. ubi Lxx, ὅτι γενεὰ ἐξεστραμμένη ἐστὶ, υἱοὶ οἷς οὐκ ἔστι πίστις ἐν αὐτοῖς [*Generatio enim perverſa eſt & infideles filii*]. Γενεὰν διεστραμμένην [*generationem perverſam*] dixit Paulus Philipp. II, 15. Diſcimus ex his verbis & quæ ſequuntur, Deum, ut miracula benefica hominibus præſtet, ἐπιτοπολὺ [*plerunque*] duo requirere, fiduciam in eo qui ſignum ſit editurus, & fiduciam in eo cui ſignum ſit profuturum; ita tamen ut magna atque excellens fiducia horum alterius ſupplere poſſit quod alteri deeſt. Neque id mirum, cùm omnia hæc eò tenderent ut commendaretur vis veræ in Deum fiduciæ, per quam beneficia æterna creduntur & credendo impetrantur, ut alibi explicatum eſt.

ἕως πότε ἔσομαι μεθ' ὑμῶν; ἕως πότε ἀνέξομαι ὑμῶν; quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos] Oſtendit Chriſtus ultima Divinæ erga Iudæos patientiæ tempora nunc agi, tacitè reſpiciens quod in Deuteronomio ſequitur de Gentium ſurrogatione.

20. *ἀπιστίαν, incredulitatem*] Ἀπιστίαν vocat τὴν ὀλιγοπιστίαν [*fidei tenuitatem*], comparatè ſcilicet ad eam quam pro ratione diuturnæ inſtitutionis & impoſiti muneris habere debebant fiduciam. Notandum autem voces πιστὸς [*fidelis*] & ἄπιστος [*infidelis*] aliter ſumi apud Græcos Scriptores, aliter apud Iudæos Helleniſtas. Græcis πιστὸς eſt *qui ſtat promiſſis*, ac proinde *dignus cui fidem habeas*; ἄπιστος, *perfidus:* quibus ſignificationibus eas voces & in his libris reperire eſt. At illud Helleniſtarum proprium πιστὸν dicere *eum qui credat alicui atque confidat*, ἄπιστον qui aliter ſit animatus. Ἀπιστίαν [*incredulitatem*] convenienter huic loco definit Clemens Alexandrinus ὑπόληψιν τοῦ ἀντικειμένου ἀσθενῆ ἀποφατικήν [*ſuſpicionem contrarii imbecilliter negativam*].

ὡς κόκκον σινάπεως, ſicut granum ſinapis] Proverbium inter Hebræos celebre exigit ut ad quantitatem hoc non ad qualitatem referatur, quomodo & ſuprà grani ſinapis tanquam rei minimæ facta eſt mentio. Latinè diceremus δεικτικῶς [*oſtenſivè*], *ſi vel tantillum haberetis fiduciæ:* quod cùm dicit Chriſtus, non negat eſſe aliquam Apoſtolis fiduciam, ſed, ut dixi, habitâ temporis & muneris ratione, dicit eam fiduciam eſſe minimâ minorem, hoc eſt, perquam exiguam.

ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, Μετάβηθι ἐντεῦθεν ἐκεῖ; dicetis monti huic, Tranſi hinc illuc] Et hoc proverbiale eſt, ut apparet ex Paulo I Corinth. XIII, 2. Senſus ergo eſt, Res difficillimas præſtaretis. Neque pugnant verba Chriſti qui *montes transferre* exiguæ fidei attribuit, & Pauli, qui ad maximam fidem hoc ipſum videtur referre. Nam illa exigua fides quam Chriſtus exigit ejus eſt menſuræ quæ miraculis quibusvis ſufficiat; ſupra quam ſi quid accedat id miraculorum efficientiam ad plenitudinem perductam augere non poteſt. Porro non agere hîc Chriſtum περὶ τοῦ χαρίσματος τῶν σημείων [*de dono ſignorum*], inde evincitur, quòd eo carere οὐκ ἔστι τῶν ψεκτῶν [*non eſt inter culpanda*], ſed habere potiùs raræ eſt felicitatis. Itaque fides hæc potiùs conditio eſt requiſita ad uſum doni. Hæc autem ipſa fides aptata beneficiis æternis ea eſt quæ dilectione accedente ad ſalutem proficit, ut dicto loco Paulus demonſtrat. Nam niſi dilectio accedat erit quidem illa fides, ſed non viva, non efficax. Fit autem viva atque efficax ubi diligenter expendimus non tantùm quid Deus poſſit ac polliceatur, verùm etiam quid à nobis exigat. Neque verò negarim etiam κατὰ τὴν κυριολεξίαν [*ſecundùm proprietatem locutionis*] interdum impletum quod hîc dicitur, cùm Nonnoſi precibus ingentis molis ſaxum ad Soracte translatum Martyrologia prodant; & idem ab Epiſcopo Armenio præſtitum inſtante Calipha Babylonio, anno milleſimo ducenteſimo quinto & viceſimo haud ſpernendi auctores ſint. At ſenſus allegoricus eſt, Nihil fore tam excelſum quod non ad eorum preces evaneſcat.

οὐδὲν ἀδυνατήσει ὑμῖν. *nihil impoſſibile erit vobis*] Græcis ἀδυνατεῖν ſumitur activè, ut apud Epicharmum,

Ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεός·
[*At Deus nîl non poteſt*;]

at noſtris Scriptoribus etiam paſſivè, ut & Lucæ I, 37. Οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα [*Non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*]. At quod hîc Apoſtolis dicitur, reſtringendum eſt ad ſubjectam materiam; Nihil non poteritis, eorum ſcilicet quæ ad teſtimonium doctrinæ & conciliandam muneri veſtro auctoritatem pertinebunt.

21. Τοῦτο δὲ τὸ γένος; *Hoc autem genus*] Hoc genus malorum ſpirituum quod in pœnam facinorum & quidem graviorum immittitur. Hanc enim veram eſſe hujus loci interpretationem exiſtimo. Nec obſtat quod apud Marcum eſt, Vexatum hunc fuiſſe à malo ſpiritu παιδιόθεν. Neque enim certum eſt verti debere *ab infantia*, cùm παιδία [*pueri*] Græcis dicantur etiam qui ad ætatem vitiorum capacem pervenerunt. Syro igitur aſſentior qui iſto loco eam poſuit vocem quam adoleſcentiæ potiùs quàm infantiæ convenire collatio loci alterius, qui eſt XVIII, 4. declarat.

ἐν προσευχῇ καὶ νηστείᾳ. *per orationem & jejunium*] Suprà dixerat Chriſtus fiduciâ opus eſſe ad hæc præſertim notæ majoris miracula. Nunc oſtendit quomodo ea parari poſſit, precibus nimirum fervidis. Iejunium ideo adjungit, quia ad preces imprimis requiritur animus demiſſus, cui rei inſervit jejunium. Vnde plerumque conjungi videmus νηστείαν [*jejunium*] & δέησιν [*orationem*] ſive προσευχὴν [*preces*], Lucæ II, 37. Actorum X, 30. XIV, 23. I Corinthior. VII, 5. Vide ſi libet Iachiaden ad Danielis X, 3. Vtinam verò nunc quoque inter Chriſtianos neque vileſcant jejunia, neque εἰς τὸ θεατρικὸν καὶ παρατράγῳδον [*theatrale & quaſi tragicum*] degenerent. Certè diabolos vitiorum gerere imaginem paſſim apparet. Quare ſententia quam Chriſtus hac occaſione in perpetuum valituram eſt elocutus, hoc ſignificat, eſſe quædam tam gravia aut tam adulta vitia quæ niſi magno niſu humilis precationis nequeant expugnari.

22. Ἀναστρεφομένων, *converſantibus*] *Verſantibus*: nam *revertentibus* hîc locum habere non poteſt, cùm quæ hactenus narrata ſunt appareat geſta eſſe in deſcenſu à monte Itabyrio qui eſt in Galilæa. Geſta hæc igitur in itinere à partibus Nazaretæ vicinis lacum versùs. Vide quæ ad Marcum.

παραδίδοσθαι, *tradendus eſt*] Varius in hac re uſus eſt hujus vocabuli. Nam & Pater dicitur Filium tradidiſſe, quia eum malorum hominum poteſtati permiſit; & Filius ſeſe, quia volens mortem ſubiit; & Iudas eum tradidiſſe Pontificibus & Legisperitis, & Pontifices ac Legisperiti Pilato, & Pilatus militibus. Ego, cùm hîc ſimpliciter dicatur εἰς χεῖρας ἀνθρώπων [*in manus hominum*], putem de Patre hæc intelligenda, qui Filium ita hominibus tradiderit ut ei fecerint quod ipſis eſt collibitum, ut ſuprà Chriſtus loquebatur commate 12. Neque abſurdum fortè ſit ſi eodem modo interpretemur id quod ſuprà eſt IV, 12. ὅτι Ἰωάννης παρεδόθη [*quod Ioannes traditus eſſet*]. Nam *Dei* nomen in verbis ſubintelligi ſatis uſitatum eſt.

24. οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες, *qui didrachma accipiebant*] Non Publicani Romanorum; nusquam enim inter Romana tributa Didrachmum invenies; ſed miſſi à Sacerdotibus quos שלוחים [*miſſos*] Hebræis, Helleniſtis ἀποστόλους aut ἀποδοχέας [*receptores*] vocari alibi diximus. Nam δίδραχμον [*didrachmum*] hoc à Iudæis penſitatum eſt in uſum Templi ad ipſa Veſpaſiani tempora; de quo miror dubitari, cùm clara ſint Ioſephi verba de Veſpaſiano, φόρον δὲ τοῖς ὁπουδήποτ' οὖσιν Ἰουδαίοις ἐπέβαλε, ΔΥΟ ΔΡΑΧΜΑΣ ἕκαστον κελεύσας ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς τὸ Καπετώλιον φέρειν, ὥσπερ πρότερον εἰς τὸν ἐν Ἱεροσολύμοις νεὼν συνετέλουν [*tributum autem viventibus ubicunque Iudæis impoſuit* DRACHMAS DVAS, *quas quotannis Capitolio penderent, quantum ante Templo Hieroſolymitano inferre ſolebant*]. Notavit idem Maimonides libro cui *Manus* nomen, lectione III. titulo ſeptimo, qui eſt de Siclo; Suetonius quoque Domitiano & Dion Coccejus. Appianus Syriacis φόρον σωμάτων [*tributum corporum*] vocat. Ita quod ultro pendebant Iudaicæ religionis homines, in neceſſitatem uſusque longè alios verſum eſt: quomodo Theodoſius quoque & Valentinianus aurum coronarium, quod dare Iudæi Patriarchis ſuis ſolebant, compulſu exigi & ſuis largitionibus inferri juſſerunt. Neque dubium quin de Didrachmo hoc Veſpaſianeo agat Martialis cùm τὴν τῶν Ἰουδαίων περιτομὴν [*Iudæorum circumciſionem*] obſcœniùs eloquens *damnatam* ait *tributo*. Et hæc eſt, ni fallor, *calumnia fiſci Iudaïci ſublata* poſtea, ut nummi veteres teſtantur. Nullum enim aliud onus impoſitum peculiariter τοῖς Ἰουδαΐζουσι [*Iudaizantibus*] legimus. Ortum habuit τὸ δίδραχμον [*Didrachmum*] ex ipſa Moſis lege. Nam Deus per Moſen juſſerat in uſum Tabernaculi capitatim pendi σίκλου τὸ ἥμισυ [*dimidium ſicli*], inquit Ioſephus: addens, ὁ δὲ σίκλος νόμισμα Ἑβραίων ὢν δέχεται δραχμὰς τέσσαρας [*Siclus autem nummus Iudæorum continet drachmas quatuor*], nempe Atticas, quod ipſe alibi adjicit. Quod apud LXX eſt, Δώσουσι τὸ ἥμισυ τοῦ διδράχμου κατὰ τὸ δίδραχμον τὸ ἅγιον [*Dabunt dimidium Didrachmi juxta ſacrum didrachmum*], verbis differt, re idem eſt; nam LXX ubique Drachmis utuntur duplaribus, id eſt, Alexandrinis: Ioſephus autem ut & hîc Matthæus de Drachma Attica agunt. Quanquam verò plerique

Hebræorum putant legem illam Moſis fuiſſe perpetuam, mihi tamen magis placet eorum ſententia qui temporariam fuiſſe exiſtimant, ſed temporibus ita exigentibus repetitam. Nam quoties decimæ cæteræque obventiones Leviticæ, accedente etiam Regum liberalitate, ut videre eſt I Paralipomenôn XXVI, *26*, 27. ad Templi neceſſitates ſufficiebant, quid opus erat tributo Didrachmi? At poſt defectionem Decem Tribuum multùm imminutis reditibus Levitarum, cœpit iterum ad exemplum legis antiquæ Didrachmum imperari, II Paralipomenôn XXIV, *6. 9.* Nehemias verò rationem, ut credibile eſt, habens præſentis paupertatis, & onerum quibus populus premebatur, pro ſemiſſe Sicli imperavit trientem, quod Græci Interpretes vocant τρίτον τοῦ διδράχμου [*tertiam partem didrachmi*], nempe Alexandrini. Sed poſtea ad Didrachmum commune reditum ex Ioſepho vidimus; atque id penſitatum non modò ab his qui ſub Synedrii qualicunque poteſtate vivebant, ſed etiam in Galilæa, imò & per totum terrarum orbem, ſed ab his ſponte ac religione privata. Et Hieroſolymis quidem colligebatur Didrachmum in ipſo Templo XXV die menſis Adar à menſariis ei negotio præpoſitis. In aliis partibus idem factum per alios. Locus eſt inſignis & ad horum verborum interpretationem perutilis apud Ioſephum Originum XVIII, 12. ubi de Iudæis agens qui erant τῆς Βαβυλωνικῆς διασπορᾶς [*in Babylonica diſperſione*], & de urbe Niſibi, Ἰουδαῖοι, inquit, τῇ φύσει τῶν χωρίων πεπιστευκότες τὸ δίδραχμον τῷ Θεῷ καταβάλλειν ἑκάστοις πάτριον ταύτῃ κατετίθεντο [*Iudæi freti locorum ingenio didrachmum quod à ſingulis Iudæis pendi mos habet, ibi depoſuerant*]. Maimonides in urbe Nehardea idem factum memorat. Quare aut ad δίδραχμον [*Didrachmum*] propriè pertinet, aut certè δίδραχμον etiam comprehendit, quod Cicero pro Flacco ait *aurum Iudæorum nomine quotannis ex Italia & ex omnibus Romanis provinciis exportari ſolitum*; & quod Tacitus ait *tributa & ſtipes Hieroſolyma congeri ſolita*; & Philonis locus II De Monarchia, σχεδὸν κατὰ πᾶσαν πόλιν ταμεῖον τῶν ἱερῶν χρημάτων ἐστὶν, εἰς ὃ παραγινομένοις ἔθος ἀπάρχεσθαι· καὶ χρόνοις ὡρισμένοις ἱεροπομποὶ τῶν χρημάτων εἰσὶν ἀριστίνδην ἐπικριθέντες [*ferme in quavis urbe arca eſt ſacrarum pecuniarum, in quam mos eſt accedentes ſingulos aliquid inferre: deinde ſacri legati certis temporibus veniunt, delecti ex optimis*]. Item edicta illa tum Auguſti, tum Præſidum Romanorum, quorum apud Philonem & Ioſephum frequens mentio, quæ Iudæis permittunt colligere pecunias & Hieroſolyma deferre.

οὐ τελεῖ τὰ δίδραχμα; *non ſolvit didrachma?*] Non pro imperio agunt, ut aut Romanorum aut Regis Herodis publicani, ſed quærunt an ſolvere ſoleat. Credibile eſt multos, quia non cogebantur, id onus detrectaſſe. Norbanus in edicto ad Sardianos ex Auguſti imperio permittit Iudæis ea colligere quæ tribuebantur ἐκ τῆς ἰδίας προαιρέσεως, εὐσεβείας ἕνεκα τῆς πρὸς τὸ θεῖον [*ſponte ſua ex pietate in Deum*]. In his erat τὸ δίδραχμον [*Didrachmum*], ut jam diximus.

25. οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς ἀπὸ τίνων λαμβάνουσι τέλη; *Reges terræ à quibus accipiunt tributum?*] Similitudinem à Regibus terræ ad cœli Regem deducit hoc modo, Videmus paſſim à Regibus immunes tributorum haberi, ſi non & alios, certè filios ſuos; Philo plus dicit, τοῖς βασιλέων ἑταίροις ἄξιον μὴ μόνον ἐλευθερίαν, ἀλλὰ καὶ ἀρχὴν συνομολογεῖν [*Regum amicis æquum non libertatem tantùm ſed & imperium aliquod tribui*]. At hoc δίδραχμον [*Didrachmum*] nomine Dei exigitur: Quis igitur dubitet quin Deus me Filium ſuum unicum, qui נגיד, id eſt, *Princeps*, Danieli IX, 25, *26*. velit hoc onere ſublevatum? Imò Filius major eſt Templo, ſuprà XII, *6.* non ſolet autem major minori tributum pendere. Ex mente igitur ipſius Dei, cujus negotium ſe agere Sacerdotes dicebant, liberum ſe Chriſtus probat. Plurali numero utitur non quòd ad alios eam extendat libertatem, ſed quòd comparatio id exigebat ſumta non ab unius ſed ab omnium Regum more ac conſuetudine. Dei nomine exactum hoc tributum ex Ioſepho vidimus, qui dicit τὸ δίδραχμον τῷ Θεῷ καταβάλλειν [*Didrachmum Deo perſolvere*]. Tum illud huc potiſſimum pertinet quod Titus apud Ioſephum obſeſſis commemorat, δασμολογεῖν ὑμῖν ἐπὶ τῷ Θεῷ ἐπιτρέψαμεν [*ſub Dei nomine tributa vobis colligere permiſimus*]· quod ipſum evidenter oſtendit manſiſſe hunc morem ad excidii tempora. Tributum ab Auguſto indictum, quod non Iudæorum erat proprium onus ſed commune omnium provinciarum, ut jam dicere cœpimus, non eſt hujus loci; multóque minus id quod Agrippa remiſit non Iudæis ſed Hieroſolymitis, id enim non perſonarum ſed domuum erat onus.

κῆνσον; *cenſum*] Vox apud Hebræos poſteriores frequens, cœpta apud ipſos uſurpari à Pompejanis temporibus. Ita autem vocantur onera quævis aut perſonarum aut prædiorum, ut ex titulo Digeſtorum De cenſibus apparet.

26. ἀλλοτρίων. *ab alienis*] Ἀλλότριοι [*alieni*] hîc opponuntur filiis familiarum. Ita in Iure Romano ſumitur vox *extranei heredis*.

27. σκανδαλίσωμεν, *ſcandalizemus*] Ne dicant à me Templum contemni. Docet nos Chriſtus exemplo ſuo etiam cum diſpendio aliquo, ſi ita opus ſit, redimere ſiniſtras ſuſpiciones.

εὑρήσεις στατῆρα· *invenies ſtaterem*] Videntur verba magis id innuere, notum Chriſto in eo piſce eſſe ſtaterem quàm factum ut ſtater in piſce exiſteret. Cùm autem ſtater valeret τετράδραχμον [*drachmas quatuor*], arrepta à Chriſto eſt hæc occaſio Petrum ſimul ſublevandi. Credibile omnino eſt exactum δίδραχμον [*Didrachmum*] eo loci ubi quiſque larem habebat. Chriſtum Capharnaumi habitaſſe extra controverſiam eſt. Vide ſuprà IV, 16. Petrus olim Bethſaidæ habitaverat; ſed ex quo rebus relictis Chriſto aſſiduus comes hæſerat, in ipſius familia cenſebatur.

ἀντὶ ἐμοῦ καὶ σοῦ. *pro me & te*] Id eſt, *meam tuamque vicem.* Nam hoc eſt Græcis ἀντὶ, & Syris חלף.

CAPVT XVIII.

1. EN ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, *In illa hora*] Etiam aliàs, ut ex collatione Scriptorum videtur colligi, hac de re egerunt, ſed tunc præcipuè, auditâ toties reſurrectionis mentione; qua peracta, velut hoſtibus devictis, Chriſti Regnum non merè ſpirituale,

verùm etiam adſpectabile, quale Iudæi omnes ſperabant, inchoatum iri arbitrabantur. Vide Actorum I, 6.

Τίς ἄρα μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν; *Quis, putas, major eſt in Regno cælorum*] Quis ipſorum ſcilicet, ut Lucas indicat: & μείζων eſt *maximus*, ut alibi notatum eſt: ἐν βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν [*in Regno cælorum*] idem eſt quod ἐν τῇ βασιλείᾳ [*in Regno*] aut ἐν τῇ δόξῃ τοῦ Χριστοῦ [*in gloria Chriſti*] infrà XX, 21. Marci X, 37. Non dubitabant quin præcipua regni munia ad ipſos ut domeſticos Regis eſſent perventura; ſed inter ipſos quis principem, quis deincipem locum eſſet obtenturus æmulantes inter ſe diſputabant. Nam quod paulò pòſt exigit Zebedæi uxor ut ſui liberi à dextra ſiniſtraque Chriſto aſſideant, nihil eſt aliud quàm ut duo prima regni munia ipſis dentur, qualia erant in Synedrio munia ejus qui נשיא [*princeps Senatûs*] & ejus qui אב בית דין [*Pater curiæ*] vocabantur.

2. προσκαλεσάμενος παιδίον, *advocans Ieſus parvulum*] Illud προσκαλεσάμενος [*advocans*] oſtendit fuiſſe majuſculum, ut qui ambulare poſſet. טליא eſt apud Syrum. Hac autem adhibita conſpicua imagine ſententiam quæ ſequitur altiùs imprimit animis ac memoriæ.

3. ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παιδία, *niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli*] Deſtrictè ſatis Chriſtus Apoſtolis imperat iſtud eminendi ſtudium ex animo evellere. Ariſtoteles virtutibus annumerat τὴν μεγαλοψυχίαν [*magnanimitatem*], qua qui ſit præditus τιμῆς [*honore*], ut ipſe loquitur, ἑαυτὸν μάλιστα ἀξιοῖ [*ſemet maximè dignum ducit*]. Addit τὰς δυναστείας διὰ τὴν τιμὴν εἶναι αἱρετά [*imperia expeti honoris causâ*]. Negat etiam eum talis qui ſit libenter iturum οὗ πρωτεύουσιν ἄλλοι [*ubi alii priores obtinent partes*]. At contrà μικροψυχίαν [*puſillitatem animi*] in vitio ponit, ut per quam bono quo quis dignus ſit ipſe ſe privet. Et ex hoc præſcripto vixiſſe apparet Græcos Romanosque penè omnes, etiam qui maximè laudantur. Meliùs Plato De republica primo, imperium ait eſſe procurationem rei alienæ; neminem autem eſſe qui alienis negotiis immiſcere ſe ſtudeat niſi propter mercedem: mercedem autem aut in pecunia aut in honore conſiſtere: Cùm verò vir bonus ac ſapiens neque φιλάργυρος [*pecuniæ appetens*] ſit, neque φιλότιμος [*honorum appetens*], ſequi ut publicos honores ne cupiat quidem, niſi fortè mali alicujus gravioris evitandi causâ, utpote ſi alioqui videret in malorum hominum poteſtatem perventuram rempublicam. Εἴ τις ἐπισκοπῆς ὀρέγεται, inquit Paulus, καλοῦ ἔργου ἐπιθυμεῖ [*Siquis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*], ſed iis temporibus, cùm Præfectura Eccleſiaſtica onus eſſet graviſſimum, mille periculis expoſitum, & frequentiſſimum habens exitum mortis violentæ. Quòd ſi tum nemo ſe ſtuduiſſet ei muneri reddere idoneum, ſecutura erat vaſtities Eccleſiarum cum magno diſpendio veritatis. At qui rebus ſecundis ac placidis munera Civilia aut Eccleſiaſtica ſtudioſè affectant, vix eſt ut abſint ab hoc φιλαρχίας [*ambitûs*] vitio, quod quàm ſaluti ſit contrarium diſcimus ex Chriſti verbis. Imò ſæpe ad φιλαρχίαν [*ambitum*] etiam φιλαργυρία [*habendi cupido*] accedit & cupido vitæ paulò molliùs tranſigendæ. Id verò jam non cum Chriſti tantùm regulis ſed cum naturali etiam æquitate pugnat, tutelam alienæ rei ſibi depoſcere non hoc maximè voto ut alteri proſis, ſed ut tibi; quòd, ut alia omnis abſit injuria, ipſum per ſe ſatis injuſtum eſt. Puero autem ſimiles vult fieri Chriſtus ſectatores ſuos, quòd ea ætas longiſſimè abſit ab iſto ſtudio, quod ne ad juventam quidem ſed ad virilem & robuſtam ætatem referri ſolet. nam, ut Horatius ait,

Converſis ſtudiis ætas animusque virilis
Quærit opes & amicitias, inſervit honori.

οὐ μὴ εἰσέλθητε εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *non intrabitis in Regnum cælorum*] Tantum abeſt ut primas ſedes habituri ſitis, ne partem quidem habebitis in Regno cœleſti. Diſcipuli voce *Regni cæleſtis* intelligebant cum Hebræis cæteris regnum adſpectabile, ſed de cœlo datum. Chriſtus veram Regni ſui naturam explicandam aliis temporibus reſervans, agit de gloria poſt Reſurrectionem, quæ & ipſa *Regnum cæleſte* & quidem excellentiſſimè dici ſolebat. Ita ſæpe à pane hujus vitæ ad panem vitæ alterius nos revocat.

4. ὡς τὸ παιδίον τοῦτο, *ſicut parvulus iſte*] Ἔλλειψις [*defectus*]. Subauditur enim ταπεινόν ἐστι [*ambitûs expers eſt*]. In Pſalmo CXXXI. quò manifeſtum eſt Chriſtum reſpicere eadem eſt ἔλλειψις [*idem defectus*]. LXX ſic habent, εἰ μὴ ἐταπεινοφρόνουν ὡς ἀπογεγαλακτισμένον ἐπὶ τὴν μητέρα αὐτοῦ [*ſi non humiliter ſentiebam ſicut ablactatus à matre ſua*]. Neque enim ταπεινοφρονεῖ τὸ βρέφος [*infans humiliter ſentit*] ſed ταπεινόν ἐστι [*ambitûs eſt expers*]. Quales igitur pueri naturâ ſunt, ab ambitu ſcilicet alieni, tales nos eſſe jubemur τῇ προαιρέσει [*animi propoſito*]. Simile eſt quod Paulus nos vult τῇ κακίᾳ νηπιάζειν [*malitiâ eſſe parvulos*] I Corinth. XIV, 20. id eſt, ἀκάκους εἶναι [*innocentes eſſe*], quales ſunt pueri. Clemens Alexandrinus Pædagogi I, capite 5. cujus hic eſt titulus, Ὅτι πάντες οἱ περὶ τὴν ἀλήθειαν καταγινόμενοι, παῖδες παρὰ τῷ Θεῷ [*Omnes qui veritati ſtudent, pueros eſſe apud Deum*] multa habet in hanc rem; iſtud inter cætera, Παῖδες οὖν εἰκότως οἱ Θεὸν μόνον ἐγνωκότες πατέρα, ἀφελεῖς καὶ νήπιοι καὶ ἀκέραιοι [*Bene itaque pueri diountur qui Deum ſolum patrem novere, candidi, innocentes, ſinceri*]. Notum illud Euripidis,

Νέα γὰρ φροντὶς οὐκ ἀλγεῖν φιλεῖ.
[*Curæ non amans ætas nova eſt.*]

& Menandri iſtud,

Ἀγωνίαι, δόξαι, φιλοτιμίαι, νόμοι,
Ἅπαντα ταῦτ' ἐπίθετα τῇ φύσει κακά.
[*Leges, honores, ambitus, certatio,*
Mala hæc adſcita nobis ſunt, non adſita.]

Et Plato de juvenibus dixit οὐκ ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς παραδείγματα ὁμοιοπαθῆ τοῖς πονηροῖς [*non habere eos in ſe notas impreſſas animi quales habent homines depravati*]. Docebat Pythagoras, teſte Iamblicho, τὸ τῶν ἐπιθυμιῶν τῶν ἰσχυρῶν, ὡσαύτως δὲ καὶ αὐτὸ τὸ τῶν φιλοτιμιῶν γένος, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς λοιπὰς ὁρμάς τε καὶ διαθέσεις, ὅσαι τυγχάνουσιν οὖσαι τοῦ χαλεποῦ τε καὶ θορυβώδους γένους, ἐκ τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἡλικίας εἰς τὴν τῶν νεανίσκων ἀφικνεῖσθαι [*appetitionum illarum vehementiorum ut & ambitionis genera, cæteros præterea impetus morbosque animi* *qui difficilem reddunt turbidamque vitam, à virili ætate ad juvenilem manare*]. Chalcidius ad Timæum, *avaritia, libido, crudelitas cæteraque hujuſmodi peſtes nihil in pueritia grande deſignant, ſed ſunt confirmatâ jam ætate noxia.* Apud Senecam epiſtola XXII. Natura ſic loquens inducitur, *Quid hoc eſt? ſine cupiditatibus vos genui, ſine timoribus, ſine ſuperſtitione, ſine perfidia cæteriſque peſtibus: quales intraſtis exite.* Muſonius ait gaudere nos & dolere præter rectam rationem, διὰ τὴν ἀπὸ παίδων εὐθὺς γεγονυῖαν ἡμῖν διαφθορὰν, καὶ τὴν ὑπὸ τῆς διαφθορᾶς συνήθειαν πονηρὰν [*per mala exempla quæ à prima ætate nos depravant, & ei conſectaneam malam conſuetudinem*].

5. δέξηται, *ſuſceperit*] Vox δέχεσθαι [*ſuſcipere*], quæ propriè hoſpitalitatem notat, hîc pro omni beneficiorum genere accipitur, ut Actor. XXI, 17. quod apparebit ſi Marci locum IX, 41. cum iſto conferas.

παιδίον τοιοῦτον, unum parvulum talem] Ex ſimilitudine fit tranſlatio, ut ſæpe. Ergo παιδίον τοιοῦτον [*parvulum talem*] eſt οὕτως ταπεινόφρονα [*qui ſic ſit expers ambitûs*], *qui ſit ſicut puer iſte*, ut vertit hîc Syrus. Oſtendit Chriſtus quanti hanc virtutem faciat, cùm non his tantùm qui eâ ſunt præditi primas ſedes pollicetur in Regno cœleſti, ſed & beneficia in ipſos collata ſibi patitur imputari.

6. Ος δ' ἂν σκανδαλίσῃ, Qui autem ſcandalizaverit] Evenire plerumque ſolet ut qui demiſsè ſe gerunt contemnantur ab aliis. Is autem contemtus fieri non poteſt quin ſæpe optimum quemque à ſtudio pietatis abſterreat. Hoc Chriſtus fieri non negat; ſed gravia minatur contemtoribus. Ita ſumta vox σκανδαλίζειν [*ſcandalizare*] ſimul & beneficiis de quibus actum eſt opponitur, & ſenſum tamen à ſequentibus diverſum non habet.

ἕνα τῶν μικρῶν τούτων τῶν πιστευόντων εἰς ἐμὲ, unum de puſillis iſtis qui in me credunt] Id eſt, κἂν τῶν μικρῶν [*quamvis puſillis*]. Non tantùm ſi Prophetam aliquem aut alium magni profectus Chriſtianum contemſerit, ſed ſi vel eum ſpreverit qui in minimo eſt verè credentium cenſu. Ita vox μικρῶν [*parvorum*] & ἐλαχίστων [*minimorum*] accipi ſolet. Vide quæ ſuprà V, 19. & X, 42. & infrà XXV, 40. Solent etiam qui ad ſummum gradum pervenerunt interdum commoveri nonnihil improborum injuriis; quod non rectè hîc negare videtur Origenes; ſed illi maximè qui in tyrocinio ſunt pietatis.

συμφέρει αὐτῷ, expedit ei] Pro συμφέρῃ ἂν αὐτῷ [*expediret ei*]. Et deeſt ἀνταπόδοσις [*redditio*], quæ ex collatione idem narrantium ita ſupplenda eſt, *potiùs quàm tale quid committeret.*

μύλος ὀνικὸς, mola aſinaria] Quanquam catillus Græcis ὄνος [*aſinus*] dicitur, pars ſcilicet molæ non inferior, ut quibuſdam placet, ſed ſuperior, ὁ ἀλέτων Polluci, τὸ ἄνω τῆς μύλης Heſychio, Hebræis רכב, tamen ut id ipſum dicatur μύλος ὀνικὸς [*mola aſinaria*] ſine exemplo eſt, neque id patitur ἀναλογία [*congruentia formandarum dictionum*]. Omnino ergo verum eſt adjectum ὀνικοῦ ἐπίθετον [*aſinariæ vocem appoſitam*] ut molam indicet majorem ac graviorem, qualis eſt quæ non manu ſed aſinorum operâ verſari ſolet; quomodo & Syrus & Latinus Interpres intellexerunt. Ita *jumentarias* molas *manuariis* opponunt Labeo, Caſcellius, Trebatius: μύλου [*molæ*] autem nomine συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] hîc intelligitur *ſaxum molare*; quo ſenſu & in Apocalypſi Iohannes dixit μύλον μέγαν [*molam magnam* ſive *lapidem molarem magnum*] XVIII, 21. Docet id Marcus hoc loco qui μύλον [*molam*] exponit λίθον μυλικὸν [*lapidem molarem*], inferiorem ſcilicet eundemque majorem, quam *metam* vocat Paulus Iuriſconſultus, τράπεζαν Græci, Hebræorum Magiſtri שכב. Nam רחים putant nomen eſſe utrique ſaxo commune. Morem hunc καταποντισμοῦ [*demerſionis*] ſaxo ad collum appenſo uſitatum Iudæis fuiſſe vix crediderim, cùm nulla ejus in Lege exſtet mentio: imò ſola quatuor ſupplicia apud eos nota fuiſſe ex omni hiſtoria & Interpretum conſenſu appareat, Ignem, Lapidationem, Gladium, Strangulationem. Quare à vicinis Syris tractum hoc loquendi genus. Nam & in Euſebii hiſtoria inveniemus exempla βυθισμοῦ [*merſionis*] in Syria. Mos idem in Græcia. Scholiaſtes ad Equites Ariſtophanis, ὅταν γὰρ κατεπόντουν τινὰς, βάρος ἀπὸ τῶν τραχήλων ἐκρέμων [*ubi mergebant aliquem, de collo ponderoſum aliquid appendebant*].

7. Οὐαὶ τῷ κόσμῳ, Væ Mundo] Κόσμου [*mundi*] nomine ut ſæpe humanum genus hîc intelligitur, in quo ſunt & οἱ σκανδαλίζοντες [*ſcandalizantes*], & οἱ σκανδαλιζόμενοι [*ſcandalizati*], qui ſcilicet offenſi aliorum improbitate aut à pietate deficiunt aut alioqui graviter delinquunt. De his agit Chriſtus commate 8, 9. de illis autem commate 10. Vtriuſque generis infelicitatem Chriſtus deplorat. Nam אוי [*væ*] Hebræum & ſumtum inde οὐαὶ Helleniſtarum plerumque dolentis vox eſt: pro quo οἴμοι interdum ponunt LXX, ut Pſalmo CXX, 5.

ἀνάγκη, neceſſe] Multi hoc dictum putant ad indicandam neceſſitatem quam vocant *conſequentiæ*, poſitâ ſcilicet illâ *pravitate in qua ſitum mundum* Iohannes prædicat 1 Epiſt. V, 19. Ego, ſicut hanc à Chriſto poni atque ſubſterni non nego (quo ſenſu M. Antoninus Imperator dixit, οὐ δύναται ἐν τῷ κόσμῳ ἀναίσχυντοι μὴ εἶναι [*fieri non poteſt ut in mundo non ſint inverecundi*]), ita vocem ἀνάγκης [*neceſſitatis*] aliò referendam puto, ad finem nimirum ob quem Deus, in cujus poteſtate ſunt homines humanæque actiones, offendicula non impedit vi majore ſed permittit. Ariſtoteles fine II ἀκροαματικῶν [*librorum interioris auditionis*], & capite primo libri primi De partibus animantium, ait ἀνάγκην [*neceſſitatem*] ſæpe non ex materia ſed ex fine dici, quando ſcilicet εἰ ἐκεῖνο ἔσται τὸ οὗ ἕνεκα, ταῦτα ἀνάγκη ἐστὶν ἔχειν [*ſi hoc eſt cujus causâ eſt illud, illud oportet ſic ſe habere*], quam neceſſitatem ait præteritam à Phyſicis qui ante Democritum, cùm tamen ſit potiſſima. Ita ſerram ait ferream eſſe ut dentes habeat, dentes habere ut quod durum eſt paulatim ſecare poſſit: & hoc modo neceſſarium eſſe ſerram eſſe ex ferro: quod magno cum judicio aptat ad partes animantium. Hæc autem neceſſitas ex fine manans in Phyſicis paulò preſſiùs, at in moribus ac gubernationibus pro rei ſubjectæ natura laxiùs ſumenda eſt, ut magnam rei utilitatem ſive cum fine propoſito convenientiam indicet. Quare quod hîc Chriſtus in genere de offendiculis loquens dixit ἀνάγκη ἐστὶν [*neceſſe eſt*], idem Paulus agens de ea ſpecie quæ maximè excellit, atque in falſorum dogmatum propagatione conſiſtit, per δεῖ εἶναι [*oportet eſſe*] extulit, ipſum etiam finem clarè deſignans, nimirum ut eo modo explorentur hominum animi. Neque rarum eſt apud Græcos Scriptores ut ἀνάγκη aut ἀναγκαῖον [*neceſſarium*] id ſignificet quod fieri aliquâ de causâ oportet. Ita ἀνάγκην ſumi apparet Lucæ XIV, 18. Hebræorum IX, 23. Iudæ 3. & ἀναγκαῖον II Corinth. IX, 5. Philipp. II, 25. Lucas hoc loco dixit, Ἀνένδεκτόν ἐστι μὴ ἐλθεῖν τὰ σκάνδαλα [*Impoſſibile eſt ut non veniant ſcandala*]· quomodo alibi dixit οὐκ ἐνδέχεται προφήτην ἀπολέσθαι ἔξω Ἰερουσαλὴμ [*non capit Prophetam perire extra Ieruſalem*], id eſt, non convenit. Sic & ἀδύνατον. [*impoſſibile*] ſæpe ſumunt Græci. Nam quod Plato Timæo dixerat, Ἀδύνατον οὖν θεῶν παισὶν ἀπιστεῖν [*Impoſſibile eſt deorum filiis fidem non habere*], Cicero vertit, *Difficillimum factu eſt à diis ortis fidem non habere*: & in eodem libro ἀδύνατον λέγειν [*impoſſibile eſt dicere*] interpretatur, *nefas in vulgus indicare*. Senſus igitur eſt, Maxima offendicula evenient; neque mirum videri debet ea à Deo non inhiberi, cùm æquum rectumque ſit ea permitti ut integri à fictis, conſtantes à levibus diſcriminentur.

πλὴν, *veruntamen*] Adverſativa hæc oſtendit ſapiente Dei permiſſione culpam peccantium non levari: unde ſequitur de tali hîc agi neceſſitate quæ libertatem non tollat. Sic & infrà XXVI, 24.

δι' οὗ, *per quem*] Propriè igitur σκάνδαλα [*ſcandala*] eveniunt διὰ τῶν ἀνθρώπων [*per homines*], non διὰ τοῦ Θεοῦ [*per Deum*], quanquam nec ἄνευ τοῦ Θεοῦ [*ſine Deo*]. Vide quæ ſuprà X, 29. Tertullianus in Præſcriptione, *Nec tamen ideo bonum hæreſes quia eſſe oportebat; quaſi non & malum oportuerit eſſe: Nam & Dominum tradi oportebat, ſed væ traditori.*

8. σκανδαλίζει σε, *ſcandalizat te*] Vide quæ diximus capite V, 29. Eſt à majori ſumtum argumentum. Vel cariſſima corporis membra præcidenda eſſent ut evitaretur æternum exitium, cùm mortis in hoc ſeculo vitandæ causâ id ipſum fieri ſoleat: Quantò magis abjiciendæ ſunt à nobis cogitationes minùs rectæ, quas aliorum improbitas ſuggerit.

εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν χωλὸν ἢ κυλλὸν, *ad vitam ingredi debilem vel claudum*] Id eſt, *qui fueris claudus aut mancus*. Vide quæ infrà XXVI, 6.

10. οἱ ἄγγελοι αὐτῶν, *Angeli eorum*] Cùm Chriſtus ita ſolitus ſit loqui quomodo ſe loquentem à Iudæis optimè ſciebat intelligi, Iudæi autem veteres novique crediderint ſingulis, ſaltem piorum, additum à Deo cuſtodem Angelum, quæ opinio ad Chriſtianos etiam manavit, ut apparet ex loco Actorum XII, 15. & multis vetuſtis Scriptoribus, probabile admodum eſt eam ſententiam hîc à Chriſto approbatam. Conſtat ſanè Angelos adminiſtros eſſe Divinæ providentiæ: unde credibile eſt pro gradibus providentiæ munia Angelorum diſtingui. Præter univerſalem providentiam eſt aliqua communis qua Deus Civiles hominum ſocietates, quas *reſpublicas* dicimus, conſervat ac dirigit. His autem ſingulis ſuos attributos eſſe Angelos ex Daniele magno conſenſu & Iudæi & Chriſtiani veteres colligebant, idque velut extra omnem controverſiam ponit Clemens Alexandrinus. Sicut autem res regnorum ad ſtatum univerſi, ita res ſingulorum ad ſtatum regnorum plerumque Deus ordinat. Sed eximuntur communi huic ſorti hi qui vera fide Deo ſe conſecrant, ac proinde ipſius peculium cenſentur. Hos Deus ſicut peculiari providentia fovet, ita ſingulos donare videtur cuſtode Angelo, qui ſcilicet ipſorum greſſus conatuſque adjuvet, aut perpetuò aut certè donec ad pleniſſimam ipſius Divini ſpiritus poſſeſſionem devenerint. Ita enim veteres Chriſtianos crediſſe video. Vide Origenem homiliâ VIII in Geneſin, & Tertullianum De baptiſmo. Neque dubitat Clemens, à barbara, hoc eſt, Hebræa ſapientia profectum aſſeverare quod apud Platonem eſt, ἑκάστῳ ὃν εἵλετο δαίμονα τοῦτον φύλακα συμπέμπεσθαι τοῦ βίου καὶ ἀποπληρωτὴν τῶν αἱρεθέντων [*unicuique quem elegit Genium cura ipſi dari, ut vitæ cuſtodem & eorum quæ elegerit exſecutorem*]. An autem unicuique hominum datus ſit Angelus in ambiguo relinquit Clemens. Origenes unicuique & bonum & malum Angelum attribui probare conatur ex libris Paſtoris & Barnabæ: quanquam Barnabæ quem citat locus ne hoc quidem dicit, ſed viæ lucis præeſſe Angelos Dei, viæ tenebrarum Satanæ. Origenis ſententiam hac in re ut in multis aliis ſequitur Gregorius Nyſſenus De vita Moſis. At viris eximiis multos videmus dari Angelos cuſtodes; ut Iacobo, Geneſeos XXXII, 1, 2. Eliſæo, II Regum VI, 17. Cæterùm cùm tota hujus mundi adminiſtratio tandem bono ceſſura ſit eorum qui futuræ gloriæ erunt participes, rectè à Scriptore ad Hebræos omnes omnino Angeli dicuntur *mitti* ſive *ordinari in eorum gratiam qui ſalutis heredes ſunt futuri.*

διὰ παντὸς βλέπουσι τὸ πρόσωπον τοῦ πατρός μου τοῦ ἐν οὐρανοῖς. *ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt*] Hoc eò pertinet ut non quivis ſed inſigniores Angeli intelligantur piorum cuſtodiæ aſſignati. A Regum enim more ſumta eſt ſimilitudo, quos adſpicere quotidie non cuivis miniſtrorum licet, ſed ſolis regni proceribus, I Regum X, 8. quod ipſum ſignificari putant Hebræi voce אחשדרפנים, unde fluxit nomen *Satraparum*. Ἐξαιθράπην propiùs ad Perſicum idioma dixit Theopompus loco qui eſt apud Photium. Idem eſt *videre faciem Regis* & *ſtare coram Rege*. Itaque II Regum XIV, 11. ubi illud in Hebræo eſt & Græco, hoc poſuit Latinus. Talis Angelus eſt Gabriel ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*adſtans ante Deum*], Lucæ I, 19. & apud Eſaiam מלאך פניו [*Angelus faciei ejus*] LXIII, 9. fortè & שרפים עמדים [*Seraphim ſtantes*] apud eundem Prophetam VI, 2. ſed & Daniel Beſtiarum quatuor ſomnium expoſitum ſibi dicit ab uno τῶν ἑστηκότων, [*ſtantium*], VII, 16. cùm antea *adſtantes* ab aliis *miniſtrantibus* diſcreviſſet. Quomodo intelligi poteſt quod apud Zachariam Angelus Ioſuæ pollicetur, fore ut ſi vias Dei inſiſtat degat aliquando μετὰ τῶν ἑστηκότων בין עומדים [*cum his qui adſtant*] III, 7. Sic & apud Reges & Principes qui intimæ ſunt admiſſionis dicuntur παρεστηκότες [*adſtare*, id eſt, *miniſtrare*], Deuteronomii I, 16. I Samuelis XXII, 6. & XXV, 27. Denique diſcrimen hoc Angelorum celebre fuiſſe apud Iudæos, multa ipſorum ſcripta evincunt. Inter hos primores Angelos ſeptem eminere credebantur; quod ipſum quoque credo profectum ex aula Perſica: quam imitatæ aulæ minores. Vide Ierem. LII, 25. Eſt eorum ſeptem mentio apud Chaldæum Paraphraſten Gen. XI,7. apud Iachiaden ad Daniel. X,13. apud Tobiæ Scriptorem, cui Raphael dicitur unus τῶν ἑπτὰ ἀγγέλων οἳ προσαναφέρουσι τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων, καὶ ἐκπορεύονται ἐνώπιον τῆς δόξης τοῦ ἁγίου [*ſeptem Angelorum qui offerunt preces ſanctorum, & egrediuntur à gloria Sancti*]. Danieli ſunt השרים הראשנים [*Principes primi*] X, 13. Hebræorum Rabbini hos *oculos Dei* vocant, ut videre eſt in libro cui titulus *Principium ſapientiæ breve*. Clemens Strom. VI. ἑπτὰ τοὺς τὴν μεγίστην δύναμιν ἔχοντας πρωτογόνους ἀγγέλους [*ſeptem Angelos primitivos ſumma poteſtate præditos*]· quorum mentio & in libro qui vocatur Θεολογούμενα τῆς ἀριθμητικῆς [*Arithemetica doctrina divinior*]. Non voluit autem Chriſtus nos paſcere inutilibus ſpeculationibus, ut illi quos Paulus dicit ἃ μὴ ἑωράκασιν ἐμβατεύειν [*quæ non viderunt perambulare*], ſed quanto pretio pii homines ſint apud Deum ſignificantiſſimè oſtendit, cùm dixit Angelorum primores illis datos cuſtodes & internuntios, qui velut inter Deum atque ipſos commeent, quod *adſcendere & deſcendere* vocant Sacræ literæ Geneſ. XXVIII, 12. unde intelligi poteſt quantum ſit facinus eorum innocentiæ ac ſimplicitati inſultare.

11. Ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου σῶσαι τὸ ἀπολωλός. *venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat*] Collato commate 6. apparet argumentum eſſe ductum à majori: Deus Filium ſuum miſit ut averſos adhuc à ſe homines ad pietatem pertraheret; quantò magis jam pertractos non vult aliorum injuriis ab inſtituto pietatis averti. Vide ſimilem Pauli argumentationem ad Rom. V. Adde quod eſt Romanorum XV. & 1 Corinth. VIII, 11.

12. ἐὰν γένηταί τινι ἀνθρώπῳ, *ſi fuerint alicui*] Hanc comparationem alibi quoque ſine aliquantùm diverſo Chriſtus uſurpat: quod & in aliis comparationibus obſervare eſt. Senſus eſt, magnopere gaudere Deum converſione hominis peccatoris. Cætera acceſſio ſunt comparationis, quæ ſigillatim applicari ad ἀνταπόδοσιν [*Redditionem*] nihil neceſſe eſt. Vide quæ ſuprà XIII, 27.

καὶ πλανηθῇ ἓν ἐξ αὐτῶν· *& erraverit una ex eis*] Vt oves illæ Ieremiæ L, 6.

ἐπὶ τὰ ὄρη, *in montibus*] Aſſentior Syro hæc retrahenti ad ea quæ præcedunt. nam ita & Lucas, οὐ καταλείπει τὰ ἐνενήκοντα ἐννέα ἐν τῇ ἐρήμῳ; [*nónne dimittit nonaginta novem in deſerto?*] Plerumque montana loca ſunt cæteris deſertiora. Hinc Chriſtus in montes ſecedit ſolitudinem captans. Et τὰ ὀρεινὰ [*loca montana*] in quibus concionabatur Iohannes vocantur ἔρημος [*deſertum*].

14. οὐκ ἔστι θέλημα ἔμπροσθεν, *non eſt voluntas ante Patrem veſtrum*] רצון לפני יהוה ut Exodi XXVIII, 38. ubi δεκτὸν ἔναντι Κυρίου [*gratum coram Domino*] verterunt LXX, quomodo & שנת רצון ἐνιαυτὸν δεκτὸν [*annum acceptum*] vertit eoſdem LXX ſecutus Lucas IV, 19. At alibi ex Pſalmo XL. רצון θέλημα [*voluntatem*] vertit cum iiſdem LXX Scriptor ad Hebræos. Sed plerumque verti ſolet εὐδοκία [*beneplacitum*]. Eſt autem λιτότης [*minùs dictum*]· *non eſt gratum Deo*, pro eo quod propriè diceretur, *Deo quàm maximè diſplicet*. Faciunt ergo qui pios offendunt contra veram ac ſeriam Dei voluntatem.

ἵνα ἀπόληται εἷς τῶν μικρῶν τούτων. *ut pereat unus de puſillis iſtis*] Ἀπολέσθαι [*perire*] hîc eſt *à Deo averti*, cui opponitur σώζεσθαι [*ſalvari*], ut apparet locis ad Romanos & Corinthios modò citatis.

15. Ἐὰν δὲ ἁμαρτήσῃ εἰς σὲ ὁ ἀδελφός σου, *Si autem peccaverit in te frater tuus*] Chriſtus, ut alibi diximus, ſicut quicquid erat in Iudaicis traditionibus τοῦ πονηροῦ κόμματος [*malæ monetæ*] liberè reprehendit, ita quæcunque ad pietatem ac probitatem faciebant ad verbum propè in ſua dogmata tranſtulit; cujus generis eſt id quod ſequitur, ut ex collatione receptarum apud Hebræos ſententiarum quas alii citarunt manifeſtè apparet. Dixerat ſuprà Chriſtus eum qui offenditur fortiter obniti debere ne eo dimoveatur de ſtatu pii propoſiti: nunc addit aliquid amplius, Vertendum ſi quid tale acciderit in occaſionem beneficii. Nimirum, ut Mimus dixit,

> *Amici vitia ſi feras, facias tua.*

Cicero, *Moleſta veritas, ſiquidem ex ea naſcitur odium: ſed obſequium multò moleſtius, quòd peccatis indulgens præcipitem amicum ferri ſinit.* Et quod apud Plautum eſt,

> *Amicum caſtigare ob meritam noxam*
> *Immune eſt facinus, verùm in ætate utile*
> *Et conducibile.*

Videmuſque hoc officii genus diſertè præcipi etiam Moſis lege Levitici XIX, 17. *Ne odio habeas proximum tuum: arguendo arguas eum.* Sed obſervandum hîc diligenter ne eâ caſtigatione noſtra potiùs commoda aut victoriam ſectemur quàm amici ſalutem. Nam, ut Hierocles inquit, ad amicitias tuendas reſtituendaſque πλεῖστα συμβάλλεται τὸ ἡμέτερον ἀνεξίκακον καὶ περὶ μηδενὸς πρὸς τοὺς φίλους μικρολογούμενον, μηδὲ ἐξεταστικὸν πρὸς ἀκρίβειαν, ἀλλ᾽ ὅσον οἷόν τε ὑπομενητικόν [*multum confert noſtra lenitas in nulla re quæ ad amicum pertineat ſcrupuloſa nimis, aut ad rigorem quæque examinans, ſed patiens quantum fieri poteſt*]. Oportet ergo, ut idem ait, τὰ ἔξω τῆς ψυχῆς πάντα μικρὰ τίθεσθαι, καὶ ἀπαγορεύειν μὴ φειδοῖ τούτων τὸν φίλον ἐχθρὸν ποιεῖν· ἀδιαφορίᾳ δὲ μᾶλλον τῇ περὶ τὰ τοιαῦτα καὶ τὸν ἀποπεσόντα φίλον ἀνακαλεῖσθαι [*ea quæ extra animum ſunt parvi habere, ſibique interdicere ne ob iſta ex amico inimicum faciat: ſed id potiùs agere ut neglectu talium amicus qui avulſus eſt revocetur*]. In hanc legem peccant multi quos graphicè depingit ad Zenam Iuſtinus, οἱ ζῆλον ἔχειν ἐπαγγελλόμενοι, καὶ τὸ παρρησιαστικὸν ἐπιτηδεύοντες, διὰ τὸ βούλεσθαι νικᾶν πᾶν εἶδος ἐλευθερίας προσποιήτου περιτίθεασιν ἑαυτοῖς, οἱ φιλόνεικοι, τὸν ζηλωτὴν καταπεπωκότες [*qui zelum habere ſe profitentur & jus loquendi ſibi vindicant, ii ſunt qui cùm ſemper velint vincere, ſpeciem induunt libertatis, vitilitigatores, qui zelotam deglutierunt*]. Præterea verò ita danda opera eſt amico corrigendo ut ſimul quantum fieri poteſt famæ & pudoris ejus habeatur ratio, juxta illud dictum Hebræorum, *Melius eſt homini ut conjiciatur in caminum ignis quàm ut palàm proximum ſuum ignominiâ afficiat.* quod quomodo fieri debeat Chriſtus hîc per gradus quoſdam explicat. Scopus autem is eſt quem Iuſtinus dicto libro præſcribit, νουθετητέον δὲ τὸν ἁμαρτάνοντα μὴ κατὰ κοινόν, ἐκτὸς εἰ μὴ χρήζει διὰ τὸ ὑπεροπτικόν [*caſtigandus eſt qui peccavit non in publico, niſi contumacia ejus id exigat*]. Vox ἀδελφοῦ [*fratris*] hoc quidem loco ſignificat eum qui eandem pietatis normam ſequi ſe profiteatur, τὸ ὁμόζηλον [*ejusdem inſtituti participem*], ut loquitur Philo, quod ſequentia declarant. Agitur autem propriè de delictis quæ imbecillitati humanæ ex ira, invidia, habendi cupidine ſolent obrepere, quæque ad alterius injuriam pertinent. Hoc enim ſignificat εἰς σέ [*in te*]. Hinc Syrus ἁμαρτήσῃ [*peccaverit*] vertit אסכל eo verbo quod Lxx itidem ἁμαρτάνειν ſæpe vertunt, interdum magis propriè ἀφρόνως πράττειν [*imprudenter agere*], ut Geneſeos XXXI, 28. Hunc ſenſum Lucas nobis apertiſſimum facit qui ſimul cum caſtigatione *condonandi* facit mentionem XVII, 3. unde diſcimus quod infrà Petrus interrogat commate 21. ad hanc ipſam facti ſpeciem pertinere. Condonare autem neque ſolemus neque poſſumus niſi nobis fit injuria. Ita & in Hebræis ſententiis, *Si te injuriâ ſocius tuus affecerit.* Atque ita hunc locum rectè interpretantur Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus. Sed ſimul meminiſſe debemus morem eſſe Divinæ legis in facti ſpecie nobiliſſima indicare quid in rebus aliis, ſervatâ tamen proportionis æquitate, ſequendum ſit.

ἔλεγξον, *corripe*] Ita Hebræum הוכח in Levitico transferunt Lxx; quos ſequuntur alii Helleniſtæ, ut Eccleſ. XX, 15. Hoc eſt quod *caſtigare* dixerat Plautus.

μεταξύ σου καὶ αὐτοῦ μόνου· *inter te & ipſum ſolum*] ἰδίᾳ λαβών [*ſeorſim abductum*], ut ait Plato in Socratis Apologia; idque primùm verbis mollibus: deinde, ſi opus ſit, paulò acrioribus, ut rectè præcipiunt Hebræi. Cicero, *Habenda ratio & diligentia eſt primùm ut monitio acerbitate, deinde objurgatio contumeliâ careat.*

ἐάν σου ἀκούσῃ, *ſi te audierit*] *Si monitis pareat*, hoc eſt, ἐὰν μετανοήσῃ, ut Lucas explicat.

ἐκέρδησας τὸν ἀδελφόν σου. *lucratus es fratrem tuum*] Non ait Chriſtus, *tibi bene conſuluiſti*, ſed *fratri*: id enim præcipuè propoſitum nobis læſis eſſe debet. Nam noſtra tantùm aut res aut exiſtimatio agitur temporaria, illius ſalus æterna. κερδαίνειν [*lucrari*] eſt *ad bonam frugem revocare*, ac proinde in *ſalutis viam reducere.* Ita vox hæc ſumitur I Corinthior. IX, 19, 20, 21, 22. I Petri III, I. Explicat hoc Iacobus, ὁ ἐπιστρέψας ἁμαρτωλὸν ἐκ πλάνης ὁδοῦ αὐτοῦ σώσει ψυχὴν ἐκ θανάτου, καὶ καλύψει πλῆθος ἁμαρτιῶν. [*qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus à morte & operiet multitudinem peccatorum*], V, 20. Loquendi genus non diſſimile Geneſ. XII, 5. ואת הנפש אשר עשו בחרן *Animam quam fecerant* ſive *acquiſiverant in Charan*, id eſt, Chaldæo Interprete *animas quas ſubjecerant Legi.*

16. ἓν ἢ δύο· *unum vel duos*] Vt eo modo, ſi fieri poteſt, pudor illi exprimatur, quod addunt Hebræi. Ideo tales aſſumi debent quorum aliquid apud ipſum auctoritas valeat.

ἵνα ἐπὶ στόματος δύο μαρτύρων ἢ τριῶν σταθῇ πᾶν ῥῆμα. *ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum*] Sunt ipſa verba Legis ex Deuter. XIX, 15. ex verſione Lxx. [illegible] *ſtare* hîc eſt vim atque effectum habere; vide [illegible] [*oppoſitum*] in Pſalmo XXXIII, 9. Sapienter lex Divina exigit teſtes in quaque cauſa binos aut ternos, primùm rejiciens ſingularia teſtimonia, deinde oſtendens eam poſſe eſſe viri alicujus in judicium adducti famam ut facilè non uni tantùm ſed & duobus teſtibus ſit ἰσοτάλαντος. [*contrà pendens*]. Tunc igitur tertius exigetur teſtis: Nam probationum pondera anguſtis finibus circumſcribi non poſſunt, ſed pro perſonarum rerumque circumſtantia boni viri arbitrio æſtimanda veniunt. Cæterùm lex iſta Moſis propriè, ut diximus, ad facti controverſias pertinens in proverbium tranſiit, ita ut & de rebus aliis uſurpetur, quemadmodum videre eſt Iohan. VIII, 17. II Corinthior. XIII, I. Senſus hic eſt, ut is qui peccavit, ſi te unum non eſt reveritus, illos ſaltem duos aut tres adhibitos revereatur, & illorum conſenſu motus iniquitatem facti ſui agnoſcat.

17. παρακούσῃ αὐτῶν, *non audierit eos*] Id eſt, ἐὰν οὐ μετανοήσῃ [*ſi pœnitentiâ ductus non fuerit*]. Vox frequens Græcis Scriptoribus, ſed & Lxx Interpretibus uſitata.

τῇ ἐκκλησίᾳ· *eccleſiæ*] *Coram multis*, inquit liber Muſar; κατὰ κοινὸν [*in commune*] Iuſtinus. Nempe ut ei eveniat ἐπιτιμία ὑπὸ πλειόνων [*objurgatio à pluribus*], ut loquitur Paulus II Corinth. II, 6. ἔλεγξις ἐνώπιον πάντων [*convictio coram multis*], ut idem ait I Timoth. V, 20. Agitur quidem iſtis in locis de peccatis gravioribus: Sed etiam quæ ſui initio leviora ſunt, pertinaci monitorum contemtu gravibus æquantur. Cauſam addit liber Muſar, *ut detegantur hypocritæ.* Sed hæc ſecundaria eſt. primaria autem eſt ut vel ſic ad rectam viam reducatur, motus tot piorum factum ſuum improbantium conſenſione. Iam diximus nihil à Chriſto novum præcipi, ſed morem rectè introductum probari. Iudæi, quamvis omnes in unum Templum coirent, & Templi ceremoniis inter ſe ſociarentur, habebant tamen varia corpora diſciplinæ causâ inſtituta. Ita Phariſæi à Sadducæis, utrique ab Eſſenis, inſtitutis & cœtibus propriis diſtinguebantur. Rurſum inter eos qui Legisperitorum auctoritatem ſequebantur Scholæ erant diverſæ. Philo vocat ὁμίλους, κοινοὺς συλλόγους, κοινὰς συνόδους [*cœtus, communes conventus, greges*]. Pythagoriſtæ ὁμαΐον [*commune auditorium*] vocabant cœtum ſuum, ἱερὸν σύλλογον [*ſacrum cœtum*] interpretatur Hierocles. Quod Pythagoriſtis eſt ὁμοακοεῖον [*commune auditorium*] id Chriſtianis eſſe ἐκκλησίαν [*eccleſiam*] ait Clemens Alexandrinus. In his cœtibus tractari ſolebant quæ ad concordiam atque εὐταξίαν [*rectum ordinem*] cujusque cœtus pertinebant. Talem cœtum, manente etiam Lege, neque factâ à Iudæis cæteris ſeceſſione, Chriſtus jam colligere cœperat; quem ipſe more Hebræorum vocabat עדה, Diſcipuli Græcè ſcribentes ἐκκλησίαν [*eccleſiam*], interdum & συναγωγὴν [*ſynagogam*], ut ſolebant olim eæ voces promiſcuè uſurpari, de quo ſuprà diximus. Notatur in libro פרקי אבות [*Fragmenta Patrum*] *decem homines facere* עדה, id eſt, ἐκκλησίαν [*eccleſiam*]. Idem eſt in Gemara Melilah capite III. Errant qui de Iudicibus publicis agi hîc exiſtimant.

Non enim hoc docet Chriſtus, quomodo damnum noſtrum commodiſſimè ſarciamus, quod ille, ut βιωτικὸν [*temporale*], ex prudentiæ & æquitatis regulis unicuique æſtimandum relinquit, ſed quomodo errantem reducamus in rectam viam. Sed neque πρεσβυτέριον τῆς συναγωγῆς [*presbyterium ſynagogæ*] ſolùm hîc indicari ex his quæ jam adduximus ſatis puto apparere. Mos enim fuit Hebræis rem ultimo loco ad multitudinem τῶν ὁμοζήλων, id eſt, eorum qui eadem inſtituta ſectarentur, perducere, cujus tamen multitudinis judicia Seniores tanquam præſides moderabantur: quod, ut multa alia, ſervatum à Chriſtianis tum alii Scriptores tum Tertullianus nos docet, *Coimus*, inquit, *in cœtum & congregationem* (hoc eſt, ἐκκλησίαν) *ut ad Deum quaſi manu factâ precationibus orantes:* deinde, *ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura divina*: mox, *Præſident probati quique ſeniores.* Similia videmus apud Cyprianum atque alios.

ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης. *ſit tibi ſicut Ethnicus & publicanus*] *Eſto tibi ſocius vilis*, inquiunt Hebræi. Senſus eſt, Tunc demum jus faſque tibi erit propius amicitiæ vinculum reſolvere & familiarem illius convictum defugere, ut poſthac ab illo illaceſſitus vivas: ſatisfeciſti jam officio. Quando omnia monita contemſit, libero te illius curâ; habe eum quo loco habes ἐθνικὸν [*Gentilem*], hoc eſt, à religione planè alienum, aut Iudæum quidem, ſed ἁμαρτωλὸν, hoc eſt, talem qui vitæ ſit flagitioſæ: quales haberi ſolebant τελῶναι καὶ πόρναι [*publicani & meretrices*]. Nam his exemplis declarari vocem ἁμαρτωλῶν [*peccatorum*] diximus ad caput v. Talibus autem non deſinebant deberi communia humanitatis officia, ut malè ſentiebant Iudæorum plerique, ſed ea tantùm quæ ad propiorem amicitiam pertinent. Neque erat quòd in illis monendis multum operæ poneretur, niſi nova ſpes pœnitentiæ ſe oſtenderet. Demoſthenes, Μετρία γὰρ δίκη παρὰ τῶν φίλων ἐστὶν ἄν τι δοκῶσι πεποιηκέναι δεινὸν μηκέτι τῆς λοιπῆς φιλίας κοινωνεῖν [*Sufficiens enim pœna ab amicis eſt ſi qui gravius quid admiſerint, ut in poſterum amicitiæ exſortes ſint*]. Cicero, *Cujus aures veritati clauſæ ſunt ut ab amico verum audire nequeat, hujus ſalus deſperanda eſt.* Ariſtoteles, διαλυτέον οὐ πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἀνιάτοις διὰ τὴν μοχθηρίαν [*divortium faciendum non ab omnibus ſed ab iis quorum inſanabilis eſt malitia*]. Chryſippus, προσήκει τὰ μὲν ὅλως παραπέμπεσθαι, τὰ δὲ μικρᾶς ἐπιστροφῆς τυγχάνειν, τὰ δὲ ἐπὶ μεῖζον, τὰ δὲ ὅλως διαλύσεως ἀξιοῦσθαι [*oportet nos quædam omnino diſſimulare, quædam modicè culpare, alia acriùs, quædam æſtimare divortio*]. Permittentis igitur, non imperantis eſſe hæc Chriſti verba ſentio; neque agi hîc de excommunicatione, de cujus antiquitate & neceſſitate alibi erit dicendi locus: quanquam ad eam ex hoc etiam loco non abſurdè argumentum duci poſſe non negaverim. Alioqui non eſt idem, *habere aliquem pro ſocio vili*, & ἀποσυνάγωγον ποιεῖν [*extra ſynagogam facere*]. Hoc totius eſt cœtûs; illud ſingulorum, maximè verò ejus qui injuriam accepit: quem in ſenſum hunc locum rectè ni fallor acceperunt plerique veterum, quod & ſequentia oſtendent.

18. ὅσα ἐὰν δήσητε ἐπὶ τῆς γῆς, *quæcunque alligaveritis ſuper terram*] Cùm qui præceſſit ſermo ad eum dirigatur qui injuriam accepit, omnino & hæc continuo ſermone enuntiata eò pertinent: quod oſtendit & ea quæ mox ſequetur Petri interrogatio, Quoties condonandæ ſint injuriæ. Rectè igitur Origenes videri ait hæc omnibus dicta qui peccantes ter arguerint. Auguſtinus De verbo Domini, homiliâ xv. *Si fratrem habes pro Ethnico & publicano, ligaſti illum in terra: ſi correxeris fratrem, ſolviſti illum in terra.* Et Theophylactus, *Si tu*, inquit, *offenſus habes eum qui te injuriâ affecit ſicut publicanum & Gentilem, erit ille & in cœlo talis. Si autem ſolveris eum, hoc eſt, ignoveris, erit ei & in cœlo condonatum. Non enim ſolùm quæ ſolvunt Sacerdotes ſunt ſoluta, ſed quæcunque & nos injuriâ affecti vel ligamus vel ſolvimus & ipſa erunt ligata vel ſoluta.* Hæc ille. Neque mirum nobis videri debet *ſolvere* hoc & *ligare* Chriſtianis ſingulis tribui. Nam ſi hæc eadem & Chriſto tribuuntur & Paſtoribus, ſervatâ proportionis ratione, quidni extendi poſſent ad ſingulos eâdem ratione ſervatâ? Nam & σώζειν [*ſalvum facere*] quod modò Chriſto modò Paſtoribus tribuitur, videmus & ſingulis tribui eodem de quo hîc agitur ſenſu Iacobi v, 20. *Ligat* igitur qui alterum culpæ convincit; *ſolvit*, qui eum rectis monitis ad pœnitentiam perducit, atque etiam pro ipſo Deum precatur, ut ſequentia declarant.

ἐν τῷ οὐρανῷ. *in cœlo*] Pro ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*in cœlis*]. Interdum enim confundi hæc alibi diximus: vide quæ ſuprà xvi, 19.

19. ἐὰν δύο ὑμῶν, *ſi duo ex vobis*] Manifeſta mihi videtur cum ſuperioribus connexio. Dixit *quod hîc ſolverimus in cœlo ſolutum fore.* Id univerſali propoſitione confirmat, Quia Deus præſtat quicquid duo concorditer petunt; ſicut in ea de qua egit ſpecie & is qui fratrem admonuit & frater admonitus, aut etiam alii ſi qui fuerunt adhibiti, Deum precantur ut culpam condonet. Hoc eſt quod Iacobus dicit, *fatemini peccata alter alteri: orate alter pro altero, ut ſanemini. Multùm enim valet efficax juſti hominis deprecatio*, v, 16. Sæpe quidem Deus etiam uni precanti concedit quod rogat, ſed pluribus inter ſe concordibus largitur & libentiùs & plura & citiùs. *Si duo autem*, intellige, *Si vel duo tantùm*, more Hebræo.

συμφωνήσωσιν, *conſenſerint*] *Concordes fuerint.* Nam חברו Hebræum ſic vertunt Græci.

περὶ παντὸς πράγματος, *de omni re*] Vniverſalis vox ex rei natura reſtringenda eſt, Si boni petant bona bene ad bonum. Prima reſtrictio docetur Iohann. ix, 31. & in Epiſtola i, cap. iii, 21, 22. Secunda ſuprà vii, commate 11. Tertia Lucæ xviii, 1. Iacobi i, 5, 6, 7. Quarta Iacobi iv. 3.

20. συνηγμένοι, *congregati*] Sicut modò συμφωνεῖν [*concinere*] ab ore ad animum transferebatur, ita hîc συνάγεσθαι [*coire*] per tralationem eſt ὁμονοεῖν [*conſentire*], quomodo Latinè etiam dicimus *convenire.* Ita ſumi vocem συνάγεσθαι manifeſtum eſt Actorum iv, 27.

εἰς τὸ ἐμὸν ὄνομα, *in nomine meo*] Syrus בשמי, quomodo בשם [*in nomine*] ſumitur Pſalmo xx, 6 & 8. & 1 Samuelis xvii, 45. ad ſignificandam fiduciam quam in aliquo ponimus. Ita

Iohannis XIV, 13, 14. ἐάν τι αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, *mei fiduciâ.*

ἐκεῖ εἰμι ἐν μέσῳ αὐτῶν. *ibi ſum in medio eorum*] Rurſum tranſlatio eſt qualis ſuprà in voce συνάγεσθαι [*congregari*]. Sic Latinè *adeſſe alicui* dicitur qui ei favet auxiliumque præbet. Eſt autem hoc Chriſti dictum ſimillimum tritæ inter Hebræos ſententiæ, שנים שיושבים ויש בניהם דברי תורה שכינה שרויה בניהם. *Vbi duo conſident ſermonem habentes de Lege, Schecinah eſt inter ipſos.*

21. ποσάκις ἁμαρτήσει εἰς ἐμὲ ὁ ἀδελφός μου, καὶ ἀφήσω αὐτῷ; *quoties peccabit in me frater meus & dimittam ei?*] Hebraiſmus, pro quo Græci dicerent, ποσάκις ἁμαρτήσαντι ἀφήσω; [*quoties peccanti condonabo?*] ut ſuprà XVII, 20. ἐρεῖτε καὶ μεταβήσεται [*dicetis & transibit*], pro κελευόντων ὑμῶν μεταβήσεται [*jubentibus vobis transibit*]. Cùm autem condonatio duplex eſſe poſſit, altera qua vindictam injuriamque neque exigimus per nos, neque à Deo hominéve depoſcimus, altera qua retinemus aliquem aut reſtituimus in priſtinum amicitiæ gradum; priore adversùs omnes uti debemus, poſteriore adversùs verè reſipiſcentes, quam ἐκ μεταμελείας ἀνάκλησιν [*revocationem ex pœnitentia*] vocat Hierocles. De poſteriore agere hîc Petrus videtur. Dixerat enim Chriſtus teſte Luca, ἐὰν ἐπιστρέψῃ ἐπί σε λέγων, μετανοῶ, ἀφήσεις αὐτῷ [*ſi converſus fuerit ad te, dicens, Pœnitet me, dimitte illi*].

22. οὐ λέγω σοι, *non dico tibi*] Non hoc ſolum dico.

ἕως ἑπτάκις, *usque ſepties*] Ex traditione, ut credo, Iudæorum, qui non ultrà extendebant condonandi neceſſitatem, in peccatis etiam levioribus. Nam Chriſti quæ apud Lucam ſunt verba occaſionem errandi Petro dediſſe non arbitror; neque enim ibi eſt ἑπτάκις [*ſepties*] ſimpliciter, ſed ἑπτάκις τῆς ἡμέρας [*ſepties in die*], quod Hebræorum mòre ſignificat *quàm ſæpiſſime*, ut Proverbior. XXIV, 16. Pſalmo CXIX, 165.

ἕως ἑβδομηκοντάκις ἑπτά. *usque ſeptuagies ſepties*] Non eſt hoc *ſeptuagies & ſepties*, ſed *ad numerum usque ſeptuagies ſeptenum.* Neque aliud voluit Syrus cùm dixit, עדמא לשבעין זבנין שבע שבע, id eſt, *ad tempora usque ſeptuagies ſeptena;* non ut aliis viſum eſt interpretari, *quatuordecim vicibus ſeptuagies.* Nam שבע שבע non ſignificat *quatuordecim*, ſed *ſeptena*, ut Geneſeos VII, 2. quomodo δύο δύο pro *binos* dixit Marcus VI, 7. Opponit Chriſtus hunc numerum ut multò majorem numero ſeptenario ex more Hebræorum. Nam eadem oppoſitio invenitur Geneſeos IV, 24. ubi quod eſt שבעים ושבעה interpretandum eſt *ſeptuagies & id ipſum ſepties.* Apud LXX itidem ut hîc ἑβδομηκοντάκις ἑπτά, quanquam aliter accepit Ioſephus. Cæterùm quod hîc de donandis offenſionibus à Chriſto dicitur temere ad Eccleſiaſtica judicia de gravioribus delictis nolim extendi. Aliud enim eſt de ſuo largiri, aliud de publico: multúmque intereſt privatim recipias amicum, an vigorem laxes communis diſciplinæ, in qua & honos & ſanitas Eccleſiæ magna ex parte conſiſtit. Quare vetuſtiſſimi Chriſtianorum in idololatriam, homicidium aut adulterium lapſos Dei quidem miſericordiæ commendabant, non tamen ut ad communionem admitterent; aliis criminibus fœdatos non ad ſolam pœnitentiæ profeſſionem, ſed poſt longi temporis experimenta ad communionem recipiebant: iterum aut ſæpius relapſos non item. Chryſoſtomi igitur illud χιλιάκις μετανοήσας εἴσελθε [*millies ſi pœnitentiam egeris, intra*] dictum in calore certaminis adversùs Novatianos benigna interpretatione molliendum eſt. Locus autem hic Euangelii in Hebræo codice, qualis à Nazarenis ſervabatur, ſic habebat, *Si peccaverit frater tuus in verbo, & ſatis tibi fecerit, ſepties in die ſuscipe eum. Dixit ei Simon diſcipulus ejus, Septies in die? Reſpondit Dominus & dixit ei, Etiam ego dico tibi, Vsque ad ſeptuagies ſepties. Etenim in Prophetis quoque, poſtquam uncti ſunt Spiritu Sancto, inventus eſt ſermo peccati.* Non alienum ab hoc loco Plinii illud VIII, epiſtolâ 10. *Ego optimum & emendatiſſimum exiſtimo qui cæteris ita ignoſcit, tanquam ipſe quotidie peccet; ita peccatis abſtinet, tanquam nemini ignoſcat.*

23. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Ἔλλειψις [*Omiſſio verborum*], pro Διὰ τοῦτο λέγω ὑμῖν ὅτι ὡμοιώθη [*Ideo dico vobis quòd aſſimilatum eſt*].

ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν, *Regnum cælorum*] Res rei comparatur. *Ita*, inquit, *ſe res habebit in Regno meo ut ſi Rex ſit aliquis*, & quæ ſequuntur. *Regnum cæleſte* eſt tempus poſt adventum Meſſiæ. Comparatio non diſſimilis apud Libanium de ſeditione Antiochena, Ὅστις οὖν ἐοικέναι βούλεται θεοῖς, ἀφιεὶς τιμωρίας χαιρέτω μᾶλλον ἢ λαμβάνων [*Quisquis igitur ſimilis diis eſſe volet, lætetur potiùs condonando pœnas quàm exigendo*].

ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, *homini Regi*] Id eſt, βασιλεῖ τινι [*Regi alicui*], ut infrà XX, 1. quomodo איש ſolet ſumi Hebræis.

συνᾶραι λόγον, *rationem ponere*] *Rationes diſpungere*, ut Iuriſconſulti & Seneca loquuntur.

μετὰ τῶν δούλων αὐτοῦ· *cum ſervis ſuis*] Vbi de Regibus agitur *ſervi* dicuntur omnes ſubditi, ſed præcipuè qui in aulico ſunt miniſterio, ut 1 Regum IX, 22. ubi vox עבד in eodem commate ſignificatu duplici & quidem oppoſito invenitur. Vt autem *miniſtros* hîc malim intelligi facit tota narrationis ſeries, quam mancipiis non ſatis rectè aptaveris; præſertim ea quæ ſunt commate 28 & 29.

25. πραθῆναι, *venundari*] Liberi homines cum uxoribus & prole ubi ſolvendo non eſſent ſervi fiebant creditorum, moribus Hebræis, quod docemur IV Regum IV, 1. Sed & Ioſephus morum patriæ peritiſſimus Moſis legem de fure interpretatur, Βόσκημα μὲν ὁ κλέψας τετραπλῆν τὴν ζημίαν ἀποτιννύτω, πλὴν βοός· πενταπλῆν δὲ ὑπὲρ τούτου καταβαλέτω. ὁ δὲ τὸ ἐπιτίμιον ἄπορος διαλύσασθαι, δοῦλος ἔστω τοῖς καταδεδικασμένοις [*Qui pecudem furatus fuerit quadruplo luat, excepto bove, de quo ſolvendum quintuplum; qui verò non erit ſolvendo, ſervus eſto eis quibus damnabitur*]. Idem Originum XVI, cap. 1. notat vendi Iudæos niſi Iudæis non potuiſſe, neque verò duraſſe eam ſervitutem niſi in ſexennium, Herodem παρανομίας [*violata legis*] arguens qui directarios quosdam vendiderat ἐπ' ἐξαγωγῇ [*ut extra Regni terminos educerentur*]. At ſervi, ne iis quidem exceptis quos parentes in ſervitutem vendiderant, vendi à dominis poterant, extra id quod de filia vendita cavetur Exodi XXI, 8. Minatur igitur Rex venditionem jure creditoris.

καὶ τὴν γυναῖκα αὐτοῦ, καὶ τὰ τέκνα, *& uxorem ejus & filios*] Nam & iſtis manus injici poterat, ut ex dictis jam locis apparet.

26. μακροθύμησον, *patientiam habe*] Μακρόθυμον [*longanimem*] vocant Helleniſtæ quem Hebræi ארך אפים [*longum ad iram*], ut videre eſt Pſal. LXXXVI. 15. Quo ſenſu & nomen iſtud & verbum μακροθυμεῖν [*longanimem eſſe*] aliquoties in his libris invenire eſt: idque hîc ſequitur Syrus. Eſt tamen ubi ſine *iræ* ſignificatione *patientem exſpectationem* ſignificat, ut Hebræorum VI, 15. & Iacobi V, 7. quomodo hîc vertit Latinus, ad ſenſum, ni fallor, aptiùs.

27. τὸ δάνειον, *debitum*] Id eſt, ὀφειλὴν, ut infrà dicitur. Nam ſicut res credita propriè Latinis eſt *mutuum*, inde ad alia transferri cœpit, ita δάνειον Græcis. Vetus eſt ſententia,

> Τὰ δάνεια δούλους τοὺς ἐλευθέρους ποιεῖ.

quam ita vertit Publius,

> *Alienum æs homini ingenuo acerba ſervitus.*

28. ἔπνιγε, *ſuffocabat*] *Faucibus apprehendit*, ἄγχειν hoc dicunt Baſilius & Chryſoſtomus.

ἀπόδος, *redde*] Vocem hanc eſſe auditu duriſſimam ait Plutarchus libro De vitando ære alieno.

εἴ τι ὀφείλεις. *quod debes*] Non auſim movere hanc veterum codicum lectionem. Nam ſolet εἰ ſæpe non conditionem ſed generalitatem ſignificare.

34. τοῖς βασανισταῖς, *tortoribus*] Βάσανος [*tormentum*] in his libris non *quæſtionem* ſolùm ſed omnem omnino *cruciatum* atque *moleſtiam* ſignificat; ut videre eſt ſuprà VIII, 29. XIV, 24. Marci V, 7. VI, 48. Lucæ VIII, 28. II Petri II, 8. Apocalypſeos XVIII, 7. & eodem libro ſæpius. Quare βασανιστὰς [*tortores*] hîc puto dici δεσμοφύλακας [*commentarienſes*]. Ita optimè conveniet quod ſequitur ἕως ἀποδῷ πᾶν τὸ ὀφειλόμενον αὐτῷ [*quoadusque redderet univerſum debitum*], ut ſenſus ſit idem qui ſuprà V, 25, 26. & Lucæ XII, 58, 59. Nam & ipſe carcer vocatur *corporis cruciatus* L. ultimâ C. Qui bon. ced. poſſ. Verbum נגד, unde nomen quo transfert τοὺς βασανιστὰς deduxit Syrus, Chaldæis eſt *trahere*, ut Ioſeph Kimchi notat. Vtitur autem hîc Rex ille non ſolo creditoris jure, ſed & Iudicis.

35. Οὕτως, *Sic*] Hæc plena eſt comparatio: habet enim ἀνταπόδοσιν [*redditionem*], cujus ſenſus idem eſt qui in illis Iacobi verbis, Ἡ κρίσις ἀνίλεως τῷ μὴ ποιήσαντι ἔλεος [*Iudicium ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*]· & ſuprà VI, 15. niſi quod hîc additur, Iam accepta beneficia Divinæ indulgentiæ nihil profutura immiſericordibus. Vnde diſputari ſolet, An peccata ſemel remiſſa iterum imputentur. Veteres manifeſtè inter ſe diſſentiunt. Alii enim exiſtimant nihil in eo eſſe abſurdi ſi dicamus remiſſionem quæ in hac vita fit habere in ſe conditionem novæ obedientiæ, cujus magna pars eſt lenitas in homines alios; quod autem ſub conditione datum eſt eâ non impletâ evaneſcere: aut certè ſicut donationes etiam purè collatæ revocari ſolent ob eximias injurias legibus proditas, ita & beneficium hoc condonationis revocari, aut potiùs in modum pœnæ auferri, quomodo damnatis bona etiam pleno jure quæſita auferri ſolent. Nec obſtare arbitrantur quòd *dona Dei* dicuntur eſſe ἀμεταμέλητα [*ſine pœnitentia*]· nam id rectè dici poſſe etiam de liberalitate qua Terram Chanaanis Deus donavit Hebræo populo, quia per Deum non ſtetit quominus ille populus perſtans in federe promiſſo potiretur, Nehem. IX, 32, 33. Aliis magis placet exſtinctam ſemel obligationem non reviviſcere, ſed propter poſtrema crimina (ut Proſper loquitur) affici hominem eâ morte quæ ei propter ea quæ remiſſa erant debebatur. Sunt & qui utroſque conciliant mediæ ſententiæ temperamento. His placet remiſſa ſemel peccata non per ſe puniri, ſed indirectè & per conſequentiam quandam, quatenus eorum condonatio auget culpam ſequentem & pertinaciæ & ingrati animi crimine: quod & Iuriſconſulti ſtatuunt adversùs eos qui veniam à Principe conſecuti, aut in eadem crimina recidunt, aut in ipſum Principem delinquunt.

τὰ παραπτώματα αὐτῶν. *peccata eorum*] Vetuſtis codicibus, qui hæc verba habent adjecta, cum Chryſoſtomo & Theophylacto adſtipulatur Syrus Interpres. Sæpe autem offenſæ debitis pecuniariis comparantur, non quòd non multùm interſit, ſed quia ſicut ex debito naſcitur jus exigendi, ita ex offenſa jus quoddam naſci videtur reſcindendæ amicitiæ, quo jure qui non utitur benignitatem ſuam oſtendit, eatenus ſimilis ei qui debitorem per acceptilationem liberat. Ideo & verbum χαρίζεσθαι [*condonare*] & ἀφιέναι [*dimittere*] & ſimilia communiter de utroque uſurpantur. Vide quæ ſuprà VI, 12. & noſtra de Iure Belli ac Pacis libro II, cap. XX, § 2. in textu & Annotatis.

CAPVT XIX.

1. Ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς τοὺς λόγους τούτους, *cùm conſummaſſet Ieſus ſermones iſtos*] Dogmata ſibi à Patre mandata Chriſtus in Galilææ finibus primùm publicavit. Quæ ſequuntur omnia aut ad eorum explicationem aut ad obſignationem pertinent.

μετῆρεν, *migravit*] Sic vertitur נסע Pſalmo LXXIX, 9.

πέραν τοῦ Ἰορδάνου. *trans Iordanem*] Nimirum apud Ænon & Salim, Iohannis X, 40. Vide quæ ad Marcum X, 1.

3. πειράζοντες, *tentantes*] Vt ex juris controverſi definitione inimicitias ipſi conciliarent, & obtrectandi invenirent materiam tum apud eruditos, tum apud plebem aut hujus aut illius ſexus, quo conſilio ſæpius eum adierunt, ut infrà XXII, 16 & 36.

Εἰ, *Si*] Id eſt, *An*: locutione non Græcorum, ſed Hebræorum, qui ſic uſurpant אם.

ἔξεστιν, *licet*] *Faſne eſt*, ut ſuprà XII, 2, 10. XIV, 4.

ἀνθρώπῳ, *homini*] Eſt τινὶ [*alicui*], ut mòdò diximus.

κατὰ πᾶσαν αἰτίαν; *quacunque ex cauſa*] Vt affirmabat Hillelis Schola, ſimili errore ac ſi dicam, In Iudicis arbitrio eſt poſitum aut condemnare aut abſolvere; ergo utrumvis faciat non peccabit. Vide quæ ad caput quintum diximus. Ioſephus dixit, καθ' ἁσδηποτοῦν αἰτίας [*ex quavis cauſa*], idem hoc argumentum tractans.

4. Οὐκ ἀνέγνωτε, ὅτι ὁ ποιήσας ἄνθρωπον ἀπ' ἀρχῆς, *Non legiſtis quia qui fecit hominem ab initio*] Ἀπ' ἀρχῆς

בראשית [*ab initio*], ut Geneſ. I. aut מראש, ut Eccleſiaſtæ III, II. ubi in Græco ὃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς ἐξ ἀρχῆς [*quod operatus eſt Deus ab initio*]. Cicero pro eo dicit *à primo.* Non urget voculam ערות [*fœditatem*], ut faciebat Sameas, quia revera Moſes non agebat περὶ τῆς πορνείας [*de ſtupro*], ut quæ morte erat punienda, ac ne de ſuſpicione quidem probabili ejus criminis, quia, ut ſuprà diximus, illud *ſi gratioſa non ſit apud eum,* latiùs patet. Sed à Lege Civili, quæ ſolet ſe nonnihil aptare populi moribus, nos retrahit πρὸς τὸ θέλημα Θεοῦ τὸ προηγούμενον [*ad Dei voluntatem antecedentem*], ad id nimirum quod primò ac per ſe Deo placet, & quò omnis de officiis diſputatio referenda eſt. Vis autem argumenti tota poſita eſt non in verbis ἄρσεν καὶ θῆλυ [*mas & femina*], neque in eo quod dictum eſt δύο [*duo*], ſed in voce προσκολληθήσεται [*adhærebit*] & in eo quod ſequitur εἰς σάρκα μίαν [*in carnem unam*], quod oſtendit ſequens illatum Ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία [*Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*]. Cætera verò addita ſunt ad contexendam orationem. Eſt autem ἐμφατικὸν [*ſignificanter dictum*] quod hîc dicitur ἀπ᾽ ἀρχῆς [*ab initio*], id eſt, cùm Deus ad ipſam æqui bonique naturam, non ad depravata hominum ingenia, inſtituta ſua accommodaret, cùm locum nondum haberet illud,

Mores leges perduxerunt in poteſtatem ſuam.

ἄρσεν καὶ θῆλυ ἐποίησεν αὐτούς; *maſculum & feminam fecit eos*] Nempe primò Adamum, deinde ex ipſo Adami corpore Evam; quod ut ſatis notum reticet Chriſtus. Huc enim ſpectat quod ſequitur ἕνεκεν τούτου [*propter hoc*].

5. Καὶ εἶπεν, *Et dixit*] Deus ipſe per Prophetam ſuum Moſem: ei enim potiùs adſcribenda ſunt hæc verba quàm Adamo. Teſtimonium autem hoc tranſtulit Matthæi Interpres ex LXX.

προσκολληθήσεται, *adhærebit*] *Agglutinabitur*, individuo ſcilicet vitæ conſortio; quod oſtendunt præcedentia καταλείψει τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα [*dimittet patrem & matrem*]. Quibus cum convenit Antipatri Philoſophi illud, αὐτῶν τῶν γονέων παραχωρούντων ἑκουσίως τὰ πρῶτα τῆς εὐνοίας ἀπονέμειν τὴν μὲν τῷ ἀνδρὶ, τὸν δὲ τῇ γυναικί [*ipſis parentibus libenter id concedentibus ut præcipuum amorem exhibeant femina marito, ut vir uxori*]. Magna eſt conjunctio inter parentes & liberos, cùm liberi quaſi pars ſint parentum: Attamen major ex inſtituto Divino inter conjuges, non ſine myſtica ſignificatione, ut nos Paulus docet Epheſ. V, 32. Ita Pharaonis filiæ dicitur, *Obliviſcere populi tui & domûs patris tui*, Pſalm. XLV, II. Ariſtoteles, Κοινωνία γὰρ φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄρρενι μάλιστά ἐστιν [*Per naturam maxima ſocietas eſt inter marem & feminam*]. Menander,

Οἰκεῖον οὕτως οὐδέν ἐστιν, ὦ Λάχης,
Ἐὰν σκοπῇ τις, ὡς ἀνήρ τε καὶ γυνή.
[*Nil adeò, ſi rem ſpectes ut oportet, Laches,*
Conjunctum eſt quàm ſunt vir & materfamilias.]

Hierocles libro de Nuptiis, πρώτη καὶ στοιχειωδεστάτη τῶν κοινωνιῶν ἡ κατὰ τὸν γάμον [*prima & exordialis ſocietas eſt quæ fit per nuptias*].

καὶ ἔσονται οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· *& erunt duo in carne una*] Cum בשר [*caro*] Hebræis ſæpiſſime *hominem* ſignificet, & vox σαρκὸς eodem ſenſu uſurpetur ab Helleniſtis, ut infrà XXIV, 22. Lucæ III, 6. Actorum II, 17. Romanorum III, 20. I Corinth. I, 29. videtur mihi ſimpliciſſima eſſe ea interpretatio quam ab Hebræis, ut creditur, acceptam expreſſit Plato, ὥστε δύο ὄντας ἕνα γεγονέναι [*ita ut duo cùm ſint unum fiant*]· & vetus proverbium ait eſſe Ariſtoteles de amicis, μία ψυχὴ [*una anima*]. Nam illud εἰς [*in*] more Hebræo hîc πλεονάζει [*abundat*], ut apparet I Corinthiorum VI, 16. Epheſior. V, 28, 29, 30, 31. Simile loquendi genus Deuteronomii XXVIII, 13, 44. Pſalmo LXIX, 12. LXXII, 19. XCIV, 22. II Samuelis VII, 14. qui locus citatur Hebræorum I, 5. Nulla autem arctior amicitia quàm mariti & uxoris, quæ communionem requirit affectuum, corporis, prolis, vitæ denique totius: quam rem eſſe verè ſacram, id eſt, non humanitus ſed Divinitus repertam, magno conſenſu gentes crediderunt. Eadem locutio uſurpatur à Paulo ubi de ſcorto agit: ſed nimirum qui ſcorto ſe miſcet eâ utitur pro uxore. In eum quem jam diximus ſenſum explicatur hic ipſe locus in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis lib. VII, cap. 3. Ἔσονται γάρ, φησιν, οἱ δύο εἰς σάρκα μίαν· ἓν γάρ εἰσιν ἀνὴρ καὶ γυνὴ τῇ φύσει, τῇ συμπνοίᾳ, τῇ ἑνώσει, τῇ διαθέσει, τῷ βίῳ, τῷ τρόπῳ· κεχωρισμένοι δέ εἰσι τῷ σχήματι καὶ τῷ ἀριθμῷ [*Erunt enim, inquit, duo in carnem unam; unum ſunt vir & uxor naturâ, conſenſu, concordiâ, propoſito, vitâ, moribus: diſtincti figurâ & numero*].

6. Ὥστε οὐκ ἔτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ σὰρξ μία. *Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*] Videmus hîc duo non pluribus opponi, ſed uni. Ante fedus matrimonii duo erant; poſtea pro uno cenſentur legis interpretatione.

ὃ οὖν ὁ Θεὸς συνέζευξε, *quod ergo Deus conjunxit*] Errant qui hoc ad cauſas & occaſiones conjugiorum contrahendorum referunt. Non enim de iſtis agitur, ſed de ipſa matrimonii natura, cui Deus auctor ineſſe voluit jus amicitiæ arctiſſimum. Si igitur ſine gravi culpa κατὰ πᾶσαν αἰτίαν [*ex quavis causâ*] amicitiæ cæteræ diſſui non poſſunt, quantò minùs iſta quæ tot pignorum vinculo continetur, unde pendet honeſta tum propagatio tum educatio nobiliſſimi animantis creati ad Divinam imaginem?

ἄνθρωπος μὴ χωριζέτω. *homo non ſeparet*] Quod facit qui aut innocentem uxorem extrudit, aut etiam tolerare recuſat ea quæ ſunt tolerabilia. Vide I Petri III, 7.

7. ἐνετείλατο, *mandavit*] Non malè ex lege formam negotio præſcribente permiſſionem inferunt. Qui repudianti uxorem præcipit ut libellum det divortii, divortium aliquatenus permittit. Sed non quicquid permittitur, legibus præſertim Civilibus, fas piumque eſt, ut Chriſtus oſtendet.

ἀπολῦσαι, *dimittere*] De hujus vocis ſignificatu diximus ad caput V.

8. Ὅτι Μωσῆς, *Quonjam Moſes*] Deo auctore, ut ſuprà diximus. Sed Moſem nominat ut Legis non communis primævæ atque perpetuæ, ſed Iudaicæ pro ratione temporum datæ promulgatorem.

πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν, *ad duritiam cordis*] Id eſt, ἀπείθειαν [*incredulitatem*]. Ita alibi junguntur ἀπιστία καὶ σκληροκαρδία [*incredulitas & cordis duritia*], Marci XVI, 14. Quia ergo obduruerant adverſùs æquitatem à natura Deoque præſcriptam, ideo Deus jura ſcripſit non tanquam optimæ reipublicæ ſed tanquam fæci Iſraelis. Eſt autem hæc velut propria nota illius populi, Exodi XXXIII, 3. XXXIV, 9. Deuter. IX, 6. XXXI, 27. Eſaiæ XLVIII, 4. Ezech. II, 4. III, 7. Actor. VII, 51. πρὸς hîc reſpondet Hebræo על, quod valet *propter*.

ἐπέτρεψεν ὑμῖν, *permiſit vobis*] Ἐπιτρέπειν ſæpe apud Græcos Scriptores eſt *rem arbitrio alicujus committere:* quæ vera eſt hujus loci ſententia, ut alibi oſtenſum eſt. Latinè quoque *permittendi* vox ita uſurpatur: eſtque hæc ſignificatio inter permiſſionem juris nudique facti media.

οὐ γέγονεν οὕτως. *non fuit ſic*] Puto rectè verti *non ita factitatum eſt*, ut ad auctoritatem Dominicæ inſtitutionis, de qua actum eſt antea, accedat ævi melioris conſuetudo. Nemo enim laudatorum virorum uxorem ſuam dimiſiſſe legitur, ne tum quidem cùm probabiles eſſe viderentur divortii cauſæ: quam in rem Abrahami exemplum illuſtre eſt.

9. μὴ ἐπὶ πορνείᾳ, *niſi ob fornicationem*] Ita vetus editio Complutenſis. Atque ita legit Syrus, id eſt, *cùm non ſit adultera.* Quod favet Origeni dicenti πορνείας [*fornicationis*] mentionem non fieri in vim ſtrictæ exceptionis, ſed exempli gratiâ, nimirum ut graviores mores à levioribus diſcernantur. Seneca dixit *condonanda eſſe vitia, non portenta.*

καὶ γαμήσῃ ἄλλην, μοιχᾶται· *& aliam duxerit, mœchatur*] Id eſt, ποιεῖ μοιχᾶσθαι [*facit mœchari*] illam priorem à ſe dimiſſam. Ita hæc verba exponi debere apparet ex collatione loci qui ſuprà eſt v, 32. *Facere* rectè dicitur qui facto cauſam præbet. Et mos eſt Helleniſtarum verba formæ Hiphil per activa exprimere, ut Romanorum VIII, 26. Galat. IV, 6.

10. αἰτία, *cauſa*] *Conditio*, דברה. Planè enim aſſentior viro doctiſſimo ex Iure Romano hanc vocem interpretanti. Theophilo dicitur actor plus petere τῇ αἰτίᾳ [*cauſâ*] qui καλλίονα μὲν ἑαυτοῦ, χείρονα δὲ τὴν αἵρεσιν ποιεῖ τοῦ ἐναγομένου [*potiorem ſuam, deteriorem autem facit cauſam reo*]. *Plurimùm intereſt*, inquit Pomponius, *utrùm quis de alterius cauſa ac facto neſciret an de jure ſuo ignoraret.* Sic *non corpus tantùm ſed & cauſam rei reſtituendam* ajunt Iuriſconſulti, L. *Præterea.* D. De Rei vind. & L. *Cùm fundus*, De Reb. Cred. ſi cert. pet. id eſt, omnem ejus qualitatem. Martialis,

Quid Nomentani cauſam mihi perdis agelli,
Propter vicinum qui pretioſus erat?

Scriptores pleroſque Chriſtianos veteres, atque inter eos Matthæi Interpretem, Marcum & Lucam, Iuris locutionum fuiſſe non ignaros plurimis indiciis patet. *Si*, inquiunt Apoſtoli, *ea eſt mariti conditio*, ſcilicet ut uxorem pro animi ſui arbitrio dimittere ei fas non ſit, ſatius eſſet abſtinere à nuptiis quàm ſe induere in malum inextricabile. Incommoda mulierum ingenia multos à matrimonio deterrent. Sapiens Hebræus Eccl. XXV, 23. Συνοικῆσαι λέοντι καὶ δράκοντι εὐδοκήσω ἢ συνοικῆσαι μετὰ γυναικὸς πονηρᾶς [*Commorari leoni & draconi malim quàm malæ mulieri*]. Alexis,

Ἐπὰν δὲ γήμῃς, οὐδὲ σαυτοῦ κύριον
Ἔξεστιν εἶναι· τὰς γὰρ εὐθυμίας μόνον
Ἐφημερινὰς τοῦ βίου κεκτήμεθα.
[*At poſtquam uxorem duxis, domino nec tui*
Tibi licebit eſſe, ſed quotidie
Tibi exigenda vita in ſuppliciis erit.]

Huic malo remedium optimum videbatur repudii libertas:

Ὡς τὴν κακὴν μὲν ἐξέβαλλε δωμάτων,
Τὴν δ' οὖσαν ἐσθλὴν ἡδέως ἐσώζετο,
[*Vt ſi mala eſſet, limine exigeret ſuo;*
Bonam libenter usquè retineret ſibi,]

ut Euripides inquit. Et Antiphon inter ea quibus matrimonium diſſuadet affert & hoc, Εἰ γὰρ τύχοι μὴ ἐπιτηδεία γενομένη, χαλεπαὶ ἐκπομπαί, χαλεπὸν δὲ κεκτῆσθαι κτῆμα τοιοῦτον [*Nam ſi appareat non ſatis conveniens, difficilia repudia; difficile non minùs habere ſecum id mali*].

11. Οὐ πάντες χωροῦσι τὸν λόγον τοῦτον, *Non omnes capiunt verbum illud*] *Non omnes ſufficiunt huic rei*, ut rectè interpretatur Syrus. Sic & Origenes, Ἀλλὰ καὶ ἀγαγέσθαι γυναῖκα ἐπέτρεψεν ἡμῖν ὁ Θεὸς, ὡς οὐ πάντων χωρούντων τὸ διαφέρον· τουτέστι τὸ πάντη καθαρόν [*Sed & ducere uxorem permiſit nobis Deus, nempe quia non omnes apti ſunt ad id quod eximium eſt, id eſt, ſummè purum*]. Ita χωρεῖν [*capere*] uſurpavit Poeta non inelegans, quem vulgò Phocyliden non rectè vocant,

Οὐ χωρεῖ μεγάλην διδαχὴν ἀδίδακτος ἀκούειν·
Οὐ γὰρ δὴ νοέουσ' οἱ μηδέποτ' ἐσθλὰ μαθόντες.
[*Qui rudis eſt, non quit documenta capeſſere magna:*
Qui bona non didicit rès non intelligit iſtas.]

Et Plutarchus Vitâ Catonis Vticenſis ſic orantes facit Romanos qui circa ipſum erant, Εἰ Κάτωνες οὐκ εἰσὶν οὐδὲ τὸ Κάτωνος φρόνημα χωροῦσιν, οἰκτείρειν τὴν ἀσθένειαν αὐτῶν [*Si ipſi Catones non eſſent, nec Catonis haberent ſpiritus, dandam ſuæ imbecillitati ex commiſeratione veniam*]. Senſus eſt, Multos eſſe imbecilliores quàm ut pares ſint ſublimi propoſito. Cyprianus de Virginibus quibusdam, *Si perſeverare*, inquit, *nolunt vel non poſſunt.* Lactantius hæc Chriſti verba ita explicat, *Si quis hoc*, inquit, *facere potuerit, habebit eximiam incomparabilemque mercedem. Quod continentiæ genus, quaſi faſtigium eſt omniumque conſummatio virtutum.*

ἀλλ' οἷς δέδοται. *ſed quibus datum eſt*] Dari à Deo hoc dicit Chriſtus; attamen non ſine hominum niſu ac contentione, ut ex ſequentibus apparet. Clemens Romanus in epiſtola ad Corinthios, Ὁ ἁγνὸς τῇ σαρκὶ, μὴ ἀλαζονευέσθω, γινώσκων ὅτι ἕτερός ἐστιν ὁ ἐπιχορηγῶν αὐτῷ τὴν ἐγκράτειαν [*Qui purus eſt carne ne ſe jactet, ſciens alium eſſe qui ei ſuppeditet vim continentiæ*]. Quod, ut alia quædam, tranſcripſiſſe mihi videtur Tertullianus libro De virginibus velandis, *Et ſi à Deo confertur continentiæ virtus, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Clemens Alexandrinus, Εὐνουχίαν μὲν καὶ οἷς τοῦτο δεδώρηται ὑπὸ Θεοῦ μακαρίζομεν [*Felicem prædicamus caſtimoniam quaſi ſpadonum, & eos quibus id datum eſt*].

12. Εἰσὶ γὰρ εὐνοῦχοι, *Sunt enim eunuchi*] Hæc adduntur implendæ comparationis gratiâ. Sicut autem Græcis nomen εὐνούχων ita Latinis *ſpadonum* generalis appellatio eſt teſte Vlpiano: quanquam eſt & ubi *ſpadones caſtratis* opponuntur.

οἵτινες εὐνουχίσθησαν ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων· *eunuchi qui facti ſunt ab hominibus*] Talis qui eſt ארם סרים dicitur in Aruch, εὐνοῦχος ἐξ ἐπηρείας [*eunuchus per injuriam*] in Canonibus.

εὐνούχισαν ἑαυτοὺς, qui ſeipſos caſtraverunt] Animi deſtinatione, μὴ ζητοῦντες γυναῖκα [*non quærentes uxorem*], ut Paulus loquitur 1 Corinth. VII, 27. Sed ad propoſitum accedere debet cuſtodia ſui ſollicita, preces, jejunia, & quicquid præterea eſt quo poteſt τὸ σῶμα δουλαγωγεῖσθαι [*corpus ſubjugari*]. Nam & ἡμετέρας σπουδῆς δεῖ τὸ κατόρθωμα [*noſtræ operæ virtus iſta eget*], ut hac de re agens ad caput VII prioris ad Corinthios loquitur Chryſoſtomus: quod idem latiùs exſequitur De Virginitate capite XXVII. Oſtendit hæc comparatio ea ſola à Deo coronari quæ liberè fiunt.

διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. *propter Regnum cælorum*] Δι' ἀγάπην πρὸς τὸν Θεὸν [*propter amorem in Deum*], ut Clemens interpretatur Strom. III. id eſt, ut meliùs poſſint μεριμνᾷν τὰ τοῦ Κυρίου, ἵνα ὦσιν ἅγιοι καὶ σώματι καὶ πνεύματι [*curare quæ ſunt Domini, ut ſint ſancti corpore & ſpiritu*], ut Paulus loquitur 1 Corinth. VII, 34. ad implenda rectiùs, liberiùs atque conſtantiùs præcepta Chriſtianiſmi: non quòd in iis ſit cœlibatus, ſed quòd ad ea magno ſit adjumento. Idem ergo eſt διὰ τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*propter Regnum cælorum*] quod ἕνεκεν εὐαγγελίου [*propter Euangelium*] Marci x, 29. Quod Origenes primo ad Celſum dixit, διὰ τὸ καθαρώτερον θρησκεύειν τὸ θεῖον μηδὲ τῶν συγκεχωρημένων ὑπὸ τοῦ νόμου ἅπτεσθαι ἀφροδισίων [*ideo etiam ab ea Venere abſtinere quam lex permittit ut ſic puriùs liceat Deo ſervire*]. Neque enim ii tantùm qui ad verbi miniſterium erant ſegregati, ſed præter eos alii complures utriusque ſexus & omnis ordinis homines ab initio Chriſtianiſmi amplexi ſunt ταύτην τὴν ὑψηλοτέραν πολιτείαν [*hoc ſublimius vivendi genus*]. Iuſtinus Martyr, Καὶ πολλοί τινες καὶ πολλαὶ, ἑξηκοντοῦται καὶ ἑβδομηκοντοῦται, οἳ ἐκ παίδων ἐμαθητεύθησαν τῷ Χριστῷ, ἄφθοροι διαμένουσι· καὶ εὔχομαι κατὰ πᾶν γένος ἀνθρώπων τοιούτους δεῖξαι [*Multi ac multæ qui à prima ætate in Chriſti diſciplinam ſe dedêre, ad ætatem ſexaginta & ſeptuaginta annorum puros à Venere ſe ſervant, & polliceor me in omni gente multos tales oſtenſurum*]. Idem alibi, Ἢ τὴν ἀρχὴν οὐκ ἐγαμοῦμεν εἰ μὴ ἐπὶ παίδων ἀνατροφῇ, ἢ παραιτούμενοι τὸ γήμασθαι τέλεον ἐγκρατευόμεθα [*Nos aut ad nuptias non venimus niſi in ſpem prolis bene educandæ, aut evitato matrimonio in perpetua continentia vivimus*]. Tatianus contra Græcos, Τὰς παρ' ἡμῖν παρθένους λοιδορεῖσθε [*Virgines quæ apud nos ſunt irridetis*]. Minutius Felix de Chriſtianis, *Plerique inviolati corporis virginitate fruuntur potiùs quàm gloriantur.* Tertullianus notat ſua ætate virgines Eccleſiarum in quibusdam locis recludi ſolitas, cùm rurſus aliis in locis non recluderentur. Idem De Reſurrectione Chriſti, *Quot ſpadones voluntarii, quot virgines Chriſto maritatæ?* Vide Cyprianum atque alios. Lactantius, *plurimi beatam atque incorruptam corporis virginitatem retinuere.* Meritò autem cauſam hanc pietatis adjecit Chriſtus. Nam alioqui idem faciebant αἱ σεμναὶ [*Venerandæ*] apud Indos, Veſtales Romanorum, & Athletæ non pauci, quos Clemens nominat δι' ἄσκησιν σωματικὴν ἐγκρατευομένους καὶ ἀφροδισίων ἀπέχοντας [*exercitationis corporalis cauſâ ſervantes eam continentiam ut ab omni abſtineant Venere*]. Euſebius addit apud Chriſtianos obſervatam παρθενίαν καθ' ἑκούσιον γνώμην, οὐ δι' ἀνάγκην ὡς παρ' Ἕλλησι [*virginitatem ex voluntario propoſito, non ex neceſſitate ut apud Græcos*]. Chryſoſtomus in VII ad Romanos, διὰ τοῦτο ἐπὶ μὲν τῶν παλαιῶν, εἴπου τις ἐφάνη παρθενίαν ἀσκῶν, σφόδρα ἐκπληκτικὸν ἦν· νῦν δὲ πανταχοῦ τῆς οἰκουμένης τὸ πρᾶγμα ἔσπαρται [*ob id olim ſiquis conſpiceretur à nuptiis abſtinere, res erat miranda; nunc ubique locorum ea laus ſparſa eſt*].

Ὁ δυνάμενος χωρεῖν χωρείτω. *Qui poteſt capere capiat*] Id eſt, cui tantum animi eſt, macte iſta virtute eſto, pergat Deo favente. Vſurpat hoc dictum & Ignatius, ſed de fide in Chriſtum agens, ὁ χωρῶν χωρείτω· ὁ ἀκούων ἀκουέτω [*qui capit capiat, qui audit audiat*] in Epiſtola ad Smyrnenſes.

13. *παιδία, parvuli*] Iam aliquoties diximus vocem hanc etiam de paulò provectiore ætate accipi. Imò & βρέφους vox, quam Lucas uſurpat, eandem ſignificationem recipit, ut liquet II ad Timòtheum III, 15.

τὰς χεῖρας ἐπιθῇ αὐτοῖς, καὶ προσεύξηται· *ut manus eis imponeret, & oraret*] Manuum impoſitio apud Iudæos indicabat invocationem Divinæ potentiæ, ut alibi diximus. Vnde factum eſt ut & munia publica eo ritu conferrentur, etiam Civilia, ut Senatorum. Sed & in Archiſynagogis & Senioribus ſynagogæ idem obſervatum; unde mos τῆς χειροθεσίας [*manuum impoſitionis*] ad Chriſtianos tranſiit: de quo alibi erit agendi locus. Pro pueris etiam eo ritu preces concipi ſolitas manifeſtum eſt ex Geneſeos cap. XLVIII, 14, 15. Exinde Hebræis ſemper obſervatum ut ad eos qui ſanctimoniâ præſtare cæteris crederentur pueros deferrent, ipſorum precibus Deo commendandos διὰ τῆς τῶν χειρῶν ἐπιθέσεως [*per manuum impoſitionem*]· qui mos hodiéque apud ipſos manet. Hunc autem morem Chriſtus probans oſtendit iſti etiam ætati prodeſſe aliorum fidem ac preces.

μὴ κωλύετε αὐτὰ ἐλθεῖν πρός με, *nolite eos prohibere ad me venire*] Apoſtoli rem minùs dignam Chriſto putabant contingendis pueris occupari. At Chriſtus iſtam quoque ætatem à ſuis beneficiis non rejicit. Imò oſtendit gratum ſibi eſſe ſi pueri, quaſi deſignati ſanctitatis ac per hoc etiam ſalutis, quomodo Tertullianus loquitur, à primis vitæ initiis addicantur Chriſtianæ educationi. Nam certè

—— *A teneris aſſueſcere multum eſt.*
& *Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem*
Teſta diu.

Irenæus de Chriſto, *Ideo per omnem venit ætatem, & infantibus infans factus ſanctificans infantes, in parvulis parvulus ſanctificans hanc ipſam habentes ætatem, ſimul & exemplum illis pietatis effectus & juſtitiæ & ſubjectionis.* Huic Chriſti dicto inter cætera innititur mos pueros etiam infantes baptiſmo tingendi: Quem Auguſtini temporibus per omnes eccleſias fuiſſe receptum hoc ipſo ſatis conſtat, quòd Pelagiani, cùm eo argumento ab Auguſtino atque aliis premerentur, negare id ipſum nunquam auſi fuerint. Et ut de Origene nihil dicam, cui quæ adſcribuntur quædam ſunt incerti auctoris, quædam interpolata, epiſtola Cypriani ad Fidum, qua & Auguſtinus & Hieronymus utuntur, apertum facit, an rectè baptizarentur infantes ne dubitatum quidem, ſed an poſſint baptizari etiam ante octavum diem quosdam hæſitaſſe: re autem in Concilio expenſâ viſum ne recens quidem natis ſi offerrentur negandum

Baptiſmum. In libro antiquo cui titulus Conſtitutiones Clementis legimus, Βαπτίζετε δὲ ὑμῶν καὶ τὰ νήπια, καὶ ἐκτρέφετε αὐτὰ ἐν παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ Θεοῦ [*Baptizate etiam parvulos veſtros, & eos educate in bona diſciplina & præceptis Dei*]. Quin etiam εὐχαριστίαν [*Euchariſtiam*] præbitam infantibus antiquiſſimis teſtimoniis apparet. Cæterùm illa ſententia, Infantes non baptizatos certò ſuppliciis æternis, quanquam levioribus, addici, tam rigidè defenſa ab Auguſtino, ne ipſi quidem Auguſtino placuerat antequam cum Pelagio collideretur. Videtur autem mihi antiquitus Baptiſmus infantium multò magis in Africa quàm in Aſia aliiſve mundi partibus fuiſſe frequentatus, & cum majori quadam neceſſitatis opinione. Nam in Conciliis vetuſtiorem ejus moris mentionem non invenias Concilio Carthaginienſi. Tertullianus de ætate qua baptizandi eſſent qui Chriſtianæ diſciplinæ à parentibus conſecrabantur, nihil definitum fuiſſe ſuis temporibus hoc ipſo docet quòd dilationem Baptiſmi tam multis rationibus ſuadet. *Itaque*, inquit, *pro cujusque perſonæ conditione ac diſpoſitione, etiam ætate, cunctatio Baptiſmi utilior eſt: præcipuè tamen circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt* (quod hîc in quibusdam codicibus repetitur, *ſi non tam neceſſe*, non video quem commodum ſenſum accipiat) *ſponſores etiam periculo ingeri, qui & ipſi per mortalitatem deſtituere promiſſiones ſuas poſſunt, & proventu malæ indolis falli? Ait quidem Dominus, Nolite illos prohibere ad me venire. Veniant ergo dum adoleſcunt, veniant dum diſcunt, dum quò veniant docentur* (legendum puto *dumque veniunt doceantur*). *Fiant Chriſtiani quum Chriſtum noſſe potuerint. quid feſtinat innocens ætas ad remiſſionem peccatorum?* Senſus eſt, Veniant ad Chriſtum ut inſtituantur, non ut baptizentur, niſi poſtquam vim Baptiſmi intellexerint. Nazianzenus agens de iis qui ſine Baptiſmo decedunt, exemplum ponit in iis quibus Baptiſmus non contigit διὰ νηπιότητα [*ob infantiam*]. Atque is ipſe Nazianzenus, Epiſcopi cùm eſſet filius, patris ſub cura diutiſſimè educatus, baptizatus non fuit niſi cùm ex ephebis exiiſſet, ut ipſe in Vita ſua nos docet. Iohannes Antiochenus, dictus poſtea *Chryſoſtomus*, parentibus natus Chriſtianis, ut verior habet ſententia, à Meletio Epiſcopo inſtitutus, baptizatus eſt poſt annum primum & viceſimum. Sed imprimis notatu dignus eſt canon Synodi Neocæſarienſis habitæ anno CCCXV, qui ſic habet, περὶ κυοφορούσης ὅτι δεῖ φωτίζεσθαι ὁπότε βούλεται· οὐδὲν γὰρ ἐν τούτῳ κοινωνεῖ ἡ τίκτουσα τῷ τικτομένῳ, διὰ τὸ ἑκάστου ἰδίαν τὴν προαίρεσιν τὴν ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ δείκνυσθαι [*de muliere prægnante ut baptizetur ubi volet: nihil enim puerpera hac in re partui communicat. Nam & hujus & illius quæ ſit voluntas oſtendit profeſſio*]. Vtcunque enim aliovorſum trahant Interpretes, apparet, ideo de Baptiſmo prægnantium motam quæſtionem, quòd videretur cum matre ſimul proles baptizari, quæ tamen baptizari non ſoleret niſi ſuper propria voluntate ac profeſſione. Et ſic in Compendio canonum titulo IV explicat Balſamo, Οὐ δύναται φωτισθῆναι διὰ τὸ μηκέτι εἰς φῶς ἐλθεῖν, μηδὲ προαίρεσιν ἔχειν τῆς ὁμολογίας τοῦ θείου βαπτίσματος [*Non poteſt baptizari quia nondum in lucem venit, neque habere voluntatem poteſt profeſſionis faciendæ quæ in ſancto Baptiſmate requiritur*]. & Zonaras, Τὸ ἔμβρυον χρήζει βαπτίσματος ὅτε προαιρεῖσθαι δυνήσεται [*Fœtus tunc opus habebit Baptiſmate cùm eligere poterit agendo*]. Definit autem Synodus Baptiſmum ideo rectè procedere quia ad matrem ſolam quæ de ſe profeſſionem ederet, non etiam ad uterum pertineret. Et Græcorum plerique ab omni ævo ad hunc diem morem ſervant differendi parvulorum Baptiſmum donec ipſi fidei ſuæ confeſſionem poſſint edere. Walafredus Strabo De rebus Eccleſiaſticis cap. XXXVI. *Notandum deinde primis temporibus illis ſolummodo Baptiſmi gratiam dari ſolitam qui & corporis & mentis integritate jam ad hoc pervenerant ut ſcire & intelligere poſſent, quid emolumenti in Baptiſmo conſequendum, quid confitendum atque credendum, quid poſtremò renatis in Chriſto eſſet ſervandum.* Cæterùm iſta ſicut libertatem, vetuſtatem, & conſuetudinis differentiam indicant, ita nihil afferunt cur repudiandus ſit Baptiſmus infantium, quos parentes aut ſponſores alii Deo per ſanctorum preces conſecrandos offerunt, cum voto piæ educationis: quod præter cætera Baptiſmo non incommodè ſignificatur. Neque obſtare debet quòd non omnia quæ itidem per Baptiſmum ſignificari ſolent in iſtam ætatem propriè congruant. Nam & pœnitentia, quam ſcimus Baptiſmo deſignari, majorem certè in iis qui, cùm vitam diu impuram egiſſent, vitæ totius mutandæ propoſitum teſtabantur quàm in aliis locum habebat, in Chriſto verò, quem Iohannes baptizavit, nullum, qui, ut Tertullianus loquitur, *nullius pœnitentiæ debitor tinctus eſt*. Scriptor Quæſtionum & Reſponſionum ad Orthodoxos περὶ βρεφῶν [*de infantibus*] loquens, Ἀξιοῦνται δὲ τῶν διὰ τοῦ βαπτίσματος ἀγαθῶν τῇ πίστει τῶν προσφερόντων αὐτὰ τῷ βαπτίσματι [*Per Baptiſma bonis dignantur per fidem offerentium eos Baptiſmati*].

τῶν γὰρ τοιούτων, *talium enim*] Eò minùs, inquit Chriſtus, ætas iſta quaſi profana ſpernenda eſt, quia & adulti qui ſe in meam dedunt diſciplinam debent quaſi repueraſcere, exutis ſcilicet vitiis quæ major ætas ſupervexit. Suprà voluit Chriſtus ſectatores ſuos pueris ſimiles fieri, vacuitate τῆς φιλαρχίας [*ambitûs*]. Hîc verò magis reſpici videtur obediens puerorum docilitas. Ita enim ait Lucas, Ὃς ἐὰν μὴ δέξηται τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ ὡς παιδίον, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτήν [*Quicunque non acceperit Regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud*]. Solent comparari puerilia ingenia tabulæ raſæ, cui facilè quidvis inſcribas.

15. ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας, *cùm impoſuiſſet eis manus*] Ita ut ſimul more Hebræo preces pro iis conciperet. Hoc enim eſt εὐλογεῖν [*benedicere*] Marci X,16. Habebat quidem Chriſtus poteſtatem dona conferendi etiam ſine precibus, ſed exemplum nobis præbens plerumque preces interponebat.

16. εἷς προσελθὼν, *unus accedens*] Non νομικὸς [*Legisperitus*] ille Lucæ memoratus X, 25. ſed ἄρχων [*princeps*], id eſt, unus oppidi ſui Senatorum, Lucæ XVIII, 18. cæterùm ætate juvenis, infrà 20. De hoc ἀρχόντων [*principum*] genere accipiendum puto Iohannis illud XII, 42. Ὅμως μέντοι καὶ τῶν ἀρχόντων πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν [*Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum*]. Veniſſe

autem hunc non calumniandi animo, ut νομικὸν [*Legisperitum*] illum, ſed diſcendi cupidum, ex Marco & Luca apparet.

ζωὴν αἰώνιον; vitam æternam] Quam Iudæis tenuiter cognitam apertè à Chriſto prædicari audiebat. Vide quæ ad Lucam x, 25. dicentur.

17. *Τί με ἐρωτᾷς περὶ τοῦ ἀγαθοῦ; εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς, Quid me interrogas de bono; unus eſt bonus*] Cùm & vetuſtiora & emendatiora exemplaria hanc lectionem præferant, quam ſecutus eſt non vetus tantùm quo nunc utimur Latinus Interpres, ſed & illi codices quibus uſi ſunt Auguſtinus, Hieronymus, atque alii, multò eſt credibilius lectionem alteram ex Marco & Luca huc traductam, quod ſæpe accidit, quàm iſtam aliunde irrepſiſſe. Antiquitas tamen diverſæ lectionis vel inde apparet, quòd apud Origenem (niſi tamen & ibi aliquid aſſutum ſuſpicari libet) utriusque fit mentio; & Syrus ita hîc habet ut in Marco & Luca eſt. Senſus eodem recidit. Iuvenis iſte, quamvis in Ieſu majus homine nihil agnoſceret, ſperabat tamen eo monſtrante ſe perventurum ad poſſeſſionem ejus boni quo vita æterna paratur, quaſi ad eam rem monſtratore tantùm egeret, cætera per ſe confecturus: ſicut Philoſophi de quibus epiſtolâ LII agit Auguſtinus, qui beatam vitam ipſi ſibi fabricare voluerunt, potiúsque patrandam quàm impetrandam putaverunt, cùm ejus dator non ſit niſi Deus. Hoc animo & Ieſum *bonum Magiſtrum* vocabat, id eſt, boni monſtratorem, & de *bono* ab ipſo volebat edoceri. At Ieſus occurrens huic errori, ſimulque modeſtiæ nobis præbens exemplum, ait non eſſe multos boni fontes, ſed unicum, Deum ſcilicet; hoc ipſo indicans, non ſatis eſſe bonum nobis monſtrari, niſi Deus mentem illuſtrans vires nobis ſuggerat: quò pertinet quod infrà ſequitur, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι [*apud Deum omnia poſſibilia ſunt*]. Viderunt hoc etiam in Gentibus nonnulli, ſed ad quos, ut arbitror, aliqua Barbaricæ Philoſophiæ ſcintilla pervaſerat. Plato Menone, Εἰ δὲ νῦν ἡμεῖς παντὶ τῷ λόγῳ τούτῳ καλῶς ἐζητήσαμέν τε καὶ ἐλέγομεν, ἀρετὴ ἂν εἴη οὔτε φύσει, οὔτε διδακτὸν, ἀλλὰ θείᾳ μοίρᾳ παραγιγνομένη [*Quod ſi nos in omni hoc ſermone rectè rem exquiſivimus & explicavimus, virtus neque naturâ erit neque diſciplinâ, ſed Divinitus adveniet*]. Quæ ita eſſe intelligenda ut non excludatur opera Magiſtrorum, neque naturalis ingenii facultas, ſed ut Deus & per hæc & præter hæc operari in nobis credatur virtutem, facundè oſtendit Maximus Tyrius in diatriba Εἰ γένοιτό τις θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθὸς [*An quis fiat bonus Dei dono*], ubi in eandem ſententiam Homeri utitur teſtimonio,

——— οὐ γὰρ ὀΐω
Οὔ σε Θεῶν ἀέκητι γενέσθαι τε τραφέμεν τε.
[——— *neque enim te credere poſſim*
Absque Deûm fato genitum vitâque potiri.]

Argumento autem hoc utitur, Αὐτάρκες δὲ ὂν (τὸ θεῖον) καὶ τέλειον καὶ ἰσχυρὸν, κατὰ μὲν τὴν τελειότητα τὰ ἀγαθὰ βούλεται, κατὰ δὲ τὴν αὐτάρκειαν ἔχει, κατὰ δὲ τὴν ἰσχὺν δύναται· βουλόμενος δὴ καὶ ἔχων καὶ δυνάμενος κατὰ τί μὴ δῷ; ὁ μὲν γὰρ ἔχων οὐ διδοὺς, οὐ βούλεται· ὁ δὲ βουλόμενος οὐκ ἔχων, οὐ δύναται, ὁ δὲ ἔχων καὶ βουλόμενος πῶς οὐ δύναται; [*Cùm Deus ſit & ſibi ſufficiens & perfectus & ſummè potens, ut perfectus vult bona, ut ſufficiens ſibi, habet bona; ut potens efficere poteſt. Cùm igitur velit & habeat & poſſit, cur non det? Nam qui habet & non dat, is non vult: qui vult & non habet, non poteſt: qui habet & vult, quomodo non poſſit;*] Atque huc refert etiam adverſa ac pericula quæ Deus hominibus objiciat, ut in iis ſe exercendo boni evadant. Hierocles in Pythagorica Schola eadem didicit, Εἰ γὰρ καὶ ἐφ' ἡμῖν αἵρεσις τῶν καλῶν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ἐφ' ἡμῖν θεόθεν ἔχοντες τῆς παρ' ἐκείνου συνεργίας καὶ τελειώσεως τῶν αἱρετῶν πάντως που χρῄζομεν· ἔοικε γὰρ τὸ μὲν παρ' ἡμῶν σπουδαζόμενον ἐκτεινομένῃ χειρὶ πρὸς λῆψιν τῶν καλῶν· τὸ δὲ παρὰ Θεοῦ συντελούμενον χορηγία εἶναι καὶ πηγὴ τῆς δόσεως τῶν ἀγαθῶν [*Etiamſi in nobis eſt bonorum optio, ſed & hanc ipſam volendi libertatem à Deo habemus, ipſius auxilio ut maximè ad perfectionem naturæ ſenſu præditæ egemus. Videtur enim noſter labor ſimilis manui extenſæ ad bona acceptanda; at id quod à Deo efficitur eſſe exhibitio & fons bonorum datorum*]. Mox, Οὔτε γὰρ μόνον προθυμεῖσθαι δεῖ τὰ καλὰ ὡς ἐφ' ἑαυτοῖς ὄντα κατορθῶσαι καὶ χωρὶς τοῦ Θεοῦ. ἐπικουρίας χρῄζομεν πρὸς ἀποφυγὴν μὲν τῶν κακῶν, ἀνάκτησιν δὲ τῶν ἀγαθῶν [*Neque enim tantùm ſtudendum eſt rebus bonis, tanquam in nobis eſſet rectè agere etiam ſine Deo. Auxilio egemus ad fugam malorum, nec minùs ad bonorum acquiſitionem*]. Seneca: *Nulla ſine Deo mens bona eſt.* Porphyrius quoque ſcripſit non poſſe homines τελειοῦσθαι [*perfici*] niſi διὰ τὸν νοῦν τὸν πατρικόν [*per Mentem paternam*]. Iudæos ſaniores idem ſenſiſſe vel Philo nos doceat, Δεῖ τὸν ὑπὲρ ἀρετῆς πόνον μὴ ἑαυτῇ προσάπτειν τὴν ψυχὴν, ἀλλ' ἀφελεῖν ἀφ' ἑαυτῆς, καὶ Θεῷ ἀνενεγκεῖν, ὁμολογοῦσαν ὅτι οὐχ ἡ ἰσχὺς αὐτῆς οὐδὲ ἡ δύναμις περιεποίησε τὸ καλὸν, ἀλλὰ καὶ ὁ τὸν ἔρωτα χαρισάμενος [*Debet animi laborem ad bonum non ſibi addicere, ſed à ſemet abdicare & Deo offerre, agnoſcendo quòd non ſua vis ac facultas bonum ei peperit, ſed is maximè qui ejus amorem indidit*]. Idem alibi Deum ex Moſis perſona ita alloquitur, Διὸ δέομαι καὶ ποτνιῶμαι προσέσθαι τὴν ἱκεσίαν ἀνδρὸς ἱκέτου καὶ φιλοθέου καὶ μόνον θεραπεύειν ἀξιοῦντος· ὡς γὰρ τὸ φῶς ὑφ' ἑτέρου μὴ γνωριζόμενον αὐτὸ ἑαυτοῦ γνώρισμά ἐστιν, οὕτω καὶ σὺ σεαυτὸν μόνος ἂν φῆναι δύναιο [*Propterea oro ac precor accipias preces hominis ſupplices Deum amantis eique ſoli ſervire volentis. Sicut enim lux ſine alterius indicio index eſt ſui, ita & tu ſolus es qui temet poſſis oſtendere*]. Et Allegoriarum ſecundo, Καὶ γὰρ δίκαιον τῶν τῆς ψυχῆς κινημάτων ὅσα πρῶτα ἢ τάξει ἢ δυνάμει Θεῷ ὁμολογεῖν [*Rectum enim eſt animi motuum eos qui primi ſunt ordine aut poteſtate Deo adſcribi*]. Quò magis miror eſſe qui Scriptores Chriſtianos primæ illius atque ſanctiſſimæ vetuſtatis paſſim traducunt, quaſi ab illis τὸ αὐτεξούσιον [*libertas voluntatis humana*] extollatur in Divinæ gratiæ injuriam. Longè aliter animatos fuiſſe viros ſanctiſſimos, quorum partim doctrinâ partim & ſanguine ſtabilita eſt res Chriſtiana, quanquam à viris doctiſſimis nuper abundè demonſtratum eſt, non poſſum non hîc etiam appoſitis teſtimoniis, ut mihi quidem videntur, apertiſſimis conſpicuum lectoribus facere. Iuſtinus Martyr, Οἴεσθε ἂν ἡμᾶς ποτε, ὦ ἄνδρες, νενοηκέναι δυνηθῆναι ἐν ταῖς γραφαῖς ταῦτα, εἰ μὴ θελήματι τοῦ θελήσαντος αὐτὰ ἐλάβομεν χάριν τοῦ νοῆσαι; [*Putatisne vos, ô viri, potuiſſe nos hæc in Scripturis intelligere niſi donum intelligendi accepiſſemus ex voluntate ejus qui ſic voluit?*] Clemens

Alexandrinus Strom. v. Οὐ χάριτος ἄνευ τῆς ἐξαιρέτου πτεροῦταί τε καὶ ἀνίσταται καὶ ἄνω τῶν ὑπερκειμένων αἴρεται ἡ ψυχὴ, πᾶν τὸ βρίθον ἀποτιθεμένη καὶ ἀποδιδοῦσα τῷ συγγενεῖ [*Non ſine gratia eximia ſit volucris & excitatur & ſuper ſubjacentia attollitur anima, omne id quod ponderoſum eſt deponens & reddens tali naturæ*]· ubi & locum ex Platone adducit quem citavimus. Origenes adverſùs Celſum libro VI. Φησὶ δὲ ὁ θεῖος λόγος οὐκ αὐτάρκες εἶναι τὸ λεγόμενον (κἂν τὸ καθ' αὐτὸ ἀληθὲς καὶ πιστικώτατον ᾖ) πρὸς τὸ καθικέσθαι ἀνθρωπίνης ψυχῆς, ἐὰν μὴ καὶ δύναμίς τις θεόθεν δοθῇ τῷ λέγοντι, καὶ χάρις ἐπανθήσῃ τοῖς λεγομένοις, καὶ αὕτη οὐκ ἀθεεὶ ἐγγινομένη [*Dicit autem ſermo Divinus non ſufficere id quod dicitur (etiamſi per ſe verum ſit & fide digniſſimum) ut in animum humanum penetret, niſi & dicenti vis quædam detur Divinitus, & dictis ſuperfloreſcat gratia quædam, quæ & ipſa non ſine Deo contingat*]. Rurſum alibi requirit πρὸς τὸ λογικὸν ἀγαθὸν τὴν συμπνέουσαν θείαν δύναμιν [*præter bonum rationale etiam adſpirantem Dei vim*]. Chryſoſtomus Homil. XLIV. ad Iohannem Chriſtum ſic loquentem facit, Οὐ τὸ τυχὸν πρᾶγμά ἐστι τὸ πιστεῦσαι εἰς ἐμὲ, ἀλλὰ τῆς ἄνωθεν ἀποκαλύψεως δεῖ, καὶ ψυχῆς εὐγνωμόνως δεχομένης τὴν ἀποκάλυψιν [*non vulgaris eſt res in me credere, ſed & revelatione ſupernâ opus & animâ libenter revelationem ſuſcipiente*]. Et Homilia XLV. Εἰ γάρ τις ἔρχεται πρὸς αὐτόν, φησι, τί δεῖ τῆς ἕλξεως; ὃ καὶ αὐτὸ οὐ τὸ ἐφ' ἡμῖν ἀναιρεῖ, ἀλλὰ μᾶλλον ἐμφαίνει ἡμᾶς βοηθείας δεομένους [*Siquis ad illum venit, dicat aliquis, quid opus tractione? Quod & ipſum libertatem in nobis non tollit, ſed magis opis nos indigos eſſe demonſtrat*]. Cùm ergo hîc dicit Chriſtus *Vnum tantùm eſſe bonum, nempe Deum*, eo indicat Deum eſſe τὸ αὐτοάγαθον [*Ipſum bonum*], fontem veri boni, ἀφ' οὗ πᾶσα δόσις ἀγαθὴ [*unde omne datum bonum*], ut loquitur Iacobus: nimirum ut juvenis non alienus à virtutis ſtudio ſed viribus ſuis plùs æquo confidens eo ipſo intelligeret bonum illud non interrogando tantùm diſci, ſed & precibus poſci debere. Cæterùm εἷς ἐστιν ὁ ἀγαθὸς [*Vnus eſt bonus*], ut antiqui codices habent, rectè Syrus interpretatur addito *Dei* nomine. Nam ut alii notarunt, *Vnus*, etiam ſine alio adjectamento, Deus dici ſolebat Hebræis; imò & Aſſyriis. Macrobius, *Deo enim quem ſummum maximumque venerantur Adad nomen dederunt: cujus nominis interpretatio ſignificat Vnus.* Philo Byblius, Ἀδωδος βασιλεὺς θεῶν [*Adodus Rex deorum*]. Nimirum Aſſyrii dicebant חוד, pro quo Hebræi אחד. Ita illud apud Iobum XIV, 4. לא אחד [*niſi unus*] Chaldæus interpretatur *niſi Deus.* Tertullianus Teſtimonio Animæ recitat ut vulgi dictum, *Deus bonus*, ſed *homo malus.*

εἰσελθεῖν εἰς τὴν ζωὴν, *ad vitam ingredi*] Nimirum τὴν αἰώνιον [*æternam*], de qua juvenis interrogaverat; quod infrà eſt εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*intrare in Regnum Dei*]. Cæterùm ſicut ſuprà diximus ἔρχεσθαι [*venire*] ſumi pro πορεύεσθαι [*vadere*], ita & εἰσέρχεσθαι [*ingredi*] hîc non ipſam vitæ æternæ conſecutionem ſed iter eò directum ſignificat; quomodo & εἰσέρχεσθαι διὰ πύλης [*intrare per portam*] ſuprà dicitur, VII, 13. Et infrà dicuntur Legiſperiti οὐκ εἰσέρχεσθαι εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν [*non intrare in Regnum cælorum*], id eſt, viam veram ad Regnum non inſiſtere, neque alios ut id faciant pati.

τήρησον τὰς ἐντολάς. *ſerva mandata*] Proverbiorum VII, 1, 2. ἐντολὰς [*præcepta*] vocavit more Hebræorum præcepta Moſis, Legem factorum ſcilicet, non Legem ſpiritûs. Vide Lucæ 1, 6. & apud Paulum aliquoties. In his autem ponit Chriſtus non viam totam ſed initium viæ. Hæc enim, ut alibi diximus, erat juſtitia Legiſperitorum & Phariſæorum: aliam majorem exigi ad Regnum adipiſcendum Chriſtus docuerat. Sed, ut Paulus dicit de Lege factorum agens, ὁ νόμος παιδαγωγὸς ἡμῶν γέγονεν εἰς Χριστὸν [*Lex pædagogus noſter fuit ad Chriſtum*], ita Chriſtus ab eo quod minus eſt incipit. Ita & Baptiſta pœnitentiæ præco perfectiori magiſterio viam ſtraverat.

18. Ποίας; *Quæ?*] Ita apud Platonem aliquoties ποῖα pro τίνα. Nec aliter infrà XXI, 23. XXII, 36. XXIV, 42, 43. Iohannis X, 32. Actorum IV, 7. & alibi paſſim. Apud LXX etiam aliquoties, ut 1 Regum IX, 18. Videtur autem ideo hoc quærere juvenis, quia, cùm in Lege Moſis plurima ſint mandata, in quorum unum aliquod facile ſit impingere, ſcire expetit ad quæ potiſſimùm attendere debeat. Chriſtus autem ad interrogatum reſpondens ea potiſſima eſſe dicit mandata quæ in officiis mutuis non quæ in ritibus conſiſterent.

19. Ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν. *Diliges proximum tuum ſicut teipſum*] Cùm mandatum hoc duplicem habeat ſenſum, alterum generalem, qui monſtrat acceptiſſimam eſſe Deo veram atque ſinceram hominum inter ſe dilectionem, quo reſpectu præceptum hoc Paulo dicitur *Legis plenitudo*, & Chriſto *præceptum maximum* ab eo quod eſt de Deo colendo; alterum verò ſtrictiorem, quatenus præceptum illud partem efficiebat Legis factorum, id eſt, ut alibi expoſuimus, Legis Hebraïcæ Civilis; poſterior ſenſus huic loco magis convenire videtur, quia de factis interrogaverat juvenis, τί ἀγαθὸν ποιήσω; [*quid boni faciam?*] Quod apertum, ni fallor, facit Marcus, qui iſtis verbis omiſſis ponit Μὴ ἀποστερήσῃς [*Ne fraudem feceris*], quo verbo omnia alia ἀδικήματα [*injuſtè facta*] complectitur quæ propriè non veniunt nomine μοιχείας, φόνου, κλοπῆς, ψευδομαρτυρίας [*Adulterii, Homicidii, Furti, Falſi teſtimonii*]. Ita ἀδικεῖν καὶ ἀποστερεῖν [*injuriam facere & fraudem facere*] junxit Paulus 1 Corinth. VI, 8. & apud Ariſtophanem Pluto poſt interrogationem Μῶν οὐ κέκλοφας; [*Non furatus es?*] ſequitur altera, ἀλλ' οὐδὲ μὴν γ' ἀπεστέρηκάς γ' οὐδένα; [*nec ullam fraudem feciſti alteri?*] Bene autem Marcus una voce expreſſit quod in Levitico XIX. multis vocibus legitur, Οὐ συκοφαντήσει ἕκαστος τὸν πλησίον, οὐκ ἀδικήσεις τὸν πλησίον, καὶ οὐχ ἁρπάσεις· οὐ πορεύσῃ δόλῳ ἐν τῷ ἔθνει σου [*Non facies calumniam proximo tuo, nec facies injuriam proximo, non rapies: non ambulabis doloſè in gente tua*]. Ita Romani delicta omnia quæ proprium non habent nomen *ſtellionatûs* aut *doli mali* nomine complectebantur. Æquè latè patet Hebræum עשק, quod Levitici VI, 2. & alibi per ἀποστερεῖν [*fraudare*] vertunt Græci, optimè illam vocis Hebrææ generalitatem explicante Davide Kimchi libro Radicum

ad locum Levitici xix, 13. Eodem ſenſu ינה ponitur Levitici xxv, 14, 17. quod θλίβειν [*tribulare*] vertunt Græci. Spectat igitur hoc loco Chriſtus hanc legem quatenus imperat τὸ καθῆκον [*officia mediocria*], non quatenus monſtrat τὸ κατόρθωμα [*officia in ſummo gradu*].

20. Πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην, *Omnia hæc cuſtodivi*] Non falsò hoc eum dixiſſe quod ad exteriorem & Civilem juſtitiam attinet ex Marco diſcimus, apud quem Chriſtus narratur poſt hanc profeſſionem utpote veram favore quodam peculiari juvenem proſecutus. Nimirum eſt aliquid vivere ſocialiter. Quod ſequitur, ἐκ νεότητός μου [*à juventute mea*] (id eſt, ex quo cœpit in me uſus rationis), nunc quidem hîc & apud Syrum legitur, ſed antiqui libri Latini non habebant: unde ſuſpicari licet ex Marco aut Luca adjectum.

τί ἔτι ὑστερῶ; *quid adhuc mihi deeſt?*] *Quid mihi deeſt* ad inſiſtendum iter vitæ æternæ? Nam ὑστερῶ τούτου nihil aliud eſt Græcis quàm *hoc mihi deeſt*. Credidit igitur juvenis iſte plus aliquid requiri, ſed quid id eſſet ignorabat.

21. Εἰ θέλεις τέλειος εἶναι, *Si vis perfectus eſſe*] Oſtendimus ſuprà ad finem cap. v. τέλειον [*perfectum*] dici quemvis verè Chriſtianum. Nimirum vox iſta ut aliæ multæ pro diverſitate comparationis, diverſas habent ſignificationes. Ita quicquid in hac vita eſt, rectè dicitur ἀτελὲς [*imperfectum*] ſi comparetur ad id quod in vita altera exſpectamus. Et inter ipſos Chriſtianos qui plurimùm profecerunt τέλειοι [*perfecti*] dicuntur reſpectu τῶν ἔλαττον προβεβηκότων [*eorum qui non eouſque profecerunt*]. Ariſtoteles Metaphyſicis τέλειον [*perfectum*] eſſe dicit rem quamque ὅταν κατὰ τὸ εἶδος τῆς οἰκείας ἀρετῆς μηδὲν ἐλλείπῃ [*ubi ad virtutis quæ ei propria eſt formam nihil deeſt*]. Ita videmus optimè hoc conſequi ad id quod juvenis interrogaverat quid ſibi deeſſet. Apud Marcum Chriſtus reſpondet, Ἕν σοι ὑστερεῖ [*Vnum tibi deeſt*], id eſt, *Eſt adhuc quod tibi deſit:* & deinde id dixiſſe quod hîc ſequitur. Lucas ἔτι ἕν σοι λείπει [*adhuc unum tibi deeſt*]. Vnde liquidò apparet τέλειον hîc dici eum cui nihil deſit quod ad inſiſtendum vitæ æternæ iter ſit neceſſarium: idque ipſum inſequens Chriſti ad Apoſtolos ſermo demonſtrat.

Πώλησόν σου τὰ ὑπάρχοντα, καὶ δὸς πτωχοῖς· καὶ ἕξεις θησαυρὸν ἐν οὐρανῷ· καὶ δεῦρο ἀκολούθει μοι. *Vende quæ habes, & da pauperibus; & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me*] De perfectione qua Chriſtiani inter ſe comparantur hîc non agi oſtendimus. Neque verò ea perfectio in bonorum dilargitione propriè conſiſtit. Imò fieri poteſt ut quis bona ſua dilargiatur & tamen eam quæ Chriſtiano neceſſaria eſt dilectionem non habeat, Paulo teſte 1 Corinthior. xiii, 3. quod hîc Origenes Thebani cujuſdam exemplo demonſtrat. Sed notandum eſt, morem hunc Chriſto fuiſſe, ut viam ſalutis intelligere cupientibus non omnia ſimul per averſionem proponeret, ſed optimo conſilio ab ipſis exigeret ut ſe ſectarentur, id eſt, ut ſe in diſciplinam ſuam traderent, paulatim profecturi in cognitione pietatis. Vide ſuprà viii, 22. ix, 9. Hoc ergo eſt quod & ab iſto juvene exigitur verbis illis ἀκολούθει μοι [*ſequere me*], quibus addunt Marci codices quidam ἆραι τὸν σταυρὸν [*ſuſcipe crucem*], ut intelligeret juvenis iſtam ſectationem non carituram ſuis incommodis, quæ tamen forti animo eſſent devoranda. Sumendam hoc modo vocem ἀκολουθεῖν [*ſequendi*] apparet ex verbis Petri infrà eam vocem repetentis, 27. Chriſtiani omnes parati eſſe debent ſua amittere, ubi Deus id exigit, ut in temporibus vexatæ Eccleſiæ. Ideo ſicut alios rebus enatis, ita hunc verbis explorat Dominus, an in id paratus ſit. Sciebat curam ſervandæ augendæque rei familiaris huic juveni obſtituram quominus animo ac corpore ſe in Chriſti diſciplinam traderet, ideo eum tentat an hoc à ſe impedimentum removere poſſit, divenditis elargitisque rebus quæ ipſum à veræ ſapientiæ ſtudio avocabant, id eſt, aut omnibus quæ poſſidebat, aut certè iis quæ uſibus ipſius ſupererant, quomodo vox ὑπάρχοντα [*quæ poſſidetis*] ſumi videtur & infrà Lucæ xii, 33. Narratur Anacreon talenta quinque à Polycrate ſibi donata reddidiſſe, εἰπών, οὐ τιμᾶσθαι αὐτὰ τῆς ἐπ' αὐτοῖς φροντίδος [*dicens, non tanti ſibi eſſe ut eorum curam ſuſcipere vellet*]. Narrantur alii in mare pecuniam projeciſſe, cum dicto, *Pereas, ne me perdas.* Tanti illis videbatur amovere rectè ſapiendi moras. Et huic quidem fini ſuffecerit quovis modo ſe exonerare ſarcinis. Sed Chriſtus, ut quod bonum eſt quàm optimè fiat, ſuadet ſimul dari bona pauperibus; quia eâ ratione non tantùm ſe paraturus eſſet diſciplinæ, ſed opus editurus Deo gratum atque acceptum, quod θησαυροῦ [*theſauri*] nomine appellari vidimus ad caput vi. In Euangelio κατὰ Ἑβραίους [*ſecundùm Hebræos*] ut alia quædam ita hæc quoque περικοπὴ [*ſectio*] erat interpolata in hunc modum, *Dixit ad eum alter divitum, Magiſter, quid bonum faciens vivam? Dixit ei, Homo, Leges & Prophetas fac. Reſpondit ad eum, feci. Dixit ei, Vade, vende omnia quæ poſſides, & divide pauperibus, & veni, ſequere me. Cœpit autem dives ſcalpere caput ſuum; & non placuit ei. Et dixit ad eum Dominus, Quomodo dicis Legem feci & Prophetas? quum ſcriptum ſit in Lege, Diliges proximum tuum ſicut teipſum; & ecce multi fratres tui filii Abrahæ amicti ſunt ſtercore, morientes præ fame, & domus tua plena eſt bonis multis, & non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Et converſus dixit Simoni diſcipulo ſuo ſedenti apud ſe, Simon fili Ioannæ, Facilius eſt camelum intrare per foramen acûs quàm divitem in Regnum cælorum.* Nimirum hæc ideo mutavit Ebion, quia Chriſtum nec Dei Filium nec νομοθέτην [*legis conditorem*], ſed nudum interpretem Legis per Moſem datæ agnoſcebat. Sicut contra Marcion apud Lucam x, 25. delevit vocem αἰώνιον [*æternam*], ne ullam Iudæis vitæ æternæ cognitionem ante Chriſti tempora fuiſſe fateri cogeretur. ita,

Dum vitant ſtulti vitia in contraria currunt.

Quæ inter quomodo medium veritas teneat videre eſt ad caput quintum. Quòd ſi juvenis iſte Chriſti ſecutus conſilium ipſi ſe formandum tradidiſſet, didiciſſet illo Magiſtro quid eſſet τὸ τέλειον τοῦ νόμου [*perfectio Legis*], didiciſſet ſimul non à factis ſuis ſed à Dei miſericordia pendêre. Hieronymus de hoc juvene: *Qui omnia ſe feciſſe dicebat in primo certamine, divitias vincere non potuit.*

22. ἦν γὰρ ἔχων κτήματα πολλά. *erat enim habens multas poſſeſſiones*] Nimirum

Creſcentem ſequitur cura pecuniam.

23. δυσκόλως, *difficile*] Quod hîc dixit δύσκολον [*difficile*] infrà vocatur ἀδύνατον [*impoſſibile*], 26. Solent nimirum iſta promiſcuè uſurpari in rebus iſtius generis. Sic & Plato: Ἀγαθὸν ὄντα διαφερόντως καὶ πλούσιον εἶναι διαφερόντως ἀδύνατον [*Impoſſibile eſt ut quis ſit eximiè dives & eximiè bonus*]. Eandem autem ſententiam diverſis ſubinde verbis repetens Chriſtus, ut hîc & magis etiam apud Marcum apparet, vult id quod dicit nobis eſſe certiſſimum, ſcilicet opes plerumque eſſe malorum irritamenta, aut certè bonorum impedimenta. Cauſa eſt, quia plerumque hi qui divites ſunt ſolent divitiis ſuis confidere & quaſi in illis ponere ſummam boni, ut Marcus indicat. Adde Pſalmum XLIX, 7, & LII, 9. Ideo monentur opulenti à Paulo μὴ ἠλπικέναι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι, ἀλλ' ἐν τῷ Θεῷ τῷ ζῶντι [*non ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo*], 1 ad Timotheum VI, 17. id eſt, μὴ πορεύεσθαι ὀπίσω χρυσίου [*non ſectari aurum*], ut loquitur Scriptor Eccleſiaſtici XXXI, 8. Nam iſta πλεονεξία [*habendi cupiditas*] optimo jure εἰδωλολατρεία [*idololatria*] dicitur Coloſſ. III, 5. quam veterem Hebræorum γνώμην [*ſententiam*] à Paulo uſurpatam ita extulit idem ille Eccleſiaſtici Scriptor, Χρυσίον ξύλον προσκόμματός ἐστι τοῖς θυσιάζουσιν αὐτῷ [*Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantibus ipſi*]· ubi ξύλον προσκόμματος [*lignum offenſionis*] eſt εἴδωλον [*idolum*]. Hujus εἰδωλολατρείας [*idololatriæ*] vivam effigiem videre eſt apud Poetas. Petronius,

——— *clauſum poſſidet arca Iovem.*

Menander,

Ο μὲν Επίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
Ηέλιον, ἀνέμους, γῆν, ὕδωρ, πῦρ, ἀστέρας·
Εγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς
Τ' ἀργύριον ἡμῖν καὶ τὸ χρυσίον μόνον·
Ιδρυσάμενος τούτους γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν,
Εὔξαι τί βούλει πάντα σοι γενήσεται.

[*Epicharmus iſtos prædicat nobis deos,*
Aquam, Ignem, Solem, Spiritum, Stellas, Humum;
Ego verò deos opiferos atque præſtites
Aurum atque argentum nobis eſſe intelligo:
His dedicaſſis ritè ſi tuam domum,
Optato quodvis præmium optatum feres.]

Vide quæ diximus περὶ πλούτου ἀπάτης [*de divitiarum deceptione*] ad caput XIII. & quæ ad caput V. & VI. Et adde Lactantii illud libro VII. *Eò fit ut pauperes & humiles Deo credant faciliùs qui ſunt expediti, quàm divites qui ſunt impedimentis plurimis implicati, imò verò catenati & compediti ſerviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit: nec poſſunt in cælum adſpicere, quoniam mens eorum in humum prona terræque defixa eſt. Virtutis autem via non capit magna onera portantes.* Tractat eandem ſententiam Rabbi Iſrael libro de Anima cap. XXXIII.

Εὐκοπώτερόν ἐστι κάμηλον διὰ τρυπήματος ῥαφίδος διελθεῖν, *facilius eſt camelum per foramen acûs tranſire*] Græci quidam, ut & Theophylactus notat, *ad funem nauticum* hæc traxerunt, ſed perperam, ignorantiâ adagii inter Hebræos & Arabas uſitati, non minùs de elephante quàm de camelo. Simile eſt illud Latini veteris,

Citiùs locuſta pepererit Lucam bovem.

In talibus autem adagiis nihil neceſſe eſt exactam inter partes collatas comparationem inſtitui, cùm ſoleant ornari ὑπερβολαῖς [*ſuperjectionibus*]. Tale eſt & illud Ieremiæ XIII, 23 Imò totum hoc proverbium, mutatâ *cameli* voce in *elephantem*, eſt apud R. Iacobum in Caphthor.

25. Τίς ἄρα δύναται σωθῆναι; *Quis ergo poterit ſalvus eſſe?*] Movit Apoſtolos quòd viderent etiam eos qui divites non eſſent tangi tamen divitiarum cupiditate; fortè & ex rationis ſimilitudine crediderunt alia quoque eſſe ſi non divitiis paria, ſaltem proxima ad obſtruendam viam quæ in cœlum duceret.

26. Παρὰ ἀνθρώποις τοῦτο ἀδύνατόν ἐστι, *Apud homines hoc impoſſibile eſt*] Non eſt humanæ opis tam tenacia vincula abrumpere.

παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι. *apud Deum autem omnia poſſibilia ſunt*] Trita inter Hebræos ſententia ex loco Geneſeos XVIII, 14. & Ieremiæ XXXII, 17. & Iobi XLII, 1. Verba LXX Interpretum in Geneſi expreſſit Lucas, οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα [*non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*], 1, 37. Similia invenire eſt & apud Græcos. Linus,

Ῥάδια πάντα Θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.
[*Quidvis nempe Deo facile eſt, ſuperabit eum nîl.*]

Apud Homerum aliquoties,

——— θεοὶ δέ τε πάντα δύνανται.
[——— *poſſunt omnia Divi.*]

Epicharmus,

Οὐδὲν ἐκφεύγει τὸ θεῖον· τοῦτο γινώσκειν σε δεῖ.
Αὐτός ἐσθ' ἁμῶν ἐπόπτης· ἀδυνατεῖ δ' οὐδὲν Θεῷ.
[*Res nulla eſt Deum quæ lateat: ſcire quod te convenit.*
Iſte eſt noſter introſpector: tum Deus nîl non poteſt.]

Callimachus,

——— εἰ Θεὸν οἶσθα,
Ισθ' ὅτι καὶ ῥέξαι δαίμονι πᾶν δυνατόν.
[——— *ſi Deus eſt tibi notus,*
Hoc etiam noris omnia poſſe Deum.]

Sophocles,

Γένοιτο μέντ' ἂν πᾶν Θεοῦ τεχνωμένου.
[*Operanti nihil eſt quod nequit fieri Deo.*]

Pythagoræ dictum eſt apud Iamblichum, οὐκ εἶναι τὰ μὲν δυνατὰ τῷ Θεῷ, τὰ δὲ ἀδύνατα, ὥσπερ οἴεσθαι τοὺς σοφιζομένους, ἀλλὰ πάντα δυνατά [*non eſſe Deo alia poſſibilia, alia impoſſibilia, ut cavillatores quidam ajunt, ſed poſſibilia omnia*]. De eodem Pythagora Chalcidius ad Timæum, *Solius Dei hanc eſſe virtutem ac potentiam aſſerere ut quod natura efficere nequeat, Deus facilè poſſit, ut qui ſit omni virtute potentior atque præſtantior, & à quo natura ipſa vires mutuetur.* Ovidii eſt,

——— *Facile eſt omnia poſſe Deo.*

Hoc autem effatum ſicut alibi generaliter aptatur ad omnia ea quæ ullo modo poſſunt habere τὸ εἶναι [*eſſe*], hoc eſt, aut in ſemetipſis aut in Dei natura non habent τὸ ἀντιφατικὸν [*repugnantiam*], ita hîc propriè ad ea refertûr quæ aut pars ſunt aut adminicula pietatis, quomodo & Paulus dixit, πάντα ἰσχύω ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ [*omnia poſſum in eo qui me confortat, Chriſto* ſcilicet]. Ita poteſt Deus humiliter invocatus gratiæ ſuæ afflatu præſtare divites immunes à divitiarum contagio, ut ſint ἔχοντες ὡς μὴ ἔχοντες, καὶ χρώμενοι ὡς μὴ καταχρώμενοι [*habentes tanquam non habentes, utentes tanquam non penitus utentes*], I Corinth. VII, 29, 30, 31. Quod non tantùm his contingit qui ſemel univerſim bona ſua dilargiuntur egentibus, ſed & his qui particulatim id faciunt, dimenſo ſuo frugaliter contenti.

27. ἀφήκαμεν πάντα, καὶ ἠκολουθήσαμέν σοι· *reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te*] Duo quæ Chriſtus à juvene exegerat, Petrus à ſe ſociiſque ſuis ait præſtita; verè, quanquam, ut quidam putant, jactantiùs paulò. Tertium non addit, de bonis venditis donatiſque pauperibus, quia neque hoc ab illis exegerat Chriſtus, neque conveniebat eorum tenuitati. Quid enim venderent? caſamne? at ea uxores, liberos, fortè & parentes ac fratres receptabat. Navicula qua piſcari ſolebant illorum propria an communis cum aliis fuerit perincertum eſt. Prædia & reliquum vitæ χορήγημα [*choragium*] non habebant. Quare cùm & curam rerum ſuarum & artem, cujus fructu ſe ac familiam ſuſtentare ſolebant, reliquiſſent ut Chriſtum ſectarentur, fecerant non minus quàm facturus erat juvenis ſi bona non neceſſaria vendidiſſet. Hac fiducia interrogat Petrus ecquid præmii ſit futurum. Poterat eum Chriſtus retundere dicendo, Quod feciſtis vobis feciſtis, non mihi, ut verba à me acciperetis vitæ æternæ: non eſt quod mihi aut Patri imputetis. Sed pro ſua bonitate ſpem illorum fovet, aitque non carituram peculiari honoris præmio iſtam qualiſcunque jacturæ tolerantiam.

28. ἐν τῇ παλιγγενεσίᾳ, *in regeneratione*] Rectiùs ad ſequens comma referuntur hæ voces. Παλιγγενεσίας [*regenerationis*] autem, id eſt, תחיה ſive *novi ſeculi*, ut Syrus loquitur, voce indicari hîc puto ipſum Meſſiæ Regnum inchoandum poſt reſurrectionem Chriſti, de quo agens Paulus, inquit, ἰδοὺ γέγονε καινὰ τὰ πάντα [*ecce facta ſunt omnia nova*], II Corinth. V, 17. Et alibi diximus Iudæis quoque id tempus *ſeculum futurum* appellari. Nam & quod ſequitur, ὅταν καθίσῃ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ [*cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ*], plerumque & propriè eò refertur, ut collatis locis manifeſtum eſt. Appellationem autem *genituræ* hoc ſenſu receptam fuiſſe apud Iudæos etiam Ioſephus nos docet, qui ſecundo adverſùs Appionem ita loquitur, Ὅτι τοῖς τοὺς νόμους διαφυλάξασι, κἂν εἰ δέοι θνήσκειν ὑπὲρ αὐτῶν προθύμως ἀποθνήσκουσιν, ἔδωκεν ὁ Θεὸς γενέσθαι τε πάλιν καὶ βίον ἀμείνω λαβεῖν ἐκ περιτροπῆς [*Iis qui Dei ſervaverint leges, & pro eis ſi opus ſit mori libenter mortem ſusceperint, dat Deus iterum naſci & vitam accipere meliorem ex intervallo*]. Philo in hunc ſenſum ipſam etiam vocem uſurpat libro de Caino, Πόθεν ἦλθεν ἡ ψυχή, ποῖ δὲ χωρήσει, πόσον δὲ χρόνον ἡμῖν ὁμοδίαιτος ἔσται; τίς δέ ἐστι τὴν οὐσίαν ἔχομεν εἰπεῖν, πότε δὲ καὶ ἐκτησάμεθα αὐτήν; πρὸ γενέσεως; ἀλλ' οὐχ ὑπήρχομεν· μετὰ τὸν θάνατον; ἀλλ' οὐκ ἐσόμεθα οἱ μετὰ σωμάτων σύγκριτοι ποιοί· ἀλλ' εἰς παλιγγενεσίαν ὁρμήσομεν; οἱ μετὰ ἀσωμάτων ἀσύγκριτοι [*Vnde venit anima? quò ibit? quamdiu nobis adhærebit? Poſſumusne dicere qualis ſit ſubſtantia, quando eam accepimus? an priusquam oriremur? at non eramus: an poſt mortem? at non erimus quales ſumus ex corporibus compoſiti, ſed incompoſiti cum incorporeis ad novam nativitatem prodibimus*]· ita enim locum illum legendum cenſeo qui corruptè legitur. Eccleſiæ Galliæ in epiſtola ad Aſiaticas Eccleſias cùm narraſſent martyrum cineres in Rhodanum conjectas, addunt, Καὶ ταῦτ' ἔπραττον ὡς δυνάμενοι νικῆσαι τὸν Θεὸν, καὶ ἀφελέσθαι αὐτῶν τὴν παλιγγενεσίαν, ἵνα, ὡς ἔλεγον ἐκεῖνοι, μηδὲ ἐλπίδα σχῶσιν ἀναστάσεως [*Et hæc fecerunt tanquam Deum vincere poſſent, & auferre à mortuis nativitatem novam, ut ne ſpem quidem, ſicut illi loquebantur, haberent Reſurrectionis*]. *Secundam generationem* pro *reſuſcitatione* dixit & Irenæus.

καθίσεσθε καὶ ὑμεῖς ἐπὶ δώδεκα θρόνους, κρίνοντες τὰς δώδεκα φυλὰς τοῦ Ἰσραήλ. *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſrael*] Proximum mihi Regi honorem occupabitis: κρίνειν [*judicare*] hîc tantum valet quantùm *præeſſe*, μεταληπτικῶς [*per transſumtionem*], quia plerumque Præſides juri dicundo vacant. Vnde מדינה Hebræis *præfectura* dicta eſt. Sumta eſt tralatio à veteri ſtatu Regni Iſraelitici, in quo οἱ φυλάρχαι [*Tribuum principes*] proximè ad Regiam majeſtatem accedebant, & in publicis cœtibus juxta ejus ſolium ſedebant in ſellis curulibus. Alibi quoque Chriſtus eâdem tralatione utitur Lucæ XXII, 29. ubi & alterum additur, aſſeſſuros ipſos menſæ Regiæ, quod eſſe ſolebat maximorum procerum. Quanquam autem ob duplam Ioſephi liberûm portionem factæ erant Tribus tredecim, ſolent tamen plerumque nominari Duodecim, Actorum XXVI, 7. Iacobi I, 1. quia Levitica nullas habebat ſedes ſeorſim, ac proinde nec proprium μεριδάρχην [*regionis Præſidem*]. Quòd autem θρόνων nomine hîc vocantur ſellæ, ut dixi, curules juxta Regis ſolium poſitæ, idem & in Apocalypſi invenire eſt.

29. ἢ γυναῖκα, *aut uxorem*] Non de divortio hîc agitur, ſed de poſthabenda pietatis negotio uxore non minùs quàm cæteris affectibus, quod & μισεῖν [*odiſſe*] dicitur apud Luc. XIV, 26.

ἑκατονταπλασίονα λήψεται, *centuplum accipiet*] מאה פעמים, ut II Samuelis XXIV, 3. I Paralipomenôn XXI, 3. *In hoc ipſo ſeculo*, ut ſequentis membri oppoſitio evincit, & clarè exprimit Marcus. Salvianus, *Quantò magis religioſi & ſancti viri miſeri non putandi ſunt qui & præſentis fidei oblectamenta capiunt & beatitudinis futuræ præmia conſequentur?* Marcus inſuper rerum vocabulis repetitis *futurum* ait *ut recipiant domos, agros, parentes, liberos, fratres, ſorores, attamen cum ærumnis.* Quod Origenes, Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos ad quæſtionem CX, Theophylactus hoc loco, rectè, me judice, interpretantur, dicentes futurum ut Chriſtianis talium jacturam paſſis alii Chriſtiani ſint vice iſtarum neceſſitudinum, utque ex aliorum prædiis tantum percipiant quantum ipſorum moderatis deſideriis ſufficiat, multóque majorem voluptatem hauriant ex iſta fraterna caritate quàm dolorem ex contractis offenſis aut tolerato rerum diſpendio. Cujus rei luculentum habemus exemplum in Paulo

Apoſtolo, cujus ignominia honore, contemtus nobilitate, dolor gaudio, paupertas rerum abundantiâ miris vicibus penſabantur; ut videre eſt II Corinth. VI, 8, 9, 10. Servient illuſtrando huic loco Philonea illa libro de Sacrificantibus: Αἱ ἐκ προγόνων ἀφ' αἵματος αὗται λεγόμεναι συγγένειαι, καὶ αἱ κατ' ἐπιγαμίας ἢ τινας ἄλλας ὁμοιοτρόπους αἰτίας οἰκειότητες, ἀπορριπτέσθωσαν, εἰ μὴ πρὸς τὸ αὐτὸ τέλος ἐπείγονται, τὴν τοῦ Θεοῦ τιμήν, ἣ πάσης ἑνωτικῆς εὐνοίας ἄλυτος δεσμός ἐστιν. ἀντιλήψονται γὰρ οἱ τοιοῦτοι σεμνοτέρας καὶ ἱεροπρεπεστέρας συγγενείας [*Cognationes iſtæ quæ per communem à progenitoribus ſanguinem nobis nectuntur, & affinitates & ex aliis cauſis ortæ neceſſitudines, abjiciantur ſi non ad idem nos ducunt quo tendimus, id eſt, ad Dei honorem, quod vinculum eſt indiſſolubile arctiſſimæ benevolentiæ. Accipient autem qui tales ſunt pro amiſſis alias cognationes honeſtiores & ſanctiores*]. Similem ſenſum habet idem Philo libro De vita Contemplativa, & libro de Præmiis. Falli autem Irenæum (is enim eſt quem nomine ſuppreſſo reprehendit Hieronymus) cùm hoc quoque teſtimonio probare nititur terrenam felicitatem anticipatæ Reſurrectionis, ex Marci verbis apertum mihi videtur. Is enim ait, ἐν τῷ καιρῷ τούτῳ [*in tempore hoc*], quod continuum neque interruptum vitæ hujus curſum ſignificat. De ipſis autem Mille annis alibi dicendum erit.

καὶ ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσει. *& vitam æternam poſſidebit*] Quod olim in Levitis erat adumbratum, de quibus pulchrè Philo, Οὗτοι καταλελοίπασι τέκνα, γονεῖς, ἀδελφούς, τὰ οἰκειότατα καὶ φίλτατα, ἵν' ἀντὶ θνητοῦ τὸν ἀθάνατον κλῆρον εὕρωνται [*Hi deſeruere liberos, parentes, fratres, res & proximas & cariſſimas, ut pro mortali poſſeſſione immortalem adipiſcerentur*].

30. πρῶτοι ἔσχατοι, καὶ ἔσχατοι πρῶτοι. *primi noviſſimi, & noviſſimi primi*] Transgreſſio eſt ad ſequentem tractationem, qua Chriſtus futurum indicàt ut Gentiles Iudæis federis ſecum initi antiquitate ſuperbientibus, atque inter Iudæos hi qui ob prioris vitæ peccata erant contemtiſſimi, aliis pœnitentiæ remedium contemnentibus, æquiſſimo Dei judicio præferantur. Solet autem Chriſtus eventus tales obſcuriùs indicare, ut alibi notavimus. Ideo quæ ſequitur fabella non habet claram ἀνταπόδοσιν [*Redditionem*], ſed ejus loco γνώμην [*ſententiam*] tritam uſu communi, quæ & inchoat & claudit narrationem. Eadem γνώμη [*ſententia*] huic quem dico ſenſui aptata invenitur Lucæ XIII, 28, 29, 30. cum quo loco conferendum quod ſuprà eſt VIII, 11, 12. & infrà XXI, 31, 32. tum verò Lucæ VII, 29, 30.

CAPVT XX.

1. Ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἀνθρώπῳ, *Regnum cælorum homini*] Id eſt, *Similiter ſe habet æquitas Divinæ diſpenſationis circa Regnum cæleſte, ac ſi quis paterfamilias exiret*, & quæ ſequuntur.

εἰς τὸν ἀμπελῶνα αὐτοῦ. *in vineam ſuam*] Εἰς [*in*] eſt pro ל [*ſigno Dativi caſûs*] Hebræo. Syrus לכרמה', id eſt, *in uſum vineæ ſuæ*.

2. ἐκ δηναρίου τὴν ἡμέραν, *ex denario diurno*] *Denarius diurnum ſtipendium* Tacito.

3. ἐν τῇ ἀγορᾷ, *in foro*] In foro plerumque verſabantur homines otio dediti, quos ἀγοραίους vocat Lucas Actorum XVII, 5. *forenſes*, Cicero ſæpe; Feſtus, *ordinarios*; Plautus atque alii, *ſcurras*; Romani etiam, *ſubroſtranos*. Ammonius, Ἀγοραῖος ἐὰν προπαροξυτόνως, σημαίνει τὸν πονηρόν, τὸν ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένον [*Ἀγόραιος ſi ſcribatur cum accentu in antepenultima ſignificat hominem malum, in foro educatum*].

4. ὃ ἐὰν ᾖ δίκαιον, *quod juſtum fuerit*] *Quod æquum erit*, ut rectè transfert Syrus: quæ verba & infrà commate 7. repetunt nunc libri Græci, quos Syrus ſequitur: at olim ſubintelligebantur, ut ex priſcis Latinis exemplaribus apparet. Δίκαιον, ut ſæpe ישר, *æquum* hîc ſignificat, ut & Philipp. I, 7. Coloſſ. IV, 1. II Petri I, 13. Solemus duobus modis operam aliquorum conducere, aut præſtitutâ mercede, aut indefinitâ promiſſione ejus quod æquum erat, unde non locati & conducti, ſed præſcriptis verbis actionem naſci ajunt Iuriſconſulti. Quanquam autem nihil neceſſe eſt ſingulas fabellæ partes referri ad ἀνταπόδοσιν [*Redditionem*], tamen non fruſtra videtur duplicis conductionis fieri mentio: quia ſub diſpenſatione Federis Sinaitici obedientiæ merces propoſita erat certa, definita ac ſenſibus obvia, beata ſcilicet terræ Chananææ poſſeſſio, vita longæva, & quæ alia Lex proponit; at ſub diſpenſatione Novi Federis Sionæi ſpes obedientium poſita eſt non in rebus conſpicuis, ſed in bonitate Divina, à qua confidimus nos impetraturos ea quæ nec oculus vidit nec auris audivit.

6. Περὶ δὲ τὴν ἑνδεκάτην ὥραν, *Circa undecimam verò horam*] Serò admodum. Dejotaro in multa ſenectute urbem condenti dictum eſt, Ὦ βασιλεῦ, δωδεκάτης ὥρας οἰκοδομεῖν ἄρχῃ [*O Rex, horâ duodecimâ ædificare incipis*]. Narrat Plutarchus Craſſi Vitâ, & Appianus Parthico.

8. ἐπιτρόπῳ αὐτοῦ· *procuratori ſuo*] Vox hæc אפיטרפוס etiam ad Hebræos pervenerat. Idem οἰκονόμος alibi, Latinè *diſpenſator*.

ἀπὸ τῶν ἐσχάτων ἕως τῶν πρώτων. *à noviſſimis usque ad primos*] Id eſt, nulla ordinis inter ipſos habita ratione, ſed ita ut nemo prætermittatur. Alioqui dicendum fuerat, ἀπὸ τῶν πρώτων ἕως τῶν ἐσχάτων [*à primis ad ultimos*], quomodo apud Iohannem eſt VIII, 9. ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων [*à Senioribus ad ultimos*]. ſed cùm æqualitas denotatur ſolet inverti locutio, ut ἀπὸ μικροῦ ἕως μεγάλου [*à minimo usque ad maximum*] Actorum VIII, 10.

9. ἔλαβον ἀνὰ, *ſingulos denarios*] Sic vocem hanc ſenſu distributivo uſurpant Medici. Hebræi איש dicunt.

11. ἐγόγγυζον, *murmurabant*] Ita vocem לון vertunt LXX, ut Exodi XVII, 3. Numeror. XIV, 2, 27. & alibi. Latinè *obloqui* non malè verteris.

12. ἐποίησαν, *fecerunt*] Ex Hebraiſmo non ex Latinitate interpretandus locus. Optimè Syrus עבדו id eſt, *opus fecerant*, quomodo Terentius loquitur. Nam Hebræi ita & עשה & פעל uſurpant. Vide Exodi V, 9. collato loco Levitici XXIII, 7. Sic & Exodi XX, 9, 10. Imò, ut pridem notatum eſt, exſtat ſimilis αὖνος [*ſcrupus*] apud Hebræos, & in eo idem loquendi genus.

13. Ἑταῖρε, *Amice*] Eſt & apud Hippocratem & alios hæc compellatio leviter notis accommodata:

eadem infrà XXII, 12. Hebræis רע ſic ponitur. Latini dicerent *bone vir*, aut *mi homo*.

14. θέλω δὲ, *volo autem*] In omni hac narratione admiranda eſt ὑποτύπωσις [*Subjectio ſub adſpectum*]. Nam hoc modo rejicere ſolemus importunos reſponſatores, *Ita volo*, *Ita mihi videtur*. vide & infrà 15.

ὡς καὶ σοι. *ſicut & tibi*] Malè cohærere hoc videtur cum eo quod ſequitur infrà 16, & quidem connectente particulâ οὕτως [*ſic*]. Hîc enim æqualitas videtur deſignari, ibi inæqualitas; tantóque magis ſi obſervemus idem illud quod infrà eſt ἐπιφώνημα [*Epiphonema*] apud Lucam referri ad Iudæos excluſos à Regno, alienigenas autem admiſſos. Video multis modis hunc nodum ſolvi. Mihi nihil occurrit probabilius quàm δηναρίου [*denarii*] ſimilitudinem referre ad qualemcunque ἀνταπόδοσιν [*retributionem*] bene aut malè, σαρκικῶς [*carnaliter*] ſive πνευματικῶς [*ſpiritualiter*] navatæ operæ. Nam & μισθαποδοσίαν [*mercedis retributionem*] ſimili modo uſurpat ad Hebræos Scriptor 11, 2. Adde Apocalyp. XXII, 12. Et in hoc quidem æquitas Divina, in eo autem ſumma & benignitas & libertas apparent, quòd Deus ad ignorantiæ tempora connivens pridem edoctos ſeriùs edoctis adæquat. Neque aliter hunc locum interpretatus eſt Baſilius. Vide & quæ diximus ſuprà ad vocem δίκαιον [*juſtum*].

15. Ἢ οὐκ ἔξεστί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; *Aut non licet mihi quod volo facere de rebus meis?*] Iam dixi ita rejici ſolere importunos. Neque ideo cogitandum eſt nihil aliud dici poſſe pro Divina diſpenſatione quàm illud *Sic volo*, *ſic jubeo*, cùm hujus ipſius diſpenſationis cauſæ alibi ſæpius reddantur tales quæ Divinam ſapientiam maximè deceant. Sed is mos eſt Deo: Humiliter ſe venerantibus exactas ſæpe reddit conſiliorum ſuorum rationes, ut Geneſeos XVIII. contumacibus jure imperii ſilentium indicit; quaſi Rex craſſis hominibus de lege æquiſſima querentibus diceret, Vobisne ego conſiliorum meorum rationem reddam?

εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, *an oculus tuus nequam eſt*] Εἰ non eſt hîc cauſale ſed percunctativum, quomodo Syrus & Latinus reddiderunt, ut ſuprà XII, 10. ὀφθαλμὸς πονηρὸς [*oculus nequam ſive malignus*] Hebræis propriè eſt χαρακτὴρ [*notatio*] invidi; quomodo & βάσκανον ὀφθαλμὸν [*oculum invidum*] dicunt Græci; unde Latinorum *faſcinus*, cujus vis eſſe in oculis credita. Hinc ad avarum traduci cœpit, ut Proverbiorum XXIII, 6. quia avarus & ſibi & aliis rei ſuæ uſum invidet. Itaque avari oculus ut πονηρὸς [*malignus*] ita & φθονερὸς [*invidus*] dicitur ſenſu eodem Tobiæ IV, 7 & 16. Μὴ φθονησάτω σου ὁ ὀφθαλμὸς ἐν τῷ ποιεῖν ἐλεημοσύνην [*Ne invideat oculus tuus cùm facis eleemoſynam*]. Eccleſiaſtici XIV, 10. ὀφθαλμὸς πονηρὸς φθονερὸς ἐπ' ἄρτῳ [*Oculus malignus invidet de pane*]. Videnda & quæ ibidem antecedunt. Latini quoque cùm invidum depingunt *dolere ei oculos* dicunt *ex alienis commodis*. Apud Libanium eſt, φθόνου χαλεπὸς ὀφθαλμός [*invidiæ malus oculus*].

16. οὕτως, *Sic*] Quandoquidem non reſpiciet Deus ad majorum virtutes & exteriorem juſtitiam, cui Iudæi ſolent confidere, ſed ad obedientiam fidei quæ non infructuoſa, quantumvis ſera, ſi ſeria.

πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. *multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*] Sicut verba καλεῖν [*vocare*] & ἐκλέγειν [*eligere*] varios accipiunt ſignificatus, ita & nomina hæc verbalia ad participiorum paſſivorum naturam proximè accedentia, niſi quòd manentem qualitatem potiùs quàm actum tranſeuntem notant. Sicut ὁ κεχρισμένος [*perunctus*] eſt *is qui quoquomodo unctus eſt*, Χριστὸς [*Chriſtus Vnctitius*] autem *qui ex unctione jus retinet*. Sed id diſcrimen non ſemper obſervatur. Nam infrà XXII. iidem dicuntur promiſcuè κεκλημένοι & κλητοὶ [*vocati*], qui ſcilicet ad nuptias erant invitati, tam qui venerant quàm qui non venerant. Quia verò verba quoque ipſa interdum ita uſurpantur ut actioni propoſitum effectum includant, ideo multis in locis κλητὸς [*vocatus*] honoris eſt nomen, ut Romanorum 1, 6. 1 Corinth. 1, 1, 2, 24. Iudæ 1. ſicut & Hebræis קראי מועד οἱ κλητοὶ [*vocati*] aut, ut LXX vertunt, οἱ συγκλητοὶ τῆς βουλῆς [*conſcripti curiæ*]. Atque hoc ſenſu cùm de Chriſtianis ſermo eſt pro eodem interdum uſurpantur. Cæterùm hîc apparet κλητῶν [*vocatorum*] quàm ἐκλέκτων [*electorum*] vocem latiùs patêre, ut infrà quoque XXII. ubi hæc γνώμη [*ſententia*] totidem verbis repetitur. Ἐκλεκτὸν [*electum*] etiam Græci Scriptores exponunt τὸ ἔκκριτον, τὸ ἐξαίρετον [*eminens, præcipuum*], quod in re quaque eximium eſt, ſive propria qualitate, ſive etiam aliorum æſtimatione. Helleniſtæ, quos paſſim ſequuntur Scriptores Novi Federis, ita ſolent interpretari Hebræum בחור ſive בחיר: interdum & voces alias, ut ecce Pſalm. CXLI, 4. במנעמיהם *cum deliciis eorum*, LXX vertunt μετὰ τῶν ἐκλεκτῶν αὐτῶν [*cum electis eorum*]. & Eſaiæ XXVIII, 16. אבן בחן λίθον πολυτελῆ, ἐκλεκτὸν [*lapidem multi pretii, electum*], Petrus autem λίθον ἐκλεκτὸν, ἔντιμον [*lapidem electum, pretioſum*] 1, cap. 11, 4, 6. Rurſum LXX, ubi eſt in Hebræo בחור [*electus*] de Saule 1 Samuelis IX, 2. tranſtulerunt εὐμεγέθης [*magnus*]. Sic & Salvianus dixit afferre ſe *teſtimonia Paganorum electorum atque ſapientum*. Et hæc quidem propriam potiſſimùm rei qualitatem notant. Ad æſtimationem illud pertinet quod Eſaiæ XLII, 1. ubi in Hebræo בחירי, apud LXX ἐκλεκτός μου [*electus meus*], noſtri Scriptores, ut antè vidimus, poſuerunt ἀγαπητός [*dilectus*]. Quomodo & Iuſtinus in epiſtola ad Diognetum refutans Iudæos, qui putent τὴν μείωσιν τῆς σαρκὸς μαρτύριον ἐκλογῆς [*mutilationem carnis ſignum electionis*], vocem eam interpretatur ὡς διὰ τοῦτο ἐξαιρέτως ἠγαπημένους [*tanquam ob id eximiè dilectos*]. Sicut autem Divina dilectio ſuos habet gradus, ita & ἐκλεκτῶν [*electorum*] titulus modò laxiùs modò ſtrictiùs ſumitur. Nam modò ἐκλεκτοὶ [*electi*] vocantur universè omnes Iſraelitæ, ut populus Dei peculiaris, υἱοὶ Ἰακὼβ ἐκλεκτοὶ αὐτοῦ [*filii Iacobi electi ejus*], Pſalmo CV, 6. Ita vox hæc ſumitur Pſalmo CVI, 5. & LXXXIII, 13. & libro Eccleſiaſtici XLVI, 2. Alibi ita vocantur non quivis de populo, ſed aut qui robore præſtabant, II Samuelis VI, 1. aut ſanctitate ac munere, ut Moſes, Pſalmo CVI, 23. Saul, II Samuelis XXI, 6. David, Pſalmo LXXXIX, 3. Eccleſiaſtici XLVII, 25. Neemias apud eundem Scriptorem XLIX, 15. Et Scriptor Maccabaïci ſecundi I, 25. de Deo loquens, ὁ ποιήσας [*qui feciſti*], inquit, τοὺς πατέρας ἐκλεκτοὺς [*patres electos*], quod explicat ἁγιάσας αὐτοὺς [*qui ſanctificavit eos*]. Sæpe etiam ἐκλεκτοὶ [*electi*] vocantur homines verè pii, ſicut apud Eſaiam LXV, 9 & 22. Deus ἐκλεκτοὺς [*electos*] vocat eosdem quos & δούλους [*ſervos*] & σπέρμα εὐλογημένον [*ſemen benedictum*], quomodo & Eccleſiaſtici Scriptor eam vocem uſurpare videtur XVII, 7. Nam & Sapiens Hebræus ἐκλεκτοὺς [*electos*] eosdem vocat quos ὁσίους [*ſanctos*] III, 9. Et hæc ſignificatio receptiſſima eſt in libris Novi Federis, ut Romanorum XVI, 13. Coloſſ. III, 12. ubi eſt ἐκλεκτοὶ Θεοῦ ἅγιοι καὶ ἠγαπημένοι [*electi Dei, ſancti & dilecti*]· & 1 Petri II, 9. & alibi ſæpe, ut ſuis locis videbimus. Suidas ex veteri aliquo Scriptore non malè, τῶν φιλοθέων, οὓς ἡ γραφὴ ἐκλεκτοὺς ὠνόμασεν [*Deum amantium, quos Scriptura electos vocat*]. Atque hoc ſenſu vocem hanc veteribus Chriſtianis fuiſſe uſitatam ex Iuſtino etiam & Clemente apparet; quæ ſignificatio huic etiam loco convenit. Nam ut oſtendit collatio loci qui infrà eſt cap. XXII. κλητοὶ [*vocati*] vocantur omnes quos Deus dignatur Euangelica vocatione; ἐκλεκτοὶ [*electi*] autem qui vocati veniunt & vocatione condignè ſe gerunt, atque adeò quorum obedientia Deo grata eſt. Vide quæ de hac vóce dicemus ad Lucæ XXIII, 35. & jam dictis adde. Apparet autem & hanc γνώμην [*ſententiam*] tritam fuiſſe Hebræorum ſermonibus, quam Theodoretus libro περὶ πρακτικῆς ἀρετῆς [*De activa virtute*] explicat hoc Græcorum adagio,

Πολλοὶ μὲν ναρθηκοφόροι, παῦροι δέ τε βάκχοι.
[*Multi thyrſigeri, pauci quos Euius afflat.*]

Alii Chriſtiani itidem in eandem ſententiam citant Platonis illud, Οὐ, φημὶ, δυνατὸν εἶναι ἀνθρώποις μακαρίοις τε καὶ εὐδαίμοσι γενέσθαι πλὴν ὀλίγων [*Dico fieri non poſſe ut hómines felices ac beati evadant niſi pauci*]. Sinai Magiſter Hebræus, ut in Thalmudicis legitur, dixit, *Introierunt in Terram Chanaan duo tantùm è ſexcenties mille: Ita ſe res habebit temporibus Meſſiæ.* In epiſtola Barnabæ illa qua utitur & Clemens & Origenes, habemus hæc, *Cùm videritis tanta ſigna & monſtra in populo Iudæorum* (*& ſic illos derelinquit Dominus*) *attendamus ergo, ne fortè* (*ſicut ſcriptum eſt*) *multi vocati, pauci electi inveniamur.* Cohæret autem hoc modo, ni fallor, cum ſuperioribus: Nihil in eo iniqui eſt quòd multi Iudæorum qui ſibi valde placent poſtponentur alienigenis, aut etiam publicanis & meretricibus. Nam & illi non minùs quàm iſti ſeriò ad pœnitentiam & fidem ſunt invitati, per quam pariter juxta iſtos impetraturi fuerant præmia in commune propoſita, ſi vocanti paruiſſent. Quanquam non nego & aliter exponi poſſe, ut ſolent proverbiales ſententiæ variis modis aptari. Poſſunt enim *vocati* intelligi cum effectu omnes qui laboris mercedem accipient; *electi* autem inter eos qui ob anteactæ vitæ culpam ſingulari quadam miſericordia opus habuerunt, quales fuerunt plerique ex Gentibus converſi.

17. κατ' ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, *ſeorſim in via*] Seorſim à cætera ſequentium turba, cui hæc non indicavit, ne prædicendo iritaſſe in ſe Iudæorum odia videretur. Apoſtolis autem ſæpius eadem dixit & indies expreſſiùs, ut in poſterum teſtes eſſent præſcientiæ ipſius.

18. παραδοθήσεται, *tradetur*] Nondum dicit id ſibi eventurum ab uno Apoſtolorum, ne rixas inter ipſos concitaret.

τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι, *principibus Sacerdotum & Scribis*] Hos præcipuè nominat, quanquam & alii erant in Synedrio, quia & Sacerdotes ſanctimoniâ & Legisperiti eruditione aliis prælucere debuerant.

κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ· *condemnabunt eum morte*] Non ſententiam Iudiciali poteſtate pronuntiando, ſed præjudicio auctoritatis ſuæ. Marcus XIV, 64. de Synedrio, Οἱ δὲ πάντες κατέκριναν αὐτὸν εἶναι ἔνοχον θανάτου [*Qui omnes condemnaverunt eum reum eſſe mortis*]. Et hic Scriptor infrà XXVII, 3. Ἰδὼν ὁ Ἰούδας ὅτι κατεκρίθη [*Videns Iudas quòd condemnatus eſſet*].

19. τοῖς ἔθνεσιν, *Gentibus*] Id eſt, τοῖς ἐθνικοῖς [*Gentilibus*], more Hebræorum, qui גוים vocant non tantùm nationes integras, ſed & ſingulos ἀλλοφύλους [*alienigenas*], quomodo & Paulus ſæpe uſurpat. Apertum autem eſt Pilatum intelligi cum omni conſilio ac ſatellitio ſuo, Actorum IV, 27. Oſtendit autem Chriſtus indignitatem facinoris, quòd Iudæi ad ſe perdendum illorum uſuri eſſent operâ quorum etiam contactum defugiebant: *Occidiſti eum gladio Ammonitarum* II Samuelis XII, 9.

εἰς τὸ, *ad*] Bene exponit Syrus ἐκβατικῶς [*eventualiter*], quomodo ſæpe εἰς τὸ, ἵνα, ὅπως [*ad, ut*] ſumuntur. Quanquam enim ſupplicium crucis erat ex deſtinatione Iudæorum, at flagellatio extrinſecus advênit. Sed meritò omnia mala illis imputabantur qui ſuo ſcelere occaſionem malis præbuerunt.

20. αἰτοῦσά τι παρ' αὐτοῦ. *petens aliquid ab eo*] Videtur Salome hanc fiduciam concepiſſe ex eo quòd nulla aliorum Apoſtolorum mater Chriſtum ita perpetuò ſectaretur, eique tam ſedulò inſerviret. Fovit ſpem materni ambitus, quòd filios aliquoties intellexiſſet ſeorſim à Chriſto abductos ſine aliorum Apoſtolorum comitatu, ita ut Petrus ſolus contendere cum ipſis poſſe videretur. Illud τι [*aliquid*] ipſam, ni fallor, petitionis præfationem indicat. Solent enim qui aliquid ſunt poſtulaturi præfari, non multa à ſe ſed unam rem peti, ne inverecundi videantur. Vide hiſtoriam 1 Regum II, 14, 20. Hæc eſt Salome cujus colloquia quædam cum Chriſto apud Ægyptios ferebantur. Inter alia narrabant ei dictum à Chriſto Ἦλθον καταλῦσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας [*Veni diſſolutum opera mulieris*]. Tum illam quæſiiſſe, Μέχρι τίνος οἱ ἄνθρωποι ἀποθανοῦνται; [*Quamdiu morientur homines?*] reſpondiſſe Dominum, Μέχρις ἂν τίκτωσιν αἱ γυναῖκες [*Quamdiu parient mulieres*]. Rurſum cùm illa de rebus aliis percunctata &, ut videtur, rejecta, inſtans quæſiiſſet πότε γνωσθήσεται τὰ περὶ ὧν ἤρετο [*quando apparitura ſint ea de quibus interrogaverat*], reſponſum à Chriſto, Ὅταν τὸ τῆς αἰσχύνης ἔνδυμα πατήσητε, καὶ ὅτ' ἂν γένηται τὰ δύο ἓν καὶ τὸ ἄρρεν μετὰ τῆς θηλείας οὔτε ἄρρεν οὔτε θῆλυ [*Cùm indumentum pudoris calcabitis, & cùm fient duo unum, & mas cum femina nec mas nec femina*]. Quæ omnia ſi quid habent veri (de quo meritò antiqui etiam dubitarunt: neque enim videntur iſta ſapere ſimplicem illam

majeſtatem quæ in verbis Chriſti ubique elucet) non opus habent ſubtiliter excogitatis ἀλληγοριῶν [*ſenſûs abditi*] involucris, quæ iſtis interpretandis veteres adhibuerunt, cùm mihi apertum videatur nihil aliud in illis verbis ſignificari quàm quod apud Lucam dicit Chriſtus, ὅτι οἱ καταξιωθέντες τῆς ἀναστάσεως οὔτε γαμοῦσιν οὔτε ἐκγαμίσκονται· ἰσάγγελοι γάρ εἰσι [*qui digni habebuntur reſurrectione neque nubent, neque ducent uxores; æquales enim Angelis ſunt*]. Quod autem dicitur, *mortem manſuram donec parituræ eſſent mulieres*, convenit Hebræorum Philoſophorum interpretationi ad locum Proverbiorum xxx, 16. ubi *inſatiabilia* eſſe dicuntur ᾅδης [*Infernus*] & *os uteri*, quod illi exponunt φθορὰν καὶ γένεσιν [*interitum & ortum*], quæ perpetuò mutuis ſe vicibus excipiunt ad finem usque ſeculi hujus: quomodo φῶς & ᾅδην [*lucem & Orcum*] conjunxit Hippocrates cùm dixit, Νομίζεται γὰρ παρὰ τῶν ἀνθρώπων τὸ μὲν ἐξ ᾅδου εἰς φῶς αὐξηθὲν γενέσθαι, τὸ δὲ ἐκ τοῦ φάεος εἰς ᾅδην μειωθὲν ἀπολέσθαι [*putatur hominibus naſci quod ex Orco in lucem proficit, perire quod ex luce in Orcum deficit*]· quo loco Hippocrates principia animalium facit Ignem & Aquam, quorum duorum etiam Solomon dicto loco meminit, ut videri hoc poſſit ex barbara Philoſophia in Græciam tralatum.

21. εἷς ἐκ δεξιῶν σου, καὶ εἷς ἐξ εὐωνύμων ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. *unus ad dextram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo*] Audierat ex filiis mater, Apoſtolis communiter promiſſam dignitatem quaſi φυλάρχων [*principum in Tribubus*], ut ſuprà diximus; ſed ſciebat etiam inter eos qui paris eſſent gradus aliquem eſſe ordinem: quemadmodum in veteri Regno Iſraelitico duo primi loci erant τῶν φυλάρχων [*principum in Tribubus*] Tribuum Iudæ & Ioſephi. Hos igitur honores filiis ſuis depoſcit. *Dextræ Regis aſſidere* ſignificat locum à Rege principem. Ita Solomo ſedens in ſolio Regio matris ſedem collocari juſſit proximè ſe ad dexterum latus, 1 Regum 11, 19. Alibi Regina dicitur ſedere *ad dexteram Regis*, ut Pſalmo XLV, 10. Tiridatem, ut apud Suetonium eſt, Nero *juxta ſe latere dextro collocavit*. Ita Chriſtus ipſe, quanquam in Regno ſuo Rex, cùm tamen Deo Patri ſuo comparatur, dicitur *ſedere ad ipſius dextram*, ſive *ad dextram ſolii*, ut loquitur divinus ad Hebræos Scriptor XII, 3. Quò & illud pertinet quòd apud Danielem *ſolia poſita* duo interpretatur Rabbi Akiba alterum Deo Patri, alterum Meſſiæ. Eodem planè ſenſu de Minerva dictum eſt Pindaro, δεξιὰν κατὰ χεῖρα τοῦ πατρὸς καθεζομένην [*Patris ad dextram ſedentem*] citante Ariſtide: quod Horatius ita expreſſit,

> *Proximos illi tamen occupavit*
> *Pallas honores.*

Tertius autem in Regno locus conſequenter deſcribitur ſeſſione ad ſiniſtrum Regis latus. Nam quò quisque in Regno major, ita Regi in publicis conventibus propior ſedebat.

22. Οὐκ οἴδατε τί αἰτεῖσθε. *Neſcitis quid petatis*] Id eſt, cùm primas partes in Regno meo interpoſitâ matris perſonâ poſtulatis, exiſtimatis vos rem poſtulare multis humanis commodis plenam. At longè aliter ſe res habet. Quod Hieronymus dixit de Epiſcopatu, rectè poteſt etiam ad iſtam concupitam inter Apoſtolos ὑπεροχὴν [*eminentiam*] aptari, *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio.* Ita illi, qui columnæ videbantur eſſe Eccleſiæ, periculis ac laboribus, non externo rerum apparatu ac commodis, quæ plerumque expeti ſolent, cæteros anteceſſerunt. Conjunge quæ mox ſequentur commate 25 & ſequentibus.

δύνασθε πίνειν τὸ ποτήριον, *poteſtis bibere calicem*] Poteſtisne, inquit Chriſtus, id præſtare quod non modò ad excellentiam illam inter Regni mei præfectos, verùm ad ipſam illam præfecturam neceſſariò pertinet, ut incidentia adverſa quævis, etiam mortem, ſi ità res ferat, forti animo toleretis? Rectè autem à viris doctis annotatum eſt per כוס [*calicem*] Hebræum, cui reſpondet Helleniſtarum ποτήριον, ſignificari ſortem proſperam aut improſperam, quæ Deo inſpectante ac moderante cuique obtingit. Vnde & vocem μέρους [*portionis* ſive *partis*] ei interdum adjunctam legimus, ut Pſalm. XI, 6. XVI, 5. Hierocles ad illud Aurei carminis Ὡς ἂν μοίρας ἔχῃς [*Vt tibi pars cecidit*] ita ait: οὐ γὰρ ὡς ἔτυχε τὰ ἀλγεινὰ τοῖς ἀνθρώποις διανέμεται, εἴπερ Θεὸς καὶ δίκης ὅροι προεστήκασιν ἡμῶν [*neque enim caſu triſtia hominibus obveniunt, ſi Deus & Iuſtitiæ fines præſunt talibus rebus*]. Sed & ante Pythagoram hæc παράδοσις [*traditio*] ex barbara Sapientia in Græciam migraverat, ut apud Homerum videre eſt illo loco,

> Δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει
> [*Dolia namque Iovis duo ſunt in limine ſancto.*]

ubi eadem eſt tralatio. Pro adverſa autem ſorte ut in Pſalmis, Eſaia & Ieremia aliquoties, ita in his libris non hoc tantùm loco ſed & infrà XXVI, 39, 42. Marci XIV, 36. Lucæ XXII, 42. Iohann. XVIII, 11. & in Apocalypſi locis aliquot ſumitur.

μέλλω πίνειν, *bibiturus ſum*] Quod hîc in quibusdam exemplaribus ſequitur, καὶ τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθῆναι [*& baptiſmum quem ego baptizor baptizari*], & commate ſequenti, τὸ βάπτισμα ὃ ἐγὼ βαπτίζομαι βαπτισθήσεσθε [*baptiſmum quem ego baptizor baptizabimini*], quando & Hilarius, Ambroſius & Hieronymus hæc non agnoſcunt, videri poſſunt interpretamenti cauſâ ex Marco adjecta. Et ſanè codices Græci diſcrepant. Veterem tamen eſſe & hanc & huic ſimiles alias adjectiones apparet ex Syro & Origene.

23. Τὸ μὲν ποτήριόν μου πίεσθε, *Calicem quidem meum bibetis*] Ποτηρίου [*calicis*] voce non ſtrictè mortem, ſed laxiùs paulò perpeſſiones, præſertim graviores, notari eò mihi videtur probabilius quò magis eventui reſpondet; Nam Iacobum quidem gladio percuſſum res certa eſt; Iohanni ejus fratri idem accidiſſe non ſemel aſſeverat Chryſoſtomus, ſequente, ut ſolet, Theophylacto, ſed ætate poſterior quàm ut ejus rei idoneus auctor haberi debeat, præſertim cùm apud Iuſtinum, Irenæum, Clementem nihil ſit tale, & Origenes hoc loco, ut & Tertullianus, tantò propiores, talem illi exitum apertè abdicant. Neque obſtat huic interpretationi quod dicit Chriſtus ὃ ἐγὼ μέλλω πίνειν [*quod ego bibiturus ſum*]. Nam id ſatis rectè ad genus ipſum perpeſſionum veri cauſâ ſuſtinendarum referri poteſt. Ita

Romanorum viii, 17. *συγκληρονόμοι δὲ Χριστοῦ, εἴπερ συμπάσχομεν* [*coheredes autem Christi, ſi tamen compatimur*]. ii Corinth. i, 7. ὥσπερ κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, οὕτω καὶ τῆς παρακλήσεως [*ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*].

οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται ὑπὸ τοῦ πατρός μου. *non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo*] Nulla hîc eſt ἔλλειψις [*verbi reticentia*]. Rem acu tetigerunt qui oſtenderunt ἀλλ' [*ſed*] hîc eſſe εἰ μὴ [*niſi*]. Nam & quod εἰ μὴ [*niſi*] dixit Matthæi Interpres ſuprà xvii, 8. Marcus per ἀλλὰ [*ſed*] extulit ix, 8. Sic ἀλλὰ [*ſed*] habes & ii Corinth. ii, 5. Non negat Chriſtus ſe diſtributurum munia Regni ſui: Nam Paulus quod Deo Patri tribuit 1 Corinth. xii, 28. idem tribuit Chriſto Epheſ. iv, 8, 11. dicens *ab ipſo, poſtquam in ſublime adſcenderat, conſtitutos alios Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas, alios Paſtores atque Doctores.* Ac proinde etiam inter Apoſtolos hos illis præferre donorum & fructuum ubertate, ipſius fuit. ſed hunc honorem ait *à ſe non aliis datum iri quàm quibus à Patre is eſſet deſtinatus*, gloriam ſcilicet totius diſpenſationis ad Patrem referens, ut ſæpe obſervavimus. Confer quæ apud Iohannem xvii, 6. Vox ἑτοιμάζειν [*parare*] *Divinam deſtinationem* ſignificat, ut infrà xxv, 34. 2 Corinth. ii, 9. Hebræorum xi, 16. Neque aliter uſurparunt veteres Helleniſtæ: Tob. vi, 22. ὅτι σοὶ αὕτη ἡτοιμασμένη ἦν ἀπὸ τοῦ αἰῶνος [*quoniam hæc tibi parata erat à ſeculo*]. Ideo autem Divinæ deſtinationis injicitur mentio ne putaretur hæc res eſſe humano ambitu impetrabilis. Nam & inter Sacerdotales familias ordinem David non ſuo arbitratu ſed ſorte, velut Divino judicio, conſtituit, ut notat Kimchi ad 1 Paralipomenôn xxiv. Quod ſi quis dixerit ſeſſionem hanc ad dexteram & ſiniſtram inexplicabili Divinæ ſapientiæ conſilio Petro & Paulo tributam, me judice à vero non aberrabit.

25. ὅτι οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν κατακυριεύουσιν αὐτῶν, *quia Principes Gentium dominantur eorum*] Quanquam veriſſimum eſſe ſentio quod dixit Syneſius, ὅτι συνάπτειν τὴν βασιλείαν τῇ ἱερωσύνῃ συγκλώθειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα [*connectere Regnum cum Sacerdotio eſt ſociare diſſociabilia*], tamen ut hanc non putem propriam eſſe hujus loci ſententiam multis adigor. Nam Chriſtus ad ſuum exemplum Apoſtolos revocat, cui illud non convenit: Ipſe enim omnem accepit poteſtatem in cœlo & in terra, Rex factus regum & Dominus dominantium. Præterea hoc illi propoſitum videtur ut cæteros diſcipulos infenſos Zebedæi filiis placet; ad quam rem nihil potuit afferri efficacius quàm explicatio ejus quod modò dixerat, *neſcire ipſos quod peterent*. Hoc ergo mihi videtur dicere, Nolite illis iraſci quod τὰ πρωτεῖα [*primas partes*] in Regno meo ambiunt; nam ea ſecum neque externum ſplendorem, neque divitias, neque voluptatem ferent, propter quæ ab hominibus principatus appeti ſolet; ſed contrà qui in Regno meo locum appetit ſublimiſſimum, pericula, incommoda, ſervitutem appetit: quare ſi rem ſuis ponderibus æſtimetis, id quod ambiunt videbitis minimè eſſe invidendum. Sic in Babylonico exſilio exſulum Principi dici ſolenniter ſolebat, *Ne ſe efferret; officium ipſi non poteſtatem injungi, & ab eo die incipiendum ipſi ſervire omnibus.* Notatum id in libro Hebræo cui nomen *Tribus Iuda.* Ἄρχοντας [*Principes*] vocat quos βασιλεῖς [*Reges*] Lucas, non *Reges* tantùm ſed & *Præſides*, quibus ſe æquandos ſperabant Diſcipuli: nam & hos laxiùs ſumta voce βασιλεῖς [*Reges*] dici ſuprà vidimus x, 18. ἐθνῶν [*Gentium*] dixiſſe videtur ideo quòd Hebræo Regi aliud lex Divina præſcriberet, nimirum ne magnam ſibi mulierum, equitii, aurique & argenti copiam pararet, ſed æquabili jure cum civibus viveret. Quanquam profectò pauci etiam in populo Dei Reges fuerunt ad eam normam, ſi tamen vel unus fuit. Adeò verum eſt quod ille dixit, Omnes bonos Principes uni annulo facillimè inſcribi poſſe. κυριεύειν aut κατακυριεύειν [*dominari*] eſt imperare δεσποτικῶς [*heriliter*], רדה Geneſ. i, 28. Pſalm. cx, 3. Ariſtoteles ſæpe dicit δεσποτείαν [*herile imperium*] eſſe πρὸς τὸ τοῦ δεσπότου συμφέρον [*ad utilitatem heri*]. Quanquam verò lex ipſa naturæ docet procurationem reipublicæ, ut Cicero loquitur, velut tutelam, ad utilitatem eorum qui commiſſi ſunt, non eorum quibus commiſſi ſunt eſſe gerendam, & celebre eſt illud Antigoni, *Regnum ſplendidam eſſe ſervitutem*; tamen vix uſquam verius eſt adagium illud,

> *Nemo non hæc vera dicit, nemo non contrà facit.*

Adeò non verbis quidem ſed rebus ipſis abuſque Nini temporibus itum eſt in eam ſententiam quam apud Platonem tuetur Thraſymachus, Δίκαιον εἶναι τῷ κρείττονι συμφέρον [*Iuſtum eſſe quod potentiori expedit*]· atque, ut dixit Varro,

> *Qui pote plus urget: piſces ut ſæpe minutos*
> *Magnus comeſt, ut aves enecat accipiter.*

Regum exempla gnaviter imitantur Reguli & Præſides, exquirentes ſubinde novos ſinus & varia prædandi vocabula, quaſi ad auream meſſem miſſi. Petrus i, cap. v, 2, 3. bene conjungit αἰσχροκερδῶς ποιμαίνειν [*turpis lucri cauſâ paſcere*] cum iſta voce κατακυριεύειν [*dominari*]. Et Paulus dixit κυριεύειν [*dominari*] pro eo quod eſt imperioſè agere ii Corinth. i, 24. Et infrà videmus hoc ipſum exprimi voce διακονηθῆναι [*miniſtrari*].

Καὶ οἱ μεγάλοι κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. *& qui majores ſunt poteſtatem exercent in eos*] Αὐτῶν [*eos*] non incommodè referas ad ἄρχοντας [*Principes*] non ad ἔθνη [*Gentes*], ut & quod apud Marcum eſt οἱ μεγάλοι αὐτῶν [*magni eorum*], nimirum τῶν δοκούντων ἄρχειν [*eorum qui videntur principari*]· ut ſenſus ſit, Quomodo populi tractantur à Regibus, ita Reges ipſi ab his qui inter ipſos plurimùm viribus pollent; exempli cauſâ Romanorum Imperatores qui habebant inſtrumenta ſervitutis & Reges. Nimirum ut Papinius dixit,

> ——— *Vice cuncta reguntur*
> *Alterniſque premunt: propriis ſub Regibus omnis*
> *Terra: premit felix Regum diademata Roma:*
> *Hanc Ducibus frænare datum.*

Agrippa Rex apud Philonem, Κἀγώ τίς εἰμι τῶν εἰδότων μοῦ ὅτι δεσπότην ἔχω καὶ κύριον [*Et ego aliquis ſum ſcientium quòd herum & dominum habeo*]· ἐξουσιάζειν [*poteſtatem exercere*] idem eſt quod κυριεύειν [*dominari*], pro lubitu non ex uſu parentium imperare; quomodo ἐξουσιάζοντας [*imperioſè agentes in populum*] ſumitur & in Græco Nehemiæ, v, 15. Apud Lucam eſt, οἱ ἐξουσιάζοντες αὐτῶν (nempe τῶν βασιλέων) εὐεργέται καλοῦνται· id eſt, qui Regibus pro arbitratu imperant à Regibus εὐεργέται [*benefactores*] ſalutantur, ſervili adulatione ſcilicet; quomodo Pruſias *libertum ſe Populi Romani* profitebatur. Nec dubium eſt quin Herodes Cæſarem vocarit εὐεργέτην [*benefactorem*]. Nam & apud Philonem & Ioſephum Imperatores ſæpe eo nomine appellantur. Et Agrippa apud Philonem de Flacco Cæſaream Domum vocat οἶκον εὐεργέτιν [*Domum benefactricem*]. Sed imprimis ad hunc locum facit quod legimus apud eundem Philonem de Cajo Caligula, Εὐθὺς γοῦν οὐκ εἰς μακρὰν ὁ σωτὴρ καὶ εὐεργέτης εἶναι νομισθεὶς, καί τινας ἀγαθῶν πηγὰς νέας ἐπομβρήσειν Ἀσίᾳ τε καὶ Εὐρώπῃ πρὸς εὐδαιμονίαν ἀκαθαίρετον, ἰδίᾳ τε ἑκάστῳ καὶ πᾶσι κοινῇ, τὸ λεγόμενον δὴ τοῦτο ἀφ᾽ ἑστίας ἤρξατο, μεταβαλὼν πρὸς τὸ ἀτίθασον, μᾶλλον δὲ ἣν συνεσκίαζεν ἀγριότητα τῷ πλάσματι τῆς ὑποκρίσεως ἀναφήνας [*Statim igitur is qui ſoſpitator & beneficus fore ſperabatur, & bonorum novis fontibus irrigaturus Aſiam & Europam ad felicitatem perpetuam & ſingulis & in commune univerſis, à lare ſuo, quod dici ſolet, exorſus in ferum ingenium transiit, aut potiùs quam feritatem ſimulationis velo obtexerat, eam detexit*], & quæ ſequuntur. Cæterùm ſi αὐτῶν [*in eas*] ad ἐθνῶν [*gentes*] referas, ſenſus erit ferme idem qui in membro ſuperiore. Sanè ex Alexandri Succeſſoribus multi εὐεργετῶν [*Beneficorum*] nomine ſe jactabant: quin & Iudæorum Ethnarchis id nomen datum apparet. βασιλεῖς εὐεργέτας [*Reges beneficos*] eſt & apud Plutarchum De ſui laudatione. Talia igitur imperia ambiri mirum non eſt, ut quæ ad imperantium utilitates, faſtum ac voluptates converti ſoleant.

26. Οὐχ οὕτως δὲ ἔσται ἐν ὑμῖν· *Non ita erit inter vos*] Non tantùm quid ipſorum ſit officii docet, ſed ſortem oſtendit contrariam Regum & Principum terrenorum ſorti; quod maximè ad tollendam æmulationem pertinebat. In Regno Chriſti illi cenſendi ſunt principatum obtinere qui & maxima dona acceperunt, & quorum operâ plurimi ad fidem convertuntur. Id autem iis duntaxat eventurum erat, Chriſti & Patris diſpoſitione, qui ſe totos ardentiſſimo ſtudio non ſuis ſed alienis utilitatibus mancipaſſent. Quare Chriſtus, Qui veſtrûm, inquit, in Regno meo excellendi deſiderio tenetur, is ſciat ſibi majus quàm cæteris onus miniſterii ac ſervitutis imponi. Διάκονον εἶναι [*miniſtrum eſſe*] & δοῦλον εἶναι [*ſervum eſſe*] directè opponitur τῷ κατακυριεύειν [*ei quod eſt dominari*] & κατεξουσιάζεσθαι [*poteſtatem imperioſè exercere*]. Hæc oppoſitio oſtendit cur apud Prophetas Imperia mundi Beſtiarum, Regnum Chriſti Hominis imagine depingatur. Egregiè Paulus II Corinth. XII, 14. Οὐ ζητῶ τὰ ὑμῶν, ἀλλ᾽ ὑμᾶς· ἐγὼ δὲ ἥδιστα δαπανήσω καὶ ἐκδαπανηθήσομαι ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ὑμῶν [*Non enim quæro quæ veſtra ſunt, ſed vos. Ego autem libentiſſime impendam & ſuperimpendar ipſe pro animabus veſtris*]. Sicut autem hîc eſt ἔσται [*erit*], ita & in ſequentibus verbis ἔσται rectiùs legitur quàm ἔστω [*eſto*], multis libris adſtipulantibus.

28. Ὥσπερ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι ἀλλὰ διακονῆσαι, *Sicut Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*] Qualis Rex tales eſſe debent Regni Præſides. Ego exemplum vobis dedi, inquit Chriſtus: neque enim quicquam feci ex meæ utilitatis rationibus, neque ſplendore, aut deliciis egi Regem: ſed omnia incommoda ſuſtinui meorum causâ, & porro majora ſuſtinebo, ipſam mortem ſcilicet, contrà quàm in cæteris regnis fieri ſolet. Ibi enim populi moriuntur pro Regum gloria ac magnitudine.

καὶ δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ λύτρον ἀντὶ πολλῶν. *& dare animam ſuam redemtionem pro multis*] Quanquam πολλοὶ [*multi*] interdum *omnes* ſignificat, puto tamen hîc verbum δοῦναι [*dare*] & præpoſitionem ἀντὶ [*pro*] cum effectu intelligendam, ideoque agi de credituris in Chriſtum, qui ideo vocentur πολλοὶ hoc loco ut intelligantur ad eum numerum non Iudæi tantùm ſed & alienigenæ pertinere. Puto enim reſpici vaticinium Eſaiæ LIII, 10. ubi dicitur ſi Chriſtus vitam ſuam dediſſet אשם [*pro peccato*], quod hîc rectè λύτρον [*redemtionem*] vertitur, *fore ut ſui cognitione multos juſtificaret*: & poſtea, *ipſe peccatum multorum tulit*. Idem ſenſus eſt apud Iohannem, cùm dicit *oportuiſſe Chriſtum mori, non pro Iudæis tantùm, ſed etiam ut diſperſos Dei filios in unum congregaret*, XI, 52, 53. Et infrà dicitur ſanguis Chriſti *fundendus* περὶ πολλῶν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*pro multis in remiſſionem peccatorum*]· quomodo & ad Hebræos Scriptor *oblatum* ait *Chriſtum* εἰς τὸ πολλῶν ἀνενεγκεῖν ἁμαρτίας [*ad multorum exhaurienda peccata*], IX, 28. Sacrificium autem piaculare, quod Hebræi vocant אשם, Helleniſtæ περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], aut ἱλαστικὸν [*expiatorium*], rectè λύτρον [*redemtio*] dicitur. Nam & vox כפר, quæ λύτρον [*redemtionem*] ſignificat, eo ſenſu uſurpatur, ut Levitici X. 17. unde & à LXX vertitur περικάθαρμα [*piaculum*]· & ſanè victimæ piaculares Hebræorum ex Divina inſtitutione luebant pœnas peccatorum. Mors victimæ ſuccedebat in locum mortis ejus qui peccaverat, ut Hebræi ajunt ad Numer. V. & Euſebius in Demonſtratione. Latinè quoque victimæ tales *luſtrales* dicebantur. Nam λύτρον eſt *luſtrum*; quomodo & Ennius quod Græcè eſt Ἕκτορος λύτρα Latinè *Hectoris luſtra* inſcripſit. Et in his libris paſſim videmus ſe mutuo explicantia poni καθαρισμὸν, ἱλασμὸν, λύτρον [*purificationem, propitiationem, redemtionem*]. Hebræi veteres Meſſiam vocabant איש כפר ἄνδρα λύτρου [*virum redemtionis*]. Fatetur Ioſephus Albo in diſputatione adverſùs Chriſtianos proditum ab Hebræis, ſolere ſapientes in ſemetipſis tolerare ſupplicia multitudini peccatorum debita; atque ita juſſum Ezechielem *recumbere in latus ſuum & ſuſtinere ſupplicium, in ſe transferendo iniquitatem Domus Iſrael*. Et Philoni ὁ σπουδαῖος τοῦ φαύλου λύτρον [*vir bonus mali hominis redemtio*]. Sic Ioſeph Iacchiades ad Danielis XI, 35. ait Doctores Iſraelitarum duriſſima quæque paſſuros, & fore eos altare expiationis pro peccatis populi. Idem dicit ad Eſaiæ caput LIII, 5. Gentes alias expiatas, Deumque eis placatum, per pœnas Iſraelitis impoſitas. Sic populus Iſraeliticus dicere ſolebat Sacerdoti Maximo, Nos tibi piamento ſimus; id eſt, in nos cadat ſiquid malè tibi eſſet eventurum. Eleazar in ſermone de Septem fratribus qui Ioſepho adſcribitur, Deum pro populo ſic deprecatur, καθάρσιον αὐτῶν ποίησαι τὸ ἐμὸν αἷμα, καὶ ἀντὶ ψυχῶν αὐτῶν λάβε τὴν ἐμὴν ψυχήν [*fac ſanguinem meum pro illis piacularem & animam meam pro illorum anima accipe*]. Dicit & Abarbaniel Ioſiam pœnam tuliſſe peccatorum populi, non ſuorum. De Moſe & Aarone Moſes Alſchech dicit ſimilia, & de juſtis generatim. Idem de Daniele Chaldæus Cantici VII, 8. Et Ialcud *ſuſcipere in ſe peccata*], quod dicto loco LIII. cap. Eſaiæ eſt, per *expiare* exponit. Et Chaldæus propter eum de quo Eſaias agit ait Deum reatum remiſſurum, propter ipſum fore peccatorum remiſſionem. Meſſiam pœnas toleraturum pro Iſraele ad eundem locum ait Moſes Alſchech. Nec alienum hinc illud Philonis, ὁ ἀληθὴς θεραπευτής τε καὶ ἱκέτης κἂν εἷς ὢν ἀνὴρ ἀριθμῷ τυγχάνῃ, δυνάμει, καθάπερ αὐτὸς αἱρεῖται, σύμπας ἐστὶν ὁ λεὼς, ἰσότιμος ὅλῳ ἔθνει γεγονώς [*Qui verè Dei cultor & ſupplex eſt, quamvis vir unus ſit numero, tamen ex ſuo voto eſt totus populus, quia tanti æſtimatur quanti gens tota*]. Eſt vox ἀντὶ [*pro*] recepta in Sacris piacularibus: utitur ſic Porphyrius Περὶ ἀποχῆς [*De abſtinentia ab animantibus*]· & Feſtus in voce Piſcatores ait piſciculos dari Deo pro animis humanis. Vox ergo λύτρου [*redemtionis*] addita hîc eſt ἐξηγητικῶς [*explicando*], ut obiter explicaretur cauſa præcipua mortis Chriſti: id autem quod imitandum proponitur eſt δοῦναι τὴν ψυχὴν [*dare animam*]. Excellentia igitur eorum qui in Chriſti Regno præfecturas obtinent non ex fumoſis titulis, non ex obventionum magnitudine, ſed ex donis ſpiritualibus, ex indefeſſa diligentia, ex periculis, ex morte ipſa denique æſtimanda eſt. Ad hanc excellentiam certatim contendentes Epiſcopos vidit prima illa ac ſincerior ætas; ſed paulatim irrepſerunt vitia, & curam gregis in mundani Imperii ſpeciem mutarunt: quod jam ſuis temporibus cœpiſſe fieri his verbis conqueritur Origenes, *Et hæc docet nos ſermo Divinus. Nos autem ſive non intelligentes voluntatem Divinam poſitam in Scripturis, ſive contemnentes talem commendationem Chriſti, tales ſumus ut etiam malorum Principum mundi excedere ſuperbiam videamur: & non ſolum quærimus ſicut Reges acies præcedentes, & terribiles nos & acceſſu difficiles maximè pauperibus exhibemus, & tales ſumus adverſùs eos qui nos interpellant ut propter aliquid deprecentur ſicut nec tyranni, & crudeliores Principibus mundalibus ad ſubjectos. Et eſt videre in quibusdam eccleſiis, præcipuè civitatum maximarum, principes populi Chriſtiani nullam affabilitatem habentes vel habere ad ſe permittentes.* Cui loco illuſtrando mirè inſerviunt ea quæ ſunt apud Ammianum Marcellinum hominem, ut videtur, paganum. Is enim cùm narraſſet cruentam ſeditionem ortam Romæ ex certamine Damaſi & Vrſicini, hæc ſubjicit: *Neque ego abnuo, oſtentationem rerum conſiderans urbanarum, hujus rei cupidos ad impetrandum quod appetunt omni contentione laterum jurgari debere: cùm id adepti, futuri ſint ita ſecuri ut ditentur oblationibus matronarum, procedantque vehiculis inſidentes, circumſpectè veſtiti, epulas curantes profuſas, adeò ut eorum convivia regales ſuperent menſas. Qui eſſe poterant beati revera, ſi magnitudine urbis deſpecta, quam vitiis opponunt, ad imitationem Antiſtitum quorundam provincialium viverent: quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum & ſupercilia humum ſpectantia perpetuò Numini veriſque ejus cultoribus ut puros commendant & verecundos.* His convenit quod dicit Socrates Romanum & Alexandrinum Epiſcopos prolapſos ἐπὶ δυναστείαν [*in dominatum*]· & quæ apud Nazianzenum ſunt oratione poſt reditum, ubi improbat τυραννικὴν προνομίαν [*tyrannicam prælationem*].

30. δύο τυφλοὶ, *duo cæci*] Sed alter altero nobilior; ideo unius meminerunt Marcus & Lucas, ad quem haud dubiè præcipuæ circumſtantiæ hujus narrationis pertinent, quam συλληπτικῶς [*comprehenſivè*] Matthæus enuntiat. Contigit autem res hæc Ieſu exeunte ex oppido. Nec obſtat quod Lucas dicit, ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἱεριχὼ [*cùm appropinquaret Iericho*]. Nam ἐγγίζειν [*appropinquare*] non ſemper motum ad locum, ſed ſæpe diſtantiam tantùm ſignificat. Quare ſenſus eſt, Cùm non procul ab oppido eſſet. Tale eſt & illud Luc. XIX, 29. ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγῆ καὶ Βηθανίαν [*cùm appropinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam*]. Nam Bethaniam jam tranſierat.

32. Τί θέλετε ποιήσω ὑμῖν; *Quid vultis ut faciam vobis?*] Vt fides poſcentium manifeſta fieret. Poterant enim alioqui credi ſtipem tantùm rogaſſe: quomodo illos intellexiſſe videntur qui, ut importunis, ſilentium imperabant.

33. ἀνοιχθῶσιν, *ut aperiantur*] Vt ſuprà IX, 30. ubi & contactûs fit mentio. Dei eſt opus aperire oculos, Geneſ. XXI, 19. II Regum VI, 17.

34. ἀνέβλεψαν. *viderunt*] Vt ſuprà XI, 5.

καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ, *& ſecuti ſunt eum*] Quia in Galilææ finibus miracula ferme omnia contigerant, ideo hos duos ſecum teſtes Chriſtus Hieroſolyma adduxit.

CAPVT XXI.

1. Ηλθον εἰς Βηθφαγῆ, *veniſſent ad Bethphage*] Id eſt, ἐπορεύοντο [*irent*], ut alibi diximus. Neque enim pervenerant, ſed non longè aberant, ut docent Marcus & Lucas: planéque veriſimile eſt Βηθφαγῆ [*Bethphage*] eſſe κώμην [*vicum*] quo mittuntur diſcipuli; ita ut Chriſtus locutus hæc ſit in valle quæ ab uno latere habebat Bethaniam, ab altero Bethphage, ſed Bethphage Vrbi propiorem. Syrus ad Marcum dixit, Per declive Bethphage & Bethaniæ. Vide tabulam Iudææ à Iudæis editam.

2. ἀπέναντι, *contra*] *In conſpectu*, ut infrà XXVII, 24. Actorum III, 16. Idem eſt κατέναντι apud Marcum & Lucam, quam vocem Marcus & alibi eo ſenſu uſurpat XII, 41. XIII, 3. LXX etiam ἐναντίον ita uſurpant, ut Geneſeos XXXI, 32. II Samuelis XII, 11. Pro eodem κώμην ἀντικρὺ κειμένην [*vicum è regione* aut *in conſpectu ſitum*] dixit Heliodorus.

καὶ πῶλον μετ᾽ αὐτῆς· *& pullum cum ea*] Cui nemo adhuc inſederat, ſed ejus tamen magnitudinis qui ſeſſorem commodè ferret. Nam id genus aſellos juniores πώλους [*pullos*] vocant etiam LXX, Iud. X, 4 XII, 14.

5. πραῢς, *manſuetus*] Ita LXX hoc loco; quanquam ex alia, ut puto, verſione additur πτωχός [*pauper*]. עני & ענו Hebræis promiſcuè uſurpantur. Nam & ענו, ut dictum eſt ad caput XI. *pauperem* ſæpe

ſignificat, & עני *manſuetum* notat, non his tantùm ſed & aliis in locis. Sed & Ionathan eodem modo hunc Zachariæ locum interpretatur, quem & Kimchi ſequitur. Aſino inſidere apud Hebræos veteres non erat paupertatis ſignum: nam proceres aſino vectabantur, ut dictis Iudicum locis & alibi videre eſt. Sed cùm Solomonis temporibus Ægypti commercio equorum copia apud Iudæos crevisſet, ex eo eviluere aſini. Sed & ipſa aſini ſtatura & comitatus Vrbem ineuntis facilè oſtendunt Regnum quod ſibi Ieſus vindicabat diverſiſſimum eſſe à regnis mundi. Locum autem hunc Zachariæ ad Meſſiam pertinere agnoſcunt Scriptor Bereſchith Rabba & Midras Koheleth.

ὄνον, *aſinam*] Cùm ὄνος Græcè ſit ἐπίκοινον, quomodo & Hebræum חמור, ut videre eſt II Samuelis XX, 26. ubi & LXX τὴν ὄνον dixerant, rectè hîc Interpres Latinus *aſinam* poſuit. Nam pullo mater optimè adjungitur.

ὑποζυγίου. *ſubjugalis*] Vox Hebræa pluralis eſt ſono, ſignificatu autem ſingularis propter ἔλλειψιν. Nam בן אתנות [*filium aſinarum*] rectè vertitur *filium unius aſinarum.* Sic & commate infrà 7. ἐκάθισεν ἐπάνω αὐτῶν [*ſedit ſuper eos*] rectè tranſtulit Syrus *ſuper eum*, id eſt, ſuper alterum ex jumentis, pullum videlicet; quomodo accepit & Latinus Interpres. Similia ſunt, *Sepultus eſt in urbibus Galaad*, *Deſcendit in latera navis*, & id genus alia. Vide & ſuprà IX, 8. In codicibus LXX in Zachariæ loco eſt πῶλον νέον [*pullum novum*], ſed reſcribendum ex Iuſtino πῶλον ὄνου [*pullum aſinæ*].

8. Ὁ δὲ πλεῖστος ὄχλος, *Plurima autem turba*] Convenit hîc illud Horatii,

Interdum vulgus rectum videt.

ut in Davide I Samuelis XVIII, 6.

ἔστρωσαν αὐτῶν τὰ ἱμάτια, *ſtraverunt veſtimenta ſua*] De hoc more vide præter eos locos quos alii adduxerunt eum qui eſt in Agamemnone Æſchylis,

> Δμωαὶ, τί μέλλεθ᾽, ὧν ἐπέσταλται τέλος
> Πέδον κελεύθου στρωννύναι πετάσμασιν;
> [*Famulæ, quid exſpectatis, hæc ſors queis data*
> *Solum viarum ſtragulis inſternere?*]

& quæ ibidem ſequuntur multa eódem pertinentia. Plutarchus Catone Vticenſi, προεπέμφθη δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν ᾗ βαδίζοι [*deductus fuit cum lacrymis & indefeſſis amplexibus, multis etiam veſtimenta ſubſternentibus quà pedibus erat inceſſurus*]. Vide II Regum IX, 13.

9. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ· *Hoſanna filio David*] Vox Ὡσαννὰ ex verbo & particula Hebræa conſtans pro ipſo hymno uſurpatur, ut ἰὴ παιὰν [*Iò pæan*] Græcis. Nam ea interpretatio hîc & infrà comm. 15. convenientior quàm ut βαΐα [*ramos palmarum*] ſignificet. Senſus eſt, Hymnum hunc bene ominantem canimus Regi Meſſiæ. Quæri poteſt, cùm ritus ferendi τὰ βαΐα ſive θύρσους ἐκ φοινίκων καὶ κιτρίων [*thyrſos ex palmis & citris*], ut Ioſephus loquitur, & acclamandi *Hoſana* pertineat ad τὰ ὀσχοφόρια (ξυλοφόρια [*Ramiferia*] idem Ioſephus vocat) quæ incidebant in menſem Septembrem, ut apparet Levitici XXIII, 39, 40. quomodo nunc longè alio anni tempore ſint uſurpata. Sciendum igitur conſtanter fuiſſe Iudæis creditum, feſtos dies non tantùm memoriam continere Ægyptiaci exitus, ſed & præſagium temporum Meſſiæ. Itaque etiam hodie Iudæi ἐν τοῖς ὀσχοφορίοις [*die Ramiferii*] dicunt optare ſe ut eum in modum lætos dies agere poſſint regnante Meſſia, devictisque hoſtibus. Plebis igitur illa pars quæ miraculis Ieſu adducta certò ſibi perſuaſerat hunc verum eſſe Meſſiam, velut impleto præſagio, ritus & verba τῆς ὀσχοφορίας [*geſtationis Ramorum*] rectè uſurpat. Sicut & in nova dedicatione Templi ſub Haſmonæis eadem lætitiæ publicæ ſigna uſurpata legimus II Maccabæor. X, 7. & I Maccabæorum XIII, 51. & Apocalypſeos VII, 9. Videtur autem ritus ramos geſtandi ut multa alia à Iudæis ad Græcos perveniſſe. Nam Clemens notat ex Orpheo ramos adorantibus dari ſolitos. Et Athenis inter feſtos dies erant τὰ ὀσχοφόρια [*Ramiferium*]. Adde quæ diximus II Maccab. I, 9, 18. X, 6.

εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος, *benedictus qui venit*] Ex Pſalmo CXVIII, 26. *Felix ſit*, aut *Vivat*, ut Latini acclamabant.

ἐν ὀνόματι Κυρίου· *in nomine Domini*] Divino mandatu ac poteſtate.

Ὡσαννὰ ἐν τοῖς ὑψίστοις. *Hoſanna in altiſſimis*] In Euangelio Hebraïco legebatur ברמה, ut nos docet Hieronymus ad Damaſum. Hòc autem non puto ad deſignationem Dei pertinere, ſed idem valere quod *Summè*; ut ſi Latinè dicas *terque quaterque.* Ita Hebræum במרומים & Græcæ voces ἐν ὑψίστοις [*in altiſſimis*] Interpretibus LXX inveniuntur Pſalmo CXLVIII, 1. & alibi. Eodemque ſenſu במרום & Græcè ἐν ὑψίστοις uſurpatur Pſalmo XCIII, 4.

10. ἐσείσθη πᾶσα ἡ πόλις, *commota eſt univerſa civitas*] תהם העיר Ruth. I, 19.

11. ὁ προφήτης, *Propheta*] Quem hactenus ut Prophetam agnovimus, nunc ut verum Regem veneramur.

12. εἰς τὸ ἱερὸν τοῦ Θεοῦ, *in Templum Dei*] Regni ſui in hominum animos ſpecimen aliquod Chriſtus dederat aſinorum accitu: majus nunc & maximè admirabile edit in purganda æde paterna, nullâ vi externâ, ſolâ Divinâ virtute venerabilis. Hinc quoque Regni ſui ingenium dat intelligi, quod Regnum velut auſpicatus non arcem ſed Templum ingreditur.

τοὺς πωλοῦντας καὶ ἀγοράζοντας ἐν τῷ ἱερῷ, *vendentes & ementes in Templo*] Rectè quidem à Legisperitis erat conſtitutum ut qui victimas aut dona ex lege aut voto deberent, præſertim ſi procul Hieroſolymis habitarent, poſſent pecuniam domo adferre, proque ea Hieroſolymis victimam aut quod donandum eſſet ſibi comparare, nimirum lege eâ quæ eſt de decimis Deuteron. XIV, 24, 25, 26. ad alias factorum ſimilium ſpecies non iniquâ interpretatione productâ: ſed id in Templo fieri minimè oportuit, eo præſertim tempore quo is Templi locus (facta enim hæc in parte extima quæ *Gentium* dicebatur) vacare debebat Gentibus ad veram religionem ſe converſuris, ut prædixerat Eſaias. Ideo ſignificanter apud Marcum eſt in hac hiſtoria, Ὅτι ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται πᾶσι τοῖς ἔθνεσι [*Quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus Gentibus*]. Notandum enim eſt, pleraque vaticinia ejus generis duplicem habere ſenſum, priorem planum & ἀσχημάτιστον [*non figuratum*], qui tacitam habebat conditionem, Si Iudæi ſub adventum Meſſiæ, ut debebant, gentibus cæteris pietate præluxiſſent; alterum ἀλληγορικὸν [*tectè aliud innuentem*], qui impletus eſt rejectis Iudæis & ſurrogatis Gentibus.

τῶν κολλυβιστῶν, *nummulariorum*] Κόλλυβος eſt quod vulgò *cambium* vocant, ἀλλαγὴ ἀργυρίου [*permutatio pecuniæ*] Polluci. Cicero in Verrina ait *deductionem factam pro collybo*, & in epiſtola, *detrimenti ſatis eſſe in collybo.* Eoſdem hos menſarios etiam κερματιστὰς Iohannes vocat. Quia in Templo erant quæ ex lege aut moribus Siclis ſacris pendi debebant, ideo argentarii menſas in Templo poſitas habebant, lucellum ex permutandi officio aucupantes.

τὰς περιστεράς. *columbas*] Vt quibus defungebantur pauperes vice majorum victimarum, ut paſſim in Moſe videre eſt, & Lucæ II, 24. Has autem ſolebat accepto pretio dare offerentibus Præfectus oblationum, ut notat Maimonides De Inſtrumentis ſanctis cap. 7. cui conſentit liber Schekalim capite 5, ſectione 1.

13 λῃστῶν. *latronum*] Ex verſione LXX apud Ieremiam. Simili trâlatione λῃστὰς τῶν πραγμάτων [*raptores rerum*] dixit Æſchines. Itaque vox iſta hoc loco non tam *latronem* quàm *prædonem* ſonat: quo ſenſu & apud Xenophontem reperitur Græcæ hiſtoriæ ſecundo. Sed & Chaldæi vocem Græcam eo ſignificatu uſurpant. Sic Iſmaelitæ עם לסטם *populus prædator* Ionathani Geneſ. XXI, 13. Dubium non eſt quin pro uſu Templi partem quæſtus ſtipulati fuerint Sacerdotes. οἶκον ἐμπορίου [*domum negotiationis*] eſt in ſimili hiſtoria apud Iohannem II, 16.

16. κατηρτίσω, *perfeciſti*] Tralatitiam ſignificationem verbi יסד [*fundare*] interdum voce minùs figurata exprimunt LXX, ut hîc καταρτίζειν [*perficere*], Eſther. 1, 8. ἐπιτάττειν [*ſtatuere*].

αἶνον; *laudem?*] Sic & עז, quod itidem tralativè uſurpatur, LXX variis nominibus vertunt, prout fert ſubjecta materia; ut hîc αἶνον, in Pſalmo CXXXII, 8. ἁγίασμα [*ſanctimoniam*]. De ſenſu Pſalmi diximus ad Pſalmum ipſum. Citatur autem hic proverbialiter non propter illud νηπίων, quo vocabulo non *infantes* tantùm intelligi poſſunt ſed & pueri qui fari incepere, quales quidam fuere in hac clamantium turba.

17. ἐξῆλθεν ἔξω τῆς πόλεως, *abiit foras extra civitatem*] Vt omnem affectati regni terreſtris ſuſpicionem quàm longiſſimè à ſe amoveret; quam fovere poterat urbs per ſe populoſa, concurſus aliunde ad feſtos dies, & nocturnum tempus ejuſmodi conatibus opportunum. Confer quod eſt Iohan. VI, 15. & infrà XXVI, 55.

ηὐλίσθη, *manſit*] Vtuntur hac voce Græci ſæpe ut vertant לון, quod eſt *pernoctare.* Sed poteſt hîc propriè ſumi hæc vox, ut ſignificet *ſub dio agere:* id enim ſignificare videtur Lucas, cùm dicit Chriſtum *ſingulis noctibus* ηὐλίσθαι [*moratum eſſe*] *in Monte Oliveti* XXI, 37. Et alioqui ſollemne hoc ipſi erat quoties extra ordinem precibus vacabat.

19. Καὶ ἰδὼν συκῆν, *Et videns fici arborem*] Quod generaliter dictum eſt à Dionyſio Thrace Grammatico vetere de antiquis, Ἐσήμαινόν γ᾽ οὖν οὐ διὰ λέξεως μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ συμβόλων ἔνιοι τὰς πράξεις [*Quidam eorum res ſignificabant non verbis ſolis, ſed & viſibilibus ſignis*], & de Ægyptiis à Plutarcho Iſide, αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχούσης [*doctrina ipſorum de divinis rebus ſapientiam habebat ænigmaticam*], id de Hebræis eorumque vicinis veriſſimum eſt. Sic Prophetarum alii contundi ſibi capita fecerunt, alii cornua ſumſerunt ferrea, alii ſibi circumdedere compedes. Clementiſſimus Dominus, cùm innumeris miraculis ſua in nos æterna beneficia figuraſſet, ſeveritatem judicii, quod infrugiferos homines manet, uno duntaxat ſigno, idque non in homine, ſed in non ſenſura arbore, adumbravit; ut certi eſſemus bonorum operum ſterilitatem gratiæ fœcundantis ademtione puniri. Vide ea quæ ad Hebræos VI, 8. quæ hujus loci interpretationem continent. Philo ſpadones qui in ſacrum concilium à Moſe admitti vetantur ἀλληγορικῶς [*ſenſu tectiore*] non malè interpretatur τοὺς ἀρετῆς ἀγόνους, καὶ πίστιν ἐκτετμημένους [*eos qui virtutis ſunt ſteriles, & circa fidem caſtrati*].

21. καὶ μὴ διακριθῆτε, *& non hæſitaveritis*] Διακρίνεσθαι [*hæſitare*] eſſe idem quod διστάζειν [*dubitare*], cui opponitur τὸ πιστεύειν [*credere*], annotavimus ad caput XIV, 31.

ὄρει τούτῳ, *monti huic*] Vide ſuprà XVII, 20.

22. πάντα, *omnia*] Vide ſuprà XVIII, 19.

23. διδάσκοντι, *docentem*] Docebat enim publicè in Templo eadem quæ in Galilæa docuerat, continentia quid credendum faciendumque eſſet, proponens itidem præmia obedientiæ remiſſionem peccatorum, Spiritum Sanctum & vitam æternam. Hæc ſunt quæ hac una voce Matthæus, Lucas autem duabus διδάσκειν [*docere*] & εὐαγγελίζεσθαι [*euangelizare*] complectitur.

οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, *principes Sacerdotum & Seniores populi*] Καὶ οἱ γραμματεῖς [*& Scribæ*], quod addit Marcus. His tribus hominum generibus, Pontificibus quidem & Senioribus, ut parte Senatus, Legisperitis autem, ut eorum Aſſeſſoribus & Conſiliariis deſcribitur Synedrium magnum, ut alibi diximus; cujus officio incumbebat veros falſoſque Prophetas diſcernere. Sic & ad Barchochebam à Sapientibus Iſraelis miſſos legatos narrant Iudæi. Adierunt autem iſti Ieſum capto antè conſilio quomodo ei perniciem poſſent accerſere, iritati ob traductam ſuam in Templo nundinationem, ut notat Marcus XI, 18. Huc igitur tota iſta tendebat oratio.

Ἐν ποίᾳ ἐξουσίᾳ, *In qua poteſtate*] *Vnde tibi jus iſtud?* Nam Synedrii erat jus docendi in Templo concedere: ab iis autem nullum jus Chriſtus acceperat. Supererat igitur ut Dei mandato ſe tueretur, cujus in Templum jus ſummum erat.

ταῦτα ποιεῖς; *hæc facis*] Nempe quòd publicè doces. Huc enim potiſſimùm pertinere hanc quæſtionem Lucas ſatis apertè oſtendit. Imitantur Iudæi Samaritarum quæſtionem ad Eſdram V, 3.

24. Ἐρωτήσω ὑμᾶς κἀγὼ λόγον, *Interrogabo vos & ego unum ſermonem*] Ἀντερώτησις [*contra-interrogatio*],

qualis à Grammaticis notatur ad Eclogam Virgilii tertiam, & in Socraticorum libris non rarò apparet. Latini veteres *Tuſcum jurgium* appellabant. *Litem lite reſolvere* dixit Horatius. Hanc autem quæſtionem ita Chriſtus inſtituit ut manifeſtiſſimum inde fiat juſtas ipſum cauſas habuiſſe ad ipſorum interrogationem non reſpondendi. Quomodo enim credidiſſent alleganti mandatum Divinum qui Iohanni non crediderant, quem tamen à Deo miſſum apertè diffiteri non audebant?

25. ἐξ οὐρανοῦ, *è cælo*] Hebræi inter Dei nomina recitant שמים [*cælum*]; ſed verius eſt figuratè pro Rege regiam nominari. Sic *exercitus cælorum* Danielis IV.

οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ; *non credidiſtis illi*] Tum in cæteris, tum in teſtimonio quod de me perhibuit.

26. ἔχουσι, *habebant*] Firma quadam perſuaſione, ut Lucas exprimit.

ὡς προφήτην, *ſicut Prophetam*] Id eſt, ut hominem Divinitus excitatum; quemadmodum ſuperiora evincunt.

27. Οὐκ οἴδαμεν. *Neſcimus*] Ignorantiæ profeſſionem ab illis Chriſtus exprimit, qui jactare ſolebant penes ſe eſſe judicium ἀναμάρτητον [*fallere neſcium*], ad diſcernendos veros ac falſos Prophetas.

29. εἶπεν, Οὐ θέλω· *ait, Nolo*] Imago publicanorum & meretricum, qui diu ita vixerant quaſi *jura negarent ſibi nata*, τὴν εὐσέβειαν ἠρνημένοι [*pietatem abnegantes*],

——— *morbum vultu inceſſuque fatentes*,

ut ille ait.

30. Ἐγὼ, κύριε. *Ego, domine*] Recta lectio Syro etiam agnoſcente, interque Græcos Theophylacto & Euthymio. Ita Geneſ. XXII, 1 & 11. XXVII, 1. XXXVII, 13. & 1 Samuelis III. aliquoties הנני Lxx Interpretibus ἰδοὺ ἐγὼ [*Ecce ego*] idem valet quod Latinè *Praſtò adſum*. ſic & Eſaiæ VI, 7. Lectiones alias ex interpretamento natas non dubito. Filius hîc imago eſt principum Iudæorum, qui oratione ac vultu pietatem profitebantur, revera homines ſuperbi, invidi, crudeles.

31. προάγουσιν ὑμᾶς εἰς τὴν βασιλείαν, *præcedent vos in Regnum*] Duces vobis monſtratoreſque ſunt itineris ad Regnum cœlorum, pœnitentiæ ſcilicet. Ita προάγειν & προάγεσθαι [*præcedere*] ſæpe uſurpant Græci. Atque hunc eſſe ſenſum, non autem de extremo judicio hîc agi, apparet ex eo quod ſequitur, ὑμεῖς δὲ ἰδόντες οὐ μετεμελήθητε [*vos autem videntes pœnitentiam non habuiſtis*]. Non ſecuti eſtis illos rectè ducentes quorum vos duces eſſe oportuit.

32. ἐν ὁδῷ δικαιοσύνης, *in via juſtitiæ*] Continuari videtur translatio cœpta in voce προάγουσι [*præcedunt*]. Nam ὁδὸν δικαιοσύνης [*viam juſtitiæ*] appellat, ni fallor, ipſum dogma Iohannis, quod ex ſigno addito vocatur τὸ βάπτισμα τῆς μετανοίας [*Baptiſma pœnitentiæ*]. Id enim ad veram illam juſtitiam quam Chriſtus docet iter eſt.

οὐκ ἐπιστεύσατε αὐτῷ· *non credidiſtis ei*] Præceptionibus ipſius non obtemperaſtis. Nam πιστεύειν [*credere*] ſæpe eſt reipſa oſtendere fidem ſe alicujus dictis habere, τὸ πείθεσθαι [*obedire*].

33. ἀμπελῶνα, *vineam*] Vineæ ſimilitudinem veteribus Prophetis uſitatam in ſenſum paulò alium inflexit, ut commodiùs redderet ἀνταπόδοσιν [*id quod in comparatione reſpondet*]. Nam apud illos vinea populo Hebræo reſpondet: hic autem notitiæ Legis & donis Spiritus Sancti, quæ mox vocantur *Regnum cælorum*.

Φραγμὸν αὐτῷ περιέθηκε, *ſepem circumdedit ei*] Sepem, Turrim, Torcular nihil neceſſe eſt ſigillatim explicare, cùm in univerſum iis omnia ſignificentur quæ aut ad tutelam aut ad ornatum pertinent: omnia denique beneficia quibus ad bonam frugem à Deo provocamur.

ληνὸν, *torcular*] Marcus ὑπολήνιον [*lacum*], Lxx apud Eſaiam προλήνιον· & certè verbum ὀρύσσειν [*fodiendi*] ſatis oſtendit lacum ſignificari, qui συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] *torcular* dicitur, cùm alioqui *torcular* ſit tota machina conſtans ex prælo & lacu. Homerus in vineæ deſcriptione Iliados 18.

Ἀμφὶ δὲ κυανέην κάπετον·

[*At circùm poſita eſt ſcrobs cærula.*]

Vbi Scholiaſtes κοῖλον ὄρυγμα, τάφρον [*cavam foſſam*]· Euſtathius ληνόν [*torcular*].

ἐξέδοτο αὐτὸν, *locavit eam*] Certâ fructuum pactione, quod genus colonos Romani *partiarios* vocant. Sequitur enim, ἀπέστειλε λαβεῖν τοὺς καρποὺς αὐτοῦ [*miſit ut acciperent fructus ejus*].

35. ἔδειραν, *ceciderunt*] Ponitur δέρω pro δαίρω [*cado*]. Apud Marcum expreſſè legitur δέροντες, & apud Lucam δείραντες, ut & in Actis aliquoties, ubi & δέρων XXII, 19. eſt *cædens*, & εἰς πρόσωπον δέρειν [*in faciem cædere*] II Corinth. XI, 20. Quare lectio hæc mutanda non eſt. Videntur autem hoc verbo præcipuè indicari contumeliæ quas Ieremias pertulit; ſicut *occidere* ad Eſaiam, *lapidare* ad Zachariam Iojadæ filium non malè referas. Vide Actor. VII, 52. Hebræorum XI, 37. II Regum XXI, 10, 16. Ieremiæ XLIV, 4, 5, 6. II Paralipom. XXXVI, 16. Nehemiæ IX, 26.

37. Ἐντραπήσονται τὸν υἱόν μου. *Verebuntur filium meum*] Oſtendunt hæc verba non quid futurum eſſet, ſed quid jure ac meritò exſpectaretur. Ideo Lucas ἴσως [*fortè*] addidit: quæ locutio eſt ubi in Sacris literis & Deo tribuatur, ſed intelligenda θεοπρεπῶς [*ita ut Deo convenit*], non ut præſcientiam excludat, ſed ut notet eventûs in cauſis ſuis ſpectati τὸ ἐνδεχόμενον [*contingentiam*]· quod & veteres notarunt.

38. ἀποκτείνωμεν αὐτὸν, *occidamus eum*] Ipſa verba fratrum de Ioſepho Geneſ. XXXVII, 20.

κατάσχωμεν τὴν κληρονομίαν αὐτοῦ. *habeamus hereditatem ejus*] His verbis oſtenditur Sacerdotes ac principes Iudaici populi hoc egiſſe ſummo ſtudio ut Divinam legem cogerent ambitioni ſuæ & quæſtui inſervire: quod idem eſt ac ſi colonus domino poſſeſſionem intervertat. Nam κληρονομίας [*hereditatis*] voce jus plenum dominii indicari alibi diximus.

39. ἐξέβαλον ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος, *ejecerunt extra vineam*] Id eſt, ἀπεδοκίμασαν [*reprobaverunt*], ut dicitur infrà. Fecerunt ἀποσυνάγωγον [*extra Synagogam*], & ut hominem ἄνομον [*Legis expertem*] curarunt eum à profanis hominibus occidi: atque adeò ipſi magis eum occiderunt quàm Romanus Præſes, qui aliquandiu reluctans tandem manus dedit illorum improbitati.

41. Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει, *Malos malè perdet*] Locutio petita ex puriſſimo ſermone Græco, cujus ſe non imperitum aliquoties oſtendit hic Interpres. Loquitur ſic & Ioſephus. Ex collatione aliorum Scriptorum apparet primùm hoc ſimpliciter dixiſſe Senatores, ignaros quò ſenſus dicti evaderet; cùm verò Chriſtus apertiùs ſignificaſſet ad ipſos hæc pertinere, avertiſſe à ſe omen.

ἀποδώσουσι, *reddent*] *Perſolvent*. Sed & arbor dicitur καρπὸν ἀποδιδόναι [*fructum reddere*] Apocalypſ. XXII, 2. ut Latinis ager *frugem reddere aut perſolvere*.

τοὺς καρποὺς ἐν τοῖς καιροῖς, *fructum temporibus ſuis*] פרי בעתו Pſalmo I, 3.

42. Οὐδέποτε ἀνέγνωτε, *Nunquam legiſtis*] Quod minimè in ſe quadrare poſſe arbitrabantur, id ad ipſos potiſſimùm, ad plebem autem conſequenter pertinere Ieſus oſtendit Pſalmi teſtimonio, quem ipſi quoque κατὰ τὸ μυστικώτερον [*ſecundùm ſenſum magis myſticum*] de rebus Meſſiæ interpretabantur. Neque aliter eum locum accepit Rabbi Salomon.

οἱ οἰκοδομοῦντες, *ædificantes*] Id eſt, οἱ ἀρχιτέκτονες [*architecti*], more Hebræo participium pro nomine. Ita vocantur Senatores magni Synedrii quibus mandata erat non minùs religionis quàm reipublicæ tutela. Docet hoc Petrus, qui eoſdem alloquens ὑφ' ὑμῶν, inquit, τῶν οἰκοδομούντων [*à vobis ædificantibus*], Actorum IV, 11. Sic & Plato & Ariſtoteles τὴν πολιτικὴν ἐπιστήμην [*ſcientiam Civilem*] vocant ἀρχιτεκτονικήν [*architectalem*]· & Cicero *architectos reipublicæ ædificandæ* dixit.

εἰς κεφαλὴν γωνίας· *in caput anguli*] Omnia hæc ex verſione LXX. γωνίας [*anguli*] ſignificatio poteſt quidem non incommodè ad commiſſuram referri τῆς ἐκλογῆς τῶν Ἰουδαίων [*electionis Iudæorum*] & Gentium populi; ſed cùm hîc ſimpliciter rejectionis Iudæorum & ſurrogationis Gentium fiat mentio, & Petrus ante inchoatam Gentium vocationem hoc vaticinium dicat impletum, Actorum IV, 11. ſatius erit *anguli* voce indicari eam vim quæ eſſe in angulis ſolet ſuſtinendi ædificii: unde factum eſt ut & primores populi paſſim Hebræis פנות appellentur, Helleniſtis autem γωνίαι [*anguli*], ut Samuelis I, cap. XIV, 38. Ἀκρογωνιαῖον λίθον [*ſummum angularem lapidem*] eodem, ni fallor, ſenſu dixerunt Petrus & Paulus in Epiſtolis.

αὕτη, *iſtud*] Quod Hebræi neutrum muliebriter enuntiant etiam apud Helleniſtas occurrit, ut Pſalmo CVII, 4. Nec tamen quicquam obſtat quominus & in Hebræo & in Græco & in Syriaco poſſit ad γωνίαν [*angulum*] referri, quomodo & Theophylactus hîc interpretatur. *Capitis* voci quominus aptetur, repugnat Hebræa conſtructio. Res tamen eòdem recidit.

ἡμῶν; *noſtris*] Piorum ſcilicet, ut quæ in Pſalmo ſequuntur intelligi hoc poſtulant.

43. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Propterea quia hunc lapidem rejeciſtis ampliúſque rejecturi eſtis, iſta vobis evenient.

ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, *Regnum Dei*] Origeni & Hieronymo aſſentior *Regnum Dei* notitiam Divinæ legis interpretantibus, ut & antè dixi. Vide & quæ ſuprà notata ſunt ad caput III. Inter pœnas Iudaïcæ gentis nulla eſt nobilior quàm quòd poſt Chriſtum repudiatum non modò Prophetiæ dono omnino ſunt privati; ita ut illud ipſum lumen olim & ſidus peculiare gentis Hebraicæ ex eo ad Chriſtianos tranſierit, ſed quòd & omnis illa ſcientia Legis quæ humanis præſidiis comparari poterat verſa eſt in putidiſſimas fabulas, quibus ſcatet Thalmudicus liber; tales certè, ut qui eis fidem adhibeat judicandus ſit non modò Divino Spiritu ſed magna etiam parte ſenſus communis eſſe deſtitutus.

ποιοῦντι τοὺς καρποὺς αὐτῆς. *facienti fructus ejus*] Non tantùm καρποὺς μετανοίας [*fructus pœnitentiæ*], ut Baptiſta jubebat Lucæ III, 8. ſed quod plus eſt, καρποὺς τῆς βασιλείας [*fructus Regni*] ſive τοῦ πνεύματος [*ſpiritus*], de quibus agit Paulus Roman. VI, 22. Epheſ. V, 9. & Galat. V. 22. ποιοῦντι [*facienti*] autem poſitum pro ποιήσοντι [*facturæ*]. Non enim cauſa impellens ſed movens per modum finis hîc indicatur, ut & Epheſ. II, 10.

44. ὁ πεσὼν ἐπὶ τὸν λίθον τοῦτον συνθλασθήσεται· *qui ceciderit ſuper lapidem iſtum confringetur*] Lapidis factam mentionem ab ædificii ſimilitudine ad alteram Chriſtus producit, & eum imitans Petrus I epiſt. II, 7. Senſus hujus particulæ eſt, Qui in ipſum adhuc in terris agentem impinget, ſentiet imbecillitatem ſuam damno ſuo, ut teſta ſaxo illiſa. Seneca: *In ea quæ firma & inſuperabilia ſunt, quicquid incurrit malo ſuo vim ſuam exercet.* Hebræum מחץ Græci modò vertunt πατάξειν aut παίειν [*ferire*], ut Deuteronomii XXXII, 39. Iobi V, 18. modo θλᾶν aut συνθλᾶν [*frangere*], ut II Samuelis XXII, 39. Pſalmo CX, 6.

ἐφ' ὃν δ' ἂν πέσῃ λικμήσει αὐτόν. *ſuper quem verò ceciderit conteret eum*] At qui perſtiterit in eo oppugnando poſtquam jam erit evectus in cœleſtem regiam, tam funditus peribit quàm teſta in quam ſaxum ingens ex ſublimi loco devolvitur. Sic זרה, quod propriè λικμᾶν [*ventilare*] ſignificat, ſumitur in ſenſu *conterendi* Zachar. I, 19. Hoc ipſum alibi dicitur συντρίβειν [*conterere*], Eſaiæ XXX, 14. & Ieremiæ XIX, 11. Alibi λεπτύνειν [*comminuere*], ut in Pſalm. XVIII, 43. Videtur reſpici locus Danielis de lapide è monte devoluto II, 44. Hoc autem contigit Iudæis excidio Titi: multóque magis continget τοῖς προσκόπτουσι τῷ λόγῳ [*qui offendunt in ſermonem*] in extremi judicii die.

45. οἱ Φαρισαῖοι, *Phariſæi*] Cujus inſtituti aliquammulti erant Senatorum.

CAPVT XXII.

2. Γάμους, *nuptias*] Γάμοι hîc ſunt non ipſum *matrimonium*, ſed *convivium*, ut vertit Syrus; quod mox dicitur *prandium*, alibi *cæna*: ut & *cænam nuptialem* Plautus dixit: quomodo & *nuptiarum* vox Terentio atque aliis uſurpatur. Sicut autem *Regnum cæleſte*, ut ſæpe jam vidimus, modò ſtatum Regni Meſſiæ in hoc ſeculo ſignificat, modò ſtatum futuri ſeculi, quia ille hujus quoddam eſt πρόγευσμα [*guſtus*], ita & *nuptiali convivio* alibi felicitas illa quæ Reſurrectionem generalem ſequetur, hîc verò dona piorum cœtui deſtinata ſignificantur. Dubitandum autem non eſt quin Chriſtus eaſdem

comparationes diverſis temporibus recitaverit. Ita hanc alibi quoque uſurpatam nunc ita repetit ut hominum quos compellabat rationem habens, peculiaria quædam ipſos præcipuè tangentia cumuli vice adjungat.

3. καλέσαι τοὺς κεκλημένους, *vocare invitatos*] Nam bis vocare moris erat, ut ad Lucam notabimus. Hi autem κεκλημένοι [*vocati*] ſunt Iudæi, federatus Deo populus, quibus adventus Regni Meſſiæ multò antè per Prophetas, poſtremò per Iohannem, Chriſtumque ipſum & ejus Apoſtolos eſt annuntiatus, ut ſe per pœnitentiam ei Regno præpararent.

4. Πάλιν ἀπέστειλεν ἄλλους, *iterum miſit alios*] Invitatio apertior facta per Apoſtolos tum veteres, tum alios illis additos eorumque adjutores, poſtquam Chriſto reſuſcitato, in cœlum evecto, & Spiritu deſuper miſſo, nihil ultrà Divinæ liberalitatis non dicam requiri ſed nec optari poterat.

τὰ σιτιστὰ, *altilia*] In quo genere erant vituli, μόσχοι σιτευτοὶ [*vituli ſaginati*] non Athenæo tantùm, ſed & Lucæ XV, 23. & in Græco Ierem. XLVI, 21. & cortis aves. His *altilium*, illis *ſaginatorum* vox ex uſu Latino rectiùs convenit.

τεθυμένα, *occiſa ſunt*] Θύειν & σφάττειν diſtinguunt Grammatici, ut σφάττειν [*occidere*] ſit quavis de cauſa, θύειν autem ἐπὶ τιμῇ Θεοῦ [*occidere in honorem Dei*]. Sed ut alias voces ita & hanc uſus extra originis ſuæ naturam produxit. Manifeſtum id eſt Iohannis X, 10. Sic & Latinum *mactare* in ſacris natum ad alia extendi cœpit.

5. ἀπῆλθον, ὁ μὲν εἰς τὸν ἴδιον ἀγρὸν, *abierunt alius in villam ſuam*] Caducarum rerum ſtudio beneficia æterna poſthabuerunt.

6. ὕβρισαν, *contumeliis affectos*] Vt Petrum & Iohannem, Paulum quoque non ſemel.

ἀπέκτειναν. *occiderunt*] Vt Stephanum & Iacobos duos.

7. τὰ στρατεύματα αὐτοῦ, *exercitibus ſuis*] Τὰ στρατεύματα, Angelos, ut I Reg. XXII, 19. II Paral. XVIII, 18. Lucæ II, 13. Angelorum autem miniſterio Deus & Regna & naturam inferiorem gubernat; ac proinde per eos immittit bella, famem & peſtilentiam: quæ omnia uno velut impetu in Hieroſolymorum urbem detonuerunt.

8. οὐκ ἦσαν ἄξιοι. *non fuerunt digni*] Λιτότης [*minùs dictum*], pro eo quod dicendum alioqui erat μάλα ἦσαν ἀνάξιοι [*valde erant indigni*]. Sic Actorum XIII, 46. ubi conſummati hujus vaticinii habemus exemplum, οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς [*non judicatis voſmetipſos dignos vitâ æternâ*], id eſt, *vos ipſos vitâ æternâ indignos reipſa oſtenditis*, ſermonem vivificum contumaciter repudiando. Pares locutiones Proverbiorum X, 2. XII, 3. XVII, 21. I Corinth. XVI, 22. & alibi.

9. Πορεύεσθε οὖν ἐπὶ τὰς διεξόδους τῶν ὁδῶν, *Ite ergo ad exitus viarum*] Admirabilis Dei ſapientia ſuæ in Gentes profanas bonitatis oſtendendæ occaſionem arripuit ex Iudæorum malitia. Etiamſi Iudæi feciſſent officium, nullam tamen habebant cauſam de Deo querendi, ſi benignitatis ſuæ etiam Gentes feciſſet participes, quod filiorum duorum, alterius frugi; alterius ἀσώτου [*prodigi*] fabella docet, & ſuprà etiam ex vinitorum comparatione intelligi potuit. Sed ut omnem πρόφασιν [*prætextum*] Iudaïcæ invidentiæ Deus adimeret, ipſos primùm, nec perfunctoriè, ſed crebrò invitari ad dogma Euangelicum voluit; ipſis autem beneficium recuſantibus, tranſiri ad Gentes: idem eſſe volens & bonitatis ſuæ erga omne humanum genus certiſſimum teſtimonium, & pertinaciæ Hebraïcæ pœnam. Ita Paulus jam dicto loco, *Quando vobis non libet*, inquit, *audire, ad Gentes vertimur*: qui & in epiſtola ad Romanos Divinum hoc conſilium magnificè explicat, dicens *Iudæorum crimen factum eſſe mundi opulentiam*. Διέξοδοι ſunt תוצאות העיר *viæ extra urbem ducentes*. Nam ita Hebræum illud vertunt Aquila, Symmachus, Theodotion Ezech. XLVIII, 30. Hæ διέξοδοι [hi *exitus viarum*] ſignificant hoc loco varias Philoſophorum opiniones, & diverſos ſuperſtitionum ritus, in quos nationes, relictis viis ab Adamo & Noa traditis, deflexerant. *Præcedentibus* enim *ſeculis permiſerat Deus gentes ſuis quamque viis* qua luberet *inſiſtere*, Actorum XIV, 16. non miſſis ſcilicet ad eos Prophetis, ut ad gentem Iudæorum facere ſolebat, cùm alioqui naturalibus illos teſtimoniis quotidie conveniret, nec clauſus illis eſſet aditus majoris profectus, præſertim ex quo Iudæorum multiplex διασπορὰ [*diſperſio*] orbem impleverat, & Divina Lex Græco ſermone legebatur.

ὅσους ἂν εὕρητε, *quoſcunque inveneritis*] A generali beneficio Deus neminem voluit ullo præjudicio excluſum.

10. πονηρούς τε καὶ ἀγαθούς· *malos & bonos*] Erat quidem inter Gentiles ante invitationem Euangelicam diſcrimen aliquod: nam alii laxatis habenis vagabantur, alii paulò propiùs ſequebantur ductum rationis. Sed cùm omnes ad falſorum deorum cultus, adde & inanis gloriæ ſtudium, deflexiſſent, noluit Deus ejus diſcriminis haberi rationem, ſed omnes, ut graviter ſontes, unâ veniæ formulâ complexus eſt: quò magis appareret merè gratuiti favoris eſſe hoc donum, οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ᾽ ἐκ τοῦ καλοῦντος [*non ex operibus, ſed ex vocante*]. Bene notat Theophylactus ἀγαθοὺς [*bonos*] intelligendos comparatè. Nam quod minùs malum eſt *bonum* vocari ſolet populariter.

ὁ γάμος, *nuptiæ*] Ita plerique codices: nec aliter legerunt Origenes & Theophylactus: unde quod alii habent νυμφὼν [*locus nuptialis*] ex interpretamento credendum eſt veniſſe, quod tamen ſequitur Syrus, ſive quòd ita legit, ſive quòd ſenſum reddere voluit apertiorem.

11. ἔνδυμα γάμου· *veſte nuptiali*] Γαμικὴν χλανίδα [*amiculum nuptiale*] dixit Ariſtophanes Avibus. Veſtis hæc eſt *ambulatio digna vocatione*, Epheſior. IV, 1. opera quæ *ratam efficiunt vocationem*, II Petri I, 10. Nam & in Apocalypſi *veſtis byſſina* nuptialis, explicatur τὰ δικαιώματα τῶν ἁγίων [*juſtificationes ſanctorum*], ubi δικαιώματα ſunt ipſa opera obedientiam noſtram teſtantia, ut Lucæ I, 6. Romanorum II, 26. Eadem ἱμάτια λευκὰ [*veſtimenta alba*] dicuntur in eadem Apocal. III, 18. Atque ita veteres magno conſenſu ad hunc locum. Simili tralatione verbum *indui* de virtutibus uſurpatum legimus Coloſſ. III, 12. & alibi.

12. Εταῖρε, *Amice*] De hac compellatione egimus ſuprà ad XX, 13.

ἐφιμώθη. *obmutuit*] Oſtenditur τὸ ἀναπολόγητον [*excuſationis defectus*]· ſicut mox *ligatio manuum & pedum* notat τὸ ἄμαχον καὶ τὸ ἄφυκτον [*inexpugnabilitatem & inevitabilitatem*]irrogati Divinitus ſupplicii.

13. εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· *in tenebras exteriores*] Chriſtus compendio quodam id quod eſt ultimum τῆς ἀνταποδόσεως [*redditionis*] cum ipſa comparatione continuat, quia inde facile eſt intellectu quomodo ſupplenda ſint cætera. De his tenebris actum ſuprà VIII, 12.

14. Πολλοὶ γάρ εἰσι κλητοὶ, ὀλίγοι δὲ ἐκλεκτοί. *Multi enim ſunt vocati, pauci verò electi*] Habuimus hanc γνώμην [*ſententiam*] ſuprà obſcuriùs poſitam, quæ hîc apertiſſimum habet ſenſum: Iudæi (de his enim agitur) vocati ſunt omnes, qui ſunt numero multi; ſed alii ad caduca verſi monita ſprevere, alii inſuper malè tractarunt monitores, nonnulli fidem profeſſi non oſtenderunt piis operibus fidei ſinceritatem & vigorem. Igitur parvum duntaxat κατάλειμμα [*reliquum*]Deo probatum per docilitatis,fidei & dilectionis teſtimonia,accepit dona Spiritus Sancti & in poſterum accipiet rem ipſam, cujus arrha eſt Spiritus.

15. οἱ Φαρισαῖοι συμβούλιον ἔλαβον, *Phariſæi conſilium inierunt*] Cùm publica auctoritas nihil profeciſſet, ſecta Phariſaïca privatas molitiones adhibet, ut ſuprà XII, 14. ubi quæ diximus vide.

ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ. *ut caperent eum in ſermone*] Id eſt, ut aliquid ab ipſo elicerent cujus obtentu accuſari poſſet rerum novatarum apud Romanum Præſidem: nam alioqui nulla ſpes erat illum interficiendi. ita interpretandum ex Luca.

16. τοὺς μαθητὰς αὐτῶν, *diſcipulos ſuos*] Phariſæorum quidam Iudam Gauloniten ſecuti ſentiebant nefas eſſe agnoſcere poteſtatem à Lege Divina extraneam. Ita enim interpretandum puto quod de illis dicit Ioſephus, μόνον ἡγεμόνα καὶ δεσπότην τὸν Θεὸν ὑπειλήφασι [*ſolum Ducem & Dominum Deum agnoſcunt*], nempe quòd illud, *Vni Deo ſervies*, ita intelligi voluerint, non quaſi cum quovis imperio ſummo, puta Saulis, Davidis, Solomonis pugnaret, ſed quaſi adverſaretur hoc ipſum imperiis profanarum Poteſtatum; ſicut in Deuter. XVII, 15. ſcriptum eſt, *Non præficies tibi virum extraneum, ſed qui de fratribus tuis ſit.* Neque nova erat hæc ſententia, ſed, ni fallor, ab Aſidæis Maccabaïcorum temporum profecta; imo antiquior: nam idem ſenſiſſe videntur qui in Chaldaïco obſidio deditionem tam præfractè recuſabant, cum quorum pertinacia certandum habuit Ieremias. Et ſicut illis temporibus illa opinio cauſa fuit magnorum malorum, ut Ieremias docuit: ita rectè de ſua ætate Ioſephus notat nullum poſſe malum excogitari cui iſtud dogma cauſam non dederit. Longè autem eſt aliud ſponte in ſe externum jugum accerſere, aliud vitæ ſervandæ cauſâ ſubire ſervitutem, aut jam impoſitam pati, ut Daniel fecit ſociique ipſius, quam ſcilicet nunquam illi populo Deus immiſſurus fuerat niſi in pœnam gravium peccatorum. Græcorum & Romanorum nonnulli exiſtimarunt ſervitutem vel certâ morte redimendam. At aliud per Ieremiam nos docet ipſa Veritas: nam vitæ mora, quæ ſpatium dat pœnitentiæ, inter bona corporis primum haberi debet, & fundamentum aliorum bonorum ad corpus pertinentium. ſervitus autem illa externa ad corpus non ad animum pertinet. Bionis eſt, Οἱ ἀγαθοὶ οἰκέται, ἐλεύθεροι· οἱ δὲ πονηροὶ ἐλεύθεροι, δοῦλοι ἐπιθυμιῶν [*Boni ſervi ſunt liberi; at liberi homines mali, ſervi ſunt cupiditatum*]· & Euripidis iſtud,

Δοῦλον γὰρ ἐσθλὸν τοὔνομ' οὐ διαφθερεῖ·
Πολλοὶ δ' ἀμείνους εἰσὶ τῶν ἐλευθέρων.
[*Obſtare ſervo nomen haud æquum eſt, probo:*
Eſt quando virtus famula ſuperat liberos.]

Ejusdem & hoc,

Πολλοῖσι δούλοις τοὔνομ' αἰσχρόν· ἡ δὲ φρὴν
Τῶν οὐχὶ δούλων ἐστ' ἐλευθερωτέρα.
[*Infame ſervis nomen eſt, mens interim*
Cùm liberis ſit ſæpe liberalior.]

Quòd ſi illa etiam domeſtica ſervitus animi virtutem non impedit, quantò minùs publica illa, quæ ſæpe ne ſervitus quidem eſt? Seneca Brutum eo nomine culpat quòd exiſtimaverit ſub unius imperio libertatem eſſe non poſſe. Quæ omnia locum habere poterant etiamſi ſtante Republica Iudæi in gravi periculo conſtituti conſultandum habuiſſent libertas an pax placeret, &, ut Cicero hanc quæſtionem ponit, εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον, κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν [*an omni modo laborandum ut diſſolvatur dominatio, etiamſi ob eam rem periclitatura ſit civitas tota.*]. At verò ſemel facta deditione, quæ ſupererat conſultatio? Nam quæ belli neceſſitate adducti promittimus fidem obſtringunt: niſi enim id eſſet periret tota federum ſanctitas. Acceſſerat deinde longi temporis poſſeſſio, quam movere velle ſemper iniquum eſt in publicis rebus. Bene adverſùs iſtos ζηλωτὰς [*zelotas*] diſpùtans Agrippa apud Ioſephum ita loquitur, Ἀλλὰ μὴν τό γε νῦν ἐλευθερίας ἐπιθυμεῖν ἄωρον, δέον ὑπὲρ τοῦ μηδὲ ἀποβαλεῖν αὐτὴν ἀγωνίζεσθαι πρότερον· ἡ γὰρ πεῖρα τῆς δουλείας χαλεπὴ, καὶ περὶ τοῦ μηδὲ ἄρξασθαι ταύτης ὁ ἀγὼν δίκαιος· ὁ δ' ἅπαξ χειρωθεὶς, ἔπειτα ἀφιστάμενος, αὐθάδης δοῦλός ἐστιν, οὐ φιλελεύθερος [*Intempeſtivum eſt nunc libertatem appetere, cùm oportuerit de eo, ne ea amitteretur, certaſſe olim: dura enim ſervitutis experientia, & juſtum certamen ne ejus initium fiat. At ſemel victus ſi deficit, non libertatis eſt amans, ſed ſervus petulans*]. Quem ſecutus Ioſephus ipſe obſeſſos Hieroſolymitas hunc in modum eſt affatus, Εἰ γὰρ δὴ καὶ πολεμεῖν ὑπὲρ ἐλευθερίας καλὸν, χρῆναι τὸ πρῶτον, τὸ δ' ἅπαξ ὑποπεσόντας καὶ μακροῖς εἴξαντας χρόνοις ἔπειτα ἀποσείεσθαι τὸ ζυγὸν, δυσθανατώντων, οὐ φιλελευθέρων εἶναι [*Quòd ſi & pulchrum pro libertate bellare, id olim factum oportuit. At cùm ſemel ſuccubitum eſt, multiſque temporibus conceſſum alteri imperium, velle deinde excutere jugum, mortem quærentium eſt, non libertatem amantium*]. Cùm diverſa ſint regiminum genera, omnia vitiis ſuis, quanquam alia plùs alia minùs, obnoxia, bonus ille & vir eſt & civis, ut Auguſtus dicebat, qui rempublicam præſentem mutari non vult: qui ſcilicet, ut cum Tacito loquar, *bonum ac legitimum imperium voto expetit, qualecunque tolerat, quomodo ſterilitatem aut nimios imbres & naturæ mala. Ferenda potentum ingenia, neque uſui crebræ mutationes.* Sophocles,

Ἄρχοντές εἰσιν· ὥσθ' ὑπεικτέον· τί μή;
Καὶ γὰρ τὰ δεινὰ, καὶ τὰ καρτερώτατα
Τιμαῖς ὑπείκει.
[*Nam Principes ſunt; obſequendum: quippeni?*
Cùm valida rerum quæque & invictiſſima
Cedant honori.]

& quæ ſequuntur. Atque hanc legem videmus ſibi præſcripſiſſe Chriſtianos veteres, ut cuivis imperium nacto fidem atque obedientiam præſtarent, neque ulli ſub ſpecioſis nominibus res novanti accederent. Vide Tertullianum Apologetico.

μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν, cum Herodianis] Herodianos partem fuiſſe Sadducæorum, quomodo Gaulonitici zelotæ pars erant Phariſæorum, ſed peculiaribus opinionibus diſtinctos à cætero ſui nominis grege, ex iis quæ dicta ſunt ad caput XVI, 6. patuit: & res eſt manifeſtior quàm ut de ea ambigi debeat. Illud magis videndum, an hi quoque, ut Gaulonitici, ſenſerint recuſanda Cæſaris imperia, an contrà. Mihi planè videntur ad Chriſtum allegati qui maximè populares erant & aptiſſimi ad eliciendum à Chriſto reſponſum pro libertate. Diximus Herodianorum dogma natum temporibus Herodis Magni, qui ortu quamvis Idumæus, tamen cùm Idumæa facta eſſet Iudææ acceſſio, & ipſe Iudaïſmum profiteretur, extraneus haberi non poterat. Itaque Herodiani Herodi, quem & Meſſiam dicebant, libenter paruerunt ut Iudæo, &, quod Ioſephi hiſtoria docet, magno Legis vindici, qui etiamſi quid faceret in Romanorum gratiam ſollicitè ſe Iudæis excuſabat, *ὡς μὴ καθ' αὑτὸν ἀλλ' ἐξ ἐντολῆς καὶ προσταγμάτων ποιῶν* [*tanquam id faceret non ſua ſponte, ſed ex juſſu atque imperio*]. At Hieroſolymis & parte potiore Iudææ in provinciæ formulam redactâ, parêre non jam circumciſo Regi, ſed alienis à Lege Poteſtatibus Herodianorum dogmati non ſatis conſentiebat. Quin & Sadducæi, quorum pars erant Herodiani, magni faciebant Reipublicæ libertatem. Nam hoc inter cætera argumento conabantur evincere, nulla eſſe poſt hanc vitam præmia credita à majoribus, quia alioqui nunquam pro libertate toties arma ſumturi fuerant. Neque incredibile eſt Herodis liberos, quanquam palàm Cæſari ſerviliter adulabantur, per occultas artes tamen fomenta ſubdidiſſe iſti dogmati, non ſine ſpe fore ut aliquando populi ſtudiis in amiſſam Regni partem reſtituerentur.

ἀληθὴς εἶ, verax es] Ἀληθὴς [*verax*] hîc eſt *παῤῥησιαστικὸς* [*in dicendo liber*], ut in illo Terentii,

Obſequium amicos, veritas odium parit.

τὴν ὁδὸν τοῦ Θεοῦ, viam Dei] Legem Divinam, præcepta vitæ Deo placentis.

οὐ μέλει σοι περὶ οὐδενός· & non eſt tibi cura de aliquo] Nempe quominus ea præcepta fideliter tradas.

οὐ γὰρ βλέπεις εἰς πρόσωπον ἀνθρώπων. non enim reſpicis porſonam hominum] Non captas gratiam aut Cæſaris aut Pontii Pilati, neque eorum potentiam formidas. Nam *πρόσωπον* [*perſonam* ſive *faciem*] Helleniſtæ Hebræos ſecuti vocant qualitatem hominis quæ in aliis affectus ciere, atque ita eos à veri juſtique reſpectu ſolet abducere. Hinc *προσωπολήπτης* [*perſonarum acceptor*] & *προσωποληπτεῖν* [*perſonam accipere*].

17. *ἔξεστι, licet*] *Fas eſt*, ut aliquoties interpretati ſumus. Quæſtionem enim Divini non humani juris movent.

κῆνσον, cenſum] *φόρον* [*tributum*], ut Lucas loquitur: *μετωνυμία* [*Transnominatio*]· nam ex cenſu tributum pendebatur. *Cenſus* nomen, ut alibi diximus, & ad prædiorum & ad capitum onera refertur, ut videre eſt in Pandecte Iuſtinianeo, titulo De Cenſibus, ubi Cæſareenſibus narratur remiſſum à Veſpaſiano tributum capitis. Ad utrumque cenſum neceſſaria erat ἀπογραφή [*deſcriptio*]. Panegyricus in laudibus Conſtantini, *Septem millia capitum remiſiſti, quartam ampliùs partem noſtrorum cenſuum.* Ammianus de Iuliano Cæſare, *Partes eas* (Galliarum) *ingreſſus pro capitibus ſingulis tributi nomine vicenos quinos aureos reperit flagitari, diſcedens verò ſeptenos tantùm.* Tertullianus, *Agri tributo onuſti viliores: hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora.* Vnde diſcimus provincias Romani Imperii non agrorum tantùm pependiſſe tributa, ſed & humanorum capitum, extra colonias, municipia & civitates Italici juris. Iudæam, ex quo provinciis accenſa eſt, melioris fuiſſe juris quàm Gallias vix credibile eſt. Quare *κῆνσον* [*cenſum*] ſive *φόρον* [*tributum*], quanquam poteſt & prædii onus ſignificare, quominus hîc tributum in capita non agrorum ſed hominum cum Syro interpretemur, quid obſtet non video. Facit pro hac interpretatione Vlpiani illud quod exſtat lege III. D. De cenſibus: *In Syriis à quatuordecim annis maſculi, à duodecim feminæ usque ad ſexagesimum quintum annum tributo capitis obligantur.* Longè aliud ab hoc Romano tributo eſſe *τὸ δίδραχμον* [*Didrachmum*] ſuprà oſtendimus.

18. Τί με πειράζετε ὑποκριταί; *Quid me tentatis hypocritæ?*] Πειράζειν [*tentare*], ut antè admonuimus, eſt *calumniam alicui ſtruere*: ὑποκριτὰς [*hypocritas* ſive *ſimulatores*] autem vocat quia conſilium crudele non minùs quàm vafrum obtegebant verbis pietatem præferentibus. Bene Cicero, *Totius injuſtitiæ nulla capitalior eſt quàm eorum qui tum cùm maximè fallunt, id agunt ut viri boni eſſe videantur.*

19. *τὸ νόμισμα τοῦ κήνσου· numiſma cenſûs*] Date mihi nummum aliquem ejus monetæ in qua tributum exigi ſolet. In eo autem nummorum genere uſitatiſſimus erat Denarius. Itaque meritò à viris doctiſſimis reprehenſus eſt eorum error qui Denarium tributi modum eſſe exiſtimabant.

20. Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη καὶ ἡ ἐπιγραφή; *Cujus eſt imago hæc & ſuperſcriptio?*] Simile apud Arrianum, Τίνα ἔχει χαρακτῆρα τοῦτο τὸ τετρασσάριον; Τραιανοῦ [*Cujus figuram habet hic quatuor aſſium nummus? Trajani*]. Sicut legem figere ſignum eſt ſummi imperii, ita & nummum cudere: nam *νόμισμα* [*numiſma*], ut docet Ariſtoteles, & nomen ſuum & vim ipſam habet ἀπὸ τοῦ *νόμου* [*à lege*]. Hinc majeſtatis criminibus accenſetur nummos corrumpere. Nummos autem imperantium vultu ac nomine ſignari Perſicum creditur eſſe inſtitutum: unde *Daricorum* nomen. Huc illud pertinet,

Conciſum argentum in titulos facieſque minutas.

& Philoſtratus in Vita Tyanæi commemorat, *δραχμὴν ἀργυρᾶν νενομισμένην εἰς Τιβέριον* [*drachmam argenteam cuſam imagine Tiberii*]. *Aureos nummos* *effigiatos in vultum novi Principis* dixit Ammianus Marcellinus. Ipſe igitur nummus pretium habens ex edicto Cæſaris, Cæſariſque nomen & vultum præferens, teſtabatur Cæſarem ſummum in Iudæam imperium reipſa obtinere, idque à Iudæis nummo illo utentibus agnoſci. Objici poterat, ipſo quidem facto Romanos Iudæis, & Cæſarem Romanis imperaſſe, at nullo jure. Sed Chriſtus oſtendit hoc ad propoſitam quæſtionem nihil pertinere. Nam cum *nec quies gentium ſine armis*, *nec arma ſine ſtipendiis*, *nec ſtipendia ſine tributis haberi poſſint*, ut loquitur Tacitus, ſequitur, ei qui imperat tantisper dum imperat pendenda tributa, ut pretium communis tutelæ quam præſtat nobis quisquis eſt publici imperii poſſeſſor. *Propterea*, inquit Paulus, *etiam tributa penditis*, *nec ſolâ pœnæ formidine* ſed juris & æqui reſpectu, quia Poteſtatum præſidio tuti eſtis à vi atque injuria. Certum autem eſt ab omnibus Poteſtatibus hoc ipſum, etſi non ea qua oportet æquitate ac diligentia, ſæpe etiam ita ut ipſæ à vi atque injuriis non abſtineant, aliquatenus tamen præſtari, ita ut ſub illis quàm ſine illis vivere multò ſit tutius: quod ſatis eſt ut tributa præſtari & poſſint & debeant.

21. Ἀπόδοτε, *Reddite*] Tanquam debitum, ut Paulus explicat: nam cùm de tributis egiſſet, ſubjicit, ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλάς [*reddite ergo omnibus debita*].

καὶ τὰ τοῦ Θεοῦ Θεῷ. *& quæ ſunt Dei, Deo*] Tributi penſitatio nihil in ſe habet quod Divinæ Legi repugnet. Cæterùm ſi quid Cæſar aut alia Poteſtas præcipiat adverſum Legi Divinæ, Deo potiùs quàm hominibus parendum eſt. Ita Chriſtus ſapientiſſimo reſponſo & ſeditionis motæ & violatæ religionis calumniam in quæſtione inſidioſiſſima effugit; ac ſimul tacitè ipſos notat qui de rebus ad hoc ſeculum pertinentibus pietatis ſpecie ſolliciti, veræ ſolidæque pietatis officia contemnerent atque etiam violarent. Polycarpi eſt ſententia, Δεδιδάγμεθα ἀρχαῖς καὶ ἐξουσίαις ἀπὸ Θεοῦ τεταγμέναις τιμὴν κατὰ τὸ προσῆκον τὴν μὴ βλάπτουσαν ἡμᾶς ἀπονέμειν [*Didicimus imperiis ac Poteſtatibus à Deo ordinatis ita ut oportet honorem exhibere, qui nos non lædat*].

23. Σαδδουκαῖοι, οἱ λέγοντες μὴ εἶναι ἀνάστασιν· *Sadducæi, qui dicunt non eſſe Reſurrectionem*] Fundamentum opinionis Sadducaïcæ fuit, Nullam ſubſtantiam eſſe extra Deum, præter res ſenſiles. Clarè id nos docet Lucas Actorum XXIII, 8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μήτε πνεῦμα [*Sadducæi enim dicunt non eſſe Reſurrectionem*, *neque Angelum*, *neque Spiritum*]· ubi voce πνεύματος [*Spiritûs*] intelligendus Divinus ille afflatus quo Prophetas à Deo impulſos rectè credebant Phariſæi. Sadducæi, qui Prophetica ſcripta non recipiebant (niſi fortè tanquam humanæ ſapientiæ opera) nullam, ut videtur, admiſerunt ἀποκάλυψιν [*revelationem*] Divinam, niſi per vocem, quomodo Lex erat tradita; cui ſoli obedientiam præſtitiſſe Sadducæos apparet, ni fallor, tum aliis argumentis, tum ex oppoſitione Phariſæorum & Sadducæorum quæ eſt apud Ioſephum XIII Originum, XVIII. ubi ait *à Phariſæis multa obſervari* ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωϋσέως νόμοις [*quæ non ſcripta ſunt in legibus Moſis*]. quare & quod de Sadducæis ſequitur, ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα [*illas ſervandas leges quæ perſcripta ſunt*], intelligendum de iis quæ in Moſis Lege ſunt perſcripta. Magis mirum quomodo Angelos eſſe inficiati fuerint, cùm Moſis ſcripta, in quibus toties Angelorum fit mentio, admitterent. Reſpondendum mihi videtur, ſenſiſſe illos, quod Iudæorum nonnullos ſua quoque ætate ſenſiſſe Iuſtinus affirmat, Angelos fuiſſe ἀτμήτους καὶ ἀχωρίστους Θεοῦ δυνάμεις, ἃς ὁ Θεὸς, ὅταν βούληται, προπηδᾷν ποιεῖ, καὶ πάλιν ἀναστέλλει εἰς ἑαυτόν [*individuas & inſeparabiles Dei virtutes, quas Deus ubi vult à ſe facit exſilire, rurſumque in ſe retrahit*]· cui ſententiæ idem ille Martyr hanc veram opponit, εἶναι ἀγγέλους ἀεὶ μένοντας καὶ μὴ ἀναλυομένους [*eſſe Angelos qui ſemper maneant & non diſſolvantur*]. Qui ita de Angelis ſentiebant, eos non mirum eſt ſimiliter ſenſiſſe de animis hominum, non eſſe ſcilicet res tales quæ per ſe poſſent ſubſiſtere, ſed quæ in nihilum redirent corporibus deſtitutæ. Σαδδουκαίων τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι [*Sadducæorum doctrina animas non minùs quàm corpora exſtinguit*], inquit Ioſephus. Et alibi de eiſdem: Ψυχῆς δὲ τὴν διαμονὴν καὶ τὰς καθ᾽ ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι [*Permanſionem animarum & apud inferos pœnas & honores tollunt*]. Hieronymus de iiſdem, *Animam putabant interire cum corporibus*; quod & Abrahamo Salmanticenſi notatum. Hinc porro ſequebatur, οὐκ εἶναι ἀνάστασιν [*non eſſe Reſurrectionem*]. Nam ἀνάστασις [*Reſurrectio*] requirit permanſionem animorum. Conſequens item eſt, ut ſpem omnem pietatis repoſitam habuerint in vita præſente. Certum enim habeo errare eos qui ex Ioſephi verbis malè intellectis Sadducæos Epicureis æquant, quaſi Deo res humanas curæ eſſe negaverint. Nam qui Legem Moſis recipiebant, in qua præclarus eſt locus περὶ ἄθλων καὶ ἐπιτιμίων [*de præmiis & pœnis*], iſtius inſanientis ſapientiæ conſulti eſſe non poterant. Et rectè Hebræi veteres, & inter novos Ioſephus Albo, notant Sadducæis agnita præmia Legem ſervantibus, ſed hujus duntaxat vitæ. Ipſe Ioſephus adverſùs Appionem de Iudæis omnibus pronuntiat, Εἷς δὲ λόγος ὁμοῦ σύμφωνος περὶ Θεοῦ, πάντα λέγων ἐκεῖνον ἐφορᾷν [*De Deo omnes in eo conſentiunt*, *cuncta ab eo inſpici*]. Sed hoc eſt quod dicit Ioſephus, Sadducæos ita in hominis poteſtate ſtatuiſſe boni malique electionem ut nullam ea quidem in re cenſerent intervenire Dei actionem, ferme quomodo Cœleſtius & Pelagius inter Chriſtianos. Sed mendum eſt in Ioſepho: ita enim legitur de Sadducæis, Σαδδουκαῖοι δὲ, τὸ δεύτερον τάγμα, τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιροῦσι καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τοῦ δρᾷν τι κακὸν ἢ ἐφορᾷν τίθενται [*Sadducæi, qui alter eſt ordo, fatum omnino tollunt, Deumque ponunt extra mali patrationem aut inſpectionem*]. Deum negare inſpectorem humanorum criminum nemo poteſt niſi qui quæ de diluvio, de Sodomis, de Pharaone, cæteraque à Moſe conſcripta mendacii velit arguere. Omnino legendum ἔξω τοῦ δρᾷν τι κακὸν ἢ μὴ δρᾷν [*extra mali effectum aut abſtinentiam*], hoc eſt, negant ullas in eo eſſe Dei partes ut homines peccata aut perpetrent aut iiſdem abſtineant. Et hoc ipſum eſt quod ait *tolli ab ipſis fatum*: *Fatum* enim vocat providentiam non

circa ea quæ patimur, ſed circa ea quæ agimus. Verum eſſe quod dico ſequentia evincunt, Φασὶ δ' ἐπ' ἀνθρώπων ἐκλογῇ τό τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προκεῖσθαι, καὶ τὸ κατὰ γνώμην ἑκάστῳ τούτων ἑκατέρῳ προσιέναι [*ajunt in hominum electione poſitum bonum & malum, & cuique prout velit hoc vel illud adeſſe*]. Quod modò dixerat τὸ κακὸν δρᾷν ἢ μὴ δρᾷν [*mali effectum aut abſtinentiam*], hîc dixit καλὸν καὶ τὸ κακὸν [*bonum & malum*], quorum utrumque Sadducæi æqualiter ponebant in mera hominis poteſtate. Idem intelligere eſt ex oppoſita Phariſæorum ſententia, quam ita exprimit Scriptor diligentiſſimus, Εἱμαρμένῃ τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια καὶ μὴ κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον τὴν εἱμαρμένην [*Fato & Deo aptant omnia, & honeſtè agere aut non agere magna ex parte in hominibus ſitum, cooperari autem in ſingulis fatum*]. Ait ex Phariſæorum ſententia non omnia ſimpliciter fieri ex fato, ſed fato connexa eſſe & colligata: quod Chaldaïzantes Hebræi ſic exprimunt, כלא במוליא תליא [*omnia ex fato pendent*]. Ita ut rectè aut ſecus agere ſit quidem maxima ex parte penes homines, ſed in utrumque tamen concurrat vis illa providentiæ. Compara his alterum Ioſephi locum XIII Originum, ubi ſententiam Phariſæorum ita explicat, Τινὰ καὶ οὐ πάντα τῆς εἱμαρμένης εἶναι ἔργον· τινὰ δ' ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ οὐ γίνεσθαι [*Aliqua, non omnia, fato fieri; quædam & in nobis poſita, quæ poſſint & non fieri*]· Sadducæi autem, ut ibidem loquitur, τὴν εἱμαρμένην ἀναιροῦσιν οὐδὲν εἶναι ταύτην ἀξιοῦντες, οὔτε κατ' αὐτὴν τὰ ἀνθρώπινα τέλος λαμβάνειν· ἅπαντα δὲ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθενται, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς αὐτοὺς γινομένους, καὶ τὰ χείρω παρὰ ἡμετέραν ἀβουλίαν λαμβάνοντας [*fatum tollunt, nihil id eſſe exiſtimantes, neque ſecundùm id res humanas exitum conſequi; ſed omnia in nobis ponunt, ita ut nos nobis ipſis cauſa ſimus bonorum, mala quoque per noſtram temeritatem incurramus*]. Quem in modum dicitur etiam Chryſippus ſententiam temperaſſe Stoicorum, quorum ſectam Phariſaïcæ ſectæ affinem fuiſſe Ioſephus in Vita ſua profitetur. Neque id mirum, cùm in Cypro, unde fuerat Zeno, multi ſemper Iudæi fuerint. Eandem mixturam Fati & Liberæ voluntatis aliis quoque in locis Ioſephus adſcribit ſententiæ Phariſæorum, ut certiſſimum eſſe debeat lapſum Epiphanium in iſtius ſententiæ explicatione, quod rectè antehac à viro undequaque doctiſſimo annotatum eſt.

24. *μὴ ἔχων τέκνα, non habens pueros*] *Sine liberis.* Cajus Iuriſconſultus, *Non eſt ſine liberis cui vel unus filius unáve filia eſt.* Cùm filia deficientibus liberis maribus ad hereditatem vocaretur Iure Hebræo, ſequitur Ius τῆς ἐπιγαμβρεύσεως [*leviratûs*] tum demum locum habuiſſe ſi nulla proles eſſet relicta. Neque obſtat quod in Hebræo eſt בן [*filius*]. Omnium enim linguarum commune eſt ut maſculina appellatione femininus ſexus comprehendatur. Ideo prudenter Interpres hîc poſuit τέκνα [*liberos*], & ſtatim μὴ ἔχων σπέρμα [*non habens ſemen*], quomodo זרע [*ſemen*] ponitur Geneſ. XXXVIII, 8. quod ad utrumque ſexum pertinet. Vt & Lucas, καὶ οὗτος ἄτεκνος ἀποθάνῃ [*& is ſine liberis obierit*]. Tale autem nomen linguæ Orientis non habent. Ideo & Syrus hîc poſuit בניא [*filios*]. Nec obſtat huic interpretationi quod de nominis propagatione in Lege dicitur: nam poterat & ex filia nepos in avi familiam inſeri. At certè qui filiam relinquit, nòn video quomodo ἄτεκνος [*illiberis*] rectè dicatur.

ἐπιγαμβρεύσει, levirabit] Vox hæc ſignificat *affinem fieri*, 1 Samuelis XVIII, 21, 22. & 1 Maccabæorum X, 54, 56. ubi tum genero tum ſocero tribuitur. Sed hîc uſurpata eſt ad exprimendam vim Hebrææ vocis יבם, quæ ſignificat *jure affinitatis aliquam ducere:* quomodo & LXX τὸ ἐπιγαμβρεύειν uſurpant, non quidem in Deuteronomio, ſed in hiſtoria Iudæ & Onani Geneſ. XXXVIII, 8. Eſt enim hoc jus inter ea quæ primùm moribus recepta, mox legis Divinæ auctoritatem acceperunt: qualia multa eſſe in Moſe non eſt dubitandum.

ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ, frater ejus]· Nempe ὁμοπάτριος [*ex eodem patre*], ut ratio legis poſtulat, & rectè interpretatur Abenesdra. Cœpit quidem ex rationis ſimilitudine etiam remotioribus affinibus imponi neceſſitas ducendi viduam illiberem, niſi jus proximitatis in bona defuncti à ſe abdicare vellet, eo ritu calcei exuendi quem lex Deuteronomii præſcribit: Sed hoc natum non tam ex ipſa legis vi, quam urgent Sadducæi, quàm ex proceſſu conſuetudinis, apertè ſatis indicare videtur Ruth IV, 7. ubi moribus, non legi jus iſtud acceptum fertur. Et notant Hebræi Iuriſconſulti id jus non deſignari verbo יבם [*levirare*], ſed verbo גאל [*proximare*], quod ἀγχιστεύειν vertunt LXX.

ἀναστήσει σπέρμα τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ. & ſuſcitet ſemen fratri ſuo] Hoc eſt quod in Ruthæ hiſtoria dicitur ἀναστήσει τὸ ὄνομα τοῦ τεθνηκότος [*ſuſcitabit nomen mortui*]· quia nimirum lex illum poſtnatum Filium defuncti nuncupabat. Ergo τῷ ἀδελφῷ [*fratri*] eſt *in memoriam atque honorem fratris.*

25. *ἀφῆκε, reliquit*] Quomodo hereditas relinqui dicitur: Nam apud Hebræos pari jure deferuntur hereditas & matrimonium, ſicut apud Romanos hereditas & tutela. Hinc κληρονομεῖν [*hereditare*] aliquam dicitur qui eam ἐπιδικάζεται, hoc eſt, proximitatis jure ducit, ut diximus alibi.

28. *τίνος τῶν ἑπτὰ ἔσται γυνή; cujus erit de ſeptem uxor?*] Phariſæi Reſurrectionem ex traditione magis & conjectura quàm certis argumentis ſperabant. Hinc tanta opinionum diverſitas, de qua egimus alibi. Et quemadmodum nunc quoque Thalmudiſtæ epulas ſibi fingunt in quibus Behemothum & Leviathanem ſint eſitaturi, ita tunc quoque vitam felicem quidem, ſed huic noſtræ ſimilem, animo præceperant: Vnde Ioſephus Phariſaïcam ſententiam comparat iis quæ apud Græcos de Fortunatis Inſulis canebantur. Nam bonis dari ait τὴν ὑπὲρ ὠκέανον δίαιταν καὶ χῶρον οὔτε ὄμβροις οὔτε νιφετοῖς οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πρᾳῢς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει [*vitam ultra Oceanum & loca nec imbribus nec nivibus nec æſtibus obnoxia, ſed quæ lenis ex Oceano Zephyrus afflans mulceat*], verbis propè iiſdem utens quibus olim Homerus,

Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον καὶ πείρατα γαίης
Ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς·
Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισιν·
Οὐ νιφετός, οὔτ' ἂρ χειμὼν πολύς, οὔτε ποτ' ὄμβρος,

Ἀλλ' αἰεὶ ζεφύροιο λιγυπνείοντος ἀήτας
Ωκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους.
[*Sed ſuperûm juſſu telluris in ultima campos*
Mitteris Elyſios, quos rex habitat Rhadamantys:
Mollia ſecuræ currunt ibi tempora vitæ:
Non ibi nix, non triſtis hyems, non ſordidus
imber,
Sed mites animas Zephyri genitabilis afflat
Oceanus, populos prædulci frigore mulcens.]

Quem ſecutus Horatius dixit,

Nos manet Oceanus circumvagus: arva beata
Petamus arva, divites & inſulas.

Et mox,

Pluraque felices mirabimur, ut neque largis
Aquoſus Eurus arva radat imbribus,
Pinguia nec ſiccis urantur ſemina glebis.

Et quæ ſequuntur. Quare mirum non eſt ſi manſurum ibi quoque conjugii uſum ſibi perſuaſerint, quod Mahumetes, ut multa alia, in Alcoranum ſuum ex Iudæorum traditione retulit. Sadducæi autem, quibus cum Phariſæis hactenus certamen fuerat, à Chriſto putabant Reſurrectionem doceri κατὰ τὰς αὐτὰς ὑποθέσεις [*iisdem ſuppoſitis*] quibus utebantur Phariſæi: ſed ſperantes fragili dentem illidere, ſolido impegerunt.

29. *μὴ εἰδότες τὰς γραφὰς, neſcientes Scripturas*] Quia nimirum nihil accipiebant niſi quod ἐν ταῖς γραφαῖς Μωσέως [*in ſcripturis Moſis*] ſcriptum erat αὐταῖς ταῖς λέξεσι, cùm illarum γραφῶν [*ſcripturarum*] ea eſſet natura ut ſub figuris, aut certè ſub verbis inquiſitionis egentibus, majora dogmata occultarent. Qua de re egimus alibi.

μηδὲ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ. neque virtutem Dei] Non tam quòd crederent diſſolutas corporis partes à Deo non poſſe recomponi, quàm quòd putarent non poſſe ſuſtentari animas ſine corpore; ut ex ſuperioribus apparuit. Atqui cùm hoc nullam in ſe contineat ἀντίφασιν [*repugnantiam*], nulla erat juſta ratio cur id tanquam omni modo, etiam Dei reſpectu, ἀδύνατον [*impoſsibile*] repudiaretur. Poterant afferri rationes Phyſicæ ex operationibus animi deſumtæ quibus probaretur τὴν ψυχὴν ἔχειν ἀπὸ γενέσεως ἀμετάβλητον τὴν διαμονὴν [*animam habere ab ortu deinceps immutabilem permanſionem*], ut loquitur Chriſtianus Philoſophus Athenagoras; ſed quia iſta argumenta rudiorum hominum, qui tamen à pietatis ſtudio, excludendi non ſunt, captum excedunt, nihil eſt tutius quàm Divinæ potentiæ inniti. Nam ſi Reſurrectio non eſt ἀδύνατος [*impoſsibilis*], certè non eſt cur dicatur ἀβούλητος [*non placita*] Deo. τὸ γὰρ ἀβούλητον [*nam quod non placet*], ut idem ille Athenagoras ſapienter dicit, ἢ ὡς ἄδικον αὐτῷ ἐστιν ἀβούλητον, ἢ ὡς ἀνάξιον [*aut tanquam iniquum, aut tanquam indignum non placet*]. Cùm verò neutrum de ſuſtentatione animorum extra corpus dici poſſit, ſequitur ut res ſit non incredibilis, imò credenda, ubi auctoritas ἀξιόπιστος [*fide digna*] accedit. Quod dixi non ad naturales rationes ſed ad Dei potentiam & voluntatem nos remitti cùm de ſuſtentandis extra corpus animis agitur, id videre eſt Lucæ XXIII, 46. Actorum VII, 59.

30. *οὔτε γαμοῦσιν, οὔτε ἐκγαμίζονται, neque ducunt, neque nuptum dantur*] Chriſtus antequam dogmatis iſtius, quod veræ pietatis ſolidiſſimum fundamentum eſt, probationem afferat, tollit falſam ὑπόθεσιν [*ſuppoſitionem*] qua Sadducæorum objectio nitebatur. Ἐκγαμίζεσθαι hîc latiùs dicitur pro eo quod Latini dicerent *nubere*, ut & infrà XXIV, 38. Lucæ XVII, 27. Alioqui proprium eſt filiarum familias, ut apparet I Corinth. VII, 38. Celebre eſt illud Electræ apud Euripidem:

Νυμφευμάτων μὲν τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμναν ἕξει, κ' οὐκ ἐμὸν κρίνειν τάδε.
[*Meis quod eſt de nuptiis, ſpectat patrem*
Ea cura: non eſt id meum decernere.]

Ovidius, aut is qui ſcripſit Hermiones epiſtolam,

Me tibi Tyndareus vitâ gravis auctor & annis
Tradidit: arbitrium neptis habebat avus.

Solet hîc tractari quæſtio De jure parentum in elocandis liberis. Æquiſſimum ſanè eſt honorem & reverentiam exhiberi parentibus, nullâque in re magis quàm quæ ad generis propagationem ſpectat, ut alicubi rectè ab Ariſtotele notatum eſt. Sed incidunt circumſtantiæ quæ exceptiones porrigant. Quid enim ſi parentes odio, avaritiâ, aliisve affectibus detenti ceſſent officium facere? æquumne erat libertatem naturalem liberis auferri? Certè Iure Romano filia quæ poſt annum viceſimum quintum ceſſantibus parentibus nuptias fecerit, innocens habetur. Et ſcimus quantopere Paulus Apoſtolus abhorreat τὸ πυροῦσθαι [*uri*]. Præterea verò argumentum illud quod multi invictum putant, meo judicio non ſatis procedit, Iſtud non rectè fit, Ergo irritum eſt. Quàm multa enim ſunt quæ non rectè, id eſt, non ex officio fiunt, & tamen ſi facta ſint pro non factis nequaquam habentur? Certè ſi maneamus intra limites Naturalis Iuris, actus irritus dici non poteſt eò quòd vitioſus eſt, niſi accedat poteſtatis defectus, aut actus turpitudo permanens; quæ hîc locum habere dictu quidem eſt facile, at ex certis principiis demonſtratu difficile. Nam ex Iure Naturæ auctoritas magis parentum naſci videtur quàm poteſtas, id eſt, ἐξουσία, ut quam videmus pro populorum inſtitutis & moribus mutari. Ita Romani patriam quam dicunt poteſtatem propriam eſſe dicunt civium Romanorum; neque eo Iure ad nuptias, patris conſenſus requiritur ſi liberi ſint emancipati, cùm tamen emancipatio jura naturæ nequeat diſſolvere: matris autem conſenſus ſi deſit, nunquam ob id Romano Iure irritæ ſunt nuptiæ. Non video quid afferri poſſit, quominus quod de Votis & Iuramentis Numerorum XXX, 14. ſtatuitur, ad Sponſalia ac Nuptias poſſit produci. Alibi jus parentum non ultra definitam ætatem liberûm porrigitur: & ante iſtam quoque ætatem ſi iniquiores ſint parentes, Magiſtratus, ut communes omnium parentes, partes ſuas interponunt. Mihi hæc omnia moderanda videntur æquis legibus, nec debere quod huic aut illi placet aliis pro Divini Iuris regula obtrudi.

ἀλλ' ὡς ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ εἰσι. ſed erunt ſicut Angeli Dei in cælo] Senſum explicat Lucas, οὐ γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται [*neque enim ultrà mori poterunt*]. Habent enim οἱ υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως [*filii reſurrectionis*] in ſe ipſis πνεῦμα ζωοποιοῦν [*ſpiritum vivificantem*], id eſt, vim internam quæ perpetuò corpus conſervet ἐν δυνάμει καὶ ἀφθαρσίᾳ [*in vigore & incorruptibilitate*], unde corpus tale non jam ψυχικὸν [*animale*] ſed πνευματικὸν [*ſpirituale*] dicitur 1 Corinth. xv. Cùm igitur corpora iſta morti obnoxia ampliùs non ſint, non magis quàm Angeli, ſequitur ut nec indigeant ſexuum commercio, cujus ope ſingulis pereuntibus univerſitas conſervatur. Nam γένεσις [*ortus*], ut non ita pridem diximus, τῇ φθορᾷ [*interitui*] cohæret. Neque ego video quàm certis nitatur rationibus quod quidam volunt etiam in illo ſeculo manifeſtum fore diſcrimen ſexuum. Videri enim poteſt id diſcrimen pars eſſe τῆς ἀσθενείας [*infirmitatis*] quæ tunc erit ceſſatura. Imò ſpecies omnis ac figura τοῦ φθαρτοῦ [*ejus quod fuit corruptibile*] obvelanda videtur ἐνδύματι τῆς ἀφθαρσίας [*indumento incorruptibilitatis*]. Atqui τοῦ φθαρτοῦ [*corruptibilitatis*] apertum indicium τὸ γεννητικόν [*vis genitiva*]. Veterum ſanè non pauci arbitrati ſunt non futurum tum ἄῤῥεν οὔτε θῆλυ [*marem & feminam*], ut Hilarius. Theodoretus quoque hujus loci qui nunc eſt præ manibus auctoritatem ſequens demonſtrat in Angelis non eſſe ſexuum diſcrimina, Ταύτης γὰρ δὴ τῆς διαιρέσεως ἐνδεὴς τῶν ὑπὸ τῷ θανάτῳ τελούντων ἡ φύσις· ἐπειδὴ γὰρ ἐξανδραποδίζει αὐτὴν ὁ θάνατος, ὁ γάμος διὰ τῆς παιδοποιίας ἀντεισάγει τὸ δαπανώμενον· οἷον γάρ τινα ἐπισκευαστὴν ἀθανασίαν ὁ ποιητὴς τῷ θνητῷ ζώῳ τὴν παιδοποιίαν ἐμηχανήσατο. ταύτῃ τοι ἀναγκαία τοῖς θνητὴν ἔχουσι φύσιν ἡ τοῦ θήλεος χρεία. Τοῖς δέ γε ἀθανάτοις γεγενημένοις τὸ θῆλυ γένος παντάπασι περιττόν [*Tali diſcrimine eget natura morti obnoxia: quia enim mors eam ſibi mancipat, matrimonium, liberos ſerendo, reſarcit id quod abſumitur. Opifex enim liberûm ſationem commentus eſt, quaſi factitiam immortalitatem generi mortali. Ad eum finem mortalem naturam habentibus opus eſt femina. At iis qui immortales ſunt creati ſupervacuus is ſexus*]· quæ ad homines ἰσαγγέλους [*Angelis pares*] videntur eadem ratione poſſe aptari. Sicut autem matrimonium ab immortali vita diſſidet, ita cibus quoque & potus, quippe inducta ad ſupplendas particulas quotidie pereuntes. Quod mirum eſt non videre Iudæos (paucos excipio, in quibus eſt Ioſephus Albo), cùm & Homerus viderit,

> Οὐ γὰρ σῖτον ἔδουσ', οὐ πίνουσ' αἴθοπα οἶνον·
> Τοὔνεκ' ἀναίμονές εἰσι καὶ ἀθάνατοι καλέονται.
> [*Nam nec edunt panem, nec vina rubentia potant:*
> *Sanguine quippe carent, immortaleſque vocantur.*]

Quo loco utens Plutarchus probat μὴ μόνον τοῦ ζῆν ἀλλὰ καὶ τοῦ ἀποθνήσκειν τὴν τροφὴν εἶναι ἐφόδιον [*cibum non tantùm vitæ ſed & mortis eſſe viaticum*]. Idem Plutarchus alibi, τοῦ γὰρ θείου δέδια μὴ δόξῃ τῷ ἀφθάρτῳ μάχεσθαι τὸ γεννῶν οὐχ ἧττον ἢ τὸ γεννώμενον· μεταβολὴ γάρ τις καὶ αὐτὴ καὶ πάθος [*videndum an non divino immortali repugnet non tantùm gigni, ſed & gignere: nam & hæc mutatio quædam eſt cum perpeſſione conjuncta*]. Ariſtoteles Metaphyſicorum 11, cap. iv. de diis Poetarum, πῶς ἂν εἶεν ἀΐδιοι δεόμενοι τροφῆς; [*quomodo æterni eſſe poſſunt ſi alimentis opus habent?*] Hæc cogitatio excitare nos debet ut in hac etiam fragili vita quàm minimùm fieri poteſt indulgeamus corporeis voluptatibus, μελετῶντες τὸν ἐκεῖ βίον [*meditantes vitam quæ illic futura eſt*]. Eſt autem hic ἔλλειψις [*defectus*] articuli, ἄγγελοι τοῦ Θεοῦ ἐν οὐρανῷ [*Angeli Dei in cælo*], id eſt, οἱ ἐν οὐρανῷ [*qui in cælo ſunt*], qui in cœlo vitam cœlitum degunt, non vitam αἰῶνος τούτου [*hujus ævi*]. Ita infrà xxiv, 36. οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν [*Angeli cælorum*]· & Marci xiii, 32. οἱ ἄγγελοι οἱ ἐν τῷ οὐρανῷ [*Angeli qui in cælo*]. Deinde præſens pro futuro poſitum eſt. Quanquam verò Angelos ſubſiſtere negabant Sadducæi, ut diximus, rectè tamen hoc loco eorum mentionem Chriſtus facit; quia ſolvit argumentum, non argumentatur. Qui reſpondet, uti poteſt ſuppoſitionibus ab adverſario negatis.

31. Περὶ δὲ τῆς ἀναστάσεως τῶν νεκρῶν, *De reſurrectione autem mortuorum*] Id eſt, quod rem ipſam attinet. Nam hactenus objectioni tantùm reſpondit.

32. οὐκ ἔστιν ὁ Θεὸς, Θεὸς νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων. *non eſt Deus, Deus mortuorum, ſed viventium*] Argumentum hoc, quod multis obſcurius viſum eſt, perſpicuum fiet ſi interpretem adhibeamus θεόπνευστον [*Divinitus inſpiratum*] Scriptorem ad Hebræos xi, 16. Primò ponendum, vocem *Dei* ubi poſſeſſivum caſum poſt ſe habet, ſignificare εὐεργέτην [*benefactorem*] optimum atque potentiſſimum; quod negare Sadducæi non poterant, cùm ita haberet formula federis, *Ero Deus veſter, & vos eritis mihi populus*. Deinde addendum eſt, cùm Abrahamus Iſaacus & Iacobus peculiariter nominantur, eo ſignificari Deum peculiariter atque eximiè eſſe ipſorum Deum ſive εὐεργέτην [*benefactorem*], ob ſingularem ſcilicet ipſorum fidem atque obedientiam. Tertiò notandum, in hac vita Abrahamo, Iſaaco, Iacobo commoda quidem aliqua ſed multis incommodis permixta accidiſſe. Nam neque terras ullas proprias habuerunt, ſed cum familia ac gregibus huc illuc ſunt vagati, non raró etiam conflictati cum hominum fortunæque injuriis. Vnde & Iacobus ξένον [*hoſpitem*] ſive παρεπίδημον [*peregrinum*] ſe vocabat, Pharaonem alloquens, quod meritò urget divinus ille Scriptor. Hinc ſequitur, nihil illos in hac vita ſupra cæteros homines eximium adeò recepiſſe, propter quod Deus tam peculiariter *ipſorum Deus* dici debeat. Imò multi improbi aut minùs probi in Ægypto, Chananæa atque alibi vitam terrenam haud paulò feliciùs egere. Reſtat ergo ut Deus ipſorum Deus fuerit, non modò cùm in terris agerent, ſed etiam cùm ad Moſem Deus iſta loqueretur. Nam, ut dixi, in hoc ævo nihil illis contigerat quod tanti nominis magnificentiam impleret. Deinde verò propter quem bene facimus aliis, ei multò magis benefacimus ſi poſſimus. Deo poteſtas non deeſt, ut jam uno verbo oſtendit Chriſtus: & dicit ſe benefacturum poſteritati propter Abrahamum, Iſaacum, Iacobum: multò ergo magis ipſis benefaciet. Beneficii autem capaces non ſunt qui mortui ſunt, ſi perpetuò in mortis ſtatu ſunt manſuri. Sequitur ergo reſtituendos eos eſſe in vitam, ut peculiariter atque eximiè Deus ipſorum Deus, hoc eſt, εὐεργέτης [*benefactor*] eſſe poſſit; quomodo etiam Iudæus Abeneſdra explicat illa Legis, *Ego ero Deus veſter*. Philo etiam, Τὸ δὴ Θεὸς αἰώνιος, ἴσον ἐστὶ τῷ, ὁ χαριζόμενος οὐ ποτὲ μὲν, ποτὲ δ' οὔ, ἀεὶ δὲ καὶ συνεχῶς [*Illud ergo Deus æternus idem valet quod bene faciens,*

faciens, non interdum, interdum verò non, ſed ſemper atque perpetuò]. Lucas illud, Θεὸς δὲ οὐκ ἔστι νεκρῶν, ἀλλὰ ζώντων [*Deus non eſt mortuorum, ſed viventium*], ita explicat, πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν [*omnes enim vivunt ei*], id eſt, & poteſt & vult eos Deus vitæ reddere: ac proinde cùm Dei promiſſa non minorem certitudinem habeant quàm res præſentes, jam nunc vivere cenſendi ſunt. Philo De Monarchia, λέλεκται δὲ ὅτι οἱ προσκείμενοι τῷ ὄντι Θεῷ ζῶσι πάντες [*dicuntur autem vivere omnes qui vero Deo adhærent*]. Sic & Scriptor περὶ αὐτοκράτορος λογισμοῦ [*De rationis imperio*], de Abrahamo, Iſaaco, Iacobo ait, Θεῷ ζῶσι [*Deo vivunt*]. Ita vitæ hominum διαμονὴν [*permanſionem*] tribuit Athenagoras, morte tamen, velut ſomno, interciſam. Quomodo Chriſtus de Iaïri filia dixerat, οὐκ ἀπέθανεν, ἀλλὰ καθεύδει [*non eſt mortua, ſed dormit*]· & de Lazaro, *Dormit: vado ut excitem eum.* Quanquam verò ad tollendam ὑπόθεσιν [*ſuppoſitionem*] Sadducæorum ſufficere poterat probare permanſionem animorum, tamen & verbis & propoſito Chriſti, quod eſt probare τὴν ἀνάστασιν [*Reſurrectionem*], rectiùs convenit, Abrahamum accipere non animum, quæ pars tantùm eſt Abrahami, ſed perſonam conſtantem ex animo ac corpore, cui propriè mors & vita tribuitur. Inter omnia argumenta quæ ad probandam animi immortalitatem adhiberi ſolent, nullum mihi videtur aptius movendis hominum animis quàm illud quod à Petro Apoſtolo acceptum recitare ſolebat Clemens Romæ Epiſcopus, *Si Deus eſt juſtus, animus eſt immortalis.* Cui parem ſententiam reperire eſt apud Paulum 1 Corinth. xv, 19. Nam certè, ſi ullum ponimus bene ſecusque factorum diſcrimen, ſi Divinam providentiam & juſtitiam agnoſcimus, quam nec Sadducæi negare audebant, videmus autem bonis multis pejùs hîc eſſe quàm malis, ſequitur aliud ſupereſſe judicium, ac proinde id etiam quod præmium pœnamve recipere poſſit. quod argumentum mirâ facundiæ ubertate non ſemel explicavit Chryſoſtomus. Sed & Paganorum quibusdam lux illa emicuit. Nam Balaamus ſive ratione ductus ſive Spiritu Divino agitatus exclamat apud Moſem, *Sit mors mea cum morte juſtorum;* quibus verbis oſtendi putant Hebræorum Magiſtri, piis Hebræis præmia aliqua poſt hanc vitam eſſe repoſita. Quin & Plato, Cicerò, Plutarchus iſto telo pugnant, & Hierocles, cujus hæc ſunt verba, Εἰ γὰρ μὴ εἴη τι ὑπομένον ἡμῶν μετὰ θάνατον, καὶ τοῦτο φύσιν ἔχον ἀληθείᾳ καὶ ἀρετῇ κοσμεῖσθαι, οἷον δή φαμεν εἶναι τὴν λογικὴν ψυχήν, οὐκ ἂν ἔφεσις ἡμῖν καθαρὰ γένοιτο τῶν καλῶν· προαναιρεῖται γὰρ ἡ ὑποψία τῆς φθορᾶς τὴν περὶ ταῦτα σπουδήν, καὶ πρὸς ἀπολαύσεις ἄγει σωματικάς, ὁποῖαί ποτε ἂν ὦσιν αὗται, καὶ πόθεν ἂν πορίζεσθαι δύνανται. Πῶς γὰρ ἂν δόξῃ ἔμφρων εἶναι κατ᾽ αὐτοὺς, ἢ μετρίως καθεστηκότος, μὴ πάντα χαρίζεσθαι τῷ σώματι, δι᾽ ὃ καὶ ἡ τῆς ψυχῆς ὑπόστασις σώζεται, οὐκ οὔσης μὲν καθ᾽ αὐτὴν, ἐπιγιγνομένης δὲ τῇ ποιᾷ διαπλάσει τοῦ σώματος; πῶς δὲ προησόμεθα δι᾽ ἀρετὴν τὸ σῶμα, μέλλοντες καὶ τὴν ψυχὴν αὐτὴν ἅμα τῷ σώματι διαφθείρειν, ὥστε μηδαμοῦ εἶναι τὴν ἀρετὴν ἧς ἐφέσει τὸν θάνατον ὑπεμείναμεν; [*Nam ſi nihil noſtri poſt mortem ſupereſſet, & quidem tale quod veritate & virtute ornari poſſet, quale eſſe dicimus animam ratione utentem, non eſſet pura in nobis appetitio rerum honeſtarum: Exſpectatio enim omnimodi interitus exſtinguit ſtudium circa honeſta & ad voluptates agit corporeas, qualescunque illæ ſint & undecunque habendæ. Quomodo enim ex illorum ſententia ſapientis ſit, imò mente ſani, non omnia facere corporis cauſâ, propter quod ipſa animæ ſuſtentatur natura, ut quæ non ſit per ſe, ſed ſequatur hanc vel illam corporis conformationem? Quomodo autem virtutis cauſâ corpus abdicabimus, ſi eâ ratione unà cum corpore interimimus animam, ita ut nulla jam ſit illa virtus cujus cauſâ mortem ſuſtinuerimus?*] Neque verò ad immortalitatem animorum duntaxat id valet, ſed, ut dicere cœpi, ad corporum quoque reſtitutionem, ſive naturam ſpectes, ſive rei æquitatem. Naturalis amor corporis, quem in animo omnes deprehendimus, oſtendit animum humanum eſſe οὐσίαν ἀτελῆ [*ſubſtantiam imperfectam*] quæ corpus perficiendo ſimul ipſa perficiatur finis ſui adeptione: quæ ratio multos Philoſophos adegit ad comminiſcendas μετενσωματώσεις [*transcorporationes*]. Æquitas non patitur ut corpus quod animi imperio multa moleſta ſuſtinet non etiam partem ferat præmii. Adde quòd humanæ naturæ à Deo conditæ neceſſe ſit finem aliquem eſſe propoſitum, qui ne fingi quidem poteſt alius quàm beata vita totius hominis. Nam finis partis alterius non eſt finis totius; at totum hominem Deus condidit. Quæ omnia, aliaque inſuper lectu digna uberiùs tractata invenire eſt apud eum quem modò dixi Athenagoram: ad quem te, ne longior ſim, remitto. quod ſicui eò recurrere non vacat, hanc ſaltem hîc legat nervoſam & his Chriſti verbis convenientiſſimam ratiocinationem, Εἰ δὲ κατὰ τοῦ συναμφοτέρου φέρεται τὴν ἐπὶ τοῖς εἰργασμένοις δίκην ἡ δικαία κρίσις, καὶ μήτε τὴν ψυχὴν μόνην δεῖ κομίσασθαι τὰ ἐπίχειρα τῶν μετὰ τοῦ σώματος εἰργασμένων (ἀπροσπαθὴς γὰρ αὕτη καθ᾽ ἑαυτὴν τῶν περὶ τὰς σωματικὰς ἡδονὰς, ἢ τροφὰς καὶ θεραπείας γινομένων πλημμελημάτων), μήτε τὸ σῶμα μόνον (ἄκριτον γὰρ τοῦτο καθ᾽ ἑαυτὸ νόμου καὶ δίκης), ὁ δὲ ἐκ τούτων ἄνθρωπος τὴν ἐφ᾽ ἑκάστῳ τῶν εἰργασμένων αὐτῷ δέχεται κρίσιν. τοῦτο δὲ οὔτε κατὰ τήνδε ζωὴν εὑρίσκει συμβαῖνον ὁ λόγος (οὐ γὰρ σώζεται τὸ κατ᾽ ἀξίαν ἐν τῷ παρόντι βίῳ· διὰ δὲ τὸ πολλοὺς μὲν ἀθέους καὶ πᾶσαν ἀνομίαν καὶ κακίαν ἐπιτηδεύοντας, μέχρι τελευτῆς διατελεῖν κακῶν ἀπειράτους, καὶ τοὐναντίον τοὺς κατὰ πᾶσαν ἀρετὴν ἐξητασμένον τὸν ἑαυτῶν βίον ἐπιδειξαμένους, ἐν ὀδύναις ζῆν, ἐν ἐπηρείαις, ἐν συκοφαντίαις, αἰκίαις τε καὶ παντοίαις κακοπαθείαις), οὔτε δὲ μετὰ θάνατον (οὐδὲ γάρ ἐστιν ἔτι τὸ συναμφότερον, χωριζομένης μὲν τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος, σκεδαννυμένου δὲ καὶ αὐτοῦ τοῦ σώματος εἰς ἐκεῖνα πάλιν ἐξ ὧν συνεφυρήθη, καὶ μηδὲν ἔτι σώζοντος τῆς προτέρας φύσης ἢ μορφῆς, ἤπου γε τῆς μνήμης τῶν πεπραγμένων), εὔδηλον παντὶ τὸ λειπόμενον, ὅτι δεῖ κατὰ τὸν ἀπόστολον τὸ φθαρτὸν τοῦτο καὶ διασκεδαστὸν ἐνδύσασθαι ἀφθαρσίαν, ἵνα ζωοποιηθέντων ἐξ ἀναστάσεως τῶν νεκρωθέντων, καὶ πάλιν ἑνωθέντων τῶν κεχωρισμένων ἢ καὶ πάντῃ διαλελυμένων, ἕκαστος κομίσηται δικαίως, ἃ διὰ τοῦ σώματος ἔπραξεν, εἴτε ἀγαθὰ, εἴτε κακά [*Quod ſi juſta judicatio exigit ut parti utrique reddatur quod factis ejus congruit, neque animam oportet ſolam ferre mercedem eorum quæ cum corpore acta ſunt (ipſa enim per ſe non tangitur illis culpis quæ circa corporis voluptates, aut alimenta cultumve admittuntur), neque ſolum corpus (quod per ſe legis & juſtitiæ expers), ſed qui ex utroque conſtat, homo, is eſt qui judicandus ſecundum* *ea quæ egit pars utraque. Id autem oſtendit ratio neque in hac fieri vita (non enim exhibetur quod cuique convenit in hac vita, quia multi impii qui ſcelera quævis & crimina commiſere, ad finem usque permanent malorum immunes; & contrà qui vitam ſuam oſtenderunt exactam ad virtutis regulas, vivunt in doloribus, obnoxii injuriis, calumniis, contumeliis & omnifariis malis), neque poſt hanc vitam (non enim jam ultro eſt illud compoſitum ex utroque, poſtquam anima diſceſſit à corpore, corpus verò ipſum rurſum diſceſſit in illa unde conſtabat; ita ut nihil retineat naturæ aut formæ prioris, neque anteactorum memoriam), apparet cuivis quid ſit id quod reſtat, nempe debere juxta Apoſtolum hoc corruptibile & diſſolubile indui immortalitate, ut ita iterum vivificatis per reſurrectionem mortuis, & rurſum in unum redditis qui aut diſcreti aut penitus diſſoluti fuerant, quisque ex æquo referat quæ per corpus ſive bona ſive mala egit*]. Dignum notatu & hoc, quod ab Hebræis eſt obſervatum, Deum non vocari in Sacris literis Deum cujusquam dum is vitam adhuc mortalem agit.

34. συνήχθησαν ἐπὶ τὸ αὐτό· *convenerunt in unum*] Reſpondet Hebræo יתקבצו יחדו, quod eſt Ioſuæ IX. 2. & alibi.

35. εἷς ἐξ αὐτῶν νομικὸς, *unus ex eis Legis doctor*] Νομικὸς [*Legis doctor*] idem eſt quod γραμματεύς [*Scriba*]· id nomen officii: erat autem Phariſæus τὴν αἵρεσιν [*ſectâ*].

πειράζων, *tentans*] Non eſt hîc ſumendum verbum hoc in calumniæ ſignificationem, ſed quomodo Regina Sabæ dicitur veniſſe πειράσαι [*exploraſſe*] Solomonem I Regum X. I.

36. μεγάλη, *magnum præceptum*] Μεγίστη [*maxima præceptio,*] id eſt, digniſſima quæ memoriæ commendetur, πρώτη τῶν ἐντολῶν [*prima præceptionum*], ut infrà 38. & apud Marcum. Dubium non eſt quin agitata fuerit hæc quæſtio; & alii præcipuas ἐντολὰς [*præceptiones*] eſſe putaverint eas quæ de Sacrificiis erant, ut colligi videtur dicto Marci loco; alii, ut credibile eſt, legem Circumciſionis, ut ad Izaten dicebat Eleazar Galilæus, narrante Ioſepho, aut etiam Sabbati: quorum errores paſſim refellunt Prophetæ.

37. ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua*] Hebraïſmus. Nam quod Latinè dicimus *facere aliquid toto corde*, Græci, ut LXX hoc loco, ἐξ ὅλης τῆς καρδίας [*ex toto corde*], Hebræi dicunt *in toto corde*.

καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου. *& in tota mente tua*] ובכל מאדך, Quod LXX ſatis propriè reddiderunt, ἐξ ὅλης δυνάμεώς σου [*ex omni potentia tua*]. Marcus & Lucas, ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σου [*ex totis viribus tuis*]· qui tamen ἐξηγητικῶς [*explicando*] addunt etiam διανοίας [*mentis*] vocabulum: cujus hîc eſt ſenſus qui apud Thucydidem, διάνοιαν ἔχω πρὸς τὸ καλὸν τῆς πράξεως [*mentem habeo ad honeſtatem actûs*], id eſt, *in id intentus ſum*. Idem autem valet ſive dicas *pro viribus*, ſive *omni ſtudio atque contentione*. Nam quod Hebræi quidam Interpretes מאך hoc loco pro *opibus* accipiunt, alienum eſt; ſicut & illorum ſupervacua diligentia, qui καρδίαν, ψυχὴν, διάνοιαν [*cor, animam, mentem*] nimiùm ſubtiliter hîc diſtinguunt, cùm vocum multarum cumulatio nihil aliud quàm intenſius ſtudium deſignet: ſicut & Latini dicunt, *corde, animo, atque viribus*, ut ab aliis eſt annotatum: Catullus, *pectore, animo, mente*. Itaque eodem ſenſu quæ hîc habemus, terna modò, modò ſingula, modò bina reperias. Singula; ut cùm I Regum XIV. 8. Deus de Davide dicit, ἐπορεύθη ὀπίσω μου ἐν πάσῃ τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ [*ſecutus eſt me in toto corde ſuo*]· & cùm Samuel populum ita alloquitur I Samuel. VII. 3. εἰ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ὑμῶν ὑμεῖς ἐπιστρέφετε πρὸς Κύριον [*ſi in toto corde veſtro revertimini ad Dominum*]· & cùm de Iehu narratur II Regum X. 31. οὐκ ἐφύλαξε πορεύεσθαι ἐν νόμῳ Κυρίου Θεοῦ Ἰσραὴλ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ αὐτοῦ [*non cuſtodivit ut ambularet in Lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo*]· & in Pſalmo CXIX. 2. de piis, ἐν ὅλῃ καρδίᾳ ἐκζητήσουσιν αὐτόν [*in toto corde exquirunt eum*]. Quibus addi poteſt illud in Eccleſiaſtico dictum de Davide XLVII. 10. ἐν πάσῃ καρδίᾳ αὐτοῦ ὕμνησε, καὶ ἠγάπησε τὸν ποιήσαντα αὐτόν [*de omni corde ſuo laudavit Dominum & dilexit Deum, qui fecit illum*]. Bina; ut Deuteronom. IV. 29. ad populum, ὅταν ἐκζητήσετε αὐτὸν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς σου [*cùm quæſieritis eum ex toto corde tuo & ex tota anima tua*]· II Paralipom. XV, 12. de populo toto, διῆλθον ζητῆσαι Κύριον Θεὸν τῶν πατέρων αὐτῶν ἐξ ὅλης τῆς καρδίας καὶ ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς αὐτῶν [*ut quærerent Dominum Deum patrum ſuorum in toto corde & in tota anima ſua*]· & II Reg. XXIII, 3. de Ioſia, διέθετο τοῦ πορεύεσθαι ὀπίσω Κυρίου, τοῦ φυλάσσειν τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ, καὶ τὰ μαρτύρια αὐτοῦ, καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ ἐν πάσῃ καρδίᾳ καὶ ἐν πάσῃ ψυχῇ [*ut ambularent poſt Dominum, & cuſtodirent præcepta ejus, & teſtimonia, & ceremonias in omni corde & in tota anima*]. Nec diſſimile illud M. Antonini lib. XII. ἐξ ὅλης τῆς ψυχῆς τὰ δίκαια ποιεῖν, καὶ τ᾽ ἀληθῆ λέγειν [*ex tota anima facere quæ juſta ſunt, & dicere quæ vera*]. Errant autem graviter Iudæi qui præceptum hoc, ut & illud de non concupiſcendo, ſatis impleri putant ſi factis externis à Lege non abeatur. Apertius enim eſt quàm ut negari poſſit iſtis verbis actus etiam internos præcipi, conjunctim tamen cum externis: notandumque eſt exſtare particulam hanc non in formula Sinaïtici federis, quod eſt in Exodo, ſed ἐν τῇ ἐπινομίδι [*in peroratione legum*], quomodo Platonico more Philo eum librum vocat quem vulgò *Deuteronomium* appellamus. In eo autem libro plurima ſunt quæ ad normam federis quod per Chriſtum plenè revelatum eſt populum vocant, & rudimenta quædam continent Euangelicæ pietatis. Rurſum Auguſtinus & eum ſecuti alii putant eam perfectionem iſtis verbis ſignificari quam in hac vita nemo habuerit aut habere potuerit, quaſi præſcriberetur non tam quà currendum, quàm quò currendum eſſet. Quæ ſententia ſuum habere poteſt uſum, ut homines infirmitatis ſuæ admonitos intra humilitatis terminos contineat, & deſiderium in iis excitet vitæ alterius; ſed propriam non eſſe hanc verborum interpretationem patet collatis quæ attulimus locis: nam David, Ioſias atque alii id quod lex iſta poſtulat feciſſe memorantur. Nam Deum ἐκζητεῖν [*quærere*] & ἀγαπᾶν [*diligere*] in Hebraïſmo idem valere manifeſtum arbitror. Sic & *implere poſt Deum* quidam dicuntur, quod Chaldæus Paraphraſtes exponit *perfectè Dei timorem ſequi*, ut videre eſt Num. XIV, 24. XXXII, 12. Deuter. I, 36. Præterea vult Lex amorem iſtum præſtari *pro viribus*, κατὰ δύναμιν, id eſt, quantum homo poteſt. Poſſe autem hominem quantum poteſt, nemo ſanus negabit. Media igitur & vera ſententia hæc eſt, exigi à Deo, non ne quid unquam præter ſe cogitemus aut amemus, quod hujus vitæ ſtatus non patitur, ſed ut potiſſimum animi noſtri ſtudium Deo impendamus, hoc omni conatu agentes ut non aliqua ſed omnia Dei mandata exſequamur. Nam illud ἐξ ὅλης [*ex toto*] vel πάσης καρδίας [*ex omni corde*] idem eſt quod alibi dicitur בלבב שלם ἐκ καθαρᾶς καρδίας [*de corde puro*], ut Paulus vertit I Timoth. I, 5. id eſt, *corde integro* atque *ſincero*; ſicut & Latinè dicimus, *Totus in hoc ſum*. Poſſe autem homo intelligendus eſt, non id duntaxat quod poteſt viribus naturæ peccandi conſuetudine proſtratis, ſed quod poteſt adjutus Divino Spiritu, quem Deus etiam priſcis illis temporibus paucis quibusdam ſelectis, non ex communi lege ſed ex peculiari gratia dedit, in Novo autem Federe omnibus federatis ſuis, hoc eſt, in Filium ſuum credentibus, liberaliter admodum pollicetur. Πάντα ἰσχύω, inquit Paulus, ἐν τῷ ἐνδυναμοῦντί με Χριστῷ [*Omnia poſſum in Chriſto, qui me confortat*]. Quò autem major nunc aut datur aut offertur Spiritûs copia, eò præceptum quoque iſtud uberiùs præſtandum eſt.

39. ὁμοία αὐτῇ· *ſimile eſt huic*] Ita tamen ut priori dignitate concedat, unde δευτέρα [*ſecundum præceptum*] dicitur apud Marcum. *Similis* autem dicitur, quia actus itidem non externos tantùm ſed & internos præcipit, & vim ſuam quàm latiſſimè extendit: adde & quòd priori neceſſario nexu cohæret, ut docet Iohann. I epiſt. IV, 20. unde quod dicturus eſt Chriſtus de duobus illis præceptis, à Paulo dicitur de poſteriore, propter illam quam dixi cohærentiam. Nam qui Deum diligit Dei præceptis obſequitur, inter quæ eſt dilectio hominis alterius; & qui hominem alterum ita ut oportet diligit, ſequitur ut eum propter Deum, ac proinde Deum maximè, diligat. Nimirum ut dicunt Græci Philoſophi, ἀντακολουθοῦσιν αἱ ἀρεταὶ [*virtutes mutuò ſe conſequuntur*]. Philo de Abrahamo, Τῆς αὐτῆς φύσεώς ἐστιν εὐσεβῆ τε εἶναι καὶ φιλάνθρωπον, καὶ περὶ τὸν αὐτὸν ἑκάτερον, ὁσιότης μὲν πρὸς Θεὸν, δικαιοσύνη δὲ πρὸς ἀνθρώπους θεωρεῖται [*Ejusdem eſt indolis pium eſſe & hominum amantem, & in eodem utrunque reperitur, ſanctitas erga Deum & juſtitia erga homines*]. Idem ad Decalogum, Ἀμήχανον εὐσεβεῖσθαι τὸν ἀόρατον ὑπὸ τῶν εἰς τοὺς ἐμφανεῖς καὶ ἐγγὺς ἀσεβούντων [*Fieri non poteſt ut pius ſit erga eum qui non conſpicitur, is qui impius eſt in eos quos de proximo videt*].

τὸν πλησίον σου, *proximum tuum*] Id eſt, ex primæva Naturæ lege, ad quam Chriſtus nos revocat, hominem quemvis. Ita & Hierocles ex Pythagoricorum præcepto monet φιλίαν τηρεῖν πρὸς πάντας ἀνθρώπους [*amicitiam ſervandam in homines quosvis*], cum hoc tamen temperamento μετὰ τῆς πρὸς τὸ ἄξιον ἀπονεμήσεως [*cum ea diſtributione quæ reſpicit id quo quisque dignus eſt*]. Ante Legem רע [*proximus*] dicebatur homo quivis, Geneſ. XI, 3. 7. Exodi II, 13. XI, 2. id autem Lege Moſis ſublatum non eſt. Nempe רע Hebræum & Chaldæum חבר; quò Paraphraſtes Chaldæus utitur, *ſocium* quidem ſignificat, ſed ita ut ea comi appellatione hominem quemvis deſignare poſſit; quomodo & Græci uſurpant vocem τοῦ πλησίον, qua uti ſolent LXX, & Scriptores noſtri, aut etiam τοῦ πέλας. Quare quod hîc eſt τὸν πλησίον [*proximum*], Paulus dixit etiam τὸν ἕτερον [*alterum*] Roman. XIII, 8.

ὡς σεαυτόν. *ſicut teipſum*] Ὡς [*ſicut*], ut & Hebræum כ, ſæpe comparat res ſimiles, ſed inæquales, ut Iohann. XVII, 21. Actor. III, 22. Eſt ergo ὡς σεαυτὸν [*ſicut teipſum*] *ſincerè diligere*, quomodo nosmet ipſos diligere ſolemus. Ita amicus dicitur *alter ipſe*. Vide quæ ſuprà VII, 12. In hac autem amicitiæ ſinceritate comprehenſum eſt ut modò minùs illis quàm nobis ipſis, modò plus etiam præſtemus. Hinc etiam naſcitur bonorum communio ex noſtræ copiæ & aliorum inopiæ modo temperata, κοινὰ γὰρ φίλων πάντα [*omnia enim quæ amicorum ſunt, ſunt communia*].

40. ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται κρέμανται. *Lex pendet & Prophetæ*] Aſſentio exiſtimantibus Latinam eſſe locutionem, quales in his libris ſatis multæ ſunt. Nam quod Eſaiæ XXII, 23. vox *pendêre* aliquid ſimile ſignificat, eſt ex continuatione translationis de paxillo. Senſus hic eſt, *In his duobus ſita eſt Lex & Prophetarum monita*: de his enim hîc agitur: quomodo & ſuprà de præcepto diligendi proximi dixerat, Οὗτός ἐστιν ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται [*Hæc eſt enim Lex & Prophetæ*], & Paulus in eodem præcepto omnem ἐντολὴν ἀνακεφαλαιοῦσθαι [*præceptionem in ſummam contrahi*], id eſt, *contineri*, ut vertit Syrus. Rectè: nam ἀνακεφαλαιοῦν Scriptori libri De Mundo, κεφαλαιοῦν non Ariſtoteli tantùm, ut antehac à viro doctiſſimo eſt annotatum, ſed & Platoni eſt in *ſummam contrahere*. Hebræi Magiſtri iſtud ipſum dilectionis præceptum vocant τὸ καθόλου [*univerſale*] Legis. Ex univerſalibus autem fluunt particularia, duplici modo, aut per illationem, quomodo omnia præcepta naturalia atque perpetua ex illis duobus neceſſitate conſequentiæ emanant, de qua emanatione agit Paulus; aut per conſtitutionem ſpeciei, quomodo præcepta Rituum & Iudiciorum, & ſiqua ſunt alia in Lege Moſis Iuris θετικοῦ [*conſtituti*], ex iisdem illis duobus naſcuntur, intercedente actu Divinæ voluntatis. Et his quidem modis præceptis iſtis generaliter atque communiter ſumtis alia omnia continentur; quæ vera eſt hujus loci ſententia. Quod ſi præcepta iſta ſumas ſtrictiùs, quatenus ab omnibus aliis præceptis diſtinguuntur & peculiares actus, internos præcipuè, imperant, etiam ſic dici poterunt præcepta alia ab iſtis pendêre, & in iſtis contineri ſicut media ad finem continentur in ſuo fine; quod explicat Paulus I Timoth. I, 5. Non alienum eſt ab hoc loco quod tradunt Hebræorum Doctores præcepta Legis, quæ ſexcenta ſunt & ultrà, à viris ſanctis in ſummam quandam redacta, ut Pſalmo XV. Eſaiæ XXXIII, 15. breviùs à Michæa VI, 8. *Ecquid Deus requiſivit abs te niſi ut exerceas jus & ames benignitatem, & modeſtè ambules cum Deo tuo?* & ab Eſaia LVI, 1. *Obſervate jus, & exercete juſtitiam*: breviſſimè verò ab Abacuco II, 4. *Iuſtus ex fide ſua*

vivet : ubi ſi intelligas fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην [*quæ per fidem operatur*], reipſa idem dicitur quod hîc à Chriſto, ut qui ἀγάπην [*dilectionem*] requirat τὴν ἐκ πίστεως [*quæ ſit ex fide*]. Ideo & apud Marcum præmittitur duobus iſtis præceptis hoc anteloquium: *Audi Iſrael, Deus noſter Deus unus eſt.*

42. περὶ τοῦ Χριστοῦ, *de Chriſto*] Noluit Chriſtus apertè indicare ea quæ poſt reſurrectionem demum erant omnibus revelanda. Verùm interim hoc velut ſupremo oraculo inſerere hominum mentibus voluit, Meſſiæ Regnum generis excellentioris fore quàm Davidicum, ac proinde Divinum.

τοῦ Δαβίδ. *Davidis*] Ex vaticinio Eſaiæ IX, 7. quo tanquam apertiſſimo utitur Gabriel ad Mariam. Et res eſt nunc quoque inter Iudæos confeſſa.

43. Δαβὶδ, *David*] Scriptorem Pſal. cx. Davidem nominat, nunquam id ſibi ſumturus niſi id tum fuiſſet extra controverſiam. Et ſanè ἐπιγραφὴ [*inſcriptio*] ipſis Hebræorum codicibus eſt מזמור לדוד [*Hymnus Davidis*]. quod vel ſolum ſufficere debeat ne Eliezer aut aliquis Ezechiæ temporum Scriptor ejus hymni crederetur. Vt enim demus titulos ab ipſis Scriptoribus non additos, tamen antiquiſſimos eſſe conſtat, quorum nunc fidem convellere non argumentis ullis ſed animi lubidine, hominum eſt contentionis ſtudio inſanientium. Illud לדוד Septuaginta interpretari ſolent τῷ Δαβὶδ [*Davidi*]· ſed aliter cæteri Paraphraſtæ Hebræique ipſi, qui ל tum in Pſalmorum inſcriptionibus tum aliis multis in locis ea ſignificatione accipiunt quam nos caſu ſecundo exprimimus. Et ſanè ſi aliter interpretemur, nullus erit Pſalmus qui ſit Davidis, aut certè quem Davidis eſſe conſtet, cùm tamen Pſalmos plurimos & quidem eandem habentes ἐπιγραφὴν [*inſcriptionem*] à Davide ſcriptos ipſi quoque fateantur.

ἐν πνεύματι, *in ſpiritu*] Erat enim David προφήτης [*Propheta*] Actor. II, 30. & *per ipſum loquebatur Spiritus Sanctus*, II Samuel. XXIII, 2. Actor. I, 16. Nec obſtat quòd Iudæi diſtinguunt inter προφητείαν καὶ ἅγιον πνεῦμα [*Prophetiam & Spiritum Sanctum*]· neque enim novum eſt vocabula generalia reſtringi ut ſpecies diſcernantur. Alioqui Prophetis paſſim tribuitur *Spiritus Sanctus*; & qui vel in ſomnio Divinitus monebantur *Prophetæ* παχύτερον [*laxiore ſenſu*] vocabantur, ut videre eſt Maimonidæ Ducis dubitantium lib. II, cap. 45.

Κύριον αὐτὸν καλεῖ; *vocat eum Dominum*] Falluntur Hebræi qui aliter à nobis hoc legi putant quàm ipſi legunt, *Adoni*. Neque hinc ἀμέσως [*proximè*] argumentum petitur Θεότητος [*de Deitate*] Chriſti: ſed hoc probatur, Meſſiam à Davide Rege tanto, non modò tanquam majorem ipſo, ſed & ut ipſius Dominum ſuſpici ac coli. At quomodo Meſſias è Davide natus Dominus Davidis, niſi ipſe Meſſias jus atque imperium erat habiturus in ipſum Davidem, & Meſſiæ beneficia ad Davidem erant perventura? Ad Meſſiam pertinere hunc Pſalmum agnoverunt Hebræi veteres; quos ſequitur Iſaac Benarama ad Geneſ. XLVII. Qui poſt ortum Chriſtianiſmum fuerunt negare idipſum cœperunt ſolo odio Chriſtianiſmi; cùm tamen ipſe David Kimchi & cum eo alii, ut & apud Iuſtinum Tryphon Pſalmum II de Meſſia interpretentur, ubi de *ſceptro ex Sione exituro* idem dicitur quod hoc Pſalmo. Quod autem unum objicit Kimchi, *nulla prælia ab Ieſu pugnata*, facilè ſolvitur; cùm ipſi negare non poſſint multa eſſe, in Prophetis præſertim, dicta figuratè. Nam ut de Membris Dei nihil dicam, *Montem Domini elevatum iri ſupra montes alios*, & Feras cum pecudibus ſtabulaturas aliter quàm verba ſonant intelligunt qui inter ipſos naris ſunt paulò emunctioris: quomodo & Convivia in Regno cœleſti interpretatur Albo.

44. ὁ Κύριος, *Dominus*] Ita ſolent non LXX tantùm ſed & Helleniſtæ cæteri, atque inter eos noſtri Scriptores, loqui ubi in Hebræo eſt τὸ τετραγράμματον [*vox quadrilitera*]. Nec aliter Chaldæus Paraphraſtes. Alii Interpretes Græci ipſas ponebant literas Hebræas יהוה, unde ab imperitis librariis factum eſt ΠΙΠΙ. Cæterùm hoc argumento irrefragabili apparet id nomen Hebræum temporibus Ptolemaïcis lectitari ſolitum ut nunc legitur *Adonai*. Quod viro pererudito placet ideo dici ἀνεκφώνητον [*inenuntiabile*] quòd tot vocalium concurſum ſermo Græcus non pateretur, mihi non probatur. Idem enim uſu venit in multis nominibus aliis, quæ tamen ut poſſunt, ſæpe etiam literis aliquot omiſſis, exprimunt LXX. Deinde quid ea ratio tangit Iudæos Hebræo utentes ſermone? Quare aliam cauſam fuiſſe oportet cur Iudæi nomen illud pronuntiare deſierint. Nam olim pronuntiarunt non ipſi tantùm ſed & alienigenæ quoties de Hebræorum Deo loquebantur, ut Rex Hiromus I Reg. V, 7. Cauſa maximè probabilis eſt, quòd alia nomina generalem quandam Dei, aut rei quæ pro Deo haberetur, notionem declararent: illud autem nomen eſſet διακριτικὸν [*diſcriminativum*], quo Deus Hebræorum à diis cæteris diſcernebatur: nomen in quo non eſt participatio inter Creatorem & aliquid aliud, ut Maimonides loquitur. Itaque primùm Dei reverentiâ cœptum eſt raró uſurpari, atque ita minùs minúsque, ut tandem uſurpari deſierit niſi in publica Sacerdotum benedictione, & in ſacro piaculari: quod præter Thalmudiſtas Philo nos docet, cùm hoc nomen tantùm fas ait fuiſſe λέγειν καὶ ἀκούειν ἐν ἁγίοις [*enuntiare & audire in ſacris rebus*]. Neque alia de cauſa Ioſephus hoc nomen vocat τὰ ἱερὰ γράμματα [*ſacras literas*]· ταῦτα δέ ἐστιν, inquit, τὰ φωνήεντα τέτταρα [*quæ ſunt vocales quatuor*], ubi de Pontificis agit corona. Et alibi, προσηγορίαν, inquit, περὶ ἧς οὔ μοι θέμις εἰπεῖν [*vocabulum de quo mihi loqui nefas*]. Euſebius hoc nomen vocat ἄλεκτον τοῖς πολλοῖς [*pleriſque non prolatum*]. Attamen illis quoque temporibus erant qui per impatientiam aut contumeliam id nomen pronuntiarent. Prioris exemplum exhibet libro belli Iudaïci quinto Ioſephus, τὸν φρικτὸν, inquit, ἐπικαλούμενον ὄνομα τοῦ Θεοῦ [*pronuntiantem horribile illud Dei nomen*]. Poſterioris Philo, narrans quid ſibi aliiſque legatis dictum eſſet à Cajo Caligula, Ὑμεῖς, εἶπεν, ἐστὲ οἱ θεομισεῖς, οἱ θεὸν μὴ νομίζοντές εἶναί με τὸν ἤδη παρὰ πᾶσι τοῖς ἄλλοις ἀνωμολογημένον, ἀλλὰ τὸν ἀκατονόμαστον ὑμῖν· καὶ ἀνατείνας τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐπεφήμισε πρόσρησιν ἣν οὐδὲ ἀκούειν θεμιτὸν, οὐχ ὅτι διερμηνεύειν αὐτολεξεί [*Vos eſtis, inquit, inimici Deo, qui me pro Deo non agnoſcitis, qualis ab omnibus aliis habeor, ſed illum vobis inno-*

innominatum. Et ſimul manus in cælum protendens extulit vocabulum quod etiam audire nefas eſt, nedum verbotenus interpretari]. Atque in eum ſenſum Ioſephus non improbabiliter interpretatur id quod eſt in hiſtoria de gigante Goliatho ויקלל הפלשתי את דוד באלהיו I Samuelis XVII, 43. *& maledixit Philiſthæus Davidi in Deo ejus*, cùm vulgò intelligi ſoleat *in Diis ſuis*. Verba Ioſephi ſunt, ἄρας αὐτῷ τίθεται ἐκ τῆς προσηγορίας τοῦ Θεοῦ [*diras illi imprecatur ex Dei vocabulo* ſive *cognomine*]. Nam nomen illud προσηγορίαν [*cognomen*] Ioſephus, ut vidimus, etiam alibi vocat. Planè idem eſt quod de Goliatho narrat Ioſephus, & de Caligula Philo. Non ergo pronuntiandi difficultas, ut quibusdam placet, ſed religio pronuntiationi obſtitit. Simili religione Iudæi Ioſephi tempore à recitandis Decalogi verbis abſtinebant. Ita enim ille ait, Λόγων οὓς Μωυσῆς ἐν ταῖς δύο πλαξὶν γεγραμμένους κατέλιπεν, οὓς οὐ θεμιτόν ἐστιν ἡμῖν λέγειν φανερῶς πρὸς λέξιν, τὰς δυνάμεις αὐτῶν δηλώσομεν [*Verborum quæ Moſes in duabus tabulis ſcripta reliquit, quæ nobis verbotenus recitare nefas, vim exprimemus*]. Extulerunt autem Samaritæ יהוה, quod Græcè eſt Ἰαβὲ [*Iave*], quomodo Theodoretus ſcribit & Epiphanius: neque mutandæ lectionis juſta cauſa eſt. Nam in nominibus propriis vocales non uno modo lectitatas, ſed pro dialectorum varietate mutatas, vel ſolus codex Græcus & Novi Teſtamenti cum Maſoritica editione collatus abunde evincat: ut jam omittam נְבוּכַדְנֶצַּר כּוֹרֶשׁ דָּרְיָוֶשׁ quæ Græcis ſunt Ναβουχοδονόσορος, Κῦρος, Δάρειος [*Nabuchodonoſorus, Cyrus, Darius*]. Quare ne illud quidem mirandum Tyrios aliter legiſſe id nomen, nempe יהוה, quod Philo Byblius ſcribebat Ἰευώ [*Ievo*]· alios autem יהוה [*Iao*], ut Orphea, per quem in Græciam id nomen manavit, cujusque ſcripturam ſequitur Diodorus Siculus, & oraculum Apollinis Clarii, ac poſtea Gnoſtici. Neque dubito quin quod apud Origenem eſt τὸν Ἰαωία παρ' Ἑβραίοις ὀνομαζόμενον, legendum ſit Ἰάω, ἢ Ἰὰ [*Iao*, vel *Ia* dictum ab Hebræis], ut duo ſint nomina יהוה & יה. Neque aliter quàm IAO nomen hoc legendum Hieronymus arbitratur. Clemens Alexandrinus Ἰαοὺ [*Iaü*], niſi in ~~ſcriptura mendum eſt. At~~ Tyrrheni, qui è Tyro in Italiam cum cæteris ſacris nomen hoc attulerunt, ita legiſſe videntur ut nunc ſcribitur cùm puncta habet τοῦ *Adonai*, nimirum יְהֹוָה [*Iehova*], aut ut cùm puncta habet *Elohim* יֱהֹוִה [*Iehovi*]. Nam inde Latinum *Iovis* eſſe probabile eſt. Sed & Afri, ni fallor, ab iisdem Tyriis Carthaginis conditoribus nomen idem eodem ſono accepere. Nam apud illos quoque Deus vocabatur Ἰόβας, quod Latinis corruptè *Iuba* ſcribitur, à quo nomine & Reges Afrorum ſunt appellati. Quod autem in carmine Græco legitur de nomine ſeptem Vocalium ſine cauſa ad hoc nomen trahi exiſtimo. Nam Græci, Ægyptiorum, ut videtur, exemplo, Septem ſiderum orbibus ſingulas vocales inſcripſerant; quarum concentu ajebant Deum celebrari. Secuti ſunt hoc inſtitutum, ut multa alia, Gnoſtici, de quibus Irenæus, Ὁ μὲν πρῶτος οὐρανὸς φθέγγεται τὸ Α, ὁ δὲ μετὰ τοῦτον τὸ Ε, ὁ δὲ τρίτος Η, τέταρτος δὲ καὶ μέσος τῶν ἑπτὰ τὴν τοῦ Ι δύναμιν ἐκφωνεῖ, ὁ δὲ πέμπτος τὸ Ο, ἕκτος δὲ τὸ Υ, ἕβδομος δὲ καὶ τέταρτος ἀπὸ μέσου τὸ Ω στοιχεῖον ἐκβοᾷ [*Primum cælum canit* A, *ſecundum* E, *tertium* E *longum*; *quartum, idemque medium*, I *ſonum exprimit*; *quintum* O, *ſextum* Y; *ſeptimum, quod à medio quartum*, O *longum exclamat*].

Κάθου ἐκ δεξιῶν μου, *Sede à dextris meis*] Id eſt, A me ſecundus eſto, ut alibi explicavimus. Errant qui multa huc congerunt ut probent dextrum latus minùs eſſe honoratum. Nam, ut diximus, à Regibus ſumta eſt tralatio, quibus heres proximus, aut alioqui à Rege princeps, dexter adſidebat; is qui deinde ſequebatur ſiniſter. Sic & *heredis* nomen Chriſto tribuitur: Et Paulus pro eo quod eſt *ſedere ad dexteram* dixit βασιλεύειν [*regnare*] I Corinthiorum XV, 25.

ἕως ἂν θῶ, *donec ponam*] Poteſt ἕως [*donec*] etiam communiter accipi, ſi *ſedere ad dexteram* accipiamus pro eo quod eſt exercere poteſtatem illam quam Pater ipſi ſuper cœleſtia ac terreſtria bono Eccleſiæ dedit: cujus poteſtatis adminiſtratio ceſſatura eſt poſt Reſurrectionem, gloriâ Regni in æternum manente, ut apud Paulum videre eſt dicto loco.

τοὺς ἐχθρούς σου, *inimicos tuos*] Omnem vim Eccleſiæ adverſam, ac poſtremo Mortem ipſam.

ὑποπόδιον τῶν ποδῶν σου. *ſcabellum pedum tuorum*] Servitutis & quidem abjectæ circumſcriptio, ut alibi diximus.

45. Εἰ οὖν Δαβὶδ καλεῖ αὐτὸν Κύριον, πῶς υἱὸς αὐτοῦ ἐστι; *Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus eſt?*] Inverſa locutio, cujus generis multas obſervarunt antehac viri eruditi. Nam directa locutio fuerat, Εἰ υἱὸς αὐτοῦ ἐστι, πῶς αὐτὸν Κύριον καλεῖ; [*Si filius ejus eſt, quomodo eum Dominum vocat?*] Sed utro modo pronunties vis argumenti eodem recidit. Sic & Marcus dixit II, 23. ἤρξαντο ὁδὸν ποιεῖν τίλλοντες τοὺς στάχυας [*cæperunt iter facere vellentes ſpicas*], pro ἤρξαντο ὁδὸν ποιοῦντες τοὺς στάχυας τίλλειν [*cæperunt iter facientes vellere ſpicas*]. Apud eundem & πῶς [*quomodo*] invenitur ſimili modo quo hîc poſitum IX, 12.

46. οὐδὲ ἐτόλμησέ τις, *neque auſus fuit quiſquam*] Sadducæorum, Phariſæorum aut Legisperitorum, quibus omnibus os obſtruxerat.

ἐπερωτῆσαι, *interrogare*] Nempe πειράζων [*tentandi cauſâ*], quod ex ſuperioribus repetendum eſt. Nemo ampliùs illum tentare quæſtiunculis audebat.

CAPVT XXIII.

2. Ἐπὶ τῆς Μωσέως καθέδρας ἐκάθισαν οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι· *Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi*] Non agi de Pontificibus & Sacerdotibus manifeſtum eſt: nam hi imprimis nominarentur. Sed neque de toto Synedrio intelligi poteſt: nam in eo Sadducæi erant non minùs quàm Phariſæi. Agitur ergo, ut ex commate 8. apparet, de iis qui *Magiſtri* ſive *Doctores* vocabantur: qui ferme omnes erant Phariſaïci inſtituti, & multi etiam Adſeſſorum fungentes munere: quia eorundem eſt, ut ſuprà diximus, de Iure reſpondere & Magiſtratibus eſſe à conſilio. מושב משה καθέδρα

Μωσέως [*cathedra Moſis*] eſt cathedra in qua ſedentes Magiſtri Legem aut populo publicè aut diſcipulis privatim interpretabantur: quomodo *cathedræ* vox Græcis quoque & Latinis uſurpatur, unde Philoſophos *cathedrarios* dixit Seneca. Errant enim, meo judicio, qui pro certo aſſeverant Iudæos ſtantes Legem interpretatos. Certè ſi quibus ex plebe poteſtas loquendi fiebat, hi ſtantes proloqui ſolebant, ut rectiùs ab omni cœtu exaudirentur: quò ſpectat id quod habemus Actorum XIII, 16. At Archiſynagogi aut alii publico Magiſtri munere fungentes, non minùs quàm Epiſcopi Chriſtianorum, in cathedra ſedentes Legem interpretabantur. In Conſtitutionibus Clementis lib. II, cap. XI. Epiſcopo dicitur, οὕτως ἐν ἐκκλησίᾳ καθέζου τὸν λόγον ποιούμενος [*ſic in eccleſia ſede ſermonem habens*]. Optatus Milevitanus libro V. *Electi eſtis qui ſedentes populum doceatis.* Stantes tamen legebant ipſa Legis verba, deinde cætera ſedentes loquebantur; quod diſcrimen non rectè animadverſum quoſdam fefellit. Ita ſtetiſſe Esdram legimus in loco excelſo, ſed dum apertus eſſet liber. Hoc enim vult כפתחו Nehemiæ VIII, 5. ἡνίκα ἤνοιξε τὸ βιβλίον [*cùm aperiret librum*] juxta LXX. Cum quo loco conferendus is qui eſt Lucæ IV, 17 & ſequentibus, ubi Chriſtus in Synagoga dicitur traditum ſibi librum ἀναπτύξαι, hoc eſt, ἤνοιξαι [*aperuiſſe*], ut loquuntur LXX: legit deinde περικοπὴν [*ſectionem*], qua lecta πτύξας τὸ βιβλίον, ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, ἐκάθισε [*& cùm plicuiſſet librum reddidit miniſtro, & ſedit*]. Stetit ergo dum liber erat apertus, clauſo deinde libro ſedens ad populum verba fecit. Ioſephus quoque ſtetiſſe ait Pontificem Maximum ſeptimo quoque anno ἐπὶ βήματος ὑψηλοῦ [*in alto ſuggeſtu*], ſed nimirum ad prælegenda populo Legis verba, quod adjicit.

3. Πάντα οὖν ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν, τηρεῖτε καὶ ποιεῖτε· *Omnia ergo quæ dixerint vobis ſervate & facite*] Sæpe jam diximus univerſales voces reſtringi debere ex natura ſubjectæ materiæ, & ex ipſa rei æquitate. In Lege Moſis ſicut multa erant præcepta, ita in illis præceptis multa erant de quorum ſenſu ambigi poterat. In iis explicandis operam non malam navabant οἱ νομικοὶ [*Legisperiti*], gnari linguæ & hiſtoriæ veteris, ſine quarum cognitione Legis pleraque rectè intelligi nequibant. In his ergo eos Chriſtus vult audiri à plebe, & eorum interpretationes, quanquam fortè in duriorem partem nimiùm inclinantes, recipi: quod extendi etiam poteſt ad rigidiores determinationes rerum in Lege generaliter præceptarum, quæ ſine determinatione aliqua expediri non poterant. Nam in his talibus debebat aliquid eſſe certi juris, quod obtineri non poterat niſi Interpretum auctoritate. Cæterùm id non eò pertinet, ut ſi quid docerent manifeſtis præceptis ipſique pietati contrarium, ut De Corbona parentibus præferenda, ſequendi eſſent duces cæci. Sed neque obligare cujusquam conſcientiam Chriſtus voluit iis præceptis quæ planè extra interpretandi officium extraque Legem ipſam οἱ νομικοὶ [*Legisperiti*] comminiſcebantur, præſertim ſi ea præcepta ſuperſtructa eſſent falſæ atque inani perſuaſioni, quale erat præceptum de manibus abluendis eo fine ne manus contactu inquinatæ animum inquinarent: qua de re actum eſt ſuprà. illud ergo ὅσα ἂν εἴπωσιν ὑμῖν τηρεῖν [*quæcunque dixerint vobis ſervare*] intelligendum ex connexu ſuperiorum, Quicquid jure cathedræ, ſive ut Legis interpretes, vobis faciendum dictaverint: quæ interpretatio, ni fallor, reipſa non diſcrepat ab iis quæ in hunc locum tractant Hieronymus, Hilarius, & Theophylactus.

λέγουσι γὰρ, καὶ οὐ ποιοῦσι. *dicunt enim, & non faciunt*] Quibus dici poterat illud Euripideum,

> Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.
> [*Odi magiſtrum nempe qui ſibi non ſapit.*]

& Latini veteris,

> *Odi hominem ignavâ operâ, philoſophâ ſententiâ.*

Similes enim ſunt Medicis illis apud Philemonem,

> —— Τοὺς ἰατροὺς οἶδ' ἐγὼ
> Ὑπὲρ ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσιν εὖ σφόδρα
> Πάντας λαλοῦντας, εἶτ' ἐπὰν πταίσωσί τι
> Αὐτοὺς ποιοῦντας πάνθ' ὅσ' οὐκ εἴων τότε.
> [*A medicis argumentum eſt in promtu ſitum,*
> *Præcepta videas quos dare invalentibus*
> *Victus ſeveri; at ipſi ſi in morbo cubent*
> *Eadem illa facere quæ aliis interdixerant.*]

4. Δεσμεύουσι γὰρ φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα, καὶ ἐπιτιθέασιν ἐπὶ τοὺς ὤμους τῶν ἀνθρώπων· *Alligant enim onera gravia & importabilia, & imponunt in humeros hominum*] Interpretes dicuntur homines *onerare* cùm docent hoc aut illud faciendum. Hebræorum Magiſtri id dicunt טרח, id eſt, *aggravare*. Ita ἐπιθεῖναι ζυγὸν [*jugum imponere*] uſurpatur Act. XV, 10. ἐπιτίθεσθαι βάρος [*onus imponere*] ibidem 28. ut cùm eò ventum erit fuſiùs explicabitur. Dionyſius Corinthiorum Epiſcopus ſub Aurelio Vero ad Cnoſſiorum ſcribens Epiſcopum, monebat eum, μὴ βαρὺ φορτίον ἐπάναγκες τὸ περὶ ἁγνείας τοῖς ἀδελφοῖς ἐπιτιθέναι [*ne præter neceſſitatem grave caſtitatis onus fratribus imponeret*]. Lex ipſa per ſe erat onus ſatis δυσβάστακτον [*portatu grave*], *quod nec nos*, inquit Petrus, *nec majores noſtri perferre potuimus*, nimirum ob ingentem numerum præceptorum & humanæ memoriæ atque attentionis imbecillitatem. Cùm autem munus ſit boni Iuriſconſulti quicquid oneroſum eſt ſublevare benignâ interpretatione, contrà Hebræorum Conſulti, & maximè Phariſæi, τὰ θετικὰ [*ea quæ conſtituti ſunt juris*], quæ Deus non imperaverat προηγουμένως [*primariò*] ſed ob res alias, urgebant rigidè, & quàm latiſſimè extendebant, neque admittebant probabiles exceptiones. Exemplo ſit lex de decimis quæ Deuteron. XIV, 22. ſic habet, עשר תעשר את כל תבואת זרעך היצא השדה שנה שנה, quam vertunt LXX, Δεκάτην ἀποδεκατώσεις παντὸς γεννήματος τοῦ σπέρματός σου, τὸ γέννημα τοῦ ἀγροῦ σου, ἐνιαυτὸν κατ' ἐνιαυτόν [*Decimam partem decimabis de omni eo quod naſcitur ex ſemine tuo, quod naſcitur in agro tuo, in annos ſingulos*]· Hîc benignior Interpres primùm ſe verteret ad τὴν διάνοιαν [*ſententiam ſcripti*], ac diceret, Dei Optimi Maximi hanc fuiſſe voluntatem, ut Levitis ſatis proſpectum eſſet de rebus neceſſariis, non autem ut hominum animos anxiâ nimiùm religione obſtringeret; proinde credibile ſibi non videri olerum minutias iſta lege comprehendi, quarum decimæ Levitis non multum adferre poterant emolumenti,

&

& ſi pendendæ eſſent magno Iſraelitas afficerent incommodo ob æſtimationis incertum, & quia pauperes maximè ea res tangebat. Adferret etiam firmandæ interpretationi ſuæ argumentum ex Levitico XXVII, 30. ubi decima danda dicitur מזרע הארץ מפרי העץ, quod LXX transferunt, ἀπὸ τοῦ σπέρματος τῆς γῆς καὶ ἀπὸ τοῦ καρποῦ τοῦ ξυλίνου [*de ſemine terræ & de fructu ligni*]· & ex eo quod in Deuteronomio ſequitur, dandam ſcilicet decimam *frumenti*, *vini*, *olei*. Nam ut maximè exempla regulam non reſtringerent, oſtendi tamen per illa de quo proventuum genere legis auctor ſenſiſſet. His adjungeret à pari argumentum: nam & in animalium genere non omnia ἀποδεκατοῦσθαι [*decimari*], ſed ea demum quæ paſtorali pedo regerentur. Quòd ſi verborum apices urgeret adverſarius, etiam illos talis Interpres diceret ſibi non adverſari. Nam olera vix dici poſſe תבואה [*proventum*]; quomodo Romani Iuriſconſulti olera tradiderunt in uſu magis eſſe quàm in fructu: deinde שדה plerumque *agrum* eſſe, non *hortum*. At νομικοὶ [*Legiſperiti*] & eorum ſectatores Phariſæi Levitarum utilitatibus contumaciter aderant, quaſi in illis tota res pietatis verſaretur. Contendebant igitur nihil excipiendum ubi Lex nihil apertè exciperet; poſſe & *proventuum* & *agri* vocem latiùs accipi, & optimam eſſe rationem quæ pro religione faceret. Neque ad Divinam gloriam, neque ad dignitatem Levitici Ordinis, neque ad veram pietatem multùm referebat utra interpretatio prævaleret. Chriſtus admirabili temperamento in his atque aliis hujuscemodi quæſtionibus ita Interpretum rigorem notat, ut tamen nemini ſit auctor à receptis ſententiis diſcedendi, ubi paci atque ordini ſine gravi jactura conſuli poteſt. Sed illud minimè erat ferendum, tantos verborum aucupes, quoties ipſorum res agebatur, tam facilè ſibimet ignoſcere fiduciâ ingenii atque eruditionis facilè ſuggerentis exceptiones quibus ſe contra τὸ ῥητὸν [*verba legis*] defenderent.

τῷ δὲ δακτύλῳ αὐτῶν οὐ θέλουσι κινῆσαι αὐτά. *digito autem ſuo nolunt ea movere*] Proverbialis locutio, qua utentes Romani etiam dicunt *extremo digito attingere*.

5. Πάντα δὲ τὰ ἔργα αὐτῶν ποιοῦσι πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις. *Omnia verò opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus*] Si quid ad Legis præſcriptum faciunt, id dant auræ populari: vide quæ dicta ſunt ad caput VI.

πλατύνουσι δὲ τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν. *dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias veſtium ſuarum*] Quàm ſtudeant populo pietatem ſuam probare ex eo manifeſtum eſt, inquit Chriſtus, quòd in obſervandis ritibus qui non magni ſunt ad pietatem momenti, ſed externa ſpecie valent, eximium ſibi aliquid vindicant; quod exemplo duorum rituum probat, quorum alter uſu receptus, alter Lege erat inſtitutus. Nam ציצית quidem, id eſt, τὰ κράσπεδα [*fimbriæ*], Lege erant præcepta, quæ κόκκινα βάμματα [*coccinea fila*] vocat Iuſtinus, & de quibus aliquid attigimus ſuprà, ut non tantùm corporis notâ, ſed & conſpicuo habitu Iſraelitæ ab alienigenis diſcernerentur; At תפלין (quam vocem & hîc ponit Syrus), quæ φυλακτήρια [*phylacteria ſive memorialia*] vocant Helleniſtæ, uſum habebant auctorem. Sunt qui Exodi XIII, 9 & 16. & Deuteronomii VI, 8. ea putant imperari; neque nova ea eſt opinio: Nam & Ioſephus ita ſenſit, & Iuſtinus in Colloquio cum Tryphone. Mihi tamen id nondum perſuadent; & conſentientem habeo Hieronymum. Nam iſtis locis nihil aliud jubentur Iſraelitæ quàm beneficia liberationis ex Ægypto & præcepta Divinitus data animo infigere, non minùs quàm quæ memoriæ cauſâ in manibus gerere aut ob oculos nobis ponere ſolemus. Nam παροιμιῶδες [*proverbiale*] eſſe loquendi genus apparet ex loco Eſaiæ XLIX, 16. & quod dicto Deuteronomii loco dicitur זכרן [*memoriale*] id quod in Exodo טוטף. Confer & Canticorum VIII, 6. Proverbiorum VI, 21. & III, 3. Nec quod in Moſe eſt טוטפת LXX Interpretes verterunt φυλακτήρια [*phylacteria*] ſed ἀσάλευτα [*fixa*]· quanquam non neſcio תפלין ibi poni à Chaldæis. Vox autem φυλακτηρίων [*phylacteriorum*] ideo membranis iſtis Iudaïcis aptari cœpit, quia ſimiles erant τοῖς περιάπτοις [*amuletis*] quæ Græci adverſùs morbos valere credita inde φυλακτήρια nuncupabant: quorum mentio eſt in canone XXXVI Synodi Laodicenæ. Iuſtinus dicto loco φυλακτήριον Iudaïcum ait fuiſſe ἐν ὑμέσι λεπτοτάτοις γεγραμμένων χαρακτήρων [*ex literis ſcriptis in membranis tenuiſſimis*]· quale nunc etiam illis in uſu eſt. Illi autem de quibus hîc Chriſtus loquitur & κράσπεδα [*fimbrias*] & φυλακτήρια [*phylacteria*] ſibi circumdabant majora vulgaribus. Μακρὰ κράσπεδα [*longas fimbrias*] Laconum habes in Veſpis Ariſtophanis.

6. φιλοῦσι δὲ τὴν πρωτοκλισίαν, *Amant autem primos accubitus*] *Votis expetunt primos accubitus*, tanquam ingens bonum, atque etiam data occaſione velut jure ſuo ſibi vindicant, quod ἐκλέγεσθαι τὰς πρωτοκλισίας [*eligere primos accubitus*] dixit Lucas XIV, 7. προκατακλίσεις [*prima in accubitu loca*] dixit Ioſephus eodem ſignificatu; & de Herode qui Hyrcanum decepit, προκατακλίνων [*dans ei primum in accubitu locum*], ait, ἐξηπάτα [*decepit*]. cui oppoſita vox apud eundem τὸ ὑποκατακλίνεσθαι [*infrà accumbere*].

καὶ τὰς πρωτοκαθεδρίας ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *& primas cathedras in Synagogis*] Vetuſtiſſimo Iudæorum more, qui nullo in Synagoga munere fungebantur ſedebant ætatis ordine diſtincti; quod ſervabant Eſſeni (minùs corrupta Iudæorum portio), quorum Synagogas deſcribens Philo, καθ' ἡλικίας [*ſecundùm ætates*], inquit, ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται μετὰ κόσμου τοῦ προσήκοντος ἔχοντες ἀκροατικῶς [*ordine ſedent ſub ſenibus juniores, obſervantes decorum & avidi audiendi*]. Eundem morem non in Synagogis tantùm Iudæorum ſed & in primis Chriſtianorum Eccleſiis viguiſſe notat is cujus commentarii in Paulinas epiſtolas ſub Ambroſii nomine leguntur. Sed multis in locis irrepſit conſuetudo ut eruditionis famam aliquam conſecuti honoratiùs ſederent; quò pertinet hic locus. Et exſtant in Hebræorum libris decreta de hac re, quo loco Legisperiti, quo Phariſæi ſedere debeant. Atque inde natum proverbium ut *plebs rudis*, quam *populum terræ* vocabant, diceretur *ſcabellum pedum*

Phariſæorum. Quod ipſum ut erat aliquatenus tolerabile (neque enim ſedendi ordinem, ſed τὸ φιλότιμον [*ambitum*] reprehendit Chriſtus) ita illud indignum, quod tandem non virtuti neque eruditioni ſed divitiis is honor deferri cœpit, etiam in Chriſtianorum Eccleſiis; quod Iacobus qua decebat ſeveritate reprehendit. Quod hîc dicitur πρωτοκαθεδρίας pro eo ἕδρας τὰς πρώτας [*primas ſedes*] dixit Plutarchus.

7. Καὶ τοὺς ἀσπασμοὺς ἐν ταῖς ἀγοραῖς, καὶ καλεῖσθαι ὑπὸ τῶν ἀνθρώπων, ῥαββὶ, ῥαββί. *Et ſalutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi, Rabbi*] *Expetunt ſalutari iſto nomine Rabbi*: quomodo, *Poeta ſalutor*, dixit Horatius. Plus autem erat *Rabbi* quàm *Rab*: neque indigitabantur iſto cognomento niſi qui à Synedrio per manuum impoſitionem teſtimonium eruditionis accepiſſent: quod teſtimonium ἐν ταῖς διασποραῖς [*in diſperſionibus*] dabatur à Præfectis ſcholarum quas vocant ישיבות, ut nunc quoque mos habet Chriſtianorum. Solebat autem in ſalutationibus vox *Rabbi* bis exprimi, ut apparet Marci XIV, 45.

8. Ὑμεῖς δὲ μὴ κληθῆτε ῥαββί· εἷς γάρ ἐστιν ὑμῶν ὁ διδάσκαλος ὁ Χριστός· *Vos autem nolite vocari Rabbi: unus eſt enim Magiſter veſter Chriſtus*] Omnino διδάσκαλος legendum, quomodo & Syrus legit. Nam vocem *Rabbi* & *Rabboni* Scriptores noſtri ubique reddunt διδάσκαλε [*magiſter*], nusquam καθηγητά [*dux*]. Deinde καθηγητοῦ [*ducis*] titulum à titulo *Rabbi* Chriſtus manifeſtè diſtinguit commate 10. Præter communem rationem τῆς ταπεινοφροσύνης [*modeſtiæ*], aliam peculiarem addit Chriſtus cur ſui ſectatores iſtas appellationes expetere non deberent, eo præſertim ſenſu quo à Iudæis expetebantur. Nam qui eruditi erant inter Iudæos cum nomine *Doctoris* etiam auctoritatem ſibi vindicabant quod viſum eſſet docendi, & credi ſibi volebant. At Chriſti ſectatores non debebant populum ea docere tanquam neceſſaria quæ ipſis talia videbantur, ſed ea tantùm quæ Chriſtus ipſe neceſſaria pronuntiaſſet. Iudæorum alii alios ſectabantur magiſtros, & ab eorum pendebant auctoritate; at inter Chriſtianos eo modo dici, *Ego ſum Cephæ*, *Ego Pauli*, *Ego Apollo*, nefas eſt. Neque enim debent ſibi ἐπισωρεύειν διδασκάλους [*coacervare magiſtros*], ut loquitur Paulus II Timoth. IV, 3. omnes enim per Baptiſmum, id eſt, profeſſionem Chriſtianiſmi uni familiæ inſeruntur. Illud autem διδάσκαλος ὁ Χριστὸς [*Magiſter ille Vnctus*] ad caput X. diximus ita eſſe interpretandum, *Doctor eximius à Deo conſtitutus*; quomodo ἱερεὺς ὁ Χριστὸς [*Sacerdos Vnctus*], & βασιλεὺς ὁ Χριστὸς [*Rex Vnctus*] dicitur. Sunt ſanè & in Chriſtiana Eccleſia qui dicuntur διδάσκαλοι [*Doctores*], tum communiter, ut Paulus ſe διδάσκαλον ἐθνῶν [*Doctorem Gentium*] vocat I Timoth. II, 7. II Timoth. I, 11. tum peculiariter quidem ab *Apoſtolis*, *Prophetis*, *Paſtoribusque* diſtincti Actorum XIII, 1. I Corinthiorum XII, 28, 29. Epheſ. IV, 11. ſed alio ſenſu quàm illi Iudæi, non ut dogmatum auctores, ſed ut unius communis dogmatis nuntii. Atque hoc ipſum munus quanti ſit periculi, quàmque non modò non ambiendum ſed neque ſuſcipiendum niſi bene exploratis viribus, Iacobus nos docet III, 1.

ἀδελφοί ἐστε. *fratres eſtis*] Vnius illius Doctoris diſcipuli, inter vos συμφοιτηταί [*condiſcipuli*].

9. πατέρα μὴ καλέσητε ὑμῶν ἐπὶ τῆς γῆς· *patrem nolite vobis vocare ſuper terram*] Qui ſapientem aliquem tanquam Scholæ principem ſectabantur & velut in nomen ejus juraverant, ejus ſapientis *filii* vocabantur, ipſi illum vocabant אבי [*patrem*] vel, ut hîc habet etiam Syrus, אבא. Interpretatio petenda ex ſuperioribus. Sed quia אבא [*patris*] major erat titulus quam רבי [*magiſtri*], ideo Chriſtus hunc ſibi, illum Patri vindicat.

εἷς γάρ ἐστιν ὁ πατὴρ ὑμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. *unus eſt enim Pater veſter qui in cælis eſt*] Vnus eſt veſtræ familiæ Princeps ac dogmatum auctor Deus, qui per Filium vobis ipſe omnia ſcitu neceſſaria revelavit. *Eſtis* διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ [*docibiles Dei*] Iohann. VI, 45. θεοδίδακτοι [*à Deo edocti*] I Theſſ. IV, 9. Itaque illo ſenſu quo Iudæi ſapientes *patres* ſuos vocabant, Chriſtiani *patrem* neminem debent agnoſcere. Sed alio ſenſu *patres* rectè vocantur qui nos in Chriſto per Euangelium genuerunt, I Corinth. IV, 15.

10. καθηγηταί· *duces*] Id eſt, ὁδηγοὶ, quomodo ſuprà Phariſæos vocavit Chriſtus XV, 14. & infrà 16. Atque ita hoc loco Syrus interpretatur. Sic & Paulus inter titulos ſapientum Hebræorum iſta ponit, ὁδηγὸν τυφλῶν, φῶς ἐν σκότει, παιδευτὴν ἀφρόνων, διδάσκαλον νηπίων [*ducem cæcorum, lumen eorum qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium*] Romanorum II, 19, 20.

11. Ὁ δὲ μείζων ὑμῶν, ἔσται ὑμῶν διάκονος. *Qui major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter*] Quò quis inter vos majorem in Eccleſia dignitatem obtinebit, eò ſciat ſibi non plus imperii conceſſum ſed plus oneris injunctum: unde ſequitur non eſſe cur vos delectent tituli majoris ſervitutis indices. Vide quæ ſuprà ad caput XX, 26.

12. Ὅστις δὲ ὑψώσει ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· *Qui autem ſe exaltaverit, humiliabitur*] Sententia Chriſto ſæpius uſurpata, celebris haud dubiè apud Hebræos: Thalmudiſtæ hoc modo, כל אדם שיש בו גסות רוח לסוף מתמעט. Solomon ita extulit Proverbiorum XVI, 18. *Ante confractionem ſuperbia, ante ruinam ſpiritus altus*: & XXIX, 23. *ſuperbia hominem deprimet.* Apud Græcos multa ſunt ſimilia; ut illud quod alii Euripidi, alii Menandro tribuunt,

> Ὅταν δ' ἴδῃς πρὸς ὕψος ἠρμένον τινὰ,
> Λαμπρῶς τε πλούτῳ καὶ γένει γαυρούμενον,
> Ὀφρῦν τε μείζω τῆς τύχης ἐπηρκότα,
> Τούτου ταχεῖαν νέμεσιν εὐθὺς προσδόκα·
> Ἐπαίρεται γὰρ μεῖζον ἵνα μεῖζον πέσῃ.
> [*Si quem vides in ſublimi poſitum loco*
> *Qui genere tumidus & opibus ſuperbiat,*
> *Supercilia fortunâ celſiùs gerens,*
> *Eum cadentem ſubitò conſpicies brevi:*
> *Nam tollitur in altum quò ſic graviùs ruat.*]

καὶ ὅστις ταπεινώσει ἑαυτὸν, ὑψωθήσεται. *qui humiliaverit ſeipſum, extolletur*] Quod Solomo dixit, *ante gloriam humilitas*, Proverbiorum XV, 33. & *humilis ſpiritu gloriam aſſequetur*, XXIX, 23. Sententiæ autem iſtæ Chriſto uſurpatæ habent quidem ſuum quoque uſum in rebus humanis, at cœleſtis Doctor id quod cœleſte eſt potiſſimùm reſpicit: Explicat Petrus I, cap. V, 6. Ταπεινώθητε οὖν ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, Θεῦ, ἵνα ὑμᾶς ὑψώσῃ ἐν καιρῷ [*Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis*]. Æſopus interrogatus quid Deus faceret, reſpondit eum τὰ μὲν ὑψηλὰ ταπεινῦν, τὰ δὲ ταπεινὰ ὑψῦν [*excelſa deprimere, attollere humilia*]. Philonis illud huc pertinet libro De Sacrificantibus, Θεῦ μὴ ἀποστραφέντος τὺς ὕτως ἐρήμυς [*Deo neutiquam eos ſpernente qui eo ſenſu orbi ſunt*]. Explicant id quæ ibi ſequùntur.

13. κλείετε τὴν βασιλείαν τῶν ὐρανῶν, *clauditis Regnum cælorum*] *Clavibus ſublatis*, ut Lucas loquitur, id eſt, ſupreſſa vera interpretatione & quotidiana inculcatione locorum in quibus agitur de Meſſia ejusque doctrina, id eſt, de pœnitentia, fide & dilectione non ficta: quibus omiſſis omnem operam impenditis ritibus urgendis & ampliandis.

ὐδὲ τὺς εἰσερχομένυς, *nec introeuntes*] Præſens pro futuro: eos qui alioqui intraturi erant ſi viam rectè panderetis. At nunc non modò non panditis ſed obſtruitis etiam rituum ſeptis, quibus occupati animi ad meliora nequeunt penetrare. Quod hîc in multis exemplaribus jampridem legitur comma, Οὐαὶ δὲ ὑμῖν γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ, ὅτι κατεσθίετε τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· διὰ τῦτο λήψεσθε περισσότερον κρῖμα [*Væ vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes; propter hoc amplius accipietis judicium*], judico παρεμβεβλημένον [*interjectum* ab exſcriptoribus]· cujus rei mihi magnum indicium eſt, quòd qui habent codices alii præponunt iſti ſententiæ de clavibus, alii ſubtexunt. Ferme enim videas quæ ſitu variant aliunde adjecta, ut hîc ex Marco & Luca, additis mutatisque verbis ad implendam cohærentiam. Græcus Euangeliorum indiculus, quem *Canonem* vocant, ad quem provocare ſolet Hieronymus, quique factus eſt ex optimis codicibus, in Matthæo hoc comma non habet. Origenes tam diligens librorum ſcrutator non agnoſcit. Habent quidem libri Syriaci, at Latini antiquiſſimi non habent. Proinde hæc pars major videtur. Adde quòd detrahendi nulla fuit cauſa, addendi aliqua: Interpretabimur ad Marcum.

15. περιάγετε τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηρὰν, *circuitis mare & aridam*] Proverbialis locutio ſollicitum inquirendi laborem ſignificans. Ita πολεμεῖν διὰ τῆς θαλάσσης καὶ διὰ τῆς ξηρᾶς [*pugnare terrâ marique*] eſt in Maccabaïca hiſtoria I, cap. VIII, 32. Ξηρὰν pro *terra* uſurpat & Ariſtoteles Hiſtor. Animal. V, 10. Eſt autem & hîc Hebraïca locutio qualem alibi notavimus. Senſus enim eſt, Cùm terram & mare obeatis ut faciatis proſelytum, mox eum depravatis.

προσήλυτον· *proſelytum*] Προσήλυτος hîc & in Actis eſt is qui ortu Gentilis per Circumciſionem ſe Legi Moſis obſtrinxit, quem Philo etiam ἐπηλύτην [*adſcitum*] vocat: qui in pleriſque rebus jura habebat τῶν αὐτοχθόνων [*indigenarum*]. Hi dici ſolent גרי צדק *hoſpites juſtitiæ*. Alioqui גר Hebræis, γειώρας aut γηόρας Helleniſtis etiam is dici ſolet qui relicto idolorum cultu uni Deo & communibus humani generis legibus ſe addixerat: quo fortè ſenſu γηόραν καὶ τὺς προσηλύτυς [*georan & proſelytos*] diſtinctè poſuit Iuſtinus Colloquio cum Tryphone; & Euſebius, προσηλύτυς τύς τε καλυμένυς γειώρας [*proſelytos & qui vocabantur geioræ*].

ὑὸν γεέννης, *filium gehennæ*] *Gehennæ debitum*, ut בן מות I Samuelis XX, 31. II Samuelis XII, 5. Græcè ὑὸς θανάτυ [*filius mortis*] *morti debitus*, Deut. XXV, 2. בן הכות [*filius plagarum*] Græcè ἄξιος πληγῶν [*dignus plagis*].

διπλότερον ὑμῶν. *duplo quàm vos*] *Multò magis quàm vos ipſi:* quia non conſiſtunt exempla ubi incipiunt, ſed magno cum fenore corrumpunt homines,

———— magnis
Cùm ſubeunt animos auctoribus:

præſertim ſi quod eſt vitium quod fallit

———— ſpecie virtutis & umbrâ,
Cùm ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeverum.

Qualis eſt Ambitio & Avaritia induta ſanctimoniæ perſonam. Adeò

———— dociles imitandis
Turpibus ac pravis omnes ſumus.

Vnde & illud,

Ætas parentum pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

Dictum hoc Chriſti comprobavit ſequentium temporum experientia. Iuſtinus de Iudæorum proſelytis ſua ætate, οἱ δὲ προσήλυτοι ὐ μόνον ὐ πιστεύυσιν, ἀλλὰ διπλότερον ὑμῶν (Iudæos alloquitur) βλασφημῦσιν εἰς τὸ ὄνομα αὐτῦ [*proſelyti non modò non credunt ſed & duplum ſuper vos nomen ejus blaſphemant*], Chriſti ſcilicet.

16. Ος ἂν ὀμόσῃ ἐν τῷ ναῷ, ὐδέν ἐστι· *quicunque juraverit per Templum, nihil eſt*] Iuramenta Hebræorum Magiſtri alia magna, alia parva cenſebant. Magna per Deum ipſum, cui æquabant Iuramentum κορβᾶν [*corban*], quod δῶρον Θεῷ [*donum Deo*] ſuprà verti vidimus, ſicut & Ioſephus contra Apionem vertit δῶρον Θεοῦ [*donum Dei*]. Id autem erat duplex, ut diximus ad caput V. aut donum quod altari ſuperponebatur, cujus in Levitico ſæpe eſt mentio, ubi itidem δῶρον [*munus*] vertunt LXX; aut pecunia miſſa in gazophylacium, quod κορβανᾶ infrà vocat Matthæus. Per utrumvis horum ſi quis juraſſet, per Deum ipſum juraſſe cenſebatur, quia illa dona Dei erant propria. Hæc erat πρόφασις [*hic prætextus*] Magiſtrorum: revera ad quæſtum pertinebat dona illa haberi quàm ſanctiſſima, etiam ſupra Templum & Altare, quaſi Deus ſcilicet illis præcipuè gauderet. Iuramenta autem per Templum & Altare minoribus juramentis accenſebantur, cùm tamen etiam qui per ea jurat, *juret* (ut Vlpianum loqui alibi obſervavimus) *reſpectu Divini numinis*. Iſtorum igitur Iuramentorum gratiam facilè faciebant Iudæi Doctores ſi quis ſe inconſulto calore juraſſe diceret; at Iuramenti κορβᾶν [*corban*] non item. Haud diſſimile eſt quod Romani Imperatores, ſi quis per ipſorum *ſalutem* aut *genium* pejeraſſet graviſſimis eum pœnis ſubjiciebant; ſi quis per *Deum* pejeraſſet, ejus injuriæ ultionem Deo relinquebant.

ὐδέν ἐστιν· *nihil eſt*] Id eſt, non tenetur; ut oſtendit oppoſitum membrum ὀφείλει [*debet*], חוב, quod nihil hîc eſt aliud quàm *tenetur*, *obſtrictus eſt*. De implenda promiſſione, non de pœna hîc agi cenſeo.

17. ὁ ναὸς ὁ ἁγιάζων τὸν χρυσόν; *Templum quod ſanctificat aurum*] Nam pecunia gazophylacii præcipuè Templi uſibus ſerviebat, ideoque ſacri erat juris; ut & apud Romanos *donaria*, apud Græcos ἀναθήματα [*ſacrata*]. Scriptor ad Hebræos, τὸ ἔλαττον ὑπὸ τοῦ κρείττονος εὐλογεῖται [*quod minus eſt à meliore benedicitur*], VII, 7.

19. τὸ θυσιαστήριον τὸ ἁγιάζον τὸ δῶρον. *altare quod ſanctificat donum*] Ex ſententia legis כל הנגע במזבח יקדש, id eſt, πᾶν τὸ ἁπτόμενον τοῦ θυσιαστηρίου ἁγιασθήσεται [*quicquid tangit altare, ſanctificabitur*], non πᾶς ὁ ἁπτόμενος, ut nunc legitur apud LXX.

20. ἐν αὐτῷ καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ἐπάνω αὐτοῦ. *in eo & in omnibus quæ ſuper illud ſunt*] Quia acceſſiones ſequuntur rem principalem. Oblationes autem iſtæ acceſſiones erant altaris; itaque nominato altari ſimul nominatæ cenſeri debebant.

21. καὶ ἐν τῷ κατοικοῦντι αὐτόν. *& in eo qui habitat in ipſo*] Hîc oſtendit Chriſtus omnia iſta quæ illi vocabant minora juramenta maximis eſſe æquiparanda. Nemo enim tam ſtultus cenſeri debet ut rem inanimem teſtem advocet ſuæ cogitationis & perfidiæ vindicem. Quare in iſtis juramentis cenſeri debet ineſſe μετωνυμία [*Transnominatio*], & per Templum intelligi is cujus eſt Templum.

22. ἐν τῷ οὐρανῷ, *in cælo*] Illuſtrat Chriſtus quod dixerat exemplo ſimili. Nam, inquit, & qui per cœlum jurant cenſendi ſunt teſtem illum invocare cui cœlum pro ſolio eſt; quod quomodo ſit intelligendum diximus ad caput V. Addam hic locum Scriptoris Reſponſionum ad Græcos in Iuſtini operibus, Οἶκον δὲ καὶ θρόνον λέγομεν τοῦ Θεοῦ τὸν οὐρανόν, οὐχ ὡς τοῦ Θεοῦ τούτου πρὸς οἴκησιν ἢ πρὸς καθέδραν χρῄζοντος, ἀπεριγράπτου καὶ ἀνενδεοῦς παντελῶς ὑπάρχοντος, ἀλλ' ἵνα μὴ πρὸς τὸ μέγεθος τῆς αὐτοῦ ὑποστάσεως, καὶ τὸ ἄφθαρτον τῆς οὐσίας αὐτοῦ ἀφορῶντες, Θεὸν τοῦτον ἢ ἰσότιμον Θεῷ ὑπολάβωμεν. Διὰ τοῦτο ὀνομάζομεν αὐτὸν οἶκον καὶ θρόνον τοῦ Θεοῦ, ταύταις ταῖς ὀνομασίαις πάσης τῆς πρὸς τὸν Θεὸν κατ' οὐσίαν καὶ κατὰ τὰς τῆς οὐσίας προσηγορίας κοινωνίας αὐτὸν χωρίζοντες. ὥσπερ γὰρ ὁ οἶκος καὶ ὁ θρόνος ὕστερός ἐστι τοῦ πεποιηκότος αὐτὸν, οὕτως καὶ ὁ οὐρανὸς ὕστερός ἐστι τοῦ Θεοῦ, ὡς γεννητὸς τοῦ ἀγεννήτου [*Domicilium autem & ſolium Dei, Cælum appellamus; non quod eo Deus ad habitandum aut ſedendum indigeat, qui ſit nec loco circumſcriptus, nec ullius rei indigens: ſed ne reſpicientes ad formæ cæli magnitudinem & ad ſubſtantiam ejus incorruptam, id ipſum aut Deum eſſe aut par Deo credamus. Hinc ergo eſt quod Cælum appellamus Dei domicilium ac ſolium, tali cognomine id ſegregantes ab omni participatione ſive ſubſtantiæ Dei ſive nominum ad ſubſtantiam ejus pertinentium. Sicut enim domus & ſolium poſteriora ſunt eo qui iſta fabricat, ita & cælum Deo eſt poſterius, ut non genito id quod eſt genitum*].

23. ἀποδεκατοῦτε, *decimatis*] Ita δεκάτην ἀποδεκατοῦν [*decimam decimare*] pro eo quod eſt decimam ſolvere dixerunt LXX Geneſ. XXVIII, 22. Deuteronomii XIV, 22. &, quod propiùs ad hanc φράσιν [*locutionem*] accedit, ἀποδεκατῶσαι τὸ ἐπιδέκατον τῶν γεννημάτων τῆς γῆς [*decimare decimam fructuum terræ*] Deuteronomii XXVI, 12. Atque ita uſurpant Hebræi עשר in Pihel & העשר in Hiphil.

τὸ ἡδύοσμον καὶ τὸ ἄνηθον καὶ τὸ κύμινον, *mentham & anethum & cyminum*] Lucas omiſſo *anetho* & *cumino* exemplum *mentha* & *ruta* poſuit, adjiciens deinde nomen generale καὶ πᾶν λάχανον [*& omne olus*]. Atque id vel maximè me movet, ne putem hîc tractari quæſtionem illam Thalmudicam de quibuſdam rebus bis decimandis in ſemine & in herba, quando ea quæſtio ad omnia olera pertinere non poteſt. Quæſtio ergo fuit de oleribus, an lege decimarum comprehenderentur: Chriſtus ut τὸ ἀκριβὲς [*rigidam ſubtilitatem*] Phariſæorum in rebus iſtiuſmodi oſtenderet, minutiora olera ſpeciatim nominavit. In Thalmudico libro de Decimis exſtat & hyſſopum & origanum & viciam quoque decimandam: & viciam quidem, quia famis tempore pro cibo uſurpatur.

ἀφήκατε τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου, *reliquiſtis quæ graviora ſunt Legis*] *Pridem abjeciſtis curam eorum Legis præceptorum quæ multò majoris ſunt ponderis.* Præponderant autem, ut alibi diximus, naturalia conſtitutis, & ea quorum cauſâ cætera ſunt cæteris.

τὴν κρίσιν, *judicium*] Errant qui ad ſolum Iudicis officium hoc trahunt. Nam Hebræi משפט, Helleniſtæ κρίσιν [*judicium*] ſumebant latiùs. In Maccabaïca hiſtoria I, cap. VIII, 32. ubi mentio eſt epiſtolæ Senatus Romani ad Demetrium pro Iudæis, ἐὰν οὖν ἔτι ἐντύχωσι κατὰ σοῦ ποιήσομεν αὐτοῖς τὴν κρίσιν [*ſi ergo iterum adierint nos adverſum te, faciemus illis judicium*], id eſt, *faciemus ut jus ſuum obtineant*. Et paulò antè VII, 18. de Alcimo & qui cum eo erant, οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις· παρέβησαν γὰρ τὴν στάσιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν [*non eſt veritas & judicium in eis: transgreſſi ſunt enim conſtitutum & jusjurandum quod juraverunt*], ubi κρίσις [*judicium*] eſt *juſtitia*. Ezechielis XX, 11. quod in Hebræo eſt משפטי [*judicia*] Græci vertunt δικαιώματα [*juſtificationes*]. Sumitur autem משפט ſive κρίσις [*judicium*], ut δικαιοσύνη [*juſtitia*] Græcis, modò latiùs, ut omnia hominum inter ſe officia comprehendat; quomodo Maimonides voce משפט ea præcepta ait ſignificari quæ ritualia non ſunt: modò ſtrictiùs, ut ea denotet quæ jure exigi poſſunt, oppoſita *miſericordiæ* ſive *beneficentiæ*; quomodo & idem Maimonides alibi opponit משפט [*judicium*] & חסד [*benignitatem*]. Ego hæc Chriſti verba planè arbitror deſumta ex Michæa VI, 7. ubi cùm dictum eſſet, Deo haud magnopere placere ſacrificia & oblationes, ſubjungitur, hæc eſſe quæ Deus, ſcilicet tanquam τὰ βαρύτερα τοῦ νόμου [*graviora Legis*], præcipuè requirat, ποιεῖν κρίμα, καὶ ἀγαπᾷν ἔλεον [*facere judicium & diligere miſericordiam*], & *humiliter cum Deo ambulare*. Tertium hoc quod præcipuum eſt, Lucas, qui κρίσεως [*judicii*] nomine etiam ἔλεον [*miſericordiam*] comprehendit, vocavit ἀγάπην τοῦ Θεοῦ [*dilectionem Dei*]. Quare ut Matthæi ſenſus & cum Propheta & cum Luca rectiùs cohæreat, arbitror πίστιν [*fidem*] hîc non eſſe eam quæ inter homines ſpectatur fidem, ſed ſpem ac fiduciam collocatam in miſericordia Divina, quæ humilem dilectionem & ſtudium obedientiæ in nobis excitat.

ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, *hæc oportuit facere*] Non definit Chriſtus juris controverſiam; ſed hoc dicit, Quando ita vobis lubet Legem interpretari, præſtandum quidem illud fuerat, ſed ita ut majora ac potiora non omitterentur.

24. διυλίζοντες τὸν κώνωπα, *excolantes culicem*] Διυλίζειν [*excolare*] eſt זרק Amos VI, 6. ſicut καταπίνειν [*glutire*] eſt בלע. Proverbialis locutio in eos competens qui ἀκριβοδίκαιοι [*rigidi juris ſectatores*] videri volunt in rebus minutis, cùm præcipua officiorum ſecurè negligant. Atqui, ut Philemon dicebat, juſtus eſt,

Οὐχ ὃς τὰ μικρὰ λαμβάνειν ἀπέχεται,
Ἀλλ᾽ ὃς τὰ μεγάλα καρτερεῖ μὴ λαμβάνων,
Ἔχειν δυνάμενος καὶ κρατεῖν ἀζημίως.
[*Non qui recuſat parva, ſed qui maximis*
Tentatus animi robur invictum gerit.]

25. καθαρίζετε τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου, *mundatis quod deforis eſt calicis*] Lavabant quidem Phariſæi etiam pocula, ut docet nos Marcus VII, 4. & ſuprà attigimus: Sed hîc omnino ſenſus eſt comparativus: Hoc enim vult Chriſtus, Cùm corpus lavatis animo non purgato, tantundem agitis ac ſi diligenter lavaretis patinas & pocula, cùm interim cibus & vinum plena eſſent impuræ fæcis. Nam ſicut hoc ad ſanitatem non prodeſſet, ita nec illud ad ſalutem. Frequens eſt aut Chriſto aut res Chriſti deſcribentibus ut breviloquentiæ cauſâ ἀνταπόδοσιν [*redditionem*] rei comparatæ permiſceant. Itaque ſæpe unum membrum eſt ἀνανταπόδοτον [*ſine redditione*], alterum nihil niſi ἀνταπόδοσις [*redditio*], quia nimirum alterum ex altero facilè poteſt intelligi. Vide Paulum Romanorum IX, 33. Petrum I epiſt. II, 6. Epiſtolam ad Hebræos VI, 7, 8. XI, 26. XII, 25. & Danielem IV, 13. Tale & hîc occurrit: nam plena oratio fuerat, ἔσωθεν δὲ γέμουσι τὰ ποτήρια καὶ οἱ πίνακες ἀκαθαρσίας· οὕτως καὶ ὑμεῖς τὸ μὲν ἔξωθεν καθαρίζετε, ἔσωθεν δὲ γέμετε ἐξ ἁρπαγῆς καὶ ἀκαθαρσίας [*intus autem pleni ſunt calices & paropſides immunditiâ: ſic & vos mundatis id quod extra eſt, intus autem pleni eſtis rapinâ & immunditiâ*]. Lucas ſimiliter partes comparationis permiſcet, ſed apertiorem facit ἀνταπόδοσιν [*redditionem*], cùm dicit, τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας [*quod autem intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ & iniquitate*]. Ita Philo de improba muliere, καθαρσίοις καὶ λουτροῖς τὰ ἐκτὸς φαιδρυνομένη, τὰ δὲ ἐντὸς ῥυπῶσα [*purificationibus & lavacris quod extrà eſt renidens, intus verò impura*]. Hæc cauſa Latinum Interpretem movit ut pro γέμουσι [*plena ſunt*] redderet *pleni eſtis*. Non diſſimilis mixtura partium comparationis & apud Græcos invenitur, ut Sophoclis Iphigeniâ,

Νόει πρὸς ἀνδρὶ, σῶμα πουλύπου ὁμῶς,
Πέτρᾳ τραπέσθαι γνησίου φρονήματος.
[*Eſt ille polypo ſimilis, & prout eſt lapis*
Ad quem applicatur vertere ingenium ſolet.]

nam illud γνησίου φρονήματος viro convenit, non polypo. Similem in Homero morem, Porphyrius notavit, οὐκ ἀνταπέδωκεν, ὡς τῆς ὁμοιώσεως ἅμα καὶ μεταφορᾶς περιεχουσῶν τὴν ἀνταπόδοσιν [*non reddidit quod reſpondet in comparatione, quia ſimilitudo ſimul cum translatione continebant in ſe id quod reddendum erat*]. item, τὰς οἰκείως τεθειμένας φωνὰς ἐπὶ τῶν πραγμάτων πολλάκις εἰς τὰς παραβολὰς μετατίθησι, καὶ τὰς ἐπὶ τῶν παραβολῶν εἰς τὰ πράγματα [*voces propriè dictas de rebus ſæpe in comparationes transfert, & comparationum voces in res ipſas*].

ἐξ ἁρπαγῆς, *ex rapina*] Πλεονάζει τὸ ἐξ [*abundat illud, ex*], quomodo & מ in voce תמלאמו [*implebitur ex eo*] Exodi XV, 9. Videtur reſpici id quod eſt Ezechiel. XXVIII, 16. מלו תוכך חמס, quod quidam exponunt, *repletum eſt medium tui iniquitate*, quod idem eſt cum illo Lucæ, τὸ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς [*quod intus eſt veſtrum, plenum eſt rapinâ*]. חמס LXX ſolent vertere ἀδικίαν, ἀνομίαν, παρανομίαν [*injuſtitiam, improbitatem, transgreſſionem legis*]· atque ea eſt haud dubiè ſignificatio. Cæterùm ipſa origine eſt ἁρπαγή [*rapina*]· in Targum חטוף, quod directè reſpondet voci ἁρπαγῆς, atque hîc etiam poſitum eſt à Syro. Si quis allatam modò à nobis interpretationem non probat, & ipſa pocula putat dici *plena rapinæ* quòd improbè parta eſſent, is interpretationem ſuam ſtabilire poterit non diſſimili Xenophontis loco circa finem Inſtitutionis Cyri, καὶ μὴν ἐκπώματα εἰ μὲν ὡς πλεῖστα ἔχωσι τούτῳ καλλωπίζονται· ἢν δ᾽ ἐξ ἀδίκου φανερῶς ᾖ μεμηχανημένα, οὐδὲν τοῦτο αἰσχύνονται [*in eo ſe venditant quòd plurima habeant pocula; quòd autem ea iniquè comparata ſunt, de eo non erubeſcunt*].

καὶ πάσης ἀκαθαρσίας. *& omni immunditiâ*] Hanc lectionem quam Latinus ſequitur, ſi veterum codicum accedat auctoritas, cæteris præferam. Inde enim natæ videntur lectiones aliæ propinquitate vocis; ut ἀκρασίας [*intemperantiâ*], quod quanquam Origeni lectum videtur repudio, quia nuſquam Phariſæi, quod ſciam, ejus vitii arguuntur; & ἀδικίας [*injuſtitiâ*], ex interpretamento quod Syrus ſequitur. ἀκαθαρσία [*immunditia* ſive *impuritas*] Paulo ſæpe omne genus vitiorum complectitur: nec minùs latè patet πονηρία [*malitia*], quod hujus vice Lucas uſurpat. Reſpondet Hebræo טמאה.

26. ἵνα γένηται καὶ τὸ ἐκτὸς αὐτῶν καθαρόν. *ut fiat & id quod deforis eſt mundum*] Simile eſt illud Epicharmi,

Καθαρὸν ἐὰν τὸν νοῦν ἔχῃς, ἅπαν τὸ σῶμα καθαρὸς εἶ.
[— *Pura ſi mens fuerit, omne corpus eſt purum tibi.*]

Paulus ad Titum I, 15. πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς [*omnia munda mundis*]. Hoc autem dicit Chriſtus, non quòd legem de immunditiis legalibus hoc tempore aboleret, ſed quòd oſtenſum vellet animum bene ſibi conſcium nulla re inquinari, adverſùs falſam Phariſæorum perſuaſionem de qua egimus ſuprà. Adde locum Arriani Epicteto IV, I. ψυχῆς ὡς σώματος ἀκαθαρσίαν οὐκ ἂν εὕρῃς· ὡς ψυχῆς δὲ τί ἂν ἄλλο εὕρῃς, ἢ τὸ παρέχον αὐτὴν ῥυπαρὰν πρὸς τὰ ἔργα αὐτῆς; [*in anima immunditiam qualis eſt in corporibus non reperies: quam verò aliam reperias animæ propriam quàm id per quod ea quod ad actus ſuos obſordeſcit?*]

27. κεκονιαμένοις, *dealbatis*] Comparationem albarii operis fuiſſe uſitatam Iudæis ad notandos mores perſonatos, & quodcunque palàm non ſumus, apparet ex Pauli verbis Actorum XXIII, 3. Confer Pſalm. V. 9.

28. Φαίνεσθε τοῖς ἀνθρώποις δίκαιοι, ἔσωθεν δὲ μεστοί

ἐστι ὑποκρίσεως καὶ ἀνομίας. *aforis paretis hominibus juſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & iniquitate*] Eſtis

Introrſum turpes, ſpecioſi pelle decorâ.

Diogenis eſt dictum, Τῆς ἀλαζονείας καθάπερ τῶν κεχρυσωμένων ὅπλων οὐχ ὅμοιά ἐστι τὰ ἐντὸς τοῖς ἐκτός [*Oſtentatorum planè ut poculorum quæ auro ſunt illita non ſimilia ſunt quæ intus ſunt & quæ extra*].

29. ὅτι οἰκοδομεῖτε, *quoniam ædificatis*] Hæc περικοπὴ [*ſectio*] uno ſpiritu legenda eſt usque ad finem commatis 32.. & comma 31 nihil eſt aliud quàm παρένθεσις [*interpoſitus ſermo*]. Vt locus hic rectiùs intelligatur, ſciendum eſt Deum ſæpe hominum opera ac dicta interpretari, non quomodo illi ea accipi volunt, ſed in aliam longè ſententiam quæ juſtiſſimè in ipſos quadret. Non diſſimilis eſt illa Chriſti alluſio ad Samaritida, quæ dixerat, Οὐκ ἔχω ἄνδρα [*Virum non habeo*], Iohann. IV, 17. idem hoc loco eſt animadvertere. Nam quod illi fatebantur à patribus ſuis occiſos Prophetas, Chriſtus accipit non in eum ſenſum quem ipſi volebant: nam ipſi eos *patres ſuos* vocabant naturæ intuitu, Chriſtus autem etiam animorum ſimilitudine, quam & declaraſſent hactenus, & apertiùs eſſent declaraturi. Paraphraſis hæc eſto, Malè vobis erit, Phariſæi & Legisperiti: Nam vultis quidem videri magni facere Prophetas aliosque Dei ſervos, quorum monumenta non ſine oſtentatione reficitis, atque etiam verbis profitemini, ſi illis vixiſſetis temporibus non futuros vos fuiſſe ſævitiæ in illos participes (qua in re illud certè verum eſt plùs quàm vultis, vos eſſe prolem τῶν προφητοκτόνων [*propheticidarum*]), atque interim nihilo meliores eſtis quàm illi erant. Iam enim animo geritis quod brevi prodituri eſtis reipſa: Idem meditamini quod illi faciebant. Mortuos honoratis, quia vobis obſtare non poſſunt. Superſtites eadem quæ illi, & perfectiùs, docentes odio non niſi per cædem ſatiando proſequimini. Imò ſi quid ad ipſorum improbitatem deeſt, id vos explebitis. Apud Lucam non verba tantùm, quibus ſe τῶν προφητοκτόνων [*propheticidarum*] poſteros profitebantur, ſed ipſum illud monumenta reficiendi ſtudium Chriſtus in ipſos torquet. Libenter enim eorum ſepulchra exſtruimus quos nollemus ſuperſtites. Cui non diſſimilis ille Demoſthenis locus de falſo teſtimonio in Stephanum, καὶ οὐκ ᾐσθάνετο ὅτι οὐ τοῦ τάφου μνημεῖον ἔσται τὸ οἰκοδόμημα τοιοῦτον ὄν, ἀλλὰ τῆς ἀδικίας ἣν τὸν ἄνδρα ἠδίκησεν ἐκείνη διὰ τοῦτον [*nec intelligebat non fore id quod ſic ſtructum erat monumentum ſepulturæ, ſed injuriæ qua ipſa propter hunc illum affecit*]. Nec longè abit Dionis illud de Caracalla, πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ἀνδράσιν ἀχθόμενος, τιμᾶν τινας αὐτῶν ἀποθανόντας ἐπλάττετο [*infeſtus bonis omnibus ſimulabat ſe eis jam mortuis honorem habere*]. Herodes Ariſtobulo, quem interfecerat, funus fecit magnificum. Οἰκοδομεῖν τάφους [*ædificare ſepulchra*] dictum ut apud Virgilium,

——— *equum divinâ Palladis arte*
Ædificant:

apud Ciceronem, *ædificare claſſem.*

30. ἐν τῷ αἵματι, *in ſanguine*] Sicut Græci φόνον [*cædem*] dicunt ἀντὶ αἵματος [*pro ſanguine*], ita Helleniſtæ αἷμα ἀντὶ φόνου [*ſanguinem pro cæde*].

32. πληρώσατε, *implete*] Quando vultis hoc agite. Ita modum imperativum non rarò uſurpant Hebræi, ut & gentes aliæ, 1 Regum XXII, 22. Iohannis XIII, 27.

τὸ μέτρον, *menſuram*] Græcum eſt adagium,

Ὀψὲ θεῶν ἀλέουσι μύλοι, ἀλέουσι δὲ λεπτά.
[*Sera licèt, ſubtile molit mola magna deorum.*]

Qua de re egregius exſtat Plutarchi libellus περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Θείου βραδέως τιμωρουμένων [*De iis qui ſerò à Deo puniuntur*]. Ita nimirum ſe res habet; Magna eſt Dei patientia, ſed læſa furor fit, ut Sacræ literæ ἀνθρωποπαθῶς [*tribuendo Deo humanos affectus*] loquuntur, & tarditatem ſupplicii gravitate compenſat: quod ut in hominum ſingulorum rebus interdum conſpicere eſt, ita maximè apparet in Divina circa totos populos providentia. Nam populorum delicta diu diſſimulata tandem ubi omnem patientiæ modum vicerunt tam ſeverè punit Deus, ut cùm nullam ejus ætatis hominibus faciat injuriam, neque iis ſuprà proprium meritum mala infligat, ea tamen pœna tanta appareat, ut videatur ſufficere poſſe omnium etiam antecedentium ætatum ſceleribus luendis. Hic delictorum modus à Deo exſpectatus *menſura* aut *complementum iniquitatis* dicitur Geneſ. XV, 16. quò ſunt qui pertinere putant quod eſt Eſaiæ XXVII, 8. & Iobi XX, 22. Cauſam Divinæ in puniendo tarditatis alteram quoque non improbandam affert Theodectes his verſibus,

Ὅστις δὲ θνητῶν μέμφεται τὰ Θεῖ' ὅτι
Οὐκ εὐθὺς ἀλλὰ τῷ χρόνῳ μετέρχεται
Τοὺς μὴ δικαίους, πρόφασιν ἐξακουσάτω·
Εἰ γὰρ παραυτίκ' ἦσαν αἱ τιμωρίαι,
Πολλοὶ διὰ φόβον καὶ οὐ δι' εὐσεβῆ τρόπον
Θεὸν σέβοιντ' ἄν· νῦν δὲ τῆς τιμωρίας
Ἄπωθεν οὔσης, τῇ φύσει χρῶνται βροτοί·
Ὅταν δὲ φωραθῶσιν, ὀφθέντες κακοὶ,
Τίνουσι ποινὰς ὑστέροισιν ἐν χρόνοις.
[*Calumniari qui deos audes, homo,*
Quòd prava facta protinus non vindicant,
Sed punienda differunt, cauſam accipe:
Si pœna ſupera non daret culpæ diem,
Pietate nulla ſed metu ſolo deos
Pars magna coleret; pœna nunc longè ſita
Omnes ſuo permittit ingenio frui;
Sed deprehenſi poſtea in piaculis,
Vtcunque ſerò, quod ſat eſt pœnas luunt.]

33. πῶς φύγητε, *quomodo fugietis*] Tales cùm ſitis, quî fieri poteſt ut graviſſimum non hujus tantùm ſed & alterius ſeculi ſupplicium evitetis?

τῆς κρίσεως τῆς γεέννης; *à judicio Gehennæ?*] דינה של גיהנם in libro Pirke Eleazar.

34. Διὰ τοῦτο, *Ideo*] Scilicet ut menſura Divinæ patientiæ pleniſſimè in vobis impleatur, etiam me occiſo. Chriſtus hîc *ſe miſſurum* dicit, apud Lucam ait *dixiſſe*, id eſt, conſtituiſſe τὴν σοφίαν τοῦ Θεοῦ [*Dei ſapientiam*] *ſe miſſuram*, ut nimirum intelligeremus in hac legatione ad Iudæos deſtinata magnificè apparere Divinam ſapientiam. Quanquam & hîc ad verbum ἀποστέλλω [*mitto*] intelligi poteſt, εἶπε Θεὸς [*dixit Deus*], ut interdum apud Prophetas.

προφήτας καὶ σοφοὺς καὶ γραμματεῖς. *Prophetas & Sapientes & Scribas*] Lucas, προφήτας καὶ ἀποστόλους [*Prophetas & Apoſtolos*], vocem ἀποστόλων [*Apoſtolorum*] non ſtrictè uſurpans, ut quidam putant, pro functione propria Novi Federis, ſed quomodo tunc vox iſta שליחים intelligebatur, ut *legatos* quosvis ſignificaret. Nam ita infrà quoque 37. & apud Lucam altero loco junguntur προφῆται [*Prophetæ*] & ἀπεσταλμένοι [*miſſi*]. Hoc dicit Chriſtus, Legatos qui ad ipſos venturi eſſent nihilo minores fore iis quos vocabant Prophetas, aut humanâ ſapientiâ pollentes, quos appellabant γραμματεῖς ספרים [*Scribas*], & eorum principes σοφοὺς החכמים [*eruditos*]. Hoc autem eò pertinet ut ſi eos non audiant ſint ἀναπολόγητοι [*excuſationis expertes*], & ex eo judicio quod ipſi in parentes ſuos ferebant αὐτοκατάκριτοι [*proprio judicio condemnati*]. Diximus ſuprà XIII, 52. munia & dona quantumvis nova ſolere deſcribi veteri magisque noto nomine.

ἀποκτενεῖτε, *occidetis*] Vt Iacobos duos & Stephanum.

σταυρώσετε, *crucifigetis*] Se quoque, ut videtur, Chriſtus Legatis annumerat, quomodo eum ad Hebræos Scriptor ἀπόστολον [*Apoſtolum*] vocat. Neque terrere nos debet quod præceſſit ἀποστέλλω ἐγώ [*mitto ego*]. Eſt enim figura quam σύλληψιν [*conceptionem*] vocant, quæ nomina multa uni conjungit verbo, quod tamen nominibus omnibus propriè non convenit. Notant hoc Grammatici ad illud Virgilii,

Incluſos utero Danaos & pinea furtim
Laxat clauſtra Sinon.

& ad Lucretii illud,

Quàm ſepire plagis ſaltum canibusque ciere.

Sed & Cleopæ filius Simon, Iudæorum operâ crucifixus narratur.

μαστιγώσετε ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν, *flagellabitis in ſynagogis veſtris*] Vt Iohannem & Petrum. Vide quæ ſuprà X, 17.

διώξετε, *perſequemini*] Vt Paulum & Barnabam ſæpe.

35. Ὅπως ἔλθῃ ἐφ' ὑμᾶς πᾶν αἷμα, *Vt veniat ſuper vos omnis ſanguis*] Αἷμα [*ſanguis*], quod Hebræi pluraliter dicunt דמים, ſicut cædem, ita ipſam quoque cædis pœnam ſignificat, ut Pſalmo IX, 12. I Regum II, 32. Vnde porro ad aliorum quoque criminum pœnam, atque adeò pœnæ obligationem cœpit transferri, ut videre eſt Levitici XX, 9, 13. deinde etiam ad cauſam qualiscunque exitii, ut II Samuelis I, 16. Ezechielis III, 18.

ἐκχυνόμενον ἐπὶ τῆς γῆς, *qui effuſus eſt ſuper terram*] Ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à conſtitutione mundi*], ut Lucas loquitur. ἐκχυνόμενον hîc & apud Lucam præſens pro præterito; ut alibi pro futuro, infrà XXVI, 28. Senſus eſt, Tam horribiles fore Iudæorum pœnas in excidio Hieroſolymitano, ut ſufficere poſſe videantur luendis homicidiis omnibus quæ usquam erant perpetrata, cùm tamen eæ pœnæ illorum merita, præſertim ea quæ Deo magis quàm hominibus erant cognita, non æquarent, nedum excederent. Quæ conſideratio, ni fallor, multos hujus generis nodos ſolvit. Confer Apocalypſeos locum XVIII, 24. Non malè autem ab aliis annotatum eſt Abelis & Zachariæ ſpeciatim mentionem fieri, quòd de Abele legamus *ſanguinem ejus ad Deum clamaſſe* Geneſ. IV, 10. de Zacharia autem dictum ab eo moriente, *Videat Deus & judicet* II Paralipomenôn XXIV, 22.

Ζαχαρίου υἱοῦ Βαραχίου, ὃν ἐφονεύσατε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου. *Zachariæ, filii Barachiæ, quem occidiſtis inter Templum & altare*] Hiſtoriam hîc tangi eam quæ dicto Paralipomenôn loco traditur, præterquam quòd nullius alterius Zachariæ occiſi Sacræ literæ meminerunt, vel ipſe cædis locus evincat. Facta enim eſt in ſubdiali quod חצר vocant Hebræi, αὐλὴν Græci, Ioſephus ὕπαιθρον, in quo erat altare holocauſtorum, ita ut ſubdialis pars aliqua inter altare & ædem Templi, quæ hîc ναὸς [*Templum*] ſtrictè dicitur, Hebræis היכל, intercederet: quem locum etiam in hiſtoria περὶ ἁλώσεως [*De captivitate*] libro quinto Ioſephus eodem modo nominat μέχρι τοῦ βωμοῦ καὶ τοῦ νεὼ [*inter altare & Templum*]. Idem in deſcriptione τρίτου περιβόλου [*tertii ambitus*] ita loquitur, ὁ ναὸς ἐν τούτῳ καὶ πρὸ τούτου βωμὸς ἦν, ἐφ' οὗ τὰς θυσίας ὁλοκαυτουμένας τῷ Θεῷ [*in hoc eſt Templum & ante id altare, in quo victimas holocauſtorum Deo offerimus*]. Et in deſcriptione templi Solomonici, τὸ δὲ θυσιαστήριον τὸ χάλκεον ἵστησι πρὸ τοῦ ναοῦ ἄντικρυς τῆς θύρας, ὡς ἀνοιχθείσης αὐτὸ καταπρόσωπον εἶναι καὶ βλέπεσθαι τὰς ἱερουργίας [*Altare verò æneum ante Templum eſt proximè oſtium, ita ut eo aperto in conſpectu ſit & adſpectentur ſacrificia*]. Hecatæus Abderita, ἐνταῦθα δ' ἐστὶ κατὰ μέσον μάλιστα τῆς πόλεως περίβολος λίθινος, μῆκος ὡς πεντάπλεθρος, εὖρος πηχῶν ἑκατὸν, ἔχων διπλᾶς πύλας· ἐν ᾧ βωμός ἐστι τετράγωνος [*Hîc in media admodum urbe ambitus eſt lapideus, longus quinque jugera, latus centum cubitos, habens duplices portas: intra hunc quadratum eſt altare*]. Philo De vita Moſis, ὁ μὲν οὖν βωμὸς ἵδρυτο ἐν ὑπαίθρῳ τῶν εἰσόδων τῆς σκηνῆς ἀντικρὺ, ἀφεστὼς τοσοῦτον ὅσον ἱκανὸν ἦν λειτουργοῖς εἶναι διάστημα πρὸς τὰς καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐπιτελουμένας θυσίας [*Altare poſitum erat ſub dio apud introitum Tabernaculi, tantillum diſtans quantum ſufficiebat ſacrorum miniſtris ad facienda ſacra quotidiana*]. In Thalmude Babylonico de Menſuris Templi capite V. dicitur inter porticum & hoc altare ſpatium fuiſſe XXII cubitorum. De Iohannis Baptiſtæ patre ἀδέσποτον [*carentem auctore*] & multis de cauſis minimè veriſimilem fabulam rectè refutavit Hieronymus. Obſtat explicationi quam jam attulimus, patris nomen; & mendi ſuſpicionem auget, quòd ut iſte Zacharias patrem Iojadam, ita Propheta patrem habuit Barachiam: ita ut videri poſſint exſcriptores peccaſſe memoriæ fiduciâ, quia Prophetæ Zachariæ patrem noverant, nec de altero Zacharia ſuccurrebat: quibus accedit quòd codex Hebræus Nazaræorum, quem non fruſtra toties & hoc etiam loco conſuluit Hieronymus, eadem hæc habebat, ſed pro *Barachiæ* nomine nomen *Iojadæ*: nec quicquam erat cauſæ cur hac in re aut Nazaræorum, aut Ebionitarum fides argueretur. Vetuſtatem tamen lectionis noſtræ, quam magno conſenſu tuentur Græci, Latini, Syri codices, una res poteſt defendere, quòd apud Hebræos propria nomina ſæpe mutarentur in alia ejusdem aut vicini ſignificatus; quomodo Rex Solomo dicebatur *Iedidias*, Ozias vero *Azarias*. Maximè autem id uſurpari cœptum erat in nominibus in quibus aliquot literæ nominis τετραγραμμάτου [*quadriliteri*] exſtarent, quale eſt nomen יהוידע [*Iojadæ*]. Sic pro *Iuda* quidam malebant *Thaddæum* dicere, quia *Iuda* nomen à literis τοῦ τετραγραμμάτου [*nominis quadriliteri*] incipit. Sic Rex Iojakim idem dictus & *Eliakim* II Regum XXIII, 34. II Paralipomenôn XXXVI, 4. & in Iudithæ hiſtoria idem eſt Sacerdos Iojakim XV, 9. & *Eliakim* IV, 5, 11. Sicut autem *Thaddæus* idem valet quod *Iudas*, *Eliakim* idem quod *Iojakim*: ita eadem eſt ſignificatio & in nomine *Iojadæ*, & in nomine *Barachiæ*. Simili de cauſa Chaldæus Paraphraſtes Threnorum Zachariam eum qui in Templo eſt occiſus vocat filium non Iojadæ ſed עדו [*Hiddo*], quod nomen fuit avo vatis Zachariæ. Sed & hunc ipſum Zachariam (niſi in codice vitium eſt) LXX *Azariam* vocant. Ἐφονεύσατε [*occidiſtis*] autem dicit, quia populus idem eſt per multa ſecula. Simile loquendi genus Marci X, 3. Iohann. VI, 32. VII, 19 & 22. Actorum VII, 38. & apud Scriptores alios. Addam hoc quoque, videri ita hîc Chriſtum alludere ad veterem hiſtoriam ut ſimul inſit ejus verbis futuri præſagium. Nam virorum bonorum atque inſignium ultimus ab Hieroſolymitis trucidatus, & quidem in ipſo Templo, dictus itidem eſt *Zacharias*, & quidem *filius Baruchi*, quod cum *Barachiæ* nomine idem haberi poteſt: cujus cædem ſtatim ſecuta eſt obſidio, ut apud Ioſephum videre eſt.

37. Ἱερουσαλὴμ, *Ieruſalem*] Id eſt, Ἱεροσολυμῖται [*Hieroſolymitæ*]· ideo mox ſubdit plurali numero οὐκ ἠθελήσατε [*noluiſtis*], κατὰ σύνθεσιν [*per Coagmentationem*] quam vocant.

ἡ ἀποκτείνουσα τοὺς προφήτας, *quæ occîdis Prophetas*] Vt Eſaiam. Sed & alios quorum non exſtant nomina. Vide Nehem. IX, 26.

τοὺς ἀπεσταλμένους, *qui ad te miſſi ſunt*] Ita vocat eos qui Prophetæ ordinarii non erant, ſed ad tempus Divino Spiritu induebantur, qualis ille Zacharias.

πρὸς αὐτὴν, *ad ipſam*] Locutio Orientalium populorum qui primæ & ſecundæ perſonæ poſt pronomen relativum aut participium ſubjungunt verba aut pronomina perſonæ tertiæ: quod multis in locis Hebræorum, Syrorum, Arabum obſervare eſt.

ποσάκις ἠθέλησα συναγαγεῖν τὰ τέκνα σου, *quoties volui congregare filios tuos*] *Filii Hieroſolymorum* vocantur Iudæi omnes, quorum μητρόπολις [*urbs matrix*] erat Hieroſolyma, quò conveniebant omnes ſacrorum judiciorumque cauſâ, quò & belli tempore receptum habebant. Sic & Lucæ XIX, 44. Hos Chriſtus jam toto triennio multis miraculis, multis adhortationibus ac comminationibus ad veram pœnitentiam & fidem perducere ſtuduerat, ut eos hac ratione ab imminenti ira Divina liberaret. Nam hoc eſt *ſub alas congregare:* quod ἐν σκέπῃ τῶν πτερύγων σκεπάζειν [*ſub umbra alarum protegere*] vertunt LXX Pſalmo XVII, 8. Eſt autem κυριολεξία [*propria locutio*] in voce συνάγειν [*congregare*]. Collecta enim pullities maternis alis tegitur. Hinc יכנף [*alabitur*] Iſaiæ XXX, 20. Hebræorum Magiſtri exponunt יאסף συνάξεται, συναχθήσεται [*colligetur*], & iiſdem כנופיא [*alatio*] eſt *populi collectio*, σύναξις. Eâdem ſimilitudine Græci curam ac tutelam ſingularem depingunt. Megara Hercule furente,

> Οἵ θ' Ἡράκλειοι παῖδες οὓς ὑποπτέρους
> Σώζω, νεοσσοὺς ὄρνις ὡς ὑφειμένη.
> [*Magnique natos Herculis quos ſoſpito*
> *Meis ſub alis, ut ſuos pullos avis.*]

Seneca ſequitur,

> *Qualis accipitris minas*
> *Fugit, & ſparſos metu*
> *Colligit fœtus avis.*

καὶ οὐκ ἠθελήσατε; *& noluiſtis*] Paternum loquendi genus Filius, imago Patris, exprimit. Ita enim Deus Ezechielis XXIV, 13. *Mundavi te, & te non mundaſti:* & Proverbiorum I, 24. *Vocavi & renuiſtis.* Apud Eſaiam LXV, 12. *Vocavi, & non reſpondiſtis; locutus ſum, & non audiſtis:* & ſimiliter apud Ieremiam VII, 13. Confer & Deuter. XXXII, 29, 30. Iſti autem quos Chriſtus alloquitur non modò τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς [*conſilium Dei poſuerunt in ſemetipſos*], ut dicitur Lucæ VII, 30. ſed alios quoque Iudæos fidei ſuæ creditos impediebant ne cœleſtia monita reciperent, ut ſuprà dictum eſt commate 13. partim poteſtate Synedrii, partim Doctorum auctoritate.

38. ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν ἔρημος. *relinquetur vobis domus veſtra deſerta*] *Locus iſte in quo vos, ô Hieroſolymitæ, habitatis in ſolitudinem vertetur.* Vrbem enim malim intelligi quàm Templum ſolum. Eſt enim his οἶκος [*domus*] quod in Hebræo טירה [*habitatio*] Pſalmo LXIX, 26. pro quo ἔπαυλιν verterunt LXX, quos in Actis ſequitur Lucas; Hieronymus *commorationem*: niſi quis malit Ieremiæ verba reſpici, apud quem Deus ita loquitur XII, 7. עזבתי את ביתי נטשתי את נחלתי ἐγκαταλέλοιπα τὸν οἶκόν μου· ἀφῆκα τὴν κληρονομίαν μου [*reliqui domum meam, dimiſi hereditatem meam*]· aut illa ejuſdem Prophetæ XXII, 5. כי לחרבה יהיה הבית הזה εἰς ἐρήμωσιν ἔσται ὁ οἶκος οὗτος [*in ſolitudinem erit domus hæc*]. ὑμῖν [*vobis*] hîc manifeſtè παρέλκει [*abundat*], quomodo Latini veteres *ſuum ſibi* dicebant. Ita apud Syrum capite ſequenti, commate 33. רמטת לה [*propè eſt ei*], & alibi ſæpe.

39. ἕως ἂν εἴπητε· *donec dicatis*] Id eſt, *donec libenter admodum dicturi ſitis*. Nuper pueros fauſta Ieſu acclamantes compreſſerant. Ait Ieſus venturum tempus cùm libenter ipſi eâ uſuri ſint acclamatione, ſi ea ratione ipſius gratiam poſſent eblandiri, tum ſcilicet cùm ipſum videbunt à Patre mundi Iudicem conſtitutum. Vide Philipp, II, 10. qui locus eodem pertinet. Nam ad converſionem Iudæorum hæc trahere durum mihi videtur; cùm tota oratio ſit comminatoria, & ad ejus ætatis homines pertineat, quod vox γενεᾶς [*generationis*] indicat.

CAPVT XXIV.

1. Ἀπὸ τοῦ ἱεροῦ· *de Templo*] Verſus montem Oliveti, ut Marcus adſcribit, unde optimus in Templum deſpectus, quod ſubjecta ei monti pars murorum Templi eſſet depreſſior partibus cæteris.

ἐπιδεῖξαι αὐτῷ τὰς οἰκοδομὰς τοῦ ἱεροῦ. *ut oſtenderent ei ædificationes Templi*] Vt ſolent qui operis alicujus magnitudinem ac firmitatem admirantur. *Immenſæ opulentiæ templum*, dixit Tacitus: & mox, *Templum in modum arcis, propriique muri, labore & opere ante alios: ipſæ porticus quîs templum ambiebatur, egregium propugnaculum.* Deinde, *Struxere muros in pace,* *tanquam ad bellum.* Ioſephus vocat ἔργον πάντων ὧν ὄψει καὶ ἀκοῇ παρειλήφαμεν θαυμασιώτατον κατασκευῆς τε ἕνεκα καὶ μεγέθους, ἔτι τῆς καθ' ἕκαστον πολυτελείας [*opus omnium quæ aut viſu aut auditu accepimus admirandum maximè, tum formam fabricæ, tum ob magnitudinem, tum verò & ob partium ſingularum magnificentiam*]. Adde Philonem De Monarchia 11. & De legatione ad Cajum. Quanquam autem Herodes Magnus Templum ut augeret à fundamentis novaverat, tamen cùm & materiâ uſus ſit veteri, & non totum ſimul Templum diruerit, ſed per partes quantum quoque tempore innovandum erat, rectè Templum hoc idem fuiſſe dicitur quod ſtructum erat à Zorobabele. Atque ita Ioſephus bis dicit Templum dirutum, ſemel à Chaldæis, iterum à Tito: & Iudæorum Magiſtri excidium Titi vocant *excidium Templi ſecundi*; & tempora quæ id excidium antecedunt, *tempora ſecundi Templi.* Hoc Templo ſtante exſpectandus erat Meſſias ex vaticinio non Danielis tantùm, ſed & Aggæi II, 8. addito quod eſt apud Malachiam III, 1.

2. οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε λίθος ἐπὶ λίθον, ὃς οὐ μὴ καταλυθήσεται. *non relinquetur hîc lapis ſuper lapidem qui non deſtruatur*] Erat id quidem verum & de Vrbe, quæ & ipſa, ut Ioſephus loquitur, πρόρριζος ἐκ βάθρων ἀνήρπασται [*ſtirpitus à fundamentis eruta eſt*], &, ut alibi idem ait, ἠφάνισται οὕτως ἐξομαλισθεῖσα ὡς μηδέποτ' οἰκηθῆναι πίστιν ἂν ἔτι παρασχεῖν τοῖς προσελθοῦσι [*ita ſolo æquata interiit ut qui accedunt ſpem nullam habeant reſtitui eam poſſe*], paucis turribus exceptis in monumentum victoriæ, & muri parte quæ valli vice eſſet Romano militi: ſed propriè de Templo agit Chriſtus, cujus, ut diximus, & magnificentiam & firmitatem Diſcipuli admirabantur. Id autem planè dirutum eſt, nulla ejus parte ſervata. Sicut in ſtructione Templi dictus eſt *lapis poni ſuper lapidem*, Aggæi II, 16. ita in deſtructione *non relinqui lapis ſuper lapidem.*

3. οἱ μαθηταί, *Diſcipuli*] Articulus hîc vim habet pronominis indefiniti. Senſus enim eſt, τινὲς τῶν μαθητῶν [*Diſcipulorum quidam*], quos Marcus quatuor nominat.

πότε ταῦτα ἔσται, καὶ τί τὸ σημεῖον τῆς σῆς παρουσίας, καὶ τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; *quando hæc erunt, & quod ſignum adventus tui, & conſummationis ſeculi?*] Occaſione ejus quod Chriſtus de excidio Templi dixerat, Diſcipuli de ejus excidii tempore Chriſtum interrogantes, duo præterea quærunt, quæ ab aliis non itidem expreſſa Matthæus diſtinctè poſuit; nempe quæ futuræ eſſent ἐποχαὶ [*notæ*] tum adventûs Chriſti, tum finis ſeculorum: non quòd has tres quæſtiones in unum idemque recidere exiſtimarent, ſed quòd rerum imminentium præcipuas unâ operâ ſibi prædici cuperent: ac præterea exiſtimarent inter hæc omnia non multum temporis interceſſurum. Dogmata Chriſti jam ſatis imbibiſſe ſe putabant; nunc vaticinia ab ipſo audire deſiderant, freti ea pollicitatione qua Chriſtus dixerat multa ſe arcana ſeorſim à plebe cætera ipſis revelaturum. Παρουσίαν [*adventum*] *Chriſti* à *conſummatione ſeculorum* multi non diſtinguunt, vocis, ni fallor, ambiguo decepti: nam multiplici ſignificatu uſurpari παρουσίαν [*adventum*] certiſſimum eſt. At Matthæus diſtinguit hanc quæſtionem non minùs à tertia quàm hanc & tertiam à prima: Et Chriſtus, ſi quid video, diſtinctis quæſtionibus diſtinctè reſpondet, primæ ad comma usque 23. ſecundæ inde ad comma 30. poſtremæ in ſequentibus. Quare παρουσίαν [*adventum*] hîc interpretor, non Iudicium, ſed Regnum Meſſiæ, quod illuſtre fore ſplendore externo Diſcipuli putabant. Argumentum ſententiæ meæ eſt, quod verba illa, *Si dixerint, Hîc aut illic eſt; ne exite*, quæ hîc Chriſtus uſurpat ad ſolvendam quæſtionem περὶ τῆς παρουσίας [*de adventu*], ut videre eſt infrà 23, 26, 27. apud Lucam quoque inveniuntur XVII, 22, 23. ubi itidem Fulminis apparet comparatio. Eodem autem loco clariſſimè oſtendit Chriſtus agere ſe de Regno ſuo, quod Regnum Dei, loquendi more Iudæis uſitato, appellat; id ipſum Regnum venturum ſignificans οὐ μετὰ παρατηρήσεως [*non cum obſervatione*]. Conferat diligens lector loca; videbit ita ſe rem habere ut dico. Fateor quidem παρουσίας [*adventûs*] voce ſæpe illum Iudicii adventum ſignificari; ſed id perpetuum non eſt. Nam Petrus παρουσίας [*adventûs*] voce efficaciam Chriſti deſignans conjungit δύναμιν καὶ παρουσίαν [*virtutem & adventum*] II epiſt. capite 1, 16. Et alia quoque ſunt in Apoſtolicis ſcriptis loca quæ eam recipiunt interpretationem. Veteres quoque Chriſtiani ab Apoſtolis eum loquendi morem acceperunt; ut Iuſtinus de creſcente in ipſis ſuppliciis Chriſtianorum numero agens, Οὐχ ὁρᾷς ὅσῳ πλείονες κολάζονται, τοσούτῳ πλεονάζοντας ἄλλους; Ταῦτα ἀνθρώπου οὐ δοκεῖ τὰ ἔργα, ταῦτα δύναμίς ἐστι τοῦ Θεοῦ· ταῦτα τῆς παρουσίας αὐτοῦ δείγματα [*Non vides quò plures ſunt qui eos ad pœnas vocant tantò magis creſcere eorum numerum? Hæc videri nequeunt hominis opera; hæc eſt Dei virtus: hæc teſtimonia adventûs ipſius*]. Chryſoſtomus εὐαγγέλιον [*Euangelium*] definit τοῦ θείου λόγου Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ παρουσίαν [*Sermonis Dei, id eſt, Domini Ieſu Chriſti adventum*].

4. Βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ. *Videte nequis vos ſeducat*] Incipit Chriſtus explicare ea quæ excidium Templi ſunt anteceſſura.

5. ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*] *Nomen*, ut alibi diximus, multa ſignificat; ſæpe autem officium aut dignitatem alicujus. Dicuntur ergo hîc exſtituri qui ſibi adſcribant dignitatem eam quæ Ieſu eſt propria, id eſt, ut ſequitur, *qui ſe dicturi ſint Chriſtos.* Aliàs *nomen* eſt mandatum; quo ſenſu iidem illi dicuntur *venturi in ſuo nomine*, Iohannis V, 43. hoc eſt, nullo inſtructi mandato, ſed auſu proprio.

Ἐγώ εἰμι ὁ Χριστός· *Ego ſum Chriſtus*] Quanquam & ψευδόχριστοι [*pſeudochriſti*] ſunt ψευδοπροφῆται [*pſeudoprophetæ*] generaliori nomine, diſtingui tamen ſolent, ut & infrà videre eſt 24. *Chriſti* nomine populus Iudaïcus intelligebat vindicem libertatis. Nam illud, ἡμεῖς δὲ ἠλπίζομεν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ [*nos autem ſperavimus quia ipſe eſſet redemturus Iſrael*], Lucæ XXIV, 21. deſcriptio eſt nominis *Chriſti.* Quare quicunque ſe miſſos Divinitus liberatores populi Iudaïci dicebant, eo ipſo Chriſtos ſe profitebantur, & erant ψευδόχριστοι [*pſeudochriſti*]. Talis fuit Theudas, non ille Gamalieli nominatus, ſed alter ejusdem nominis γόης [*impoſtor*], qui Cuſpio Fado Iudæam regente magnam plebis multitudinem ad ſe vocavit, pollicitus verbi ſui imperio diſceſſuras Iordanis aquas, ut via pateret transeuntibus; ſed cum magna ſectatorum ſtrage captus à Fado capite pœnas luit. Tales & illi πλάνοι, γόητες καὶ ἀπατεῶνες [*ſeductores, impoſtores & fallaciis pleni*], ut eos nominat Ioſephus, qui Felice Procuratore προσχήματι θειασμοῦ [*ſpecie divini afflatus*] imponebant hominibus, perſuadentes iis ut ſe in ſolitudinem ſequerentur, maxima ſigna ac miracula conſpecturi; quod itidem multis exitio fuit: & iiſdem temporibus ex Ægypto impoſtor, cujus & apud Ioſephum & in Actis Apoſtolicis eſt mentio, qui contractâ manu triginta millium in montem Oliveti, caſura juſſu ſuo Hieroſolymorum mœnia promiſerat; ſed à Felice oppugnatus, cæſis captiſque ſectatoribus, in fugam ſe dedit. Iterumque ſub Porcio Feſto γόης [*impoſtor*] alius, σωτηρίαν ἀπαγγελλόμενος καὶ παῦλαν κακῶν [*ſalutem pollicens & malorum ceſſationem*], eâque ſpe multos in ſolitudinem pelliciens, ubi cum ſuis oppreſſus eſt. His addi poſſunt Simon Magus, qui ſe δύναμιν Θεοῦ [*virtutem Dei*] prædicabat; & Doſitheus ille qui ſibi *Chriſti* titulum vindicabat, de quo vide Origenem adverſùs Celſum lib. II. & in Matthæum tractatu 27.

καὶ πολλοὺς πλανήσουσι. *& multos ſeducent*] Multos ſpe falſâ illectos in exitium abripient, ut ex antè dictis hiſtoriis apparet.

6. πολέμους καὶ ἀκοὰς πολέμων. *prælia & opiniones præliorum*] Πολέμους [*bella*] hîc intelligo cædes in Iudæos editas Cajo imperante, tum Alexandriæ tum circa Babylonem, quarum meminit Ioſephus Ἀρχαιολογίας [*Originum*] XVIII. Alexandrinam accuratè deſcribit Philo adverſùs Flaccum. Ἀκοὰς πολέμων [*rumores de bellis*], metum belli à Cajo cum imaginem ſuam Templo inferre pararet. Tacitus Hiſtoriarum V. *Iuſſi à Cajo Cæſare effigiem ejus in templo locare, arma potiùs ſumſere: quem motum Cæſaris mors diremit.* Et Annalium XII. de eodem agens tempore, *Præbuerant Iudæi ſpeciem motus ortâ ſeditione.* Quanta tum fuerit Iudæorum conſternatio tum Alexandriæ, tum in Iudæa, apud eos quos dixi Scriptores Iudæos legere eſt operæ pretium.

ὁρᾶτε μὴ θροεῖσθε· *videte ne turbemini*] Conſiderate iſta diligenter; ſed ne ita movemini iſtis quaſi extrema eſſent malorum quæ Iudæos manent ob contemta tot ad pœnitentiam hortamenta.

δεῖ γὰρ πάντα, *oportet enim cuncta*] Latinus Interpres pro πάντα legit ταῦτα [*hæc*]· Syrus autem conjunctim πάντα ταῦτα [*cuncta hæc*], quod, cùm & codicum quorundam fide muniatur, præferendum puto. Senſus eſt, Plura talia accidere debent antequam malorum terminus adſit. Δεῖ [*oportet*] iſtud, ut ad caput XVIII. in re ſimili diximus, Dei conſilium ſpectat ſapienter permittentis ea mala ad quæ Iudæi ſua ſponte ferebantur, quò magis juſtitia ipſius pateſceret.

οὔπω ἐστὶ τὸ τέλος. *nondum eſt finis*] Id eſt, nondum ad ſummum pervenit pœna Iudæorum; ut oſtendit collatio commatis 14. Daniel dixit כי עוד למועד XI, 35.

7. Ἐγερθήσεται γὰρ ἔθνος ἐπὶ ἔθνος, καὶ βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν· *conſurget enim gens in gentem, & regnum in regnum*] Sunt propè ipſa verba Azariæ Prophetæ ad Aſam Regem Paralipomen. II, cap. XV, 6. Indicat Chriſtus majores quàm ſub Cajo evenerant cædes imminere ultimis temporibus Claudianis, & Neronis principatu. Illud ἔθνος ἐπὶ ἔθνος ἐγερθήσεται [*gens in gentem*], ſignificat Iudæos & qui aliarum erant gentium iiſdem in civitatibus morantes mutuis inter ſe cædibus collidendos: quod contigit Cæſareæ primùm, deinde Scythopoli, Ptolemaïde, Tyri, Gadaris, rurſum Alexandriæ, deinde & Damaſci. Illud autem βασιλεία ἐπὶ βασιλείαν [*regnum in regnum*] ſignificat Tetrarcharum aut provinciarum aperta inter ſe bella. Nam ſicut βασιλεὺς [*Rex*] interdum etiam *Præfectum* ſignificat, ex more Hebraïci ſermonis, ut alibi obſervavimus, ita & βασιλεία [*regnum*] *præfecturam* quamvis; ut Nomos Ægypti Eſaiæ XIX, 2. Huc referri debet Iudæorum in Peræa habitantium bellum adverſùs Philadelphenos ob finium controverſiam, Cuſpio Fado Procuratore; Iudæorum & Galilæorum bellum adverſùs Samaritas, Procuratore Cumano; poſtremo bellum primum à ſicariis quos vocabant, deinde ab univerſa Iudæorum Gente ſumtum adverſùs Romanos & Agrippam aliosque Romani Imperii ſocios, quod initium habuit Geſſio Floro Procuratore. Vide & quæ dicemus ad Apocalypſin VI. 4.

καὶ ἔσονται λιμοὶ, *& erunt fames*] Qualis ille λιμὸς μέγας ab Agabo prædictus qui [illa *fames magna* ab Agabo prædicta quæ] Claudii tempore Iudææ incubuit, Actorum XI, 28. Nam Palæſtinam vocare τὴν οἰκουμένην [*univerſum orbem terrarum* ſive *terram habitatam*] Iudæis familiare eſt: unde illud natum quòd urbs Hieroſolyma ſita dicitur in meditullio τῆς οἰκουμένης [*orbis*]· quod ſi de orbe terrarum accipias, ridiculè eſt fabuloſum; ſi de Iudæa, veriſſimum. Eſt enim, ut Ioſephus loquitur, ὀμφαλὸς τῆς χώρας [*umbilicus regionis*]. Ioſephus de eadem hac fame ita loquitur, ubi ad Tiberium Alexandrum Procuratorem pervenit, ἐπὶ τούτοις γὰρ καὶ τὸν μέγαν λιμὸν κατὰ τὴν Ἰουδαίαν συνέβη γενέσθαι [*circa hæc tempora magna fames per Iudæam evênit*], narrans etiam ſubſidium ei penuriæ aliquod allatum ab Izate Adiabenorum Rege & matre ejus Helena. Et hanc præcipuam eſſe cauſam arbitror ob quam fratrum in Palæſtina neceſſitatem aliarum gentium Eccleſiis Paulus tam ſollicitè commendat. Neque errare puto qui huc referunt quod in Apocalypſi eſt de *eo qui atro equo inſidens libellam habebat in manu.* Dicemus ea de re ad ipſam Apocalypſin.

καὶ λοιμοὶ, *& peſtilentiæ*] Conjungi ſæpe ſolent λιμὸς & λοιμὸς [*fames & peſtilentia*], ut ſono Græcarum vocum ita & naturali quodam nexu inter ſe copulata: ut apud Heſiodum,

> Τοῖσιν δ' οὐρανόθεν μέγ' ἐπήγαγε πῆμα Κρονίων,
> Λιμὸν ὁμοῦ καὶ λοιμόν· ἀποφθινύθουσι δὲ λαοί.
> [*Iuppiter hæc ultor cælo mala miſit ab alto,*
> *Cum multo populûm exitio, peſtemque famemque.*]

Hanc autem peſtilentiam ad tempora famem jam dictam proximè ſequentia refero; juxta vetus verbum, μετὰ λιμὸν λοιμός [*Poſt famem peſtilentia*]. quomodo & in Apocalypſi poſt atrum equum χλωρὸς [*pallidus*],

[*pallidus*],cui inſidet θάνατος [*Mors*]& ei comes ᾅδης [*Infernus*] · ubi quod ſequitur καὶ ἐδόθη αὐτοῖς ἐξουσία ἀποκτεῖναι ἐπὶ τὸ τέταρτον τῆς γῆς ἐν ῥομφαίᾳ καὶ λιμῷ καὶ ἐν θανάτῳ καὶ ὑπὸ τῶν θηρίων τῆς γῆς [*& data eſt illis poteſtas ſuper quatuor partes terræ interficere gladio, fame & morte & beſtiis terræ*] , referri debet ad ſecundi, tertii & quarti equi inſeſſores, & voce θανάτου [*mortis*] intelligendus eſt λοιμός [*peſtilentia intelligenda*] ex Hebraïſmo: Nam ita מות [*mors*] ſumitur apud Ieremiam IX,21. & XVIII, 21. Sic apud Sirachiden legimus XXXIX, 29. λιμὸς καὶ θάνατος [*fames & mors*], ubi itidem θάνατος [*mors*] haud dubiè peſtilentiam ſignificat. Syrus quoque tum hîc tum apud Lucam λοιμοὺς [*peſtilentias*] vertit מותנא, id eſt, θανάτους [*mortes*] · & Lxx Hebræorum דבר, id eſt, *peſtem*, vertunt θάνατον [*mortem*],ut & Chaldæus & Latinus Levit. XXVI, 25. Horum exemplo Severus Sulpitius hiſtoriarum primo *mortem* pro *peſtilentia* poſuit.

καὶ σεισμοὶ κατὰ τόπους. *& terræmotus per loca*] Id eſt, *terræmotus erunt multis in locis*, ut rectè expoſuit Syrus. Terræmotus autem, præterquam quòd ſigna ſunt iræ Divinæ eos aut procurantis aut impedire nolentis, graves etiam clades ſæpe urbibus adferunt, ut ex iis eſt cognoſcere quæ de Aſiæ terræmotu Annal. II. Tacitus refert. Plinius, *Non ſimplex malum, aut in ipſo motu tantùm periculum eſt, ſed par aut majus oſtentum. Nunquam urbs Romana tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuntium eſſet.* Hi autem terræmotus à Chriſto prædicti partim in Claudii partim in Neronis tempora inciderunt. Gravis terræmotus qui in Creta accidit Claudio imperante meminit Philoſtratus in Vita Apollonii; Item terræmotuum Smyrnæ, Mileti, Chii, Sami, paulò ante tempora exciſæ urbis Hieroſolymorum: Alterius in Aſia,Tacitus,Nerone & Cornelio Coſſo Conſulibus, *Laodicea*, inquit, *tremore terræ prolapſa.* Addit Euſebius Hierapolim & Coloſſas. Rurſus poſterioris cujusdam terræmotus Seneca meminit Naturalium ſexto. Pertinebat autem hæc res ad Iudæos, quòd dictis jam locis multi Iudæi habitarent. In Apocalypſi poſt mentionem martyrum ſequitur σεισμὸς μέγας [*terræmotus magnus*] · quod eodem ſpectare arbitror.

8. ἀρχὴ ὠδίνων. *initia dolorum*] Sæpiſſime Pſalmorum Scriptores & Prophetæ maximos dolores doloribus parturiginis comparant; ubi & vocem ὠδίνων apud Lxx paſſim reperire eſt, ut Pſalmo XLVIII, 7. Eſaiæ XIII, 8. LXVI, 7. ubi Chaldæum vide. Ieremiæ XXX, 6, 7. & alibi. Sed plus hîc dicit Chriſtus; ea nempe quæ jam memoravit mala adeò ſuprema non fore ut primis demum doloribus parituræ mulieris conferri debeant, poſt quos dolor multò gravior in partu ipſo ſequitur; ut in Comœdia,

Dolores, mea tu, occipiunt primulum.

9. Τότε, *Tunc*] Id eſt, *circa iſta tempora*: ita enim ſolet τότε laxiùs accipi. Vide ſuprà II, 7. III, 13. IV, 11. XV, 12. XVII, 19. XIX, 13, 27. infrà hîc 14, 30. Soph. III, 9. Nam quæ ſequuntur partim ante jam narratas Iudæorum calamitates (quod Lucas hoc loco apertè ſignificat) partim inter eas acciderunt. Nam Chriſtus res ipſas diſtinguens à communibus Iudæorum malis ad peculiaria in ſe credentium incommoda facit μετάβασιν [*transitum*]. Sed & illud notandum, ea ipſa de quibus jam egit Chriſtus mala, terræmotus, famem, peſtilentiam, imputata Chriſtianis, quaſi ob ipſorum impietatem mala iſta humano generi evenirent; idque raptum in ſævitiæ occaſionem: quòd paſſim nos docent Apologetici Chriſtianorum libri.

παραδώσουσιν ὑμᾶς εἰς θλῖψιν, *tradent vos in tribulationem*] Iudæi, inquit, vos Chriſtianos rapient ad *Synedria* & *Conventus majores*, ut Petro & Iohanni accidit; partim etiam ad *Reges*, ut ad Herodem pertracti ſunt Iacobus & Petrus, ad Neronem Paulus; partim ad *Præſides*, ut idem Paulus ad Gallionem, Felicem, Feſtum. θλῖψις [*tribulatio*] ſunt flagra, carcer, aliæque id genus vexationes.

καὶ ἀποκτενοῦσιν ὑμᾶς · *& occident vos*] Efficient ut quidam veſtrum, ἐξ ὑμῶν [*ex vobis*], ut Lucas inquit, etiam interficiantur, ſive populari tumultu, ut Stephanus, ſive judicii ſpecie, ut Iacobi duo, alter ab Herode gladio percuſſus,alter à Synedrio damnatus ut lapidaretur.

ὑπὸ πάντων ἐθνῶν, *omnibus gentibus*] Non in Iudæorum tantùm venietis odium, ſed & aliarum per orbem gentium. Quod cœpit maximè ſub Nerone, qui incenſæ à ſe urbis rumori Chriſtianos, ut Tacitus narrat, reos ſubdidit & quæſitiſſimis pœnis affecit. Tertullianus Apologetico adverſùs Gentes, *Conſulite commentarios veſtros: Illic reperietis primum Neronem in hanc ſectam, tum maximè Romæ orientem, Cæſariano gladio ferociſſe: ſed tali dedicatore damnationis noſtræ etiam gloriamur. Qui enim ſcit illum, intelligere poteſt non niſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.*

διὰ τὸ ὄνομά μου. *propter nomen meum*] Ob nudam Chriſtianiſmi profeſſionem, I Petri IV, 16. quod bene Tertullianus probat dicto Apologetico, *Credunt de nobis quæ non probantur: & nolunt inquiri, ne probentur non eſſe quæ malunt credidiſſe, ut nomen illius æmulationis inimicum præſumtis non probatis criminibus de ſua ſola confeſſione damnetur. Ideo torquemur confitentes, & punimur perſeverantes, & abſolvimur negantes, quia nominis prælium eſt.* Nam quod de diis non rectè ſentire crederentur, eam non fuiſſe veram ſævitiæ cauſam, ex eo probat Origenes quòd Epicureis aliiſque Philoſophis omnem omnino Divinam providentiam tollentibus parcebatur. Vnde manifeſtum eſt, ex malorum ſpirituum, qui per idola colebantur, inſtigatione ortam hanc crudelitatem. Sentiebant enim hanc unam doctrinam eſſe qua vis omnis errorum pleniſſimè debellaretur. Ideo cùm Iudæi non minùs quàm Chriſtiani falſos deos oppugnarent, Iudæi impunè id ferebant, Chriſtiani rapiebantur ad pœnas.

10. σκανδαλισθήσονται πολλοί · *ſcandalizabuntur multi*] Conſpecto iſto omnium gentium adverſùs Chriſtianos odio, multi à Chriſtianiſmi profeſſione deficient. Ita ſuprà ad caput XIII. oſtendimus, quod Matthæus dicit σκανδαλίζεσθαι [*ſcandalizari*], Lucæ dici ἀφίστασθαι [*recedere*]. Id eſt Danieli XI, 30. עוב ברית [*derelinquere teſtamentum* ſive *fedus*]. Evênit hoc Phygello, Hermogeni, Demæ, & haud dubiè plurimis aliis quorum nomina non exſtant.

καὶ ἀλλήλους παραδώσουσι, καὶ μισήσουσιν ἀλλήλους. *& invicem*

invicem tradent, & odio habebunt invicem] Vox ἀλλήλων [*invicem*] plerumque mutuam quandam & ultro citroque commeantem actionem ſignificat. At hîc paulò latiùs ponitur pro eo quod diceremus, *alter alterum odio habebit*, *ac tradet*, quod rectè expreſſit Syrus חד לחד [*unus unum*]. Sic eadem vox Græca ſumitur Actorum VII, 26. Senſus enim eſt, Futurum ut Chriſtianorum alii alios tradant, nimirum hi qui à Chriſtianiſmo deficiunt eos qui perſeverant. Ferme autem nulli ſunt in veram religionem crudeliores quàm qui veræ religioni repudium miſerunt, ſeu quia contemtum lucis craſſiſſimâ mentis caligine Deus ulciſcitur, ſeu quia & ipſi quidvis agunt ut à ſuſpicione prioris ſtudii ſe liberent.

11. Καὶ πολλοὶ ψευδοπροφῆται ἐγερθήσονται, καὶ πλανήσουσι πολλούς. *Et multi pſeudoprophetæ ſurgent*, *& ſeducent multos*] Ἐγερθήσονται [*ſurgent*] eſt יעמודו. Sicut προφῆται [*prophetæ*] dicebantur Hebræis non hï tantùm qui prædicebant futura, ſed & qui Legem interpretabantur: ita falſos magiſtros Chriſtus noto vocabulo ψευδοπροφήτας [*falſos prophetas*] appellat. Dubium non eſt quin Satan excitato mundi odio adverſùs Chriſtianos, cùm videret tantam eſſe vim veritatis ut eam abnegare multi qui cuperent vix poſſent, nimiùm reluctante animo, ad vim dolos adjunxerit, prætextus aliquos comminiſcens qui defectionem redderent faciliorem. Poterat autem labefactari conſtantia Chriſtianorum aut religionis omnis ſublato uſu, aut poſito quemvis cultum externum eſſe ἀδιάφορον [*in rebus mediis*], aut quæſitis conciliaturis quæ Chriſtianam religionem cum aliqua religione aut probata publicè, qualis erat Ethnicorum, aut tolerata certè, qualis erat Iudæorum, permiſcerent. Religionis uſus tollebatur per Hymenæum & Philetum, qui dicebant *Reſurrectionem jam eſſe factam*. Nam certè ſublata ſpe vitæ alterius, & oſtendente experientia illorum temporum, piis non meliùs ſed pejùs in hac vita eſſe quàm impiis, nihil manebat ſatis firmum quod animum in religione retineret. Cultum omnem externum eſſe ἀδιάφορον [*in rebus mediis*] jam inde ab initio aliqui docuerunt, à quibus id hauſit Elxæus. Ex hoc dogmate factum ut quidam ἐν εἰδωλείοις [*in idolorum templis*] unà cum cæteris *accumberent*, I Corinthiorum VIII, 10. quia ſcilicet εἴδωλον [*idolum*] reipſa *nihil eſſet*, I Corinthior. VIII, 4. X, 19. Adverſùs quos illa eſt Iohannis admonitio, Τεκνία, φυλάξατε ἑαυτοὺς ἀπὸ τῶν εἰδώλων [*Filioli*, *cuſtodite vos à ſimulacris*], epiſtolâ I, capite V, 21. Cùm Paganiſmo Chriſtianam religionem miſcere aggreſſus eſt omnium primus Simon Magus, Claudio imperante. Nam & ipſe pro deo haberi voluit. Credibile eſt perveniſſe ad eum famam conſilii ejus quod à Tiberio datum Senatui Romano legimus, ut Chriſtus adderetur deorum numero: qualem rerum planè inſociabilium mixturam poſtea quoque Adrianus, Severus, Heliogabalus, ſed fruſtra, efficere conati ſunt. Ab hoc Carpocrates hactenus diſceſſit, ut quia *deorum* nomen Chriſtianis erat odioſius, eorum vice Angelos aut αἰῶνας [*Æonas*] quos vocabat, ita verſâ in Græcum voce חיות [*vitas*] quæ eſt apud Ezechielem I, 5. ſubſtitueret, ad eos transferens omnem θεολογίαν [*de rebus Divinis doctrinam*] Orphei, Heſiodi & Pythagoræ. Illis autem annumerabat etiam Chriſtum. Et hæc eſt, ni fallor, illa ψευδώνυμος γνῶσις [*falſi nominis ſcientia*] cujus ad Timotheum Paulus meminit. Ita ſanè vult Irenæus II, 19. IV, 2. Hi ſunt οἱ συλαγωγοῦντες διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης [*decipientes per philoſophiam & inanem fallaciam*], ut ad Coloſſenſes idem Apoſtolus loquitur. Quia enim doctrinam Paganicam cum Chriſtiana doctrina permiſcebant, ideò ſe venditabant eruditionis nomine, ut apud Irenæum & Clementem videre eſt. Horum ſunt γενεαλογίαι [*recenſiones divinarum generationum*] quarum mentio I Timoth. I, 4. Tit. III, 9. Horum ἀπόσπασμα [*portio*], ut loquitur Irenæus, Nicolaïtæ. Sed & apud Vopiſcum legimus in Ægypto qui Sarapidem adorarent Chriſtianos dici voluiſſe: atque illis ſuum fuiſſe Patriarcham. Cùm Iudaïſmo Chriſtianam religionem miſcuerunt, non tolerando ritus Iudaïcos (quod Apoſtolos primis illis temporibus ſcimus feciſſe) ſed Iudaïſmum agnoſcendo unicam ſalutis viam, quæ tum ab aliis Prophetis tum à Chriſto etiam eſſet annuntiata, Cerinthus & Ebion; quorum id præcipuum erat ſtudium ut mala illa quæ Chriſtianos peculiariter premebant, eâ ratione effugerent, ut clarè docet Paulus Philippenſ. III, 18. & Galat. VI, 12. Adverſùs eoſdem multa exſtant in prima Iohannis epiſtola, ſed & in Apocalypſi. Hi igitur omnes horumve ſimiles ſunt quos Chriſtus vocat ψευδοπροφήτας [*pſeudoprophetas*], Paulus ἄνδρας λαλοῦντας διεστραμμένα [*viros loquentes perverſa*], Actorum XX, 30. ψευδαποστόλους [*falſos apoſtolos*], II Corinth. XI, 13. μετασχηματιζομένους εἰς ἀποστόλους Χριστοῦ [*transfigurantes ſe in apoſtolos Chriſti*], quorum dógmatibus multorum *fides everſa eſt*, II ad Timotheum II, 18.

12. Καὶ διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν, ψυγήσεται ἡ ἀγάπη τῶν πολλῶν. *Et quoniam abundavit iniquitas*, *refrigeſcet caritas multorum*] Poſt apertos deſertores & poſt adulteratores fidei tertium genus hominum Chriſtus notat, qui caritatis officia deſerunt διὰ τὸ πληθυνθῆναι τὴν ἀνομίαν [*quia abundavit iniquitas*], id eſt, propter diu durantem & ingraveſcentem ſævitiam: ἀγάπη [*caritas*] eſt dilectio Dei & hominum quos pietas conjungit. Exemplum habemus illuſtre cum primùm Paulus cauſam dixit apud Neronem, *Nemo*, inquit, *mihi adfuit*; *omnes me dereliquerunt*, II Timoth. IV, 16. Simili de cauſa multi deſerebant τὴν ἑαυτῶν ἐπισυναγωγὴν [*collectionem mutuam*], quos notat Scriptor ad Hebræos X, 25.

13. Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται. *Qui autem perſeveraverit uſque in finem hic ſalvus erit*] Ὁ ὑπομείνας, id eſt, *is qui perſtiterit* tum in fide tum in dilectione; ut ipſa præcedentium oppoſitio oſtendit: Quem *neque anguſtia*, *neque preſſura*, *neque vexatio*, *neque fames*, *neque nuditas*, *neque periculum*, *neque gladius ſeparaverit ab ea quæ in Deum fertur dilectione*. *Quod* hîc eſt σώζεσθαι [*ſalvum fieri*] apud Lucam eſt κτήσασθαι τὰς ψυχὰς [*acquirere animas*], alibi εὑρίσκειν τὴν ψυχὴν [*invenire animam*], id eſt, beatam immortalitatem acquirere. Ea enim non inchoantibus ſed perſeverantibus promittitur. Quò pertinet illud Tertulliani, *Nemo Chriſtianus*

niſi qui ad finem uſque perſeveraverit. Et Cypriani, *Et fides ipſa, ut nativitas, non accepta, ſed cuſtodita vivificat.* Et Hieronymi, *Non quæruntur in Chriſtianis initia, ſed finis.*

14. ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ, *in univerſo orbe*] Marcus dixit εἰς πάντα τὰ ἔθνη [*in omnes gentes*], ut & hîc ſequitur πᾶσι τοῖς ἔθνεσι [*omnibus gentibus*]. Hoc autem impletum eſt ante excidium Hieroſolymorum. Ideo Marcus adjecit πρῶτον [*primùm*]. Nam quod de cœleſtibus orbibus dixerat Pſalmographus, ad Euangelium (quod per *cælum* deſignari ſolet) aptat Paulus, & ita quidem ut mihi videatur apertè ſua tempora deſignare, Romanorum x, 18. Nam & ad Coloſſenſes ſcribens non minùs γενικῶς [*generatim*] loquitur, dicens verbum illud Euangelii παρεῖναι ἐν παντὶ τῷ κόσμῳ [*eſſe in univerſo mundo*] & κηρυχθῆναι ἐν πάσῃ τῇ κτίσει τῇ ὑπὸ τὸν οὐρανόν [*prædicatum eſſe in univerſa creatura quæ ſub cælo eſt*]. Quin & fidem Romanorum Paulus ait prædicatam ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ [*in univerſo mundo*], Romanorum I, 8. Bene autem colligit Chryſoſtomus, ſi unus Paulus ab Hieroſolymis ad Illyricum usque Chriſti doctrinam pertulit, &, ut quidam exiſtimant etiam in Hiſpaniam, quid de omnibus aliis Apoſtolis & tot eorum adjutoribus ſit exiſtimandum. Certè Clemens Romanus etiam ad terras trans Oceanum Euangelium ait perveniſſe. Nimirum exemplo gentium etiam barbararum Deus Iudæos invitare voluit ad obedientiam Euangelii, & non obedientes contumacis incredulitatis apud omnes populos convincere, antequam in eos iræ ſuæ theſauros effunderet. Hoc eſt εἰς νῖκος ἐκβάλλειν τὴν κρίσιν [*ad victoriam ejicere judicium*]. Hanc ſententiam Marcus nos docet cùm dicit, εἰς πάντα τὰ ἔθνη δεῖ πρῶτον κηρυχθῆναι τὸ εὐαγγέλιον [*in omnes gentes primùm oportet prædicari Euangelium*]. Adde Ezechielis III, 6, 7.

εἰς μαρτύριον, *in teſtimonium omnibus gentibus*] Poteſt eum ſenſum accipere de quo egimus ad caput X. Sed expeditius eſt ut dicamus quemadmodum explicare jam cœpimus, Deum velut anteſtatum gentes omnes, ut nota illis eſſet Iudæorum pertinacia antequam pœnas expoſceret.

καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος. *& tunc veniet conſummatio*] Iudiciorum Dei adverſus Gentem Iudæorum, ut ſuprà diximus. קץ בא [*finis venit*] Ezechiel. VII, 2.

15. Ὅταν οὖν ἴδητε τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως, *Cùm ergo videritis abominationem deſolationis*] Poſt ſigna remota Chriſtus ſignum excidii proximum indicat. Apud Lucam eſt, Ὅταν ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ, τότε γνῶτε ὅτι ἤγγικεν ἡ ἐρήμωσις αὐτῆς [*Cùm autem videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem, tunc ſcitote quia appropinquavit deſolatio ejus.*] Alibi apud Lucam Chriſtus rem eandem ita exponit, περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, καὶ περικυκλώσουσί σε, καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν [*circumdabunt te inimici tui vallo, & ambibunt te & coanguſtabunt te undique*]. Signum hoc & proprium erat rei ſignatæ, & certitudinem habebat, non ex naturali conſequentia, ſed ex Divino decreto. Proprium fuiſſe inde apparet quòd ex quo Chriſtus hæc dixerat ſemel duntaxat contigit urbem Hieroſolyma caſtris (id enim eſt χάραξ) cingi. Nam Ceſtius Gallus ex Vrbis parte partem alteram oppugnavit, Vrbem autem caſtris non ambiit; adde quòd nec erat ductor juſti exercitus, qui indicatur voce στρατοπέδων. Iuſtum exercitum ad Vrbem duxit, caſtra Vrbi circumdedit Titus Veſpaſianus, στρατόπεδον περιέβαλεν, ut Ἁλώσεως [*Captivitatis*] quinto Ioſephus loquitur, ducens ſexaginta millia militum præter lixas & calones. Hoc conſpecto Chriſtus jubens certum excidium exſpectari, non modò ſpem omnem Iudæis eripit Vrbis Divinitus liberandæ, ut quondam Ezechiæ temporibus contigerat, ſed & eam quam concepturi erant fiduciam partim in ſuorum numero (qui colligi inde poteſt quòd obſidio abſumtas dicit Ioſephus μυριάδας ἑκατὸν καὶ δέκα [*mille & centum millia*]), partim in animorum feritate magis quàm audacia, partim in firmitate operum, de qua quid ipſe ſenſerit victor operæ pretium eſt ex Ioſepho adſcribere, Παρελθὼν δὲ Τίτος εἴσω, τά τ᾽ ἄλλα τῆς ὀχυρότητος τὴν πόλιν καὶ τῶν πύργων ἀπεθαύμασεν, οὓς οἱ τύραννοι κατὰ φρενοβλάβειαν ἀπέλιπον· κατιδὼν γοῦν τό τε ναστὸν αὐτῶν ὕψος, καὶ τὸ μέγεθος ἑκάστης πέτρας, τήν τε ἀκρίβειαν τῆς ἁρμονίας, καὶ ὅσοι μὲν εὖρος, ἡλίκοι δὲ ἦσαν τὴν ἀνάτασιν, Σὺν Θεῷ γ᾽ ἐπολεμήσαμεν, ἔφη, καὶ Θεὸς ἦν ὁ τῶνδε τῶν ἐρυμάτων τοὺς Ἰουδαίους καθελών, ἐπεὶ χεῖρές τε ἀνθρώπων ἢ μηχαναὶ τί πρὸς τούτους πύργους δύνανται; [*Vbi intraſſet Titus, miratus inter alia urbem ob firma opera & turres, quas per vecordiam tyranni dereliquerant: deinde conſiderans immenſam earum altitudinem & ſingulorum lapidum magnitudinem, & exactiſſimam coagmentationem, tum qua latitudine eſſent, qua longitudine, Deo, inquit, favente bellavimus, Deus eſt qui Iudæos ex iſtis munimentis detraxit: nam humanæ manus & machinæ quid contra tales turres valeant?*] Non aliud ſignum à Matthæo & Marco quàm à Luca verbis modò citatis indicari, antecedentium & conſequentium ταυτότης [*convenientia in idem*] manifeſtè, ni fallor, indicat. Adde quòd Lucas utens voce ἐρημώσεως [*deſolationis*] manifeſtè eundem reſpicit Danielis locum cujus verbis hîc utitur Chriſtus. Vt ergo intelligamus quid ſit quod Chriſtus dicat τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως [*abominationem deſolationis*] recurrendum eſt nobis ad Danielem. Apud eum capite IX, 27. eſt שקוצים משמם, βδέλυγμα τῶν ἐρημώσεων [*abominatio deſolationum*] Græcis; capite XI, 31. השקוץ משמם, quod Græci transferunt βδελύγματα ἠφανισμένων [*abominationes deſolatorum*]. capite autem XII, 11. eſt שקוץ שמם, Græcis τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως [*abominatio deſolationis*]. LXX Interpretes hîc non nomino, quia Theodotionis in hac parte eſt verſio qua utimur, non LXX, ut nos docet ad Danielem Hieronymus, & voces nonnullæ teſtantur. Sed Danielis ad loca ut redeam, poſterioribus duobus agi de Antiocho concedimus Iudæis, atque adeò שקוץ [*abominationem*] ibi eſſe εἴδωλον Διὸς Ὀλυμπίου [*ſimulacrum Iovis Olympii*], quod Antiochus in Templo collocaverat, quodque Maccabaïci primi Scriptor, loca Danielis jam dicta reſpiciens, vocat τὸ βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως [*abominationem deſolationis*]. At verba capitis IX. ad Antiochum fruſtra trahunt Hebræi, cùm Hebdomades ibi nominatæ dierum non poſſint intelligi; ita enim multùm citra Antiochi

tempora conſiſteretur; & annorum ſeptimanæ multùm ultra Antiochum procurrant, à quocunque tandem inſtaurandæ Vrbis aut Templi edicto numerandi exordium ſumſeris. Alias autem hebdomadas Hebraïcus uſus non agnoſcit. Et ſanè Iudæi veteres ad Romana tempora hunc locum nobiscum retulerunt. Δανιὴλ [*Daniel*], inquit Ioſephus, καὶ περὶ τῆς Ῥωμαίων ἡγεμονίας ἀνέγραψε, καὶ ὅτι ὑπ' αὐτῶν ἐρημωθήσεται [*etiam de Romanorum ſcripſit Imperio, & fore ut ab eo deſoletur*], nimirum τὸ ἔθνος [*gens Iudaïca*], quod præceſſerat; & cùm in Excidii historia ſæpe repetit impletam vaticiniorum fidem, hunc præcipuè locum reſpicit: quod & Chryſoſtomo obſervatum altero adverſùs Iudæos libro. Hoc poſito verba Prophetæ videamus: ועל כנף שקוצים משמם עד כלה ונחרצה תתך על שומם. Primùm כנף quid ſit dubitatur. Græci, qui eam vocem legerunt non ſono regiminis, ut nos cum Maſoritis, ſed ſono primitivo, per *alam* intellexerunt *Cherubim*, per *Cherubim* autem συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] Templum ipſum: itaque vertunt ἐπὶ τὸ ἱερὸν [*in Templum*], quod intelligi poteſt vel *in Templum* vel *contra Templum*. Qui cum Maſoritis legunt, ac proinde vocem hanc cum nominibus ſequentibus conſtruunt, alii interpretantur *exercitum*, ſine exemplo, ni fallor; alii *expanſionem*, ſicut Malachiæ IV, 2. *expanſio lucis* eodem nomine appellatur: Quare id potiùs ſequendum puto. שמם Hebræi nonnulli, & quidam alii eos ſecuti, ad *obſtupeſcendi* ſignificationem trahunt. Sed alii rectiùs cauſam eſſe negant cur à maximè propria nec minùs frequenti notione ἐρημώσεως [*deſolationis*] hîc diſcedatur. Nam שמם in Kal, ut vocant, eſt ἐρημοῦσθαι [*deſolari*], in Pihel autem ἐρημοῦν [*deſolare*], quod & ἀφανίζειν [*deſtruere*] dici poteſt. Verba igitur Hebræa ita reddi poſſunt κατὰ πόδας [*verbotenus*], *Et per expanſionem abominationum deſolantem, & quidem donec conſummatio & excidium* (ſupple *adſit*) *effundet ſe* (aut *Chriſtus*, aut *tempus illud ſeptimanæ reliquum*: nam utróque referri poteſt) *ſuper eum qui deſolatur*. Iam certum eſt vocem שקוץ plerumque pro *idolo* accipi, ut videre eſt I Regum XI, 4 & 7. II Regum XXIII, 24. Ezechielis VII, 2. VIII, 10. XX, 7. Ieremiæ XXXII, 34. & alibi; quibus locis Græci vertunt βδέλυγμα [*abominationem*], quæ vox ſenſu eodem exſtat Sapientiæ XIV, 11. Bene Chryſoſtomus II adverſùs Iudæos, ἅπαν εἴδωλον καὶ πᾶν τύπωμα ἀνθρώπου παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις βδέλυγμα ἐκαλεῖτο [*omne ſimulacrum & omnis humana effigies apud Iudæos abominatio dicebatur*]. Nec aliter ſumi ubi de Antiocho agitur ex ipſa hiſtoria apertiſſimum eſt. Quod cùm animadverterent Chriſtiani veteres, hîc quoque ſimilem τοῦ βδελύγματος [*abominationis*] ſignificationem non malè quæſiverunt; ſed alii ad factum Pilati id referunt, quod ſanè nimiùm abeſt ab Excidii temporibus: imò jam evenerat cùm Chriſtus hæc loqueretur de eo quod eventurum erat circa finem Vrbis, ut ipſa verborum ſeries oſtendit. Alii confugerunt ad Adriani tempòra: Sed ut demus ab Adriano partem Vrbis dirutam eſſe (quòd propter magnam Scriptorum conſenſionem, Appiani, qui vixit Adriani ævo, deinde Euſebii & Hieronymi, negare non audeo), certè Templum, de quo hîc vel præcipuè agitur, non ille evertit, ſed Titus, quod nos docet oculatus teſtis Ioſephus. Quare alii βδέλυγμα [*abominationem*] interpretantur ſtatuam Titi in Templo collocatam: Sed ea narratio nullum habet auctorem: adde quòd ne potuit quidem id fieri niſi poſt Titi victoriam. At hîc de notis victoriam præcedentibus agitur. Quam ob cauſam nec intermiſſio τοῦ ἐνδελεχισμοῦ [*ſacri quotidiani*] hîc intelligi poteſt ſignificata. Nam ea parvo momento excidium anteceſſit, cùm nulla ſupereſſet fuga. Ego re conſiderata non dubito quin βδέλυγμα [*abominatio*] vocentur ſigna Romanorum militaria, de quibus ita Tertullianus, *Religio Romanorum tota caſtrenſis ſigna veneratur, ſigna jurat, ſigna omnibus diis præponit, omnes illi imaginum ſuggeſtus inſignes monilia crucium ſunt*. Signa ipſa crucis habuiſſe figuram abunde à multis demonſtratum eſt. Affixi autem iis ſignis erant clupei multi alter ſuper alterum, unde *ſuggeſtus* dixit Tertullianus, ut *ſuggeſtum comæ* Papinius: in iis clupeis erant imagines, id eſt, προτομαὶ [*effigies umbilico tenus*], ut Ioſephus loquitur, Cæſarum, eorum ſcilicet qui in divos erant relati. Talia ſigna cum clupeis videre eſt in nummis. Habet autem illud Tertullianus ex Iuſtino qui ita dixerat, τὰς παρ' ὑμῖν ἀποθνησκόντων αὐτοκρατόρων εἰκόνας ἐπὶ τούτῳ τῷ σχήματι ἀνατίθετε [*mortuorum apud vos Imperatorum effigies cum tali forma dedicatis*]. Arrianus, τὰ σημεῖα τῆς ἐπιλέκτου στρατιᾶς ἀετοί, εἰκόνες βασίλειοι [*ſigna exercitûs aquilæ, & imagines Imperatorum*]. Apud Tacitum paſſim iſtarum in ſignis imaginum mentio. Propter eas imagines adorata ſigna, ut jam dicentem Tertullianum audivimus. Suetonius, *Artabanus transgreſſus Euphratem aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoravit*. Ideo Tacito *numina legionum* & *bellorum dii* vocantur. Ejusdem eſt illud, *ſigna & aquilam amplexus religione ſeſe tutabatur*. Talia ſigna Titus conſpicua in caſtris ſuis poſuit quaſi Templum Templo Hieroſolymitano contrarium. Nam & Tacitus alibi ita loquitur, *fulgentibus aquilis ſignisque & ſimulacris deûm, in modum templi*. Et ipſe Ioſephus Αλώσεως [*Captivitatis*] III, cap. 8. quas σημαίας [*ſigna*] dixerat, mox τὰ ἱερὰ [*ſacra*] vocat. Vt & Herodianus lib. IV. Ad talia ſigna περὶ τὴν πόλιν [*circa Vrbem*] poſita, ut ad Templum, confugere Ioſepho Herodis procuratori ſuadet Alexandra, narrante hiſtoriæ Scriptore Ioſepho lib. XV. Ant. Hæc ipſa ſigna mox victor Titus intulit Templi ruinis, ubi milites etiam ἔθυσαν ταῖς σημαίαις [*ſignis ſacra fecere*], ut ipſe Ioſephus loquitur. Βδελύγματα [*abominationes*] igitur ἐρημώσεως [*deſolationis*] aut ἐρημωτικὰ [*deſolatoriæ*], ut habet Hebræa locutio, cur vocentur obſcurum non eſt; quia ſcilicet ἐρημίαν [*vaſtitiem*] (qua voce in τῆς Αλώσεως [*Captivitatis*] hiſtoria ſæpiſſime Ioſephus utitur) minabantur non tantùm cultui Iudaïco (quod fecerat & illud εἴδωλον [*idolum*] ab Antiocho allatum) ſed & Templo Vrbique. *Expanſio* autem βδελύγματος [*abominationis*] dicitur, quia in loco aperto maximéque conſpicuo ſigna conſtitui ſolebant. Tacitus de Tito, *Caſtris ante mœnia Hieroſolymorum poſitis inſtructas legiones oſtentavit*.

Δανιὴλ τοῦ προφήτου, *à Daniele Propheta*] Hoc nomine Danielem ſæpe etiam Ioſephus Annalium Scriptor nuncupat, neque eum dubitat maximis Prophetis æquare, ut & Ioſephus Iacchiades Danielis I, 17.

ἑςὼς ἐν τόπῳ ἁγίῳ· *ſtantem in loco ſancto*] ὅπου οὐ δεῖ [*ubi non debet*], Marcus; hoc eſt, non in ipſo Templo, id enim nota venturæ cladis non erat, ſed ipſa clades præſentiſſima, verùm in Templi conſpectu, in ſolo circum Vrbem; quod ſolum Deo uni, non Gentium diis, ſacrum eſſe oportebat. Ita סביבות ירושלם [*circuitus Ieruſalem*] tanquam locus eximiè ſacer etiam in Pſalmo LXXIX, 3. nominatur. Et Alexander Antiochi filius immunitatem & ſanctimoniam Hieroſolymorum extendi vult ἕως τῶν ὅρων αὐτῆς [*ad fines usque ejus*] apud Ioſephum. Sicut Demetrius in indulto quod exſtat Maccabaïcæ hiſtoriæ lib. I, cap. X, 31. Ἱερουσαλὴμ ἤτω ἁγία καὶ ἀφημένη καὶ τὰ ὅρια αὐτῆς [*Hieruſalem eſto ſancta & libera & fines ejus*]. Ioſephus à Demetrio conceſſum ait jus confugii in Templum καὶ εἰς τὰ ὑπ' αὐτῷ χρηματίζοντα [*& in loca ad Templum pertinentia*]. Simile illud apud Tacitum Annal. III. *Memorabantur Imperatorum nomina qui non modò templo* (Hierocæſarienſi) *ſed duobus millibus paſſuum eandem ſanctitatem tribuerent*. Hac de cauſa cùm Vitellius copias adverſus Aretam ducere per Iudæam pararet, Iudæi, ut Ioſephus ait, παρῃτοῦντο τὴν διὰ τῆς χώρας ὁδόν· οὐ γὰρ αὐτοῖς εἶναι πάτριον περιορᾶν εἰκόνας εἰς αὐτὴν φερομένας, πολλὰς δ' εἶναι σημαίαις ἐπικειμένας [*deprecabantur iter per ipſorum regionem: neque enim ſui moris eſſe pati ſimulacra per eam ferri. Multa autem eſſe ſimulacra in ſignis*]. Ecce negabant fas eſſe ſigna in ſolo Iudææ conſpici, quia in ſignis multæ eſſent imagines. Cui monito Vitellius paruit: quod non ita multò pòſt evênit quàm Chriſtus hæc dixerat. Aliquantò verò antequam hæc diceret, ſeditio Hieroſolymis orta erat ideo quòd Pilatus clàm ſigna Hieroſolymis intuliſſet. Præſagium ergo imminentis excidii hoc vult accipi, cùm cogentur Iudæi non audire ſigna clàm illata, ſed palàm in loco illuſtri poſita conſpicere, nec in quovis Iudææ angulo, ſed ſub ipſa Hieroſolymorum mœnia, ſolo apprimè ſancto, & in quo vel Templi reverentiâ minimè id fieri deceret; neque verò fieret, niſi Deus Templum illud omnemque cultum Iudaïcæ gentis, ut multis modis impuratum, abominaretur. Sæpe annotat Ioſephus Θεὸν ἀπεστράφθαι τὰ ἅγια [*Deum alienum fuiſſe à Templo*]. Fuiſſe enim οἶκον ἄγους καταγέμοντα [*domum plenam ſcelerum*].

ὁ ἀναγινώσκων νοείτω. *qui legit, intelligat*] Aſſentior hæc parentheſi includentibus. Cohærent enim ſequentia prioribus, ut ex Marco etiam & Luca apparet. Eſt autem hoc etiam à Daniele ותדע ותשכל [*Scito ergo & animadverte*], ubi Græci καὶ γνώσῃ καὶ συνήσεις, IX, 25. Notandum eſt, vaticinia alia obſcuriùs alia clariùs edita certo Dei conſilio. Sunt enim quædam mala quæ à piis vitari vult Deus, ut quæ ſcelerum maximorum ſupplicia ſunt. In his malis erat excidium Titi. Ideo additæ ſunt notæ apertiſſimæ, quibus etiam pii admoniti, ut Epiphanius, Euſebius atque alii notant, in tempore Hieroſolymis exierunt. Sunt mala alia quæ Deus explorandæ hominum conſtantiæ vult inſervire, qualis erat vexatio Antiochi. Ea prædicit quidem, ita ut cùm eveniunt à Deo proviſa appareat, ſed non ſemper præmittit notas, certè non præciſi temporis, quibus animadverſis caveri poſſint: quia id ſi fieret non appareret piorum conſtantia. Itaque mala ſub Antiocho quamdiu duratura eſſent ſignificavit, ſed quando inceptura ſubticuit. Vide Iacchiaden ad Daniel. XII, 10. Ideo de illorum malorum vaticinio ait Daniel שמעתי ולא אבין, id eſt, ut vertunt Græci, καὶ ἐγὼ ἤκουσα, καὶ οὐ συνῆκα [*& ego audivi, & non intellexi*]. cui Deus reſpondet *illas res occluſas & obſignatas eſſe* debere *ad tempus* aliquod. At illa de excidio Titi prædictio & apud Danielem habebat definiti temporis notam, & ſi quid videri poterat obſcurius, patefactum erat, Chriſto dicente hæc eventura cùm primùm exercitus profanus cum ſignis ad Vrbem adventaret.

16. Τότε οἱ ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ φευγέτωσαν ἐπὶ τὰ ὄρη· *Tunc qui in Iudæa ſunt fugient ad montes*] Τότε [*tunc*], id eſt, ſi non antè fugeritis tunc ſaltem fugite cùm primùm adventare expanſis ſignis exercitum conſpicietis, cùm poni primùm caſtra incipient; nam ad id uſque tempus patebat fuga, nondum occluſis egreſſibus; quod factum menſe ex quo exercitus Vrbi admotus erat tertio, cùm murus circum Vrbem ductus eſt ambitu XXXIV ſtadiorum, additis caſtellis. Itaque Ioſephus eo ipſo tempore multos profugiſſe narrat. Sic & à Soſſio obſeſſa Vrbs diu exitus habuit. Ἰουδαία [*Iudæa*] hîc, ut alibi, ſæpe ſtrictè ſumitur pro *tractu Hieroſolymitano*. Illud autem ἐπὶ τὰ ὄρη. [*ad montes*], ſicut alludere ad Loti hiſtoriam non negaverim, ita reipſa quoque impletum puto; multosque Chriſtianos verſus Libanum montem conceſſiſſe. Sic ante obſidium Hieroſolymorum Hierichuntinos fugiſſe εἰς τὴν ὀρεινὴν [*in regionem montanam*] narrat Ioſephus. Sed & Chriſtiani Scriptores prodiderunt multis perfugium fuiſſe non Pellam tantùm, ſed in alia loca Regni Agrippæ & Syriæ. Cur autem fugam tam deſtrictè ſuis imperet Chriſtus, cauſam Lucas adjicit, ὅτι ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι, τοῦ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα [*dies ultionis hæ ſunt, ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt*]. Nimirum ſunt in conſilio Divino tempora ἐπισκοπῆς [*viſitationis*], ut Lucas de hac ipſa urbe Hieroſolymorum agens loquitur XIX, 44. ſunt & tempora ἐκδικήσεως [*ultionis*]. Temporibus ἐπισκοπῆς [*viſitationis*] adhibentur quidem comminationes, ſed quæ non ſunt peremtoriæ, ut videre eſt Ieremiæ XVIII, 8. Ionæ III, 4. Temporibus ἐκδικήσεως [*ultionis*] decreta Dei, quod univerſitatem attinet, ſunt definita: quemadmodum definitum erat ut Hieroſolyma venirent in poteſtatem Nabuchodonoſori, quod nulla ratione evadi poterat, ut ſæpe dicebat Ieremias. Et à Prophetis dictum ait Ioſephus IX Ant. ὅτι τὸ μὲν Θεῖον κατ' αὐτῶν ψῆφον ἤνεγκεν, ἣν οὐχ ἱκεσίαις ἄν τις ἄκυρον ποιήσειεν, ἀπολέσαι τὸν λαὸν καὶ τῆς χώρας ἐκβαλεῖν [*à Deo pronuntiatam adverſus eos ſententiam, de perdendo & ejiciendo ex terra populo, quam ſententiam nullis quis ſupplicationibus poſſit avertere*]. Et alibi ſæpe Deus negat ullam ſe admittere deprecationem. Tale erat decretum Dei temporibus Titi de perdendo Templo & Vrbe:

quod εἱμαρμένην & τὸ χρεὼν [*fatum*] vocat Ioſephus, notans ſæpe occæcatas Hieroſolymitarum mentes, ut & omnia ad pacem hortamenta præfractè repudiarent, & poſt multa deſperatæ audaciæ exempla poſtremis iiſdemque firmiſſimis munimentis vecordes cederent, multaque alia quæ legere eſt operæ pretium. *Deus nimirum, Deus*, ut ille ait, *hæc ita verſabat*, κατακρίνας ὡς μεμιασμένης τῆς πόλεως ἀπώλειαν [*decreto Vrbis ut impuratæ interitu*]. Itaque πεπήρωντο ὑπὸ τοῦ χρεὼν ὃ τῇ τε πόλει καὶ αὐτοῖς ἤδη παρῆν [*occæcati ſunt à fato quod Vrbi & ipſis imminebat*]. Titus ipſe apud Philoſtratum in Vita Apollonii ajebat poſt victoriam, μὴ αὐτὸς ταῦτα εἰργάσθαι, Θεῷ δὲ ὀργὴν φήναντι ἐπιδεδωκέναι τὰς ἑαυτοῦ χεῖρας [*non ſe hæc patraſſe, ſed Deo iram ſuam patefacere volenti manus ſuas commodaſſe*].

17. Ὁ ἐπὶ δώματος μὴ καταβαινέτω ἆραί τι ἐκ τῆς οἰκίας αὐτοῦ. *Qui in tecto non deſcendat tollere aliquid de domo ſua*] Videtur de ſolario aliâ quàm per domum deſcendi potuiſſe, per ſcalas nimirum in publicum projectas, quales deſcribit in Phœniſſis Euripides. Sic & Ariſtoteles Oeconomicôn II. ait fuiſſe ut ὑπερῷα [*contignationes*] ita & ἀναβαθμοὺς ὑπερέχοντας εἰς τὰς δημοσίας ὁδοὺς [*ſcalas quæ in publicum prominerent*]. Et in Milite Glorioſo ſervus cùm dixiſſet nullum eſſe ex ædibus quas habitabat in vicinas commeatum, cauſam reddit, quòd nec *ſolarium eſſet nec hortus*. Hæc autem, & quæ ſequuntur ad celerrimæ fugæ ὑποτύπωσιν [*vivam deſcriptionem*] pertinent. Ita Loto dictum eſt, Erue te על נפשך, id eſt, *cum vita tua tantùm, & ne reſpice*.

18. τὰ ἱμάτια, *veſtem*] Singulari numero vertunt Syrus & Latinus. Penulam intelligi non dubito. Neque tamen mutem Græcam lectionem. Eſt enim hæc vox earum in numero quæ plurali ſono ſignificationem habent interdum ſingularem, ut videre eſt Iohannis XIII, 4. & XIX, 23.

19. Οὐαὶ δὲ ταῖς ἐν γαστρὶ ἐχούσαις καὶ ταῖς θηλαζούσαις, *Væ autem prægnantibus & nutrientibus*] Idem eſt ſenſus qui iſtorum verborum Chriſti euntis ad crucem, *Venient dies in quibus dicetur; Beatæ ſteriles, & uteri qui non pepererunt, & ubera quæ non lactarunt*, Lucæ XXIII, 29. Nimirum parvi liberi magna fugæ ſunt impedimenta. Antiochiæ infantem repertum legimus qui matris mortuæ ſugeret ubera. Bello Gotthico per Italiam matris morte aut captivitate deſertum infantem capra aluit. Eſt apud Ioſephum libro XIV. miſerabilis deſcriptio matrum cum infantibus fugientium.

20. μηδὲ ἐν σαββάτῳ. *vel Sabbato*] Cùm Sabbato iter eſſet prohibitum Exodi XVI, 29. quod Ioſephus libro XIII Antiquitatum ſic exprimit, οὐκ ἔστι δὲ ἡμῖν οὔτε ἐν τοῖς σάββασιν οὔτε ἐν τῇ ἑορτῇ ὁδεύειν [*non licet nobis iter facere aut Sabbatis aut feſtis diebus aliis*], & tamen ſatis conſtaret non omnem ambulationem eſſe vetitam, (nam ad Sanctuarium eo die ex caſtris iri ſolebat, Levitici XXIII, 3.) omnino temperanda ea res fuit æqua definitione: in quo rerum genere aliqua eſſe debet ſapientum auctoritas. Sapientes autem Hebræi bis mille cubitis id ſpatium definierunt, quod alii quinque, alii ſeptem ſtadiis metiuntur. Optandum igitur dicit Chriſtus ne in Sabbatum incidat fugæ neceſſitas, oſtendens longè ultra bis mille cubitos fugiendum. Nec obſtat quod apud Iudæorum Magiſtros legimus, *Vitæ periculo ceſſare legem Sabbati*: Ea enim exceptio non omnibus erat probata. Nam primùm Doſitheus ne ſtatu quidem decedendum Sabbato arbitrabatur: Eſſeni nec alvum levandam. Et quanquam Maccabaïcis temporibus decretum erat vitam ab hoſte impetitam armis etiam Sabbato defendere, tamen multis id fas eſſe non ſatis erat perſuaſum. Qua occaſione uſi & Ptolemæus primùm Lagi filius, deinde verò & Pompejus & Soſſius Vrbem Sabbato irrupere. De Ptolemæo narrat id Agatharchides Cnidius, verbis quæ Ioſephus producit primo contra Appionem; cætera Ioſephus ipſe. Deinde etiam qui iſti decreto ſtabant, tamen ſtrictiſſimè interpretabantur, ſi nempe hoſtis mœnia oppugnaret. Nam extra eam neceſſitatem pugnare nefas eſſe non uno loco ſentire ſe oſtendit Ioſephus, eamque ſuis temporibus ait receptam fuiſſe ſententiam; adeò quidem ut nec obſidentium opera Sabbato turbare auderent; quod cum Ioſepho & Rabbini prodiderunt. Hujus qui erant ſententiæ (erant autem plurimi, quos inter nauta ille Syneſio memoratus) religione impediebantur periculum imminens fugâ antevertere; quo Chriſtus reſpicit. Erat quidem ceſſatura ante excidium Hieroſolymitanum ſtricta illa obligatio Sabbati; at in pleriſque Iudæis etiam Chriſtianam religionem amplexis non erat ceſſatura obligationis veluti manentis perſuaſio, ut videre eſt Romanorum XIV, 5. Quin ad tempora uſque Adriani Chriſtianis Palæſtinæ (qui *Nazaræi* vocabantur) obſervata Legis præcepta alibi oſtendimus. Certè ante excidium Templi pauciſſimi fuere qui libertatem ſuam intelligerent. Quamdiu autem ea manebat perſuaſio, contrà quicquam facere grave fuiſſet delictum; ut aliquoties docet Paulus. Quæ verò de fuga hîc dicuntur, ad tempus inchoati obſidii non ad extrema cladis pertinent, tunc enim fugæ non erat locus.

21. Ἔσται γὰρ τότε θλῖψις μεγάλη οἵα οὐ γέγονεν ἀπ' ἀρχῆς κόσμου ἕως τοῦ νῦν, οὐδ' οὐ μὴ γένηται. *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modò, neque fiet*] Cohærent hæc cum ſuperioribus hoc modo, Hortatus ſum vos ad fugam; & optare vos juſſi ut eam habere poſſitis expeditiſſimam: Ne credite fruſtra id à me dici. Nam poſt elapſam fugæ occaſionem, mala imminebunt omnibus malis humanis graviora, intus latrocinia, fames, peſtis, extrà ferrum & flamma. Veriſſimè à Ioſepho dictum eſt μήτε πόλιν ἄλλην τοιαῦτα πεπονθέναι, μήτε γενεὰν ἐξ αἰῶνος γεγονέναι κακίας γονιμωτέραν [*neque ullam urbem paſſam talia, neque ab omni ævo fuiſſe hominum genus malitiæ fecundius*].

22. Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ. *Et niſi breviati fuiſſent dies illi, non fieret ſalva omnis caro*] Ἐκολοβώθησαν [*breviati*] hîc quòd συνετμήθησαν apud Græcos Danielis IX, 24. Lux huic loco ab hiſtoria. Antequam Vrbs obſideretur, primùm ſicarii clàm quos lubebat trucidabant, deinde Zelotæ bellum in Romanos ſumentes omnes à bello averſos obtruncabant, poſtremò Duces Zelotarum tam in Galilæa quàm in Iudæa de

principatu inter ſe armis certantes populum in partes mutuaſque cædes rapiebant; quæ omnia apud Ioſephum videre eſt: itaque niſi accelerata eſſet obſidio Vrbis, in quam confluxit non ex Iudæa tantùm ſed & ex Galilæa & Idumæa quicquid erat peſſimorum hominum, θύματα καὶ καθάρματα τῆς χώρας ὅλης [*totius regionis piamenta ac retrimenta*], ut Ioſephus loquitur, ac ſic bellum omne concluſum intra ſemeſtre tempus, haud dubiè quotquot in Iudæa erant concidiſſent aut latrocinio aut mutuis cædibus. τί τηλικοῦτον, inquit idem Ioſephus, ὦ τλημονεστάτη πόλις, πέπονθας ὑπὸ Ῥωμαίων, οἳ σοῦ τὰ ἐμφύλια μύση περικαθαροῦντες εἰσῆλθον; [*quod tale, ô Vrbs miſera, paſſa es à Romanis, qui intrarunt ut inteſtina tua ſcelera auferrent?*] Simile eſt quod ajunt Hebræorum Magiſtri, exſilium Iſraëlitarum Babylonicum collatum in annum à Lege lata IↃCCCCL, ſi veniſſet biennio pòſt, futuram fuiſſe πανωλεθρίαν [*exſtinctionem gentis totius*].

διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς, *ſed propter electos*] Id eſt, Chriſtianorum causâ, qui ſparſi per Iudæam & Galilæam pecudum ritu cæſi fuiſſent à ſicariis, Zelotis & tyrannis, utpote averſi à belli conſiliis. Nam iſti ſceleratiſſimi homines μόνον ὡμονόουν τὸ φονεύειν τοὺς σωτηρίας ἀξίους [*in eo tantùm conſentiebant quòd vitâ dignos occiderent*], ut Ioſephus loquitur. & antè, ἦν δὲ τῶν ἐρώντων τοῦ πολέμου πρὸς τοὺς ἐπιθυμοῦντας εἰρήνης ἔρις χαλεπή [*Erat bellum cupientibus acre odium in pacis amatores*]. Ἐκλεκτοὺς [*Electos*] quaſi proprio nomine dici Chriſtianos, utpote chariſſima Dei pignora, annotavimus ſuprà. Celebre erat primis Chriſtianorum temporibus Matthiæ Apoſtoli dictum, Ἐὰν ἐκλεκτοῦ γείτων ἁμαρτήσῃ, ἥμαρτεν ὁ ἐκλεκτός [*Si Electi vicinus peccavit, peccavit ipſe Electus*]. quo ſignificabatur officium Chriſtianorum in admonendis hominibus ulla neceſſitudine conjunctis. Sic Clemens Alexandrinus, κἂν μισῶσι τὸν ἐκλεκτόν τινες (id eſt Chriſtianum) οἶδεν οὗτος τὴν ἄγνοιαν αὐτῶν [*etiam ſi qui Electum odio habent, novit is illorum ignorantiam*]. Etiam Arrianus Epicteto eum qui baptiſatus eſt vocat ἠρημένον [*Electum*]. & Cæcilius Natalis apud Minutium Felicem Chriſtianos vocat *electos*. Marcus dixit ἐκλεκτοὺς οὓς ἐξελέξατο [*electos quos elegit*], id eſt, ἀγαπητοὺς οὓς ἠγάπησε [*dilectos quos dilexit*] loquendi ubertate Hebræis familiari. Tale eſt illud, τιμὴν τοῦ τετιμημένου ὃν ἐτιμήσαντο [*pretium appretiati quem appretiaverunt*] infrà XXVII, 9. παραδόσει ἣ παρεδώκατε [*traditione quam traditam accepiſtis*] Marci VII, 13. ἐν τῇ ἀναστάσει ὅταν ἀναστῶσι [*in reſurrectione cùm reſurrexerint*] Marci XII, 23. κτίσεως ἧς ἔκτισεν ὁ Θεὸς [*creaturæ quam creavit Deus*] Marci XIII, 19. Sed & Euripides dixit βούλησιν ἣν ἐβούλετο [*voluntatem ſuam quam voluit*]. Hi ἐκλεκτοὶ ſunt ſervi illi Dei ex Tribubus XII. quos in Apocalypſi Angelus narratur obſignaſſe antequam adventaret dies ille iræ Divinæ. Nam obſignare ſolemus ea quæ rectè cuſtodita volumus.

κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι. *breviabuntur dies illi*] Conſilio Dei, cui hoc diſertè adſcribit Marcus: cujus conſilii ſapientem diſpenſationem in hiſtoria conſpicere eſt. Veſpaſianus ſenectâ tardus, & operiendum cenſens dum mutuis vulneribus Iudæi conciderent, à multis monebatur ἀμῦναι τῇ πόλει, καὶ τὰ τοῦ δήμου περισῶσαι λείψανα· διὰ γὰρ τὴν πρὸς Ῥωμαίους εὔνοιαν ἀνῃρῆσθαί τε πολλοὺς καὶ κινδυνεύειν τοὺς περιόντας [*ſubvenire Vrbi, & ſervare populi quod erat reliquum; nam ob fidem in Romanos interfectos eſſe multos, & in periculo ſummo eſſe qui reſtarent*]. His impulſus omnia ad obſidium parat: mox ipſe verſus ad capeſſendum firmandumque imperium Tito tradit copias, *quem manere apud exercitus ad omnes Principatus novi eventus caſusque utile videbatur*, ſcribente Tacito. At Tito, utpote juveni, *Roma* (ut idem Tacitus notat) *& opes voluptateſque ante oculos, ac ni ſtatim Hieroſolyma conciderent morari videbantur*. His modis præcipitatum obſidium, cùm interim qui in Vrbe erant latrociniis, rapinis, lubidinibuſque indulgerent, ὀνειδίζοντες τὸ Θεῖον εἰς βραδύτητα τῆς ἐπ' αὐτοῖς κολάσεως [*exprobrantes Deo quòd tam diu differret pœnas de ipſis ſumere*], ut apud Ioſephum legimus. Sed & cœpta obſidio ſpe omni celeriùs finem habuit, dum ipſi obſeſſi ambuſtis frumentis famem accelerant, & munitiſſima præſidiorum fatali vecordia deſerunt. Ita factum eſt ut inter Chriſti, veri Paſchatis, immolationem & amiſſam poſſeſſionem Terræ Promiſſæ totidem anni intercederent quot inter Ægyptiacum Paſcha & ejuſdem terræ adeptionem anni interceſſerant: itaque pro diebus quadraginta, qui dati erant ad pœnitentiam Ninevitis, ipſis conceſſi ſint anni totidem.

23. Τότε, *Tunc*] Chriſtus ad quæſtionem ſecundam ſolvendam progrediens, tacitam facit tranſitionem poſteriora prioribus connectens. Quæſtio erat de Regno Meſſiæ: quia autem multi ψευδόχριστοι [*pſeudochriſti*] apparituri erant etiam poſt excidium Hieroſolymorum (nam de his qui excidium præventuri erant jam egerat) ideo Chriſtianos admonet ne Regnum exſpectent cum externo apparatu, μετὰ παρατηρήσεως. Si quis igitur hic aut illic Chriſtum adſpectabili modo adeſſe nuntiet, nolite fidem adhibere.

24. Ἐγερθήσονται γὰρ ψευδόχριστοι, *Surgent enim pſeudochriſti*] Ψευδόχριστοι [*pſeudochriſti*] iidem qui ἀντίχριστοι [*antichriſti*]. Et ſic ἀντιχρίστων [*antichriſtorum*] vocem in Epiſtola Iohannis explicat Syrus. Statim poſt excidium Ionathas πονηρότατος ἄνθρωπος [*homo peſſimus*], ut Ioſephus loquitur, multos in Cyrenaïcam ſolitudinem perduxit, σημεῖα καὶ φάσματα δείξειν ὑπισχνούμενος [*pollicens ſe ſigna & portenta editurum*]· quem conatum Catullius provinciæ Præſes armis disjecit. Adriani temporibus Barchochebas, ita dictus à Chochaba nobili Galilææ vico (cujus Epiphanius meminit), palam omnibus dixit אנא משיחא *Ego ſum Meſſias*. Hunc Adrianus in urbe Bether obſedit. Ipſe impoſtor urbe capta à milite trucidatus eſt: ex quo tempore à Iudæis non בר כוכבא [*Barchocheba*, id eſt, *filius Chochaba* ſive *ſtellæ*] ſed בר כוזבא, id eſt, *filius mendacii* dici cœpit. Nam qui antè ita appellatum cenſent multùm falluntur. Hic eſt Βαρχοχέβας ὁ τῆς Ἰουδαίων ἀποστάσεως ἀρχηγέτης [*Barchochebas auctor Iudæorum defectionis*] cujus in Apologetico Iuſtinus meminit. Quòd autem quidam putant duos fuiſſe Barchochebas aut Barchozbas, errant decepti à Iudæis, peſſimis hiſtoriæ magiſtris. Nam ex quo patriâ expulſi ſunt, omnis apud illos hiſtoria craſſis erroribus & fabulis

eſt inquinata; quibus proinde nihil credendum eſt niſi alii teſtes accedant. Itaque videre eſt ipſos quoque inter ſe diſcordes. Nam alii Aquibam Barchochebæ prioris, alii poſterioris fautorem ſtatuunt: & priorem à Tito, poſteriorem ab Adriano obſeſſum ſunt qui credant. Sed profectò error eſt vicini nominis: nam ille à Tito obſeſſus non Barchochebas fuit, ſed Bargioras, quomodo eum Ioſephus & Tacitus nominant. Sed & alii Iudæi Barchochebam cum eo quem dixi Ionatha confundunt. Ajunt enim ab ipſo excitatum bellum in Cyrene. Sed Iudæi omnes ψευδοχρίστους [*pſeudochriſtos*] Barchochebas vocant; quomodo Græci quicquid usquam fortiter geſtum eſt adſcribunt Herculi. Poſtea in Ægypto, Cypro, Creta atque alibi multi alii exſtiterunt impoſtores pro Chriſto ſe venditantes. Quibus adjungi poteſt Menander Samaritanus.

καὶ ψευδοπροφῆται, *& pſeudoprophetæ*] Ψευδοπροφήτας [*pſeudoprophetas*] ex connexu orationis intelligo προστάτας τῶν ψευδοχρίστων [*pſeudochriſtorum adſtites*], qui ſacrarum litterarum teſtimoniis abutebantur, aut etiam ſuas jactabant revelationes, ut populo perſuaderent hunc aut illum impoſtorem eſſe promiſſum Meſſiam. Qualis Adriani temporibus fuit Aquibas Balaami de ſtella vaticinium (quia vicus, unde *Barchochebæ* nomen, *ſtellæ* habet ſignificationem) Aggæique & aliorum Prophetarum vaticinia ad illum trahens. Nec Aquibas tantùm, ſed ſi ipſis Iudæis & qui inter Iudæos minimè nugatur Maimonidæ credimus, plerique ejus ætatis ſapientes. Nec dubitandum eſt quin ſimili modo alii quoque ψευδόχριστοι ſuos habuerint ψευδοπροφήτας.

καὶ δώσουσι σημεῖα μεγάλα καὶ τέρατα· *& dabunt ſigna magna & prodigia*] Flammas evomere putatum Barchochebam narrat Hieronymus: cui ſimile eſt quod de Beſtia ſecunda narrat Apocalypſis XIII, 13. Deus cùm Pharaonem editis per Moſem miraculis ad æqui obedientiam invitaſſet, providè permiſit & à magis Ægyptiis edi mira quædam, ita tamen ut Moſis ſigna magnitudine & multitudine longè illis antecellerent; quo facto Pharaoni ſimulanti magorum ſe miraculis fidem adhibere & id velum obtendenti ſuæ ſævitiæ, occurſum eſt. Nulla enim probabilis afferri poterat ratio cur magorum miraculis habuiſſet fidem qui Moſis miraculis fidem habere nollet. Iſraëlitis prædixit Moſes futurum ut falſorum deorum miniſtri ipſos à veri Dei cultu conarentur abducere non ſine ſignorum pompa; idque permiſſurum Deum ut ipſorum in ſe fidem exploraret; juſtiſſimè nimirum, poſt tot à ſe edita miracula, quæ nullis aliis miraculis æquari, nedum ſuperari poſſent, ut ſi talibus ſignis adducti Iudæi ad falſos Deos deficerent, id levitatis ipſorum & perfidiæ inſigne eſſet monumentum. Simili modo Deus poſt Filii ſui auctoritatem tot illuſtribus miraculis probatam permittere voluit, ut alii qui Chriſtos ſeſe aut Prophetas venditarent aliqua exhiberent ſigna: ut Iudæi, ſi illos ſequerentur velut ſignis permoti, ipſa ſignorum comparatione convincerentur. Hac ſcilicet ratione toti humano generi conſtitit, Iudæis quominus Chriſto parérent nullam rem aliam quàm doctrinæ ipſius ſanctimoniam & puritatem obſtitiſſe. In tales igitur qui τὴν ἀγάπην τῆς ἀληθείας οὐκ ἐδέξαντο [*caritatem veritatis non receperunt*] vim habere ſolet ἡ ἐνέργεια τοῦ Σατανᾶ ἐν πάσῃ δυνάμει καὶ σημείοις καὶ τέρασι ψεύδους καὶ ἐν πάσῃ ἀπάτῃ τῆς ἀδικίας [*operatio Satanæ in omni virtute, & ſignis & prodigiis mendacibus, & in omni ſeductione iniquitatis*], II Theſſalon. II, 9, 10. Hæc eſt ἐνέργεια πλάνης ἵνα κριθῶσι πάντες οἱ μὴ πιστεύσαντες τῇ ἀληθείᾳ [*operatio erroris, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati*]. Confer dictum caput Apocalypſeos.

ὥστε πλανῆσαι, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς. *ita ut in errorem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam electi*] Quod hîc per ὥστε [*ita ut*] dicitur, Marcus ita explicat, πρὸς τὸ ἀποπλανᾷν, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτούς [*ad ſeducendos, ſi fieri poteſt, etiam electos*]. Simile loquendi genus eſt in loco libri veteris, ſed extra Canonem, quem citat Clemens Alexandrinus, τινὰ γὰρ ῥήματα ἀγαθὰ λαλεῖ [*quædam enim dicit verba bona*] (nimirum ὁ ψευδοπροφήτης [*pſeudopropheta*], de quo ſermo eſt)· ὁ γὰρ διάβολος αὐτὸν πληροῖ τῷ ἑαυτοῦ πνεύματι, εἴ τινα δυνήσεται ῥῆξαι τῶν δικαίων [*Diabolus enim ſuo ſpiritu eum replet, ſi quem poſſet abrumpere juſtorum*]. Senſus eſt, Illos γόητας [*impoſtores*] omnem operam daturos, ut non tantùm Iudæos incredulos, ſed & eos qui Chriſto nomen ſeriò dederant (quos ἐκλεκτοὺς [*Electos*] paſſim vocari res certiſſima eſt) in ſuas pertrahant partes. Illud εἰ δυνατὸν [*ſi fieri poteſt*] rei denotat difficultatem; Actorum XX, 16. Roman. XII, 18. Vix enim decipi poteſt, imò ſi verborum proprietatem ſequimur, etiam cùm decipi videtur non decipitur, ſed ipſe ſe decipit qui monitus non cavet. Ideo addit Chriſtus, Ἰδοὺ, προείρηκα ὑμῖν [*Ecce, prædixi vobis*], ut oſtendat Chriſtianis ne tales ſequantur impoſtores ſatis eſſe proſpectum. Nam qui Ieſum eſſe Chriſtum veracem Doctorem credit, ſciens prædictum à Chriſto Regnum ſuum non venturum μετὰ παρατηρήσεως [*cum obſervatione*], armatus ſatis eſt adverſus id genus præſtigias. Vide ſi vacat Originem hîc & Theophylactum. In Clementis Conſtitutionibus libro VI, cap. XVIII. hunc in modum explicatur hic locus: Καὶ ἐλεύσονται ψευδόχριστοι καὶ ψευδοπροφῆται, καὶ δώσουσι σημεῖα ἐν οὐρανῷ, ὥστε, εἰ δυνατὸν, καὶ τοὺς ἐκλεκτοὺς ἀπατῆσαι· ὧν τῆς ἀπάτης ῥύσεται ἡμᾶς ὁ Θεὸς διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῆς ἐλπίδος ἡμῶν [*Et venient pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna in cælo, ut, ſi fieri poteſt, etiam electos decipiant: à qua deceptione ſervabit nos Deus per Ieſum Chriſtum qui eſt ſpes noſtra*]. Neque miror ſi illis temporibus propè ἀδυνάτοις [*impoſſibilibus*] accenſeri potuit ut qui Chriſti dogmata cum cura imbibiſſent ab iis abducerentur, cùm etiam apud Galenum proverbiale ſit, Θᾶττόν τις τοὺς ἀπὸ Χριστοῦ μεταδιδάξειε [*Citiùs quis dedocet eos qui Chriſto ſe dederunt*]. Et Auguſtinus oraculum Apollinis refert, qui ſciſcitanti quomodo uxorem à Chriſtianiſmo poſſet avellere, reſpondit, Faciliùs eum aut flumini rapido inſcripturum literas, aut in aëre volaturum. Cæterùm, quanquam difficulter hoc fieret, factum tamen interdum rectè affirmat Tertullianus adverſus Marcionem III. *Siquidem edicens multos venturos, ſigna facturos, & virtutes magnas edituros, averſionem etiam electorum, nec ideo tamen admittendos.* Euſebius dixit, ὡς, εἰ δυνατὸν, σκανδαλίσαι καὶ τοὺς ἐκλεκτούς [*ut, ſi fieri poteſt, ſcandalizent etiam electos*].

26. ἰδοὺ, ἐν τῇ ἐρήμῳ ἐστί· *Ecce, in deſerto eſt*] Meſſias ſcilicet, quod Marcus addit. Solebant id genus impoſtores abducere homines in ſolitūdinem, ut tutò ibi manum colligerent, quod apud Ioſephum paſſim videre eſt.

μὴ ἐξέλθητε. *nolite exire*] Ne ite ut illorum ductum ſequamini.

ἐν τοῖς ταμείοις· *in penetralibus*] *In conclavi domûs*, ut ſuprà VI. 6. Nam quidam haud ſatis fidentes viribus clàm colligebant ſectatores. Senſus idem eſt qui ſuprà, Ἐάν τις εἴπῃ, Ἰδοὺ ὧδε Χριστὸς, ἢ ὧδε [*Si quis vobis dixerit, Hic eſt Chriſtus aut illic*]. quod oſtendit oppoſitio membri ſequentis.

27. Ὥσπερ γὰρ ἡ ἀστραπὴ ἐξέρχεται, *Sicut enim fulgur exit*] Fulminis proprium eſt breviſſimo tempore plurima loca pervadere. Hinc de Alexandro Lucanus,

—— Fulmenque quod omnes
Percuteret pariter populos.

& de eodem Plutarchus, τίνι ἂν τις εἰκάσειεν ἢ πυρὶ κεραυνίῳ ῥαγέντι; [*cui eum comparemus niſi igni fulminis erumpenti?*] Alibi, ὥσπερ ἄστρου φερομένου καὶ διάττοντος ἐπὶ δυσμὰς ἐξ ἀνατολῶν [*cùm tanquam ſtella ferretur & discurreret ab Occidente in Orientem*]. Ait ergo Chriſtus non eſſe cur hoc aut illo loco peculiariter quæratur Regnum ſuum, cùm uno velut ictu pervaſurum ſit per omnes terrarum oras ab uno cœli cardine ad alterum, ſecundùm ea quæ in Pſalmis & Prophetis de Meſſiæ Regno erant prodita. Ioel dixit II. 2. כשחר פרש על ההרים ὡς ὄρθρος χυθήσεται ἐπὶ τὰ ὄρη [*quaſi mane expandetur ſuper montes*].

ἡ παρουσία, *adventus*] De hac voce egimus ſuprà.

28. Ὅπου γὰρ ἐὰν ᾖ τὸ πτῶμα ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί. *Vbicunque enim fuerit corpus illic congregabuntur & aquilæ*] Proverbium Hebraïcum deſumtum ex Aquilæ natura, quam Iobi liber celebrat. Idem eſt vulturis ingenium; unde & Latina adagia; quale illud,

Cujus vulturis hoc erit cadaver?

De Erichtho venefica Lucanus,

Et quacunque jacet nudum tellure cadaver
Ante feras volucresque ſedet.

Pertinet autem Hebraïcum proverbium ad ea quæ non unius loci propria, ſed ubivis locorum eodem modo ſe habent; quale eſt illud Philemonis,

Ἅπαντες οἱ λέοντές εἰσιν ἄλκιμοι·
Δειλοὶ πάλιν δ' ἑξῆς ἅπαντες οἱ λαγοί·
Οὐκ ἔστ' ἀλώπηξ ἡ μὲν εἴρων τῇ φύσει,
Ἡ δ' αὐθέκαστος· ἀλλ' ἐὰν τρισμυρίας
Ἀλώπεκάς τις συναγάγοι, μίαν φύσιν
Ἁπαξάπασιν ὄψεται, τρόπον θ' ἕνα.
[*Immane cunctis robur eſt leonibus;*
Ingenium pavidum lepores nusquam non habent;
Nec inter vulpes alia vafris moribus,
Simplicibus alia eſt: quin tricena vulpium
Si fortè millia in unum contraxeris locum,
Erit per omnes unus ingenii tenor.]

Tale & illud proverbium, Πᾶσι κορυδαλοῖς λόφος [*Omnibus caſſitis caſſis eſt*]. Et Hunnus Sandil apud Procopium cùm de luporum & ovium ingenio locutus eſſet, Καὶ ταῦτα ἐν γῇ τῇ πάσῃ γίνεσθαι οἶμαι· τεθέαται γὰρ τῶν πάντων οὐδεὶς οὔτε ποίμνῃ κύνας ἐπιβουλεύσαντας, οὔτε λύκους ἀμυνομένους αὐτοῖς πώποτε [*Et hæc ubique terrarum fieri exiſtimo; neque enim quisquam vidit aut canes inſidiantes pecori, aut lupos pecus protegentes*]. Senſus autem hoc loco eſt idem quem apertiùs enuntiat Petrus Actorum X, 34. ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός· ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην δεκτὸς αὐτῷ ἐστι [*quia non eſt perſonarum acceptor Deus: ſed in omni gente qui timet eum & operatur juſtitiam acceptus eſt illi*]. Si quis particulas ſubtiliùs velit ἀλληγορεῖν [*ad obtectos ſignificatus trahere*] (quanquam id in proverbiis minimè eſt neceſſe) poterit per *cadaver* intelligere τοὺς τὰς πράξεις τοῦ σώματος θανατοῦντας [*qui facta carnis mortificarunt*], per *aquilas* ſublimia dona Spiritus Sancti, quæ ſigna ſunt Regni Meſſiæ, ut aquilæ illæ adeò Iudæis formidatæ ſigna erant Romani Imperii. Cur hæc ad Iudicialem adventum trahi non oporteat partim antè dixi, partim ipſa orationis ſeries oſtendet. Multa enim intercedent antequam ad Iudicii deſcriptionem veniatur. Venerandum Chriſti corpus, poſtquam miſſum eſt in pleniſſimam vitæ Divinæ poſſeſſionem, vocari πτῶμα [*cadaver*] miror veteribus venire in mentem potuiſſe. Sed & apud Lucam hoc proverbium non univerſali judicio, ſed illi hominum diſcretioni quæ per Euangelium facienda erat, applicatur, ut inibi videbimus.

29. Εὐθέως δὲ μετὰ τὴν θλίψιν τῶν ἡμερῶν ἐκείνων ὁ ἥλιος σκοτισθήσεται, *Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur*] Quominus hæc ad Iudiciarium adventum trahantur multa apud me obſtant. Primùm illud εὐθέως [*ſtatim*] tempus ſignificat ab excidio Hieroſolymitano & ſecutis impoſtorum fraudibus non nimis longè remotum, quod Marcus dixit ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις μετὰ τὴν θλίψιν ἐκείνην [*in illis diebus poſt tribulationem illam*]. Deinde conſummatio ſeculi aliis modis deſcribitur, nimirum Incendio, ut videre eſt apud Petrum epiſt. II, cap. III, 12. nusquam vero caligine Solis aut Lunæ, aut ſtellarum lapſu. Tum verò locutiones iſtæ de caligine Solis & Lunæ multis in locis reperiuntur, nusquam autem ſenſu planè phyſico, ſed ſenſu nonnihil figurato, ut videre eſt Eſaiæ XIII, 10. XXIV, 23. LX, 20. Ezechiel. XXXII, 7. Ioel II, 10, 31. III, 15. quibus locis & Sol & Luna nominantur: deinde etiam Iob XXX, 28. Ierem. XV, 9. Amos VIII, 9. ubi Solis eſt mentio; in eundem ferme ſenſum quo Atticus ad Ciceronem ſcribens calamitoſo tempore, *Sol*, inquit, *mihi è mundo excidiſſe videtur*. Plato dixerat, ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἐκ τοῦ καθεστηκότος κόσμου τὸ φῶς ἐξέλοι, δυσχερὴς καὶ χαλεπὸς ἅπας ὁ λειπόμενος βίος γένοιτ' ἄν· οὕτω τῶνδε τῶν ἀνδρῶν ἀναιρεθέντων ἐν σκότει καὶ πολλῇ δυσκλείᾳ πᾶς ὁ πρὸ τοῦ ζῆλος τῶν Ἑλλήνων γέγονε [*ut enim ſiquis ex hoc Vniverſo lucem tolleret, difficilis ac moleſta futura eſſet in poſterum vita: ita illis viris ſublatis in tenebris & ignobilitate id quod antè in Græcis vividum & acre fuerat*]. Euſtathius ad Homeri Odyſſeæ Υ. καὶ μὲν τινες τὸ, Ἠέλιος οὐρανοῦ ἐξαπόλωλεν, οὐκ ἐνόησαν ἐπὶ τοῦ ἐκλιπεῖν, ἀλλ' ὅτι τοῖς μνηστῆρσιν ὁ ἥλιος ἤδη ἐπιλέλοιπεν ὡς τεθνηξομένοις, [*quidam illud, Ablatus ab æthere Sol eſt, accipiunt non de Solis defectu, ſed quia procis tamquam morituris Sol jam finem accepiſſet*]. Chryſoſtomus prima oratione de Statuis everſis, Αὐτὸς τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ὁ κύκλος

συγνάζειν μοι δοκεῖ νῦν καὶ ἀμαυρότερος φαίνεσθαι, οὐ τῶν στοιχείων τὴν φύσιν μεταβαλούντων, οὐδὲ ὡς τῆς ἡμέρας ἀφανιζομένης, ἀλλὰ τῶν ἡμετέρων ὀφθαλμῶν τῷ πεθολῶσθαι τῆς ἀθυμίας τῷ νέφει μὴ δυναμένων καθαρῶς, μηδὲ μετὰ τῆς αὐτῆς διαθέσεως τὸ παρὰ τῶν ἀκτίνων δέχεσθαι φῶς [*Ipſe radiorum ſolarium circulus lugere mihi nunc videtur & obſcuriùs ſe oſtendere, non quòd elementa naturam mutaverint, nec quòd dies defecerit, ſed quòd oculi noſtri obſiti mæſtitiæ nube non poſſint purè, nec ſic ut antè recipere radiorum jubar*]. Præterea quæ hîc dicuntur non fore ἀμέσως [*re nulla intercedente*] conjuncta cum Iudicii die, vel inde apparet quòd apud Lucam Chriſtus, cùm iſta incipient, jubet nos arrectos exſpectare noſtram ἀπολύτρωσιν [*redemtionem*]. Rei autem præſentis nulla eſt exſpectatio. Quibus argumentis adducor ut credam Chriſto propoſitum ſignificare Diſcipulis, ſicut excidium Hieroſolymitanum habuit ſuas prævias calamitates, ita habiturum & univerſalis judicii diem, cujus figura & quaſi pignus fuit excidium Hieroſolymitanum. Sed hæc mala magnis de cauſis non planè ab eo enuntiata ſed prophetice. Firmat hanc ſententiam, quòd Apocalypſis, quæ tota ſcripta eſt ſermone Prophetico, hæc ſigna non tantùm ſingula ſed & conjuncta nobis proponit. Nam poſt terræ motum illum, de quo diximus ſuprà, hæc ſequuntur VI, 12. ὁ ἥλιος ἐγένετο μέλας ὡς σάκκος τρίχινος, καὶ ἡ σελήνη ἐγένετο ὡς αἷμα· Καὶ οἱ ἀστέρες τοῦ οὐρανοῦ ἔπεσον εἰς τὴν γῆν ὡς συκῆ βάλλει τοὺς ὀλύνθους αὐτῆς ὑπὸ μεγάλου ἀνέμου σειομένη· Καὶ οὐρανὸς ἀπεχωρίσθη ὡς βιβλίον εἱλισσόμενον [*Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus, & Luna facta eſt ſicut ſanguis: Et ſtellæ de cælo ceciderunt ſuper terram, ſicut ficus emittit groſſos ſuos cùm à vento magno movetur: Et cælum receſſit ſicut liber involutus*], & quæ ſequuntur. Fateor eo loco deſignari ea mala quæ in Iudæa conſpecta ſunt ante excidium Hieroſolymorum: nam de hac iræ die ibi agi omnino mihi perſuadeo, & aliis, ut puto, perſuadebo noſtris ad Apocalypſim Annotatis. Sed, ut dixi, vult Chriſtus ſimilia ſed in ſenſu ſublimiore eventura in orbe Romano iis quæ in Iudæa evenerant, ac proinde parem finem exſpectandum. Quanquam verò videri poteſt apud Prophetas Solis & Lunæ caligo ſignificare gloriæ & felicitatis ademtionem, ſicut contrà lux Solis & Lunæ aucta gloriæ augmentum ſignificat, ac ſimili modo cœli concuſſio mutationem duntaxat ingentem indicare, ſicut Arabibus dici *cælum cadere ſuper terram aliquam* notavit Maimonides, quomodo *cælum novum* & *terra nova* novum rerum ſtatum ſignificant Eſaiæ LXV, 17. LXVI, 22. Apocal. XXI, 1. mihi tamen probabilius eſt ſingula membra ſingulas habere ſignificationes. Vt ergo ſigillatim Chriſti oraculum explicemus, primùm hoc dicitur, Poſt excidium Hieroſolymorum & Barchochebæ eique ſimilium exitioſas fraudes, futurum ut paulatim obſcuretur Divinæ Legis cognitio, partim ſcilicet falſis interpretationibus, partim commentitiis traditionibus, quæ poſt mortem Apoſtolorum eorumque ultimi Iohannis ſpargi hîc illic cœpta, procedentibus ſeculis majus majuſque augmentum accepere.

καὶ ἡ σελήνη οὐ δώσει τὸ φέγγος αὐτῆς, *& Luna non dabit lumen ſuum*] Sicut apud Ioelem Aſtorum II, 20. & Apocal. VI, 12. per *Lunam* ſignificatur Iudaïca Reſpublica inteſtinis diſcordiis cruenta, ita hîc per *Lunam* ſignificari videtur Imperium Romanum; quod velut juveneſcens ſub Trajano (ut Florus loquitur) *movit lacertos*, ſub Adriano cœpit decreſcere: deinde verò partim monſtris Imperii potitis, quales erant Commodus & Heliogabalus, partim multis undique de imperio certantibus pretio & armis, vetus illa Romani Imperii majeſtas multùm detrita eſt, tandemque præda eſſe cœpit externis gentibus, Gotthis, Vandalis, Francis, aliiſque.

καὶ οἱ ἀστέρες πεσοῦνται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *& ſtellæ cadent de cælo*] Οὐρανὸς [*cælum*] eſt ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ [*Ieruſalem ſuperna*], Galat. IV, 26. Ἱερουσαλὴμ ἐπουράνιος [*Ieruſalem cæleſtis*], Hebræorum XII, 22. id eſt, Eccleſia Chriſtiana, quam etiam *cæli* nomine non uno loco deſignat Apocalypſis. *Stellæ* ſunt omnes qui Doctorum officio funguntur: οἱ ἑπτὰ ἀστέρες [*ſeptem ſtellæ*], inquit Chriſtus Iohanni, ἄγγελοι τῶν ἑπτὰ ἐκκλησιῶν εἰσι [*angeli ſunt ſeptem eccleſiarum*]. *Stellæ cadentes* ſunt Doctores à veritate deficientes, quos alia ſimilitudine ἀστέρας πλανήτας [*ſidera errantia*] vocat Iudas. Auguſtinus hunc locum explicans in epiſtola LXXX. *Tunc ſtellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commovebuntur, quoniam multi qui gratiâ fulgere videbantur, perſequentibus cedent & cadent, & quidam fideles firmiſſimi tentabuntur.* Talis cadens ſtella fuit Marcio, Vetus Teſtamentum à Deo Patre Ieſu Chriſti profectum negans, & paſſionem Chriſti deſtruens ſuppoſito imaginario corpore. Talis Manes duo ſtatuens æterna principia, & tollens ſtudium pietatis per fictam ἀποκλήρωσιν [*diſſortitionem*]. Quorum commenta cum Ebionis aliorumque erroribus commiſcens Mahumetes novum dogma procudit, quod nihil eſt aliud quàm ingens depravatio Chriſtianiſmi. Talium ſtellarum cadentium ſæpe in Apocalypſi eſt mentio pro temporum diverſitate repetita, ut VIII, 10, 11, 12. IX, 1. XII, 4. ſicut & capite VI, 13. eadem imagine denotata fuerat multitudo ψευδοπροφητῶν [*pſeudoprophetarum*] qui in Iudæa ante Excidii tempora exſtiterant. Sed & olim Daniel hac ipſa nota deſcripſerat eximios in populo Dei viros qui temporibus Antiochi à Lege erant defecturi: ubi *ſtellarum* vocem eodem modo interpretatur Iacchiades.

καὶ αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται· *& virtutes cælorum commovebuntur*] Solet hac locutione indicari, ut dixi, magna rerum mutatio, ut Eſaiæ XIII, 13. XXXIV, 4. Ioel. III, 16. Hebræorum XII, 27. Hîc omnino arbitror mutationem quidem indicari maximam, ſed in pejus, idque in ipſa Eccleſia, quam *cæli* voce deſignari diximus. Δυνάμεις [*virtutes*] hîc reſpondere Hebræo צבא verum eſt. Nam in Pſalmo XXXIII, 6. ita habent LXX, Τῷ λόγῳ Κυρίου οἱ οὐρανοὶ ἐστερεώθησαν, καὶ τῷ πνεύματι τοῦ στόματος αὐτοῦ πᾶσα ἡ δύναμις αὐτῶν [*Verbo Domini cæli firmati ſunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*], ubi in Hebræo eſt כל צבאם, quomodo & alibi in Pſalmis כל צבאיו transfertur πᾶσαι αἱ δυνάμεις αὐτοῦ [*omnes virtutes ejus*]. Et in Eſaia XXXIV, 4. Καὶ τακήσονται πᾶσαι αἱ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν [*Et tabeſcet omnis militia*

militia cælorum], ubi in Hebræo eſt כל צבא השמים: ex quo loco deſumta ſunt verba quæ modò adduximus ex Apocalypſi VI, 12. Eſt & ubi צבא à LXX vertitur στρατιὰ [*exercitus*], alibi κόσμος [*ornatus*]. Angelos ea voce ſignificari ſolere docet nos quod eſt I Regum XXII, 19. Ad Deuteronomii IV, 19. eadem vox Hebræa notat aliquid in cœlo adſpectabile diſtinctum à Sole, Luna & Stellis; ubi *ſtellarum* nomen ad Planetas referri videtur, צבא ad ſtellas minores: atque ita hîc ſumitur, ſed προφητικῶς [*Prophetico more*]. Nam ſicut Daniel VIII, 10. Iudæos vocat צבות השמים δύναμιν τοῦ οὐρανοῦ [*fortitudinem cæli*], ita hîc δυνάμεις τῶν οὐρανῶν [*virtutes cælorum*] eſt plebs Chriſtianorum, quæ poſt Apoſtolorum tempora mirè concuti cœpit tyrannide τῶν κατακυριευόντων τῶν κλήρων [*eorum qui dominantur in cleris*], temerariis excommunicationibus & quotidiano σχισμάτων [*ſchiſmatum*] proventu. *Tyrannidis & temerariæ excommunicationis exempla videre qui vult legat Iohannis Presbyteri Epiſtolam de Diotrephe, & pia monita Irenæi ad Victorem. Schiſmatum exempla habemus in aliis non paucis, quibus Optatus Milevitanus prudenter tres adſcribit cauſſas, Iracundiam, Ambitum, Avaritiam.

30. Καὶ τότε φανήσεται τὸ σημεῖον τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου ἐν τῷ οὐρανῷ. *Et tunc parebit ſignum Filii hominis*] Cùm poſt aliquot verba interjecta ſequatur Iudicialis adventus, in illis verbis καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς [*& videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli cum virtute multa & majeſtate*], ſignum de quo hîc agitur eſſe illam ipſam δόξαν [*majeſtatem*], atque ita bis idem verbis quibuſdam interpoſitis dici, vix eſt ut credam. Quare Propheticum ſermonem continuari hîc arbitror. Propriè autem illud ſignum, ſive Divinæ Chriſti potentiæ evidens argumentum, Eccleſiæ (quæ *cælum* dicitur) bono editum notari hîc arbitror quod Apocal. XIX & XX. deſcribitur, deſtructionem idololatriæ Romanæ & longam immunitatem Eccleſiæ à perſecutionibus.

καὶ τότε κόψονται πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, *& tunc plangent omnes tribus terræ*] Videri poſſet referendum ad planctum in die Iudicii, ob locum in Euangelio Iohann. XIX, 37. Sed novum non eſt eadem verba, præſertim ex Prophetis petita, diverſis rebus aptari. Sunt autem hæc verba poſita ex Zacharia XII, 12. ubi primo ſenſu de Antiochi temporibus agitur. Hoc verò loco videtur ordo exigere ut ad planctum hæc referantur exſtiturum ob iudicia illa quæ in gentes deſignata Gogi & Magogi nomine, exercebuntur à Chriſto. Is eventus reſpondebit iſti parti hiſtoriæ Iudaïcæ quæ excidium Hieroſolymorum proximè præcedit, ut hæc orbis excidium; Καὶ οἱ βασιλεῖς τῆς γῆς, καὶ οἱ μεγιστᾶνες, καὶ οἱ πλούσιοι, καὶ οἱ χιλίαρχοι, οἱ δυνατοὶ, καὶ πᾶς δοῦλος, καὶ πᾶς ἐλεύθερος, ἔκρυψαν ἑαυτοὺς εἰς τὰ σπήλαια καὶ εἰς τὰς πέτρας τῶν ὀρέων [*& Reges terræ, & Principes, & Tribuni, & divites, & fortes, & omnis ſervus, & liber, abſconderunt ſe in ſpeluncis & in petris montium*]. quæ pertinent ad maximam Iudæorum conſternationem latrociniis undique graſſantibus. Similes igitur pœnas Chriſtus expoſcet per omnes terrarum regiones ab iis omnibus qui honoris aut commodi ſui cauſâ ſinceram doctrinam & verum ejus uſum per ſophiſmatum præſtigias & grata peccantibus dogmata corruperunt, aut vi aperta oppugnarunt. Καὶ τότε ἥξει τὸ τέλος [*Et tunc veniet finis*], ut ſequentia oſtendunt. Et hactenus Chriſtus obſcurè ac Propheticè ea elocutus quæ tunc ſciri nihil attinebat; ſed eventu ipſo demonſtratura erant prædictionis certitudinem; nunc illud quod omnes ſcire plurimùm referebat, Iudicium ſcilicet univerſalè, ἀπολύτρωσιν [*liberationem*] noſtram continens, explanatè diſſerit.

καὶ ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν, *& videbunt Filium hominis venientem in nubibus*] Quominus aſſentiar Auguſtino hæc ἀλληγορικῶς [*tectiore ſenſu*] trahenti ad Chriſti adventum aut per verbum aut per Spiritum, tum quæ ſequuntur me movent, tum præcipuè id quod habemus Actorum I, 9, 11. ubi ſimili modo rediturus dicitur quomodo à Diſcipulis receſſerat, id eſt, per nubem adſpectabilem; addito loco qui eſt I Theſſ. IV, 17. Alioqui etiam extra Iudicii tempus Chriſto nubes velut vehiculi loco adſcribitur; ut apud Danielem VII, 13. & in Apocalypſi multis locis videre eſt, in teſtimonium ſcilicet Divinæ ipſius potentiæ, juxta id quod legimus Pſalmo CIV, 3.

μετὰ δυνάμεως καὶ δόξης πολλῆς. *cum virtute multa & majeſtate*] Δυνάμεις [*virtutes*] hîc intelligere poſſumus Angelorum militiam, explicante Paulo I Theſſ. IV, 16. II Theſſal. I, 7. (adde quod infrà eſt XXV, 31); δόξαν [*majeſtatem*] autem fulgorem adſpectabilem, ut ſæpe ea vox ſumitur.

31. Καὶ ἀποστελεῖ τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης. *Et mittet Angelos ſuos cum tuba vocis magnæ*] Id eſt, *cum tuba canora*, quod Paulus dixit ἐν φωνῇ καὶ ἐν σάλπιγγι [*in voce & in tuba*], nimirum ἓν διὰ δυοῖν [*unum exprimendo per duo*], ſicut & hîc quædam exemplaria habent σάλπιγγος καὶ φωνῆς [*tubæ & vocis*]. Alterum hoc Divinæ Chriſti potentiæ argumentum eſt tuba iſta quæ Deo tribuitur Exodi XX, 18. & Pſalmo XLVII, 6. Dicitur autem eadem tuba, aut vox quæ per tubam ſignificatur, modò Chriſti, ut Iohann. V, 25. nempe ut Regis cujus edicta per tubam publicantur; modò Angelorum, ut hîc, tanquam accenſorum Chriſti aut præconum. Quidam ἀρχαγγέλου [*Archangeli*] voce apud Paulum I Theſſ. IV, 16. Chriſtum ipſum intelligunt: ſed ſeries orationis id non ſatis patitur: dicitur enim αὐτὸς ὁ Κύριος [*ipſe Chriſtus*], id eſt, Chriſtus venturus ἐν φωνῇ ἀρχαγγέλου [*in voce Archangeli*]. Quare rectius eſt apud Paulum ἀρχάγγελον [*Archangelum*], qui eſt שר־הגדול [*Princeps primus*] Danieli, intelligere non ipſum Regem Angelorum Chriſtum, ſed ſub Rege militiæ Angelicæ Ducem. Ferme enim videmus quoties Deus per Angelos aliquid exſequitur, unum aliquem eminentioris loci velut Imperatorem aut ἐργοδιώκτην cæteris dari; ut Danielis IV, 13, 17. Zach. II, 3. Apocalypſeos VII, 2. Hæc autem tuba Paulo *ultima* vocatur, quia etiam peculiaribus Dei judiciis ſua adſcribitur tuba, ut in Apocalypſi eſt videre.

καὶ ἐπισυνάξουσι, *& congregabunt*] Alluſio ad morem Iudæorum, apud quos ἡ ἐπισύναξις fieri ſolebat ſono tubæ, Numer. X. Confer Ezech. XXXVII, 21.

& quæ ſuprà VI, 2. Sed & Græcis & Romanis mos fuit populum convocare claſſico.

τοὺς ἐκλεκτοὺς αὐτοῦ, *electos ejus*] Id eſt, Chriſtianos, veros ſcilicet atque conſtantes. Vide quæ ſuprà.

ἐκ τῶν τεσσάρων ἀνέμων, *à quatuor ventis*] Alluſio ad id quod eſt apud Eſaiam XLIII, 5, 6. Vide & ſuprà VIII, 11. Simile loquendi genus Apocalypſeos VII, 1. & Zach. II, 6. Contrarium hujus apud Ieremiam XLIX, 36.

ἀπ' ἄκρων οὐρανῶν ἕως ἄκρων αὐτῶν, *à ſummis cælorum uſque ad terminos eorum*] Explicatio ejus quod præceſſerat. קצה ἄκρα [*extimum*] ſolent reddere LXX. Idem autem eſt ſive dicas ἀπ' ἄκρου τοῦ οὐρανοῦ ἕως ἄκρου [*à ſummo cæli ad ſummum ejus*], ut Pſalmo XIX, 7. & Deuteronomii IV, 32. ſive ἀπ' ἄκρου τῆς γῆς ἕως ἄκρου αὐτῆς [*à ſummitate terræ uſque ad ſummitatem ejus*], ut Deuteron. XXVIII, 64. Nam per *fines cæli & fines terræ* idem intelligimus. Ideo non veritus eſt Marcus utrumque loquendi genus miſcere. Dixit enim ἀπ' ἄκρου γῆς ἕως ἄκρου οὐρανοῦ [*à ſummo terræ uſque ad ſummum cæli*]. Cui ſimile eſt apud Philonem iſtud libro De Caino, ἀπ' οὐρανοῦ περάτων μέχρι γῆς ἐσχάτων [*à cæli terminis ad cæli extima*].

32. καὶ τὰ φύλλα ἐκφύῃ, *& folia nata*], Ἐκφύειν idem eſſe puto quod apud Lucam προβάλλειν [*exſerere ſe*]. atque ideo activè interpretantibus accedere malo quàm Syro vertenti ſignificatu paſſivo. Confer Cantici II, 13. Τὰ φύλλα, id eſt, *folia ſua.*

33. πάντα ταῦτα, *omnia hæc*] Hæ voces & huic proximo commate poſitæ non ſatis rectè intellectæ magnas tenebras Interpretibus offuderunt. Notandum ergo apud Græcos ταῦτα [*hæc*] & ἐκεῖνα [*illa*] opponi ſolere. Quare cùm mox nominet ἐκείνην τὴν ὥραν [*illam horam*], hoc ταῦτα [*hæc*] oppoſitè accipiendum eſt. Diximus jam ea quæ populo Iudaïco erant eventura figuram & pignus quaſi quoddam habere eorum quæ manebant orbem univerſum. Dicit ergo Chriſtus, cùm hæc videritis quæ Iudæos propriè tangunt, credite & cætera quæ dixi ſecutura.

ὅτι ἐγγύς ἐστιν ἐπὶ θύραις. *ſcite quia propè eſt in januis*] Nimirum ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*Filius hominis*], repetita voce ex commate 30. quomodo & Syrum intellexiſſe arbitror. Hoc verò non neceſſariò ita accipiendum fuit quaſi ſtatim poſt res Iudaïcas immineat Iudicium univerſale. Obſtant enim tum alia tum id quod infrà ſequitur 48. Χρονίζει ὁ κύριός μου ἐλθεῖν [*Moram facit dominus meus venire*]. Certitudo ergo eventus non propinquitas temporis indicatur. Sic לפתח חטאת *præ foribus peccatum eſt*, Geneſ. IV, 7. certam pœnam culpæ comitem ſignificat. Neque aliter Iacobus dixit κριτὴς πρὸ τῶν θυρῶν ἕστηκεν [*Iudex ante januam aſſiſtit*], V, 9. Atque eodem modo etiam ἐγγὺς ſumi ſolet, ut Philipp. IV, 5, ὁ Κύριος ἐγγύς [*Dominus propè eſt*].

34. ἡ γενεὰ αὕτη, *generatio hæc*] Qui totum illud tempus à Chriſto ad ultimum diem γενεᾶς [*generationis*] voce intelligunt, vim verborum enervant. Vult enim Chriſtus ex iis quæ jamjam conſpicienda ſunt Futura colligi; quò pertinet Ficus comparatio. Significat ergo γενεὰ, Hebræo דור reſpondens, hîc, uti ſuprà XXIII, 36. *ejus ætatis homines.* Simile eſt quod ſuprà dixerat, *quoſdam adſtantium non morituros, antequam Regnum Meſſiæ inchoaretur*, XVI, 28. Certè multi eorum qui tum vivebant, imò qui ad virilem ætatem jam pervenerant, potuerunt non excidium tantùm Hieroſolymorum, ſed & multa eo excidio poſteriora conſpicere: quod vel unius Iohannis exemplo manifeſtum eſt.

πάντα ταῦτα, *omnia hæc*] Hoc dixit, Templum oſtendens.

35. παρελεύσονται· *tranſibunt*] Hebræi non habent modum δυνητικὸν [*potentialem*] ſive ὑποθετικ [*ſubjunctivum*]· ideo pro eo uſurpant futurum modi indicativi; quod ſæpe ſequuntur Helleniſtæ. E ergo hîc παρελεύσονται [*tranſibunt*] poſitum pro παρέλθωσιν ἂν [*tranſirent*]. Comparatione enim rei quæ videatur maximè ἀδύνατος [*impoſſibili*] utitur Chriſtus, ut oſtendat multò eſſe ἀδυνατώτερον [*impoſſibilius*] ſua oracula non impleri. Vide quæ diximus ſuprà V, 18. Hujus explicationis, quam Euthymius ſequitur, auctor nobis eſt Lucas XVI, 17.

οἱ δὲ λόγοι μου μὴ παρέλθωσι. *verba autem mea n præteribunt*] Id eſt, πρὶν ἢ παρελθεῖν τοὺς ἐμοὺς λόγ [*priuſquam verba mea irrita fiant*], ut citato j loco explicavimus: idem planè loquendi gen Eſaiæ LIV, 9.

36. Περὶ δὲ τῆς ἡμέρας ἐκείνης, *De die autem illa*] Nimirum τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος [*conſummati ſeculi*]. de qua die tertio loco erat quæſitum, & de qua jam egerat Chriſtus commate 30, 31. Hæc dies eximiè vocatur ἡ ἡμέρα Κυρίου [*dies Domini*], II Petri III, 10.

καὶ τῆς ὥρας, *& hora*] Ὥραν [*horam*] hîc non dici particulam ſed latiùs ſumti temporis ambitum intelligo, ut I Iohann. II, 18. Apocalypſeos III, 10. XIV, 7, 15. & alibi paſſim. Hoc ipſum eſt quod καιρὸν [*momentum*] vocat Paulus I Theſſ. V, 1. Quæ ſignificatio frequens eſt etiam in Hebræa voce עת, quam hîc Syrus uſurpat.

οὐδὲ οἱ ἄγγελοι τῶν οὐρανῶν, *neque Angeli cælorum*] Non multùm referat an hîc legatur id quod addunt quidam οὐδὲ ὁ υἱὸς [*nec filius*], nec ne; cùm apud Marcum nemo deleat. Mihi verò probabilius eſt quibuſdam codicibus additum ex Marco quàm deletum in Matthæo. Nulla enim delendi erat cauſa cùm in Marco relinqueretur: addita autem ſæpe videmus aliqua ex Scriptorum inter ſe collatione. Neque me movet quòd Marcus Matthæi hiſtoriam contraxit: non enim ita ſe Matthæo adſtrinxit ut non alicubi mutaret verba, adderet etiam aliquid, Petro, ut credi par eſt, ſi quid ſupra cæteros meminerat, ſuggerente. Interpretes, qui Filii hîc faciunt mentionem, ad Marcum reſpexere: quod ex Origene apparet, qui de Filio hîc agit, cùm tamen edita ab Origene exemplaria iſtas voces hoc loco non haberent, ut teſtatur Hieronymus. Ab hac lectione ſtant Syrus & Latinus, & codicum pars multò major.

εἰ μὴ ὁ πατήρ μόνος. *niſi ſolus Pater*] Poteſt εἰ μ [*niſi*] hîc propriè ſumi, ſi illa οὐδὲ οἱ ἄγγελοι οὐρανῶν [*neque Angeli cælorum*] legamus velut parentheſi incluſa: quod & apud Marcum faciendum arbitror. Optimè enim cohærent οὐδεὶς [*nemo*] & εἰ μή [*niſi*]· quaſi dicas, Nemo novit (Angelos ipſos non excipio) præter Patrem. Eſt autem dictum vetus Hebræorum, *Tempus quo mundus finiet nemini patefactum.* Vide Iachiadem ad Danielis VIII, 26.

37. Ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, οὕτως ἔσται καὶ ἡ παρουσία τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. *Sicut enim in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis*] Cùm παρουσίαν [*adventum*] ſuprà dixerim, &, ni fallor, oſtenderim hîc eſſe adventum Chriſti in orbem totum per verbi & Spiritûs ſui efficaciam, quæ præcipuè ſe exſeruit annis primis quadraginta, ut ad Lucam quoque dicemus, omnino ea quæ ſequuntur ad res ejus temporis referenda præcipuè arbitror. Et, ni fallor, alio illa tempore quàm quo priora dixit Chriſtus, occaſione à Phariſæis datâ, ut Lucas narrat: ſed Matthæus ideo hîc addidit, quia ad illuſtranda ea quæ de rebus Iudaïcis & Euangelii profectu ſuprà dicta erant, multùm pertinebant. Sicut & Marcus alium locum qui ſuprà apud Matthæum eſt X, 17. ob rerum cohærentiam hîc inſeruit. Neque verò quod de Fure ſequitur evincit de univerſali Iudicio hîc agi, cùm etiam peculiaria in populos aut homines judicia Dei (quæ tamen ipſa univerſalis judicii præſagium continent) furi nocturno comparari ſoleant, ut videre eſt Apocalypſeos III, 3. XVI, 15. Firmat hanc interpretationem quod Noam ſervatum in diluvio Chriſtianis per Baptiſmum à communi pernicie ſervatis Petrus comparat.

38. τρώγοντες καὶ πίνοντες, *comedentes & bibentes*] Non ſecuri tantùm, ſed omne ſtudium ponentes in rebus caducis, & voluptatibus ſuis mancipati, non minùs quàm ille qui ſepulchro inſcripſit,

Τόσσ᾽ ἔχω ὅσσ᾽ ἔπιον καὶ ἐδήδοκα.

[*Hæc habeo quæcunque bibi, quæcunque comédi*].

Huic vitæ opponitur illa apud Lucam monitio, Προσέχετε ἑαυτοῖς μήποτε βαρυνθῶσιν ὑμῶν αἱ καρδίαι κραιπάλῃ καὶ μέθῃ καὶ μερίμναις βιωτικαῖς [*Attendite vobis ne fortè graventer corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ*]. Confer quod infrà eſt commate 49.

γαμοῦντες καὶ ἐκγαμίζοντες, *nubentes & nuptui tradentes*] Nominis generiſque propagandi deſiderio flagrantes, quaſi in eo ſita eſſet tota ſpes immortalitatis. Vide Geneſ. IV, 7, 19. Sed & qui piis editi erant parentibus impiorum connubiis ſe inquinabant potentiæ & gloriæ ſtudio, ut in Geneſi videre eſt. Ita paſſim omnibus curvæ erant in terras animæ: immemores conditas ſe ad Dei imaginem, quod ipſa etiam corporis poſitura teſtatur: ideo enim Deus

Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Iuſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Quod ex Phœnicum Theologia veteres Philoſophi hauſerunt, ex illis Poëtæ: Phœnices ab Hebræis hauſerant. Ad hujus conditionis noſtræ memoriam nos jubemur ἀνακύψαι καὶ ἐπᾶραι τὰς κεφαλὰς ἡμῶν [*reſpicere & levare capita noſtra*], ut apud Lucam eſt hoc loco. Hæc ἀποκαραδοκία [*attenta exſpectatio*] (ut eam Paulus appellat) opponitur illis μερίμναις βιωτικαῖς [*curis hujus vitæ*] hominum τοῦ ἀρχαίου κόσμου [*mundi veteris*]. M. Antoninus Imperator libro IV. oſtendens homines ſemper eadem agitare, ſic ait, Ἐπινόησον, λόγου χάριν, τοὺς ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ καιρούς, ὄψει ταῦτα πάντα γαμοῦντας, παιδοτροφοῦντας [*Conſidera, exempli cauſâ, Veſpaſiani tempora, videbis hæc eadem; homines nuptias facientes, occupatos in liberis educandis*].

εἰς τὴν κιβωτόν. *in arcam*] Ita LXX transferunt Hebræum תבה, quos & Petrus ſequitur: Sed & Philo. Ioſephus λάρνακα dixit, ſecutus Nicolaum Damaſcenum illum Auguſti amicitiâ celebratum, cujus hæc erant verba, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τὴν ἀκρώρειαν ὀκεῖλαι [*& quendam Arcâ vectum ad ſumma juga appuliſſe*]. Etiam Apollodorus in Bibliotheca ubi diluvii meminit nominat λάρνακα, & Lucianus de Dea Syria itidem in diluvii hiſtoria: & Alexander Polyhiſtor, cujus verba apud Cyrillum exſtant. Abydenus in hiſtoria Aſſyriaca πλοῖον [*navim*] vocavit. Et apud Damaſcenum, quem dixi, locus in quo conſedit Arca vocatur Βᾶρις [*Baris*]· ita autem navis quoddam genus Ægyptiis dici notavit Herodotus. Credo autem תבה aut λάρνακα [*Arcam*] dici hanc navem ideo quòd conſtrata eſſet ad ciſtæ modum: nam eodem nomine & ciſtella appellatur in qua expoſitus eſt Moſes: ſicut & Græci Poëtæ id in quo expoſitus fuit Perſeus λάρνακα [*arcam*] vocant.

39. οὐκ ἔγνωσαν, *non cognoverunt*] ידע [*ſcire* vel *cognoſcere*] Hebræis ſæpe eſt προσέχειν [*animum advertere*], ut Eccleſiaſtæ IV, 17. Eſaiæ I, 3. ita ſumitur hîc γινώσκειν [*cognoſcere*] aliiſque multis in locis, ut Lucæ XIX, 44. Hebræor. III, 10. Quò referendum fortè & illud quod eſt Roman. VII, 7. & Actorum XXIII, 5. Huic ſupinitati oppoſitum eſt illud apud Lucam Προσέχετε [*Attendite autem vobis*].

καὶ ἦρεν ἅπαντας· *& tulit omnes*] Ηρεν eſt מחה [*delevit*] Geneſ. VII, 23. ἅπαντας [*omnes*], omne humanum genus, τὸν ἀρχαῖον κόσμον [*mundum originalem*], ut Petrus loquitur, octo duntaxat hominibus exceptis, in quibus erat Noe. Planè enim illis aſſentiri non poſſum qui generalitatem hanc ad aliquam humani generis portionem reſtringunt. Neque enim fert orbicularis terræ figura ut ſumma montium juga, quod dicit Moſes, inundati fuerint terris aliis non obrutis. Deinde ad omne humanum genus hoc diluvium pertigiſſe magnum argumentum habemus omnium gentium memoriam quæ in id tempus deſinit. Diligentiſſimus omnis antiquitatis indagator Varro omne ævum in tria tempora dividebat, ἄδηλον, μυθικὸν καὶ ἱστορικόν [*Incognitum, Fabuloſum, Hiſtoricum*]. ἄδηλον [*Incognitum*] vocans quicquid prius erat magno Cataclyſmo; *Fabuloſum* quod proximè ſequitur; *Hiſtoricum* à Trojæ excidio. Citat Ioſephus Beroſum rerum Chaldaïcarum Scriptorem, Hieronymum Phœniciarum, Mnaſeam quoque, & quem dixi Damaſcenum, qui omnes meminerint καὶ τοῦ κατακλυσμοῦ τούτου καὶ τῆς λάρνακος [*& diluvii hujus & Arcæ*]. Abydenus Noam Σείσιθρον [*Siſithrum*] vocat, eum qui ei imminentem cladem prædixerit Κρόνον [*Saturnum*], nimirum quia Græci ita transferre ſolebant vocem Orientalem אל. Nam & Philo Byblius, ὁ Ἶλος τουτέστιν ὁ Κρόνος [*Ilus eſt Saturnus*]. Phœnices enim, Aſſyrii, Armenii antiquitus eam ſtellam quam Græci Κρόνον [*Saturnum*] vocant maximè ſunt venerati, quòd altiſſimo orbe & præcipuâ potentiâ feratur; quod notat Tacitus. A Iudæis eundem coli multis perſuaſit otium diei quem τῷ Κρόνῳ [*Saturno*] Gentes dicaverant. Idem Abydenus emiſſarum quoque avium meminit; quam narrationem Græci ad Deucalionem ſuum tranſtulerunt, ut ex Plutarcho diſcimus. Sed & in Eupolemi & Artabani ſcriptis exſtabat memoria univerſalis diluvii. Nec aliò referendum quod Plinius de Ioppe urbe dixit, diluvio eſſe antiquiorem: quod & à Ioſepho proditum eſt. Sed & in Novo qui dicitur Orbe reperta ſunt hujus famæ πατροπαραδότου [*à patribus traditæ*] veſtigia. Nec ſpernendum ejus rei argumentum affert Tertullianus conchas in remotiſſimis à mari montibus. Quod autem quidam quærunt, Si univerſale diluvium fuit,unde in novum illum Orbem & remotas inſulas populi pervenerint, vanum eſt. Quid enim credibilius quam auctos nimia fecunditate Septentrionis populos in vacua ſe longiùs ac longiùs etiam trans mare effudiſſe? nam & mores habituſque corporum & ſermo cum populis illis congruunt. De inſulis verò haud contemnenda peritorum obſervatio, Nullam ferme eſſe adeò remotam ad quam non ex aliquo littore proſpectus pateat, & linguam ipſis quæ proximis terrarum. Et hæc quidem obiter dicta ſunt: nam fuſiùs hac de re ſpeciali Diſſertatione egimus.

40. ἐν τῷ ἀγρῷ· *in agro*] In quo rudes ſunt homines, quos per contemtum *populum terræ* vocabant Legiſperiti, & de quo dicebant, Ὁ ὄχλος οὗτος ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον ἐπικατάρατοί εἰσι [*Turba hæc quæ non novit Legem, maledicti ſunt*]. At Chriſtus oſtendit neque rude ingenium neque deſpectam conditionem cuiquam obſtare quò minùs ad cœli gloriam aditus ei pateat.

ὁ εἷς παραλαμβάνεται, *unus aſſumetur*] Id eſt, velut apprehensâ manu educetur è communi periculo. Alluſio enim eſt ad Loti hiſtoriam, quam brevitatis causâ omiſit Matthæus, Lucas autem expreſſit. Vide Geneſ. XIX, 16. Adde Lucæ XXI, 36. Hæc autem pertinent ad diſcretionem illam hominum quæ facta eſt per Euangelii ſermonem, præſertim primis illis annis XL. Cujus adſpectabile etiam ſignum fuit conſervatio Chriſtianorum à malis obſidii Hieroſolymorum.

41. Δύο ἀλήθουσαι ἐν τῷ μύλωνι· *Duæ molentes in mola*] Erat hoc ancillarum, ut docemur Exodi XI, 5. & Eſaiæ XLVII, 2. Hîc rurſùs à Chriſto diſcrimen oſtenditur Regni ſui à Regnis terrenis. Nam in Regnis mundi feminæ ab omnibus officiis civilibus vel publicis remotæ ſunt; ſervi verò multò magis, ut qui ne perſonam quidem habere dicantur. At Chriſtus mulieres etiam ſervas recipit: οὐκ ἔνι δοῦλος, οὐδὲ ἐλεύθερος· οὐκ ἔνι ἄρσεν καὶ θῆλυ [*non eſt ſervus, neque liber; non eſt maſculus, neque femina*], Galatar. III, 28. Omnes communi exitio eximentur in quos illud quadrabit, ὅτι σὲ εἶδον δίκαιον ἐναντίον μου ἐν τῇ γενεᾷ ταύτῃ [*te enim vidi juſtum coram me in generatione hac*], Geneſeos VII, 1. quod egregiè παραφράζει [*fuſiore ſermone exſequitur*] Philo fine libri II περὶ βίου Μωσέως [*De vita Moſis*].

42. Γρηγορεῖτε οὖν, *Vigilate ergo*] Hæc omnibus Chriſtianis dicuntur. Illud autem quod ſequitur commate 45. generalem admonitionem peculiariter Apoſtolis aliiſque Eccleſiæ Paſtoribus accommodat, quod nos docet Lucæ XII, 41.

43. ἐγρηγόρησεν ἄν, *vigilaret utique*] Facilè eſt, inquit Chriſtus, præcavere periculum unius ac præfiniti temporis. Sed quia pericula multa tempus habent incertum, ideo ſemper metuenda ſemperque cavenda ſunt, ne ingens damnum accipiatur διὰ τὸ ἀπροσδόκητον [*propter caſum non exſpectatum*].

διορυγῆναι, *perfodi*] Perfoſſio tribuitur furi, Exodi XXII, 2. & Ieremiæ II, 34.

44. ἔρχεται· *venit*] Id eſt, venire poteſt inexſpectatus niſi eum ſemper exſpectetis. ἔρχεται [*venit*] pro ἔρχοιτο ἄν [*venire poſſit*].

45. Τίς ἄρα ἐστὶν, *Quis putas eſt*] Non eſt hîc τίς [*quis*] interrogativum, ſed ὑποθετικὸν [*ponens facti ſpeciem*], ut diximus alibi.

ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, *ſuper familiam ſuam*] Deſcribit munus οἰκονόμου, id eſt, *diſpenſatoris*, cui munus Paſtorum in Eccleſia reſpondet. Vide 1 Corinthiorum IV, 1.

47. ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτόν. *ſuper omnia bona ſua conſtituet eum*] Ex diſpenſatore procuratorem faciet; qui major honos. Hunc proceſſum videre eſt in Ioſephi hiſtoria Geneſ. XXXIX. Nam dominus primùm κατέστησεν αὐτὸν ἐπὶ τοῦ οἴκου αὐτοῦ [*præpoſuit eum ſuper domum ſuam*], 4. deinde ἐπέτρεψε πάντα ὅσα ἦν αὐτῷ εἰς χεῖρας Ἰωσήφ [*dedit omnia quæ habebat in manus Ioſephi*], 6. Cæterùm hac ſimilitudine ſignificatur honos ſummus qui illi habebitur. Compara Apocal. II, 26.

48. Ἐὰν δὲ εἴπῃ ὁ κακὸς δοῦλος ἐκεῖνος ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτοῦ· *Si autem dixerit malus ſervus ille in corde ſuo*]. Retinuit Græcus Interpres Hebraïſmum אמר בלבו [*dixit in corde ſuo*], ut & LXX Pſalmo XIV. & alibi, cùm id nihil aliud ſignificet quàm *cogitare*.

Χρονίζει, *Moram facit*] יאחר Abac. II. 3. Columella, *Servi longâ dominorum diſtantiâ corrumpuntur*.

49. τύπτειν τοὺς συνδούλους, *percutere conſervos ſuos*] Lucianus, τοὺς συνδούλους μαστιγοῖ [*conſervos flagris cædit*]. Indicat Chriſtus non defuturos in Eccleſia Paſtores qui, aut ipſi accepto Gladii jure, aut eos quorum eſt Gladius ſibi nacti obnoxios, alios Paſtores aut de plebe Chriſtianos, ob liberam vitiorum reprehenſionem, aut ob diverſas de dogmatibus quibuſdam minùs neceſſariis minúſque exploratis ſententias, crudeliter divexent. Id autem facturos eos præcipuè, qui, cùm videri velint omnia facere Chriſti cauſâ, revera *non Chriſto ſerviant ſed ventri ſuo*, τὰ ἐπίγεια φρονοῦντες [*terrena ſapientes*], Romanorum XVI, 18. Philipp. III, 19. Et ſanè naturaliter evenit, ut qui pietatem commodorum ſuorum cauſâ profitentur implacabiliter oderint atque adeò omnibus modis infeſtent eos quos commodis ſuis adverſari vident; ut &, cùm de zizaniis actum eſt, annotavimus. Hæc autem agendi ratio quantopere Chriſto diſpliceat, & quàm non ſit impunè abitura, oſtendunt quæ ſequuntur commate 51.

ἐσθίῃ δὲ καὶ πίνῃ, *manducet autem & bibat*] ita multi codices, ita Syrus, ita Latinus, & Græci Interpretes nonnulli. Quare pars hæc major videtur.

51. *διχοτομήσει αὐτὸν*, *dividet eum*] Brevis locutio, pro eo quod diceretur διχοτομῶν τὴν οἰκίαν ἀφορίσει αὐτόν [*dividens familiam ſegregabit eum*]. Nam διχοτομεῖν [*dividere* ſive *bipartire*] propriè reſpondet Hebræo חצה, quod ἡμίσυσε voce ſimili huic noſtræ vertit Aquila Gen. XXXIII, 1. Explicatio petenda ex iis quæ infrà XXV, 32.

τὸ μέρος αὐτοῦ, *partem ejus*] Tale eſt illud, Πῦρ καὶ θεῖον καὶ πνεῦμα καταιγίδος ἡ μερὶς τοῦ ποτηρίου αὐτῶν [*Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*], Pſ. XI, 6. item αὕτη ἡ μερὶς ἀνθρώπου ἀσεβοῦς παρὰ Κυρίου [*hæc eſt pars hominis impii à Deo*] Iob XX, 29. Paſſim enim Hebræis מנה [*pars*] & חלק [*portio*] ἀνταπόδοσιν [*retributionem*] ſignificant.

μετὰ τῶν ὑποκριτῶν, *cum hypocritis*] Μετὰ τῶν ἀπίστων [*cum infidelibus*] inquit Lucas. Credibile eſt utrumque Chriſtum dixiſſe, ut ſignificaret eadem ſupplicia manere eos qui Euangelium contemſiſſent & eos qui fidem profeſſi factis eam abnegaſſent. ἀπίστους malo *incredulos* quàm *infidos* interpretari, quia quod ſequitur ἐκεῖ ἔσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων [*illic erit fletus & ſtridor dentium*] probat tacitam eſſe tranſitionem ad ἀνταπόδοσιν [*id quod in Comparatione reſpondet*], qualem & ſuprà habuimus XIII, 42. & XXIII, 13. & infrà habebimus XXV, 30. quibus omnibus in locis idem eſt ἐπιφώνημα [*acclamatio eadem*].

CAPVT XXV.

1. Δέκα παρθένοις, *decem virginibus*] Hæ ſunt בתולות רעות [*virgines ſodales*] in Pſalmo XLV, 15. Συνομάλικες [*æquales*] in Epithalamio Theocriti, παρθένοι ἑταῖραι [*virgines amicæ*] Pindaro tertiâ odê Pythiorum.

ἐξῆλθον, *exierunt*] Πρόληψις [*anticipatio*]· nam quando in occurſum iverint infrà dicitur 6, 7, 11.

εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου. *obviam ſponſo*] Non de nihilo eſt quod & Latinus & Syrus addunt καὶ νυμφῆς [*& ſponſæ*]· atque ita legiſſe Origenem credet ſi quis ejus lectioni diligenter attenderit. Suſpicari licet omiſſum ab his qui non videbant quomodo *virgines*, id eſt, fideles, dicerentur *ſponſæ occurrere*, cùm ipſi ſint Eccleſia, id eſt, ſponſa: quod pleroſque Latinos Interpretes torſit. Sed id neminem movere debuit. Nam in his Comparationibus non ſunt premendæ partes ſingulæ; ſed intuendus ſcopus comparationis, cætera habenda acceſſionum vice; ut jam aliquoties diximus ſuprà. Scopus eſt quem Chriſtus ipſe indicat verbis Γρηγορεῖτε οὖν [*Vigilate itaque*], Debere nos ſcilicet ſemper ſollicitos eſſe de vita rectè inſtituenda, &, ut Lucas loquitur, προσέχειν ἑαυτοῖς [*attendere ſibi*]. Vt autem ſciatur illud καὶ νυμφῆς [*& ſponſæ*] non pugnare cum natura narrationis, ut quidam exiſtimant, notandum eſt inter laudatos mores, quos à patribus Iudæi acceperunt, etiam hunc fuiſſe, ut matrimonium non privatim ſed in piorum conventu celebrarent μετ' εὐλογίας [*cum benedictione*], cujus formulæ exſtant in ipſorum Ritualibus: quod, ut multa alia Iudæorum inſtituta, imitati ſunt Chriſtiani veteres. Ignatius ad Polycarpum, πρέπει δὲ τοῖς γαμοῦσι καὶ ταῖς γαμούσαις μετὰ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου τὴν ἕνωσιν ποιεῖσθαι, ἵνα ὁ γάμος ᾖ κατὰ Κύριον καὶ μὴ κατ' ἐπιθυμίαν [*convenit, ut qui uxorem ducit & quæ nubit aſſentiente Epiſcopo jungantur, ut nuptiæ fiant ſecundum Dominum, & non ex concupiſcentia*]. Tertullianus libro De pudicitia, *Ideo apud nos occultæ quoque conjunctiones, id eſt, non priùs apud Eccleſiam profeſſæ, juxta mæchiam & fornicationem judicari periclitantur*. Idem alibi, *Vnde ſufficiam ad enarrandam felicitatem ejus matrimonii quod Eccleſiæ conciliat & confirmat oblatio?* Euariſtus ad Africanos Epiſcopos, *Aliter legitimum non ſit conjugium, niſi ab his qui ſuper ipſam feminam dominationem habere videntur, & à quibus cuſtoditur, uxor petatur, & à parentibus, & à propinquioribus ſponſetur, & legibus dotetur, & ſuo tempore ſacerdotaliter, ut mos eſt, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicatur*. Ante hanc εὐλογίαν [*benedictionem*] ſponſam ſponſo conjugis jure attingere nefas & Iudæis & Chriſtianis habitum. Ad hanc εὐλογίαν [*benedictionem*] deducebatur ſponſus à viris grandævis, ſponſa à matronis. Redeuntibus ἀπὸ τῆς εὐλογίας [*à benedictione*] obviam procedebant juvenes & puellæ, οἱ υἱοὶ καὶ αἱ θυγατέρες τοῦ νυμφῶνος [*filii & filiæ domus nuptialis*], de quibus diximus ad caput nonum. Deinde celebrabatur convivium nuptiale. Alludit hæc parabola ad Pſ. XLV. & Canticum Canticorum.

3. *λαμπάδας*, *lampadibus*] Lampades iſtæ oleariæ eundem uſum in Iudæa præſtitiſſe videntur quem Romæ pineæ aut ſpineæ faces.

4. *ἐν τοῖς ἀγγείοις*, *in vaſis* ſive *inſtrumentis*] Latiſſimè patet hæc vox, ut & altera σκεῦος, per quam redditur Hebræum כלי [*vas*].

5. *ἐνύσταξαν πᾶσαι καὶ ἐκάθευδον*. *dormitaverunt omnes & dormierunt*] Etiam αἱ φρόνιμοι [*prudentes*]. quod non fruſtra eſt additum: πολλὰ γὰρ πταίομεν ἅπαντες [*in multis enim offendimus omnes*], Iac. III, 2. præſertim in fidei initiis. Paulus ad Rom. XIII, 11. ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι· νῦν γὰρ ἐγγύτερον ἡμῶν ἡ σωτηρία ἢ ὅτε ἐπιστεύσαμεν [*hora eſt jam nos de ſomno ſurgere; nunc enim propior eſt noſtra ſalus quàm cùm credidimus*], id eſt, quàm cum primùm credere cœpimus & Chriſto nomen dedimus; qui locus hunc explicat.

6. *Μέσης δὲ νυκτὸς*, *Mediâ autem nocte*] Seriùs quàm pro more: ideo præceſſit χρονίζοντος δὲ τοῦ νυμφίου [*moram autem faciente ſponſo*]. Alioqui ut nocte duceretur ſponſa à novo marito moris fuiſſe antiquiſſimi, atque ex eo manſiſſe in nuptiis faces, notatum Servio ad Eclog. VIII.

κραυγὴ γέγονεν· *clamor factus eſt*] Clamor nocte latiùs auditur, ut Exodi XII, 30.

7. *ἐκόσμησαν*, *ornaverunt*] הטיב Exodi XXX, 8. ubi de lychnis ut hîc agitur. Græci ibi ἐπισκευάζειν [*parare*] vertunt, & 1 Samuel. III, 3. alibi κοσμεῖν [*ornare*].

8. *αἱ λαμπάδες ἡμῶν σβέννυνται*. *lampades noſtræ exſtinguuntur*] Quod in lucernis Templi nefas, Exodi XXVII, 20. Senſus myſticus apud Paulum, Τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε [*Spiritum nolite exſtinguere*], 1 Theſſalon. V, 19. Spiritus enim *oleum*, Hebr. 1, 9. 1 Iohann. II, 20, 27. Vide & Iobum XVIII, 6. XXI, 17.

9. *Μήποτε*, *Ne fortè*] Recta lectio, & haud dubia ἔλλειψις [*reticentia*] recuſationis cujus ratio redditur. Tale eſt illud Gen. XX, 11. Εἶπα γὰρ, Μήποτε οὐκ ἔστι θεοσέβεια ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ [*Dixi enim, Ne fortè non ſit*

timor Dei in loco iſto]· deeſt enim, *diſſimulabo Saram eſſe uxorem meam.* Sic & ὅτι [*quia*] poni ſolere cum ſubticentia ejus cujus ratio redditur, obſervatum eſt ſuprà.

12. οὐκ οἶδα ὑμᾶς. *neſcio vos*, ſive *non novi vos*] Vide ſuprà VII, 23.

13. οὐδὲ τὴν ὥραν, *neque horam*] Interpretamentum eſt quod hîc Græci codices non omnes adjiciunt, ἐν ᾗ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἔρχεται [*in qua Filius hominis venturus eſt*], ignoratum Syro, Latino, Arabi.

14. Ὥσπερ γὰρ, *Sicut enim*] Ἀνανταπόδοτον [*Comparatio incompleta*], quale in Homero obſervant Grammatici illo loco,

Ἀλλ' εἰ μὲν δώσουσι γέρας μεγάθυμοι Ἀχαιοί.
[*At ſi magnanimi dent nobis munus Achivi.*]

Cujus generis in Paulo ſunt multa, ut notavit Hieronymus. Simillimum huic eſt apud Marcum XIII, 34. Cæterùm & narrandi tempus atque occaſio, & circumſtantiæ narrationis multùm differentes perſuadent mihi hanc non eſſe eandem hiſtoriam quæ apud Lucam Zacchæi convivio ſubtexitur. Et quid vetat quominus Chriſtus ſæpe res multùm ſimiles comparationibus ſimilibus magis quàm iiſdem illuſtraverit? Cùm verò dona quæ per Chriſtum accipimus alia ſint communia, ut doctrina Euangelii & quæ eam conſequuntur, alia verò peculiaria, qualia ſunt τὰ χαρίσματα τῶν διακονιῶν καὶ τῶν ἐνεργημάτων [*dona miniſteriorum & operationum*], quæ poſt adſcenſum in cœleſtem regiam Chriſtus quibus voluit diſtribuit, videtur mihi Chriſtus curſum adhuc ſuum peragens illa, morti verò jam propior hæc ſpectaſſe. Ideo apud Lucam res creditæ ſunt æquales, hîc inæquales. Vide Paulum Romanorum XII, 6. I Corinthior. XII, 7. 11, 29. Epheſiorum IV, 11.

τὰ ὑπάρχοντα αὐτοῦ· *bona ſua*] הונו ſic vertitur Proverbiorum VI, 31. XI, 4.

15. κατὰ τὴν ἰδίαν δύναμιν· *ſecundùm propriam virtutem*] Hoc ad apologi complementum pertinet; neque propriam in ſimilitudine applicationem deſiderat. Quanquam enim negare nolim in vocatione ad functiones Deum interdum ſpectare id quod ante eam vocationem ineſt humano ingenio, id tamen non eſſe perpetuum vel unus Ieremias evincat.

16. εἰργάσατο ἐν αὐτοῖς, *operatus eſt in eis*] Græci dicerent ἐργάζεσθαι αὐτοῖς [*lucrari per ea*] aut ἀπ' αὐτῶν [*ex iis*], ut ἀφ' ὥρας ἐργάζεσθαι *quæſtum corpore facere*. ἐργάζεσθαι ergo hîc ſatis Græcum eſt. Sed illud ἐν [*in*] Helleniſticum, frequens admodum in ea ſignificatione quam Latini caſu ſexto exprimunt.

ἐποίησεν, *fecit* ſive *lucratus eſt*] Latiniſmus eſt; nam *pecuniam conficere* plerique dicunt: Salluſtius etiam, *facere*. *Rem facere* uſitatiſſimum eſt. Apud Græcos veteres neſcio an id loquendi genus ſit reperire. Ideo à quibusdam ſubſtitutum eſt interpretamentum ἐκέρδησεν [*lucratus eſt*].

18. ὤρυξεν ἐν τῇ γῇ, *fodit in terram*] Ita Latinis *defoſſo auro incubare* dicitur qui inutilem pecuniam detinet. Et apud ſapientem Hebræum comparantur σοφία κεκρυμμένη καὶ θησαυρὸς ἀφανὴς [*ſapientia absconſa & theſaurus inviſus*] Sirach. XX, 31.

20. ἐκέρδησα ἐπ' αὐτοῖς] Supra ſortem: quare Latinus optimè hîc *ſuperlucratus ſum.*

21. Εὖ, *Euge*] Laudantis, ut & εὖγε, quod quia Latini quoque eodem ſenſu uſurpant prudenter hîc poſuit Latinus Interpres. Alioqui *Macte*, aut *Bonum factum*, aut *Bene habet* potuerat vertere.

ἐπ' ὀλίγα ἦς πιστὸς, *ſuper pauca fuiſti fidelis*] Quantilla enim ſunt obſequia etiam Apoſtolorum & martyrum, ſi cum tanto præmio comparentur?

ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω· *ſuper multa te conſtituam*] De Cyro juniore ſic narrat Xenophon, εἰ δέ τινα ὁρῴη δεινὸν ὄντα οἰκονόμον ἐκ τοῦ δικαίου, καὶ κατασκευάζοντα τε ἧς ἄρχοι χώρας, καὶ προσόδους ποιοῦντα, οὐδένα ἄν πώποτε ἀφείλατο, ἀλλὰ καὶ πλείω προσεδίδου [*quòd ſi quem reperiſſet qui juſtè rem faceret, & ornaret eam cui præerat provinciam, reditusque ibi augeret, nunquam ei quicquam auferebat, ſed addebat & plura*]. Idem Oeconomico, de Rege Perſarum, καὶ οὓς μὲν αἰσθάνηται τῶν ἀρχόντων συνοικουμένην γε τὴν χώραν παρεχομένους καὶ ἐνεργὸν οὖσαν τὴν γῆν καὶ πλήρη δένδρων τε ὧν ἑκάστη φέρει καὶ καρπῶν, τούτοις μὲν χώραν τὴν ἄλλην προστίθησι [*quos compererat Præſidum provinciam ſuam reddere habitatiorem, & terram excultam magis, plenamque arboribus ac fructibus quibus apta erat, his aliam provinciam adjiciebat*].

εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου. *in gaudium domini tui*] Id eſt, *particeps eſto herilis gaudii*, κοινωνὸς τῆς παρακλήσεως [*ſocius conſolationum*] II Corinth. I, 7. συμβασιλεύων [*conregnans*], II Timoth. II, 12. Tacita connexio ἐπιμυθίου [*affabulationis*] cum apologo, ut & in oppoſita parte infrà 30. εἰσέρχεσθαι [*intrare*] in Hebraïſmo eſt μετέχειν [*participem eſſe*], ut εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου [*ſi introibunt in requiem meam*] Pſalmo XCV, 11. Hebræor. III, 11. χαρὰ [*gaudium*] שמחת עולם εὐφροσύνη αἰώνιος [*lætitia ſempiterna*] Eſaiæ LXI, 7.

22. ἄλλα δύο, *alia duo*] Non opera ipſa ponderat Chriſtus ad quæ facienda non omnibus par vis, non temporis tantundem, non æqua occaſio, ſed fidele ſtudium. Itaque ſæpe,

In tenui labor, at tenuis non gloria.

Iuſtinus Apologetico II. unumquemque ait πρὸς ἀναλογίαν ὧν ἔλαβε δυνάμεων παρὰ Θεοῦ τὸν λόγον ἀπαιτηθήσεσθαι [*exactum iri rationem pro modo facultatum quas à Deo accepit*].

24. ὁ τὸ ἓν τάλαντον, *qui unum talentum*] In eo cui minimum erat concreditum negligentiæ exemplum poſuit Chriſtus, ne quis ſperaret excuſatum ſe iri ab omni labore ideo quòd non eximia dona accepiſſet. Plus videlicet exigetur ab eo cui plus datum eſt, ut ait Lucas: Non igitur nihil fructuum debet qui minus accepit, ſed minus debet.

σκληρὸς, *durus*] *Homo durus & aſper*, ut ille de procuratore. *Aſperos & omnibus iniquos* dixit Cicero. Et ſequentia oſtendunt indicari eum qui non modò ſit ἀκριβοδίκαιος [*ſummo jure utens*] ſed & πλεονέκτης [*habendi cupidus*].

θερίζων ὅπου οὐκ ἔσπειρας, *metis ubi non ſeminaſti*] Proverbium eſt etiam apud Latinos; *Vt ſementem facies, ita metes.* Cicero De Oratore II. Vide & Iohannis IV, 37. & quæ ibi notata.

25. ἔχε τὸ σόν. *habe quod tuum eſt*] Ita ſuprà

ἆρον τὸ σὸν [*tolle quod tuum eſt*] xx, 14. Formula nihil ultrà debere ſe profitentis.

26. ὀκνηρὲ, *piger*] Ita ſolent transferre Lxx Hebræorum עצל, ut in Proverbiis aliquoties. Latinè vertere liceat *ceſſator* : ita enim Romani vocabant ſervos officium non facientes.

ᾔδεις, *ſciebas*] Figura quam συγχώρησιν [*Conceſſionem*] vocant : Eſto ut dicis; notas me aſperum & plus æquo petentem; tantò magis curandum tibi fuit, ne me rei mei fructu fraudares.

27. τοῖς τραπεζίταις· *nummulariis*] Ne dicas invenire te non potuiſſe quibus pecunia eſſet opus. Argentarii ab omnibus pecunias ſumunt fœnore: Plautus,

> —— *Subducam ratiunculam,*
> *Quantillum argenti mihi apud trapezitam ſiet.*

Ἀργύριον τραπεζίτῃ παρακατατιθέναι [*pecuniam collocare apud trapezitam*], dixit in Cratete Diogenes Laertius.

ἐγὼ ἐκομισάμην ἂν τὸ ἐμὸν σὺν τόκῳ. ego recepiſſem utique quod meum eſt cum uſura] Ἐκομισάμην [*recepiſſem*] hîc eſt ἦλθον κομίζεσθαι [*iviſſem receptum*], id eſt, exegiſſem, ut Lucas ἔπραξα [*exegiſſem*], & Syrus hoc loco. Senſus eſt, Non eſt etiam quod in collocanda pecunia periculum obtendas: mea erat: ego eam exegiſſem non tuo ſed meo periculo. Tuti enim ſunt qui res alienas adminiſtrant quoties eis credunt quorum fidei publicè creditur. Sic & Dominus noſter τὸν οἰκονόμον τὸν ἑαυτοῦ οὐ καταδικάσει, εἰ γνωρίζοι αὐτὸν διὰ τὸ ἐπίστασθαι ὅτι δυνατός ἐστιν ὁ κύριος αὐτοῦ, καὶ ἐλθὼν ἀπαιτήσει τὰ ἴδια, ἐπὶ πᾶσαν τράπεζαν διδόντα, ἀλλ' οὐ δι' αἰτίαν οἱανδηποτοῦν κατορύξαντα. [*non damnabit diſpenſatorem ſi norit eum in omni menſa collocaſſe pecuniam, ideo quòd ſciret dominum ſatis potentem ut reverſus ſuum exigat; ſed ita ſi norit eum qualicunque prætextu pecuniam defodiſſe*]. Verba ſunt Iuſtini ad Tryphonem.

28. *δότε τῷ ἔχοντι τὰ δέκα τάλαντα. date ei qui habet decem talenta*] Hoc ita ſumendum quomodo illud quod in Apocalypſi eſt, κράτει ὃ ἔχεις, ἵνα μηδεὶς λάβῃ τὸν στέφανόν σου [*tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam*]. Similitudines enim ejusmodi accipiendæ ſunt παχύτερον [*craſſius*].

29. *Τῷ γὰρ ἔχοντι, Omni enim habenti*] Vide quæ diximus ſuprà XIII, 12. Eadem enim eſt ſententia, quanquam non de iiſdem donis ibi agitur. Ἔχειν [*habere*] hîc eſt *rectè habere*, id eſt, bene uti, non pati χάριν κενὴν γένεσθαι, ἀλλὰ κοπιάζειν [*gratiam Dei vacuam eſſe, ſed laborare*], ut Paulus 1 Cor. xv, 10. quod qui facit à Divina liberalitate plura impetrat. Notandum autem non ſervari in hoc apologo eum ordinem quem habet res ſignificata. Nam augmenta gratiæ de quibus hîc agitur ſunt ante gaudium illud de quo actum eſt ſuprà commate 23. Sed cùm utrumque dicere voluerit Chriſtus, Iis qui gratos ſe præbent & majora hîc dona & poſtea maximum præmium tribui, nihil referebat quo iſta ordine in comparatione ponerentur.

καὶ ὃ ἔχει, *& quod habet*] Ὃ ἔχει [*quod habet*] facto, ὃ δοκεῖ ἔχειν [*quod videtur habere*] (ut Lucas loquitur, quod & hic habent quidam codices, ſed ex Luca, ni fallor) quoad jus plenum dominii quod non habet. Vide quæ ſuprà.

30. ἀχρεῖον δοῦλον, *inutilem ſervum*] Bene vertit Syrus בטילא: Idem enim valet quod ὀκνηρός, id eſt, ut modò diximus, *ceſſator*. Ita enim hac voce utebantur Helleniſtæ. Tob. IV, 14. ἐν τῇ ἀχρειότητι ἐλάττωσις καὶ ἔνδεια μεγάλη· ἡ γὰρ ἀχρειότης μήτηρ ἐστὶ τοῦ λιμοῦ [*in deſidia damnum & inopia magna : deſidia enim famis mater*]. Neque aliter interpretor Lucæ XVII, 10. Sic נאלחו ἠχρειώθησαν [*inutiles* ſive *deſides facti ſunt*] vertunt Græci in Pſal. XIV, 3. & LIII, 4.

31. *καὶ πάντες οἱ ἅγιοι ἄγγελοι μετ' αὐτοῦ, & omnes Angeli cum eo*] Divinæ potentiæ deſcriptio. Alluditur enim ad Zachariæ verba XIV, 5.

ἐπὶ θρόνου δόξης αὐτοῦ ſuper ſedem majeſtatis ſuæ] Similitudo à Regibus ſumta, qui cùm res maximas tractant inſident magnifico ac ſublimi ſolio. Vide ſuprà XIX, 28. & Dan. V, 20. Vide & Thalmudem titulo *Aboda Zara*.

32. *πάντα τὰ ἔθνη· omnes gentes*] Poteſt intelligi de omnibus viventibus & mortuis totius οἰκουμένης [*terrarum orbis*], ut Act. x, 42. XVII, 31. Probabilis tamen eſt eorum ſententia qui propriè hîc exiſtimant agi de iis qui in omnibus populis Chriſti nomen erunt profeſſi: quia illi, in hoc Mundo permixti boni malis, tum demum ſegregabuntur, ut ſuprà docuit Retis & Agri comparatio. Accedit quòd iſta exacta vitæ disquiſitio videatur peculiariter ſpectare eos qui in cenſu ſunt Chriſtiani nominis, ut ſuprà videre eſt VII, 21. Nam ſicut Iura dicunt *in confeſſos nullas eſſe partes niſi condemnandi*, ita qui Euangelium contemſerunt jam velut damnati ſunt propria confeſſione : ὁ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται [*qui non credit jam judicatus eſt*], Iohann. III, 18. Lactantius VII. Inſtitutione, cap. XX. *Nec tamen univerſi tunc à Deo judicabuntur, ſed ii tantùm qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, jam judicati damnatique ſunt; ſanctis libris conteſtantibus non reſurrecturos impios in judicium. Iudicabuntur ergo qui Deum ſcierunt & facinora eorum, id eſt, mala opera cum bonis collata ponderabuntur.* Hieronymus Dialogo I adverſus Pelagium, *Non reſurgent impii in judicio. Iam enim in perditionem ſunt præjudicati.* Idem tradit ex Græcis Theophylactus ad II caput Iohannis. Nec diſſentit Cyprianus Teſtimoniorum libro III, num. 31. Diſcrimen Ovium & Hircorum reſpicere videtur Ezechielis locum XXXIV, 17.

33. *ἐκ δεξιῶν, à dextris*] Dextra virtutes, Siniſtra vitia notat, Eccleſ. x, 2. Ionæ IV, 11. Rurſum dextra τὴν εὐλογίαν [*benedictionem*], ſiniſtra τὴν ἀρὰν [*maledictionem*]. Ideo εὐλογίαι [*benedictiones*] Legis pronuntiatæ ſunt obverſo vultu ad Montem Garizim, qui, ut Hebræi docent, ſitus erat ad Meridiem; Meridiem autem ימין, id eſt, *dextram*, Hebræi vocant : ἀραὶ [*maledictiones*] verò prolatæ ſunt ore obverſo ad Montem Hebal qui ad Aquilonem, id eſt, ad ſiniſtram erat poſitus.

τὰ δὲ ἐρίφια ἐξ εὐωνύμων. hædos autem à ſiniſtris] Hi dicuntur pars Samaëlis, id eſt, diaboli, apud Ioſephum Iacchai ad VIII Danielis. Dextræ & ſiniſtræ in judicio poſt hanc vitam etiam apud Platonem mentio, ubi de Ere Armenio agit. Ac ſicut ipſi mali dæmones שעירים, id eſt, *hirci*, Hebræis dicuntur, ſic eorum diſcipuli, *hædi*. Eſt enim id animal & libidinoſum & olidum.

34. οἱ εὐλογημένοι, *benedicti*] Ad quos ex federe ſpectat ſumma illa & nullis malis interrupta felicitas, quam Legis εὐλογίαι [*benedictiones*] rerum temporalium ſpecie adumbrabant. His opponuntur infrà κατηραμένοι [*maledicti*]. Vide Deuteronomii XXVIII.

κληρονομήσατε, *poſſidete*] *Mancupii jure poſſidete*, ut vocem κληρονομεῖν alibi ſumus interpretati. Petrus I, cap. III, 9. Εἰς τοῦτο ἐκλήθητε ἵνα τὴν εὐλογίαν κληρονομήσητε [*in hoc vocati eſtis ut benedictionem hereditate poſſideatis*].

τὴν ἡτοιμασμένην ὑμῖν, *paratum vobis*] Id eſt, aſſignatam vobis Divinitus, ut ſuprà XX, 23. I Corinth. II, 9. Hebræorum XI, 16. Ita enim ſolebant uſurpare Helleniſtæ, ut Tob. VI, 22. de Sara Tobiæ conjuge, ὅτι σοὶ αὕτη ἡτοιμασμένη ἦν ἀπὸ τοῦ αἰῶνος [*quia illa tibi parata fuit à ſeculo*]· qui locus illum Geneſeos reſpicit XXIV, 44. αὕτη ἡ γυνὴ ἣν ἡτοίμασε Κύριος τῷ ἑαυτοῦ θεράποντι Ισαὰκ [*ipſa eſt mulier quam præparavit Dominus ſuo famulo Iſaac*], אשר הכיח. Sic *matrimonium à conditu mundi deſignatum* memorat Rabbi Iſraël expoſitione ad Pſalmum LI.

ἀπὸ καταβολῆς κόσμου· *à conſtitutione mundi*] Vide ſuprà XIII, 35. Lucæ XI, 50. Hebræor. IV, 3. IX, 26. Apocalypſeos XIII, 8. XVII, 8. Sed alibi ἀπὸ καταβολῆς [*à conſtitutione*] tempus deſignat poſt orbem conditum, hîc verò tantum valet quantum πρὸ καταβολῆς [*ante conſtitutionem*], quod eſt Epheſiorum I, 4. & I Petri I, 20.

35. Ἐπείνασα γὰρ, *Eſurivi enim*] Inter veras virtutes eminet Miſericordia: ideo hanc pro omnibus ponens Chriſtus exemplis depingit maximè notis atque conſpicuis. opera autem ipſa potiùs nominat quàm animi affectum, ut humani judicii figura magis exprimeretur.

συνηγάγετέ με· *collegiſtis me*] Dicit quidem Athenæus Græcis συνάγειν [*colligere*] eſſe τὸ μεθ' ἀλλήλων πίνειν *una bibere*], Menandrum citans: ſed hîc haud dubiè Hebraïſmus eſt. Nam Helleniſtis συνάγεσθαι [*colligi*] dicitur etiam unus qui hoſpitio recipitur II Samuelis XI, 27. de Bethſabea, καὶ συνήγαγεν αὐτὴν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ [*collegit*, id eſt, *introduxit eam in domum ſuam*], ויאספה.

37. λέγοντες, Κύριε, *dicentes, Domine*] Vel hinc apparet multa huic deſcriptioni inſeri παραβολικά [*parabolica*]. Senſus eſt, Pios admiraturos bonitatem Chriſti ipſorum facta exigua tam benignè interpretantis.

40. ἐφ' ὅσον, *in quantum*] *Eò quòd*, ut Rom. XI, 13. Pari ſenſu καθ' ὅσον Hebræorum VII, 20.

τῶν ἐλαχίστων, *ex minimis*] Id eſt, κἂν ἐλαχίστων [*vel ex minimis*], ut jam diximus aliquoties. Tanta eſt connexio Chriſti & Chriſtianorum, tamque arcta neceſſitudo, ut Chriſtus ſe pro beneficiis in illos collatis expromiſſorem & illatarum injuriarum vindicem conſtituat. Vide ſuprà X, 42.

ἐμοὶ ἐποιήσατε. *mihi feciſtis*] Id eſt, perinde id habeo ac ſi mihi feciſſetis; quomodo uxori facta injuria marito facta cenſetur.

41. τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ. *in ignem æternum qui paratus eſt diabolo*] De principe malorum Angelorum, qui Satan & διάβολος eximiè dicitur, actum eſt ſuprà. Cæterùm notant hîc veteres non dici ſupplicium illud æternum quod hîc Ignis nomine deſignatur *paratum* aut *aſſignatum eſſe* ἀπὸ καταβολῆς κόσμου [*à conſtitutione mundi*], ut de Regno dictum fuit, ſed nec dici *paratum fuiſſe hominibus*, verùm *Diabolo & Angelis ejus*; ut intelligatur ſumma Dei φιλανθρωπία [*in homines benevolentia*], qui bonorum omnium cumulum hominibus nondum creatis paravit & certis legibus deſtinavit, motus ſua bonitate; at cruciatum nullum deſtinavit προηγουμένως [*præcedaneè*], ſed extorquente malitia, primùm quidem Angelorum rebellium, deinde eorum hominum qui alienam culpam imitantes, ad pœnitentiam inſuper invitati, quod Angelis non contigerat, alienum ſupplicium in ſe traxerunt: ita

—— *Facinus quos inquinat æquat*.

quod Imperatores Romani ex Lucano deſumtum in leges ſuas tranſtulerunt. Latina vetuſtior vulgari interpretatio ſolebat hîc habere, *quem præparavit Pater Diabolo*, ſenſu magis expreſſo quàm annumeratis verbis.

46. εἰς κόλασιν αἰώνιον· *in ſupplicium æternum*] Reſpicitur Danielis locus XII, 2. ubi ſimilis eſt repetitio vocis αἰώνιον· ἐξεγερθήσονται οὗτοι εἰς ζωὴν αἰώνιον, καὶ οὗτοι εἰς ὀνειδισμὸν καὶ εἰς αἰσχύνην αἰώνιον [*ſurgent alii ad vitam æternam, alii ad opprobrium & dedecus æternum*]· ad quem locum videndus Paraphraſtes Iacchaïdes huic loco convenientia docens. Clemens Epiſtolâ II. εἰ μή γε οὐδὲν ὑμᾶς ῥύσεται ἐκ τῆς αἰωνίου κολάσεως. [*ſi non nihil vos liberabit à ſupplicio æterno*]· Vrgent hæc Chriſti verba veteres contra Origenem, qui viciſſitudines quaſdam præmiorum & pœnarum à Platonicis hauſtas in Chriſtianiſmum invexerat. Quid Origenes ſenſerit, ex ipſius ſcriptis difficile eſt dictu; adeò omnia à Ruffino ſunt interpolata. Hoc quidem loco qui Origenem leget, nihil in ejus verbis inveniet quod à communi Chriſtianorum ſententia recedat. Alibi obſcurè loquitur, nec videtur ſibi conſtare. Epiphanius, qui multus eſt in reprehendendo Origene, hanc tamen partem propriè non attingit, niſi quòd dicit doceri ab eo animas προϋπάρχειν [*antè exſiſtere*] & pœnæ causâ immitti corporibus. At Auguſtinus Origenis errorem hunc in modum deſcribit, *Sunt & alia hujus Origenis dogmata quæ Catholica Eccleſia omnino non recepit, in quibus nec ipſum falsò arguit, nec poteſt ab ejus defenſoribus excuſari; maximè de purgatione & liberatione, ac rurſus poſt longum tempus ad eadem mala revolutione rationalis univerſæ creaturæ. Quis enim Catholicus Chriſtianus, vel doctus vel indoctus, non vehementer exhorreat eam quam dicit purgationem malorum? id eſt, etiam eos qui hanc vitam in flagitiis & facinoribus & ſacrilegiis atque impietatibus, quamlibet maximis, finierunt, ipſum etiam poſtremò Diabolum atque Angelos ejus, quamvis poſt longiſſima tempora, purgatos atque liberatos Regno Dei lucique reſtitui, & rurſus poſt longiſſima tempora omnes qui liberati ſunt, ad hæc mala denuo relabi & reverti: & has vices alternantes beatitudinum & miſeriarum rationalis creaturæ ſemper fuiſſe, ſemper fore?* Quæ opinio ita deſcripta, ſi eſt Origenis, haud dubiè inter Chriſtianos propria eſt ipſius, & valde paucorum quos ejus traxit auctoritas, & à

Platonicis hauſta ; quam in libris de civitate Dei accuratè refutat Auguſtinus. Cæterùm aliquando deſitura quorundam ſupplicia, ſaltem ſenſibilia, videtur non primus exiſtimaſſe. Nam Iuſtinus Colloquio cum Tryphone ita diſputat, Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ἀποθνήσκειν φημὶ πάσας τὰς ψυχὰς ἐγώ· ἕρμαιον γὰρ ἦν ὡς ἀληθῶς τοῖς κακοῖς· ἀλλὰ τί; τὰς μὲν τῶν εὐσεβῶν ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν, τὰς δὲ ἀδίκους καὶ πονηρὰς ἐν χείρονι, τὸν τῆς κρίσεως ἐκδεχομένας χρόνον τότε· οὕτως αἱ μὲν ἄξιαι τοῦ Θεοῦ φανεῖσαι, οὐκ ἀποθνήσκουσιν ἔτι· αἱ δὲ κολάζονται ἔστ' ἂν αὐτὰς καὶ εἶναι καὶ κολάζεσθαι ὁ Θεὸς θέλῃ [*At verò nec ego dico omnes animas interire ; lucrum enim id eſſet malis. At quid ? Bonorum quidem animas in meliore manere loco : malas autem & improbas in pejore, ibi exſpectantes Iudicii tempus. Ita quæ dignas ſe Deo oſtenderunt poſthac non interibunt : illæ autem punientur quamdiu eas Deus & eſſe & puniri voluerit*]. Quò ducentia quædam & apud Theophilum & apud Tatianum legere eſt ; & apud Irenæum libro II, 64. Quos ſecutus Arnobius libro ſecundo animas ait Chriſto docente eſſe mediæ qualitatis, interire quæ poſſint, & ab exitio liberari : interitum illum eſſe mortem veram nihil reſiduum facientem : *Animæ*, addit, *neſcientes Deum perlongiſſimi temporis cruciatu conſumuntur ignifero.* At Tertullianus, *Enimvero nos qui ſub Deo omnium ſpeculatore diſpungimur, quique æternam ab eo pœnam providemus meritò ſoli innocentiæ occurrimus, & pro ſcientiæ plenitudine & pro latebrarum difficultate, & pro magnitudine cruciatus non diuturni, verum ſempiterni.* Minutius pœnam dicit *ſempiternam.* Idem, *nec tormentis aut modus ullus aut terminus.* Item, *Pœnale illud incendium non damnis ardentium paſcitur ſed inexeſa corporum laceratione nutritur.* & Lactantius, *Si autem corpus vicerit animam illamque ſubjecerit, ſit in tenebris ſempiternis & morte : Cujus non ea vis eſt ut injuſtas animas exſtinguat omnino, ſed ut puniat in æternum.* Alibi, *Idem divinus ignis, unâ eâdemque vi atque potentiâ & cremabit impios, & recreabit ; & quantum è corporibus abſumet, tantum reponet, ac ſibi ipſe æternum pabulum ſubminiſtrabit : quod Poëtæ in vulturem Tityi tranſtulerunt.* Quod de Poëtis dicit, optimè explicabitur iſtis Ovidii in Ibim,

Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus,
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

Huic ſententiæ, præſertim circa eos qui Deum ſibi notum contumelia afficiunt, omnino favet Apocalypſis XIV, II. XX, 10. Quod ſi quis veterum hac de re non definitiones ſed dubitationes velit noſcere, adeat Hieronymum fine Commentariorum ad Eſaiam, & Auguſtinum De Civitate Dei libro XXI.

CAPVT XXVI.

1. Πάντας τοὺς λόγους τούτους, *ſermones hos omnes*] Munere Doctoris & Vatis impleto, Chriſtus Sacerdotale munus aggreditur.

2. μετὰ δύο ἡμέρας τὸ πάσχα γίνεται, *poſt biduum Paſcha fiet*] *Paſcha* hîc vocatur ipſa dies ἐν ᾗ ἔθυον τὸ πάσχα [*in qua mactabatur Paſcha*], id eſt, decima quarta Niſan : cujus fine id ſacrum ex Lege peragebatur. Neque enim dubito quin errent qui Legis verba ita interpretantur quaſi fine diei decimæ tertiæ id fieri præciperetur. Nam & ratio & uſus docet à priori ac potiori parte faciendam denominationem. Quare cùm præcipiatur Paſcha mactari *die decimo quarto inter duas veſperas*, prior autem ſit veſpera Solis declinantis quàm occidentis multóque majorem tractum habeat, ſequitur de tempore pomeridiano diei decimæ quartæ, non autem de ejus νυχθημέρου [*dienoctii*] initio in Lege agi : quod confirmat mos Iudæorum antiquiſſimus, optimus Legis interpres. Accedit quòd ſtatim poſt ſacrificatum Paſcha ſubſecuta eſt abitio Hebræorum ex Ægypto : ea autem incidit in diem XV, ut Moſes narrat : idem, ni fallor, nos docet Ioſephus Ἀλώσεως [*Captivitatis*] VI. Ἐνστάσης ἑορτῆς, πάσχα καλεῖται· καθ' ἣν θύουσι μὲν ἀπὸ ἐνάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης [*Cùm inſtaret dies feſtus, Paſcha is dicitur : quo ſacrificium fit à nona hora ad undecimam*]. Eandem diem paulò antè vocarat ἡμέραν τεσσαρεσκαιδεκάτην [*diem decimam & quartam*]· quomodo & Philo, περὶ τεσσαρεσκαιδεκάτην ἡμέραν μέλλοντος τοῦ σεληνιακοῦ κύκλου γίνεσθαι πλησιφαοῦς ἄγεται τὰ διαβατήρια, δημοφανὴς ἑορτή, τὸ Χαλδαϊστὶ λεγόμενον Πάσχα [*die decimo quarto cùm jam Luna ſit plena, agitur feſtus dies de tranſitu, Chaldaïcè is dicitur Paſca*]. Mactabatur ergo πάσχα [*Paſcha* ſive *agnus Paſchalis*] à nona ad undecimam diei decimæ quartæ. Nam prior veſpera, id eſt, Solis declinantis, pars eſt haud dubiè diei antecedentis : ideo Auguſtus in edicto vetat Iudæos vadari diebus παρασκευῆς ἀπὸ τῆς ἐνάτης [*Paraſceves* ſive *præparationis à nona*]. Dies autem decima quarta iſto anno haud dubiè fuit ea quam nos *Veneris* dicimus. Nam is dies, cujus fine Iudæi tunc manducaturi erant Paſcha, erat παρασκευή [*Paraſceve*], Iohannis XVIII, 28. XIX, 14. παρασκευή autem ערב [*veſpera*] eſt dies qui diem ἄπρακτον [*feriatum*] antecedit. Dies ἄπρακτος [*feriatus*] eam ſequens erat *Sabbatum magnum*, Iohann. XIX, 31. ac proinde illa παρασκευή [*Paraſceve*] erat προσάββατον [*Proſabbatum*], Marci XV, 42. Dies autem ante Sabbatum Dies eſt Veneris. Præciſum tempus quando Chriſtus hæc locutus ſit aſſignare difficile eſt, quia in illo loquendi genere, *poſt biduum*, termini modò includuntur, modò excluduntur. Fine diei Martis hæc dicta probabile eſt.

καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται εἰς τὸ σταυρωθῆναι. *& Filius hominis tradetur ut crucifigatur*] Id eſt, Quanquam tempus hoc admodum breve eſt, tamen interea capiar & damnabor, ita ut crucifigar ipſo die Paſchatis ; ut etiam hac in parte evidens ſit τελείωσις τοῦ νόμου [*conſummatio Legis*], Iohannis XIX, 36. I Corinth. V, 7. Nam & παράδοσις [*traditio*] erat apud Iudæos, quæ nunc quoque in Cabaliſtarum libris apparet, Eâdem die redimendum populum in diebus Meſſiæ quo redemtus fuerat olim ; juxta illud, *In diebus exitus tui ex Ægypto oſtendam mirabilia.* Quanquam autem profectio ex Ægypto incidit in diem XV, tamen ad iter ſe accinxerat populus die XIV. itaque in procinctu ſtantes Paſcha ederant. Hinc eſt quòd diei XIV libertatem acceptam ferebant. Ioſephus, Ἡμέρας τεσσαρεσκαιδεκάτης Ξανθικοῦ μηνός, ἐν ᾗ δοκοῦσιν οἱ Ἰουδαῖοι τὸ πρῶτον ἀπαλλαγῆναι καιρὸν Αἰγυπτίων [*Die decima quarta menſis Xanthici, qua primùm creduntur Iudæi ab Ægyptiis liberati*].

Propter celeritatem actionis Scriptor præſens tempus uſurpans dixit παραδίδοται [*traditur*]· intelligendum autem hoc arbitror de primoribus Iudæorum qui Chriſtum dicuntur tradidiſſe Pilato, infrà XXVII, 2. Iohann. XVIII, 35.

3. Τότε, *Tunc*] Circa hoc tempus: puto enim eundem eſſe conventum quem Iohannes deſcribit XI, 47. Sæpe enim apud Matthæum invenire eſt τότε [*tunc*] ſumtum laxo ſignificatu.

οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι, *principes Sacerdotum & Scribæ & Seniores populi*] Synedrii deſcriptio, quo nomine hunc cœtum appellat Iohannes XI, 47. Ejus Synedrii munus erat de Pſeudoprophetis cognoſcere. Vocem γραμματεῖς [*Scribæ*] non legit Latinus, at Syrus & Arabs legerunt.

εἰς τὴν αὐλὴν, *in atrium*] Αὐλὴ propriè *ſubdiale*, ut & infrà aliquoties, ſed συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] *palatium.* Athenæus, νῦν δὲ τὰ βασίλεια λέγουσιν αὐλάς [*nunc autem regias vocant aulas*]· quod & Euſtathio annotatum ad Odyſſeæ Δ. ita Marcus *aulam* vocat Pilati prætorium. Talia autem palatia aliquot erant Hieroſolymis; ut domus Aſamonæorum, cujus meminit Ioſephus.

τοῦ ἀρχιερέως, *Principis Sacerdotum*] Hîc κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vox ἀρχιερέως [*Principis Sacerdotum*] ſumitur pro eo qui dicebatur כהן גדל [*Sacerdos Magnus*], cùm antè eodem commate quivis principes familiarum ſacerdotalium ita ſint appellati. Eo enim anno Maximum Pontificatum Cajaphas gerebat Iohann. XI, 51. Et meritò addidit Iohannes τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου [*anni illius*], quia vix unquam magis ambulatoria fuit Pontificatus dignitas, ut ex Ioſepho diſcimus. Inſtituerat hunc Valerius Gratus, deſtituit Vitellius. Olim penes Reges Hebræos poteſtas fuerat deligendi Pontificem Maximum ex familia ei muneri deſtinata, ut apparet 1 Regum II, 27. 1 Paralipomenôn XXIX, 22. Liberâ Republicâ idem jus fuiſſe penes Synedrium notat Maimonides. Poſtea qui Iudææ imperarunt Syromacedones, deinde Romani eodem jure uſi ſunt licentiùs.

4. συνεβουλεύσαντο, *conſilium fecerunt*] Vt præſignificatum Pſalmo II, 2. XLI, 8.

καὶ ἀποκτείνωσιν. *& occiderent*] Per Romanum Præſidem: id enim tutiſſimum ipſis videbatur. *Necare* autem dicitur qui cauſam mortis præbet. Vide ſuprà XXI, 38. Petrus ad Iudæos, τὸν ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς ἀπεκτείνατε [*auctorem vitæ interſeciſtis*], Actorum III, 15.

5. Μὴ ἐν τῇ ἑορτῇ, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται ἐν τῷ λαῷ. *non in die feſto, ne fortè tumultus ſieret in populo*] Ἑορτὴ [*feſtum tempus*] hîc vocatur totum illud tempus à mactatione agni ad finem Azymorum. Ioſephus Antiq. II. Ὅτε εἰς μνήμην τῆς τότε ἐνδείας ἑορτὴν ἄγομεν ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ [*Cùm in memoriam illius penuriæ feſtum tempus agimus per dies octo*]. Libro III. πέμπτῃ δὲ καὶ δεκάτῃ διαδέχεται τὴν τοῦ πάσχα ἡ τῶν ἀζύμων ἑορτὴ, ἑπτὰ ἡμέρας οὖσα [*die autem decimaquinta excipit Paſchatis diem feſtum tempus Azymorum dierum ſeptem*]. Omne hoc tempus ſeditionibus opportunum ob maximum populi concurſum. Idem Ioſephus libro XX. τῆς πάσχα προσαγορευομένης ἑορτῆς ἐνστάσης, καθ' ἣν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν ἄζυμα προσφέρειν, πολλοῦ καὶ πανταχόθεν πλήθους συναχθέντος ἐπὶ τὴν ἑορτὴν, δείσας ὁ Κούμανος μὴ νεώτερόν τι παρὰ τούτων προσπέσῃ, κελεύει τῶν στρατιωτῶν μίαν τάξιν ἀναλαβοῦσαν τὰ ὅπλα ἐπὶ τῶν τοῦ ἱεροῦ στοῶν ἑστάναι, καταστελοῦντας τὸν νεωτερισμὸν εἰ ἄρα τις γένοιτο· τοῦτο δὲ καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ τῆς Ἰουδαίας ἐπιτροπεύσαντες ἐν ταῖς ἑορταῖς ἔπραττον· τετάρτῃ δὲ ἡμέρᾳ τῆς ἑορτῆς [*cùm inſtaret feſtum tempus Paſchale, quo nobis mos eſt Azyma offerre, & magna vis hominum undique ad hanc celebritatem conveniſſet, metuens Cumanus ne quid ab eis novaretur, juſſit militum cohortem unam ſumtis armis ſtare ſupra Templi porticus, ad reprimendum tumultum ſiquis exoriretur. Idem autem facere ſoliti fuerant tali tempore & alii Iudææ Præſides. Quarta verò ejus temporis die*], & quæ ſequuntur. Neque aliter ἑορτῆς [*feſti*] vocem de Scenopegia agens uſurpat Iohannes VII, 14. Adde quæ dicentur infrà XXVII, 15. Omnino igitur iis accedo qui viſum ajunt Synedrio ob plebis metum nonnihil recedere à recepto more. Solebant enim, ut & Thalmudici notant, ſontium inſigniores plecti ἐν αὐταῖς ταῖς ἑορταῖς [*in feſto tempore*] quò ad plures exemplum perveniret. Ita Herodes deſtinarat Petrum ad pœnam producere ſtatim poſt Paſcha, Actorum XII, 4. id eſt, intra illos octo dies. Nam præter primum & ultimum diem & Sabbatum, ſi quod interveniret, cæteri dies ita erant feſti ut nihilominus eſſent ἐργάσιμοι [*permiſſi laboribus*]. Sed ſupplicium quod Ieſu deſtinabant præter morem differendum cenſebant extra tempus τῆς ἑορτῆς [*feſtum*]. Magis enim metuebant Galilæos, tanquam ipſius Ieſu populares, quàm Hieroſolymitas. Pertinet autem hoc ad oſtendendam ſingularem Dei in hoc facto providentiam, qui oblatâ per Iudam occaſione effecit ut ab hoc conſilio diſcederetur, quò factum ut & plures teſtes haberet mors Filii ſui, & in ipſum Paſchale tempus incideret. Quod quidam exiſtimant propoſitum Synedrio rem præcipitare, ne ſupplicium incideret in Sabbati diem, idque populum offenderet, mihi multas ob cauſas non placet; quarum hæc una eſt, Quod credibile non eſt Pilatum unquam Sabbatis jus dixiſſe. Nam cùm Iudæis etiam extra Iudæam agentibus conceſſum ab Auguſto fuerit Sabbato non vadari (id enim eſt ἐγγύας ὁμολογεῖν in edicto apud Ioſephum), multò magis cenſeri debet Iudææ Præſidibus injunctum ne Sabbatis jus dicerent. Hoc autem non mutatum à Tiberio, primùm docet perpetuus ejus mos cuncta Auguſti inſtituta tanquam oracula venerantis; deinde Agrippæ ad Cajum verba, Τιβέριος οὐδὲν ἠθέλησε τῶν ἡμετέρων καταλύεσθαι [*Tiberius nihil noſtrarum rerum mutari voluit*], apud Philonem. Adde his quod Titus de Imperatoribus Romanis in univerſum pronuntiat Iudæos alloquens, ἔπειτα τοὺς πατρίους νόμους ἐτηρήσαμεν, καὶ ζῆν οὐ μόνον καθ' ἑαυτοὺς, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἐπετρέψαμεν ὡς ἐβούλεσθε [*præterea ſalvas vobis præſtitimus veſtras leges, nec vos tantùm permiſimus vivere ut velletis, ſed & alios*]. Nam quod quidam putant etiam antiquitus Sabbatis ex Lege agi potuiſſe, ejuſque rei argumentum petunt ex hiſtoria Numerorum XV, 33, 34. in eo repugnantem ſibi habent certiſſimam conſuetudinem ab Hebræorum Magiſtris & Ioſepho ſæpe teſtatam. Neque

verò hiſtoria Numerorum dicit eodem die ſupplicium fuiſſe exactum quo homo ille erat in facinore deprehenſus. Quare & apud M. Agrippam querebantur Ioniæ Iudæi quòd non permitterentur uti νόμοις οἰκείοις, δίκας ἀναγκαζόμενοι διδόναι κατ᾽ ἐπήρειαν τῶν εὐθυνόντων ἐν ἱεραῖς ἡμέραις [*propriis legibus, coacti ſtare judicio diebus feſtis per Rectorum injuriam*].

θόρυβος, *tumultus*] Νεωτερισμὸς, ut modò loquentem Ioſephum audivimus.

6. ἐν Βηθανίᾳ, ἐν οἴκῳ Σίμωνος, *in Bethania in domo Simonis*] Nihil eſt certiùs quàm à Scriptoribus Euangeliorum multa referri non temporis ordine, ſed ex rerum ductu. Itaque alia dicuntur κατὰ πρόληψιν [*per anticipationem*], alia multùm retro geſta redduntur ubi bella eſt occaſio: ipſæ occaſiones narrandi non eædem omnibus. Hanc hiſtoriam videntur Matthæus & Marcus hoc loco poſuiſſe ut notarent quid Iudam ad facinus impuliſſet. Nam ἀμέσως [*nulla re alia intercedente*] ſubſequitur id quod ad Iudam pertinet. Lucas idem hoc narrare occupavit cùm ſermones quoſdam recitaſſet ad pœnitentiæ commendationem pertinentes. Voluit enim ſimul illuſtri exemplo confirmare quanta benignitate Chriſtus proſecutus fuerit mulierem multis olim peccatis inquinatam, ſed ductam animi pœnitudine. Iohannes autem hiſtoriam hanc ſuo tempori reddidit, tum ad confirmandum quod de Lazaro dixerat (nam Lazarus huic convivio interfuit), tum ad connectenda quæ ſequebantur. id autem tempus fuit veſpera, exacto jam Sabbati die; ita ut unctionem nulla jam religio impediret. Non tantùm unam eandemque fuiſſe mulierem, ſed & factum idem cur negetur non video: neque enim temere multiplicandæ ſunt hiſtoriæ. Matthæo & Marco omnia conveniunt. Matthæo, Marco & Lucæ convenit quòd hæc geſta in convivio, in domo Simonis, quòd mulier adventat habens ἀλάβαστρον μύρου [*alabaſtrum unguenti*] quo Ieſum perfundit: Matthæo, Marco & Iohanni quòd hæc geſta in Bethania, in convivio, quòd unguentum à muliere allatum maximi erat pretii, quòd reprehenſa eſt hoc nomine mulier ab uno Diſcipulorum (nam ita pluralis accipi ſolet, Iudam autem Iohannes nominat) velut prodiga, hoc obtentu quòd rectiùs is ſumtus factus eſſet in pauperes; quòd Chriſtus mulierem defendit, interpretatione benigna ad pollincturam ſuam hunc honorem pertinere. Hæ circumſtantiæ ſunt ἀκριβέστεραι [*exactiores*] quàm ut diverſis temporibus congruant. Rurſus Lucæ cum Iohanne convenit quòd hæc mulier pedes Chriſto perfudit & capillitio ſiccavit: quæ itidem expreſſiora ſunt quàm ut temere credenda ſint ſæpiùs eveniſſe. Adde quòd Iohannes Mariam Lazari ſororem hac velut peculiari nota deſcribit quòd *ea ſit quæ Chriſti pedes perfudit & deterſit*. Non poterat autem certa ſatis nota ſumi ex eo quod ſæpiùs acciderat. Quòd autem per πρόληψιν [*anticipationem*] id dicitur à Iohanne, non magis novum eſt quàm quòd Iudas, ubi prima Apoſtolorum fit mentio, *proditoris* cognomento inſignitur. Quid igitur eſt quod nos cogat diverſa facta fingere? An quòd apud Matthæum & Marcum *capitis*, apud Lucam & Iohannem *pedum* eſt mentio? Atqui nihil vetat credi priùs pedes perfuſos, deinde & caput. An quòd apud Lucam eſt γυνὴ ἁμαρτωλὸς [*mulier peccatrix*], Mariæ autem ſororis Lazari pietas prædicatur? At diſtinguenda ſunt tempora. Vixerat olim diſſolutiùs ideo ἁμαρτωλὸς [*peccatrix*] dicta; mox delicta vitæ prioris ſeria pietate penſavit. Quare nec offendere nos debet quòd in domum ejus Ieſus divertit, quippe cùm jam de emendata vita omnibus conſtaret. Hanc autem eſſe Magdalenam non æquè facilè probatur. Nam ſoror Lazari nuſquam eo nomine appellatur. Et nata ea opinio videtur ex verbis Chriſti de pollinctura: quia Magdalena Chriſtum ivit pollinctum. At verba Chriſti non futurum ſed præſens officium reſpiciunt, ut collatio Euangeliſtarum oſtendit. Deinde Magdalena videtur fuiſſe Galilæa, infrà XXVII, 56. Marci XV, 40. Lazarus autem cum ſororibus Iudæus Bethanienſis, Ioh. XI. 1. De Magdalena narratur liberatam à Chriſto cùm obſeſſa eſſet dæmoniis ſeptem; de Lazari ſorore nihil tale. Et quod maximè notandum, Lucas ſtatim poſt narrationem de femina unctrice, ſubjicit mentionem mulierum quæ Ieſum ſectabantur, & inter eas Magdalenæ, addens ei notam ab ejectis dæmoniis, & non ab actu pauló antè narrato. In Conſtitutionibus etiam quæ Clementis dicuntur, diſtinguitur Maria Magdalena à Maria ſorore Lazari: Locus eſt lib. III, cap. VI. His quæ apud Maſſilienſes narrantur aliquid haberem fidei, ſi de ejus famæ antiquitate conſtaret. At non conſtare & valida in contrarium eſſe argumenta oſtendit libro ea de re edito Launojus.

τοῦ λεπροῦ, *leproſi*] Id eſt, τοῦ πρὶν λεπροῦ [*qui leproſus fuerat*]. Nam alioqui interdictum ei fuiſſet hominum commercio. Tale eſt illud ἐκ τῆς τοῦ Οὐρίου [*ex illa Vriæ*]. Simile loquendi genus ſuprà XI, 5. XXI, 31. & alibi ſæpe. Fuit autem hic homo Phariſaïci quidem inſtituti, ſed à Chriſti ſermonibus non abhorrens; & conſanguineus, ut videtur, Lazari.

7. ἀλάβαστρον μύρου, *alabaſtrum unguenti*] Cùm vas hoc fractum à muliere narret Marcus, nimirum ut largiùs unguentum flueret, omnino Epiphanio aſſentior exponenti βικίον ὑέλιον [*urnulam è vitro*], eóque magis quia & Etymologici auctor ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*] interpretatur σκεῦός τι ἐξ ὑέλου [*vas quoddam è vitro*], ut à ſummæ eruditionis viro Iſaaco Caſaubono obſervatum eſt; qui hinc conjecturam facit eveniſſe huic voci quod multis aliis, ut primùm uſurpata de ſpecie, paulatim ad generis ſignificationem ſe porrigeret. At mihi multò probabilius videtur vocem ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*], aut, ut alii ſcribunt, ἀλάβαστον [*alabaſtum*] primitiva notione ſignificare τὸ μυρηρὸν [*vas unguentarium*], ut ſæpe Pollux interpretatur; unde & χρύσεα ἀλάβαστρα [*aurea alabaſtra*] legimus: & LXX Interpretes II Reg. XXI. quod in Hebræo eſt צלחת vertunt ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*], alii πυξίον [*pyxidem*]. At quia lapis Onyx plerumque ei rei uſurpari ſoleret, inde cœptum dici eum lapidem non *alabaſtrum*, ſed *alabaſtriten*: eundem enim eſſe cum Onyche docent Plinius & Dioſcorides. Arabs Interpres hoc loco poſuit قرورة quod multùm favet iis qui vitreum vas fuiſſe exiſtimant. Nam eâdem voce Arabibus dici ſolet vitreum vaſculum in quo ægroti lotium à Medicis

ſpectandum aſſervant. Vetus epigramma Græcum,

Νάρδον ὑπὸ γλαυκῆς κλειομένην ὑέλου.

[*Nardum cœruleo quæ bene clauſa vitro.*]

quo loco *nardi* voce nardinum unguentum intelligi in Plinianis Exercitationibus, immenſæ frugis opere, monuit Salmaſius. ἀλάβαστρον [*alabaſtrum*] autem μύρου [*unguenti*] hîc dicitur ut apud Horatium, *Nardi plenus onyx*. Nam & hîc quod μύρον [*unguentum*] in genere vocant Matthæus & Lucas, Marcus & Iohannes nardum docent fuiſſe: cujus odor maximè commendatur Cant. I, 12. Memoratur & Ciceroni *alabaſter plenus unguenti*. apud Ælianum eſt ἔδωκε ἀλάβαστρον αὐτῷ, καὶ εἶχεν αὐτῇ μύρον [*dedit ei alabaſtrum, ea autem unguentum continebat*].

κατέχεεν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ, *effudit ſuper caput ipſius*] Ita Plato De Republica III. μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέαντες [*unguentum ſuper caput effundentes*]. Apparet autem factum id non delectandi gratiâ, ſed in honoris maximi teſtimonium. Nam præcedit apud Platonem προσκυνοῖμεν ἂν αὐτὸν ὡς ἱερὸν καὶ θαυμαστόν [*veneraremur eum tanquam ſanctum & admirabilem*]· & Proclus ad eum locum, μύρον καταχέας ὡς τῶν ἐν τοῖς ἁγιωτάτοις ἱεροῖς ἀγαλμάτων θέμις [*unguentum ſuperfundens ſicut ſimulacris fieri ſolet in maximæ ſanctimoniæ ritibus*]. Vide & Gen. XXVIII, 18. Neque aliud huic mulieri propoſitum, quæ etiam pedibus advoluta eſt ſupplicum ritu.

8. οἱ μαθηταὶ, *Diſcipuli*] Aut Enallage, ut diximus, aut quod unus improbè cœperat alii imprudenter ſequebantur.

Εἰς τί ἡ ἀπώλεια αὕτη; *Vt quid perditio hæc?* Id eſt, ἀσωτία [*profuſio*]· nam ita, ut notatum eſt à viro doctiſſimo, שחחת uſurpant Hebræi. Tale eſt illud Latinum, *Perdere ſciunt, donare neſciunt*. Bene autem dictum ab Epicteto *res pleraſque binas habere anſas*; ut hîc. Tanti pretii unguentum inutiliter perit; odori ſupervacuo impenditur quo paſci pauperes poterant: ſiniſtra hæc anſa eſt. Hæc verò dextra anſa; Mulier prioris vitæ pertæſa omni honoris genere eum proſequitur per quem emendata eſt; neque ulli ſumtui aut operæ parcit ut id omnibus teſtatum faciat. Laudanda pœnitentia; laudanda animi demiſſio; laudanda ſedulitas. Tales anſas arripiens Dilectio omnia quà fieri poteſt interpretatur in partem benigniorem, neque virtutes tantùm amat ſed & ſimulacra virtutum; & ſi quid in modo agendi eſt vitii, condonat agentis affectui.

10. κόπους παρέχετε, *moleſti eſtis*] Idem loquendi genus non tantùm hîc Marcus, ſed & alibi Lucas uſurpat XI, 7. XVIII, 5.

ἔργον γὰρ καλὸν εἰργάσατο εἰς ἐμέ. *opus enim bonum operata eſt in me*] Actiones Lege non vetitas finis præcipuè diſcriminat. finis autem hîc optimus, Chriſtum honore afficere.

11. Πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ᾽ ἑαυτῶν. *Nam ſemper pauperes habetis vobiſcum*] Πτωχὸς [*pauper*] in his libris non eſt qui mendicando victum quærit; ut multis aliis in locis, tum præcipuè II Cor. VIII, 9. videre eſt; ſed qui de ſuo vix habet unde vivat: *egentem* rectiùs quàm *pauperem* verteris. Neque enim eſt paupertas nihil habere, ut Martialis dixit. Ideo pejorem eſſe *egeſtatem paupertate* ad primum Æneidos docet Servius. Sic Hebræis אביון dejectiùs quàm עני. Non pugnat autem quod in Deuteronomio dicitur, quò hîc reſpicit Chriſtus, *Non deerit inter vos qui egeat*, XV, 11. cum eo quod eodem capite dictum erat commate 4. *Non erit in te qui egeat*: nam hoc præcipientis eſt, illud prædicentis. *Non erit*, id eſt, *Ne ſit*. Erunt igitur qui egeant, in tanto quippe populo; ſed cæteri pati non debent ut in egeſtate permaneant. quem ſenſum apertè ſatis indicat comma ſeptimum. Vidit hoc rectè Tertullianus IV adverſus Marcionem, *Sed non ſit*, inquit, *indigens in te*, *id eſt, Cura ultro ne ſit: quo magis petenti præjudicat dandum, etiam in ſequentibus, Si fuerit indigens è fratribus tuis, non avertes cor tuum nec conſtringes manum tuam à fratre indigente*. & hunc in modum illa loca conciliat Rabbinus Solomo Benaderet.

ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε. *me autem non ſemper habebitis*] Mortem imminentem ſibi ſignificat. Quoties quid de pluribus rebus potiùs faciendum ſit ambigitur, non debent ipſa per ſe facta nudè æſtimari, ſed temporum quoque & aliarum circumſtantiarum habenda eſt ratio; ita quoties leges inter ſe comparantur, *videndum*, ait Cicero De inventione II. *utrum ſtatim neceſſe ſit; utrum habeat aliquam moram & ſuſtentationem: nam id quod ſtatim faciendum ſit, perfici priùs oportet*. Talis erat & hîc factorum contentio. Egentibus quovis tempore ſuccurri poterat; Chriſto præſenti ut honos haberetur, properandum erat. Hunc ſenſum apertiſſimè exprimit Marcus, Πάντοτε γὰρ τοὺς πτωχοὺς ἔχετε μεθ᾽ ἑαυτῶν, καὶ ὅταν θέλετε δύνασθε αὐτοὺς εὖ ποιῆσαι· ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε [*Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & cùm volueritis poteſtis illis benefacere; me autem non ſemper habetis*].

12. πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν. *ad ſepeliendum me fecit*] Marcus, προέλαβε μυρίσαι μου τὸ σῶμα εἰς ἐνταφιασμόν [*prævênit ungere corpus meum in ſepulturam*]. Iohannes, εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό [*in diem ſepulturæ meæ ſervavit illud*]. Senſus mihi eſſe videtur, Putatis ſumtum eſſe nepotinum quòd hæc mulier me pretioſo unguento perfudit: atqui ſi is ſumtus impenſus eſſet in corpus mortuum nemo improbaret: eſt enim id non tantùm receptum moribus, ſed & laudabile habetur: circa Reges maximè, qualem illa me credit. Qui honos in mortuo futurus erat laudabilis, cur in vivente eſt invidioſus? Ad mortem parum mihi reſtat; quod & vobis & aliis ſæpe dixi, itaque hæc mulier cùm mortem meam inſtare intellexerit (nam & aliæ mulieres hoc intellexerant Luc. XXIV, 6, 7.) habet me jam quaſi pro mortuo, atque officium illud ſolemne modico tantùm tempore antevertit. Hunc ſenſum apertiſſimè ſignificat Marcus voce προέλαβε [*prævênit*]. Hîc τὸ ἐνταφιάσαι [*pollincire*] interpretandum eſt per ἔλλειψιν [*defectum*] voculæ ὡσεὶ [*tanquam*], *fecit quaſi ad me pollinciendum*. Quam voculam prudenter hîc, ut & in hac apud Marcum hiſtoria, addidit Syrus Interpres. Et Iohanni ἡμέρα ἐνταφιασμοῦ eſt dies quaſi pollincturæ. Nec rarum eſt Hebræis ut quis dicatur facere aliquid ad hunc aut illum finem, qui tamen ab ipſo non intenditur, ſed actum ejus aliunde conſequitur, ut Proverb. VIII, 36. XVII, 19. I Reg. XVII, 18. & alibi ſæpe. Sic & apud Homerum ὡς [*tanquam*] comparativum ſæpe ſubaudiri notant Interpretes; ut cùm dicit Poëta δέμας πυρὸς [*corpus igneum*], id eſt,

quaſi igneum. ἐνταφιάζειν pro *pollincire* dixerant Lxx capite ultimo Geneſeos: ex quo loco patet antiquitas moris, cujus & Ennius meminit,

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Nimirum Tyriorum proles Tyrrheni hunc inter cæteros ritum Italiæ intulerant. Morem autem hunc ungendorum corporum, ut pleraque inſtituta laudabilia Iudæorum, obſervarunt & Chriſtiani veteres in teſtimonium creditæ Reſurrectionis. Tertullianus Apologetico, *Si Arabiæ queruntur, ſciant Sabæi pluris & carioris merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari quàm diis fumigandis.* Plinius dixerat lib. XII, cap. XVIII. *acervatim congeſta honori cadaverum quæ diis per ſingulas micas dantur.*

13. μνημόσυνον, *memoriam*] Ita vertere ſolent Lxx Hebræum זכרון quod ſæpe non tam *monumentum* quàm *memoriam* ſignificat, ut Exodi XVII, 14. Κατάγραψον τοῦτο εἰς μνημόσυνον ἐν βιβλίῳ [*Scribe hoc in libro ad memoriam*], & Numerorum V, 18. θυσίαν τοῦ μνημοσύνου [*ſacrificium memoriæ*].

14. Τότε, *Tunc*] Poſt interjectam narrationem ad res contexendas pertinentem redit Matthæus ad temporis ordinem. Factum enim hoc videtur paulò poſt ipſam conſultationem Synedrii cujus ſuprà meminerat. Hæc enim Iudæ ſe offerentis occaſio conſilii mutandi cauſam præbuit.

15. ἔστησαν *Conſtituerunt*,] Vt optimè hîc vertit vetus Latinus: id enim in Iure eſt *promittere.* Reſpondet Hebræo תכן. Confer Marci XIV, 11. Lucæ XXII, 5.

τριάκοντα ἀργύρια, *triginta argenteos*] Cùm Iudas Sacerdotum arbitrio permiſiſſet quanti Ieſum æſtimarent, illi æſtimarunt quanti minimi homo ullus æſtimari poterat. Nam τριάκοντα ἀργύρια [*triginta argentea numiſmata*] ſive *ſicli argentei* ſunt totidem τετράδραχμα [*quadridrachma*], quæ Lxx, quia duplaribus utuntur drachmis, δίδραχμα [*bidrachma*] vocant: itaque Exodi XXI, 32. caput ſervi æſtimatur triginta ſiclis, ubi in Græco eſt τριάκοντα δίδραχμα [*triginta bidrachma*], apud Ioſephum totidem τετράδραχμα [*quadridrachma*]. At in Zachariæ vaticinio, quod infrà examinabitur, iidem Lxx τριάκοντα ἀργυροῦς [*triginta argenteos*] vertunt, ubi ſubintelligendum eſt σίκλους [*ſiclos*], ut hîc νομίσματα [*numiſmata*]. Nam Iudæis σίκλος [*ſiclus*] eſt νόμισμα κατ' ἐξοχήν [*numiſma per excellentiam*]. Qui ipſe Zachariæ locus oſtendit eam ſummam vilis pretii habere ſignificationem. Et notant Hebræi hominem marem plerumque æſtimatum quinquaginta ſiclis, ancillam triginta. Samuelis quoque ſecundo libro, cap. XVIII, 11. כסף Græcè vertitur σίκλοι ἀργυρίου [*ſicli argentei*]. Quare neque de libris neque de talentis hîc cogitandum eſt. Facit hoc ad notandum Iudæ animum ita avaritiæ mancipatum ut quovis pretio impelli ad ſcelus potuerit.

16. εὐκαιρίαν, *opportunitatem*] זמן.

17. Τῇ δὲ πρώτῃ τῶν ἀζύμων, *Primâ autem die Azymorum*] Addit Marcus ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον [*quando Paſcha immolabant*], Iudæi ſcilicet, quod exprimit Syrus; id eſt, quo die moris erat Paſcha mactari. Lucas, ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα [*in qua neceſſe erat occidi Paſcha*]· quibus locis inter ſe collatis evinco eo die à Iudæis mactatum πάσχα [*Paſcha*] quo oportebat, ſi δεῖ pro *eo quod oportet* ſumi debere contenditur. Azymorum dies modò ſeptem numerantur, quibus integris nefas erat fermentato veſci; modò octo, annumerato die Paſchali, quia parte ejus poſtrema incipiebat Azymorum obſervatio. Citavimus modò locum ex Ioſepho in quo Azymis dies attribuit octo, cùm alibi ſeptem dies Azymis aſſignet. Ita *prima Azymorum* ſæpe dicitur prima ſeptem dierum quibus integris non niſi Azyma edebantur. Hîc dies prima qua edi incipiebant Azyma, id eſt, dies Paſchalis: Is enim peculiaris eſt character decimæ quartæ Niſan, ut ſuprà diximus. Non dicunt autem hi Scriptores jam adventaſſe horam mactationis, ſed ipſum diem adventaſſe. Quod non ita intelligo quaſi jam occidiſſet Sol; mox enim ſequitur ὀψίας δὲ γενομένης [*veſpere autem facto*]· ſed puto deſcribi tempus quo Sol erat prope occaſum: quod Lucas dicit ἦλθε δὲ ἡ ἡμέρα [*venit autem dies*], id eſt, τὸ νυχθήμερον [*dienoctium*]. Nam & popularis ſermo *veniſſe diem* dicit qui de proximo imminet. Et Lucas alibi dixit γενομένης ἡμέρας [*facta die*], ubi Marcus πρωῒ ἔννυχον λίαν [*diluculò valde*]. Sic infrà commate 71. ἐξελθόντα [*exeuntem*] ſignificat *exire parantem:* nondum enim tum exiiſſe Petrum ſequentia oſtendunt. Facta ergo hæc ſub occaſum diei XIII. quo tempore incipiebat apud Iudæos dies decima quarta. Hæc multum faciunt ad illuſtrationem controverſiæ inter viros eruditos in omnem partem diu verſatæ, cui lucis ut ſpero nonnihil adferemus.

Ποῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ πάσχα; *Vbi vis paremus tibi comedere Paſcha?*] Dominus noſter, obſervantiſſimus legis Paternæ, ſolitus erat comedere Paſcha ex præſcripto quo tempore Iudæi omnes, fine decimæ quartæ Niſan. Incipiebant autem Iudæi locum in quo comeſturi erant Paſcha parare ab ea nocte quæ antecedit Solem decimum quartum, & pars eſt τοῦ νυχθημέρου [*dienoctii*] decimi quarti, quod nunc etiam faciunt. Ejus præparationis magna eſt pars anxia ἐκκάθαρσις τῆς ζύμης [*expurgatio fermenti*], ad quam alludit Paulus I Corinth. V, 7. Sollicitè enim ea nocte & antemeridiano tempore ſequenti inquirunt ecquid uſquam fermentatum ſuperſit, etiam micas colligentes. Deinde ſternuntur lecti, inſtruitur cœnaculum, coquuntur cibi. Hæc omnia ſunt opera illius diei, qui propterea παρασκευὴ [*præparatio*] vocatur à parte majore, ut πάσχα [*Paſcha*] à parte digniore. Cùm ergo nox hæc inciperet, interrogant Diſcipuli quem locum Chriſtus velit ſibi parari edendo Paſchati, exiſtimantes nempe edendum de more fine ejus νυχθημέρου [*dienoctii*] quod tum cœperat. Planè enim aſſentiri illis nequeo qui putant eo anno à Iudæis Paſcha celebratum alio quàm oportuit tempore. Nam etiamſi aliqua tranſlatio diei feſti in eum annum incidiſſet, quod probatu difficile eſt, & qui probare conantur valde inter ſe diſſentiunt, ea tamen cauſa propter quam à Iudæis dies feſtus transferri ſolebat adeò mihi juſta videtur ut Legis interpretatio potiùs quàm mutatio ſit cenſenda. Nam ſi continuaretur dies feſtus Azymorum, qui Paſchale ſacrificium ſequi neceſſariò debebat, cum Sabbato, non erat quidem ſecuturum id quod quidam putant incommodum ex dilata coctione (nam coquere Sabbato quidem non licebat, ac licebat die feſto, Exodi XII, 16.) ſed poſt multiplicem διασποράν [*diſperſionem*] Iudæorum, quorum multi habitabant in locis calidiſſimis, periculum erat ne aſſervata cadavera putiſcerent. Iam verò credibile non erat legem ritualem à Deo præſcriptam cum tali neceſſitate quæ nulli periculo, nullis incommodis cederet, cùm alibi ſæpe demonſtratum ſit in his potiſſimùm legibus valere debere τὸ ἐπιεικές [*æquitatem*]. Æqua igitur erat ac proinde obſervanda diei feſti tralatio in diem Sabbati: neque id magis cum Lege pugnare cenſendum erat quàm quod Ezechiæ tempore Paſcha tralatum eſt à XIV Niſan in decimam quartam menſis ſequentis. In his enim rituum rebus Synedrii auctoritatem populus tutò ſequebatur, & ſequi debebat ex lege Deuteronomii XVII, 8. & deinceps. Qua de re vide quæ prudenter notavit Maimonides Duce dubitantium III, 41. & Moſes de Cotzi Præcepto jubente XLVI. Adde jam quòd Chriſtus, cùm dixit *Scitis intra biduum Paſcha inſtare*, egit de re omnibus nota. Ac proinde diem Paſchatis non alium agnovit quàm eum qui publicè de more obſervabatur. Quibus addenda quæ paulò antè ex Marco & Luca in hanc rem attulimus.

18. πρὸς τὸν δεῖνα, *ad quendam*] פלן Syrus. Hebraicè פלני aut פלני אלמני, ut Ruth IV, 1. ubi Græci quidam verterunt κρύφιε [*incognite*]. At Matthæi interpres hoc loco Græcè admodum vertit τὸν δεῖνα [*certum aliquem quem nominare nihil attinet*]. Ita enim Græci loquuntur cùm non quemvis hominem ſed unum aliquem deſignatum volunt, quem nominari nihil attinet. Hunc autem Chriſtus non nominarat, ſed notis quibuſdam deſcripſerat, ut apud Marcum videre eſt. Interſeruit autem verbis Chriſti Matthæus illud פלני de ſuo: cujuſmodi narrandi modum invenire eſt II Samuelis XV, 2. Arabes dicunt eadem voce فلانت unde Hiſpanis manſit *Fullano*.

Ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι· πρὸς σὲ ποιῶ τὸ πάσχα μετὰ τῶν μαθητῶν μου, *tempus meum propè eſt: apud te facio Paſcha cum Diſcipulis meis*] Diſcere hinc jubemur, quod non obſervatum multos fefellit, & anticipatum Paſcha à Chriſto, & cauſam cur anticipaverit. Nam illud ποιῶ [*facio*] eſt *jamjam facio*, hac ipſa nocte, non pomeridiano tempore quod erat legitimum. Cauſa eſt, non quòd Iudæi alio quàm oportebat tempore conſtituiſſent Paſcha mactare & edere, ſed quia mortis tempus Chriſto imminebat, ita ut ad legitimum uſque Paſchatis tempus non eſſet provicturus. Nam alium ſenſum habere meo judicio non poteſt illud ὁ καιρός μου ἐγγύς [*tempus meum propè eſt*]. Et apud Lucam πρὸ τοῦ με παθεῖν [*antequam patiar*]. Divinâ autem providentiâ factum eſt ut nullâ morâ eſſet opus. Iam enim paratum erat cœnaculum & omnia in promtu quæ ad Paſcha comedendum deſiderabantur; ita ut ſtatim poſt hæc dicta in domum iverit Chriſtus & diſcubuerit. Neque id mirum in urbe plena advenis quibus paſſim hoſpitia & cœnæ parabantur. Objiciunt Græci, Si antevertit Chriſtus Paſcha, violatam ab eo Legem. Quem nodum alii aliter ſolvunt: mihi res videtur expedita adhibita diſtinctione Paſchatis. Paſcha enim eſt aliud θύσιμον [*victimale*], ſolemne, plenum; aliud μνημονευτικόν [*memoriale*]. Θύσιμον [*victimale*] (quod πάσχα θυσίαν [*Paſcha victimam*] vocat Ioſephus) celebrari non poterat niſi uno in loco, quò populus omnis conveniret, qui locus à Davidis temporibus fuit Hieroſolyma. Lex eſt Deuteronomii XVI, 2, 5. Exemplum videre eſt II Paralipomenôn XXX & XXXV. Lucæ II, 41. apud Ioſephum multis in locis. Tryphon in Colloquio cum Iuſtino, Γνωρίζομεν ὅτι οὐκ ἔστι πρόβατον τοῦ πάσχα ἀλλαχόσε θύειν δυνατόν [*Scimus enim Paſcha victimam alibi occidi non poſſe*]. Hoc θύσιμον [*victimale*] voco, quia in eo agnus mactabatur, non privatim à patribusfamilias, ut multi exiſtimant, ſed à Sacerdotibus, poſt conſtitutum ſacerdotium: nam antè patresfamiliarum erant velut Sacerdotes. Scio Philoni dictum θύειν [*ſacrificare*] die Paſchali ἕκαστον τοὺς ἱερεῖς οὐκ ἀναμένοντας ἱερωσύνην τοῦ νόμου χαριζομένου τῷ ἔθνει παντὶ μίαν ἡμέραν ἐξαίρετον ἀνὰ πᾶν ἔτος εἰς αὐτουργίαν θυσιῶν [*unumquemque non exſpectatis Sacerdotibus, hac una die eximia Lege dante ſacerdotium genti toti ad faciendum ſacrum anniverſarium*]. Sed in moribus Hebræis ipſe Alexandrinus non ſatis certus eſt auctor. In Paralipomenis, ubi Ioſiæ deſcribitur hiſtoria, apertè narrantur Sacerdotes, adjuvantibus Levitis, amoviſſe quæ amovenda erant, idque in Templo, & deinde pecudes Paſchales reddidiſſe familiis. ubi Ioſephus, ἑκάστου τῶν ἱερέων ἐξηγουμένου τοῖς ὄχλοις [*unoquoque Sacerdotum præeunte populo*]. Atque hinc factum ut Sacerdotes, Ceſtio quærenti quis numerus eſſet Iudæorum Hieroſolyma convenientium, exactè dixerint quot fuiſſent in Paſchate agni aut hædi ſacrificati. Ajunt enim fuiſſe θυμάτων εἴκοσι πέντε μυριάδας, πρὸς δὲ πεντακισχίλια ἑξακόσια [*victimarum quinquaginta millia, præterea quinque millia & ſexcentas*]· quod profectò exactè dicere non potuiſſent niſi ipſi interveniſſent mactationi. Hoc θύσιμον [*victimale*] Paſcha ſicut locum habebat præfinitum extra quem celebrari non poterat, ita & tempus deſignatum, nempe inter duas ὀψίας [*veſperas*] decimæ quartæ diei exeuntis & inchoantis decimæ quintæ. Tale Paſcha hoc anno non celebravit Chriſtus. Sacrificare enim extra tempus conceſſum non licuit: adde quòd & Sacerdotum, ut dixi, interveniebat opera, qui nunquam eam navaſſent niſi ſtato tempore. Sed quia belli temporibus convenire populus non poterat, multóque magis poſt Babylonicum exſilium aliaſque διασποράς [*diſjectiones*] longiùs ſparſis pleriſque Iudæorum quàm ut poſſent venire Hieroſolyma, in locum Paſchatis θυσίμου [*victimalis*] ſurrogatum eſt Paſcha μνημονευτικόν [*memoriale*], voluntarium magis quàm Lege præceptum. Nam ne excideret liberationis Ægyptiacæ memoria, inſtituerunt Iudæi, etiam cùm ſacrificare Paſcha non poſſent (poſſe autem extra Chananææ fines, non immeritò ipſi negant) memoriam tamen Paſchatis quandam ob oculos ponere. Sicut ergo in Paſchate quod θύσιμον [*victimale*] vocamus ante cœnam juſtam antecedebat cœna ritualis, qua agnum aut hædum cum azymis & herbis amaris ex Legis præſcripto comedebant; dicis, inquam, causâ, non ad ſaturitatem; neque enim agnus ſufficere poterat ad cœnam juſtam hominibus nunquam paucioribus decem, ſæpe etiam viginti; nam eousque excreviſſe τὰς φρατρίας [*ſodalitates*] Ioſephus memorat; intra quem numerum ſtetiſſe & Lacedæmoniorum Phiditia ex Porphyrio diſcimus: ſequebatur deinde cœna juſta: ita & in Paſchate commemorativo cœna quædam ὁσίας χάριν [*dicis cauſa*] cœnæ præmittebatur, ſed ſine ſacrificio. Itaque in eo edebatur tantùm aliquid Azymorum cum herbis amaris. De cæteris cibis appoſitis nihil guſtabatur ante cœnam ſecundam, quæ erat ordinaria. quod nunc quoque Iudæi obſervant. Hæc autem cœna commemorativa Paſchatis, quanquam ἄθυτον [*ſine victima*], ut dixi, vocatur πάσχα ὁμωνύμως [*Paſcha vocabulo ambiguo*]. Nam ita habet carmen iſtius cœnæ, quod venire à Babylonicis temporibus non eſt dubium,

כל דצריך ויפסח

id eſt, *Omnis indigens Paſcha faciat.* Atque in hunc ſenſum accipio quod dicit Chryſoſtomus ſuo etiam tempore Iudæos Antiochiæ Paſcha feciſſe; & quod Procopius in Arcana hiſtoria ait eos γεύσασθαι προβατίων κρεῶν [*guſtare de carnibus ovillis*]· nam ſacrificaſſe eos non eſt credibile. Atque ideo Tryphon dicto loco non Paſcha celebrare alibi ait vetitum, ſed τὸ πρόβατον τοῦ πάσχα θύειν [*pecudem Paſchalem ſacrificare*]. Vnde lucem accipit illud Auguſtini in primo Retractationum, *Iudæi nunc non ſacrificant niſi fortè quòd per Paſchata immolent ovem, hoc in ſacrificia deputatur.* Hoc πάσχα μνημονευτικὸν [*Paſcha memoriale*], utpote voluntaria devotione ſuſceptum, ſicut loco non adſtringebatur, ita nec tempore. Chriſtus igitur cùm πάσχα θύσιμον [*Paſcha victimale*] morte præveniendus uſurpare non poſſet, voluit tamen cum Diſcipulis ſuis memoriam Paſchatis, quà poterat, celebrare: quod fecit eodem modo quo ſolebant ii qui Hieroſolyma venire non poterant, & quo proximo poterat tempore, id eſt, horis XVIII. aut circiter ante ipſum ſacrificii tempus. Non ſacrificavit igitur Paſcha Chriſtus: neque enim potuit, ipſe verum Paſcha vero Paſchatis die ſacrificandus: ſed manducavit Paſcha quod dixi μνημονευτικὸν [*memoriale*], quod hîc rectè Iudaïco more *Paſcha* appellatur. Itaque ἔθυε πάσχα [*ſacrificavit Paſcha*] nusquam legimus: imò non ſacrificaſſe Chriſtum vel hinc appareat, quòd ſtatim ut in domum venit diſcumbit: Sed ἔφαγε τὸ πάσχα [*manducavit Paſcha*]. Nec aliud hîc eſt πάσχα ποιεῖν [*Paſcha facere*] quàm פסח verbum in rituali carmine, quaſi dicas πασχατίζειν [*paſchatizare*]. Hinc apparet nihil à Chriſto factum contra Legem; imò contrà, adeò obſervantem Legis Chriſtum fuiſſe ut cùm ſacrificium implere non poſſet, memoriam tamen ſacrificii ritu recepto coluerit. Quod de Paſchate dixi, idem videre eſt & in aliis diebus feſtis, quorum memoriam etiam extra Iudæam Iudæi ſine ſacrificiis celebrabant. Ita Philo adverſus Flaccum narrat à Iudæis Alexandriæ habitantibus celebratam τὴν ἐν σκηναῖς ἑορτήν [*feſtum tempus Tabernaculorum*]. Nequis verò novam hanc noſtram ſententiam ſuſpicetur, ſciat eſſe antiquiſſimam. Meminit Photius Scriptoris anonymi adverſus Theſſareſcædecatitas, qui dixerit τῇ ἁγίᾳ πέμπτῃ μὴ τὸ νομικὸν φαγεῖν πάσχα τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, μηδὲ γὰρ εἶναι τότε τὸν καιρὸν, ἀλλὰ τῇ ἐπιούσῃ, καὶ ὅτι οὐδὲ νομικῶς πλῶν ἔφαγεν [*die quinta quam ſanctam dicimus, Chriſtum Dominum noſtrum non manducaſſe Paſcha legale, neque enim tunc tempus fuiſſe; ſed neque eum id ediſſe ſecundum ritus Lege præſcriptos*]. Idem ait defenſum ab alio Scriptore valde erudito, qui de Paſchate libros ediderat.

μετὰ τῶν μαθητῶν μου. *cum Diſcipulis meis*] Erat enim hæc juſta φρατρία [*ſodalitas*] inter decem & viginti; ſimilis Phiditiis apud Lacedæmonios, quæ & ipſa, ut modò diximus, conſtabant quindecim aut paulò pluribus paucioribusve convivis; & Pythagoræorum συσσιτίοις [*conviviis*] quæ decem hominibus conſtabant: Arabum Nabatæorum tredecim.

19. ἡτοίμασαν τὸ πάσχα. *paraverunt Paſcha*] Locus erat paratus, ut ex Marco diſcimus. Reſtabat ut apponerentur quæ ad cœnam illam μνημονευτικὴν [*memorialem*] pertinebant, ἄζυμα καὶ πικρίδες [*azyma & herbæ amaræ*].

20. Ὀψίας δὲ γενομένης, *Veſpere autem facto*] Cùm jam Sol occidiſſet: quod non intelligendum ἐν στιγμῇ [*in puncto*]. Nam quicquid eſt temporis poſt Solis occaſum ſolet interdum eo nomine appellari, ut Num. IX, 15. ubi oppoſita ſunt ביום [*de die*] & בערב [*de veſpere*]. Ierem. V, 6. זאב ערבות [*lupus veſpertinus*] *lupus nocturnus*, ut Kimchi interpretatur ex Pſalmo CIV, 20. loca alia omittam. Ita ſumi ὀψίας [*veſperì*] manifeſtum eſt Iohann. XX, 19. & Marci II, 32. Indicatur ergo jam nocte celebrata cœna, quod conſultò factum à Chriſto, ne ſe periculo ingeſſiſſe videretur. Neque in eo quicquam erat novi. Nam nunc quoque Iudæi πάσχα μνημονευτικὸν [*Paſcha memoriale*] multâ nocte celebrant. Imò & πάσχα θύσιμον [*victimale Paſcha*] mactari quidem inter duas ὀψίας [*veſperas*], at edi non niſi noctu ſolebat. Ita enim uſus interpretatus erat legem quæ exſtat Exodi XII, 8. inque eam interpretationem Iudæi omnes conſentiunt.

ἀνέκειτο, *diſcumbebat*] Stationem in agno edendo non in perpetuum præceptam, ſed pro illo exitus tempore multi ſentiunt. An tamen accubitus, ſignum ſecuræ libertatis, ut Iudæi interpretantur, uſurpatus ſit ab ævo Ioſuæ dubitari poteſt. Nam ſicut in herba jacentes cibum ſumſiſſe primos hominum ſatis conſtat, quò pertinere videtur id quod eſt in Geneſi XVIII, 4. השענו [*requieſcite*], ita ſedendi morem aut non minùs antiquum, aut primo mori proximum fuiſſe docet eadem Geneſis XLIII, 33. cui loco addi poteſt alter I Sam. XX, 25. Tacitus de Germanis, *Lauti cibum capiunt: ſeparatæ ſingulis ſedes, & ſua cuique menſa.* Tantundem de Hiſpanis & Gallis veteribus traditum Straboni. Quod autem de eo tempore dicit Philo, μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων [*cùm nondum homines in conviviis accubitu uterentur*], de accubitu in lectis accipiendum omnino eſt, qui haud dubiè ſeriùs cœpit, Aſſyriorum, ut credibile eſt, exemplo: cujus moris primam apud Iudæos mentionem doctiſſimus Caſaubonus apud Amoſum II, 8. obſervavit: niſi vetuſtior ejus mentio Cant. I, 11. ubi מסב κατάκλισιν [*accubitum*] vertunt Græci. Quin Græcorum ac poſtremò Romanorum exemplo mos accumbendi increbuerit, non eſt dubitandum.

Hodie Iudæi ſeſſionem in cœna illa commemorativa, ſed ſolito molliorem atque honoratiorem, uſurpant; & cum reclinatione corporis, quæ ab accubitu non longè abſcedit.

21. Καὶ ἐσθιόντων αὐτῶν, *Edentibus illis*] Id eſt, *cùm jam ſeriò cœnarent.* Nam prior cœna, ut dixi, dicis cauſà erat: neque in ea habebantur ulli ſermones præter formulas. Et τρύβλιον illud [*paropſis*, vel *catinus ille*] de quo ſequitur, habebat in ſe juſculum, ut oſtendit ψωμίου [*panis intincti*] mentio apud Iohannem. Quare probare non poſſum eorum ſententiam qui hæc ad herbas amaras aceto tinctas referunt, quibus locus erat in cœna priore.

23. Ὁ ἐμβάψας μετ᾽ ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα, *qui intingit mecum manum in paropſide*] Omnino videtur propius quiddam indicari quàm quod ſuprà dixerat Chriſtus, *Vnus ex vobis duodecim.* Quare perſuaſum mihi eſt Iudam prope Chriſtum accubuiſſe, ita ut cùm plures eſſent in cœna catini, ille ex eodem catino ederet ex quo edebat Chriſtus. Ita enim faciliùs fieri potuit ut Chriſtus illi interroganti an ipſe eſſet de quo loqueretur, ſubmiſſe & pleriſque non audientibus reſponderet, Σὺ εἶπας [*Tu dixiſti*], utque eo non audito Iohannes à Petro monitus, quærens quis ille eſſet qui tantum ſcelus eſſet auſurus, certum à Chriſto ſignum acciperet, eum hunc eſſe cui ipſe Chriſtus daturus eſſet de catino tinctam jure offulam. Quæ omnia, ni fallor, indicia eò nos ducunt ut credamus quod dixi. Atque ita hîc quoque accidit quod in multis aliis vaticiniis, ut verba Davidis Pſal. XLI, 10. in Chriſto non tantùm ſecundùm proverbialem loquendi modum, ſed etiam ſecundùm exactiſſimam verborum ſignificationem implerentur. Accedit huc quòd Marcus cùm priùs dixiſſet ὁ ἐσθίων μετ᾽ ἐμοῦ [*qui manducat mecum*], poſtea ſubjecit Εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, ὁ ἐμβαπτόμενος μετ᾽ ἐμοῦ εἰς τὸ τρύβλιον [*Vnus ex Duodecim, qui intingit mecum manum in catino*]. Quare cùm bis idem dictum cenſeri non debeat, ſequitur in poſteriori reſtrictiorem eſſe demonſtrationem. Atque ita Chriſtus præſcientiæ ſuæ documenta per gradus edidit, primùm duodenario numero includens futurum proditorem, deinde numero minore proximè accumbentium, poſtremò ipſum hominem notis certis deſignans.

24. ὑπάγει, καθὼς γέγραπται περὶ αὐτοῦ· *vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo*] Πορεύεται Lucas, id eſt, moritur: ita enim Hebræi הלך [*vadere*] uſurpant, ut Gen. XV, 2. ubi LXX אנכי הילך [*ego vado*] vertunt ἐγὼ δὲ ἀπολύομαι [*ego dimittor*]. Sic & Latini mortuum *abiiſſe* dicebant. Alibi ὑπάγειν [*vadere*] de Chriſto poſitum ἀνάληψιν [*aſſumptionem*] ejus in cœlum ſignificat.

οὐαὶ δὲ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ, *væ autem homini illi*] Sapientiſſimum Divinæ permiſſionis decretum eique juncta præſcientia, cùm nullam imponat ſceleris neceſſitatem, neque culpam neque pœnæ meritum minuit.

καλὸν ἦν αὐτῷ εἰ οὐκ ἐγεννήθη ὁ ἄνθρωπος ἐκεῖνος. *bonum erat ei ſi natus non fuiſſet homo ille*] Non quòd eſſe bene ei poſſit qui non ſit, ſed quòd homines ita poſſunt eſſe miſeri ut meritò optent non eſſe: quod à quibuſdam nimium ſubtiliter philoſophantibus negari miror, à quorum inopinata ſententia ad ſenſum communem & hoc Chriſti effatum provoco. Nam quod viris piis Iobo & Ieremiæ impatientia ut dicerent expreſſit, id hîc verè ac ſeriò de Iuda Chriſtus affirmat. Οὐ βούλεται [*Non vult*], inquit Hierocles, ὁ κακὸς ἀθάνατον εἶναι τὴν αὑτοῦ ψυχὴν, ἵνα μὴ ὑπομείνῃ τιμωρούμενος [*is qui malus eſt immortalem eſſe animam, ne in pœnis maneat*]. *Interire* autem eſt perinde ac *natum non eſſe*; juxta illud Senecæ,

Quæris quo jaceas poſt obitum loco?
Quo non nata jacent.

De impiis igitur verè dici poteſt quod olim dixiſſe Silenum ferunt, & Theognis iſtis verbis expreſſit,

Ἀρχὴν μὲν μὴ φῦναι ἐπιχθονίοισιν ἄριστον,
Μηδ᾽ ἐσιδεῖν αὐγὰς ὀξέος ἠελίου.
[*Optima ſors homini natum non eſſe, nec unquam*
Adſpexiſſe diem flammiferumque jubar.]

Hieronymus, *Simpliciter dictum eſt, Multò melius eſſe non ſubſiſtere quàm malè ſubſiſtere.* Rabbi Iſraël De Anima ait ei qui in hoc mundo Divinæ contemplationi non vacat, melius futurum eſſe nunquam extitiſſe. Idem in Zoar de ignorantibus Legem.

25. Σὺ εἶπας. *Tu dixiſti*] *Rem dixiſti.* Eſt enim non in medio relinquentis ſed concedentis quæſitum iſta oratio; ut collatis locis, infrà hoc capite 64. & Marc. XIV, 62. liquidò apparet. Non diſſimile eſt illud Euripidis,

— Σὺ δὲ λέγεις ταῦτ᾽, οὐκ ἐγώ.
[— *Dicis hæc tu, non ego.*]

Sed hoc ita Iudæ dictum eſt ut cæteri non exaudirent.

26. Ἐσθιόντων δὲ αὐτῶν, *Cœnantibus autem eis*] Ita & Marcus; id eſt, *adhuc illis cœnantibus.* Nam vinum quidem ex more Iudæorum, qui nunc quoque in die Paſchatis aliiſque diebus feſtis id obſervant, & in cœna & poſt cœnam cum gratiarum actione bibebatur: at panis frangebatur & diſtribuebatur cœnâ adhuc durante, ſed ferme peractâ. Hinc de poculo ſpeciatim dicunt & Lucas & Paulus ſumtum à Chriſto μετὰ τὸ δειπνῆσαι· quod in Miſſa Latina exponitur *poſtquam cœnatum eſt.* Lucas autem & in cœna & poſt cœnam propinatum memorat; ſed poſt cœnam cum manſuri ritus inſtitutione. Etiam apud Græcos poſtremum poculum, idque pro ſacro habitum, bibebatur eo ipſo tempore quo tollebantur menſæ. Nicoſtratus,

Ἀλλ᾽ ἐγχέασα θᾶττον ἀγαθοῦ δαίμονος
Ἀπενεγκάτω μοι τὴν τράπεζαν ἐκ ποδῶν.
[*Sed infundentes poculum Genii boni*
Mihi de pedibus protinus menſam auferant.]

Xenophon, ὡς δὲ ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι καὶ ἔσπεισαν καὶ ἐπαιάνισαν [*at poſtquam ſublatis menſis libarunt & pæana cecinerunt*]. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Veſpas, ἔθος ἦν ὁπότε μέλλοι ἡ τράπεζα αἴρεσθαι ἀγαθοῦ δαίμονος ἐπιρροφεῖν [*moris erat cùm tollenda eſſet menſa poculum ſorbere boni Genii*]. Seneca Thyeſte,

— *Hoc, hoc menſa claudatur ſcypho.*

Meminerunt & Scholiaſtæ ad tertium & quintum Odyſſeæ. Primi quoque Chriſtiani inter cœnandum celebrarunt hoc myſterium: Κλῶντές τε κατ᾽ οἶκον ἄρτον μετελάμβανον τροφῆς ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀφελότητι καρδίας [*Frangentes domatim panem, ſumebant cibum cum exſultatione & ſimplicitate cordis*] inquit Lucas Actor. II, 46. Vide & confer quod dicitur Actor. XX, 7, & 11. Hoc eſt quod Plinius ait, *Coiiſſe*

Chriſtianos ad capiendum cibum, ſed promiſcuum & innoxium. Idque ipſum eſt quod δεῖπνον κυριακὸν [*cœnam Dominicam*] Paulus ad Corinthios vocat; Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes δοχὴν [*convivium*], ut & Scriptor vetuſtiſſimus Conſtitutionum quæ Clementis nomen præferunt, qui & δοχὴν [*convivium*] interpretatur ἀγάπην [*dilectionem*]. Nomen *Agapæ*, quod in Iudæ Epiſtola eſt, in hoc ſenſu veniſſe putat Tertullianus inde quòd inopes iſto refrigerio juvarentur. Sed videndum an non συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] ex poculo myſtico id datum ſit nomen toti convivio, quomodo εὐχαριστία [*Euchariſtia*] dicta eſt ἐκ τοῦ ἄρτου τοῦ εὐχαριστηθέντος [*à pane ſuper quo acta gratiæ*]. Nam poculum illud, certiſſimum quippe teſtimonium amoris quo nos Chriſtus dilexit, quemque nobis imitandum propoſuit, ἀγάπη [*dilectio*] dicebatur. Ignatius, πόμα θέλω τὸ αἷμα αὐτοῦ, ὅ ἐστιν ἀγάπη, ἄφθαρτος καὶ ἀέναος ζωή [*potum volo ſanguinem ejus, qui eſt dilectio, incorruptibilis & æterna vita*]. unde intelligendus alter ejuſdem locus ad Epheſios, ἀναζωπυρήσαντες ἐν αἵματι Χριστοῦ [*exſuſcitantes per ſanguinem Chriſti*]. vult enim μεταληπτικῶς [*per transnominationem*] ſignificare dilectionem mutuam. Mos ille in convivio celebrandi hoc ſacramentum primâ illâ ætate nihil habebat vitii pleriſque in locis, *Edebatur,* ut ait Tertullianus, *quantum eſurientes capiebant, bibebatur quantum pudicis eſſet utile:* quod & de Iudæorum conviviis quæ σύνδειπνα vocantur prædicant Ioſephus & Philo. Sed quorundam irreverentia effecit ne diu retineretur. Nam Corinthiorum inæquales epulas, contra naturam τῆς ἀγάπης [*dilectionis*], caſtigat Paulus; & Socrates Hiſtoricus Ægyptiorum notat ἀκρασίαν [*intemperantiam*], quòd παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθέντες [*omnifariis dapibus impleti*]. participarent myſteria. Hinc conſtitutum ne myſteria ſumerentur niſi à jejunis; quod ab initio ita non eſſe factitatum rectè obſervat Chryſoſtomus. Iuſtinus nobis τὴν τῆς εὐχαριστίας μετοχὴν [*Euchariſtiæ participationem*] extra convivii formam deſcribit: & Clemens iſtis quæ ſuo tempore celebrabantur conviviis de nomine ἀγάπης [*Agapæ* ſive *dilectionis*] controverſiam movet, nimirum cùm jam ab iis conviviis myſteria eſſent ſegregata. At Tertullianus indicare videtur jam ſuo tempore celebrata myſteria antelucanis maximè cœtibus: manſit tamen antiquiſſimi moris teſtimonium in eo quod fiebat ipſo die Cœnæ Dominicæ anniverſario. Canon Concilii Carthaginienſis tertii huc ſpectat ut *ſacramenta altaris non niſi à jejunis hominibus celebrentur, excepto uno die anniverſario quo Cœna Domini celebratur:* quicum convenit epiſtola Auguſtini ad Ianuarium. Sed & ſegregatis jam myſteriis fidelium convivia (ut Pauli tempore) in ipſis Eccleſiarum ædibus celebrabantur ad tempora Synodi Laodicenæ, in Africa etiam ſeriùs.

τὸν ἄρτον, *panem*] Azymum, contrà quam ſentiunt Græci: quanquam enim anticipato tempore omnia tamen πασχαζόντων, [*paſchatizantium*] ſervavit Chriſtus quæ quidem ſervari poterant.

εὐλογήσας, *benedixit*] Moris ſemper Iudæis fuit, ut ex Thalmudicis Scriptoribus & Philone apparet, cibum nullum aut vinum ſumere niſi priùs Deo tanquam conditori donatorique laudes & grates egiſſent, addita precatione: quod γεραίρειν τὸν Θεὸν ὡς χορηγὸν τῆς τροφῆς [*honorare Deum ut alimenti datorem*] dixit Ioſephus: ipſam precationem קדוש id eſt, ἁγιασμὸν [*ſanctificationem*] vocant, aut ברכה, id eſt, εὐλογίαν [*benedictionem*]. Diotogenes ex Pythagoræ Schola, Καλῶς ἔχει καὶ τὸ τὸν Θεὸν ἐν ἀρχᾷ τῶ δείπνω καὶ τῶ ἀρίστω ἐπικαλεῖσθαι, οὐχ ὡς δεόμενόν τινος τῶν τοιούτων, ἀλλ' εἰς τὸ μναθέντα κατακοσμηθῆναι τὰν ψυχάν [*Rectum eſt in principio prandii ac cœnæ Deum invocare, non ut opus habentem tali re, ſed ut per ejus memoriam ornatior fiat anima*]. Antequam id fieret, cibus pro profano habebatur; hoc facto ἅγιος [*ſanctus*], id eſt, quo veſci fas eſſet. Quem morem ut pium approbans Paulus, Πᾶν κτίσμα Θεοῦ καλὸν, inquit, καὶ οὐδὲν ἀπόβλητον μετὰ εὐχαριστίας λαμβανόμενον. ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγου Θεοῦ καὶ ἐντεύξεως [*Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem*]· quo ſenſu ἁγιάζεσθαι [*ſanctificari*], quanquam in re alia, uſurpavit & I Corinth. VII, 14. Bene autem Paulus dicto loco εὐχαριστίαν [*gratiarum actionem*] explicat voce ἐντεύξεως [*precationis*]· erant enim iſta conjuncta. Ioſephus, δικαίας οὔσης φύσει τῆς εὐχαριστίας, καὶ γενομένης ἐπ' ἀμοιβῇ μὲν τῶν ἤδη γεγονότων, ἐπὶ δὲ προτροπῇ τῶν ἐσομένων [*cùm naturaliter juſta ſit gratiarum actio, quæ fit ut agnoſcantur percepta, & percipiantur futura*]. Hinc eſt quòd paſſim pro eodem ponuntur in hoc negotio εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν [*benedicere & gratias agere*]. Quod Matthæus XIV, 19. Marcus VI, 41. Lucas IX, 16. dixere in hiſtoria panum multiplicatorum ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν εὐλόγησε [*adſpiciens in cælum benedixit*], Iohannes εὐχαριστήσας δίδωκε [*cùm gratias egiſſet diſtribuit*] VI, 11. Marcus dixit εὐχαριστήσας ἔκλασε [*gratias agens fregit*] VIII, 6. quomodo & hic noſter Matthæi Interpres XV, 36. in quibus locis Marci & Iohannis Syrus εὐχαριστήσας [*cùm gratias egiſſet*] vertit וברך [*& benedixit*]: hoc autem loco apud Matthæum pro εὐλογήσας [*benedixit*] dixit ואודי וברך, id eſt, εὐχαριστήσας καὶ εὐλογήσας [*gratias egit & benedixit*]. Sic & Paulus I Corinth. XIV, 15, 16, 17. pro eodem ponit προσεύχεσθαι, εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν [*orare, benedicere, gratias agere*], eodemque loco Latinus Interpres εὐχαριστίαν [*gratiarum actionem*] vertit *benedictionem.* Sic ubi mox eſt de poculo εὐχαριστήσας [*gratias egit*], Cyprianus epiſtolâ ad Cæcilium citat *benedixit*: &, Paulus hinc calicem vocat ποτήριον εὐλογίας [*calicem benedictionis*]. Non mirum igitur ſi in recitandis his verbis de ſacrato pane Lucas & Paulus dixerunt εὐχαριστήσας [*gratias egit*] quod Matthæi Interpres & Marcus εὐλογήσας [*benedixit*]. Imò & hoc ipſo loco quidam Græci codices habuerunt εὐχαριστήσας [*gratiis actis*], atque ita citant veteres, inter alios Baſilius Regulis moralibus, ex interpretamento ſcilicet. Plena autem & propria locutio eſt εὐχαριστεῖν τῷ Θεῷ [*Deo gratias agere*], quod paſſim invenimus, & quidem in mentione frangendi panis Act. XXVII, 35. cui tantundem valet εὐλογεῖν τὸν Θεὸν [*Deum benedicere*], Lucæ I, 64. & II, 28. XXIV, 53. Iac. III, 9. Sed Hebræi, & hos ſecuti Helleniſtæ, amant dictionum compendia: itaque εὐλογεῖν τινα vel τι [*benedicere aliquem* vel *aliquid*] dicunt pro εὐλογεῖν Θεὸν ὑπέρ τινος [*benedicere*

Deum ſuper te aliqua]· quod loquendi genus apud LXX & hos noſtros paſſim reperire eſt, ut Marci x, 16. Lucæ II, 34. IX, 16. XXIV, 50, 51. Sic ἱλάσκεσθαι τὰς ἁμαρτίας [*propitiare peccata*] dixit Scriptor ad Hebræos pro ἱλάσκεσθαι Θεὸν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν [*propitiare Deum de peccatis*]. Pari modo ברך הזבח εὐλογεῖν τὴν θυσίαν [*benedicere ſacrificium*] I Sam. IX, 13. eſt εὐλογεῖν τὸν Θεὸν ὑπὲρ τῆς θυσίας [*benedicere Deum de ſacrificio*]. Sic εὐλογεῖν τὸ ποτήριον [*benedicere poculum*] in hoc argumento dixit Paulus I Corinth. x, 16. & hîc εὐλογήσας [*benedixit*] rectè conſtruitur cum eo quod præceſſit τὸν ἄρτον [*panem*]. Similique modo, quod mox ſequitur, εὐχαριστήσας [*euchariſtizavit*] cum eo quod præceſſit τὸ ποτήριον [*poculum*]. Nam & εὐχαριστεῖν ἄρτον aut ποτήριον [*euchariſtizare panem* aut *poculum*] non minùs rectè dicitur quàm εὐλογεῖν [*benedicere*]. atque ita loqui ſolitos Apoſtolorum exemplo Chriſtianos veteres Iuſtinus nos docet, qui dixit εὐχαριστηθέντα ἄρτον καὶ οἶνον [*euchariſtizatum panem & vinum*], deinde εὐχαριστηθεῖσαν τροφήν [*alimentum euchariſtizatum*]. Formula communis τῆς εὐλογίας [*benedictionis*] ſive τῆς εὐχαριστίας [*gratiarum actionis*] apud Hebræos hæc erat, ברוך אתה אלהינו מלך העולם המוצא לחם מן הארץ, Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ Κύριος τοῦ κόσμου, ὁ εὑρήσας τὸν ἄρτον ἐκ τῆς γῆς [*Benedictus Deus noſter Dominus Mundi, qui invênit panem de terra*]. Similiter de vino dicebant ברוך אלהינו מלך העולם בורא פרי הגפן, Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ὁ Κύριος τοῦ κόσμου, ὁ κτίσας τὸ γέννημα τῆς ἀμπέλου [*Benedictus Deus noſter Dominus Mundi qui creavit fructum vitis*]. Sed diebus feſtis accedebat mentio beneficii cujus tum memoria celebrabatur; ut Paſchate liberationis ex Ægypto. Sic & Chriſtus panes multiplicaturus haud dubiè ad communes preces addidit proprias rei quæ tum agebatur. Et hoc loco non pro veteri tantùm creatione ſed & pro nova, cujus ergo in hunc orbem venerat, preces fudit gratiasque Deo egit pro redemtione humani generis quaſi jam peracta, utpote cui implendæ non multum temporis reſtaret: quæ cauſa eſt cur & præſentis temporis verba hîc uſurpent ſacri Scriptores, τὸ διδόμενον [*quod datur*], τὸ ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*]. Secuti hac in re Chriſtum ſunt veteres Chriſtiani, conjungentes in hac gratiarum actione beneficia vetera cum novis. Teſtis Iuſtinus, Τὸν ἄρτον τῆς εὐχαριστίας εἰς ἀνάμνησιν τοῦ πάθους οὗ ἔπαθεν ὑπὲρ τῶν καθαιρομένων τὰς ψυχὰς ἀπὸ πάσης πονηρίας ἀνθρώπων, Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος ἡμῶν παρέδωκε ποιεῖν, ἵνα ἅμα τε εὐχαριστῶμεν τῷ Θεῷ ὑπέρ τε τοῦ τὸν κόσμον ἐκτικέναι σὺν πᾶσι τοῖς ἐν αὐτῷ διὰ τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὑπὲρ τοῦ ἀπὸ τῆς κακίας ἐν ᾗ γεγόναμεν ἠλευθερωκέναι ἡμᾶς, καὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς ἐξουσίας καταλελυκέναι τελείαν κατάλυσιν διὰ τοῦ παθητοῦ γενομένου κατὰ τὴν βουλὴν αὐτοῦ [*Panem Euchariſtiæ in memoriam paſſionis quam ſuſcepit pro omnibus hominibus qui animas à vitiis emundantur, Ieſus Chriſtus Dominus noſter nos facere præcepit, ut ſimul gratias agamus Deo & quòd Mundum condiderit cùm omnibus quæ in eo ſunt hominis cauſa, & quod à malitia in qua fueramus nos liberaverit, & perfecta deſtructione deſtruxerit imperia & poteſtates per illum qui ſecundùm ipſius voluntatem factus eſt patibilis*]. Exſtat & in Clementis quæ dicuntur Conſtitutionibus libro VII, cap. XXVII. gratiarum actio, in qua dicitur τὰ πρὸς μετάληψιν προευτρεπίσας ἀνθρώποις [*qui hominibus paravit quo veſcerentur*]. Sequitur mox, ὁ ἐπιστείλας ἐπὶ γῆς Ἰησοῦν τὸν Χριστὸν [*qui miſit in terras Ieſum Chriſtum*], & alia quæ eò pertinent. Irenæus libro V, cap. 11. *Et quoniam membra ejus ſumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipſe nobis præſtat, Solem ſuum oriri faciens & pluens quemadmodum vult, eum calicem qui eſt creatura, ſuum ſanguinem, qui effuſus eſt, ex quo auget noſtrum ſanguinem, & eum panem qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia.* Origenes VIII adverſùs Celſum, Ἀλλὰ τὸ ἀχάριστοι εἶναι πρὸς τὸν Θεὸν περιϊστάμεθα, οὗ τῶν εὐεργεσιῶν πλήρεις ἐσμὲν, καὶ δημιουργήματα ὄντες αὐτοῦ, καὶ προνοούμενοι ὑπ' αὐτοῦ κριθέντες ὅπως ποτὲ εἶναι καὶ ἔξω τοῦ βίου, τὰς παρ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐκδεχόμενοι· ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχαριστίας ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος [*Cavemus ingrati eſſe adverſùs Deum, cujus beneficiis pleni ſumus; quippè qui & opificium ejus ſumus, & digni ab ipſo facti ut etiam extra hanc vitam ſimus aliquando, cùm implebitur ſpes quam ab ipſo accepimus. Eſt autem & ſymbolum gratiarum quas Deo agimus, panis dictus Euchariſtia*]. Oratio vetus exſtans in Miſſa Latina, *Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter condidiſti, & mirabiliùs reformaſti*: ibidem, *Per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem hæc omnia, Domine, ſemper bona creas, ſanctificas, vivificas, benedicis & præſtas nobis*: deinde, *Quod ore ſumſimus, Domine, pia mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium ſempiternum.*

ἔκλασε, *fregit*] Hæc fractio tum perpeſſiones Chriſti, in cruce præſertim, ſignificat, (unde Paulus adjecit de corpore τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον [*quod pro vobis frangitur*], & Liturgiæ non paucæ hanc ſignificationem exprimunt, præſertim Syriaca) tum ſimul etiam liberalitatem Chriſti nos invitantis ad communionem omnium bonorum quæ per crucem erant parienda. Nam quia panes Hebræorum erant κλαστοὶ [*tales ut frangi facilè poſſent*], ideo receptum apud illos erat ut *frangere panem* dicerent pro *ejus participes alios facere*, ut Eſaiæ LVIII, 7. Thren. IV, 4. Marci VIII, 19. ὅτε τοὺς πέντε ἄρτους ἔκλασα εἰς τοὺς πεντακισχιλίους [*quando quinque panes fregi in quinque millia*]· erant enim panes Hebræorum ita magni ut omnibus convivis ſufficerent. Diogenes Laërtius Pythagorâ, ἐπὶ ἕνα ἄρτον οἱ πάλαι τῶν φίλων ἐφοίτων καθάπερ καὶ νῦν οἱ βάρβαροι [*olim amici ad unum panem conveniebant, ut etiam nunc barbari*]. Xenophon Expeditionis VII. de Zeuthe Rege Thracum, ἀνελόμενος τοὺς παρακειμένους αὐτῷ ἄρτους διέκλα κατὰ μικρὸν, καὶ διερρίπτει οἷς αὐτῷ ἐδόκει [*tollens appoſitos ſibi panes fregit in partes, & dedit quibus voluit*]. Iamblichus, τὸ ἀρχαῖον βαρβαρικῶς πάντες ἐπὶ ἕνα ἄρτον συνῄεσαν οἱ φίλοι [*olim more barbarico omnes amici ad unum panem conveniebant*]· ideo cùm de communione agunt veteres, nominant *partes*, *fragmenta*, κλάσματα. Vide Auguſtinum Sermone II De verbis Apoſtoli.

φάγετε· *comedite*] Inter varia ſacrificiorum genera illuſtre erat apud Hebræos id quod vocabant שלם [*pacificum*]; Philo σωτήριον [*ſalutare*] vertit, Ioſephus χαριστήριον [*de beneficio*], alii εὐχαριστικόν [*gratiarum actionis*]. ſed εὐχαριστικὸν [*ſacrificium gratiarum*] propriè eſt תודה [*Laudis*] ſpecies τοῦ σωτηρίου [*ſacrificii ſalutaris*]. Nam σωτήρια [*ſalutaria*] ſacra non tantùm pro obtinendis ſed & pro obtentis beneficiis fiebant. Notum autem eſt Hebræis שלם [*pacem*] dici omne bonorum genus: ſed ſicut εὐχαριστεῖν [*gratias agere*] latè ſumtum eſt ab Helleniſtis, ita non mirum ſi & εὐχαριστικὴν θυσίαν [*ſacrificium gratiarum actionis*] largiore ſignificatu dixere. In his igitur ſacris illud erat quaſi peculiare, quòd victimæ pars Deo ejusque Sacerdotibus, pars verò offerentibus cedebat: id Deus bonitatis ſuæ erga ipſos teſtimonium eſſe volebat, quaſi ſcilicet amicorum more communes cum ipſis epulas ſumeret: Nam οἱ ἐσθίοντες τὰς θυσίας [*qui edunt hoſtias*], ut inquit Paulus, κοινωνοὶ τοῦ θυσιαστηρίου εἰσὶ [*participes ſunt altaris*], 1 Corinth. x, 18. Atque itidem apud Græcos aliasque gentes uſurpabatur ut qui victimas offerrent de earum carne epularentur, ut paſſim apud Poëtas videre eſt: ſive id ab Hebræorum exemplo originem traxit, ſeu, quod eſt probabilius, à communium parentum inſtitutis. Itaque & Catilinarii, narrante Plutarcho, καταθύσαντες ἄνθρωπον ἐγεύσαντο τῶν σαρκῶν [*mactato homine de carne ejus ederunt*]. Chriſtus ergo ſacrificium peracturus in ſe credentes vult participes facere ejus ſacrificii quod oblatum erat ab eo qui ipſorum naturam ſuſceperat, μετέσχε γὰρ σαρκὸς καὶ αἵματος [*participavit carni & ſanguini*] Heb. 11, 14. Hanc ſacrificii ſui efficaciam, ita ut clarè poſſet intelligi, ipſis explicabat cùm diceret ad Patrem, ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτὸν, ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν τῇ ἀληθείᾳ [*ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*], Ioh. xvii, 19. & mox, θέλω ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ [*volo ut ubi ſum ego & illi ſint mecum*], 24. Vtrumque ſcilicet, tum veri cognitionem atque obſignationem, ut verum paſtum animorum, tum glorioſa gaudia quæ poſt hanc vitam expectantur, etiam vulgò ſciebant Iudæi *manducandi* verbo ſignificari. Prioris teſtis eſt Philo cùm ita ait libro De Allegoriis, τὸ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς· τρέφεται δὲ ἡ ψυχὴ ἀναλήψει τῶν καλῶν καὶ πράξει τῶν κατορθωμάτων [*edere ſymbolum eſt paſtus animorum, paſcitur autem anima perceptione honeſtorum dogmatum & effectione rerum honeſtarum*]. & libro De Sacrificiis Abel & Cain, Ἴσασιν οἱ κεκοινωνηκότες ἤδη, καὶ οἷς ἡ φύσις ἵλεως, πάλιν γνώσονται, κληθέντες εἰς μετουσίαν θοίνης, οὐκ ἐξ ἧς αἱ γαστρὸς ἡδοναὶ πιμπλαμένης τὸ σῶμα πιαίνουσιν, ἀλλ' ἀφ' ἧς διάνοια ἐντρεφομένη καὶ ἐγχορεύουσα ἀρεταῖς γήθει τε καὶ εὐφραίνεται [*Norunt qui participarunt, & ſi natura ipſis propitia eſt ſcient & in poſterum vocati ad communicandas epulas, non ex quibus voluptates ventris impleti corpus ſaginant, ſed quibus mens enutrita & in virtutum choro agens gaudet & lætatur*]. Sic & Moſes Maimonides in Hebræorum ὑπονοίαις [*latenti locutione*] *comedere* dicit id valere quod *intellectu apprehendere*: Locus eſt in Ductore dubitantium lib. 1, cap. 29. quod verum eſſe oſtendunt & Prophetarum loca Ierem. xv, 16. Ezech. iii, 3. Prov. ix, 5. Apoc. x, 9. & Eccleſiaſticus xv, 3. xxiv, 29. Scriptor de cœna Domini, *quod eſca eſt carni, hoc animæ fides.* Servius ad illud in iii Æneidos,

—— vittasque reſolvit,

In ratione ſacrorum par eſt & animæ & corporis cauſa. Nam plerunque quæ non poſſunt circa animam fieri, fiunt circa corpus. & alibi libro iv. *In ſacris quæ exhiberi non poterant, ſimulabantur, & erant pro veris.* Tertullianus De Baptiſmo, *Ea forma qua ſemper carnalia in figuram ſpiritualium antecedunt.* Alterius indicia paſſim in libris Rabbinorum, ubi *edere & bibere in mundo futuro* ſæpe occurrit: itaque receptum hunc loquendi modum ſequens Phariſæus dicebat, Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ [*Beatus qui manducabit panem in Regno Dei*] Luc. xiv, 15. Et Chriſtus, cujus ſermo ubique erat conſpicuus ac popularis, futura gaudia eâdem imagine adumbrabat, non tantùm apud Apoſtolos ut Luc. xxii, 30. ſed & apud plebem, Matth. viii, 11. Sicut autem Chriſtus apud Iohannem vocem ἁγιάζειν [*ſanctificandi*] à ſacrificiis deſumtam uſurpaverat, ita eâdem utitur Scriptor ad Hebræos cùm dicit, ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες [*qui ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno omnes*]. Et Paulus ſicut dixerat κοινωνοὺς εἶναι θυσιαστηρίου τοὺς ἐσθίοντας τὰς θυσίας, [*participes eſſe altaris eos qui hoſtias edunt*], ita τὸν ἄρτον [*panem*] vocat κοινωνίαν τοῦ σώματος [*participationem corporis*]. Ac paſſim docent Chriſtiani veteres inſtitutum hoc ſacramentum ut perpeſſionibus ipſius qui propter nos factus eſt παθητὸς [*patibilis*], os ex oſſibus noſtris, caro ex carne noſtra, & rurſum gloriæ communicaremus, coaleſcentes velut εἰς σάρκα μίαν [*in unam carnem*] ad complementum ejus quod olim per matrimonii inſtitutionem fuerat adumbratum, 1 Corinth. vi, 17. Loca afferre longum eſſet. Bene autem Panis ſpecies adhibita ad corporis ſignificationem, quia ad ejus naturam proximè accedit. Ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς ἐξ ὧνπέρ ἐστιν [*Omnia nutriuntur ex iis unde conſtant*], inquit Ariſtoteles. Et σιτίον ὕλη σαρκὸς [*frumentum materia carnis*] apud Galenum. Atque adeò non Arabibus tantùm vox לחם, quæ *panis* propriè eſt Hebræis, *carnem* ſignificat, ſed & Hebræis vox eadem illo ſignificatu reperitur, ut Sophoniæ i, 17. Levit. ii, 7. xxi, 6. xxii, 7. Ier. ix, 4. caro victimarum vocatur לחם [*panis*], pro quo Chaldæi ponunt קרבן προσφοράν [*oblationem*]. Nec aliter nonnulli interpretantur illud Iobi vi, 7. ut ſenſus ſit, *languores carnis meæ.*

27. τὸ ποτήριον, *calicem*] Sæpius calix circumferebatur in cœna: ſed hîc de poſtrema potatione agitur, quæ cæteris ſollemnior etiam apud Gentes, ut jam antè oſtendimus. Fuiſſe autem in eo calice vinum aquâ temperatum docet nos liber Miſnajoth De benedictione vii. Et videtur hoc poſtulaſſe cœli ejus ingenium, ut vina, præſertim paulò largiùs ſolito, niſi aquâ temperata non biberentur: vide Prov. ix, 2, 5. Apoc. xviii, 6. & Scriptorem de quæſtionibus Hebraïcis, qui inter opera Hieronymi legitur. Hic quoque mos ad Chriſtianos veteres tranſiit. Iuſtinus, ποτήριον ὕδατος καὶ κράματος [*calix aquæ & vini*]. Hinc *mixtum calicem* dixit Irenæus. Clemens, κίρναται ὁ οἶνος τῷ ὕδατι [*miſcetur aquæ vinum*]. Cyprianus *Dominicam traditionem* vocat ut calix qui in commemorationem Domini offertur mixtus vino offeratur. Adde Canonem xl inter Africanos, & Liturgias veteres Syriacas, Græcas, Arabicas, Latinas.

εὐχαριστήσας, *gratias egit*] Idem valet quod εὐλογήσας

[*benedixit*], ut ſuprà diximus. Ipſum nomen receptum poculi expreſſit Paulus cùm dixit ποτήριον εὐλογίας [*calix benedictionis*]. Nam Hebræi vocabant כוס הלל : ſolent autem הלל [*laudare*] & ברך [*benedicere*] ſumi συνωνύμως [*eodem ſignificatu*], ut apparet Pſal. x, 3. ubi altera vox alteram explicat. Et Eſaiæ LXIV, 11. הללו ab Interpretibus Lxx vertitur εὐλόγησαν [*benedixerunt*].

Πίετε ἐξ αὐτοῦ πάντες· *Bibite ex hoc omnes*] In ſacris (ac proinde & in federibus quæ interpoſito ſacro peragebantur, Pſ. L, 5.) ſanguis quidem in pateras fundi ſolebat, ut quarto Thebaïdos Papinianæ & aliis in locis legimus: ſed quia bibere ſanguinem inhumanum erat (quanquam id quoque in federibus nonnullis factum legimus: ſic enim Plutarchus Publicolâ juvenes patricios ait inter ſe federatos ἀνθρώπου σφαγέντος ἐπισπείσαντες αἷμα [*libantes ſanguinem hominis occiſi*]· & *fedus cruore ſacratum* dixit Tacitus Annalium XII. & Diodorus in fragmentis à Valeſio editis firmatam ab Apollodoro conjurationem eſu humanæ carnis & ſanguinis humani potu: & morem eundem Magellanus apud Americanos reperit: & Tigrani in Armenia id factitatum narrat Valerius Max. lib. IX, cap. 11. unde mos ille venit ad Comanos, manſitque ad tempora uſque Ludovici Sancti Francorum Regis, ut teſtatur Ioinvillius: Scythis idem factum memorat Solinus & Mela, Saracenis Nicetas Choniates, Danis Saxo Sialandicus), inſtitutum eſt apud populos manſuetiores ut vinum ſanguinis loco biberetur, unde יין עבודה זרה [*vinum cultus extranei*] Hebræis eſt *vinum profanorum ſacrificiorum*: quò alludit Ezechiel XXXIX, 19, 20. & vinum *ſanguis uvæ* dicitur, & ipſo colore (nam rubebant ferè vina, Pſal. LXXV, 9.) ſanguinem referebat. Hoc vinum qui potabant ipſo victimæ ſanguine imbuti cenſebantur. Philo ἀπὸ τούτου γέ τοι φασὶ τὸ μεθύειν ὠνομάσθαι ὅτι μετὰ τὸ θύειν ἔθος ἦν τοῖς προτέροις οἰνοῦσθαι [*inde dictum putant* μεθύειν *quòd veteres poſt ſacrum potarent*]. Federa quoque, ut dixi, admoto calice firmari ſolita oſtendit Ariſtophanes Lyſiſtratâ, qui & alibi ad eum morem alludens σπονδὰς ἐκπίομαι [*federa ebibo*] dixit: & Diodorus Siculus à vini libatione natum dicit nomen σπονδῶν [*federum*]. Hinc Homero σπονδαὶ ἄκρητοι [*vinoſa federa*]. Originem oſtendit Plutarchus libro de Iſide de Ægyptiis loquens, οὐκ ἔπινον οἶνον οὐδὲ ἔσπενδον ὡς φίλιον θεοῖς, ἀλλ᾽ ὡς αἷμα τῶν πολεμησάντων ποτὲ τοῖς θεοῖς [*non bibebant neque libabant vinum ut diis gratum, ſed ut ſanguinem eorum qui in deos bellaſſent*]. Conjunge quæ mox ſequentur de ſanguinis uſu in federe. Certè non in hoc tantùm ſed & in Baptiſmi ſacramento videtur omnino Chriſtus ſe non Hebræorum tantùm ſed & Gentium in idem fedus cooptandarum captui accommodaſſe.

28. τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης; *ſanguis meus novi Teſtamenti*] Rectè ſentiunt, me judice, Grammatici veteres, qui *ſanctionem* dictam ajunt à *ſanguine*. Nam in legibus *ſanctio* dicebatur ea pars quæ vitam hominis Legi obligabat; in federibus ipſa effuſio ſanguinis victimalis, cui inerat comminatio ſimilis excidii adverſus eum qui federi non ſtetiſſet, Exodi XXIV, 8. Sic apud Homerum ἐν ταῖς σπονδαῖς [*in federibus*] hæc legitur imprecatio in eos qui pactis non ſtetiſſent,

Ὧδέ σφ᾽ ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέοι ὡς ὅδε οἶνος.
[*Vt fluit hoc vinum, cerebrum ſic effluat illi.*]

Euſtathius ad III Iliados, τῶν θυησομένων ἐπὶ ὅρκοις ἀρνῶν τρίχας ἐκ κεφαλῆς τέμνων ὁ βασιλεὺς ἔνειμε τοῖς τῶν Τρώων καὶ Ἀχαιῶν ἀρίστοις διὰ τῶν κηρύκων, ἵνα πάντες δοκῶσι συνεφάπτεσθαι τῆς θυσίας· σύμβολον δὲ ἦν τοῦτο τοῦ εἰς κεφαλὴν τραπήσεσθαι τὰ κακὰ τοῖς ἐπιορκήσουσι [*agnorum ſuper quos jurabatur pilos de capite abſecans Rex diſtribuebat primoribus Trojanorum & Græcorum per præcones, ut omnes viderentur victimas tetigiſſe: ſymbolum autem hoc erat, mala ventura in caput ejus qui juratis non ſtetiſſet*]. Hinc illa vetus formula, *Si prior defexit, tu illum, Iupiter, ſic ferito ut ego hunc porcum hodie feriam, tantòque magis quantò magis potes pollesque.* Nec aliò reſpicit ſevera illa comminatio in Epiſtola ad Hebræos adversùm τοὺς κοινὸν ἡγησαμένους τὸ αἷμα τῆς διαθήκης [*eos qui ſanguinem federis pro profano habent*]· quo in loco, ut & hîc, & Exodi XXIV, 8. & Zach. IX, 11. αἷμα τῆς διαθήκης [*ſanguis teſtamenti*, ſive *federis*] eſt ſanguis quo fedus ſolemniter ſancitur, quod ἐγκαινίζεσθαι [*dedicari*] dixit dictæ Epiſtolæ divinus Scriptor. *Sacrificiis conſpirationem ſancire* dixit Tacitus Agricolæ Vitâ: atque inde rectè ſuppleas quod apud Lucam & Paulum eſt, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου vel ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι [*novum Teſtamentum in ſanguine meo*] ſcilicet ἐγκαινισθεῖσα [*dedicatum*]. Dicitur autem calix διαθήκη [*Teſtamentum* ſive *fedus*] ut panis κοινωνία [*participatio*]. Ab hac antiqua federum natura non abludit hiſtoria 1 Sam. XI. ubi pecudes diſcinduntur cum comminatione pœnæ in deſertores, ſed quæ in res ipſorum non in perſonas dirigitur. Zenobius, οἱ Μολοττοὶ ἐν τοῖς ὁρκωμοσίαις κατακόπτοντες εἰς μικρὰ τοὺς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο [*Moloſſi jurabant federa bobus in minutas partes diſſectis*]. In Apollodori Bibliotheca legimus de Peleo, qui Acaſti uxorem diſſecuerat, καὶ διελὼν μέλη διήγαγε δι᾽ αὐτῆς τὸν στρατόν [*& membra in duas partes ponens inter ea traduxit exercitum*]. Sic & Abrahamus cum Deo fedus facit diſſectis pecudibus, Gen. XV, 10. atque eum morem Chaldæis fuiſſe ſanciendi fidem tradit Cyrillus adversùs Iulianum ultimo. Livius lib. XXXIX. *Caput mediæ canis præciſæ & prior pars ad dextram cum extis, poſterior ad lævam viæ ponitur: inter hanc diviſam hoſtiam copiæ armatæ traducuntur.* Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Βοιωτοῖς δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι, κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν [*Bæotis publica purificatio eſt, cane in duas partes ſecto inter eas partes tranſire*]. Adde ad loci hujus intellectum locum Lucæ XXIII, 31.

τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· *qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum*] Πολλοὺς [*multos*] hîc intelligo eos tum ex Iudæis tum ex Gentibus qui federis conditiones amplectuntur. Vide quæ Rom. V, 15. Sic & in Barnabæ quæ dicitur epiſtola, καὶ αὐτὸς ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ἁμαρτιῶν ἤμελλε σκεῦος τοῦ πνεύματος προσφέρειν θυσίαν [*& ipſe pro peccatis noſtris hoſtiam offerre debuit vas illud Spiritus*]. Simul autem tranſit Chriſtus à comparatione federum ad comparationem ſacrificiorum piacularium, in quibus anima pecudis offerebatur velut ſuccidanea animæ hominis qui mortem meruiſſet; unde victima *ferre peccata* dicebatur in Lege. Hinc *mori victimam pro homine, emi* aut *redimi hominem victi-*

victimis, etiam Græci & Latini dixere. Vide quæ ſuprà xx, 28. Animam autem non viſibilem viſibiliter ſanguis repræſentabat: *Anima carnis in ſanguine*, inquit Lex, *ego verò deſtinavi eum vobis in altari ad expiationem faciendam pro animis veſtris. Nam ſanguis eſt qui pro anima expiationem facit.* Neque aliud gentes per ſanguinem in ſacris ejuſmodi ſignificabant. Hinc Virgilius illud,

> *Sanguine quærendi reditus*, exponit, *animâque litandum.*

Et paſſim *pacem ſanguine expoſci*, *Numen ſanguine placari*, *ſanguinem dari pro ſanguine*, apud Poëtas aliosque legimus: quem morem Iudæis aliisque populis communem reſpiciens Scriptor ad Hebræos ait, χωρὶς αἱματεκχυσίας οὐ γίνεται ἄφεσιν [*ſine ſanguinis effuſione non fieri remiſſionem*]. Sicut autem per *corporis* nomen veteres intellexerunt communicationem perpeſſionum & gloriæ Chriſti, ita per *ſanguinem* communicationem mortis & immortalitatis, quia Sanguis, ut diximus, Vitam ſignificat. Hinc Ignatius αἷμα Χριστοῦ [*ſanguinem Chriſti*] vocat ἄφθαρτον καὶ ἀέναον ζωὴν [*vitam perpetuam & incorruptam*]. Clemens τοῦτ᾽ ἔστι πιεῖν τὸ αἷμα τοῦ Ἰησοῦ, τῆς κυριακῆς μεταλαβεῖν ἀφθαρσίας [*hoc eſt bibere ſanguinem Ieſu, participem fieri Dominicæ immortalitatis*]. Oratio in Miſſa Latina, *Sanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam meam in vitam æternam.* Auctor libri De cœna Domini, *Panis eſt eſca, ſanguis vita:* deinde, *Bibimus autem de ſanguine Chriſti ipſo jubente, vitæ æternæ cum ipſo & per ipſum participes.* Quod optimè cohæret cum Remiſſione peccatorum; quia cùm mors ſit ex peccato, tunc remiſſionis peccatorum fructus perfectè percipietur cùm mors abolebitur. Ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*] ſignificat *jamjam effundetur*: præſens pro proximè futuro: ita ſuprà iii, 10. ἐκκόπτεται [*exciditur*] valet *jamjam excidetur*: & ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος [*qui poſt me venit*] *qui jamjam me eſt ſecuturus*: & v, 23. Ἐὰν οὖν προσφέρῃς [*Si ergo offers*], *Si jamjamque ſis oblaturus*: vi, 6. ὅταν προσεύχῃ [*cùm oras*], *jamjam oraturus*: & xx, 22. βαπτίζομαι [*baptizor*], id eſt, *tingar*. Marci ix, 31. παραδίδοται [*traditur*], id eſt, *tradetur*; ut apparet Matth. xvii, 22. xx, 18. Lucæ xvii, 12. εἰσερχομένου δὲ αὐτοῦ εἴς τινα κώμην [*intrante eo in vicum quendam*], id eſt, *cùm jamjam intraturus eſſet*: & xxiii, 54. Σάββατον ἐπέφωσκε [*Sabbatum illuceſcebat*], id eſt, *in eo erat ut brevi illuceſceret*: xxiv, 48. ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες [*vos autem eſtis teſtes*], id eſt, ἔσεσθε [*eritis*], ut idem ipſe Lucas interpretatur Actorum i, 8. Lucæ xxiv, 49. ἀποστέλλω [*mitto*], id eſt, ἀποστελῶ [*mittam*]. ἔρχεται pro ἐλεύσεται [*venit* pro *veniet*] Iohann. iv, 21. νίπτεις pro νίψεις [*lavas* pro *lavabis*] Iohann. xiii, 6. καθαίρει pro καθαρεῖ [*purgat* pro *purgabit*] Iohann. xv, 2. Itaque vetus Interpres Latinus, & cum eo Canon Miſſæ qui dicitur, hoc ipſo loco ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*] vertit *qui effundetur*: ac ſimiliter Marci xiv, 24. & quod de corpore Chriſti in hoc eodem argumento dicitur i Corinth. xi, 24. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον [*quod pro vobis frangitur*], idem Interpres vertit *quod pro vobis tradetur*.

29. Λέγω δὲ ὑμῖν, *Dico autem vobis*] Ex Luca apparet dicta hæc in ipſa cœna, & proinde ante panis & vini conſecrationem. Sed quia vini mentio hîc præceſſerat, ideo viſum eſt Matthæo id dictum hîc ſubtexere. Lucas etiam *eſus* meminit. Solebat autem apud Iudæos felicitas vitæ alterius per verba *edendi* & *bibendi* populariter deſcribi: quo ſenſu & ἀνακλίνεσθαι [*recumbere*] habuimus ſuprà viii, 11.

τοῦ γενήματος τῆς ἀμπέλου, *de hoc genimine vitis*] Ita loqui Chriſtus maluit quàm nudè *vinum* appellare, quia in cœna Paſchali atque adeò in ipſa formula τῆς εὐλογίας [*benedictionis*] aliter nominari non ſolebat quàm פרי הגפן [*genimen vitis*]. Alluſit & Philo περὶ μέθης [*De ebrietate*] libro, τοῦ γεννῶντος φυτοῦ τὸν οἶνον ἀμπέλου [*vitis, quæ planta vinum gignit*].

καινὸν, *novum*] Id eſt, τὸν οἶνον νοητὸν [*vinum quod mente percipitur*], lætitiam immortalem, quæ per Vinum adumbrata intelligebatur. Nam ſic in Onirocritico Rabbi Hai vita æterna ſignificatur vocibus *vini ſervati à creatione Mundi*: cujus vini mentio etiam apud Ionathanem Paraphraſten & alios. Vide eos ad Pſalm. xxxv, 9. & ad Cant. viii, 2. & librum Berachot & Zoar titulo *Toldot*. Simile eſt Ἱερουσαλὴμ καινὴν [*Ieruſalem novam*] in Apocalypſi: nam ſolent τὰ ἀλληγορούμενα [*quæ ad aliud ſignificandum dicuntur*] aliquo additamento emolliri. Sic τὴν ἄνω Ἱερουσαλὴμ [*Ieruſalem quæ ſurſum eſt*] dixit Paulus Galat. iv, 26. Tale eſt οἶκος πνευματικὸς [*domus ſpiritualis*] & ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας [*offerre ſpirituales hoſtias*] i Petri ii, 5. Sic Apocalypſis urbem Hieroſolymorum vocari ait πνευματικῶς Σόδομα καὶ Αἴγυπτον [*ſpiritualiter Sodoma & Ægyptum*]. Ex ſimili Lucæ loco ubi de Paſchali cœna agitur exponere liceat, τὸν οἶνον τὸν πληρούμενον [*vinum quod impletur*]. Sunt enim τὰ νοητὰ πληρώματα τῶν αἰσθητῶν [*intelligibilia implementa ſenſibilium*]. qua de re ad Lucam pleniùs. Neque novum eſt ut idem nomen, quemadmodum hîc γέννημα τῆς ἀμπέλου [*genimen vitis*], duobus ſenſibus ſerviat. Ita aqua Iohann. iv, 13, 14. dicitur & illa vulgaris & alia ſpiritualis. Ita Marci x, 15. βασιλεία τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*] & doctrinam cœleſtem ſignificat & gloriam vitæ alterius: nam δέξηται τὴν βασιλείαν [*recipere Regnum*] ad priorem ſenſum pertinet, οὐ μὴ εἰσέλθῃ εἰς αὐτὴν [*non intrabit in illud*] ad ſecundum, ut docet collatio locorum quos citavimus ſupra v, 20. Bene hunc locum explicat Nazianzenus ſecundo ſermone De Paſchate.

30. ὑμνήσαντες, *hymno dicto*] Cenſent viri eruditi cantatos à Chriſto hymnos qui Paſchate cani ſolerent, quales ſunt Pſalm. cxiv, & ſequentes. Sed ſicut ad veterem gratiarum actionem Chriſtus novam addidit ſuo inſtituto congruentem, ita & de hymno feciſſe credibile eſt. Ac fortè ea ipſa hymni in modum dixit Chriſtus quæ apud Iohannem xvii. legimus. Nam ſolebant pro re nata ex tempore hymnos, quos זמירות vocant, effundere Hebræi, nullis numeris adſtrictos: qualia ſunt carmina Deboræ, Annæ, Zachariæ, Mariæ, Iudæorum ii Maccabæor. x, 38. & hymnus ille Chriſtianorum qui exſtat Actorum iv, 24. Philo De vita Contemplativa, ὥστ᾽ οὐ θεωροῦσι μόνον, ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ᾄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν, ἃ ῥυθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράττουσι [*neque contemplantur modo, ſed & faciunt carmina & hymnos in*

Deum variis menſuris ac ſonis, quos non niſi ſeveris numeris figurant]. Nec dubito quin & hoc canendi genus vel præcipuè commendet Paulus Epheſ. v, 19. Coloſſ. III, 16. Manſit diu is mos in Eccleſia vetere. Tertullianus, *Poſt aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere.* Meminit & Plinius carminum quæ Chriſto dicebantur; & Synodus Toletana IV, canone 12. & Scriptor contra Artemonem memoratus Euſebio.

εἰς τὸ ὄρος, *in montem*] Id eſt, *verſus montem:* nam Gethſemane erat inter torrentem Cedron & montem ipſum.

31. Τότε, *Tunc*] *Circa hoc tempus:* nam hæc ante exitum è domo dicta ex Luca & Iohanne videtur colligi.

σκανδαλισθήσεσθε ἐν ἐμοί, *ſcandalum patiemini in me*] Simile loquendi genus habuimus ſuprà XI, 6. Eſt autem latè patens ſignificatio, ſed ex locorum circumſtantiis reſtringenda: σκανδαλίζεσθαι [*ſcandalum pati*] hîc eſt ab officio diſcipuli atque amici deficere, minúſque dignè de Magiſtro ſentire: ἐν ἐμοὶ [*in me*], occaſione eorum quæ mihi evenient.

γέγραπται γάρ, Πατάξω τὸν ποιμένα, καὶ διασκορπισθήσεται τὰ πρόβατα τῆς ποίμνης. *ſcriptum eſt enim, Percutiam paſtorem, & diſpergentur oves gregis*] Videtur hoc dicto proverbii in modum uti Chriſtus: ut ſenſus ſit, *Fiet quod dici ſolet, quodque alicubi ſcriptum meminiſtis, Paſtore percuſſo oves diſperguntur.* Atque ideo Chriſtus imperativum modum in indicativum mutavit, quia proverbiali locutioni magis id congruebat. Neque illud πατάξω [*percutiam*] certam perſonam deſignat, ſed prima perſona pro quavis ponitur: nec aliud eſt πατάξω τὸν ποιμένα [*percutiam paſtorem*] quàm πατάσσεται ὁ ποιμὴν [*percutitur paſtor*]. Neque ab hac interpretatione abducere nos debet Zachariæ locus. Nam quæ in hiſtoriis poſita νοήματα [*cogitationes*] ſunt, extra hiſtorias poſita γνῶμαι [*ſententiæ*] fiunt: neque tum reſpicitur qua occaſione ſint primitus dicta, ſed quàm latè ſe vis γνώμης [*ſententiæ*] porrigat. Simile eſt illud Virgilii de apibus,

— *Rege incolumi, mens omnibus una;*
Amiſſo rupere fidem.

& Livii, *Sicut acies funditur Duce occiſo, ita dilapſi paſſim alii aliò.* Homerus circa Sarpedonis mortem dixerat,

——— ἀλλ' ἐφόβηθεν
Πάντες, ἐπεὶ βασιλῆα ἴδον βεβλαμμένον ἦτορ
Κείμενον ἐν νεκρῶν ἀγύρει.
[——— *timuere ſed omnes*
Poſtquam adſpexerunt perfoſſum pectore Regem.
In medio cædis cumulo.]

32. προάξω ὑμᾶς, *præcedam vos*] Translationem Chriſtus continuat; Rurſum paſtoris more vos præibo in Galilæam. Iohann. x, 4. de paſtore, Καὶ ὅταν τὰ ἴδια πρόβατα ἐκβάλῃ ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται [*& cùm proprias oves emiſerit, ante eas vadit*]. Hæc ipſa Chriſti verba in memoriam reducit Diſcipulis Angelus infrà XXVIII, 7. ἰδοὺ προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν [*ecce præcedit vos in Galilæam*].

34. πρὶν ἀλέκτορα φωνῆσαι, *antequam gallus cantet*] Nimirum τὸ ὄρθριον [*matutinum*], ut Ariſtophanes loquitur: quod ἐξ εὐνᾶς [*è lecto*] dixit Theocritus. Nam alioqui, ut rectè à Theophylacto ad Marcum atque aliis notatum eſt, bis canit gallus, primùm medinoctio; deinde ſub adventum lucis, *quartâ vigiliâ*, ut ait Plinius libro v. Hiſtor. Nat. cap. XXII. & *Caſii montis è vertice conſpici Solem quartâ vigiliâ* Solinus dixit, *ſecundis galliciniis* Ammianus: quæ vox *ſecundorum galliciniorum* etiam apud Melam eſt. ὅτε τὸ δεύτερον ἀλεκτρύων ἐφθέγγετο [*poſtquam ſecundum gallus ediderat ſonum*] apud Ariſtophanem. Poſterior cantus, ut nobilior atque alacrior, propriè vocatur ἀλεκτοροφωνία Marci XIII, 35. *gallicinium*, Gellio, Macrobio, Apulejo, Cenſorino. Videtur Marcus ipſa Chriſti verba expreſſiſſe à Petro accepta πρὶν ἢ δὶς ἀλέκτορα φωνῆσαι, id eſt, *antequam gallus iterum canat;* quod *ad cantum galli ſecundi* dixit Iuvenalis: Syneſius δευτέραν ὀρνίθων ᾠδὴν [*ſecundum gallorum cantum*] vocat. At Matthæus, Lucas, Iohannes *cantum galli* ſimpliciter nominare contenti fuerunt, gnari ubi nihil additur matutinum intelligi.

τρὶς ἀπαρνήσῃ με. *ter me negabis*] Mirè emphatica ſunt hæc Chriſti verba. Negaverat Petrus ſe ab officio diſceſſurum: Chriſtus oſtendit diſceſſurum non leviter, ſed graviter, id eſt, non ſolùm fugâ ſed Magiſtri abdicatione: id enim eſt ἀπαρνεῖσθαι, negare ſe Ieſum qui eſſet noſſe, ut Lucas παραφράζει [*latiùs exponit*]. Dixerat Petrus, οὐδέποτε [*nunquam*]. Chriſtus docet facturum eum quod facturum ſe negabat eâ ipſâ nocte antequam dies oriretur, & facturum non ſemel ſed ter: quod ſignum erat non qualiscunque πάθους [*motûs animi*] ſed expectoratæ conſtantiæ. Gallus Deum opificem ſuum laudat, Petrus Servatorem negat. Poſt galli cantum Chriſtus munus ſuum Sacerdotale auſpicatur, ut Pontifex Maximus Hebræorum facere ſolebat. Scriptum id in Ioma.

35. οὐ μή σε ἀπαρνήσομαι. *non te negabo*] Dicit hoc Petrus bona fide boni propoſiti ſibi conſcius, ſed neque virium ſuarum imbecillitatem neque periculi ingruentis magnitudinem ſatis ponderans. Ita nimirum fieri ſolet. Voluntas aliqua honeſti cognitione imbuta facilè eò fertur quamdiu nihil eſt quod ſenſus & per ſenſus τὸ τῆς ψυχῆς ἄλογον [*partem animæ irrationalem*] moveat: At ubi res ipſæ excitare cœperunt τὰ πάθη [*affectus*], ſæpe illa pulchrè cogitata excidunt, quia malè verum examinat blanditiis aut metu corruptus judex animus. Hinc Philemon,

Ἑτέρων τό τε ἀλγεῖν καὶ θεωρεῖν ἐστ' ἴσως.
[*Credo, unà nolunt dolor eſſe & curatio.*]

Adverſùs hanc imbecillitatem implorandus nobis eſt Spiritus ille fortitudinis, quem ne Apoſtolis quidem ſuis initio diſciplinæ dedit Deus, ut infirmitatem humanam lapſu ſuo diſcentes tantò magis aliorum infirmitatibus condoleſcerent; juxta illud,

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

36. χωρίον, *in villam*] Ita Græci vocant vicum extra urbem, quem poſterior Latinitas *villam* cœpit appellare, quo ſenſu hîc ſumenda ea vox apud Latinum Interpretem. Arabs vertit قرية quod in veteri Gloſſario interpretatum legitur *Villa, Vicus*

Vicus. In hoc vico erat is hortus in quem ivit Chriſtus.

Γεθσημανῆ· *Gethſemani*] גיא שמנים vocatur Eſaiæ XXVIII, 1. pars agri Iſraëlitici quæ ad pedes eſt Libani Montis. Similem ob cauſam, aut fortè ad id exemplum, vicus iſte ſub Montem Olivarum ſitus idem nominis habuit. Fieri poteſt ut vulgò dictus ſit hic locus גיא את שמני, id eſt, *Vallis cum oleitate*. Notat Aben Eſdra junicem illam piacularem cujus mentio Num. XIX. in Monte Olivarum ſolitam comburi. Eò credibile eſt Chriſtum reſpexiſſe cùm huc locorum conceſſit inchoandæ perpeſſioni.

Καθίσατε αὐτοῦ, *Sedete hic*] Verba Abrahami cùm filium iret oblatum, Geneſ. XXII, 5.

37. Πέτρον καὶ τοὺς δύο υἱοὺς Ζεβεδαίου, *Petro & duobus filiis Zebedæi*] Tanquam ἐκλεκτῶν ἐκλεκτοτέρους, [*electorum ſelectiores*], ut alibi loquitur Clemens Alexandrinus. Teſtes tres, nequid excipi poſſit. Vide Deut. XVII, 6.

ἤρξατο λυπεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν. *cæpit contriſtari & mæſtus eſſe*] Voce ἀδημονεῖν utitur Plutarchus in Antonio, & in præceptis ad Sanitatem.

38. Περίλυπός ἐστιν ἡ ψυχή μου ἕως θανάτου· *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*] אפפוני חבלי מות [*Circumdederunt me dolores mortis*]: Verba ſunt Davidis, Chriſti plerumque typum gerentis, Pſal. CXVI, 3. Græcè περιέσχον με ὠδῖνες θανάτου· ita vocantur dolores maximi & quales circa mortem eſſe ſolent, quibus non immeritò comparatur horror ipſe mortis & quidem tam cruentæ tam ignominioſæ ob oculos verſantis: Ovidius,

> *Morſque minus pœnæ quàm mora mortis habet.*

Errant qui ἕως [*uſque*] hîc pro temporis limite accipiunt. Confer & Pſal. XLII, & XLIII.

39. ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ, *procidit in faciem ſuam*] Mos cum ſumma demiſſione precantium, Geneſ. XVII, 17. 1 Macc. IV, 40. Eccl. L, 19.

προσευχόμενος, *orans*] Μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων [*cum clamore valido & lacrymis*], ut ait Scriptor ad Hebræos: quod quanquam ad alias etiam Chriſti preces referri poteſt, ad has tamen peculiariter pertinet.

Πάτερ μου, εἰ δυνατόν ἐστι, παρελθέτω ἀπ' ἐμοῦ τὸ ποτήριον τοῦτο. *Pater mi, ſi poſſibile eſt transeat à me calix iſte*] Quod hîc & apud Lucam eſt ποτήριον [*calix*] Marco & ποτήριον [*calix*] & ὥρα [*hora*] dicitur. Dubitari poterat de imminente morte ageret Chriſtus, an de iſto horrore quem tum animus ſentiebat. Sed præ horroris ſenſu ob mortem concepto hæc ipſa de morte eum eſſe locutum ut credam facit affine iſti quod apud Marcum loquendi genus in Iohannis hiſtoria, ubi Chriſtus ita loquitur, Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται· καὶ τί εἴπω; Πάτερ, σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης· ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην [*Nunc anima mea turbata eſt: & quid dicam? Pater, ſalvifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc*]· ubi ὥρα [*hora*] omnino mortis tempus denotat. Cùm autem verba hæc Chriſti & quæ ſequuntur uno nexu cohæreant, non eſt putandum quicquam illi velut impræmeditatum excidiſſe, & quod priùs dixerat verè ac propriè per id quod poſterius eſt emendari; cùm multò rectiùs dicatur uno eodemque tempore Chriſtum exprimere voluiſſe tum quid vellet, tum quid velit. Sæpe enim accidit ut quis aliquid faciat

> ——— ἑκὼν ἀέκοντί γε θυμῷ·
> [——— *pariter nolenſque volenſque* ;]

imò in omnibus moleſtiis ſubeundis talem μικτὴν πρᾶξιν [*mixtam actionem*], ut Ariſtoteles nominat, eſt animadvertere; cujus exemplum ipſe ponit in eo qui cùm vellet merces habere ſalvas, vult tamen majoris mali vitandi cauſa jactum facere: οὐδεὶς γὰρ ἂν ἕλοιτο καθ' αὑτὸ τῶν τοιούτων οὐδέν [*nemo enim tale aliquid eligat propter id ipſum*]. Si ergo mors ſola conjuncta tanta cum ignominia ac cruciatu ſpectetur, haud dubiè vellet Chriſtus eam declinare; quippe cùm natura omnis præcipuèque animantium ſaluti ſuæ ſtudeat, vitetque nocitura: at Patris voluntatem reſpiciens, mortem talem non invitus ſubit, καὶ γίνεται ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ [*& fit obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*], Philip. II, 8. Hoc modo ipſe καίπερ υἱὸς ὢν ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν [*cùm eſſet filius didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*], experiendo ſcilicet quàm ſit arduum ac difficile, tali præſertim tempore, omnes obedientiæ partes explere. Quomodo autem cohæret conditio illa εἰ δυνατόν ἐστι [*ſi poſſibile eſt*], quam cum Matthæo etiam Marcus ponit, cum eo quod apud Marcum ſequitur πάντα δυνατά σοι [*omnia tibi poſſibilia ſunt*]; Nimirum recurrendum hìc eſt ad illam tritam in Scholis diſtinctionem, ejus quod ἀδύνατον [*impoſſibile*] ſit per ſe, & ejus quod ἀδύνατον [*impoſſibile*] ſit hoc vel illo poſito. Nam per ſe nihil eſt Deo ἀδύνατον [*impoſſibile*] ut vidimus ſuprà XIX, 26. extra ea quæ ſunt in ſemetipſis ἀσύστατα [*repugnantia*], aut quæ Divinæ naturæ repugnant. At ſenſus eſt, Si tua decreta ferunt ut alio modo tuæ gloriæ & hominum ſaluti æquè conſulatur.

πλὴν οὐχ ὡς ἐγὼ θέλω, ἀλλ' ὡς σύ. *Veruntamen non ut ego volo, ſed ſicut tu*] Scilicet γενέσθω [*fiat*], quod addit Lucas. Hîc more Hebræorum, qui neque potentialem neque optativum modum habent, θέλω [*volo*] eſt pro θέλοιμι [*vellem*], vel, ut Græci loquuntur, ἔθελον. Sic Rom. IX, 3. ηὐχόμην [*optabam*] eſt *optarem*. Sic infrà καὶ παραστήσει [*exhibebit mihi*] eſt dictum pro παραστήσαι ἄν [*exhiberet*] niſi ſcilicet decretum illud definitum obſtaret. Sic ſuprà XII, 34. πῶς δύνασθε ἀγαθὰ λαλεῖν πονηροὶ ὄντες; [*quomodo poteſtis bene loqui cùm ſitis mali?*] id eſt, *quomodo poſſetis?* & XVIII, 6. συμφέρει αὐτῷ [*expedit ei*], id eſt, *præſtaret illi*: λυσιτελεῖ [*utile eſt illi*] ſenſu eodem Luc. XVII, 2. & Luc. XVIII, 9. ὅτι εἰσὶ δίκαιοι [*quòd ſunt juſti*] *quaſi eſſent juſti*: & XVI, 26. οἱ θέλοντες [*qui volunt*] *ſi qui vellent*. Senſus ergo hoc loco eſt, *Vellem quidem quàm maximè declinare hoc malum ſi velles, Pater: veruntamen volo fiat non quod alioqui ego vellem, ſed quod tu vis*. Illud quod Chriſtus alioqui ſe voliturum naturaliter dicit, Lucæ vocatur θέλημα [*voluntas*], nimirum κατά τι [*ſecundùm quid*]· nam ἁπλῶς [*ſimpliciter*] & ſimul aſſumtis omnibus rei circumſtantiis idem Chriſtus volebat quod Pater volebat: atque hæc præcipua pars erat obedientiæ, quòd voluntatem ſuam contra naturale deſiderium Patris voluntati ſubjecit. Simili ſenſu Petro dicitur Ioh. XXI, 18. οἴσει ὅπου οὐ θέλεις [*ducet te quò tu non vis*], cùm tamen ipſi non minus quàm aliis Dei teſtibus conveniat illud Apocal. XII, 11. οὐκ ἠγάπησαν τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἄχρι θανάτου [*non dilexerunt* *animas ſuas uſque ad mortem*], & quod Paulus de ſe dicit Actor. XXI, 13. ἑτοίμως ἔχω ἀποθανεῖν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου [*paratus ſum mori propter nomen Domini*]. Bene ergo Origenes ſeptimo adverſùs Celſum, μετὰ τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐσεβείας καὶ ἡ εὐχὴ εἴρηται· παντὸς οὑτινοσοῦν τὸ περιστατικὸν οὐ προηγούμενον εἶναι νομίζοντος, ἀλλ' ὑπομένοντος τὸ μὴ προηγουμένως εἶναι συμβαῖνον, ὅταν καιρὸς καλῇ· ἀλλὰ καὶ οὐκ ἐνδεδωκότος μὲν, εὐαρεστουμένου δὲ τοῖς συμβαίνουσι, καὶ προτιμῶντος τὰ ἀπὸ προνοίας περιστατικὰ, ἡ λέγουσα φωνὴ, Πλὴν οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ [*cum pietate in Deum conjuncta eſt hæc precatio : cum nemo ſit qui adverſa putet eſſe principalia, ſed feruntur quæ non principaliter & ob ſe ipſa eveniunt, ubi poſcit tempus. Cæterùm erat non ſuccumbentis, ſed contenti qualibuscunque eventibus, & præponentis ſuæ voluntati illa adverſa quæ ex Divina providentia accidebant, vox iſta, Veruntamen non ut ego volo, ſed ut tu*].

40. τῷ Πέτρῳ· *Petro*] Ei præcipuè, & per eum cæteris. Nam & nimium de ſe pollicendo Petrus aliis præiverat, ſuprà commate 35.

Οὕτως οὐκ ἰσχύσατε, *Sic non potuiſtis*] Non aſſentior iis qui οὕτως [*ſic*] à ſequentibus interſtinguunt. Solet enim οὕτως, *usqueadeo*, *ſiccine*, *adeóne*, connecti cum oratione interrogativa, aut admirativa potiùs. Sic apud Marcum optimè legi arbitror, οὕτω πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; [*itane nondum habetis fidem?*]

41. Γρηγορεῖτε, *Vigilate*] Voce una duo ſignificat: neque enim hoc tantùm vult tempus eſſe ſomno temperandi, ſed & quàm maximè ſe parandi ad prælium intentis meditationibus. Nam γρηγορεῖν [*vigilare*] eſt προσέχειν [*attendere*], ut ſuprà XXIV, & XXV. aliquoties. Act. XX, 31. 1 Corinth. XVI, 13. Apocal. III, 2. & alibi paſſim.

προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν. *orate ut non intretis in tentationem*] Non poſſum iis ſubſcribere qui præcipi putant Apoſtolis ut orent Deum ne ullus ipſis πειρασμὸς [*tentatio*] adveniat, quod, poſito decreto de iis quæ Chriſto erant eventura, videtur eſſe τῶν ἀδυνάτων [*inter ea quæ fieri non poſſunt*]. itaque rectius eſt, ut & ſuprà ad caput VI. diximus, εἰσέρχεσθαι [*intrare*] hîc eſſe quod 1 Tim. VI, 9. ἐμπίπτειν *immergi* ſcilicet & *ſuccumbere*. Eſt autem μετωνυμία [*transnominatio*]· nam effectus pro cauſa ponitur. Monentur enim à Chriſto Diſcipuli orare, ut detur ipſis auxilium quoddam majus ſolito, quo fulti poſſent id conſequi ne oppugnati ſuccumberent. Atque hinc liquet non ita deſtrictè ſubtractum ipſis ſpiritus etiam robuſtioris auxilium ut non potuerit attentione & precibus impetrari. Sed cùm hoc quoque neglectum ab ipſis eſſet, permiſſi ſunt alii plùs alii minùs labi, quò magis, ut ſuprà diximus, diſcerent μετριοπαθεῖν τοῖς ἀγνοοῦσι καὶ πλανωμένοις [*condolere iis qui ignorant & errant*]· quæ non exigua pars erat muneris ipſis crediti.

τὸ μὲν πνεῦμα πρόθυμον, ἡ δὲ σὰρξ ἀσθενής. *ſpiritus quidem promtus eſt, caro autem infirma*] Cauſa redditur cur implorandum ſit ſolito majus auxilium, nimirum quòd ita adhuc eſſent conſtituti ut τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς [*affectus carnis*] non ſatis audiret habenas mentis. Hebræi animæ facultatem vitalem ac ſenſitivam vocant נפש [*animam*], illam verò quæ ratione utitur, τὸ ἡγεμονικὸν [*principale animæ*], appellant רוח [*ſpiritum*] : ita πνεύματος [*ſpiritûs*] vocem uſurpat Paulus Rom. VIII, 16. 1 Cor. II, 11. VI, 20. & Scriptor ad Hebræos IV, 12. πνεῦμα νοὸς [*ſpiritus mentis*] dicitur Eph. IV, 23. Dicitur Paulo alibi tum νοῦς [*mens*] tum ὁ ἔσω ἄνθρωπος [*Homo interior*] quæ pro eodem poni liquet Rom. VII, 22, 23. Eph. III, 16. Alibi verò πνεῦμα [*ſpiritus*] totum animum ſignificat comprehenſis etiam affectibus, ut ſuprà diximus V, 3. ſic Act. XIX, 21. Animus igitur, utpote doctrinâ Chriſti, adde & myſteriorum participatione imbutus, habebat in ſe πρόθυμον [*promtitudinem*] ſed nondum profecerat ad τὸ ἐμμενετικὸν [*conſtantiam*], nempe ut inſtante periculo facilè poſſet edomare affectus illos quos anima vitæ tutatrix & incommodorum inimica ſuggerebat; quæ hîc & alibi σὰρξ [*caro*] dicitur, quia corpori conſulit. Hoc ſenſu hi qui prima ponunt Chriſtianæ pietatis rudimenta, οἱ νήπιοι ἐν Χριστῷ [*parvuli in Chriſto*] etiam σαρκικοὶ [*carnales*] vocantur 1 Corinth. III, 1, 3. quia τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς [*affectus carnis*] nondum ſatis eſt ab ipſis edomitum. Sed notandum eſt id quod in Apoſtolis eo tempore adhuc menti rebellabat, non fuiſſe de craſſiore illa fæce affectuum circa opes & ſenſuum voluptates & ſiqua ſunt ſimilia, ſed deſideria maximè naturalia, utputa Vitæ curam, Dolorum fugam. Non igitur erant in illorum genere quos Ariſtoteles ait ἡττᾶσθαι καὶ ὧν οἱ πολλοὶ κρείττους [*vinci ab iis quæ à multis vincuntur*], aut ἐλλείπειν πρὸς ἃ πολλοὶ καὶ ἀντιτείνουσι καὶ δύνανται [*deficere in iis in quibus multi & contrà nituntur & perrnituntur*], ſed in eorum ordine quos ait ἰσχυρῶν καὶ ὑπερβαλλουσῶν λυπῶν ἡττᾶσθαι καὶ ἀντιτείνοντας [*à magnis & eximiis doloribus vinci quanquam contrà nitentes*], quod maximè ait eſſe συγγνωμονικὸν [*veniâ dignum*]. Σάρκα [*carnem*] autem ἀσθενῆ [*infirmam*] vocat Chriſtus, non quòd vires non haberet, ſed quòd non haberet veram ſanitatem, ut ſolent qui morbo inſaniunt. Nam ſanitas animæ eſt, mentis imperium ἀκούειν καὶ οὐ παρακούειν [*audire & ei ſe non opponere*]. Egregiè Papinius,

> — *Odi artus, fragilemque hunc corporis uſum*
> *Deſertorem animi.*

42. εἰ οὐ δύναται, *ſi non poteſt*] *Si* poſitum pro *quandoquidem*: neque enim ignotum erat Chriſto decretum Patris.

τοῦτο τὸ ποτήριον, *hic calix*] Vide ſuprà XX, 22.

παρελθεῖν ἀπ' ἐμοῦ ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω, *transire, niſi bibam illum*] Id eſt, quando ita tibi viſum eſt ut me non ſerves à morte niſi per mortem. παρελθεῖν [*tranſire*] hîc & Marci XIV, 35. eſt *abire*, quomodo העביר [*facere transire*] eſt *amovere* II Regum XXIV, 10. Zach. III, 4. Pſalm. CXIX, 39.

γενηθήτω τὸ θέλημά σου. *Fiat voluntas tua*] Voces ſunt non ferentis tantùm quod vitari nequeat, ſed toto animo acquieſcentis, ut Actor. XXI, 14.

43. οἱ ὀφθαλμοὶ βεβαρημένοι. *Oculi gravati*] Præ mœſtitia, ut Lucas docet, unde torpor ille ſomnolentus oritur quem καταφορὰν Græci vocant.

44. ἐκ τρίτου, *tertiò*] Solemnis numerus iterandarum precum quoties quid majus inciderat, Paulus II Cor. XII, 8. τρὶς τὸν Κύριον παρεκάλεσα [*ter Dominum rogavi*]. Frequens hic numerus in Sacris literis, ut Numeror. XXII, 28. XXIV, 10. 1 Sam. III, 8.

xx, 41. 1 Regum xviii, 34. Proverb. xxii, 20. Ieremiæ vii, 4. xxii, 29. Ezechiel. xxi, 14. Iohann. xxi, 14, & ſequentibus.

45. Καθεύδετε τὸ λοιπὸν, καὶ ἀναπαύεσθε· *Dormite jam, & requieſcite*] Suprà dixerat, οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ; *non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?*] Iam oſtendit nulli ampliùs uſui ſibi eſſe poſſe ipſorum pervigilium, cùm jamjam ab ipſis avellendus eſſet. Senſus ergo eſt, Per me jam vobis licet dormire & requieſcere quantum lubet. Neque aliter ut interpretemur cogit nos quod apud Marcum ſequitur ἀπέχει [*ſufficit*]· omnino enim ἀπέχει & Marco & Anacreonti ſignificat idem quod Latinè Virgilius, Terentius, Seneca dicunt *habet*, cui voci interpretamenti loco Seneca addidit *peractum eſt*. Atque ita apud Marcum vertunt Arabs & Syrus, *adeſt finis*: quo datur intelligi præteriiſſe tempus quo Apoſtoli Chriſto poterant eſſe ſolatio.

ἤγγικεν ἡ ὥρα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδίδοται, *appropinquavit hora, & Filius hominis traditur*] Hebraïco more conjunctio copulativa vim habet relativi: ſenſus enim eſt, Propè eſſe tempus quo tradendus ſit Chriſtus.

ἁμαρτωλῶν. *peccatorum*] Militum Romanorum. Nam ἀλλοφύλους [*alienigenas*] gentiliter viventes Iudæi propriè vocabant ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*], Galat. ii, 15. id eſt, ἀνόμους [*homines ſine Lege*], ut Actorum ii, 23. 1 Corinthior. ix, 21. Solebant Romani Præſides diebus feſtis, quia tum magnus erat populi conventus, ad Templi cuſtodiam, ne quid ibi contra mores Iudæorum tentaretur, cohortem mittere; quam σπεῖραν vocat Iohannes xviii, 3. τάξιν Ioſephus: cujus verba ſuprà quoque allata à nobis hîc repetenda ſunt ex libro Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] xx, cap. iv. Τῆς πάσχα προσαγορευομένης ἑορτῆς ἐνστάσης, καθ' ἣν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν ἄζυμα προσφέρεσθαι, πολλοῦ καὶ πανταχόθεν πλήθους συναχθέντος ἐπὶ τὴν ἑορτὴν, δείσας ὁ Κουμανὸς μὴ νεώτερόν τι παρὰ τούτων προσπέσῃ, κελεύει τῶν στρατιωτῶν μίαν τάξιν ἀναλαβοῦσαν τὰ ὅπλα ἐπὶ τῶν τοῦ ἱεροῦ στοῶν ἱστάναι, καταστελοῦντας τὸν νεωτερισμὸν εἰ ἄρα τις γένοιτο· τοῦτο δὲ καὶ οἱ πρὸ αὐτοῦ τῆς Ἰουδαίας ἐπιτροπεύοντες ἐν ταῖς ἑορταῖς ἔπραττον [*Cùm inſtaret feſtum tempus Paſchale, quo nobis mos eſt azyma offerre, & magna vis hominum undique ad hanc celebritatem conveniſſet, metuens Cumanus, ne quid ab eis moveretur, juſſit militum cohortem unam ſumtis armis ſtare ſuper Templi porticus, ad reprimendum tumultum, ſi quis exoriretur. Idem autem facere ſoliti fuerunt tali tempore & alii Iudeæ Præſides*]· unde apertum eſt hoc præſidium feſtis diebus tranſlatum ex Antonia, quæ erat in poteſtate Romanorum, in porticus Templi. Idem Ioſephus Ἁλώσεως [*Captivitatis*] v, cap. xv. agens de Antonia, καθὰ δὲ συνῆπτο ταῖς τοῦ ἱεροῦ στοαῖς εἰς ἀμφοτέρας εἶχε καταβάσεις, δι' ὧν κατιόντες οἱ φρουροὶ (καθῆστο γὰρ ἀεὶ ἐπ' αὐτῆς τάγμα Ῥωμαίων) καὶ διϊστάμενοι περὶ τὰς στοὰς μετὰ τῶν ὅπλων, ἐν ταῖς ἑορταῖς τὸν δῆμον, ὡς μή τι νεωτερισθείη, παρεφύλαττον· φρούριον γὰρ ἐπέκειτο τῇ πόλει μὲν τὸ ἱερὸν, τῷ ἱερῷ δὲ ἡ Ἀντωνία. κατὰ δὲ ταύτην οἱ τῶν τριῶν φύλακες ἦσαν [*quà autem connectebatur porticibus Templi in utramque partem deſcenſus habebat, per quos deſcendentes vigiles (ſemper enim in Antonia erat Romana legio) & variis locis ad porticus ſtantes cum armis, feſtis diebus populum, ne quid moveret, continebant. Cuſtodia enim Vrbis erat Templum, Templi Antonia: ibi verò erant trium illorum locorum cuſtodes*]. Extra feſtos dies Sacerdotes per ſuos vigiles Iudæos Templum aſſervabant, qui ὑπηρέται [*miniſtri*] vocantur Actorum v, 22, 26. Marci xiv, 65. Iohann. vii, 32, 45. xviii, 3, 12, 22. xix, 6. Sacerdotes autem uni ex ſuorum numero imperium tum in vigiles quotidianos tum in additos milites mandabant: is στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Magiſtratus* ſive *Prætor Templi*] vocabatur: non diſſimilis Magiſtratus ei quem *Præfectum vigilum* Romani vocabant. Ioſephus eum Summo Pontifici dignitate proximum fuiſſe oſtendit Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] viii, v. τοὺς δὲ περὶ Ἀνανίαν τὸν ἀρχιερέα καὶ τὸν στρατηγὸν Ἄνανον [*iis qui apud Ananiam erant Pontificem Maximum & Ananum Templi Prætorem*]· & cap. viii. συλλαμβάνουσι ζῶντα τὸν γραμματέα τοῦ στρατηγοῦντος Ἐλεαζάρου· παῖς δ' ἦν οὗτος Ἀνάνου τοῦ ἀρχιερέως [*vivum prehendunt Scribam Eleazari qui Templi erat Prætor, filius autem Anani Pontificis Maximi*]. Ejus Magiſtratus mentio eſt apud eundem Ioſephum aliquot in locis, & apud Lucam Actorum iv, 1. v, 24, 26. unde ſimul diſcimus ejuſdem officio commiſſum fuiſſe, ut ex Synedrii juſſu in Legem delinquentes vel in Templo vel etiam extra Templum prehenderet. Nam prehenſionis jus & coerctionis citra mortem Iudæis Romani permiſerant. At in hac hiſtoria Lucas plurali numero στρατηγοὺς [*Prætores*] nominat qui & conſiliis interfuerant, xxii, 4. & per quos facta eſt prehenſio, xxii, 52. nimirum Præfecto vigilum connumerans adjutores ipſius officio additos, qualis ille quem γραμματέα [*Scribam*] vocari à Ioſepho vidimus, id eſt, שטר, quod generale nomen eſt omnium eorum qui majores Poteſtates conſilio aut operâ juvant. Sic & γαζοφύλακι [*ærarii ſacri Præfecto*] ſuum fuiſſe γραμματέα [*Scribam*] ex eodem Ioſepho diſcimus. Iſti ergo στρατηγοὶ [*Prætores*] metuentes ſibi à Chriſti ſectatoribus, præter quotidianos Templi vigiles Iudæos etiam Romanam cohortem aſſumſerant ut Ieſum prehenderent. Hi ſunt quos hîc Chriſtus ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*] vocat, utpote exleges, quos nulla Dei reverentia tenebat. Latinè cohors iſta Templo cuſtodiendo ad id tempus deſtinata dicebatur *cuſtodia*; quo nomine hîc noſter Scriptor utitur. Atque in eam cuſtodiam imperium pro eo tempore permiſſum fuiſſe Sacerdotibus, illud quoque Pilati docet, Ἔχετε κουστωδίαν [*Habetis cuſtodiam*]· de quo plura infrà cùm eò ventum erit.

47. ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων, *à principibus Sacerdotum & Senioribus*] Περίφρασις [*circumlocutio*] Synedrii, cujus decreto fiebat prehenſio.

πρεσβυτέρων τοῦ λαοῦ. *Senioribus populi*] Alibi diximus ita dici Magni Synedrii Senatores ad diſcrimen τῶν πρεσβυτέρων τῶν πόλεων [*Seniorum in oppidis*]. Iidem in Levitico iv, 15. dicuntur οἱ πρεσβύτεροι τῆς συναγωγῆς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ [*Seniores congregationis filiorum Iſraël*].

48. αὐτοῖς, *illis*] Nempe τῷ ὄχλῳ de quo [*turbæ iſti* de qua] dixerat; id eſt, præcipuè militibus Romanis, qui Ieſum non noverant. Videntur

Pontifices certo conſilio maluiſſe Ieſum prehendi manibus Romanorum quàm ſuorum vigilum. Vide Iohann. XVIII, 12.

49. κατεφίλησεν αὐτόν. *oſculatus eſt eum*] Hebræi non tantùm poſt longam abſentiam aut valedicentes, ut quidam exiſtimant, ſed aliàs etiam in ſignum dilectionis oſculum adhibebant, quod præcipuè docemur Lucæ VII, 44, 45. A Iudæis hunc morem accepere Chriſtiani, ut Tertullianus tum alibi tum apertiſſimè Ad uxorem ſecundo nos docet. Hoc eſt φίλημα ἀγάπης [*oſculum charitatis*] & φίλημα ἅγιον [*oſculum ſanctum*], cujus toties apud Paulum mentio. Iuſtinus Apologetico, ἀλλήλους φιλήματι ἀσπαζόμεθα παυσάμενοι τῶν εὐχῶν [*conſummatis precibus alii alios oſculamur*]. *Oſculum pacis* vocat idem Tertullianus libro De Oratione: quod nunc etiam uſurpant Orientis Eccleſiæ. Huc pertinet illud quod ex veteri traditione citat Athenagoras, ἐάν τις διὰ τοῦτο ἐκ δευτέρου καταφιλήσῃ ὅτι ἤρεσεν αὐτῷ [*ſiquis iterum oſculatus fuerit quia id ei placuit*], ſupple *væ illi*: item, οὕτως οὖν ἀκριβώσασθαι τὸ φίλημα, μᾶλλον δὲ τὸ προσκύνημα δεῖ, ὡς εἴπου μικρὸν τῇ διανοίᾳ παραθολωθείη, ἔξω ἡμᾶς τῆς αἰωνίου τιθέντος ζωῆς [*tam exacta cura eſſe debet oſculi, aut potiùs adorationis, ut ſi vel minimùm nos mente inquinet, expertes nos faciat vitæ æternæ*].

50. ἐφ᾽ ᾧ πάρει; *ad quid veniſti?*] Id eſt, Quo animo me oſculatum venis? Nónne eo quo olim Ioab Amaſam? Ita ex Luca interpretamur. Paucis verbis & conſcientiam perfidi hominis verberat & ſe καρδιογνώστην [*cordium introſpectorem*] oſtendit. Rectè autem obſervatum eſt ᾧ hic pro τίνι poni: quod & alibi apud Chriſtianos veteres reperire eſt. Nam Iuſtinus Ad Græcos dixit δι᾽ ἣν αἰτίαν interrogando, [*quam ob cauſam?*] pro διὰ τίνα αἰτίαν;

51. τὸ ὠτίον. *auriculam*] Ωτίον Græcis, *auricula* Latinis, eſt pars auris infima: unde adagium, *Auriculâ mollior*. Ictum in caput deſtinatum Deus ita direxit, ut quàm minimo damno abiret: idque ipſum damnum reſarſit Chriſtus repoſitâ auriculâ. Nam ἰᾶσθαι [*ſanare*] hoc loco apud Lucam eſt pro ἀρτίζειν [*reſtituere*], ita & ſuprà XV, 31. dicuntur οἱ κυλλοὶ [*mutili*] redditi ὑγιεῖς [*ſani*], id eſt, ἄρτιοι [*integri*]· quod propter quoſdam dico qui eo verbo moti negant auriculam fuiſſe abſciſſam.

52. εἰς τὸν τόπον αὐτῆς· *in locum ſuum*] אל נדנה, εἰς τὸν κολεὸν αὐτῆς [*in vaginam ſuam*], 1 Paralipomenôn XXI, 27. εἰς τὴν θήκην αὐτῆς, ut hîc Iohannes. Genus pro ſpecie. Cauſam cur gladio uti Petrum prohibeat Chriſtus adfert Decretum Patris, qui velit ſe vincula & mortem pati καὶ πίνειν τὸ ποτήριον [*& bibere calicem*], Iohann. XVIII, 11. cujus decreti olim per Prophetas obſcuriùs, jam verò per Chriſtum ſæpius clarè enuntiati ignorantia Petrum excuſare non poterat. Neque verò ad Petrum tantùm admonitio iſta pertinet, ſed & ad Chriſtianos omnes qui à publicis Poteſtatibus ad pœnam expetuntur ob pietatis profeſſionem. Vult enim Deus, cùm talis neceſſitas imminet, patientiam noſtram omnibus teſtatam eſſe & nos παρατίθεσθαι τὰς ψυχὰς τῷ κτίστῃ [*Deo commendare animas noſtras*]· quid enim æquius quàm ut vitam impendamus ejus honori à quo vitam accepimus? Hoc nos Petrus Magiſtri voce edoctus edocuit Epiſtolâ 1, cap. IV, 16, 19. Solet contra hoc adferri Ius naturalis defenſionis. Sed multùm intereſt id jus uſurpetur adverſùs latrones & ſi quid eſt ſimile; contra quos ſi quis pugnat (quanquam pios multos etiam hoc jure non uſos certiſſimum eſt) pugnat auctoritate legum & eorum quibus reipublicæ cura mandata eſt, ut videre eſt tum alibi tum imprimis titulo Codicis, *Quando liceat unicuique ſine Iudice ſe vindicare vel publicam devotionem:* an verò contra Summarum Poteſtatum imperia vis paretur. Non fruſtra dicitur Prætor *jus reddere* etiam cum iniquè decernit: *jus* enim dicitur etiam id quod quamvis injuſtum eſt, ferendum tamen eſt, ita ut vi oppoſita depelli non debeat. Neque id ratione caret. Nam τὰ ἠθικὰ [*moralia*], in quibus eſt & reipublicæ adminiſtrandæ ratio, habent regulas ſuas, ad quarum rectitudinem ſatis eſt ut ἐπὶ τὸ πολὺ, [*plerunque*] ſint utiles: neque tamen vim ſuam amittunt, ſi quo caſu ea utilitas peculiariter deficiat. Manet enim utilitas illa generalis exempli. Atqui cùm nemo ſibi non faveat, ſi id ſemel admittatur poſſe privatos à Magiſtratu injuriâ affectos vim vi repellere, omnia erunt tumultuum plena; nulla legum, nulla judiciorum auctoritas. Quare ipſa nos ratio eò ducit ut concedamus aliquam eſſe vim quæ ſit toleranda, ne effræni licentiæ detur locus. Certè in Religionis negotio talem vim quæ infertur παρὰ τῆς ὑπερεχούσης ἐξουσίας [*à ſublimiori Poteſtate*] patienter ferendam docent nos primæ Chriſtianitatis exempla. Multùm enim errant qui ante Conſtantini tempora à vi abſtinuiſſe Chriſtianos credant imbecillitatis ſuæ æſtimatione. Audiamus vel illud Tertulliani, *Sed abſit ut aut igni humano vindicetur Divina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim & hoſtes exſertos non tantùm vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni, ipſique Parthi, vel quantæcunque unius tamen loci & ſuorum finium gentes, quàm totius orbis? Externi ſumus & veſtra omnia implevimus, urbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum: Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quàm occidere?* Cyprianus ad Demetrianum: *Inde eſt quòd nemo noſtrum quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſùs injuſtitiam violentam veſtram, quamvis nimius & copioſus ſit noſter populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt.*

πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται. *omnes enim qui acceperunt gladium, gladio peribunt*] Solet hoc vulgò exponi quaſi ad Petrum hæc comminatio pertineat. Atqui ſententia iſta non ferit eos qui innocentiam alterius ab injuria defendunt, etſi fortè in eo modum excedant, quod hîc faciebat Petrus. Nam culpa Petri erat impatientia, non autem libido effundendi ſanguinis, quò propriè ſpectat iſtud enuntiatum. Senſus igitur mihi hîc videtur eſſe, Noli, Petre, conſideratione ejus quæ mihi infertur injuriæ concitatior Deo præripere ultionem. Levia enim ſunt vulnera quæ à te pati poſſunt. Stat enim rata ſententia, Crudeles iſtos & ſanguinarios, etiam te quieſcente, graviſſimas Deo daturos pœnas ſuo ſanguine. Idem ſenſiſſe mihi videntur Origenes, Titus, Theophylactus, Euthymius. Hoc autem argumentum maximè patientiam nobis debet commendare, quòd ſcimus Deum ſeverè exſecuturum illatas piis injurias. Hanc interpretationem valde confirmat Divina Apocalypſis, Εἴ τις ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτενεῖ, δεῖ αὐτὸν ἐν μαχαίρᾳ ἀποκτανθῆναι· ὧδέ ἐστιν ἡ ὑπομονὴ καὶ ἡ πίστις τῶν ἁγίων [*Qui in gladio occidet, oportet eum gladio occidi: hic eſt patientia & fides ſanctorum*]. Paulus Rom. XII, 19. Μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες ἀγαπητοί· ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ· γέγραπται γάρ, Ἐμοὶ ἐκδίκησις· ἐγὼ ἀνταποδώσω, λέγει Κύριος [*Non voſmetipſos defendentes, cariſſimi; ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim, Mihi vindicta; ego retribuam, dicit Dominus*]. Tertullianus, *Adeò ſatis idoneus patientiæ ſequeſter Deus. Si injuriam depoſueris penes eum, ultor eſt; ſi damnum, reſtitutor eſt; ſi dolorem, medicus eſt; ſi mortem, reſuſcitator eſt. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem?* Minùs obſcurum fuit Chriſti dictum, quia ſententia hæc proverbio trita erat inter Iudæos & de Divino judicio ſolebat intelligi. Neque verò unquam manifeſtior ejus veritas fuit quàm cum Romanus enſis Iudaïcæ crudelitatis pœnas exegit.

53. *καὶ παραστήσει, & exhibebit*] Id eſt, παραστήσαι [*exhiberet*], niſi ſcilicet decretum illud obſtaret cui nos reniti nefas eſt.

δώδεκα λεγεῶνας ἀγγέλων; duodecim legiones Angelorum] Satis fuerat duodecim Angelos duodecim Diſcipulis comparare; ſed Chriſtus, ut apertiùs Patris potentiam oſtenderet, totidem legiones nominavit. Vide Dan. VII, 10. & II Reg. VI, 17.

54. Πῶς οὖν, *Quomodo ergo*] Si prehenſio hæc, & quæ eam ſecutura ſunt, impediatur quocunque modo.

αἱ γραφαί, ὅτι οὕτω δεῖ γένεσθαι; implebuntur Scripturæ, quia ſic oportet fieri?] Eſaias LIII, 8. מעצר וממשפט לקח [*de anguſtia & de judicio ſublatus eſt*], ubi מ, ut ſæpe, cauſam efficientem denotat; ut ſenſus ſit, Chriſtum è vivis ereptum per captivitatem & judicium.

55. τοῖς ὄχλοις· *turbis*] Sed præcipuè ducibus τῶν ὄχλων [*turbarum*], nimirum στρατηγοῖς [*Prætoribus*], quibus & alii aderant è Sacerdotum primariorum & è Senatorum numero, quò res tota majori ſpecie ageretur. Lucam vide. Ad Iudæos pertinet illud πρὸς ὑμᾶς [*apud vos*].

μετὰ ξύλων, cum lignis] Ροπάλων [*clavis* ſive *fuſtibus*], quæ מפיצים Hebræis, ut Prov. XXV, 18.

καὶ οὐκ ἐκρατήσατέ με. & non me tenuiſtis] Divina ſcilicet providentiâ, cùm hoc & facilè & ſine ſtrepitu fieri poſſe videretur, inhibente, quod nunc eadem ſapientiſſimo conſilio permittit. Ita Lucas.

56. *ἵνα πληρωθῶσιν αἱ γραφαὶ τῶν προφητῶν. ut adimplerentur Scripturæ Prophetarum*] Μετωνυμία [*transnominatio*]· ſenſus eſt, Vt exitum habeat decretum Patris pridem enuntiatum per Eſaiam, Danielem, atque alios.

Τότε οἱ μαθηταὶ πάντες ἀφέντες αὐτὸν ἔφυγον. *Tunc Diſcipuli omnes relicto eo fugerunt*] Alii citiùs, alii ſeriùs paulò. Videtur enim poſt Petrum & Matthæum aliquandiu ſubſtitiſſe cum aliquot aliis Iohannes, atque eo tempore accidiſſe ea quæ ille peculiariter narrat XVIII, 4. & deinceps. Nam certè vulnerati Malchi hiſtoria à Iohanne per retroceſſum poſita eſt.

57. *πρὸς Καϊάφαν τὸν ἀρχιερέα, ad Cajapham Principem Sacerdotum*] Qui proinde intelligendus quoties nomen ἀρχιερέως [*Principis Sacerdotum*] apud Iohannem nudè ponitur. Nam perductionem Chriſti ad Annam omittunt cæteri, quia nihil ibi inſigne geſtum: tantùm detentus ibi Chriſtus videtur dum apud Cajapham concilium cogitur. Quod autem Iohannes commate 24. narrat, per retroceſſum itidem, ut alterum illud de quo jam diximus, interpretandum eſt. Sed hac de re ad ipſum pleniùs.

ὅπου οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ πρεσβύτεροι, ubi Scribæ & Seniores] Ob eruditionem præponuntur οἱ γραμματεῖς [*Scribæ*], cum alioqui πρεσβυτέρων [*Seniorum*] major eſſet dignitas. Et reticetur ordo τῶν ἀρχιερέων [*præcipuorum Sacerdotum*], quia is ex Cajaphæ perſona ſatis dabatur intelligi. At mox eos nominat commate 59. & nomen *conſeſſûs* proprium exprimit συνέδριον [*Synedrium*]. Illis temporibus nullus fuit נשיא [*princeps Senatûs*] alius à Pontifice Maximo. Itaque quod dictum erat περὶ τοῦ Νασὶ [*de principe Senatûs*], Paulus Pontifici Maximo aptat Actor. XXIII, 5. Nam נשיא Græci vertunt ἄρχοντα [*principem*], ut videre eſt Levit. IV, 22. Exodi XXII, 28. Itaque Pontifex Maximus, ut hîc Cajaphas, ſolebat καθίζειν συνέδριον [*convocare Senatum* ſive *Synedrium*], quod de Anano narrat Ioſephus. Alioqui ſi alius fuiſſet ἄρχων [*princeps Senatûs*] à Pontifice Maximo, ut olim, ipſius fuiſſet concilium cogere. Sed de hac re egimus alibi pleniùs. Conſederunt autem Senatores in porticu aliqua, in quam proſpectus dabatur ἐν τῇ αὐλῇ, id eſt, ſub dio conſiſtentibus. Quo reſpectu Petrus, qui ſub dio erat, dicitur conſtitiſſe κάτω [*infrà*] Marci XIV, 66.

59. *ἐζήτουν ψευδομαρτυρίαν, quærebant falſum teſtimonium*] Non quòd illis conſidentibus conquirere teſtes vacaret, ſed quòd inquiſitionem, quam ἀνάκρισιν Græci vocant, ita inſtituerent ut omnino à teſtibus conarentur aliquid elicere quod ad damnandum Ieſum valeret. Nam id genus inquiſitiones, cùm in officio ac religione Iudicis conſiſtant, magnam præbent occaſionem improbis hominibus adverſum innocentes. Teſtes enim auctoritate & gratiâ permoti plerunque dicta ſua eò flectunt quò trahi ſe vident à quæſitore. Et hoc illi fecere quibus Lex talis criminis ultionem ſeverè imperaverat, Deut. XIX, 19. Vide Pſal. XXVII, 12. & XXXV. totum.

60. *οὐχ εὗρον. non invenerunt*] Vtcunque cupidè adverſus Ieſum teſtabantur, nihil tamen tale adferebant quod capital poſſet videri. Repetendum enim ἀπὸ τοῦ κοινοῦ [*ex eo quod communiter dictum*] illud ὅπως αὐτὸν θαναθώσουσι [*ut eum morti traderent*], per Præſidem Romanum ſcilicet, cui perſuadendo tota hæc ſcena ſtruebatur.

δύο, duo] Nam ſingulare teſtimonium in re criminum non admittebat Lex Hebræa, Deut. XIX, 15.

ψευδομάρτυρες, falſi teſtes] Meritò ita appellantur ob depravata Chriſti verba. Neque enim dixerat Chriſtus, δύναμαι καταλῦσαι τὸν ναὸν [*poſſum deſtruere Templum*], ſed, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον [*deſtruite templum hoc*]. In quo multum eſt diſcriminis. Controverſum erat apud Iudæos an cuiquam liceret ſæva vaticinia contra Templum proferre. Nam in Ieremia id capital judicabant Sacerdotes & Prophetæ, contrà cenſentibus Proceribus: Et in Stephani accuſatione primùm eſt, οὐ παύεται ῥήματα βλάσφημα λαλῶν κατὰ τοῦ τόπου ἁγίου [*non ceſſat loqui verba contumelioſa adverſus locum ſanctum*].

61. διὰ τριῶν ἡμερῶν, *poſt triduum*] Brevis locutio Helleniſtarum pro διαγενομένων τριῶν ἡμερῶν [*intercedente triduo*]. Ita δι᾽ ἑπτὰ ἐτῶν [*anno ſeptimo*], Deut. xv, 1. Lucas Act. xxiv, 17. δι᾽ ἐτῶν δὲ πλειόνων [*poſt annos plures*]. Vide quæ infrà xxvii, 63. Sic διὰ πολλοῦ χρόνου [*multo pòſt tempore*] Pluto Ariſtophanis.

62. Οὐδὲν ἀποκρίνῃ; *Nihil reſpondes?*] Videbat Cajaphas ne illud quidem factum quod maximè ad invidiam Chriſti pertinebat ſufficere ad damnationem: quod Marcus dixit, ἴσαι αἱ μαρτυρίαι οὐκ ἦσαν [*convenientia teſtimonia non erant*]. Nihil enim mali Templo ominabatur etiam qui demoliturum ſe dicit, & reſtituturum ſe addat: neque pollicitatio, utcunque vana, capite erat luenda. Itaque teſtimoniis aliorum diffiſus quærit ex ipſius ore aliquid elicere quod ipſum oneret. Sperabat enim in prolixa defenſione facilè aliquid repertum iri εὐδιάβλητον [*quod in calumniam patêret*].

63. ἐσιώπα. *tacebat*] Dixit alicubi Tacitus, *Non intererat occidentium quid diceret*. Et Chriſtus ſciebat ad defenſionem ſe prolici tantùm ut ex defenſione crimen eliceretur; quæ verò à teſtibus objecta erant eſſe ejuſmodi ut refellere ea opus non eſſet. Bene ergo Origenes adverſus Celſum, Ἡ παρὰ ταῖς μάστιξι καὶ ταῖς πολλαῖς αἰκίαις αὐτοῦ (Ἰησοῦ) σιωπὴ παντὸς τοῦ ἐν Ἕλλησιν ἐν περιστάσεσι τυγχάνοντος φθεγξαμένου μᾶλλον ἐνέδειξε καρτερίαν καὶ ὑπομονήν [*Silentium Ieſu inter flagra & contumelias plurimas multò majorem oſtendit conſtantiam & patientiam quàm omnes voces Græcorum in rebus adverſis*]. Maximus Tyrius in Diſſertatione, Εἰ καλῶς ἐποίησε Σωκράτης μὴ ἀπολογησάμενος [*An rectè fecerit Socrates quòd pro ſe nihil dixit*], multa habet quæ ad noſtram hanc cauſam juſtiùs accommodes. Τίνος δ᾽ ἂν καὶ ἕνεκα ἀπελογήσατο ἐπ᾽ ἐκείνων, ὡς ἐπὶ δικαστῶν; ἀλλὰ ἄδικοι· ὡς ἐπὶ φρονίμων; ἀλλὰ μοχθηροί· ὡς ἐπὶ εὐμενῶν; ἀλλὰ οἱ ὠργίζοντο· ὡς ἐπὶ ὁμοίων; ἀλλὰ ἀνομοιότατοι [*Cur apud illos cauſam ſuam egiſſet? an ut apud Iudices? at injuſti erant: an ut apud prudentes? at ſcelerati erant: an ut apud bene ſibi volentes? at erant infeſtiſſimi: an ut apud ſimiles? at diſſimillimi*]. Item, Τὰς μὲν γὰρ ἄλλας ἀπολογίας μάρτυρες ἀποφαίνουσι, καὶ πίστις, καὶ ἔλεγχος, καὶ τεκμήρια, καὶ βάσανοι, καὶ ἄλλα τοιαῦτα, ἵνα τὸ ἀφανὲς τέως ἐπὶ δικαστηρίου φωραθῇ· ἀρετῆς δὲ καὶ καλοκἀγαθίας ὁ ἔλεγχος εἷς ἡ πρὸς ταῦτα αἰδώς· ἧς ἐξεληλαμένης τότε, τί ἔδει λόγου; [*Alias defenſiones approbant teſtes & eorum fides & probationes, ſigna, tormenta & ſiqua ſunt ejuſmodi, ut quod antè latuit apud tribunal pateat; virtutis verò & probitatis exploratrix eſt earum reverentia: qua cùm tunc exularet, quorſum verba?*] ſed & hoc, Ἢ τίς ἠνέσχετο ἑστῶτα ἐν δικαστηρίῳ ταπεινὸν καὶ ἐπτηχότα καὶ τὴν ἐλπίδα τοῦ ζῆν ἐρανιζόμενον παρ᾽ ἄλλων; τοῦτο γάρ που τῆς ἀπολογίας τὸ σχῆμα ἦν. ἢ λέγειν ἐχρῆν ταπεινὸν μὲν οὐδὲν, οὔτε ἐπτηχὸς, οὔτε ὑφειμένον, ἀλλ᾽ ἐλεύθερόν τι καὶ ἄξιον φιλοσοφίας; οὐκ ἀπολογίαν μοι λέγεις, ἀλλ᾽ ὀργῆς ζωπύρωσιν καὶ φλεγμονήν [*Quis ferre potuiſſet ſtantem illum coram tribunali humilem & trepidum & ſpem vivendi ab aliis emendicantem? Talis enim eſſe debuit pro ſe dicentis figura. An verò dicere aliquid oportuit neque humile, neque trepidum, neque ſubmiſſum, ſed plenum libertatis & Philoſophiæ? Iam non purgationem mihi monſtras, ſed iræ incitamen & fomitem*]. Huc & Euripidis illud pertinet, Σιωπὴ τοῖς σοφοῖς ἀπόκρισις [*Sapientibus tacere reſponſi vice eſt*]. Philo De legatione, ἔστι γάρ πως καὶ δι᾽ ἡσυχίας ἀπολογεῖσθαι [*interdum & tacendo nos ipſos defendimus*]. Vide Eſaiam liii, 7. & Act. viii, 32.

Ἐξορκίζω σε, *Adjuro te*] Ἐξορκίζειν [*adjurare*] aut ὁρκίζειν Hebraicè השביע modò eſt *jurejurando adigere*, ut Gen. xxiv, 3. l, 6, 25. Exod. xiii, 19. Ioſuæ ii, 20. Eſdr. x, 5. in qua hiſtoria & Ioſephus hoc verbo utitur: interdum verò *gravi obteſtatione per nomen Divinum religionem alicujus animo injicere*, quod Latini veteres dicebant *obſecrare*, ut Num. v, 19. Ioſ. vii, 19. 1 Samuel. xiv, 27, 28. 1 Reg. ii, 43. Cant. v, 9. qui ſenſus huic loco eſt proprius, ut & apud Marc. v, 7. Solebant Iudices talem ὁρκισμὸν [*adjurationem*] adhibere, ut aut teſtibus teſtimonium aut reis confeſſionem exprimerent. De teſtibus lex exſtat Levit. v, 1. ubi culpæ obnoxius pronuntiatur teſtis qui verum ſubticet poſtquam audierit φωνὴν ὁρκισμοῦ [*vocem adjurationis*] קול אלה. Ea enim vera eſt legis illius à multis perperàm intellectæ ſententia. Erant autem formulæ quædam ſolemnes talium ὁρκισμῶν [*adjurationum*] in judiciis uſitatæ, ut אני משביעך אשר לא תדבר אלירק אמת בשם יהוה, 1 Reg. xxii, 16. ii Paralip. xviii, 15. Græcè, ἐγὼ ὁρκίζω σε ὅπως λαλήσῃς πρὸς ἐμὲ ἀλήθειαν ἐν ὀνόματι Κυρίου [*ego te adjuro ut loquaris mihi verum in nomine Domini*]. Vel ſic, שם נא כבוד יהוה Ioſ. vii, 19. ubi Græcè eſt δὸς δόξαν τῷ Θεῷ [*da gloriam Deo*]. quæ ipſa formula exſtat apud Iohannem ix, 24.

εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *ſi tu es Chriſtus Filius Dei*] Suprà xiv, 33. notavimus etiam apud Iudæos exſpectatum illum Meſſiam vocari ſolitum Dei *Filium* ex Pſalmo ii. itaque & hîc apud Lucam pro eodem ponitur primùm, Εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστός; [*Si tu es Chriſtus?*] deinde, Σὺ οὖν εἶ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ; [*Tu es Filius Dei?*]

64. Σὺ εἶπας· *Tu dixiſti*] Cùm priùs dixiſſet non rectè eos interrogare qui neque affirmanti ſibi eſſent credituri, neque reſponſuri ad argumenta quæ eſſet allaturus (id enim eſt ἐρωτᾶν [*interrogare*] apud Lucam) urgente Pontifice tandem jam edidit profeſſionem. Omnino enim perſuadent mihi circumſtantiæ plurimæ eundem eſſe Conventum de quo hîc agitur cum eo, quem Lucas deſcribit poſt hiſtoriam de Petro abſolutam, quia eam ab initio ad finem pertexere quàm interruptam tradere malebat. Illud autem ὡς ἐγένετο ἡμέρα [*cùm dieſceret*] apud Lucam eſt *cùm dies adventaret*, & συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον [*congregatum erat Preſbyterium*] *Senatus habebatur*: nam ad diem uſque protractus eſt cœtus nulla facta diſceſſione.

πλὴν λέγω, *veruntamen dico*] Id eſt, Quanquam mihi Chriſtum me affirmanti non creditis.

καθήμενον ἐκ δεξιῶν τῆς δυνάμεως, *ſedentem à dextris virtutis*] Inter nomina Dei recenſent Hebræi הגבורה, quod eſt δύναμις [*virtus*]. Lucas hîc dixit δυνάμεως τοῦ Θεοῦ [*virtutis Dei*]. Ex Tobia quod affertur huc pertinere non arbitror: nam receptior & melior lectio habet τῇ Βαὰλ τῇ δαμάλει] *Baal juvencæ*]. Neque ſolebant Hebræi Gentium deos

Dei veri indigetamentis decorare. Quod autem hîc Chriſtus dicit fore ut Iudæi ſe videant ſedentem ad Dei dexteram, referendum arbitror ad diem miſſionis Spiritus Sancti, quod certiſſimum erat indicium ſeſſionis ad dexteram, ut nos docet Petrus Actorum II, 33. quanquam ſi quis adjungat admirabilem profectum Euangelicæ prædicationis, non refragabor. Favere interpretationi videtur illud ἀπ' ἄρτι [*à modò*], quod Lucæ eſt ἀπὸ τοῦ νῦν [*ex hoc*], quæ rem jamjam futuram videntur notare.

καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ. & venientem in nubibus cæli] Suprà diximus poſſe hoc etiam de virtute Chriſti per Euangelium intelligi, juxta id quod in Daniele eſt & alibi; aut etiam de pœnis quas Chriſtus infligi curavit populo Iudaïco, quia *deſcenſus in nube* iram ac vindictam ſolet ſignificare, ut Maimonides annotavit. Attamen cùm viſibili etiam modo in nube deſcenſurus ſit Chriſtus ad Iudicium, ſicut in nube adſcendit, nihil prohibet ad eum adventum hæc referre, quo cogentur eum agnoſcere qui ex ſigno miſſi Spiritus agnoſcere ejus majeſtatem noluerunt.

65. *διέῤῥηξε τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, ſcidit veſtimenta ſua*] Quod facere Iudæi ſolebant quoties verba audirent in Deum contumelioſa, præſertim prolata ab homine Hebræo: unde Rabſacen fuiſſe Iudæum qui ad ἀλλοφυλισμὸν [*Gentilium ſacra*] defecerat colligunt Iudæorum Magiſtri, quia verbis ejus auditis Hieroſolymitæ veſtem lacerant, II Regum XIX, I. Errant qui putant Pontifici Maximo non licuiſſe ullo caſu veſtem lacerare. Nam interdictum quod in Levitico bis exſtat ad cauſam funebrem pertinet, ut antecedentia & conſequentia oſtendunt. Alioqui in luctu publico etiam Pontifex Maximus diſſcindebat veſtimenta. Clarum id I Maccabæorum XI, 71. ubi Ionathan Pontifex Maximus poſt cladem acceptam in Cades Galilææ narratur διαῤῥῆξαι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ [*ſcidiſſe veſtimenta ſua*]. Ioſephus quoque ἁλώσεως [*Captivitatis*] II. οἱ δύνατοι σὺν τοῖς ἀρχιερεῦσι τὰς ἐσθῆτας περιεῤῥήξαντο [*Primores cum Summis Sacerdotibus veſtes ſuas lacerabant*]. Et poſtea, τοὺς δὲ ἀρχιερεῖς αὐτοὺς ἦν ἰδεῖν καταμωμένους μὲν τῆς κεφαλῆς κόνιν, γυμνοὺς δὲ τὰ στέρνα τῶν ἐσθήτων περιεῤῥηγμένων [*videre erat Sacerdotes etiam Summos cinerem capiti inſpergere, nudatis verò conſpici pectoribus ideo quòd veſtes laceraſſent*]. Etiam Rex Perſarum in luctu veſtem ſcindit apud Æſchylum Perſis. Sed notant Hebræorum Magiſtri Maximo Pontifici id fuiſſe proprium quòd veſtem ab inferna parte laceraret, cùm à ſuperna alii ſolerent.

λέγων, Ὅτι ἐβλασφήμησε· dicens, Blaſphemavit] Βλασφημίαν [*blaſphemiam*] vocat quòd Ieſus ſe Chriſtum profiteretur. Et ſanè erat, ni Chriſtus fuiſſet. Nam qui ſibi eam poteſtatem falſò arrogat, in Deum eſt contumelioſus. At hoc quæſitum oportuit, an non in ipſum vaticinia congruerent, an non apertiſſimis miraculis probaſſet ſe eum eſſe. His illi præteritis pro manifeſto ſumunt Ieſum CHRISTVM eſſe non poſſe, futilibus nixi argumentis; ut, Quòd Nazaretæ natus crederetur, Iohann. I, 46. VII, 52. Quod originem ejus paternam maternamque notam omnino arbitrarentur, VII, 27. Præcipuè verò quòd fabrilem artem exercuiſſet, nihilque externi apparatus ſecum ferret, ſuprà XIII, 55. Marci VI, 3.

66. *Τί ὑμῖν δοκεῖ; Quid vobis videtur?*] Vt Princeps Senatûs ſententias exquirit.

Οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον, At illi reſpondentes dixerunt] Ordo feciſſe dicitur quod fecit pars major: imò & omnes id feciſſe dicuntur, ut hîc apud Marcum. Id enim ut in Senatusconſultis, ita & in judiciis uſurpatur. Nam Nicodemum diſſenſiſſe non dubium eſt; ſi tamen adfuit: De Ioſepho Arimatheenſi alibi videbimus.

Ἔνοχος θανάτου ἐστί. Reus eſt mortis] בן מות [*filius mortis*], ut II Samuelis XII, 5. Ita pronuntiare ſolebant Iudices Hebræi, dum capitalia judicia penes ipſos erant. Ablatis capitalibus judiciis, quod poſt confiſcatam ab Auguſto Iudæam factum eſt (nam antea Herodis beneficio manſerat aliqua judiciorum ſpecies) quanquam cum effectu ſententiam proferre non poterant, veterem tamen formulam retinebant: cujus ea vis erat, ut de quo ita pronuntiatum eſſet, is apud Iudæos omnes morte dignus, id eſt, ſacer atque inteſtabilis haberetur, in eum denique nihil eſſet illicitum. Quo præjudicio populus concitatus ſæpe per vim ac tumultum pœnas expetivit, quanquam Romanis legibus id facere vetabatur. Pertinebat autem hoc πρόκριμα [*præjudicatum*] in Ieſum eò, ut ſcilicet Senatores Iudæi poſſent ſalva religione Ieſum accuſare apud profanum Iudicem, ejuſque ſupplicium flagitare, velut qui nullâ ampliùs neceſſitudine ipſos attingeret, & omnia hominis Iudæi προνόμια [*privilegia*] amiſiſſet.

67. *Τότε, Tunc*] Poſt iſtam pronuntiationem ſcilicet; qua audita Iudæi ὑπηρέται [*miniſtri*] Ieſum ut hominem devotum omni ludibriorum atque contumeliarum genere vexare cœperunt.

ἐνέπτυσαν εἰς τὸ πρόσωπον αὐτοῦ, exſpuerunt in faciem ejus] Contemtûs ſignum frequens apud Hebræos, Numer. XII, 14. Quod de ſe dicit Eſaias, fortè figurato loquendi genere, L, 6. id in Chriſto impletum eſt κατὰ τὴν τοῦ ῥητοῦ ἀκρίβειαν [*juxta exactam verborum proprietatem*].

ἐκολάφισαν, colaphis cum ceciderunt] Κολαφίζειν [*colaphis cædere*], ut Græci Scholiaſtæ interpretantur, eſt παίειν ἐπὶ κόῤῥης [*tempora ferire*], contracto pugno ſcilicet: neque aliter hîc Origenes & Theophylactus. Terentius, *Colaphis tuber eſt totum caput.* Quàm contumelioſum id verberandi genus habitum ſit, ex Demoſthenis adverſus Midiam oratione intelligi datur, cujus verba citant Romani Iuriſconſulti in Pandectis, titulo De pœnis.

ἐῤῥάπισαν. palmas in faciem ejus dederunt] Per ῥαπίσματα *alapas* intelligi dubitandum non puto: Nam ita & ſuprà id verbum uſurpat hic Interpres V, 39. Quibus adde quæ ex Gloſſario, Iuriſconſultis Græcis, & Sedulio vir eruditiſſimus ad hujus vocis intellectum annotavit. Adde Syrum Marci XIV, 65. Nec aliud eſt apud Marcum ῥαπίσμασι ἔβαλον [*alapis ceciderunt*]. Nam βάλλειν eſt *ferire, inceſſere.* Ignatius ad Trallianos hanc de Chriſto hiſtoriam referens, ἐπὶ κόῤῥης ἐῤῥαπίσθη [*genam alapis cæſus eſt*] inquit: quomodo & Nazianzenus loquitur: ubi κόῤῥη *genam* ſignificat, non, ut aliàs, *tempora.* Confer cum hujus loci hiſtoria &

iis quæ Lucas habet XXII, 64. vaticinium Eſaiæ L, 6. & LIII, 3, 4, 5, 6, 7.

68. Προφήτευσον, *Prophetiza*] Hoc ideo quia oculos obvelaverant, ut Marcus addit. Prophetarum autem erat non tantùm futura prædicere (quod propriè vox indicat), ſed & alia quæ naturali cognitione ſciri nequibant. Sic & vox μαντεύεσθαι [*vaticinandi*] Græcis ponitur. Ariſtoteles III Rhet. XVII. de Epimenide Crete, περὶ τῶν ἐσομένων οὐκ ἐμαντεύετο, ἀλλὰ περὶ τῶν γεγονότων μὲν, ἀδήλων δέ [*de futuris non vaticinabatur, ſed de iis quæ jam erant, ſed incognita*].

69. ἐκάθητο, *ſedebat*] Modò ſedens, modò, ut fieri ſolet, aſſurgens, ut collatio docet.

ἐν τῇ αὐλῇ· *in atrio* ſive *ſubdiali*] Quæ pars domûs inferior porticu: unde κάτω [*infrà*] dixit Marcus. In ejus meditullio prunæ erant in batillo, ut credibile eſt, poſitæ; ut ex Luca & Iohanne diſcimus.

μία παιδίσκη, *una ancilla*] *Ancilla:* ita vox hæc ſumitur tum alibi tum Galat. IV, 22. Erat autem hæc ancilla ἡ θυρωρὸς *janitrix*, ut eſt apud Iohannem. Vide & Actorum XII, 13.

ἦσθα μετὰ, *eras cum*] Id eſt, *fuiſti partium ipſius.* Hebraïſmus: II Regum VI, 16. IX, 32. Romanorum VIII, 31. Non pugnat autem quod hîc affirmatè dicitur cum eo quod Iohannes exprimit interrogandi ſono. Nam Hebræis interrogatio cum negatione vehementiſſimè affirmat.

τοῦ Γαλιλαίου·. *Galilæo*] Diſcriminis causâ. *Ieſu* enim nomen eo tempore erat inter communiſſima, ut ex Ioſepho quoque apparet. Eodem modo infrà Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου [*Ieſu Nazareno*]. Aut mira eſt Iudæorum ἀνιστορησία [*imperitia circa hiſtorias*], aut ante Dominum noſtrum alter fuit Ieſus itidem à Nazaretha, quem Hyrcano Simonis filio coævum faciunt Thalmudiſtæ.

70. Οὐκ οἶδα τί λέγεις. *Neſcio quid dicis*] *Neque ipſum novi, neque ſatis intelligo quid velis*: ita enim hoc quod apud Matthæum cum eo quod Lucas & Iohannes habent connectit Marcus, haud dubiè Petro ſuggerente.

71. Ἐξελθόντα, *exeuntem autem illum*] *Egredi parantem.* Neque enim exiit, ut ſequentia oſtendunt.

πυλῶνα, *januam*] Προαύλιον [*anteatrium* ſive *veſtibulum*] Marco. *Subdiale minus extra fores:* ita & Syrus hîc accipit.

ἄλλη, *alia*] Παιδίσκη [*ancilla*] Marco, ubi articulus non certam ſed incertam perſonam deſignat, quod & in his & in aliis Scriptoribus ſæpe occurrit. Apud Lucam eſt ἕτερος [*alius*]. Sed commune eſt omnium linguarum ut maſculinum uſurpetur ἀντὶ τοῦ ἐπικοίνου [*pro promiſcuo*], quando ſexum ſcire non multùm refert: itaque ἕτερος [*alius*] eſt *alius quidam è ſervorum grege*, ſeu mas ſeu femina. Sic Plutarchus dixit χαλεπαίνοντος Ἀπόλλωνι [*iratus Apollini*] cùm de Thetide ſermo eſſet. Euripides Troadibus.

----- Δύσγαμον αἶσχος ἑλών,

[—— *Nactus probroſas nuptias* ,]

de Helena. Sopater in Declamatione τὸν μηδὲν ἀδικήσαντα [*nullius injuriæ compertum*], loquens de femina captiva: & Laërtius maſculino genere exprimit perſonam incertam in Vita Socratis, quam mulierem fuiſſe oſtendit Plato Critone, & Cicero De Divinatione I.

καὶ λέγει αὐτοῖς, *& dicit illis*] Ita codices antiqui & Syrus. quare illud τοῖς ἐκεῖ [*iis qui illic erant*] putem interpretamentum eſſe prælatum ab iis qui non meminerant αὐτοῖς Helleniſtis more Hebræo dici etiam ubi nomen non anteceſſit. Vide quæ ſuprà XI, 1.

73. Μετὰ μικρὸν δὲ, *Poſt puſillum*] *Poſt horæ intervallum: aut eo amplius* (nam ὡσεὶ [*quaſi*] addidit Lucas) quantum ſcilicet inter primum & ſecundum galli cantum intercedit: ita enim Marcus.

οἱ ἑστῶτες, *qui ſtabant*] Malchi cognato præeunte, adſtipulantibus cæteris qui unà ad ignem adſtabant; ut docent nos Marcus, Lucas, Iohannes.

Ἀληθῶς, *Verè*] *Certè:* ita verti ſolere Hebræum אמן alibi dictum.

ἡ λαλιά σου, *loquela tua*] Ad Samaritanum & Syriacum idioma propiùs accedens quàm ſermo Hieroſolymitarum: quali nota olim Ephraïmitas à ſuis popularibus dignoſcebant Galaaditæ, Iud. XII. Pronuntiatio Petrum Galilæum docebat: porrò Galilæi ſuſpecti tanquam Ieſu diſcipuli aut fautores. Accedebat & aliud indicium ab eo qui Petrum à ſe in horto viſum meminiſſe ſibi videbatur.

74. καταναθεματίζειν, *deteſtari*] Non poſſum iis aſſentiri qui καταναθεματίζειν hîc idem eſſe volunt quod Actorum XXVI, 11. & Iuſtino in Apologetico eſt βλασφημεῖν [*blaſphemare* ſive *maledicere*], apud Plinium *maledicere Chriſto.* Vt enim extenuandum non eſt delictum quod Petrus tanto cum dolore deflevit, ita non video cur cauſas conquirere debeamus onerandæ ipſius culpæ. imò καταναθεματίζειν [*devovere*] hîc, ut ἀναθεματίζειν Actorum XXIII, 14. Hebræis החרים, eſt *ſibimet malè precari.* Formula quæ ſæpe in Veteris Federis hiſtoria occurrit τοῦ ἀναθεματισμοῦ [*devovendi ſe*] hæc eſt, *Hæc mihi Deus faciat & hæc addat ſi hoc ita ſe habet.* Eo tum modo Petrus diris ſe obligavit ſi Chriſtum noſſet, ſuper jusjurandum quod & ſecundæ negationi acceſſerat: ut ſolemus ex malis in pejora prolabi, niſi matura pœnitentia ſuccurrat. In manuſcripto vetuſtiſſimo qui ex Græcia in Angliam venit eſt hîc καταθεματίζειν, ſicut & in Apocalypſi XXII, 3. κατάθεμα, quæ vox eodem ſenſu eſt apud Iuſtinum.

οὐκ οἶδα τὸν ἄνθρωπον. *non novi hominem*] Magnam apparet conſternationem fuiſſe quæ Petrum adegit ad tam incredibile mendacium. Vix enim quiſquam erat Iudæus qui Ieſum de vultu non noſſet, tot miraculis celebrem. Neque cauſam adferre Petrus ullam poterat quorſum eò veniſſet, ſi eum non noverat.

75. Καὶ ἐμνήσθη ὁ Πέτρος, *Et recordatus eſt Petrus*] Simul excitatur & galli cantu, ut ſomnolenti ſolent, & Domini adſpectu qui de ſuperiore loco aciem oculorum in ipſum dirigebat, ut apud Lucam eſt.

ἔκλαυσε πικρῶς. *flevit amarè*] Sic Eſaiæ XXII, 4 אמרר בבכי Græci vertunt πικρῶς κλαύσομαι [*amarè flebo*].

CAPVT XXVII.

1. Συμβούλιον ἔλαβον, *conſilium inierunt*] Tantillo temporis ſpatio diſceſſiſſe tot Senatores, iterumque ex tot Vrbis regionibus conveniſſe,

neque credibile eſt, & ſine cauſa fingitur. Senſus eſt, poſt auditum Ieſum ſeorſim Senatores inter ſe deliberaſſe quid eſſet faciendum. Ita ςυμβέλιον ἔλαβον & alibi ſumitur ut *captum conſilium* ſignificet, ſuprà XII, 14. XXII, 15. Sed de hac re ad Lucam pleniùs.

ὥστε θανατῶσαι αὐτόν· *ut eum morti darent*] Non per inſidias, quod infame; nec per tumultum, quod periculoſum: ſed publico judicio, quod fieri non poterat niſi per Romanum Præſidem. Quare tota deliberatio in eo vertebatur, quomodo Præſidi id perſuaderetur.

2. δήσαντες, *cùm vinxiſſent*] Id eſt, δεδεμένον [*vinctum*]. Ita ſolent ἀόριστοι [*Indefinita*] ſignificare etiam id quod antè contigerat. Nam vinctus erat Chriſtus ſtatim poſt prehenſionem, ut ex Iohanne diſcimus. Vide quæ ad Marci XVI, 1.

παρέδωκαν, *tradiderunt*] Vt moris illis erat ſi quem prehendiſſent capitaliter noxium. Ita ſolebant in Provinciis Irenarchæ quos apprehenderant interrogare, deinde cum interrogationibus ad Præſidem mittere, L. *Divus Hadrianus*, Digeſtis De cuſtodia & exhibitione reorum. Hieronymus de Iudæis, *Habebant hunc morem, ut quem adjudicaſſent morti, ligatum Iudici traderent.*

τῷ ἡγεμόνι. *Præſidi*] Sic & Ioſephus: Πιλάτος δὲ τῆς Ἰουδαίας ἡγεμών [*Pilatus verò Iudææ Præſes*]. Bene vertit Latinus Interpres *Præſidi*, quanquam Procuratorem fuiſſe Pontium ſatis conſtat vel ex Tacito & Philone, qui ἐπίτροπον vocat. Nam *Præſidis* nomen, quod ἡγεμόνα plerunque Græci vertunt, ut ait Macer citatus Lege primâ Pandect.: De officio *Præſidis*, generale eſt, quo omnes Provincias regentes appellantur. Quanquam verò Procuratorum officium propriè erat τὰ αὐτοκρατορικὰ χρήματα διοικεῖν [*Imperatoris pecunias adminiſtrare*], ut Dio loquitur, uſurpatum tamen in minoribus Provinciis ut etiam extra fiſci cauſas jus dicerent, atque etiam gladio animadverterent. Tales Procuratores dicuntur *vice Præſidis fungi*, Lege II C. De pœnis, & L. IV C. Ad Legem Fabiam De plagiariis; & apud Vlpianum lib. IX De officio Proconſulis, ut citatur in veteri collatione legum Moſaïcarum cum Romanis: *partibus Præſidis fungi* L. Ex conſenſu, § *Cùm Procurator*, D. De Appellationibus. Ideo Ioſephus de talibus agens Procuratoribus addit τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ [*cum poteſtate rerum omnium*], aut μέχρι τοῦ κτείνειν λαβὼν ἐξουσίαν [*etiam vitæ ac necis accepto jure*].

3. ὅτι κατεκρίθη, *quòd damnatus eſſet*] Omnino referendum hoc ad Synedrii prædamnationem de qua ſuprà XXVI, 66. quam Iudas accipiebat ut ſecuturæ mortis indicium. Rarò enim elabi ſolebant tali præjudicio confoſſi.

μεταμεληθεὶς, *pœnitentiâ ductus*] Non video obſervari diſcrimen quod à multis traditur μεταμελείας & μετανοίας. Nam & οἱ ἔξω [*Scriptores profani*] iſta permutant, & noſtri itidem Scriptores, ut ecce Hebr. XII, 17. μετάνοια eſt id quod μεταμέλειαν dici volunt, *contractûs initi pœnitentia*, ut Iuriſconſulti etiam loquuntur; contrà μεταμεληθεὶς ſuprà XXI, 29. is dicitur qui mentem meliorem recepit. Et Clemens Alexandrinus duplicem eſſe ait τρόπον μετανοοῦντος, τὸν μὲν κοινότερον, φόβον ἐπὶ τοῖς πραχθεῖσιν, τὸν δὲ ἰδιαίτερον τὴν δυσωπίαν τὴν πρὸς ἑαυτὴν τῆς ψυχῆς ἐκ συνειδήσεως [*pœnitendi modum, alterum vulgarem, qui metus eſt ob res actas; alterum rariorem, qui eſt animæ apud ſeipſam ex conſcientia pudor*]. Neque tamen vocabuli ambiguitas iis favere cenſenda eſt qui de Iuda miſericordiùs quàm par eſt pronuntiant. Aliud enim ſuadet & Petri oratio in Actis, & deſtricta Chriſti verba υἱὸν ἀπωλείας [*filium perditionis*] appellantis, addentisque *meliùs ei futurum fuiſſe ſi natus omnino non eſſet.* Ex circumſtantiis igitur hiſtoriæ magis quàm ex ſola vocis proprietate cum mœrorem hîc intelligere debemus cui non adfuerit vera animi emendatio, idque tum ipſius culpâ, tum Dei obdurantis judicio. Neque interim improbo quod adversùs Celſum ſecundo notat Origenes, Tantam vim fuiſſe documentorum Chriſti ut etiam deploratæ malitiæ homini pudorem quendam peccandi & ex peccato cruciatum gravem incuſſerint.

4. αἷμα ἀθῷον. *ſanguinem juſtum*] Αἷμα [*ſanguis*] Helleniſtis mortem quamvis violentam ſignificat, ut & infrà commate 6. Hic μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] ipſum eum qui morti deſtinatur.

σὺ ὄψει. *tu videris*] Sic infrà commate 24. ὑμεῖς ὄψεσθε [*vos videritis*]. Eſt autem loquendi genus ex Latino ſermone deſumtum. Nam Romani curam rei alicujus à ſe in alium rejicientes ajunt, *Tu videris:* quod Græci dicerent, Σοὶ μελέτω [*tibi id curæ ſit*]. Quare mirum non eſt haud ſatis rectè acceptam à Syro vim hujus locutionis. Ad modum Caïni loquuntur vera progenies Caïni.

5. ἐν τῷ ναῷ, *in Templo*] In ea parte Templi in qua conſidebat Synedrium, qui locus vocabatur לשכת הגזית [*Exedra cæſi lapidis*].

ἀπήγξατο. *ſuffocatus eſt*] Eſt quidem Græcis ἀπάγξασθαι *ſuſpendio ſibi vitam adimere*, ut

—— ἀπάγξασθαί με ποιήσεις,
[—— *facies me penſilis ut ſim,*]

apud Theocritum. Sed difficulter id conciliatur cum Petri narratione Actorum 1. ubi aliud mortis genus Iudæ tribuitur, effuſis ſcilicet inteſtinis, cùm pronus in faciem corruiſſet. Notum ſatis eſt quæ ſint excogitata ut iſta inter ſe conciliarentur. Neque ſatis ſe expediunt qui laqueo fracto corruiſſe Iudam volunt. Videtur enim Petrus omnino caſui inopinato, quem Divina providentia direxerit, non Iudæ ipſius facto exitii cauſam adſcribere. Niſi illis malumus accederi qui Iudam putant ſe jeciſſe præcipitem; ut ἐλάκησε ſit *diſſiluit*, quod evenire ſolet ex tali jactu. Videamus igitur an hoc loco Matthæus non agat de morte Iudæ, ut quæ ſeriùs contigerit & fortè poſt reſurrectionem, ut multorum fert conjectura; ſed de graviſſimo exulceratæ conſcientiæ tormento. Nam compreſſionem ſpiritûs è mœrore ſummo hac voce indicari vel unus Tobiæ liber nos doceat, ubi de Sara dicitur III, 12. ἐλυπήθη σφόδρα ὥστε ἀπάγξασθαι [*triſtata eſt valde ut ſuffocaretur*]. Et de Achitophele, in quem quæ dicta ſunt à Davide in Iudam apprimè congruunt, & de quo ſimiliter legimus ἀπήγξατο [*ſuffocatus eſt*], ubi in Hebræo eſt ויחנק, quod verbum & Syrus & Arabs hîc uſurpant, ſentiunt Hebræorum non ineruditi non laqueo ſed mœſtitiâ eum periiſſe. Sic Πολίαγρος ἀπήγξατο [*Polia-*

[*Poliagrus mærore ſe confecit*], apud Ælianum: τῷ συνειδότι ἀπάγχεσθαι [*conſcientiâ ſtrangulari*] apud Chryſoſtomum Homiliâ XXII. ad Antiochenos. Videri poteſt ſuspendii mortem Iudæ adſcribere Ignatius in Epiſtola ad Philippenſes, ubi de Diabolo dicitur, μεταμέλον ἐμβάλλει τῷ προδότῃ ὁ βρόχον αὐτῷ δείκνυσι, ἀγχόνην διδάσκει [*pænitentiam proditori eam injicit quæ laqueum ei oſtendit, ſuspendium docet*]. Sed qui eam epiſtolam cum judicio leget facilè deprehendet dictionem & χαρακτῆρα τοῦ λόγου [*dicendi ductum*] floridiorem quàm eſt Ignatii. Nimirum ſcripſerat ad Philippenſes Ignatius, ut Polycarpus meminit. Sed cùm ea epiſtola non exſtaret, alia ſuppoſita eſt: quare nec Theodoretus nec Hieronymus nec Rufinus hanc agnoſcunt.

6. *τὸν κορβονᾶν· in Corbonam*] Ioſephus Ἁλώσεως [*Captivitatis*] II. τὸν ἱερὸν θησαυρόν· καλεῖται δὲ Κορβονᾶς [*ſacrum theſaurum; is autem Corbonas dicitur*]. Alibi γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] idem Ioſephus & Lucas appellant. Ioſephus etiam ἱερὰ χρήματα [*ſacras pecunias*] & Θεοῦ θησαυρόν [*Dei Theſaurum*], aitque in eo fuiſſe aliquando duo millia talentorum.

ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐστι. quia pretium ſanguinis eſt] Argumentum à ratione legis deſumtum. Vetat Lex ſtupri pretium ſacris inferri. At apud Hebræos, cultus idolorum, ſtuprum, cædes velut paria cenſentur. Damnant hîc ſe impuri Pontifices cùm in venditore id facinus execrantur cujus ipſi emtores erant. At certè *cui prodeſt ſcelus is fecit*.

7. *τὸν ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, agrum figuli*] Exigui pretii locum fuiſſe oportet qui triginta ſiclis argenteis non pluris licuerit. Quare ἀγρὸν κεραμέως hîc intelligo eum cujus uber omne ad figlina opera exhauſtum fuerit, ita ut nullus inde fructus ſperari poſſet.

εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις. in ſepulturam peregrinorum] Non ἀλλοφύλοις [*alienigenis*], quorum cura minimè tangebat Sacerdotes, ſed Iudæis qui ex longinquis regionibus Hieroſolyma adventabant religionis ergo, ac morte occupati non habebant ubi ſepelirentur, qui οἱ ἐπιδημοῦντες [*advenæ*] Actor. II, 10. Credibile eſt & antè proſpectum fuiſſe eorum ſepulturæ. Sed ingens confluentium & ſubinde morientium multitudo plus loci deſiderabat.

8. *ἀγρὸς αἵματος, ager ſanguinis*] Dialecto Hieroſolymitana הקל דמא *Haceldama*] Act. I, 19. Id nomen huic agro datum Deus voluit quò celebrior eſſet rei memoria. In Petri oratione Iudas hunc agrum acquiſiviſſe dicitur, non tanquam rem ſuam, ſed tanquam æternum infamiæ monumentum. Dicebat enim populus præteriens, hic eſt ager ille emtus ex pecunia pro qua Iudas Magiſtrum ſuum vendidit.

9. *διὰ Ἱερεμίου, per Ieremiam*] Pro certo haberi debet multa apud Iudæos Vatum veterum oracula conſervata fuiſſe non ſcripto ſed memoriâ, quanquam poſtea qui à parentibus acceperant ea privatim annotarunt: unde factum eſt ut ea oracula in libris ab Eſdra digeſtis non extarent. Ἐκπυρώσεως [*Incendii*] univerſalis exſpectatio, etiam Græcis celebrata, non potuit non ab aliquo vaticinio ortum habuiſſe; quod quidem vaticinium ipſi Adamo adſcribere non veretur Ioſephus. Tale eſt & Enochi illud, Ἰδοὺ ἦλθε Κύριος ἐν μυριάσιν ἁγίαις αὐτοῦ [*Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis*], & quæ ſequuntur apud Iudam 14, 15. Tale illud, Ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε, καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπων οὐκ ἀνέβη, ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν [*Quòd oculus non vidit, nec auris audivit, nèc in còr hominis adſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum*], quod inter Eliæ dicta antiquitus celebrabatur. Talis & ille παλαιὸς λόγος ἀνδρῶν [*vetus hominum ſermo*] Ioſepho memoratus, Ἔνθα τότε τὴν πόλιν ἁλώσεσθαι καὶ καταφλεγήσεσθαι τὰ ἅγια νόμῳ πολέμου, στάσις ἐὰν κατασκήψῃ, καὶ χεῖρες οἰκεῖαι προμιάνωσι τὸ τοῦ Θεοῦ τέμενος [*Tunc fore ut Vrbs capiatur & Templum belli lege incendatur, ubi ſeditio invaſerit, & indigenarum manus polluerit ſacratum Deo locum*]. Et illud λόγιον [*oraculum*] apud eundem, Ἁλώσεσθαι τὴν πόλιν καὶ τὸν ναὸν ἐπειδὰν τὸ ἱερὸν γένηται τετράγωνον [*Tunc fore ut capiatur Vrbs & Templum, ubi Templum quadratam formam acceperit*]. Iam verò & illud ſciendum eſt, veterum Prophetarum verbis uti ſolitos Prophetas poſteriores. Ita Ezechiel multa habet verbotenus ex Ieremia deſumta, ut apparet collatis locis Ierem. XXXI, 29, 30. Ezech. XVIII, 2, 3, & alibi. Sic & in Apocalypſi Iohannis multas περικοπὰς [*ſectiones*] invenire eſt ex Ezechiele & Daniele. Et illud quod ex antiqua traditione, cujus Origenes meminit & poſt eum Hieronymus, ut Eliæ citavimus, ab Elia mutuatus eſt Eſaias LXIV, 4. Imprimis autem Zacharias amat imitari locutiones Ieremiæ. Quis enim non videt quod apud eum eſt I, 4. ſumtum ex Ierem. XVIII, 11. & XXXV, 15. quod eſt apud eum I, 6. ex Thren. Ierem. II, 17. quod eſt III, 8. ex Ieremiæ XXIII, 5. atque alia ejuſmodi. Quapropter dicere etiam ſolent Iudæi *ſpiritum Ieremiæ fuiſſe in Zacharia*, atque adeò Ieremiam eundem eſſe & Zachariam. Quare non video quid obſtet quominus & dictum hoc de *triginta ſiclis* ab Ieremia primitus uſurpatum, hominumque memoriâ conſervatum, per Zachariam repeti Deus voluerit; quod tamen hîc à Chriſto citetur primi auctoris nomine, quanquam in libris ab eo ſcriptis non exſtat. At Hieronymus oſtenſum ſibi ait à Nazarenæ ſectæ homine librum in quo id exſtaret ſub Ieremiæ nomine, qui liber privatam continuit annotationem famæ antiquitus traditæ per ora Hebræorum. Tales autem annotationes, quia publica auctoritate factæ non ſunt, meritò vocantur ἀκανόνιστοι [*extra regulam poſitæ*]. neque tamen id obſtat quò minùs in eis multa contineantur & vera & vetera. Sic idem Zacharias illud, *Increpet te Deus, ô Satan!* ſumſit ex antiqua traditione, quæ deinde perſcripta eſt in libro ἀποκρύφῳ [*abſcondito*] cui titulus Ἀνάληψις Μωσέως [*Aſſumtio Moſis*]. Quin & illud apud Epheſios, Ἔγειραι ὁ καθεύδων καὶ ἀνάστα ἐκ τῶν νεκρῶν, καὶ ἐπιφαύσει σοι ὁ Χριστός [*Surge qui dormis, & exſurge è mortuis, & illuminabit te Chriſtus*], Græci notant deſumtum ἐκ τῶν Ἱερεμίου λεγομένων ἀποκρύφων [*ex Ieremiæ iis quæ Abſcondita dicuntur*]. Sicut & illud, Οὔτε περιτομή τί ἐστιν, οὔτε ἀκροβυστία, ἀλλὰ καινὴ κτίσις [*neque circumciſio valet aliquid, neque præputium, ſed nova creatura*], antiquitus ſub Moſis nomine celebrabatur. Quod autem quidam exiſtimant ab audace librario adjectum nomen *Ieremiæ*, cùm Matthæus Prophetam nominaſſet, probare non poſſum, quia video jam ab Origenis temporibus laboratum ut hîc nodus ſolveretur; qui

labor ſupervacuus fuerat ſiqua exemplaria caruiſſent nomine *Ieremiæ.* Multò credibilius eſt à Syro id nomen omiſſum, quia conſtabat in ſcriptis Ieremiæ iſtud non reperiri. At agnoſcit Arabs & Latinus & quicquid eſt veterum. Dictum autem hoc Ieremiæ, repetitum à Zacharia, in eorum eſt genere quæ primitus res illorum temporum ſignificarent, ita tamen ut in Chriſti tempora etiam magis congruerent; quod Deus manifeſtum fecit ſingulari eventuum directione. Nam apud Zachariam ſenſus hic eſt primò intentus, qualem & apud Ieremiam fuiſſe credibile eſt; Deus ut ſua beneficia in populum Hebræum collata ingratè nimis accepta doceat, ait operæ in illos impenſæ mercedem à ſe poſtulatam; Aſſignatum autem ſibi à populo vile pretium, quo minima æſtimari ſolent mancipia, triginta ſiclos; Se verò illud pretium juſſiſſe projici in agrum aliquem in quem fragmenta fictilium projici ſolebant: Quo facto demonſtratum voluit omnem pompam ceremoniarum, quâ impletâ egregiam ſe beneficiis Divinis gratiam referre Hebræi exiſtimabant, cùm abeſſet pius animus, indignam eſſe quæ à ſe acceptaretur. Hoc verò omne ſicut ad Ieremiæ & Zachariæ tempora pertinebat, ita multò magis congruebat Chriſti temporibus. Atque ideo factum eſt Divinæ providentiæ gubernatione, ut, quod ἀλληγορικῶς [*ſermone aliud innuente*] tunc erat dictum, Chriſti ætate, manente ſenſu illo κατ' ἀλληγορίαν [*ad aliud reſpiciente*] etiam ſecundum proprietatem verborum impleretur. Quod genus impletionis vaticiniorum in hac mortis Chriſti hiſtoria ſæpe occurret. Deus enim in Chriſto æſtimatus eſt à Pontificibus ſiclis triginta, cùm tanti emtus eſt in Chriſtum proditor: atque ea pecunia verè in agrum figlinum non tam impenſa quàm contemtim projecta eſt, facto quidem Pontificum, conſilio autem Divino: unde quod illi fecerunt, rectè Deo dirigenti adſcribitur.

Καὶ ἔλαβον, *Et acceperunt*] Ἔλαβον [*acceperunt*] & quod ſequitur ἔδωκαν [*dederunt*] ſumenda hîc ſunt indefinitè ſine ulla perſonæ aut numeri conſideratione. Factum enim notatur, non quis faciat. Apud Zachariam ipſi Zachariæ ut id faciat, atque eo modo ingratum populi animum teſtatum reddat, imperatur; Hîc verò Deus curavit id ipſum per Pontifices fieri: quod oſtendit ſequens clauſula, καθὼς συνέταξέ μοι Κύριος [*ſicut conſtituit mihi Dominus*]. Sed per quemcunque fiat, eadem manet ſignificatio. Quare nihil peccavit Syrus qui hîc primæ perſonæ verbis uſus eſt: quem ſi ſequi volumus erit illud ἔδωκαν [*dederunt*] mutandum in ἔδωκα [*dedi*].

τὰ τριάκοντα ἀργύρια, *triginta argenteos*] Supple νομίσματα [*nummos*], ut diximus ſuprà. LXX, Symmachus, Aquila, τριάκοντα ἀργυροῦς· ſupple σίκλους [*ſiclos*]. Vide quæ diximus ſuprà.

τὴν τιμὴν τοῦ τετιμημένου, *pretium appretiati*] אדר היקר apud Zachariam. אדר eſt τιμή, non tamen quà *pretium* ſed quà *honorem* ſignificat; ſed hæc ſolent inter ſe commutari. Legiſſe autem videtur Matthæi Interpres הַיָּקָר; nam יָקָר eſt adjectivum, ſignificatque τὸν τιμήεντα, aut, ut hîc effertur, τὸν τετιμημένον [*honoratum*], cùm יְקָר ſit ſubſtantivum ſignificans *gloriam* aut *reverentiam*. LXX vertunt Σκέψαι εἰ δόκιμόν ἐστιν [*Vide an probum ſit*], nimirum per illud σκέψαι [*vide*] oſtendentes dicti εἰρωνείαν [*illuſionem*]. Aquila ſatis ad verbum, ὑπερμεγέθης ἡ τιμή, *egregium verò pretium.*

ὃν ἐτιμήσαντο ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ· *quem appretiaverunt è filiis Iſrael*] Matthæi Interpres quod ſequitur אשר retulit ad τὸν τετιμημένον [*honoratum*], quomodo acceptum ab eo היקר jam diximus: Aquila ad τὴν τιμήν [*pretium*]· ideo ἣν ἐτιμήθην ὑπὲρ αὐτῶν [*quo æſtimatus ſum ab illis*] tranſtulit. LXX pro *quomodo* ſumunt, ὃν τρόπον ἐδοκιμάσθην ὑπὲρ αὐτῶν [*quomodo honoratus ſum ab illis*]. Nam δοκιμάζειν omnino illi pro τιμᾶν [*honorare*] poſuerunt; ut Plato, cùm dicit πρὸς ἀνθρώπων δοκιμάζεσθαι [*ab hominibus honorari*]· Ἐτιμήσαντο [*appretiaverunt*] hîc poſitum eſt pro eo quod apud Prophetam ἐτιμήθην [*appretiatus ſum*]· rectè: quia ibi Deus loquitur, hîc res narratur. Ἀπὸ υἱῶν rectè exponitur ἐξ υἱῶν [*ex filiis*]· nam iſtæ præpoſitiones ſunt ἰσοδύναμοι [*idem pollentes*]· ita infrà commate 21 dicitur τίνα ἀπὸ τῶν δύο [*utrum ex duobus*]. Sed hîc eſt ἔλλειψις [*defectus*] vocis τινές [*aliqui*]. Similem notare eſt ſupra XXIII, 34. Marci VI, 43. Luc. XI, 44. XXI, 16. Act. XXI, 16. Sic & Abydenus in hiſtoria de Siſithro, quo nomine Noam appellat, μετίει τῶν ὀρνίθων [*miſit avium*] id eſt, τινὰς τῶν ὀρνίθων [*aliquas avium*]. Iohannis XVI, 17. εἶπον οὖν ἐκ τῶν μαθητῶν [*dixerunt igitur ex Diſcipulis*], id eſt, τινὲς ἐκ τῶν μαθητῶν [*quidam ex Diſcipulis*]. Tale eſt & illud ſuprà αἴρει ἀπὸ τοῦ ἱματίου *tollit à veſtimento*], id eſt, τι ἀπὸ τοῦ ἱματίου [*aliquid à veſtimento*], IX, 16.

10. εἰς ἀγρὸν τοῦ κεραμέως, *in agrum figuli*] אל יוצר, *ad figulum.* Videtur ignobilis fuiſſe locus ita vulgò appellatus, ſimili figura ut cùm dicitur,

Iam proximus ardet
Vcalegon.

Neque longè à Templo hunc agrum, cujus Zacharias meminit; fuiſſe indicio eſt id quod additur בית יהוה [*in domum Domini*], quod an & in Ieremiæ dicto fuerit dubitari poteſt. Fortè ex eo agro ſumi ſolebat humus ad fictilia Templi; ut idem ſit locus qui שער החרסית [*Porta fictilium*] Ierem. XIX, 2. ס nimirum poſito pro ש, quod non caret exemplo. Nam quod יוצר Kimchi interpretatur τὸν γαζοφύλακα [*Præfectum ærario*] ſine exemplo eſt: ubicunque enim reperitur *figulum* ſignificat, & proinde κεραμέα vertunt LXX Eſaiæ XLI, 25. Thren. IV, 2. Aquila hoc loco ῥίψον αὐτὰ πρὸς τὸν πλάστην [*projice illa ad fictorem*]. Apud LXX videtur χωνευτήριον [*conflatorium*] dictum καταχρηστικῶς [*per abuſionem*] pro eo quod dicendum erat κεραμεῖον [*figlinam*]· cujuſmodi abuſiones paſſim apud eos reperire eſt.

καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος. *ſicut conſtituit mihi Dominus*] Hoc ex ſuperioribus Prophetæ verbis non fruſtra hîc additum, ut intelligantur hæc omnia Divini conſilii diſpenſatione accidiſſe. Cum autem hoc dictum Ieremiæ per Zachariam repetitum hîc recitat Matthæus, ſimul oſtendit tacitè eas pœnas imminere Iudæis quas eidem Prophetæ olim ſui temporis hominibus prædixerant; Fore enim ut populus ille à Deo faſtiditus, & extra ejus tutelam poſitus, inteſtinis diſcordiis agitaretur.

11. Σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *Tu es Rex Iudæorum?*]

Nam cum hoc elogio Pontifices Ieſum Pilato tradiderant, quia hoc crimen affectati Regni maximè putabant valiturum ut Pilatus Ieſum morti addiceret; ſemet interim capitis damnantes, ut qui Meſſiam Regem Regni adſpectabilis, & everſorem Romanæ dominationis, avidiſſimè exſpectarent.

Σὺ λέγεις. *Tu dicis*] Hæc eſt *præclara* illa *confeſſio* cujus meminit Paulus I Tim. VI, 13. Cùm verò Ieſus hîc Regem ſe fateatur, negari mihi videtur non poſſe *Regnum* ejus aliquo modo inchoatum eſſe cùm veritatem cœpit docere: nam ita ipſe apud Iohannem Regnum interpretatur. Neque obſtat quòd paſſim Regni ejus initium duci videtur ab evectione in cœlum: id enim de plena Regni poſſeſſione intelligendum eſt. Et ſanè videri poteſt David etiam hac in re imaginem Ieſu geſſiſſe. Nam & is primùm in Regem unctus eſt, poſt id, Regni portione aliquâ acceptâ, mox jus Regni in ſolidum accepit, II Sam. II, & V. Certè poteſtas remittendi peccata, quam Ieſus vitam mortalem agens exercuit, ad Regnum pertinebat, ut & liberrima illa miraculorum pro arbitrio diſpenſandorum poteſtas.

12. Καὶ ἐν τῷ κατηγορεῖσθαι αὐτὸν, *Et cùm accuſaretur*] Hæc erat ſecunda & intentior accuſatio, cùm vidiſſent Pontifices Pilatum priori criminatione non multùm moveri, ut ex Luca diſcimus. Hæc reo coram facta, more Romano, Actor. XXV, 16.

οὐδὲν ἀπεκρίνατο. *nihil reſpondit*] Cauſa ſilentii, præter deliberatam mortis patientiam, hæc erat, quòd apud religioſum Iudicem accuſatio iſta ſuâ ſponte evaneſceret. Nam *in criminibus Majeſtatis*, ut Modeſtinus inquit, *perſona ſpectanda eſt an potuerit facere:* Ieſum autem, plebejæ ſortis hominem, nullas habentem armatorum copias, præſidia nulla, res ipſa ſatis ab hac ſuſpicione liberabat. Quòd ſi Pilatus, ut factum eſt, vellet ſuam religionem Iudæis gratificari, ſupervacua erat omnis defenſio. Vide quæ dicta ſunt ſuprà XXVI, 63. Et confer illud Eſaiæ ולא יפתח פיו [*& non aperuit os ſuum*] LIII, 7.

13. πόσα σου καταμαρτυροῦσι; *quanta adverſum te dicunt teſtimonia?*] Multa quidem adferebant, ſed partim ea quorum fidem implere non poterant, ut de non ſolvendis tributis; partim nihil pertinentia ad Majeſtatem, ut de doctrina ſparſa per omnem Iudæam. Neutra refutationis egebant.

14. ὥστε θαυμάζειν τὸν ἡγεμόνα λίαν. *ita ut miraretur Præſes vehementer*] Confer Eſaiam XLIX, 7. Cogitabat fortè Terentianum illud,

An quiſquam judex eſt qui poſſit noſcere
Tua juſta, ubi tute verbum non reſpondeas?

At profectò in criminum cauſis non modò tacentes, niſi convicti certiſſimis teſtimoniis, damnari non poſſunt, ſed ne confeſſio quidem perire volentium admittenda eſt.

15. κατὰ δὲ ἑορτὴν, *feſto autem tempore*] Τὸ πάσχα [*Paſchate*], ut ait Iohannes. Nam ea eminenter ἑορτὴ dicebatur, ut ſuprà XXVI, 2, 5. & Iohann. IV, 45. collato loco ejuſdem libri II, 13. Ioſephus, τῆς πάσχα προσαγορευομένης ἑορτῆς [*feſti temporis quod Paſcha dicitur*]· alibi, ἀζύμων ἑορτὴ Φάσκα [*Azymorum feſtum tempus Phaſca*]· rurſum alibi, ἑορτὴ καλουμένη Φάσκα [*feſtum tempus vocatum Phaſca*]· quomodo & Lucas ἐν τῷ πάσχα ἐν τῇ ἑορτῇ [*in Paſchate in tempore feſto*]· quibus in locis Paſcha συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] vocatur totum tempus Azymorum. Veterem hunc morem fuiſſe non credo. Nam Lex Moſis erat χωρὶς οἰκτιρμῶν [*ſine ulla miſeratione*], ut ait Scriptor ad Hebræos X, 28. ὁ νόμος τὸ ἀσύγγνωστον ἔχει [*Lex ignoſcere neſcit*], inquit Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos. Nec cuiquam homini data ignoſcendi poteſtas, non Regi, non Synedrio, non populo univerſo. Nam Ionathan, cujus pœnam populus deprecabatur, aut contra æquum ad pœnam poſcebatur à patre, aut certè non ex Lege Moſis, ſed ex novo edicto Regio: nam in Legem nihil peccaverat. David Abſalomo veniam dare auſus non eſt, donec fortè propoſitum paterno affectui, Ioabo annitente, ſuccubuit. Ioabo quoque homicidii pœna dilata, non donata eſt. Ipſi Synedrio Sameas exitium vaticinatus eſt quòd Herodem accuſatum non condemnaſſet. Quare credibile eſt à Romanis hoc eſſe. Nam in Livii hiſtoria invenimus *lectiſternii* indicti *diebus vinctis demta vincula; religioni deinde fuiſſe quibus eam opem dii tuliſſent vinciri.* Ad hoc exemplum putem ab Auguſto hanc gratiam conceſſam populo Iudaïco; Idque mandatis Procuratorum fuiſſe comprehenſum. Nam alioqui Præſides Romani nullam habebant ignoſcendi libertatem, ut Leges nos docent. Sic Chriſtiani Imperatores Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, generali lege Iudicibus mandarunt ut primo die Paſchali omnium in carcere clauſorum, niſi ob certa crimina quæ Lex enumerat, vincula diſſolverentur.

16. Εἶχον, *Habebant*] Imperſonaliter dictum; quod genus loquendi ſæpe jam annotavimus. *Habebant vinctum quendam*, id eſt, *quidam vinctus habebatur.*

ἐπίσημον, *inſignem*] *Famoſum*; ut qui inter capita fuiſſet ſeditionis ad cædem uſque progreſſæ. Quare λῃστὴς apud Iohannem ſignificat φονέα [*homicidam*] quo nomine hunc Barrabam Petrus appellat Actorum III, 14. Sed & Ioſephus ſeditionum principes λῃστὰς appellat, ut & σικαρίους [*ſicarios*], quia ſcilicet arma habebant publico injuſſu. Lege Cornelia de Sicariis teneri eum qui auctor ſeditionis fuerit ait Marcianus L. *Ejuſdem*, D. Ad Legem Corneliam. Sic σικαρίων vox ſumitur & Actorum XXI, 38.

17. Συνηγμένων οὖν αὐτῶν, *Congregatis ergo illis*] Synedrio ſcilicet coacto, adſtante populo. ita colligimus ex Luca XXIII, 13. & ex eo quod infrà ſequitur 20. Solitum id fieri ex Ioſepho apparet, apud quem ad Flori tribunal accedunt οἵ τε ἀρχιερεῖς καὶ δυνατοὶ, τό τε γνωριμώτατον τῆς πόλεως πᾶν [*primi Sacerdotum & Magiſtratus, & quicquid in urbe conſpicuum erat*].

λεγόμενον Χριστόν; *qui dicitur Chriſtus?*] Χριστὸν hic non ponitur vice cognominis: nondum enim ita increbuerat id vocabulum ut Ieſus eo velut proprio vocaretur. Sed λεγόμενον Χριστὸν ſignificat eum qui à multis credebatur eſſe promiſſus Meſſias. Vide Iohann. IX, 22. Marcus hîc pro eodem dixit ὃν λέγετε βασιλέα τῶν Ἰουδαίων [*quem dicitis Regem Iudæorum*].

18. Ἤδει γάρ, *Sciebat enim*] Tum ex antegreſſa fama, tum ex ipſius Ieſu modeſtia, & quòd nulla in eum crimina adferrentur.

ὅτι διὰ φθόνον παρέδωκαν αὐτόν. *quòd per invidiam tradidiſſent eum*] Vt olim fratres Ioſephum.

19. ἐπὶ τοῦ βήματος, *pro tribunali*] Factum hoc mihi videtur non in ultima cognitione qua Chriſtus cruci damnatus eſt; ſed in alia priore. Nam aliquoties in tribunal proceſſit Pilatus ex eo ſcilicet loco in quo habebat Conſilium ſuum: nam de Conſilii ſententia Præſides pronuntiare ſolebant. Is locus à tribunali velo interpoſito discernebatur: unde illud *velo levato* in Iure, id eſt, nullâ adhibitâ conſultatione; cui contrarium eſt ἀπὸ παραπετάσματος μέσου, id eſt, *velo interpoſito* in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis lib. II, cap. 52. Hunc locum τὸ ἀπόρρητον δικαστήριον [*ſecretum judicii locum*] vocat Philoſtratus Vitâ Apollonii lib. IV, cap. XV. τὰ σήκρητα τῶν δικαστηρίων; *ſecreta Iudiciorum* Synodus Africana. *Secretarium* ſæpe eſt in Martyrologiis, ut apud Adonem Pridie Eidus Auguſti de Euplo, *Cùm eſſet extra velum ſecretarii, intromiſſus eſt jubente Calviſiano Conſulari in auditorium.* Exſtat eadem vox in Collatione Carthaginienſi; & L. 3 C. *Vbi Senatores*; & L. *In cauſis*, C. De accuſat. & alibi. Priorem hanc cognitionem ſecuta eſt interlocutio de Chriſto flagris cædendo, nimirum quæſtionis in eum habendæ ergo: quod μάστιξιν ἀνετάζεσθαι [*flagris inquiri*] dixit Lucas Actorum XXII, 24. Tacitus de Herennio Gallo, *Sciſſâ veſte, verberato corpore, quo pretio, quibus conſciis prodidiſſet exercitum dicere jubent.* Cicero Verrinâ de ſuppliciis, *virgam*, ait, *magis in tormento eſſe quàm in ſupplicio.* Gordianus Imperator L. *Nullam*, C. Ex quibus cauſis infamia irrogatur, *Nullam exiſtimationis infamiam avunculus tuus pertimeſcat ictibus fuſtium ſubjectus ob crimen quæſtione habita.* Eſt hujus moris viva deſcriptio in Chryſoſtomi oratione XIII. De ſtatuis. Sperabat quidem Pilatus aliud quoque ex hac flagellatione, populi ſcilicet miſericordiam; verùm interim oportebat ſpeciem aliquam juris adhiberi injuriæ. Quod quidam volunt cæſum flagris Chriſtum in partem pœnæ ex more Romano, conſiſtere non poteſt. Nam Iohannes apertè docet, poſt Chriſtum flagris cæſum aliquantum temporis interceſſiſſe antequam cruci Chriſtus addiceretur. At in his qui ſupplicii cauſâ cædebantur una erat ſententia, cujus hæc erant verba legitima, *Summove, lictor, deſpolia, verbera, lege age, animadverte.* Quare quod infrà eſt commate 26. Φραγελλώσας [*flagellatum*], dictum eſt per retrogreſſionem; id eſt, cùm eum jam antè flagris cecidiſſet. Ioſephus de Iudæis quibusdam à Floro comprehenſis, οὓς μάστιξι προαικισάμενος ἀνεσταύρωσεν [*quos flagris cùm cecidiſſet, mox adfixit cruci*]. Ita nihil neceſſe eſt tantillo tempore bis flagris cæſum Chriſtum comminiſci, quod quidam ſine cauſa ac probabilitate faciunt.

ἡ γυνὴ αὐτοῦ, *uxor ejus*] Invaluerat Tiberii tempore contra morem veterem, ut in Provincias miſſos uxores ſuæ comitarentur. Notat Tacitus Annalium III. Addit ibi Cæcina *ab his negotia ſuscipi, tranſigi; duorum egreſſus coli; duo eſſe prætoria.*

τῷ δικαίῳ, *juſto*] Id eſt, *innocenti*; ut & infrà 24. A Deo enim patefacta ipſi per inſomnium Ieſu innocentia, fortè & mala quæ Pilatum ex injuſta damnatione manebant. & fieri potuit ut fuerit mulier θεοσεβής [*Dei timens*], quales interdum & aliorum Præſidum Romanorum uxores fuiſſe apparet.

23. Τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; *Quid enim mali fecit?*] Subintelligitur recuſatio poſtulationis: *Non faciam*; *Quid enim mali patravit?* Nam Scriptores noſtri non ipſa verba Pilati exprimunt, ſed ſenſum: atque ideo etiam cùm ille loquens inducitur obſervare eſt Hebraïſmos, ut infrà 24. Hebræis autem mos eſt reticere id cujus ratio redditur. Exempla alibi allata ſunt.

περισσῶς ἔκραζον, λέγοντες, Σταυρωθήτω. *magis clamabant, dicentes, Crucifigatur*] Tales ſunt illi clamores populi apud Tertullianum, *Chriſtianos ad leonem*; *Chriſtianos ad beſtias.* Apud Lampridium, *Delatores ad leonem.* Sic in Actis clamant Iudæi, Αἶρε αὐτὸν [*Tolle eum*], &, Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς [*Tolle de terra*], XXI, 36. XXII, 22. Similia ſunt, *Tiberium in Tiberim*, apud Suetonium; *Ardeat Valens*, apud Ammianum. Tales vanas populi voces quanquam non audiendas eſſe Imperatores pronuntiarunt, ut L. *Decurionum*, C. De Pœnis, multi tamen Magiſtratus iis ſupra æquum movebantur. Crucem autem Chriſto optant, quia id ignominioſiſſimum erat ſupplicium. *Summo ſupplicio*, id eſt, cruce, inquit Paulus in Sententiis: Apulejus *extremam pœnam* dixit. Vide & Ciceronem Verrinâ ultimâ.

24. θόρυβος γίνεται, *tumultus fieret*] Cùm narret Iohannes dictum à Iudæis, *Nos Legem habemus ſecundum quam debet mori, quia Filium Dei ſe fecit*, & magnis clamoribus rem agitatam omnes Scriptores ſacræ hujus hiſtoriæ tradant, vero ſimile eſt metum injectum Pilato ne populus per tumultum Ieſum ad mortem raperet, & ſi ipſe obſiſteret, defectionem moliretur, tanquam Moſis Lege contemta. Nam & antè fuerant qui Chriſtum lapidibus obruere tentarent; & poſtea in Stephano idem accidit. Qui metus quanquam indignus viro conſtante, ac ne Romanis quidem nedum Divinis legibus Pilatum liberaturus à crimine condemnatæ innocentiæ, multùm tamen culpam ejus in comparatione Iudaïcæ ſævitiæ elevat: quod Chriſtus ſignificare videtur Iohann. XIX, 11. Atque ita interpretor quod apud Marcum eſt βουλόμενος τῷ ὄχλῳ τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι [*volens populo ſatisfacere*], non quòd popularem auram Pilatus captaverit (ἦν γὰρ τὴν φύσιν ἀκαμπὴς καὶ μετὰ τοῦ αὐθάδους ἀμείλικτος [*erat enim ingenio inflexibilis & cum arrogantia implacabilis*], ut de eo ſcribit Philo; à quo non diſſident quæ tradit Ioſephus), ſed quòd cùm ſigna inferret Hieroſolymis & cùm gazophylacium vellet attingere, expertus eſſet quàm facilè ad vim parandam impelli populus ille poſſet obtentu patriæ legis. Hoc igitur periculum innocentis ſupplicio redemtum voluit; eorum more qui jus & æquum violant reipublicæ, ut ajunt, cauſâ, cùm interim eo facto rempublicam ex imis ſedibus convellant.

ἀπενίψατο τὰς χεῖρας, *lavit manus*] Iis aſſentior qui manuum lotionem ad teſtandam innocentiam putant non Iudæorum fuiſſe propriam, quam ad rem viri eruditi pridem locum Deuteronom. XXI, *6.* Pſalmo XXVI, *6.* & alium Ariſteæ attulerunt (quibus addi poteſt & Ioſephi locus Originum XII, capite II.), ſed notam aliis quoque gentibus, quia puritatem Aquæ elemento deſignare admodum naturale eſt. Certè qui diis Gentium ſacrificare volebant afferre debebant ὁσίας χεῖρας [*puras manus*], idque ipſum teſtari ſolemni manuum lotione: unde qui ſcelere aliquo erant contaminati ſolebant, ut Demoſthenes loquitur, χερνίβων εἴργεσθαι [*pollubro arceri*]. Sophocles,

—— μήτε θύμασι
Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χερνίβων νέμειν.
[---------- *nec de victimis*
Tribuere partem, lavare nec pariter manus.]

meminit ejus moris & Scholiaſtes Ariſtophanis plùs uno loco. Vide quæ ſuprà notavimus ad caput III. Sed & moris antiqui fuit ut Iudices ex legibus aliquem damnaturi manibus ad Solem elevatis teſtarentur ἀθῶοι ὑπάρχειν τοῦ αἵματος τοῦ ἀνθρώπου [*inſontes ſe eſſe circa ſanguinem hominis illius*], ut videre eſt in libro ſatis antiquo cui titulus eſt *Conſtitutionum Apoſtolicarum Clementis* lib. II. LII. Philoni, tertio De vita Moſis, λουτὴρ σύμβολον ἀνυπαιτίου ζωῆς [*lavacrum ſymbolum vitæ inſontis*], Iudæis mos vetus nunc etiam manet à funere venientibus manus lavandi, quo teſtantur ſe cauſam morti non præbuiſſe, & omnia miniſtraſſe neceſſaria.

ὑμεῖς ὄψεσθε. *vos videritis*] Vide ſuprà 4.

25. Τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐφ' ἡμᾶς, *ſanguis ejus ſuper nos*] Id eſt, Nos tenebimur. Ita LXX Levit. XX, *9.* & II. דמיו בו [*ſanguis ejus ſuper eum*] & דמיהם בם [*ſanguis eorum ſuper eos*] bene vertunt ἔνοχος ἔσται [*ſons erit*] & ἔνοχοί εἰσιν [*ſontes erunt*]. At II Samuelis I, 16. ſervarunt Hebraïſmum, τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου [*ſanguis tuus ſuper caput tuum*]. quomodo & Romani dicebant, *Sit capiti tuo.* Teſtes ſolebant dicere, *Sit ſanguis iſtius ſuper nos.* Vide Præceptorum jubentium CV.

καὶ ἐπὶ τὰ τέκνα ἡμῶν. *& ſuper filios noſtros*] Mos vetus non ſe modò ſed & liberos devotandi. In fœdere Smyrnæorum cum Magnetibus eſt, ἐπιορκοῦντι γε ἐξώλεια, καὶ αὐτῷ καὶ γένει τῷ ἐξ αὐτοῦ [*jurata violantem exitium ſequatur, atque etiam poſteros ejus*]. Seneca Rufum aït optaſſe ut quod malè erat ominatus *id in ſe & filios ſuos recideret.* Certè magnis ſceleribus etiam poſteritatem obſtringi, non Hebræorum tantùm ſed & omnium propè gentium fuit opinio. Docent paſſim hiſtoriæ. Thucydides libro I. ubi de Cylonio piaculo agit, καὶ ἀπὸ τούτου ἐναγεῖς καὶ ἀλιτήριοι τῆς θεοῦ ἐκεῖνοί τε ἐκαλοῦντο καὶ τὸ γένος τὸ ἀπ' ἐκείνων [*ex eo contacti piaculo deæque exoſi habiti & ipſi & eorum poſteritas*]. Adde quod narratur II Samuel. XXI. & locum ex Hebraïco libro Præceptorum adductum à Iohanne Druſio, viro optimè de his literis merito. Multa hac de re habet Plutarchus libro περὶ τῶν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ βραδέως τιμωρουμένων [*De iis qui à Deo ſerò puniuntur*]. Quæ eò minùs iniqua nobis videbuntur, ſi addamus, potuiſſe poſteros ſeriâ ac ſollemni deteſtatione paternorum ſcelerum piaculo ſolvi. Certè Hebræis præcipitur ut non ſua tantùm ſinguli ſed & parentum delicta ſuppliciter agnoſcant; quod & populi nomine facit Daniel IX. & Nehemias IX.

26. φραγελλώσας, *flagellatum*] Vide quæ ſuprà diximus ad comma 19. Eſt autem hæc vox è Latina translata in uſum Græci ſermonis, ut κουστωδία [*cuſtodia*] & quæ apud Ignatium leguntur, δεσέρτωρ, δεπόσιτα, ἄκκεπτα, ἐξεμπλάριον [*deſertor, depoſita, accepta, exemplar*].

παρέδωκεν ἵνα σταυρωθῇ. *tradidit ~~ut~~ crucifigeretur*] Dubitant quidam permiſerit duntaxat Iudæis Chriſtum Pilatus, an Iudicis more damnaverit. Ambiguè loquitur Tertullianus, *Ad doctrinam veri ejus, qua revincebantur magiſtri primoreſque Iudæorum, ita exaſperabantur, maximè quòd ad eum ingens multitudo deflecteret, ut poſtremò oblatum Pontio Pilato, Syriam tunc ex parte Romana procuranti, violentiâ ſuffragiorum in crucem Ieſum dedi ſibi extorſerint.* Lactantius autem prolatam à Pilato ſententiam diſertè negat lib. IV Inſtitutionum, cap. VIII. quomodo & Chryſoſtomus ſenſit Oratione ſecunda de Eleemoſyna. Sed contrarium multa evincunt; primùm locus tribunalis in quem proceſſit Pilatus; deinde quòd per ſolos milites Romanos exactum ſupplicium; ipſa pœna propria Romani juris: nam crux Iudæis legibus ignota: titulus à Pilato dictatus: corpus ab eo poſtulatum, aliæque circumſtantiæ. His adde, quòd jam antè, cùm Pilatus dixiſſet, *Vos de eo ex lege veſtra judicate*, Iudæi reſponderant, Sibi capitalium judiciorum poteſtatem ablatam: quare & omnes inſecuti clamores non aliò tendebant quàm ut Pilatus ſua voce Ieſum damnaret. atque hoc èſt in quo populo furenti contra jus & æquum & mentis ſuæ ſententiam obſequium commodavit. Sed & provocatio Catholicorum & τεσσαρεσκαιδεκατιτῶν [*Quatuordecimanorum*] ad Acta Pilati oſtendit rem judicii ſpecie geſtam. Adde Tacitum, *Auctor nominis ejus Chriſtus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Ipſe Chriſtus ſuprà XX, 19. dixit de ſe, παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ σταυρῶσαι [*tradent eum Gentibus ad crucifigendum*]. Neque aliter ſenſerunt veteres Chriſtiani. Ignatius de Chriſto, ἀπόφασιν ἐδέξατο παρὰ τοῦ Πιλάτου [*ſententiam accepit à Pilato*]. Cyprianus adverſùs Demetrianum, *Hunc magiſtri eorum atque primores, hoc eſt, quos & doctrinâ ille & ſapientiâ revincebat, accenſi irâ, & indignatione provocati, Pontio Pilato, qui tunc ex parte Romana Syriam procurabat, tradiderunt, crucem ejus & mortem ſuffragiis violentis ac pertinacibus flagitantes.* Crucem autem irrogatam Chriſto, tanquam ſeditionis auctori, veriſſimè ab aliis notatum eſt: eam enim pœnam ei crimini ſtatuunt Romanæ leges, ut notat Paulus V Sent. Tit. XXII. pro qua nunc *furcam* in Pandectis legimus, quippe crucis uſu in ſuppliciis per Conſtantinum ſublato. Exempla crucifixorum ſeditionis crimine in ipſa Iudæa & à Varo & à Floro habes apud Ioſephum.

27. εἰς τὸ πραιτώριον, *in prætorium*] Non erat tribunal Pilati intra prætorium, ſed in ſtadio quod erat non longè à prætorio. Ioſephus, ὁ Πιλάτος καθίσας ἐπὶ βήματος ἐν τῷ μεγάλῳ σταδίῳ [*Pilatus tribunali inſidens in magno ſtadio*]. Pars hujus areæ lapidibus erat conſtrata, ut ex Iohanne diſcimus: ibi erat & conſiſtorii locus & tribunal.

ὅλην τὴν σπεῖραν. *univerſam cohortem*] Aliam cohortem ab ea quæ Templo & Sacerdotibus erat aſſignata, & quæ *cuſtodia* vocabatur. Σπεῖρα δέ ἐστιν ὃ καλοῦμεν νῦν νούμερον [*Cohors id quod nunc numerum vocant*], Oecumenius.

28. περιέθηκαν αὐτῷ χλαμύδα κοκκίνην. *chlamydem coccineam circumdederunt ei*] Πορφύραν [*purpuram*] Marcus & Iohannes, id eſt, *ejus coloris qui purpuram mentiretur*. Atque eodem modo hîc *coccina* dicitur *chlamys*, quòd coccinam referret: nam ejus & purpuræ vicinus color. Vide L. *Si cui lana*, D. De Legatis III, Par. *verſicoloribus*. Sic Horatius Satyrarum II, 6. veſtem eandem vocat *cocco tinctam* & *purpuream*. Hebræi תולע vocant id quod nos vulgò *Cramoſinum*, quod Græci Interpretes vertunt κόκκινον. Pertinebant hæc ad exprobrationem velut ſtultè affectati Regni. Simile eſt quòd Alexandrini ut Agrippam, qui ſe Regem diceret tanquam ejus nominis majeſtate indignum, irriderent, Carabam quendam, hominem mentis parum compotem, per ludibrium ornarunt quibusdam quaſi regni inſignibus: quæ narratio apud Philonem in Flaccum meretur cum hac comparari. Nam quod hîc eſt χλαμὺς κοκκίνη [*chlamys coccinea*], ibi eſt χαμαιστρώτῳ δὲ τὸ ἄλλο σῶμα περιβάλλουσιν ἀντὶ χλαμύδος [*ſtragulo quale in terra ſternitur corpus ejus cæterum pro chlamyde obvelant*].

29. στέφανον ἐξ ἀκανθῶν, *coronam de ſpinis*] In dicta Philonis narratione, βύβλον μὲν εὐρύναντες ἀντὶ διαδήματος ἐπιτιθέασιν αὐτοῦ τῇ κεφαλῇ [*papyrum extenſam vice diadematis capiti ejus imponunt*]. Maledictio in ſpinis cœpit, Gen. III, 18. in ſpinis deſiit. *Lilium in medio ſpinarum*, Cant. II, 2.

καὶ κάλαμον ἐπὶ τὴν δεξιὰν αὐτοῦ, *& arundinem in dextram ejus*] Philo, ἀντὶ δὲ σκήπτρου βραχύ τι παπύρου τμῆμα τῆς ἐγχωρίου καθ' ὁδὸν ἐρριμμένον ἰδών τις ἀναδίδωσιν [*pro ſceptro fragmentum papyri indigenæ humi porrectum quis videns ei tradit*]. Deinde addit quod & huic loco quadrat, ἐπεὶ δὲ ὡς ἐν θεατρικοῖς μίμοις τὰ παράσημα τῆς βασιλείας ἀνειλήφει καὶ διακεκόσμητο εἰς βασιλέα [*poſtquam verò tanquam in theatricis mimis inſignia regni accepit & in Regem ornatus eſt*].

λέγοντες, Χαῖρε ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων, *dicentes, Ave Rex Iudæorum*] Philo, εἶθ' ἕτεροι προσῄεσαν οἱ μὲν ὡς ἀσπασόμενοι [*acceſsère poſtea alii quidam ut ſalutaturi*]· deinde, εἶτ' ἐκ περιεστῶτος ἐν κύκλῳ πλήθους ἐξήχει βοή τις ἄτοπος Μάριν ἀποκαλούντων· οὕτως δέ φασιν τὸν κύριον ὀνομάζεσθαι παρὰ Σύροις [*poſt hæc ex circumſtante multitudine vox ſonuit ridicula, Marin vocantium: Sic ajunt à Syris dominum appellari*]. Rectè. מרן enim Syrum eſt. Sic Livius narrat Philippum Megalopolitanum à Philippo Rege ad ludibrium *Regem* conſalutari juſſum. Mos autem ſalutandi etiam Principes addito *ave*: ſic *Cæſar ave* apud Martialem Apophoretis, & Macrobium II Saturnalium IV.

31. ἀπήγαγον αὐτὸν εἰς τὸ σταυρῶσαι· *duxerunt eum ut crucifigerent*] Per milites ſupplicium exactum à Romanis Magiſtratibus etiam extra caſtra notatum eſt à viris doctiſſimis. Hinc *tribunus exactor mortis* Tacito; Suetonio *miles decollandi artifex*, qui *ſpiculator* Marco, Iurisconſultis Romanis, Iulio Firmico. Tertullianus ubi Chriſtiano militiam diſſuadet, *Et vincula & crucem & ſupplicia adminiſtrabit, nec ſuarum ultor injuriarum?*

32. ἐξερχόμενοι δὲ, *exeuntes autem*] *Extra Vrbem*, ut narrat Iohannes, & obſervat Scriptor ad Hebræos XIII, 12. Congruebat id Hebræo mori: Nam ſontes Moſis tempore extra caſtra morte afficiebantur, Numer. XV, 35. conſtitutâ Republicâ extra urbes, I Regum XXI, 13. ſed & Romano: De caſtris docet Seneca, *Damnatus extra vallum ad ſupplicium deductus fuerat*. Vegetius, *Decumanâ deducebantur olim extra vallum ut capite plecterentur*. Scriptor belli Africani Cæſaris, *Sic extra vallum deducti ſunt & cruciabiliter interfecti*. De urbibus Aggenus, *Sunt in ſuburbanis loca noxiorum pœnis deſtinata*. Cicero Verrina V. *Cùm Mamertini more atque inſtituto ſuo crucem fixiſſent poſt urbem in via Pompeja*. Plautus,

> ------ *Credo ego iſtuc extemplo tibi*
> *Eſſe eundum actutum extra urbem diſpeſsis manibus*
> *Patibulum cùm habebis*.

Prolata in rem eandem ab aliis teſtimonia ex Lampridio & Theodoreto.

Κυρηναῖον, *Cyrenæum*] Ex Libyæ Pentapoli Cyrenaïca oriundum quæ plena Iudæis, ut apertiſſimè docet Ioſephus Ἁλώσεως [*Captivitatis*] VII, capite XXXVIII. & Lucas Actorum II, 10. & VI, 9. Nec dubium falli qui de alia Cyrene hæc accipiunt. Origenes rectè interpretatur.

ἵνα ἄρῃ τὸν σταυρὸν αὐτοῦ. *ut tolleret crucem ejus*] Cùm jam antè Chriſtus ipſe patibulum tuliſſet per urbem, ut Plautus loquitur, Iohann. XIX, 17. more haud dubiè Romano, juxta quem ὁ μέλλων προσηλοῦσθαι πρότερον σταυρὸν ἐβάσταζε [*qui cruci affigendus erat priùs crucem portabat*], ut jam omnibus notum. Videntur autem milites hunc Simonem arripuiſſe qui in onus Chriſto ſuccederet, Iudæorum inſtigatu, qui eum ſciebant Chriſto favere; quod Marcus confirmat, filios quoque ejus, Chriſti nimirum diſcipulos, nominans. Ita conſpicuo ſigno expreſſum eſt quod Chriſtus omnibus diſcipulis ſuis præceperat, ſublatâ in humeros cruce ipſum ſequi. Nam & hoc exprimit Lucas in hac hiſtoria, ἐπέθηκαν αὐτῷ τὸν σταυρὸν φέρειν ὄπισθεν τοῦ Ἰησοῦ [*impoſuerunt illi crucem portare poſt Ieſum*].

33. Γολγοθᾶ, *Golgotha*] Eliſionem literæ non carere exemplo apertè à viro doctiſſimo demonſtratum eſt: In Zohar, ut & hîc in Syriaco & Arabico plenè legitur. Quare non aliud ſignificat quàm quod Græcè exprimitur à Matthæi Interprete Κρανίου τόπος [*Calvariæ locus*]. Nec cauſam nominis aliunde quærendam arbitror quàm quòd ibi decollari homines ſolerent, qualia loca Romæ erant Seſtertium & Gemoniæ. Manſiſſe eo loco diu poſt mortem nuda capitum oſſa vix credo; nam neque Iudaïco neque Romano mori id ſatis congruit; & Hebræi גלגלת quodvis caput appellant; quorum imitatione κρανίον ab Interprete factum puto: quod tamen ipſi quoque Græci interdum de viventium capite uſurpant, ut *calvam* Latini. Videtur autem mihi expreſſio hujus nominis non ad hiſtoriam tantùm ſed & ad vaticinii implementum pertinere, quod ibi ſcilicet avolutum à nobis ſit opprobrium noſtrum, quomodo loquebatur Ieſus noſtri Ieſu imago, qui exinde locum quendam גלגל [*Gilgal*] nominavit, quod cum additamento Syriaco eſt גלגלתא [*Golgoltha*], ut ex רמות

[*Ramath*] factum eſt רמתא [*Ramatha*]: id nomen גלגל [*Gilgal*] Ioſephus ἐλευθέριον [*Liberatorium*] interpretatur. Sic & *Nazaræi* vox patriam ſignificans, alio ſenſu abſtruſiorem habebat ſignificationem.

34. ὄξος μετὰ χολῆς μεμιγμένον· *vinum cum felle mixtum*] Ita pleraque exemplaria & Syrus. Nec aliter legit Origenes diligens exemplarium inquiſitor. Neque tamen Latinum Interpretem culpo qui *vinum* vertit, ut nec eos qui Græco margini ad vocem ὄξος [*acetum*] adjecere οἶνον [*vinum*], interpretamenti gratiâ, quod poſtea in contextum quorundam librorum irrepſit. Nam ὄξος Græci vocant vinum factitii ſaporis; quale ὄξος ἑψητὸν [*coctum acetum*] ex palmulis Xenophonti atque aliis memoratum: idem autem & *vinum* non minùs rectè dicitur, ſicut cerviſiam οἶνον κρίθινον [*vinum hordeaceum*] appellat Athenæus. Tale erat & hoc vinum, ſive thure, ut Hebræorum Magiſtri tradunt, ſive myrrhâ, ut Marcus ait, condîtum, quod recepto more ad ſupplicium euntibus dari ſolebat. Sed & חמץ Hebræum, quod in Pſalmo eſt, *id quod infectum eſt* ſignificat; ut obſervatum eſt à ſummæ diligentiæ viro; cui & in hoc accedo quòd χολὴν laxiùs ſumit pro *omni amaritie:* quippe cùm eâ voce *abſinthium* ſignificent Græci Interpretes Proverb. v, 4. Thren. III, 15. Nam & Hebræum ראש ſive רוש [*fel*] latè patet, & voce πικρὸν [*amarum*] vertitur Ier. XXIII, 15. atque adeò ad herbas etiam venenatas amari guſtus porrigitur; ut liquet collato loco Deuter. XXIX, 18. cum Hebr. XII, 15. Atque ita vocem χολῆς hîc ſumſit Syrus vertens מררתא, quod *amarorem* ſignificat, & propterea Abſinthio non minùs quàm Felli aptatur. Neque aliter ad Marcum Theophylactus; & Auguſtinus lib. III De conſenſu Euangeliſtarum: *Fel quippe pro Amaritudine poſuit.* Non dimovet me ab hac ſententia quòd myrrhatum vinum quaſi pro beneficio ſontibus dabatur. Nam hoc ipſum crudelitatem Iudæorum abunde notat, quòd Chriſtum curaſſent eò malorum perduci ut quaſi pro ſolatio offerendus ei eſſet potus qui mentem exſternaret: quo facto verba Davidis κατὰ λέξιν [*ſecundum verba*] ſimul & κατὰ διάνοιαν [*ſecundum mentem*] in Chriſto impleta ſunt. Etiam de virginibus Maxima & Donatilla in perſecutione Valeriani ante ſupplicium aceto & felle potatis in Martyrologio legimus.

γευσάμενος, *cùm guſtaſſet*] *Cùm leviter deguſtaſſet*, implendo tantùm vaticinio; non ut imbiberet, quod eſt λαμβάνειν [*accipere*] Marco: ſicut λαμβάνειν τὸ ψωμίον eſt *panem juſculo tinctum devorare.* Noluit autem imbibere Chriſtus, quia, ut diximus, menti exſternandæ adhibebatur. in cruce autem pendens poſtea, quia ſitiebat, ἔλαβε τὸ ὄξος [*accepit acetum*], id eſt, *imbibit*, Ioh. XIX, 30.

35. διεμερίσαντο τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, βάλοντες κλῆρον [*diviſerunt veſtimenta ejus ſortem mittentes*] Id eſt, partim diviſerunt, partim aleâ addixerunt victori, ut nos docet Iohannes; Deo ſcilicet rem ita dirigente, ut quod David de ſe dixerat figuratè, in Chriſto ſecundùm exactiſſimam proprietatem impleretur. Veniebat autem hoc ex more Romano. Milites enim ſupplicii exactores ſontium ſpolia ſibi vindicabant, quod Adrianus Imperator vetuit fieri niſi Præſidum juſſu, *Pannicularia*, inquit, *ſunt ea quæ in cuſtodiam receptus ſecum attulit; Spolia quibus indutus eſt cùm quis ad ſupplicium ducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit: iſta neque ſpeculatores ultrà ſibi vindicent, neque Optiones ea deſiderent quibus ſpoliatur quo momento quis punitus eſt.* Quod in quibuſdam libris hîc ſequitur ἵνα πληρωθῇ [*ut impleretur*] ex Iohanne adjectum non dubito; quia Græca optima exemplaria, multa etiam Latina non habent, nec agnoſcit Syrus Arabe haud dubiè antiquior. Etiam Origenes non legit.

36. Καὶ καθήμενοι ἐτήρουν αὐτὸν ἐκεῖ. *Et ſedentes ſervabant eum*] Et hoc ex more Romano. Petronius Arbiter Satyrico, *miles qui cruces aſſervabat.*

37. τὴν αἰτίαν, *cauſam*] Γράμματα τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως δηλοῦντα [*literas cauſam mortis indicantes*] dixit Dio Caſſius; *Titulum*, ut Iohannes, Suetonius duobus locis, & Tertullianus Apologetico; πίνακα [*tabellam*] Euſebius, ubi de Attalo agit. Brevibus verbis cauſa ſupplicii indicari ſolebat ſcripto, aut præconis voce: Scripto, ut apud Suetonium, IMPIE LOCUTUS PARMULARIUS: apud Euſebium dicto loco, Οὗτός ἐστιν Ἄτταλος ὁ Χριστιανός [*Hic eſt Attalus Chriſtianus*]. Voce præconis, quod *ſuperindictum* Iuriſconſulti vocant, ut, Προπετῶς μὴ ὄμνυε [*Temere ne jura*], L. *Si duo*, D. De jurejurando. Ἐσυκοφάντησας [*Calumniatus es*], L. *Fuſtibus*, Ex quibus cauſis infamia. Ὅτι τὴν πόλιν ἔπεισεν ἑλέσθαι τὸν πόλεμον [*Quia civitati auctor fuit belli ſumendi*], apud Diodorum Siculum. LEGATUM POPULI ROMANI HOMO PLEBEIUS TEMERE AMPLECTI NOLI, apud Spartianum. QUOD TIBI NON VIS, ALTERI NE FECERIS, apud Lampridium. FUMO PUNITUR QUI VENDIDIT FUMUM, apud eundem. Πολύκαρπος ὡμολόγησεν ἑαυτὸν Χριστιανὸν εἶναι [*Polycarpus confeſſus eſt ſe eſſe Chriſtianum*], apud Euſebium. AGNEM SACRILEGAM VIRGINEM, DIIS BLASPHEMIAM INFERENTEM SCORTUM LUPANARIBUS DATAM, apud Ambroſium. Latino ſermone ſcripta hæc αἰτία [*cauſa*] ob majeſtatem Imperii; Hebræo, ob locum in quo ſupplicium ſumebatur; Græco, ob maximam turbam Helleniſtarum quæ ad Paſcha convenerat, quanquam alioqui Græco ſermoni à Macedonicis temporibus & in Palæſtina Iudæi vicinæque gentes aſſueverant. Itaque apud Ioſephum C. Cæſar Dictator Sidoniis, atque M. Antonius Triumvir Tyriis imperant, ut edicta quædam ſua in publicas tabulas referantur tum Latino tum Græco etiam ſermone. Et edictum quo vetabantur alienigenæ procedere intra τὸν δρύφακτον [*loricam*] Templi, proſcriptum erat tam Græcis quàm Latinis literis. In ſepulchro etiam Gordiani Imperatoris legimus fuiſſe & harum trium linguarum literas, & Perſicas præterea atque Ægyptiacas. Iuſtinianus uti ſe ait Græco ſermone διὰ τὸ τῷ πλήθει κατάλληλον [*ob id quod plebi uſitatus eſt*], Latino διὰ τὸ σχῆμα τῆς πολιτείας [*ob Imperii majeſtatem*]. Ne hoc quidem indignum notatu, Deo res dirigente, factum ut more Imperatorum Chriſti crux præferret titulos gentium nondum quidem ſubactarum ſed brevi ſubigendarum. Ille enim

erat cui cedere debebat religio Iudaïca, eruditio Græca, robur Latinum. Neque novum eſt quòd Pilatus per ludibrium, ſed, ni fallor, Iudæis magis quàm Ieſu illuſum cupiens, eum in titulo vocavit *Regem Iudæorum*, cùm apud Livium quoque præco juſſu Fulvii in ſupplicio Taureæ Subellii pronuntiaſſe dicitur, *Lictor, viro forti adde virgas.* Inſcriptionem Latinam fuiſſe arbitror IESUS NAZARENUS REX IUDAEORUM, quomodo eam ponit Iohannes. A Matthæo & Luca additum οὗτός ἐστιν [*hic eſt*] ex Hebræo in quo fuerit הוא ישוע [*hic Ieſus*].

38. σταυροῦνται σὺν αὐτῷ δύο λῃσταί· *crucifixi ſunt cum eo duo latrones*] Nam crux pœna latronum. Petronius, *Cùm interim Imperator provinciæ latrones juſsit crucibus affigi.* Seneca, *Latrocinium fecit aliquis? Quid ergo meruit? Vt ſuſpendatur.* Firmicus, *Homicidam & latronem efficiet: iſtis facinoribus comprehenſus patibulo ſuffixus in crucem crudeliter erigitur.* Vocabantur autem λῃστῶν [*latronum*] & *ſicariorum* nomine etiam qui injuſſu publico arma cepiſſent, ut modò ad comma 16. notavimus. Hi autem duo aſſervati erant ad tempus adventantium Azymorum, ut quàm maximo populi conventu punirentur: id enim in Iudæa receptum erat, meritóque à Romanis retentum cùm ab eorum inſtitutis non diſſideret. Nam & Romæ olim in comitio, poſtea quoque ad claſſicum exigi pœnæ ſolebant. Quintilianus quoque *in ſuppliciis curatum* ait *ut plurimi intueri, plurimi commoveri metu poſsint;* cauſa addita, *Omnis enim pœna non tam ad delictum pertinet quàm ad exemplum.*

39. κινοῦντες τὰς κεφαλὰς αὐτῶν, *moventes capita ſua*] Signum inſultationis: quo ſenſu κινεῖν κεφαλῇ [*caput movere*] reperies Pſalm. XXII, 8. II Reg. XIX, 21. Eſai. XXXVII, 22. Thren. II, 15. σαλεύειν κεφαλῇ [*concuſſare caput*], Pſalm. CIX, 25. Secutus eſt hunc Hebraïſmum Scriptor Eccleſiaſtici XIII, 8. κεφαλὴν αὐτοῦ κινήσει ἐπί σοι [*caput ſuum movebit ſuper te*]. Notandum hîc quàm facilè diverſa Ieſu fortuna omnia ejus beneficia vulgi animis excuſſerit. Bene Sophocles,

> Φεῦ φεῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς
> Χάρις διαῤῥεῖ καὶ προδοῦσ' ἁλίσκεται.
> [*O quàm celeriter antè partæ gratiæ*
> *Præcipite caſſos luce deſtituunt fuga.*]

40. εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, *ſi filius Dei es*] Non ad nativitatem hoc pertinet, de qua plebs nihil inaudiverat, ſed ad ſpecialem Dei amorem, qualis eſt quo patres filios ſuos proſequuntur. Sic quod infra 43. eſt Θεοῦ υἱὸς [*filius Dei*] Lucas dixit Θεοῦ ἐκλεκτὸς [*Dei electus*], id eſt, *Deo eximiè dilectus.* Scriptor Sapientiæ impios viro pio ſic obtrectantes inducit, Ἐπαγγέλλεται γνῶσιν ἔχειν Θεοῦ, καὶ παῖδα Κυρίου ἑαυτὸν ὀνομάζει [*promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filium Dei ſe nominat*], II, 13. & mox, Ἀλαζονεύεται πατέρα Θεόν· Ἴδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς, καὶ πειράσωμεν τὰ ἐν ἐκβάσει αὐτοῦ· εἰ γάρ ἐστιν ὁ δίκαιος, υἱὸς Θεοῦ, ἀντιλήψεται αὐτοῦ, καὶ ῥύσεται αὐτὸν ἐκ χειρὸς ἀνθεστηκότων [*Gloriatur patrem ſe habere Deum: Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſint, & tentemus quæ ventura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt noviſſima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manibus contrariorum*].

42. εἰ βασιλεὺς Ἰσραήλ ἐστι, *Si Rex Iſraël eſt*] Apparet hinc à Meſſia exſpectata miracula, quod quidam Iudæorum contentionis ſtudio negare cœperunt, aliis fatentibus.

καταβάτω νῦν ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, *deſcendat nunc de cruce*] Satanæ filius ita loquitur, ut Satanas ſuprà IV, 3.

πιστεύσομεν αὐτῷ. *credemus ei*] Hanc lectionem veriorem arbitror. Non enim hoc volunt, Si id præſtat fiduciam ſe in eo collocaturos (quod dici ſolet πιστεύειν ἐπ' αὐτὸν vel ἐπ' αὐτῷ) [*credere in eum*, ſive *ei confidere*], ſed fidem habituros aſſeverationi ejus de Divinâ in ſe benevolentia; ut modò citabamus ex libro Sapientiæ, ἴδωμεν εἰ οἱ λόγοι αὐτοῦ ἀληθεῖς [*videamus ſi ſermones illius veri ſunt*]. is autem credendi ſenſus in his libris dativo exprimi ſolet.

43. Πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεόν· *confidit in Deo*] Divinâ diſpenſatione factum eſt ut eadem verba ſcelerati Senatores & Pontifices de Chriſto uſurparent quibus olim ſe inceſſi David miſerabiliter querebatur Pſal. XXII. quem ipſum Pſalmum vaticinium de Meſſia continere agnoſcit Scriptor Midras Thehillim: ibi enim verba impiorum μιμητικῶς [*per imitationem*] ita exprimuntur, גל אל יהוה, ubi גל [*volve*] quidam putant eſſe imperativum, inſultantis ſignificatu; ſed Kimchi atque alii nomen participiale, quaſi dicas πίσυνος [*confidens*] ſupple ἐστι [*eſt*]. quod ſecuti videntur LXX, ἤλπισεν ἐπὶ Κύριον [*ſperavit in Dominum*].

ῥυσάσθω νῦν αὐτόν, εἰ θέλει αὐτόν, *liberet nunc, ſi vult eum*] Nullo modo ſollicitanda eſt hæc lectio. Nam Helleniſtæ θέλειν [*velle*] cum quarto caſu conſtruunt in *amandi* notione. Nam quod in Pſalmo ſequitur יפלטהו יצילהו כי חפץ בו, ita verterunt LXX, ῥυσάσθω αὐτόν, σωσάτω αὐτόν, ὅτι θέλει αὐτόν [*eripiat eum, ſalvum faciat eum, quoniam vult eum*]. Sic Pſalm. XVIII, 20. ἠθέλησέ με [*voluit me*]. Pſalm. XLI, 12. τεθέληκάς με [*voluiſti me*]. At I Sam. XVIII, 22. iidem Interpretes dixerunt θέλει ἐν σοὶ ὁ βασιλεὺς [*vult in te Rex*, ſive *places Regi*]. Eſt & ubi Hebræum hoc loquendi genus exprimunt per ἐγκεῖσθαι [*adhærere*], ut Geneſ. XXXIV, 9, & per αἱρεῖσθαι [*diligere*], I Sam. XIX, I. & per εὐδοκεῖν [*beneplacere ſuper aliquem*], Pſal. CXLVII, II.

εἶπε γάρ, Ὅτι Θεοῦ εἰμι υἱός. *dixit enim, Quia filius Dei ſum*] Hoc quoque ex eo quem diximus Pſalmo: ſed εἶπε γὰρ [*dixit enim*] eſt ſupplementum ἐλλείψεως [*reticentiæ*] Hebraïcæ. Ὅτι Θεοῦ εἰμι υἱὸς [*Quia Dei filius ſum*] ſimplicior enuntiatio ejus quod poëticè ibi dicitur, כי אתה גחי מבטן, ὅτι σὺ εἶ ὁ ἐκσπάσας με ἐκ γαστρός [*qui extraxiſti me de ventre*].

44. λῃσταί, *latrones*] Pluralem numerum uſurpari ubi unum è multis ſed indefinitè indicatur, veteres novique Interpretes monuerunt. Ita Scriptor ad Hebræos de juſtis loquens Veteris Federis, *Clauſerunt*, inquit, *ora leonum, & ſerrâ diſſecti ſunt;* quorum illud ad unum Danielem, hoc ad unum Eſaiam pertinet. Sed quia nominari eos eo loco nihil attinebat, ſatis erat πληθυντικῶς [*plurali ſono*] rem efferri. Sic in hac ipſa hiſtoria Lucas Ἐνέπαιζον δὲ αὐτῷ καὶ οἱ στρατιῶται, προσερχόμενοι καὶ ὄξος προσφέροντες αὐτῷ [*Illudebant autem ei & milites, accedentes & acetum offerentes ei*]. & Iohannes ſimiliter, πλήσαντες

σπόγγον ὄξους προσήνεγκαν [*ſpongiam plenam aceto, hyſſopo circumponentes, obtulerunt ei*]· atqui ab uno militum id factum diſertè mox dicet Matthæus. Hæc à multis indicata eò libentiùs congeſſi, nequis cum antiquis aliquot ad eam interpretationem confugiat quæ parum probabiliter ſtatuit latronem qui in Chriſtum credidit ſubitò à convitiis ad eam pietatem converſum: quo commento ſublato manet nihilominus beneficium in ipſum multis modis inſigne & non temere trahendi in conſequentias exempli.

45. Ἀπὸ δὲ ἕκτης ὥρας, *A ſexta autem hora*] Tertiâ horâ diei judicia apud Romanos exerceri incipiebant:

Exercet raucos tertia cauſidicos.

In id tempus incidit & Pilati cognitio. Bene Ignatius ad Smyrnenſes, Τῇ οὖν παρασκευῇ, τρίτῃ ὥρᾳ, ἀπόφασιν ἐδέξατο παρὰ τοῦ Πιλάτου [*In Paraſceve, tertiâ horâ, ſententiam accepit à Pilato*]· ita ut ante ſextam Chriſtus ſit crucifixus; poſt ſextam cœperint tenebræ, mortuus autem Chriſtus paulò poſt nonam. Idem Ignatius, ἕκτῃ ὥρᾳ ἐσταυρώθη, ἐννάτῃ ἀνέπνευσε [*ſextâ horâ crucifixus, nonâ exſpiravit*]· qui ſenſus legitur & in libro ſatis antiquo cui nomen eſt *Conſtitutiones Clementis*, lib. V, cap. XIV. & VIII, capite XXXIV. quæ movere nos debent nequid in Scriptura Marci aut Iohannis immutemus contra vetuſtiſſimorum codicum & μεταφραστῶν [*eorum qui transtulerunt*] auctoritatem. Neque verò illi inter ſe pugnant. Nam mos loquendi natus ex Templi conſuetudine, ubi ſacrificia & preces fieri ſolebant horâ Tertiâ, Sextâ, Nonâ; ut præter Hebræos Hieronymus notat ad Danielem VII. quæ ipſa tempora feſtis maximè diebus tubæ ſono ſignificabantur, ut docemur Numerorum X, 10. quo factum ut hæ horæ tanquam notiores vulgò celebrarentur. Neque alia nomina horarum reperies ubi ſtatarum precationum fit mentio. Vide Actorum III, 1. X, 3, 9. & Tertullianum De jejuniis, ubi has horas *inſigniores* ait *in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publicè reſonant.* Quicum congruunt quæ ſcribunt Cyprianus De oratione Dominica, & Hieronymus tum ad Lætam tum ad Demetriadem. Atque eò pertinet quod eſt ſuprà XX, 3, 5. ubi inter Tertiam, Sextam, & Nonam nulla hora nominatur, cùm poſt Nonam Vndecimæ fiat mentio. *Factum* autem *tertiâ* aut *ſextâ horâ* dicitur quicquid inter illa ſtata precandi tempora evenerat, ut ſolent quæ in medio ſunt poſita nunc ad hunc nunc ad illum terminum referri. Perinde enim hoc eſt ac ſi diceretur factum aliquid ἐν τῇ δευτέρᾳ τριώρῳ [*in ſecundo trihorio*], ut loquuntur Genethliaci. Tubæ ſono partes diei etiam apud Græcos quoſdam ſignificatas docet nos Heſychius, quo loco ἀσάλπιγκτον ὥραν [*horam tubæ ſilentis*] Sophocli vocari ait conticinium noctis.

σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, *tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram*] Sole ſcilicet obſcurato, ut Lucas nos docet, non interpoſitâ Lunâ, ut quæ tum plena eſſet, neque nube obductâ, ſed modo quodam hominibus ignoto. ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν [*ſuper univerſam terram*] hîc, quod Marcus dixit ἐφ' ὅλην τὴν γῆν [*per totam terram*], ſicut pro toto telluris globo ſumi non poteſt (multis enim in partibus dies non erat), ita de ſola Iudæa nolim accipi; cùm veteres Aſtrologi & Chronographi hanc caliginem annotaverint, nullo addito loci nomine: unde latè eam patuiſſe datur intelligi. Phlegon XIII Olympiadum, Τῷ Δ ἔτει τῆς ΣΒ ὀλυμπιάδος ἐγένετο ἔκλειψις ἡλίου μεγίστη τῶν ἐγνωρισμένων πρότερον, καὶ νὺξ ὥρᾳ ϛʹ τῆς ἡμέρας ἐγένετο ὥστε καὶ ἀστέρας ἐν οὐρανῷ φανῆναι· σεισμός τε μέγας κατὰ Βιθυνίαν γενόμενος τὰ πολλὰ Νικαίας κατεστρέψατο [*Quarto anno Olympiadis* CCII. *factum eſt deliquium Solis omnibus cognitis majus, & nox facta eſt horâ diei ſextâ, ita ut & ſtellæ in cælo conſpicerentur: præterea terræmotus per Bithyniam magnam partem Nicææ urbis evertit*]. Terræmotus locum nominat, tenebrarum non nominat; & cùm majores antè viſis memorat, ita ut mero meridie velut nox eſſet, ſatis demonſtrat non fuiſſe proprium Iudææ hoc ſpectaculum. Euſebius Græcum alium citat quem non nominat, ita ſcribentem de hac ipſa re, Ὁ ἥλιος ἐξέλιπεν· Βιθυνία ἐσείσθη· Νικαίας τὰ πολλὰ ἔπεσεν [*Sol defecit: Bithyniæ terra movit: Nicææ pars magna cecidit*]. Is Scriptor Euſebio non nominatus haud dubiè eſt Thallus, cujus ita meminit Africanus, Τοῦτο τὸ σκότος ἔκλειψιν ἡλίου Θάλλος ἀποκαλεῖ ἐν τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν, ὥς ἐμοὶ δοκεῖ, ἀλόγως. Ἑβραῖοι γὰρ ἄγουσι τὸ πάσχα κατὰ σελήνης ΙΔ, πρὸ δὲ μιᾶς τοῦ πάσχα τὰ περὶ τὸν Σωτῆρα συμβαίνει· ἔκλειψις δὲ ἡλίου σελήνης ὑπελθούσης τὸν ἥλιον γίνεται· ἀδύνατον δὲ ἐν ἄλλῳ χρόνῳ πλὴν ἐν τῷ μεταξὺ μιᾶς καὶ τῆς πρὸ αὐτῆς κατὰ τὴν σύνοδον αὐτῶν ἀποβῆναι· πῶς οὖν ἔκλειψις νομισθείη κατὰ διάμετρον σχεδὸν ὑπαρχούσης τῆς σελήνης ἡλίῳ; [*Has tenebras Solis deliquium Thallus vocat Hiſtoriarum* III, *ut mihi videtur non rectè. Hebræi enim Paſcha celebrant ad Lunam decimamquartam, & ante primam Paſchatis evenere ea quæ de Servatore noſtro narrantur. At deliquium Solis fit tunc cùm Luna Solem ſubit: quod tunc fieri non potuit niſi inter primam Paſchatis & præcedentem diem coiiſſent iſta ſidera. At quomodo deliquium credi poteſt cùm tunc Luna ferme tota dimetiente à Sole diſtaret?*] Quo loco Africanus Thalli illud ὁ ἥλιος ἐξέλιπε [*Sol defecit*] ſtrictè interpretatur, quaſi Thallus voluerit naturalem fuiſſe ἔκλειψιν [*defectum Solis*], cùm alioqui ἐκλείπειν [*deficere*] Sol dici poſſit cùm quovis modo deficit. Sic & in Lucæ quibuſdam exemplaribus Origenes conqueritur mendoſè ſcriptum fuiſſe ἡλίου ἐκλείποντος [*Sole deficiente*], quod ille itidem ut Africanus pertinere arbitratur ad ſenſus injuriam. Tertullianus in Apologetico, *Tamen ſuffixus multa mortis illius propria oſtendit inſignia. Nam ſpiritum cum verbo ſponte dimiſit, prævento carnificis officio. Eodem momento dies, medium orbem ſignante Sole, ſubducta eſt. Deliquium utique putaverunt, qui id quoque ſuper Chriſto prædicatum non ſcierunt. Et tamen eum mundi caſum relatum in archivis veſtris habetis.* Vbi non video cur *archiva* alia quàm Acta publica Romana accipiamus: ad quæ, ni fallor, & Lucianus martyr provocat apud Euſebium. Et cùm *mundi caſum* vocat, ſatis cavit ne Iudææ peculiaris crederetur. Quare πᾶσαν τὴν γῆν [*terram univerſam*] hîc ita ſumendum arbitror ut apud Lucam II, 1. πᾶσαν τὴν οἰκουμένην [*univerſum orbem*] de orbe Romano, aut certè de potiſſima ejus parte. Quid Deus his tenebris ſignificatum voluerit multi diſputant. Ego omnino arbitror non ad Iudæos tantùm pertinuiſſe hoc oſtentum, quorum Prophetæ triſtiſſima tempora Solis caligine depingunt, ſed ad alias etiam gentes. Nam hoc quoque inter ea fuit quibus Centurio in ſtuporem eſt datus. Quare ea ſignificatio ſumenda eſt quæ quàm latiſſimè poſſit intelligi. Apud omnes autem populos receptum erat ut crederent talibus oſtentis ſcelus aliquod inſigne patratum indicari. Nota eſt cœna Thyeſtea, ubi Seneca,

O nos durâ ſorte creatos,
Seu perdidimus Solem miſeri,
Sive expulimus.

De qua re ſic Euripides Iphigeniâ,

——— ἀλλάξας
Δ' ἐξέδραμ' ἱερὸν ὄμμ' αὐγᾶς ἥλιος.
[——— ——— ——— *fugit*
Sol averſo lumine terras.]

Eodem pertinet illud Medeâ,

——— *Spectat hæc noſtri ſator*
Sol generis & ſpectatur, & curru inſidens
Per ſolita puri ſpatia decurrit poli?

Et Phædrâ,

——— *tuque ſidereum caput,*
Radiate Titan, tu nefas ſtirpis tuæ
Speculare?

Virgilius de Sole,

Cùm caput obſcurâ nitidum ferrugine tinxit,
Impiaque æternam timuerunt ſecula noctem.

Marcus Antonius Triumvir in epiſtola ad Hyrcanum Pontificem Maximum, διὸ καὶ τὸν ἥλιον ἀπεστράφθαι δοκοῦμεν, ὡς καὶ αὐτὸς ἀηδῶς ἐπεῖδε τὸ ἐπὶ Καίσαρα μῦσος [*unde & avertiſſe ſe Solem putamus quòd non ſine mærore conſpiceret ſcelus in Cæſarem patratum*]. Lucanus,

Ipſe caput medio Titan cùm ferret Olympo
Condidit ardentes atrâ caligine currus,
Involvitque orbem tenebris, genteſque coegit
Deſperare diem, qualem fugiente per ortus
Sole Thyeſtea noctem duxere Mycenæ.

Cæterùm Iudæis peculiariter oſtentum hoc in memoriam revocare potuit Amoſi verba, qui dixerat *futurum ut Sol meridie occideret*, addens *luctum fore velut ſuper unigenito*, VIII, 9, 10. Nam & quæ olim impleta erant in ſenſu μεταφορικῷ [*tranſlato*], ea nunc implebantur etiam in ſenſu proprio, ut ſæpe diximus. Quanquam verò quæ hîc deſcribitur caligo, ut in ſummo Iudæorum & Romanorum ſcelere, ſumma fuit, non negandum tamen arbitror aliis quoque temporibus, ſi non pares, at ſimiles iræ Divinæ adverſùs graviora peccata ſignificationes exſtitiſſe. Certè veteribus Chriſtianis conſtanter id creditum. Vnum adferam Tertul. locum: is eſt ad Scapulam, *Omnia hæc ſigna ſunt imminentis iræ Dei, quam neceſſe eſt quoquo modo poſſumus, ut & annuntiemus, & prædicemus, & deprecemur, interim localem eſſe. Vniverſalem enim & ſupremam ſuo tempore ſentient qui exempla ejus aliter interpretantur. Nam & Sol ille in conventu Vticenſi exſtincto penè lumine adeò portentum fuit, ut non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, poſitus in ſuo hypſomate & domicilio: Habetis Aſtrologos.*

ἕως ὥρας ἐννάτης. *uſque ad horam nonam*] Id eſt, ad tempus uſque oblationis veſpertinæ. Nam ſic Hebræi diem partiebantur. Vide quæ ſuprà hoc capite 42.

46. Ἠλὶ, Ἠλὶ, λαμμὰ σαβαχθανί; *Eli, Eli, lamma ſabacthani?*] Et hinc & aliunde colligitur Chriſtum neque veteri uſum Hebræorum ſermone, neque Syriaco, ſed mixta dialecto quæ tum in Iudæa vigebat. Ea lingua quædam retinebat avitæ pronuntiationis, ut Ἠλὶ, אלי [*Eli*], pro quo Syri dicere ſolent אלהי [*Elohi*]; quædam cum Syris habebat communia, ut שבק [*Sabac*] pro עזב [*Azab*]. *Eli* à Chriſto pronuntiatum ipſe ſonus ad Eliam proximè accedens evincit. Quare mihi perſuadeo in Syriaca verſione tum hîc tum apud Marcum tranſpoſitas literas, & quod אלי [*Eli*] ſcriptum fuerat mutatum in איל [*Eil*], inde nato errore quod אלי [*Eli*] Syris eſſet incognitum, quidam autem Syrorum Deum איל [*El* vel *Il*] appellarent. Ἴλον [*Ilum*] ſcribebat Philo Byblius ex Sanchuniathone. Sic apud Ezechielem, qui interdum χαλδαΐζει [*Chaldaizat*], XXXI, 11. ubi nunc אל [*El*] legimus, libri Orientales Iudæorum habebant איל [*Il*], & ubi nunc eſt אלי [*Eli*] Ezechielis XXXII, 21. iidem codices habebant אילי [*Ili*]. Enimvero, ut dixi, à Syro non איל [*Il*] ſcriptum, ſed aut אלי [*Eli*], aut certè אילי [*Ili*], indicio eſt ipſius interpretatio quam ſubjungit apud Marcum, quæ eſt אלהי [*Elohi*] cum affixo primæ perſonæ. Marcum quoque non Ἐλωΐ [*Elohi*] ſcripſiſſe ſed Ἠλεί [*Eli*] cur arbitremur dicemus ubi eò ventum erit. Quod autem Latina quædam exemplaria hoc loco pro *lamma ſabactani* habuerunt *lamma azabtani*, ſi quid rectè judico, ab Hieronymi eſt manu, qui ipſa Pſalmi verba hîc ponenda exiſtimavit.

ἵνα τί, *ut quid*] Vox eſt deprecantis. Ita Moſes Exodi XXXII, 11. Ἵνα τί, Κύριε, θυμοῖ ὀργὴ εἰς τὸν λαόν σου; [*Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum?*] Pſalmo X, 1. (in Græco eſt pars noni) Ἵνα τί, Κύριε, ἀφέστηκας μακρόθεν; [*Vt quid, Domine, receſſiſti longè?*]

ἐγκατέλιπες; *dereliquiſti?*] עזב ἐγκαταλείπειν eſt *auxilio deſtituere*, ut Eſaiæ XLIX, 14. & alibi.

47. Τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖ ἑστώτων, *Quidam autem illic ſtantes*] Hos puto fuiſſe non Romanos milites, quibus de Elia nihil erat cognitum, neque Iudæos Palæſtinos, ſed Helleniſtas, qui cùm Hebræa verba non intelligerent, Eliæ nomen ſibi notum audire ſe exiſtimabant. De redituro autem Elia vetus fama ex vaticiniis malè intellectis hauſta non Palæſtinos tantùm Iudæos ſed & Helleniſtas pervaſerat, ut ex Eccleſiaſtici libro manifeſtiſſimum eſt. Ejus tempus jam inſtare putabatur, Matth. XVII, 10.

48. πλήσας τε ὄξους, *implevit aceto*] Quia *ſitire ſe* dixerat Ieſus, ut Iohannes docet. Adſtabat autem vas ὄξους (id eſt, *vini factitii*, ut ſuprà expoſuimus) plenum, non accelerandæ morti, ut quidam putant, ſed adverſùs animi deliquium. Hinc Chriſto potandum aliquis dedit, quaſi in ſpem adventantis cœlitus auxilii vitam ei ſuſtentans.

περιθεὶς καλάμῳ, *circumpoſuit arundini*] Ὑσσώπῳ περιθέντες [*hyſſopo circumponentes*], inquit Iohannes. Verbum idem oſtendit κάλαμον [*arundinem*] idem fuiſſe quod ὕσσωπον [*hyſſopum*], id eſt, bacillum ex hyſſopo; quam in aliquam magnitudinem arbori convenientem excreſcere in Iudæa, non minùs quàm Sinapi, cur negemus ſatis cauſæ non video. Vnum eſt quod contrà affertur argumentum ex hiſtoria Solomonis, 1 Regum IV, *33*. Atqui non ibi de quavis hyſſopo agitur, ſed de una ejus minima ſpecie quæ vocatur יצא בקיר, quaſi Latinè *parietariam* dicas. Huic opponitur *cedrus*, non quævis, ſed *Libani*, quæ cæteris celſior. Et ſanè אזוב Hebræis latiùs patet quàm ὕσσωπος [*hyſſopus*] Græcis; adeò ut ſeptem ejus genera dicat eſſe Kimchi, qui & *origanum* exponit. Simile quid apud Plinium de Malva lib. XIX. *Tradunt auctores in Arabia malvas arboreſcere, baculorumque uſum præbere*. Vide eundem de Origano.

49. Οἱ δὲ λοιποὶ, *cæteri verò*] Simul cum ipſo qui ὄξος [*acetum* ſive *vinum factitium*] porrigebat, ut ex Marco docemur. Itaque λοιποὶ [*cæteri*] non oppoſitè dicitur, ſed ut plures uno id dixiſſe intelligantur.

Ἄφες, *Sine*] Vox eſt πλεονάζουσα [*abundans*], ut ἄφετε [*ſinite*] apud Marcum; non prohibentis, ſed ſubjunctivo ſequenti inſerviens: quaſi dicas, *Age videamus*. Et ſic nunc etiam populi nonnulli loquuntur. In Actis urbis Conſtantinopolitanæ, quibus deſcribitur ſeditio, cui Νίκα [*Vince*] nomen, Ἄφες κολαζώμεθα [*Sine puniamur*] nihil aliud eſt quàm *Puniamur*. Dixerunt pro eodem & ἐὲς [*quæſo*] Græci ſub Iuſtino, ut ἐὲς ἄνελθε [*quæſo adſcendas*], ἐὲς πεῖσον [*quæſo perſuade*] in acclamationibus Synodi ſub Menna. Apud LXX ἔα ſimili ſenſu, ut Iobi XIX, 5.

50. κράξας φωνῇ μεγάλῃ ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. *clamans voce magna emiſit ſpiritum*] Simul cum ipſo clamore, ut Tertullianum dicentem audivimus, *Spiritum cum verbo ſponte dimiſit*. Clamor is fuit Τετέλεσται [*Conſummatum eſt*] apud Iohannem, & Πάτερ, εἰς χεῖράς σου παραθήσομαι τὸ πνεῦμά μου [*Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*]. Hoc autem ipſum pro miraculo accepit Centurio ὅτι οὕτως κράξας ἐξέπνευσεν [*quia ſic clamans exſpiraſſet*]. nam verbis ejus res ipſa ſtatim reſpondens oſtendebat verè animam ejus à Deo ſuſcipi. Accelerata quippe mors erat Divino conſilio antequam vires ejus naturales defeciſſent. alioqui nondum mors exſpectari poterat: Marcus XV, 44. ideo latrones crurifragio peremti. Videtur Origenes ad acceleratam hanc à morte liberationem referre illud ad Hebræos V, 7. Ὃς ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ δεήσεις τε καὶ ἱκετηρίας πρὸς τὸν δυνάμενον σώζειν αὐτὸν ἐκ θανάτου μετὰ κραυγῆς ἰσχυρᾶς καὶ δακρύων προσενέγκας, καὶ εἰσακουσθεὶς ἀπὸ τῆς εὐλαβείας, Καίπερ ὢν υἱὸς, ἔμαθεν ἀφ' ὧν ἔπαθε τὴν ὑπακοήν [*Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationesque ad eum qui poſſit illum ſalvum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia: Et quidem cùm eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*]. Cyprianus adverſùs Demetrianum, *Crucifixus, prævento carnificis officio, ſpiritum ſponte dimiſit*. Illa autem ἀφῆκε τὸ πνεῦμα [*emiſit ſpiritum*] exprimunt unam vocem Hebræam גוע, pro qua ἐξέπνευσε [*exſpiravit*] poſuere Marcus & Lucas. Senſus autem eſt apud Eſaiam LIII, 12.

51. τὸ καταπέτασμα τοῦ ναοῦ ἐσχίσθη εἰς δύο, *velum Templi ſciſſum eſt in duas partes*] Et veteres & novi Interpretes parum conſtare arbitrantur agatur ne hîc de velo interiore, quod oppanſum erat penetrali, an de velo exteriore, quod erat oppanſum foribus templi ſacerdotalis. Moſis temporibus tria erant aulæa, extimum τῆς αὐλῆς [*atrii* ſive *ſubdialis*], Exodi XXVII, *16*. medium τοῦ ἁγίου [*Loci ſancti*], Exodi XXVI, *36*. intimum τοῦ ἁγίου τῶν ἁγίων [*Sancti ſanctorum*], Exodi XXVI, 31. id eſt, adyti ſive penetralis. In templo Solomonis & quod ei ſurrogatum vice extimi aulæi fuit porta, ut ex Ioſepho diſcimus: προπύλαιον vocat Philo. Manſerant ergo duo aulæa, quæ τὰ ἐνδότερα καταπετάσματα [*vela interiora*] vocat Ioſephus Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ*] VIII, 11. Et hinc aulæum adyto oppanſum δεύτερον καταπέτασμα [*velamentum ſecundum*] vocat divinus ad Hebræos Scriptor IX, 3. Cæterùm ubi nudè dicitur καταπέτασμα [*velum*], omnino intelligendum eſt illud quod adyto erat oppanſum: id enim propriè ac peculiaris diſcriminis cauſâ id nomen occupaverat. Philo De vita Moſis, Ἐκ δὲ τῶν αὐτῶν (id eſt, ex hyacintho, coccino, purpura, byſſo) τό τε καταπέτασμα καὶ τὸ λεγόμενον κάλυμμα κατεσκευάζετο· τὸ μὲν εἴσω κατὰ τοὺς τέσσαρας κίονας, ἵν' ἐπικρύπτηται τὸ ἄδυτον, τὸ δ' ἔξω κατὰ τοὺς πέντε, ὡς μηδεὶς ἐξ ἀπόπτου δύναιτο τῶν μὴ ἱερωμένων καταθεάσασθαι τὰ ἅγια. [*Ex iiſdem autem materiis conſtabant velum & id quod dicebatur operimentum; illud quidem inter quatuor columnas velando adyto; hoc verò inter quinque, ne quis extra Sacerdotalem Ordinem poſſet ex improviſo conſpicere Locum ſanctum*]. Et poſt, Ἐν δὲ τῷ μεθορίῳ τῶν τεττάρων καὶ πέντε κιόνων, ὅπερ ἐστὶ κυρίως εἰπεῖν πρόναον εἰργόμενον δυσὶν ὑφάσμασι, τὸ μὲν ἔνδον ὃν καλεῖ) καταπέτασμα, τὸ δ' ἐκτὸς προσαγορεύει) κάλυμμα [*Inter verò quatuor illas & has quinque columnas, quod eſt, ut accuratè loquamur, protemplum duobus concluſum aulæis, eorum quod erat interius dicebatur Velum, quod exterius Operimentum*]: Diſtinctè aulæum adyto oppanſum vocat καταπέτασμα [*Velum*], alterum oppanſum templo ſacerdotali appellat κάλυμμα [*Operimentum*]. Nam & Moſi diſtinctè illud inferius vocatur פרכת Exodi XXVI, 33. iſtud exterius מסך. Vocem פרכת etiam LXX vertunt καταπέτασμα [*velum*], Exodi XXVI, *33*. XXXVI, 35. at vocem מסך, quam Philo transfert κάλυμμα, ἐπίσπαστρον [*operimentum*] Exodi XXVI, *36*. XXXVI, 37. Quare non dubito quin τὸ καταπέτασμα [*Velum*] intelligi debeat aulæum quo penetrale defendebatur. Sed neque magis inter veteres convenit quæ propria fuerit ſignificatio hujus ſciſſuræ. Mihi verò ne dubitandum quidem videtur eam fuiſſe quam Iudæi non pertinaces ex re ipſa facillimè conjectare poterant. Cùm dicit nunquam ſatis laudatus ad Hebræos Scriptor τὰ ἅγια [*Sancta*], id eſt, τὰ ἅγια τῶν ἁγίων [*Sancta ſanctorum*] (nam poſt diſcrimen poſitum initio capitis noni ſemper brevitati ſtudens adytum vocat ἅγια [*Sancta*]) eſſe ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν [*verorum figuram*] ſummi illius cœli ſcilicet, nihil novi dixit, ſed id ſumſit quod erat apud Iudæos omnes confeſſum: quod perſpicuis teſtimoniis oſtendam. Ioſephus Ἀρχαιολογίας [*Antiquæ hiſtoriæ.*] III, V. τὸ μὲν γὰρ τρίτον αὐλῆς μέρος τὸ ἐντὸς τῶν τεσσάρων κιόνων, ὃ τοῖς ἱερεῦσιν ἦν ἄβατον, ὡς οὐρα

ἂν εἴη τῷ Θεῷ [*tertia pars ædificii quæ intra columnas quatuor, quò nec Sacerdotibus fas accedere, erat velut cœlum illud Deo ſepoſitum*]. & capite VIII. τὴν δὲ τρίτην μοῖραν μόνῳ περιέγραψε τῷ Θεῷ, διὰ καὶ τὸν οὐρανὸν ἀνεπίβατον εἶναι ἀνθρώποις [*tertiam autem partem ſoli Deo ſepoſuit, quia id cœlum inacceſſum hominibus*]. Philo De vita Moſis, τὰ ἄδυτα τῆς σκηνῆς, ἅπερ ἐστὶ συμβολικῶς νοητά [*adyta Tabernaculi, quæ ſymbolicè ſunt ea quæ intelliguntur tantùm*]. Quare de hac parte præcipua Templi præcipuè accipi debet quod in libro eſt Sapientiæ, Templum fuiſſe μίμημα σκηνῆς ἁγίας ἣν ὁ Θεὸς προητοίμασεν ἀπ' ἀρχῆς [*imitamentum ſacri Tabernaculi quod Deus præparavit ab initio*], ejus ſcilicet de qua agitur Pſalmo XV. quod & Pſalmo LXXVIII, 69. innuitur. Quæ enim extra adytum erant, non obſcurè adumbrabant Mundum hunc adſpectabilem. Nam in Aulæo coccinum Ignem, byſſus Tellurem, hyacinthus Aëra, purpura Mare, ſeptem Lychni totidem Planetas, panes duodecim totidem Zodiaci ſigna & Menſes notabant: quanquam potuerunt horum quædam aliam Iſraëlitis propriam habere ſignificationem. Obſcurum igitur non erat, adytum κόσμου τοῦ νοητοῦ εἶναι σύμβολον [*ſymbolum eſſe Mundi intelligibilis*], ut Clemens loquitur Stromateon quinto: in quo adyto antiquitus fuerant Χερουβὶμ δόξης κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον [*Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium*], quorum interpretationem in aliud tempus differt Scriptor ad Hebræos. At Philo haud dubiè ex veteri diſciplina ἱλαστήριον [*propitiatorium*] quidem ait fuiſſe σύμβολον τῆς ἵλεω τοῦ Θεοῦ δυνάμεως [*ſymbolum Divinæ miſericordiæ*]. Per Cherubim verò arbitratur deſignari τὰς τοῦ Ὄντος δυνάμεις, τήν τε ποιητικὴν καὶ βασιλικήν [*facultates ejus qui Eſt creatricem & regalem*]. Ioſephus Cherubim vocat τὸ ἅρμα τοῦ Θεοῦ [*currum Dei*]· tanquam ſit per μετάθεσιν [*literarum trajectionem*] ex verbo רכב [quod eſt *currus*]. Confer Pſalm. XVIII, II. & II Samuel. XXII, II. Puto his intellectis non eſſe obſcurum quid ſignificet Aulæi ſciſſura. Significat enim aditum per Chriſti mortem apertum Chriſto primùm, deinde ejus beneficio ſanctis Priſci Novique Federis ad cœlum illud inadſpectabile quod οὐρανὸν τῶν οὐρανῶν [*cœlum cœlorum*] vocant ſacri Scriptores, quæ Majeſtatis Divinæ velut propria eſt ſedes. Paulus Romanorum III, 25. de Chriſto, ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι [*quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius*]. Scriptor ad Hebræos IX, 8. τοῦτο δηλοῦντος τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, μήπω πεφανερῶσθαι τὴν τῶν ἁγίων ὁδὸν [*hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe ſanctorum viam*]· mox 24. Οὐ γὰρ εἰς χειροποίητα ἅγια εἰσῆλθεν ὁ Χριστὸς, ἀντίτυπα τῶν ἀληθινῶν, ἀλλ' εἰς αὐτὸν τὸν οὐρανὸν [*Non enim in manufacta Sancta introivit Chriſtus, exemplaria verorum, ſed in ipſum cœlum*], utique οὐκ ἐν αἵματι ἀλλοτρίῳ [*non in ſanguine alieno*] ſed per ſuum ipſius ſanguinem. Quanquam enim poſſeſſionem non ſtatim eſt adeptus, ſed poſt quadraginta & quod excedit dies, jus tamen ipſi & per ipſum aliis quæſitum eſt eo tempore quo ſe dedit θυσίαν περὶ ἁμαρτίας [*victimam pro peccato*], ut vaticinatus erat Eſaias; ſciſſo ſcilicet velo peccatorum quod inter hunc Mundum adſpectabilem & τὴν ἵλεων τοῦ Θεοῦ δύναμιν [*Dei miſericordiam*] interjiciebatur, Eſaiæ LIX, 2. Quod autem per *velum* peccatum intelligam minimè repugnat Scriptori ad Hebræos, qui ipſam Chriſti carnem Divinitati ipſius oppanſam vocat καταπέτασμα [*velum*]. Nam ea ipſa caro non tantùm erat ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἁμαρτίας [*in ſimilitudine carnis peccati*], ſed partim, etiam apud Apoſtolos, figuram gerit peccati ipſius; ut apparet iis ex locis quæ de peccati crucifixione, morte, ſepultura agunt. Atque ita veterum nonnulli explicant illud Romanorum VI, 10. Ὃ γὰρ ἀπέθανε τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ [*quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel*], id eſt, corpore mortali. Quomodo fortè intelligi poſſet & illud ad Hebræos V, 3. διὰ ταύτην ὀφείλει, καθὼς περὶ τοῦ λαοῦ, οὕτως καὶ περὶ ἑαυτοῦ προσφέρειν ὑπὲρ ἁμαρτιῶν [*& propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccato*], quatenus ſcilicet univerſalis iſta locutio etiam Chriſtum complectitur, ubi ἁμαρτίαν [*peccatum*] vocat quod pauló ante ἀσθένειαν [*infirmitatem*]· & apertiùs eâdem epiſtolâ cap. VII, 27. Ὃς οὐκ ἔχει καθ' ἡμέραν ἀνάγκην, ὥσπερ οἱ ἀρχιερεῖς, πρότερον ὑπὲρ τῶν ἰδίων ἁμαρτιῶν θυσίας ἀναφέρειν, ἔπειτα τῶν τοῦ λαοῦ· τοῦτο γὰρ ἐποίησεν ἐφάπαξ ἑαυτὸν ἀνενέγκας [*Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, priùs pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſemet offerendo*]· ut ἴδιαι ἁμαρτίαι [*propria delicta*] ſint qualitates inſeparabiles mortalis corporis, quæ ut in nobis ſunt effecta, partim etiam cauſæ peccati, ita in Chriſto erant figura peccati; quomodo contactus cadaveris, & alia quæ inſciis aut invitis accidunt, in Lege peccata dicebantur. Nam & pro illis obtuliſſe dici poteſt Chriſtus quatenus ex decreto paterno liberari ab illis non potuit, niſi per mortem, nobis in exemplum. Apud Romanos autem & aliorum gentium homines idem hoc miraculum non obſcurè indicabat commiſſi in Chriſtum facinoris atrocitatem. Philippides in Comœdia de Demetrio, quòd ſe Diis æquari paſſus eſſet, verba faciens, ita inquit,

Δι' ὃν ἀσεβοῦνθ' ὁ πέπλος ἐρράγη μέσος.
[*Ob cujus impietatem diſruptum eſt peplum.*]

Plutarchus eandem hiſtoriam tangens, ἐπεσήμαινε δὲ τοῖς πλείστοις τὸ θεῖον· ὁ μὲν γὰρ πέπλος ὥσπερ ἐψηφίσαντο μετὰ τοῦ Διὸς καὶ τῆς Ἀθηνᾶς προσενυφαινομένων Δημήτριον καὶ Ἀντίγονον, πεμπόμενος διὰ τοῦ Κεραμεικοῦ μέσος ἐρράγη θυέλλης ἐμπεσούσης [*iram ſuam oſtendit vis Divina: nam cùm in peplo juxta Iovem & Minervam ex novo decreto intexuiſſent Demetrium & Antigonum, id peplum, cùm per Ceramicum transduceretur, incidente procellâ, diſruptum eſt in partes duas*]. Quod autem narrant Thalmudiſtæ XL ante Excidium annis Templi fores ſponte patuiſſe, valde dubito an huc referri debeat. Vereor enim ne, ut ſunt ἀνιστόρητοι [*hiſtoriæ ignari*], confuderint ſigna illa quæ in Chriſti paſſionem inciderunt cum illis quæ Excidium proximè anteceſſerunt, quod & aliis accidit in narratione vocis auditæ in Templo Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν [*Exeamus hinc*]. Aut valde fallor, aut id quod dicere volunt Thalmudiſtæ idem eſt quod breviter dixit Tacitus, *Expaſſæ repentè delubri fores;*

latiùs autem Ioſephus, ita ut de aulæo adyti nullo modo poſſit intelligi: Verba apponam, Ἡ δὲ ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου [*porta Orientalis partis interioris*] (meliùs fortè legitur τοῦ ἐξωτέρου [*exterioris*]. nam portæ interiores erant auratæ, exterior ex ære Corinthio), χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, κλειομένη δὲ περὶ δείλης μόλις ὑπ' ἀνδρῶν εἴκοσι, καὶ μοχλοῖς μὲν ἐπερειδομένη σιδηροδέτοις καὶ καταπῆγας δ' ἔχουσα βαθυτάτους εἰς τὸ οὐδὸν ὄντα διηνεκοῦς λίθου καθιεμένους, ὤφθη κατὰ νυκτὸς ὥραν ἕκτην αὐτομάτως ἠνεῳγμένη· δραμόντες δ' οἱ τοῦ ἱεροῦ φύλακες ἤγγειλαν τῷ στρατηγῷ· κἀκεῖνος ἀναβὰς, μόλις αὐτὴν ἴσχυσε κλεῖσαι [*cùm ex ære eſſet & firmiſſima, ægre clauſa veſperi per homines viginti, ferro munitis vectibus ſuſtentata, tum verò liminibus inferis altè in ſolum planè lapideum deſcendens, viſa eſt nocte circa horam ſextam ſponte aperta: quod Templi cuſtodes currentes ad Templi Prætorem ei indicarunt: ille verò adſcendens ægrè eam claudere potuit*].

καὶ ἡ γῆ ἐσείσθη· *& terra mota eſt*] Aliquot in locis, non in Iudæa tantùm. Voluit enim Deus oſtenti hujus memoriam exſtare. Vide quæ ex Phlegonte & Thallo citavimus. Veriſſimum eſt apud Prophetas Terræmotu alibi rerum mutationem, alibi Dei majeſtatem ſignificari: ſed hìc apertior eſt ea ſignificatio quæ pariter à Iudæis & gentibus aliis poterat intelligi, iræ ſcilicet Divinæ ob hominum ſcelera, Pſalm. XVIII, 8. Ioel. III, 16. Ita Virgilius Solis caligini addidit terræmotum, nec aliter Lucanus & Seneca. Sanè Centurio & qui cum eo erant ita interpretati ſunt hoc prodigium. Inde enim colligebant Ieſum iniquè damnatum, Lucæ XXIII, 47.

καὶ αἱ πέτραι ἐσχίσθησαν· *& petræ ſciſſæ ſunt*] Puto conſequens eſſe terræmotûs. Sæpe enim cùm terra movet ἐπιπολάζει πλῆθος λίθων [*emergunt multi lapides*], ut ait Ariſtoteles II Meteoron. VIII. Seneca Troadibus,

Cùm ſubitò cæco terra mugitu fremens
Concuſſa, cæcos traxit ex imo ſonos,
Movere ſilvæ capita, & excelſum nemus
Fragore vaſto tonuit, & lucus ſacer;
Idæa ruptis ſaxa ceciderunt jugis.

Sed & hoc apud Hebræos iræ Divinæ habebat ſignificationem, Nahum. I, 6. I Regum XIX, 11. Terræmotum & ſaxa rupta conjungit & Pſalmus CXIV, 7, 8.

52. Καὶ τὰ μνημεῖα ἀνεῴχθησαν· *Et monumenta aperta ſunt*] In ipſo mortis Chriſti articulo aperta ſunt monumenta, quò clariùs appareret ipſum διὰ τοῦ θανάτου καταργῆσαι τὸν τὸ κράτος ἔχοντα θανάτου [*per mortem deſtruxiſſe eum qui habebat mortis imperium*], Hebræorum II, 14. Ariſtides in deſcriptione terræmotûs quo Rhodus everſa eſt, μνήματα ἀνερρήγνυντο [*monumenta dirupta ſunt*]· & mox, ἔξω μὲν τὰ μνήματα ἀνέρριπτε τοὺς κειμένους [*monumenta foras ejiciebant mortuos*].

καὶ πολλὰ σώματα τῶν κεκοιμημένων ἁγίων ἠγέρθη· *& multa corpora ſanctorum qui dormierant ſurrexerunt*] Quidam ſtatim putant mortuo Chriſto hos mortuos reſurrexiſſe: quod aliquos movit ut in eo quod ſequitur legerent non μετὰ τὴν ἔγερσιν αὐτοῦ [*poſt reſurrectionem ejus*] ſed αὐτῶν [*eorum*], inter quos eſt Arabs Interpres & inter Græcos Glycas. Sed vero eſt ſimilius in morte vim mortis Chriſti apertione monumentorum demonſtratam; neque tamen ad vitam perveniſſe hos mortuos niſi poſtquam Chriſtus revixerat, ut ſic appareret ipſum eſſe πρωτότοκον ἐκ τῶν νεκρῶν [*primogenitum ex mortuis*]. Nemo enim mortuorum antea ad vitam immortalem ſurrexit; quod de his credi par eſt, in qua ſententia eſt Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos ad quæſtionem LXXXV. Confer Danielis XII, 2.

53. εἰς τὴν ἁγίαν πόλιν, *in ſanctam civitatem*] Sepulti enim in ſuburbanis locis fuerant. ἁγίαν πόλιν [*ſanctam civitatem*] dixit ex populari more loquendi, ut ſuprà IV, 5.

ἐνεφανίσθησαν πολλοῖς. *apparuerunt multis*] Credentibus in Chriſtum, ut & Chriſtus ipſe οὐ παντὶ τῷ λαῷ [*non omni populo*], ut Petrus loquitur Actorum X, 41.

54. ἑκατόνταρχος, *Centurio*] *Centurio ſupplicio præpoſitus*, ut Seneca loquitur libro I De ira, capite VII.

τηροῦντες, *cuſtodientes*] Vide quæ ſuprà ad comma 31. Et nota etiam poſt mortem manſiſſe milites, *nequis* ſcilicet, ut Petronius loquitur, *ad ſepulturam corpora detraheret:* adde, niſi publico permiſſu.

καὶ τὰ γενόμενα, *& his quæ fiebant*] Caliginem Solis, &, quod non fruſtra Marcus addit, exſpirationem ſtatim poſt clamorem.

ἐφοβήθησαν σφόδρα, *timuerunt valde*] In ſe, ut ſævitiæ miniſtros, iram Dei metuentes.

Ἀληθῶς Θεοῦ υἱὸς ἦν οὗτος. *Verè filius Dei erat iſte*] Cùm Romani fuerint qui hoc dicebant, puto eos de Ieſu ita exiſtimaſſe quomodo de Hercule, Baccho, Caſtoribus, Æſculapio, Quirino exiſtimabant: Et maximè ad celebrem de Quirino fabulam reſpexiſſe eos credibile eſt, circa cujus mortem & tenebræ & fragor contigiſſe dicebantur. Tertullianus de Chriſto, *In cælum eſt receptus multò veriùs quàm apud vos aſſeverare de Romulo Proculi ſolent.* Lucas, ut diximus, dictum ab ipſis ait Ieſum eſſe innocentem. Credibile eſt id initio ab illis dictum; ſed aliis oſtentis ad alia accedentibus auctam admirationem, ita ut jam non hominem tantùm innocentem, ſed & homine majorem crederent.

55. ἀπὸ μακρόθεν, *à longè*] Παρὰ τῷ σταυρῷ [*juxta crucem*] quidem, ut ait Iohannes, ſed non ut crucem attingerent, quæ militum turbâ cingebatur.

διακονοῦσαι αὐτῷ. *miniſtrantes ei*] Nimirum ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς [*de facultatibus ſuis*], Lucæ VIII, 3.

56. Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ, *Maria Magdalene*] Galilæa femina, ut ex Luca diſcimus.

Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου καὶ Ἰωσῆ μήτηρ, *Maria Iacobi & Ioſe mater*] *Cleopæ* Iohanni. Nam eandem eſſe indicio eſt quòd præter matrem Domini non fuerant plures duabus Mariæ nomine quæ Ieſum ſectarentur, infrà 61. Inter multas ſententias expeditiſſima eſt quæ Cleopam ejus patrem, Alphæum maritum ſtatuit. Pro *Ioſe* veteres quidam codices & Græci & Latini habebant *Ioſeph*. Sed idem eſt nomen pronuntiatione diverſa; qua de re alibi.

ἡ μήτηρ τῶν υἱῶν Ζεβεδαίου. *mater filiorum Zebedæi*] Salome, de qua ſuprà.

57. Ὀψίας δὲ γενομένης, *Cùm autem ſerò factum eſſet*] Statim poſt nonam. Feſtinata res, ut poſſet Ioſephus, Chriſto tumulato, ex more ante duodecimam Paſcha mactare.

πλούσιος, dives] Εὐσχήμων, inquit Marcus, id eſt, *vir honeſti loci*, quippe βουλευτὴς [*Decurio*], ut ipſe addit & Lucas exprimit. Quæritur an in Synedrio Magno Ioſephus hic fuerit. Fuiſſe multi credunt, quia Lucas *eum* dicit non conſenſiſſe conſilio & actibus aliorum: ſed id non ſatis certum eſt argumentum. Improbant enim multi multa etiam qui jus ſuffragii non habent. Deinde non eſt quòd verba illa præciſe ſumantur de illa conſultatione poſtremæ diei, cùm antea quoque deliberatum aliquoties de re Ieſu fuerit, ut cùm conſtitutum eſt ut ἀποσυνάγωγοι [*extra Synagogam*] haberentur qui Ieſum eſſe Meſſiam dicerent; in qua hiſtoria Iohannes non Synedrii meminit, ſed dicit συνέθεντο οἱ Ἰουδαῖοι [*conſpiraverant Iudæi*]. ut credibile ſit eam rem actam in Conventu majore, quam συναγωγὴν μεγάλην [*Synagogam magnam*] vocari diximus, & in quam præter Synedrii Iudices alii etiam magiſtratum gerentes vocabantur: ſicut & Gorionides narrat conveniſſe ſuper rebus gravioribus Senatum & minorem & majorem, id eſt, urbanum & communem populi. Ioſephum igitur hunc oriundum quidem ab Arimathæa, cæterùm domicilium & ſedem fortunarum ſuarum habentem Hieroſolymis (quò commigrare opulentiores ſolebant) credo fuiſſe Senatorem Senatus urbis Hieroſolymitanæ. Ideo non vocatur ἄρχων [*Princeps*], quod nomen erat τῶν συνέδρων *, ut Nicodemus Iohann. III, 1. ſed βουλευτὴς, quæ duo etiam Ioſephus in Belli Iudaïci hiſtoria diſtinguit lib. II, cap. XXIX. βουλευτὴς à Latino Interprete non malè vertitur *Decurio.* Sic & in Gloſſario vetere non uno, *Decurio*, βουλευτής. Putat Pomponius in coloniis Romanis primùm natam eam vocem, quòd initio cùm coloniæ deducerentur decima pars eorum qui ducerentur conſilii publici gratiâ conſcribi ſolita eſſet. Poſtea certè ad alias quoque urbes transferri cœpit, ut nos Leges docent & ἀμοιβαῖοι [*mutuæ*] literæ Plinii & Trajani, ubi corpus ipſum *Bule*, ejus participes in Bithyniæ urbibus *Decuriones* vocantur. Ipſa vox Græca *Buleutæ*, ut à Syro Marci Interprete, ita apud eum quem dixi Plinium & Spartianum in Latino ſermone legitur. Quod verò putat vir doctus Ioſephum hunc ex Pilati conſilio fuiſſe, id planè Romanis moribus repugnat. Nam Romanorum civium conſilio Præſides utebantur: imò etiam qui jus nacti erant Romanæ civitatis, in ea provincia ex qua orti erant adſidere vetabantur. Accuratè autem hujus viri dignitas deſcribitur, ut videamus ſtatim à morte quædam gloriæ Chriſto deſtinatæ apparuiſſe initia. Honos enim ei mortuo habetur qualis Iacobo gentis principi, cujus nomen in Prophetis ſæpe fert Chriſtus. Huic diſcipulus, qui item *filius* rectè dicitur, illi filius, ambo Ioſephi, ambo in dignitate poſiti, pollinctores.

ἀπὸ Ἀριμαθαίας, *ab Arimathæa*] Quæ fortè ארומה [*Aruma* ſive *Ruma*] Iud. IX, 41. Plures ſunt voces ad hoc nomen accedentes, ut רמתים [*Ramathaim*] Ephraïmitarum, 1 Sam. I, 1. רמת [*Ramath*], quæ & רמות [*Ramoth*] & ירמות [*Iaramoth*] in Iſacharis parte, Ioſu. XIX, 21. XXI, 29. alia רמת [*Ramath*] diſcriminis cauſâ מצפה [*Maſphe*] dicta intra Gaditarum terminos, Ioſ. XIII, 26. Rurſum רמה [*Rama* vel *Horma*] in portione Aſeritarum, Ioſ. XIX, 29. Neque mirum id videri debet, cùm vox ipſa nihil aliud quàm *locum eminentiorem* ſignificet; unde quod in Hebræo Deut. III, 27. eſt פסגה [*Phaſga*] Chaldæus vertit רמתא [*Ramatha*]. Sed cùm Lucas diſertè hanc vocet πόλιν Ἰουδαίων [*civitatem Iudææ*], ubi non dubito quin Ἰουδαῖοι [*Iudæi*] ſtrictè dicantur ii qui circa Hieroſolyma habitabant, adducor ut credam deſignari hîc oppidum Benjaminis רמה [*Rama*], memoratum Ioſuæ XVIII, 25. Eadem putatur eſſe רומה [*Ruma*] II Reg. XXIII, 36. Hanc ſuis temporibus *Remtin* appellatam Hieronymus & Euſebius tradunt. Syrorum eſt pro רמה [*Rama*] dicere ארמתא [*Armatha*]: quomodo Ioſephus illam Ephraïmiticam Samuelis ſedem vocat Ἀρμαθᾶ [*Armatha*]. Sic *Cana* Syro eſt קנתא [*Canatha*]: & pro Hebræo קריה [*Kirja*], quod *urbem* ſignificat, Syri dicunt קרתא [*Cartha*], unde *Tigranocerta*, & alia ad eam formam. Simile eſt בהמתא [*Behamtha*] apud Chaldæum pro Hebræo בהם [*Beham*] Geneſ. XIV, 5. & pro חדקל [*Hiddekel*], quod Hebræum nomen eſt Tigridi flumini, omiſſâ primâ gutturali דקלתא *Diglito* apud Plinium.

ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ. *diſcipulus erat Ieſu*] Vir quippe probæ vitæ, ἀγαθὸς καὶ δίκαιος [*bonus & juſtus*] Samuelis in Iudiciali munere imitator, & Regnum Divinum per Prophetas promiſſum *avidè exſpectans*, ut Marcus & Lucas docent; ac proinde veram agnoſcens Chriſti doctrinam, ſed, quod Iohannes addit, profiteri eam non audens hactenus, metu prohibente. Ita videmus quomodo fidei ſemina, humanis vitiis oppreſſa aliquandiu, ſubitò interdum erumpant, Deo ita diſponente occaſiones.

58. ᾐτήσατο τὸ σῶμα, *petiit corpus*] *Eorum*, inquit Vlpianus *, *in quos animadvertitur corpora non aliter ſepeliuntur quàm ſi fuerit petitum & permiſſum.* Faciles autem in hanc rem Romani Magiſtratus. Vlpianus dicto loco, *Corpora eorum qui capitis damnantur cognatis eorum neganda non ſunt.* Diocletianus & Maximianus, *Obnoxios criminum digno ſupplicio affectos ſepulturæ tradi non vetamus.* Verri inter alia objicitur a Cicerone quòd *ſecuri percuſſorum corpora feris objeciſſet*, aut *pretio* vendidiſſet *ſepeliendi poteſtatem.* Excipit Vlpianus dicto loco *Majeſtatis damnatos*: unde colligi poteſt Pilatum Chriſto non tam majeſtatis (quippe nequaquam credibile) quàm ſeditionis crimen adſcriptum voluiſſe. Quanquam & perduellionis damnatis indulta interdum ſepultura, ut his qui cum Catilina conjuraverant. Nam, ut bene Fabius declamatione VI. tractans hoc argumentum de ſepeliendis facinoroſis, *etiamſi qua ſunt jura quæ obſtent, ſi tamen anguſtus ſaltem detur acceſſus per quem intrare humanitas poſſit, vera clementia occaſione contenta eſt.* Corpora tamen crucifixorum, etiam latronum, ſolebant aliquandiu in cruce ſervari oſtentui, ut ex Petronio diſcimus. Sed quia cum Iudæorum inſtitutis pugnabat corpora peremtorum ultra veſperam oſtentari, Deut. XXI, 23. credibile eſt Præſides Romanos ea in re, ut in multis rebus aliis, ſecutos morem regionis. Ioſephus, Τοσαύτην Ἰουδαίων

---

* [eorum qui in Synedrio]

* L. 1. ff. De cadav. punit.

περὶ τὰς ταφὰς πρόνοιαν ποιουμένων ὥστε καὶ τοὺς ἐκ καταδίκης ἀνασταυρουμένους πρὸ δύντος ἡλίου ἀνελεῖν τε καὶ θάπτειν [*Tanta Iudæis erat cura ſepulturæ ut etiam poſt damnationem ſuſpenſos ante Solem occaſum tollerent & humarent*]. Quare non hoc propriè rogatum à Iudæis, Ioh. XIX, 31. ut ante noctem corpora demerentur, ſed ut paulò maturiùs, ne milites in eo opere occupatos initium Sabbati deprehenderet. Nam majoris cautionis ergo horâ ferme unâ ante Solem occaſum Iudæi otium ſuum auſpicabantur; ac tunc quidem eò religioſiùs, quia qui imminebat dies feſtus erat, etiam abſque Sabbato fuiſſet.

59. *σινδόνι καθαρᾷ. in ſindone munda*] Hebræa vox סדין, quo ſignificatur non *ſericum*, quod nos nunc ſimili voce appellamus (nam cum ſerico ſepeliri ne quidem Senatûs Princeps poterat), ſed operimentum ex lino pretii haud magni, ut à Gamaliele ſeniore inſtitutum notant Hebræi: quod & ex ea hiſtoria colligere eſt quæ exſtat apud Marcum XIV, 52. Sindonem è lino fuiſſe teſtis inter Græcos Pollux, inter Hebræos David Kimchi. Quædam ſindones ex byſſo, Herodotus Ægyptiorum pollincturam deſcribens, λούσαντες τὸν νεκρὸν κατειλίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σινδόνος βυσσίνης [*corpus mortui lotum totum involvunt in ſindone byſſina*]. Quanquam autem unum nominat Matthæus, præcipuum videlicet, quo corpus involvebatur, plura tamen fuiſſe certum eſt: quare ὀθόνια [*lintea*] rectè dixit Iohannes XIX, 40. & XX, 6. inter quæ erat & ſudarium velando capiti, quod à reliquis operimentis diſtinguit Iohannes XX, 7. Idem in Lazari hiſtoria oſtendit præter ſudarium fuiſſe & κειρίας [*inſtitas*], de quibus ſuo loco agemus XI, 44. Ὀθόνας [*amicula*] apud Homerum interpretes exponunt ὑφάσματα λινᾶ [*è lino texta*]. In Gloſſario eſt, Ὀθόνη, *linteamen:* & alibi, Σινδὼν [*ſindon*], *tunica lintea.* Nonnus de Lazaro,

Καὶ λινέῳ πεπύκαστο καλύμματι κυκλάδα κόρσην.
[*Lineus illi orbem capitis velabat amictus.*]

60. ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ. *quod exſciderat in petra*] Is enim mos erat Iudæorum è rupe ſpecum *excavare* condendis corporibus, ut obſervavit vir ſummæ eruditionis ac diligentiæ. Λαξευτὸν μνῆμα [*monumentum exciſum*] Lucas dicit: Hebræis מערה. Nam λατομεῖν *excavare* eſt LXX Interpretibus Deuter. VI, 11. ubi de ciſterna: & Eſaiæ XXI, 16. ubi de ſepulchro: & Straboni, qui Hieroſolyma deſcribens ait τάφρον λατομητὸν ἔχων [*foſſam habens exciſam*]. Idem in Ægypti deſcriptione, ὑπὲρ δὲ τοῦ Μεμνονείου θῆκαι βασιλέων ἐν σπηλαίοις [*ultra Memnoneum in ſpecubus Regum loculi*]. Hæc autem omnia tam exactè notata ſunt ab Euangeliorum Scriptoribus, quia valde pertinent ad ſtabiliendam fidem de Chriſti morte & reſurrectione; in quibus duobus capitibus velut fundamentum totius Chriſtianiſmi continetur. Vide Paulum I Cor. XV, 3, 4, 5. & orationes Apoſtolorum paſſim in Actis.

προσκυλίσας λίθον μέγαν, *advolvit ſaxum magnum*] גלל Thalmudiſtis. Polybius, οὐ μὲν ἀλλὰ κομίσαντες αὐτὸν εἰς τὸν καλούμενον θησαυρὸν οἴκημα κατάγειον, οὔτε πνεῦμα λαμβάνον οὔτε φῶς ἔξωθεν, οὔτε θύρας ἔχον, ἀλλὰ μεγάλῳ λίθῳ περιαγομένῳ κατακλειόμενον, ἐνταῦθα κατέθεντο [*verùm portantes eum in locum ſubterraneum, cui Theſauro nomen, qui locus nec ventos nec lucem accipiebat, nec januas habebat, ſed magno ſaxo quod verti poſſet claudebatur; ibi depoſuere*].

62. μετὰ τὴν παρασκευήν, *quæ eſt poſt Paraſceven*] Intelligit primam ſeptem ἀζύμων [*Azymorum*], cujus παρασκευὴ erat is dies quo agnus edebatur. Quia enim dies edendi agni erat celeberrimus, ideo non malè conſequens dies ab eo nomen accepit; ut & Exodi XII, 14, 15. Alioqui Sabbatum ordinarium non conveniebat notari ex proſabbato.

οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *principes Sacerdotum & Phariſæi*] Non potuit eo die Synedrium haberi; ideo nec πρεσβυτέρων [*Seniorum*] nec γραμματέων [*Scribarum*] hîc fit mentio. Sed privato conſilio Sacerdotum principes quidam & Senatores aliqui Phariſaïcæ factionis Pilatum convenerunt, tanquam acturi de negotio ad ſummam rempublicam pertinente: nec difficulter ab eo impetrarunt rem in qua ille nihil ſitum exiſtimabat. Videmus autem credidiſſe tunc Iudæos, quod & nunc credunt eorum doctiſſimi, otii Sabbatici lege alienigenas non teneri, cùm ipſi auctores ſint Romanis ut ea faciant quæ ab Iudæis ſalvâ Sabbati religione expediri nequibant.

63. ὁ πλάνος, *ſeductor ille*] מתעה. Hoc cognomen referre ſolent veræ ac ſolidæ pietatis magiſtri ab hominibus lucifugis. Ita Iudæos quosdam de Chriſto dixiſſe ait Iohannes, πλανᾷ τὸν ὄχλον [*ſeducit turbas*], VII, 12. Apud Lucam legati Synedrii accuſant Ieſum ut διαστρέφοντα τὸ ἔθνος [*ſubvertentem gentem*] XXIII, 2. id eſt, עכר ישראל [*ſubvertentem Iſraël*], ut de Elia dicebat Achab. Nam & ibi LXX habent, ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ. Iuſtinus adverſus Tryphonem narrat ab Iudæis Palæſtinis miſſos legatos ad Synagogas poſt Ieſu mortem, κηρύσσοντας ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου [*vulgantes ſectam quandam excitam, impiam & Legi adverſam, ab Ieſu Galilæo impoſtore*]. Paulus II Cor. VI, 8. ait ſe alioſque Apoſtolos habitos ut πλάνους [*ſeductores*]. idem à Philoſophis vocatur σπερμολόγος, ξένων δαιμονίων καταγγελεὺς [*circumforaneus, novorum numinum annuntiator*], Actor. XVII, 18. Similibus vocabulis Chriſtum ejuſque Apoſtolos Celſus vocabat ut ex Origene apparet. Vlpianus, qui de pœnis Chriſtianorum libros aliquot ſcripſit, cùm dicit, *ſi, ut vulgari verbo impoſtorum utar, exorcizaverit*, Chriſtianos haud dubiè notat; fortè & Iudæos.

εἶπεν ἔτι ζῶν, *dixit adhuc vivens*] Nunquam id Chriſtus apertè ipſe dixerat. Sed quæ de Ionæ ſigno & de Templo obſcuriùs dixerat, animus malè ſibi conſcius in eam quam timebat partem interpretabatur: niſi fortè etiam de familiari ſermone Iudas aliquid prodidit.

Μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *Poſt tres dies*] Id eſt, *Intra tres dies:* בעוד שלשת ימים Geneſ. XL, 13. ubi LXX ἔτι τρεῖς ἡμέρας [*adhuc tres dies*], cùm tamen quod ibi dicitur impletum ſit ipſo die tertio, ut apparet ibidem commate 20. Ita Chriſtus ipſe apud Marcum VIII, 31. dicit oportere ſe μετὰ τρεῖς ἡμέρας ἀναστῆναι [*poſt tres dies reſurgere*]. Ita מקץ שבע שנים Deut. XV, 1. LXX vertunt δι᾽ ἑπτὰ ἐτῶν [*per ſeptem annos*] (quomodo & Ioſephus loquitur); & ſuprà XXVI, 61. & Marci XIV, 58. ſcriptum eſt διὰ τριῶν ἡμερῶν [*per triduum*]).

at eadem verba Hebræa, ubi de eadem re agitur Ierem. XXXIV, 14. Græcè non tam κατὰ λέξιν [*ad verbum*] quàm κατὰ διάνοιαν [*ad ſenſum*] vertuntur ὅταν πληρωθῇ ἓξ ἔτη [*cum completi fuerint ſex anni*], quomodo & Rabbinorum eruditiſſimi exponunt Abraham & Kimchi. At Deuteronomii XXXI, 10. Hebraïſmo retento verterunt μετὰ ἑπτὰ ἔτη [*poſt ſeptem annos*]. Simile eſt Ioh. XX, 26. μεθ' ἡμέρας ὀκτὼ [*poſt dies octo*], ubi Syrus ut & hoc loco illud μετὰ [*poſt*] reddidit verbum verbo בתר [*inter*], cùm apud Marcum explicet per ל, quod respondet voci ἐν [*in*].

64. καὶ ἔσται ἡ ἐσχάτη πλάνη χείρων τῆς πρώτης. *& erit noviſſimus error pejor priore*] Locutio proverbialis, ut ſuprà XII, 45. Lucæ XI, 26. II Petri II, 20.

65. Ἔχετε κουστωδίαν· *Habetis cuſtodiam*] *Habetis*: ita rectè Latinus & Syrus; non, *Habete*. Senſus omnino eſt, Habetis cohortem quæ hoc tempore ad omnes tumultus arcendos veſtro imperio commiſſa eſt: eâ utimini pro arbitrio. Nam quanquam propriè ea cohors Templo ſerviebat, tamen etiam alibi ejus uſum fuiſſe docet ipſa prehenſio Chriſti. *Cuſtodia* vocantur hîc qui Ioſepho φύλακες [*cuſtodes*], ut ex loco antè citato apparet. Ita Tibullus, *Cuſtodia victa eſt*, id eſt, cuſtos. Et Tertullianus de hac ipſa hiſtoria agens, *Cuſtodia pavore disjecta*. Atque ita rectè hîc accepit Arabs: cùm alioqui *cuſtodia* Latinè & *locum* & *eum qui cuſtoditur* ſignificet. Vox hæc Græca facta ex Latina apud Hiſtoricos & Lexicographos invenitur. Verum eſt quod vir raræ diligentiæ & doctrinæ Nicolaus Fullerus nuper obſervavit, cùm Syrus hîc pro *cuſtodia* poſuit קסטונרא, non voluiſſe eum vocem *cuſtodiæ*, ſed alteram recentioris Latinitatis exprimere, *Quæſtionarii* ſcilicet; quomodo poſteriori ævo vocati ſunt οἱ βασάνων ὑπηρέται [*tormentorum adminiſtri*]· quo ſenſu ea vox tum alibi exſtat tum apud Iuvenalis Scholiaſten Sat. VI. & apud Hieronymum ad Pſalm. CVII. & in edicto Valentiniani, Theodoſii & Arcadii, quod edidit vir Reverendus Iacobus Sirmondus. Vnde etiam apparet non tam antiquum eſſe hunc Interpretem quam Syri credunt. ſed ſententiam non ſatis expreſſit. Nam & qui Chriſti ſupplicii exactores adfuerant non erant peculiariter ei miniſterio addicti, ſed delecti ad hoc milites ſub Centurionis imperio. Theophylacto Κουστωδία ἑξήκοντά ἐστι στρατιωτῶν [*Cuſtodia eſt militum ſexaginta*] ut Σπεῖρα διακοσίων [*Cohors ducentorum*]. At verò de his non agit Pilatus qui jam expletum id officium renuntiaverant, ſed de illis qui Iudæorum primoribus eo tempore attributi erant adverſus omnes νεωτερίζοντας [*qui res novas moliri poſſent*].

ὡς οἴδατε. *ſicut ſcitis*] Vt fieri oporteat pro ſollertia veſtra judicabitis.

66. σφραγίσαντες τὸν λίθον, *ſignantes lapidem*] Ita in Danielis hiſtoria VI, 17. Καὶ ἤνεγκαν λίθον ἕνα, καὶ ἐπέθηκαν ἐπὶ τὸ στόμα τοῦ λάκκου καὶ ἐσφραγίσατο ὁ βασιλεὺς ἐν τῷ δακτυλίῳ αὐτοῦ [*Allatusque eſt lapis unus & poſitus eſt ſuper os laci: quem obſignavit Rex annulo ſuo*]. Ioſephus in eadem hiſtoria ait illos σφραγίσαι τὸν ἐπὶ τοῦ στομίου κείμενον ἀντὶ θύρας λίθον [*ſignaſſe eum lapidem qui pro oſtio erat in ore ſpecus*]. Hoc autem Danielis loco adducor ut credam Pilati annulo & hunc lapidem ſignatum, hoc Deo agente ut res anteactæ res Chriſti undique adumbrarent. Quemadmodum publicâ ſigilli fide conſtitit Danielem nullâ ope humanâ periculo exemtum, ita ſimili fide conſtitit Chriſti corpus nullâ humanâ manu exemtum ſepulchro. Adde Apocal. XX, 3.

μετὰ τῆς κουστωδίας. *cum cuſtodibus*] Conſtruendum eſt cum verbo ἠσφαλίσαντο [*munierunt*] eo ſenſu quem Tertullianus exprimit, *Sepulchro conditum magnâ militari manu cuſtodiæ diligentiâ circumſederunt*. Quare iſtud σφραγίσαντες τὸν λίθον [*cùm lapidem ſignaſſent*] accipiendum eſt per modum παρεμβολῆς ſive μεταξυλογίας [*interpoſitionis*].

CAPVT XXVIII.

1. Ὀψὲ δὲ σαββάτων, *Fine ſeptimanæ*] Cùm Marcus ita Matthæi legat veſtigia ut ſæpe ei præſtet interpretis vicem, ſenſum in his vocibus eundem eſſe non dubito qui eſt in illis Marci verbis διαγενομένου σαββάτου [*cùm tranſiſſet Sabbatum*]. Neque me dimovet quòd apud Marcum eſt ἠγόρασαν ἀρώματα [*emerant aromata*], unde nonnulli putarunt hîc agi de re geſta ſtatim poſt occaſum Solis Sabbati. Nam cùm apud Lucam apertiſſimè liqueat aromata ab his mulieribus non Sabbato ſed die τῆς παρασκευῆς [*Paraſceves*] comparata, ἠγόρασαν illud apud Marcum interpretandum eſt, *habebant emta aromata*. Nam quando exiiſſent mulieres dici multùm attinebat; habuiſſe eas ſecum aromata itidem, quia id cauſam exitionis indicat; quando autem ea aromata comparaſſent nihil referebat ſciri: quare id ἀορίστως [*tempore indefinito*] expreſſum eſt. Sic Matthæi XIV, 3. ἔδησεν αὐτὸν [*vinxerat eum*] ſignificat non *vinxit* ſed *vinxerat*. Adde quæ ſuprà XXVII, 2. Nulla igitur peculiaris itio ad ſepulchrum apud Marcum quærenda eſt. Apud Matthæum verò hoc loco agi de aliqua itione veſpertina qua nihil relatu dignum acciderit, matutinam ad quam ſequentia omnia pertinent ſilentio omitti, nihil habet probabilitatis. Poterat dici ὀψίαν [*veſperam*] Helleniſtis dici interdum *noctem*, ut Hebræis ערב, quod ſuprà annotavimus; atque ita ὀψὲ hîc eſſe *noctu*, quomodo cepiſſe hunc locum videntur Syrus & Arabs, & Græcorum nonnulli; quò & illud aptari poteſt quòd totam noctem quæ eſt poſt Sabbatum Hebræi vocant מוצי שבת *exitûs Sabbati*: Sed duo obſtant, primùm quòd ὀψὲ [*ſerò* aut *fine*] cum caſu ſecundo planè Græca eſt conſtructio; deinde quòd ut שבתות [*Sabbata*] Hebræis, ita σάββατα Helleniſtis multitudinis numero plerumque dicuntur non ipſi dies otio dati, ſed tota dierum hebdomas ab unius Sabbati initio ad initium alterius: quarum dierum prima eam ob rem vocatur μία σαββάτων [*una* ſive *prima Sabbatorum*] (ex Hebraïſmo quem & LXX Interpretes ſequuntur) tum hîc tum apud Marcum, Iohannem, Lucam in Euangelio & in Actibus, & apud Paulum. Imprimis autem novum videri poterat hoc loco quatuor duntaxat voculis interpoſitis idem nomen σαββάτων [*Sabbatorum*] ſine ulla cauſa ſignificatu diverſo uſurpari. Quare nulla eſt ſimplicior interpretatio quàm ὀψὲ σαββάτων hîc eſſe, *exactâ dierum hebdomade*. Nam ὀψὲ cum caſu ſecundo Græcis non

modò ſignificat *id quod ſerò fit* (quod multis teſtimoniis probatum huc propriè non pertinet) ſed & *quicquid temporis ordine eſt poſterius.* Philoſtratus de Pythiis ludis, τὴν Πυθὼ τοὺς εἰς αὐτὴν ἥκοντας αὐλῷ τε παραπέμπειν καὶ ᾠδαῖς καὶ ψάλσει, κωμῳδίας τε καὶ τραγῳδίας ἀξιοῦν· εἶτα τὴν ἀγωνίαν παρέχειν τὴν γυμνὴν ὀψὲ τούτων [*Pytho*, ſive *Delphorum urbem, eos qui ad ſe veniunt tibiâ excipere & cantu & fidibus, quin & comœdiis & tragœdiis oblectare: poſt hæc armis exhibere nudorum certamen*], id eſt, *his omnibus peractis:* & alibi ὀψὲ τῶν Τρωϊκῶν *poſt res Trojanas*, ὀψὲ τοῦ βασιλέως χρόνων [*poſt hujus Regis tempora*]. Similiter Plutarchus Vitâ Numæ, Πυθαγόραν ὀψὲ γενεαῖς τοῦ Νουμᾶ χρόνων [*Pythagoran fuiſſe poſt Numæ tempora*].

τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων, *cùm luceſceret in primam ſabbatorum* ſive *ſeptimanæ*] Poſt temporis latiùs patentis indicium altera preſſior notatio requirebatur. Neque dubium eſt quin in hujus temporis deſignatione optimè conveniat horum librorum Scriptoribus. Nam quid eſt quod majore diligentia ab illis inquiri debuit aut fideliùs tradi quàm certum tempus ejus rei in qua fidei noſtræ cardo vertitur? Quare & hîc & aliis multis in locis ſi quid eſt obſcurum aut ἐναντιοφανὲς [*ſpeciem habens repugnantiæ*] id proficiſcitur non ex ſcribentium ſed ex legentium vitio. ἐπιφώσκειν aut ἐπιφαίνειν (ſunt enim hæc ſignificatus ejuſdem) de quavis luce dicitur cùm primùm ſe oſtentare incipit, ſive illa Solis ſit ſive ſiderum: μήτε ἡλίου, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων [*neque Sole neque ſideribus apparentibus*] inquit Lucas Act. XXVII, 20. Apud eundem Lucam in Euangelica hiſtoria XXIII, 54. σάββατον ἐπέφωσκε [*Sabbatum illuceſcebat*] dicitur aut Lunæ aut ſiderum ratione. Maxime autem propriè de Solis luce dicitur; quomodo dictum à Polybio τῆς ἡμέρας ἐπιφαινούσης [*die apparente*] oſtendit is cui non Polybius tantùm ſed & quantum eſt literarum plurimum debet. Hinc illa translatio in carmine Zachariæ Luc. I, 78, 79. ἐπεσκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει [*viſitavit nos ſplendor ex alto; apparens iis qui in tenebris*]. Sic & ex Ignatio ἐπιφωσκούσης κυριακῆς [*cùm illuceſceret dies Dominica*] & ex Epiphanio ἐπιφωσκούσῃ τῇ τετράδι [*cùm quarta dies illuceſceret*] idem vir doctiſſimus annotavit. Sed & Herodoto dictum ἡμέρᾳ διαφωσκούσῃ [*die apparente*]. Neque aliter hîc ſumendum τῇ ἐπιφωσκούσῃ [*cùm luceſceret*]. deeſt enim ἡμέρᾳ [*dies*], ut cùm Græci dicunt τῆς ἐπιούσης [*poſtera*]. Noſter hic Scriptor ſuprà τὴν αὔριον [*craſtinum*] VI, 34. ut & Lucas Act. IV, 3, 5. & Iacob. IV, 14. Iohan. verò I, 35. & XII, 12. Lucas Act. XX, 7. τῇ ἐπαύριον [*craſtinâ*]. Eſt autem notandus Hebraïſmus in eo quod dicitur εἰς μίαν σαββάτων [*in primam ſabbatorum* ſive *ſeptimanæ*]· ſenſus enim eſt, *cùm ea dies illuceſceret quæ erat futura prima hebdomadis.* Deſignatur igitur hîc diluculum; ut & apud Lucam XXIV, 22. γενόμεναι ὄρθριαι ἐπὶ τὸ μνημεῖον [*quæ ante lucem fuerunt ad monumentum*]. Diluculi primam partem Iohannes deſcribit, dicens πρωῒ, σκοτίας ἔτι οὔσης [*manè, cùm adhuc tenebræ eſſent*] XX, 1. cùm adhuc noctis aliquid reſtaret; quomodo πρωῒ [*manè*] etiam Marcus uſurpat, addens ἔννυχον λίαν [*cùm adhuc multum de nocte reſtaret*] I, 35. Sic Philemon, περὶ ταύτην πρωίαν ἀφ' ἧς ἡ δείλη ἄρχεται [*eò mane unde diluculum incipit*] notatum id Euſtathio ad ſextum Iliados: & Lucas pro eodem hîc dicit ὄρθρου βαθέος [*valde diluculò*]. finem ipſum, quod eſt *mane primum* Latinis, notat hîc Marcus cùm dicit λίαν πρωῒ [*bene manè*], ἀνατείλαντος [*orto*] aut, ut alia exemplaria habent, ἀνατέλλοντος [*oriente*] vel, quod eodem recidit, ἔτι ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου [*adhuc oriente Sole*]. Ego quid in his narrationibus tantum ſit difficultatis non video. Nimirum primo diluculo ſurrexerant mulieres: dum alia aliam opperiuntur, dum parant aromata, dum progrediuntur per Vrbem & extra Vrbem ad ſepulchrum, facilè tantum temporis tranſiit ut cùm ad ſepulchrum ventum eſſet aliquid jam Solis appareret. Habent autem ſingulæ circumſtantiæ ſuum pondus. Quod primo diluculo ſurgunt mulieres oſtendit metuiſſe eas ne Sabbato jam tranſacto corpus aliò transferretur, quaſi illic duntaxat depoſitum pro tempore propter imminens Sabbatum. Quòd jam illuxerat nonnihil cùm ad ſepulchrum ventum eſt, eò facit ut certâ oculorum fide comperta conſtet quæ mulieres renuntiarunt. Qua die de ſeptem creatio inchoata eſt, eâdem & nova creatio. Ibi μία [*una*] in Græco Gen. I, 5. hîc μία [*una*].

Μαρία Μαγδαληνή, *Maria Magdalene*] Quam ut ducem agminis Iohannes nominat: & credo ab ea factos præcipuè ſumtus. Sanè cæteris nobilior fuiſſe videtur, quia nomen ejus aliis præponi ſolet, ſuprà XXVII, 56, & 61. hoc loco, & apud Marcum XV, 40. XVI, 1. Luc. VIII, 2, 3. XXIV, 10.

καὶ ἡ ἄλλη Μαρία, *& altera Maria*] Cleopæ filia, mater Ioſæ & Iacobi, ut ſuprà diximus. Omittit Matthæus *Salomen*, quam Marcus nominat, & *Iohannam*, uxorem ſcilicet Chuzæ, qui Herodis erat Procurator, Lucæ memoratam. Fuerunt ergo mulieres quatuor nominatæ, præter ἀνωνύμους [*non nominatas*] quas Lucas indicat.

θεωρῆσαι τὸν τάφον· *videre ſepulchrum*] Ἵνα ἀλείψωσιν [*ut ungerent*] addit Marcus, quod & Lucas non obſcurè indicat. Venerunt igitur ut viderent an ſepulchrum ad unctionem pateret. Hic eſt ἐνταφιασμὸς de quo [hæc eſt *pollinctura* de qua] diximus ſuprà. Solebat id fieri antequam corpora ſepulchro mandarentur: ſed ſepeliendi feſtinatio id officium anteverterat.

2. σεισμὸς ἐγένετο μέγας. *terræmotus factus eſt magnus*] Motus hic ſignum fuit ſecuturæ ὀπτασίας [*viſionis*] ſatis notum Iudaïco populo, Pſal. LXVIII, 8, 9. XCIX, 1. CXIV, 1. 7. Oſtendit hoc quod ſequitur, Ἄγγελος γὰρ [*Angelus enim*] & cætera. Quare nulla alia quærenda eſt ratio. Putem autem hoc, ut & lapidis devolutionem, ſed & fugam cuſtodum, eveniſſe dum mulieres in itinere eſſent; neque id ex mulierum teſtimonio notum, ſed ex aliorum militum relatu qui acceptâ pecuniâ redemtum ſilentium non præſtiterunt: ut fieri ſolet. Argumento eſt quod Marcus de mulieribus narrat, Καὶ ἀναβλέψασαι θεωροῦσιν ὅτι ἀποκεκύλισται ὁ λίθος [*& reſpicientes viderunt revolutum lapidem*]. Devolutum igitur viderunt cùm id minimè ſperarent; devolvi non viderunt: neque auſæ fuiſſent accedere ſi monumentum obſeptum vidiſſent militari cuſtodia.

καταβὰς ἐξ οὐρανοῦ, *deſcendens de cælo*] Habet

Deus Angelos quotidianæ providentiæ miniſtros: Habet & velut Satrapas, quorum operâ ad res maximi momenti utitur, ut alibi annotavimus. Hi peculiariter dicuntur ἐξ οὐρανοῦ καταβαίνειν [*ex cælo deſcendere*], hoc eſt, tanquam à latere mitti. Itaque ubicunque καταβάσεως ἐξ οὐρανοῦ [*deſcenſûs ex cælo*] eſt mentio, ut Apoc. x, 1. xviii, 1. xx, 1. magnum quiddam atque eximium agi intelligas.

ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, *devolvit lapidem ab oſtio*] An ut janitoris officio non neceſſario quidem ſed honorifico fungeretur? Certè veterum quoſdam ita exiſtimaſſe negari non poteſt, & torquent eorum verba qui id præfractè negant. Alii aliter: quos inter ille quiſquis eſt Scriptor antiquus (non unum eſſe libri iſtius pro certo habeo, ſed ex multorum non unius ævi ſcriptis factam collectionem) in Reſponſionibus ad Orthodoxos, Οὐ γὰρ διὰ τὴν αὐτοῦ ἔγερσιν τοῦ λίθου ἐκ τοῦ μνήματος ἐγένετο ἡ ἀφαίρεσις, ἀλλὰ διὰ τὸ δηλωθῆναι τοῖς ὁρῶσι τὴν ἀνάστασιν [*non enim ut ille reſurgeret lapis de monumento ablatus eſt, ſed ut videntibus conſtaret eum reſurrexiſſe*]. Prior ſententia, ut certa non ſit, quî refelli poſſit non video. Præfiguratum videri hoc poteſt in Iacobo Gen. xxix, 8. Verba eadem.

καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ. *& ſedebat ſuper eum*] Vnum nominat Matthæus, ut & Marcus; Lucas duos, ut & Iohannes: nam apud Iohannem eadem quæ hîc hiſtoria narratur xx, 13. nihil enim video cur aliam putemus cùm tot circumſtantiæ congruant. Iohanni Maria Magdalena hanc ὀπτασίαν [*viſionem*] videt; aliis eadem cum cæteris: nam initio Iohannes Magdalenam pro reliquis nominaverat. Cui ſimile eſt quòd Iohanni *duo Angeli*, Lucæ δύο ἄνδρες [*duo viri*], id eſt, Angeli virili ſpecie, nominantur, Matthæo unus *Angelus*, ut & Marco unus νεανίσκος [*juvenis*]· nimirum quia unus ille & propior & pro duobus verba fecit: quod ſolemne notant Hebræi ex loco Gen. xviii, 1, & 3. Itaque quod Lucas Angelos dixiſſe perhibet, *Non eſt hîc, ſed ſurrexit*, id ab Angelo dictum narrant Matthæus & Marcus. Sic quod Matthæo eſt Μὴ φοβεῖσθε [*Ne timete*], Marco, Μὴ ἐκθαμβεῖσθε [*Ne expaveſcite*], Iohanni, Τί κλαίεις; [*Quid ploras?*] *Veſtes candidas* Iohannes memorat, item ut tres alii: *ſeſſionis* meminit ut Matthæus & Marcus. Cur diverſæ narrationes credantur planè nihil eſt, niſi quòd Iohannes ſuam & Petri itionem priùs narrat, deinde ea quæ Magdalena viderat, cùm alium fuiſſe temporis ordinem tum ex Lucæ hiſtoria hoc loco appareat, tum apertiſſimè ex iis quæ Cleopas dicit in itinere Emauntem verſùs, Lucæ xxiv, 22, 23, 24. At me id non movet, qui ſciam ut alios Annalium conditores ita & hoſce noſtros non ſemper ſe adſtringere ad eas anguſtias, ut quod priùs geſtum eſt priùs etiam narrent, cùm multa ubique ſit reperire πρωθύστερα [*præpoſtera*], multas προλήψεις [*anticipationes*], multas ἐπανόδους [*retrogreſſiones*]. Neque Iohanni cur naturalem hîc ordinem inverteret juſta cauſa defuit. Sciebat quàm imbecille futurum eſſet apud multos teſtimonium muliebre ob eam quæ ſexui iſti tribui vulgò ſolet judicii imbecillitatem. Nam & Celſus contra Chriſtianos id teſtimonium eludens Magdalenam γυναῖκα πάροιστρον [*feminam fanaticam*] vocavit. Quare Iohannes acturus de re ut veriſſima ita creditu difficili, ſuum & Petri teſtimonium narrationi præſtruxit; Petri, ut qui id ipſum morte ſua jam obſignaſſet; Suum, ut qui tunc etiam cùm ſcriberet paratus eſſet omnia perpeti propter ejus teſtimonii veritatem. Hoc poſito fundamento, quod apud æquos judices valere plurimùm debebat, tutò deinde addit ſexus ſequioris teſtimonium. Neque tamen omnino abjecit temporis ordinem: ſed cùm de itione Magdalenæ dicere cœpiſſet, xx, 1. adjicit deinde ea quæ ipſe cum Petro compererat, mox ad Magdalenam rediens ea pertexit quæ priùs quidem geſta, ſed poſteriùs tamen accuratè & cum ſuis circumſtantiis per Magdalenam Apoſtolis erant renuntiata. Quare illud Μαρία δὲ εἱστήκει, xx, 11. intelligendum eſt *Steterat autem Maria*, & ita deinceps cætera, reditu facto ad id quod poſt comma primum Iohannes intermiſerat. Hæc ideo hoc loco dicenda ſum arbitratus ut probato, unam eſſe eandemque hiſtoriam apud Scriptores quatuor, ea quæ ab aliis ſunt prodita aliorum interpretationi ſerviant. Videamus quid reſtet difficultatis. *Sedere*, ut dixi, *Angelos* dicit Iohannes, cum Matthæo & Marco; at Lucas eos *ſtetiſſe* videtur dicere: ſed videtur tantum: nam ἐφιστάναι eſt ſupervenire: ut cùm Hippocrates dicit, Ὥσπερ γὰρ δμῶες καὶ δμωΐδες ἐν τοῖς οἴκοισι θορυβέοντες καὶ στασιάζοντες ὁκόταν ἐξαπιναίως ἡ δέσποινα ἐπιστᾶσα πλσηθέντες ἐφησυχάζουσι [*Sicut enim ſervi & ancillæ ſi domi tumultuoſi diſſideant, ſubitò apparente herâ præ metu ſilent*]. & Herodianus, ἐλπίδος θᾶττον τοῖς Βρεττανοῖς ἐπέστη [*citiùs exſpectato Britannis ſe oſtendit*]. Ac Lucæ peculiariter ea vox de cœleſtibus viſis uſurpatur Euangelio ejus 11, 9. Act. xii, 7. & xxiii, 11. Sic cùm Demoſthenes in ea quæ eſt De corona dixiſſet, ἀφ᾽ ἧς ἡμέρας ἐπὶ ταυτὶ ἐπέστην ἐγώ [*ex quo tempore ego ſuper hæc apparui*] notat Vlpianus, ὥσπερ τινὸς δαίμονος ἐπιστασίαν λέγει τοῦ αὐτοῦ κηδεμόνος τὴν παρουσίαν [*curæ ſuæ præſentiam eloquitur tanquam numinis alicujus ſuperventum*]. De loco ubi ſederint Angeli itidem dubitatur. Nam extra ſpecum ſediſſe Angelum illum cujus Matthæus meminit inde colligitur quòd *lapidi ſuperſediſſe dicitur*; is autem lapis major ore ſpecûs haud dubiè extrorſum, non introrſum erat devolutus. At contrarium dicere putantur tum Marcus, tum Iohannes: unde ſunt qui dixerunt Angelum ſediſſe non ſuper lapidem ab ore devolutum, ſed ſuper lapidem alium qui Chriſti loculo impoſitus fuerit. At quid eſt Matthæo contradicere ſi hoc non eſt? is enim apertiſſimè ait, ἀπεκύλισε τὸν λίθον ἀπὸ τῆς θύρας, καὶ ἐκάθητο ἐπάνω αὐτοῦ [*devolvit lapidem ab oſtio, & ſedit ſuper eum*]. Mihi res videtur expedita, ſi Marci verba commodè interpretemur: Is ait εἰσελθοῦσαι εἰς τὸ μνημεῖον εἶδον νεανίσκον [*introeuntes in monumentum viderunt juvenem*]. Atqui in ſpecum nondum intraverant: nam poſtea dicit eis Angelus δεῦτε ἴδετε τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο [*venite & videte locum ubi poſitus erat*]. Vocat ergo Marcus μνημεῖον [*monumentum*] partem horti quæ ab horto reliquo, ſepimento aliquo ſive loricâ, ſeparabatur. Nam μνημείου [*monumenti*] laxiùs ſumti partes erant duæ, חצר τὸ ὕπαιθρον [*ſubdiale*] & מערה σπήλαιον [*ſpelunca*]. In oratione Demoſthenis adverſus Macartatum, τὸ μνῆμα

Βεσελιδῶν πολὺς τόπος περιβεβλημένος, ὥσπερ οἱ ἀρχαῖοι ἐνόμιζον [*monumento Beſelidarum multum loci circumjectum eſt, ex veteri ritu*]· & illud ὕπαιθρον [*ſubdiale*] Iure Pontificio Romano *forum* vocabatur. Strabo ubi Auguſti & cognatorum monumentum deſcribit, ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ περίβολος (id eſt, *forum*) κύκλῳ περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα [*in medio autem campo forum buſti ipſius habens circùm ferreum ſeptum*]. Sic & apud Romanos in pedes aliquammultos monumentum patebat, ut nos docent Inſcriptiones. Omnino autem errare eos arbitror qui totum hunc hortum putant fuiſſe vice ὑπαίθρου [*fori*]. Nam quod monumenti pars erat, exemtum erat humanis uſibus. At hortus ille colebatur & ſuum habebat κηπουρὸν [*hortulanum*], Iohann. xx, 15. Erat ergo hortus extra loricam terra pura, qualis illa quam Romani *tutelam monumenti* vocabant, ut in veteri inſcriptione, *Huic monumento tutelæ nomine cedunt agri puri jugera decem* : & apud Frontinum, *Habent enim & Mauſolæa* (ita enim legendum) *juris ſui hortorum modos circumjacentes.* Loricam illam, quæ Hebræis מעקה [*ſeptum*] Deuteron. xxii, 8. rectè Græcè γεῖσον dici arbitror. Neque enim *projecta* tantùm ita appellari ſatis Ioſephus nos docet, apud quem in Templi deſcriptione γείσιον vocatur *ſepimentum* ὅσον πηχυαῖον ὕψος [*altitudine cubiti*] quod populum à Sacerdotibus arcebat. Sic & alterum *ſepimentum* quo ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*] arcebantur vocat δρύφακτον λίθινον [*loricam è lapide*]. Idem alibi itidem Templum deſcribens quod Græci vocant θριγκὸν [*ſeptum*], id ait γεῖσον vocari κατὰ τὴν ἐπιχώριον γλῶτταν [*linguâ patriæ*], cùm tamen ea vox Hebræa non ſit origine, ſed, ut multæ aliæ, ex Græco ſermone in Hebræum traducta: Rurſum alibi περίβολον, alibi ἑρκίον appellat: Philo, τοῖχον θωρακείου τρόπον [*parietem ad loricæ modum*]. Vocem θριγκοῦ de monumento etiam Pauſanias uſurpat, ἐνταῦθά ἐστι μὲν Ὀφέλτου τάφος· περὶ δὲ αὐτὸν θριγκὸς λίθων, καὶ ἐντὸς τοῦ περιβόλου βωμός [*eſt hîc Opheltæ monumentum: circumpoſitum è lapidibus ſeptum, & in eo ambitu ara*]· ubi περίβολον [*ambitus*] eſt חצר [*ſubdiale*]. Latini quam *loricam* diximus etiam *munimentum* vocant, ut videre eſt in L. *Funeris*, Dig. De Religioſis: Homerus θεμείλια illo verſu,

> Τορνώσαντο δὲ σῆμα θεμείλιά τε προβάλοντο.
> [*Tornato ſeptum circumpoſuere ſepulchro.*]

Tale δρύφακτον, θριγκὸν ſive γεῖσον, id eſt, *loricam* haud dubiè Cyrillus σκέπην vocat, qua vallata ait fuiſſe Iudæorum monumenta. Sed & Auguſtinus, ex vetere haud dubiè fama, ingreſſas ait mulieres in ſpatium maceriâ communitum. In hanc ergo partem horti intra loricam cùm veniſſent mulieres, in iſto ὑπαίθρῳ [*ſubdiali*] ſuper lapidem ſedentem Angelum conſpexere ad dextram ſpeluncæ partem, quam verſus caput mortui poſitum fuiſſe credo. Nam etiam in mortuo caput pars potiſſima eſt, ut Paulus Iuriſconſultus reſpondet. Quare idem eſſe puto Iohanni πρὸς τῇ κεφαλῇ [*ad caput*], & Marco ἐν τοῖς δεξιοῖς [*in dextris*]. Itaque alter Angelus, Matthæo & Marco diſſimulatus, ſedit ad ſiniſtram ſpeluncæ partem quam verſùs pedes poſiti fuerant. Si vera eſt Bedæ deſcriptio, dextra pars verſùs Aquilonem fuerit, ſiniſtra verſùs Auſtrum; os ipſum ſpecûs Orientem ſpectaverit.

3. ἰδέα, *adſpectus*] Puto non aliud eſſe quàm πρόσωπον [*faciem*]. Vide ſuprà xvii, 2. Quanquam alioqui latiùs patet; ut cùm Plutarchus dicit ἰδέαν τοῦ σώματος ἄμεμπτον [*formam corporis in qua culpari nihil poſſet*]. At hîc manifeſtè diſtinguitur à parte corporis veſtita. Adde quòd non obſcurè Danielis locus reſpicitur x, 6. ופניו כמראה ברק, ubi Græcè τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ὡς ἡ ὅρασις ἀστραπῆς [*facies ejus velut ſpecies fulguris*].

τὸ ἔνδυμα, *veſtimentum*] Veſtimentum id ad talos erat demiſſum; στολὴν [*ſtolam*] enim vocat Marcus; qualis erat ποδήρης [*veſtis talaris*] Pontificis Maximi Iudæorum: quæ στολὴ [*ſtola*] ſæpe Ioſepho. Sic Chriſtus Iohanni apparet ἐνδεδυμένος ποδήρη [*veſtitus podere*] Apocalyp. i, 13. Angelus Danieli *lineis indutus* xii, 6.

λευκὸν ὡσεὶ χιών. *album ſicut nix*] Vide Actorum i, 10. Summus candor Nivi comparatur, ut apud Græcos & Latinos, ita & apud Hebræos, Numeror. xii, 10. Pſalm. li, 9. Thren. iv, 7. Candor haud dubiè ſignum puritatis ac ſanctimoniæ, Daniel. vii, 9. Apocalyp. iii, 4, 5, 18. iv, 4. vi, 11. vii, 9, 13. Ideo apud omnes gentes receptum λευχειμονεῖν [*albis indui*] cùm rem Divinam facerent: quò illud alludit comœdiæ Græcæ,

> Θεῷ δὲ θῦε διὰ τέλους δίκαιος ὤν,
> Μὴ λαμπρὸς ὢν ταῖς χλαμύσιν ὡς τῇ καρδίᾳ.
> [*Deo ſacrifica ſemper ingenio probo,*
> *Nec tu albas veſtes magis quàm mores induas.*]

Sed huic candori in veſte Angelorum ſplendor ſuus aderat, quemadmodum & Chriſto ἐν τῇ μεταμορφώσει [*in transformatione*], ſuprà xvii, 2. ideo Lucas, ἐν ἐσθήσεσιν ἀστραπτούσαις [*in veſtibus fulgentibus*], quod ſignum honoris eſt cœleſtis. Hoc eſt quod imitari voluit Herodes Agrippa, de quo Ioſephus, ἔνθα ταῖς πρώταις τῶν ἡλιακῶν ἀκτίνων ἐπιβολαῖς ὁ ἄργυρος καταυγασθεὶς θαυμασίως ἀπέστιλβε, μαρμαίρων τι φοβερὸν καὶ τοῖς εἰς αὐτὸν ἀτενίζουσι φρικῶδες [*deinde illapſu Solis radiorum illuſtratum argentum miro modo refulſit, rutilans ſic ut horrorem incuteret oculos in id defigentibus*]. quo conſpecto populus eum vocavit κρείττονα τῆς θνητῆς φύσεως [*ſuperiorem naturâ humanâ*]. Lucas Actorum xii, 22. ait ei acclamatum Θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου [*Vox Dei & non hominis*], quod eodem redit. Nam per Angelos Deus loquitur.

5. Μὴ φοβεῖσθε ὑμεῖς· *Nolite timere vos*] Nam & illas timor pervaſerat, non ex improba conſcientia, ut milites, ſed ex naturæ humanæ imbecillitate: quomodo plerumque pios timuiſſe legimus in Veteri Novoque Federe quoties viderunt ὀπτασίας [*viſa*], præſertim auguſtiores, ut Ezechiel. i, 28. Iobi iv, 13. Addit Lucas *vultus mulierum in terram dejectos fuiſſe* : quod itidem ſtuporis indicium eſt. Vide quæ ſuprà xvii, 6. Magdalena verò etiam flevit: quod lugentibus accidit. Solent autem Angeli pios perculſos hunc in modum conſolari, Iudicum vi, 23. Lucæ i, 13, 30. Daniel. x, 12. ſic & Chriſtus Iohannem erigit, Apocalyp. i, 17.

ζητεῖτε. *quæritis*] Perculſæ oculos immittebant intra ſpecum, videntes an Chriſti corpus in eo ſpecûs cavo conſpicerent ubi poſitum viderant ἐν τῇ παρασκευῇ [*tempore Paraſceues*]. Nam cavum illud, teſtante Beda, quà patebat obverſum erat ori ſpecûs, ita ut pars aliqua corporis in cavum immiſſi (is enim mos erat Hebræorum) ex ore ſpecûs conſpici poſſet. Nam & die παρασκευῆς Magdalena aliæque mulieres non intrarant in ſpecum, ſed erant καθήμεναι ἀπέναντι τοῦ τάφου [*ſedentes contra ſepulchrum*], ſuprà XXVII, 61. id eſt, ἐν τῷ ὑπαίθρῳ [*in ſubdiali*] ad os ſpecûs. Inde videbant ὡς καὶ ποῦ ἐτέθη τὸ σῶμα [*ubi & quomodo poſitum eſſet corpus*], Marci XV, 47. Lucæ XXIII, 55. Sic & hîc Magdalena ſtans πρὸς τὸ μνημεῖον [*juxta monumentum*], id eſt, ad ſpecum, qui ſtrictè μνημεῖον dicitur Iohann. XX, 1. atque ita ut in ore eſſet ſpecûs (quamobrem Lucas hîc dixit εἰσελθοῦσαι [*ingreſſæ*], κατὰ συνεκδοχὴν [*per complexionem*] plurale pro ſingulari uſurpans), oculos in ſpecum injicit, ſed corpus non videt. Lucas συνεκδοχὴν [*complexionem*] perſequens, οὐχ εὗρον, inquit, τὸ σῶμα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ [*non invenerunt corpus Domini Ieſu*. Hîc ſtanti dicit Angelus *videre ſe Ieſum ab iis quæri*, Matthæus hîc, Marcus XVI, *6*. Lucas XXIV, 5. quod ipſa fatetur dicens Angelo, ἦραν τὸν Κύριόν μου, καὶ οὐκ οἶδα ποῦ ἔθηκαν αὐτόν [*tulerunt Dominum meum & neſcio ubi poſuerunt eum*], Iohann. XX, 13. Poſtea demum ab Angelo monetur ut intret ſpecum & propiùs omnia conſideret, infrà *6*. Marci XVI, *6*. Sic & Iohannes poſtea non intrans in ſpecum, ſed *capite inſerto introſpectans* (quod eſt παρακύπτων) *videt faſcias funerales*, XX, 5. nempe projectas ante ipſum cavum, aut in cavo.

6. Οὐκ ἔστιν ὧδε· ἠγέρθη γάρ, *Non eſt hic: ſurrexit enim*] Addit Lucas quod ad eandem ſententiam pertinet, Τί ζητεῖτε τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν; [*Quid quæritis viventem inter mortuos?*]

ἴδετε, *videte*] Oculis credite, quæ certiſſima ad veri perceptionem via: Marci XVI, 14. Iohann. I epiſt. cap. I, 1.

τὸν τόπον, *locum*] Cavum illud in ſpecu. *Loculum* vocat Beda, θήκην Ioſephus aliquoties. Atque hinc intelligimus non vanum eſſe quod produnt deſcriptores Palæſtinæ de ſpelunca duplici: nam cavum hoc in latere ſpeluncæ,, qui proprius corporis locus, vocant *interiorem ſpeluncam*.

ὅπου ἔκειτο, *ubi poſitus erat*] Propriè, *ubi ſitus fuit*. Frequens Græcorum epitaphiis, Ενθάδε κεῖται, ut in Latinis, *Hic ſitus eſt*.

ὁ Κύριος. *Dominus*] Abſolutè: quaſi dicat Angelus, *Non veſter tantùm, ſed noſter quoque Dominus*. Nam reſurrectione inchoabatur Regnum illud Chriſti ſub quo ſunt & Angeli.

7. ταχὺ, *citò*] Vt nutantes confirmentur, flentes & lugentes fruantur ſolatio. Vide Marcum hîc commate 10.

προάγει ὑμᾶς εἰς τὴν Γαλιλαίαν· *præcedit* ſive *præcedet vos in Galilæam*] Vbi plures diſcipulos Chriſtus habebat, quibus, tanquam μάρτυσι προκεχειροτονημένοις [*teſtibus præordinatis*], ut loquitur Petrus Actorum X, 41. reſurrectionem ſuam teſtatam eſſe voluit: nam quingenti fuerunt quibus videndum ſe dedit, ut ex Paulo diſcimus. Plus præſtitit Chriſtus quàm promiſit. Promiſerat enim in Galilæa ſe ipſis appariturum; at cunctantibus eò ire Hieroſolymis primùm apparuit, deinde in Galilæa ſæpius. De voce προάγειν [*præcedere* ſive *antè vadere*] vide ſuprà XXVI, 32. & confer verba Michææ II, 13.

ἰδοὺ, εἶπον ὑμῖν. *ecce, prædixi vobis*] Et ille prædixit & ego nunc iterum prædico. Hæc omnia pertinebant ad excutiendum τῆς ὀλιγοπιστίας [*tenuitatis in fide*] veternum; quod ne ſic quidem excuſſum eſt.

8. μετὰ φόβου καὶ χαρᾶς μεγάλης, *cum timore & gaudio magno*] Quæ timoris atque etiam ſtuporis (nam τρόμον καὶ ἔκστασιν [*tremorem & pavorem*] ponit Marcus) cauſa fuerit vidimus ſuprà ad caput V. Gaviſæ autem erant non tam quòd Chriſti reſurrectionem crederent (quam ne animo quidem comprehendere ſatis poterant), quàm quòd dignatæ eſſent viſo cœleſti. Vide Lucæ XXIV, 22. Simili modo timor ille per quem ſalus efficitur, Philipp. II, 12. non eſt abjunctus à gaudio, I Petri I, 8. IV, 13. I Theſſ. I, *6*.

9. Ὡς δὲ ἐπορεύοντο ἀπαγγεῖλαι, *Cùm verò irent nuntiatum Diſcipulis*] Ibant quidem ut Apoſtolis viſa referrent; at nemini obvio rem aperire audebant præ metu Iudæorum: ita interpretamur illud apud Marcum οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· ἐφοβοῦντο γάρ [*nemini quicquam dixerunt: timebant enim*]. Verba autem hæc cùm ſint in plerisque codicibus, & Syrus Græcique Interpretes agnoſcant, delere non auſim. Nam quod vocula Καὶ [*Et*] παρέλκει [*abundat*] notiſſimus eſt Hebraïſmus, ut ſuprà IX, 10.

ἀπήντησεν αὐταῖς, *occurrit illis*] Συνεκδοχὴ [*complexio*] ſive numeri ἐναλλαγὴ [*mutatio*]· niſi dicere malumus, quod credibile eſt, ancillam Magdalenæ adfuiſſe. Magdalena autem neſcio quo mota ex itinere recurrerat ad monumentum: ita enim rectè exponi puto quod Iohannes dicit ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω [*converſa eſt retrorſum*]. Eadem eſt ἐπιφάνεια [*apparitio*] quam Marcus commemorat XVI, *9*. nulla enim cauſa eſt cur diverſas comminiſcamur: ἀναστὰς enim apud Marcum eſt non *ſimul ac reſurrexerat Chriſtus*, ſed *ipſe qui reſurrexerat*. Hoc enim vult indicare, Ipſum Chriſti corpus ipſis apparuiſſe; quod fieri non poterat niſi revera reſurrexiſſet. πρωῒ πρώτῃ σαββάτων [*manè primo ſabbatorum*] ideo addidit idem Marcus ut oſtenderet jam clarum mane fuiſſe cùm id accidit. Nam priora acciderant λίαν πρωῒ [*valde manè*] *primo mane*; hoc πρωῒ [*manè*], id eſt, mane claro.

Χαίρετε. *Avete*] Etiam Mariam nomine compellans, ut ſalutantes ſolent. Ita Iohannes.

ἐκράτησαν αὐτοῦ τοὺς πόδας, *tenuerunt pedes ejus*] Mariam pedes ſuos amplexantem abſtinere Chriſtus juſſit. Hæc enim erat cauſa cur diceret Μή μου ἅπτου [*Noli me tangere*] apud Iohannem, id eſt, *Parce me amplexari*. Futurum ut illius præſentiâ jam plenè frueretur ſperabat Maria; quod ſignificabat familiaris amplexatio; at Chriſtus docet iſtas ἐπιφανείας [*apparitiones*] fuiſſe tantùm οἰκονομικὰς [*diſpenſatorias*] firmandæ fidei: frui autem ipſius præſentiâ datum ipſis iri in Regno demum cœleſti, quò præibat hoſpitium ſuis paraturus: quò cùm ipſæ olim perveniſſent tum amplexaturæ eſſent Chriſtum, eo ſcilicet modo quo Chriſtus ſe in Regno Patris & Paſcha eſurum & vinum bibiturum pronuntiaverat, ἀπὸ τῶν αἰσθητῶν εἰς τὰ νοητὰ ἀνάγων [*à ſen-*

ſibilibus ad intelligibilia attollens]. Videtur Magdalena, quia ab amplexu Chriſti rejecta erat, hinc collegiſſe id quod Chriſti viderat non fuiſſe corpus illud quod ſepulchro conditum fuerat: ideo cùm rem omnem Apoſtolis renuntiaret, narravit quidem ὀπτασίαν [*viſum*] *Angelorum*, ſed *corpus* dixit *non repertum*, Lucæ XXIV, 22. ſuſpicata etiam tunc *ſublatum fuiſſe ex monumento*, Iohann. XX, 2. Certè Apoſtolorum quoque nonnullis tale aliquid animo inſederat, quod ut avellat Chriſtus ait Πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει [*Spiritus carnem & oſſa non habet*], Lucæ XXIV, 39. & Thomas conſpicari non contentus tactu etiam explorare corpus voluit. Quibus argumentis permotus Origenes contra Celſum II. exiſtimat creditum Iudæis ὅτι δύναται ὀφθαλμοῖς αἰσθητοῖς φανῆναι ψυχῆς σῶμα αὐγοειδὲς [*poſſe oculis exterioribus videri lucidum illud animæ corpus*], Pythagoreos ſecutus: atque eò refert Homeri illud,

Πάντα δ' ἐοικύης μέγεθός τε καὶ ὄμματα καλά.

[*Cuncta illi ſimilis molemque oculoſque micantes.*]

Eſt illuſtris περὶ τοῦ αὐγοειδοῦς σώματος [*de lucido illo corpore*] (nam eâdem voce utitur) locus apud Hieroclem ad illud Aurei carminis

Ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην.

[*Aurigam faciens mentem, verùm optima quæ ſit.*]

ubi ille ex Pythagoricorum ſententia ait animos humanos, perinde ut aſtra, μήτε σῶμα εἶναι μήτε ἄνευ σώματος [*neque corpus eſſe neque ſine corpore*], ſed habere συμφυὲς ἀθάνατον σῶμα [*cognatum corpus immortale*]· atque hoc eſſe Platoni ὑπόπτερον ζεῦγος [*volucre vehiculum*], cujus auriga ſit animus. Ipſe etiam ψυχικὸν σῶμα [*corpus animæ proprium*] vocat, quod τῷ θνητῷ σώματι [*corpori mortali*] opponit; idemque ait ἐν χρησμοῖς [*in oraculis*] vocari

Ψυχῆς λεπτὸν ὄχημα.

[*Tenue vehens animam.*]

Vehiculum animæ dixit Auguſtinus hac de re diſputans epiſtolâ CCXVIII. Porphyrius, τὸ αἷμα νομὴ καὶ τροφή ἐστι τοῦ πνεύματος· τὸ δὲ πνεῦμά ἐστιν αὐτὴ ἡ ψυχὴ ἢ ὄχημα τῆς ψυχῆς [*ſanguis eſt pabulum & alimentum ſpiritus; ſpiritus verò aut anima aut animæ vehiculum*]. Chaldæi hoc vocant מלבנש הפנימי, & Arabs Meir Aldati exponit *ſpiritum medium inter animam & corpus*: εἴδωλον [*ſimulacrum*] apud Homerum ~~dici~~ notant Græci: nec aliter appellatur in iis carminibus quæ adſcribuntur Zoroaſtri. Cæterùm an hæc opinio de Corpore animi, quod tale ſit ut humanis oculis conſpici poſſit, veterum Hebræorum fuerit, an ut multa à Chaldæis & Græcis ad poſteriores Hebræos venerit dubitari poteſt. Ioſephus Phariſaïca ſcita deſcribens ait ψυχὰς μεταβαίνειν εἰς ἕτερον σῶμα [*animas tranſire in aliud corpus*], quod longè eſt aliud. Quare credibilius eſt exiſtimaſſe Magdalenam Angelum ſibi apparuiſſe; idque eò magis quia nec tangere eum licuerit, neque ipſe Ieſum ſe eſſe liquidò pronuntiaverit: atque inde factum reor ut hæc quoque ἐπιφάνεια [*apparitio*] comprehendatur ſub nomine ὀπτασίας ἀγγέλων [*viſionis Angelorum*], Lucæ XXIV, 23.

καὶ προσεκύνησαν αὐτῷ. *& adoraverunt eum*] Ita & infrà commate 17. de Diſcipulis, προσεκύνησαν αὐτῷ. Solebat quidem Chriſtus, ut & Prophetæ olim, ab his qui aliquid oraturi accedebant προσκυνεῖσθαι [*geſtu flexi corporis honorari*], at non itidem ab iis qui familiariùs ipſi aderant. Quare hinc intelligimus has feminas quanquam de reſurrectione ſepulti corporis nondum ſatis perſuaſas, majus tamen quiddam animo concepiſſe de Chriſto quàm unquam antea.

10. τοῖς ἀδελφοῖς μου, *fratribus meis*] Non *conſanguineis*, ut quidam volunt, ſed *Diſcipulis*: unde & lectio altera μαθηταῖς μου [*Diſcipulis meis*] ex veteri interpretamento in textum quorundam codicum penetravit. Hac voce Chriſtus alludens ad locum Pſalmi XXII, 22. ſignificare voluit quod olim innuerat, ſuprà XII, 48. ſe per mortem & reſurrectionem factum eſſe Principem novæ cujusdam ἀδελφότητος [*ſocietatis fraternæ*], quippe cùm jam apertiſſimè declaratus eſſet Dei Filius. Iohannis XX, 17. πορεύου πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, Ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν [*vade ad fratres meos, & dic eis, Adſcendo ad patrem meum & patrem veſtrum, Deum meum & Deum veſtrum*]. Scriptor ad Hebræos II, 11. Ὅ τε γὰρ ἁγιάζων καὶ οἱ ἁγιαζόμενοι ἐξ ἑνὸς πάντες· δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐπαισχύνεται ἀδελφοὺς αὐτοὺς καλεῖν [*Qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur ex uno omnes: propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare*]. ubi & dictum Pſalmi locum citat. Romanorum VIII, 29. οὓς προέγνω καὶ προώρισε συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ, εἰς τὸ εἶναι αὐτὸν πρωτότοκον ἐν πολλοῖς ἀδελφοῖς [*quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*].

11. Πορευομένων δὲ αὐτῶν, *Quæ cùm abirent*] Præſens pro præterito: id eſt, *Cùm jam abiiſſent*. Neque enim vult hoc factum dum in itinere erant, ſed poſtquam à ſepulchro diſceſſerant.

ἰδού τινες τῆς κουστωδίας, *ecce quidam de cuſtodibus*] Præcipui cæterorum nomine.

τοῖς ἀρχιερεῦσιν, *principibus Sacerdotum*] Quorum imperiis ita parebant ut tamen ultimam actuum ſuorum rationem deberent Præſidi, ut diximus.

ἅπαντα τὰ γενόμενα. *omnia quæ facta fuerant*] Terræmotum, viſum cœleſte, devolutum lapidem, corpus non repertum.

12. μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, *cum Senioribus*] Synedrii deſcriptio: jam enim convenire poterat Sabbato exacto. Impletur hîc vaticinium Oſeæ XII, 1.

13. ἡμῶν κοιμωμένων. *nobis dormientibus*] Videmus hîc τὸ αὐτοκατάκριτον [*judicium propriæ condemnationis*]. Veritate audita ex non ſuſpectis teſtibus mendacium pecuniâ redimunt. Nimirum vitia in præceps ducunt. Ambitio & Invidia crudelitatem attraxit, ea expulit quod ſupererat conſcientiæ. Bene autem notant hîc veteres improbarum mentium cæcitatem. Si quis enim placido animo res conſideret,

Σφόδρ' εὐάλωτόν ἐστιν ἡ πονηρία.

[*Res non difficilis deprehenſu eſt malitia.*]

Quomodo enim conſtare poterat fides teſtibus de eo quod ſe dormientibus dicerent eveniſſe? Deinde qua fiducia auſi hoc fuiſſent homines & inermes & piſcatores? ſi impoſtorem Chriſtum ipſi jam intra mentem animi ſentiebant, cur pro ipſo ſubirent periculum? ſi à Deo miſſum crederent, quæ religio illos impellebat ad furtum & mendacium? ut pro concepta opinione mortem quis ſubeat fieri poteſt; quanquam & hoc rarum eſt; at ut quis idem faciat pro teſtimonio rei quam falſam eſſe novit, & unde nihil aut ipſi aut aliis boni poſſit ſperari, omnibus ſani judicii hominibus incredibile videri debet.

14. ἐὰν ἀκουσθῇ τοῦτο, *ſi hoc auditum fuerit*] Nimirum malè curatas excubias & deſertam ſtationem, quæ graviter puniebantur apud Romanos acres militaris diſciplinæ vindices. Vide Digeſtorum titulum De re militari.

ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος, *à Præſide*] Bene Syrus קדם הגמונ [*coram Præſide*]. Propriè enim de Iudicum conſiſtorio ita loquuntur Græci. Feſtus ad Paulum Actorum xxv, 9. Θέλεις εἰς Ἱεροσόλυμα ἀναβὰς ἐκεῖ περὶ τούτων κρίνεσθαι ἐπ᾽ ἐμοῦ [*Vis Hieroſolyma deſcendere* & *ibi de his judicari apud me?*]

πείσομεν αὐτὸν, *ſuadebimus*] Id eſt, *placidum reddemus:* πείσομεν τὰς καρδίας ἡμῶν [*corda noſtra tranquillabimus*] dixit Iohannes 1 epiſt. cap. III, 19. Neque aliunde puto accerſendam originem Syriaci verbi פיש, quo idem illud ſignificatur: nam ſic παῤῥησία [*fiducia*] quoque & aliæ voces Græcæ ſignificatum quendam peculiarem apud Syros & Iudæos accepere.

ἀμερίμνους ποιήσομεν. *ſecuros vos faciemus*] Vox Iuris. Ita enim Græci dicunt, quod Latini *indemnem præſtare.*

15. καὶ διεφημίσθη ὁ λόγος οὗτος παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς σήμερον. *& divulgatum eſt verbum iſtud apud Iudæos usque in hodiernum diem*] Veteres omnes magno conſenſu intelligunt famam illam mendacem de corpore Chriſti à Diſcipulis ſubtracto. Quod ſi recipimus, non malè hoc referemus ad eam legationem quam à Synedrio ad totius orbis Iudæos miſſam Iuſtinus duobus locis memorat. Ejus enim legationis hanc docet ſummam fuiſſe, Ὅτι αἵρεσίς τις ἄθεος καὶ ἄνομος ἐγήγερται ἀπὸ Ἰησοῦ τινος Γαλιλαίου πλάνου· ὃν σταυρωσάντων ἡμῶν οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ κλέψαντες αὐτὸν ἀπὸ τοῦ μνήματος νυκτὸς ὁπόθεν κατετέθη ἀφηλωθεὶς ἀπὸ τοῦ σταυροῦ, πλανῶσι τοὺς ἀνθρώπους, λέγοντες ἐγηγέρθαι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν καὶ εἰς οὐρανὸν ἐληλυθέναι [*Secta quædam impia & Legi contraria excitata eſt ab Ieſu Galilæo impoſtore: quem cùm à nobis crucifixus fuiſſet, diſcipuli ejus nocte eum furati de monumento in quo poſitus fuerat poſtquam à cruce erat refixus, decipiunt homines dicendo eum ſurrexiſſe à mortuis & in cælum perveniſſe*]. Tertullianus, *Nihilominus tamen primores, quorum intererat & ſcelus divulgare & populum vectigalem & famularem ſibi à fide revocare, ſurreptum à Diſcipulis jactitaverunt.* Et certè ſparſum ab eis omni ſtudio hunc rumorem eò eſt credibilius, quia ſine tali aliquo figmento apertiſſimè ſceleris convincebantur. Neque enim fieri poterat ut qui Deum rebus humanis præſidere, ſimulque Ieſum ad vitam reſuſcitatum crederent, de ejus innocentia dubitarent. Quare meritò in omnibus diſputationum congreſſibus hîc gradum figunt Apoſtoli. Malunt tamen alii diligentes atque eruditi harum literarum Interpretes ita hæc Matthæi verba accipere, quaſi dicatur, Non potuiſſe ita celari ſceleratam iſtam inter Sacerdotes & milites mendacii nundinationem, ut non aliquam rimam inveniret veritas per quam in publicum emanaret. Quod ipſum quoque veriſſimum credo, & hoc initium quoddam fuiſſe multorum ad Chriſtum converſionis. Nam ad Pilatum quoque perveniſſe videtur hujus doli notitia; quando Tertullianus his quæ ex illo citavimus iſta ſubjicit, *Ea omnia ſuper Chriſto Pilatus, & ipſe jam pro ſua conſcientia Chriſtianus, Cæſari tum Tiberio nuntiavit.* His ita expenſis, ut neutram improbo, ita priorem interpretationem poſteriori prætero. Locutio autem iſta μέχρι τῆς σήμερον [*usque in hodiernum diem*], quæ in Veteris Federis Scriptoribus ſæpe occurrit, & in hoc libro ſuprà quoque invenitur XXVII, 8. argumentum præbet, aliquantò pòſt ſcripſiſſe Matthæum quàm res iſtæ acciderant. Quando autem ſcripſerit non eſt quòd quiſquam ſperet ſe certius aliquid poſſe adipiſci quàm à priſcis auctoribus proditum eſt, quos inter vetuſtiſſimus Irenæus ita hac de re tanquam nota confeſſaque loquitur, Ὁ μὲν δὲ Ματθαῖος ἐν τοῖς Ἑβραίοις τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν καὶ γραφὴν ἐξήνεγκεν Εὐαγγελίου, τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων καὶ θεμελιούντων τὴν ἐκκλησίαν [*Matthæus inter Hebræos vivens ſcripturam Euangelii propriâ ipſorum linguâ edidit, quo tempore Petrus & Paulus Romæ Euangelium prædicabant & Eccleſiam fundabant*]. Vetus fama octavum ab aſſumtione Chriſti annum huic libro aſſignat.

16. ἕνδεκα, *undecim*] Iuda ſe à ſacro conſortio abſtinente ob ſceleris conſcientiam.

εἰς τὸ ὄρος οὗ ἐτάξατο αὐτοῖς Ἰησοῦς. *in montem ubi conſtituerat illis Ieſus*]. Multas ἐπιφανείας [*apparitiones*] Chriſti factas Petro, Apoſtolis ſine Thoma & cum Thoma præterit Matthæus; quippe unâ illuſtriſſimâ, quæ plurimos teſtes habebat cùm hoc ſcriberet ſuperſtites, contentus. Obiter tamen & in tranſcurſu has ἐπιφανείας [*apparitiones*] indicat, cùm dicit à Chriſto nominatum ipſis montem in quem convenirent, ipſi ſcilicet & qui ejuſdem erant inſtituti. Nam cùm nihil antè de eo monte dixerit Chriſtus, datur intelligi mandata ab ipſo data Apoſtolis cùm adhuc Hieroſolymis agerent. Montem hunc fuiſſe Itabyrium in quo Chriſtus olim tribus Diſcipulis majeſtatis ſuæ guſtum dederat, probabiliter dicitur & veteris famæ habet auctoritatem.

17. προσεκύνησαν αὐτῷ. *eum adoraverunt*] Ipſi cum collecta credentium manu ad quingentos, ut ex Paulo diſcimus. Nam cur has ἐπιφανείας [*apparitiones*] diſtinguamus non video. Et, ut dixi, credibile eſt ideo cæteras à Matthæo diſſimulari quia hæc erat omnium celeberrima. Si Ignatius ita ſcripſit, ut vult Hieronymus & ſecutus eum Sophronius, καὶ μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἐν σαρκὶ αὐτὸν εἶδον [*& poſt reſurrectionem in carne eum vidi*], credendum eſſet Ignatium à parentibus aut eis quorum curæ tenera ipſius ætas erat mandata in hunc montem fuiſſe perductum: ut ſolemus ad res novas viſendas pueros adducere, ut habeant quod olim ſenes aliis oculatâ non auritâ fide narrent. Sed profectò, ſi quis locum Ignatii cum cura inſpiciat videbit rectam eſſe lectionem οἶδα [*ſcio*], neque de Viſus ſenſu ibi agi, ſed de Fide, quam non ſuo ſed aliorum teſtimonio confirmat. Adde quòd Ignatius Iohanne rebus humanis exemto ſuperfuit. Nuſquam enim Iohannis meminit, ne in ea quidem quæ eſt ad Epheſios. At tanta fuit Iohannis

longævitas ut vix credibile ſit quenquam ei ſupervixiſſe qui viſum à ſe Ieſum poſſet meminiſſe.

ὁι δὲ ἐδίστασαν. *quidam autem dubitaverunt*] Indefinitum tempus pro circumſtantia loci varias ſignificationes admittit. Quare non video quî minùs hîc vertere liceat, *quidam verò addubitaverant*, nempe ante id tempus: quod maximè ob Thomam dictum videri poteſt qui cæteris jam credentibus dubitare perſeveraverat. Habet autem & hæc pars hiſtoriæ ſuum momentum. Nam æquè rem æſtimantibus omnem dubitationem de facti veritate adimit certa fides illis etiam facta qui ad credendum tam difficiles fuerant.

18. Καὶ προσελθὼν ὁ Ἰησοῦς, *Et accedens Ieſus*] Vno compendio Matthæus complectitur præcipua capita ſermonum quos Chriſtus cum Apoſtolis non in monte tantùm, ſed & Hieroſolymis antea & pòſt, in cœlum jamjam adſcenſurus, Bethaniæ habuit. Vide quæ ad Lucam hoc loco.

Ἐδόθη μοι πᾶσα ἐξουσία, *Data eſt mihi omnis poteſtas*] שלטן Dan. VII, 14. Habuerat & antè vitam mortalem agens ἐξουσίαν [*poteſtatem*], ut ſuprà VII, 29. IX, 6. Marci I, 27. quam ipſam *Regnum* etiam laxiùs appellari notavimus ſupra in verbis Chriſti ad Pilatum. At morte acquiſivit Regnum infinitum, πᾶσαν ἐξουσίαν [*omnem poteſtatem*]· ut Paulus dicit Phil. II, 8. Ἐταπείνωσεν ἑαυτὸν γενόμενος ὑπήκοος μέχρι θανάτου, θανάτου δὲ σταυροῦ· διὸ καὶ ὁ Θεὸς αὐτὸν ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα τὸ ὑπὲρ πᾶν ὄνομα [*Humiliavit ſemetipſum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*]. In hac tertia dignitate rectè Matthæus librum finit, cùm, ut annotavimus, primùm de Prophetico, deinde de Sacerdotali ejus officio egiſſet.

ἐν οὐρανῷ, *in cœlo*] In hac cœleſti poteſtate comprehenſa eſt ἡ ἐπαγγελία τοῦ Πνεύματος [*promiſſio Spiritus*] quam Chriſtus à Patre accepiſſe dicitur Act. II, 33. & imperium in Angelos, Phil. II, 10. Hebr. I, 4. Eph. I, 10. Col. I, 16.

καὶ ἐπὶ γῆς. *& in terra*] Ius congregandi populum ex omnibus terræ finibus; ut clarè prædixerant David, Eſaias, Daniel. In hoc jure comprehenſa eſt Remiſſio peccatorum: Marcus hîc XVI, 16. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς σωθήσεται [*Qui crediderit & baptizatus fuerit ſalvus erit*]· quod Ioel prædixerat, *Quiſquis invocabit nomen Domini ſalvus erit.* Deinde Libertas à Lege per Moſem data, quam Chriſtus hîc tectè innuit. Nam ut alienigenæ adſciſcerentur in populum Dei ſubeundo jugum Moſis nihil erat novi: at Chriſtus oſtendit ab his quos in populum ſuum adſciſci cupit nihil requiri aliud quàm *obſervationem eorum quæ ipſe præcepit*, infrà 20. unde & profeſſionis notam ponit, non Circumciſionem, ſed Baptiſmum. Sed quia hoc minùs intelligere poterant Apoſtoli aſſueti iſtis ritibus, ideo quod hîc dictum erat involutiùs, Spiritûs magiſterio poſtea apertiſſimè revelatum eſt.

19. Πορευθέντες οὖν, *Euntes ergo*] Optimè cohæret cum ſuperioribus. Quando id jus mihi datum eſt, vos eſtote ejus juris adminiſtri atque legati.

μαθητεύσατε, *diſcipulos facite*] Vox μαθητεύειν facta adinſtar Hebraïcæ תלמד. Vtitur hac voce & Ignatius epiſtolâ ad Romanos, ἃ μαθητεύοντες ἐντέλλεσθε [*quæ vos docete facientes diſcipulos*]. Senſum explicat Scriptor Conſtitutionum quæ Clementi adſcribuntur, Δεῖ ὑμᾶς πρότερον πᾶσαν ἀσέβειαν ἐξελόντας, τότε τὴν εὐσέβειαν αὐτοῖς ἐγκαταβάλλεσθαι, καὶ τοῦ βαπτίσματος ἀξιῶσαι [*Oportet vos exemtâ priùs impietate omni, deinde pietatem ipſis inſerere, & ſic eos Baptiſmo dignari*]. Hæc eſt fides prima credulitatis, canone XLII Eliberino.

πάντα τὰ ἔθνη, *omnes gentes*] Non ut hactenus ſolos Iudæos, X, 5.

βαπτίζοντες αὐτοὺς, *baptizantes eos*] Populo congregando ex omnibus gentibus competebat profeſſionis nota quæ perſpicuam apud omnes haberet ſignificationem. Suprà oſtendimus apud Iudæos moris fuiſſe ut baptizarentur qui ſe à falſorum deorum cultu ad cultum unius Dei convertebant. Sed apud gentes etiam profanas uſurpatum antiquitus fuit, ut qui initiari vellent, prius toto corpore abluerentur, haud dubiè eo ipſo teſtantes propoſitum innocentiæ. Nam ejus propoſiti ſponſionem ab iis myſtagogi exigebant, ut Libanius docet & Lampridius. Iuſtinus in Apologetico, Τέλεον δὲ καὶ λούεσθαι ἀπιόντας πρὶν ἐλθεῖν ἐπὶ τὰ ἱερὰ ἔνθα ἵδρυνται ἐνεργοῦσι [*Poſtremò curant & ut abluantur priusquam ad templi locum veniant*]. Clemens Strom. VI. ἐπεὶ καὶ πρὸ τῆς τῶν μυστηρίων παραδόσεως καθαρμούς τινας προσάγειν τοῖς μυεῖσθαι μέλλουσιν ἀξιοῦσιν· ὡς δέον τὴν ἄθεον ἀποθεμένους δόξαν ἐπὶ τὴν ἀληθῆ τρέπεσθαι παράδοσιν [*nam & priusquam myſteria tradant purificationes quaſdam adhibent initiandis: hoc volentes, opinionibus impiis depoſitis ut demum ad rectam traditionem eundum*]. Idem alibi imaginem quandam Baptiſmi apud Homerum obſervat. Rurſus alibi, τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς βαρβάροις τὸ λουτρὸν [*myſteriis apud Græcos præmittuntur februa, ut apud Barbaros lavacra*]. Tertullianus De Baptiſmo, *Sed enim nationes extraneæ ab omni intellectu ſpiritualium poteſtatum eâdem efficaciâ idolis ſuis ſubminiſtrant, ſed viduis aquis ſibi mentiuntur. Nam & ſacris quibuſdam per lavacrum initiantur, Iſidis alicujus aut Mithræ.* adjicit mox, *Certè ludis Apollinaribus & Peluſiis tinguntur, idque ſe in regenerationem & impunitatem perjuriorum ſuorum agere præſumunt.* Et De præſcriptionibus, *Tingit & ipſe* (diabolus) *quoſdam, utique credentes & fideles ſuos: expoſitionem delictorum de lavacro repromittit.* Auguſtinus de Baptiſmo contra Donatiſtas, *In multis idolorum ſacrilegis ſacris baptizari homines perhibentur.* Nec aliunde Athenis *Baptarum* nomen Eupolidis comœdiâ celebratum. Eubulus,

Ἡ νῦν τετάρτην ἡμέραν βαπτίζεται
Νῆστιν πονηροῦ κεστρέως τρίβων βίον.
[*Quæ nunc aquis ſe merſat quartus it dies*
Iejunam ducens vitam miſeri mugilis.]

Idem,

Ἐπεὶ δὲ σηκῶν περιβόλους ἠμείψαμεν
Ὕδωρ τε ποταμοῦ σῶμα διεπεράσαμεν.
[*At poſtquam templi ſepta transgreſſi ſumus*
Corpuſque aquas per amnicas trajecimus.]

& Scholiaſtes ad primam Epiſtolam Horatii, *Ter purè: ut ter mergunt qui ſe expiant.* Habet quidem Baptiſmus alias plures ſignificationes, quas paſſim Apoſtoli nos docent; ſed hæc maximè erat obvia, & vel nullo docente omnium ſe animis ingerebat.

εἰς τὸ ὄνομα, *in nomine*] Cùm locutio hæc varias habeat ex Hebraïſmo ſignificationes, eam his præferendam arbitror quæ Baptiſmo maximè propria eſt. Eſt autem *baptizari in aliquem* vel *in ejus nomen*, ſe ei auctorare atque devovere & de ejus nomine appellari velle. Paulus I Corinth. X, 2. πάντες εἰς τὸν Μωσῆν ἐβαπτίσαντο [*omnes in Moſen baptizati ſunt*]; reſpiciens illud Exodi XIV, 31. *Crediderunt in Deum & Moſem ſervum ejus*, id eſt, Moſi tanquam Dei miniſtro cum bona fiducia regendos ſe commiſere. Sic Paulus negat quenquam baptizatum in ſuum nomen, I Corinth. I, 13, 15. hoc eſt, ſibi velut novi dogmatis auctori mancipatum. Maimonides de bello capta מטבילה בשם גירות, *Baptizet eam in nomen proſelytarum*, id eſt, in eam religionem quam profitentur proſelytæ. Chriſtiani igitur tres ſui dogmatis auctores agnoſcere jubebantur, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum, nihilque ut neceſſarium admittere quod non ab iis eſſet profectum, id eſt, quod non à Patre ortum, à Filio proditum, à Spiritu verò eſſet partim explicatum apertiùs, partim obſignatum. Adminiſtrabatur enim Baptiſmus, ut loquitur Hilarius, *in confeßione & Auctoris & Vnigeniti & Doni*. In canone Apoſtolico XXXIII. legimus, Δοξασθήσεται ὁ Θεὸς διὰ Κυρίου ἐν ἁγίῳ Πνεύματι [*Honorabitur autem Deus per Dominum in Spiritu Sancto*]· ubi quæ ſequuntur à manu poſteriore perperàm adjecta apparet. In Clementis Conſtitutionibus lib. III, cap. XVII. Τοῦ Πατρὸς ἡ μνήμη ὡς αἰτίου, καὶ υἱοῦ ὡς ἀποστολέως, τοῦ Πνεύματος ἡ συμπαράληψις ὡς μάρτυρος [*mentio Patris ut primi auctoris, Filii ut ab eo miſſi, Spiritus verò ut teſtis aſſumitur*]. Libro VI, cap. XIV. Δηλοῦμεν ὑμῖν Θεὸν παντοκράτορα ἕνα μόνον ὑπάρχειν, παρ' ὃν ἄλλος οὐκ ἔστι, καὶ αὐτὸν μόνον σέβειν καὶ προσκυνεῖν διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου ἡμῶν, ἐν τῷ παναγίῳ Πνεύματι [*Apertum vobis facimus Deum omnipotentem unum tantùm eſſe, præter quem non eſt alius: eum ſolum colendum & adorandum per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, idquè in Sancto Spiritu*]. Et libro VII, cap. XIII. dicitur Baptiſmus dari *in nomen* τοῦ ἀποστείλαντος Πατρὸς, τοῦ ἐλθόντος Χριστοῦ, τοῦ μαρτυρήσαντος Παρακλήτου [*Patris qui miſit, Filii qui venit, Paracleti qui teſtimonium perhibuit*]. Quæ autem ea eſſet doctrina breviter ante Baptiſmum docebantur. Hæc eſt βαπτισμῶν διδαχὴ [*Baptiſmorum doctrina*] Hebr. VI, 2. quæ inſtitutio & κατήχησις qualis fuerit ex Iuſtino diſcimus, Ὅσοι ἂν πεισθῶσι καὶ πιστεύωσιν ἀληθῆ ταῦτα τὰ ὑφ' ἡμῶν διδασκόμενα καὶ λεγόμενα εἶναι (egerat autem paulò antè Iuſtinus de Patre, Filio & Spiritu Sancto, & de Iudicio univerſali) καὶ βιοῦν οὕτως δύνασθαι ὑπισχνοῦνται, εὔχεσθαί τε καὶ αἰτεῖν νηστεύοντες παρὰ τοῦ Θεοῦ τῶν προημαρτημένων ἄφεσιν διδάσκονται, ἡμῶν συνευχομένων καὶ συννηστευόντων αὐτοῖς· ἔπειτα ἄγονται ὑφ' ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστὶ, καὶ τρόπον ἀναγεννήσεως ὃν καὶ ἡμεῖς αὐτοὶ ἀναγεννήθημεν ἀναγεννῶνται [*Quicunque perſuaſi fuerint & crediderint vera eſſe quæ à nobis docentur ac prædicantur, & ſic vitam pollicentur ſe inſtituere poſſe, hi docentur cum jejunio orare ac poſcere Deum indulgentiam eorum quæ antè peccarunt, nobis unà & precantibus & jejunantibus: deinde à nobis eò ducuntur ubi aqua eſt, & regenerantur ad eum modum quo & nos regenerati ſumus*]. In Martyrologio Adonis ad III id. Majas, *Quem beatus Calliſtus indicto jejunio catechizavit, & allatâ aquâ baptizavit.* Quibus confer illud Tertulliani, *Ingreſſuros Baptiſmum orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum confeßione omnium retro delictorum:* & illud Theodoti, διὰ τοῦτο νηστεῖαι, δεήσεις, εὐχαὶ χειρῶν, γονυκλισίαι, ὅτι ψυχὴ ἐκ κόσμου καὶ ἐκ στόματος λεόντων ἀνασώζεται [*ob id fiunt jejunia, preces ſublatis manibus, genibus flexis, quia anima ex mundo & ex ore leonis eripitur*]. Obiter notari poteſt etiam profanas gentes ſuis lotionibus adhibuiſſe jejunium; ut ex Eubuli dictis modò verſibus apparet. Ante Baptiſmum, ut videmus, duo exigebantur à candidatis, Fides & Propoſitum vitæ emendatioris: utrumque per interrogationes & reſponſiones expediri ſolebat. De Fide hoc modo, *Credis? Credo.* Εἰ πιστεύεις ἐξ ὅλης καρδίας, ἔξεστι [*Si credis ex toto corde, licet*] dicebat Philippus Æthiopi: Ille reſpondebat, Πιστεύω τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι τὸν Ἰησοῦν Χριστόν [*Credo Ieſum Chriſtum eſſe Filium Dei*]. Neque verò in hac fidei interrogatione Pater, Filius, Spiritus Sanctus nominabantur tantùm, ſed certis notis deſcribebantur. Pater apud Iuſtinum deſcribitur, ὁ πατὴρ τῶν ὅλων καὶ δεσπότης [*Pater ac Dominus omnium*]· In Conſtitutionibus Clementis, ὁ ἐπὶ πάντων Θεός [*Deus ſuper omnia*]. Apud Irenæum, qui itidem exponit τὸν κανόνα τῆς ἀληθείας ἀκλινῆ τὸν διὰ τοῦ βαπτίσματος εἰλημμένον [*regulam veritatis immutabilem quæ in Baptiſmo accipitur*], Pater hoc modo notatur, εἷς Θεὸς πατὴρ παντοκράτωρ, ὁ πεποιηκὼς τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν καὶ τὰς θαλάσσας καὶ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς [*unus Deus Pater omnipotens, qui fecit cœlum & terram & maria & omnia quæ in eis ſunt*]. Apud Tertullianum, ubi ſimiliter tradit eam quam vocat Fidei regulam, *Vnus Deus, nec alius præter mundi Conditorem, qui univerſa de nihilo produxerit per Verbum ſuum primò omnium emiſſum.* Novatianus itidem deſcribens Regulam veritatis, *ut primò omnium credamus in Deum Patrem & Dominum omnipotentem, id eſt, rerum omnium perfectißimum Conditorem.* Filium breviter Iuſtinus deſcribit, Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου [*Ieſum Chriſtum crucifixum ſub Pontio Pilato*]. In dictis Clementis Conſtitutionibus, Χριστὸς ὁ μονογενὴς Θεὸς, ὁ ἀγαπητὸς υἱὸς, ὁ τῆς δόξης Κύριος [*Chriſtus unigenitus Deus, Filius dilectus, Dominus gloriæ*]. Latior deſcriptio eſt apud Irenæum, qui eum dicit τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν σαρκωθέντα ὑπὲρ τῆς ἡμετέρας σωτηρίας [*Filium Dei qui carnem accepit pro noſtra ſalute*]. memorans ſimul τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν, καὶ τὸ πάθος, καὶ τὴν ἔγερσιν ἐκ νεκρῶν, καὶ τὴν ἔνσαρκον εἰς τοὺς οὐρανοὺς ἀνάληψιν, καὶ τὴν ἐκ τῶν οὐρανῶν ἐν τῇ δόξῃ τοῦ πατρὸς παρουσίαν αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα καὶ ἀναστῆσαι πᾶσαν σάρκα πάσης ἀνθρωπότητος, ἵνα Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν καὶ Θεῷ καὶ Σωτῆρι καὶ βασιλεῖ κατὰ τὴν εὐδοκίαν τοῦ πατρὸς τοῦ ἀοράτου πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐπουρανίων καὶ ἐπιγείων καὶ καταχθονίων, καὶ πᾶσα γλῶσσα ἐξομολογήσηται αὐτῷ, καὶ κρίσιν δικαίαν ἐν τοῖς πᾶσι ποιήσηται, τὰ μὲν πνευματικὰ τῆς πονηρίας καὶ ἀγγέλους τοὺς παραβεβηκότας καὶ ἐν ἀποστασίᾳ γεγονότας, καὶ τοὺς ἀσεβεῖς καὶ ἀδίκους καὶ ἀνόμους καὶ βλασφήμους τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸ αἰώνιον πῦρ πέμψῃ, τοῖς δὲ δικαίοις καὶ ὁσίοις καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ τετηρηκόσι, καὶ ἐν τῇ ἀγάπῃ αὐτοῦ διαμεμενηκόσι, τοῖς μὲν ἀπ' ἀρχῆς, τοῖς δὲ ἐκ μετανοίας, ζωὴν χαρισάμενος ἀφθαρσίαν δωρήσηται καὶ δόξαν αἰώνιον περιποιήσῃ [*nativitatem ex Virgine, & paßionem, & reſurrectionem ex mortuis, & corporalem in cœlum aſſumtionem, &*

futurum ejus ex cælis in gloria Patris adventum, ut reparet omnia, & omnem hominum carnem ſuſcitet, ut Chriſto Ieſu Domino noſtro & Deo & Servatori & Regi ſecundùm voluntatem Patris inviſibilis flectatur genu cæleſtium & terrenorum & ſubterraneorum, & omnis lingua ipſi laudes reddat, ipſe verò de omnibus juſtum faciat judicium; & ſpiritualia nequitiæ, Angelos transgreſſores & defectores, hominum quoque impios & injuſtos, & exleges, & blaſphemos mittat in ignem æternum; juſtis vero & ſanctis & qui præcepta ejus ſervarunt & in dilectione ejus permanſerunt, partim ab initio, partim poſt pœnitentiam, vitam det, immortalitatem largiatur, æternam claritatem conferat]. Tertullianus de Filio in dictæ regulæ recitatione ita loquitur, *Id Verbum Filium ejus appellatum in nomine Dei variè viſum Patriarchis, in Prophetis ſemper auditum, poſtremò delatum ex Spiritu Dei Patris & virtute in virginem Mariam, carnem factum in utero ejus, & ex ea natum hominem, & eſſe Ieſum Chriſtum; exinde prædicaſſe novam legem & novam promiſſionem Regni cælorum, virtutes feciſſe; fixum cruci, tertia die reſurrexiſſe; in cælos ereptum ſedere ad dexteram Patris; miſiſſe vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat; venturum cum claritate ad adſumendos ſanctos in vitæ æternæ & promiſſorum cæleſtium fructum, ad prophanos judicandos igni perpetuo, factâ utriusque partis reſuſcitatione cum carnis reſurrectione.* Quibus locis comparandus eſt Ignatii ad Magneſios, qui Chriſtum dicit πρὸ πάντων μὲν αἰώνων γεννηθέντα παρὰ τοῦ πατρός, γεννώμενον δὲ ὕστερον ἐκ Μαρίας τῆς παρθένου δίχα ὁμιλίας ἀνδρός. καὶ πολιτευσάμενον ὁσίως, καὶ πᾶσαν νόσον καὶ μαλακίαν θεραπεύσαντα ἐν τῷ λαῷ, σημεῖα καὶ τέρατα ποιήσαντα ἐπ' εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπων, καὶ τοῖς ἐξοκείλασιν εἰς πολυθεΐαν τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καταγγείλαντα τὸν ἑαυτοῦ πατέρα· καὶ τὸ πάθος ὑποστάντα, καὶ πρὸς τῶν Χριστοκτόνων Ἰουδαίων ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἡγεμόνος καὶ Ἡρώδου βασιλέως καὶ σταυρὸν ὑπομείναντα καὶ ἀποθανόντα, καὶ ἀναστάντα, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανοὺς πρὸς τὸν ἀποστείλαντα, καὶ καθιθέντα ἐν δεξιᾷ αὐτοῦ· καὶ ἐρχόμενον ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων μετὰ δόξης πατρικῆς, κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς, καὶ ἀποδοῦναι ἑκάστῳ κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ [*ante omnia ſecula genitum à Patre, rurſum verò genitum ex Maria virgine ſine opera virili; qui vixit ſanctè, omnemque morbum & infirmitatem in populo abſtulit, ſigna & oſtenta fecit bono hominum, & eis qui ad multos deos deflexerant unum ac verum Deum annuntiavit, Patrem ſcilicet ſuum; qui & pati ſuſtinuit, & à Chriſticidis Iudæis tempore Pontii Pilati Præſidis & Regis Herodis crucem pertulit, mortuus eſt, reſurrexit, & rediit in cælum ad eum à quo miſſus fuerat, ſedetque ad ejus dexteram: veniet autem in fine ſeculorum cum claritate Patris, ut judicet vivos & mortuos, & det ſingulis ſecundùm opera ipſorum*]. Spiritum Sanctum notat Iuſtinus, Πνεῦμα ἅγιον ὃ διὰ τῶν προφητῶν προεκήρυξε τὰ κατὰ τὸν Ἰησοῦν πάντα [*Spiritum Sanctum qui per Prophetas omnia ad Ieſum pertinentia prædixit*]. Irenæus verò hunc in modum, Πνεῦμα ἅγιον τὸ διὰ τῶν προφητῶν κεκηρυχὸς τὰς οἰκονομίας καὶ τὰς ἐλεύσεις καὶ τὴν ἐκ παρθένου γέννησιν [*Spiritum Sanctum qui per Prophetas prænuntiavit diſpenſationes Dei, & adventus Chriſti & ejus ex virgine nativitatem*], & cætera quæ jam annotavimus; nam Spiritûs mentionem rebus Filii interjungit: quemadmodum & Tertullianus ejus non meminit niſi in Filii conceptione. Ejus quod de Spiritu Sancto Iuſtinus & Irenæus in Regula recitant veſtigium eſt in Nicena formula, καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ λαλῆσαν διὰ τῶν προφητῶν [*& in Spiritum Sanctum qui locutus eſt per Propheias*]. In Clementis Conſtitutionibus eſt Πνεῦμα ἅγιον ὁ παράκλητος, τὸ ὑπὸ Χριστοῦ πεμπόμενον, καὶ ἐκεῖνον κηρύττον [*Spiritus Sanctus, paracletus, qui à Chriſto mittitur & eum prædicat*]. Horum locorum collatio docere nos poteſt, cùm veteres Regulam Fidei aut Baptiſmi immutabilem dicunt, non ad certam & receptam ubique verborum formulam eos reſpicere, ſed ad vim atque ſententiam interrogationum: quam breviter, ut ſolet, Lucas ita complectitur Actorum octavo, comm. 12. Ὅτε ἐπίστευσαν τῷ Φιλίππῳ εὐαγγελιζομένῳ τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐβαπτίζοντο [*Cùm verò credidiſſent Philippo euangelizanti de Regno Dei, in nomine Ieſu Chriſti baptizabantur*]. Et antiquiſſima quidem τοῦ βαπτισμοῦ διδαχὴ [*Baptiſmi doctrina*] intra eum quem dixi finem ſtetiſſe videtur: quam ita compendio recitat Tertullianus De Virginibus velandis, *Regula quidem fidei una omnino eſt, ſola immobilis & irreformabilis, credendi ſcilicet in unicum Deum omnipotentem mundi conditorem, & Filium ejus Ieſum Chriſtum, natum ex virgine Maria, crucifixum ſub Pontio Pilato, tertia die reſuſcitatum à mortuis, receptum in cælis, ſedentem nunc ad dexteram Patris, venturum judicare vivos & mortuos per carnis etiam reſurrectionem. Hac lege fidei manente, cætera jam diſciplinæ & converſationis admittunt novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente usque in finem gratiâ Dei.* Baſilius in Diſputatione adverſus Eunomium agnoſcit hanc formulam veterem, Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, ἐξ οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ἕνα μονογενῆ υἱὸν τοῦ Θεοῦ, Θεοῦ λόγον τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, δι' οὗ τὰ πάντα, καὶ εἰς ἓν Πνεῦμα ἅγιον τὸν παράκλητον [*Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, ex quo omnia, & in unum Filium ejus unigenitum, Dei Verbum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, per quem omnia, & in unum Spiritum Sanctum paracletum*]. Hinc & Nicena formula, inſertis quibusdam de Filio verbis contra Arium, in nomine Spiritus Sancti deſinit. Gliſcente ſeceſſionum licentiâ unitati conſultum eſt additâ interrogatione de Eccleſia Catholica. Tertullianus libro De Baptiſmo cùm dixiſſet *ablutionem delictorum obſignatam in Patre, Filio, & Spiritu Sancto*, quos *arbitros fidei & ſponſores ſalutis* vocat, *Sufficit*, inquit, *ad fiduciam ſpei noſtræ etiam numerus nominum Divinorum. Quum autem ſub tribus & teſtatio fidei & ſponſio ſalutis pignerentur, neceſſariò adjicitur Eccleſiæ mentio, quoniam ubi tres, id eſt, Pater & Filius & Spiritus Sanctus, ibi Eccleſia quæ trium corpus eſt.* Eodem tempore videntur de Remiſſione peccatorum aut Baptiſmate in remiſſionem, item de Carnis reſurrectione & Vita æterna ſpeciales factæ interrogationes; cùm alioqui in deſcriptione Filii ea ipſa ſatis apertè continerentur. Tertullianus rationem reddens cur Chriſtus ipſe non tinxerit, *In quem*, inquit, *tingeret? in pœnitentiam? quò ergo illi præcurſorem? in peccatorum remiſſionem, quam verbo dabat? in ſemet ipſum, quem humilitate celabat? in Spiritum Sanctum, qui nondum à Patre deſcenderat? In Eccleſiam, quam nondum Apoſtoli ſtruxerant?* Cyprianus ad Epiſcopos Numidas, *Sed ipſa interrogatio quæ fit in Baptiſmo teſtis eſt veritatis. Nam cùm dicimus, Credis in vitam æternam & remiſſionem peccatorum per ſanctam Eccleſiam? intelligimus remiſſionem peccatorum non niſi in Eccleſia dari.* Quæ ipſa Cypriani verba oſtendere mihi videntur Symbolum ſive Regulam fidei ipſius ætate nondum adſtrictam fuiſſe illis verbis quibus poſtea ſcripta invenitur, cùm tamen eandem ſemper fuiſſe Regulæ ſententiam minimè ſit dubitandum. Quin ſeriùs etiam apud Scriptores ordo diſcrepat. Nam apud Hieronymum & Rufinum eſt, *Credis ſanctam Eccleſiam? Credis Remiſſionem peccatorum?* Apud Cyrillum verò, *Credo in unum Baptiſma, in Remiſſionem peccatorum & in unam ſanctam Eccleſiam Catholicam.* Nec indignum notatu multis in partibus adverſùs Manichæos adjectam Symbolo & Liberi arbitrii mentionem; quod ex Origenis exordio περὶ ἀρχῶν [*De Principiis*] datur colligere; itemque ex eo Symbolo quod in Hieronymi exſtat operibus, quod quanquam à Pelagio ſubſignatum eſt, ut fidem ſuam Romano Epiſcopo probaret, non tamen ſequitur magis hoc eſſe Pelagii quàm illud quod ex Baſilio citavimus Eunomii fuit opus, qui illâ formulâ antiquâ utebatur. Certè Carolus Magnus & tota Synodus Francofurtenſis illud ipſum Symbolum, quod, ut diximus, in Hieronymi exſtat operibus, laudat ſub Hieronymi nomine & omni ex parte approbat. Et tales quidem fuere fidei interrogationes aut primis temporibus aut proximè prima: quarum reſpectu βάπτισμα [*Baptiſma*] Baſilio & aliis dicitur σφραγὶς τῆς πίστεως· *fidei obſignatio* Tertulliano libro De Pœnitentia. Alterum interrogandi genus ad vitam pertinebat, quod plerisque in locis præcedebat ipſam fidei profeſſionem. Promittere enim baptizandi debebant vitam ſe exacturos ad normam à Chriſto traditam, ut ex Iuſtino audivimus: quò omnino illud pertinet quod Petrus Baptisma vocat συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα [*conſcientiæ bonæ ſtipulationem*]. Hoc dicebatur *ſeculo renuntiare*. Neque dubito quin earum vocum antiquiſſimus fuerit uſus in hoc ritu. Cyprianus, *Seculo renuntiaveramus cùm baptizati ſumus.* quò fortè reſpiciens Paulus monet baptizatos μὴ συσχηματίζεσθαι τῷ αἰῶνι τούτῳ [*non conformari huic ſeculo*], Romanorum XII, 2. Solebat ſimul *renuntiari diabolo & cultui, pompæ & angelis ejus*; aut *diabolo, pompis, ſpectaculis & operibus ejus*: quæ formula apud Tertullianum atque alios ſæpe occurrit; ſed id propriè additum videtur propter eos qui ex idolorum cultu Chriſto nomen dabant. Reſponſionem tum de Fide tum de Vita emendanda breviter complectitur Lucas Actorum 11, 41. Οἱ μὲν οὖν ἀσμένως ἀποδεξάμενοι τὸν λόγον αὐτοῦ [*Qui libenter receperunt ſermonem ejus*] (nam in oratione utrumque comprehendebatur) ἐβαπτίσθησαν [*baptizati*]. Græca formula erat, Ἀποτάσσομαί σοι, Σατανᾶ, καὶ συντάσσομαί σοι, Χριστέ [*Renuntio tibi Satana, & adhæreo tibi Chriſte*]. Et plenior, Ἀποτάσσομαι τῷ Σατανᾷ καὶ πᾶσι τοῖς ἔργοις αὐτοῦ καὶ ταῖς πομπαῖς αὐτοῦ καὶ πάσῃ τῇ λατρείᾳ αὐτοῦ [*Abrenuntio Satanæ & omnibus operibus ejus & pompis ejus & omni cultui ejus*]. Poſt has ergo ſtipulationes atque reſponſiones, quas *verba ſacramenti* Tertullianus vocat ad militiæ morem alludens, ſequebatur Baptiſmus, cui accedebant preces in quibus nominabantur Pater, Filius & Spiritus Sanctus. Orationem hanc propriè ad Patrem directam indicare videtur Iuſtinus, Ἐπονομάζεται τῷ ἑλομένῳ ἀναγεννηθῆναι καὶ μετανοήσαντι ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις τὸ τοῦ πατρὸς τῶν ὅλων καὶ δεσπότου Θεοῦ ὄνομα, αὐτὸ τοῦτο μόνον ἐπιλέγοντες [*nominatur ſuper eo qui velit renaſci & pœnitentiam egerit de peccatis nomen ſolum Dei Patris omnium ac Domini*]. Deinde, Καὶ ἐπὶ ὀνόματος δὲ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ ἐπ᾽ ὀνόματος Πνεύματος ἁγίου ὁ φωτιζόμενος λούεται [*Et in nomine Ieſu Chriſti & in nomine Spiritus Sancti illuminatus abluitur*]. Solemne ejus invocationis verbum erat *Abba Pater*, ut notat Chryſoſtomus VIII ad Romanos 11, 15. His ſi addas id quod Actorum XXII, 16. refertur ab Anania dictum Paulo βάπτισαι ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου [*baptizator invocato nomine Domini*], videbis tum eum qui baptizabatur tum eos qui Baptiſmo aderant (neque enim in toto cœtu exercebatur primis temporibus; quod oſtendunt illa apud Iuſtinum, Ἄγονται ὑφ᾽ ἡμῶν ἔνθα ὕδωρ ἐστί [*ducuntur à nobis ubi aqua eſt*]· & quod poſtea ſequitur, Ἡμεῖς δὲ μετὰ τὸ οὕτως λοῦσαι τὸν πεπεισμένον καὶ συγκατατεθειμένον, ἐπὶ τοὺς λεγομένους ἀδελφοὺς ἄγομεν [*Nos verò poſtquam ſic abluimus eum qui ita perſuaſus eſt ut nobis conſentiat, eundem ducimus ad eos qui fratres vocantur*]· quin & Conſtantini temporibus fontes in uſum Baptiſmi exſtructi non in Eccleſiarum ædibus ſed ἐν τοῖς περιβόλοις [*in locis circumjectis*]) ſolitos orare Deum Patrem ἐν τῷ ὀνόματι Χριστοῦ [*in nomine Chriſti*], quomodo ipſe orare nos docet Iohann. XIV, 13, 14. ut fidem ejus qui baptizabatur & liberam illam Chriſtianiſmi profeſſionem muneraret Spiritu ſuo Sancto per gradus quoſdam, quorum initium erat ὁ φωτισμός [*illuminatio*]. Cyprianus, *Vndæ genitalis auxilio ſuperioris ævi labe deterſa, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infundit*: unde ipſum Baptiſma κατὰ μετάληψιν [*per transnominationem*] id nomen accepit. Iuſtinus, Καλεῖται δὲ τοῦτο λουτρὸν φωτισμός, ὡς φωτιζομένων τὴν διάνοιαν τῶν ταῦτα μανθανόντων [*Vocatur autem hoc lavacrum Illuminatio, quod qui iſta diſcunt mentem illuminantur*]. Reſpexiſſe videri poteſt locum Pauli Epheſ. 1, 17. quanquam ibi non de initio ſed de augmento hujus doni in baptizatis mentio eſt, ἵνα ὁ Θεὸς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ πατὴρ τῆς δόξης δῴη ὑμῖν πνεῦμα σοφίας καὶ ἀποκαλύψεως ἐν ἐπιγνώσει αὐτοῦ, πεφωτισμένους τοὺς ὀφθαλμοὺς τῆς διανοίας ὑμῶν εἰς τὸ εἰδέναι ὑμᾶς τίς ἐστιν ἡ ἐλπὶς τῆς κλήσεως αὐτοῦ [*ut Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti, Pater gloriæ, det vobis ſpiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ejus, illuminatos oculos cordis veſtri, ut ſciatis quæ ſit ſpes vocationis ejus*], & quæ ſequuntur. Hinc Syrus non malè quod eſt Hebræorum VI, 4. & X, 32. φωτισθέντες [*illuminati*] interpretatur baptizatos. Patris, Filii & Spiritus Sancti mentio in eam quam dixi ſententiam ut dicto Pauli loco, ita & in Petri ad Iudæos allocutione apparet, ubi propriè de Baptiſmo agitur, Actorum 11, 38. Μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου Πνεύματος· ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακράν, ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν [*Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquiſque veſtrûm in no-*

in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti. Vobis enim eſt promiſſio & filiis veſtris & omnibus qui longè ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus Deus noſter]. Paulus quoque ad Titum III, 5. conjungit λουτρὸν παλιγγενεσίας καὶ ἀνακαίνωσιν Πνεύματος ἁγίου [*lavacrum regenerationis & renovationem Spiritus Sancti*]. Tertullianus De Baptiſmo, *Carni noſtræ emergenti de lavacro poſt vetera delicta columba Sancti Spiritus advolat, pacem Dei adferens*. Verum quidem eſt primis illis temporibus etiam adſpectabilia quædam Spiritûs dona baptizatis contigiſſe; quorum & Marcus hoc loco meminit: ſed ea nihil aliud erant quàm acceſſio & ornamenta doni illius interni atque ad omnia tempora pertinentis, quod præcipuè Prophetæ ſpectaverant, vaticinati omnes fore θεοδιδάκτους [*à Deo edoctos*]. Hanc autem vetuſtiſſimam baptizandi formam eò libentiùs hîc cum ſuis teſtimoniis poſuimus, ut liqueat quoties in Actis aut alibi cùm de Baptiſmo agitur *Chriſti* fit mentio non item *Patris*, aut *Chriſti* & *Spiritûs* ſine *Patris* nomine, ex parte rem totam, quippe ſatis omnibus notam, deſcribi. Optimè Irenæus libro III, cap. 20. *In* CHRISTI *nomine ſubauditur qui unxit, & ipſe qui unctus eſt, & ipſa unctio in qua unctus eſt.* Quod autem nonnulli ad infirmandum hoc Chriſti præceptum objiciunt Apoſtolos non eſſe hoc baptizatos Baptiſmate, caret pondere. Nam ipſis qui ex Chriſti ore cœleſte dogma acceperant, non præcepit Chriſtus baptizari, ſed alios baptizare, quod fecerunt. Tertullianus libro De Baptiſmo, *Illis vel primæ adlectionis & exinde individuæ familiaritatis prærogativa compendium Baptiſmi conferre potuit.* Sed & ipſos baptizatos non iſto ſed Iohannis Baptiſmo, ut de quibusdam certum eſt, ita de cæteris cur negetur non video, præſertim cùm etiam publicani ad id lavacrum veniſſe legantur.

20. Διδάσκοντες αὐτοὺς τηρεῖν πάντα ὅσα ἐνετειλάμην ὑμῖν· *Docentes eos ſervare omnia quæcunque mandavi vobis*] Doceri non aliud Chriſtus jubet quàm quæ ipſe præceperat. Quare certum eſſe debet in illis totam religionis ſubſtantiam conſiſtere, nihilque traditum ab Apoſtolis ad ſalutem neceſſarium (nam conſiliorum & eorum quæ pro locorum & temporum ratione ad εὐταξίαν [*conſervationem ordinis*] ordinantur alia eſt ratio) extra præcepta Chriſti. Cùm duplex ſit docendi ratio, alia per modum εἰσαγωγῆς τῶν στοιχειουμένων [*introductionis eorum qui prima elementa accipiunt*], alia per modum διδασκαλίας [*plenioris inſtitutionis*], prior ſuprà videtur indicari verbo μαθητεύειν· id enim eſt velut *in diſciplinam initiare*, & Baptiſmo præponitur: poſterior verbo διδάσκειν [*docendi*], quod hîc poſt Baptiſmum locatur. Sic Lucas ad Theophilum ſcribens de Vita, Morte ac Reſurrectione Chriſti, ἵνα ἐπιγνῷς, inquit, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν [*ut cognoſcas eorum de quibus catechizatus es certitudinem*]· ubi itidem κατήχησις eſt prima inſtitutio, quam ſequitur ἐπίγνωσις τῆς ἀσφαλείας [*cognitio certitudinis*]. Sic Apollos eidem Lucæ in Actibus dicitur κατηχημένος τὴν ὁδὸν τοῦ Κυρίου [*catechizatus viam Domini*]. Ab Hebræis diſcrimen hoc, ut pleraque veteris Chriſtianiſmi, apud quos שמעתא eſt ἡ κατήχησις [*Catecheſis* ſive *initialis inſtitutio*], quam poſtea ſequebatur אורתא fuſior explicatio, & מתלי ἡ δι' ὑπονοιῶν [*ea quæ fit per ſenſus latentes*]. Clemens Alexandrinus Stromateôn VI. γνῶσιν [*ſcientiam*] eſſe ait τῆς πίστεως τελείωσιν ἐπέκεινα τῆς κατηχήσεως [*fidei perfectionem ultra* Catecheſin]. Alibi εἶδος διδασκαλικὸν [*genus docendi*] facit duplex, τὸ μὲν τῆς παιδαγωγίας, τὸ δὲ ἐποπτικὸν [*aliud pædagogicum, aliud epopticum*, id eſt, *myſteria intus ſpectantium*], quod & ἰσχνὸν [*ſubtile*] & πνευματικὸν [*ſpirituale*] vocat. Pythagorici, ut idem Clemens notat, diſcipulos communioris notæ ἀκουσματικοὺς [*Audientes*] vocabant, alios autem τοὺς γνησίως ἀντεχομένους τῆς φιλοσοφίας [*qui ſeriò Philoſophiæ ſe dabant*] appellabant μαθηματικούς [*Diſciplinatos*]. Sunt autem explicante Malcho in Vita Pythagoræ μαθηματικοὶ οἱ τὸν περιττότερον καὶ πρὸς ἀκρίβειαν διαπεπονημένον τῆς ἐπιστήμης λόγον ἐκμεμαθηκότες· ἀκουσματικοὶ δὲ οἱ μόνας τὰς κεφαλαιώδεις ὑποθήκας τῶν γραμμάτων, ἄνευ ἀκριβεστέρας διηγήσεως, ἀκηκόοτες [*Diſciplinati, qui ulteriorem & exactè elaboratum ſcientiæ modum edidicere; Audientes verò qui generalia tantum literarum præcepta ſine exquiſitiore explicatione hauſerunt*]. Origenes commune omnibus ſapientum ſectis ait fuiſſe ut alios haberent λόγους ἐξωτερικοὺς [*ſermones externos*], alios ἐσωτερικούς [*internos*]. Vide initium capitis VI ad Hebræos.

καὶ ἰδοὺ ἐγὼ μεθ' ὑμῶν εἰμι, *& ecce ego vobiſcum ſum*] Videtur adſcenſus Chriſti in cœlum adeò notus fuiſſe omnibus Chriſtianis in Palæſtina ut de eo nihil Matthæo opus fuerit dicere. Nam cùm quingentis illis apparuit Chriſtus, haud dubiè futurum adſcenſum ipſis ſignificavit. Obiter tamen hîc indicatur. Eſt enim ἀνθυποφορὰ [*Occupatio contra objectionem tacitam*]. Abiturus quidem ſum in cœlum, nec adero vobis adſpectabili modo; ſed adero Divinâ efficaciâ. Notandum enim eſt *cum aliquo eſſe* peculiariter de Deo dici, Iudic. VI, 12, 13. Ieremiæ I, 8. Actor. VII, 9. Marcus autem & Lucas cùm extra Iudæam viventibus ſcriberent meritò Adſcenſus hiſtoriam adjecerunt. Iohanni id facere opus non fuit, ut qui παραλειπόμενα [*prætermiſſa*] ſcriberet, omittens aliis dicta niſi ſi quid contextus hiſtoriæ deſiderabat.

πάσας τὰς ἡμέρας ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. *omnes dies usque ad conſummationem ſeculi*] Quid ſit συντέλεια τοῦ αἰῶνος [*conſummatio ſeculi*] ſatis apparet ſuprà XIII, 39, 40, 49. XXIV, 3. Poſt id tempus, cùm Chriſtus Regnum traditurus eſt Patri, aderit nobis, ſed non eo modo de quo hîc agitur, ad imbecillitatis noſtræ ſubſidium. Quare poteſt τὸ ἕως [*illud Vsque ad*] hîc propriè accipi. Hinc autem manifeſtiſſimè apparet voluiſſe Chriſtum ut Apoſtoli aliis, illi rurſum aliis πιστοῖς ἀνθρώποις καὶ ἱκανοῖς ἑτέρους διδάξαι [*viris fidelibus & ad docendum alios aptis*] munus illud magiſterii commendarent, ut videre eſt II Timoth. II, 2. Nam cùm promiſſio hæc ad *conſummationem ſeculi* ſe extendat, Apoſtoli autem tamdiu victuri non eſſent, omnino hîc Chriſtus in Apoſtolorum perſona cenſendus eſt etiam ſucceſſores ejus muneris compellaſſe.

Finis Annotationum in Matthæum.

ANNOTATIONES
IN EVANGELIVM
ΚΑΤΑ ΜΑΡΚΟΝ.

Κατὰ Μάρκον, *Secundùm Marcum*] Iudæum fuiſſe & ἑβραΐζοντα [*Hebraïcis locutionibus utentem*] magis quàm ἑλληνίζοντα [*Græcis*], quanquam ſermonis utriusque mediocriter gnarum, locutio evincit. Neque verò Romanorum quisquam noſcitari quîſſet ex communi tam multis prænomine. At Iudæi quoties in partes Aſiæ interiores aut in Europam venirent ſolebant ſibi ad Iudaïcum nomen alterum adſciſcere Græcum aut Romanum, quo apud exteræ gentis homines noſcerentur. Ita Barſabas dictus *Iuſtus*, Simeon, *Niger*; Iohannes quoque ille Mariæ filius Barnabæ conſanguineus, cui cum Paulo friguſculum interceſſit, ſed facilè ſanatum, ut inter bonos fieri ſolet, *Marcus* vocabatur: quem multi hunc noſtrum Scriptorem putant. Quibus quò minùs aſſentiar moveor veterum auctoritate, qui hunc Scriptorem *Iohannem* nunquam, *Marcum* ſemper vocant, & ita Petro addunt comitem ac diſcipulum, ut non tantùm de Barnaba, ſed & de Paulo, quem Iohannes Marcus poſt illud friguſculum ſectatus eſt, Coloſſenſ. IV, 10. II Timoth. IV, 11. Philem. 24. nihil meminerint. Adde quòd Iohannes Marcus inter primos Chriſtianos, Marcus hic, ut videtur, Petri operâ converſus, I Petri V, 13. nam tales peculiariter *filios ſuos* Apoſtoli vocabant, I Corinth. IV, 15. Galat. IV, 19. Philem. 10. Fieri poteſt ut hic Scriptor Hebræum nomen habuerit ab illo Latino non abludens, ſicut Ieſus Oniæ frater *Iaſonem* ſe dici voluit, Saulus ſe *Paulum* vocavit. Nam & hodie quibus *Mardochæo* nomen eſt *Marci* appellantur. Vivente Petro ſcriptum à Marco hunc librum Clemens Ὑποτυπώσεων [*Præformationum*] ſexto prodidit: cum quo pugnare videtur Irenæus, qui cùm de Petro & Paulo locutus eſſet, ſubjicit, Μετὰ δὲ τὴν τούτων ἔξοδον Μάρκος ὁ μαθητὴς καὶ ἑρμηνευτὴς Πέτρου καὶ αὐτὸς τὰ ὑπὸ Πέτρου κηρυσσόμενα ἐγγράφως ἡμῖν παρέδωκε [*Poſt horum autem abitum Marcus diſcipulus & interpres Petri ipſe quoque ea quæ à Petro erant prædicata perſcripta nobis tradidit*]. Sed ἔξοδος [*abitus*] poteſt ibi exponi non *exceſſus* Apoſtolorum, quomodo plerumque eam vocem ſumi fateor, ſed eorundem *diſceſſio ab urbe Roma*. Præceſſerat enim τοῦ Πέτρου καὶ τοῦ Παύλου ἐν Ῥώμῃ εὐαγγελιζομένων [*cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent*]· ut tempus ſcriptionis notet Irenæus, poſtquam Petrus à Roma in Babyloniæ partes reverſus, Paulus autem in Hiſpaniam digreſſus ſit, unde aliquot poſt annos Romam redierint. Sed verius erit veterem ſequi codicem, in quo pro τούτων ἔξοδον [*horum abitum*] eſt τούτου ἔκδοσιν [*hujus editionem*], id eſt, *poſt editionem Euangelii à Matthæo conſcripti*. Docet nos Tertullianus à multis Marci Euangelium vocatum eſſe Petri; *Licèt & Marcus quod edidit*, inquit, *Petri affirmetur, cujus interpres Marcus*. Idem alibi, *Conſtituimus imprimis Euangelicum inſtrumentum Apoſtolos auctores habere, quibus hoc munus Euangelii promulgandi ab ipſo Domino ſit impoſitum; & Apoſtolicos, non tamen ſolos, ſed cum Apoſtolis & poſt Apoſtolos; quoniam prædicatio diſcipulorum ſuſpecta fieri poſſet de gloriæ ſtudio, ſi non adſiſtat illi auctoritas magiſtrorum.* Iuſtinus autem Euangelicæ hiſtoriæ libros ſæpiuscule appellans ἀπομνημονεύματα ἀποστόλων [*commentarios Apoſtolorum*], hunc etiam & Lucæ librum eo nomine comprehendit. Putet fortè aliquis hoc Euangelium vocari ex Petri nomine ab eodem Iuſtino cùm dicit, καὶ τὸ εἰπεῖν μετωνομακέναι αὐτὸν Πέτρον ἕνα τῶν ἀποστόλων, καὶ γεγράφθαι ἐν τοῖς ἀπομνημονεύμασιν αὐτοῦ γεγενημένον καὶ τοῦτο [*quod dictum eſt Petrum unum Apoſtolorum nomen ab eo illud novum accepiſſe, & res hæc ſcripto narrata etiam in ejus commentariis*]· ſed ambiguum, illud αὐτοῦ [*ejus*] ad Petrum, an ad Ieſum, de quo ſcripti ſint illi commentarii, referatur. Circumferebantur primis ſeculis & alia Petri dicta, quibus poſtea collectis nomen quidam fecerant Κήρυγμα Πέτρου [*Prædicationem Petri*]. Sed Marcus ea ſcribere ſatis habuit quæ ad Vitæ, Mortis & Reſurrectionis Chriſti hiſtoriam pertinebant, omiſſis ferme dogmatis, ut quæ à Petro ſæpe inculcata ſatis Romani memoriâ tenebant. Vide Papiæ verba hac de re apud Euſebium fine libri III. Iohannem illum Marcum unum fuiſſe ex Septuaginta Chriſti diſcipulis negare nolim. De hoc Marco cur id minùs credam jam ſatis dictum arbitror. Neque verò, ſi id creditum fuiſſet antiquitus, prætermiſſum eſſet ab Irenæo, cùm ἡ αὐτοψία [*cognitio rerum oculis percepta*] Scriptoris ad tuendam contra ſectarios libri auctoritatem maximum habitura fuerit momentum. At Papias etiam apertè prodidit à Marco Dominum non auditum, ſed ſcripta ab ipſo quæ à Petro audita memoria ſuggerebat. Græcè autem ſcripſit Marcus, quanquam in gratiam præcipuè Romanorum, ſicut & Paulus ad Romanos epiſtolam Græcâ ſcripſit linguâ, quia Iudæi qui Romæ agebant plerique Latini ſermonis ignari longâ per Aſiam & Græciam habitatione Græcam linguam didicerant, & Romanorum vix quisquam erat non Græcè intelligens. Latinam verò Marci verſionem veterem eſſe, & ejusdem à quo verſos habemus cæteros Euangelii libros, ipſa verſionis ſimilitudo facit probabile: ad quam verſionem quædam Græca exemplaria mutata eſſe multis locis apparebit.

CAPVT PRIMVM.

1. Ἀρχὴ τοῦ Εὐαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, *Initium Euangelii Ieſu Chriſti*] Εὐαγγέλιον Ἰησοῦ Χριστοῦ [*Euangelium Ieſu Chriſti*] eſſe ipſum κήρυγμα à Chriſto pronuntiatum [ipſam *prædicationem* à Chriſto pronuntiatam] diximus ad Matthæum. Hujus initium Marcus eſſe dicit τὸ κήρυγμα [*præconium*] Iohannis, quippe prævium τῷ Ἰησοῦ κηρύγματι [*prædicationi ipſius Ieſu*]. Vox enim ἀρχῆς [*principii*] ambigua, ut notat Ariſtoteles, Ἀρχῶν αἱ μὲν ἐνυπάρχουσαί εἰσιν, αἱ δὲ ἐκτός [*Principiorum alia in re ſunt, alia extra rem*]. Hîc poſteriore ſignificatu ἀρχὴ [*initium*] ſumitur. Nam Iohannis Baptiſma manuductio ad Chriſti diſciplinam fuit.

υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· *Filii Dei*] Hoc in ipſo exordio præfatur Marcus, tanti cognominis veritatem ſequentium rerum magnitudine probaturus. Vſum eſſe Marcum Matthæi Euangelio apertum facit collatio: Quò magis mirum videri poteſt ea quæ ad nativitatem Chriſti pertinent, cùm à Matthæo eſſent tradita, præterita eſſe à Marco. Mihi hoc ſuccurrit, habitam à Marco & hominum & temporum rationem. Romani certè, quorum rogatu ſcripſiſſe creditur, recentes à Paganiſmo, facilè tale quid erant imaginaturi quale apud ipſos de Alcmena, Leda, Danae, Ilia narrabatur. Similibus de cauſis Apoſtoli tum in orationibus tum in epiſtolis vix ejus rei meminerunt. Quòd ſi Petrus ea de re ſilendum ſibi judicavit, ea vel una cauſa Marco ſatis juſta fuit non attingendi hanc hiſtoriæ partem, cujus paſſim prædicandæ neceſſitas tunc maximè cœpit cùm extiterunt qui Chriſtum ψιλὸν ἄνθρωπον [*nudum hominem*] dictitarent.

2. Ὡς γέγραπται ἐν Ἡσαΐᾳ τῷ προφήτῃ, *ſicut ſcriptum eſt in Eſaia Propheta*] De hujus ſcripturæ veritate dubitari miror, cùm, præter codicum auctoritatem & Irenæum ita citantem, manifeſta ſit veterum Interpretum, Syri, Latini, Arabis conſenſio. Neque verò Porphyrius adduxiſſet hunc locum contra Chriſtianos, niſi ea conſtans fuiſſet codicum lectio; neque Chriſtiani in ſolvenda Porphyrii objectione laboraſſent. Adde quòd hujus lectionis mutandæ cauſa apparet, alterius mutandæ nulla eſſe potuit. Nimirum Eſaiam citarat Matthæus, quem ſequitur Marcus; ſed ut certiùs appareret quis ille eſſet de quo agit Eſaias, interpretem addit majori Vati minorem, Eſaiæ Malachiam: quem nominare inſuper habuit, quòd Eſaiæ auctoritas eſſet illuſtrior, nec quicquam eſſet in verbis Malachiæ cujus non ſententia & apud Eſaiam exſtaret. Videtur autem mihi iſtud ὡς γέγραπται [*ſicut ſcriptum eſt*] ad antecedentia trahendum, ut dicat Marcus Chriſti κήρυγμα [*prædicationem*] eam habuiſſe προπαρασκευὴν [*præparationem*] quam vaticinia prædixerant.

4. Ἐγένετο Ἰωάννης βαπτίζων, *Fuit Iohannes baptizans*] Hoc loquendi genus actum continuatum deſignat. Ita infrà 39. de Ieſu, Καὶ ἦν κηρύσσων [*Et erat prædicans*]· & de diſcipulis Iohannis & Phariſæorum, ἦσαν νηστεύοντες [*erant jejunantes*] infrà II, 18.

κηρύσσων βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. *prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*] Secutus hæc Marci verba eſt Lucas III. de quorum interpretatione, ut novos omittam, varia veteres tradidere. Tertullianus, *Actum*, ait, *baptiſmum pœnitentiæ, quaſi candidatum remiſſionis & ſanctificationis in Chriſto ſubſecuturæ. Nam quod prædicabat baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem delictorum, in futuram*, inquit, *remiſſionem enuntiatum eſt. Siquidem pœnitentia antecedit, remiſſio ſubſequitur, & hoc eſt viam præparare: qui autem præparat, non idem ipſe perficit, ſed alii perficiendum procurat.* Et alibi oſtendit *pœnitentiæ* ſe voce non vitæ emendationem ſed actus quoſdam externos intelligere: quod non videtur planè vero congruere. Non nego μετανοίας [*pœnitentiæ*] vocem ſtrictiùs ſolere accipi; ſed cur hîc ita præciſè accipiendam non putem, multis moveor argumentis. Primùm Moſes & Prophetæ multis in locis remiſſionem peccatorum ſperari jubent ſub ſola μετανοίας [*pœnitentiæ*] conditione. Plerumque autem addere ſolent *cordis* mentionem, ut internam converſionem ſimul cum externa à ſe intelligi doceant, Deuteronomii IV, 29. I Regum VIII, 47. II Paralipom. VII, 14. Nehem. I, 9. IX, 28. Eſaiæ I, 16, 17, 18. Ierem. XVIII, 8. Ezechiel. XVIII, 30. XXXIII, 14. Non eſt autem credibile Iohannem majorem Prophetis, & plus lucis afferentem, minorem exegiſſe pœnitentiam quàm antegreſſi Prophetæ exegerant. Deinde Chriſtus ſummam doctrinæ ſuæ eâdem voce propoſuit, Μετανοεῖτε [*Pœnitentiam agite*] Matth. IV, 17. Et Petrus Chriſti legatus, Μετανοήσατε, καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque veſtrûm in remiſſionem peccatorum*], Actorum II, 38. Quare verius videtur Iohannem μετανοίας [*Pœnitentiæ*] nomine intellexiſſe omnes officii noſtri partes, & veram Remiſſionem peccatorum, præſignificatam in Iubilæo, in cujus mentione LXX Interpretes vocem ἀφέσεως [*remiſſionis*] uſurpant: neutrum tamen ab ipſo plenè atque enucleatè expoſitum: ſed τὴν μετάνοιαν [*Pœnitentiam*] delineatam in ſuis rudimentis καὶ ὡς ἐν τύπῳ [*craſſiuſculè*], tum malorum operum fugâ, tum quadam bonorum inchoatione, Lucæ III, 11. remiſſionem quoque peccatorum deſcriptam immunitate ab ira Divina, Matth. III, 7. Sed voluiſſe eum conſummatam utriusque cognitionem à Chriſto peti, ad cujus magiſterium ſuos relegabat, accepturos ejus beneficio non tantùm doctrinam omnibus ſuis partibus perfectiſſimam, ſed & Spiritum illuminationis, fortitudinis atque conſtantiæ.

7. κύψας, *procumbens*] *Cernuus.* Geſtum expreſſit famuli calceum Domino exuentis.

10. ἀναβαίνων ἀπὸ τοῦ ὕδατος, *adſcendens de aqua*] Poteſt per ἔλλειψιν [*reticentiam nominis*] ad Iohannem referri. Vide quæ ad Matthæum. Nam tam Iohannes quàm Chriſtus ex aqua adſcenderant.

σχιζομένους, *ſciſſos*] Ἀνεῴχθησαν αὐτῷ οἱ οὐρανοὶ [*aperti ſunt ei cœli*] dixerat Matthæus; unde & gloſſema natum hoc loco ἠνοιγμένους [*apertos*]. Sed Marcus modum quo viſum eſt aperiri cœlum expreſſit, non ſenſim, ſed uno impetu, ut ea quæ ſcinduntur. Quod ſignum videtur fuiſſe perrupturi ſubitò obſtantia Regni cœleſtis.

11. ἐν σοὶ εὐδόκησα. *in te complacui*] Ita Syrus & Latinus & codices Græci aliquot: quod alii habent ἐν ᾧ [*in quo*] ex Matthæo eſt.

12. Καὶ εὐθέως, *Et ſtatim*] Non multò pòſt: Nam dies unus aut alter interceſſit, Ioh. I, 29. Neque inuſitatum eſt ut εὐθέως [*ſtatim*] ita uſurpetur, ut Ioh. XIII, 32. Cur tempus hoc tam diligenter notetur, alii alias adferunt conjecturas. Mihi non diſplicet quod quidam tradiderunt, fortè in Chriſti perſona nobis oſtendi quid Chriſtianis poſtquam baptizati ſunt, id eſt, poſtquam ſeculo renuntiarunt, immineat, novum ſcilicet certamen adverſùs malignos ſpiritus: qua de re ad Matthæum aliquid diximus.

ἐκβάλλει, *expulit*] Hæc vox pro ἄγειν [*ducere*] ponitur Ioh. X, 4. Sed ſimplicior expoſitio eſt *jubet diſcedere*, quomodo eadem vox uſurpatur Matth. IX, 25. & infrà hoc ipſo capite 43.

13. μετὰ τῶν θηρίων· *cum beſtiis*] Non ſine cauſa hoc adjecit Marcus, ut ſignificaret non quamvis, ſed deſertiſſimam fuiſſe hanc ſolitudinem. Simul alluſum videri poteſt ad locum Iobi V, 21.

διηκόνουν αὐτῷ. *miniſtrabant ei*] Poſt abſolutum πειρασμὸν [*tentationem* abſolutam], ut Matthæus nos docet. Marcus hanc hiſtoriam, ut multas alias, compendio tradit, ad majora properans.

15. πεπλήρωται ὁ καιρὸς, *impletum eſt tempus*] Tempus uberrimæ Dei gratiæ deſtinatum, prædictum à Prophetis: τὸ πλήρωμα τοῦ χρόνου [*plenitudo temporis*], Gal. IV, 4. τὸ πλήρωμα τῶν καιρῶν [*plenitudo temporum*], Epheſ. I, 10. צפירה πέρας [*finis*], Ezech. VII, 6.

πιστεύετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. *credite Euangelio*] Verum eſt Helleniſtas ἐν [in *cum ablativo*] & εἰς [in *cum accuſativo*] poſt πιστεύειν [verbum *credere*] eodem ſenſu uſurpare. At quod האמין [*credere*] cum ב [*in*] Septuaginta & Apoſtoli ſine præpoſitione per dativum interdum transferunt, quaſi ſit האמין cum ל, id non tam eſt ex vocum proprietate quàm quia interdum res ipſa efficit ut in idem recidat utraque locutio, quippe ubi de promiſſore aut promiſſione agitur. Alioqui, ut rectè notant Hebræi, האמין [*credere*] cum ל [*dativo*] eſt *fidem habere alicui perſonæ aut dicto*, האמין [*credere*] cum ב [*in*] eſt *in aliquo fiduciam ponere*. Ita πιστεύειν εὐαγγελίῳ [*credere Euangelio*] eſſet *credere vera eſſe quæ dicebantur*, quomodo לא האמנתי לדברים [*non credebam narrantibus*] dicitur 1 Reg. X, 7. At πιστεύειν εἰς τὸ εὐαγγέλιον [*credere in Euangelium*] ſive ἐν τῷ εὐαγγελίῳ [*in Euangelio*] eſt in *ea annuntiatione ſpem ſuam locare*, quomodo Pſalm. CXIX, 66. dicitur במצותיך האמנתי [*in præceptis tuis credidi*], ubi tamen LXX ponunt ταῖς ἐντολαῖς σου ἐπίστευσα [*præceptis tuis credidi*], nimirum quia, ut dixi, res eodem recidit. Quare & vetus Latinus Interpres hoc loco diſcrimen neglexit, alibi obſervatum.

20. μετὰ τῶν μισθωτῶν, *cum mercenariis*] Habet ἔμφασιν [*vim latentem*] quòd patrem reliquerunt, cui quæſtuoſa erat ipſorum opera, quando & conductis miniſteriis utebatur.

21. τοῖς σάββασι, *Sabbatis*] Id eſt, *Sabbato*, ut Syrus & Latinus. Vide quæ ad Matth. XII, 1. Adjecit & hoc Marcus non ſine cauſa, ut contemti Sabbati calumniam à Chriſto arceret. Hoc verè erat Sabbatum colere, adire pios cœtus & in meditanda Lege occupari. Ita enim id quod eſt Levit. XXIII, 3. uſus antiquiſſimus interpretabatur, ut nos docet illud Iacobi Act. XV, 21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος [*Moſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*]. Et Paulus, Τὰς φωνὰς τῶν προφητῶν [*Voces Prophetarum*] ait ſolitas κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινώσκεσθαι [*per omne Sabbatum legi*], Act. XIII, 27. Idem teſtatur Ioſephus contra Appionem, ἑκάστης ἑβδομάδος τῶν ἔργων ἀφεμένους ἐπὶ τὴν ἀκρόασιν τοῦ νόμου ἐκέλευσε συλλέγεσθαι καὶ τοῦτον ἀκριβῶς ἐκμανθάνειν, ὃ δὴ πάντες οἱ νομοθέται ἐοίκασι παραλιπεῖν [*juſſit eos die ſeptima omiſſis operibus convenire ad audiendam Legem & eam bene ediſcendam, quod omnes legum auctores videntur omiſiſſe*]. Et Philo, Τὸ ἠθικὸν εὖ μάλα διαπονοῦσιν, ἀλείπτως χρώμενοι τοῖς πατρίοις νόμοις, οὓς ἀμήχανον ἀνθρωπίνην ἐπινοῆσαι ψυχὴν ἄνευ κατακωχῆς ἐνθέου. τούτους ἀναδιδάσκοντες μὲν καὶ παρὰ τὸν ἄλλον χρόνον, ἐν δὲ ταῖς ἑβδόμαις μάλιστα διαφερόντως· ἱερὰ γὰρ ἡ ἑβδόμη νενόμισται, καθ' ἣν τῶν ἄλλων ἀπέχοντες ἔργων εἰς ἱεροὺς ἀφικνούμενοι τόπους, οἳ καλοῦνται συναγωγαί, καθ' ἡλικίας ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται, μετὰ κόσμου τοῦ προσήκοντος ἔχοντες ἀκροατικῶς· εἶθ' ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκει· τὰ γὰρ πλεῖστα διὰ συμβόλων ἀρχαιοτρόπῳ ζηλώσει παρ' αὐτοῖς φιλοσοφεῖται· παιδεύονται δὲ εὐσέβειαν, ὁσιότητα, δικαιοσύνην, οἰκονομίαν, πολιτείαν, ἐπιστήμην τῶν πρὸς ἀλήθειαν ἀγαθῶν καὶ κακῶν καὶ ἀδιαφόρων, αἱρέσεις ὧν χρὴ, καὶ φυγὰς τῶν ἐναντίων, ὅροις καὶ κανόσι τριττοῖς χρώμενοι, τῷ τε φιλοθέῳ καὶ φιλαρέτῳ καὶ φιλανθρώπῳ [*Moralem partem diligenter excolunt, indeſinenter verſantes in patriis legibus, quæ tales ſunt, ut eas humana mens ſine Divino inſtinctu nequierit comminiſci. Has edocent etiam aliis temporibus, ſed maximè die ſeptima; ea enim ſacra habetur: ac tum ab aliis abſtinentes operibus conveniunt in loca ſacra, quæ dicuntur Synagogæ, & ſecundùm ætatis ordinem juniores qui ſunt ſubter ſeniores ſedent, cum magna audientia & geſtu decoro. Tunc is cujus eæ ſunt partes libros legit. Multa enim apud ipſos, antiquorum exemplo, per ſymbola tractantur. Diſcunt autem auditores pietatem, ſanctitatem, juſtitiam, adminiſtrationem rei familiaris ac publicæ, cognitionem rerum verè bonarum & malarum & mediarum, electionem eligendarum rerum, contrariarum fugam, idque per tres regulas, amoris in Deum, in virtutem, in homines*]. Adde Luc. IV, 16, 31. XIII, 10. Act. XIII, 14, 44. XVII, 2. XVIII, 4.

23. ἄνθρωπος ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ, *homo in ſpiritu immundo*] Ita & infrà V, 2. id eſt, *cum ſpiritu immundo*. Nam ita ב [*in*] uſurpant Hebræi, ut Exodi XV, 19. Hiſtoriam autem hanc Matthæo aut præteritam aut verbis generalibus comprehenſam primus poſuit Marcus, & poſt eum Lucas, ſecutus propè ipſa Marci verba; quod & alibi facit.

24. Ἔα] Non aſſentior putantibus aut verbum eſſe aut interjectionem ex verbo. Eſt enim omnino Hebræum הה & אהה , unde Græci fecerunt ἔα. Apud Æſchylum Prometheo eſt ἆ ἆ ἔα ἔα. Latini pro eodem *ah* ſolent dicere.

τί ἡμῖν καί σοι , quid nobis & tibi] Vide Matth. VIII , 29.

Ἰησοῦ Ναζαρηνέ ; Ieſu Nazarenes] Populari eum nomine appellat. Idem eſt Ναζωραῖος [*Nazaræus*] & Ναζαρηνός [*Nazarenus*]. Nam eas terminationes Orientis nationibus promiſcuè uſurpari rectè obſervavit Stephanus libro De urbibus. Ita Ἐσσαῖοι & Ἐσσηνοί. [*Eſſæi* & *Eſſeni*].

ἦλθες ἀπολέσαι ἡμᾶς ; veniſti perdere nos ?] Percunctativè legendum puto , ut apud Matthæum, ἦλθες ὧδε πρὸ καιροῦ βασανίσαι ἡμᾶς ; [*veniſti huc ante tempus torquere nos ?*] Neque verò aliud hîc ἀπολλύειν [*perdere*] quàm βασανίζειν [*torquere*], ut in Comœdiis *Dî te perduint*. Pro tormento eſt impuro ſpiritui quoties malefaciendi poteſtas ipſi adimitur. Hoc eſt mittere εἰς ἄβυσσον [*in abyſſum*], Lucæ VIII, 31. Contrà cùm dæmoni ad vexandos homines fræna laxantur, dicitur aperiri ἄβυσσος [*abyſſus*], ut in Apocalypſi. Ad hoc ingenium accedunt homines quidam , in quos illud quadrat,

> *Et ſi non aliquà nocuiſſes mortuus eſſes.*

οἶδά σε τίς εἶ , ſcio qui ſis] Multis jam argumentis colligere incipiebant mali ſpiritus Ieſum eſſe promiſſum illum Meſſiam ; ut patet hoc capite 34. & Lucæ IV, 41. Vult autem malus dæmon Ieſum blanditiis demulcere , cui ſe certando imparem erat expertus.

ὁ ἅγιος τοῦ Θεοῦ. Sanctus Dei] Meſſias Danieli dictus קדש קדשים [*Sanctus ſanctorum*], interprete etiam Abeneſdra. Idem eſt quod υἱὸς Θεοῦ [*Filius Dei*] in exclamatione alterius dæmonis, Matth. VIII , 29. Apud Lucam IV, 41. dæmones exclamant ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ [*quia tu es Chriſtus Filius Dei*].

25. *Καὶ ἐπετίμησεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, Et comminatus eſt ei Ieſus*] Vide & Lucam dicto loco. Cauſam optimè reddit Tertullianus contra Marcionem IV. *Increpuit illum Ieſus : planè, ut invidioſum & in ipſa confeſſione petulantem, & malè adulantem.* Mox, *Illius erat præconium immundi ſpiritus reſpuere cui ſancti abundabant.*

Φιμώθητι, Obmuteſce], Tale illud infrà IV, 39. πεφίμωσο. Sic καθαρίσθητι [*mundator*] infrà 41. διανοίχθητι [*adaperitor*] VII, 34. ἔγειραι [*excitator*] Luc. V, 24. Vim magnam habent id genus verba : non enim actum voluntarium exigunt, ſed oſtendunt loquentis vim effectivam, tam circa naturas ratione utentes quàm circa alias. qua de re diximus & alibi.

26. *σπαράξαν , diſcerpens*] Σπαραγμὸν inter alia Græci uſurpant pro *convulſione*, quæ σπασμὸς [*ſpaſmus*] alioqui frequentiùs dicitur : neque aliud hîc puto intelligi. Solent enim dæmoniaci nervorum convulſiones perpeti : quas ſequitur oris deſpumatio, Lucæ IX, 39. & hic noſter infrà IX, 20, ubi verbum idem eſt. Atque eò magis hoc loco hæc interpretatio admittenda eſt, quia vexatio iſta ſicut iracundiam dæmonis oſtendit, ita tranſiit ſine corporis noxa, ut Lucas docet IV, 35.

κράξαν φωνῇ μεγάλῃ, exclamans voce magnâ] Ἀνάρθρῳ φωνῇ [*voce non articulata*], quam exprimebat doloris impatientia, cùm ἔναρθρον [*articulatam*] Chriſtus vi ſua inhibuiſſet.

27. *κατ' ἐξουσίαν καὶ τοῖς πνεύμασι τοῖς ἀκαθάρτοις ἐπιτάσσει, in poteſtate etiam ſpiritibus immundis imperat*] Solebant quidem Iudæi exorciſtæ invocatione quadem Divini nominis fugare dæmones : Sed nemo ante hoc tempus id fecerat pro imperio , ut Chriſtus. Vide infrà IX , 25. Rectè igitur colligunt oportere novum magnumque dogma eſſe quod novâ neque viſâ hactenus poteſtate armatur.

28. *εἰς ὅλην τὴν περίχωρον τῆς Γαλιλαίας. in omnem regionem Galilææ*] Non multùm refert fama hæc extra Galilææ fines an duntaxat extra Capernaümum per Galilæam ſparſa credatur. Senſum poſteriorem amplectuntur hîc Syrus & Latinus. Et ſanè ἡ περίχωρος paſſim in his libris eſt idem quod χώρα [*regio*], ut Lucæ VIII , 37. Et ſic פלך vertunt Græci Nehem. III, 9, & ſequentibus. Ita infrà VI , 55. & Matth. XIV, 35. dicitur ἡ περίχωρος ἐκείνη [*univerſa regio illa*] ſine additamento ; imò & apud Lucam in hac ipſa hiſtoria IV, 37. ut & apud Græcos Interpretes Deut. III. non ſemel. Veruntamen alteri interpretationi favet quod apud Matthæum eſt circa hæc tempora, καὶ ἀπῆλθεν ἡ ἀκοὴ αὐτοῦ εἰς ὅλην τὴν Συρίαν [*& abiit fama ejus in totam Syriam*].

30. *λέγουσιν αὐτῷ περὶ αὐτῆς. dicunt ei de illa*] Hoc magis ſolliciti quòd periculoſior eſſet febris in ſenili corpore :

> Μικρὰ γεραιὰ σώματ' εὐνάζει ῥοπή.
> [*Senile corpus motus exſtinguit levis*].

Hujus quoque hiſtoriæ circumſtantias ex Petro propiùs didicit expreſſitque Marcus.

32. Ὀψίας δὲ γενομένης, ὅτε ἔδυ ὁ ἥλιος , *Veſpere autem facto cùm occidiſſet Sol*] Hæc eſt ſecunda ὀψία [*veſpera*], ut alibi annotatum eſt ad hanc vocem. Potiùs autem quod apud Lucam eſt δύνοντος [*occidente*] exponendum eſt per præteritum, ut ibi fecit vetus Latinus Interpres, quam ἔδυ [*occidebat*] hoc loco per præſens. Nam labores Sabbato vetitos non attingebant Iudæi ante Solem planè occaſum. Δύειν [*occidere*] Græcis rectè dicitur quicquid viſibus ſe ſubtrahit. LXX in Ioële II , 10. ἄστρα δύσουσι τὸ φέγγος αὐτῶν [*ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum*]· ubi in Hebræo eſt אספו. De Solis occaſu reperitur & in Græco Iudic. XIX , 14. Mergi autem ſidera cùm adſpectui noſtro ſe ſubtrahunt ideo dixerunt Poëtæ, etiam Aratus, quia ut ſolebant τὰ τεχνικὰ [*res artium*] eloqui populariter, τὸν ὁρίζοντα [*finitorem circulum*] Oceani nomine appellabant, ut à Strabone, Theone, atque aliis rectè obſervatum eſt.

34. *Καὶ ἐθεράπευσε πολλοὺς , Et curavit multos*] Non multos ex iis qui offerebantur , ſed quia qui offerebantur multi erant.

οὐκ ἤφιε , non ſinebat] Vox ſanè μονήρης [*inuſitata*], quam nemo obſervavit extra Marcum, qui infrà iterum ſic loquitur. Sed neque ἀνάλογον [*paris formæ*] flexionem facilè reperies ; niſi quòd quidam harum rerum eruditi putant eſſe ab ἀφιέω , ut ἤλιτ ab ἀλιτίω. Sed & hoc poëticum eſt. Si qui codices haberent ἤφιει dubitandum non eſſet quin ea lectio eſſet præferenda.

ὅτι ᾔδεισαν αὐτόν. quoniam ſciebant eum] *Quòd ipſum*

ipſum noſſent, id eſt, ipſius κλῆσιν *vocationem*. Illi enim verè aliquem norunt qui attributa ejus norunt. Quod cùm videretur obſcurius, adjecit aliquis ex Luca interpretamenti causâ Χριστὸν εἶναι [*Chriſtum eſſe*]. quod non eſſe genuinum vetuſti codices & antiqui Interpretes evincunt. Quæ cauſa Chriſtum moverit, ſuprà vide. Errant qui ὅτι [*quod*] hîc putant eſſe αἰτιολογικὸν [*cauſæ redditivum*].

35. Καὶ πρωῒ ἔννυχον λίαν, *Et in nocte valde manè*] Noctu, ſed cùm dies inſtaret, quod Lucas dicit γενομένης ἡμέρας [*dum fit dies*]. Nam vox iſta γενομένης modò jam exactum, modò præſens, modò imminens tempus ſignificat.

37. πάντες, *omnes*] Capernaümitæ.

38. κωμοπόλεις, *vicos oppidorum inſtar*] Tacitus cùm dicit Hiſtoriarum v. *ſubverſa longæ pacis opera haud procul caſtris in modum municipii exſtructa*, κωμόπολιν [*vicum inſtar oppidi*] deſcribit. Talis κωμόπολις fuerat Bethſaïda nuper oppidi ſpeciem nacta. πόλεις [*oppida* aut *civitates*] hîc dixit Lucas καταχρηστικώτερον [*magis impropriè*], ut & v, 12. Hebræorum Magiſtri quidam פרזות putant eſſe κωμοπόλεις [*vicos ad oppidorum ſpeciem*]. Sunt qui diſſentiant. Neque verò ita vertunt LXX. Ex Ioſepho conſtat in Iudæa fuiſſe κώμας πόλεως μέγεθος οὐκ ἀποδεούσας [*vicos nihilo minores oppidis*]. Hinc toties Scriptores noſtri πόλιν & κώμην promiſcuè uſurpant. Sic & Poëtis Græcis πόλεις [*oppida*] dici quæ ſunt κῶμαι [*vici*] notant Pollux & Harpocration, & exemplum adferunt in Eubœâ de qua dixerit Euripides,

Εὔβοι' Ἀθήναις ἐστί τις γείτων πόλις.
[*Eubœa Athenis proximè poſitum oppidum eſt.*]

εἰς τοῦτο γὰρ ἐξελήλυθα. *ad hoc enim veni*] Patris miſſu, ut Lucas explicat. Sic & Ioh. XVI, 28. Mandatum acceperat omnibus in Palæſtina Iudæis dogma ſuum promulgandi, nullo urbes aut agros habitantium diſcrimine.

39. αὐτῶν, *earum*] Τῶν κωμοπόλεων [*quaſi-urbium*]. Nam & in majoribus vicis quæ ad oppidorum accedebant magnitudinem ſynagogæ erant, ut alibi annotavimus.

40. γονυπετῶν, *genu flexo*] Vide Matthæum VIII, 2.

41. σπλαγχνισθεὶς, *miſertus*] Non temere & hoc addidit Marcus, ut doceret beneficia Chriſti ex intimo cordis affectu proficiſci.

43. ἐμβριμησάμενος, *comminatus*] Vide Matth. IX, 30.

44. τῷ ἱερεῖ, *Sacerdoti*] Vide ad Matthæum hoc loco.

περὶ τοῦ καθαρισμοῦ σου, *pro emundatione tua*] טהרה: καθαρισμὸν [*emundationem*] in hoc negotio τῆς λέπρας [*lepræ* ſive *vitiliginis*] vertunt & LXX.

45. αὐτὸν, *ipſum*] Ieſum: quod bene hîc exprimit Syrus.

Δύνασθαι, *non poſſe*] Vox iſta & hîc & aliis in locis non τὸ ἁπλῶς ἀδύνατον [*id quod ſimpliciter fieri nequit*] ſignificat, ſed id quod ſecundùm naturæ ordinem multum incommodi habet ac difficultatis. Nam turbæ affluxu in locis anguſtioribus Chriſtus premebatur. Hunc enim ſenſum nobis exhibent ea quæ ſequuntur capite proximo, commate 2.

ἐν ἐρήμοις τόποις, *in deſertis locis*] In locis littoralibus ubi explicare ſe turba poterat, ut colligi videtur ex ſequenti capite, commate 13.

CAPVT II.

1. ΔΙ' ἡμερῶν. *poſt dies*] Quid διὰ hîc valeat diximus ad Matth. XXVI, 61. Deeſt autem hîc more Hebræo τινων [*aliquot*], ut apud LXX Geneſ. IV, 3. Καὶ ἐγένετο μεθ' ἡμέρας [*Et factum eſt poſt dies*].

2. μηδὲ τὰ πρὸς τὴν θύραν, *nec ea quæ ad januam*] Id eſt, τὸ πρόθυρον [*veſtibulum*]. πρόθυρα *Græcè dicuntur*, inquit Vitruvius, *quæ ſunt ante januam veſtibula.*

τὸν λόγον. *verbum* ſive *ſermonem*] Ita Matthæi XIII, 20. infrà VIII, 32. XVI, 20. Lucæ I, 2. & alibi paſſim vocatur, qui pleniùs Lucæ VIII, 11, 21. XI, 28. Actor. XVIII, 11. & alibi ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ [*verbum Dei*]. Invenies & ſine articulo λόγον [*verbum*] eodem ſenſu, ut Actor. XVII, 11.

3. φέροντες] Id eſt, *adducentes*. Nam adducebant eum plures, cùm bajularent eum viri quatuor, ut ſequitur.

4. χαλῶσι, *ſubmiſerunt* ſive *demiſerunt*] Sic κατεχάλασεν uſurpatur Ioſuæ II, 15.

κράββατον, *grabatum*] Κλινίδιον Lucas. Neque ille malè qui σκιμπόδιον eſt interpretatus. Nam ut Phrynichus docet id Atticis erat quod communiter κράββατον.

7. τίς δύναται ἀφιέναι ἁμαρτίας εἰ μὴ εἷς ὁ Θεός; *quis poteſt dimittere peccata niſi ſolus Deus*] Vberiùs explicat Marcus quod Matthæus dictum à Legisperitis dixerat, οὗτος βλασφημεῖ [*hic blaſphemat*]. Non dixerat quidem Chriſtus ſe paralytico peccata remittere: at illi tamen id ita accipiebant, nimirum quia is mos eſt odii omnia eò trahere quà patet calumniæ locus. Deum eſſe qui condonet peccata paſſim teſtantur Pſalmi, Prophetæ, ipſe Moſes. At poteſtatem hanc homini cuiquam communicatam nuſquam legebatur. Dicitur quidem Sacerdos in minoribus delictis *expiare hominem*; ſed hoc *expiare* eſt ad remiſſionem præparare. Sequitur enim *& remittetur ei. Remittere* autem Sacerdos non dicitur. Imò apud Eſaiam Deus μάλα ἐμφατικῶς [*valde ſignificanter*] populum ſic alloquitur, XLIII, 25. *Ego is ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* Et in Exodo XXXIV, 7. inter Dei indigitamenta ponitur נשא עין [*auferens iniquitatem*]. Sed propriè ſpectatum hîc puto Iobi locum XIV, 4. Nam eum & Chaldæus Paraphraſtes ita exponit, *Quis poteſt mundum efficere eum qui inquinatus eſt peccatis, niſi Deus, qui ſolus poteſt remittere?* Annuntiavit Nathan Davidi ablatum ab eo crimen; at ipſa condonatio Deo uni tribuitur, in nullam ejus partem veniente Propheta. Hinc colligebant hunc actum eſſe ἀκοινώνητον [*incommunicabilem*]. Chriſtus qui verbis iis erat uſus quæ poſſent & aliter accipi, cùm tamen ita ut res ipſa erat accipi videret, uſus inimicorum malitiâ, apertè ſibi vindicavit jus ſibi, ut homini, à Deo Patre conceſſum, inſigne edens miraculum directè in ejus juris teſtimonium. Imò & ante miraculum ſanationis aliud edidit multò inſignius, cùm intimas adſtantium cogitationes apertiſſimè ſibi cognitas oſtendit, quod Sacræ literæ non minùs proprium Dei ſtatuunt quàm peccata remittere, ut videre eſt 1 Sam. XVI, 7.

XVI, 7. I Paralip. XXVIII, 9. II Paralip. VI, 30. Pſalm. VII, 10. Ierem. XVII, 10. Neque verò valebat Legiſperitorum argumentatio, Nunquam cuiquam id jus Deus conceſſit antehac, Ergo concedere non poteſt: Non habuerunt Prophetæ, Ergo nec habebit Meſſias.

8. *τῷ πνεύματι αὐτοῦ, ſpiritu ſuo*] Non, ut Prophetæ, per afflatum, ſed ſuo ſpiritu, id eſt, *τῇ ἄκρᾳ μετοχῇ τοῦ αὐτολόγου* [*ſumma participatione Verbi ſubſtantialis*]; ut Origenes adversùs Celſum loquitur. Nam quod veteres Chriſtiani, etiam Iuſtinus, vocant *θείαν φύσιν* [*Divinam naturam*], is quem dixi Origenes *θείας φύσεως ἀπαύγασμα καὶ χαρακτῆρα* [*Divinæ naturæ effulgentiam & expreſſam formam*] & *τὸ ἐν τῷ νοουμένῳ ἀνθρώπῳ Ἰησοῦ θεῖον, ὅπερ ἦν ὁ μονογενὴς τοῦ Θεοῦ* [*quod in homine illo Ieſu quem intelligimus erat Divinum, id ipſum erat unigenitus Dei Filius*]· idem ſolet & *Spiritus* dici, ut I Petr. III, 18. Tertullianus Apologetico, *Et nos etiam ſermoni atque rationi itemque virtuti, per quæ omnia molitum Deum ediximus, propriam ſubſtantiam Spiritum inſcribimus, cui & ſermo inſit pronuntianti, & ratio adſit disponenti, & virtus præſit perficienti. Hunc ex Deo prolatum didicimus & prolatione generatum, idcirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ: nam & Deus Spiritus. Etiam cùm radius ex Sole porrigitur, portio ex ſumma, ſed Sol erit in radio, quia Solis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur. Ita de Spiritu Spiritus & de Deo Deus; ut lumen de lumine accenſum: manet integra & indefecta materiæ matrix, etſi plures inde traduces qualitatis mutueris: ita & quod de Deo profectum eſt Deus eſt & Dei Filius, & unus ambo. Ita de Spiritu Spiritus & de Deo Deus, modulo alternum numerum, gradu non ſtatu fecit, & à matrice non receſſit ſed exceſſit.* Idem De oratione, *Dei ſpiritus & Dei ſermo & Dei ratio, ſermo rationis & ratio ſermonis, & Spiritus utrumque Ieſus Chriſtus Dominus noſter.* Adversùs Marcionem I. *Ieſus de cælo manare dignatus eſt Spiritus ſalutaris*: & III. *Spiritus perſonæ ejus* (Dei creatoris) *Chriſtus Dominus.* Et mox, *Ipſe* (Chriſtus) *tunc fuerat in Moſe qui talia audierat, Spiritus ſcilicet Creatoris.* Libro V. *In quo Chriſto conſiſtere haberet tota ſubſtantia Spiritûs, non quaſi poſtea obventura illi qui ſemper Spiritus Dei fuerit, ante carnem quoque.* Et adversùs Praxean, *Hic Spiritus Dei idem erit ſermo: ſicut enim, dicente Iohanne, Sermo caro factus eſt, Spiritum quoque intelligimus in mentione Sermonis, ita & hîc Sermonem quoque agnoſcimus in nomine Spiritus.* Ibidem, *Chriſtus Paternæ perſonæ Spiritus*: Libro de carne Chriſti, *Verbum Dei & cum Verbo Dei Spiritus, & in Spiritu Dei virtus & quicquid Dei eſt Chriſtus.* Ibidem, *Chriſtus quà Spiritus Dei & virtus Altiſſimi non poteſt infra Angelos haberi.* Cyprianus de Idolorum vanitate, *Carnem Spiritus Sanctus induitur.* Ita enim habent manuſcripti. Lactantius lib. IV. De ſapientia, capite VI. *Incorruptibilem & irreprehenſibilem Spiritum genuit quem Filium nuncupavit.* Et capite VIII. *In primis enim teſtificamur illum bis eſſe natum, primùm in Spiritu, poſtea in carne.* Deinde, *Nam ſermo eſt ſpiritus cum voce aliquid ſignificante prolatus.* Mox, *Ipſe verò cùm ſit & ipſe Spiritus, tamen cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſit ſicut verbum.* Et capite XI. *Deſcendens itaque de cælo Sanctus ille Spiritus ſanctam virginem cujus utero ſe inſinuaret elegit.* In carmine ad Chriſtum quod Claudiano adſcribitur, *tu Spiritus inſons.* Prudentius de Chriſto,

> ——— *qui Spiritus olim*
> *Ore ſuperfuſus patrio, volitabat in undis*
> *Nondum diſcretis, nec certo littore clauſis.*

Idem Apotheoſi,

> *Ex quo mortalem præſtrinxit Spiritus alvum,*
> *Spiritus ille Dei, Deus & ſe corpore matris*
> *Induit, atque hominem de virginitate creavit.*

Et quod Moſes dixerat, *Spiritum aquis incubantem*, id *Λόγον Θεοῦ* [*Verbum Dei*] vertit Scriptor antiquus, ſed Chriſtianus, Pœmandri. Vocatur ergo *ἡ θεία ἐν Χριστῷ φύσις* [*Divina in Chriſto natura*] Spiritus, non tantùm *διὰ τὸ ἀσώματον* [*ob incorporalitatem*], quomodo Patri id nomen convenit, ſed etiam quia quod ad diſtinctionem Verbi & Spiritus Sancti vocatur *generare*, Græcis interdum & *ἀπαυγάζειν* [*lucem de ſe edere*], id laxiori vocabulo etiam *ſpirare* appellabant, qualemcunque emanationem, aut, ut Tertullianus loquitur, *προβολήν* [*protenſionem*] eo nomine indicantes. Nam & *procedere* Filium non minùs quàm derivari Tertullianus Adversùs Praxeam dixit. Quomodo defendi poſſunt & Lactantius & alii quos cum Lactantio hac in parte ut Scripturarum imperitos accuſat Hieronymus. Nam certè quin Trinitatem apertiſſimè agnoverit Tertullianus dubitari non poteſt. Et quia plerique exiſtimant Latinorum fuiſſe hoc proprium, oſtendam etiam antiquiſſimos Chriſtianorum qui Græcè ſcripſerunt eundem ad modum locutos. Clemens epiſtolâ II. *Ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ Κύριος, ὁ σώσας ἡμᾶς, ὢν μὲν τὸ πρῶτον πνεῦμα, ἐγένετο σάρξ* [*Ieſus Chriſtus Dominus, qui nos ſalvavit, cùm eſſet primum Spiritus, factus eſt caro*]. Hermas, qualiscunque auctoritatis, certè vetuſtatis primæ, ut ex Irenæo & Clemente ejus verbis utentibus apparet, Paſtoris Libro, ut nunc diviſio inſtituta eſt, tertio, *Illum Spiritum Sanctum qui infuſus eſt omnium primus in corpore in quo habitaret Deus.* Iuſtinus Apologetico II. *τὸ πνεῦμα οὖν καὶ τὴν δύναμιν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ οὐδὲν ἄλλο νοῆσαι θέμις ἢ τὸν λόγον* [*Spiritum igitur & virtutem à Deo non aliud intelligere debemus quàm Verbum*]. Tatianus, *Λόγος ὁ ἐπουράνιος πνεῦμα γεγονὼς ἀπὸ τοῦ πατρός* [*Verbum cæleſte Spiritus natus de Patre*]. Theophilus, *ἔχει οὖν ὁ Θεὸς τὸν ἑαυτοῦ λόγον* [*habet igitur Deus ſuum Verbum*]· & deinde, *οὗτος οὖν ὢν πνεῦμα Θεοῦ καὶ ἀρχὴ καὶ σοφία* [*Hic igitur cùm ſit Dei Spiritus & principatus & ſapientia*]. Irenæus V, I. *εἰ γὰρ μὴ ὢν ἄνθρωπος ἐφαίνετο ἄνθρωπος, οὔτε ὃ ἦν ἐπ' ἀληθείας ἔμεινε πνεῦμα Θεοῦ* [*quòd ſi cùm non eſſet homo viſus eſt homo, ne illud quidem verè manſit quod erat Dei Spiritus*]· ibidem, *Verbum Patris & Spiritus Dei adunitus antiquæ ſubſtantiæ plasmationis Adæ.* Et IV, 36. *adeſt enim ei ſemper Verbum & Sapientia Filius, & Spiritus à Sapientia, quæ eſt Spiritus, erat apud Deum ante omnem conſtitutionem Mundi.* Sed quod maximè notandum, etiam poſt ortam cum Arianis controverſiam & multis Synodis excuſſam ita locuti ſunt hi qui adversùs Arianos ſcribebant; ut Phœbadius, *Quis cognovit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius ejus fuit? Nemo utique, ſed extra Spiritum ſuum nemo: quem Spiritum Propheta ſapientem Architectum & admirabilem Conſiliarium dicit: nec immeritò. Nam idem Spiritus Sermo & Sapientia Dei eſt: ex cujus perſona*

Salomon, *Quum pararet, inquit, cælos, ego aderam illi:* & poſtea, *Apparet ergo unum eundemque veniſſe nunc in nomine Spiritûs, nunc in vocabulo Sermonis, nunc in appellatione Sapientiæ.* Quin etiam poſt natum cum Macedonio certamen manſit hoc loquendi genus. Scriptor Dialogi eruditi adverſus Apollinariſtam, Χριστὸς πνεῦμα ζωοποιοῦν ἐστι τῷ τῆς θεότητος λόγῳ [*Chriſtus Spiritus eſt vivificans ratione Deitatis*]. Epiphanius tertio Adverſus hæreſes, Οὐκοῦν διὰ τῆς πρὸς Φιλιππησίους ἐπιστολῆς ἐδίδαξεν ἡμᾶς, πῶς ἡ ὑπόστασις τοῦ υἱοῦ ὁμοία ἐστὶ τῇ ὑποστάσει τοῦ πατρός· πνεῦμα γὰρ ἐκ πατρός [*Ergo in Epiſtola ad Philippenſes nos docuit quomodo ſubſtantia Filii ſimilis ſit ſubſtantiæ Patris: Spiritus enim ex Patre*]. Chaldæus quoque Paraphraſtes quod apud Iobum eſt IV, 9. *à flatu Dei* vertit *à ſermone Dei.*

12. ὥστε ἐξίστασθαι πάντας, *ita ut mirarentur omnes*] Ἐθαύμασαν [*miratæ ſunt*] dixit Matthæus. Sed Marcus ſignificantius quæſivit vocabulum quo magnus ſtupor exprimeretur. Lucas quoque Marcum ſecutus ἔκστασιν [*ſtuporem*] dixit; neque hoc contentus adjecit καὶ ἐπλήσθησαν φόβου [*repleti ſunt timore*]. quomodo ἐφοβήθησαν legimus apud Lxx 1 Reg. III, 28. & Actor. II, 43. ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος [*fiebat autem omni animæ timor*].

οὕτως, *ſic*] Vide Matth. IX, 33.

14. Καὶ παράγων, *Et cùm præteriret*] Cùm ad partes maritimas iret exeundum illi fuit per portam Caphernaümi maritimam, apud quam haud dubiè fuit vectigalarium, cùm domus publicani eſſet in media urbe. De *Levi* nomine ad Matthæum diximus.

15. Ἦσαν γὰρ πολλοὶ, καὶ ἠκολούθησαν αὐτῷ] Bene Hebraïſmi vim reddidiſſe mihi videtur Latinus Interpres vetus, *Erant enim multi qui ſequebantur eum. Eum*, multi hîc Chriſtum intelligunt. Mihi videtur potiùs ipſe Levi intelligendus, quem αὐτοῦ [*ipſius*] nomine hoc ipſo commate deſignavit Marcus; ut ſenſus ſit, Tunc cùm à Chriſto vocaretur multos adfuiſſe ipſi, ut ἀρχιτελώνῃ [*Mancipi*] minores publicanos & id genus homines quos Iudæi vocabant ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*]. Eos autem Levin de more ſectatos ſimul etiam ad menſam accubuiſſe: neque abſterritum Chriſtum.

16. ἰδόντες αὐτὸν ἐσθίοντα, *videntes eum manducare*] Cùm intelligerent Ieſum cum publicanis cibum ſumere; neque enim aderant.

Τί, *Quid*] *Quid hoc rei eſt?*

17. οὐκ ἦλθον καλέσαι δικαίους, ἀλλὰ ἁμαρτωλοὺς, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores*] Subauditur εἰς μετάνοιαν [*ad pænitentiam*]· quod adjectum eſt in codicibus Græcis non omnibus, & in Epiſtola Barnabæ, ubi eadem ponitur quæ hîc eſt ſententia; cùm olim abfuiſſe Syrus & Latinus Interpretes teſtentur, & antiquiſſimus ille qui in Anglia eſt Manuſcriptus. Senſus autem eâ adjectione haud dubiè antiquâ rectè explicatur. Nam quæ præcedunt verba ſatis oſtendunt ἁμαρτωλοὺς [*peccatores*] hîc non dici communi illa notione quæ omnes homines complectitur, ſed eos qui vitam vixerant hactenus exlegem. Quare & δίκαιοι [*juſti*] his oppoſiti intelligendi ſunt non in quibus nihil eſt humanæ infirmitatis, ſed tales qualis ille Nathanael; *verus Iſraelita, in quo nihil erat doli*, aut quales Zacharias & Eliſabet, *vitam viventes inculpatam ſecundùm Divina præcepta.* Hi tali vocatione ad vitæ totius emendationem, quali priores illi, non indigent. Quo ſenſu Scriptor non inelegans precationis ex perſona Manaſſis, *Tu*, inquit, *Domine Deus juſtorum, non impoſuiſti pænitentiam juſtis, Abrahamo, Iſaaco & Iacobo, iis qui non peccaverant contra te*; *ſed impoſuiſti pænitentiam mihi, qui ſum peccator.* Non agit hîc Chriſtus de toto munere ſibi impoſito, ſed de ea parte muneris quâ & Baptiſta erat functus & ipſe tunc maximè fungebatur, κλήσεως εἰς μετάνοιαν [*vocationis ad pænitentiam*], quæ erat præparatio ad Regnum cœleſte: Hanc, ait, obire certè non poſſum circa homines emendatæ vitæ: opus igitur eſt eos conveniam qui maximè iſtius remedii indigent. Non malè adverſùs Celſum Origenes, Ἐπέμφθη Θεὸς Λόγος καθὸ μὲν ἰατρὸς τοῖς ἁμαρτωλοῖς, καθὸ δὲ διδάσκαλος τῶν μυστηρίων τοῖς ἤδη καθαροῖς [*Miſſum eſt Verbum quod eſt Deus, qui Medicus eſt peccatoribus, qui Magiſter rerum arcanarum jam purgatis*]. Iuſtinus Apologetico II. οὐ γὰρ τοὺς δικαίους, οὐδὲ τοὺς σώφρονας εἰς μετάνοιαν ἐκάλεσεν ὁ Χριστὸς, ἀλλὰ τοὺς ἀσεβεῖς καὶ ἀκολάστους [*non enim juſtos & temperantes Chriſtus ad pænitentiam vocavit, ſed impios & intemperantes*]. Phariſæis ſanctimoniam quam ſibi vindicabant hoc quidem loco nec concedit Chriſtus nec detrahit.

18. Καὶ ἦσαν μαθηταὶ Ἰωάννου καὶ οἱ τῶν Φαρισαίων νηστεύοντες· *Et erant diſcipuli Ioannis & Phariſæorum jejunantes*] De hoc loquendi genere diximus ad caput I. Certum habeo non agi hîc de aliquo definito tempore, ſed de eo quod fiebat ſæpius. Apud Matthæum ipſi de ſe dicunt νηστεύομεν πολλά [*jejunamus frequenter*]· apud Lucam οἱ μαθηταὶ Ἰωάννου νηστεύουσι πυκνά [*diſcipuli Ioannis jejunant frequenter*]. Quod non monerem niſi viderem eſſe qui aliter interpretarentur.

καὶ ἔρχονται καὶ λέγουσιν αὐτῷ, *& veniunt & dicunt illi*] Tum Iohannis diſcipuli quos Matthæus nominat, tum Phariſæi quos Lucas: quanquam nihil neceſſe eſt dicamus id uno tempore accidiſſe.

19. ὅσον χρόνον μεθ' ἑαυτῶν ἔχουσι τὸν νυμφίον οὐ δύνανται νηστεύειν· *quanto tempore habent ſecum ſponſum non poſſunt jejunare*] Hoc addidit Marcus ut ſignificaret interrogationem vim habere negandi. Quare & Syrus hîc præter nudam negationem nihil poſuit. δύνανται [*poſſunt*] hîc non quid fieri omnino poſſit, ſed quid conveniat, ſignificat: quod & alibi occurrit.

21. εἰ δὲ μή, *alioquin*] Ita & apud Lucam, εἰ δὲ μήγε. Deeſt verbum, ut Apocalypſi 11, 5. & alibi: quod ex ſenſu ſupplendum. Hic ſenſus eſt, *Ni cavet eum errorem.*

23. Καὶ ἐγένετο παραπορεύεσθαι αὐτὸν, *Et accidit ut ambularet*] Hanc lectionem & Syrus ſequitur. Quare quod alii minùs vetuſti codices habent ἐγένετο πάλιν [*factum eſt iterum*], puto veniſſe ex Latina verſione, in qua *iterum* poſitum eſt μεταβατικῶς [*ad connectendum ſermonem,*] ni fallor. Solet enim iſte Interpres nonnunquam adjicere aliquid, ut infrà quoque commate 24.

25. ὅτε χρείαν ἔσχε, *quando neceſſitatem habuit*] Addidit hoc conſultò Marcus, ut ſpeciale exemplum

ad generalem referret regulam, quæ hæc eſt, *Leges rituales vim obligandi amittere ubi ſatis gravis urget neceſſitas*, quæ χρεία [*neceſſitas*] hîc dicitur: quomodo & Græci Scriptores dicere ſolent ἐν χρείᾳ [*in neceſſitate*, ſive *ubi opus eſt*]. De re ipſa ad Matthæum egimus.

26. ἐπὶ Ἀβιάθαρ τοῦ ἀρχιερέως, *ſub Abjathar Principe Sacerdotum*] Achimeleco nomen fuiſſe *Abjathari*, & Abjathari ejus filio viciſſim nomen *Achimeleco*, nondum video probatum. Nam *Achimelec*, qui nominatur II Sam. VIII, 17. & I Paralip. XXIV, 3. non vocatur *Pontifex Maximus* ſed *Sacerdos*, eminens ſcilicet inter alios, ut Pontificis filius, ſed Sadoco tamen minor, quia Sadocus erat Abjathare Pontifice Maximo Pontifex à Maximo ſecundus & Maximi vicarius, ſed eſt סגן כהן הגדול aut משנה כהן הגדול. Hunc rectè ſequitur filius Pontificis Maximi. At Pontificem Maximum poſt Vicarium ſuum nominare contra rationem ac conſuetudinem fuerat. Cur ergo Marcus dixit *ſub Abjathare Pontifice* factum id quod factum eſt ſub Achimeleco Pontifice Maximo? Nihil probabilius reperio quàm quòd *Abjatharis* nomen erat notius ob Ephod allatum ad Davidem I Sam. XXIII, 6. & ob diu geſtum ſub Davide Pontificatum Maximum. Sed & ipſe cùm hoc fieret erat Pontifex, Patris ſcilicet vicarius, ut cui in Pontificatum Maximum ſucceſſit, ut ſolebant Vicarii: & adfuerat rei quæ hîc narratur, atque ipſe tum patris tum Davidis factum probarat. Simili de cauſa Lucas in deſignatione temporis, Cajaphæ Pontifici Maximo Annam addidit, ut celeberrimæ famæ virum.

καὶ ἔδωκε καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ οὖσι; *& dedit eis qui cum eo erant?*] Prudenter hoc addidit Marcus, quanquam tectè etiam Matthæus ſignificarat cùm diceret οἷς οὐκ ἐξὸν ἦν αὐτῷ φαγεῖν, οὐδὲ τοῖς μετ' αὐτοῦ [*quos non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant*]. Et verum eſſe loquitur hiſtoria I Sam. XXI, 4, 5. Hoc enim addito, exceptio quæ ex Davidis dignitate quæri poterat excluditur.

27. Τὸ σάββατον διὰ τὸν ἄνθρωπον ἐγένετο, *Sabbatum propter hominem factum eſt*] *Sabbatum* vocat hîc legem otii die ſeptimo. Sunt quædam ita per ſe honeſta ut nunquam ſine flagitio contra ea fieri poſſit. Sunt alia quæ ex Iure conſtituto veniunt, quod non ex fontibus honeſti neceſſitate quadam fluit, ſed utilitatis alicujus causâ reperiri ſolet. Ita lex illa otii ob duplicem maximè utilitatem reperta eſt; primùm ne ullius operis obtentu negligerentur conventus pietatis causâ inſtituti; qua de re egimus ſuprà. deinde, ut aliquod eſſet à laboribus ſpiramentum, quod alioqui dominorum durities familiæ vix erat conceſſura, Exod. XXIII, 12. His acceſſionis vice addita eſt Ægyptiacæ libertatis memoria, & rerum majorum ſignificatio. Nam ab initio non inſtitutum fuiſſe à Deo Sabbatum cum otiandi neceſſitate alibi probabimus. Quæ verò hujus ſunt generis facile cedunt ubi in contrarium urget evidens ratio. Nam æquitas ipſa dictat, quod & Iure Romano proditum eſt, quæ utilitatis causâ ſunt reperta ea non debere duriori interpretatione in odium retorqueri.

28. ὥστε κύριός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου καὶ τοῦ σαββάτου. *Itaque dominus eſt filius hominis etiam Sabbati*] υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων [*filios hominum*] *homines quosvis* Marcus etiam infrà dixit III, 28. Neque obſtat hîc articulus: nam ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*filius hominis*] rectè dicitur cùm de generis humani univerſitate agitur. Sæpe enim articulus notat τὸ καθόλου [*totum genus*]. Ephraïm Antiochenus δηλοῦντες διὰ τῆς τοιαύτης προταγῆς τῶν ἄρθρων οὐ τὸν τινὰ ἄνθρωπον ἀλλὰ τὸ ὁλικόν [*ſignificantes per talem articuli præpoſitionem non hominem hunc aut illum, ſed totum genus*]. Vide infrà III, 26.

CAPVT III.

3. Ἔγειραι εἰς τὸ μέσον. *Surge in medium*] Vt vel ipſe adſpectus hominis dura corda emolliret. Cætera hujus hiſtoriæ ad Matthæum ſunt explicata.

4. ψυχὴν σῶσαι, *animam ſalvam facere*] Quamvis; etiam pecudis. Nam ita vox *animæ* ſumitur in Miſnajoth, ubi Sabbati quæſtiones pertractantur. Quòd ſi pecudem ab interitu ſervare convenientius eſt Sabbato quàm pati ut pereat, ſanè & læto die dignius hominem ſanitati reddere quàm in miſeria relinquere.

ἀπολέσαι; *perdere?*] Apparet ita legiſſe Syrum & Latinum; quare cùm nunc quoque ſint codices qui hanc lectionem præferant, ita potiùs ſcribendum videtur.

5. μετ' ὀργῆς, συλλυπούμενος, *cum ira, contriſtatus*] Docet exemplo ſuo Chriſtus ita iraſcendum peccatis ut ſimul peccantium nos miſereat.

ἐπὶ τῇ πωρώσει τῆς καρδίας αὐτῶν, *ob callum cordis eorum*] Πώρωσις καρδίας, quanquam & alia vitia adulta ſignificat, hîc propriè eſſe videtur idem quod alibi σκληροκαρδία, *immitis animus, & ab omni æquitate averſus:* inde enim iſta calumniandi libido.

καὶ ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ, *reſtituta eſt manus ejus*] Ita Latinus & Syrus & Arabs. Quare aſſentior exiſtimantibus ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη [*ſana ſicuti altera*] interpretamenti loco adjectum ex Matthæo. Nam & alibi Marcus ἀποκατεστάθη [*reſtituta eſt*] ſine adjectamento uſurpat, VIII, 25. ita & Dioſcorides ἐχιοδήκτους ἀποκαθίστησι [*à vipera morſos reſtituit*], id eſt, ἰᾶται [*ſanat*].

6. μετὰ τῶν Ἡρωδιανῶν, *cum Herodianis*] De his diximus ad Matth. XXII, 16. Si verum eſſet quod Thalmudiſtæ produnt, Herodianos eoſdem eſſe & Doſitheanos, non mirum eſſet hos quoque Ieſu fuiſſe infenſos, quia Sabbatum multò cæteris rigidiùs ſervabant. Eſt enim inter dogmata Doſithei, teſte Origene περὶ ἀρχῶν [*De Principiis*] II. Ἐπὶ τοῦ σχήματος οὗ ἂν καταληφθῇ τις ἐν τῇ ἡμέρᾳ τοῦ σαββάτου μένειν μέχρις ἑσπέρας [*Quo quis in ſtatu corporis deprehenſus fuerit die Sabbati, in eo manere ad finem diei*]. Quominus verò iidem credantur Herodiani & Doſitheani, obſtat idem Origenes adverſus Celſum primo & ſexto, ubi ait Doſitheum poſteriorem fuiſſe Ieſu, & perſuaſiſſe Samaritis ſemet eſſe Chriſtum & Filium Dei: quod ſequitur Theophylactus ad Matth. XXIV. Eulogius quoque apud Photium Doſitheum eodem ponit tempore quo Simonem Magum. Doſitheanos autem quanquam Origenes ſuo tempore exſtinctos ferme dicebat, Epiphanius tamen ſua ætate aliquas habuiſſe reliquias teſtatur. Mihi credibilius videtur diverſas fuiſſe ſectas, ſed confuſas à Thalmudiſtis ob

quorundam dogmatum, ac fortè iſtius de Sabbato, communitatem. Nam & Herodiani in plerisque Sadducæis conſentiebant, ut alibi diximus; & Doſitheum Sadducæis conſenſiſſe tradit Tertullianus, quanquam temporum ratione confuſâ.

8. *καὶ ἀπὸ τῆς Ἰδουμαίας, & ab Idumæa*] Quæ iis temporibus cum Iudæis religionis ſocietate jungebatur, ut ex Ioſepho apparet.

καὶ οἱ περὶ Τύρον καὶ Σιδῶνα, & qui circa Tyrum & Sidonem] *Tyrios & Sidonios* intelligit Syrus & Græcorum quidam. Mihi potiùs videntur indicari Iudæi habitantes oram maritimam in confinio Tyri & Sidonis, quæ παράλιος Τύρου καὶ Σιδῶνος [*maritima Tyri & Sidonis*] dici videtur Luc. VI, 17. μέρη Τύρου καὶ Σιδῶνος [*partes Tyri & Sidonis*] Matth. XV, 21. μεθόρια Τύρου καὶ Σιδῶνος [*fines Tyri & Sidonis*] infrà VII, 24.

9. *προσκαρτερῇ αὐτῷ, ſibi deſerviret*] Admodum propriè hac voce utitur Marcus, & eodem ſenſu quo Lucas dixit Actor. VIII, 13. ἦν προσκαρτερῶν Φιλίππῳ [*adhærebat Philippo*], à Philippo non diſcedebat. Reſpondet Hebræo שקד.

10. *μάστιγας. plagas*] Sic bis infrà Marcus, & Lucas VII, 21. diſtinguit νόσους καὶ μάστιγας [*morbos & plagas*], ut μάστιξ [*plaga*] plus aliquid eſſe videatur; quomodo & נגע [*plaga*] Hebræis, quod LXX interdum μάστιγα transferunt, *mala graviora* ſignificat. Itaque περὶ τῆς λέπρας [*de lepra*] dici ſolet, ut μάστιξ [*plaga*] infrà de Sanguinis fluxu. Par ſignificatio in voce שוט [*flagellum*] Iob. IX, 23. Prov. XXVI, 3. Nahum. III, 2.

11. *προσέπιπτεν αὐτῷ, procidebant ei*] Dicuntur hîc feciſſe ſpiritus id quod eorum impulſu faciebant οἱ ἐνεργούμενοι [*poſſeſſi à ſpiritibus*], ut apparet infrà VII, 25. quam ἐναλλαγὴν [*mutationem*] hîc vitare ſtuduit Syrus.

13. *ἀναβαίνει εἰς τὸ ὄρος, adſcendens in montem*] Vt ſolebat quoties precari Patrem attentiùs inſtituerat. Vide hoc loco Luc. VI, 12. Ita exemplum ſuis dedit ut χειροτονίας [*ordinationes*] ſemper à precibus auſpicarentur; quod videmus ſequi Apoſtolos Act. I, 24. Sed & Actor. XIV, 23. de Paulo & Barnaba legimus, χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς πρεσβυτέρους κατ᾽ ἐκκλησίαν προσευξάμενοι μετὰ νηστειῶν [*cùm conſtituiſſent illis per ſingulas eccleſias Presbyteros & oraſſent cum jejunationibus*].

προσκαλεῖται οὓς ἤθελεν αὐτός· vocavit ad ſe quos voluit ipſe] Ex omni ſe ſectantium numero perpetuos ſibi comites duodecim adſciſcit, non qui volebant, ſed *quos volebat ipſe*. Ita Paulus Epheſ. I, 1. dicit ſe Apoſtolum διὰ θελήματος Θεοῦ [*per voluntatem Dei*]. Et Chriſtus ipſe ad eos, *Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi*, Ioh. XV, 16. Excluditur non tantùm ambitus, ſed omnis etiam cauſa electionis quæ humano ſtudio poſſet indagari.

14. *Καὶ ἐποίησε δώδεκα, Et fecit duodecim*] Bene vertit Syrus *elegit*. Græci dicerent κατέστησε [*conſtituit*]. atque ita עשה ſumi tum alibi tum 1 Sam. XII, 6. rectè obſervatum eſt: at LXX etiam ibi, ὁ ποιήσας Μωσῆν καὶ Ἀαρὼν [*qui fecit Moyſen & Aaron*], id eſt, ὁ καταστήσας [*qui conſtituit*]. Potes etiam ſumere δώδεκα [*Duodecim*] non pro numero ſed pro officio, ut ἐποίησε δώδεκα [*fecit Duodecim*] ſit ἐποίησεν ἀποστόλους [*fecit Apoſtolos*], quomodo Latinè diceremus, *fecit Duodecim viros*. Nam paſſim Apoſtoli vocantur οἱ δώδεκα [*Duodecim*] etiam cùm numero eſſent undecim, ut 1 Cor. XV, 5. Quod enim nonnulli codices hîc adjiciunt οὓς καὶ ἀποστόλους ὠνόμασεν [*quos & nominavit Apoſtolos*], cùm priſci Interpretes non agnoſcant, haud dubito quin natum ſit ex interpretamento.

ἵνα ἀποστέλλῃ, ut mitteret] Vt eos mitteret cùm commodum videretur. Id enim pòſt aliquantò accidit.

15. *Κηρύσσειν καὶ ἔχειν, Prædicare & facere*] Id eſt, κηρύσσειν ἔχοντας, ut docerent, habentes ſimul miracula faciendi poteſtatem ad obſignationem eorum quæ docebant.

17. *Βοανεργές, Boanerges*] Priorem hujus vocabuli partem eſſe בני [*filii*], ſed laxiùs pronuntiatâ ſyllabâ primâ, eo ſono qui inter *o* & *a* eſt medius, certum pono: multis enim exemplis liquet Scheva à Syris modò per hanc modò per illam literam exprimi. Alteram partem Hieronymus & quidam eum ſecuti putant eſſe רעם [*tonitru*]; ſed neque lectio ſuſpecta argui poteſt, quæ in omnibus exſtat exemplaribus; neque mihi videtur μ detrito, σ additum, cùm id fieri non ſoleat niſi in vocibus quæ Græcam accipiunt flexionem: quam vox illa non accipit nec accipere poteſt. Sed & Syrus ש hîc ponit ut radicale. Sed neque רגש mihi placet: nam nomen רגש nihil aliud quàm *cœtum* ſignificat, quod à *tonitrûs* ſignificatione longè abeſt. Non dubito quin ſit nomen רעש: nam ע per Γ transferri abunde demonſtratum eſt. Significat autem nomen רעש *maximam commotionem*, σεισμὸν [*motum*] vertunt LXX Ezech. III, 14. Ierem. X, 22. Iob. XLI, 20. alibi συσσεισμὸν [*commotionem*], ut 1 Reg. XIX, 12. Diodorus Siculus libro XIX. in Media Præfecturam quandam ait fuiſſe quæ Ῥαγὰς diceretur; nomen autem hoc ei datum ex frequentibus eo loco terræ motibus. Hoc autem non malè redditur voce βροντῆς [*tonitrûs*]. Nam & Tonitru eſt maximus συσσεισμὸς [*commotio maxima*], & omnis συσσεισμὸς [*commotio ſive concuſſio*] per κατάχρησιν [*abuſionem*] *tonitru* dici ſolet. Arabs vocem *Boanerges* rectè explicat ابنا الرعا. Eſt autem رعا propriè *tremor*. Omnino videtur mihi Chriſtus in hujus nominis impoſitione reſpexiſſe ad Aggæi vaticinium II, 7. ubi verbum illud comparet unde nomen hoc derivatum eſt, עוד אחת מעט היא ואני מרעיש את־השמים ואת־הארץ ואת־הים ואת־החרבה Ἔτι ἅπαξ ἐγὼ σείσω τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, καὶ τὴν θάλασσαν καὶ τὴν ξηράν [*Adhuc unum modicum eſt & ego commovebo cœlum & terram, & mare & aridam*]. quod de Euangelii prædicatione exponit Scriptor ad Hebræos XII, 26. Ad hanc ergo maximam rerum mutationem ſignificat Chriſtus Zebedæi filios eximios ſibi miniſtros fore. Et certè deſtinatam illis excellentiam quandam inter ipſos Apoſtolos vel hoc oſtendit quòd cum Petro ſeorſim à cæteris multarum rerum teſtes ſunt aſſumti. Adde jam quòd Iacobus primus Apoſtolorum omnium ſanguine ſuo Chriſti doctrinam obſignavit, & quòd Iohannes omnibus Apòſtolis ſuperſtes diutiſſimè teſtimonium perhibuit veritati.

18. Θαδδαῖον] Λεββαῖον [*Lebbæum*] habent quædam exemplaria, pro quo alios ſcripſiſſe Λευίν [*Levin*] ex Origene conjicio. Locus eſt Ad Celſum primo, quem citavimus ad Matthæum. Credibile eſt eam lectionem nonnullis placuiſſe, ideo quòd

Iacobus Alphæi præceſſiſſet, & iſte etiam Levi, ὁ τελώνης [*publicanus*], Alphæi fuerit filius. Certè & Theodoretus videtur ita legiſſe. Citat enim, Θαδδαῖος, ὁ καὶ Λεβὶ [*Thaddæus, qui & Levi*], Quæſt. XVI ad Numeros.

20. Καὶ ἔρχονται εἰς οἶκον· *Et veniunt ad domum*] Planè nihil cauſæ video cur hoc avellamus ab iis quæ ſequuntur, quibuscum & conſtructione & ſenſu cohæret. Vult enim narrare Marcus, maximam concurſionem factam cùm Chriſtus jam domum intraſſet cœnaturus.

ὥστε μὴ δύνασθαι αὐτοὺς, *ita ut non poſſent illi*] Ita ut Chriſtus & qui cum eo erant, ſive Apoſtoli omnes ſive illorum aliqui, non poſſent cibum capere, turbâ undique obſtante.

21. ἀκούσαντες οἱ παρ' αὐτοῦ, *cùm audiſſent ſui*] *Cognati*, ut Syrus interpretatur, aut, ut Latinus, *ſui*. Cùm autem hæc geſta ſint Capharnaümi, videtur & ibi Chriſtus propinquos habuiſſe. Imò credibile eſt matrem, Ioſepho jam mortuo (neque enim usquam illius poſt inchoatum Chriſti κήρυγμα [*prædicationem inchoatam*] fit mentio) Nazarethâ eò migraſſe, ob ea quæ dicuntur infrà commate trigeſimo ſecundo, & cap. ſexto, comm. 3.

ἐξῆλθον κρατῆσαι αὐτόν· *exierunt tenere eum*] *Contingere eum.* Nimirum ut eum ex ea domo in qua premebatur aliò abducerent. Κρατεῖν [*tenere*] enim ſæpe eſt ἅπτεσθαι [*tangere*] cum accuſativo, ut hîc & Matth. XXVIII, 9. & infrà IX, 27. & Actor. III, 11. aut cum genitivo, ut ſuprà I, 31. & Matthæi IX, 25. neque aliter hîc interpretantur Syrus & Arabs.

ἔλεγον γὰρ, *dicebant enim*] Imperſonaliter, more Hebræo, id eſt, *rumor exierat*.

Ὅτι ἐξέστη. *Eum à ſe exiſſe*] Diximus ita nos arbitrari, non Arabem tantùm, quod notavit vir eruditiſſimus, ſed & Syrum ἐξέστη hoc loco accipere ut ſignificet aut συγκοπὴν [*animæ defectum*] aut λειποθυμίαν [*animi defectum*], quorum utrumque Græci ἔκλυσιν [*diſſolutionem*] vocant. Quo ſenſu ἐκλύεσθαι [*deficere*] legimus & Matth. XV, 32. & infrà VIII, 3. Idem eſt Hebræis ויפג לבו [*defecit cor ejus*] Geneſeos XLV, 26. ubi in Græco ἐξέστη. Solet autem id ſequi tum ex inedia, ut dictis etiam locis apparet, tum ex circumſtantis aëris tepore, quem facit nimius turbæ concurſus. Vtraque autem cauſa tunc & de Chriſto credibilem hunc rumorem faciebat. Hoc ferme ſenſu καρδίας ἐξίσταμαι pro *cor refugit* dixit Sophocles. Cicero, *Quid mirum ſi magnitudine timoris, ut plerumque fit, à conſtantia atque mente atque à ſe ipſe disceſſit.* Hic *à ſe ipſe disceſſit* eſt ἐξέστη, id eſt, non quidem in furorem actus eſt, ſed ἐλειποθύμησεν [*animo defecit*], aut ἐλειποψύχησε [*animâ defecit*]. Et multi hodie populi ſimili locutione animi deliquium exprimunt. Pertinent autem hæc omnia ad oſtendendum quàm celebris Ieſu fama fuerit. Vide Actor. XXVI, 26.

22. Ὅτι Βεελζεβοὺλ ἔχει, *Quoniam Beelzebub habet*] Bene explicat Syrus *Beelzebub in eo eſt*, id eſt, per eum operatur. Vide Matth. IX, 34. XII, 24, 27. Hinc & ipſum Chriſtum *Beelzebub* vocabant Matth. X, 25. id eſt, Beelzebubi ὄργανον [*inſtrumentum*] & miniſtrum. Similis locutio Matth. XI, 18. Δαιμόνιον ἔχει [*Dæmonium habet*], id eſt, familiariter eo utitur. συγγίνεσθαι δαιμονίῳ [*cum dæmonio verſari*] dicunt Platonici, niſi quod illi δαιμόνιον [*dæmonium*] in partem meliorem interpretantur. Alio ſenſu illi apud Iohannem dicebant Δαιμόνιον ἔχει [*Dæmonium habet*], ſignificare volentes eum eſſe ἐνεργούμενον [*poſſeſſum à diabolo*].

26. Καὶ εἰ ὁ Σατανᾶς ἀνέστη ἐφ' ἑαυτὸν, *Et ſi Satanas conſurrexerit in ſemet ipſum*] Ὁ σατανᾶς [*Satanas*] videtur mihi hoc loco dici & Lucæ XI, 18. *tota univerſitas malorum ſpirituum*, quomodo ὁ ἄνθρωπος [*Homo*] pro *genere humano* aut *natura humana*. Non enim ſolus Princeps ſpirituum, ſed omnes impuri ſpiritus eo nomine cenſentur, ut hoc ipſo loco commate 23. & Matth. XII, 26. apparet. Proclus ad ſecundum Platonis De republica, ἡ γὰρ ἄρθρου πρόθεσις ἢ τὸ καθ' ὑπεροχὴν δηλοῖ μόνον, ὡς ὅταν λέγωμεν, Ὁ ποιητὴς εἶπεν, τῷ ἀκροτάτῳ τοῦτο ἐξαίρετον ἀπονέμοντες· ἢ τὸ ὅλον πλῆθος, ὡς ὅταν λέγωμεν, Ὁ ἄνθρωπος λογικὸς, ἀντὶ τοῦ παντὸς τὸ ἄρθρον προσάπτοντες [*Articulus antepoſitus aut id unum indicat quod excellit, ut cùm dicimus, Poëta dixit, honorem hunc habentes inter Poëtas eximio; aut totam multitudinem, ut cùm dicimus, Homo eſt rationalis, per articulum ponentes in ſenſu Omnis*]. ἀνέστη [*conſurrexit*] cum ἐπὶ [*in*] locutio eſt Helleniſtarum ex Hebraïſmo, quo hoſtilis conatus indicatur קם על ut Pſalm. III, 2. & alibi paſſim.

27. τότε τὴν οἰκίαν αὐτοῦ διαρπάσει, *tunc domum ejus diripiet*] Διαρπάσει [*diripiet*] eſt & apud Matthæum: nec aliter legit Syrus: & magis Hebraïſmum ſapit. Senſus quippe eſt, *Tunc enim demum domum prædari poterit.*

29. οὐκ ἔχει ἄφεσιν εἰς τὸν αἰῶνα, *non habebit remiſſionem in æternum*] Id eſt, *nunquam.* Nam quædam crimina Iudæi putabant tempore finiri.

ἀλλ' ἔνοχός ἐστιν αἰωνίου ἁμαρτίας. *ſed reus erit æterni delicti*] Κρίσιν pro *condemnatione* aut *ſupplicio* paſſim in his libris reperimus. Sed cùm præter veterem Latinum Interpretem codices antiqui habeant ἁμαρτίας [*delicti*], probabilius eſt ita ſcriptum à Marco; κρίσιν [*vocem judicii*] autem fuiſſe interpretamentum Hebraïſmi, quo *peccatum* ſumitur pro *pœna peccati*. Senſus eſt, Non tantùm hîc punitur induratione, ſæpe & pœnis adſpectabilibus, quod Iudæis contigit, ſed & poſt hanc vitam ſuppliciis æternis. Plus dixit; quod minus erat tacuit. Matthæus utrumque expreſſerat; ad quem quæ dicta ſunt vide.

30. Ὅτι ἔλεγον, Πνεῦμα ἀκάθαρτον ἔχει. *Quoniam dicebant, Spiritum immundum habet*] Hac comminatione uſus eſt Chriſtus quia videbat illos agnoſcere intra ſe vim Divinam, ſed invidiâ & odio comminiſci calumnias ut plebem averterent; atque ita quod Dei erat diabolo adſcribere.

31. ἀδελφοὶ, *fratres*] *Cognati*, ut Geneſ. XIV, 14. XXII, 37. XXXI, 32. II Paralip. XXXVI, 10.

32. ἔξω ζητοῦσί σε. *foris quærunt te*] Aſſentior putantibus continuari hiſtoriam cœptam commate 2. ſed interruptam ob ſermones quos ſub id tempus Chriſtus habuit cum iis qui Hieroſolymis venerant. Nam Lucas ait cùm acceſſiſſent, introire in domum non potuiſſe ob turbam obſtantem: quod cum illis prioribus certè cohæret.

34. τοὺς περὶ αὐτὸν καθημένους, *qui in circuitu ejus ſedebant*] Credibile eſt proximos aliquot ſediſſe, ſtetiſſe cæteros aut ſediſſe in feneſtris, ut Actorum xx, 9.

CAPVT IV.

2. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς ἐν τῇ διδαχῇ αὐτοῦ, *Et dicebat illis in doctrina ſua*] Idem genus loquendi eſt infrà xii, 38. neque extra Marcum occurrit. Senſus mihi eſſe videtur, *Cùm alia multa diſſereret, tum hoc quoque dixit inter cætera.* Præcipuum quod Chriſtus docebat erant ipſa præcepta, quæ & propriè διδαχῆς [*doctrinæ*] nomine appellantur. Hæc omni occaſione populo inculcabat: addebat deinde auctarii cauſâ τὸ παραβολικὸν [*ſermones parabolicos*] & liberas reprehenſiones.

7. καὶ συνέπνιξαν αὐτὸ, καὶ καρπὸν οὐκ ἔδωκε. *& ſuffocaverunt illud, & fructum non dedit*] Καρπὸν οὐκ ἔδωκε [*fructum non dedit*] de prioribus ſeminibus nihil neceſſe erat dici. Nam quomodo fructum ederent aut ab avibus abſumta, aut æſtu Solis arefacta? ſed de hoc ſemine non ſine cauſa id dicitur, quia primi auctus ſpem faciebant bonæ frugis.

8. ἐδίδου καρπὸν ἀναβαίνοντα καὶ αὐξάνοντα· *dabat fructum adſcendentem & creſcentem*] Providè Marcus ſeminis quarti eventum à trium priorum eventu ſeparavit. Nam primum οὐκ ἀνέβαινε [*non adſcendit*] ab avibus abſumtum; alterum ἀνέβαινε μὲν, ἀλλ' οὐκ ηὐξάνετο [*adſcendit, at non crevit*] æſtu exhauſtum; tertium καὶ ἀνέβαινε καὶ ηὐξάνετο, καρπὸν δὲ οὐκ ἔδωκεν [*& adſcendit & crevit, ſed fructum non dedit*] oppreſſum ab ea quæ ſimul excreverat ſentium ſegete.

ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν. *unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum*] Ἓν [*unum*] diſtributivum apud Hebræos poſuit, ubi Matthæi Interpres magis Græcè ὃ μὲν [*hoc quidem*] & ὃ δὲ [*illud vero*]· atque ita apparet legiſſe veteres Interpretes. Quare ita potiùs legendum quàm ἐν [*in*]. Vide quæ infrà ad comma 20.

10. καταμόνας, *Cùm eſſet ſingularis*] *Seorſim à turba.* Vtitur & Lucas ix, 18. & Alexis comœdia Paraſito.

οἱ περὶ αὐτὸν σὺν τοῖς δώδεκα, *hi qui cum eo erant cum illis duodecim*] Ambiguum videri poterat quod Matthæus ſcripſerat, Chriſtum ſeorſim Diſcipulis hæc explicaſſe. Nam *diſcipuli* interdum dicuntur Duodecim ſoli, interdum & alii, non ita quidem familiariter, ſed ſatis aſſiduè tamen Chriſtum ſectantes, quales illi ſeptuaginta. Marcus ambiguitatem ſolvit, cùm dicit hæc explicaſſe Chriſtum non ſolis Duodecim ſed & aliis περὶ αὐτόν [*circa ipſum*]. Hoc autem περὶ αὐτὸν veteres explicarunt μαθηταὶ αὐτοῦ [*diſcipuli ejus*], laxiore notione, quod deinde in textum quorundam codicum penetravit. Voculas σὺν τοῖς [*cum illis*], quas omiſit Latinus Interpres, retinendas cenſeo; nam & Græci agnoſcunt & Syrus, & optimi codices.

11. ἐκείνοις δὲ τοῖς ἔξω, *illis verò qui foris ſunt*] Quod Matthæus dixerat *illis*, pulchrè explicat Marcus τοῖς ἔξω [*qui foris ſunt*]. Chriſtiani veteres τοὺς ἔξω [*Extraneos* ſive *foris poſitos*] vocabant omnes qui à Chriſti diſciplina erant extranei, 1 Corinth. v, 12, 13. Coloſſ. iv, 5. 1 Theſſ. iv, 12. & paſſim Clemens atque alii. Bene ergo Marcus eo nomine deſignavit eos qui audiebant quidem Chriſtum, ſed non diſcendæ pietatis animo; ſimiles Athenienſibus illis οἳ οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον [*ad nihil aliud vacabant niſi aut dicere aut audire aliquid novi*], Actorum xvii, 21.

ἐν παραβολαῖς τὰ πάντα γίνεται· *in parabolis omnia fiunt*] Omnia ſcilicet, non quæ ad pœnitentiam, ſed quæ aut ad arcana Divinæ diſpenſationis aut ad eventuum prædictionem pertinent. Præceſſit enim mentio τοῦ μυστηρίου [*myſterii*, ſive *arcani*]. Et ἐν παραβολαῖς [*in parabolis*] intelligendum ἐν μόναις παραβολαῖς [*in ſolis parabolis*] ſine earum apertiori explicatione. Γίνεται [*fiunt*], quod generale eſt, ex ſenſus ratione hîc idem valet quod *proponuntur*.

12. ἵνα βλέποντες βλέπωσι, *ut videntes videant*] Non verba ipſa Prophetarum ſed ſenſum comminationis expreſſit Marcus, Futurum ſcilicet ut qui videntes videre, audientes audire & intelligere noluerant, poſtea nec videre nec audire nec intelligere poſſent ea quæ ad ipſorum converſionem pertinebant. Vide quæ ad Matthæum diximus.

14. Ὁ σπείρων, τὸν λόγον σπείρει. *Qui ſeminat, verbum ſeminat*] Is ſator de quo dixeram in fabella ſignificat Doctorem ſalutaris verbi.

15. ὅπου, *ubi*] *Vbi* pro *in quibus.* Sic *unde* pro *à quo* Latini ſæpe uſurpant, ut Cicero, *Illo exſtincto fore unde diſcerem neminem.*

18. οὗτοί εἰσιν οἱ τὸν λόγον ἀκούοντες· *hi ſunt qui verbum audiunt*] Repetitio vocum οὗτοί εἰσι [*hi ſunt*] non eſt aliena ab Hebraïſmo: quod ejus inſolitis mutandi cauſam dedit, idque non uno modo: quod hujus lectionis veritatem oſtendit.

19. καὶ αἱ περὶ τὰ λοιπὰ ἐπιθυμίαι, *& circa reliqua concupiſcentiæ*] Id eſt, Voluptates corporis, quas Matthæus non expreſſerat, quia Divitias comitari ſolent. Videtur autem σεμνῶς [*verecundè*] dictum τὰ λοιπὰ [*reliqua*], ut cùm dicimus quæ honeſtè nominari nequeunt.

εἰσπορευόμεναι, *introeuntes*] Id eſt, *ſupercreſcentes.*

20. παραδέχονται· *ſuſcipiunt*] קבלו. Apparet idem eſſe in hac comparatione λαμβάνειν, παραδέχεσθαι, συνιέναι, κατέχειν [*capere, ſuſcipere, intelligere, detinere*], eaque omnia plus eſſe quàm ἀκούειν [*audire*], minus quàm τελεσφορεῖν [*perferre*].

ἓν τριάκοντα, καὶ ἓν ἑξήκοντα, καὶ ἓν ἑκατόν. *unum triginta, unum ſexaginta, & unum centum*] Hîc Syrum ἐν [*in*] legiſſe apparet. Neque dubium quin multi exſcriptores id prætulerint, ut vitarent τὸ σολοικοφανὲς [*id quod ſpeciem habet ſolæciſmi*]. Credibilius tamen eſt ita ſcriptum fuiſſe ut ſuprà commate 8. Nam & in Matthæo eſt ſimilis repetitio. Neque movet me tranſitio in aliud genus. Nam in explicatione harum παραβολῶν [*parabolarum*] ſæpe ἐν ἀποδόσει [*in redditione*] reditur per figuram ad id quod in comparatione erat poſitum. Sed & de Terra cœptus ſermo ſæpe in Semen deſinit; quia ſcilicet in hoc docendi genere res tota inſpicitur, non particulæ ſingulæ.

21. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, Μήτι ὁ λύχνος, *Et dicebat illis,*

illis, Nunquid lucerna] Poſſent videri quæ ſequuntur ἀποφάσεις [*ſententiæ*] non tam cohærentes cum ſuperioribus, atque etiam inter ſe, quàm in unum locum à Marco congeſtæ, ne ſæpius ſeriem hiſtoriæ ejusmodi dictorum recitatione interrumperet. Sed cùm hæc interſerantur duabus comparationibus, quæ & apud Matthæum cohærent, & poſtrema illa ſententia, *Habenti dabitur*, etiam apud Matthæum recitetur circa hujus temporis narrationem, omnino arbitror iſta cum ſuperioribus cohærere. Neque obſtat quod de Lychno, & de Remenſione alibi apud Matthæum alio ſenſu fit mentio. Nam proverbia iſta uſu vulgi trita ſolent pro re nata ſenſibus diverſis, qui tamen ſub eandem dicti generalitatem veniant, aptari: quod tum apud Græcos Latinosque, tum & in hac noſtra hiſtoria ſæpe eſt reperire. Quin & Lucas hanc ipſam de lychno ſententiam bis poſuit; hîc Marcum ſequitur, paucis omiſſis.

ἔρχεται, *venit*] Non dubito quin vera hæc ſit lectio, vel eo argumento quo ſæpe utor, quòd diverſa ejus interpretamenta in textum irrepſerunt. Alii enim codices habent καίεται, alii ἅπτεται [*accenditur*]· quorum alterum legit Arabs يوقد. At Syrus eo antiquior legit ἔρχεται [*venit*], ut & Latinus. Eſt autem ἔρχεσθαι [*venire*] *inferri in conclave:* quod cùm obſcurius videretur, mutandi occaſionem præbuit.

ἢ ὑπὸ τὴν κλίνην; *aut ſub lecto?*] Hoc & Lucas poſuit VIII, 16. Magna ubique relucet in Chriſti dictis popularitas. Quia Modius & Lectus cavitatem habent, ſub qua condi Lucerna poſſet, ideo iſta nominavit.

οὐχ ἵνα ἐπὶ τὴν λυχνίαν ἐπιτεθῇ; *nónne ut ſuper candelabrum ponatur?*] Connexio hæc mihi eſſe videtur, quòd alia ſimilitudine idem quod ſuperiore oſtenditur, Non in hoc dari nobis ſalutarem doctrinam ut ſterilis torpeat, ſed ut luceat in nobis per facta pietati conſentanea. Quod ſuprà *Semen*, hîc eſt *Lychnus*; quod ſuprà *fructum ferre*, hîc *ſuper candelabrum ponere*. Vide Matthæi V, 16. I Petri II, 12.

22. Οὐ γάρ ἐστί τι κρυπτὸν ὃ ἐὰν μὴ φανερωθῇ· *Non eſt enim aliquid abſconditum quod non manifeſtetur*] Vniverſalis locutio ex ſenſu communi reſtringenda eſt ad res probas & honeſtas. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς, καὶ οὐκ ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα [*Omnis enim qui malè agit odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus*], Iohann. III, 20, 21. Hoc loco ea ſententia ſignificat, Non doceri etiam clàm aut privatim ea quæ bona ſunt niſi ut bonorum operum fructum proferant, atque ita ſe palàm oſtendant. Eſt ergo φανερωθῇ [*manifeſtetur*] poſitum pro δέῃ φανερωθῆναι [*debeat manifeſtari*], quod in ſequenti membro per ἵνα [*ut*] evidentiſſimè explicatur.

οὐδὲ ἐγένετο ἀπόκρυφον, *nec factum eſt occultum*] Supple τι [*aliquid*] ex membro ſuperiore. Et ἐγένετο [*factum eſt*] hîc eſt quod ibi ἐστί [*eſt*]. Mos Hebræorum eſt eandem ἀπόφασιν [*ſententiam*] verbis mutatis repetere, quod in Gnomologico Solomonis ſæpiſſime occurrit. Vide ſimilem dicendi copiam infrà commate 30.

ἀλλ' ἵνα, *ſed ut*] *Niſi ut.* Ita Matth. XX, 23. & infrà X, 40. οὐκ ἔστιν ἐμὸν δοῦναι, ἀλλ' οἷς ἡτοίμασται [*non eſt meum dare vobis, ſed* (id eſt *niſi*) *quibus paratum eſt*]. Paulus II Corinth. II, 5. οὐκ ἐμὲ λελύπηκεν ἀλλ' ἀπὸ μέρους [*non me contriſtavit, ſed* (id eſt *niſi*) *ex parte*]. Noſter hic IX, 8. οὐδένα εἶδον ἀλλὰ τὸν Ἰησοῦν μόνον [*neminem ampliùs viderunt niſi Ieſum ſolum*].

23. Εἴ τις ἔχει ὦτα ἀκούειν ἀκουέτω. *Si quis habet aures audiendi audiat*] Vide Matth. XI, 15. Intellectus nobis à Deo potiſſimùm datus eſt ut eum intendamus documentis ad pietatem pertinentibus.

24. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, *Et dicebat illis*] Nova admonitio, ſed cujus ex ſuperioribus occaſio manavit. Dixerat Chriſtus ſe arcana Regni non aperire his qui pœnitentiæ hortamenta negligerent. Hoc factum ſuum nunc ad regulam quandam generalem revocat. Hunc eſſe ſequentium ſenſum oſtendit ſententia illa, *Habenti dabitur*, apud Matthæum XIII, 12.

Βλέπετε τί ἀκούετε. *Videte quid audiatis*] Etiam atque etiam conſiderate quid & quale ſit quod auditis, ut pro rei magnitudine intendatis animum. Πῶς ἀκούετε [*quomodo audiatis*] dixit Lucas.

ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε μετρηθήσεται ὑμῖν, καὶ προστεθήσεται ὑμῖν τοῖς ἀκούουσιν· *in qua menſura menſi fueritis remetietur vobis, & adjicietur vobis*] Lectionis hujus veritatem defendunt antiqui codices & veteres Metaphraſtæ, à quorum conſenſu, ut ſæpe monui, non eſt temere recedendum. Generalis autem proverbii quis hîc ſit uſus verba illa poſtrema oſtendunt, nimirum idem qui ſequentis ſententiæ, *Habenti dabitur*. Prout homines prima & maximè neceſſaria pietatis monita grato & fideli animo accipiunt, ita ſe in eos magis magisque effundit Divina largitas. Audientibus enim quomodo audire oportet beneficia ulteriora contingunt. Cyprianus epiſtola ad Donatum, *Non enim, qui beneficiorum terreſtrium mos, in capeſſendo munere cæleſti menſura ulla vel modus eſt: profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frenatur: manat jugiter, exuberat affluenter. noſtrum tantùm ſitiat pectus & pateat: quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus.*

26. ὡς ἐὰν ἄνθρωπος βάλῃ τὸν σπόρον ἐπὶ τῆς γῆς· *quemadmodum ſi homo jaciat ſementem in terram*] Hæc παραβολὴ [*parabola*] aliis omiſſa, cùm ſuam hîc explicationem non habeat, explicari debet ex ſimili comparatione quæ eſt apud Matth. XIII, 24. Quare Sator non eſt hîc quivis præco veritatis, ſed ipſe primus ejus ſator Chriſtus, Matth. XIII, 37. Nam & hîc qui ſevit dicitur miſſurus in agrum meſſores, infrà 29. Is autem haud dubiè eſt Chriſtus, Matth. XIII, 39, 40, 41.

27. Καὶ καθεύδῃ καὶ ἐγείρηται νύκτα καὶ ἡμέραν, *Et dormiat, & exſurgat nocte & die*] Loquendi genus ſecuritatem agricolæ indicans. Non ſunt autem particulæ ſimilitudinis premendæ ultra id quod intenditur. Senſus mihi videtur perſpicuus; Chriſtum à facta ſemente ad meſſis tempus agro adſpectabiliter non adfuturum.

28. Ἀυτομάτη γὰρ ἡ γῆ, *Vltro enim terra*] Sponte ſua: nam ita Latini etiam de terra ſolent loqui. Putat Theophylactus obiter hîc indicari τὸ ἐφ' ἡμῖν [*libertatem in volendo*].

καρποφορεῖ πρῶτον χόρτον, *fructificat primùm herbam*] Κατάχρησις [*abuſio*]. nam propriè καρποφορεῖν eſt quod jam dicet, *frugem proferre*. Quod primùm enaſcitur *herbam etiam* vocant Latini: unde proverbium natum eſt, *In herbis eſſe*; &, *Meſſis in herba eſt*.

29. ἀποστέλλει τὸ δρέπανον, *mittit falcem*] *Immittere falcem* dicunt Latini.

30. Τίνι ὁμοιώσωμεν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ; ἢ ἐν τίνι παραβολῇ παραβάλωμεν αὐτήν; *Cui aſſimilabimus Regnum Dei, aut cui parabolæ comparabimus illud?*] imitatio verborum Eſaiæ XL, 18.

33. καθὼς ἠδύναντο ἀκούειν. *prout poterant audire*] Id eſt, *Vt digni erant audire*. Vide ſuprà commate 11. Tale eſt ferme illud Demoſthenis δυνάμενος ἀντιλοιδορηθῆναι [*cùm poſſet contrà convitiis impeti*], id eſt, ἄξιος ὢν [*dignus eſſet*]. Sic & alibi τὸ πρέπον [*id quod æquum eſt*] per verbum δύνασθαι [*poſſe*] explicatur, ut Matth. IX, 15. & hîc ſuprà II, 19. Μὴ δύνανται οἱ υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος πενθεῖν; [*Nunquid poſſunt filii nuptiarum jejunare?*] Par uſus ejus verbi Geneſ. XXIX, 8. XLIV, 22. Actorum IV, 20. XXV, 11. Cor. III, 1. De ſenſu vide quæ apud Matthæum, & ſimul conſidera quæ hîc ſequuntur.

34. οὐκ ἐλάλει αὐτοῖς. *non loquebatur eis*] Nempe arcana Regni. Ita enim ex ſententia vocum latitudo reſtringenda eſt, ut aliquoties monuimus.

ἐπίλυε, *ſolvebat*] Simile loquendi genus,

—— *qui legum ænigmata ſolvit.*

Chaldaïcè קטרין משרא λύων συνδέσμους [*ſolvens nodos*] Danielis V, 12.

35. ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, *in illa die*] Non oſtendit hæc eo die geſta quo præcedentia Chriſtus docuerat: ſed ἐκείνῃ ἡμέρᾳ ſimpliciter eſt *quadam die*, ut & Matth. XIII, 1. XXII, 23. Lucas pro eo dixit ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν [*in una dierum*] V, 17. ita Hebræi בעת ההוא [*in tempore illo*].

36. παραλαμβάνουσιν, *aſſumunt*] Id eſt, *avehunt*] ut ſuprà IV, 5.

ὡς ἦν ἐν τῷ πλοίῳ. *ita ut erat in navi*] Elegans locutio: ita Latini,

—— *ut erat disjecta capillos.*

Nihil autem aliud hoc genus loquendi ſignificat quàm continuationem ejus quod priùs erat. Ita Chriſtus erat in navi ut doceret velut è ſuggeſto, manſit in navi ut in altum aveheretur extra conſpectum turbæ ſtantis in littore. De poſitura corporis non videtur hîc agi.

μετ' αὐτοῦ. *cum illo*] Proximè navigantem ſequebantur. Nam qui in iſtis navibus erant dixerunt quod infrà memoratur commate 41.

37. λαῖλαψ ἀνέμου, *procella magna venti*] Sicut *Vrbs Patavii*, *Flumen Rheni*. Nam λαῖλαψ eſt ἀνέμου συστροφὴ μεθ' ὑετοῦ [*venti vortex cum imbre*], ut ait Heſychius, conſentientibus Homeri interpretibus.

γεμίζεσθαι. *ut impleretur*] Ita interpretes veteres; ut agnoſcas βυθίζεσθαι [*mergeretur*] eſſe interpretamentum.

38. ἐπὶ τῇ πρύμνῃ, *in puppi*] Gubernatoris locus in puppi. Viator Ionas in tranſtris dormiebat, Ionæ I, 5. Ionas excitatur ut oret, Chriſtus ut ſoſpitet.

39. πεφίμωσο. *compreſſus eſto*] Præteriti temporis imperatio ſummam exigit celeritatem.

καὶ ἐγένετο γαλήνη μεγάλη. *& facta eſt tranquillitas magna*] Subitò, cùm alioqui diu ſoleat mare agitari poſtquam venti ſiluerunt.

40. Τί δειλοί ἐστε; οὕτω πῶς οὐκ ἔχετε πίστιν; *Quid timidi eſtis? necdum habetis fidem?*] Hanc veram puto lectionem, *Quid timidi eſtis? Adeóne caretis fiduciâ?* Tale eſt, Οὕτως οὐκ ἰσχύσατε μίαν ὥραν γρηγορῆσαι μετ' ἐμοῦ; [*Sic non potuiſtis unâ horâ vigilare mecum?*] Adde quod infrà VII, 18. & 1 Corinth. VI, 5. Vocula autem πως in iſtiusmodi locutionibus nihil per ſe ſignificat, ſed vim addit orationi. Cauſam timoris Chriſtus exprimit ὀλιγοπιστίαν [*fidei tenuitatem*].

41. Ἐφοβήθησαν φόβον μέγαν, καὶ ἔλεγον πρὸς ἀλλήλους, *Et timuerunt timore magno, & dicebant ad alterutrum*]: Verbum imperſonaliter poſitum: Subauditur, non Diſcipuli, ſed οἱ ἄνθρωποι [*homines illi*], quod expreſſit Matthæus. Agitur de illis qui in proximo navigabant, quique non æquè aſſueti erant Chriſti miraculis.

Τίς ἄρα, *Quis putas*] Admirantis; ut notat Servius ad illud Virgilii, *Quis globus?*

CAPVT V.

1. Γαδαρενῶν. *Gadarenorum*] Diſcimus è tabulis Iudææ quas Iudæi edidere גרגש & גרירה, id eſt, *Girgaſa* & *Gadara* ad eandem partem ſtagni vicino eſſe poſitu, ita ut adſita regio non minùs *Gadarenorum* Marco quàm Matthæo *Gergeſenorum* dici rectè potuerit.

2. ἄνθρωπος, *homo*] De duobus inſigniorem memorat.

ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ. *in ſpiritu immundo*] Ἐν pro *cum*. πνεῦμα ἀκάθαρτον [*ſpiritus immundus*] ex Zacharia XIII, 2.

4. διεσπάσθαι ὑπ' αὐτοῦ τὰς ἁλύσεις, *diruptas ab eo catenas*] Bene ad hunc locum Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, ἡ θεία γραφὴ τῷ δαιμονιῶντι προσῆψε τοῦ δαίμονος τὰ ἔργα [*Sacra Scriptura à dæmone correpto tribuit dæmonis opera*]. Ita contrà ſuprà III, 11. dæmoni adſcribitur id quod erat τοῦ δαιμονιῶντος [*à dæmone correpti*].

7. τοῦ ὑψίστου, *Altiſſimi*] עליון. Phylo Byblius ex Sanchuniathone in hiſtoria Phœnicum, Ἐλιοῦν καλούμενος ὕψιστος [*Eliun* id eſt *Altiſſimus*]. Pœni, id eſt, Phœnices Africani, pronuntiabant *Alon*, ut ex Siſenna & Plauti Pœnulo vir maximus obſervavit. Neque verò dubitandum quin id nomen Dei apud Chananæos veteres, qui & Phœnices, antiquiſſimum fuerit. Nam & Melchiſedec Rex Salem *Sacerdos* dicebatur כהן לאל עליון, Geneſ. XIV, 18. ἱερεὺς τοῦ Θεοῦ ὑψίστου [*Sacerdos Dei Altiſſimi*], Hebræor. VII, 1. Philo Iudæus duobus locis narrat Auguſtum Cæſarem ſacra pro ſe ferri juſſiſſe Hieroſolymis τῷ ὑψίστῳ Θεῷ [*Deo Altiſſimo*]. Et apud Ioſephum exſtat Auguſti edictum pro Iudæis, ubi eos vult uti patriis legibus, ita ut antè temporibus Hyrcani ἀρχιερέως Θεοῦ ὑψίστου *Sacerdotis Dei Altiſſimi*].

ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν, adjuro te per Deum] Id eſt, Νὴ τὸν Θεόν· ut ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον [*Adjuro vos per Dominum*] 1 Theſſ. v, 27. ὁρκίζομεν τὸν Ἰησοῦν [*adjuramus vos per Ieſum*] Actorum XIX, 13. Errant autem qui hic jusjurandum exigi putant. Eſt quidem alicubi ea vocis ὁρκίζειν ſignificatio. At multis aliis in locis, ut oſtendimus ad Matth. XXVI. nihil aliud ſignificat quàm Religionem injicere, quod eſt in lingua vetere Romana *obſecrare*. Lucas dixit δέομαί σου [*obſecro te*]· & ſolebat precibus adjungi obſecratio: ut Horatius, *Per omnes te Deos oro.* Virgilius, *Per te ſacra precor:* quibus ſimilia paſſim reperire eſt.

10. *ἔξω τῆς χώρας. extra regionem*] Cur ea in regione manere amabant dæmones? Haud dubiè quia ibi multi erant Iudæi מומרין, id eſt, ἀποστάται [*defectores*]. Nam is tractus plenus erat Ἑλληνιζόντων [*Græco more viventium*], ut ex Ioſepho diximus. In tales autem Iudæos, utpote exſortes Divini federis, diaboli Divinâ conceſſione dominium uſurpabant. Sic & in Iudæos incircumciſos Angelo cuidam jus fuiſſe conceſſum tradunt Hebræi ad IV Exodi, & ex Hebræis Origenes. Sic & Chriſtiani deficientes à regula Fidei aut Vitæ mancipia Diaboli fiebant, 1 Corinth. v, 5. 1 Timoth. 1, 20. Atque ejus judicii Divini manifeſta ſigna etiam poſt Apoſtolorum ætatem manſere. Tertullianus, *Exemplum accidit ejus mulieris quæ theatrum adiit, & inde cum dæmonio rediit. Itaque in exorciſmo, cùm oneraretur immundus ſpiritus quòd auſus eſſet fidelem aggredi, Conſtanter & juſtiſſimè quidem, inquit, feci: in meo enim inveni.* Cyprianus, *Quàm multi quotidie pœnitentiam non agentes, nec delicti ſui conſcientiam confitentes, immundis ſpiritibus adimplentur?* Nimirum ut idem alibi dixerat, *recedente diſciplinâ receſſit & gratia.*

11. *πρὸς τῷ ὄρει, circa montem*] Ita Syrus legit. Lucas, ἐν τῷ ὄρει [*in monte*]. Intelligi poteſt grex ille tum fuiſſe in parte montis inferiore.

13. *ὡς δισχίλιοι, ad duo millia*] *Bis mille admodum.* Ita loquimur cùm exacte ad numerum adſtringi nolumus.

15. *σωφρονοῦντα, ſanæ mentis*] שלם. Hoc ideo additum quia plerunque οἱ ἐνεργούμενοι [*à dæmone poſſeſſi*] ſimul furore corripiebantur. Iohann. x, 20. Δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται [*Dæmonium habet & inſanit*].

τὸν ἐσχηκότα τὸν λεγεῶνα· qui habuerat legionem] Cùm & Syrus & Arabs agnoſcant, retinendum cenſeo; eóque magis quia credibilius eſt deletum ab iis qui ſupervacuum putabant quàm ab aliis additum. Vide locutionem ſimilem Iohannis IX, 35. & XX, 8.

18. *ἵνα ᾖ μετ' αὐτοῦ. ut eſſet cum illo*] Veritus ne digreſſo Ieſu ipſe in dæmonum poteſtatem recideret. At Chriſtus oſtendere voluit ſe etiam abſentem præſidio eſſe eis qui ſibi confiderent, ut rectè obſervat Theophylactus.

19. *ἀνάγγειλον αὐτοῖς, annuntia illis*] Voluit Chriſtus etiam ad Gentes aliquam ſui famam manare, vocationis ſecuturæ præſagium.

καὶ ἠλέησέ σε. & miſertus ſit tui] Ita optimi codices, quos Latinus ſequitur. Neque video cur malè cohæreat. Nam Græcè cur non dicatur ὅσα ἠλέησέ σε [*quanta tui miſertus ſit*], cùm ἠλέησέ σε hîc tantum valeat quantum ἐχαρίσατό σοι; [*gratificatus eſt tibi?*] Apparet offenſos constructionis novitate qui ὅτι [*quòd*] addiderunt. Nam Syrus cur id adderet cauſam habuit ſuam, quòd illud Græcum loquendi genus ſua lingua non admitteret. Vtitur hîc Chriſtus eâ modeſtiâ quæ τῇ περιαυτολογίᾳ [*ſermoni de ſemetipſo*] invidiam demit, ut ſapienter Plutarchus monet, cùm rectè à nobis facta ad Deum referimus auctorem. Poſſes etiam exponere ὅσα σοι ὁ Κύριος ἐποίησε ἐλεήσας σε [*quanta Deus tibi fecerit miſertus tui*], quomodo ſæpe copulativam conjunctam cum verbo participii vicem explere vidimus.

23. *ἐσχάτως ἔχει· in extremis eſt*] Hebraïcè לשאול הגישה [*inferno appropinquavit*], ut Pſalmo LXXXVIII, 4.

ἵνα ἐλθὼν ἐπιθῇς, ut veniens imponas] Subauditur παρακαλέω σε [*oro te*] ex eo quod præceſſerat. Hoc autem nihil eſt aliud quàm circumſcriptio modi precativi: ἐπίθες [*impone*] dixit Matthæi Interpres. Qui hîc deeſſe aliquid putarunt, adjecerunt ἐλθὲ [*veni*], quod non legit Syrus; neque enim repetit *veniendi* verbum; ſenſum autem rectè expreſſit per modum, ut diximus, precativum. Simile eſt illud Ariſtophanis Nubibus,

Ὅπως δὲ τοῦτο μὴ διδάξῃς μηδένα.
[*Sed hoc ut alium doceas hominum neminem.*]

nam & hîc ſubauditur παρακαλέω [*precor*] aut aliquid ſimile.

καὶ ζήσεται. & vivet] Videtur mihi qui ζήσῃ [*vivat*] annotavit explicaſſe Hebraïſmum. Nam Hebræis futurum eſt vice ſubjunctivi: atque ita intellexiſſe mihi hunc locum videntur Syrus & Latinus Interpres. Neque eſt ταυτολογία [*idem bis dictum*]. Senſus enim eſt, *ut ſanitatem recipiat, atque ita mortem imminentem effugiat.*

25. *οὖσα ἐν ῥύσει αἵματος, quæ erat in profluvio ſanguinis*] Αἱμορροοῦσα [*quæ ſanguinis fluxum patiebatur*] Matthæus. Non dubito quin Hebraïſmus ſit Marco familiaris qualis bis ſuprà, ἐν πνεύματι ἀκαθάρτῳ [*in ſpiritu immundo*].

26. *ὑπὸ πολλῶν ἰατρῶν, à compluribus Medicis*] Vetus inſcriptio, *Turba Medicorum me perdidit.*

καὶ μηδὲν ὠφεληθεῖσα, nec quicquam profecerat] Nimirum,

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut æger:
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Quod præcipuè locum habet in morbis qui ipſa vetuſtate in naturam vertunt.

εἰς τὸ χεῖρον ἐλθοῦσα· ſed magis deteriùs habebat] Nemirum: vix enim eſt ut non noceant medicamenta quæ non proſunt, præſertim in languidis corporibus, qualia eſſe neceſſe eſt quorum ſanguis in ſuccum non vertitur.

29. *ἡ πηγή, fons*] Ῥύσις [*fluxus*] Lucæ. Omnem ſcatebram Hebræi *fontem* appellant. Levit. XII, 7 de naturali mulierum profluvio, הרה ממקר דמיה Græcis καὶ καθαριεῖ αὐτὴν ἀπὸ τῆς πηγῆς τοῦ αἵμα αὐτῆς [*mundabit eam à fonte ſive profluvio ſanguinis ſui*].

ἔγνω τῷ σώματι, ſenſit corpore] Magna eſt ἔμφασις [*efficacia*] in his vocibus. Nam naturaliter nemo ex veteri morbo ſubitò revaleſcit, ſed longa manent cedentis mali veſtigia. Id apud Lucam ſignificatur in verbis ἰάθη παραχρῆμα [*confeſtim ſanata eſt*].

30. δύναμιν ἐξελθοῦσαν, *virtutem quæ exierat de illo*] Populare loquendi genus, ſed magnæ efficaciæ. Significatur enim apertiſſimè vis quædam non adventitia, qualis ad Prophetarum preces à Deo exerceri ſolebat, ſed quæ eſſet in ipſo ὑφισταμένη [*ſubſiſtens*], atque inde effectus produceret, quod hîc eſt ἐξέρχεσθαι [*exire*].

33. πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν. *omnem veritatem*] Ita veteres Interpretes: nec dubito quin quod præterea habent codices alii adjectum ſit ex Lucæ hiſtoria.

34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην, *vade in pacem*, id eſt, *in pace*] Ita & Lucas. Malè mutarunt quidam in ἐν εἰρήνῃ. Eſt enim in utraque locutione ſenſus idem: neque arò Helleniſtæ εἰς [in *cum accuſativo*] pro ἐν [in *cum ablativo*] & ἐν [in *cum ablativo*] pro εἰς [in *cum accuſativo*] uſurpant. Sed & apud Lxx exſtat πορεύου εἰς εἰρήνην [*Vade in pacem*, id eſt, *in pace*], 1 Samuelis 1, 17.

35. ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου, *ab Archiſynagogo*] Vim locutionis apud Latinos uſitatiſſimæ bene expreſſit Syrus. Sic apud Virgilium,

—— —— proximus ardet
Vcalegon.

σκύλλεις, *vexas*] תלאו Eſaiæ VII, 13.

36. τὸν λόγον λαλούμενον, *audito verbo*] Illud quod dictum erat, *Noli Magiſtro moleſtus eſſe*; quod pertinebat ad omnes fiduciæ reliquias ex Archiſynagogi animo proturbandas; quod Chriſtus pro ſua bonitate antevertit.

μόνον πίστευε. *tantummodo crede*] Ad beneficia adſpectabilia impetranda nihil præter fiduciam Chriſtus exigit, ut oſtendat etiam interna beneficia in ſe confidentibus contingere: qua de re alibi dictum.

38. ἀλαλάζοντας, *ejulantes*] Helleniſtæ, qui non jam Græci ſermonis ἀκριβολογίαν [*proprietatem*] ſequuntur quàm id curant ut quàm proximè fieri poteſt exprimant vim linguæ Hebrææ, ut redderent הילל, quod Hebræis *clamorem*, præſertim verò *lugubrem*, ſignificat, voces Græcas quæſiverunt ſono affines. Sunt autem duæ, ὀλολύζειν & ἀλαλάζειν, quarum illam in ſacris, iſtam in bello maximè Græci uſurpabant: quo ſenſu ἀλαλαγμὸν etiam apud Ioſephum reperio. Sed Helleniſtæ, ut dixi, iſtâ proprietate neglectâ abuſionis libertatem ſibi indulſere. Et ὀλολύζειν quidem eo ſenſu paſſim occurrit, ut Eſaiæ XIII, 6. XV, 2. LII, 5. Ierem. XLVIII, 20, 31. Zachar. XI, 2. Oſeæ VII, 14. & Iacob. V, 1. ἀλαλάζειν verò Ieremiæ XXV, 34. הילילו הרעים ἀλαλάξατε ποιμένες [*ululate paſtores*]. XLVII, 2. καὶ ἀλαλάξουσιν ἅπαντες οἱ κατοικοῦντες τὴν γῆν [*ululabunt omnes habitatores terræ*]. Ejuſdem verò Prophetæ loco altero qui eſt IV, 8. alii codices Græci habent ὀλολύξατε, alii ἀλαλάξατε. Syrus ipſam vocem expreſſit quæ per Græcam exprimitur מיללין [*lugubre clamantes*]. Quare de lectionis veritate in tanto codicum conſenſu non eſt dubitandum.

40. ἐκβαλὼν ἅπαντας, *ejectis omnibus*] Tot teſtes aſſumebat quot rei probandæ ſufficiebant: plures admittere ſpeciem habere poterat oſtentationis.

τοὺς μετ᾽ αὐτοῦ, *qui ſecum erant*] Id eſt, Diſcipulos tres quos in domum intrans ſecum retinuerat. Optimè igitur Latinus Interpres *qui ſecum erant*, quomodo accipi poteſt & quod apud Syrum & Arabem eſt.

ἀνακείμενον. *jacens* ſive *decumbens*] In eo ipſo lecto in quo ægrotaverat. Si Græcorum ſubtilitas ſequenda eſſet, ne is quidem qui ad menſam accumbit dici poſſet ἀνακεῖσθαι· imò rideri ab elegantibus ſolebant qui ita loquebantur, quia ἀνακεῖσθαι propriè dicebantur ea quæ erecta erant, ut ſtatuæ. Sed vocum arbiter uſus iſtis anguſtiis ſe adſtringi non patitur.

41. αὐτῇ, *ipſi*] Rectè: neque mutandi cauſa. Eſt enim σύνταξις κατὰ τὸ σημαινόμενον [*conſtructio ad ſignificationem*]..

Ταλιθὰ, *Talitha*] Exſtat hæc vox in Chaldæo Interprete Prov. IX.

σοὶ λέγω, *tibi dico*] Vis vocativi additis vocibus exprimitur; quod & Lxx feciſſe alicubi à nobis obſervatum eſt. Imperium autem directum in corpus rationis expers vim Divinam imperantis ſignificat.

43. ἵνα μηδεὶς γνῷ τοῦτο· *ut nemo id ſciret*] Imperium ſuum in mortem ipſam nolebat hoc tempore evulgari, ut quod poſt reſurrectionem demum ipſius omni mundo eſſet publicandum. Interim aliqua ejus potentiæ ſigna nonnullis cognita eſſe voluit, quæ mox ipſi etiam reſurrectioni fidem adſtruerent.

εἶπε, *dixit*] Id eſt, ἐκέλευσε [*præcepit*] אמר, ut & infrà VIII, 7.

φαγεῖν. *manducare*] Vt appareret non vivam tantùm eſſe ſed & recte valentem: nam graviter ægroti vix ſolent cibum ſumere.

CAPVT VI.

2. Ἐξεπλήσσοντο, *admirabantur*] Quod quidam codices habent ἐπὶ τῇ διδαχῇ αὐτοῦ [*ſuper doctrina ejus*] puto additum ex Latino Interprete, qui ad ſenſum explendum quædam interdum verba addit. Cauſa admirationis, ut collatio Lucæ & Iohannis nos docet, hæc erat, quòd Ieſus nullo humano magiſterio inſtitutus ſumma cum perſpicuitate Prophetarum verba explicaret.

ἡ δοθεῖσα αὐτῷ, ὅτι καὶ δυνάμεις τοιαῦται διὰ τῶν χειρῶν αὐτοῦ γίνονται; *quæ data eſt illi, quoniam & virtutes tales per manus ejus fiunt?*] Sapientiam ipſius eſſe datam Divinitus, præterquam quòd notiſſimum erat Ieſum nullis uſum magiſtris, altero argumento probant ex miraculis quæ Capharnaümi atque alibi ediderat. Ideo rectius eſt ὅτι γίνονται [*quoniam fiunt*] quàm quod alii habent ἵνα γίνονται [*ut fiant*].

3. ὁ τέκτων, *faber*] Vide quæ ad Matthæum.

Ἰωσῆτος, *Ioſetis*] Videtur mihi hæc vera eſſe lectio, ad Græcam flexionem perducto nomine. Nam & infrà XV, 40. ita habent optimi codices, quod qui non intellexerunt repoſuerunt vocem ἄκλιτον [*indeclinabilem*].

αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ ὧδε πρὸς ἡμᾶς; *& ſorores ejus hic nobiſcum ſunt?*] Cùm Nazarethani hîc ſpecialiter meminerint cognatarum Ieſu apud ſe habitantium, adducor ut credam, quod & ſuprà dixi, matrem Ieſu & cognatorum aliquos hoc tempore Capharnaümi habitaſſe.

5. οὐκ ἠδύνατο, *non poterat*] De variis ſignificationibus vocis δύνασθαι [*poſſe*] jam diximus ſuprà. Hîc puto ſignificari affectum in Chriſto qui obſtiterit illi quominus miracula multa Nazarethæ faceret. Nam ita & Latinè dicimus, *Impetrare hoc à me non poſſum.* Soletque tam de malis quàm de bonis affectibus ea locutio uſurpari. Ita Geneſ. XXXVII, 4. de fratribus Ioſephi dicitur ולא יכלו דברו לשלום καὶ οὐκ ἠδύναντο λαλεῖν αὐτῷ οὐδὲν εἰρηνικόν [*nec poterant ei quicquam pacificè loqui*], obſtante odio ſcilicet. Ioh. VII, 7. οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς [*non poteſt Mundus odiſſe vos*], nimirum ob morum ſimilitudinem. Actor. IV, 20. οὐ δυνάμεθα ἡμεῖς ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν [*non poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui*]. Apocal. II, 2. οὐ δύνῃ βαστάσαι κακούς [*non potes ſuſtinere malos*]. Sic & II Corinth. XIII, 8. Simile Matth. XII, 34. Iohannis VIII, 43. XII, 39. I Iohan. III, 9. Apoc. II, 2. Rectè Chryſoſtomus, Οὕτως οἶδε πολλαχοῦ δύναμιν τὴν προαίρεσιν λέγειν· τοῦτο δὲ καὶ ἐν τῇ κοινῇ συνηθείᾳ φυλαττόμενον ἴδοι τις ἄν· ὡς ὅταν λέγῃ τις, Οὐ δύναμαι ἀγαπῆσαι τὸν δεῖνα, τὸ σφοδρὸν τῆς βουλήσεως δύναμιν λέγων [*Ita ſolet ſæpe id quod voluntas eſt appellare potentiam: idem & in vulgari conſuetudine videmus uſu venire, ut ubi quis dicit, Non poſſum illum amare, potentiæ nomen tribuens vehementi affectui*]. Chriſtus plenam habens miracula faciendi poteſtatem, quò minùs eam hoc loco exerceret impediebatur odio non hominum ſed pertinaciſſimæ incredulitatis. Nam cùm illi doctrinam & docendi genus faterentur eſſe eximia ac Divina, famâ etiam rerum Caphernaümi geſtarum commoverentur nonnihil, iterum tamen reſpectu natalium atque educationis avocabantur quominus magnificum aliquid de ipſo ſentirent.

6. διὰ τὴν ἀπιστίαν αὐτῶν. *propter incredulitatem eorum*] Ita viſum eſt Marco exprimere quod Hebræi dicerent per ב [*in*]: ſicut & noſtri Scriptores interdum loquuntur, ut Luc. I, 21. II Theſſal. I, 10. aliàs per ἐπὶ [*ſuper*] ſolet idem exprimi, ut Luc. IV, 22. XX, 26. Actor. III, 12.

Περιῆγε τὰς κώμας κύκλῳ διδάσκων. *Circuibat caſtella in circuitu docens*] Patriam ingratam deſerens auditores quærebat quorum animi non æquè eſſent pravis affectibus occupati.

7. τοὺς δώδεκα, *duodecim*] Ita loqui ſolet Marcus. quare quod alii addunt μαθητὰς αὐτοῦ [*diſcipulos ejus*] haud dubiè ex Matthæo adjectum eſt.

δύο δύο· *binos*] Ad plenam teſtimonii fidem. Sic & Iohannes ſui gregis diſcipulos ad Chriſtum legarat, Matth. XI, 2.

8. μηδὲν αἴρωσιν εἰς ὁδὸν, *nequid tollerent in via*] Id eſt, *ne quid viæ cauſâ ſecum ferrent*, extra ea quæ uſûs erant quotidiani.

εἰ μὴ ῥάβδον μόνον, *niſi virgam tantùm*] Eam virgam cum qua tunc fortè ambulabant, non aliam inter ſarcinas uſui futuram ſi fortè prior defeciſſet. Voluit enim Dominus in prima legatione manifeſtum ipſis dare documentum Divinæ providentiæ. Finis horum præceptorum perpetuus eſt, præcepta ipſa temporaria, ut ad Matthæum monuimus.

μὴ πήραν, μὴ ἄρτον, μὴ εἰς τὴν ζώνην χαλκόν. *non peram, non panem; neque in zona æs*] Nimirum εἰς ὁδὸν [*ad viam*], id eſt, *viæ causâ*. Noluit enim Chriſtus illos ſusceptæ legationis ergo vel tantillo ſollicitiores eſſe quàm antè erant.

9. Ἀλλὰ ὑποδεδεμένους σανδάλια· *Sed calceatos ſandaliis*] Ἔλλειψις [*defectus*]. Deeſt enim πορεύεσθαι [*ire*]. Ire jubet ita ut erant, ſoleatos ſcilicet. Quanquam Chriſtiani veteres multùm inceſſerunt nudis pedibus (ἀνδρὶ εὖ μάλα ἁρμόδιον ἡ ἀνυποδησία [*viro maximè convenit nudis ire pedibus*], inquit Clemens. Tertullianus, *Pedes nudi viriles magis quàm in calceis*) videntur tamen id mihi feciſſe Platonicorum magis exemplo, quorum celebris eſt ἀνυποδησία [*pedum nuditas*], ne ſcilicet Philoſophis (quos & in Pallio imitabantur) in ulla aut frugalitatis aut fortitudinis parte cederent, quàm ex primævo inſtituto aut exemplo. Nam Iudæos plerumque ſua habuiſſe ὑποδήματα [*calceamenta*] paſſim nos docet Moſis hiſtoria, ut Exodi III, 5. XII, 11. Deuter. XXV, 10. Ruth IV, 7. & Luc. XV, 22. Neque disceſſiſſe Chriſtum ab eo more ſatis manifeſtum eſt ex verbis Baptiſtæ, Matth. III, 11. & ſuprà I, 7. Apoſtolos itidem fuiſſe ὑποδεδεμένους [*calceatos*] tum hic locus evincit, tum alter de Petro Act. XII, 8. Iudæi verò ſandaliis maximè uſi. Itaque Eſaias jubetur exuere τὰ σανδάλια [*ſandalia*] in verſione LXX, XX, 2. & Petrus induere σανδάλια [*ſandalia*] dicto Actorum loco, & hîc Apoſtoli viam capere ὑποδεδεμένοι σανδάλια [*calceati ſandaliis*]. Quin & Metaphraſtes Hieroſolymitanus pro נעל [*calceamentum*] ubique poſuit סנדל [*ſandalium*]. Et ideo in funere jubentur deponere ſandalia lege veteri quæ in Thalmudicis exſtat. Et Ioſephus, in expoſitione legis de vidua fraterna, σανδάλια [*ſandalia*] dixit quæ alii ὑποδήματα [*calceamenta*]. Quanquam autem iisdem ex locis appareat σανδάλια [*ſandalia*] Iudaïca fuiſſe ὑποδήματα [*calceamenta*] ſatis uſitata, certum tamen eſt Iudæis fuiſſe & alia ὑποδήματα [*calceamenta*] exquiſitiora. Σανδάλια [*ſandalia*] propriè reſpondiſſe videntur iſti ὑποδημάτων [*calceamentorum*] generi quod κονίποδας [*pulverulenta*] vocabant Attici. Suidas certè κονίποδα exponit στενὸν σανδάλιον οὗ διὰ τὴν στενότητα ὁ ποὺς ἐκονιορτοῦτο [*breve ſandalium ob cujus brevitatem pes pulvere adſpergebatur*]. Polluci eſt λεπτὸν ὑπόδημα [*parvum calceamentum*]. Clemens Pædagogo II, cap. XI. εἰ δὲ μὴ ὁδεύοιμεν, ἀλλὰ μηδὲ φέροιμεν τὴν ἀνυποδησίαν, βλαύταις ἢ φαικασίοις χρηστέον· κονίποδας αὐτὰ ἐκάλουν οἱ Ἀττικοὶ διὰ τὸ πελάζειν, μοὶ δοκεῖν, τῇ κόνει τὼ πόδε [*quòd ſi non peregrinemur, nec feramus pedum nuditatem, utendum ſoleis aut phæcaſiis: Attici conipodas vocabant, ideo, ut arbitror, quòd pedem à pulvere non defenderent*]. Ideo in Actis Latinus vertit *caligas*; Dio verò *caligas* Græcè vertit στρατιωτικὰ ὑποδήματα. Narrant Iudæi morem fuiſſe majoribus ſuis ut diebus feſtis in Templo apparerent cum ſandaliis è melium pellibus. Soleatos igitur, ut ita dicam, non calceatos vult Chriſtus Apoſtolos ſuos iter arripere, non minùs adverſus itinerum incommoda quàm adverſus difficultates alias illis conſulturus. Syrus σανδάλια [*ſandalia*] vocat *talaria*, credo quòd ad talos alligarentur. Sic & in Pedonis Elegia, ubi eſt *ſandalia*, alii libri habent *talaria* ex gloſſematis expoſitione, ni fallor. Sed de hoc loco moneo lectorem videat quæ incomparabilis doctrinæ vir Cl. Salmaſius ad Tertulliani *Pallium* notavit.

καὶ μὴ ἐνδύσησθε δύο χιτῶνας. *& ne induamini duabus tunicis*] Id eſt, ne modò hanc, modò illam tunicam induite; ut ſolent qui iter faciunt aliis in itinere veſtibus uti, aliis ubi in urbem aliquam advenerunt. Vide quæ ad Matthæum hoc loco. Hæc omnia, ut dixi, eò pertinent ut Apoſtoli intelligant nullo majore paratu ſibi ad iter opus fore quàm ſi domi eſſent manſuri.

10. ἐκεῖθεν. *inde*] *Ex ea urbe*, ut & ſequenti commate.

11. *εἰς μαρτύριον αὐτοῖς. in teſtimonium illis*] In teſtimonium contemti ab ipſis Euangelii: nam in ejus contemtus deteſtationem pulvis excutiebatur. Vide ad Matthæum.

12. ἵνα μετανοήσωσι· *ut pœnitentiam agerent*] Legationis Apoſtolicæ ſumma eadem quæ κηρύγματος [*prædicationis*] Baptiſtæ, unde & Chriſtus initium fecit. Admonebantur homines ut verè ac ſeriò pœnitentiam agerent, id eſt, vias ſuas de malis bonas facerent. Cauſa addebatur, quia jam adventaſſet tempus illud diu exſpectatum Regni cœleſtis. Vt enim hujus Regni beneficia, Remiſſionem peccatorum & Spiritum Sanctum, intra ſe quisque reciperet, per pœnitentiam animi erant præparandi. Hoc illi dicebant breviter, ut qui ſtudio pœnitentiæ tenebantur omnia præcepta eò pertinentia ab ipſo Chriſto auditum venirent.

13. ἤλειφον ἐλαίῳ, *ungebant oleo*] Ex more antiquo Hebræorum, qui ut Manuum impoſitionem precibus pro aliquo ſuſceptis adjungere ſolebant, ita & Vnctionem per oleum circa ægrotos pro quibus preces ſuſcipiebantur, in ſpem impetrandi à Deo leniminis & gaudii, quod per Oleum ſignificatur. Quem morem prima Chriſtianorum Eccleſia libenter uſurpavit, non ita tamen ut nunquam ἰάματα [*ſanationes*] ſine oleo exercerentur. Notus Iacobi locus de oleo, & hiſtoriæ ſanationum in Actis ſine oleo. Diximus alibi Chriſtianos veteres quicquid ἀλληγορικῶς [*ad aliud innuendum*] dictum in Sacris literis repetiebatur id expreſſiſſe viſibilibus ſignis. Hinc factum ut & Baptiſmo & Manuum impoſitioni juxta Baptiſmum oleum adhiberetur, interdum & aliæ unctiones. Dixerat Paulus, ὁ βεβαιῶν καὶ χρίσας ἡμᾶς Θεὸς [*qui confirmat & unxit nos Deus*], II Corinth. I, 21. & Iohannes I Epiſtolâ II, 20, 27. ὑμεῖς τὸ χρίσμα ἔχετε· τὸ χρίσμα ὃ ἐλάβετε ἀπ᾽ αὐτοῦ διδάσκει ὑμᾶς περὶ πάντων [*vos unctionem habetis: unctio quam accepiſtis ab eo docet vos de omnibus*]. quæ loca de Spiritu plerique accipiunt, Veteres de ipſa fide quæ per Spiritum obſignatur, modico diſcrimine; ut apparet ex Clemente Alexandrino, qui Chriſtum ita loquentem nobis introducit, Χρίσω ὑμᾶς τῷ πίστεως ἀλείμματι, δι᾽ οὗ τὴν φθορὰν ἀποβάλλετε, καὶ γυμνὸν δικαιοσύνης ἐπιδείξω τὸ σχῆμα, δι᾽ οὗ πρὸς τὸν Θεὸν ἀναβαίνετε [*Vngam vos fidei unguento, per quod corruptelam abjiciatis, & nudum apparere in vobis faciam juſtitiæ habitum, per quem ad Deum adſcendatis*]. Hanc fidem, quæ per unctionem deſignabatur, *gratiam Chriſti* vocat Cyprianus epiſtolâ ad Ianuarium. Tertullianus dixerat, *Sic & in nobis carnaliter currit unctio, ſed ſpiritualiter proficit*, eam unctionem ſignificari oſtendens per quam Chriſtus nos conſtituit ſacerdotes. Docet nos Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos inungi ſolitos etiam eos qui ab errore converſi ſine novo Baptiſmo ad Eccleſiam admittebantur; Τὸ σφάλμα, inquit, διορθοῦται τῆς μὲν κακοδοξίας τῇ μεταθέσει τοῦ φρονήματος, τοῦ δὲ βαπτίσματος τῇ ἐπιχρίσει τοῦ ἁγίου μύρου [*Vitium corrigitur malæ opinionis mutatione ſententiæ, Baptiſmatis verò per unctionem qui fit unguento ſancto*]. Sed & Philo apud Moſem antiqua traditione oleum interpretabatur ἀγωγὴν φῶς τηλαυγέστατον ἀπαστράπτουσαν τοῖς μὴ ἀψικόρως κραταιῶς δὲ καὶ παγίως ἐξ ἀδιαστάτου καὶ συνεχοῦς ἐπιμονῆς ἐλλαβομένοις ὧν ἐρῶσιν [*eam inſtitutionem quæ lucem clariſſimam alluceat iis qui non perfunctoriè ſed fortiter ac firmiter conſtanti perpetuoque ſtudio iis adhærent quæ amant*]. locus eſt in libro cui titulus περὶ τοῦ τὸ χεῖρον τῷ κρείττονι φιλεῖν ἐπιτίθεσθαι [*Pejorem inſidiari meliori*].

14. Καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης (φανερὸν γὰρ ἐγένετο) τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *Et audivit Rex Herodes (manifeſtum enim factum eſt) nomen ejus*] Ita legendum cenſeo, ut ὄνομα [*nomen*] ſit quarti caſus, pro quo interpretamenti vice quidam ſubſtituerunt ἀκοὴν αὐτοῦ [*famam ejus*]. Cùm enim ſatis conſtet veteres libros caruiſſe diſtinctionum notis, liberum cuique ea in re judicium permittendum arbitror. Syrus, quia hanc conſtructionem ſua lingua vix patiebatur, duas voces addidit, *de Ieſu*. Herodem Tetrarcham *Regem* vocat, quia ſic à ſuis vocabatur.

καὶ ἔλεγεν, *& dicebat*] Ipſe Herodes, ut & Matthæus narrat; cæterùm injectâ ab aliis ſuſpicione, ut ex Luca diſcimus. Videndum num qui codices habeant ἔλεγον [*dicebant*], ſicut olim Latini legebant. Nam Marcum ferme ſequitur Lucas.

ὁ βαπτίζων, *baptizans*, id eſt, *Baptiſta*] Et ex hoc loco, & ex eo quod ſuprà habuimus δύο δύο [*duo, duo*, id eſt, *bina*], & infrà συμπόσια συμπόσια [*ſympoſia, ſympoſia*, id eſt, *per convivia*], & multis aliis apparet verum eſſe quod diximus Marcum plùs cæteris ἑβραΐζειν [*Hebraïcis uti locutionibus*]. Nam alii dicunt ὁ βαπτιστὴς [*Baptiſta*], ut & Ioſephus.

15. Ὅτι Ἠλίας ἐστίν· *Quia Elias eſt*] Matth. XVI, 14.

Ὅτι προφήτης ἐστὶν ὡς εἷς τῶν προφητῶν. *Quia Propheta eſt quaſi unus ex Prophetis*] Miror dubitari de hac lectione quam codices plurimi præferunt, & præterea Syrus, Arabs, & Latinus Interpretes. Adde quòd interpoſitum ἢ [*aut*] ſenſum nullum commodum reddit; cùm hujus lectionis aperta ſit ſententia. Nam hæc iſtorum hominum de Chriſto opinatio fuit, Eſſe eum non Meſſiam, non Eliam, non Iohannem, ſed Prophetam à Deo ſuſcitatum parem veteribus Prophetis. Diverſum ſentiebant illi apud Lucam, ὅτι προφήτης εἷς τῶν ἀρχαίων ἀνέστη [*quia Propheta unus de antiquis ſurrexit*].

17. ἀποστείλας, *miſit, ac*] Id eſt, *per miſſos à ſe ſatellites*. Idem loquendi genus Matth. II, 16. & XIV, 10.

18. τὴν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου, *uxorem fratris tui*] Id eſt, τὴν πρὶν γυναῖκα τοῦ ἀδελφοῦ σου [*eam quæ antè uxor fratris tui fuit*], ut & I Cor. V, 1. Videtur enim maritus tum fuiſſe mortuus, ut ad Matthæum diximus.

19. ἐνεῖχεν αὐτῷ, *inſidiabatur illi*] *Exitio ejus imminebat*: quomodo & apud Lucam XI, 53. Hebraïcè שטמהו, ut Geneſ. XLIX, 23. Aliud eſt ἔχειν

κατά τινος [*habere contra aliquem*]· ſubauditur enim μομφήν [*querelam*].

20. ἐφοβεῖτο, *metuebat*] Δείσας τὸ ἐπὶ τοσόνδε πιθανὸν αὐτοῦ τοῖς ἀνθρώποις [*metuens tantam ipſius apud homines auctoritatem*], ut Ioſephus hac de re loquitur. Auctoritas Iohannis apud populum Herodi erat formidoloſa. Idem ſignificat Matthæus cùm dicit ἐφοβήθη τὸν ὄχλον [*timuit populum*]. Nimirum ſub ejuſmodi Regibus aut Regulis majus periculum eſt ex magna fama quàm ex mala, & ob virtutes certiſſimum exitium.

δίκαιον καὶ ἅγιον, *juſtum & ſanctum*] Ἀγαθὸν ἄνδρα [*virum bonum*] dixit Ioſephus, & monitorem δικαιοσύνης καὶ εὐσεβείας [*juſtitiæ & pietatis*].

καὶ συνετήρει αὐτόν· *& obſervabat eum*, id eſt, *obſervaverat*] Hæc explicanda mihi videntur per tempus plusquamperfectum, ut ſolent iſta in Hebraïſmo & ab Helleniſtis confundi. *Obſervaverat*, inquit, *ipſe Herodes Iohannem diu, multaque fecerat ejus conſilio, & libenter eum audire erat ſolitus.* Hæc enim referenda ſunt ad tempus quod præceſſerat liberam objurgationem; ita tamen ut poſtea quoque earum rerum memoria & ex eo major infamiæ metus ſæpe animo Herodis oberraverit: etiam tum cùm, ut Matthæus ait, interficere illum cuperet uxori obnoxius. Ita ſe volutabat animus inter exiguas reliquias bonæ mentis rationesque honeſti, utilis ac jucundi, publicas ac domeſticas. Adeò verum eſt *non eſſe pacem impiis.*

ἀκούσας αὐτοῦ πολλὰ ἐποίει, *audito eo multa faciebat*] Quod de Herode hîc dicit Marcus, idem de Iudæis in univerſum Ioſephus prædicat, πάντα γὰρ ἐῴκεσαν τῇ συμβουλῇ αὐτοῦ πράξαντες [*videbantur enim omnia de conſilio ejus facere*]· & Chriſtus ipſe, ἠθελήσατε ἀγαλλιαθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ [*voluiſtis ad horam exſultare in luce ejus*]. Dubitandum non eſt quin vir ſanctiſſimus, pars patriæ ſuæ non minima, etiam in rebus publicam ſalutem ſpectantibus ſe digna conſilia dederit,

> Βαθεῖαν ἄλοκα διὰ φρενὸς καρπούμενος,
> Ἀφ' ἧς τὰ κεδνὰ βλαστάνει βουλεύματα.
> [*Sulcos profundos corde demerſos gerens,*
> *Vnde illa ſeſe pulchra conſilia exſerunt.*]

21. Καὶ γενομένης ἡμέρας εὐκαίρου, *Et cùm dies opportuna accidiſſet*] Opportuna inſidiatrici, quæ vino, amore, & adulatorum conſpiratione facilè ſperabat impelli poſſe nutantem mariti animum.

μεγιστᾶσι, *Megiſtanibus*, id eſt, *principibus*] Vſurpat hanc vocem celebrem in Oriente etiam Iohannes in divina Apocalypſi VI, 15. & in Latino ſermone tum Tacitus, tum Suetonius: Græcè uſurparunt olim Menander & Antiochus Sophiſtæ. Exſtat & in Græco II Paralip. XXXVI, 18. Prov. VIII, 16. Eſaiæ XXXIV, 12. Ierem. XIV, 3. XXIV, 8. XXV, 19. XXXIV, 10. XLIX, 38. L, 35. Ezech. XXX, 13. Dan. IV, 36. V, 1, 2, 9. VI, 17. Ion. III, 7. Nahum. II, 5. III, 10. Zach. XI, 2. Vocabantur ita Græco vocabulo qui Chaldaïco רברבנים ut Danieli V, 1, 3, 9. & aliis locis, Perſicè אחשדרפנים, id eſt, *Satrapæ*, aut potiùs ἄρχοντες σατραπῶν [*principes Satraparum*], ut eſt in Græca verſione Eſtheris IX, 3. Aulæ minores majorum vocabula imitabantur,

> *Magnus ut exiguam bos ranam ruperat olim.*

χιλιάρχοις, *Tribunis*] Nam exercitum ſub id tempus paratum habebat Herodes adverſus Aretam: δυνάμεως συλλεγείσης [*exercitu collecto*] inquit Ioſephus.

τοῖς πρώτοις τῆς Γαλιλαίας · *primis Galilææ*] Magiſtratibus oppidorum: τοὺς πρώτους τῆς πόλεως in Novella CXXIII. vetus interpres tranſtulit *primates civitatis*. Vocabantur pro numero δεκαπρῶτοι, πεντεπρῶτοι, & Latinè *Quinqueprimi, Decemprimi.*

23. ἕως ἡμίσους τῆς βασιλείας μου. *licet dimidium Regni mei*] Vide quæ ad Matthæum XIV, 7.

25. Θέλω, *Volo*] *Peto*, aut *Vellem*, ut Matth. XXVI, 39. Ita aliquoties in his libris. Inter alia Ioh. VI, 21. & infrà X, 35. Et hoc ſenſu ſæpe reperies Hebræum חפין.

ἐξ αὐτῆς, *ab ipſa*, id eſt, *protinus*] Præter Paulum Lucas hac voce utitur aliquoties Act. X, 33. XI, 11. XXIII, 30. Solent Syri in ſermone ſupprimere interdum שׁעא [*hora*], quod imitantur noſtri Scriptores. At hîc atque aliis in locis Syrus quod Græco ſermoni deerat expreſſit.

26. ἀθετῆσαι. *aſpernari*] Ἀθετεῖν etiam Græcorum Grammatici interpretantur ἀτιμάζειν, καταφρονεῖν [*parvi ducere, contemnere*]. Atque ita uſurpatur etiam Lucæ VII, 30. X, 16. & Ioh. XII, 48. Reſpondet Hebræo מאס.

27. σπεκουλάτωρα, *ſpeculatore*] Adrianus Imperator in epiſtola ad Aquilium Braduam, *neque ſpeculatores ultro ſibi vindicent, neque Optiones ea deſiderent quibus ſpoliatur quo momento quis punitus eſt.* Valentinianus, Theodoſius & Arcadius, *Ordinariorum Iudicum apparitores qui vel ſpeculatorum vel ordinariorum attigerint gradum.* Seneca, *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpeculatorem jubet.* Quibus addenda loca Taciti & Firmici citata ab aliis, qui & Hebræorum uſu tritam hanc vocem manifeſtis teſtimoniis probarunt.

29. τὸ πτῶμα, *corpus*, ſive *cadaver*] גויה.

30. πάντα, καὶ ὅσα ἐποίησαν, καὶ ὅσα ἐδίδαξαν. *omnia, quæ egerant, & docuerant*] Πάντα [*omnia*], id eſt, diverſa illa hominum de Chriſto judicia, de quibus egerat ſuprà 14, 15. Nam dum legationem ſuam obeunt Apoſtoli iſta intellexerant. Præterea verò renuntiarunt tum quæ docuerant, tum quæ fecerant; quod ad miracula pertinet. Similis locutio apud Lucam Actor. I. περὶ πάντων ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν [*de omnibus quæ cœpit Ieſus facere ac docere*]. Legatorum eſt de ſingulis mandati partibus quid actum ſit renuntiare. Mandaverat autem Chriſtus Apoſtolis κηρύσσειν μετάνοιαν [*prædicare pænitentiam*], & in fidem dictorum ejicere dæmonia & morbos ſanare.

31. Δεῦτε ὑμεῖς, ὑπάγωμεν αὐτοὶ κατ' ἰδίαν, *Venite vos, eamus ipſi ſeorſum*] Hunc in modum legiſſe mihi videtur Syrus, cùm in aliis codicibus deſit ὑπάγωμεν [*eamus*], in aliis ὑμεῖς [*vos*] & αὐτοὶ [*ipſi*]. Mihi iſta lectio non diſplicet ut ſit αὐτοὶ [*ipſi*] poſitum pro ἡμεῖς [*nos*].

32. Καὶ ἀπῆλθον εἰς ἔρημον τόπον, *& abierunt in deſertum locum*] Etiam quæ hoc loco in codices quoſdam irrepſit lectio, ἀναβάντες εἰς τὸ πλοῖον [*adſcendentes in navem*], oſtendit ab aliquo interpolatum eſſe Græcum textum ad modum Latinæ verſionis.

33. καὶ προῆλθον αὐτοὺς, *& prævenerunt eos*] Quod hîc noſtri codices poſt iſta verba habent, καὶ συνῆλθον πρὸς αὐτοὺς [*& convenerunt ad eos*] ſupervacuum eſt, neque agnoſcitur aut à Syro aut à Latino.

Quare cùm alii codices habeant ἦλθον [*venerunt*] & αὐτοῦ [*eò*] ſuſpicari liceat initio ſcriptum fuiſſe a ibrariis καὶ ἦλθον πρὸ αὐτοῦ [*& venerunt ante eum*], quod interpretamentum erat eorum quæ poſuimus Marci verborum: Sed poſtea cùm in textum irre-oſiſſet mutatum, ne bis idem diceretur.

35. ὥρας πολλῆς γενομένης, *cùm jam hora multa fie-et*] Ὥραν [*horam*] vocat non diem totum, ſed artem diei, ut infrà XI, 11. ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας *cùm jam veſpera eſſet hora*]. πολλὴν ergo dicere vi-letur eam partem quæ majoris numeri nomine ex-rimitur.

36. κύκλῳ, *in circuitu*] Vide ſuprà hoc loquendi enus III, 34. Ita κύκλῳ τῆς Ἱερουσαλὴμ [*in circuitu eruſalem*] LXX, Ierem. XXXIII, 13.

τί γὰρ φάγωσιν, *quod enim edant*] Pro ὃ φάγωσιν. a apud Matthæum XV, 32. οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι *non habent quod manducent*].

37. Ἀπελθόντες ἀγοράσωμεν, *Euntes emamus*] Cùm hriſtum conſtet γλωσσόκομον [*marſupium*] habuiſſe, in eo ex amicorum collatione pecuniæ aliquid, m in ſuos & duodecim comitum tum in pauperum ſus: non video cur aliqui adeò abhorreant credere uiſſe illi hoc tempore, cùm ab oppidis in agros velut i manſurus aliquandiu ſeceſſiſſet, *denarios ducentos.* eque enim de nihilo eſt quòd hanc pecuniæ ſum-am Apoſtoli nominant, quæ tamen, ut ex Io-anne diſcimus, ipſorum judicio ſufficere non po-rat tam immenſæ multitudini ſatiandæ. Senſus rgo eſſe videtur quem nonnulli indicarunt, Sanè e quid à nobis deſiderari poſſit, parati ſumus quan-m apud nos eſt pecuniæ impendere his homini-us, non ſatiandis quidem, ſed contra inediam pa-umper refovendis.

39. ἀνακλῖναι πάντας, *accumbere facere omnes*] Sic νακλίνας αὐτὸν [*cùm ſe ad accumbendum poſuiſſet*] ſt apud Lucianum.

συμπόσια συμπόσια, *per convivia*] *Per diſtinctos onvivarum ordines.* Numerus *centenorum* aut etiam *uinquagenorum* major eſt quàm ut *contubernii* no-men ei ſatis reſpondeat, cui nomini ſuus uſus eſt in gno Paſchali, qui κατὰ φρατρίας [*per ſodalitia*] de-um aut vicenûm edebatur.

40. πρασιαὶ πρασιαὶ, *areolæ, areolæ*, id eſt, *areolatim*] ominativus vice ἀκλίτου [*indeclinabilis*], ut ſæpe pud Hebræos: vide Pſal. LXXIII, 28. Eſth. VI, 7. yrum Luc. XXIII, 41. Tale eſt Ioh. Eu. I, 14. πλήρης [*plenus*] pro πλήρεις [*pleni*]. Tale ἀπὸ τοῦ ὁ ὢν [*Ab illo Ens*] Apoc. I, 4. & I, 5. ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός [*ab Ieſu Chriſto teſtis fidelis*]. Nec abſimilis apud Ioſephum conſtructio, πάντων τῶν ἀνθρώπων δημιούργημα ὄντων τοῦ Θεοῦ [*omnibus homini-bus opificium Dei exſiſtentibus*]. Sic & apud Euripi-dem Phœniſſis,

Μέλλων δὲ πέμπειν μ' Οἰδίπου κλεινὸς γόνος
Μαντεῖα σεμνὰ, Λοξίου τ' ἐπ' ἐσχάρας,
Ἐν τῷ δ' ἐπεστράτευσαν Ἀργεῖοι πόλιν.
[*Me mittere autem natus Oedipodis volens*
Pythûs ad aras, clara Phœbi oracula,
Hanc interim urbem clauſit Argivûm phalanx.]

quo in loco μέλλων [*volens*] apertè poſitum eſt pro μέλλοντος [*volente*]· ut & illo Hero-doti ἁλὴς γενομένη πᾶσα ἡ Ἑλλὰς, χεὶρ μεγάλη συνάγεται [*omnis Græcia coiens, magnus conſcribitur exercitus*]. Sic ἀστράπτων [*fulgurans*] pro ἀστράπτοντα [*fulgurantem*] poſitum in ſecundo Iliados notavit Euſtathius, & νῆσος [*inſula*] pro νήσῳ [*inſulæ* in dativo] primo Odyſſeæ. Sic & apud Proclum aliquoties μετὰ τοῦ ἓν, χωρὶς τοῦ ἓν [*unà cum Vnum, absque Vnum*].

ἀνὰ ἑκατὸν καὶ ἀνὰ πεντήκοντα. *per centenos & quinquagenos*] Id eſt, nec plures centenis nec pauciores quinquagenis. Potuerunt igitur ſimul accumbere ſexageni, ſeptuageni, octuageni.

43. καὶ ἀπὸ τῶν ἰχθύων. *& de piſcibus*] Id eſt, καὶ τῶν ἰχθύων τι [*& aliquid de piſcibus*]. Addidit hoc Marcus, neque tamen quantum fuerit putavit exprimendum. Ita Matth. XXVII, 9. ἀπὸ υἱῶν Ἰσραὴλ [*à filiis Iſrael*] poſitum pro τινὲς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ [*quidam filiorum Iſrael*].

46. Καὶ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, *Cùm dimiſiſſet eos*] Nimirum τῷ ὄχλῳ [*populum*]· conſtructio πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*], ut infrà VIII, 1. παμπόλλου ὄχλου ὄντος, καὶ μὴ ἐχόντων [*cùm turba multa eſſet, nec haberent*]. ἀπολύσας τοὺς ὄχλους [*dimiſſâ turbâ*] eſt apud Matthæum. Priùs Chriſtus Apoſtolos ablegavit, tum valedixit multitudini, deinde in montem ſe oratum contulit. Hic ordo eſt apud Matthæum, nec dubium quin idem aliis verbis dixerit Marcus.

48. ἐν τῷ ἐλαύνειν· *in remigando*] Ἐλαύνειν de navi, propriè eſt κωπηλατεῖν, *remigare.* Xenophon, εἰ δὲ ἐλαύνειν δέοι κατὰ μέρος τοὺς ναύτας ἀνέπαυε [*ſi remigandum eſſet per vices nautis quietem dabat*]. Cauſæ nihil video cur ab hac interpretatione, quam ſequuntur Syrus & Latinus, recedendum ſit. Moleſtia navigationis eo deſcribitur quòd contra ventum remis obniti neceſſe eſſet.

Ἤθελε παρελθεῖν αὐτούς. *volebat præterire eos*] Non intraturus navem, niſi Apoſtoli hoc precibus ab illo expreſſiſſent. Hoc eſt quod Iohannes dicit ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον [*volebant ergo accipere eum in navim*], id eſt, orabant; quomodo τὸ θέλειν [*velle*] ſumi ſuprà diximus.

51. ἐκόπασεν, *ceſſavit*] ישך, ut Gen. VIII, 1.

λίαν ἐκ περισσοῦ, *plùs magis*] Hoc eſt quod apud Paulum aliquoties dicitur περισσοτέρως, plùs quàm vehementer.

ἐξίσταντο, καὶ ἐθαύμαζον· *ſtupebant & mirabantur*] Id eſt, θαυμάζοντες ἐξίσταντο [*mirantes ſtupebant*], ut & Syrus accepit.

52. Οὐ γὰρ συνῆκαν ἐπὶ τοῖς ἄρτοις· *Non enim intellexerunt de panibus*] Non attenderant ſatis ad miraculi prioris magnitudinem: quod ſi feciſſent, non erat cur iſta ſuper mare ambulatio & ſedatio tempeſtatis adeò illis præter opinionem eveniret. Ita συνιέναι [*intelligere*] ſumi aliquoties apud Matthæum obſervavimus. Nec aliter uſus eſt Lucas II, 50. Confer & quod infrà VIII, 17.

πεπωρωμένη. *occalluerat*] Ita & infrà VIII, 17. οὔπω νοεῖτε, οὐδὲ συνίετε; ἔτι πεπωρωμένην ἔχετε τὴν καρδίαν ὑμῶν; [*nondum cognoſcitis, nec intelligitis? adhuc calloſum habetis cor veſtrum?*] Diximus hac voce ſignificari qualecunque vitium vetuſtate inolitum; quale erat in Apoſtolis ἀπροσεξία [*negligentia*], præſertim circa ea quæ ad Divinam Chriſti potentiam pertinebant.

54. *ἐπιγνόντες αὐτὸν, cognoverunt eum*] Ἔλλειψις. Subintelligitur quod expreſſit Matthæus οἱ ἄνδρες τοῦ τόπου [*viri loci illius*], quod & hîc à Syro eſt additum, & ex interpretamento in quoſdam Græcos codices ſe inſinuavit, cùm non agnoſcat Latinus.

55. *ὅπου ἤκουον ὅτι ἐκεῖ ἐστι. ubi audiebant eum eſſe*] *Vbicunque eſſe eum intellexerant.* ὅπου [*ubi*] cum ἐκεῖ [*ibi*] eſt ut אשר לה [*cui illi*] : ita enim rectè acceperunt Syrus & Latinus. Sic & ἧς θυγάτριον αὐτῆς [*cujus filiola ejus*] infrà VII, 25.

56. *ἐν ταῖς ἀγοραῖς, in foris*] In locis frequentioribus בחוצות.

ἥπτοντο αὐτοῦ, tangebant eum] Τοῦ Ἰησοῦ [*Ieſum*], non τοῦ κρασπέδου [*fimbriam*]. Apud Matthæum ſimpliciter eſt ἥψαντο [*tangebant*]. Credibile autem eſt à multis non fimbriam tactam, ſed aliam aut corporis aut veſtis partem. In iis autem qui Chriſtum tangebant comprehenduntur & hi qui tetigerunt fimbriam.

CAPVT VII.

2. Ἐμέμψαντο. *vituperaverunt*, ſive *crimen intulerunt*] Αὐτοῖς [*eis*] ſcilicet, ut Hebræorum VIII, 8. Primùm ſuccenſuerunt, deinde etiam accuſationem inſtituerunt commate 5.

3. *καὶ πάντες οἱ Ἰουδαῖοι, & omnes Iudæi*] Oſtendit Marcus non fuiſſe hoc peculiare inſtitutum Phariſaïſmi, ſed ritum communiter obſervatum, ab illis ſcilicet omnibus qui Magiſtrorum receptas ſententias ſequebantur; quæ Iudæorum erat pars maxima. Nam alioqui Sadducæi & alii quidam ejuſmodi inſtitutis ſe non addicebant. Origo moris à contactu cadaveris, translatione facta ad alienigenas ut non minùs quàm cadavera impuros.

πυγμῇ, pugno] Ita vertunt LXX באגרף Exod. XXI, 18. *facto pugno*, ut Cicero loquitur. Nam manum in pugnum compoſitam manu altera lavabant, ut ex Moſe Gerundenſi atque aliis oſtenſum eſt. Tradit idem Iacobus Baalturim Magiſter Hebræus in Semita vitæ. Quod autem Theophylactus dicit ἄχρι τοῦ ἀγκῶνος [*cubito tenus*] in eo verum dixit, ſed quod ad vocis hujus ſignificationem aptari vix poteſt.

νίψωνται, laverint] שטף Levitici XV, 11.

4. *ἀπὸ ἀγορᾶς, à foro*] Supple γενόμενοι [*venientes*]. Qui deeſſe aliquid putarunt addiderunt ὅταν ἔλθωσι [*ubi venerint*], quod à Syro non agnoſcitur, neque neceſſarium eſt. In foro aliiſque locis publicis multi erant ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*], à quibus contaminari ſe etiam inſcios poſſe verebantur. Simili de cauſa in Paraſceue metuebant Prætorium accedere, quòd plenum eſſet hominibus Romanis.

βαπτίσωνται, baptizentur] Majori cura ſe purgabant à fori contactu, quippe non manus tantùm lavando, ſed & corpus merſando. Cùm verò hic mos apud omnes ferme Iudæos receptus fuerit ob conſentientem Magiſtrorum auctoritatem, ſatis hinc intelligitur eos qui peculiari ſectæ ſuæ nomine ἡμεροβαπτισταὶ [*Baptizatores quotidiani*] vocabantur plus feciſſe quam cæteros, merſatione uſos ſcilicet etiam cùm domo non exiiſſent; aut manè, ut notatum Clementi Alexandrino; aut etiam ſæpius, ut Batus ille apud Ioſephum ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα πολλάκις λουόμενος πρὸς ἁγνείαν [*frigidâ aquâ de die & de nocte ſæpius ſe lavans purificationis cauſâ*]. In Clementis Conſtitutionibus de iiſdem legitur, Καὶ ἡμεροβαπτισταὶ ἐὰν μὴ βαπτίσωνται οὐκ ἐσθίουσιν· ἀλλὰ καὶ τὰς κλίνας καὶ τοὺς πίνακας ἤτοι κρατῆρας καὶ ποτήρια καὶ καθίσματα ἐὰν μὴ καθάρωσιν ὕδατι, οὐδενὶ χρῶνται [*Quotidiani baptizatores niſi baptizentur non edunt: ſed nec utuntur lectis, diſcis, crateribus, poculis, ſedibus niſi aquâ purgatis*]. Quare apud Iuſtinum ubi ſectarum Iudaïcarum nomina recenſentur, legendum putem Φαρισαίων καὶ Βαπτιστῶν [*Phariſæorum & Baptiſtarum*] non Φαρισαίων Βαπτιστῶν [*Phariſæorum baptiſtarum*].

οὐκ ἐσθίουσι· non comedunt] Ne per cibum pollutum nova pollutio accedat. Lavabant religionis cauſâ ante cibum & poſt cibum, ut docent ſcripta Thalmudica.

παρέλαβον, tradita accepere] קבלו. Relata ſunt παραλαμβάνειν & παραδιδόναι [*traditum accipere & tradere*], ut ad Matthæum annotavimus.

ξεστῶν, urceorum] *Aquales* intelligit. Nam & Cicero *aquæ ſextarium* dicit. Sicut autem vox iſta ex Romano ſermone per omnem orbem derivata apud Græcos paſſa eſt literarum μετάθεσιν [*trajectionem*], ita & in Oriente : Nam Arabes dicunt قسط [*keſt*], Syri קסטא [*keſta*] pro סקסטא [*ſextu*]. Nominat ξέστας [*xeſtas*] pro menſura tunc Iudæis notiſſima Ioſephus in Vita ſua & in Originum libris : ξέστην [*xeſtam*] dixit & Adrianus Epicteto.

καὶ χαλκίων, & æramentorum] Cautè hoc dictum : ærea enim abluebantur, teſtacea frangebantur ſi polluta crederentur.

5. *οὐ περιπατοῦσι κατὰ τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, non ambulant juxta traditionem Seniorum*] Ita Actorum XXI, 21. μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν [*neque ſecundum conſuetudines ambulare*], הלך. Hebræi certam vivendi rationem ac conſuetudinem vocant הליכה [*ambulationem*].

κοιναῖς, communibus] Ἀνίπτοις [*illotis*], quod quidam habent codices, interpretamentum eſt ex commate 2. ſuprà. Latinus quoque legit κοιναῖς [*communibus*]· nec aliter Syrus : nam & ſuprà is pro κοιναῖς, τοῦτ' ἔστιν ἀνίπτοις [*communibus*, id eſt, *illotis*] interpretatus eſt *Illotis manibus*.

8. *Ἀφέντες, Relinquentes*] Primùm dicit Chriſtus *negligi*, id eſt, minùs curari ſolere præcepta Dilectionis, dum homines toti operoſis iſtis ritibus diſtinentur, quod ipſum ſatis eſt mali. At deinde gradu facto, Chriſtus inſuper demonſtrat eſſe quaſdam παραδόσεις [*traditiones*] quæ non tantùm avertant ab internæ pietatis ſtudio, verùm etiam directè repugnent præceptis à Deo traditis, ut ſolet ſuperſtitio in pejus procedere. Minus eſt ἀφιέναι [*relinquere*] quàm ἀθετεῖν [*irritum facere*], & propriè oppoſitum τῷ κρατεῖν [*ei quod eſt retinere*].

καὶ ἄλλα παρόμοια τοιαῦτα, & alia ſimilia his] Et alia id genus iſtis ſimilia, id eſt, ceremonias non minùs frigidas; quarum pleni ſunt Iudæorum libri. Lectionem hanc tuentur conſtanter codices Græci & Latinus Interpres, & infrà locutio eadem occurrit.

9. *Καλῶς, Bene*] Græcè admodum. Scholiaſtes

ad Ariſtophanem, ἀποστρεφόμενος καὶ παραιτούμενος λέγει τὸ Καλῶς [*averſans & rejiciens dicit, Bene*].

12. Καὶ οὐκ ἔτι ἀφίετε, *Et ultrà non dimittitis*] Eſt transitio ab oratione recta in obliquam. Nam recta oratio hæc fuerat, *Dicitis, Si quis dixerit patri aut matri, Deo ſacrum eſto quo à me juvari poſſes, is non opus habet patri aut matri beneficium ullum præſtare.* Sed quia qui hoc dicit, re ipſa non permittit, id eſt, impedit, beneficium, ideo ſenſu eodem manente mutatum eſt ſermonis genus. Sic infrà XI, 32. cùm Sacerdotes induxiſſet loquentes, ἀλλ' ἐὰν εἴπωμεν, ἐξ ἀνθρώπων [*at ſi dixerimus, Ex hominibus*], ſtatim ſenſu non impleto indirecta oratione intulit, ἐφοβοῦντο τὸν λαόν [*timebant populum*]· quod huic loco ſimillimum eſt. Contrà idem Marcus ſuprà VI, 9. cùm oratione indirecta dixiſſet ὑποδεδεμένους [*calceatos*], ſtatim directam orationem intulit, καὶ μὴ ἐνδύσησθε δύο χιτῶνας [*& ne induamini duabus tunicis*]. Tale eſt & illud Clementis Romani in libro cui titulus Περίοδοι Πέτρου [*Circuitus Petri*], ubi ſic ait, καὶ ὀμόσας ἀπεκρίνατο μηδὲν τούτων ἀληθέστερον εἶναι ὧν εἶπας [*& cum jurejurando reſpondit nihil verius eſſe his quæ dixiſti*]. Et Lucas cùm obliqua oratione dixiſſet, ὅτι ἄξιός ἐστιν ᾧ παρέξει τοῦτο [*dignum eſſe cui hoc Ieſus præſtaret*] *cui hoc præſtaret Ieſus* nam ut ſecundæ ſit perſonæ præter morem eſt horum Scriptorum), ſubjecit oratione directa, ἀγαπᾷ γὰρ τὸ γένος ἡμῶν [*diligit enim gentem noſtram*]. Sic & Matthæus ubi Chriſtum inducit loquentem quædam tamen de ſuo interſerit, IX, 6. XXVI, 18. Bene autem dictum eſt, *non ſinitis*, quia dogmata illorum tali officio homines avocabant. De re ipſa vide quæ apud Matthæum.

15. ἔξωθεν τοῦ ἀνθρώπου, *extra hominem*] Citra hominis conſcientiam. Vide infrà 19.

κοινῶσαι· *coinquinare*] *Profanum*, id eſt, Deo inviſum, *reddere*.

19. καρδίαν] *Animum*, ex quo ſolo delictum naſcitur.

καθαρίζον, *purgans*] Si quid eſt in cibo naturalis immunditiæ, id alvo ejectum purgat relictum in corpore cibum.

22. πλεονεξίαι, *avaritiæ*] *Studium habendi*, quod ipſum, ut injuſtæ rei faciendæ rationes abſint (quod fieri vix ſolet), per ſe vitioſum eſt, imò ut Paulus ait εἰδωλολατρεία [*idololatria*] quædam. Id propriè hæc vox deſignat, ut ipſa origo indicat, quanquam uſus ad res conſequentes ſignificationem produxit. Xenophon dixit τὸν τοῦ πλεονεκτεῖν ἔρωτα [*ſtudium plus habendi*]. Nec aliter uſurpari à noſtris Scriptoribus indicio eſt Lucæ illud, Ὁρᾶτε καὶ φυλάσσεσθε ἀπὸ τῆς πλεονεξίας· ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ [*Cavete ab omni avaritia: quia non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his quæ poſſidet*]. Plurali autem numero πλεονεξίαις [*avaritias*] dixit & Petrus epiſtolâ ſecundâ cap. II, 14.

πονηρίαι; *nequitiæ*] Πονηρία eſt ubi latiùs ſumatur pro omni *vitioſitate*, quam κακίαν Græci vocant. At hìc certa eſt ſpecies tantùm, ni fallor, *à dolo*, qui ſequitur, diſtans quantum κλοπὴ [*furtum*] ſuperat πλεονεξίαν [*avaritiam*]. Idem hujus vocis uſus eſt Romanor. I, 29. ubi vetus Interpres *malitiam* vertit, meo judicio optimè. Cicero Tuſculanarum IV. *Malitia certi cujuſdam vitii nomen eſt, vitioſitas omnium.* Huic affinis eſt κακοήθεια [*malignitas*].

δόλος, *dolus*] *Dolus malus*: quem in cenſu vitiorum Paulus etiam ponit dicto ad Romanos loco. Eum definiebat Aquilius, *Cùm aliud ſimulatum eſt aliud actum.* Vlpianus, *Machinationem quandam alterius decipiendi cauſâ cùm aliud ſimulatur & aliud agitur.*

ἀσέλγειαι, *impudicitiæ*] Reperitur hæc vox plerunque juncta cum voce ἀκαθαρσίας [*impuritatis*] apud Paulum, ut II Corinth. XII, 21. Galat. V, 19. Epheſ. IV, 19. & hîc Syrus *fœtorem* tranſtulit: unde apparet intelligi obſcœnitatem in dictis factiſque: ut pars ejus ſit αἰσχρολογία [*obſcœniloquentia*], quam cæteris vitiis annumerat Paulus Coloſſ. III, 8. Pluralem autem numerum codices boni præferunt; atque ita legit Latinus.

ὀφθαλμὸς πονηρὸς, *oculus malus*] φθόνος [*invidia*] dicto ad Romanos loco. Eo enim ſenſu plerunque Hebræi uſurpant עין רע [*oculum malum*], ut Deuteronom. XV, 9.

βλασφημία, *blaſphemia*] Exprimitur & hoc vitium, *maledicentia* ſcilicet, dicto ad Coloſſenſes loco. Et ad Romanos duo genera notantur hominum eo vitio ægrotantium, ψιθυρισταὶ καὶ καταλάλοι [*ſuſurrones & detractores*].

ὑπερηφανία, *ſuperbia*] Ὑπερηφάνους [*ſuperbos*] nominat & Paulus dicto ad Romanos loco. Eſt autem ὑπερηφανία [*ſuperbia*], Theophraſto definiente, καταφρόνησίς τις πλὴν αὐτοῦ τῶν ἄλλων [*contemtus aliorum extra ſe*]. Seneca, *Ex faſtidio venit omnis ſuperbia.*

ἀφροσύνη. *ſtultitia*] Puto ἀφροσύνην [*ſtultitiam*] hîc eſſe incogitantiam atque incuriam rerum bonarum, quæ maxima delictorum ſcaturigo eſt. Ita Paulus Epheſ. V, 17. Διὰ τοῦτο μὴ γίνεσθε ἄφρονες, ἀλλὰ συνιέντες τί τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου [*propterea nolite fieri imprudentes, ſed intelligentes quæ ſit voluntas Dei*].

23. ἔσωθεν ἐκπορεύονται, *abintus procedunt*] Factis ſe produnt. Vide quæ ad Matthæum.

24. οὐδένα ἤθελε γνῶναι· *neminem voluit ſcire*] Ne de induſtria profanarum gentium homines ad ſe allicere videretur, poſthabitis Iudæis.

27. Ἄφες πρῶτον χορτασθῆναι τὰ τέκνα· *Sine priùs ſaturari filios*] Sine priùs Iudæos impleri beneficiis, ut nihil habeant quod querantur. Tum tempus veniet ſpargendi cœleſtia beneficia in gentes alias, cùm Iudæos eorum faſtidium ceperit.

29. Διὰ τοῦτον τὸν λόγον, *propter hunc ſermonem*] Μετωνυμία [*transnominatio*] effecti pro cauſa. Per *orationem* enim ſignificatur fides oratione expreſſa, ut apud Matthæum videre eſt.

ὕπαγε· *vade*] Per παρένθεσιν [*inſertionem*] accipiendum eſt, ut præcedentia ſequentibus cohæreant.

30. βεβλημένην ἐπὶ τῆς κλίνης. *jacentem ſuper lectum*] In lecto molliter cubantem ſine ulla jactatione.

32. μογιλάλον· *hominem impeditæ linguæ*] Omnino Syro aſſentior atque aliis qui hunc non mutum ſed impeditæ linguæ fuiſſe arbitrantur. Nam ſequitur ἐλάλει ὀρθῶς [*loquebatur rectè*]. Neque obſtat

quod infrà dicitur ἀλάλους λαλεῖν [*elingues loqui*]. Nam ἀ [*è*] particula Græcis ſæpe Difficultatem ſignificat. Sed & LXX Hebræum אלם modò vertunt μογιλάλον [*impeditæ linguæ hominem*], ut Eſaiæ XXXV, 6. modò ἄλαλον [*elinguem*], ut Pſalm. XXXVIII, 14.

ἵνα ἐπιθῇ αὐτῷ τὴν χεῖρα. *ut imponat illi manum*] Vide Matth. IX, 18. & ſuprà V, 23.

33. τοὺς δακτύλους αὐτοῦ εἰς τὰ ὦτα, *digitos ſuos in auriculas ejus*] Sæpe Chriſtus externo aliquo ſigno inadſpectabilem efficaciam velut ſpectandam exhibebat. Ita digitis in aures immiſſis irrigatâque linguâ teſtatum fecit ſe eum eſſe cujus vi clauſi meatus quaſi perterebrarentur, & lingua palato adhæreſcens motum recuperaret.

καὶ πτύσας, *& exſpuens*] Vide infrà VIII, 23. & Iohann. IX, 6. ubi cæci ſimiliter per ſalivam ſanantur. Nec aliò hoc referendum mihi videtur quàm quò ſuperiora, ut hoc quoque indicio oſtenderetur ab ipſo Ieſu prodiiſſe hanc ſalutiferam virtutem, cùm nihil admotum eſſet affecto corpori præter ea quæ ipſius Ieſu erant propria.

34. ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανόν, *ſuſpiciens in cælum*] Matth. XIV, 19. ſuprà VI, 41. Luc. IX, 16. Hoc ſigno referebat ad Patrem, operis gloriam, Iohannis XI, 41. XVII, 1.

ἐστέναξε, *ingemuit*] Miſerans, ut credibile eſt humani generis labores.

Ἐφφαθὰ, ὅ ἐστι, Διανοίχθητι. *Ephphatha, quod eſt, Adaperire*] Omnia ſenſuum impedimenta velut vincula quædam ſunt: unde etiam פקח [*aperiri*] & גלוי עינים [*pateſcere oculis*] dicitur qui oculis rectè utitur, Exod. IV, 11. Num. XXIV, 4. & ἀνοίγεσθαι [*aperiri*] de oculis dixit Matth. IX, 30. XX, 33. & Iohann. IX, 14, 17, 21, 26, 30, 32. X, 21. XI, 37. Quare & hoc loco poteſt non minùs ad linguam quàm ad aures referri; quanquam propriè, ut jam ſequitur, διανοίγεσθαι [*adaperiri*] Auribus convenit, λύεσθαι [*ſolvi*] Linguæ. Sed ſolent iſta per abuſionem miſceri, Luc. I, 64. de Zacharia, Ἀνεῴχθη δὲ τὸ στόμα αὐτοῦ [*Apertum eſt os ejus*]. De ore quidem ſæpe id loquendi genus reperias, Pſalm. XXXVIII, 14. ὡσεὶ ἄλαλος οὐκ ἀνοίγων τὸ στόμα [*ſicut mutus non aperiens os ſuum*]. XXXIX, 10. Ἐκωφήθην, καὶ οὐκ ἤνοιξα τὸ στόμα [*Obmutui & non aperui os meum*]. Prov. XXXI, 8. Ἄνοιγε σὸν στόμα ἀλάλῳ [*Aperi os tuum muto*] juxta Aquilam & Symmachum. Hæc autem vox *Ephphatha* ſimul cum Saliva, & Tactu aurium ac linguæ, ex hoc Chriſti facto ad Baptiſmi ritus poſtea translata ſunt, ut ſignificaretur non minùs interna mentis impedimenta tolli per Spiritum Chriſti quàm in iſto homine ſublata fuerant ſenſuum impedimenta. Nam & Cor dicitur διανοίγεσθαι [*aperiri*] Actor. XVI, 14. Imò & cordi aures tribuuntur, ut alibi vidimus.

35. δεσμὸς τῆς γλώσσης αὐτοῦ, *vinculum linguæ ejus*] Ita & morbus δεσμὸς [*vinculum*] dicitur Lucæ XIII, 16.

36. ὅσον, *quantò*] Cur à Syri & Latini interpretatione hìc recedendum ſit cauſæ nihil video. Nam ἀπόδοσιν [*id quod reſpondet*] in hoc genere loquendi ſilentio omitti frequentiſſimum eſt, etiam apud Latinos auctores; & poteſt ea ſatis intelligi ex ſequente comparativo: ὅσον autem dicitur ſuppreſſâ voculâ, quæ ſæpe ſupprimi ſolet, κατά. Nam καθ' ὅσον ita uſurpat Scriptor ad Hebræos III, 3. καθ' ὅσον πλείονα τιμὴν ἔχει, [*quantò majorem honorem habet*]. Oſtendit hìc locus veritatem proverbii, *Gloria fugientem ſequitur*.

μᾶλλον περισσότερον, *magis plùs*] Tale eſt μᾶλλον διαφέρετε [*magis præſtatis*] Matth. VI, 26. μᾶλλον εἰς τὸ χεῖρον [*magis in pejus*] Marc. V, 26. περισσοτέρως μᾶλλον [*abundantiùs magis*] II Cor. VII, 13.

ἐκήρυσσον. *prædicabant*] Sic impletum Eſaiæ vaticinium XXXV, 6. תרן לשון אלם, [*præconium faciet lingua muti*].

37. ὑπερπερισσῶς, *ſuperamplius*] Ita ὑπερπερισσεύειν [*ſuperabundare*] dixit Paulus.

ἐξεπλήσσοντο, *admirabantur*] Rurſus dictum imperſonaliter. Subintelligendum οἱ ἄνθρωποι [*homines*] qui iſta audiebant. Ita & infrà cap. VIII, commate 22. φέρουσι [*adducunt*].

Καλῶς πάντα πεποίηκε· *Bene omnia fecit*] Scriptor Eccleſiaſtici, τὰ ἔργα τοῦ Κυρίου πάντα καλὰ σφόδρα [*opera Domini univerſa bona valde*], XXXIX, 21.

CAPVT VIII.

2. Οὐκ ἔχουσι τί φάγωσι. *nec habent quod manducent*] Vt olim cùm manna datum eſt, Exodi XVI.

3. ἐκλυθήσονται, *deficient*] Reſpondet hæc vox Hebrææ עטף, ut apparet Thren. II, 11, 19.

ἥκασι. *venerunt*] Hanc lectionem tuetur veterum Interpretum auctoritas.

4. Πόθεν, *Vnde*] Πόθεν ἄρτων [*unde panibus*] ſupple ληφθέντων [*acceptis*]. Vnde acceptis panibus alere eos poſſimus? Vide Matthæum.

7. εἶπε παραθεῖναι, *dixit apponere*] Εἶπε [*dixit*], id eſt, ἐκέλευσε [*juſſit*], ut antè diximus. Atque ita rectè hìc vertit Latinus Interpres.

10. Δαλμανουθά. *Dalmanutha*] Ita Syrus, Arabs, Latinus & præſtantiſſimi codices, & Græci Scriptores ad hunc locum: quare quod alii libri pridem habuerunt Μαγεδὰν [*Magedan*] aut Μαδεγαδὰ [*Madegada*] interpretamentum eſt ex Matthæo. Chriſtus hìc per ſortem Rubenis venit in ſortem Manaſſis; inde per ſortem Gadis in ſortem Danis, infrà 27. ne quam partem terræ inter Iacobi poſteros olim diviſæ omittat.

11. συζητεῖν αὐτῷ, *conquirere cum eo*] Mos antiquiſſimus diſputandi erat per interrogationes. Hinc πλείω ἐρωτήματα [*pluria interrogata*] in Sophiſmatum numero ponit Ariſtoteles. Vide & Lucæ II, 46. Hinc factum ut συζητεῖν [*conquirere*] dicatur *diſputare*.

12. ἀναστενάξας τῷ πνεύματι αὐτοῦ, *ingemiſcens ſpiritu ſuo*] *Suſpiria duxit ab imo pectore*, ut loquuntur Latini Poëtæ. Nam πνεῦμα [*ſpiritus*] hoc loco eſt *animus humanus*. Vide quæ ad Matth. V, 3.

εἰ δοθήσεται, *ſi dabitur*] Vt Pſalmo CXXXI, 2. εἰ μὴ ἐταπεινοφρόνουν [*ſi non humiliter ſentiebam*]. CXXXII, 3. εἰ εἰσελεύσομαι [*ſi introiero*]· ubi malè nunc in Græcis codicibus εἰ omittitur, quod apparet ex membro ſequenti καὶ εἰ ἀναβήσομαι [*& ſi adſcendero*]. Subticetur quæ plenam orationem faceret ἀρὰ [*imprecatio*], idque melioris ominis cauſâ. Quod &

Deus ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*] imitatur Pſalmo LXXXIX, 36. XCV, 11.

τῇ γενεᾷ ταύτῃ σημεῖον. *generationi iſti ſignum*] Repetendum ἀπὸ τοῦ κοινοῦ [*ex dicto in commune*] quod præceſſit ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ [*de cælo*].

15. βλέπετε, *videte*] Ita & Paulus dixit βλέπετε [*videte*] pro *cavete* Philippenſ. III, 2. & noſter hic infrà XII, 38.

Ἡρώδου. *Herodis*] Ita priſci Interpretes. Quare quod alii habent Ἡρωδιανῶν [*Herodianorum*] ex annotatione natum eſt. Vocatur autem Herodianorum dogma *Herodis*, quia Herodi honorem deferebat qui Meſſiæ debebatur: quos partem fuiſſe Sadducæorum alibi diximus.

17. πεπωρωμένην, *callo obductum*] Vide ſuprà VI, 52.

18. Ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐ βλέπετε; καὶ ὦτα ἔχοντες οὐκ ἀκούετε; *Oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis?*] Alibi perverſitas notatur obſtans docilitati; hîc verò ἀπροσεξία [*negligentia*]. Cum verba mea veſtris auribus inſonent, miracula præſtringant oculos, neutra in animum admittitis.

19. ἔκλασα, *fregi*] *Diſtribui*, ex Hebraïſmo ſatis noto.

23. τῆς κώμης· *vicum*] Ita vocat ex antiquo more, quanquam nuper jus oppidi acceperat; unde *oppidum* Iohannes appellat. Ioſephus de Philippo, κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν, πρὸς λίμνῃ δὲ τῇ Γεννησαρίτιδι, πόλεως παρασχὼν ἀξίωμα πλήθει τε οἰκητόρων καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τῇ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐκάλεσε [*Vicum autem Bethſaidam, lacui Genneſaritico adſitum, cùm ad dignitatem oppidi perduxiſſet multisque habitatoribus & cæterâ opulentiâ inſtruxiſſet, nomen ei dedit ab Iulia Cæſaris filia*]. Indignos Chriſtus Bethſaïdenſes judicat qui teſtes eſſent miraculi, & mox ne narrari quidem ipſis miraculum permittit, ob eam ſcilicet contumaciam de qua alibi conqueritur.

24. ἀναβλέψας, *adſpiciens*] Aſſentio interpretanti *Oculos tollens*, quo ſenſu ἀναβλέψας habuimus ter ſuprà.

25. καὶ ἐποίησεν αὐτὸν ἀναβλέψαι· *& fecit eum videre*] Cùm hoc non habeat Syrus, & aliter legerit Latinus, unde nata eſt altera lectio καὶ ἤρξατο ἀναβλέψαι [*& cœpit videre*], fieri poteſt ut adjectum ſit ab eo qui vim impoſitarum ſecundò manuum voluit exprimere.

ἀποκατεστάθη, *reſtitutus eſt*] Vide ſuprà III, 5.

ἐνέβλεψε, *introſpexit*, id eſt, *vidit*] Ita de ſe Paulus Actor. XXII, 11. ὡς δὲ οὐκ ἐνέβλεπον [*cùm non viderem*].

ἅπαντα. *omnia*] Cùm & codices quidam ita habeant, atque ita legerint Syrus & Latinus, præferenda hæc lectio videtur.

26. εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, *in domum ſuam*] Videtur in agro habitaſſe.

τινὶ ἐν τῇ κώμῃ. *alicui in vico*] Locum qui multis obſcurus eſt viſus perſpicuum facit intellecta ἔλλειψις [*ſubauditio vocis*]. Senſus enim eſt μηδὲ εἴπῃς τινὶ τῶν ἐν τῇ κώμῃ [*neque dixeris alicui eorum qui in vico*], ſcilicet οἰκούντων [*habitant*]. Non modò vetat eum ire in oppidum, ſed & ſi quis oppidanorum alibi ei fiat obvius rem narrare prohibet. De articuli reticentia ante præpoſitiones diximus ad Matthæi XXII, 30.

30. περὶ αὐτοῦ. *de ipſo*] Illud, *Chriſtum ſe eſſe*. Nam veri Doctorem & Prophetam ſe dici ab Apoſtolis volebat; Meſſiam verò ſe eſſe paucis dixit, nolens id ipſum publicè vulgari ante triumphatam mortem. Videtur autem Petrus in hujus hiſtoriæ recitatione magnificam illam promiſſionem à Chriſto ſibi factam modeſto ſilentio præteriſſe, cùm quicquid erat in quo culpari ipſe poſſet apertiſſimè narraverit: quam formam narrandi bona fide ſecutus eſt Marcus.

31. ἀποδοκιμασθῆναι, *reprobari*] Alluſio ad locum Pſalmi CXVIII, 22. cujus ſæpe meminerunt Chriſtus ejusque Apoſtoli. Ibi in Hebræo eſt מאס, quod Helleniſtæ modò vertunt ἀποδοκιμάζειν [*reprobare*], modò ἐξουθενεῖν [*nihili pendere*]. Habuit ἐξουδένησις [*abjectio*] ſuos gradus; ad ſummum autem pervenit eo tempore cùm Chriſtus à Synedrio, tanquam indignus Iudæi nomine, traditus eſt Romanæ poteſtati.

μετὰ τρεῖς ἡμέρας, *poſt tres dies*] Vide quæ ad Matth. XXVII, 63. Hoc addam, non malè ab Hebræis dici ſolere *Deum beneficia ſua cumulatiùs implere quàm verba ferunt*. Intra triduum præſtare quod exacto triduo facturum te promiſeris, bonitatis eſt laudandæ, non accuſandæ vanitatis. Nam in promiſſis tempus adjicitur ne ſeriùs fiant, non ne citiùs dicto. Atque ita ajunt Iudæi liberationem ex Ægyptiaca ſervitute promiſſam poſt annos quadringentos, præſtitam poſt ducentos & quod excurrit.

32. παῤῥησίᾳ, *palàm*] בגלא Syrus rectè; *ſine involucris*, παροιμίαν οὐδεμίαν λέγων [*proverbium nullum dicens*], ut Iohannes hanc vocem explicat, id eſt, λόγῳ ἀσχηματίστῳ [*ſermone non figurato*], ſimplici ac nuda oratione, non per figuras, ut antè Iohann. II, 19. III, 14. VI, 51. προθυμίαν [*promptè*] eodem ſenſu eſt apud Dionem.

35. σώσει, *ſalvam faciet*] Εὑρήσει [*inveniet*], Matth. X, 39. ubi quæ notata vide.

38. ἐπαισχυνθῇ, *confuſus fuerit*] Dicunt quidem Latini *erubeſcere aliquem*, ſed ſenſu longè alio, pro eo quod eſt *revereri*. Atque eo modo αἰσχύνομαι cum caſu quarto Græci uſurpant. Hîc autem eſt ἐπαισχύνεσθαι, *agnoſcere aliquem nolle quòd abjectæ ejus ſortis nos pudeat*: quomodo & Paulus uſurpat Rom. I, 16. Eſt autem in hac Chriſti oratione inſigne ἀντίθετον [*contrapoſitum*]· nam ex adverſo reſpondent homo quilibet, & Chriſtus; non agnoſcere, & non agnoſci; ſtatus Chriſti humilis, & ſtatus glorioſus; mundus hic perverſus, & ſancti Angeli.

μοιχαλίδι, *adultera*] Matth. XII, 39. Ita meritò vocatur mundus, id eſt, major pars humani generis, ob defectionem ab uno vero Deo & ejus cultu, Iohann. XVII, 25.

CAPVT IX.

1. Καὶ ἔλεγεν αὐτοῖς, *Et dicebat illis*] Miror hoc comma in quibusdam codicibus inchoare novam ſectionem, cùm rectiùs adhæreat præcedentibus; quomodo diviſionem inſtituiſſe videntur & veteres Græci.

ἐν δυνάμει, *in virtute*] Per vim Spiritus Sancti.

3. στίλβοντα, *ſplendentia*] Ἐξαστράπτοντα Lucas, *fulgurantia*: οἱ ἀστρολόγοι τοὺς ἐν κινήσει ὄντας ἀστέρας στίλβοντας

καλοῦσιν [*Aſtrologi ſtellas quæ in motu ſunt ſplendentes vocant*], inquit Apollonii interpres.

οἷα γναφεὺς ἐπὶ τῆς γῆς οὐ δύναται λευκᾶναι. qualia fullo non poteſt ſuper terram candida facere] *Quàm candida nullus in terris fullo fecerit.* Non diſſimile loquendi genus apud Horatium,

——— *animæ quales neque candidiores*
Terra tulit.

6. ἔκφοβοι. *exterriti*] Eadem vox Hebr. XII, 21.

10. τί ἐστι τὸ ἐκ νεκρῶν ἀναστῆναι. *quid eſſet ex mortuis reſurgere*] Generalem Reſurrectionem, ut Martha Ioh. XI, 24. tum ex traditione majorum tum ex apertiſſima Chriſti doctrina ſperabant, qualis tamen ea futura eſſet non ſatis intelligentes: At in hoc ævo aliquem verè mortuum in vitam reverti poſſe, in mentem ipſis venire non poterat. Quare ſequitur ut qui à Prophetis & Chriſto reſuſcitati erant hactenus eorum animas non putaverint planè fuiſſe ἐν ᾅδου [*apud inferos*], hoc eſt, à corpore ſeparatas, aut id quoque, ut alia multa ante ubertatem Spiritus Sancti, per incogitantiam ipſis in oblivionem verterit. Vide infrà 33.

11. Ὅτι λέγουσιν, *Quid ergo dicunt*] Sic Hebræi כי ſuum pro *cur uſurpant*, Eſa. XXIX, 16. Sic infrà IX, 28. Hoc Hebraïſmis Marci annumerandum.

12. Ηλίας μὲν ἐλθὼν πρῶτον ἀποκαθιστᾷ πάντα· *Elias veniens primùm reſtituet omnia*] Μιμητικῶς [*imitando*] recitat dictum frequens in ore Legis peritorum; quod certo ſenſu verum eſſe concedit.

καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξουδενωθῇ. *& quomodo ſcriptum eſt in Filium hominis, ut multa patiatur & contemnatur*] υἱὸς ἀνθρώπου [*Filius hominis*] eſt Meſſias; ut alibi diximus. ἐξουδενοῦσθαι [*nihili fieri*], ut modò diximus, Helleniſtis idem eſt quod ἀποδοκιμάζεσθαι [*reprobari*], & convenit cum illo Eſaiæ בוזה נפש [*contemtibilis anima*] XLIX, 7. Si verum eſt *Eliam omnia reſtituturum*, id eſt, quemadmodum Legisperiti interpretantur, effecturum ut à populo omni Iudaïco Meſſias gratis animis accipiatur, quomodo igitur conſtabit fides aliis vaticiniis quæ oſtendunt fore ut Meſſias *multa patiatur* (quod apertiſſimè dixit Eſaias), *& rejiciatur à primoribus populi* (quod David διὰ τύπου [*per typum*] ſignificavit), imò cur Meſſias dicitur *Filius hominis*, quod nomen ſortem abjectam indicat? Simili modo πῶς [*quomodo*] ſumitur Matthæo XXII, 45.

13. Ἀλλὰ λέγω ὑμῖν, *Sed dico vobis*] Imò, inquit, tantum abeſt ut Eliæ operâ omnes Iudæi ſint ad obedientiam Meſſiæ debitam perducendi, ut ipſe qui Elias dicitur debuerit à Iudæis atrociſſima perpeti.

καθὼς γέγραπται ἐπ᾽ αὐτόν. *ſicut ſcriptum eſt de eo*] Cùm Baptiſtam *Eliam* vocet Propheta, hoc ipſo intelligi datur non defuturos ipſi Achabos & Iezabeles.

16. πρὸς αὐτούς; *ad ipſos*] Ita Syrus legit, Diſcipulos intelligens, quod omnino exigere videtur comma 14 ſuprà.

18. ῥήσσει αὐτόν· καὶ ἀφρίζει, *allidit illum: & ſpumat*] Ῥήσσειν & σπαράσσειν [*elidere & diſſipare*], pro quo Marcus ſuprà capite I, 26. & hoc loco bis dixit σπαράσσειν [*diſcerpere*], diſtinguit Lucas IX, 42. Et Syrus hìc pro ἀφρίζει [*ſpumat*] legiſſe videtur σπαράσσει [*diſcerpit*], cùm tamen μετὰ ἀφροῦ [*cum ſpuma*] fit etiam apud Lucam. Puto ῥήσσει eſſe *ſolo allidit*, quomodo accepit Syrus & vetus Interpres Latinus. Et Tertullianus illud Matth. VII, 6. μήποτε ῥήξω ὑμᾶς vertit, *ne vos evertant*, Ad uxorem II. Si חרם Græci alibi vertunt ῥηγνύναι [*allidere*], alibi καταβάλλειν [*dejicere*]. & נטש alibi ῥηγνύναι [*allidere*] alibi ῥάσσειν [*projicere*] vel ἐδαφίζειν [*ſolo illidere*]. Eſt autem ἔλλειψις [*defectus locutionis*] in illo κ ἀφρίζει [*& ſpumat*]. ſubauditur enim αὐτός [*ille*].

τρίζει, *ſtridet*] חרק.

καὶ ξηραίνεται· *& areſcit*] *Tabeſcit* יבש, ut Zach. XI, 17.

20. καὶ ἰδὼν αὐτὸν εὐθέως τὸ πνεῦμα, *& videns ſtatim ſpiritus*] Omnino ἰδὼν [*videns*] conſtruendum eſt cum πνεῦμα [*ſpiritus*], nimirum κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ſecundum vocis ſignificationem*]. Perinde enim eſt quaſi diceretur δαίμων [*dæmon*]· que ita apparet Syrum accepiſſe. Similis conſtructio Ioh. XVI, 13.

ἐσπάραξεν αὐτόν· *diſcerpſit illum*] Syrus legiſſe videtur ἔρρηξεν [*alliſit*], Latinus ἐτάραξεν [*conturbavit*]. Vtrumque ab interpretamento natum videtur.

ἀφρίζων. *ſpumans*] Videtur Syrus non intellexiſſe vocem ἀφρίζειν [*ſpumare*] hoc loco, & ἀφ [*ſpumæ*] apud Lucam, niſi fortè hìc πρίζων [*ſerratim ſecans*] & ſuprà πρίζει [*ſerratim ſecat*] legerit. Noſtram lectionem defendit Lucas; & rei convenit: eſt enim conjunctum id inſaniæ. Vide hiſtoriam quæ eſt I Sam. XXI. & ibi Ioſephum; item Scriptorem libri περὶ ἱερᾶς νόσου [*De ſacro morbo*] qui eſt inter Hippocratea.

21. Παιδιόθεν. *Ab infantia*] Marcus παιδίον vocat etiam puellam duodecennem, ut apparet ſuprà V. 39, 42. Neque aliter hìc Syrus accepit, ut notavimus ad Matthæum. נער παιδάριον [*puerulum*] plerunque vertunt LXX. At illud, quod indidem venit, מנעריו Gen. VIII, 21. ἐκ νεότητος [*à juventute*].

22. εἴ τι δύνασαι, βοήθησον ἡμῖν, *ſi potes, adjuva nos*] In paucis verbis & fidei aliquid elucet, & id ſanè exiguum: quod tamen Chriſtus non aſpernatur.

23. Τὸ, εἰ δύνασαι πιστεῦσαι, *Si potes credere*] Ἐλλειπτικὸς λόγος [*defectivus ſermo*], quem optimè ſupplebis addito βοηθήσει σοι [*juvabit te*]. *Confidere, ſi modò id potes, erit tibi ſaluti.* Ita infrà ἡ πίστις σου σέσωκέ σε [*fides tua te ſalvum fecit*]· niſi malimus τὸ hìc παρέλκειν [*abundare*], quomodo ferme apud Lucam XXII, 2.

πάντα δυνατὰ τῷ πιστεύοντι. *omnia poſſibilia ſunt credenti*] Omnia effici poſſunt (à Deo ſcilicet) in uſum confidentium.

24. βοήθει μου τῇ ἀπιστίᾳ. *adjuva incredulitatem meam*] Quod fiduciæ meæ deeſt, bonitate tua ſupple. Nam ut augmentum fiduciæ ab Ieſu ſperaverit, & quidem ſubitò, vix credibile eſt.

25. ἐπισυντρέχει, *concurrentem*] Particulâ ἐπὶ puto motum ad locum ſignificari, ut ſenſus ſit, *concurrentem ad ipſum*; quomodo ſumſit Syrus.

καὶ μηκέτι εἰσέλθῃς, *& ampliùs ne introeas*] Id ideo, quia incurſus iſte dæmonis, ad exemplum lunatici morbi, ſua habebat intervalla.

28. Ὅτι, *Quare*] Pro Τί ὅτι aut Διὰ τί, ut & ſuprà commate 11. Confer cum utroque Matthæi loca.

30. παρεπορεύοντο, *prætergrediebantur*] id eſt, παρὰ τὴν ὁδὸν ἐπορεύοντο [*extra viam ibant*], *diverticulo ibant*, *non viâ regiâ*. Solus enim eſſe cum Diſcipulis Chriſtus volebat. Eſt quidem παραπορεύεσθαι interdum *præterire*, aut etiam cum dativo *ad latus alterius ire*: ſed ut qui in eodem ſint itinere dicantur παραπορεύεσθαι, id eſt, *unà iter facere*, non videtur ἀναλογία [*Ratio vocum ſimilium*] pati. Eòdem quo hîc interpretor ſenſu Marcus παραπορεύεσθαι [*extra viam ire*] & ſuprà uſurpavit II, 23. Nam & ibi Chriſtus per agros privatos non per viam publicam iter faciebat. Et ſic עבר [*transire* vel *prætergredi*] Græci vertunt παραπορεύεσθαι Deut. II, 18. quanquam alibi ea voce laxiùs uſi.

31. παραδίδοται εἰς χεῖρας ἀνθρώπων, *traditur in manus hominum*] Puto rectè referri poſſe ad permiſſionem Dei Patris, quia dicitur ἀνθρώπων [*hominum*].

32. τὸ ῥῆμα, *verbum*] Non de morte (nam ob eam triſtitiâ afficiebantur, Matth. XVII, 23.) ſed de modo mortis, violento ſcilicet, Luc. IX, 45. & ſimul de reſurrectione; ut ſuprà commate II. Non intelligebant quomodo hæc cum vaticiniis de Regno Meſſiæ cohærerent.

34. τίς μείζων· *quis major*] Scilicet inter ipſos: id enim tacitâ primùm cogitatione, deinde & verbis inter ſe agitaverant. At à Chriſto invitati ut dicerent quid eſſet de quo disceptaſſent, id quidem tacent, ſed generaliùs & honeſtiùs proponunt quæſtionem, Quis in Regno Meſſiæ maximus eſſet futurus, nulla ſui facta mentione.

35. ἔσται, *erit*] Hæc erit Regni mei conditio, ut qui maximas obituri ſunt functiones non majora percepturi ſint commoda, ſed plus toleraturi laboris in aliorum utilitatem. Vide Matth. XX, 26.

36. ἐναγκαλισάμενος αὐτὸ, *quem cùm complexus eſſet*] Vide infrà X, 16. Hebræum חבק LXX vertunt ἐναγκαλίζεσθαι [*complecti ulnis*] Proverb. VI, 10. alibi vertunt περιλαμβάνειν [*circumdare*], ut II Reg. IV, 16. & Eccleſ. III, 5. Geneſ. XXIX, 13. alibi συνέχεσθαι ἀγκάλαις [*continere ulnis*] Prov. V, 20. Non malè igitur vertitur *amplectens*. Neque enim erat tam parvus infans ut ulnis geſtandus eſſet, quippe qui vocatus à Chriſto accurrerit, ut ex Matthæo diſcimus. Imò Chriſtus puerum *juxta ſe conſtituit*, ut Lucas narrat IX, 47. Amplexu Chriſtus amorem teſtatus eſt quo ſimplicem ætatem & homines ad eam ſimplicitatem ſe componentes proſequitur.

37. τῶν τοιούτων παιδίων, *ex hujusmodi pueris*] Metaphora ex comparatione: *Pueros* enim vocat qui puerorum inſtar ab ambitione & ſimilibus vitiis vacant. Vide ad Matthæum.

καὶ ὃς ἐὰν ἐμὲ δέξηται, *& quicunque me ſuſceperit*] Matth. X, 40.

οὐκ ἐμὲ δέχεται, *non me ſuſcipit*] Μόνον [*ſolum*] ex interpretamento adjectum, ſed frequenter ſolet in hujusmodi bimembri oratione ſubaudiri: Gen. XXXII, 28. Ioh. XII, 44. Alibi ſimilis ἔλλειψις [*defectus*] per *tam & quàm* rectiùs exprimitur; ut infrà XIII, 11. Ioh. VII, 16.

38. ἐν τῷ ὀνόματί σου, *in nomine tuo*] *Te nominato.* Formula enim erat exorciſmi, *In nomine Ieſu Nazareni egredere*; ut & in ſanationibus, Actor. III, 6. Hæc autem formula, ſicut in fidelibus omnibus efficax erat ex Chriſti promiſſione (qua de re agemus alibi), ita interdum vim ſuam habebat etiam per minùs bonos pronuntiata, idque ad honorem Ieſu, ut ex Origene alibi oſtendimus. Videtur autem iſte de quo agit Iohannes neque tam pravus fuiſſe quàm erant Scævæ filii, neque tamen ita addictus Ieſu ut ſe in ejus diſciplinam traderet; ſed medio affectu, non malè de Ieſu ſentiens; id enim ſignificare videntur Chriſti verba.

ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν· *qui non ſequitur nos*] Non ſe adjungit noſtro comitatui, neque profitetur ſe tui gregis.

ἐκωλύσαμεν αὐτὸν, *prohibuimus eum*] Non invidiâ, ſed improvido in Magiſtrum ſtudio, ſimiles Ioſuæ Num. XI, 28. nondum intelligentes illud quod dixit Paulus, παντὶ τρόπῳ, εἴτε προφάσει, εἴτε ἀληθείᾳ, Χριστὸς καταγγέλλεται· καὶ ἐν τούτῳ χαίρω, ἀλλὰ καὶ χαρήσομαι [*Dum omni modo ſive per occaſionem, ſive per veritatem Chriſtus annuntietur: & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo*], Philipp. I, 18.

39. καὶ δυνήσεται ταχὺ, *& poſſit citò*] Hoc δυνήσεται [*poſſit*] moraliter intelligendum. Vix enim reperietur homo tam vanus qui ſub idem tempus ſit obtrectaturus ei cujus nominis vi adverſùm dæmonas utitur.

40. καθ' ὑμῶν, ὑπὲρ ὑμῶν· *adverſùm vos, pro vobis*] Ita optimi codices, ita Syrus, ita Arabs, ita Latinus: quare mutari non debuit. Proverbium erat uſu communi tritum; quod primâ an ſecundâ an tertiâ perſonâ efferatur nihil refert: nam indefinita oratio eſt ad quosvis pertinens. Locum habet hoc adagium quoties res aliqua aſſumtis undecunque ſubſidiis promovenda eſt. Celebris eſt Caji Cæſaris vox, qui *medios* dicebat *ſibi ſuorum numero futuros*. Quomodo non pugnet cum eo quod dicitur Matthæi XII, 30. vide in inibi annotatis.

41. Ὃς γὰρ ἂν ποτίσῃ ὑμᾶς, *Quisquis enim potum dederit vobis*] Vocula γὰρ [*enim*] videtur aliquam cum ſuperioribus cohærentiam requirere: nec obſtat quòd alio tempore Matthæus iſta recitat. Nam, ut aliis ſapientibus, ita Chriſto ſententiæ quædam erant adeò familiares ut eas ſæpe repeteret. Dixerat Chriſtus omnibus modis, id eſt, ut dicitur, velis remisque promovendum Euangelii negotium. Addit jam, ut id confirmet, etiam minima beneficia à quovis homine, etiam non rectæ fidei, ei negotio impenſa ſuam mercedem habitura, & contrà non impunè laturum qui vel minimum ei negotio impedimentum attulerit.

ἐν τῷ ὀνόματί μου, ὅτι Χριστοῦ ἐστε, *in nomine meo, quia Chriſti eſtis*] Meâ cauſâ, atque ideo quòd mei eſtis diſcipuli & miniſtri.

42. καλόν ἐστιν αὐτῷ μᾶλλον, *bonum eſt ei magis*] Συμφέρει αὐτῷ [*expedit ei*] Matthæus, λυσιτελεῖ αὐτῷ [*utile eſt illi*] Lucas; quibus locis μᾶλλον [*magis*], quod hîc expreſſum eſt, ſubauditur. Neque dubito quin hîc καλὸν μᾶλλον [*bonum magis*] ſit ἄμεινον [*melius*], quomodo accipit & Syrus. Hebræi enim quia comparativis carent eos hoc modo circumloquuntur. Solet autem Marcus ἑβραΐζειν [*Hebraïcas locutiones imitari*]. Sed & Græci ἄμεινον μᾶλλον [*magis melius*] dicunt, & καλὸν [*bonum*] ſuppreſſo

μᾶλλον [*magis*] eodem ſenſu, ut hîc quoque commatibus ſequentibus. Simile eſt, Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν [*Beatum eſt accipere magis quàm dare*] id eſt, μακαριώτερον [*beatius*], Actorum XX, 35.

43. εἰς τὴν ζωὴν, *in vitam*] Quam mox interpretatur βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*].

τὸ ἄσβεστον· *inexſtinguibilem*] Αἰώνιον [*æternum*] Matthæus; qui & ἄσβεστον [*inexſtinguibilem*] dixit alibi, III, 12. Vide locum Eſaiæ I, 31.

44. ὁ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτᾷ, καὶ τὸ πῦρ οὐ σβέννυται. *vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur*] Ipſa verba LXX Interpretum, ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται [*vermis eorum non morietur, & ignis eorum non exſtinguetur*], Eſai. LXVI, 24. Videtur Propheta primo quidem adſpectu ſignificare toto iſto vaticinio, quod alibi ſæpe, Fore ut etiam Gentes Deo ſerviant; Iudæorum contumaces miſerrimè perituros: Quod duabus comparationibus illuſtratur, *Ignis* quidem qui Dei iram flagrantiſſimam & non parcentem ſignificat, Καὶ γὰρ ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλίσκον [*Deus noſter ignis conſumens*] Hebr. XII, 29. Deut. IV, 24. eodemque modo idem Eſaias alibi de ſevero Dei judicio agens dixerat, *Noctu diuque non exſtinguetur, in perpetuum adſcendet fumus ejus: ab ætate in ætatem erit deſolatio*, & quæ ſequuntur XXXIV, 10. cum quibus verbis operæ pretium eſt conferre ea quæ in Epiſtola ſunt Iudæ 7. deinde & *Vermis*, qui hærere cadaveribus ſolet donec planè ſint abſumta. Sicut autem vetera illa judicia prætulerunt generalis Iudicii imaginem, ita Chriſtus optimo jure quod de illo tempore dictum eſt aptat in perpetua ſupplicia, quibus deſcribendis ipſa verborum proprietas, quod ſæpe in vaticiniis τύπον continentibus obſervatum jam eſt, mirè inſervit. Nam illud οὐ τελευτᾷ [*non moritur*] & οὐ σβέννυται [*non exſtinguitur*] in cladibus illis de quibus agit Eſaias, habet ſuum ſenſum pro ratione materiæ reſtrictum ac limitatum, in pœnis autem vitæ alterius alium κατὰ τὸ κυριολογούμενον [*ſecundum proprietatem verborum*]. Αὐτῶν [*eorum*] hîc interpretor ex ſuperioribus, τῶν τὰ σκάνδαλα οὐκ ἀποκοπτόντων [*ſcandala non abſcindentium*], id eſt, eorum qui vitiis ſuis indulgent. Scriptor Eccleſiaſtici VII, 19. ἐκδίκησις ἀσεβοῦς πῦρ καὶ σκώληξ [*vindicta impii ignis & vermis*]. & Scriptor Iudithæ XVI, 21. δοῦναι πῦρ καὶ σκώληκας εἰς σάρκας αὐτῶν [*dabit ignem & vermes in carnes eorum*]. Vnde apparet tritam fuiſſe inter Iudæos ſententiam.

47. γέενναν τοῦ πυρός. *gehennam ignis*] Matth. XVIII, 9.

49. Πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται· καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται. *Omnis enim igne ſalietur; & omnis victima ſale ſalietur*] Locus hic, qui multorum eruditorum torſit ingenia, multis de mendo ſuſpectus eſt. Memini virum incomparabilem Ioſephum Scaligerum mihi dicere mutandam lectionem, & ſcribendum πᾶσα γὰρ πυρία [*omnis enim ignitio*]. Volebat autem πυρίαν [*ignitionem*] vocem eſſe novam à Marco confictam ad exprimendam vim vocis Hebrææ אשה. Sed ea vox πυρία [*ignitio*] neque apud Græcum neque apud Helleniſtam ullum legitur. Quod autem Hebræis eſt אשה id ferme κάρπωμα [*decerptionem* ſive *oblationem*] ſolent vertere Helleniſtæ. Præterea ne quid mutare audeam absterret tanta codicum conſenſio: neque verò neceſſe eſt, cùm non deſit ita conceptis verbis ſenſus ſatis commodus & huic loco, ni fallor, optimè conveniens. Primùm igitur πᾶς hîc eſt *quivis*; ut Ariſtophani σίγα πᾶς, δεῦρο πᾶς, πᾶς ἕπου [*tace quivis, huc quivis, ſequere quivis*]. Sophocles,

Σὺν γὰρ Θεῷ πᾶς καὶ γελᾷ κὠδύρεται.

[*Ita quisque ridet, aut flet, ut voluit Deus.*]

Lucæ XVI, 16. πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται [*omnis in illud vim facit*]. Deinde verò ſubintelligendum hîc αὐτῶν [*illorum*], ut ſignificetur quilibet eorum de quibus egit hactenus, qui ſcilicet pravis affectibus indulgentiam præſtant. Simile eſt illud Lucæ VI, 40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτ [*perfectus autem omnis erit ſi ſit ſicut magiſter ejus*]. nam & ibi ex præcedentibus ſubintelligitur τῶν μαθη [*diſcipulorum*]. Sic Euripides Hercule Furente,

—— πᾶς τ' ἀνίστησιν πόδα,

[—— *movet quivis pedem*,]

nempe τῶν παίδων [*puerorum*], de quibus erat ſuprà: & apud Ariſtophanem Avibus, cùm dicit,

Χωρεῖ δὲ πᾶς τις ὄνυχας ἠγκυλωμένος,

[*It quisque curvis unguibus ſeſe inferens*,]

ſubauditur ex his quæ præcedunt τῶν ἱεράκων [*accipitrum*]. & in Pace, πᾶς [*quivis*] ſcilicet τῶν γεωργῶν [*agricolarum*], de quibus ſermo. Iam verò ἁλίζεσθαι [*ſaliri*] eſt *conſumi*; quod non de ſalitis tantùm, ut fert vocabuli origo, ſed & de aliis rebus dicitur. Reſpondet enim Hebræo נמלח Eſai. LI, 6. ־שמים כעשן נמלחו Symmachus, ὅτι οἱ οὐρανοὶ ὡς καπνὸς ἁλιώσ [*quia cæli ſicut fumus ſalientur*, id eſt, *tabeſcent*]. Aquila, ὁ οὐρανὸς ὡς καπνὸς μειωθήσεται [*cælum ut fumus minuetur*]. Hieroſolymitanus vertit יעדיון *tranſibunt.* Hinc trita veſtimenta dicuntur מלחים Ieremiæ XXXVIII, 11. ad verbum ἁλισθέντα aut ἁλωθέντα [*ſalita*]. Et Chaldæis & Arabibus מלח eſt *conſumere*: Homero quoque ἁλιῶσαι, *irritum reddere*. Eſt autem conſumendi modus duplex; aut enim res tota perit, ut in his quæ igne conſumuntur: ignis enim nulli parti ſolet parcere, ſed πάντα ἐξαναλίσκει [*omnia abſumit*], ut loquitur Philo libro De vita Moſis; aut parte aliqua conſumta ſervatur quod reliquum eſt, ut accidit in his quæ ſale condiuntur. Idem Philo περὶ κοσμοποιΐας [*De mundi creatione*] ait τοὺς ἅλας τοῖς κρέασι παρασπαρῆναι ἵνα μὴ ῥᾳδίως φθείροιντο [*ſales carnibus adſpergi ne facilè corrumpantur*]. in libro autem περὶ τῶν εἰς θυσίας [*De iis quæ ad Sacrificia pertinent*] ſic ait, οἷς ἂν περιπασθῶσιν (οἱ ἅλες) διατηροῦσι [*quibus adſperſi fuerint ſales ea conſervant*]· & libro περὶ θυόντων [*De ſacrificantibus*] iterum, φυλακτήριον οἱ ἅλες σωμάτων [*ſales corporum cuſtodia*]. Notum illud quod ex Cleanthe Varro dixit, *animam ſuillo pecori pro ſale datam ne putiſceret.* Et hujus rei cauſâ ſalem in ſacris Hebræorum uſitatum notavit doctiſſimus Abarbaniel. Mos hic, ut & alii, ad Gentes quoque manavit. Servius ad VIII Eclogam, *Far pium eſt mola caſta, ſalſa: utrumque enim idem ſignificat.* Duplicem conſumendi modum illuſtrat Chriſtus noto exemplo duplicium προσφορῶν, id eſt, קרבנים [*oblationum*]. Nam harum aliæ conſtantes ex pecudum carne totæ quantæ erant in teſtimonium Divinæ gloriæ igne abſumebantur, ita ut ſupereſſet nihil; quæ vocabantur ὁλοκαυτώματα [*holocautomata* ſive *holocauſta*,

uſta ſolida]· de quibus agitur Levit. I. aliæ verò è ſimila ſale condiebantur, de quibus vide Præceptorum Iubentium LXII. eæque peculiariter vocantur θυσίαι [*ſacrificia*]· ita enim habet lex Levitici II, 13. apud LXX, quos Marcus ſequitur, Καὶ πᾶν δῶρον θυσίας ὑμῶν ἁλισθήσεται [*Omne donum ſacrificii ſale ſalietur*]. Nam vocem מנחה [*Manaa*] LXX non hîc tantùm ſed & alibi vertunt θυσίαν [*ſacrificium*], ut Geneſ. IV, 3. & Levit. VII, 9. Suidas, Μάννα (rectè monuit doctiſſimus Druſius legendum μαναὰ) θυσία. Neque verò hoc tantum Suidæ in loco is error ex vocum vicinitate reperitur, ſed & Ieremiæ XVII, 26. μάννα ſcribitur, cùm ex Hebræo appareat legendum μαναὰ [*manaa*]· quod & Hieronymus monuit. Sic Baruchi I, 10. ſcribitur μάννα, pro quo μαναὰ rectè legit Theodoretus. Idem error Ieremiæ XLVIII. ſecundum Græcam editionem: at rectè ſcriptum legitur Ezech. XLV. in fine: rectè etiam ſcribit eam Chryſoſtomus in ſecundo ad Theodorum ex Daniele II, 46. Impios igitur comparat Chriſtus τοῖς ὁλοκαυτώμασι [*holocauſtis*]· nam & ſuprà dixerat eos conjici εἰς πῦρ ἄσβεστον [*in ignem inexſtinguibilem*]. Iam verò & τὸ πῦρ τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*ignis holocauſtorum*] erat πῦρ ἄσβεστον [*ignis inexſtinguibilis*]. Philo περὶ θυόντων [*De ſacrificantibus*], πῦρ ἐπὶ τοῦ θυσιαστηρίου [*ignis in altari*] (agit de altari τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*holocauſtorum*]) καυθήσεται διὰ παντὸς ἄσβεστον [*ardebit perpetuò inexſtinctus*]. Ignis ille ſolebat tota ὁλοκαυτώματα ἀναλίσκειν [*pecora uſta conſumere*], quo verbo non Philo tantùm utitur, ſed & Theophraſtus deſcribens Iudæorum ὁλοκαυτώματα [*holocauſta*], citante Porphyrio: Sic & Dei ira adverſùs impios eſt, ut diximus, πῦρ ἀναλίσκον [*ignis conſumens*], Deut. IV, 24. Hebr. XII, 29. Impenduntur ὁλοκαυτώματα [*holocauſta*] tantùm ut appareat jus ſummum Dei, nullo hominum bono: ſic & impiorum non alius erit uſus quàm ut materia ſint in quam ſe Divina juſtitia exerceat. Atque hinc eſt quòd paſſim apud Prophetas impii Divinæ iræ deſtinati *victima* vocantur, Eſai. XXXIV, 6. Ierem. XII, 3. XLVI, 10. Ezech. XXI, 9, 10. XXXIX, 17. Adde Dan. VII, 11. At quibus pietas cordi eſt meritò comparantur τῇ θυσίᾳ [*oblationi*] ita ſpecialiter dictæ. Hi ſunt quos Paulus admonet παραστῆσαι τὰ σώματα θυσίαν ζῶσαν, εὐάρεστον τῷ Θεῷ [*exhibere corpora ſua ſacrificium vivens, Deo placens*], Rom. XII, 1. Et Petrus conſtitutos dicit ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας εὐπροσδέκτους τῷ Θεῷ [*offerre ſpiritualia ſacrificia accepta Deo*], Epiſt. I, cap. II, 5. Atque eodem pertinent ea quæ apud Eſaiam leguntur, paulò ante verba à Chriſto jamjam citata, LXVI, 20. ubi eſt in Hebræo vox מנחה, in Græco θυσίας [*ſacrificii*]. Quò & illud Ignatii mihi videtur alludere, Ἄφετέ με θηρίων εἶναι βρῶμα, δι᾽ ὧν ἔστι Θεοῦ ἐπιτυχεῖν· σῖτός εἰμι τοῦ Θεοῦ, καὶ δι᾽ ὀδόντων θηρίων ἀλήθομαι, ἵνα καθαρὸς ἄρτος Θεοῦ εὑρεθῶ [*Sinite me eſſe ferarum eſcam, per quas dabitur Deo frui: Dei ſum frumentum, & per dentes ferarum molor, ut purus panis Deo reperiar*]. Nam מנחה, id eſt, θυσία [*ſacrificium*] ſpecialiter dictum erat ἐκ σίτου ἀλεσθέντος [*ex frumento commolito*], id eſt, ex ſimila, ut diximus: & placentæ quæ inde fiebant חלות Hebræis, ἄρτοι [*panes*] vocantur Græcè tum à LXX, tum ab Ioſepho Originum III, cap. X. Non diſſimile quod τὰς οὐλοχύτας, τὰ πόπανα, τὰ πλακούντια [*molas ſalſas, liba, placentas*] vocari προθύματα [*præſecta*] notant ad Homerum & Ariſtophanem Scholiaſtæ. Talis autem θυσία [*ſacrificium tale*] ita demum Deo placet, ſi quicquid eſt putredinis, hoc eſt, malorum affectuum (quos σκάνδαλα [*ſcandala*] dixit Chriſtus) exedatur diligenti cura ac meditatione; quomodo Sal exedere ſolet putredinem. Sic ſermonem noſtrum Paulus Coloſſ. IV, 6. vult eſſe ἅλατι ἠρτυμένον [*ſale conditum*], id eſt, in quo nihil ſit σαπρὸν [*putre*], Epheſ. IV, 29. Et per Salem ſignificari Dei legem notant Hebræi ad Levitici I. Hanc animi ſalituram ſequitur animi ἀφθαρσία [*incorruptio*], ut Paulus loquitur Epheſ. VI, 24. Tit. II, 7. quæ animi ἀφθαρσία etiam corpori paritura eſt ἀφθαρσίαν [*incorruptionem*], Rom. II, 7. I Corinth. XV, 42, 50, 53, 54. II Timoth. I, 10. Ita totus homo conſumtis pravis affectibus in æternum conſervatur, cùm cæteros totos abſumat non deſiturum incendium. Idem ergo hîc dicit Chriſtus quod ſuprà, Partis jacturâ redimendum eſſe totum hominem. Omnino aliqua conſumtio homini debetur, aut per modum ſalituræ, aut per modum incendii: Hæc impiorum eſt, illa piorum.

50. Καλὸν τὸ ἅλας· *Bonum eſt ſal*] Salis factâ mentione aliam obiter Chriſti ſententiam Marcus adjicit; ſed in qua ſal non ipſum actum, ut ſuprà, deſignat, ſed eum hominem in quo actus iſte peragitur, Chriſtianum ſcilicet, qui non à ſe tantùm ſed & ab aliis arcere debet τὸ σαπρόν [*quicquid putre eſt*]. Vide Matth. V, 13.

ἄναλον γένηται, *quod ſi ſal inſulſum fuerit*] Μωρανθῇ [*evanuerit*], Matthæus & Lucas.

ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε; *in quo illud condietis?*] Nullum aliud dogma eſt quod reparare eos poſſit qui à Chriſti ſalutari diſciplina deficiunt. Vide quæ ad Matthæum.

ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς ἅλας, *habete in vobis ſal*] Hîc redit ad priorem Salis ſignificationem. Eſt autem τὸ ἅλας [*ſal*], ut diximus, attenta meditatio ad purgandos affectus, quos inter violentiſſimi ſunt Ambitio & Invidia: quorum occaſione in hunc ſermonem Chriſtus devenerat.

καὶ εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις. *& pacem habete inter vos*] II Corinth. XIII, 11. I Theſſ. V, 13. Pacis ſtudium magna pars eſt ejus de qua hîc agitur purgationis.

CAPVT X.

1. Διὰ τοῦ πέραν τοῦ Ἰορδάνου· *per ulteriora Iordanc*] Τοῦ hîc ſumo οὐδετέρως [*Neutro genere*]. Nam ita τὸ πέραν [*ultrà ſitum*] & alibi reperias, Matthæi VIII, 18, 28. XIV, 22. XVI, 5. Marci ſuprà IV, 35. V, 1, 21. VI, 45. VIII, 13. Lucæ VIII, 22. Per loca quæ vocabantur *uls* aut *propter Iordanem* ibat in eam uſque Iudææ partem in qua eſt Ænon. Vide Iohann. III, 22. X, 40.

συμπορεύονται πάλιν ὄχλοι, *conveniunt iterum turbæ*] Vndique convenientes; quod Matthæus dixit ἠκολούθησαν [*ſequebantur*], Iohannes ἦλθον πρὸς αὐτόν [*venerunt ad eum*].

ἐδίδασκεν αὐτούς. *docebat illos*] Locum Iohannis

Baptiſmo nobilem & doctrinâ & miraculis faciebat nobiliorem, ipſâ rerum comparatione homines ad ſui admirationem excitans. Vide dicta loca Matthæi & Iohannis.

2. ἀπολῦσαι· *dimittere*] Scilicet *quavis de cauſa*, quod Matthæus expreſſit. Nam aliqua de cauſa quin poſſet non dubitabant.

3. Ὁ δὲ ἀποκριθεὶς, *Ille reſpondens*] Cùm Moſis auctoritatem adferrent pro divortiorum promiſcuo jure, Chriſtus urget ut ipſa Moſis verba recitent.

4. ἐπέτρεψε, *præſcripſit*] Permiſit repudiare dato libello, aut, quod eódem recidit & apud Matthæum eſt, repudiare volenti præcepit libellum dare.

5. τὴν ἐντολὴν ταύτην· *præceptum iſtud*] Ἐντολὴ generali ſignificatu leges quaſcunque, etiam permittentes, ſignificat. Nam & permiſſio obligat, primùm alios omnes ne tale quid impediant; deinde, ſi forma actui permiſſo addatur, obligat eum qui acturus eſt ne aliter agat.

6. Ἀπὸ δὲ ἀρχῆς κτίσεως, *Ab initio autem creaturæ*] Κτίσις [*creatio*] non *actum condendi* ſed *res conditas* ſignificat, quomodo accepit Latinus. Sic & infra XIII, 19. & XVI, 15. & II Petri III, 4. Atque ita toti ſex dies ſunt ἀρχὴ κτίσεως [*initium creationis*], id eſt, τῶν κτισμάτων [*rerum creatarum*], cùm primus dies propriè ſit ἀρχὴ τῆς κοσμοποιίας [*initium fabricationis mundi*].

7. Ἕνεκεν τούτου, *Propter hoc*] Subintellige λέγων [*dicens*].

8. εἰς σάρκα μίαν· *in carne una*] Ita LXX, quod non aliud ſignificat quàm quod apud Matthæum eſt & hîc ſequitur σὰρξ μία [*caro una*]. Nam apud Hebræos vox ſubſtantiva amat talem conſtructionem.

ὥστε οὐκέτι εἰσὶ δύο, ἀλλὰ μιὰ σάρξ· *itaque jam non ſunt duo, ſed una caro*] Id eſt, Ex iſto Dei facto & verbis apparet æquum eſſe & Deo gratiſſimum ut conjugum individua ſit copula, quaſi in unum hominem coaluiſſent. Vide quæ ad Matthæum.

11. καὶ γαμήσῃ ἄλλην, *& aliam duxerit*], Quo facto oſtendit alienum ſe à reconciliatione.

μοιχᾶται ἐπ' αὐτήν. *adulterium committit ſuper eam*] Matthæus ποιεῖ αὐτὴν μοιχᾶσθαι [*facit eam mæchari*]. *Facere delictum* dicitur qui cauſam dat delinquendi ſuâ culpâ: illi enim delictum meritò imputatur. Ita apud Deum adulterii tenetur qui expulſæ præbet impudicitiæ occaſionem, ut alibi explicavimus. ἐπ' αὐτὴν [*ſuper eam*], id eſt, iſto facto quod in ipſam committit.

12. Καὶ ἐὰν γυνὴ ἀπολύσῃ τὸν ἄνδρα αὐτῆς, καὶ γαμηθῇ ἄλλῳ, μοιχᾶται. *Et ſi uxor dimiſerit virum ſuum, & alii nupſerit, mæchatur*] Id prætereunt alii Scriptores, quia de eo minùs dubitabatur. Erant tamen quæ hoc auderent contra Moſis Legem. Sic Michol olim Davidem deſeruit patre auctore, I Samuelis XXV, 44. Fuit & quæ libellum divortii marito mitteret. Ioſephus, Χρόνου δὲ διελθόντος, ἐπεὶ συνέβη τὴν Σαλώμην στασιάσαι πρὸς Κοστόβαρον, πέμπει μὲν εὐθὺς αὐτῷ γραμματεῖον ἀπολυομένη τὸν γάμον, οὐ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους νόμους· ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ' ἡμῖν τοῦτο ποιεῖν· γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ' αὑτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος [*Poſt tempus aliquod, cùm Salome adversùs Coſtobarum discordaret, illico libellum ei mittit ad diſſuendum matrimonium, non ſanè ſecundùm leges Iudæorum: nam apud nos id jus marito eſt: uxori autem etiamſi ſponte diſceſſerit, alteri nubere non licet niſi mariti permiſſu*]. Salomes exemplum ſecuta erat Herodias. Mulier ergo, cùm domina ſui non eſſet, ſi marito relicto ad aliud matrimonium ſe conferret, omnino adulterium committebat, non interpretatione aliqua aut per conſequentiam, ſed directè: ideo non debuit hîc addi ἐπ' αὐτόν [*ſuper eum*].

15. ὃς ἐὰν μὴ δέξηται, *quiſquis non receperit*] Pueri tabulæ raſæ conferuntur: tales eſſe oportet qui de dogmatis veritate ſunt judicaturi. Propriè autem dixit Chriſtus δέξηται [*receperit*], quia *ſuſcipere in ſe Regnum cæli* dicebantur Hebræis qui Legi ſe ſubjiciebant: unde & Latini quidam veteres pro *Regnum Dei* hoc loco legebant interpretantes *verbum Dei*. Diximus aliquid de hoc Marci loco ad Matthæi XXVI, 29.

16. ἐναγκαλισάμενος, *complexans*] חבק.

17. γονυπετήσας αὐτὸν, *genu flexo eum honorans*] Non movenda lectio: nam & ſuprà I, 40. eſt γονυπετῶν αὐτόν [*flexu genu eum honorans*]. Sic & προσκυνέω [*adoro*] modò tertium regit caſum, ut Matth. II, 2, 8, 11. & alibi ſæpe; modò quartum, Matth. IV, 10. Lucæ IV, 8. XXIV, 52. Iohann. IV, 22.

19. Μὴ ἀποστερήσῃς· *Ne fraudem feceris*] Vide quæ ad Matthæum.

21. ἠγάπησεν αὐτὸν, *dilexit eum*] Amat Chriſtus non virtutes tantùm, ſed & ſemina virtutum, ſuo tamen gradu; illas ut remuneret, hæc ut foveat atque excitet, ni homines ſibi ipſis obſtent. Sic externa Achabi pœnitentia in aliquid valuit, I Regum XXI, 28. Poteſt & ἠγάπησε ſumi pro *laudavit*, aut *benignè affatus eſt*, more Græcorum Interpretum, Cantic. I, 1, 4. II Paralipom. XVIII, 2.

ἄρας τὸν σταυρόν. *crucem ſubiens*] Certus ex profeſſione hujus diſciplinæ multa tibi incommoda eventura. Vide Matth. X, 38.

22. στυγνάσας, *vultum contrahens*] Cùm ſequatur λυπούμενος [*triſtatus*], videtur mihi στυγνάσας ad vultum magis quàm ad animum pertinere, quaſi dicas *fronte nubila*. Nam & οὐρανὸς στυγνάζων [*cælum turbidum*] eſt apud Matth. XVI, 3.

23. περιβλεψάμενος, *circumſpiciens*] Geſtu aliquid eximium aut dicturi, ut hîc, aut facturi, ut Luc. VI, 10.

24. τοὺς πεποιθότας ἐπὶ τοῖς χρήμασι, *confidentes in pecuniis*] Cauſam reddit cur vix recipiant ſalutaria dogmata divites, quia ſpem ac fiduciam ſuam in divitiis ponunt, eóque defigunt animum in res hujus ævi. Hoc eſt quod Paulus dicit ἐλπίζεσθαι ἐπὶ πλούτου ἀδηλότητι [*ſperare in incerto divitiarum*], I Timoth. VI, 17. ὕβριν τε τίκτει πλοῦτος [*opibus adhæret faſtus*], inquit Euripides. Conſummatur hîc doctrina inchoata in Pſalm. XLIX.

26. Καὶ τίς, *Et quis*] Τίς ἄρα [*Quis ergo*], Matthæus: ſed Marcus, ut diximus, gaudet Hebraïſmis. Hebræis autem copula inter alias ſignificationes iſtam quoque complectitur. Similis ejus uſus Geneſ. II, 3. collato loco Exodi XX, 11. Pſalm. CXVI, 2. Lucæ I, 42. collato loco Lucæ XI, 27.

27. ἀδύνατον, *impoſſibile eſt*] Τοῦτο [*hoc*] addit

Matthæus: ſed ipſa res loquitur de ea re Chriſtum agere de qua proximè erat locutus, de divitum perductione ad Regnum cœleſte.

ἀλλ' οὐ παρὰ τῷ Θεῷ· ſed non apud Deum] Quod difficillimum eſt ſpectato communi rerum curſu, id facilè efficit Deus, cùm ipſi libet inſolitâ efficacitate uti.

29. *ἢ γυναῖκα, aut uxorem*] Agnoſcit Syrus & codices: neque inducendi cauſam video. Nam quòd in ſequenti commate Vxorum mentio non repetitur, haud adeò mirum eſt, cùm ex cæteris quæ memorantur *κατ' ἀναλογίαν* [*per proportionem*] hoc quoque poſſet intelligi. Forte & ideo omiſit Marcus, quod reſtitutio Vxorum poſſet calumnioſam interpretationem admittere magis quàm cætera. Nam & Iulianus hoc irriſit, ut monet Theophylactus. Ergo cùm cæteri affectus memorantur, Vxor non memoratur; hinc diſcimus Vxoris jacturam expletum iri reſtitutione omnium officiorum quæ ab uxore præſtantur, excepto eo quod niſi ab uxore præſtari non poteſt.

30. *μετὰ διωγμῶν, cum perſecutionibus*] Bene hoc addidit Marcus, ne felicitatem temporariam nobis promiſſam imaginemur. Solatia promittuntur, non deliciæ. Et vel hoc unum evincit malè adduci hæc Chriſti verba ad probandam illam pleniſſimam & incorruptam Mille annorum in terris felicitatem.

32. *ἦν προάγων αὐτοὺς, præcedebat illos*] More intrepidi Ducis.

ἐθαμβοῦντο, ſtupebant] Magnam illam animi fortitudinem certæ morti ſe offerentis admirabantur.

ἐφοβοῦντο. timebant] Pro ſe ſolliciti. Cur enim ſuſpecta nobis hæc lectio eſſe debeat nihil cauſæ video.

ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν, cœpit illis dicere] Id eſt, ἔλεγε [*dixit*]· nam dixerat & antè; ſed nunc iterum monet. Ita verbum ἄρχεσθαι [*incipere*] abundat Lucæ VII, 38. & alibi ſæpe.

33. *ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, ecce adſcendimus Hieroſolyma*] Poſtremum hoc iter inſtituimus, illud de quo ſæpe jam dixi vobis. Hoc vult ἰδού [*ecce*].

34. *Καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ, Et illudent ei*] Nempe οἱ ἄνθρωποι [*homines*]· id eſt, imperſonaliter, *illudetur ei*.

35. *λέγοντες, dicentes*] Per matrem. Simile loquendi genus obſervavimus Matth. VIII, 5.

θέλομεν, volumus, ſive *vellemus*] Vide ſuprà VI, 25.

42. *οἱ δοκοῦντες ἄρχειν, qui honorem habent imperandi*] Δοκεῖν hîc eſt *in honore eſſe*, ut Galat. II, 2. & 6. & Euripidi Hecubâ, illi ἐκ τῶν ἀδοξούντων [*ex ignobili*] opponitur κἀκ τῶν δοκούντων [*ex nobili*]. Conſtructio autem ſimilis illi in Suſannæ hiſtoria commate 5. ἐκ πρεσβυτέρων κριτῶν οἳ ἐδόκουν κυβερνᾶν τὸν λαόν, [*ex Senioribus judicibus quibus honor evenerat populum gubernandi*].

οἱ μεγάλοι αὐτῶν, magni eorum] Id eſt, qui inter ipſos Principes eminent, ut ad Matth. diximus.

45. *Καὶ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, Nam & Filius hominis*] Rex iſtius Regni quem imitari debetis.

46. *ἔρχονται εἰς Ἱεριχώ· veniunt in Iericho*] Omnes diras Chriſtus ſolvit; etiam illas Ioſuæ VI, 26.

υἱὸς Τιμαίου Βαρτίμαιος, filius Timæi Bartimæus] Timæi ſatis noti hominis filius; unde vulgò πατρωνυμικῶς [*à patre*] appellabatur ברטימי [*Bartimai*]. Sic Petrus vocabatur בריונה [*Barjona*]; Alius ברתלמי [*Bartholmai*]: Magus ille in Actis XIII, 6. ברישוע [*Barjeſu*]. Quod alicubi legiſſe ſe dicit Hieronymus *Barſemia*, puto non alterius ſignificatus ſed corruptæ eſſe pronuntiationis.

47. *ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖός ἐστι, quia Ieſus Nazarenus eſt*] Nempe ὁ παράγων [*qui præteribat*]· *quòd is qui præteribat eſſet Ieſus Nazarenus.* Hîc iterum impletur vaticinium Eſaiæ de quo ſuprà VII, 35.

50. *ἀναστὰς, ſurgens*] Ita & Syrus. Quare non dubito quin alterum ἀναπηδήσας [*exſiliens*] ſubſtitutum ſit in codicibus Græcis mutatis ad Latinum exemplar; quod aliquot locis factum obſervavimus.

51. *Ραββονὶ, Rabboni*] Ita pronuntiabant, pro quo alibi ῥιββονί [*Ribboni*]. Simile eſt ῥακὰ [*raca*] pro ῥικά [*rica*]. Vocabantur hoc nomine eximii Doctores, ut Iudæi tradunt, & apparet Iohannis XX, 16.

ἵνα ἀναβλέψω. ut videam] Videtur mihi hîc ἀναβλέπειν eſſe βλέπειν· nam & his convenit qui nunquam antè viſum habuerunt, Matth. XI, 5. XX, 34. Lucæ VII, 22. Iohann. IX, 18.

52. *Ὕπαγε· Vade*] Annuentis vox hoc loco, ut Matth. VIII, 13. ubi de hac re egimus.

ἡ πίστις σου σέσωκέ σε. fides tua te ſalvum fecit] Familiare Chriſto enuntiatum, Matth. IX, 22. ſuprà V, 34. Lucæ VII, 50. VIII, 48. XVII, 19. XVIII, 42.

ἐν τῇ ὁδῷ. in via] Palàm demonſtrans oculis ſe uti, cùm per ſe ambularet, ſolitus alieno ductu regi.

CAPVT XI.

1. *Εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, ad Bethphage & Bethaniam*] Vtriuſque loci meminit Syrus, ut & Thalmudici. Quod aliqui libri habent Βηθσφαγὴ puto eſſe ex corrupta pronuntiatione: nam ח Hebræum declinat ad ſonum τοῦ σ.

2. *ἐφ' ὃν οὐδεὶς ἀνθρώπων κεκάθικε· ſuper quem nemo adhuc hominum ſedit*] Bene monet vir doctiſſimus ad ſacros uſus ſolitas adhiberi animantes nondum humanis uſibus mancipatas: *Injuges* Latini vocabant, ut apud Feſtum & Macrobium eſt. Vide hiſtoriam 1 Samuelis VI, 7. Ovidius,

Bos tibi, Phœbus ait, ſolis occurret in arvis
Nullum paſſa jugum, curvique immunis aratri.

Seneca,

——— ——— ——— *Iuſſus erranti*
Comes ire vaccæ, quam non flexerat
Vomer, aut tardi juga curva plauſtri.

Μόσχος ἀδάμαστον πέσημα [*vitulus indomitus cadens*] eſt in Phœniſſis Euripidis.

5. *Τί ποιεῖτε λύοντες τὸν πῶλον; Quid facitis ſolventes pullum*] Id eſt, *Quorſum eum ſolvitis?* Idem loquendi genus Actorum XXI, 13.

8. *στοιβάδας*] *Struem* ſignificat apud Helleniſtas. Hinc στοιβάσουσι ξύλα ἐπὶ τὸ πῦρ, καὶ στοιβάσουσιν οἱ υἱοὶ Ααρὼν οἱ ἱερεῖς τὰ διχοτομήματα [*ſtruem lignorum imponent igni, & filii Aaronis Sacerdotis ſtruem facient*

de membris ſciſsis], & quæ ſequuntur, Levitici 1, 7, 8.

10. *βασιλεία τοῦ πατρὸς ἡμῶν Δαβίδ· Regnum patris noſtri David*] Quod hîc ex ſuperiore commate quidam codices repetunt ἐν ὀνόματι Κυρίου [*in nomine Domini*] vetus non eſt, ut præter Syrum Latinus docet. Sed habet Arabs, cujus ſeriorem eſſe verſionem multis indiciis apparet.

11. *ὀψίας ἤδη οὔσης τῆς ὥρας, cùm jam ſera eſſet hora*] Ὄψιον [*ſerum*] adjectivè dici auctor eſt Phrynichus: atque ita hîc acceperim. Sic ſuprà ὥρας πολλῆς γενομένης [*cùm jam hora multa fieret*].

12. *τῇ ἐπαύριον, poſterâ die*] Ita & Polybius loquitur.

ἐπείνασε. eſuriit] Salutem populi Iudaïci in Ficu figurati. Tempus enim non erat anni quo ficus fructum ferret. Non ergo arborem ſpectavit in hoc facto, quæ ſi infrugifera eſt, non minùs culpâ caret verno aut æſtivo quàm hyberno tempore.

15. *ἤρξατο ἐκβάλλειν, cæpit ejicere*] Id eſt, ἐξέβαλε [*ejecit*], quomodo verbum illud πλεονάζειν [*abundare*] ſuprà annotavimus x, 32. Videntur enim viri eruditi rectè colligere, antea quoque rem ſimilem à Chriſto factam, quæ à Iohanne narretur, præterita ab aliis ob facti ſimilitudinem.

16. *διενέγκῃ σκεῦος, transferret vas*] Κατὰ τὸ ὑποκείμενον [*ex ſubjecta materia*] intelligi debet σκεῦος [*vas*] ad quæſtum faciendum pertinens.

18. *ἐφοβοῦντο γὰρ αὐτὸν, timebant enim eum*] Refero ad verbum ἐζήτουν [*quærebant*], quod ſollicitudinem ſignificat. Sollicitos igitur dicit fuiſſe *quia ipſum metuebant*, id eſt, multitudinem eorum qui ipſum magni faciebant. ἐφοβήθησαν τοὺς ὄχλους, inquit Matthæus, ἐπειδὴ ὡς προφήτην αὐτὸν εἶχον [*timuerunt turbas, quoniam ſicut Prophetam eum habebant*]. Idem planè dicit Lucas XIX, 47, 48. qui conſiliorum ἀπορίαν [*perplexitatem*] accuratiùs deſcribens addit, οὐχ εὕρισκον τὸ τί ποιήσωσι [*non inveniebant quid facerent illi*].

19. *ἐξεπορεύετο ἔξω τῆς πόλεως. egrediebatur de civitate*] Ne quam noctu in urbe inquieta rerum novarum occaſionem præſentiâ ſuâ daret aut dare videretur.

20. *παραπορευόμενοι, transirent*] *Cùm ficum præterirent*, ut & Matth. XXVII, 39. οἱ δὲ παραπορευόμενοι [*prætereuntes autem*]. *Adambulandi* vox non videtur mihi rectè uſurpari ubi non de amne aut ſimili re extenſa, ſed de arbore agitur.

22. *πίστιν Θεοῦ· fidem Dei*] Id eſt, εἰς τὸν Θεὸν [*in Deum*]· ſimile eſt

—— *generis fiducia veſtri*,

& *fiducia artis noſtræ* apud Tullium. Sic Act. III, 16. Ἐπὶ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ [*in fide nominis ejus*]· & Galat. II, 20. ἐν πίστει τῇ τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ [*in fide Filii Dei*].

23. *ὃς ἂν εἴπῃ τῷ ὄρει τούτῳ, quicumque dixerit huic monti*] *Montes* in Prophetis ſæpe ſunt magna Imperia. Senſus hoc loco eſt, Si fidem Deo haberet populus Iudaïcus, Romanum jugum ab eo auferretur.

25. *στήκητε προσευχόμενοι, cùm ſtabitis ad orandum*] Vide Matth. VI, 5. 6.

εἴ τι ἔχετε κατά τινος· ſi quid habetis adverſus aliquem] Ius conquerendi de aliquo. Vide quæ ad Matth. V, 23.

26. *Εἰ δὲ, Quòd ſi*] Cur hoc quidem loco δὲ magis cauſaliter quàm oppoſitè accipi debeat ſanè non video. Itaque rectè vertiſſe mihi videntur Syrus & Latinus.

27. *καὶ πρεσβύτεροι· & Seniores*] Quod additur in libris quibusdam λαοῦ ex veteri interpretamento eſt, nam nec Syrus nec Latinus agnoſcunt. Cæterùm qui ſint πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ [*Seniores populi*] alibi diximus.

32. *ἐφοβοῦντο τὸν λαόν· timebant populum*] Vide ſuprà VII, 12.

εἶχον Ἰωάννην ὅτι ὄντως προφήτης ἦν. habebant Ioannem quia verè Propheta eſſet] Conſueta conſtructio fuerat, ut apud Matthæum, ἔχουσι τὸν Ἰωάννην ὡς προφήτην [*habent Ioannem pro Propheta*], aut ἐδόκουν περὶ Ἰωάννου ὅτι ὄντως προφήτης ἦν [*de Ioanne ſic exiſtimabant, eum verè Prophetam eſſe*]. Nunc duo loquendi genera miſcuit, atque ita conſtructionem fecit κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*].

CAPVT XII.

1. *ΕΝ παραβολαῖς, in parabolis*] משלים [*parabolæ*] inter ea eſt quæ plurali ſono ſingularem ſæpe habent ſignificationem, ut Ezechielis XIV, 8.

2. *τῷ καιρῷ, in tempore*] Τῶν καρπῶν [*fructuum*], ut addit Matthæus.

4. *ἐκεφαλαίωσαν, in capite vulnerarunt*] Apud Ariſtophanem γαστρίζειν ſimili modo formatum eſt; qua de re bene monuit vir doctiſſimus: Scholiaſtæ exponunt ἐν γαστρὶ τύπτειν [*ventrem verberare*].

ἠτιμωμένον. contumeliis affectum] Quod Græci dicunt ἀτιμάζειν, ἀτιμᾷν & ἀτιμοῦν, Latini poſteriores dixerunt *inhonorare* & *exhonorare*: utraque vox apud Salvianum eſt, minimè ſordidum Scriptorem.

6. *ἀγαπητὸν αὐτοῦ, dilectum ſuum*] Notant Græci ab Heſiodo aliiſque ἀγαπητὸν [*dilectum*] dici τὸν μονογενῆ [*unigenam*]. Sic יחיד quod eſt μονογενὴς [*unigena*], LXX vertunt ἀγαπητὸν [*dilectum*] Ieremiæ VI, 26. Geneſ. XXII, 2. ubi Aquila poſuit μονογενῆ [*unigenam*]. In Cantico Eſaiæ V. de Vinea, דוד [*unigena*] vertitur ἠγαπημένος [*dilectus*] & ἀγαπητός [*carus*].

8. *καὶ ἐξέβαλον ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος. & ejecerunt extra vineam*] Poſſet hoc intelligi de corpore mortuo in fabula, & in ſignificatione fabulæ de contumeliis quibus Iudæi nomen Chriſti poſt mortem affecerunt: ſed cùm apud Matthæum alius ſit ordo, ſatius eſt more Hebræo καὶ ἐξέβαλον [*& ejecerunt*] interpretemur ἐκβληθέντα [*ejectum*].

14. *δῶμεν, ἢ μὴ δῶμεν; demus, an non demus?*] Ἐλλειπτικῶς [*defectivè*]. *Auctor es nobis demus, an non?* neque hoc idem omnino eſt cum ſuperiore quæſtione; ſed, ſi Ieſus licere dixiſſet, ſupererat altera quæſtio, An expediret.

15. *ὑπόκρισιν, verſutiam*] Senſit enim ſimulatâ mente locutos. Diſcere cupientium præferebant ſpeciem, cùm animus calumniam strueret.

19. *τέκνα, liberos*] Bene verti puto *liberos*. Vide ad Matthæum.

20. *Ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἦσαν· Septem fratres erant*] Ita

plurimi codices & Syrus: quare οὖν [*ergo*] ex Latino videtur adjectum: neque neceſſarium eſt. Species enim facti novam ſententiam inchoat.

23. Ἐν τῇ οὖν ἀναστάσει, ὅταν ἀναστῶσι, *In reſurrectione ergo cùm reſurrexerint*] Gaudet hujusmodi παρωνύμων [*nominum cognatorum*] iteratione Marcus ut exemplis aliquot oſtendimus ad Matth. XXIV, 22.

24. Οὐ διὰ τοῦτο πλανᾶσθε, μὴ εἰδότες, *Nonne ideo erratis, non ſcientes*] Interrogationem ex more Hebræorum pro vehementi affirmatione poſitam ex Matthæo aut certè ejus Interprete liquet; qui habet πλανᾶσθε [*erratis*]. Eſt autem hîc rurſus σύνταξις κατὰ τὸ σημαινόμενον [*conſtructio ad id quod ſignificatur*]· nam διὰ τοῦτο [*ideo*] dixit quaſi illaturus eſſet ὅτι μὴ οἴδατε [*quia neſcitis*], cùm nunc dixerit μὴ εἰδότες [*neſcientes*].

29. Ἄκουε, Ἰσραὴλ, Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν Κύριος εἷς ἐστι· *Audi, Iſraël, Dominus Deus tuus Dominus unus eſt*] Ipſa verba LXX Interpretum Deuter. VI, 4. Bene hoc addidit Marcus, quia ad ſequentis præcepti illuſtrationem pertinet. Ad religionis enim ſubſtantiam non ſatis eſt quodvis numen colere, ſed certum Numen animo proponendum eſt, cujus nota eſt unitas, qua diſtinguitur à deis Gentium, qui multi eſſe credebantur, item ab Angelis.

30. ἐξ ὅλης τῆς διανοίας σου, *ex tota mente tua*] Addidit hoc Marcus ad interpretationem ejus quod præceſſit τῆς ψυχῆς [*ex anima*], uti & infrà additum eſt ἐξ ὅλης τῆς συνέσεως [*ex toto intellectu*] ſimili ſenſu.

31. ὁμοία αὐτῇ, *ſimile eſt illi*] Ita congruenter Matthæo legerunt Syrus & Latinus, à quibus cur diſcedendum ſit non video.

32. εἶπεν αὐτῷ ὁ γραμματεὺς, *ait illi Scriba*] Exploraturus ſapientiam Chriſti venerat, auditæ teſtimonium præbet.

33. πλεῖον, *majus eſt*] Prius ac potius Deoque gratius. Vide quæ de ordine præceptorum diximus Matth. VII, 13.

τῶν ὁλοκαυτωμάτων καὶ τῶν θυσιῶν. *holocautomatibus & ſacrificiis*] עלה וזבח, ut II Reg. V, 17. II Paralip. VII, 1. Nam LXX modò pro מנחה [*Manaa*], ut ſuprà diximus, modò pro זבח [*victima*] ponunt θυσίαν. Sed & זבח modò laxiùs ponitur ut omnia ſacrificia ſignificet præter ὁλοκαυτώματα [*holocautomata*], modò ſtrictiùs pro iis quæ χαριστήρια [*ob beneficium*] dicuntur, ut Pſalm. XL, 7. quem citat Scriptor ad Hebræos X, 5.

34. Οὐ μακρὰν εἶ ἀπὸ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ· *Non es longè à Regno Dei*] Eorum qui ſpiritum Regni nondum acceperunt multi ſunt gradus, quos inter *non longè à Regno remotus* eſt ille in quo ſunt homines qui intelligunt ſummam pietatis & eam approbant. Hinc aſſiduis precibus ad Regnum tranſitus datur. Vide Rom. VII.

35. Πῶς λέγουσιν οἱ γραμματεῖς, *Quomodo dicunt Scribæ*] Id eſt, Quomodo conſiſtere poteſt quod dicunt Legisperiti? Proponebatur hæc quæſtio Phariſæis, qui in explicatione Prophetarum multùm credebant Legisperitis. Itaque Chriſtus eos ſic alloquitur, quaſi quos ſciret ab auctoritate Legisperitorum non diſceſſuros.

37. πόθεν, *unde*] Πῶς [*quomodo*] Matthæus. Sic & Hebræis אי eſt *quomodo*, & Ierem. V, 7. Sic πόθεν μοι τοῦτο [*unde mihi hoc*] Luc. I, 43. Senſus eſt, Quî fieri poteſt ut idem ſit Dominus & Filius? Vide quæ ad Matthæum.

ὁ πολὺς ὄχλος, *multa turba*] *Plebis pars magna.*

38. Βλέπετε, *Cavete*] Vt ſuprà VIII, 15.

ἐν στολαῖς περιπατεῖν, *in ſtolis ambulare*] Ita & Lucas XX, 46. Στολὴ apud Helleniſtas veſtem etiam virilem ſignificat. Ita infrà XVI, 5. Lucæ XV, 22. & in Apocalypſi aliquoties. Eſt autem στολὴ [*veſtis*], ut ſuprà dicere meminimus, ποδήρης [*ad talos demiſſa*], gravitatis index; quam Legisperiti ſollicitè oſtentant.

40. Οἱ κατεσθίοντες, *Qui devorant*] Videtur mihi nova eſſe periodus, neque de omnibus Legisperitis ſed de quibusdam eximiè improbis hîc agi, ut οὗτοι [*hi*] additum ſit perſpicuitatis cauſâ. Nam Lucas, qui Marcum in his quæ Marco ſunt peculiaria ita ſequitur ut ſæpe interpretis ſit loco, hanc ſententiam in hunc exprimit modum, Οἳ κατεσθίουσι τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, καὶ προφάσει μακρὰ προσεύχονται. οὗτοι λήψονται περισσότερον κρίμα [*Qui devorant domos viduarum, ſimulantes longam orationem: Hi accipient damnationem majorem*], id eſt, *Qui verò Legisperitorum inſuper viduarum ſubſtantiam devorant orationis obtentu, his propria & gravior quàm cæteris imminet pœna.*

τὰς οἰκίας τῶν χηρῶν, *domos viduarum*] Quales & illi quos ad Timotheum Paulus deſcribit, ἐνδύνοντες εἰς τὰς οἰκίας καὶ αἰχμαλωτεύοντες τὰ γυναικάρια σεσωρευμένα ἁμαρτίαις [*qui penetrant domos & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis*]. Sexus muliebris ut ad ſuperſtitionem pronior ita magis patet ad eas fraudes. *Viduas* autem dixit Chriſtus, quia culpam ipſorum hoc onerat quòd eas expilabant quas tutandas lex Divina præcipuè illis commendat.

προφάσει μακρὰ προσευχόμενοι· *ſub obtentu prolixæ orationis*] Sic Paulus dixit ſe non verſatum ἐν προφάσει πλεονεξίας [*in obtentu avaritiæ*], I Theſſ. II, 5. Solent enim iſti homines honeſtas quasdam cauſas prætendere ſub quibus quæſtum faciant; ut quòd pro aliis apud Deum indefeſſis precibus inſtent, pro qua opera non injuriâ muneribus donentur: cùm interim eos pro quibus precari ſe dicunt non doceant veram pietatis viam, & munera non dari ſibi patiantur ſed captent ultro, ſæpe & majora quàm pro facultatibus donantis. Eſt ergo hîc προφάσει dictum pro εἰς πρόφασιν πλεονεξίας [*ad prætextum avaritiæ*]. Oſtendit hoc Lucæ collatio.

41. κατέναντι, *contra*] Id eſt, in conſpectu gazophylacii: ita κατέναντι [*contra*] ſumitur ſuprà XI, 2. & infrà XIII, 3.

τοῦ γαζοφυλακίου, *gazophylacii*] Γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] hic, ut & Lucas, vocat arcam in quam dona mittebantur; κιβωτὸν [*arcam*] LXX, II Reg. XII, 10. II Paralip. XXIV, 8. alii γλωσσόκομον [*loculum*] II Paralip. XXIV, 8. Ioſephus ξύλινον θησαυρὸν [*ligneum theſaurum*]. Alioqui ſolebat γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] dici pars illa Templi quæ ponè Ædem ſacram in latus utrumque verſus Occaſum porrigebatur, in qua & arca illa erat, & alia Templi κειμήλια [*pretioſa*], tum verò purpura, coccus, aromata & quicquid præterea in uſus Templi aſſervabatur; de quibus Ioſephus Ἁλώσεως [*Captivitatis*] VI, 41. item vinum, oleum, frumentum & reliqua Sacerdotum alimenta, ut videre eſt

Neh. x, 37. ubi quod in Hebræo eſt לשכה vertitur γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*], ut & Nehem. xiii, 5. pro quo i Paralip. xxviii, 12. legimus παστοφόρια [*paſtophoria*], ut & Ierem. xxxv, 4. cùm eodem Ieremiæ capite commate 2. vox eadem לשכות reddita ſit voce αὐλῶν [*aularum*]. Sic & Ezech. xl, 17. eandem vocem לשכות Lxx vertunt παστοφόρια [*paſtophoria*] Aquila γαζοφυλάκια [*gazophylacia*], Symmachus ἐξέδρας [*exedras*]. Hoc modo γαζοφυλάκιον [*gazophylacium*] uſurpat Iohannes viii, 20. Huic γαζοφυλακίῳ [*gazophylacio*] præpoſitus erat unus ex Sacerdotum ordine, qui vocabatur γαζοφύλαξ [*gazæ Cuſtos*]. Meminit Ioſephus aliquoties, qui & catenam auream ab Agrippa in memoriam vinculorum ſuorum ſuspenſam ait intra Templum ὑπὲρ τὸ γαζοφυλάκιον [*ſuper gazophylacium*]· & alibi ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ [*in gazophylacio*] fuiſſe ait ad duo millia talentorum.

χαλκὸν, *æs*] Ob id quod ſequitur arbitror χαλκὸν hîc pro quavis etiam aurea & argentea pecunia ſumi, ut *æs* Latinis. Nec aliter Matth. x, 9.

43. προσκαλεσάμενος τοὺς μαθητὰς, *convocans Diſcipulos ſuos*] Scorſim hoc illis dixit, quia nihil attinebat aut viduam hoc audire aut cæteros. Sed Diſcipulos docere voluit quæ vera eſſet liberalitatis æſtimatio apud Deum & Dei imitatores:

In qua cenſendum nil niſi dantis amor.

πλεῖον, *plus*] Quia ἀπὸ ἐλαττόνων [*ex pauxillo*], ut Ariſtoteles loquitur. In rebus omnibus præcipuè ſpectandus animus, non nudè facta externa. Eſt autem affectûs liberalioris de minimo paulum dare quàm multum de magno acervo. Xenophon Exped. vii. Οὐ γὰρ ὁ ἀριθμὸς ὁρίζων ἐστὶ τὸ πολὺ καὶ ὀλίγον, ἀλλ' ἡ δύναμις τοῦ τε ἀποδιδόντος καὶ τοῦ λαμβάνοντος [*Non enim nummorum numerus diſtinguit id quod multum & id quod parum, ſed facultates & dantis & accipientis*]. Andronicus Rhodius, οὐ γὰρ πρὸς τὸ μέγεθος ἢ τὸ πλῆθος τῶν διδομένων ἡ ἐλευθεριότης κρίνεται, ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἣν ἔχουσι τὰ διδόμενα πρὸς τὴν οὐσίαν τοῦ διδόντος [*Non enim liberalitas dijudicatur ex magnitudine aut multitudine rerum quæ dantur, ſed ex proportione quam habent quæ dantur ad facultates dantis*]. Valerius Maximus iv, 8. de Fabio Verrucoſo, *eò quidem majore commendatione, quò proni ſtudii certius indicium eſt ſupra vires niti, quàm viribus ex facili uti.* Mox hanc liberalitatem liberalitati feminæ ditiſſimæ præfert. Bene Salvianus, *Non animus dantis datis, ſed animo commendantur data: nec pecunia fidem inſinuat, ſed pecuniam fides.* Chryſoſtomus homiliâ xix in Iohannem, μόνον οὐ μὴ κατοκνήσῃς· κἂν ὀβελοὺς δύο καταβάλῃς, οὐκ ἀποστρέφεται, ἀλλ' ὡς πολὺν δέχεται πλοῦτον. ἐπειδὴ γὰρ ἀνενδεής ἐστι καὶ οὐ χρείας ἕνεκεν ταῦτα λαμβάνει, εἰκότως οὐκ ἐν τῷ μέτρῳ τῶν διδομένων ἀλλ' ἐν τῇ προαιρέσει τοῦ παρέχοντος τὸ πᾶν ὁρίζεται [*tu modò ne pigreſcas: etiamſi duos tantùm des obolos, non eos ille averſatur, ſed ut magnas divitias acceptat. Cùm enim ipſe nullius rei ſit indigens, neque ideo ea accipiat quòd opus habeat, meritò res ea æſtimatur non à menſura datorum, ſed ex dantis animo*]. Idem in nonum caput ii ad Corinthios ix, 7. τὸ γὰρ πολὺ καὶ τὸ ὀλίγον οὐ τῷ μέτρῳ τῶν διδομένων ὁ Θεὸς ὁρίζει, ἀλλὰ τῇ δυνάμει τῆς οὐσίας τοῦ διδόντος [*multum enim & parum Deus æſtimat non ex menſura eorum quæ donantur, ſed ex facultatibus ejus qui dat*].

44. ἐκ τοῦ περισσεύοντος, *ex eo quod abundabat*] Non πᾶν τὸ περισσεῦον [*omne quod abundabat*], quod tamen minus futurum fuerat quàm quod dabat paupercula, ſed de magna copia aliquantum. Ita τὸ περισσεύειν [*abundare*] Lucas dixit de eo quod neceſſitatibus noſtris ſupereſt xii, 15.

ἐκ τῆς ὑστερήσεως, *ex penuria*] Sic περίσσευμα & ὑστέρημα [*abundantiam & inopiam*] inter ſe oppoſita inveniuntur apud Paulum ii Corinth. viii, 14. qui & alibi vocem ὑστερήματος [*ejus quod deeſt*] uſurpat in ſignificatione ἐνδείας [*indigentiæ*], חסר. In Græca Veteris Federis verſione promiſcuè ponuntur ἔνδεια [*indigentia*] & ὑστέρημα [*id quod deeſt*].

τὸν βίον, *victum ſuum*] Βίος eſt *id quo vita ſuſtentatur.* Hinc

Βίος βίου δεόμενος οὐκ ἔστιν βίος.
[*Non eſt vitalis vita quæ victu indiget.*]

Laxius etiam βίος [*vita*] vocantur *omnia quæ in uſus noſtros poſſidemus*, ut Luc. viii, 43. xv, 12, 30. Sic & Hebræi uſurpant חיים. Bene autem hoc loco arbitror à viro raræ eruditionis Aria Montano βίον [*vitam*] accipi tantum quantum quoque die homini alendo ſufficit; nam pauperrimorum hominum diurnus victus quadrante admodum parabatur.

CAPVT XIII.

1. Ποταποὶ λίθοι, *quales lapides*] Admirantis vox, ut Matth. viii, 27. De his lapidibus ita Ioſephus, ᾠκοδομήθη δὲ ὁ ναὸς ἐκ λίθων λευκῶν τε καὶ καρτερῶν τὸ μέγεθος ἑκάστων περὶ ε΄ ἢ η΄ πηχῶν ἐπὶ μῆκος, η΄ δὲ ὕψος, εὖρος δὲ περὶ ιβ΄ [*ædificatum erat Templum ex lapidibus candidis & firmis, qui in longum habebant ad cubitos inter quinque & octo, in altitudinem octo, in latitudinem duodecim*].

4. πάντα ταῦτα συντελεῖσθαι. *omnia hæc conſummari*] Id eſt, τοῦτο τὸ πᾶν, *hoc univerſum.* Vide Iohann. i, 3. Nam alteram eſſe quæſtionem diverſam ab excidio Hieroſolymorum oſtendit Matthæus, ubi hic idem ſenſus iſtis exprimitur verbis, τί τὸ σημεῖον τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος; [*quod ſignum conſummationis ſeculi?*]

6. ἐγώ εἰμι· *quia ego ſum*] אני הוא *Ego ſum ille quem exſpectatis.*

8. ταραχαὶ. *& perturbationes*] Μετωνυμία [*transnominatio*]. Indicat enim prodigia quæ φόβητρα [*terriculamenta*] Lucas vocat. Vide quæ inibi dicentur.

9. βλέπετε δὲ ὑμεῖς ἑαυτούς· *videte autem voſmetipſos*] Alius eſt uſus verbi βλέπειν [*videre*] ab eo quem ſuprà annotavimus. Sic ii Ioh. 8. Βλέπετε ἑαυτοὺς [*Videte voſmetipſos*], id eſt, Προσέχετε ἑαυτοῖς [*Attendite vobiſmetipſis*], *Vobis attendite*, in Matthæo eſt Προσέχετε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων [*Cavete ab hominibus*], x, 17. Nam inde ob cohærentiam rerum pars iſta huc transſumta eſt, ut conferenti apparebit.

καὶ εἰς τὰς συναγωγὰς δαρήσεσθε, *in ſynagogis vapulabitis*] Quin vera hæc ſit lectio quam præferunt antiqui codices non dubito. Ea ab ignaris ejus dicendi generis variè eſt interpolata. Nam alii καὶ [*&*] poſt vocem συναγωγὰς [*ſynagogis*] addiderunt, alii pro εἰς τὰς συναγωγὰς [*in ſynagogas*] repoſuerunt ἐν ταῖς συναγωγαῖς [*in ſynagogis*]. Sic ſuprà dixit, ἐβαπτίσθη εἰς Ἰορδάνην, *baptizatus eſt in Iordanem*, id eſt, *in Iordane*], & εἰς οἶκόν ἐστι [*in domum eſt*, id eſt, *in domo*]

domo], & infrà ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν [*qui eſt in agrum*, id eſt *in agro*]. Latini quoque dicunt *eſſe in poteſtatem*, & ſimilia.

11. ἀγάγωσιν, *duxerint*] Κυριολογία [*propria locutio*]. Nam ἄγειν [*ducere*] propriè dicitur is qui alium in jus rapit: unde *Agere* & *Actio* Latinis.

μηδὲ μελετᾶτε· *nolite præcogitare*] Luc. XII, 11.

14. τῆς ἐρημώσεως, *deſolationis*] Quod hîc in quibusdam codicibus additur τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Δανιὴλ τοῦ προφήτου [*prædictum à Daniele Propheta*] puto ex Matthæo adjectum: nam Latini non agnoſcunt.

ὅπου οὐ δεῖ· *ubi non debet*] Οὐ δεῖ [*non debet*] eſt לא כן [*non rectè*] ut διδάσκοντες ἃ μὴ δεῖ [*docentes quæ non oportet*] Tit. I, 11. Significari τὰ κύκλῳ Ἱερουσαλήμ [*ea quæ ſunt circa Ieruſalem*] diximus ad Matthæum.

19. κτίσεως, *creaturæ*] Id eſt, κόσμου [*mundi*], ut habet Matthæus. Diximus ſuprà X, 6.

27. ἐπισυνάξει, *congregabit*] Ipſe facere dicitur quod Angelos facere jubet. Ita enim Matthæus.

32. οὐδὲ ὁ υἱός, *nec Filius*] Videtur mihi, ni meliora docear, hic locus non impiè poſſe exponi hunc in modum, ut dicamus Divinam ſapientiam menti humanæ Chriſti effectus ſuos impreſſiſſe pro temporum ratione. Nam quid aliud eſt, ſi verba non torquemus, προέκοπτε σοφίᾳ [*proficiebat ſapientiâ*], Luc. II, 52? Sicut igitur poſt reſurrectionem accepit omnem poteſtatem, ita & omnem ſcientiam. Ac nequis hanc ſententiam ab antiquitate damnatam putet, ſatis admonere nos poteſt illud Ambroſii, *Secundùm carnem utique ſapientiâ Dei implebatur & gratiâ.* Pro tempore autem ἀποστολῆς [*miſſionis*] ſuæ Ieſu opus non erat ſcire diem univerſalis judicii, quem Deus Pater latére voluit. Nec aliter ſenſiſſe Chriſtianorum vetuſtiſſimos indicio eſt Irenæus, qui lib. II, cap. XLVIII & XLIX. *Scientiam*, inquit, *diei illius Filius non erubuit referre ad Patrem, & dixit quod verum eſt.* Item, *Et ſecundùm agnitionem itaque præpoſitus eſſe Pater annuntiatus eſt à Domino.* Leontius De Sectis, Ἰστέον, ὅτι οἱ πολλοὶ τῶν πατέρων, σχεδὸν δὲ πάντες, φαίνονται λέγοντες αὐτὸν ἀγνοεῖν· εἰ γὰρ κατὰ πάντα λέγεται ἡμῖν ὁμοούσιος, ἀγνοοῦμεν δὲ καὶ ἡμεῖς, δηλονότι καὶ αὐτὸς ἠγνόει· καὶ ἡ γραφὴ δὲ λέγει περὶ αὐτοῦ, ὅτι προέκοπτεν ἡλικίᾳ καὶ σοφίᾳ [*Sciendum eſt quòd multi Patrum, imò fere omnes, videntur dicere eum ignoráſſe: nam ſi per omnia dicitur nobis conſubſtantialis, nos autem ignoramus aliqua, & ipſe aliqua ignoravit. Et Scriptura de eo dicit, Proficiebat ætate & ſapientiâ*].

34. ἐξουσίαν, *poteſtatem*] Ita Syrus. Procurationem rerum domeſticarum patet intelligi.

τὸ ἔργον αὐτοῦ, *opus ſuum*] *Miniſterium.* Ita vox hæc ſumitur Ioh. IV, 34. VI, 29. I Cor. XVI, 10.

καὶ τῷ θυρωρῷ, *& janitori*] Καὶ [*&*] hîc παρέλκει [*abundat*] more Hebraïco: quod alibi quoque obſervatum.

CAPUT XIV.

1. ἮΝ δὲ τὸ πάσχα καὶ τὰ ἄζυμα, *Erat autem Paſcha & Azyma*] Id eſt, Paſcha, qui dies initium eſt Azymorum. Nam octo Azymorum dies numerant noſtri Scriptores, quorum primus eſt cujus fine agnus mactabatur. Vide quæ ad Matth. XXVI, 17.

3. νάρδου πιστικῆς, *nardi piſticæ*] Ita & Iohannes. Πιστικὴν [*piſticæ* vocem] hîc derivare παρὰ τὸ πιεῖν [*à bibendo*] probari mihi non poteſt, quia cùm de potu hîc non agatur, non video cur nardus hîc *potulenta* dicatur: πιστικὸν dici *quod fidei eſt exploratæ*, verum eſt, ſed non niſi apud Scriptores aliquot ſeculis ſeriores. Quare cùm Marcus & Iohannes uſurpent hanc vocem, qui plùs cæteris ſequuntur Hebræum ſermonem, omnino eò ducor ut credam vocem Latinam *ſpicatæ*, quam & Græci dicunt σπικάτην & σπεκάτην, corruptiùs apud Iudæos pronuntiatam, nimirum פיסטקא pro ספיקטא, planè ſimili transpoſitione qualem ſuprà in voce Sexti aut Sextarii obſervavimus. Similis eſt in voce σαξίφραγος, quod Græci poſuere pro *Saxifraga*, & in Arabica voce زرنيخ [*Zarnich*] quomodo *Arſenicum* vocant; in Iudaica lingua אספניא [*aſponia*] pro ὀψώνια, multáque id genus: Syrus pro *Golgotha* habet *Gogoltha*. Quod autem apud Syrum eſt רישיא non *capitatum*, ni fallor, ſed *eximium* ſignificat, quale fuiſſe ſpicatum conſtat. Videtur & Nonnus ita accepiſſe vocem πιστικῆς, quia & producit mediam contra naturam Græcæ vocis, & quod addit φατιζομένης [*appellatæ*] propriè convenit nardo ſpicatæ. Nam Latinus Interpres quin ita acceperit ne dubitandum quidem arbitror. Arabs apud Iohannem poſuit خالص id eſt, *purum*, quod nardi epitheton eſt & apud Latinos Poëtas. Plinius *ſincerum* dixit pro eodem, cui opponitur *pſeudonardum*, cujus multas ſpecies facit idem Plinius.

συντρίψασα, *frangens*] Non comminuens, ſed efficiens ut latè hiaret; quomodo συντετριμμένος λάκκος [*ciſterna diſſipata*] Ierem. II, 13. Sic & alibi συντρίβειν eſt *vulnerare*, Ezech. XXXIV, 4. I Reg. XX, 37. *Aperuit* poſitum hîc à Syro.

13. κεράμιον ὕδατος βαστάζων· *lagenam aquæ bajulans*] Hac nota illum Chriſtus deſcripſit nomine non expreſſo: unde τὸν δεῖνα [*certum aliquem, ſed non nominatum*] dixit Matthæus. Dubitandum non eſt quin multi Hieroſolymitæ cœnacula inſtructa ſub id tempus advenis elocaverint; cujus ſortis & hic fuiſſe videtur, ut qui hydriam ferret ad paratum cœnaculi. Et, ni fallor, id ipſum indicat vox κατάλυμα [*refectio* ſive *diverſorium*].

15. ἐστρωμένον, *ſtratum*] In quibuſdam libris ἕτοιμον [*paratum*] ex Matthæo additum; neque enim agnoſcit Latinus: quanquam habet Syrus, ut & alia nonnulla quæ ex Matthæo ſunt addita.

18. ὁ ἐσθίων μετ' ἐμοῦ. *qui manducat mecum*] Hoc addidit Marcus à Petro acceptum. Id ſignificat menſæ ejuſdem participem, quod magnum amicitiæ vinculum veteres exiſtimabant. Τράπεζα καὶ ἅλες σύμβολα γνησίου φιλίας ἀνθρώποις [*Menſa & Sal ſinceræ amicitiæ ſymbola hominibus*], inquit Philo. Quod verò ſequitur ὁ ἐμβαπτόμενος [*qui intingit*], propior eſt deſignatio, ut ad Matthæum diximus.

19. εἷς καθ' εἷς, *ſingulatim*] Ita & Ioh. VIII, 9. Non eſt καθεῖς pro καὶ εἶτα εἷς [*& deinde unus*], ſed καθ' εἷς, ut clarè apparet Rom. XII, 5. ὁ δὲ καθ' εἷς

ἀλλήλων μέλη [*ſinguli alter alterius membra*]. Nimirum ut ſuprà diximus VI, 40. ſueti Hebraïco ſermoni non raró nominativum ſumunt ἀκλίτως [*indeclinabiliter*]. Itaque καθ' εἷς hîc idem valet quod καθ' ἕνα I Corinth. XIV, 31. Eodem modo καθ' εἷς reperitur apud Lucianum Solœciſtâ, & Chriſtianos Scriptores aliquot.

Μή τι ἐγώ; *Nunquid ego?*] Rectè monet vir diligentiſſimus, quod in quibusdam codicibus adjicitur, καὶ ἄλλος, Μή τι ἐγώ; [*& alius, Nunquid ego?*] ex interpretamento natum videri. Nam nec Syrus nec Latinus nec Arabs agnoſcunt. Neque cohæret cum illo καθ' εἷς [*ſingulatim*].

22. Λάβετε, *Sumite*] φάγετε [*comedite*] quod hîc aliqui codices additum habent, ex Matthæo venit: nam veteres Metaphraſtæ non agnoſcunt: & deeſt in codicibus quibusdam. Sic & infrà commate 34. quidam libri additum habent μετ' ἐμοῦ [*mecum*].

31. ἐκ περισσοῦ μᾶλλον, *multò magis*] Ita ſuprà VII, 36. μᾶλλον περισσότερον ἐκήρυσσον [*magis plus prædicabant*]. Quare non eſt quærenda alia conſtructio.

35. ἡ ὥρα· *hora*] Vide quæ ad Matthæum hoc loco.

36. Ἀββᾶ ὁ πατὴρ, *Abba, pater*] Ita & Paulus Romanorum VIII, 15. & Galat. IV, 6. Videntur Hebræi Græco utentes ſermone retinuiſſe hanc vocem, quia naturaliter pueri eo ſono patres ſalutant. Græci dicunt παπία, παππίδιον [*mi patercule*]· nec aliunde πάππος [*avus*]. Sic quod אם Hebræis, Græcis eſt μάμμη [*mater*]. Sed & Latini ab eo ſono dixerunt *pappare* & *mammas*. Duplex autem vox poſita eſt affectus teſtandi causâ. Simile illud ναὶ, ἀμὴν [*Etiam, Amen*] Apocal. I, 7.

οὐ τί ἐγὼ θέλω, ἀλλὰ τί σύ. *non quod ego volo, ſed quod tu*] Supple *fiat*. Hebræi Græcè ſcribentes particulas τί [*quid*] & ὅ [*quod*] promiſcuè uſurpant.

41. ἀπέχει, *ſufficit*] *Habet:* ut ad Matthæum diximus ad ejusdem argumenti locum.

44. σύσσημον, *ſignum* ſive *teſſera*] Vox hæc & vox σημεῖον apud Græcos Sacrarum literarum Interpretes planè idem valent, Eſaiæ V, 26. XLIX, 22. LXII, 10. Iudic. XX, 38, 40. Vſus voce συσσήμου etiam Menander ex Macedonico, ut creditur, ſermone.

κρατήσατε αὐτὸν, καὶ ἀπαγάγετε ἀσφαλῶς. *tenete eum, & ducitè cautè* ſive *certò*] *Tenete, & ducite cum cura.* Ita ἀσφαλῶς τηρεῖν eſt *exactè cuſtodire*, quod Latinè per vocem *tutò* minùs rectè verteris. Bene autem Syrus ἀσφαλῶς [*certò*] refert tam ad κρατήσατε [*tenete*] quàm ad ἀπάγετε [*ducite*].

45. Ῥαββὶ, Ῥαββί· *Rabbi, Rabbi*] Ita optimi codices & Syrus: quare lectio altera ex Matthæo profluxit.

49. ἀλλ' ἵνα, *ſed ut*] Supple τοῦτο ὅλον γέγονε [*totum hoc factum eſt*] ex Matthæo.

51. Καὶ εἷς τις νεανίσκος, *Adoleſcens autem quidam*] Non de Apoſtolorum grege, quod miror veteribus in mentem venire potuiſſe, nec è domo in quam Chriſtus in Vrbe diverterat, ſed ex villa aliqua horto proxima, ſtrepitu militum excitatus, & ſubitò accurrens ut conſpiceret quid ageretur.

σινδόνα, *ſindone*] Solebant enim cubare ἐν λινῷ ἐσθήματι [*in veſte linea*], ut ex Dionyſii Alexandrini epiſtola vir ſummæ eruditionis Iſaacus Caſaubonus monſtravit. Atque ita hic juvenis lecto exſilierat.

οἱ νεανίσκοι. *juvenes*] Id eſt, milites Romani, quos & Græci νεανίσκους & Latini ſæpe *juventutem* vocant. Hi autem adoleſcentem iſtum apprehenderunt, unum Diſcipulorum Ieſu eſſe exiſtimantes: quod ideo addidit Marcus, ut ſignificaret conſtitutum fuiſſe non Ieſum tantùm prehendere, ſed & Diſcipulos ejus.

52. καταλιπὼν τὴν σινδόνα, *rejecta ſindone*] Qua tenebatur.

54. πρὸς τὸ φῶς. *ad lucem*, id eſt, *ignem*] *Ad focum lucentem*, qui אור Hebræis.

56. ἴσαι, *convenientia*] Senſus non eſt, teſtimonia inter ſe discrepaſſe (neque enim video quomodo id dici poſſit de teſtimonio ſequente, quo recitato idem repetitur), ſed non tam gravia fuiſſe ut æquarent votum Pontificum, quærentium μαρτυρίαν [*teſtationem*] non quamvis ſed quæ ad mortem valeret, εἰς τὸ θανατῶσαι [*ut eum morti traderent*], ut antè dixit. Eſt ergo ἴση heic, quod Hebræi de teſtimoniis dicunt כשר, *ad probationem ejus quod quæritur ſufficiens*. Nam quod vir apprimè doctus diſſidium teſtium in eo collocat quòd alter teſtatus ſit dictum δύναμαι καταλῦσαι [*diſſolvere poſſum*], alter καταλύσω [*diſſolvam*], mihi non probatur. Idem enim hæc ſignificare arbitror, aut certè alterum altero includi. Nam Marcus qui hæc ex Petri ore accepit, utriusque teſtimonium recitat per verbum καταλύσω [*diſſolvam* ſive *deſtruam*].

58. οἰκοδομήσω. *ædificabo*] Ἐγερῶ [*excitabo*], Iohann. II, 19.

65. ῥαπίσμασιν ἔβαλον. *alapis feriebant*] *Alapis inceſſebant*, ut ad Matthæum diximus.

69. ἡ παιδίσκη, *ancilla*] Id eſt, παιδίσκη τις, quomodo articulum interdum ſumi certum eſt. Nam aliam fuiſſe à priore Matthæus docet.

πάλιν ἤρξατο, *rurſus cæpit*] Omnino aſſentior iis qui πάλιν cum ἤρξατο conjungunt, ut ſignificetur Iterum idem dictum Petro, quomodo & Latinus Interpres videtur accepiſſe. Neque terrere quenquam debet hac in parte codicum auctoritas: nam cùm veteres libros ſine diſtinctionibus ſcribi ſolitos ſatis conſtet, ſequitur poſtea ex deſcribentium judicio additas: quare & nunc de illis judicium liberum eſſe debet.

ἐξ αὐτῶν ἐστι. *ex illis eſt*] *Eſt illius ſecta.*

72. Καὶ ἐπιβαλὼν ἔκλαιε. *Et addens flevit*] Non tantùm recordatus eſt in animo eorum quæ Chriſtus dixerat, ſed prætereà etiam fletu teſtatus eſt mœrorem. Sic Hebræi dicunt יוסף addito verbo. Lucas eodem modo, προσθεὶς εἶπε παραβολὴν [*adjiciens dixit parabolam*] XIX, 11. id eſt, *prætereà dixit comparationem*; & alia conſtructione προσέθετο πέμψαι [*addidit mittere*], Lucæ XX, 11. Inter alias autem ſignificationes ἐπιβάλλειν eſt etiam προστεθῆναι [*addere*]. Sic Baſilius in libro De Baptiſmo vitam Chriſtianam depingens duo hæc verba ponit ſignificatu eodem, ἀγγαρευόμενος, πρόσθες· τυπτόμενος, ἐπίβαλλε [*angariatus, adde; vapulans, adjice*].

CAPVT XV.

1. Συμβούλιον ποιήσαντες, *conſilium facientes*] Id eſt, λαβόντες [*capientes*], ut Matthæi Interpres loquitur. Nam ſic & Marcus ſuprà III, 6. locutus eſt, συμβούλιον ἐποίουν, id eſt, *conſilium ceperunt*, non, ut quidam interpretantur, *Senatum convocarunt*.

καὶ ὅλον τὸ συνέδριον, *& univerſum concilium*] *Pleno Senatu*, cujus partes jam nominavit.

3. πολλά. *in multis*] Quod hîc addunt codices quidam, αὐτὸς δὲ οὐδὲν ἀπεκρίνατο [*ipſe autem nihil reſpondit*], ex Matthæo adjectum eſt: nam nec Latinus nec Syrus nec Arabs agnoſcunt.

7. ἐπεποιήκεισαν. *fecerant*] Hanc lectionem præferendam cenſeo, quam ſecuti ſunt & Syrus & Latinus.

8. Καὶ ἀναβοήσας, *Et clamans*] Apparet ita legiſſe Syrum & Græcos: quare quod Vaticanus codex habet ἀναβὰς [*adſcendens*], accedit ad ea argumenta quibus moveor ut credam quædam Marci exemplaria Græca ad Latinam verſionem mutata.

11. ἀνέσεισαν τὸν ὄχλον, *concitaverunt*] Non puto aliter legiſſe Syrum, nec eum qui Syrum ſæpe ſequitur Arabem, apud quem eſt حركت, *commoverunt*.

15. τὸ ἱκανὸν ποιῆσαι, *ſatisfacere*] Ex Romano ſermone genus hoc loquendi in Græciam traductum, ut multa alia poſtquam Græcia & Oriens facta erant Romani juris. Sic in Actis Lucas dixit λαμβάνειν ἱκανὸν, quod in jure Romano eſt *ſatis accipere*. Theophilus in Inſtitutionibus, titulo De Rerum diviſione, Εἰ δὲ πωλήσας τραδιτεύσῃ, οὐχ ἑτέρως ἐπὶ τὸν ἀγοραστὴν ἡ δεσποτεία μέτεισιν ἐὰν μὴ ὁ ἀγοραστὴς τῷ πράτῃ τὸ τίμημα καταβάλῃ τοῦ πράγματος, ἢ τὸ ἱκανὸν αὐτῷ ποιήσῃ ἐπὶ τιμήματι [*Quod ſi qui vendidit inſuper tradiderit, non aliter dominium in emtorem tranſit quàm ſi emtor venditori pretium numeraverit, aut de pretio ipſi ſatisfecerit*]. ubi Tribonianus ſic habet, *Venditæ verò res & traditæ non aliter emtori acquiruntur quàm ſi is venditori pretium ſolverit, vel alio modo ei ſatisfecerit.* Eſt autem *ſatisfacere* hîc apud Marcum, ut apud Latinos Scriptores ſæpe, Efficere ne alter habeat quod queratur.

φραγελλώσας, *flagellis cæſum*] Cùm jam antè eum flagris cecidiſſet: ut ad Matthæum expoſuimus.

16. ἔσω τῆς αὐλῆς, *intra aulam*] Αὐλὴν [*aulam*] hîc ſumo non pro *ſubdiali*, ut aliàs ſæpe, ſed pro ipſo *prætorio*, ut exponit Marcus. Sic & Matthæus Pontificis domum αὐλὴν [*aulam*] vocat XXVI, 3. Sed & Latinæ hiſtoriæ Scriptores *prætorium* ſolent vertere αὐλήν [*aulam*]. A tribunali ergo quod erat in ſtadio, ut ad Matthæum diximus, in partem domus interiorem abductus eſt Ieſus.

21. Ἀλεξάνδρου καὶ Ῥούφου, *Alexandri & Rufi*] Qui vivebant cùm hæc ſcriberet Marcus, &, ni fallor, Romæ, ubi iſta ſcribebat; ita ut meritò provocet ad eorum teſtimonium, qui rem à patre acceptam narrare aliis poterant. Nam inter eos qui Romæ Chriſtum profitebantur Rufum ſalutat Paulus. Dicitur huic Alexandro & Rufo frater tertius fuiſſe *Lucius* nomine, qui in Germania verbi ſemen ſparſerit. Patri Hebræo filii Græci Latinique nominis, initia vocationis Gentium.

23. ἐσμυρνισμένον, *myrrhatum*] Vide quæ ad Matthæum.

οὐκ ἔλαβε. *non accepit*] *Non imbibit*, ut ad Matthæum diximus.

25. Ἦν δὲ ὥρα τρίτη, *erat autem hora tertia*] Id eſt, Iam audita erat tuba horæ tertiæ, quod dici ſolebat donec caneret tuba horæ ſextæ. Vide quæ ad Matthæum. Lectionis enim mutandæ cauſam non video, tanto Syri, Arabis, Latini conſenſu.

28. Καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη. *Et cum iniquis reputatus eſt*] Ἐν τοῖς ἀνόμοις ἐλογίσθη [*in ſceleratis numeratus*] habent LXX apud Eſaiam. Implendum autem hoc vaticinium in ſe Chriſtus prædixerat Lucæ XXII, 37. Vertere liceat, *Facinoroſis annumeratus eſt.* פשעים [*facinoroſos*] Hebræi Grammatici eos dici volunt qui & deliberatò & cum inſigni quadam perfidia delinquunt. ἄνομοι [*exleges*] alibi dicuntur οἱ ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*], hîc verò ii qui nullâ juris aut legum Divinarum humanarumve reverentiâ tenentur, δίκην ἐν χερσὶν ἔχοντες [*quibus eſt in vi poſitum jus*]. Totum autem illud Eſaiæ vaticinium ſicut in Actis Philippus, ita & vetus Chaldæus Paraphraſtes de Meſſia exponit.

29. Οὐὰ, *Vah*] Latina interjectio *vah* à Marco hoc loco uſurpata eſt. Habet autem deteſtandi potiùs quàm, quod Hieronymus cenſuit, inſultandi ſignificationem. Plautus, *Vah quid illâ poteſt pejus quicquam muliere memorarier?* &, *Vah homo impudens.* Reſpondet Hebræum אוא, ſed quod plerunque eſt admirantis, ὀὰ Æſchylo in Perſis; unde *ovare*.

32. καὶ πιστεύσωμεν. *& credamus*] Vt fidem habeamus ipſi ſe Meſſiam affirmanti.

34. Ἐλωῒ, *Elohi*] Vetera exemplaria non omnia ita habuere. Nam Ἠλεὶ [*Elei*] (quod idem eſt cum eo quod apud Matthæum Ἠλὶ [*Eli*]) citat Euſebius. Et apud Syrum hoc loco eſt איל איל [*Il, Il*], ſed haud dubiè tranſpoſitis à librario literis, cùm ſcribendum fuerit אלי אלי [*Eli, Eli*], ut ad Matthæum monuimus. Quòd autem in tam multa exemplaria illud Ἐλωῒ [*Elohi*] hoc loco penetraverit, factum inde arbitror quòd ſicut Lucæ Euangelium initio maximè celebratum eſt per Eccleſias à Paulo fundatas, ita Marci per omnem Babylonicam διασποράν [*diſperſionem*], cui Petrus præfuerat; ac proinde deſcriptum ab hominibus Syrum ſermonem callentibus, quibus notius erat אלהי [*Elohi*] quàm אלי [*Eli*].

36. λέγων, Ἄφετε, *dicens, Sinite*] Vide quæ ad Matthæum. At Syrus legit hoc loco ἔλεγον [*dixerunt*], quod exemplaria Græca quædam habere dicuntur; quod ſi recipimus, ſubaudiendum erit *adſtantes*: & fieri poteſt ut omiſſus nominativus mutandæ lectioni occaſionem dederit.

40. Ἰακώβου τοῦ μικροῦ, *Iacobi Minoris*] Puto ita dictum inter Apoſtolos ad diſcrimen Iacobi Zebedaïdæ. Nam quod quidam putant ita dictum ut à patruo diſtingueretur, non video quid certi habeat. Et quòd Iacobum illum Majorem volunt non Iudæ tantùm ſed & Ioſetis fuiſſe genitorem, in eo falluntur haud dubiè, præſertim cùm Iacobum eundem

filium ſtatuant Alphæi. Nam is Iacobus cum Ioſete unam habuit matrem, ut hoc loco apparet.

Σαλώμη. *Salome*] שלימית nomen frequens apud Ioſephum.

42. ἐπεὶ ἦν παρασκευή, ὅ ἐστι προσάββατον, *erat Paraſceue, quod eſt anteſabbatum*] Duplici ratione dies iſte παρασκευή [*Paraſceue* ſive *præparatio*] dici poterat, tum quia erat ערב שבת [*veſpera Sabbati*], quod hic προσάββατον dicitur, tum quia erat ערב יום טוב, id eſt, ut Philo loquitur, προεόρτιον [*anteſeſtum*]. Hoc enim vult Marcus, juſtam fuiſſe feſtinandi cauſam quia ἡμέρα ἐργάσιμος [*dies permiſſa laboribus*] in eo erat ut jamjam finiretur.

43. Ἦλθεν, *Venit*]. Ita legiſſe videntur Syrus & Latinus: & ſanè omnes ferme codices ita habent. Neque ἀσύνδετον [*inconnexum*] illud ἦλθε [*venit*], & mox τολμήσας εἰσῆλθε [*audacter introiit*] alienum eſt ab Hebraïſmo.

προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *exſpectans Regnum Dei*] Ita Lucæ 11, 25. προσδεχόμενος τὴν παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ [*exſpectans conſolationem Iſraël*]. Quare dubitandum non eſt quin & hîc & in eadem hiſtoria apud Lucam προσδέχεσθαι ſit *exſpectare*, non autem *amplecti*.

τολμήσας, *audacter*] *Magno animo*. Ita enim rectè verti arbitror.

44. ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκε· *mirabatur ſi jam obiiſſet*] Ob cauſam quam attulimus ad Matthæum XXVII, 50.

46. Καὶ ἀγοράσας, *mercatus*] Ἔλλειψις [*defectus*] nominativi, qui non ex proximo ſed longiùs eſt repetendus: quod & alibi occurrit. De Ioſepho enim agi certum eſt. Hinc factum ut in quibusdam codicibus *Ioſephi* nomen ex interpretamento repeteretur.

47. ἡ Ἰωσῆ, *Ioſe*] *Mater* ſubauditur, ut & capite ſequentè Μαρία ἡ τοῦ Ἰακώβου [*Maria Iacobi*]. Sic *Hectoris Andromache*, ſupple *uxor*. *Ioſe* pro *Ioſeph* ex pronuntiatione illorum temporum. Id autem modò ἀκλίτως [*indeclinabiliter*] ponitur, ut hîc, modò declinatur ut faciat Ἰώσητος [*Ioſetis*]. Idem enim eſſe hoc nomen cum *Ioſephi* nomine inter veteres Origenes rectè cenſuit.

CAPVT XVI.

OMiſſam à Marco Reſurrectionis hiſtoriam, quæ Euangelii vel potiſſima pars eſt, indignum ſit creditu. Scriptam ab ipſo, ſed perditam, & ab alio partem hanc ſuppletam, æquè mihi videtur incredibile. Vnde enim iſta labes advenire potuit libro qui ſtatim ut eſt editus haud dubiè plurimis exemplis deſcriptus, & longè latéque distractus eſt? Tum verò qui ſupplevit, cur non ipſa ſecutus eſſet Matthæi verba? Adde jam quòd Latinus, Syrus, Arabs agnoſcunt, &, cujus magna in hac re debet eſſe auctoritas, Irenæus. Quare quod in quibusdam Græcis exemplaribus hæc pars aut tota, aut ab illis verbis ἀναστὰς [*ſurgens*] (nam in verbis ἐφοβοῦντο γάρ [*timebant enim*] deſiiſſe quosdam libros & Gregorius Nyſſenus docet & manuſcripti quidam oſtendunt) omiſſa fuit, exſcriptoribus tribuendum eſt; qui in hac parte eſſe putaverunt cum Matthæi verbis ἄσπονδον πόλεμον [*pugnam irreconciliabilem*], quam omiſſionis cauſam & Hieronymus reddit; cùm res longè aliter ſe habeat, ut ab aliis demonſtratum eſt, & nos ad Matthæum breviter attigimus.

1. διαγενομένου τοῦ σαββάτου, *cùm tranſiſſet Sabbatum*] *Cùm interceſſiſſet Sabbatum.* Ita Plato, διακοσίων ἐτῶν διαγεγονότων [*cùm interceſſiſſent anni ducenti*]. Lucas Actor. XXV, 13. Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων τινῶν [*Cùm dies interceſſiſſent aliquot*]. & XXVII, 9. ἱκανοῦ δὲ χρόνου διαγενομένου [*cùm autem multum interceſſiſſet temporis*].

ἠγόρασαν, *emerant*] *Iam emta habebant*, ut ad Matthæum diximus.

2. ἀνατείλαντος τοῦ ἡλίου. *orto jam Sole*] Aoriſtus hic non exactum tempus ſignificat, ſed adhuc durans. Vide Matth. XVII, 17. Quare duæ illæ lectiones ἔτι ἀνατείλαντος [*adhuc orto*], cujus Nyſſenus meminit, & ἀνατέλλοντος [*oriente*], quam exemplaria nonnulla præferunt, natæ ſunt ex interpretamento.

3. ἔλεγον πρὸς ἑαυτάς, *dicebant ad invicem*] Nam cuſtodiam appoſitam ignorabant, quia id factum erat dum ipſæ Sabbato diſtinebantur.

4. ἦν γὰρ μέγας σφόδρα. *erat quippe magnus valde*] Ἔλλειψις [*defectus*]. Senſus enim eſt, *quod commode ipſis evenit; quia magnum erat ſaxum.*

5. εἰς τὸ μνημεῖον, *in monumentum*] non in ſpecum, ſed intra ſeptum, ut ad Matthæum diximus.

ἐν τοῖς δεξιοῖς, *in dextris*] Super avoluto ſaxo.

στολήν, *Stolam*] Id eſt, ποδήρη [*talarem*], ut ad Matthæum notavimus.

7. καὶ τῷ Πέτρῳ, *& Petro*] Strabo libro octavo σχῆμα [*figuratum loquendi genus*] eſſe ait non infrequens συγκαταλέγειν τὸ μέρος τῷ ὅλῳ [*poſt totum partem eloqui*], adducens tum alia, tum illud Alcmanis,

> Κύπρον ἱμερτὰν λιποῦσα καὶ Πάφον περιρρύταν·
> [*Splendidam Cyprum relinquens & mari ſparſam*
> *Paphum.*]

& Æſchyli,

> Κύπρου Πάφου τ' ἔχουσα πάντα κλῆρον.
> [*Cypri Paphique jura ſumma habentem.*]

Sic apud Homerum, Φοινίκην καὶ Σιδονίους· Τρῶας καὶ Ἕκτορα· Ἴδην καὶ Γάργαρον· Χαλκίδα τ' Εἰρέτριάν τε [*Phœnicen & Sidonios; Troas & Hectora; Iden & Gargaron; Chalcidáque Iretriamque*]. quæ notata Euſtathio ad Odyſſeæ Α. Donatus ad Prologum Andriæ, *Quod eſt ſummæ auctoritatis, Ennium ultimum dixit.* Servius ad I Æneid.

> -------- *Danaûm atque immitis Achilli:*

Bene ſecundùm Homerum ſegregavit Ducem à populo. Idem obſervat in illo III Æneid.

> *Delectos populi ad proceres ipſumque parentem.*

Et ad X. *Poſt generalitatem intulit ſpeciem.* Tale & illud in VIII.

> ——— *ventis & Iapyge ferri.*

Ferme autem ubi generi ſpecies ſubjungitur (*ſpeciem* hîc Iuriſconſultorum more uſurpo) in ſpecie aliquid eſt eximii, ut Pſalm. XVIII, 1. II Sam. II, 30. I Regum XI, 1. Actor. I, 14. Petrus autem peculiariter hîc nominatur, ut dux Apoſtolici cœtus, ac proinde exemplum inſigne propoſitum omnibus infirmitatis humanæ, ſeriæ pœnitentiæ & inſtauratæ fidei. Apparet hîc illud de quo Chriſtus dixit, Angelorum gaudium ſuper converſo peccatore.

8. οὐδενὶ οὐδὲν εἶπον· *nemini quicquam dixerunt*] Obvio ſcilicet; idque præ metu Iudæorum. At Apoſtolis renuntiarunt non repertum ſibi corpus, ſed Angelos viſos qui Ieſum dicerent vivere, Lucæ XXIV, 22, 23.

9. Ἀναστὰς δὲ, *Poſtquam reſurrexerat*], Narraverat Angeli teſtimonium; nunc ad ipſius Ieſu ἐπιφανείας [*apparitiones*] transit: Quarum prima contigit Mariæ Magdalenæ. Itaque ἀναστὰς eſt *ille ipſe qui reſurrexerat*, non autem *ſimulatque reſurrexerat*. Sic infrà αὐτὸν ἐγηγερμένον [*ipſum excitatum*] perſonam notat, non tempus. Hoc qui non intellexerunt, expunxerunt hoc comma, ſimili temeritate qua totam hanc lectionem à quibuſdam omiſſam diximus.

πρωῒ, *manè*] *Mane jam claro*, cùm illud quod priùs narravit accidiſſet λίαν πρωῒ [*valde manè*], ut ad Matthæum obſervatum eſt.

10. τοῖς μετ᾽ αὐτοῦ γενομένοις, *his qui cum eo fuerant*] Τοῖς ἀδελφοῖς [*fratribus*] Matthæus; Petro nimirum & Iohanni, & qui cum ipſis erant.

πενθοῦσι καὶ κλαίουσι. *lugentibus & flentibus*] Lugentibus amiſſum Magiſtrum.

11. ἀκούσαντες ὅτι ζῇ, *audientes quia viveret*] Id eſt, ἀκούσαντες ὅτι ὁ ἄγγελος εἶπεν αὐτὸν ζῆν [*audientes ab Angelo dictum, vivere ipſum*]. Hoc enim ad primam illam hiſtoriam refero: quod ſequitur ad ſecundam. Confer locum quem dixi Lucæ XXIV, 23.

καὶ ἐθεάθη ἀπ᾽ αὐτῆς, *& viſum eſſe ab ea*] A Magdalena. Iohannes, ἔρχεται Μαρία ἡ Μαγδαληνὴ ἀπαγγέλλουσα τοῖς μαθηταῖς ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον [*venit Maria Magdalena annuntians Diſcipulis, quòd Dominum vidiſſet*].

ἠπίστησαν, *non crediderunt*] Rei magnitudine fidem ſuperante. Lucas, Ἐφάνησαν ἐνώπιον αὐτῶν ὡσεὶ λῆρος τὰ ῥήματα αὐτῶν, καὶ ἠπίστουν αὐταῖς [*Et viſa ſunt ante illos ſicut deliramentum verba iſta: & non crediderunt illis*].

12. δυσὶν ἐξ αὐτῶν, *duobus ex his*] Τῶν μετὰ Ἰησοῦ γενομένων [*eorum qui cum Ieſu fuerant*], ut ſuprà dixit. Nam hoc nomine etiam alii extra XII cenſentur, præcipuè qui de numero erant illorum Septuaginta. Quare immeritò Euthymius hîc aliam putat hiſtoriam indicari quàm eam quæ à Luca copioſè deſcribitur.

ἐν ἑτέρᾳ μορφῇ, *in alia effigie*] *Habitu alio quàm quo uti ſolebat.* Ideo πάροικον [*habitantem in proximo*] putabant. Ex vultu quò minùs ipſum agnoſcerent, oculi Divinitus impediebantur. Ita optimè puto conciliari Marcum cum Luca. Et ſimile contigit circa Magdalenam: nam habitum habebat olitoris, vultum ſuum, ſed qui non repente agnoſceretur. Sic & ſuprà μετεμορφώθη [*transformatus eſt*] ad habitum refertur IX, 2, 3.

πορευομένοις εἰς ἀγρόν. *euntibus in vicum*] In pagum qui erat extra Vrbem, Emmauntem ſcilicet. Solent enim Hebræis opponi עיר & שדה, Helleniſtis πόλις & ἀγρὸς [*urbs* & *rus*], ut Deut. XXVIII, 3.

13. οὐδὲ ἐκείνοις ἐπίστευσαν. *nec illis crediderunt*] Plerique eorum ſcilicet. Nec obſtat quod Lucas ait, antequam illi duo adventarent, Simoni viſum fuiſſe Ieſum, idque ipſum cœtui renuntiatum. Nam & hoc in animum non ſatis admittebant. Imò & cùm Ieſus jam ſuperveniſſet, adjicit Lucas ἔτι ἀπιστούντων αὐτῶν [*adhuc illis non credentibus*]. Hæc omnia eò pertinent ut nos firmiùs credamus his qui ipſi tam tardè crediderunt.

14. Ὕστερον, *Poſtea*] Ὕστερον non eſt *Poſtremò*, ſed *deinde*. Thucydides μικρὸν ὕστερον [*paulò pòſt*] dicit, Plutarchus ὀλίγον ὕστερον [*exiguo pòſt tempore*], cùm quid volunt paulò pòſt factum ſignificare. Ego totus aſſentior referentibus hæc Marci verba ad eandem hiſtoriam quæ eſt apud Lucam XXIV, 36. Quare ὕστερον [*poſtea*] hîc parvi temporis intervallum ſignificat, ut Matth. IV, 2. aut idem eſt quod αὖθις [*rurſum*], ut interdum ſumi ſolet.

ἀνακειμένοις αὐτοῖς, *recumbentibus illis*] In fine cœnæ: neque enim repugnat intervalli & temporis ratio, ut ad Lucam pateſcet. Videntur autem Apoſtoli ad convivia ſua uſi eodem illo cœnaculo quo Chriſtus poſtremò uſus fuerat.

σκληροκαρδίαν· *incredulitatem*] Σκληροκαρδία [*durities cordis*] hîc dicitur quomodo ſuprà VI, 52. ἦν γὰρ καρδία αὐτῶν πεπωρωμένη [*occalluerat enim cor eorum*]. Alibi & hæc & illa vox gravius malum ſignificat; ut ad dictum locum annotavimus.

15. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς, *Et dixit eis*] Toto ſcilicet XL dierum tempore tum in Iudæa tum in Galilæa his de rebus illos eſt allocutus. Ideo mox commate 19. ſubjicit μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς [*cùm locutus eſſet eis*].

εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, *in mundum univerſum*] Benignè hoc intelligendum, ut gens nulla excludatur, & excitentur Apoſtoli ad ſpargendum quàm latiſſimè poſſent Euangelii ſemen. Sic & infrà dicitur πανταχοῦ [*ubique*].

πάσῃ κτίσει. *omni creaturæ*] Hebræi Hominem καθ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] vocant בריאה [*creaturam*], ut excellentiſſimum Dei opus.

16. Ὁ πιστεύσας καὶ βαπτισθεὶς, *Qui crediderit & baptizatus fuerit*], Id eſt, qui non crediderit tantùm contemplativè, ſed actu quoque fidem iſtam profeſſus fuerit. *Nam corde creditur ad juſtitiam, ore fit profeſſio ad ſalutem*, Rom. X, 10. Hæc autem profeſſio à ſolemni ejus exordio Baptiſmus vocari ſolet.

σωθήσεται· *ſalvus erit*] Accipiet remiſſionem peccatorum, Spiritum Sanctum, & vitam æternam. Hæc enim omnia vox iſta complecti ſolet.

ὁ δὲ ἀπιστήσας, *qui verò non crediderit*] *Qui non crediderit Euangelio*, ita ut oportet ſcilicet, id eſt, cum ſanctæ vitæ profeſſione. Ita ὁ ἀπιστήσας [*qui non crediderit*] opponitur & Credenti & Baptizato.

κατακριθήσεται. *condemnabitur*]. Retentione peccatorum, obduratione & ſuppliciis æternis majoribus quàm quæ eos manent quibus hic ſermo non eſt annuntiatus.

17. τοῖς πιστεύουσι, *iis qui crediderint*] Non omnibus omnia. Sunt enim διαιρέσεις χαρισμάτων [*diſtributiones gratiarum*], 1 Corinth. XII, 4. Ita tamen ut cuilibet ut oportet credenti aliqua tunc data ſit admirabilis facultas, quæ ſe non ſemper quidem ſed data occaſione explicaret. Hoc enim ſignificat Ioelis vaticinium cùm ait, ἐπὶ πᾶσαν σάρκα [*ſuper omnem carnem*], nempe τῶν δούλων τοῦ Θεοῦ [*ſervorum Dei*]. Chryſoſtomus in VIII. ad Romanos, διάφορα πᾶσι τοῖς τότε βαπτιζομένοις ἐδίδου χαρίσματα ὁ Θεὸς, ἃ δὴ καὶ πνεύματα ἐκαλεῖτο [*varia tunc dedit Deus dona omnibus baptizatis, qui & ſpiritus vocabantur*].

δαιμόνια ἐκβαλοῦσι· dæmonia ejicient] Primo loco hoc donum ponit Marcus, quia communiter dabatur omnibus credentibus: quod verum eſſe etiam ſecutorum temporum hiſtoria evincit. Iuſtinus Martyr Colloquio cum Tryphone, Καὶ νῦν ἡμεῖς οἱ πιστεύοντες ἐπὶ τὸν σταυρωθέντα ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου Ἰησοῦν Κύριον ἡμῶν τὰ δαιμόνια πάντα καὶ πνεύματα πονηρὰ ἐξορκίζοντες ὑποτασσόμενα ἡμῖν ἔχομεν [*Et nunc nos qui credimus in eum qui crucifixus eſt ſub Pontio Pilato, Ieſum Dominum noſtrum, dæmonia omnia & malos ſpiritus exorcizamus & ſubjectos nobis habemus*]. Et alibi, οὗ καὶ τὴν τοῦ ὀνόματος ἰσχὺν καὶ τὰ δαιμόνια τρέμει· καὶ σήμερον ἐξορκιζόμενα κατὰ τοῦ ὀνόματος Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου τοῦ γενομένου ἐπιτρόπου τῆς Ἰουδαίας ὑποτάσσεται [*vim nominis ejus etiam dæmonia perhorreſcunt: & nunc quoque adjurata per nomen Ieſu Chriſti, qui crucifixus fuit ſub Pontio Pilato Iudææ Procuratore, obediunt*]. Ex quibus locis etiam formulam in exorciſmis antiquitus uſurpatam eſt diſcere. Irenæus libro II. Οἱ μὲν γὰρ δαίμονας ἐλαύνουσι βεβαίως καὶ ἀληθῶς, ὥστε πολλάκις καὶ πιστεύειν αὐτοὺς ἐκείνους καθαρισθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων καὶ εἶναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ [*Nam & dæmonas ejiciunt re ipſa & cum fiducia, ita ut ſæpe qui ſic à malis ſpiritibus purgantur credant & ipſi, Eccleſiæque accedant*]. Origenes ad Celſum ait, Τὸ ὄνομα τοῦ Ἰησοῦ κατὰ τῶν δαιμόνων ὀνομαζόμενον ἀνύειν μάλιστα ὅταν οἱ λέγοντες ἀπὸ διαθέσεως ὑγιοῦς καὶ πεπιστευκυίας γνησίως αὐτὸ λέγωσι [*Nomen Ieſu contra dæmonas pronuntiatum vim habere, maximè verò ubi qui id pronuntiant id faciunt ſano & ſicut oportet credente animo*]. Tertullianus Apologetico, *Edatur hìc aliquis ſub tribunalibus veſtris quem dæmone agi conſtet. Iuſſus à quolibet* CHRISTIANO *loqui ſpiritus ille tam ſe dæmonem confitebitur de vero, quàm alibi Deum de falſo.* Rurſum, *Atquin omnis hæc noſtra in illis* (dæmonibus) *dominatio & poteſtas de nominatione Chriſti valet, & de commemoratione eorum quæ ſibi à Deo per arbitrum Chriſtum imminentia exſpectant. Chriſtum timentes in Deo & Deum in Chriſto ſubjiciuntur ſervis Dei & Chriſti. Ita de contactu deque afflatu noſtro contemplatione & repræſentatione ignis illius correpti, etiam de corporibus noſtro imperio excedunt inviti & dolentes, & vobis præſentibus erubeſcentes.* Et mox, *Quis autem vos ab illis occultis & usquequaque vaſtantibus mentes & valetudines veſtras hoſtibus raperet? à dæmoniorum incurſibus dico, quæ de vobis ſine præmio, ſine mercede depellimus.* Minutius Felix, *Hæc omnia ſciunt plerique veſtrûm ipſos dæmonas de ſemetipſis confiteri, quoties à nobis & tormentis verborum & orationis incendiis de corporibus exiguntur.* Mox, *Exſiliunt ſtatim vel evaneſcunt gradatim prout fides patientes adjuvat, aut gratia curantis adſpirat.* Origenes adversùs Celſum ſeptimo, Τὸ τῶν δαιμόνων γένος οὐκ ὀλίγοι τῶν Χριστιανῶν ἀπελαύνουσι τῶν πασχόντων, σὺν οὐδενὶ περιέργῳ καὶ μαγικῷ ἢ φαρμακευτικῷ πράγματι, ἀλλὰ μόνῃ εὐχῇ καὶ ὁρκώσεσιν ἁπλουστέραις, καὶ ὅσα ἂν δύναιτο προσάγειν ἁπλούστερος ἄνθρωπος· ὡς ἐπίπαν γὰρ ἰδιῶται τὸ τοιοῦτον πράττουσι, παριστάσης τῆς ἐν τῷ λόγῳ Χριστοῦ χάριτος τὸ τῶν δαιμόνων εὐτελὲς καὶ ἀσθενές, οὐ πάντως δεόμενον πρὸς τὸ ἡττηθῆναι καὶ εἶξαι ὑπεξελθεῖν ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου καὶ σώματος, σοφοῦ τινος καὶ δυνατοῦ ἐν ταῖς λογικαῖς περὶ τῆς πίστεως ἀποδείξεσιν [*Dæmonum genus multi Chriſtiani expellunt à poſſeſſis non ullâ re curiosâ aut magicâ aut veneficâ, ſed ſolâ prece & nudis adjurationibus, quas adhibere poſſit homo ſimpliciſſimus; plerunque enim faciunt idiotæ, & quæ in verbo Chriſti eſt gratiâ exhibente dæmonas contemtibiles & invalidos, ut ad quos vincendos & cogendos exire de anima & corpore hominis opus non ſit aliquo viro ſapiente & potente ad fidem rationum argumentis muniendam*]. Lactantius, *Iuſtos autem, id eſt, cultores Dei metuunt* (dæmones), *cujus nomine adjurati de corporibus excedunt; quorum verbis tanquam flagris verberati non modò dæmones ſe eſſe confitentur, ſed etiam nomina ſua edunt illa quæ in templis adorantur, & quod plerunque coram cultoribus ſuis faciunt, non utique in opprobrium religionis, ſed honoris ſui: quia nec Deo per quem adjurantur, nec juſtis quorum voce torquentur mentiri poſſunt.* Cùm verò multò etiam ſeriora ſecula plena ſint teſtimoniis ejus rei, neſcio qua ratione moti quidam id donum ad prima tantùm tempora reſtringant; quibus ut uberiorem fuiſſe miraculorum copiam, ad jacienda tanti ædificii fundamenta contra vim mundi, facilè concedo, ita cum illis exſpiraſſe hanc Chriſti promiſſionem cur credamus non video. Quare ſi quis nunc etiam gentibus Chriſti ignaris (illis enim propriè miracula inſerviunt, 1 Corinth. XIV, 22.) Chriſtum, ita ut ipſe annuntiari voluit, annuntiet, promiſſionis vim duraturam arbitror. Sunt enim ἀμεταμέλητα τοῦ Θεοῦ δῶρα [*ſine pœnitentia dona Dei*]. Sed nos cujus rei culpa eſt in noſtra ignavia aut diffidentia id ſolemus in Deum rejicere.

γλώσσαις λαλήσουσι καιναῖς· linguis loquentur novis] Hoc quoque donum latiſſimè patuit: non enim Apoſtolis tantùm & Euangeliſtis ſed aliis etiam multis credentibus fuit conceſſum, ut videre eſt Actorum X, 46. XIX, 6. & ex Epiſtola ad Corinthios. Καινὰς [*novas*] autem γλώσσας [*linguas*] dixit quibus quisque loqui non ſoleret.

18. Ὄφεις ἀροῦσι· *Serpentes tollent*] Nimirum καὶ οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψουσι [*& eis non nocebunt*], quod ex ſequentibus huc quoque referendum eſt. Ἀροῦσι eſt *manibus tollent:* ita vipera illa innoxia pendebat à Pauli manu. Notandum autem eſt omnia hæc σημεῖα [*ſigna*] non per ſe tantùm eſſe benefica, ſed & expreſſas in ſe continere imagines eorum beneficiorum quæ animis per Euangelium contingunt.

κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, & ſi mortiferum quid biberint] Quod quidam de Iohanne Apoſtolo referunt, de Barſaba Euſebius ex Papia, de Victore milite Cilice martyrologium Adonis ad Pridie Eidus Maji, de Sabino Canuſino Epiſcopo Gregorius Turonenſis, de aliis alii. Sed & Thalmudiſtæ cognatum quendam Ioſuæ filii Levi cùm venenum bibiſſet pronuntiato Ieſu nomine convaluiſſe narrant.

ἐπὶ ἀρρώστους χεῖρας ἐπιθήσουσι, ſuper ægros manus imponent] Δῶρον ἰαμάτων [*donum Sanationum*] videtur communiter ferme conceſſum omnibus qui regimen Eccleſiæ acceperant, Iacobi V, 14. Nam manuum impoſitio viſibile ſignum eſt precationis cujus Iacobus meminit. Conjunxit ſignum rei ſignatæ Lucas, προσευξάμενος, ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ ἰάσατο αὐτὸν [*cùm oraſſet & impoſuiſſet ei manus, ſalvavit eum*], Actorum XXVIII, 8. Irenæus II, 57 οὐκ ἔστιν ἀριθμὸν εἰπεῖν τῶν χαρισμάτων ὧν κατὰ παντὸς τοῦ κόσμου ἡ ἐκκλησία παρὰ Θεοῦ λαβοῦσα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπὶ Ποντίου Πιλάτου ἑκάστης ἡμέρας ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν ἐθνῶν ἐπιτελεῖ [*Numerus referri non poteſt donorum, quibus Eccleſia per totum orbem à Deo acceptis, in nomine Ieſu Chriſti crucifixi ſub Pontio Pilato, quotidie utitur bono etiam Gentium*].

19. μετὰ τὸ λαλῆσαι αὐτοῖς, *poſtquam locutus eſt eis*] Cum omnia hæc præcepta & promiſſa illis dediſſet, nec quicquam jam reſtaret, niſi ut eadem per Spiritum Sanctum obſignarentur.

ἀνελήφθη, *aſſumtus eſt*] Vocem hanc de Chriſti in cœlum Adſcenſione libenter Apoſtoli uſurpant, Lucas IX, 51. Actorum I, 2. II, 22. Paulus I Timoth. III, 16. Apud LXX Elias dicit Eliſæo II Regum II, 10. ἐὰν ἴδῃς με ἀναλαμβανόμενον ἀπὸ σοῦ [*ſi videris me aſſumi* ſive *tolli à te*] לקח. Proptereaque iidem Interpretes paulò poſt יעל *adſcendit* vertunt ἀνελήφθη [*aſſumtus eſt*], ad ſenſum magis quàm ad vocem reſpicientes. Et erat inter Iudæos liber veteres narrationes de Moſis corpore continens, cui nomen Ἀνάληψις Μωσέως [*Aſſumtio Moſis*]. Nec omittendum de Elia dici ἀνελήφθη ἕως εἰς τὸν οὐρανὸν [*aſſumtus eſt usque in cœlum*] I Maccabæorum II, 58. de Chriſto verò non tantùm εἰς οὐρανὸν [*in cœlum*], ut hoc loco & alibi, ſed & εἰς οὐρανοὺς [*in cælos*] Actorum II, 34. Epheſ. VI, 9. Coloſſenſ. III, 1. I Theſſal. I, 10. Hebræorum VIII, 1. de quo diſcrimine egimus ad Matth. III.

ἐκάθισεν ἐκ δεξιῶν, *ſedet à dextris*] Quid hæc locutio ſignificet alibi diximus. Eſt autem ἐκάθισεν, *ivit ſeſſum.*

20. ἐξελθόντες, *profecti*] Ex Hieroſolymis, unde exire debebat ſceptrum Meſſiæ. Vide Actor. I, 4.

ἐκήρυξαν, *prædicaverunt*] Dogmata Chriſti, Vitam ejus, Mortem, Reſurrectionem & in cœlum Adſcenſionem.

τοῦ Κυρίου, *Domini*] Ita Ieſum in cœleſtem gloriam evectum vocare cœperunt Apoſtoli etiam ſine ullo nominis adjectamento.

συνεργοῦντος, *cooperante*] Θεοῦ γάρ ἐσμεν συνεργοί [*Dei enim ſumus adjutores*], inquit Paulus I Cor. III, 9. Idem, περισσότερον πάντων ἐκοπίασα· οὐκ ἐγὼ δὲ, ἀλλ' ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί [*abundantiùs illis omnibus laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum*]. Idem alibi nuntiis verbi tribuit *plantare* & *rigare*, Deo autem *dare auctum*. Nimirum fideles Euangelii præcones, ut veterum quidam non malè dixit, *& miniſtri ſunt Dei per effectum, & ſocii per voluntarium conſenſum.*

διὰ τῶν ἐπακολουθούντων, *ſequentibus*] Sicut modò dixerat σημεῖα ταῦτα παρακολουθήσει [*ſigna hæc ſequentur*].

Finis Annotationum in Marcum.

ANNOTATIONES
IN EVANGELIVM
ΚΑΤΑ ΛΟΥΚΑΝ.

ΚΑτὰ Λουκᾶν, *Secundùm Lucam*] Docet nos Origenes in Annotationibus Epiſtolæ ad Romanos fuiſſe qui crederent Lucium eum qui in eadem epiſtola nominatur XVI, 21. eſſe hunc ipſum Lucam, & *Lucium* dici flexione Romanâ, *Lucam* Græcâ. Ego Lucium illum cujus ibi meminit Paulus puto non alium eſſe à Cyrenenſi quem noſter hîc nominat Actorum XIII, 1. Noſtro autem nomen quidem Romanum fuiſſe arbitror, ſed aliquantò longius. Nam quæ in ᾶς terminantur nomina ſolent partem nominis poſtremam ἀποκόπτειν [*abſcindere*]. Ita Δημᾶς [*Demas*] eſt Δημήτριος [*Demetrius*], Μηνᾶς [*Menas*] eſt Μηνόδωρος [*Menodorus*], Ἀπελλᾶς [*Apellas*] eſt Ἀπολλόδωρος [*Apollodorus*], Θευδᾶς [*Theudas*] eſt Θεόδωρος [*Theodorus*], Ἐπαφρᾶς [*Epaphras*] eſt Ἐπαφρόδιτος [*Epaphroditus*], Ἁρποκρᾶς [*Harpocras*] eſt Ἁρποκράτης [*Harpocrates*], Ἀλεξᾶς [*Alexas*.] eſt Ἀλέξανδρος [*Alexander*], Κλεοπᾶς [*Cleopas*] eſt Κλεόπατρος [*Cleopater*]. Ex *Artemidoro* fit *Artemas*, ut apud Varronem eſt libro VII De lingua Latina. Herodes pater in minore fortuna *Antipas*, in majore *Antipater* Ioſepho. Sic *Poſides* ex *Poſidonio* diminuendo factus. Et, ut ad Latina veniam, Ῥουφᾶς [*Ruphas*] *Rufinus*. Quare & *Lucas*, ſi quid video, contractum eſt ex Romano nomine, quod ſuſpicor fuiſſe *Lucillium*. Nam ea gens tum Romæ florebat, ex qua erat & ille ad quem exſtant Senecæ epiſtolæ. Erat noſter hic Syrus, ut veteres conſentiunt; & medicinam fecit. Cur enim alium eſſe putemus de quo Paulus ſcribit Coloſſenſibus, Λουκᾶς ὁ ἰατρὸς [*Lucas medicus*], cauſæ nihil video: accedit famæ vetuſtas. Syria autem multos Romanis ſervos exhibebat: & Medicina, ut ex Plinio atque aliis diſcimus, munus erat ſervile. Manumiſſi autem nomen patroni induebant, ut Comœdiarum Scriptor, Afer cùm eſſet, dictus eſt à patrono Terentio *Terentius*; Alexander Polyhiſtor à patrono Cornelio Lentulo *Cornelius*, Suida referente. Ita hic à Lucillio *Lucillius* & contractè Λουκᾶς [*Lucas*]. Credibile eſt, cùm Romæ medicinam factitaſſet aliquandiu, accepta libertate rediiſſe in patriam. Iudaïcam religionem domi an Romæ imbiberit incertum. Romæ ſanè multi libertinæ conditionis quotidie ad Iudaïſmum transibant; qualis Cæcilius ille quicum Cicero de Verre accuſando certavit. Vide Plutarchum Cicerone. Philo libro De legatione ad Cajum, πῶς οὖν ἀπεδέχετο τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ μεγάλην τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων, Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους ἀπελευθερωθέντες [*quomodo ergo paſſus eſt magnam illam Romæ partem quæ trans Tiberim eſt habitari & teneri, ſe ſciente, ab Iudæis, qui magna pars Romanâ erant ex ſervitute manumiſſi*]. Sed & Antiochiæ magna erat Iudæorum univerſitas & ingens προσηλύτων [*proſelytorum*] numerus: quod & Ioſephus nos docet & leges Romanæ. Helleniſtarum ſermonem cum religione hauſit, Græcanicam literaturam dum Medicinæ ſtudet. Vtriusque manifeſta ſunt in ſcriptis ejus veſtigia. Sed & ad Syriacum ἰδίωμα [*loquendi genus*] ſæpe inclinans ejus dictio patriam prodit; & Romæ verſatum ex Romanis quibusdam locutionibus agnoſcas. Chriſtianum dogma puto ab ipſo ſuſceptum Antiochiæ, poſtquam eò Româ rediiſſet, Paulo docente, cui ab eo tempore comes hæſit, ut ex Actuum libro apparet, niſi ſi quando à Paulo ad Eccleſias legabatur, fovendæ ſementi quam fecerat Paulus; quod ſæpiuscule factum arbitror. Neque mihi diſplicet quod plerique Veterum ſentiunt, Pauli illud II Corinth. VIII, 18. τὸν ἀδελφὸν οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν [*fratrem cujus laus eſt in Euangelio per omnes Eccleſias*] de Luca accipi, præſertim cùm Ignatius in epiſtola ad Epheſios (quæ quin ſit γνήσιος [*genuina*] non dubito) ea ipſa verba ad Lucam trahat, ὡς μαρτυρεῖ, inquit Λουκᾶς, οὗ ὁ ἔπαινος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ διὰ πασῶν τῶν ἐκκλησιῶν [*ut teſtatur Lucas, cujus laus in Euangelio per omnes Eccleſias*]. Neque tamen εὐαγγελίου [*Euangelii*] voce librum hunc indicari ſentio, ſed munus εὐαγγελιστοῦ [*Euangeliſtæ*]. Librum autem & hunc & qui eſt de Actibus Apoſtolicis ſcriptum arbitror non multò poſt quàm Paulus Româ abiit in Hiſpaniam. Nam in id tempus deſinit Actuum liber, qui ſi ſeriùs ſcriptus eſſet, in ulteriora etiam tempora narrationem protenderet. Puto autem Româ iiſſe Lucam in Achajam, atque ibi ab eo conſcriptos quos habemus libros; quod & Hieronymus prodidit. Sunt qui decimo-quinto poſt Chriſti Adſcenſum anno, ſunt qui ſecundo & viceſimo id factum narrant.

1. πολλοὶ, *multi*] Apparet cùm Lucas ſcriberet aliquammultos exſtitiſſe libros de rebus Chriſti: nimirum ipſa rerum magnitudo multos in eam curam pertraxerat. Sed alii, dum rumores colligunt, non mirum eſt ſi vera falſis miſcuerint: quos inter numero Euangelii Ægyptiaci vetuſtiſſimum Scriptorem. Nam quæ alia circumferuntur Euangelia putidiſſima ſunt figmenta ævi multò poſterioris. Alii verò, Matthæus & Marcus ſcilicet, qui aut viſa aut ex certis auctoribus audita perſcripſerant, ſicut extra omnem erant negligentiæ culpam, ita addere aliquid ad ipſorum laborem cupienti in materia tam ubere viam non præcluſerant. Adde quod credibile eſt ad id tempus Matthæi librum non niſi Hebræo

ſermone exſtitiſſe; Marcus autem Græcè compendium magis hiſtoriæ quàm hiſtoriam ſcripſerat. Quod verò quidam exiſtimant Matthæo & Marco priorem in ſcribendo Lucam fuiſſe, planè ut credam induci non poſſum. Refragatur vetuſtiſſimus librorum ordo apud omnes nationes; refragatur traditio vetus, Irenæo & Tertulliano teſtibus ſuffulta; refragatur ipſe Lucas, qui ita Matthæi & Marci hiſtoriam auxit additis narrationibus, ut ubi res eaſdem narrat eadem quoque verba non rarò uſurpet.

ἐπεχείρησαν, *aggreſſi*] Bene notavit vir eruditiſſimus vocem eſſe mediam; neque ex ea colligi poſſe non præſtitum ab illis Scriptoribus quod aggreſſi erant. Nam & Plato, Iſocrates, aliique ἐπιχειρεῖν [*aggredi*] ſæpe de ſtudio etiam felice uſurpant.

πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων, *quæ in nobis completæ ſunt, rerum*] *De rebus quæ ſatis atque abunde nobis probatæ ſunt.* Probatio factorum in teſtibus maxime conſiſtit, in quibus ſpectatur an verum dicere velint, & an verum norint. Velle cenſendi ſunt qui ſunt vitæ integræ, & ex teſtimonio nihil ſperandum habent commodi. Tales autem erant οἱ προκεχειροτονημένοι μάρτυρες [*præordinati teſtes*] rerum à Chriſto geſtarum, vitæ ſanctiſſimæ homines, & qui à ſpe commodorum tam longè aberant ut contrà ejus teſtimonii cauſâ omne incommodorum genus tolerarent.

2. Καθὼς παρέδοσαν ἡμῖν, *Sicut tradiderunt nobis*] Aut voce, ut cæteri; aut etiam ſcripto, ut Matthæus. Nam vox παραδόσεως [*traditionis*] ad utrumque pertinet.

αὐτόπται. *qui ipſi viderunt*] Hoc jam eò ſpectat ut appareat teſtatos illos de re ſibi nota, ita ut eorum veracitati ignorantia obſtare non potuerit. Vetus eſt verſus,

Pluris eſt oculatus teſtis unus quàm auriti decem.

Apud Xenophontem hiſtoriæ Græcæ v. αὐτόπτου μὲν οὐδενὸς ἠκηκόει [*ex nemine audiit qui ipſe id viderit*]. Philo, περὶ συγχύσεως διαλέκτων [*De confuſis linguis*], Deum dicit ad res viſendas deſcendiſſe dici, ἵνα μηδεὶς ἀνθρώπων οἷς οὐ πάρεστιν ἀβεβαίῳ χρώμενος εἰκασίᾳ μακρὰν ἀφεστὼς προπιστεύῃ, ἀλλ᾽ ἄχρι τῶν πραγμάτων ἐλθὼν, καὶ διακύψας εἰς ἕκαστα, καὶ ἐπιμελῶς αὐτὰ αὐγασάμενος· ὄψιν γὰρ ἀπλανῆ πρὸ ἀκοῆς ἀπατεῶνος ἄξιον μάρτυρα τίθεσθαι· οὗ χάριν καὶ παρὰ τοῖς ἄριστα πολιτευομένοις ἀναγέγραπται νόμος, Ακοῇ μὴ μαρτυρεῖν [*nequis hominum de rebus à ſe longè remotis incerta opinione feſtinet credere, ſed ita demum ubi ad res ipſas venerit, perſpexeritque ſingulas & oculis diligentibus luſtraverit. Æquum enim eſt viſum qui non fallitur fallaci auditui in teſtimonii fide præponere: qua de cauſa apud eos qui bene reguntur lex ſcripta eſt, Ne ex auditu teſtimonium dicatur*]. Et in libro περὶ δικαστοῦ [*De Iudice*] ita ait, Ὀφθαλμοὶ μὲν αὐτοῖς ἐντυγχάνουσι τοῖς γινομένοις, ἐφαπτόμενοι τρόπον τινὰ τῶν πραγμάτων, καὶ ὅλα δι᾽ ὅλου καταλαμβάνοντες, φωτὸς συνεργοῦντος, ᾧ πάντα αὐγάζεταί τε καὶ διελέγχεται· ὦτα δὲ, ὥς ἔφη τις οὐκ ἀπὸ σκοποῦ τῶν προτέρων, ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα, πράγμασι μὲν οὐκ ἐντυγχάνοντα, ἑρμηνεῦσι δὲ πραγμάτων λόγοις οὐκ ἀεὶ πεφυκόσιν ἀληθεύειν παρελκόμενα· διὸ καὶ τῶν παρ᾽ Ελλησιν ἔνιοι νομοθετῶν μεταγράψαντες ἐκ τῶν ἱερωτάτων Μωσέως στηλῶν εὖ διατάξασθαι δοκοῦσι, μὴ μαρτυρεῖν ἀκοὴν, ὡς δέον, ἃ μὲν εἶδέ τις πιστὰ κρίνειν, ἃ δὲ ἤκουσε μὴ πάντως βέβαια [*Oculi in ipſa quæ geruntur intrant, tanguntque ea quodam modo, & tota in totum comprehendunt, cooperante luce, per quam omnia illuſtrantur & explorantur: Aures verò, ut non malè veterum dixit aliquis, minùs fidæ oculis, ut quæ ad res ipſas non perveniant, ſed interpretibus rerum verbis non ſemper verum dicentibus circumagi ſoleant. Quare & inter Græcos legum conditores quidam ex Moſis titulis depromtum hoc bene conſtituerunt, ne ex auditu teſtimonium dicatur; nempe quòd ea quis fida habere debeat quæ vidit ipſe, quæ verò audivit, non item*]. Ioſephus, Πάντα τὰ δι᾽ ἀκοῆς εἰς γνῶσιν ἐρχόμενα μετὰ ἀπιστίας παραγίνεται [*Omnia quæ per auditum ad cognitionem perveniunt incertam ſecum adferunt fidem*]. Cteſias in hiſtoria ſua recitante Photio ajebat, αὐτὸν τῶν πλειόνων ἃ ἱστορεῖ αὐτόπτην γενόμενον, ἢ παρ᾽ αὐτῶν Περσῶν, ἔνθα τὸ ὁρᾷν μὴ ἐνεχώρει, αὐτήκοον καταστάντα, οὕτω τὴν ἱστορίαν συγγράψαι [*ſemet maximæ partis eorum quæ narraret conſpectorem fuiſſe, aut quæ videre non licuerat, à Perſis ſuis auribus audiiſſe, & inde ſcripſiſſe hiſtoriam*]. Ioſephus primo contra Appionem, Δεῖ τὸν ἄλλοις παράδοσιν πράξεων ἀληθινῶν ὑπισχνούμενον, αὐτὸν ἐπίστασθαι ταύτας πρότερον ἀκριβῶς, ἢ παρηκολουθηκότα τοῖς γεγονόσιν, ἢ παρὰ τῶν εἰδότων πυνθανόμενον [*Oportet eum qui ſe polliceatur rerum veritatem aliis traditurum, ipſum exactè eas noſſe, aut quòd adfuerit cùm gererentur, aut quòd ex gnaris eas didicerit*].

καὶ ὑπηρέται, *& miniſtri*] Apoſtoli non tantùm viderant pleraque eorum quæ narrabantur, ſed pars quoque eorum aliqua fuerant χειρισταὶ [*tractatores*], ut Polybius loquitur. Multa enim narrantur ab ipſis aut per ipſos geſta, ut Dæmonum ejectio, Panum diſtributio, Ambulatio ſuper mare, atque alia. Idem de Domini matre dicendum.

τοῦ λόγου *ſermonis*] Μετωνυμία ἑβραΐζουσα [*transnominatio Hebraïzans*] Significat enim res ipſas quæ narratione continentur. Sic mox, περὶ ὧν κατηχήθης λόγων [*verborum de quibus cruditus es*]. Simile eſt infrà II, 15. τὸ ῥῆμα τοῦτο τὸ γεγονός [*verbum quod factum eſt*]. Nam Chriſtum λόγον [*Verbum*] vocare Iohannis eſt proprium. Neque mihi videtur de ſolis documentis hîc agi.

3. Εδοξε κἀμοὶ, *Viſum eſt & mihi*] Sponte propriâ: non ergo Pauli juſſu, ut quidam putarunt. Dubitandum autem non eſt quin piam diligentiam Deus direxerit.

παρηκολουθηκότι ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς, *aſſecuto omnia à principio diligenter*] Παρακολουθεῖν eſt *notitiam conſequi*. Galenus, παρακολουθεῖν βιβλίοις παλαιοῖς [*verſari in libris antiquis*]. Ioſephus μετὰ πάσης ἀκριβείας παρακολουθεῖν τοῖς ἡμετέροις γράμμασι [*in literis noſtris cum omni diligentia verſari*] dixit. Paulus I ad Tim. IV, 6. τῆς καλῆς διδασκαλίας ᾗ παρηκολούθηκας [*bonæ doctrinæ quam aſſecutus es.*] Quod autem hîc dicit Lucas ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς παρακολουθεῖν [*à principio omnia diligenter aſſequi*], tantundem valet quantum id quod apud Plautum eſt Trinummo,

Quòd ſi exquiratur usque ab ſtirpe auctoritas.

Sic Thucydides hiſtoriam ſcripſit, ut ipſe profitetur, παρὰ τῶν ἄλλων ὅσον δυνατὸν ἀκριβείᾳ περὶ ἑκάστου ἐπεξελθὼν [*ab aliis ſingula aſſecutus ſumma cum diligentia*]. Significat Lucas ſe non antè quieſſe quàm rerum quas diverſi Scriptores prodiderant teſtimonia radicitus inquiſiviſſet, ut ita explorata ab incertis diſcernens nihil ipſe non bene compertum literis conſignaret, cui rei bellam occaſionem ei præbuerunt Pauli itinera in Iudæam. Sed & cum Eccleſiarum pecuniis à Paulo in Iudæam miſſum Lucam aliquoties credo. Ibi ergo cùm eſſet, potuit omnia ex primis auctoribus diſcere. Hoc autem non dubiè ad ea pertinet quæ ſcripta erant non à Matthæo neque ab αὐτοπτῶν [*oculato teſte*] aliquo, ſed ab aliis.

καθεξῆς, *ſigillatim*] Falluntur qui hinc colligunt propoſitum Lucæ temporum ordinem preſſiùs ſequi quàm alii ante ipſum feciſſent. Nam contrà apparet illum non ſemel ob rerum cohærentiam connexuiſſe quæ temporibus erant diſcreta; quod ſuis locis patefiet. Sed καθεξῆς Lucæ nihil aliud eſt quàm *ſigillatim*, ut videre eſt Act. XI, 4. XVIII, 23. Talis narratio opponitur τῇ κατηχήσει [*primæ inſtitutioni*], quæ generaliter καὶ παχυμερῶς [*& craſſiore modo*], &, ut Philoſophi loquuntur, ὡς ἐν τύπῳ [*ſummatim*] tradebat Ieſum veniſſe, feciſſe miracula multa, damnatum à Pontio Pilato, mortuum, reſuſcitatum: ut ex iis apparet quæ de Baptiſmo ad Matthæum diximus.

κράτιστε Θεόφιλε· *Optime Theophile*] Theophilum hunc alicujus fuiſſe dignitatis non malè viri docti ex hac compellatione colligunt. Ego in aliqua Achajæ urbium magiſtratu functum arbitror, & à Luca baptizatum. Ita Feſtus, ita Felix in Actibus hoc vocabulo appellantur. Plutarchus Fundanum vocat κράτιστον [*Optimum* ſive *Egregium*]. Ioſephus ſimiliter librum De vita ſua Epaphrodito, Trajani, ni fallor, liberto ac procuratori, dedicans, κράτιστε ἀνδρῶν Ἐπαφρόδιτε [*Virorum præſtantiſſime Epaphrodite*], inquit. Et Iuſtinus brevem Chriſtianiſmi inſtitutionem perſcribens ad Diognetum ita præfatur, Ἐπειδὴ ὁρῶ, κράτιστε Διόγνητε, ὑπερεσπουδακότα σε τὴν θεοσέβειαν τῶν Χριστιανῶν μαθεῖν [*Cùm videam, Præſtantiſſime Diognete, ſummo te ſtudio teneri cognoſcendæ religionis Chriſtianæ*]. Latinus Interpres non malè hîc vertit *optime*. Ita Octavius *optimus* Horatio.

4. Ἵνα ἐπιγνῷς περὶ ὧν κατηχήθης λόγων τὴν ἀσφάλειαν. *Vt cognoſcas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem*] *Vt quæ ante Baptismum generali quadam inſtitutione acceperas, nunc ſigillatim ac proinde certiùs cognoſcas.* Nam, ut rectè Philoſophus, οὐδὲν κωλύει ὃ μανθάνει τις ἔστιν ὡς ἐπίστασθαι, ἔστι δ᾽ ὡς ἀγνοεῖν· οὐκ ἄτοπον γὰρ, εἰ οἶδέ πως ὃ μανθάνει, ἀλλ᾽ εἰ ὡδὶ, οἷον ᾗ μανθάνει καὶ ὥς [*nihil vetat quominus quis ea quæ diſcit aliquo ſenſu norit, aliquo ignoret: nihil enim abſurdi eſt ſcire aliquem aliquatenus quod diſcit, ſed ita demum ſi dicatur diſcere quatenus novit & quomodo novit*]. Vide quæ ad Matthæum capite ultimo.

CAPVT I.

5. Ἐγένετο ἐν ταῖς ἡμέραις Ἡρώδου τοῦ βασιλέως, *Evenit in diebus Herodis Regis*] Mos Hebræus, ordiendi, ut in libro Ruth, ויהי בימי שפט השפטים [*Evenit in diebus cùm judicarent* ſive *regerent Iudices*]. Quòd quidam ſpectatum hîc à Luca putant Iacobi vaticinium, probare non poſſum. Nam ut prætereàm quæ à viris doctiſſimis accuratè ſuper hac re ſunt diſputata, ſimpliciſſimus oraculi illius ſenſus eſt, Adfore Meſſiam ante τῆς Ἰουδαϊκῆς πολιτίας ἐρήμωσιν [*Iudaicæ Reipublicæ vaſtationem*]· quod nihil ad Herodem pertinet. Cæterùm qui olim res Prophetarum ſcripſerant, exorſi erant à tempore ἀναδείξεως αὐτῶν [*oſtenſionis ipſorum*], ut de Elia, Eliſæo atque aliis factum videmus. Ita & Marcus initium hiſtoriæ Chriſti fecerat ipſius & Præcurſoris φανέρωσιν [*patefactionem*]. At Lucas, cùm videret curioſum lectorem ſcire deſideraturum qui & hujus & illius natales fuiſſent, ſimulque proſpiceret progreſſu temporum multa poſſe tradi fabuloſa, inde auſpicandum ſibi exiſtimavit.

ἱερεύς τις, *Sacerdos quidam*] Satis cavit Lucas addito τις [*quidam*], ne Pontifex Maximus fuiſſe Zacharias intelligeretur, quod à veterum multis falſò creditum vel ἐφημερία [*tempus vicis* ipſius] ſatis evincit. Sed nec principem familiæ ſuæ fuiſſe credibile eſt: qua de re ad Matthæum diximus XIV, 2. Pertinet autem hæc narratio ad indicandam Iohannis nobilitatem. Ioſephus, Ὥσπερ δὴ παρ᾽ ἑκάστοις ἄλλη τίς ἐστιν εὐγενείας ὑπόθεσις, οὕτως παρ᾽ ἡμῖν ἡ τῆς ἱερωσύνης μετουσία τεκμήριόν ἐστι γένους λαμπρότητος [*Sicut apud alios alia eſt nobilitatis probatio, ita apud nos participatio honoris Sacerdotalis ſplendidi generis argumentum eſt*]. Imò Philo auſus eſt dicere, ὅσῳ Θεὸς ἀνθρώπων διαφέρει κατὰ τὸ κρεῖττον, τοσούτῳ καὶ βασιλείας ἱερωσύνην· τὴν μὲν γὰρ εἶναι Θεοῦ θεραπείαν, τὴν δὲ ἐπιμέλειαν ἀνθρώπων [*quantò Deus hominibus præſtat tantò & regno ſacerdotium; hoc enim eſſe Dei cultum, illud pro hominibus curam*]. Quod ut calidiùs dictum benigna interpretatione mitigandum eſt. Scimus alioqui Reges à Pontificibus etiam Maximis *dominos* ſalutatos, & Deo placuiſſe ut Meſſiæ anteambulo ex Sacerdotali, ipſe autem Meſſias ex Regio genere naſceretur.

ἐξ ἐφημερίας Ἀβιά· *de vice Abia*] Eſt & hîc μετωνυμία [*transnominatio*]. Nam per ἐφημερίαν [*vicem*] intelligitur ἡ πατριὰ [*familia*], quæ certo dierum ſpatio (ἑβδομαίῳ [*ſeptem*] ſcilicet, ut rectè notat Theophylactus, diligens rerum Iudaïcarum inquiſitor) λειτουργίαν ſuam [*miniſterium* ſuum] implebat ex Davidis & veterum Prophetarum inſtituto, poſtquam Gens Aaronidarum in eum numerum excreverat, ut eodem tempore occupari Templi negotiis non poſſet. Propriè autem reſpondet vox Helleniſtica ἐφημερίας [*vicis* ſive *ordinis*], aut, ut Ioſephus loquitur, ἐφημερίδος voci Hebrææ משמרת. Interpretes Nehemiæ (quos multis argumentis ſuſpicor poſteriores eſſe τῶν ο [*Interpretibus Septuaginta*]) Nehem. XIII, 30. ἔστησα ἐφημερίας [*conſtitui ordines*] ubi in Hebræo eſt ואעמידה משמרות. & II Paralip. XXXI, 16. (quorum librorum interpres videtur eſſe Theodotion) εἰς λειτουργίαν ἐφημερίας διατάξεως αὐτῶν [*ad miniſterium vicis ordinationis ipſorum*], לעבודתם במשמרותם כמחלקותיהם: & ſequenti verſu iterum במשמרותיהם ἐν ταῖς ἐφημερίαις αὐτῶν [*in vicibus eorum*]. LXX autem Interpretes vocem משמרת, quæ λειτουργίαν [*miniſterium*] ſignificat, ſed nondum in orbes temporum diſtributam, φυλακὴν [*cuſtodiam*] ſolent vertere, ut Num. III, 7, 25, 28, 31. atque alibi videre eſt. מחלקת eſt ipſa διάταξις aut μερισμός [*diſtributio*]. quanquam interdum ob affinitatem ſignificationis vertitur ἐφημερία [*vicis ordo*]. פקדה

autem eſt ἡ ἐπισκοπὴ aut ἐπίσκεψις [*viſitatio*], id eſt, eorum cura qui cæteris præerant, ut clarè docemur 1 Paral. XXIII, 24. Videntur autem Hebræi exemplo hoc inducti ut cæterarum Tribuum ſemiſſes attribuerent Sacerdotalibus familiis, ad quas qui pertinebant, non quidem Templi miniſterio, ſed orationibus & jejunio indicto ſibi tempore vacabant. Ejus rei memoria paſſim exſtat in libro Muſar atque aliis. Vt autem vetus inſtitutum credam facit locus inſignis II Paral. XXIII, 6. πᾶς ὁ λαὸς φυλασσέτω φυλακὰς Κυρίου [*omnis populus obſervet cuſtodias Domini*]. Quod poſtquam receptum eſt, communem illam omnium Tribuum λειτουργίαν [*miniſterium*] dixerunt משמרת φυλακὴν [*cuſtodiam*], illam autem Sacerdotum propriam, discriminis causâ, *ſtationem* מעמד. Quod quidam putant ſucceſſionem hanc perpetui miniſterii turbatam, in eo quàm fallantur cum à viro & doctrinæ & diligentiæ admirabilis Ioſepho Scaligero demonſtratum ſit antehac, idem oſtendere ampliùs velle ſit actum agere. Pauca ſcilicet nomina Zorobabelis temporum quæ cum Davidicis habent fortuitam συνέμπτωσιν [*concurſionem*], cùm tantò plura discrepent, hanc hallucinationem pepererunt. At falli certè in iſtis rebus Ioſephus, & Sacerdos & diligentiſſimus patriæ hiſtoriæ inquiſitor, non potuit, qui Davidis hiſtoriam enarrans diſertè ait, διέμεινεν οὗτος ὁ μερισμὸς ἄχρι τῆς σήμερον ἡμέρας [*manet hæc diſtributio ad noſtra usque tempora*]. Intervenerunt quidem tempora Regum impiorum, deinde exſilii Babylonici, poſtremò triennium Antiochi: Sed illis quoque temporibus pii Sacerdotes, quod in Templo non poterant, ubi poterant, & quà poterant, præſtabant, non quidem pecudum mactatione, quod extra Templum nefas erat, ſed ſolemni recitatione earum precum quæ ſacrificiis accedere ſolebant. Quarum & Philo & Ioſephus aliquot locis meminerunt. Non aliò pertinet quod apud Ezechielem laudat Deus Sacerdotes οἵτινες ἐφυλάξαντο τὰς φυλακὰς τῶν ἁγίων [*qui obſervarunt cuſtodias Sanctuarii*], quatenus poterant ſcilicet: quod ipſum ſufficiebat ad retinendam memoriam τῶν ἐφημεριῶν, quas tanquam ex prima inſtitutione continuatas in Templum reduxerunt Ezechias, Ioſias, & poſtremò Iudas Maccabæus.

καὶ ἡ γυνὴ αὐτοῦ ἐκ τῶν θυγατέρων Ἀαρών, & uxor illius de filiabus Aaron] Lex exſtat Levit. XXI, 14. ubi Pontifex Maximus jubetur uxorem ducere מעמיו ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτοῦ [*de populo ſuo*], ut vertunt LXX, alii ἐκ τοῦ γένους αὐτοῦ [*de genere ſuo*], quod duplici occaſionem præbuit interpretationi. Philo vetita putat Summo Pontifici matrimonia extra genus Aaronicum. Verba ejus apponam ἐκ τοῦ περὶ Μοναρχίας λόγου β. Πρὸς δὲ τούτῳ καὶ τὸ γένος ἠκρίβωσε τῶν μελλουσῶν γαμεῖσθαι, προστάξας τῷ μὲν ἀρχιερεῖ μνᾶσθαι μὴ μόνον γυναῖκα παρθένον, ἀλλὰ καὶ ἱέρειαν ἐξ ἱερέων, ἵνα ἐκ μιᾶς οἰκίας καὶ τρόπον τινὰ τοῦ αὐτοῦ αἵματος ὦσιν νυμφίος τε καὶ νύμφη, πρὸς ἁρμονίαν ἐπιδειξόμενοι παρ' ὅλον τὸν βίον κρᾶσιν ἠθῶν βεβαιοτάτην· ἐπετράπη δὲ τοῖς ἄλλοις καὶ μὴ ἱερέων γαμεῖν θυγατέρας, τῇ μὲν ὅτι μικρὰ τούτων καθάρσια, τῇ δ' ὅτι τὸ ἔθνος οὐκ ἠβουλήθη γενεᾶς εἰς ἅπαν ἱερατικῆς ἀμοιρῆσαι καὶ παντελῶς ἀποζεῦξαι· δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἐκώλυσε τοὺς ἄλλους ἱερέας ἐπιγαμίας ποιεῖσθαι πρὸς τοὺς ἀπὸ τοῦ ἔθνους [*ex libro 2. De Monarchia. Diligenter etiam inquiſivit in genus nubentium, præcepit enim Summo Pontifici ducere non tantùm virginem ſed & ex Sacerdotali gente, ut ex una domo & aliquo modo ex eodem ſanguine eſſent maritus & nupta, per iſtam convenientiam monſtraturi in omni vita ſtabilem morum conſtitutionem. Aliis verò Sacerdotibus permiſſum eſt etiam non Sacerdotum filias ducere, partim quòd minor in eis puritas requiratur, partim quòd tota gens nollet expers eſſe Sacerdotalis affinitatis & ſic à Sacerdotibus velut abſcindi. Hac ergo de cauſa non vetuit cæteros Sacerdotes nuptiis jungi cum aliis Iudæis*]. Apertè ſentit legem hanc ita peculiariter ad Pontificem Maximum pertinere ut Sacerdotes cæteros non complectatur. At Ioſephus in moribus Iudaïcis multò exercitatior עם interpretatur non φυλὴν [*tribum*] ſed, quæ frequentior eſt ſignificatio, ἔθνος [*gentem*], & cum Hebræis aliis ea quæ dicuntur Levitici XXI, 13. & ſequentibus, connectit cum ejusdem capitis initio; quæ de Pontifice Maximo dicta erant commatibus 10 & 11. velut parentheſi includens: unde ſequebatur, ut Sacerdotum cuivis ducere non liceret niſi Hebræis parentibus natam, cùm de plebe homines peregrinam Ἰουδαΐζουσαν [*Iudaïcè viventem*] ducere non vetarentur, exceptis quibusdam nationum cum quibus jus connubii non erat. Cauſam legis adfert Ioſephus curam impermixti ſanguinis in Sacerdotibus. Locus eſt inſignis contra Appionem 1 Οὐ γὰρ μόνον ἐξ ἀρχῆς ἐπὶ τούτων τοὺς ἀρίστους καὶ τῇ θεραπείᾳ τοῦ Θεοῦ προσεδρεύοντας κατέστησαν, ἀλλ' ὅπως τὸ γένος τῶν ἱερέων ἄμικτον καὶ καθαρὸν διαμένῃ προυνόησαν· δεῖ γὰρ τὸν μετέχοντα τῆς ἱερωσύνης ἐξ ὁμοεθνοῦς γυναικὸς παιδοποιεῖσθαι, καὶ μὴ πρὸς χρήματα μηδὲ τὰς ἄλλας ἀποβλέπειν τιμάς, ἀλλὰ τὸ γένος ἐξετάζειν ἐκ τῶν ἀρχαίων λαμβάνοντα τὴν διαδοχήν, καὶ πολλοὺς παρεχόμενον μάρτυρας· καὶ ταῦτα πράττομεν οὐ μόνον ἐπ' αὐτῆς Ἰουδαίας, ἀλλ' ὅπου ποτὲ σύστημα τοῦ γένους ἐστὶν ἡμῶν, κἀκεῖ τὸ ἀκριβὲς ἀποσώζεται τοῖς ἱερεῦσι περὶ τοὺς γάμους· λέγω δὲ τοὺς ἐν Αἰγύπτῳ καὶ ἐν Βαβυλῶνι καὶ εἴπου τῆς ἄλλης οἰκουμένης τοῦ γένους τῶν ἱερέων εἰσί τινες διεσπαρμένοι· πέμπουσι γὰρ εἰς Ἱεροσόλυμα συγγράψαντες πατρόθεν τοὔνομα τῶν γειναμένων καὶ τῶν ἐπάνω προγόνων, καὶ τίνες οἱ μαρτυροῦντες· πόλεμος δ' εἰ κατάσχοι, καθάπερ ἤδη γέγονεν πολλάκις, Ἀντιόχου τε τοῦ Ἐπιφανοῦς εἰς τὴν χώραν ἐμβαλόντος, καὶ Πομπηΐου Μάγνου, καὶ Κυιντιλίου Οὐάρου, μάλιστα δὲ καὶ ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς χρόνοις, οἱ περιλειπόμενοι τῶν ἱερέων καινὰ πάλιν ἐκ τῶν ἀρχαίων γραμμάτων συνίστανται· καὶ δοκιμάζουσι τὰς ὑπολειφθείσας γυναῖκας· οὐ γὰρ ἔτι τὰς αἰχμαλώτους γενομένας προσίενται, πολλάκις γενομένην τὴν πρὸς ἀλλόφυλον κοινωνίαν ὑφορώμενοι· τεκμήριον δὲ μέγιστον τῆς ἀκριβείας· οἱ γὰρ ἀρχιερεῖς παρ' ἡμῖν ἀπὸ δισχιλίων ἐτῶν ὀνομαστοὶ παῖδες ἐκ πατρός εἰσιν ἐν ταῖς ἀναγραφαῖς· τοῖς δὲ τῶν εἰρημένων ὅτι οὖν γένοιτο εἰς παράβασιν ἀπηγόρευται μήτε βωμοῖς παρίστασθαι, μήτε μετέχειν τῆς ἄλλης ἁγιστείας [*Non enim tantùm ab initio his rebus viros optimos & in Dei cultu aſſiduos præfecere, ſed & curam habuere ut genus Sacerdotale purum ſemper impermixtumque permaneret. Debet enim quisquis Sacerdotio fungitur ex populari ſua conjuge liberos quærere; neque ad pecunias aut honores reſpicere alios, ſed genus exquirere ſecundùm antiquam ſucceſſionem multis probatam teſtimoniis. Et hæc obſervamus non in Iudæa tantùm, ſed ubicunque pars aliqua eſt de noſtra gente ibi obſervatur ſollicitè nuptiarum Sacerdotalium regula:*

putà in Ægypto, in Babylone, & ſicubi terrarum præterea ſparſi ſunt noſtri Sacerdotes. Mittunt enim Hieroſolyma deſcripta nomina parentum & majorum, additis teſtium nominibus. Quòd ſi bellum enaſcatur, ut ſæpe factum eſt, ſicut cùm Antiochus Illuſtris terram invaſit, & cùm Pompejus Magnus, & cùm Quintilius Varus, maximè verò noſtris temporibus, tum qui ſuperſunt Sacerdotum novas ex veteribus tabulas conficiunt, & inquirunt in feminas ſuperſtites: nam nec eas quæ bello captæ fuerunt recipiunt, ſuſpectantes eam quæ ſæpe talibus accidit cum alienigenis conſuetudinem. Eſt autem argumentum diligentiæ circa iſta, quòd Summi Sacerdotes apud nos in commentariis deſcripti ſunt ab annis bis mille cum ſuis parentumque nominibus. Si quis adversùs hæc deliquerit, ei non licet altari adſtare aut cæterarum ceremoniarum eſſe participem]. Quem locum tranſcripſi libentiùs quòd inde appareat quæ de Iohannis paterno maternoque genere Lucas prodidit, eorum fidem ex Actis publicis peti potuiſſe. Ioſephi autem explicatio quin verior ſit quàm Philonea non dubito. Neque enim Barzillajus tantùm, minorum gentium Sacerdos, ex Galaadis proſapia uxorem duxit, Eſdr. II, 61. ſed & Iojada conjugem habuit Regis Iorami filiam, Achaziæ ſororem, ex poſteritate Iudæ, II Reg. XI, 2. quorum utrunque ſine ulla reprehenſionis ſignificatione narratur. Quare quòd Zacharias Aaronida mulierem duxit, non obſequium Legi præſtitum ſignificat, ut quidam volunt, ſed nobilitatem Iohannis ex utroque ſanguine commendat. Quominus autem Maria ex ſtirpe Iudæ proſata Eliſabetam Aaronida ſanguine contingeret, lex nulla obſtabat. Nam lex quæ intra Tribum virgines nubere jubet ad ſolas ἐπικλήρους [*virgines quæ heredes ſunt*] pertinet, ut dictum eſt alibi, idque ob prædiorum jura, quæ ad Levitidas non pertinebant. Potuit igitur aliquis majorum Mariæ uxorem ducere iiſdem cum Eliſabeta parentibus proſatam, Davidis nepos Aaronis neptem. Nam quòd Theophylactus hanc cognationem ab Aaronis temporibus repetit, nimis longè petitum eſt.

καὶ τὸ ὄνομα αὐτῆς Ἐλισάβετ. *& nomen ejus Eliſabet*] Hebræum nomen eſt אלישבע [*Eliſabah*] Exodi VI, 23. Sed Arabes & Syri ſæpe ע in fine ſic mutant, & id ſecuti Lxx.

6. Ἦσαν δὲ δίκαιοι ἀμφότεροι ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *Erant autem juſti ambo ante Deum*] Id eſt, ſincero corde ſtudebant pietati. Nam quia καρδιογνώστης [*cordium cognitor*] eſt Deus, ideo qui prava cogitant, eorum cor dicitur *non eſſe rectum* ἐνώπιον Θεοῦ [*coram Deo*] ut Actor. VIII, 21. Contrà qui non fingunt pietatem ſed ex animo ei ſunt dediti, dicuntur *Deo ſervire* ἐν δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ [*in juſtitia coram ipſo*], ut infra 75. Neque ideo putandum eſt, de quibus id dicitur, eos communi naturæ humanæ aut etiam temporum illorum imbecillitati fuiſſe exemtos. Nam & David dicitur *feciſſe quod rectum erat in conſpectu Dei, neque à præceptis ejus receſſiſſe unquam, extra id quod commiſit adversùs Vriam*, cùm tamen præter illud atrox facinus multa ejus πλημμελήματα [*errata*] ſit animadvertere in Sacra hiſtoria, ſed quibus non interrumpebatur ſtudium illud pietatis quod Deus præcipuè reſpicit, & quo manente minora illa diſſimulat. Quod Lex etiam ipſa non obſcurè ſignificabat, ut ad hunc locum ſapienter notat Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, ad quæſtionem CXLI. Ὁ γὰρ ἁμαρτάνων, inquit, παρὰ τὸν νόμον συγγνωστὴν ἁμαρτίαν τῇ προσαγωγῇ τῶν θυσιῶν καὶ τῇ ἐξαγορεύσει τοῦ πταίσματος λαβὼν τὴν ἄφεσιν γίνεται καθαρὸς καὶ ἄμεμπτος κατὰ τὴν ἐκ νόμου δικαιοσύνην [*Nam qui aliquid ignoſcibile in Legem delinquit, offerendo victimas & enuntiando peccata remiſſionem conſequens fit purus & irreprehenſibilis ſecundùm illam ex Lege juſtitiam*].

πορευόμενοι ἐν πάσαις ταῖς ἐντολαῖς καὶ δικαιώμασι τοῦ Κυρίου ἄμεμπτοι. *incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela*] Veterum multi hoc quoque ad Dei æſtimationem referunt. Mihi videtur hîc illud potiùs indicari, non conſcientiam tantùm puram illis fuiſſe, ſed & famam integram; quod ad Iohannem commendandum non parum pertinebat: προνοούμενοι καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον Κυρίου, ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων [*providentes bona non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus*], inquit Paulus II Corinth. VIII, 21. Quare cùm de priori parte jam egerit Lucas, puto hæc ad poſteriorem pertinere, præſertim cùm & Paulus vocem ἀμέμπτου [*irreprehenſibilis*] ad hominum exiſtimationem referat, cùm ſe vixiſſe ait ἄμεμπτον κατὰ δικαιοσύνην τὴν ἐν νόμῳ [*irreprehenſibilem ſecundùm juſtitiam quæ in Lege eſt*], quæ quidem δικαιοσύνη [*juſtitia*] hîc in ἐντολὰς [*præcepta*] & δικαιώματα [*juſtificationes*] diſtribuitur. Deuteronomii IV, 40. ubi in Hebræo eſt ושמרת את־חקיו ואת־מצותיו Lxx habent καὶ φυλάξῃ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ [*& cuſtodies præcepta ejus & juſtificationes ejus*]. Aſſentior autem Hebræis exiſtimantibus voce מצות quàm δικαιώματα [*juſtificationes*] vertunt Helleniſtæ, indicari ea quæ generaliter Lex præſcribit, qualia ſunt quæ æquitatem in ſe naturalem continent. Nam ita & Paulus loquitur, Ἐὰν οὖν ἡ ἀκροβυστία τὰ δικαιώματα τοῦ νόμου φυλάσσῃ [*Si igitur præputium juſtitias Legis cuſtodiat*], Rom. II, 26. & Iohannes in Apocalypſi Chriſtianorum opera vocat δικαιώματα [*juſtificationes*]. Ioſephus quoque ea quæ naturâ honeſta ſunt vocat τὰ φύσεως δικαιώματα [*naturæ juſtificationes*]. Proinde חקים, id eſt, ἐντολὰς [*præcepta*], aut, ut alibi vertunt Lxx, νόμιμα, cum eiſdem Hebræis rectè interpretabimur ſpeciales illas determinationes quæ *Ius poſitivum* vocari ſolent; quippe cùm & Paulus idem Ius vocet νόμον ἐντολῶν [*Legem præceptorum*] Epheſ. II, 15. Scio non obſervari perpetuò hoc diſcrimen; nam & ἐντολὰς [*præcepta*] vocari præcepta morum & δικαιώματα [*juſtificationes*] quædam quæ ad ritus pertinent. Sed ea quam dixi maximè propria & recepta eſt vocum ſignificatio. Interdum & חקים, id eſt, αἱ ἐντολαὶ [*præcepta*], diſtinguuntur in eam partem quæ generis nomine contenta *Ius rituale* ſignificat, & משפטים [*Iudicia*], quæ vox tum propriè notat Ius illud Civile quo mutua civium ſocietas continetur: quæ pars Iuris cùm non ad Iudices tantùm, ſed ad cives omnino omnes pertineat, hîc ampliori ſignificatu τῶν ἐντολῶν [*præceptorum*] comprehenſa cenſeri debet.

7. Καὶ οὐκ ἦν αὐτοῖς τέκνον, *Et non erat illis Filius*]

Inter ea quæ in hac vita expeti ſolent eſt etiam proles: nam per eam, ut ait Philoſophus, ἡ φύσις ἀναπληροῖ τὸ ἀεὶ εἶναι, ἐπεὶ κατ' ἀριθμὸν οὐ δύναται ἀλλά γε κατὰ τὸ εἶδος [*Natura efficit ut idem ſimus non numero, quod fieri non poteſt, ſed ſpecie*]. Præcipuè autem ejus deſiderio tenentur quibus amplè eſt unde ſe ſuſtentent. Nam, ut Menander ait,

> Ὀδυνηρόν ἐστιν εὐτυχοῦντα τῷ βίῳ
> Ἔχειν ἔρημον διαδόχου τὴν οἰκίαν.
> [*Inſtructa inopia miſeráque eſt felicitas,*
> *Divitiæ heredem cùm non inveniunt ſuum*].

Quare Lex Divina per Moſem promulgata ſicut aliarum rerum felicitatem ita progeniem quoque cultoribus ſuis pollicetur, Exod. XXIII, 26. Levit. XXVI, 9. Deuter. VII, 14. XXVIII, 11. Neque id tamen impediit quominus Deus, Legis ſuæ diſpenſator & arbiter, interdum piorum patientiam ut aliis adverſitatibus, ita & infecunditate experiretur, majora interim illis bona præſtans intra animum quàm externa erant quæ negabantur. Nam qui majorem à Deo ſpiritum quàm captus temporum ferebat acceperant, non mirum eſt ſi in rebus caducis minùs indulgenter habebantur, jam tum Divinâ providentiâ in paucis id præmonſtrante quod quaſi commune piis futurum erat ſub Novo atque auguſtiori Federe. Sic Moſes, ſupra omne exemplum pius ac mitis, bonorum à ſe promiſſorum partem vix ullam attigit, continuis ingrati populi ſeditionibus vexatus. Ita, ut ſterilium feminarum ante Legem exempla prætercam, Manoæ uxor & Anna uxor Elcanæ, piæ cùm eſſent, tentatæ ſunt longâ uteri infecunditate. Quod eò graviùs & illis olim & Zachariæ atque Eliſabetæ accidit, quòd populus ex rebus externis cuncta dijudicans, cùm in vita ipſorum nihil haberet quod reprehenderet, tamen culpam aliquam in illis hærere ex negata ſobole ſuſpicabatur. Hinc ſterilitas *opprobrium* dici ſolet.

προβεβηκότες ἐν ταῖς ἡμέραις, *proceſſiſſent in diebus ſuis*] Duplicavit miraculum ad vetus vitium accedens impedimentum ætatis. Vertunt autem hoc modo Græci Hebræum בא בימים [*provectæ ætatis*] Geneſ. XVIII, 11. XXIV, 1. Ioſuæ XIII, 1. 1 Reg. 1, 1.

8. ἱερατεύειν, *cum ſacerdotio fungeretur*] Hoc eſt quod Hebræi canones dicunt עבד, *operari ſacris*, λειτουργεῖν.

ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ, *in ordine vicis ſuæ*] Id eſt, cùm ad familiam Abiæ ordo rediiſſet: quod fiebat poſt intervallum CLXVIII dierum, ut vir maximus annotavit. τάξις [*ordo*] eſt quod Hebræis זמן. Etiam Ægyptiis ſacerdotibus τάξεις adſcribit Porphyrius.

ἔναντι τοῦ Θεοῦ, *ante Deum*] Id eſt, לפני יהוה, ut loquitur Moſes Exodi XXVII, 21. & XXX, 8. ubi LXX habent ἔναντι Κυρίου. Solet id genus loquendi uſurpari de toto illo miniſterio Sacerdotali tam quod in Templo quàm quod ſub dio peragebatur. De Templi ritibus apparet dictis locis. De altari τῶν ὁλοκαυτωμάτων [*holocauſtorum*] idem loquendi genus uſurpatur in Levitico aliquoties.

9. Κατὰ τὸ ἔθος τῆς ἱερατείας ἔλαχε τοῦ θυμιᾶσαι, *Secundùm conſuetudinem ſacerdotii, Sorte exiit ut incenſum poneret*] Puto hæc rectè cum in modum conjungi. Nam ἱερατεία [*ſacerdotium*] eſt ἡ ἱερατικὴ λειτουργία [*miniſterium Sacerdotale*]· quæ cùm partes haberet plures, ut videre eſt 1 Paral. XXIII, 27. & deinceps, non lege ſed conſuetudine introductum erat ut qui ejuſdem familiæ & ἐφημερίας [*vicis*] eſſent, inter ſe ſortirentur quæ pars miniſterii cuique obtingeret. Itaque ſorte obtigit Zachariæ הקטרת τὸ θυμιᾶσαι [*fumigare*].

εἰσελθὼν εἰς τὸν ναὸν τοῦ Κυρίου. *ingreſſus in Templum Domini*] Dubitari non debet quin ναοῦ voce hîc intelligatur ædes ſacerdotalis in qua erat altare τῶν θυμιαμάτων [*ſuffituum* ſive *incenſi*]. Hebræi eam ædem propriè היכל vocant: Philo etiam *adytum*, quæ tamen vox τῷ ἁγίῳ τῶν ἁγίων [*Sancto ſanctorum*], quod Hebræis הדביר [*oraculum*], magis videtur convenire; ſed addita *Sacerdotum* & *veli prioris* mentione ambiguitatem ſuſtulit, ita agens de altari illo, Ὁ δὲ χρυσοῦ μὲν κατεσκεύασται, ἵδρυται δ' ἐν ἀδύτῳ εἴσω τοῦ προτέρου καταπετάσματος, ὃς οὐδενὶ τῶν ἄλλων ἐστὶν ὁρατὸς ὅτι μὴ τοῖς ἁγνεύουσι τῶν ἱερέων, καὶ γέγονε πρὸς χρείαν τῶν θυμιαμάτων [*Factum id ex auro, poſitum verò in adyto intra prius velum; quod nulli alii dabatur conſpici præter Sacerdotes in caſto agentes. Factum autem erat ad ſuffitûs uſum*]. Sacerdotes ἁγνεύοντας vocat eos quorum erat ἐφημερία [*vicis tempus*]· nam illi eo tempore in caſto erant.

10. πᾶν τὸ πλῆθος, *omnis multitudo*] Qui Iſraëlitarum Hieroſolymis erant ad eam φυλακὴν [*cuſtodiam* ſive *apparitionem in Templo*] pertinentes, & ſi qui ſponte acceſſerant ſuis precibus preces Sacerdotis adjuturi, ut mos habebat.

ἔξω, *foris*] In ea parte quæ *Iſraëlitarum* dicebatur.

τῇ ὥρᾳ τοῦ θυμιάματος. *horâ incenſi*] Manè; Exodi XXX, 7.

11. ἐκ δεξιῶν, *à dextris*] Quod boni ominis ſignum: hinc apud Poëtas, *Dexter ades*; &,

> —— *Dexter adi pede ſacra ſecundo.*

12. φόβος ἐπέπεσεν ἐπ' αὐτόν. *timor irruit ſuper eum*] Vide Iudic. XIII, 22. Daniel. X, 8.

13. Μὴ φοβοῦ, *Ne timeas*] Vide quæ ad Matthæum XXVIII, 10.

εἰσηκούσθη ἡ δέησίς σου· *exaudita eſt deprecatio tua*] Probare ſe mihi eorum opinio non poteſt, qui de precibus ob impetrandam prolem agi hîc putant. Nam quî credibile ſit ea ſenectute ſperaſſe Zachariam quod promittenti Angelo tam ægrè credidit, cùm pater ipſe credentium Abrahamus rem tantam non potuerit animo concipere, ut videre eſt Geneſ. XVII, 17. Ad temporis olim exacti preces hæc referre circumſtantiæ loci non patiuntur. Solebat enim Sacerdos ſimul cum ſuffitu preces offerre: δίκαιον γὰρ, ut Hierocles ait, τῶν συμβολικῶν νουθετήσεων καὶ τὸ προφερόμενον φυλάττειν καὶ τὸ εἴσω νοούμενον [*oportet enim in ſymbolicis præceptis & id obſervare quod extra patet, & id quod intus intelligitur*]· cui par ſententia eſt apud Philonem περὶ ἀποικίας [*De colonia*]. Significat autem τὸ θυμίαμα [*ſuffitus*], ut Philo libro περὶ θυόντων [*De ſacrificantibus*] non malè dixit, τὸ πνεῦμα λογικὸν [*ſpiritum rationalem*], aut, ut expreſſiùs loquitur Divina Apocalypſis V, 8. τὰς προσευχὰς τῶν ἁγίων [*orationes ſanctorum*]. Simul ergo cum ſuffitu, ut dixi, preces Deo offerebat Sacerdos; nec Sacerdos tantùm, ſed & Iſraëlitæ foris ſtantes, ut jam audivimus. Eæ preces concipiebantur pro Dei populo, imò, ſi Ioſepho & Philoni credimus, pro mundi totius ſalute. Has preces Angelus dicit exauditas: jam enim præ foribus eſſe adventum Meſſiæ, cujus anteambulo deſtinatus ſit is qui Zachariæ naſciturus erat filius. Sequentia ſi quis rectè expendat videbit non alium ſenſum quæri debere. Adde quòd ex Hebræorum ſcriptis apparet ſolitas Sacerdotibus ἐπιφανείας [*apparitiones divinas*] contingere eo maximè tempore cùm adolebant. Docuit hoc ex Rabbinorum ſcriptis optimus Druſius. Sed addendus eſt Ioſephi locus XIII Originum, XVIII, ubi Hyrcano θυμιῶντι [*ſuffitum facienti*] Deus oraculum reddit.

τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰωάννην. *nomen ejus Ioannem*] יוחנן propriè eſt Θεὸς ἠλέησεν [*Deus miſertus eſt*] aut ἐχαρίτωσεν [*gratiam* ſive *beneficium præſtitit*]. Solet autem utrumque verbum hoc apud Helleniſtas, ut & Hebræum illud, ſæpe ſignificare inſignis gaudii exhibitionem: quare non dubito quin in verbis ſequentibus, Καὶ ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, καὶ πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται [*Et erit gaudium tibi & exſultatio, & multi in nativitate ejus gaudebunt*], nominis hujus ſit explicatio. Nam χάριν [*gratiam*] Helleniſtæ dicunt ἀντὶ χαρᾶς [*pro gaudio*], & nominis Divinitus inditi ratio modò antecedentibus, modò etiam ſubſequentibus verbis ſolet indicari, ut apparet Matth. I, 21. & XVI, 18. quo loco καὶ [*&*] ſimiliter ut hîc eſt αἰτιολογικόν [*rationis redditivum*].

14. ἔσται χαρά σοι καὶ ἀγαλλίασις, *erit gaudium tibi & exſultatio*] חן חן [*gratia, gratia*] Zach. IV, 7. Meritò: nam

Si quicquam cupidoque optantique obtigit unquam &
Inſperanti, hoc eſt gratum animo propriè.

Quare quid Zachariæ dulcius eſſe poterat quàm prolem adipiſci diu optatam, jam verò deſperatam? Non poſſum non adjicere ſuaviſſimos Euripidis verſus,

Γύναι· φίλον μὲν φέγγος ἡλίου τόδε,
Καλὸν δὲ πόντου χεῦμ' ἰδεῖν εὐήνεμον,
Γῆ τ' ἠρινὸν θάλλουσα, πλούσιόν θ' ὕδωρ,
Πολλῶν τ' ἐπαίνων ἐστί μοι λέξαι καλῶν·
Ἀλλ' οὐδὲν οὕτω λαμπρὸν, οὐδ' ἰδεῖν καλὸν,
Ὡς τοῖς ἄπαισι καὶ πόθῳ δεδηγμένοις
Παίδων νεογνῶν ἐν δόμοις ἰδεῖν φάος.
[*Mulier: amicum Solis hoc magni jubar,*
Dulce eſt tueri maria cùm venti ſilent,
Dulce eſt & amnis largus, & vernans humus:
Sunt alia pulchra multa quæ poſſem addere.
Sed, crede, nullum gratius ſpectaculum eſt
Quàm poſt querelas orbitatis tetricæ
Conſpicere florem liberûm orientem domi.]

Super has communes gaudendi cauſas accedebat alia, eximia filii dignitas, quam prædicit Angelus.

πολλοὶ ἐπὶ τῇ γεννήσει αὐτοῦ χαρήσονται· *multi in nativitate ejus gaudebunt*] Ἀγαλλιώμενοι ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ [*exſultantes in luce ejus*], Iohan. V, 35.

15. Ἔσται γὰρ μέγας ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· *Erit enim magnus coram Domino*] Ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ hîc eſt *apud Deum*, ut de Moſe Actor. VII, 46. εὗρε χάριν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*invenit gratiam ante Deum*]. Huic opponitur eſſe βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*abominationem coram Deo*] infrà XVI, 15.

σίκερα, *ſiceram*] Qui Naziræatum voverat de eo ſcriptum erat in Lege, Ἀπὸ οἴνου καὶ σίκερα ἁγνισθήσεται [*A vino & ſicera* ſive *omni quod inebriare poteſt, abſtinebit*], Num. VI, 3. Ita enim & ibi vox שכר exprimitur à LXX. Sed & Sacerdotibus idem imperabatur tempore λειτουργίας [*miniſterii*], Levit. X, 9. ubi eadem vox σίκερα [*ſicera*] in Græco. Omnino illis Hebræorum Magiſtris aſſentio, qui *ſiceram* dici putant quicquid inebriat, ſive illud Vinum eſt, ſive aliud; ut, Zythum Ægyptiorum, ἐκ κριθῶν μέθυ [*temetum hordei*] Æſchylo, Supplicibus, & Babyloniorum potus è Palma. Philo ita accepit legem Naziræatûs, hoc modo deſcribens, μηδ' ὅσα ἐκ σταφυλῆς κατεργάζεται μηδ' ἄλλο τι μέθυσμα πίνειν [*nec bibere quod ex uva exprimitur aut aliud quid quod inebriare poſſit*]. Sic & I Sam. I, 15. שכר vertitur μέθυσμα [*res inebrians*]. Verbum originale, unde & nomen venit, etiam Arabes retinent. Nam & illis سكر eſt μεθύειν [*inebriare*]. Sicut ergo hi qui ad tempus Deo conſecrabantur, abſtinere ad tempus debebant vino & ſicerâ, quæ ſigna erant rerum omnium quibus ratio perturbatur; ut rectè à Philone annotatum eſt: ita Samſon olim parentibus non ſine miraculo & Angeli annuntiatione conceſſus, & nunc Baptiſta ſimili modo datus Zachariæ, ut in perpetuum Deo ſepoſiti, & in hoc nati, perpetuò etiam jubentur abſtemiam vitam vivere. Vide Iud. XIII, 14. ubi itidem LXX habent οἶνον καὶ σίκερα μὴ πιέτω [*vinum & ſiceram non bibat*]. De Samuele itidem per miraculum obtento ſimile votum mater voverat I Sam. I, 11. Ioſephus in Samſonis hiſtoria, δῆλον ἦν προφητεύσων ὑπὸ τῆς περὶ τὴν δίαιταν σωφροσύνης [*ex victu adeò temperato apparebat fore eum Prophetam*]. Similia habet de Samuele. Plutarchus Quæſtionibus Romanis, Οὐ θεμιτὸν τῷ ἱερεῖ μεθύσκεσθαι· τῶν γὰρ μεθυσκομένων ὑπὲρ κεφαλῆς ὁ οἶνός ἐστι, καὶ πιέζονται καὶ ταπεινοῦνται, δεῖ ὑπερτέρους εἶναι καὶ κρατεῖν ἀεὶ τῆς ἡδονῆς ταύτης, ἀλλὰ μὴ κρατεῖσθαι [*Nefas eſt inebriari ſacerdotem; ebrius enim ſuper caput vinum eſt, opprimuntur & dejiciuntur, cùm deceat eos ſuperiores eſſe & victores talis voluptatis, non autem ab ea vinci*]. Idem de Ægyptiis, οἶνον δὲ οἱ μὲν ἐν Ἡλίου πόλει θεραπεύοντες τὸν θεὸν οὐκ εἰσφέρουσι τοπαράπαν εἰς τὸ ἱερόν [*qui ſunt Heliopoli & ibi deum colunt, vini nihil inferunt in templum*]. deinde, πολλὰς δὲ ἀοίνους ἁγνείας ἔχουσιν [*multas habent caſtimonias abſtemias*].

Πνεύματος ἁγίου πλησθήσεται, *Spiritu Sancto replebitur*] Amat *Spiritus Sanctus* ſicca corda. Neque hîc tantùm vino Spiritus Sanctus opponitur, ſed & Actor. II, 15, 17. & Eph. V, 18.

ἔτι ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ· *adhuc ex utero matris ſuæ*] Ἔτι aut παρέλκει [*abundat*], ut ſæpe apud Græcos Scriptores; aut idem valet quod Latina vox, quæ ex Græca derivari videtur, *etiam*. Nam & ſic hanc vocem Lucas infrà uſurpat XIV, 26. & Scriptor ad Hebræos XI, 36. Ἐκ κοιλίας [*ex utero*] autem poſitum eſt pro ἀπὸ κοιλίας [*ab utero*], id eſt, *ab eo tempore quo erit in utero*; quomodo hîc verterunt Syrus & Arabs: ita Paulus Gal. I, 15. ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας μητρός μου [*qui me ſegregavit ex utero matris meæ*], reſpiciens illud quod ad Ieremiam dictum erat à Deo I, 5. Πρὸ τοῦ σε ἐξελθεῖν ἐκ μήτρας ἡγίακά σε [*Antequam exires de vulva ſanctificavi te*]. Eodem ſenſu Actor. III, 2. χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς [*claudus ex utero matris ſuæ*]. Sic ἀπὸ γαστρὸς [*de ventre*], Pſ. XXII, 10. ἀπὸ μήτρας [*à vulva*], Pſ. LVIII, 3.

Quod autem hîc dicit Angelus, Iohannem *impletum iri Spiritu Sancto jam ab eo tempore quo erat in utero*, non auſim cum Auguſtino ad ſolam deſtinationem Divinam referre: plus enim aliquid verbà exigunt. Sed notandum eſt fœtum qui in utero eſt non haberi pro homine exſiſtente, ſed ut partem matris cenſeri: ita Stoicis ὥσπερ τοὺς καρποὺς μέρη τῶν φυτῶν, οὕτω καὶ τὸ ἔμβρυον [*ſicut fructus pendentes pars arborum, ita & fœtus in matre*], & Empedocli τὰ ἔμβρυα τὰ ἐν τῇ γαστρὶ τῆς μήτρας μέρη [*fœtus qui in ventre ſunt, partes ſunt matris*]. *Partus antequam edatur mulieris portio eſt vel viſcerum* ait Vlpianus L. 1, §. 1. ff. De ventre inſpic. Græci dicunt τὸ κυοφορούμενον μέρος τῆς ἐγκύου [*quod in utero eſt, pars eſt mulieris prægnantis*]. Philo ſecundo De legibus ſpecialibus, Καί τοι τὰ μὲν ἐπὶ γαστρὸς παρεχόμενα τῇ μήτρᾳ τῶν κυουσῶν εἶναι μέρη λέγεται παρά τε φυσικοῖς ἀνδράσιν οἷς ὁ θεωρητικὸς διαπονεῖται βίος, καὶ παρ' ἰατρῶν τοῖς δοκιμωτάτοις [*Certè & quæ adhuc utero adhærent ea pars prægnantium eſſe dicuntur & Phyſicis, qui contemplativam partem exercent, & Medicorum nobiliſſimis*]. Impletum eſt ergo hoc Angeli dictum tunc cùm Eliſabet, in cujus viſceribus Iohannes latebat, ἐπλήσθη πνεύματος ἁγίου [*repleta eſt Spiritu Sancto*], ut infrà ipſa Angeli verba repetens Lucas loquitur 41. Bene autem à viro doctiſſimo obſervatum eſt, *plenos Spiritûs Sancti* eos dici ſolere, non in quibus ſit Spiritus Sanctus, ſed in quorum ſermonibus factiſque ejus efficacia exundet: quod & Eliſabetæ contigit, quæ Spiritu Sancto mota vaticinari cœpit, & per ipſam quodammodo Iohannes, quem Deus hoc miraculo commendatum volebat. Hic autem afflatus matris indicium fuit ejus deſtinationis de qua agit Auguſtinus, & præſagium Spiritûs plùs quàm Prophetici, quem Deus Baptiſtæ collaturus erat τῇ ἡμέρᾳ ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ [*die oſtenſionis ejus ad Iſraëlem*].

17. ἐνώπιον αὐτοῦ, *ante illum*] Vide quæ ad Matthæi III, 3.

καὶ δυνάμει, *& virtute*] Quoties δύναμις [*virtus*] nominatur *ſpiritu* nominato, vis quædam Spiritûs ſolitâ major indicatur, ut infrà 35. Actor. x, 38. 1 Cor. II, 4. 1 Theſſ. I, 5.

Ἠλίου, *Eliæ*] Vide Matth. XI, 14. & XVII, 12.

ἐπιστρέψαι καρδίας πατέρων ἐπὶ τέκνα, *ut convertat corda patrum in filios*] Baptiſtæ temporibus Iudæi in tres præcipuas pluresque minores ſectas & ritibus & opinionibus diſcrepantes erant diviſi. Sadducæi autem & Phariſæi etiam acribus odiis inter ſe agitabantur. Accedebant diverſæ Legisperitorum Scholæ, & nova inde certamina. Hinc *disjectas oves* Chriſtus eos vocavit. Solet autem accidere ut ejusmodi diſſidia in ipſas etiam familias penetrent. Dicit ergo Angelus in hoc miſſum iri Baptiſtam ut à tot magiſtris homines ad unum Magiſtrum, Chriſtum ſcilicet, alleget, atque ita diſſidentes recomponat. In Thalmudico titulo de Rege locus hic ſic exponitur, *Mitto vobis Eliam, is pacem faciet in mundo*. Hunc ſenſum in Malachia LXX (ut ſolent locos obſcuriores παραφράζειν [*fuſiùs explicare*]) additis vocibus aliquot perſpicuum fecerunt. Ita enim verterunt, ὃς ἀποκαταστήσει καρδίαν πατρὸς πρὸς υἱόν, καὶ καρδίαν ἀνθρώπου πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ [*qui convertet cor patris ad filium, & cor hominis ad proximum ejus*]. Satis enim ea adjectione ſignificant *patrum* & *filiorum* nomen exempli illuſtrioris cauſâ poſitum: ſenſum autem eſſe, huc ſpectaturam legationem ut Iudæi in eandem doctrinæ formam conveniant, & ſint καρδία καὶ ψυχὴ μία [*cor unum & anima una*]. quod tamen conſilium Dei non in omnibus Iudæis impletum iri ipſe Angelus ſignificavit, cùm dixit πολλοὺς τῶν υἱῶν Ἰσραήλ [*multos filiorum Iſraël*]. Nam alii illud Dei conſilium ἠθέτησαν [*irritum fecerunt*].

καὶ ἀπειθεῖς ἐν φρονήσει δικαίων, *& incredulos ad prudentiam juſtorum*] Ἀπειθεῖς [*increduli* ſive *inobedientes*] ſunt *Deo nec audientes*, מורים Hebræis; nam hanc vocem per ἀπειθεῖς reddunt Græci; quales erant quos γεννήματα ἐχιδνῶν [*progeniem viperarum*] Iohannes vocabat: ἐν [in *cum dativo*] autem hîc pro εἰς [in *cum accuſativo*] poſitum, quod non unus monet, pridem etiam non à Latino tantùm Interprete ſed & à Syro obſervatum eſt. Vertit enim לידעתא [*ad cognitionem*]. φρόνησις δικαίων [*prudentia juſtorum*] eſt ea ſapientia quæ homines ad veram juſtitiam adducit.

λαὸν κατεσκευασμένον. *plebem concinnatam*] Id eſt, *populum qui paratus ſit* ad accipiendum Regnum cœlorum. Itaque præterita vox ſumenda hîc ἀορίστως [*indefinitè*] more Hebræo, ut & infrà 19. παρεστηκώς [*adſtans*]. Neque offendere nos debet quòd bis idem dici videtur, quia ἑτοιμάζειν [*parare*] & κατασκευάζειν [*concinnare*] ſenſu vix differunt; cùm ejusmodi πλεονασμοῖς [*ubertatibus loquendi*] abundet ſermo Hebræus & Helleniſticus.

18. Κατὰ τί γνώσομαι, *Vnde ſciam*] Verba ipſa ſunt quæ LXX in Abrahami ſimiliter loquentis hiſtoria uſurpant Gen. XV, 8. Nuda verba ſi ſpectentur, non videntur eam mereri pœnam quam Deus mox infligit. Sed Deus cor ipſum ſpectavit, in quo diffidentia cernebatur: quam & ſequentia verba aliquatenus indicant, ubi ætatem provectam & ſuam & uxoris Divinæ per Angelum pollicitationi opponit, cùm animum à naturalibus cauſis ad primæ cauſæ potentiam debuiſſet avertere, ut Abrahamus, ὃς οὐ κατενόησε τὸ ἑαυτοῦ σῶμα ἤδη νενεκρωμένον, καὶ τὴν νέκρωσιν τῆς μήτρας Σάῤῥας [*qui non conſideravit corpus ſuum emortuum, & emortuam vulvam Saræ*], Rom. IV, 18. Videtur quidem & Abrahamus initio aliquid hæſitaſſe, cùm diceret, *Itane mihi centenario naſcetur proles, & Sara nonagenaria pariet?* Geneſ. XVII, 17. Sed hæc repentina cogitatio per fiduciam ſuperata ignoſcibilior in eo erat, quia nulla ante ſe habebat rei ſimilis exempla, quàm in Zacharia, qui & Abrahami & Manoæ hiſtoriam non poterat ignorare; ſed magnitudine rei perculſus parum meminerat: qui mos eſt humani ingenii: quo fit ut in alienis negotiis quàm in noſtris ſapiamus magis. Quod quidam putant unicam dubitandi cauſam Zachariæ fuiſſe quòd neſciret an is qui ſibi apparebat Angelus bonus eſſet, probare non poſſum. Nam in tali dubitatione quid culpæ ſit, præſertim ita caſtigandæ, non video. Neque tamen nego in eo quod Zachariæ accidit imaginem fuiſſe Iudaïci populi, qui cùm per donum Prophetiæ loqui deſiiſſet, & ſolis ceremoniarum nutibus futura adumbraret, effœta ætate protulit Chriſtum: ſed ea ſignificatio non tollit meritum pœnæ in Zacharia, quod Angelus diſertè exprimit

cùm dicit ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας [*pro eo quòd non credidiſti*]. Atque adeò hic inter cæteros locus docere nos poteſt, non ſimulatque Deus iram ſuam homini remittit, ea etiam tolli omnia quæ pœnæ temporalis aut medicinæ potiùs habent rationem: quod pœnæ genus νουθεσίαν non τιμωρίαν Philoſophi vocant.

19. Γαβριὴλ, *Gabriel*] Angeli, cùm inter ſe nominibus non indigeant, nomina accipiunt quibus miniſteria ipſorum indicentur. גבריאל eſt Δύναμις Θεοῦ [*Dei virtus*]. Ita ergo hic Angelus dicitur quia eo miniſtro Deus utitur ad ſummam potentiam ſuam explicandam. Summa autem δύναμις Θεοῦ [*virtus Dei*] eſt Euangelium Chriſti, Rom. I, 16. I Cor. I, 24. Ideo idem hic Gabriel res non quasvis ſed quæ ad Chriſtum aut directè aut antecedenter pertinerent, juſſus eſt nuntiare Danieli olim, jam Zachariæ, mox & Mariæ. Hujus igitur nominis recitatione Zacharias ad Danielis librum revocatur, quaſi dicat Angelus, Mirari noli ſi quid nunc eximium & naturæ ordinem ſuperans Deus efficit. Inſtant enim illa tempora Danieli indicata quibus potentiam ſuam Deus ampliſſimè eſt exſerturus. Hebræorum Magiſtri ajunt ſeveritatis miniſtrum eſſe Michaelem, Gabrielem miſericordiæ: ideo illum unâ alâ volare, hunc duabus. Similique de cauſa Michaelem vocant *Ignem*, Gabrielem verò *Aquam*.

ὁ παρεστηκὼς ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ· *qui adſto ante Deum*] Locutio ex aulis Orientalibus ſumta: tantundem enim eſt quaſi dicat, non quemvis miniſtrum ſed Satrapam ſe eſſe Regni cœleſtis. Vide quæ dicta ad Matth. XVIII, 10.

20. ἔσῃ σιωπῶν, καὶ μὴ δυνάμενος λαλῆσαι, *eris tacens & non poteris loqui*] Tanta eſt inter ſe σχέσις [*convenientia*] Oris & Aurium, ut non mirum ſit verba horum alteri convenientia ad alterum transferri. Quare non improbabilis eſt ſententia Theophylacti, Titi, Euthymii, qui, ne bis hîc idem aut pene idem dicatur, exiſtimant σιωπᾷν [*ſilere*] hîc eſſe *ſurdum fieri*, præſertim cùm חרש & החריש Hebræis & *ſilere* & *obſurdeſcere* ſignificet, quod per παρασιωπᾷν [*ſilere*] vertunt LXX etiam quibus locis propria eſſe videtur *obſurdeſcendi* ſignificatio: unde & adjectivum חרש *ſurdus* Levit. XIX, 14. & alibi. Certè Zachariæ etiam audiendi facultatem eſſe ademtam ſatis ex eo apparet quòd infrà amici dicuntur ipſum nutibus allocuti: quod tamen in Angeli verbis ſubticebitur niſi vocis σιωπᾷν [*ſilendi*] eam quam dico admittamus κατάχρησιν [*abuſionem*]. Favet huic interpretationi quod paulò pòſt tanquam de re jam ſemel indicata dicitur καὶ διέμενε κωφός [*& manſit ſurdus*]. quanquam enim ea vox Græcè ambigua eſt, tamen & apud LXX & his libris ſæpius *ſurdum* quàm *mutum* ſignificat.

γένηται ταῦτα· *hæc fiant*] Ad impoſitionem usque nominis, de qua egerat ſuprà 13.

ἀνθ' ὧν οὐκ, *pro eo quòd non*] Ita ſolent Helleniſtæ dicere quod Hebræi יען, ut Levit. XXVI, 43. ἀνθ' ὧν τὰ κρίματά μου ὑπερεῖδον [*eò quòd abjecerint judicia mea*]. Ezech. V, 11. ἀνθ' ὧν τὰ ἅγιά μου ἐμίανας [*eò quòd ſancta mea violaſti*]. Eodem Meriti ſenſu hanc vocem uſurpat Lucas infrà XIX, 44. & Act. XII, 23. Sed & Paulus II Theſſ. II, 10. Invenias eodem planè ſenſu illud ἀνθ' ὧν [*eò quod*] apud Sophoclem. Eſt & ubi illativè ponitur, ut infrà XII, 3.

εἰς τὸν καιρὸν αὐτῶν. *in tempore ſuo*] Sic & Geneſeos XVIII, 10. καιρὸς [*tempus*] vocatur juſtum partitudinis tempus.

21. ἐν τῷ χρονίζειν αὐτὸν ἐν τῷ ναῷ· *quòd tardaret ipſe in Templo*] Vltra horam τῆς θυμιάσεως [*ſuffitûs*], qua peracta ſolebant Sacerdotes ad populum progredi. Quare aut diutius traxit Angelus ſermonem, cujus hîc ſumma refertur, aut ſtupor Zachariam detinuit.

22. ἐπέγνωσαν ὅτι ὀπτασίαν ἑώρακεν, *cognoverunt quòd viſionem vidiſſet*] Non ex conjectura, quod fieri vix poterat, ſed ex nutuum ſignificatione. Itaque καὶ [*&*] quod ſequitur hîc, pro γὰρ [*enim*] poſitum arbitror; ut Geneſ. IV, 1. XX, 5. Exodi II, 10. Pſalm. I, 2. in Græco; Pſalm. LX, 13. CVIII, 13. Eſaiæ XLVI. in fine. Sic infrà 42. XV, 16. Iohann. II, 13. V, 39. I Iohann. III, 4. Et ὀπτασία [*viſio*] eſt ἐπιφάνεια [*apparitio*], ut infrà XXIV, 23. Actor. XXVI, 19. II Cor. XII, 1.

23. ὡς ἐπλήσθησαν αἱ ἡμέραι τῆς λειτουργίας αὐτοῦ, *impleti ſunt dies officii ejus*] Perſeveravit ergo ἐν τῇ ἱερατείᾳ [*in functione Sacerdotali*] per tempus legitimum, ad matutinum usque ſuffitum Sabbati ſequentis.

24. περιέκρυβεν, *occultabat*] Rumores declinans: cæterùm Deo ita diſponente, ne quid de Iohanne diſpaleſceret antequam certis teſtimoniis conſtaret de ejus conceptione propter quem Iohannes naſcebatur.

λέγουσα, *dicens*] Sibi gaudens, ſolo marito conſcia.

25. ἐπεῖδεν ἀφελεῖν, *reſpexit auferre*] Nulla eſt ἔλλειψις [*vocis reticentia*]. Sed ἐπεῖδεν ἀφελεῖν vertendum eſt *curavit auferre* ex locutione Hebraïca.

τὸ ὄνειδος, *opprobrium*] Ἀφεῖλεν Θεός μου τὸ ὄνειδος [*abſtulit Deus opprobrium meum*] eſt apud LXX in verbis Rachelis Geneſ. XXX, 23. Vide quæ diximus ſuprà de ſterilitate.

27. παρθένον, *virginem*] Maria Eccleſiæ fert imaginem, quæ παρθένος ἁγνὴ [*virgo caſta*] II Cor. XI, 2. quæ parit οὐκ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, ἀλλ' ἐκ Θεοῦ [*non ex voluntate viri, ſed ex Deo*], Iohann. I, 13. Pertinet huc illud Philonis, Ἀνθρώπων μὲν γὰρ (malè in editis libris ἀνθρώπῳ) ἡ ἐπὶ γενέσει τέκνων σύνοδος τὰς παρθένους γυναῖκας ἀποφαίνει· ὅταν δὲ ὁμιλεῖν ἄρξηται ψυχῇ Θεὸς, πρότερον οὖσαν γυναῖκα, παρθένον αὖθις ἀποδείκνυσιν [*Apud homines quæ ſobolis quærendæ cauſâ fit congreſſio eas quæ virgines fuerant mulieres facit: At Deus ubi cum anima ſociare ſe cœpit eam quæ mulier erat, rurſus virginem facit*].

ἐξ οἴκου Δαβίδ. *de domo David*] Directè hoc de Ioſepho dicitur; ut apparet infrà II, 4. Per conſequentiam ad Mariam quoque pertinet.

28. εἰσελθὼν, *ingreſſus*] In eam domum in qua ſub proximorum cura cuſtodiebatur, nondum traducta in domum Ioſephi; ut ad Matthæum diximus.

κεχαριτωμένη· *gratiâ plena*] מוחנה. Nam חנן Hebræum propriè eſt χαριτοῦν [*afficere beneficio*], ut Epheſ. I, 6. unde in Hophal יחן χαριτώσεται [*beneficio afficietur*], pro quo ἠλεηθήσεται [*miſericordiam conſequetur*] verterunt LXX Prov. XXI, 10. Sic & ἠλεήθη [*miſericordiam conſecuta eſt*], Aquila & Theodotio Eſa. XXVI, 10. Nam Helleniſtis ἔλεος [*miſericordia* dicitur quodvis *beneficium* aut ipſa *beneficentia*. Haud dubiè idem eſt quod infrà dicitur εὗρες χάριν παρὰ τῷ Θεῷ [*inveniſti gratiam apud Deum*]. Subauditur autem hic σὺ [*tu*] ex ſequentibus.

ὁ Κύριος μετὰ σοῦ· *Dominus tecum*] Poteſt ἐξήγησις [*explicatio*] eſſe ejus quod dixit κεχαριτωμένη [*gratiâ plena*], ut ſubaudiatur verbum modi indicativi, aut ejus quod dixit Χαῖρε [*Ave*], ut ſit modi precativi, quod magis credo, quia mos erat Hebræus ſalutandi, Ruth. II, 4. etiam olim Angelis uſurpatus, ut Iud. VI, 12. Κύριος μετὰ σοῦ δυνατὸς τῇ ἰσχύϊ [*Dominus tecum, Virorum fortiſſime*].

εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν. *benedicta tu in mulieribus*] Hoc quoque ſumo non indicativâ ſed potiùs apprecativâ ſignificatione. Sumtum enim eſt ex Iudicum libro cap. V, 24. ubi legimus חברך מנשים יעל, Græcè Εὐλογηθείη ἐκ γυναικῶν Ἰαήλ [*Benedicatur inter mulieres Iahel*] Sic & Ruth. III, 10. Εὐλογημένη σὺ τῷ Κυρίῳ Θεῷ [*Benedicta tu à Domino Deo*]. Et I Samuel. XXV, 33. εὐλογημένη σὺ [*benedicta tu*] eſt bene precantis. Sic infrà Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν, καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου [*Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*]. Et Matth. XXI, 9. & infrà XIII, 35. & Iohann. XII, 13. εὐλογημένος ὁ ἐρχόμενος ἐν ὀνόματι Κυρίου [*benedictus qui venit in nomine Domini*]. Simile eſt loquendi genus Εὐλογητὸς ὁ Θεὸς [*Benedictus Deus*], infrà 68. II Cor. I, 3. Epheſ. I, 3. I Petri I, 3. Tam autem quod præceſſit κεχαριτωμένη [*gratiâ plena*]. quàm iſtud εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶν [*benedicta tu in mulieribus*], eò libentiùs ita interpretor quòd tota hæc oratio ſalutantis tantùm ſit, nondum autem exponentis legationem: ideo ἀσπασμὸς [*Salutatio*] dicitur.

29. Ἡ δὲ ἰδοῦσα, *Illa autem videns*] Ita legit & Syrus. Neque rectè ad mutandum quoſdam movit quod ſequitur διεταράχθη ἐπὶ τῷ λόγῳ [*turbata eſt in ſermone*]. Nihil enim vetat attonitam fuiſſe & adſpectu & auditu.

ποταπὸς, *qualis*] Admirantis: Matth. VIII, 27. Marci XIII, 1. Præcipuè obſtupuit non intelligens quæ illa eſſet ſupra omne genus muliebre celebritas quam ipſi Angelus ominabatur.

30. εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. *inveniſti enim gratiam apud Deum*] Non eſt argutandum in proprietate Græcæ vocis εὑρίσκειν [*invenire*]. Eſt enim nota locutio Hebraïca מצא חן, quod LXX vertunt ad verbum εὗρε χάριν [*invênit gratiam*], ut Geneſ. VI, 8. XVIII, 3. XXXIX, 4. Eſther. II, 15. atque alibi. Loquitur ſic & Stephanus Actor. VII, 46. & Scriptor ad Hebræos IV, 16. Eſt autem מצא [*invenire*] tum iſtis tum aliis in locis ſimpliciter *conſequi*, ſive ſtudio, ſive citra ſtudium.

31. ἰδοὺ, συλλήψῃ ἐν γαστρὶ, καὶ τέξῃ υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus*] Apertè ſatis Angelus digitum intendit ad illa Eſaiæ citata à Matthæo I, 23. quæ apud LXX ita ſe habent, Ἰδοὺ, παρθένος ἐν γαστρὶ λήψεται, καὶ τέξεται υἱὸν, καὶ καλέσεις τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουήλ [*Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel*].

Ἰησοῦν. *Ieſum*] Pro eo quod Eſaias dixerat EMMANVEL, Angelus IESVM dixit, interpretis fungens vice: unde apparet eandem in utroque eſſe ſignificationem. Sive enim dicas, *Hic eſt per quem Deus nobis eſt propitius* (quod ſignificat vox Emmanuel), ſive *hic eſt Soſpitator noſter*, idem eſt ſenſus. Quare & Matthæus impoſitione nominis Ieſu vaticinium illud ait impletum. Vide quæ ad Matthæum.

32. Οὗτος ἔσται μέγας, *Hic erit magnus*] Spectat Angelus ejusdem Eſaiæ verba IX, 6. ubi μεγάλης βουλῆς Ἄγγελος [*Magni conſilii Angelus*] & θαυμαστὸς [*Admirabilis*] dicitur.

καὶ υἱὸς ὑψίστου, *& Filius Altiſſimi*] Ita interpretatur quod Eſaias dixerat *vocatum eum iri* אל גבור Θεὸν ἰσχυρόν [*Deum fortem*]. Adde quæ ad Marcum V, 7.

δώσει αὐτῷ Κύριος ὁ Θεὸς τὸν θρόνον Δαβὶδ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ· *dabit illi Dominus Deus ſedem David patris ejus*] Θρόνον Δαβὶδ [*ſedem David*] eodem loco Eſaias nominat. Davidis autem nepotem fore Meſſiam, & dandum ei à Deo hoc ſolium τυπικῶς [*per typum*] ſignificabat Pſalm. CXXXII, 11. Adde Eſaiam IX, 6, 7. Amos IX, 11. Dicitur autem Meſſiæ imperium *Davidis ſolium*, quòd Davidis ſolio adumbrabatur. Et ſic locum II Samuelis VII, 13. explicat Iſaac Ben Arama.

33. βασιλεύσει ἐπὶ τὸν οἶκον Ἰακὼβ, *regnabit in Domo Iacob*] Primò enim deſtinatus erat ad quærendas oves populi Iſraëlitici, ex quo populo quicunque eum recipere voluerunt eos in Regnum ſuum adſcripſit. Sed & è Gentibus converſi meritò eodem veniunt nomine quaſi per acceſſionem. Sicut enim David, cùm etiam Idumæis atque aliis populis imperaret, *Rex* tamen *Iſraëlis* duntaxat dicebatur, quia illi per victorias Davidis in populum Iſraëlis erant velut incorporati: ita & quicunque per Meſſiæ arma, id eſt, verbum Euangelii, eò adducti ſunt ut Deum Iſraëlis colerent, facti ſunt Iſraëlitæ. Eſaias XIV, 1. *Adjunget ſe eis extraneus, & adhærebit Domui Iacob.* XLIV, 5. itidem de extraneo, *In nomine Iſraël cognominabitur.* Et meritò nomen *Iacobi* in hanc rem uſurpatur. Eſt enim, ut Philo annotat, *Iacob*, ὁ πτερνιστὴς [*Supplantator*], id eſt, ὁ τὴν ἀρετὴν οὐκ ἀκονιτὶ κτώμενος [*is qui virtutem non ſine labore acquiſivit*].

εἰς τοὺς αἰῶνας, *in ſecula*] עדי־עד dicto Pſalmo CXXXII, 12. עד־עולם, ut loquitur Michæas IV, 7. & Eſaias IX, 7. Sic שלטן עלם [*poteſtas ſeculi*] Danieli VII, 14. Sed quia Sadducæi לעולם [*in ſeculum*] ubique volebant accipi pro *longo* non pro *infinito tempore*, ideo à ſapientibus erat inſtitutum ut diſcriminis causâ infinita duratio pluraliter enuntiaretur לעולמים [*in ſecula*], quam locutionem & interpretationem Angelus hîc comprobat.

καὶ τῆς βασιλείας αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος. *& Regni ejus non erit finis*] Eſaias, μεγάλη ἡ ἀρχὴ αὐτοῦ, καὶ τῆς εἰρήνης οὐκ ἔστι τέλος [*multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis*], IX, 7. Daniel, ἡ βασιλεία αὐτοῦ οὐ διαφθαρήσεται [*Regnum ejus non corrumpetur*], VII, 14. Non fruſtra autem hoc adjicitur: explicat enim quid ſit εἰς τοὺς αἰῶνας [*in ſecula*], non *in longum tempus*; ſed *ſine fine*. Atque ita imperium hoc ab humanis imperiis diſtinguitur, quæ omnia caduca eſſe & temporaria tum hiſtoriæ docent, tum nobiliſſimorum Regnorum exemplis Danieli oſtenſum eſt. Plato cùm eam quam optimam mente complecti poterat deſcripſiſſet rempublicam, addit, οὐδ' ἡ τοιαύτη ξύστασις τὸν ἅπαντα μενεῖ χρόνον, ἀλλὰ λυθήσεται [*at ne hæc quidem forma in omne tempus manebit, ſed aliquando diſſolvetur*].

34. Πῶς ἔσται τοῦτο, ἐπεὶ ἄνδρα οὐ γινώσκω; *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?*] Non dubitantis eſſe arbitror, ſed admirantis. Videntur ita Angeli verba à Virgine accepta quaſi res jamjam futura indicaretur. Et οὐ γινώσκω [*non cognoſco*] eſt *hactenus viro ſum intacta*. Meritò igitur admiratur quomodo conceptura ſit ſine virili opera, cùm ejus rei nullum exſtaret exemplum. *Virum cognovit* etiam apud Ovidium eſt. Si verum eſt quod Epiphanius ex veteri auditione narrat, ſenem admodum fuiſſe Ioſephum cùm Maria ipſi deſponderetur, tantò erit probabilius quod veteres plerique exiſtimant, his verbis etiam propoſitum quoddam perpetuæ virginitatis indicari à Maria, ut quæ agnato ſeni nuptum iret non prolis ſpe, ſed ut haberet cujus ſub tutela deliteſceret ſexûs injuriis obnoxia. Propoſitum autem virginitatis non tam incognitum Iudæis fuit quàm quidam exiſtimant: quod quia ab aliis minùs ſolidè probatum video, adducam inſignem Philonis locum, Συνεστιῶνται δὲ καὶ γυναῖκες, ὧν πλεῖσται γηραιαὶ παρθένοι τὴν ἁγνείαν, οὐκ ἀνάγκῃ, καθάπερ ἔνιαι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱερειῶν, διαφυλάξασαι μᾶλλον ἢ καθ' ἑκούσιον γνώμην, διὰ δὲ ζῆλον καὶ πόθον σοφίας ᾗ συμβιοῦν σπουδάσασαι τῶν περὶ σῶμα ἡδονῶν ἠλόγησαν, οὐ θνητῶν ἐκγόνων ἀλλ' ἀθανάτων ὀρεχθεῖσαι, ἃ μόνη τίκτειν ἀφ' ἑαυτῆς οἵα τέ ἐστιν ἡ θεοφιλὴς ψυχή, σπείραντος εἰς αὐτὴν ἀκτῖνας νοητὰς τοῦ πατρὸς οἷς δυνήσεται θεωρεῖν τὰ σοφίας δόγματα [*Interſunt convivio & mulieres, quarum pleræque virgines ſunt ſenectæ, non ex neceſſitate id ſervantes magis quàm ſua ſponte, ut nonnullæ apud Græcos Flaminicæ, ſed ſtudio & amore ſapientiæ, cum qua vivere cupientes corporis voluptates ſpreverunt, immortalis non verò mortalis prolis deſiderio, qualem edere ſola de ſe poteſt anima pia ſerente in eam radios intelligibiles Patre, per quos intueri poſſint ſapientiæ dogmata*]. Hebræi tales votrices virginitatis vocabant פרישות [*Phariſæas*], qualis fuit & Iephthæ filia.

35. Πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σέ, *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te*] Sic Actorum I, 8. Λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου πνεύματος [*Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritus Sancti*]· quod alibi dixerat hic noſter Euang. XXIV, 49. ἕως οὗ ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους [*quouſque induamini virtute ex alto*].

καὶ δύναμις ὑψίστου, *& virtus Altiſſimi*] Vide quæ ſuprà diximus ad comma 17.

ἐπισκιάσει σοι· *obumbrabit tibi*] Solent quidem LXX סכך vertere ἐπισκιάζειν [*obumbrare*], ut Pſalmo XCI, 4. CXL, 8, & alibi. Magis tamen mihi placet ſententia putantium tralationem ſumtam ab avibus pullos excludentibus; à qua non longè abit Theophylactus: ut ita oſtendat Angelus eâ virtute oriturum hunc fœtum qua mundus ipſe exordium ſumſit. Nam in Moſis hiſtoria eſt ורוח אלהים, מרחפת על־פני מים [*Spiritus Domini ſupervolitabat ſuper aquas*], quod verbum מרחפת de tali *incubitu* exponunt Hebræorum doctiſſimi. Et apertè is eſt ejusdem verbi uſus Deut. XXXII, 11, ubi LXX σκεπάσαι [*obtegere*] pari ſignificatu.

διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον κληθήσεται Υἱὸς Θεοῦ. *ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei*] Illud ἐκ σοῦ [*ex te*] omnino retinendum cenſeo. Nam præter Syrum Arabs quoque agnoſcit, & veteres Scriptores, Irenæus libro III, capite XXVI. Tertullianus adversùs Praxean, Novatianus De Trinitate, & poſt hos Epiphanius contra Ebionæos. Credibile eſt inductum ab Eutychetis ſecta poſtea diu præpotente, cujus ſententiæ validè hic locus adverſabatur. Puto autem præſens pro futuro poſitum, *quod naſcitur*, id eſt, *quod naſcetur*, ut Matthæi II, 4. Nam ſi de conceptione ageretur, potiùs dictum eſſet ἐν σοὶ [*in te*], ut apud Matthæum I, 20. τὸ ἐν αὐτῇ γεννηθὲν [*quod in ea natum eſt*]. At γεννᾷν [*gignere*] de partu etiam ſuprà commate 13. uſurpavit Lucas, & infrà XXIII, 29. & Actorum VII, 20. Sed & Paulus Galat. IV, 4. Chriſtum dicit γενόμενον ἐκ γυναικὸς [*factum ex muliere*], ubi γίνεσθαι [*fieri*] idem eſt quod γεννᾶσθαι [*naſci*], ut Platoni cùm dicit ἕκαστος ἡμῶν οὐχ αὑτῷ μόνον γέγονε, *quiſque noſtrûm non ſibi ſoli natus eſt*, ut vertit Cicero. ἅγιον [*ſanctum*] autem dicitur id quod ex Maria erat naſciturum, quia exemtum communi legi humanæ originis. *Id ipſum*, inquit Angelus, *Filius Dei vocabitur*; nimirum ut ſecundus Adam. Nam & primus Adam *Dei filius* dicitur Lucæ III, 38. quia Deus in illo præſtitit quod in aliis præſtant patres. Iuſtinus Colloquio cum Tryphone, ὅτι ἄνωθεν καὶ διὰ γαστρὸς ἀνθρωπείας ὁ Θεὸς καὶ πατὴρ τῶν ὅλων γεννᾶσθαι αὐτὸν ἔμελλε [*quia geniturus eum erat Deus & Pater omnium de ſupernis idque per humanum uterum*]. Illud autem καὶ [*&*] connexio eſt inferiorum cum ſuperioribus. Nam quod in hunc locum Novatianus adfert, argutius eſt quàm ut verborum ſimplicitati conveniat. Neque deſunt meliora argumenta quibus id ipſum probetur quod ille intendit.

36. Καὶ ἰδοὺ, *Et ecce*] Quaſi dicat, Ne dubites ad magnam hanc rerum renovationem uti Deum novis agendi rationibus, en domeſticum tibi exemplum. Quantò autem minus eſt miraculum in partu anûs ſterilis quàm in partu virginis, tantò tuus partus illo erit major.

ἕκτος ἐστὶν, *ſextus eſt*] Quo tempore certa ſolent ſe prodere indicia prægnantis uteri. ita confirmandæ virginis fiduciæ ſignum datur adſpectabile, ut Ezechiæ olim.

τῇ καλουμένῃ στείρᾳ. *quæ vocatur ſterilis*] Καλεῖσθαι [*vocari*] in Hebræa locutione cum re ſignificat famam rei. Vide quæ ad Matth. caput I.

37. Ὅτι, *Quia*] Αἰτιολογικὸν τοῦ σιωπωμένου [*rationis redditio ad id quod ſubticetur*], quod & alibi obſervavimus. Nam quæ præcedunt eò ſpectant ut firmiùs credat Maria: quod cur fieri debeat cauſa hic redditur.

οὐκ ἀδυνατήσει παρὰ τῷ Θεῷ πᾶν ῥῆμα. *non erit impoſſibile apud Deum omne verbum*] Puto non ad promiſſa tantùm pertinere hanc ſententiam, ſed infinitam Dei omnipoetntiam indicari; quomodo & Syrus accepit. Eſt enim proverbium tritum uſu Hebræorum לא־יפלא ממך כל־דבר [*Non abſcondetur à te omne verbum*], quod LXX vertunt οὐ μὴ ἀποκρυβῇ ἀπὸ σοῦ οὐθὲν [*nihil à te abſcondi queat*], Ieremiæ XXXII, 27. Idem ita extulit Matthæi Interpres, παρὰ δὲ Θεῷ πάντα δυνατά ἐστι [*Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*], XIX, 26. quem ſequitur Marcus X, 27. & XIV, 36. Citavimus alibi Lini, Epicharmi & Callimachi verſus in eandem ſententiam. Neque absterrere nos ab hac interpretatione debet quòd Deus dicitur fidem datam violare non poſſe, & ſimilia. Nam res ipſa docet univerſales locutiones extendi non debere ad ea quæ nomine Dei intellecto excluſa intelligi debent. Bene Origenes adverſus Celſum, Δύναται καθ' ἡμᾶς πάντα ὁ Θεὸς ἅπερ δυνάμενος τοῦ Θεὸς εἶναι καὶ τοῦ ἀγαθὸς εἶναι καὶ σοφὸς εἶναι οὐκ ἐξίσταται· ὁ δὲ Κέλσος φησὶν (ὡς μὴ νοήσας πῶς λέγεται ὁ Θεὸς πάντα δύνασθαι, ὅτι οὐκ ἐθελήσει οὐδὲν ἄδικον διδοὺς) ὅτι δύναται μὲν καὶ τὸ ἄδικον, οὐ θέλει δέ· ἡμεῖς δὲ φαμὲν ὅτι ὥσπερ οὐ δύναται τὸ πεφυκὸς γλυκαίνειν τῷ γλυκὺ τυγχάνειν πικράζειν παρὰ τὴν αὐτοῦ μόνην αἰτίαν, οὐδὲ τὸ πεφυκὸς φωτίζειν τῷ εἶναι φῶς σκοτίζειν, οὕτως οὐδὲ ὁ Θεὸς δύναται ἀδικεῖν· ἐναντίον γάρ ἐστιν αὐτοῦ τῇ θειότητι καὶ τῇ κατ' αὐτὴν πάσῃ δυνάμει ἡ τοῦ ἀδικεῖν δύναμις [*Ex noſtra ſententia Deus poteſt omnia, quæ agendo Deus eſſe & bonus & ſapiens non deſinat. Celſus verò (agnoſcens non velle Deum injuſti quicquam, ſed non videns quomodo ex noſtra ſententia Deus dici poſſit Poſſe omnia) ait, poſſe quidem Deum & injuſta, at non item velle. Nos autem dicimus, ſicut non poteſt id quod natum eſt dulcia facere alia, hac ſua dulcedine alia reddere amara, idque ideo quia interna natura obſtat, nec quod natum eſt illuminare lucendo tenebras obducere: ita nec Deum poſſe agere injuſtè. Pugnat enim injuſtè agendi facultas cum ipſius Deitate & omni ea vi quæ Deitati cohæret*]. Idem Scriptor in eadem diſputatione libro IV ait illud, Πᾶν δυνατὸν τῷ Θεῷ [*Omnia Deo poſſibilia*] intelligendum eſſe οὐκ ἐπὶ τῶν ἀνυπάρκτων, οὐδ' ἐπὶ τῶν ἀδιανοήτων· φαμὲν δὲ, adjicit, καὶ ὅτι οὐ δύναται αἰσχρὰ ὁ Θεὸς, ἐπεὶ ἔσται ὁ Θεὸς δυνάμενος μὴ εἶναι Θεὸς [*non de iis quæ nec exſiſtere nec intelligi poſſunt; addimus verò nec turpia Deum poſſe, alioqui poſſet non eſſe Deus*], alludens ad notum Euripidis verſum,

Εἰ θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν, οὐκ εἰσὶν θεοί.
[*Si dî patrant quid turpe, jam non ſunt dii.*]

Iſidorus Peluſiota ad quæſtionem, εἰ Θεῷ πάντα δυνατὰ [*An Deo omnia poſſibilia*], breviter reſpondit, πάντα τὰ πρέποντα αὐτῷ [*Omnia quæ eum decent*].

38. Ἰδοὺ ἡ δούλη Κυρίου· *Ecce ancilla Domini*] Locutio Hebræa obedientiæ propoſitum notans. Ita Samuel ad Heli I Samuelis III, 6, & 8. Ἰδοὺ ἐγώ [*Ecce ego*]. Et mox ad Deum, Λάλει, Κύριε, ὅτι ἀκούει ὁ δοῦλός σου [*Loquere, Domine, nam audit ſervus tuus*].

γένοιτό μοι, *fiat mihi*] Non conſentit tantùm Virgo, ſed & deſiderat, eximio fiduciæ exemplo. Nec dubium quin ſimul cum conſenſu & deſiderio impleri promiſſio cœperit, ut hac quoque in parte perſonam Chriſtianorum Maria gereret. Quare & poſt hoc dictum diſcedit Angelus, ut peracta legatione; quemadmodum à veteribus non malè notatum eſt.

39. Ἀναστᾶσα, *Exſurgens*] Vox παρέλκουσα [*abundans*], ut & infrà IV, 29. Nec aliter I Maccabæorum XII, 40. XIII, 24.

μετὰ σπουδῆς, *cum feſtinatione*] Ne negligeret ſignum quod augendæ ipſius fiduciæ Deus aſſignaverat.

εἰς πόλιν Ἰούδα. *in civitatem Iuda*] Accedo eorum ſententiæ qui Hebronem ſignificari judicant. Nam πόλις [*civitas*], ut Hebræum קרית, ita ſolet poni ut ſignificet μητρόπολιν [*metropolim*]. Et erat quidem Hieroſolyma caput Regni: At peculiariter portionis Iudæ urbs præcipua Hebron, ut colligitur II Samuelis II.

41. ἐσκίρτησε, *exſultavit*] Solent quidem Medici hoc verbo notare motum naturalem infantis in utero, quod ἀσκαρίζειν [*ſubſilire*] eſt aliis. Mihi autem certum videtur motum hunc non naturalem, ſed Divinitus fuiſſe procuratum; perinde ut colliſionem illam infantium in Rebeccæ utero: nam & hoc & illud μυστικὴν [*myſticam*] habuit ὑπόνοιαν [*ſignificationem*].

42. Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξὶ, *Benedicta tu in mulieribus*] Ipſa verba Angeli uſurpat, ut ab eodem Deo motam appareat.

καὶ εὐλογημένος ὁ καρπὸς τῆς κοιλίας σου. *& benedictus fructus ventris tui*] Sunt verba Deuteronomii XXVIII, 4. ברוך פרי־בטנך. Oſtendit ergo Eliſabet Legis promiſſiones nunc excellenter & ſupra communem ſenſum impleri.

43. πόθεν μοι τοῦτο, ἵνα ἔλθῃ ἡ μήτηρ τοῦ Κυρίου μου πρός με; *unde hoc mihi ut veniat mater Domini mei ad me?*] Modeſtiæ filii præludens qui olim Chriſto erat dicturus, σὺ ἔρχῃ πρός με; [*tu venis ad me?*] Matthæi III, 14. Κύριον [*Dominum*] vocat Meſſiam exemplo Davidis Pſalm. CX, 1.

44. ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, *ut facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis*] Vertere ſimpliciter licet, *ut pervenit ad aures.* Nam γένεσθαι pro *venire* ſæpe uſurpant noſtri & alii Scriptores. Syrus נפל *accidit auribus.*

ἐν ἀγαλλιάσει, *in gaudio*] Solet ad animum transferri: propriè tamen geſticulationem ſignificat qualis eſſe lætantium ſolet. Atque hoc videtur indicare Eliſabeth, Sicut infantes in utero calore delectati naturaliter ſubſultant, ita citra cauſam naturalem & modo non naturali infantem ſuum ſubſultaſſe. Quod autem quidam hinc colligunt rationis uſum in Iohanne anticipatum, nec Auguſtino, neque verò mihi ſatis rectum videtur.

45. μακαρία ἡ πιστεύσασα· ὅτι ἔσται τελείωσις τοῖς λελαλημένοις αὐτῇ παρὰ Κυρίου. *beata quæ credidit; quòd perficientur ea quæ dicta ſunt ipſi à Domino*] Puto generalem eſſe ſententiam, ſed à muliere ad mulierem elatam feminino genere; *Beata quæ credit exitum habitura ea quæ Divinitus ipſi ſunt nuntiata;* quomodo accipit Syrus. Sicut Chriſtus dixit, Μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ καὶ φυλάσσοντες αὐτὸν [*beati qui audiunt verbum Dei, & qui cuſtodiunt illud*], infrà XI, 28. &, μακάριοι οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες [*beati qui non viderunt & crediderunt*], Ioh. XX, 29. Solet autem res credita per ὅτι [*quòd*] exprimi, ut Matth. IX, 28. Marci XI, 24. Simillima autem hujus loci locutioni eſt illa apud Marcum XI, 23. πιστεύσῃ ὅτι ἃ λέγει γίνεται [*crediderit quòd quæ dixit fient.*] Illud παρὰ Κυρίου [*à Domino*] bene interpretatur Syrus מן לות מריא [*ex parte Domini*].

46. Καὶ εἶπε Μαριὰμ, *Et ait Maria*] Si rectè Origenem intelligo, hîc dicit in quibuſdam codicibus omiſſum *Mariæ* nomen, ac proinde à quibuſdam creditum hoc carmen eſſe Eliſabetæ: quos refellit & librorum & Interpretum & veterum qui verbis hinc depromtis utuntur auctoritas. Solebant Hebræi, ut & gentes aliæ, ad movendos affectus aut lætos aut lugubres uti carminibus, ut paſſim in Veteris Federis hiſtoria videre eſt. Bene Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Κατὰ τὰ ἐν ταῖς ᾠδαῖς ἐμφερόμενα διηγήματα ἁρμοδίως οἱ ῥυθμοὶ τῶν μελῶν ἐγίνοντο, ἄγοντες τὰς ψυχὰς εἰς τὴν πρέπουσαν τοῖς ᾀδομένοις αἵρεσιν [*Numeri carminum fiebant accommodatè ad res carminibus comprehenſas, ut ſic animi moverentur ad eos affectus qui convenirent iis quæ canebantur*]. Erant autem ῥυθμοὶ ſive numeri Hebræorum non ἔμμετροι [*certis menſuris adſtricti*] ſed lege ſoluti; cujusmodi etiam erant & nunc quoque ſunt ipſorum ſaltationes. Reſpicit hoc carmen non obſcurè ad tempora exitûs ex Ægypto, quibus tempora Meſſiæ figurabantur non ſine admirabili Dei diſpoſitu congruentibus circumſtantiis. Eſt ibi Maria προφῆτις [*Propheti ſſa*] dux feminei agminis; & hîc Maria obumbrata Sancto Spiritu, ſupra omnes feminas celebranda. Secundas ibi tenet Eliſabet Aaronis uxor; hîc alia Eliſabet nupta Sacerdoti ex Aaronis genere.

Μεγαλύνει ἡ ψυχή μου τὸν Κύριον· *Magnificat anima mea Dominum*] Ita Pſalmo XXXIV, 4. גדלו יהוה אתי, Græcè, Μεγαλύνετε τὸν Κύριον σὺν ἐμοί [*Magnificate Dominum mecum*]. Solent in carminibus res eædem πολυωνύμως [*multis nominibus*] exprimi, atque hîc prius *animam* dixit, deinde *ſpiritum*. Neque tamen contemnenda videtur Origenis obſervatio, qui μεγαλύνειν [*magnificare*] ad Intellectum, ἀγαλλιάζειν [*exſultare*] ad Affectum ſubſequentem retulit.

47. Καὶ ἠγαλλίασε τὸ πνεῦμά μου ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ σωτῆρί μου· *Et exſultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo*] Contractum ex Pſalm. XXXV, 9. ubi LXX, Ἡ δὲ ψυχή μου ἀγαλλιάσεται ἐπὶ τῷ Κυρίῳ, τερφθήσεται ἐπὶ τῷ σωτηρίῳ αὐτοῦ [*Anima autem mea exſultabit in Domino, & delectabitur ſuper ſalutari ſuo*]. Sed & in Annæ cantico, εὐφράνθην ἐν σωτηρίῳ σου [*lætata ſum in ſalutari tuo*]. Præteritum aut futurum pro præſenti ponere mos eſt Hebræorum.

48. ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ· *reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*] Bene notavit vir doctiſſimus ταπείνωσιν eſſe עני, id eſt, *miſeriam*, aut certè *conditionem abjectam*, ut Philipp. III, 21. videre eſt. In Veteri Inſtrumento præter locum Geneſeos XXIX, 32. ſunt illuſtres alii ubi LXX ita vertunt, & quidem ubi itidem *reſpiciendi* fit mentio, ut II Regum XIV, 26. εἶδε Κύριος τὴν ταπείνωσιν Ἰσραὴλ [*vidit Dominus afflictionem Iſraël*]. Pſalmo XXV, 18. Ἴδε τὴν ταπείνωσίν μου [*Vide humilitatem meam*]. Sed maximè huc faciunt Annæ verba quæ non dubito quin reſpiciantur à Maria, cùm & in cæteris ejus verba imitetur. Ea ſic habent Græcè, Ἐὰν ἐπιβλέπων ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης σου [*Si reſpiciens videris afflictionem famulæ tuæ*], I Samuelis I, 11. unde intelligendum & quæ ibidem ſequuntur ad Chriſtum myſticè referri debere, δώσω σοι αὐτὸν ἐνώπιόν σου δοτὸν ἕως ἡμέρας θανάτου αὐτοῦ [*dabo eum coram te datum ad diem uſque mortis ejus*]. Non multò aliter Valerius Maximus de ſe loquens ad Tiberium Cæſarem, *Mea*, inquit, *parvitas.*

μακαριοῦσί με πᾶσαι αἱ γενεαί· *beatam me dicent omnes generationes*] Alludit, ſed cum augmento, ad id quod Lea dixerat, μακαριοῦσί με αἱ γυναῖκες [*beatam me dicent mulieres*], Geneſeos XXX, 13.

49. ἐποίησέ μοι μεγαλεῖα, *fecit mihi magna*] LXX Hebræum גדלות ad verbum transferunt μεγαλεῖα [*magna* vel *magnalia*], ut videre eſt Deuter. XI, 2. Pſalmo LXXI, 19. עשית גדלות ἐποίησάς μοι μεγαλεῖα [*feciſti mihi magnalia*]· ubi μοι [*mihi*] additum à LXX. quem locum hîc reſpici puto. Similis locutio Deuteronom. X, 21. עשה אתך את־גדלת, ubi LXX ἐποίησέ σοι τὰ μεγάλα [*qui fecit tibi magna*]. Vtitur voce μεγαλείων [*magnalium*] Lucas iterum Actorum II, 11. Senſus eſt, Res magnas & miras mihi præſtitit. Confer & Pſalm. CXXVI, 2.

ὁ δυνατὸς, *qui potens eſt*] Id eſt, גבור. Id enim Dei attributum: ita vertunt LXX Pſalm. XXIV, 8.

καὶ ἅγιον τὸ ὄνομα αὐτοῦ· *& ſanctum nomen ejus*] Id eſt, οὗ τὸ ὄνομα ἅγιον [*cujus nomen ſanctum*], contractum ex Pſalmo CXI, 9. קדוש ונורא שמו ἅγιον καὶ φοβερὸν τὸ ὄνομα αὐτοῦ [*ſanctum & terribile nomen ejus*]. Eſt autem hæc Dei περίφρασις [*circumlocutio*] religioſa. Philemon aut Menander,

—— Θεὸς ὁ πάντων δεσπότης,
Οὗ τ᾽ ὄνομα φοβερὸν οὐδ᾽ ἂν ὀνομάσαιμ᾽ ἐγώ.
[—————— *Omnium rector Deus,*
Cujus tremendum nomen, nec fandum mihi.]

50. εἰς γενεὰς γενεῶν, *à progenie in progeniem*] Id eſt, αἰῶνας αἰώνων [*ſecula ſeculorum*]· Sunt enim ipſa verba Pſalmi CIII, 17. quæ LXX ita vertunt, Τὸ δὲ ἔλεος Κυρίου ἀπὸ τοῦ αἰῶνος καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος ἐπὶ τοὺς φοβουμένους αὐτόν [*Miſericordia enim Dei ab æterno & uſque in æternum ſuper timentes eum*]. Solet autem γενεὰ [*progenies* ſive *generatio*] ſumi hoc ſignificatu, ut Epheſ. III, 21. Coloſſ. I, 26. Senſus eſt: Deum perpetuò ac ſine fine benefacere iis qui religioſè ſe verentur.

51. Ἐποίησε κράτος ἐν βραχίονι αὐτοῦ· *Fecit potentiam in brachio ſuo*] Rurſum cum augmento extulit quod eſt in Pſalmo, δεξιὰ Κυρίου ἐποίησε δύναμιν [*dextera Domini fecit virtutem*], Pſalm. CXVIII, 15 & 16. Efficacia Dei magna per *Digitum* indicatur, per *Manum* major, per *Brachium* maxima: confer locum Exodi XV, 16. Vide Pſalmo LXXVII, 16. LXXXIX, 14. XCVIII, 1. Eſaiæ XL, 10. LXII, 8. Iobi XL, 4, 9. Κράτος [*potentia*] aut δύναμις [*virtus*] dicitur opus *potentiſſimum*, qualis erat virginalis conceptio.

διεσκόρπισεν ὑπερηφάνους διανοίᾳ καρδίας αὐτῶν· *diſperſit ſuperbos mente cordis ſui*] Pars eſt ex Pſalmo LXXXIX, 11. אתה דכאת כחלל רהב בזרוע עזך פזרת איביך, ubi רהב vulgò *Ægyptum* exponunt, cùm LXX ſumſerint pro adjectivo: ita enim vertunt, Σὺ ἐταπείνωσας ὡς τραυματίαν ὑπερήφανον, ἐν τῷ βραχίονι τῆς δυνάμεώς σου διεσκόρπισας τοὺς ἐχθρούς σου [*Tu humiliaſti, ſicut vulneratum, ſuperbum: in brachio virtutis tuæ diſperſiſti inimicos tuos*]. Eſt autem in verbo διασκορπίζειν [*diſpergere*] eadem ferme vis quæ in verbo διασκεδάζειν [*diſſipare*], ut apparet infrà XV, 13. XVI, 1. Actorum V, 37. Adde Matth. XXV, 24, 26.

xxvi, 31. Marci xiv, 27. Iohann. xi, 52. διασκεδάζειν [*diſſipare*] autem ponere ſolent Lxx ubi de diſſipandis conſiliis, quas hîc Lucas διανοίας [*mentem*] dixit, agitur: ii Samuelis xv, 34. καὶ διασκεδάσεις μοι τὴν βουλὴν Αχιτοφέλ [*diſſipabis conſilium Achitophel*]. Et Pſalm. xxxiii, 10. qui locus hîc ſimul cum illo præcedente videtur reſpici, διασκεδάζει βουλὰς ἐθνῶν [*diſſipat conſilia Gentium*]. Senſus ergo hic eſt, *Diſſipavit ſuperbos quod conſilia cordis ipſorum attinet.* Vetus eſt proverbium Hebræorum, quod, ut multa alia ejus generis, ſervatum eſt nobis in Eclogis Ieſu Sirachidæ, quem librum *Eccleſiaſticum* vocamus. Locus ita habet x, 15. ὅτι ἀρχὴ ἁμαρτίας ὑπερηφανία, καὶ ὁ κρατῶν αὐτῆς ἐξυβρίσει βδέλυγμα, καὶ καταστραφήσεται εἰς τέλος· διὰ τοῦτο παρεδόξασε Κύριος τὰς ἐπαγωγάς, καὶ κατέστρεψεν εἰς τέλος αὐτούς [*Initium omnis peccati eſt ſuperbia, qui tenuerit illam adimplebitur maledictis, & ſubvertet eum in finem. Propterea mira mala Deus ei intulit, & ſubvertet eum in finem*]. Hæc ipſa ſententia eſt quam in Epinicio latè proſequitur Moſes. Impleta autem eſt cùm Deus Meſſiam naſci voluit non ex iis qui aut ſceptro aut Legis ſcientiâ ſuperbiebant, ſed ex virgine contemtæ ſortis. Atque idem quotidie impletur in vocatione Chriſtianorum, cujus imago fuit hæc conceptio. Vide Romanorum x, 3. Matth. xxiii, 12. Eodem pertinet illa γνώμη [*ſententia*] itidem uſu trita, ut ex duorum Apoſtolorum ſcriptis apparet, ὁ Θεὸς ὑπερηφάνοις ἀντιτάσσεται, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν [*Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*], Iacobi iv, 6. i Petri v, 5. Sed & Seneca dixit,

Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.

52. Καθεῖλε δυνάστας ἀπὸ θρόνων, καὶ ὕψωσε ταπεινούς· *Depoſuit potentes de ſede & exaltavit humiles*] Sententia eadem eſt quæ Pſalm. cxiii, 7, 8. & i Sam. ii, 8. ubi נדיבים Lxx vertunt δυναστῶν [*principibus*]. At verba propiùs accedunt ad alterum proverbium Hebraïcum quod dictâ jam rubrica nobis exhibet Sirachides, θρόνους ἀρχόντων καθεῖλεν ὁ Κύριος, καὶ ἐκάθισε πραεῖς ἀντ' αὐτῶν ἔνδοθεν [*ſedes imperantium deſtruxit Dominus, & ſedere fecit mites pro eis intus*]. unde etiam diſcimus quid hîc ſit ὕψωσε [*exaltavit*], nempe ἐπὶ τοὺς θρόνους [*in ſedes*]. Nam ταπεινοὺς [*humiles*] & πραεῖς [*mites*] ab Helleniſtis promiſcuè dici ſolere alibi annotavimus. Idque ipſum monere nos debet ταπεινοὺς [*humiles*] hoc quidem loco intelligendos eos qui non ſortis tantùm ſint humilis, ſed animo quoque ταπεινόφρονες [*modeſti*], quomodo ea vox uſurpatur Matth. xi, 29. & dictis Iacobi & Petri locis, ſed & alibi paſſim. Contrà δυνάσται [*potentes* ſive *principes*] intelligendi ſunt οἱ ὑπερήφανοι [*ſuperbi*], quales plerunque ſunt οἱ δυνάσται [*potentes*] ſive ἄρχοντες [*Principes*]. Eſt hujus ſententiæ nobile exemplum in Saule & Davide. Quò pertinet id quod ſcriptum eſt ii Sam. vi, 22. qui locus hunc illuſtrat. Vide ſi libet & Ioſephum Iacchai ad Dan. ii, 20. & iv, 14.

53. Πεινῶντας ἐνέπλησεν ἀγαθῶν, καὶ πλουτοῦντας ἐξαπέστειλε κενούς· *Eſurientes implevit bonis, & divites dimiſit inanes*] Γνώμη [*ſententia*] ſimilis ſuperioribus. Senſus idem qui in Annæ carmine i Sam. ii, 5. ubi itidem dictum generale pertinet ad partûs beneficium. Αποστέλλεσθαι κενοὶ [*dimitti inanes*] dicuntur quicunque rei alicujus obtinendæ cauſâ aliquem compellant neque eam obtinent, ut videre eſt infrà xx, 10 & 11. Lxx in Iobo xxii, 9, χήρας δὲ ἐξαπέστειλας κενάς [*viduas dimiſiſti vacuas*]. Sic & Iudithæ x, 11, ἀπέστρεψαν τοὺς ἀγγέλους αὐτοῦ κενούς [*& remiſerunt nuntios ejus vacuos*].

54. Αντελάβετο Ισραὴλ παιδὸς αὐτοῦ, *Suſcepit Iſrael puerum ſuum*] Eſt quidem ubi ἀντιλαμβάνεσθαι [*ſuſcipere*] reſpondet Hebræo תמך, quod & αἱρετίζειν [*eligere*] transferri notavimus, nonnunquam & aliis vocibus. Sed hîc, ni fallor, reſpondet verbo החזיק, quod eſt *ſuſtentare*, atque interdum etiam *manu ducere*. Nam in loco Eſaiæ xli, 9. unde hoc deſumtum eſt, cùm dixiſſet Deus ישראל עבדי Ισραὴλ παῖς μου [*tu Iſrael ſerve meus*], ſequitur אשר החזקתיך, quod vertunt Lxx οὗ ἀντελαβόμην [*quem apprehendi*]· additur autem ἀπ' ἄκρων τῆς γῆς [*ab extremis terræ*]. Idem verbum ſæpe iidem Interpretes vertunt κρατεῖν τῆς χειρὸς [*tenere manu*], interdum & ἐπιλαβέσθαι τῆς χειρὸς [*apprehendere manum*], ut Ierem. xxxi, 32. à qua verſione non diſcedit Scriptor ad Hebræos viii, 9. quibus locis ſequitur ἐξαγαγεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου [*ut educerem eos de terra Ægypti*]. Ἐπιλαβέσθαι χειρὸς [*apprehendere manum*] dixit & hic noſter Act. xxiii, 19. Senſus Spiritûs Sancti hoc in loco eſt, Sicut olim Deus populum Iſraeliticum eduxit quaſi manu ſua ex Ægypto, ita nunc rurſus eum educet ex ignorantiæ tenebris & peccati ſervitute. In carmine Moſis eſt Ὡδήγησας τῇ δικαιοσύνῃ σου τὸν λαόν σου ὃν ἐλυτρώσω [*Duxiſti in juſtitia populum tuum quem redemeras*], Exod. xv, 13. ubi δικαιοσύνη [*juſtitia*] *miſericordiam* ſignificat: nam in Hebræo eſt בחסדך [*in miſericordia tua*].

μνησθῆναι ἐλέους, *recordari miſericordiæ*] *Vt memorem ſe miſericordiæ ſuæ oſtenderet.* Intenditur digitus ad Pſalmum xcviii, 3. ubi in Hebræo eſt זכר חסדו ואמונתו לבית ישראל, in Græco, Ἐμνήσθη τοῦ ἐλέους αὐτοῦ τῷ Ιακώβ, καὶ τῆς ἀληθείας αὐτοῦ τῷ οἴκῳ Ισραήλ [*Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ Domui Iſrael*]. Confer & ultima Michææ verba, ubi ſimiliter *miſericordiæ* mentio & *Iacobi* & *Abrahami*. Dicitur autem Deus *populi ſui meminiſſe* quoties eum longis malis oppreſſum inſigni beneficio ſublevat. Vide ii Par. vi, 42. & hîc infrà 72.

55. εἰς τὸν αἰῶνα. *in ſecula*] Sunt qui poſitum putant pro Hebræo סלה [*Selah*], quod in hunc ſenſum interpretantur Aquila & Hieronymus. Sed videtur ea ſignificatio non omnibus locis congruere: multique Hebræi ut & Lxx Interpretes aliter id exponunt: mihi poſt alios hoc εἰς τὸν αἰῶνα [*in ſeculum*] referendum videtur ad ἐλάλησε [*locutus eſt*], ut ſenſus ſit, Quemadmodum Abrahamo & Iſaaco in perpetuum promiſit. Omnino id reſpicitur, quod fedus cum Iſaaco initum dicitur ברית עולם לזרעו אחריו [*fedus ſempiternum ſemini ejus poſt eum*]. Geneſ. xvii, 19. quod ita explicant Lxx, διαθήκην αἰώνιον, εἶναι αὐτῷ Θεὸς καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ μετ' αὐτόν [*teſtamentum perpetuum, fore ſe ipſi Deum & ſemini ejus poſt eum*]. Sicut autem ibi rectè ſupplent Lxx εἶναι αὐτῷ Θεὸς [*fore ſe ipſi Deum*] ex ſuperioribus verbis ejuſdem capitis commate 7. ubi cum ipſo Abrahamo

hamo fedus feritur, ita & hîc idem ſubintelligendum eſt: hoc enim eſt illud quod Deus ἐλάλησε τῷ Ἀβραὰμ καὶ τῷ σπέρματι αὐτοῦ [*locutus eſt Abrahamo & ſemini ejus*]. Atque eadem *perpetuitatis* clauſula ſicut in federis renovatione cum Iacobo facta ex pacti originalis natura ineſſe cenſeri debet, ita Davidi apertè repetita eſt, ut videre eſt Pſalm. CXXXII, 14. ubi LXX habent εἰς αἰῶνα αἰῶνος [*in ſeculum ſeculi*]. Et ad hanc federis naturam reſpiciens Paulus ait ἀμεταμέλητα εἶναι τοῦ Θεοῦ χαρίσματα καὶ κλῆσιν [*ſine pœnitentia eſſe dona & vocationem Dei*], Rom. XI, 29. nimirum quia fixum ratumque ſit apud Deum Iſraëlitas ſemper eximia quadam miſericordia proſequi: quod tunc præcipuè oſtendit cùm Meſſiam ex ipſis naſci atque inter ipſos verſari voluit, & illis ante cæteras nationes verbum ſalutare cum magnis miraculorum teſtimoniis annuntiari.

56. ὡσεὶ μῆνας τρεῖς· *quaſi menſibus tribus*] Turbam ut videtur vitans diſceſſit ſub tempus partitudinis. Nam ſi partui interfuiſſet, quod volunt quidam, manſiſſet etiam per tempora λοχείας [*cubationis à partu*] curatura puerperam; quod excurriſſet extra menſem tertium.

58. ἐμεγάλυνε Κύριος τὸ ἔλεος αὐτοῦ, *magnificavit Dominus miſericordiam ſuam*] Eodem ſenſu μεγαλύνειν δικαιοσύνην [*magnificare juſtitiam*] verterunt LXX, pro *magnis beneficiis afficere*, גדל חסדו [*magnificavit miſericordiam ſuam*] Geneſ. XIX, 19.

59. ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ, *in die octavo*] In quem Deus circumciſionem differri voluerat, ne recens nimiùm partus non ſufficeret ferendo dolori. Infantium autem circumciſio oſtendebat fedus eſſe gentilitium.

ἦλθον περιτεμεῖν, *venerunt circumcidere*] Amici ad eam rem advocati in domum Zachariæ venerunt. Nullus enim locus certus circumciſioni ex Lege præſcribitur, ut nec certus circumciſor, ſed ſolet ad eam rem adhiberi qui maximè eſt in ea arte exercitus. Vide I Macc. I, 63. Domi autem celebratam hanc circumciſionem oſtendit puerperæ præſentia. Neque hodie Iudæi in Synagoga pueros circumcidunt tanquam id neceſſarium eſſet, ſed quò pluribus teſtibus res conſtet.

ἐκάλουν αὐτὸ ἐπὶ τῷ ὀνόματι τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, *& vocarunt eum nomine patris ſui*] Statim poſt circumciſionem peractam nomen infanti imponebatur, Geneſ. XXI, 3, 4. Sic & apud Romanos dies infantium luſtricus dicebatur, & *nominalis* ab eodem more; & apud Athenienſes decimo die ſacra fiebant & imponebatur nomen infanti, ut nos docent Aves Ariſtophanis & ad eum Scholiaſtes, & in voce Ἀμφιδρόμια Suidas. Nec aliud ea in re ſpectatum arbitror quàm quòd cùm multi ad circumciſionem aut luſtrationem advocarentur, iidem meminiſſe poſſent impoſiti nominis, ſiqua olim controverſia oriretur. Parentum autem aut avorum nomina poſteris imponebantur ut ipſa nominis recordatione ad imitandas eorum virtutes accenderentur. Sic & apud Græcos à Pyrrho plures *Pyrrhi*, à Philippo *Philippi*, à Ptolemæo *Ptolemæi*. Et apud Pœnos Annibal avi nomen ferebat. Ariſtophanes Avibus Ἱππόνικος Καλλίου, κἀξ Ἱππονίκου Καλλίας [*Hipponicus Calliæ, rurſum Hipponici Callias*]. Vlpianus ad orationem Demoſthenis de malè obita legatione, εἰκὸς γὰρ ἦν τὸν Πρόξενον τοῦ Ἁρμοδίου ὀνόματι χρῆσθαι ἐπί τινος υἱοῦ [*æquum enim erat Proxenum alicui filiorum ſuorum nomen imponere Harmodii*]. is enim Proxenus ab Harmodio genus ducebat. Demoſthenes in Bœotum, Ἄξιος ἦν αὐτὸς, ὡς δὴ πρεσβύτερος ὤν, τοὔνομ᾽ ἔχειν τὸ τοῦ πρὸς πατρὸς πάππου [*Par enim erat illum, ut natu maximum, nomen haberi avi paterni*]. Vide & Plutarchum Cimone, ubi Thucydidem ait fuiſſe πατρὸς Ὀλόρου εἰς τὸν πρόγονον ἀναφέροντος τὴν ὁμωνυμίαν [*patre Oloro qui nomen referebat ad proavum*].

60. ἡ μήτηρ, *mater*] Plena ſcilicet Spiritu Sancto ob filium, ut ſuprà dictum eſt, quo Spiritu id cognovit quod ab Angelo didicerat Zacharias.

63. Ἰωάννης ἐστὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ, *Iohannes eſt nomen ejus*] Quaſi dicat nullam ſupereſſe conſultationem in re quam Deus jam definiiſſet. Itaque ἐστὶ [*eſt*] inquit, non ἔσται [*erit*]. De nomine *Iohannis* diximus ſuprà.

64. καὶ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ· *& lingua ejus*] Quomodo τὸ ἀνοίγεσθαι [*aperiri*] ad linguam referatur diximus ad Marcum VII, 34. quod qui non intellexerunt addendum putarunt διηρθρώθη [*formata eſt ad vocem reddendam*]. Sed veteres Paraphraſtæ id non agnoſcunt.

65. φόβος, *timor*], Id eſt, *reverentia* Dei, ut Actor. II, 43.

66. ἔθεντο πάντες οἱ ἀκούσαντες ἐν τῇ καρδίᾳ αὐτῶν, *poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo*] Sic & infrà loquitur Lucas IX, 44. Alibi dixit διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ [*conſervare in corde*], II, 51. LXX ſolent dicere τιθέναι ἐν τῇ καρδίᾳ [*conſtituere in corde*], ut Ezech. XL, 4. Aggæi II, 18. θυμῷ βάλλειν [*animo immittere*] dixit Æſchylus Prometheo.

Τί ἄρα τὸ παιδίον τοῦτο ἔσται; *Quis, putas, puer iſte erit?*] *Quò evadet puer iſte?* Eſt enim genus idem loquendi quod Actor. XII, 18.

Καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ᾽ αὐτοῦ. *Et manus Domini erat cum illo*] Quoties afflatus Prophetiæ deſcribitur dici ſolet χεὶρ Κυρίου ἦν ἐπ᾽ αὐτὸν [*facta eſt ſuper eum manus Domini*], non μετ᾽ αὐτοῦ [*cum ipſo*], ut Ezech. I, 3. III, 22. XXXVII, I. XL, I. Quare hoc quod hîc habemus loquendi genere non προφητείαν [*Prophetia*] ſed ſingulare Dei auxilium indicatur. Sic II Sam. XIV, 19. Μὴ ἡ χεὶρ Ἰωὰβ ἐν παντὶ τούτῳ μετὰ σοῦ; [*Nunquid manus Ioab tecum eſt in omnibus iſtis?*] אתך [*tecum*], non עליך [*ſuper te*], id eſt, An tibi adjutor fuit?

68. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Ἰσραὴλ, *Benedictus Dominus Deus Iſraël*] Id eſt, εὐλογηθείη [*benedicatur*], ut ſuprà diximus. Dixerat de Semo Noachus Geneſ. IX, 26. ברוך יהוה אלהי שם, Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Σήμ [*Benedictus Dominus Deus Sem*]· ita enim LXX. Nam qui omnium eſt Dominus, peculiariter *Deus* piorum dicitur. Περὶ τὸ ὂν, inquit Philo, αἱ πρῶται καὶ μέγισται δυνάμεών εἰσιν, ἥτε εὐεργέτις, Θεὸς, ἐπειδὰν κατὰ ταύτην ἔθηκε καὶ διεκόσμησε τὸ πᾶν· ἡ δ᾽ ἑτέρα, Κύριος, καθ᾽ ἣν ἀνῆπται τῶν ὅλων τὸ κράτος [*Apud eum qui Eſt duæ ſunt maximæ facultates. Benefica, quæ Deus dicitur, quia per hanc hoc Vniverſum & condidit & ornavit; altera verò quæ dicitur Dominus, à qua pendet imperium in res omnes*]. quod & alibi

ſæpe repetit. Poſtquam verò gentes pleræque ad falſorum deorum cultus erant dilapſæ, cœpit nomen illud ad unum Iſraëlis populum reſtringi. Pſalmo XLI, 14. Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς Ἰσραήλ [*Benedictus Deus Dominus Iſraël*]. Sic & Pſalmo LXXII, 18. & CVI, 48.

ὅτι ἐπεσκέψατο, *quia viſitavit*]. Nimirum τὸν λαόν [*populum*], quod hîc repetendum ex membro ſequente; cui ſimilia loquendi genera reperias Prov. XXXI, 30. Gen. XXI, 1. L, 24. & alibi. Senſus eſt, *animadvertit ad populum*. Chaldæus פקד [*viſitavit*] cum in bonam partem ſumitur vertit רכר [*recordari*]. Accede putantibus Exodi loca reſpici III, 16. & IV, 31. ubi in Græco vox eſt eadem.

καὶ ἐποίησε λύτρωσιν τῷ λαῷ αὐτοῦ, *& fecit redemtionem plebi ſuæ*] Ex eodem Pſalmo eſt ex quo partem Maria recitavit, CXI, 9. ſcilicet; ubi de beneficio exitûs ex Ægypto (quæ imago, ut diximus, Meſſiæ temporum) פרות שלח לעמו, quod vertunt LXX, λύτρωσιν ἀπέστειλε τῷ λαῷ αὐτοῦ [*miſit redemtionem populo ſuo*]. Vnde apparet rectè *liberationem* hîc verti, neque tam de ſolo Chriſti ſacrificio hîc agi quàm de toto Dei conſilio in liberandis Iſraëlitis, quod eo tempore cœptum eſt in rem conferri. LXX quoties pretii mentionem res exigit ἀπολύτρωσιν potiùs quàm λύτρωσιν dicunt.

69. Καὶ ἤγειρε κέρας σωτηρίας ἡμῖν ἐν τῷ οἴκῳ Δαβὶδ τοῦ παιδὸς αὐτοῦ. *Et erexit cornu ſalutis nobis in Domo David pueri ſui*] Quia non unius beſtiæ vis in cornibus conſiſtit, ideo potentia omnis *cornu* Hebræis dicitur, ut colligere eſt ex loco Deut. XXXIII, 17. præcipuè verò potentia Regalis, ut videre eſt Zach. I, 18. & Dan. VII, 24. & VIII, 21. Atque ideo vocem קרן [*cornu*] 1 Sam. II, 10. Ierem. XLVIII, 25. & alibi veteres Paraphraſtæ vertunt מלכותא, מלכות [*Regnum*] & מרנותא [*dominationem*]. Vocem autem ἐγείρειν [*erigere*] non tam reſpondere arbitror Hebrææ הרים quàm voci הצמיח. Duo enim loci conjunctim reſpiciuntur, alter Pſal. CXXXII, 17. שם אצמיח קרן לדוד, ubi LXX ἐξανατελῶ κέρας τῷ Δαβίδ [*producam cornu David*]. alter verò Ezechiel. XXIX, 21. ביום ההוא אצמיח קרן לבית ישראל, ubi illi ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀνατελεῖ [*in die illo eriget*] (fortè ἀνατελῶ [*erigam*], ut loco ſuperiori) κέρας παντὶ τῷ οἴκῳ Ἰσραήλ [*cornu omni Domui Iſraël*]. Dicitur autem Deus Pſalmo XVIII, 3. קרן ישעי κέρας σωτηρίας μου [*cornu ſalutis meæ*]. *Regnum ſalutiferum ex Domo Davidis ſurrecturum* Zacharias vaticinatur.

70. Καθὼς ἐλάλησε διὰ στόματος τῶν ἁγίων τῶν ἀπ᾽ αἰῶνος προφητῶν αὐτοῦ. *Sicut locutus eſt per os ſanctorum qui à ſeculo ſunt Prophetarum ejus*] Eadem verba Petrus uſurpat Actor. III, 21. ὡς ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ᾽ αἰῶνος [*quæ locutus eſt Deus per os ſanctorum ſuorum Prophetarum à ſeculo*]. ubi manifeſtum, Moſen & eum ſecutos Prophetas intelligi. Ita & hîc ἀπ᾽ αἰῶνος [*à ſeculo*] non eſt *ab orbe condito*, ſed *ab antiquis temporibus*; quod ſatis eſt ad oſtendendam ſingularem Dei diſpenſationem. Rectè notarunt viri eruditi ſimile loquendi genus exſtare Gen. VI, 4. ubi Græcè eſt οἱ γίγαντες οἱ ἀπ᾽ αἰῶνος [*gigantes à ſeculo*], id eſt, οἱ ἀρχαῖοι [*antiqui*], & Pſalmo XXV, 6. ſed & alibi. Neque dubito quin hoc quidem loco Zacharias eos Prophetas ſignificet ex quorum vaticiniis deſumta ſunt quæ ſequuntur. Nam ἐλάλησε [*locutus eſt*]; illud ad ſequentia referentibus aſſentio, ut ſit ἐλάλησε σωτηρίαν [*locutus eſt ſalutem*], & ἐλάλησε ποιῆσαι ἔλεος [*locutus eſt facere miſericordiam*], & ἐλάλησεν ὅρκον [*locutus eſt jusjurandum*].

71. Σωτηρίαν ἐξ ἐχθρῶν ἡμῶν, καὶ ἐκ χειρὸς πάντων τῶν μισούντων ἡμᾶς. *Salutem ex inimicis noſtris, & de manu omnium qui oderunt nos*] Liberationem ſcilicet à Corpore peccati, à Mundo, à Morte, & Diabolo; quæ liberatio figurata eſt primùm in liberatione ex Ægypto; de qua ita canit Pſaltes CVI, 10. Ἔσωσεν αὐτοὺς ἐκ χειρὸς μισούντων, καὶ ἐλυτρώσατο αὐτοὺς ἐκ χειρὸς ἐχθρῶν [*Salvavit eos de manu odientium, & redemit eos de manu inimicorum*]. deinde in liberatione Davidis à vi Saulis, de qua David Pſalm. XVIII, 18. ῥύσεταί με ἐξ ἐχθρῶν μου δυνατῶν, καὶ ἐκ τῶν μισούντων με [*eripuit me de inimicis meis fortiſſimis, & ab his qui oderunt me*]. Adde locum Oſeæ XIII, 14. & ejus interpretem Paulum 1 Corinth. XV, 55. Solent autem apud Hebræos ſæpe ἐξηγητικῶς [*explicativè*] conjungi οἱ ἐχθροὶ [*inimici*] & οἱ μισοῦντες [*odio habentes*], ut Pſalm. XVIII, 18, & 41.

72. Ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν, *Ad faciendum miſericordiam cum patribus noſtris*] Verba ſunt ipſa Decalogi explicata μυστικώτερον [*magis myſticè*]. exſtant Exodi XX, 6. & Deut. V, 10. ubi Deus dicit ſe eſſe עשה חסד ποιοῦντα ἔλεος [*facientem miſericordiam*] in multam progeniem iis qui ſe diligant; quales fuerant Hebrææ gentis primi ſatores. Quanquam autem verum eſt quod Origenes atque alii hîc monent, ad illos ipſos progenitores fructum beneficiorum Chriſti manaſſe, ſi quis tamen ad verba Legis attendat reperiet ſenſum eſſe, Ipſis genitoribus conferri ea beneficia quæ propter ipſos contingunt poſteris; quod & Theophylactus notavit ad hunc locum. Ariſtoteles libro De Moribus I, cap. XI. Τὰς γὰρ τῶν ἀπογόνων τύχας καὶ τῶν φίλων ἁπάντων τὸ μὲν μηδοτιοῦν συμβάλλεσθαι, λίαν ἄφιλον φαίνεται καὶ ταῖς δόξαις ἐναντίον [*Nihil ad nos pertinere poſterûm & amicorum omnium fortunas, videtur abhorrere ab amicitia & receptis opinionibus contrarium*]. deinde, Συμβάλλεσθαι μὲν οὖν τι φαίνονται τοῖς κεκμηκόσιν αἱ εὐπραξίαι τῶν φίλων [*Quare aliquid conferre mortuis videntur amicorum res proſperæ*]. Ita Chriſtus oſtendit æquum eſſe à ſe eam ſublevari quæ ſit *filia Abrahami*, infrà XIII, 16. Et alibi miſſum ſe præcipuè ait *ad ſervandos oves Domûs Iſraëlis*, Matth. X, 6. XV, 24. Sic & Petrus Actor. III, 25. ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν [*vos eſtis filii Prophetarum*]. ubi ſequitur, ut & hîc, mentio τῆς διαθήκης [*teſtamenti*]. Paulus Rom. XI, 28. ἀγαπητοὶ διὰ τοὺς πατέρας [*cariſſimi propter Patres*].

καὶ μνησθῆναι διαθήκης ἁγίας αὐτοῦ. *& memorari teſtamenti ſui ſancti*] Sumtum ex Levitico XXVI, 42. ubi cùm de Pœnitentia Deus egiſſet, ſubjicit, Καὶ μνησθήσομαι τῆς διαθήκης Ἰακώβ, καὶ τῆς διαθήκης Ἰσαάκ, καὶ τῆς διαθήκης Ἀβραὰμ μνησθήσομαι [*Et recordabor federis mei quod pepigi cum Iacob & Iſaac & Abraham*]. Vide quæ ſuprà diximus ad illa μνησθῆναι ἐλέους [*recordari miſericordiæ*] in carmine Mariæ.

73. Ὅρκον ὃν ὤμοσε πρὸς Ἀβραὰμ τὸν πατέρα ἡμῶν, *Iusjurandum quod juravit ad Abrahamum patrem noſtrum*]

Puto & hoc non minùs quàm infinitivos præcedentes optimè referri ad id quod præceſſit, καθὼς ἐλάλησε [*ſicut locutus eſt*]. Nam gradatim adſcendit oratio *à federe* ad *jusjurandum*, ſicut Deus primò fedus fecit cum Abrahamo, Gen. XVII, 7. deinde & juravit, XXII, 16, 17. fiduciam nimirum Abrahami in oblatione filii oſtenſam novâ fiduciæ confirmatione remunerans, ut non malè obſervat Philo. Verba legi digna adſcribam, Θεὸς τῆς πρὸς αὐτὸν πίστεως ἀγάμενος τὸν ἄνδρα πίστιν ἀντιδίδωσιν αὐτῷ τὴν δι' ὅρκου βεβαίωσιν ὧν ὑπέσχετο δωρεῶν, οὐκ ἔτι μόνον ὡς ἀνθρώπῳ Θεὸς, ἀλλὰ καὶ ὡς φίλος γνωρίμῳ διαλεγόμενος [*Deus hominem admirans ob fidem in ſe, fidem ipſe ei reddit, nempe eorum donorum quæ erat pollicitus confirmationem juratam; non ei jam tantùm loquens ut homini Deus, ſed ut amicus familiari*]. Idem Scriptor alibi Dei jusjurandum ait eſſe τῆς ἡμετέρας ἀσθενείας ἐπικουρίαν [*noſtræ imbecillitatis ſubſidium*], rationem egregiam addens, οὐ γὰρ δυνάμεθα διηνεκῶς τὸ ἄξιον τοῦ αἰτίου κεφάλαιον ἐν ψυχῇ ταμιεῦσαι τῇ ἑαυτῶν, τὸ οὐχ ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς, ἵνα ἅπαντα τὰ ἀνθρωπολογούμενα ὑπερκύψωμεν [*non enim poſſumus ſemper in animo ſervare ſententiam dignam primâ cauſâ, Non eſſe Deum qualis homo, ut ſic attollamur ſuper omnia quæ humanum in modum dicuntur*]. Neque verò quibusvis promiſſionibus, ſed eis duntaxat quæ ſe in omne tempus extendunt, jusjurandum Deus adjicere ſolet: quo notari τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς [*immobilitatem conſilii ſui*] ait Scriptor ad Hebræos VI, 17. Talem autem eſſe pollicitationem de ſingulari favore Dei erga Iſraelitas ſupra gentes cæteras oſtendit Paulus in epiſtola ad Romanos; quæ tamen non impedivit quominus quidam inſigniter contumaces ejus favoris fructu exciderent, ut ibidem docemur. Dignum autem notatu eſt paucis hiſce verbis vim nominum quæ & filio & parentibus non ſine Divina diſpoſitione contigerant indicari. Nam ποιῆσαι ἔλεος [*facere miſericordiam*] explicat *Iohannis* nomen, μνησθῆναι [*memorari*] nomen *Zachariæ*, ὅρκος [*jusjurandum*] nomen *Eliſabetæ*.

73, 74. τοῦ δοῦναι ἡμῖν, ἀφόβως, ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας, λατρεύειν αὐτῷ, *daturum ſe nobis, ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus illi*] Παραφράζει [*circumloquitur*] Spiritus Sanctus verba jurisjurandi, *Semen tuum hereditario jure poſſidebit portam hoſtium ſuorum.* ὅρκον τοῦ δοῦναι [*jusjurandum dandi*] rectè dixit jusjurandum quo Deus aliquid ſe daturum promittit. Docet autem nos hîc per Zachariam Spiritus Sanctus, quod ſæpe per Apoſtolos, τὰ σαρκικὰ [*carnalia*] habuiſſe in ſe umbram τῶν πνευματικῶν [*ſpiritualium*]. Explicatio autem hæc non obſcurè indicat excellentiam Novi & jam promulgandi Federis ſupra Antiquum.

ἀφόβως, *ſine timore*] Conjungendum cum λατρεύειν [*ſerviamus*]. Veteris Federis erat πνεῦμα δουλείας εἰς φόβον [*ſpiritus ſervitutis ad timorem*], Roman. VIII, 15. Erant enim qui ad illud fedus pertinebant ἔνοχοι δουλείας φόβῳ θανάτου [*obnoxii ſervituti timore mortis*], Heb. II, 15. At novo populo paſſim tribuitur Spiritus libertatis & fiduciæ. Bene autem notatum eſt ἀφόβως [*ſine timore*] hîc valere quod לבטח [*confidenter*]. Vide Levitici XXV, 18. & Ieremiæ XXIII, 6. Lxx utroque loco vertunt πεποιθότες [*confiſi*]. Sed propriè videtur hîc reſpici Deuteronomii locus XII, 10. ubi ut itidem iſtud לבטח additur mentioni liberationis ab hoſtibus, ut hîc. Lxx ibi habent καὶ καταπαύσει ὑμᾶς ἀπὸ πάντων τῶν ἐχθρῶν ὑμῶν τῶν κύκλῳ, καὶ κατοικήσετε μετ' ἀσφαλείας [*daturus eſt vobis ut requieſcatis à cunctis hoſtibus per circuitum, & habitabitis cum ſecuritate*].

ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ, *de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi*] Manifeſta alluſio ad verba Dei Exodi III, 12. Qui hoſtes ſint intelligendi ſuprà dictum eſt. Ab his ideo liberamur ut Deo ſerviamus, Rom. VI, 18, 22.

75. Ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ ἐνώπιον αὐτοῦ, *In ſanctitate & juſtitia coram ipſo*] Id eſt, in ea juſtitia & ſanctitate quæ non in operoſis ritibus conſiſtit, ſed in ſinceritate cordis, cujus inſpector eſt Deus. Hoc eſt quod Paulus dicit ἐν δικαιοσύνῃ καὶ ὁσιότητι τῆς ἀληθείας [*in juſtitia & ſanctitate veritatis*], Epheſior. IV, 24. Chriſtus, ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ [*in ſpiritu & veritate*], Iohan. IV, 23.

πάσας τὰς ἡμέρας τῆς ζωῆς ἡμῶν. *omnibus diebus vitæ noſtræ*] Non interrupto obedientiæ curſu: quod præſtat Spiritus ille in Novo Federe promiſſus. Vide Ieremiæ XXXII, 39, 40.

76. Προφήτης ὑψίστου κληθήσῃ· *Propheta Altiſſimi vocaberis*] Προφήτης [*Propheta*] ex vocis origine qui *futura prædicit*: ſed latiùs ita vocatur, ut Philonis utar verbis, ἑρμηνεὺς ἔνδοθεν ὑπηχοῦντος τὰ λεκτέα τοῦ Θεοῦ [*interpres Dei intus dicenda ſuppeditantis*].

προπορεύσῃ γὰρ πρὸ προσώπου Κυρίου, *præibis enim ante faciem Domini*] Verba Angeli ſuprà 17. Munitoris officium deſcribitur.

ἑτοιμάσαι ὁδοὺς αὐτοῦ, *parare vias ejus*] Ex Eſaia XL, 3.

77. Τοῦ δοῦναι γνῶσιν σωτηρίας, *Dare ſcientiam ſalutis*] Id eſt, διὰ τοῦ δοῦναι [*dando*]. Iam enim explicat qua in re illa præparatio conſiſtat; nimirum in ſubminiſtratione doctrinæ ſalutaris de Reſipiſcentia, ſummatim commendanda per Iohannem, ſed ita ut plenior cognitio à Chriſto eſſet petenda, Iohanne hoc ipſum indicante.

ἐν ἀφέσει ἁμαρτιῶν αὐτῶν· *in remiſſionem peccatorum eorum*] Omnino hîc, ut aliis multis in locis, ἐν [in *cum ablativo*] eſt pro εἰς [in *cum accuſativo*] poſitum. Nam γνῶσις [*ſcientia*] illa σωτηρίας [*ſalutis*] eſt ipſum βάπτισμα μετανοίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν [*baptiſma pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*], Marcus I, 4. Lucas infrà III, 3.

78. Διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν, *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*] In Hebræis libris invenies hæc disjunctè poſita, ut Eſaiæ LXIII, 15. מעיך ורחמיך [*viſcerum tuorum & miſerationum tuarum*]. Item Ieremiæ XVI, 5. את־החסד ואת־הרחמים. Sic & Paulo Philipp. II, 1. σπλάγχνα καὶ οἰκτιρμοί [*miſericordiæ & miſerationes*]. At ſimillimum huic loquendi genus eſt apud eundem Paulum Coloſſ. III, 12. σπλάγχνα οἰκτιρμῶν [*viſcera miſericordiæ*], quo haud dubiè intima miſeratio ſignificatur. Vide quæ ad Matth. IX, 36. Putant multi hoc διὰ σπλάγχνα ἐλέους Θεοῦ ἡμῶν [*per viſcera miſericordiæ Dei noſtri*] referendum ad ἄφεσιν [*remiſſionem*] cujus mentio præceſſit, ut indicetur ea venia ex Dei miſericordia proficiſci; quod certiſſimum eſt. At mihi hæc verba ad totum id quod præceſſit referenda videntur,

nimirum ad ipſam miſſionem Iohannis atque Meſſiæ, & vocationem ad pœnitentiam illorum utrique mandatam ex miſericordiſſimo Dei conſilio; quod & ſequentia omnino videntur exigere. Sæpe autem Apoſtoli hanc extraordinariam vocationem referunt ad ſummam Dei miſericordiam, eamque miſericordiam humanis operibus opponunt.

ἐν οἷς ἐπισκέψατο ἡμᾶς ἀνατολὴ ἐξ ὕψους· in quibus viſitavit nos oriens ab alto] *Per quam miſericordiam*, inquit, *affulſit nobis illa lux cœleſtis.* Ἀνατολὴ [*ortus*] quidem à LXX aliquot locis ponitur pro צמח, quod alii vertunt βλάστημα [*germen*]· nam & Græcis φυτὰ dicuntur ἀνατέλλειν. Sed profectò quæ ſequuntur oſtendunt hîc non ita accipiendum; ſed ἀνατολὴν eſſe id ipſum quod אור [*lucem*] dixit Eſaias IX, 2. qui locus hîc apertè reſpicitur, & ad Chriſtum ejuſque doctrinam refertur etiam à Matthæo. Vox autem אור quanquam pro omni *luce* accipi ſolet, propriè tamen & peculiariter *lucem matutinam* ſive *orientem* ſignificat: ita Nehem. VIII, 3. מן אור [*à luce*] LXX vertunt ἀπὸ ὥρας τοῦ διαφωτίσαι τὸν ἥλιον [*à tempore quo Sol lucere incipit*]. Et verbum παρώνυμον [*ejuſdem originis*] ſumitur pro ἀνατέλλειν [*oriri, illuceſcere*], ut Geneſ. XLIV, 3. הבקר אור τὸ πρωῒ διέφαυσε [*mane illuxit*]. Philo ἀνατολὴν ψυχῆς [*ortum animæ*] definit ὅταν ἡλιακῶν ἀκτίνων τρόπον ἀνάσχῃ τὸ ἀρετῶν φέγγος [*cùm in modum radiorum Solis attollit ſe virtutum lux*].

79. Ἐπιφᾶναι τοῖς ἐν σκότει καὶ σκιᾷ θανάτου καθημένοις, *Illuminare his qui in tenebris & in umbra mortis ſedent*] Vide Matth. IV, 16. Senſus eſt, Populo Hebræo affulſiſſe hanc lucem tunc cùm in ſummis ignorantiæ tenebris verſaretur.

τοῦ κατευθῦναι τοὺς πόδας ἡμῶν εἰς ὁδὸν εἰρήνης. ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis] Continuatur translatio. Nam lux dirigit nos ut ſecurè ambulemus, Iohann. XII, 35. Epheſ. V, 8. 1 Iohann. I, 7. Apocal. XXI, 24. Sic & Pſalmo CXIX, 105. Verbum Dei *lumen ſemitæ* dicitur. εἰρήνην [*pacem*] hîc *ſecuritatem* interpretamur, ſicut Ioſephus Σόλυμα [*Solyma*] exponit ἀσφάλειαν [*ſecuritatem*].

80. *ἐκραταιοῦτο πνεύματι· confortabatur ſpiritu*] Id eſt, ſapientiâ; ut infrà de ipſo Domino, II, 52. προέκοπτε σοφίᾳ [*proficiebat ſapientiâ*].

ἐν ταῖς ἐρήμοις, in deſertis] Errant qui hîc paternam Iohannis domum intelligi putant. Ea enim erat in Vrbe, ut jam vidimus. Sicut ergo ad victum ſeveriorem ſe compoſuit pœnitentiæ præco, ita & locum ei ſeveritati convenientem elegit, Eliam ſic quoque exprimens. Quod dico, verum eſſe apparebit non ſupinè legenti ipſa Chriſti verba Matthæi XI, 7.

ἀναδείξεως αὐτοῦ πρὸς τὸν Ἰσραήλ. oſtenſionis ſuæ ad Iſraël] Cùm Deus vocationem ipſius innoteſcere voluit. Sic de Ieſu Iohann. I, 31. ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραήλ [*ut manifeſtetur Iſraëli*].

CAPVT II.

1. Ἐξῆλθε δόγμα παρὰ Καίσαρος Αὐγούστου, *exiit edictum à Cæſare Auguſto*] Non ita intelligo quaſi uno eodemque tempore factus eſſet cenſus per totum orbem quà Romanus erat: ſed cùm Auguſtus omnem vim Imperii Romani pernoſſe vellet, per omnia Regna & Provincias conſtituit cenſum agi, modò hîc ſcilicet, modò illic, ut commodum erat. Hoc eſt quod Dion inquit, ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλῃ τά τε τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων ἀπογραφομένους [*miſit alios aliò qui facultates tum privatorum tum civitatum deſcriberent*]. De cenſu per Galliam acto Auguſti juſſu meminerunt Claudius in oratione quæ Ancyræ ſervatur, breviator Livii & Dio. Vox ἐξῆλθε [*exiit*] publicationem ſignificat, Danielis II, 13. IX, 25. Eſther. I, 19.

ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην. ut deſcriberetur univerſus orbis] Id eſt, ut jam dixi, *cenſum agi per orbem Romanum*; quomodo Syrus hîc rectè interpretatur. Nam quod apud Livii breviatorem eſt *cenſus actus*, Dio dixit ἀπογραφὰς ἐποιήσατο [*deſcribi fecit*]. Errant autem qui putant hoc cenſu à Romanis capitationem Iudæis indictam. Id enim factum non eſt ante confiſcationem rerum Archelaï. Antea populus Iudæus Herodi tributa pendebat: Herodes autem Imperio Romano, ut alii Reges ſocii, dabat, ut Appianus loquitur, φόρους τεταγμένους [*tributa condicta*]. Quare cenſus hic eò pertinebat ut notum eſſet quid Regna quæque & Provinciæ hominum copiâ, quid pecuniis valerent. Nam ea vis cenſûs, Floro docente, *ut omnia patrimonii, dignitatis, ætatis, artium officiorumque diſcrimina in tabulas referantur.* Cicero De legibus III. *Cenſores populi ævitates, ſuboles, familias pecuniaſque cenſento.* Et Claudius in dicta oratione cenſu à ſe acto nihil ultrà exquiſitum ait quàm ut publicè notæ eſſent facultates.

2. πρώτη ἐγένετο, *prima facta eſt*] Id eſt, hic in Iudæa primus à Romanis cenſus actus eſt. Iuſtinus Adverſùs Tryphonem, ἀπογραφῆς οὔσης ἐν Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου ἀνεληλύθει ἀπὸ Ναζαρὲτ, ἔνθα ᾤκει, εἰς Βηθλεὲμ, ὅθεν ἦν ἀπογράψασθαι [*cùm tum primùm in Iudæa deſcriptio fieret ſub Quirinio, venit à Nazareta, ubi habitabat, Bethlehemum, ubi facienda erat profeſſio*]. nam antè ullum actum non invenimus. Hic autem cenſus commonebat Iudæos impleti vaticinii de deſtruendis Regnis Syriæ & Ægypti, poſt quorum everſionem exſpectandus erat Meſſias.

ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου· Syriam regente Quirinio] *Præfecto Syriæ Quirinio*; ita enim eum Tacitus vocat: unde emendandi Faſti in quibus *Quirinus* legitur. Κυρήνιον id nomen cum Luca ſcribunt tum Ioſephus tum Iuſtinus Martyr. Præfectus autem fuit huic negotio cenſûs, cùm Præſes Syriæ eſſet Sentius Saturninus, qui adjunctus haud dubiè Quirinio. Sicut autem Lucas Quirinium dicit ἡγεμονεῦσαι τῆς Συρίας [*rexiſſe Syriam*], ita eum ἐν Ἰουδαίᾳ γενέσθαι ἐπίτροπον [*in Iudæa Curatorem rerum fuiſſe*] dicit Iuſtinus. Nimirum vox & ἡγεμονίας [*regiminis*] & ἐπιτροπῆς [*curæ*], ut rectè ab eruditis viris demonſtratum eſt, imperia quævis etiam extra ordinem mandata ſignificat. Nam ἐπίτροπον [*curatorem*] *Procuratorem Iudææ* interpretari non poſſumus, cùm nullus Procurator Romanus in Iudæa fuerit aut eſſe potuerit regnante Herode: ac præterea Procuratores ex Equeſtri Ordine legebantur: Quirinius, quanquam Patricius non erat, rebus in Cilicia bene geſtis Conſulatum meruerat, ut Tacitus docet, atque ita in Senatum pervenerat. Ioſephus, Κυρήνιος τῶν εἰς τὴν βουλὴν συναγομένων ἀνὴρ τάς τε ἄλλας ἀρχὰς ἐπιτετελεκὼς, καὶ διὰ πασῶν ὁδεύσας, ὕπατος γένεσθαι [*Quirinius unus Patrum Conſcriptorum per multos honorum gradus ad Conſulatum pervenerat*]. Et alibi de eodem, ἀνὴρ ὑπατικός [*vir Conſularis*]. Sic & Euſebius dixerat, Κυρήνιος ἀπὸ συγκλήτου βουλῆς ἐπέμφθη, id eſt, *Quirinius Senatorum unus miſſus eſt*, non *ex conſilio Senatûs*, ut vertit Hieronymus. Ejus autem ordinis homines Cenſui præfici ſolebant. Ita à Druſo & Germanico actos cenſus legimus, ſed & ab aliis Senatoribus. Tacit. lib. XIV. *Cenſus per Gallias à Qu. Voluſio & Sex. Africano Trebellioque Maximo acti ſunt, æmulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atque Africano.* Sentium Saturninum hoc tempore Syriæ fuiſſe Præſidem ex Tertulliano certum eſt, cujus verba ſunt, *Sed & cenſus conſtat actos ſub Auguſto nunc in Iudæam per Sentium Saturninum.* Non potuit autem falli ea in re Tertullianus, cùm ſolerent cenſus in tabulas referri, eæque tabulæ primùm publicè proponi, deinde ſervari in Archivis ubi inſpectandi erat copia. Itaque Iuſtinus ad ipſas tabulas provocat, Μαθεῖν δύνασθε, inquit, ἐκ τῶν ἀπογραφῶν τῶν γενομένων ἐπὶ Κυρηνίου [*Diſcere poteſtis ex tabulis profeſſionis factis tempore Cyrenii*]· ubi ἀπογραφὰς vocat *Tabulas cenſuales*, quomodo in Codice appellantur. Sic & Dio de Caligula, ᾔτησε τὰς τῶν Γαλατῶν ἀπογραφάς [*popoſcit Gallorum Tabulas cenſuales*]. Ipſe Tertullianus Tabularum hujus cenſus ſæpe meminit. Nam dicto loco adjicit, *apud quos genus ejus inquirere potuiſſent.* Alibi, *De cenſu denique Auguſti, quem teſtem fideliſſimum Dominicæ nativitatis Romana archiva cuſtodiunt.* Rurſum alibi, *Vt nemo facilè ignorare de genere potuiſſet, vel de recentibus Auguſtianis cenſibus tunc adhuc fortè pendentibus.* Vbi illud *pendentibus* ad morem Romanum refer Acta publicè proponendi, quomodo *leges pendére fixas clavis ferreis* dixit Plautus. Alio iterum loco, *Sicut apud Romanos in cenſu deſcripta eſt Maria ex qua naſcitur Chriſtus.* Nec mirum exſtitiſſe has Tabulas Tertulliani ævo, cùm ſuo etiam exſtitiſſe teſtetur Chryſoſtomus: Verba ejus ſunt, Ὅθεν δῆλον, ὅτι κατὰ τὴν πρώτην ἀπογραφὴν ἐτέχθη· καὶ τοῖς ἀρχαίοις τοῖς δημοσίᾳ κειμένοις κώδιξιν ἐπὶ τῆς Ῥώμης ἔξεστιν ἐντυχόντα καὶ τὸν καιρὸν τῆς γραφῆς μαθόντα ἀκριβῶς εἰδέναι τὸν βουλόμενον [*Vnde apparet natum in prima deſcriptione. Et qui conſulere volet Tabulas Romæ in Archivis poſitas exactè eam rem poterit cognoſcere*]. Videtur autem Quirinium Auguſtus huic Cenſui per Syriam agendo præfeciſſe, quòd cùm bellum in Cilicia Syriæ vicina gereret exactè didiciſſet res Orientis. Eademque de cauſa C. Cæſari miſſo ad res Orientis hic ipſe Quirinius Rector eſt datus; & aliquot pòſt annis Iudæâ jam in Provinciæ formulam redactâ miſſus qui & Syriæ præeſſet & ſimul Iudæis Romana tributa indiceret, quod ante id tempus factum non erat. Ioſephus de cenſu hoc quem Lucas hîc attingit memorare inſuper habuit, quia cùm tributorum indictio non accederet, nihil in eo evenerat memorabile: at indictionis tributorum per Quirinium meritò meminit, quia tum primùm orta eſt duce Iuda Gaulonita ſeditio eorum qui negabant ἀλλοφύλοις [*alienigenis*], quales erant Romani, tributum poſſe ſalva religione perſolvi. Qui Ioſephum tam diligentem rerum Iudaïcarum inquiſitorem, & cui Romana quoque archiva patuerunt, deceptum putant in re tam obvia, eos ipſos valde decipi arbitror.

3. ἀπογράφεσθαι, *ut profiterentur*] Optimè vertit Latinus Interpres *profiteri*. Eſt enim ea vox cenſualis, ut ab aliis oſtenſum eſt.

ἕκαστος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν. *ſinguli in ſuam civitatem*] Romani in ſingulis Provinciis ac Regnis morem cenſendi antiquitus ibi uſurpatum retinebant. Iudæorum autem mos hic erat, ut cenſus fieret per tribus, gentes & familias, ut docet nos inquiſitio per Ioſuam facta, ſortitio qua Saul Rex creatus eſt, & poſtremò cenſus à Davide inſtitutus. Hoc autem poſt multas Iudæorum disjectiones fieri non poterat niſi ſinguli ſe ad ea loca conferrent quæ olim genti ac familiæ ſuæ obvenerant.

4. ἐξ οἴκου καὶ πατριᾶς, *de Domo & familia*] Videtur hîc πατριὰ [*familia*] pars eſſe οἴκου [*Domûs*]· ut in Tribu Iudæ οἶκος [*Domus*] ſit poſterorum Ram, πατριὰ [*familia*] eorum qui ex Davide; ut Romæ *gens* Cornelia, *familia* Scipionum. Sic in Ioſuæ hiſtoria שבט, id eſt, *Tribus*, diſtinguitur in משפחות, quas δήμους [*gentes*] vocant LXX. משפחה rurſum in בתים [*familias*]. Bethlehemitica autem regio non Davidis erat propria, ſed gentis ejus ex qua erat David, ut Ruthæ hiſtoria nos docet. At Ioſephus non tantùm ex gente illa erat ſed ex ipſa etiam Davidis familia.

5. σὺν Μαριὰμ, *cum Maria*] Apertè ſatis oſtendit Lucas etiam Mariam ex genere Davidis fuiſſe: nam alioqui ipſa in familiæ ſuæ urbe profiteri debuerat. neque ſine cauſa prægnantem eò duxit Ioſephus. Admiranda autem in hoc negotio eſt Dei providentia, qui & natalem locum & genus Filii ſui multis vaticiniis prædictum voluit teſtatum eſſe publicis tabulis. Nam & infantum capita cenſebantur: & Ieſu nomen adſcriptum Tabulis affirmant Iuſtinus, Tertullianus, Chryſoſtomus. Vlpianus in Digeſta relatus L. III. De cenſibus, *Ætatem in cenſendo ſignificare neceſſe eſt: quia quibusdam ætas tribuit ne tributo onerentur: veluti in Syriis à quatuordecim annis maſculi, à duodecim feminæ usque ad ſexageſimum quintum annum tributo capitis obligantur. Ætas autem ſpectatur cenſendi tempore.*

τῇ μεμνηστευμένῃ αὐτῷ γυναικὶ, *deſponſata ſibi uxore*] Non ſponſa tantùm erat ſed & nupta: at ſponſam maluit Lucas dicere, quia Ioſephus Mariàm habebat ut ſponſam. Nam ſponſæ interdictæ viris (inquiunt Hebræi) perinde ut αἱ ἐν ἐμμηνίοις [*quæ in profluvio menſium*]. Offendit quosdam malè illud γυναικὶ [*uxori*], quod agnoſcit Latinus & vetera exemplaria.

6. ἐν τῷ εἶναι αὐτοὺς ἐκεῖ, *cùm eſſent ibi*] Nimirum profeſſio temporis aliquid deſiderabat ob hominum multitudinem.

7. πρωτότοκον, *primogenitum*] Vide ad Matthæum I, 25.

ἐν τῇ φάτνῃ· *in præſepio*] Fuiſſe hoc præſepe ſive ſtabulum ἐν σπηλαίῳ [*in ſpecu*], magno conſenſu produnt veteres, Iuſtinus, Origenes, Euſebius, Athanaſius, Gregorius Nyſſenus, Hieronymus, Epiphanius, Theodoretus & eos ſecuti alii. Nec mirum cùm ager ille omnis ὑπόπετρος [*intus lapidoſus*] fuerit, ut ex Strabone vir doctus obſervat. Mos autem præſepia ponendi in ſpeluncis etiam apud Græcos fuit. Euripides Bacchis,

——— Καθεῖρξατ' αὐτὸν ἱππικαῖς πέλας
φάτναισιν, ὡς γ' ἂν σκότιον εἰσορᾷ κνέφας.
[——— *equorum vinxit ad præſepia*
Tenebricoſam videat ut caliginem.]

διότι οὐκ ἦν αὐτοῖς τόπος ἐν τῷ καταλύματι. *quia non erat eis locus in diverſorio*] Τὸ κατάλυμα [*diverſorium*] dicit eam domum in quam venerant hoſpitii quærendi causâ. In hac domo nullus erat locus vacuus ob turbam hoſpitum: itaque in ſpecum coacti ſunt ſe abdere ideo quòd partus ſolitudinem deſideraret. Domum hanc non in ipſa urbe ſed proximè urbem fuiſſe vetus auctor Iuſtinus prodidit; cui hoc magis credendum eſt quòd non procul Iudæâ natus & educatus fuit, quippe Samarites; & ejus temporibus ſatis recens erat rei memoria: ἐν σπηλαίῳ, inquit, τινὶ σύνεγγυς τῆς κώμης κατέλυσε [*in ſpecu quodam non procul à vico divertit*]. Nam Bethlehemum κώμην [*vicum*] vocat, utpote exiguum oppidum, ut & Iohann. VII, 42. Quam famam ſecutus Scriptor vetus homiliæ quæ inter Chryſoſtomi opera edi ſolebat, *Rem novam!* inquit, *ingrediuntur in diverſorium, non ingrediuntur in civitatem.* Poſſunt videri idem ſenſiſſe deſcriptores Palæſtinæ qui ſpecum iſtam fuiſſe ajunt juxta muros Bethlehemi. Et ſanè multis in regionibus diverſoria ſunt extra portas, quæ quovis tempore adventantes recipiant. Et quanquam pacis temporibus exitum atque aditum patuiſſe in urbes Iudææ non eſt negandum, cùm Chriſtus ſæpe nocte multa exierit Hieroſolymis, faciliùs tamen & minùs obſervati potuerunt paſtores in diverſorium extra urbis mœnia conſtitutum venire quàm in urbem penetrare. Nihil ſanè video quod obſtet, niſi quòd infrà natus dicitur ἐν πόλει Δαβίδ [*in oppido David*], & quòd templum in ejus ſpecus honorem ab Helena ſtructum dicitur in Bethlehem. Sed apud omnes populos uſitatum eſt, ut continentia ædificia, qualia adhærere etiam parvis oppidis ſæpe videmus, oppidorum veniant nomine, jure ſcilicet acceſſionis. Sic Chriſtus dicitur moriturus *in Ieruſalem* Lucæ IX, 31. & XIII, 33. quem conſtat extra mœnia crucifixum. Sic Ioſue dicitur fuiſſe *Hierichunte*, V, 13. & *Gabaone*, X, 10. cùm eas urbes obſideret. Et Lucæ V, 12. Ieſus dicitur *in una urbium* obviam factus leproſo, cùm conſtet leproſos extra mœnia manſiſſe. Et ipſe Herodes oſtendit facto, ſe Michææ vaticinium in hunc modum intellexiſſe.

8. Καὶ ποιμένες, *Et paſtores*] Eſt enim valde paſcuus circa Bethlehemum ager, 1 Samuelis XVII, 15.

ἀγραυλοῦντες, *ruri agentes*] *Agentes ſub dio:* nam in hac voce nulla eſt noctis ſignificatio, quam ſequentia exprimunt. Cùm autem vix usquam hyeme ſoleant in agro agere paſtores, noctibus præſertim, mirum videri poteſt natalem Domini ab Eccleſia Romana, cui cenſuum tabulas inſpicere promtum fuit, collocatum in diem XXV Decembris, quod inſtitutum Antiochena Eccleſia ſive Conſtantinopolitana (utrubi enim habita ſit oratio quæ id testatur dubitant eruditi) ſequi cœpit temporibus demum Chryſoſtomi: totus autem Oriens non ante Iuſtini Imperatoris tempora, ut Nicephoro obſervatum. Diligentiſſimus temporum indagator putat natam hanc opinionem ex altera falſa de Pontificatu Maximo Zachariæ; nam à die Expiationum, quo Pontifex Maximus ingredi penetrale ſolebat, putata conceptûs Eliſabetæ tempora, ac ſex menſibus poſteriùs Mariæ: cùm ipſe inita numeratione ἀπὸ τῆς ἐφημερίας [*à vice*] Abia natalem Domini in Septembrem putet congruere, quo tempore ſub dio agunt paſtores. Antiquitus certè variaſſe traditionem conſtat. Nam qui proximè ad ætatem Chriſti accedens ejus rei meminit eſt Clemens Alexandrinus, cujus hæc ſunt verba, Εἰσὶ δὲ οἱ περιεργότερον τῇ γενέσει τοῦ σωτῆρος ἡμῶν οὐ μόνον τὸ ἔτος ἀλλὰ καὶ τὴν ἡμέραν προστιθέντες, ἥν φασιν ἔτους κη' Αὐγούστου ἐν πέμπτῃ Παχὼν καὶ εἰκάδι. οἱ δὲ ἀπὸ Βασιλείδου καὶ τοῦ βαπτίσματος αὐτοῦ τὴν ἡμέραν ἑορτάζουσι, προδιανυκτερεύοντες ἀναγνώσεσι. φασὶ δὲ εἶναι τὸ πεντεκαιδέκατον ἔτος Τιβερίου Καίσαρος, τὴν πεντεκαιδεκάτην τοῦ Τυβὶ μηνός [*Sunt qui curioſiùs nativitati Salvatoris noſtri non annum modò ſed & diem adſcribunt, nempe anni* XXVIII *Auguſti Cæſaris diem Pachon menſis quintam & viceſimam. Qui verò in Baſilidæ ſunt ſecta etiam diem Baptiſmatis ejus celebrant, noctem præcedentem in lectione agentes. Eum autem diem fuiſſe ajunt quintum & decimum Tubi menſis anno principatûs Tiberii Cæſaris quinto & decimo*]. Prior harum ſententiarum in Majum ferme Domini natalem conferebat; quo tempore non dubium eſt paſtores in Iudæa ſolitos ἀγραυλεῖν [*in agro permanere*]. Eſt enim Παχὼν [*Pachon*] ſeptimus menſium Ægyptiorum, quorum primus Toth cum menſe Septembri ferme συνεμπίπτει [*congruit*]. At altera ſententia Baſilidis ſectatorum referebat hunc diem in menſem Ægyptiorum quintum, quod ferme cum traditione Romana congruit. Eadem ſententia unum eſſe diem ſtatuebat quo natus eſſet Chriſtus & quo baptizatus; quod veterum multi crediderunt, ob id quod infrà legitur III, 23. Atque id ſecutas Ægypti Eccleſias etiam ex Caſſiano diſcimus, Collatione X, cap. 11. Ab hac ſententia diverſus abit Epiphanius, ita tamen ut de die natali non multùm diſſentiat. Natum enim Chriſtum vult octavo Eidus Ianuarias, quæ eſſet undecima Ægyptii menſis Tubi, baptizatum autem ſexto Eidus Novembris, quæ eſſet duodecima Ægyptii menſis Atyr. Atque hunc diem Ianuarii ut natalem Chriſti olim celebrabant Aſiæ & Ægypti Eccleſiæ, & multò pòſt Armenii. Nyſſenus & Ambroſius ſuis locis teſtantur hoc tantùm, celebratum Domini natalem cùm creſcere dies incipiunt. Finiam cum Hieronymo ſermone De Chriſti nativitate, *Sive hodie Chriſtus natus eſt, ſive baptizatus eſt, diverſa quidem fertur opinio in mundo, & pro traditionum varietate ſententia eſt diverſa.*

φυλάσσοντες φυλακὰς τῆς νυκτός, *cuſtodientes vigilias noctis*] Id eſt, per dispartita temporum intervalla alii aliis ſuccedentes in curam gregis.

9. ἄγγελος, *Angelus*] Ille nominatus non multò antè, I, 26.

ἐπέστη, *ſtetit*] *Apparuit.* De hac voce diximus ad Matth. XXVIII, 2.

δόξα Κυρίου, *claritas Dei*] Ita vocat lucem eximiam more Hebræo: ita infrà IX, 31. de Moſe & Elia, ὀφθέντες ἐν δόξῃ [*viſi in majeſtate*]. Paulus de Moſe, διὰ τὴν δόξαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ [*propter gloriam vultus ejus*], II Corinth. III, 7. idem I Corinth. XV, 41. Ἄλλη δόξα ἡλίου, καὶ ἄλλη δόξα σελήνης, ἄλλη δόξα ἀστέρων [*Alia claritas Solis, alia claritas Lunæ, & alia claritas ſtellarum*]. Sic Hebræis mos uſurpare כבוד. Actor. VII, 2. Ὁ Θεὸς τῆς δόξης ὤφθη τῷ πατρὶ ἡμῶν Ἀβραάμ [*Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ*].

10. εὐαγγελίζομαι ὑμῖν, *evangelizo vobis*] Vt Piſcatores poſtea ita nunc Paſtores Chriſto teſtimonium præbere eliguntur, innocens imprimis hominum genus.

11. ἐτέχθη ὑμῖν, *natus eſt vobis*] Vobis Iudæis, ſed publico mundi bono. Zohar Angelos vocat *ſuperiorem Dei familiam*, homines *inferiorem*. Gaudet ſuperior familia de inferioris bono.

σωτὴρ, *Salvator*] Quem Zacharias IX, 9. נושע vocavit, ubi LXX σώζοντα [*ſalvantem*] dixerunt.

Χριστὸς Κύριος, *Chriſtus Dominus*] Non quilibet unctus, ſed ille unctus ſupra omnes, omnium Dominus, & Davidi eo nomine nuncupatus.

ἐν πόλει Δαβίδ. *in civitate David*] Vt prædixit Michæas; & ut publico teſtimonio appareat hunc eſſe ex Davidis ſanguine.

12. τὸ σημεῖον· *ſignum*] Nota qua hunc infantem ab aliis ſit dignoſcere. Sic & Rhetores hanc vocem uſurpant.

ἐν τῇ φάτνῃ. *in præſepio*] Angelus & domum & ſpecum deſcripſit. Sed Lucas, cùm loci antè meminiſſet, ſatis habuit cum articulo dicere τῇ φάτνῃ [*illo præſepio*], id præſepe ſignificans de quo egerat antè. Ita ſæpe Scriptores ſua verba aliorum directis orationibus permiſcent, ut alibi quoque obſervavimus. Simillimum eſt illud apud Matth. XXVI, 18. & Apoc. II, 24. Tale eſt & apud Virgilium,

—— Et nunquam fatis conceſſa moveri
Apparet Camarina procul.

Poëtæ enim verba Ænææ verbis inſeruntur.

13. στρατιᾶς οὐρανίου, *militiæ cœleſtis*] Ita ordinata multitudo Angelorum vocatur, ut alibi Dæmonum *legio*. Alibi & ſtellas minores eo nomine vocari diximus. Sed & illud hîc notandum, itidem alibi obſervatum, Ybi multi Angeli apparent, ibi unum cæteris velut Imperatorem præfici.

14. Δόξα ἐν ὑψίστοις Θεῷ, καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη, ἐν ἀνθρώποις εὐδοκία. *Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas*] Puto ἔστω [*ſit*] rectiùs quàm ἐστὶ [*eſt*] ſubaudiri, ſed ita ut ſignificetur læta approbatio ejus quod erat, non deſiderium ejus quod aberat: quale eſt illud Virgilii,

Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.

Illud ἐν ὑψίστοις [*in altiſſimis*], ut alibi diximus, interdum idem eſt quod *excellentiſſimè*. Sed hîc cum modo locus quoque exprimi videtur, ut oppoſita ſint ἐν ὑψίστοις [*in altiſſimis*] & ἐπὶ γῆς [*in terra*], quemadmodum in oratione Dominica ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς [*in cœlo & in terra*]. Impletur hîc illud Eſaiæ XLIV, 23. & XLIX, 13. *Ovate cœli.* εἰρήνην [*pacem*] hîc intelligo more Hebræo שלום, id eſt, *felicitatem*. εὐδοκία [*bona voluntas*] non εὐδοκίας [*bonæ voluntatis*] aut εὐδοκίᾳ [*bonæ voluntati*] habet conſenſus Græcorum codicum: & apparet Chryſoſtomum atque alios Græcos Scriptores conſtanter eum in modum legiſſe. Nam quod ex Origenis homilia in hunc locum affertur nullius eſt ponderis, cùm Græca Origenis non habeamus, & mirum non ſit ſi Latinam Lucæ verſionem ſecutus ſit Latinus Origenis interpres. Offendit, ut puto, Latinum Lucæ interpretem inſolens appoſitio εἰρήνη εὐδοκία [*pax, bona voluntas*], unde poſterius membrum, per genitivum extulit, quod ſenſum habere cùm Græco eundem poteſt. At Syrus & Arabs retento nominativo copulam interjecerunt, quaſi aliter hiaret oratio. Sed quod illos offendit offendere nos non debet, cùm ejuſmodi conſtructionibus abundent & ſacri & profani codices. Sic infrà σωτήριον [*ſalutis inſtrumentum*] dicitur φῶς [*lux*], 30, 32. Ita autem interpretor, Super terram felicitas veniat, non terrena tamen ſed cœleſtis, Dei ſcilicet favor erga genus humanum, quem abunde teſtatur miſſione Filii & per eundem Filium magis magiſque teſtaturus eſt. Nam εὐδοκία [*bona voluntas* ſive *beneplacitum*] interdum *decretum & conſilium* Dei, interdum *affectum* ejus *benevolum* ſignificat; quo ſenſu, ut hîc, cum ἐν [*in*] conſtrui ſolet; ut, ἐν ᾧ εὐδόκησα [*in quo complacui*], Matth. III, 17. & XVII, 5. ἐν σοὶ εὐδόκησα [*in te complacui mihi*], infrà III, 22. Sic εὐδοκεῖ Κύριος ἐν τῷ λαῷ αὐτοῦ [*beneplacitum eſt Domino in populo ſuo*], Pſalm. CXLIX, 4. Similiter Paulus ait εὐδοκίαν ſuam [*voluntatem cordis ſui*] eſſe ὑπὲρ τοῦ Ἰσραὴλ [*pro Iſraële*], id eſt, *ſe ex intimo animo bene illis velle*. Itaque non malè εὐδοκίαν [*bonam voluntatem*] hoc loco Chryſoſtomus καταλλαγὴν [*reconciliationem*], Theophylactus ἐπανάπαυσιν [*oblectationem*], interpretantur. Sic Pſalmo V. in fine ὅπλῳ εὐδοκίας ἐστεφάνωσας ἡμᾶς [*ſcuto bonæ voluntatis tuæ coronaſti nos*], ubi in Hebræo רצון.

15. οἱ ἄνθρωποι οἱ ποιμένες, *viri paſtores*] Bene omiſerunt Syrus & Latinus interpres οἱ ἄνθρωποι [*viri*]. eſt enim πλεονασμὸς [*abundantia*] ex Hebraïſmo, ut Matth. VII, 9. XI, 19. XIII, 45, 52. XVIII, 23, & alibi paſſim. ἄνθρωποι ποιμένες אנשים רעי צאן [*viri paſtores ovium*] Geneſ. XLVI, 32.

Διέλθωμεν, *Transeamus*] Syrus tranſtulit נרדא *deſcendamus*, quod dici ſolet cùm loca auſtraliora petimus. Quod ſi rectè dictum eſt, & ſimul verum eſt quod dicunt deſcriptores Paleſtinæ, ad Ortum ab oppido ſitam fuiſſe ſpeluncam iſtam, reſtat dicamus fuiſſe medio ſitu inter Septentrionem & Ortum.

δὴ] Δὴ ſi vertendum ſit (nullo enim ſenſus damno omittitur à Syro & Latino) malim vertere *agedum* quàm *ſanè*. Nam illud excitantis, hoc concedentis eſt.

ἕως Βηθλεὲμ, *uſque Bethlehem*] Poteſt hæc vox non minùs de continentibus ædificiis quàm de oppido intelligi. Nam ἕως id quod ſequitur modò includit, modò excludit.

τὸ ῥῆμα τὸ γεγονὸς, *hoc verbum quod factum eſt*] הדבר *rem hanc*; ut diximus ſuprà ad anteloquium. דבר ῥῆμα [*verbum*] vertunt & LXX Iudic. VIII, 1.

16. Τήν τε Μαριὰμ καὶ τὸν Ἰωσὴφ, *Mariam & Ioſeph*] Qui proculdubio pietate paſtorum conſpecta narrarunt eis ſuas ὀπτασίας [*Viſiones*].

17. διεγνώρισαν περὶ τοῦ ῥήματος, *cognoverunt de verbo* ſive *cognoſcere fecerunt*] Διεγνώρισαν activum

ponitur neutraliter, quaſi dicat; *Famam ſparſerunt de hac re*, id eſt, rem divulgarunt. אודעו למלתא habet Syrus rectiùs quàm Latinus. Eſt quidem διαγνωρίζειν ambiguum, ſed quæ ſequuntur hunc potiùs ſenſum poſtulant.

19. συνετήρει, *conſervabat*] צפנת, ut Iobi XXIII, 12.

συμβάλλουσα, *conſerens*] Συμβάλλειν [*conſerere*] dicit Lucas ſatis Græcè, quod alii διαλογίζεσθαι [*diſſerere*], ut apparet Actor. IV, 15. XVII, 18. XVIII, 27. Sicut autem διαλογίζεσθαι propriè dicitur de pluribus inter ſe colloquentibus, impropriè de eo qui ſecum ipſe diſſertat, ita & συμβάλλειν [*conſerere*]. Vocis διαλογίζεσθαι [*diſſerere* ſive *diſceptare*] ea quam dixi κατάχρησις [*abuſio*] apparet Matth. XVI, 7, 8. XXI, 25. Marci II, 6, 8. infrà v, 22. XII, 17. Iohann. XI, 50. Facit hîc Maria quod olim mater Samſonis, Iudicum XIII.

20. οἷς ἤκουσαν καὶ εἶδον, καθὼς ἐλαλήθη πρὸς αὐτούς. *quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos*] Non tantùm ſigna illa viſibilia, ſed multò magis quæ audierant ex Ioſepho & Maria congruebant cum dictis Angeli.

21. Καὶ ὅτε ἐπλήσθησαν ἡμέραι ὀκτὼ, *& poſtquam conſummati ſunt dies octo*] Συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] dictum, ut ſignificaretur impletum id tempus quod ex Lege circumciſioni erat præſtitutum; cujus temporis dies ultimus erat à natali octavus. Itaque non dies ipſe ultimus ſed illa dierum περίοδος [*ambitus* ille] ſic indicatur. Cui ſimile eſt quod annotavimus ad Matthæi XVII, 1. Confer Græcam interpretationem, Geneſ. I, 3.

καὶ ἐκλήθη τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἰησοῦς, *& vocatum eſt nomen ejus Ieſus*] Non eſt mutanda lectio. Nam in connexionibus hiſtoriæ copula apud Hebræos παρέλκει [*ſuperfluit*], quos imitantur Helleniſtæ. ita ſuprà commate 15. & infrà v, 17. Nomen autem Lucas tunc dicit impoſitum, ſolemniter ſcilicet, præſentibus multis ex Davidis familia qui ad profitendum eodem venerant.

22. αἱ ἡμέραι τοῦ καθαρισμοῦ αὐτῶν κατὰ τὸν νόμον Μωσέως, *dies purgationis ejus, ſecundùm legem Moyſi*] Cùm plerique codices, etiam ille vetuſtate conſpicuus qui in Anglia eſt, habeant αὐτῶν [*eorum*], Origenes diligens exemplarium collator ita legerit, nec aliter Syrus, erat omnino lectio hæc retinenda. Nam Arabs Syro recentior eſt, & non raró Latinum ſequitur. Offendit Latinum Interpretem quòd καθαρισμὸς [*purgatio* ſive *purificatio*] impuritatem aliquam ſupponat, quæ Ieſu tribui non poſſit. Sed ſciendum eſt impuritatem hanc nihil eſſe aliud quàm vinculum à Lege injectum, quo & mater & infans certo tempore primùm ab hominum contactu, deinde à publicis cœtibus arcebantur: A contactu quidem infans ad diem usque octavum; mater itidem ſi marem peperiſſet, ſin feminam ad diem decimum quartum: A publicis autem cœtibus mater ad diem à partu quadrageſimum ſi marem peperiſſet; ſi feminam, ad ſeptuageſimum quartum: infans verò ſi à matre ſepoſitus eſſet, ad menſem exactum; ſin cum matre eſſet, ad idem tempus cum matre, quia tunc particeps cenſebatur maternæ impuritatis, ut rectè ex collatione legum quæ in Levitico & Numeris exſtant à quibusdam obſervatum eſt. Putant quidam hanc impuritatem legalem teſtimonium fuiſſe vitioſitatis ejus quæ hominibus agnaſcitur, quam יצר הרע [*germen malum*] Hebræi vocant; ad quam & illud Philonis pertinere videtur cùm ait, ὅτι παντὶ γεννητῷ, κἂν σπουδαῖον ᾖ, παρ' ὅσον ἦλθεν εἰς γένεσιν συμφυὲς τὸ ἁμαρτάνειν ἐστίν [*omni homini genito, ut maximè virtute ſit præditus, ideo quia genitus eſt cognatum eſt delinquere*]. cui ſimile illud apud Sopatrem Philoſophum, Σύμφυτον τὸ ἁμαρτάνειν ἀνθρώποις [*Agnatum hominibus delinquere*]· & apud Hieroclem, Τί οὖν πρὸς τὴν λυγρὰν ταύτην συνοπαδὸν ἅμα καὶ σύμφυτον ἔριν λεγομένην ἐξευρήσομεν τὴν ἐκ τοῦ ἐν ἡμῖν παρὰ φύσιν διατεθέντος ἐγειρομένην, καὶ διὰ τοῦτο ὡς οἰκεῖον κακὸν λεληθότως βλάπτειν ἐοικυῖαν; [*Quid igitur reperiemus adversùs moleſtam hanc comitem, agnatam, inquam, diſcordiam, quæ ex eo quod in nobis præter naturam ſe habet excitari ſolet, & ut malum domeſticum eò fallit occultiùs?*] Celſus, Πέφυκε τὸ ἀνθρώπινον φῦλον ἁμαρτάνειν [*Ita nata eſt gens humana ut facilè delinquat*]. Pythagorici, ut apud Iamblichum videre eſt, principium hoc vocant τὸ παραπεφυκὸς ἡμῖν ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀλλότριον ζῶον [*animal extraneum nobis ab initio adhærens*], & πολυκέφαλον θηρίον [*multicipitem feram*], & θνητόν τι ζωῆς εἶδος [*mortale quoddam vivendi genus*]. Ariſtoteli vocatur τὶ πεφυκὸς ἀντιβαῖνον τῷ λόγῳ [*aliquid ita natum ut rationi repugnet*]. Arnobius dixit *vitium infirmitatis ingenitæ.* Sed eam cauſam ſi Lex reſpiceret, non erat cur in feminini ſexus partu tempora duplicarentur: cujus nulla afferri ratio probabilis poteſt, niſi quòd quæ feminas pariunt diutius ſolent profluvio laborare: cujus contactus quia erat noxius, ideo publicis cœtibus mulier arcebatur. Obſtare huic ſententiæ putabit aliquis, quòd puerpera cùm luſtratur offerre jubetur duas pecudes aut aves, alteram in holocauſtum, alteram לחטאת περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], ut habent LXX. Nam & Origenes eam vocem urget ſeptimo Adverſùs Celſum, οἱ δὲ προφῆται αἰνιττόμενοί τι περὶ τῆς γενέσεως πραγμάτων σοφὸν, θυσίαν περὶ ἁμαρτίας λέγουσιν ἀναφέρεσθαι καὶ περὶ τῶν ἄρτι γεγεννημένων, ὡς οὐ καθαρῶν ἀπὸ ἁμαρτίας [*Prophetæ clàm ſignificantes aliquid de rerum ortu ſapientiâ plenum, ſacrificium pro peccato offerri dicunt etiam pro modò natis, tanquam non puris à peccato*]. Sed receptum eſt apud Hebræos ut חטאת [*peccatum*] vocent etiam obligationem illam quæ ex lege ſine ulla hominis culpa contrahitur. Sic Nazaræus quem inſcium contigerit mortui corpus, itidem jubetur offerre in holocauſtum & περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], additâ causâ מאשר חטא הנפש ὅτι ἥμαρτε περὶ τῆς ψυχῆς [*quia peccavit ſuper mortuo*], circa illud cadaver, Num. VI, 11. id eſt, *reus eſt tacti cadaveris*, quemadmodum Latini dicunt *voti reum.* Sic & aqua luſtralis quæ hominem reddebat cœtibus, vocatur *aqua* חטאת, id eſt, *peccati*, Num. XIX. Et quod offerebatur à ſcabioſis, ab his qui erant γονοῤῥυεῖς [*ſeminiflui*], à femina quæ menſium profluvium erat paſſa, dicitur περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*], Levit. XIV, 19. XV, 15, 30. Quomodo exponi poteſt id quod quibusdam videtur dicere Scriptor ad Hebræos Dominum noſtrum obtuliſſe etiam περὶ ἰδίων ἁμαρτιῶν [*pro ſuis delictis*], ut ἁμαρτιῶν nomine intelligatur neque vitium neque vitioſitas ulla, ut quæ ab ipſo longiſſimè abfuerint, ſed conditio mortalis corporis, quæ à cœlo ipſum

arcebat, ſicut immunditia legalis aliquem arcebat à Templo. Confer locum ejuſdem epiſtolæ v, 3, 7. Hoc eſt quod Paulus dicit ὁμοίωμα τῆς σαρκὸς ἁμαρτίας [*ſimilitudinem carnis peccati*], Roman. VIII, 3. Atque hunc in modum Hilarius, Oecumenius & alii interpretantur & illud Pauli Roman. VI, 10. Ὃ γὰρ ἀπέθανε, τῇ ἁμαρτίᾳ ἀπέθανεν ἐφάπαξ [*Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt ſemel*], id eſt, corpore illo mortali quale eſt corpus peccato obnoxium; ut diximus ad Matth. XXII. Quod autem quidam diſputant legem quæ de purificatione eſt apud Moſem prodita ad Mariam non pertinuiſſe, quia lex de eis tantùm agat quæ ex virili ſatu concipiunt, pugnat, ni fallor, cum Lucæ verbis, neque probari poteſt è Moſe. Nam תזריע, quod LXX vertunt σπερματισθῇ [*ſemen ediderit*], non eſt paſſivum, ſed activum, & quaſi dicas, *cùm prolem genuerit*: quod dictum generale deinde in duas ſpecies ἀῤῥενοτοκίας καὶ θηλυτοκίας [*partus maſculi & partus feminei*] diſtribuitur, ut apud Hebræos fieri ſolet. Eadem vox eſt Gen. I, 11. עשב מזריע זרע, ubi LXX σπεῖρον σπέρμα [*herbam ſerentem ſemen*], Aquila σπερματίζον.

ἀνήγαγον αὐτὸν εἰς Ἱεροσόλυμα, *tulerunt illum in Ieruſalem*] Simul duabus legibus defuncturi, unâ quæ erat de Purificatione puerperæ, altera quæ erat de Redemtione primogeniti, quæ intra menſem fieri non poterat, poſt menſem poterat. Exiſtimo autem hæc quæ ſequuntur in parte aliqua Templi geſta paucis conſciis, iiſque fidis: ac ob id horum famam ad Herodem non perveniſſe.

23. Διανοῖγον μήτραν, *adaperiens vulvam*] Ita loquuntur LXX Num. VIII, 16. & Philo De ſacrificio Caini & Abelis, & libro De honoribus Sacerdotum. In lege Exodi unde hæc verba depromta ſunt non κατὰ πόδας [*verbo tenus*] ſed κατὰ διάνοιαν [*ſenſu*], ita habent Græci, Ἁγίασόν μοι πᾶν πρωτότοκον πρωτογενὲς καὶ ἀνοῖγον πᾶσαν μήτραν ἐν τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, ἀπὸ ἀνθρώπου ἕως κτήνους, ὅτι ἐμοί ἐστιν [*Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vulvam in filiis Iſraël, tam de hominibus quàm de jumentis; mea ſunt enim omnia*]. Sicut autem *clauſus uterus* dicitur Hebræis qui ſterilis eſt, ita *aperiri* qui experimentum dat ſuæ fœcunditatis. Ad primogenitos olim ſpectabat cura ſacrorum: eorum in locum ſurrogati ſunt Levitæ. Manſit tamen veteris juris veſtigium in eo quòd ſiſti in Templo mares primogeniti debuerint & quinque ſiclis redimi. De pecunia hac qua redimebatur infans nihil dixit Lucas, quia nihil in eo erat inſigne, cùm & divitibus & pauperibus tantundem eſſet imperatum. Ἐπειδὴ γὰρ, inquit Philo, ἡ παίδων γένεσις ἐν ἴσῳ καὶ τοῖς λαμπροτάτοις καὶ τοῖς ἀφανεστάτοις εἴωθε συμβαίνειν, ἴσην ἐδικαίωσε καὶ τὴν εἰσφορὰν νομοθετῆσαι [*Cùm enim liberûm ortus pari modo contingat nobilibus & ignobilibus, parem judicavit collationem indicendam omnibus*]. Simile eſt quod pari ſumtu corpora divitum & pauperum ſepeliebantur. Ita docebant Hebræi & naſcendo & moriendo nos admoneri ejus quam Natura inter homines conſtituit paritatis. Legem de conſecratione marium primogenitorum Philo ἀλληγορῶν [*in arcanum ſenſum trahens*] ad præſtantiſſimas animi noſtri actiones Deo dicandas refert, dictis jam locis, item libro De herede rerum Divinarum.

24. θυσίαν, *hoſtiam*] Θυσίας [*hoſtiæ*] vox hîc generaliter ſumitur. Includit enim & ὁλοκαύτωμα [*holocauſtum*] & τὸ περὶ ἁμαρτίας [*pro peccato*]. Hanc θυσίαν [*hoſtiam*] putavit Origenes dicto jam loco, & poſt eum alii, propriè oblatam pro infante; quem fefellerunt verba legis malè accepta, Levit. XII, 6. Καὶ ὅταν ἀναπληρωθῶσιν αἱ ἡμέραι καθάρσεως αὐτῆς ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, προσοίσει ἀμνὸν ἐνιαύσιον [*Cùmque expleti fuerint dies purificationis ſuæ de filio aut de filia, deferet agnum anniculum*] & cætera. Putavit enim illud ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ [*de filio aut de filia*] referri ad προσοίσει [*deferet* ſive *offeret*], cùm referatur ad καθάρσεως [*purificationis*] ut ſenſus ſit, Cùm purificanda eſt mater à partu maris aut feminæ. Infantis purificationi erant quidem dies præſtituti, ſed nullum ſacrificium: ejus enim impuritas à matre veniebat.

ζεῦγος τρυγόνων, ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν. *par turturum, aut duos pullos columbarum*] Manifeſtum indicium paupertatis. Nam lex erat ut agnus cum avicula offerretur: ſed quorum res id non ferret, iis permiſſum defungi duabus aviculis. Vnde intelligi poteſt auri non multum à Magis datum, quippe honoris habendi cauſâ, non exercendæ liberalitatis: quomodo mos illis erat Reges ſuos accedere.

25. εὐλαβὴς, *timoratus*] Vox Lucæ peculiaris; qui bis præterea uſurpat. Actor. II, 5. & VIII, 2. Hebræorum imitatione, quibus *religioſis* dicitur ירא [*timens*], ſed plerunque addito *Dei* nomine, ut Eſaiæ L, 10. Atque ita Chriſtiani veteres Epiſcopos quaſi peculiari titulo vocabant εὐλαβεστάτους [*timentiſſimos*, id eſt, *religioſiſſimos*]. Cùm dixit δίκαιον & εὐλαβῆ [*juſtum & timentem*] omnes officiorum partes complexus eſt. Ita ſupra I, 75. ἐν ὁσιότητι καὶ δικαιοσύνῃ [*in ſanctitate & juſtitia*].

προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ· *exſpectans conſolationem Iſraël*] Ita de Ioſepho Arimathenſi Marcus dixit προσδεχόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*exſpectans Regnum Dei*]. unde intelligimus his præcipuè verbis indicari beneficia illa Meſſiæ πνευματικά [*ſpiritualia*]. quanquam & Reipublicæ reſtitutionem ab illis ſperatam credibile eſt. Sic & infrà 38. προσδεχομένοις λύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ [*qui exſpectabant redemtionem in Ieruſalem*].

Πνεῦμα ἅγιον ἦν ἐπ' αὐτόν. *Spiritus Sanctus erat ſuper ipſum*] De hoc loquendi genere vide quæ dicta ſupra I, 35, & 66. Si proprietatem ſectamur, videtur hic Simeon non quidem clara habuiſſe viſa (ceſſabat enim pridem προφητεία [*Prophetia*]) ſed afflatus Divinos: id enim diſtinctè רוח הקדש [*Spiritus Sanctus*] Hebræis dicitur.

26. ὑπὸ τοῦ Πνεύματος τοῦ ἁγίου, *à Spiritu Sancto*] Non per Angelum, neque per vocem quam בתקול [*filiam vocis*] vocant, ſed δι' ἐπιπνοίας [*per afflatum*].

μὴ ἰδεῖν θάνατον, *non viſurum ſe mortem*] Sicut γεύεσθαι θανάτου [*guſtare mortem*] dicitur ut Matth. XVI, 28. ſic & ἰδεῖν θάνατον [*videre mortem*], ut Pſal. LXXXIX, 49. Nomina enim notiſſimorum ſenſuum ad cujuſvis experimenti ſignificationem aptantur.

27. ἐν τῷ Πνεύματι, *in Spiritu*] *Inſtigante Spiritu*. Sic & infrà IV, 1. Vide quæ ad Matth. IV, 1.

τοὺς γονεῖς, *parentes*] Non mirum eſt Ioſephum hoc nomine appellari, cùm etiam ſocrum & novercam

Iuriſconſulti tradant eſſe Matrum loco: & apud Plautum eſt *mater* quæ mammam dedit: & Geneſeos XXXVII, 35. *filiarum* nomine apparet Nurus comprehendi.

κατὰ τὸ εἰθισμένον, ſecundùm conſuetudinem] Nempe παραστῆσαι τῷ Κυρίῳ [*ſiſtere Domino*], ut ſuprà dixit, & offerre τὴν λύτρωσιν [*redemtionem*].

29. Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, δέσποτα, κατὰ τὸ ῥῆμά σου ἐν εἰρήνῃ· *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, ſecundùm verbum tuum in pace*] Ἀπολύεις ἐν εἰρήνῃ [*dimittis in pace*], id eſt, *feliciter me dimittis*: Præſens pro futuro. Ἀπολύεσθαι [*dimitti*] Helleniſtis dicuntur pii cum moriuntur, ut Tobiæ III, 6. ita LXX Num. XX. in fine ὅτι ἀπελύθη Ἀαρών [*quia dimiſſus eſt Aaron*]. & Geneſ. XV, 2. Abraham ait ἐγὼ ἀπολύομαι ἄτεκνος [*ego dimittor liberis carens*]· ubi Targum אזיל מן עלמא *abeo ex hoc mundo*: quomodo & Feſtus ait Romanis antiquis mortem dictam *abitionem*. Marcus Antoninus *mori* vocat ἀπολειτουργεῖν [*abire à miniſterio*]. Ejuſdem eſt illud, Ἄπιθι οὖν ἵλεως· καὶ γὰρ ὁ ἀπολύων ἵλεως [*Abi ergo pacatus; nam & is qui te dimittit pacatus eſt*]· quomodo & Plutarchum & Themiſtium loqui alibi notavimus. Eſt autem in hoc loquendi genere manifeſta profeſſio ſperatæ vitæ alterius; cùm *corpus* habeatur pro animi vinculo, unde dictum δέμας volunt Græci. Illud autem ἐν εἰρήνῃ [*in pace*] de felici morte paſſim uſurpatur, ut Geneſ. XV, 15. II Reg. XXII, 20. Pſalm. IV, 9. Solent autem ita de ſe loqui qui rei optatæ conſpectum ſunt adepti, quaſi jam nihil poſſit illis ad felicitatem vitæ accedere. Ita Iacobus ad Ioſephum filium Geneſ. XLVI, 30. Ἀποθανοῦμαι ἀπὸ τοῦ νῦν, ἐπὶ ἑώρακα τὸ πρόσωπόν σου [*Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam*]. Quod imitatus Scriptor Tobiæ, Tobiam ſenem ita loqui facit XI, 8. Εἶδόν σε, παιδίον· ἀπὸ τοῦ νῦν ἀποθανοῦμαι [*Vidi te, fili; abhinc moriar.*] Apud Papinium ſenex altor ſic Antigonen alloquitur,

Donec te thalamis habilem integramque reſignem,
Hoc ſatis: & feſſum vitâ dimittite Parcæ.

30. *τὸ σωτήριόν σου, Salutare tuum*] Σωτήριον [*ſalutare*] ſolent interdum ponere LXX ubi in Hebræo eſt ישועה, ut Pſalm. XCVIII, 3. εἴδοσαν πάντα τὰ πέρατα τῆς γῆς τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ ἡμῶν [*viderunt omnes termini terræ ſalutare Dei noſtri*]· & I Sam. II, 1. Alibi vertunt σωτηρίαν [*ſalutem*], ut Geneſ. XLIX, 18. Eſaiæ LII, 10. ubi eadem illa quæ in dicto Pſalmo ſententia eſt: ut & Lucas ſuprà dixit κέρας σωτηρίας [*cornu ſalutis*]. Eſt ergo hîc abſtractum pro concreto poſitum, σωτήριον [*Salutare*] ſive σωτηρίαν ἀντὶ τοῦ σωτῆρος [*ſalus, pro Salvatore*], ſicut & Latinè dicimus, *Tu mea es ſalus.* Apud Eſaiam XLVI, 13. Deus loquens de Meſſia ſimiliter ait תשועתי *ſalus mea*, id eſt, à me; & apud eundem XLIX, 6. ישועתי [*ſalus mea*] ſenſu eodem.

31. Ὃ ἡτοίμασας, *Quod paraſti*] *Paraſti, ut oſtenderes* ſcilicet: ita σωτηρίαν ἑτοίμην ἀποκαλυφθῆναι [*ſalutem paratam revelari*] dixit Petrus I Epiſt. 1, 5.

κατὰ πρόσωπον, ante faciem] *In conſpectu.*

32. Φῶς εἰς ἀποκάλυψιν ἐθνῶν, *Lumen ad revelationem Gentium*] Ex duobus vaticiniis, quorum alterum eſt dicto Eſaiæ loco XLIX, 6. δέδωκά σε εἰς φῶς ἐθνῶν [*dedi te in lucem Gentium*]. Qui locus oſtendit Meſſiæ beneficia non ad Iſraëlitas tantùm ſed & ad gentes alias perventura. Alterum dicto Pſalmo XCVIII, 3. ἐναντίον τῶν ἐθνῶν ἀπεκάλυψε τὴν δικαιοσύνην αὐτοῦ [*in conſpectu Gentium revelavit juſtitiam ſuam*]. Videtur autem collatis his locis hæc eſſe conſtructio Lucæ verborum, per trajectionem quæ Lucæ eſt uſitatiſſima, φῶς ἐθνῶν εἰς ἀποκάλυψιν [*lumen Gentium ad revelationem*] ſcilicet τῆς δικαιοσύνης Θεοῦ [*juſtitiæ Dei*]. Nam, ut Paulus ait, δικαιοσύνη Θεοῦ ἐν Χριστῷ ἀποκαλύπτεται ἐκ πίστεως εἰς πίστιν [*juſtitia Dei in Chriſto revelatur ex fide in fidem*], Rom. 1, 17. Quanquam non nego ἀποκάλυψιν [*revelationem*] poſſe intelligi ipſam videndi poteſtatem quæ Gentibus datur per hoc lumen. Nam ita גל Hebraïcè, Græcè ἀποκάλυψον [*revela*], uſurpatum invenire eſt Pſalmo CXIX, 18. Et Irenæus ſic accipit hunc locum κατ' ἔλλειψιν [*per defectum*]· *ad revelationem oculorum Gentium.*

καὶ δόξαν λαοῦ σου Ἰσραήλ. & gloriam plebis tuæ Iſraël] Ex Eſaia dicto loco XLVI, 13. לישראל תפארתי τῷ Ἰσραὴλ δόξασμα [*Iſraëli gloriam*]. Paulus Rom. IX, 4. Ἰσραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα [*Iſraëlitæ, quorum adoptio eſt filiorum & gloria*]. Meſſias *gloria Iſraëlis*, quia ex Iſraëlitis natus, inter ipſos vixit & Gentes vocavit ad religionem Iſraëlis.

33. *θαυμάζοντες ἐπὶ τοῖς λαλουμένοις περὶ αὐτοῦ. mirantes ſuper his quæ dicebantur de illo*] Λαλουμένοις [*dicebantur*, aut *dicta erant*] ſumendum ſine temporis definitione, ut intelligantur tam quæ ab Angelo erant dicta quàm quæ ab Eliſabeta, Zacharia, Simeone.

34. *εὐλόγησεν αὐτοὺς, & benedixit illis*] Ioſephum & Mariam, quorum præceſſit mentio, bonis ominibus proſecutus eſt.

πρὸς Μαριὰμ, ad Mariam] Spiritûs inſtinctu edoctus eam eſſe matrem ſine patre, cùm alioqui priores eſſe patris partes debuiſſent.

κεῖται, poſitus eſt] Accedo iis qui putant non nudum eventum ſed & conſilium Dei ſignificari. Nam κεῖται [*poſitus eſt*] eſt τίθεται [*ordinatur*], cujus verbi activum Paulus & Petrus uſurpant locis citandis ad verba ſequentia. Sed ut varia ſunt Dei decreta, ita vocis hujus κεῖται [*poſitus*] uſus eſt diſtinguendus: Paulus de vocatione ad promulgationem Euangelii uſurpat, Philipp. 1, 17. de vocatione Chriſtianorum ad patientiam malorum, I Theſſal. III, 3. de præcipua Dei intentione in ferenda Lege carnali per Moſem, I Timoth. 1, 9. At cùm ſuprà dixerit Simeon, *omnibus populis*, ac proinde hominibus omnibus, qui in omnibus populis continentur, ſalutem hanc eſſe propoſitam Divino conſilio, omnino res ipſa eò nos ducit ut diligenter diſtinguamus Divina decreta. Nam alia vult Deus προηγουμένως [*præcedaneè*], alia verò ἑπομένως [*conſectaneè*], ſive, ut vetuſtiſſimi Chriſtianorum loquuntur, ἐκ παρακολουθήσεως [*ex conſequentia*] ſive ἐκ περιστάσεως [*ex circumſtantia*]· quod & δευτέρως [*ſecundariò*] dicunt quidam. Nudè ſi homines inſpiciantur, haud dubiè omnium ſalutem Deus ſeriò deſiderat. At ſimul aſſumtis circumſtantiis, ut quod alii ignorantiâ veri & communi quadam imbecillitate labuntur, alii verò contemtu quodam rerum Divinarum, quas aut nullo habent loco, aut certè honoribus, divitiis atque id genus commodis poſtponunt, cùm interim pietatis oſtentatores ſint maximi; vult Deus & horum & illorum intima ſtudia detegi, quod ſanè effecit per Euangelii ſermonem.

εἰς πτῶσιν, in ruinam] Hoc eſt quod de Meſſia dixerat Eſaias interprete Paulo Rom. IX, 33. & Petro 1 epiſt. cap. II, 8. fore eum utrique Domui Iſraël, tam Palæſtinis quàm τοῖς ἐν διασπορᾷ [*iis qui in diſperſione*], præcipuè verò Hieroſolymitis לצור מכשול πέτραν σκανδάλου [*lapidem offenſionis*], non omnibus quidem, ſed, ut Petrus loquitur, τοῖς προσκόπτουσι τῷ λόγῳ [*his qui offendunt verbo*], 1 Petri II, 8. Idem eſt quod apud Iohannem dicit Dominus, *veniſſe ſe ut videntes cæci fierent*, IX, 39. id eſt, ut qui pridem multum lucis acceperant, ſed amaverant opera tenebrarum, re ipſa oſtenderent ſe eſſe lucifugas & tenebriones, quod antè non æquè conſtabat. Nam patefactâ doctrinâ cœleſti ſine involucris, tanta cum efficacia miraculorum, ſed ita ut ſecum traheret multa incommoda, detracta eſt illis hominibus ſanctimoniæ perſona. Nihil enim cauſari poterant cur Chriſti doctrinam non reciperent niſi τὸ φρόνημα τῆς σαρκός [*ſtudium carnis*]. Sic igitur Euangelium eſt τοῖς ἀπολλυμένοις [*pereuntibus*], id eſt, his qui verè dici poſſunt exitium quærere; ὀσμὴ θανάτου εἰς θάνατον [*odor mortis ad mortem*] II Cor. II, 16. Dicuntur autem illi *cadere*, quia antè ſtabant, id eſt, pii judicabantur. Similis oppoſitio apud Paulum ὁ δοκῶν ἑστάναι βλεπέτω μὴ πέσῃ [*qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat*], 1 Cor. X, 12.

καὶ ἀνάστασιν, & reſurrectionem ſive *ſurrectionem*] τῶν σωζομένων [*eorum qui ſalvi fiunt*], ut dicto ad Corinthios loco Paulus loquitur. Chriſtus apud Iohannem, *ut qui non vident videant*, id eſt, ut quibus ignorantia rerum bonarum animum impedierat, eo impedimento remoto verum cum moleſtia conjunctum libenter amplecterentur. Hi *ſurgere* dicuntur quia velut jacebant in ignorantiæ luto.

εἰς σημεῖον, in ſignum] Variè exponitur hæc vox. Ego arbitror reſpici Eſaiæ locum VIII, 8. ubi is *ſe & liberos ſuos* dicit *conſtitutos* לאותות ולמופתים σημεῖα καὶ τέρατα [*in ſigna & in portenta*], ut habent LXX, quod Scriptor ad Hebræos oſtendit ad Chriſtum & Chriſti diſcipulos διὰ τύπου [*per typum*] referri debere, II, 13. Simile eſt quod Ezechiel dicit ſe futurum למופת εἰς τέρας [*in portentum*]. Senſus verborum Simeonis eſt, Chriſtum & vitæ ſanctimonia admirabili & prodigioſis operibus toti mundo conſpicuum fore.

ἀντιλεγόμενον· cui contradicetur] Mirè Simeon gratiæ ubertatem cum eventu comparat. Dixerat fore Ieſum σωτήριον ἐνώπιον πάντων τῶν λαῶν [*ſalutare ante faciem omnium populorum*], ſed addidit fore εἰς πτῶσιν πολλῶν [*in ruinam multorum*]. Sic dicit eum fore σημεῖον [*ſignum*], ſed ἀντιλεγόμενον [*cui contradicetur*], id eſt, quamvis perſpicuæ veritati multos adverſaturos. ἀντιλογία reſpondens ריב Hebræo, quod & ἀντιλογία [*contradictio*] & μάχη [*pugna*] vertitur, propriè quidem calumnias ſignificat, ſed ita ut & facta calumniam comitantia ſæpe includat. Scriptor ad Hebræos de Chriſto XII, 3. ἀναλογίσασθε γὰρ τὸν τοιαύτην ὑπομεμενηκότα ὑπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν εἰς αὐτὸν ἀντιλογίαν [*recogitate enim eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem*]. Sic Pſalm. XVIII, 44. מריבי [*contentionem*] ἀντιλογίαν [*contradictionem*] vertunt LXX. Simile eſt quod βλασφημία [*blaſphemia*] non de dictis tantùm ſed & de factis uſurpatur, ut videre eſt 1 Macc. II, 6.

35. *Καὶ σοῦ δὲ αὐτῆς τὴν ψυχὴν διελεύσεται ῥομφαία. Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius*] Cum copula dixit more Hebræo, quod alioqui diceremus *adeò ut tuum quoque animum gladius ſit tranſiturus*: nam quæ ſequuntur manifeſtè iterum cohærent cum his quæ præceſſerant. *Gladii* vocem ſæpe uſurpant Hebræi ubi de calumnia agitur: Pſalm. LV, 22. ubi in Græco καὶ αὐτοὶ (οἱ λόγοι) εἰσὶ βολίδες [*& ipſi (ſermones) ſunt jacula*]. Pſalm. autem LVII, 5. καὶ ἡ γλῶσσα αὐτῶν μάχαιρα ὀξεῖα [*lingua eorum gladius acutus*]. Græcus Poëta vetus,

Ξίφος τιτρώσκει σῶμα, τὸν δὲ νοῦν λόγος.
[*Tranſadigit enſis corpus, mentem oratio.*]

Neque dubito quin proverbium hoc apud Hebræos fuerit uſitatum de *gladio animum tranſeunte*, quoties de atroci calumnia agebatur. Nam in Pſalmo CV, ubi de Ioſepho agitur, cùm vinculorum ejus facta eſſet mentio, adjicit Pſalmographus ברזל באה נפשו [*ferrum intravit animam ejus*], cujus loci ſenſus, quanquam aliter exponentibus Græcis, omnino eſſe videtur, Calumniam (falſam nempe adulterii accuſationem) ad omnes corporis vexationes graviſſimum dolorem animo ipſius acceſſiſſe, non aliter quàm ſi ille acutiſſimo ferro tranſadigeretur. Quod autem de Ioſepho dictum ad ipſum Chriſtum διὰ τύπου [*per typum*] pertinebat, rectè Simeon ad matrem tranſtulit, ut quæ ex atrociſſimis in filium calumniis non minus doloris erat perceptura quàm filius ipſe. *Romphæa* Thracum, ut Germanorum *framea*, eſt haſtæ brevioris genus, habilis ad uſum quem gladius præbet. Itaque Hebræas voces tam quæ *haſtam* quàm quæ *gladium* ſignificant illa voce Græca exprimunt LXX & alii Interpretes.

ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν ἐκ πολλῶν καρδιῶν οἱ διαλογισμοί. ut revelentur ex multis cordibus cogitationes] Sic φανερῶσαι τὰς βουλὰς τῶν καρδιῶν [*manifeſtare conſilia cordium*] dixit Paulus 1 Cor. IV, 5. Sed ibi de judicio poſt hanc vitam agi videtur, hîc de illis judiciis quæ per Euangelium Deus exercet in hoc etiam ſeculo. Sic ad Hebræos Scriptor Euangelium vocat λόγον κριτικὸν ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας [*ſermonem diſcretorem cogitationum & intentionum cordis*]. Hæc Euangelii vis ſæpe ita exſeritur ut etiam hominibus paulò attentiùs rem introſpectantibus appareat.

36. *προφῆτις, Prophetiſſa*] Ita laxiùs ſumto vocabulo dicuntur feminæ quæ interdum à Spiritu Sancto inviſebantur. Aliæ olim fuerant προφήτιδες [*Prophetiſſæ*] munere ordinario, ut Debora; quod genus Prophetarum in utroque ſexu tum ceſſabat.

θυγάτηρ Φανουήλ, filia Phanuel] Non fruſtra hoc additur. Tempus enim venerat ut impleretur myſterium quod ſub hoc nomine latebat Gen. XXXII, 30. Sic in ANNAE vocabulo *gratiæ*, in ASER *beatitudinis* eſt ſignificatio.

ἀπὸ τῆς παρθενίας αὐτῆς. à virginitate ſua] Magna laus mulieris apud nationes penè omnes, non repetere nuptias. Tacitus de Germanorum feminis, *Sic unum accipiunt maritum quomodo unum corpus unamque vitam : ne ulla cogitatio ultrà , ne longior cupiditas , ne tanquam maritum ſed tanquam matrimonium ament :* legendum *ne tanquam non maritum ſed matrimonium ament.* Ideo abſtinent, inquit, ſecundis nuptiis, ne videantur nuptias amaſſe, non eum cui nupſerant. Tertullianus duobus hac de re libris recitat privilegia Vnivirarum apud Romanos & alias gentes. Sed & legibus Romanis multa conſtituta ſunt ad earum nuptiarum licentiam refrænandam. Veteres Chriſtiani cùm non poſſent ullo Chriſti edicto prohibitam matrimonii repetitionem oſtendere , omnibus tamen modis eam diſſuadebant, ita ut nec repetitarum nuptiarum celebritati intereſſe vellent Presbyteri, ne præſentiâ ſuâ probare viderentur rem permiſſam quidem ſed minùs laudabilem. Exſtat ea de re canon Synodi Neocæſarienſis. Sententiam hac de re Chriſtianiſmi veteris non malè exprimit Clemens Alexandrinus Stromateôn IV. καὶ εἴτινι ὁ ἀπόστολος δι' ἀκρασίαν καὶ πύρωσιν κατὰ συγγνώμην δευτέρου μεταδίδωσι γάμου , ἐπεὶ καὶ οὗτος οὐχ' ἁμαρτάνει μὲν κατὰ διαθήκην· οὐ γὰρ κεκώλυται πρὸς τοῦ νόμου· οὐ πληροῖ δὲ τῆς κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείας τὴν κατ' ἐπίτασιν τελειότητα· δόξαν δὲ αὐτῷ οὐράνιον περιποιεῖ μείνας ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ τὴν διαλυθεῖσαν θανάτῳ συζυγίαν ἄκραντον φυλάσσων [*Quòd ſicui Apoſtolus ob incontinentiam & uſtionem per indulgentiam alteras concedit nuptias, talis aliquis in fedus quidem non peccat ; neque enim lex ulla id vetat : at non implet vitæ ſecundùm Euangelium extimam perfectionem. At qui ſecum manet & diſſolutum morte conjugium integrum cuſtodit, gloriam ſibi parit cæleſtem*]. Idem Strom. II. Ἡμεῖς εὐνουχίαν μὲν καὶ οἷς τοῦτο δεδώρηται ὑπὸ τοῦ Θεοῦ μακαρίζομεν· μονογαμίαν δὲ καὶ τὴν περὶ τὸν ἕνα γάμον σεμνότητα θαυμάζομεν· συμπάσχειν δὲ δεῖν λέγοντες καὶ ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζειν [*Nos ſpadonum vitam agentes & quibus id à Deo datum eſt , beatos prædicamus ; unas etiam nuptias & non repetiti matrimonii caſtitatem admiramur : ita tamen ut dicamus debere nos alios aliis compati & mutuò ferre onera aliena*]. Tertullianus libro ad Vxorem de matrimonio cum Gentilibus, *Quantò grandis eſt continentia carnis quæ viduitatem miniſtrat, tantò, ſi non ſuſtineatur , ignoſcibilis videri poteſt. Difficilium enim facilis eſt venia.* Prudentius in Laurentium hymno,

Cernis ſacratas virgines ,
Miraris intactas anus ,
Primique poſt damnum tori
Ignis ſecundi neſcias :
Hoc eſt monile Eccleſiæ ,
His illa gemmis comitur.

unde longè abit illud Pauli & Euſtochii , *Duplex is inter eccleſiaſtica ornamenta monachorum & virginum chorus.*

37. νηστείαις καὶ δεήσεσι, *jejuniis & obſecrationibus*] Conjungi hæc ſolere diximus ad Matthæum XVII, 21. Suprà retuliſſe nos meminimus, partem Iſraëlitarum ſolitam convenire ad Templum, diſtributis in id temporibus, ut precibus vacarent. Id dicebatur צבא [*ſtationem ſervare*] , à re militari deducto vocabulo , quod λειτουργεῖν [*miniſtrare*] alicubi vertunt LXX. Alibi non tam vocem exprimunt quàm morem voce denotatum. Nam feminas λειτουργούσας הצבאות [*miniſtrantes*] vocant τὰς παρεστηκυίας παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου [*eas quæ obſervabant ad oſtium Tabernaculi teſtimonii*], I Sam. II, 22. At Exodi XXXVIII, 8. τὰς νηστευσάσας , αἳ ἐνήστευσαν παρὰ τὰς θύρας τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου [*jejunantes , quæ jejunabant ad oſtium Tabernaculi teſtimonii*]. quo in loco neque Græci codicis vitium eſt, quod ſuſpicatur vir diligentiſſimus, neque in Hebræo aliter legerunt LXX, ſed , ut ſolent , uſi ſunt liberiore interpretatione rem ipſam explicantes. In jejuniis enim & precibus conſiſtebat iſta λειτουργία [*ſtatio miniſterii*] aut ejus pars potiſſima. Sed tum in Exodo tum in Samuele , ut Ionathan & Abeneſdra exiſtimant, de matronis agitur, quæ, ut diximus, non perpetuò, quod non ferebat rei domeſticæ ratio, ſed certis temporibus Templum celebrabant. Nimirum, ut Paulus dixit, ἡ γαμήσασα [*quæ nupta eſt*] ut maximè pietati ſe dedat, ſimul tamen μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου , πῶς ἀρέσει τῷ ἀνδρί [*cogitet quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro*]. At viduæ eâ curâ liberatæ continuare poterant eam λειτουργίαν [*ſtationem*], atque adeò *non abſcedere à Templo*, id eſt, vix unquam alibi eſſe, *vacantes precibus & jejuniis diu noctuque.* Chriſtiana Eccleſia ut quicquid apud Iudæos erat laudabile ita hoc quoque retinuit. Nam Paulus de vidua agens eadem propè verba uſurpat quæ hîc de Anna Lucas, προσμένει ταῖς δεήσεσι καὶ ταῖς προσευχαῖς νυκτὸς καὶ ἡμέρας [*inſtat obſecrationibus & orationibus nocte ac die*]. Ex hoc viduarum ordine legi ſolebant & πρεσβύτιδες [*ſeniores feminæ*], quæ & προκαθήμεναι [*feminæ præſidentes*] dicebantur, aliarum mulierum σωφρονίστριαι [*formatrices*] & morum magiſtræ. Harum meminit Paulus Tit. II, 3. Has ſollemniter ordinari ſolitas docet nos Tertullianus libro quem dixi priore, qui *Exhortatio ad caſtitatem* inſcribitur ; & agnoſcunt Balſamo & Zonaras. Antiquavit eam ordinationem Laodicena Synodus , ſicut διακονισσῶν χειροθεσίαν [*impoſitionem manuum per quam creabantur Diaconiſſæ*] Synodus Nicena.

λατρεύουσα νύκτα καὶ ἡμέραν· *ſerviens nocte ac die*] Supple Θεῷ [*Deo*]· ſimilis ἔλλειψις [*defectus*] Actor. XXVI, 7.

38. ἀνθωμολογεῖτο τῷ Κυρίῳ, *confitebatur Domino*], Id eſt , *Deo laudes grateſque agebat.* Neque ulla hîc vis eſt præpoſitionis ἀντί. Nam ἀνθομολογεῖσθαι pro ἐξομολογεῖσθαι [*confiteri*] , uſurpant LXX , ut Pſalmo LXXIX. circa finem , ἀνθομολογησόμεθά σοι ὁ Θεὸς εἰς τὸν αἰῶνα [*confitebimur tibi in ſeculum*]. Nec aliter Eſdr. III, II. Sirachides XVII , 21 & 22. XX, 2.

τοῖς προσδεχομένοις ἀπολύτρωσιν ἐν Ἱερουσαλήμ. *qui exſpectabant redemtionem in Ieruſalem*] Puto conſtructionem eſſe τοῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ προσδεχομένοις τὴν ἀπολύτρωσιν [*iis qui in Ieruſalem erant exſpectantes redemtionem*]. Nam creber eſt in trajectionibus Lucas. Lectionem autem hanc eſſe veram , præter Græcorum codicum conſenſum , Syrus docet , & Irenæus qui ita legit.

40. Τὸ δὲ παιδίον ηὔξανε, καὶ ἐκραταιοῦτο Πνεύματι, *Puer autem creſcebat & confortabatur Spiritu*] Eadem ſunt verba quæ de Iohanne ſuprà uſurpaverat, diverſè tamen κατ' ἀναλογίαν [*ſecundum proportionem*] interpretanda ; quod qui non obſervarunt,

auſi hîc ſunt delere vocem Πνεύματι [*Spiritu*].

πεπληρωμένον σοφίας· *& implebatur ſapientiâ*] Et hoc actum, inſolitum quidem, ſed tamen ſucceſſivum, ut loquuntur, ſignificat. Tale eſt & infrà προέκοπτε σοφίᾳ [*proficiebat ſapientiâ*]. Vide quæ dicta ad Marc. XIII, 32.

καὶ χάρις Θεοῦ ἦν ἐπ' αὐτό. *& gratia Dei erat in illo*] Vt de Iohanne, καὶ χεὶρ Κυρίου ἦν μετ' αὐτοῦ [*& manus Domini erat cum illo*]. Eſt ergo χάρις hîc ſingularis Dei protectio & donorum collatio.

41. κατ' ἔτος εἰς Ἱερουσαλὴμ τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα. *anni tempore redeunte in Ieruſalem, nempe in feſto Paſchatis*] Lex quæ eſt Exodi XXIII, 17. XXXIV, 23. Deut. XVI, 16. ita videtur intelligenda, ut quoque tempore de tribus illis maximis feſtis pars tertia ex oppidis, vicis & agris iret Hieroſolyma; qui vellent, etiam ſæpius. Feminæ verò, quanquam de iis lex non exſtabat, propria religione ſemel anno ſacros cœtus inviſebant. Sic de Anna & Phenana Elcanæ uxoribus legimus quotannis eas iviſſe ad ædem Dominicam, 1 Sam. I, 7. Quod omnino credibile eſt factum tempore Azymorum, quod συνεκδοχικῶς [*per complexionem*] hîc vocatur πάσχα [*Paſcha*], ut & apud Ioſephum aliquoties.

42. Καὶ ὅτε ἐγένετο ἐτῶν δώδεκα, *Et cùm factus eſſet annorum duodecim*] Lex quæ in Exodo & Deuteronomio exſtat in mares omnes concepta eſt. Sed cùm ipſa ratio & æquitas doceret id ad teneram admodum ætatem non pertinere, locus fuit æquæ interpretationi. Nihil enim referebat ad feſtos dies deduci eos qui rerum iſtarum nullum habebant intellectum. Exſtat lex altera Exodi XII, 27. qua jubentur parentes liberis ſuis exponere hiſtoriam rerum in Ægypto geſtarum, ſimul atque ceremoniæ iſtius cauſas inciperent inquirere, id eſt, ſimul atque ad rationis uſum aliquem perveniſſent: quod tempus cùm Lege definitum non eſſet, videtur relictum arbitrio Sapientum, atque ab iis definitum ætate annorum duodecim, qua & feminas Romani viripotentes judicant & pueros pubertati proximos. Diſcrimen hoc ætatis indicant & voces Hebrææ: nam intra annum duodecimum dicebantur קטנים [*infantes* ſive *parvuli*], eo impleto נערים [*adoleſcentes*]. At ubi de pœnis irrogandis agitur, is qui annum implevit XIII legibus tenebatur, & vocabatur בר מצוה *filius præcepti.* Vide Abeneſdram Geneſ. XVII, 14. At pii non eouſque expectabant, juxta receptam ſententiam, שוריזין מקדימים למצוה, *Expediti antevertunt præceptum.*

43. τελειωσάντων τὰς ἡμέρας, *conſummatisque diebus*] Legitimos Azymorum dies.

44. ἐν τῇ συνοδίᾳ εἶναι, *eſſe in comitatu*] Magna erat turba ſimul iter facientium & Galilæâ in Iudæam & contrà. De die his atque illis, prout ferebat occaſio, ſe aggregabant colloquii cauſâ; veſperi ad ſuos ſe referebant, capiendæ quietis cauſâ. Itaque mirum non eſt veſperi primùm deſideratum eſſe puerum: συνοδία [*comitatus*] eſt id quod Perſæ *Caravanam* vocant, Hebræi ארחה, Arabes قافلة Geneſeos XXXVII, 25. Æthiopes נגרא. Sic qui cum Nehemia iter ſuſceperant συνοδία [*comitatus*] dicuntur Nehemiæ VII, 64.

ἦλθον ἡμέρας ὁδόν. *venêre iter diei*] Hîc ἦλθον [*venêre*] eſt pro *ivere*. ſic & infrà XV', 20.

ἐν τοῖς συγγενέσι καὶ τοῖς γνωστοῖς. *inter cognatos & notos*] *Inter cognatos & amicos qui erant* ἐν τῇ συνοδίᾳ [*in comitatu*] apud quos eum hæſiſſe ſuſpicabantur.

46. μεθ' ἡμέρας τρεῖς, *poſt triduum*], Id eſt, *die tertio*, ut Matth. XXVII, 63. Marc. VIII, 31. Diem unum iter fecerant, altero remenſi erant idem iter, tertio demum quæſitum inveniunt.

ἐν τῷ ἱερῷ, *in Templo*] In porticu ſubdialis Iſraëlitarum, ut ex Barucho & Thalmudicis datur colligi.

ἐν μέσῳ τῶν διδασκάλων, *in medio Doctorum*], Id eſt, *in turba Magiſtrorum*. Alioqui non permixti ſedebant, ſed diſtincti ſenes à junioribus. Ita Paulus *inſtitutum ſe* dicit *ad pedes Gamalielis* Act. XXII, 3. Philo de Eſſenis, καθ' ἡλικίαν ἑξῆς καθέζονται [*ſecundùm ætatis ordinem ſedent*]. & alibi, καθ' ἡλικίας ἐν τάξεσιν ὑπὸ πρεσβυτέροις νέοι καθέζονται [*ſecundùm ætates ordinatim ſub ſenioribus ſedent juniores*]. Annotat hunc morem is cujus in Pauli Epiſtolas expoſitiones ſub Ambroſii titulo leguntur ad 1 Cor. XIV, 31.

καὶ ἐπερωτῶντα αὐτούς. *interrogantem eos*] Proponentem quæſtiones ex Lege & Prophetis.

47. καὶ ταῖς ἀποκρίσεσιν αὐτοῦ. *& reſponſis ejus*] Nam explorandi profectûs cauſâ à Magiſtris pueri viciſſim interrogabantur, ut ex libro Muſar apparet. Vide Ioſephum Vitâ ſuâ.

48. ὀδυνώμενοι, *dolentes*] Præ affectus teneritudine non ſatis attendentes ad ea quæ de hoc puero alioqui ignorare non poterant. Nam quæ Origenes hîc adfert parum habent probabilitatis.

49. ὅτι ἐν τοῖς τοῦ πατρός μου δεῖ με εἶναι. *in his quæ Patris mei ſunt oportet me eſſe*] Syrus, *in domo Patris mei*, id eſt, in Templo; quomodo & Chryſoſtomum loqui ἐν τοῖς τοῦ δεσπότου, *in locis herilibus* annotavit nuper vir exquiſitæ diligentiæ Nicolaus Fullerus, etiam illud Iohannis adferens XIX, 27. ἔλαβεν εἰς τὰ ἴδια *in domum ſuam recepit*. Cui addi poteſt quod vox בית, quæ *domum* ſignificat, τὰ ἴδια [*propria*] vertitur Eſther. V, 10. VI, 12. Neque verò nova eſt hæc interpretatio. Nam Origenes non aliter accepit, Græcè eruditiſſimus, at nec Euthymius magni judicii Interpres: accedit horum numero Theophylactus. Optimè autem cohæret cum ſuperioribus. Neque enim alibi quærendus erat potiùs quàm ubi eſſe eum maximè decebat: id autem erat in æde Paterna. Exſtat egregia Muſonii diatriba, qua docet eſſe quædam parentum imperiis excepta: Neque enim filium Medicum curaturum ægrotos ut pater volet, ſed ex artis præcepto. Ibidem hæc exſtat ſententia, Ο' πατήρ ὁ σὸς κωλύει σε φιλοσοφεῖν· ὁ δέ γε κοινὸς ἀνθρώπων τε καὶ θεῶν Ζεὺς κελεύει σε καὶ προτρέπει [*Pater tuus vetabit te philoſophari; at communis deûm & hominum pater Iupiter & jubet & hortatur*]. Hierocles, ὃ δὲ τῆς ἀπ' ἐκείνων (τῶν γονέων) διαδοχῆς οὐκ ἤρτηται, τοῦτο ἐλεύθερον τῆς ἀπ' ἐκείνων δεσποτείας ἀφίεται ὁ νόμος, καὶ τὸν ὄντως πατέρα (id eſt, Deum) ζηλεῖν παρακελεύεται, κἀκείνου ἔχεσθαι, καὶ τῆς πρὸς ἐκεῖνον ὁμοιώσεως πλείστην ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι [*quod verò ab eorum ſucceſſione non pendet, hoc ab ipſorum imperiis liberum lex relinquit, & jubet nos eum qui verè pater*

eſt quærere, ei adhærere, ſummamque curam ponere ut ei fiamus quàm ſimillimi]. Sic & alibi Dominus in miracula à ſe edenda jus eſſe matri negat.

50. *οὐ συνῆκαν, non intellexerunt*] Συνιέναι & hîc & alibi puto non tam eſſe *intelligere* quàm *attentè ſatis conſiderare*, ut alio loco monuimus. Intenderat Chriſtus digitum ad Malachiæ vaticinium, *Veniet in Templum ſuum Dominus quem vos optatis, nuntius ille fœderis quem deſideratis.* Hæc plenè poſtea demum intellecta ſunt cùm idem Ieſus in Templo publicè docuit, & Templum à nundinantium ſordibus repurgavit: quibus factis jam tum puer præludebat.

51. *καὶ ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. & erat ſubditus illis*] Rectè hoc adjecit Lucas ut oſtenderet ita Divinis rebus vacaſſe Ieſum, ut parentibus interim debita officia non ſubtraheret. Οὕτως, inquit Hierocles, *ἀμφότερα δύναται συμβαίνει, τά τε θεῖα ἀγαθὰ τηρεῖν καὶ τὰ ἀνθρώπινα, καὶ οὔτε δι' οἴησιν ἀρετῆς γονέων θεραπείας ὀλιγωρήσομεν* [*Ita fiet ut utrumque præſtemus, ut & divina bona ſervemus & humana, nec virtutis opinione inflati curam parentum negligamus*].

διετήρει πάντα τὰ ῥήματα, conſervabat omnia verba] Ita ſuprà 19. Quod ideo videtur à Luca expreſſum quia ipſam habebat harum narrationum auctorem.

52. *ἡλικίᾳ*] *Staturâ*, ut Matth. VI, 27. Infrà XIX, 3.

καὶ χάριτι παρὰ Θεῷ καὶ ἀνθρώποις. & gratiâ apud Deum & homines] Χάρις [*gratia*] hîc paulò aliter ſumitur quàm ſuprà commate 40. Significat enim *ſummopere placuiſſe Ieſum & Deo & hominibus.* Ita de Samuele puero (quem Chriſti geſſiſſe imaginem obſervavimus) dictum eſt, נטוב גם עם־יהוה וגם עם־אנשים, id eſt, *Gratioſus erat apud Deum & homines:* ex quo loco deſumta videntur hæc verba. Eadem ferme de Moſe dixit Ioſephus.

CAPVT III.

1. *Ἐν ἔτει δὲ πεντεκαιδεκάτῳ, Anno autem quintodecimo*] Sicut Prophetæ poſt Regni Iſraëlitici factam diviſionem tempora ſolent notare tum Regum Iudæ tum Regum Samariæ, qui tum Terram Promiſſam inter ſe partiebantur, ita & Lucas narraturus *τὴν ἀνάδειξιν πρὸς τὸν Ἰσραήλ* [*oſtenſionem ad Iſraëlem*] duorum Prophetarum, Iohannis & Meſſiæ ipſius, temporis accuratam deſcriptionem adhibet, nominatis omnibus qui tum ullam Terræ Promiſſæ partem ſuo aut alieno nomine obtinebant.

τῆς ἡγεμονίας, imperii] Romanam *imperii* vocem expreſſit, quo tum nomine, ad declinandam invidiam poteſtas verè Regia occultabatur. Vide Appianum.

ἡγεμονεύοντος, Præſide] Id eſt, ἐπιτροπεύοντος [*Procuratorem agente*], quod interpretamentum in codicibus quibusdam contextum occupavit. Hîc ἡγεμονεύειν [*imperare*] non ex Romano ſed ex communi uſu ſumitur, quomodo Petrus ἡγεμόνας [*duces*] vocat omnes τοὺς διὰ βασιλέως πεμπομένους [*à Rege miſſos*]. Diximus reſpondere in hoc ſignificatu vocabulo *Præſidis*, quod generale eſt, & eos etiam comprehendit Procuratores qui Gladii acceperant poteſtatem.

τῆς Ἰτουραίας καὶ Τραχωνίτιδος χώρας, Ituraæ & Trachonitidis regionis] Solet & Trachonitis *Ituraæ* nomine appellari. Sed hîc *Ituraa* peculiariter dici videtur Batanæa & Auranitis. Nam illis partibus unà cum Trachonitide Philippus præfuit.

καὶ Λυσανίου τῆς Ἀβιληνῆς τετραρχοῦντος, & Lyſania Abilenæ Tetrarcha] Lyſaniam hunc, ut exiguæ portionis Dynaſtam, in Ioſephi hiſtoria diſertè memoratum non invenias. Sed cùm idem dicat partem aliquam οἴκου Ζηνοδώρου [*Poſſeſſionis Zenodori*], id eſt, Abilenæ, quam & ideo à poſſeſſore vocat Ζηνοδώρου τετραρχίαν [*Zenodori Tetrarchiam*], Philippo attributam, eo ipſo indicat partem ejus potiorem penes alium fuiſſe: Is autem fuit Lyſanias cujus hîc Lucas meminit, ex poſteritate nimirum Lyſaniæ illius qui eandem regionem, *Abilenam* dictam ab urbe Abila, *Chalcidenem* aliis ab urbe Chalcide tractus ejusdem, Antonio per Orientem imperante, obtinuit, poſt patrem Ptolemæum Mennæi filium: à quo Lyſania regio iſta paſſim Λυσανίου οἶκος [*Lyſaniæ Poſſeſſio*], aut τετραρχία [*Tetrarchia*], aut etiam βασιλεία [*Regnum*], aut Ἄβιλα Λυσανίου [*Abila Lyſaniæ*] dici cœperat. At ſicut poſt hujus prioris Lyſaniæ mortem regio hæc dicta eſt *Zenodori Tetrarchia*, ita poſt Zenodori mortem, aut conductione ejus finita (nam locatam obtinuerat) cùm alter hîc Lyſanias, priori cognominis, & quod non dubito ab eo ortus (ſolebant enim Romani majorum memoriam in poſteris honorare) eandem regionem tenuit, dici iterum cœpit *Tetrarchia Lyſaniæ.*

2. *Ἄννα καὶ Καϊάφα, Anna & Cajapha*] Cajapham tunc functum Pontificatu Maximo ex Ioſepho apparet. Sed Annas ſive Ananus, qui ſecundus ab illo Pontifex erat, id eſt, סגן, prior nominatur, quòd Cajaphæ eſſet ſocer, ac proinde ſummæ eo tempore auctoritatis, patre genitus Pontifice Maximo, & ante Cajapham functus Maximo Pontificatu: imò, ut credibile eſt, ſoceri gratiâ hunc honorem gener impetraverat. Sed & Ioſephus ſemel functos Pontificatu ſolet ἀρχιερέας [*ſummos Pontifices*] appellare. Quod autem hîc nomen ponitur *Annas* idem eſt quod Pœnis effertur *Hanno*: nam Syrorum eſt *a* longum ut *o* efferre.

ἐγένετο ῥῆμα Θεοῦ ἐπὶ Ἰωάννην, factum eſt verbum Domini ſuper Iohannem] Suprà diximus de afflatu Prophetico dici ſolere, ἐγένετο χεὶρ Κυρίου ἐπὶ τὸν δεῖνα [*facta eſt manus Domini ſuper illum*]· at de mandato dici ſolet, ἐγένετο λόγος Κυρίου πρὸς τὸν δεῖνα [*factus eſt ſermo Domini ad illum*] ut ex Eſaiæ & Ieremiæ libris non uno loco videre eſt. Lucas, quia utraque locutio rem eandem notat, loquendi genera permiſcuit, & ῥῆμα [*verbum*] dixit ubi alii λόγον [*ſermonem*], ut & Paulus aliquoties, & Scriptor ad Hebræos. Idem, quod hîc apparet, loquendi genus eſt in Græco initio Ieremiæ.

ἐν τῇ ἐρήμῳ. in deſerto] In quo verſabatur, muneri ſe præparans. Imitatus eſt Batus ille apud Ioſephum κατὰ τὴν ἐρημίαν διατρίβων [*in deſerto agens*].

3. *εἰς πᾶσαν τὴν περίχωρον τοῦ Ἰορδάνου, in omnem regionem Iordanis*] Diverſis in locis ad Iordanem ſitis Baptiſmum exercebat, ut modò in Bethabara, Ioh. I. 28. modò in *Ænon apud Salim*, Ioh. III, 23. Vbi autem ille erat, eò confluebat ἡ περίχωρος

τοῦ Ἰορδάνου [*regio Iordanis*], ut Matthæus nos docet.

5. Πᾶσα φάραγξ πληρωθήσεται, καὶ πᾶν ὄρος καὶ βουνὸς ταπεινωθήσεται. καὶ ἔσται τὰ σκολιὰ εἰς εὐθεῖαν, καὶ αἱ τραχεῖαι εἰς ὁδοὺς λείας· *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt prava in directa, & aſpera in vias planas*] Paulò ulteriùs quàm cæteri verba Eſaiæ proſequitur Lucas, quia illis ſatis fuerat locum indicare, hic omnia quæ ad rem faciebant verba apponere maluit. Sequitur autem Lucas verbotenus Lxx Interpretes, ut ſæpe. Nimiùm eſt anxia eorum περιεργία [*curioſitas*] qui in dictis ἀλληγορουμένοις [*aliud innuentibus*] ſingulas partes minutatim excutiunt, & quærunt quid cui reſpondeat, cùm ſatis ſit in re tota comparationem intelligi. Ita hîc multa Origenes atque alii argutantur, ut explicent qui ſint *montes*, qui *valles*; cùm illud ſufficere debeat, quod alibi dixi, munitoris officium deſcribi; ἐν τύπῳ [*in typo*] quidem apud Eſaiam, ut ſignificetur omnia jam parata eſſe ad populum è Babylonia in Iudæam poſtliminio reducendum; διὰ τύπου [*per typum*] verò, ad annuntiandam liberationem a ſervitute peccati & mortis, quæ reditu illo figurabantur. Notum autem eſt, quoties magni Reges, cum exercitu præſertim, iter faciunt, præmitti qui hiantia ſolident, exſtantia complanent, per devia compendium faciant, nequid itineri obſtet aut moram faciat. Plenæ ſunt hiſtoriæ. Ioſephus cùm Titi adventum ad Hieroſolyma deſcribit, Ἀνεπλήσθη, inquit, τὰ κοῖλα καὶ χαραδρώδη τοῦ τόπου. τὰς δὲ πετρώδεις ἐξοχὰς σιδήρῳ κατεργαζόμενοι χθαμαλὸν ἐποίουν πάντα τὸν χῶρον [*impleta ſunt quæ cava erant aut hiantia; tum verò ſaxorum exſtantia auferentes totum ſolum æquabant*]. Plutarchus Gracchis, Πιμπλαμένων δὲ τῶν κοίλων καὶ ζευγνυμένων γεφύραις ὅπου χείμαρροι διέκοπτον ἢ φάραγγες, ὕψος δὲ τῶν ἑκατέρωθεν ἴσον καὶ παράλληλον λαμβανόντων, ὁμαλὴν καὶ καλὴν ὄψιν εἶχε διόλου τὸ ἔργον [*Tum verò cavitatibus impletis & junctis per pontes locis quos torrentes aut convalles interrumpebant, ita ut ab utraque parte par eſſet & æqualis altitudo; pulchram ſanè ſpeciem opus hoc habebat*]. Xenophon ad hoc miniſterium delectos ὁδοποιοὺς [*viarum ſtructores*] vocat. Rectè autem arbitror quæ apud Prophetam & Lucam futuro tempore enuntiantur, per imperativum exponi; ἀναλογικῶς [*proportione ſervata*] tamen, ut nempe imperium illud de reditu ex Babylonia acceptum Dei potentiam ſignificet, in Baptiſtæ autem miniſterio ſimul exigat humanum obſequium. Neque enim novum eſt habere aliquid diſſimile figuram, & id quod per figuram innuitur. Sic & converſio hominis modò creationi, modò reſuſcitationi ex morte comparatur; cùm in converſione ſuas habeat partes humanæ voluntatis τὸ ἑκούσιον [*voluntarium*], in illis actionibus nullas.

6. Καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei*] Paucis verbis omiſſis proſequitur Lucas Prophetæ verba. Sed apud Prophetam eſt, *Et videbit caro omnis pariter id quod ore Domini eſt pronuntiatum.* Lxx autem pronomen addito nomine explicant ſatis commode, Καὶ ὄψεται πᾶσα σὰρξ τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, ὅτι Κύριος ἐλάλησε [*Et videbit omnis caro ſalutare Dei, quòd Dominus locutus eſt*]. unde hoc deſumſit Lucas. Diximus σωτήριον [*ſalutare*] & σωτηρίαν [*ſalutem*] promiſcuè poni apud Lxx. Senſus eſt, Beneficium hoc ſalutare omnibus hominibus conſpicuum fore, ut fuerat liberatio ex Babylonica captivitate. Ἐπεφάνη γὰρ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σωτήριος πᾶσιν ἀνθρώποις [*Apparuit enim gratia Dei ſalutaris omnibus hominibus*], Tit. II, 11. Sic Simeon, σωτήριον ὃ ἡτοίμασας κατὰ πρόσωπον πάντων λαῶν [*ſalutare quod paraſti ante faciem omnium populorum*].

8. καὶ μὴ ἄρξησθε λέγειν ἐν ἑαυτοῖς, *& ne cœperitis dicere*] Id eſt, μὴ λέγετε [*ne dixeritis*]. Similis πλεονασμὸς [*Exuberantia*] Matth. XI, 7, 20. XII, 1. XVI, 22. XXIV, 49. Marc. I, 45. VI, 7. X, 28. XIII, 5. & apud hunc noſtrum ſæpiuſcule, ut IV, 21. V, 21. VII, 24, 38. XII, 45. XIV, 18, 30. XIX, 45. Actor. I, 1.

10. Τί οὖν ποιήσομεν; *Quid ergo faciemus?*] Primus ad pœnitentiam motus ſe prodit in petendo emendandæ vitæ conſilio. Ita Actor. II, 37. Iudæi poſtquam κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ [*compuncti ſunt corde*], quærunt ex Apoſtolis, Τί ποιήσομεν, ἄνδρες ἀδελφοί; [*Quid faciemus, viri fratres?*] Et commentarienſis timore ſubito perculſus Paulum & Silam ſimiliter affatur, Τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; [*Quid me oportet facere ut ſalvus fiam?*] Hominibus longâ peccandi conſuetudine corruptis non ſatis eſt generaliter præcipi ut *dignos pœnitentiâ fructus faciant*, ſed veniendum eſt ad præcepta quædam particularia.

11. Ὁ ἔχων δύο χιτῶνας μεταδιδότω τῷ μὴ ἔχοντι, καὶ ὁ ἔχων βρώματα ὁμοίως ποιείτω. *Qui habet duas tunicas det non habenti, & qui habet eſcas ſimiliter faciat*] Ne putarent ablutionum & victimarum ceremoniis aliiſque id genus ritibus ſe poſſe evadere iram Divinam, oſtendit Baptiſta requiri veras animi virtutes, quarum præcipua Dilectio, quæ dicitur καλύπτειν πλῆθος ἁμαρτιῶν [*operire multitudinem peccatorum*] I Petri IV, 8. Sic Nabuchodonoſoro Daniel dat conſilium τὰς ἁμαρτίας ἐν ἐλεημοσύναις λυτροῦν, καὶ τὰς ἀδικίας αὐτοῦ ἐν οἰκτιρμοῖς πενήτων [*peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum*], ut eum locum vertunt Lxx. Et ipſe Ieſus infrà XI, 41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν [*Quantum poteſtis date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*]. Vbi hac de re pleniùs agemus. Populariter autem dilectionem ſive beneficentiam ab operibus maximè conſpicuis deſcripſit, jubens ut aliorum egeſtatem ex eo quod ipſis ſupererat, ſupplerent, ἐκ τῆς ὑπεροχῆς τὴν ἔνδειαν [*ex ſuperfluo quod deeſt*], ut loquitur Ariſtoteles, ἐκ τοῦ περισσεύματος τὸ ὑστέρημα [*ex abundantia inopiam*], ut loquitur Paulus II Corinth. VIII, 14. quæ optima beneficentiæ regula eſt, neque naturalem noſtri curam nobis detrahens, neque nos patiens per delicias abuti quorum penuriâ alii miſerabiles vivant. Exprimit autem hoc ipſum Iohannes exemplo tum Veſtium tum Ciborum, quia ea maximè uſus humanus deſiderat, & in iis ſupra modum congerendis & per luxum prodigendis maximè peccatur. Vide quod infra eſt XVI, 1. ubi homo dives deſcribitur ſplendido veſtitu victuque, cùm pauper interim popularis extremâ fame conſumeretur. Non longè hinc abit Martialis illud,

Ex opibus tantis veteri fidoque ſodali
Das nihil, & dicis, Candide, Κοινὰ φίλων
[*Res amicorum communes*].

Quare quod hîc dicitur δύο χιτῶνας [*duas tunicas*], ſatis apparet non ita accipiendum quaſi plus una veſte habere vetemur, (nam neque Petrus neque Paulus ita ſuperſtitiosè hæc ſunt interpretati, ut ex ipſorum exemplo apparet Actor. XII, 8. II Tim. IV, 13.), ſed ut ſignificetur damnari earum rerum affluentiam quarum inopiâ alios graviter premi videamus. Sic & βρώματα [*eſcæ*] intelligenda ſunt τὰ περισσεύοντα [*quæ ſuperfluunt*]. Bene autem voce μεταδιδόναι [*communicare*] hîc utitur Lucas, quam & Ariſtoteles uſurpat ſimili ſenſu. Sic & apud Paulum ὁ μεταδιδοὺς [*communicans*] eſt *is qui beneficentiam in alios exercet* Rom. XII, 8.

12. τελῶναι, *publicani*] Iudæi ſcilicet Romanorum ſocii aut redemtores.

13. Μηδὲν πλέον παρὰ τὸ διατεταγμένον ὑμῖν πράσσετε. *Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis exigatis*] Præter illa vivendi præcepta quæ communiter ad omnes pertinent, hominum ordines hominesque ſinguli diligenter docendi ſunt agnoſcere ea flagitia quibus præter cæteros laborant. Solebant autem publicani ab hominibus mercatoribus, aut iter facientibus, & quibus incommodum erat adversùs ipſos judicium expoſcere, multò plus exigere quàm publicitus erat conſtitutum. Zenonis comici verſus eſt,

Πάντες τελῶναι πάντες εἰσὶν ἅρπαγες.
[*Quot publicani ſunt tot raptores puta*].

Διὰ τὴν πλεονεξίαν τῶν δημοσιωνῶν [*propter publicanorum avaritiam*], apud Strabonem. Adde Philonem De ſpecialibus legibus ultimo. Apud Suidam veteri Scriptori publicanorum vita ſic deſcribitur, Πεπαῤῥησιασμένη βία, ἀνεπιτίμητος ἁρπαγὴ, ἀναίσχυντος πλεονεξία, πραγματεία λόγον μὴ ἔχουσα, ἀναιδὴς ἐμπορία [*vis ſoluta, rapina non reprehenſa, inverecunda avaritia, negotium ratione carens, impudens mercatus*]. Theocritus vir ſapiens interrogatus quæ eſſent ferarum ſæviſſimæ, in montibus quidem, inquit, urſi & leones, in urbibus publicani & calumniatores. Apud Tacit. XIII Ann. *Et quæ alia exactionibus illicitis nomina publicani invenerant.* Scholiaſtes ad Equites Ariſtophanis, Διεβέβλητο τὸ τοῦ τελώνου ὄνομα, ὡς καὶ τοῦ Κλέωνος ὄντος τελώνου καὶ ὑπὲρ τὸ τέλος τελωνοῦντος [*Malè audiebat nomen publicanorum, quia & Cleon erat publicanus & plus exigebat quàm erat in lege publici*]. *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis*, inquit Vlpianus, *ſint publicanorum factiones nemo eſt qui neſciat : iccirco Prætor ad compeſcendam eorum audaciam hoc edictum propoſuit.* Paulus Iuriſconſultus, *Quod illicitè publicè privatimque exactum eſt, cum altero tanto paſſis injuriam exſolvitur; per vim verò extortum pœnâ tripli reſtituitur: ampliùs extra ordinem plectuntur: alterum enim utilitas privatorum, alterum vigor publicæ diſciplinæ poſtulat.* Cicero ad Q. Fratrem III. *Cauſa publicanorum quantam acerbitatem afferat ſociis, intelleximus ex civibus qui nuper in portoriis Italiæ tollendis, non tam de portorio quàm de nonnullis injuriis portitorum querebantur*]. Exſpectabant nimirum publicani an Iohannes ipſis interdicturus eſſet publicorum redemtione; quippe cùm multi Iudæorum nefas ducerent vectigal pendi populo extraneo, & vel ob id ſolùm publicanos, ut ſacros atque inteſtabiles, abominarentur. Sed optimus hac quoque in parte Chriſti anteambulo vitæ crimina ab ipſo vivendi genere diſcrevit, demonſtrans ſua monita non obſtare tranquillitati publicæ, quæ in tanta hominum malitia ſine tributis & vectigalibus defendi non poteſt: neque verò ad pietatem referre quorum ſub imperio vivatur. Quod verò hîc Iohannes publicanis dixit, dubium non eſt quin idem Herodi dixerit, dicturus & aliis Regibus ſi eos compellandi fuiſſet occaſio. Nam quod publicanos facere vetat lex etiam Civilis, idem Regibus eſſe nefas dictat ratio & Lex ipſa Naturæ. Vt publica poteſtas, ita & tributa, non in uſum hujus aut illius, ſed ad bonum commune ſunt conſtituta. Quare illorum eſt muneris publica onera cum publicis neceſſitatibus æquare : ita quidem ut liceat his qui reipublicæ præſident ex publicis obventionibus ſemet pro dignitatis ratione ſuſtentare, non item modum exigendi petere à ſuo & aulicorum mancipiorum luxu ac libidine, quæ modum non habent. Hoc qui faciunt verè πράσσουσι παρὰ τὸ διατεταγμένον [*exigunt ſuprà quàm conſtitutum eſt*], plus ſcilicet exigentes quàm lex ejus permittit cujus in Reges omnes ſummum eſt imperium.

14. στρατευόμενοι, *milites*] Aut Herodi, aut Philippo, aut etiam Romanis militantes Iudæi. Nam Romani Iudæam partim *ſuo*, partim *Sebaſteno*, partim *Cæſareenſi* milite cuſtodiebant, ut nos docet Ioſephus fine XIX Originum. *Cæſareenſes* autem Iudæi erant. Sicut autem militiam in præſidiis non defugiebant Iudæi, ita expeditiones ſequi ſalva religione vix poterant; quia Sabbato ferre arma & magna itinera facere per legem vetabantur; adde quod permixti externis vix poterant obſervare traditam victus rationem: quas duas cauſas à Iudæis obtendi ſolitas ad impetrandam ἀστρατείαν [*immunitatem à militia*] liquet ex Dolabellæ literis ad Epheſios quæ apud Ioſephum exſtant: qui & à L. Lentulo Iudæos religionis causâ miſſionem impetraſſe narrat. Alia cauſa quæ interdum Iudæos à militia arcebat hæc erat, Si adversùs populares eſſent pugnaturi. Nam κατὰ τῶν ὁμοφύλων ὅπλα λαβεῖν ἀθέμιτον [*contra populares arma ſumere, nefas*], inquit idem Ioſephus. Cùm Iudæi urbe Roma ſub hæc ipſa tempora juſſi eſſent excedere, narrat Ioſephus quatuor millia eorum militiæ adſcripta & miſſa in Sardiniam, punitos alios μὴ θέλοντας στρατεύεσθαι διὰ φυλακὴν τῶν πατρίων νόμων [*quòd militare nollent reverentiâ legum avitarum*]. At Alexandro Macedoni multos Iudæorum militaſſe narrat idem Ioſephus, ſed priùs pactos nequid adversùm religioni ſuæ facere cogerentur. Hoc enim eſt quod ait ἐμμένοντας τοῖς πατρῴοις ἔθεσι, καὶ κατὰ ταῦτα ζῶντας [*manentes in moribus avitis, & ſecundùm eos viventes*]. Et in Diſputatione adversùs Appionem teſtem ejus rei laudat Hecatæum, cujus hæc ſunt verba, Συνηκολούθει τις μετὰ τῶν ἄλλων τῶν παραπεμπόντων ἡμῖν ἱππέων Ἰουδαίων, ὄνομα Μοσόλλαμος [*Comitabatur autem nos inter alios equites Iudæos qui nos deducebant, quidam nomine Moſollamus*], id eſt, משלם, quod nomen exſtat I Paral. III, 19. Sed & ut Xerxi militaſſe Iudæos probet adfert Ioſephus hos Chœrili verſus de expeditione Xerxis,

Τῷ δ' ὄπιθεν διέβαινε γένος θαυμαστὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ στομάτων ἀφιέντες,
Ὠκέετ' ἐν Σολύμοις ὄρεσι, πλατέῃ ἐνὶ λίμνῃ,
Αὐχμάλεοι κορυφὰς, τροχοκούραδες, αὐτὰρ ὕπερθεν
Ἵππων δαρτὰ πρόσωπ' ἐφόρουν ἐσκληκότα καπνῷ.
[*Inde ſequebatur genus admirabile viſu,*
Hi verò ore ſuo Phœnicia verba ſonabant:
Et montes Solymos juxta vada lata colebant,
Squallent ora, comis tonſura rotunda, ſuperque
Horrida equûm fumo capita indurata ferebant].

Quibus verbis Iudæos equites deſcribi Ioſephus probat nomine *Solymorum*, & mentione *lacûs*, quem ait eſſe Aſphaltiten. At contra hanc Ioſephi interpretationem duo objicit magni judicii vir. Prius eſt, *Solymos* montes antiquis Lycios intelligi. Sed id me non movet: cùm haud dubiè Romani à Græcis acceperint ut Iudæos, quorum caput eſt Hieroſolyma, truncato nomine *Solymos* appellarent: ex quo loquendi more nota eſt opinio Tacito memorata eorum qui Iudæos ex Lyciis ortos putarent. Et ſanè Lycios linguâ uſos Phœniſsâ, id eſt, Syriacâ aut ad eam accedente, quis credat? Alterum validius eſt, quòd equites iſti vocantur τροχοκούραδες [*in orbem tonſi*], cùm Iudæis in orbem tonderi interdicat lex Moſis Levit. XIX, 27. Hoc cùm negari non poſſit, neque verò credibile ſit Iudæos ita communiter à legis præcepto receſſiſſe, probabile eſt à Chœrilo Arabas quoſdam Iudæorum vicinos deſcribi, ſed confuſis populorum finibus, quemadmodum & *Idumen* pro *Iudæa* ponunt Poëtæ: Nam *Saracenos in orbem tonderi ſolitos* narrant vetera ſcholia ad dictum Levitici locum. Sed de Iudæis qui Alexandro militaverunt illuſtris eſt ejus quem dixi Hecatæi locus alter, quo narrat, Ἀλεξάνδρου ποτὲ ἐν Βαβυλῶνι γενομένου, καὶ προελομένου τὸ τοῦ Βήλου πεπτωκὸς ἱερὸν ἀνακαθῆραι, καὶ πᾶσιν αὐτοῖς τοῖς στρατιώταις ὁμοίως φέρειν τὸν χοῦν προστάξαντος, μόνους τοὺς Ἰουδαίους οὐ προσχεῖν, ἀλλὰ καὶ πολλὰς ὑπομεῖναι πληγὰς καὶ ζημίας ἀποτῖσαι μεγάλας, ἕως αὐτοῖς συγγνόντα τὸν βασιλέα δοῦναι τὴν ἄδειαν [*Cùm aliquando Babylone eſſet Alexander & vellet is Beli templum quod conciderat reponere, & omnibus militibus præcepiſſet humum aggerere, ſolos Iudæos non opitulatos, imò & verbera & mulctas graves pertuliſſe, donec Rex eis ignoſcens laboris talis gratiam fecit*]. Omnino enim verba illa τοῖς στρατιώταις [*militibus*] exigere videntur ut hæc de Iudæis Alexandro militantibus, non de his qui à Nabuchodonoſori tempore Babylone habitabant, intelligantur. Etiam in Pompeji caſtris fuiſſe Iudæos teſtis eſt Appianus Civilium bellorum libro ſecundo. Lib. XVI in Ælii Galli exercitu quingentos fuiſſe Iudæos Strabo narrat. Militaſſe eos & Antiocho & Demetrio & Ptolemæis docent Ioſephus, Maccabaïcorum Scriptores & Euſebius; miſſos ab Herode qui Antonio contra Cæſarem militarent, Plutarchus. Quod vir eruditus putat eam cohortem quæ à Pontio Pilato Pontificibus concedi ſolebat è Iudæis fuiſſe, cur probari nobis non poſſit, ad hiſtoriam Dominicæ paſſionis in Matthæo lector inveniet. Chriſtianos partim conſilio magis quàm præcepto abſtinuiſſe à militia alibi oſtendimus; niſi ſiquando militia conjuncta erat cum neceſſitate impii cultus, aut cum piorum vexatione, quibus temporibus omnino militare nefas ducebant. Non omnes ſanè Chriſtianos primis illis temporibus abſtinuiſſe à militia, præter id quod de Marco Imperatore & de Thebæa legione narratur, exſtant veterum teſtimonia. Clemens Alexandrinus, ubi convenientem Chriſtiano habitum præſcribit, feminas quidem vult eſſe calceatas, at viros non item niſi in militia: ἀνδρὶ δὲ εὖ μάλα ἁρμόδιον, inquit, ἀνυποδησία, πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο [*viro maximè convenit nudis incedere pedibus, niſi fortè militet*]. Tertullianus Apologetico, *Navigamus & nos vobiſcum, militamus & ruſticamur & mercamur.* mox eodem libro *caſtra* dicit *impleta à Chriſtianis.* Et libro De Corona narrat ab uno multorum Chriſtianorum militum coronam capiti non impoſitam, quem laudans ait, *O militem in Deo glorioſum.* Item, *Solus ſcilicet fortis inter tot fratres commilitones, ſolus Chriſtianus.* At libro De Idololatria diſputat an fidelis ad militiam converti poſſit, & an militia ad fidem admitti, etiam caligata vel inferior quæque, cui non ſit neceſſitas immolationum, vel capitalium judiciorum; & ad hæc Iohannis verba & Centurionis laudatam fidem reſpondet, *omnem poſtea militem in Petro exarmando diſcinctum.* Pauló ſuſpenſiùs tractat quæſtionem eandem dicto De Corona libro, quærendum putans an in totum Chriſtianis militia conveniat. Sed quæ adfert ne licere videatur, pleraque, ut & illa quæ de Iudæis ſuprà afferebamus, illorum temporum erant propria; ut quòd pro templis excubare ſæpe, & cœnare in templo cogerentur, quòd corpora mortuorum cremarentur, non ſepelirentur. Ac tandem diſtinguit, ut *alia ſit eorum conditio quos militia præventos fides poſterior invênit*, quales erant *quos Iohannes ad lavacrum admittebat*; *ſuſceptâ certè fide aut deſerendam militiam, aut omni modo cavendum nequid adverſus Deum committatur*: ubi & hoc adjicit, *Apud hunc,* Chriſtum, *tam miles eſt paganus fidelis, quàm paganus eſt miles infidelis. non admittit ſtatus fidei allegationem neceſſitatis.* Narrat Euſebius Diocletiani temporibus Chriſtianos milites militaſſe deſiiſſe ἵνα μὴ ἐξαρνοὶ γένωνται [*ne cogerentur Chriſtum abnegare*]. At Lactantius, qui jam ſub Chriſtiano vixit Imperatore, quo tempore militiæ pericula ſi non omnia pleraque tamen ceſſabant, cùm negat *fieri poſſe ut qui verè juſtus ſit belligeret*, *verè juſtum* non quemvis ſed magni profectus Chriſtianum videtur intelligere: nam & navigaturum eum negat. Eundem ſenſum habet Origenes illud, Οὐκ ἔτι γὰρ λαμβάνομεν ἐπ' ἔθνος μάχαιραν, οὐδὲ μανθάνομεν ἔτι πολεμεῖν, γενόμενοι διὰ τὸν Ἰησοῦν υἱοὶ τῆς εἰρήνης, ὅς ἐστιν ἡμῶν ἀρχηγός [*Non ultrà gladium ſumimus in gentem ullam, neque ultrà bellare diſcimus, facti per Ieſum, qui Dux noſter eſt, pacis filii*]. Item Origenes Celſo detrectationem militiæ Chriſtianis objicienti hunc in modum reſpondet, Εἶτα δὲ καὶ τοῦτ' εἴποιμεν ἂν πρὸς τοὺς ἀλλοτρίους τῆς πίστεως καὶ ἀξιοῦντας ἡμᾶς στρατεύεσθαι ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ, καὶ ἀνθρώπους ἀναιρεῖν, ὅτι καὶ καθ' ὑμᾶς ἱερεῖς ἀγαλμάτων τινῶν καὶ νεωκόροι ὧν νομίζ θεῶν, τηροῦσιν ἑαυτῶν ἀμίαντον τὴν δεξιὰν διὰ τὰς θυσίας, ἵν' ἀναιμάκτοις χερσὶ καὶ καθαραῖς ἀπὸ φόνων προσάγω τὰς νενομισμένας θυσίας οἷς φατὲ θεοῖς· καὶ οὐ δήπου π λέμου καταλαβόντος καὶ τοὺς ἱερεῖς στρατεύετε. εἰ οὖν τοῦτ' εὐλόγως γίνεται, πόσῳ μᾶλλον ἄλλων στρατευομένων καὶ οὗτοι στρατεύονται, ὡς ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ καὶ θεραπευταὶ, καθαρὰς μὲν τηροῦντ τὰς δεξιὰς, ἀγωνιζόμενοι δὲ διὰ τῶν πρὸς Θεὸν εὐχῶν ὑπὲρ δικαίως στρατευομένων καὶ ὑπὲρ τοῦ δικαίως βασιλεύοντος; [*His qui à fide alieni pro Republica militare nos jubent & homines occidere, ita respondebimus, Hi qui ſimulacrorum veſtrorum ſunt ſacerdotes, & deorum, quos putatis, flamines, dexteras puras ſervant ſacrificiorum ergo, ut ea incruentis & nulla cæde maculatis manibus offerant iis qui creduntur dii; neque, ſi quod exoriatur bellum, ſacerdotes adſcribuntur numeris. Quòd ſi id ratione non caret, quantò magis, cæteris militantibus, illi quoque ſuo modo cenſendi ſunt militare, tanquam Dei ſacerdotes atque cultores, qui manus quidem ſervant puras, ſed precibus apud Deum certant pro his qui juſtè militant, & pro eo qui juſtè regnat?*] De Canone Niceno, aliaque ad hanc rem pertinentia ad caput Matthæi v. tractavimus.

Μηδένα διασείσητε, *Neminem concutiatis*] Vſurpant quidem hanc vocem Græcorum Scholiaſtæ, ſed poſtquam Græcia facta erat Romani juris. Omnino arbitror expreſſam ex Latina voce *concutere*, unde in Pandectis titulus De Concuſſione, in Baſilicis περὶ διασεισμῶν. Eſt autem *concutere* terrore injecto pecuniam aut ſimile quid alicui exprimere: quod militibus nimiùm quàm familiare. *Omnia*, inquit Tacitus, *tanquam urbes hoſtium urere, vaſtare, rapere*: quos bene Curtius vocat *populatores terræ quam à populationibus vindicare debebant*. Iuvenalis aut quisquis eſt Scriptor Satyræ de commodis militiæ,

Commoda tractemus, primùm communia, quorum
Non minimum illud erit, ne te pulſare togatus
Audeat; imò & ſi pulſetur diſſimulet, nec
Audeat excuſſos Prætori oſtendere dentes,
Et nigram in facie tumidis livoribus offam,
Atque oculum medico nil promittente relictum.

& mox,

---- dignum erit ergo
Declamatoris mulino corde Vagelli,
Cùm duo crura habeas, offendere tot caligatos.

Adverſùs hanc militum inſolentiam exſtat edictum illud apud Caſſiodorum, *Vivant cum provincialibus Iure Civili, nec inſoleſcat animus qui ſe ſentit armatum, quia clypeus ille exercitûs tui quietem debet præſtare paganis*. Helleniſtæ, quod hîc Lucas dixit διασείειν [*concutere*], ſolent exprimere verbo ἀποβιάζειν [*facere violentiam*], ut Lxx Proverbior. xxii, 22. Aquila & Theodotio Proverb. xxviii, 24. Idem eſt ἐκπιέζειν [*conterere*] 1 Samuelis xii, 3, & 4.

μηδὲ συκοφαντήσητε· *neque fraudetis*] Vox Hebræa עשק, quam per συκοφαντεῖν [*calumniari*] ſæpe exprimunt Lxx, modò generalis eſt, & tam latè patet quàm ἀδικεῖν [*injuſtè agere*], ut Ieremiæ xxii, 3. ubi Lxx vertunt διαρπάζειν [*rapere*], & apud hunc Scriptorem infrà xix, 8. modò ſpecialis, ut ſignificet propiùs ad uſum Græciæ, *dolo*, aut certè *occultè*, non vi aperta, *aliquid ſurripere*; quam propriam vocis עשק eſſe ſignificationem judicat Rabbinus Salomo. Solent autem milites interdum (neque enim ſemper id lubet) injuriis cauſas aliquas, quantumvis falſas atque abſurdas, prætexere. Quem morem ſub Lupi fabula Æſopus non illepidè deſcripſit, cujus ſententiam Latinis verſibus ita exprimit Phædrus,

Ad rivum eundem Lupus & Agnus venerant
Siti compulſi: ſuperior ſtabat lupus,
Longéque inferior agnus: tunc facie improba
Latro incitatus jurgii cauſam intulit:
Cur, inquit, turbulentam mihi feciſti aquam
Iſtam bibenti? Laniger contrà timens,
Qui poſſum, quæſo, facere, quod quereris, lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes malè, ait, dixiſti mihi:
Reſpondit agnus, Equidem natus non eram.
At pater hercle tuus, inquit, maledixit mihi.
Atque ita correptum lacerat injuſta nece.
Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

Scriptor ejus quam dixi Satyræ,

—— citiùs falſum producere teſtem
Contra paganum poſſis quàm vera loquentem
Contra fortunam armati, contraque pudorem.

Quod autem hîc dicitur διασείειν [*concutere*] & συκοφαντεῖν [*fraudare*] reſpicit locum 1 Samuelis xii, 3. לא עשקתנו ולא רצותנו.

καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. *& contenti eſtote ſtipendiis veſtris*] Ὀψώνια [*ſtipendia*] Græci vocant non *ſola ſtipendia*, ſed omnia, ut Marcianus loquitur, *militiæ merita*, in quibus eſt & annonæ præbitio & alia commoda quæ ſub Imperio Romano erant non invidenda, ſi laborum militarium juſta habeatur ratio. & ſic Iudæi uſurpant vocem אפסניא [*obſonia*] ex Græca iſta deductam. Sicut ergo publicanis præſcripſerat Iohannes ne plus exigerent quàm ferret lex publici, ita hîc jubet milites publicitus conſtitutis præmiis contentos eſſe. Solent enim invenire mille prædandi vocabula: atque adeò tritum eſt in multorum ore proverbium, *Satius eſſe de alieno vivere quàm unde vivas non habere. Vivere* autem eſt illis non naturæ deſideriis ſatisfacere, ſed popinis & lupanaribus indulgere. Videtur hoc Baptiſtæ præceptum in animo habuiſſe Ioſephus cùm militibus ſuæ curæ traditis præcepit, μὴ ἁρπαγῇ λαμβάνειν τὰς χώρας, ἀλλὰ σκηνοῦν κατὰ τὸ πεδίον, ἀρκουμένους τοῖς ἑαυτῶν ἐφοδίοις [*non vi invadere regiones, ſed in agris tentoria figere, & contentos eſſe ſuis ſtipendiis*]. Nam Ioſephum Iohannis placita ſectatum aliquatenus fuiſſe alibi monuimus. Simile illud Aureliani apud Vopiſcum de milite, *Annonâ ſuâ contentus ſit: de præda hoſtis, non de lacrymis provincialium vivat.* Et Valentiniani ac Valentis, *Cænaticorum nomine milites & ſuper his ſtantes nihil penitus à provincialibus accipere audeant. Sciant enim milites quòd oportet eos commoda ſua, quæ in annonarum perceptione adipiſcuntur, accipientes, extrinſecus detrimentis provinciales non afficere.* Mirum in modum mihi placet quod hunc in locum annotat vir Græcè doctiſſimus & raræ pietatis, dixiſſe hæc Baptiſtam legitimis militibus, qui in præſidiis agebant maximam vitæ partem, nec niſi magnis de cauſis (quæ erat Romanorum gravitas) in hoſtem ducebantur. Quod ſi ad eum veniſſent quales nunc plerique ſunt militum, non uni imperio addicti, ſed per omnem orbem terrarum bella aucupantes,

Venaleſque manus, ibi fas, ubi plurima merces,

qui majore ex diverſo mercede jus faſque exuunt,

neque

neque vident cur ſed quanti aut alios jugulent, aut ipſi jugulentur, profectò non aliud illis dixiſſet Baptiſta quàm ſi ſalvi eſſe vellent relinquendum vitæ genus, non jam dicam ab omni pietate ſed ab omni humanitate abhorrens & verè belluinum.

15. Προσδοκῶντος δὲ τοῦ λαοῦ, *Exſpectante autem populo*]. Oratio ἐλλειπτικὴ [*defectiva*]. Senſus eſt, *Exſpectante populo* quò evaſurus eſſet Iohannes, quid de illo conſtituturus eſſet Deus.

16. Ἀπεκρίνατο Ἰωάννης, ἅπασι λέγων, *Reſpondit Iohannes, dicens omnibus*] Poſtquam ſcilicet diverſis populi ſermonibus permoti Senatores Iudæorum legatos ad ipſum miſerant, ut Apoſtolus Iohannes narrat. Contigit quidem hoc poſt Chriſtum baptizatum; ſed opportunè à Luca connectitur narrationi rumorum qui de Iohanne ſpargebantur, ut non minùs ſciretur quem ipſe ſe profeſſus eſſet quàm quis eſſet ab aliis habitus. Certè & infra Lucas temporum ordinem poſthabuit, cùm de Iohanne in vincula conjecto quàm de Chriſto baptizato priùs meminit. Sed voluit primùm Iohannis hiſtoriam percurrere, ut deinde res Chriſti continua ſerie pertexeret: quod facere ſolent etiam optimi Annalium conditores, ut alibi diximus. Non obſtat huic interpretationi quòd Iohannes dicit μέσος ὑμῶν ἕστηκεν [*medius veſtrûm ſtetit*], tres autem alii ἔρχεται [*venit*] aut ἐρχόμενος [*venturus*]. Senſus enim eſt eum qui Spiritu copioſiſſimo diſcipulos ſuos eſſet perfuſurus jam tum quidem vivere inter Iudæos, ſed tempus inſtare quo magis magisque omnibus innoteſceret.

17. εἰς τὴν ἀποθήκην αὐτοῦ, *in horreum ſuum*] Non minùs hoc αὐτοῦ [*ſuum*] ad Chriſtum referri debet quàm quod præceſſit ἅλωνα αὐτοῦ [*aream ſuam*]· neque aliter acceperunt veteres Interpretes.

18. Εὐηγγελίζετο τὸν λαόν. *euangelizabat populo*] Id eſt, *bono dogmate populum imbuebat*. Conſtructio Helleniſtica; qualis & illa in Actis VIII, 25. πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐηγγελίσαντο [*multas regiones Samaritarum euangelizabant*]· & VIII, 40. εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας [*euangelizabat civitates omnes*]· & XIV, 20. εὐαγγελισάμενοί τε τὴν πόλιν ἐκείνην [*cùm euangelizaſſent civitatem iſtam*]. Hinc & paſſivè dicitur πτωχοὶ εὐαγγελίζονται [*pauperes euangelizantur*].

19. ὧν ἐποίησε πονηρῶν ὁ Ἡρώδης. *de omnibus malis quæ fecit Herodes*] Repetitum nomen vice pronominis, more Hebræo. Sic I Corinth. I, 8. I Theſſ. III, 12. II Theſſ. III, 7, 8. Adde, ſi placet, Geneſ. XIX, 24. Numerorum X, 29. Pſalmi LXXXII, I.

20. Προσέθηκε καὶ τοῦτο ἐπὶ πᾶσι, *Adjecit & hoc ſuper omnia*] Vt ſolent ſcelera in ſcelera ducere. Vide quæ ad Matthæum diximus.

21. καὶ προσευχομένου, *& orante*] Oſtendit Chriſtus ſuo exemplo cum Baptiſmo jungendas preces: quod obſervatum ab his qui ex Chriſti diſciplina baptizabantur ex Iuſtino annotavimus.

23. Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ἰησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος ὤν, *Et ipſe Ieſus erat quaſi incipiens eſſe circiter annorum triginta*] Omnino rectior videtur conſtructio ſi ὤν [*eſſe*] ſuperioribus jungamus. Neque enim rectè dicitur ἄρχομαι ἐτῶν τριάκοντα [*incipio annos triginta*], ſed potiùs ἄρχομαι ἔτους τριακοστοῦ [*incipio annum triceſimum*], quod eſt annum ago triceſimum. At ἄρχομαι ὢν ἐτῶν τριάκοντα [*incipio eſſe annorum triginta*] eſt incipio jam eſſe tricenarius, quod non dicitur niſi poſt impletum annum triceſimum: ſicut *anniculus* quis dicitur Iuris Romani auctoribus non ſtatim ut natus eſt, ſed trecenteſimo ſexageſimo quinto die. Quod ut rectè obſervavit vir in omni literarum genere ſummus, ita eidem aſſentiri non poſſum cùm ὡσεὶ [*quaſi*] hoc Lucæ loco putat eſſe poſitum vice Caph Veritatis, ut Hebræi vocant. Nam id Caph Græci per ὡς exprimunt, ut cùm dicitur δόξαν ὡς μονογενοῦς [*gloriam tanquam unigeniti*]· quod ipſum locum non habet niſi cùm res altera alterius nota eſt, ut majeſtas illa docebat Ieſum eſſe Dei Filium unicum. At hîc non eſt ὡς [*tanquam*] ſed ὡσεὶ [*circiter*], quod numero aut menſuræ additum ſignificat id quod dicimus *circiter* aut *admodum*, ut Matth. XIV, 21. Marci VI, 44. Infrà IX, 14. XXII, 41. XXIII, 44. Iohann. IV, 6. VI, 10. XIX, 14. Neque illa rei alterius per alteram notatio hîc locum habet. Veterum multi, cùm hoc ſatis perſpicerent, putarunt per ὡσεὶ [*circiter*] ſignificari aliquid ad annum triceſimum Chriſto defuiſſe; quorum ſunt Irenæus & Epiphanius, qui Novembri Chriſtum vult baptizatum, cùm natalis ejus Ianuario immineret. At hoc ſi Lucas voluiſſet quid opus fuerit addere illud ἀρχόμενος; [*incipiens?*] Deinde omnino hæc tam accurata deſcriptio tempus aliquod legitimum reſpicit. Lex quæ exſtat Numer. IV, 3, & 47. additâ hiſtoriâ I Paralipomen. XXIII, 2, 3. diſertè docet Levitas juſtam functionem demum aggreſſos cùm eſſent בני שלשים שנה [*filii triginta annorum*], id eſt, *tricenarii*, quanquam, ut alia lex docet Numer. VIII, 24. anno viceſimo quinto exacto jaciebant miniſterii ſui rudimenta; quomodo & apud Achæos aliasque gentes triceſimus annus legitimus ad gerendos magiſtratus. Ad hoc exemplum voluit Deus & Baptiſtam (qui ſex menſibus natu major Chriſto, tantò etiam antè munus ſuum eſt auſpicatus) & ipſum Chriſtum anno demum triceſimo peracto exordiri functionem ipſis mandatam. Neque tamen nulla vis eſt particulæ ὡσεὶ [*circiter*]. Solet enim *circiter* tempus aliquod factum aliquid dici, non minùs ubi aliquid excedit quàm ubi deeſt ad præciſam notationem, ut videre eſt & infrà XXII, 59. & apertiſſimè XXIII, 44 collato Marci loco XV, 33. Significat ergo Lucas Chriſtum non ipſo natali die, ſed aliquot pòſt diebus veniſſe ad Baptiſmum, quod ipſi auſpicandi muneris initium fuit. Ac ne hæc interpretatio omni veterum auctoritate deſtituta credatur, ſciendum eſt ita ſenſiſſe Chryſoſtomum, qui Chriſtum ait veniſſe ad Baptiſmum poſt annos triginta. Adde quod de Ioſepho Iacobi filio, qui non dubiam Chriſti geſſit imaginem, quo tempore Ægypto præponitur annotat Moſes fuiſſe eum שלשים שנא [*filium triginta annorum*], id eſt, ut LXX transferunt ἐτῶν τριάκοντα [*annorum triginta*]. Ad exemplum legis Hebrææ & Domini ipſius, Iuſtinianus conſtituit eum qui eligeretur Epiſcopus excedere debere trigeſimum ætatis annum, Novellâ CXXXVII.

Olim ne Presbyter quidem ante eam ætatem legebatur, ut videre eſt Synodi Neocæſarienſis canone XI.

ὑιὸς Ιωσὴφ, τοῦ Ηλὶ, *filius Ioſephi, qui fuit Eli*] In conciliando ſtemmate quod eſt apud Matthæum & iſto quod Lucas poſuit magnopere ſudarunt veterum & recentiorum Scriptorum ingenia: neque id mirum, cùm ab hoſtibus Chriſtianismi tantus in ipſo limine diſſenſus objici his libris quotidie ſoleret. Sed qui gnari ſunt morum Populi Iudæi, ſciunt multas eſſe poſſe γενεαλογίας [*generis recenſiones*] quæ pugnare videantur, nec tamen pugnent; idque non uno modo accidere ſolere; ut ex iis libris quos Iudæi nobiscum agnoſcunt facile eſt probatu. Quum verò multæ ſint conciliandi rationes, quæ ſit optima, poſt tot ſecula, amiſſis pridem tabulis omnique memoria, difficile dictu eſt: veréque hîc illud vetus locum habet,

Qui bene conjexit, vatem perhibebo optimum.

Facillimè ſe hinc expediunt qui ubi τοῦ Ηλὶ [*qui fuit Eli*] dicitur, *filium* interpretantur *generum*; aut etiam non ad Ioſephum hoc ſed ad Ieſum referunt, ut ipſe ſit τοῦ Ηλὶ [*ipſius Eli*], *nepos* ſcilicet. Sed ut non eſt negandum generos *filios* poſſe dici, ita in generis recenſione, nullo addito diſcriminis ſigno, quod erat facillimum, rem adeò diverſam communi voce indicari, vix ſit credibile. Nec magis patitur ordo ille perpetuus illud τοῦ Ηλὶ [*qui fuit Eli*] referri ad id quod erat remotius, præſertim cùm ſi id ageretur verbum ἐνομίζετο [*putabatur*] verbum aliud oppoſitum, putà ἦν δὲ [*fuit autem*], aut ſimile, poſtularet. Multinomines fuiſſe Hebræos qui dicunt, dicunt quod verum eſt & multis veteris Scripturæ locis probari poteſt. Sed ut inter Davidem & Salathielem nullum nomen congruat, neque item inter Zorobabelem & finem ſtemmatis, præſertim cùm ab Abrahamo ad Davidem nomina omnia congruant, ex ſola τῆς πολυωνυμίας [*appellationis multorum nominum uni datæ*] cauſa accidiſſe non facilè concedet qui judicio valebit. Quare multò rectiùs judicaſſe putandi ſunt qui cauſam diverſitatis hanc adferunt, Quòd Sanguinis & Iuris ſucceſſio modò conveniat, modò diſcrepet: Illius arbitra eſt natura, hujus lex Civilis. Et liberi quidem etiam heredes; ſed non & qui heredes liberi, cùm ſæpe agnati à ſatis remoto gradu ad cernendam hereditatem vocentur, quoties propior gradus deficit. Sed qui hoc rectè viderunt, plerique exiſtimarunt ne dubitandum quidem quin Matthæus Naturæ ordinem ſequatur, Lucas Iuris: quippe verba ajunt eſſe aperta, in Matthæo quidem ἐγέννησε [*genuit*], in Luca autem ἐνομίζετο [*putabatur*], quorum illud ſit naturale, hoc legitimum. Habet hoc ſpeciem veri, & fulcitur auctoritate antiqui Scriptoris Africani. Sed & eum Scriptorem in multis rebus non tam diligentiâ quàm judicio & linguarum cognitione deſtitutum labi probatu proclive eſt: Et quod vim vocum attinet, primùm illud ἐνομίζετο [*putabatur*] non ad totum ſtemmatis contextum pertinet, ſed ad Ieſum ſolum, qui Ioſephi filius non erat, ſed vulgò putabatur. In cæteris autem ἐνομίζετο [*putabatur*] locum non habet; niſi dicere lubeat & Davidem νομισθῆναι [*putatum*] *filium Ieſſe*, & *Ieſſe filium Obed*, atque ita deinceps cæteros ad Adamum usque. Ego verò non conjecturis, ſed liquidis, ni fallor, rationibus adductus certiſſimum arbitror à Matthæo ſpectari Iuris ſucceſſionem. Nam eos qui Regnum obtinuerunt, quod erat τῶν πρωτογόνων [*primogenitorum*], privato nemine admixto, recenſet. Deinde, Ιεχονίας, inquit, ἐγέννησε τὸν Σαλαθιήλ [*Iechonias genuit Salathiel*]. Atqui eundem Iechoniam ob ſua merita ſine liberis hac vita exiturum non obſcurè Dei imperio prædixerat Ieremias XXII, 30. ubi eſt Hebræa vox ערירי, quæ ἄτεκνον [*prole carentem*] ſignificat Geneſ. XV, 2. Levit. XX, 20, 21. nec aliter ab Hebræorum doctiſſimis intelligitur. Quare cùm eidem Salathieli (nam cur diverſos putemus non video) Neri parentem adſcribit Lucas privatum hominem, Matthæus autem Iechoniam, apertiſſimum eſt à Luca jus Sanguinis, à Matthæo jus Succeſſionis, & præcipuè jus ad Regiam dignitatem ſpectatum; quod jus, ſine liberis mortuo Iechonia & ſi qui alii erant è Solomonis poſteris, ad Salathielem caput familiæ Nathanis legitimo ordine devolutum eſt. Nam inter Davidis filios Solomonem Nathan ſequebatur. Quod enim quidam in Achazia defeciſſe Solomonis poſteritatem putant, non uni Sacræ hiſtoriæ loco repugnat. Sed condonandus ille error eſt non tam hominibus quàm ſeculo miſerè decepto ab Annianis Pſeudophilonibus. Quod autem diximus, verum eſſe oſtendit Scriptor Paralipomenôn, qui cùm rem notiſſimam de Iechonia ſine liberis mortuo ignorare non poſſet, Iechoniæ filium facit *Aſſir*, Aſſiris aut ipſius Iechoniæ (ambigua enim conſtructio eſt) *Salathielem*, lib. I, cap. III, 17. Malo enim cum Hebræis & LXX אסר [*Aſſir*] pro nomine proprio quàm pro appellativo accipere, cùm & ipſa, ni fallor, conſtructio id magis exigat. *Filium* ergo dicit Iuris ſucceſſorem: nam eum in modum ſolet γενεαλογεῖν [*genus recenſere*]. Neque id ipſe ignorare nos patitur: nam paulò antè eodem loco filium Iechoniæ fecerat *Sedeciam*, quem ejusdem Iechoniæ patruum fuiſſe negari non poteſt, cùm manifeſtum habeamus teſtimonium II Reg. XXIV, 17. Quo loco cùm Hebræa lectio nihil habeat ambiguitatis, Græci codices quidam habent rectè πατράδελφον [*patruum*], quomodo & Ioſephus in hac hiſtoria; alii ex loco Paralipomenôn υἱόν [*filium*]. Sicut ergo *filius* Paralipomenôn Scriptori dicitur qui Iuris eſt ſucceſſor, etiam patruus: ita Matthæo γεννᾷν [*gignere*] dicitur qui heredem aliquem relinquit, Iuris ſcilicet fictione. Sicut & adoptivos parentes Latini per ſimilem κατάχρησιν [*abuſionem*] *genitores* vocant. Et Hebræi, quod plus eſt, genitum ex fratre mortui vocant *ipſius mortui ſemen*. Simili modo τεκνοποιήσασθαι [*gignere prolem*] Xenophonti in Laconica Republica is dicitur qui alium virum ad uxorem admittit, ut ipſe ſecundùm Laconica inſtituta partûs pater dicatur. Similiter Auguſtum *natum Cæſaris* vocat Ovidius initio Metamorphoſeôn, Germanicus autem Auguſtum *genitorem* ſuum in carmine Arateo. Sic & Levitici XVIII, 11. מולדת quidam Hebræi ſumebant de filio adoptato: & Num. III, 1. filii Aaronis dicuntur תלדות *generationes* Moſis, quia ab eo erant inſtituti. His accedit inſuper quòd vox Hebræa ילד, quæ per γεννᾷν [*gignere*] exprimitur, extra originis fines uſum ſuum latè porrigit, ita ut res geſtæ alicujus vocentur תלדות, Helleniſtis, qui

Hebraïſmos amant ſequi, γενέσεις [*generationes*], ut Geneſ. VI, 9. Numer. III, 1. & alibi: & in Pſalmo ſecundo Deus dicatur *genuiſſe* Davidem, cùm eum ad Regnum evexit. Quum ergo in Salathielis perſona apertiſſimum ſit jus Succeſſionis à Matthæo reſpici, à Luca verò jus Sanguinis, ſi qui alibi Matthæum ad jus Sanguinis, Lucam ad jus Succeſſionis more deſultorio transgredi dicant, non video quas adferre poſſint probabiles ejus inconſtantiæ cauſas. Africanus, ut dixi, ſedulus magis quàm exacti per omnia judicii, dum vocibus illis ἐγέννησε [*genuit*] & ἐνομίζετο [*putabatur*] plùs æquo innititur, & deceptus ipſe eſt & ſequentium multos traxit in erroris ſui aſſenſum. Nam Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Euſebius, Nazianzenus, atque alii velut agmine facto ipſum ſequuntur, & Eli à Luca nominatum volunt patrem eſſe Ioſephi jure legitimo, Iacobum autem Matthæo nuncupatum patrem ejuſdem jure naturali; cùm rationes à nobis ſuperiùs allatæ contrarium potiùs perſuadeant. Adde his, quòd Lucas ad Adamum naturalem omnium ſatorem genus perducit; Matthæus autem ab Abrahamo incipit, à quo incipiunt αἱ ἐπαγγελίαι [*promiſſiones*], unde jus potiſſimum oritur. His & illud accedit, quòd Lucæ numerus multò eſt plenior quàm eſt Matthæi: nam Lucas inter Salathielem & Ioſephum novendecim, ut vulgatæ habent editiones, ut nos cenſemus, ſeptendecim perſonas numerat, cùm decem tantùm recitet Matthæus: quod manifeſtum eſt indicium aliquot perſonas à Matthæo omiſſas. Quis enim credat ex duabus familiis ab eodem tempore ad idem tempus hanc alterum tantum habuiſſe γενεῶν [*perſonarum generatarum*] quàm illa haberet? Omnino eſt hoc incredibile. Sed ipſe Matthæus non numerari à ſe perſonas, ſed generis ſummam breviter indicari in τεσσαρεσκαιδεκάδας [*claſſes nominum quatuordecim*] tres memoriæ causâ digeſtam, ſatis apertè profitetur. Nam & inter Ioramum Regem & Oziam, qui idem Azarias, Achaziam, Ioam, Amaziam ſilentio tranſmittit, nempe ut ordini ad memoriæ facilitatem inſtituto conſulat: quod in Iuris ſucceſſione demonſtranda parum refert. Nam, ut dici ſolet, *heres heredis mei heres meus eſt.* At qui naturalem ſeriem ſequi velit, quod facit Lucas (eam enim ob cauſam à Davide ad Salathielem usque privatæ fortunæ homines memorat, ne ab eo ordine diſcedat), eum decet de gradu ad gradum, quà ſanguis ducit, progredi, quod quin fecerit non dubitamus. Ac ſi quis tempora rectè putet à Zorobabele ad Chriſtum, videbit, ſecundùm id quod plerunque accidit, totum id tempus perſonis ab illo recitatis rectè expleri; à Matthæo non item. Quare hinc quoque diſcimus à Matthæo τὸ νομικὸν [*id quod legale eſt*], à Luca τὸ φυσικὸν [*id quod naturale eſt*] ſpectari. Sicut autem hactenus ab Africano compellor diſcedere, ita non omnino ſpernendum arbitror quod ab illo traditum, & quo nihil habemus antiquius. Laudabat ille ejus narrationis auctores conſanguineos Domini noſtri, quos ob id Δεσποσύνους [*Dominicos*] vocabant. Sed intervallum temporis quod inter Chriſtum & Africanum intercedit facile patitur aliquam famæ adulterationem: magis tamen credo ipſius Africani interpretatione corruptum quod rectè acceperat, dum ſervire ſtudet illi ὑποθέσει [*ſuppoſitioni*] quam ſibi præfixerat, ſpectatum à Matthæo Naturæ ordinem, Legis à Luca. Cui conjecturæ meæ fidem haberi nolo niſi ipſe dictis ſuis fidem ſibi deſtruit. *Mathan*, inquit, *à Solomone ducens genus uxorem Eſtham duxerat, & ex ea filium genuerat Iacobum. Eadem Eſtha, mortuo Mathane, nupſit alteri viro Melchi è poſteritate Nathanis, & ex eo Elin genuit. Eli ſine liberis functo Iacobus frater ejus, non quidem conſanguineus ſed uterinus*, id eſt, ὁμομήτριος, *ex lege viduam duxit, ex qua natus Ioſephus naturâ fuerit filius Iacobi, lege* τοῦ Ἠλί [*ipſius Eli*]. Hic multa errari quis non videt? Nam lex τῆς ἐπιγαμβρεύσεως [*leviratûs*] ad conſervanda familiarum jura pertinebat: Familiæ autem ex agnatione cenſentur: quare Iacobo ſine liberis functo prolem ei gignere debuit non uterinus, qui agnatus non erat, ſed proximus ejuſdem familiæ ac nominis. Neque ſi uterinus ſponte id officium præſtitiſſet, propterea filius ex demortui nomine cenſeri & in ſtemma referri ullo jure potuiſſet. Quare ut verum ſit Melchin & Mathanem eâdem uſos uxore, id ad conciliandа hæc ſtemmata valere non poteſt. Eſt & alia traditio vetus, Epiphanio memorata, Ioſephum hunc noſtrum filium fuiſſe τοῦ Ἰακώβ, ἐπίκλην δὲ Πάνθηρ καλουμένου [*Iacobi, qui cognominatus fuerit Panther*]· quod omnino ſpernendum non puto: nam & ipſe Ioſephus appellatus eodem cognomento. Quippe & Celſus Mariam ait concepiſſe ἀπό τινος Πανθήρα τοὔνομα [*ab aliquo cui Panthera nomen*]· quod à Iudæis haud dubiè acceperat: nam iidem Ieſum Dominum noſtrum *filium Panther* appellant, ut in libro מדרש קהלת [*Expoſitionis Eccleſiaſtæ*] & in libro עבודה זרה [*De idololatria*]. Manavit ad poſteritatem & alia fama Græcis Scriptoribus memorata, Mariæ patrem dictum *Iehojakimum*, ei patrem *Pantherem*, Pantheri patrem *Barpantherem*, Barpantheri *Levin Melchi filium*: quod non eſt temerè improbandum. Nam cùm res ipſa loquatur, ut alibi oſtendimus, Mariam fuiſſe ἐπίκληρον [*heredem*], ac proinde κλήρων εἰς τοῦτο ἀναγκασάντων [*jure ſucceſſionis ita exigente*], ut rectè loquitur Epiphanius, nupſiſſe proximo agnato, ſequitur propinquo gradu junctos inter ſe fuiſſe Ioſephum & Mariam: quamobrem & ex Ioſephi ſtemmate genus Mariæ diſcendum nobis proponitur. Id autem apparebit veriſſimum ſi dicamus, ut illa ſignificat narratio, eundem Levin patruum fuiſſe Ioſepho, Mariæ verò abavum. Quod autem *Panther* & *Barpanther* appellantur Mariæ avus & proavus, eò factum arbitror quòd cognomen gentilitium poſitum ſit vice nominis per immemoriam obliterati, ut fieri ſolet. Omnino enim Panther videtur commune fuiſſe vocabulum eorum qui à Melchi deſcenderant, fortè & longiori parentum ſerie à Maccabaïcis uſque temporibus deductum ex rei alicujus memorabilis eventu. Cœperant enim illis temporibus cognomina quædam gentilitia uſurpari, ſive ex nomine progenitoris, ut cognomen *Haſmonæorum*, ſive ex caſu aliquo. Iam quod, collectis in unum traditionibus, atque ita acceptis ut nec cum Matthæo nec cum Luca diſſentiant, vero ſimillimum mihi videtur, ſubjiciam legentium judicio, teſtatus, quod jam dixi, arbitraria hæc eſſe, non explorata. Verum puto quod οἱ Δεσπόσυνοι [*Dominici*] Africano dixerunt Eſtham primùm Matthani, deinde Melchi conjugem fuiſſe; itaque eſſe eos ὁμοχρόνους [*ejusdem temporis*]· in Matthane autem exſtinctam ſtirpem naturalem Abiudis, quæ prima erat ſtirpium proſatarum ex Zorobabele. Quare ex lege, viduæ matrimonium ad ſobolem in nomen mortui excitandam debitum ei qui princeps eſſet familiæ ſecundæ per Reſam ab eodem Zorobabele venientis: Atque eum fuiſſe Melchim, qui Iacobum genuerit, patris naturalis cognomine dictum vulgò *Pantherem*, legis autem æſtimatione filium Matthanis mortui, & juris omnis ſucceſſorem. Hujus Iacobi ſine liberis functi jus devolutum ad Ioſephum: atque ita Ioſephum dici *Iacobi filium*, non ex lege τῆς ἐπιγαμβρεύσεως [*leviratûs*], ſed quod hereditas ejus ad ipſum perveniſſet: quomodo Sedecias eſt *filius*, ut diximus, *Iechoniæ*. Erat autem Ioſephus, ſi rectè rationem puto, filius fratris Iacobi, ac proinde Iacobus Ioſephi patruus. Mariam autem, cùm ab altero Melchis filio veniret, & eſſet ἐπίκληρος [*heres unica*], nuptam Ioſepho, quia nemo exſtabat propior ad cujus tutelam confugeret. His nodis expeditis, una videtur reſtare difficultas, quomodo & Matthæo & Lucæ Zorobabel dicatur *Salathielis filius*, cùm Paralipomenôn Scriptor eum dicat *Pedajæ filium*, qui frater videtur fuiſſe Salathielis. Mihi planum videtur non agi ibi de Ethnarcha Zorobabele, quem Salathielis eſſe πρωτότοκον [*primogenitum*] omnibus erat notiſſimum, ſed de alio gentis ejuſdem, qui inter cæteros Regiæ ſtirpis nominatur. Nam & liberi ejus Zorobabelis alia habent nomina quàm quæ aut apud Matthæum aut Lucam exſtant: ita ut ad ſolutionem naturalis & legitimæ ſucceſſionis confugere hîc non liceat. Et apud Eſdram, Nehemiam, Aggæum, Zorobabel Ethnarcha nuſquam *Pedajæ*, ſemper, ut hîc tam Matthæo quàm Lucæ, *Salathielis filius* dicitur: atque ita eum ſæpe appellat Ioſephus diligens harum rerum inquiſitor. Huic autem Zorobabeli ampliſſimæ à Deo factæ erant promiſſiones de Regno in ejus poſteritate firmando; unde in ejus perſonam non minùs quàm in Davidis & Abrahami concurrunt Matthæus & Lucas. In his autem quæ antè diximus ita rem expoſuimus quaſi duo illa nomina *Matthat* & *Levi* inter Elin & Melchin in contextu Lucæ non extarent: cujus noſtræ exiſtimationis, ut & omiſſi Caïnanis, cauſæ mox ſuo loco reddentur. Sed cùm magis veritas oculata fide quàm per aures animis hominum infigatur (ut Iurisconſulti loquuntur cùm de gradibus agunt cognationis) utramque tam Matthæi quàm Lucæ lineam ſpectandam exhibebo, Matthæi dextro, Lucæ ſiniſtro latere, in medium ſpatium rejectis nominibus quæ uterque memorant. Quas autem perſonas Matthæus omiſit, ut τεσσαρεσκαιδεκάδας [*nominum quatuordecim claſſes*] ſuas rotundaret, eas alio literarum genere ſubjiciam: eodemque ſubtexam Mariæ ſtemma:

ADAM.
SETH.
ENOS.
CAINAN.
MALELEEL.
IARED.
ENOCH.
MATHVSALA.
LAMECH.
NOE.
SEM.
ARPHAXAD.
SALA.
HEBER.
PHALEC.
RAGV.
SARVCH.
NACHOR.
THARE.

ABRAHAM.
ISAAC.
IACOB.
IVDA.
PHARES.
ESROM.
ARAM aut RAM.
AMINADAB.
NAASSON.
SALMON.
BOOZ.
OBED.
IESSE.

DAVID.

SOLOMO.	NATHAN.
ROBOAM.	MATTATHA.
ABIA.	MAINAN.
ASA.	MELEA.
IOSAPHAT.	ELIAKIM.
IORAM.	IONAN.
Achazia.	IOSEPH.
Ioas.	IVDA.
Amaſia.	SIMEON.
OZIAS, qui & AZARIAS.	LEVI.
IOATHAM.	MATTHAT.
ACHAZ.	IORIM.
EZECHIA.	ELIEZER.
MANASSE.	IOSE.
AMON.	ER
IOSIAS.	ELMODAN.
IECHONIAS, id eſt, Iehojakim.	COSAM.
IECHONIAS alter, ſine liberis mortuus.	ADDI.
SEDECIAS, patruus & heres Iechoniæ poſterioris.	MELCHI.
Aſſir, poſt Sedeciam Iechoniæ heres.	NERI.

SALATHIEL, Neri filius, heres Aſſiris & Iechoniæ.
ZOROBABEL, Salathielis filius & heres.

ABIVD.	RESA.
ELIAKIM.	IOHANNA.
AZOR.	IVDA.
SADOC.	IOSEPH.
ACHIM.	SEMEI.
ELIVD.	MATTATHIAS.
ELEAZAR.	MAATH.
Ἀνώνυμος.	NAGGA.
Ἀνώνυμος.	ESLI.
Ἀνώνυμος.	NAVM.
Ἀνώνυμος.	AMOS.
Ἀνώνυμος.	MATTATHIAS.
Ἀνώνυμος.	IOSEPH.
Ἀνώνυμος.	IANNA.
MATTHAN, prior maritus Eſthæ ſine liberis mortuus.	MELCHI, poſterior maritus Eſthæ, pater naturalis Iacobi.
IACOB, qui & *Panther*, Matthanis filius legalis ex Eſtha, frater Elis & Levis naturâ.	ELI-Levi.
IOSEPH, filius Eli naturâ, Iacobi heres, Mariæ agnatus proximus.	Barpanther. Panther. Iehojakim, qui & *Eliakim*. Maria, Ioſepho nupta.

Aliquot perſonas quarum non exſtant nomina inter Zorobabelis & Chriſti tempora interpoſui, quia ſine illis expleri tempora ſatis commodè non poſſunt: neque id novum in Matthæo, cùm, ut dixi, tres Reges continuos omittat. Quot hìc omiſſi fuerint difficile dictu eſt, cùm ſæpe eodem temporis ſpatio familiæ inter ſe comparatæ γενεὰς [*perſonas generatas*] habeant unâ aut alterâ plures & pauciores; quod in omnibus ſtemmatibus videre eſt. Quia verò Mariæ abavus *Levi* vocabatur, inde natus eſt error veterum exiſtimantium Chriſto ex natalibus etiam acquiſitum Ius Levitici Sacerdotii : in quo multa ſunt reprehendenda. Nam nomina quod attinet, ea communia erant Tribubus omnibus, ita ut & Levita *Iudas*, & ex Iuda genitus *Levi* diceretur; quod nemo mediocriter in iſtis literis verſatus ignorat. Deinde verò Ius Levitici Sacerdotii non potuit niſi per mares ex maribus, ut Romani loquuntur, deferri. Quantò fuerat ſatius credere divino Scriptori ad Hebræos, diſertè neganti Tribum Iudæ, ex qua ortus eſt Ieſus, ullum habere jus ſuccedendi in Sacerdotium; & propterea Chriſti Pontificium non eſſe Leviticum ſed ἀπαράβατον [*non tranſiens per ſucceſſionem*] Regale, quale Melchiſedeci fuerat. Illud addam, omnino me arbitrari Lucæ ſtemma petitum ex tabulis publicis: nam in iis genera accuratè admodum deſcribi ac cuſtodiri ad Excidium uſque ſolita Ioſephus teſtatur.

24. Τοῦ Ἠλὶ, τοῦ Μελχὶ, *Qui fuit Eli, qui fuit Melchi*] Sic in antiquis exemplaribus fuiſſe, perſuadeor argumentis quæ à viro veri amante eóque & aliis nominibus mihi amiciſſimo Iohanne Cordeſio duabus diſſertationibus allata ſunt. Nam Irenæus diſertè docet ſuo tempore tantùm LXXII exſtitiſſe γενεὰς [*perſonas*] in Luca, eumque numerum eis ſignis exprimit ut de lectionis veritate dubitari non poſſit. Ad eum verò numerum reduci res non poteſt, niſi & *Matthat* & *Levi* hoc loco omittantur & infrà *Caïnan.* Africanus verò non minùs apertè citat Lucæ verba his duobus nominibus hoc loco omiſſis, & clarè ſignificat ipſi Eli patrem ἄμεσον [*nullâ perſonâ interpoſitâ*] fuiſſe Melchim; quem & Euſebius ſequitur, & in hexametro carmine de Genealogia Nazianzenus, & ad Matthæum Hieronymus, & alicubi Auguſtinus. Putem cauſam additi nominis *Matthat* fuiſſe, quòd id alterum eſſet nomen Melchis: nam id à Damaſceno aliiſque quibuſdam ex fama aut libris amiſſis proditum eſt. *Levis* autem nomen itidem perperàm inſertum putem ab iis qui audiſſent ipſi Melchi filium fuiſſe Levin, quod nomen fortè pro *Eli* ſubſtituendum putarunt; cùm tamen is Levi non ad Ioſephum, cujus hîc genus traditur, ſed ad Mariam pertineret, ad quam ſtemma non perducitur. Nec indignum notatu, nomina ferè omnia Nathanis poſterûm ſpem in ſe ferre Regni quod Davidis poſteritati promiſſum fuerat.

33. τοῦ Ἀράμ. *Aram*] Ita LXX fine libri Ruth, & I Paralipomenôn II, 9. ubi Hebræi habent רם [*Ram*]; at Syrus hîc ארם [*Aram*]. Eſt igitur ex Syriaſmo additum Aleph fronti dictionis. Nam & Syri ipſi Hebræis & Arabibus רם [*Ram*] vocabantur, ut Iobi XXXII, 2. & II Paral. XXII, 6. cùm ipſi ſe vocarent ארם [*Aram*], quod nomen apud alias quoque gentes uſu invaluit; unde Ἀριμοι [*Arimi*] Græcis veteribus. Simile eſt quod רמתא urbs dicta eſt ארמתא Ἀριμαθαία, ut ſuprà diximus.

36. Τοῦ Σαλὰ, τοῦ Ἀρφαξὰδ, *Qui fuit Sale, qui fuit Arphaxad*] Sic habent manuſcripti Græci aliquot quorum meminit Beza, &, quod potiſſimum eſt, antiquiſſimâ literâ ſcriptus unus qui Lugdunenſis Eccleſiæ fuit, Cantabrigiam poſtea delatus; & alter in Angliam è Græcia nuper miſſus. Irenæi quoque numerus oſtendit *Caïnani* nomen non lectum eo tempore: nec certè ejus quæ nunc apparet lectionis indicia reperias ante quartum ſeculum. Omnino Cordeſio aſſentior exiſtimanti *Caïnani* nomen hoc loco nec in primitivis Lucæ, nec in Septuaginta Interpretum libris exſtitiſſe. De Luca, præter ea quæ diximus, rem credibilem facit Africanus, qui id nomen non agnoſcit; De Interpretibus Septuaginta, quòd Procopius Gazæus notat eum qui eſt in Geneſi de Caïnano locum ὠβελίσθαι [*obelo notatum*] tanquam ſuppoſititium; quòd Theophilus Antiochenus in temporum ſupputatione Septuaginta illos ſequens in nominum recenſione omiſſo Caïnane Arphaxadum Salæ patrem facit; itemque Euſebius, ut Græcè à Scaligero eſt editus, idque in ea genealogia quam ipſe ait eſſe ſecundùm Septuaginta; quòdque alii ſecundùm eoſdem Interpretes tempora à ſe putari profitentes, ita putant ut conſtare ratio non poſſit niſi omittatur hîc Caïnan: quos inter ſunt Epiphanius hæreſi LV. & Oroſius. His adde quòd Septuaginta nomen hoc ex traditione aliqua hauſiſſe dici non poſſint, cùm Samaritana ſcriptio & Chaldæa verſio, & quæ eam ſecutæ ſunt aliæ extra Græcum, codici Hebræo conſentiant, nec quiſquam Hebræorum Magiſtrorum tale quid tradiderit. Adde quòd Abrahamum à Diluvio eſſe decimum, qui Caïnano interjecto eſſet undecimus, non Hebræi tantùm, quos inter Ioſephus, affirmant, ſed & ex Chaldæis Beroſus ab ipſo Ioſepho productus, & ex Græcis Eupolemus, cujus locum ſervavit Euſebius. Quæ conjecturæ me inducunt ut credam à ſcriptore aliquo libri, unde multa exemplaria fluxerunt, ex penultimo hujus commatis capite nomen *Caïnanis* hoc loco errore quodam repoſitum; quales repetitiones vitioſas ex perperàm inſpectis archetypis, aut dictantis hallucinatione, multis in libris occurrunt. Deinde cùm latè ſpargi ea lectio per Lucæ exemplaria cœpiſſet, Græcos Chriſtianos etiam in verſione Geneſeos ſecundùm Septuaginta inter Arphaxadum & Salam interpoſuiſſe nomen *Caïnanis*; annis etiam additis, quò magis Lucæ, quem ſic ſcripſiſſe arbitrabantur, ſua auctoritas conſtaret. Sed horum temeritatem tum alia quæ diximus refellunt, tum quòd Paralipomenôn liber Græcus, cujuſcunque tandem is ſit interpretis, in antiquioribus libris Caïnanis hujus novi nullam faciat mentionem.

38. τοῦ Ἀδὰμ, τοῦ Θεοῦ. *qui fuit Adam, qui fuit Dei*] Syrus & Arabs, cùm ubique *filii* nomen expreſſerint, hîc mutarunt loquendi genus; neque dixerunt, *Adam, qui filius Dei*, ſed *qui ex Deo eſt*; ne ſcilicet ex ſubſtantia Divina genitus crederetur. Ego illis potiùs

aſſentio qui *filium Dei* dici putant Adamum creationis jure, atque eo gradu attolli animos ad credendam Chriſti genituram. Nam qui ex terra ſine patre hominem primum potuit producere, idem efficere potuit ut Chriſtus ex virgine ſine patre naſceretur, imaginem illam Divinam ad quam Adamus erat conditus, non purgaturus tantùm à peccati maculis, ſed & in multò meliorem ſortem reformaturus. Certè & Paulus illud Arateum laudat,

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν.
[*Nos genus illius.*]

Et Deus ipſe hoc ſenſu *patrem* ſe vocat Deut. XXXII, 6. Addam Philonis locum, ubi & Deum *patrem Adami* nominat, & cauſas nominis facundè explicat, περὶ τοῦ πρώτου καὶ γηγενοῦς [*de illo primo & Terrigena*] hunc in modum loquens, ὃς ἕνεκα εὐγενείας οὐδενὶ θνητῷ σύγκριτος, χερσὶ μὲν θείαις εἰς ἀνδριάντα τὸν σωματοειδῆ τυπωθεὶς ἀκρότητι τέχνης πλαστικῆς· ψυχῆς δὲ ἀξιωθεὶς ἀπ' οὐδενὸς ἔτι τῶν εἰς γέννησιν ἡκόντων, ἐμπνεύσαντος Θεοῦ τῆς θείας δυνάμεως ὅσον ἠδύνατο δέξασθαι θνητὴ φύσις. ἦν ἄρ' οὐχ ὑπερβολὴ τῆς εὐγενείας, μηδεμιᾶς τῶν ἄλλων αἳ δὴ ὠνομάσθησαν εἰς σύγκρισιν ἐλθεῖν δυναμένης; τῶν μὲν γὰρ τὸ κλέος ἐκ προγόνων εὐγενείας· ἄνθρωποι δὲ οἱ πρόγονοι, ζῶα ἐπίκηρα καὶ φθαρτά, καὶ αἱ τούτων ἀβέβαιοι καὶ ἐφήμεροι τὰ πολλὰ εὐπραγίαι· τοῦ δὲ πατὴρ μὲν θνητὸς οὐδεὶς, οὐδὲ αἴτιος, ἀλλ' ὁ Θεός· οὗ τρόπον τινὰ γενόμενος εἰκὼν κατὰ τὸν ἡγεμόνα νοῦν ἐν ψυχῇ, δέον ἀκηλίδωτον τὴν εἰκόνα φυλάξαι καθ' ὅσον οἷόν τε ἦν ἐπακολουθήσαντα ταῖς τοῦ γεννήσαντος ἀρεταῖς, προτεθέντων εἰς αἱρέσεις καὶ φυγὰς τῶν ἐναντίων, ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ, καὶ καλοῦ καὶ αἰσχροῦ, καὶ ἀληθοῦς καὶ ψευδοῦς, τὰ μὲν ψευδῆ καὶ αἰσχρὰ καὶ κακὰ προθύμως εἵλετο, τῶν δὲ ἀγαθῶν καὶ καλῶν καὶ ἀληθῶν ἠλόγησεν [*qui quod ad nobilitatem attinet neminem habet qui ſecum comparetur, manibus Divinis in ſimulacrum corporeum formatus ſumma arte figulari; animâ autem donatus non ab ullo qui genitus eſſet, ſed Deo inſpirante ei tantum divinæ facultatis quantum ferre poterat natura mortalis. Nonne hæc ergo fuit eminentiſſima nobilitas, cum qua nulla alia poſſet contendere? Aliis enim gloria ex majorum nobilitate; at majores illi homines fuere, animal temporarium & corruptibile; fortunæ eorum incertæ ac diariæ: illius verò nullus mortalis aut pater aut cauſa, ſed Deus ipſe. Cujus ille cùm aliquo modo factus eſſet imago, nempe per mentem quæ dux animæ eſt, cùm debuiſſet illam effigiem ſervare quàm maximè fieri poterat immaculatam, imitando virtutes ejus qui eum genuerat, cùm ei ad eligendum & fugiendum propoſita eſſent contraria inter ſe, hinc bonum, inde malum; hinc pulchrum, inde turpe; hinc verum, inde falſum; & falſa & turpia & mala ſponte prætulit, bona autem & pulchra & vera contemſit*]. Ioſephus quoque de primis hominibus agens, ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ γενόμενοι [*ab ipſo Deo geniti*]. Neque verò diſplicet mihi veterum obſervatiò, qui Matthæum Iudæis ſcribentem eò rem perduxiſſe volunt, ut oſtenderet Ieſum eſſe heredem Abrahami & Davidis, ac proinde ipſorum Meſſiam; Lucam autem, ut qui Græcis ſcriberet, ad ipſam generis humani originem, ſtemma pertexuiſſe, ut ſignificaret hunc illum eſſe qui communi bono generis humani natus in ſe credentibus collaturus eſſet jus filiorum Dei, quod Adamus & eum ſecuti homines amiſerant, & quidem tantò excellentiùs quantò ipſe genitus erat modo excellentiore.

CAPVT IV.

EN τῷ Πνεύματι, *à Spiritu*] Infrà 14. ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος [*in virtute Spiritûs*]. Vide ſuprà cap. 11, 27. & quæ ad Matthæum hoc loco.

2. Ἡμέρας, *Dies*] Dies civiles, id eſt, νυχθήμερα [*dienoctia*] intelligit, quod alii Hebraïco more dixerunt ἡμέρας τεσσαράκοντα καὶ νύκτας τεσσαράκοντα [*dies quadraginta & noctes quadraginta*]. Neque id impedit quò minùs revera Chriſtus intra ejus temporis terminos Hieroſolymis ἐν τῷ πτερυγίῳ [*in lorica Templi*] fuerit. Nam cùm ſtatim relatus fuerit in ſolitudinem ſummâ celeritate, exiguum tempus pro nullo reputatur.

πειραζόμενος, *tentabatur*] Multis modis; quorum præcipui hîc referuntur.

3. τῷ λίθῳ τούτῳ, *lapidi huic*] *Cuivis horum lapidum:* quod pluraliter exprimit Matthæus, ut alibi ſæpe.

5. ἀναγαγὼν, *ſurſum ducens*] הסיק.

ἐν στιγμῇ χρόνου· *in momento temporis*] Εν ἀτόμῳ [*in tempore individuo*], ut Græcorum quidam loquuntur. Bene nuper verſum *in puncto temporis*, quomodo loquuntur Cicero & Cæſar. Nam *momenti* ſignificatio longiùs porrigitur. Hebræum eſt פתע Eſa. XXIX, 5.

6. τὴν ἐξουσίαν ταύτην, *poteſtatem hanc*] Id eſt, *omne hoc Imperium.* Syrus rectè שולטנא. Nam & LXX שלט vertunt ἐξουσιάζειν [*poteſtate uti*]. Hinc paſſim videre eſt conjungi ἀρχὴν [*imperium*] & ἐξουσίαν [*poteſtatem*], & à ſenſu abſtracto ad concretum, quem vocant, transferri.

καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν· *& gloriam illorum*] Ita & Latinus legit. At Syrus αὐτῆς [*ejus*], ut referatur ad ἐξουσίαν [*poteſtatem*]. Sed rectum puto αὐτῶν [*illorum*], ut ad res ipſas demonſtratas referatur; quomodo mox ἔσται σοι πάντα [*erunt tua omnia*].

αὐτήν. *illam*] Τὴν δόξαν [*gloriam*], quomodo & Syrus legit. Diabolus hoc loco & alibi, ut Sophiſtæ ſolent, verum falſo permiſcet. Neque enim tam impudens erat ut Deo jus in Imperia abnegaret: ideo dicit παραδέδοται [*tradita ſunt*]. Sed jactat vim ſuam in rebus humanis agendis ferendisque, ob quam ἄρχων τοῦ κόσμου [*Princeps hujus mundi*] ipſi quoque Chriſto dicitur. Falſum præcipuè eſt in illo ᾧ ἐὰν θέλω [*cui volo*]· id enim libertatem ſignificat alieno arbitrio non ſubjectam, quæ Deo illis ipſis verbis ut propria tribuitur Danielis IV, 22. Tantundem ergo dicit Diabolus quaſi diceret Deum ab humanarum rerum reſpectu curam ſuam avertiſſe: quæ opinio fons eſt ἀθεότητος [*impietatis*].

7. ἐνώπιόν μου, *coram me*] *In mei honorem:* quod μοι [*mihi*] dixit Matthæi Interpres. Nam quod ſæpe per dativum dicitur id alibi exprimitur per על [*ſuper*] aut לפני [*ad faciem*], Græcè ἐναντίον aut ἐνώπιόν τινος [*coram aliquo*]. Dativus eſt Hebraïcè & Græcè III Reg. XIX, 18. & Græcè Rom. XI, 4. ubi Latinè *coram:* quod Ierem. XXIX. in dativo, id II Paral. XXV, 14. eſt per לפני [*ad faciem*], Græcè ἐναντίον αὐτῶν [*coram ipſis*].

8. εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, Γέγραπται, προσκυνήσεις, *dixit Ieſus, Scriptum eſt, adorabis*] Hæc haud dubiè vetu-

vetuſtior eſt lectio, quam & Latinus & Syrus agnoſcit, & Origenes & Ambroſius. Poſt quos omnes addi in Græcis codicibus atque etiam Arabicis cœpit, Ὕπαγε ὀπίσω μου [*Vade poſt me*], aut etiam Ὕπαγε ὀπίσω μου, Σατανᾶ [*Vade poſt me, Satana*]· & poſt Γέγραπται [*Scriptum*] additum γὰρ [*enim*], nimirum ex aliorum locorum collatione. Nec quiſquam eſt Græcorum Theophylacto antiquior qui iſta verba hoc loco agnoſcat. Sic & alii exſcriptores commata quædam in hac hiſtoria tranſpoſuerunt, ut ordinem τῶν πειρασμῶν [*tentationum*] eum reſtituerent qui eſt apud Matthæum. Sed nulla fuit cauſa cur Lucas in rebus ejuſmodi ordinem tam anxiè ſequeretur.

9. Εἰ ὁ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, *Si filius Dei es*] Suprà dixit Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ· quomodo & hîc legendum non vanis conjecturis monet eruditus Interpres. Nec refrager, ſi codicum aliquot auctoritas accedat. Nam ne Arabs quidem articulum addidit.

10. τοῦ διαφυλάξαι σε. *ut conſervent te*] Quod eſt in Pſalmo לשמרך ita verterunt Lxx. Sic & alibi in his ſcriptis reperies τοῦ poſitum pro Hebræo ל.

13. ἄχρι καιροῦ. *uſque ad tempus*] Vi aggreſſurus poſtea quem illecebris corrumpere non potuerat, Ioh. XIV, 30. ut nihil eſſet malorum in quo vincendo Dux noſter nobis non præiviſſet, πεπειρασμένος κατὰ πάντα καθ᾽ ὁμοιότητα [*tentatus per omnia ſimiliter*] Hebr. IV, 15.

14. Καὶ ὑπέστρεψεν ὁ Ἰησοῦς ἐν τῇ δυνάμει τοῦ Πνεύματος εἰς τὴν Γαλιλαίαν· *Et regreſſus eſt Ieſus in virtute Spiritûs in Galilæam*] Id eſt, Spiritu ducente eò ſe contulit. Hæc enim interpretatio præ cæteris arridet ob id quod ſupra habuimus commate 1. Δύναμις Πνεύματος [*virtus Spiritûs*] eſt τὸ Πνεῦμα [*Spiritus*], Actorum I, 8.

16. κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ, *ſecundùm conſuetudinem ſuam*] כמשפטו: ita ut Capharnaümi facere ſolebat.

ἀνέστη ἀναγνῶναι. *ſurrexit legere*] Solebat in Synagogis eſſe ἀναγνώστης [*Lector*], ut dicemus infrà ad vocem ὑπηρέτης [*miniſter*]. Poſtquam is legerat attributam diei περιοχὴν [*ſectionem*] fiebat diſſerendi copia, Actor. XIII, 15. Philo, Ὁ μὲν τὰς βίβλους ἀναγινώσκει λέγων· ἕτερος δὲ τῶν ἐμπειροτάτων, ὅσα μὴ γνώριμα παρελθὼν, ἀναδιδάσκει (ita legendum ex Euſebio, ubi Philonis codices malè repetunt vocem ἀναγινώσκει). τὰ γὰρ πλεῖστα διὰ συμβόλων ἀρχαιοτρόπῳ ζηλώσει παρ᾽ αὐτοῖς φιλοσοφεῖται) [*Ille quidem ore in libro ſcripta recitat; alius vero ex doctiſſimis, quæ minùs nota ſunt edocet: multa enim apud illos tractantur per ſymbola, Veterum exemplo*]. Sed honoris cauſâ, ſi quis vir gravis adveniſſet, dabatur ei liber cum poteſtate legendi, &, ſi parem ſe judicaret, etiam explicandi.

17. ἐπεδόθη αὐτῷ βιβλίον, *traditus eſt illi liber*] Cùm & ex Lege & ex Prophetis quoque Sabbato περιοχαὶ [*ſectiones*] legerentur, datus eſt ei liber qui expoſitu difficilior credebatur, idque juſſu Archiſynagogi per eum qui infrà vocatur ὑπηρέτης [*miniſter*].

ἀναπτύξας, *ut revolvit*] Ἀναπτύσσειν βιβλίον eſt *evolvere*, πτύσσειν *convolvere*. Nam Hebræorum, ut & Latinorum, libri erant volumina: hinc *evolvere librum* apud Ciceronem atque alios. Idem eſt *revolvere* Livio & Martiali, qua voce & hîc uſus eſt rectè Latinus Interpres. Ejuſmodi libros etiam nunc in Synagogis videre eſt.

τὸν τόπον, *locum*] Sic Plutarchus atque alii loqui ſolent. Alii etiam χωρίον dicunt. Cicero *locum libri* aliquoties dixit: & Terentius, *eum Plautus locum reliquit integrum*. Noſter hic Actor. VIII, 32. περιοχὴν [*circuitum*] dixit. Περικοπὴν [*abſectum*] dixerunt Græcorum exemplo Iuſtinus Martyr & Hieronymus: & falluntur qui apud Philoponum & Baſilium eam vocem aliter exponunt.

18. Πνεῦμα Κυρίου ἐπ᾽ ἐμὲ, *Spiritus Domini ſuper me*] Sicut liberatio ex captivitate Babylonica & imago & pignus fuit liberationis animorum quam facturus eſſet Meſſias: ita & quæ Eſaias de ſe dixerat, ita directa ſunt à Deo ut Domino Ieſu excellentiùs convenirent. Etiam Kimchi ad Meſſiam hæc aptat.

οὗ εἵνεκεν ἔχρισέ με· *propter quod unxit me*] Videtur οὗ εἵνεκεν aliquid conſequens deſignare, cùm contrà ex uſu Helleniſtarum antecedens ſignificet: reſpondet enim Hebræo יען, quæ vox ſignificat non *propterea*, ſed *eò quòd*: ut Geneſeos XXII, 16. οὗ εἵνεκεν ἐποίησας τὸ ῥῆμα τοῦτο, καὶ οὐκ ἐφείσω τοῦ υἱοῦ σου τοῦ ἀγαπητοῦ δι᾽ ἐμὲ, ἦ μὴν εὐλογῶν εὐλογήσω σε [*Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti filio tuo unigenito propter me, benedicens benedicam tibi*]. ubi itidem ut hîc in Hebræo eſt יען, quam vocem alibi Lxx vertunt per ἀνθ᾽ ὧν [*eò quòd*], ut diximus ſuprà cap. I, 20. ἔχρισε [*unxit*] hîc non donationem Spiritûs ſignificat (idem enim ſui ipſius cauſa redderetur) ſed injunctum munus, ut & quod ſequitur ἀπέσταλκε [*miſit*]. Genus loquendi inde ſumtum quòd & Reges & Sacerdotes unctione inaugurari ſolebant. Quia munus illud annuntiationis Eſaiæ olim, jam verò multò auguſtius Chriſto erat impoſitum, ideo uterque inſtructus eſt donis muneri convenientibus.

πτωχοῖς, *pauperibus*] Inter diverſitates lectionum quæ in Hebræis codicibus occurrunt nulla eſt frequentior eâ quæ nata eſt ex literarum ו & י inter ſe commutatione. Quare hæc ipſa vox quæ hîc apud Prophetam exſtat in Pſal. XXXIV, 3. IX, 13, & 19. & Prov. XVI, 19. ab aliis עניים [*pauperes*] ab aliis ענוים [*humiles* ſive *modeſti*] ſcribitur, agnoſcentibus Maſoritis, quorum auctoritatem Iudæi ſequuntur. Sed & alibi ubi non niſi ענוים legitur, quomodo hoc Prophetæ loco ſcriptum habemus, Lxx vertunt πένητες [*pauperes*]. ut in loco Pſalmi apud Hebræos X, 17. XXII, 27. Sanè origo vocis oſtendit propriè *miſeriam* hac voce ſignificari; poſtea verò translatam ad *modeſtiæ* & *ſubmiſſi animi denotationem*: quod & de voce ταπεινῶν [quæ *humiles* deſignat] diximus. Et huic loco multo aptior eſt illa *miſeri ſtatus* quàm *animi modeſti* ſignificatio.

κηρύξαι, *prædicare*] Quod ante hanc vocem habent codices quidam ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν [*ſanare contritos corde*] non fuiſſe in libris Græcis veteribus ex Origene apparet. Sed nec in antiquiſſimis Latinorum codicibus apparuiſſe ex Ambroſii ad hunc locum explicatione facile eſt collectu. Quare cùm & nunc antiqui codices ſuperſint qui hanc particulam non habeant, probabilius multò eſt additam ex Eſaia & Interpretibus Lxx quàm ab aliis exſcriptoribus omiſſam. Nam eodem modo Latina editio ex Eſaia additum habet commate ſequenti *& diem retributionis*, quod neque in Græcis neque in Syriacis exſtat. Sæpe autem noſtri Scriptores Prophetarum locis utuntur ea libertate ut verba quædam in medio omittant; quod hîc eò minore ſenſus damno fieri potuit, quia Propheta variato ſæpe loquendi genere rem eandem exprimit.

καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, *& cæcis viſum*] Reipſa conſtat idem dici quod ſuperioribus. Verborum proprietas in controverſia eſt. Mihi videntur LXX, quos ſequitur Lucas, Hebræa ſatis conſideratè interpretati. פקח, ſi quis expendere velit loca in quibus ea vox apparet, non ſignificat quamvis *aperturam*, ut פתח, ſed eam duntaxat quæ ad Oculos pertinet, niſi quòd & ad Aures transfertur, quomodo & פצה Oris eſt proprium. Iam verò quod ſequitur קוח eſſe *carcerem*, ut multi volunt, nullo teſtimonio probatur. Quare non video cur improbemus quod doctiſſimi Hebræorum ſentiunt unam eſſe vocem פקחקוח, ſed in qua literæ θέματος [*vocis primitivæ*] poſteriores αὐξητικῶς [*per augmenti modum*] repetantur: Cujuſmodi ſunt אדמדם [*rufus*] & ירקרק [*viridis*] & סחרחר [*circuivit*] & הפכפך [*tortuoſus*]. Diſputant Hebræorum Grammatici, talis literarum repetitio ſitne ὑποκοριστική [*diminutiva*] an αὐξητική [*auctiva*]. Sed ut de אדמדם [voce *rufi*] & ירקרק [voce *viridis*] res ſit dubia, duæ reliquæ quas dixi voces omnino auctivam ſignificationem poſtulant, ut videre eſt Pſalm. XXXVIII, 11. & Prov. XXI, 8. Optimè ergo videntur ſentire qui hoc Prophetæ loco פקחקוח referunt ad pleniſſimam libertatem oculos huc atque illuc quà lubet circumferendi. Interpretes autem LXX, ut continuarent tralationem, quod præcedit אסורים [*captivis*] verterunt τυφλοῖς [*cæcis*], nimirum quia, ut diximus, פקח ad Oculos pertinet, ad Carcerem non pertinet. Atque ideo plerunque de cæcis dicitur, ut Pſalm. CXLVI, 8. Eſaiæ XLII, 7. At Hebræi amant & propria figuratis & alias figuras aliis connectere. *Cæci* autem dici ſolent qui in tenebris vivunt, quod præcipuè convenit his quos carcer claudit. Itaque apud eundem Eſaiam XLIX, 9. eodem ſignificatu ponuntur οἱ ἐν δεσμοῖς [*qui vincti ſunt*] & οἱ ἐν σκότει [*in tenebris*]. & XLII, 7. οἱ τυφλοὶ [*cæci*] & οἱ δεδεμένοι [*vincti*]. Captivi igitur cæci, ut Latinis cæci *oculis capti*. Vtraque ſimilitudo ſummam miſeriam ſignificat, qualis erat Iudæorum in exſilio Babylonico, multóque magis hominum omnium in illo craſſæ ignorantiæ ſtatu ante tempora Meſſiæ. Confer eundem Eſaiam XLIII, 8. ubi itidem Iudæi in exſilio illo *cæci* dicuntur, quamvis *oculos habeant*: quia ſcilicet ſumma miſeria oculis videndi libertatem ademerat.

ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει· *dimittere confractos in remiſſionem*] Nihil aliud eſt quàm popularis explicatio ejus quod obſcuriùs verbis ἀμέσως [*illico*] antecedentibus dictum videri poterat. Nam locutionem hanc fuiſſe vulgò uſitatam apparet ex altero Eſaiæ loco LVIII, 6. ubi LXX eadem habent verba quæ hîc Lucas poſuit. Atque ideo credo, quia hoc explicandi cauſâ adjecturus erat Lucas, omiſit ſuprà ἰσοδύναμον [*idem valens*] illud, ἰάσασθαι τοὺς συντετριμμένους τὴν καρδίαν [*ſanare contritos corde*]. Quantillum enim differunt συντετριμμένοι [*contriti*] & τεθραυσμένοι [*confracti*]? Intelligendi autem hoc loco *fracti animo*, non qui pœnitudine peccatorum tanguntur, ſed verſantes in ſummis rerum anguſtiis: ut & Pſalm. CXLVII, 3. Nam de prima illa vocatione, ni fallor, agitur, quæ homines pleroſque nihil boni cogitantes deprehendit. Non enim de ipſo liberationis beneficio ſermo eſt, ſed de annuntiatione ejus liberationis jam paratæ: quod & ſequentia oſtendunt.

19. Κηρύξαι, *Prædicare*] לקרא καλέσαι [*vocare* ſive *proclamare*]. Similitudo ſumta ab anno jubilæo, qui per præconem buccinæ ſono indici ſolebat.

ἐνιαυτὸν Κυρίου δεκτόν. *annum Domini acceptum*] Δεκτὸν [*acceptum*] eſt τὸ ἀρεστὸν [*quod placet*], *id quod gratum acceptumque eſt*, ut videre eſt infrà commate 24. Act. X, 35. Philip. IV, 18. Sic & Eccleſiaſtici II, 5. Ἐν πυρὶ δοκιμάζεται χρυσὸς, καὶ ἄνθρωποι δεκτοὶ ἐν καμίνῳ ταπεινώσεως [*In igne probatur aurum, homines verò receptibiles in camino humiliationis*]. Alibi Helleniſtis dicitur καιρὸς εὐδοκίας [*tempus beneplaciti*]. Tempori autem tribuitur figuratè, ut ſignificetur id tempus quo Deus ſe benevolentem oſtendit. Atque ita hoc loco LXX vertunt שנת־רצון [*annum voluntatis*] ἐνιαυτὸν δεκτὸν [*annum acceptum*], ut & Eſaiæ XLIX, 8. בעת רצון [*in tempore voluntatis*] καιρῷ δεκτῷ [*tempore accepto*]. At Pſal. LXIX, 14. עת רצון [*tempus voluntatis*] illis non minùs rectè vertitur καιρὸς εὐδοκίας [*tempus beneplaciti*], Symmacho καιρὸς διαλλαγῆς [*tempus conciliationis*]. Falluntur veteres, tum Clemens & Valentiniani, qui hinc colligebant uno anno peractum Chriſti κήρυγμα [*prædicationem* peractam], tum Epiphanius atque alii, qui ex contrario inferunt, Si unus fuit annus δεκτὸς [*acceptus*], unum itidem fuiſſe ἀντιλεγόμενον [*in contradictione poſitum*]. Per quot annos Chriſtus Doctoris functus ſit munere, oſtendunt οἱ χρονογράφοι [*temporum numeratores*]. At hîc certè *annus* ex ſimilitudine jubilæi dicitur tempus illud omne quo ſe largiſſimè Divina bonitas effundebat. Itaque Paulus II Corinth. VI, 2. tempus illud quo ipſe ſcribebat ad Corinthios vocat καιρὸν δεκτὸν [*tempus acceptum*] & ἡμέραν σωτηρίας [*diem ſalutis*]. Tempus iſtud, ſicut in Iudaïco populo circumſcriptum fuit annis poſt Chriſti mortem quadraginta, aut circiter, ita in hominibus ſingulis ſuum habet ambitum, nobis ignotum, notum Divinæ providentiæ, qui plerunque ad mortem uſque protenditur, niſi ob gravem contumaciam priùs etiam præcidatur. Ideo monemur *non obdurare cor noſtrum dum vocatur* σήμερον [*hodie*], Heb. III, 7, & ſequentibus.

20. τῷ ὑπηρέτῃ, *miniſtro*] Poſt Archiſynagogum & Presbyteros erant in Synagoga ὑπηρέται [*miniſtri*], qui minora munia ex illorum decreto obibant: quomodo Iohannes Marcus dicitur ὑπηρέτης [*miniſter*] fuiſſe Pauli & Barnabæ Actor. XIII, 5. Hebræis ὑπηρέται vocantur חזנים, ut videre eſt tum alibi tum Thalmudico titulo De Sabbato cap. I. Horum munus inter cætera erat Legis librum cuſtodire, atque etiam, ſi opus eſſet, ex eo legere: quod in Eccleſia Chriſtiana faciebant ἀναγνῶσται [*Lectores*], quæ erat ſpecies διακόνων [*Diaconorum*]. Nam olim cùm exigua eſſet multitudo, eidem διάκονοι [*Diaconi*] omnia ea obibant quæ Presbyteris obire non vacabat: Poſtea diſtributi ſunt labores & facti ſunt alii διάκονοι [*Diaconi*], alii ἀρχιδιάκονοι

[*Archidiaconi*], alii ὑποδιάκονοι [*Hypodiaconi*], alii Ianitores, alii ἀκόλουθοι [*comites*] Epiſcoporum, alii ἀναγνῶσται [*Lectores*], alii ψαλμῳδοί [*Pſalmodi*]. Etiam Hieronymus *lectitare in Eccleſia* dicit eſſe Diaconorum. In Maſſechah Succa legimus וחזן הכנסת עומד לקרות בתורה, id eſt, *Et miniſter*, ſive ὑπηρέτης, *ſtat ut recitet de Lege*. Vide quæ diximus ſuprà ad verbum ἀναγνῶναι [*legere*]. Epiphanius titulo De Ebionæis, de Ioſepho Iudæorum Apoſtolo agens, quæ erat dignitas proxima à prima τοῦ πατριάρχου [*Patriarchæ*], ait ab eo multos in Synagogis loco ſuo motos, ubi Synagogæ munera ita enumerat, Πολλοὺς τῶν κακῶν καταςαθέντων ἀρχισυναγώγων καὶ ἱερέων καὶ πρεσβυτέρων καὶ ἀζανιτῶν τῶν παρ' αὐτοῖς, διακόνων ἑρμηνευομένων ἢ ὑπηρετῶν, καθαίρων τε καὶ μετακινῶν τοῦ ἀξιώματος, ὑπὸ πολλῶν ἐνεκοτεῖτο [*Cùm multos homines malos factos Archiſynagogos, aut Sacerdotes, aut Presbyteros, aut Azanitas quos vocant, nos Diaconos aut miniſtros interpretari poſſumus, loco ſuo moviſſet, multorum ob id odia incurrit*]. Apertè ait eos qui Hebræis dicebantur חזנים [*Azanitæ*] Græcè dictos aut διακόνους [*Diaconos*] aut ὑπηρέτας [*miniſtros*], nam hæ voces idem valent. In Clementis Conſtitutionibus lib. II, cap. XXVIII. Διὰ τῶν ὑπηρετῶν ἃ βούλονται σημαινέτωσαν, τουτέστι διὰ τῶν διακόνων [*per miniſtros quæ volunt ſignificent*, id eſt, *per Diaconos*]. Ignatius in epiſtola ad Trallianos, Δεῖ δὲ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Χριστοῦ Ἰησοῦ κατὰ πάντα τρόπον ἀρέσκειν· οὐ γὰρ βρωτῶν καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας Θεοῦ ὑπηρέται [*Oportet autem & iis qui Diaconi ſunt myſteriorum Chriſti omni modo placere; non enim ciborum & potuum ſunt miniſtri ſed Eccleſiæ Dei*]. Quare & Plinius τὰς διακόνους τῆς τῶν Χριστιανῶν ἐκκλησίας [*Diaconiſſas Eccleſiæ Chriſtianorum*] vocat *miniſtras*. Cyprianus, *Diaconos autem poſt adſcenſum Domini Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros*. Et Optatus Milevitanus non uno loco *Miniſtros* ponit inter *Laïcos* & *Diaconos*, eos intelligens qui ὑποδιάκονοι [*Hypodiaconi*] vocabantur. Canon Synodi Nicæenſis XVIII. Ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί [*Maneant Diaconi intra ſuos fines, ſcientes ſe Epiſcoporum eſſe miniſtros*]. Sicut autem ad Presbyterium vix legi ſolebant niſi qui jam provectæ eſſent & ætatis & ſapientiæ, ita ὑπηρεσία [*ordo miniſtri*] ſive διακονία [*diaconia*] ferme juvenibus mandabatur. Philo, Ὑπηρετοῦσι τὰς διακονικὰς χρείας οἱ νέοι τῶν ἐν τῷ συστήματι μετὰ πάσης ἐπιμελείας ἀριστίνδην ἐπικριθέντες [*Miniſteriales operas exhibent juvenes, in ipſo conventu magna cum cura ex optimis electi*].

ἐκάθισε· *ſedit*] Munus Doctoris ſuo ſibi jure vindicans. Nam alii de plebe, etiamſi quid de ſacris diſſertabant, id faciebant ſtantes. Patet Act. XIII, 16. 1 Corinth. XIV, 30. Vide quæ notavimus ad Matth. XXIII, 2. ubi & illud annotavimus, ipſos quoque Doctores ſtetiſſe dum verba Legis aut ab ipſis aut ab aliis legebantur.

οἱ ὀφθαλμοὶ ἦσαν ἀτενίζοντες αὐτῷ. *oculi erant intendentes in eum*] Hoc eſt quod Virgilius ait,

—— *Intentique ora tenebant.*

21. σήμερον πεπλήρωται ἡ γραφὴ αὕτη ἐν τοῖς ὠσὶν ὑμῶν. *hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus veſtris*] Hoc exordio uſus Ieſus explicavit Prophetæ locum, & explicando implevit, annuntians ſcilicet liberationem illam quæ præ foribus erat. Nam Meſſiam & liberatorem ſeſe hactenus non profitebatur; quod fecit poſtea; ſed agebat εὐαγγελιστὴν [*Euangeliſtam*] & nuntium paratæ liberationis, hoc eſt, hoc præ ſe ferebat quod per Eſaiam erat geſtum in figura, non quod per Cyrum. Videtur autem Lucas omiſſis rebus multis quas alii memorant, ab hac diſſertatione Nazarethana exorſus acta Domini Ieſu: quia actis præmittendum putavit officium ipſius, quod melius exprimere non potuit quàm Prophetæ ipſiuſque Ieſu verbis. Omnino verum eſt, contrà quàm alii ſentiunt, in omni hac hiſtoria Lucam ad rerum magis quàm ad temporum ordinem attendere.

22. ἐμαρτύρουν αὐτῷ, *teſtimonium illi dabant*] Id eſt, fateri cogebantur de eo; ut ea vox accipitur Matth. XXIII, 31. & Roman. X, 2. Quid autem fatebantur? Nempe id ipſum quod ſequitur, attonitos ſe ob ſingularem illam docendi rationem.

λόγοις τῆς χάριτος, *in verbis gratiæ*] Nimirum verè de illo dici poterat,

Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν·
Οὕτως ἐκήλει· καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.
[*Suada inſidebat quædam labiis illius:*
Ita delinibat homines, unuſque omnium
Linquebat ſtimulos in animo audientium.]

Non illa humanæ ſapientiæ πειθὼ [*Suada*], ſed efficaciæ Divinæ, ut Paulus ait 1 Corinth. II, 4, 7. Reſpicitur illud Pſalmi XLV, 3. הוצק חן בשפתותיך [*diff* *eſt gratia in labiis tuis*].

καὶ ἔλεγον, Οὐχ' οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς Ἰωσήφ; *& dicebant, Nónne hic eſt filius Ioſeph?*] Admirantes hoc dicebant, ſed vi veritatis perculſi magis quàm ſincero pietatis ſtudio. Ideo inter doctrinæ auctoritatem & vilem atque ignobilem Ieſu ſtatum fluctuantes, animos facilè in pejorem partem præcipites dedére: οὐκ ὠφέλησεν ὁ λόγος τῆς ἀκοῆς ἐκείνους μὴ συγκεκραμένος τῇ πίστει τοῖς ἀκούσασιν [*non profuit illis ſermo auditus, non admixtus fide in audientibus*], Hebr. IV, 2.

23. τὴν παραβολὴν ταύτην, *hanc ſimilitudinem*] Id eſt, παροιμίαν [*adagium*]· ut viciſſim Iohannes παροιμίαν [*adagium*] vocat quod propriè παραβολὴ [*ſimilitudo*] eſt; quæ nominum communicatio nata ex Hebræo משל, quo & hoc & illud comprehendi ſolet. Eſt autem hoc proverbium, *Medice, cura te ipſum* uſu Hebræorum, Syrorum & Arabum tritiſſimum. Et primùm quidem ad eos pertinuit

Qui cùm ſibi ſemitam non ſapiunt, alteri monſtrant viam.

Quomodo & Græci dicunt,

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων.
[*Aliorum medicus ipſe ulceribus obſitus.*]

& Æſchylus,

—— Κακὸς δ' ἰατρὸς ὥς τις, εἰς νόσον
Πεσὼν ἀθυμεῖς, καὶ σεαυτὸν οὐκ ἔχεις
Εὑρεῖν ὁποίοις φαρμάκοις ἰάσιμος.
[*Maluſque medicus, ipſe cùm in morbo cubas*
Amittis animum, nec remedium ullum in manu eſt
Quod ſanitatem priſtinam reddat tibi.]

Poſtea etiam longiùs produci cœpit ad eos qui in alienos magis quàm in conjunctos ſunt benefici. Tale eſt illud Virgilii, *Hanc primùm tutare domum*

Atque ita hîc uſurpatur.

πατρίδι, *in patria*] Vide Matth. XIII, 57.

24. δεκτός ἐστιν, *acceptus eſt*] Τιμὴν ἔχει [*honorem habet*], Iohann. IV, 44. Iuxta illud dictum, *Ingrata patria:* cujus de rei cauſa ad Matthæum egimus.

25. ἐκλείσθη ὁ οὐρανὸς, *clauſum eſt cœlum*] Sic & Moſes Geneſ. VIII, 2. *clauſos* dicit *cœli cataractas* cùm pluere deſiit.

ἐπὶ ἔτη τρία καὶ μῆνας ἕξ, *annis tribus & menſibus ſex*] Ex traditione quam & Iacobùs ſequitur v, 17. Quare quod eſt I Regum. XVIII, 1. nî fallor, ita interpretari licet, *Dies aliquammulti* (id eſt, ſex menſes) *præterierant ex quo Deus allocutus erat Eliam anno tertio*, id eſt, fine anni tertii poſtquam pluere deſierat: ut mandatum acceperit Elias fine tertii anni, ſed quod exſequendum fuit poſt ſemeſtre tempus. Videtur autem conſultò Deus hanc calamitatem definiiſſe annis tribus & ſemeſtri tempore. Nam & ἐρήμωσις [*deſolatio*] quæ per Antiochum contigit pari temporis ſpatio definita eſt. At Chriſto in terris agente apertum fuit cœlum pari temporis ſpatio.

ὡς ἐγένετο, *cùm fuit*] *Quo tempore fuit fames maxima.* Ita plerunque in his libris ſumi video illud ὡς ἐγένετο, nec unquam quod ſciam ἐπιστατικῶς [pro *quòd*].

26. Σάρεπτα τῆς Σιδῶνος, *in Sarepta Sidonis*] Meminit Plinius. Hebræis eſt צרפת. Cæterùm non tacendum duxi vetuſtiſſimum codicem hîc pro Σιδῶνος [*Sidonis*] habere Σιδωνίας [*Sidoniæ*], ut apertius regionis ſit vocabulum; quanquam ſcio urbis & regionis nomina ſæpe permiſceri. Admirabilis eſt Hebræorum ſtupor, qui apud Obadiam צרפת interpretantur *Regnum Francorum*, atque ejus interpretationis nullâ ratione ſuffultæ fiduciâ res magnas ſibi pollicentur. Sed accidit illis quod & aliis, ut quod unus dixerit credant omnes, dijudicet nemo.

πρὸς γυναῖκα χήραν. *ad mulierem viduam*] Oſtendit hoc exemplo & ſequente Chriſtus miracula non diſpenſari pro privatis affectibus, ſed & liberrimo & ſapientiſſimo Dei arbitratu, qui norit ubi edita optimam frugem ſint paritura. Nam qua ratione Nazarethani æquum putabant ſe à Chriſto præferri cæteris in iſto beneficiorum genere, ea ſi quid valeret valere etiam debuiſſet Eliæ tempore, ut nempe mulieres Iſraëlitidas Sareptanæ anteponeret: quod non fecit.

27. ἐκαθαρίσθη, *mundatus eſt*] Vox propria vitiligini. In hiſtoria Neemanis ויטהר Lxx καὶ ἐκαθαρίσθη, & in Levitico ſæpe.

εἰ μὴ Νεεμᾶν ὁ Σύρος. *niſi Neeman Syrus*] Solent Lxx ע ſæpe per ε transferre. Ita ex נעמן factum eſt Νεεμᾶν· neque dubium quin illis temporibus ita agi ſolitum ſit. De hoc Syro, qui & hîc tacitè videtur ob quandam animi probitatem, quam Deus miſericorditer reſpexerit, commendari, disquiri ab eruditis ſolet, quid ſit quod à Propheta diſcedens condonari ſibi poſtulat. Qui putant veniam ab eo poſci actûs εἰδωλολατρικοῦ [*idololatrici*], non video quomodo id probent. Adde quòd directè hoc pugnare videtur cum verbis antecedentibus, quibus profeſſus erat non ſacrificaturum ſe poſthac ulli deo præterquam Deo illi quem colebat Eliſæus; ubi Sacrificio, tanquam nobiliſſima ſpecie, genus omne cultus externi comprehendi videtur. Deinde ſi tam læva illi mens fuiſſet, quis putat Eliſæum ſine ulla caſtigatione id transmiſſurum fuiſſe? Nam quod ajunt nonnulli apertè erraſſe Syrum etiam in re alia, cùm humum Iſraëliticam ſecum deſert, ſuper qua ſacrificet, quippe quia extra Hieroſolyma ſacrificare non liceret, malè ſibi ſumunt etiam ἀλλοφύλοις [*extraneis*] licitum non fuiſſe ſacra facere extra Hieroſolyma, cùm ea de re lex Hebræo tantùm Populo data exteros non conſtringeret. Terram autem quòd ſecum deferebat non erat ſuperſtitioſum; ſed eo ſigno volebat teſtatum illum ipſum à ſe Deum coli qui in Terra Iſraëlitica coleretur. Quare quod de corporis procubitu in templo Remmanis dicit, intelligendum ita mihi videtur, ut ſit non peccati necdum perpetrati deprecatio (quam nemo ſapiens admiſerit) ſed potiùs interpretatio facti ambigui. Nam cùm corporis iſta dejectio apud Syros tam θρησκείας [*cultûs Deo exhibiti*] eſſet ſignum quàm ejus venerationis quæ Regibus exhibebatur, teſtatum volebat Neeman ſe, quoties Regem in templum comitatus ibidem eſſet procubiturus, facturum id in honorem non Remmanis ſed Regiæ majeſtatis, paratus ſcilicet id ipſum coram Rege atque aliis palàm profiteri. Quare non tam ut hoc condonaret quàm ut æqui conſuleret Deus precabatur. Nam סלח, quod ἱλάσκεσθαι [*propitiari*] vertunt Lxx, hunc ſenſum non reſpuit, ut videre eſt Num. XXX, *6.* & יסלח, Græcè καθαριεῖ, valet *innocentem habebit*. Sic συγγνώμην ἔχει habemus Sirach III, 13. Vide & II Paralip. XXX, 18. & Num. XXX, *9*, 13. Scilicet facta & dicta dubiæ ſignificationis tali teſtatione purgari ſolent. Ita ex Euſebio diſcimus Chriſtianum quendam, cùm more Perſarum Regem adoraſſet, abſtinuiſſe ab adoratione poſtquam ad Chriſtum abnegandum erat provocatus; & ex Tertulliano, Chriſtianos veteres Imperatoribus tribuiſſe *Domini* appellationem, quando non cogebantur ut *Dominum Dei vice* (id eſt, quaſi Deum) dicerent.

28. ἀκούοντες ταῦτα. *hæc audientes*] Quia indigni miraculis tacitâ comparatione arguebantur.

29. ἀναστάντες, *ſurrexerunt*] Hæc vox hîc abundat, ut & infrà 39. ſuprà 1, 39. I Macc. XIV, 32.

τῆς ὀφρύος, *ſupercilium*] Non Latini tantùm eminentias vocant *ſupercilia*, ut notum eſt, ſed & Græci. Homerus,

——— ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης.
[——— *ad pulchri umbracula collis.*]

Apollonius,

——— ἐπ' ὀφρύσιν αἰγιαλοῖο.
[——— *quà littora pendent.*]

Plutarchus Numâ, ὀφρὺς γεώδης παρατείνουσα πόρρω [*è terra ſupercilium longè ſe extendens*]. Herodotus, τῶν ἐν τῇ ὀφρύϊ κατῳκημένων [*eorum qui in ſupercilio habitabant*].

εἰς τὸ κατακρημνίσαι αὐτόν. *ut præcipitarent eum*] Non judicii more, ſed motu concitatæ plebis; ſicut & alio tempore Iudæi eum lapidare voluerunt.

30. διὰ μέσου αὐτῶν, *per medium illorum*] Nihil læſus à turba undique obſtante. Idem loquendi genus reperitur Iohann. VIII, 59. ubi clarè ſignificatur Chriſtum Divina virtute factum inimicis inconſpicuum: quare eodem modo hîc quoque elapſum credibile eſt.

31. Καὶ κατῆλθεν εἰς Καπερναοὺμ πόλιν τῆς Γαλιλαίας· *Et deſcendit in Capernaüm civitatem Galilææ*] Mira fuit Marcionis audacia, qui omiſſis omnibus iis quæ apud Lucam ad hunc usque locum legimus, hinc librum auſpicabatur, talibus verbis, ut Tertullianus nos docet, *Anno quintodecimo principatus Tiberiani Deus deſcendit in civitatem Galilææ Capharnaüm:* ſubtexens deinde illud quod Nazarethæ factum ſuprà habuimus, cæteris quæ præceſſerant inductis. Idem indicat Epiphanius. Qui videre volet quot locis Marcio aut qui ei præiverant tum Lucæ tum Pauli libros interpolaverint, conſulant utrumque Scriptorem quem dixi. Ad revincenda id genus παραχαράγματα [*Scripturæ corruptelas* revincendas] meritò Tertullianus provocat ad eas eccleſias quas Paulus Luca etiam adjutore, fundaverat, quæ omnes maximo conſenſu eam quam nos habemus ἔκδοσιν [*editionem*] ſequebantur.

32. ἐν ἐξουσίᾳ ἦν λόγος αὐτοῦ. *in poteſtate erat ſermo ipſius*] Palàm ſe ferebat Doctorem Divinitus miſſum, atque id factis admirandis confirmabat. Vide de hoc ſignificatu ἐξουσίας [*poteſtatis*] quæ ad Matth. VII, 29.

34. Ἔα, *Ah*] Vide ad Marcum I, 24. Nam hæc omnino ex Marco Lucas deſcripſit paucis vocibus mutatis.

36. Τίς ὁ λόγος οὗτος, *Quod eſt hoc verbum*] Poſuit hoc Lucas pro eo quod Marcus dixerat Τί ἐστι τοῦτο; [*Quid eſt hoc?*] quare verior eſt interpretatio illa, *Quid hoc eſt rei?* Nam & LXX cùm דבר *rem* ſignificat λόγον [*ſermonem*] aut ῥῆμα [*verbum*] ſæpe vertunt: & ſupra λόγον [*ſermonem*] & ῥῆμα [*verbum*] eo ſenſu à Luca uſurpatum vidimus. Hieroſolymitanus Paraphraſtes ſolet vertere עשק [*cauſam*].

ἐξουσίᾳ καὶ δυνάμει, *in poteſtate & virtute*] Δύναμιν malim *potentiam* vertere. Nam *poteſtas*, cùm accuratè & diſtinctè loquendum eſt, magis reſpondet voci ἐξουσία, atque ita verti ſolet à Iuriſconſultis. Ἐξουσία eſt *jus* ſive *facultas moralis*: Δύναμις *vis activa*, ſive *facultas naturalis*, aut *naturali ſimilis*.

38. συνεχομένη, *tenebatur*] Ita hanc vocem uſurpat & Matthæi Interpres IV, 24.

ἠρώτησαν, *rogaverunt illum*] Videtur eſſe Latiniſmus: quia Latini *rogare* dicunt pro *orare*. Simili modo loquitur Matthæi Interpres XV, 23. Iohannes XIV, 16. Noſter hic infrà VII, 3. & Act. XXIII, 20. Paulus II Theſſ. II, 1. Sed & Helleniſtæ vocem ἐρωτᾷν in ſenſu *poſtulationis* aut *precationis* uſurpant, ut videre eſt Pſalm. CXXII, 6.

39. ἐπιστὰς ἐπάνω αὐτῆς, *ſuperveniens ſuper illam*] De voce ἐφιστάναι [*ſupervenire*] diximus ad Matth. XXVIII. Videtur autem addito ἐπάνω [*ſuper*] nihil aliud quàm acceſſus de proximo ſignificari. Ita II Sam. I, 9. עמד נא עלי [*Sta, quæſo, ſuper me*] vertunt LXX ἐπίστηθι ἐπάνω μου, id eſt, *propiùs ad me accede*.

40. Δύνοντος δὲ ἡλίου] *Sole occaſo*. Nam præſens uſurpatur hîc pro præterito. Vide Marcum. Vetus Interpres rectè, *Cùm Sol occidiſſet*.

42. Γενομένης δὲ ἡμέρας, *Facto autem die*] *Cùm dies immineret*. Ita enim ἐγένετο [*fiebat*] uſurpari interdum ſolet, ut magis ſignificet τὸ ἐν γίνεσθαι [*id quod eſt in fieri*] quàm τὸ ἐν εἶναι [*quod eſt in eſſe*]. Vide quæ ad Marcum.

κατεῖχον αὐτὸν, *detinebant illum*] Nempe eorum commodorum cauſâ quæ ex miraculis percipiebant: id enim præcipuè ſpectabant. At Chriſtus verbis ſequentibus docet præcipuum eſſe τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς βασιλείας [*prædicationem Regni*], cujus ſigillum ſint miracula.

43. πόλεσιν, *civitatibus*] Vicos oppidorum inſtar πόλεις [*oppida*] vocat Lucas, quas Marcus κωμοπόλεις [*vicoppida*]. Sic & infrà V, 12, ἐν μιᾷ τῶν πόλεων [*in una civitatum*], id eſt, κωμοπόλεων [*vicoppidorum* ſive *caſtellorum*].

CAPVT V.

1. Ἐπικεῖσθαι αὐτῷ] *Cùm ad eum coiret*. Syrus ſanè & Matthæus & Marcus in facto ſimili uſurpant vocem συνάγεσθαι, Matth. XIII, 2. Marc. IV, 1. Sed videtur hæc vox non quemvis *concurſum*, ſed *cum preſſura* ſignificare: unde *irruere* non malè vertit Latinus Interpres. Vide Actor. XXVII, 20. & Græca Iob. XIX, 3. XXI, 27.

2. οἱ δὲ ἁλιεῖς ἀποβάντες ἀπ' αὐτῶν ἀπέπλυνον τὰ δίκτυα. *piſcatores autem ex iis deſcenderant, & lavabant retia*] Cùm quod infrà ſequitur comm. 19. oſtendere videatur de eadem re hîc agi quam Matthæus quoque & Marcus narrant, intelligendum videtur navibus ſubductis piſcatores alios aliis miniſteriis fuiſſe diſtentos, ut fieri ſolet; fuiſſe qui purgarent retia, fuiſſe qui reſarcirent; quoſdam & ex littore expertos nunquid capere poſſent: itaque partem eorum in navibus fuiſſe, partem in littore.

3. Ἐμβὰς δὲ εἰς ἓν τῶν πλοίων, *Adſcendens autem in unam navim*] Omiſerant hujus miraculi hiſtoriam Matthæus & Marcus, fortè quia quantumvis ipſis conſtaret nihil hîc geſtum niſi ſingulari Dei diſpoſitione, tamen videretur ab aliis res iſta ad caſum poſſe referri; ac proinde non eſſe cur in tanta miraculorum multitudine huic rei immorarentur. Lucas hanc narrationem ab illis præteritam ſuo loco reddidit, id eſt, inter repertos ad littus piſcatores, & inter illam vocationem qua audita Petrus, Andreas, Ioannes, Iacobus rebus relictis Chriſtum familiariter ſunt ſecuti.

ἐπαναγαγεῖν, *à terra reducere*] Vox nautica: ſignificat *in altum provehi*. II Maccab. XII, 4. ἐπαναχθέντας αὐτοὺς ἐβύθισαν [*cùm in altum proceſſiſſent ſubmerſerunt*]. *Reducere*, quod hîc Latinus Interpres uſurpat, non adeò ſpernendum eſt: nam *à littore reducere* eſt amovere, ut

Virtus eſt medium vitiorum utrinque reductum.

4. χαλάσατε, *demittite*] Χαλᾷν inter cætera eſſe *demittere* apertiſſimum eſt vel ex uno Actuum loco IX, 25. Latini τὸ χαλᾷν per *laxare* vertunt cùm de velo agitur; quod hîc per abuſionem ſequitur Vetus Interpres.

5. Ἐπιστάτα, *Præceptor*] Vocem hanc nemo horum Scriptorum præter Lucam uſurpat. Apparet ei viſum hanc vocem Græcam optimè reſpondere Hebraïcæ רבי [*Rabbi*]. Nam id manifeſtum facit collatio ejus quod eſt apud Marcum IX, 5. & infra apud hunc IX, 33. Matthæi interpres pro eadem voce ponere ſolet Κύριε [*Domine*], Marcus etiam Διδάσκαλε [*Doctor*], ut videre eſt collatis locis Matth. VIII, 25. Marci IV, 38. & Lucæ VIII, 24. item

Matth. xvii, 4. dicto loco Marci ix, 5. & Lucæ ix, 33. item Marci ix, 38. & Lucæ ix, 49. Nimirum exiſtimavit Lucas in voce רבי [*Rabbi*] minus aliquid eſſe quàm in voce Κυρίου, id eſt, אדוני [*Domini*], plus autem quàm in voce Διδασκάλου [*Doctoris*]· ſicut Ammonius διδάσκαλον [*doctorem*] ait eſſe λόγων [*verborum*], at ἐπιστάτην, ἔργων [*præceptorem, operum*]· itaque mediam vocem Græcam quæſivit, cui ſatis propriè reſpondet Latina *Magiſter*, quæ ad omnem eminentem dignitatem referri ſolet; unde *Magiſtri equitum* nomen & vox *Magiſtratus*. Lxx in Eſaia xix, 20. רב verterunt κρίνων [*regens*], in Eſtheris hiſtoria i, 8. οἰκονόμους [*diſpenſatores*]. Iidem Hebræas voces מנצח נגש נגיד שר רודה & ſimiles vertunt voce ἐπιστάτου [*magiſtri*], ut alii notare ante verterunt. Quid autem propriè vox ἐπιστάτου deſignet optimè nos docet Callicratides Pythagoreus, cujus hæc ſunt verba, Ἐπὶ τὰς πρακτικὰς καὶ κατὰ λογισμὸν ἀρχὰς, ἃ μέν ἐστι δεσποτικὰ, ἃ δὲ ἐπιστατικά· καὶ δεσποτικὰ μὲν ἐντὶ ἃ τῶ ἰδίω συμφέροντος ἄρχοισαι, ἀλλ' οὐ τῶν ἀρχομένων· ταύταν γὰρ ἄρχει τὰν ἀρχὰν ὁ μὲν δεσπότας τῶν δούλων, ὁ δὲ τύραννος τῶν ὑποτεταγμένων· ἐπιστατικὰ δὲ ἕνεκα τῶν ἀρχομένων, ἀλλ' οὐχ αὐτᾶς· ταύταν δὲ ἄρχουσι τὰν ἀρχὰν τοὶ μὲν ἀλεῖπται τῶν ἀθλητῶν, καὶ τοὶ ἰατροὶ τῶν νοσόντων, καὶ τοὶ διδάσκοντες τῶν διδασκομένων· οὐ γὰρ αὐτοῖς τὸ συμφέρον, ἀλλὰ τοῖς ἀρχομένοις ποτιποιοῦντι· τοῖς μὲν καμνόντεσι τοὶ ἰατροὶ, τοῖς δὲ σωμασκεῦσι τοὶ ἀλεῖπται, τοῖς δ' ἀνεπιστάμοσιν οἱ ἐπιστάμονες [*Imperiorum circa agenda cum ratione alia ſunt Herilia, alia Magiſtralia. Herile eſt, cùm quis in imperio ſuum commodum reſpicit, non ejus qui paret: tali imperio imperat dominus ſervis, tyrannus ſubditis. Magiſtrale, cùm quis non ſui ſed eorum qui parent causâ imperat: tali imperio utuntur aliptes in athletas, medicus in ægrotos, doctores in diſcipulos: ſpectant enim non quod ſibi ſed quod illis utile eſt quibus præſunt, nempe malè habentibus medici, corpus exercentibus aliptæ, imperitis periti*].

ἐπὶ δὲ τῷ ῥήματί σου, *in verbo autem tuo*] Non hoc tantùm vult, *te jubente*, ſed, *fretus ſolo imperio tuo*, cùm res cæteræ omnes ſpei noſtræ adverſentur. Itaque ἐπὶ [*in*] propriè hîc ſumitur; ſed eſt ἔλλειψις [*defectus*] vocis πεποιθὼς [*confiſus*], quæ talem conſtructionem amat; ut videre eſt Marci x, 24. infrà xviii, 9. ii Corinth. i, 9. Hebr. ii, 13.

7. Καὶ κατένευσαν, *Et annuerunt*] Signo eos ad ſe vocarunt, quia longiùs aberant quàm ut vox eò pervenire poſſet. Nam quod Theophylactus ait, præ ſtupore loqui nequiſſe, veriſimile non eſt, neque id ferunt quæ ſequuntur.

τοῖς μετόχοις, *ſociis*] Solent enim plurium navium piſcatores ſocietatem inter ſe coire.

Συλλαβέσθαι αὐτοῖς· *adjuvarent eos*] Eadem locutio eſt apud Plutarchum, & Philipp. iv, 3.

ὥστε βυθίζεσθαι αὐτά. *ita ut pene mergerentur*] Quod hîc additur παρά τι [*pene*] videtur mihi adjectum ab his qui genus hoc loquendi emolliendum putabant, quos & Syrus ambiguitatis evitandæ causâ eſt ſecutus. Latinorum codicum vetuſtiſſimi videntur hoc non habuiſſe. Sanè ὥστε Græcis interdum non quod eſt ſed quod propè eſt ſignificat. Poteſt & βυθίζεσθαι intelligi non *ſubmergi*, ſed præ *onere profundius ſidere*. Nam & in Marco iv, 37. pro γεμίζεσθαι [*impleri*] ab antiquis explicatoribus poſitum erat βυθίζεσθαι [*mergi*].

8. Ἔξελθε ἀπ' ἐμοῦ, ὅτι ἀνὴρ ἁμαρτωλός εἰμι, *Exi à me, quia homo peccator ſum*] Sicut Angelos videre metuebant pii homines, communis imbecillitatis conſcientiâ; ita etiam verebantur eorum præſentiam quos à Deo ſingulariter miſſos agnoſcebant; ut Sareptana mulier metuit ne Eliæ hoſpitium ſibi nocuiſſet. Quò minùs mirandum eſt Petrum ſibi metuiſſe ab ejus conſpectu cui omnem rerum naturam cedere videbat, reſtituto ei dominio quod Adam magna ex parte amiſerat. Vide Pſalm. viii, 9. ubi & *piſces* nominantur. Solet vox ἁμαρτωλὸς [*peccator*] plerunque uſurpari de iis qui projecto metu Divini Numinis ex animi lubidine vivunt; qualis nunquam fuit Petrus, cujus εὐλάβειαν [*pietatem*] vel hæc una hiſtoria ſatis teſtatur. Nam probi animi vel maximum eſt indicium ſeveriſſimam in ſe cenſuram exercere. Ita Paulus ſe *primum* vocat τῶν ἁμαρτωλῶν [*peccatorum*]· quò facit & quod ex Barnaba citaſſe meminimus.

9. Θάμβος γὰρ περιέσχεν αὐτὸν, *Stupor enim circumdederat eum*] Περιέχειν ſimili ſignificatu reperies apud Lxx Pſalm. xviii, 5. cxvi, 3. Item ii Samuel. xxii, 5. Simile eſt apud Latinos *circumſtetit horror*. Non diſſimilis ſignificatio in voce Hebræa אחז [*poſſedit*].

τῇ ἄγρᾳ τῶν ἰχθύων ᾗ συνέλαβον· *in captura piſcium quam ceperant*] Simile eſt ἀγέλη χοίρων μεγάλη βοσκομένη [*grex porcorum magnus paſcens*], Marc. v, 11. ubi Lucas habet βοσκομένων [*paſcentium*]. Nam & ἄγρα, ut Latinè *captura*, non actum ſemper, ſed ſæpe univerſitatem rerum ſimul captarum ſignificat.

10. Μὴ φοβοῦ· *Noli timere*] Quo magis ſibi diſplicebat hoc magis Domino placet.

ἀπὸ τοῦ νῦν ἀνθρώπους ἔσῃ ζωγρῶν. *ex hoc jam homines eris capiens*] De induſtria videtur Lucas dixiſſe non ἀγρεύειν [*capere*] ſed ζωγρεῖν [*vivos capere*]. Solet enim hæc vox in partem meliorem uſurpari, & talem capturam ſignificare qua redimatur mortis periculum, ſicut & Latini *ſervos* à *ſervando* dixere. Ita ille apud Homerum precatur,

> Ζώγρει, Ἀτρέος υἱὲ,
> [*Captivum, Atride, me fac tibi*],

id eſt, inquiunt Scholiaſtæ ζῶντά με φύλαττε [*vivum me ſerva*]. Similem κυριολογίαν [*loquendi proprietatem*] obſervare eſt apud Paulum ii Timoth. ii, 26. ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα [*à quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem*]. Deus nos ſibi inimicos ita capit, & ſibi mancipat, ut à morte incolumes ſervet. Hæc autem Chriſti verba nos docent in ſuprà memorato miraculo non beneficium tantùm fuiſſe, ſed & ὑπόνοιαν [*ſenſum latentem*]· quod genus interpretandi ſicut non eſt operosè ſectandum ubi nulla ſe præbet occaſio: ita contemnendum non eſt ubi ipſe Dei Spiritus aliquod ejus indicium præbet. Libenter igitur hîc veteres ſequor qui præcedentis hiſtoriæ hoc putant eſſe τὸ ἀλληγορούμενον [*id quod innuitur*], Apoſtolos non ſuapte induſtria ſed Chriſti imperio ac virtute expanſis Euangelii retibus tantam facturos capturam, ut opus habituri ſint ſubſidiariâ multorum εὐαγγελιστῶν [*Euangeliſtarum*] operâ; atque ita impletum iri non unam navem, Iudæorum ſcilicet, ſed & alteram

Gentium, ſed quarum navium futura ſit arcta atque indivulſa ſocietas.

12. *πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, procidens in faciem*] Deſcriptio τῆς προσκυνήσεως [*adorationis*], ut collato Matthæi loco apparet.

17. *εἰς τὸ ἰᾶσθαι αὐτούς· ad ſanandum eos*] Αὐτοὺς [*ipſos*] hîc intelligo *loci illius homines:* neque enim commodè referri poteſt ad *Legisperitos* aut *Phariſæos*, quos ſanatos non legimus: neque de virtute quæ effectum non habuerit hîc agitur. Simile loquendi genus, ubi vox *αὐτῶν* [*ipſorum*] non ad proximè nominatos, ſed ad eos qui intelliguntur magis quàm nominantur referri debet, apparet Matthæi XI, 1. Καὶ ἐγένετο ὅτε ἐτέλεσεν ὁ Ἰησοῦς διατάσσων τοῖς δώδεκα μαθηταῖς αὐτοῦ, μετέβη ἐκεῖθεν τοῦ διδάσκειν καὶ κηρύσσειν ἐν ταῖς πόλεσιν αὐτῶν [*Et factum eſt cùm conſummaſſet Ieſus, præcipiens duodecim diſcipulis ſuis, tranſiit inde ut doceret & prædicaret in civitatibus eorum*], ad quem locum ſimilia alia attulimus. Nam quòd *Phariſæorum* & *Legisperitorum* hîc facta eſt mentio, eò pertinet ut oſtendantur & ſpectatores & calumniatores hujus facti fuiſſe. Vide Marcum.

25. *κατέκειτο, jacebat*] שכב.

26. *ἔκστασις ἔλαβεν ἅπαντας, ſtupor apprehendit omnes*] Id eſt, *ἐθαύμαζον* [*mirabantur*], ut dixit Matthæi Interpres. Non eſt ergo idem cum eo quod ſequitur ἐπλήσθησαν φόβου [*repleti ſunt timore*], id eſt, *impleti ſunt reverentiâ Divini Numinis*, ut accipi vocem φόβου [*timoris*] ſolere oſtendimus. Hæc ideo dico nequis accedat aliquid hîc delendum ſuſpicantibus.

παράδοξα] מפלאות [*mirabilia*]. Παράδοξα *admirabilia* vertit Cicero: atque hinc Olympionicæ & alii certaminum victores dicti παράδοξοι [*admirandi*]. Rem autem admirandam optimo jure populus judicabat, non tam quòd ægroto ſanitas eſſet reddita (quod jam contigerat ſæpius) quâm quòd eo miraculo Ieſus probâſſet ſibi inter homines viventi datum jus condonandi peccata: Nam in ejus rei fidem hominem ſanaverat. Vide Matthæum in hac hiſtoria.

28. *καταλιπὼν ἅπαντα, relictis omnibus*] Quæſtuoſum illud vivendi genus, & quod ex rationibus ipſi debebatur.

29. *δοχὴν, convivium magnum*] Hebræum משתה rectè δοχὴν interpretantur LXX. ſignificat enim משתה *convivium instructius*, quale in publica aut privata lætitia adhibebatur: quemadmodum in ſuis locis videre eſt.

30. *Καὶ ἐγόγγυζον οἱ γραμματεῖς αὐτῶν καὶ οἱ Φαρισαῖοι, Et murmurabant Phariſæi & Scribæ eorum*] Fruſtra hîc ſe torquent viri eruditi: & qui vertunt *obmurmurabant illis*, nullo exemplo probant *γογγύζειν αὐτῶν* dici. Dicendum erat γογγύζειν κατ' αὐτῶν [*murmurare contra illos*]· quanquam ne id quidem hîc locum habet, cùm omnis hic γογγυσμὸς [*murmuratio* hæc] non in publicanos directus fuerit, quos illi vix hominum in numero ponebant, ſed in Chriſti Diſcipulos, qui paulò pòſt diſertè nominantur. Sunt ergo οἱ γραμματεῖς αὐτῶν [*Scribæ ipſorum*] *Legisperiti ejus loci*, ac proinde Magiſtri Capharnaümitarum communiter. Nam ita vocem αὐτῶν [*ipſorum*] accipi ſine præcedente nomine ſuprà demonſtravimus.

32. *εἰς μετάνοιαν. ad pœnitentiam*] Vide ad Marcum.

34. *Μὴ δύνασθε, Nunquid poteſtis*] Secunda perſona pro quavis. Vide Matth. I, 23.

36. *Καὶ τῷ παλαιῷ οὐ συμφωνεῖ ἐπίβλημα τὸ ἀπὸ τοῦ καινοῦ. & veteri non convenit commiſſura à novo*] Deeſt ἐπίβλημα [*commiſſura*] in antiquiſſimo manuſcripto qui in Anglia.

39. *Καὶ οὐδεὶς πιὼν παλαιὸν εὐθέως θέλει νέον· λέγει γάρ, Ὁ παλαιὸς χρηστότερός ἐστιν. Et nemo bibens vetus, ſtatim vult novum; dicit enim, Vetus melius eſt*] Hoc χρηστότερος optimè vertit Syrus *ſuavius eſt*. Propriè enim habet ea vox *lenitatis* ſignificationem, ut Matth. XI, 30. infrà VI, 35. Rom. II, 4. Epheſ. IV, 32. Vetera vina ſolent eſſe ſaporis lenioris, nova contrà auſteriora. Scriptor Eccleſiaſtici IX, 13. Οἶνος νέος, φίλος νέος· ἐὰν παλαιωθῇ, μετ' εὐφροσύνης πίεσαι αὐτόν [*Vinum novum, amicus novus; veteraſcet, & cum ſuavitate bibes illud*]· ubi cave cum viro erudito πιέσαι legas & vertas *comprehende:* non eſt enim à πιέζειν [*comprehendere*], ſed futurum à πίνω [*bibo*], eâdem formâ quâ φάγεσαι [*edes*]. Alexis de vino ubi deſpumavit & ætatem nactum eſt ait,

——— Καὶ καταστῆναι πάλιν
Ἡδὺν θ' ἅπασι τ' οὐπίλοιπον διατελεῖν.
[——— *Tempus eſt conſidere,*
Vt præbeat ſeſe omnibus potabile].

Quia ergo lenius eſt vinum vetus, ideo qui ei ſunt aſſueti non poſſunt ſubitò adduci ut ament novum. Significavit hoc proverbio Chriſtus homines non ſubitò ad auſteriorem vitam pertrahendos, ſed per gradus quoſdam aſſuefaciendos eſſe: quod accommodatiſſimum erat ei rei de qua agebatur: ſicut quod hîc afferri à multis ſolet de diſcrimine Legis & Euangelii, ab inſtituto alienum eſt.

CAPVT VI.

1. ΕΝ *σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, in Sabbato ſecundoprimo*] Facetè de hoc loco conſulentem ſe Hieronymum eluſit Gregorius Nazianzenus, promittens dicturum ſe ea de re, ſed in Eccleſia, ubi Hieronymus, toto populo acclamante, cogeretur ſcire quod neſciret, aut ſi ſolus tacuiſſet, futurum ut ab omnibus ſtultitiæ condemnaretur. Quam rem narrans Hieronymus hoc ἐπιφώνημα [*acclamationem* hanc] ſubjicit, *nihil tam facile quàm vilem plebeculam & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere, quæ quicquid non intelligit plùs miratur.* Quam multi ſunt hodie quibus pro eruditione eſt audax aſſeveratio, præſertim quoties de loco ſuperiore loquuntur, ubi contradictorem non habent? Cæterùm de vocis δευτεροπρώτου [*ſecundoprimi*] interpretatione dici ferme poteſt, *Quot capita tot ſententiæ.* Syrus & Arabs, tantò quàm nos ſumus illi & ſeculo & loco propiores, ſatis manifeſtè oſtendunt ſe quid hæc vox velit ignoraſſe: quò æquius eſt aliis ignoſci quibus præter conjecturas nihil eſt relictum, quas refellere eſt promtius quàm certi aliquid adferre. Falli eos qui non diem quem *Saturni* dicimus ſed feſtum aliquem diem hic volunt intelligi, ex eo apertum eſt quòd tota quæ hinc orta eſt diſputatio

non ad feſtos dies pertinet, quibus non tam rigidè otium ſervabatur, ſed ad diem illum qui propriè ac peculiariter *Sabbatum* appellatur, quem οἱ ἔξω [*extra Eccleſiam poſiti*] *Saturni* vocant. Sed neque eorum ſententia recipi poteſt qui δευτερόπρωτον [*ſecundoprimum*] ita exponunt ut nomen ſit multis diebus conveniens, cùm Lucas hoc nomine uſus ſit ut certùs anni dies intelligeretur: quibus rectè animadverſis pleræque veterum ariolationes concidunt, ut à recentioribus quibusdam prudenter notatum eſt. Traxit multos in aſſenſum viri magni auctoritas, qui δευτερόπρωτον [*ſecundoprimum*] exponit πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχα [*primum à ſecunda Paſchatis*]. Sed ei quominus ſubſcribam apud me hæc obſtant: primùm quòd nullum viderim talis formationis exemplum, qualis eſſet ſi δευτερόπρωτον [*ſecundoprimum*] deduceretur à voce δευτέρας [*ſecundæ*] & voce πρώτου [*primi*]· deinde quòd lex quæ exſtat in Levitico non hoc dicit, Sabbata denominari à poſtridie Paſchatis, ut hoc Sabbatum dicatur *primum*, illud *ſecundum*, atque ita deinceps, ſed dies illos quinquaginta ימים העומר [*Dies Manipulorum*] τὰς ἡμέρας τῆς πεντηκοστῆς [*Dies Pentecoſtes*, ſive *temporis dierum quinquaginta*] numerari ab eodem illo die; ita ut poſtridie Paſchatis ſit dies illorum quinquaginta primus, qui hunc ſequitur ſecundus, atque ita usque ad quinquageſimum: quem numerandi modum Iudæi nunc quoque anxiè obſervant: neque tamen in nominandis diebus repetunt nomen illud δευτέρας [*ſecundæ*], ſed quæque nox ut advenit, ſolent dicere, *Hic eſt dies primus Omer*, *Hic eſt dies ſecundus*, atque ita porrò. Sententia igitur iſta quæ magnis argumentis à ſuo auctore defenſa eſt, cùm mihi ſe non probet ob eas quas dixi cauſas, indulgebo mihi quoque poſt tot alios cenſendi libertatem. Iudæi Diem Sabbati qui Paſcha proximè antecedit hodieque vocant שבת הגדול [*Sabbatum magnum*]. Sed & ſi Paſchatis dies in ipſum Sabbatum inciderit, appellabitur is dies eodem nomine, ut apparet Iohan. XIX, 31. ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου [*erat enim magnus dies ille Sabbati*]. Eſt & σαββάτου μεγάλου [*Sabbati magni*] mentio in hiſtoria de martyrio Polycarpi apud Euſebium. Alii pro הגדול [*magno*] dixerunt הראשון [*primum*], id eſt, τὸ πρῶτον σάββατον [*Primum Sabbatum*]. Nam ἐν τῷ Πέτρου κηρύγματι [*in Prædicatione Petri*] erat, σάββατον οὐκ ἄγουσι τὸ λεγόμενον πρῶτον [*non agunt Sabbatum quod dicitur Primum*]. Cùm verò præter Paſcha duæ ſint præterea celeberrimæ Iudæorum ἑορταὶ [*feſtæ dies*], nempe τὸ πλήρωμα τῆς πεντηκοστῆς [*Completio pentecoſtes* ſive *quinquageſimæ*] & σκηνοπηγία [*Tabernaculorum erectio*], etiam quæ eas ἑορτὰς [*feſtas dies*] proximè contingebant Sabbata μεγάλα ἢ καὶ πρῶτα [*magna* ſive *prima*] vocata ſimili ratione. Nam & Sabbatum quod incidebat εἰς τὴν σκηνοπηγίαν [*in Tabernaculorum erectionem*] Ioſephus vocat μάλιστα θρησκευόμενον σάββατον [*Sabbatum maximè honoratum*], Belli Iudaïci libro II, cap. XXXVII. Atque ita cùm tria eſſent Sabbata πρῶτα [*prima*], id eſt, *maxima*, diſtinctionis causâ repertum ut Sabbatum Paſchale, quod ordine antegreditur, diceretur πρωτόπρωτον, *primorum primum*; Sabbatum Pentecoſtes δευτερόπρωτον, *primorum ſecundum*; Sabbatum σκηνοπηγίας [*Erectionis tabernaculorum*] τριτόπρωτον, *primorum tertium*. Sic in municipiis ubi erant δεκάπρωτοι [*Decem-primi*], primus ordinis dici poterat πρωτόπρωτος [*Primoprimus*], alter δευτερόπρωτος [*Secundoprimus*], atque ita deinceps. Notandum autem eſt meſſem, ut Hebræi docent, incidiſſe ferme in menſem Elul, qui partim Iunio partim Iulio reſpondet: itaque Exodi XXIII, 16. Pentecoſtes ſolemne vocatur *Solemne meſſis*; Tabernaculorum autem ſolemne, quod in finem Auguſti aut initium Septembris incidebat, *feſtum Collectarum in horrea frugum*. Nam quòd poſtridie Paſchatis δράγμα σταχύων [*manipulus ſpicarum*] ad altare adferebatur, fiebat id dicis causâ & ſpicis virentibus quæ igne torrebantur, ut Ioſephus nos docet ex loco Levit. II, 14. unde & menſi Niſan nomen alterum אביב, quod *ſpicam virentem* ſignificat: & hæ ipſæ ἀπαρχαὶ [*primitiæ*] ſumebantur ex hordeo, fruge temporiùs ſe prodente. Vide Ioſephum. Et hæc δευτεροπρώτου [*ſecundoprimi*] formatio ab ἀναλογίας [*ſimilis formationis*] regula non excedit. Adde quod apud Helleniſtas, quorum haud dubiè ſermonem hîc Lucas exprimit, exſtabat vox ſimilis formæ. Nam decimas illas quas Levitæ pendebant Sacerdotibus vocabant δευτεροδεκάτας [*ſecundodecimas*], id eſt, *ſecundas decimas*, ut notat Hieronymus in caput XL Ezechielis. Eædem vocantur δεύτεραι δεκάται [*ſecundæ decimæ*] Tobiæ I, 6. Sunt ergo idem δευτέρα δεκάτη [*ſecunda decima*] & δευτεροδεκάτη [*ſecundodecima*], item Sabbatum δεύτερον πρώτων [*ſecundum primorum*] aut δευτερόπρωτον [*ſecundum inter prima*].

ψώχοντες, *confricantes*] *Friantes.*

5. καὶ τοῦ σαββάτου. *etiam Sabbati*] Quòd hîc habent inſertum nonnulli codices, de eo qui Sabbato opus famulum faciebat, cui dictum ſit à Chriſto, *Beatum eſſe ipſum ſi noſſet quid ageret; ſin minùs, legis violatorem*, ſpurium eſſe non dubito: nam neque Metaphraſtæ veteres nec qui ad hunc locum ſcribunt ejus meminerunt hiſtoriæ. Quin pugnat cum perpetuo Chriſti inſtituto, qui Doctorem hîc agens, nemini legis Hebrææ gratiam fecit. Erat enim ea poteſtas cœleſti Regno ipſius reſervata. Puto igitur ab aliquo Marcionita adjectum.

6. ἄνθρωπος, καὶ ἡ χεὶρ αὐτοῦ δεξιὰ ἦν ξηρά. *homo, & manus ejus dextra erat arida*] Hebraïſmus, pro ἄνθρωπος οὗ ἡ χεὶρ ἦν ξηρά [*homo, cujus manus erat arida*].

7. κατηγορίαν αὐτοῦ. *accuſationem ejus*] Satis Græcè: nec de lectione dubitandum: κατηγορία μου [*accuſatio mei*] ſimili ſenſu eſt apud Demoſthenem. Solent genitivi ſæpe objectum ſignificare. Ita infrà ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ [*in oratione Dei*]. Eſt autem ἵνα εὕρωσι κατηγορίαν [*ut invenirent accuſationem*] idem quod in Daniele VI, 4. להשכחה עלה [*invenire prætextum*].

9. Ἐπερωτήσω ὑμᾶς τι, *Interrogabo vos aliquid*] Ita legit & Syrus, ſed ut ad ſequentia referret interrogandi ſenſu; Τί [*Quid*] pro πότερον [*utrum*], ſicut & apud Matthæum legimus XXI, 31. Τίς ἐκ τῶν δύο [*Quis ex duobus*] pro πότερος [*uter*]. Quòd ſi ad priora referre malis, ſenſus erit, *Eſt quod vos interrogem.* Atque id præfero: quia & alibi ſimili præfatione

tione Chriſtus interrogationem exorditur, Matth. xxi, 24. Luc. xx, 3. ubi ἕνα λόγον [*unum verbum*] eſt quòd hic τι [*aliquid*].

ἀπολέσαι; *an perdere?*] Id eſt, ἀποκτεῖναι [*interimere*], ut Marcus loquitur. Vide quæ ad Matthæum.

10. Καὶ ἐποίησεν οὕτω· *Et fecit ſic*] Fecit ut erat juſſus; id eſt, *extendit manum*, quod explicatè poſuit Syrus, ut & Latinus: ut ſolent liberiùs interdum verba interpretari.

ἀποκατεστάθη ἡ χεὶρ αὐτοῦ, *reſtituta eſt manus ejus*] Quod apud Marcum dixi hîc repeto, verba illa ὑγιὴς ὡς ἡ ἄλλη [*ſana ſicut altera*] videri ex Matthæo adſcripta; nam multi codices non habent; nec agnoſcit Latinus. Syrus agnoſcit illud ὡς ἡ ἄλλη [*ſicut altera*], non illud ὑγιής [*ſana*].

11. ἀνοίας· *inſipientiâ*] שגעין, id eſt, *ira*. Bene Philemon,

> Μαινόμεθα πάντες ὁπόταν ὀργιζώμεθα.
> [*Furiamur omnes ira nos quoties rapit.*]

τί ἂν ποιήσαιεν τῷ Ἰησοῦ. *quidnam facerent Ieſu*] Nempe ut eum è medio tollerent; quemadmodum ex Marco liquet.

12. εἰς τὸ ὄρος, *in illum montem*] Notum montem in ora maritima, ut ex Marco diſcimus iii, 7, & 13.

17. καταβὰς μετ᾽ αὐτῶν ἔστη ἐπὶ τόπου πεδινοῦ. *& deſcendens cum illis ſtetit in loco campeſtri*] Id eſt, de ſublimiore ſeceſſu contulit ſe in planitiem montis capacem majoris turbæ: ita ſermo qui ſequitur habitus eſt ἐπὶ τόπου πεδινοῦ [*in loco campeſtri*] *in planitie*, בפקעתא, ut hîc apud Syrum, & nihilominus in monte, quod omnino exigere videtur Matthæi narratio. Sunt qui putant diverſi temporis eſſe narrationes apud Matthæum & Lucam: & ſanè ſicut facti narrationes circumſtantiis congruentes non temere ad res diverſas referendæ ſunt, ita ſermones nihil vetat ſæpius habitos eoſdem aut ſimiles, præſertim continentes vitæ totius præcepta, quæ non potuerunt nimiùm ſæpe repeti. Sed me ne diverſas eſſe narrationes putem movent non tantùm exordium idem, eademque peroratio, ſed multò magis quòd uterque Scriptor hoc ſermone habito Chriſtum ait rediiſſe Capharnaümum atque ibi ſanaſſe Centurionis ſervum. Stetiſſe autem potuit Chriſtus in hac planitie dum ægrotos valetudini reſtituit, quod dicit Lucas, deinde ſediſſe Doctoris in morem cùm præcepta exordiretur, ut Matthæus indicat.

ὄχλος μαθητῶν αὐτοῦ, *& turba diſcipulorum ejus*] Noli ſolos Apoſtolos intelligere: nam μαθητὰς [*diſcipulos*] modò dixit eos ex quibus delecti ſunt Apoſtoli. Diſtinguuntur tamen à cætero populo, qui non tam aſſiduè Chriſtum ſectabatur atque illi μαθηταί [*diſcipuli*]. In hoc numero μαθητῶν [*diſcipulorum*] ponendæ ſunt etiam feminæ quædam Galilææ, & illi apud Lucam Lxx, pluresque alii.

τῆς παραλίου, *& maritima*] Syrus vertit ספר ימא, id eſt, *portum maris*, quomodo Hebræi vocant oram maritimam: nam Deuteronomii i, 7. חוף הים ארץ הכנעני eſt παράλιος γῆ Χαναάν [*juxta littus maris Terra Chananæorum*]. Sic & Ioſuæ ix, 1. Vocatur autem tota illa ora maritima in qua ſunt Tyrus & Sidon *Regio Tyri & Sidonis*, ut Matth. xv, 21. Marci iii, 8. vii, 24.

18. οἱ ὀχλούμενοι] Non improbo illud Veteris Interpretis, *qui vexabantur*. Nam *vexandi* verbum multo eſſe vehementius quàm vulgus putant, docent Grammatici ad illud Maronis,

> *Dulichias vexaſſe rates.*

19. παρ᾽ αὐτοῦ ἐξήρχετο, *de illo exibat*] Significatur non adventitia fuiſſe efficacia, ſed Chriſto intrinſeca ἐκ τῆς θείας φύσεως [*ex Divina natura*]. Vide infrà viii, 46. Matth. ix, 5.

21. οἱ πεινῶντες νῦν· *qui nunc eſuritis*] Id eſt, qui hîc famem ſitimque tolerant, non quavis de cauſa, ſed quia ſummo tenentur deſiderio Divinæ juſtitiæ in ſe atque aliis propagandæ. Ita optimè convenit Lucæ & Matthæo. Atque ita interpretatus eſt Clemens Alexandrinus, τοὺς πεινῶντας καὶ διψῶντας, inquit, διὰ τὴν δικαιοσύνην [*qui eſuriunt & ſitiunt propter juſtitiam*]. Vide exemplum in Paulo i Corinth. iv, 11. & ii Corinth. xi, 27.

Μακάριοι οἱ κλαίοντες νῦν· ὅτι γελάσετε. *Beati qui nunc fletis, quia ridebitis*] Populariter luctum *lacrymis*, gaudium *riſu* deſcribit. Nam apud Matthæum eſt πενθεῖν [*lugere*] & παρακαλεῖσθαι [*conſolari*]. Ita mox σκιρτᾷν [*exſultare*] pro *gaudere* ponitur; alibi ἀγαλλιᾶσθαι.

22. ὅταν ἀφορίζωσιν ὑμᾶς, *cùm ſeperaverint vos*] Ἀφορίζειν [*ſeparare*] propriè reſpondet Hebræo נדה. Nam quod apud Hebræorum Magiſtros eſt נדוי idem eſt τὸ ἀφορίζειν in canonibus Chriſtianis. Iohannes dixit ἀποσυνάγωγον ποιεῖν [*extra ſynagogam facere*], Ioſephus ἐκβάλλειν τοῦ τάγματος [*ejicere ex conventu*]. Mos hic ex Legis verbis ortum non habuit: nam ex ejus præſcripto minora delicta Sacrificiis expiabantur, majoribus Mulcta aut etiam Verbera indicebantur, maximorum criminum pœna Mors erat: Exſilii nulla mentio. Sed cùm multa eſſent delicta in Lege non diſertè nominata, ſapientum interpretatio inter verbera & victimalem expiationem conſtituit τὸν ἀφορισμὸν [*Separationem*], præcipuè in eos qui moniti vitam non emendabant. Nam נדוי [*Separationem*] in uſu fuiſſe ſtante Solomonis Templo tradunt Hebræi. Major hujus inſtituti neceſſitas nata eſt ex quo populus in Babyloniam abductus cum libertate amiſit jus publicorum judiciorum. Ipſa enim naturalis ratio coegit ad eas coercitiones recurrere quæ ſine uſurpatione publicæ poteſtatis expediri poterant. Namque hoc & in Gallia Druides feciſſe legimus, ut *qui decretis non ſtarent*, eos *ſacrificiis interdicerent. Quibus ita interdictum erat* (inquit Cæſar) *ii numero impiorum ac ſceleratorum habentur. Iis omnes decedunt, aditum ſermonemque defugiunt, ne quid ex contagione incommodi accipiatur.* His non diſſimiles erant Romæ olim qui *ſacri* & *inteſtabiles* dicebantur, & quibus ut vitâ indignis aquâ atque igni interdicebatur. Et in Græcia οἱ ἀγορᾶς καὶ λιμένων εἰργόμενοι [*qui foro & portubus arcebantur*] & οἱ ἐκκηρυττόμενοι [*qui voce præconis publicè expellebantur*]. Eſt deſcriptio hujus ritus luculenta apud Sophoclem Oedipo Tyranno,

> Τὸν ἄνδρ᾽ ἀπαυδῶ τοῦτον ὅστις ἐστὶ γῆς
> Τῆς δ᾽, ἧς ἐγὼ κράτη τε καὶ θρόνους νέμω,
> Μήτ᾽ εἰσδέχεσθαι, μήτε προσφωνεῖν τινα,
> Μήτ᾽ ἐν θεῶν εὐχαῖσι μήτε θύμασιν
> Κοινὸν ποιεῖσθαι, μήτε χέρνιβας νέμειν.

[*Veto ne quis iſta ſola colens quorum mihi*
Sedes datæ ſceptrumque, quem ſigno virum
Domo recipiat hoſpitem, aut paret alloqui.
Aut in deorum ſinat honore aut victimis
Habere partem, ſumere aut latices ſimul].

Xenophon Hierone, πεποίηνται πολλοὶ νόμον τῷ μιαιφόνῳ μὴ εἶναι τὸν συνόντα καθαρεύειν [*fecerunt multi legem ne purus eſſet qui cum homicida conviveret*]. In epiſtola Philippi ad Athenienſes, εἰς τοῦτο ἐλήλυθεν ὁ δῆμος ὥστε μυστηρίων εἴργειν αὐτούς [*Eò venit populus ut illos à myſteriis arcerent*]. Scholiaſtes Ariſtophanis, κατὰ τὸ ἔθος οἱ ἀνδροφόνοι μὴ μεταλαμβάνουσι τῶν θυσιῶν [*mos eſt ne homicidæ de victimis participent*]. Nicolaus Damaſcenus de Cercetis Indiæ populo, τοὺς ἀδικήσαντας ὁτιοῦν τῶν ἱερῶν ἀπείργουσι [*Eos qui quovis modo injuriam fecere arcent à ſacris*]. Ad naturalem rationem acceſſerunt exempla quædam & argumenta per ratiocinationem ex Lege derivata. Nam Caino Deus cùm mortis pœnam parricidio commeritam indulſiſſet, latam quandam fugam inflixerat, ſed ita ut ipſum ſimul omnibus deteſtabilem haberi vellet. Cui ſimile quid vetus Græcia in homicidis obſervabat. Præterea cùm turpi ſcabie laborans ex Lege arceretur ab omni hominum commercio, ne ſcilicet morbus transitione aliis noceret, non iniqua erat collectio, ſi nihil poſſet gravius, hoc certè in homines facinoroſos conſtituendum, qui & exempli contagio læderent alios, & populum omnem communis probri labe adſpergerent, unde liberari populus non poterat niſi manifeſta quadam ſceleris deteſtatione. Quanquam autem ſingulorum quoque officium erat eos quos gravioris culpæ affines noſſent defugere ac declinare, quo pudorem eis injicerent, in famoſis tamen criminibus res ipſa exigebat communem aliquam notionem. Ea temporibus Babylonici exſilii fuit non penes Sacerdotes, neque penes Legis interpretes, ſed penes αἰχμαλωτάρχην [*principem captivorum*] & ei additos Seniores, quos, quanquam ſummo imperio exutos, Iudæi omnes Magiſtratuum vice reverebantur, eorumque decretis parebant. Quo- es verò Iudæis αὐτονομία [*uſus ſuarum legum*] & s publicæ animadverſionis citra necis poteſtatem it conceſſum, acceſſerunt ad ἀφορισμὸν [*Separa- nem*] pœnæ aliæ: quo ipſo liquet ἀφορισμοῦ [*Sepa- ndi*] jus fuiſſe partem imperii. Itaque Eſdræ temporibus cœtu indicto Hieroſolyma qui ſe non ſti- ſſet huic pœnæ obſtringitur והוא יבדל מקהל, גולה, id eſt, καὶ αὐτὸς ἀφορίσεται ἀπὸ τῆς συναγω- ς τῆς ἀποικίας [*ipſe abjicietur de cœtu transmigratio-*]. Lxx ita vertunt, καὶ αὐτὸς διασταλήσεται ἀπὸ ἐκκλησίας τῆς ἀποικίας. Ioſephus, ἀπαλλοτριωθήσεται πλήθους [*alienus erit à populo*]. unde intelligimus συναγωγὴν [*ſynagogam*], unde ἀποσυνάγωγοι [*apoſynagogi*] dicuntur, non ſignificare τὸ διδασκα- ον [*locum in quo Lex docebatur*] ſed *omnem populi ventum*. Nam קהל modò συναγωγὴν [*ſynago- m*] modò ἐκκλησίαν [*eccleſiam*, id eſt, *conven- m*] verti alibi diximus. Fecerat hoc decretum dras, quippe Ethnarcha à Rege conſtitutus, conſilio συναγωγῆς μεγάλης [*Synagogæ magnæ ſi- Conventus magni*], id eſt, Synedrii & aliorum puli principum: ita enim legimus in decreto: כעצת השרים והזקנים, Lxx ὡς ἂν ἡ βουλὴ τῶν ἀρχόντων καὶ τῶν πρεσβυτέρων [*juxta conſilium principum & Seniorum*]. Hebræi Magiſtri dicunt factum hoc decretum à collegio Iudicum ſuperiore & inferiore, id eſt, Senatu populi & urbano. Ibidem relegatio à cœtu conjunctam habet ἀφιέρωσιν τῆς οὐσίας, ut Ioſephus loquitur, ἀναθεματισμὸν τῆς ὑπάρξεως, ut Lxx, id eſt, *bonorum conſecrationem*. Simile eſt quod Nehemias dicit Sanballatæ generum à ſe expulſum, nimirum eadem poteſtate qua alios delictorum compertos maledicto, depilatione, verberibus caſtigarat. Redactâ à Romanis in provinciæ modum Iudæâ, ſtatus ferme idem fuit qui Eſdræ & Nehemiæ temporibus. Nam ademtâ aut accisâ interficiendi poteſtate, cætera publicorum judiciorum Iudæis relinquebantur. Quare quod ait Iohann. IX, 22. συνέθεντο οἱ Ἰουδαῖοι ἵνα ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστόν, ἀποσυνάγωγος γένηται [*conſtituerant Iudæi ut ſiquis eum Chriſtum eſſe confiteretur, extra Synagogam fieret*], omnino intelligendum de decreto aut Synedrii aut etiam συναγωγῆς μεγάλης [*Synagogæ magnæ*]· de quo cœtu alibi diximus. Neque aliò pertinet quod apud eundem eſt Iohannem, διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται [*propter Phariſæos non confitebantur ut de Synagoga non ejicerentur*], XII, 42. Quanquam enim Sadducæi ſæpe ad ſummos honores perveniebant Romanorum gratiâ, utpote minùs ſuſpecti rerum novarum, dubitandum tamen non eſt quin pars major Synedrii ex Phariſæis fuerit. Nam & Iohannes VII, 45. Synedrium circumloquitur nomine ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων [*Pontificum & Phariſæorum*]. Ita Nicodemus & Gamaliel erant Φαρισαῖοι [*Phariſæi*] & σύνεδροι [*Senatores Synedrii*]. Quin & plerique γραμματεῖς [*Scribæ*] ejus erant ſectæ, Actor. XXIII, 9. Sed & ſectæ aliæ quæ ſe reipublicæ non miſcebant, quales præcipuè erant Eſſeni, è quibus collecta eſt magna multitudo Chriſtianorum (unde eoſdem eſſe Naziræos & Eſſenos dixerunt Hebræi quidam), ad tuenda inſtituta ſua neceſſariò ἀφορισμὸν [*Separationem*] uſurpabant. Erant quidem inter ipſos in uſu pœnæ etiam aliæ, ut longæ ξηροφαγίαι [*victus aridus* longo tempore], jejunia, atque alia id genus, quæ nunc etiam Iudæi inter ſe exercent: ſed cùm neque cœtus ipſorum neque ejus cœtus Præſides haberent τὸ ἀναγκαστικὸν [*vim coactivam*], extremum quò deveniri poterat adverſus contumaces erat à cœtu relegatio, ut Ioſephus nos docet. Secuti ſunt morem eundem Pythagorei: nam qui non ſervabat ejus inſtituti regulas cœtu arcebatur, eumque omnes pro mortuo habebant, ita ut & κενοτάφιον [*imaginarium ſepulchrum*] ei ſtruerent. Cæterùm notandum eſt ἀφορισμοῦ [*Separationis*] plures fuiſſe ſpecies: Prima ſpecies eſt nudus ἀφορισμὸς [*Separatio nuda*], generis obtinens nomen נדוי. Qui hac nota inuſti erant ſtante Templo accedebant ad Templum, ut ex Hebræis vir doctus notavit: ſed haud dubiè conſiſtebant extra τὸ περίβατον [*ſeptum quod*] qui diſtinguebat ἐθνικοὺς [*incircumciſos*] ab Iſraëlitis. Nam οἱ ἀφωρισμένοι [*ſeparati*] interim ἐθνικῶν [*incircumciſorum*] loco habebantur. Chriſtiani veteres (qui ut ſæpe notavimus omnia proba Iudæorum inſtituta libenter ſequebantur) hos vocabant τοὺς ἐν προσκλαύσει [*eos qui erant in primo fletu*], qui non cum cæteris orabant, ſed fidelibus legationes deprecationis injungebant, ut Tertullianus loquitur, ſquallidi interim & mœrentes: quod & nunc Iudæi obſervant. Eoſdem vocabant χειμαζομένους [*tempeſtate infeſtatos*], quod velut extra Eccleſiæ portum in Mundi alto jactarentur. Sed poſt decurſum tempus aliquod tam mœſti reatus, propius admittebantur: cujus admiſſionis Chriſtiani alii pauciores, alii plures gradus fecere: de quibus aliàs erit agendi locus. Altera ἀφορισμοῦ [*ſeparationis*] ſpecies erat חרם [*exſecratio*] ἀνάθεμα Græcis, qua is qui deliquerat diris quibusdam, ut Deo ultori ſacer devovebatur. Videntur hoc maximè uſurpaſſe Iudæi adversùs eos qui à tota Legis profeſſione deficiebant, quos ipſi vocant מומרין, nos ἀποστάτας [*deſertores*]· quibus pares cenſent eos qui poſt admonitionem Deum contumelioſè nominant. Horum non modò familiare commercium vitabant, ſed nec dignos arbitrabantur quos leviter ſalutarent. Deſcribit hoc Iohannes in Epiſtola, μὴ λαμβάνετε εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν αὐτῷ μὴ λέγετε· ὁ γὰρ λέγων αὐτῷ χαίρειν κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς [*nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit illi Ave communicat operibus ejus malignis*]. Sed ipſa ἀναθέματος [*anathematis*] formula à Paulo adversùs Alexandrum doctrinæ adulteratorem, pronuntiatur: ἀποδώη αὐτῷ ὁ Κύριος κατὰ τὰ ἔργα αὐτοῦ [*reddat illi Dominus ſecundùm opera ejus*], II Timoth. IV, 14. Hoc loco Iudæis erant Samaritæ quos multò pejore loco quàm ἐθνικοὺς [*gentiles* ſive *incircumciſos*] habebant. Nam pro Gentibus, ſi id poſtularent, ſacrificia fiebant in Templo, ut nos docent Ioſephus & Philo, & ſatis colligitur ex verbis Solomonis I Reg. VIII, 41. at pro defectore non item. Sic & in Eccleſia Chriſtianorum pro lapſis pœnitentiam agentibus fideles preces ſuas interponebant, non item pro deſertoribus Chriſtianiſmi, quibus per prima illa ſecula æquabantur hi qui aut peccandi conſuetudinem traxerant, aut in tam gravibus delictis deprehenſi erant quæ credibile non erat cadere potuiſſe in animum pietatis aliquid retinentem, qualia erant ex deliberato idololatria, homicidium, adulterium. Clemens Alexandrinus Strom. VII. ἀλλ᾽ οὐκ ἐπὶ τῇ τῶν ἀνθρώπων βλάβῃ τῇ τοιᾷδε συγχρηστέον εὐχῇ ποτε· πλὴν εἰ μὴ τὴν ἐπιστροφὴν τῆς δικαιοσύνης τεχναζόμενος τοῖς δ᾽ ἀπηλγηκόσιν ὁ γνωστικὸς οἰκονομοίη τὴν αἴτησιν [*tali prece non utendum in damnum cujusquam, niſi ſiquando vir ſapiens extra ordinem eam adhibeat ut eos qui dedoluerunt ad juſtitiam revocet*]. Vide ut adversùs deſertores & alios factis pietatem abnegantes ſevera Dei judicia invocaverint, ſi fortè ea ratione ad reſipiſcentiam perducerentur. Ideo addit Paulus ἵνα παιδευθῶσι [*ut diſcant*] de Hymenæo & Alexandro loquens I Timoth. I, 20. Simile eſt illud in Pſalmo, *Imple vultum eorum ignominiâ, ut quærant nomen tuum Domine* LXXXII, 17. Tales erant quos Apoſtoli Satanæ tradebant ad temporalem vexationem. Quod ſi qui in tale exitium lapſi multos eòdem traherent, in eos exercebatur non illud commune ἀνάθεμα [*anathema*] ſed gravius atque atrocius. Id Hebræi vocant שם אתא *Deus venit:* nam שם, id eſt, *nomen* pro *Deo* dicunt. Paulus dicit ἀνάθεμα Μαραναθὰ מרן אתא [*anathema Maranatha ſive Dominus venit*] eodem ſignificatu. Nam מרן eſt *Dominus*. Ea voce oratur Deus ut quàm primùm talem maleficum & ſeductorem coerceat, vel alio modo, vel etiam eum tollendo ex hominum numero. Apparet ex his quæ diximus in diſciplinæ cuſtodia ſecutos Chriſtianos exemplum Iudæorum, ſed Eſſenorum præſertim, ut qui eſſent merè privati, ſine ullo imperio, quemadmodum & Chriſtiani. Inter vetera Eſſenorum inſtituta & hoc erat, ſi qui nondum impleto indictæ pœnitentiæ ſpatio ad mortis periculum ægrotarent eos ad communionem reciperent: quod ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἀναλαμβάνειν [*in ultimo ſpiritu recipere*] vocat Ioſephus. Faciebant autem hoc ait ἱκανὴν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν τὴν μέχρι θανάτου βάσανον ἡγούμενοι [*ſufficere arbitrati toleratos ad mortem uſque dolores*]. Idem à Chriſtianis antiquitus obſervatum conſtat idoneis teſtibus, Patribus Synodi Nicæenſis quos veterum Eccleſiæ morum nihil latere poterat, περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων, inquiunt, ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε εἴτις ἐξοδεύοι τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι [*de iis verò qui inſunt vita vetus canonum lex etiam nunc obſervatur, ut ſi quis moriturus eſt non fraudetur ultimo ac maximè neceſſario viatico*]. Rurſus, ſicut apud Eſſenos judicium tantæ rei non erat penes paucos, ſed penes cœtum in quem convenirent homines non minùs centum, ut Ioſephus docet, ita & apud Chriſtianos veteres præſidente quidem Epiſcopo & Senioribus, ſed conſcia ac conſentiente fratrum multitudine morum judicia exercebantur, I Corinth. V, 4. συναχθέντων ἡμῶν [*congregatis nobis*] II Corinth. II, 6. ἐπιτιμία ἡ ὑπὸ τῶν πλειόνων [*objurgatio quæ fit à pluribus*]· Sic Euſebius memorat antiquitus ἐξέτασιν [*inquiſitionem in mores*] fieri ſolitam πλήθους παρόντος [*præſente multitudine*]. Tertullianus Apologetico cùm de cœtu & congregatione locutus eſſet ſubjungit, *Ibidem etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina: nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu: ſummumque futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit ut à communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegetur. Præſident probati quique ſeniores.* Non poterat illuſtrior adferri deſcriptio τοῦ ἀφορισμοῦ [*ſeparationis*]. Adde illud in libro Ad uxorem: *Fideles Gentilium matrimonia ſubeuntes ſtupri reos eſſe conſtat, & arcendos ab communicatione fraternitatis, ex literis Apoſtoli dicentis, Cum ejuſmodi nec cibum ſumendum.* Libro de Monogamia dixit *à communicatione depellere:* libro de Pudicitia, *Libidinum furias impias & in corpora & in ſexus ultra jura naturæ, non modò limine verùm omni Eccleſiæ tecto ſubmovemus.* At ἀφορισμὸς ὑπ᾽ ἀναθέματος, [*ſeparatio cum anathemate*]; quam & ἀποκήρυξιν τελείαν [*plenam ejectionem*] Græci vocant, idem Scriptor vocat *in perpetuum diſcidium relegare*, quod uſurpatum ait adversùs ſemel atque iterum ejectos. Locus eſt libro Adversùs hæreticos. Origenes ἀπελαύνειν τοῦ κοινοῦ [*à cœtu ejicere*], & ἀποκωλύειν ἥκειν ἐπὶ τὸν κοινὸν σύλλογον [*vetare ad communem conventum accedere*]. Cyprianus ἀφορίζειν modò dicit *abſtinere*, modò aliis vocibus circumloquitur, ut *à Communicatione arcere, cohibere, prohibere, de Eccleſia ejicere, excludere, depellere.* Cujus q

de

dem viri ſanctiſſimi epiſtolas ſi quis legat, facilè cognoſcet totum ferme Chriſtianæ diſciplinæ vigorem in iſtis judiciis conſtitiſſe: neque verò eos tantùm qui contumaciter monita reſpuebant in perpetuum, id eſt, ſine præfinitione temporis, à commercio piorum relegatos, ſed ad tempus etiam eos qui ſpem præberent pœnitentiæ. Quem morem qui ex Eccleſia ſublatum volunt graviſſimum infligunt vulnus diſciplinæ, quam corruptis adeò Chriſtianorum moribus ad veterem ſeveritatem reduci maximum ſit operæ pretium: tantum abeſt ut ulla ejus pars reliqua luxari debeat. Neque ad eam rem peculiare præceptum deſideratur; cùm Eccleſiæ cœtu à Chriſto ſemel conſtituto omnia illa imperata cenſeri debeant ſine quibus ejus cœtûs puritas retineri non poteſt. Sunt alii qui abſtentionem probent, ἀνάθεμα [*anathema*] non probent. Atqui diſcrimen eſſe debet audientium monita & refractariorum. Iam verò diximus nihil aliud eſſe ἀνάθεμα [*anathema*] quàm *ſine præfinitione temporis ejectionem*, quæ tamen pœnitentiâ ductis reditum non ſemper præcludit. Certè quanquam vetus Eccleſia, cùm vigerent διακρίσεις πνευμάτων [*ſpirituum diſcretiones*], certiùs de animis hominum judicare potuit, ſunt tamen quædam delicta tam atrocia, ut, ſi contumacia accedat, nemo non videat eſſe ἁμαρτίας εἰς θάνατον [*peccata ad mortem*]· pro talibus, dum tales manent, Eccleſia non intercedit precum ſuffragio; quod ſolis pœnitentibus patet; generaliter tamen his, ut & infidelibus, mentem optat meliorem. Chryſoſtomus ubi ἀνάθεμα [*anathema*] pronuntiandum ait *adversùs facta, non adversùs homines*, intelligit deſtrictum illud ἀνάθεμα quo Deus rogatur ut aliquem coerceat, vel aliter vel etiam tollendo eum è medio. Hujus ſanè rarior eſt uſus; non tamen nullus. Nam in Iulianum, cùm defectioni adderet machinationes evertendi Chriſtianiſmi, uſa eſt Eccleſia iſto extremæ neceſſitatis telo, & à Deo eſt exaudita. Reperti ſunt & qui judicia iſta Eccleſiæ putarent inhibenda, quoties Chriſtianas Poteſtates Deus concederet ſeculo: quam in rem utuntur exemplo Iudæorum, apud quos Synedrium habebat jus illud pronuntiandi ἀποσυναγώγους [*alienos à ſynagoga*, id eſt, *cætu*]. Quibus ego illud facilè largiar, piorum Regum nonnullam eſſe etiam ad res iſtas auctoritatem. Nam & Iohannes Romæ Epiſcopus Iuſtinianum Imperatorem rogat pro Neſtorianis atque aliis, ut ſi proprio depoſito errore & prava intentione depulſa ad unitatem Eccleſiæ reverti voluerint, in ſuam eos communionem recipiat; & apud Ivonem Carnutenſem legitur capitulum vetus, ex quo conſtat ad communionem Eccleſiæ admitti ſolitos quos poſt delictum aliquod Rex menſæ ſuæ adhibuiſſet. Sed hæc non eò valent ut libertas judicandi tollatur Eccleſiæ: neque procedit petitum à Iudæis argumentum. Nam apud eos lex tota ex qua judicabatur erat accommodata populo carnali, ita ut cives omnes æqualiter obſtringeret: ac proinde idem erant reſpublica & ἐκκλησία. At Chriſti leges multò plus exigunt quàm in commune civibus imperii alicujus præſcribi ſolet, aut etiam poteſt: ſemper enim magna pars hominum φρονεῖ τὰ τῆς σαρκός [*ſapit ea quæ ſunt carnis*]. Quare Civiles quidem leges ſuo funguntur officio ſi graviora & ſocietati maximè nocentia delicta coërceant: At quæ contra dilectionis, contra manſuetudinis, contra patientiæ leges peccantur extra communes leges ſunt poſita; non etiam extra eas leges quas ſe ſectantibus Chriſtus præſcribit, & ſecundùm quas judicare debet ille ſelectus ex mundo cœtus. Quare rectè Conſtantinus & eum ſecuti Imperatores reliquerunt Eccleſiæ ſua judicia, atque ea inſuper ſuis legibus munierunt; ut videre eſt in Actis Synodorum & legibus in Codicem relatis. Et hos quidem qui iniquiores ſunt adversùs Eccleſiæ diſciplinam monitos hactenus volui. Supereſt ut qui eandem exercent meminerint quantum ſit ipſis onus impoſitum. Scitum eſt veterum Iudæorum cujus Maimonides meminit, *Si quis innocentem à Communione arcuerit, ipſum excidere jure Communionis.* Sicut & in Clementis Conſtitutionibus legimus, Ἡ κατάρα ἐπιστρέψει εἰς κεφαλὴν τοῦ ἀδίκως αὐτὴν ἐκπέμψαντος [*Diræ recident in caput injuſtè eas emittentium*]. quam æquitatem ſecutus Cyprianus ex more illorum ſanctiſſimorum temporum de Feliciſſimo ita pronuntiat, *Accipiat ſententiam quam prior dixit.* Solent autem injuſta atque immitia judicia exerceri non tam in morum examine (nam hîc nimiùm plerunque indulget cenſura, tantum abeſt ut æquo ſit rigidior) quàm circa quæſtiones dogmatum rituumque. Quod Apoſtolis accidit & terrere temerarios debet, & pios ſolari. Prædixit illis Chriſtus fore ut ἀποσυνάγωγοι pronuntiarentur [*à ſynagoga* ſive *cætu alieni* haberentur] Iohann. XVI, 2. quod hîc dixit ἀφορίσουσιν ὑμᾶς [*ſeparabunt vos*]. Neque intra primum ἀφορισμοῦ [*Separationis*] gradum ſtetit impotens odium, ut cùm ἀποσυνάγωγοι [*à cœtu alieni*] judicati ſunt qui Ieſum eſſe Meſſiam faterentur, Iohann. IX, 22. XII, 42. ſed cùm poſt Ieſu reſurrectionem ejus dogma magnis auctibus invaleſceret, & libertas rituum paulatim clariùs doceretur, acceſſit ἀνάθεμα [*anathema*]· cujus meminit Iuſtinus Adversùs Tryphonem: ait enim quoſdam Iudæos ſolitos ἐν ταῖς συναγωγαῖς καταναθεματίζειν τοὺς ἐπὶ τὸν Χριστὸν πιστεύοντας [*in ſynagogis anathema dicere iis qui in Chriſtum crederent*]. Et alio quodam loco ait τοὺς ἀρχισυναγώγους μετὰ τὴν προσευχὴν [*Archiſynagogos poſt peractas preces*] ſolitos Chriſtum ἐπισκώπτειν [*convitiis inſequi*]. rurſum alibi Iudæos ita alloquitur, Καὶ νῦν τοὺς ἐλπίζοντας ἐπ' αὐτὸν (τὸν Χριστὸν) καὶ τὸν πέμψαντα αὐτὸν παντοκράτορα καὶ ποιητὴν τῶν ὅλων Θεὸν ἀθετεῖτε καὶ ὅσον ἐφ' ὑμῖν ἀτιμάζετε, καταρώμενοι ἐν ταῖς συναγωγαῖς ὑμῶν τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ τὸν Χριστόν [*Et nunc eos qui in ipſum (Chriſtum) ſperant, ſimulque in eum qui Chriſtum miſit omnipotentem & omnium opificem Deum, rejicitis & quantâ maximè poteſtis ignominiâ afficitis, etiam diris devoventes in ſynagogis veſtris eos qui in Chriſtum credunt*]. Hæc vera eſſe norunt etiam qui nunc Thalmudicos libros aut etiam Ritualia Iudæorum perlegunt. Paſſim enim diris ibi devoventur Chriſtiani. Ipſe apud Iuſtinum Tryphon Iudæis præceptum ait à Doctoribus μηδενὶ τῶν Χριστιανῶν ὁμιλεῖν μηδὲ κοινωνῆσαι τῶν λόγων [*ne cum Chriſtianorum ullo converſarentur,* *aut ſermonem ſociarent*]. Epiphanius idem de ſua ætate teſtatur: Verba ſunt, Ἀνιστάμενοι ἔσωθεν (οἱ Ἰουδαῖοι) καὶ μέσης ἡμέρας καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν ἐν ταῖς αὐτῶν συναγωγαῖς, ἐπαρῶνται αὐτοῖς καὶ ἀναθεματίζουσι, φάσκοντες, ὅτι ἐπικατάρασαι ὁ Θεὸς τοὺς Ναζωραίους· [*Intra Synagogas exſurgentes Iudæi tam medio die quam circa veſperam diras illis imprecantur & anathemati eos devovent dicentes: O Deus diris defige Nazaræos*] quod ille tanquam de una Chriſtianorum ſecta dictum interpretatur, cùm revera ad omnes Chriſtianos pertineret, quos Iudæi appellabant atque etiamnunc appellant Ναζωραίους. [*Nazaræos*].

καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν, [*& ejecerint nomen veſtrum tanquam malum*] ἐκβάλλειν [*ejicere*] non eſt hîc ex albo aut diptychis expungere; id enim verbo ἀφορίζειν [*ſeparare*] ſatis erat comprehenſum; ſed ſicut ὀνειδίζειν [*probris afficere*] eſt *præſentes convitiis proſcindere*, ita ἐκβάλλειν τὸ ὄνομα ὡς πονηρὸν [*ejicere nomen tanquam malum*], *abſentium nomen, ut improborum hominum, differre rumoribus*. Eſt enim Hebraïſmus הוציא שם רע Deut. XXII, 19. ἐξέβαλε, [*ejecit*,] aut, ut LXX vertunt, ἐξένεγκεν ὄνομα πονηρόν. [*eduxit nomen malum*]. Contigit hoc Apoſtolis tunc præcipuè cùm à Synedrio legatio ad omnes per orbem Iudæos miſſa eſt ad infamandum dogma Chriſtianum: quam rem ex Iuſtino alibi memoravimus.

23. σκιρτήσατε· *exſultate*] גילו.

24. τοῖς πλουσίοις· *divitibus*] *Qui divites eſtis & communi divitum more vivitis.*

ἀπέχετε τὴν παράκλησιν ὑμῶν. *habetis conſolationem veſtram*] Sic infrà XVI, 25. Τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες σὺ τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου. [*Fili recordare quia recepiſti bona in vita tua.*]

25. οἱ ἐμπεπλησμένοι· *qui ſaturati eſtis*] Qualis ille qui ſepulchro inſcribi curaverat,

Τόσσ᾽ ἔχω ὅσσ᾽ ἔπιον καὶ ἐδήτυα.

πεινάσετε. *quia eſurietis*] Vide narratiunculam de epulone dicto capite XVI. Eſaias LXV, 13. *Ecce ſervi mei comedent, & vos eſurietis; ſervi mei bibent, & vos ſitietis.* Sicut felicitas vitæ alterius convivio depingitur, ita ſtatus oppoſitus fame & ſiti.

οἱ γελῶντες νῦν· *qui ridetis nunc*] Id eſt, qui omnes gaudendi occaſiones in hac vita captatis.

26. ὅταν καλῶς ὑμᾶς εἴπωσι πάντες οἱ ἄνθρωποι· *quum bene dixerint vobis homines*]· Phocion cùm in dicendo multitudini placuiſſet, ecquid peccaſſet amicos interrogabat. Nimirum,

Obſequium amicos, veritas odium parit.

τοῖς ψευδοπροφήταις, *pſeudoprophetis*] Quippe qui dogmata ſua & vaticinia accommodant procerum & populi cupiditatibus.

27. τοῖς ἀκούουσι· *qui auditis*] Qui obedienti propoſito me auditis.

30. καὶ ἀπὸ τοῦ αἴροντος τὰ σὰ, μὴ ἀπαίτει *Et qui aufert quæ tua ſunt ne repetas*] αἴρειν eſt hîc *non vi extorquere*, ſed *pro ſuo uti*. Sic & infrà XIX, 21. αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας [*tollis, quod non poſuiſti*]. Senſus eſt: *Si quis quod tuum eſt aut tibi debetur pro ſuo uſurpet, noli rigidè adversùs eum jus tuum cum detrimento mutuæ dilectionis urgere.*

32. ποία ὑμῖν χάρις ἐστί; *Quæ vobis eſt gratia?*] Ita Plautus, *eſt gratia*, id eſt, *gratia tibi debetur*. Omnino enim dativus hîc videtur exigere ut χάριν [*gratiam*] intelligamus non beneficium, ſed beneficii repenſationem. Quam, inquit, ex tali facto à Deo poteſtis gratiam exſpectare? Sic χάριν ἔχειν eſt *gratias agere*, infrà XVII, 9. Aliter hîc gloria cœleſtis χάρις [*gratia*] dicitur, aliter apud Paulum aliquot locis. Apud Paulum quia liberaliter promiſſa, cùm ex jure Dominus nihil nobis deberet, imò nos ipſi multis nominibus eſſemus debitores: hîc verò quia reſpectum habet ad benè facta: quomodo & merces dicitur hoc loco apud Matthæum: ſed gratia ob benevolum dantis affectum: merces ob promiſſionem.

34. παρ᾽ ὧν ἐλπίζετε ἀπολαβεῖν, *à quibus ſperatis recipere*] Omnino hoc pertinet ad illud beneficii genus quòd ἐρανισμὸν [*Collationem*] Græci vocant, de quo præclara annotavit doctiſſimus Caſaubonus ad Theophraſtum. Si quis naufragio, incendio, aut alio caſu triſtiore multum rei amiſiſſet, ſolebant amici pecunias ei contribuere, non ad certum diem ſolvendas, ſed ubi commodum eſſet. Id verò præſtare vix ſolebant niſi his quos ſpes eſſet ex adverſa fortuna in meliorem emerſuros: ita ut aliquando poſſent non pecuniam tantum, ſed & *beneficii vicem rependere*, quod vocabatur ἀνερανίζειν. Lucas ἐρανίζειν [*Symbolam conferre*] communiore vocabulo δανείζειν [*mutuo dare*] vocat: & ἀπολαμβάνειν, *recipere beneficium*: ut mox ἀπολαμβάνειν τὰ ἴσα: ſicut Latini dicunt paria facere, *par pari referre.*

35. μηδὲν ἀπελπίζοντες· *nihil inde ſperantes*] Legit omnino Syrus μηδέν᾽ ἀπελπίζοντες [*neminem ſpe fruſtrantes*], & ἀπελπίζειν [*deſperare*] ſumit activè ut ἀποστοματίζειν [*jubere memoriter reſpondere*]. Atque alia quæ ad formam Hiphil fingunt Helleniſtæ: Sed & Græci interdum ἀπελπίζειν [*deſperare*] ita uſurpant. Senſum igitur eſſe exiſtimavit: *omnibus petentibus date mutuum neminem fruſtrantes ſpe ea, quam de veſtra beneficentia concepit*. At Græci ſcriptores & Latinus interpres vetus legunt μηδὲν [*non*] & ἀπελπίζειν interpretantur ἀπὸ τοῦ πράγματός τι ἐλπίζειν. [*ex eâ re aliquid ſperare*]. qui ſenſus optimè huic loco congruit: vult enim contrarium fieri ejus quod ſuprà dixerat. Homines non Chriſtiani ſolent δανείζειν ἐλπίζοντες ἀπολαβεῖν. [*mutuum dare his, à quibus ſperant recipere*]. Suis præcipit Chriſtus δανείζειν μηδὲν ἀπελπίζοντας, id eſt, μηδὲν ἐλπίζοντας ἀπολαβεῖν, *nullam exſpectantes vicem beneficii*. Non longè hinc abit Plutarchi illud, τοῖς ἀπόροις οὐ δανείζουσιν, ἀλλὰ βουλομένοις ἀπορίαν τινὰ ἑαυτοῖς κτᾶσθαι· καὶ μάρτυρα δίδωσι καὶ βεβαιωτὴν ἄξιον, ὅτι ἔχει πιστεῦσαι, δέον ἔχοντα μὴ δανείζεσθαι. [*Egeno pecuniam nemo credit, ſed iis qui ſibi copiam aliquam parare volunt; teſtemque & ſponſorem habent, eſſe ſe quibus tutò mutuum committatur, cùm debuerit cui res eſt, mutuum nihil ſumere.*] At verò, ut ait Lactantius, *id juſtè, id piè, id humanè fit quod ſine ſpe recipiendi feceris*. Non arbitror proprie huc pertinere quæſtionem fœnebrem, quæ tamen in hunc locum à plerisque veterum tractari ſolet. Quâ de cauſâ, & quia per conſequentiam cenſeri hîc debet vetita avaritia fœneratorum non alienum erit pauca eâ de re diſſerere. Poteſt

autem quadruplex eſſe quæſtio, de jure naturali, de lege Moſis, de Lege Chriſti, de moribus veterum Chriſtianorum quod jus Canonicum dici ſolet. Sed hac de re acturus illud primùm præfabor, probare me eorum pietatem qui totum hoc lucrandi genus ſublatum vellent è rebus humanis, quando multa inde mala naſci manifeſtiſſimum eſt, quæ facundè enarrat in iſtius argumenti libro Plutarchus. Sed rurſum video fieri plerumque ut nimius rigor occaſionem det effræni licentiæ. Nam cùm vident homines non ſatis firmis rationibus probari id quod nimium tenditur, in contrarium lapſi ſine fine modoque ſibi indulgent. Quare nihil eſt tutius quam præcepta adſtringere aut rectæ rationis aut divinorum oraculorum finibus. Ita fiet ut nec vetita condonentur, & quæ vetita non ſunt, ſi opus eſt, diſſuadeantur potius quam vetentur. Vt à jure naturæ incipiam: multi ut probent illicitum eſſe omnem quæſtum ex uſu pecuniæ aut rei ſimilis alteri conceſſo, dicunt pecuniam naturâ ſuâ eſſe ſterilem. Sed in hoc argumento manifeſtus eſt παραλογισμὸς [*paralogiſmus*]. Dicitur enim pecunia ſterilis naturâ, non quod jus naturæ id præcipiat, ſed quod hominum induſtria non ipſa natura tali fructui originem dederit: quomodo & domus naturâ eſt ſterilis, cujus tamen penſiones iniquè à domino percipi nemo dixerit. Alii illud urgent, mutuo transferri dominium: fructum autem rei penes dominum eſſe debere. Sed iſta quoque ſubtilitas vocum ad æquitatem naturalem nihil facit. Nam in rebus quæ genere recipiunt functionem, ut pecunia, frumentum, vinum, jus illud ad recipiendum idem genere eſt vice dominii. Fatentur autem omnes plus eum recipere qui ſtatim aliquid recipit, quàm qui multò poſt tempore, ob utilitates eas quas ſecum fert ἡ φυσικὴ κατοχὴ [*naturalis poſſeſſio*], quod non minùs in mutuo quam in re commodata procedit, ſi rei momenta non verborum apices ſectamur. Hoc ipſum autem quod in temporis morâ ſitum eſt, haud dubiè æſtimari ac proinde in ſtipulationem deduci poteſt. Nam ſi cui dem mutua centum, & paciſcar ut alio tempore mihi det itidem centum mutua, quæ eſt vera ἀνταλλαγὴ [*permutatio*], quomodo iniqua probabitur magis eſſe hæc pactio quàm ſi bovem vicino ad opus ruris commodem, eâ lege ut idem aliquanto poſt mihi tantundem præſtet? Iam verò illa iterum mutuum dandi obligatio, ut res omnes, communi menſurâ, id eſt, pecuniâ æſtimari poteſt. Dictat natura non teneri quenquam prodeſſe alteri cum detrimento ſuo. At is qui pecuniâ ad tempus caret in gratiam alterius, poterat eam in agros aut domos impendere ac medii temporis percipere fructus; quos ſi quis dicat incertos, illud ipſum tamen incertum, ut omnis alea, ſuum habet pretium, ita ut vendi quoque ſoleat. Rurſum ſi locupletior cenſetur cui ſine proprietate legatus eſt pecuniæ uſusfructus, apparet hunc ipſum uſum aliquid eſſe quod æſtimationem recipiat: atque idem proinde de annuo uſu dicendum eſt. Video à pleriſque eorum qui uſurarum ſtipulationes damnant, uſuras ex mora non improbari; ac proinde concedi, ut, ni præfinito die mutuum reddatur, uſuram ſtipuler. Licebit ergo, ſi ea ſententia recipitur, ita paciſci, ni intra triduum reddas, ſolves tantum pro mora: quod ſi tridui illius omiſſa ſit mentio pactio erit illicita. Hæc ſubtilitas in Scholis habet verborum effugia quibus ſe tueatur, negotiis aptari ægrè poteſt. Quare ita habendum videtur, poſſe non repugnante natura eum qui pecuniæ uſu in gratiam alterius careat, viciſſim aliquid eo nomine paciſci. Vt autem ſciatur quantum recipi æquitas permittat, non eſt ſpectandum, ut quidam cenſent, quantum lucri faciat qui pecuniam ſumſit, ſed quantum ei abſit qui alteri pecuniam numeravit: ſicut in emtione quoque & in aliis contractibus nunquam æſtimatio facienda eſt ex eo quod interſit accipientis, ſed ex eo quod abſit danti. Abeſt autem tantum quantum quiſque pro vitæ ſuæ genere ex pecunia compendifacere poteſt ac ſolet; puta ex agris, ex domibus, ex mercatura, detracta æſtimatione periculi, quod in aliis rebus majus in aliis minus eſt, ita ut fieri inter mercatores ſolet in contractu averſi periculi quem *aſſecurationis* vocant. Venio ad jus illud quod Deus Hebræo populo dedit. Lex Deut. ita concepta eſt XXIII, 19. *Non fœnerabis fratri tuo in uſuram pecuniæ, in uſuram cibi, in uſuram rei ullius fœnerabilis. Alienigenæ fœnerabis: fratri autem tuo non fœnerabis.* Hìc qui omnem uſuram Iuri naturali contrariam putant, quod de extraneo fœnerando dicitur permiſſionem eſſe volunt facti, non juris: quod neque verba admittunt, neque unquam ita intellectum eſt ab eo populo cui lex ferebatur. Teſtes adducam Ioſephum & Philonem, quibus conſentiunt Rabbini omnes. Ioſephi hæc ſunt verba Originum IV. Δανείζειν δὲ Ἑβραίων ἐπὶ τόκοις ἐξέστω μηδενὶ, μηδὲ βρωτὸν, μήτε ποτόν· οὐ γὰρ δίκαιον προσοδεύεσθαι τοὺς ὁμοφύλους τὰς τύχας, ἀλλὰ βοηθήσαντα ταῖς χρείαις αὐτοῦ, κέρδος εἶναι νομίζειν τὴν τ' ἐκείνων εὐχαριστίαν καὶ τὴν ἀμοιβὴν τὴν παρὰ τοῦ Θεοῦ γιννησομένην ἐπὶ χρηστότητι. [*Ne liceat fœnori dare Hebræo alicui, ne eſculenta quidem aut potulenta; neque enim æquum eſt lucrari ex mala popularium fortuna: ſed ipſius neceſſitatibus ſuccurrendo pro lucro habere & ipſorum gratiam, & repenſationem pro bono facto à Deo venturam.*] Philo libro περὶ φιλανθρωπίας [*de humanitate*] ita legem hanc explicat, Ἀπαγορεύει τοίνυν ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ἀστὸς ἢ ὁμόφυλος ᾖ [*vetat igitur fratri dare fœnori, fratrem vocans non eum tantùm qui ex iiſdem ſit parentibus, ſed omnem civem ac popularem*]. Et mox, Εἰ δὲ καὶ μὴ βούλοιτο δωρεῖσθαι, κιχράναι γοῦν ἑτοιμότατα καὶ προθυμότατα, μηδὲν ἔξω τῶν ἀρχαίων ἀποληψομένους· οὕτω γὰρ οὔθ' οἱ πένητες ἔμελλον ἀπορώτατοι γίνεσθαι, πλείονα ὧν ἔλαβον εἰσφέρειν ἀναγκαζόμενοι, οὔθ' οἱ συμβαλόντες ἀδικεῖσθαι, χρηστότητα, μεγαλόνοιαν, εὐφημίαν, εὔκλειαν, ὧν κτῆσις ἐφάμιλλος. [*Quod ſi nolit dare, mutuum det igitur promto benevoloque animo nihil ſuprà ſortem recepturus: ita futurum eſt ut nec qui in tenui ſunt re, plane ad inopiam detrudantur, coacti plus reddere quam acceperunt: nec qui profuere aliis ea amittant, quorum poſſeſſio æſtimari nequit, bonitatem, magnanimitatem, bonum nomen ac gloriam*]. Quem Philonis locum ita in ſuos uſus tranſtulit ut ſimul interpretetur Clemens Alexandrinus Stromateôn II, ubi ita loquitur,

quitur, Ὁ νόμος ἀπαγορεύει ἀδελφῷ δανείζειν, ἀδελφὸν ὀνομάζων οὐ μόνον τὸν ἐκ τῶν αὐτῶν φύντα γονέων, ἀλλὰ καὶ ὃς ἂν ὁμόφυλος ᾖ ὁμογνώμων τε καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου κεκοινωνηκώς· οὐ δικαιῶν ἐκλέγειν τόκους ἐπὶ χρήμασιν, ἀλλ' ἀνειμέναις χερσὶ καὶ γνώμαις χαρίζεσθαι τοῖς δεομένοις· Θεὸς γὰρ ὁ κτίσης τοιᾶσδε χάριτος. ἤδη δὲ ὁ μεταδοτικὸς καὶ τόκους ἀξιολόγους ἀπολαμβάνει τὰ τιμιώτατα τῶν ἐν ἀνθρώποις ἡμερότητα, χρηστότητα, μεγαλόνοιαν, εὐφημίαν, εὔκλειαν [*Lex vetat fratri dare fœnori, fratrem vocans non eum tantùm qui ex iisdem natus ſit parentibus, ſed & qui popularis ſit, qui paria ſentiat, ejusdemque verbi ſit particeps : non æquum judicans ut ex pecunia lucrum fiat, ſed ut laxa manu & animo bene fiat opus habentibus : Deus enim talis beneficentiæ auctor. Adde quòd qui liberalis eſt eo magnas recipit & dignas facto ſuo uſuras, ſuavitatem, bonitatem, bonum nomen, gloriam, quæ ſunt inter homines pretii maximi*]. Satis hinc, ni fallor, apparet legem illam Deuteronomii intellectam de officio civium erga cives : quod & Levitici verba indicant : nam & ibi fœnus vetatur hac addita ratione, *ut tecum vivat frater tuus*, XXV, 36. Quare & cùm in Pſalmis & apud Ezechielem laudatur qui ab exercendo fœnore abſtinuit, id intelligendum eſt ex Legis præſcripto. Ambroſius & quidam eum ſecuti, *alienigenas* intelligendos putant ſeptem illos populos in quos Hebræis juſtum bellum erat; nec mirum putat ſi fœnerare eis licuerit quos licuerit occidere. Sed ne hæc quidem interpretatio verbis legis congruit: nam cùm *fratribus*, id eſt, civibus, opponuntur *extranei*, certum eſt non hos aut illos ſed omnes intelligi. Adde quòd Legis gravitati neutiquam conveniebat permittere in eos fœnus quos planè interfici oportebat. Cauſa igitur diſcriminis hæc fuit, quòd Deus Hebræis inter ſe non ea tantùm præcepta vellet quæ ſunt hominibus omnibus inter ſe communia, & quæ ſtrictâ juris ratione debentur, ſed multa etiam propioris cujusdam neceſſitudinis ac caritatis officia; ut in lege de Servis, Pignoribus, de Spicilegio, aliisque multis videre eſt. Accedit quòd potiſſimus Hebræi populi quæſtus in agricultura & re pecuaria ſitus erat. Ioſephus primo contra Appionem, Ημεῖς τοίνυν οὔτε χώραν οἰκοῦμεν παράλιον, οὔτ' ἐμπορίαις χαίρομεν, οὐδὲ ταῖς πρὸς ἄλλους διὰ τούτων ἐπιμιξίαις· ἀλλ' εἰσὶ μὲν ἡμῶν αἱ πόλεις μακρὰν ἀπὸ θαλάσσης ἀνῳκισμέναι, χώραν δὲ ἀγαθὴν νεμόμενοι ταύτην ἐκπονοῦμεν [*Nos verò neque terram habitamus maritimam, neque commerciis & ob ea externorum conſuetudine delectamur; ſed ſunt noſtræ urbes à mari remotæ: terram autem habemus uberem, eamque diligenter excolimus*]. Quare cùm finitimi plerique Iudæorum ex mercatura magnum quæſtum facerent, ut Sidonii, Tyrii, accolæ Maris Rubri, & Ægyptii, fœnus in illos permitti, in Hebræos agricolas & paſtores non permitti, ſummam habebat rationem. Nam & aliorum populorum legibus odioſiſſimum eſt fœnus quod in agricolas exerceetur. Sed lex iſta Moſis cùm illius populi ſtatum peculiariter ſpectet, unique populo ſit data, cæteros non obſtringit, niſi quatenus indicium aliquod præbet naturali æquitati. Quid nos Chriſtus facere velit, cùm peculiare de hac re præceptum non exſtet, ex præceptis generalibus hauriendum eſt. Cùm vetatur omne πλεονέκτημα [*ex alieno lucrum*], dubium non eſt quin exigatur à nobis ἡ ἐν τοῖς συναλλάγμασιν ἰσότης [*æqualitas in contractibus*]. Quare ſicut ex hac lege ne vendere quidem rem ſuam licet niſi æquo pretio, ita nec pro pecuniæ uſu plus paciſci quàm quo detrimentum noſtrum ſarciatur. At Caritatis regula plus exigit. Nam ſi egenti danda eſt pecunia mutua, nullâ ſpe compenſationis, ſanè danda etiam eſt ſine uſura, cùm alioqui non beneficium ſit futurum ſed veneficium potiùs. Non malè enim veteres fœnus *venenum patrimonii* vocabant. Hunc ſenſum Lactantius lib. VI. ſic exprimit, *Pecuniæ, ſi quam crediderit, non accipiat uſuram; ut & beneficium ſit incolume quòd ſuccurrat neceſſitati, & abſtineat ſe prorſus alieno. In hoc enim officii genere debet ſuâ eſſe contentus, quem oporteat aliàs ne propriæ quidem parcere ut bonum faciat: plus autem accipere quàm dederit injuſtum eſt.* Sic & Tertullianus legem Hebræam oſtendit fuiſſe rudimentum quoddam ad ea quæ à Chriſtianis præſtanda ſunt; libro IV Adverſùs Marcionem, *Prius ergo fuit ut fructum fœnoris eradicaret, quò faciliùs aſſueſaceret hominem ipſi quoque fœnori, ſi fortè, perdendo, cujus fructum didiciſſet amittere. Hanc etenim dicimus operam Legis fuiſſe procurantis Euangelio. Quorundam tunc fidem paulatim ad perfectum diſciplinæ Chriſtianæ nitorem, primis quibusque præceptis balbutientis adhuc benignitatis informabat.* Sed hæc cautio ad eos qui quæſtûs majoris faciendi cauſâ pecuniâ alienâ utuntur non pertinet. In antiquis Canonibus nullum invenio qui fœnus exercentes omnes promiſcuè à Communione ſubmoveat, quod factum eſt poſterioribus ſeculis. Solis his qui in Eccleſia munere aliquo conſpicui erant, quos dicunt τοὺς ἐν κανόνι [*in matricula*], is quæſtus interdicitur canone Apoſtolico, ut vocant, XLIV, Laodiceno IV, Niceno XVII, Africano V, & XVI. Cauſa fuiſſe videtur, quòd hi qui in ſacro erant ordine non tantùm crimine omni, ſed & ſuſpicione avaritiæ vacare deberent. Ita enim loquuntur Afri Patres dicto canone V. Τὸ ἐν λαϊκοῖς ἐπιλήψιμον, πολλῷ μᾶλλον ἐν κληρικοῖς ὀφείλει καταδικάζεσθαι [*Quod in Laïcis reprehenſibile eſt, multò magis in Clericis damnari debet*]. ubi ἐπιλήψιμον eſt *id quod reprehendi ſolet*, τὸ ἐπίμεμπτον. Quin dicto canone XVI. ſimul cum fœnore prohibetur Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, procurationem rerum alienarum ſuſcipere, aut aliorum cauſis patrocinium præſtare, addita ratione, Quod non deceat eos qui ſacræ militiæ nomen dederint ſeculi rebus implicari. Neque ſanè aliam cauſam affert Harmenopulus: Nam cùm dixiſſet τὸν ἱερωμένον τόκους οὐ συγχωρεῖσθαι λαμβάνειν [*Sacerdotibus non permitti uſuras accipere*], & dictos canones citaſſet, addit, πῶς γὰρ ὃς οὐδὲ πράγματα ἔχειν συγχωρεῖται ἢ βιωτικοῖς καὶ οὐκ ἐκκλησιαστικοῖς (malè in vulgatis codicibus negatio hæc omittitur) ἐνασχολεῖσθαι; [*quomodo enim hoc ei liceret cui nec negotiis ſecularibus & non eccleſiaſticis vacare permittitur?*] Primus Imperatorum Leo, ut idem Hermenopulus notat, exiſtimans omne fœnus Chriſtiano interdictum, lege id ipſum communi ſanxit; cùm ante ipſæ Eccleſiæ ſolerent pecunias ſumere ſub trientalibus uſuris. Priſcos illos canones ſi quis inſtaurandos putet non refragabor. Par enim eſt ad exactiorem normam eos vivere à quibus cæteri vivendi exemplum petunt. Cæteros quod attinet, primùm cavere debent ne uſurarum nomine plus æquo exigant, quod quia non poſitum eſt ἐν στιγμῇ [*in puncto individuo*], ſed πλάτος [*latitudinem aliquam*] aliquod habet pro regionum ac populorum diverſitate, legibus Civilibus definiendum eſt; ita tamen ut pii meminerint, ſæpe citra id quod leges permittunt conſiſtendum. Ad multa enim leges connivent, quia corrupti mores remedium non ferunt. Deinde etiam intra hanc æqualitatis menſuram non exercendum fœnus in egentes, aut eos quos credibile ſit fœnore in egeſtatem prolapſos. Nam talibus aut pecunia neganda eſt ſi eâ opus non habent, aut donanda ſi id poſſumus: certè id cavendum ne aliorum aut miſeriâ aut imprudentiâ in quæſtum abutamur.

καὶ ἔσται ὁ μισθὸς ὑμῶν πολὺς, *& erit merces veſtra multa*] Confer Ioſephi & Philonis quæ citavimus. Abrahamus cùm beneficentiam ſuam in Regem & cives Sodomorum liberaliter eſſet teſtatus à Deo audivit, *Ego ſum merces tua magna valde*, Geneſ. xv, 1..

36. καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ὑμῶν οἰκτίρμων ἐστί. *ſicut & Pater veſter miſericors eſt*] Thalmudiſtæ, Chaldæi & Arabes Deum quaſi proprio nomine vocant רחמן, id eſt, οἰκτίρμονα [*miſericordem*]. Et hanc ipſam ſententiam uſu populi tritam fuiſſe (ut multas alias quibus utitur Chriſtus tanquam indubitatis) apparet ex Pandecte Thalmudico. Sciendum autem eſt voces *miſericordiam* ſignificantes apud Hebræos & Helleniſtas ad omne beneficentiæ genus extendi; ut Geneſ. xx, 13. & alibi. Vide quæ ad Matthæum.

37. καὶ ἀπολύετε, καὶ ἀπολυθήσεσθε. *dimittite, & dimittemini*] Sicut καταδικάζειν [*condemnare*] eſt *dubia aliorum facta in partem pejorem rapere*, ita ἀπολύειν [*dimittere*] hîc eſſe arbitror *omnia quatenus fieri poteſt æqui bonique conſulere & interpretari benigniùs*; quod Latini etiam cùm de privatis agitur, dicunt *abſolvere*. Sic Ioſephus dixit ἀπολύειν τὰς διαβολὰς, *diluere calumnias*, xvi Originum, c. xii.

38. σεσαλευμένον, *coagitatam*] Ἀγγεῖα σαττόμενα [*vaſa conſtipata*] Ariſtoteli Probl. ſect. xxi.

δώσουσιν, *dabunt*] Imperſonaliter interpretandum, id eſt, *menſura juſta, coacta, ſuccuſſata, ſuperfluens vobis dabitur.*

τῷ γὰρ αὐτῷ μέτρῳ ᾧ μετρεῖτε ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν. *eadem quippe menſura qua menſi fueritis remetietur vobis*] Id eſt, ut Heſiodus loquitur, αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον. [*Par dando, meliusque*] ut eadem ſit menſura in genere, ſed exuberans. Senſus eſt, Deum eos qui ſunt benigni & clementes benignè & clementer habiturum.

39. Εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς, *dicebat autem illis & ſimilitudinem*] Fruſtra laborari puto in quærenda hujus loci cum prioribus aut ſequentibus connexione. Lucas enim cùm multas Chriſti ſententias recitaſſet, has etiam, quanquam alio fortè tempore & occaſione pronuntiatas, huc referendas putavit. Eſt ergo hoc εἶπε δὲ παραβολὴν αὐτοῖς [*dicebat autem illis & ſimilitudinem*] tale quale illud, Καὶ τόδε Φωκυλίδεω [*Hoc quoque Phocylidæ*]. Reſpondet autem εἶπε [*dicebat*, vel *dixit*] Hebræo אמר, quod de nobilibus Magiſtris uſurpant Hebræi, cùm ſignificare volunt ſententiam aliquam aut ab illo auctore manaſſe, aut certè in ore ejus frequentem fuiſſe.

40. κατηρτισμένος δὲ πᾶς ἔσται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ. *perfectus autem omnis erit ſicut magiſter ejus*] Non eſt horum verborum ſenſus alius quam illorum apud Matthæum, ἀρκετὸν τῷ μαθητῇ ἵνα γένηται ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτοῦ, [*ſufficit diſcipulo ut ſit ſicut magiſter ejus*], x, 25. Subauditur hîc poſt πᾶς [*omnis, ſive quivis*] genitivus μαθητῶν [*diſcipulorum*]· de quo loquendi genere aliquid diximus ad Marcum ix, 49. Videtur autem mihi apertiſſima eſſe conſtructio, quam & Syrus ſequitur, *Quisquis diſcipulorum erit* נכון *verus, rectus*, quod hîc ad originem vertitur κατηρτισμένος [*perfectus*], *is erit ut magiſter*, id eſt, ſciet ea ſibi agenda & ferenda quæ magiſter egerit tuleritque: nam huc ea ſententia refertur non apud Matthæum tantùm ſed & apud Iohannem duobus locis. Itaque ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον [*ſuper magiſtrum*], quod dicunt Matthæus & Lucas, aut μείζων τοῦ κυρίου [*major domino*], ut loquitur Iohannes, non eſt illud quod in Græco verſu κρείττονες διδασκάλων [*quos magiſtris præferas*]. Ibi enim de comparatione eruditionis agitur: hîc indicatur non eſſe meliori ſorte ac conditione ſectatores alicujus eo quem ſectantur. Nec aliter hunc locum intellexit Irenæus, ut videre eſt libro quinto, cap. xxxi.

42. πῶς δύνασαι λέγειν; *quomodo potes dicere?*] *Quomodo audes dicere?*

43. Οὐ γάρ ἐστι δένδρον καλὸν, *non eſt enim arbor bona*] Quanquam γὰρ [*enim*] illud Syrus & Arabs non habeant, tamen cùm Græci codices præferant, habeat Latinus, agnoſcat & interpretetur Theophylactus, delere non auſim; neque ſatis cauſæ eſt. Alibi notavimus ſæpe apud Hebræos & Helleniſtas cauſas reddi ejus quod ſubticetur, ſed ex argumento rei de qua agitur ſatis intelligi poteſt. Ita hîc γὰρ [*enim*] eſt αἰτιολογία τοῦ σιωπωμένου. [*redditivum cauſæ de eo quod ſubticetur*]. Cùm enim de ſimulatoribus actum ſit, cauſam reddit Chriſtus cur diu prodeſſe non poſſit illa perſona ſanctimoniæ, quia fieri non poteſt ut ſemper diſſimuletur ingenium. Itaque ſiquis advertat, plerunque ſolent ſuo indicio prodi ſorices. Diximus alibi hæc ἀποφθεγματικὰ [*ſententioſè dicta*] intelligenda ἠθικῶς [*moraliter*], & ad eorum veritatem ſatis eſſe ſi eventus ſæpe & frequenter reſpondeat. Similis eſt hujus ſententiæ uſus Matth. xii, 33. Nam & ibi Chriſtus oſtendit inanem eſſe ſimulandi conatum. Lucas eum locum cum altero Matthæi qui eſt vii capite, ob argumenti ſimilitudinem in unum contraxit. Quare inde petenda quæ ad hujus περικοπῆς [*ſectionis*] interpretationem pertinent.

46. ἃ λέγω; *quæ dico?*] Quæ præcipio ex Patris voluntate. Vide Matthæum.

47. καὶ ποιῶν αὐτοὺς, *& facit eos*] Ποιεῖν [*facere*] hîc non unicam operationem, ſed vitæ totius diligentem conformationem ſignificat, ſine qua veræ doctrinæ profeſſio nihil prodeſt, imò ne poteſt quidem rebus adverſis explorata ſubſiſtere.

48. ὃς ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε, *qui fodit & profundavit*] Hebraïſmus. Nam Hebræi quod per verbum

& adverbium diceretur duobus verbis amant circumloqui. Ita ἔσκαψε καὶ ἐβάθυνε eſt ἔσκαψε βαθέως [*fodit in altum*], quomodo vertit Latinus Interpres. Deſignat hæc comparatio ſtudium pietatis, non in ſuperficie fluitans, ſed alto penitus corde reconditum.

CAPVT VII.

1. ΠΑντα τὰ ῥήματα αὐτοῦ, *omnia verba ſua*] Dogmata ſua, quorum ſummam ſuperior ſermo expreſſerat.

εἰς τὰς ἀκοὰς τοῦ λαοῦ, *in aures plebis*] Erant enim hi λόγοι ἐξωτερικοὶ [*ſermones extranei*], non ἀκροαματικοὶ [*interioris auditionis*], ad omnes qui ſalvi eſſe vellent pertinentes, non ad Apoſtolos ſolos & eorum in docendi munere ſucceſſores.

2. ἤμελλε τελευτᾷν, *erat moriturus*] Iam jamque moriturus videbatur, קרוב למות [*propinquus erat morti*]. Eandem hanc eſſe hiſtoriam quæ à Matthæo narratur cap. VIII, certum arbitror ob eas cauſas quas ad Matthæum attulimus.

ὃς ἦν αὐτῷ ἔντιμος. *qui erat apud eum plurimi*] *Quem plurimi dominus faciebat.* Ita enim Græcis uſurpatur ἔντιμον ποιεῖν. Non puto igitur rectè verti *pretioſum.* Non enim vendi potuiſſe magno hunc ſervum Lucas ſignificatum voluit, ſed potiùs bonitatem commendavit Centurionis, qui ſervulum tam propenſo affectu proſequeretur, memor hominem eſſe, ut Seneca Romanos ſæpe monet, & Philemon olim Græcos facetis verſibus,

Κἂν δοῦλος ἦν τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
Ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἐὰν ἄνθρωπος ᾖ.
[*Here, quisquis eſt homo natus, quamvis ſerviat*
Is ſervitutem, tamen eſſe homo non deſinit.]

Sapiens Hebræus dixit, Οἰκέτην συνετὸν ἀγαπάτω σου ἡ ψυχὴ [*Servum prudentem amet anima tua*], Eccleſ. VII, 23. Item Εἰ ἔστι σοι οἰκέτης, ἄγε αὐτὸν ὡς ἀδελφόν [*Si ſervum habeas, ut fratre utere*]. quæ Pauli ſuper hac re præceptis congruunt.

3. πρεσβυτέρους τῶν Ἰουδαίων, *Seniores Iudæorum*] Vt Magiſtratus oppidi, aut Præpoſitos Synagogæ. Nam & hi & illi eo nomine dicebantur.

4. παρέξει, *præſtaret*] Vide ad Marcum capite ſeptimo, commate undecimo & duodecimo.

5. Ἀγαπᾷ γὰρ τὸ ἔθνος ἡμῶν, *Diligit enim Gentem noſtram*] Nempe ob cultum unius Dei, quem tot inter populos ſoli ferme Iudæi profitebantur: ex aliis gentibus perpauci, qualis alter ille in Actibus Apoſtolicis Centurio, & Petronius Syriæ Præſes, quem à pietate & juſtitia Philo commendat, Ἀλλ' εἶχε, inquiens, καὶ αὐτὸς, ὡς ἔοικεν, ἔναυσμά τι τῆς Ἰουδαϊκῆς φιλοσοφίας ἅμα καὶ εὐσεβείας, εἴτε καὶ πάλαι προμαθὼν ἕνεκα τῆς περὶ παιδείαν σπουδῆς, εἴτε καὶ ἀφ' οὗ τῶν χωρῶν ἐπετρόπευσεν, ἐν οἷς Ἰουδαῖοι καθ' ἑκάστην πόλιν εἰσὶ παμπληθεῖς Ἀσίας τε καὶ Συρίας, εἴτε καὶ τὴν ψυχὴν οὕτω διατεθεὶς, αὐτηκόῳ καὶ αὐτοκελεύστῳ καὶ αὐτομαθεῖ τινι πρὸς τὰ σπουδῆς ἄξια φύσει· τοῖς δ' ἀγαθοῖς ἀγαθὰς ὑπηχεῖν ἔοικε γνώμας ὁ Θεὸς δι' ὧν ὠφελοῦντες ὠφεληθήσον) [*Habebat ille, quantum judicari poterat, ſcintillam quandam Iudaïcæ & Philoſophiæ & pietatis, ſive jam olim talia perceperat, utpote literarum ſtudioſus, ſive ex quo Aſiæ Syriæque præfuerat, in quarum regionum urbibus ſingulis Iudæi ſunt plurimi, ſive animo tali præditus qui ſponte ſua facilè audiret, & perciperet & diſceret ea quæ ſuapte natura digna ſunt in quibus cura ponatur. Solet enim Deus viris bonis bonos ſuggerere ſenſus, per quos dum aliis proſunt proſint & ſibi*].

καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτὸς ᾠκοδόμησεν ἡμῖν. *& ſynagogam ipſe ædificavit nobis*]· Suis impenſis, fortè & militum eam in rem uſus operâ. Solebant enim Romani ad theatra etiam aliasque ſubſtructiones uti manu militari, ne otium in laſciviam verteret. Nec mirum ſi Synagogæ ædificandæ curam ac ſumtum impendit homo Romanus, cùm ipſe Auguſtus (cujus inſtituta Tiberius ſectabatur) vetuerit necubi Iudæi prohiberentur εἰς τὰ συναγώγια συνέρχεσθαι· μὴ γὰρ εἶναι ταύτας συνόδους ἐκ μέθης καὶ παροινίας ἐπὶ συστάσει ὡς λυμαίνεσθαι τὰ τῆς εἰρήνης, ἀλλὰ διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, ἀνδρῶν ἐπιτηδευόντων τὴν ἀρετήν [*ad ſynagogas convenire; non enim eos conventus per temulentiam & laſciviam ferri in ſeditiones ad exitium publicæ pacis, ſed ſcholas eſſe caſtitatis & juſtitiæ, conſtantes ex viris virtutem exercentibus*].

6. μὴ σκύλλου *noli vexari*] *Ne tibimet moleſtus eſto*; aut *ne te fatiga*, ut Syrus.

11. ἐν τῇ ἑξῆς, *poſtridie*] Ita & Syrus Legit.

πόλιν καλουμένην Ναΐν· *civitatem dictam Naïn*] Galilææ hoc oppidum adſcribit Hieronymus, & poſt eum alii. Non dubito quin idem ſit locus quem Ioſephus Originum XX, cap. V. nominat, κώμης, inquiens, τῆς Ναῒς λεγομένης [*vici, cui nomen Naïs*]. Nam & Κεφαρνώμην, id eſt, *Capharnaüm* alibi κώμην [*vicum*] vocat, & noſtris Scriptoribus Bethſaïda modò eſt πόλις, modò κώμη. [*oppidum*]. Obſtare videtur quòd eam κώμην Ioſephus adſcribere videatur non Galilææ ſed Samaritarum regioni. Verùm ſi quid rectè judico locus Ioſephi non eſt integer. Videntur enim ad explendam hiſtoriam aliqua deeſſe.

μαθηταὶ, *diſcipuli*] Non Apoſtolos, ſed quosvis aſſiduos ſectatores ſignificat.

12. τῇ πύλῃ τῆς πόλεως, *portæ civitatis*] Nam ſepulchra Iudæis extra urbem; ut vidimus Matthæi XXVII, 60. ſed & aliis populis: unde *efferendi* vox. Et certè ita poſtulat ratio publicæ ſanitatis, quæ multùm lædi ſolet aurâ ſepulchrorum. Quò magis mirum Chriſtianis ferme omnibus placuiſſe ut conventus ſacri eisdem in locis haberentur in quibus iſta ſunt cadavera: quod in memoriam martyrum olim inductum, neſcio an ſatis ſapienter retineatur.

μονογενὴς, *unicus*] Hoc ad luctûs magnitudinem ſignificandam pertinet. Nam in proverbium tranſiit apud Hebræos מספר על־היחיד *planctus ſuper unigena*, Zach. XII, 10. Ieremiæ VI, 26.

Καὶ αὐτὴ χήρα, καὶ ὄχλος τῆς πόλεως ἱκανὸς σὺν αὐτῇ. *Et ipſa vidua, & turba civitatis multa cum illa*] Hæc frequentior lectio, à qua ſtant Syrus & Latinus. Nec video quid obſtet. Nam ut ἦν [*erat*] ſubaudiatur etiam ubi non præceſſit, omnibus ferme linguis commune eſt, Hebræis autem uſitatiſſimum. Apparet autem funus non fuiſſe ignobile cùm exſequias populus frequens iret.

13. ἐσπλαγχνίσθη ἐπ' αὐτῇ, *miſericordiâ motus ſuper eam*] Notant veteres in tribus miraculis quæ poſt ſermonem in monte habitum Chriſtus edidit,

tria beneficiorum Dei genera nobis oſtendi; primum eorum quæ conferuntur ipſis orantibus, ut illi vitiliginoſo cujus meminit Matthæus; alterum eorum quæ per aliorum preces alii obtinent, quorum exemplum eſt in ſervo Centurionis; tertium eorum quæ nullis precibus quæſita ex mera ſuapte miſericordia Deus largitur: cujus rei in hac hiſtoria eſt ſpecimen. Ad talem autem miſericordiam optimo jure referri ſolet ab Apoſtolis gentium profanarum vocatio ad cognitionem veri.

Μὴ κλαῖε. *noli flere*] Non tantùm repræſentata, ut hîc, ſed & exſpectata Reſurrectio minuere nobis debet luctum ob mortuos. Nam profanas gentes quæ ejus rei aut nullam aut admodum incertam ſpem habent, in luctum immodicè effundi minùs eſt mirum, ut nos docet Paulus I Theſſalonic. IV, 13.

14. ἥψατο τῆς σοροῦ, *tetigit loculum*] Σορὸν hîc Syrus rectè, ni fallor, ex more inter opulentiores tunc recepto, *lectulum* interpretatur *in quo mortui efferebantur.* Notum illud Martialis,

Invidioſa tibi quàm ſit lectica requiris?
Non debes ferri mortuus hexaphoro.

Sed & Iudæos ita elatos ex Ioſepho diſcimus. Attigit autem Chriſtus ut ſiſteret ferentes: quod indicant ſequentia. An mortuum etiam tetigerit incertum eſt: quod etſi feciſſet, nihil ſanè in eo feciſſet contra Legem. Nam ipſa ἐπιείκεια [*æquitas*] dictat eum qui mortuum tangendo in vitam revocet, tactu mortui non pollui, cùm cauſam ipſam pollutionis auferat. Quare nec Elias nec Eliſæus cùm id fecerunt cenſendi ſunt contra Legem feciſſe. Hæc melior ſolutio quàm illa allata ad quæſtionem Orthodoxorum XXVIII apud Iuſtinum, ubi reſponſurus auctor defendere nititur Chriſtum ex quo baptizatus & munus ſuum auſpicatus eſt Legi non fuiſſe ſubditum: quod tamen commoda interpretatione leniri poſſe non nego: cùm ſit alioqui παρακεκινδυνευμένον [*periculosè dictum*].

σοὶ λέγω, *tibi dico*] Divinâ illâ poteſtate qua rebus etiam inanimis imperabat: qua de re diximus alibi. Dei eſt καλεῖν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα [*vocare ea quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt*], Rom. IV, 17. Vide Ezech. XXXVII, 4.

15. ἀνεκάθισεν, *reſedit*] *Erecto corpore ſedit.*

ἔδωκεν αὐτὸν τῇ μητρὶ αὐτοῦ. *dedit illum matri ſuæ*] us parentum facto ſuo confirmans. Manuſcriptus autem ille in Anglia vetus apertiùs id exprimit verbo ἀπέδωκεν [*reddidit*]. Mirum videri poteſt hiſtoriam hanc tam illuſtrem à Matthæo & Marco omiſſam. Sed videtur mihi horum uterque contentus fuiſſe uno exemplo redditæ vitæ in Iairi filia, ex quo ſimilia alia poſſent intelligi. Quod eò magis neceſſarium eſt quia apud Matthæum Chriſtus legatis à Iohanne miſſis ait, νεκροὶ ἐγείρονται [*mortui reſurgunt*].

16. φόβος, *timor*] Vide ſuprà I, 65.

προφήτης μέγας ἐγήγερται, *propheta magnus ſurrexit*] Προφῆται [*prophetæ*] vocabantur omnes Divinitus miſſi. *Magnum* autem dicunt, quia non precibus, non corporis ſuperſtratione, ſed nudo imperio, citra omne exemplum, mortuum vitæ reddiderat.

ἐπεσκέψατο ὁ Θεὸς τὸν λαὸν αὐτοῦ. *viſitavit Deus plebem ſuam*] Vide ſuprà I, 68.

21. ἐχαρίσατο, *donavit*] *Miſericorditer largitus eſt;* quod Hebræi dicunt חנן. LXX ἐλεεῖν [*miſereri*] ſolent vertere: Geneſ. XXXIII, 5, 11. II Sam. XII, 22. Pſalm. XXXVII, 26.

24. Τί ἐξεληλύθατε εἰς τὴν ἔρημον θεάσασθαι; *quid exiſtis in deſertum videre?*] Eadem diſtinctio eſt apud Matthæum; quam & retinendam cenſeo. Quærit enim Chriſtus cujus rei viſendæ cauſâ moleſtum illud iter in loca deſerta ſuſcepiſſent. Vide quæ ad Matthæum.

25. ὑπάρχοντες, *qui ſunt*] Cùm ita legerint Latinus & Syrus, alteram lectionem διάγοντες [*qui verſantur*], apparet interpretamentum eſſe.

26. προφήτην; *prophetam?*] De hoc loco vide quæ ad Matthæum.

29. Καὶ πᾶς ὁ λαὸς, *Et omnis populus*] Non poteſt hoc accipi tanquam à Luca dictum, cùm Iohannes jam conjectus eſſet in carcerem ac proinde baptizare deſiiſſet cùm Chriſtus ſermonem præcedentem habuit; ita ut eo quidem ſermone commotus nemo ad Baptiſma Iohannis venerit. Sed narrat Chriſtus quis eventus fuerit laboris à Iohanne ſuſcepti: ac planè continua eſt oratio ad comma uſque 35. Πᾶς ὁ λαὸς [*omnis populus*], id eſt, *populus terræ*, ut loquebantur Iudæi, homines illiterati: Hi opponuntur τοῖς νομικοῖς, *in Lege exercitatis*: Sicut τελῶναι [*Publicani*] vitæ impurioris crediti, opponuntur Φαρισαίοις [*Phariſæis*] ſingularem quandam atque eminentem ſanctimoniam pollicentibus.

ἐδικαίωσαν τὸν Θεόν, *juſtificaverunt Deum*] Δικαιοῦν [*approbare*] הצדיק ſæpiſſime eſt *approbare.* Τὸν Θεόν, id eſt, ut ſequitur τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ [*conſilium Dei*]. Publicani & de rudi plebe homines ſummis laudibus ac gratiis proſequebantur eximiam hanc Dei bonitatem qui pœnitentiâ contentus conſtituiſſet prioris vitæ flagitia omnia clementer condonare, ejuſque rei fidem certam facere tum per Iohannem tum per eum qui à Iohanne monſtrabatur.

Βαπτισθέντες τὸ βάπτισμα τοῦ Ἰωάννου. *baptizati baptiſmo Iohannis*] Oſtendit quomodo probaverint Dei conſilium, obediendo ſcilicet. nam Baptiſma indicium reſipiſcentiæ.

30. τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ ἠθέτησαν εἰς ἑαυτοὺς, *conſilium Dei ſpreverunt in ſemetipſos*] Βουλὴ Græcis ut & *conſilium* Latinis ſignificare poteſt, aut *id quod ſecum quis conſtituit facere*, aut *quod faciendum alteri cenſet.* Poteſt utravis ſignificatio hîc locum habere. Sed prior illa à Syro agnoſcitur qui vertit צבינא &, ni fallor, perpetua eſt noſtris ſcriptoribus, ſive cùm de hominibus agitur, ut infrà XXIII, 51. Act. V, 38. XXVII, 12, 42. I Corinth. IV, 5. Sive cùm de Deo, ut Actor. II, 23. IV, 28. XIII, 36. Eph. I, 11. Hebr. VI, 17. Quare tum hîc, tum Actor. XX, 27. hæc ſignificatio potiùs ſumenda videtur, ut ſignificetur ipſum Dei propoſitum: & hoc quidem loco illud propoſitum Dei, quo clementer decrevit Iudæos per Iohannem ad reſipiſcentiam excitare, certâ fide factâ, priores culpas ſe condonaturum: ut jam dicere occœpimus. εἰς ἑαυτοὺς [*erga ſe*] omnino conſtruendum arbitror cum illo τὴν βουλὴν [*conſilium*], ex more Lucæ voces ſæpe trajicientis, ut ſit

τὴν τοῦ Θεοῦ εἰς ἑαυτοὺς βουλὴν ἠθέτησαν [*Conſilium Dei erga ſe rejecêrunt*]. Nam εἰς pro ל Hebræorum particulâ poni ſolet, ut ἀποκαταλλάξαι εἰς αὐτὸν [*reconciliare in ſe*] Coloſſ. 1, 20. Et infra IX, 13. βρώματα εἰς τὸν λαὸν [*eſcas in turbam*], id eſt, τῷ λαῷ [*turbæ*]. Quod enim nonnullis placet εἰς ἑαυτοὺς hîc idem eſſe quod *ſuo malo*, non video quo exemplo probetur. εἰς [IN *cum accuſativo*] pro ἐν [IN *cum ablativo*] poni, quod alii hîc præferunt, & apud Græcos uſitatum eſt, & apud noſtros occurrit; ſed plerumque in loci deſcriptione, ut ἐβαπτίσθη εἰς Ἰορδάνην, [*baptizatus eſt in Iordane*], εἰς οἶκόν ἐστι [*domi eſt*]. Quare iſta quoque interpretatio, quanquam Syro placuit, non videtur ſimile exemplum habere: ut taceam non de eo agi quod apud ſe cogitaverint Phariſæi & Legisperiti, ſed de eo quod palàm teſtatum fecerint: ſequitur enim μὴ βαπτισθέντες ὑπ᾽ αὐτοῦ [*non baptizati ab eo*]· quod cum illo ſenſu tacitæ cogitationis non cohæret. Ἀθετεῖν rectè ni fallor vertitur *rejicere*, ut infrà X, 16. Iohann. XII, 48. Id enim optimè opponitur verbo δικαιοῦν quod eſt *approbare atque laudare.* Sapiens & miſericors Dei conſilium in mittendo tam eximio pœnitentiæ hortatore, cum tantis promiſſis, admirati ſunt gratisque animis exceperunt rudes & vitæ minùs probatæ homines: contra id ipſum aſpernati ſunt hi qui cæteris & doctiores & ſanctiores videbantur freti ritibus & factis quibusdam ſpecioſis. Docet nos apertè hic locus non uniusmodi eſſe Dei conſilia. Sunt enim quædam ejus βουλήματος ᾧ οὐδεὶς ἀνθέστηκε [*voluntatis cui nemo reſtitit*], Rom. IX, 19. Eſai. XLVI, 10. Hebr. VI, 17. Quanquam & horum quædam πρόγνωσιν [*præſcientiam*] quandam includunt, ut illa βουλὴ ὡρισμένη [*definitum conſilium*] de Chriſto in mortem tradendo, cujus mentio eſt Actor. II, 23. IV, 28. Hanc βουλὴν ὡρισμένην [*definitum conſilium*] Iuſtinus Martyr in Apologetico vocat εἱμαρμένην ἀπαράβατον [*fatum inevitabile*], cujus exemplum ponit in decreto de remunerandis his qui honeſta delegerint, puniendis qui contraria. Sunt rurſus aliæ Dei βουλαὶ [*conſilia*] quæ relinquunt nobis τὸ ἐφ᾽ ἡμῖν [*liberum arbitrium*], ſive, ut Iuſtinus dicto loco Chriſtianam contra Stoicos ſententiam explicans loquitur, τὴν προαίρεσιν [*liberum propoſitum*]. Hæ & poſſunt & nimium ſæpe ſolent ab hominibus ἀθετεῖσθαι [*rejici*], ut illud miſericors Dei conſilium, quod ad Phariſæos non minùs quàm ad alios Iudæos pertinebat: unde βουλὴν εἰς ἑαυτοὺς dixit hoc loco Chriſtus *conſilium ad ipſos ipſorumque ſalutem pertinens.* Neque id mutabilem facit Deum: nam exitus conſilii non ſuſpenditur, niſi ab ea ipſa conditione quam conſilio ſuo ineſſe Deus voluit; idque optimâ ratione. Nam, ut Iuſtinus inquit, οὐκ ἦν ἄξιος ἀμοιβῆς ἢ ἐπαίνου οὐκ ἀφ᾽ ἑαυτοῦ ἑλόμενος τὸ ἀγαθὸν [*laude aut remuneratione dignus non eſſet, niſi ſua ipſe voluntate eligeret bona*] provocatus jam ſcilicet Divino beneficio. Alibi dixit: οὐ γὰρ ἦν ἐπαινετὸν οὐδὲν αὐτῶν εἰ οὐκ ἦν ἐπ᾽ ἀμφότερα τρέπεσθαι [*neque enim quicquam horum eſſet laudabile, ſi non eſſet homini liberum in quam vellet partem ſeſe inclinare*]: cui ſimilem ſententiam habet doctiſſimus Athenagoras. Hinc & illud Platonicum Iuſtinus approbat, αἰτία ἑλομένου [*culpa eligentis*]; idque eo loco ubi non ſuam peculiarem ſed communem ac conſentientem Chriſtianorum omnium ejus ſeculi doctrinam proponit atque propugnat. Vtrumque hoc genus conſiliorum Divinorum pulchrè unâ ſententiâ complectitur Proſper, *Qui voluntatem Dei ſpreverunt invitantem, voluntatem Dei ſentient vindicantem. Spernere* dixit quod hîc eſt ἀθετεῖν [*rejicere*], Clementi Alexandrino ὑπερηφανεῖν [*ſuperbè contemnere*]; ita enim ait, ὁ Θεὸς ἐκ δούλων υἱοὺς ἡμᾶς γενέσθαι βούλεται (habes hîc βουλὴν [*conſilium*]), οἱ δὲ καὶ υἱοὶ γενέσθαι ὑπερηφανήκασι [*vult Deus nos ex ſervis fieri filios: iſti vero, filii Dei fieri, propter arrogantiam noluerunt*]. Multis verbis idem hoc ἀθετεῖν [*rejicere*] Arnobius exprimit adverſus nationes diſputans, *Si tibi faſtidium tantum eſt, ut oblati reſpuas beneficium muneris, quinimo ſi tantum ſapientiâ prævales, ut ea quæ offeruntur à Chriſto ludum atque ineptias nomines, quid invitans peccat?* & mox, *an*, inquit, *tibi aſpernanti fugientique infundenda in gremium eſt Divinæ benevolentiæ gratia? Vis ſumere quod offertur, atque in tuos uſus convertere? conſulueris tibi. aſpernaris, contemnis & deſpicis? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert neceſſitatem, imperioſa formidine nullum terret. Neque enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt.*

31. Τίνι οὖν ὁμοιώσω. *cui ergo ſimiles dicam*] Cohærent cum præcedentibus. Qui putarunt Lucam interlocutum verbis Chriſti, infarſerunt hîc εἶπε δὲ ὁ Κύριος [*ait autem Dominus*], ut ſignificarent rediri ad ſermonem Chriſti. Sed hoc aſſumentum multi veteres codices Græci Latinique non habent. Neque Ambroſius legit, neque Theophylactus, neque Euthymius; ſed nec Syrus, nec Arabs: quare non dubito pronuntiare eſſe παρεμβεβλημένον [*ſpurium*].

32. ἐκλαύσατε, *ploraſtis*] ἐκόψασθε [*planxiſtis*] Matthæus. Solebant conjungi fletus & planctus, ut ex Tragœdiis liquet.

35. Ἐδικαιώθη ἡ σοφία ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς πάντων. *juſtificata eſt ſapientia ab omnibus filiis ſuis*] σοφίαν [*ſapientiam*] vocat ſapientiſſimum Dei conſilium, primùm in mittendo Iohanne Præcone pœnitentiæ victu multò ſeveriore quàm eſſet Phariſæorum qui vitæ auſteritate ſibi eximiè placebant: deinde in mittendo Ieſu facili ac comi. Δικαιοῦν ut ſuprà, hîc quoque eſt *approbare* & *laudare.* τέκνα σοφίας [*filii ſapientiæ*] ex Hebraïſmo dicuntur hi qui idonei ſunt agnoſcere Divinam ſapientiam: tales autem ſunt qui ſe inſipientes & peccatis oneratos agnoſcunt: Nam ſanitatis initium eſt morbum fateri. Tales qui erant, baptizati ſunt à Iohanne, pleniùs edocti ab Ieſu. Vide quæ ad Matthæum diximus.

36. Ἠρώτα δέ τις αὐτὸν τῶν Φαρισαίων, *Rogabat autem illum quidam de Phariſæis*] Simon nomine, ut mox dicitur, qui olim λεπρὸς [*leproſus*], &, ut credibile eſt, à Chriſto ſanatus Marc. XIV, 3. Nam cur eandem à quatuor Scriptoribus hiſtoriam tradi exiſtimemus cauſæ ad Matthæum allatæ ſunt. Neque Lucas quicquam dixit cur id continuò poſt narratos jam Chriſti ſermones accidiſſe credendum ſit. Quare rectè cenſent qui rerum ordinem hîc ab eo ſpectatum putant. Eſt enim is ordo valde conſpicuus. Nam verbis Chriſti exemplum illuſtre ſubjungitur. Dixerat Chriſtus homines antea minùs laudatæ vitæ

peccata ſua agnoſcentes magis eſſe idoneos ad acceptanda Dei beneficia, quàm eos qui ſibi plus æquô placent. Eodem facit hæc hiſtoria, ut explicatio oſtendet.

37. ἐν τῇ πόλει, *in civitate*] Id eſt, κώμῃ [*vico*]; nam ſolent iſta promiſcuè poni. Bethania indicatur, ubi nobilis erat hæc femina Lazari ſoror, Maria nomine.

ἥτις ἦν ἁμαρτωλὸς, *quæ erat peccatrix*] Non publicæ libidinis victima, ſed alioqui vitæ parùm pudicæ, זונה [*femina vitæ parùm pudicæ*], non קדשה [*proſtibulum publicum*] ut diſtinguunt Hebræi. Tales feminas Hebræi propriè & inſigniter *peccatrices* vocabant. Et quid mirum tales ad Chriſtum confugiſſe, cùm & ad Iohannis baptiſmum venerint? Matth. XXI, 32. Bene autem monent Interpretes aut ἦν [*erat*] vertendum *fuerat*, aut certè ἁμαρτωλὸν [*peccatricem*], ut Syrus accepit, impropriè dici, non ex præſenti tempore, ſed ex vita anteacta, ut & Galat. II, 15. Quomodo & vox ἀσεβὴς [*impius*] ſumitur Rom. IV, 5.

38. θριξὶ τῆς κεφαλῆς, *capillis capitis*] Bene notant veteres feciſſe hanc mulierem quod omnes converſos facere vult Paulus cum ita loquitur, ὥσπερ παρεστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ ἀκαθαρσίᾳ καὶ τῇ ἀνομίᾳ εἰς τὴν ἀνομίαν, οὕτω νῦν παραστήσατε τὰ μέλη ὑμῶν δοῦλα τῇ δικαιοσύνῃ εἰς ἁγιασμόν [*ſicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſervire juſtitiæ in ſanctificationem*]. Rom. VI, 19. Nam feminæ minùs cuſtoditi pudoris maximam comæ curam impendunt,

Quod primum formæ decus eſt, cecidere capilli.

itaque Clemens περιπλοκὰς τῶν τριχῶν [*cincinnos capillorum*] vocat ἑταιρικὰς [*meretricios*] Pædagog. III, cap. XI.

ἤλειφε τῷ μύρῳ. *ungebat unguento*] Non caput tantùm, quòd fieri honoratis hominibus ſolebat, ſed ipſos etiam pedes, ne quid ad ſummam animi demiſſionem teſtandam deeſſet. Pedum unctionem etiam apud Antiphanem & Cephiſidorum Comicos Græcos reperias. Curtius de Indis, *Demtis ſoleis, odoribus illinunt pedes.* Ariſtophanes Veſpîs tria quæ hîc ſunt poſuit, ablutionem, pedum unctionem & oſculationem, & quidem in muliebribus obſequiis,

—— Καὶ πρῶτα μὲν ἡ θυγάτηρ με
Ἀπονίζῃ καὶ τὼ πόδ' ἀλείφῃ καὶ προσκύψασα φιλήσῃ.

[—— *Atque imprimis filia grandis*
Lotum permulcet aquis, ungitque pedes, fertque oſcula prona].

ubi Scholiaſtes: παλαιὰ ἡ διὰ τῶν γυναικῶν τημελία, καὶ οὕτως ἐτημέλουν τοὺς πατέρας καὶ γέροντας, ὥστε μετὰ τὸ νίψαι ἀλείφειν τοὺς πόδας. Εὐφρόνιος δὲ καὶ τοὺς παρ' Ὁμήρῳ λιπαροὺς πόδας οὕτως ἀποδιδόναι τινάς φησι [*Hæc officia feminis mandata erant antiquitus: præcipuè verò parentes ſenes filiæ ſic curabant, ut lotos pedes ungerent. Atque ita* pedes unctos, *quod eſt apud Homerum, à nonnullis explicari refert Euphronius*].

39. εἰ ἦν προφήτης, *ſi eſſet Propheta*] Leves animi facilè inveniunt quô offendantur. Nam nec Prophetæ omnia ſciverant, ſed ea duntaxat quæ Deo viſum erat ipſis aperire.

ποταπὴ, *qualis*] *Cujus vitæ*: nam ſequitur ὅτι ἁμαρτωλός ἐστι [*quia peccatrix eſt*].

ἥτις ἅπτεται αὐτοῦ, *quæ tangit eum*] Nam Phariſæorum hoc erat ſcitum, contactu hominum flagitioſorum alios inquinari: quod falſum erat. Et cautio de vitando talium hominum acceſſu non debebat ad jam emendatos porrigi.

40. Ἀποκριθεὶς ὁ Ἰησοῦς, *Reſpondens Ieſus*] Oſtenſurus notum ſibi tum quæ femina tum quis Simon eſſet, non extra tantùm, ſed & in receſſu intimo pectoris.

ἔχω σοι τι εἰπεῖν. *habeo tibi aliquid dicere*] Comiter à convivatore ſuo poſtulat loquendi veniam.

41. δανειστῇ τινι, *cuidam fœneratori*] מרא חובא, id eſt, *Domino debiti*, Latinè *creditori*. Nam & Latina iſta vox, cum propriè ad mutuum pertineat, cœpit ad omnem debendi cauſam transferri. Sic & Matthæi Interpres quod δάνειον [*mutuum*] dixerat, interpretatus eſt τὸ ὀφειλόμενον [*debitum*]. Extat autem vox utraque & δανειστοῦ [*creditoris*] & χρεωφειλέτου [*debitoris*] in Græco Proverb. XXIX, 13.

42. ἐχαρίσατο, *donavit*] Bene Latinus *donavit*, id eſt, *donationis cauſâ remiſit*, ut loquuntur Imperatores in L. Si donationis. C. de donationibus. Sic & cepiſſe videtur qui liberatur obligatione, ut habet Iuris regula.

Τίς οὖν αὐτῶν, εἰπὲ, πλεῖον αὐτὸν ἀγαπήσει; *Quis ergo eum plus diligit*]? Quid probabile ſit Chriſtus quærit, non quid neceſſarium. Nam homines de hominibus judicare ſolent ſecundùm id quod probabile eſt.

43. Ὑπολαμβάνω, *Æſtimo*] Rectiùs verti puto *exiſtimo* quam quod aliis placet *reſpondeo*. Nam quid ſibi probabile videatur reſpondet Phariſæus.

44. Βλέπεις ταύτην τὴν γυναῖκα; *vides hanc mulierem*]? *Vides quid hæc faciat?*

ὕδωρ ἐπὶ τοὺς πόδας μου οὐκ ἔδωκας· *aquam pedibus meis non dediſti*] Comparat Chriſtus Simonem feminæ: ille etiam communia officia neglexerat; hæc eximia, nec unquam viſa documenta reverentiæ ſuæ in Chriſtum dederat. Cauſa diſcriminis hæc, quod mulier peccatorum magnorum ſibi eſſet conſcia: Simon ſibi ſat placens, quaſi minùs opus Chriſto haberet, proinde quoque minùs eum reverebatur. Solebat aqua dari peregre adventantibus, ut aliquot teſtimoniis alii probârunt: quibus adde loca 1 Reg. XXV, 41. 1 Timoth. V, 10. Venerat autem Chriſtus Hieroſolymis Bethaniam: nam dies Hieroſolymis docendô transigebat, veſperîs ferme Bethaniam concédebat, ut alibi vidimus.

45. Φίλημά μοι οὐκ ἔδωκας· *oſculum mihi non dediſti*] Etiam hic mos ad peregre adventantes pertinet. Vide quæ ad Matth. XXVI, 49.

εἰσῆλθεν, *intravit*] Cum hanc lectionem Græci codices nonnulli adhuc præferant & præter Syrum Arabs eam agnoſcat, præferendam alteri cenſeo: quanquam ad ſenſum non multùm refert.

46. Ἐλαίῳ, *oleo*] Quanquam ſolent Hebræi unguenta quævis καταχρηστικῶς [*per tropum duriorem*] olei nomine appellare, ut & Græci, quemadmodum notant Interpretes ad illud Homeri εὐῶδες ἔλαιον [*ſuaveolens oleum*], dubitandum tamen non eſt quin hoc loco oleum commune intelligi debeat. Eſt enim perpetua ἀντιστοιχία [*oppoſitio*]. Mulier illa

lachrimas impendit pedibus Chriſti proluendis: Simon ne aquam quidem. Illa aſſidua eſt in pedibus Chriſti oſculandis: Simon ne uno quidem oris oſculo Chriſtum excepit. Illa pretioſo unguento non caput tantùm ſed & pedes perfundit: ille ne caput quidem mero oleo: quod perfunctoriæ amicitiæ fuerat. Convivis oleum affundi ſolitum videas & Pſalm. XXIII, 5. Eodemque reſpicit locus Pſalm. XLV, 8.

47. Οὗ χάριν λέγω σοι, ἀφέωνται αἱ ἁμαρτίαι αὐτῆς αἱ πολλαὶ, ὅτι ἠγάπησε πολύ. *Propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*] Variæ ſunt admodum hujus loci interpretationes. Quidam putant de ea dilectione hîc agere Chriſtum quæ remiſſionem antecedat. Et ſanè fides illa quæ remiſſionem impetrat ſine dilectione non eſt. Sed ea dilectio ſolet magis aut pœnitentiæ aut fidei etiam nomine comprehendi, cum ἀγάπη [*dilectio*] peculiariter dici ſoleat ἕξις [*habitus*] illa ſolidior quæ fidem & remiſſionem conſequi ſolet, pars ſcilicet præcipua ejus ſanctimoniæ ad quam remiſſionis beneficio invitamur. Solent & Platonici dicere amorem eſſe duplicem, alterum tenerum ante cognitionem plenam, alterum robuſtiorem poſt eandem plenam cognitionem. Illi autem robuſtiori amori nomen ἀγάπης [*dilectionis*] magis convenit, ut videre eſt Rom. XIII, 10. 1 Corinth. XIII, 13. Galat. V, 6. & 1 Petr. 1, 22. Vbi purificatio dicitur facta ad dilectionem. Adde quod hæc femina non, ut illi exiſtimant, nunc primùm veniam delictorum conſecuta eſt. Accidit enim hæc res paulò ante mortem Chriſti: atque adeò illæ lacrimæ ex audita mortis prædictione natæ videntur: ideoque accipiuntur à Chriſto, non ut ſignum pœnitentiæ, ſed ut ſignum dilectionis. Multò autem ante Maria hæc Lazari ſoror à Chriſto beata erat dicta quod ipſius inſtitutioni tam diligenter immineret, quanquam id Lucas narrat κατὰ πρωθύστερον [*per præpoſteram rerum & verborum poſitionem*] X, 42. Ibi nomen ejus ponens ubi ſola laus ejus prædicatur: hîc ſubticens, ubi prioris vitæ fit mentio; quomodo & Matthæi nomen reticent Marcus & Lucas ubi de Publicano vocato agitur. Erat igitur Maria pridem jam Chriſti diſcipula, pridem Chriſto cara, ut & ex Lazari reſuſcitati hiſtoria liquet. Iam verò & illud durum eſt quod dicunt illius interpretationis Patroni inverti à Chriſtò ratiocinationem, & cum priùs dilectionem ſtatuiſſet conſequens condonationis, nunc viciſſim condonationem ponere ut conſequens dilectionis. Nam certè ſi hoc inferre voluiſſet Chriſtus quod ipſis videtur, non ſatis appoſitè videretur interrogationem propoſuiſſe & confeſſionem expreſſiſſe Simoni. Veteres quoque video hujus loci auctoritate uti, ut probent dilectionem naſci ex beneficio remiſſionis, non contra: Irenæus lib. III, cap. XXII, *Munus incorruptelæ conſecutus ab eo ut plus diligeret eum. Cui enim plus dimittitur, plus diligit.* Cyprianus in excerptis ad Quirinum: *Plus ab eo diligi Deum cui in baptiſmo plura peccata dimittuntur.* In Euangelio κατὰ [*ſecundùm*] Lucam: *Cui plus dimittitur, plus diligit: & cui minus dimittitur, modicùm diligit.* Alii putant ex dilectione tanquam ſigno probari remiſſionem quæ contigerit. At Chriſtus non hoc ſimpliciter dicit jam remiſſa eſſe illi peccata: ſed ἔμφασιν [*ſignificationis efficaciam*] ponit in voce αἱ πολλαὶ [*multa*], quod & exigebat antecedens interrogatio. Et ſi de ſigno ageretur dicendum potiùs in ſequente membro fuerat, ὃς δὲ ὀλίγον ἀγαπᾷ, ὀλίγον αὐτῷ ἀφίεται [*qui verò parùm diligit, parùm illi remittitur*]. Sed longior in refutandis aliorum opinionibus non ero: dicam quòd maximè mihi probatur, judicet æquus Lector. Putaverat Phariſæus rejiciendam hanc mulierem à Chriſti contactu ob vitæ impuritatem: Chriſtus contra oſtendere voluit digniorem hanc eſſe ſuo contactu quàm illi ipſi qui factum hoc reprehenderent. Contactu enim digniſſimus ille eſt qui maximè diligit. Hoc autem de illa credi primùm communis ratio exigebat, docens magis nos ab iis diligi quibus plus fecerimus boni: deinde congruebant & facta, quæ Simonis factum, nudam ſcilicet vocationem ad cœnam, multis partibus ſuperabant. His ergo duobus argumentis, communi præſumtione & factorum indicio cùm dilectionem ſui Chriſtus probâſſet, abſtinuit illationem ponere, ut quæ ſponte pateret, digniſſimam ſcilicet hanc feminam eſſe ſuo contactu. Quod ipſum validius probat addito enthymemate, in quo iterum & illatio & pars argumenti de more ſubticentur. Plena argumentatio hæc eſſet; *Cujus facti gratiâ ac ſpe Deus multa peccata remittit, id factum minimè prohibendum eſt: Hujus autem facti gratiâ ac ſpe, Deus multa peccata mulieri iſti remiſit: non eſt igitur id prohibendum.* Propoſitio conſpicuæ eſt veritatis. Aſſumtio hoc modo probatur. *Solet Deus remittere magna peccata, ut & conſequatur opera magnæ dilectionis. Hoc autem opus tale eſt. Hujus ergo operis conſequendi causâ Deus multa peccata remiſit.* Hujus argumenti aſſumtio jam probata erat collatione facti Simonis & facti mulieris. Nam Simon quin in cœnula Chriſto danda exhibuiſſet factum dilectionis non dubitabat. Illa autem multò plus fecerat. Propoſitio conſentanea eſt Bonitati & Sapientiæ Divinæ. Illuſtratur autem ex oppoſito: nam quia quibus minus remiſſum eſt minus diligunt, ideo Divinæ Sapientiæ convenit magna etiam & multa peccata remittere, ut exſtare poſſint eximiæ dilectionis opera. Apud Valerium Maximum eſt: *non eſſe credibile ut quem tantopere amaret, ab eo invicem non diligeretur.* Videtur mihi hæc expoſitio nihil habere violenti. Nam οὗ χάριν [*propter quod*] plerunque Græcis finem propoſitum ſignificat. Et λέγω σοι [*dico tibi*] ſæpe κατὰ παρένθεσιν [*per interpoſitionem*] interponi ſolet, ut videre eſt apud hunc Scriptorem XII, 5. & apertiùs XIII, 24. & XXI, 10. In remittendis autem peccatis à Deo ut finem ſpectari opera dilectionis multis locis docemur, quorum nonnulla adduximus ad illa Zachariæ, ἀφόβως ἐκ χειρὸς τῶν ἐχθρῶν ἡμῶν ῥυσθέντας λατρεύειν αὐτῷ [*ut ſine timore, de manu inimicorum noſtrorum liberati ſerviamus illi*]. Irenæus quoque illud οὗ χάριν ἀφέωνται [*propter quod remittuntur*] eodem modo accepiſſe videtur loco jam citato: ἠγάπησεν [*dilexit*] accipio ἀορίστως [*indefinitè*], ſine certi temporis nota, ita ut per præſens reddi non incommodè poſſit. Et ὅτι [*quoniam*] eſt αἰτιολογικὸν [*redditio cauſæ*] illius οὗ χάριν [*propter quod*]. Nam ideo hoc & huic ſimilia facta magni à Deo æſtimantur,

ita ut eorum ſpe peccata remittat, quia facta hæc magnæ ſunt dilectionis. Eſt ergo hæc verborum Chriſti περίφρασις [*interpretatio prolixior*], *Hujus, inquam, facti ergo, ut hoc nimirum fieret; Deus dignatus eſt illi gratiam facere peccatorum, quæ, ut dicis, & magna & multa ſunt. neque id immeritò. nam quod ex hoc facto apparet, & me & in me Deum ardentiſſimè illa diligit. quod ſi minus illi condonatum eſſet, (ut tu minus tibi condonatum putas), minus quoque diligeret, ut tu minus diligis. Vides ergo conſilii Divini æquiſſimam rationem.*

48. Ἀφέωνταί σου αἱ ἁμαρτίαι. *Remittuntur tibi peccata*] Pridem remiſſa ſunt per me, qui cum ea poteſtate in mundum veni. Nam hæc aut addidit Chriſtus, aut vultu geſtuque ſignificavit, ut ſequentia oſtendunt.

49. Τίς οὗτός ἐστιν ὃς καὶ ἁμαρτίας ἀφίησιν; [*Quis eſt hic, qui etiam peccata remittit*]? Non puto eſſe Phariſæorum calumniantium, ſed potius aliorum qui in eodem convivio erant admirantium: quod ſignificare videtur vocula καὶ [*etiam*]· ut ſenſus ſit, *Quis aut quantus hic eſt qui etiam dandæ veniæ jus habet?* Simile loquendi genus eſt infrà VIII, 25. Matth. VIII, 27. Marci IV, 41. quibus locis manifeſta eſt admirandi ſignificatio.

50. Ἡ πίστις σου σέσωκέ σε· *Fides tua te ſalvam fecit*] Noli ſuperciliosos iſtos cenſores metuere: noli te indignam meo contactu exiſtimare. Fides tua pœnitentiam operata pridem te à vitæ prioris criminibus abſolvit. Tertullianus adverſùs Marcionem ita in hunc locum commentatur: *Sed & ſi pænitentiæ ſtimulus ex fide acciderat, per pænitentiam ex fide juſtificatam ab eo audiit: fides tua ſalvam te fecit, qui per Abacuc pronuntiarat, juſtus ex fide ſua vivet.* Cui fortè lucis aliquid à Clemente Alexandrino, qui Strom. II. ita loquitur: Πίστεως οὖν καὶ ἡ μετάνοια κατόρθωμα· ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσῃ ἁμάρτημα εἶναι ᾧ προκατείχετο, οὐδὲ μεταθήσεται· κἂν μὴ πιστεύσῃ, κόλασιν μὲν ἐπηρτῆσθαι τῷ πλημμελοῦντι, σωτηρίαν δὲ τῷ κατὰ τὰς ἐντολὰς βιοῦντι, οὐδ᾽ οὕτως μεταβαλεῖται· ἤδη δὲ καὶ ἡ ἐλπὶς ἐκ πίστεως συνέστηκεν [*Eſt ergo & pænitentia è fide. Niſi enim crediderit quis peccatum eſſe id, cui anteà mancipatus fuerit, non mutabitur. Quod ſi non & hoc inſuper credat, pænam ei, qui peccet, imminere, ſalutisque æternæ compotem fore eum qui juxta præcepta vixerit, ne ſic quidem mutabitur. Iam verò & ſpes è fide eſt*].

πορεύου εἰς εἰρήνην. *vade in pace*] Abi felix, & felicitatis tuæ conſcia & certa.

CAPVT VIII.

1. Κατὰ πόλιν καὶ κατὰ κώμην, *per civitates & caſtella*] Ne quis Iudæus præteritum ſe queri poſſet, non urbes tantùm obit Chriſtus, in quas ex agris conveniri Sabbatis ſolebat, ſed domi ſuæ omnes inviſit.

καὶ οἱ δώδεκα σὺν αὐτῷ. *& duodecim cum illo*] Vt ab ipſo acciperent docendi formam: non quod docerent præſente Magiſtro. Id enim cum veteri more pugnabat.

2. δαιμόνια ἑπτὰ, *ſeptem dæmonia*] Non opus eſt figuram quærere: nec in voce δαιμόνια [*dæmonia*], cum præcedat πνευμάτων πονηρῶν [*ſpiritibus malignis*] nec in numero ſeptenario: cùm etiam plures dæmones unum hominem obſederint, ut qui ſe legionem vocabant.

3. ἐπιτρόπου, *Procuratoris*] Syrus vertit רב ביתה οἰκονόμον [*diſpenſatorem*]: rectiùs Latinus *Procuratorem*, Nam quem Latini *Cæſaris Procuratorem*, Græci ἐπίτροπον vocant: ad quod exemplum hic Λογοθέτης [*Herodi à rationibus*] Herodis eodem vocabulo dictus eſt. Quod autem quidam hinc argumentum petunt, licere uxoribus viros à fide alienos deſerere, non video quid certi habeat. Credibilius aut uxorem dici quæ vidua fuerit, aut maritum non alienum fuiſſe à pietate: ut ſolet Deus rimulis quibusdam in aulas alioqui nimium ſibi præcluſas penetrare. Nam & in Neronis aula non defuere qui Chriſtianiſmo faverent, Philipp. IV, 22.

Σουσάννα, *Suſanna*] A lilio. Nam σοῦσα שושנים ſunt κρίνα [*lilia*] Phœnicibus, ut rectè inquit ſcriptor Etymologici. Sed & Perſis ut notat Athenæus: unde urbs Suſa, & unguentum σούσινον τὸ κρίνινον [*ex liliis confectum*].

αἵτινες διηκόνουν αὐτοῖς ἀπὸ τῶν ὑπαρχόντων αὐταῖς. [*Quæ miniſtrabant eis de facultatibus ſuis*] More Iudaico, ut rectè notat Hieronymus, mulieres viduæ præſertim, ſolebant Magiſtris neceſſaria ſuppeditare: quod ſecuti ſunt Apoſtoli inter Iudæos, Paulus inter gentes omiſit, ne ſiniſterioris ſermonis anſam præberet. Maluit autem Chriſtus admittere hoc beneficium, quam cum Apoſtolorum comitatu gravis eſſe ignotis ad quos adventabat. αὐτοῖς [*eis*] habent Græci codices optimi, Syrus & Latini exemplaria quædam.

4. τῶν κατὰ πόλιν ἐπιπορευομένων πρὸς αὐτὸν, *de civitatibus properarent ad eum*] Nam ex urbibus omnibus, ut in quamque advenerat, everriculi more multos auditores ſecum trahebat admirabilis doctrinæ efficaciâ.

5. ὃ μὲν, *aliud*] οὐδετέρως [*neutraliter*] ut ex ſequentibus apparet: Id eſt, ὃ μὲν μέρος τοῦ σπόρου [*hæc quidem ſeminis portio*].

Κατεπατήθη, *conculcatum eſt*] Hæc conculcatio (ut quidam rectè monent) ſignificat conſuetudinem mundi ad pietatis præcepta callum obducentis.

6. φυὲν, *natum*] Non caruit omni vivida vi: nam enaſci cœpit, ἐξανέτειλε [*exortum eſt*] inquit Matthæus.

μὴ ἔχειν ἰκμάδα *non habebat humorem*] Humor hauritur radice: radix profundam terram poſtulat. Ideo in unum hæc recidunt, οὐκ ἔχειν ἰκμάδα [*non habere humorem*] quod dicit Lucas, quæ eſt cauſa proxima τοῦ ξηραίνεσθαι [*arefactionis*] & οὐκ ἔχειν ῥίζαν [*non habere radicem*], quod Marcus, οὐκ ἔχειν βάθος γῆς [*non habere altitudinem terræ*] quod Matthæus. Sic de vitiis dixit Poëta,

> *Et mala radices altiùs arbor agit.*

Loca arida ſunt infructuoſa Ierem. XVII, 6.

7. συμφυεῖσαι, *ſimul exortæ*] Bene notat Lucas enatum hoc ſemen, ſed ſimul enatas ſpinas, ut duplicem in homine uno frugem ſignificaret, quarum quæ mala eſt ni ſtatim evellatur bonam opprimit. Quærenti cuidam cur ſpinæ & lolia uberiùs quàm frumentum naſceretur, reſponſum eſt quia terra ſpinarum mater eſt, frumenti noverca,

id eſt, ſpinas ſuapte ſponte proferret, frumentum non niſi humanæ induſtriæ conatu provocata. Idem de humano ingenio non ineptè dixeris: nam ea quæ carnis ſunt, ob naturale commercium corporis, ſponte & ſine labore profert; ad meliorem frugem, conſitione, cultura & labore opus habet.

10. τοῖς δὲ λοιποῖς ἐν παραβολαῖς, *cæteris autem in parabolis*] ſupple πάντα γίνεται [*omnia fiunt*], quod addidit Marcus.

11. Ὁ σπόρος ἐστὶν ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ. *Semen eſt verbum Dei*] Quem propterea λόγον ἔμφυτον [*verbum inſitum*] Iacobus vocat I, 21.

14. πορευόμενοι, *euntes*] παρέλκει [*abundat*] hæc vox, ut ſæpe apud Matthæum πορευθέντες [*euntes*], IX, 13. XXV, 16. & alibi: quare & Syrus omiſit. Si quid ſignificat, ſignificat proceſſum temporis nec quicquam ultra.

οὐ τελεσφοροῦσι. *non referunt fructum*] τελεσφόρα Græcis dicuntur *quæ fructum ad plenam maturitatem & meſſis tempus perferunt.* Itaque Lucas ipſe τελεσφορεῖν [*referre fructum*] jam interpretabitur non καρποφορεῖν [*fructum ferre*] ſimpliciter, ſed καρποφορεῖν ἐν ὑπομονῇ [*fructum ferre in patientia*]. Hinc tralationem duxit Sophocles de Præſagiis:

Εἰ μὲν πέφηνεν ἐσθλὰ, δὸς τελεσφόρα.
[*Maturum præbe ſi quid apparet boni*].

Ioſephus quoque τελεσφορεῖσθαι [*fructum perferre*] de mulieribus dixit non abortientibus. Apertè ſignificat Lucas hos non fuiſſe planè ſteriles, ſed ſterilem habuiſſe exitum: ἄκαρπος γίνεται [*fructum non dedit*] inquit Marcus.

15. καρδίᾳ καλῇ καὶ ἀγαθῇ, *in corde bono & optimo*] Videtur non ſine delectu voce hac vulgò quidem trita, ſed à Philoſophis ſubtiliùs explicata uti Lucas. Nam cum de iis diſſeruiſſet qui metu incommodorum, aut externorum bonorum nimia cupiditate à virtute diſtrahuntur, his rectè opponit τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν [*honeſtum ac bonum*], Nam ſi Ariſtoteli, aut quisquis eſt ſcriptor τῶν ἠθικῶν μεγάλων [*magnorum moralium*] credimus, ἔστιν οὖν κακῶς λεγόμενον ἐπὶ τοῦ τελέως σπουδαίου ἡ καλοκἀγαθία· καλὸς κἀγαθὸς γάρ, φησιν, ὅταν τελέως σπουδαῖος. ἐπὶ γὰρ τῆς ἀρετῆς, τὸ καλὸν καὶ ἀγαθὸν λέγουσιν. οἷον τὸν δίκαιον καλὸν καὶ ἀγαθόν φασι, τὸν ἀνδρεῖον, τὸν σώφρονα, ὅλως ἐπὶ τῶν ἀρετῶν. ἐπειδὴ οὖν εἰς δύο διαιροῦμεν, καὶ τὰ μὲν φαμὲν εἶναι καλὰ, τὰ δὲ καὶ ἀγαθά· καὶ τῶν ἀγαθῶν τὰ μὲν ἁπλῶς ἀγαθὰ, τὰ δὲ οὔ. καὶ καλὰ μὲν, οἷον τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἀπ᾽ ἀρετῆς πράξεις· ἀγαθὰ δὲ, ἀρχὴν, πλοῦτον, δόξαν, τιμὴν, τὰ τοιαῦτα· ἔστιν οὖν ὁ καλὸς καὶ ἀγαθὸς, ᾧ τὰ ἁπλῶς ἀγαθά ἐστιν ἀγαθὰ, καὶ τὰ ἁπλῶς καλὰ καλά ἐστιν· ὁ τοιοῦτος γὰρ καλὸς καὶ ἀγαθός· ᾧ δὲ τὰ ἁπλῶς ἀγαθὰ μή ἐστιν ἀγαθὰ, οὐκ ἔστι καλὸς καὶ ἀγαθός· ὥσπερ οὐδὲ ὑγιαίνειν ἂν δόξειεν, ᾧ τὰ ἁπλῶς ὑγιεινὰ μὴ ὑγιεινά ἐστιν. εἰ γὰρ ὁ πλοῦτος καὶ ἡ ἀρχὴ παραγινόμενα τινὰ βλάπτοιεν, οὐκ ἂν αἱρετὰ εἴη, ἀλλὰ τὰ τοιαῦτα ὅσα ἂν αὐτὸν μὴ βλάψῃ βουλήσεται αὐτῷ εἶναι. [Καλοκἀγαθία (*integritas) de eo qui perfectè probus ſit non malè dicitur. Integer enim eſt is qui perfectè & conſummatè probus eſt. Integritatem enim de virtute ferè dicimus. Ita integrum atque honeſtum, bonum denique virum appellant eum qui juſtus ſit, eum item qui fortis, quive temperans: denique in univerſum ad omnem virtutem hæc vocabula accommodantur. Iam quum ita dividamus, ut alia pulchra & honeſta, alia inſuper bona dicamus: bonorum autem alia ſimpliciter bona, alia non ſimpliciter quidem, verùm ita tamen ut bona nihilominùs appellanda ſint: honeſta porrò ac pulchra iſtiusmodi, virtutes putà & quæcunque ab iis actio proficiſcitur: bona verò, imperia putà, honores, divitias, gloriam & hujusmodi plurima. Quum inquam hæc omnia ita ſecanda ſint:* καλὸς κἀγαθὸς *is demum appellandus eſt, cui ea bona ſunt quæ ſimpliciter ſunt bona; ea honeſta, quæ ſimpliciter ſunt honeſta. Is enim verè & honeſtus eſt & bonus. Hæc autem honeſti & boni appellatio ei convenire non poteſt cui ea quæ ſimpliciter ſunt bona, bona non ſunt. Vt ne ſanus quidem videri poteſt is, cui id quod ſimpliciter ſalubre eſt, non ſit ſalubre. Quodſi quem divitiæ atque imperia, quum ea nactus ſit, lædant, certè optanda ei non ſunt: ſed ea eliget à quibus lædi non poſſit.*] Et mox: ᾧ τὰ ἀγαθὰ πάντα ὄντα ἀγαθά ἐστι, καὶ ὑπὸ τούτων μὴ διαφθείρεται, οἷον ὑπὸ πλούτου καὶ ἀρχῆς, ὁ τοιοῦτος καλὸς καὶ ἀγαθός. [*Cui omnia ea utilia ac bona ſint quæ verè ſunt bona, quique ab iis, verbi gratiâ ab imperio aut opibus, non fiat deterior, is verè honeſtus ac bonus eſt*].

ἐν ὑπομονῇ, *in patientia*] Hæc vox Helleniſtis frequens conſtantiam illam denotat, quæ inter adverſa durat ſpe meliorum.

16. σκεύει, *vaſe*] Generis nomen pro ſpecie poſuit. Nam μόδιον [*modium*] ſignificat, quod exprimunt Matthæus & Marcus. de ſenſu ad Marcum vide.

17. γενήσεται· *fiet*] Futurum ponitur in ſignificatione ejus quod oporteat fieri, ut ſæpe. Itaque mox idem explicat modo potentiali, εἰς φανερὸν ἔλθῃ [*in palàm veniat*].

18. ὃ δοκεῖ ἔχειν, *quod putat habere*] Explicavimus ad Matthæum.

20. λεγόντων· *dicentibus*] Deeſt perſonarum notatio: quia facilis eſt intellectus ex eo quod præceſſit διὰ τὸν ὄχλον [*præ turba*]. Conſtructio eſt πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*].

23. συνεπληροῦντο, *complebantur*] Simillimum loquendi genus iſti Virgiliano:

——*Iam proximus ardet*
Vcalegon. ——

24. ἐπετίμησε, *increpavit*] Ita Græci vertunt גער, Pſalm. CVI, 9. ibi de mari, hîc de vento.

27. ἐκ τῆς πόλεως, *ex urbe*] Hanc partem Latino omiſſam agnoſcunt Syrus & Arabs. Intelligendus autem eſt homo ille non ex urbe veniſſe id temporis, ſed in urbe natus atque educatus fuiſſe. Quod fortè minus advertit Latinus interpres, ideoque partem hanc ut hiſtoriæ malè cohærentem expunxit.

ἱμάτιον οὐκ ἐνεδιδύσκετο, *veſtimento non induebatur*] Feri animalis in morem. Itaque mox cum ad ſe rediiſſet deſcribitur ἱματισμένος [*veſtitus*].

28. δέομαί σου, *obſecro te*] Cùm graviſſima obteſtatione, μεθ᾽ ὁρκισμῶν [*cum adjurationibus*] ut ex Marco diſcimus.

29. πολλοῖς γὰρ χρόνοις, *multis enim temporibus*] malim exponere per πολλάκις [*ſæpe*] quod apud Marcum eſt: quanquam aliter accepit Syrus.

εἰς τὰς ἐρήμους. *in deſerta*] Modò in montana, modò in ſepulcreta, ut docet Marcus. Montana ἐρήμους [*deſerta*] dici alibi annotavimus.

31. ἄβυσσον, *abyſſum*] Quod Hebræi תהום dicunt,

cunt, Lxx vertunt ἄβυσσον [*abyſſum*] & plerunque de mari ea vox uſurpatur. Solet tamen & ad alia transferri. Nam & Divina judicia ἄβυσσος [*abyſſus*] vocantur: quia ſunt imperveſtigabilia. Hoc ſenſu Paulus id quod apud Moſem eſt, τίς καταβήσεται εἰς τὴν ἄβυσσον [*quis deſcendet in abyſſum*] interpretatur *Chriſtum à mortuis reducere*: quia & ᾅδης, id eſt, *mortuorum ſedes* nobis eſt impervia. Cæterùm hîc ἀβύσσου [*abyſſi*] nomine non eſt intelligendus ᾅδης [*infernus*] ſed *Tartarus*; quæ duo non rectè confunduntur. Nam ᾅδης [*infernus*], ut alibi dixiſſe meminimus, & infra repetendum erit, non pertinet ad dæmonia, ſed tantùm ad homines mortuos bonos malosque & quidem medio duntaxat tempore inter mortem & reſurrectionem. *Tartara* autem Græcorum exemplo Petrus dixit eam regionem in qua impuri ſpiritus ad tempus judicii velut captivi aſſervantur. Neque dubium eſt quin idem hîc ſit ἄβυσσος [*abyſſus*]. Nam & in Apocalypſi Iohannis ἄβυσσον hoc ſignificatu ſumi manifeſtiſſimum arbitror: præſertim capite xx, 3. ubi itidem vinculorum eſt mentio ut apud Petrum: ſed & Græci ταρτάρου ἄβυσσα χάσματα [*tartari fundo carentes hiatus*] dixere. Nec illis aſſentio qui aërem eſſe volunt *Tartarum.* Nam ſi quis Apocalypſis loca cùm aliis quæ diximus locis attentè conferat, inveniet dæmonas modò in illum ſuum carcerem recludi (quod ne ſibi accidat hîc precantur) modò verò permitti ut noſtras regiones inviſant. Quo tempore niſi humana aut beſtiarum corpora obſideant, in aëre ferme vagari ſolent, unde δαίμονας ἠεροφοίτους [*dæmonas in aëre oberrantes*] Græci etiam dixere, & Paulus hanc dæmonibus à Deo conceſſam poteſtatem vocat ἐξουσίαν τοῦ ἀέρος [*poteſtatem in aëre*], & alibi τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις [*ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus*], idque ex vetuſtiſſima Hebræorum ſententia, quam & in libro Aboth expreſſam eſt invenire. Vbi locorum ſit *Tartarus* aut ἄβυσσος [*abyſſus*] cujus hîc ſit mentio, nihil valde opus eſt indagare. Si quis tamen modeſtæ conjecturæ eſt locus, malim extra hunc mundum adſpectabilem eum ponere, ut & regionem beatorum ſpirituum, quàm cum quibusdam in centro terræ, quòd ferme perinde eſt quaſi nuſpiam dicas. Ipſa certè vox ἀβύσσου [*abyſſi*] vaſtitiem quandam præ ſe fert. Et videri poteſt τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον [*tenebræ exteriores*] ideo dici, quod extra hunc orbem ſit qui in uſus noſtros eſt conditus. Nec malè fortè huc referas quod apud Iohannem eſt xii, 31. Νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω [*nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras*].

38. Ἐδέετο δὲ, *rogabat autem*] Ita legit & Syrus. multoque id præſtat lectioni alteri.

39. καθ' ὅλην τὴν πόλιν, *per univerſam civitatem*] Illam unde erat oriundus: ſed & per urbes circumſitas, ut Marcus docet.

40. ἀπεδέξατο αὐτὸν ὁ ὄχλος· *excepit illum turba*] *Gratanter excepit*: ea enim vis eſt vocis, ut Actor. xv, 4. & xviii, 27.

42. ὡς ἐτῶν δώδεκα, *ferè annorum duodecim*] Quæ ætas periculoſiſſimis maximè morbis obnoxia διὰ τὴν τῆς ἡλικίας τροπήν [*ob transitum à pueritiâ ad pubertatem*].

ἀπέθνησκεν. *moriebatur*] Id eſt, ἔμελλεν ἀποθνήσκειν [*animam agebat*]. Nondum enim mortuam fuiſſe, cum Pater exiret, tota hiſtoria loquitur, præcipuè id quod eſt infrà commate 49. Mori Philoſophis conſiſtit ἐν στιγμῇ [*in puncto*]. At populariter loquendo mori dicitur qui morti vicinus videtur.

συνέπνιγον, *ſuffocabant*] etiam hoc dictum ὑπερβολικῶς [*ſupra fidem*]. Senſus eſt συνέθλιβον [*premebant*] ut apud Marcum eſt.

43. τὸν βίον, *ſubſtantiam*] Lucas & hîc & alibi βίον vocat quod Marcus dixit τὰ παρ' ἑαυτῆς [*opes ſuas*] קנינה, κτῆσιν [*poſſeſſionem*], ut vertit Syrus, *ſubſtantiam* rectè Latinus. Nam victus nomen anguſtius eſt quàm ut hanc ſignificationem impleat. Vide infrà xv, 30.

47. οὐκ ἔλαθε, *non latuit*] לא נשתרה.

51. εἰσελθὼν, *cum veniſſet*] ἀόριστος [*indefinitum tempus*] hîc per futurum verti debet, ut ſit idem quod *intraturus*. Liquet id ex Marco.

καὶ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, *& Iacobum & Iohannem*] Hunc ordinem nominum ponunt Syrus & Latinus: quod ſequendum puto cùm & Græci codices accedant.

52. ἐκόπτοντο αὐτήν. *plangebant illam*] Eadem locutio infrà xxiii, 27. Breviter dictum pro ἐπ' αὐτὴν [*ſuper illam*] ut loquitur Apocalypſis 1, 7. & xviii, 9. Hebræi quoque plenè dicunt ספר עליו [*planxit ſuper illam*], breviùs ספר לו [*planxit illam*], quod Lxx vertunt κόπτειν αὐτὸν [*plangere illum*], ut 1 Reg. xiv, 13. ἦλθεν Ἀβραὰμ κόψασθαι Σαῤῥὰν [*venit Abraham planctum Saram*] Gen. xxiii, 2. & alibi.

54. ἐκβαλὼν ἔξω πάντας, *ejectis foras omnibus*] Intellige ex ſuperioribus τοὺς κλαίοντας καὶ κόπτοντας [*flentibus & plangentibus*]. Partem autem hanc cum Syro Arabs agnoſcit quoque. Credibile eſt omiſſam à Latino quòd non videret quomodo hoc conciliari poſſet cum eo quod narratur parentes puellæ miraculo adfuiſſe, quod alios etiam poſtea torſit: cùm nulla eſſet difficultas repetitis quas dixi vocibus.

55. καὶ ἐπέστρεψε τὸ πνεῦμα αὐτῆς, *& reverſus eſt ſpiritus ejus*] Providè hoc adjecit Lucas, ut obiter doceret animum humanum non eſſe κρᾶσιν [*temperamentum*] corporis, nec aliquid quod cum corpore intereat, ſed αὐθυπόστατόν τι [*quoddam per ſe ſubſiſtens*] quod poſt exitum vitæ mortalis alibi eſt quam ubi corpus. Id enim docet vox ἐπέστρεψε [*reverſus eſt*]. Vbi ſit non refert ſcire. Satis eſt eſſe in manu Dei, cui morientes pii ſpiritum ſuum commendant recipiendum corpori in hora reſurrectionis, cujus imaginem & pignus iſta miracula præbebant.

CAPVT IX.

1. Τοὺς δώδεκα αὐτοῦ, *duodecim ſuis*] Differens codicum lectio; cum alii adjiciant μαθητὰς [*Diſcipulos*], alii ἀποστόλους [*Apoſtolos*], indicio mihi eſt utrunque natum ex interpretamento. Solet autem Lucas Apoſtolos nominare τοὺς δώδεκα [*duodecim*] ſine adjectamento, ut viii, 1. infrà commate 12. & xviii, 31. xxii, 3. xxii, 47. Actor. vi, 2. ut & Paulus 1 Corinth. xv, 5. Quare ita hîc legendum

dum non dubito, accedente teſtimonio Syri & Theophylacti, ut ab aliis eſt notatum. Arabs addidit الرسل ἀποστόλους [*Apoſtolos*] ſive quia ita legit, ſive explicandi nominis causâ.

3. μήτε ἀνὰ δύο χιτῶνας ἔχειν. *neque duas tunicas habeatis*] Pendet, ni fallor, ex illo quod præceſſit αἴρετε [*ferte*], ut ſenſus ſit; *neque 'tantùm vobiscum ſumite ut ſinguli bina veſtimenta habeatis*. Veſtimenta autem intelligit quæ homini bene veſtiendo ſatis ſunt. De re ipſa ad Matthæum vide.

4. καὶ ἐκεῖθεν ἐξέρχεσθε. *& inde exeatis*] *Indidem exite cùm migrandum erit*. Apparet ita legiſſe Græcos & Syrum: quare retinenda hæc lectio. Senſus eſt, *manete ibi dum urbe exeundum ſit*.

7. διηπόρει, *hæſitabat*] Vox hæc Lucæ attonitam quandam admirationem ſignificat infrà XXIV, 4. Actor. II, 12. V, 24. X, 17. Quare non malè hîc, ut & alibi, vertit Syrus מתרמר. Latinus *conſternatum eſſe*, dicto loco XXIV, 4. Alibi *ſtupere*. Fama miraculorum & judiciorum de Ieſu diverſitas ita illum percellebant, ut quid crederet neſciret.

8. εἷς τῶν ἀρχαίων, *unus de antiquis*] Puto ἀρχαίους [*antiquos*] dici Prophetas qui antea vixiſſent, & id opponi eorum ſententiæ, qui Ieſum Prophetam quidem, ſed novum neque antehac viſum exiſtimabant. Poſſes alioqui intelligere ἕνα τῶν ἀρχαίων [*unum ex antiquis*] unum ex iis qui ante Eliam fuiſſent, putà Samuelem. Nam & Hebræi Prophetas diſtinguunt in antiquiores & recentiores.

9. τίς δέ ἐστιν οὗτος; *Quis eſt autem iſte*]? Eadem quidem docens, ſed non baptizans ut Iohannes: miracula autem edens, quod non fecit Iohannes.

ἐζήτει ἰδεῖν αὐτὸν, *quærebat videre eum*] ut ex vultu aliisque indiciis dignoſceret an Iohannes eſſet.

10. εἰς τόπον ἔρημον πόλεως καλουμένης Βηθσαϊδά. *in locum deſertum qui eſt Bethſaidæ*] In locum qui in dominio erat municipum Bethſaïdenſium.

13. εἰ μή τι, *niſi forte*] Exceptio πρὸς τὸ σιωπώμενον [*ad id quod ſubintelligitur*]: De quo loquendi genere alibi actum eſt. Subauditur, *nulla ſpes eſt eos paſcendi*.

15. ἀνέκλιναν ἅπαντας. *discumbere fecerunt omnes*] Expoſitio ejus quod præceſſit ἐποίησαν [*fecerunt*]. Nam ἀνακλίνειν [*discumbere facere* vel *discumbere*] ut modò κατακλίνειν [*discumbere facere* vel *discumbere*] ſumitur μεταβατικῶς [*transitivè*]. Nec aliter legit Syrus. Imo & Latina multa exemplaria habent *discumbere fecerunt*.

16. εὐλόγησεν αὐτοὺς. *benedixit illis*] Id eſt, ἐπ' αὐτοὺς [*ſuper illos*], ut ad Matthæum ſatis dictum eſt.

18. καταμόνας, *cum ſolus eſſet*]. *in ſeceſſu*. Vide quæ ad Marcum hoc loco, qui ipſe alibi ſimili planè modo vocem hanc καταμόνας [*ſeorſim*] uſurpat, ut turbam, non ut diſcipulos excludat, IV, 10.

23. καθ' ἡμέραν, *quotidie*] Retinendum omnino. Nam agnoſcunt Syrus, Arabs, Latinus.

25. ἑαυτὸν δὲ, *ſe autem ipſum*]. Popularis expoſitio ejus quod dixit ψυχὴν αὐτοῦ [*animam ſuam*], neque enim corpus excluditur. Et hîc Syrus habet נפשה [*animam ejus*].

26. ἐπαισχυνθῇ με, *erubuerit me*] Diximus ad Marcum aliud eſſe quàm quod Latini dicunt *erubeſcere ora*, *preces*, *fidem*. nam ibi *erubeſcere* eſt *revereri*. Hîc contra ſignificat *averſari ob ſortem abjectam*. Quare circumlocutione opus eſt.

28. ὡσεὶ ἡμέραι ὀκτὼ, *ferè dies octo*] Explicavimus ad Matthæum.

31. ἐν δόξῃ, *in Majeſtate*] Ille ut Legislator, alter ut Legis Interpretum Princeps, uterque interim Chriſto miniſterium exhibentes, cui ſerviunt Lex & Prophetæ.

τὴν ἔξοδον, *exceſſum*] Vſitatum fuiſſe genus hoc loquendi Helleniſtis ab aliis abunde oſtenſum eſt. Sed & apud Latinos exitus & exceſſus pro morte paſſim occurrunt. Poteſt hæc locutio iis annumerari quæ vetuſtiſſimam de animorum immortalitate traditionem conſignant, cujus generis aliquot obſervatæ ſunt à Tertulliano. Neque tamen diſplicet eorum conjectura qui alluſum putant ad Iſraëlitarum ἔξοδον [*exitum*] ex Ægypto. Nam ſicut illis exitus ex Ægypto initium fuit libertatis, unde Ioſeph dicitur μνημονεῦσαι τῆς ἐξόδου τῶν υἱῶν Ισραὴλ [*mentionem feciſſe exitûs filiorum Iſraël*], ita & mors Chriſto via ad gloriam, & Chriſti exemplo nobis; unde Chriſtiani veteres amarunt mortem ἔξοδον [*exceſſum*] dicere II Petri I, 15. quod videre eſt apud Irenæum, Clementem atque alios.

πληροῦν, *completurus erat*] Sic Act. XIV, 26. ἔργον ὃ ἐπλήρωσαν [*opus quod compleverunt*].

32. βεβαρημένοι ὕπνῳ, *gravati ſomno*]. Sic & Homerus: βεβαρηκότες ὕπνῳ. [*ſopore gravati*].

33. καὶ ποιήσωμεν, *& faciamus*] Id eſt, ἵνα ποιήσωμεν, [*ut faciamus*].

μὴ εἰδὼς ὃ λέγει, *neſciensquid diceret*] *Præ ſtupore*, ut Marcus notat.

38. ἐπίβλεψον ἐπὶ τὸν υἱόν μου, ὅτι μονογενής ἐστί μοι. *Reſpice in Filium meum, quia unigenitus eſt mihi*] Ita legiſſe Latinum apparet. At Syrus & Arabs hunc in modum ἐπίβλεψόν ἐπί με. υἱὸς μονογενής ἐστί μοι. [*reſpice in me, filius unigenitus eſt mihi*] ut initium hoc ſit ſequentis narrationis. Conſulant vetuſtos codices Græcos ſi quibus copia eſt.

39. κράζει, *clamat*] Poſt hoc verbum Latinus legit καὶ ῥήσσει [*& elidit*], quod interpretamentum eſſe videtur ex Marco additum, aut ex eo quod infrà eſt commate 42. Syrus id ipſum habuiſſe videtur ante illud καὶ μόγις [*& vix*].

μετὰ ἀφροῦ, *cum ſpuma*] Vt ad Marcum dixi, videtur Syrus vocem ἀφροῦ [*ſpumæ*] & verbum inde derivatum ἀφρίζειν [*ſpumare*] non intellexiſſe. Nam apud Marcum bis aliud verbum reddidit: nec minùs hoc loco, niſi valde diſcrepaverint codices. Spumare furentium eſt. Euripides de Agave,

> Ἡ δ' ἀφρὸν ἐξιεῖσα καὶ διαστρόφους
> Κόρας ἑλίσσουσ', ——
> [*Spumante rictu aſt æſtuans illa & agitans*
> *Oculos retrorſum.* ------]

Idem de Oreſte in Iphigenia Taurica,

> στάζων ἀφρῷ γένειον -------
> [*Spumoſa ei barba fuit* ——]

Philoſtr. Icone Her~~culis Furen~~tis, πολὺ μὲν τοῦ ἀφροῦ διαπτύων [*multùm ſpumæ exſpuens*], Lucan. de Phœbade,

> *Spumea tum primùm rabies veſana per ora*
> *Effluit* -------

συντρίβον αὐτόν. *dilanians eum*] Non temerè rejicienda eſt lectio altera συντρίβοντος [*dilaniante*].

Subaudiendum enim τοῦ πνεύματος [*ſpiritu*]. Solet quippe interdum genitivus eo modo, id eſt, abſolutè, ut loquuntur, uſurpari, etiam ubi nominativo uti licebat.

42. *ἀπέδωκεν αὐτὸν τῷ πατρὶ αὐτοῦ. reddidit illum Patri ejus*] Vide ſuprà VII, 15.

44. *εἰς τὰ ὦτα, in aures*] Agnoſcit hanc lectionem Syrus: ſed & Arabs.

46. *διαλογισμὸς ἐν αὐτοῖς, cogitatio in eos*] *Diſceptatio*, ut hæc vox ſumitur Philip. II, 14. I Timoth. II, 8. Ideo mox cogitationes indicaturus discriminis causâ dixit διαλογισμὸν τῆς καρδίας [*cogitationem cordis*].

τὸ τίς ἂν εἴη, quis eſſet] Τὸ hîc valet *nimirum*, aut *videlicet*, ut infrà XXII, 2. Xenophon ἐρωτώμενος δὲ τὸ ποδαπὸς εἴη [*interrogatus autem nimirum cujas eſſet*]. Sic & τὸ πῶς [*quomodo*] poſuit noſter infrà XXII, 4. & Actor. IV, 21.

48. *τοῦτο, iſtum*] Id eſt, τοιοῦτο [*talem*] ut apud Matthæum, quomodo & hîc Syrus interpretatur. Tale eſt,

------- Amor omnibus idem.

μικρότερος, minor] Id eſt, ταπεινοφρονέστερος [*ſubmiſſior*] ut ex Matthæo apparet.

ἔσται, erit] Retinendam puto hanc lectionem, quam agnoſcit & Syrus. Nam de futuro præmio Chriſtus loquitur, & regnum intelligit gloriam regni poſt reſurrectionem. Vide quæ ad Matthæum.

49. *οὐκ ἀκολουθεῖ μεθ' ἡμῶν. non ſequitur nobiscum*] Supple σοὶ [*te*] quod rectè expreſſit Syrus; *non unà nobiscum te ſectatur.* Marcus οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, id eſt, *non eſt in noſtro comitatu.*

50. *καθ' ἡμῶν, adversùm nos*] Quod ad Marcum monui repetendum hîc eſt, ὑμῶν [*vos*] legiſſe non Syrum tantùm ſed Arabem quoque & Latinum. Vide quæ ibi diximus.

51. *ἐν τῷ συμπληροῦσθαι τὰς ἡμέρας τῆς ἀναλήψεως αὐτοῦ, dum complerentur dies aſſumtionis ejus*] De voce ἀναλήψεως [*aſſumtionis*] diximus ad Marcum XVI, 19. haud dubiè ex uſu Helleniſtarum nihil aliud ſignificat quàm *ad Deum recipi.* Itaque & de Moſe & de Elia uſurpatur, quanquam illi neutiquam eo modo ſunt recepti quomodo Chriſtus. πληροῦσθαι [*impleri*] & συμπληροῦσθαι [*compleri*] Helleniſtis, ut מלא Hebræis, interdum *terminum*, interdum *tempus à termino non nimis remotum* ſignificat, quomodo hîc ſumi neceſſe eſt. Sic & Geneſ. XXV, 24. καὶ ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι τοῦ τεκεῖν αὐτήν, καὶ τῇδε ἦν δίδυμα ἐν τῇ κοιλίᾳ αὐτῆς [*jam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero ejus reperti ſunt*]. Neque tamen tam longè hæc profectio à morte Chriſti (quod initium ἀναλήψεως [*aſſumtionis*]) abeſſe potuit, ut poſt eam redierit in Galilæam, iterumque novum iter Hieroſolyma ſuſceperit, quod quidam exiſtimant. Nam ſi non hoc tempore Chriſtus ad mortem ſubeundam profectus eſt, quæ erit ἔμφασις [*ſignificationis efficacia*] in eo quod ſequitur τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε [*faciem ſuam firmavit*]; Movit multos quod Lucas in ſequentibus non pauca narrat multo ante iter hoc ultimum geſta. Sed iam ſæpe vidimus ex occaſione multa ab eo narrari, poſthabitâ temporis ſerie. Idem hic contigit, nec cauſam conjectare difficile eſt. Nam cum duo inſignia Chriſti monita Lucas narrâſſet, quorum prius ad vitandam ambitionem, alterum ad vitandam invidiam Apoſtolos hortabatur, commodum eſſe locum credidit adjiciendæ monitionis tertiæ adversùs ultionem; quæ quò intelligeretur rectiùs, adjecit facti circumſtantias, unde in eum ſermonem deventum fuerat. Sic & quæ ſequuntur hiſtoriæ de tribus hominibus à Chriſto vocatis, non putandæ ſunt ad unum idemque tempus pertinere, ſed in unum locum conjectæ ſunt ob argumenti ſimilitudinem, ut quæ intercedere ſoleant vocationi impedimenta compendio intelligeretur. Quibus pertractatis redit Lucas ad filum hiſtoriæ, & vocationi Apoſtolorum, unde hoc caput inchoaverat, ſubjicit vocationem aliorum LXX.

τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἐστήριξε, faciem ſuam firmavit] Vſurpant hanc locutionem LXX in Ezechiele & Ieremia, ut alii notarunt. Alibi dicunt ἐφιστάναι τὸ πρόσωπον [*obfirmare faciem*] ut Levit. XVII, 10. ὑφιστάναι προσώπῳ [*obfirmare vultum*] Proverb. XXI, 29. ἑτοιμάζειν τὸ πρόσωπον [*obfirmare faciem*]. Ezech. IV, 3. Symmachus ἐτόλμησε πρόσωπον [*audacem fecit vultum*] Prov. VII, 13. Sunt autem voces mediæ, quæ pleriſque locis obſtinatam inverecundiam, hîc verò, & apud Rabbinos non raró, firmam animi conſtantiam denotant.

52. *ἀγγέλους, nuntios*] Fortè Iohannem & Iacobum qui mox nominantur.

κώμην, civitatem] Ita legit Theophylactus & Tertullianus qui *viculum* vertit adversùs Marcionem IV, Syrus quoque & Arabs. Nam קריה illis magis eſt κώμη [*vicus*] quàm πόλις [*civitas*]. Et infrà eſt ἑτέραν κώμην [*aliud caſtellum*]. Nec movere quenquam debet quod quidam interrogat quomodo ex vico potuerit Chriſtus excludi. Neque enim vi hoſpitium occupare Chriſtus volebat: & ſatis excludit qui hoſpitium negat.

Σαμαρειτῶν, Samaritanorum] Vide infrà XVII, 11.

ἑτοιμάσαι, ut pararent] Similis locutio apud Marcum XIV, 15.

53. *ὅτι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ ἦν πορευόμενον εἰς Ἱερουσαλήμ. quia facies ejus erat euntis in Ieruſalem*] Id eſt, ἐτέθη τὸ πρόσωπον αὐτοῦ εἰς Ἱερουσαλὴμ [*poſita erat facies ejus in Ieruſalem*], ut hîc vertit Syrus, aut ἐδόθη [*data erat*] ut eſt in Græca verſione Ieremiæ XLII, 15. ἐὰν ὑμεῖς δῶτε τὸ πρόσωπον ὑμῶν εἰς Αἴγυπτον [*ſi vos dederitis faciem veſtram in Ægyptum*]· aut ἐτάχθη [*diſpoſita erat*] ut eſt II Reg. XII, 17. Nam hæc omnia itineris apparatum ſignificant. Senſus eſt manifeſtus: *erat vadens Hieroſolyma versùs.* Nam πρόσωπον [*facies*] omne id quod exteriùs ſpectatur aut indicium præbet Hebræi vocant. Sic II Chronicor. XXXII, 2. τὸ πρόσωπον αὐτοῦ τοῦ πολεμῆσαι ἐπὶ Ἱερουσαλήμ [*totum impetum ejus verti contra Ieruſalem*]. Et ſimili ſenſu II Samuel. XVII, 11. τὸ πρόσωπόν σου πορευόμενον ἐν μέσῳ αὐτῶν [*tu eris in medio eorum*], nempe ad prælium. Videtur ex hoc loco poſſe colligi Samaritas humaniùs cum Iudæis egiſſe quàm Iudæos cum Samaritis. Nam de Iudæis dicit Iohannes ſimpliciter & indiſcriminatè, οὐ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις [*non coütuntur Iudæi Samaritanis*]. At Samaritæ hîc hoſpitium negant Chriſto ejusque ſectatoribus, non quia Iudæi erant, quod certè ex

ſermone eorum qui miſſi erant aut etiam ex habitu poterant colligere, ut apparet Iohann. IV, 9. ſed quia Hieroſolyma ibant religionis cauſâ, eo ipſo profitentes eum locum eſſe adorationi peculiariter dicatum: quod erat præcipuum controverſiæ caput inter Iudæos & Samaritas. Quare non mirum eſt ſi in rebus ad eam controverſiam pertinentibus noluerunt Samaritæ Iudæis quicquam commodare. Nam extra hanc controverſiam videntur, ut dixi, Samaritæ Iudæis non negaſſe ea quæ humanitatis ratio poſtulabat. Ideo Samaritis mulier aquam Chriſto petenti non negat; magis eam à ſe poſci miratur. Et in fabula hominis vulnerati ponit Chriſtus Samaritam Iudæo, non Iudæum Samaritæ ſubvenientem. De ipſa Iudæorum & Samaritarum controverſia oportunior erit dicendi ad Iohannem locus.

54. πῦρ καταβῆναι ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ, *ut ignis deſcendat de cœlo*] Ita LXX, II Regum I, 10. καταβήσεται ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ πῦρ [*deſcendat ignis de cœlo*], in Eliæ hiſtoria, & quidem in vicinis Samariæ locis.

ὡς καὶ Ηλίας ἐποίησε; *ſicut & Elias fecit*]? Præter Syrum Arabs agnoſcit. Et Tertullianum apparet ſuo tempore ita legiſſe. Vrgebat enim Marcio hunc locum, cui argumento ille reſpondet. Quare credibile eſt in Latinis ab aliquo expunctum qui verebatur ne locus hic Marcioni faveret: quæ cauſa alios movit, ut & ſequentia delerent. Illud mirandum cur Tertullianus & poſt eum Ambroſius eveniſſe dicant Pſeudoprophetæ, quod Divina hiſtoria narrat eveniſſe duobus πεντηκοντάρχοις, [*quinquaginta militum Præfectis*]; niſi vetus traditio fuerit duos illos agminis duces fuiſſe Pſeudoprophetas: quod non eſt incredibile.

55. οὐκ οἴδατε οἵου πνεύματός ἐστε ὑμεῖς, *neſcitis cujus ſpiritus eſtis*] Sunt qui interpretantur: *neſcitis quis vos ſpiritus deceat.* Sed planius ſimpliciusque eſt ita interpretari: *neſcitis quis vos ſpiritus habeat atque agat.* Sciunt qui in Hebræis literis verſati ſunt quàm latè pateat *ſpiritus* nomen. Origine ſua *ventum* ſignificat; ob cujus ſubtilitatem quæ viſum fugit, ad alia transfertur: primùm ad ſubſtantias. Nam Deus, Angeli boni malique, deinde ipſe hominis animus eo vocabulo nuncupantur. Deinde ad accidentia. Nam fames & peſtis πνεύματα [*ſpiritus*] vocantur Eccleſ. XXXIX, 33, 34. Ita & Paulus Iurisconſultus dixit *ſtatua uno ſpiritu continetur*. L. in rem. Digeſtis de in rem vindicatione, quod Conon Mathematicus dixerat ὑπὸ μιᾶς ἕξεως [*ſub uno habitu*] Sed maximè uſitatum eſt, ut pro affectibus animi ea vox ponatur, quomodo πνεῦμα κατανύξεως [*ſpiritum compunctionis*] dixit poſt Eſaiam Paulus Apoſtolus Rom. XI, 8. Ita uſurpatur רוח [*ſpiritus*] Proverb. XXIX, 11. Ezech. XIII, 3. & alibi Scriptor libri Sapientiæ σοφίαν [*ſapientiam*] ait eſſe φιλάνθρωπον πνεῦμα [*ſpiritum hominis amantem*]. Sic Clemens libro de Prophetia πνεύματα [*ſpiritus*] vocat τὰς ποιότητας τῆς ψυχῆς [*qualitates animæ*]. Senſus ergo eſt: *Putatis vos agi ſpiritu tali quali olim Elias*, adde etiam Phinees, Samſon, Samuel, Eliſæus qui forti animo Dei judicia exercuerunt. *Sed erratis. Habetis quidem* ζῆλον [*zelum*], *ſed* οὐ κατ᾽ ἐπίγνωσιν [*non ſecundùm agnitionem*] *& qui proinde humani eſt affectus, non Divinæ motionis, quod probat ratio ſequens.* Hoc comma cum ſequenti deeſt in manuſcripto qui in Anglia eſt, fortè quod exſcriptori hæc aſperius dicta viderentur.

56. Ο γὰρ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε ψυχὰς ἀπολέσαι, ἀλλὰ σῶσαι. *Filius enim hominis non venit animas perdere, ſed ſalvare*] Ita legit Syrus & Latinus, ut ab aliis eſt annotatum. Quare quod poſt ψυχὰς [*animas*] à nonnullis eſt poſitum ἀνθρώπων [*hominum*], interpretamentum videtur, antiquum tamen, quando & Arabs ita legit. Sed ut alii notarunt, & nos alibi diximus נפשות [*animæ*] ſunt *ipſi homines*, non ſola pars potior. Atque id exigit hoc loco verborum connexus. Videtur autem hæc αἰτιολογία [*redditio cauſæ*] ita cohærere ſuperioribus: *ſpiritus qui verè eſt Divinus optimè diſcernit momenta temporum: veſter quo nunc agimini id non facit: non eſt igitur Divinus.* Probatur aſſumtio, quia ratio temporum exigat lenitatem multò majorem, quàm quæ communiter exhibita eſſet Prophetarum temporibus: quippe cùm ipſe Meſſias miſſus eſſet non ad exercenda ſevera judicia, ſed ad homines quamvis peccatores ſervandos, adeò nulli eam in rem parſurus operæ, ut ſemet ipſe ei negotio eſſet impenſurus. Spiritus Legis, *ſpiritus timoris* dicitur, accommodatus illorum temporum rationi: ſpiritus Chriſti, quem ſequi debebant Apoſtoli, *ſpiritus manſuetudinis & lenitatis.* Quanquam ſi quis res ipſas, etiam ſepoſitâ temporum ratione, examinet, multum intererat inter id quod fecit Elias & id quod faciendum cenſebant Apoſtoli. Illo tempore aulæ mancipia, quibus ſatis conſtabat Eliam eſſe Prophetam Dei, ut obſequium ſuum Regi ad profanos cultus delapſo probarent, Prophetam ad Regem vinctum pertrahere ſtudebant in veræ religionis ludibrium. Nunc illi qui per ſecula aliquot à Majoribus illud acceperant colendum eſſe Deum in Templo Garizitano, quotidianis inſuper Iudæorum in ſe contumeliis irritati ea officia Chriſto incognito negabant, quæ pugnabant cum avita ipſorum ſuperſtitione. miſerandus magis erat hìc error quàm acerbè ulciſcendus. Habet quidem & Euangelium ſua ultimæ neceſſitatis tela, quæ in Ananiam Petrus, in Elymam Paulus exercuit: ſed uſi iis ſunt Apoſtoli ubi nulla eſſe ſuſpicio poterat iracundiæ ſemet ſub Dei obtentu vindicantis: qui color nimium pleriſque imponit: uſi ſunt in præfractæ malitiæ homines, quibus nulla ſpecies ignorantiæ patrocinabatur.

57. πορευομένων αὐτῶν ἐν τῇ ὁδῷ, *ambulantibus illis in via*] Quodam tempore quod propiùs deſcribi nihil attinebat. Viſum enim Lucæ connectere τὰ ὁμογενέα [*cognata*].

61. ἀποτάξασθαι τοῖς εἰς τὸν οἶκόν μου, *renuntiare iis qui domi ſunt*] Dubitant quidam de perſonis, an de rebus hìc ſit intelligendum. Mihi manifeſtiſſimum videtur intelligi debere de perſonis. Nam ἀποτάξασθαι [*renuntiare*] de rebus uſurpatum, eſt *pro derelictis habere*: quod nullam temporis moram requirit cum ſolo animo poſſit expleri. At de perſonis eſt *valedicere*, quomodo Lucas non uno loco uſurpat. Atque ita interpretati ſunt Syrus & Arabs Nec aliter Latini veteres hunc locum intellexer Tertullianus adverſùs Marcionem IV, *Quum ver*

& ter

& tertium illum prius ſuis valedicere parantem prohibet retro ſpectare, ſectam Creatoris exſequitur. Accedit quòd omnino hæc hiſtoria ad veterem Eliſæi hiſtoriam videtur alludere. Nam is ad Propheticum munus ab Elia injectu togæ vocatus ſpatium ſalutandi Parentes oravit, in qua hiſtoria etiam Ioſephus poſuit ἀποταξάμενος αὐτοῖς [*cum iis valedixiſſet*]. Voluit igitur Chriſtus oſtendere Euangelicum miniſterium, quantò majus Prophetico eſſet, tantò etiam avidiùs arripiendum nulla interpoſita cunctatione. Locutio εἰς τὸν οἶκον [*in domum*] pro ἐν οἴκῳ [*in domo*] tam ſæpe occurrit, ut monere ſupervacuum ſit. Non alienum ab hoc loco eſt quod de Indis narrat apud Porphyrium Bardeſanes, qui Samanæis (Sapientum id nomen) accenſeri volebant οὔτε πρὸς γυναῖκα, οὔτε πρὸς τέκνα, εἰ τύχοι κεκτημένος, ἐπιστροφὴν ἤ τινα λόγον ἔτι πεποιηκέναι [*neque ad uxorem, neque ad liberos, ſi forte haberet, converſum fuiſſe, aut ullam eorum amplius habuiſſe rationem*].

62. Οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' ἄροτρον καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω εὔθετός ἐστιν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò aptus eſt regno Dei*] *Manum aratro admovere* pro eo quod eſt *opus aliquod aggredi*, etiam Græci dicunt. Cæterùm hoc loco propria quædam hujus ſimilitudinis vis eſt. Nam *arantes* oculos prorſum intentos in ſulcum habere debent, ne, quæ vox eſt ei rei propria, *delirent*. *Liram* enim antiqui *ſulcum* vocabant. Quare hìc ut alibi ſæpe miſcetur ἀποδόσεως [*reſponſio propoſitionis*] comparationi. Nam ſimplex proverbium fuerat: *eum qui in arando reſpiciat, non eſſe bonum aratorem.* Nunc cum proverbio ſignificatur cui rei aptetur proverbium. Quæritur *Regnum Dei* ἐν τῇ ἀποδόσει [*in reſponſione propoſitionis*] ſit miniſterium annuntiandi Euangelii, an latiùs pateat? Mihi videtur Chriſtus ex facto particulari occaſionem ſumſiſſe generalis ſententiæ. Nam ut illi ad miniſterium Euangelii vocato omnis mora erat rejicienda ita & aliis vocatis ad veram virtutem, ut adipiſci poſſint *regnum cælorum*, id eſt, *pacem conſcientiæ & poſſeſſionem Sancti Spiritus.* Moveor illis verbis βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω [*reſpiciens retro*]. Sumta enim ſunt ex hiſtoria excidii Sodomorum ubi Angeli Lothum ita alloquuntur: אל תביט אחריך, μὴ βλέψῃς εἰς τὰ ὀπίσω [*ne reſpicias retro*], ad quæ verba & pœnam quæ nec obedientem Lothi uxorem ſecuta eſt Chriſtus infrà quoque nos revocat XVII, 32. Nimirum ſicut Sodoma à Deo poſita eſt ὑπόδειγμα μελλόντων ἀσεβεῖν [*exemplum eorum qui impiè acturi ſunt*], ut ait Petrus II Epiſt. II, 6. ita qui effugere volunt imminens impiis ſupplicium, debent omnes, ut cum Paulo ad eandem hiſtoriam reſpiciente loquar, τὰ μὲν ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι, κατὰ σκοπὸν διώκοντες ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως [*quæ quidem retro ſunt oblivisci, ad ea verò quæ ſunt priora ſe extendere, ad deſtinatum perſequentes ad bravium ſupernæ vocationis*]. Philip. III, 14. Si enim, ut Seneca dicit, *ambitio non reſpicit*, majora ſemper conſequendi ſtudio flagrans, quantò id æquius eſt eos facere quibus immortalis gloria propoſita eſt? Hìc ſanè ſi uſquam alibi, locum habere debet illud Iuris Romani, *nihil actum videri quamdiu ſupereſt quod agatur.* Neque verò Iudæis ignotum erat quid illa hiſtoria ſignificaret. Erat enim antiquâ traditione ſatis celebrata ἡ ὑπόνοια [*figurata ſententia*] quam à Majoribus acceptam facundè nobis explicat Philo, τὴν γὰρ Λὼτ γυναῖκα καὶ ἐπιστραφεῖσαν εἰς τοὐπίσω φασὶν οἱ χρησμοὶ γενέσθαι στήλην ἁλῶν. εἰκότως δὲ καὶ προσηκόντως· εἰ γάρ τις μὴ τὰ πρόσω θέας καὶ ἀκοῆς ἄξια διορᾷ· ταῦτα δέ εἰσιν ἀρεταὶ καὶ τὰ κατὰ τὰς ἀρετὰς ἔργα· περιβλέπεται δὲ τὰ ὀπίσω καὶ τὰ νώπια, κωφὴν δόξαν, καὶ τυφλὸν πλοῦτον, καὶ ἀναίσθητον εὐσαρκίαν, καὶ νοῦ κενὴν εὐμορφίαν, καὶ ὅσα συγγενῆ τούτου μεταδιώκων, ἄψυχος ἀνακείσεται στήλη περὶ ἑαυτὴν καταρρέουσα· οἱ γὰρ ἅλες οὐ βέβαιον [*Vxorem enim Loth, quia ad id quod à tergo erat reſpexerit, in ſtatuam ſalis eſſe converſam Divina perhibent Oracula: quod quidem meritò & convenienter factum eſt; etenim ſi quis quæ coram ſunt viſu & auditu digna non attendit, virtutes nimirum & opera ad virtutum normam conformata, ſed retro & ad ea quæ poſt tergum ſunt, reſpicit, ſurdam gloriam, cæcas opes, ſtupidam corpulentiam, inanemque mentis formoſitatem, & id genus alia conſectatur, ab inanima ſtatua non differet, diffluetque undiquaque, uti nec ſal ſolidum eſt*]. Nec multò ſecus Græcorum quidam fabulam de Orpheo poſt tergum reſpiciente ἐπιμυθεύονται [*affabulantur*]. Et in Pythagoricorum præceptis erat, εἰς τὸ ἱερὸν ἐπερχόμενος μὴ ἐπιστρέφου [*qui ad templum veneris ne greſſum converte*]; quod Simplicius ad Epictetum ſic interpretatur, ὅτι τὸν εἰς Θεὸν ὁρμηθέντα, οὐ χρὴ δίγνωμόν τι ἔχειν καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἀντεχόμενον, [*quia qui ſeſe ad Deum contulerit, eum in dubio hærere, aut humana curare non decet*]. Apud Malchum exſtat ſimile Pythagoræ dictum, ἀποδημοῦντα μὴ ἐπιστρέφεσθαι [*ne reſpiciat qui peregrè proficiſcitur*]. Quid autem duobus his factum ſit quorum excuſationem Chriſtus non admiſit quæri poteſt. Mihi probabile videtur non niſi certo conſilio à Chriſto vocatos εἰς τὸ ἐπαγγέλλειν τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*ad annuntiandum regnum Dei*]· ac proinde cum excuſatio rejiceretur, paritum vocanti; Atque adeò & hos impleſſe numerum illum τῶν ἑβδομήκοντα [*Septuaginta*] de quibus conſequenter agit Lucas. Illud εὔθετός ἐστι [*aptus eſt*] reſpondet יצלח quod χρήσιμον ἔσται [*utile erit*] vertunt LXX Ezech. XV, 4.

CAPVT X.

1. Ἀνέδειξεν, *deſignavit*]. propriè & ſignificanter. Nam in conſtitutione ad munera eam vocem Græci uſurpant, ut & χειροτονεῖν [*creare*]. Sic & Act. I, 24. ἀνάδειξον ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα [*oſtende ex duobus his unum*].

ἑβδομήκοντα, *Septuaginta*] De lectionis hujus veritate ob conſenſum Græcorum codicum & Syri, dubitandum non arbitror. Quod Latinus poſuit LXXII, non aliunde eſt quàm ex antiqua traditione. Nam tot fuiſſe à Chriſto creatos Antiquitas credidit, etiam Græci, qui hoc loco legerunt ἑβδομήκοντα [*Septuaginta*] ut Origenes & Epiphanius. Neque verò temerè. nam moris erat Hebræis LXX nominare numero rotundo, etiam ubi conſtabat eſſe LXXII. Ita Ioſephus ipſe, ut alios idem narrantes prætercam, cùm miſſos ad Ptolomæum ad vertendos Legis libros dixiſſet πρεσβυτέρους ἄνδρας ἓξ ἀπὸ φυλῆς ἑκάστης [*ſenos per tribus Presbyteros*]; Subjicit, ἐμοὶ δὲ οὐκ ἀναγκαῖον ἔδοξεν εἶναι τὰ ὀνόματα τῶν ἑβδομήκοντα πρεσβυτέρων, οἳ τὸν νόμον ἐκόμιζον ὑπὸ Ἐλεαζάρου πεμφθέντες, δηλοῦν [*ſupervacaneum autem viſum eſt apponere* LXX *ſeniorum nomina qui cum Lege ab Eleazaro miſſi ſunt*]. Sed & Synedrium quod à Moſe conſtitutum eſt, ad cujus exemplum hos Chriſtus elegit, quomodo Apoſtolos ad exemplum Phylarcharum, fuiſſe capitum LXXII Iudæi nonnulli prodiderunt, quos inter Scriptor Pheſictha. Nec deſunt argumenta. Nam & hos initio lectos è tribubus ſingulis pari numero fama habebat, quanquam poſtea conſtat continuatam ſucceſſionem nulla tribuum habita ratione. Iam verò ſunt qui Eldadum & Medadum extra caſtra Spiritu Divino afflatos putant fuiſſe ſupra numerum LXX. Alii Moſen & ejus ſucceſſores Synedrii Principes dicunt extra numerum eſſe LXX: quod ſi dicamus & de Principis Vicario qui dicebatur אב בית דין [*Antiſtes curiæ*], habebimus LXXII. Videtur autem Hebræis etiam in Ægypto conſtitutis, ut alibi notavimus, venerabilis fuiſſe numerus LXX ob totidem capita familiæ Iacobi cum in Ægyptum veniret: Cujus rei memoriam ipſis Deus renovavit oſtenſis in Elim ſeptuaginta fontibus, ſicut duodecim palmæ totidem tribus Hebræas adumbrabant. Ferme autem in omnibus majoribus collegiis erigendis eum numerum ſequebantur, ut in minoribus numerum XII. Apparet id ex Interpretum numero. Narrat & Ioſephus Vari juſſu ex Iudæis Cæſarienſibus miſſos Legatos XII. ad Iudæos Ecbatenſes: à Iudæis autem Ecbatenſibus miſſos ſui purgandi causâ homines LXX, quos Varus trucidaverit. Atque ipſe Ioſephus miſſus ad ordinandas res Galilææ ex Galilæis LXX ſibi legit Adſeſſores. Et in obſidio Hieroſolymitano LXX è plebe lecti εἰς σχῆμα δικαστῶν [*in ſpeciem Iudicum*]. Solent veteres inſtituta à Chriſto munera cum muneribus poſt Chriſti adſcenſum in Eccleſia uſurpatis comparare. Et Epiſcopos quidem comparant Apoſtolis propter eximium jus τῆς χειροθεσίας [*impoſitionis manuum*]. His autem LXX alii comparant Diaconos, ut Ignatius, alii Presbyteros, ut Hieronymus, alii Chorepiſcopos, ut Synodus Neocæſarienſis: videntur autem mihi Chorepiſcopi, quos & περιοδευτὰς [*Emiſſarios*] vocant optimè illis reſpondere. Nam hi ab Epiſcopis in partem ſui laboris aſſumti cum docendi poteſtate per agros mittebantur. Sed & Presbyteros & Diaconos, non omnes quidem, ſed eos quibus docendi populum poteſtas ab Epiſcopo facta eſſet, fateor his LXX non malè comparari. Tales Presbyteri non omnes, ſed οἱ κοπιῶντες ἐν τῷ λόγῳ [*laborantes in verbo*]. Tales antiquitus Presbyteri Alexandriæ κατ' ἰδίαν ταῖς ἐκκλησίαις ἐπιτεταγμένοι [*ſuæ quivis Eccleſiæ præfecti*], ut Epiphanius loquitur, ἐκκλησίας ἰδίᾳ κατέχοντες καὶ τὸν λαὸν συνάγοντες [*ſuas ſeparatim habentes Eccleſias & populum cogentes*], ut Sozomenus. Euſebius vocat πρεσβυτέρους πεπιστευμένους τὴν ἐξήγησιν τῶν θείων λόγων [*Presbyteros quibus explicatio verbi Divini concredita eſt.*] Huc refer Ignatii illud ad Smyrnenſes, ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. [*illa demum vera ac ſyncera exiſtimanda eſt Euchariſtia, quæ aut ſub Epiſcopo fit, aut ſub eo cui is eam poteſtatem commiſerit*]. Diverſos autem fuiſſe gradus hos LXX ab Apoſtolis, vel inde apparet quod Matthias ex hac claſſe εἰς τὴν ἀποστολικὴν ἐπισκοπὴν [*in Apoſtolicum Epiſcopatum*] provectus eſt. Ad hoc exemplum Romanis Epiſcopis jam olim LXX Epiſcopi Adſeſſores *Libra* dicti, quod libra Romana tot ſolidos contineret.

ἀνὰ δύο, binos] quod & in Apoſtolis Dominus obſervaverat, non tantùm ad opem mutuam, ſed & in majoris teſtimonii fidem. Ita Moſes & Aaron ad Pharaonem mittuntur. Etiam Baptiſta ad Chriſtum duos mittit: Eccleſia Barnabam cum Paulo.

πρὸ προσώπου, ante faciem] Simili functuros officio quo Baptiſta functus fuerat.

4. *βαλάντιον, ſacculum*] *Zonam.* Vide Matthæum X, 9. צרור [*ſacculus*] Iob. XIV, 17.

μηδένα κατὰ τὴν ὁδὸν ἀσπάσησθε. neminem per viam ſalutaveritis] Feſtinationis ſignum, ut ſuprà IX, 61. Salutationes iſtæ apud Orientis populos non fiebant levi geſtu verbove, ſed multis percunctationibus, boniſque ominibus trahebantur, non ſine multis corporis flexionibus, oſculis, amplexibus.

6. *ὁ υἱὸς εἰρήνης, filius pacis*] Id eſt, εἰρήνης ἄξιος [*pace dignus*] ex Matthæo: animo ad verum audiendum compoſito.

7. *ἐσθίοντες καὶ πίνοντες τὰ παρ' αὐτῶν· edentes & bibentes quæ apud illos ſunt*] *liberè & velut veſtro jure:* Quod ſequentia indicant. τὰ παρ' αὐτῶν, *quæ ipſorum ſunt*, ſimili loquendi genere quale Marci III, 21. Et apud Græcos ipſos interdum. Ita hîc intelligunt Latinus, Syrus, Arabs.

8. *ἐσθίετε τὰ παρατιθέμενα ὑμῖν· manducate quæ apponuntur vobis*] *Contenti eſſe quamvis frugali apparatu:* ut ita differat hæc monitio à ſuperiore.

11. *καὶ τὸν κονιορτὸν, etiam pulverem*] Quaſi dicat: *tantum abeſt ut ulla ex vobis commoda ſectati ſimus, miſſi veſtræ ſalutis, non noſtræ utilitatis causâ.* Vide quæ ad Matthæum.

εἰς τοὺς πόδας ἡμῶν, pedibus noſtris] Præter Syrum Arabs quoque hanc particulam, & vetus ille in Anglia manuſcriptus agnoſcit.

πλὴν, veruntamen] Vide de hac particula quæ ad Matthæum XI, 22.

16. *ὁ ἀθετῶν ὑμᾶς ἐμὲ ἀθετεῖ, qui vos ſpernit me ſpernit*] Ἀθετεῖν [*ſpernere*] eſt ἐξουθενεῖν [*nihili facere*]. Alluditur ad hiſtoriam I Sam. VIII, 7. ubi Deus ita loquitur, ὅτι οὐ σὲ ἐξουθενήκασιν (מאסו), ἀλλ' ἢ ἐμὲ ἐξουθενήκασι [*Non enim te abjecerunt, ſed me abjecerunt*].

17. *μετὰ χαρᾶς, cum gaudio*] Non videtur hoc poni cum reprehenſionis nota. Nam quod ſequitur πλὴν ἐν τούτῳ μὴ χαίρετε [*veruntamen in hoc nolite gaudere*] comparativè intelligendum eſt: ideo ſubjungitur, χαίρετε δὲ μᾶλλον [*gaudete autem magis*]. Majorem enim gaudii cauſam minori Chriſtus comparat.

καὶ τὰ δαιμόνια, etiam dæmonia] non tantum morbi.

ἐν τῷ ὀνόματί σου. in nomine tuo] Hoc intereſt inter Chriſti miracula & Diſcipulorum: quod Chriſtus ea faciebat vi propria, Diſcipuli vi Magiſtri, cujus nomen etiam nuncupabant, ut

Actis imo & ex Iudæorum libris videre eſt. Sicut hactenus ad nomen Dei Iſraëlis ceſſerant dæmones, ita nunc ad nomen Ieſu Nazareni.

18. ἐθεώρουν, *videbam*] *Fuit cum viderem*. Sumendum enim ἀορίστως [*indefinitè*], ut ſæpe εἶδον [*vidi*], in Apocalypſi. *Nolite mirari*, inquit, *dæmonia vobis cedere: Nam mihi certò conſtat ipſumdæmoniorum principem ſubito de regno, quod in genus humanum obtinet, caſurum*. Vide Iohann. XII, 31.

ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *ſicut fulgur de cælo*] *Tam ſubitò*, inquit, *quàm fulgur ſolet è cælo micare*. Similis comparatio infrà XVII, 24. & Matthæi XXIV, 27. ubi vide. Referenda hæc prædictio ad incredibilem celeritatem propagati per terras Euangelii ad deſtruendas religiones falſas & omnia opera diaboli. Adumbratum id in caſu regni Babylonici Eſaiæ XIV, 12.

19. δίδωμι, *do*] Quaſi dicat, *non pro hac tantùm legatione dedi, ſed do nunc etiam in poſterum, quandocunque uſus ita exiget*.

ἐπάνω ὀφέων καὶ σκορπίων, *ſupra ſerpentes & ſcorpiones*] Manifeſta alluſio ad Pſalm. XCI, 13. ἐπὶ ἀσπίδα καὶ βασιλίσκον ἐπιβήσῃ [*Super Aſpidem & Baſiliſcum ambulabis*]; quanquam ibi de tutela Divinæ providentiæ, hîc de mirifica virtute agitur. Dictis eventus reſpondit. Tertullianus Scorpiace: *Nobis fides præſidium, ſi non & ipſa percutitur diffidentia ſignandi ſtatim & adjurandi ac urgendi beſtiæ calcem. Hoc denique modo etiam ethnicis ſæpe ſubvenimus donati à Deo eâ poteſtate quam Apoſtolus dedicavit.* Et mox: *At tu, Si fides vigilat, ibidem Scorpio pro ſolea anathema inlidito.* Vide quæ ad Marcum circa finem. Sed & ad Eſaiæ locum XI, 8. reſpexiſſe potuit Chriſtus, eoque magis quia & mox Diſcipuli vocantur νήπιοι [*infantes*]. Locus in Græco Eſaiæ ſic habet, καὶ παιδίον νήπιον ἐπὶ τρωγλῶν ἀσπίδων καὶ ἐπὶ κοίτην ἐγγόνων ἀσπίδων τὴν χεῖρα ἐπιβαλεῖ [*& puer infans in foramina aſpidum & in cavernam fœtuum aſpidum manum immittet*].

οὐδὲν ὑμᾶς οὐ μὴ ἀδικήσει, *nihil vobis nocebit*] Ita Iohannes Apocalypſi II, 11. Ὁ νικῶν οὐ μὴ ἀδικηθῇ ἐκ τοῦ θανάτου τοῦ δευτέρου [*qui vicerit non lædetur à morte ſecunda*], VI, 6. Τὸ ἔλαιον καὶ τὸν οἶνον μὴ ἀδικήσῃς [*vinum & oleum ne læſeris*], VII, 3. Μὴ ἀδικήσητε τὴν γῆν [*nolite nocere terræ*], IX, 4. Ἵνα μὴ ἀδικήσωσι τὸν χόρτον [*ne læderent fœnum*]. Ex ſpecie genus.

20. ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑποτάσσεται, *quia ſpiritus vobis ſubjiciuntur*] Τὰ ἀκάθαρτα [*immundi*] ſcilicet. Nam modò dixerant Τὰ δαιμόνια ὑποτάσσεται ἡμῖν [*dæmonia ſubjiciuntur nobis*].

χαίρετε δὲ μᾶλλον, *gaudete autem*] Iuſtior gaudii cauſa, ſuæ ſalutis habere fiduciam, quàm alienæ ſaluti inſervire. nam hoc via eſt, illud meta. Lætiùs id habere quod ſanctis eſt proprium, quàm quod & aliis communicatur. Iſta lætitia periculo ſuperbiæ ſubjacet: illa demiſſum gratumque animum Deo ſubjicit.

ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν ἐγράφη ἐν τοῖς οὐρανοῖς, *quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis*] Sicut Latini id quod durabile non eſt dicunt *in vento & aqua ſcribi*, ita Hebræi pari ſenſu dicunt *ſcribi in terra*, id eſt, *in pulvere*. Ieremiæ XVII, 13. יסורי בארץ יכתבו ἀφεστηκότες ἐπὶ τῆς γῆς γραφήτωσαν [*recedentes à* [me]*, in terra ſcribentur*]: Huic contrarium eſt *ſcribi in cælo*, id eſt, *vitæ æternæ adſcribi atque deſtinari*. Meminit quidem & Moſes *libri viventium*. Sed ut explicat doctiſſimus Gerundenſis, loquitur ibi pro temporum illorum ratione populariter de cenſu eorum qui vitam in his terris felicem agunt. Nam ספר vocari Hebræis κατάλογον [*catalogum*] notiſſimum eſt. Neque aliter interpretandum, quod in Pſalmo eſt, *deleantur è libro* aut cenſu *viventium* LXIX, 28. Sic & Pſalm. CXXXIX, 16. ספר כלם dici videtur *liber* quaſi *ſenſualis* omnium quæ in hoc mundo naſcuntur. At Chriſtus omnia quæ olim in figuris dicta ſunt ad vitam æternam retulit, quam apertè mundo revelaturus venerat. Quare qui per fidem ipſi inſiti jus æternæ hæreditatis conſequuntur, eorum nomina dicuntur jam nunc *in cælo ſcribi*, ut hîc, aut *in libro vitæ*. Hic eſt liber ille κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] apud Danielem XII, 4. ubi videndus Iacchiades. Philipp. IV, 3. Iohanni in Apocalypſi *liber vitæ* III, 5. XX, 12, 15. XXI, 27. XXII, 19, *liber Agni* XIII, 8. idem liber ſcriptus dicitur ab initio mundi Apoc. XIII, 8. & XVII, 8. quia ſcilicet omnes qui unquam ſancti fuerunt per Chriſtum ἐτελειώθησαν [*conſummati ſunt*], Heb. XI, 40. *Scribi* ergo *in cælo*, aut *in libro Agni*, aut *vitæ æternæ*, eſt *per fidei obedientiam cenſeri Dei Filium, ac proinde & hæredem*, Heb. XII, 23. Chryſoſtomus in II adversùs Iudæos illud apud Danielem, ὁ εὑρεθεὶς γεγραμμένος ἐν τῷ βιβλίῳ, τουτέστιν οἱ σωτηρίας ὄντες ἄξιοι [*ſcriptus in libro: hoc eſt, qui ſunt ſalute digni*]. Nam ad ſtatum præſentem, & quidem ſub æqua conditione, non ad æterna eaque pura & peremtoria Dei decreta hæc locutio referenda eſt. Nam cùm in Apoſtolorum numero unus fuerit υἱὸς ἀπωλείας, [*filius perditionis*] quis omnes LXXII eum ad quem vocati erant finem aſſecutos nobis affirmet? Certè propoſitum Chriſto fuiſſe, ut ejus rei illos omnes certos faceret, nemo prudens ſibi perſuaſerit. De Paulo ad Philippenſes ſcribente multò minùs id par eſt credi, ut qui nullam habuerit talis eventûs certam notitiam. In Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis lib. VIII, cap. I. hic ipſe locus quem præ manibus habemus ſic explicatur, Καθὼς αὐτός που παιδεύων ἡμᾶς ὁ Κύριος δείκνυσι, λέγων, Μὴ χαίρετε ὅτι τὰ πνεύματα ὑμῖν ὑπακούουσιν, ἀλλὰ χαίρετε ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν γέγραπται ἐν τῷ οὐρανῷ· ἐπιδὰν τὸ μὲν αὐτοῦ δυνάμει γίνεται, τὸ δὲ ἡμετέρᾳ εὐνοίᾳ, καὶ σπουδῇ δῆλον ὅτι βοηθουμένοις ὑπ᾽ αὐτοῦ. [*ſicut ipſe nos alicubi inſtituens Dominus oſtendit, dicens: ne gaudete quod ſpiritus vobis obediunt, ſed gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælo: quia illud ipſius virtute fit, hoc verò noſtra bona voluntâte ac ſtudio, ab ipſo ſcilicet adjutis*]. Philo de Abrahamo: γραφῆς καὶ μνήμης ἄξιος ὁ εὔελπις, οὐ τοῖς ἐν χαρτιδίοις τοῖς ὑπὸ σήψεων διαφθαρησομένοις, ἀλλὰ τοῖς ἐν ἀθανάτῳ τῇ φύσει παρ᾽ ᾗ τὰς σπουδαίας πράξεις ἀναγράπτους εἶναι συμβέβηκεν [*hic benè ſperans celebratione memoriâque dignus eſt, non in chartulis corrumpendis à tineis, ſed in immortali naturâ, penes quam ſunt commentarii virtutum omnium*]. Simile eſt quod eorum qui impios convertunt nomina ab Angelis in cœlo prædicari tradunt Iudæi, ut videre eſt in libro cui nomen Poma aurea.

21. Ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *in ipſa hora*] *Eâ tempeſtate.* Neque enim certum momentum indicatur. Sic & Matthæus ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ [*in illo tempore*] xi, 25. Venit autem in hanc cogitationem Chriſtus revolvens conſilia paternæ diſpoſitionis circa hominum ſalutem, & munia Doctoris, Sacerdotis, Regis ſibi mandata: ut ad Matthæum explicavimus. Nam eò hæc referenda etiam is qui ſequitur commate 23, & 24. ſermo palàm oſtendit. Nam & ille non ad quævis pietatis monita, ſed ad Regni myſteria pertinet, ut alterius in Matthæo loci collatio oſtendit. Neque uno eodemque tempore hæc dicta ſunt: ſed quæ rerum argumento cohærebant Lucas more ſuo uno filo contexuit.

τῷ πνεύματι, *ſpiritu*], Id eſt, *animo*, ut ſæpe. Nam ἁγίῳ [*ſancto*] quod addunt Syrus & Latinus, non agnoſcit Arabs, neque Græcorum codicum pars antiquior. Adjectum ab iis videri poteſt qui cum Didymo exiſtimarunt quoties πνεύματι [*ſpiritui*] additur articulus, Spiritum ſanctum intelligi.

καὶ στραφεὶς πρὸς τοὺς μαθητὰς κατ' ἰδίαν, εἶπε πάντα, *& converſus ad diſcipulos ſeorſim dixit omnia*] Cùm habeant hanc particulam Syrus & Arabs, credibilius eſt ab aliis ideo omiſſam, quia ſequenti commate idem loquendi genus repetitur.

22. τίς ἐστιν ὁ υἱὸς, *quis ſit Filius*] *Quorſum & qua cum poteſtate miſſus.*

τίς ἐστιν ὁ πατὴρ, *quis ſit Pater*] Qua bonitate, qua juſtitiâ, qua ſapientiâ; quæ ejus conſilia in danda hominibus ſalute, aut certè excuſatione adimenda.

ἀποκαλύψαι. *revelare*] Idque pro temporum ratione, nunc pauxillum, plus poſt reſurrectionem, plurimum poſt miſſionem Spiritûs.

25. Νομικός τις, *Legisperitus quidam*] Exercitatus in Legis quæſtionibus.

ἐκπειράζων αὐτὸν, *tentans illum*] An quid Legi contrarium doceret?

τί ποιήσας ζωὴν αἰώνιον κληρονομήσω; *quid faciendo vitam æternam poſſidebo*]? Illud αἰώνιον [*æternam*] delebat Marcio, *ut videretur*, quomodo Tertullianus loquitur, *agi de ea vita quæ in Lege promittitur à Creatore longæva.* Sed rectè id refutat idem Tertullianus, *Sciebat utique Legis Doctor quo pacto vitam legalem conſequi poſſet, ut non de ea interrogaſſet, cujus regulas etiam docebat.* Quærit omninò de vita æterna, cujus fidem Legisperiti & Phariſæi ex veteri traditione conceperant, ut alibi diximus. Hanc vitam æternam in ipſo Legis fœdere non expreſſam cùm audiret à Chriſto apertiſſimè doceri & promitti, ſciſcitari voluit, an iter ad eam vitam idem monſtraret quod Lege monſtrabatur. Ideo quærit τί ποιήσας; [*quid faciendo*]? Nam *faciendo*, id eſt, *opera illa externa à Lege præſcripta præſtando*, putabant Legisperiti & Phariſæi ſe non vitam tantùm temporariam felicem, ſed & immortalitatem conſecuturos. De præceptis tum rituum, tum ad civilem ſocietatem Hebræorum pertinentibus quæ vocantur חקות [*ſtatuta*] & משפטים [*ritus*] ita pronuntiatur in Levitico xviii, 5. אשר יעשה אתם האדם וחי בהם ὁ ποιήσας αὐτὰ ἄνθρωπος ζήσεται ἐν αὐτοῖς [*homo faciens hæc vivet in eis*]: *Vitam longævam* ſcilicet, ut ibidem rectè interpretatur Paraphraſtes Chaldæus. Extat eadem ſententia de præceptis iisdem apud Ezechielem xx, 11. eodemque reſpicit Nehemias ix, 29. Atque eâdem ſententiâ bis utitur Paulus Apoſtolus *facta*, externa ſcilicet, de quibus conceptum erat fedus Legis, & quibus fidebant Iudæi, opponens *fidei*, quæ in animo potiſſimùm conſiſtit Rom. x, 5. Gal. iii, 24. Pernitioſus planè erat error Legisperitorum exiſtimantium eadem ratione vitam æternam parari, qua immunitas à morte violenta & vitæ caducæ felicitas obtinebatur, quam falſi arguens Chriſtus alibi negat ad regnum cœleſte perventuros, qui intra illam juſtitiam, factorum ſcilicet, quâ Legisperiti & Phariſæi contenti erant, conſtitiſſet, Matth. v, 20, ubi quæ dicta ſunt vide. Interim illud ipſum quod in federe illo populari conceptum erat, ſapientibus occultiorem præbebat ſignificationem majoris ſcilicet præmii exſpectandi pro majore obedientia. Bene Tertullianus, *pro differentia mercedum, operarum quoque credenda diſtantia eſt.* Vidit hoc & Philo, qui verba Legis μυστικώτερον [*ſenſu myſtico*], interpretans ita loquitur, ὁ νόμος φησὶ τοὺς προσκειμένους τῷ Θεῷ ζῆν, δόγμα τιθεὶς ἀναγκαῖον καὶ φιλόσοφον· ὄντως γὰρ οἱ μὲν ἄθλιοι τὰς ψυχὰς τεθνᾶσιν· οἱ δὲ τὴν παρὰ τῷ ὄντι Θεῷ τεταγμένοι τάξιν, ἀθάνατον βίον ζῶσιν. [*ait Lex eos, qui Deo adhærent vivere admodum philoſophicè, neque ſanè aliter fieri poteſt. Cui enim anima malè habet eum mortuum dicas licet; qui autem ad verum Deum quàm proximè poteſt accedit, is verò æternùm vivit*].

26. ἐν τῷ νόμῳ, *in lege*] Chriſtus oſtenſurus ſuis inſtitutis Legem non oppugnari, ſed perfici, Legisperitum ad verba Moſis rejicit, non illa quidem conſcripta in Exodi libro ubi fedus pangitur & Lex Hebræorum propria recitatur, ſed in Deuteronomio, ubi Moſes, ut fidelis populi Doctor, monſtrat quem ſcopum ſibi Lex proponat, quò homines adductos velit, nempe ad obſervationem Legis illius quæ non Moſis demum tempore, ſed à mundi initio data eſt, non uni populo propria, ſed communis toti humano generi, cui nec obrogari nec derogari poteſt, quæque in amando Deo primùm, deinde & hominibus alteris, ut naturali nobiscum ſocietate conjunctis ſita eſt. Vide quæ hac de re dicta ſunt ad Matth. xxii, 36.

πῶς ἀναγινώσκεις; *quomodo legis*]? *Ignorare non potes quod ipſe aliis prælegis atque interpretaris.* Simul, ut videtur, locum Deuteronomii Chriſtus ei monſtravit.

28. ὀρθῶς ἀπεκρίθης, *rectè reſpondiſti*] *Bene pronuntiaſti verba Moſis. Reſtat ut reipſa impleas.*

τοῦτο ποίει, καὶ ζήσῃ, *hoc fac & vives*] Quia Legisperitus interrogaverat τί ποιήσας; [*quid faciendo*]? Chriſtus idem quoque verbum ſed laxiùs ſumtum illi regerit. Strictè ποιεῖν [*facere*] dicitur de factis externis; latè porrigitur etiam ad internos animi motus. Omnino ſimile eſt illud apud Iohannem, ubi Iudæis interrogantibus, τί ποιοῦμεν ἵνα ἐργαζώμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ; [*quid faciemus ut operemur opera Dei*]? Chriſtus voculam ἔργων [*operum*] ſed mutato paulùm ſignificatu arripiens reſpondet, τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ ἵνα πιστεύσητε εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος [*hoc eſt opus Dei ut credatis in eum quem emiſit ipſe*], cum alioqui vox ἔργων ſtrictiùs ſumta, pro operibus externis nudè & citra internam animi qualitatem conſideratis, fidei, ut intus in animo ſitæ, multis in locis opponatur.

29. ὁ δὲ θέλων δικαιοῦν ἑαυτὸν εἶπε πρὸς τὸν Ἰησοῦν, καὶ τίς ἐστι μου πλησίον; *Ille autem volens juſtificare ſeipſum dixit ad Ieſum, & quis eſt meus proximus?*] Voluerat Chriſtus Legisperitum adducere ad impotentiæ ſuæ confeſſionem, ut viſo quid Deus potiſſimùm exigeret, conſcius ſibi quàm longè à tam ſeria ac perpetua dilectione abeſſet, ſupplex Divini Spiritus auxilium, ſine quo dilectio talis in animum admitti non poteſt, impetraret. At ille in férocia Iudaïca perſeverans volebat ſe juſtum & probum aliis venditare: id enim hîc eſt δικαιοῦν [*juſtificare*]. Et Deum quidem dubium non eſt quin ſatis amatum a ſe credi vellet ob exactam ceremoniarum omnium obſervationem. De *proximo*, quia ambigi poterat quàm latè ea vox ſpectaret, interpretationem Chriſti poſtulat. Si enim reſpondiſſet Chriſtus ex recepta eorum temporum ſententia *proximum* eſſe quemvis Iſraëlitam, nec alium præterea quenquam, arbitrabatur nihil eſſe quod etiam hac in parte à ſe deſideraretur. Vide quæ dicta ad Matth. v, 43.

30. ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ εἰς Ἱεριχὼ, *ab Ieruſalem in Iericho*] Qui locus latrociniis infamis, ut notat Hieronymus. An tamen inde nomen habeat מעלה אדמים [*aſcenſus Adymmim*] dubitari poteſt. Nam is locus ita vocatur in Ioſuæ libro xviii, 17. ſed ſciendum, ut in Moſis, ita & in Ioſuæ & Samuelis hiſtoria, non pauca inveniri quæ multò poſt Moſem, Ioſuam & Samuelem à Prophetis & Sapientibus explicandi cauſa adjecta appareat: quod multis argumentis probari poſſet ſi id ageretur. Aſſentior autem exiſtimantibus hoc loco rem geſtam potiùs quàm fabulam narrari.

31. κατὰ συγκυρίαν, *accidit*] Quod αὐτόματον [*fortuitum*] vocat Ariſtoteles & deſcribit Phyſ. ii, οἷον ἦλθεν οὐ τούτου ἕνεκα, ἀλλὰ συνέβη ἐλθεῖν καὶ ποιῆσαι τοῦτο [*quale eſt hoc, non venerat quidem quo id faceret, ſed ita evenit ut id quum veniſſet fecerit*]. David Kimchi putat eandem vim eſſe in Hebræo פתע [*ſubitò*] quod interpretatur בלא כונה ἄνευ προαιρέσεως [*absque propoſito*].

32. ἀντιπαρῆλθε. *pertranſiit*] *Præteriit contrario itinere*, ab Hierichunte ſcilicet Hieroſolyma properans. Quanquam Chriſto præcipuè propoſitum erat docere latiùs extendi *proximi* vocabulum, quàm Iudæi putarent, obiter tamen oſtendere voluit, ſæpe ipſos ne iis quidem, quos *proximos* vocarent, præſtare id quod eſt *proximorum*, id eſt *amicorum*. Nam qui factis magis quàm animo attendunt, facilè excuſationem reperiunt etiam ne facta præſtent; aut iter urget ut morari non liceat, aut ſuum quoque periculum metuunt: quale aliquid cauſatos & hos, Sacerdotem & Levitam, credibile eſt. At ſi animus fuiſſet plenus dilectionis, plenus miſericordiæ, & manus & pedes ad ſublevandam ſeminecis hominis miſeriam ultro feſtinaſſent. Nunc leviter fortè moti, & dicto, *Deus miſereatur*, ad ἐφημερίας ſuæ [*muneris eccleſiaſtici ſui*] functionem gradum accelerabant, parùm memores Divinæ ſententiæ à Chriſto toties inculcatæ: *miſericordiam malo, quàm ſacrificium.*

33. Σαμαρείτης, *Samaritanus*] Samaritam potiùs quàm ἀλλόφυλον [*alienigenam*] alium Chriſtus nominavit, quod Samaritas Iudæi, ut ἀποστάτας [*apoſtatas*] capitaliore quàm ullos alios odio proſequerentur, ac proinde à *proximi* nomine atque æſtimatione longiùs ſubmoverent, idque nomen Chriſto pro ſummo probro imponerent.

ἦλθε κατ' αὐτὸν, *venit ſecus eum*] *Propius ad eum acceſſit.*

ἐσπλαγχνίσθη. *miſericordia motus eſt*] Animi motus ſincerus præcedit, quem ſequuntur facta animo congruentia.

34. καὶ οἶνον, *& vinum*] Vinum vulneribus adhiberi ſolere docet Athenæus illo Mneſithæi verſu,

Καὶ τοῖσιν ἑλκωθεῖσιν ὠφέλημ' ἔχει.
[*Opemque fert vulneribus præſentiſſimam.*]

ἐπιβιβάσας, *duxit*] הרכיב [*vehendum impoſuit*].

εἰς τὸ πανδοχεῖον, *in ſtabulum*] Bene Latinus Interpres *ſtabulum*. Nam & in jure Romano *ſtabulum* πανδοχεῖον vertunt Græci, *cauponam* autem καπηλεῖον. *Caupona* eſt *ubi bibitur*, *Stabulum ubi recipiuntur viatores.* Hoc Hebræis מלון.

35. ἐπὶ τὴν αὔριον, *altera die*] Helleniſtica locutio pro τῇ ἐπιούσῃ [*poſterâ*]. Diximus alibi.

36. πλησίον γεγονέναι, *proximus fuiſſe*] Id eſt, *impleſſe officium proximi.* Nam ſæpe *eſſe* dicitur *quod facto oſtenditur.*

37. ὁ ποιήσας τὸ ἔλεος μετ' αὐτοῦ. *qui fecit miſericordiam in illum*] Similis locutio ſuprà i, 72, ποιῆσαι ἔλεος μετὰ τῶν πατέρων ἡμῶν [*ad faciendam miſericordiam cum Patribus noſtris*]. Admirabili prudentiâ uſus eſt Chriſtus, ut verum invito extorqueret. Si de Samarita vulnerato Chriſtus narrationem propoſuiſſet, fortè dixiſſet Legisperitus negligendum fuiſſe hominem impurum & à ſacris alienum. At beneficium collatum in Hieroſolymitam tam gravi caſu afflictum non potuit non laudare. At hoc ambitu cogitur fateri quod directè videbatur negaturus. Nam *proximus*, *amicus*, *cognatus* ſunt τὰ πρός τι [*relata*]. Quare ſi Samarites ille rectè fecit, cum opem tulit Iudæo, certè & Iudæus rectè faciet, ſi in caſu ſimili opem ferat Samaritæ. Nam par utrinque eſt naturæ vinculum, quo uno Samarites, & quidem, judice Legisperito, laudabiliter movebatur. Mutuæ ſunt iſtiusmodi obligationes, non claudicant. Meritò igitur Chriſtus pro collecto habet, ſi jus perpetuum, naturale, omnibus hominibus commune reſpiciatur, quod lege civili Hebræorum minimè eſt antiquatum, imò quò Lex ipſa Hebræa quaſi manuducit, neminem hominum à nobis alienum eſſe cenſendum, qui aliquid à nobis opis ſentire poſſit.

πορεύου καὶ σὺ ποίει ὁμοίως. *vade & tu fac ſimiliter*]. πορεύου [*vade*] hîc hortantis eſt, ut πορευθέντες [*euntes*] Matth. ix, 13. *Imitare*, inquit Chriſtus, *non Sacerdotem & Levitam ſed illum Samariten, & quod illum voluiſti præſtare Iudæo, præſta Iudæus extraneo, imò, ſi res ita ferat, etiam Samaritæ. Immutabilia enim ſunt naturæ jura. De Deo dictu facile eum à te amari, ſed ni hominem alterum, Dei effigiem juves, manifeſti mendacii deprehenderis. Nam qui commen-*

commendantem amat, amat & commendatos, Iohann. 1 Epiſt. IV, 20.

38. *κώμην τινά· caſtellum quoddam*] Bethaniam.

γυνὴ δέ τις ὀνόματι Μάρθα, mulier quædam Martha nomine] Videtur hæc mulier fuiſſe vidua, quicum frater & ſoror vixerint.

39. *ἣ καὶ, quæ etiam*] Puto καὶ [*etiam*] nihil aliud hîc eſſe quam additamentum vocis relativæ. Neque aliter intellexit Syrus.

παρακαθίσασα παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Κυρίου, ſedens ſecus pedes Domini] Vt Diſcipuli ſolebant. ſuprà VIII, 35. Actor. XXII, 3. Hoc Hebræi dicunt התאבק בעפר הרגלי החכמים *ſordidare ſe pulvere pedum Doctorum.*

40. *περιεσπᾶτο περὶ πολλὴν διακονίαν, ſatagebat circa frequens miniſterium*] Verbum διακονεῖν [*miniſtrare*] Scriptores noſtri uſurpant ſæpe de iis miniſteriis quæ ad vitæ hujus neceſſitates pertinent, ut videre eſt Matth. VIII, 15. XXV, 44. XXVII, 55. Marc. I, 31. XV, 41. Supra IV, 39. VIII, 3. Iohann. XII, 2. Actor. VI, 2. Hebr. VI, 10.

ἵνα μοι συναντιλάβηται, ut me adjuvet] *Vt me ſublevet*, ut Rom. VIII, 26. Et in Græcis Exodi XVIII, 22. Pſalm. LXXXIX, 21. Quod à nonnullis additur *viciſſim*, non video quomodo locum habere hîc poſſit.

41. *Μάρθα, Μάρθα, Martha, Martha*] Amica compellatio, ut Matth. VII, 21. Marc. XIV, 45. item Marci XIV, 36. Rom. VIII, 15. Galat. IV, 6.

τυρβάζῃ, turbaris] Τυρβάζειν [*turbare*] inquiunt Græci Grammatici propriè τὸν πηλὸν ταράξαι [*cænum commovere*], unde porrò ad cætera transfertur. Suidas exponit φροντίζειν [*curare*]. *Diſtraheris* Latini dicerent.

42. *Ενὸς δέ ἐστι χρεία, unum eſt neceſſarium*] Non puto de uno ferculo Chriſtum hîc agere quod tamen quibusdam valde placere video: ſatiùs eſt intelligamus Chriſtum ex occaſione ejus quod gerebatur generalem propoſuiſſe ſententiam: varias eſſe ac multiplices hujus vitæ curas; ſed unam eſſe rem quæ, ſi ſalvi eſſe velimus, omnino nobis ſit neceſſaria, curam ſcilicet pietatis, Matth. XVI, 26.

τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ᾽ αὐτῆς, optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea] *Maria*, inquit, *ex multis curis eam elegit & huic uni impensè vacat, cujus fructus in æternum manſurus eſt. Cætera quæ curantur, caduca ſunt καὶ ἐφήμερα* [*& breve tempus durantia*]. Hominum piorum duo ſunt genera: alii enim ita pietatem colunt, ut ſimul familiam, aut rempublicam, aut ſi quid ſimile eſt procurent: alii omni illâ curâ in alios rejectâ totos ſe precibus & ſacris ſtudiis devovent. Sicut illorum ſollicitudo non eſt damnabilis, ita horum multò beatior eſt tranquillitas, qui in terris incipiunt vitam agere cœleſtem. Atque hoc nomine cœlibem vitam nuptæ vitæ præfert Paulus, *ἡ ἄγαμος μεριμνᾷ τὰ τοῦ Κυρίου* [*cælebs curam gerit eorum quæ ſunt Domini*] nempe unicè atque indefeſſo ſtudio: *ἡ δὲ γαμήσασα μεριμνᾷ τὰ τοῦ κόσμου* [*nupta verò curat mundana*], juxta ea ſcilicet quæ ſunt Domini. Ad illam claſſem Maria pertinebat, ad hanc Martha. Quare errare mihi non videntur veteres qui in duabus his ſororibus exemplum ponunt *βίου θεωρητικοῦ καὶ πρακτικοῦ* [*vitæ contemplativæ & activæ*], ut & Hebræi in Rachele & Lea, *τῆς γὰρ ψυχῆς ἡμῶν διμεροῦς ὑπαρχούσης, καὶ τὸ μὲν λογικὸν, τὸ δὲ ἄλογον ἐχούσης, ἀρετὴν ἑκατέρου ὑπάρχειν συμβέβηκε, Λείαν μὲν τοῦ λογικοῦ, τοῦ δὲ ἀλόγου Ραχήλ* [*nam cum anima noſtra bipartita ſit, partim bruta, partim rationalis, utriſque ſua virtus eſt, Lea rationali parti, Rachel irrationali*], inquit Philo libro *περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου* [*De congreſſu eruditionis quærendæ gratiâ*], quem magno conſenſu ſequuntur Chriſtiani Scriptores.

CAPVT XI.

1. Δίδαξον ἡμᾶς προσεύχεσθαι, *doce nos orare*] *Doce nos compendium rerum orandarum.* Neque enim eo tempore ſyllabis adſtringebantur. Sic & à Iohanne credibile eſt propoſitam ſummam precum ad pœnitentiam pertinentium. quomodo *hæc Chriſti oratio* continet regnum cœleſte: hinc *breviarium totius Euangelii* Tertulliano dicitur, Cypriano *cæleſtis doctrinæ compendium.* Omnino autem credibile eſt in Græcis codicibus adjecta ex Matthæo quæ Lucas omiſerat, cum non exſtent in Latinis antiquis: illud *qui es in cælis.* Item: *fiat voluntas tua ut in cælo, ita in terra*, (quod & Græci codices quidam omittunt) item, *ſed libera nos à malo*: quæ ipſa etiam, non expreſſa, vi inſunt verbis cæteris.

3. *τὸν ἐπιούσιον δίδου ἡμῖν τὸ καθ᾽ ἡμέραν, quotidianum da nobis hodie*] Vide quæ de his verbis ad Matthæum.

ἁμαρτίας, peccata] Expoſitio ejus quod apud Matthæum eſt, ὀφειλήματα [*debita*].

4. *καὶ γὰρ αὐτοὶ ἀφίεμεν παντὶ ὀφείλοντι ἡμῖν, ſiquidem & ipſi dimittimus omni debenti nobis*] Nam & nos ex tuo præcepto injurias aliis condonamus, ob promiſſionem veniæ ſub hac conditione nobis factam.

5. *χρῆσόν μοι, commoda mihi*] Non fuit reprehendendus qui vertit *mutua mihi.* Nam apud Plautum eſt,

Si quis quid mutuaverit, ſit pro proprio perditum.

Quod autem *commodare* pro *mutuare* hîc poſuit vetus Interpres, facit idem Salvianus juris vocum alioqui peritiſſimus: *Nemo ſibi ſolvi vult*, inquit, *quæ non commodat.*

7. *τὰ παιδία μου μετ᾽ ἐμοῦ εἰς τὴν κοίτην εἰσί. pueri mei mecum ſunt in cubili*] Significat neminem domi eſſe qui ſine incommodo panes dare petenti poſſit: cùm omnes jam cubitum iiſſent. Rectè autem παιδία [*liberos*] vertit Syrus: ita enim ſumi id nomen ſolet, ut Heb. 11, 13, 14.

8. *διά γε τὴν ἀναίδειαν αὐτοῦ, propter improbitatem tamen ejus*] Non malè Latinus verterat *improbitatem*. Nam quanquam longius porrigi cœpit, *probitas* propriè eſt αἰδώς [*verecundia*]; itaque opponitur *probus inverecundo.* Salluſtius hoc ſenſu Pompejum dixerat, *oris probi, animo inverecundo*, pro quo malè apud Suetonium legitur, *Oris improbi.* Quod autem paulò ante in Latinis eſt additum, *& ille perſeveravit pulſans*, explicandi cauſa poſitum puto, non quòd in Græcis exſtaret. Sed vox illa ἀναιδείας, pervicacem iſtam flagitationem ſatis ſignificat.

ὅσων χρήζει, quotquot habet neceſſarios] etiam plus tribuas ſi opus eſt.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, *Et ego dico vobis*] Comparatio eſt non à ſimili, ſed à majore; *Si impudens flagitator tantum obtinet ab homine, quid non à Deo obtinebit ſupplex & aſſiduus precator?*

11. Τίνα δὲ ὑμῶν, *quis autem ex vobis*] Optimè cohærent verba, ſi τίνα interpreteris *ſi quem*, ſecundùm ea quæ alibi diximus. Senſus enim eſt, *Si quem veſtrûm, qui Parens ſit, filius ſuus panem poſcat, an is filio lapidem dabit?*

13. ὁ ἐξ οὐρανοῦ, *de cælo*] Id eſt, οὐράνιος [*cæleſtis*], ὁ Κύριος ὁ ἐξ οὐρανοῦ [*Dominus de cælo*] 1 Cor. xv, 47. τὸ οἰκητήριον ἡμῶν τὸ ἐξ οὐρανοῦ [*habitatio noſtra quæ de cælo eſt*] ii Cor. v, 2.

Ἅγιον, *Sanctum*] Ita legerunt Syrus & Arabs. Ad hunc ergo Spiritum impetrandum præcipuè directa eſt illa precandi formula.

17. οἶκος ἐπὶ οἶκον, *domus ſupra domum*] Supple διαμερισθεὶς [*diviſa*] quod rectè expreſſit Syrus. Eſt autem οἶκος ἐπὶ οἶκον [*domus ſupra domum*] Hebraïco more dictum pro οἶκος ἐφ' ἑαυτὸν [*domus contra ſe*], antecedente voce repetitâ vice relativi.

20. ἐν τῷ δακτύλῳ Θεοῦ, *in digito Dei*] Alludit ad Exodi hiſtoriam viii, 19. Sicut tunc digitus Dei in Moſe operans ſignum erat populi liberandi ex Ægypto, ita nunc digitus Dei per Chriſtum efficax ſignum liberationis noſtræ à peccato, quod eſt Regnum Dei.

ἔφθασεν ἐφ' ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *pervenit in vos regnum Dei*] Dan. vii, 22. ubi in Græco vox eadem ἔφθασε [*pervenit*].

21. αὐλὴν, *atrium*] Τὸ βασίλειον [*Palatium regium*]. Vide ad locum Matth. xxvi, 69.

ἐν εἰρήνῃ ἐστὶ, *in pace ſunt*] In tuto ſunt.

22. τὴν πανοπλίαν, *univerſa arma*] Puto hîc de armis propriè agi: quia præceſſit καθωπλισμένος [*armatus*]. Opponitur huic armaturæ diaboli Dei armatura deſcripta ad Eph. vi.

τὰ σκῦλα αὐτοῦ, *ſpolia ejus*] Etiam hoc ſumendum in bellica ſignificatione. οἰκίαν διαρπάζειν [*domum diripere*] dixit Matthæus. Erat autem proverbium inter Hebræos היקח מגבור מלקוח, id eſt, μὴ λήψεταί τις παρὰ γίγαντος σκῦλα; [*numquid tolletur à forti præda*]? Eſaiæ xlix, 24. ad quod hîc alluditur.

27. Μακαρία ἡ κοιλία ἡ βαστάσασά σε, *Beatus venter qui te portavit*] Mos loquendi Græcis quoque non ignotus. Scriptor libri de Ero & Leandro, qui Muſæus dici ſolet,

Ὄλβιος ὅς σ' ἐφύτευσε, καὶ ὀλβίη ἣ τέκε μήτηρ·
Γαστὴρ, ἥ σ' ἐλόχευσε μακαρτάτη.

[*Et Pater, & felix tibi quæ dedit ubera Mater,*
Ter felix venter, qui protulit].

terum & *ubera* in circumlocutione fœminaum habes & infrà xxiii, 29. In Thalmudicis ibris eſt אשרי ילדתך, ὄλβια ἥ σε ἔτικτε [*beata quæ peperit*] apud Græcos.

28. Μενοῦνγε, *Quinimo*] Ἐπανόρθωσις [*correctio*], on negans quod erat dictum, *Nomine tanti partûs licem eſſe matrem*, quod Angelus quoque & liſabetha Sancto Spiritu plena dixerat: ſed majus liquid addens, Beatitudinem ſcilicet æternam ac lidam neque in hoc eſſe ſitam, neque Mariæ eſ- propriam.

οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, καὶ φυλάσσοντες αὐτόν. *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*] *Audire verbum*, eſt Chriſtum concipere: *obſervare* eſt parere. Qui abortiunt pejore loco ſunt quam ſi non concepiſſent Matth. vii, 24. Rom. ii, 13. Iac. i, 22. φυλάσσειν [*cuſtodire*] enim hoc loco, ut & Matth. xix, 20. Marc. x, 20. Luc. infrà xviii, 21. Act. vii, 53. Rom. ii, 26. Gal. vi, 13. idem eſt quod aliis jam dictis locis ποιεῖν [*facere*].

29. Τῶν δὲ ὄχλων ἐπαθροιζομένων, *Turbis autem concurrentibus*] Cùm aliæ ſuper alias turbæ ad ipſum coirent.

30. ἐγένετο Ἰωνᾶς σημεῖον, *fuit Ionas ſignum*] Vide ſupra ii, 34. & quæ inibi dicta.

33. Οὐδεὶς λύχνον ἅψας, *nemo lucernam accendens*] Sententiam hanc Chriſtus, ut Sapientes ſolebant, occaſione data ſæpius inculcabat; itaque apud Lucam bis reperitur, quod & de aliis ſententiis par eſt intelligi. Videtur autem hoc tempore dictum ad explicationem ejus quod præceſſerat, Μακάριοι οἱ ἀκούοντες τὸν λόγον καὶ φυλάσσοντες αὐτόν [*Beati qui audiunt verbum & cuſtodiunt illud*]. Nam φυλάσσειν [*cuſtodire*] eſt *efficere ut lux verbi animis inſiti per opera appareat*. Vide quæ ad Matthæum.

εἰς κρυπτὸν, *in abſcondito*] Ita Syrus & Latinus: atque id malo quàm quod alii codices præferunt κρύπτην [*teſtudinem ſubterraneam*]. Nam idem hîc eſt εἰς κρυπτὸν [*in abſcondito*] quod ſuprà ὑπὸ κλίνην [*ſub lecto*] viii, 16.

34. Ὁ λύχνος τοῦ σώματος, *Lucerna corporis*] Eſt & hæc ſententia inter ſæpe repetitas. Applicatur autem nunc ad perverſas hominum de Chriſto judicationes naſcentes ex affectuum nubilo.

35. Σκόπει οὖν μὴ τὸ φῶς τὸ ἐν σοὶ, σκότος ἐστίν. *Vide ergo ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint*] Laudo eos qui vertunt *Conſidera an non lux tua tenebræ ſint*. Nam ea vis eſt voculæ μὴ [*ne*] poſt verbum σκοπεῖν [*conſiderare*]. Xenophon, σκοπῶ μὴ ἐπαγωγὸν ᾖ ἀποδίδοσθαι [*conſidero, an non illecebroſum ſit, reddere*].

36. ἔσται φωτεινὸν ὅλον, ὡς ὅταν ὁ λύχνος τῇ ἀστραπῇ φωτίζῃ σε. *Erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te*] Ἔσται [*erit*] ſupple σοὶ [*tibi*]; illud φωτεινὸν ὅλον [*lucidum totum*] intellige τὸ σῶμα [*corpus*]: id eſt, *Eum tibi uſum præbebit corpus totum lucidum, quem præberet latè coruſcans lucerna: adeò nihil erit quod te offendat.* Ἐν τῷ φωτὶ μένει, καὶ σκάνδαλον ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν [*in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt*], inquit Iohannes i Epiſt. ii, 10. *Corpus* ergo Chriſtus hîc vocat perpetuum vitæ tenorem, quod Iohannes dicto loco ἐν φωτὶ μένειν [*in luce manere*], & eâdem Epiſtolâ i, 7. ἐν φωτὶ περιπατεῖν [*in luce ambulare*] appellat.

38. ἐβαπτίσθη, *baptizatus eſſet*] id eſt, ἐνίψατο τὰς χεῖρας [*abluiſſet manus*]. Sed ἐβαπτίσθη [*baptizatus eſſet*] dicere maluit, quia manus tota & brachii pars cubito tenus non leviter perfundebatur, ſed quaſi merſabatur ne quid ſordis adhæreret. Vide quæ ad Matth. xv. Marc. vii.

πρὸ τοῦ ἀρίστου. *ante prandium*] Nam illotis ex Iudaïco dogmate omnis cibus erat immundus.

39. Νῦν ὑμεῖς, *Nunc vos*] Poſſet videri eſſe adver-

ſativa oratio πρὸς τὸ σιωπώμενον [*ad id quod ſubintelligitur*] quaſi diceret Chriſtus, *Animum præcipuè curari oportuit: at nunc in externis occupamini.* Sed eo ſenſu νῦν [*nunc*] ſolet habere δὲ [*verò*] adjunctum; ut infra XIX, 42. Quare rectiùs ſic exponemus, *Vt nunc res ſunt, nihil aliud curatis quàm quod ad exteriorem munditiam attinet:* ut ſui potiſſimùm ſeculi mores reſpiciat Chriſtus; ut ſupra cum dixit γενεὰ αὕτη [*generatio hæc*]. Potuit autem hoc eo juſtiùs facere quia traditio illa non erat admodum antiqua.

τὸ ἔξωθεν τοῦ ποτηρίου καὶ τοῦ πίνακος καθαρίζετε· *quod deforis eſt calicis & catini mundatis*] *Tantundem facitis, ac ſi quod extra eſt poculi & patinarum purgetis diligenter.* Eſt enim comparatio, ut ad Matthæum diximus.

τὸ δὲ ἔσωθεν ὑμῶν γέμει ἁρπαγῆς καὶ πονηρίας· *quod autem intus eſt veſtrûm plenum eſt rapina & iniquitate*] Breviloqua oratio quæ partem comparationis ſubticet. Senſus enim eſt, ut ad Matthæum diximus: Sed quaſi illa planè exteriùs purgata pocula & patinæ intus ſcaterent ſordibus, ita cum vos extra bene eſtis loti, animus veſter impurus eſt flagitiorum conſcientiâ.

40. οὐχ ὁ ποιήσας τὸ ἔξωθεν, καὶ τὸ ἔσωθεν ἐποίησε; *nonne qui fecit quod deforis eſt, etiam id quod deintus eſt fecit*]? Primum infert quod minus eſt, Saltem juxta corpus animum curari debuiſſe ab eodem Deo conditum: illaturus deinde quod majus eſt, Nihil eſſe corpori immundum quod ad ſalutem attinet animo ſibi bene conſcio.

41. Πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην· καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν. *Veruntamen quod ſupereſt date eleëmoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis*] Variè hic locus exponitur. At nemo Græcorum δότε [*date*] accepit indicativè, neque id conſuetudo patitur, ut rectè à viro doctiſſimo eſt annotatum. Quare omnino accipiendum imperativè, quomodo acceperunt Latinus, Syrus, Arabs. Neque placet hoc dictum εἰρωνικῶς [*ironicè*] exponi: tum quia non poteſt ea interpretatio hoc loco non coacta videri, tum quia probabile eſt eundem eſſe ſenſum qui in Matthæi verbis, ubi eſt ἵνα γένηται καὶ τὸ ἐκτὸς καθαρὸν [*ut fiat quod deforis eſt mundum*], niſi quod ibi continuatur figura à poculis & patinis ſumta, hîc res eadem planiùs dicitur. Nam & cætera omnia eadem ſunt. Quare & in iſtis verbis, τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην [*quod ſupereſt date eleëmoſynam*], idem ſenſus quærendus eſt qui eſt in Matthæi illis καθάρισον τὸ ἐκτός [*munda quod deforis eſt*]. Sunt qui putant τὰ ἐνόντα idem eſſe quod τὸ λοιπὸν [*quod reliquum eſt*], orationis ſcilicet connexionem: ſed ejus locutionis exemplum deſidero. Adde quod nec locum hîc habere poteſt τὸ λοιπὸν [*quod reliquum eſt*], cum id quod faciebant Phariſæi ad veram munditiem nihil planè conduceret. Quare multò rectius eſt ut intelligamus τὰ ἐνόντα [*quod ſupereſt*] eſſe κατὰ τὰ ἐνόντα [*pro facultatibus*], quomodo τὸν ἐνόντα τρόπον dicunt Græci, pro eo quod eſt, *quàm maximè fieri poteſt.* Itaque δότε ἐλεημοσύνην τὰ ἐνόντα, eſt, *exercete miſericordiam quantum poteſtis maximè.* ita reſpondet τὰ ἐνόντα voci Hebrææ מסת Deuter. XVI, 10. Tertullianus hunc ſenſum ſecutus vertit aut ab alio verſum citat, *Date quæ habetis.* Nam διδόναι ἐλεημοσύνην [*dare eleëmoſynam*] etiam infra dixit Lucas XII, 33. pro quo alii Scriptores dicunt ποιεῖν ἐλεημοσύνην [*facere eleëmoſynam*]. Dubium non eſt quin hoc quoque monitum tritum fuerit in ore Hebræorum, quod Scriptor Tobiæ ita extulit, Ἐκ τῶν ὑπαρχόντων σοι ποίει ἐλεημοσύνην, [*ex facultatibus tuis fac eleëmoſynam*]: & ſic, ὡς σοι ὑπάρχει κατὰ τὸ πλῆθος ποίησον ἐξ αὐτῶν ἐλεημοσύνην [*ſi multum tibi fuerit, fac ex illis eleëmoſynam*], IV, 7, 8. Supereſt videre quo ſenſu dicantur omnia munda futura facientibus opera miſericordiæ: ſintne hæc opera conſequentia munditiam an antecedentia. Ego quod ad rem attinet, verum utrumque eſſe non dubito. Nam & opera quædam miſericordiæ mundationem illam antecedere & multò plura ac uberiora eam conſequi ſolent. Sed loci hujus circumſtantiæ priorem, ni fallor, ſignificationem poſtulant. Dat enim Chriſtus hîc mundandi animi conſilium. mundatur animus per pœnitentiam. Pœnitentia duas habet partes: à malo deſiſtere, in quo eſt & reſtitutio rerum malè partarum (nam & detentio alieni peccatum eſt) deinde inchoare aliqua opera frugis melioris, quos καρποὺς ἀξίους μετανοίας [*fructus dignos pœnitentia*] vocat Baptiſta. in his autem operibus eminent maximè opera miſericordiæ: itaque ex his συνεκδοχικῶς [*comprehenſivè*] tota pœnitentia ſolet deſcribi. Sic Salomo in Gnomis XVI, 6. בחסד ואמת יכפר עון *in veritate & miſericordia expiatur iniquitas.* Daniel Nabuchodonoſori idem dat conſilium, quod hîc Chriſtus Phariſæis, τὰς ἁμαρτίας σου ἐν ἐλεημοσύναις λύτρωσαι [*peccata tua eleëmoſynis redime*], ut habet Græca verſio IV, 24. Quem locum reſpiciens Salvianus multùm eos accuſat, qui quæ admiſerunt, donis ſaltem ac miſericordiis redimere non dignantur, Ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ οὐκ ἐᾷ εἰσελθεῖν εἰς τὸ σκότος [*Eleëmoſyna à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*], eſt apud Tobiam IV, 10. Ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ αὐτὴ ἀποκαθαίρει πᾶσαν ἁμαρτίαν [*Eleëmoſyna à morte liberat, & ipſa eſt quæ purgat peccata*], eodem libro XII, 9. Scriptor Eccleſiaſtici III, 33. Πῦρ φλογιζόμενον ἀποσβέσει ὕδωρ, καὶ ἐλεημοσύνη ἐξιλάσεται ἁμαρτίας [*ignem ardentem exſtinguit aqua, & eleëmoſyna reſiſtit peccatis*]. & XXIX, 15. σύγκλεισον ἐλεημοσύνην ἐν τοῖς ταμείοις σου, καὶ αὐτὴ ἐξελεῖταί σε ἐκ πάσης κακώσεως [*conclude eleëmoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo*], in quem ſenſum accipi poteſt & Petri illud, ἡ ἀγάπη καλύπτει πλῆθος ἁμαρτιῶν [*charitas operit multitudinem peccatorum*]. Epiſtolâ priore IV, 8. adde Eſaiam I, 17. In Clementis quoque Conſtitutionibus libro VII, cap. XIII. legimus, Ἐὰν ἔχεις δ τῶν χειρῶν σου, δὸς, ἵνα ἐργάσῃ εἰς λύτρωσιν ἁμαρτιῶν σ ἐλεημοσύναις γὰρ καὶ πίστεσιν ἀποκαθαίρονται ἁμαρτ [*ſi quid habes præ manibus, da, quò peccata tua redima eleëmoſynis enim & fide abluuntur peccata*]. Lactantius libr. VI. *Magna eſt miſericordiæ merces, cui De pollicetur peccata ſe omnia remiſſurum.* Magis ver etiam ad præſentem locum pertinent, quæ mox ſe quuntur, *Nec tamen quia peccata largitione tollun dari tibi licentiam peccandi putes: abolentur enim, ſi D largiare quia peccaveris, nam ſi fiduciâ largiendi pecc non abolentur. Deus enim purgari homines à pecc maximè cupit; ideoque agere pœnitentiam jubet.* Age

autem pœnitentiam nihil aliud eſt, quàm profiteri & affirmare ſe non ulteriùs peccaturum. Adde Chryſoſtomum oratione Cur ſinatur eſſe Diabolus, Tomo VI, ubi inter ὁδοὺς μετανοίας [*vias pœnitentiæ*] & hanc nobis commendat. Ejusdem eſt ſecundâ oratione De Pœnitentia, μετάνοια χωρὶς ἐλεημοσύνης νεκρά ἐστι καὶ ἄπτερος [*pœnitentia ſine eleëmoſyna mortua eſt & alis caret*]. Quod autem ſequitur, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν [*& ecce omnia munda vobis ſunt*], ſimile eſt ei quod dicit Paulus, quanquam, pro temporum diverſitate, laxiore ſenſu, πάντα καθαρὰ τοῖς καθαροῖς [*omnia munda mundis*], Tit. I, 15. Hoc nimirum vult Chriſtus: *Corpus quidem ſine animo emendare inutile eſt; at contra animo per pœnitentiam mundato, res omnes à Deo non vetitæ ad uſum patent, ita ut nihil inde labis poſſit contrahi.*

42. ὅτι ἀποδεκατοῦτε, *quia decimatis*] Cur quis hîc malit οἱ [*qui*], quàm ὅτι [*quia*], ſanè nihil probabilis cauſæ video. Nam ὅτι [*quia*] ſimili modo poſt οὐαὶ [*væ*] ponitur apud Matthæum aliquoties XI, 21. XXIII, 13, 14, 23, 25, 27, 29.

τὴν κρίσιν, *judicium*] Æquitatis naturalis officia. Vide quæ ad Matthæum.

44. μνημεῖα τὰ ἄδηλα, *monumenta quæ non apparent*] *Penitus ſub terram defoſſa*, qualia multa erant in regione Paleſtina, ut quæ eſſet ὑπόπετρος [*petroſa*]. Apud Matthæum eſt alia comparatio à monumentis ſumta idem ſignificans. Fieri poteſt ut modò hanc, modò illam Chriſtus uſurpaverit.

45. ταῦτα λέγων καὶ ἡμᾶς ὑβρίζεις. *hæc dicens etiam contumeliam nobis facis*] Per conſequentiam. Nam Phariſæi exactiſſimè obſervabant Legisperitorum decreta. Legisperiti viciſſim illorum ſanctimoniam magnis laudibus prædicabant. Ita ſcabunt mutuum muli. Datur hinc colligi quod in commate ſuperiore habent Græci libri, & ex illis Syrus & Arabs, Γραμματεῖς καὶ Φαρισαῖοι ὑποκριταὶ [*Scribæ & Phariſæi hypocritæ*], aliunde adjectum: nam & Latinus Interpres id non legit.

46. δυσβάστακτα, *quæ portare non poſſunt*] Sic Græci vertunt נטל Proverb. XXVII, 3.

47. οἱ δὲ πατέρες ὑμῶν ἀπέκτειναν αὐτούς. *Patres verò veſtri occiderunt eos*] Hebraïca locutio pro quo Latinè dicendum eſſet *quos veſtri Majores interfecerunt:* quod hoc loco Syrum & Arabem non latuit.

48. μαρτυρεῖτε καὶ συνευδοκεῖτε, *teſtificamini quod conſentitis*] Ita legerunt Syrus & Arabs. *Teſtimonium perhibetis de factis Parentum atque ea imitamini.* Confer hunc ipſum in Matthæo locum.

τῶν πατέρων ὑμῶν· *Patrum veſtrorum*] *Non naturæ tantùm ſed & morum filii: ita ut non poſſit non à vobis exſpectari quod ab ipſis patratum eſt.* Vide expoſitionem loci ad Matthæum.

49. ἡ σοφία τοῦ Θεοῦ εἶπεν, *ſapientia Dei dixit*] *Deus in conſilio ſuo ita apud ſe cogitavit*, אמר בלבו [*dixit in corde ſuo*], ut Hebræi dicunt. De his quoque ad Matthæum vide.

51. τοῦ οἴκου· *domus*] Sicut ναὸς [*templum*] interdum eſt *tota ſtructura Templi*, interdum *pars illa in qua erant Sacerdotes* היכל, ita οἶκος [*domus*] alibi *pro toto*, hîc *pro eadem illa parte* ſumitur. Vide quæ ad Matth. XXIII, 35. diximus.

ἐκζητηθήσεται, *requiretur*] Vox ipſa eſt quâ moriens Zacharias uſus ירא יהוה וידרש [*videat Dominus & requirat*].

52. ὅτι ἤρατε τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως· *quia tuliſtis clavem ſcientiæ*] Ambigua eſt ſignificatio. Syrus vertit *ſurripuiſtis*, Arabs *arripuiſtis*, aut *in vos ſuſcepiſtis*: neque Græcus ſermo repugnat. Nam αἴρεσθαι ἄχθος [*tollere moleſtiam*] aut φορτίον [*onus*] ſimili ferme ſignificatu dicitur. Cùm utrumque de Legisperitis rectè dicatur, prius præfero, quia puto reſpondere ei quod apud Matthæum eſt *clauditis regnum cælorum.* Ille enim *claudere* rectè dicitur qui *clavem in ſera non relinquit.* Vetus quidam annotator ἤρατε [*tuliſtis*] expoſuerat ἐκρύψατε [*occultâſtis*] non malè, quod & in textum alicubi penetravit. *Clavim* autem Tertullianus rectè exponit *interpretationem Scripturarum.* Et mos erat apud Hebræos, eum cui poteſtas dabatur Legem & Prophetas interpretandi, clave data quaſi in poſſeſſionem muneris mittere.

53. δεινῶς ἐνέχειν, *graviter inſiſtere*] συνέχειν, [*conſtringere*] quod quidam codices habent, legiſſe videtur Arabs: vertit enim quaſi dicas; *indagine clauſum tenere.* At receptior iſta eſt lectio quam & Syrus agnoſcit, & *indignandi* ac *ſuccenſendi* verbis exprimit. Sanè & Heſychio ἐνέχειν [*urgere*] eſt μνησικακεῖν [*memorem eſſe injuriæ*]. Ita nonnihil differret ab eo quod ſequitur ἐνεδρεύειν [*inſidiari*].

ἀποστοματίζειν, *os opprimere*] Non videtur diſcedendum ab hac lectione quam tot codices ſtabiliunt. Et hæc una eſt vocum in quibus intimam peritiam Græci ſermonis Lucas oſtendit. Nam ἀποστοματίζειν planè vox eſt de Scholâ ſumta. Solebant Magiſtri Scholarum provectiores diſcipulos junioribus præficere, ut illi hos interrogarent. Id dicebatur ἀποστοματίζειν & μανθάνειν, in quo conſiſtit fallacia illa qua Clinias decipitur ab Euthydemo apud Platonem. Nam cum μανθάνειν aliàs ſit λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην [*accipere ſcientiam*], in iſto aliud ſignificat, nimirum, ut Socrates explicat, ξυνιέναι, id eſt, *attendere dicenti*, ſive etiam quod addit, ἐπισκοπεῖν τὸ πραττόμενον ἢ λεγόμενον [*obſervare id quod fit aut dicitur*]: Sicut & apud Ariſtophanem Scholiaſtæ μανθάνειν explicant per σκοπεῖν [*obſervare*]. Hoc qui tenuerit facilè intelliget Euthydemi Sophiſmata, πότεροι ἐμάνθανον τῶν παίδων τὰ ἀποστοματιζόμενα οἱ σοφοὶ ἢ οἱ ἀμαθεῖς; [*quinam pueri intelligebant quæ grammaticus præibat, qui ſciebant an qui ignorabant*]? bene enim ad illum peculiarem ſignificatum reſpondet Clinias, οἱ σοφοὶ [*qui ſciebant*]. Ariſtoteles ex hoc Platonis loco ſumit τοῦ παρ' ὁμωνυμίαν ἐλέγχου [*fallaciam æquivocationis*]. Ita enim ait, οἷον, ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι· τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί· τὸ γὰρ μανθάνειν ὁμώνυμον, τό τε ξυνιέναι χρώμενον τῇ ἐπιστήμῃ, καὶ τὸ λαμβάνειν τὴν ἐπιστήμην. [*veluti, eos qui ſciunt, μανθάνειν, quoniam ea quæ memoriter recitantur Grammatici μανθάνουσι. nam verbum μανθάνειν eſt homonymum, quod ſignificat & intelligere utendo ſcientiâ, & acquirere ſcientiam*].. Sed ἀποστοματίζειν ambiguum eſt. Nam & de eo *qui recitat* dicitur, ut apud Athenæum atque etiam apud Platonem dicta diſputatione: & de eo *qui alteri interrogando præit eique recitanti attendit*. Teſtes ſunt tres Grammatici nobiles. Nam Heſychius ἀποστοματίζειν, aut quod idem eſt ἀποστομίζειν, exponit ἀπὸ μνήμης ἀξιοῦν λέγειν, hoc eſt *exigere ut alter quippiam memoriter dicat :* ita enim interpretandum illud ἀξιοῦν, aliter quàm accepit vir doctiſſimus. Suidas pro ἀξιοῦν [*exigere*] dixit κελεύειν [*jubere*]. Nam illi ἀποστοματίζειν eſt κελεύειν τὸν παῖδα λέγειν ἄττα ἀπὸ στόματος. [*jubere puerum quædam memoriter proferre*]. Pollux ἀποστοματίζεσθαι exponit ἐρωτᾶσθαι τὰ μαθήματα [*interrogari de iis quæ didiceris*]. Doctè igitur hôc verbo uſus eſt Lucas, ut indicaret Phariſæos omni modo hoc conatos, ut multa ex ore Chriſti elicerent. Atque ita hunc locum pridem rectè expoſuit Euthymius. Senſum rectè expreſſit Syrus *aucupandi* vocabulo, & Arabs eo verbo quod ſignificat *facere ut quis diſſerat.* Id quo conſilio fecerint oſtendit comma ſequens, ζητοῦντες θηρεῦσαί τι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ, ἵνα κατηγορήσωσιν αὐτοῦ [*quærentes aliquid capere de ore ejus ut accuſarent eum*].

CAPVT XII.

1. Τῶν μυριάδων τοῦ ὄχλου, *multis turbis*] Ita Hebræi dicunt רבבות [*myriades*], Helleniſtæ μυριάδας [*myriades*] ſine alio additamento, ad ſignificandam innumeram multitudinem Deuter. XXXIII, 2. Pſalm. III, 6. Dan. XI, 12. Multùm ad rem pertinet à tot hominibus viſum auditumque Ieſum: οὐ γάρ ἐστιν ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτο [*neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt*], inquit Paulus Actor. XXVI, 26.

Πρῶτον προσέχετε ἑαυτοῖς ἀπὸ τῆς ζύμης τῶν Φαρισαίων, *attendite primùm à fermento Phariſæorum*] Παράδοξον [*paradoxum*] magnum. Nam Phariſæos imprimis populus admirabatur ut apud Ioſephum videre eſt. Sicut autem alibi ſuos à commentis Phariſæorum ut ſibi caveant monet, ita hîc ne perſonatos illorum mores imitari velint. Vtrumque rectè fermentum dicitur, & ſinceræ doctrinæ incruſtatio, ut Gal. V, 9. & mores exemplo noxii 1 Corinth. V, 6. Vide quæ ad Matthæum XVI. Sed maximè ad fermenti naturam accedebat Phariſaïca illa arrogantia, cui ſimulatio inſerviebat. Etiam Philo non uno loco fermentum in Lege interpretatur τὰς τῆς ψυχῆς ἀραιὰς καὶ χαύνους ἐπάρσεις καὶ τὸ ὑπ' ἀλαζονείας φύσημα [*levem & ſpongioſam animæ inſolentiam & oſtentatoriam inflationem*]. Etiam hæc Lucas addidit quod materia cum ſuperiore ſermone cohæreret, non quod temporum ſeries id exigeret.

2. Οὐδὲν δὲ συγκεκαλυμμένον ἐστὶν, *nihil autem opertum eſt*] Et hoc quod ſequitur dictum proverbiale eſt, ſæpe Chriſto, nec ſemper eodem ſenſu, uſurpatum, ut in adagiis fieri ſolet. Dixerat Chriſtus cavendam ſimulationem: rationem addit, Quia non contingat latere volentibus ut ſemper lateant. Prodit illos dies humana ſæpe, ſi non, utique Divina.

3. Ἀνθ' ὧν, *Quoniam*] Loquendi genus Helleniſtis admodum familiare, plerumque uſurpatur in reddenda cauſa ut diximus ſuprà I, 20. At hîc illis accedo qui illativum putant, quale & illud Eph. V, 31. ἀντὶ τούτου καταλείψει ἄνθρωπος τὸν πατέρα [*Propter hoc relinquet homo Patrem*], id eſt, ἕνεκεν τούτου [*hujus rei gratiâ*] ut habent LXX. על־כן [*idcirco*].

ὅσα ἐν τῇ σκοτίᾳ εἴπατε, ἐν τῷ φωτὶ ἀκουσθήσεται· *quæ in tenebris dixiſtis, in lumine dicentur*] Perſona ſecunda ſumenda ἀορίστως [*indefinitè*] ut ſæpe monuimus. Videtur apud Græcos ſimilis γνώμη [*ſententia*] in uſu fuiſſe. Nam in libello qui Muſæi dicitur legimus,

——— ἐν δὲ σιωπῇ
Ἔργον ὅπερ τελέει τις, ἐνὶ τριόδοισιν ἀκούει.
[——— *tenebris*
Vt quæ tecta putes, ſpargat per compita rumor].

4. Λέγω δὲ ὑμῖν, *dico autem vobis*] Multa diverſi temporis dicta in unum congeſſit Lucas: quorum cohærentiam texere nihil neceſſe eſt. Sunt enim velut ἀφορισμοί [*ſententiæ breviſſimæ*].

τοῖς φίλοις μου, *amicis meis*] Iohann. XV, 15. ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, ὅτι πάντα ἃ ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου ἐγνώρισα ὑμῖν [*vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*].

καὶ μετὰ ταῦτα μὴ ἐχόντων περισσότερόν τι ποιῆσαι. *& poſt hæc non habent amplius quid faciant*] Hæc Chriſti ſententia directè opponitur illi Ariſtotelicæ, φοβερώτατον ὁ θάνατος· πέρας γάρ, καὶ οὐδὲν ἔτι τῷ τεθνεῶτι δοκεῖ οὔτε ἀγαθὸν οὔτε κακὸν εἶναι [*Omnium rerum nihil horribilius eſt morte. nam omnium rerum extremum eſt; nihilque reliquum eſſe mortuo videtur, neque bonum, neque malum*]. Locus exſtat III ad Nicom. c. IX.

5. μετὰ τὸ ἀποκτεῖναι, *poſtquam occiderit*] Non vita tantùm altera ſed & hæc in Dei eſt poteſtate, qui etiam citra hominum miniſterium adimere eam poteſt quum lubet.

Ἐξουσίαν ἔχοντα, *poteſtatem habet*] Δυνάμενον [*potis eſt*] inquit Matthæus: ſed nimirum jus & vis efficiendi hîc concurrunt.

6. οὐκ ἔστιν ἐπιλελησμένον, *non eſt in oblivione*] לא נשכח, id eſt, *non eſt extra curam.* Ita Pſalm. IX, 18. Græcè eſt οὐκ εἰς τέλος ἐπιλησθήσεται ὁ πτωχός [*non in finem oblivio erit pauperis*]. Quomodo autem multa animantia ſub cura ſunt Dei, tractatum eſt ad Matthæum.

8. ἔμπροσθεν τῶν ἀγγέλων τοῦ Θεοῦ. *coram Angelis Dei*] Matthæus ἔμπροσθεν τοῦ πατρὸς [*coram Patre*], ſed & Angelorum mentio in ſimili ſententia apud Marcum VIII, 38.

11. ὅταν δὲ προσφέρωσιν, *cum autem inducent*] Imperſonaliter ſumendum, quaſi dicat *cum ſiſtemini.* Nam quod in Actibus aliquoties dicitur ἵστασθαι [*ſiſti*], Matthæo παραδίδοσθαι [*tradi*] & ἄγεσθαι [*duci*], hîc dicitur προσφέρεσθαι [*induci*].

συναγωγάς, *ſynagogas*] Hoc ad conventus Iudæorum pertinet. Vide quæ ad Matthæum.

ἀρχάς, *Magiſtratus*] Id eſt, ἡγεμόνας [*Præſides*].

τὰς ἐξουσίας, *poteſtates*] ὑπερεχούσας [*ſupereminen*-*tes*] ſcilicet ut Paulus loquitur, βασιλεῖς [*Reges*] apud Matthæum.

πῶς ἢ τί ἀπολογήσησθε, *qualiter aut quid reſponde*-*tis*] Quid dicturi ſitis pro vobis ipſis ne nocent putemini, & qua cautione prolaturi, ne ipſa defenſio obſit.

ἢ τί εἴπητε. *aut quid dicatis*]. Quomodo propugna-turi ſitis doctrinam quam profitemini.

13. διδάσκαλε, *Magiſter*] Credibile eſt Iudæo ſolitos ad fugienda litium ſufflamina Arbitros ſum-re eos quorum ſapientia & æquitas erat perſpecta

ac pra

ac præſertim diſcipulos libenter ſtetiſſe arbitrio Magiſtrorum.

μερίσασθαι μετ' ἐμοῦ τὴν κληρονομίαν. ut dividat mecum hereditatem] Ne plus juſta parte detineat, & ut diviſionem admittat æquis conditionibus.

14. *τίς με κατέστησε δικαστὴν; quis me conſtituit judicem*]? Reſpicitur Moſis hiſtoria: nam is cum rixantibus Hebræis medium ſe interponeret & ad fraternum amorem eos revocaret, audivit *τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμῶν;* [*quis te conſtituit Principem & Iudicem ſuper nos*]? Ita enim Græca verſio habet verbis iiſdem quæ hîc ſunt poſita Exod. II, 14. Tantundem ergo hoc valet quaſi dicat Chriſtus, *Non committam ut ulla ſpecie objicere mihi poſſitis, ingrati homines, quod Moſi olim objeciſtis. Contentus dare præcepta generalia, quæ ad res quasvis accommodari à volentibus facillimè poſſint, ſingulorum negotiis me non immiſcebo.*

ἢ μεριστήν; aut diviſorem]? Non tantùm negat ſe Iudicem eſſe, ſed nec Arbiter eſſe cupit. *Arbitrum* Græci *διαιτητὴν* vocant: ſed *μεριστὴς* [*diviſor*] rectè dicitur *qui familiæ herciſcundæ, aut communi dividundo, aut finibus regundis Arbiter ſumitur.* Et quidem Ieſum nullo jure obligatum fuiſſe, ut onus tale ſuſciperet, ſatis eſt manifeſtum. Neque enim aut à Deo, aut ab hominibus erat in id conſtitutus. Cur ſponte non receperit hîc non dicit, ſed intellectu facile eſt. Nam præter id, quod jam diximus de vitanda calumnia, exiguum illi reſtabat vitæ tempus, quod ſanè impendendum erat rebus melioribus, & toti humano generi profuturis. Qui vocatis Diſcipulis non permiſit ſepelire patrem, aut domeſticis valedicere, quomodo ipſe expendendis privatorum controverſiis inſumſiſſet docendi tempora? Quod multis occaſionem dedit quærendi, recténe fecerint Chriſtianorum Epiſcopi quod onus à Chriſto recuſatum in ſe ſuſceperint: quod ſe feciſſe magna cum moleſtia, ſed tanquam præceptis Pauli Apoſtoli obtemperantem memorat Auguſtinus, & de ipſo teſtatur Poſidonius. Atque ante eum eodem ſe labore functum narrat Ambroſius. Idemque de Gregorio Neocæſarienſi proditum invenire eſt. Ad rem bene dijudicandam refert intelligere rei originem. Iudæi per Babylonicum imperium diſperſi, cum probroſum nomini ſuo exiſtimarent, ortas inter ſe controverſias ad Iudices profanos & à religione unius Dei extraneos deferre, inſtituerunt ſuorum Seniorum arbitriis quaſi rebus judicatis ſtare. Quod ſi quis contra feciſſet, is indignus Iudæorum conſortio judicabatur. *Qui adducit negotia Iſraëlitica ad extraneos polluit nomen Dei*, inquiunt Hebræorum Magiſtri. Idem poſteris temporibus obſervarunt qui extra Iudæam (nam in Iudæa ſuos habebant publicos Iudices ſuæ religionis) ſub imperio Romano vitam egerunt, duravitque is mos ad uſque Chriſtiana tempora. Apparet id ex Lege Arcadii & Honorii quæ ſic habet: *Si qui verò ex his* (Iudæis) *communi pactione ad ſimilitudinem Arbitrorum apud Iudæos in civili duntaxat negotio, putaverint litigandum, ſortiti eorum judicium jure publico ne vetentur. Eorum enim ſententias Iudices exſequantur tanquam ex ſententia cognitoris Arbitri dati fuerunt.* Et ex altera Honorii & Theodoſii, *Si qua inter Chriſtianos & Iudæos ſit contentio, non à Senioribus Iudæorum, ſed ab ordinariis Iudicibus dirimantur.* Vnde diſcimus ſolitas tractari id genus controverſias coram Presbyteris Synagogæ, Præſidentibus nimirum Archiſynagogis, qui cœteris præibant peritiâ Legis. Hunc morem Hebræorum, ut minimè improbandum ſequens Apoſtolus Paulus, cùm reprehendiſſet Corinthios Chriſtianos quod apud profana tribunalia litigarent, ſapientiſſimos cœtûs totius vult conſtitui componendis id genus controverſiis. Sapientiſſimi autem erant haud dubiè qui *Presbyteri* dicebantur. nam an manentem ſecum Epiſcopum eo tempore habuerit Corinthi Eccleſia veteres non immeritò dubitant. Penes Presbyterium igitur fuit hæc notio, non minus quàm morum cenſura, & ſi ibi componi controverſia non poſſet, ſupererat totius fraternæ multitudinis auctoritas ad permovendum eum qui eſſet pertinacior. Dicitur tamen eadem *Epiſcopi audientia*, quod Epiſcopus præſideret. Hunc morem Conſtantinus & ſecuti Imperatores lege firmarunt, unde illud eſt ex Arcadii & Honorii conſtitutione, *Si qui ex conſenſu*, inquiunt, *apud ſacræ Legis Antiſtitem litigare voluerint, non vetabuntur, ſed experientur illius, in civili duntaxat negotio, vice Arbitri ſponte reſidentis judicium.* Quantum oneris ſequentia tempora Epiſcopis adjecerint ſupervacuum eſt commemorare, cum illud ipſum antiquum & penè neceſſarium, optimo cuique Epiſcoporum grave viſum fuerit. Nemo autem non videt, neutiquam tantam eſſe hujus conſuetudinis rationem, ubi Chriſtiani imperium & judicia publica obtinent, ac fuit cum religionis extranei tribunalia obtinerent. Neque tamen negandum eſt in Chriſtianorum imperiis dilectioni plerunque rectiùs conſuli per amicas diſceptationes, quàm per litium moras, odii nutrices. Adde quod & minùs ſæpe damni eſt de ſuo cedere in tempore, quàm litem pertinaciter proſequi, quantumvis certa victoriæ ſpe. At ſi quis ſimul expendat quantum ſit negotii ſermonem Divinum rectè diſpenſare, quod ut rectè facere poſſent ipſi Apoſtoli, tanto inſtructi Spiritu, curam pauperum aliis delegavere, facilè intelliget quosvis alios potiùs adhibendos componendis privatorum controverſiis, quàm eos quos docendi munus occupat. Eſt quidem horum quoque, imo horum præcipuè diſcordias præcidere: ſed ſi id brevi admonitione fieri poſſit, quomodo Oneſimum Philemoni reconciliat Paulus, non ſi cauſæ ambages diſcutiendæ, & magno temporis diſpendio conſtabit res paucorum.

15. *ἀπὸ τῆς πλεονεξίας· ab avaritia*] Πλεονεξίαν [*avaritiam*] hîc, ut & alibi, apparet dici non *τὴν ἀδικίαν* [*injuſtitiam*], ut quibusdam placet, ſed ipſum illud habendi ſtudium, cujus ſpecies eſt *φιλαργυρίας* [*cupiditas pecuniæ*]. Nam ſicut occaſiones tutandæ familiæ negligi non vult Chriſtus, ita hoc impenſè agi ut habeamus quàm plurimùm, etiamſi abſit injuria, planè improbat. Præbuiſſe materiam huic ſermoni videtur ille de quo actum eſt paulò ante, qui cum à Chriſto petere debuiſſet vitæ æternæ præcepta, maluit auxilium ejus invocare ad ea obtinenda quæ ipſi fortè debebantur: at interim ne ad

caducam quidem hanc vitam erant ipſi neceſſaria. quod certum erat indicium plus æquo talia curantis animi.

ὅτι οὐκ ἐν τῷ περισσεύειν τινὶ ἡ ζωὴ αὐτοῦ ἐστιν ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῦ. *quia non in abundantia cujusquam vita ejus eſt ex his quæ poſſidet*] Hæc eſt receptior lectio, à qua mihi non videntur recedere vetuſti Interpretes. περισσεύειν [*abundantia*] omnino hîc ſumitur ἀμεταβάτως [*neutraliter*] ut apud Græcos ſæpe. ita Marcus XII, 44. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς [*ex eo quod abundabat illis*]. Noſter ſuprà cap. IX, 17. τὸ περισσεῦσαν αὐτοῖς [*quod ſuperfuit illis*], & XXI, 4. ἐκ τοῦ περισσεύοντος αὐτοῖς [*ex abundanti ſibi*]. Infinitivus autem more Græco ponitur vice nominis aut participii. Et ἐκ τῶν ὑπαρχόντων [*ex his quæ poſſidet*] tunc conſtruitur cum iſto περισσεύειν [*abundantia*] trajiciendi more Lucæ perquam familiari. Senſus eſt admodum popularis, *Vitam non juvari ex eo quod quis plus in bonis habeat, quàm ſatis ſit ad naturæ deſideria*: quem ſenſum ita exprimit Horatius:

Millia frumenti tua triverit area centum,
Non tuus hinc capiet venter plus, quam meus, ut ſi
Reticulum panis venales inter onuſto
Fortè vehas humero, nihilo plus accipias, quàm
Qui nil portarit. vel dic, quid referat intra
Naturæ fines viventi, jugera centum, an
Mille aret. At ſuave eſt ex magno tollere acervo.
Dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
Cur tua plus laudes cumeris granaria noſtris?
Vt, tibi ſi ſit opus liquidi non ampliùs urna,
Vel cyatho: & dicas, magno de flumine mallem,
Quàm ex hoc fonticulo tantundem ſumere.

Ariſtoteles Nicom. X, 9. οὐ γὰρ ἐν τῇ ὑπερβολῇ τὸ αὔταρκες οὐδ᾽ ἡ κρίσις οὐδ᾽ ἡ πρᾶξις [*quippe non eſt in exceſſu poſitum id quod ſatis eſt, ut nec judicium, nec actio*].

16. εὐφόρησεν ἡ χώρα· *uberes fructus ager attulit*] Rectè notat vir doctiſſimus idem eſſe Helleniſtis ἀγρὸν [*agrum*] & χώραν [*fundum*]: liquet id collatis Matthæi & Lucæ locis. Nam ubi ille dixit ἐν τῷ ἀγρῷ [*in agro*], XXIV, 18. hic dicit οἱ ἐν ταῖς χώραις [*& qui in regionibus ſunt*], XXI, 21. Ita & Iohannes IV, 35. θεάσασθε τὰς χώρας [*videte regiones*], & Iac. V, 4. τῶν ἀμησάντων τὰς χώρας ὑμῶν [*qui meſſuerunt regiones veſtras*]. Hinc & χωρεπισκόπων, [*Vicariorum Epiſcopi*] nomen.

17. Τί ποιήσω; *quid faciam?*] Ecce ut

Creſcentem ſequitur cura pecuniam.

ποῦ συνάξω τοὺς καρπούς μου; *quo congregem fructus meos?*] quaſi nuſquam eſſent quibus paſcendis poſſent impendi.

18. καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας καὶ μείζονας οἰκοδομήσω· *deſtruam horrea mea & majora faciam*]

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Ipſa proventuum ubertas majores ſecum impenſas trahit. Non horreis tantùm majoribus, ſed & famulis pluribus opus eſt qui iſta ſervent. Baſilius in ſermone περὶ πλεονεξίας [*de avaritia*], cum multa ſingulari facundia dicat in hoc vitium, tum illud eximiè ad hunc locum reſpiciens, Καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας καὶ μείζονας οἰκοδομήσω· ἐὰν δὲ καὶ ταύτας ἐμπλήσῃς, τί τότε ἄρα διανοηθήσῃ; ἢ που πάλιν καθαιρήσεις, καὶ πάλιν οἰκοδομήσεις; καὶ τί τούτων ἀνοητότερον, ἀπέραντα μοχθεῖν, οἰκοδομεῖν μετὰ σπουδῆς καὶ μετὰ σπουδῆς καθαιρεῖν; [*Diruam horrea mea & majora conſtruam. Ea verò ſi impleveris, quid fiet? rurſumne demolieris & ædificabis rurſum? Quid eſt ergo hoc infinito labore ſtudioque modò ædificandi mox deſtruendi dementius*]? Adeò illud Solonis verum,

πλούτου δ᾽ οὐδὲν τέρμα πεφασμένον ἀνδράσι κεῖται.
[*Meta ſtudere opibus non eſt mortalibus ulla*].

τὰ γεννήματά μου, *quæ nata ſunt mihi*] Γέννημα eſt καρπὸς [*fructus*] inquit Phrynicus. Solent ita LXX vertere Hebræum תבואה ut Exodi XXIII, 10, & alibi. Veriùs dixiſſet τὰ γεννήματα τῆς γῆς [*fructus terræ*], communis hominum nutricis.

καὶ τὰ ἀγαθά μου, *& bona mea*] Non ſine causâ hoc additum. Nam id hominum genus divitias *bona* appellat, non tantùm populari loquendi modo, ſed quòd nihil melius iſtis exiſtimat. Vetus eſt controverſia inter Stoicos & Peripateticos, an omnino res iſtæ *bonorum* nomine ſint nuncupandæ. Cicero Stoicos in paradoxis ſequens ait *ſe requirere Majorum prudentiam, qui iſta imbecilla & commutabilia pecuniæ membra* bona *appellâſſent*: à qua ſententia non abeunt veteres Chriſtiani. Nam quanquam & Sacris literis res iſtæ *bona* interdum appellantur, id tamen cenſent fieri non propriè, ut ſenſiſſe videntur Peripatetici, ſed propter ſimilitudinem quandam cum veris bonis. Quare ſicut aliis in partibus à Stoicis longè abeunt, ita hîc eorum orationem probant. Tatianus in Ariſtotele reprehendit ὅτι τὴν εὐδαιμονίαν ἐν οἷς ἠρέσκετο περιέγραψε λίαν ἀπαιδεύτως [*quod felicitatem iis quibus delectabatur circumſcripſit ineruditiſſimè*]. Idem videre eſt apud Clementem Alexandrinum non uno loco: ut Strom. II. τίνα δὲ τὰ φοβερὰ ὁ νόμος καταγγέλλει, θεασώμεθα· εἰ μὲν τὰ μεταξὺ ἀρετῆς καὶ κακίας, οἷον πενίαν, καὶ νόσον, καὶ ἀδοξίαν, καὶ δυσγένειαν καὶ ὅσα παραπλήσια, ταῦτα μὲν καὶ οἱ κατὰ πόλιν νόμον προτείνοντες ἐπαινοῦνται, καὶ τοῖς ἐκ περιπάτου τρία γένη τῶν ἀγαθῶν εἰσηγουμένοις καὶ τὰ τούτων ἐναντία λογιζομένοις εἶναι κακὰ ἁρμόδιος ἥδε ἡ δόξα· ἡμῖν δὲ ὁ δοθεὶς νόμος τὰ τῷ ὄντι κακὰ ἀποφεύγειν προστάττει, μοιχείαν, ἀσέλγειαν, παιδεραστίαν, ἄγνοιαν, ἀδικίαν, νόσον ψυχῆς, (ita diſtingui locus hîc debet malè conceptus in editis libris) θάνατον, οὐ τὸν διαλύοντα ψυχὴν ἀπὸ σώματος, ἀλλὰ τὸν διαλύοντα ψυχὴν ἀπὸ ἀληθείας. [*Videamus porrò quæ ſint ea quæ Lex metuenda eſſe dicit. Nam ſi ea quæ inter virtutem ac vitium intermedia ſunt, metui vult, paupertatem putà, morbum, ignominiam, obſcuritatem generis, & quæcumque his ſimilia ſunt: laudantur omnium penè civitatum leges quum hæc pro malis habeant: deinde hæc opinio cum Peripateticorum ſententiâ coincidit, qui tria genera bonorum ſtatuunt, quæque his contraria ſunt mala exiſtimant. Quæ verò nobis data eſt Lex, ea effugere jubet quæ verè ſunt mala, adulteria, laſciviam, maſculam venerem, ignorantiam, injuſtitiam, animi morbum omnem, mortem, non quæ à corpore, ſed quæ à veritate animam ſeparet*]. Alibi dicit τριττὰ εἶναι ἀγαθὰ οἱ περιπατητικοὶ θέλουσι [*trium generum eſſe bona Peripatetici volunt*]. Ipſe Sacrarum literarum ductum ſequens *bona* vocat, non ſimpliciter, ſed cum additamento, *bona terræ*. Ita enim ait Pædag. III, ἣν δὲ εἰσακούσητέ μου, τὰ ἀγαθὰ τῆς
φάγεσθε, ὁ παιδαγωγὸς πάλιν λέγει· γῆς ἀγαθά,
ἀνθρώπ

ἀνθρώπεια ὀνομάζων καλὰ, τὸ κάλλος, τὸν πλοῦτον, τὴν ὑγίειαν, τὴν ἰσχὺν, τὴν τροφήν· ἀγαθὰ μὲν γὰρ ὄντως, ἃ οὔτε οὖς ἤκουσεν, οὔτε ἐπὶ καρδίαν ἀνέβη ποτὲ, περὶ τὸν ὄντως ὄντα Βασιλέα, τὰ ὄντως ὄντα, ἀγαθὰ ὄντα, καὶ ἀναμένοντα ἡμᾶς. [*Quod ſi me audieritis, veſcemini* bonis terræ, *ait rurſum Pædagogus :* terræ bona *ea vocat quæ in hac vitâ præclara exiſtimantur, formam, opes, bonam valetudinem, vires corporis, victum. Verè enim bona ſunt ea quæ neque auris audivit unquam, quæque nemini unquam in mentem venere: quæ circa verum illum Regem ſunt : quæ & verè ſunt, & ſunt bona, & nos manent.* Origenes adversùs Celſum libro quarto ait: τὴν κακίαν εἶναι τὸ κακὸν, καὶ τὰς κατ᾽ αὐτὴν πράξεις, καὶ ἄλλο οὐδὲν ὡς πρὸς ἀκριβῆ λόγον [*vitium actionesque quæ exinde reſultant eſſe malum, & præterea nihil, accuratè loquendo*]. Libro autem ſextô paupertatem, morbos & id genus alia ait, καταχρηστικῶς ὀνομάζεσθαι κακά [*per tropum duriorem vocari mala*]. Idem eruditè & ſubtiliter de boni malique nominibus diſputat ad Pſalm. IV, poſt longam Peripateticorum refutationem ita ſcribens: ἀλλ᾽ ἐπείπερ ἐστὶν ἐν τῷ φράζειν ὁτὲ μὲν κυριολεκτεῖν, ὁτὲ δέ που καταχρῆσθαι, οὐ θαυμαστὸν εἴ ποτε εὑρήσομεν τὴν τῶν ἀγαθῶν καὶ κακῶν προσηγορίαν κειμένην ἐπὶ τῶν σωματικῶν. [*Verùm cùm quandoque propriè loquamur, quandoque verbis etiam nonnunquam duriuscule abuti ſoleamus: non mirum, ſi quando bonorum & malorum appellationem ad corporea accommodari videamus*]. Sæpe ψευδώνυμα ἀγαθὰ, [*falsò dicta bona*] hæc bona vocant Græci Scriptores. Salvianus *ea quæ falsò dicuntur bona*. His oppoſita vocat κακὰ τὰ παρὰ πολλῶν νομιζόμενα [*quæ multi mala putant*] Theodoretus. Chryſoſtomus in caput V. ad Epheſios, τί δὲ ἡ νόσος; τί δὲ ἡ πώρωσις; οὐδὲν ἐστι ταῦτα, ἄνθρωπε· ἓν μόνον ἐστὶ κακὸν, τὸ ἁμαρτάνειν, [*quid autem morbus eſt? quid excæcatio? nihil hæc ſunt, ô homo; unum tantùm eſt* malum, *peccatum ſcilicet*].

19. ἐρῶ τῇ ψυχῇ μου, *dicam animæ meæ*] *Tunc*, inquit, *fruar partis, cum horrea auxero*: at id facere jam licebat. Vetus eſt dictum,

Cras ſerum eſt vivere, vive hodie.

Pyrrhum, cum Siciliam, Africam atque alia ſpe ſuâ devoraret, interrogavit Cyneas quid ſi ea proceſſiſſent facturus eſſet: *poſtea vivemus*, inquit: *At hoc jam licet* reſpondit Cyneas.

εἰς ἔτη πολλά. *in annos plurimos*] At nemo tam fœlix,

Craſtinum ut poſſit ſibi polliceri.

Vide Iac. IV, 14.

ἀναπαύου. *requieſce*] Sentit ex ipſo ſollicitudinum cruciatu quàm dulcis ſit quies quam præſtare ſibi non poteſt.

εὐφραίνου. *epulare*] Hæc vox hoc quidem loco ad alias omnes voluptates referenda videtur quæ ſunt extra eſum potumque. Reſpondet Hebræo שְׂמַח [*lætari*] ut videre eſt in Eccleſiaſte XI, 9.

20. Εἶπε δὲ αὐτῷ ὁ Θεὸς, *dixit autem illi Deus*] Non revelando, ſed *decernendo*. Decretum autem κατ᾽ ἀποστροφὴν [*per averſionem*] ſignificanter admodum enuntiatur, ut Prov. I, 26.

Ἄφρων, *ſtulte*] Similis illi qui Nabal nomine & re. I Sam. XXV.

ἀπαιτοῦσι, *repetunt*]. Fruſtra quærunt veteres de quibus hoc dicatur. Eſt enim perſonale pro imperſonali, ut activum pro paſſivo, *repoſcetur anima tua*: Bene autem dixit *repoſcetur*, quia,

Vita data eſt utenda, data eſt ſine fœnore nobis
Mutua.

ἃ δὲ ἡτοίμασας, τίνι ἔσται; *quæ autem paraſti cujus erunt*]? *Non tibi certè, qui iſta moriturus non auferes, ſed alii uſum ſui præſtabunt.* Non poterat efficacius derideri ſtoliditas avara, quæ conjunctam habet invidentiam, quàm cum oſtenditur eventurum quod malorum ipſi maximum videtur, ut rebus ejus fruatur alius. Bene mimus,

Avarus, niſi cum moritur, nil rectè facit.

Suis nimirum inſtar, cujus nulla pars ullum ſui uſum præbet niſi poſt mortem. Scriptor Eccleſiaſtici XI, 18.19. Ἔστι πλουτῶν ἀπὸ προσοχῆς καὶ σφιγγίας αὐτοῦ, καὶ αὕτη ἡ μερὶς αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ μισθοῦ ἐν τῷ εἰπεῖν αὐτὸν, εὗρον ἀνάπαυσιν, καὶ νῦν φάγωμαι ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν μου ἀδιαλείπτως, καὶ οὐκ οἶδε τίς καιρὸς παρελεύσεται αὐτὸν, καὶ καταλείψει αὐτὰ ἑτέροις. [*eſt qui locupletatur parcè agendo, & hæc eſt pars mercedis illius, in eo quod dicit: inveni requiem & nunc manducabo de bonis meis ſolus: & neſcit quod tempus præteriet, & relinquet omnia aliis*]. Sunt & lepida in hanc rem Græcorum epigrammata,

Πλουτεῖν φασί σε πάντες, ἐγὼ δέ σε φημὶ πένεσθαι,
Χρῆσις γὰρ πλούτου μάρτυς Ἀπολλόφανες.
Ἂν μετέχῃς αὐτῶν οὐ, σὰ γίγνεται. ἂν δὲ φυλάττῃς
Κληρονόμοις, ἀπὸ νῦν γίγνεται ἀλλότρια.
Πλοῦτον μὲν πλουτοῦντος ἔχεις, ψυχὴν δὲ πένητος·
Ὦ τοῖς κληρονόμοις πλούσιε, σοὶ δὲ πένης.

[*Sis aliis dives; certè mihi pauper haberis:*
Divitias uſus monſtrat, Apollophanes.
Vteris ipſe bonis? tua ſunt. Heredibus autem
Quæ ſervas, jam nunc hæc aliena puto.
Divitiis locuples, animo ſed paupere vivis,
Heredi dives, pauper at ipſe tibi.]

Accedat tertium non minùs elegans,

Εἰ μὲν ζῇς ἐλάφου ταναὸν χρόνον ἠὲ κορώνης,
Συγγνώμη πλεῖστον πλοῦτον ἀγειρομένῳ.
Εἰ δέ τις ἐσσὶ βροτῶν οὓς αὐτίκα γῆρας ἰάπτει,
Μή σε γ᾽ ἀπειρεσίων οἶστρος ἕλῃ κτεάνων,
Μὴ σὺ μὲν ἀτλήτοισιν ἐν ἄλγεσι θυμὸν ὀλέσσῃς,
Χρήσωνται δ᾽ ἄλλοι σοῖς ἀγαθοῖς ἀνέδην.

[*Tantas unus opes? ſed poſſem ignoſcere, corvi*
Cornicisve dies ſi tibi fata darent.
At ſi hominum è numero es, quibus eſt feſtina ſenectus
Diſtendi immenſis parce cupidinibus.
Ne tua carnifices conſumant corda dolores,
Deque tibi partis vivere des aliis].

Phædrus,

Tibi dico, avare, gaudium heredis tui.

Martialis,

Rape, congere, aufer, poſſide: relinquendum eſt.

21. οὕτως ἔσται, *ſic eſt*] Talem habet ſtultitia exitum.

καὶ μὴ εἰς Θεὸν πλουτῶν, *& non eſt in Deum dives*] Omnino arbitror πλουτῶν [*qui eſt dives*], idem eſſe quod θησαυρίζων [*theſauros colligens*], ac proinde εἰς Θεὸν [*in Deum*] idem quod παρὰ Θεῷ [*apud Deum*]. Sic illis evenit qui ſibi opes accumulant ac non laborant ut apud Deum opes repoſitas habeant, opera ſcilicet miſericordiæ, quos θησαυροὺς ἐν οὐρανῷ [*theſauros*

[*theſauros in cælo*] alibi vocat Chriſtus, Matth. VI, 20. atque etiam hic infrà 33. πλουτεῖν ἐν ἔργοις καλοῖς [*divites fieri in bonis operibus*] dixit Apoſtolus ad Timoth. VI, 18.

24. τοὺς κόρακας, *corvos*] Cum volucres in genere nominaverit Matthæus, non fruſtra eſt quod Lucas *corvos* ſpecialiter expreſſit. Nam circa *corvorum pullos* ſpecialem Dei curam Iobus & Pſalmographus prædicant. Quod quomodo exponant Hebræorum Magiſtri ab aliis notatum eſt. Certè Ariſtoteles non uno loco notat *pullos corvorum à ſuis parentibus nido expelli.*

ταμεῖον, *cellarium*] *Cellam penariam* dixit Cicero.

26. Εἰ οὖν οὔτε ἐλάχιστον δύνασθε, *ſi ergo neque quod minimum eſt poteſtis*] Id eſt, τὸ ἔλασσον [*id quod minùs eſt*]. Minus eſt ſtaturæ aliquid adjicere quàm vitam conſervare: ſi illud non eſt in veſtra poteſtate, certè nec hoc quidem eſt. Quare ne putate vitam veſtram ideo eſſe tutiorem, quod tantam rerum congeratis copiam. Vita veſtra in Dei eſt manu, qui æterna curantibus non patietur deeſſe temporalia, dum mortale hoc ævum agitis. Videmus & divites mori, & pauperes multos ſupervivere. Vide ad Matthæum.

περὶ τῶν λοιπῶν, *de cæteris*] *De reliquis quæ æquè ſunt in manu Dei poſita.* ita & Syrus accepit.

29. μὴ μετεωρίζεσθε. *nolite in ſublime tolli*] *Ne pendete animi, ne diſtrahimini cogitationibus*, ut vertit Syrus: Nec malè Theophylactus μετεωρισμὸν interpretabatur τὸν περισπασμὸν καὶ τὴν τοῦ λόγου ἄστατον περιφορὰν [*anxiam curam & vagum mentis errorem*], non elationem animi, ut quibusdam placet, ſed anxietatem inter ſpem metumque miſerè fluctuantem. Sic μετεωρισμοὶ ὀφθαλμῶν Syr. XXVI, 12. *oculorum vibratio.*

32. τὸ μικρὸν ποίμνιον· *puſillus grex*] Omnes eos affatur qui diſciplinæ ſuæ ſeriò ſe tradiderant, aut tradituri eſſent: quos *gregem* vocat, ut Deum non communi tantùm modò, ſed peculiari ſuum eſſe paſtorem meminerint Pſalm. XXIII, 1. *Parvum* autem *gregem*, id eſt, *contemtum, pauperem, ignobilem, minimè munitum iis præſidiis quibus cæteri confidunt.* Ita optimè hæc conſolatio cum ſermone priori cohæret.

εὐδόκησεν ὁ πατὴρ, *complacuit Patri*] Benevolentiæ ſignificatio ex rei natura, non ex vi vocis hîc locum habet. Nam εὐδόκησε cùm infinitivo jungitur nihil aliud eſt quàm *viſum eſt illi*, ut alibi notavimus.

δοῦναι ἡμῖν τὴν βασιλείαν. *dare vobis regnum*] Æternum illud regnum quod cibi & potûs nomine deſcribi ſolet, quantò magis ergo dabit ævi hujus brevis viaticum! id eſt,

> *Queis humana ſibi doleat natura negatis.*

33. Πωλήσατε τὰ ὑπάρχοντα ὑμῶν, καὶ δότε ἐλεημοσύνην. *Vendite quæ poſſidetis, & date eleëmoſynam*] Hebræus mos loquendi. Senſus eſt, *Potiùs quàm immiſericordes ſitis in egenos, ipſa rerum corpora divendite, tantum abeſt ut quicquid de fructibus redundat, illis invideatis, quemadmodum fecit dives ille paulò ante memoratus.* Simile loquendi genus reperies infrà XXII, 36.

βαλάντια, *ſacculos*]Ita Lucas vocat quas ζώνας[*zonas*] Matthæus, ut vidimus ſupra cap. x. Quod ad rem attinet idem ſignificant βαλάντια [*ſacculi*] quod θησαυροὶ [*theſauri*]; Niſi quod θησαυροὶ [*theſauri*] ſint majoris quantitatis aut pretii, βαλάντια [*ſacculi*] minoris.

35. αἱ ὀσφύες περιεζωσμέναι, καὶ οἱ λύχνοι καιόμενοι· *Lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes*] Omnino puto hæc verba pertinere ad eam ſimilitudinem quæ in ſequenti commate explicatur. Nam qui dominum exſpectant, & ad miniſterium obeundum altè cincti eſſe debent, &, ſi nox eſt, lumina habere parata, ne quid in mora ſit, cum dominus advenerit. Non tantùm militum & iter facientium, ſed & miniſtrantium eſt περιζώσασθαι τὰς ὀσφύας [*præcingi lumbos*], ut commate 37 apparet, & Iohann. XIII, 4. hinc *altè cinctos atrienſes* dixit Phædrus Odyſſeæ ξ.

> Ὣς εἰπὼν, ζωστῆρι θοῶς συνέεργε χιτῶνα.
>
> [*Sic fatus, tunicam zonâ circum illico ſtrinxit*].

ubi Euſtatius σπουδῆς δηλωτικόν [*ſignum feſtinationis*]. Servius ad VIII Æneid. *præcinctos ſtrenuos dicimus.* Horatius, *altiùs ac nos præcinctis unum.* Eidem, *puer altè cinctus.* Petronio, *ſtatores & altiùs cincti.* unde & Græcè εὔζωνος appellatur non *qui bonam zonam habet* ſed *ſtrenuus.* Philo libro de Abele & Caino, τὰς ὀσφῦς περιεζωσμένους [*præcinctos lumbis*] interpretatur ἑτοίμως πρὸς ὑπηρεσίαν ἔχοντας [*expeditos ad miniſtrandum*]. quo loco Paſchalem cæremoniam commemorat, ad quam hîc quoque alluſum videri poteſt.

37. περιζώσεται, καὶ ἀνακλινεῖ αὐτοὺς, *præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere*], Vt Saturnalibus Romæ fiebat. Senſus eſt, *honorem illis habebit novum atque inſolitum.* neque ultra premendæ partes comparationis.

παρελθὼν, *transiens*] *Accedens propiùs*, ut infrà XVII, 7. & idem Actor. XXIV, 7.

38. καὶ εὕρῃ οὕτω, *& ita invenerit*] Repeti debet γρηγοροῦντας, *ita vigilantes*, ut ſive intempeſtâ nocte, ſive conticinio veniat paterfamilias, promptos eos paratosque ſit inventurus, infrà XXI, 36. ἀγρυπνεῖτε ἐν παντὶ καιρῷ [*vigilate omni tempore*].

εὕρῃ, *invenerit*] Id eſt, εὕρῃ ἂν, *inventurus ſit.*

41. πρὸς ἡμᾶς τὴν παραβολὴν ταύτην λέγεις, ἢ πρὸς πάντας; *ad nos dicis hanc parabolam, an & ad omnes*] ? Rectè hinc colligi puto, cùm prior fabula ad omnes pertinuiſſet, unde & apud Marcum ei ſubjicitur, ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω, γρηγορεῖτε [*quod vobis dico, omnibus dico, Vigilate*] alteram à Chriſto adjectam, quæ Paſtores Eccleſiarum propriè tangeret.

42. Τίς ἄρα ἐστὶν; *quis, putas, eſt*] ? ὑποθετικὸν [*hypotheticum*], ut aliquoties diximus.

καταστήσει, *conſtituet*] Futurum vice ἀορίστου [*indefiniti temporis*], κατέστησε [*conſtituit*] Matthæus quaſi dicat, *ſi quis ſervus conſtituatur diſpenſator familiæ, felix erit ſi munus ſuum rectè obeat.*

σιτομέτριον; *tritici menſuram*]? Sic σιτομετρεῖν [*triticum menſurare*] dixere LXX Gen. XLVII, 12.

46. διχοτομήσει αὐτὸν, *dividet eum*] διχοτομεῖν hoc loco *ſegregare* vertit Tertullianus, ad ſenſum non malè. Vide quæ ad Matthæum.

47. Ἐκεῖνος δὲ ὁ δοῦλος ὁ γνοὺς τὸ θέλημα, *Ille aute ſervus qui cognovit voluntatem*] Cum duplicem fa-

bellam Chriſtus propoſuiſſet, alteram quæ ad Chriſtianos omnes, alteram quæ ad Eccleſiarum Præpoſitos pertineret, oſtendit jam in quo conveniant iſta aut disconveniant. Conveniunt in eo quod tam ἰδιῶται [*plebæi*] quàm προεστῶτες [*Præpoſiti*] plectentur, niſi officium ſuum fecerint: disconveniunt in eo quòd οἱ προεστῶτες [*Præpoſiti*] plectentur graviùs, ut quibus communiter major atque exactior data ſit ſcientia omnium eorum quæ ἐμμέσως [*mediatè*] aut ἀμέσως [*immediatè*] ad ſalutem pertinent. Quanquam autem hac occaſione hanc ſententiam Chriſtus protulerit, vis tamen ejus latiùs patet, ut ex ſubjecta ratione intelligi poteſt. Ratio enim quæ ſubjungitur hæc eſt, *Quod æquum ſit multum ab eo reddi qui multum acceperit.* Quare non omnino malè quidam hæc extendunt ad comparandos inter ſe eos qui Euangelii verbum acceperunt, & eos ad quorum aures id ipſum non pervenit. Nam de iis qui audito Euangelio non obediunt dixit Petrus II Epiſt. II,21. κρεῖττον ἦν αὐτοῖς μὴ ἐπεγνωκέναι τὴν ὁδὸν δικαιοσύνης [*melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ*]. Salvianus libro II. de Providentia, *Ac per hoc intelligimus culpabiliores nos multò eſſe qui Legem Dei habemus & ſpernimus, quàm illos qui nec habent omnino nec norunt.* Vbi & alia præclarè dicta in hanc rem. Non poſſunt quidem ullæ gentes ignorare ea quæ Natura quodammodo ipſa hominibus dictat, ſed non norunt certa revelatione, quæ præmia virtuti, quæ pœnæ vitiis ſint conſtitutæ: quanquam conjecturâ fortè, & veteri traditione aliquid etiam hujus aſſequuntur, ſed quod cum ea notitia quæ nobis Chriſti munere conceſſa eſt, minimè ſit conferendum. Tertullianus libro de Pœnitentia, *Cum etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna (quia Deum in aperto conſtitutum & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorare non licet) quantò cognitum deſpici periculoſum eſt?* Pro modo ſcientiæ culpam augeri aut minui etiam Philoſophi notant. Extat quoque Philonis dictum ea de re contra Flaccum, Τῷ μὲν γὰρ ἀγνοίᾳ τοῦ κρείττονος διαμαρτάνοντι, συγγνώμη δίδοται· ὁ δ᾽ ἐξ ἐπιστήμης ἀδικῶν ἀπολογίαν οὐκ ἔχει, προεαλωκὼς ἐν τῷ τοῦ συνειδότος δικαστηρίῳ [*Nam qui per ignorantiam peccat, meretur veniam: qui verò prudens ſciensque facit injuriam, excuſationem non habet, prædamnatus judicio conſcientiæ*]. Iacobus Apoſtolus IV, 17. εἰδότι τὸ καλὸν ποιεῖν καὶ μὴ ποιοῦντι ἁμαρτία αὐτῷ ἐστιν [*ſcienti bonum facere & non facienti peccatum eſt illi*]. Salvianus: *Minoris criminis reatus eſt Legem neſcire quàm ſpernere.* Et alibi: *Ignoſci aliquatenus ignorantiæ poteſt: contemtus veniam non habet.*

μὴ ἑτοιμάσας, *non præparavit*] Supple πρὸς τὸ ποιεῖν [*ad agendum*]. Bene autem hoc additur. nam qui ad faciendum ſe comparat, etiamſi faciendi tempus aut occaſio deſit, extra pœnam eſt. Hieronymus ad XII. Matthæi, *In Lege opera requiruntur quæ qui fecerit, vivet in eis. In Euangelio voluntas quæritur: quæ etiamſi effectum non habuerit, tamen præmium non amittit.*

δαρήσεται πολλάς· *vapulabit multis*] Sic Ariſtophanes Nubibus loquitur τυπτόμενος πολλὰς [*multis verberatus*], & Xenophon V. Exped. ἀνέκραγον πάντες ὡς ὀλίγας παίσειε [*exclamaverunt omnes, ut paucis eum plagis cæderet*]. Et Demoſthenes De falſa legatione, ξαίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλάς [*multis ei plagis cædit tergum*]. Secutus Procopius Vandalicorum primo: ξαίνοντες κατὰ τοῦ νώτου πολλάς [*terga cædentes multis plagis*]. Vt puræ Græciæ locutionem hîc non minùs quàm alibi in Luca agnoſcas. Alluditur autem ad Legem Deut. XXV, 2.

48. μὴ γνοὺς, *qui non cognovit*] Tarditate ingenii, aut Doctorum negligentiâ, aut alia gravi de cauſa, modò ne ſtudio quæſita ſit ignorantia, quæ de culpa nihil deterit.

ἐδόθη, *datum eſt*] In ſuos uſus.

ᾧ παρέθεντο πολὺ, περισσότερον αἰτήσουσιν αὐτόν. *cui commendaverunt multum, plus petent ab eo*] Rurſum perſonale pro imperſonali. Senſus eſt, *Cui commendatum eſt multum*, in uſus ſcilicet alienos, *plus ab eo repoſcetur quàm ab eo qui minus commendatum accepit.* Huc pertinet quod apud Petrum eſt I Epiſtola IV, 10.

49. Πῦρ ἦλθον βαλεῖν εἰς τὴν γῆν, *ignem veni mittere in terram*] Cum quæ ſequuntur omnia ad perſecutiones Verbi cauſâ orituras pertineant, Tertulliano aſſentior locum hunc ſic exponenti: *Ipſe melius interpretabitur ignis illius qualitatem, adjiciens, Putatis me veniſſe pacem mittere in terram? Non, dico vobis, ſed ſeparationem.* Et mox, *Quale prælium, tale & incendium, qualis machæra, talis & flamma.* Bene autem igni comparatur quicquid adverſum animos explorat Petr. I Epiſt. I, 7. ἵνα τὸ δοκίμιον ὑμῶν τῆς πίστεως πολὺ τιμιώτερον χρυσίου τοῦ ἀπολλυμένου, διὰ πυρὸς δὲ δοκιμαζομένου, εὑρεθῇ εἰς ἔπαινον καὶ τιμὴν καὶ δόξαν [*ut probatio veſtræ fidei multò pretioſior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem & gloriam & honorem*] Menander:

χρυσὸς μὲν οἶδεν ἐξελέγχεσθαι πυρί,
Ἡ πρὸς φίλους δ᾽ εὔνοια καιρῷ κρίνεται.
[*Aurum ſpectatur ignis teſtimonio,*
At amicus certus in re incerta cernitur.]

Ovidius:

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt experienda fides.

Sed & extra hanc comparationem *res adverſæ* non minùs *igni* quàm *diluvio* comparantur, Pſalm. LXVI, 12. Eſaiæ XLIII, 2. Dicit autem Chriſtus ideo ſe veniſſe, non quod hoc primariò Deus velit, ſed quod conſpectis hominum malorum ingeniis & ſecutura inde ſævitia, non tamen propterea deſtiterit verum ſpargere, uſurus ſcilicet etiam malorum operâ ad nominis ſui gloriam & Eccleſiæ purgationem. Πάντες, inquit Paulus II Timoth. III, 12. οἱ θέλοντες εὐσεβῶς ζῆν ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ διωχθήσονται [*qui piè volunt vivere in Chriſto Ieſu perſecutionem patientur*].

καὶ τί θέλω; *& quid volo*]? Interrogationis notam apponendam cenſeo. Nam his in rebus nulla nos codicum auctoritas obſtringit, cùm veteres libri fuerint ἀδιάστικτοι [*ſine notis diſtinctionum*]. Senſus eſt, *Quid autem eſt quod opto?* Nam interrogatio ſubjecta reſponſione vehementiùs affirmat. Nec aliter videtur legiſſe & accepiſſe Theophylactus.

εἰ ἤδη ἀνήφθη; *niſi ut accendatur*]? Ita habent omnes antiqui codices à quibus nulla eſt cauſa recedendi.

Locus autem eſt hactenus minùs rectè intellectus, quia non eſt animadverſum εἰ *etiam* addito indicativo apud Helleniſtas idem valere quod *utinam*. Lucas infrà XIX, 42. εἰ ἔγνως καὶ σὺ, *utinam tu quoque noviſſes*. & XXII, 42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν [*utinam auferre velles*]. Septuaginta Num. XXII, 29. εἰ εἶχον μάχαιραν ἐν τῇ χειρί μου, *Vtinam machæra mihi eſſet in manu*. Ioſ. VII, 7. εἰ κατεμείναμεν καὶ κατῳκίσθημεν παρὰ τὸν Ἰορδάνην, [*utinam remanſiſſemus & habitaviſſemus trans Iordanem*]. Iob. XVI, 4. εἴ τ' ἐναλοῦμαι ὑμῖν ῥήμασι [*utinam conſolarer vos ſermonibus*]. Eſaiæ XLVIII, 18. εἰ ἤκουσας τῶν ἐντολῶν μου, *Vtinam attendiſſes præceptis meis*. Syrus, quanquam ſunt qui aliter accipiunt, mecum facit. Nam אלו pro *utinam* poni Syris ſolet, ut apparet dicto loco Luc. XIX, 42. Reſpondet enim Hebræo לו vel לוא [*utinam*]. Vertenda igitur hæc verba, *Vtinam jam jam accendatur*, ignis ſcilicet ille exploraturus & purgaturus Chriſti gregem. Quod Latinus vertit, *Quid volo, niſi ut accendatur?* in eo ſenſum rectè expreſſit, verba non annumeravit: quomodo & Syrus interrogationem præſentem reſolvit in nudam affirmationem, pari libertate quâ commate ſequenti πῶς reddidit *multùm*. Verſiones Latinæ hâc vulgata vetuſtiores habebant *quàm volo ut ardeat!* aut *quàm volo ut accendatur!* Ad ſenſum rectè. Sed verbis ne hoc quidem exactè reſpondet. Nam ut τί [*quid*] pro πόσον [*quantum*] ponatur exemplum deſidero. Certè ex illis verſionibus aliter lectum olim in Græcis codicibus quàm nunc legitur non ſatis validè evincas, cum paſſim Interpretes jus ſibi indulgeant ſenſu incolumi ab apicibus recedendi.

50. Βάπτισμα, *baptiſma*] Vide Matth. XX, 22. Marc. X, 38.

ἔχω βαπτισθῆναι, *habeo baptizari*] *Primùm in me ipſo, deinde in ſectatoribus meis*. Nam quod illis fit ſibi fieri Chriſtus dicit Act. IX, 4.

πῶς συνέχομαι ἕως οὗ τελεσθῇ, *quomodo coarctor uſquedum perficiatur*] Veteres Scriptores ſæpe utuntur teſtimoniis ex Scripturâ, ſed ita ut appareat codicem ab illis non inſpectum, cum tamen ſententiam ſatis rectè ex memoria reddant. Tale eſt quod hunc locum ita citat Irenæus, ἄλλο βάπτισμα ἔχω βαπτισθῆναι, καὶ πάνυ ἐπείγομαι εἰς αὐτό [*alio me baptiſmate oportet baptizari, & quò id fiat quantùm poſſum propero*]. Sic & Epiphanius adversùs Arianos locum hunc longè aliter citat quàm habet, additâ & poculi mentione ex hiſtoria Zebedæi: quod illi in aliis quoque locis citandis contingit, ut cùm citat ea quæ ſunt infrà XXIII, 41, & 44. Quare non eſt quòd eo nomine ſuſpecta nobis ſit recepta lectio. Videtur autem in verbo συνέχεσθαι [*coarctari*] tacita quædam eſſe ſimilitudo ſumta à prægnante muliere quæ ita partitudinem horret, ut tamen velit quàm primùm faſce ſuo levari.

51. ἀλλ' ἢ διαμερισμόν. *ſed ſeparationem*] Videntur exemplaria quibus uſus eſt Tertullianus ex Matthæo habuiſſe μάχαιραν [*gladium*]. Nam ipſe ſuſpicatur διαμερισμὸν [*ſeparationem*] ejus vice ſubſtitutum à Marcione, quod non ſit veriſimile. Nam διαμερισμὸν [*ſeparationem*] hîc conſtanter agnoſcunt Interpretes.

54. Ὅταν ἴδητε τὴν νεφέλην ἀνατέλλουσαν ἀπὸ δυσμῶν, εὐθέως λέγετε, Ὄμβρος ἔρχεται. *Cum videritis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis, Nimbus venit*]. Aratus Dioſemiis,

> Καὶ δὴ δυομένου τετραμμένος ἠελίοιο.
> Ἢν μέν ὑποσκιάῃσι μελαινομένη εἰκυῖα
> Ἠέλιον νεφέλη, ταὶ δ' ἀμφί μιν ἔνθα καὶ ἔνθα
> Ἀκτῖνες μεσσηγὺς ἐλισσόμενοι διχόωνται
> Ἤ τ' ἂν ἔτ' εἰς ἠῶ σκέπαος κεχρημένος εἴης.
> —— *Et ſolem moneo ſpectare cadentem.*
> *Nam ſi nigræ obiens condatur carcere nubis*
> *Phœbus, & exiguo radii fulgore micantes*
> *Immenſum nebulis circumfundantur in orbem,*
> *Non erit alterius melior fortuna diei.*

Cauſas naturales vide apud Theonem.

55. Καὶ ὅταν νότον πνέοντα, λέγετε, Ὅτι καύσων ἔσται *& cum auſtrum flantem, dicitis, Quia æſtus erit*] Quia Iudææ ad meridiem calidiſſimæ regiones objacent Ægyptus & porrò Æthiopia, unde delati venti æſtum adferunt. Sic contra venti Septentrionales frigus dicuntur adferre Iob. XXXVII, 9.

56. τῆς γῆς, *terræ*] Nihil attulit de terræ ſignis, ſed facilè ſuppleri poteſt ex Ioh. IV, 35. & Matth. XXIV, 32.

καιρὸν τοῦτον, *tempus hoc*] *Adventum Meſſiæ* qui certa habebat ſigna à Vatibus pronuntiata. Vide quæ ad Matthæum.

57. Τί δὲ καὶ ἀφ' ἑαυτῶν οὐ κρίνετε τὸ δίκαιον; *quid autem & à vobis ipſis non judicatis quod juſtum eſt*]? *Non opus eſt à cœlo aut terra peti argumenta. A vobis ipſis exemplum ſumite. Neque enim tam ſtulti eſtis, ut in Iudicio contendere velitis cum eo qui certam habeat actionem nulla exceptione elidendam. Quod ſi talem creditorem in tempore placandum vobis cenſetis, quid ceſſatis cum ipſo Deo transigere, dum licet, dum æquas conditiones ipſe ultro offert?* Vſurpat quidem eandem ſimilitudinem Matthæus, ſed, ut fieri ſæpe diximus, ſenſu non planè eodem. ibi enim de mutuis hominum offenſis agitur. δίκαιον autem hîc non propriè eſt quod *juſtum* dicitur, ſed *quod fieri convenit*, quodque rationi eſt conſentaneum, ut Philipp. I, 7, & alibi. Id ipſum *verum* interdum Latini vocant & hîc Syrus.

58. ἐπ' ἄρχοντα, *ad Principem*] Ἐπὶ κριτὴν [*ad Iudicem*], ut apud Matthæum eſt & hîc infrà, niſi Romano more intelligere mavis Magiſtratum qui dandi Iudicis jus habet.

δὸς ἐργασίαν, *da operam*] Latiniſmum hunc rectè accipit Theophylactus, cum priorem adfert interpretationem hanc: *Omni modò hoc age ut libereris*. Quæ ipſa eſt Origenis. Nam poſterior Theophylacti interpretatio non minùs coacta eſt quàm quod Syrus hîc poſuit Latini ſermonis ignorantiâ, è quo tum multa loquendi genera in Græcum profluxerant.

ἀπηλλάχθαι ἀπ' αὐτοῦ, *liberari ab illo*] Sic ἀπαλλάττεσθαι τοῦ χρέους [*liberari à debito*] dixit Ariſtoteles. Putem rectè hîc verti, *ut ab eo te expedias*.

τῷ πράκτορι, *exactori*] Hebræum נגשים πράκτορας [*exactores*] vertunt LXX, ut Eſaiæ III, 12. Diximus ad Matthæum eum intelligi qui Latinè *Viat* dicitur. Demoſthenes, ὧν οὐδεὶς παραδέδωκε τοῖς πρά τορσι τὰ ὀνόματα [*quorum nomina nemo exactori tradidit*].

CAPV

CAPVT XIII.

1. Ἀπαγγέλλοντες, *nuntiantes*] Vt rem novam quæ tum fortè acciderat.

περὶ τῶν Γαλιλαίων, ὧν τὸ αἷμα Πιλάτος ἔμιξε μετὰ τῶν θυσιῶν αὐτῶν. *de Galilæis quorum ſanguinem Pilatus miſcuit cum ſacrificiis eorum*] Non in Galilæa: nullum enim ibi jus Pilato: non in Tyrathaba Samaritarum vico, ut quidam exiſtimant: nulla enim ſocietas Sacrorum Galilæis cum Samaritis. Adde, quod ne iſti quidem Samaritæ inter ſacra occiſi: nondum enim ad montem ſacris dicatum pervenerant. Ergo Hieroſolymis hæc acta. Quo Galilæi ſacrificandi causâ veniebant, Paſchate præſertim. Dubium autem non eſt quin Iudæ Gaulonitæ factio, ſicut ortum in Galilæa habuerat, ita & multos ibi habuerit defenſores, qui Hieroſolyma adventantes populum imbuebant opinionibus quæ Imperio Romano adverſabantur: inter quas & hæc erat, *non eſſe ſacra facienda pro Romanis*, cujus controverſiæ Ioſephus meminit. Omnino ergo credibile eſt, ut & Græcorum Interpretum plerique ſentiunt, hujus Sectæ fuiſſe quos Pilatus ſacris intentos (agno putà Paſchali) in ipſa rerum novarum molitione oppreſſerit: ſicut poſtea ab Alexandro Procuratore oppreſſi ſunt Iudæ illius filii. Hiſtoriam hanc à Ioſepho præteritam non magis mirum eſt quàm infanticidium Bethlehemiticum. Fuerit hoc fortè inter illa quorum Iudæi Pilatum apud Cæſarem accuſarunt. Ingenium Pilato fuiſſe ἀμείλικτον, [*crudele*] dicit Philo. Quod ſatis evincunt & Corbanæ invaſio, & invectio clypæorum, quæ mera erant populi irritamenta. Sub hoc Præſide ſi nemini impunè fuit θέσιν [*propoſitionem*] illam defendere, ὅτι οὐκ ἔξεστι κῆνσον δοῦναι Καίσαρι [*non licere dare cenſum Cæſari*], nemo mirabitur.

2. παρὰ πάντας τοὺς Γαλιλαίους, *præ omnibus Galilæis*] Solent quidem magnæ calamitates pœnæ eſſe peccatorum, quanquam nec id quidem eſſe perpetuum Chriſtus cæci exemplo nos docuit: ſed vulgus plerunque ulteriùs judicandi ſibi ſumit audaciam, ut illos cæteris flagitioſiores putet quibus cum pejus agitur, quam crudelem temeritatem multis caſtigat Iobus & Pſalmorum Scriptor. Meritò quidem: nam ſæpe viros extra communem aleam bonos Deus gravibus incommodis exercet. Neque id tantùm ſub Novo Federe (cujus hæc velut propria diſpenſatio eſt) ſed olim quoque, ut illius quem dicere cœperam Iobi, tum verò & Iacobi, Moſis, Davidis exemplo manifeſtiſſimum eſt, ut jam taceam Eſaiam atque eos qui ſub Antiocho mortem pro veri tuitione oppetiverunt. Sæpe etiam miſericors Deus ex magna malorum turba paucos ſeligit, quos cæteris eſſe velit oſtentui, in illis monſtrans quid omnes meruerint, ut in legionum decumatione fieri ſolet. Cyprianus: *Plectuntur interim quidam, quo cæteri corrigantur. Exempla ſunt omnium tormenta paucorum.* Salvianus: *Pius ſcilicet Deus partem percuſſit ſententiæ ſuæ gladio, ut partem corrigeret exemplo, probaretque omnibus ſimul & coercendo cenſuram & indulgendo pietatem.* Vbi & ſententiam hanc aliquot cæteris hiſtoriæ exemplis illuſtrat. Atque hujus ſunt generis Divina illa Iudicia de quibus hoc loco agitur.

ὅτι τοιαῦτα πεπόνθασιν; *quia talia paſſi ſunt*]? Neque enim dubium erat apud auditores, & animos Poteſtatum & cauſas naturales Divino conſilio ita gubernari, ut nihil evenire poſſet quod non Deus aut facere aut ſapienter permittere decreviſſet.

3. ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὡσαύτως ἀπολεῖσθε. *niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimiliter peribitis*] Tota ſermonis cohærentia, & quod de *ficu* ſequitur, certò mihi perſuadent de communi, & quidem aſpectabili pœna Iudæorum populo imminente hîc agi: quanquam illa ipſa pœnæ æternæ imaginem & omen geſſit. *Similiter*, inquit, *peribitis*. Vide quàm omnia congruerint. Paſchatis enim die occiſi ſunt, magna pars in ipſo templo pecudum ritu, ob eandem cauſam ſeditionis, quam falſo pietatis obtentu homines planè impii velabant.

4. ὁ πύργος ἐν τῷ Σιλωὰμ, *turris in Siloë*] Ita & apud Iohannem bis ſcribitur cap. IX. Sed & apud Ioſephum invenio ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφων πηγήν. [*ſupra Siloam avertens fontem*]. Nec aliter LXX Eſaiæ VIII, 6. Apparet ejus ſæculi morem fuiſſe, ut literas interdum fini dictionum adjicerent. Cum maſculino nomine ὁ Σιλωὰμ [*Siloam*] dicitur, videtur χείμαῤῥος [*torrens*] ſubaudiri. Iugem certè aquam fuiſſe negat Hieronymus. Lenem ejus fuiſſe fluxum produnt Iudæi & dicto Eſaiæ loco probatur. γλυκεῖαν καὶ πολλὴν πηγὴν [*dulcem & uberem fontem*] vocat Ioſephus, qui & munimenta urbis eouſque percurriſſe nos docet, inter quæ munimenta fuit turris illa, de qua hîc ſermo eſt.

ὀφειλέται, *debitores*] Syriſmus. Vide ſuprà XI, 4.

5. ἐὰν μὴ μετανοῆτε, πάντες ὁμοίως ἀπολεῖσθε. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis*] *Peribitis ſimili modò*, id eſt, inter ruinas urbis totius, cujus turris iſta imaginem gerit.

6. Συκῆν, *arborem fici*] Eadem ſignificatio quæ vineæ Matth. XXI, 33. Nec aliud indicatum Chriſtus voluit cum ficum ſterilem devoveret Matth. XXI, 19. Vinetum hîc eſt genus humanum omne, in quo ficus populus Iudaicus læta fronde ſpem de ſe egregiam præbens. Eſt comparatio non diſſimilis à ficu ſumta in Epicteto Arriani I, 15. Συκῆς μὲν καρπὸς ἄφνω καὶ μιᾷ ὥρᾳ οὐ τελειοῦται· Γνώμης δὲ ἀνθρώπου καρπὸν θέλεις οὕτω δι' ὀλίγου καὶ εὐκόλως κτήσασθαι; [*Ficûs fructus cum ſubitò unaque hora non perficiatur, animi humani fructum te tam brevi tamque facilè comparatum putas*]?

7. τρία ἔτη, *anni tres*] Qui hæc ad tres annos quibus Chriſtus docuerit referunt, parùm attendere videntur quod ſequitur de anno uno exſpectando. Neque enim Deus poſt Chriſti triennium pœnas Iudæorum à piis oratus in unum, ſed in quadraginta annos diſtulit. Quare tres annos ſatius eſt dictos intelligi, quod ficus quæ frugiferæ ſunt fructum longiùs non differant. Quibus tribus annis reſpondet omne tempus ante Baptiſtam & Chriſtum, quo Deus patientiſſimè exſpectavit Iudæorum emendationem. Vide Eſaiæ V.

καταργεῖ; *occupat*]? Syrus ipſum verbum poſuit quod hîc Græco exprimere Lucas voluit מבטלו [*impediens eſt eam*]. Nam בטל Syris & Magiſtris Hebræorum eſt *impedire*. Ficus multum ſucci è terra haurit, quod vitibus prodeſſe poterat, quin & ipſa ficûs umbra hominibus nocet. Iudæi eximiis à Deo beneficiis affecti pietate umbratica adeò cæteris gentibus utiles non erant, ut contra eorum vita homines cæteros à vera religione alieniores redderet. Τὸ γὰρ ὄνομα τοῦ Θεοῦ δι' ὑμᾶς βλασφημεῖται ἐν τοῖς ἔθνεσι [*nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes*], inquit Paulus Roman. II, 24.

8. *σκάψω περὶ αὐτὴν, fodiam circa illam*] Ablaqueatio ideo admovetur, ut ſummæ radices & ſolem & imbrem accipiant. Huic videri poſſunt reſpondere *χαρίσματα* [*dona*] illa quæ Apoſtoli & eorum adjutores Iudæis convertendis exercuerunt.

βάλω κοπρίαν· mittam ſtercora] Stercorantur arbores ut calefiant, ficus præſertim, ut quæ cæteris ſint frigidiores. Huic operæ non malè reſpondent magna illa incommoda famis, ſeditionum, atque alia quibus Deus Caji, Claudii Neroniſque temporibus, veternum Iudæis excutere conatus eſt. Vide quæ ad Matth. XXIV.

9. Κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν. *& ſiquidem fecerit fructum*] Subaudi ex ſuperiori commate ἄφες, *relinque*, aut, *bene eſt.*

εἰς τὸ μέλλον, in futurum] Probo hanc lectionem quam veteres codices tuentur, etiam Paulus hoc loquendi genere utitur 1 Tim. VI, 19. Syrus hîc legit εἰς τί μέλλει ζῆν; ἐκκόψεις αὐτήν [*cui bono vivet etiamnum? exſcindes eam*].

11. *πνεῦμα ἔχουσα ἀσθενείας, quæ habebat ſpiritum infirmitatis*] Poſſet quidem πνεῦμα [*ſpiritus*] Hebræorum more pro ipſo morbo accipi ſecundùm ea quæ alibi diximus: ſed cum infrà apertè dicatur a Satana immiſſum hoc malum, præſtat ita intelligi quomodo πνεῦμα ἄλαλον [*ſpiritum mutum*] dixit Marcus IX, 17. *dæmonium quod loquendi facultatem impediret.* Extra cauſas naturales morbos multos hominibus immitti per dæmonia vetus fuit Iudæorum opinio, ut ex Ioſepho etiam videre eſt, & Hebræorum Magiſtris ad Pſalm. XCI, 6. Confirmat id ipſum Iobi & Saulis hiſtoria & in Euangelio multæ narrationes.

συγκύπτουσα, inclinata] *Erat cernua.* non ergo ὀπισθοτονική, ut vult vir eruditus, ſed ἐμπροσθοτονική, non *in ſcapulas rigens*, ſed *in pectus*, ut Plinius iſta exprimit. Nazianzenus συγκύπτειν [*inclinare*] non malè exponit κάτω νεύειν [*deorſum vergere*]. Hoc ſenſu συγκύψας προσώπῳ [*inclinans faciem*] eſt in Græco Iobi IX, 27. At ὀπισθότονον [*in poſteriora reflexum*] LXX uſurpant Deut. XXXII, 24, ubi tamen in Hebræo eſt קטב quod *peſtem* plerique interpretantur. ὀπισθοτονικοὶ ſunt Latinè, ni fallor, *obſtipi.*

ἀνακύψαι, ſurſum reſpicere] *caput attollere.* Ita ἀνακύπτειν πρὸς τὸν ἥλιον [*ſuſpicere ad ſolem*] dixit Ariſtoteles. Ipſe Lucas infra XXI, 28. ἀνακύψαι [*ſuſpicere*] exponit ἐπᾶραι τὰς κεφαλὰς [*attollere capita*]. Sed & Iohannes hoc ſenſu uſurpat. Bene veteres in hac femina imaginem quandam obſervant hominum qui cum vultus ſui argumento in cœlum erigere deberent, curvas in terram animas gerunt.

εἰς τὸ παντελές. omnino] Idem loquendi genus ad Hebræos VII, 25.

12. *προσεφώνησε, vocavit*] Vltro nec rogatus beneficium ingerens: quod ipſum pertinet ad eam quam dixi ὑπόνοιαν [*latentem intellectum*].

ἀπολέλυσαι, dimiſſa es] Præteritum pro præſenti, ut Matth. IX, 2. Marc. II, 9. Simul enim Chriſtus hæc dixiſſe ſimulque manus impoſuiſſe intelligendus eſt.

14. *ὁ ἀρχισυνάγωγος, Archiſynagogus*] ὁ προεστὼς τῆς συναγωγῆς [*qui præerat Synagogæ*]. Interdum laxiùs ea vox ſumitur, ut Presbyteros quoque comprehendat quemadmodum diximus ad Matthæum. Sic cum unus eſſet στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ [*Præfectus templi*] interdum ejus adjutoribus id nomen communicatur.

ἀγανακτῶν ὅτι τῷ σαββάτῳ ἐθεράπευσεν ὁ Ἰησοῦς, indignans quia Sabbato curaſſet Ieſus] Nimirum quia ſummam ſanctimoniæ in ritibus collocabat: unde meritò audit ὑποκριτής [*hypocrita*]. Nam illam fabulam optimè agunt quibus in animo ne mica quidem eſt veræ dilectionis.

τῷ ὄχλῳ, turbæ] Per illorum latus Ieſum accuſans quem palàm aggredi non audebat. Etiam hoc ὑποκριτικῶς [*hypocriticè*] & veteratoriè.

ἐργάζεσθαι· operari]. Atqui cibum ſumere Sabbato licebat: cur non ergo & manum imponere. Malè ergo captatur vocula תעבד [*operaberis*] rectéque defendi poterat ne verba quidem Legis ad hanc facti ſpeciem pertinere. Sed Chriſtus omiſſis ſubtilitatibus evidentiſſimâ comparatione calumniæ iniquitatem detegit.

15. *Ὑποκριτὰ, Hypocrita*] ſingulariter legit Syrus. neque rarum eſt, ut uni dicantur quæ ad ipſum alioſque pertineant.

ἕκαστος ὑμῶν, unuſquiſque veſtrûm] *Veſtri gregis tum Legiſperitorum, tum Phariſæorum.* Nam erant ſectæ minores quæ aliter ſentirent, ut alibi diximus.

οὐ λύει τὸν βοῦν αὐτοῦ ἢ τὸν ὄνον; non ſolvit bovem ſuum aut aſinum]? Quia periculum animæ impellit, ut ajunt, Sabbatum. Id periculum autem non ſumebant in puncto, ut ita dicam. Neque enim certum erat pecudes non ductas aquatum continuò interituras.

16. *θυγατέρα Ἀβραὰμ, filiam Abrahæ*] Non contentus hominem pecudi opponere, quod ſatis fuerat, adjicit filiam Abrahami, quod nomen apud illos in maximo erat pretio. Vide Matth. III, 9. Luc. III, 8. Iohann. VIII, 33. Actor. XIII, 26. Hæc interpretatio ſimplicior & rectior quàm eorum qui fidem feminæ ſpectatam volunt.

ὁ Σατανᾶς, Satanas] *Dei & humani generis hoſti.* Singula verba habent ἔμφασιν [*altiorem intellectum*].

δέκα καὶ ὀκτὼ ἔτη, decem & octo annis] *Non horas aliquot,* ut boves & aſini ligantur.

λυθῆναι, ſolvi] Multò minore opera, verbo & manuum impoſitione.

17. *ἐπὶ πᾶσι τοῖς ἐνδόξοις, in univerſis quæ glorio fiebant*] Ita vocat quæ alibi μεγαλεῖα [*magnalia*].

23. *εἰ ὀλίγοι οἱ σωζόμενοι; ſi pauci ſunt qui ſalvantur*]? Solet Chriſtus curioſas quæſtiones ſine reſponſo rejicere, ut hîc & Actor. I, 7. Noſtra refe ſcire quales ſerventur, non quot ſervandi ſint

qua

quanquam ex altero alterum conjectare aliquatenus licet. Nam paucis libet viam ingredi arduam atque difficilem.

24. Ἀγωνίζεσθε, *contendite*] Apertè oſtendit Chriſtus numerum ſervandorum non eſſe definitum decreto excludente omnem actum humanæ voluntatis, quando omnes ad capeſſendam viam invitat: ſed ſimul oſtendit rem eſſe magni animi & conſtantiæ; id enim verbum hoc indicat, ut & Coloſſ. 1, 29.

ζητήσουσιν εἰσελθεῖν, *quærent intrare*] Supple *eò quò iri niſi per portam non poteſt*, in regnum ſcilicet cœleſte. Nemo eſt qui non immortalitatis cupiditate teneatur: ſed non omnibus ea tanti eſt, ut propterea carere velint hujus ævi commodis.

25. ἐγερθῇ, *experrectus fuerit*] Ita Syrus & Arabs. Latinum apparet legiſſe εἰσέλθῃ [*intraverit*]. Sed illud præferendum. nam ἐγείρεσθαι [*expergefieri*] motum ſignificat de ſede ſua aut lectulo procedentis ad claudendum oſtium.

ἄρξησθε ἔξω ἑστάναι, *incipietis foris ſtare*] Manifeſtus πλεονασμὸς [*abundantia ſermonis*] qui Lucæ frequens, ſupra III, 8. IV, 21. V, 21. VII, 15, 38. Sic & infrà XIV, 9. & Actor. 1, 1.

Οὐκ οἶδα ὑμᾶς πόθεν ἐστέ. *neſcio vos unde ſitis*] Id eſt, *pro ignotis vos habeo.*

26. Ἐφάγομεν ἐνώπιόν σου καὶ ἐπίομεν, *manducavimus coram te & bibimus*] Id eſt, *admodum familiariter tecum viximus.* Nam φαγεῖν ἐνώπιόν τινος [*manducare coram aliquo*] dicuntur qui unà cum eo cibum ſumunt, ut infrà XXIV, 43. quod ſicut Iudæos qui cum Chriſto vixerunt non ſublevavit, ita nec Chriſtianis non Chriſtianè viventibus quicquam proderit menſæ Dominicæ fuiſſe participes: imò aggravabit hoc ipſum eorum damnationem, ut Paulus docet ad 1 Cor. XI, 29.

ἐν ταῖς πλατείαις ἡμῶν ἐδίδαξας. *in plateis noſtris docuiſti*] Multi ſunt qui auditu verbi ſe juſtos exiſtimant, cùm longè aliter ſe res habeat. Rom. II, 13. Iac. 1, 22, 23.

27. ἐργάται, *operarii*] Quia Hebræi participia pro verbalibus uſurpant, ideo Lucas quod in Pſalmo & apud Matthæum eſt ἐργαζόμενοι [*operantes*] rectè interpretatur ἐργάται [*operarii*]. Nam non actus quivis ſed vitæ ſtudium indicatur.

28. Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ καὶ πάντας τοὺς προφήτας, *Abraham & Iſaac & Iacob & omnes Prophetas*] quibus ſanguinis auctoribus aut conſanguineis gloriamini.

30. εἰσὶν ἔσχατοι, *ſunt noviſſimi*] Qui nunc alieniſſimi à Dei beneficiis videntur οἱ ἀλλόφυλοι [*alienigenæ*], quos vos tantopere contemnitis.

31. προσῆλθόν τινες Φαρισαῖοι, *acceſſerunt quidam Phariſæorum*] Qui in Galilæa aut Peræa vivebant. Nam eò pertinet quod dicunt ἐντεῦθεν [*hinc*]. Neque enim extra eas regiones jus ullum erat Herodi. Phariſæos autem non in Iudæa tantùm, ſed & in Galilæa atque alibi plurimos fuiſſe docet nos hic noſter, ſuprà V, 17.

ὅτι Ἡρώδης θέλει σε ἀποκτεῖναι. *quia Herodes vult te occidere*] Ex reſponſo Chriſti datur, ni fallor, intelligi, non ſponte veniſſe hos Phariſæos, neque proprio conſilio, ſed inſtinctu Herodis. Ideo Herodi reſponſum nuntiari jubet Chriſtus. Videtur autem pro vafritie ſua hoc feciſſe Herodes, ut quem interimere metuebat, ne populum denuo offenderet, eundem tamen injecto metu arceret finibus ſuis. Volebat enim eum quàm longiſſimè abeſſe qui paſſim teſtimonium perhibebat innocentiæ Iohannis: idque magna cum auctoritate, ob vim mirificam quæ ipſi aderat.

32. τῇ ἀλώπεκι, *vulpi*] Solent à Prophetis Reges deſcribi beſtiarum nominibus, ut hirci, arietis, pardi, urſi: neque immerito; quia ſi hiſtorias ſpectemus, pars longè maxima humanitatem exuit & in belluinos mores migrat. Ita & Neronem ſub leonis nomine deſcribit Paulus. Herodi nullum nomen magis conveniebat quam vulpis: erat enim πανουργότατος [*vaferrimus*], & memor ejus quod Lyſander dicere ſolebat, ὅπου ἡ λεοντῆ μὴ ἐφικνεῖται, χρὴ τὴν ἀλωπεκῆν προσράπτειν [*ubi leoninâ pelle res peragi non poteſt, vulpina aſſuenda*], compoſitus ad Romani tunc Imperatoris exemplum qui nullam, ut rebatur, ex virtutibus ſuis magis quàm diſſimulationem diligebat. Itaque videas eum magnâ arte & populo ſe commendaſſe, quaſi Iudaïcæ religionis perquàm ſtudioſum, & Romano Imperatori adulatum ſerviliter, quaſi ei devotiſſimum, cùm interim omni modo ipſe res ſuas ageret. Sic Herodianos partem Sadducæorum clam fovens, interim & Phariſæorum operâ utebatur. Neque verò, cum hoc cognomento Tetrarcham indigitavit Chriſtus, quicquam cenſendus eſt feciſſe contra Legem paternam, quæ exſtat Exod. XXII, 28. Nam cùm Prophetarum munus eſſet Reges ipſos magna cum libertate reprehendere, ut qui majores Regibus eſſent in muneris ſui obitu, Ierem. 1, 10. ſequitur hinc illam Exodi legem ad ipſos non ſpectaſſe, nam mandati Divini exceptio omnibus Dei poſitivis legibus ineſt. Idque exemplis Eſaiæ, Ieremiæ, atque aliorum manifeſtiſſimum eſt. Prophetæ autem munus hôc ipſo loco Chriſtus apertè ſibi vendicat. Eſt apud Gregoram oraculum in quo Imperator quidam Græcus hoc ipſo vulpis nomine deſignatur.

ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ ἰάσεις ἐπιτελῶ, *ejicio dæmonia, & ſanitates perficio*] *Nihil ago quod in crimen vocari debeat: noceo nemini: regionem ipſius morbis & dæmoniis purgo: quid ergo eſt quod mortem mihi minatur?* Similiter Iudæos alloquitur Chriſtus apud Iohann. X, 32.

σήμερον καὶ αὔριον, καὶ τῇ τρίτῃ τελειοῦμαι, *hodie & cras, & tertia die conſummor*] Tempus ſignificat indefinitum, ſed ſibi cognitum. Sic Oſeæ VI, 2. ὑγιάσει ἡμᾶς μετὰ δύο ἡμέρας· ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναστησόμεθα [*vivificabit nos poſt duos dies; in die tertia ſuſcitabit nos*]. Quod ſi quis tamen arcanum ineſſe his verbis vaticinium putet, ut dicta hæc ſint triennio ante mortem, atque ita dies, ut apud Ezechielem, annos deſignent, non repugnabo. Nam quod quidam putant hæc omnino ſub exitum à Chriſto dicta, fragili moventur argumento. Ponunt enim à Luca preſſiùs quàm à cæteris obſervari temporum ordinem, quod non ita eſſe multis exemplis apertum fecimus. Neque verò ea eſt vis vocis ἑξῆς [*deinceps*] in libri anteloquio: τελειοῦμαι [*con-*

ſummor] autem eſt ἐναλλαγὴ [*enallage*]. Nam conſummari dicitur cujus curſus conſummatur: οὐ τελειοῦται ὁ δρόμος [*non conſummatur curſus*] ut noſter hic loquitur Actor. xx, 24. Neque aliter accipiendum videtur Philip. III, 12. ubi Paulus à curſoribus ſumta ſimilitudine ſubjungit, οὐχ ὅτι ἤδη ἔλαβον, ἢ ἤδη τετελείωμαι [*non quod jam acceperim, aut jam perfectus ſim*].

33. καὶ τῇ ἐχομένῃ, *& ſequenti*] *Nempe etiam tertio illo die cujus fine demum curſum meum perficiam:* ſive certum ſive incertum tempus notari placet.

πορεύεσθαι. *ambulare*] *Ambulare* hîc eſt *operari*, Iohann. XII, 35. & alibi. Senſus idem qui apud Iohann. IX, 4. Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με ἕως ἡμέρα ἐστίν [*me oportet operari opera ejus qui miſit me donec dies eſt*]. Quaſi dicat: *Non eſt quod mihi hoc tempore & loco mortem quiſquam minetur. Divina Providentia nunquam id jus Herodi in me permittet, quod ille ſibi vindicat: moriturus ſum, ſed ubi & quando Pater voluerit atque ego voluero. Interim non deſiſtam à miraculis, quæ quo ſunt majora, hoc magis illum excruciant.*

ὅτι οὐκ ἐνδέχεται, *quia non capit*] Cauſa redditur cur nondum ſit moriturus, id eſt, cur aut ipſe nondum velit mori, aut etiam Pater nondum decreverit permittere ut occidatur: quia non convenit Prophetam alibi occidi quàm Hieroſolymis, quæ urbs jus illud occidendi Prophetas quaſi uſu ceperat. Erant quidem & Prophetæ quidam occiſi extra Hieroſolyma, ſed pauci præ iis qui Hieroſolymis erant trucidati. Factum igitur eſt Divina diſpenſatione, ut illa civitas neglectis omnibus ad pœnitentiam invitantibus, anteacta ſcelera etiam hoc ſummo ſcelere cumularet mox omnium pariter ſcelerum pœnas luitura.

34. Ἱερουσαλὴμ, Ἱερουσαλὴμ, *Ieruſalem, Ieruſalem*] Puto ob argumenti affinitatem à Luca hôc locô hæc adjecta, non quòd ſæpiùs à Chriſto pronunciata fuerunt. Videtur enim tranſcriptus locus ex Matthæo, ad quem videri poſſunt quæ notavimus.

35. ἀφίεται ὑμῖν ὁ οἶκος ὑμῶν, *relinquetur vobis domus veſtra*] Ἔρημος [*deſerta*] hîc in quibuſdam libris ex Matthæo adſcriptum eſt, cum optimi codices non habeant, & Græci Scriptores ſed & Latini quidam non agnoſcant.

CAPVT XIV.

1. Εἰς οἶκόν τινος τῶν ἀρχόντων, *in domum cujuſdam Principum*] Puto Hieroſolymis hæc geſta. Nam ἄρχοντας [*Principes*] plerumque appellari video eos qui Synedrium participant, ut infrà XXIV, 20. Iohann. III, 1. Actor. III, 17.

τῶν Φαρισαίων, *Phariſæorum*] Id eſt, *qui erant ex Phariſæorum numero.* Ita enim malo accipere quàm, ut quidam interpretabantur, *Phariſæorum Principes,* id eſt, *primarios* qui potius πρῶτοι Φαρισαίων [*primores Phariſæorum*] dicerentur quàm ἄρχοντες [*Principes*]. Græcos autem genitivos ita accipi ſolere nemo neſcit. Iohannes eundem ſenſum ita expreſſit, ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων ἄρχων τῶν Ἰουδαίων, [*homo ex Phariſæis Princeps Iudæorum*]. III, 1.

καὶ, *&*] Eſt hoc Hebræo more pro *ut* poſitum, & ſequens indicativus Latinè per ſubjunctivum reddendus.

αὐτοὶ, *ipſi*] Subauditur nomen Φαρισαῖοι καὶ Νομικοὶ [*Phariſæi & Legisperiti*] qui eidem convivio intererant.

παρατηρούμενοι, *obſervabant*] Ita hæc vox ſumitur & Marci III, 2. & ſupra VI, 7. obſervabant numquid facturus eſſet alienum à ritibus ad Sabbatum pertinentibus, quos Magiſtrorum auctoritas & uſus introduxerat.

2. ἔμπροσθεν αὐτοῦ. *ante illum*] Qui ſpe recuperandæ ſanitatis, ut credibile eſt, advenerat.

3. Εἰ ἔξεστι τῷ σαββάτῳ θεραπεύειν; *ſi licet Sabbato curare*]? Vt inter ipſos fieri conſueverat, juris controverſi quæſtionem proponit.

4. Οἱ δὲ ἡσύχασαν· *At illi tacuerunt*] Erant enim diſſentientes auctores. Sed receptior ſententia habebat non licere Sabbato facere medicinam, niſi mortis periculum ex dilatione immineret. Atqui ipſa æquitas Legum optima interpres ſuadebat plus aliquanto dandum homini quam beſtiæ: in tali autem periculo etiam beſtiæ Sabbati die conſulebatur. Diximus de hac re alibi. ἡσυχάζειν [*quieſcere*] autem pro *tacere* frequens eſt apud Helleniſtas, 1 Macc. I, 3. Eſaiæ VII, 4.

ἐπιλαβόμενος, *apprehendens*] *Attrectans eum:* quo facto oſtendebat à ſe proficiſci vim ſanandi, eâdemque opera quæſtionem motam definiebat.

5. τίνος, *cujus*] Idem loquendi genus quod ſuprà XI, 11.

εἰς φρέαρ, *in puteum*] Helleniſtæ per abuſionem vocem φρέαρ [*puteus*] de quavis voragine uſurpant ad exemplum Hebræi באר [*puteus*]. In Pſalmo LV, 23. eſt תורדם לבאר שחת, Græcis κατάξεις αὐτοὺς εἰς φρέαρ διαφθορᾶς [*deduces eos in puteum interitûs*]. Quo ſenſu φρέαρ τῆς ἀβύσσου [*puteus abyſſi*] dicitur aliquoties in Apocalypſi. φρέαρ [*puteus*] ergo dixit Lucas quod Matthæi Interpres βόθυνον [*foveam*] XII, 11. Appoſitè autem Chriſtus hydropicum ſubmergendæ pecudi, ut τὴν συγκύπτουσαν [*inclinatam*] pecudi vinctæ comparavit.

ἀνασπάσει, *extrahet*] מסיק [*educens*]. Vide Daniel VI, 23.

7. παραβολὴν, *parabolam*] Ita appellat ſequentem admonitionem quia exemplo rei convivalis oſtendit quid in omni vitâ, neque coram hominibus tantùm, ſed & coram Deo, nobis ſit faciendum: unde & generale infertur pronuntiatum commate 11, quod repetitum infrà eſt XVIII, 14. minùs ergo hîc dicitur, plus ſignificatur: quod eſt παραβολῆς [*parabolæ*], ut eam vocem Helleniſtæ uſurpant. Oportunè autem Chriſtus ſanato corporis hydrope ſanare etiam aggreditur duplicem animi hydropem, ſuperbiæ tumorem & pecuniæ ſitim.

πῶς τὰς πρωτοκλισίας ἐξελέγοντο, *quomodo primos accubitus eligerent*] Puto non tam ad facta quàm animum convivarum referri hoc debere.

10. ἵνα, *ut*] Ἐκβατικὸν [*eventum notans*], ut ſuprà μήποτε [*ne fortè*] quanquam in ἐπιμυθ [*affabulatione*] poteſt etiam τελικῶς [*finaliter*] intelligi.

προσανάβηθι ἀνώτερον. *aſcende ſuperius*] Ex Solo mon mone. xxv, 7. ubi Græcè ſic eſt, Κρεῖσσον γάρ σοι τὸ ῥηθῆναι, Ἀναβῆναι, ἢ ταπεινῶσαί σε ἐν προσώπῳ δυνάστου. [*melius eſt enim ut dicatur tibi: aſcende huc, quam ut humilieris coram Principe*]. Exſtat parabola ejusdem ſensûs in libro Iudaïco cui titulus Electuarium Gemmarum.

12. Ἔλεγε δὲ καὶ τῷ κεκληκότι αὐτὸν, *dicebat autem & ei qui ſe invitaverat*] Convivatori ſuo benignè gratiam rependens, πνευματικὰ ἀντὶ σαρκικῶν [*ſpiritualia pro carnalibus*].

πλουσίους, *divites*] Referenda hæc vox ad omnia ea quæ præceſſerunt, φίλους [*amicos*], ἀδελφοὺς [*fratres*], συγγενεῖς [*cognatos*], γείτονας [*vicinos*]. Neque tamen prohibet Chriſtus mutua inter divites amicitiæ teſtimonia. Sed opera miſericordiæ multò præfert, ut quæ ſine ſpe humanæ vicis Dei causâ præſtantur. Intelligendus enim hîc locus, ut alii multi, per comparationem. Cicero de Officiis primo: *In collocando beneficio hoc maximè officii eſt, ut quisque maximè opis indigeat ita ei potiſſimùm opitulari. Quod contra fit à plerisque: à quo enim plurimùm ſperant, etiamſi ille his non eget, tamen ei potiſſimùm inſerviunt.* Plinius lib. ix, epiſt. 30. *Volo eum qui ſit verè liberalis tribuere amicis, ſed amicis dico pauperibus: non ut iſti qui iis potiſſimùm donant, qui donare maximè poſſunt.*

μήποτε, *ne fortè*] Id eſt, *Ne, ſi hoc facere contenti ſitis, merces veſtra hîc vobis ſit perſoluta.* Vide ſuprà vi, 32. ubi χάριν [*gratiam*] dicit quod hîc ἀνταπόδομα [*retributionem*].

ἀντικαλέσωσι, *reinvitent*] *Revocent.* Ea enim vox hoc ſignificatu mutuæ ad cœnam vocationis Latiniſſima eſt, ut ex Lactantio & Nonio alii obſervarunt. Senſus ferme idem qui apud Dionem Pruſæenſem oratione vii: ὡς ἔθους δὴ ὄντος οὕτως ἀκριβῶς καὶ ἀνελευθέρως πράττειν τὰ περὶ τοὺς ξένους τοὺς πένητας· μόνους δὲ τοὺς πλουσίους ὑποδέχεσθαι φιλοφρόνως ξενίοις καὶ δώροις· παρ᾽ ὧν δηλονότι καὶ αὐτοὶ προσεδόκων τῶν ἴσων ἐντυχεῖν [*Quod videlicet jam in conſuetudinem veniſſet ita attentè & illiberaliter agere cum pauperibus hoſpitibus: ſolos autem divites ſuſcipere benignè donis muneribusque hoſpitalibus, à quibus nempè & ipſi ſperabant ſe paria percepturos*].

13. κάλει πτωχοὺς, *voca pauperes*] Hoc etiam πτωχοὺς [*pauperes*] ad ſequentia omnia referendum eſt, ſive illi mutili, ſive claudi, ſive cæci, à quibus ut mali ominis hominibus multi abhorrent. πτωχοὺς Helleniſtis dici nec *pauperes* propriè, nec *mendicos* ſemper, ſed quos Latini *egenos* vocant, alibi notatum eſt. Ex hoc Chriſti monito natæ ἀγάπαι [*convivia Chriſtianorum*] quibus divites Chriſtiani Chriſtianos pauperes fraternè excipiebant, quem morem corruptum, cum ſeorſim divites epularentur, caſtigat ad Corinthios Paulus.

14. ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων. *in reſurrectione juſtorum*] Non tempus tantùm, ſed & modus retributionis ſignificatur: ἀνάστασις δικαίων [*reſurrectio juſtorum*] eſt ἀνάστασις ζωῆς [*reſurrectio vitæ*] Ioh. v, 29. cui opponitur ἀνάστασις κρίσεως [*reſurrectio judicii.*] Plerumque autem ἀνάστασις [*reſurrectio*] in partem illam meliorem ſumitur. Videtur hîc Chriſtus alluſiſſe ad illud Pſalmi primi, οὐκ ἀναστήσονται ἐν βουλῇ δικαίων [*non reſurgent in concilio juſtorum*], ubi Symmachus ἐν συνελεύσει δικαίων [*in conventu juſtorum*], alii ἐν συλλόγῳ [*in collegio*] aut συναγωγῇ [*in congregatione*]. Si magnum hîc ducitur conſpici in cœtu Procerum, quantò majus in cœtu Procerum eorum quos Deus cœleſti curiæ adſcripſerit.

15. Μακάριος ὃς φάγεται ἄρτον ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. *Beatus qui manducabit panem in Regno Dei*] Sententia crebra apud Rabbinos ab Eſdræ, ut credibile eſt, temporibus veniens. Nam τὰ ἀόρατα [*inviſibilia*] imagine τῶν ὁρατῶν [*viſibilium*] depingebant.

17. τὸν δοῦλον, *ſervum*] *Vocatorem.* Apparet morem fuiſſe, qui nunc etiam multis in locis viget, ut vocati ſub ipſam cœnæ horam iterum appellarentur: quod ipſum obſervare eſt apud Ioſephum in Eſtheris hiſtoria.

Ἕτοιμά ἐστι πάντα. *parata ſunt omnia*] Vide ad Matthæum.

18. ἀπὸ μιᾶς, *ſimul*] Locutio μονήρης [*unica*] in qua interpretanda non eſt mirum ſi eruditi hodie diſſentiunt, cum jam olim Arabs totam præterierit, ut ſolet non intellecta: φωνῆς [*vocis*], quod quidam volunt, ſuppleri non poteſt, cùm ſinguli ſuas excuſationes attulerint. Vir raræ in his rebus diligentiæ multis nuper demonſtrare conatus eſt ſubaudiri ὥρας [*horæ*] ex Syrorum more qui dicunt מחרא. Sed ut quod mihi videtur ſine cujusquam fraude pronuntiem, non poſſum perſpicere quomodo is ſenſus huic loco congruat. Nam ſive ἀπὸ μιᾶς ὥρας [*ab una hora*] interpreteris *eo ipſo tempore*, quam vim ἐμφατικὴν [*emphaticam*] id habere hîc poteſt, cum non alio tempore excuſare ſe potuerint, quàm quo compellabantur? Sin potius interpretari libet *confeſtim*, ne id quidem quadrat, nec enim mirum, ſi excuſare ſe vellent, confeſtim ſe excusâſſe, qui ſub ipſum cœnæ tempus compellati non habebant deliberandi ſpatium. Vidit hoc ipſe Syrus qui non מחרא hîc tranſtulit, facturus ſi commodam ejus vocis ſignificationem reperire hoc loco potuiſſet, ſed מוחר, in quo idem ille vir eruditiſſimus rectè ſuſpicatur לב [*cor*] ſubaudiri. Quare cum vel hinc liqueat ita ſolitos loqui Syros, quid mirum ſi Lucas Syrus Syriacum loquendi genus eſt imitatus? ita tamen ut femininum genus uſurpaverit: quia καρδία [*cor*] ut & ψυχὴ [*anima*] (nam perinde eſt utrum ſubticeri intelligas) apud Græcos feminini eſt generis. μίαν καρδίαν καὶ ψυχὴν [*unum cor & animam*] dixit Lucas noſter Act. iv, 32. ψυχὴν μίαν [*unam animam*] etiam Paulus Philipp. 1, 27. Senſus eſt animum omnibus fuiſſe ſimilem. *Omnes compacto rem agunt quaſi in velabro olearii*, inquit facetiſſimus Comœdiarum Scriptor, ubi parem omnibus, etiam qui inter ſe non convenerant, animum vult deſcribere. Significat autem hæc pars fabulæ non obſcurè Iudæorum Magiſtratus & Legis Interpretes, qui olim per Prophetas, poſteà per Iohannem & Chriſtum ad reſipiſcentiam vocati, quidvis cauſare maluerunt quam ſalutari conſilio parére.

ἔχω ἀνάγκην ἐξελθεῖν καὶ ἰδεῖν αὐτόν· ἐρωτῶ σε, ἔχε με παρῃτημένον. *neceſſe habeo exire & videre illam; Rogo te habe me excuſatum*]. Multi ſimul Latiniſmi.

ἔχω ἀνάγκην, *opus habeo.* ἐρωτῶ σε, *rogo te.* ἔχε με παρῃτημένον, *habe me excuſatum.* ἀνάγκην ἔχειν [*neceſſe habere*]. Reperias etiam infrà XXIII, 17. 1 Cor. VII, 37. Hebr. VII, 27. Iudæ 3.

19. ζεύγη βοῶν, *juga boum*] Satis Græcè. Ita & ſupra maluit dicere ζεῦγος τρυγόνων [*par turturum*] quàm δύο τρυγόνας [*duos turtures*], ut dixerant LXX.

20. οὐ δύναμαι ἐλθεῖν. *non poſſum venire*] Idem dicit quod alii ſed ruſticiùs. Ita eorum qui ſermonem ſalutis reſpuunt, alii videri volunt aliis comiores.

21. εἰς τὰς πλατείας καὶ ῥύμας τῆς πόλεως, *in plateas & vicos civitatis*] Nam in his ſedere ſolebant qui vitio corporis ſemet ſuſtentare non poterant.

τοὺς πτωχοὺς, *pauperes*] *Piſcatores, publicanos, imo & feminas vitæ antea impurioris.* Intelligendum autem ἐπὶ τὸ πολὺ [*plerumque*], non quòd omnes Iudæorum qui in Chriſtum crediderunt tales fuerint, ſed plerique, aut ob rude ingenium aut ob vitam priorem deſpecti.

22. ἔτι τόπος ἐστί. *adhuc locus eſt*] Magnum regnum Chriſto promiſerat Deus. Itaque potius quàm paucos ille ſubditos habeat, laxat intima miſericordiæ ſuæ penetralia, nunquam viſâ, nunquam auditâ ratione.

23. εἰς τὰς ὁδοὺς καὶ φραγμοὺς, *in vias & ſepes*] *Extra urbem*, id eſt, extra fœdus, & ubi miſeras gentes videre erat in multiplici Labyrintho,

Errare atque viam palantes quærere vitæ.

ἐπὶ τὰς διεξόδους [*ad exitus viarum*] dixit Matthæus. Vide quæ ibi notata. De conſulto autem φραγμοὺς [*ſepes*] nominaſſe videtur Chriſtus, quòd ſepes quaſi quædam interpoſitæ populos extraneos à veri cognitione ſecluderent: quo ſenſu vocem φραγμοῦ [*ſepis*] uſurpat Paulus Epheſ. II, 14.

ἀνάγκασον εἰσελθεῖν, *compelle intrare*] Facit hic locus me memorem eximii inter veteres Doctoris, qui cùm antea multis in libris aſſeveraſſet neminem eſſe ad fidei profeſſionem cogendum (qua in re nihil certè dixerat quod non ante eum dixerant Iuſtinus, Athenagoras, Tertullianus, Arnobius, Minutius, Lactantius, & quotquot alicujus nominis ante vixerant) mutatæ mox nonnihil ſententiæ obtendit hujus loci auctoritatem, quaſi cogi debeant *qui ſepes conſtituunt*, hoc eſt ut ipſe interpretatur, *qui diviſiones in Eccleſia quærunt.* Nimirum vel hoc exemplo apparet quantò aliter judicemus cùm res ipſas ſine affectu introſpicimus, aliter cùm facti quæſtio incidit, quo fit ut non ſemper ſint σοφώτεραι αἱ δεύτεραι φροντίδες [*poſteriores cogitationes ſapientiores*]. Expreſſit hoc illi Donatiſtarum pertinacia, quos ut undique urgeret, etiam hoc telum arripuit: Cùm tamen hic locus manifeſtò pertineat ad gentes adhuc fidem non profeſſas, quas ille ne tunc quidem cogi voluit cùm Chriſtianos ad unitatem profeſſionis cogendos arbitraretur. Atque, quam multa ſunt ἐν ταῖς παραβολαῖς [*in comparationibus*] quæ in re ſignificante ſenſum habent proprium, in re ſignificata non niſi valde figuratum? Quid quòd ne in ipſa quidem fabula ἀναγκάζειν [*compellere*] de pœnis corporalibus aut minis pœnarum poteſt intelligi, non enim eo modo convivæ cogi ſolent, ſed importunâ flagitatione. Dicitur Ieſus *coegiſſe diſcipulos ut navem intrarent*, Matth. XIV, 22. Marci VI, 45. quod certè nec trudendo nec trahendo fecit, ſed magiſterii ſui auctoritate. Rurſum duo illi qui Emauntem ibant Ieſum παρεβιάσαντο [*coëgerunt*], ut ſecum maneret, inſtanter rogando ſcilicet. Dicitur Petrus *gentes coëgiſſe ad Iudaiſmum*, Gal. II, 14. non vi ullâ ſcilicet, ſed *exemplo.* Sic igitur gentes ad fidem *quaſi coactæ*, dum Apoſtoli eorumque adjutores illis inſtant εὐκαίρως, [*oportunè*], ἀκαίρως [*imtempeſtivè*] II Tim. IV, 2. per Chriſtum obteſtantur, addunt dictis miraculorum auctoritatem, & innocentiſſimæ vitæ exemplum, 1 Theſſal. II, 10. Certè & apud Hermam Angelus ita loquens introducitur, *Cogam eos credere.* & Tertullianus dixit, *Qui ſtuduerit intelligere cogetur & credere.* Et vetus formula Eccleſiaſticæ precationis habet, *Ad te noſtras etiam rebelles compelle propitius voluntates.* Cyprianus libello de Mortalitate, *Gentiles coguntur ut credant*, metu mortis ſcilicet. Ad hoc cogendi genus ſunt qui referant ſignum illud πνοῆς βιαίας [*ſpiritus vehementis*] in cœnaculo Apoſtolorum die Pentecoſtes, id eſt, ut Origenes ad Celſum interpretatur, πνοῆς βιαζομένης ἐξαφανίσαι τὴν ἐν ἀνθρώποις κακίαν, καὶ τὰ ἀπ' αὐτῆς [*flatûs, qui homines ab improbitate avelleret & quæ ab eâ mala oriri ſolent, deſerere cogeret*]. Certè illi præcipuè primorum temporum Chriſtiani, ob vim illam ſubitam atque eximiam Spiritûs dici poſſunt *quaſi vi pertracti*, quod & de quibuſdam ſui ævi affirmat idem Origenes, ita loquens, Ὅμως λελέξεται ὅτι πολλοὶ ὡσπερεὶ ἄκοντες προσεληλύθασι Χριστιανισμῷ, πνεύματός τινος τρέψαντος αὐτῶν τὸ ἡγεμονικὸν αἰφνίδιον ἀπὸ τοῦ μισεῖν τὸν λόγον ἐπὶ τὸ ὑπεραποθανεῖν αὐτοῦ, καὶ φαντασιώσαντος αὐτοῖς ὕπαρ ἢ ὄναρ. [*Dicam tamen multos velut invitos Chriſtianos factos, mutante eorum mentem ſpiritu quodam, atque ab odio doctrinæ noſtræ, eò, ut pro ea mortem oppeterent, adducente, viſis ſomniiſve*]. Similia dicit ad Lucam Homilia VII. Exempla, præter illud Pauli nobile, dari poſſunt ex martyrologio nonnulla, ut de mimis duobus qui cum Chriſtiana myſteria per ludibrium imitarentur, ſub Diocletiano alter, alter verò ſub Iuliano, ſubitò mutati ac Chriſtianos ſe profeſſi ſunt. Similis eſt apud Senecam locutio: *Cogenda eſt mens ut incipiat.*

24. Λέγω γὰρ ὑμῖν, *dico autem vobis*] Puto continuari fabulam & verba eſſe Domini ſervos alloquentis, & teſtantis nunquam ſe poſthac illos recuſatores ad cœnam ſuam admiſſurum.

25. ὄχλοι πολλοί· *turbæ multæ*] *Mali bonis permixti*, ut in grandi turba fieri ſolet, quod occaſionem ſequenti ſermoni præbuit.

26. ἔρχεται πρός με, *veniat ad me*] *Diſcendi cauſa.* Iudæi proſelytis proponebant incommoda quæ Legem comitantur: Chriſtus ſe ſectantibus mul majora.

καὶ οὐ μισεῖ, *& non odit*] Certum eſt vocem han impropriè ſumi. Nam parentes odiſſe impium e ſemetipſum τῶν ἀδυνάτων [*impoſſibile*]. Ephe V, 29. Simpliciſſima interpretatio eſt quæ μισ [*odiſſe*] exponit *minùs amare.* Nam in Matth eſt ὁ φιλῶν πατέρα ἢ μητέρα ὑπὲρ ἐμέ [*qui a patrem aut matrem plus quàm me*]· neque aliter

mi

mitur Hebræum שנא & Græcum *μισεῖν* Geneſ. XXIX, 31, 33. Hebræis omnibus conſentientibus, neque enim tam crudelis fuiſſe putandus eſt Iacob ut Leam odio habuerit. Sic & Deut. XXI, 15, 17. & Matth. VI, 24. & *μισεῖν τὴν ψυχὴν* [*odiſſe animam*]. Ioh. XII, 25. quomodò multis placet & illud intelligi quod eſt in Malachia I, 3. ex collatione loci Geneſeos XXV, 23. qua de re viderimus aliàs. Quòd autem Chriſtus hîc monet nullas neceſſitudines apud nos tantùm valere debere ut nos ab officio pietatis ſeducant, explicavimus alibi adductis Philoſophorum teſtimoniis. Illis autem non aſſentior qui hæc ad ſolos Eccleſiarum præfectos referunt. Eadem enim hæc apud Matthæum & Marcum dicuntur omnibus Chriſtum ſectari volentibus. neque hîc quicquam eſt cauſæ cur generale dictum ſumatur anguſtiùs. Nam quod illos maxime movet infrà poſitum *ἀποτάσσεται τοῖς ὑπάρχουσιν* [*renuntiat iis quæ poſſidet*], non eum quem ipſi putant ſenſum habet, ſed qui ad omnes Chriſtianos extenditur.

27. *καὶ ἔρχεται ὀπίσω μου, & venit poſt me*] Hîc iſta locutio non *diſcipulatum quemvis*, ſed *ſeriam imitationem* ſignificat.

28. Τίς γὰρ ἐξ ὑμῶν θέλων πύργον οἰκοδομῆσαι, *Quis enim ex vobis volens turrim ædificare*] In hac & ſequenti comparatione, ut in multis aliis, non ſunt reſecandæ partes ſingulæ quæ ad comparationis *ὑποτύπωσιν* [*ſubjectionem ſub adſpectum*] pertinent: ſed id ſpectandum quò tendat comparatio. Id autem eſt hoc loco, Aggredienti profeſſionem Chriſtianiſmi bene expendenda incommoda & pericula quæ talem profeſſionem comitari ſolent, offenſas propinquorum, bonorum jacturam, vitæ diſcrimina, ne magis feriant improviſa tela, atque ita quod quis aggreſſus eſt temerè, magno ſuo malo deſerat, factus *ῥίψασπις καὶ λειποτάκτης* [*deſertor abjecto clypeo*]. Bene monet Hebræus Sapiens, Τέκνον, εἰ προσέρχῃ δουλεύειν τῷ Κυρίῳ, ἑτοίμασον τὴν ψυχήν σου εἰς πειρασμόν [*Fili, ſi acceſſeris ad ſerviendum Domino, præpara animam tuam ad tentationem*]· quod optimum eſt harum fabularum *ἐπιμύθιον* [*affabulatio*]. Non magis hîc quàm in bello dicere licet, *non putaram*: ſed ita comparati eſſe debemus ut dicere nobis liceat,

Omnia præcepi atque animo mecum ante peregi.

καθίσας, ſedens] Ad menſam ſive abacum.

31. *βουλεύεται, cogitat*] Salluſtius: *Priusquam in- ipias conſulto & poſtquam conſulueris maturè facto opus* ſt. Thucydides appoſitè ad hanc materiam: τοῦ πολέμου τὸ παράλογον ὅσον ἐστὶ πρὶν ἐν αὐτῷ γενέσθαι προδιάγνωθι [*quam multa in bello eveniant præter ſpem, an- equàm eo implicêre, conſidera*]. Livius: *Cùm tuas vi- s, tum vim fortunæ Martemque belli communem propo- e animo.* Quintilianus: *Priùs eſt parare bellum quàm ercere.* Publius Mimus:

Diu apparandum eſt bellum ut vincas celeriùs.

33. ὃς οὐκ ἀποτάσσεται πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ ὑπάρχουσιν, *i non renuntiat omnibus quæ poſſidet*] Τὰ ὑπάρχοντα nt ea *quæ poſſidemus*, ut Matth. XIX, 21. XXIV, 47. v, 14. Lucæ ſuprà VIII, 3. XI, 21. XII, 15, 33. frà XVI, 1. XIX, 8. Actor. IV, 32. Sed ex ſpecie nus intelligendum eſt. Nam ſicut ſuprà ſub ami- rum & vitæ, ita hîc ſub bonorum exemplo omnia telligenda ſunt quæ in hac vita diligi ſolent. Neque *ἀποτάσσεται* [*renuntiat*] aliter hîc ſumendum quàm *ἀπαρνεῖσθαι* [*abnegare*] apud Matth. XVI, 24. Marci VIII, 34. & Lucæ IX, 23. Neque enim actus deſignatur, ſed affectus animi iſthæc omnia infrà Chriſtum ducentis, & parati ea amittere ſi ſalvâ pietate retineri nequeant. Hoc eſt quod Paulus dicit I ad Corinthios VII, 29, 30. eſſe debere *τοὺς ἔχοντας ὡς μὴ ἔχοντας, τοὺς ἀγοράζοντας ὡς μὴ κατέχοντας* [*eos qui habent quaſi non habentes, & qui emunt tanquam non poſſidentes*]. Epictetus in Enchiridio ſimiles nos eſſe vult vectoribus ad littus ambulantibus, quibus interim liceat conchas legere, ſed ita ut parati eſſe debeant, ſimul è nave ſignum redeundi datum ſit, easdem à ſe projicere, ne quid navem morentur. Philo: *κτήσει μὲν τὰ πάντα Θεοῦ, χρήσει δὲ μόνον γενέσεώς ἐστι· βεβαίως γὰρ οὐδὲν οὐδενὶ πέπραται τῶν ἐν γενέσει, ὡς ἂν ἑνὸς ὄντος οὗ κυρίως βεβαία ἡ τῶν ὅλων κτῆσις* [*pleno verò jure omnia poſſidet Deus: neque eſt creaturæ ulla in re præter uſum quicquam. Nulli enim quicquam creaturæ in perpetuum venditum, mancipiove traditum eſt. Vnus ſiquidem ita tenet omnia ut avelli non poſſint*]. quò pertinuiſſe ait legem de anno Iubilæo *Ne quis quicquam ſuum pleno jure arbitraretur.*

οὐ δύναταί μου εἶναι μαθητής. non poteſt meus eſſe diſcipulus] Non poteſt implere officium Chriſtiani.

34. *Καλὸν τὸ ἅλας· bonum eſt ſal*] Adagium hoc ſæpiuscule Chriſtus uſurpavit, ut & alia ejus ſæculi. Cohærentia autem cum ſuperioribus hæc eſt: Quo quæque res bona ſi ſit, eſt melior, eo eadem mala eſt pejor. Sal dum ſalis naturam retinet optimum eſt, idem ſi naturam ſuam exuat, pejus glebâ & fimo. Ita Chriſtianiſmi profeſſione nihil excellentius ſi vita reſpondeat; nihil pejus, nihil nocentius, ſi nomini vis abſit, quod accidere neceſſe eſt aliud agentibus.

ἐν τίνι ἀρτυθήσεται; in quo condietur]? *Ipſum ſal* ſcilicet, ut ex Marco liquet; ne quis imperſonaliter accipiat: ita cor & ſi quæ ſunt ſimiles partes in quibus corporis ſanitas ſita eſt, ſanitatem ſuam amiſſam non habent unde recuperent.

35. *Οὔτε εἰς γῆν, οὔτε εἰς κοπρίαν, Neque in terram, neque in ſterquilinium*] Id eſt, *neque per ſe fructus profert, neque alteri ad fructum prodeſt.* Nam ſale conſperſa ſterileſcunt, unde loca devota & humanis ademta uſibus ſale conſpergi ſolebant. Tales ſunt omnes mendoſæ vitæ Chriſtiani & ſibi & aliis inutiles.

Ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω. Qui habet aures audiendi, audiat] Vide Matth. XI, 15.

CAPVT XV.

1. Ἦσαν δὲ ἐγγίζοντες, *erant autem appropinquantes*] *Actum continuum & quotidianum* genus hoc loquendi ſignificat. ut ſuprà IV, 31. & alibi monuimus.

2. Ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς. *quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*] De iniquitate hujus querelæ diximus ad Matthæum IX, 12. Iudæi omnes Dei proprietates, omnes affectus, omnia conſilia ex ſolo fœdere Sinaïtico metiebantur. Quare cùm id fœdus non niſi minoribus delictis expiationem concederet, ipſi quoque

omnibus contra Legem delinquentibus, extra culpas illas minores, implacabiliter iraſcebantur: neque ullum dabant pœnitentiæ locum, qui error alios ſecum traxit. nam cùm de Davide atque aliis gravia quædam delicta in ſacris libris narrentur, illi eadem quæſitis coloribus elevare maluerunt quàm cum magnitudine facinoris magnitudinem veniæ agnoſcere. Ita Davidis concubitum cum Berſabea negant adulterium fuiſſe, quia ſcilicet in militiam ſecedentes uxoribus relinquere ſolebant divertendi libertatem: nec quod in Vriam patravit homicidium, quia Regibus jus ſit utendi civibus adverſùm hoſtem quantovis vitæ ipſorum periculo. Dubium non eſt quin iſtis commentis aſſueti, ſuis ipſi peccatis facilè obducerent tectorium. At quantò fuerat ſatiùs, fateri quod verum eſt, multa extra fœdus illud & in animis noſtris & in Vatum ſcriptis teſtimonia exſtare Divinæ bonitatis neutiquam circumſcriptæ eo fœdere, quod pro temporum atque hominum ratione conceptum fuerat? Quod ſi Deus eo eſt animo, ut quamvis gravium criminum reos ſeriâ pœnitentiâ ductos libenter recipiat in gratiam, ſatis apertum eſt noſtri etiam eſſe officii Divinam hac in parte clementiam imitari, ac proinde non adverſari eos qui poſt gravia flagitia ſpem faciunt emendationis, quales erant publicani illi atque alii vitæ minus probatæ homines, qui niſi deſiderio tenerentur virtutis, neutiquam ad omnis virtutis Magiſtrum tanto ſtudio convenirent, eum vocarent ad ſe, ejus verbis præſtarent audientiam. Chriſtus Dei hac in re miſericordem affectum non ex veterum literis, quòd poterat, ſed, quòd erat popularius, argumentis ex quotidiana hominum experientia petitis confirmat, ſuumque factum defendit ejus exemplo quem imitari ſumma perfectio eſt. Quæ autem tunc fuit Iudæorum duritas adverſùs populares ſuos qui à Legis orbita receſſerant, eadem fuit poſt Chriſtum exemtum rebus mortalibus eorundem inhumanitas adverſùs populos exteros, ut qui ad falſorum Deorum cultus aliaque ſcelera prolapſi, ipſorum judicio nullam deberent Dei indulgentiam ſentire. Itaque ſicut hîc queruntur, Ὅτι οὗτος ἁμαρτωλοὺς προσδέχεται, καὶ συνεσθίει αὐτοῖς [*quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis*]. Ita Actorum XI, 3. Petro dicam hanc ſcribunt, Ὅτι πρὸς ἄνδρας ἀκροβυστίαν ἔχοντας εἰσῆλθες, καὶ συνέφαγες αὐτοῖς [*quare introiſti ad viros præputium habentes, & manducaſti cum illis*]. Res planè ſimilis. Nam ipſi ἐθνικοὺς [*gentiles*] nominare ſolebant ſimul cum publicanis & Iudæis ἁμαρτωλοῖς [*peccatoribus*], ut multis horum Scriptorum locis videre eſt. Chriſtus illud videns, & hoc prævidens, præſenti calumniæ ita reſpondet ut ſimul futuram diluat. Quare non videntur mihi erraſſe veteres qui in ſequentibus tribus comparationibus explicandis utramque interpretationem conjungunt.

4. Τίς ἄνθρωπος ἐξ ὑμῶν ἔχων ἑκατὸν πρόβατα, *Quis ex vobis homo, qui habet centum oves*] Eſt eadem fabella Matth. XVIII, ſed fine paulò diverſo propoſita. Ibi ne in curſu ad pietatem offendamus eos quos Deus tantoperè vult ſervatos, hîc ne eos crudeliter averſemur quorum Deus miſeretur. Subaudiri autem debet poſt ἄνθρωπος [*homo*] verbum ἐστὶ [*eſt*], ut & infrà poſt illud γυνὴ [*mulier*] commate 8. Nam quod hic eſt οὐ [*non*], ibi eſt οὐχὶ, quod vertendum eſt per *nonne*. τίς ἐστι [*quis eſt*], id eſt, εἴ τίς ἐστι [*ecquis eſt*], ut aliquoties diximus.

7. ἢ ἐπὶ ἐννενηκονταεννέα δικαίοις, *quàm ſuper nonaginta novem juſtis*] Particula μᾶλλον [*magis*] quæ more Græco hîc in comparationis explicatione ſubticetur, in ipſâ comparatione exprimitur à Matthæo. Dicitur autem majus gaudium fore, ἀνθρωποπαθῶς [*more humano*], quia inſperata aut propè deſperata magis nos afficiunt. Euripides,

> Ἐκ τῶν ἀέλπτων ἡ χάρις μείζων βροτοῖς
> Φανεῖσα μᾶλλον ἢ τὸ προσδοκώμενον.
> [*Plerumque nec ſperata delectant magis*
> *Quam quæ ſibi antecepit expectatio*].

Accedit, quod, ut Hebræorum Magiſtri non malè notant, virtus quò difficilior hôc pulchrior,

> *Lætius eſt quoties magno ſibi conſtat honeſtum.*

At multò difficilius eſt abrumpere vitiorum conſuetudinem, quàm probabili vitæ generi inſiſtere non offenſo gradu. Multis enim pro virtute eſt vitiorum ignorantia. Sed & illud addi poteſt quod ſuprà didicimus cap. IX. *plerumque fieri ut flagrantiores ſint in recti ſtudio, quos anteactæ vitæ dolor ſtimulat.* πάνυ γὰρ ἡ μεταμέλεια, ut Plutarchus docet, σώτειρα δαίμων [*eſt enim planè ſervatrix dea pœnitentia*]. Eſtque dictum huic ſimile in Gemara de Synedrio cap. XVI. *Quo loco conſiſtent pœnitentiam agentes ibi juſti non poterunt ſtare. Pacem pacem remoto & propinquo, ait Dominus, ut ſanem eum. præponit remotum. Quis remotus? qui longè abfuit à Deo.* Ad quem locum Interpres, *Magna eſt virtus eorum qui pœnitentiam agunt, ita ut nulla creatura in ſepto illorum conſiſtere queat.* Sicut autem hîc gaudium cœleſte prædicatur ſuper converſo peccatore, ita contrà ob peccatum Hebræi *flentes Angelos* inducunt Hebræorum Magiſtri.

οἵτινες οὐ χρείαν ἔχουσι μετανοίας. *qui non indigent pœnitentiâ*] Id eſt, *quibus non eſt opus de toto vitæ genere migrare*, ut expoſuimus Matthæi IX, 12. Opponit autem Chriſtus nonaginta juſtos uni peccatori, non quòd ita ſe res habeat: pauciſſimi enim ad normam vivunt, ſed quòd etiamſi ita ſe res haberet, vel unius illius cauſâ labor magnus fuerit ſuſcipiendus. quantò magis cùm corruptiſſimo ſæculo tantus eſſet peccatorum numerus, tanta juſtorum paucitas.

10. ἐνώπιον τῶν ἀγγέλων, *coram angelis*] Sic ἔμπροσθ τῶν ἀγγέλων [*coram angelis*], ſuprà XII, 8. deſcriptio aulæ cœleſtis.

12. ὁ νεώτερος αὐτῶν, *adoleſcentior ex illis*] Appoſitè in juniore ponitur exemplum depravati ingenii: nimirum ut Theognis cecinit,

> Ἥβη καὶ νεότης ἐπικουφίζει νόον ἀνδρὸς,
> Πολλῶν δ᾽ ἐξαίρει θυμὸν ἐς ἀμπλακίην.
> [*Ætas prima ferox ſubducit pondera menti,*
> *Multorumque animos crimina multa docet*].

Sed & Homerus dixerat:

> Αἰεὶ δ᾽ ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.
> [*Quippe levis ſemper juvenili in pectore mens eſt*].

Non abit hinc Philonis illud: Θεὸς τὸ μετανοεῖν ἀδι φὸν νεώτερον τοῦ μηδόλως ἁμαρτάνειν ἀποδέχεται [*pænitentiam velut juniorem immaculatæ innocentiæ ſororem amplectitur Deus*].

δός μοι τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας. *da mihi portionem ſubſtantiæ quæ me contingit*] Ita Demoſthenes dixit, τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ἡμᾶς μέρος [*pars quæ nos contingit*]: Et Ariſtoteles, καθ' ὅσον ἐπιβάλλει μέρος [*quantum res poſtulat*]. Ariſtides de concordia ad Rhodios, τὸ ἐπιβάλλον ἐφ' ὑμᾶς μέρος [*pars quæ vos contingit*]. Cicero, *quod me contingit*. Iuriſconſulti, *Ratam meam partem*. Vſurpari ſolet in iis locis in quibus vigent mercimonia & artes quæſtuoſæ, ut filiis cùm venerint ad plenam pubertatem, ſi id depoſcant, parentes aſſignent aliquam patrimonii ſui partem, ex qua filii quæſtum faciant, quæ pars poſt parentum mortem in hæreditatem imputatur. Similem morem ſi non apud Iudæos, certè apud Iudæorum vicinos Syrophœnicas viguiſſe Chriſti temporibus credibile eſt, cùm ſoleat à rebus uſitatis exempla & comparationes ducere. Reſpondere autem in re ſignificata puto huic parti de patrimonio, non ſolum τὸ αὐτεξούσιον [*libertatem voluntatis humanæ*], ut veterum plerique ἐπιμυθεύονται [*explicant*], ſed *omnia Dei bona*, tum *communia*, ut cœlum, ſidera, terram, mare, & quæ in his gignuntur, tum populorum aut hominum *peculiaria*, valetudinem bonam, pulchritudinem, robur, ingenii præſtantiam, nobilitatem, divitias, & ſi quid his eſt ſimile; quibus omnibus pars hominum major flagitioſè abutitur.

διεῖλεν αὐτοῖς τὸν βίον. *& diviſit illis ſubſtantiam*] Ratione initâ partitionem fecit patrimonii. Nam alioqui major filius partem ſuam non ſeparans manſit in familia paterna de paterno vivens, ut infrà commate 31 videre eſt.

13. ἀπεδήμησεν εἰς χώραν μακράν· *peregrè profectus eſt in regionem longinquam*] Aptè ad rem ſignificatam: nam μακρύνειν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἑαυτοὺς [*longè à Deo ſummovere ſeipſos*] dicuntur *qui reverentiam Dei exuunt*. Pſalm. LXXIII, 27.

διεσκόρπισε, *diſſipavit*] *Dilapidavit*. Ita enim Latini loquuntur. Terentius,

> *Priusquam dilapidet noſtras viginti minas.*

Cicero, *dilapidabat publicam pecuniam*. Reſpondet Hebræo פזר [*diſperſit*].

ζῶν ἀσώτως. *vivendo luxurioſè*] זולל *Vivens nequiter*. Nam ἄσωτον Gellius Latinè *nequam* interpretatur, ſatis propriè, ni fallor. Quippe & Cicero Tuſculanarum tertio *nequitiam* dixit *contrarium vitium frugalitati*, ortamque putat inde vocem, quòd qui tales ſint in iis nequicquam ſit, unde & nihili homines dicuntur: & interdictum Prætoris ita erat conceptum, *Quando tu bona tua patria avitaque nequitiâ tuâ diſperdis*. Sed & *perditè vivere* Latinis eundem ſenſum habere videtur, neque malè reſpondere Græco ἀσώτως [*luxurioſè*].

14. Δαπανήσαντος δὲ αὐτοῦ τὰ πάντα, *& poſtquàm omnia conſumâſſet*] Sic δαπανᾷν τὴν οὐσίαν [*dilapidare ſua bona*] etiam Demoſthenes dixit.

λιμὸς ἰσχυρὸς, *fames valida*] Quæ hîc dicuntur de fame, de domino, porcis, ſiliquis, omnia ni fallor eò pertinent ut nobis deſcribant miſeriam eorum qui vitiis ſerviunt. Seneca: *Multò difficilius eſt facere iſta quæ facitis. Quid enim quiete otioſius eſt animi, quid irâ laborioſius? quid clementia remiſſius? quid crudelitate negotioſius? vacat pudicitia, libido occupatiſſima eſt: omnium denique virtutum tutela facilior eſt, vitia magno coluntur*. Præclarum illud Muſonii, *abire voluptatem, manere turpitudinem*, cùm in rectè factis *abeat labor, maneat honeſtas*.

15. ἐκολλήθη ἑνὶ τῶν πολιτῶν, *adhæſit uni civium*] *Ad civem quendam ſe applicuit*. Ita enim Cicero, Livius, atque alii loquuntur.

16. ἀπὸ τῶν κερατίων, *de ſiliquis*] חרובא Syrus & Arabs. unde apparet utrique intellectum locum non de leguminum teguminibus, ſed de fructu earum arborum quæ propriæ ſiliquiferæ dicuntur, quia earum fructus in ſiliqua eſt. Eum enim fructum Orientis populi חרובא vocant, unde Actuarius fecit καῤῥοῦβα [*Carruva*]. Neque aliter nunc Galli, Hiſpani & Itali appellant, nec aliter hîc cepit Theophylactus: & Plinio notatum ſiliquam in Syria plurimam naſci, quod de ſilvatica accipi video. Idem Plinius de caſtaneis agit: *Cæteræ ſuum pabulo gignuntur, ſcrupuloſâ corticis intra nucleos quoque ruminatione. Haud procul abeſſe videantur & prædulces ſiliquæ, niſi quod in iis cortex ipſe manditur.*

17. Εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐλθὼν, *In ſe autem reverſus*] *Ad ſe redire* etiam Latinis dicitur *qui ad bonam mentem redit*.

18. ἐρῶ αὐτῷ, Πάτερ, ἥμαρτον, *dicam ei, Pater, peccavi*] Non in ætatem, non in malos conſultores culpam rejicit, ſed nudam parat ſine excuſatione confeſſionem. Salvianus bene, *Quicunque ſibi ſe excuſat, accuſat Deo. Nam qui ſe exiſtimat eſſe aliquid cùm nihil ſit, ſe ipſum ſeducit. Nemini itaque facilis ſua cauſa ſit. nullus difficiliùs evadit quàm qui ſe evaſurum eſſe præſumſerit*. Tertullianus, *In quantum non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet*. Ambroſius, *Allevat penitus errores qui ipſe ſe onerat*. Seneca, *Accuſatoris primùm partibus fungere, deinde judicis, noviſſimè deprecatoris*.

εἰς τὸν οὐρανὸν, *in cælum*] Notant hîc eruditi *cælum* pro *Deo* dici. quod verum puto, non ἀντονομαστικῶς [*per antonomaſiam*], ſed συνεκδοχικῶς [*per ſynecdochen*], ut cœlum ſignificet eam poteſtatem quæ in cœlo maximè relucet שליטן שמיא [*Poteſtatem cæleſtem*], ut Daniel loquitur IV, 23. 1 Macc. III, 18. οὐκ ἔστι διαφορὰ ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ σώζειν ἐν πολλοῖς ἢ ἐν ὀλίγοις [*non eſt differentia in conſpectu Dei liberare in multis vel in paucis*]. Hic ἐναντίον τοῦ οὐρανοῦ eſt לפני יהוה [*in conſpectu Domini*]. fine capitis, ὡς δ' ἂν ᾖ θέλημα ἐν οὐρανῷ, οὕτω ποιήσει [*ſicut autem fuerit voluntas in cælo ſic fiat*]. Matth. XXI, 25. Τὸ βάπτισμα Ἰωάννου πόθεν ἦν; ἐξ οὐρανοῦ, ἢ ἐξ ἀνθρώπων; [*Baptiſmus Iohannis unde erat? è cælo, an ex hominibus*]?

19. οὐκέτι εἰμὶ ἄξιος κληθῆναι υἱός σου· *jam non ſum dignus vocari filius tuus*] Homines omnes ortu Dei ſunt filii ut hæc fabula declarat, ſed eo jure excidunt ſemet à Deo alienando.

ποίησόν με ὡς, *fac me ſicut*] Ποιεῖν [*facere*] non tantùm cum dativo ſed & cum accuſativo ſignificat *tractare*, Matth. V, 44. Καλῶς ποιεῖτε τοὺς μισοῦντας [*benefacite his qui oderunt vos*]. Matth. XXVII, 22. τί οὖν ποιήσω Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν; [*quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus*]? Rom. IX, 20. τί με ἐποίησας οὕτως; [*quid me feciſti ſic*]?

20. κατεφίλησεν αὐτόν. *oſculatus eſt eum*] Inter omnes Chriſti parabolas hæc ſanè eximia eſt, plena affectuum, & pulcherrimis picta coloribus. Videtur autem præter ſimilitudinem rei totius, etiam partibus quibuſdam ineſſe τὸ ἀλληγορούμενον [*allegoria*]. Nam oſculum haud dubiè ſignum reconciliationis. Itaque hîc declaratur ſumma Dei bonitas qui ſeriâ pœnitudine ductis peccata remittit ex intimo motu miſericordiæ ſuæ.

21. Πάτερ, ἥμαρτον, *Pater, peccavi*] Etiam poſt annuntiatam homini remiſſionem expedit illi culpam ſuam agnoſcere. Quam in rem memoratu non indignum eſt illud Baſilii: μὴ γίνου κριτὴς ἄνισος ἑαυτοῦ, μηδὲ πρὸς χάριν ἐξέταζε, εἰ μέν τι δοκεῖς ἔχειν καλὸν, τοῦτο ἐν ψήφῳ τιθεὶς, τῶν δὲ πταισμάτων ἑκὼν ἐπιλανθανόμενος. μηδὲ ἐφ' οἷς μὲν σήμερον κατορθοῖς μεγαλυνόμενος, μηδὲ ἐφ' οἷς δὲ πρώην καὶ πάλαι κακῶς εἰργάσω συγχώρησιν ἑαυτῷ διδοὺς: ἀλλ' ὅταν σε τὸ παρὸν ἐπαίρῃ, τὸ παλαιὸν εἰς ἀνάμνησιν ἄγε, καὶ παύσῃ τῆς ἀναισθήτου φλεγμονῆς. [*Ne inæqualis eſto Iudex tui, neque in te ita inquire, ut gratiæ aliquid largiare; ac ſi quid boni habere videare, hoc numeres, ſi quid deliquiſti, ejus verò ſciens volenſque obliviſcare. neque ſic age, ut cùm te de eo quod hodiè rectè egeris efferas, quæ & nuper & dudum commiſiſti mala, condones tibi ac pro nihilo putes. Imo verò, ſi te effert id quod præſens eſt boni, fac præterita in memoriam revoces; quò reſideat ſtolida iſta arrogantia*]. Exemplum hujus modeſtiæ inſigne præbet Paulus I Cor. XV, 9. I Tim. I, 15. Salvianus: *Non eſt nunquàm omnino feciſſe facere ceſſaſſe.*

22. τὴν στολήν, *ſtolam*] Sicut non conquirendæ ſunt anxiè αἱ ἀλληγορίαι [*allegoriæ*] in partibus comparationum, ita hîc non negligendæ videntur cùm eas aliorum locorum comparatio ſuggerat. Videtur ergo στολή [*ſtola*] ſignificare continuam vitæ innocentiam quam Deo dante parit animus gratus ob acceptum tantæ indulgentiæ beneficium. Præit ad hanc explicationem Apoc. VI, II. VII, 13, 14. addito ejuſdem libri loco XIX, 8. & Eſaiæ LII, I.

τὴν πρώτην, *primam*] Aſſentior ad excellentiam, non ad tempus hanc vocem trahentibus, quomodo & Syrus accepit. Sic Rom. III, 2. & X, 19. & I Tim. I, 15. Item Matth. XXII, 38. Diximus aliquid & ſupra VI, I.

δακτύλιον, *annulum*] Apud Romanos *ingenuitatis*, apud Orientis populos *dignitatis eximiæ ſignum* Geneſ. XLI, 42. aut etiam *opulentiæ* Iac. II, 2. Cùm autem annuli uſus inter alia ſit ſignare, non malè veteres reſpondere annulo putant donum Spiritus Sancti qui nos obſignat, ut loquitur Paulus II Cor. I, 22.

καὶ ὑποδήματα εἰς πόδας· *& calceamenta in pedes*] Explicari poteſt ex Epheſ. VI, 15. ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης [*calceati pedes in præparatione Evangelii pacis*]. Nimirùm pœnitentibus in gratiam receptis etiam hoc Deus concedit, ut apti ſint aliis aut voce aut certè exemplo docendis. David in Pſalmo LI cùm oraſſet veniam & reſtitutionem Spiritûs, pollicetur operam ſuam in docendis convertendiſque aliis peccatoribus.

23. εὐφρανθῶμεν. *epulemur*] Supra diximus XII, 19. τροφὴν [*cibum*] & εὐφροσύνην [*lætitiam*] diſtingui videmus Actor. XIV, 17.

24. νεκρὸς ἦν, *mortuus erat*] Vide ad Matth. VIII, 22. Vita corporis animus, vita animi Deus. Philo ἀλληγοριῶν [*allegoriarum*] primo, mortem animi definit ἀρετῆς φθορὰν, κακίας ἀνάληψιν [*virtutis amiſſionem aſſumptionemque vitiorum*], id eſt, ut ipſe explicat, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ [*cùm virtuti moritur anima, vitio vivit*]. Alibi dicit τοὺς φαύλους ἄχρι γήρως ὑστάτου παρατείναντας νεκροὺς εἶναι τὸν μετ' ἀρετῆς βίον ἀφῃρημένους. [*malos etiam qui vitam in extremam ſenectutem protrahunt, mortuos cenſendos, quum eâ vitâ quæ eſt cum virtute conjuncta, careant*]. Item τὸ μὲν ἀγαθὸν καὶ ἡ ἀρετή, ἐστιν ἡ ζωή. τὸ δὲ κακὸν καὶ ἡ κακία, θάνατος. [*bonum & virtus vita eſt. malum verò & vitium mors eſt*]. Adde Apocalypſ. III, I. Epheſ. V, 14.

25. ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. *audivit ſymphoniam & chorum*] Syrus putavit eſſe ἓν διὰ δυοῖν [*rem unam duobus vocabulis expreſſam*], quia chori ſunt qui concinunt. χορὸς [*Chorus*] enim σύστημα παίδων ᾀδόντων [*cœtus canentium puerorum*] Ammonio. Aliàs χορείαν [*tripudium*] ſignificat, quomodò ſumit Arabs. Erat autem apud Orientis populos non inhoneſta ſaltatio, ut alibi notatum.

29. παρῆλθον, *præterivi*] παρέρχεσθαι [*præterire*] dixit quòd frequentiùs dicitur παραβαίνειν [*tranſgredi*], ut in aureo carmine πῆ παρέβην; [*quò tranſgreſſus ſum*]?

30. ὁ καταφαγών σου τὸν βίον, *qui devoravit ſubſtantiam tuam*] Σοῦ [*tuam*], à Latino prætermiſſum, rectè agnoſcunt Syrus & Arabs. auget enim orationis invidiam, quòd ille bona non à ſe quæſita ſed à Patre accepta abligurierat.

31. σὺ πάντοτε μετ' ἐμοῦ εἶ, καὶ πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστιν, *Tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*] Paulus Iuriſconſultus: *In ſuis hæredibus evidentiùs apparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hæreditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent qui etiam vivo patre quodammodò domini exiſtimantur, unde etiam filius familias appellatur ſicut pater familias.* Hinc illud in comœdiis, *herus minor.* Non ſignificat autem hæc comparatio, His qui pii ſemper fuerunt doliturum quòd pœnitentes recipiantur in gratiam: ſed illud potiùs, Nullam hinc dari juſtè quærendi materiam. Præterea eſt συγχώρησις [*conceſſio*]. Neque enim Phariſæi & Legisperiti vixerant ad præſcriptum Divinæ Legis, ſed cùm tales videri vellent, Chriſtus hoc velut illis largiens, oſtendit ne ſic quidem eſſe cur veniam invideant pœnitentibus, cùm per eam nihil ipſis diſcedat. Confer quod eſt Matth. XX, 12, & ſequentibus. Tertullianus de Pudicitia poſtquam hujus loci meminerat: *Poſuit ergo illos (*Iudæos*) in parabola, etſi non quales erant, ſed quales eſſe debuerant.*

CAPVT XVI.

1. Οἰκονόμον, *villicum*] Quod pro *diſpenſatore* Latinus Interpres *villicum* dicit, more fecit ſeculi ſui. Pridem enim vox illa extra nativum

ſenſum proferri cœperat: quin & Præfectum urbi *villicum* dixit Iuvenalis.

2. ἀπόδος τὸν λόγον σου. *redde rationem tuam*] Tempus illi præſtituit reddendis rationibus, quibus expunctis ab actu diſcederet. Huic interpellationi reſpondent in re ſignificata morbi, & ſi quid aliud nos mortalitatis admonet.

3. ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ᾽ ἐμοῦ; *aufert à me villicationem*]? Vt Sibnæ. Eſaias XXII, 19.

σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, *fodere non valeo*] Sic apud Ariſtophanem avibus, quidam de laturis victum queritans ita ſe defendit: τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι [*quid enim faciam? fodere neſcio*]. Nec multum diſſimile illud ejuſdem, εἰ δ᾽ ὑφείλετο, σύγγνωθι· κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται [*quòd ſi ſuffuratus eſt, ignoſce, muſicam enim non novit*].

ἐπαιτεῖν, *mendicare*] Προσαιτεῖν pro eodem dixit hic noſter XVIII, 35. Marc. X, 46. Iohann. IX, 8. αἰτεῖν ἐλεημοσύνην [*petere eleëmoſynam*] noſter Actor. III, 2. Tyrtæus dixit:

> Πτωχεύειν πάντων ἐστ᾽ ἀνιηρότατον.
>
> [*Mendicitas res omnium eſt miſerrima*].

4. δέξωνταί με, *recipiant me*] Id eſt, *ſint qui me recipiant*. Nomen enim ſubauditur.

6. βάτους, *cados*] Vide Ioſephum antiquæ hiſtoriæ VIII, 2.

τὸ γράμμα, *cautionem*] Optimè Latinus Interpres *cautionem* vertit. Ita enim Iuriſconſulti vocant quod Græci *ſyngrapham* aut *chirographam*. Eandem *cautionis* vocem hôc ſenſu uſurpat Tertullianus & Salvianus. Sed & *literas* idem Interpres, niſi quòd nulla erat variandi cauſa, non malè. Teſtatur juris Romani titulus De literarum obligationibus. Tabularum vox, quam præferunt alii, non *ſyngraphas* ſed *codicem accepti expenſique* ſignificat: unde *novæ tabulæ*, id eſt, *rationum abolitio*. Notandum eſt autem fingi penes hunc diſpenſatorem fuiſſe *ſyngraphas*, cujus moris exempla etiam in jure Romano conſpicere eſt.

8. τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, *villicum iniquitatis*] Id eſt, τὸν ἄδικον [*iniquum*], ut rectè interpretatur Syrus ex Hebraïſmo. Sicut & ubi infrà dicitur ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας [*judex iniquitatis*], ne quis putet τῆς ἀδικίας [*iniquitatis*] cohærere cum illo ἐπῄνεσεν [*laudavit*]. Quamvis in facto iniquo, non potuit dominus non probare ſolertiam diſpenſatoris, atque in hac ſolertia ſita eſt vis ſimilitudinis, non in facti improbitate. Sed à minori argumentum ducitur. *Si laudatur ſolers improbitas, quantò magis prudentia cum virtute conjuncta.* Sic infrà dicto capite XVIII. *Si homo improbus aſſiduis flagitationibus movetur, quantò magis bonus ille Deus conſtanti prece.* Simile eſt quod habuimus ſuprà XI, 13.

ὅτι οἱ υἱοὶ, *quia filii*] Verba ſunt Chriſti pergentis ad explicationem fabellæ: ideo interpretamenti cauſâ adjectum à nonnullis διὸ λέγω ὑμῖν [*quapropter dico vobis*], quod ſubaudiri ſatis eſt.

τοῦ αἰῶνος τούτου, *hujus ſæculi*] Qui nihil aliud curant quam vitæ hujus commoda Hebræis בני עלמא [*filii hujus ſæculi*].

ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς, *filiis lucis*] Ita vocat omnes eos *qui luce aliqua*, id eſt, *vitæ melioris cognitione illuſtrati ſunt*, quorum tamen magna pars negligit viam inire quæ ducit ad monſtratum bonum. Ita olim Iudæi comparati nationibus rectè dici poterant *filii lucis*, & nunc Chriſtiani omnes, 1 Theſſal. V, 5.

εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, *in generatione ſua*] Hebraïſmus eſt בתולדותם, id eſt, *in rebus ſuis agendis*. nam *actiones* etiam Hebræi תולדות, id eſt, γενεὰς [*generationes*] vocant, ut apparet Geneſ. VI, 9. & XXXVII, 2, quo loco cauſa deſcenſionis in Ægyptum vocatur γενεὰ [*generatio*] Iacobi.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, *& ego vobis dico*] Hac connexione Chriſtus ſignificat, bonorum quæ poſſidentur non tam proprietarios nos eſſe quam diſpenſatores. Philo: Πρῶτον μὲν ἴδιον, φησὶν, οὐδὲν ἔχεις ἀγαθὸν, ἀλλ᾽ ὅ, τι ἂν νομίσῃς ἔχειν, ἕτερος παρέσχηκεν. ἐξ οὗ συνάγεται, ὅτι Θεοῦ τοῦ διδόντος κτήματα πάντα, ἀλλ᾽ οὐ τῆς μετ᾽ αὐτὸν καὶ τὰς χεῖρας εἰς τὸ λαβεῖν προτεινούσης γενέσεως· δεύτερον δὲ, κἂν λάβῃς, λάβε μὴ σεαυτῷ. δάνειον δὲ ἢ παρακαταθήκην νομίσας τὸ δοθὲν, τῷ παρακαταθεμένῳ καὶ σύμβολόν τι ἀπόδος, πρεσβυτέραν χάριν χάριτι νεωτέρᾳ προκατάρχουσαν ἀντεκτινούσῃ δικαίως καὶ προσηκόντως ἀμειψάμενος· πολλοὶ γὰρ ἐκ παρακαταθηκῶν πονηροὶ ἐγένοντο, τοῖς ἀλλοτρίοις ὡς ἰδίοις ὑπ᾽ ἀμέτρου τῆς πλεονεξίας καταχρησάμενοι [*Primum, proprii, inquiunt, quidem habes nihil; quòd ſi quid habere videare, alius dedit. Ex quo efficitur, dantis Dei eſſe omnia, non creaturarum, quæ ut poſt eum ſunt, ita manus ei, quò ab eo accipiant, porrigunt. Deinde nec tibi, ſi quid accipis, accipe: imo verò quaſi mutuum acceperis, depoſitumve ſuſceperis, ita ei, qui tibi credidit, ſymbolum inſuper aliquod redde, vetuſtioremque gratiam poſteriore, antecedentem ſubſequente & rependente, juſtè atque ordine remunerare. Corrupit enim multos habita eis fides depoſitumque ſuſceptum, dum alienis ut ſuis ob immoderatam avaritiam abutuntur*]. Seneca: *Quid tanquam tuo parcis? procurator es.*

ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, *de mammona iniquitatis*] Ex illis bonis quæ maximè inveniuntur apud injuſtos & ab injuſtis maximi fiunt, eoque probantur non eſſe vera bona. Vide infrà 11. Chaldæus etiam Iobi Interpres dixit ממון השקר [*mammona falſum*], μαμωνᾶ ἀδικίας [*mammona iniquitatis*].

ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, *ut cum defeceritis*] Plato ἐκλείποντας [*deficientes*] dixit *mortuos*, ut LXX interdum. Irenæi Interpres ita citat hunc locum, *quando fugati fueritis*. Et ſanè ſolet ἐκλείπειν [*deficere*] etiam hunc habere ſenſum. Sed malim ſubaudiri ex præcedentibus τοῦ μαμωνᾶ [*mammona*], ut plena locutio ſit ὅταν ἐκλίπητε τοῦ μαμωνᾶ, *cùm divitiis illis deſtituemini*, nec aliter accepit Syrus. Vertit enim דמא דגמר, id eſt, *cum defecerit*, nempe τὸ μαμωνᾶ [*mammona*]. Bene autem hoc ad comparationem facit, nam cùm moriendum eſt, relinquunt nos divitiæ, ac proinde finem quoque accipit credita diſpenſatio. Martialis:

> *Rape, congere, aufer, poſſide, relinquendum eſt.*

δέξωνται ὑμᾶς, *recipiant vos*] Id eſt, *efficiant ut recipiamini*, id autem efficiunt egeni à nobis adjuti, eo ferme modo quo parentes culti atque obſervati dicuntur vitam bonis producere Exod. XX, 12. Cæterùm meminiſſe & hîc debemus quod dictum eſt ſuprà ad illum locum, πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν [*quod reliquum* ποιήσω Ἰησοῦν τὸν λεγόμενον Χριστόν; [*quid igitur faciam de Ieſu, qui dicitur Chriſtus*]? Rom. IX, 20. τί με ἐποίησας οὕτως; [*quid me feciſti ſic*]?

20. κατεφίλησεν αὐτὸν. *oſculatus eſt eum*] Inter omnes Chriſti parabolas hæc ſanè eximia eſt, plena affectuum, & pulcherrimis picta coloribus. Videtur autem præter ſimilitudinem rei totius, etiam partibus quibusdam ineſſe τὸ ἀλληγορούμενον [*allegoria*]. Nam oſculum haud dubiè ſignum reconciliationis. Itaque hîc declaratur ſumma Dei bonitas qui ſeriâ pœnitudine ductis peccata remittit ex intimo motu miſericordiæ ſuæ.

21. Πάτερ, ἥμαρτον, *Pater, peccavi*] Etiam poſt annuntiatam homini remiſſionem expedit illi culpam ſuam agnoſcere. Quam in rem memoratu non indignum eſt illud Baſilii: μὴ γίνου κριτὴς ἄνισος ἑαυτοῦ, μηδὲ πρὸς χάριν ἐξέταζε, εἰ μέν τι δοκεῖς ἔχειν καλὸν, τοῦτο ἐν ψήφῳ τιθεὶς, τῶν δὲ πταισμάτων ἑκὼν ἐπιλανθανόμενος. μηδὲ ἐφ' οἷς μὲν σήμερον κατορθοῖς μεγαλυνόμενος, μηδὲ ἐφ' οἷς δὲ πρώην καὶ πάλαι κακῶς εἰργάσω συγχώρησιν ἑαυτῷ διδοὺς: ἀλλ' ὅταν σε τὸ παρὸν ἐπαίρῃ, τὸ παλαιὸν εἰς ἀνάμνησιν ἄγε, καὶ παύσῃ τῆς ἀναισθήτου φλεγμονῆς. [*Ne inæqualis eſto Iudex tui, neque in te ita inquire, ut gratiæ aliquid largiare; ac ſi quid boni habere videare, hoc numeres, ſi quid deliquiſti, ejus verò ſciens volensque obliviſcare. neque ſic age, ut cùm te de eo quod hodiè rectè egeris efferas, quæ & nuper & dudum commiſiſti mala, condones tibi ac pro nihilo putes. Imo verò, ſi te effert id quod præſens eſt boni, fac præterita in memoriam revoces; quò reſideat ſtolida iſta arrogantia*]. Exemplum hujus modeſtiæ inſigne præbet Paulus I Cor. XV, 9. I Tim. I, 15. Salvianus: *Non eſt nunquàm omnino feciſſe facere ceſſaſſe.*

22. τὴν στολὴν, *ſtolam*] Sicut non conquirendæ ſunt anxiè αἱ ἀλληγορίαι [*allegoriæ*] in partibus comparationum, ita hîc non negligendæ videntur cùm eas aliorum locorum comparatio ſuggerat. Videtur ergo στολὴ [*ſtola*] ſignificare continuam vitæ innocentiam quam Deo dante parit animus gratus ob acceptum tantæ indulgentiæ beneficium. Præit ad hanc explicationem Apoc. VI, 11. VII, 13, 14. addito ejuſdem libri loco XIX, 8. & Eſaiæ LII, 1.

τὴν πρώτην, *primam*] Aſſentior ad excellentiam, non ad tempus hanc vocem trahentibus, quomodo & Syrus accepit. Sic Rom. III, 2. & X, 19. & I Tim. I, 15. Item Matth. XXII, 38. Diximus aliquid & ſupra VI, 1.

δακτύλιον, *annulum*] Apud Romanos *ingenuitatis*, apud Orientis populos *dignitatis eximiæ ſignum* Geneſ. XLI, 42. aut etiam *opulentiæ* Iac. II, 2. Cùm autem annuli uſus inter alia ſit ſignare, non malè veteres reſpondere annulo putant donum Spiritus Sancti qui nos obſignat, ut loquitur Paulus II Cor. I, 22.

καὶ ὑποδήματα εἰς πόδας· *& calceamenta in pedes*] Explicari poteſt ex Epheſ. VI, 15. ὑποδησάμενοι τοὺς πόδας ἐν ἑτοιμασίᾳ τοῦ εὐαγγελίου τῆς εἰρήνης [*calceati pedes in præparatione Euangelii pacis*]. Nimirùm pœnitentibus in gratiam receptis etiam hoc Deus concedit, ut apti ſint aliis aut voce aut certè exemplo docendis. David in Pſalmo LI cùm oraſſet veniam & reſtitutionem Spiritûs, pollicetur operam ſuam in docendis convertendisque aliis peccatoribus.

23. εὐφρανθῶμεν. *epulemur*] Supra diximus XII, 19. τροφὴν [*cibum*] & εὐφροσύνην [*lætitiam*] diſtingui videmus Actor. XIV, 17.

24. νεκρὸς ἦν, *mortuus erat*] Vide ad Matth. VIII, 22. Vita corporis animus, vita animi Deus. Philo ἀλληγοριῶν [*allegoriarum*] primo, mortem animi definit ἀρετῆς φθορὰν, κακίας ἀνάληψιν [*virtutis amiſſionem aſſumptionemque vitiorum*], id eſt, ut ipſe explicat, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸν ἀρετῆς βίον θνήσκῃ, τὸν δὲ κακίας ζῇ [*cùm virtuti moritur anima, vitio vivit*]. Alibi dicit τοὺς φαύλους ἄχρι γήρως ὑστάτου παρατείναντας νεκροὺς εἶναι τὸν μετ' ἀρετῆς βίον ἀφῃρημένους. [*malos etiam qui vitam in extremam ſenectutem protrahunt, mortuos cenſendos, quum eâ vitâ quæ eſt cum virtute conjuncta, careant*]. Item τὸ μὲν ἀγαθὸν καὶ ἡ ἀρετή, ἐστιν ἡ ζωή. τὸ δὲ κακὸν καὶ ἡ κακία, θάνατος. [*bonum & virtus vita eſt. malum verò & vitium mors eſt*]. Adde Apocalypſ. III, 1. Epheſ. V, 14.

25. ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. *audivit ſymphoniam & chorum*] Syrus putavit eſſe ἓν διὰ δυοῖν [*rem unam duobus vocabulis expreſſam*], quia chori ſunt qui concinunt. χορὸς [*Chorus*] enim σύστημα παίδων ᾀδόντων [*cœtus canentium puerorum*] Ammonio. Aliàs χορείαν [*tripudium*] ſignificat, quomodò ſumit Arabs. Erat autem apud Orientis populos non inhoneſta ſaltatio, ut alibi notatum.

29. παρῆλθον, *præterivi*] παρέρχεσθαι [*præterire*] dixit quòd frequentiùs dicitur παραβαίνειν [*transgredi*], ut in aureo carmine πῆ παρέβην; [*quò transgreſſus ſum*]?

30. ὁ καταφαγών σου τὸν βίον, *qui devoravit ſubſtantiam tuam*] Σοῦ [*tuam*], à Latino prætermiſſum, rectè agnoſcunt Syrus & Arabs. auget enim orationis invidiam, quòd ille bona non à ſe quæſita ſed à Patre accepta abligurierat.

31. σὺ πάντοτε μετ' ἐμοῦ εἶ, καὶ πάντα τὰ ἐμὰ σά ἐστιν, *Tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt*] Paulus Iurisconſultus: *In ſuis hæredibus evidentiùs apparet continuationem dominii eo rem perducere, ut nulla videatur hæreditas fuiſſe, quaſi olim hi domini eſſent qui etiam vivo patre quodammodò domini exiſtimantur, unde etiam filius familias appellatur ſicut pater familias.* Hinc illud in comœdiis, *herus minor*. Non ſignificat autem hæc comparatio, His qui pii ſemper fuerunt doliturum quòd pœnitentes recipiantur in gratiam: ſed illud potiùs, Nullam hinc dari juſtè quærendi materiam. Præterea eſt συγχώρησις [*conceſſio*]. Neque enim Phariſæi & Legisperiti vixerant ad præſcriptum Divinæ Legis, ſed cùm tales videri vellent, Chriſtus hoc velut illis largiens, oſtendit ne ſic quidem eſſe cur veniam invideant pœnitentibus, cùm per eam nihil ipſis diſcedat. Confer quod eſt Matth. XX, 12, & ſequentibus. Tertullianus de Pudicitia poſtquam hujus loci meminerat: *Poſuit ergo illos (*Iudæos*) in parabola, etſi non quales erant, ſed quales eſſe debuerant.*

CAPVT XVI.

1. Οἰκονόμον, *villicum*] Quod pro *diſpenſatore* Latinus Interpres *villicum* dicit, more fecit ſeculi ſui. Pridem enim vox illa extra nativum

ſenſum proferri cœperat : quin & Præfectum urbi *villicum* dixit Iuvenalis.

2. ἀπόδος τὸν λόγον σου. *redde rationem tuam*] Tempus illi præſtituit reddendis rationibus, quibus expunctis ab actu diſcederet. Huic interpellationi reſpondent in re ſignificata morbi, & ſi quid aliud nos mortalitatis admonet.

3. ἀφαιρεῖται τὴν οἰκονομίαν ἀπ' ἐμοῦ; *aufert à me villicationem*]? Vt Sibnæ. Eſaias XXII, 19.

σκάπτειν οὐκ ἰσχύω, *fodere non valeo*] Sic apud Ariſtophanem avibus, quidam de laturis victum queritans ita ſe defendit : τί γὰρ πάθω; σκάπτειν γὰρ οὐκ ἐπίσταμαι [*quid enim faciam ? fodere neſcio*]. Nec multum diſſimile illud ejusdem, εἰ δ' ὑφείλετο, σύγγνωθι· κιθαρίζειν γὰρ οὐκ ἐπίσταται [*quòd ſi ſuffuratus eſt, ignoſce, muſicam enim non novit*].

ἐπαιτεῖν, *mendicare*] Προσαιτεῖν pro eodem dixit hic noſter XVIII, 35. Marc. X, 46. Iohann. IX, 8. αἰτεῖν ἐλεημοσύνην [*petere eleëmoſynam*] noſter Actor. III, 2. Tyrtæus dixit:

Πτωχεύειν πάντων ἐστ' ἀνιηρότατον.
[*Mendicitas res omnium eſt miſerrima*].

4. δέξωνταί με, *recipiant me*] Id eſt, *ſint qui me recipiant*. Nomen enim ſubauditur.

6. βάτους, *cados*] Vide Ioſephum antiquæ hiſtoriæ VIII, 2.

τὸ γράμμα, *cautionem*] Optimè Latinus Interpres *cautionem* vertit. Ita enim Iuriſconſulti vocant quod Græci *ſyngrapham* aut *chirographam*. Eandem *cautionis* vocem hôc ſenſu uſurpat Tertullianus & Salvianus. Sed & *literas* idem Interpres, niſi quòd nulla erat variandi cauſa, non malè. Teſtatur juris Romani titulus De literarum obligationibus. Tabularum vox, quam præferunt alii, non *ſyngraphas* ſed *codicem accepti expenſique* ſignificat : unde *novæ tabulæ*, id eſt, *rationum abolitio*. Notandum eſt autem fingi penes hunc diſpenſatorem fuiſſe *ſyngraphas*, cujus moris exempla etiam in jure Romano conſpicere eſt.

8. τὸν οἰκονόμον τῆς ἀδικίας, *villicum iniquitatis*] Id eſt, τὸν ἄδικον [*iniquum*], ut rectè interpretatur Syrus ex Hebraiſmo. Sicut & ubi infrà dicitur ὁ κριτὴς τῆς ἀδικίας [*judex iniquitatis*], ne quis putet τῆς ἀδικίας [*iniquitatis*] cohærere cum illo ἐπῄνεσεν [*laudavit*]. Quamvis in facto iniquo, non potuit dominus non probare ſolertiam diſpenſatoris, atque in hac ſolertia ſita eſt vis ſimilitudinis, non in facti improbitate. Sed à minori argumentum ducitur. *Si laudatur ſolers improbitas, quantò magis prudentia cum virtute conjuncta*. Sic infrà dicto capite XVIII. *Si homo improbus aſſiduis flagitationibus movetur, quantò magis bonus ille Deus conſtanti prece*. Simile eſt quod habuimus ſuprà XI, 13.

ὅτι οἱ υἱοὶ, *quia filii*] Verba ſunt Chriſti pergentis ad explicationem fabellæ: ideo interpretamenti cauſâ adjectum à nonnullis διὸ λέγω ὑμῖν [*quapropter dico vobis*], quod ſubaudiri ſatis eſt.

τοῦ αἰῶνος τούτου, *hujus ſæculi*] Qui nihil aliud curant quam vitæ hujus commoda Hebræis בני עלמא [*filii hujus ſæculi*].

ὑπὲρ τοὺς υἱοὺς τοῦ φωτὸς, *filiis lucis*] Ita vocat omnes eos *qui luce aliqua*, id eſt, *vitæ melioris cognitione illuſtrati ſunt*, quorum tamen magna pars negligit viam inire quæ ducit ad monſtratum bonum. Ita olim Iudæi comparati nationibus rectè dici poterant *filii lucis*, & nunc Chriſtiani omnes, 1 Theſſal. V, 5.

εἰς τὴν γενεὰν τὴν ἑαυτῶν, *in generatione ſua*] Hebraïſmus eſt בתולדותם, id eſt, *in rebus ſuis agendis*. nam *actiones* etiam Hebræi תולדות, id eſt, γενεὰς [*generationes*] vocant, ut apparet Geneſ. VI, 9. & XXXVII, 2, quo loco cauſa deſcenſionis in Ægyptum vocatur γενεὰ [*generatio*] Iacobi.

9. Κἀγὼ ὑμῖν λέγω, *& ego vobis dico*] Hac connexione Chriſtus ſignificat, bonorum quæ poſſidentur non tam proprietarios nos eſſe quam diſpenſatores. Philo: Πρῶτον μὲν ἴδιον, φησὶν, οὐδὲν ἔχεις ἀγαθὸν, ἀλλ' ὅ, τι ἂν νομίσῃς ἔχειν, ἕτερος παρέσχηκεν. ἐξ οὗ συνάγεται, ὅτι Θεοῦ τοῦ διδόντος κτήματα πάντα, ἀλλ' οὐ τῆς μετ' αὐτὸν καὶ τὰς χεῖρας εἰς τὸ λαβεῖν προτεινούσης γενέσεως· δεύτερον δὲ, κἂν λάβῃς, λάβε μὴ σεαυτῷ. δάνειον δὲ ἢ παρακαταθήκην νομίσας τὸ δοθὲν, τῷ παρακαταθεμένῳ καὶ σύμβολόν τι ἀπόδος, πρεσβυτέραν χάριν χάριτι νεωτέρᾳ προκατάρχουσαν ἀντεκτινούσῃ δικαίως καὶ προσηκόντως ἀμειψάμενος· πολλοὶ γὰρ ἐκ παρακαταθηκῶν πονηροὶ ἐγένοντο, τοῖς ἀλλοτρίοις ὡς ἰδίοις ὑπ' ἀμέτρου τῆς πλεονεξίας καταχρησάμενοι [*Primum, proprii, inquiunt, quidem habes nihil; quòd ſi quid habere videare, alius dedit. Ex quo efficitur, dantis Dei eſſe omnia, non creaturarum, quæ ut poſt eum ſunt, ita manus ei, quò ab eo accipiant, porrigunt. Deinde nec tibi, ſi quid accipis, accipe : imo verò quaſi mutuum acceperis, depoſitumve ſuſceperis, ita ei, qui tibi credidit, ſymbolum inſuper aliquod redde, vetuſtioremque gratiam poſteriore, antecedentem ſubſequente & rependente, juſtè atque ordine remunerare. Corrupit enim multos habita eis fides depoſitumque ſuſceptum, dum alienis ut ſuis ob immoderatam avaritiam abutuntur*]. Seneca: *Quid tanquam tuo parcis? procurator es.*

ἐκ τοῦ μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας, *de mammona iniquitatis*] Ex illis bonis quæ maximè inveniuntur apud injuſtos & ab injuſtis maximi fiunt, eoque probantur non eſſe vera bona. Vide infrà 11. Chaldæus etiam Iobi Interpres dixit ממון השקר [*mammona falſum*], μαμωνᾶ ἀδικίας [*mammona iniquitatis*].

ἵνα ὅταν ἐκλίπητε, *ut cum defeceritis*] Plato ἐκλείποντας [*deficientes*] dixit *mortuos*, ut LXX interdum. Irenæi Interpres ita citat hunc locum, *quando fugati fueritis*. Et ſanè ſolet ἐκλείπειν [*deficere*] etiam hunc habere ſenſum. Sed malim ſubaudiri ex præcedentibus τοῦ μαμωνᾶ [*mammona*], ut plena locutio ſit ὅταν ἐκλίπητε τοῦ μαμωνᾶ, *cùm divitiis illis deſtituemini*, nec aliter accepit Syrus. Vertit enim דמא דגמר, id eſt, *cum defecerit*, nempe τὸ μαμωνᾶ [*mammona*]. Bene autem hoc ad comparationem facit, nam cùm moriendum eſt, relinquunt nos divitiæ, ac proinde finem quoque accipit credita diſpenſatio. Martialis:

Rape, congere, aufer, poſſide, relinquendum eſt.

δέξωνται ὑμᾶς, *recipiant vos*] Id eſt, *efficiant ut recipiamini*, id autem efficiunt egeni à nobis adjuti, eo ferme modo quo parentes culti atque obſervati dicuntur vitam bonis producere Exod. XX, 12. Cæterùm meminiſſe & hîc debemus quod dictum eſt ſuprà ad illum locum, πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην, καὶ ἰδοὺ πάντα καθαρὰ ὑμῖν ἐστιν [*quod reliquum* *eſt, date eleëmoſynam, & ecce omnia vobis munda ſunt*], operibus miſericordiæ non ſolis atque nudis, ſed ut comitibus veræ pœnitentiæ tales effectus tribui. Multa ſunt in libro primo Salviani contra avaritiam quæ lucem adferunt his Chriſti verbis. Inter ea & hoc: *Offerat ergo vel moriens ad liberandam de perennibus pœnis animam ſuam, quia aliud jam non poteſt, ſaltem ſubſtantiam ſuam: ſed offerat tamen cum compunctione, cum lachrymis: offerat cum dolore, cum luctu: Aliter quippe oblata non proſunt, quia non pretio ſed affectu placent: nec enim animus dantis datis, ſed animo commendantur data: nec pecunia fidem inſinuat* (id eſt commendat) *ſed pecuniam fides. Ac per hoc qui prodeſſe ſibi vult, quæ Deo offert hôc modo offerat: nec enim homo Deo præſtat beneficium in his quæ dederit, ſed Deus in his homini quæ acceperit, quia etiam quod homo habet Dei ac Domini ſui munus eſt: ac per hoc in his quæ offeruntur ab homine, homo non ſuum reddit, Dominus ſuum recipit. Itaque cùm offert Deo quiſpiam facultates ſuas, non offerat quaſi præſumtione donantis, ſed quaſi humilitate ſolventis: nec abſolvere ſe peccata ſua credat ſed adlevare: nec offerat cum redemtionis fiducia, ſed cum ſupplicationis officio: nec quaſi totum debitum reddens, ſed quaſi vel parvum de magno reddere cupiens, quia etiam ſi tradat quod habet pro modo rerum, non reddit quod debet pro magnitudine peccatorum: & ideo licèt offerat, oret Deum ut lenta ſua placeat oblatio, plangens id ipſum quòd tardè offert; plangens ac pœnitens quòd non priùs.* Tobiæ Scriptor olim dixerat, Ὡς σοὶ ὑπάρχει κατὰ τὸ πλῆθος, ποίησον ἐξ αὐτῶν ἐλεημοσύνην· ἐὰν ὀλίγον σοι ὑπάρχῃ κατὰ τὸ ὀλίγον μὴ φοβοῦ ποιεῖν ἐλεημοσύνην· θέμα γὰρ ἀγαθὸν θησαυρίζεις σεαυτῷ εἰς ἡμέραν ἀνάγκης· διότι ἐλεημοσύνη ἐκ θανάτου ῥύεται καὶ οὐκ ἐᾷ εἰσελθεῖν εἰς τὸ σκότος· δῶρον γὰρ ἀγαθόν ἐστιν ἐλεημοσύνη πᾶσι τοῖς ποιοῦσιν αὐτὴν ἐνώπιον τοῦ ὑψίστου. [*Si multum tibi fuerit abundanter tribue: ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri ſtude. Præmium enim bonum tibi theſaurizas in die neceſſitatis. Quoniam eleëmoſyna à morte liberat & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia enim magna erit coram ſummo Deo eleëmoſyna omnibus facientibus eam*]. Addę quæ diximus ad caput Matthæi VI, 20.

εἰς τὰς αἰωνίους σκηνάς. *in æterna tabernacula*] Σκηνὰς [*tabernacula*] hîc nihil aliud eſſe puto quàm *habitacula*: οἰκίαν ἀχειροποίητον αἰώνιον ἐν τοῖς οὐρανοῖς [*domum non manufactam æternam in cœlis*] dixit Paulus II Corinth. v, 1, ubi etiam σκήνους [*tabernaculi*] vocem uſurpat. neque enim ad templi σκηνὴν [*tabernaculum*] hîc alluditur ut in Epiſtola ad Hebræos.

10. Ὁ πιστὸς ἐν ἐλαχίστῳ, καὶ ἐν πολλῷ πιστός ἐστι· *Qui fidelis eſt in minimo & in majori fidelis eſt*] Solent heri famulorum ſuorum fidem in re non magni pretii explorare, atque inde de majoribus conjecturam facere. Vide Matth. XXV, 21, 23. Sanè & in proverbio vir juſtus dicitur μηδὲ βελόνης ἐπιθυμεῖν [*ne acum quidem concupiſcere*]. Satis autem eſt, ſi in ſententiis aliquid ſit probabilitatis: neque enim requiritur ut ſemper locum habeant. Τὸ πολὺ [*multum*] hîc eſt *id quod magni eſt pretii*, ut μισθὸς πολὺς [*merces multa*] Geneſ. XV, 1.

καὶ ὁ ἐν ἐλαχίστῳ ἄδικος, καὶ ἐν πολλῷ ἄδικός ἐστιν. *& qui in modico iniquus eſt, & in majori iniquus eſt*] Euripides:

> Ὅστις γὰρ ἐπὶ τὸ πλέον ἔχειν πέφυκ' ἀνὴρ,
> Οὐδὲν φρονεῖ δίκαιον, οὐδὲ βούλεται.
> [*Habere quiſquis parte plus quærit ſuâ,*
> *Nil ille juſti cogitat, nil expetit*].

11. ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ. *in iniquo mammona*] Vide quæ ſuprà 9.

τὸ ἀληθινὸν τίς ὑμῖν πιστεύσει; *quod verum eſt, quis credet vobis*]? Lucas μαμωνᾶ [*mammona*] declinat οὐδετέρως [*neutraliter*] & τὸ ἀληθινὸν μαμωνᾶ [*verum mammona*] intelligit τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ quæ [*donum Dei quod*] & δωρεὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος [*donum Spiritus Sancti*] dicitur. Hoc donum ordinariè Deus non concedit niſi eis qui aliquamdiu per opera pœnitentiæ Deo ſe probaverunt, qua in re multùm diſtat à divitiis illis quæ per illicita quæri ſolent. Habet autem vox ἀληθινὴ [*veri*] ſæpe excellentiæ ſignificationem. Vide Euang. Iohann. 1, 9.

12. ἐν τῷ ἀλλοτρίῳ, *in alieno*] Ἀλλότρια [*aliena*] etiam ſuprà Philoni vidimus dici quæ nobis à Deo ſub onere diſpenſationis ſunt credita. His opponit Chriſtus τὸ ὑμέτερον [*veſtrum*], id quod hominibus erit ἀναφαίρετον, ἀνεκλόγιστον, *proprium atque perpetuum*, vitæ ſcilicet æternæ poſſeſſionem. Neque enim idem hîc puto dici quod in ſententia ſuperiore. ibi bona inter ſe comparantur majora minoribus, ſed talia tamen ad quorum uſum requiratur humana fides & induſtria: hîc de fidei atque induſtriæ præmio agitur. Solet enim diſpenſatoribus rerum dominicarum pro diſpenſatione aliquid aſſignari, quod ipſorum fiat proprium.

13. Οὐδεὶς οἰκέτης, *Nemo ſervus*] Vide de hac ſententia ad Matthæum. Optimè autem hîc ſuperioribus connectitur. Nam *ſerviunt mammonæ* quibus præcipuum circa divitias eſt ſtudium: huic autem ſtudio cohærere ſolet illiberalitas & immiſericordia.

14. καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *& Phariſæi*] Vt qui ſe turbæ audientium jungere ſolerent, captaturi calumniæ occaſionem. ſuprà XI, 54.

ἐξεμυκτήριζον, *deridebant*] *Irriſerunt tanquam docentem aliena à Lege*, quæ magnas divitias hominibus promittit. Satis autem intelligebant neminem poſſe magnas divitias aut acquirere aut retinere, ſi tantâ liberalitate ſuccurendum eſſet egentibus quantam Chriſti verba exigebant. Non poterat avaris non ingrata aut etiam non ridicula eſſe tam ſevera liberalitatis præſcriptio. Hoc eſt quod Paulus ait, ψυχικὸς δὲ ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ Θεοῦ· μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι [*Animalis autem homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei: ſtultitia enim eſt illi*]. I Corinth. II, 14. Quod Lactantius ita explicat: *Amara ſunt vitioſis & malè viventibus præcepta juſtitiæ.* Chryſoſtomus tales non malè comparat *vertiginoſis*, quibus nihil ſtare videtur; aut *palato corruptis*, quibus nihil rectè ſapit. Ἐκμυκτηρίζειν [*aeridere*] habebimus & infrà XXIII, 35. Voce μυκτηρίζειν [*ridere*] utitur & Paulus. Græci in Proverbiis hac voce reddunt Hebræum בוז [*deſpicere*].

15. οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς, *qui juſtificatis vos ipſos*]

Id eſt, *qui vos pro juſtis venditatis*, ut eam vocem accipi vidimus x, 29. Faciebant autem hoc Phariſæi magno molimine cæremoniarum, quas admirabatur populus.

ὁ δὲ Θεὸς γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν, *Deus autem novit corda veſtra*] *Deus ſcit in cordibus veſtris nihil eſſe veræ ſanctimoniæ*. Supra xi, 39. Dei eſſe proprium corda inſpicere docent ſæpe nos Sacræ Literæ. Nazarius in Panegyrico, *Spectat nos ex alto rerum arbiter Deus, & quamvìs humanæ mentes profundos gerant cogitationum receſſus, inſinuat tamen ſe totam ſcrutatura Divinitas.*

ὅτι τὸ ἐν ἀνθρώποις ὑψηλὸν, βδέλυγμα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ἐστι. *quia quod hominibus altum eſt, abominatio eſt ante Deum*] Non puto hîc propriè ſuperbiam damnari. Senſus enim eſt, ut & alii notarunt, *Multa quæ hominibus videantur eximia atque in excelſo poſita* (quale erat vitæ Phariſaicæ inſtitutum magnam præferens ſanctimoniæ ſpeciem) *Deo maximè diſplicere, quia abſit vera animi probitas*. Non dubitò quin reſpexerit Chriſtus ad hiſtoriam 1 Sam. xvi, 7. ubi Deus Samueli edicit ne in Rege deſignando reſpiciat ſublimitatem ſtaturæ (quod Æthiopas factitare ſolitos legimus) neque enim ſuam æſtimationem congruere cum hominum æſtimatione: ab hominibus reſpici externa: à ſe cor ipſum. Quod ibi de ſtatura dicitur, Chriſtus ad actiones ipſas tranſtulit. Ibi eſt גבה [*altitudo*] quod hîc τὸ ὑψηλόν. [*altum*].

16. Ὁ νόμος καὶ οἱ προφῆται ἕως Ἰωάννου, *Lex & Prophetæ usque ad Ioannem*] Quaſi diceret, *Ne miramini ſi majora dilectionis opera nunc quàm olim apertè exigantur. Id enim poſtulat temporum ratio. Nunquam tanta in vos Deus beneficia contulit quanta nunc confert. Quid mirum eſt ſi qui plus contulit de collato plus exigit? Moſis & Prophetarum libri accommodati anteactis temporibus functi ſunt velut puerorum magiſterio: ideo multa diſsimularunt & externum illum cultum, cujus vos cuſtodia à gentium ſuperſtitionibus arcebat, ſolicitè inculcarunt. A Iohanne incipit ætas melior, ætas illa Regni, quæ proinde mores etiam meliores poſtulat.* Iohannem ideo nominat, quia is adventaſſe Regnum illud apertè nunciavit.

καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται. *& omnis in illud vim facit*]. *Regnum illud non ſolis ſapientibus, non ſolis Phariſaiſmi tot propriis ritibus circumſepti obſervatoribus, ut vos exiſtimatis, ſed omnibus patet: non tamen adeundum niſi improbo labore.* Πᾶς [*omnis*], id eſt, πᾶς τις [*quilibet*], ut diximus ad Marcum capite nono, comm. 49. εἰς αὐτὴν βιάζεται [*in illud vim facit*], id eſt, βιαζόμενος ἁρπάζει [*vi rapit*], ut ex Matthæo liquet. *Magna res agitur, magno niſu opus eſt, ut ſpiritum illum non Legis, non ſervitutis, ſed Euangelii, ſed adoptionis conſequamini.*

17. Εὐκοπώτερον δέ ἐστι, *Facilius autem eſt*] Dictum de hac ſententia ad Matthæum. Cæterùm optimè cohæret præcedentibus. Nam Chriſtus ne, quæ dixit, ideo dixiſſe putaretur quò Legis Hebrææ reverentiam animis hominum eximeret, contra oſtendit nihil Legis periturum; ſuis enim præceptis non *aboleri* Legem ſed *conſummari*. Huc enim Lex velut manuduxerat; Lex hoc volebat: ſed cùm quod volebat ob hominum ingenia conſequi non poſſet, extorquebat ſaltem & eliciebat quod ſuppliciorum metu extorqueri, & ſpe temporariæ mercedis elici poterat, ne planè perruptis obicibus improbitas regnaret.

Eſt aliquà prodire tenus ſi non datur ultra.

πεσεῖν, *cadere*] Hebræis *cadere verbum* dicitur *quod ſuo eventu caret*. Ioſuæ xxiii, 14. 1 Sam. iii, 19. Rom. ix, 6.

18. Πᾶς ὁ ἀπολύων, *Omnis qui dimittit*] Quod dixerat Chriſtus inſigni exemplo colluſtrat: Optabat Moſes omnia non neceſſaria divortia tolli, ſed hoc obtinere non poterat ſine majoris mali periculo. Chriſti Lex majoribus auxiliis populum meliorem colligens palàm & apertè vetat quod Moſes improbans tolerabat. Hunc autem locum ex Matthæo non malè interpretatur Theophylactus, ut intelligatur ὁ ἀπολύων [*qui dimittit*], *nimirùm ut vos Phariſæi facitis, non ſatis gravibus de cauſis.* Nam qui eorum temporum mos fuerit vel ex Ioſepho intelligas, qui cùm ubique ſe obſervantiſſimum Legis patriæ profiteatur, ita de ſe prædicat: Τὴν γυναῖκα μὴ ἀρεσκόμενος αὐτῆς τοῖς ἤθεσιν ἀπεπεμψάμην, τριῶν παίδων γενομένην μητέρα [*cùm uxoris mores diſplicerent, dimiſi eam, trium jam liberorum matrem*]. Cætera hujus argumenti vide ad Matthæum.

19. Ἄνθρωπος δέ τις ἦν πλούσιος, *Homo quidam erat dives*] Hic Chriſtus ad argumentum, unde ſermonem inceperat, regreditur, de uſu divitiarum: oſtenditque à multis Phariſaiſmi ſectatoribus hac in parte ipſam Moſis Legem diſertis verbis prolatam violari, quaſi dicat: *Non opus eſt ut lex illa novi Regni vos condemnet, quibus damnandis Lex ſola Moſis ſufficit.* Lex Regni vult ultro conquiri eos qui beneficentiâ noſtrâ poſſint ſublevari: eorum causâ decidere nos aliquid de noſtris commodis, neque exſpectare dum illi ad extremam miſeriæ lineam, id eſt, ad mendicitatem, deveniant: neque verò popularibus tantùm, ſed alienigenis quoque, etiam non optimis, vel ob hoc unum quod homines ſint. At inter Phariſæos multi erant non mediocriter divites & qui opulentiam ſuam veſtibus atque epulis palàm oſtentarent. Quàm facilè his erat ſine ullo ſuo incommodo virum probum & popularem quotidiè ſibi ob oculos verſantem, qualis eo tempore erat Lazarus, ſi non alere liberaliter, certè à mendicitate arcere. quod certè non charitas tantùm & natura, ſed ipſa illa Lex civilis Hebræorum per Moſem data exſertè præcipit Deuteronom. xv, 7, 8. Prædicit igitur Chriſtus futurum, ut non evadant eas pœnas quas poſt hanc vitam Legis contemptoribus conſtitutas ipſi fateantur. Certant veteres novique Interpretes id quod hîc ſequitur hiſtoriáne ſit an fabula. Mihi videtur Scriptor reſponſionum ad Orthodoxos non malè ſolvere hunc nodum: ait enim nec fabulam eſſe propriè nec hiſtoriam, ſed ὑποτύπωσιν [*hypotypoſin*] potiùs. Ita ſolent autem eloquentiæ magiſtri appellare *narrationem qua res vera coloribus veriſimilibus depingitur*. Talis ὑποτύπωσις [*hypotypoſis*] aut potiùs διατύπωσις [*deſcriptio*] (nam hanc eſſe volunt *delineationem accuratiorem*) eſt illa de Eleazaro, ejus uxore ac ſeptem filiis tum apud Iaſonem Cyrenæum, tum apud Ioſephum vi-

rum ſanè diſertum quiſquis ille fuit: Hiſtoriarum enim Scriptorem hunc eſſe non puto. Narrant autem illi non tantùm quæ facta ſunt, ſed & quæ dici aut fieri potuiſſe probabiliter creditur. Sed illud hîc addendum eſt, Quæ de ſtatu poſt hanc vitam dicuntur, ea omnia depingi figuris expreſſis ad exemplum vitæ mortalis. His intellectis expeditæ ſunt difficultates, quæ multos Interpretes implicitos habuerunt.

πορφύραν, purpuram] Errant qui Herodem deſignari putant purpuræ argumento. Seriùs enim uſitatum eſt ut ſoli Imperatores & Reges purpurâ uterentur, cùm antea & alii lautioris fortunæ eo cultu procederent. Nam & Regum amici paſſim *purpurati* in hiſtoriis vocantur. Et Iudæis majorem purpuræ copiam fecit Tyri vicinitas. Dubitari tamen poteſt an vox πορφύρας [*purpuræ*] hîc propriè uſurpetur. Nam πορφύραν [*purpuram*] Lxx, Ioſephus & Philo ubique ponunt ubi in Hebræo eſt ארגמן. Atqui ארגמן non erat *purpura Tyria*. Nam ipſi Tyrii peregrè illud accipiebant, ut clarè nos docet Ezechiel XXVII, 7. Hebræorum magiſtri ארגמן eſſe volunt, quod *carmeſinum* vulgò dicitur. Ne illud quidem omiſerim, Syrum retinuiſſe *byſſi* vocem בוצא, Arabem verò vocem ipſam *purpuræ* البرفير cum interim ארגון quod Hebræo ארגמן reſpondet, ille pro *purpura*, hic pro *byſſo* uſurpet. Syrum illud בוצא idem eſt ex Hebræo בוץ quod Paral. Interpretes *byſſum* vertunt: idque ipſum Paraphraſtes Hieroſolymitanus poſuit Exodi XXVIII, 42, pro Hebræo בד [*lintea*] in feminalium deſcriptione: cum Lxx, Ioſephus & Philo βύσσον [*byſſum*] ponere ſoleant ubi in Hebræo eſt שש.

εὐφραινόμενος καθ' ἡμέραν λαμπρῶς. *epulatus quotidiè ſplendidè*] Non accuſatur hic dives rapinæ, nec quòd inutili auro incubaret, ut Heſperidum ſerpens, ſed quod deliciis afflueret cùm alios conſumeret egeſtas, & accuſatur ut veteris, non ut novæ ejusque perfectioris Legis violator. Quomodo igitur pœnam huic diviti inflictam evadet pars magna Chriſtianorum?

20. ὀνόματι Λάζαρος, *nomine Lazarus*] Id eſt, *qualem nunc videtis Lazarum*. Tale eſt illud *Pone Tigellinum*. Diviti nomen apponere odioſum fuerat, ideo ſatis fuit dicere ἄνθρωπός τις [*homo quidam*]. Quòd autem Tertullianus, Prudentius, atque alii eundem hunc mendicum *Eleazarum* vocant, non de nihilo eſt. Nam qui olim dici ſolebat אלעזר [*Eleazarus*] Chriſti temporibus contractâ pronuntiatione dicebatur לעזר [*Lazarus*]. Itaque idem eſt *Eleazari* & *Lazari* nomen.

πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ, *ad januam ejus*] *In ipſo divitis aſpectu*, ut ignorantiam cauſari nullo modo poſſet.

ἡλκωμένος. *ulceribus plenus*] Vt ſolent ejus fortunæ homines ſordibus atque illuvie ulcera contrahere.

21. ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων, *cupiens ſaturari de micis*]. Duo hîc ſignificantur, & divitis inhumanitas, qui de penu tam locuplete, de menſa tot ferculis exſtructa nihil illi miſerit, & ingens ipſius patientia, cui ſumma votorum fuerit tantum accipere, quantum canibus concedi ſolet. Vide Matthæum XV, 27.

ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες, *ſed & canes*] Quaſi diceret Chriſtus, *Tantùm aberat ut dives illum ſuis impenſis curandum daret, quod Samaritam feciſſe narratum meminiſtis, ut contra canes illum pro cadavere lamberent.* Nam cadaverum ſanguinem à canibus ſugi ſolitum paſſim narrat Sacra Hiſtoria.

22. ἀπενεχθῆναι αὐτὸν, *ut portaretur*] Ita paſſim Græci quoque & Latini Poëtæ, animos corporibus ſolutos *hominum* nominibus appellant. Videat, ſi cui lubet, Νεκυίαν [*Tractatum de Manibus*] Homeri & ſextam Æneidem. Ioſephus quoque id quod Sauli apparuit Samuëlem vocat. Porphyrius illud Homeri explicans,

> Ἦλθε δ' ἐπὶ ψυχὴ Θηβαίου Τειρεσίαο
> Χρύσεον σκῆπτρον ἔχων. ———
> [*Ecce ſupervenit Thebani vatis imago*
> *Tireſiæ ſceptrum geſtans.* ———]

Ἐπίτηδες, inquit, ἀπὸ τοῦ τῆς ψυχῆς ὀνόματος εἰς τὸ ἀρρενικὸν μετέβαλεν, ἵνα δείξῃ ὅτι ἡ ψυχὴ ἦν ὁ Τειρεσίας. [*Datâ operâ, cùm de anima ſermo eſſet, maſculino tamen nomine uſus eſt, quò animam iſtam oſtendat Tireſiam eſſe*]. Et ad initium Iliadis Euſtathius notat vocem αὐτοὺς [*ipſos*] modò animam tantùm ſignificare, modò corpus tantùm, modò totum hominem.

ὑπὸ τῶν ἀγγέλων, *ab Angelis*] En ſubita mutatio. qui modò non hominum modò, ſed & canum ludibrium fuerat, repente Angelorum miniſterio honoratur. Erat autem vetus Iudæorum traditio, Piorum animas ab Angelis deduci εἰς παράδεισον [*in Paradiſum*]· meminit Paraphraſtes Chaldæus ad Canticum IV, 12.

εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ· *in ſinum Abrahæ*] Putant veteres plerique *ſinum Abrahæ* dici *regionem piis animis adſcriptam*, quam Hebræi עדן id eſt, παράδεισον [*Paradiſum*], Græci *Elyſios campos* dixerunt, & *ſinum* dici quomodo maris aut terræ ſinum dicimus. At multò illi rectiùs, qui non regionem illam, ſed in regione illa locum honoratiſſimum ſignificari putant. Dubium non eſt, quin inter pios omnes Iudæi Abrahamo τῷ ἐθνοπάτορι [*gentis primo parenti*] principem attribuerint locum. Hinc Chriſtus alibi *multos ex gentibus* dixit *accubituros cum Abrahamo, Iſaaco & Iacobo*, gaudia poſt hanc vitam, more tunc recepto, ſub convivii ſpecie deſcribens. In conviviis autem ſolebant dilectiſſimi in ſinu ejus recumbere qui convivii princeps eſſet. Ita Iohannes ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς ἦν ἀνακείμενος ἐν τῷ κόλπῳ αὐτοῦ [*quem diligebat Ieſus, erat recumbens in ſinu ejus*] XIII, 23. Sic Filius Dei eſſe dicitur εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρός [*in ſinu Patris*]. Ioh. I, 18. Indicatur ergo hîc ſummus Lazari honos, ut qui in illa beata ſede proximus hæreret Abrahamo, cujus eximiam fidem & in malis perferendis conſtantiam eſſet imitatus. Sic Hebræi Eliëzerem ſervum quondam Abrahami ajunt in ſinu Abrahami requieſcere. Bonis ſuæ virtutes manent. Sic Abrahamo ſua hoſpitalitas.

ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, *mortuus autem eſt & dives*] Ἐμφατικὸν [*ſignificanter dictum*] eſt illud καὶ [*&*], quaſi dicat, *Nihil illi divitiæ adverſùs mortem profuerunt*. Menander,

Ἀθανασία δ᾽ οὐκ ἔστιν, οὐδ᾽ ἂν συναγάγῃς
Τὰ Ταντάλου τάλαντ᾽ ἐκεῖνα λεγόμενα·
Ἀλλ᾽ ἀποθανῇ, καὶ ταῦτα καταλείψεις τινί.
[*At certè venum non datur immortalitas,*
Nec ſi talenta Tantali poſſederis:
Sed occubandum eſt, illa linquenda alteri].

Nec illud à veteribus malè obſervatum, bonitatem Dei in eo ſignificari quòd Lazarus priùs, Dives poſteriùs mortem obierit: illum enim maturè exemtum hujus ævi incommodis, huic ævum ad pœnitentiam prorogatum.

καὶ ἐτάφη. *& ſepultus eſt*] Ne hoc quidem fruſtra additum. Significatur enim de tantis divitiis hunc illi honorem poſtremum contigiſſe.

23. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ, *& in inferno*] Hic unicus, ni fallor, in Sacris Literis locus eſt quo moti plerique τὸν τόπον τῆς βασάνου [*locum tormenti*] propriè ᾅδην [*infernum*] dici putarunt. At veriſſimum eſt, quod alibi diximus, ᾅδην [*infernum*] eſſe *locum viſibus noſtris ſubtractum*, & de corpore quidem cùm accipitur, *ſepulchrum* in quo eſt corpus ſine animo; de animo verò, *totam illam regionem ſive ſtatum in quo eſt animus ſine corpore*. Itaque fuit dives quidem ἐν ᾅδῃ [*apud inferos*], ſed fuit ἐν ᾅδῃ [*apud inferos*] etiam Lazarus, disterminatis ᾅδου [*inferni*] regionibus. Nam & *Paradiſus* & *Gehenna*, ſive, ut loquebantur Græci, *Elyſii* & *Tartara* ſunt ἐν ᾅδου [*in inferno*]. Græcos ita locutos res certiſſima eſt, quos Virgilius ſequitur ſexta Æneide. Diphilus,

Καὶ γὰρ καθ᾽ ᾅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀσεβῶν ὁδόν.
[*Ideo ſilentum credimus calles duos,*
Quorum ille iniquos teneat, iſte autem pios].

Notus & Sophoclis locus,

------ ὦ τρισόλβιοι
Κεῖνοι βροτῶν, οἳ ταῦτα διερχθέντες τέλη
Μόλωσ᾽ ἐς ᾅδου· τοῖσδε γὰρ μόνοις ἐκεῖ
Ζῆν ἐστι· τοῖσδ᾽ ἄλλοισι πάντ᾽ ἐκεῖ κακά.
[------ *felices nimis*
Initia quotquot iſta cùm conſpexerint
Eunt ad orcum, namque eos ſolos manet
Ibi vita, reliquos, miſerias præter, nihil].

Sic & Diodorus Siculus, τὴν ἐν ᾅδου μυθοποιίαν [*fabuloſam de inferno narrationem*] explicat per ἀσεβῶν τιμωρίας [*impiorum pœnas*] & εὐσεβῶν λειμῶνας [*piorum loca amœna*]. Plato, Τοὺς τὰς τελετὰς παραδεδωκό- ας εἰρηκέναι φασὶν, ὅτι ὃς ἀμύητος καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου φίκηται ἐν βορβόρῳ κείσεται· ὁ δὲ κεκαθαρμένος ἐκεῖσε φικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει [*Qui myſteria tradiderunt, os dixiſſe ajunt, eum, qui iis initiatus non ſit itaque d inferos deſcenderit, in cœno ibi demerſum jacitu- um, qui verò eò initiatus venerit, eum cum diis ha- itaturum*]. qui ſenſus & apud Iamblichum exſtat. Plutarchus quoque Lucullo, γέρας ἐν ᾅδου [*præmium pud inferos*] dixit. & idem ille Iamblichus, τῆς ικαιοσύνης, ὡς φασὶν οἱ σοφοὶ τῶν ποιητῶν, ἐν ᾅδου κομισό- εθα τὰς δωρεάς [*juſtitiæ, ut ſapientiſſimi quique Poëtæ icunt, præmium apud inferos feremus*]. De Iudæis e quis dubitet, vadem do Ioſephum, qui Samue- m ait evocatum ἐξ ᾅδου [*ab inferis*]. Idem de Sad- ucæis loquens ita ait, Τὰς καθ᾽ ᾅδου τιμωρίας καὶ μὰς ἀναιροῦσι [*pœnas honoresque apud inferos tollunt*].

Idem ubi Phariſæorum deſcribit ſententiam, Ἀθάνατόν τε ἰσχὺν ταῖς ψυχαῖς πίστις αὐτοῖς εἶναι, καὶ ὑπὸ χθονὸς δικαιώσεις τε καὶ τιμὰς οἷς ἀρετῆς ἢ κακίας ἐπιτήδευσις ἐν τῷ βίῳ γέγονε, καὶ ταῖς μὲν εἱργμὸν ἀΐδιον προστίθεσθαι, ταῖς δὲ ῥᾳστώνην τοῦ ἀναβιοῦν [*Animas credunt eſſe immortales, ſuppliciaque & honores infra terram, ut virtuti quiſque operam dederit, vitiove obnoxius vixerit. horum ergo animas æterno claudi carcere, illas facilè ad vitam redire*]. Apertè & ſupplicia & præmia animis conſtituit ἐν ᾅδου [*in inferno*], idemque vocat ὑπὸ χθονὸς [*ſub terra*], quia quæ ἐν ᾅδου [*in inferno*] ſunt vocari ſolent ὑποχθόνια [*ſubterranea*] Græcis. Sicut & Zonaras ſententiam explicans Phariſæorum dixit δικαιώσεις ὑποχθονίους [*actus juridicos ſubterraneos*], ſive quòd verè ſub terra eſſe ᾅδης [*infernus*] putaretur, ſive potiùs quòd non minùs extra viſum ſit quàm ea quæ intimo receſſu terra celat. Quam ob cauſam τὰ ἐντὸς γῆς χάος καὶ ᾅδην ὀνομάζεσθαι [*interiores terræ partes hiatum & infernum appellari*] dixit Plutarchus. Τὰ ὑπὸ γῆν δικαστήρια [*judicia ſubterranea*] dixit Iamblichus. Sic & Pindarus de myſteriis Eleuſiniis loquens,

Ὄλβιος ὅστις ἰδὼν ἐκεῖνα
Κοινὰ εἶσ᾽ ὑπὸ χθόνα·
Οἶδε μὲν βίου τελευτὰν,
Οἶδεν δὲ διόσδοτον ἀρχάν.
[*Felix ille qui ſacra hæcce*
Poſtquam vidit inferos adit·
Novit enim hujus exitum, atque
Vitæ initium alterius].

Plutarchus ad illud Homeri,

Ψυχὴ δ᾽ ἐκ ῥεθέων πταμένη ἄϊδος δὲ βεβήκει.
[*Aſt anima evolitans membris, petit infera regna*].

εἰς τὸν ἀειδῆ, inquit, καὶ ἀόρατον, εἴτε ἀέρα θείη τις εἴτε ὑπόγειον τόπον [*in locum obſcurum, atque inviſibilem, ſive eum ſub terra loces, ſeu aërem putes*]. Locum non definit ſed duplicem opinionem proponit, tum quæ *ſub terra* tum quæ *in ſpatioſis aëris campis* τὸν ᾅδην locat. Idem Plutarchus de primo frigido, ὃ ἀειδὲς τοῦ ἀέρος ᾅδης ἐπίκλησιν ἔσχεν [*quod inviſibile eſt aëris infernum vocant*]. Sic & Hippocrates libro De diæta opponit φῶς [*lucem*] & ᾅδην [*infernum*]. Ioſephus ipſe alio loco Eſſæorum placita deſcribens ita ait, Καὶ ταῖς μὲν ἀγαθαῖς (ψυχαῖς) ὁμοδοξοῦντες παισὶν Ἑλλήνων ἀποφαίνονται τὴν ὑπὲρ ὠκεανὸν δίαιταν ἀποκεῖσθαι, καὶ χῶρον οὐδὲ ὄμβροις οὐδὲ νιφετοῖς οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ᾽ ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πραῢς ἀεὶ ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει· ταῖς δὲ φαύλαις ζοφώδη καὶ χειμέριον ἀφορίζονται μυχὸν γέμοντα τιμωριῶν ἀδιαλείπτων [*De animabus quidem cum Græcis ſentiunt, pias enim vitam ultrà Oceanum manere dicunt locumque nec nive nec imbribus nec æſtu gravem, ſed quem placidus ſemper à mari temperet Zephyrus: impias ſub terram in obſcurum gelidumque antrum relegant, æternorum cruciatuum plenum*]. Ecce hîc trans Oceanum locat τὸν ᾅδην [*infernum*]. Rurſum alio loco idem Ioſephus ex eadem ſententia ſedem piis aſſcribit χῶρον οὐρανοῦ τὸν ἁγιώτατον [*regionem cæli ſanctiſſimam*]. Sed profectò illa loquendi genera, *ſub terra*, *in aëre*, *trans Oceanum*, & quod apud Tertullianum eſt *trans igneam Zonam*, nihil aliud quàm τὸ ἀόρατον [*inviſibile nobisque inacceſſum*] deſignant. Idem Tertullianus libro de Anima penes *inferos* ponit *tormen-*

tum & *refrigerium :* Ibidem, *puniri* & *foveri animam* interim in inferis ſub exſpectatione utriusque judicii, in quadam uſurpatione & candida ejus. Similia habet adverſùs Marcionem IV. Addamus his Ambroſii locum libro de bono mortis cap. X. *Satis fuerat dixiſſe illis* (Philoſophis) *quod liberatæ animæ corporibus* ᾅδην *peterent, id eſt locum qui non videtur, quem locum Latinè* infernum *dicimus. Denique & Scriptura habitacula illa animarum promtuaria nominavit.*

ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, *elevans oculos ſuos*] Sicut Deo ſolent aſſcribi actus corporei, ita & animis à corpore ſolutis ſimili figurâ. Quare non ſatis certum eſt argumentum quod Irenæus & Tertullianus hinc petunt, ut probent poſt mortem in animo manere lineamenta quædam corporis & ſimulacra membrorum : quod non longè abit ab his quæ περὶ τοῦ αὐγοειδοῦς σώματος [*de transparente corpore*] dicta ſunt alibi.

ὑπάρχων ἐν βασάνοις, *cum eſſet in tormentis*] Sicut qui in carcere ſunt ante damnationem torqueri ſolent, ita animi à corpore ſoluti etiam ante publicum judicium non poſſunt non eſſe in cruciatu graviſſimo, futuram ipſis ſententiam prædictante conſcientiâ. Quò alludens Martialis,

Et cum fateri Furia juſſerit verum
Cogente clamet conſcientia, Scripſi.

Nazianzenus ſecundo adverſùs Iulianum deſcribit pœnas improborum, inter quas ab eo ponuntur αἱ ἐν αὐτοῖς τοῖς δεινοῖς ἐξαγορεύσεις [*culpæ in mediis malis confeſſio*].

ὁρᾷ τὸν Ἀβραὰμ, *vidit Abraham*] Conſpicere eum dicit quod eum cogitaturum erat probabile, & dicere quod, ſi dicere poſſet, dicturus videbatur.

24. Πάτερ Ἀβραὰμ, *Pater Abraham*] Illum potiſſimùm affatur ut beatorum Principem : deinde ut eum quo generis auctore gloriari ſolebant. At quantò ille alius, qui ignotos quosvis tam amicè exceperat?

καὶ πέμψον Λάζαρον, *& mitte Lazarum*] Hoc ideo quia credibile eſt impiorum cogitationibus ſemper illos obverſari quos ab ſe malè tractatos meminerunt. Statius,

—— Pallidumque viſa
Matris lampade reſpicit Neronem.

Plato cruciatus impiorum animorum deſcribens: Βοῶσι, inquit, καὶ καλοῦσιν, οἱ μὲν οὓς ἀπέκτειναν, οἱ δὲ οὓς ὕβρισαν, καλέσαντες δ' ἱκετεύουσι τοὺς ἠδικημένους δοῦναι σφίσι συγγνώμην [*Clamant, appellantque alii occiſos à ſe, alii malè contumelioſéve habitos, appellatosque veniam injuriarum & ſcelerum petunt*].

ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου· ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ. *ut intingat extremum digiti ſui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*]. Cruciatum conſcientiæ comparat flammæ urenti: ſic & Latinè *uri* dicimus eos *qui animi anguntur*: ut apud Terentium, *uro hominem.* Hinc jam cætera finguntur conſequenter. nam hi qui uruntur maximè ſitim in lingua ſentiunt: ſitis ſolet levari aquis; minimum aquæ eſt quantum digito adhæreſcit. Senſus eſt, Divitem qui olim Lazarum contemſerat nunc libenter illi ſupplicaturum, ſi aliquod vel minimum tantorum cruciatuum levamentum poſſit indipiſci. Simile eſt quod adnotavimus ad Matthæum XXIII, 39. Adde non diſſimiles διατυπώσεις [*deſcriptiones*] Matth. VII, 22, & XXV, 37.

25. ἀπέλαβες, *recepiſti*] Ἀπολαμβάνειν hîc non eſt *recipere*, ſed *plenè accipere*, quo ſenſu ἀπέχειν [*habere*] etiam ſumitur Matth. VI, 2, 5, 16. Lucas ſuprà VI, 24.

τὰ ἀγαθά σου, *bona tua*] Et hoc ἐμφατικῶς [*ſignificanter admodum*]. *Illa*, inquit, *bona quæ tu vera, imo ſumma bona duxiſti, quibus uſus es non ut tibi creditis ſub certa lege ac modo, ſed ut planè propriis, in quibus denique fiduciam tuam poſuiſti.* Simile eſt illud Euripidis,

Ἀνάσχου πάσχων· δρῶν γὰρ ἔχαιρες.
[*Perfer: gaviſus dum faceres*].

νῦν δὲ ὅδε παρακαλεῖται, *nunc autem hic conſolatur*] Illud νῦν δὲ [*nunc autem*] oſtendit miram viciſſitudinem. Plerumque ſanè ita evenit, ut quibus hîc optimè eſt iis in altera vita ſit peſſimè.

Quam vellent nunquam ſceptris fulſiſſe ſuperbis.

Contra, quos hîc omne malorum genus exercuit, ibi ſorte optimâ fruuntur: ita ut in hunc quoque ſenſum uſurpari poſſit illud Heracliti, Ζῶμεν τὸν ἐκείνων θάνατον. τεθνήκαμεν δὲ τὸν ἐκείνων βίον [*Quæ illorum mors eſt noſtra vita eſt: quæ vita illorum fuit, mors erat noſtra*]. Pertinet huc illud Chriſti, Μακάριοι οἱ πενθοῦντες, ὅτι αὐτοὶ παρακληθήσονται [*Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*]. Lactantius libro VI, *Hæ ſunt viæ quas Deus humanæ vitæ aſſignavit, in quibus ſingulis & bona oſtendit & mala, ſed ordine præpoſtero atque converſo. in una enim monſtravit temporalia priùs mala cum æternis bonis, qui eſt ordo melior: in altera, temporalia priùs bona cum æternis malis, qui eſt ordo deterior; ut quicunque præſentia mala cum juſtitia delegerit, majora & certiora conſequatur bona quàm fuerunt illa quæ ſprevit: quisquis autem præſentia bona præpoſuerit juſtitiæ in majora & longiora incidat mala quàm fuerunt illa quæ fugit.* Solatium dicitur hîc, non plena retributio, quæ redditis demum corporibus fiet, ſed ejusdem certa exſpectatio, magnis interim gaudiis ſuſtentata: id *refrigerium* vocant veteres Latini. Tertullianus regionem in qua eſt Abraham ait *refrigerium præbere animabus juſtorum, donec conſummatio rerum reſurrectionem omnium plenitudine mercedis expungat, tunc apparitura cæleſti promiſſione :* eandemque regionem nominat *temporale animarum fidelium receptaculum, in quo delineetur futuri imago, ac candida quædam utriusque judicii proſpiciatur.* Sicut autem poſt Chriſti mortem piis animis multum boni acceſſiſſe & piè & rectè creditur, ita utriusque ſortis gradus, momenta, loca deſcribere vereor ne curioſæ nimis ſit audaciæ. Placet hic mihi illud Sophocleum:

Ἀλλ' οὐ γὰρ ἂν τὰ θεῖα κρύπτοντος θεοῦ
Μάθοις ἄν, οὐδ' εἰ πάντ' ἐπεξέλθοις σκοπῶν.
[*Divina nunquam diſcere eſt, ſi dii velint*
Celare, non ſi cuncta ſcrutando eruas].

quò alludere videtur illud Chryſoſtomi & poſt eum Iſidori Peluſiotæ: Ὅταν ἅπερ ὁ Θεὸς ἡμᾶς οὐκ ἠθέλησεν εἰδέναι, ταῦτα βιαζώμεθα μανθάνειν, οὔτε εἰσόμεθα πῶς γὰρ Θεοῦ μὴ βουλομένου;) καὶ τὸ κινδυνεύειν ἡμῖν ἐκ τοῦ ζητεῖν πρόσεστι μόνον [*cùm quæ neſcire nos voluit Deus, conamur diſcere, nec ſciemus: quî enim vetante Deo? Nec periculo carebit examen*]. *Melius eſt*, inquit Auguſtinus, ſapienter & modeſtè tractans hoc argumentum, *dubitare de occultis, quàm litigare de incertis.*

26. χάσμα μέγα ἐστήρικται, *chaos magnum firmatum eſt*] *Chaos magnum* Latinus Interpres, quem nolim hîc reprehendi. Intellexit enim *vaſtum quoddam intervallum* hîc ſignificari, quo ſenſu & χάσμα & χάος Græci uſurpant. Sic *montis fiſſi hiatus* χάος in Græco Zachar. XIV, 4. Frequentiſſimus autem vocis utriusque uſus, ubi περὶ ᾅδου [*de inferno*] agitur. Euripides, ut alibi meminimus, dixit ἄβυσσα χάσματα [*hiatus fundo carentes*]. Seneca autem Chaos dixit Medea, *Noctis alternæ chaos*. Thyeſte, *Ad chaos inane*. Quam vocem hoc ſenſu Ovidius quoque, Silius & alii uſurpant. Idem Silius ita deſcribit,

In medio vaſtum latè ſe tendit inane.

Seneca ſic,

Hinc ampla vacuis ſpatia laxantur locis.

Ariſtoteles Acroamatum IV, χάος [*chaos*] apud Heſiodum *locum* interpretatur, nimirùm non à χάειν [*vacuum eſſe*], ut alii, ſed à χαίνειν [*dehiſcere*], unde & χάσμα [*hiatus*], eam vocem derivans: quam Ariſtotelis interpretationem & Philo recitat περὶ ἀφθαρσίας κόσμου [*de æternitate mundi*]. & probat vetus Scriptor Chriſtianus adversùs Ariſtotelis dogmata, qui ſub Iuſtini nomine legitur. Sicut igitur quod ante mundum hunc aſpectabilem erat, *Chaos* dixere, ita & quod nunc extra eundem mundum eſt. Ἐκτὸς τοῦ κόσμου κενὸν εἶναι ἄπειρον [*extra mundum vacuum eſſe infinitum*] multi Philoſophorum ſciſcebant. atqui τὸ κενὸν [*vacuum*] etiam vocabant χώραν [*regionem*] & διάστημα [*ſpatium*]. Lucretius,

— *Locus ac ſpatium quod inane vocamus.*

Ibycus, πωτᾶται δ᾽ ἐν ἀλλοτρίῳ χάει [*volat in alienâ voragine*]. Sed & Hebræum תהו [*res informis*] apud Moſem in hiſtoria mundi conditi Aquila vertit κένωμα [*rem inanem*], Theodotio κενὸν [*vacuum*]. Ex qua voce Hebræa per metatheſin non infrequentem videri poteſt derivatum הותא [*hiatus*] quod hîc habet Syrus, pro quo Arabs habet هوة [*chaos*] cui affinis eſt altera vox Arabica هاوية quæ & χάος [*chaos*] & ᾅδης [*infernus*] verti ſolet. Tertullianus χάσμα *profundum* hoc loco vertit, & mox circumloquens vocat *immenſam diſtantiam ſublimitatis ac profunditatis*. Etiam Plutarchus libro De ſera Numinis vindicta in deſcriptione inferorum ponit χάσμα μέγα καὶ κάτω διῆκον [*vaſtum & profundum hiatum*]. Præter hæc vide locum Platonis de Ere Armenio.

οἱ θέλοντες, *qui volunt*] Id eſt, κἂν θέλωσι [*ſi velint*]. Simile eſt illud Pythagoræ de animabus, ἄγεσθαι τὰς μὲν καθαρὰς ἐπὶ τὸ ὕψιστον, τὰς δὲ ἀκαθάρτους μήτε ἐκείναις πελάζειν [*puras in ſublime ferri, impuras nec prope eas poſſe accedere*].

27. ἵνα πέμψῃς αὐτὸν, *ut mittas eum*] Nempè ipſum *corpori ſuo redditum*, ne quis hîc de animorum apparitionibus agi ſuſpicetur. Verum hoc eſſe oſtendit quod infra ſequitur, ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ [*ſi quis ex mortuis reſurrexerit*].

28. πέντε ἀδελφούς, *quinque fratres*] Mediocris numerus ad implendam διατύπωσιν [*deſcriptionem*]. Sic & Eſaiæ XIX, 18.

ὅπως διαμαρτύρηται αὐτοῖς, *ut teſtetur illis*] Vt teſtimonium ferat eorum quæ hîc geruntur.

εἰς τὸν τόπον τοῦτον τῆς βασάνου. *in hunc locum tormentorum*] Quem locum εἱργμὸν [*carcerem*] apud Ioſephum vocari vidimus. Plato eundem dixit δεσμωτήριον [*carcerem*]. Sic diabolis Petrus σειρὰς ζόφου [*catenas tenebrarum*]. Iudas δεσμὰ ἀΐδια [*æterna vincula*] aſſcribit.

29. Ἔχουσι Μωσέα, *habent Moyſen*] Cujus diſerta exſtant verba præcipientia egenis popularibus ſuccurri.

καὶ τοὺς προφήτας, *& Prophetas*] Vt Eſaiam qui jejunia ſua jactantibus Iudæis *optimum jejunium eſſe* ait, *eſurientes paſcere, extorribus præbere hoſpitium, nudum veſtire.* LVIII, 7.

ἀκουσάτωσαν αὐτῶν. *audiant illos*] *Illorum monitis pareant.* Id enim eſt cum fructu audire.

30. Οὐχί, *non*] Id eſt, οὐκ ἀκούσουσιν αὐτῶν [*non audient illos*]. De ſe illorum ingenium noverat.

31. Εἰ Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν οὐκ ἀκούουσιν, οὐδὲ ἐάν τις ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ πεισθήσονται. *Si Moyſen & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent*]. Atqui de Tyriis & Sidoniis dicitur pœnitentiam eos acturos fuiſſe, ſi miracula vidiſſent quæ facta erant à Chriſto in Galilææ oppidis. Reſpondendum: primò dici hæc omnia non ἀποδεικτικῶς [*demonſtrativè*], ſed κατὰ τὸ πιθανόν [*probabiliter*]; deinde latum eſſe diſcrimen. Tyrii & Sidonii magnâ ac vetere ignorantiâ tenebantur. Veterem Noaidarum traditionem vetuſtas, naturales notitias longa conſuetudo obliteraverat. Tales ſolent miraculis excitari. At Iudæi, præter ea quæ humano generi erant communia, habebant Legem quam ipſi fatebantur à Deo traditam & multis atque inſignibus miraculis confirmatam, quorum famam continua ſucceſſione à majoribus traditam acceperant: & tamen contra apertiſſima Legis verba vitam agebant. Non poterant ergo aut ignorantiam, aut etiam probabilem aliquam de Legis interpretatione auctoritatem, culpæ ſuæ obtendere. Nihil illis obſtabat niſi perverſus animus, nolens ea ut vera aut certè ut neceſſaria amplecti, quæ falſi arguere non poterant. In tali hominum multitudine, ut fortè ſint aliqui quos velut ex alto ſomno miracula excitent, ita pars longè major inſanabiliter ægrotat. Oſtendit hoc res ipſa. Lazarum huic Lazaro cognominem, (nec verò diſſimile eſt huc Chriſtum reſpexiſſe cùm iſta diceret) vitæ reddidit Chriſtus. An eò magis Phariſæi monitis Chriſti obtemperarunt? Imò potiùs quam id facerent operam dederunt, ut & Chriſtum & Lazarum trucidarent. Chriſtus ipſe à morte rediit: teſtes erant hujus rei viri non pauci, vitæ innocentis, nullo mentiendi præmio. Hoc quoque adeò illos ad reſipiſcentiam non permovit, ut omni vi famam ejus rei exſtinctam cuperent. Bene Lactantius, *Qui*

avaritiâ & opum inexplebili quadam ſiti flagrant, quia non poſſunt venditis aut dilargitis quæ amant tenui cultu vitam degere, ſine dubio malunt id eſſe falſum quo deſideriis ſuis renuntiare cogantur. Idem : *Qui libidinum ſtimulis incitati (ut ait Poëta) in furias ignemque ruunt, utique incredibilia nos adſerre dicunt, quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos à voluptatibus ſuis prohibent, quibus animam ſuam cum corpore adjudicaverunt. Qui verò ambitione inflati, aut amore potentiæ inflammati omne ſtudium ad honores acquirendos contulerunt, nec ſi ſolem quidem ipſum geſtemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ quæ illos jubet omni potentiâ & honore contemto, humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam poſſint & referre nolint ſi acceperint. Ii ſunt homines qui contra veritatem clauſis oculis quoquo modo latrant.* Salvianus : *Totum durum eſt quicquid imperatur invitis: Penè omnis ſermo divinus habet æmulos ſuos, quot genera præceptorum ſunt, tot adverſariorum : ſi largitatem eſſe in hominibus jubet Dominus, avarus iraſcitur : ſi parcimoniam exigit, prodigus exſecratur : ſermones ſacros improbi hoſtes ſuos dicunt: horrent raptores quicquid de juſtitia ſcribitur: horrent ſuperbi quicquid de humilitate mandatur: averſantur ebrioſi ubi ſobrietas indicitur : deteſtantur impudici ubi caſtitas imperatur.* Mox: *Mavult quilibet improbus exſecrari Legem, quàm emendare mentem ; mavult præcepta odiſſe quàm vitia.* Deinde, *Do tamen conſilium omnibus quibus gravis & oneroſa eſt Lex Dei, ſi accipere non recuſant, quemadmodum placere eis poſſint quæ Deus præcipit: Cuncti etenim qui oderunt mandatum ſacrum cauſam odii in ſe ipſis habent : omne faſtidium non in præceptis Legis, ſed in moribus ſuis. Lex quippe bona eſt, ſed mores mali, ac per hoc mutent homines propoſitum & affectum ſuum : ſi enim mores ſuos probabiles eſſe fecerint, nihil eis quod Lex bona præcipit, diſplicebit: quando enim bonus quis eſſe cœperit, non poteſt non diligere Legem Dei, quia hoc intra ſe habet Lex Dei ſancta, quod homines ſancti in moribus.*

CAPVT XVII.

1. Ἀνένδεκτόν ἐστι, *Impoſſibile eſt*] Id eſt, *non convenit*, ut ſupra οὐκ ἐνδέχεται [*non capit*] XIII, 33. Non expedit ut vi potentiæ Divinæ impediantur homines adulterare doctrinam, ſcindere unitatem, & plura facere quæ in pietatis curſu alios remorentur. Vide ad Matthæum.

2. Λυσιτελεῖ, *Vtilius eſt*] Indicativus pro potentiali, ut & in eo quod ſequitur περίκειται [*imponatur*].

3. Προσέχετε ἑαυτοῖς. *Attendite vobis*] Cavete ne cui occaſionem detis pereundi, non jam dico factis, ſed etiam negligentiâ officii, ne illis quidem a quibus læſi eſtis. Maximum hoc eſt ei à quo læſus ſis adeò non iraſci, ut etiam ſaluti ejus conſulas & quidem cum ſummâ æquitate ac placiditate. Hoc qui rectè præſtare norit, neque alios ipſe offendet, neque in officio ſuo circa alios à quibus non eſt injuriâ provocatus, negligens erit.

ἐὰν μετανοήσῃ, ἄφες αὐτῷ, *ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi*] Non modò ut ultionem non expetas, quod facere ne quidem adverſus contumacem debes, ſed ut verè reſipiſcentem in veteris amicitiæ ac familiaritatis jus admittas. Vide ad Matthæum.

αὐτῷ· *illi*] Iis gradibus qui apud Matthæum exponuntur.

4. ἑπτάκις τῆς ἡμέρας, *ſepties in die*] *Sæpiſſimè.* Ita enim loquuntur Hebræi Pſalm. CXIX, 164.

ἐπιστρέψῃ ἐπί σε, *converſus fuerit ad te*] ἐπιστρέφεσθαι ἐπί τινα aut πρός τινα [*converti ad aliquem*] Hebraïce שוב [*reverti*] addito עד [*ad*] eſt *ut aliquem tibi reconcilies operam dare*, ut Deut. IV, 30. Lucas ſupra I, 17. Actor. IX, 35. XI, 21. & alibi.

5. πρόσθες ἡμῖν πίστιν. *adauge nobis fidem*] In his narrationibus quæ velut per ſaturam ſunt congeſtæ, non videtur ulla requiri cohærentia. Credibile eſt Apoſtolos ſæpe ob ὀλιγοπιστίαν [*incredulitatem*] reprehenſos poſtulaſſe à Chriſto ut fiduciam in ipſis adaugeret, quâ certè poſtulatione apertiſſimè Divinam in ipſo potentiam agnoſcunt. Simul refellit hic locus eam ſententiam in qua olim fuit Auguſtinus cum diceret, *Quod credimus noſtrum eſt, quod autem bonum operamur illius eſt qui credentibus dat Spiritum Sanctum*, exiſtimans nimirum ut ipſe errorem ſuum poſtea eſt interpretatus, fidem non eſſe donum Dei, ſed per fidem Dei dona impetrari. Rectè igitur id correxit in hunc modum, *Vtrumque* (& credere & operari) *ipſius eſt, quia ipſe præparat voluntatem & utrumque noſtrum quia non fit niſi volentibus nobis.* At ne quis Græcos αὐτεξούσιον [*liberum arbitrium*] ſæpe prædicantes aliter putet ſenſiſſe, videat quæ alibi ex Iuſtino aliiſque in hanc rem adduximus.

6. ὡς κόκκον σινάπεως, *ſicut granum ſinapis*] Vide ad Matthæum.

τῇ συκαμίνῳ, *arbori moro*] Non venit hæc vox à ficu, ut quidam putant: ſed eſt merè Syriaca שקמין [*morus*], Hebræis שקמים [*ſycomori*]. Oportet moro admodum ſimilem eſſe arborem, quando non Latinus tantùm ſed & Syrus & Arabs *morum* vertunt. Celſus de re medica lib. III, cap. XVIII. *Cum Græci morum ſycaminum appellent.* Quin & Dioſcorides conjungit μορέαν [*morum*] & συκαμινέαν [*ſycaminum*]. Quod autem de Sycamino hic dicitur eſt proverbiale, quo ſignificatur τὸ παρ᾽ ἀνθρώποις ἀδύνατον [*id quod hominibus impoſſibile eſt*]. Tale illud Claudiani,

Iam frugibus aptum
Æquor.

Per miracula autem, ut ita loquar, φυσικὰ [*naturalia*] ſignificantur ſimul συμβολικῶς [*allegoricè*] miracula ἠθικὰ [*moralia*], ſtupenda ſcilicet opera dilectionis, quorum uberem ſegetem proferre ſolet fiducia in Deum, ubi ad juſtam ſui menſuram pervenit. Ad hæc autem opera Diſcipulos Chriſtus invitat eo ſermone qui iſtis verbis connectitur.

7. Τίς δὲ ἐξ ὑμῶν, *Quis autem veſtrum*] Hanc comparationem veterum multi, quos inter Cyprianus, & ad hunc locum Theophylactus, ad præſtantiſſima etiam Chriſtianorum facta extendunt, docentes ne in illis quidem eſſe quò nos efferamus, aut quod Deo imputemus. Veram enim lectionem apud Cyprianum eſſe arbitror in epiſtola ad lapſos: *qui in Eccleſia ſemper glorioſè & granditer*

operati ſunt & opus ſuum Domino nunquam imputaverunt, ut veteres editiones habent, non ut recentiores, quæ negationem omittunt. Nam *imputare* in Latino ſermone cum ad benefacta refertur, non eſt *acceptum* ſed *expenſum ferre :* ita *ſuperbos & imputatores* dixit Seneca, qui magni æſtimant ſua beneficia, & alios eo nomine habere volunt ſibi obligatos. *Facilius enim*, ut Chryſoſtomus dixit, *ſine operibus humilis animus hominem ad ſalutem perducat, quàm cum operibus conjuncta ſuperbia.* Multaque ſunt quæ prohibere nos debent ne Deum vocemus ad calculos. Primum enim cum ipſe nos de nihilo ut eſſemus fecerit, quis dubitet quin quicquid in noſtra eſt poteſtate exigere à nobis poſſit, etiam nullo propoſito præmio? Dixit Ariſtoteles, οὐκ εἶναι ἀδικίαν πρὸς τὰ αὐτοῦ ἁπλῶς [*ſimpliciter nos id quod noſtrum eſt, injuriâ afficere non poſſe*]. unde etiam negat inter dominum & ſervum jus propriè ſtrictéque dictum locum habere. Et ſane ſi ſervus totus eſſet domini, ſicut nos Dei ſumus, verum diceret. *Ne te jactes ſi bene ſerviſti, obſequitur ſol : obtemperat Luna.* Deinde verò cum ratio nobis data ſit, idque habeamus eximium ſupra animantes cæteras, nonne tam naturale nobis cenſeri debet ſecundùm rationem vivere, quàm beſtiis ſecundùm τὰς φύσεως ὁρμὰς [*naturæ impulſus*]? At beſtiis eo nomine nullum debetur præmium. Tertiò in mentem venire debet neminem eſſe cui non multa peccata ſint condonata, quod, ut ſuprà diximus, vel unum ſatis eſt, ut humiles nos Deo ſubſternat. Nemo tantum præſtare poteſt quin plus pro indulgentiæ beneficio debeat. Accedit quod etiam quæ poſt emendationem remanent in nobis culpæ veſtigia quotidie opus habent Divinâ miſeratione. Quartum eſt quod ſatori fructus omni jure debentur. Deus autem in nobis ſevit omne vitæ melioris ſtudium, idque non communi quadam ſed verè inſolitâ atque inauditâ benignitate, cùm genus humanum jacens in vitiis, admirabili illâ per Chriſtum vocatione erigere dignatus eſt, quo præcipuè reſpectu *vitam æternam*, ut quæ pœnitentiam conſequitur, *donum & gratiam* vocant Apoſtoli. Addendum quod nunc etiam Dei Spiritus nos excitat ut bene agere velimus, bene agentes adjuvat. Huc illud pertinet Cypriani toties ab Auguſtino repetitum, *In nullo gloriandum, quando noſtrum nihil eſt:* & illud affine, *Dei eſt, Dei omne quod poſſumus.* Salvianus: *Totum ergo*, inquit, *quamvis peccator aliquis oblaturus eſt? imo nihil, ſi non cum fide: imo nihil, ſi non cum ambitu* (id eſt ſupplici devotione) *imo nihil, ſi non cum prece: imo nihil, ſi non hoc animo ut hoc ipſum inter præcipua Dei beneficia reputet, quòd animum offerendi dedit.* Gregorius Nazianzenus: ἐπειδὰν γάρ εἰσί τινες τοσοῦτον μεγαλοφρονοῦντες ἐπὶ τοῖς κατορθώμασιν, ὥστε τὸ πᾶν ἑαυτοῖς διδόναι καὶ μηδὲν τῷ ποιήσαντι καὶ σοφίσαντι καὶ χορηγῷ τῶν καλῶν, διδάσκει τούτους ὁ λόγος ὅτι καὶ τὸ βούλεσθαι καλῶς δεῖται τῆς παρὰ Θεοῦ βοηθείας. [*Quoniam etenim quidam ſunt bonis ſuis operibus ità valde elati, ut omnia ſibi ipſis, & nihil Operatori, Doctori, bonorumque Suppeditatori tribuant, hos docet Verbum Dei, quòd ipſum velle bonum Divino indigeat auxilio*]. Quintum eſt quod Deus αὐτάρκης [*ſibi ſufficiens*], ἀνενδεὴς [*nullius indigus*], non poteſt operâ noſtrâ beatior fieri, neque ad eum fructus noſtrorum operum redundat, ut dici eo nomine debitor poſſit. Huc illud Iobi pertinet xxxv, 7. *Si juſtè egeris, quid eo illi donabis, aut quid inde è manu tuâ accipiet?* & illud Pauli Rom. xi, 35. Τίς προέδωκεν αὐτῷ, καὶ ἀνταποδοθήσεται αὐτῷ; [*quis prior dedit illi, & retribuetur ei*]? Quibus conſonat illud Hieroclis: ὅστις τιμᾷ τὸν Θεὸν ὡς προσδεόμενον, οὗτος λέληθεν οἰόμενος ἑαυτὸν τοῦ Θεοῦ εἶναι κρείττονα [*Qui Deum veneratur tanquam altero indigentem, verè opinatur, quanquam id ſe opinari non putat, ſe Deo eſſe meliorem*]. Poſtremò, quod de perpeſſionibus, idem de factis etiam præſtantiſſimis veriſſimè dici poteſt, οὐκ ἄξια εἶναι πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν ἀποκαλυφθῆναι εἰς ἡμᾶς [*non eſſe digna, quæ comparentur cum futura gloria in nobis revelanda*], ut Apoſtolus loquitur Rom. viii, 18. Quem locum explicans Salvianus, *indignum eſſe ad futuræ gloriæ comparationem omne opus* dicit *humanum*; meritò ſanè, quæ enim eſſe poteſt æqualitas inter momentaneum & æternum, ut jam de illis infirmitatibus taceam quæ humanis actionibus intercurrunt? Hæc autem omnia ſicut non tollunt piorum modeſtam παῤῥησίαν καὶ πεποίθησιν καὶ τὸ ἐν Θεῷ καύχημα [*libertatem, fiduciam & in Deo gloriationem*], ita directè adverſantur imputatrici ſuperbiæ, neque patiuntur Deum nobis debitorem cenſeri niſi ex miſericordi promiſſione. Veruntamen an hæc hujus loci ſint propria, ſalvâ rerum veritate ac luce, quæ nullis diſputationum nebulis obvolvi debuerat, dubitare fas eſt. Me ne id putem movent multa. Primum quod hìc Chriſtus de ſervis agit qui accubituri ſunt poſtquam dominus cœnaverit, alibi autem de ſervis quos ipſe dominus, ſtatim ut advenit, jubet accumbere, atque ipſe illis comiter miniſterium exhibet: ſuprà xii, 37. Quæ ſicut in fabula multùm differunt, ita videntur & in ἐπιμυθίῳ [*fabulæ explicatione*] diverſam requirere ἀνταπόδοσιν [*redditionem*]. Quin ipſe Chriſtus alibi videtur exprimere ἀνταποδόσεως [*redditionis*] partem alteram, per figuram ex eadem hac comparatione deſumtam, cum Apoſtolos dicit ſuæ, hoc eſt, herili menſæ accubituros, infra xxii, 30. Alterum eſt, quod Chriſtus negat iſtis, de quibus hìc agitur ſervis gratiam habitum iri, quod ipſum alibi dixit de his qui benefacientibus benefaciunt & diligentes ſe viciſſim diligunt, ſuprà vi, 32, 33. aliud nos jubens ſentire de iis qui inimicos diligunt, & nullâ ſpe mutuæ vicis beneficentiam ac miſericordiam exercent, non ad hominum ſed ad cœleſtis Patris exemplum, ibidem 34, 35, 36. Tertium eſt quod ποιεῖν [*facere*] ut ſuprà ad caput x Lucæ annotavimus ex recepto loquendi more intelligebatur de factis nudè conſideratis, quocunque tandem animo fiant. Quæ inter ſe conjuncta impellunt ut credam non de quibusvis ſervis hìc agi, ſed de iis qui ſerviunt ſerviliter, *non* (ut Terentius loquitur) *liberaliter*. Quam interpretationem non deſtitutam bonis auctoribus ſequentia explicabunt. Videat ſi cui integrum eſt Hermam libro iii, c. 5. ſcriptorem quod conſtat antiquum, & ut Apoſtolis minimè æquandum, ita apud Irenæum, Clemenmentem atque alios magnæ auctoritatis. Proponit ibi fabulam domini qui ſervo imperarat, ut palos circa vitem figeret, ille verò & foſſam circumdederat, & herbas inutiles undique abſtulerat. Itaque dominus plus quàm promiſerat præſtans illum filio ſuo ſcribit cohæredem. Quare videtur illis temporibus admodum trita fuiſſe hæc comparatio, quæ tamen in eo qui nunc exſtat Hermæ libro aliovorſum trahitur.

ἀροτριῶντα ἢ ποιμαίνοντα, arantem aut paſcentem] Participia more Hebræo poſita pro verbalibus. Idem enim eſt, quaſi dixiſſet δοῦλον ἀροτῆρα ἢ ποιμένα [*ſervum aratorem aut paſtorem*]. Quid magni facit ad arandum poſitus ſi arat, ad paſcendum ſi paſcit? Nec multùm intereſt δούλου [*ſervi*] voce *miniſtrum conductum* intelligamus (ut ſæpe ea vox in his & Fœderis Antiqui libris uſurpatur) an vero *eum qui in manu ſit domini*, dummodo talem ſervitutem non ex barbarorum hominum conſuetudine, ſed ex æquo & bono atque adeò ex Lege Hebræa æſtimemus. Chryſippus rectè dixit *mercenarium miniſtrum ſervum eſſe ad tempus: ſervum verò perpetuum quaſi mercenarium cui pro pecunia victus detur.*

εὐθέως παρελθὼν ἀνάπεσαι; ſtatim transi, recumbe]? Cum patrefamilias accumbere filiorum eſt, non ſervorum, ſolent autem ſervi in ſervitute manere quam diu ſerviliter ſerviunt: menſæ ſervos adhibere manumiſſionis erat ſpecies, ut videre eſt apud Vlpianum in Inſtitutionibus.

8. *περιζωσάμενος, præcinge*] Qui mos miniſtrantium in regionibus in quibus demiſſiores veſtes gerebantur. Suprà XII, 37. Vide Iohann. XIII, 4.

μετὰ ταῦτα, poſthæc] Vt mos erat ſervorum aut etiam eorum quorum conducta erat opera.

9. *Μὴ χάριν ἔχει, numquid gratiam habet*] *Mercedis* vox ſtrictè ſumitur, ut ſignificet *id quod ſecundùm communem æſtimationem operæ reſpondet.* quo ſenſu dicere videtur Paulus τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸν οὐ λογίζεται κατὰ χάριν [*ei qui operatur merces non reputatur ſecundùm gratiam*], Rom. IV, 4. Hoc ſenſu, ut alibi attigiſſe meminimus, diſtat *merces* à *gratia*, quod merces factum reſpicit præcipuè, gratia ipſum animum. Itaque *merces* hoc modo dicta debetur, etiamſi ſervus aut homo conductus quod faciendum eſt non lubens fecerit. At *gratiam* provocant qui libenter faciunt, & qui vellent facere ſi id quod vellent efficere nequeant. Sed alibi vox *mercedis* laxiore ſignificatu quamvis ἀνταπόδοσιν [*retributionem*] ſignificat, etiam liberalem, quæ non eſt facti pretium, ſed mutua benigni affectus ſignificatio, ut apud Matthæum, ſæpe etiam iis in locis ubi Lucas τῆς κυριολογίας [*proprietatis vocum*] memor χάριν [*gratiam*] maluit dicere, ut videre eſt Matthæi V, 46. VI, 1. & Lucæ VI, 32, 33, 34. Lucas igitur hoc loco χάριν [*gratiam*] ſuo more opponit μισθῷ [*mercedi*].

ὅτι ἐποίησε τὰ διαταχθέντα αὐτῷ; quia fecit quæ ei imperaverat]? Agit de iis rebus quæ peculiari præſcripto peraguntur, ut quòd arator arat, quòd paſtor paſcit, quæ prætermitti ſine flagitio non poſſunt. Hæc qui facit *mercedem* habet, primò quod flagra non patitur, deinde quod dimenſum accipit. *Gratia* autem nulla ei ob talem operam habetur. Hic ſtatus erat Iudæorum Legis externa opera mediocriter implentium animo non emundato.

οὐ δοκῶ. non puto] Ex contrario intelligendum, aliter ſe rem habituram ſi ſervus ille non ἐν ὀφθαλμοδουλείαις [*in ſervitiis ad oculum*], ſed ἐν ἁπλότητι καρδίας [*in ſimplicitate cordis*], ut Paulus loquitur Coloſſ. III, 22. etiam extra peculiaria præſcripta omnibus modis honori & commodis heri ſeſe impenderit. Tales enim ſervi *gratiam* hanc ſolent reportare ut libertatem conſequantur, imo & ut filiorum loco adoptentur. Quærit Seneca *an Medico poſſit ultra mercedem gratia deberi*? Rectè reſpondit *poſſe*, ſi non perfunctoriè & ut cæteros ſed ut amicum te curaverit, ſi ex animo malis tuis indoluerit. Idem docet & *à ſervo beneficium accipi poſſe*, & *quod affectu amici fit deſinere eſſe miniſterium.* Pertinet huc & Hebræorum proverbium cujus Maimonides meminit Ducis dubitantium lib. III, cap. 17. *Ei datur præmium qui quid injuſſus facit.* Chryſoſtomus VIII Rom. veteres Hebræos Chriſtianis comparans: κἀκεῖνοι μὲν φόβῳ τιμωρίας πάντα ἔπραττον ἀγόμενοι, οἱ δὲ πνευματικοὶ ἐπιθυμίᾳ καὶ πόθῳ, καὶ τοῦτο δηλοῦσι τῷ καὶ ὑπερβαίνειν τὰ ἐπιτάγματα [*Iſti autem formidine pœnæ ducti omnia fecere, ſpirituales verò amore & deſiderio, & hoc oſtendunt dum etiam faciunt plus, quàm præceptum eſt*].

10. *τὰ διαταχθέντα ὑμῖν, quæ præcepta ſunt vobis*]. Τὰ διαταχθέντα [*præcepta*] hîc ſtrictè ſumi debent, eo ferme modo quo חקים [*præſcripta*] apud Hebræos, qua de voce diximus ſuprà ad caput I. in hoc numero τῶν διαταγμάτων [*mandatorum*] ſunt primùm ea quibus aliquid vetatur fieri: deinde & jubentium illa quæ ad facta exteriora pertinent, quæque certo loco, aut tempori, aut circumſtantiæ ita alligantur, ut ſine manifeſto Numinis contemtu omitti nequeant. In hac claſſe pono non ea tantùm quæ Lex communis in commune ad eum modum præcipit, ſed & quæ ſpecialiter hominibus ſingulis indicuntur: ut, *Tu Abraham exi è Chaldæa: Tu Moſes i ad Pharaonem: Tu Paule Euangelium annuntia.* Talibus præſcriptis qui paret, mercedem hanc reportat quod pœnam evadit. Exemplum poni poteſt in hiſtoria ſequente. Purgati à ſcabie ex imperato oſtendunt ſe Sacerdotibus; at gratias Chriſto actum non veniunt, quod imperatum quidem ſimiliter non erat, ſed quod ſi feciſſent, gratus animus, ut illius Samaritæ, majora impetraſſet beneficia. Locus eſt illuſtris I Corinth. IX, 16. ἐὰν γὰρ εὐαγγελίζωμαι οὐκ ἔς μοι καύχημα [*ſi euangelizavero non eſt mihi gloria*] (hic καύχημα [*gloriam*] vocat ſpem habendæ ſibi à Deo gratiæ) ἀνάγκη γάρ μοι ἐπίκειται [*neceſſitas enim mihi incumbit*]. (ἀνάγκην [*neceſſitatem*] vocat obligationem ἐκ διατάγματος [*ex mandato*], ex præſcripto ſpeciali de quo exſequendo vel omittendo nulla eſſe poterat deliberatio) οὐαὶ δέ μ ἐστὶν ἐὰν μὴ εὐαγγελίζωμαι [*væ enim mihi eſt ſi non euangelizavero*]. (quaſi dicat, *Non poſſem hoc impu prætermittere: ideoque nullam inde exſpectandam habeo gratiam*) εἰ γὰρ ἑκὼν τοῦτο πράσσω μισθὸν ἔχω [*ſi enim volens hoc ago mercedem habeo*]. (hîc μισθ [*mercedem*] poſuit latiore illo ſignificatu de quo

ſuprà diximus, *Si*, inquit, *non facio tantùm quod jubetur, ſed facio ſponte, ſed facio alacriter*, ἑκουσίως καὶ προθύμως, οὐκ ἀναγκαστῶς [*voluntariè & ſpontaneè, non coactè*], ut Petrus loquitur I, v, 2. *in eo ſita eſt ſpes magnæ atque eximiæ remunerationis*) εἰ δὲ ἄκων, οἰκονομίαν πεπίστευμαι. [*ſi autem invitus, diſpenſatio mihi credita eſt*] (*cujus ſcilicet ratio mihi reddenda eſt, & qua non obita meritò plectar*) Τίς οὖν μοί ἐστιν ὁ μισθός; [*quæ eſt ergo merces mea*]? (hîc iterum μισθὸν [*mercedem*] vocat τὸ ἀντίδωρον quod [*remunerationem quæ*] ex gratia venit non ex facti æſtimatione) ἵνα εὐαγγελιζόμενος ἀδάπανον θήσω τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Χριστοῦ, [*ut Euangelium prædicans ſine ſumptu ponam Euangelium*] (*Vt cùm jus habeam alimenta poſcendi, eo tamen jure non utar ad majorem Dei honorem & profectum Eccleſiæ*) εἰς τὸ μὴ καταχρήσασθαι τῇ ἐξουσίᾳ μου ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. [*ut non abutar poteſtate mea in Euangelio*] (hîc καταχρῆσθαι, ut & eâdem epiſtolâ VII, 31. videtur eſſe non *malè uti*, ſed *quovis modo uti*; quomodò & *abuti* uſurpant Latini de rebus quæ uſu intereunt) Ἐλεύθερος γὰρ ὢν ἐκ πάντων, [*cùm liber eſſem ex omnibus*] (nemini hac in parte obligatus) πᾶσιν ἐμαυτὸν ἐδούλωσα, ἵνα τοὺς πλείονας κερδήσω. [*omnium me ſervum feci, ut plures lucri facerem*] Quæri hîc ſolet an non Divinis præceptis comprehenſum fuerit id quod facit Paulus cùm ſe ſuo cum incommodo omnibus aptavit, atque etiam ſuis manibus victum ſibi parare maluit quam Corinthiis oneri eſſe. Sanè ſi præcepta dicimus omne id quod Deo gratum eſt, atque etiam à Deo generaliter præceptum, (quomodo Chriſtus vocem ἐντολῆς [*mandati*] uſurpat Matth. XXII, 36. ſimili ferme alluſione qualem in voce ποιεῖν [*facere*] & nomine ἔργον [*opus*] alibi obſervavimus) dubitari non poteſt quin præceptorum ambitus hoc quoque contineat. Proceſſit enim ex intima dilectione tum Dei, tum proximi, quâ nihil eſt quod Deo eſſe poſſit gratius, nihil quod magis à Deo poſtuletur. Sed hæc præcepta non ſunt (ut comparationem à Chriſto inſtitutam proſequamur) quaſi dicat ſervo dominus: *Tu paſce, Tu ara*: ſed quaſi eos ſpe magnæ gratiæ ad teſtandum in ſe amorem invitet. Deus quanquam ex noſtris factis nihil capit utilitatis, tamen quæ eo modo, hoc eſt extra ſpecialis præſcripti neceſſitatem & cum determinatione noſtræ ſponti relicta, ſic ex vero atque indefeſſo amore præſtantur, ea non ut ſerviles operas, ſed ut amicorum beneficia accipit, &, ut potentes amici ſolent, non pro rei dignitate, ſed pro affectus in ſe magnitudine, & hîc & in meliore vita repenſat. Chryſoſtomus ad productum jam Pauli locum, Τὸ μὲν ἐστιν ἐπίταγμα, τὸ δὲ τῆς ἐμῆς προαιρέσεως κατόρθωμα. ἃ μὲν γὰρ ὑπὲρ τὴν ἐντολὴν γίνεται, πολὺν ἔχει τὸν μισθὸν κατὰ τοῦτο [*Hoc quidem præceptum eſt: illud autem, cum benè atque ordine fiat, à libera tamen mea electione non è Legis neceſſitate deſcendit. Quod enim ſuprà præceptum ſit, id eo ipſo magnam mercedem habet*]. Et mox illud ἀνάγκη μοὶ ἐπίκειται [*neceſſitas mihi incumbit*] dictum ait ὡς ὁ ὑπευθύνου ὄντος τοῖς ἐπιταχθεῖσι, καὶ πρὸς ἀντιδιαστολὴν τῆς ἐλευθερίας τῆς ἐν τῷ λαμβάνειν ἀφιμένης [*quia juſſis obnoxius ſit, & ad differentiam ejus de quâ ſupra dixit libertatis accipiendi*]. Paris ſenſus apud eum diſſertatio altero Sermone de Iejunio. Hæc ſunt illa fidei miracula quæ pro menſura creſcentis ſpiritûs creſcere in nobis debent. Hinc oritur non ſervilis debiti flagitatio ſed ingenua illa πεποίθησις καὶ παρρησία [*fiducia & loquendi libertas*], quæ Deum non ut Dominum tantùm, ſed & ut Patrem compellat, de amore ejus in ſe provocando ac conſervando ſollicita, de retributione ſecura. Clemens Strom. V. Τῷ τελείῳ οὐκ ἐν συμβολαίοις πολιτικοῖς, οὐδ᾽ ἐν ἀπαγορεύσει νόμου, ἀλλ᾽ ἐξ ἰδιοπραγίας καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἀγάπης ἡ δικαιοσύνη [*Perfectè autem pii juſtitia non in civilibus contractibus, neque in Legis prohibitione, ſed in ſingulari ſanctitate atque in pietate erga Deum conſiſtit*]. Locus eſt huic aliquo modo comparandus apud Xenophontem, ubi Cyrus Hyſtaſpæ qui imperata omnia ſedulò fecerat quærenti cur ſibi Chryſantas præferretur, reſpondet, Χρυσάντας οὑτοσὶ πρῶτον μὲν οὐ κλῆσιν ἀνέμεινεν, ἀλλὰ πρὶν καλεῖσθαι παρῆν τῶν ἡμετέρων ἕνεκα· ἔπειτα δὲ οὐ τὸ κελευόμενον μόνον, ἀλλὰ καὶ ὅ τι αὐτὸς γνοίη ἄμεινον εἶναι πεπραγμένον ἡμῖν, τοῦτο ἔπραττεν [*Chryſantas hic primum quidem non expectabat dum vocaretur, verùm invocatus ad noſtra negotia aderat; deinde non hoc ſolùm quod juſſus erat, verùm id quoque quod ex uſu nobis eſſe ſentiebat, exequebatur*].

ἀχρεῖοί ἐσμεν· *inutiles ſumus*] Exponunt quidam *inutiles domino ſumus* eo ſenſu quem paulò ante ex Iobi & Pauli verbis adſtruxi. Sed notavimus ad Matth. XXV, 30. vocem eſſe Helleniſticam, quam & hîc Syrus בטילא reddidit. Significat autem *ceſſatorem*. quæ tamen vox non abſolutè hîc uſurpatur, ut dicto Matthæi loco, ſed comparatione factâ ad ſervos qui non peculiaria præſcripta tantùm exequuntur, ſed noctu diuque etiam cum periculo ſuo attendunt herilibus negotiis. Plautus Sticho non diſſimilem habet ſententiam,

> *Qui manet ut moneatur ſemper ſervos homo officium ſuum,*
> *Non voluntate id facere meminit, ſervos is habitu haud probus eſt.*

idque ipſum ad eam obedientiam quam Deo debemus ſoliti ſunt aptare etiam Hebræi veteres, ut videre eſt apud Maimonidem de Regulis Pœnitentiæ capite ultimo.

ὃ ὠφείλομεν ποιῆσαι, *quod debuimus facere*] Nempe mercenarii, ut parem operæ mercedem conſequantur, ſervi, & ut pœnam effugiant & ut dimenſum quod mercedis eſt loco percipiant. Nam inter iſta æqualitas quædam eſt, non ex condicto tantùm ſed ex ipſa rerum natura: quippe & viciſſim τῷ ἐργαζομένῳ ὁ μισθὸς οὐ λογίζεται κατὰ χάριν, ἀλλὰ κατὰ τὸ ὀφείλημα [*ei qui operatur, merces non reputatur ſecundùm gratiam, ſed ſecundùm debitum*]. Eſt enim ὀφείλημα [*debitum*] id quod τὸ ἀντιπεπονθὸς [*repenſum*] vocat Ariſtoteles. Eſt autem in Federe Sinaïtico, ſi non plenum ὀφείλημα [*debitum*], aliqua tamen ejus ſpecies. Nam perpetua & diligens factorum obedientia vitæ longævæ ac felici aliquatenus reſpondet. At in noſtro Federe nihil tale, in quo Deus reſpicit non quid nos accipere conveniat, ſed quid ſummam ſuam bonitatem deceat dare.

11. διὰ μέσου Σαμαρείας καὶ Γαλιλαίας, *per mediam*

mediam Samariam & Galilæam] Per ipſa confinia Galilææ & Samaritanæ regionis, non rectâ per Samariam quod alioqui breviſſimum iter eſt. Ioſephus Originum xx, cap. v. Εθος ἦν τοῖς Γαλιλαίοις ἐν ταῖς ἑορταῖς εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν παραγενομένοις ὁδεύειν διὰ τῆς Σαμαρέων χώρας [*Mos erat Galilæis ob dies feſtos Hieroſolyma petentibus iter facere per Samariam*]. Idem in vita ſua, Εγραψα δὲ καὶ τοῖς ἐν Σαμαρείᾳ φίλοις προνοήσασθαι τοῦ ἀσφαλῆ γενέσθαι τὴν πορείαν αὐτοῖς· ἤδη γὰρ ὑπὸ Ῥωμαίοις ἦν ἡ Σαμάρεια, καὶ πάντως ἔδει τοὺς ταχὺ βουλομένους ἀπελθεῖν δι᾽ ἐκείνης πορεύεσθαι [*Samariam quoque amicis ſcripſi, darent operam, ut Legati per eorum agrum tutò iter facerent, jam enim ea urbs Romanis erat ſubdita, & illac neceſſariò fuit eundum properantibus & ſequentibus viarum compendia*]. quomodo & Iohannes dixit IV, 4. Εδει αὐτὸν διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας [*Oportebat eum transire per Samariam*]. Adde quod ſuprà eſt IX, 51, 52.

12. *εἰσερχομένου αὐτοῦ, cum ingrederetur*] Præſens pro futuro, ut rectè animadvertit Syrus, nam extra oppida ſe tenebant qui illâ ſcabie erant polluti, Levit. XIII, 46. Ioſephus de Moſe, Τοὺς δὲ λεπροὺς εἰς τὸ παντελὲς ἐξήλασε τῆς πόλεως, μηδενὶ συνδιαιτωμένους καὶ νεκροῦ μηδὲν διαφέροντας [*Leproſos verò in univerſum urbe expulit, nemini cohabitabant, & à mortuo nihil differebant*].

ἔστησαν πόῤῥωθεν· ſteterunt à longè] Procul enim ab aliis abſtare jubebantur & proclamare טמא טמא [*immundum, immundum*] ut dicto Levitici loco videre eſt.

13. Ἐπιστάτα, *Præceptor*] Id eſt, רבי ut alibi diximus.

14. *ἐπιδείξατε ἑαυτοὺς τοῖς ἱερεῦσι. oſtendite vos Sacerdotibus*] Quo dicto tacitè pollicebatur ſanitatem in itinere obventuram: neque enim oſtendebantur Sacerdoti, niſi ut aut de morbo cognoſceret, de quo hîc ſatis conſtabat, aut ut reſtitutam valetudinem pronuntiaret. eſt autem hîc τοῖς ἱερεῦσι [*Sacerdotibus*] dictum pro τινὶ τῶν ἱερέων [*Sacerdotum cuidam*]. Vide quæ ad Matth. VIII, 4. Simul notandum eſt quod non prætermiſit Tertullianus, Chriſtum hoc facto cauſam Iudæorum adverſus Samaritas in controverſia templi probaſſe, non enim ad Garizitanos ſed ad Hieroſolymitanos Sacerdotes Samaritam ſimul cum Iudæis relegat.

ἐν τῷ ὑπάγειν αὐτοὺς, dum irent] Id ſignum eſt ab omnibus conceptam recuperandæ valetudinis fiduciam.

15. *δοξάζων τὸν Θεὸν, magnificans Deum*] Nempe in Chriſto, ut ſequentia oſtendunt.

16. *παρὰ τοὺς πόδας, ante pedes*] Quod jam purgato licebat. Credibile eſt hoc factum poſtquam Sacerdoti omnes ſe ſtiterant.

18. *οὐχ εὑρέθησαν, non inventi ſunt*] Ευρίσκεσθαι [*inveniri*], ut apud Hebræos נמצא eſt *apparere*. εὑρέθη μοι ἡ ἐντολὴ ἡ εἰς ζωήν, αὕτη εἰς θάνατον [*inventum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem*] Rom. VII, 10. σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος [*habitu inventus ut homo*] Philip. II, 8. ita Prov. X, בשפתי נבון תמצא חכמה [*in labiis ſapientis invenitur ſapientia*].

ὁ ἀλλογενὴς οὗτος. hic alienigena] Reſpondet ἀλλογενὴς [*alienigena*] Hebræo זר [*peregrinus*]. Samaritas etiam Ioſephus ἀλλοεθνεῖς [*de gente aliena*] vocat. Erant enim Samaritæ magna pars ex Chuthæis & aliis Aſſyriæ populis, unde כותים [*Chutæi*] nunc quoque à Iudæis dicuntur. Sed quidam Iſraëlitici generis illi ſe immiſcuerant: unde data occaſio Samaritis, ut pro re nata (quemadmodum Ioſephus narrat) cognatos ſe Iudæorum modò profiterentur, modò negarent. Diſcimus autem ex Ioſepho Iudæorum multos, qui in Legem Sabbati aut ciborum peccaſſent, ad Samaritas immigraſſe, atque ab eo hominum genere habitatam urbem Sicimorum. Hinc eſt quod Sicimitas pejores Garizitanis qui erant Chutæi, ut idem teſtatur Ioſephus, facit Sirachides. Verba ſunt Eccleſiaſtici L, 27. Εν δυσὶν ἔθνεσι προσώχθισεν ἡ ψυχή μου, καὶ τὸ τρίτον οὐκ ἔστιν ἔθνος· οἱ κατοικοῦντες ἐν ὄρει Σαμαρείας, καὶ ἄνδρες οἱ κατοικοῦντες Φυλιστιὶμ, καὶ λαὸς μωρὸς ὁ κατοικῶν ἐν Σικίμοις [*Duas gentes odit anima mea: tertia autem non eſt gens quam oderim; Qui ſedent in monte Seir & Philiſtiim, & ſtultus populus qui habitat in Sichimis*]. Mirum quo argumento Sicimitæ illi pro Sidoniis ſe venditaverint, quod Ioſephus refert.

20. *ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ, Regnum Dei*] Cujus ſæpe & à Baptiſta & à Chriſto facta erat mentio. Regnum autem Dei hîc ut & alibi ſignificat *tempora Meſſiæ regnantis*.

μετὰ παρατηρήσεως· cum obſervatione] Non negat Chriſtus ejus temporis eſſe quædam indicia prodita, quod alibi diſertè affirmat, ſed negat illud regnum venturum μετὰ πολλῆς φαντασίας [*cum multa pompa*] *cum regio ſplendore, divitiis, triumpho*, qualia exſpectabant Phariſæi, & nunc quoque Iudæi exſpectant.

21. *Οὐδὲ ἐροῦσιν, neque dicent*] *Non erit quod dicatur.* Ita interpretandum, ne pugnet cum eo quod ſequitur commate 23.

ἰδοὺ ὧδε καὶ ἰδοὺ ἐκεῖ. ecce hîc, & ecce illic] In illo monte aut in illo deſerto, in Cyrene, in urbe Bitter, ut dicebant οἱ ψευδόχριστοι [*falſi Chriſti*].

ἐντὸς ὑμῶν ἐστι. intra vos eſt] *Iam inter vos*, id eſt, *in ipſo populo Iudaïco, regnum illud incipit vires ſuas exſerere, vobis non obſervantibus. Signum autem hujus rei evidens ſunt miracula, præſertim ejectio dæmonum.* Matth. XII, 28. Chriſtus eoſdem Phariſæos hunc in modum alloquitur: Εἰ δὲ ἐγὼ ἐν πνεύματι Θεοῦ ἐκβάλλω τὰ δαιμόνια, ἄρα ἔφθασεν ἐφ᾽ ὑμᾶς ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ [*Si autem ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos Regnum Dei*], ubi voce ὑμῶν [*vos*] ſimiliter populi Iudaïci univerſitas intelligitur. Illud ἐντὸς ὑμῶν [*intra vos*] rectè vertitur *in medio veſtri*. Confer Matthæi XXI, 43.

22. *πρὸς τοὺς μαθητὰς, ad diſcipulos*] Omnibus ſuis ſectatoribus, in ipſis totam Iudæorum gentem compellans.

μίαν τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, unum diem Filii hominis] Quæ infrà ſequuntur, ubi itidem mentio fit τῆς ἡμέρας [*diei*] aut τῶν ἡμερῶν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου [*dierum filii hominis*], faciunt ut hôc nomine intelligam id ipſum quod modò dixit *Regnum*: ſed ita ut ſubintelligendum putem quod præceſſit ἐντὸς ὑμῶν [*intra vos*]. manſit in populo Iudaico *Regnum illud*, id eſt, id eſt, *invitatio ad reſipiſcentiam* ad annos ferme quadraginta, ſub cujus temporis finem nox atra calamitatum ſucceſſit, de qua infrà commate 34. Illo autem tempore XL annorum florentiſſimum fuit Chriſti Regnum, & aurea velut ætas, Spiritûs donis internis atque externis ubique apparentibus, fide purâ, dilectione fervente.

καὶ οὐκ ὄψεσθε. *& non videbitis*], Cùm Euangelii ſermo è Iudæa auferetur, quod certum erit ſignum imminentis excidii.

23. ἰδοὺ ὧδε ἢ ἰδοὺ ἐκεῖ· *ecce hic & ecce illic*] Poſt illa tempora multi ſurrecturi erunt ψευδόχριστοι [*falſi Chriſti*], ut apud Matthæum videre eſt.

24. ἐκ τῆς ὑπ' οὐρανὸν εἰς τὰς ὑπ' οὐρανὸν, *deſub cælo in eas quæ ſub cælo ſunt*] Subaudi χώρας [*regiones*]; ut ſit ἐκ τῆς χώρας εἰς τὰς χώρας [*è regione in regiones*], *ex una regione*, putà Iudæa, *in omnes regiones quæ ſub cælo ſunt.* Vide quæ dixi ad Matthæum XXIV, 31.

ἐν τῇ ἡμέρᾳ αὐτοῦ. *in die ſua*] Ἐν τῇ παρουσίᾳ [*in adventu*], ut Matthæus explicat. *illo* inquit *temporis ſpatio celerrimè per omnem mundum audietur Euangelium & magnos profectus faciet.*

25. Πρῶτον δὲ δεῖ, *Primùm autem oportet*] Antequàm illa ætas Regni adveniat, cujus initium fuit miſſio illa Spiritûs Sancti die Pentecoſtes. Hujus Spiritus mittendi jus conſequi Chriſtus debuerat per mortem, ut alibi dictum eſt.

26. οὕτως ἔσται καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. *ita erit & in diebus Filii hominis*] Tam conſpicuam Divinæ bonitatis teſtationem meritò ſequetur rejectio contumacium, & ſevera adversùs eos judicia, etiam quæ conſpici poſſint, quale fuit excidium Hieroſolymitanum. Pertinebat enim & hoc ad tuendam Regni iſtius majeſtatem.

27. ἅπαντας, *omnes*], Omnes eos qui reſipiſcentiæ monita contemſerint.

29. ἔβρεξε πῦρ καὶ θεῖον, *pluit ignem & ſulfur*] Puto & πῦρ [*ignis*], & θεῖον [*ſulfur*] in nominativo poni. Sicut apud Latinos legimus, *pluerunt lapides :* & in Apocalypſi ἵνα μὴ βρέχῃ ὑετὸς [*ne pluat pluvia*], XI, 16. Ita ut Syrus ſenſum potius quàm verba expreſſerit. Eſt autem hujus hiſtoriæ memoria etiam apud prophanos Scriptores conſervata, Strabonem, Solinum, Tacitum. Poteſt autem *ſulfuris* nomine ipſum *fulmen* intelligi. Nam & Græci interdum ita loquuntur, quia *fulmen* odorem ac vim habet ſulfuream: quin ipſa vox θείου [*ſulfuris*], ſi originem ſpectemus, ad *fulmen* primitùs pertinuiſſe videri poteſt. Vide Philonis locum quem jam jam adducemus.

ἅπαντας. *omnes*] τοὺς ἀμετανοήτους [*non reſipiſcentes*] ſcilicet. Idem his exemplis Chriſtus ſignificat, quod ita extulit Petrus cùm eadem exempla memoraſſet, Οἶδε Κύριος εὐσεβεῖς ἐκ πειρασμοῦ ῥύεσθαι, ἀδίκους δὲ εἰς ἡμέραν κρίσεως κολαζομένους τηρεῖν [*Noverit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos verò in diem Iudicii reſervare cruciandos*]. Quo fine etiam Philo libro de Moſis vita utramque hanc hiſtoriam adduxit. Et de Sodomis quidem ita loquitur, Ἐν δὲ τούτῳ συνέβαινε τοὺς μὲν ἀσεβεῖς ταῖς εἰρημέναις τιμωρίαις κολάζεσθαι, καὶ τοὺς καλοκἀγαθίας διενηνοχότας ἀπὸ τῶν ἀρετῆς ἐπαξίων ἄθλων τυγχάνοντας· ἐν μέσῃ γε τῇ φορᾷ τοῦ κεραυνίου πυρὸς οἰκήτορσιν αὐτοῖς ὅλης χώρας ἐμπιπραμένης, εἷς μόνος ἀνὴρ μέτοικος ἐπιφροσύνῃ θείᾳ σώζεται, διότι τῶν ἐγχωρίων παρανομημάτων οὐδὲν ἠσπάσατο [*Intereà pœnas luentibus impiis, virtuti ſua præmia non deerant. In totius regionis conflagratione ardentis unà cum incolis, unicus inquilinus ſervatus eſt Divinâ providentiâ, quòd abhorreret ab indigenarum iniquitatibus*].

30. ἡ ἡμέρᾳ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀποκαλύπτεται. *qua die Filius hominis revelabitur*] Nimirùm ad exercenda ſua judicia in contemtores Regni ſui. Sic Paulus dixit, ἀποκαλύπτεται ὀργὴ Θεοῦ ἀπ' οὐρανοῦ [*revelabitur ira Dei de cælo*]. Obſidium autem Hieroſolymorum & quæ mala ex eo ſunt ſecuta, præcipuè hîc intelligi ſequentia oſtendunt, quæ ad univerſale judicium non ſatis rectè referas. Ioël quoque hoc ſeveritatis Divinæ tempus vocat ἡμέραν Κυρίου μεγάλην καὶ ἐμφανῆ [*diem Domini magnam & manifeſtam*], explicante Petro Actor. II, 20. ubi & hæc ſententia legitur ad loci præſentis explicationem faciens, πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου σωθήσεται [*omnis quicunque invocaverit nomen Domini ſalvabitur*]. Interim memoriâ tenere debemus omnia illa localia judicia imagines & pignora eſſe judicii univerſalis.

31. ὃς ἔσται ἐπὶ τοῦ δώματος, *qui fuerit in tecto*] Proverbialis hæc locutio certiſſimum exitium ſignificat, & quod præcisâ omni morâ celerrimè ſit effugiendum, non ſolo diſceſſu corporis, ſed & locorum diverſitate: nam utrumque hîc conjungi debere oſtendunt ſequentia; & alioqui mos eſt Orientalium τὰ σύμβολα [*ſigna*] conjungere τοῖς διὰ συμβόλων [*ſignatis*].

32. Μνημονεύετε τῆς γυναικὸς Λώτ. *Memores eſtote uxoris Lot*] Senſus eſt, Omni modo fugienda malorum contagia, nullo commodorum temporalium reſpectu: quod, ut ſuprà ad caput IX diximus, Paulus ita enuntiat, Oportere τὰ ὀπίσω ἐπιλανθάνεσθαι, τοῖς δὲ ἔμπροσθεν ἐπεκτείνεσθαι [*eorum quæ à tergo ſunt obliviſci, & ad ea quæ coram ſunt, eniti*]. Philo autem eandem hanc de Lothi uxore hiſtoriam explicans, Non debere nos περιβλέπεσθαι τὰ ὀπίσω καὶ τὰ νῶτα, κωφὴν δόξαν καὶ ὅσα τούτοις συγγενῆ, ſed τὰ πρόσω διορᾶν [*quæ à tergo ſunt reſpicere, ſurdam gloriam & id genus reliqua, ſed quæ ante nos ſint, proſpicere*], nimirum τὰς ἀρετὰς καὶ τὰ κατὰ τὰς ἀρετὰς ἔργα [*virtutes, & opera ad virtutis normam conformata*], Idem alibi ad hanc rem appoſitè, Καὶ τί θαυμάζομεν εἰ τὸν ὑπηγμένον κράτει πάθους ἀλόγου προτρέπει μὴ ἐνδιδόναι, μηδὲ τῇ ῥύμῃ τῆς ἐκείνου φορᾶς κατασυρῆναι, βιάσασθαι δὲ ἀντισχόντα· κἂν εἰ μὴ δύναιτο ἀποδρᾶναι; Δευτέρα γὰρ ἔφοδος εἰς σωτηρίαν τοῖς ἀμύνεσθαι μὴ δυναμένοις δρασμός ἐστιν [*quid verò miramur ſi eum qui vi affectuum, non ratione agitur, monet ne ſe eis dedat, neque ſe eorum impetu quaſi torrente abripi patiatur, imo verò ut reſiſtat, vimque opponat vi : quod ſi id non poteſt, fugiat? Fuga enim iis, qui reſiſtere non valent, ad ſalutem alter eſt aditus*]. Rurſum alibi huic fœminæ ſimiles ait, τοὺς ὑπὸ παλιρροίας εἰς τοὔμπαλιν ἀναχωρήσαντας [*qui ob inconſtantiam retroceſſerunt*].

33. Ὃς ἐὰν ζητήσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, *Quicunque quæſierit animam ſuam ſalvam facere*] Nimirum detrectando Chriſtianiſmi profeſſionem quo

impiorum vitetur offenſa, quod multos feciſſe ex Pauli & Iohannis epiſtolis, tum verò & ex Divinâ Apocalypſi apparet. Τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*animam ſuam*], id eſt, *ſemetipſum*, quod oſtendit verbum ζωογονήσει [*vivificabit*], quâ voce Græci Interpretes utuntur pro σώζειν [*ſalvare*], Exod. I, 17, 18, 22. Vide quæ ad Matthæum X, 39.

ἀπολέσει αὐτήν· *perdet illam*] *Communi impiorum exitio involutus*, quod omnibus illis accidit qui cum Chriſtianis in montana aut Pellam versùs fugere noluerunt. Ea autem res ſimul figuram geſſit judicii poſt hanc vitam tum ſingularis, tum univerſalis.

34. ταύτῃ τῇ νυκτὶ, *in illa nocte*] Sicut modò ἡμέραν [*diem*] dixit omne illud tempus quo Regnum Chriſti maximè conſpicuum fuit, ita nunc noctis nomine appellat ejus temporis ultimam clauſulam graviſſimis calamitatibus plenam. Solent autem Hebræi noctis & tenebrarum nomine magnas ærumnas denotare.

ὁ εἷς παραληφθήσεται, *unus aſſumetur*] *E periculo educetur* velut apprehensâ manu, ut ad Matthæum expoſuimus.

καὶ ὁ ἕτερος ἀφεθήσεται. *& alter relinquetur*] *Relinquetur communi exitio.* Euangelii ſermo vim habet palàm discernendi eos qui antea permixti erant, etiam conjuges. Vide ſuprà XII, 51, 52.

35. καὶ ἡ ἑτέρα ἀφεθήσεται. *& altera relinquetur*] Quod hîc in quibusdam codicibus legitur de repertis in agro, ex Matthæo eſſe adjectum non dubitabit qui animadverterit à Græcis Scriptoribus discrimen hoc loco Matthæi & Lucæ diſertè annotari.

37. Ποῦ Κύριε; *Vbi Domine?*] *Vbi fiet*, inquiunt, *iſta hominum discretio?*

Ὅπου τὸ σῶμα ἐκεῖ συναχθήσονται οἱ ἀετοί. *Vbicunque fuerit corpus illuc congregabuntur aquilæ*] Σῶμα [*Corpus*] dixit quod πτῶμα [*cadaver*] Matthæus, nec mirum: nam & de Homero Porphyrius obſervat, ὅτι τὸ τῶν ζώντων ἀεὶ δέμας προσαγορεύει· τὸ δὲ ἀποβεβληκὸς τὴν ψυχὴν οὐδὲν ἄλλο ἢ σῶμα καλεῖ, [*quod viventium ſemper corpus* δέμας *vocet, mortuum verò corpus nihil aliud quam* σῶμα], ut in illis verſibus,

> Σῶμα δὲ οἴκαδ' ἐμὸν δόμεναι πάλιν.
> [*Ferre meum rurſus corpus domum*].

Et,

> Σώματ' ἀκηδέα κεῖται ἐνὶ μεγάροις Ὀδυσῆος.
> [*Corpora Vlyſſeas ſparſim ſunt ſtrata per ædes.*]

Item,

> Σῶμα γὰρ ἐν Κίρκης μεγάρῳ κατελείπομεν ἡμεῖς.
> [*Linquimus at ſocii corpus nos Circis in æde*].

Rationem hanc adfert Porphyrius: Τὸ γὰρ αὐτὸ ζῶντος μὲν τοῦ ἀνθρώπου δεσμὸς ἦν τῆς ψυχῆς· τελευτήσαντος δὲ ὥσπερεὶ σῆμα καταλείπεται [*Idem enim, & vivente homine, animæ erat vinculum; & moriente eo veluti ſepulcrum relinquitur*]. Hôc autem proverbio Chriſtus ad interrogationem reſpondet, ſignificans illam discretionem hominum futuram quidem in Iudæa, ſed non ibi tantùm, verùm ubivis locorum & gentium. Tam latè enim patere debebat *iſta discretio*, quàm latè proferendum erat Chriſti Regnum. Non igitur hîc erit Chriſti Regnum, ibi non erit, pro diverſitate locorum, ut Phariſæi putarunt, ſed ubique & erit, & non erit pro animorum discrimine.

CAPUT XVIII.

1. Πρὸς τὸ δεῖν, *Quoniam oportet*] Eò pertinentem quod ſemper preces faciendæ ſunt.

ἐκκακεῖν, *deficere*] Ita Paulus Epheſ. III, 13. μὴ ἐκκακεῖν ἐν ταῖς θλίψεσι [*non deficere in tribulationibus*]. II Theſſal. III, 13. μὴ ἐκκακήσητε καλοποιοῦντες [*nolite deficere benefacientes*] Galat. VI, 9. τὸ δὲ καλὸν ποιοῦντες μὴ ἐκκακῶμεν [*bonum facientes non deficiamus*]. Senſus eſt, non eſſe fatiſcendum in precibus, ſed orandum, ut Paulus monet I Theſſal. V, 17. ἀδιαλείπτως, *indeſinenter*. Sic & Proclus ad Timæum, Χρὴ ἀδιαλείπτως ἔχεσθαι τῆς περὶ τὸν Θεὸν θρησκείας [*ad Dei cultum pertinet perpetuò orare*], in quem ſenſum & veteri utitur verſu,

> Δηθύνοντι βροτῷ κραιπνοὶ Μάκαρες πελέθουσι,
> [*Adſunt tardanti veloci Numina curſu.*]

2. τὸν Θεὸν μὴ φοβούμενος, *qui Deum non timebat*] Cujus generis hæc ſit comparatio diximus ad locum ſimilem in cap. XVI.

ἄνθρωπον μὴ ἐντρεπόμενος, *& hominem non reverebatur*] Nec hominis cujusquam reverentiâ ducebatur: nam de Deo præceſſit. Planè ut Cyclops Homericus,

> Οὐδ' ἂν ἐγὼ Διὸς ἔχθος ἀλευάμενος πεφιδοίμην
> Οὔτε σεῦ, οὔθ' ἑτάρων, εἰ μὴ θυμός με κελεύει.
> [*Non odium devito Iovis, nec cætera parcam,*
> *Vel tibi vel ſociis, ſi non mutavero mentem*].

3. Χήρα, *Vidua*] Deſerta, contemta, & quam crudelis ille flocci non faciebat.

ἤρχετο, *veniebat*] *Ventitabat*. Nam Græci frequentativa non habent.

Ἐκδίκησόν με ἀπὸ τοῦ ἀντιδίκου μου. *Vindica me de adverſario meo*] Ἐκδικεῖν [*vindicare*], aut ut infrà & Actor. VII, 24. ποιεῖν ἐκδίκησιν [*vindictam facere*], ſicut Latinum *vindicare*, aliàs eſt *ultionem ſumere*, aliàs *quovis modò arcere injuriam*: qui ſenſus huic loco convenit. Cicero vindicationem definit *per quam vim aut contumeliam defendendo aut ulciſcendo propulſamus.*

4. ἐπὶ χρόνον· *per tempus*] Locutio Lucæ familiaris, quæ per ſe neque magnum neque parvum ſed aliquod tempus ſignificat. Actor. XV, 33. ποιή τες δὲ χρόνον [*demorabantur*], & XIX, 22. ἐπέσχε χρ ἐς τὴν Ἀσίαν [*remanſit ad tempus in Aſia*], idque ſenſus loci magis mihi videtur poſtulare, ut intelligamus non nimiùm diu potuiſſe ab eo judice perferri quotidianas interpellationes.

5. εἰς τέλος, *in noviſſimo*] Noli accedere vertentibus *tandem*. Eſt enim, ut vir doctiſſimus productis locis aliquot demonſtravit, Helleniſtica locutio ex Hebræo לנצח quod ſignificat *perpetuò*, ut Pſalm. IX, 19. XIII, 1. XLIX, 20. & LXXIX, 5. CIII, 9. in quibus locis etiam LXX habent εἰς τέλ [*perpetuò*]. Adde Pauli locum I ad Theſſal. II, 1 ἔφθασε δὲ ἐπ' αὐτοὺς ἡ ὀργὴ εἰς τέλος [*pervenit ira ſuper illos in finem*]. Nec aliter accipiendum illud Iohannis εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτοὺς [*ad finem dilexit illos*]. Bene ergo vertit Syrus *omni tempore*, quem & Arabs ſequitur.

ὑπωπιάζ

ὑπωπιάζῃ με. ſuggillet me] Non dubitò quin ſit Latiniſmus, quales multi apud Lucam; nam ὑπωπιάζειν ad verbum eſt *obtundere*: at *obtundere* Latinis eſt *ad faſtidium aliquid repetere*. Terentius, *Obtundis, tametſi intelligo*. Cicero, *Si meminiſtis, obtundam*. Bene ergo ſenſum Syrus expreſſit, *Moleſta ſit mihi*. & Arabs, *Vexet me*. *Ius*, inquit, *illi reddam ne nunquam deſinat mihi moleſta eſſe aſſiduis flagitationibus*.

7. *τῶν ἐκλεκτῶν αὐτοῦ, electorum ſuorum*] Omnia verba ἔμφασιν [*altiorem intellectum*] habent. Deus ille juſtus, ille miſericors, an non arcebit injuriam, non ab iis quos contemnit, ſed quos diligit, non ab iis qui moleſtiam ipſi exhibent, ſed quorum preces magni æſtimat. De voce ἐκλεκτῶν [*electorum*] ſatis alibi.

καὶ μακροθυμεῖ ἐπ' αὐτοῖς. & patientiam habebit in illis] Ita habet vetuſtiſſimus ille in Anglia manuſcriptus, ita legit Chryſoſtomus, ita Latinus Interpres, ita Syrus & Arabs: quare hanc lectionem retinendam puto, eóque magis quia qui aliter habent codices, non habent eodem modo; alii καὶ [*&*] omittunt, alii ejus loco ναὶ [*certè*] reponunt, ut appareat variè interpolatum locum ab iis qui loquendi iſtud genus non ſatis capiebant. Quidam putarunt μακροθυμεῖν ἐπί τινι [*patientiam habere in aliquo*] hîc eſſe *miſericordia alicujus moveri*: quem ſenſum ſi non directè, certè ex conſequentia habet ea vox, ubi de exigendis debitis aut re ſimili agitur, ut Matth. XVIII, 26, 29. idque ipſum hîc ſecutus eſt Arabs; vertit enim يعانت عليم id eſt, ἐλεήσει αὐτὸν [*miſerebitur ejus*], repetitâ ſcilicet tacitè negativâ interrogatione. Sed non poteſt vox μακροθυμεῖν [*patientiam habere*] ita hîc accipi, ubi de arcendis ab aliquo injuriis agitur. Eſt enim in iſta voce dilationis ſignificatio, quæ ut debitori prodeſt, ita gravis eſt ei qui vim patitur. Quare præferenda eſt Syri & Latini interpretatio qui negationem non repetunt. Syrus habet ומגר רוחה עליהון, id eſt, *protrahet ſpiritum ſuum erga illos?* Latinus, *& patientiam habebit in illis?* id eſt, *in eorum cauſa lentus erit?* Dubitationem omnem eximit Sirachides, qui in rè eadem idem loquendi genus uſurpat, haud dubiè ex vetere proverbio ad quod alluſit Chriſtus: προσευχὴ ταπεινοῦ νεφέλας διῆλθε, καὶ ἕως συνεγγίσῃ οὐ μὴ παρακληθῇ, καὶ οὐ μὴ ἀποστῇ ἕως ἂν ἐπισκέψηται ὁ ὕψιστος· κρινεῖ δικαίους καὶ ποιήσει κρίσιν, καὶ ὁ Κύριος οὐ μὴ βραδύνῃ, οὐδὲ μὴ μακροθυμήσῃ ἐπ' αὐτοῖς ὁ κραταιός [*Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit, & donec propinquet non conſolabitur, & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat. & Dominus non elongabit, ſed judicabit juſtos, & faciet judicium, & fortiſſimus non habebit in illis patientiam*]. Idem hîc dicitur, ſed præſentis temporis verbum poſitum eſt pro futuro. Declarant idem quæ ſequuntur verba, ποιήσει ἐκδίκησιν αὐτῶν ἐν τάχει [*citò faciet vindictam illorum*], citò eos liberabit, quod opponitur τῷ μακροθυμεῖν [*patientiam habere*]. Neque diſcedere ab hac perſpicua admonitum interpretatione nos cogit, quod Deus interdum ad tempus amicos ſuos patitur improborum injuriis vexari; nam illud ipſum tempus, quamvis longum interdum ferentibus videatur, re verâ exiguum eſt, imo momentaneum, unde τὸ παραυτίκα τῆς θλίψεως [*momentaneum tribulationis*], dixit Paulus II Corinth. IV, 17. adde quod ipſa illa dilatio cauſas habet ipſis ferentibus ſalutares, quanquam ſæpe non conſpicuas. Multum autem valet ad excitandam precum aſſiduitatem, ſi confidamus non tantùm liberandos nos, ſed & citò liberandos, etiamſi aliquantulum liberatio differatur. Ita Abacuc II, 3. *Si moram fecerit, expecta eum: quia veniendo veniet & non tardabit*. Ipſe Chriſtus in Apocalypſi, ναὶ ἔρχομαι ταχύ [*etiam venio citò*] XXII, 20.

8. *ἐλθὼν, veniens*] Cùm veniet Filius hominis ad ſuos liberandos, quod non tantùm faciet tempore judicii univerſalis, ſed etiam in hoc ſæculo ſæpiſſimè facit. Ita *venire* ſumitur, dicto Abacuci loco.

ἄρα εὑρήσει πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; putas inveniet fidem in terra]? Sic & apud Abacucum conſtans illa exſpectatio liberationis tribuitur fidei. ſequitur enim, *Iuſtus ſua fide vivet*: & in Apocalypſi rectè junguntur ὑπομονὴ καὶ πίστις τῶν ἁγίων [*patientia & fides Sanctorum*] XIII, 10. Hæc fides eſt quæ preces commendat: αἰτείτω δὲ ἐν πίστει [*petat autem in fide*] inquit Iacobus I, 6. Conqueritur Chriſtus multos non perſeverare in patienti fiducia, ac proinde in precibus uſque dum tempus liberationis, quod non longè abeſt, adventet. Huc & illud pertinet, quod alibi dicit, Ὁ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται [*Qui ſuſtinuerit in finem, hic ſalvus erit*]. *Fides & nativitas ſalutaris*, teſte Cypriano, *non accepta ſed cuſtodita vivificat*. Hoc opus, hic labor eſt. Non deerunt etiam poſt Chriſtum corruptiſſima ſæcula, qualia olim ſæculum diluvii, ſæculum Tharæ, ſæculum Amrami, ſæculum Antiochi. Vide inter alia II Timoth. IV, 3, 4.

9. *πρός τινας, ad quoſdam*] Prudenter Lucas monitis de conſtante fiducia annectit monitum de ſubmiſſa animi modeſtia, quæ cùm in omni vita uſum habet, tum præcipuè in precibus. Dixit autem hæc Chriſtus, cùm quoſdam, Phariſaicæ videlicet ſectæ, præſentes conſpicaretur, quorum ferocem animum introſpectabat.

τοὺς πεποιθότας ἐφ' ἑαυτοῖς, qui in ſe confidebant] הבוטחים על־נפשיהם [*confidentes in animis ſuis*]. Simile loquendi genus II Corinth. I, 9. ἵνα μὴ πεποιθότες ὦμεν ἐφ' ἑαυτοῖς, ἀλλ' ἐπὶ τῷ Θεῷ τῷ ἐγείροντι τοὺς νεκρούς [*ut non ſimus fidentes in nobis, ſed in Deo qui ſuſcitat mortuos*], quanquàm in ſenſu alio: nam ibi de fiducia ea agitur quæ in cauſis naturalibus collocari ſolet, hîc de ea fiducia quam multi plus æquo ſibi placentes in virtutibus ſæpe falſò creditis ponunt, eâque re impediuntur ne demiſſo animo ad Divinam miſericordiam confugiant.

ὅτι εἰσὶ δίκαιοι, tanquam juſti] Id eſt, *quaſi juſti eſſent*, aut *eò quòd juſti ſint*, ſua ſcilicet exiſtimatione: utramque enim interpretationem verba recipiunt & ſenſus in idem recidit. Chilo interrogatus *quid eſſet difficillimum*, reſpondit *ſemet noſſe*: πολλὰ γὰρ ὑπὸ φιλαυτίας ἕκαστον ἑαυτῷ προστιθέναι [*multa enim ob nimium ſui amorem unumquemque ſibi* *attribuere*]. Fieri non poteſt, quin ſui amore corruptus animus & bona ſua ſuprà verum æſtimet & mala vero minora arbitretur; & contra quæ in aliis ſunt mala vero majora, quæ bona infrà verum. Nam ut humore aliquo ſuffuſus oculus omnia videt non ut ſunt, ſed pro humoris illius qualitate, ita qui ſe amat ſibi fingit ſomnia, reſque omnes non ex vero ſed ex ſua cupiditate judicat. Quare cùm medium ἐν στιγμῇ [*in puncto*] tenere difficile ſit, ſicut ii quorum calcei dextrorſum vergunt, eos ſolent multùm premendo ſiniſtrorſum reflectere, ita & nos æquum eſt conniti in eam partem à qua ſponte noſtrâ alieniores ſumus: Nam in hanc partem non tutius tantum ſed & laudabiliter erratur. Bene Chryſoſtomus, Εἰ βούλει μεγάλα σου ποιῆσαι τὰ κατορθώματα, μὴ νόμιζε αὐτὰ εἶναι μεγάλα, ἀλλὰ χάριτι ὁμολόγει σώζεσθαι, ἵνα ὀφειλέτην ἑαυτῷ τὸν Θεὸν καταστήσῃς, οὐχὶ τῶν κατορθωμάτων μόνον, ἀλλὰ καὶ ταύτης τῆς εὐγνωμοσύνης [*Si quando bona tua opera vis extollere, ne quæſo magna ea eſſe opinare; ſed te gratiâ ſalvari fatére: quò debitorem tibi Deum reddas, non ejus tantùm, ſi quid facis boni, verùm hujus quoque modeſtiæ*]. Macarius, Καίπερ ὢν ἐκλεκτὸς τοῦ Θεοῦ παρ' ἑαυτῷ ἀποδεδοκιμασμένος ἔστω, καὶ ὢν πιστὸς ὡς ἀνάξιον ἑαυτὸν ἡγείσθω· τοιαῦται γὰρ ψυχαὶ εὐαρεστοῦσι Θεῷ [*Etiam qui electus Dei eſt, improbet ipſe ſe, & pro reprobo putet, & fidelis qui eſt, indignum tamen ſe exiſtimet. hujuſmodi enim animæ Deo acceptæ ſunt*].

καὶ ἐξουθενοῦντας τοὺς ἄλλους, *& aſpernabantur cæteros*] Conſequens enim eſt ut aliena deprimat qui ſua miratur. Diximus de hac re ad Matth. VII.

10. εἰς τὸ ἱερὸν, *in templum*] Quòd is locus ad preces fundendas acceptiſſimus Deo crederetur. 1 Reg. VIII, 38. Matth. XXI, 13.

11. σταθεὶς πρὸς ἑαυτὸν, *ſtans apud ſe*] Non puto hîc ſignificari ſeorſim illum a publicano, quaſi impuro, conſtetiſſe. Nam mos id ferebat ut publicani in atrio Gentilium, Phariſæi in atrio Iſraëlitarum ſtarent, nec quicquam in eo erat inſolitum aut Phariſæo imputandum. Stetiſſe ergo ſecum dicitur, ut intelligamus eo qui ſequitur ſermone intima ejus ſenſa explicari, ut qui habitus ſit nemine conſcio. Vide Marc. IX, 10, 33. X, 26. XIV, 4. XVI, 3. adde 1 Corinth. XI, 13. ubi ἐν ὑμῖν [*in vobis*] idem eſt quod illis in locis πρὸς ἑαυτοὺς [*apud ſemetipſos*].

προσηύχετο, *orabat*] Atqui is qui ſequitur ſermo ex eorum eſt genere quos Hebræi הודות [*laudationes*], Græci δοξολογίας [*orationes laudatorias*] vocant. Sciendum igitur προσευχῶν [*precum*] nomine generalius accepto comprehendi *omne id quo Deum compellamus.*

εὐχαριστῶ σοι, *gratias ago tibi*] Phariſæi non excludebant Divinam opem, ut ex Ioſepho apertiſſimum eſt, & nos alibi meminimus. Sed etiam qui nomen hoc uſurpant ingrati ſæpe ſunt, cùm aut primas ſibi in honeſtis actionibus, Deo ſecundas tribuant, aut ita agnoſcant beneficia communia, ut ad eam peculiarem miſericordiam quâ peccata ipſorum indigent ſupplices non confugiant. Bene Chryſoſtomus adverſus Iudæos II, Ὥσπερ τοῖς δικαίοις ἔθος μετὰ τὰ δικαιώματα μετριάζειν, οὕτω τοῖς πονηροῖς μετὰ τὰ ἁμαρτήματα ἐπαίρεσθαι [*Ut pii quum omnia ex officio egerint, modeſtè tamen de ſe & ſentire ſolent & loqui: ita improbis, cum peccarint familiare eſt, ultrò etiam ſeſe efferre*]. Paulinus in Epiſtola ad Auguſtinum de hoc Phariſæo: *Non orans ut exaudiretur, ſed exigens quaſi debitum meriti, pro operibus bonis quidem, ſed ingratis Deo, quia quod juſtitia ædificaverat, ſuperbia deſtruebat.*

ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, *ſicut cæteri hominum*] Bis peccat, primùm quòd in magna laude ponit non eſſe in ſceleratiſſimorum numero, deinde quòd de hominibus cæteris, quorum maximam partem non novit, tam protervè judicat.

οὗτος ὁ τελώνης. *hic Publicanus*] Quem, ſi quid in ipſo fuiſſet dilectionis, credere debuit reſipiſcendi propoſito ad templum accedere, quod ipſe geſtus indicabat. Quòd ſi talem credens nihilominùs ei inſultavit ob vitam priorem, id verò aliquantò etiam erat atrocius.

12. Νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, *Iejuno bis in ſabbato*] Non improbat Chriſtus hanc σωμασκίαν [*corporalem exercitationem*], quanquam non ex Legis præſcripto, ſed ex voluntaria ſuſceptione venientem. Dies autem illi νηστείας αὐθαιρέτου [*jejunii ſponte ſuſcepti*] erant, ut rectè Epiphanius & Theophylactus explicant, dies ſecundus & quintus, conſentientibus Hebræorum libris. Quo & illud referendum quod eſt in Conſtitutionibus Clementis: Αἱ δὲ νηστεῖαι ὑμῶν μὴ ἔστωσαν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν· νηστεύουσι γὰρ δευτέρᾳ σαββάτων καὶ πέμπτῃ [*Iejunia veſtra ne ſint qualia ſunt hypocritarum, ſecundâ enim & quintâ feriâ jejunant*]. Chriſtiani veteres, ne qua in parte Iudæis concederent, ex quo facta erat per totum orbem à Iudæis ſeceſſio, in horum dierum locum ſurrogarunt diem hebdomadis quartum & ſextum, quos pagani vocabant Mercurii & Veneris. Ignatius ad Philippenſes, Μὴ παρορᾶτε τετράδα καὶ παρασκευὴν, νηστεύοντες, πένησιν ἐπιχορηγοῦντες τὴν περισσείαν [*Quartam feriam, item ſextam ne negligite; ac facite, ut jejunetis eo tempore, ac pauperibus de eo quod vobis ſupereſt benignè largiamini*]. Clemens, περὶ τοῦ ἀληθῶς γνωστικοῦ [*de verè ſapiente*] loquens, Οἶδεν αὐτὸς καὶ τῆς νηστείας τὰ αἰνίγματα, τῶν ἡμερῶν τούτων, τῆς τετράδος καὶ τῆς παρασκευῆς λέγω· ἐπιφημίζονται γὰρ ἡ μὲν Ἑρμοῦ, ἡ δὲ Ἀφροδίτης [*Novit & jejunii ænigmata, quod his diebus, quarto inquam, & præparationis die, celebramus. Illum enim Mercurii diem, hunc Veneris vocant*]. Quod ita explicat, Αὐτίκα νηστεύει κατὰ τὸν βίον φιλαργυρίας τε ὁμοῦ καὶ φιληδονίας ἐξ ὧν αἱ πᾶσαι ἐκφύονται κακίαι [*Ergo abhinc ita vitam degit, ut ab avaritiâ atque item à voluptatum illecebris abſtineat, è quibus omnia mala oriuntur*]. Tertullianus, *Stationibus quartam & ſextam Sabbati dicimus.* Quàm latè is mos patuerit teſtatur Epiphanius contra Aëtium diſputans: Τίνι δὲ οὐ συμπεφώνηται ἐν πᾶσι κλίμασι τῆς οἰκουμένης, ὅτι τετρὰς καὶ προσάββατον νηστεία ἐστὶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ὡρισμένη; [*Quis autem eſt uſquam gentium, qui non concedat ſtatum eſſe jejunium Eccleſiæ quarto & eo qui Sabbatum antecedit die*]? Idem teſtantur Ambroſius, Socrates, Auguſtinus, Hieronymus. Iſta *corporalis exercitatio* nunquàm à Chriſto damnatur, neque à nobis improbanda eſt, ſi recto fine uſurpetur æſtimeturque ſuis ponderibus, id eſt, infrà opera dilectionis. At Phariſæi toti oc-

cupati in ritibus negligebant potiora. Facilè ſcilicet iſtas hederas ſibi circumdant quibus intus nihil eſt niſi vappa, cùm veræ dilectionis opera, aſſidua præſertim atque eximia, non poſſint niſi ex animo emundato proficiſci. ita evenit illud veteris ſententiæ ſæpe repetendum,

Τὸ μὲν πάρεργον ἔργον ὡς ποιούμεθα,
Τὸ δ᾽ ἔργον ὡς πάρεργον ἐκπονούμεθα.
[*Operosè id agimus, agere quod non eſt opus,*
At in eo, quod opus eſt, opera perfunctoria eſt].

ἀποδεκατῶ, *decimas do*], Vide de hac voce ad Matthæum XXIII, 23.

πάντα ὅσα κτῶμαι. *omnium quæ poſſideo*] כל אשר לי [*omnia quæ mihi ſunt*], Non illa tantùm quæ vulgus ſolet decimæ ſubjicere, poma & fruges, ſed & ea quæ controverſi ſunt juris, putà minora olera, ova, lac, caſeum, potiùs meis commodis aliquid detrahens, quam ut quicquam faciam contra τὰς παραδόσεις [*inſtituta*]. At quantò meliùs Zacchæus, qui bonorum partem alteram pauperibus dabat. Nam in minutis illis aliquid extra Legem præſtare perfacile eſt: in quo tamen Phariſæi ſummam ponebant ſingularis cujuſdam ſanctimoniæ, cujus & nomen præferebant.

13. οὐδὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς, *nec oculos*] Omnino puto reſpici morem Iudæis & aliis gentibus communem, *tollendi manus ad cælum ſimul cum oculis.* De Iudæis teſtis Philo, Στάντες ἑξῆς κατὰ στοῖχον ἐν κόσμῳ καὶ τὰς ὄψεις καὶ χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἀνατείναντες [*ordine & decorè ſtantes, vultusque & manus tendentes in cælum*]. Horum morem ſecuti ſunt Chriſtiani. Clemens Strom. VII, Πᾶσαν γὰρ τὴν ἐνδιάθετον ὁμιλίαν ὁ Θεὸς ἀδιαλείπτως ἐπαΐει· ταύτῃ καὶ προσανατείνομεν τὴν κεφαλὴν καὶ τὰς χεῖρας εἰς οὐρανὸν αἴρομεν [*Preces omnes, etiamſi quæ precere, cogites tantùm non proferas, nunquam non audit Deus; atque hinc eſt, quod vultum orantes attollimus, manusque ad cælum tendimus*]. Conjungit utrumque & Tertullianus loco quem jam jam citabimus. De profanis gentibus pro multis ùnus ſufficiet Maro,

Ad cælum tendens ardentia lumina fruſtra,
Lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.

Iuvenalis,

Arrecto vultu ſolùm hoc, & pallidus, oras.

Scorſum *manuum* meminit Ieremias Threno III, 41. Sic & Solomo *paſſis ad cælum manibus orat*, 1 Regum VIII, 54. Philo de Iudæis Alexandrinis, προτείνοντες τὰς χεῖρας εἰς οὐρανόν [*tendentes manus ad cælum*]. Scriptor libri de mundo, πάντες ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανόν [*univerſi homines manus in cælum tollimus*]. Homerus,

Θεοῖσι δὲ χεῖρας ἀνασχών.
[*Manusque ad numina tollens*].

Apud Latinos quoque Poëtas & hiſtoriarum Scriptores centies occurrit, *manus ſupinas* aut *palmas ad cælum tollere, pandere, tendere*, ut teſtimonia congerere ſit otio abuti. Pro Chriſtianis unum adducam Salvianum lib. 1 de Gub. Dei: *Cur ad cælum quotidiè manus tendimus?* eodem alluſit & Tertulliani illud, *Paratus eſt ad omne ſupplicium ipſe habitus orantis Chriſtiani.* Teſtabantur autem hoc ritu innocentiam ſuam. Seneca Oedipode:

Teſtor: licet jam tollere ad cælum pie
Puras, nec ulla ſcelera metuentes manus.

Philo dicto loco, Τὰς μὲν (ſcilicet τὰς ὄψεις) ἐπειδὰν τὰ Θεοῦ ἄξια καθορᾶν ἐπαιδεύθησαν· τὰς δὲ (τὰς χεῖρας) ὅτι καθαραὶ λημμάτων εἰσὶν ἀπ᾽ οὐδεμιᾶς προφάσεως τοῦ εἰς πορισμὸν μιαινόμεναι [*Vultus, quòd res Deo dignas docti ſunt contemplari: manus, quòd vacuæ omni quæſtu, nullâ unquam ſe re quæ ad lucrum ſpectet, patiuntur inquinari*]. Paulus ad 1 Timoth. II, 8. Βούλομαι οὖν προσεύχεσθαι τοὺς ἄνδρας ἐν παντὶ τόπῳ, ἐπαίροντας ὁσίους χεῖρας χωρὶς ὀργῆς καὶ διαλογισμοῦ [*Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione*]. Tertullianus, *Illuc, in* cælum, *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus.* Eodem Chryſoſtomus reſpiciens, Τί γὰρ βούλεται, inquit, ἐν τῇ εὐχῇ τῶν χειρῶν ἡ ἔκτασις; πολλαῖς πονηρίαις διακονοῦσιν αὐταί [*Quid enim ſibi vult inter precandum extenſio manuum? multis quidem illæ miniſtrant flagitiis*], & quæ plura more ſuo facundè in eam rem diſſerit. Publicanus ergo, peccatorum ſuorum memor, non modò *manus* non audebat *ad cælum tollere*, ne falsâ jactatione iram Dei provocaret, ſed ne *oculos* quidem: quod quanquam propriè ſtatui pœnitentiam agentis conveniebat, aliquatenus tamen in exemplum trahi ſolebat à pleriſque Chriſtianis. Tertullianus: *Atqui cum modeſtia & humilitate adorantes magis commendamus Deo preces noſtras, ne ipſis quidem manibus ſublimiùs datis, ne vultu quidem in audaciam erecto. Nam ille publicanus qui non tantùm prece, ſed & vultu humiliatus atque dejectus orabat, juſtificatior Phariſæo procaciſſimo diſceſſit.* Cyprianus libro de oratione Dominica: *Adorans autem, fratres dilectiſſimi, nec illud ignoret quemadmodum in templo cum Phariſæo publicanus oraverit: non allevatis in cælum impudenter oculis, nec manibus inſolenter erectis, ſed pectus ſuum pulſans & peccata intus incluſa conteſtans, Divinæ miſericordiæ implorabat auxilium, & cùm ſibi Phariſæus placeret, ſanctificari publicanus hoc magis meruit, qui ſic rogavit: qui ſpem ſalutis non in fiducia innocentiæ ſuæ poſuit, cum innocens nemo ſit: ſed peccata confeſſus humiliter oravit, & exoravit orantem, qui ſemper humilibus ignoſcit.*

ἔτυπτεν εἰς τὸ στῆθος αὐτοῦ, *percutiebat pectus ſuum*] Qui geſtus ſemet accuſantium, ut infra XXIII, 48. Eundem obſervarunt in Chriſtianorum Eccleſia qui pœnitentiam publicè profitebantur.

ἱλάσθητί μοι τῷ ἁμαρτωλῷ. *propitius eſto mihi peccatori*] Hebræum סלח, quod modò perſonam, modò rem in dativo habet ſibi ſubſequentem, LXX vertunt ἵλεων εἶναι [*propitium eſſe*], Num. XIV, 20. Ierem. XXXI, 34. ſequente Scriptore ad Hebræos VIII, 12. ἱλάσκεσθαι [*propitium eſſe*], II Reg. XXIV, 4. εὐιλατεύειν [*propitium eſſe*]. Deut. XXIX, 20. Pſalm. CIII, 3. Ipſa hæc vox ἱλάσθητι [*propitius eſto*] exſtat Pſalm. XXV, 11. ubi in Hebræo eſt סלחת [*propitiaberis*], & Dan. IX, 19. ubi eſt סלחה [*propitiare*]. Videtur mihi Syrus non malè expreſſiſſe vim vocis per חוניני [*miſerere mei*], Huic παρώνυμον [*agnatum*] eſt ἐξιλάσκεσθαι [*propitium reddere*], qua voce Helleniſtæ reddunt Hebræum כפר [*placavit*], aut חטא [*expiationem fecit*], quæ verba non ipſam animi miſerationem aut faventiam, ſed *actum aliquem aptum impetrandæ miſerationi aut faventiæ* ſignificant: qua de re aliàs. Senſus totius hujus precationis deſumtus ex toto Pſalmo LI.

14. *παρ' ἐκεῖνον, ab illo*] Non dubito quin ita ſcripſerit Lucas, quia & multi codices hanc lectionem retinuerunt, & cæteros inde corruptos apparet, ut ἢ γὰρ ἐκεῖνος [*quam ille*], quod quidam libri habent, & παρ' ἐκείνου [*ab illo*], quod legit Latinus. At Latini vetuſtiores legerunt παρ' ἐκεῖνον [*ſuprà illum*]: vertit enim Tertullianus, *juſtificatior Phariſæo*, ut jam vidimus. Cyprianus in verbis jam citata ſequentibus totam hiſtoriam deſcribens ponit, *Iuſtificatus magis quàm ille Phariſæus*: idemque Syrus & Arabs exprimunt. Adde quod Lucas ſuprà quoque ita eſt locutus XIII, 2, 4. ubi ἁμαρτωλοὶ καὶ ὀφειλέται παρὰ πάντας [*peccatores & debitores præ omnibus*] dicuntur qui cæteris ſunt flagitioſiores, poſito παρὰ pro eo quod מן [*præ*] eſt apud Hebræos, alibi & עם [*cum*], ut Iobi XXV, 4. ubi *juſtus cum Deo*, ſignificat *ſi Deo comparetur*. Suprà diximus δικαιοῦν ſæpe eſſe *approbare*, itaque hujus loci ſimpliciſſimus eſt ſenſus, magis probatam eſſe Deo magisque placuiſſe humilem publicani, quamvis in peccata prolapſi, deprecationem, quàm externam illam Phariſæi ſanctimoniam cum ſuperba quadam confidentia conjunctam. Bene Origenes adverſus Celſum diſputatione tertia, Ἔστι δ' ὅτι ἁμαρτωλὸς συναισθόμενος τῆς ἰδίας ἁμαρτίας, καὶ διὰ τοῦτο πρὸς τὸ μετανοεῖν πορευόμενος ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις ταπεινὸς, προτιμᾶται τοῦ ἔλαττον μὲν νομιζομένου εἶναι ἁμαρτωλοῦ· οὐκ οἰομένου δ' αὐτὸν ἁμαρτωλὸν, ἀλλ' ἐπαιρομένου ἐπί τισιν οἷς δοκεῖ συνειδέναι ἑαυτῷ κρείττοσι, καὶ πεφυσιωμένου ἐπ' αὐτοῖς [*Interdum verò peccator conſcientiâ peccati ſui tactus, ſi pœnitentiam agat fiatque ſubmiſſior, ei præfertur qui cùm minùs peccare videatur, ne peccatorem quidem ſe exiſtimat, imò erigit ſe atque altum ſapit, neſcio quam ab virtutem, quâ ſe præditum putat*]. Quærit hîc non abs re Theophylactus quid ſit cur ob pauca verba Phariſæus inſolentiæ arguatur, cum Iobus tam multa de ſe prædicans nullam eo nomine notam ſuſtineat. Ad cujus quæſtionis ſolutionem videndum quanta ſit in factis illis diverſitas. Phariſæus Deo & ſibi loquitur, nemine accuſante, imo ipſe alios animi gratiâ accuſat. Iobus graviſſimè accuſatus, quaſi in hominum aliorum comparatione inſigniter facinoroſus, diluit calumniam innocentis conſcientiæ teſtimonio: neque levia adfert probi animi ſigna, putà jejunia & exactam decimarum ſolutionem, quibus turget Phariſæus animum interius vitiis plenum gerens, ſed ea opera in quibus & dilectio & dilectionis ſoror humilitas micabant. Plutarchus libello quo materiam hanc περιαυτολογίας [*ſui ipſius jactationis*] accuratè pertrectat, nunquam ait juſtiorem eſſe occaſionem ſua rectè facta commemorandi quàm cùm fama cujusquam injuſtè oppugnatur. Commendant & David, & apertiùs Nehemias Deo ſua officia, ut eorum benignè meminerit, ſed poſtquam culpas ſuas aut cum populo communes aut ſibi proprias agnoverant, & ſupplici prece à Deo exambiverant veniam. Apoſtoli autem & Chriſtiani, multò quàm illi ſub Veteri Fœdere ſe gerunt modeſtiùs, tantæ veniæ & beneficiorum acceptorum per Chriſtum conſcientiâ.

ὅτι πᾶς ὁ ὑψῶν ἑαυτὸν, ταπεινωθήσεται· *quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabitur*] Vide quæ diximus ad Matth. XXIII, 12. ad Lucam ſuprà I, 51.

15. *τὰ βρέφη, infantes*] Neque vox βρέφη [*infantes*], neque illud quod apud Marcum eſt ἐναγκαλισάμενος [*complexans*] ſatis validè probant de infantibus hîc agi, ut ad Matthæum diximus: ibi vide.

18. *ἐπηρώτησέ τις αὐτὸν ἄρχων, interrogavit eum quidam princeps*] Quæ huc pertinent ad Matthæum vide.

31. *τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου, Filio hominis*] Hæc frequentior lectio: videtur autem eo ſenſu dixiſſe τελεσθῆναι τῷ υἱῷ [*impleri filio*], pro ἐν τῷ υἱῷ [*in filio*]; ſicut infrà XXII, 37. δεῖ τελεσθῆναι ἐν ἐμοὶ [*oportet impleri in me*]. Ita certè acceperunt Syrus & Latinus. Simile eſt Rom. III, 19. τοῖς ἐν νόμῳ λέγει [*iis, qui ſunt ſub lege dicit*], id eſt, περὶ τῶν ἐν νόμῳ [*de iis qui ſunt ſub lege*].

32. *ὑβρισθήσεται, illudetur*] Tribonianus in Inſtitutionibus: *Contumelia quæ à contemnendo dicta eſt, quam Græci ὕβριν appellant.*

34. *οὐδὲν τούτων συνῆκαν, nihil horum intellexerunt*] Certâ ſcilicet comprehenſione. Verborum facilis erat intellectus: ſed quomodo ea congruerent cum vaticiniis de Meſſia proditis receptisque ea de re opinionibus, videre non poterant. Itaque credibile eſt interdum in dubitationem adductos an non iſta dicerentur κατ' ἀλληγορίαν [*per aliud innuentem locutionem*] aliquam.

κεκρυμμένον ἀπ' αὐτῶν, absconditum ab eis] Sic ſuprà παρακεκαλυμμένον ἀπ' αὐτῶν [*velatum ante eos*] IX, 45. ἀπέκρυψας ἀπὸ σοφῶν [*abscondiſti à ſapientibus*] X, 21. & infrà XIX, 42. νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου [*nunc autem abscondita ſunt ab oculis tuis*]. Sic ἀπεκρύβησαν ἀπό σου [*absconderunt à te*], Pſalm. LXIX, 5. Hebraïcum loquendi genus quod exſtat & Levit. IV, 13. V, 3. Num. V, 13. Iob. XXVIII, 21. I Reg. X, 3. & alibi.

35. *ἐγγίζειν, cum appropinquaret*] Vide quæ ad Matthæum.

39. *Καὶ οἱ προάγοντες, & qui præibant*] Interpretatur Syrus de turba quæ Ieſum præcedebat: ita Matth. XXI, 9. οἱ δὲ ὄχλοι οἱ προάγοντες καὶ οἱ ἀκολουθοῦντες [*turbæ autem quæ præcedebant & quæ ſequebantur*], ubi Marcus, καὶ οἱ προάγοντες καὶ ἀκολουθοῦντες [*& qui præcedebant & qui ſequebantur*].

43. *αἶνον, laudem*] הוד [*magnificentiam*], ut videre eſt Pſalm. VIII, 2. & Eſdræ III, 11.

CAPVT XIX.

1. Διήρχετο τὴν Ἱεριχώ. *Perambulabat Iericho*] Videtur temporis nexu cohærere cum hiſtoria ſuperiore. Nam Hierichus ſita erat inter Galilæam & Hieroſolyma. & quæ ſequuntur iter illu continuant.

3. *τίς ἐστι, quis eſſet*] Famâ notum vultu noſce cupiebat.

4. *προδραμὼν ἔμπροσθεν, præcurrens*] Loquend genu

genus ſimile ei quod ſuprà I, 17. προελεύσεται ἐνώπιον αὐτοῦ [*præcedet ante illum*].

συκομωραίαν· *ſycomorum arborem*] Συκόμορον· ἔνιοι δὲ καὶ τοῦτο συκάμινον λέγουσιν [*Sycomorum: quidam verò & hanc ſycaminum appellant*] inquit Dioſcorides. Et ſanè non uno in loco ubi LXX habent συκαμίνους [*ſycaminos*] alii Interpretes Græci maluerunt ponere συκομόρους [*ſycomoros*]. Syrus לתתה פביהתא quod vertunt *ficum ſylveſtrem*, cùm tamen omnes Magiſtri Hebræorum, ut & Arabs תות *morum* interpretentur. Nomen Græcum indicare videtur ita ſimilem moro eſſe hanc arborem, ut *ficum* aliquatenus referat. Arabs habet hîc peculiare nomen arboris حميز, id eſt, *Giumus*, quomodò hanc arborem in Africæ deſcriptione libro IX vocat Leo, ficuique ſimilem dicit fructûs ſapore, ut qui non inter folia ſed in ipſo arboris trunco naſcatur; eſſe autem magnæ proceritatis: unde apparet cur inde deſpectum quæſierit Zacchæus. Celſus de re medica lib. III, c. XVIII. *Arboris in Ægypto naſcentis quam ibi moroſycon appellant.*

ἵνα ἴδῃ αὐτόν. *ut videret eum*] Veræ pietatis affectu, quod Chriſtus vidit qui τὸν λίνον τυφόμενον οὐκ ἔσβεσε [*linum fumigans non extinxit*]. Bene Scriptor Sapientiæ, Σοφία φθάνει τοὺς ἐπιθυμοῦντας προγνωσθῆναι [*Sapientia antevertit eos qui cupiunt præcognoſci*].

5. ἀναβλέψας, *ſuſpiciens*] Bene hoc loco, ut & Matth. XIV, 19. vertitur *ſuſpiciens*.

ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι. *in domo tua oportet me manere*] Nulli unquam condixit Chriſtus non vocatus, niſi ei qui præ verecundia vocare non audebat.

8. Σταθεὶς δὲ, *ſtans autem*] Adſtans docenti ante vel poſt prandium.

εἴ τινός τι ἐσυκοφάντησα, *ſi quid aliquem defraudavi*] עשקתי [*fraudavi*]. Vide ſuprà III, 14.

δίδωμι, *do*] Quaſi dicat, *Ita me movent tua præcepta, ut jam nunc me dedam operibus tum juſtitiæ, tum etiam beneficentiæ*, quorum utrumque factis in animo ſibi propoſitis declarat. Hanc expoſitionem exigere videtur id quod ſequitur σήμερον [*quotidianum*]. Erat jam ante præparatus aliquantum ad pœnitentiam animus Zacchæi, ſed nondum ejus præcepta plenè hauſerat: Hoc illi reſtabat, paratò facere quod faciendum doceretur. Atque hoc modo palam apparuit quàm rectè hunc hoſpitem Chriſtus legiſſet.

τετραπλοῦν. *quadruplum*] Imitatione ejus quod erat in Lege. Nam qui pecudem, extra bovem, ſurripuiſſet pendebat quadruplum Exodi XXII, I. Vnde originem ſumſiſſe videtur lex Attica & porrò Romana: imitatione dico, non ex Lege ipſa. Nam primum Lex non obſtringebat niſi in judicium adductos: erat enim hæc velut pœna infitiationis: alioqui ſi quis ante judicium facti pœnitudine duceretur, is culpâ abſolvebatur, reſtituens ſimplum & quintam ſimpli, quæ videtur ſucceſſiſſe in locum incertæ æſtimationis damni furtum conſequentis. Num. V, 7. Deinde pœna quadrupli locum non habet niſi poſt alienationem rei ſurreptæ: alioqui reus duplum ſolvens liberabatur Exod. XXII, 4. Diſcimus ab exemplo quid faciendum ſit iis quos peccatorum pœnitet. Primùm enim quatenus fieri poteſt, reſarcienda ſunt damna aliis per vim aut dolum illata, quod ipſa natura dictat: neque enim peccare deſiſtit qui alienum retinet. *Contra naturam eſt*, inquiunt Iuriſconſulti, *locupletari aliquem cum aliena injuria*. Præterea verò, ſi non neceſſarium, admodùm tamen utile eſt, ut qui peccavit Iudicis in ſe perſonam aſſumens ipſe ſibi aliquid indicat pœnæ nomine, quo teſtetur quantoperè ſibi peccatum diſpliceat: Εἰ ἑαυτοὺς διεκρίνομεν, οὐκ ἂν ἐκρινόμεθα [*Quod ſi nosmetipſos dijudicaremus, non utique judicaremur*] inquit Paulus I Cor. XI, 31. Hoc inter illa eſt de quibus nulla exſtat lex definita, ſed quæ potentior omni lege Spiritus dictat.

πρὸς αὐτὸν, *ad eum*] Non illum alloquens, ſed de illo loquens. Tale eſt illud ab aliis annotatum Rom. X, 21. πρὸς δὲ τὸν Ἰσραὴλ λέγει [*ad Iſraël autem dicit*]. Et Pſalmo III, 2. πολλοὶ λέγουσι τῇ ψυχῇ μου· οὐκ ἔστι σωτηρία αὐτῷ ἐν τῷ Θεῷ αὐτοῦ [*multi dicunt animæ meæ: non eſt ſalus ipſi in Deo ejus*]. Et infrà XX, 41. εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς [*dixit autem ad illos*], ut ibi dicemus.

9. τῷ οἴκῳ τούτῳ, *domui huic*] Synecdoche. *Domus* enim pro *patrefamilias* dicitur: ita ſuprà X, 5. Εἰς ἣν δ' ἂν οἰκίαν εἰσέρχησθε, πρῶτον λέγετε, Εἰρήνη τῷ οἴκῳ τούτῳ. Καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἐκεῖ ὁ υἱὸς εἰρήνης, ἐπαναπαύσεται ἐπ' αὐτὸν εἰρήνη ὑμῶν [*in quamcumque domum intraveritis, primum dicite, Pax huic domui, & ſi ibi fuerit filius pacis, requieſcet ſuper illum pax veſtra*]. Domum autem ideo nominaſſe videtur Chriſtus, ut oſtendat relatam hoſpitii gratiam. Dixerat enim Zacchæo Chriſtus, ἐν τῷ οἴκῳ σου δεῖ με μεῖναι [*in domo tua oportet me manere*]. Quare quæ ad hunc locum afferri ſolent de beneficiis Dei in familiam pii patrisfamilias, quanquàm vera ſunt rectè accepta, tamen huc pertinere non arbitror.

καθότι καὶ αὐτὸς υἱὸς Ἀβραάμ ἐστιν. *eò quòd & ipſe filius ſit Abrahæ*]. Probare eorum ſententiam non poſſum qui Zacchæum putant fuiſſe ἀλλόφυλον [*alienigenam*], contra quos ipſum nomen teſtimonium præbet: eſt enim purè Hebræum, ut apparet Eſdræ II, 9. & VII, 14. Deinde non reprehendunt Chriſtum οἱ διαγογγύζοντες [*murmurantes*] quòd apud incircumciſum epuletur, ſed quòd apud ἁμαρτωλὸν [*peccatorem*], id eſt, *Iudæum quidem, ſed viventem* ἀνόμως [*præter Legem*]. Nec movere nos debet quod ἀρχιτελώνης [*princeps Publicanorum*] fuiſſe dicitur quem Hebræi vocant ריש גבאי [*primarium vectigalium exactorem*]. Nam Iudæis non interdicebatur publica conducere, præſertim ſi qui eorum erant donati Romanâ civitate, quales aliquammultos fuiſſe credibile eſt. Ioſephus libro de bello Iudaïco II, etiam Iudæos quosdam in Iudæa Equites Romanos fuiſſe nos docet: Ὃ γὰρ μηδεὶς πρότερον τότε Φλῶρος ἐτόλμησεν, ἄνδρας ἱππικοῦ τάγματος μαστιγῶσαι πρὸ τοῦ βήματος καὶ σταυρῷ προσηλῶσαι, ὧν εἰ καὶ τὸ γένος Ἰουδαίων, ἀλλὰ γοῦν τὸ ἀξίωμα Ῥωμαϊκὸν ἦν [*Quod enim nemo unquam priùs, tunc Florus auſus eſt, ut viros ſcilicet equeſtris ordinis pro tribunali flagellis cæderet, ac patibulis affigeret, quorum etſi origo Iudæa tamen Romana dignitas erat*]. Ab Equitibus autem conduci vectigalia ſolebant. Denique illud ipſum, quod de quadruplo habuimus ad Moſem reſpicit, ut diximus. Senſus ergo horum verborum hic mihi eſſe videtur: Homo iſte, quamvis antehac ob vitam impuram indignus qui Abrahami nepos diceretur, jam per pœnitentiam jus dignitatis priſtinæ recuperavit, natalibus quaſi redditus apud Deum, ac proinde non minùs nepos Abrahami cenſendus in poſterum quàm qui optimo jure: ſecundum illud dictum, *Sanatibus idem jus quod Fortibus eſto.* Vide Ezech. XVIII. Ruffinus ad ſymbolum, *Si animus in me, qui criminoſus effectus eſt, & in quo origo fuit vitii, corrigatur, cur tibi non videar poſſe innocens effici, qui priùs fueram criminoſus?* Atque ita optime cohærebit quod ſequitur, ἦλθε γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ζητῆσαι καὶ σῶσαι τὸ ἀπολωλὸς [*venit Filius hominis quærere & ſalvum facere quod perierat*], id eſt, τὰ πρόβατα ἀπολωλότα οἴκου Ισραὴλ [*oves perditas de domo Iſraëlis*], ut eſt apud Matth. X, 6. Tenendum interim, quod ſuprà quoque diximus, *in illis peccatoribus, qui extraneis æquabantur, extraneorum fuiſſe imaginem.* Vocem καθότι [*eò quòd*] pro ὅτι [*quia*] ſolus horum Scriptorum Lucas uſurpat, nec hîc tantùm ſed & ſuprà I, 7. Actor. II, 24. Alibi pro καθ' ὅσον [*prout*] ponitur, ut Actor. II, 24. IV, 35.

11. Ἀκουόντων δὲ αὐτῶν ταῦτα, *Hæc illis audientibus*] Hoc nimirùm, quod poſtremum Ieſus dixerat, *veniſſe ſe ut ſalutem afferret Abrahami poſteris*: unde ſpem concipiebant Apoſtoli, futurum ut Chriſtus hoc itinere Hieroſolyma verſùs iniret profeſſionem Regni tum ſibi glorioſam, tum populo ſalutarem. At Chriſtus futura ut ſolet tectè indicans ſignificat Regnum quidem ſibi deberi, nec in Iudæos tantùm, ſed & in gentes alias, quod de Meſſia erat prædictum, ſed ante plenam ejus Regni felicitatem multos labores ipſis ſubeundos: præcipuè verò Iudæorum magnam fore adverſùs hoc Regnum contumaciam.

ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἀναφαίνεσθαι, *Regnum Dei manifeſtaretur*] Quæ & βασιλεία τοῦ Ισραὴλ [*Regnum Iſraëlis*] vocatur Actor. I, 6. λύτρωσις τοῦ Ισραὴλ [*redemtio Iſraëlis*] alibi. Hànc ex Davide & aliis Prophetis ut propinquam exſpectabant.

12. εὐγενὴς, *nobilis*] Cui Regnum in cives ſuos ipſo natalium jure debebatur εἰς τὰ ἴδια ἦλθε [*in propria venit*] Iohann. I, 11.

13. δέκα μνᾶς, *decem mnas*] Æqualibus portionibus. Ita neceſſaria ad ſalutem cognitio & remiſſio peccatorum æqualiter Chriſtianis datur. Vide ad Matthæum.

πραγματεύσασθε, *negotiamini*] Ἐργάζεσθε ἐν αὐτοῖς [*operamini in illis*] ut Matthæus loquitur. *Collocate pecuniam*: ita enim loquuntur Iuris Auctores.

14. Οἱ πολῖται αὐτοῦ, *cives ejus*] Οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον [*Sui eum non receperunt*] Iohann. I, 11. Πολῖται [*cives*] hîc, ut apud Platonem, Iſocratem atque alios, ſunt οἱ συμπολῖται [*concives*]. Ita & Cicero dicit *cives tui*, id eſt, *qui ejuſdem tecum ſunt civitatis.*

Οὐ θέλομεν, *Nolumus*] *Stat pro ratione voluntas.*

16. ἡ μνᾶ σου προσειργάσατο, *mna tua acquiſivit*] Modeſtè lucrum acceptum fert herili pecuniæ, non induſtriæ ſuæ. Talis ſervus iſte qui dicit περισσότερον πάντων ἐκοπίασα· οὐκ ἐγὼ, ἀλλὰ ἡ χάρις τοῦ Θεοῦ ἡ σὺν ἐμοί [*abundantiùs omnibus laboravi: non ego autem, ſed gratia Dei mecum*]. Hoc eſt quod dici ſolet, *Deum in nobis ſua dona coronare.*

17. ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω δέκα πόλεων, *poteſtatem habens ſuper decem civitates*] Præfectura hîc non laboris ſed honoris habet ſignificationem. Sic Apocal. II, 27.

18. ἐποίησε, *fecit*] *Peperit.* Sicut καρποὺς ποιεῖν [*fructus facere*] arbor dicitur Matth. III, 10. VII, 17, 18. Matthæi Interpres de ipſo homine dixit ἐποίησεν ἄλλα πέντε τάλαντα [*fecit alia quinque talenta*].

19. γίνου ἐπάνω, *eſto ſuper*] Repete ex ſuperioribus ἐξουσίαν ἔχων [*poteſtatem habens*] ut ſenſus ſit Γίνου ἐξουσίαν ἔχων ἐπάνω [*Eſto poteſtatem habens ſuper*].

20. ἐν σουδαρίῳ. *in ſudario*] Vocem hanc Latinam Lucas & hîc & alibi uſurpat, ſed & Iohannes, ſenſu nonnihil producto extra originem, ut *linteum quodvis* ſignificet; ut ampliùs dicemus ad Iohann. XI, 44. quod videns Syrus vertit hic ܣܘܕܪܐ [*linteum*] non malè. Arabs alteram vocem ex Latino ſermone in Arabicam derivatam hîc poſuit منديل *mantile.*

22. Ἐκ τοῦ στόματός σου κρινῶ σε, *De ore tuo te judico*] Proverbiale Matth. XII, 37. ἐκ τῶν λόγων καταδικασθήσῃ [*ex verbis tuis juſtificaberis*]; Iob. XV, 6. ἐλέγξαι σε τὸ σὸν στόμα [*condemnabit te os tuum*]. Senſus eſt, *Arripio quod dicis.*

23. ἐπὶ τὴν τράπεζαν, *ad menſam*] Nam τραπεζῖται, οἱ ἐπικαθήμενοι τραπέζῃ [*nummularii qui aſſidebant menſæ*] ut rectè Pollux: τοῖς τραπεζίταις [*nummulariis*] interpretamentum eſt.

ἐγὼ σὺν τόκῳ ἂν ἔπραξα αὐτὸ; *cum uſuris utique ego exegiſſem illud*]? Rectiùs in manuſcripto illo in Anglia, σὺν τόκῳ ἂν αὐτὸ ἀνέπραξα [*cum uſura utique illud exegiſſem*].

24. Καὶ τοῖς παρεστῶσιν, *& adſtantibus*] *Miniſtris ſuis.* Vide quæ ſuprà I, 19.

δότε τῷ τὰς δέκα μνᾶς ἔχοντι. *date illi qui decem mna habet*]. Vide ad Matthæum.

26. Λέγω γὰρ ὑμῖν, *dico enim vobis*] Non puto aliter habuiſſe Græcos codices quibus uſi Syrus & Arabs, ſed ſupplendi ſenſûs cauſâ addiderunt, *Et dixit illis*, Rex ille ſcilicet. Planè ſicut LXX in ſimili loco II Reg. X, 15. addiderunt καὶ εἶπεν Ἰηοῦ [*& ait Iehu*]. Solent autem Græci quoque, & Latini, ubi verba ultro citroque mutantur perſonarum nomina interdum ſubticere, quæ ex ipſa pronuntiatione ſatis intelligi poſſunt. Sed & illud addendum, γὰρ [*enim*] hôc loco eſſe αἰτιολογικὸν τοῦ σιωπωμένου [*redditivum cauſæ ejus quod ſubintelligitur*]; qualia alibi ſæpe. Perinde enim eſt quaſi dicat dominus, *Quamvis ille decem minas habeat, tamen illi addendum eſt. Nam id æquum eſt ut habe & utenti amplius detur.* De re vide ad Matthæum non uno loco.

27. πλὴν, *veruntamen*] Explica ut ad Matthæum.

28. ἐπορεύετο ἔμπροσθεν, *præcedebat illos*] *Ducis in rem ante turbam gradiebatur.* Hæc vera interpretati Nam Marcus habet ἦν προάγων αὐτοὺς [*præcede illos*] X, 32.

29. ὡς ἤγγισεν εἰς Βηθφαγὴ καὶ Βηθανίαν, *cum app pi*

pinquaſſet ad Bethphage & Bethaniam] Id eſt, *cùm circa ea loca eſſet.* Nam Bethaniam tranſierat. Vide quæ dicta ad Matthæum xx, 30. & xxi, 1.

37. πρὸς τῇ καταβάσει τοῦ ὄρους, *ad deſcenſum montis*] Vbi jam ante oculos erat urbs Regia.

πλῆθος τῶν μαθητῶν, *turbæ diſcipulorum*] Qui ſcilicet miraculis excitati è Galilæa Chriſtum ſequebantur.

38. εἰρήνη ἐν οὐρανῷ, *pax in cælo*] *Proſperitas Regis Meſsiæ Regnique ejus in cælo procuretur.* Hæc, ni fallor, ſimpliciſſima expoſitio.

39. ἀπὸ τοῦ ὄχλου, *de turbis*] *Turbæ permixti*, ut fermè ſolebant, inſidiandi cauſâ.

40. οἱ λίθοι κεκράξονται. *lapides clamabunt*] Proverbiale loquendi genus quo ſignificatur eſſe τῶν ἀδυνάτων [*impoſsibile*] ut non agnoſcatur ab aliquibus Chriſti Regnum, cùm Deus id abſolutiſſimo decreto conſtituiſſet: priùs proinde lapides mutaturus in homines (ut Matth. III, 9. dicitur) quàm id decretum irritum fieri pateretur.

41. ἔκλαυσεν ἐπ' αὐτῇ, *flevit ſuper illam*] Agnoſcunt hoc comma Latinus, Syrus, Arabs. At Epiphanius teſtatur ſuo tempore non exſtitiſſe in publicè receptis exemplaribus. Verba ejus ἐν Ἀγκυρωτῷ [*in Anchorato*] digna ſunt quæ notentur vel ob hoc ut videamus quantum ſibi Eccleſiarum Præpoſiti permiſerint. Ἀλλὰ καὶ Ἔκλαυσε κεῖται ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν εὐαγγελίῳ ἐν τοῖς ἀδιορθώτοις ἀντιγράφοις (ita vocat exemplaria quæ manum criticam paſſa non erant) καὶ κέχρηται τῇ μαρτυρίᾳ ὁ ἅγιος Εἰρηναῖος ἐν τῷ κατὰ αἱρέσεων πρὸς τοὺς δοκήσει τὸν Χριστὸν πεφηνέναι λέγοντας [*Eſt autem iſtud* flevit *in Lucæ Euangelio in iis exemplaribus quæ poſteà correcta non ſunt: atque utitur hôc teſtimonio Beatus Irenæus in tractatu contra hereſes quô eos confutet, qui Chriſtum ſpecie tantùm volunt apparuiſſe*]. Locum hunc in ea quam Epiphanius dicit diſputatione non invenio, ubi congerit Irenæus ea loca quibus Gnoſtici abutebantur, non verbo tenus ſed ſenſu expreſſo, Ἔτι, inquit, ἐν τῷ προσχόντα αὐτὸν τῇ Ἱερουσαλὴμ δακρῦσαι ἐπ' αὐτὴν καὶ εἰπεῖν, εἰ ἔγνως καὶ σὺ σήμερον τὰ πρὸς εἰρήνην· ἐκρύβη δὲ ἀπὸ σοῦ [*Porro dum effundit lacrymas ſuper Ieruſalem dicitque: ſi cognoviſſes & tu hodie quæ ad pacem pertinent; abſcondita autem ſunt coram te*]. Cùm tamen non de verbis, ſed de verborum interpretatione Gnoſticis controverſiam moveat, apertum eſt eo tempore de hac lectione non dubitatum. Mutarunt homines temerarii & delicati quibus flere Chriſto indignum videbatur: at parùm profecerunt hâc inſigni audaciâ, cùm apud Iohannem exſtet ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς [*lacrymavit Ieſus*]. Cauſa mali præconceptæ quædam opiniones ex humanæ ſapientiæ ſcitis. Stoïcorum erat illud, *Sapiens neminis miſeretur*: tollit enim ea Secta affectus de humana natura. Peripatetici paulò ſapientiùs moderandos affectus cenſebant, & in vitio eſſe quicquid nimium eſt. At ſi rem ipſam & Divinam voluntatem in Sacris Literis revelatam libet audire, inveniemus Stoïcorum quidem ſententiam planè rejiciendam, Peripateticorum autem corrigendam nonnihil. Nam, ut Lactantius libro Inſtitutionum ſexto perſpicuè ſatis oſtendit, affectus neque evellendi ſunt cum Stoïcis; id enim eſt vim inferre naturæ & hominem ad immobilem mentis ſtuporem pertrahere: neque ſemper temperandi, ſed in veram viam dirigendi. Eſt enim ubi vel punctum gaudere vitioſum ſit; eſt ubi vel exultare lætitiâ maximè criminoſum. Quare aſſignandæ commotiones illæ ſuis rebus, ſuis temporibus, ſuis locis. Ob ea quæ ad honorem Dei vel æternam proximi ſalutem pertinent, non poteſt nimium gauderi, neque nimius unquam dolor eſt qui ex contrariis naſcitur. Qui viâ aberrat licet leniter eat, in confragoſa aut præcipitia impinget; qui viam tenet licet concitatiùs iverit, non offendet. Quæ multis exemplis explicata apud Lactantium videre eſt. neque ille primus hanc philoſophandi rationem iniit: nam & Tertullianus libro de Anima ſimilia dicit, *Proinde cùm Plato ſoli Deo ſegregans rationale, duo genera ſubdividit ex irrationali*, indignativum *quod appellant* θυμικὸν, *&* concupiſcentivum *quod vocant* ἐπιθυμητικὸν, *ut quidem illud commune ſit nobis & leonibus, iſtud verò cum muſcis, rationale porrò cum Deo: video & de hoc mihi eſſe retractandum, propter ea quæ in Chriſto deprehenduntur. Ecce enim tota hæc trinitas & in Domino: & rationale, quo docet quæ diſſerit, quo ſalutis vias ſternit: & indignativum, quo invehitur in Scribas & Phariſæos: & concupiſcentivum, quo Paſcha cum diſcipulis ſuis edere concupiſcit. Igitur apud nos non ſemper ex irrationali cenſenda ſunt indignativum & concupiſcentivum, quæ certi ſumus in Domino rationabiliter decucurriſſe.* Mox, *Dat & Apoſtolus nobis concupiſcentiam, Si quis Epiſcopatum concupiſcit bonum opus concupiſcit; ſed bonum opus dicens rationalem concupiſcentiam oſtendit. Concedit & indignationem: quid ni, quam & ipſe ſuſcepit? Vtinam & præcidantur*, inquit, *qui vos ſubvertunt. Rationalis eſt indignatio quæ ex affectu diſciplinæ eſt.* & quæ ſequuntur. In quibus tamen omnibus, ſi quis rectè attendat, verbo magis à Platone videtur abire quàm re ipſa. Nam ipſe ἄλογον [*irrationale*] ſumit ἐναντίως [*contrariè*], cùm Plato ſumat ἀποφατικῶς [*negativè*] ad indicandam eam vim animi quæ non per ſe ratione utitur, ſed rationali parti aut obtemperare poteſt aut rebellare. Putet fortè aliquis aliter de affectibus ſenſiſſe magnum in Chriſtianiſmo Philoſophum Clementem Alexandrinum, cujus hæc ſunt verba Stromation II, Ὁ μὲν οὖν ἁπλοῦς λόγος τῆς καθ' ἡμᾶς φιλοσοφίας, τὰ πάθη πάντα ἐναπερείσματα τῆς ψυχῆς φησὶν εἶναι τῆς μαλθακῆς καὶ εἰκούσης, οἷον ἐναποσφραγίσματα τῶν πνευματικῶν δυνάμεων πρὸς ἃς ἡ πάλη ἡμῖν [*Noſtræ autem Philoſophiæ hæc eſt ratio, quæ ſimpliciſsima eſt, Affectus non niſi in molli anima inveniri, atque ea quæ illecebris reſiſtere aut non poſsit aut non audeat. quos quidem affectus ſpirituales illæ poteſtates cum quibus dimicandum nobis eſt, omnibus quaſi impreſſerint*]. Sed res ipſa oſtendit πάθη eo loco ab ipſo dici non *affectus quoſvis*, ſed *affectuum morbos*: quomodò multi Græcorum utuntur eâ voce, quod & Hieronymo eſt notatum. Eòdem pertinet & ille Tertulliani locus planè Clementino illi conſentiens, *Irrationale autem poſterius intelligendum eſt, ut quod acciderit ex ſerpentis inſtinctu ipſum illud tranſgreſſionis admiſſum, atque exinde inoleverit & conoleverit in anima adinſtar jam naturalitatis, quia totum in naturæ primordio accidit.* Quòd ſi affectus per ſe aut etiam affectuum ubertas

honeſtis in rebus occupata nihil habet vitii, certè nec eorum affectuum ſigna in quibus eſt *fletus*. Benè apud Ciceronem Lælius, *Neque enim ſunt iſti audiendi qui virtutem duram & quaſi ferream eſſe volunt: quæ quidem eſt cùm in multis rebus tum in amicitia tenerà atque tractabilis, ut & bonis amici quaſi diffundantur & incommodis contrahantur.*

42. Λέγων, Οτι, *Dicens, Quia*] Illud ὅτι [*quia*] rurſum eſt ἀπολογικὸν τοῦ σιωπωμένου [*ratio ejus quod ſubticetur*], oſtendit enim reddi à Chriſto cauſam *fletûs*.

εἰ ἔγνως, *ſi cognoviſſes*] Εἰ hîc eſt *utinam*, ut diximus ſuprà XII, 49. ubi oſtendimus etiam cum indicativo & ſine vocula ἂν eo ſenſu uſurpari.

καὶ σὺ, *& tu*] Vel tu urbs illa ſuprà omnes terræ urbes Deo dilecta, urbs Davidis, urbs regia, urbs ſacris dicata.

καίγε ἐν τῇ ἡμέρᾳ σου ταύτῃ, *& quidem in hac die tua*] Si non hactenus nunc ſaltem cùm illa dies illuxit, de qua dictum eſt: *Dicite filiæ Sionis*, Zach. IX, 9. Matth. XXI, 4, 5. Et, *Illuminare Ieruſalem*, Interpretibus LXX Eſaiæ LX, 1. Simile loquendi genus,

Fuſique per herbam,
Hic meus eſt, dixere, dies.

Reſpicitur autem hîc potiſſimum locus Danielis IX, 27.

τὰ πρὸς εἰρήνην σου, *quæ ad pacem tibi*] *Vtinam*, inquit, *conſiderares quomodo oportet* (id enim eſt ἔγνως [*cognoviſſes*]) *ea quæ ad tuam incolumitatem pertinent*. Imitatur filius paternum ſermonem, Deut. XXXII, 29.

νῦν δὲ ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου. *nunc autem abscondita ſunt ab oculis tuis*] *Ignorantiâ inexcuſabili, quia lucem oblatam, imo ingeſtam faſtidioſè reſpuis.* De loquendi genere dictum eſt capite antecedenti.

43. Οτι, *quia*] Pergit Chriſtus reddere *fletûs* cauſam.

ἥξουσιν ἡμέραι ἐπί σε, καὶ, *venient dies in te, &*] *Veniet tempus cùm obſideberis*. eſt enim Hebraïſmus de quo alibi.

περιβαλοῦσιν οἱ ἐχθροί σου χάρακά σοι, *circumdabunt te inimici tui vallo*] Facturos hoſtes dicit quod Deus apud Eſaiam de Aſſyriaco obſidio loquens ſe facturum dixerat Eſaiæ XXIX, 3. חניתי כדור עליך [*circumdabo quaſi ſphæram in circuitu tuo*]. Eventum vaticinii vide apud Ioſephum cujus verba ſunt de Tito: ἐκέλευσε περιβάλλεσθαι στρατόπεδον [*juſſit circumdari exercitum*]. Sicut & Lucas infrà XXI, 20. ὅταν ἴδητε κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων τὴν Ἱερουσαλήμ [*cum videritis circumdari ab exercitu Ieruſalem*]. planè idem eſt. Nam quod Polybius χάρακα dixerat, Cicero *Caſtra* tranſtulit. Tacitus de Tito, *Caſtris ante mœnia Hieroſolymorum poſitis.*

περικυκλώσουσί σε, *circumdabunt te*] Apud Eſaiam וצרתי עליך מצב [*& faciam contra te aggerem*]: Ioſephus, Πρὸς δὲ τοὺς ἐκτρέχοντας ἔστησεν ἐπιλέξας ἱππέων τε καὶ πεζῶν ὅσους ἀρκέσειν ὑπελάμβανε [*Excurſoribus oppoſuit equitum peditumque, quot ſufficere videbantur*].

καὶ συνέξουσί σε πάντοθεν. *& coanguſtabunt te undique*] Hoc reſpondet iſtis apud Eſaiam, והקימתי עליך מצרת [*& munimenta ponam in obſidionem tuam*]. Huc illud Ioſephi refero, Ἅμα τε συντάγμασι δῃοῦν τὰ πρὸ τῆς πόλεως ἠφίει, καὶ συμφέροντας ἐκέλευσε τὴν ὕλην ἐγείρειν χώματα [*Simul quæ erant ante urbem vaſtare ac populari ſivit exercitum, & fieri aggerem congeſtâ materiâ juſſit*]. & quæ ſequuntur.

44. ἐδαφιοῦσί σε, *ad terram proſternent te*] Apud Eſaiam, מעפר אמרתך תצפצף [*de humo eloquium tuum muſſitabit*]. ubi LXX, πρὸς τὸ ἔδαφος ἡ φωνή σου ἀσθενήσει [*ad fundamentum vox tua infirmabitur*]. Hoc eſt quod Ioſephus dicit, Vrbem πρόῤῥιζον ἐκ βάθρων ἀνήρπασε [*radicitus ex fundamentis evellere*]; & quæ alia eam in rem citavimus ad caput Matthæi XXIV.

καὶ τὰ τέκνα σου ἐν σοί. *& filios tuos qui in te ſunt*] Σύλληψις [*comprehenſio*]. paulo enim aliter τὸ ἐδαφίζεσθαι [*ad terram proſterni*] de urbe dicitur *quæ ſolo æquatur*, aliter de hominibus qui *ſolo alliduntur*, Pſalm. CXXXVII, 9. quo in loco, ut & Eſaiæ III, 25. Ezech. XXXI, 12. Oſeæ X, 14. varias voces Hebræas pari ſignificatu de hominibus uſurpatas vertunt Græci per ἐδαφίζειν [*ad terram proſternere*]. De ſtrage iſta vide Ioſephum.

καὶ οὐκ ἀφήσουσιν ἐν σοὶ λίθον ἐπὶ λίθῳ. *& non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*]. Mos loquendi proverbialis καὶ ὑπερβολικῶς [*& per ſuperjectionem dictus*], ſed quo ſumma vaſtatio intelligitur: de qua ad Matthæum vide.

ἀνθ᾽ ὧν, *eò quòd*] Cauſam excidii reddit Chriſtus, neglectum tempus ἐπισκοπῆς, פקדה [*viſitationis*], id eſt, *oblatæ ſalutis*: quo docemur nondum tunc irrevocabiliter, id eſt, citra ullam conditionem, decretam fuiſſe horrendam illam urbis ruinam atque hominum internecionem, quod ſuo tempore, impletâ ſcilicet peccatorum menſurâ, factum verè agnoſcit Ioſephus & multis conſpicuis argumentis probat. Vide quæ ad Matth. XXIV, 16. Επισκοπὴ [*viſitatio*] vox eſt media quæ modò ad pœnas, modò ad beneficia pertinet, ut Geneſ. L, 24, 25. Exodi III, 16. XIII, 19. & alibi ſæpe.

47. καθ᾽ ἡμέραν, *quotidie*] Idem loquendi genus Matth. XXVI, 55. & ſuprà XI, 3. & XVI, 19. unde ſatis apparet non eſſe poſitum pro *interdiu* ſed pro *quotidie*, quomodò & veteres Interpretes acceperunt.

Οἱ πρῶτοι τοῦ λαοῦ, *Principes plebis*] Qui alibi οἱ ἄρχοντες [*Primores*], & capite ſequenti πρεσβύτεροι [*Presbyteri*], id eſt, *Synedrii magni Senatores*, ut & Syrus accepit: nam Sacerdotes ob dignitatis excellentiam, Legisperiti ob famam eruditionis peculiariter nominantur, ut & alibi obſervavimus. πρεσβύτεροι [*Presbyteri*] autem τοῦ λαοῦ [*populi*] dicuntur, quia erant & alii πρεσβύτεροι τῶν πόλεων [*Principes urbium*], *decuriones* ſive βουλευταὶ [*Senatores*]. Sed de his alibi ſatis actum.

CAPVT XX.

1. Ἐπέστησαν, *convenerunt*] *Apparuerunt*. Vide ad Matthæi caput ultimum.

5. συνελογίσαντο, *cogitabant*] Διελογίζοντο [*cogitabant*] apud Matthæum. Nec aliud puto hac voce συλλογίζεσθαι [*cogitare*] ſignificari. Nam nimis argutum eſt, quod quidam arbitrantur id dici ideo, quòd dilemmate ſint uſi. Plutarchus de

ſare ad Rubiconem, *συλλογιζόμενος τὸ μέγεθος τοῦ τολμήματος*, id eſt, *animo revolvens cœpti magnitudinem.*

6. *καταλιθάσει ἡμᾶς. lapidabit nos*] Metuebant ne in ſe recideret illa immodeſtia cui plebem ipſi aſſuefecerant. Nam cùm inimicos ſuos occidere per publica judicia non poſſent, ſolebant plebem in eos concitare, quod vocabant *judicium zeli*, de quo alibi vide. Ioh. x, 31. Act. xiv, 19.

9. *χρόνους ἱκανοὺς, multis temporibus*] Simile loquendi genus ſupra viii, 27. *ἐκ χρόνων ἱκανῶν à multo tempore.* Alibi dixit ſingulari numero *ἱκανὸν χρόνον* [*multo tempore*] Act. viii, 11. xiv, 3. xxvii, 9.

16. Μὴ γένοιτο. *Abſit*] Vox omen averſantium. חלילה [*propitius*] quod Ioſephus vertit *ἀπείη ἡ πεῖρα τοῦ λόγου* [*abſit dicti experimentum*]. Vide quæ ad Matth. xvi, 22.

17. Τί οὖν; *quid ergo?*] Si nihil tale metuitis, quid igitur vult illud vaticinium de lapide rejecto?

19. *ἔγνωσαν γὰρ, cognoverunt enim*] Optimè cohæret ſuperioribus. Volebant eum occidere, quia metuebant multitudinem turbæ ipſum ſectantis: metuebant autem ideo, quia ſe notatos à Chriſto ſatis intelligebant. Vide quæ ad Matth. xiii.

πρὸς αὐτοὺς, ad ipſos] *De ipſis*: ut & Act. xxviii, 25. Sic Hebr. i, 5. *τίνι εἶπε* [*cui dixit*] refertur etiam ad illud Ἐγὼ ἔσομαι αὐτῷ εἰς πατέρα [*Ego ero illi in patrem*].

20. *παρατηρήσαντες, obſervantes*] Abſolutè ſumitur hæc vox, ut ſupra quoque xiv, 1. Subintelligendum autem ibi, quid factum eſſet; hîc, quid diceret: nam ut id obſervarent ſubmittebant ſuos exploratores.

ἐγκαθέτους, inſidiatores] *Subſeſſores*: quales illi qui *κάθηνται ἐν ὕλαις ἐνεδρεύοντες* [*qui inſidiarum causâ ſedent in ſylvis*]. Reſpondet Hebræo אהלים & ארבים [*inſidiatores ſilveſtres.*]

δικαίους εἶναι. juſtos eſſe] Δικαιοσύνη [*juſtitia*] hîc generali illo ſignificatu ſumitur, ita ut omnia officiorum genera comprehendat, quo ſenſu ſæpe jungitur cum voce *ἅγιος* [*ſanctus*]. Alibi *δίκαιος καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν* [*juſtus & timens Deum*]. Simulabant illi de quibus hîc agitur eſſe ſe, ut dici ſolet, teneræ conſcientiæ, qui proinde de quæſtionibus omnibus ad conſcientiam pertinentibus plenè cuperent edoceri.

ἵνα ἐπιλάβωνται αὐτοῦ λόγου, ut caperent eum in ſermone] Quia vix eſt ut quiſquam tam prudens ſit, cujus non verba poſſint interdum accipere ſiniſtram interpretationem. *ἐπιλαμβάνεσθαι λόγου* [*capere in ſermone*] dictum ut infra *ἐπιλαμβάνεσθαι ῥήματος* [*reprehendere verbum*]. Plato ſimiliter *ἐπελάβοντο προφάσεως* *capiebant prætextum*].

τῇ ἀρχῇ καὶ τῇ ἐξουσίᾳ τοῦ ἡγεμόνος, principatui & poteſtati Præſidis] Cùm de ſacris controverſiæ ad opprimendos innocentes non ſufficiunt, ſolent quædam captari ad rempublicam pertinentia.

22. *φόρον, tributum*] Bene vertit Syrus כסף רישא *argentum capitationis.* neque videtur mihi Lucas hîc deſciviſſe à proprietate vocabuli. Nam *quod pro mercibus ſolvitur* τέλος propriè dicitur, *quod pro agris & capitibus* φόρος, ut docent Græcorum Grammatici & Strabo: quod diſcrimen Paulus ſequitur Rom. xiii, 7.

26. *οὐκ ἴσχυσαν ἐπιλαβέσθαι αὐτοῦ ῥήματος, non potuerunt verbum ejus reprehendere*] Tanta erat in Chriſto ſapientia, ut non res tantùm quas docebat, ſed & modus docendi, & verba ſingula calumniæ occaſionem excluderent.

27. *οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι, qui negant reſurrectionem eſſe*] Similis conſtructio apud Thucydidem, Οὐκ ἀντιλέγω ὡς οὐ πάνυ πονηρὰ βεβαίως τὰ πράγματα εἴη [*Non nego, quò non prorſus malæ res ſient*]. Neque longe abit illud Sophocleum, Κοὐκ ἀπαρνοῦμαι τὸ μὴ [*nullus inficias eo*].

28. *ἄτεκνος, ſine liberis*] Sic עריר vertitur Geneſ. xv, 2. Levit. xx, 20, 21. Vide quæ ad Matth. xxii, 24.

34. Οἱ υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, *filii hujus ſeculi*] Qui vitam hanc mortalem agunt: quibus opponuntur οἱ υἱοὶ τῆς ἀναστάσεως [*filii reſurrectionis*]. Bene Theodoretus, Οὐ διαιροῦμεν εἰς ἄρρεν καὶ θῆλυ τὴν ἀσώματον φύσιν· ταύτης γὰρ δὴ τῆς διαιρέσεως ἐνδεὴς τῶν ὑπὸ τῷ θανάτῳ πιπτόντων ἡ φύσις· ἐπειδὴ γὰρ ἐξανδραποδίζει ταύτην ὁ θάνατος, ὁ γάμος διὰ τῆς παιδοποιίας ἀντεισάγει τὸ δαπανώμενον· οἷον γάρ τινα ἐπισκευαστὴν ἀθανασίαν ὁ ποιητὴς τῷ θνητῷ ζώῳ τὴν παιδοποιίαν ἐμηχανήσατο [*Naturam incorpoream in marem & feminam non dividimus; indigebat enim hac diviſione natura mortalium. Hæc enim cum morti ſubjaceat, nuptiæ id quod perit per liberorum procreationem inſtaurant: procreationem enim liberorum quaſi artificialem quandam immortalitatem mortali animanti largitus eſt Deus*]. Adde illud Athenagoræ: ἄνθρωπος ὡς ἐνδεὴς δεῖται τροφῆς, ὡς θνητὸς διαδοχῆς, ὡς δὲ λογικὸς δίκης [*homo, quà indigâ eſt ac facilè collabente natura, alimento opus habet; quà mortalis, ſucceſſione; quà ratione præditus, juſtitia*].

35. Οἱ δὲ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν καὶ τῆς ἀναστάσεως τῆς ἐκ τῶν νεκρῶν, *Illi verò qui digni habebuntur ſeculo illo & reſurrectione ex mortuis*] Αἰὼν ἐκεῖνος [*ſeculum illud*] eſt עולם הבא [*ſeculum venturum*]; oppoſita enim ſunt οὗτος [*hic*] & ἐκεῖνος [*ille*], ut diximus Matth. xxiv, 36. ubi ἡμέρα ἐκείνη [*ille dies*] eſt ἡ ἡμέρα τῆς ἀναστάσεως [*dies reſurrectionis*]. Eſt autem magna vis in verbo καταξιωθέντες [*qui digni habebuntur*]: Illi enim intelligendi ſunt digni in beatam immortalitatem reſurgere qui hîc ex operibus mortuis reſurrexerunt, quod declaratur & verbis ſequentibus, υἱοί εἰσι τοῦ Θεοῦ [*filii ſunt Dei*]. Hîc filii Dei erant Deum moribus imitando, ibi filii Dei erunt fœlicitatis Divinæ participatione, quatenus eam condita natura recipere poteſt.

ἐκγαμίσκονται. nubent] Manuſcriptus ille antiquus & hîc & paulo poſt ἐκγαμίζονται [*nubent*], quod uſitatius.

36. Οὔτε γὰρ ἀποθανεῖν ἔτι δύνανται. *Neque enim ultra mori poterunt*]. Vide quæ ſupra & quæ ad Matthæum.

ἰσάγγελοι γάρ εἰσι. æquales enim Angelis ſunt] Vox ficta ad ſimilitudinem ἰσοθέου [*æqualis Deo*]. uſurparunt & Pythagorici. Hierocles, Τοὺς οὖν τοῖς θείοις γένεσι συντεταγμένους ἀνθρώπους σέβειν ὁ λόγος παραινεῖ, τοὺς ἰσοδαίμονας καὶ ἰσαγγέλους καὶ τοῖς ἀγαυοῖς ἥρωσιν ὁμοίους [*Homines in divorum genus relatos venerari ratio ſuadet, nempe Diis, angelis, & illuſtribus æquales heroibus*].

Bene autem dixit ἰσαγγέλους [*æquales angelis*], quia Angeli in Sacris literis filii Dei vocantur, ob illam quam diximus Divinæ felicitatis & gloriæ participationem.

τῆς ἀναστάσεως υἱοὶ ὄντες. *cum ſint filii reſurrectionis*] Ac proinde immortales: nam ἀναστάσεως [*reſurrectionis*] nomen hic *vitam æternam ac beatam* ſignificat, ut Heb. xi, 35, & alibi ſæpe.

37. ἐμήνυσεν, *oſtendit*] הגיד quod verti ſolet per ὑποδείκνυσθαι, σημαίνειν, προλέγειν, ἀποκαλύπτειν [*oſtendere, ſignificare, prædicere, revelare*].

ἐπὶ τῆς βάτου, *ſecus rubum*] Brevis locutio, id eſt, *ubi illam de rubo narrat hiſtoriam.* Quomodò & apud Marcum non male accipias.

ὡς λέγει Κύριον, *ſicut dicit Dominum*] Narrando ſcilicet quod Deus dixerat.

38. πάντες γὰρ αὐτῷ ζῶσιν. *omnes enim vivunt ei*] Solutio objectionis tacitæ. Atqui mortui tunc erant. Sane; ſed vivunt quoad Dei potentiam, quæ poteſt mortuos vitæ meliori reddere. Ipſe enim eſt ὁ καλῶν τὰ μὴ ὄντα ὡς ὄντα [*qui vocat ea quæ non ſunt quaſi exiſterent*]. Πάντες [*omnes*] illi, nimirum Abrahamus, Iſaacus, Iacobus & horum ſimiles.

39. καλῶς εἶπας. *bene dixiſti*] Εἶπας, אמרת [*dixiſti*] verbum eſt magiſterii proprium: quaſi dicat, *Optimam ſententiam optimo probaſti argumento.*

41. Εἶπε δὲ πρὸς αὐτοὺς, *Dixit autem ad illos*] Id eſt, *De illis Legisperitis ſcilicet & eorum doctrina agens quæſtionem hanc propoſuit.* Neque enim ipſi aderant: quod oſtendunt & ſequentia commate 46. Vide quæ ſupra xix, 9.

47. προφάσει, *oratione*] Id eſt, εἰς πρόφασιν [*in ſpeciem*], *Vt prætextum aliquem habeant* emungendi homines, longas preces concipit, atque id ſcilicet aliis imputant. Ita accipit hic & Syrus בעלתא [*in obtentu*], & Latinus apud Marcum, ubi quæ notavimus vide.

μακρὰ, *longe*] Ita legendum non μακρᾷ [*longa*]. Vide quæ ad Marcum.

CAPVT XXI.

4. Εἰς τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ, *In munera Dei*] Dubitari non debet quin hæc ſit περίφρασις τοῦ γαζοφυλακίου [*circumſcriptio gazophylacii*] quod συνεκδοχικῶς [*per comprehenſionem*] vocabatur κορβᾶν *aut* κορβανᾶ [*donum*] ex re contenta. Marcus vii, 11. Κορβᾶν, ὅ ἐστι δῶρον [*Corban, quod eſt donum*]. Ioſephus, Κορβᾶν δηλοῖ, ὡς ἂν εἴποι τις ἐκ τῆς Ἑβραίων μεθερμηνευόμενος διαλέκτου, δῶρον Θεοῦ [*Corban ſignificat, quaſi ſi ex Hebræo interpretere, donum Dei*].

5. ἀναθήμασι κεκόσμηται, *donis ornatum eſſet*] Philo de Auguſto, Ὥστε μονονοὺ πανοίκιος ἀναθημάτων πολυτελείαις τὸ ἱερὸν ἡμῶν ἐκόσμησε [*Itaque & ipſe & domeſtici ejus ferè omnes donariorum magnificentia templum noſtrum ornarunt*]. Ioſephus, Τοῦ δὲ ἱεροῦ παντὸς ἦν ἐν κύκλῳ πεπηγμένα σκῦλα βαρβαρικά [*Circa templum undique fixa erant ſpolia Barbarorum*]. Inter ἀναθήματα [*donaria*] templi erat menſa donata à Ptolemæo: ſed maximè eminebat vitis illa aurea, cujus & Tacitus meminit, ab Herode magno donata templo, θαῦμα καὶ τοῦ μεγέθους καὶ τῆς τέχνης τοῖς ἰδοῦσιν [*miraculum ſpectantibus cùm ob magnitudinem tum ob artificium*] ut Ioſephus loquitur. Succeſſerat hæc vitis in locum vitis alterius quæ ab Alexandro Iudæorum Ethnarcha donata templo, ab Ariſtobulo inde ablata & data Pompejo fuerat, qui eam Romæ in Capitolio poſuit, ut idem nos Ioſephus docet. Hoc δημιούργημα [*opificium*] Strabo vocatum dicit τερπωλὴ [*oblectamentum*], ex quo טרפין [*Tarpon*] fecit is qui ſe Gorionis filium vocat: id fuerit Hebraïce עדן [*Eden*], neque enim dubito quin id opus imaginem geſſerit Paradiſi. Strabo ipſe dubitat ἄμπελον [*vineam*] an κῆπον [*hortum*] appellare debeat: Et Ioſephus Paradiſum κῆπον [*hortum*] appellat. At Iudæi per hanc vitem deſignatum ajunt populum Iſraëliticum ex iis quæ legimus Pſal. lxxx, & Eſaiæ v.

6. Ταῦτα ἃ θεωρεῖτε, *Hæc quæ videtis*] Id eſt, τούτων ἃ θεωρεῖτε [*horum quæ videtis*], ut ſæpe in his libris. ſed & Latini ita loquuntur: ut,

Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt.

Item, quod propiùs accedit, apud Plautum:

Hos quos videtis ſtare hic captivos duos
Illi qui aſtant, ii ſtant ambo non ſedent.

Quarè non accedo interrogationis notam interponentibus; frigidè enim dicitur, *Hæcne ſunt quæ videtis?* neque verò Syrus aliter accepit quam nos dicimus. & optima eſt conſtructio, *Horum quæ vos nunc miramini lapis non relinquetur ſupra lapidem.* Apud Matthæum eſt ſenſu eodem οὐ μὴ ἀφεθῇ ὧδε [*non relinquetur ibi*].

8. Ὅτι ἐγώ εἰμι, *Quia ego ſum*] Nempe ὁ Μεσσίας [*Meſsias*], ut ὅτι [*quia*] ſit nota orationis μιμητικῆς [*imitantis*], nam quod alii malunt, *dicentes ſe eſſe is qui ego ſum,* duriùs eſt, ni fallor.

ὁ καιρὸς ἤγγικε. *tempus appropinquavit*] Hoc eſt quod apud Matthæum dicitur, Οὐ μὴ παρέλθῃ ἡ γενεὰ αὕτη ἕως ἂν πάντα ταῦτα γένηται [*Non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fiant*]. Confer quæ ibi diximus.

μὴ οὖν πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. *nolite ergo ire poſt eos*] Ne ſectamini id genus impoſtores.

9. ἀκαταστασίας. *ſeditiones*] Hoc poſuit pro eo quod apud Matthæum eſt ἀκοὰς πολέμων [*opiniones bellorum*], apud Marcum etiam ταραχάς [*perturbationes*]. *Tumultus* rectè verti puto. Prov. xxvi, 28. ubi in Græco eſt ἀκαταστασίας, *ruinas* poſuit Latinus Interpres. Vide quæ ad Matthæum xxiv, 6.

11. κατὰ τόπους, *per loca*] Similis locutio ei quam ſæpe habuimus ἐπὶ χρόνον [*ad tempus*] xviii, 4.

φόβητρά τε καὶ σημεῖα ἀπ' οὐρανοῦ μεγάλα ἔσται, *terroresque & ſigna de cælo magna erunt*] Romphæa ſcilicet de cœlo urbi imminens: Flamma in templo viſa: Fores templi ſpontè apertæ: Currus & armatæ phalanges conſpectæ in nubibus: Vox audita in templo *Migremus*, cùm exeuntium ſono: Fanaticus homo nomen Ieſu ferens per annos quatuor clamans, Αἲ αἲ Ἱεροσολύμοις, αἲ αἲ τῇ πόλει, καὶ τῷ λαῷ, καὶ τῷ ναῷ [*Væ, væ Hieroſolymis, væ, væ urbi & populo & templo*]. Quæ omnia & narrata & explicata apud Ioſephum videre eſt. meminit partis horum prodigiorum etiam Tacitus. Videtur autem Syrus codice uſus qui hoc loco voces aliquot additas haberet.

13. Ἀποβήσεται δὲ ὑμῖν εἰς μαρτύριον. *Continget autem*

tem vobis in teſtimonium] Idem loquendi genus Philip. I, 19. Οἶδα γὰρ ὅτι τοῦτό μοι ἀποβήσεται εἰς σωτηρίαν [*Scio enim quia hoc mihi proveniet ad ſalutem*]. Intellige autem εἰς μαρτύριον τῆς ὑπομονῆς [*in teſtimonium patientiæ*], de qua infrà.

14. Θέσθε οὖν εἰς τὰς καρδίας, *ponite ergo in cordibus*] Alibi dixit, τιθέναι ἐν τῇ καρδίᾳ [*ponere in corde*] ſuprà I, 66. ſimile eſt IX, 44. θέσθε εἰς τὰ ὦτα ὑμῶν [*ponite in auribus veſtris*]; alibi συμβάλλειν ἐν τῇ καρδίᾳ [*ſupputare in corde*], & διατηρεῖν ἐν τῇ καρδίᾳ [*conſervare in corde*], II, 51.

15. στόμα καὶ σοφίαν ᾗ οὐ δυνήσονται ἀντειπεῖν οὔτ' ἀντιστῆναι πάντες οἱ ἀντικείμενοι ὑμῖν. *os & ſapientiam cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes adverſarii veſtri*] Cui nihil contradici poſſit quod veri habeat ſpeciem. Impletum hoc in Stephano de quo ita Lucas Actor. VI, 10. καὶ οὐκ ἴσχυον ἀντιστῆναι τῇ σοφίᾳ καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει [*& non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui quo loquebatur*]. Neque ad hoc opus illis fuit eloquio calamiſtrato.

Ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ.
[*Simplex & infucata veri oratio eſt*].

Bene Tertullianus ad hunc locum: *Quid ſapientius & incontradicibilius confeſſione ſimplici & exſerta in martyris nomine cum Deo invaleſcentis?* Atque hæc plerumque cauſa eſt cur ad verbera & ſuppliciorum ſævitiam confugiant hoſtes veritatis, quia quod ſpecioſè contradicant non inveniunt.

18. θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν οὐ μὴ ἀπόληται. *capillus de capite veſtro non peribit*] Proverbiale loquendi genus, quaſi Latinè dicas, *Ne hilum quidem damni ſenties.* Eſt eadem locutio I Sam. XIV, 45. II Sam. XIV, 11. I Reg. I, 52. & Actor. XXVII, 34. intelligendum autem eſt damnum poſt ſubductas rationes; nam damnum facere ad tempus, maximum interdum eſt lucrum. Simile eſt quod alibi *omnes pili ipſorum numerati apud Deum eſſe* dicuntur Matth. X, 30. quia ſcilicet ſi quid ipſorum ad tempus interire videtur, non tam interit quàm apud Deum deponitur, qui cum fœnore eſt redditurus.

19. κτήσασθε τὰς ψυχὰς, *poſſidebitis animas veſtras*] Κτᾶσθαι & quod Syrus hîc habet קנא puto hîc accipiendum non in *poſſidendi* ſed in *acquirendi* ſignificatu, ut Matth. X, 9. Actor. I, 18. VIII, 20. XXII, 28. & apud LXX ſæpe. Idem eſt κτᾶσθαι ψυχὴν [*poſſidere animam*] quod εὑρίσκειν ψυχὴν [*invenire animam*], Matth. X, 39. XVI, 25. quod Lucas exponit per σώζειν, ζωογονεῖν [*ſalvare, vivificare*] rectè: nam is verè ſemetipſum acquirit, qui quod hîc habet commodatum recipit proprium atque perpetuum. Huic contrarium eſt ζημιοῦσθαι τὴν ψυχὴν [*detrimentum facere animæ ſuæ*] Marci VIII, 36. ἐν ὑπομονῇ [*in patientia*] igitur eſt, tolerando adverſa omnia, etiam mortem ſi opus eſt. nam,

Qui per virtutem perbitat non interit.

Benè ergo accepit hunc locum Tertullianus, liberius ita vertens aut verſum ab alio citans, *Per tolerantiam ſalvos facietis vosmet ipſos.* Apud Matthæum & Marcum ſenſus idem ſic effertur, Ὁ δὲ ὑπομείνας εἰς τέλος οὗτος σωθήσεται [*Qui perſeveraverit in finem hic ſalvus erit*].

20. κυκλουμένην ὑπὸ στρατοπέδων, *circumdari ab exercitu*] Vide ſupra XIX, 43. Adde illud Ioſephi, μετ' ἐκπλήξεως οἱ στασιασταὶ τοὺς Ῥωμαίους ἀφορῶντες στρατοπεδευομένους τριχῇ [*cum conſternatione ſeditioſi Romanos aſpiciebant ternas in partes caſtra metantes*]. Bene ergo στρατοπέδων [*exercitus*] multitudinis numero.

21. ἐν ταῖς χώραις, *in regionibus*] De hac voce diximus ſuprà XII, 16. Contra autem quàm Chriſtus monet fecerunt plerique Hebræorum, ac proinde in urbem velut in naſſam concluſi ſunt.

22. ἡμέραι ἐκδικήσεως αὗταί εἰσι τοῦ πληρωθῆναι πάντα τὰ γεγραμμένα, *dies ultionis hi ſunt ut impleantur omnia quæ ſcripta ſunt*] Ioſephus, Τοῦ δ' ἄρα (τοῦ ναοῦ) κατεψήφιστο μὲν τὸ πῦρ ὁ Θεὸς πάλαι· παρῆν δὲ ἡ εἱμαρμένη χρόνων περιόδοις [*Nimirum ad ignem templum jam pridem condemnarat Deus: erat autem tum tempus illud elapſum, fatumque aderat*].

23. ἀνάγκη, *preſſura*] Ἀνάγκην [*preſſuram*] Græci vocant τὴν βάσανον [*tormentum*]; in eumque ſenſum eam vocem & Ioſephus uſurpat: quo factum, ut quomodo βάσανος [*tormentum*] ad *omnia mala, præſertim graviora*, refertur, ita & ἀνάγκη [*preſſura*] quod multis locis probavit vir eruditiſſimus. Adde ſi placet Tobiæ III, 6. ἐπίταξον ἀπολυθῆναί με τῆς ἀνάγκης [*præcipe ut ex hac anguſtia diſſolvar*]. Baruch VI, 36. ἐν ἀνάγκῃ ἄνθρωπον ὄντα οὐ μὴ ἐξέλωνται [*de neceſſitate hominem non liberabunt*]. Sed & apud Paraphraſtas veteris ac novi Teſtamenti vox ex Græco deſumta אננקי [*ananchi*] eundem ſenſum habet. Chryſoſtomus in II ad Corinthios VI, 4. ἀνάγκας [*neceſſitates*] interpretatur ἄφυκτα κακά [*mala inevitabilia*].

καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ, *& ira populo huic*] Id eſt, *miſeria.* Ita Matthæus III, 7. & ſuprà III, 7. φυγεῖν ἀπὸ τῆς μελλούσης ὀργῆς [*fugere à ventura ira*]. Locus huic noſtro ſimillimus eſt I Mach. I, 67. ἐγένετο ὀργὴ μεγάλη ἐπὶ Ἰσραὴλ σφόδρα [*facta eſt ira valde magna ſuper Iſraël*]; quomodo non malè ſumas & illud I Mach. III, 8. ἀπέστρεψεν ὀργὴν ἀπὸ Ἰσραήλ [*avertit iram ab Iſraël*].

24. πεσοῦνται στόματι μαχαίρας, *cadent in ore gladii*], Τῶν δ' ἀπολομένων κατὰ πᾶσαν τὴν πολιορκίαν μυριάδες ἑκατὸν καὶ δέκα [*periere per univerſam obſidionem myriades centum decem*] inquit Ioſephus: ſubjiciens poſtea, Τότε γε μὴν ὥσπερ εἰς εἱρκτὴν ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης πᾶν συνεκλείσθη τὸ ἔθνος [*Tum quidem quaſi in carcerem univerſa gens à fato concluſa eſt*]; alio loco de interemtis poſt obſidium agens, Ὁ ἀριθμὸς τῶν ἔν τε ταῖς πρὸς τὰ θηρία μάχαις καὶ τῶν καταπιπραμένων ἔν τε ταῖς ἀλληλοκτονίαις ἀναιρουμένων πεντακοσίους ἐπὶ τοῖς δισχιλίοις ὑπερέβαλε [*Qui aut beſtiis objecti aut exuſti, aut mutuis in arena cædibus confecti ſunt, ſuprà bis mille quingentos fuerunt*].

καὶ αἰχμαλωτισθήσονται εἰς πάντα τὰ ἔθνη· *& captivi ducentur in omnes gentes*] Τῶν μὲν οὖν αἰχμαλώτων πάντων, inquit ille, ὅσοι καθ' ὅλον ἐλήφθη τὸν πόλεμον ἀριθμὸς ἐννέα μυριάδες καὶ ἑπτάκις χίλιοι συνήχθη [*Captivorum itaque omnium, qui toto bello capti ſunt, numerus ad nonaginta ſeptem millia fuit*]: illud etiam εἰς πάντα τὰ ἔθνη [*in omnes gentes*] bene explicat idem nobiliſſimus Scriptor, Τῶν δὲ νέων τοὺς ὑψηλοτάτους καὶ καλοὺς ἐπιλέξας ἐτήρει τῷ θριάμβῳ. τοῦ δὲ λοιποῦ πλήθους τοὺς ὑπὲρ ἑπτὰ καὶ δέκα ἔτη δήσας ἔπεμψεν εἰς τὰ κατ' Αἴγυπτον ἔργα. πλείστους δ' εἰς τὰς ἐπαρχίας διεδωρήσατο Τίτος, φθαρησομένους ἐν τοῖς θεάτροις σιδήρῳ καὶ θηρίοις· οἱ δὲ ἐντὸς ἑπτὰ καὶ δέκα ἐτῶν ἐπράθησαν [*Iuvenes, ut formâ quisque & staturâ eminebat maximè, ſelectos ad triumphum ſervavit: reliquæ turbæ eos qui ſeptimum decimum annum exceſſerant, ad opera Ægyptia miſit vinctos. Plurimos prætereà in provincias donavit Titus, qui nimirùm in theatris aut ferro perirent aut à beſtiis conficerentur. Qui intra hanc ætatem fuerunt, divenditi ſunt*]. Rutilius Numantianus,

Atque utinam nunquam Iudæa ſubacta fuiſſet
Pompeji bellis, imperioque Titi:
Latiùs exciſæ peſtis contagia ſerpunt,
Victoresque ſuos natio victa premit.

Huc pertinet & illud Bardeſanis Syri, Ἰουδαῖοι πάντες οἱ διὰ Μωσέως δεξάμενοι νόμον τοὺς γεννωμένους ἄῤῥενας παῖδας ἐν τῇ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ αἱμάσσουσι περιτέμνοντες, οὐκ ἀστέρος παρουσίαν ἀναμένοντες, οὐ κλίματος ἐξουσίαν ἐκτρεπόμενοι, οὐχ ὑπὸ νόμου ἀλλοτρίας χώρας ἀγόμενοι, ἀλλ' εἴτε ἐν Συρίᾳ τυγχάνουσιν, εἴτε ἐν Γαλλίᾳ, εἴτε ἐν Ἰταλίᾳ, εἴτε ἐν Ἑλλάδι, ἢ ἐν Παρθίᾳ ἢ ὅπου ἂν ὦσι, τοῦτο ποιοῦσιν [*Iudæi omnes, quotquot legem Moſaïcam agnoſcunt pueros ſuos mares octavo die circumciſione cruentant, non aſtrorum influxum præſtolantur, non vim climatis reformidant, peregrinæ regionis legibus non utuntur, idque faciunt ſive in Syria, ſive in Gallia, ſive in Italia, ſive in Græcia, ſive in Parthia, ubicunque denique fuerint*].

Ἱερουσαλὴμ ἔσται πατουμένη ὑπὸ ἐθνῶν, *Ieruſalem calcabitur à gentibus*] Πατεῖν eſt *tenere jure victoriæ*. Tale eſt illud,

Barbarus heic cineres inſiſtet viator.

Apocalypſ. XI, 2. Καὶ τὴν πόλιν τὴν ἁγίαν πατήσουσι μῆνας τεσσαράκοντα δύο [*Civitatem Sanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus*]. Alienigenæ illi, quos Hebræi גוים [*gentes*] vocant, ſunt Romani, Saraceni, Franci, Turcæ.

ἄχρι πληρωθῶσι καιροὶ ἐθνῶν. *donec impleantur tempora nationum*] Chryſoſtomus in diſputatione accurata adversùs Iudæos interpretatur de tempore judicii univerſalis: ac proinde negat Iudæos unquam in patriam reſtituendos. Sed & Origenes adversùs Celſum de Iudæis loquens ſcripſerat, Θαῤῥοῦντες δ' ἐροῦμεν ὅτι οὐδὲ ἀποκαταστήσονται [*Confidenter præterea negabimus reſtituendos eos eſſe unquam*]. Et eam ipſam ſententiam tuetur Scriptor Seder Olam. ait enim poſt ſecundam ejectionem è Cananæa populum Iudaïcum nunquam eò rediturum. Alii verò ex iis quæ ſunt apud Eſaiam LXV, LXVI. Ierem. XVI, & XXXI. Ezech. XX, XXVII, XXVIII. & Oſeam III, 3, 4, 5. aliter exiſtimant, Iudæos ſcilicet cùm Ieſum Meſſiam agnoverint recuperaturos ea bona quæ Deus ipſorum parentibus ſempiterno, ſed conditionem continente, fœdere promiſit. Vide Moſis verba Levitici XXVI in fine, & Deuteron. XXX. cujus ſententiæ ſe eſſe dicit in colloquio cum Tryphone Iuſtinus. Certè Chriſtus ab Apoſtolis interrogatus an jam reſtituturus eſſet Regnum Iſraëlis non negavit id ſe facturum, ſed quo id futurum eſſet tempore, noluit ab ipſis inquiri: & ſanè partim ex his quæ dixi vaticiniis, partim ex prærogativa martyrum in reſurrectione (de qua alibi agendi erit locus) concinnata videtur ſententia illa de mille annorum felicitate, quam ut ab Apoſtolorum ſucceſſoribus acceptam tuentur magni auctores Iuſtinus & Irenæus, quos ſecuti ſunt Melito, Apollinaris, Tertullianus, Victorinus: quorum opinio, quanquam admixtum aliquid habere videtur humani erroris (quando nec omnes illam felicitatem pari modo explicant) fortè tamen non in totum repudianda eſt. Sunt qui huc referendum putent illud Apocalypſeos de Euphrate, Καὶ ἐξηράνθη τὸ ὕδωρ αὐτοῦ ἵνα ἑτοιμασθῇ ἡ ὁδὸς τῶν βασιλέων τῶν ἀπὸ ἀνατολῶν ἡλίου [*Et ſiccavit aquam ejus ut præparetur via Regibus ab ortu ſolis*], Regum enim nomine Iſraëlitas putant intelligi. Quod ſenſiſſe & Lactantius videtur ſeptimâ inſtitutione cap. XV. cùm futurum dicit, ut imperium in Aſiam revertatur & rurſus Oriens dominetur & Occidens ſerviat. Vide ſi lubet quæ in Apocrypho Eſdræ libro qui quartus dicitur cap. XIII, 43, 47. & confer cum dicto Apocalypſeos loco. Quam ſententiam ſi recipimus, καιροὺς ἐθνῶν [*tempora nationum*] intelligere licebit *tempora Divinæ patientiæ*, præſtituta emendationi eorum qui ex gentibus Chriſti nomen profeſſi à diſciplina Chriſti plurimùm receſſerunt. Quo ſenſu καιρὸν ἐπισκοπῆς [*tempus viſitationis*] de Hieroſolymitana urbe ſuprà habuimus, ut nimirùm intelligamus Deum irritatum à gentibus modo quodam novo atque extraordinario uſurum in convertendis ad ſe Iudæis: ſicut ab Iudæis irritatus modo ſimili gentes ad obſequium ſuum pertraxit. Chryſoſtomus dictâ jam diſputatione etiam Ioſephi teſtimonio contra Iudæos utitur, quaſi is quoque exiſtimaverit ſine fine duraturam τὴν ἐρήμωσιν [*deſolationem*]. At Ioſephus, ſicut nihil certi populo ſuo auſus eſt polliceri, ita ſpem omnem non abjecit, ut vel ex hoc loco apparet, ubi ſcelera Civitatis & pœnam eis debitam deplorans ita eam alloquitur, Δύναιο δ' ἂν γενέσθαι πάλιν ἂν ἀμείνων, εἴγε ποτε τὸν πορθήσαντα Θεὸν ἐξιλάσῃ [*Poſſis fortè iterum aliquando in melius reſtitui, ſiquidem unquam Deum, qui te perdidit, placaveris*].

25. συνοχὴ ἐθνῶν, *preſſura gentium*] Heſychius συνοχὴ, ταραχὴ, ἀδημονία [*preſſura, conturbatio, graviſſima anxietas*]. Vtitur & Paulus II Corinth. II, 4.

ἐν ἀπορίᾳ, *præ confuſione*] Sic ἀπορεῖσθαι [*confundi*] dixit Paulus II Cor. IV, 8. Gal. IV, 20. Nec puto aliter legiſſe Syrum, ſed rem ipſam expreſſiſſe addito geſtu. Quod alios legiſſe apparet ἀποῤῥοίᾳ [*defluxione*], probare non poſſum.

ἠχούσης θαλάσσης, *ſonitûs maris*] Mare in libris Propheticis ſignificat *ſtatum mundi variis caſibus turbidum*: ſonus, *excitatos inde tumultus*. Porphyrio mare ſignificat τὴν ὑλικὴν σύστασιν [*ſtatum animæ corpori junctæ*].

καὶ σάλου· *& fluctuum*] Supple ὄντος [*exiſtente*] Id eſt, *in magna maris agitatione*; niſi σάλον interpretari malis *oram maritimam*, quomodo accepit Polybius, atque ita repetere ἠχοῦντος [*reſonante*].

26. Ἀποψυχόντων, *areſcentibus*] Puto ἀποψύχειν hîc eſſe, ut Heſychius interpretatur, ἀποπνευματίζεσθαι, *ſpiritu deſtitui*, ut in ſummo æſtu atque etiam in ſummis doloribus fieri conſuevit.

αἱ γὰρ δυνάμεις τῶν οὐρανῶν σαλευθήσονται. *nam virtutes cælorum movebuntur*] Non mirum eſt ſi mundi totius ſtatus erit impacatiſſimus, cum ipſa agmina cœleſtia, id eſt, Eccleſiæ Chriſtianæ in plurimas factiones ſint diſceſſuræ, ſublata mutua caritate. imo huc res deveniet ut quod amoris eſſe debebat vinculum fiat bellorum titulus. Vide quæ ad Matthæum.

27. τότε, *tunc*] Poſt impleta tempora gentium de quibus ſupra.

28. Ἀρχομένων δὲ τούτων γίνεσθαι, *His autem fieri incipientibus*] Cùm & imperii civilis & Eccleſiæ tam miſerandus erit ſtatus per ſæcula aliquot; deſperare non debet verè Chriſtianus:

Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Chriſtus, ut ad hunc locum pulchrè inquit Tertullianus, *poſitus in medio, alterum concluſurus adventu ſuo*, id eſt, incommoda nationum, *alterum incipiens*, id eſt, vota Sanctorum.

ἀνακύψατε καὶ ἐπάρατε τὰς κεφαλὰς ὑμῶν, *reſpicite & levate capita veſtra*] Vt ſolent qui de loco ſuperiore liberationem exſpectant. Hoc eſt quod ἀποκαραδοκεῖν [*exſerto capite exſpectare*] dixit Paulus: hæc autem, ut & quæ infra ſequuntur commate 34 & deinceps, in perſona Apoſtolorum dicta ſunt omnibus omnium ſæculorum Chriſtianis. Ideo apud Marcum additur ἃ δὲ ὑμῖν λέγω, πᾶσι λέγω [*quæ autem dico vobis, omnibus dico*].

ἐγγίζει ἡ ἀπολύτρωσις, *appropinquat redemtio*] Plena illa liberatio qua mors triumphabitur.

30. Ὅταν προβάλωσιν ἤδη, *cum producunt jam*] Προβάλωσι [*producant*] τὰ φύλλα [*folia*] ſcilicet, ut collatio Matth. xxiv, 32. & Marci xiii, 28. oſtendit. Sic προβάλλειν ἄνθος [*producere florem*] dixit Dioſcorides.

ἀφ' ἑαυτῶν, *ex ſe*] Id eſt, *nullo monitore*, ut & ſupra xii, 57. At Syrus ἀπ' αὐτῶν [*ex ipſis*] legit, *ab arboribus* ſcilicet.

31. ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ. *Regnum Dei*] *Tranquilla regni poſſeſſio:* ita ſæpe Hebræi vocabant τὸν αἰῶνα τὸν μέλλοντα [*futurum ſeculum*]. Aliàs ſignificatur his vocibus tempus Meſſiæ quo Regnum illud acquiritur.

32. πάντα, *omnia*] Omnia illa quæ Iudæos & excidium urbis ſpectant, in quibus & figura eſt judiciorum quæ Deus adverſus gentes immorigeras eſt exerciturus.

33. Ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται, οἱ δὲ λόγοι μου οὐ μὴ παρέλθωσι. *Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non tranſibunt*] Alibi diximus Hebraïſmum eſſe pro πρὶν τοὺς λόγους μου παρελθεῖν [*priusquam verba mea tranſibunt*], & proverbiale loquendi genus, quaſi dicat, *Omnia fient, fieri quæ poſſe negantur, potius quàm horum quæ vaticinor quicquam irritum fiat.* Vide Matth. v, 18. & ſupra xvi, 17.

34. Προσέχετε δὲ ἑαυτοῖς, *attendite autem vobis*] Amat Lucas hoc loquendi genus, ut videre eſt xii, 1. xvii, 3. Act. v, 35. xx, 28.

μήποτε βαρυνθῶσιν, *ne fortè graventur*] Βαρύνειν [*gravare*] reſpondet Hebræo הכביר [*aggravavit*], ut videre eſt Exod. viii, 15, 32. ix, 7, 35. idem & per σκληρύνειν [*indurare*] redditur Exod. x, 1. & per πωροῦν [*excæcare*] Rom. xi, 7. Significat autem βαρύνεσθαι [*gravari*] apud hos ſcriptores reddi ἀναίσθητον [*inſenſibilem*], Pſ. iv, 3. υἱοὶ ἀνθρώπων ἕως πότε βαρυκάρδιοι [*filii hominum uſque quò gravi corde*]; quo in loco ut multis aliis, apparet Lxx Interpretes non paulò aliter legiſſe quàm nos legere docent Maſoritæ.

ὑμῶν αἱ καρδίαι ἐν κραιπάλῃ καὶ μέθῃ, *corda veſtra in crapula & ebrietate*] Magiſtri Græci tradunt hôc differre μέθην [*ebrietatem*] & κραιπάλην [*crapulam*], quod μέθη [*ebrietas*] ſit ex præſenti potu animi alienatio, κραιπάλη [*crapula*], ut Plato loquitur, ἐκ τῆς προτεραίας [*ex præterita die*]; aut, ut Ariſtophanis Scholiaſtes, ἀπὸ χθιζῆς οἰνοποσίας [*ex heſterna vini potatione*]. Non dubium autem quin ſub vinolentiæ nomine omne vitiorum genus hîc denotetur quod circa voluptates occupatum eſt. Nam quia in ebrietate manifeſtius eſt detrimentum rationis, ideo ex illa ſpecie genus totum datur intelligi:

——— Οὐδεὶς δὲ μεθύων, ἂν σκοπῇς,
Ὃς οὐχὶ δοῦλός ἐστι τοῦ πεπωκέναι,
——— [*Nempe quot ſunt ebrii*
Mancipia totidem vini potati aſpicis,]

ut Philemon inquit.

Theognis verò,

Ὃς δ' ἂν ὑπερβάλλῃ πόσιος μέτρον, οὐκ ἔτ' ἐκεῖνος
Τῆς αὐτοῦ γλώσσης καρτερὸς οὐδὲ νόου.
[*Qui bibit atque modum neſcit ſervare bibendi*
Non linguæ, mentis non herus ille ſuæ].

Bene autem ebrietati crapula adjungitur, ut ex hac una ſpecie maximè illuſtri intelligamus eam vim eſſe voluptatum, ut non tantùm dum iis fruimur uſum nobis rationis eripiant, ſed & in poſterum eam reddant obtuſiorem. Nam

——— *Corpus onuſtum*
Heſternis vitiis animum quoque prægravat ——.

καὶ μερίμναις βιωτικαῖς, *& curis hujus vitæ*] Circa honores & divitias, quæ alibi αἱ μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου [*curæ hujus ſeculi*].

καὶ αἰφνίδιος ἐφ' ὑμᾶς ἐπιστῇ ἡ ἡμέρα ἐκείνη, *& ſuperveniat in vos repentina dies illa*] ut olim Chaldæo Regi evenit Dan. v. Paulus 1 ad Theſſalonicenſes v, 3. Ὅταν γὰρ λέγωσιν, Εἰρήνη καὶ ἀσφάλεια· τότε αἰφνίδιος αὐτοῖς ἐφίσταται ὄλεθρος [*Cum dixerint, Pax & ſecuritas; tum repentinus eis ſuperveniet interitus*]. Sæpe illud obſervare eſt, iiſdem vocibus uti Paulum quibus utitur Lucas, ut planè credibile ſit habuiſſe Paulum deſcriptos Græcè quoſdam Domini ſermones quos Lucas libro ſuo inſeruerit.

35. Ὡς παγὶς γὰρ ἐπελεύσεται ἐπὶ πάντας τοὺς καθημένους ἐπὶ πρόσωπον πάσης τῆς γῆς. *Tanquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ*] Ex Eſaia xxiv, 17. פח עליך יושב הארץ [*laqueus ſuper te qui habitator es terræ*], Græcè παγὶς ἐφ' ὑμᾶς τοὺς ἐνοικοῦντας ἐπὶ τῆς γῆς [*laqueus ſuper vos in terra habitantes*]. Vnde liquet καθημένους [*ſedentes*] hîc eſſe quod ἐνοικοῦντας [*inhabitantes*], ita ut *ſecura quædam & in res terrenas defixa habitatio* hôc quidem loco intelligatur. Vide quæ diximus ad Matth. xxiv, 37.

36. Ἀγρυπνεῖτε οὖν ἐν παντὶ καιρῷ δεόμενοι, *Vigilate itaque omni tempore orantes*] Duas nobis res commendat Chriſtianis hominibus apprimè neceſſarias, προσοχὴν καὶ προσευχὴν [*attentionem & preces*]; nec hîc tantùm, ſed & alibi, Matth. xxvi, 41. Et aliunde & hinc diſcere eſt, quàm aptè conſpiret cum humana diligentia auxilium Divinum. Qui *vigilare*

gilare jubetur, non agitur ut nervis alienis mobile lignum: qui *precari*, oſtenditur opis Divinæ indigere, ſine qua inanis eſt omnis hominum induſtria. Illud ἐν παντὶ καιρῷ [*omni tempore*] optimè conſtrui puto cum verbo δεόμενοι [*orantes*], ut idem ſit quod ſupra monemur προσεύχεσθαι πάντοτε [*orare ſemper*], XVIII, 1, & apud Paulum ἀδιαλείπτως [*indeſinenter*], 1 Theſſ. V, 17.

ἵνα καταξιωθῆτε ἐκφυγεῖν, *ut digni habeamini fugere*] Ita ſupra οἱ καταξιωθέντες τοῦ αἰῶνος ἐκείνου τυχεῖν [*qui digni habebuntur ſeculo illo*]. Paulus II Theſſ. 1, 5. εἰς τὸ καταξιωθῆναι ὑμᾶς τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ [*ut digni habeamini in Regno Dei*]. Diſcamus hinc vocem καταξιοῦσθαι [*dignum haberi*], ut & δίκαιον [*juſtum*] quod in epiſtolâ ad Theſſalonicenſes ſequitur, & Latinum *mereri* plerumque non ad juris humani rigorem referri, ſed ad æſtimationem benignitate temperatam. Magna pars eſt dignitatis noſtræ indignitatem noſtram ingenuè confiteri.

ταῦτα πάντα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, *iſta omnia quæ futura ſunt*] Fallacias ψευδοχρίστων καὶ ψευδοπροφητῶν [*falſorum Chriſtorum & falſorum Prophetarum*], pœnas Iudæorum aut aliarum nationum proprias, poſtremò pœnas communes impiorum.

καὶ σταθῆναι ἔμπροσθεν τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου. *& ſtare ante Filium hominis*] Victoriam hæc locutio deſignat à judiciis ſumta. Sic Pſalmo 1, 5. docti exponunt illud לא יקמו [*non reſurgent*]. Sic de eo qui judicio ſuccubuerat dicebatur לא היתה לו הקומה רגל [*non fuit illi pes ſtabilis*]. Nahum 1, 6. ἀπὸ προσώπου ὀργῆς αὐτοῦ τίς ὑποστήσεται; [*ante faciem indignationis ejus quis ſtabit*]? & Eſdræ IX, 15. οὐκ ἔστι στῆναι ἐνώπιόν σου [*non ſtari poteſt coram te*]. Vtrobique in Hebræo eſt לפני, id eſt, ἔμπροσθεν [*coram*]; & hîc quidem ad judicem, alibi illud לפני [*coram*] ad adverſarium refertur: ut Sapientiæ V, 1. Τότε στήσεται ἐν παῤῥησίᾳ πολλῇ ὁ δίκαιος κατὰ πρόσωπον τῶν θλιψάντων αὐτόν [*Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adversùs eos qui ſe anguſtiaverunt*]. Contrarium huic eſt *cadere*, id eſt, *pudefieri*. Sic & Latini *ſtare* & *cadere* uſurpant:

Securus cadat, an recto ſtet fabula talo.

37. ηὐλίζετο εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν, *morabatur in monte qui vocatur Oliveti*] Haud dubium quin orandi causâ. Ita quod modò ſermone, nunc exemplo ſuo nobis commendat, Preces cum labore conjunctas. Nam diem labori, noctem precibus impendebat.

38. ὤρθριζε, *manicabat*] שכם [*manè expeditus fuit*] eſt Hebræum cui hoc Helleniſticum reſpondet, ut Exodi XXXIV, 4. & alibi. *Diluculo conveniebant*, vertit Tertullianus. ὤρθριζε πρὸς αὐτὸν [*manè veniebat ad eum*] conciſè dictum, ut ὀρθρίζωμεν εἰς ἀμπελῶνας [*manè ſurgamus ad vineas*] Cantico VII, 12. Apparet non caruiſſe fructu monitum illud Chriſti, Ἀγρυπνεῖτε [*vigilate*].

CAPVT XXII.

1. Ἡ λεγομένη Πάσχα· *qui dicitur Paſcha*] Συνεκδοχικῶς [*comprehenſivè*] enim tota ἑορτὴ quæ [*feſtum quod*] erat dierum octo, ex primi diei nomine Paſcha nominabatur. Ita & Ioſephus, Τῆς πάσχα προσαγορευομένης ἑορτῆς καθ᾽ ἣν ἔθος ἐστὶν ἡμῖν ἄζυμα προσφέρεσθαι [*Cum Paſcha appelletur id feſtum, quo nobis mos eſt azymis veſci*]. Iohan. XVIII, 39. Ἔστι δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ὑμῖν ἀπολύσω ἐν τῷ πάσχα [*Eſt autem conſuetudo vobis, ut unum demittam vobis in Paſcha*]; pro quo Matthæus & Marcus κατὰ ἑορτήν [*durante feſto*].

3. Εἰσῆλθε δὲ ὁ Σατανᾶς εἰς Ἰούδαν, *intravit autem Satanas in Iudam*] Sicut qui Divinis motionibus piè obtemperant tandem accipiunt Spiritum inhabitantem, ita qui ſuggeſtionibus Diaboli liberè conſentiunt tandem Deo eos derelinquente mancipia Satanæ fiunt: ac tunc in ipſos ingredi Satanas dicitur. Sic Diabolum Paulus vocat πνεῦμα ἐνεργοῦν ἐν υἱοῖς ἀπειθείας [*ſpiritum qui operatur in filios diffidentiæ*] Epheſ. II, 2. Hunc ordinem in Iuda obſervare eſt: primùm avaritia tentatus furti ſe alligavit & quidem in pecunia pauperibus deſtinata, Iohan. XII, 6. neque id ſatis habens homo ſacrilegus, videri voluit eorum defenſor quos ipſe ſpoliabat: à Magiſtro admonitus de malitia nihil remiſit. tum illi ſuggeſſit Satanas, ut Chriſtum prodendo lucrum ſibi pararet: εἰς καρδίαν αὐτοῦ βέβληκε [*in cor ejus miſiſſet*] inquit Iohannes XIII, 2. Huic ſceleratæ ſuggeſtioni poſtquam conſenſerat, jam intraſſe in eum Satanas dicitur. nempe ut quod animo propoſuerat, id pacto firmaret: iterumque intraſſe in eum, penitùs ſcilicet, narratur, poſtquam ille ad Chriſti in cœna ſermones animum obduraverat, Iohan. XIII, 27. ut jam ſcilicet quod pacto firmaverat re ipſa impleret. Qui verò definitum Dei decretum de eventibus aliter negant poſſe defendi, niſi tota hæc Iudæ malitia ab initio ad finem dicatur decucurriſſe inevitabili neceſſitate, & quidem Deo inclinante atque impellente ipſius voluntatem, his optimo jure dici poteſt quod ſimilia docenti Florino ſcripſit Irenæus: Ταῦτα τὰ δόγματα Φλωρῖνε, ἵνα πεπεισμένως εἴπω, οὐκ ἔστιν ὑγιοῦς γνώμης: ταῦτα τὰ δόγματα δ᾽ οὐ σύμφωνά ἐστι τῇ ἐκκλησίᾳ, εἰς τὴν μεγίστην ἀσέβειαν περιβάλλοντα τοὺς πειθομένους αὐτοῖς· ταῦτα τὰ δόγματα οὐδὲ οἱ ἔξω τῆς ἐκκλησίας αἱρετικοὶ ἐτόλμησαν ἀποφήνασθαί ποτε· ταῦτα τὰ δόγματα οἱ πρὸ ἡμῶν πρεσβύτεροι, οἱ καὶ τοῖς Ἀποστόλοις συμφοιτήσαντες, οὐ παρέδωκάν σοι [*Dogmata hæc, Florine, fidenter dicam à ſana mente profecta non ſunt: dogmata hæc ab Eccleſiæ ſententia abhorrent: atque eum, qui ita ſentiat in ultimam impietatem impellunt: neque ea vel hæretici, qui extra Eccleſiam ſunt, unquàm aut recipere aut profiteri ſunt auſi: denique hæc dogmata, qui ante nos fuerunt ſeniores, quique cum Apoſtolis etiam vixerunt, tibi non tradiderunt*]. Quantò ſapientiùs Euripides,

Εἰ Θεοί τι δρῶσιν αἰσχρὸν οὐκ εἰσὶν Θεοί.

[*Si di patrant quid turpe, jam non ſunt Dei*]. Et Plato, Κακῶν αἴτιον φάναι Θεόν τινι γίγνεσθαι ἀγαθὸν ὄντα, διαμαχετέον παντὶ τρόπῳ, μήτε τινὰ ταῦτα λέγειν ἐν τῇ αὑτοῦ πόλει, εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι, μήτε τινὰ ἀκούειν, μήτε νεώτερον μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μέτρῳ μήτε ἄνευ μέτρου μυθολογοῦντα, ὥστε οὔθ᾽ ὅσια ἂν λεγόμενα εἰ λέγοιτο, οὔτε ξύμφορα ἡμῖν, οὔτε ξύμφωνα αὐτὰ αὑτοῖς [*Repugnandum omni ratione, ne quis Deum cum bonus ſit, mali cujusquam cauſam putet, neve quis id in civitate ſua dicat, ſi quidem eam bene conſtitutam eſſe oportebit; neve quis audiat, nec junior nec ſenior aut ſoluta oratione*

oratione quenquam aut ligata ejuſmodi narrantem quaſi fabulas: quæ neque ſanctè dicantur profectò, ſi dicantur, neque utilitatis habeant quicquam, neque ipſæ conſonent ſibi].

4. καὶ τοῖς στρατηγοῖς, *& Magiſtratibus*] Erant hi in Sacerdotum numero, ſed peculiariter nominantur, quod eorum officio incumberet prehendere eos qui in ſacra peccarent: στρατηγοὺς [*Magiſtratus*] vocat τὸν στρατηγὸν [*Præfectum templi*] *cum adjutoribus ei additis*. Nam ἑκάστῃ ἀρχῇ δύο ἄνδρες ὑπηρέται ἐδόθησαν [*unicuique Magiſtratui duo viri in miniſtros erant additi*], ut Ioſephus nos docet Originum IV. Vide quæ ad Matthæum hac de re diximus XXVI, 45.

6. ἐξωμολόγησε· *ſpopondit*] Theophilus in Inſtitutionibus titulo de verborum obligationibus, Τὰ δὲ ἕτερα μεταφράζεται· πρωμίττις, πρωμίττω· τοῦτ᾽ ἔστι, ὁμολογεῖς, ὁμολογῶ [*cætera verò transferuntur: promittis, promitto; id eſt, ſpondes, ſpondeo*]. Frequens uſus verbi ὁμολογεῖν [*ſpondere*] hoc ſignificatu apud Græcos Oratores, ſed & apud Platonem.

7. ἡ ἡμέρα τῶν ἀζύμων, *dies azymorum*] Primus dierum octo, quo die incipiebant edi azyma ante noctem.

ἐν ᾗ ἔδει θύεσθαι τὸ πάσχα. *in qua neceſſe erat occidi Paſcha*] Marcus inquit, ὅτε τὸ πάσχα ἔθυον [*quando Paſcha immolabant*], id eſt, *quo die de more mactari Paſcha ſolebat*. Sed de his ad Matthæum.

8. Πορευθέντες, *euntes*] *Iamjam euntes*, non exſpectato tempore pomeridiano: ſic & mox, ἐκεῖ ἑτοιμάσατε [*ibi parate*], nullâ morâ interpoſitâ.

14. ὅτε ἐγένετο ἡ ὥρα, *cum facta eſſet hora*] Cùm tempus eſſet cœnandi, quippe multa jam nocte, ut ad Matthæum diximus. Sic Matthæus XIV, 15. ἡ ὥρα ἤδη παρῆλθεν [*hora jam venit*]. Sic Paulus Rom. XIII, 11. ὥρα ἡμᾶς ἤδη ἐξ ὕπνου ἐγερθῆναι [*hora eſt jam nos de ſomno ſurgere*]. Sic ὥρα πορεύεσθαι [*tempus eſt eundi*] apud Xenophontem. ὥρα δημηγορεῖν [*tempus concionandi*] apud Plutarchum.

15. Ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ᾽ ὑμῶν πρὸ τοῦ με παθεῖν. *Deſiderio deſideravi hoc Paſcha manducare vobiſcum antequam patiar*] Quaſi dicat: *feſtinavi ad hanc cœnam quia tempus mortis inſtat, quod mihi crepturum eſt facultatem* τοῦ πασχατίζεσθαι μεθ᾽ ὑμῖν [*Paſcha vobiſcum celebrandi*]. itaque rationem reddit anticipatæ cœnæ paſchalis, ut apud Matthæum, ὁ καιρός μου ἐγγύς ἐστι [*tempus meum prope eſt*]: ἐπιθυμίᾳ ἐπιθυμεῖν eſt *magno rei alicujus deſiderio flagrare*, ut Geneſ. XXXI, 30. pro quo ἐπιθυμίαν ἐπιθυμεῖν [*deſiderio deſiderare*] dixerunt LXX Num. XI, 4. Cauſa autem deſiderii videtur explicari commate ſequenti: nempe quod cuperet Chriſtus ipſis explicare quid eſſet quò potiſſimum reſpiceret Paſchalis cæremonia, idque per ritum aſpectabilem animis ipſorum infigere.

16. οὐκ ἔτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ ἕως ὅτου πληρωθῇ ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ. *quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in Regno Dei*]. Exponere cœpimus ad Matthæum. Senſus eſt: οὐ πασχατίσομαι μεθ᾽ ὑμῶν εἰ μὴ ὅτε πληρωθήσεται τὸ πάσχα [*Paſcha vobiſcum non celebrabo priuſquam completum fuerit Paſcha*]. id autem fiet ἐν τῷ αἰῶνι τῷ μέλλοντι [*in futuro ſeculo*], qui κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ſolet vocari βασιλεία τοῦ Θεοῦ [*Regnum Dei*]. Sciendum ergo Paſcha, quanquam propriè ſignificat tranſitum illum τοῦ ὀλοθρευτοῦ [*perditoris*], ſimul tamen & ex conſequenti ſignificaſſe liberationem ex Ægyptiaca ſervitute: ac, ſi quis diligenter advertat animum ad ſacri contextûs loca, in quibus Paſchatis fit mentio, plerumque videbit, non tam prius illud quàm poſterius hoc reſpici. Ioſephus, Κατὰ τὴν ἑορτὴν τῶν ἀζύμων ἣν ἄγουσιν Ἰουδαῖοι, σωτήρια ἐξόδου τῆς ὑπ᾽ Αἰγυπτίοις δουλείας ἀνεθέντες εἰς τὴν πάτριον γῆν [*Circa azymorum feſtum, quod agunt Iudæi in memoriam reſtitutæ eis è ſervitute Ægyptiaca & libertatis & patriæ*]. Idem alibi, Ἀζύμων ἑορτὴ πάσχα καλεῖται, ὑπόμνημα τῆς ἐξ Αἰγύπτου ἐπάρσεως [*Azymorum feſtum vocatur Paſcha in memoriam liberationis ex Ægypto*]. Tota autem iſta liberatio ex Ægyptiaca ſervitute umbram ferebat liberationis, hîc quidem à peccato, in vita autem altera à morte peccati ſtipendio: quare & per Paſcha utrumque hoc μυστικῶς [*ſub figura*] figurabatur. Philo, Καὶ γὰρ τὸ πάσχα τοῖς ἐκ παθῶν εἰς ἄσκησιν ἀρετῆς διαβᾶσιν προστέτακται ποιεῖσθαι τὰς ὀσφῦς περιεζωσμένους, ἑτοίμως πρὸς ὑπηρεσίαν ἔχοντας καὶ τὸν σάρκινον ὄγκον, τὰ ὑποδήματα λόγῳ περιειληφότας, ἀκλινῶς καὶ παγίως ἑστῶσι τοῖς ποσί, καὶ τὴν παιδείαν διὰ χειρὸς ἔχοντας ῥάβδον, πρὸς τὴν ἐν τῷ βίῳ πραγμάτων πάντων ἄπταιστον κατόρθωσιν, καὶ τὸ τελευταῖον μετὰ σπουδῆς ἐντραφῆναι· διάβασις γὰρ ἐπὶ Θεὸν τοῦ γεννητοῦ καὶ φθαρτοῦ τὸ πάσχα εἴρηται [*Præceptum eſt enim tranſeuntibus ab affectu ad virtutum meditationem, ut accincti lumbos Paſcha celebrent, expediti ad miniſtrandum & induti calceamenta, quibus carneam molem ratione contineant, ſtentque recti firmatis pedibus, & diſciplinam habentes virgam in manibus, ad dirigenda citra errorem omnia vitæ negotia; poſtremò jubentur properando cibum edere: quia Paſcha creaturæ mortalis tranſitus ad Deum dicitur*]. & alibi, Φησὶ γὰρ μετὰ σπουδῆς θύειν τὸ πάσχα, τὸ δ᾽ ἐστιν ἑρμηνευθὲν, διάβασις. ἣν ἀνενδοιάστῳ γνώμῃ καὶ προθυμίᾳ συντόνῳ χρώμενος ὁ νοῦς τότε ἀπὸ τῶν παθῶν ἀμεταστρεπτὶ ποιεῖται διάβασιν, καὶ τὴν πρὸς τὸν σωτῆρα Θεὸν εὐχαριστίαν, ὃς εἰς ἐλευθερίαν οὐ προσδοκήσαντα αὐτὸν ἐξείλετο [*Ait enim cum feſtinatione immolare Paſcha quod interpretatur tranſitus. Quando inhæſitanter cum ſumma alacritate mens ab affectibus continuato curſu tranſmigrat ad gratiarum actionem pro ſalute accepta à Deo: qui nec opinantem vindicavit in libertatem*]. Rurſum alio loco, Τουτέστι κυρίως εἰπεῖν τὸ ψυχικὸν Πάσχα, ἡ παντὸς πάθους καὶ παντὸς αἰσθητοῦ διάβασις πρὸς τὸ δέκατον, ὃ δὴ νοητόν ἐστι καὶ θεῖον [*Hoc propriè animæ Paſcha dicitur omnium affectuum & omnium ſenſibilium tranſitus dum properat ad decimum illud, quod eſt Divinum & intelligibile*]. Mox, Τουτέστιν ἄφεσις, τοῦτ᾽ ἐλευθερία παντελὴς ψυχῆς, ὃν ἐπλανήθη ποτὲ πλάνον ἀποσειομένης, καὶ πρὸς τὴν ἀπλανῆ φύσιν μεθορμιζομένης [*Hæc eſt remiſſio, hæc libertas abſoluta animæ priſtinum errorem excutientis & tranſeuntis ad nunquam errantem naturam*]. Iterum alio loco, Πάσχα δ᾽ ἐστιν ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀπομαθεῖν μελετᾷ, τὴν δ᾽ εὔλογον εὐπάθειαν ἑκουσίως πάσχῃ [*Eſt autem Paſcha cum anima irrationales affectus meditata dediſcere, rationi eos ſubdere & ad mediocritatem reducere conatur*]. Ad priorem tranſitum referendum illud Pauli, Τὸ πάσχα ἡμῶν [*Paſcha noſtrum*], (id eſt, ἡ διάβασις ἐκ τῆς παλαιᾶς ζύμης εἰς τὸ νέον φύραμα

[*transitus ex veteri fermento ad novam maſſam*] ἐθύθη Χριστὸς [*immolatus eſt Chriſtus*], 1 Cor. v, 7. Origenes adversùs Celſum VIII. Ἔτι δὲ ὁ νοήσας, ὅτι τὸ πάσχα ἡμῶν ἐθύθη Χριστὸς, καὶ χρὴ ἑορτάζειν, ἐσθίοντα τῆς σαρκὸς τοῦ λόγου, οὐκ ἔστιν ὅτε οὐ ποιεῖ τὸ πάσχα, ὅπερ ἑρμηνεύεται διαβατήρια, διαβαίνων ἀεὶ τῷ λογισμῷ καὶ παντὶ λόγῳ καὶ πάσῃ πράξει ἀπὸ τῶν τοῦ βίου πραγμάτων ἐπὶ τὸν Θεόν [*Quisquis item cogitat Paſcha noſtrum immolatum eſſe Chriſtum, celebrandumque hoc feſtum, edendo carnem Verbi, nunquam non celebrat Paſcha, quod ſonat* transitoria, *transiens ſemper ratione omnique cogitatione atque actione ab hujus vitæ negotiis ad Deum*]. Ad poſteriorem: illud Iohann. v, 24. Ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, ἔχει ζωὴν αἰώνιον· καὶ εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, ἀλλὰ μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν [*Qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in judicium non venit, ſed transiit à morte in vitam*]. nam μεταβέβηκεν eſt פסח [*transiit*], unde Paſcha Philoni τὰ διαβατήρια [*ſacra pro transitu*], Ioſepho & Symmacho ὑπέρβασις [*transitus*]. Idque ipſum latiùs explicat Chriſtus Iohannis VI. Ac ne ignoraremus quomodò fiat utraque hæc μετάβασις [*transitus*], expreſſit hoc ipſum Chriſtus in conſecratione panis & poculi, per ea ſigna nobis velut ob oculos ponens ſuam nobiſcum & noſtram ſecum communitatem & quaſi concorporationem. Nam ipſe culpas noſtras in ſe ſuſcepit, ut nos ipſius innocentiam acciperemus: ipſe pro nobis mortem obivit, ut nos immortalitate ſuâ donaret. Senſus igitur hujus loci eſt, *Nunc præſens ac conſpicuus vobiſcum Paſcha celebro: poſthac id non faciam. Sed veniet tempus cùm me iterum conſpicietis, cùm res ipſa quam Paſcha deſignat in vobis per me conſummabitur* τῇ διαβάσει τοῦ φθαρτοῦ εἰς τὸ ἄφθαρτον [*transitu de corruptibilitate in incorruptibilitatem*], cujus initium eſt in hac vita ἡ διάβασις τοῦ ψυχικοῦ εἰς τὸ πνευματικόν [*transitus animalis in ſpirituale*].

17. Καὶ δεξάμενος τὸ ποτήριον, *& accepto calice*] Ex more cœnæ paſchalis; nam & in cœna aliquoties, & poſtremò poſt cœnam in orbem bibebatur. Nec eſt quod duo hæc commata ſuſpecta habeamus, cum & Græci codices & Latini agnoſcant & Arabici, ſed & Syricorum nonnulli. Interpolandi cauſam nonnullis præbuit Matthæi narratio, hos Chriſti ſermones non ex temporis ordine, ſed brevitatis causâ ex occaſione recenſentis. qua de re ad Matthæum monuimus.

Διαμερίσατε ἑαυτοῖς. *dividite inter vos*] Quoties omnibus porrigere poculum paterfamilias non poterat, proximi remotioribus de manu in manum tradebant, idque perinde habebatur, quaſi ſinguli ex patrisfamilias manu poculum accepiſſent.

18. ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. *donec Regnum Dei veniat*] Vide quæ ad Matthæum.

19. τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον· *quod pro vobis datur*] Κλώμενον [*quod frangitur*] dixit Paulus. In utroque & ad panem & ad victimas alluditur. panis frangitur & datur: victimæ quoque dabantur ab offerentibus, deinde frangebantur in altari. Ita & Chriſtus corpus ſuum dedit, cum mortem patienter noſtri causâ pertulit, quod alibi dicitur δοῦναι τὴν ψυχὴν αὐτοῦ [*dare animam ſuam*], Matthæi xx, 28. fractum quoque eſt idipſum corpus cùm manus pedesque clavis ſunt perfoſſi, adde & latus transfixum. Præſens poſitum pro proximè futuro, ut etiam in verbo ἐκχυνόμενον [*quod effunditur*]: qua de re ad Matthæum monuimus.

τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν, *hoc facite in meam commemorationem*] Id eſt, *Hoc ritu celebrate mortis, quam jamjam ſubiturus ſum, memoriam.* Et Chriſtus hoc loco, & alibi Apoſtoli mortis potiùs Chriſti quàm vitæ (quanquam & vitæ) meminiſſe nos jubent, quia in morte, & obedientia ejus & amor erga genus humanum eximiè elucet.

20. μετὰ τὸ δειπνῆσαι, *poſtquam cœnavit*] Vt mos erat Iudæorum, quemadmodum ad Matthæum diximus. Idem videre eſt & apud prophanas gentes uſitatum. Ita apud Virgilium in Euandri ſacrificio, poſt menſas remotas ſequitur,

Et pocula porgite dextris.

Τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, *Hic eſt calix novum Teſtamentum in meo ſanguine*] Simili locutione διαθήκην περιτομῆς [*teſtamentum circumciſionis*] dixit Stephanus Actor. VII, 8. id eſt, περιτομὴν εἰς σημεῖον διαθήκης [*circumciſionem in ſignum teſtamenti*], ut de iride legimus Geneſ. IX, 12. aut εἰς σφραγίδα [*in obſignationem*], ut Paulus loquitur. Tertullianus hunc locum citans non malè ſententiam exprimit dicens *teſtamentum ſanguine ſuo obſignatum.* Quæ ſanguine ſignata ſunt, deleri non poſſe ajunt Hebræi. Vide Eſther Rabba.

τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *qui pro vobis fundetur*] Conſtructio eſt qualem aliquoties jam annotavimus πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſubintelligitur*]. Nam quia idem eſt διαθήκη ἐν αἵματι [*teſtamentum in ſanguine*] & αἷμα διαθήκης [*ſanguis teſtamenti*], ut hoc loco poſt Moſem & Zachariam Matthæus & Marcus loquuntur, ideo τὸ ἐκχυνόμενον [*qui effunditur*] intulit, quaſi αἷμα διαθήκης [*ſanguinem teſtamenti*] dixiſſet. Sic Matth. XXVIII, 19. cùm præceſſit ἔθνη [*gentes*], ſequitur αὐτούς [*illos*]. Similia ſunt, *Vbi eſt ſcelus qui me perdidit?* Item, *Curemus æquam uterque partem: tu alterum, ego verò alterum.* Sic Prov. IV, 13. conſtructio eſt quaſi pro יסורה, [*diſciplina* fœm. gen.] ſcriptum eſſet מוסר [*diſciplina* maſc. gen.]. Non diſſimilia loquendi genera obſervare eſt Geneſ. IV, 10. Iob. XXIX, 10. XXXII, 7. XXXIII, 2. XXXV, 9. XXXVII, 10. Pſalm. x, 2.

21. Πλὴν ἰδοὺ, *veruntamen ecce*] Diverſos Chriſti ſermones nullâ ordinis habitâ ratione Lucas connectit. Nam illud de proditore in cœna juſta contigit; admonitio de vitanda ambitione planè, ut credibile eſt, in lotione inter cœnam paſchalem & cœnam juſtam. Ita πλὴν [*veruntamen*] ſæpe Lucæ eſt μεταβατικόν [*transitivum*].

ἡ χεὶρ τοῦ παραδιδόντος με, *manus tradentis me*] Non puto *manum* hîc pro *conſilio* accipi, ut II Sam. XIV, 19. ſed potiùs dici manum ejus eſſe in menſa cum Chriſto, quia cibum cum Chriſto communem ſumebat. Matthæus, ὁ ἐμβάψας μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ τρυβλίῳ τὴν χεῖρα [*qui intingit mecum manum in paropſide*].

22. πορεύεται, *vadit*] הלך [*abit*], id eſt, *moritur*, ut apud Matthæum diximus.

κατὰ τὸ ὡρισμένον. *ſecundùm quod definitum eſt*] Τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ [*definito conſilio*] Act. II, 23. Eſt autem his locis ὁρίζειν [*definire*] idem quod προορίζειν [*præfinire*], ut Act. II, 23. X, 42. XVII, 26, 31. Sed hoc definitum conſilium de morte Chriſti non erat citra omnem præſcientiam, imò conjunguntur dicto loco Actorum ὡρισμένη βουλὴ [*definitum conſilium*] & πρόγνωσις [*præſcientia*]. Et Iuſtinus diſputatione adverſùs Tryphonem objectionem illam ὅτι ἔδει τὸν Χριστὸν σταυρωθῆναι καὶ ἐν τῷ γένει τῶν Ἰουδαίων εἶναι τοὺς παραβαίνοντας [*neceſſe fuiſſe crucifigi Chriſtum, & eſſe in Iudæorum gente qui credere in eum recuſarent*], ita ſolvit, ὅτι προεγίνωσκεν ὁ Θεὸς γενησομένους πονηρούς, οὐχ ὅτι τοιούτους ἐποίησε [*quòd eos præſciebat Deus malos fore, non quòd eos tales fecerit*]. Deus enim, cui non ea tantùm quæ inevitabiliter ſunt futura, ſed & quæ poſſunt fieri ſunt notiſſima, non ignoravit nunquam defuturos homines qui doctrinam veri ipſorum commodis adverſam non aſpernarentur modò, ſed crudeli etiam odio inſectarentur. Deinde decretum illud definitum dicitur factum de eventu, non de actionibus hominum, quibus oblatis ad eventum uſus eſt Deus. Clarè diſtinguunt Apoſtoli in hymno qui eſt Act. IV, 28, ubi Pilatus & Herodes coiiſſe dicuntur ut facerent ὅσα ἡ χεὶρ τοῦ Θεοῦ καὶ ἡ βουλὴ αὐτοῦ προώρισε [*quæ manus Dei & conſilium præfiniverunt*], non αὐτοὺς ποιῆσαι [*illos facere*], ſed γενέσθαι [*fieri*]. Si de ipſis actionibus Iudæ, Pilati, Herodis quæramus, certum eſt ne illas quidem contigiſſe ἄνευ τοῦ Πατρὸς [*præter Patrem*], cùm *ſine eo ne paſſer quidem cadat*, ſed voluntas Dei circa eos permittens fuit, non efficiens: quæ diſtinctio & Sacris Literis & omnium veterum Chriſtianorum ſententiæ multò eſt congruentior quàm ea quæ nonnullis placet, actionem à vitio quod in actione eſt diſcriminantibus, quod in multis actionibus, putà furto, adulterio, atque aliis, quarum ne nomen quidem ſine vitio intelligi poteſt, rerum naturæ repugnat. Neque magis audiendi ſunt qui actiones tales à Deo impellente procurari poſſe ajunt bono fine, cùm ſolus finis non poſſit rectas facere actiones, aut etiam talia decreta quæ antecedenter omnino neceſſitatem ponant talium actionum. Æquè rejicienda eorum opinio qui Deum rectè iſta facere arbitrantur, quia nulla teneatur lege: nam quædam mala ſunt etiam citra legem; & poſita ac manente ejus obligatione procurare ut aliquis contra legem faciat, naturaliter malum eſt ac proinde naturæ Dei repugnat. Adde quod hôc poſito inane redditur peccati nomen, cum peccari in eo non poſſit quod Deus optimus voluerit nos facere decreto prævertente libertatem noſtræ voluntatis. Quanto rectiùs erat cum Paulo dicere εἴασεν ὁ Θεὸς τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν [*permiſit Deus gentes ingredi vias ſuas*], Act. XIV, 16. & ſi quæ ſunt alibi obſcura ad eam formam exponere: quod veteres omnes videmus feciſſe. Clemens Strom. VIII. τὸ μὴ κωλύον ἀνενέργητόν ἐστι· διὸ οὐκ ἔστιν αἴτιον μὴ κωλύον, ἀλλὰ τὸ κωλύον· ἐν γὰρ τῷ ἐνεργεῖν καὶ δρᾶν τι τὸ αἴτιον νοεῖται [*quod non prohibet, non eo aliquid efficit. Itaque id quod prohibet demum, non id quod non prohibet, cauſæ loco eſt. Cauſa enim eò cenſetur, ſi agat aliquid atque effectum det*]. Origenes adversùs Celſum VII. Ὁράτω τὴν ἀτοπίαν ὁ τοῦτο λέγων, τοῦ πάντα κατὰ γνώμην διοικεῖσθαι τοῦ Θεοῦ. ἀκολουθεῖ γὰρ τῷ λόγῳ καὶ τὰ ἁμαρτανόμενα καὶ πάντα τὰ ἀπὸ κακίας κατὰ γνώμην διοικεῖσθαι τοῦ Θεοῦ, ὅπερ οὐ ταυτόν ἐστι τῷ, οὐ κωλυομένου τοῦ Θεοῦ γίνεσθαι [*Quod qui dicit, videat quanta abſurditas ſequatur hanc propoſitionem, Omnia diſpenſari Dei arbitrio; ſequitur enim ut quicquid peccatur per malitiam fiat ex voluntate Dei, quod quidem aliud eſt quàm fieri non prohibente Deo*]. Mox ea quæ pravè fiunt ait non eſſe ἐκ προνοίας [*ex providentia*], ſed κατ᾽ ἐπακολούθησιν τῶν ἐκ προνοίας [*per conſecutionem eorum quæ fiunt ex providentia*]. Cyprianus, *Cùm ipſe ſit mundi Dominus, cognitor, & rector, & cuncta arbitrio ejus & nutu gerantur, nec quicquam fieri poſſit niſi quod fecerit aut fieri ipſe permiſerit.* Salvianus, *Quædam ex his Divina diſpoſitio ita ordinavit, quædam patientiâ ſuſtinuit.* Chryſoſtomus, Οὐδὲν ἀγνοοῦντος αὐτοῦ γίνεται, ἀλλ᾽ εἰδότος μὲν ἅπαντα, οὐ μὴν πάντα ἐνεργοῦντος [*Inſcio eo nihil fit, ſed ſciente quidem omnia, non tamen omnia operante*]. Scriptor Reſponſionum ad Græcos in operibus Iuſtini: Συγχωρεῖ τε ἡμᾶς πράττειν ἃ ἑκουσίως αἱρούμεθα κακά, οὐ διὰ τὴν ἀσθένειαν τῆς αὐτοῦ δυνάμεως, ἀλλ᾽ ἵνα τὸ ἡμῶν αὐθαίρετον καὶ τὸ αὐτοῦ μακρόθυμον δειχθῇ [*Permittit nobis facere, quod ultro eligimus, malum: non quò infirmior ſit quàm ut poſſit impedire ne quid fiat mali: ſed ut & nos ſponte eſſe improbos & ipſum eſſe clementiſſimum appareat*]. Huc referendum & illud quod veteres omnes conſtanter tradunt ex Divina præſcientia nullam hominibus imponi agendi neceſſitatem: id enim nullius erat uſus, ſi ipſa præſcientia decretis purè effectivis ſubniteretur. Origenes adverſùs Celſum diſputans, An rectè dicatur πάντως ἔχρην γενέσθαι τὸ προειρημένον [*omnino oportebat, id quod prædictum eſt, fieri*], accurate vocem πάντως [*omnino*] diſtinguit, Εἰ γὰρ τὸ πάντως ἀκούει ἀντὶ τοῦ ἠναγκασμένως, οὐ δώσομεν αὐτῷ· δυνατὸν γὰρ ἦν καὶ μὴ γενέσθαι. εἰ δὲ τὸ πάντως λέγει ἀντὶ τοῦ ἔσται ὅπερ οὐ κωλύεται εἶναι ἀληθὲς κ᾽ ἂν δυνατὸν ᾖ τὸ μὴ γενέσθαι, οὐδὲν λυπεῖ τὸν λόγον [*Nam ſi iſtud* omnino *ita accipiat, ut ſonet* neceſſariò, *nunquam id ei concedemus; poterat enim ſanè aliter fieri. Quod ſi ita dicit* omnino, *ut nihil aliud ſignificatum velit, niſi hoc*, planè ita fore, *quod verum eſſe nihil prohibet, tametſi aliter fieri poſſit; nihil dicit, quod à vera ratione abhorreat*]. Tractarat idem Origenes tomo in Geneſim tertio verbis non diſſimilibus, addito Iudæ exemplo de quo hoc Lucæ loco præcipuè agitur, Εἰ μὲν γὰρ τὸ πάντως ἔσται οὕτω τις ἑρμηνεύει, ὡς ἀνάγκην εἶναι γενέσθαι τὸ προεγνωσμένον, οὐ δίδομεν αὐτῷ. οὐ γὰρ ἐροῦμεν, ἐπεὶ προέγνωσται Ἰούδαν προδότην γενέσθαι, ὅτι πᾶσα ἀνάγκη ἦν Ἰούδαν προδότην γενέσθαι· ἐν οὖν ταῖς περὶ τοῦ Ἰούδα προφητείαις μέμψεις καὶ κατηγορίαι τοῦ Ἰούδα ἀναγεγραμμέναι εἰσὶ, παντὶ τῷ παρεστῶσαι τὸ ψεκτὸν αὐτοῦ. οὐκ ἂν δὲ ψόγος αὐτῷ προσήπτετο εἰ ἐπάναγκες προδότης ἦν, καὶ μὴ ἐνεδέχετο αὐτὸν ὅμοιον τοῖς λοιποῖς ἀποστόλοις γενέσθαι [*Nam ſi cui hoc*, omnino ita erit, *ita explicandum videatur, ut putet neceſſariò hoc quod cognitum fuit, ante quàm fieret, fieri debere; nos verè iſtiuſmodi interpretationi non accedimus. Neque enim dicemus, Quia antea cognitum fuerit Iudam proditurum, neceſſe ei fuiſſe prodere: Itaque in iis, quæ de Iuda ſcriptæ ſunt prophetiis, querimoniæ atque accuſationes adſcriptæ ſunt, quæ omnibus planum faciant, vituperabile hoc ejus factum fuiſſe. Neque verò meritò vituperari poſſet, ſi proditorem eum fieri neceſſe eſſet, neque ulla ratione conſequi poſſet ut ſimilis cæterorum Apoſtolorum evaderet*]. Mox, Εἰ δέ τις διηγήσεται τὸ πάντως ἔσται, καὶ τοῦτο σημαίνειν αὐτὸ λέγων, ὅτι ἔσται μὲν τάδέ τινα, ἐνεδέχετο δὲ καὶ ἑτέρως γενέσθαι, τοῦτο ὡς ἀληθὲς συγχωροῦμεν. τὸ μὲν γὰρ Θεὸν οὐκ ἐνδέχεται ψεύσασθαι· ἐνδέχεται δὲ περὶ τῶν ἐνδεχομένων γενέσθαι καὶ μὴ γενέσθαι φρονῆσαι τὸ γενέσθαι αὐτὰ ἢ τὸ μὴ γενέσθαι [*Sin quis ita explicet iſtud:* Omnino fiet, *ut hoc ſignificari dicat, Fore quidem hoc ita ut prædictum ſit, potuiſſe autem & aliter fieri: nos quoque hanc ſententiam, ut veram amplectimur. Deus enim ut mentiatur fieri non poteſt: poteſt autem, ut, quæ utramlibet in partem poſſunt cadere, ea utram in partem caſura ſint, ſciat*]. Quod ibidem latiùs proſequitur, à veterum nulla hac in parte errorum reprehenſus. Imo plurimi Scriptores ad hunc locum idem planè tradiderunt: & Chryſoſtomus oratione Cur obſcura ſint vaticinia, Οὐδὲ γὰρ ἡ πρόγνωσις, ἄνθρωπε, τῆς πονηρίας αἰτία· μὴ γένοιτο· οὐ γάρ ἐστιν ἀναγκαστικὴ τῶν μελλόντων ἔσεσθαι ἀλλὰ προγνωστικὴ μόνον. οὐκ ἐπειδὰν προεῖπεν ὁ Χριστὸς διὰ τοῦτο ἐγένετο ἐκεῖνος προδότης, ἀλλ' ἐπειδὰν προδότης ἔμελλε γενέσθαι διὰ τοῦτο προεῖπεν ὁ Χριστός [*Neque enim præſcientia, ô homo, cauſa eſt improbitatis; Abſit. Neque enim cogit ut fiant quæ futura ſunt, ſed tantùm antè, quid futurum ſit, novit. Neque hic ideo proditor fuit, quia id Chriſtus prædixerat: verùm eò prædixit Chriſtus, quia hic futurus erat proditor*]. Contrariam verò ſententiam magno conſenſu damnatam ubique eſt invenire. Locum Irenæi ſupra adduximus; cui addi poteſt ille Clementis, Τὶ πρὸς ταύτης ἔτι φθέγγονται τὴν φωνὴν αἱ αἱρέσεις, ἀγαθὸν τὸν Παντοκράτορα κηρυττούσης τῆς γραφῆς καὶ ἀναίτιον κακίας τε καὶ ἀδικίας; [*Quid ad hanc vocem habent hæreſes, quod regerant, cum Scriptura Omnipotentem & bonum & vitii omnis injuriæque inſontem prædicet*]?

πλὴν οὐαὶ τῷ ἀνθρώπῳ ἐκείνῳ δι' οὗ παραδίδοται. *veruntamen væ homini illi per quem tradetur*] Proſper ad objectiones Vincentianas, *Non caſus ruentium, nec malignitatem iniquorum, neque cupiditates peccantium prædeſtinatio Dei aut excitavit, aut ſuaſit, aut impulit: ſed planè prædeſtinavit judicium ſuum, quo unicuique retributurus eſt prout geſſit, ſive bonum ſive malum: quod judicium omnino futurum non eſſet, ſi homines Dei voluntate peccarent.* Qui cum bene convenit illud Hieroclis, Ὅσα μὲν τοῖς ἐφ' ἡμῖν ἁμαρτάνομεν, ταῦτα εἰς προαίρεσιν ἀναφέρεται· ὅσα δὲ ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις κατὰ τοὺς τῆς δίκης ἕπεται νόμους, εἰς εἱμαρμένην. τὰ δὲ προηγουμένως παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐκδιδόμενα ἀγαθὰ, εἰς πρόνοιαν [*Si quis in re, quæ noſtri arbitrii eſt, delinquit quippiam, id è voluntate ejus oritur: quod delicta è juſtitiæ lege ſequitur, fato attribuitur: quod ultrò nobis boni largitur Deus, providentiæ eſt*].

24. Ἐγένετο, *facta eſt*] Puto rectè verti poſſe *fuerat.* neque enim neceſſe eſt, imo vix credibile tam luctuoſo tempore vacaſſe animos ambitioſo certamini. Sed memor Chriſtus quid olim inter ſe diſceptaſſent, abiturus, ut dilectionis ita & humilitatis præcepta ſuis tradidit.

25. ἐξουσιάζοντες αὐτῶν, *qui poteſtatem habent ſuper eos*] Vide Matth. XX, 25.

εὐεργέται καλοῦνται. *benefici vocantur*] Sæpe apud Ioſephum & Philonem reperias hoc nomine appellari Romanos Imperatores. Datur & aliis Regibus, ut apud Plutarchum De ſe laudando; item apud Iſocratem Panathenaico: Apud Ioſephum etiam Simon Ethnarcha hôc titulo ornatur. Significat Chriſtus nomina talia ſæpe ab iis affectari qui reipſa ſuis magis quàm alienis commodis conſulant. Vident ergo quid pulchrum ſit, (alioqui nomen non affectarent) ſed facere idipſum negligunt. Vide quæ ad Matthæum, imprimis quod ibi ex Philone adduximus, valde enim facit huic loco illuſtrando. Hebræi Reges vocabant נדיבים *beneficos*, ut Iobi XII, 21. XXI, 28. & alibi.

26. ὁ μείζων ἐν ὑμῖν, *qui major eſt in vobis*] Quicunque munus aliquod in regno meo obtinebit.

γενέσθω ὡς ὁ νεώτερος. *fiat ſicut minor*] Sicut πρεσβύτεροι [*Seniores*] vocantur *qui Eccleſiæ præſunt*, ita νεώτεροι [*juniores*] qui ſunt ἐν τάξει ἰδιωτῶν [*in ordine laicorum*], Actor. V, 6. Ἀναστάντες δὲ οἱ νεώτεροι [*ſurgentes autem juvenes*], Paulus I Tim. V, 1. Πρεσβυτέρῳ μὴ ἐπιπλήξῃς, ἀλλὰ παρακάλει ὡς πατέρα· νεωτέρους ὡς ἀδελφοὺς [*Seniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem, juvenes ut fratres*]. Vult ergo Chriſtus Præpoſitos Eccleſiis nihil ſplendoris aut commodi ſibi præcipuum ſuprà cæteros aſſumere.

ὁ ἡγούμενος, *qui præceſſor eſt*] Ἡγούμενος [*Præceſſor*] hîc dici videtur *qui in Eccleſia ſublimiorem cæteris conſecutus eſt gradum*, ut Apoſtoli erant conſecuturi, & poſt eos Epiſcopi: ita enim veteres explicant illud ad Hebræos, Πείθεσθε τοῖς ἡγουμένοις ὑμῶν [*Obedite Præpoſitis veſtris*]. His opponuntur οἱ διακονοῦντες [*miniſtrantes*], qui in minimo ſunt gradu.

27. Τίς γὰρ μείζων; *nam quis major eſt*]? Oſtendit Chriſtus diſcrimen ſui Regni à regnis mundi: in regnis mundi Rex ad menſam accumbit, alii miniſtrant: at Chriſtus Rex cœleſtis Regni toto vitæ tempore ſuis ſubditis miniſterium exhibuerat, idque ipſum hoc tempore per pedum lotionem oculis ſubjiciebat, ut res memoriæ penitus hæreret.

28. Ὑμεῖς δέ ἐστε οἱ διαμεμενηκότες μετ' ἐμοῦ, *Vos autem eſtis qui permanſiſtis mecum*] Quaſi dicat, *Hactenus res veſtræ ſatis rectè ſe habent: vos alloquor qui à proditione abhorretis, qui hactènus fideli animo me ſectamini.*

ἐν τοῖς πειρασμοῖς μου. *in tentationibus meis*] Πειρασμοὶ [*tentationes*] hîc dicuntur *res adverſæ per quas conſtantia exploratur*, ut Gal. IV, 14. Iacobi I, 12. II Petr. II, 9. Apoc. III, 10. Dicitur autem Chriſtus πειρασθῆναι [*tentatus eſſe*], Hebr. II, 18. IV, 15. quatenus per illa adverſa obedientia ipſius emicuit.

29. Κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, καθὼς διέθετό μοι ὁ Πατὴρ, *Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater*] Dubium non eſt quin διατίθεσθαι [*diſponere*] hîc non ſit *legare*, quod Patri non convenit, ſed *pacto addicere*, ut apparet in Græco II Paral. VII, 18. In Pſalm. LXXXIX, 4. כרתי ברית vertitur διεθέμην διαθήκην [*diſpoſui teſtamentum*]: Sicut & libri quidam vetuſtiſſimi hîc habent διατίθεμαι ὑμῖν διαθήκην [*diſpoſui vobis teſtamentum*]. Conſtruenda autem verba ſunt hoc modo, Καθὼς διέθετό μοι ὁ Πατὴρ βασιλείαν, κἀγὼ διατίθεμαι ὑμῖν, ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου [*Sicut diſpoſuit mihi Pater Regnum, ſic & ego diſpoſui vobis, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam*], ut rectè exponit Theophylactus. Senſus eſt, *Sicut Pater mihi Regnum addixit acquirend per tolerantiam rerum adverſarum, ita & ego vobis*

addic

addico gloriam Regiæ Majeſtati proximam ſimili ratione acquirendam: ὥσπερ κοινωνοί ἐστε τῶν παθημάτων, οὕτω καὶ τῆς παρακλήσεως [*ſicut ſocii paſſionum eſtis, ſic eritis & conſolationis*] II Corinth. I, 7. εἰ ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν [*ſi ſuſtinebimus, & conregnabimus*] II Tim. II, 12. Cohæret autem optimè cum ſuperioribus, ubi eos ab ambitione deterruit. Nam quorum gloria in cœlo repoſita eſt, ii non debent eam in terris quærere: Deinde via ad gloriam eſt humilis patientia, ambitioni planè adverſa.

30. Ἵνα ἐσθίητε καὶ πίνητε ἐπὶ τῆς τραπέζης μου ἐν τῇ βασιλείᾳ μου, *Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo*] Duabus notis ſolent cognoſci Proceres regni, honoris & poteſtatis. Honos eſt in menſæ regalis conſortio: Poteſtas in judiciorum participatione. His translationibus hôc loco deſcribitur dignitas, ut diximus, regiæ proxima.

31. Σίμων, *Simon*] Latinus & Syrus legerunt Σίμωνι [*Simoni*]. At à receptâ lectione ſtat Arabs & veteres Latini Scriptores. Apoſtolos omnes in Petri perſona Chriſtus alloquitur, ſicut & ipſe pro Apoſtolis loqui ſolebat. nam quæ ad ipſum peculiariter pertinebant, eorum ex reſponſo ipſius nata eſt occaſio.

ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, *expetivit vos*] Id eſt, *petiit vos ſibi dedi.* Alluſio ad Iobi hiſtoriam ubi Deus Satanæ, הנה כל־אשר־לו בידך [*ecce omnia quæ ei ſunt, in manu tua*]. id eſt, *res ejus tibi dedo, tuo arbitratui permitto.* Sic Iſocrates dixit: ἐὰν δὲ μηδὲν τούτων ποιῶ, παρ' ὑμῖν ἐξαιτεῖν. *Quod ſi horum nihil facerem, me ut dedi à vobis poſtularent.*

τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον, *ut cribraret ſicut triticum*] *Ideo*, inquit, *hoc poſtulavit ut vos poſſet pro arbitrio concutere atque agitare.* nam τοῦ infinitivo junctum eſt τελικὸν [*finale*] apud Lucam. σινιάζειν [*cribrare*] eſt נוע quod λικμᾶν [*ventilare*] vertunt Septuaginta Amoſi IX, 9. ſed καταχρηστικῶς [*per abuſionem*]. nam ſequitur בכברה, id eſt, *in cribro.* Quare eum Amoſi locum hîc reſpici credibile eſt. Paris ſignificatûs eſt זרה, quod & ipſum ſæpe per λικμᾶν [*ventilare*] vertitur: alibi per διασκορπίζειν, ἀπαλλοτριοῦν, καθυβρίζειν [*diſpergere, abalienare, dedecore afficere*].

32. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, *Ego autem rogavi pro te*] Id eſt, *pro te aliisque Apoſtolis.* Ignatius ad Smyrnenſes: ὁ δεηθεὶς μὴ ἐκλείπειν τὴν πίστιν τῶν ἀποστόλων [*qui rogavit ut non deficeret fides Apoſtolorum*]. Videtur hæc ipſa eſſe oratio quæ exſtat Iohan. XVII, 9. ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ [*ego pro eis rogo*] & 11. Πάτερ ἅγιε τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου [*Pater ſancte ſerva eos in nomine tuo*], & 15, ἵνα τηρήσῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ πονηροῦ [*ut ſerves eos à malo*].

ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου· *ut non deficiat fides tua*] Ignatius ἵνα [*ut*] intelligit ὑλικῶς [*materialiter*], ut ſit ipſum illud quod rogatur. Et ſanè ſimile loquendi genus infrà, προσεύχεσθε ἵνα μὴ εἰσέλθητε εἰς πειρασμόν [*orate ne intretis in tentationem*]. Poteſt alioquin & τελικῶς [*finaliter*] intelligi. Sed res eódem ferme recidit, dum illud teneamus eſſe hîc ſimilem μετωνυμίαν [*transnominationem*] qualis obſervata eſt Matth. XXVI, 41. & voluiſſe Chriſtum hac oratione ſuccurrere infirmitati naturæ humanæ, non arrogantiæ, non ſocordiæ: ideo Petrus æquo confidentior ſubstractione auxilii punitur. Quæri hîc ſolet an hæc Chriſti oratio in Petro eventum habuerit talem, ut fides non defecerit. Scriptores antiqui non eodem modo loquuntur: *Fidem in negatione amiſſam eſſe, periiſſe* dicit Ambroſius: negat ἐκλεῖψαι τὴν πίστιν [*defeciſſe fidem*] Chryſoſtomus. Prudentius *animo* dicit *ſervatam fidem*, aliorumque exſtant dicta in utramque ſententiam. Sed apparet *fidei* vocem ab illis diverſè accipi, quod & Sacrarum Literarum & communi linguarum omnium uſui convenit. Nam nomina virtutum & vitiorum modò ἕξιν [*habitum*] denotant, modò τὴν ἐνέργειαν [*actum*]. quo ſenſu ἅπαντα τῷ ἔργῳ ὁρίζεσθαι [*omnia actu definire*] dixit Ariſtoteles; & Tertullianus, *Mutatis qualitatibus mutari vocabulorum poſſeſſiones:* Salvianus, *Nomen ſine actu ſuo atque officio nihil eſſe.* Defecit in Petro ἡ ἐνέργεια τῆς πίστεως [*actus fidei*] ad tempus: ideoque niſi pœnitentia ſubveniſſet, inciderat in legem illam quæ exſtat Matthæi x, 33. & II Tim. II, 12. Neque enim ſatis eſt corde credi ad juſtitiam, niſi ore fiat confeſſio ad ſalutem, Rom. x, 10. Ita is quem dixi Salvianus ait *fidem quæ per opera non probatur, habendam quaſi non ſit.* At ἕξιν [*habitum*] labefactavit, non extinxit: manſit in animo non nuda aſſenſio perceptæ veritatis, ſed & propoſitum Chriſtianiſmi, quanquam eo temporis momento inefficax. Cyprianus egregiè epiſtolâ ad Antonianum, *Nec putemus mortuos eſſe ſed magis ſemianimes jacere eos quos perſecutione funeſtâ ſauciatos videmus: qui ſi in totum mortui eſſent, nunquam de eiſdem poſtmodum & confeſſores & martyres fierent. Sed quoniam eſt in illis quod pœnitentiâ ſequente revaleſcat, ad fidem & ad virtutem de pœnitentiâ robur armatur.* Bene intellexit vir ſanctiſſimus non eodem ſe modo habere animi & corporis tum vitam tum mortem. Nam corpus ut momento vivificatur, & momento ſolet interire: animus paulatim & per partes vitam accipit, amittit, & recipit. quod nos docet Divina Apocalypſis III, 2. Στήριξον τὰ λοιπὰ ἃ μέλλει ἀποθανεῖν· οὐ γὰρ εὕρηκά σου τὰ ἔργα πεπληρωμένα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ [*Confirma cætera, quæ moritura erant, non enim invenio opera tua plena coram Deo*]. Facilè autem partes mortuas reſtituit feſtinata pœnitentia, de cujus utilitate ita Salvianus, *Ilico ubi concidére, conſurgant & elevationem protinus meditentur in lapſu: ac, ſi fieri ullo modo pernicitate pœnitudinis poteſt, tam velox ſit remedium reſurgentis, ut vix poſſit veſtigium apparere collapſi.* Hoc fecit Petrus, & propterea id ipſum quod in eo defecit vix defeciſſe cenſendum eſt: meritóque ad eum referas quod alibi de peccatore mox pœnitentiam agente dicit idem Salvianus, *Non penitus enim dominum lædit ſuum, cui propitiatio reſervatur: & quid plura? puto quòd ſemper in ipſo errore reſpexerit à quo obtinere potuit ne diutiùs erraret.*

καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον τοὺς ἀδελφούς σου. *& tu aliquando converſus confirma fratres tuos*] Plerique ἐπιστρέψας [*converſus*] interpretantur *pœnitentiâ ductus.* Cæterùm mihi id probari non poteſt: nam ex verbis præcedentibus periculum intelligi poterat, non lapſus. Quare alios ſequi malo qui Hebraiſmum putant eſſe, qualis eſt Pſalm. LXXXV, 7.

תשוב תחיינו, ἐπιστρέψας ζωώσεις ἡμᾶς [*converſus vivificabis nos*], id eſt, πάλιν ζωώσεις ἡμᾶς [*rurſus vivificabis nos*]. Ita hîc σύ ποτε ἐπιστρέψας στήριξον [*tu aliquando converſus confirma*], eſt σύ ποτε πάλιν στήριξον [*tu aliquando rurſus confirma*]. *Tu quoque olim viciſſim fratres confirma*, id eſt, *Da operam ne in fide deficiant, nempe pro ipſis orans, ſicut ego pro te oro*, adde & *exemplo prælucens.*

34. ἀπαρνήσῃ μὴ εἰδέναι, *abneges noſſe*] Similis locutio ei quæ ſuprà οἱ ἀντιλέγοντες ἀνάστασιν μὴ εἶναι [*qui negant reſurrectionem eſſe*].

36. Ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον, ἀράτω, *ſed nunc qui habet ſacculum, tollat*] Significare Chriſtus voluit longè alia inſtare tempora quàm experti eſſent hactenus: nam antehac multos fuiſſe qui ipſis bene vellent, qui ipſorum ſubvenirent neceſſitatibus; inimicos contra nihil in ipſos gravius auſos moliri: nunc autem ſibi, & conſequenter ipſis, inſtare graviſſima quæque; vix quemquam repertum iri qui ipſos ſublevet: contra venturos ipſos in odium publicum, ita ut à quovis impunè atque etiam cum laude vexandi eſſent. Hanc ſortis diverſitatem ut intelligant, primùm in memoriam illis revocat anteacti temporis ſortem perquam tolerabilem, quam olim ipſis prædixerat, additis ſignis quibusdam viſibilibus, nimirùm, vetito ne in futuros uſus ſibi peram aut crumenam aut ſimile quid compararent. Nunc ſortem longè aliam ſignis etiam contrariis indicat: vult enim *ſumi crumenam, ſumi & peram*, ſigna inſtantis penuriæ, quin & *quæri gladium*, ſignum ſcilicet inſtantis periculi: nam per loca latrociniis infeſta cum gladio iri ſolet. Diximus alibi morem fuiſſe multis gentibus, ſed Iudæis præſertim, res inſigniores non verbis tantùm ſed & conſpicuis rebus deſignare, unde orta manuum impoſitio, aliaque multa humani inſtituti. De antiquis Græcis Dionyſius Thrax Grammaticus, Ἐσήμαινον γοῦν οὐ διὰ λέξεως μόνον ἀλλὰ καὶ διὰ συμβόλων [*Deſignarunt enim non verbis tantùm ſed etiam ſignis*]. Sed præcipuè id uſurparunt Prophetæ modò ex Dei præſcripto, modò ſponte ſuâ, aut ipſi facientes aliquid quod rei futuræ haberet ſignificationem, aut alios facere imperantes. Exempla ſunt 1 Reg. XXII, 11. Eſaiæ XX, 2. Ierem. IX, 17. XXVII, 2. Ezech. IV, 2. XII, 7. Oſeæ I, 2. Actor. XXI, 11. & alibi. Dicit ergo Chriſtus, *Si quis crumenam habet, ne eam domi relinquat ſed ſecum ferat.* Qui imperativum in futurum vertunt, eos apparet offenſos præcepti ſibi non intellecti novitate: ſed lectionem receptam defendit Interpretum conſenſus.

ὁμοίως καὶ πήραν· *ſimiliter & peram*] Hoc dicitur per modum parentheſeos. Nam ad crumenam redit oratio. Sed obiter & tranſcurſu admonet Chriſtus *perâ quoque opus fore*, victu alioqui defecturo. βαλάντιον [*ſacculus*] eſt כיס, quod μαρσύππιον [*marſuppium*] plerumque vertunt Græci. πήρα, ילקוט [*pera*].

καὶ ὁ μὴ ἔχων, *& qui non habet*] Scilicet βαλάντιον quod [*ſacculum quem*], habere ſolent qui aliquid habent pecuniæ. Nam de pera erat interjecta mentio ut diximus, quod verborum quoque ordo ſatis indicat. Eſt enim quaſi dicat, *Quisquis crumenam habet ſumat eam; ſed ſimul cum pera: & quisquis non habet, potiùs veſtimentum divendat, quàm gladio careat:* id enim mos eſt facere quoties vis timetur.

πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, *vendat tunicam ſuam*] Hoc non præcisè præcipitur ſed comparatè, id eſt, *Omnino gladium ſibi comparet, vel veſte divendita, ſi aliter comparare non poteſt.*

37. ἔτι τοῦτο, *adhuc hoc*] Poſt multa alia à me tolerata jam illud ultimum reſtat, ut pro ſcelerato morti addicar, unde & illa ſequentur quæ ad vos pertinent: nam magiſtri ignominia atque odium ad diſcipulos redundat.

τέλος ἔχει. *finem habent*] Id eſt, *jamjam finem accipient*: τὰ περὶ ἐμοῦ [*quæ ad me pertinent*], *ea* ſcilicet *quæ ad ſtatum depreſſionis meæ pertinent.*

38. ἰδοὺ μάχαιραι ὧδε δύο. *ecce duo gladii hic*] Dicunt hoc, ut intelligant an per duos illos gladios ſatisfactum ſit ipſius imperio. Galilæos fuiſſe μαχίμους [*bellicoſos*] ait Ioſephus: & credibile eſt cùm iter è Galilæa ad urbem infeſtum eſſet latrociniis, multos ad urbem profectos cum gladiis: quod & ex Ioſepho aliquot locis colligere eſt, qui & Eſſenos ait armatos inceſſiſſe latronum metu. & ſuo tempore etiam ferarum cauſâ id fieri in Palæſtina ſolitum Cyrillus narrat. Hunc morem ſecuti videntur Apoſtoli, non omnes, ſed ex omni numero duo, quorum alter fuiſſe Petrus videtur, qui mox gladio, ut ſuo, utitur.

Ἱκανόν ἐστι. *Satis eſt*] Satis ad ſignificationem; nam ad pugnam vel duodecim gladii nihil facerent adverſùs ingruentem hoſtium multitudinem.

40. Προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν, *Orate ne intretis*] Vide quæ ad Matthæum.

41. ὡσεὶ λίθου βολήν, *quantum jactus eſt lapidis*] כמטחוי [*quantum jaci poteſt*], Geneſ. XXI, 16.

θεὶς τὰ γόνατα, *poſitis genibus*] Communis mos orandi erat ſtando: *in genibus orabant* quoties res major urgebat.

42. εἰ βούλει παρενεγκεῖν, *ſi vis auferre*] Id eſt, *utinam velles auferre:* nam ita εἰ accipi, etiam cum indicativo conjunctum, jam bis notavimus. Hoc loquendi genus non intellectum mutandæ ſcripturæ locum præbuit. De hoc deſiderio diximus ad Matthæum.

43. ἄγγελος ἀπ᾽ οὐρανοῦ, *Angelus de cælo*] Illaudabilis fuit & ſuperſtitio & temeritas eorum qui hanc particulam & ſequentem de ſudore delevere, nihilo graviore de cauſa quàm quo illud quod ſuprà eſt de fletu deletum diximus. Chriſtus enim deſtitutus Divinitatis in ſe habitantis virtute humanæque naturæ relictus, ac proinde ἐλαττωθεὶς βραχύ τι παρ᾽ ἀγγέλους [*puſillum quid minor factus Angelis*] opus habuit Angelorum ſolatio: quod in aliis etiam Chriſti πειρασμοῖς [*tentationibus*] obſervare eſt, ut Matth. IV, 11. Simile ſolatium aliàs à voce cœleſti accepit Iohannis XII, 28.

ἐνισχύων αὐτόν. *confortans eum*] Gloriam promiſſam & ſalutem humani generis, mortis iſtius fructum in mentem ipſi revocans, quibus ad tempus refocillatus, iterum permiſſus eſt mœrori.

ἐν ἀγωνίᾳ, *in agonia*] Propriè Græci hanc vocem uſurpant de eo motu animi ad grave periculum, qui tamen fortitudinem non expectoret. Porphyrius ad illud Homeri,

Τρῶας μὲν τρόμος αἰνὸς ὑπήλυθε γυῖα ἕκαστον·
Εκτορί τ' αὐτῷ θυμὸς ἐνὶ στήθεσι πάτασσε.

[*Troibus obvénit pavor ingens corpore toto;*
Et cordis pulſus vehemens fuit Hectore in ipſo].

Ita ait, Οἱ μὲν γὰρ ἄλλοι καὶ ὁρῶντες ἔτρεμον, ὁ δ' ἐν τῷ κινδύνῳ καθεστὼς ἀνδρεῖος ὤν, μόνον ἠγωνία [*Cæteri enim vel viſo tremebant, ad quem periculum pertinebat is verò cùm eſſet fortis, ſollicitus erat tantùm*].

44. ἐκτενέστερον προσηύχετο. *prolixiùs orabat*] Augeſcente dolore intendebat vim precationis, geſtu quoque id ipſum exprimens. nam ante genua flexerat: nunc toto corpore in terram procumbit, ut ex Matthæo & Marco diſcimus. Eo autem ſitu corporis orare viri ſancti ſolebant in extrema neceſſitate. Quare errant qui hîc confundunt τὰ γόνατα τιθέναι [*flectere genua*], id eſt ברך, & πίπτειν εἰς πρόσωπον [*procumbere in faciem*] aut ἐπὶ τῆς γῆς [*in terram*], id eſt השתחוה, hoc enim eſt ἐκτενέστερον προσευχομένου [*intentiùs orantis*].

καταβαίνοντος, *decurrentis*] Ita legit Latinus; & ſenſus videtur eſſe apertior: nam ſanguis maximè cùm in terram cadit conſpicitur θρομβοῦσθαι [*concreſcere*]. Eſt enim θρόμβος Galeno etiam in libro primo De ſemine τὸ αἷμα πεπηγός [*ſanguis concretus*]. Syrus quoque ſic legiſſe videtur: ſed ità ut ſubintelligeret vocem ἱδρῶτος [*ſudoris*]; quod loquendi genus exemplo non caret. Docet Ariſtoteles III de hiſtoria animalium accidere nonnullis ἱδρῶσαι αἱματώδει περιττώματι διὰ καχεξίαν καὶ διὰ τὴν τῆς θερμότητος ὀλιγότητα [*exſudare excrementum ſanguinolentum ob malum corporis habitum & caloris defectum*]. Attamen hôc loco nihil eſt unde certo colligas ſudori huic ſanguinem fuiſſe permixtum. Nam, ut Theophylactus & Euthymius notant, non dictum eſt ἐγένετο ἱδρὼς αἵματος [*factus eſt ſudor ſanguineus*], ſed ἐγένετο ὁ ἱδρὼς αὐτοῦ ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος [*factus eſt ſudor ejus ſicut guttæ ſanguinis*]. Quæ verba indicant verum fuiſſe ſudorem qui emanavit, non tenuem tamen ſed craſſum, quales eſſe ſolent grumi ſanguinis, cum ſudor vix ſoleat θρομβοῦσθαι [*in grumos concreſcere*]. Non aliter certè intellexit Iuſtinus colloquio cum Tryphone, qui omiſsâ ſanguinis mentione ſatis habuit *grumos* dixiſſe, ἱδρὼς ὡσεὶ θρόμβοι κατεχεῖτο αὐτοῦ εὐχομένου [*ſudore grumorum inſtar perfundebatur orans*]. Tale illud,

Salſusque per artus
Sudor iit.

48. Φιλήματι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου παραδίδως; *oſculo Filium hominis tradis*]? *Sub pacis ſigno proditionem occultas?* Sic illum oſcularis, de quo ſcriptum eſt Pſal. II, 12. *Oſculamini filium*?

49. εἰ πατάξομεν ἐν μαχαίρᾳ, *ſi percutimus in gladio*] Dubii inter id quod natura dictabat & ſæpe inculcata patientiæ præcepta, Dominum quid faciendum ſit rogant. At Petrus non exſpectato Domini reſponſo ad vim vi arcendam accingitur.

51. Ἐᾶτε ἕως τούτου, *Sinite usque huc*] *Satis eſt huc usque vos progreſſos in vi reponenda: nolite ultra progredi: hîc conſiſtite.* Ita hunc locum rectè exponit Syrus.

53. αὕτη ὑμῶν ἐστιν ἡ ὥρα καὶ ἡ ἐξουσία τοῦ σκότους. *hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*] *Hoc eſt tempus illud quo vobis & per vos tenebrarum principi poteſtas in me conceditur, ad implenda vaticinia ſcilicet. Hæc poteſtas hactenus vobis negata eſt, alioqui interdiu palàm inter vos agentem comprehendiſſetis ſine armis, ſine ullo ſtrepitu.* Vox ἐξουσίας [*poteſtatis*] hôc modo ſumitur & in Apocal. IX, 3, & 19.

54. τοῦ ἀρχιερέως, *Principis Sacerdotum*] *Cajaphæ.* Vide ad Matthæum.

56. πρὸς τὸ φῶς, *ad lùmen*] *Ad ignem*, ut apud Marcum.

ἀτενίσασα, *cum fuiſſet intuita*] Requirit vocabuli proprietas circumlocutionem in Latino ſermone, putà, *ſpectans oculis defixis:* ita ſuprà IV, 20. & in Actis aliquoties.

59. ὡσεὶ ὥρας μιᾶς, *quaſi horæ unius*] Ωσεὶ [*quaſi*] non ſemper *minus*, ſed ſæpe & *pluſculum eo quod dicitur* ſignificat, ut diximus ad caput III, 23. Atque ita hîc accipi debet. Vide quæ ad Matthæum.

61. ἐπέβλεψε τῷ Πέτρῳ, *reſpexit Petrum*] Admonens illum tacitè & inconſultæ jactationis & maturandæ pœnitentiæ. Non alienum hinc eſt quod Plutarchus narrat, Πολέμωνα Ξενοκράτης ὀφθεὶς μόνον ἐν τῇ διατριβῇ καὶ ἀποβλέψας πρὸς αὐτὸν ἐτρέψατο καὶ μετέθηκεν [*Polemonem Xenocrates viſus tantùm dum disputat, aſpectu ipſo mutavit tranſtulitque ad ſe*].

63. Καὶ οἱ ἄνδρες οἱ συνέχοντες, *Et viri qui tenebant*] Ad Matthæum monuimus coactum Lucam retrogredi, quia Hiſtoricorum more totam de Petro narrationem una ſerie exhibere voluerat. Verbum autem עצר verti ſolet συνέχειν [*tenere*], unde eſt verbale עצר [*anguſtia*] apud Eſaiam LIII, 8. ubi hæc hiſtoria prædicitur.

δέροντες. *cædentes*] Omiſit Syrus, quia ſequitur ἔτυπτον αὐτοῦ τὸ πρόσωπον [*percutiebant faciem ejus*]. Sed non eſt novum genere nominato ſpeciem quoque eximiam nominari.

66. ὡς ἐγένετο ἡμέρα, *ut factus eſt dies*] *Cum dies adventaret:* nam & ita ſumi ſolet ὁ ἀόριστος [*tempus indefinitum*].

συνήχθη, *convenerunt*] Id eſt, ἦν συναγόμενον [*erat congregatum*] Vide quæ ad Matthæum.

ἀνήγαγον, *duxerunt*] Videtur hæc lectio verior quam ἀπήγαγον [*abduxerunt*]. nam Synedrium habebatur in porticu excelſiore.

68. Ἐὰν δὲ καὶ ἐρωτήσω, *Si autem & interrogavero*] *Si qua argumenta proponam quibus me Chriſtum probem.* Argumentari enim Hebræi non minùs quàm Græci ſolebant interrogando. Sæpe ita utitur Sextus Philoſophus, & hinc apud Ariſtotelem *fallacia plurium interrogationum.* Cicero de fato, *Sic enim interrogant, Si fatum tibi eſt ex hoc morbo convaleſcere, convaleſces,* id eſt, *Sic enim argumentantur.* Recte autem dicit Chriſtus *non reſponſuros*: ſciebat enim hoc illis propoſitum, non ut ſe rationibus revincerent, ſed ut opprimerent auctoritate: ſed & antehac ejusdem conſeſsûs Senatores interrogati ſiluerant. ſuprà XX, 7, 17, 44.

70. Ὑμεῖς λέγετε, *vos dicitis*] Id eſt, *rem dicitis:* ut apud Xenophontem, αὐτὸς τοῦτο λέγεις ὦ Σώκρατες [*ipſe hoc dicis ô Socrates*].

ὅτι ἐγώ εἰμι. *quia ego ſum*] Quod hîc monet vir eruditiſſimus ὅτι [*quia*] eſſe Chriſti affirmantis, non repetentis vocem, verum putem.

71. ἠκούσαμεν ἀπὸ τοῦ στόματος αὐτοῦ, *audivimus de ore ejus*] Βλασφημίαν [*blaſphemiam*] ſcilicet, quod exprimunt Matthæus & Marcus, perſpicuitatis causâ: cum alioqui mos fuerit Hebræorum βλασφημίαν [*blaſphemiam*] ſilentio potiùs quàm verbo indicare.

CAPVT XXIII.

1. ΤΟ πλῆθος αὐτῶν, *multitudo eorum*] Ita vocat *cœtum Senatorum*: quare bene vertit Syrus כנשהון [*cœtus eorum*].

2. Διαστρέφοντα τὸ ἔθνος, *ſubvertentem gentem*] Eodem crimine accuſatur quo ab Achabo Elias: nam & ibi עכר ישראל [*qui conturbat Iſraël*] LXX vertunt ὁ διαστρέφων τὸν Ἰσραήλ [*qui ſubvertit Iſraël*]. Elias à falſorum deorum cultu, Ieſus à vita corruptiſſima populum in rectam viam revocabat. hoc impii vocant διαστρέφειν [*ſubvertere*], quia ſcilicet nolunt moveri Camarinam.

καὶ κωλύοντα Καίσαρι φόρους διδόναι, *& prohibentem Cæſari tributa dare*] Quia è Galilæa proceſſerat Iudas hujus dogmatis auctor, ideo confidenter objiciebant Chriſto crimen, & odioſum maximè Romanis, & in Galilæo credibile. Neque neſciebant quàm id eſſet falſum: ſed ita conducebat inſtituto. Quædam crimina objeciſſe ſatis eſt.

λέγοντα ἑαυτὸν Χριστὸν Βασιλέα εἶναι. *dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe*] Etiam mentitur qui verum ad rem pertinens ſubticet, quod hîc faciunt Iudæi Senatores. Ieſus *Chriſtum* ſe, id eſt, *eximium promiſſumque Regem* dixerat, ſed *nempe Regni cœleſtis*; quod Romanorum potentiæ non obſtabat: id non additum, facit rem longè aliam videri.

3. Σὺ λέγεις. *Tu dicis*] Rem faſſus eſt Ieſus, ſed additâ quam Senatores ſuppreſſerant diſtinctione, *Rex ſum*, inquiens, *ſed non Regni terreſtris*: quod Iohannes explicat.

4. Ὁ δὲ Πιλάτος εἶπε, *Ait autem Pilatus*] Nempe exiens ad Senatores foris exſpectantes, ut Iohannes nos docet.

Οὐδὲν εὑρίσκω αἴτιον, *Nihil invenio cauſæ*] *Nullum crimen.* Nam *noxæ* vox *ad privata delicta* referri ſolet. Videbat confeſſionem ita eſſe temperatam, ut crimen non contineret, probationes videbat nullas. Ipſe hominis habitus à regni affectati ſuſpicione longè aberat.

5. Ἐπίσχυον, *invaleſcebant*] *Inſtabant*. תחוק [*urgebant*] Exod. XII, 33.

Ὅτι ἀνασείει τὸν λαὸν, διδάσκων *Quia commovet populum, docens*] Cùm non recipi à Pilato viderent crimen regni affectati, ad aliud confugiunt quod facti erat non ambigui, ſed juris habebat quæſtionem: *Docet*, inquiunt, *res quaſdam novas, neque congruentes cum receptis apud nos ſententiis. Iam verò ſatis notum eſt, ea re populum commoveri ſolere, ac proinde adverſari hoc publicæ tranquillitati cujus tu cuſtos es conſtitutus.* Hoc ipſum eſt quod Socrati Athenis objectum fuit. Ita & Paulum accuſat Tertullus, ut κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις [*concitantem ſeditionem omnibus Iudæis*]. Celſus quoque & Iudæos, ut ſeditioſos accuſat quòd ab Ægyptiorum inſtitutis receſſiſſent, & Chriſtianos quòd à Iudaïcis.

ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. *incipiens à Galilæa uſque huc*] Si dubitas, inquirere potes, non per Iudæam tantùm, ſed & per Galilæam, nutricem ſeditioſorum hominum, quot ille diſciplinæ ſuæ ſtipatores collegerit.

7. Ἐπιγνοὺς ὅτι ἐκ τῆς ἐξουσίας Ἡρώδου ἐστὶν, *Et ut cognovit quod de Herodis poteſtate eſſet*] *Cognito ipſum eſſe ex Herodis territorio.* Ita enim μετωνυμικῶς [*per transnominationem*] hic ſumitur vox ἐξουσίας [*poteſtatis*].

ἀνέπεμψεν αὐτὸν, *remiſit eum*] Propriam Romani juris vocem uſurpavit. nam remittitur reus qui alicubi comprehenſus mittitur ad Iudicem aut originis aut habitationis. Itaque Pilatus Herodi, ut Tetrarchæ ejus loci, unde eſſe Ieſus dicebatur, poteſtatem permiſit Ieſum abducendi in Galilæam, ibique, ſi vellet, cognoſcendi de ejus cauſa, ut fieri inter Romanos provinciarum Rectores ſolebat, quod rectè hîc notat Theophylactus. Celſus in L. Non eſt dubium D. de cuſtodia rerum, *Illud à quibuſdam obſervari ſolet, ut cùm cognovit & conſtituit, remittat illum cum elogio ad eum qui provinciæ præeſt unde homo eſt: quod ex causâ faciendum eſt.* Sed hic antequàm quicquam conſtituiſſet, remittit reum Pilatus. major enim reverentiâ Regi quàm Præſidi debebatur. Sic Veſpaſianus cognitionem de Tarichææ oppidanis Agrippæ Regi permittit apud Ioſephum belli Iud. III, cap. ult.

8. ἐξ ἱκανοῦ, *ex multo tempore*] Id eſt, ἐκ χρόνων ἱκανῶν [*temporibus multis*], ut loquitur ſuprà VIII, 27.

ἰδεῖν αὐτὸν, *videre eum*] Vide ſuprà IX, 9.

ἤλπιζέ τι σημεῖον ἰδεῖν ὑπ' αὐτοῦ γινόμενον. *ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri*] Vt oculos & animum re nova paſceret, more aulæ. At Deus non ita prodigus eſt potentiæ ſuæ, ut eam inſervire cupiat humanæ curioſitati. Res magna ſit neceſſe eſt propter quam naturæ leges exceduntur.

9. Ἐπηρώτα δὲ αὐτὸν, *Interrogabat autem eum*] De poteſtate quam ſibi arrogaret.

10. εὐτόνως κατηγοροῦντες αὐτοῦ. *conſtanter accuſantes eum*] Vox eſt uſûs medii. nam & de Paulo dicitur εὐτόνως διακατηλέγχετο τοῖς Ἰουδαίοις [*vehementer revincebat Iudæos*] Actor. XVIII, 28. Puto rectè verti *acriter*. Dabant autem operam Senatores, ut Herodi quoque ſuſpectum facerent Ieſum affectati imperii. Nam regnum Davidicum non minùs Galilæam quàm Hieroſolyma complectebatur.

11. ἐξουθενήσας δὲ αὐτὸν, *ſprevit autem illum*] Indignum ſuâ magnitudine ratus, ſi crederetur metuiſſe hominem, neque armis neque regnandi artibus inſtructum. Reſpondet hoc voci חדל [*abjectiſſimus*] apud Eſaiam LIII, 3.

σὺν τοῖς στρατεύμασιν αὐτοῦ, *cum exercitu ſuo*] *Cum miniſtris ſuis*, ut rectè vertit Syrus. Nam Helleniſtæ στρατιὰν & στράτευμα [*exercitum*] uſurpant, ut Hebræi צבא [*exercitum*], pro *quovis comitatu*.

ἐμπαίξας, *illuſit*] *Illudens ei, ut homini fatuo*: hæc enim portio eſt Chriſti & Chriſtianorum apud id genus homines.

ἐσθῆτα λαμπρὰν, *veſte alba*] *Fulgentem* Arabs intelligit, *albam* Latinus: neutrum ſatis certum eſt. Nam, ut ſuprà, de eo qui magnificè epulabatur dixerat εὐφραινόμενος λαμπρῶς [*epulabatur ſplendidè*], ita & hîc λαμπρὰν ἐσθῆτα intelligit *veſtem ſplendidiorem*: quomodò & Iacobus appellat veſtem hominum opulentiorum. At hîc inſuper privato cultu *ſpendidiorem veſtem* par eſt intelligi. Nam irriſit eum Herodes ut majora captu ſuo ſtultè appetentem, ita ut à re fortè non aberraverit Syrus qui *veſtem coccineam* eſt interpretatus. Dubitari poteſt Latino magis an Arabi faveat quod Actor. x, 30. legimus Angelum Cornelio apparuiſſe ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ [*in veſte alba*]: Nam ſolet Angelis & *candidus & fulgens habitus* adſcribi, ut alibi notatum eſt.

ἀνέπεμψεν αὐτὸν τῷ Πιλάτῳ. *remiſit eum ad Pilatum*] Indignum irâ ſuâ ratus ac proinde beneficio indultæ cognitionis non utens.

12. Εγένοντο δὲ φίλοι, *Et facti ſunt amici*] Eò nimirum amicitiæ genere quod communi utilitate conglutinatur & rectiùs factio dicitur,

> ——— *Tam diri fœderis ictu*
> *Parta quies.*

Vitia inter ſe discordia adverſùs virtutem facilè conſpirant.

προϋπῆρχον γὰρ ἐν ἔχθρᾳ ὄντες, *nam antea inimici erant ad invicem*] Ob Galilæos, ut credibile eſt, à Pilato nuper trucidatos. Sed & aliàs facillimè inter Reges & Romanos Præſides ex æmulatu odia naſcebantur, cujus rei inſigne exemplum legat qui volet apud Philonem adverſùs Flaccum.

13. καὶ τοὺς ἄρχοντας, *& Magiſtratus*] Id eſt, τοὺς πρεσβυτέρους [*Seniores*].

καὶ τὸν λαὸν, *& plebem*] Allocutus eos eſt adſtante populo. Vide quæ ad Matthæum.

14. ὡς ἀποστρέφοντα τὸν λαόν. *quaſi avertentem populum*] *Tanquam qui avertat populum à Romani imperii reverentia.* Sic ἀποστροφὴν [*averſionem*] προδοσίαν [*proditionem*] interpretatur Heſychius.

ἐνώπιον ὑμῶν, *coram vobis*] Hoc ad Senatores dicitur. Ait Pilatus ſe rem totam inquiſiviſſe non tantùm cum conſilio ſuo, ſed & coram ipſis Senatoribus, primùm quidem cùm reum adducerent, iterum verò cùm ad eos ipſe proceſſiſſet.

ἀνακρίνας, *interrogans*] *Inquiſitione facta.* Etiam hîc κυριολογεῖ [*propriè loquitur*] Lucas. Nam vox eſt judicialis Actor. IV, 9. Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα ἐπὶ εὐεργεσίᾳ [*Si nos hodie dijudicamur in benefacto*]. Actor. XXV, 26. Οπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης σχῶ τι γράψαι [*Vt interrogatione facta habeam quod ſcribam*]. XXVIII, 18. Παρεδόθην εἰς τὰς χεῖρας Ρωμαίων, οἵτινες ἀνακρίναντές με ἐβούλοντο ἀπολῦσαι [*Traditus ſum in manus Romanorum: qui cùm interrogationem de me habuiſſent, voluerunt me demittere*]. Plato, Αφωνος δ᾽ ἂν δικαστὴς ἡμῖν, καὶ μὴ πλείω τῶν ἀντιδίκων ἐν τῇ ἀνακρίσει φθεγγόμενος [*Mutus nobis Iudex, nec plura in examine adverſarius loquens*]. Plutarchus, Γράψας πῶς δεῖ ἀνακρίνασθαι τοὺς ἐν αἰτίαις γενομένους [*Scribens quomodo oportet in reos inquirere*].

αἴτιον, ὧν κατηγορεῖτε κατ᾽ αὐτοῦ, *cauſam ex his in quibus eum accuſatis*] *Quod ad Majeſtatem* ſcilicet *pertineat*, id enim præcipuè urgebatur.

15. ἀλλ᾽ οὐδὲ Ηρώδης. *ſed neque Herodes*] Si mihi non creditis, credite populari & conſorti religionis.

ἀνέπεμψε γὰρ αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς, *remiſit enim eum ad nos*] Hæc lectio cum multis codicibus fulciatur & Arabi videatur placuiſſe, mihi non diſplicet. Sequentia enim rectiùs cohærent. Syrus legit ἀνέπεμψα γὰρ αὐτὸν πρὸς αὐτὸν [*remiſi enim eum ad illum*].

οὐδὲν ἄξιον θανάτου ἐστὶ πεπραγμένον αὐτῷ. *nihil dignum morte actum eſt ei*] Videtur Syrus hoc πεπραγμένον [*actum eſt*] interpretari non ab Ieſu ſed ab Herode circa Ieſum: quem ſenſum & Latina verſio recipit; ut hoc dicat Pilatus, *Remiſſum ab Herode Ieſum ſine ullo elogio aut ſigno quo mortem commeritus poſſet intelligi.* Et certè hunc ſenſum requirere videtur illud ἰδοὺ [*ecce*], quod rem quaſi oculis ſubjicit, & alioqui bis idem dixerit Pilatus. nam præceſſit οὐδὲν εὗρον αἴτιον [*nullam inveni cauſam*].

16. Παιδεύσας, *Emendatum*] Iterum proprietatem ſectatur. nam παιδεύειν reſpondet Latino *caſtigare*; caſtigatio autem de flagellis propriè dicitur L. veluti. D. de pœnis. Sed notandum eſt fuiſſe tum Pilato varia animo conſilia verſanti propoſitum flagris Ieſum cædere, non ut poſtea fecit, quaſi habendæ quæſtionis cauſâ, ſed pro pœna. Nimirum legibus Romanis arbitraria erat pœna, ſi quis (ut Paulus ICtus in receptis ſententiis loquitur) novas ex uſu vel ratione incognitas religiones induceret, ex quibus animi hominum moverentur: quod Marcus Imperator dixit, Si quis aliquid feciſſet quo leves hominum animi ſuperſtitione Numinis terrerentur. Hoc crimen, quàm Majeſtatis videbatur Pilato, qui quovis modo ſatisfacere Iudæis volebat, magis in Ieſum congruere, ut ſolent qui aliud quàm jus intuentur quærere aliquid quod obtendant injuriæ.

18. αἶρε τοῦτον, *tolle hunc*] De hôc clamandi modo diximus ad Matthæum.

22. Τί γὰρ κακὸν; *quid enim mali*]? *Quod capital?* Eſt autem & hîc αἰτιολογία τοῦ σιωπωμένου [*ratio ejus quod ſubticetur*]. Subintelligitur enim, *non faciam quod vultis*: aut, *iniquum poſtulatis.*

23. καὶ τῶν Αρχιερέων. *& Principum Sacerdotum*] Agnoſcunt has voces Syrus & Arabs. neque ſupervacuæ ſunt. Significatur enim, hos fuiſſe in populo ad clamorem præcipuos: quod vel maximè indignum erat eorum gravitate.

24. ἐπέκρινε γενέσθαι, *adjudicavit fieri*] Επικρίνειν nihil hîc eſt aliud quàm *judicando decernere.* Ita θάνατον ἐπέκρινε [*morte damnavit*] dixit Scriptor II Maccabæorum IV, 48.

25. τὸν διὰ στάσιν καὶ φόνον βεβλημένον εἰς τὴν φυλακὴν, *qui propter ſeditionem & homicidium miſſus fuerat in carcerem*] Multò eſt ἐμφατικώτερον [*ſignificantius*] quàm ſi ſimpliciter dixiſſet Barabbam. Ita Petrus Actor. III, 14. Υμεῖς δὲ τὸν ἅγιον καὶ δίκαιον ἠρνήσασθε, καὶ ᾐτήσασθε ἄνδρα φονέα χαρισθῆναι ὑμῖν [*Vos autem ſanctum & juſtum negaſtis, & petiiſtis virum homicidam donari vobis*].

26. ὄπισθεν τοῦ Ιησοῦ. *poſt Ieſum*] Vide quæ ad Matthæum.

28. μὴ κλαίετε ἐπ᾽ ἐμὲ, *nolite flere ſuper me*] Reſpicit Chriſtus morem hominum de ſuis quàm de

alienis malis magis dolentium: quaſi diceret, *Si calamitates quæ vobis impendunt videretis, non vacaret vobis lachrymas mihi impendere.*

29. ἐν αἷς ἐροῦσι, *in quibus dicent*] Indefinitè. id eſt, *cùm dicetur.*

Μακάριαι αἱ στεῖραι, *beatæ ſteriles*] Quia duplex eſt dolor liberos videre miſeriæ participes. Euripides Alceſtide,

Ζηλῶ δ' ἀγάμους ἀτέκνους τε βροτῶν·
Μία γὰρ ψυχὴ τῆς ὑπὲρ ἀλγεῖν
Μέτριον ἄχθος.
Felix, felix, quisquis thalamis
Et prole vacat, namque una anima eſt
Cui ſat debet ſuus eſſe dolor.

30. λέγειν τοῖς ὄρεσι, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς, καὶ τοῖς βουνοῖς, καλύψατε ἡμᾶς. *dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus, operite nos*] Ex Oſea x, 8. ubi de Samaria ſermo, quæ & pravitatis & pœnæ Hieroſolymorum geſſit imaginem: ſed ibi tranſpoſitis vocibus eſt, Ἐροῦσι τοῖς ὄρεσι, Καλύψατε ἡμᾶς, καὶ τοῖς βουνοῖς, πέσετε ἐφ' ἡμᾶς [*dicent montibus: Operite nos, & collibus: cadite ſuper nos*]. Iohannes גבעות βουνοὺς [*colles*] interpretatur πέτρας [*rupes*] Apocal. VI, 16. λέγουσι τοῖς ὄρεσι καὶ ταῖς πέτραις, Πέσετε ἐφ' ἡμᾶς καὶ κρύψατε ἡμᾶς [*dicunt montibus & petris: cadite ſuper nos & abscondite nos*]. Similis eſt locus Eſaiæ II, 19. Locutiones hæ ſunt quidem proverbiales, at ſimul à Chriſto uſurpatæ ſunt ad eventuum ſingularum ſignificationem, quò magis ex his dictis ipſius præſcientia appareret. Nam & matrum ea fuit miſeria, ut ſuos ipſæ natos præ fame manderent, & occupante urbem Romano exercitu, plurimi ſe in ſpecus abdiderunt; ut apud Ioſephum videre eſt.

31. εἰ ἐν τῷ ὑγρῷ ξύλῳ ταῦτα ποιοῦσιν, ἐν τῷ ξηρῷ τί γενήσεται; *ſi in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet*]? Quanquam poteſt ποιοῦσιν [*faciunt*] ad Romanos referri, tamen convenientius puto imperſonaliter exponi; ut ſenſus ſit, *Si hoc fit* (Divinâ ſcilicet diſpenſatione) *in ligno humido, quid fiet in arido?* quomodo Petrus dicit, εἰ δίκαιος μόλις σώζεται [*ſi juſtus difficulter ſalvatur*], (id eſt non niſi per multas calamitates) ὁ ἀσεβὴς καὶ ἁμαρτωλὸς ποῦ φανεῖται; [*impius & peccator ubi apparebit*]? Rabbi Salomo ad x Num. *Quum Deus ſanctus benedictus judicium facit in juſtis, timetur, extollitur, & laudatur: nam ſi in illis hoc facit, quantò magis in impiis?* Apparet autem & hoc loquendi genus fuiſſe proverbiale. Nam Hebræi viros bonos *ligna viridia* vocant, malos *arida.* Eſt enim tritum apud eos adagium, *Si duo fuerint ligna arida & unum viride, arida illud lignum viride exurunt:* quo ſignificant facilè bonos, utpote pauciores, opprimi malorum conſpiratione. Sed & apud Ezechielem xx, 47. comminatur Deus exciſurum ſe כל־עץ־לח וכל עץ יבש, πᾶν ξύλον χλωρὸν καὶ πᾶν ξύλον ξηρὸν [*omne lignum viride & omne lignum aridum*], quod ipſe mox XXI, 3. interpretatur *juſtum atque improbum.* Vtitur eâdem ſimilitudine & Hermas libro tertio. Sed & in Pſalm. I vir bonus *virenti arbori* comparatur, contraque *arbores emortuæ* & Chriſto & Baptiſtæ vocantur homines à pietate deſtituti.

32. κακοῦργοι, *nequam*] *Facinoroſi.* nam *nequam* multò eſt minus; *malefici* autem propriè ſunt *qui malis carminibus aut herbis nocent.*

33. τὸν καλούμενον Κρανίον, *qui vocatur Calvaria*] Si codices adſtipularentur, legerem κρανίων [*craniorum*], quomodo & Latinum Interpretem legiſſe ſuſpicor, aut κρανίου [*cranii*], quomodo legiſſe videtur Epiphanius. Alioqui erit μετωνυμία [*transnominatio*], κρανίον [*cranium*] pro κρανίου τόπος [*cranii locus*], ut eſt apud Matthæi Interpretem & Marcum. Sed & in Cephallenia urbem fuiſſe legimus quæ *Cranium* vocaretur: Thucydidi κράνια [*crania*] plurali numero.

34. Πάτερ, ἄφες αὐτοῖς. *Pater, dimitte illis*] Quod dicto monuerat Chriſtus, Orandum ὑπὲρ τῶν ἐπηρεαζόντων ἡμᾶς [*pro iis qui nos damno & injuria afficiunt*], id facto nunc præſtat, Pontificem ſe verè exhibens, cujus eſt munus προσφέρειν ὑπὲρ τῶν τοῦ λαοῦ ἀγνοημάτων [*offerre pro populi ignorantia*]. Atque ita impletum eſt quod prædixerat Eſaias לפשעים יפגיע [*pro transgreſſoribus intercedet*]. Illud autem ἄφες [*dimitte*] interpretandum ex ſimili oratione Stephani, Μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην [*Ne ſtatuas illis hoc peccatum*], *Ne imputa*, ſcilicet *in hoc, ut pœnitentiam illis præcludas feſtinato exitio aut pleniſſimâ obduratione.* Iuſtinus colloquio cum Tryphone, Διὸ καὶ ὑπὲρ ὑμῶν καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνθρώπων τῶν ἐχθραινόντων ἡμῖν εὐχόμεθα, ἵνα μεταγνόντες σὺν ἡμῖν μὴ βλασφημῆτε τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν [*Hac de cauſa & veſtram & omnium eorum, qui inimico in nos ſunt animo, vicem deprecamur Deum, ut aliquando actâ nobiscum pœnitentiâ Chriſto Ieſu maledicere deſinatis*]. Et alio loco, Καὶ ἡμεῖς ὑμᾶς καὶ τοὺς δι' ὑμᾶς τοιαῦτα καθ' ἡμῶν ὑπειληφότας οὐ μισοῦμεν, ἀλλ' εὐχόμεθα καὶ νῦν μετανοήσαντας πάντας ἐλέους τυχεῖν παρὰ τοῦ εὐσπλάγχνου καὶ πολυελέου πατρὸς τῶν ὅλων Θεοῦ [*Nos verò nec vos odimus, nec eos qui veſtro vitio tam malignè de nobis ſentiunt: imò verò precamur, quò vel nunc aliquando omnes pœniteat errorum, miſereaturque omnium miſericors univerſi parens Deus*]. Sic Paulus I Tim. I, 13. ait ſe miſericordiam conſecutum, eò quòd ignorans egiſſet quæ egerat: ſignificans ideo ſe non obduratum, non præcluſum ſibi ad veritatem aditum.

οὐ γὰρ οἴδασι τί ποιοῦσι. *non enim ſciunt quid faciunt*] Sic Eccleſiaſtæ IV, 17. *Neſciunt ſe malum facere.* Facit hîc Chriſtus quod ſolent deprecatores: omiſſo quod in facto Iudæorum erat accuſandum, id refert quod ad minuendam aliquo modô culpam pertinebat. Erat quidem ignorantia craſſa ac ſupina, adde etiam profecta ex multis vitiis, ſed tamen non extremâ lineâ peccabant qui in eum peccabant quem non pernoverant. Ariſtoteles Rhetor. primo, & eum ſecutus Themiſtius Oratione ad Valentem, tria faciunt delictorum genera, ἀτυχήματα, ἁμαρτήματα, ἀδικήματα [*infortuni* *peccata, injurias*]. Et ἀτυχήμασι [*infortuniis*] quidem ait Themiſtius deberi τὸ συναλγεῖν καὶ τὸ τείρειν [*condolentiam & miſerationem*] (quod dixerat & Diodorus Siculus Bibliothecæ libro XIII) τοῖς ἁμαρτήμασι [*peccatis*] verò τὸ μέμφεσθαι καὶ τ ἐπανορθοῦν [*querelam & correctionem*], poſtrem τοῖς ἀδικήμασι τὸ καταγινώσκειν καὶ τιμωρεῖσθαι [*inj* *condemnationem & pœnam*]. Iudæorum hoc peccatum

tum ſicut nudum ἀτύχημα [*infortunium*] non erat, imo excedens etiam communem ἁμαρτημάτων [*delictorum*] ſortem, ita aliquid trahebat ἐκ τοῦ ἀτυχήματος [*ex infortunio*], ob ignorantiam ei admixtam: quam & Petrus agnoſcit Actor. III, 17. & Paulus I Corinth. II, 8. Itaque videre eſt multos eorum hac Chriſti deprecatione ſublevatos, cùm intellexiſſent poſtea Chriſti cauſam Deo probatam, adductos ad ſeriam facinoris ſui deteſtationem. Alia longè eorum cauſa eſt qui à vigilibus mendacium nummis redemerunt, aut Apoſtolis interdixerunt ne ederent cœleſtis potentiæ ſigna. Bene docuit Ariſtoteles libro de moribus III. ἕτερον εἶναι τὸ δι' ἄγνοιαν πράττειν τοῦ ἀγνοοῦντα ποιεῖν [*aliud eſſe per ignorantiam, aliud ignorantem facere*]. Nam quoſdam eſſe qui ignorantes quidem peccent, ſed non per ignorantiam; cujus rei evidens eſſe indicium ſi eos re compertâ facti non pœniteat. Quam ſapientiſſimi Philoſophi obſervationem ad cauſam hanc Iudæorum ſapienter aptatam videre eſt in reſponſionibus ad Orthodoxos quæſt. CVIII. ubi ita ait quicunque ille eſt magni judicii Scriptor, Δειχθείσης τῆς νομιζομένης γνώσεως διὰ τῆς ἀποβάσεως, ἀγνοίας ὑπαρχούσης τοῦ πράγματος, ἂν ἐμμείνῃ τῇ αὐτῇ ἀγνοίᾳ ὁ ἀγνοήσας, οὐδεμίαν ἐφέλκεται συγγνώμην, ἀλλὰ τιμωρίαν ἀπαραίτητον [*Cùm poſtea eventus oſtenderit ignorantiam fuiſſe eam, quæ antea ſcientia putabatur, ſi ne tum quidem è priore ignorantia emergat is qui ignoraverat aliquid, nihil eſt, cur ei iſta culpa condonetur, imo verò cauſa dici nulla poteſt, quò minùs ſeverè vindicetur*]. Et mox, Τὸ ἐξαργυρίζειν αὐτοῦ (Ἰησοῦ) τὴν ἀνάστασιν καὶ κωλύειν τοὺς ἀποστόλους ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μὴ ἐκτελεῖν θεῖα ἔργα ἐν τῇ δυνάμει τοῦ θείου πνεύματος γινόμενα, οὐκ ἔστιν ἀκουσίου ἀγνοίας συγγνώμην ἐφελκομένης, ἀλλ' ἐγνωσμένης ἑκουσίου θεομαχίας τιμωρίαν ἐφελκομένης [*Suſcitationem Ieſu à morte dato argento velare conari, atque Apoſtolos Divina opera, quæ ejus nomine vi Divini Spiritûs fiebant, vetare facere, hæc verè ab involuntariâ ignorantia, cui venia dari ſolet, profecta non ſunt, ſed à pugna adverſùs Deum ſpontè ac deliberato animo ſuſcepta quæ pœnam meretur*]. Pro iis qui cognita Dei opera Diabolo aſcribebant, Chriſtum ſimilia precatum non legimus: & cùm Iohannes vetat orari pro delinquentibus ad mortem, eos intelligit qui cognitam jam veritatem certo animi propoſito oppugnant, aut monita Eccleſiæ contumaciter ſpernunt, quod genus hominum rectè ad mortem peccare dicitur, quia ſunt, ut cum Ariſtotele loquar, ἀνίατοι διὰ τὴν μοχθηρίαν [*inſanabiles ob improbitatem*]. Tractat idem hoc argumentum de multiplici peccatorum genere Theodoretus fine orationis ad Græcos, ubi ait æquum eſſe, ut eos qui palàm amant & amplectuntur vitam turpem, exſecremur: eos verò, quorum peccata non ſunt ὅλα τῆς γνώμης [*planè voluntaria*], moneamus ac ſublevemus quantum fieri poteſt.

35. οἱ ἄρχοντες σὺν αὐτοῖς, *principes cum eis*] Illud σὺν αὐτοῖς [*cum eis*] legiſſe mihi videtur etiam Syrus & rectè ſatis expreſſiſſe per אף [*etiam*]. Senſus enim eſt, *non plebs tantùm, ſed & ipſi Senatores* (quorum id gravitatem minimè decebat, ut modò notavimus in re ſimili) *crudeliter inſultabant pendenti.*

ὁ τοῦ Θεοῦ ἐκλεκτός. *Dei electus*] Quæ ſit vis vocis ἐκλεκτὸς [*electus*] diximus ad Matthæum XX, 16. quid hîc propriè ſignificet, ad Matthæum hôc loco. Solebat planè inter Iudæos Meſſias hoc nomine appellari, quod in nativitatis Chriſti injuriam pravè interpretatus eſt Ebion, cujus ſententiam ita explicat Epiphanius, Τούτου ἕνεκα Ἰησοῦν γεγεννημένον ἐκ σπέρματος ἀνδρὸς λέγουσι καὶ ἐπιλεχθέντα, καὶ οὕτως κατ' ἐκλογὴν υἱὸν Θεοῦ κληθέντα ἀπὸ τοῦ ἄνωθεν εἰς αὐτὸν ἥκοντος Χριστοῦ [*Atque hanc ob cauſam Ieſum è ſemine viri genitum dicunt electumque, atque ita per electionem Filium Dei appellatum, ob Chriſtum qui ſupernè in eum deſcenderit*]. Ex quo loco lux affulget duobus Iuſtini locis, Colloquiô adverſùs Tryphonem, alioqui obſcuris, Ἤδη μέντοι, ὦ Τρύφων, εἶπον, οὐκ ἀπόλλυται τὸ τοῦτον (ita legendum, non τοιοῦτον) εἶναι Χριστὸν τοῦ Θεοῦ, ἐὰν ἀποδεῖξαι μὴ δύνωμαι ὅτι καὶ προϋπῆρχεν υἱὸς τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων Θεὸς ὤν, καὶ γεγέννηται ἄνθρωπος διὰ τῆς παρθένου· ἀλλ' ἐκ παντὸς ἀποδεικνυμένου, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅστις οὗτος ἔσται, ἐὰν δὲ μὴ ἀποδεικνύω ὅτι προϋπῆρχε καὶ γεννηθῆναι ἄνθρωπος ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν, σάρκα ἔχων κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς βουλὴν ὑπέμεινεν, ἐν τούτῳ πεπλανῆσθαί με μόνον λέγειν δίκαιον, ἀλλὰ μὴ ἀρνεῖσθαι ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ Χριστός, ἐὰν φαίνηται ἄνθρωπος ἐξ ἀνθρώπων γεννηθεὶς καὶ ἐκλογῇ γενόμενος εἰς τὸ Χριστὸν εἶναι ἀποδεικνύηται. καὶ γάρ εἰσί τινες, ὦ φίλοι, ἔλεγον, ἀπὸ τοῦ ἡμετέρου γένους, ὁμολογοῦντες αὐτὸν Χριστὸν εἶναι, ἄνθρωπον δὲ ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον ἀποφαινόμενοι. οἷς οὐ συντίθεμαι, οὐδ' ἂν πλεῖστοι ταὐτά μοι δοξάσαντες εἴποιεν, ἐπειδὴ οὐκ ἀνθρωπείοις διδάγμασι κεκελεύσμεθα ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ πείθεσθαι, ἀλλὰ τοῖς διὰ τῶν μακαρίων Προφητῶν κηρυχθεῖσι καὶ δι' αὐτοῦ διδαχθεῖσι. καὶ ὁ Τρύφων, Ἐμοὶ μὲν δοκοῦσιν οἱ λέγοντες ἄνθρωπον γεγονέναι αὐτὸν καὶ κατ' ἐκλογὴν κεχρῖσθαι καὶ Χριστὸν γεγονέναι, πιθανώτερον ὑμῶν λέγειν τῶν ταῦτα ἅπερ φῂς λεγόντων [*Verum enim vero, Trypho, dixi, non perierit illud, Chriſtum hunc eſſe Dei, ſi demonſtrare nequeam, & fuiſſe prius filium conditoris univerſitatis hujus Dei, eſſeque Deum & genitum eſſe hominem ex virgine: præterquam ex eo omni, quo probatur hunc eſſe Chriſtum illum Dei, quod talem eum fore præoſtenſum ſit. at ſi non demonſtravero, inquam, eum & prius exſtitiſſe & naſci hominem ſuſtinuiſſe, eiſdem nobiſcum perpeſſionibus obnoxium, carnem habentem ſecundùm Patris conſilium & voluntatem: in eo ipſo tantùm æquum fuerit, me errore lapſum eſſe dicere, non autem negare, hunc eſſe Chriſtum illum, etiamſi tamquam homo ex hominibus genitus videatur, & electione Chriſtus factus eſſe (à quibuſdam) aſſeratur. Sunt enim nonnulli, ô amici, dixi, ex genere noſtro, profitentes ipſum Chriſtum eſſe, ſed hominem ex hominibus genitum eſſe affirmant. Quibus non aſſentior: neque id ſanè multi, qui in eadem mecum ſunt ſententia, dixerint. Siquidem non humanis traditionibus & doctrinis juſſi ſumus à Chriſto ipſo credere, ſed eis quas beati Prophetæ promulgarunt, & ipſe Chriſtus tradidit. Et Trypho; mihi quidem, inquit, qui illum hominem editum, & per electionem inauguratum & unctione Chriſtum factum eſſe aſſeverant, credibiliora quàm vos, eadem, quæ tu, affirmantes, dicere videntur*]. Rurſum alibi Tryphon ita loquitur, Καὶ ὑμεῖς τὰ αὐτὰ ἐκείνοις λέγοντες αἰδεῖσθαι ὀφείλετε καὶ μᾶλλον ἄνθρωπον ἐξ ἀνθρώπων γενόμενον (male editum λεγόμενον) λέγειν τὸν

Ἰησοῦν τοῦτον, καὶ ἐὰν ἀποδείκνυτε ἀπὸ τῶν γραφῶν ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ Χριστὸς, διὰ τὸ εὐνόμως καὶ τελέως πολιτεύεσθαι αὐτὸν κατηξιῶσθαι τοῦ ἐκλεχθῆναι εἰς Χριστόν [*Vos quoque, cum eadem cum illis dicitis, ſuffundi rubore oporteret, magisque hunc Ieſum hominem hominibus prognatum eſſe dicere, ob eximiam pietatem perfectamque Legis obſervationem hoc honore dignum habitum ut in Chriſtum eligeretur, ſi jam eum verè eſſe Chriſtum è Scripturis poßitis oſtendere*]. Quæ eò libentiùs adduxi quod multùm pertineant ad rectè intelligendum errorem Ebionis, & ſimul uſum vocis ἐκλέγειν [*eligere*] longè alium fuiſſe illis temporibus quàm nunc putatur oſtendant.

38. ἐπιγραφὴ, *ſuperſcriptio*] *Titulus*. Vide ad Matthæum.

40. οὐδὲ φοβῇ σὺ τὸν Θεὸν, *Neque tu times Deum*] Quaſi dicat, *Iudæos illos ſecurè adſtantes tam crudeliter atque impiè ſe gerere minus mirum eſt; ſed tibine etiam libet eorum impietatem imitari?* Bene autem dicit φοβῇ τὸν Θεὸν [*times Deum*], quia qui miſeris inſultat eum contemnit.

ὅτι ἐν τῷ αὐτῷ κρίματι εἶ; *quod in eadem damnatione es*]? Κρίμα [*Damnatio*] dixit μετωνυμικῶς [*per transnominationem*], pro ſupplicio quod latrones habebant cum Chriſto commune, quanquam disparibus meritis, ut ſtatim κατ' ἐπανόρθωσιν [*per correctionem*] ſubjicitur. Vſurpatur ſimilem in modum vox iſta Matth. XXIII, 14. Marci XII, 40. ſuprà XX, 47. infrà XXIV, 20. Rom. XIII, 2. 1 Corinth. XI, 29.

41. ἡμεῖς μὲν δικαίως, *nos quidem juſtè*] Magnum eſt pœnitentiæ ſignum in pœna ſua acquieſcere. Levit. XXVI, 41. Acceſſit & alterum, corrigere peccantem & tueri oppreſſum: hi erant fructus pœnitentiam decentes.

οὐδὲν ἄτοπον ἔπραξε. *nihil mali geßit*] Hinc liquet latronem hunc multa de rebus Ieſu intellexiſſe, partim, ut credibile eſt, antequam caperetur, partim in ipſo prætorio. Ἄτοπον [*inconveniens*] autem eſt αἰσχρόν [*turpe*]: quæ duo conjungit alicubi Plato. Vetus quidam explicator expoſuerat πονηρὸν [*malum*], quod in quorundam librorum textu legitur.

42. Μνήσθητί μου, Κύριε, ὅταν ἔλθῃς ἐν τῇ βασιλείᾳ σου. *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*] Audierat, ut credibile eſt, profitentem Ieſum ſibi Regnum deberi, ſed non hujus mundi. Magna ejus in ferendis doloribus patientia, manſuetudo erga inimicos, fortè & ſigna quædam quæ apparere tunc cœperant, dictis ejus fidem conciliabant: ſed præcipuè nova atque inſolita quædam Divinæ virtutis efficacia in exemplum omnibus ſæculis memorabile, latronem hunc ad credendam rem à ſenſibus remotiſſimam excitavit; ita ut in ipſo imago quædam eluceat extraordinariæ illius ac ſubitæ vocationis quæ Apoſtolorum ſæculo multis gentibus contigit: Qua de re vide quæ ſuprà dicta ſunt XIV, 23. Non puto aliud eſſe ἔρχεσθαι ἐν βασιλείᾳ [*venire in regno*], quàm ἔρχεσθαι εἰς βασιλείαν [*venire in regnum*], ut ſolent illa commutari apud Scriptores. Senſus eſt, *Cùm regni illius tibi à Deo promißi poſſeßionem fueris adeptus.* Neque verò magnos in eo Regno honores ſibi poſtulat: ſed indignitatis ſuæ memor hoc tantùm rogat, *ſui ut memor eſſe velit*, ſciens Regium eſſe, aliis benefacere.

43. Ἀμὴν ἀμὴν λέγω σοι, *Amen amen dico tibi*] Oſtendit Chriſtus ſe magni aliquid dicturum.

σήμερον, *hodie*] Peſſimè fecerunt qui hanc vocem aut cum λέγω [*dico*] conjunxerunt, (quod apertè improbat Syrus) aut interpretati ſunt σήμερον [*hodie*] poſt reſurrectionem. Chriſtus plus promittit quàm erat rogatus. *Rogas*, inquit, *ut olim tui ſim memor cùm Regni poſſeßionem accepero; ego tam diu non differam tua vota: ſed partem & primitias ſperatæ felicitatis tibi intra hunc ipſum diem repræſentabo: morere ſecurus, à morte ſtatim te Divina ſolatia exſpectant.* Eſt autem illud *hodie* ἐμφατικὸν [*ſignificanter dictum*], & ſolet beneficiorum mentioni adjici, ut Ierem. 1, 10.

μετ' ἐμοῦ ἔσῃ ἐν τῷ παραδείσῳ. *mecum eris in Paradiſo*] Dubium non eſt quin Chriſtus ita loquutus ſit quomodo ſciebat à latrone intelligi: παράδεισος [*Paradiſus*] vox eſt, ut Pollux verè dicit, Perſica; quanquam & Hebræi uſurpant, ut Eccleſiaſtæ 11, 5. Nehem. 11, 8. ſed Græci uſu hanc vocem ſuam fecerunt. Cicero apud Xenophontem vertit *agrum conſeptum ac diligenter conſitum*: *Vivarium* Gellius: LXX Interpretes Hebræum גן [*hortum*] ita vertunt tum alibi, tum in κοσμογονίας [*generationis mundi*] hiſtoria: unde factum eſt, ut jure quodam præcipuo παράδεισος [*Paradiſus*] vocetur Helleniſtis, etiam Philoni, *beatus ille hortus in quo Adamum Deus collocarat.* Poſt Eſdræ tempora, cùm res poſt vitam hanc mortalem eventuræ, obſcuriùs olim indicatæ, propriis diſtinctisque nominibus appellari cœperunt, felicitas poſt hanc vitam mortalem, ſed præcipuè piarum mentium à corpore ſeparatarum & reſurrectionem expectantium ſtatus, vocatus eſt Hebræis גן ערן [*Hortus Eden*], quæ voces hôc ſenſu in Thalmudicis ſcriptis frequentes occurrunt. Hinc ille εὐφημισμὸς [*fauſta acclamatio*] de mortuo, תהי נפשו בגן ערן *Sit anima ejus in horto Eden:* aut בשמחה תהא צרורה בגן ערן, *Animus ejus collectus eſto in horto Eden.* Et in ſolennibus precibus tempore mortis, *Partem habeat in Paradiſo, nec non in futuro illo ſæculo.* Et in alia formula, *Requieſcat anima ejus & ſit dormitio ejus in pace, donec veniat conſolator, qui facit audire pacem Patrum ſeculi dormientium in Hebron. Portas Paradiſi aperite ei & dicite pacem: Venite qui cuſtoditis theſauros Paradiſi.* Sic & ſtatum Edenis à ſtatu reſurrectionis diſtinguit Iachiades, Danielis VIII, 14. & in fine libri. Interdum vocant *Paradiſum inferiorem*, quia cœlum Paradiſus ſuperior. Videre hoc eſt inter alia loco de Eſſenis apud Salmanticenſem. Helleniſtæ quoque παράδεισον [*Paradiſum*] eodem ſignificatu dixere, & Hebræi quidam פרדס [*Pardes*], qua voce & Arabs Interpres utitur Hebr. XI, 5. agens de translatione Enochi. Cauſam appellationis conjectare non eſt difficile. nam quia locus ille Adamo conceſſus deliciis omnibus abundaverat, ea ſimilitudine animarum lætam tranquillitatem voluerunt indicatam. Nam & ipſum illum Adami hortum συμβολικῶς [*allegoricè*] eum in modum interpretabantur. Philo, Κατὰ δὲ τὸν θεῖον παράδεισον ἔμψυχα καὶ λογικὰ τὰ φυτὰ πάντ' εἶναι συμβέβηκε, καρπὸν φέρ τὰς ἀρετὰς, ζωήν τε ἄνοσον καὶ ἀφθαρσίαν καὶ πᾶν εἰ τούτων ὁμοιότροπον [*Fuerunt autem in Divino Paradiſ*

plant

plantæ omnes vitâ & ratione præditæ, fructum ſerentes hujusmodi, virtutes omnes, vitamque morbi interitûsque immunem, & ſi quid eſt aliud his ſimile]. Alibi, Λαμβάνει μὲν οὖν τὰς ἀρχὰς ἡ γενικὴ ἀρετὴ ἀπὸ τῆς Εδὴμ, τῆς τοῦ Θεοῦ σοφίας, χαίρει καὶ γάννυται καὶ τρυφᾷ ἐπὶ μόνῳ τῷ πατρὶ αὐτῆς ἀγαλλομένη καὶ σεμνυνομένη Θεῷ [*Virtus univerſalis ab Edem, id eſt ſapientiâ Dei, initium ſumit, quæ quidem de ſolo Patre ſuo Deo gloriatur, gaudet, exultat, in eo ſe oblectat atque effert*]. Rurſum alio loco, Λέγουσι γὰρ ἐν τῷ παραδείσῳ φυτὰ εἶναι μηδὲν ἐοικότα τοῖς παρ' ἡμῖν, ἀλλὰ ζωῆς, ἀθανασίας, εἰδήσεως [*Ferunt enim plantas eſſe in Paradiſo, quæ nihil habeant noſtris ſimile, ſint autem vitæ, immortalitatis, ſcientiæ plantæ*]. Negari ergo non poteſt, quin latro, utpote Iudæus, audito nomine גן ערן [*horti Edem*], additâ præſertim deſignatione temporis *hodie*, morte jam imminente, ſtatum illum intellexerit, in quo Abrahami, Iſaaci & Iacobi animas eſſe omnibus Iudæis erat perſuaſum: quaſi diceret Chriſtus, *Non tantùm olim cùm Regnum meum ſuam accipiet plenitudinem tui ero memor, ſed jam nunc magna & ingentia ſolatia tibi repræſentabo.* Nec ſine gravi cauſa expreſſum illud *hodie.* Cenſebant enim Iudæi non quorumvis animas ſtatim in felicem Paradiſi ſtatum recipi, ſed eas demum, quæ bene purgatæ ex hac vita excederent, πνεύματα δικαίων τετελειωμένων [*ſpiritus juſtorum perfectorum*], ut loquitur auctor ad Hebræos XII, 23. Confer quæ diximus ad Matthæum XII, 32. Neque aliter interpretandum puto quod eſt II Corinth. XII, 4. ut Paulus dicat ſibi à Deo primùm oſtenſa illa perfectiſſima gaudia poſt reſurrectionem, quæ tertii, id eſt, ſupramundani cœli nomine appellantur: deinde verò, ne tam longa exſpectatio animum cruciaret, etiam ſolatia piis medio tempore conceſſa, quæ Hebræi vocant נוח ערן, κατάπαυσιν τοῦ παραδείσου [*requiem Paradiſi*], aut ſi mavis, παράκλησιν [*conſolationem*], quomodo ſuprà dictum eſt Lazarum παρακαλεῖσθαι [*conſolari*]. Nec video cur aliter accipi debeat quod eſt in Apocalypſi, Τῷ νικῶντι δώσω αὐτῷ φαγεῖν ἐκ τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς, ὅ ἐστιν ἐν μέσῳ τοῦ παραδείσου τοῦ Θεοῦ [*Ei qui vicerit dabo edendum ex ligno vitæ, quod eſt in medio Paradiſi Dei*]: præſertim cùm & Philo ex Iudæorum vetere diſciplina τὸ δένδρον τῆς ζωῆς [*lignum vitæ*] interpretetur τὴν μεγίστην τῶν ἀρετῶν θεοσέβειαν, δι' ἧς ἀθανατίζεται ἡ ψυχή [*maximam virtutum pietatem, cujus ope anima redditur immortalis*]: ut *ex arbore illa veſci* ſit *frui lætâ rectè factorum conſcientiâ*; quod eadem Apocalypſis vocat *indui candidis veſtibus*: & explicationis causâ addit, *opera ipſorum ipſos ſequi.* Neque nomen tantùm Paradiſi uſurpabant Hebræi ad hæc gaudia exprimenda, ſed etiam ſub horti imagine rem ipſam proponebant plebejis ingeniis vix capientibus τὰ νοητὰ [*intelligibilia*] niſi ſub figura τῶν αἰσθητῶν [*ſenſibilium*]. Ita Ioſephus ex Eſſénorum ſententia vocat χῶρον οὔτε ὄμβροις, οὔτε νιφετοῖς οὔτε καύμασι βαρυνόμενον, ἀλλ' ὃν ἐξ ὠκεανοῦ πραΰς ἀεὶ Ζέφυρος ἐπιπνέων ἀναψύχει [*regionem nulli imbrium, nivis vel æſtûs injuriæ obnoxiam, ſed quam placida quædam Zephyri aura ex Oceano jugiter transpirat & refrigerat*]. Similiter Iuſtinus colloquio cum Tryphone ait, τὰς τῶν εὐσεβῶν ψυχὰς ἐν κρείττονί ποι χώρῳ μένειν [*piorum animas manere in meliore alicubi regione*]. Tertullianus id ipſum ſequens, quo loco oſtendit veritatem Divinam Græcorum fabulis adulteratam, *Etſi Paradiſum nominemus*, inquit, *locum Divinæ amœnitatis recipiendis ſanctorum ſpiritibus deſtinatum, maceriâ quadam igneæ illius Zonæ à notitia orbis communis ſegregatum, Elyſii Campi fidem occupaverunt.* Quicum ſatis convenit quod à Diodoro Siculo eſt proditum, ea quæ περὶ ᾅδου [*de inferis*] narrantur, à barbaris in Græciam perveniſſe. Ne hoc quidem notatu indignum bis in Apocalypſi nominari *vitæ arborem*, nuſquam verò *arborem ſcientiæ boni & mali*, quia arbor ſcientiæ boni & mali σύμβολον [*ſignum*] erat, Philone explicante, τῆς μέσης φρονήσεως [*mediæ ſcientiæ*], ejus ſcilicet prudentiæ quæ circa res hujus ævi occupata eſt, *qua uti quidem licet*, ut per guſtum & olfactum ſignificatur; *at veſci*, id eſt, frui, *non licet*: nam animus ei ſtudio deditus pietati quantum ſatis eſt vacare non poteſt: quod nobis Adami peccato ſub figura oſtenditur, explicante Solomone Eccleſiaſtæ VII, 29. Τοῦτο εὗρον ὃ ἐποίησεν ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον εὐθῆ, καὶ αὐτοὶ ἐζήτησαν λογισμοὺς πολλούς [*Hoc obſervavi quod Deus hominem fecerit rectum, & ipſe ſe miſcuerit infinitis quæſtionibus*]. Hæ curæ atque avocamenta pietatis planè ceſſabunt ἐν τῷ παραδείσῳ τῷ νοητῷ [*in Paradiſo intelligibili*]. Qui Symbolo fidei Chriſtianæ aſſcripſerunt κατέβη εἰς ᾅδου [*deſcendit ad infernum*] his Chriſti verbis optimè id tueri potuerunt. Nam ſi Chriſti anima fuit in παραδείσῳ [*in paradiſo*], ſequitur eam fuiſſe ἐν ᾅδου [*in inferno*]. Nam ſicut παραδείσου [*paradiſi*] & γεέννης [*gehennæ*] vocabula *diſtinctam bonorum malorumque ſortem* ſignificant, ita ᾅδης [*infernus*] communiter deſignat *ſtatum animarum à corpore ſeparatarum*, opponiturque tum vitæ huic tum reſurrectioni, quomodo & שאול [*infernus*] uſurpant Sacræ Literæ. Nam Iacob ita loquitur כי ארד אל—בני אבל שאלה, Græcè, ὅτι καταβήσομαι πρὸς τὸν υἱόν μου πενθῶν εἰς ᾅδου [*deſcendam ad filium meum lugens in infernum*]. quod de corporis ſepulchro intelligi non poteſt, quia filium non ſepultum, ſed à feris laniatum Iacob exiſtimabat. De voce ᾅδου [*inferni*] produximus alibi teſtimonia Ioſephi, Sophoclis, Diphili & aliorum, ſed & qui titulo Sibyllinorum carmina Græcè ſcripſit, homo haud dubiè Chriſtianus, ita utitur voce ᾅδου [*inferni*], ut quam derivat à primi parentis nomine. Neque offendere nos debet verbum καταβαίνειν [*deſcendere*], id enim Græcus ſermo ad animorum ſeparatorum conditionem ſignificandam receperat, non alia de cauſa, niſi quòd quemadmodum corpus, poſtquam in ſepulchrum deſcendit, ampliùs non conſpicitur, ita & animus è corpore elapſus: quare & Ioſephus præmia non minùs quàm pœnas animis ait contingere ὑπὸ χθονὸς [*ſub terra*], quod alibi explicat καθ' ᾅδου [*in inferno*]. Fruſtra ergo hîc ſe cruciat Auguſtinus, quærens *quomodo Chriſtus eodem tempore eſſe potuerit in inferno*, id eſt, ἐν ᾅδου [*in inferno*] *& in Paradiſo*, cùm alterum ſub altero comprehendatur. Neque verò ſupervacua fuit in Symbolo hujus rei mentio. Nam cùm inter paganos variæ eſſent de animarum ſtatu tu poſt hanc vitam ſententiæ, ad rem pertinebat Chriſti exemplo doceri homines ὡς ὑφέστηκεν ἡ ψυχὴ τῶν ἀποθανόντων [*ſubſiſtere animas defunctorum*], id eſt, *non exſtingui cum corporibus animas, ſed aſſervari in locis inconſpicuis.* Quæ verò de gaudiis Paradiſi diximus, ex veterum ſententia ita intelligenda ſupra quoque ad caput XVI. monuimus, ut magna quidem credantur, non tamen plena: nam plenitudo promiſſionum in reſurrectione exſpectanda eſt, quod mihi ſapienter videtur explicare Scriptor reſponſionum ad Orthodoxos quæſt. LXXVI. Quæſtio ſic habet, Εἰ πρὸ τῆς ἀναστάσεως οὐκ ἔστιν ἡ τῶν ἔργων ἀνταπόδοσις, ποῖον τῷ λῃστῇ προσγέγονεν ὄφελος πρὸς τὸν παράδεισον αὐτοῦ τῆς ψυχῆς εἰσαχθείσης, καὶ μάλιστα ὅτι ὁ μὲν παράδεισος αἰσθητὸς, οὐκ αἰσθητὴ δέ ἐστι τῆς ψυχῆς ἡ οὐσία; [*Si ante reſurrectionem non eſt retributio operum, quid latroni profuit inferri ejus animam in paradiſum, præſertim quum paradiſus ſub ſenſum cadat, animæ autem ſubſtantia ſenſu neque uti, nec percipi poteſt*]: Reſpondet, Ὄφελος γέγονε τῷ λῃστῇ εἰς τὸν παράδεισον εἰσελθόντι τὸ ἔργοις μαθεῖν τῆς πίστεως τὸ ὠφέλιμον, δι᾽ ἧς ἠξιώθη συναθροίσματος τῶν ἁγίων, ἐν ᾧ φυλάττεται ἕως τῆς ἡμέρας τῆς ἀναστάσεώς τε καὶ ἀνταποδόσεως, ἔχει τε τοῦ παραδείσου τὴν αἴσθησιν κατὰ τὴν ἐννοηματικὴν λεγομένην αἴσθησιν, καθ᾽ ἣν ὁρῶσιν αἱ ψυχαὶ ἑαυτάς τε καὶ τὰ ὑπ᾽ αὐτάς [*Latro, cùm in paradiſum introiit, hoc ex eo nactus eſt boni, quod utilitatem fidei reapſe didicit, per quam ipſe dignus ſit habitus, qui in ſanctorum cœtum reciperetur, in quo ad reſurrectionis remunerationisque diem aſſervatur, ſentitque paradiſi bona ſpirituali ut vocamus ſenſu, quo & ſe animæ & quæ circa ſe ſunt vident*]. Ad illud quod Chriſtus hîc dicit μετ᾽ ἐμοῦ [*mecum*], alludere videtur Paulus cum dicit ſe ἐπιθυμίαν ἔχειν εἰς τὸ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι [*deſiderium habere diſſolvi & eſſe cum Chriſto*] Philip. I, 23. Simul tamen indicans quemadmodum nunc poſt aſcenſum in cœli regiam major eſt Chriſti gloria quàm fuit medio tempore inter mortem & reſurrectionem, ita auctum quoque gaudium eorum qui Chriſtum ſectati mortem obeunt, & pro modo ac captu animorum ſeparatorum à corpore participes fiunt herilis felicitatis: quod hîc ſimilitudine non incommodâ Theophylactus explicat. Non ſolebant autem Chriſtiani vetères hunc ſive ſtatum ſive locum medii temporis cœli nomine appellare, quod vel ex Iuſtino colligas qui cum Tryphone diſputans inter cæteras errantium opiniones & hanc recenſet, Μὴ εἶναι νεκρῶν ἀνάστασιν, ἀλλ᾽ ἅμα τῷ ἀποθνήσκειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν ἀναλαμβάνεσθαι εἰς τὸν οὐρανόν [*Non eſſe mortuorum reſurrectionem, ſed animas, ſimulatque homo moritur, in cælum recipi*]. Hunc ſtatum ita deſcribit Divina Apocalypſis, Διὰ τοῦτό εἰσιν ἐνώπιον τοῦ θρόνου τοῦ Θεοῦ καὶ λατρεύουσιν αὐτῷ ἡμέρας καὶ νυκτὸς ἐν τῷ ναῷ αὐτοῦ, καὶ ὁ καθήμενος ἐπὶ τοῦ θρόνου σκηνώσει ἐπ᾽ αὐτούς [*Ideo ſunt ante thronum Dei & ſerviunt ei die ac nocte in templo ejus, & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos*]. Quibus finibus modeſtè nos continentes nihil neceſſe habemus penetrare in ea quæ curioſius hac ſuper re inter Græcos & Latinos diſputantur.

46. παραθήσομαι, *commendo*] Probo hanc lectionem eò magis quia apud LXX in Pſalmo ſimili modo legitur; ſed eſt more Hebræorum futurum pro præſenti. In Pſalmo David ſummis in periculis conſtitutus vitam ſuam Divinæ tutelæ commendat, quomodo & Petrus τοὺς πάσχοντας κατὰ τὸ θέλημα τοῦ Θεοῦ [*patientes juxta voluntatem Dei*] vult παρατίθεσθαι τὰς ψυχὰς ἑαυτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ [*animas eorum commendari in benefactis*]. Cæterùm & hîc obſervandum eſt quantò exactius ea verba Chriſto quàm Davidi congruant. Apud Davidem רוח eſt *vita*: apud Chriſtum *ipſa mens hominis*, quam Hebræi propriè eo nomine appellant; deinde deponere ejus eſt propriè qui dominium rei habet: Chriſtus autem ἐξουσίαν εἶχε θεῖναι τὴν ψυχὴν καὶ πάλιν λαβεῖν αὐτήν [*poteſtatem habuit ponere animam & iterum aſſumere illam*], ut ipſe apud Iohannem profitetur. Paulò aliter Stephanus qui moriturus non *deponendi* utitur voce; ſed *Ieſum* jam factum Dominum vitæ & mortis *rogat ut accipere velit*, in ſuam ſcilicet cuſtodiam, *ſpiritum ipſius.* Iuſtinus in colloquio cum Tryphone exemplum nobis dicità Chriſto datum, Ἵνα ἡνίκα ἡμεῖς πρὸς τῇ ἐξόδῳ τοῦ βίου γινόμεθα τὰ αὐτὰ αἰτώμεθα τὸν Θεὸν τὸν δυνάμενον ἀποστρέψαι πάντα ἀναιδῆ πονηρὸν ἄγγελον μὴ λαβέσθαι ἡμῶν τῆς ψυχῆς [*Quo & nos, cum jam ad exitum vitæ ſumus, à Deo eadem poſcamus, qui avertere poteſt omnem impudentem & malignum Angelum, ne animam noſtram capiat*]. Confer illud Hebræi ſapientis Sapientiæ III, 1. Δικαίων δὲ ψυχαὶ ἐν χειρὶ Θεοῦ· καὶ οὐ μὴ ἅψηται αὐτῶν βάσανος [*Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum*], & quæ ſequuntur.

47. ἐδόξασε τὸν Θεὸν, *glorificavit Deum*] Agnovit Dei potentiam: quomodo ſupra V, 26. & alibi locutio hæc uſurpatur.

48. οἱ συμπαραγενόμενοι ἐπὶ τὴν θεωρίαν ταύτην, *qui ſimul aderant ad ſpectaculum iſtud*] Qui ad ſpectandum crucis ſupplicium convenerant, ut fieri ſolet.

θεωροῦντες τὰ γενόμενα, *& videbant quæ fiebant*] Solis deliquium extra naturæ ordinem, tremorem terræ, hominem velut ſuo arbitrio exſpirantem.

τύπτοντες ἑαυτῶν τὰ στήθη, *percutientes pectora ſua*] Incipiente jam pungi conſcientiâ, quam poſtea Apoſtolicus ſermo magis excitavit. Signa enim erant hæc Dei facinus averſantis & Ieſu innocentiam teſtantis.

49. Εἱστήκεισαν δὲ πάντες οἱ γνωστοὶ αὐτοῦ μακρόθεν, *ſtabant autem omnes noti ejus à longè*] Alluſio ad Pſalm. XXXVIII, 11. Græcè ibi eſt, οἱ ἔγγιστά μου ἀπὸ μακρόθεν ἔστησαν [*qui juxta me erant de longè ſteterunt*].

51. Οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος τῇ βουλῇ καὶ τῇ πράξει αὐτῶν, *non conſenſerat conſilio & actibus eorum*] *Neque propoſitum Synedrii, neque rationem exſequendi propoſiti probabat:* memor Divinæ Legis Exodi XXIII, 2. Vide ad Matthæum.

προσεδέχετο, *exſpectabat*] Vide ad Marcum.

53. οὗ οὐκ ἦν οὐδέπω οὐδεὶς κείμενος. *in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*] Nequis poſtea alium non autem Ieſum reſurrexiſſe calumniaretur.

54. ἡμέρα ἦν παρασκευή, *dies erat Paraſceues*] Recta lectio. nam ex parte totus dies παρασκευὴ [*præparatio*] appellabatur, ut & Marci XV, 42. Ioannis XIX, 31, 42. & in edicto Auguſti apud Ioſephum. Intelligi autem hîc παρασκευήν [*præparatione

tionem] magis ratione Sabbati, quàm feſtæ diei ſequentia oſtendunt.

ἐπέφωσκε. *illuceſcebat*] Sicut ἐπιφαίνειν [*lucere*] non tantùm de Sole, ſed & de Luna aliisque ſideribus dicitur, ita & quod idem valet ἐπιφώσκειν. Huic loco convenientiſſimum erit intelligere ſtellarum ortum, indicem veſperæ à qua Iudæi diem ſuum civilem inchoabant. Tertullianus libro De jejuniis ſic de Iudæis, *Stellæ auctoritatem demorantis ſuſpirant*. Notarunt viri eruditi etiam נגה [*ſplendebat*], quod hîc habet Syrus, Lunæ aliisque ſideribus tribui ſolere. Accipiendum autem ἐπέφωσκε [*illuceſcebat*] pro ἤμελλε ἐπιφώσκειν [*jamjam illucebat*], ſicut præſentia pro futuro alibi quoque habuimus: nam tantum temporis ſupererat, ut in urbem reverſæ mulieres aromata ſibi poſſent comparare.

56. ἡσύχασαν. *ſiluerunt*] Velut adjuratæ ut quieſcere ſponſum paterentur, donec ipſe ſemet excitaret. Cant. II, 7.

κατὰ τὴν ἐντολήν. *ſecundùm mandatum*] Iuxta Dei præceptum, cujus vinculo Chriſtus ſectatores ſuos hactenus non exſolverat: ſed verbis benignam & materiæ convenientem adhibuerat interpretationem.

CAPVT XXIV.

1. Τῇ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων ὄρθρου βαθέος, *Vna autem Sabbati valde diluculo*] De circumſtantiis hujus hiſtoriæ vide quæ ad Matthæum: ὄρθρου βαθέος [*valde diluculo*] בשפרפרא [*primo diluculo*], quali tempore Darius olim ad Danielem venit foveæ incluſum Dan. VI, 19.

καί τινες σὺν αὐταῖς. *& quædam cum eis*] Hieroſolymitanæ aliquot quæ ſe mulieribus Galilæis adjunxerant. Neque enim delere has voces licet, quas & libri plurimi & Syrus & Arabs agnoſcunt: qui & τινὲς [*quædam*] illud fœminino genere rectè interpretantur.

3. εἰσελθοῦσαι, *ingreſſæ*] Intra ſeptum.

5. καὶ κλινουσῶν τὸ πρόσωπον εἰς τὴν γῆν, *& declinarent vultum in terram*] Vide ad Matthæum hôc loco & XVII, 6. Sic Danielis x, 9. τὸ πρόσωπόν μου ἐπὶ τὴν γῆν [*vultus meus in terram*].

9. ἀπήγγειλαν πάντα, *nuntiaverunt omnia*] Primùm confuſiùs, diſtinctiùs poſtea.

τοῖς λοιποῖς. *cæteris*] Qui Ieſum ſectati fuerant, Marco interprete.

11. ἠπίστουν αὐταῖς. *non crediderunt illis*] Vide ad Marcum.

12. Ὁ δὲ Πέτρος, *Petrus autem*] Non ſolus: nam infrà dicitur τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν [*quidam eorum qui erant nobiſcum*], ſed comite Iohanne. Petrum tamen potiùs nominat, quia is in ſpecum penetravit.

παρακύψας, *procumbens*] Eandem vocem de Magdalena, deinde & de ſe Iohannes uſurpat in hac hiſtoria. LXX ita vertere ſolent Hebræum שקף quod magiſtri exponunt *ſpectare de loco ſuperiore*. Sed latiùs Græcis patet παρακύπτειν [*proſpicere*], ut & noſtris: quemadmodum videre eſt Iacobi I, 25. I Petr. I, 12. Proximè ad geſtum eum de quo hîc agitur pertinet illa curioſi hominis deſcriptio apud Syrachiden XXI, 16. ἄφρων ἀπὸ θύρας παρακύψει εἰς οἰκίαν· ἀνὴρ δὲ πεπαιδευμένος ἔξω στήσεται [*ſtultus à feneſtra reſpiciet in domum: vir autem eruditus foris ſtabit*]. Vim vocabuli rectè expreſſerunt Syrus & Arabs, ille *introſpiciendi*, hîc *explorandi* verbo. Vide ad Matthæum.

μόνα· *ſola*] Sine corpore.

πρὸς ἑαυτὸν θαυμάζων, *ſecum mirans*] Conjungenda hæc ſunt, ut fecit Syrus. Sic διελογίζοντο πρὸς ἑαυτούς [*cogitaverunt intra ſe*] dixit Lucas ſuprà XX, 14.

13. δύο ἐξ αὐτῶν, *duo ex illis*] Nempe eorum quos modò λοιπῶν [*cæterorum*] nomine deſignarat, è ſectatoribus Chriſti. Probabiliter ſentiunt veteres fuiſſe hos de numero LXX. cùm enim infrà dicunt τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον [*tertia dies eſt hodie*] videntur reſpicere id quod Ieſus plebi obſcuriùs, ipſis autem & apertiùs & ſæpius dixerat, *tertiâ ſe die in vitam rediturum*. Nomen alterius infrà exprimit Lucas, Cleopam vocans. Alterum ipſum Lucam multi putarunt, quos ſatis ipſe refellit in Euangelii anteloquio ab oculatis teſtibus ſe disparans. Nathanaëlem Epiphanius putavit, quem alii putant unum eſſe Apoſtolici cœtûs qui πατρωνυμικῶς [*per denominationem à patre*] Bartholomæus vocatur. In his rebus fama antiquiſſima maximæ debet eſſe fidei: ea autem eſt nomen huic alteri fuiſſe Simoni, aut quod eódem recidit, Simeoni. Nam hoc Hebræum eſt nomen: illud Græcum ex Hebræo expreſſum. Auctor eſt Origenes qui in libro adverſùs Celſum, Γέγραπται δὲ ἐν τῷ κατὰ Λουκᾶν, ὅτι μετὰ τὴν ἀνάστασιν λαβὼν τὸν ἄρτον ὁ Ἰησοῦς εὐλόγησε καὶ κλάσας ἐπεδίδου τῷ Σίμωνι καὶ τῷ Κλεόπᾳ [*Scriptum eſt in Euangelio ſecundùm Lucam, quòd poſt reſurrectionem panem acceperit Ieſus, benedixerit, fregerit & dederit Simoni & Cleopæ*]. Alibi in iisdem libris, ſed in Latinum verſis, Simeon dictus legitur. Qui cum conciliari facilè poſſet Ambroſius, ſi libeat Simeonem reſcribere, ubi nunc Amaonem (quod inauditum nomen eſt) legimus. Sed cogitandum, quando Origenes non famam ſed ipſum Lucam dicti ſui auctorem laudat, an non eum deceperit id quod infrà eſt commate 34. Fieri enim poteſt, ut inibi pro λέγοντας [*dicentes* in accuſativo] codices quidam habuerint λέγοντες [*dicentes* in nominativo], quomodo an non legerint Latinus & alibi interpretes dubitari poteſt. Itaque illud ὅτι ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως καὶ ὤφθη Σίμωνι [*quod ſurrexit Dominus verè & apparuit Simoni*] videri poteſt ita acceptum ab Origene, quaſi referatur quid hi duo Apoſtolis narraverint, non quid audiverint ab Apoſtolis: cùm tamen rectè rem inſpicienti meritò magis ſit placitura recepta lectio λέγοντας [*dicentes* in accuſativo]: ita ut per Simonem intelligamus Petrum, cui ſeorſum apparuiſſe Chriſtum etiam Paulus teſtatur.

πορευόμενοι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ εἰς κώμην, *ibant ipſa die in caſtellum*] Veroſimile eſt Emmaunte eos habitaſſe, atque eò regreſſos poſtquam & Paraſceuen & Sabbatum & diem à Sabbato primum Paſchalibus ſacris & precibus impenderant.

κώμην, *caſtellum*] Χωρίον [*oppidulum*] Ioſephus vocat. Plinius toparchiam. Neque enim dubito quin idem ſit nomen quod Plinio & Lucæ ſcribitur Emmaus, Ioſepho Ammaus.

ἑξήκοντα, *ſexaginta*] Totidem ſtadia numerat editio Ioſephi Baſileenſis Anni cIↄ Iↄ XLIV. Quare quod aliæ editiones habent τριάκοντα [*triginta*] vitioſum eſſe non dubito. Non eſt autem tantum hoc intervallum, ut non ante medinoctium inde redire Hieroſolyma potuerint atque ibi congregatos Apoſtolos deprehendere: poteſt enim id ſpatium duabus & quod excurrit horis confici.

14. περὶ πάντων τῶν συμβεβηκότων τούτων. *de omnibus quæ acciderant*] De vita & morte Chriſti, & de iis quæ mulierès Petruſque & Iohannes renuntiaverant.

15. συζητεῖν, *ſecum quærerent*] *Varias conjecturas in omnem partem volvebant*, id enim hîc eſt συζητεῖν, ut & Marci I, 27.

ἐγγίσας, *appropinquans*] Quaſi à tergo eos aſſecutus, ut in via fieri ſolet: unde & eos ita affatur quaſi partem ſermonum audiiſſet.

16. ἐκρατοῦντο, *tenebantur*] *Impediebantur vi Divina ne propiùs conſiderarent ea ex quibus cognoſci Ieſus poterat*, cæteroqui habitu externo ſeſe diſſimulans, ut ad Marcum diximus.

17. οἱ λόγοι οὗτοι οὓς ἀντιβάλλετε, *ſermones hi quos confertis ad invicem*] *Verba quæ inter vos commutatis*: Latiniſmus eſt, ni fallor.

καὶ ἐστὲ σκυθρωποί; *& eſtis triſtes*]? Id eſt, ὄντες σκυθρωποί [*triſtitiâ affecti*]. Ita enim loqui ſolent Hebræi..

18. ὁ εἷς ᾧ ὄνομα Κλεόπας, *unus cui nomen Cleopas*] Senior amborum, ut credibile eſt, cui alter loquendi partes ceſſit. Fieri poteſt, ut idem hîc ſit qui Iohanni Κλωπᾶς [*Clopas*] dicitur contractiori pronuntiatione, cujus filia fuerit Maria mater Iacobi & Ioſetis. Nam Syrus utrobique habet קליופא [*Cleopha*] & Latinus ſcribit Cleophas quod ad Syriacam pronuntiationem accedit. Hieronymus, *Notandum autem quod* P *litteram Hebræus ſermo non habeat, ſed pro ipſa utatur* פ *cujus vim Græcum* φ *ſonat.* Eſt autem Κλεόπας aut potius Κλεοπᾶς [*Cleopas*] nomen idem quod Κλεόπατρος [*Cleopater*] per ἀποκοπήν [*apocopen*], de qua diximus ad hujus libri initium. Cleopatri nomen Macedonicum in Syria & Iudæa frequentari cœpit poſtquàm Macedones Aſiam tenuere. Sic & multas mulieres Cleopatras vocat hiſtoria, eadem nominis origine.

Σὺ μόνος παροικεῖς ἐν Ἱερουσαλὴμ, καὶ οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα; *Tu ſolus peregrinus es in Ieruſalem, & non cognoviſti quæ facta ſunt*]? Ἐν [*in*] deeſt in pluribus codicibus: πάροικος [*peregrinus*] in his libris plerumque ſignificat eum *qui extra patriam habitat*, unde modò ei adjuncta eſt vox ξένου [*hoſpitis*], modo παρεπιδήμου [*alienigenæ*]. Sic & παροικίαν [*advenatum*] dixit Lucas Actor. XIII, 17. & I Petr. I, 17. Scriptor ad Hebræos etiam παροικεῖν [*advenam eſſe*]. Atque ita hôc loco vocem hanc ſunt interpretati Syrus, Arabs & Latinus. Quod ſi recipimus, non dubitandum eſt eſſe Latiniſmum quales ſunt complures apud Lucam. Nam Romani *peregrinari eum & in urbe ſua hoſpitem eſſe* dicunt *qui quid agatur ignorat*. & hoc loquendi genus ſecutus M. Antoninus Imperator libro III, Ξένος κόσμου ὁ μὴ γνωρίζων τὰ ἐν κόσμῳ ὄντα [*Hoſpes eſt mundi, qui ea, quæ in mundo ſunt, neſcit*]. Senſus ergo ſit, *Tune ſolus omnium hîc ut peregrinus vivis, ut ea quæ nota ſunt omnibus ignores?* Hanc interpretationem ut præfractè improbare nolim, ita alteram præfero quæ παροικεῖν Ἱερουσαλὴμ exponit *habitare in agro Hieroſolymitano.* Nam & Romani juris auctores vocem Græcam παροίκου ad eos extendi dicunt *qui in oppidi finibus agrum habent*: & Scriptores Chriſtiani veteres, etiam Synodi, παροικίαν vocant *agrum qui intra fines eſt majorum urbium*, unde ita appellatum eſt quicquid unius Epiſcopi curæ ſuberat, quod nunc vocant διοίκησιν [*diæceſin*], cùm olim ea vox multò latiùs pateret. Neque verò ſoli Chriſtiani hoc ſenſu uſurparunt τὸ παροικεῖν [*in confinio habitare*]. Sed & alii, ut Herodes Orator cum dicit *Athenas plurima adferre commoda* οὐ μόνον τοῖς ἐνοικοῦσιν ἀλλὰ καὶ τοῖς παροίκοις [*non ſolùm incolis, ſed iis etiam qui prope eam habitant*]: cui affine eſt quod apud Thucydidem παροικεῖν [*adhabitare*] dicuntur *qui in proximo habitant*, ut & Scholiaſtes exponit; ſed & apud Ioſephum πάροικοι vocantur *Iudæi qui circa Delum habitabant*, in edicto Cæſaris Dictatoris quod legitur XIV Originum, XVII. Optimè autem huic loco convenit hæc ſignificatio, nam Chriſtus ita ſe gerebat, quaſi & ipſe in agro habitaret paulò ulteriùs Emmaunte, ac proinde domum, ut ipſi, contenderet. Mirantur ergo quòd tam prope ab urbe habitans ea ignoraret quorum rumorem pro rei magnitudine par erat longè latèque eſſe ſparſum. Atque ita erit Hebraïſmus in his verbis ſatis frequens, quem Græcè ita explices, Σὺ μόνος τῶν παροικούντων οὐκ ἔγνως τὰ γενόμενα; [*Tu cùm propè habitas, ſolus, quid factum ſit, neſcis*]? niſi quis malit καταχρηστικῶς [*per abuſionem*] ſumere παροικεῖν pro *commorari etiam citra domicilium*, ſicut Iudæi Hieroſolymis morabantur ἐν ταῖς ἑορταῖς [*feſtis diebus*]: ut dicat Cleopas, *mirari ſe aliquem inveniri poſſe eorum qui nunc Hieroſolymis verſentur quem iſta lateant.*

19. Ποῖα; *Quæ*]? Id eſt, τίνα [*quænam*], ut Matthæi XIX, 18. XXII, 36. & alibi. *Quæ*, inquit, *illa ſunt quæ putatis mihi ignota eſſe non poſſe?*

δυνατὸς ἐν ἔργῳ καὶ λόγῳ, *potens in opere & ſermone*] *Non quivis Propheta, ſed inter ipſos Prophetas eminens docendi modo & factis.* De Moſe dixit Stephanus, ἦν δυνατὸς ἐν λόγοις καὶ ἔργοις [*potens erat in verbis & operibus*], Actor. VII, 22.

ἐναντίον τοῦ Θεοῦ καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ. *coram Deo & omni populo*] Simile quid habuimus ſuprà II, 52. ἐναντίον [*apud*] hîc, ut ἔναντι [*ante*] I, 8. ἐνώπιον [*coram*] I, 15. & alibi, eſt לפני [*coram*]. Quia verò hîc præceſſit δυνατὸς [*potens*], puto ἐναντίον [*coram*] non id propriè ſignificare quod putat Theophylactus & quod poſt Solomonem Paulus nos vult facere, προνοεῖν καλὰ οὐ μόνον ἐνώπιον Κυρίου ἀλλὰ καὶ ἐνώπιον ἀνθρώπων [*providere bona non ſolùm coram Domino ſed etiam coram hominibus*] II Corinth. VIII, 21. ſed potiùs *teſtimonium ei datum à Deo per opera* (quomodo & Petrus Ieſum vocat ἄνδρα ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἀποδεδειγμένον δυνάμεσι καὶ τέρασι, [*virum approbatum à Deo in virtutibus & prodigiis*)], & ab hominibus per fidem habitam ejus ſermoni. Loquendi genus inde natum quod de iis rebus teſtimonium perhibemus quæ nobis in conſpectu ſunt. Affine eſt illud in Geneſi de Nembrodo, גבור ציר לפני־יהוה [*robuſtus venator coram Domino*], ut intelligamus eum potentiſſimum fuiſſe bellatorem (nam & Plato & Ariſtoteles bellum venationi comparant) Deo arma ipſius mirum in modum fortunante, haud dubiè ad puniendam eorum populorum inſolentiam qui juſtam libertatem ferre non poterant. Quanquàm fateor non improbabilem mihi videri ad eum locum Ioſephi interpretationem qui לפני־יהוה ibi exponit πρὸς ὕβριν καὶ καταφρόνησιν τοῦ Θεοῦ [*in contumeliam & deſpectum Dei*]. quia ſcilicet fuerit Nembrodus ingenio violento, & ut Achilles apud Horatium,

Iura negans ſibi nata. ——

quod genus hominum ut ſuprà habuimus, Θεὸν οὐ φοβοῦνται καὶ ἄνθρωπον οὐκ ἐντρέπονται [*Deum non timent & hominem non reverentur*]. Solet autem illud לפני [*coram*] pro materiæ diverſitate modò in bonam, modò in malam partem accipi, ut videre eſt eodem libro Geneſcos VI, 11. ubi corruptum dicitur humanum genus לפני האלהים [*coram Deo*], id eſt, *ad contemtum atque iram Numinis*. Quæ obiter afferre viſum ad Moſis verba ab Hebræis Magiſtris variè tractata.

20. Ὅπως τε παρέδωκαν αὐτὸν οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ἄρχοντες ἡμῶν εἰς κρίμα θανάτου, *Quomodo eum tradiderunt ſummi Sacerdotes & Principes noſtri in damnationem mortis*] De Senatoribus Synedrii agit qui injuſtam ſententiam à Pilato expreſſerunt. Vide Matth. XX, 19. XXVII, 2.

ἐσταύρωσαν αὐτόν. *crucifixerunt eum*] Id eſt, *Effecerunt ut crucifigeretur*: nam Helleniſtæ quæ Hebræi efferunt in Hiphil ſolent eum in modum enuntiare.

21. ἠλπίζομεν, *ſperabamus*] Vox indicans magnum fidei deliquium. Nam quid erat cur non etiamnum ſperarent, niſi quod Dei potentia non ſatis ipſis ob animum verſabatur?

ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ μέλλων λυτροῦσθαι τὸν Ἰσραήλ, *quia ipſe eſſet redemturus Iſraël*] Λυτροῦν hîc eſt *liberare*, quomodo & λύτρωσιν [*redemtionem*] ſumi diximus ſuprà I, 68. & ſæpe apud LXX. Nam rationem liberationis in hoc ſitam, ut ſe daret in pretium mundi, non intellectam ab illis hoc tempore, certiſſimum eſt: imo potiùs regnum terrenum cum animorum emendatione conjunctum exſpectabant. Eſt itaque in his verbis deſcriptio Meſſiæ ex recepta eorum temporum ſententia. ita ſuprà II, 25. προσδεχόμενος παράκλησιν τοῦ Ἰσραήλ [*exſpectans conſolationem Iſraël*].

σὺν πᾶσι τούτοις, *ſuper hæc omnia*] Σὺν [*Cum*] pro ἐπὶ [*ſuper*] poſitum ut עם [*cum*] Hebræis pro על [*ſuper*].

τρίτην ταύτην ἡμέραν ἄγει σήμερον, *tertia dies eſt hodie*] Activum imperſonaliter ſumtum pro paſſivo, ut ſæpe. Senſus enim eſt, *agitur jam dies tertia*; ut apud Terentium, *Menſis jam hic agitur ſeptimus.* Nec aliter aut legit aut interpretatus eſt tum Syrus tum Arabs. Eorum verò interpretationem probare non poſſum qui ἄγει [*agit*] ad Ieſum referunt, nam adhuc loquuntur hi duo, quaſi qui de ejus reſurrectione nihil ſperarent; tantùm in ſequentibus verbis aliquid adferunt conjecturæ, ſed cui ſe parùm confidere oſtendunt, quo nomine graviter reprehenduntur. merito illis dici poterat quod à Spurinna Cæſari, *Venit dies, non abiit.*

22. τινὲς ἐξ ἡμῶν, *quædam ex noſtris*] *Noſtri gregis ac cœtus*, quomodo Syrus & Arabs acceperunt. Sic infrà τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν [*quidam qui erant nobiſcum*].

ἐξέστησαν, *terruerunt*] Ἐκστῆσαι apud Ariſtotelem in Rhetoricis Cicero vertit *ad admirationem traducere*: ſed videtur hîc de tali agi admiratione quæ homines judicii ambiguos reddat: quomodo ἐξίστασθαι καὶ διαπορεῖν [*ſtupere & admirari*] conjunxit Lucas Actor. II, 12.

23. ὀπτασίαν Ἀγγέλων, *viſionem Angelorum*] De ipſo Ieſu conſpecto nihil: cauſas ſilentii ad Matthæum diſquiſivimus. De voce ὀπτασίας [*viſionis*] vide ſuprà I, 22.

24. τινὲς τῶν σὺν ἡμῖν, *quidam ex noſtris*] *Petrus*, quem modò nominavit, *& Iohannes*, cujus nomen ſubticuit.

25. Ὦ ἀνόητοι, *O ſtulti*]! Ita & Paulus Galatas compellat. Non ergo Matth. V, 22. voces tales prohibentur, ſed vetatur iracundia vocem talem imprudenter ejaculans. Adeò verum eſt animo facta diſcerni. Eſt ubi audientium utilitas aceti aliquid expoſcit.

Crudelem medicum intemperans æger facit.

βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, *tardi corde*] Sic & apud Marcum XVI, 14. τῇ ἀπιστίᾳ [*incredulitati*] conjungitur ἡ σκληροκαρδία [*durities cordis*].

ἐπὶ πᾶσιν, *in omnibus*] *Non iis tantùm quæ gloriam, ſed & quæ perpeſſiones Meſſiæ ſpectant.* Non debet noſtri eſſe arbitrii excerpere ex Sacris Literis quod maximè placeat.

οἷς ἐλάλησαν οἱ Προφῆται, *quæ locuti ſunt Prophetæ*] *Si de ipſius fide dubitatis, certè de Prophetarum fide non erat quod dubitaretis. Neque tam ſupinos vos eſſe oportuit, ut non attentè conſideraretis eorum vaticinia.* Tertullianus adversùs Marcionem diſputans aliter hunc locum citat, *O inſenſati & tardi corde in non credendo omnibus quæ loquutus eſt ad vos*! (Ieſus ſcilicet): ſed ſciendum ita citari ab ipſo hunc locum κατὰ συγχώρησιν [*per conceſſionem*], non ex recepto ſed ex Marcionis Euangelio, quod & libri concluſio oſtendit, *Miſereor*, inquit, *tui Marcio, fruſtra laboraſti: Chriſtus enim Ieſus in Euangelio tuo meus eſt.* Marcionis autem editionem, ita ut diximus, hôc loco habuiſſe ex Epiphanio colligitur: quod eò dico ne quis ob has aut ſimiles Tertulliani citationes (plures enim occurrunt) receptæ lectioni ſtatûs controverſiam moveat.

26. Οὐχὶ ταῦτα ἔδει παθεῖν τὸν Χριστὸν, καὶ εἰσελθεῖν εἰς τὴν δόξαν αὐτοῦ; *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam*]? Ex Patris decreto ſæpe revelato, ut omni ex parte Chriſtus Dux noſter fieret, quos & ipſos oportet διὰ πολλῶν θλίψεων εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ [*per multas tribulationes ingredi in Regnum Dei*], ut loquitur Paulus Actor. XIV, 22. Quare quod illos impediebat quò minùs Ieſum crederent eſſe promiſſum illum Meſſiam, hoc ipſum illos maximè ad id credendum excitare debuit.

ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν Προφητῶν, *incipiens à Moſe & omnibus Prophetis*] In quibus quædam ſunt expreſſa vaticinia, ut apud Eſaiam ac Danielem; quædam ἐν τύποις καὶ συμβόλοις [*in figuris & ſignis*], ut Serpens à Moſe erectus, Sacrificium piaculare quod pro populo peragebatur, Res Davidis: quarum explicationem Chriſtus Apoſtolis, Apoſtoli nobis tradiderunt. Credibile eſt aliorum quoque Oraculorum ſimilem explicationem myſticam à Chriſto aut ejus Spiritu traditam & per manus quaſi conſervatam in Eccleſia: neque enim omnia ſcribi potuerunt; quale illud eſt de oblatione Iſaaci, in quo arcanum ingens latere veteres etiam Iudæi crediderunt. Sed & nunc per id ſacrificium Deum obteſtantur, ut ipſis eſſe velit propitius. Quin & Iſaacus illis dicitur crucem ſuam bajulaſſe & ex mortuis recuperatus. Sed multa poſteris temporibus ad tales ſignificationes pertracta pio magis animo quàm laudabili ſucceſſu innumeræ paginæ teſtantur. Adeò magna atque ardua res eſt φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν [*ſapere ad ſobrietatem*].

28. ἤγγισαν, *appropinquaverunt*] *Læti atque alacres*: nam *Comes jucundus in via pro vehiculo eſt.* Et, ut mox ipſi fatentur, cœperat in ipſis reſuſcitari prope exſtinctus ignis fidei.

εἰς τὴν κώμην οὗ ἐπορεύοντο· caſtello, quò ibant] *Emmaunta* nimirùm, quam ſupra nominavit. Nam alium locum hîc confingendi, quod quidam fecerunt, nihil eſt cauſæ.

καὶ αὐτὸς προσεποιεῖτο πορρωτέρω πορεύεσθαι. & ipſe ſe finxit longiùs ire] Locus eſt hôc diligentiùs conſiderandus quòd hinc argumentum petat Chryſoſtomus & diſcipulus in plerisque Chryſoſtomi Caſſianus, ut probarent non ſemper illicitum eſſe mendacium, ſicut Diphilus olim dixerat,

Ὑπολαμβάνω τὸ ψεῦδος ἐπὶ σωτηρίᾳ
Λεγόμενον οὐδὲν περιποιεῖσθαι δυσχερές.
[*Quod pro ſalute dicitur mendacium*
Me judice nihil poteſt habere incommodi].

Et Piſander,

Οὐ νέμεσις καὶ ψεῦδος ὑπὲρ ψυχῆς ἀγορεύειν.
[*Non eſt grande nefas animam præponere vero*].

Quin & Democritus, Ἀληθομυθεύειν χρεὼν ὅπου λώϊον [*Dicendum eſt verum cùm expedit*]. A quibus hactenus diſſentit Auguſtinus, ut dicat quædam eſſe genera mendaciorum in quibus non ſit magna culpa, ſed tamen non ſint ſine culpa: ex Sophoclis ſententia,

Καλὸν μὲν οὖν οὐκ ἔστι τὰ ψευδῆ λέγειν·
Ὅτῳ δ' ὄλεθρον δεινὸν ἡ ἀλήθει' ἄγει,
Συγγνωστὸν εἰπεῖν ἐστι καὶ τὸ μὴ καλόν.
[*Aliena verò proloqui nunquam decet,*
At vera certam ſi cui peſtem ferunt,
Huic danda venia eſt, ſi facit quod non decet].

Multa viri pii atque eruditi hac de re diſputant, quæ omnia huc congerere animus non eſt. Pauca monebo ne confundantur ea quæ diſtingui debent. Primùm illud pro certo poni debet non mentiri tantùm aut ſimulare, ſed & diſſimulare (quæ res eſt haud dubiè per ſe media,) vitio gravi non carere, quoties per eam viam tenditur ad alterius damnum: quod exemplis aliquot illuſtrat Cicero de Officiis III. Nec id probari opus, cùm ſatis conſtet actus per ſe medios malos eſſe, quoties malo fini adhibentur. Sepoſita igitur omni finis pravitate, reſtat videre ecquid in illo ipſo quod ſimulare dicitur, ſit vitii: in quo duo ſpectanda, quorum alterum materiæ, alterum formæ habet rationem. Materiam voco actum exteriorem: formam intentionem agentis. Actus exterior aut in factis aut in verbis conſiſtit: de factis primùm agamus. Dico igitur facta naturaliter nullam habere ſignificationem, niſi eam quam quisque velit: nam ex inſtituto ſignificationem non habent niſi ea facta quæ lege Divina aut humana, ſub quâ etiam pacta comprehendo, ad certam ſignificationem reſtringuntur, ac proinde alio ſignificatu uſurpari licitè non poſſunt. Cætera omnia libera ſunt à certæ ſignificationis vinculo, etiamſi plerumque ſoleant ad hanc aut ad illam rem ſignificandam uſurpari. Exempli cauſâ: Fuga ſolet quidem plerumque ut pavoris indicium accipi; attamen etiam non paventi fugere licet. Circumciſio ſolet accipi ut nota ſe obligandi Iudaïcis ritibus; aliter tamen eam uſurpavit & rectè Paulus, cùm Timothæum voluit circumcidi. Ita progredi paſſus aliquot (quod hîc fecit Chriſtus) corpusque in greſſum componere, quamquam itineris ulterioris propoſitum ſignificare ſoleat, licitè tamen uſurpatur etiam extra tale propoſitum, quia actus talis eſt ad quem unusquisque naturaliter jus habet, neque ullâ lege ad illam ſignificationem eſt adſtrictus. Dicat hîc aliquis, ſi non ex parte materiæ, certè ex parte formæ, id eſt intentionis, eſſe vitium. hoc enim agi, ut qui id videt decipiatur opinando. Id verò negandum arbitror. Nam quod hîc intenditur à Chriſto eſt major utilitas ſpectantium, neque talis opinatio ex tali actu ſpectato inevitabiliter ſequebatur: poterant enim opinari & aliud quippiam. Ponamus ſanè ſciſſe eum aliter illos quàm res habebat opinaturos, nec impediſſe: nihil in eo vitii eſt, ſi quis ſciat nec impediat quod impedire non tenebatur. Hîc autem Chriſtus non tenebatur hoc impedire, quia id impediri illorum non intererat, imo potiùs intererat non impediri. Vir bonus, ut inquit Clemens Alexandrinus, Ἐπὶ τῇ τῶν πλησίον ὠφελείᾳ μόνῃ ποιήσει τινὰ ἃ οὐκ ἂν προηγουμένως αὐτῷ πραχθείη [*Solùm quò proximo proſit, faciet id quod ultrò nunquàm faceret*]. Et hæc quidem dixerim de ſimulatione quæ in factis ſita eſt, quam Græci οἰκονομίαν [*œconomiam*] vocare interdum ſolent, quæ nullo modo extendi debet ad eos geſtus qui non poſſunt non avocare homines à vera pietate, Οὐ μόνον τὸ εὔχεσθαι τοῖς ἀγάλμασιν (inquit Origenes) ἠλίθιόν ἐστιν, ἀλλὰ γὰρ καὶ τὸ συμπεριφερόμενον τοῖς πολλοῖς προσποιεῖσθαι τοῖς ἀγάλμασιν εὔχεσθαι, ὁποῖον ποιοῦσιν οἱ τὰ ἀπὸ τοῦ Περιπάτου φιλοσοφοῦντες, καὶ οἱ τὰ Ἐπικούρου ἢ Δημοκρίτου ἀσπαζόμενοι· οὐδὲν γὰρ νόθον δεῖ ἐνυπάρχειν τῇ ψυχῇ τοῦ ἀληθῶς εἰς τὸ Θεῖον εὐσεβοῦς [*Non hoc tantùm ſtultum eſt idola adorare, verùm id quoque, quod Peripatetici & item Epicuri aut Democriti aſſeclæ faciunt, conformare ſe in eo errori vulgi ut te ſimules idola adorare, neque enim decet ut in ejus animo qui verè in Deum pius futurus ſit, quicquam ſit ſpurii*]. In verbis major quàm in factis eſt difficultas: quia verba etſi non lege, uſu tamen & conſuetudine ſolent habere ſignificationem certam, quo vinculo magna ex parte continetur hominum inter ſe conſuetudo ac ſocietas.

tas. Sed multum refert quibus negotiis verba adhibeantur. Nam quædam negotia talia ſunt, ut ſuâpte naturâ aut lege requirant veri ad id negotium pertinentis patefactionem. Exempli causâ, interrogatus aliquis de vero ſalutari, tenetur ejus profeſſionem edere etiam cum periculo, tum quia Dei honos & proximi ſalus æterna dignior eſt vitâ noſtrâ temporali, tum quia Chriſtus id diſertè præcipit: qui autem verum patefacere tenetur, ſine dubio ſimul tenetur uti verbis eo ſignificatu quo ea ſcit aut ſperat ab audientibus intelligi. nam alioqui verum non patefaciet. In hanc præcipuè partem impegerunt Priſcillianiſtæ & alii quidam ab Eccleſia olim damnati: quod dico nequis in eorum conſortium trahat Chryſoſtomum aut Caſſianum. Bene hoc notat Clemens Alexandrinus, qui cùm συμπεριφορὰν [*ſimulatam imitationem*] quandam bono aliorum inſervientem conceſſiſſet, ita hoc faciendum ait, ut abſit omnis διὰ τὸ ἐπηρτημένον τοῖς δικαίοις παρὰ τῶν ζηλούντων κίνδυνον ὑπόκρισις [*ſimulatio propter periculum quod juſtis ab invidentibus impendet*]. Sic etiam ubi contractus aliquis peragitur, pars utraque tenetur veritatem aperire rerum ad ejus contractûs naturam pertinentium, qua de re vide dicto Officiorum libro. Idemque dicendum de teſtimonii dictione, quoties ad eam aliquis ex æquo & bono obligatur. His ergo caſibus ita loquendum eſt, quomodo verba intelligi putantur. Quæ neceſſitas non ex verborum uſu per ſe ſpectato venit, ſed ex negotii quod agitur qualitate. In reliquo ſermone non eadem eſt neceſſitas. nam primum non ita ſemper uſurpanda verba, quomodo aut ex origine ſua aut ex uſu receptiore ſignificant, probare ſupervacuum eſt; cum ſi id quis affirmet tollat de rerum natura translationes, abuſiones vocabulorum, εἰρωνείας, ὑπερβολὰς, μειώσεις, αὐξήσεις [*irriſiones, ſuperjectiones, extenuationes, amplificationes*] aliasque id genus ſermonis mutationes ac figuras, quibus & humanus & Divinus ſermo abundat. At ne illud quidem pro perpetuo ſtatui hîc poteſt quod in ſuperiori illo negotiorum genere diximus, verba ita uſurpanda quomodo ſciuntur aut putantur intelligenda. Nam & Chriſtus ipſe quædam videtur dixiſſe Apoſtolis quæ cùm veritatem haberent figuratam, ab illis tamen ſecundùm verborum proprietatem intelligebantur, ut de ſeſſione in duodecim ſedibus aliaque ejuſmodi: in quo tamen ſermonum genere nihil eſt vitii. Nam ſi actum externum ſpectes non erant verba adſtricta ad illam propriam ſignificationem: ſi actum internum, non ea erat intentio ut deciperentur Apoſtoli; cùm in illo ſenſu vero, ſed Apoſtolis ad id tempus occulto, plus eſſet quàm in eo quod ipſi opinabantur. Vbi verò ſermo eam quæ veritati congruat ſignificationem ex ſani judicii æſtimatione non recipit, etiamſi recta ſit intentio, vitio eum non carere pars Chriſtianorum veterum longè maxima conſentit: nimirùm quia ſi talis ſermo admittatur, magnâ ex parte tollitur vinculum illud quod homines hominibus ſociat. Neque enim fruſtra Dei dono ſingulari ſolis hominibus tributum eſt inter ſe colloqui. Et ad intentionem quod attinet, ea non poteſt rectum efficere actum qui velut agnatam ſibi habeat curvitatem. Veruntamen etiam hîc quædam occurrit exceptio. Nam ſi qui inſaniæ malo ægrotent, ut atrâ bile perciti (qui ferè à morbo imaginoſo niſi per remedia imaginoſa curari vix poſſunt) aut ejus ſint infantiæ, quæ rationis uſum non habeat, apud hos qui loquitur is poſitus videri poteſt extra illam neceſſitatem verba ſignificatis rebus aptandi: quia ſcilicet ſermonis commercium non habemus niſi cum iis qui ſermonis ſignificationem intelligere ſunt idonei. Atque ideo illos rationis uſu deſtitutos quod attinet, verba videntur eodem loco habenda quo facta, quæ ad certam aliquam ſignificationem adſtricta eſſe negavimus. Et hoc ſenſu facilè receperim quod dicit Plato, non improbandum τὸ ψεῦδος χρήσιμον ὡς ἐν φαρμάκου εἴδει [*utile mendacium, ſi tanquam pharmaci vice utare*]. Quem ſecutus Clemens virum bonum ſemper ait ἀληθεύειν, εἰ μή ποτε ἐν θεραπείας μέρει, καθάπερ ἰατρὸς πρὸς νοσοῦντας ἐπὶ σωτηρίᾳ ψεύσεται ἢ ψεῦδος ἐρεῖ [*verum dicere, niſi ſi quando tanquam medela adhibendum eſt falſum, perinde ut medicus ægroto nonnunquam quo eum ſervet mentietur vel dicet mendacium*]. ubi per ἐπανόρθωσιν [*correctionem*] revocat quod dixerat eum mentiri, & ait potiùs ab eo mendacium dici, quia ſcilicet vox mentiendi animum fallere ſtudentem ſignificet. Cæterùm quod Plato Medicis hac in re æquat civitatum Rectores, in ea re nimiam licentiæ feneſtram aperit: neque par ratio eſt. Nam dignitatis differentia non tollit eam æqualitatem quam inter omnes homines natura conſtituit, cujus pars maxima in mutuo & æquali ſermonis uſu conſiſtit, atque adeò, ut in Apologetico dixit Tertullianus, *Nulla lex*, civilis ſcilicet, *ſibi ſoli conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed eis à quibus obſequium exſpectat.* Illud quoque Chriſtiani meminiſſe debent, cùm omnem jurisjurandi uſum ex communi ſermone Chriſtus ſuſtulerit, ejuſque in locum ſubſtituerit nudam affirmationem ac negationem, non minus Chriſtianos abhorrere debere ab omni perfidia atque etiam vanitate, quàm cæteri homines, qui modò aliquid habent probitatis, abhorrent à perjurio. Sed ut ex diverticulo ad locum qui eſt in manibus redeam, quanquam allata modò explicatio nihil mihi habere videtur incommodi, tamen & illud inſuper cogitandum relinquo lectoribus, an, cùm προσποιεῖσθαι Græcis ſit *præ ſe ferre*, etiam ubi nulla eſt ſpecies ſimulationis, dici non poſſit Ieſum ſicut greſſum ad id iter componebat, ita verè etiam ſecum conſtituiſſe ultra progredi, niſi inſtanter manere rogaretur. Quomodo & Centurioni verè dicebat ἐγὼ ἐλθὼν θεραπεύσω αὐτὸν [*ego veniam & ſanabo eum*], Matth. VIII, 7. nempe, ſi Centurio vellet; & apud Marcum de Chriſto dicitur ἤθελε παρελθεῖν αὐτοὺς [*volebat præterire eos*] VI, 48. nempe, niſi rogatus inſtanter fuiſſet ut navem aſcenderet. Neque enim tali propoſito conditionata obſtat ſcientia futuri eventûs, cùm illa etiam Dei comminatio, *Ninive intra diem quadrageſimum peribit*, niſi pœnitentiam egerit ſcilicet, veritatem ſuam habuerit quantumvis hanc pœnitentiam Deo prænoſcente.

29. παρεβιάσαντο, *coëgerunt*] *Conſtanter rogando*: etiam in Actis XVI, 15. παραβιάζεσθαι Lucas dixit

ſignificatu eodem. Simili omnino ſenſu παραβιάζεσθαι habes Geneſ. XIX, 3. & βιάζεσθαι Geneſ. XXXIII, 11. Iud. XIX, 7. reſpondentia Hebræo פצר [*inſtare*]. Vide quæ diximus de verbo ἀναγκάζειν [*cogere*] ſuprà XIV, 23.

ὅτι πρὸς ἑσπέραν ἐστὶ, καὶ κέκλικεν ἡ ἡμέρα. *quoniam advesperaſcit, & inclinata eſt jam dies*] Non bis idem dixit: ſed vocem ambiguam ἑσπέρας (nam ad exemplum Hebræi ערב [*veſpertini temporis*] *de pomeridiano omni tempore* uſurpatur) explicavit addito interpretamento. Sic & ſuprà IX, 12. quod Matthæi Interpres ὀψίαν [*veſperam*] dixerat, interpretatus eſt ἡ ἡμέρα ἤρξατο κλίνειν [*dies cœperat declinare*]. Bene vertit Syrus, *Dies ad tenebras vergit.* Similis eſt illa apud Virgilium invitatio paſtoralis,

Hic tamen hâc mecum poteris requieſcere nocte.

Cauſam addidit,

Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoresque cadunt altis de montibus umbræ.

Potuit autem hoc dictum eſſe αὐξητικῶς [*per amplificationem*] ad commendandam magis invitationem, quamvis non tam prope immineret ſolis occaſus: quò faciliùs mutato conſilio mox Hieroſolyma ſe recipere & Apoſtolos necdum in ſoporem datos invenire potuerunt.

30. λαβὼν τὸν ἄρτον εὐλόγησε, καὶ αὐτὸς ἐδίδου αὐτοῖς. *accepit panem & benedixit, & porrigebat illis*] *Præter morem convivarum:* erat enim id munus convivatoris. Quare hôc facto ſe Dominum ac Patremfamilias profitetur: quod primùm ſuſpicionem illis injecit eſſe hunc Ieſum, Præceptorem ſuum, qui inter Diſcipulos ſolebat patrumfamilias ritibus defungi.

31. διηνοίχθησαν οἱ ὀφθαλμοὶ, *aperti ſunt oculi*] Sublatis impedimentis propiùs eum intueri ac cognoſcere cœperunt. Ita Geneſ. XXI, 19. de Agare, ἀνέῳξεν ὁ Θεὸς τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς, καὶ εἶδε φρέαρ ὕδατος ζῶντος [*aperuit oculos ejus Deus: & vidit puteum aquæ viventis*].

καὶ ἐπέγνωσαν αὐτόν. *& cognoverunt eum*] *Ex vultu propiùs conſiderato.* Non diſplicet myſtica veterum interpretatio, Chriſtum verè non cognoſci niſi ab iis qui in unitate ſunt corporis illius, quod per panis fractionem figuratur.

ἄφαντος ἐγένετο ἀπ᾽ αὐτῶν. *evanuit ex oculis eorum*] Hoc quomodo factum ſit non nuper demum cœpit diſputari: ſed olim de iſtis ſalvâ pace quærebatur. Syrus & Arabs exiſtimare videntur factum hoc ſubitâ loci mutatione: at Epiphanius oculis potiùs obductam putat caliginem, ut ab Eliſæo olim & ab Angelis in excidio Sodomorum. Diverſa ab his videtur fuiſſe ſententia Origenis qui in accurata adverſùs Celſum diſputatione Chriſti corpus quadraginta illis diebus ait fuiſſe ὁρατὸν ὅτ᾽ ἐβούλετο καὶ οἷς ἐβούλετο [*viſibile quando voluit, & quibus voluit*]. Cenſet enim id ipſum ſacratiſſimum corpus fuiſſe eo tempore ἐν μεθορίῳ [*in interſtitio*] inter eam ut ipſe appellat παχύτητα [*denſitatem*] quam habent corpora caduca, & inter naturas liberas ab hac concretione mortali. De Angelis autem quid ſentiat, explicavit initio commentarii ad Lucam: nimirum eos quoque conſpicuos aut inconſpicuos fieri ſolo voluntatis ſuæ arbitrio. Videtur Latinus Interpres in hanc ſententiam fuiſſe pronior. Ego nihil hîc dicendum invenio quod melius ſit illo Baſilii dicto τὸ ὅπως μὴ περιεργάζεσθαι [*quâ ratione factum ſit non nimis curioſè inquirendum*]. Ex tribus illis modis, ſicut duos priores video eſſe καταληπτοτέρους [*intellectu faciliores*], ita tertium eſſe ἀδύνατον [*impoſſibilem*] affirmare non auſim. Nam dum fæx iſta nos detinet, nihil ferme quod aut ad Angelorum aut etiam ad ejus corporis, quod non immerito πνευματικὸν [*ſpirituale*] Paulus vocat, qualitatem pertineat, extra ea quæ revelata ſunt, niſi tenuibus admodum conjecturis aſſequi poſſumus: quod fibulam imponere debet noſtræ curioſitati. Illud mihi liquet non ſatis aptè ad definiendum hujus rei modum adferri illud ἀπ᾽ αὐτῶν [*ab illis*] quaſi φορὰν [*motum*] utique deſignet, cùm multò ſit probabilius genus eſſe loquendi ex Hebraïſmo deſumtum. quale ſuprà XVIII, 34. κεκρυμμένον ἀπ᾽ αὐτῶν [*absconditum ab eis*] & XIX, 42. ἐκρύβη ἀπὸ ὀφθαλμῶν σου [*absconditum eſt ab oculis tuis*], ubi & plura loca annotavimus eandem locutionem continentia.

32. καιομένη, *ardens*] De lectionis hujus veritate non dubito, cùm conſentiant Syrus, Latinus, Arabs. Hoc ajunt, *Niſi mens fuiſſet læva, potueramus eum antequam nobiscum accumberet agnoſcere ex docendi modo. Nam præter argumentorum pondera & comitatem in docendo ſummam, accedebat Divina efficacia animos incendens, qualem ſentire quondam ſolebamus ipſo docente.* Calor cordis, vehementis motùs indicium. Sic Pſalm. XXXIX, 3. חם־לבי בקרבי, ἐθερμάνθη ἡ καρδία μου ἐντός μου [*concaluit cor meum intra me*].

33. αὐτῇ τῇ ὥρᾳ, *eâdem horâ*] Syriſmus, id eſt, *ſtatim.*

τοὺς ἕνδεκα, καὶ τοὺς σὺν αὐτοῖς, *undecim, & eos qui cum illis erant*] Qui nocturnis cœtibus alter alterum ſolabantur Iohann. XX, 19. Vndecim vocat Apoſtolos poſt ejectum Iudam, ut ante δώδεκα [*duodecim*], quanquam fortè unus aut alter aberant.

34. Λέγοντας, *dicentes*] Veram hanc eſſe lectionem cur nobis videatur ſupra diximus.

ἠγέρθη ὁ Κύριος ὄντως, *ſurrexit Dominus verè*] Quaſi dicant, *Res jam non nititur ſolo Magdalenæ teſtimonio aut incertis conjecturis.* ὄντως [*realiter*] eſt ἀληθῶς [*verè*], ut Marci XI, 32.

Σίμωνι. *Simoni*] Vt primo Apoſtolorum, amantiſſimo Domini, & ob lapſum perculſo.

35. ὡς ἐγνώσθη αὐτοῖς ἐν τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου. *quomodo cognoverunt eum in fractione panis*] *In menſa, non ante.* Tarditatem ſuam accuſant.

36. ἔστη, *ſtetit*] Subitò, cùm clauſæ eſſent fores.

Εἰρήνη ὑμῖν. *Pax vobis*] Id eſt, *Avete*, ut Iud. VI, 23. & ſuprà X, 5. Poſt hæc verba, ἐγώ εἰμι· μὴ φοβεῖσθε [*ego ſum; nolite timere*], quod nunc in Græcis codicibus deeſt, legerunt Syrus, Latinus, Arabs: Quare videndum ne elapſum ſit ſcribarum incuriâ, quando & Ambroſius agnoſcit. Conſulant antiquos codices ſi quibus copia eſt. Quòd vir magnus ait videri ex Iohanne hæc adjecta miror, cùm apud Iohannem nihilo magis exſtent.

37. ἐδόκουν πνεῦμα θεωρεῖν. *exiſtimabant ſe ſpiritum videre*] Qualem ſpiritum? *malum* ſcilicet: nam id genus ſpiritus ſolebant apparere in ſpecie hominum mortuorum. quomodo Hebræorum plerique hiſtoriam de Samuele à Pythoniſſa evocato interpretantur. In Euangelio Nazaræorum, quod, ut diximus, multa ex famæ traditione ad Matthæum addita habuit, erat hoc loco pro voce ſpiritûs *Dæmonium incorporale*. Eſtque id eò minùs repudiandum, quod Ignatius, qui Apoſtolos ipſos hæc referentes audire potuit, Chriſti hanc perſuaſionem refellentis verba hunc in modum recitat, Καὶ ὅτε πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον ἦλθεν, ἔφη αὐτοῖς· Λάβετε, ψηλαφήσατέ με, καὶ ἴδετε ὅτι οὐκ εἰμὶ Δαιμόνιον ἀσώματον· πνεῦμα γὰρ σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα [*Et cùm ad eos qui circa Petrum erant, veniſſet, dixit eis: apprehendite, contrectate me, & videte quòd Dæmonium incorporeum non ſim; ſpiritus enim carnem & oſſa non habet, quemadmodum me habere aſpicitis*]. qui locus eò minùs ſuſpectus eſſe nobis debet quod ita ut nunc legitur, jam olim laudatus ſit ab Euſebio, ſicut & locus proximè præcedens ab Hieronymo. Quæ, ni fallor, ad loci hujus interpretationem non parùm pertinent, atque eòdem faciunt verba πτοηθέντες, ἔμφοβοι, τεταραγμένοι [*attoniti, terrefacti, conturbati*], in hac hiſtoria. Adde quæ diximus ad Matth. XIV, 26. ad verbum φάντασμα [*phantasma*].

38. διαλογισμοὶ ἀναβαίνουσιν ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν, *cogitationes aſcendunt in corda veſtra*] Locutio in libris Prophetarum frequens, quam & Paulus ſequitur I Corinth. II, 9. Sic Latinè *ſubire* aliquid *animum* dicitur. Cogitationes autem intelligit in partem ſequiorem proniores. Sic & Dan. II, 28.

39. ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, *quia ſpiritus carnem & oſſa non habet*] Homerus de mortuorum animis locutus,

> οὐ γὰρ ἔτι σάρκας τε καὶ ὀστέα ἶνες ἔχουσιν.
> [*Non tegit oſſa caro, non nervis oſſa ligantur*].

Maximus Tyrius, οὐ γὰρ σάρκες αἱ δαιμόνων φύσεις [*non enim carnea eſt Dæmonum natura*]. Tribus argumentis Chriſtus ex animo Apoſtolorum revellit falſam illam opinionem, judicio viſûs accurato, judicio tactûs, & cibi ſumtione. Solent quidem dæmones apparere in ſpecie etiam hominum, ſed ea ſpecies ſoliditatem non habet, &, ſi quis cum fiducia propiùs intueatur, facilè reperiet ſpeciem à re diſcrepare. Sed terror plerumque impedit ne res accuratè dijudicetur. quod ſi quis tactum adhibeat multò magis apparebit diverſitas. Species enim ex aëre (ut plurimùm) conformata tactum non patitur.

> *Par levibus ventis volucrique ſimillima ſomno.*

Vnde φαντάσματος [*ſpectri*] nomen id genus imaginibus datum eſt. Apollonius apud Philoſtratum, Λαβοῦ μου, ἔφη, κἂν μὲν διαφύγω σε, εἴδωλόν εἰμί σοι ἐκ Φερρεφάττης ἥκων, οἷα φαίνουσιν οἱ χθόνιοι θεοί· εἰ δὲ ὑπομείναιμι ἁπτόμενος, πεῖθε καὶ Δάμιν ζῆν τέ με καὶ μὴ ἀποβεβληκέναι τὸ σῶμα [*Tange me, inquit; quòd ſi te effugio, venerim ſanè ab inferis, ſimque ſpectrum iis ſimile, quæ interdum mittunt qui ſub terram degunt, dii. Sin contrectari ſuſtineo, perſuade & Damidi vivere me, nequedum è corpore emigraſſe*]. Tertullianus, Epiphanius atque alii contra Marcionem diſputantes probant Chriſti corpus non fuiſſe *phantaſma*, quia tangi potuerit. Objiciet aliquis Angelos interdum apparuiſſe piis hominibus, tactos quoque & cibum ſumſiſſe, neque tamen tot indiciis potuiſſe cognoſci. Facilis eſt reſponſio; *Viſos eos*, ut Tertullianus loquitur, *in carne vera & ſolida etſi non nata*: qui & alibi dicit, *Facilè habuit veram dediſſe ſubſtantiam carnis vel quà proprius auctor & artifex ejus*. Diabolus autem (ut cum eodem Tertulliano pergam loqui) phantasma infert, cujus non valet veritatem. Solvit autem Chriſtus id quod Apoſtolis occurrebat περὶ φαντάσματος [*de ſpectro*]. De Angelo non ſolvit, quia id non putabant neque verò id opus: nam certum erat Angelos non mentiri. At is qui apparebat Ieſum ſe eſſe profitebatur: aut ergo dæmon erat, quod non eſſe adhibito ſenſuum judicio probatur, aut ipſe Ieſus.

θεωρεῖτε, *videte*] Θεωρεῖν [*videre*] non ad viſum tantùm, ſed & ad alios ſenſus refertur, ut Ioh. II, 23. & apertius Actor. IV, 13.

40. ἐπέδειξεν, *oſtendit*] Tangenda offerens, ut Iohannes docet hôc loco, quem vide & epiſtolæ initio.

41. ἀπιστούντων αὐτῶν, *non credentibus illis*] Id eſt, *cùm non ſatis firmo animo id quod res erat ſibi perſuaderent*. nam ita vox ἀπιστίας [*incredulitatis*] ſumitur etiam Matth. XVII, 20.

ἀπὸ τῆς χαρᾶς, *præ gaudio*] Majus erat gaudium quàm quod capere poſſet animus. Seneca Thyeſte,

> *Proprium hoc miſeros ſequitur vitium,*
> *Nunquam rebus credere lætis.*
> *Redeat felix fortuna licet:*
> *Tamen afflictos gaudere piget.*

Sic apud Æſchylum Agamemnone Clytemneſtra, cùm Troja capta ipſi nuntiaretur, ait:

> πῶς φῄς; πέφευγε τοὔπος ἐξ ἀπιστίας
> [*Quid dicis? excedit fidem mihi quod refers*].

43. Καὶ λαβὼν ἐνώπιον αὐτῶν ἔφαγεν. *Et ſumens coram illis manducavit*] Conſulendi & hîc veteres codices. nam præter Latinum Arabs quoque addit, καὶ λαβὼν τὰ περισσεύματα ἔδωκεν αὐτοῖς [*& ſumens reliquias dedit illis*]. Neque ut ſupervacuum videri poteſt, cùm ad certiorem rei fidem pertineat, quod communem cum eo cibum Apoſtoli ſumſerunt. Nam Petrus hoc ipſum urget Actor. X, 41. συνεφάγομεν καὶ συνεπίομεν αὐτῷ μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν [*manducavimus & bibimus cum illo poſtquam reſurrexit à mortuis*].

44. Εἶπε δὲ αὐτοῖς, *dixit autem ad eos*] Sequitur ſumma ſermonum quos per quadraginta dies Ieſus cum Apoſtolis ſuis habuit, quos quia ejuſdem erant argumenti tum Marcus tum Lucas neque hîc tantùm, ſed in Actis καθόμαδα [*omnes ſimul*] recitat. Vide Actor. I, 3.

Οὗτοι οἱ λόγοι, *Hæc ſunt verba*] *Quod prædicenti mihi ſæpe non crediddiſtis, aut quod prædictum non intellexiſtis, nunc reipſa experimini.* Vide Matth. XVI, 21. XVII, 23. XX, 19. Marci IX, 31. X, 34. ſuprà IX, 45. XVIII, 33. XXIV, 7.

ἔτι ὢν σὺν ὑμῖν, *cum adhuc eſſem vobiscum*] *Quotidiano* ſcilicet *convictu*. nam tunc tantùm κατ᾽ οἰκονομίαν [*quoties ei ex uſu fore videbatur*] illis aderat.

ὅτι δεῖ, *quoniam neceſſe eſt*] Id eſt, ἔδει [*oportebat*]. Sic Matthæi XVII, 11. Ἡλίας μὲν ἔρχεται πρῶτον [*Elias quidem primùm venturus eſt*]. Refertur autem δεῖ [*neceſſe eſt*] hic ad Patris decretum ſapientiſſimum.

καὶ ψαλμοῖς, *& Pſalmis*] Id eſt, ἐν βίβλῳ ψαλμῶν [*in libro Pſalmorum*], ut ſuprà XX, 42. & Actor. I, 20. Quò probabilius eſt ex parte nobiliſſima totum illud volumen ἁγιογράφων [*Sacrarum Literarum*] deſignari, quod Sacrarum apud Iudæos Literarum partem efficit tertiam. Videtur autem alia fuiſſe librorum diviſio Ioſephi temporibus quam nunc uſurpatur, ita ut prima pars conſtaret ex Pentateucho: ſecunda ex omnibus hiſtoriis & Prophetis comprehenſo etiam Daniele: tertia ex Pſalmis, ſententiis Solomonis, ejuſdem Eccleſiaſte & carmine Epithalamio. Tertiam hanc partem quatuor, ut dixi, libris comprehenſam ita deſcribit Ioſephus, Αἱ δὲ λοιπαὶ τέσσαρες ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν καὶ τοῖς ἀνθρώποις ὑποθήκας τοῦ βίου περιέχουσι [*Reliquæ verò quatuor hymnos in honorem Dei vitæque hominibus inſtituendæ præcepta continent*].

45. Διήνοιξεν αὐτῶν τὸν νοῦν τοῦ συνιέναι τὰς γραφάς, *Tunc aperuit illis ſenſum ut intelligerent Scripturas*] Eventus optimus vaticiniorum interpres. Sed ne ſic quidem ſatis intelligi poteſt quid cui rei conveniat, niſi mens dono quodam ſingulari, quod ἑρμηνείας [*interpretationis*] aut ἐπιλύσεως [*explicationis*] dici notavimus alibi, illuſtretur ab inſpiratore Prophetarum. Iuſtinus colloquio cum Tryphone, Οἴεσθε ἂν ἡμᾶς ποτὲ, ὦ ἄνδρες, νενοηκέναι δυνηθῆναι ἐν ταῖς γραφαῖς ταῦτα, εἰ μὴ θελήματι τοῦ θελήσαντος αὐτὰ ἐλάβομεν χάριν τοῦ νοῆσαι; [*Putatiſne, viri, fuiſſe nos hæc in Sacris Literis intellecturos, niſi is, qui hæc fieri voluit, Deus gratiâ ſuâ quò intelligeremus effeciſſet*]? Et alibi eodem libro, Οὐδὲ γὰρ δύναμις ἐμοὶ τοιαύτη τίς ἐστιν, ἀλλὰ χάρις παρὰ Θεοῦ μόνη εἰς τὸ συνιέναι τὰς γραφὰς αὐτοῦ ἐδόθη μοι [*Neque enim eſt mihi ad hæc ingenium, niſi quòd mihi à Deo, quò Scripturas ejus intelligerem, data eſt gratia*]. In Clementis Conſtitutionibus legitur de Deo, Τῷ δυναμένῳ ἀνοῖξαι τὰ ὦτα τῶν καρδιῶν ὑμῶν εἰς τὸ καταδέχεσθαι τὰ διηκονημένα τοῦ Θεοῦ λόγια [*Qui poteſt cordium noſtrorum aures aperire ut percipiamus eximia Divini Numinis oracula*]. Origenes IV περὶ ἀρχῶν [*de Principiis*] de ſcriptis ſacris loquens, Διὰ τὴν εἰς ὑπερβολὴν χαλεπωτάτην εὕρεσιν τῶν πραγμάτων τοῖς ἀνθρώποις οὐ πάνυ σαφηνίζεται ὁ περὶ τούτων ἑκάστου λόγος· καὶ τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν προφητειῶν ἃς πάντες ἴσμεν αἰνιγμάτων καὶ σκοτεινῶν πεπληρῶσθαι λόγων; κἂν ἐπὶ τὰ εὐαγγέλια δὲ φθάσωμεν, κἀκείνων ὁ ἀκριβὴς νοῦς ἅτε νοῦς ὢν Χριστοῦ, δεῖται χάριτος τῆς δοθείσης τῷ εἰρηκότι, Ἡμεῖς δὲ νοῦν Χριστοῦ ἔχομεν [*Quoniam hæ res difficillimæ inventu ſunt hominibus, minùs evidens eſt de earum unâquaque oratio. Quid porrò de Prophetiis dicere attinet, quas omnes ſcimus ænigmatis atque obſcuris ſententiis refertas eſſe? Iam ſi ad Euangelia veniamus, eorum quoque pleniſſima intelligentia atque mens, quippe quæ mens Chriſti ſit, ejuſmodi gratiâ opus habet, qualem ille habuit, qui dixit, Nos autem mentem Chriſti habemus*]. quod deinde exemplis illuſtrat. Idem in epiſtola ad Gregorium, Προσέχων τῇ θείᾳ ἀναγνώσει ὀρθῶς ζήτει καὶ μετὰ πίστεως τῆς εἰς Θεὸν ἀκλινοῦς τὸν κεκρυμμένον τοῖς πολλοῖς νοῦν τῶν θείων γραμμάτων· μὴ ἀρκοῦ δὲ τῷ κρούειν καὶ ζητεῖν· ἀναγκαιοτάτη γὰρ καὶ ἡ περὶ τοῦ νοεῖν τὰ θεῖα, εὐχή [*Divinæ lectioni diligenter incumbe, atque ita, ut inter legendum rectè ac conſtanti in Deum fide abditum pleriſque Divinorum monumentorum ſenſum quæras: neque verò obiter pulſare & quærere ſatis habe. Etenim preces quoque in hoc negotio vel maximè neceſſariæ*]. Et hæc quidem illi de dono τῆς γνώσεως [*cognitionis*]. Nam de dono πρὸς πίστιν [*ad fidem*] quid ſentiant alibi expoſuimus. Vtrumque donum ſimilibus verbis deſcribitur. Nam & his qui primùm in Chriſtum credunt dicitur διανοίγεσθαι ἡ καρδία [*cor aperiri*] Actor. XVI, 14. Quod Iuſtinus dixit φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας [*januas lucis aperiri*].

46. παθεῖν τὸν Χριστὸν, *Chriſtum pati*] De teſtimoniis ad Chriſti perpeſſiones pertinentibus diximus ſuprà ad comma 26, & alibi.

καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ. *& reſurgere à mortuis tertia die*] Ad exemplum Ionæ. Hujus reſuſcitationis imaginem quoque geſſerant liberationes Davidis atque aliorum è ſummis periculis. Vide Actor. II, 25. & XIII, 35.

47. Καὶ κηρυχθῆναι ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ μετάνοιαν, *Et prædicari in nomine ejus pœnitentiam*] Ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ [*In nomine ejus*] rectè exponitur *Chriſti mandato* & quaſi vices ejus obeundo, II Corinth. V, 20. Ὑπὲρ Χριστοῦ οὖν πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι᾽ ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριστοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ [*Pro Chriſto ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos, obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo*]. Itaque & Chriſtus ipſe per Legatos ſuos dicitur gentibus εὐαγγελίζεσθαι [*annuntiari*] Epheſ. II, 17. Hæc annuntiatio duas habet partes, poſtulationem & promiſſionem. poſtulatur pœnitentia cujus nomine tota obedientia comprehenditur: promittitur remiſſio peccatorum, in quo continentur vita æterna, & ejus arrhabo Spiritus Sanctus. Vtraque pars per baptiſmum obſignatur ut Matthæus & Marcus nos docent. Ad hoc pœnitentiæ κήρυγμα [*prædicationem*] tum alia apud Prophetas pertinent, tum imprimis illuſtris Eſaiæ locus XLIX, 6. *Exiguum eſt quod te mihi miniſtrum elegi, ad ſuſcitandas tribus Iacobi & convertendos deſolatos Iſraëlis: Etiam lucem gentium te conſtitui.* Adde quæ ſunt Eſaiæ LXI in principio citata ſuprà apud Lucam IV, 18. & Pſalm. XXII, 23, 24, 25, 26, 27, 28.

καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *& remiſſionem peccatorum*] Eſaiæ LIII, 12. *Ipſe tulit multorum peccatum & pro ſontibus deprecabitur.* Ierem. XXXI, 34. *Condonabo iniquitatem ipſorum & peccati ipſorum non recordabor amplius.*

εἰς πάντα τὰ ἔθνη, *in omnes gentes*] Eſaiæ XLIX, *Audite inſulæ me & nationes longinquæ.* Oſeæ II, 23, *Vocabo non populum meum, populum meum.* Pſalm. II, *Dabo gentes hæreditatem tuam.* Ioël II, 32, *Quiſquis invocabit nomen Dei, evadet.* Malachiæ I, 11, *Ab ortu ad occaſum magnum erit nomen meum inter gentes.* Daniel VII, 14, *Et dedit ei poteſtatem & regnum: & omnes populi, nationes & linguæ ei ſervient.*

ἀρξάμενον ἀπὸ Ἱερουσαλήμ. *incipientibus ab Hieroſolyma*] Ab urbe Davidis cujus ſolium Meſſiæ erat promiſſum, Pſalm. CXXXII. Eſaiæ IX, 7, & alibi. Huc illa pertinent Pſalm. II, 6. *Ego conſtitui Regem meum ſuper*

ſuper Sion. Pſalm. cx, 2, *Sceptrum roboris tui mittet Deus ex Sion.* Eſaiæ II, 3, *De Sione exibit Lex & Verbum Dei ex Hieroſolymis.* Eſaiæ XXVIII, 16, *Fundo in Sione lapidem, lapidem pretioſum.* Eſaiæ XL, 9, *Super celſum montem aſcende, bonorum nuntia Sion, vocem tuam vehementer effer bonorum nuntia Ieruſalem.* Eſaiæ LX, I, *Surge, illuminare,* Ieruſalem ſcilicet, quod addunt LXX. Huc refer illud quod apud Suetonium eſt, Vulgatam ſcilicet eo tempore famam, ex Iudæa proditurum qui orbi imperaret.

48. Ὑμεῖς δέ ἐστε μάρτυρες τούτων. *Vos autem teſtes eſtis horum*] *Vitæ nempe meæ, mortis & reſurrectionis,* quibus fundamentis totum illius annuntiationis fundamentum ſuperſtruitur; ſed reſurrectioni præcipuè, ut nos docet Apoſtolorum Coryphæus Actor. 1, 21, 22. Nam ſi Ieſus reſurrexit, certè reſurrexit virtute Divina. At quorſum Deus id feciſſe potuit, niſi ut palàm oſtenderet verum eſſe quod ab ipſo erat annuntiatum, ſectatoribus nempe ipſius (quantumvis antea damnabilis vitæ) patere Dei pacem ac proinde vitam æternam. Reſurrectio autem probari non potuit, niſi quomodo facta probantur, teſtimonio ſcilicet αὐτοπτῶν [*oculatorum teſtium*], hominum proborum, nulla ex teſtimonio commoda ſperantium. Ponitur autem hîc ἐστὲ [*eſtis*] præſens pro futuro ἔσεσθε [*eritis*], ut videre eſt Actor. 1, 8. Sic in ſequenti commate ἀποστέλλω [*mitto*] eſt poſitum pro ἀποστελῶ [*mittam*].

49. τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ πατρός μου, *promiſſum Patris mei*] *Nempe quò firmiùs atque conſtantiùs adversùs mundi rabiem teſtimonium illud præbeatis.* Ita Actor. 1, 8, Lucas ipſe hoc explicat, Λήψεσθε δύναμιν ἐπελθόντος τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐφ' ὑμᾶς, καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἰερουσαλὴμ καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς [*Accipietis virtutem ſupervenientis Spiritûs Sancti in vos, & eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa & Samaria, & uſque ad ultimum terræ*]. Vbi καὶ ἔσεσθε [*& eritis*] more Hebræo eſt *ut ſitis:* ἐπαγγελίαν πατρὸς [*promiſſum Patris*] vocat *donum Spiritûs Sancti* ſibi à Patre promiſſum, ut à ſe Diſcipulis daretur. Ita Actor. 1, τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Πατρὸς ἣν ἠκούσατέ μου [*promiſſionem Patris quam audiſtis de ore meo*]. Vide Ioëlis II, 28. quod explicatur Actor. II. adde Eſaiam XLIV, 3. Ezechielem XXXVI, 26. & Iohann. XV, 26. XVI, 7. & Ierem. XXXI, 33. Bene autem ſubjunxit mandato ferendi teſtimonii; quaſi dicat, *Vos quidem mihi ſermone teſtimonium præbebitis rerum conſpectarum, atque ego vobis intus teſtimonium præbebo rerum ſperatarum.* ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ [*idem ille teſtimonium perhibebit de me*] Iohann. XV, 26.

καθίσατε, *ſedete*] Id eſt, μὴ χωρίζεσθε [*ne ſegregamini*]. Interprete Luca ipſo Actor. 1, 4. Quare hanc partem ſermonis à Chriſto habitam arbitror poſtquam è Galilæa Apoſtoli redierant.

ἐνδύσησθε δύναμιν ἐξ ὕψους. *induamini virtute ex alto*]. Ἐνδύειν [*Induere*] hîc reſpondet Hebræo לבש quod Septuaginta Iud. VI, 34. vertunt ἐνδυναμοῦν [*validum reddere*]. Sed & *indui ſtupore, pudore, diris,* dicunt Hebræi, ut appareat dici apud illos omne id *indui* quod non accedit & recedit, ſed penitus adhæret. Iohann. XIV, 16. ἄλλον Παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα [*alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*]. Atque hac proprietate donum hoc diſtinguitur à ſpiritu τῆς ἐπισκοπῆς τῶν ἀνθρώπων [*viſitationis hominum*].

ἐξ ὕψους. *ex alto*] ממרומים [*ab excelſis*], ita & ſuprà 1, 78.

50. ἕως εἰς Βηθανίαν. *in Bethaniam*] Ad eam Bethaniæ partem quæ in monte erat Oliveti, in quo monte Chriſtus ſæpe preces & lacrimas ad Patrem fuderat; ut qui locus ſubmiſſionis ipſius teſtis fuerat, idem eſſet & gloriæ. Vide Actor. 1.

ἐπάρας τὰς χεῖρας αὐτοῦ, *elevatis manibus ſuis*] Non ſimplex precandi mos ſignificatur de quo egimus ſuprà XVIII, 13. ſed ritus εὐλογίας [*benedictionis*] qui fieri ſolebat *manibus impoſitis,* id eſt, διὰ χειρῶν ἐπιθέσεως, ut videre eſt in hiſtoria Iſaaci Geneſ. XXVII, 4, 7, 12, 19, 21, 22. & Iacobi Geneſ. XLVIII, 9, 14, 15, 16, 17. At quoties pluribus ſimul impartienda eſſet εὐλογία [*benedictio*], compendii cauſâ uſurpabatur χειραρσία, id eſt, *manûs protenſio* ſuper eorum capita pro quibus preces offerebantur. Ita Levit. IX, 22. ἐπάρας Ἀαρὼν τὰς χεῖρας ἐπὶ τὸν λαὸν εὐλόγησεν αὐτοὺς [*extendens Aaron manus ad populum benedixit eis*]. Eum morem tum initio tum fine cujuſque conventûs uſurparunt Chriſtianorum Epiſcopi: unde probat Optatus Milevitanus Macarium Iudicem, quanquam ad populum Carthaginienſem in Eccleſia verba feciſſet, nihil tamen pro Epiſcopo feciſſe. Verba ejus ſunt disputatione adverſùs Parmenianum ſeptima, *Et locutum eum eſſe aliquid in populo conſtat, ſed inſinuandæ alicujus rei causâ non tamen tractandi* (id eſt docendi) *quod eſt Epiſcoporum: ille enim nudè locutus eſt ſicut loqui potuit. Contra Epiſcopalis tractatus probatur ab omnibus ſanctitate veſtitus, ſalutatione ſcilicet geminata.* (ſalutationem hîc vocat τὴν εὐλογίαν) *Non enim incipit aliquid Epiſcopus ad populum dicere, niſi priùs in nomine Dei populum ſalutaverit: ſimiles ſunt exitus initiis, omnis tractatus in Eccleſia à nomine Dei incipitur & ejuſdem Dei nomine terminatur. Quis veſtrûm audet dicere Epiſcoporum more Macarium populum ſalutaſſe? itaque cùm nec ſalutaverit antequam aliquid loqueretur, nec ſalutare auſus ſit, nec manum impoſuerit, nec ſacrificium Deo ritu Epiſcopali obtulerit, quid eſt quod dicitis pollui Epiſcopale, collegium, cùm ab omni Epiſcoporum officio Macarium videatis alienum?* Lux huic loco Optati affertur ex Conſtitutionibus antiquis quæ ſub Clementis nomine leguntur, Ἀλλ' οὔτε λαϊκοῖς ἐπιτρέπομεν ποιεῖν τι τῶν ἱερατικῶν ἔργων, οἷον θυσίαν, ἢ βάπτισμα, ἢ χειροθεσίαν, ἢ εὐλογίαν μικρὰν ἢ μεγάλην [*Sed nec Laïcis quicquam quòd ad Sacerdotum munus ſpectet liberum eſt obire, ut verbi gratiâ, ſacrificium aut baptiſmum manuumve impoſitionem, aut parvam vel magnam benedictionem*].

εὐλόγησεν αὐτοὺς, *benedixit eis*] Id eſt, εὐλόγησεν ἐπ' αὐτούς [*precatus eſt ſuper eos*]. Sic Matth. v, 44. εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους [*orate pro perſequentibus*]. Et ſæpe LXX, ut locis jam citatis, εὐλογεῖν modò eſt *gratias agere,* modò ut hîc, *precari.*

εὐλόγησεν αὐτοὺς, *benedixit eis*] Solenniter bene eis eſt precatus.

51. ἐν τῷ εὐλογεῖν, *dum benediceret*] Simul atque ritum illum valedicens impleverat.

διέστη ἀπ᾽ αὐτῶν, καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. *receſſit ab eis & ferebatur in cælum*] Sic & in Eliæ hiſtoria II Reg. II, II. יפרדו בין שניהם ויעל אליהו בסערה השמים [*diviſerunt utrumque; & adſcendit Elias per turbinem in cælum*], ubi Græci alii διέστειλεν [*diviſit*], alii διεχώρισεν ἀνὰ μέσον ἀμφοτέρων [*discrevit inter utrosque*]. Brevius poſſes dicere, עלה מעליהם, [*aſcendit ab eis*]: ita Gen. XVII, 22. ויעל אלהים מעל אברהם. ἀνέβη ὁ Θεὸς ἀπὸ Ἀβραάμ [*aſcendit Deus ab Abrahamo*]. Interpretatur Lucas ipſe Actor. I, 9. Βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν [*videntibus illis elevatus eſt, & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum*].

ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. *ferebatur in cælum*] τὸν οὐρανὸν τῶν οὐρανῶν [*cælum cælorum*], quod ὑπεράνω πάντων οὐρανῶν [*ſuper omnes cælos*] dixit Paulus Epheſ. IV, 10.

52. προσκυνήσαντες αὐτὸν, *adorantes eum*] Corpore proſtrato quod antehac non fecerant quippe ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς σαρκὸς αὐτοῦ (ut loquitur ad Hebræos Scriptor) ad familiarem victum admiſſi. Nunc faciunt Majeſtate ipſius apertè cognita, II Cor. V, 16. εἰ δὲ καὶ ἐγνώκαμεν κατὰ σάρκα Χριστόν, ἀλλὰ νῦν οὐκ ἔτι γινώσκομεν [*& ſi cognovimus ſecundùm carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus*].

ὑπέστρεψαν εἰς Ἰερουσαλήμ, *regreſſi ſunt in Ieruſalem*] Ita & Actor. I, 12. Oſtenditur quàm parentes dicto Chriſti fuerint.

μετὰ χαρᾶς μεγάλης. *cum gaudio magno*] Ob intellectam rationem admirabilem quâ procurata erat redemtio generis humani, & ob inſignem illam pollicitationem mittendi Spiritûs.

53. Καὶ ἦσαν διαπαντὸς ἐν τῷ ἱερῷ, *Et erant ſemper in templo*] Nam in templo potiùs quàm alibi, ut precari, ita & gratias agere Deo Iudæi ſolebant: præſertim ſi quid majus incidiſſet. Vide ſuprà XVIII, 10. διαπαντὸς intellige *quotidie*, temporibus nimirum congruis. Ita Petrus & Iohannes Actor. III. narrantur iiſſe in templum circa horam nonam, quæ deſtinata erat precibus veſpertinis. Quod poſt acceptum Spiritum fecerunt, idem eos & decem diebus poſt Domini ἀνάληψιν [*aſſumptionem*] feciſſe credibile eſt: de quo tempore hæc mihi videntur accipienda. Nec obſtat quod cœtus ſuos eo tempore habuerunt in privatis ædibus, ut docemur Actor. I, 15. nam idem fecerunt & poſt acceptum Spiritum, quamvis quotidie interea & templum adirent, Actor. II, 46. III, I. V, 25. XII, 12.

Ἀμήν. *Amen*] Additum ab Eccleſia quæ lectionem Euangelii hac acclamatione excipere ſolebat, I Cor. XIV, 16.

Finis Annotationum in Euangelium ſecundùm Lucam.

ANNOTATIONES

IN EVANGELIUM

ΚΑΤΑ ΙΩΑΝΝΗΝ.

IOannes Bethſaidenſis piſcatoris filius, piſcator & ipſe, Legem quidem diſcere potuit puer, ut mos erat Hebræis; cæterùm nullâ tinctus fuit aut Hebraïcâ aut Græcâ literaturâ, niſi ſi quid utriusque hauſit jam major natu in Aſia, ubi eum maximam vitæ partem ad ſenectutem ſummam produxiſſe, partim in Pathmi exſilio, partim ante & poſt id exſilium Epheſi, ſatis inter veteres conſtat. Quare quicquid ei ad Apoſtolici muneris functionem fuit neceſſarium, ſupplevit Dei Spiritus, qui idem in rebus non neceſſariis ſolet ea relinquere cuique quæ ei ſunt propria. Hinc fit ut ſuprà cæteros Apoſtolos magna ſit in Iohannis dictione ſimplicitas, & ſermo Græcus quidem, ſed planè adumbratus ex Syriaco illius ſæculi: hinc oratio adeò interciſa, tot copulativæ conjunctiones, tot repetitiones vocum, quæ per relativa minus frequentata Hebræis & alia dicendi compendia vitari ſolent. Quod olim Alexandrum de amicis ſuis dixiſſe memorant, alium eſſe φιλαλέξανδρον [*amicum Alexandri*], alium φιλοβασιλέα [*amicum Regis*], putem ad duos Domini Ieſu Apoſtolos ſic poſſe aptari, ut Petrum dicamus maximè φιλόχριστον [*amicum Chriſti*], Iohannem maximè φιλιησοῦν [*amicum Ieſu*]. Nam diverſi hujus in utroque affectûs multa in Sacris Libris videmus veſtigia: quod & Dominus reſpiciens illi quidem Eccleſiam præcipuo quodam modo, huic autem Matrem commendavit. De loco & tempore ſcriptionis diſſentiunt auctores, aliis in Pathmo ſcriptum hunc librum volentibus, aliis Epheſi, & aliis quidem triginta & quod excurrit, aliis verò ſexaginta aut ampliùs poſt Chriſti in cœlum evectionem annis. Cauſam poſt alios hæc ſcribendi præcipuam tradunt omnes, ut veneno in Eccleſiam jam tum ſparſo auctoritate ſuâ, quæ apud omnes Chriſtianum nomen profitentes non poterat non eſſe maxima, medicinam faceret. Qui autem errores in Eccleſias ejus ſæculi ſe inſinuaverint, intelligi poteſt ex iis quæ ad Matthæum XXIV, 11, & ad Marcum 1,4. diximus. Erant ſub Chriſtiano nomine Iudaïzantes de quibus non Paulus tantùm, ſed & hic noſter in epiſtola prima & in Apocalypſi conqueritur. Erant Gnoſtici ex Cabala Iudaïca & Pythagoræ Platoniſque ſchola philoſophiam miſcentes ſimplicitati Chriſtianæ, & de emanationibus Divinis earumque ſyzygiis & pleromatis, non ex Dei Spiritu, ſed ex ſuis commentis quæ vellent populo venditantes, verèque ambulantes in iis quæ non viderant, ut dicitur Coloſſ. 11,18. de quibus videnda quæ diximus ad Matthæi XXIV, 11. Erant & qui Iohannis Baptiſtæ ſectatores quàm Ieſu dici mallent, ad ſubterfugiendam crucem. His omnibus occurrendum videbat Iohannes, ne poſt futura ætas incerto opinionum fluctuaret, præcipuè Gnoſticis, qui inter ſuos Æonas nominabant λόγον [*verbum*], item ζωὴν [*vitam*], item μονογενῆ [*unigenitum*] & σωτῆρα [*ſalvatorem*]. quæ omnia nomina etiam apud Proclum ad Platonis Timæum & in Theologiæ libris reperias: & alium rurſus dicebant eſſe mundi Opificem, alium Chriſtum, alium Ieſum. Oſtendit ergo Ioannes omnes iſtos titulos uni eidemque Ieſu Chriſto congruere: quò fit ut illis nominibus Dominus noſter non legatur inſignitus apud alios Scriptores ſacros, cùm tamen de re idem tradiderint. Neque verò hôc tantùm libro ſed & in epiſtola & in Apocalypſi, Λόγου [*Verbi*] nomen Chriſto diſertè tribuit Iohannes, & μονογενῆ [*unigenitum*] vocat non initio tantùm libri, idque iteratò, ſed & bis poſtea: & ζωὴν [*vitam*] infrà Ieſus ipſe ſe vocat. Cæteri Scriptores Euangeliorum ſatis habuerunt Chriſti Divinam naturam tacitè indicare ex admirabili ipſius conceptione, ex infinita illa ac liberrima vi ad facienda miracula, ex introſpectu cogitationum alienarum, ex his quæ circa mortem, reſurrectionem & aſcenſum in cœlum acciderunt, ex promiſſo denique perpetuæ præſentiæ, mittendi Spiritûs Sancti, remittendi peccata, judicandi genus humanum. At Iohannes pro uſu temporum & ipſo initio Dei nomen ei aſſignandum & vim ex æterno fonte manantem apertè tradendam exiſtimavit. Neque tantùm hôc modo, ſed & expreſsâ collatione eum Iohanni primùm Baptiſtæ, deinde Moſi, ſed & Abrahamo prætulit. Hæc cum ſcribendi præcipua fuiſſet cauſa, eâdem operâ voluit & de Chriſto narrare quæ à cæteris, in tanta miraculorum & ſermonum ipſius copia prætermiſſa fuerant, intactis fermè iis quæ ab aliis tractata erant, niſi quatenus connexio aliquid ejus exigebat. Prætermiſſorum autem pars maxima in tempus incidit quo Iohannes Baptiſta adhuc vivebat. Nam hinc ferme Ieſu miraculorum hiſtoriam ordiuntur cæteri, quia eo tempore major multitudo Ieſum ſecuta eſt & factorum ejus teſtis fuit.

CAPUT I.

1. EN ἀρχῇ, *In principio*] Deſumtum ex Græco Geneſeos, ſicut viciſſim Syrus ex Hebræo hîc poſuit בראשית [*in principio*]. Noto autem Scripturæ loco verbum inde ſumtum ex ſententia illius loci intelligendum eſt. Moſis loci ſententia hæc eſt, *Cùm primum creavit Deus cœlum & terram, terra erat* &c. nam præterita apud Hebræos habent Gerundii etiam ſignificationem. Tum

verò mos eſt Hebræis cœli & terræ nomine univerſum comprehendere, unde factum eſt ut & ſtatus vitæ futuræ ſignificetur nomine novi cœli & novæ terræ, II Petri III, 13. Apocalypſ. XXI, 1. Ergo ἐν ἀρχῇ [*in principio*] eſt *cùm primùm rerum univerſitas cœpit creari.*

ἦν, *erat*] *Iam tum erat.* Sic mos eſt Hebræis æternitatem populariter deſcribere. infrà XVII, 5, δόξῃ ᾗ εἶχον πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι [*claritate quam habui priusquam mundus eſſet*]. Et Iuſtinus dixit, πρὸ τῶν ποιημάτων [*ante creaturas*]. & alibi, πρὸ τοῦ ἑωσφόρου καὶ σελήνης [*ante luciferum & lunam*]. Proverb. VIII, Dei ſapientia ſic loquitur, *A ſæculo habui principatum, à principio, jam ante terram. cùm nondum eſſent voragines formata ſum, cùm nondum eſſent fontes aggravati aquis: antequam montes fundati eſſent, ante colles ſum formata. adhuc non fecerat terram & plateas & præcipua pulverum orbis: cùm præpararet cœlos, ibi jam ego.* Iuſtinus alibi de Verbo hoc loquendi genus explicans, προϋπῆρξε πρὸ τῶν αἰώνων [*exſtitit ante ſæcula*]. Athenagoras, ἐξ ἀρχῆς ὁ Θεὸς νοῦς ἀΐδιος ὢν εἶχεν αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ τὸν λόγον, ἀϊδίως λογικὸς ὢν [*ab initio Deus mens æterna cùm eſſet, ipſam in ſe habuit rationem & in perpetuum rationalis eſt*]. Rabbi Eliezel, *Ante mundum creatum exſtitit clemens & benignus Deus & nomen ejus ſolum.*

ὁ Λόγος, *Verbum*] Quia Moſes ſcripſerat, *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux,* & ita de cæteris, hinc factum eſt, ut *vim* ſive προβολὴν [*projectionem*] aut ἀπόρροιαν [*emanationem*] (has enim voces hac in re Chriſtiani veteres uſurpant) Dei illam qua res ex nihilo condit aliaque rara & eximia efficit, Hebræi appellarent דבר [*verbum*], ut videre eſt Pſalm. XXXIII, 6. CXLVIII, 8. Vide Maimoniden Duce dubitantium lib. 1, cap. XXIII. & LXV & LXVI. Chaldæi non illis tantùm locis ſed & aliis, ubi ea vox in Hebræo non exſtat, poſuerunt מימרא [*verbum*]. Exempla ſunt innumera, ſed ad rem maximè pertinet quod apud Eſaiam eſt XLV, 12. in Hebræo legitur, *Ego feci terram & hominem ſuper eam ego creavi.* in Chaldæo eſt, *Ego in verbo meo feci terram & homines ſuper eam creavi.* XLVIII, 13. in Hebræo legitur, *Manus mea fundavit terram,* in Chaldæo, *Verbo meo fundavi terram.* quos ſecutus Petrus Apoſtolus II epiſt. III, 5. οὐρανοὶ ἦσαν ἔκπαλαι, καὶ γῆ ἐξ ὕδατος καὶ δι' ὕδατος συνεστῶσα τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ [*cœli erant prius, & terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo*]. Eandem vocem plurimis in locis uſurpat idem Chaldæus paraphraſtes, ubi de miraculis, de Prophetia, aut ſingulari Dei auxilio ſermo eſt: maximè verò ubi in Hebræo eſt *facies Dei, manus, oculus.* Ex veteribus Chaldæorum libris Græci citant, ἐξ οὗ λόγου καὶ ἥλιος καὶ σελήνη [*ex quo verbo & ſol & luna*]. Hinc ſumſit Orphicorum Scriptor,

> Εἰς δὲ λόγον θεῖον σκέψας, τούτῳ προσέδρευε,
> Ἰθύνων κραδίης νοερὸν κύτος. εὖ δ' ἐπίβαινε
> Ἀτραπιτοῦ· μοῦνον δ' ἐσόρα κόσμοιο ἄνακτα·
> Εἷς ἔστ' αὐτοτελής, ἑνὸς ἔκγονα πάντα τέτυκται.
> [*Divinam ſpectans rationem pectus ad illam*
> *Dirige & ima animi ſemper præcordia, rectâ*
> *Nec deflecte viâ: fictorem conſpice mundi,*
> *Vnus is Æternus; ſuntque omnia facta per unum*].

Idem alibi αὐδὴν [*vocem*] vocavit,

> Αὐδὴν ὁρκίζω σε πατρὸς τὴν φθέγξατο πρώτην
> Ἡνίκα κόσμον ἅπαντα ἑαῖς στηρίξατο βουλαῖς.
> [*Per te illam adjuro vocem, quæ prima parenti*
> *Edita, cùm totum fundavit juſſibus orbem*].

Hunc ſecuti Heraclitus, apud quem hoc nomen eo ſenſu exſtare notatum ab Amelio: Zeno laudatus à Tertulliano & Lactantio. Tertulliani verba ſunt adversùs Gentes, *Apud veſtros quoque ſapientes* Λόγον, *id eſt,* Sermonem *atque* Rationem *conſtat artificem videri univerſitatis. Hunc enim Zeno determinat factitatorem, qui cuncta in diſpoſitione formaverit.* Locus Zenonis, quem reſpicit Tertullianus, erat in libro ejus περὶ οὐσίας [*de ſubſtantia*], ut Laertius nos docet. Seneca Stoicos ſequens *rationem facientem* vocat epiſt. LXV. E Platonicorum numero Amelius, ſed quem ſæpe à ſcitis Platonicis ad barbaram Philoſophiam deficere conqueritur Proclus, hunc Iohannis locum valde probabat, ut non tantùm Euſebius notat in Præparatione libro XI, ſed & Auguſtinus pluribus locis. Et contra Iulianum Cyrillus. Plutarchus δύναμιν Θεοῦ [*potentiam Dei*] vocat Symp. VIII. Ἀναθαῤῥῶ δὲ πάλιν αὐτοῦ Πλάτωνος ἀκούων πατέρα καὶ ποιητὴν τοῦ τε κόσμου καὶ τῶν ἄλλων γεννητῶν τὸν ἀγέννητον καὶ ἀΐδιον Θεὸν ὀνομάζοντος, οὐ διὰ σπέρματος δή που γενόμενον, ἄλλῃ δὲ δυνάμει τοῦ Θεοῦ, τῇ ὕλῃ γόνιμον ἀρχὴν ὑφ' ἧς ἔπαθε καὶ μετέβαλεν ἐντεκόντος [*Recipio tamen animum, audiens ab ipſo Platone Deum non natum & æternum nominari Patrem opificemque mundi & aliarum rerum natarum; non ſanè quod ſemine emittendo iſta genuiſſet, ſed alia quadam vi materiæ principium genitabile, quod affecerit & mutaverit eam, inſeruiſſet*]. Sic in expoſitione fidei facta à Gregorio Epiſcopo Neocæſarienſi ὁ Λόγος [*Verbum*] dicitur δύναμις τῆς ὅλης κτίσεως ποιητική [*vis effectiva univerſæ creationis*]. Philo ad Platonica dogmata deflectens, cùm ſciret Platoni mundi exemplar Λόγον [*Verbum*] dici, eo ſenſu Λόγον & uſurpavit ipſe, & multis aliis uſurpandi auctor fuit, & per eum ait conditam rerum univerſitatem; vocat & ὄνομα Θεοῦ [*nomen Dei*] & εἰκόνα [*imaginem*] & υἱὸν Θεοῦ [*Filium Dei*]. Rejicitur hîc à Iohanne Gnoſticorum figmentum, qui ἐκ τῆς προαρχῆς [*ex priore principio*] poſt multa ſæcula natum νοῦν [*mentem*] ajebant. Deinde ex νοῦ [*mente*] natum μονογενῆ [*unigenitum*], & ab eo Λόγον [*Verbum*]. Vide Irenæum initio.

καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεόν, *& Verbum erat apud Deum*] Παρὰ τῷ πατρὶ [*Apud Patrem*], ut loquitur Ignatius ad Magnetas. Pro eodem Onkelos dixit, *coram Domino.* Nam Exodi XX, 19, ubi in Hebræo eſt, *Ne loquatur nobiscum Deus,* ipſe vertit, *Ne loquatur Dominus nobiscum per verbum quod eſt coram Domino.* Sic ſapientia dicitur fuiſſe πρὸς τῷ Θεῷ [*apud Deum*] Proverb. VIII, 30. ubi Chaldæus *ad latus ejus,* id eſt, præſens ipſi, pro quo μετὰ τοῦ Θεοῦ [*cum Deo*] dixit Græcus Sirachidæ interpres IX, 9. Quem locum de Lege Hebræi interpretantur. Sic Marci VI, 3, πρὸς ἡμᾶς [*nobiscum*] eſt παρ' ἡμῖν [*apud nos*]. Opponitur autem hoc ei quod infrà dicitur ὁ Λόγος [*Verbum*] *in mundo fuiſſe, caro factus, ſpectatus.* Vult enim dicere ante eum fuiſſe inconſpicuum. Dicitur enim Deus ἀόρατος [*inviſibilis*] 1 Tim. 1, 17. & *habitare lucem inacceſſam* 1 Tim. VI, 16. Idem indicat in Epiſt. 1, 2, καὶ ἡ ζωὴ ἐφανερώθη [*& vita apparuit*]. Et mox, ἥτις ἦν πρὸς τὸν Πατέρα [*quæ erat apud Patrem*], & Epheſ. III, 9. Sic infrà XVII, 5, παρὰ σοὶ [*apud te*]. Et cùm dicit fuiſſe apud Patrem, oſtendit contra Gnoſticos non eſſe aliud pleroma τῆς προαρχῆς [*primi Principii*], aliud τοῦ Λόγου [*Verbi*].

καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. *& Deus erat Verbum*] Cenſent Hebræi veteres & Chriſtianorum primi quoties Angelus aliquis in ſacris libris appellatur יהוה [*Iehova*] tunc non Angelum merum ſed cui adfuerit ὁ Λόγος [*Verbum*] intelligi. Sic interpretatur Moſes Gerundenſis illud *Nomen meum in eo eſt*, Exod. XXIII, 21. Chaldæus Paraphraſtes Geneſ. XXIX, 20, *Erit Verbum Domini miſſi in Deum.* Et Ezechielis 1, 24. קול־שדי [*vocem Omnipotentis*], Septuaginta vertunt φωνὴν τοῦ Λόγου [*vocem Verbi*]. Sed & apud Philonem Λόγος [*Verbum*] vocatur Θεοῦ [*Dei*] nomine. Chalcidius ad Timæum eo libro ubi doctrinam eminentem ſectæ ſanctioris, id eſt, Iudaïcæ explicare ſe profitetur, *Et ratio Dei Deus eſt humanis rebus conſulens, quæ cauſa eſt hominibus bene beatéque vivendi, ſi non conceſſum ſibi munus à ſummo Deo negligant.* Tertullianus de eodem, *Hunc ex Deo prolatum didicimus & prolatione generatum, & iccirco Filium Dei & Deum dictum ex unitate ſubſtantiæ. nam & Deus ſpiritus. Etiam cum radius ex Sole porrigitur, portio ex ſumma, ſed Sol erit in radio, quia Solis eſt radius, nec ſeparatur ſubſtantia, ſed extenditur.* Idem alibi, *Prolatum dicimus à Patre, non ſeparatum.* Et adverſùs Praxeam, *Et nunquam ſeparatus à Patre aut alius à Patre. Hæc erit probola veritatis, cuſtos unitatis qua prolatum dicimus Filium à Patre, ſed non ſeparatum.* Mox dicit, *Diſpoſitione alium, non diviſione alium.* Quod Tatiano dicitur γέγονε κατὰ μερισμὸν οὐ κατ' ἀποκοπὴν [*factum eſt per diviſionem non per abſciſſionem*], Iuſtino dicitur ἄτμητος καὶ ἀχώριστος Πατρὸς δύναμις ὥσπερ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς [*individua & inſeparabilis Patris potentia ſicut ſolis lux*]. Eidem γεγεννημένος οὐ κατ' ἀποτομὴν ὥσπερ ἀπομεριζομένης τῆς τοῦ Πατρὸς οὐσίας [*factus non per abſciſſionem quaſi diviſâ Patris ſubſtantiâ*]. Quæ omnia, ut in rebus Divinis non poſſumus niſi balbutire, habent aliquid ἄκυρον [*improprium*], ſed intelligenda θεοπρεπῶς [*prout Deo conveniunt*]. Idem Iuſtinus Chriſtum vocat Θεὸν ὄντα πρὸ αἰώνων [*Deum qui exſtitit ante ſæcula*]. Theophilo dicitur Θεὸς ὁ Λόγος καὶ ἐκ τοῦ Θεοῦ πεφυκώς [*Deus Verbum & ex Deo natus*]. Εἰκόνα, χαρακτῆρα, ἀπαύγασμα [*Imaginem, characterem, ſplendorem*] Apoſtolis auctoribus ſæpe vocant proximi ſcriptores: Item δύναμιν, σοφίαν [*potentiam, ſapientiam*] & ſi quid his ſimile. Tertullianus *effigiem & perſonam Dei.* Vide quæ nos ad Marcum 11, 7. Eſt autem loquendi genus huic noſtro non diſſimile 11 Cor. III, 17.

2. οὗτος ἦν ἐν ἀρχῇ πρὸς τὸν Θεόν. *Hoc erat in principio apud Deum*] Repetit hoc, quia Deum jam vocavit: hoc volens ita Deum eſſe intelligendum, ut & illud maneat, *fuiſſe eum apud Deum.* id eſt, ut non fuerit ὁ Λόγος [*Verbum*] omne id quod eſt Deus. *Hypoſtaſeon diſtinctionem* Origenes & poſt eum alii vocavere. Sed notandum eſt hanc vocem ὑποστάσεων [*hypoſtaſeon*], ut & Τριάδος, ὁμοουσίου [*Trinitatis, æqualis eſſentiæ*], & alias quaſdam non à primis Chriſtianis uſurpatas, cùm contra μίαν ὑπόστασιν [*unam hypoſtaſin*] dixerit Athanaſius, Synodi Nicena & Sardicenſis & Romanæ Synodi aliquot, ſed deſumtas ex Platonicis Scriptoribus ſenſu nonnihil immutato. Apud Platonicos tres ὑποστάσεις [*hypoſtaſes*] ſunt; τὸ αὐτοὸν, ὁ νοῦς ὁ δημιουργὸς, ἡ τοῦ κόσμου ψυχή [*quod eſt ipſum eſſe, mens opifex univerſi, anima mundi*]. Et quia νοῦς [*mens*] ſignificationem habet quæ ἀπὸ τοῦ Λόγου [*à Verbo*] non videtur abludere, & idem νοῦς [*mens eadem*] etiam γέννημα [*progenies*] ipſis dicitur, ideo quæ περὶ νοῦ [*de mente*] dicuntur Platonicis, multi Chriſtianorum ad τὸν Λόγον [*Verbum*] ſive *Filium* tranſtulerunt. Apud Platonicos reperias, ὑποστάντες τρεῖς ἐξ ἑνός [*tres ex uno ſubſiſtentes*]. item, ἐξαίρειν δεῖ τὴν μονάδα τῆς Τριάδος, ἐξάπτειν δὲ τὴν Τριάδα τῆς μονάδος [*auferre oportet unitatem de Trinitate, ſed annectere Trinitatem unitati*]. Similiter Chriſtiani loqui cœperunt, ut apud Lucianum ſive quiſquis ille eſt auctor dialogi Philopatridis, ὑψιμέδοντα Θεὸν, Θεὸν ἄφθιτον, οὐρανίωνα, Τὸν Πατρὸς, Πνεῦμα ἐκ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, ἓν ἐκ τριῶν, καὶ ἐξ ἑνὸς τρία [*Deum in excelſo regnantem, Deum æternum, cælicolam, Filium Patris, Spiritum è Patre procedentem, ex tribus unum, & ex uno tria*]. Vtroſque ſecuti Cabaliſtæ Hebræi, verbis magis Chriſtianos, ſenſu magis Platonicos. ajunt enim, אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה [*Pater Deus, Filius Deus, Spiritus Sanctus Deus, tres in unitate & unus in Trinitate*].

3. Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. *Omnia per ipſum facta ſunt*] Λόγος ἐκοσμοποίησεν [*Verbum fecit mundum*] eſt apud Philonem. Epiſtola Barnabæ cùm de Filio Dei egiſſet *ſolem* vocat *opus manuum ipſius.* Iuſtinus Apologetico priore, ὁ Λόγος πρὸ τῶν ποιημάτων καὶ συνὼν καὶ γεννώμενος, ὅτε τὴν ἀρχὴν δι' αὐτοῦ πάντα ἔκτισε καὶ ἐκόσμησε [*Verbum ante res conditas & cum Deo & genitum fuit, cùm in principio omnia per eum condidit ac diſpoſuit*]. Athenagoras, ὁ Θεὸς πάντα διὰ τοῦ Λόγου πεποίηκε [*Deus omnia per Verbum fecit*]. Tatianus de eodem, τοῦτον ἴσμεν τοῦ κόσμου τὴν ἀρχήν [*Hunc agnoſcimus mundi principium*]. Theophilus, ὁ Λόγος αὐτοῦ δι' οὗ τὰ πάντα πεποίηκε [*Verbum ipſius per quem omnia fecit*]. Irenæus, *Verbum Dei per quem facta ſunt omnia.* Tertullianus Adverſùs Hæreticos, *Vnum omnino Deum eſſe, nec alium præter mundi conditorem, qui univerſa ex nihilo produxerit per Verbum ſuum primò omnium emiſſum.* Adverſùs Praxeam, *Omnia per Sermonem ſunt facta.* Sæpiſſime autem in Sacris Literis διὰ [*per*] illud τῷ Λόγῳ [*Verbo*] tribuitur, ut ipſi Deo Parenti non adimatur creatio. Et ſic ſumendum id quod initio Geneſeos eſt apud Paraphraſten Hieroſolymitanum בחכמה [*in ſapientia*] & quod apud Philonem eſt Allegoriis, Σκιὰ δὲ Θεοῦ ὁ Λόγος αὐτοῦ ἐστιν ᾧ καθάπερ ὀργάνῳ προσχρησάμενος ἐκοσμοποίει [*Vmbra Dei Verbum ipſius eſt, quo veluti inſtrumento uſus mundum fabricavit*]. Et de Caino, Ὄργανον δὲ Λόγον Θεοῦ, δι' οὗ κατεσκευάσθη [*inſtrumentum verò Verbum Dei, per quem præparatus eſt*], mundus ſcilicet. Tertullianus quoque *in-*

ſtrumentum dixit intelligens *non extraneum ſed connaturale*, alibi & *miniſtrum*. Iuſtino dicitur ὑπηρέτης τοῦ ποιητοῦ τῶν ὅλων Θεοῦ [*miniſter opificis omnium Dei*] ſæpius, Theophilo ὑπουργὸς [*adjutor*], Origeni Θεοῦ διάκονος [*Dei miniſter*]. Sic Latini & *Verbum* & *Spiritum* vocant *membra*, *pignora*, *inſtrumenta Dei*.

καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. & ſine ipſo factum eſt nihil quod factum eſt] Vbi omnem exceptionem removere volunt Sacræ Literæ, id quod affirmarunt explicant oppoſiti negatione, Eſaiæ xxxviii, 1. xxxix, 4. Ierem. xlii, 4. infrà commate 20. & 1 Epiſt. 1, 5. id autem hîc ideo factum, ut in iis quæ per Verbum ſunt condita, intelligerentur etiam ea quæ conſpicua nobis non ſunt, Coloſſ. 1, 16. etiam οἱ αἰῶνες [*ſæcula*] Hebræor. 1, 2. contra Gnoſticos. nam illi alium volebant eſſe opificem eorum quæ cernimus τὸν δημιουργὸν [*opificem*], alios rerum inaſpectabilium in ſuo quemque pleromate. Nihil ergo præter ipſum Deum ab operibus Verbi excipitur. Eſt autem χωρὶς [*ſine*] hîc oppoſitum illi διὰ [*per*] quod anteceſſit. Irenæus, *Ex omnibus autem nihil ſubstractum eſt, ſed omnia per ipſum fecit Pater, ſive viſibilia, ſive inviſibilia, ſive intelligibilia, ſive temporalia propter quandam diſpoſitionem, ſive ſempiterna*. Eſt & in eo Hebraïſmus quod οὐδὲ ἓν *nec una res* ponitur pro *nulla*, ut Pſalm. cxxxix, 16. Sic & 1 Macc. vii, 46.

4. Ἐν αὐτῷ ζωὴ ἦν, *In ipſo vita erat*] Sæpiſſime ſancti Scriptores novi Federis redemptionem humani generis conferunt creationi, imo & præferunt, ideoque *novam creationem* vocant ii Cor. v, 17. Galat. vi, 15. Iuſtinus, Χριστὸς πρωτότοκος πάσης κτίσεως ὤν, καὶ ἀρχὴ πάλιν ἄλλου γένους γέγονεν τοῦ ἀναγεννηθέντος ὑπ᾽ αὐτοῦ [*Chriſtus primogenitus cum eſſet omnis creaturæ, alterius rurſum generis principium factus eſt, ejus, inquam, quod ab eo regeneratum eſt*]. Irenæus iii, 11, *Significans quoniam per Verbum, per quod Deus perfecit conditionem, in hoc & ſalutem his qui in conditione ſunt præſtitit hominibus*. Sic & Rabbi Lakiſch adductus in Bereſchot Rabba ad locum initio Geneſeos ubi Spiritus Dei nominatur ait, *Hic eſt Spiritus Regis Meſſiæ*. Hoc & Iohannes ſpectat cum eidem Λόγῳ [*Verbo*] utrumque tribuit, ſicut & fine Apocalypſis in deſcriptione Mundi novi, vocabula uſurpat deſumta ex primæ creationis hiſtoria. Quare vitam hîc cave aliam accipias quàm vitam æternam. Sic infrà Chriſtus de Patre, Ἔδωκε τῷ υἱῷ ἔχειν ζωὴν ἐν ἑαυτῷ [*Dedit Filio habere vitam in ſeipſo*]. In Epiſt. prima v, 11. Ζωὴν αἰώνιον ἔδωκεν ἡμῖν ὁ Θεός· καὶ αὕτη ζωὴ ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ ἐστι [*Vitam æternam dedit nobis Deus: & hæc vita in Filio ejus eſt*]. Neque mireris hæc ad Λόγον [*Verbum*] jam carnem factum pertinere, cùm tantò poſt dicat Λόγον [*Verbum*] *carnem eſſe factum*. Nam & quod dicitur *in mundo fuiſſe* itidem ad hoc tempus pertinet. Itaque illud ultimum tacitè hîc præſupponitur, tanquam omnibus notum: mox occaſione datâ explicatur. Et in hoc diſſertandi genere ordinem ſuperſtitioſè exigere, id verò eſt nodum quærere in ſcirpo. Scripta ſunt hæc talia pro impetu, non præmeditato diſpoſitu. Dicitur autem ἐν τῷ Λόγῳ [*in Verbo*] *vitam fuiſſe* quia per τὸν Λόγον [*Verbum*] ejus adipiſcendæ ratio apertiſſimè revelata eſt. Simile loquendi genus Actor. iv, 12. Simul deſtruitur Gnoſticorum figmentum, aliam Dei emanationem eſſe Λόγον [*Verbum*], aliam ζωὴν [*vitam*]. Proprium Iohanni eſt Chriſtum Λόγον [*Verbum*] vocare Apocal. xix, 13. 1 Epiſt. 1, 1. & v, 7.

καὶ ἡ ζωὴ ἦν τὸ φῶς τῶν ἀνθρώπων· & vita erat lux hominum] Non apud Latinos tantùm & Græcos, ſed & apud Hebræos conjungi ſolent *lux* & *vita*, ut Pſalm. xxxvi, 10. Senſus autem hic eſt, *cognitionem illam vitæ æternæ & de ejus adipiſcendæ ratione, lucem quandam eſſe ad quam homines greſſus ſuos tutò dirigere poſſint & debeant*. Sic infra xi, 10, *Si quis de die ambulat non offendit: ſi quis noctu ambulat offendit*. xii, 35, *Lux vobiscum eſt: ambulate dum lucem habetis*. Epheſ. v, 8, *Vt filii lucis ambulate*. Hic ipſe in Epiſt. prima 1, 7, *Si in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce*. & Apocal. xxi, 24, *In luce ejus ambulabunt*. Vide quæ notavimus ad Lucam 1, 79. Platonicis ἐκ Λόγου φῶς τὸ νοητὸν [*ex Verbo lumen intelligibile*], ut videre eſt apud Philonem De opificio mundi. Platonicos ſequebantur Gnoſtici. Iohannes oſtendit omnia hæc nomina in Chriſtum unum convenire.

5. Καὶ τὸ φῶς ἐν τῇ σκοτίᾳ φαίνει, *& lux in tenebris lucet*] Quaſi dicat, *Ideo lux afferri ſolet, ut tenebræ illuminentur: quod & huic luci contigit*. Sunt autem hîc tenebræ *homines peccatores* nullam certam habentes vitæ dirigendæ regulam. Sic Epheſ. v, 8, *Fuiſtis olim tenebræ: nunc autem lux eſtis*. Alludi videtur ad locum Eſaiæ ix, 2.

καὶ ἡ σκοτία αὐτὸ οὐ κατέλαβεν. & tenebræ eam non comprehenderunt] Indefinitè enuntiatur quod maximæ parti convenit. Magna pars hominum peccatorum Lucis beneficio uti noluit, ideo quòd peccata ipſis nimiùm allubeſcerent; ut infrà iii, 20. Eſt autem hîc καταλαμβάνειν [*comprehendere*] *fructum rei conſequi*. Sic de cognitione Legis Eccleſiaſt. xv, 7, οὐ μὴ καταλήψονται αὐτὴν ἄνθρωποι ἀσύνετοι [*homines ſtulti non apprehendent eam*]. Et eodem libro xxvii, 8. de Iuſtitia, ἐὰν διώκῃς τὸ δίκαιον, καταλήψῃ αὐτὸ [*ſi ſequaris juſtitiam, apprehendes eam*]. Sic & Rom. ix, 30, κατέλαβε δικαιοσύνην [*apprehenderunt juſtitiam*].

6. Ἐγένετο, *Fuit*] *Exſtitit*: illis ſcilicet temporibus de quibus nos conſtat agere: ut ſumi ſolet Hebræorum ויהי [*& fuit*].

ἄνθρωπος, *homo*] Non Λόγος [*Verbum*], non Angelus, ſed quod de Chriſto falſò Ebionæi & alii dicebant ψιλὸς ἄνθρωπος [*nudus homo*] quanquam eximiis Spiritûs Sancti dotibus donatus.

ἀπεσταλμένος παρὰ Θεοῦ, *miſſus à Deo*] Alludit ad locum Malachiæ, Ἰδοὺ ἐγὼ ἀποστέλλω τὸν ἄγγελόν μ [*Ecce ego mitto Angelum meum*]. Vide Matth. xi, 10 & Marc. 1, 2. Luc. vii, 27. mittuntur Prophetæ cùm mandatum à Deo accipiunt.

ὄνομα αὐτῷ Ἰωάννης. *cui nomen erat Ioannes*] לו [*illi* pro relativo ponere Hebræorum eſt. Vſitatum fue rat, *Cui nomen Iohannis*.

7. Οὗτος ἦλθεν εἰς μαρτυρίαν, ἵνα μαρτυρήσῃ, *Hi venit in teſtimonium, ut teſtimonium perhiberet*] Et ho Hebræorum, conjungere verbalia cum verbis. Tacit

ſignifi

ſignificat idoneum fuiſſe teſtem, prænuntiatum à Vatibus, non ſine miraculo conceptum, vitæ auſteritate nobilem, libertatis tantæ, ut nec Regi parceret.

περὶ τοῦ φωτὸς, de lumine] Sic *μαρτυρίαν περὶ ἐμοῦ* [*teſtimonium de me*] legimus Actor. XXII, 18. Hoc vult quod poſtea explicabit, Iohannem Baptiſtam Ieſu teſtimonium hoc præbuiſſe, ipſum eſſe Chriſtum, ac proinde eximiam illam lucem.

δι᾽ αὐτοῦ. per illam] Nempe τοῦ φωτὸς [*lucem*], in Deum ſcilicet.

8. *τὸ φῶς, lux*] Illa eximia lux promiſſa per Prophetas, ut Eſaiæ XLIX, *6*. Vide ad Lucam II, 32.

9. Ἦν τὸ φῶς τὸ ἀληθινὸν, ὃ φωτίζει, *Erat lux vera quæ illuminat*] Vbi ſubjectum alterius eſt generis quàm prædicatum, ibi relativa aut demonſtrativa modò hoc, modò illo genere ponuntur, ut,

> *Sed revocare gradum ſuperasque evadere ad auras,*
> *Hoc opus, hic labor eſt.*

Nam naturalis conſtructio fuerat: *hoc*, ſcilicet evadere, *labor eſt*. ita quod hic legimus perinde eſt quaſi dictum eſſet, *Ille verè lux erat, per quem non pauci, ſed totum genus humanum illuminatur*. Verum autem dicitur etiam de his quæ figuratè alicui competunt, ut *Chriſtus vera vitis* infrà XV, I. *Caro ejus verè cibus* infrà VI, 55. *Panis verus ex cœlo* infrà VI, 32. ſic *bona ſpiritualia verus mammona* Luc. XVI, 12. *Cœlum verum tabernaculum* Hebr. VIII, 2. Lux autem vera eſt lux eximia, excellentiſſima, ut & in epiſt. prima II, 8.

πάντα ἄνθρωπον, omnem hominem] Chriſtus dicitur feciſſe quod fieri juſſit & per Apoſtolos fecit. Sic Epheſ. II, 17, ἐλθὼν εὐηγγελίσατο εἰρήνην ὑμῖν τοῖς μακρὰν [*veniens euangelizavit pacem vobis qui longè fuiſtis*]. Opponitur autem hic tacitè Ieſus Moſi & Prophetis aliis qui uni tantùm populo profuerunt.

ἐρχόμενον εἰς τὸν κόσμον. *venientem in mundum*] Valde mihi ſe probat expoſitio quæ apud Cyrillum & Auguſtinum exſtat, ut hoc ἐρχόμενον [*venientem*] referatur ad τὸ φῶς [*lucem*]. nam planè eodem modo infrà III, 19. τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, *Lux venit in mundum*. Et ipſe Chriſtus XII, 46, ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα [*ego lux in mundum veni*]. Et infrà de ſe XVIII, 37, εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ [*ad hoc veni in mundum, ut teſtimonium perhibeam veritati*]. Eſt autem hîc ἔρχεσθαι εἰς τὸν κόσμον [*venire in mundum*] non *naſci*, (diſtinguuntur enim hæc duo XVIII, 37.) ſed *nomine Dei hominibus apparere*. Sic infrà VI, 14, ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος εἰς τὸν κόσμον [*Propheta qui venturus eſt in mundum*], Et Chriſtus ſe à Patre miſſum dicit εἰς τὸν κόσμον [*in mundum*] X, 36. & XVII, 18. & à ſe ſimiliter Apoſtolos miſſos εἰς τὸν κόσμον [*in mundum*] ibidem. Hoc ergo hîc dicitur, *Chriſtum in hoc datum hominibus ut eis univerſim prodeſſet*.

10. Ἐν τῷ κόσμῳ ἦν, *In mundo erat*] *Interfuit hominibus*: κόσμος [*mundus*] pro hominibus paſſim ſumitur. Vide II Petr. II, 5.

καὶ ὁ κόσμος δι᾽ αὐτοῦ ἐγένετο· *& mundus per ipſum factus eſt*] Res quidem omnes per illum factæ, ut jam audivimus, ſed ſpeciali modo homines. Nam Θεοῦ λόγος [*verbum Dei*] eſt παράδειγμα [*exemplar*] *hominis*, ut Philo notat περὶ κοσμοποιίας [*de creatione mundi*]. Tatianus, Λόγος ὁ ἐπουράνιος τὴν τοῦ γεννήσαντος αὐτὸν πατρὸς μίμησιν, εἰκόνα ἀθανασίας, τὸν ἄνθρωπον ἐποίησεν [*Ad imitationem Patris à quo ipſum genitum eſt, imaginem immortalitatis hominem fecit Verbum cœleſte*].

καὶ ὁ κόσμος αὐτὸν οὐκ ἔγνω. *& mundus eum non cognovit*] Non agnovit ut opificem ſuum.

11. Εἰς τὰ ἴδια ἦλθε, *In propria venit*] Docent Iuriſconſulti id maximè naturaliter noſtrum eſſe quod nos ut exiſteret effecimus. L. Poſſideri. par. Genera D. de acq. poſſeſſione. Eſt autem εἰς τὰ ἴδια [*in propria*] tanquam *in domum ſuam*, ut infrà XVI, 32. Actor. XXI, *6*. Vide quæ ad Lucam II, 49.

καὶ οἱ ἴδιοι αὐτὸν οὐ παρέλαβον. *& ſui eum non receperunt*] *Non receperunt ut Dominum.* Sic Coloſſ. II, *6*. Intelligenda autem & hæc de majori parte.

12. Ὅσοι δὲ ἔλαβον αὐτὸν, *Quotquot autem receperunt eum*] Oſtendit hîc paucos fuiſſe qui excipiendi ſint ex ſuperiore generalitate. Simile loquendi genus Mich. VII, 14. Novatianus de Trinitate, *Verbum hoc illud eſt quod in ſua venit, & ſui eum non receperunt. Mundus enim per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit*. Idem eſt λαμβάνειν & παραλαμβάνειν, *recipere ut dominum.*

ἔδωκεν αὐτοῖς ἐξουσίαν τέκνα Θεοῦ γενέσθαι, *dedit eis poteſtatem filios Dei fieri*] Filios intellige *filios reſurrectionis*, ut explicat Luc. XX, *36*. noſter in epiſt. III, 2, οὔπω ἐφανερώθη τι ἐσόμεθα· οἴδαμεν δὲ ὅτι ἐὰν φανερωθῇ, ὅμοιοι αὐτῷ ἐσόμεθα [*nondum apparuit quid erimus, ſcimus quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus*]. Paulus ad Rom. VIII, 23, υἱοθεσίαν ἀπεκδεχόμενοι, τὴν ἀπολύτρωσιν τῶν σωμάτων ἡμῶν [*adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri*]. Eſt autem hîc ἐξουσία, *jus ad hæreditatem*, quod & hæreditatis nomine interdum venit, ſicut qui credit (nempe ſicut oportet credere viva fide) dicitur habere vitam æternam III, *36*. Sic Iuriſconſulti, *Is qui actionem habet ad rem ipſam, rem habere videtur.* Sed hîc magis propriè dixit ἐξουσίαν, quia *jus hoc* adeò res ipſa non eſt, ut & res poſſit non ſequi, nempe ſi abſit perſeverantia.

13. Οἳ οὐκ ἐξ αἱμάτων οὐδὲ ἐκ θελήματος σαρκὸς, *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis*] Mos eſt Hebræis hominem, præſertim cum Deo aut Angelis comparatum vocare בשר ודם *carnem & ſanguinem:* ſic ſumuntur σὰρξ καὶ αἷμα [*caro & ſanguis*] Matth. XVI, 17. Galat. I, 16. & alibi. Eſt autem hic θέλημα [*voluntas*] pro Hebræo חפץ quod & *libidinem* ſignificat.

οὐδὲ ἐκ θελήματος ἀνδρὸς, *neque ex voluntate viri*] Vt diſtet hoc à priori (nulla enim videtur eſſe ἐπεξήγησις [*ulterior enarratio*]) putem *ex voluntate viri eos genitos dici qui* non naturali ſexuum commixtione de qua actum jam eſt, ſed *adoptione aut inſtitutione fiunt hominis alicujus filii.* Notavimus hac de re ad Matth. XXIII, *9*. ſicut & ad Lucam III, 23. oſtendimus quàm latè pateat Hebræum ילד [*generavit*] reſpondens Græco γεννᾷν [*gignere*]. Eandem vocem ילד de adoptione Sadducæi, interpretabantur Levit. XVIII, 11. nec aliter ſumenda vox תולדות [*generationes*] Num. III, 1. nam de naturali Moſis ſobole nihil ibi agitur.

ἀλλ' ἐκ Θεοῦ ἐγεννήθησαν. ſed ex Deo nati ſunt] Hîc verò reſpicit non illam adoptionem quæ futura eſt in altero ſæculo, ſed eam quæ hîc fit, qua ſcilicet Deo reddimur ſimiles, non majeſtate, ſed bonitate. Vide quæ ad Matth. V, 9, & 45. Sic noſter hîc in epiſt. prima III, 2. paulo ante ea quæ jam citavimus: νῦν τέκνα Θεοῦ ἐσμέν, *jam nunc Filii Dei ſumus*, id eſt, *ejus imitatores*.

14. Καὶ ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, *Et Verbum caro factum eſt*] Καὶ [*&*] hîc eſt *αἰτιολογικὸν* [*redditivum cauſæ*] ſuperiorum. Vt Λόγος [*Verbum*] nos homines ad Divinam Majeſtatem eveheret, ipſe in imbecilla hac noſtra humana natura ſe oſtendit. Paulus ad I Timoth. III, 16, Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκί [*Deus manifeſtatus eſt in carne*]. nam σὰρξ [*caro*], ut dicere cœpimus, *infirmitatem & humilem ſtatum* conſignificat. Sic Pſalm. LVI, 4. LXXVIII, 39. & alibi. Confer Philipp. II, 6. II Corinth. VIII, 9. Eódem ſpectat nomen Filii hominis. Bene Iuſtinus, Ἐπειδὴ καὶ δι' ἡμᾶς ἄνθρωπος γέγονεν (ὁ Λόγος) ὅπως καὶ τῶν παθῶν τῶν ἡμετέρων συμμέτοχος γενόμενος καὶ ἴασιν ποιήσηται [*Quoniam* (*Verbum*) *noſtri gratiâ homo factum eſt, ut, cùm ſe infirmitatibus noſtris ſubdidiſſet, eas ſanaret*]. Origenes, Ἀπ' ἐκείνου ἤρξατο θεία καὶ ἀνθρωπίνη συνυφαίνεσθαι φύσις, ἵν' ἡ ἀνθρωπίνη τῇ πρὸς τὸ θειότερον κοινωνίᾳ γένηται θεία, οὐκ ἐν μόνῳ τῷ Ἰησοῦ, ἀλλὰ καὶ πᾶσι τοῖς μετὰ τοῦ πιστεύειν ἀναλαμβάνουσι βίον ὃν Ἰησοῦς ἐδίδαξεν [*Ex ipſo incœpit colluceſcere Divina & humana natura, ut humana communicatione Deitatis fieret Divina, non in Ieſu ſolo, ſed & in omnibus cum fide apprehendentibus illam quam Ieſus docuit vivendi rationem*]. Irenæus *Verbum* ait *unitum ſuo plaſmati paſſibilem hominem factum*. Idem alibi, Εἰς τοῦτο καὶ ὁ Λόγος ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος χωρήσας τὸν Λόγον καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαβὼν υἱὸς γένηται Θεοῦ [*Propterea Verbum factum eſt homo, ut homo admiſſâ in animum ratione, adoptioniſque honorem nactus, Filius Dei fieret*]. Tertullianus adversùs Praxeam, *Conſequens eſt ut ſic caro factus intelligatur, dum fit in carne & manifeſtatur & videtur & contrectatur per carnem.*

καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, & habitavit in nobis] *Habitavit*. Nam ſic & qui in cœlo habitant σκηνοῦν [*habitare*] dicuntur Apocal. XII, 12. & XIII, 6. ἐν ἡμῖν rectè vertas *inter nos*, ut Luc. I, 28. Sed illud notandum voce σκηνοῦν [*habitare*], quæ eadem ſono & ſignificatu eſt cum Hebræo שכן, alludi ad conſpicuam Divinæ Majeſtatis præſentiam, quæ Chaldæo Paraphraſtæ etiam כביר δόξα [*gloria*]: aut ad operationem ſingularem, quorum utrumque per שכן [*habitavit*], unde שכינה, [*Majeſtas Dei*] ſignificari notant Hebræorum magiſtri, ut Maimonides Duce dubitantium lib. I, cap. XXV. Sic bene cohæret quod ſequitur.

καὶ ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ, & vidimus gloriam ejus] Non fuit humilis ille ſtatus ſine magnis & certis indiciis Divinæ Majeſtatis, quæ כבד [*gloria*] Hebræis, ut Exod. XVI, 7, 10. XXIV, 16, 17. XXIX, 43. XXXIII, 18, 22. XL, 34, 35. Levit. IX, 6, 23. & alibi ſæpe. Apparuit autem hæc Chriſti δόξα [*gloria*] non tantùm in illa eximia transformatione in monte Thaborio, in cujus narratione vocem δόξης [*gloriæ*] uſurpat Petrus II epiſt. I, 17. ſed & in iis quæ circa paſſionem, in reſurrectione & poſt eam, & in adſcenſu ad cœlum acciderunt, imo & in miraculis. Vide infrà II, 11, XII, 23.

ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρός, tanquam unigeniti à Patre] Quod hîc Chryſoſtomus & alii Græci vocant ὡς ὁριστικὸν [*tanquam* definitivum], id Hebræi appellant כף לאמיתה quod Latinè per *ut* rectè transfertur. יחיד quod *unigenam* aut *unicum* ſignificat, Græci ſenſum reſpicientes, vertunt ἀγαπητὸν [*dilectum*] ut Geneſ. XXII, 2, 12, & 16. Iudic. XI, 34. Ierem. VI, 26. Amos VIII, 10. Zach. XII, 10. aut ἀγαπώμενον [*dilectum*], Prov. IV, 3. ποθητὸν [*deſideratum*], Iudic. XI, 34. Plutarchus, Ὅμηρος ἀγαπητὸν υἱὸν ὀνομάζει μοῦνον τηλύγετον, τουτέστι μὴ ἔχουσιν ἕτερον γονεῦσι μηδὲ ἕξουσι γεγεννημένον [*Homerus dilectum filium vocat ſolum unicum, hoc eſt præter quem non habent, vel habebunt parentes alterum de ſe genitum*]. In Odyſſea ſecunda eſt μοῦνος ἐὼν ἀγαπητὸς [*ſolus erat dilectus*]. Vide Matth. III, 17. & Marci XII, 6. Sic Solomonem *filium ſuum unicum*, id eſt, *dilectiſſimum* vocat David I Paral. XXIX, 1. & ipſe Solomo ſemet dicto loco Proverb. IV, 3. Μονογενὴς [*unigenitus*] ergo hîc rectè dicitur Chriſtus eo quem diximus ſignificatu, & cui addi poteſt, quia ſingulari modo à Deo proceſſit. Iuſtino, ὁ μόνος λεγόμενος κυρίως υἱός [*qui ſolus propriè dicitur filius*]. Et alibi, μόνος ἰδίως υἱὸς τῷ Θεῷ γεγέννηται λόγος αὐτοῦ ὑπάρχων καὶ πρωτότοκος καὶ δύναμις καὶ τῇ βουλῇ αὐτοῦ γενόμενος ἄνθρωπος [*ſolus propriè Filius Deo genitus eſt, cùm & verbum ejus ſit, & primogenitus, & potentiâ conſilioque ejus factus ſit homo*]. Et in transcurſu damnantur Gnoſtici qui alium faciebant λόγον [*verbum*], alium μονογενῆ [*unigenitum*], alium Ieſum. quod Iulianus contra Chriſtianos ſcribens notare non omiſit. Illud autem παρὰ Πατρὸς [*à Patre*], quanquam poteſt referri ad μονογενοῦς [*unigeniti*] conſtructione quæ eſt πρὸς τὸ σημαινόμενον [*ad id quod ſignificatur*], qualis eſt illa, *Quid tibi illam tactio eſt?* quia in nomine derivato ineſt vis verbi, malim tamen referre ad δόξαν [*gloriam*] ob ſimilem Petri locum quem jam annotare cœpimus, λαβὼν γὰρ παρὰ Θεοῦ Πατρὸς τιμὴν καὶ δόξαν [*accipiens enim à Deo Patre honorem & gloriam*]. Sic δόξαν παρὰ τοῦ Θεοῦ [*gloriam à Deo*] infrà hoc libro V, 44. Notat Iuſtinus Λόγον [*Verbum*] etiam vocari δόξαν Θεοῦ [*gloriam Dei*], & Hebræi quod Rabbini vocant שכינה [*Majeſtatem*] exponunt כבוד [*gloriam*], ut modò diximus. Luciani Martyris confeſſio exſtat, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐσίας καὶ βουλῆς καὶ δυνάμεως καὶ δόξης ἀπαράλλακτος εἰκών [*Filius eſt ſubſtantiæ Divinæ, & conſilii, & potentiæ, & gloriæ perfectè ſimilis imago*]. Vide II Corinth. III, 9.

πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. plenum gratiæ & veritatis] Non opus eſt parentheſin interponere. nam rectum cum obliquis conſtruere & Græci ſolent, ut oſtendimus ad Marcum VI, 40. Et ſic noſter loquitur Apocalypſi, ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστὸς [*à Ieſu Chriſto qui eſt teſtis fidelis*], I, 5. Vide & locum Epheſ. III, 17. ubi poſt ὑμῶν [*veſtrum*] ſequitur nominativus. Conjunguntur autem & infrà χάρις [*gratia*] & ἀλήθεια [*veritas*] 17. unde apparet tacitam eſſe comparationem cum Moſe, cujus Lex ferme ſine venia ac donis Spiritûs, & plena umbris. Legi gratia paſſim apud Paulum opponitur, ſed & veritas, Rom. xv, 8. Hebr. ix, 24. ubi veritas ipſam rerum ſoliditatem ſignificat, quæ & corpus interdum vocatur. Vide & quod infrà iv, 23. Iugulatur & hîc Gnoſticorum ſomnium quibus aliud erat ἀλήθεια [*veritas*] quàm Λόγος [*Verbum*] aut Chriſtus.

15. Ιωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, *Ioannes teſtimonium perhibet de ipſo*] Ipſius Iohannis publicâ confeſſione eos refellit qui Iohannem omiſſo Ieſu ſectabantur deque ejus nomine dici ſe volebant. μαρτυρεῖ [*teſtimonium perhibet*] autem in præſenti, quia durabat in perpetuum auctoritas teſtimonii.

καὶ κέκραγε, *& clamavit*] Alluſio ad Prophetica vaticinia de Iohanne Baptiſta.

ὃν εἶπον, *quem dixi*] Dixi jam ante baptiſmum ejus, & nunc coram multitudine repeto.

ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui poſt me venturus eſt*] Diximus jam ἔρχεσθαι [*venire*] eſſe *procedere ad populum publicandi Divini mandati cauſâ.*

ἔμπροσθέν μου γέγονεν, *ante me factus eſt*] *Prælatus mihi eſt*, deſtinatione Divina ſcilicet, quia per hunc Deus voluit tollere peccata mundi, judicare mundum. Actor. ii, 22. x, 42. Sic Gen. xlviii, 20. ubi Iacobus dicitur Ephraimum antepoſuiſſe Manaſſi, in Græco eſt ἔθηκε τὸν Εφραὶμ ἔμπροσθεν τοῦ Μανασσῆ [*conſtituit Ephraim ante Manaſſen*].

ὅτι πρῶτός μου ἦν. *quia prior me erat*] Duo hîc notanda: Primùm πρῶτος [*primus*] pro πρότερος [*prior*]. Ariſtophanes Avibus, Ηρξε δὲ Περσῶν πρῶτον Δαρείου καὶ Μεγαβύζου [*Imperabatque Perſis primùm, ante Darium & Megabyzum*]. infrà xv, 18: ἐμὲ πρῶτον ὑμῶν μεμίσηκεν, id eſt, πρότερον [*me priorem vobis odio habuit*]. Sic prima epiſtola iv, 19: αὐτὸς πρῶτος ἠγάπησεν ἡμᾶς, id eſt, πρότερος [*ille prior dilexit nos*]. Alterum eſt, quod πρῶτος [*primus*] non temporis aut loci antegreſſum ſed *dignitatis eminentiam* notat. In libro Categoriarum, τὸ βέλτιον καὶ τιμιώτερον πρότερον δοκεῖ [*quod melius & præſtantius eſt videtur & prius*]. In Metaphyſicis iv, c. xi, τὸ ὑπερέχον τῇ δυνάμει πρότερον [*quod potentia excellit prius eſt*]. Vlpianus in orationem Demoſthenis in Leptinen, πρῶτον οὐ τῇ τάξει, ἀλλὰ τῷ ἀξιώματι καὶ τῷ κύρει [*primum non ordine, ſed dignitate & auctoritate*]. Ariſtophanes Ranis hoc ſenſu, Σοφοκλέα πρότερον ὄντ᾽ Εὐριπίδου [*Sophoclem qui prior eſt Euripide*]. Notant hoc Latini Grammatici ad illud Virgilii,

—— Trojæ qui primus ab oris.

Et,

—— Primusque Machaon:

Et ad Terentii illud,

Aut quia ego ſum apud te primus.

Et illud,

Nihil prius aut fortius.

Cur autem dignior Ieſus, patet ex ſuperioribus, quia Filius unigenitus. Matthæus dixit ἰσχυρότερός μου ἐστιν [*fortior me eſt*] iii, 11. quem ſecuti Marcus i, 7. & Lucas iii, 16.

16. Καὶ ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτοῦ ἡμεῖς πάντες ἐλάβομεν. *Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus*] Verum uſum oſtendit vocis πληρώματος [*plenitudinis*], non ut ſecundùm Gnoſticos ſpatium aliquod ſupercœleſte ſignificet, ſed ut τὴν ἄκραν μετοχὴν τῆς Θεότητος [*ſummam Deitatis participationem*], ut Origenes loquitur: ut & Coloſſ. i, 19. & ii, 9. Clemens Strom. ii, πᾶσαι δὲ αἱ δυνάμεις τοῦ πνεύματος συλληφθεῖσαι ὁμοῦ ἕν τι πρᾶγμα γενόμεναι συντελοῦσιν εἰς τὸ αὐτὸ τὸν υἱόν [*omnes autem virtutes Divini Spiritûs coadunatæ atque in unam rem quaſi conglutinatæ ſimul omnes perficiunt Filium*]. Eſt autem hoc καὶ [*&*] connectendum cum ſuperioribus quæ præceſſerant, antequàm teſtimonium Iohannis insereretur, præſertim cum illis πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας [*plenum gratiæ & veritatis*]. confer Epheſ. i, 5.

καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. *& gratiam pro gratia*] Eſt hîc καὶ ἐξηγητικόν [*Et enarrativum*]. Elegantia eſt Sacrarum Literarum vocem eandem contiguo loco ponere ſenſu alio. Et id in eadem hac voce χάριτος [*gratiæ*] invenitur Rom. vi, 15. ubi priori loco χάρις eſt *donum*, ſecundo *benevolentia* qua nos propter Chriſtum Deus complectitur: quod diſtinctiùs enuntiat Apoſtolus ad Rom. xii, 6, χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν [*dona ſecundùm gratiam*]. & alibi ſine tali alluſione, ut Epheſ. iii, 7. δωρεὰν τῆς χάριτος [*donum gratiæ*]. Significat ergo Euangeliſta *dona Spiritûs Sancti ſibi aliiſque Apoſtolis, imo & credentibus gratis à Deo conceſſa.* Nam ἀντὶ χάριτος [*pro gratia*] nihil aliud hîc eſſe putem quàm חנם [*gratis*], id eſt, *non pro ullo merito ſed ex mera bonitate*: quod ita per ἀντὶ [*pro*] (quæ particula reſpondet Hebræo תחת) effertur, quia continet in ſe negationem pretii. Sic בגלל Hebræum interdum ἀντὶ [*pro*] transfertur, ut κακία ἀντὶ τῆς κακίας [*malum pro malo*] Ierem. xi, 17. alibi χάριν [*propter*] i Reg. xiv, 16. ſæpius διὰ [*propter*] ut Deuter. xv, 10. Ierem. xv, 4. & alibi.

17. Ὅτι ὁ νόμος διὰ Μωσέως ἐδόθη· *Quia Lex per Moſem data eſt*] In tranſcurſu confoditur Ebionis dogma Ieſum Moſi poſthabentis.

ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ιησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο. *gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*] Αλήθεια [*veritas*] ut ſuprà diximus opponitur umbris Legis: χάρις [*gratia*] hîc præcipuè eſt copia illa Spiritûs paſſim in Chriſtianos effuſa, ſtatui veteris Legis incognita. quò præter alia vaticinia rectè referas illud Eſaiæ lv, 13. Ieſu Chriſti nomen hîc primùm exprimit Apoſtolus, poſtquam eum ſuis illis magnificis titulis denotavit, ut ſciret Eccleſia non modò non diverſos eſſe Ieſum & Chriſtum, ut tradebant Gnoſtici, ſed nec alium eſſe Ieſum Chriſtum quàm qui Λόγου [*Verbi*] & Μονογενοῦς [*Vnigeniti*] nomine dicatur.

18. Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε, *Deum nemo vidit unquam*] Putem hunc eſſe ſenſum; *nemo cum Deo ita vixit familiariter ut ejus conſilia pervideret:* quo ſenſu Paulus dixit, *Quis Deo conſiliarius fuit & mentem ejus quis novit?* Rom. xi, 34. & Matthæus, *Nemo Patrem novit niſi Filius,* xi, 27. Adducor huc etiam loco Eccleſiaſtici, qui oſtendit quaſi proverbium fuiſſe apud Hebræos, & quidem eò magis, quia ut hîc verbum ἐξηγεῖσθαι [*enarrare*] ſequitur, ita ibi verbum ἐκδιηγεῖσθαι [*totum enarrare*]. Locus eſt xliii, 35. τίς ἑώρακεν αὐτὸν καὶ ἐκδιηγήσεται;

σεται; [*quis vidit eum & enarrabit*]? Vide quæ ad dictum Matthæi locum notavimus. Noſter etiam aut quisquis ille eſt Epiſt. III, οὐχ ἑώρακε τὸν Θεὸν [*non vidit Deum*] poſuit pro *non novit*. Et infrà c. III, 32, ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε [*quod vidit & audivit*], *quod certo novit*.

ὁ μονογενὴς υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, *unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris*] Εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo] frequens & aliis & his maxime libris. *In ſinu eſſe* eſt proximum & intimum eſſe. dicitur de conjugibus inter ſe Deuter. XXVIII, 54, 56. de amicis Luc. XVI, 22. ubi quæ diximus vide, infrà XIII, 23. de rebus aliis II Sam. XII, 3. Etiam hoc loquendi genus *ſinus Patris* à Gnoſticis male uſurpatum vero rectoque ſenſu hîc donatur. Vide Irenæum II, 7.

ἐκεῖνος ἐξηγήσατο. *ipſe enarravit*] Ἀπεκάλυψε [*Revelavit*] Matth. XI, 27. conſilia Dei tot ſæculis abscondita mundo patefecit.

19. Καὶ αὕτη ἐστὶν ἡ μαρτυρία, *& hoc eſt teſtimonium*] Etiam hoc eſt teſtimonium Iohannis, non ex occaſione prolatum, ſed ad legitimam int rrogationem.

Ἰουδαῖοι ἐξ Ἱεροσολύμων, *Iudæi ab Hieroſolymis*] Id eſt, *Synedrium magnum*, cujus conceſſus erat Hieroſolymis, quorumque notio erat de vero ac falſo propheta. Simili modo ad Barchochebam miſiſſe Synedrium narratur percunctatum quem ſe diceret.

Ἱερεῖς καὶ Λευίτας, *Sacerdotes & Levitas*] Miſerant doctiſſimos ſui cœtûs. nam hi quibus è publico victus erat, liberiùs ſtudiis vacabant.

ἵνα ἐρωτήσωσιν αὐτὸν, Σὺ τίς εἶ; *ut interrogarent eum, Tu quis es*]? Compendio rem dicit quæ ex ſuperioribus plenius intelligitur. Non enim interrogarunt quis eſſet, id eſt, *quo munere fungeretur*, ſed & *an eſſet Chriſtus*: quod Nonnus rectè exprimit:

> Μυστιπόλοι δ' ἐρέεινον ὁμήλυδες ὀξέι μύθῳ
> Τίς σὺ πέλεις; μὴ Χριστὸς ἔφυς;
> [*Quærebant acri Myſtæ ſermone gregatim*
> *Ecquis es? an verè es Chriſtus*]?

Eſt autem mos Hebræorum mandata exprimere oratione directa. ut Exod. III, 14. II Regum IV, 16.

20. Καὶ ὡμολόγησε, καὶ οὐκ ἠρνήσατο· καὶ ὡμολόγησε, *Et confeſſus eſt, & non negavit; & confeſſus eſt*] Supra diximus negationem oppoſiti addi affirmationi ſolere ad omnem exceptionem elidendam. Locutiones huic perſimiles reperire eſt Iob. V, 17. II Reg. XVIII, 36. Repetitur autem ὡμολόγησε [*confeſſus eſt*] ut ſignificetur illum bis terve idem magna conſtantia atque aſſeveratione dixiſſe: quod eò magis erat neceſſarium quia multos jam illa falſa opinio invaſerat, Luc. III, 15.

ὅτι οὐκ εἰμὶ ὁ Χριστὸς, *quia non ſum ego Chriſtus*] Profeſſus eſt ſe non eſſe magnum illum Meſſiam qui circa ea tempora exſpectabatur.

21. Ἠλίας εἶ σύ; *Elias es tu*]? In terras demiſſus ex eo loco in quem raptus eſt. Qui hoc interrogant oſtendunt ſe neſcire quo patre, qua matre natus eſſet Iohannes, aut de eo dubitare. Vide ad Matth. XVI, 14.

Οὐκ εἰμί. *Non ſum*] Hoc nimirum ſenſu quo interrogabatur.

Ὁ προφήτης εἶ σύ; *Propheta es tu*]? Græci articulum & legunt & urgent. Quare putem Ieremiam intelligi de cujus reditu rumor quidam inter Iudæos vagabatur. Vide ad Matthæum dicto loco. Sic II Macc. XV, 14: Ἱερεμίας ὁ τοῦ Θεοῦ προφήτης [*Ieremias Propheta Dei*]. non mirum igitur & hoc diſertè à Iohanne negari.

22. Τίς εἶ; *quis es*]? Poſt negativas reſponſiones affirmativam volunt elicere qualem officio ſe diceret.

23. Ἐγὼ φωνὴ βοῶντος, *Ego vox clamantis*] Recta locutio fuerat ἐγὼ ὁ βοῶν [*ego clamans*]: ſed verba ipſa Prophetæ Eſaiæ adferre voluit.

Εὐθύνατε, *dirigite*] Bene Syrus vertit *Complanate*. Vide quæ ad Luc. III, 5.

24. ἐκ τῶν Φαρισαίων. *ex Phariſæis*] Non mirum: major enim Synedrii pars ejus erat ſectæ, ut videre eſt Actor. XXIII. Phariſæi cenſebant nullum à ſe ritum qui aut à Deo præceptus aut à majoribus eſſet traditus omitti: quare nec baptiſmum ad ſuos ritus addendum fuiſſe arbitrabantur, niſi fortè a Propheta.

25. Καὶ ἠρώτησαν αὐτὸν, καὶ εἶπον αὐτῷ, *& interrogaverunt eum, & dixerunt ei*] Id eſt, *interrogarunt dicentes*.

Τί οὖν βαπτίζεις; *quid ergo baptizas*]? *Tam ſolenni ac publica merſatione* quæ hactenus circa Iudæos inuſitata. nam ablutiones Phariſaicæ alterius erant generis. Vide Marcum VII. Baptiſmum aliquem univerſalem circa tempora Meſſiæ exſpectabant ex Zachariæ XIII. locisque aliis.

26. ἐν ὕδατι· *in aqua*] *Sola aqua: Spiritu perfundere illius eſt cujus ego me præconem ac miniſtrum profiteor, quod facio, pars eſt & initium functionis ipſi mandatæ.* Vide infra commate 33.

27. ὀπίσω μου ἐρχόμενος, *qui poſt me venturus eſt*] Cum prædicatione & baptiſmo. Reſpicitur Malachiæ locus III, 1.

ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονε. *qui ante me factus eſt*] Vide ſupra 15.

Οὗ ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἄξιος, *cujus ego non ſum dignus*] Vide quæ ad Matth. III, 11.

τὸν ἱμάντα, *corrigiam*] Rem contemtam. Geneſ. XIV, 22.

τοῦ ὑποδήματος. *calceamenti*] Nomen generis, cujus ſpecies ſandalium, quo Chriſtus & Apoſtoli utebantur.

28. ἐν Βηθαβαρᾷ, *in Bethabara*] Lectionem hanc vetuſtiorem eſſe magno conſenſu Græci tradunt. Neque videtur dubitandum quin idem ſit locus qui infrà deſignatur X, 40. Nam quod hîc eſt, ὅπου ἦν ὁ Ἰωάννης βαπτίζων [*ubi erat Ioannes baptizans*], ibi eſt ὅπου ἦν ὁ Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων [*ubi Ioannes primùm baptizabat*], nimirùm quia poſt id tempus baptizavit in Salim, in deſerto ſcilicet, ut alii Euangeliſtæ loquuntur. dicto autem loco Iohann. X. eſt in Syriaco בעברא דירדנן [*in Bethabora Iordanis*] quod & hoc loco poſt nomen proprium ſequitur, ad explicandum illud πέραν τοῦ Ἰορδάνου [*trans Iordanem*], cùm propriè ſit *in trajectu Iordanis*: idem autem eſt עברה [*Abora*] & בית־עברה, [*Bethabora*] nam בית [*locus*] nominibus loci apud Hebræos frequenter additur. Eum autem locum ita

fuiſſe ad trajectum, Iordanis ut trans Iordanem, id eſt, in Peræa fuerit, colligitur infrà cap. xi, 7. & maniſeſtum id facit tabula à Iudæis edita. Videtur nomen inditum ex hiſtoria quæ eſt Ioſ. iii, 16, 17. ubi vox trajectûs bis apparet. Et hôc & aliis argumentis colligimus Syriacum ut & Arabicum exemplar (utrumque enim hoc loco habet בית עניה [*Bethania*)] ex ſerioribus Græcis verſum aut depravatum. Βατανέα [*Batania*] quod apud Ioſephum aliquoties legitur huc non pertinet. Eſt enim per τ, à fructu fortè qui ibi naſcitur, cui nomen בטנים [*Botnim*]. Neque magis pertinere huc arbitror aut בית־ערבה [*Beth Araba*], quod eſt Ioſ. xviii, 22. aut בית־ברה [*Beth Bera*], quod eſt Iudic. vii. quorum illud Græcè βαιθαβαρᾷ [*Bæthabara*] malè ſcribitur, cum ſcribi debeat βαιθαραβᾷ [*Bætharaba*], & hoc βαιθηρᾷ [*Bæthera*], cum legendum ſit βαιθβηρᾷ [*Bæthbera*]. Videtur autem ὑπόνοια aliqua [*ſenſus occultior aliquis*] ſubeſſe loco Bethabara: nam ubi Dei populus ex deſerto veniens in terram promiſſam trajecit, ibidem editum eſt Iohannis teſtimonium, quaſi trajectum faciens ex Lege in Regnum cœleſte. Mirari autem non debemus in multis Latinis codicibus pro *Bethabara* ſcriptum *Bethania*, cùm frequens ſit ut nomen minùs notum in notius à librariis mutetur, ut videre eſt in Latina verſione 1 Sam. vi, 6. Cant. ii, 17. vi, 12. viii, 1.

ὅπου ἦν Ἰωάννης βαπτίζων. *ubi erat Ioannes baptizans*] Phraſis hæc plerunque actum quaſi continuum ſignificat: *ubi tum ſolebat baptizare.*

29. ἐρχόμενον πρὸς αὐτὸν, *venientem ad ſe*] Divino conſilio, ut hoc teſtimonium præſenti coram populo redderetur. Sed occaſio adventûs videtur fuiſſe, quòd ſicut antè Baptiſmum ita tunc prædicationem Iohannis inter cæteros vellet cohoneſtare.

ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, *agnus Dei*] Deo gratiſſimus; quippe ἄμωμος καὶ ἄσπιλος [*immaculatus & incontaminatus*], 1 Petr. i, 19. Alluſio eſt ad agnum Paſchalem Exod. xii, 5. Sic obiter oſtendit Iohannes Ieſum non in pœnitentiam baptizatum.

ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τοῦ κόσμου. *qui tollit peccatum mundi*] Poteſt נשא [*tollere*] Hebræum, cui reſpondet Græcum αἴρειν, & veniæ impetrationem ſignificare & animorum emundationem. Vt poſteriorem ſignificationem hîc præferam facit locus 1 Petr. i, 19. Vbi *à vana converſatione* (idololatriâ aliiſque flagitiis) redemti dicimur *Agni immaculati ſanguine*, quo ſcilicet doctrinæ ſuæ exemplum ſimul & teſtimonium dedit. Et hujus noſtri Scriptoris locus 1 Epiſt. i, 7. ubi *ſi qui in luce ambulant* dicuntur *emundari ſanguine Chriſti ab omni peccato*, id eſt, conſideratione ejus dogmatis, quod ipſe morte ſua ſanxit, ab omni genere delictorum retrahi. Inter vaticinia de Meſſia & hoc eſt, eum fore Doctorem gentium & idololatriæ deſtructorem. De voce κόσμου [*mundi*] ſuprà diximus. ἡ ἁμαρτία [*peccatum*] eſt *peccatorum univerſitas*, *corpus peccati*, Rom. vi, 12.

30. Οὗτός ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον, Ὀπίσω μου ἔρχεται, *Hic eſt de quô dixi: Poſt me venit*] Vide ſuprà comm. 15.

31. οὐκ ᾔδειν αὐτόν· *ego neſciebam eum*] Veram interpretationem puto: Meſſiam mundi expiatorem & donatorem Spiritûs Sancti in terris eſſe ego neſciebam antequam Deus mihi, cum Baptiſmi mandatum mihi injungeret, & hoc revelaret, & ſimul perſonam indicio deſignaret, nempe eum eſſe Meſſiam cui viſurus aliquando eſſem ſuperſedentem columbam cœlitus miſſam.

ἵνα φανερωθῇ τῷ Ἰσραὴλ, *ut manifeſtetur in Iſraël*] Baptiſmus ideo mihi injunctus eſt, ut quos de pœnitentia inſtitutos baptizarem, eoſdem ad accipiendam inſtitutionem pleniſſimam, certitudinem veniæ & Spiritum Sanctum, ad Ieſum mitterem, Actor. xix, 4. φανεροῦσθαι [*manifeſtari*] eſt *innoteſcere cum ſua qualitate.* Vide infrà vii, 4. xxi, 1.

ἦλθον, *veni ego*] *Miſſus à Deo me oſtendi populo*, ut de ea voce ſuprà egimus.

32. καταβαῖνον ὡσεὶ περιστερὰν, *deſcendentem quaſi columbam*] Vide ad Matthæum iii, 16.

καὶ ἔμεινεν ἐπ' αὐτόν. *& manſit ſuper eum*] *In illo acquievit* Spiritus, nemini poſthac majori dandus, imò nec cuiquam niſi per ipſum.

33. οὐκ ᾔδειν αὐτόν· *neſciebam eum*] Repetitio ſuprà dicti, quæ rem planè extra dubium ponit.

ἐκεῖνός μοι εἶπεν, *ille mihi dixit*] Cùm mandatum baptizandi daret.

34. μεμαρτύρηκα, *teſtimonium perhibui*] *Et teſtatus ſum & teſtor;* more Hebræo quibus vox præteriti etiam permanentem actum ſignificat.

ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *Filius Dei*] Ille dilectiſſimus, ille ſimillimus, unigenitus denique. Etiam Hebræi שכינה [*effulgentiam Dei*], id eſt, τὸ ἀπαύγασμα Θεοῦ, בן [*Filium*] vocant.

35. εἱστήκει. *ſtabat*] Muneri ſuo intentus.

36. ἐμβλέψας, *reſpiciens*] *Intentis in eum oculis.*

38. λέγει αὐτοῖς, Τί ζητεῖτε; *dicit eis: Quid quæritis*] ? Baſilius, Μόνον θέλησον, καὶ Θεὸς προαπαντᾷ [*Tantum velis: & Deus prior occurrit*].

Ῥαββὶ, *Rabbi*] Nimirum ex Iohanne Baptiſta didicerant hunc eſſe à quo haurienda eſſent Regni cœleſtis myſteria.

ποῦ μένεις; *ubi habitas*] ? *Vbi diverteris?* ſic enim vox μένειν ſumitur ii, 12. & alibi. Volebant hi duo non quovis modo auditores eſſe Ieſu, ſed ἐσωτερικοί, *interioris admiſſionis.*

39. τὴν ἡμέραν ἐκείνην· ὥρα δὲ ἦν ὡς δεκάτη. *die illo: hora autem erat quaſi decima*] Senſus eſt, Eo die inde non diſceſſerunt, ac proinde ibidem pernoctarunt, quia jam ſerum erat. Vide Luc. xxiv, 29.

40. Ἦν Ἀνδρέας, *Erat Andreas*] Illud ἦν [*erat*] cum εἷς [*unus*] quod ſequitur non malè conſtruit Syrus.

41. οὗτος πρῶτος, *hic primus*] Id eſt, πρότερος [*prior*] ut ſuprà 15. prior ſcilicet altero ſuo comite. Adverbio hunc ſenſum expreſſit Syrus & Nonnus ſenſu eodem.

Εὑρήκαμεν τὸν Μεσσίαν, *Invenimus Meſſiam*] משיח המלך, *Meſſiam illum Regem*, ut Iudæi loquebantur. Hoc ideo dicit Andreas quòd dogmata Ieſu inveniſſet congruentia iis quæ Iohannes de eo prædicaverat. Erat Petrus inter eos qui *exſpectabant conſolationem & redemptionem Iſraël*, ut dicitur Lucæ ii, 25, 38. *Regnum Dei*, Marc. xv, 43.

xv, 43. Itaque nullus ei nuntius potuit accidere lætior.

42. Σίμων, *Simon*] שמעון *Auditor*; qui primus eſt gradus diſcere cupientium.

υἱὸς Ἰωνᾶ· *filius Iona*] בר־יוחנא [*Bar-iochanna*]. Vide quæ ad Matth. xvi, 17. Id verò eſt *filius Divinæ gratiæ*; qui ſecundus gradus jam credentium.

σὺ κληθήσῃ Κηφᾶς, *tu vocaberis Cephas*] Hic tertius gradus, inconcuſsâ conſtantiâ profitentium. *Vocaberis*, ſcilicet in poſterum, ut Geneſ. xvii, 5.

Πέτρος. *Petrus*] Non eſt appellativum: nunquam enim ea vox Attica apud Helleniſtas reperitur: & ipſe Iohannes ſtatim appellativum communiter extulit πέτρα [*petra*]. Eſt ergo proprium, ſed translatum cum ſua ſignificatione in ſermonem Græcum.

43. Τῇ ἐπαύριον, *In craſtinum*] *Poſtero die* ex quo Simon ad Chriſtum acceſſerat.

εἰς Γαλιλαίαν· *in Galilæam*] Vt ex regione ignobili ignobiles ſibi diſcipulos colligeret. Vide infrà vii, 52. Conjunge 1 Corinth. 1, 28.

44. ἀπὸ Βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως, *à Bethſaida, ex civitate*] Hic ἐξ [*ex*] abundat, quomodo infrà ἐν [*in*] 11, 23.

Ἀνδρέου καὶ Πέτρου. *Andreæ & Petri*] Quorum ut familiarium relatu præparatus jam nonnihil erat Philippi animus.

45. τὸν Ναθαναὴλ, *Nathanaël*] Eruditum, ut veteres exiſtimant; addam quod credibile puto, à Legisperitis inſtitutum; quod aliis ſua tenuitas inviderat. Nomen ejusdem ſensûs cujus Hebræum ***Ionathan***, Græca *Doſithei*, *Dorothei*, *Theodori*, *Theodoſii*, Latinum *Adeodatus*.

Ὃν ἔγραψεν ὁ Μωσῆς ἐν τῷ νόμῳ, *Quem ſcripſit Moſes in Lege*] In Iacobi vaticinio de Silo. *Quem ſcripſit*, id eſt, de quo ſcripſit; ut *Scriberis Vario*.

καὶ οἱ προφῆται, *& Prophetæ*] Maximè Eſaias, Malachias, Daniel. circumſcriptio eſt Chriſti.

Ἰησοῦν, *Ieſum*] Indicant cui titulum Chriſti putent competere.

τὸν υἱὸν τοῦ Ἰωσὴφ τὸν ἀπὸ Ναζαρέθ. *filium Ioſeph à Nazareth*] Sicut *Ioſephi filium* putabant ex vulgi opinione, ſic & ortu *Nazarenum*, quia vulgò ſic vocabatur.

46. Ἐκ Ναζαρὲθ δύναταί τι ἀγαθὸν εἶναι; *A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe*]? Non jam dicam Meſſias, ſed Propheta aliquis inde exſpectetur? nam id Legisperiti diſertè negabant. Vide locum quem jam citavimus vii, 52.

Ἔρχου καὶ ἴδε. *Veni & vide*] Locutio frequens in Zohar. Certiora indicia ex ipſius ſermone accipies quàm ex loco originis haberi poſſint. Philippus traditiones illas Legisperitorum aut ignorabat aut non nimiùm magni faciebat.

47. Ἴδε ἀληθῶς Ἰσραηλίτης, *Ecce verè Iſraëlita*] Non omnes Iſraëlis poſteri digni eo nomine, ſed qui Iacobi probitatem referunt, Rom. ix, 6. Sic Abrahami poſteritas cenſendi qui ejus opera faciunt, infra viii, 39. Simili loquendi genere Plutarchus libro De Iſide: Ἰσιακὸς ὡς· ἀληθῶς [*verè Iſiacus*].

ἐν ᾧ δόλος οὐκ ἔστι. *in quo dolus non eſt*] Reſpicitur elogium Iacobo datum Gen. xxv, 27. איש תם [*vir ſimplex*], ubi Græci ἄπλαστος [*non fictus*] Aquila, ἁπλοῦς [*ſimplex*], quomodo idem vocem eandem verterat Iobi initio. Eandem vocem Hebræam alibi ἄκακος [*ſine malitia*] vertunt, ut Iob. viii, 20. Pſalm. xxv, 21. Proverb. viii, 6. Perhibetur autem Nathanaëli hoc teſtimonium quia nihil gratiæ dans dixerat quod Sacris Literis congruens judicabat. Neque eò tamen minùs veniebat, ſi quid poſſet certius exploraturus. Si autem talis, ergo & beatus, ex Pſalm. xxxii, 2.

48. ὑπὸ τὴν συκῆν, *ſub ficu*] Vnde eum Philippus ſolus nemine conſcio avocaverat. *Sub ficu agere* ſignum tranquilli animi, Michææ iv, 4. & alibi; *vocare eum qui ſub ficu*, eſt amicitiæ, Zach. iii, 10.

εἶδόν σε. *vidi te*] Vidi animum tuum & approbavi, ut Pſalm. 1, 6. quaſi dicat, *Ne me putes offenſum quòd argumentum objeciſti ne Chriſtus crederer.*

49. ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *Filius Dei*] Idem quod *Meſſias* ex Pſalm. ii. Vide quæ ad Matth. xiv, 33. & xxvi, 63. Itaque ſequitur ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ [*Rex Iſraël*], alter Meſſiæ titulus, Matth. xxi, 5. xxvii, 11, & 42. Marc. xv, 12. Fecit hîc Nathanaël quod facere Samuel jubetur 1 Sam. xvi, 7. non reſpexit ad ea quæ hominibus magnifica videntur.

51. πιστεύεις· *credis*] Puto rectè legi aſſertivè: quomodo infrà xx, 29. ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας [*quia vidiſti me, credidiſti*].

μείζω τούτων, *majus his*] Quibus non Iſraëlis tantùm ſed & Angelorum Rex cognoſcar.

ὄψει. *videbis*] Puto agi de iis quæ ad majorem fidem in Diſcipulis & per eos aliis excitandam ſpectabant; non ergo de die Iudicii.

52. οὐρανὸν ἀνεῳγότα, *cælum apertum*] Præparatio ad ὀπτασίας [*viſiones*], ut diximus ad Matth. iii, 16.

ἀναβαίνοντας καὶ καταβαίνοντας ἐπὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου. *aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*] Eſt σύλληψις [*conceptio*], nam ἐπὶ [*ſuper*] propriè refertur ad καταβαίνοντας [*deſcendentes*]. *aſcendere* autem & *deſcendere* miniſterium ſignificat quale Angeli Ieſu exhibuerunt in Paſſione, Reſurrectione, Adſcenſu in cœlum. Diximus alibi quæcunque Deo tribuuntur in Veteri Federe, eadem in Novo Chriſto tribui. Angeli adſcendentes & deſcendentes Deo miniſtrant, Geneſ. xxviii, 12. Quod ibi in ſomnio vidit Iſraël, idem vigilans viſurus dicitur *verus Iſraëlita*, quò magis ipſe Ieſu confidat, ſicut Iſraël Deo confiſus eſt.

CAPVT II.

1. Τρίτῃ, *Die tertia*] *Tertia*, poſtquam Simon ad Chriſtum acceſſerat. nam hinc tempora putare jam ſuprà cœperat.

γάμος, *nuptiæ*] Convivium, nuptiale ſcilicet, rectè vertit Syrus, ut & ad Matthæum xxii, 2, notatum eſt.

ἐν Κανᾶ τῆς Γαλιλαίας· *in Cana Galilææ*] Ioſephus Vitâ ſuâ, διέτριβον δὲ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐν κώμῃ τῆς Γαλιλαίας, ἣ προσαγορεύεται Κανᾶ [*agebam autem eo tempore in vico Galilææ cui nomen Cana*].

ἦν ἡ μήτηρ τοῦ Ἰησοῦ ἐκεῖ. *& erat Mater Ieſu ibi*] Mortuo jam Ioſepho vidua, fortè ut ea quæ ad nuptias opus erant jure proximitatis adornaret ut προμνήστρια [*pronuba*] vel νυμφαγωγός [*ſponſæ dux*].

2. Ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς, *Vocatus eſt autem & Ieſus*] Quia fortè non longè aberat. Ita videtur creviſſe convivarum numerus ultra exſpectatum.

οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *diſcipuli ejus*] Sectatores illi primo capite nominati.

3. ὑστερήσαντος οἴνου, *deficiente vino*] Cùm deficere inciperet, eòque infundi parciùs.

Οἶνον οὐκ ἔχουσι. *Vinum non habent*] Perſonale pro imperſonali, Deficit vinum.

4. Τί ἐμοὶ καὶ σοὶ, γύναι; *Quid mihi & tibi mulier*]? Id eſt, *quid negotium mihi exhibes?* Matthæi VIII, 29.

οὔπω ἥκει ἡ ὥρα μου. *nondum venit hora mea*] Ὥρα [*Hora*] eſt καιρὸς, *tempeſtivum tempus*, ut Auſonius vertit. Sic infrà VIII, 20. XIII, 1. Tempus autem edendi miraculum erat ubi planè omnibus conſtaret nullum ſupereſſe vinum, ne aqua vino admixta crederetur. Ita dat intelligi in miraculis beneficium hominibus obiter conferri, præcipuum eſſe ut Dei honos manifeſtetur. Gregorius Nyſſenus putavit addendam huic ſententiæ interrogationem, ut ſenſus ſit, *Nondumne putas veniſſe tempus vocationis meæ, ut abs te emancipatus Deo ſoli paream?*

5. ποιήσατε. *facite*] Ex Angeli dictis aliiſque ſignis, fortè & ex Filii ſermonibus edocta nihil tam magnum eſſe quod non ab ipſo poſſet exſpectari, fiduciam concipit mater ipſum non defore ſublevandæ amicorum inopiæ ac verecundiæ. Ideo famulos monet ut quicquid juſſerit Ieſus faciant, quantumvis id inutile videatur. Vide II Reg. V, 13.

6. ὑδρίαι λίθιναι ἕξ, *hydriæ lapideæ ſex*] Non in quibus edentes lavarentur, ſed unde deprompta aqua vaſis minoribus adferretur ad purgandas ſubinde non manus tantùm ſed & calices. Vide Marc. VII, 4. *Lacus* vocat Sedulius non malè. Apud Hebræos צלחית, quod κόλπον *ſinum* alibi ſignificat, vertitur ὑδρία [*hydria*], II Regum II, 20. Apud Plutarchum nominatur ὑδρία ἑξάχους [*hydria ſex congiorum*] in Solone.

κατὰ τὸν καθαρισμὸν, *ſecundùm purificationem*] Κατὰ [*ſecundùm*] non rarò valet εἰς [*ad*], & ita hîc Syrus accepit.

τῶν Ἰουδαίων, *Iudæorum*] Hoc addit quia Chriſtianis ſcribit, quorum multi ex Gentibus vocati. Intellige autem Iudæorum præcipuos ac plurimos Legisperitos & Phariſæos.

μετρητὰς, *metretas*] בתים [*battos*], ut apparet II Paralip. IV, 5.

δύο ἢ τρεῖς, *binas vel ternas*] Religioſorum eſt teſtium nihil nimiùm definitè loqui.

7. Γεμίσατε, *Implete*] Quia crebris lotionibus depletæ erant.

ὕδατος. *aqua*] Nullo alio liquore admixto, ut miraculo plena fides conſtaret. Ita in ipſis hydriis, non in poculis facta mutatio.

8. Ἀντλήσατε νῦν, *haurite nunc*] *Defundite in pocula.*

τῷ ἀρχιτρικλίνῳ. *architriclino*] Τῷ ἐλεάτρῳ, *Curatori convivii.* Malè Syrus & alii quidam *Principem convivam* interpretantur. Erat hujus, nunc huc nunc illuc diſcurrere, prægustare cibos ac vina. Quare judicium hujus auctoritatem habet, ut & ſobrii & periti.

9. τὸ ὕδωρ, *aquam*] Vide quæ ad Matthæum XXVI, 6.

οἱ δὲ διάκονοι, *miniſtri autem*] Hæc vim habent παρενθέσεως [*interjecti ſermonis*].

φωνεῖ τὸν νυμφίον; *vocat ſponſum*] *Accedens compellat dominum convivii.*

10. Πᾶς ἄνθρωπος, *omnis homo*] Ferme ita fit. Vniverſalis locutio pro τῷ ἐπὶ πολύ [*eo quod plerunque accidit*].

ὅταν μεθυσθῶσι, *cum inebriati fuerint*] *Vbi adbiberint convivæ.* Sic & Hebræorum שכר ſumitur, & Græcum μεθύειν, quod *à ſacrificiis* deductum alibi notavimus.

ἐλάσσω· *deterius*] *Minùs nobile vinum.*

σὺ τετήρηκας, *tu autem ſervaſti*] Sic exiſtimabat, donec conſentiente miniſtrorum teſtimonio patefactum eſt miraculum.

11. τὴν ἀρχὴν τῶν σημείων, *initium ſignorum*] Nam ante auſpicationem muneris ſupervacua fuiſſent. Cæteri Euangeliſtæ ſatis habuerunt ab iis incipere quæ coram plebe facta ſunt poſt Iohannem Baptiſtam carceri datum: Nam, quamvis aliquot omiſſis, ſatis magna erat copia. Et hic ipſe noſter cùm prætermiſſa collegerit, plurima tamen à ſe quoque miracula prætermiſſa infrà teſtabitur.

ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, *in Cana Galilææ*] Deeſt articulus, τὸ ἐν Κανᾷ, *Hoc in Cana primum fuit miraculorum.*

τὴν δόξαν αὐτοῦ. *gloriam ſuam*] *Majeſtatem ſuam*, unde Chriſtus agnoſceretur, tantò Moſe major, qui ſitientibus aquam præſtitit, quantò vinum aquâ eſt potius. Et ex aqua vinum faciens oſtendit ſe & hujus & iſtius creaturæ Dominum.

ἐπίστευσαν, *crediderunt*] *Credidiſſe* dicuntur qui firmiùs credunt.

12. κατέβη εἰς Καπερναοὺμ, *deſcendit Capernaum*] In oppidum celebrius: qualia loca eligi à Prophetis ſolebant.

καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *& mater ejus & fratres ejus*] Videntur mater & conſanguinei Ieſum quaſi à ſe abeuntem proſecuti. Nam Nazareti habitabant.

οὐ πολλὰς ἡμέρας. *non multis diebus*] Vrgente, ut ſequitur, Paſchate.

13. τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων, *Paſcha Iudæorum*] Diximus ſuprà Iohannem ſcribere Eccleſiis quæ maxima parte ex Gentibus collectæ erant. Celebrabant quidem & illæ memoriam Reſurrectionis Dominicæ, cui nomen dabant *Paſchatis*, ut ex egregia Irenæi ad Victorem epiſtola apparet, ſed non utique more Iudæorum. Sic & infrà VI, 4.

ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα, *aſcendit Hieroſolyma*] Ex Legis præſcripto. Vide Luc. II, 41.

14. εὗρεν ἐν τῷ ἱερῷ τοὺς πωλοῦντας, *invenit in templo vendentes*] Ieſus cùm veniſſet ad ſacra emendanda, bis conſpicuo ſigno teſtatum hoc fecit, Templum, velut ſacrorum ſedem, purgando, circa initium & circa clauſulam ſui muneris, ut in quo inceperat in eo ſe deſinere oſtenderet. Poſteriorem hiſtoriam alii tradiderunt; priorem Iohannes, ideo

quód ex occaſione Chriſtus verba fecerat de Templi deſtructione : quæ ipſa verba cùm pro crimine ipſi objecta ſint, non parum faciebant ad illuſtrandam Paſſionis hiſtoriam. Vide Matth. XXVI, 61. XXVII, 40.

τοὺς πωλοῦντας, *vendentes*] Explicavimus ad Matth. XXI, 12.

15. φραγέλλιον, *flagellum*] Habet hanc vocem & Syrus. Sic φραγελλώσας [*cùm flagellaſſet*], Matth. XXVII, 26.

ἐκ σχοινίων, *de funiculis*] Quæ facta ibi repererat. Tacite innuit Scriptor ejectionem factam non tenui flagello, ſed Majeſtate Divina, flagello iræ tantùm Divinæ ſignum ſuſtinente.

πάντας, *omnes*] Ipſos nundinatores. Vide Matthæum: Ne quis illud πάντας [*omnes*] ad ſequentia tantùm referat: ideo Syrus rectè copulam interjecit.

16. τὰς περιστερὰς πωλοῦσιν, *qui columbas vendebant*] Quæ incluſæ non perinde ejici poterant, ſed amovendæ erant.

τὸν οἶκον τοῦ Πατρός μου, *domum Patris mei*] Oſtendit ſe verſari in loco ſuo, ut filii ſolent in fundis paternis. Vide Luc. II, 49.

οἶκον ἐμπορίου. *domum negotiationis*] Mos rectè caſtigantium eſt lenibus primùm verbis agere; ſi contumacia occurrat, durioribus. Vide quæ notavimus ad Matth. XVIII, 15. Ideo hîc dicit οἶκον ἐμπορίου [*domum negotiationis*], in poſteriore ejectione οἶκον λῃστῶν [*domum latronum*]· hîc quæſtum notat, ibi quæſtûs in ſacro loco indignitatem efficaciùs exprimit. Vide quæ ad dictum Matthæi locum.

17. Ἐμνήσθησαν δὲ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *Recordati ſunt verò diſcipuli ejus*] Locum celebrem Pſalmorum & cantari vulgò ſolitum in memoriam ſibi revocarunt. Nam conſtabat ſub Davidis perſona Meſſiam ibi deſcribi.

ζῆλος, *zelus*] *Ardens amor.*

καταφάγεταί. *comedit*] Dictum ut illud,

——— *Eſt cura medullas.*

18. Ἀπεκρίθησαν, *Reſponderunt*] Diximus alibi ענה [*reſpondere*] Hebræum, ut & Græcum ἀποκρίνεσθαι, & apud Homerum ἀπαμείβεσθαι, ſæpe dici de eo qui prior loquitur.

Τί σημεῖον δεικνύεις ἡμῖν ὅτι ταῦτα ποιεῖς; *quod ſignum oſtendis nobis, quia hoc facis*]? In locis publicis tollere vitioſa nullius eſt niſi aut publicæ poteſtatis aut Divinæ. Hæc commercia tolerabat Synedrium, tolerabant Sacerdotes. Reſtabat ergo ut Prophetam ſe Ieſus profiteretur. At Prophetæ ſe tales oſtendere debebant aut prædictionibus aut oſtentis. Vide I Cor. I, 22.

19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, *Solvite templum hoc*] Malignos obſcurè alloquitur. Nam ſi probo fuiſſent animo, in ipſo hoc facto miraculum agnoviſſent, quòd homo unus nullis inſtructus humanis viribus tantam turbam imperio ſuo cedere coegiſſet, ſolâ turpis facti conſcientiâ & Divinæ iræ ſenſu permotos. Stultos homines ſolemus ad operis finem rejicere. Sic Chriſtus, quanquam liberalis miraculorum, ad maximum miraculum & complementum, reſurrectionem ſcilicet ſuam, frequenter reſponſatores rejicit. In Templo credebatur vis aliqua eſſe Divini Numinis. Sic Solomon apud Ioſephum orat : μοῖράν τινα τοῦ θείου πνεύματος εἰς τὸν ναὸν ἀποικῆσαι [*partem aliquam Divini Spiritûs in templum habitatum mittere*], libr. VIII, 2. Hinc ſimilitudine ſumpta Chriſtiani, quibus Dei Spiritus contigerat, *Templum Dei* dicuntur, I Cor. III, 16. VI, 19. II Cor. VI, 16. Quantò magis ergo hoc nomen humanæ Chriſti naturæ competit, in quo non per figuras ſed plenè ac ſolidè, σωματικῶς [*corporaliter*], Divinitas non temporarium ſed perpetuum ſibi domicilium delegerat? Coloſſ. II, 9. Rabbi Moſes Gerundenſis: קדש קדשים הוא המשיח מקודש מבני דוד, *Sanctuarium ſanctuariorum eſt ipſe Meſſias ſanctificatus de filiis David.* Sunt autem verba Chriſti talia ut & de Templo poſſint intelligi: nam λύειν [*ſolvere*] etiam *deſtruere* eſt, II Petr. III, 10, 12. I Iohann. III, 8. Imperativus autem poſitus hîc eſt pro potentiali, *Deſtruite*, id eſt, Si deſtruatis : ut,

Pone Tigellinum, ———

id eſt, Si ponas.

ἐν τρισὶν ἡμέραις, *in tribus diebus*] *Intra diem tertium.*

ἐγερῶ, *excitabo*] Et hoc ambiguum : nam & de ædificiis dicitur *excitare.* Sic in Græco epigrammate,

——— Δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν.

[——— *Domos dare ſurgere multas*].

Significanter autem dixit ἐγερῶ [*excitabo*]: ego ipſe vi Divina.

20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν, *quadraginta & ſex annis*] Diximus ad Matth. XXIV, 1, Herodis Magni ſubſtructionem non effeciſſe aliud Templum ſed auxiſſe: neque enim dirutum fuit. Itaque ſemper Iudæi *Templum ſecundum* vocant à Zorobabele ad Excidium Titi. Largiùs autem putant tempora ædificationis ſub Perſarum Regibus, comprehenſis etiam annis quibus interruptum opus fuerat, quò majorem Ieſu invidiam faciant.

21. ἔλεγε, *dicebat*] *Hoc præcipuè innuebat.*

περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ. *de templo corporis ſui*] Genitivus ἐξηγητικὸς [*explicativus*], ſicut *fontem Timavi* dicimus, & alia multa, vice appoſitionis.

22. Ὅτε οὖν ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν, *cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis*] Cùm non eventu tantùm ſed & Divinâ illuſtratione cœperunt Scripturas intelligere. Vide quæ ad Lucam XXIV, 45.

ἐπίστευσαν, *crediderunt*] Cum intellectu ſcilicet.

τῇ γραφῇ, *Scripturæ*] Eſaiæ, ut qui prædixerat vitam Meſſiæ glorioſam poſtquam ſe in mortem pro peccatoribus dediſſet : quod ipſum innuit Pſalm. XVI, ſumtus κατὰ τὴν ὑπόνοιαν [*ſecundùm ſenſum occultiorem*].

23. ἐν τῇ ἑορτῇ, *in die feſto*] Quid ſit ἑορτὴ [*dies feſtus*] diximus Matth. XXVI, 5.

Ἐπίστευσαν, *crediderunt*] Θεωρητικῶς [*contemplativè*], οὐ πρακτικῶς [*non activè*], intellectu convicto, non etiam flexâ ad obſequium voluntate; quod additamentum fidem efficit vivam. Vide Actor. VIII, 13.

24. οὐκ ἐπίστευεν ἑαυτὸν αὐτοῖς, *non credebat ſemetipſum eis*] Alluſio mutata ſignificatione vocabuli, qualis Matth. VIII, 22. *Non commiſit ſe eorum fidei* quotidiano convictu, ſed rediit in Galilæam, quia

opportunum mortis tempus nondum advenerat. Videbat eos non ita affectos ut quicquam aut periculi aut ignominiæ ſuâ cauſâ ſubire vellent: quia cognitio illa non habebat ſubſtructum ſibi animum amantem veræ pietatis. Et jam tempus periculorum ingruebat. Ideo capite ſequenti narratur noctu aditus.

γινώσκειν πάντας· quòd noſſet omnes] Et malos, & non ſatis bonos.

25. *ἵνα τὶς μαρτυρήσῃ περὶ τοῦ ἀνθρώπου· ut quis teſtimonium perhiberet de homine*] Vt quis ſemet dictis vel factis proderet: ὁ ἄνθρωπος [*homo*] hîc eſt *homo quivis*: de quo loquendi genere notatum alibi.

τί ἦν ἐν τῷ ἀνθρώπῳ. quid eſſet in homine] In cordis intimo: quod Dei proprium, Pſalm. XXXIII, 15. 1 Reg. VIII, 39. & alibi.

CAPVT III.

1. Ἦν δὲ, *Erat autem*] *Ibi*, ut addit Syrus, id eſt, in urbe Hieroſolymorum, ubi ea acciderant quæ paulò antè fuerunt narrata.

ἐκ τῶν Φαρισαίων, ex Phariſæis] Melioris ſectæ.

Νικόδημος ὄνομα, Nicodemus nomine] Pridem jam mos invaſerat apud Iudæos ſumendi Græca nomina, ut *Menelaus*, *Tryphon*, *Doſitheus*. Hebraïcum forte nomen fuerit מקדם [*ab antiquo*].

ἄρχων τῶν Ἰουδαίων· princeps Iudæorum] Id eſt, unus ex Magno Synedrio. Vide quæ ad Lucam XIV, 1.

2. *νυκτὸς, nocte*] Ne collegas jam Ieſu malè volentes offenderet. Simile quid de Ioſepho Arimathenſi dicitur infrà XIX, 38. ſtatimque ſequitur hujus Nicodemi mentio, additâ hac nota, ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτός [*qui venerat ad Ieſum nocte*]. De Euclide Megarenſi narratur, eum cùm edicto in Megarenſes facto Athenas palàm venire vetaretur, veniſſe noctu ut conſiliorum ſermonumque Socratis fieret particeps.

ἀπὸ Θεοῦ ἐλήλυθας, à Deo veniſti] *Miſſus es*, ut ſuprà 1, 10. & alibi ſæpe.

διδάσκαλος· magiſter] Cum poteſtate docendi populum. Simile loquendi genus infrà XII, 46.

ἐὰν μὴ ᾖ ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ. niſi fuerit Deus cum eo] Efficaciâ ſuâ ipſi præſens. Vide Matth. XXVIII, 20. Supponit Chriſtum non docere deos falſos, quo ſolo excepto credendum erat ei qui miracula ederet. Deinde Ieſu miracula omnem vim etiam diabolicam ſuperabant.

3. *Ἀπεκρίθη, Reſpondit*] Reſponſio tacitè innuit quod adjectum à Nicodemo fuerat, nempe, Velle ſe ſcire, quandoquidem Ieſus *Regni cæleſtis* inter docendum mentionem ſæpe faceret, quæ ratio eſſet eò perveniendi.

γεννηθῇ ἄνωθεν, natus fuerit denuo] Haud dubiè ἄνωθεν eſt *iterum*, δεύτερον [*iterum*], ut mox accipit Nicodemus, qui ſignificatu vocis dubio falli non potuit, cùm in Hebræo aut Syriaco non ſit ea ambiguitas. Sic vox ἄνωθεν ſumitur Galat. IV, 9. Extat eo ſenſu apud Athenagoram. Sic hoc loco interpretatur Syrus. Verba autem *ſeri* & *naſci* ſolere uſurpari apud Hebræos de formatione animi oſtendimus Matth. XIII, 23. Vſurpat & Seneca De brevitate vitæ: *Solemus dicere non fuiſſe in noſtra poteſtate quos ſortiremur parentes, ſorte nobis datos. Nobis verò ad arbitrium noſtrum naſci licet. Nobiliſſimæ ingeniorum familiæ ſunt: Elige in quam adſciſci velis, non in nomen tantùm adoptaberis, ſed in ipſa bona.* Plutarchus quædam de Baccho diſcerpto tradita ait eſſe μῦθον εἰς τὴν παλιγγενεσίαν [*fabulam quæ ad regenerationem pertineat*], quam interpretatur τοῦ ἀλόγου καὶ ἀτάκτου κόλασιν [*caſtigationem ejus quod à ratione & ordine diſcedit*]. Simili ſenſu in antiqua inſcriptione legimus, *Taurobolio Criobolioque in æternum renatus.* Etiam Rabbi Iſraël libro De Anima proſelytos vocat *recens natos*. Confer Iac. 1, 18. Et ſic quidam ſumunt צור ילדך [*rupem quæ te genuit*] Deuter. XXXII, 18. ubi Græci Θεὸν τὸν γεννήσαντά σε [*Deum qui te genuit*].

οὐ δύναται ἰδεῖν, non poteſt videre] Ἰδεῖν [*videre*] hîc eſt *participem fieri*, ut Lucæ II, 26. infrà VIII, 51.

τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Regnum Dei] Quæ hîc inchoatur per pacem conſcientiæ, in altero ſeculo per ſummam felicitatem abſolvetur. Rem novam Nicodemo Legis Doctori Chriſtus indicat, Poſthac ad ſalutem pariendam majus aliquid Iudaïſmo requiri. Vide Gal. VI, 15. Sed & præmium fore majus, Regnum cœleſte, quod tunc demum manifeſtari cœpit.

4. *γεννηθῆναι γέρων ὤν; naſci cum ſit ſenex*]? Exemplum in ſe ponit, qui ſenex jam erat.

5. *γεννηθῇ ἐξ ὕδατος καὶ Πνεύματος, natus fuerit ex aqua & Spiritu*] Exponit jam qualem nativitatem intelligat, ne Nicodemus diutius allegoricæ locutionis ignorantiâ fallatur. Eſt autem ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Nam ſicut *in ſpiritu & igne* Matth. III, 11, ſignificat *per ſpiritum igneum*, ita hîc *ex ſpiritu & aqua* eſt *ex ſpiritu aqueo*. Neque obſtat quod vox alteram quaſi limitans hîc præcedat. Nam ſic Actor. XVII, 25. ζωὴ καὶ πνοὴ [*vita & inſpiratio*] eſt idem quod alibi πνοὴ ζωῆς [*inſpiratio vitæ*], ut Geneſ. II, 7. & II Macc. VII, 23. πνεῦμα καὶ ζωή [*ſpiritus & vita*]. Sic Geneſ. III, 16. *conceptum & dolorem*, id eſt, *dolorem ex conceptu*. Sic Coloſſ. II, 8. διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, [*per Philoſophiam & inanem fallaciam*], id eſt, *per inanes fallacias Philoſophiæ*. Et Matth. IV, 16. ἐν χώρᾳ καὶ σκιᾷ θανάτου [*in regione & umbra mortis*], vertit Arabs: *in regione umbræ mortis*. Rurſum ſicut ibi per *igneum ſpiritum* ſignificatur ſpiritus efficax, ita hîc per *ſpiritum aqueum* ſpiritus emundans. Chryſoſtomus Homiliâ XXXI. τοῦ πνεύματος τὴν χάριν ἡ γραφὴ ποτὲ μὲν πῦρ, ποτὲ δὲ ὕδωρ καλεῖ [*ſpiritûs gratiam Scriptura modò ignem, modò aquam vocat*]. Apud Plutarchum legimus quæſtionibus Romanis, τὸ πῦρ καθαίρει, τὸ ὕδωρ ἁγνίζει [*ignis purgat, aqua mundat*]. Hoc ſenſu *aquas mundas* legimus Ezech. XXXVI, 25. & Dei cognitio aquæ comparatur, Eſaiæ XI, 9. Abac. II, 14. & in Epiſtola 1 Iohann. V, 8. *aqua* eſt puritas vitæ Chriſtianæ quæ ſimul cum martyrio & miraculis teſtimonium reddit veritati dogmatis. Sanari etiam apud Prophetas eſſe mundari à peccatis notat in II Apologetico Iuſtinus. At ſicut infrà capite VI. non agitur quidem de Euchariſtia, ſed metaphoricæ locutiones tacitam habent ad illa

ſigna alluſionem, quia & ſigna illa & iſtæ locutiones rem eandem notant: ita hîc non agitur directè de Baptiſmo, ſed locutiones ſunt alludentes ad Baptiſmum. Vide Epheſ. v, 26. & ad Tit. iii, 5. Hebr. x, 22. quibus itidem in locis lotio tribuitur verbo Euangelii. Lactantius libr. v. *Quantò ſatius eſt mentem potiùs eluere, quæ malis cupiditatibus ſordidatur, & uno virtutis ac fidei lavacro univerſa vitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibèt inquinatum ac ſordidum corpus gerat, ſatis purus eſt.* Si quis tamen malit iſta diſcernere, ut *aqua* ſignificet mali fugam, *ſpiritus* verò impetum ad optima quæque agenda, inveniet quo hanc ſententiam fulciat.

6. Τὸ γεγεννημένον ἐκ τῆς σαρκὸς, σάρξ ἐστι· *Quod natum eſt ex carne, caro eſt*] Comparatione rem illuſtrat; Quod naturæ lege ex hominibus naſcitur, vitæ naturalis actionibus fungitur. Vide ſuprà i, 13. & Rom. viii, 5. Hæc autem vita ad mortem ducit, Rom. viii, 6. nullum enim jus habet ad immortalitatem, i Cor. xv, 50.

τὸ γεγεννημένον ἐκ τοῦ πνεύματος, πνεῦμά ἐστι. *quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*] Qui Dei virtute mundatus eſt indolemque Divinam accepit, vitam agit Divinam. Vide iterum ſuprà i, 13. Vide Iohann. i Epiſtolam iii, 9. & ii Petri i, 4. Et confer infrà viii, 44. Actor. xiii, 10. *Spiritus*, id eſt, ſpiritualis, i Cor. vi, 17.

7. Μὴ θαυμάσῃς, *Non mireris*] *Ne mireris* tanquam incredulus, quia hæc nativitas in oculos non incurrit, ut iſta naturalis.

8. Τὸ πνεῦμα ὅπου θέλει πνεῖ· *Spiritus ubi vult ſpirat*]. Oſtendit & alia eſſe quæ non conſpiciantur, revera tamen exſiſtant. Et quia de *Spiritu* loqui cœperat, exemplum ſumit à vento qui item *ſpiritus* dici ſolet, ut Geneſ. viii, 1. & alibi ſæpe. Minutius Octavio, *Vento & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus & flatus.* Vento autem voluntas tribuitur κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*], ut apud Paulum Lex, Peccatum, Mors, introducuntur προσωποποιητικῶς [*perſonam fingendo*]. Ventus nunc huc nunc illuc ſe movet.

φωνὴν αὐτοῦ ἀκούεις, *vocem ejus audis*] Auditur ſonus.

οὐκ οἶδας πόθεν ἔρχεται, *neſcis unde veniat*] Non cernitur origo ejus; alii enim fluxum naturalem aëris eſſe volunt, alii exhalationes è terra: & tanta reperitur eorum diverſitas, etiam iiſdem in locis, ut ad terrarum ingenium referri tota nequeat. Quæritur ergo origo, non conſpicitur.

καὶ ποῦ ὑπάγει· *aut quò vadat*] Ποῦ hîc eſt *quò*, ut infrà xiii, 36. xvi, 5.' & i Ioh. ii, 11. Sic & ὅπου xiii, 36. xiv, 4. Hoc vult, Neſcitur ubi deſinat ventus. Non magis exitus ejus quàm origo in conſpectum venit. Vide Eccleſiaſten xi, 5.

οὕτως ἐστὶ πᾶς ὁ γεγεννημένος ἐκ τοῦ πνεύματος. *ſic eſt omnis, qui natus eſt ex ſpiritu*] Id eſt, *ſic ſe res ejus habet*. Vide Matth. xiii, 49. Marc. iv, 26. Hominis renati per Spiritum actiones conſpiciuntur admirabiles, origo ipſa latet: latet & finis in quem tendit, quippe inconſpicuus & alterius ſæculi. Eſt enim τὸ τέλος, ζωὴ αἰώνιος [*finis, vita æterna*], Rom. vi, 22. ἡ ζωὴ ἡμῶν κέκρυπται ἐν τῷ Θεῷ [*vita noſtra abſcondita eſt in Deo*], Coloſſ. iii, 3.

9. Πῶς δύναται ταῦτα γενέσθαι; *Quomodo poſſunt hæc fieri*]? Hæſitantis eſt.

10. Σὺ εἶ ὁ διδάσκαλος τοῦ Ἰσραὴλ, *Tu es magiſter in Iſraël*] Ille inſignis inter Legisperitos.

καὶ ταῦτα οὐ γινώσκεις; *& hæc ignoras*]? Non legiſti quæ Ieremias & Ezechiel promiſerunt de Corde novo creando Meſſiæ temporibus? Potuit Deus inſpirando in Adamum vitam ei naturalem conferre, & non poterit meliore Spiritu conferre vitam ſupernaturalem? Adeò defixus es in Phariſaïcis illis mundationibus corporis ut nihil ſublimius cogites?

11. ὃ οἴδαμεν λαλοῦμεν, *quod ſcimus loquimur*] Eſt proverbialis locutio certò aliquid teſtantium, quam Chriſtus ſibi applicat.

ὃ ἑωράκαμεν, *quod vidimus*] Certò cognovi conſilium Patris de mutandis hominum animis. Vide ſuprà i, 18.

οὐ λαμβάνετε. *non accipitis*]. Non penitus in animum admittitis vos aliique collegæ & populares veſtri.

12. Εἰ τὰ ἐπίγεια εἶπον ὑμῖν, *Si terrena dixi vobis*] Si rem vobis explicavi comparatione rerum quas quotidie experimur, nempe naturalis Nativitatis & Venti. Sic κατὰ ἄνθρωπον λέγειν [*ſecundùm hominem dicere*] Galat. iii, 15. eſt *ſimilitudines ſumere à rebus humanis.*

καὶ οὐ πιστεύετε· *& non creditis*] Et ne ſic quidem aptantem me vobis intelligitis, ut ſuprà ii, 22.

ἐὰν εἴπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, *ſi dixero vobis cœleſtia*] Remotis figuris, linguâ Angelorum.

13. οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν, *nemo aſcendit in cœlum*] *Aſcendere in cœlum* dicitur qui arcana cœli penetrat, Prov. xxx, 4. Quantum cœlum à terra diſtat, tantum conſilia Divina ab humanis, Eſaiæ lv, 9. Quod prope nos eſt obvium, planum, cognitum, id dicitur *non eſſe in cœlo, ut eò ſit adſcendendum.* Deut. xxx, 12. Roman. x, 6. Sic ferme *ingredi in ſanctuarium* ſumitur Pſalm. lxxiii, 17.

ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, *qui deſcendit de cœlo*] Qui ſingulari Dei dono nobis conceſſus eſt, ut infrà vi, 58. Iac. i, 17. iii, 15, 17. Sic i Corinth. xv, 47. ὁ δεύτερος ἄνθρωπος, ὁ Κύριος ἐξ οὐρανοῦ [*ſecundus homo, Dominus ex cœlo*]. Sic Iohannis baptiſma *ex cœlo*, Matth. xxi, 25. *Ieruſalem quæ deſcendit ex cœlo*, Apocalypſ. iii, 12. xxi, 2, 10. Tertullianus in Apologetico, *Lex tua erravit: puto ab homine concepta eſt, neque enim de cœlo ruit.* Arnobius libro vii. *Audire deſidero cœlo aliquid lapſum.*

ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. *qui eſt in cœlo*] Si Chriſtianorum πολίτευμα, id eſt, *converſatio* dicitur *eſſe in cœlo*, quantò magis Chriſti qui ſemper introſpexit Patris intima? Sic ſuprà i, 18. ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός [*qui eſt in ſinu Patris*]. Vide quæ ibi.

14. Καὶ καθὼς, *Et ſicut*] Pergit dicere quomodo novam hanc hominum nativitatem effecturus eſſet Deus, non nudo ipſius Ieſu dogmate, ſed tali cui & exemplum & teſtimonium ipſe ſua morte eſſet præbiturus, ne qua juſta relinqueretur aut de veritate aut de poſſibilitate dubitandi occaſio.

ὕψωσε, *exaltavit*] Dubitandum non eſt quin Chriſtus ad crucem ſuam reſpiciat, quo ſenſu vox

ὑψωθῆναι

ὑψοῦσθαι [*exaltandi*] & infrà reperitur VIII, 28. & XII, 32, 34. Impoſitus eſt ſerpens ille, ut Moſis hiſtoria loquitur על־נס [*ſuper furcam*] Num. XXI, 8, 9. Illud autem נס Rabbi Solomo interpretatur פורקה *furcam*. Et quod hîc in Syriaco eſt pro ὑψοῦν רום [*exaltare*], id Kimchi interpretatur זקף [*ſuſpendere*], unde eſt vox זקיפא, quæ *crucem* Syris ſignificat. Iuſtinus Apologetico ſecundo ſcribit, λαβεῖν τὸν Μωσέα χαλκὸν καὶ ποιῆσαι τύπον σταυροῦ, καὶ τοῦτον στῆσαι ἐπὶ τῇ ἁγίᾳ σκηνῇ [*cepiſſe Moſem æs & feciſſe figuram crucis, eamque poſuiſſe in Sacro Tabernaculo*].

τὸν ὄφιν, *ſerpentem*] Id eſt, Effigiem ſerpentis, ſalutarem, animantis noxii. Sic Chriſtus ſine peccato *in ſimilitudine carnis peccati*, Rom. VIII, 3. imò & *annumeratus improbis*, Marci XV, 28. Luc. XXII, 37. ex ſerpente morbi, per ſerpentem medicinæ: *per hominem peccatum & mors, per hominem juſtificatio & reſurrectio*, Rom. V, 18. 1 Corinth. XV, 21. De hoc ſerpente Moſis Philo lib. περὶ γεωργίας [*de Agricultura*] hæc adfert quæ ad Chriſtum optime aptes: τὸν Μωσέως ὄφιν φαμὲν τῆς ἡδονῆς ἐναντίαν διάθεσιν, καρτερίαν· παρ' ὃ καὶ τῆς χαλκοῦ κραταιοτέρας ὕλης κατεσκευασμένος εἰσάγεται· τὸν οὖν ἄκρως καταθεασάμενον τὸ τῆς καρτερίας εἶδος, κἂν εἰ δεδηγμένος πρότερον ὑπὸ τῶν φίλτρων ἡδονῆς τυγχάνοι, ζῆν ἀναγκαῖον· ἡ μὲν γὰρ ἐπανατείνεται ψυχῇ θάνατον ἀπαραίτητον, ἐγκράτεια δὲ ὑγείαν καὶ σωτηρίαν προτείνει βίου· ἀντιπαθὲς δὲ ἀκολασίας φάρμακον καὶ ἀλεξίκακος σωφροσύνη [*ſerpentem Moſis dicimus conſtitutionem animi voluptati contrariam, conſtantiam ſcilicet. Vnde & ex materia maximè firma, ære ſcilicet fabricatus narratur. Qui igitur pleniſſimè conſpexerit conſtantiæ formam, etiamſi ante à voluptatis illecebris morſus fuerit, eum neceſſe eſt vivere; Voluptas enim animo porrigit mortem indeprecabilem. at temperantia ſanitatem & vitæ ſalutem præbet. Eſt autem temperantia contrarium libidini medicamen & malorum propulſatrix*]. Quod diximus ſerpentem hunc æneum (talis enim factus erat quò magis presterem, qui æri concolor, referret) in eo Chriſti geſſiſſe imaginem quòd alius erat quàm videbatur, rectè notavit adversùs Tryphonem Iuſtinus, de eo ſerpente ſic loquens, ἀναίτιός ἐστιν ἀδικίας [*extra culpam eſt injuſtitiæ*]. Notandum autem quò magis vis ſua comparationi conſtet, adſpectum quidem ſerpentis fuiſſe conditionem & viam ad ſalutem, vim autem ſalutarem propriè fuiſſe à Divina gratia. Sapiens Hebræus XVI, 5, 6, 7. Καὶ γὰρ ὅτε αὐτοῖς δεινὸς ἐπῆλθε θηρίων θυμὸς, δήγμασί τε σκολιῶν διεφθείροντο ὄφεων, οὐ μέχρι τέλους ἔμεινεν ἡ ὀργή σου· εἰς νουθεσίαν δὲ πρὸς ὀλίγον ἐταράχθησαν, σύμβολον ἔχοντες σωτηρίας εἰς ἀνάμνησιν ἐντολῆς νόμου σου· ὁ γὰρ ἐπιστραφεὶς, οὐ διὰ τὸ θεωρούμενον ἐσώζετο, ἀλλὰ διὰ σὲ τὸν πάντων σωτῆρα [*Etenim cum illis ſupervenit ſæva beſtiarum ira, morſibus perverſorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira tua permanſit: ſed ad correptionem in brevi turbati ſunt, ſignum habentes ſalutis ad commemorationem mandati legis tuæ; qui enim converſus eſt, non per hoc quod videbat ſanabatur, ſed per te omnium ſalvatorem*].

ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deſerto*] In loco vaſto, pleno veneni; in quo figura mundi Chriſti temporibus corruptiſſimi.

οὕτως, *ita*] Simili effectu: quod ſequenti commate explicatur.

ὑψωθῆναι, *exaltari*] In cruce, ut jam oſtendimus.

δεῖ, *oportet*] Patris decreto. Vide quæ nos hac de re apud Matth. XXVI, 54. Marci VIII, 31. Luc. IX, 22. XVII, 25. XXIV, 7. 26, 46. infrà XII, 34. & alibi.

τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· *Filium hominis*] Hominem quidem, ſed innocentem.

15. Ἵνα πᾶς, *Vt omnis*] Decreti jam indicati cauſas explicare pergit.

ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν, *qui credit in ipſum*] Non quovis modo, ſed penitus in cor admiſsâ fide & fiducia: nam talis quæ eſt, eam cætera ad vitam æternam neceſſaria per ſe ſequuntur. Intelligenda autem hæc de credente ut oportet, quà & quamdiu talis eſt.

16. ἠγάπησεν ὁ Θεὸς, *Deus dilexit*] Singula ἔμφασιν [*altiorem intellectum*] habent. Deus ille omnium Dominus dilexit & quidem prior: noſter 1 Epiſt. IV, 10, 19.

τὸν κόσμον, *mundum*] Non Iudæos tantùm quibuscum fedus habebat aliquod, ſed omne omnino genus humanum, peccatis obrutum, 1 Ioh. V, 19. addito Rom. V, 8. & Epheſ. II, 12.

ὥστε τὸν υἱὸν αὐτοῦ τὸν μονογενῆ, *ut filium ſuum unigenitum*] Paulus Rom. VIII, 32. Ὅς γε τοῦ ἰδίου υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο [*Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit*]. Non ſatis erat *filium* dixiſſe, niſi addidiſſet *unigenitum*. Alluſio eſt ad Abrahami hiſtoriam Geneſ. XXII, 12.

ἔδωκεν, *daret*] Intellige gratìs, nullis meritis provocatus: παρέδωκε [*tradidit*] Paulus dicto loco & alibi ſæpe. De morte ſua obſcurè loquitur; de vita æterna apertè, ut animos erigat.

17. ἵνα κρίνῃ τὸν κόσμον, *ut judicet mundum*] Deus ſæpe ultor deſcribitur in Veteri pagina: itaque conſcii peccatorum meritò exſpectare poterant Filium venire ad pœnas Patris nomine exigendas. Nam κρίνειν [*judicare*] eſt κατακρίνειν [*damnare*], ut 1 Corinth. XI, 32. Hebr. XIII, 4. at κατακρίνειν eſt & *damnare & pœnas exigere*.

σωθῇ, *ut ſalvetur*] *Vitam habeat*, ut hîc explicat Syrus.

18. Ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν οὐ κρίνεται· *Qui credit in eum non judicatur*] Eripitur communi exitio.

ὁ δὲ μὴ πιστεύων ἤδη κέκριται, *qui autem non credit jam judicatus eſt*] Dictum eſt vetus,

Illo nocens ſe damnat quo peccat die.

Sic in legibus Romanis, *Ipſe te pœnæ ſubdidiſti.* Et qui ſceleratum capiunt conſilium *ſuo merito puniti* dicuntur. Sed adde quæ notavimus ad Matth. XXV, 32.

ὅτι μὴ πεπίστευκεν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. *quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei*] Quòd veritatem & bonitatem Divinam tam apertè referenti & morte ſua obſignanti nec credere nec confidere voluerit: quod ex peſſimo animo proficiſci ſequentibus oſtendit.

19. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, *Hoc eſt autem judicium*] In hoc ſunt αὐτοκατάκριτοι, *intus ſuopte judicio damnati*.

τὸ φῶς ἐλήλυθεν εἰς τὸν κόσμον, *lux venit in mundum*] Chriſtus cum ſuo puriſſimo dogmate, ut ſuprà I, 10. Confer Eſaiam IX, 2. & XLII, 6. Quærere lucem debuerant: ultro ipſis oblata eſt.

ἠγάπησαν οἱ ἄνθρωποι μᾶλλον τὸ σκότος ἢ τὸ φῶς· *& dilexerunt homines magis tenebras quam lucem*] Μᾶλλον [*magis*] hic oppoſitionis eſt, non comparationis. *Prætulerunt homines* (id eſt, magna pars hominum, ut ſuprà I, 12.) *tenebras luci.* Sic II Tim. III, 4. Thucydides, μᾶλλον βούλομαι τοῦτο ἀντὶ ἐκείνου, *hoc præ illo malo.* τὸ σκότος [*tenebras*] hîc intellige vivendi rationem nullâ regulâ ſubnixam, quæ luculentè deſcribitur Epheſ. II, 3. Sic infra VIII, 12. XII, 35. I Epiſt. I, 6. II, 11. Eph. V, 11.

ἦν γὰρ πονηρὰ αὐτῶν τὰ ἔργα. *erant enim eorum mala opera*] Intellige non modò opera in quibus vixerant antequam lux affulſiſſet, ſed & ea in quibus manere ipſis placebat: favebant morbo.

20. Πᾶς γὰρ ὁ φαῦλα πράσσων μισεῖ τὸ φῶς· *Omnis enim qui mala agit, odit lucem*] Proverbium eſt ex vulgo deſumtum. Euripides Iphigeniâ,

Κλεπτῶν γὰρ ἡ νὺξ, τῆς δ' ἀληθείας τὸ φῶς.
[*Lux quippe vero grata: nox fures juvat*].

Philo de Caligula, ἐκείνῳ δὲ ἥλιος ἢ φῶς συνόλως ἀσπαστόν ἐστιν, ἀλλὰ οὐχὶ νὺξ καὶ εἴ τι σκότους ἀφεγγέστερον, εἰς τὴν τῶν ἐκνόμων ἔργων διάθεσιν; [*illine ſol & lux ullo modo amica eſſent, & non potius nox, & ſiquid tenebris eſt nigrius, ad diſponenda opera illicita*]? & mox, ἐπειδὰν τὰ μὲν καλὰ περιαυγείας μεσημβρινῆς δέηται πρὸς ἐπίδειξιν· τὰ δὲ αἰσχρά, φασιν, ἐσχατιᾶς ταρτάρου [*nam certè quæ honeſta ſunt ea lucem meridianam deſiderant, ut pateant: at turpia, id quod extremum in Tartaro eſt*]. Simile proverbium illud, Οἱ μεθυσκόμενοι νυκτὸς μεθύσκουσι [*Qui inebriantur, nocte inebriantur*]. Hinc *tenebriones*, *lucifugæ*. Xenophon De Cyri Inſtit. II. οἱ δὲ ἀγνοούμενοι ῥᾳδιουργεῖν πως μᾶλλον δοκοῦσιν ὥσπερ οἱ ἐν σκότει ὄντες [*illi credendi potius clam turpia agere, ut ſolent qui tenebras amant*]. Et de Ageſilao, αἰσχρουργίᾳ μὲν τὸ ἀφανίζεσθαι πρέπειν, τῷ δὲ εἰς κάλλος βίῳ τὸ φῶς μᾶλλον κόσμον παρέχειν [*malis actionibus convenit occultari: at vitæ honeſtæ lux ipſa plus addit ornatûs*]. Seneca Epiſt. CXXII. *Gravis malæ conſcientiæ lux eſt.* Et I. Nat. quæſt. XVI. *ſcelera conſpectum ſuum reformidant.* Vide egregiam hujus loci explicationem apud Chryſoſtomum in caput IV ad Epheſios II, 19.

ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ τὰ ἔργα αὐτοῦ. *ut non arguantur opera ejus*] Ne ſibi ipſi appareat vitæ quam ducit turpitudo. Epheſ. V, 13. τὰ δὲ πάντα ἐλεγχόμενα ὑπὸ τοῦ φωτὸς φανεροῦται [*omnia autem quæ arguuntur, à luce manifeſtantur*].

21. Ὁ δὲ ποιῶν τὴν ἀλήθειαν, *Qui autem facit veritatem*] Qui ſincerè agit. Sic II Reg. XX, 3, *ambulare in veritate* exponitur, *integro corde*. Adde Pſalm. XXV, 5. LXXXVI, 11. Proverb. XXVIII, 6. conjungitur cum luce Pſalm. XLIII, 3. Epheſ. V, 8, 9. Et in hujus I Epiſt. I, 6. Hoc quoque intellige, poſtquam lux affulſit: nam conſilium emendandæ vitæ his verbis deſcribitur.

ἔρχεται πρὸς τὸ φῶς, *venit ad lucem*] Philo dicto loco, τὰ καλὰ περιαυγείας μεσημβρινῆς δεῖται πρὸς ἐπίδειξιν [*honeſta lucem meridianam deſiderant, ut pateant*]. Plutarchus, οὐδεὶς τῶν καλῶν ἔργων τὸ σκότος περιβάλλει [*nemo honeſtis actionibus tenebras circumdat*]. Seneca Epiſtol. XCVII, *bona conſcientia prodire vult & conſpici.*

ἵνα φανερωθῇ αὐτοῦ τὰ ἔργα, *ut manifeſtentur opera ejus*] Vt ipſe hæc opera ad illud dogma exploret ac dirigat. neque enim formidat examen.

ὅτι ἐν Θεῷ ἐστιν εἰργασμένα. *quia in Deo ſunt facta*] Ἐν [*in*] pro κατὰ [*ſecundùm*], *ſecundùm naturam ac voluntatem Dei.* Sic ἐν Κυρίῳ [*in Domino*] I Cor. VII, 39.

22. εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν. *in Iudæam terram*] *In agrum tribûs Iudæ*: opponitur id oppidis. Vide Ioſ. VIII, 1. ubi Græci τὴν πόλιν αὐτοῦ καὶ τὴν γῆν αὐτοῦ [*urbem ejus & terram ejus*], quod alibi dicunt χώραν [*regionem*], ut & Luc. XXI, 21.

ἐβάπτιζεν. *baptizabat*] Operâ Diſcipulorum, infrà IV, 2. Sic Tertullianus libro De Baptiſmo, *Semper is dicitur facere cui præminiſtratur.* Sic & Paulus prædicabat Euangelium, baptizabat autem plerunque, non opere ſed per alios, I Cor. I, 17. Iohannes verò Baptiſta ipſemet baptizabat, hoc quoque ſe inferiorem Chriſto profeſſus.

23. ἐν Αἰνὼν, *in Ainon*] עין—יון, ut hîc Syrus & tabula Iudaïca. Nomen eſt fontis fortè à Græcis primùm reperti. Longè alius eſt locus qui nominatur Ezech. XLVII & XLVIII. neque enim diſtinctè ibi legendum eſt חצר & עינון, ſed conjunctim חצר—עינון [*Atſer Ainon*], ut apparet Num. XXXIV, 9. ubi Græci Αρσεναΐν [*Arſenaïn*] pro Ασρεναΐν, tranſpoſitione facta, quia Græcis σ & ρ non cohærent. At in Ezechiele priorem partem appellativè reddiderunt, αὐλὴν τοῦ Αἰνὰν [*aulam ſive villam Ainan*], pro quo ſecundo loco Αἰλὰμ corruptè legitur.

ἐγγὺς τοῦ Σαλεὶμ, *juxta Salim*] Errant qui hunc locum eſſe putant qui dicitur שעלים I Sam. IX, 4. ubi Græci Σεγαλὶμ [*Segalim*], ע, ut fit, in γ mutato. Sequendus eſt potiùs Hieronymus qui eum eſſe locum ait qui Geneſ. XXXIII, 18. vocetur שלם, Græcis Σαλὴμ [*Salem*], ut & in tabula Iudaïca ſcribitur. Eò autem ivit Baptiſta, non alio, ut videtur, conſilio quàm ut pluribus locis officio ſuo fungens populum ad pœnitentiam & baptiſmum invitaret.

ὕδατα πολλὰ ἦν ἐκεῖ· *aquæ multæ erant illic*] Intellige non rivos multos, ſed ſimpliciter aquæ copiam, tantam ſcilicet in qua facilè corpus humanum merſaretur, quo tum more Baptiſmus peragebatur. Vide ad Matth. III, 6. Sic & alibi, Apoc. VIII, 11, XI, 6, ὕδατα [*aquas*] pro aquæ copia uſurpat hic noſter, ut & Apocal. XIV, 7. XVI, 4.

——— Ἄφθονον ὕδωρ
——— [*Vber aquæ vis*]

hoc loco Nonnus non malè.

24. Οὔπω γὰρ ἦν, *Nondum enim fuerat*] Oſtendit, quod diximus, eas hîc à ſe res narratas quæ Iohannis captivitatem anteceſſerunt: cùm cæteri miraculorum Chriſti inde ferme initium faciant.

25. ἐκ τῶν μαθητῶν, *ex diſcipulis*] Id eſt, τινὲς ἐκ τῶν μαθητῶν [*quibuſdam ex diſcipulis*], quales ἐκλείψεις [*defectus in loquendo*] notavimus ad Matth. XXVII, 9.

μετὰ Ἰουδαίου, *cum Iudæo*] Sic habent antiquiſſima exemplaria: ſic legerunt Chryſoſtomus & qui poſt eum Græci. Etiam Nonnus, Ἑβραίου μετὰ φωτός· ——

[*Cum quodam Hebræo,* ——]

nec aliter Syrus: quare hæc lectio ſequenda videtur: ut ſenſus ſit, Iudæum quendam, putà à Diſcipulis Chriſti baptizatum, hanc quæſtionem moviſſe Iohannis diſcipulis.

περὶ καθαρισμοῦ· *de purificatione*] Sicut ſuperiore capite καθαρισμὸν vocavit *ablutionem* illam Phariſaïcam manuum & poculorum, quam Marcus βαπτισμὸν [*baptiſmum*], ita & hîc *Baptiſmum* Iohannis & Ieſu vocat καθαρισμὸν [*purificationem*], ſicut & verbo καθαίρειν [*purificare*] uti Ioſephum in narrando Iohannis baptiſmo oſtendimus ad Matth. III, 6. Neque aliter quàm de Baptiſmo ſumam vocem καθαρισμοῦ II Petri I, 9. Nam ſic & Arabes Chriſtiani antiquitus Baptiſmum appellabant طهور, id eſt, καθαρισμόν [*purificationem*]. Videtur autem diſputatum, an Iohannis Baptiſmus Divina eſſet ceremonia, an humanum inſtitutum, quandoquidem & alii præter Iohannem baptizare incipiebant. Et jam olim apud Hebræos in proſelytis uſitatum fuiſſe Baptiſmum oſtendimus ad III Matth.

26. ὃς ἦν μετὰ σοῦ, *qui erat tecum*] Qui à te baptizari voluit.

πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *trans Iordanem*] Id eſt, in trajectu Iordanis, ut hîc Syrus, *in Bethabara*. Vide ſupra I, 28.

ᾧ σὺ μεμαρτύρηκας, *cui tu teſtimonium perhibuiſti*] Quem tu pro tua modeſtia elogio tuo ornaſti.

ἴδε οὗτος βαπτίζει, *ecce hic baptizat*] Non minùs quàm tu: quod hîc rectè notavit Syrus addito *etiam*: quaſi dicant, In tuas partes involat, adeò ut hoc ipſum nobis ad extenuationem tuæ auctoritatis objiciatur.

καὶ πάντες ἔρχονται πρὸς αὐτόν. *& omnes veniunt ad eum*] Plures quàm ad te, quaſi novitatis ſtudio. Tacitè ſcilicet quærunt an non prohibendi ſint baptizare alii. Vide hiſtoriam ſimilem Num. XI, 28. & Lucæ IX, 49. Notabilis utraque, ut intelligamus cur *ſectarum ſtudia* annumerentur *operibus carnis*, Gal. V, 20.

27. λαμβάνειν, *accipere*] Auctoritatem muneris tanquam à Deo impoſiti: λαμβάνειν [*accipere*] intellige cum effectu. Alioqui vanitas ipſa ſe deteget. Ad falſos prophetas cognoſcendos indicia Deus dederat.

ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *de cælo*] A Deo, cujus voluntati acquieſcendum eſt.

28. μαρτυρεῖτε, *teſtimonium perhibetis*] Ipſi hac ipſa qua me compellaſtis oratione profeſſi eſtis me agnoviſſe Ieſum majorem me eſſe, & quidem immenſo.

ἔμπροσθεν ἐκείνου, *ante illum*] Ἐκείνου [*illum*], Ieſum ſcilicet quem Chriſtum eſſe dixi: ἔμπροσθεν [*ante*], id eſt, πρὸ προσώπου αὐτοῦ [*præ facie ejus*] Matth. XI, 10. ubi utrumque legitur. Marc. I, 2, diximus munitoris qui Regem antecedit officium deſcribi.

29. Ὁ ἔχων τὴν νύμφην, *qui habet ſponſam*] Cujus maritale in ſponſam quæſitum eſt. Scriptor Categoriarum, οὐδὲν γὰρ ἄλλο τῷ ἔχειν γυναῖκα σημαινόμεθα ἢ ὅτι συνοικεῖν [*cum dicimus habere uxorem nihil aliud intelligimus quam cum ea habitare*]. כלה ex origine ſignificat omne illud quo ſponſa ſolet eniteſcere. Talis Eccleſia eximiè fuit, & eſſe debet, Epheſ. V, 27.

νυμφίος ἐστίν· *ſponſus eſt*] Principem in nuptiis locum obtinet. Rectè autem ſponſo Chriſtus comparatur Matth. XXII, 2. II Cor. XI, 2. Epheſ. V, 25, 26. ad exemplum Dei, qui populi Hebræi *maritus* dicitur Prophetis.

ὁ δὲ φίλος τοῦ νυμφίου, *amicus autem ſponſi*] מרע. Vide quæ notavimus ad Matth. IX, 15.

ὁ ἑστηκὼς, *qui ſtat*] Miniſtrans ſponſo: nam עמד *ſtare* eſt miniſtrare, ut Geneſ. XLI, 46. Deut. I, 38. Zach. III, 7.

καὶ ἀκούων αὐτοῦ, *& audit eum*] Audiens blandimenta ejus ad ſponſam. Vide Cant. Canticorum. Hæc eſt mox φωνὴ νυμφίου [*vox ſponſi*].

χαρᾷ χαίρει, *gaudio gaudet*] Valde gaudet; Matth. II, 10.

αὕτη οὖν ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ πεπλήρωται. *hoc ergo gaudium meum impletum eſt*] Hîc tacita eſt ἀπόδοσις [*redditio*]. *Conſummatum eſt gaudium meum*, quia tanquam pronubus populum Iudaïcum Chriſto tradidi. Gaudeo eos inter ſe alloqui. χαρὰ πεπλήρωται [*gaudium impletum eſt*] eſt inter locutiones Iohanni proprias, infrà XV, 11. XVI, 24. I Epiſt. I, 4. II Epiſt. 12.

30. Ἐκεῖνον δεῖ αὐξάνειν, *illum oportet creſcere*] Famâ, &, quod vos invidetis, diſcipulorum copiâ.

ἐμὲ δὲ ἐλαττοῦσθαι, *me autem minui*] Vt ſtellæ ſolent ubi Luna affulſit.

31. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, *qui deſurſum venit*] Veniens cum poteſtate planè Divina, ſuprà 13. Iohannes miracula nulla fecit; quò Chriſtus eſſet illuſtrior.

ἐπάνω πάντων ἐστίν· *ſuper omnes eſt*] *Super omnes alios*, etiam Prophetas.

ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, *qui eſt de terra*] Natus ſecundùm Adami legem, in quo non eſt illa verè Divina poteſtas.

ἐκ τῆς γῆς ἐστι, *de terra eſt*] Πλοκή [*copulatio*]· nam hîc ſignificatur conditio ejus: quaſi dicat, *Humana tantùm ſapit*. Simile loquendi genus ſuprà 6. & I Cor. XV. 47.

καὶ ἐκ τῆς γῆς λαλεῖ· *& de terra loquitur*] *Loquitur humana tantùm*, non illa myſteria abſconditi Divini conſilii.

ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ ἐρχόμενος, *qui de cælo venit*] Repetit quod ſuprà dixerat ἄνωθεν [*deſurſum*], quò evidentior ſit oppoſitio.

32. ὃ ἑώρακε καὶ ἤκουσε, *quod vidit & audivit*] *Quod planè novit*. Nam duobus his ſenſibus homines ad cognitionem deveniunt. Vide ſuprà I, 18. & quæ ibi. Adde quod infrà VIII, 26. XV, 15.

τοῦτο μαρτυρεῖ, *hoc teſtatur*] Quod ſuprà dixit λαλεῖ [*loquitur*], *prodit hominibus*: ſic infrà IV, 44. ſic העיד apud Hebræos, Deuteron. XXXII, 46. Neh. IX, 34.

οὐδεὶς λαμβάνει. *nemo accipit*] Loquendi genus quale ſuprà 12. *Nemo*, id eſt, pauci. Ipſos eos comprehendit qui hanc querelam ad ſe deferebant.

33. Ὁ λαβὼν αὐτοῦ τὴν μαρτυρίαν, *Qui accepit ejus teſtimo-*

teſtimonium] Exceptio qualis ſuprà I, II. λαμβάνειν [*accipere*] eſt *in animum admittere*, παραλαμβάνειν dicto loco, cap. I.

ἐσφράγισεν, *ſignavit*] *Solenniter proteſtatur*. Metaphora ſumta à contractibus qui publicè impreſſis ſignis firmantur, quod eſt חתם Hebræis, quo verbo hîc Syrus utitur. Sic I Reg. XXI, 8. Nehem. IX, 38. X, I. Eſther. VIII, 8. 10. Ierem. XXXII, 10. Dan. VI, 17. Simili ſenſu μαρτυρίαν ἐπισφραγίζεσθαι [*teſtimonium obſignare*] dixit Ariſtides.

ὅτι ὁ Θεὸς ἀληθής ἐστιν. *quia Deus verax eſt*] *Se planè credere Deum veracem*, non modò in genere, ſed etiam ſingulariter in eo quod Deus per Filium revelat. Contrà qui ei non credit, *Deum* dicitur *mendacem facere*, id eſt, non magis ei credere quàm ſi mendax eſſet, I Ioh. V, 10.

34. Ὃν γὰρ ἀπέστειλεν ὁ Θεὸς, *Quem enim miſit Deus*] Subauditur *ille*, *Quem miſit*, intellige *arcanorum revelatorem*: cujus typus Ioſephus, Ægyptiacè צפנת פענח, [*Zaphnath phonea, id eſt, arcanorum repertor*] Geneſ. XLI, 45.

τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ λαλεῖ· *verba Dei loquitur*] *Nihil niſi Divina loquitur*, infrà VII, 16. VIII, 47.

οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα. *non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum*] Ἐκ μέτρου [*ex menſura vel ad menſuram*] dare בשורה Hebræis eſt *reſtrictè dare*, ſicut Deus cognitionem ſui dedit Prophetis. Confer quod eſt Num. XI, 17. II Reg. II, 9. At tempore Novi Federis dicitur non *admetiri* ſed *effundere Spiritum*, primùm in Caput, deinde in Eccleſiam, ſuprà I, 16. & infrà VII, 39. Actor. II, 17. Tit. III, 6. Vide & infrà VI, 45. Adde Eſaiam XLII, I.

35. Ὁ πατὴρ ἀγαπᾷ τὸν υἱὸν, *Pater diligit Filium*] Quippe unicum. Vide Matth. III, 17. & quæ ſuprà I, 18. Nihil eum celat.

καὶ πάντα δέδωκεν ἐν τῇ χειρὶ αὐτοῦ. *& omnia dedit in manu ejus*] Nempe omnia myſteria Regni cœleſtis ipſi dedit pro ipſius arbitrio diſpenſanda: Dan. VII, 14. Vide Matth. XI, 27. & quæ ibi dicta. Sic infrà XIII, 3. & XVII, 2. χεὶρ [*manus*], ut יד Hebræis eſt *plena poteſtas*.

36. Ὁ πιστεύων εἰς τὸν υἱὸν, *Qui credit in Filium*] Propriè, *qui Filio confidit*, nempe ut volenti & potenti ſalutem præſtare.

ἔχει ζωὴν αἰώνιον· *habet vitam æternam*] *Ius habet ad vitam æternam*, nempe quà talis. Vide ſuprà I, 12. Confer Rom. VIII, 24.

ὁ δὲ ἀπειθῶν τῷ υἱῷ, *qui autem incredulus eſt Filio*] *Qui inobſequens eſt Filio: qui dicto non eſt audiens*, quâ hujus loci interpretatione Cyprianus utitur. Hæc oppoſitio manifeſtè oſtendit fiduciam illam quæ jus dat ad vitam æternam talem eſſe quæ in ſe obedientiæ propoſitum includat. ἀπειθεῖν [*reſiſtere, non obedire*] reſpondet מרה [*rebellare*] Hebræo, ut ex multis locis apparet.

οὐκ ὄψεται, *non videbit*] *Non erit particeps vitæ æternæ*; ſuprà commate 3.

ἡ ὀργὴ τοῦ Θεοῦ μένει ἐπ' αὐτόν. *ira Dei manet ſuper eum*] Ὀργὴ [*Ira*] eſt ultio Dei, quæ ei superveniet. Quod autem alii libri habent μενεῖ [*manebit*] quomodo & Syrus hîc vertit, eſt interpretamentum. Sic infrà XII, 8. ἔχετε [*habete*] valet ἕξετε [*habebitis*], ubi Latina verſio *habebitis*: ſic & VI, 53. IX, 4. XVI, 2. ſic & hîc Nonnus ἔρχεται [*venit*]. Familiare autem Iohanni μένειν [*manere*] ponere ſimpliciter pro *eſſe*, ut infrà V, 38. XV, II. I Epiſt. II, 6, 10. III, 15. II Epiſt. 2. & alibi.

CAPVT IV.

I. Ἔγνω, *Cognovit*] Divina cognitione.

ὅτι ἤκουσαν οἱ Φαρισαῖοι, *quia audierunt Phariſæi*] Ii maximè qui in Synedrio erant Hieroſolymitano. Vide ſuprà III, I. Sadducæi omnes ritus Lege non præſcriptos pari loco habebant. Quare nec Baptiſmum Ieſu nec Iohannis curabant, non magis quàm Phariſæorum ceremonias.

ὅτι Ἰησοῦς, *quòd Ieſus*] Ἰησοῦς [*Ieſus*] poſitum pro αὐτὸς [*ipſe*], ut ſæpe apud Hebræos.

πλείονας μαθητὰς ποιεῖ καὶ βαπτίζει, *plures Diſcipulos facit & baptizat*] Plures habet Diſcipulos & ſolenniter eos initiat.

ἢ Ἰωάννης, *quàm Ioannes*] Putem cùm hæc acciderunt vixiſſe tunc adhuc Iohannem Baptiſtam, & aliud hoc eſſe iter quàm quod ab aliis Euangeliſtis deſcribitur. Tantò major in Ieſum invidia erat quàm in Iohannem quantò plures habebat ſectatores. Et Iohannis quidem honos nati ex Sacerdotali familia aliquatenus ipſum ornabat Sacerdotium; & tamen hujus quoque Baptiſmum repudiarunt Phariſæi, Luc. VII, 30. At in Ieſu Galilæo, de plebe, ut putabatur, omnis honos detrimentum erat publicæ auctoritatis.

2. Καίτοιγε Ἰησοῦς αὐτὸς οὐκ ἐβάπτιζεν, *quanquam Ieſus ipſe non baptizabat*] Diximus ſuprà III, 22.

3. Ἀφῆκε τὴν Ἰουδαίαν, *Reliquit Iudæam*] In qua illi plurimùm poterant, judiciorum compotes, Romanis id permittentibus.

καὶ ἀπῆλθε πάλιν εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *& abiit iterum in Galilæam*] Vbi Herodes regnabat, cujus ira in Iohannem nondum exarſerat. Ita ſine damno prædicationis ad tempus ſibi conſuluit.

4. διέρχεσθαι διὰ τῆς Σαμαρείας. *transire per Samariam*] *Samariam* intellige, illam partem Terræ Promiſſæ in qua manſerant Aſſyrii poſtquam cætera à Decem Tribubus olim poſſeſſa Iudæi à Babylonia reduces receperant. Ab Vrbe enim olim regni capite nomen manſit regioni. Per hanc autem Hieroſolymis in Galilæam & contra iter erat. Vide quæ attulimus ad Luc. XVII, II.

5. Ἔρχεται οὖν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, *Venit ergo in civitatem Samariæ*] Πόλιν [*Civitatem*] hîc vocat civitatis territorium. Simile notavimus ad Luc. II, 7.

λεγομένην Συχὰρ, *quæ dicitur Sichar*] Σιχὰρ habent Græci codices plerique & Syriacus: & ſic in Latinis legitur, & ſuo tempore lectum notat Hieronymus. Alii codices Συχὰρ [*Sychar*], & hoc ſequitur Arabs. Et vocalis quidem permutatio non nova, ſic Σίμων [*Simon*] & Συμεὼν [*Symeon*] ſcribitur, & hæc ipſa urbs Σιχὲμ [*Sichem*] & Συχὲμ [*Sychem*]. Pro ἐμ autem quod αρ ſcribitur, putat librariorum vitium eſſe Hieronymus: alii rectiùs pronuntiationem corruptam temporibus putant, ut ex Βελιὰλ [*Belial*] factum eſt Βελιὰρ [*Beliar*],

[*Beliar*], & ſimilia. Σίκιμα [*Sicima*] Græca flexione plerumque hæc urbs appellatur, de qua totoque eo tractu exſtant verſus Theodoti Poëtæ Græci libro De Iudæis, quos citat Euſebius Præparationis lib. IX, cap. I, ſed corruptos, quos ſic emendandos cenſeam,

Ἡ δ᾽ ἄρ᾽ ἔην ἀγαθή τε καὶ αἰγίνομος καὶ ὑδρηλή·
Οὐδὲ μὲν ἔσκεν ὁδὸς δολιχὴ πόλιν εἰσαφικέσθαι
Ἀγρόθεν· οὐδέποτε δρία λαχνήεντ᾽ ἀπόερσεν.
Ἐξ αὐτῆς δὲ μάλ᾽ ἄγχι δύ᾽ οὔρεα φαίνετ᾽ ἐρυμνὰ
Ποίης τε πλήθοντα καὶ ὕλης· τῶν δὲ μεσηγὺ
Ἀτραπιτὸς τέτμητ᾽ ἀραιὴ αὐλῶπις· ἔνερθεν
Ἡ διερὴ Σίκιμον καταφαίνεται ἱερὸν ἄστυ
Νέρθεν ὑπὸ ῥίζῃ δεδμημένον· ἀμφὶ δὲ τεῖχος
Λισσὸν ὑπωρείαν ὑποδέδραμεν αἰπυνὸν ἔρκος.
[*Humida, paſcendo pecori bona terra caprugno.*
Hic ager eſt, à quo non longa extendit in urbem
Se via: non illic nemorum frondentia deſunt.
At ſuper apparent montes duo queîs juga ſurgunt
Inclita, plena herbis & ſaltibus: inter utrumque
Callis ſe tenui diffundit tramite: ſubter
Vrbs ſacra conſpicitur Sicimum non indiga limfæ,
Structa ſub alterius montis pede: circuit illam
Murus & ad montis ſeſe latera ardua tollit].

Montes illi duo qui Sicimis imminent, ſunt Garizim, de quo jam audiemus, & Hebal. Vide Benjaminem Itinerario. Malè id negat Epiphanius levibus argumentis. Significanter autem nominatur hæc urbs, ut Hieroſolymis in religione æmula.

πλησίον τοῦ χωρίου ὃ ἔδωκεν Ἰακὼβ Ἰωσὴφ τῷ υἱῷ αὐτοῦ, *juxta prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo*] Geneſ. XLVIII, 22. in cujus loci expoſitione non placet quod quidam putant à Simeone & Levi hunc agrum manu captum cùm Sicima diriperent. Nam id factum perfidiâ mixtum improbavit Iacobus. Neque magis putem diſceſſu Iacobi à vicinis occupatum, deinde à Iacobo reverſo armis recuperatum: quod quidam fingunt. Neque enim ea fuit vis Iacobi ejuſque familiæ ut aperto bello quicquam in vicinos auderent, cùm illud ipſum quod Simeon & Levi auſi fuerant non factum ſit niſi dolo & per morbi occaſionem. Quare veriſimilius eſt, ſicut donatio hæc effectum non habuit niſi poſtquam Terra Promiſſa armis occupata eſt, ut videre eſt Ioſuæ XXIV, 32. ita Iacobum ſpe antecepiſſe hanc victoriam, ſibique tribuere quod ſui poſteri facturi erant, & præterito tempore enuntiare more Prophetico id quod certò eventurum videbat.

6. πηγὴ τοῦ Ἰακώβ· *fons Iacob*] Puteus erat, ut mox videbimus, ſitus ad Auſtrum ab Vrbe, ut notant locorum periti. Sed Hebræis mos eſt omnem ſcatebram *fontem* vocare: Notavimus ad Marci V, 29. A Iacobo autem effoſſum hunc puteum ex Sacris Scriptis non conſtabat, niſi quis trahere huc velit illud Deuteronomii XXXIII, 28. πηγὴ Ἰακὼβ ἐπὶ σίτου καὶ οἴνου [*fons Iacob ſuper frumento & vino*]: ſed vetere fama, ut alia multa.

κεκοπιακὼς ἐκ τῆς ὁδοιπορίας, *fatigatus ex itinere*] Indicatur veritas humanæ naturæ.

ἐκαθέζετο οὕτως, *ſedebat ſic*] Incurioſè, ut ſe locus obtulerat. Non diſſimile illud Actor. XX, 11.

ἐπὶ τῇ πηγῇ. *ad fontem*] Ἐπὶ eſt על, quod valet *ad* vel *juxta*. Sic Exod. II, 15. וישב על הבאר, ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ φρέατος [*ſedit ad puteum*]· ad quam hiſtoriam hîc alluditur.

ὡσεὶ ἕκτη. *quaſi ſexta*] Vide ſuprà I, 40. Cauſam ſitis oſtendit, quia & multum itineris fecerat & jam erat meridies.

7. Ἔρχεται, *Venit*] Indicatur caſus, ſed Divino conſilio directus.

γυνὴ ἐκ τῆς Σαμαρείας, *mulier de Samaria*] Σαμαρεῖτις [*Samaritis*] ut mox loquitur Iohannes: nam ἐκ [*ex*] hoc loco ponitur ut מ Hebræum ſignificans Originem vel Habitationem. Sic ἀπὸ [*à*] Matth. XXVII, 57. *Samariam* autem hîc iterum regionem intellige.

ἀντλῆσαι ὕδωρ. *haurire aquam*] Cum hydria ſcilicet, ut moris erat: infrà commate 28. Geneſ. XXIV, 15. Nonnus ἠθάδα κάλπιν ἔχουσα [*urnam, ut moris, habens*]. Sic apud Homerum Odyſſeæ η.

Παρθενικῇ εἰκυῖα νεήνιδι κάλπιν ἐχούσῃ.
[*Vrnigeræ ſimilis florenti ætate puellæ*].

Δός μοι πιεῖν. *Da mihi bibere*] Ex urna jam impleta.

8. Οἱ γὰρ μαθηταὶ αὐτοῦ, *Diſcipuli enim ejus*] Non aderant Diſcipuli qui urceum ipſi alicunde adferrent. Et hac occaſione conſultum eſt pudori mulieris quam Chriſtus ad meliorem frugem erat perducturus. Videtur autem hoc tempore Chriſtus Diſcipulos adhuc paucos habuiſſe ante electos Duodecim.

9. Ἰουδαῖος ὤν, *Iudæus cùm ſis*] Dialectus etiam Ephraïmitas ab aliis Iſraëlitis, Iud. XII, 6. & Galilæos à Iudæis diſtinguebat, Matth. XXVI, 73. quantò magis Samaritam à Iudæo? Credibile eſt & in veſtibus aliquid fuiſſe diſcriminis, ut multis ritibus diſcrepabant: ut notatur in libro Muſar.

οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. *non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*] Quod κολλᾶσθαι [*jungere ſe*] dicitur Actor. IX, 26. id eſt, *amicè uti*. Quod Legiſperitorum traditio ſic interpretabatur, ut emere quidem neceſſaria liceret, at beneficium à Samarita ullum accipere non liceret. Lex nullum cum alienigena vetat commercium (populos Divinâ ſententiâ damnatos excipio) dum cibis vetitis abſtineatur. Ratio non aliud diſſuadet quàm quod infirmos à Dei cultu poſſet abducere: quam ob cauſam notant Hebræi vetitum cum idololatra vinum bibere, non Lege, ſed eruditorum cautione, ne familiari nimiùm conſuetudine contagium contraheretur. Introducta hæc cautio ex quo Iudæi neque Iudæos à Lege deficientes punire, neque alienigenas in ſuo ſolo habitantes intra data Noæ præcepta continere potuerunt. Samaritæ verò adeò erant ſuperſtitioſi ut viſo Iudæo exclamarent, *Ne attinge*. Verba autem hæc Euangeliſtæ ſunt rationem reddentis ejus quod femina dixerat. Similis parentheſis mox occurrit IV, 25.

10. Εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ, *Si ſcires donum Dei*] Si intelligeres quantum hoc ſit beneficium, occaſio nempe quam tibi nunc Deus præſtat, quantumvis Samaritidi. Sic Epheſ. II, 8, δῶρον Θεοῦ [*donum Dei*] dicitur vocatio Euangelica.

τίς ἐστιν, *quis eſt*] *quis quantuſque*.

ἔδωκεν ἂν σοι ὕδωρ ζῶν. *dediſſet tibi aquam vivam*] *Aqua* variis in locis variam habet ſignificationem.

Hoc loco, & in Apocalypſi aliquoties, non dubito quin ſignificetur dogma Euangelicum; nempe quatenus ea continet quæ ad ſalutem æternam pariendam neceſſaria ſunt ac ſufficiunt. Argumentum ad eam rem præcipuum habeo id quod infrà legitur VI, 35. quo jamjam utemur. Nec multùm hinc abeunt veteres, ut Cyprianus Epiſtolâ ad Cæcilium, qui de Baptiſmo accipiunt: nam Baptiſmus eſt iſtius dogmatis ſolennis profeſſio. Philo Allegoriis de Moſe in Madian, ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ φρέατος ἐκδεχόμενος τί ὁ Θεὸς ἀνομβρήσει πότιμον τῇ διψώσῃ καὶ ποθούσῃ ψυχῇ τὸ ἀγαθόν· ἀναχωρεῖ μὲν ἀπὸ τῆς ἀθέου καὶ ἡγεμονίδος τῶν παθῶν δόξης [*ſedit ad puteum exſpectans quem potum Deus affuſurus eſſet animæ ſitienti & cupienti id quod bonum eſt, ideoque abit ab opinione impia & ad pravos affectus ducente*].

11. οὔτε ἄντλημα ἔχεις, *nec quo haurias habes*] *Situlam* intelligit Syrus; *ſitulam* ſimul *cum fune* Nonnus,

Οὐ κάδον ἑλκυστῆρα φέρεις, οὐ σχοῖνον ἀείρεις.
[*Non eſt urna tibi, non funis portitor urnæ*].

Apud Martialem *antlia* videtur elaboratius aliquid eſſe.

τὸ φρέαρ ἐστὶ βαθύ. *puteus altus eſt*] Ita ut ſine tali ope contingi nequeat.

πόθεν οὖν, *unde ergo*] Primùm oſtendit non eſſe credibile ex illo puteo Ieſum aquam dare poſſe; nunc, quod reſtabat, vult oſtendere non eſſe probabile aliunde eum aquam habere poſſe.

12. μείζων εἶ, *major es*] Sapientior ad inveniendas aquas circa hunc locum.

τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἰακώβ, *patre noſtro Iacob*] Samaritæ, ut notat Ioſephus, cognatione Iudæorum ubi res eorum proſperiores erant gloriabantur: quia ſcilicet multis Aſſyriis aliqui permixti erant Hebræi.

ὃς ἔδωκεν ἡμῖν τὸ φρέαρ, *qui dedit nobis puteum*] Monſtravit poſteris, tanquam quo nullum in his locis eſſet melius.

καὶ αὐτὸς ἐξ αὐτοῦ ἔπιε, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ, *& ipſe ex eo bibit, & filii ejus*] Probat aquæ ſalubritatem.

καὶ τὰ θρέμματα αὐτοῦ; *& pecora ejus*]? צאנו [*grex ejus*]. Probat aquæ copiam.

13. διψήσει πάλιν· *ſitiet iterum*] Si vivat: quia ſuâ naturâ talis eſt hæc aqua ut effectum non habeat niſi temporarium. Digeritur enim & excernitur.

14. οὐ μὴ διψήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα· *non ſitiet in æternum*] Infrà VI, 35. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε [*qui credit in me, non ſitiet unquam*]. Ergo híc *aqua* eſt id quod creditur ad ſalutem, quod ſemel hauſtum ampliùs hauriendum non eſt, ſed retinendum tantùm. Nihil eſt quod ei adjici poſſit; aliter quàm in humanæ ſapientiæ præceptis, quorum nunquam finis eſt: ideo quò magis ea bibitur eò magis creſcit ſitis. de ea ſermo eſt Eccleſ. XXIV, 29. Cyprianus dicto loco, *Omnis qui biberit ex aqua iſta, ſitiet iterum: qui autem biberit ex aqua quam ego dedero, non ſitiet in æternum. Quo & ipſo Baptiſma ſalutaris aquæ ſignificatur, quod ſemel ſumitur nec rurſus iteratur.* Nimirum Baptiſmus, ut diximus, profeſſio eſt dogmatis, quod ſemel hauſiſſe ſufficit. Tertullianus Præſcriptione: *nihil amplius niſi cuſtodiendum quod credidiſti.* Chryſoſtomus ad caput penultimum prioris ad Corinthios, οὐ γὰρ αὐτὸ δεῖσθε τὸ δόγμα μαθεῖν, ἀλλ' ὑπομνησθῆναι καὶ διορθωθῆναι [*non enim opus eſt ut diſcatis dogma, ſed ut ejus memores ſitis & ad id corrigamini*].

πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον. *fons aquæ ſalientis in vitam æternam*] Hoc ſolum ſine alia cognitione ſufficit ad pariendam vitam æternam. Vide ſuprà I, 4. infrà VI, 68. XII, 50. XVII, 3. XX, 31. Hebr. IV, 12. Et emphaſis eſt in voce *ſaliet*: ſolent enim aquæ ſalire ad altitudinem uſque ſuæ originis. Seneca Epiſt. XCII, *Nemo improbè eo conatur aſcendere unde deſcenderat*. Spectat huc myſticè locus Cantici IV, 15.

Κύριε, *Domine*] Sic ignotos quoque Hebræi honoris causâ compellabant. Vide infrà XX, 15.

15. ἵνα μὴ διψῶ, μηδὲ ἔρχωμαι ἐνθάδε ἀντλεῖν. *ut non ſitiam neque veniam huc haurire*] Inopiam ſuam tacitè oſtendit, quæ cogat ſubire laborem quo levari mallet.

16. φώνησον τὸν ἄνδρα σου, καὶ ἐλθὲ ἐνθάδε. *voca virum tuum, & veni huc*] Non ſatis decorum eſt nuptæ beneficium conferre, marito inconſcio.

18. Πέντε γὰρ ἄνδρας ἔσχες· *quinque enim viros habuiſti*] A quibus te divortio contra legem Moſis liberaſti. Nam ea lex marito permittebat uxorem dimittere, non autem uxori diſcedere à marito; quod tamen poſteriorum temporum mos introduxerat, ut apud Ioſephum videre eſt, qui notat exemplum primum unde is mos cœperit.

οὐκ ἔστι σου ἀνήρ· *non eſt tuus vir*] Secundùm legem:

—— οὐ γνήσιός ἐστιν ἀκοίτης,
---- [*Non eſt tibi jure maritus*,]

Nonnus. Nimirum, ut ego accipio, quia alii viro obligata adhuc tenebatur, non accepto libello dimiſſionis. Samaritæ ſi qui à Iacobo orti erant ipſo naſcendi jure Lege Moſis tenebantur; cæteri, quia Legem receperant & ſecundùm eam ſe victuros circumciſione erant profeſſi, Gal. V, 3.

19. ὅτι προφήτης εἶ σύ. *quia Propheta es tu*] Prophetarum enim eſt abdita revelare. Ideo ut Prophetam conſulit de agitata diu controverſia, bis oſtendens Dei contemtricem ſe non eſſe, & cùm crimina hæc agnoſcit, & cùm non de rebus levibus ſed de his quæ ad Deum ejusque cultum pertinerent eum conſulit.

20. Οἱ πατέρες ἡμῶν, *Patres noſtri*] Diximus Samaritas pro Hebræis cenſeri voluiſſe. Cùm autem cauſam aliquo modo hîc agat ſuorum, illud πατέρες ἡμῶν [*Patres noſtri*] ad antiquiſſima tempora referam; quomodo id loquendi genus & Archidamus uſurpat in oratione quæ eſt apud Thucydidem ſecundo. De Iſaaco hîc ſacrificato quod ſcribunt multi vanum eſt: id enim factum in Monte Moria Geneſ. XXII, 2. At illud verum, non procul Sicimis altare ab Abrahamo ſtructum aliquantò ante oblationem Iſaaci, Geneſ. XII, 6, 7. Deinde & à Iacobo, Geneſ. XXXIII, 18. Solebant autem illis temporibus altaria ſtrui in locis cœlo proximis: quod & Straboni notatum. Acceſſit quod in illo monte pronuntiatæ erant benedictiones Legis, Deuteron. XI, 29.

ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, *in monte hoc*] Digitis monſtrat montem Garizim, ubi templum Sambelletes ſtruxerat Alexandri Magni temporibus: & quanquam id templum diruerat Hyrcanus, ſacra tamen ibidem eodem more fieri non deſierant. Vocatus is mons & Ἀργάριζος [*Argarizus, id eſt, mons Garizus*] addito הר, in quo *montis* eſt ſignificatio. Sic in Apocalypſi XVI, 16. Ἀρμαγεδδὼν [*Armageddon, id eſt, mons Maggedon*] הר—מגדון. Sic apud Tacitum Annalium XV. *caſtellum Arſamoſata* הר שמשתא *Mons Solis.*

ὅπου δεῖ προσκυνεῖν. *ubi adorare oportet*] Intellige *adorare oblatis victimis aliisque ritibus publicis*, quod uno tantùm in loco, eo nempe quem ſuo tempore deſignaturus eſſet ipſe, fieri Deus voluerat, Deuter. XII, 14, 26. αἵματι ταυρείῳ [*ſanguine taurino*] dixit hîc Nonnus.

21. πίστευσόν μοι, *crede mihi*] Quando me pro Propheta habes, in quo non falleris.

ἔρχεται, *venit*] Præſens pro proximè futuro. Vide Matth. XXVI, 28. Sic infrà commate 25 vertit Syrus: Latini quoque codices antiquiores ibidem, *veniet.*

οὔτε ἐν τῷ ὄρει τούτῳ, οὔτε ἐν Ἱεροσολύμοις προσκυνήσετε, *neque in monte hoc, neque in Hieroſolymis adorabitis*] Nempe, ut dixi, eximio quodam ritu. Philo II Alleg. Legis, ὁ φαῦλος δοκεῖ εἶναι τὸν Θεὸν ἐν τόπῳ μὴ περιέχοντα, ἀλλὰ περιεχόμενον [*qui vitioſus eſt putat Deum eſſe in loco ita ut contineatur, non ut contineat*]. Simul tacitè innuitur imminens utrique locorum vaſtitas.

τῷ πατρί. *Patrem*] Tacitè Novi Fœderis ſuavitatem innuit, cùm Deum *Patrem* vocat, Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6.

22. ὃ οὐκ οἴδατε· *quod neſcitis*] Putant quidam à Samaritis Deum habitum corporeum: ſed hoc illis commune cum Iudæis non paucis. Alii, Deum Iſraëlis habitum pro Deo non univerſi, ſed unius regionis: ita enim olim exiſtimaſſe cenſentur qui primi Aſſyriorum ibi habitaverunt, ſed, ut credibile, nondum Lege ſuſcepta, II Reg. XVII. Credibilius mihi videtur, ſicut *vidiſſe Deum* Filius dicitur quòd arcana ejus noverit, ſuprà I, 18. ita *noviſſe Deum* dici Iudæos, quia voluntatem ejus ubi & quomodo coli vellet non ex Lege tantùm cognoverant ſed & ex Prophetis, quos Samaritæ rejiciebant. Prophetarum autem monitu Templum Hieroſolymis ſtruere propoſuerat David, ſtruxit Solomo.

ἡμεῖς προσκυνοῦμεν, *nos adoramus*] Iudæis ſe accenſet: nam jam oſtenderat mulier ſe eum pro Iudæo habere.

ὃ οἴδαμεν· *quod ſcimus*] Cognitâ, ut diximus, per Prophetas ipſius voluntate.

ἡ σωτηρία ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐστίν. *ſalus ex Iudæis eſt*] Ibi poſt ſtructum Templum perpetua manſit Sacerdotum ſucceſſio; quod urgent Iudæi adverſus Samaritas in hac ipſa controverſia: Ioſeph. Antiq. XIII, 16. Illud Templum præſentiâ ſuâ honeſtarunt Prophetæ. Quibus ſignis oſtendit Deus cognitionem voluntatis ſuæ indidem non à Garizitanis petendam: ac propterea etiam in eo Templo à Chriſto & Apoſtolis prædicari voluit Euangelicum dogma, juxta id quod prædictum erat per Malachiam III, 1.

23. Ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, *ſed venit hora & nunc eſt*] Νῦν [*Nunc*] ſignificat tempus de proximo imminens: quaſi dicat, *erit, imò jamjam erit.* Eadem locutio infrà V, 25. ἀλλὰ [*ſed*] refer ad id quod præceſſit de adoratione neutri templo adſtringenda.

οἱ ἀληθινοὶ προσκυνηταί, *veri adoratores*] Ἀληθινοὶ hîc ſunt *eximii*, Deo ante alios grati: diximus ſuprà I, 9.

ἐν πνεύματι, *in ſpiritu*] *Purâ mente*, ut eſt in Latino verſu; quod *compoſitum jus faſque animi* dixit Perſius. Hierocles, Τιμήσεις τὸν Θεὸν ἄριστα, ἐὰν τῷ Θεῷ τὴν διάνοιαν ὁμοιώσῃς [*Optimè Deum honorabis, ſi Deo mente ſis ſimilis*]. Mox, Τὸ δὲ ἔνθεον φρόνημα διαρκῶς ἡδρασμένον συνάπτει Θεῷ· χωρεῖν γὰρ ἀνάγκη τὸ ὅμοιον πρὸς τὸ ὅμοιον· ὅθεν καὶ μόνος ἱερεὺς ὁ σοφὸς λέγεται, μόνος θεοφιλὴς, μόνος εἰδὼς εὔξασθαι· μόνος γὰρ οἶδε τιμᾶν ὁ τὴν ἀξίαν μὴ συγχέων τῶν τιμωμένων, καὶ ὁ προηγουμένως ἱερεῖον ἑαυτὸν προσάγων, καὶ ἄγαλμα θεῖον τεκταίνων τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν, καὶ ναὸν εἰς ὑποδοχὴν τοῦ θείου φωτὸς τὸν ἑαυτοῦ παρασκευάζων νοῦν· τί γὰρ τοιοῦτον προτάξεις ἀπὸ τῶν ἐν μέσῳ κειμένων ὑλῶν, ὃ τῷ Θεῷ προσφυὲς ἄγαλμα ἐργάσῃ, ἢ δῶρον αὐτῷ ἐνοῦσθαι δυνάμενον, ἃ δὴ ἐπὶ τῆς λογικῆς οὐσίας καθαρθείσης συμβαίνειν ἀνάγκη; ὡς γὰρ οἱ αὐτοὶ ἄνδρες φασὶ, ψυχῆς καθαρᾶς τόπον οἰκειότερον ἐπὶ γῆς Θεὸς οὐκ ἔχει [*Pium autem propoſitum, ſolidè fundatum, Deo ſociat, neceſſe enim ut quod ſimile eſt ad ſibi ſimile vadat; unde & ſolus ſapiens Sacerdos dicitur, ſolus Dei amans, ſolus precandi ſciens. Is enim ſolus rectè honorare novit qui rerum quas honorat dignitatem non confundit, & qui ſe præcipuè offert victimam, & animam ſuam fabricat in ſimulacrum Dei, & mentem ſuam in id parat ut templum fiat ad Divinam lucem recipiendam. Quid enim tale proponis ex vulgaribus illis materiis quod facere poſſes agnatum Deo ſimulacrum, aut donum quod Deo adunari poſſit, quæ neceſſe eſt evenire animæ rectè purgatæ? Vt enim dicunt viri illi, de quibus dicere cœperam, Deus in terra locum nullum magis ſibi proprium habet animo bene purificato*]. Clemens Alexandrinus libro VII, Θεράποντες ἄρα καὶ θεραπευταὶ τοῦ Θεοῦ, οἱ ἐλευθεριωτάτην καὶ βασιλικωτάτην θεραπείαν προσάγοντες τὴν διὰ τῆς θεοσεβοῦς γνώμης τε καὶ γνώσεως [*Famuli ergo & cultores Dei, qui maximè munificum maximeque regalem adferunt cultum per pium propoſitum atque cognitionem*]. Vide Rom. I, 9. II, 29. II Cor. III, 6.

καὶ ἀληθείᾳ· *& veritate*] Non in figuris, ſed rebus ſolidis, quales ſunt Preces, Gratiarum actiones, Martyria, opera Beneficentiæ. Nam *veritatis* vocem ſic ſumi oſtendimus I, 17. Non longè hinc abit Philonis illud de Deo, libro Pejores inſidiari melioribus, ὃς γνησίους μὲν θεραπείας ἀσπάζεται· γνήσιοι δ' εἰσὶν αἱ ψυχῆς ψιλὴν καὶ μόνην θυσίαν φερούσης ἀλήθειαν [*Qui ſinceros amat cultus; ſinceri autem illi quos peragit anima ſolam nudamque adferens victimam ipſam veritatem*]. Ritus illi Iudaïci ſuam quidem habuerunt utilitatem ad avertendum populum ab extraneo cultu, ſimulque ad præparandos animos ad majora; ſed poſtquam in illis præcipua pars pietatis collocari cœperat, evellendi jam erant ut veræ frugi obſtans lolium. Factum autem hoc primùm quidem publicatione Chriſtianæ libertatis (quod *tempus correctionis* dicitur Hebr. IX, 10.)

deinde etiam deſtructione Templi & Garizitani & Hieroſolymitani.

τοιούτους ζητεῖ, *tales quærit*] *Tales ſummè amat ac deſiderat*, ἀσπάζεται [*amplectitur*], ut dixit Philo.

24. Πνεῦμα ὁ Θεός· *Spiritus eſt Deus*] *Mens*, ut Cicero inquit, *ſoluta & libera, ſegregata ab omni concretione mortali. Deus eſt animus*, ut in Latino carmine. Similia ſimilibus gaudent: quare corporeo cultu nec per ſe nec præcipuè delectatur.

ἐν πνεύματι καὶ ἀληθείᾳ δεῖ προσκυνεῖν. *in Spiritu & veritate oportet adorare*] Sublatis ut ritibus ita & locorum diſcrimine. Menander,

----- Πάντ᾽ ἐστὶ τῷ καλῷ λόγῳ
Ἱερόν· ὁ νοῦς γάρ ἐστιν ὁ λαλήσων Θεῷ.
----- [*Ad bona verba omnis locus*
Pro Templo eſt: mens eſt quippe quæ loquitur Deo].

Clemens dicto loco, πᾶς οὖν καὶ τόπος ἱερὸς τῷ ὄντι, ἐν ᾧ τὴν ἐπίνοιαν τοῦ Θεοῦ λαμβάνομεν [*omnis locus revera ſacer, in quo de Deo cogitationem ſuſcipimus*]. Cicero De natura Deorum II, *Cultus autem Deorum eſt optimus idemque caſtiſſimus atque ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietatis, ut eos ſemper purâ, integrâ, incorruptâ & mente & voce veneremur.* Idem De legibus II, *Caſtè jubet lex adire ad Deos, animo videlicet in quo ſunt omnia.* Seneca à Lactantio citatus, *Vultis vos Deum cogitare magnum & placidum & Majeſtate leni verendum? amicum, & ſemper in proximo? non immolationibus & ſanguine multo colendum (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas eſt?) ſed mente bona, puro honeſtoque propoſito? Non templa illi congeſtis in altitudinem ſaxis ſtruenda ſunt: in ſuo cuique conſecrandus eſt pectore.* Sic oſtendit non eſſe quòd mulier ſe de veteri illa controverſia torqueat, cùm brevi ceſſaturum ſit omnino id privilegium de quo certabatur.

25. ὅτι Μεσσίας ἔρχεται, *quia Meſſias venit*] Siloh ille Iacobo prædicatus; cujus tempus jam inſtare ex communi fama acceperat.

ὁ λεγόμενος Χριστός· *qui dicitur Chriſtus*] Parentheſis Euangeliſtæ, ut ſuprà 9.

ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα. *nobis annuntiabit omnia*] Nondum nata tunc erat opinio quam in noſtri odium poſteriores Iudæi confinxerunt, Meſſiam non fore Prophetam. Simile eſt quod hodie de Elia dicunt Iudæi, *Elias veniet & revelabit omnia.* Sic & Aſmonæorum temporibus controverſiæ in adventum Prophetæ rejiciebantur, I Maccab. IV, 46. XIV, 41, πάντα [*omnia*] intellige *quæ ſcire expetimus.*

26. Ἐγώ εἰμι, *Ego ſum*] Id eſt, *ego is ſum*, ut infrà XVIII, 5. Magnum præmium ſimplicitati mulieris redditur, quod ei primùm Ieſus dignitatem ſuam cognitam facit.

27. Καὶ ἐπὶ τούτῳ, *Et continuò*] *Dum loquitur Ieſus*, ut Syrus interpretatur.

οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ, *diſcipuli ejus*] Vide ſuprà 8.

ἐθαύμασαν ὅτι μετὰ γυναικὸς ἐλάλει· *mirabantur quia cum muliere loquebatur*] Nam præter morem id erat & Hebræorum & Ieſu: nec conjicere poterant ſermonis materiam, cùm Ieſus nihil niſi cœleſtia ſolitus eſſet loqui, quorum diſcendorum avidam eſſe Samaritidem credere non poterant.

οὐδεὶς μέντοι εἶπε· *nemo tamen dixit*] Reverentia vetabat eſſe curioſos.

Τί ζητεῖς; *quid quæris*]? *Quid ab ea poſcis?* cibum an potum?

28. Ἀφῆκεν οὖν τὴν ὑδρίαν, *reliquit ergo hydriam*] Vide ſuprà 7. Oſtenditur animus accenſus rerum Divinarum ſtudio ita ut idipſum obliviſceretur ob quod venerat. Sic notantur Diſcipuli Ieſum ſecuti omiſſis retibus, Matth. IV, 20.

τοῖς ἀνθρώποις· *illis hominibus*] Id eſt, τοῖς ἐκεῖ [*hominibus loci illius*].

29. πάντα ὅσα ἐποίησα· *omnia quæcunque feci*] Vitæ meæ ſeriem quam ſcire humanitus non potuit.

31. ἠρώτων, *rogabant*] Ἐρωτᾷν pro *rogare* paſſim ſumit, ut IV, 40, 47. XVI, 19. Notavimus ad Luc. IV, 38. Chryſoſtomus, τὸ ἠρώτων ἐνταῦθα παρεκάλουν ἐστὶ τῇ ἐγχωρίῳ αὐτῶν φωνῇ [*rogarunt hîc eſt hartati ſunt more loquendi in illis partibus*]. Attulerant Diſcipuli ex urbe prandium; itaque invitant ut veſcatur, non dubitantes quin ex multo itinere famem contraxiſſet.

32. Ἐγὼ βρῶσιν ἔχω φαγεῖν, *Ego cibum habeo manducare*] Dat Chriſtus exemplum ſuis ut ſemper ſpiritualia temporalibus anteferant. Confer hiſtoriam Samuelis I Sam. XVI, 11. Ideo quamvis eſuriens differt prandium ob oblatam occaſionem docendi Sicimitas. ἔχω φαγεῖν *edendum habeo*, ut ἔχοντα λαλῆσαι *qui habebat quid dicendum*, Actor. XXIII, 18, & ἔχω λέγειν [*habeo dicere ſive dicenda*] infrà XVI, 12. Alioqui ἔχω καταφαγεῖν [*habeo edere*] apud Iſocratem eſt *habeo quod edam*. Mos autem eſt Hebræis βρῶσιν [*cibum*] vocare *id quo deſiderium animi expletur*, ſicut & Latini dicunt *paſtum animorum*. Vide Pſalm. XIX, 11.

οὐκ οἴδατε. *vos neſcitis*] *Non conſideratis, non attenditis.*

33. Μήτις, *numquid aliquis*] An quis ex urbe nobis inſciis? Hoc ideo dicunt quia mirantur differri prandium.

34. τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με, *voluntatem ejus qui miſit me*] *Mandatum mihi injunctum.* Sic infrà V, 30. VI, 38, 39, 40.

τελειώσω αὐτοῦ τὸ ἔργον, *perficiam opus ejus*] Opus vocandi peccatores ad pœnitentiam: quò mandatum tendit infrà XVII, 4.

35. Οὐχ ὑμεῖς λέγετε, *Nonne vos dicitis*] Soliti eſtis laborem ſationis hac ſpe ſolari. Id oſtendit membrum oppoſitum infrà 37. Simile eſt illud, ὀψίας γενομένης, λέγετε, εὐδία [*facto veſpere dicitis: ſerenum*], & quæ ſequuntur Matth. XVI, 2. ubi ſimiliter à locutione de rebus temporalibus ad majora aſcenditur.

ἔτι τετράμηνόν ἐστι, *adhuc quatuor menſes ſunt*] Hebraïſmus eſt pro *Poſt quatuor menſes inſtat meſſis.* Sic Ionæ III, 4. At manuſcriptus vetus ſine ἔτι [*adhuc*] habet τετράμηνόν ἐστι [*quatuor menſes ſunt*], fortè à Calendis Niſan quod anni initium.

ἐπάρατε τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑμῶν, *levate oculos veſtros*] Mentis oculos.

θεάσασθε τὰς χώρας, *videte regiones*] Quàm latè poteſtis aciem animi extendere. Vocatio enim non Iudæorum tantùm & Samaritanorum, ſed & Gentium innuitur.

λευκαί εἰσι πρὸς θερισμὸν ἤδη, *albæ ſunt jam ad meſſem*] Quod *flaveſcere* dicunt Latini. Sicut à cibo corporis ad cibum animi, ita à meſſe temporali ad ſpiritualem tranſit. Similis translatio Matth. IX,37. Indicat autem ingenia multa eſſe docilia.

36. ὁ θερίζων μισθὸν λαμβάνει, *qui metit mercedem accipit*] Solutio operarum ab agricolis poſt meſſem differtur.

συνάγει καρπὸν εἰς ζωὴν αἰώνιον· *congregat fructum in vitam æternam*] Quos metit, eos infert Regno cœleſti, tanquam horreo.

ἵνα καὶ ὁ σπείρων ὁμοῦ χαίρῃ, καὶ ὁ θερίζων. *ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit*] Vt ſanctorum Veteris ac Novi Federis una ſit gloria, Hebr. XI,40. ἵνα [*ut*] hîc eſt ἐκβατικόν [*eventuale*]. Huc myſticè pertinet locus Amoſi IX, 13.

37. ὁ λόγος ἐστὶν ἀληθινὸς, *eſt verbum verum*] Id eſt, Dictum illud vetus hîc locum habet.

ἄλλος ἐστὶν ὁ σπείρων, καὶ ἄλλος ὁ θερίζων. *alius eſt qui ſeminat, & alius eſt qui metit*] Proverbium quod & apud Græcos obtinuiſſe notatum eſt,

Ἄλλοι μὲν σπείρουσ', ἄλλοι δ' αὖ ἀμήσονται.
[*Alter ſementem fecit, quam demetet alter*]

Et Equitibus Ariſtophanis,

Τ'ἀλλότριον ἀμῶν θέρος.
[*Sementem alienam metens*].

Cui ſimile, *Aliis leporem excitaſti.* Et illa,

Sic vos non vobis. ——

38. ἀπέστειλα ὑμᾶς, *miſi vos*] Id eſt, *deſtinavi mittere.* ſic Matth. x, 5, 16.

ἄλλοι κεκοπιάκασι, *alii laboraverunt*] Subactum eſt arvum à Prophetis, qui non tantùm in Iudæa ſed & per diſperſiones varias apud Gentes voce ac ſcriptis homines ad unius Dei cultum excitarant; quod ſemen eſt Euangelicæ frugis. Sic κοπιᾶν [*laborare*] ſumitur II Tim. II, 6.

εἰς τὸν κόπον αὐτῶν εἰσεληλύθατε. *vos in labores eorum introiſtis*] Id eſt, *in arvum ab ipſis laboratum:* quomodo apud Poëtam,

—— *Sata læta boumque labores.*

Sic κόπος [*labor*] ſumi videtur II Corinth. x, 15.

39. πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτὸν, *multi crediderunt in eum*] Oſtendunt ſequentia intelligendum hoc de Sicimitis antequam exiiſſent urbe. Ecce complementum ejus quod de Meſſia dictum erat.

μαρτυρούσης, ὅτι εἶπέ μοι, *teſtimonium perhibentis: quia dixit mihi*] Mulieri credebant ut quæ ſibi non parceret: & arcana noſſe Divinum eſſe aliquid rectè judicabant. Eſt autem hîc, ut ſæpe, directa oratio pro indirecta. Nam Latinè diceremus, *ob ſermonem mulieris teſtantis ſua facta ſibi ab Ieſu indicata.*

40. ἠρώτων, *rogaverunt*] Sic ſuprà 31.

μεῖναι παρ' αὐτοῖς· *ut maneret cum eis*] *Vt apud ſe diverteret*, ut ſuprà I, 39.

καὶ ἔμεινεν ἐκεῖ δύο ἡμέρας. *& manſit ibi duos dies*] Non plus biduo illis indulſit, ut rem temperaret, ne aut Samaritas diſcendi avidos contemneret, aut Iudæis præferre videretur. Diſcipulis antehac vetuerat morari in Samaritanis oppidis ſed ad tempus. Ipſe nullâ lege eos adire vetabatur.

41. διὰ τὸν λόγον αὐτοῦ. *propter ſermonem ejus*] Sine miraculis, quod magnam in Samaritis docilitatem monſtrat: præſagium ejus quod à Gentibus erat exſpectandum.

42. οὐκ ἔτι διὰ τὴν σὴν λαλιὰν, *jam non propter tuam loquelam*] Intellige *non tam*, loquendi genere & in aliis & in his maximè Scriptoribus uſitato. Et nota argumentum fidei. Quod modò λόγον [*verbum*] dixerat nunc λαλιὰν [*loquelam*] vocat. Alibi eſt *proprietas quædam loquentis*, ut infrà VIII, 43. Matth. XXVI, 73. Marc. XIV, 70. Sic משמע [*auditio*] Eſaiæ XI, 3. vertitur λαλιά [*loquela*]. Sic & Pſalm. XIX, 3. λαλιὰ pro Hebræo אמר, ubi Latinè *loquela* ut hîc. Pro Hebræo דבר [*verbum*] reperitur Iob. XXXIII, 1. Eccleſ. III, 18. VII, 15. Cant. IV, 3. Vide & Marc. XV, 12. Notarunt veteres in hac Samaritide Eccleſiæ eſſe figuram, quæ nos adducit ad Verbum Divinum; nos Verbo, maximè propter ipſius Verbi majeſtatem & ſanctitatem, credimus. Confer I Reg. x, 6, 7.

ἀληθῶς ἐστιν, *eſt verè*] Sicut tu eum de ſe prædicaſſe nobis memoraſti, Hoc enim tacitè ſubintelligendum eſt, quanquam non narratur. Quis enim credat hoc reticuiſſe feminam? Et notandum tenuitate cultûs non offendi Samaritas.

ὁ σωτὴρ τοῦ κόσμου, *Salvator mundi*] Sic I Ioh. IV, 14. Paulo dicitur σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων [*Salvator omnium hominum*], I Timoth. IV, 10. Vnde hoc ſciebant Samaritæ? Quia de Siloh, id eſt, Meſſia Iacob dixerat *ad eum concurſuras gentes*, Geneſ. XLIX, 10.

43. εἰς τὴν Γαλιλαίαν. *in Galilæam*] Id eſt, in agrum Galilææ, non in oppida. Sicut vox Ἰουδαία [*Iudæa*] ſumitur ſuprà III, 22. Cùm autem ſuprà dictum ſit, domicilium Ieſu fuiſſe Nazarethi, ratio reddenda fuit cur non rectà ex Samaritana regione Nazarethum petierit.

44. Αὐτὸς γὰρ Ἰησοῦς ἐμαρτύρησεν, *Ipſe enim Ieſus teſtimonium perhibuit*] Quaſi dicat, ideo Nazarethum non iit quòd ibi ſe contemni ſciret ob memoriam humilis educationis, ſicut ipſe interdum prædicare ſolebat. Illud enim ἐμαρτύρησε [*teſtimonium perhibuit*] non habet certi temporis notam: itaque nihil obſtat quò minùs id pòſt aliquantò Chriſtus dixerit, eo nempe tempore cujus narratio eſt apud Matthæum XIII, 57. & Marci VI, 4. ubi notata vide. Planè non probo quòd *patriam* hîc quidam intelligunt eam regionem in qua Bethlehemum erat; nam id nondum innotuerat: ita ut ibi ob familiaritatem aut educationem contemni non poſſet.

45. ἐδέξαντο, *exceperunt*] *Hoſpitaliter acceperunt.* Neque enim tantum illis teſtimonium redditur quantum Samaritis.

οἱ Γαλιλαῖοι, *Galilæi*] Ii qui agrum & vicos habitabant.

πάντα ἑωρακότες, *cum omnia vidiſſent*] Tardiores Samaritis, qui nullis conſpectis miraculis fidem ei adhibuerant.

ἃ ἐποίησεν ἐν Ἱεροσολύμοις, *quæ fecerat Hieroſolymis*] Suprà II, 23. III, 2.

ἦλθον εἰς τὴν ἑορτήν. *venerant ad diem feſtum*] Vt Lex præcipiebat.

46. Ἦλθεν οὖν, *Venit ergo*] Cùm ex agro in oppidum recipere ſe vellet, ne tum quidem Nazarethum ſe recepit, ſed Canam.

τὶς βασιλικὸς, *quidam regius*] Hæc lectio non tantùm meliorum codicum fide nititur, ſed & Syri &

Arabis auctoritate: Syro eſt עבר מלכא *miniſter Regis*, Arabi انسن ملكي *homo Regis*. Apud Plutarchum in Catone: Μαρφαδάτῃ τῶν βασιλικῶν [*Marphadati qui ex regiis erat miniſtris*]. Eſdr. VIII, 67, legitur τοῖς βασιλικοῖς οἰκονόμοις [*regiis diſpenſatoribus*]. Puto hunc Herodis Tetrarchæ (quem Galilæi honoris causâ *Regem* appellabant Matthæi XIV, 9. Marci VI, 14.) vectigalibus colligendis fuiſſe præpoſitum: Ex quo edoctus deinde Centurio Romanus in eodem agens oppido egregiam de Ieſu opinionem conceperit.

ἐν Καπερναούμ. *in Capharnaum*] Sive hoc ad patrem ſive ad filium referas, ſive ad utrumque, omnino tenendum eſt hunc regium miniſtrum non in Cana ſed Capernaumi habitaſſe, unde mox ipſi famuli occurrunt.

47. εἰς τὴν Γαλιλαίαν, *in Galilæam*] Fama enim Chriſtum in eos fines adventantem præcurrebat.

ἵνα καταβῇ, *ut deſcenderet*] Dicitur Hebræis *deſcendere* etiam qui it in locum ſuperiorem, Iudic, XV, 11. Sed hic non tam urbis quàm regionis ſitum reſpici puto. Erat enim Capernaumum propiùs flumen.

ἰάσηται αὐτοῦ τὸν υἱόν· *ſanaret filium ejus*] Αὐτοῦ [*ejus*] non αὐτὸν [*eum*] legerunt omnes veteres Interpretes; quare id rectius. Aliquid de Ieſu boni ſuſpicabatur, quaſi præſens præſentem ſanare poſſet. Confer II Reg. V, 11. Et nota quantò major Centurionis alienigenæ fides fuerit, Matth. VIII, 8.

ἤμελλε γὰρ ἀποθνήσκειν. *incipiebat enim mori*] *Proximus erat morti*, ut vertit Syrus. Sic in tragœdia,

Εἰ γάρ σ' ἔμελλεν, ὡς σὺ φῄς, κτείνειν πόσις.
[*Necare te ſi vellet, ut ais, vir tuus*].

Si probabile erat futurum ut te occideret: ἀπέθνησκεν [*moriebatur*] pro eodem dixit Lucas VIII, 42. Alioqui poſſet & ſumi pro *Videbatur mori*, quomodo μέλλειν apud Homerum poni notant Scholiaſtæ.

48. Ἐὰν μὴ σημεῖα καὶ τέρατα ἴδητε, οὐ μὴ πιστεύσητε. *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis*] Vos, inquit, Iudæi tam duri eſtis ut quamvis ſanctiſſima prædicanti, quamvis teſtimonium habenti à Iohanne Baptiſta, non credatis niſi conſpectis ſanationibus & portentis. Videtur enim τέρας [*prodigium*] hic plus eſſe quàm σημεῖον [*ſignum*], ut & Matth. XXIV, 24. Rom. XV, 29. II Corinth. XII, 12. II Theſſ. II, 9. Hebr. II, 4. quanquam alibi vocum ordo invertitur. Confer quæ diximus ſuprà II, 18. & huic Iudæorum duritiæ facilitatem Samaritanorum oppone. Nota item hunc ipſum Regis miniſtrum dici *non credere* quia non ſatis credebat: & vitium ejus notari, qui miraculum exigeret ſui temporalis boni, non probandi dogmatis causâ.

49. κατάβηθι πρὶν ἀποθανεῖν, *deſcende priusquam moriatur*] Adhuc & ſuum tantùm curat, & tenuiter de Ieſu ſentit, quaſi abſens prodeſſe non poſſit: multò minùs ſuſpicatur mortuum poſſe reſuſcitari, quæ robuſtiſſima eſt fides, Hebr. XI, 19.

* 50. Πορεύου, *Vade*] Quod Iudæi dicunt, *Vade in pace*, hoc eſt, Bono animo eſto. Vide Luc. VII, 50.

ζῇ. *vivit*] *Valet*, locutione Hebræis uſitatiſſimâ. Sic infra 52. Ioſ. V, 8.

ἐπίστευσεν ὁ ἄνθρωπος τῷ λόγῳ, *credidit homo ſermoni*] Secundus hîc gradus credulitatis elucet: credit vera dicere Ieſum: virtute ejus valetudinem filio redditam aut nondum credit, aut dubitat.

51. ἀπήντησαν αὐτῷ, *occurrerunt ei*] In itinere Canâ Capernaumum.

52. τὴν ὥραν, *horam*] Vt intelligeret an congrueret in id tempus quo Chriſtus ipſum bene animatum eſſe juſſerat.

κομψότερον ἔσχε· *melius habuerit*] *Meliusculè ſe habuit:* ἐλαφρότερον exponunt Lexicographi.

ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός. *reliquit eum febris*] Non paulatim revaluit, ſed ſubitò eum reliquit febris.

53. ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ, *quia in ea hora*] Supple, *id factum eſt:* ac proinde non ſcientiam tantùm ejus ſed & potentiam agnoſcit.

ἐπίστευσεν αὐτὸς, *credidit ipſe*] Tertius gradus fidei, qua videtur Ieſum jam planè pro Meſſia habuiſſe & profeſſum ſe ejus diſcipulum.

καὶ ἡ οἰκία αὐτοῦ ὅλη. *& domus ejus tota*] Quotquot erant rationis uſum habẽtes. Similia exempla familiæ, patre ipſo familias præeunte, converſæ videre eſt Actor. XVI, 14, 15, 34. XVIII, 8.

54. Τοῦτο πάλιν δεύτερον, *Hoc iterum ſecundum*] Refer ad id quod ſequitur ἐλθὼν ἐκ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Γαλιλαίαν [*cum veniſſet à Iudæa in Galilæam*]. nam Hieroſolymis plura fecerat. Videtur autem hoc addere Iohannes, ut ſignificet hæc prima eſſe ſigna facta in regione Galilæa, ac proinde priora iis quæ à Matthæo IV, 23, & aliis narrantur.

CAPVT V.

1. Ἑορτὴ τῶν Ἰουδαίων, *Dies feſtus Iudæorum*] Diſputant hîc Scriptores, quis hic dies feſtus fuerit; & tempora ſupputant conjecturis mirum quàm incertis. Si auctores ſequimur, vetuſtiſſimus eſt Irenæus, qui lib. II, cap. 39. Paſchale hoc feſtum ait. Si loquendi morem attendimus ſanè Paſcha hoc nomine deſignatum oſtendimus Matth. XXVI, 5. Nec movere nos debet quòd hîc articulus non eſt additus nomini ἑορτῆς [*feſtæ diei*]. nam planè eodem modo ἑορτὴ ſine articulo Paſcha ſignificans reperitur Marci XV, 6. Lucæ XXIII, 17.

τῶν Ἰουδαίων, *Iudæorum*] Sic ſuprà II, 13. πάσχα τῶν Ἰουδαίων [*Paſcha Iudæorum*], &c.

2. ἐπὶ τῇ προβατικῇ, *ad probaticam ſive victimalem*] Ἐπὶ ut על Hebræum, pro *apud:* ἐπὶ Πριάμοιο θύρῃσι [*apud Priameïa tecta*] *apud* Homerum *ad fores Priami:* ἐπὶ ποταμῷ [*apud amnem*] Thucydides dixit pro παρὰ ποταμῷ. Subaudiendum autem hîc πύλῃ [*portam*], quod expreſſum legitur Neh. III, 1. XII, 38. Hâc victimæ in Vrbem ducebantur. *Varro dicit ſemper lacum portis additum ſcilicet ob uſum jumentorum exeuntium & introëuntium.* Ita Donatus ad Adelphos IV. 2.

κολυμβήθρα, *piſcina*] *Lavacrum. Piſcina* dicitur καταχρηστικῶς [*per abuſionem*]. *Conceptelam* interpretatur Frontinus. Videntur in hoc & aliis quibusdam vicinis ſtagnis ablui ſolitæ pecudes antequam ad Templum ducerentur, ut à compluribus notatum eſt.

Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, *Hebraicè dicitur Bethesda*] Non eſt dubium quin verum nomen Syrus expreſſerit בית חסדא [*Bethcheſda*]. Idem nomen ſed ſenſu expreſſo reddit Arabs بيت الرحمة *domus Gratiæ*. Omnem locum בית, id eſt, *domum*, vocare Hebræi ſolent : χάριτος [*Gratiæ*] autem ideo vocabatur quòd ægroti hîc ſanarentur Divino beneficio. Gutturales à Græcis omitti ſolent : atque ita Βηθεσδὰ [*Betheſda*] hîc eſt בית־חסדה [*Bethcheſda, domus miſericordiæ*], quomodo בן־חסד [*Bencheſed, filius benignitatis*] 1 Reg. IV, 10. in Græco Βενεσέδ [*Beneſed*].

πέντε στοὰς ἔχουσα. 3. Ἐν ταύταις κατέκειτο πλῆθος πολὺ τῶν ἀσθενούντων, *quinque porticus habens. In his jacebat multitudo magna languentium*] Vt ſolebat fieri in Medicorum ædibus. In veteri tragœdia Latina, *Æſculapî liberorum ſaucii opplent porticus.* Ἀσθένεια [*infirmitas*] autem & ἀσθενεῖν [*languere*] de quovis morbo in his libris dicitur, ut Matthæi VIII, 17. Lucæ XIII, 11, 12. Matthæi X, 8. Marci VI, 56.

ξηρῶν, *aridorum*] Ξηρὸν [*aridum*] dicitur quod ab influxu vitali eſt deſtitutum, ut ramus qui exaruit. Matth. XII, 10. Luc. VI, 6. Vide & 1 Reg. XIII, 4. Hîc ergo ξηροὶ [*aridi*], quibus pars aliqua motu defecta.

4. Ἄγγελος γὰρ, *Angelus enim*] Non quòd videretur, ſed quòd perſuaſum eſſet Iudæis talia à Deo non niſi per Angelos agi. Itaque ex motu aquæ, præſentia Angeli intelligebatur, ut ex terræ motu Matth. XXVIII, 2.

κατὰ καιρὸν, *ſecundùm tempus*] Certo tempore circa Paſcha, ut veteres crediderunt. Videtur autem circa id tempus non ſemel tantùm ſed ſæpius aqua moveri ſolita.

κατέβαινεν ἐν τῇ κολυμβήθρᾳ, *deſcendebat in piſcina*] Id eſt, εἰς τὴν κολυμβήθραν [*in piſcinam*]. Solet autem illud καταβαίνειν [*deſcendere*] de Angelis dici, ut Matth. XXVIII, 2. Apocal. X, 1. At manuſcriptus vetus ille pro κατέβαινεν [*deſcendit*] habet ἐλούετο [*lavabatur*], quod non improbo: ſolent enim Angelis aptari ea quæ hominum ſunt.

ἐτάρασσε τὸ ὕδωρ· *movebat aquam*] Multa concurrebant, ne naturalis per aquam medicatio crederetur. Primùm ſtato tempore fiebat : deinde ſanabantur omnia morborum genera : poſtremò commota priùs aqua, cùm alioqui ad remedia quæratur ea quæ tranquilla eſt. ἐτάρασσε [*movebat ſive conturbabat*] eſt דלח Ezech. XXXII, 2.

5. τριάκοντα ὀκτὼ ἔτη ἔχων, *triginta & octo annos habens*] Augetur admiratio ex pertinacia morbi, Lucæ VIII, 43.

ἐν τῇ ἀσθενείᾳ. *in infirmitate*] Κακῶς ἔχων [*malè ſe habens*], ut vulgò dicitur & Matth. XIV, 35.

6. κατακείμενον, *Iacentem*] quòd ſe movere nequiret.

πολὺν ἤδη χρόνον ἔχει, *jam multum tempus haberet*] Supple τοῦ ἀσθενήματος [*infirmitatis*].

7. Κύριε, ἄνθρωπον οὐκ ἔχω, *Domine, hominem non habeo*] Tacitè plus reſpondet, quàm ſi expreſsè reſpondiſſet: quaſi dicat, *imo* hoc unicum ago ut ſaner, ſed neminem invenio qui mei miſereatur. Verecundè Ieſu opem implorat. Ἄνθρωπον οὐκ ἔχω [*hominem non habeo*] Hebraïſmus eſt, pro *Neminem habeo.* Ad morbum accedebat inopia, ut nec comitem comparare ſibi poſſet. Sacerdotes & Phariſæi non tangebantur ejus miſeriâ.

ἐν ᾧ δὲ, *quô verò*] *Simul ac* : ſubauditur χρόνῳ [*tempore*].

8. ἔγειραι, *ſurge*] Oſtendit hîc Ieſus quicquid ab Angelo exſpectatur, à ſe præſtari poſſe. Non exigit hîc, ut aliàs, fidem Chriſtus, quia hic nihil operum ipſius viderat, nihil audiverat. Non vult metere ubi non ſevit. Vide infrà 12.

ἆρον τὸ κράββατόν σου, *tolle grabatum tuum*] Sic Matth. IX, 6. Mos erat Chriſti ut peracto miraculo aliquid teſtimonii cauſâ imperaret : idem hîc fecit. Hoc autem teſtimonio Divinæ potentiæ Sabbatum ſanctificabatur, non profanabatur. Quantò enim hoc illuſtrius, quàm puerum circumcidere, aut victimas jugulare, quod Sabbato licebat? Alioqui ἀχθοφορεῖν [*ferre onera*] eſt inter prohibita Sabbato, ut Philo notat De Coloniis. Vide & Ierem. XVII, 21. & Origenem περὶ ἀρχῶν [*De principiis*] libro IV, c. 2. ubi miros recitat Iudæorum ἀκριβασμοὺς [*ſcrupuloſitates miras*] ſuper hoc negotio.

10. Ἰουδαῖοι, *Iudæi*] Ex Primoribus: ut & infrà 15.

οὐκ ἔξεστί σοι ἆραι τὸν κράββατον. *non licet tibi tollere grabatum*] More ſuo cavillantes circa ritus.

11. Ὁ ποιήσας με ὑγιῆ, ἐκεῖνός μοι εἶπεν, *qui me ſanum fecit, ille mihi dixit*] Oſtendit ſe nec Sabbati legem ignorare, nec receptam apud ipſos obtrectatores ſententiam, Ad imperium Prophetæ poſſe violari Sabbatum, exemplo eorum qui ad Ioſuæ imperium Sabbato Hierichuntem oppugnaverunt. Tacitè autem oſtendit ſe Ieſum pro Propheta habere, cum is vi Divina ſanitatem ipſi reddiderit.

12. Τίς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος ὁ εἰπών σοι, Ἆρον τὸ κράββατόν σου, *Quis eſt ille homo qui dixit tibi : Tolle grabatum tuum*] En malitiæ ingenium! Non dicunt, *Quis eſt qui te ſanavit?* ſed, Quis juſſit grabatum tollere? Quærunt non quod mirentur, ſed quod calumnientur.

13. ἐξένευσεν, *declinavit*] *Subduxit ſe*, uti vox hæc uſurpatur in Græca verſione, Iud. XVIII, 26. II Sam. II, 24. XXIII, 16. nec multò aliter Iud. IV, 18. Sed & Euripidi ἐκνεύειν eſt *è malo ſe explicare* : item *de ſententia abire*.

ὄχλου ὄντος ἐν τῷ τόπῳ. *cum turba eſſet in eo loco*] Ratio redditur cur abiret, *quia magnus ibi erat hominum conventus*, quorum plauſum à ſe non captari Ieſus oſtendebat.

14. ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*] Gratias Deo reddentem in loco ſacro, ut mos erat, Lucæ XVIII, 10. Actor. III, 1.

μηκέτι ἁμάρτανε, *noli peccare*] Cave tale aliquid committas quale ante hos XXXVIII annos. Divinitatem ſuam Ieſus oſtendit, cùm ea videret quæ ante ætatem ſuam clàm acciderant. Lex autem inter cætera etiam morbos minabatur transgreſſoribus.

ἵνα μὴ χεῖρόν τι σοὶ γένηται. *ne deterius tibi aliquid contingat*] Veniam conſecuti, qualis hic, non modò tuti non ſunt adverſus novos lapſus, ſed & in ſtatum pejorem recidere poſſunt, & ob acceptum

tum contemtumque beneficium graviùs puniuntur, Matth. XII, 45. II Pet. II, 20.

15. ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ ποιήσας αὐτὸν ὑγιῆ. *quia Ieſus eſſet qui fecit eum ſanum*] Grato animo celebrans beneficii auctorem, cujus nomen ex adſtantibus in Templo didicerat.

16. ἐδίωκον, *perſequebantur*] Vide Matth. v, 10.

οἱ Ἰουδαῖοι, *Iudæi*] Primores.

ἐζήτουν αὐτὸν ἀποκτεῖναι, *quærebant eum occidere*] Calumniam capitalem ei ſtruebant, in tantum paulatim accenſo odio. Hoc ideo hîc in quibusdam libris omiſſum, quia repetitum ex ſequentibus credebatur. Sed habent Syrus & Arabs.

ὅτι ταῦτα ἐποίει ἐν Σαββάτῳ. *quia hæc faciebat in Sabbato*] Vide Matth. XII, 24, & alibi.

17. ἀπεκρίνατο. *reſpondit*] Ad verba factum ſuum accuſantium, quæ ſubticentur, ſed intelligi facilè poſſunt.

ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, *Pater meus uſque modo operatur*] Non ceſſat vi ſua homines aliaque animantia ipſis etiam Sabbatis in vitam educere. Nam Sabbato olim quievit à creatione univerſitatis & generum. Sophocles Oedipode Coloneo,

Τελεῖ τελεῖ Ζεύς τι κατ' ἦμαρ.
[*Nulla dies quâ non quid agit Deus*].

Philo Allegoriis, Παύεται οὐδέποτε ποιῶν ὁ Θεός· ἀλλ' ὥσπερ ἴδιον τὸ καίειν πυρὸς, καὶ χιόνος ψύχειν, οὕτω καὶ Θεοῦ τὸ ποιεῖν, καὶ πολύ γε μᾶλλον, ὅσῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀρχὴ τοῦ δρᾷν ἐστίν [*Nunquam Deus facere aliquid deſinit: ſed ſicut proprium eſt ignis urere, nivis perfrigerare, ſic Dei facere, ac quidem multò magis, quando ipſe aliis agendi cauſa eſt*]. Et de Caïno, Ἀνάπαυλαν δὲ, οὐ τὴν ἀπραξίαν καλῶ, ἐπειδὴ φύσει δραστήριον τὸ τῶν ὅλων αἴτιον οὐδέποτε ἴσχον τοῦ ποιεῖν τὰ κάλλιστα [*Cum requiem dico, nolo inertiam intelligas: natura enim ſua activum eſt id quod univerſi principium eſt, nec unquam ceſſat ea facere quæ ſunt pulcherrima*]. Maximus Tyrius Diſſertatione *Vitam activam contemplativæ præferendam*, Οὐδὲ γὰρ ὁ Ζεὺς σχολὴν ἄγει· ἢ γὰρ ἂν ἐπαύσατο καὶ οὐρανὸς περιφερόμενος, καὶ γῆ τρέφουσα, καὶ ποταμοὶ ῥέοντες· καὶ δεχομένη θάλαττα, καὶ ὧραι ἀμείβουσαι, καὶ μοῦσαι ᾄδουσαι· ἐπαύσαντο δ' ἂν καὶ αἱ ἀνθρώπων ἀρεταὶ, καὶ ζώων σωτηρίαι, καὶ καρπῶν γενέσεις· καὶ τὸ πᾶν τοῦτο αὖθις ἂν περὶ αὐτῷ σφαλλόμενον συνεχύθη καὶ συνεταράχθη. ἀλλ' ἡ Διὸς πραγματεία ἄτρυτος οὖσα καὶ διηνεκὴς καὶ ἀκοίμητος, καὶ μηδέποτε ἀπαγορεύουσα μηδὲ ἐπαναχωροῦσα τοῦ ἑαυτῆς ἔργου, ἀέναος χορηγεῖ τὴν σωτηρίαν τοῖς οὖσι [*Neque enim Deus otiatur: alioqui deſineret & cœlum rotari, & terra nutrire, & fluere amnes, & eos ſuſcipere mare, & horæ ſuis ire vicibus, & Muſæ canere. Ceſſarent & hominum virtutes, & animantium incolumitates, & fructuum ortus: & hoc univerſum rurſus in ſemet oberrans confunderetur & perturbaretur. At Dei occupatio indefatigabilis & perpetua, nunquam dormiens, nunquam ſuccumbens labori aut ab opere decedens, ſemper rebus ſalutem ſuppeditat*]. Illud ἕως ἄρτι [*usque nunc*] Matth. XI, 12. & I Iohann. II, 9. ſignificat *usque in hunc diem*.

κἀγὼ ἐργάζομαι. *& ego operor*] Sic ego ipſius exemplo Sabbato edo Divinæ potentiæ opera. Nam Hebræum ו [*&*] ſolet comparativè poni. Vide infrà 21.

18. ἔλυε τὸ σάββατον, *ſolvebat Sabbatum*] Ipſorum judicio. De locutione vide Matth. v, 19.

πατέρα ἴδιον ἔλεγε τὸν Θεὸν, *Patrem ſuum dicebat Deum*] Non communiter cum Iudæis, qui de Deo dicebant, *Pater noſter*, ſed ſupra cæteros: eſt enim ἔμφασις [*efficax ſermo*] in illo ἴδιον [*ſuum ſive proprium*], ut Rom. VIII, 32. Perinde hoc eſt quaſi cum accuſarent quòd Chriſtum ſe diceret, cujus cognomen habebatur *Filius Dei*. Notavimus ad Matth. XXVI, 63. Adde quod infrà XIX, 7.

ἴσον ἑαυτὸν ποιῶν τῷ Θεῷ. *æqualem ſe faciens Deo*] Sibi licere prædicans quicquid Deo licet, neque magis Sabbato ſe adſtringi. Craſſa calumnia; nam Divinæ potentiæ opera haud dubiè Sabbato eximebantur.

19. Ἀπεκρίνατο, *Reſpondit*] Accipe ut ſuprà 17.

οὐ δύναται, *non poteſt*] Alieniſſimum hoc eſt ab illo: nunquam id ipſi in mentem veniet.

ἀφ' ἑαυτοῦ οὐδὲν, *à ſe quicquam*] מן צבנה נפשה Syrus, id eſt, *ſuopte arbitratu, injuſſu*. Sic infrà ſumitur VII, 17. & XII, 47. ſed propriè puto ἀφ' ἑαυτοῦ [*à ſe*] hîc opponi ei quod ab alio didicimus; infrà XVIII, 34. Ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις; ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; [*à temetipſo hoc dicis? an alii tibi dixerunt de me*]? ubi Syrus מן נפשך *ex animo tuo*. Compara Matth. XVI, 17.

ἐὰν μή τι, *niſi quod*] Ἐὰν μὴ [*Niſi*] hîc eſt pro ἀλλὰ [*ſed*], ut Matth. XII, 4. Gal. II, 16. infrà XV, 4. Non diſſimiliter Homerus dixit,

——— τὸν οὔπως ἐστὶ περῆσαι
Πεζὸν ἐόντ', ἢν μή τις ἔχῃ εὐεργέα νῆα.
[——— *quem trans pede non eſt*
Ire niſi quis agat multo cum remige navem].

Eſt enim ἢν μή τις [*niſi quis*] ibi poſitum pro ἀλλ' εἴ τις [*ſed ſiquis*]. Et abundat τὶ [*aliquid*] poſt μὴ [*ne* vel *ni*], ut II Cor. I, 17. & XIII, 5. & interrogativè Matth. VII, 16. XII, 23. XXVI, 22, 25. Marc. IV, 21. XIV, 19. Luc. VI, 39.

βλέπῃ τὸν πατέρα ποιοῦντα. *viderit Patrem facientem*] Comparatio eſt ſumta à diſcipulo qui magiſtrum ſibi præeuntem diligenter intuetur, ut imitari poſſit. Sic βλέπειν [*videre*] ſumitur Hebræor. II, 9.

ταῦτα καὶ ὁ υἱὸς ὁμοίως ποιεῖ. *hæc & Filius ſimiliter facit*] Hæc imitatur. Sic Lucæ VI, 31. X, 37.

20. φιλεῖ τὸν υἱὸν, καὶ πάντα δείκνυσιν αὐτῷ ἃ αὐτὸς ποιεῖ. *diligit Filium & omnia demonſtrat ei, quæ ipſe facit*] Comparatio à magiſtro qui diſcipulum unum præ cæteris intimum habeat, cui omnia artis ſuæ arcana aperiat. Sic ירה Hebræum interdum per διδάσκειν [*docere*], interdum per δεικνύειν [*oſtendere*] vertunt Græci. Et quod hîc eſt δεικνύειν [*oſtendere*] idem dicitur διδάσκειν [*docere*] infrà VIII, 28.

μείζονα τούτων δείξει αὐτῷ ἔργα, *majora his demonſtrabit ei opera*] Pater ſanavit à ſerpente morſos, ſanavit Ezechiam & alios: atque ita Filio monſtravit quid & ipſi ad Patris exemplum faciendum eſſet. Reſtat ut Filius etiam majora imitetur, ac ſic ſibi monſtrata reipſa doceat. Itaque δείξει [*demonſtrabit*] hîc ad τὴν φάσιν [*id quod tale videri poteſt*] referendum eſt. Tale eſt illud NOVI, Geneſ. XII, 11.

ἵνα ὑμεῖς θαυμάζητε. *ut vos miremini*] Ἐκβατικὸν [*eventuale*], id eſt, *ita ut fieri non poſſit quin obſtupeatis*.

21. Ὥσπερ γὰρ ὁ πατὴρ ἐγείρει τοὺς νεκροὺς, *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos*] Ἐγείρει [*ſuſcitat*] ſumendum eſt ſine temporis definitione, id eſt, *cum vult*, ut olim ad preces Eliſæi. Inter eximia quæ de Deo dicuntur hoc eſt, *vitam reddere*, Deut. XXXII, 39. I Sam. II, 6. Tob. XIII, 2. Sap. XVI, 13.

καὶ ζωοποιεῖ, *& vivificat*] החיה. Eſt ἐπεξήγησις [*apertior explicatio*] ejus quod dixit ἐγείρει [*ſuſcitat*].

οὕτω καὶ ὁ υἱὸς οὓς θέλει ζωοποιεῖ. *ſic & Filius quos vult vivificat*] Id eſt, ζωοποιήσει [*vivificabit*], ut ſequentia declarant. Senſus eſt, Videbitis ſuſcitari Lazarum & alios quoſdam in ſignum reſuſcitationis generalis. Iohannes ſemper in eo eſt ut & Chriſti excellentiam doceat, & Patrem ejus non alium eſſe quàm mundi Conditorem, contra errores ſui temporis.

22. Οὐδὲ γὰρ ὁ πατὴρ κρίνει οὐδένα, *Neque enim Pater judicat quenquam*] *Iudicare mundum* Dei eſt, Geneſ. XVIII, 25. Pſalm. LXXXII, 1. Olim *judicavit* mundum temporibus Noæ, *judicavit* Sodoma, *judicavit* ſæpe & populum ſuum: ſed nunc *judiciariam poteſtatem Filio dabit*, Actor. XVII, 31. I Petri IV, 5. nempe ubi ipſum *Regem* conſtituet, Apocalypſ. I, 5. nam Regum eſt *judicare*, Pſalm. LXXII, 1. & alibi paſſim. Futurum autem præſenti tempore effertur ob certitudinem & proximitatem. Et illud οὐδένα [*non quenquam*] rectè fortè accipias de his quibus Euangelium prædicatum eſt. Vide quæ ad Matth. XXV. Bene autem ponitur γὰρ [*enim*], quia ejuſdem eſt poteſtatis Abſolvere & Damnare: & rectè hoc additum, ut quos ſpes non movet, malis coerceantur.

δέδωκε τῷ υἱῷ· *dedit Filio*] *Decrevit dare*. Senſus eſt, Videbitis judicium Filii in hanc urbem, quod ſignum erit judicii univerſalis.

23. Ἵνα πάντες τιμῶσι τὸν υἱὸν, *Vt omnes honorificent Filium*] Vt ſcilicet homines cognita hac Filii poteſtate eum colant ac revereantur, Pſalm. II, 11, 12. Phil. II, 10. Vſus Sabbati eſt Deum honorare: ſic & uſus Sabbati eſt honorare Filium.

τὸν πέμψαντα αὐτόν. *qui miſit illum*] Qui Legatum, præſertim cum pleniſſima poteſtate miſſum, injuriâ afficit, is injuriâ afficere eum cenſetur cujus perſonam Legatus ſuſtinet. Vide ſuprà IV, 34. infrà 30, 37, 38. VI, 38. VII, 16. & paſſim in hoc libro. Tacitè oſtendit Chriſtus quàm intimus ſit Patri. Nam Deus honorem ſuum extraneo non concedit.

24. ὅτι ὁ τὸν λόγον μου ἀκούων, καὶ πιστεύων τῷ πέμψαντί με, *quia qui verbum meum audit, & credit ei qui miſit me*] Qui meum dogma ſic audit ut credat: nam copula hanc vim habet. Potuerat adjicere *mihi*, ſed invidiæ amoliendæ causâ Patrem nominat cujus erat Legatus. Eódem autem recidit utrum dicas; infrà XII, 44. Sicut autem alibi *confidere* ita hîc *credere* ſive *fidem dicenti adhibere* intelligendum eſt *cum obediendi propoſito*, ut patet infrà 29.

ἔχει ζωὴν αἰώνιον· *habet vitam æternam*] Vide ſuprà III, 36.

εἰς κρίσιν οὐκ ἔρχεται, *in judicium non venit*] Non ſubjacet damnationi: ſicut εἰσενέγκαι εἰς πειρασμὸν [*inducere in tentationem*] eſt *efficere ut tentationi ſuccumbatur*.

μεταβέβηκεν ἐκ τοῦ θανάτου εἰς τὴν ζωήν. *transiit à morte in vitam*] Sic & in I Epiſt. III, 14. ubi Dilectioni tribuitur quod hîc Fidei, ſed nempe efficaci per Dilectionem. Antè erat ſervus mortis; nunc fide fit hæres vitæ & quaſi in aliam civitatem transſcribitur. Vide Epheſ. II, 5. Eſt autem in voce μεταβέβηκεν [*transiit*] alluſio ad typum hujus rei, id eſt Paſcha, ut & infrà XIII, 1.

25. ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστιν, *venit hora & nunc eſt*] Futurum proximè imminens ſignificatur, ut ſuprà IV, 25.

οἱ νεκροὶ ἀκούσονται τῆς φωνῆς τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ· *mortui audient vocem Filii Dei*] Puto hîc explicatiùs dici quod ſuprà involutè ſignificabatur comm. 21. eòque magis quia quæ ſequuntur cum ſimilibus locis collata eò ducunt. Et ſolebat Chriſtus voce uti in excitando, Marci V, 41. Luc. VII, 14. Ioan. XI, 43.

καὶ οἱ ἀκούσαντες ζήσονται. *& illi ubi audierint vivent*] *Et illi ſimul atque audierint vivent*; ne quis audientes à non audientibus putet diſtingui. Eodem modo οἱ δὲ ἀκούσαντες [*illi cum audiſſent*] legas Matth. II, 9. Marci XIV, 11. Actor. XXI, 20.

26. ἔχει ζωὴν ἐν ἑαυτῷ, *habet vitam in ſemetipſo*] *Ius dandæ vitæ penes ſe habet*: nam & ipſe eſt qui vitam homini inſpiravit. Vide ſuprà I, 4.

ἔδωκε καὶ τῷ υἱῷ ζωὴν ἔχειν ἐν ἑαυτῷ· *dedit & Filio habere vitam in ſemetipſo*] *Ita habere in ſua poteſtate ut cui velit eam dare poſſit*.

27. ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, *poteſtatem dedit ei & judicium facere*] Κρίσιν ποιεῖν eſt hîc *condemnare ad mortem*. Vide ſuprà 22. ποιῆσαι κρίσιν [*facere judicium*], dixit & Iudas 15.

ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. *quia Filius hominis eſt*] *Quia hic ille eſt Filius hominis*, de quo Danielis illud μυστικῶς [*myſticè*] intelligitur *fore ut ei detur dominatus & regnum in omnes gentes ſine fine*, Dan. VII, 13, 14. Nam quod ibi legitur *ſimilis Filio hominis* plane eadem locutio eſt quæ ad Philipp. II, 7. ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος [*in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*]. In Græco Danielis eſt ὡς υἱὸς ἀνθρώπου [*quaſi Filius hominis*]. Significant hæc ipſum ſpecie externa nihil majus homine & quidem plebejo præ ſe tuliſſe. Vide quæ dicta ad Matth. VIII, 20. & adde quod dicto loco ad Philippenſes ſequitur, *Quia ſe tam humilem geſſit, ideo eum in ſublime evectum, datumque ei nomen ſuper omne nomen, ut omne genu ei curvetur*.

28. Μὴ θαυμάζετε τοῦτο· *Nolite mirari hoc*] Suprà III, 7. I Epiſt. III, 13. Senſus hic eſt, Nolite hoc mirari quod dixi; dicam admirabiliora.

ἔρχεται ὥρα, *venit hora*] Non additum eſt καὶ νῦν ἐστιν [*& nunc eſt*], quia hoc tempus abeſt longiùs: ἔρχεται [*venit*] ergo eſt *veniet aliquando*. Vide II Petri III, 8.

ἐν ᾗ πάντες, *in qua omnes*] Non unus & alter, ſed omnes planè.

οἱ ἐν τοῖς μνημείοις, *qui in monumentis ſunt*] Non tantùm qui in lectulo ſunt, ut Adoleſcentula, aut in feretro, ut Viduæ filius, ſed *qui in ſepulchris* ſcilicet non exiguo tempore, ut Lazarus, ſed diutiſſimè fuerunt.

ἀκούσονται τῆς φωνῆς αὐτοῦ. *audient vocem Filii Dei*]

Sicut vox Filii eſt vox Patris, ſic vox Archangeli eſt vox Chriſti qui eum mittet. Vide 1 Theſſ. IV, 16. Adde 1 Corinth. XV, 52. & Matth. XXIV, 51. ubi quæ notata vide.

29. Καὶ ἐκπορεύσονται, *Et procedent*] Id eſt, auditâ voce ibunt.

εἰς ἀνάστασιν ζωῆς· in reſurrectionem vitæ] Quæ תחיה [*vivificatio*] Hebræis, & κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ſæpe ἀνάστασις [*reſurrectio*], interdum & ἀνάστασις τῶν δικαίων [*reſurrectio juſtorum*], Luc. XIV, 14.

εἰς ἀνάστασιν κρίσεως. in reſurrectionem judicii] Id eſt, εἰς κόλασιν [*in ſupplicium*], Matth. XXV, 46. Sic ἡμέρα κρίσεως [*dies judicii*] II Petr. II, 9. exponitur per κολαζομένους [*cruciandos*].

30. Οὐ δύναμαι ἐγὼ ποιεῖν ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐδέν· *Non poſſum ego à memetipſo facere quicquam*] Semper ea quæ de ſe prædicare cogitur Chriſtus, ita temperat ut omnem honorem referat ad Patrem, & removeat illud crimen quaſi Hominem Patri æqualem faciat. δύναμαι [*poſſum*] & ἀπ' ἐμαυτοῦ [*à memetipſo*] hîc ſumenda ut ſuprà 19. niſi quòd ibi de quavis actione loquitur, hîc de judiciali.

καθὼς ἀκούω, ſicut audio] Ex lege quam Pater præſcripſit de ſervandis qui in me credunt, damnandis qui me rejiciunt. Diſcimus exemplo & voce: itaque hîc ἀκούω [*audio*] idem eſt quod ſuprà ἃ ὁ πατὴρ δείκνυσιν [*quæ Pater demonſtrat*], & infrà VIII, 28. καθὼς ἐδίδαξεν ὁ πατήρ [*ſicut docuit Pater*].

κρίνω. judico] Præſens pro futuro: id enim præcedentia videntur exigere. Sic ſuprà 21. ζωοποιεῖ [*vivificat*].

καὶ ἡ κρίσις ἐμὴ δικαία ἐστί. & judicium meum juſtum eſt] Copula pro rationali: ut Geneſ. II, 3. collato Exodi XX, 11. Pſalm. CXVI, 2. & ſuprà I, 42. addito XI, 27. *Ideo æquum eſt judicium meum* quia à Patris regula non diſcedo. Vide vaticinium Eſ. XI, 4.

ὅτι οὐ ζητῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, quia non quæro voluntatem meam] Epexegeſis ante dicti. Iudices qui ſuis affectibus ſtudent, commodis, gloriæ, ultioni, ſæpe ab æquo transverſi aguntur. Nihil tale ego: non ducor meis affectibus, ſed id curo quod Patri gratum eſſe ſcio: ζητεῖν [*quærere*] enim eſt *curare, præcipuum habere*, infrà VII, 18. VIII, 50.

31. *οὐκ ἔστιν ἀληθής. non eſt verum*] Dictum eſt proverbiale apud Hebræos, ut apparet VIII, 13. נאמן, quod Græci ſæpe vertunt πιστὸς, non raró etiam vertunt ἀληθὴς aut ἀληθινὸς, *fide dignum* ſignificat, Syro שרירא. Hoc ſenſu μάρτυς ἀληθινὸς [*teſtis verus, id eſt, fide dignus*] dicitur in Rhetoricis ad Alexandrum cap. XVI. Sic Græci illud Deut. XIX, 15. *ſtabit omne verbum* vertunt ἀληθὲς ἔσται πᾶν ῥῆμα [*verum, id eſt, fide dignum erit omne verbum*]. Hoc eſt quod Romani dicunt, *neminem idoneum eſſe teſtem in re ſua*. Græcum eſt adagium, οἴκοθεν μάρτυς [*teſtis domeſticus*]. Poteſt aliquid eſſe verum quod ſolum per ſe tale non eſt ut fidem impetret. Poteſt quis de ſe vera dicere, ut ait Chriſtus, VIII, 14. ſed niſi alia accedant non perſuadet.

32. Ἄλλος ἐστὶν, *Alius eſt*] Facillimum eſt ut de Iohanne ſumamus, quia de eo ſunt quæ proximè ſequuntur.

οἶδα ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία, ſcio quia verum eſt teſtimonium] Satis mihi conſtat talem eſſe teſtem qui à vobis nullo jure poſſit rejici. ἀληθὴς hîc iterum *fide dignus*.

33. Ὑμεῖς ἀπεστάλκατε πρὸς Ἰωάννην, *Vos miſiſtis ad Ioannem*] Publica auctoritate ad eum miſiſtis, tanquam ad hominem venerandæ ſanctitatis & quem ipſi faceretis plurimi.

μεμαρτύρηκε τῇ ἀληθείᾳ. teſtimonium perhibuit veritati] Modeſtè dictum: Non dixit, *mihi perhibuit teſtimonium*, ſed *veritati*, legitimè compellatus. Similis conſtructio Luc. IV, 22. ſuprà III, 26, 28. & Iob. XXIX, 11. *De aliquo teſtimonium perhibet*, qui de eo bonum vel malum dicit; *alicui*, qui bonum, quod ei proſit.

34. *οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω. non ab homine teſtimonium accipio*] Alium hîc ſenſum habet λαμβάνειν τὴν μαρτυρίαν [*accipere teſtimonium*] quàm ſuprà III, 11, 32, 33. & 1 Ioh. V, 9. Hîc λαμβάνω eſt *requiro*, ut infrà 41, 44. ubi in oppoſito membro ponitur ζητεῖν [*quærere*] ut idem valens. Sic Latinè *accipere* dicimur quod avidè appetimus.

ταῦτα λέγω, hæc dico] Dico hæc κατὰ συγκατάβασιν [*per accommodationem*] *me vobis attemperans.*

ἵνα ὑμεῖς σωθῆτε. ut vos ſalvi ſitis] Amolitur à ſe gloriæ cupiditatem. Nihil mihi vindico niſi veſtri causâ; ne dixi quidem quis eſſem, niſi poſtquam me Iohannes indicaverat. Vult Chriſtus & quidem ſeriò ſalutem etiam eorum qui non ſervantur: nihil patitur ex ſua parte deſiderari.

35. *ἦν, erat*] Videntur hæc dicta capto Iohanne.

ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων· lucerna ardens & lucens] Vide ut quod de Elia dici ſolebat Iohanni aptaverit miſſo in ſpiritu Eliæ. de Elia dicitur λόγος αὐτοῦ ὡς λαμπὰς ἐκαίετο [*verbum ejus quaſi facula ardebat*] Eccleſiaſtici XLVIII, 1. Eſt autem hîc καίεσθαι nihil aliud quàm *accendi*, principium τοῦ φαίνειν [*lucendi*], Matth. V, 15. Lucæ XII, 35. Apocalypſ. IV, 5. VIII, 10. Hebræum eſt דלק [*ardere*], quo utitur Syrus. In templo נרת המערכה Græcis ſunt λύχνοι τῆς καύσεως [*lucernæ accenſionis*] Exod. XXXIX, 37. Petro ſermo Prophetarum dicitur λύχνος φαίνων [*lucerna lucens*], II, 1, 19.

ἀγαλλιαθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ. ad horam exſultare in luce ejus] Vt pueri qui delectantur viſu lucis, ſed uſum ejus non habent: πρὸς ὥραν [*ad horam*], ut ad Philem. 15. eſt *non multo tempore*; & ſic rectè ſumas illud כשעה [*quaſi unâ horâ*] quod eſt apud Danielem IV, 16. Oſtendit Ieſus Iudæorum inconſtantiam, qui Iohannem aſpernari cœperunt poſtquam de ipſo Ieſu teſtimonium perhibuit.

36. *μαρτυρίαν μείζω τοῦ Ἰωάννου. teſtimonium majus illo Ioannis*] Similis collatio 1 Epiſt. V, 9. ex quo apparet verum eſſe quod pridem monitum eſt, eſſe hic ἔλλειψιν [*defectum*] articuli, ut ſæpe alibi.

τὰ γὰρ ἔργα, opera enim] Sæpe advocat operum merè Divinorum teſtimonium, adverſùs quæ nulla erat cavillatio. Philo de vita Moſis, Πίστις ὡς ὁ παλαιὸς λόγος τῶν ἀδήλων τὰ ἐπιφανῆ [*Latentium fidem faciunt ea quæ conſpicua ſunt, ut vetus ait ſententia*]. Vide ſuprà III, 12. infrà IX, 32, 33. X, 25, 37, 38. XIV, 10, 11. XV, 24.

αὐτὰ τὰ ἔργα, *ipſa opera*] Elegans anaphora, qualis illa,

Pallas te hoc vulnere, Pallas
Immolat.

Habet enim emphaſim iſtud loquendi genus.

ὅτι ὁ πατήρ με ἀπέσταλκε. *quia Pater miſit me*] Me venire Dei mandatu.

37. Καὶ ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me*] Connectam libens cum præcedentibus, ut ſenſus ſit, Operibus oſtendi ſe miſſum à Deo & ſe Dei teſtimonio non carere: nam præceſſit, Ἐγὼ δὲ οὐ παρὰ ἀνθρώπου τὴν μαρτυρίαν λαμβάνω [*Ego autem non ab homine teſtimonium accipio*]. Opera ſunt teſtimonium; Pater teſtis.

οὔτε φωνὴν αὐτοῦ ἀκηκόατε πώποτε, οὔτε εἶδος αὐτοῦ ἑωράκατε. *neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis*] Senſus eſt, Vos eum non noviſtis familiariter, ut ego novi, atque ita, ut meo indicio opus non habeatis. Vide ſuprà I, 18. & III, 32. & quæ ibi adducta. Notandum eſt ipſum populum id olim poſtulaſſe, ut Deus ſe nec voce nec ſpecie patefaceret, ſed per Prophetas. Deut. XVIII, 15. Exod. XX, 19.

38. Καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ οὐκ ἔχετε μένοντα ἐν ὑμῖν. *& verbum ejus non habetis in vobis manens*] Καὶ hîc ut alibi ſæpe, eſt *& tamen*. Per vos ipſos non noviſtis quæ Dei natura ac voluntas ſit, & tamen quæ ad vos ipſe mandata per me mittit ea intra animum non admittitis. μένειν Iohanni eſt *ineſſe, infigi*. Idem hîc eſt μένειν [*manere*] quod χωρεῖν [*capere*] infrà VIII, 37. ὁ λόγος ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν [*ſermo meus non capit in vobis*]*: locum non habet, non admittitur*. Vide quæ de voce μένειν [*manendi*] annotata ſuprà III, 36.

ὅτι, *quia*] Eſt hîc ἀποδεικτικόν [*probativum*]. Apparet verum eſſe quod dico: nam ei qui à Deo miſſus eſt fidem habere pertinaciter recuſatis. Quomodo mandata Regis diſcet qui legatum excludit?

39. Ἐρευνᾶτε, *Scrutamini*] Non legite tantùm ſed attento animo expendite. Sic ἐρευνᾶν ſumitur infrà VII, 52. I Petr. I, 11, idem eſt ἀνακρίνειν τὰς γραφὰς [*explorare Scripturas*] Actor. XVII, 11.

τὰς γραφάς, *Scripturas*] Omnia ſcripta quæ ut Divina recipitis.

ὅτι ὑμεῖς δοκεῖτε ἐν αὐταῖς ζωὴν αἰώνιον ἔχειν· *quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere*] Etiam plus æquo illis tribuitis. Exiſtimatis enim Legis præcepta obſervantibus promitti vitam æternam, atque ita directè eam vitam illis libris contineri. Vide ad Matth. V, 17. XIX, 17. ubi itidem ζωὴ [*vita*] ſimpliciter eſt ζωὴ αἰώνιος [*vita æterna*]. Et nota non cum Sadducæis, ſed cum Phariſæis hîc rem eſſe, qui Legem vocabant *fontem vitæ*, & de vita æterna accipiebant locum Deuteronomii XXXII, 47.

καὶ ἐκεῖναί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. *& illæ ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*] Καὶ [*Et*] hîc eſt *atqui*: & μαρτυροῦσαι [*quæ teſtimonium perhibent*] ex commate ſequenti intellige, ὅτι ἐγώ εἰμι ὁ διδοὺς τὴν ζωήν [*me eſſe vitæ datorem*]. Scripturæ illæ indicant vitæ iſtius datorem: ad me vos rejiciunt, cùm de Novo Federe, cùm de Regno ſempiterno vaticinantur.

40. Καὶ οὐ θέλετε ἐλθεῖν πρός με ἵνα ζωὴν ἔχητε. *Et non vultis venire ad me ut vitam habeatis*] Καὶ [*Et*] rurſus pro tamen; *Et tamen*, inquit, *non vultis à me diſcere ut accipiatis vitam æternam*. Nam ἔρχεσθαι [*venire*] eſt *doceri*, infrà VI, 44. 45. Cùm dicit, *non vultis*, oſtendit penes ipſos ſtare quò minùs ad vitam perveniant.

41. Δόξαν παρὰ ἀνθρώπων οὐ λαμβάνω· *claritatem ab hominibus non accipio*] Ego quæ dico de mea auctoritate, non dico appetitu honoris à vobis adipiſcendi. Vide ſuprà 34. In manuſcripto illo antiquiſſimo παρ' ἀνθρώπου [*ab homine*], id eſt, *ab aliquo hominum, quiſquis ille ſit*.

42. Ἀλλ' ἔγνωκα ὑμᾶς, *Sed cognovi vos*] Sed ideo hoc dico, quòd cognitum mihi ſit vitium veſtrum quo laboratis & quod vos ab itinere ad vitam æternam impedit. Emphaſis eſt in illo ὑμᾶς [*vos*]. Qualem me putatis, vos tales eſtis.

ὅτι τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ οὐκ ἔχετε ἐν ἑαυτοῖς. *quia dilectionem Dei non habetis in vobis*] Habetis in ore non in animo pietatem & ſtudium gloriæ Divinæ, infrà 44. Sic ἀγάπην Θεοῦ [*caritatem Dei*] legas Luc. XI, 42. & alibi.

43. Ἐγὼ ἐλήλυθα ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ πατρός μου, *Ego veni in nomine Patris mei*] Cum verè Divina poteſtate.

καὶ οὐ λαμβάνετέ με· *& non accipitis me*] Tantùm quia dogmatis mei puritas veſtris malis moribus veſtræque ambitioni adverſatur; Primorum quidem, quia ſoli apud populum ſancti haberi volunt; Plebis verò, quia metuit à primoribus traduci. λαμβάνειν [*accipere*] hîc idem eſt quod ſuprà I, 11, 12.

ἐὰν ἄλλος ἔλθῃ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἰδίῳ, *ſi alius venerit in nomine ſuo*] Nulla certa talis poteſtatis ſigna adferens; propria auctoritate: id enim valet hîc ὄνομα [*nomen*], ut Actor. IV, 7. & alibi ſæpe. Talis fuit Barchochebas. Vide ad Matth. XXIV, 26. Adde I Iohann. II, 18. Et ἐὰν [*ſi*] hîc eſt *quando*, ut XII, 32. & alibi.

ἐκεῖνον λήψεσθε. *illum accipietis*] Quia vitia veſtra non deteget; vobis blandietur.

44. Πῶς δύνασθε ὑμεῖς πιστεῦσαι, *quomodo poteſtis vos credere*] Oſtendit non quid ſimpliciter ſit ἀδύνατον [*impoſſibile*], ſed quid ab illis exſpectandum non ſit, quamdiu tali ſunt animo: & ſubintellige, *tali dogmati quo veſtra ulcera tangantur*. Adde quod infrà XII, 39 & 42. & Iac. IV, 4.

δόξαν παρ' ἀλλήλων λαμβάνοντες, *gloriam ab invicem accipitis*] Captantes, ut modò expoſitum eſt. Plebs à primoribus, primores à plebe honorem venamini.

τὴν δόξαν τὴν παρὰ μόνου Θεοῦ οὐ ζητεῖτε; *gloriam quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis*]? *Gloria quæ à ſolo Deo proficiſci poteſt*, eſt ea quæ cordi ſincero redditur, cujus teſtis nemo eſt extra Deum. Facta exteriora multa bonis maliſque eſſe poſſunt communia, maximè ritualia quæ facilè implentur. Rom. II. circa finem, Ὁ ἐν τῷ κρυπτῷ Ἰουδαῖος, καὶ περιτομὴ καρδίας ἐν πνεύματι, οὐ γράμματι, οὗ ὁ ἔπαινος οὐκ ἐξ ἀνθρώπων ἀλλ' ἐκ τοῦ Θεοῦ [*qui in abſcondito eſt Iudæus: &*

circumciſio cordis in ſpiritu non literis: cujus laus non ex hominibus, ſed ex Deo eſt]. Non longè abit hinc Ibyci illud,

Δέδοικα μήτι παρὰ Θεοῖς ἀμπλακὼν
Τιμὰν πρὸς ἀνθρώπων ἀμείψω.
[*Formido legem ne violans Dei*
Emerear humanos honores].

45. Μὴ δοκεῖτε ὅτι ἐγὼ κατηγορήσω ὑμῶν πρὸς τὸν πατέρα. *Nolite putare quia ego accuſaturus ſim vos apud Patrem*] Nihil me opus erit accuſatore, quem vobis inimicum putatis.

ἔστιν ὁ κατηγορῶν ὑμῶν Μωσῆς, *eſt qui accuſat vos, Moſes*] Vide & quæ Matth. XII, 41.

εἰς ὃν ὑμεῖς ἠλπίκατε· *in quo vos ſperatis*] Ajunt Hebræi Samuelem, cùm poſt mortem evocaretur, & crederet ſe ad judicium vocari, attraxiſſe Moſem ut ſibi patrocinaretur. Et ſic ipſi ſperant ſe Moſis gratiâ ac commendatione Deum habituros propitium. ἐλπίζειν [*ſperare*] autem hîc eſt *confidere*, ut Matth. XII, 21. Iudith IX, 7. ἤλπισαν ἐν ἀσπίδι καὶ τόξῳ [*ſperarunt in clypeo & arcu*]. Obiter oſtenduntur plus æquo Moſi deferre: ſicut modò de Scripturis habuimus.

46. Εἰ γὰρ ἐπιστεύετε Μωσῇ, *Si enim crederetis Moſi*] Scriptis ejus, ut Luc. XVI, 31.

περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν. *de me enim ille ſcripſit*] Signa vobis dedit quibus veros Prophetas à falſis dignoſceretis, Deut. XVIII, 15, & ſequentibus. Signa autem veri Prophetæ in me eximiè congruunt. Vide Actor. III, 22. VII, 37. ita ut ego ibi velut ſpecialiter denoter.

47. Εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, *Si autem illius literis non creditis*] Si libris tam antiquitus receptæ auctoritatis non creditis. *Credere* autem hîc & alibi ſæpe eſt credere non generatim modò ſed ſingulatim, aptando jus ad factum.

Πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύσετε; *quomodo verbis meis credetis*]? Non quòd non major ſit Chriſti auctoritas, ſed quòd minùs cognita.

CAPVT VI.

1. Μετὰ ταῦτα, *Poſt hæc*] Aliquantò pòſt tempore. Tranſilit hîc noſter multa à cæteris memorata: neque hanc de auctis panibus hiſtoriam ab aliis tractatam referret, niſi id deſideraret ſermo eximius Chriſti hac occaſione habitus, quem ſervari Eccleſiæ intererat.

πέραν τῆς θαλάσσης τῆς Γαλιλαίας, *trans mare Galilææ*] Puto ſignificationem propriam vocis πέραν [*ultra*], quam expreſſit Syrus לעברה, hîc poſſe retineri. Neque enim obſtant quæ ab aliis aut hîc pòſt narrantur. Lacus qui Plinio & aliis *Geneſara*, Hebræis eo tempore dicebatur *Mare Galilæum*, ut Matth. IV, 18. & alibi.

τῆς Τιβεριάδος. *Tiberiadis*] Propiùs denotat lacûs partem quæ ab adſito oppido, ut fieri ſolet, nomen habebat proprium. Vide infrà 23. Erat autem hæc pars lacûs ferme infima, ita ut non multo ambitu, tranſito amne Iordane, plebs Chriſtum pedeſtri itinere conſequi poſſet.

2. ὅτι ἑώρων αὐτοῦ τὰ σημεῖα, *quia videbant ejus ſigna*] Partim ut beneficio uterentur, partim ut fruerentur ſpectaculo.

3. εἰς τὸ ὄρος, *in montem*] In deſerto Bethſaïde quod dicitur. Vide Luc. IX, 10.

ἐκεῖ ἐκάθητο, *ibi ſedebat*] Diſciplinæ tradendæ causâ.

4. Ἦν δὲ ἐγγὺς τὸ πάσχα, *Erat autem proximum Paſcha*] Hoc ideo interjicit, ut intelligatur tempus fuiſſe opportunum ad eliciendam multitudinem, & quò meliùs cohæreat quod de herba ſequitur.

5. Ἐπάρας οὖν, *Cum ſublevaſſet ergo*] Οὖν [*Ergo*] illud non ſemper continua nectit, ſed & aliquo intervallo temporis disjuncta. Nam ſeriùs hæc geſta, poſtquam Ieſus à monte deſcenderat.

λέγει πρὸς τὸν Φίλιππον, *dixit ad Philippum*] Cùm jam hac de re ab Apoſtolis ſermo injectus eſſet. Et Philippum magis quàm cæteros compellat, ut qui inſtitutionis maximè egeret, rudis adhuc & ſatis confidens, ut videre eſt infrà XIV, 8, 9.

6. πειράζων αὐτόν· *tentans eum*] Vt apertum faceret quouſque profeciſſet. Hunc ſenſum habet πειράζειν [*tentare*] cùm de Deo dicitur, Gen. XXII, 1, & alibi: eundem, cùm de Chriſto.

ᾔδει τί ἔμελλε ποιεῖν. *ſciebat quid eſſet facturus*] Ita definitè ut à nulla hominis cujuſquam qualicunque actione impediri poſſit. Decreta tam firma & immutabilia Deo ſoli conveniunt, Actor. XV, 18.

7. Διακοσίων δηναρίων ἄρτοι οὐκ ἀρκοῦσιν αὐτοῖς, *ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis*] Nam his non ampliùs bis mille paſci poterant: multò autem plures erant.

βραχύ τι λάβῃ. *modicum quid accipiat*] Ne ad guſtandum quidem tam multis ſufficerent.

8. Ἀνδρέας, *Andreas*] Ætate provectior Philippo: ideo ejus auxilio utitur Philippus in Domino compellando, infrà XII, 22. Videtur autem Andreas dixiſſe hoc, conſilio priùs cum aliis Apoſtolis habito.

9. Ἔστι παιδάριον ἓν ὧδε, *Eſt puer unus hic*] Apud alios Euangeliſtas dicuntur *habere* id quod in promptu erat ut emi poſſet. παιδάριον [*puer*] autem ſæpiſſime eſt apud Græcos Interpretes pro Hebræo נער [*adoleſcens*].

πέντε ἄρτους κριθίνους, *quinque panes hordeaceos*] Significatur frugalitas Chriſti & Apoſtolorum, qui pane non niſi vili veſcebantur.

καὶ δύο ὀψάρια· *& duos piſces*] Notant Græcorum Grammatici ὄψον per excellentiam dici *piſces*: unde ὀψοφάγοι [*piſcicomedones*]. Et Græci Sacrorum librorum Interpretes דג, quod alibi ἰχθῦν [*piſcem*] vertunt, uno in loco ὄψον verterunt, Num. XI, 22. Nonnus hîc ἰχθύας ὀπταλέους [*aſſatos piſces*] dixit, quo ſenſu vox ὀψάριον iterum comparet infrà XXI, 9, 10, 13.

τί ἐστιν εἰς τοσούτους; *quid ſunt inter tantos*]? Exigui erant panes, ita ut non ſine miraculo viginti panibus centum homines cibaverit Eliſæus II Reg. IV, 42, 43, 44. Quo exemplo ſperabat fortè Andreas fieri poſſe ut viginti quinque aut plures homines iſtis panibus Chriſti beneficio ſatiarentur: majus quicquam nondum audebat animo concipere.

10. χόρτος πολὺς, *fænum multum*] Vide Marci VI, 40.

Ἀνέπεσον, *Diſcubuerunt*] Curantibus Apoſtolis, qui, medii inter ſpem & diffidentiam, parêre tamen didicerant.

ἄνδρες τὸν ἀριθμὸν ὡσεὶ, *viri numeró quaſi*] Viroṣ tantùm numerat, ut in cenſu qui ex Lege agebatur fieri ſolebat. De ὡσεὶ [*quaſi*] vide ſuprà IV, 6. eandem vocem in hac hiſtoria & alii Scriptores uſurpant.

11. εὐχαριστήσας, *cum gratias egiſſet*] Idem eſt quod εὐλογήσας [*cùm benedixiſſet*]. Vide Matth. XXVI, 27.

δέδωκε τοῖς ἀνακειμένοις, *distribuit discumbentibus*] Cùm & Græca quædam exemplaria ſic habeant, & Syrus & Latinus, credibilius eſt illas voces τοῖς μαθηταῖς, οἱ δὲ μαθηταὶ [*diſcipulis: diſcipuli verò*] adjectas ab iis qui medicinam adferre voluerunt ei quam ſibi fingebant repugnantiæ inter hunc & alios Scriptores: quæ tamen, retentâ quam diximus lectione, nulla eſt: quia dat etiam qui per alium dat: facit qui per alium facit, ut ſuprà IV, 1.

ὅσον ἤθελον, *quantum volebant*] Ad ſatietatem uſque: ut oſtendit quod ſequitur.

12. Συναγάγετε τὰ περισσεύσαντα, *colligite quæ ſuperaverunt*] Omnia à Chriſto ita directa ut & de neceſſitate & de veritate & de magnitudine miraculi certò conſtaret. Videntur autem inter Diſcipulorum manus creviſſe panes, mirâ Chriſti poteſtate, cùm effecit ut tantum ſupereſſet quantum cophinorum numerum Apoſtolorum numero parem impleret.

14. ὃ ἐποίησε σημεῖον, *quod fecerat ſignum*] Majus quàm quod Moſes fecerat, panem non dans ſed impetrans è cœlo, & quidem panem merum ſine obſonio, & cujus nullæ ſupereſſent reliquiæ. Miracula antehac edita paucis profuerant; hoc maximæ multitudini ejus generis hominum quod victum ſibi difficulter parat.

Ὅτι οὗτος, *quia hic*] ὅτι [*quia*] hîc ut alibi πλεονάζει [*abundat*]. Oratio incipit ut indirecta, impletur ut directa.

ὁ προφήτης ὁ ἐρχόμενος, *Propheta qui venturus eſt*] ὁ ἐρχόμενος, id eſt, *qui venire debebat*, ut Matth. XVII, 11. Propriè autem ὁ ἐρχόμενος [*qui venturus erat*] intelligebatur Meſſias Luc. VII, 19. quem eundem & maximum Prophetam fore eo tempore ſibi perſuaſerant. Vide ſuprà IV, 25. Ab hoc ſolo exſpectabantur majora quàm Moſes præſtiterat.

15. γνοὺς, *cum cognoviſſet*] Divinâ vi, introſpectis eorum conſiliis.

ἁρπάζειν αὐτὸν, *ut raperent eum*] Etiam invitum rapere & aliquò perducere ubi inauguraretur.

ἵνα ποιήσωσιν αὐτὸν βασιλέα, *ut facerent eum Regem*] Spe facilis alimoniæ.

ἀνεχώρησε πάλιν εἰς τὸ ὄρος, *fugit iterum in montem*] Id eſt, rediit in montem unde venerat, exemplum dans Eccleſiæ Paſtoribus fugiendi poteſtates terrenas. Similis locutio ſuprà IV, 3.

αὐτὸς μόνος. *ipſe ſolus*] Et quidem, ut videtur, inconſpicuus. Sine ullo comite eſſe voluit quo longiùs abeſſet à cupiti regni ſpecie. Connectit hîc Iohannes ea quæ ad Ieſum pertinent, deinde perſequitur ea quæ ad Diſcipulos. Nam ſi temporis ordinem attendimus priùs navigium intrant Apoſtoli quàm Ieſus in montem perveniret. Sed in rebus ejusmodi mos eſt Hiſtoricorum libertate ſua uti.

17. ἤρχοντο πέραν τῆς θαλάσσης, *venerunt trans mare*] Vertam *transibant mare:* nam ἔρχεσθαι pro *ire* poni alibi quoque notatum. Syrus, *ibant in transitu*, Nonnus,

> Γαῖαν ἐς ἀντιπέραιαν ἐπορθμεύοντο.
> [*Oppoſitam terram navi petiere*].

εἰς Καπερναούμ. *in Capernaum*] Is enim finis erat propoſitus navigationi: alioqui Bethſaïdam videntur appuliſſe.

σκοτία ἤδη ἐγεγόνει, *tenebræ jam factæ erant*] Tempus per ſe terribile navigantibus.

18. διεγείρετο, *exſurgebat*] *Intumuit.* Sic ἐξηγείρετο [*intumeſcebat*] סער Ionæ I, 13.

19. Ἐληλακότες οὖν, *Cum remigaſſent ergo*] Vide ad Marcum VI, 48.

ὡς σταδίους εἰκοσιπέντε ἢ τριάκοντα, *quaſi ſtadia viginti quinque*] Exiguus profectus à veſpere ad quartam noctis vigiliam; quod tempus notant alii Scriptores. Nam νυχθημέρου [*diei & noctis*] curſus mille ſtadiis æſtimatur; ac proinde diei aut noctis totius, quingentis.

περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης, *ambulantem ſuper mare*] Non ſiccato mari, ſed in ipſo mari: ut hic quoque Moſem ſuperaret.

21. Ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν, *Voluerunt ergo accipere eum*] Non quòd non receperint, ſed quòd cupidè admodum, ut Syrus indicat.

22. ὁ ἑστηκὼς, *qui ſtabat*] *Qui ſubſtiterat* in loco facti miraculi.

πέραν τῆς θαλάσσης, *trans mare*] *Citra ſinum illum.*

ὅτι πλοιάριον ἄλλο οὐκ ἦν ἐκεῖ, *quia navicula alia non erat ibi*] *Non aliud fuiſſe navigium.* nam ἦν [*erat*] vice eſt cujusvis præteriti.

οἱ μαθηταὶ Ἰησοῦ, *diſcipuli Ieſu*] Quos ſine Ieſu avectos viderant.

μόνοι, *ſoli*] Id eſt, ſine Magiſtro.

23. Ἄλλα δὲ ἦλθε πλοιάρια, *aliæ verò ſupervenerunt naves*] Hoc ideo ut intelligatur quomodo ipſi tranſierint. Ergo pòſt aliquantò alia navigia à Tiberiade advenerunt.

24. Ὅτε οὖν εἶδεν, *cùm ergo vidiſſet*] Repetitio ejus quod præceſſerat ἰδὼν [*videns*], ob interjecta diuque tracta verba: quod & in aliis hiſtoriis occurrit.

25. πότε ὧδε γέγονας; *quando huc veniſti*]? Vt, ſi jamdudum ibi fuiſſe intelligeretur, non dubitarent de miraculo, quando navi eum non veniſſe conſtabat, pedeſtre autem iter erat longiſſimum. At Chriſtus id diſſimulans, & corda eorum introſpiciens, quæ caduco quàm cœleſtis vitæ pabulo magis afficiebantur, ad id quod iterrogatur non reſpondet, ea verò docet de quibus non interrogabatur.

26. Ἀμὴν, ἀμὴν, *Amen, amen*] Non ex conjecturis loquor, ſed ex certa ſcientia.

οὐχ ὅτι εἴδετε σημεῖα, *non quia vidiſtis ſigna*] Nempe quà ſigna ſunt, id eſt, quatenus pertinent ad efficiendam fidem & elevandos animos ad cœleſtia. nam in ipſo miraculo utilitatem tantùm hujus vitæ ſpectabant.

27. Ἐργάζεσθε μὴ τὴν βρῶσιν, *operamini non cibum*] Ἐργάζεσθαι βρῶσιν [*operari cibum*] eſt *operam dare ut victum adipiſcamur:* ut κατεργάζεσθαι σωτηρίαν [*ſalutem operari*] Philip. II, 12. Sic in Ec-

cleſiaſtico ἐργάζεσθαι ἀλήθειαν [*operari veritatem*]. Vult ergo non hoc præcipuè agendum.

τὴν ἀπολλυμένην, *qui perit*] Cujus utilitas temporaria eſt. Vide 1 Corinth. VI, 13. ubi *cibus* dicitur *deſtruendus:* & Galat. VI, 8. *is qui carni ſtudet* dicitur *reportare* φθορὰν [*corruptionem*]. Ad mortem enim tendunt omnia hujus vitæ officia.

τὴν μένουσαν εἰς ζωὴν αἰώνιον, *qui permanet in vitam æternam*] Id eſt, *cujus fructus ad æternitatem pertinet,* ut ſuprà de aqua dixerat IV, 14. more ſuo ex occaſione eorum quæ videbat aut audiebat ad ſpiritualia animum attollens. Nec nova erat apud Iudæos hæc allegoria. Philo Alleg. τὸ γὰρ φαγεῖν σύμβολόν ἐστι τροφῆς ψυχικῆς· τρέφεται δὲ ἡ ψυχὴ ἀναλήψει τῶν καλῶν καὶ πράξει τῶν κατορθωμάτων [*edere enim ſymbolum eſt alimenti animarum. Alitur autem anima diſcendo bona & faciendo recta*]. Plura ad Matth. XXVI, 26.

ἣν ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου ὑμῖν δώσει· *quem Filius hominis dabit vobis*] Quantum ex ſua parte eſt: nam ſic verba ſæpe ſumuntur, ut ſuprà I, 9. ſic δοῦναι [*dare*] ponitur Actor. V, 31. *cibum* hunc intellige dogma Euangelicum.

ἐσφράγισεν, *ſignavit*] Poteſtate mirificâ, eâque incomparabili hoc egit ut fidem ei conciliaret; quomodo Reges ſigillo literis impreſſo ſolent. Similis uſus vocis ſuprà III, 33.

28. Τί ποιοῦμεν ἵνα ἐργαζόμεθα τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ; *Quid facimus ut operemur opera Dei*]? Meminerunt Legi Moſis tribui vim alentem, ut Deut. VIII, 1, 2, 3. Vnde & Eccleſ. II, 21. πλησθήσουσι τοῦ νόμου [*replebuntur Lege*]. Quærunt ergo an quid aliud præſcribendum habeat quàm quod Lex præſcribit. Confer quod eſt Matth. XIX, 16, & ſequentibus. ποιοῦμεν [*facimus*] pro ποιήσομεν [*faciemus*], quæ enallage frequens, maximè in interrogationibus. ἔργα Θεοῦ [*opera Dei*] ſunt opera apprime Deo grata. Sic *ſacrificia Dei* Pſalm. LI, 19.

29. Τοῦτό ἐστι τὸ ἔργον τοῦ Θεοῦ, ἵνα πιστεύσητε, *Hoc eſt opus Dei ut credatis*] *Opus* eſt etiam hæc fiducia, ſed internum. Neque opponitur operibus quibusvis, ſed externis & quidem iis quæ ſine ea fiducia eſſe poſſunt, & ſine quibus ea fiducia eſſe poteſt; qualia præſertim ſunt ritualia, & alia quædam verè bonis & bonos ſimulantibus communia. Vnum autem hoc exigit, quia ſi hoc ſincerum ſolidumque ſit, omnia alia Deo placentia ſecum trahit. Nam Chriſtus eos demum cenſet ſibi confidere qui ſpe promiſſorum ſuorum viam ab ipſo monſtratam ingrediuntur. Sic Rom. III, 27.

εἰς ὃν ἀπέστειλεν ἐκεῖνος. *in eum quem miſit ille*] Modeſtè: non dixit *in me*, ubique honorem muneris ſui ad Patrem referens. *miſit* autem intellige *cum tanta ac tam mirifica poteſtate.*

30. ἵνα ἴδωμεν καὶ πιστεύσωμέν σοι; *ut videamus & credamus tibi*]? Id eſt, ut eo conſpecto tibi fidem adhibeamus, ac proinde etiam confidamus tibi. Alii videntur hi fuiſſe quàm qui modò eum Meſſiam vocaverant, niſi quibusdam accidit quod vulgò dicitur,

> Μετὰ τὴν δόσιν τάχιστα γηράσκει χάρις.
> [*Brevi ſeneſcit poſt benefactum gratia*].

Diximus Iudæorum eſſe, ſigna poſtulare, & quidem inverecundè qualia ipſi cuperent.

τί ἐργάζῃ; *quid operaris ?*] Ποιεῖν [*Facere*] videtur ſumi pro eo quod habeat effectum permanentem; ἐργάζεσθαι [*operari*], quod transeuntem.

31. Οἱ πατέρες ἡμῶν, *Patres noſtri*] Extollunt Moſem Patres illi noſtri qui ſexcenties mille erant & ampliùs.

τὸ μάννα ἔφαγον, *manducaverunt Manna*] Procurante Moſe. Et cùm dicunt *Manna*, cibum intelligunt cui ex ipſa admiratione nomen, ut Ioſephus, Chaldæus, & Græci Interpretes cum Latino ſumunt. Malè aliam originem quærunt Grammatici. Eſt quidem מן pro *quid* Chaldaïcum: ſed & Ægyptii ſic loquebantur, ut notat Haſcuni, quorum idioma adhuc eo tempore adhærebat Hebræis.

ἐν τῇ ἐρήμῳ, *in deſerto*] Id eſt, per totos annos quadraginta. Chriſtus eos ſemel tantùm paverat: ideo mox ajunt, πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον [*ſemper da nobis panem hunc*], nempe qualem ſemel dediſti.

Ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *Panem de Cælo*] Id eſt, ex cœlo primo, qui vulgò *aër*, *cælum* ſæpe etiam Latinis. Recitant Pſalmum cui canendo aſſueverant.

32. Οὐ Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν ἄρτον ἐκ τοῦ οὐρανοῦ· *Non Moſes dedit vobis panem de cælo*] Id eſt, ex cœlo ſupremo, quod *tertium cælum* Hebræis: *Ex ſolio immortalitatis* מכסא הכבור [*de throno gloriæ*].

τὸν ἀληθινόν. *verum*] Qui excellenter *panis cæleſtis* dici meretur. Sic vocem ἀληθινὸς [*verus*] ſumi diximus ſuprà I, 9.

33. Ὁ γὰρ ἄρτος τοῦ Θεοῦ, *Panis enim Dei*] *Panis ille qui à Deo datur eximiè.*

ἐστιν ὁ καταβαίνων ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, *eſt qui de cælo deſcendit*] Modò verbum *ſuum panem* vocaverat; nunc ſe *panem* vocat. Solent enim quæ Euangelio conveniunt Chriſto tribui ejus promulgatori ac ſanctori. De voce καταβαίνειν [*deſcendendi*] vide ſuprà III, 13. Philo Allegoriis, Εἶπε δὲ αὐτοῖς Μωσῆς, Οὗτος ὁ ἄρτος ὃν δέδωκεν ἡμῖν Κύριος τοῦ φαγεῖν· τοῦτο τὸ ῥῆμα ὃ συνέταξε Κύριος· ὁρᾷς τῆς ψυχῆς τροφὴν οἵα ἐστὶ, λόγος Θεοῦ συνεχὴς, ἐοικὼς δρόσῳ, κύκλῳ πᾶσαν περιειληφὼς, καὶ μηδὲν μέρος ἀμέτοχον αὐτοῦ ἐῶν. [*Dixit autem Moſes: hic eſt panis quem Dominus nobis comedendum dedit: verbum quod conſtituit nobis. vides quale ſit animæ alimentum, continuus Dei ſermo rori ſimilis, roris modo eam totam ambiens nullamque ejus partem ſui exſortem ſinens*]. Et mox, τρέφεται δὲ τῶν μὲν τελειοτέρων ἡ ψυχὴ ὅλῳ τῷ λόγῳ [*Nutritur autem perfectiorum quidem anima toto ſermone*]. in libro *pejorem inſidiari meliori* ait καλεῖ μάννα τὸ πρεσβύτατον τῶν ὄντων λόγον θεῖον [*vocat Manna id quod in rebus eſt antiquiſſimum, verbum Divinum*]. Vide quæ ad Matthæum XXVI, 26.

ζωὴν, *vitam*] Nempe æternam, ut ſuprà I, 4.

διδοὺς, *dat*] Quantum ex ſua parte, ut modò diximus.

τῷ κόσμῳ· *mundo*] Nec ſexcentis tantùm millibus, ſed infinito numero; omnibus, ſi vellent: ſuprà I, 10.

34. Κύριε πάντοτε δὸς ἡμῖν τὸν ἄρτον τοῦτον. *Domine ſemper da nobis panem hunc*] Simile habuimus ſuprà IV, 15.

35. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς, *Ego ſum panis vitæ*] *Panis vivificus.* Quomodo hoc ſumendum ſit, dixi-

mu

mus commate antecedente. Magna Chriſti patientia, qui vitium non exprobrat, ſed ſanare aggreditur.

ὁ ἐρχόμενος πρός με, qui venit ad me] Diximus ad Matth. XXIII, 25. ſæpe compendio quodam orationis miſceri inter ſe voces comparationis & ejus quod comparatione indicatur: ita hic ſimplex oratio fuerat, *Qui ederit me, nunquam eſuriet; & qui biberit me, non ſitiet unquam:* ſed quia *edere* & *bibere* ſignificat credere, ideo alterum exponitur per *venire*, alterum per *credere*: idem enim eſt *venire ad Chriſtum*, hoc eſt, ei ſe devovere, & *credere*, ut apparet infrà commate 44. Reſpiciunt hæc omnia locum Eſaïæ LV, 1, 2.

οὐ μὴ πεινάσῃ· non eſuriet] Nempe πώποτε [*unquam*], quod ex ſequenti membro repetendum eſt, καθ' ὑποδιαστολὴν [*per ſubdiſtinctionem*]. *Eſurire* & *ſitire* idem hic eſt. Tacite oſtendit quanto ſuum munus Manna ſit præſtantius quod tanti faciebant: & reſpondet ad petitionem, *Da nobis ſemper.*

καὶ ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, οὐ μὴ διψήσῃ πώποτε. & qui credit in me, non ſitiet unquam] Non opus habebit aliud quicquam addiſcere quo ad vitam æternam perveniat, ut dictum ſuprà III, 14.

36. *εἶπον ὑμῖν, dixi vobis*] Dixerat non verbis iiſdem, ſed re, cùm dixit ſectatores ipſos ſui eſſe *victûs cauſâ, non ob miracula*, id eſt, non ut miraculis adducti ipſi confiderent, ſuprà 26. Hoc ſenſu *dicere* ponitur & infrà XI, 40.

ὅτι ἑωράκατέ με, quia vidiſtis me] Id eſt, ſpectatores fuiſtis poteſtatis mihi datæ. Sic & infra XIV, 9.

καὶ οὐ πιστεύετε. & non creditis] Καὶ eſt *& tamen.* In manuſcripto illo vetere legitur πιστεύετέ μοι [*creditis mihi*].

37. *Πᾶν, Omne*] Neutrum pro maſculino aut communi. Sic τὰ μωρὰ [*ſtulta*] I Corinth. I, 27. πᾶν κοινόν [*omne coinquinatum*] Apoc. XXI, 27. Plinius de Homine, *A ſuppliciis vitam auſpicatur, unam tantùm ob culpam, quia natum eſt.* Oſtendit Chriſtus quantæ ſit virtutis illud credere quod ab ipſis negligebatur.

ὃ δίδωσί μοι ὁ πατὴρ, quod dat mihi Pater] Quos mihi velut in manum tradit: nam διδόναι [*dare*] hic cum effectu aliquo intelligitur: ut nomen κλητοὶ [*vocati*] I Corinth. I, 24. & alibi ſæpe: ſic *aperire cor* Actor. XVI, 14. *implere cor* Actor. V, 3. & hoc ipſum dandi verbum Actor. XI, 18. II Tim. II, 25. Nec aliter exponit Maimonides illud Deuteron. XXIX, 4. Par locutio apud Livium VI, *Dii prohibebunt hæc, ſed nunquam propter me de cælo deſcendent, vobis dent mentem oportet.* Tradit autem Pater cum effectu Chriſto eos qui pietati ſtudent, ſaltem poſt verbum auditum. Solent præparationes ad fidem Patri tribui ut Matth. XXVI. ut fidei operatio Filio, obſignatio Spiritui.

πρὸς ἐμὲ ἥξει. ad me venient] Ii mihi credent: nam id ſignificat *veniendi* vox. Similitudo ſumta a diſcipulis quos pater magiſtro tradit, quique volentes eum frequentant.

καὶ τὸν ἐρχόμενον πρός με, & eum qui venit ad me] *Qui hoc modo mihi fidem adhibuerit.*

οὐ μὴ ἐκβάλω ἔξω. non ejiciam foras] Ἐκβάλλειν ἔξω [*foras ejicere*] *è loco aliquo ejicere*, ut Actor. VII, 58. ſic de Synagoga dicitur IX, 34, 35. Hìc quaſi de Schola. Ea enim cœpta eſt translatio; Non faciam ut moroſi magiſtri, non expellam eum; nempe ſi perpetuò voluerit meus eſſe, per me non ſtabit quò minus ſit.

38. *Ὅτι καταβέβηκα ἐκ τοῦ οὐρανοῦ, quia deſcendi de cælo*] Ex propoſito ſibi fine facit credibile quod dixerat. Quomodo è ſchola mea ejicerem eos quibus ut dem vitam æternam ſum conſtitutus, quo nullum majus beneficium excogitari poteſt? Deſcendi *è cælo*, id eſt, à Patre ſingulariter miſſus ſum, ut ſuprà III, 13.

οὐχ ἵνα ποιῶ τὸ θέλημα τὸ ἐμὸν, non ut faciam voluntatem meam] Vt agam pro lubitu, privato arbitrio, ut ſuprà V, 30.

ἀλλὰ τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με. ſed voluntatem ejus qui miſit me] Eſt ἔλλειψις [*defectus*] vocum ἵνα ποιῶ [*ut faciam*] ex ſuperiore membro repetendarum; quia quod præceſſit affirmativum eſt, hoc negativum. Miſſus ſum ut omnia agam congruenter Paternæ voluntati.

39. *Τοῦτο δέ ἐστι τὸ θέλημα τοῦ πέμψαντός με πατρὸς, Hæc eſt autem voluntas ejus qui miſit me Patris*] Hoc eſt decretum ejus generale quod ego exſequor.

ἵνα πᾶν ὃ δέδωκέ μοι μὴ ἀπολέσω ἐξ αὐτοῦ, ut omne quod dedit mihi non perdam ex eo] Eſt Hebraïſmus: nam πᾶν [*omne*] cum nullo verbo cohæret. Latinè dicas, *ut ex omni eo quod mihi dedit, nihil perdam*: neutrum rurſus vice communis, ut I Cor. I, 27, 28. *Perdere* hìc eſt oppoſitum ei quod ſuprà commate 33. dixit *vitam dare*; non tam Agendi quàm Sinendi ſenſu, id eſt, *non patiar interire:* nam apud Hebræos Agentia ſæpe Sinendi habent ſignificationem.

ἀλλὰ ἀναστήσω αὐτὸ, ſed reſuſcitem illud] Ἀνάστασις [*Reſuſcitatio*] ſpecialiter dici ſolet ea quæ eſt ad æternam felicitatem, ut ſuprà monuimus; elevatio in ſortem multò ſublimiorem. Sic ἀνιστάμενος εἰς τὴν ἀρχὴν [*ſuſcitatus ad imperium*] qui ad imperium evectus eſt Græcè dicitur. Sic הקים [*elevare*] Hebræis Ezech. XXVI, 8.

ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. in noviſſimo die] Sic infrà aliquoties. Συντέλεια τοῦ αἰῶνος [*conſummatio ſæculi*] dicitur Matth. XIII, 39.

40. *Τοῦτο δέ ἐστι, Hoc eſt autem*] Δὲ [*autem*] hic eſt explicativum, *nimirum, videlicet.*

ὁ θεωρῶν τὸν υἱὸν καὶ πιστεύων εἰς αὐτὸν, qui contemplatur Filium & credit in eum] Modò dixerat ἑωράκατε καὶ οὐ πιστεύετε [*vidiſtis & non creditis*]. Ergo Videre præcedit ipſum Credere; nec ut incredulus damnabitur niſi qui viderit, id eſt, cui rationes credendi ſubminiſtratæ ſunt. Non tamen de nihilo eſt quòd θεωρῶν [*contemplans*] hìc potiùs dixit, quàm ὁρῶν [*videns*]. Eſt enim θεωρεῖν [*contemplari*] non quovis modo ſed *cum attentione videre.* Sic in Epiſtolæ primæ initio poſt ἑωράκαμεν [*vidimus*] ſequitur ὃ ἐθεασάμεθα [*quod contemplati ſumus*]. Sic θεωρεῖν [*contemplari*] ſumi videmus tum alibi, tum Lucæ XXI, 6. & ſuprà II, 23. infrà VII, 3. XX, 6. θεωρεῖν Cicero Tuſculanarum V. vertit *ſtudioſè perſpicere.* Hebræum חזה, quod & hìc poſuit Syrus, Græci Interpretes ſæpiſſime vertunt θεωρεῖν [*contemplari*]. Non aliud hìc eſt θεωρεῖν quàm *dari a Patre*;

re; ſicut *credere* non eſt aliud quàm *venire*. Credentes ſunt המשכילים [*intelligentes*] Dan. XII, 3.

ἀναστήσω, *reſuſcitem*] Cohæret cum ἵνα [*ut*] quod præceſſit. Eſt ergo modi ſubjunctivi.

41. Ἐγόγγυζον, *murmurabant*] Vide Matth. XX, 11.

οἱ Ἰουδαῖοι, *Iudæi*] Nomen hoc eo tempore omnes Iſraëlis poſteros in Terra Promiſſa habitantes continebat, etiam Galilæos.

περὶ αὐτοῦ, *de illo*] *Ob eam rem.* Nonnus maſculinè accipit.

ὁ ἄρτος ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. *panis qui de cælo deſcendi*] Cum accentu pronuntiandum illud ὁ καταβὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ [*qui de cælo deſcendi*], nam id propriè erat quod concoquere non poterant: non quod *Panem* ſe dixiſſet, ſed quòd ſe dixiſſet *de cælo veniſſe*: quod illi non de poteſtate aut περὶ τοῦ λόγου [*de verbo*], ſed de toto homine accipiebant.

42. ὁ υἱὸς Ἰωσήφ, *filius Ioſeph*] Luc. III, 23. & IV, 22.

ἡμεῖς οἴδαμεν, *nos novimus*] Habitabant in proximo Nazarethæ: Ventitabant interdum Capharnaumum. Suprà II, 12.

πῶς οὖν λέγει οὗτος· ὅτι ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβέβηκα; *quomodo ergo dicit hic: Quia de cælo deſcendi*]? Quomodo verum id eſſe poteſt ſi natus eſt humano more?

43. Μὴ γογγύζετε μετ' ἀλλήλων. *Nolite murmurare inter vos*] Diſcordes enim eſſe cœperant, aliis benigniùs, aliis pejùs de Chriſto ſentientibus. Vide infra 52. Omniſcium ſe oſtendit.

44. Οὐδεὶς δύναται ἐλθεῖν πρός με, *Nemo poteſt venire ad me*] *Mihi credere*, ac proinde agnoſcere in me cœleſtem illam excellentiam quam indicaveram cùm dicerem *ex cælo me deſcendiſſe.* Vide ſuprà 35. Oſtendit duritiam cordis eorum.

ἑλκύσῃ αὐτὸν, *traxerit eum*] Idem eſt quod ſuprà, πᾶν ὃ δίδωσί μοι ὁ πατήρ [*omne quod dat mihi Pater*]: ac infrà explicat ipſe, ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου [*niſi fuerit ei datum à Patre meo*]: nam hæc omnia ſignificant præparationem, ſed acceptatam. Et vox ἑλκύειν [*trahere*] reſpondet Hebræo משך, quod etiam per ἄγειν [*ducere*] vertunt Græci, & Tertullianus, ἑλκύσῃ [*traxerit*] in hoc loco vertit *adducat* libro adverſùs Praxeam; alibi per ἑλκύειν [*trahere*], ſed ſine ullo ſenſu impoſitæ neceſſitatis, ut Ierem. XXXI, 3. ubi eſt, *Traxi te miſericordiâ*: & alibi, ut Proverb. VII, 22. Cant. I, 3. Oſeæ II, 4. *Trahi* ergo eſt idem quod infrà VII, 17. *velle facere voluntatem Patris*; VIII, 47, *ex Deo eſſe*, id eſt, pio quodam affectu eſſe præditum; ſuprà III, 21, *facere veritatem*, id eſt, ſincerè ambulare. Philo De vita contemplativa, ὑπ' ἔρωτος ἁρπασθέντες οὐρανίου, καθάπερ οἱ βακχευόμενοι καὶ κορυβαντιῶντες ἐνθουσιάζουσι, μέχρις ἂν τὸ ποθούμενον ἴδωσι [*Rapti amore cæleſti, ſicut ii qui bacchari aut Corybantiaſmum pati dicuntur, extra ſe ſunt, donec videant id quod deſiderant*]. Iuſtinus Colloquio cum Tryphone, Εὔχου δέ σοι πρὸ πάντων φωτὸς ἀνοιχθῆναι πύλας· οὐ γὰρ συνοπτὰ οὐδὲ συννοητὰ πᾶσίν ἐστιν, εἰ μή τῳ Θεὸς δῷ συνιέναι [*Ante omnia verò precare ut aperiantur tibi portæ lucis; neque enim hæc aut conſpici aut intelligi poſſunt niſi ab his quibus intellectum dederit Deus*]. Clemens Strom. IV: Οὐ δεῖ δὲ ἀρθέντας μεταπεθῆναι, ἀλλὰ βαδίζοντας ἀφικέσθαι οἷ δεῖ· τοῦτο γάρ ἐστι τὸ ἑλκυσθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρὸς, διὰ πάσης τῆς στενῆς διελθόντας ὁδοῦ τὸ (legam τῷ) ἄξιον γενέσθαι τὴν δύναμιν τῆς χάριτος παρὰ τοῦ Θεοῦ λαβεῖν, ἀκωλύτως ἀναδραμεῖν [*Non oportet elevatos ſubſiſtere, ſed porrò pergere quò oportet: hoc enim eſt trahi à Patre, ubi totam viam anguſtam tranſieris, & dignus factus ſis accipere virtutem Divinæ gratiæ, ſine impedimento ſurſum currere*], & v. Εἴτ' οὖν ὁ πατὴρ αὐτὸς ἕλκει πρὸς αὐτὸν πάντα τὸν καθαρῶς βεβιωκότα καὶ εἰς ἔννοιαν τῆς μακαρίας καὶ ἀφθάρτου φύσεως κεχωρηκότα, εἴτε τὸ ἐν ἡμῖν αὐτεξούσιον εἰς γνῶσιν ἀφικόμενον τἀγαθοῦ σκιρτᾷ τε καὶ πηδᾷ ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα, ᾗ φασιν οἱ γυμνασταὶ, πλὴν οὐ χάριτος ἄνευ τῆς ἐξαιρέτου πτεροῦταί τε καὶ ἀνίσταται καὶ ἄνω τῶν ὑπερκειμένων αἴρεται ἡ ψυχὴ, πᾶν τὸ βρῖθος ἀποτιθεμένη καὶ ἀποδιδοῦσα τῷ συγγενεῖ [*Sive igitur Pater ipſe trahit ad ſe omnem eum qui purè vixit & ad cogitandam naturam illam beatam atque immortalem ſe promovit, ſive noſtra voluntas ad cognitionem boni provecta exſultat, ſalitque ſuper diſſepta, ut loquuntur Palæſtritæ, certè non ſine eximia gratia fit volucris & expergiſcitur & ſupra impendentia attollitur anima, pondus omne deponens & reſignans eis quæ talis ſunt generis*]. Hierocles tractionem merè activam vocat ἔλλαμψιν [*illuſtrationem*], acceptatam vocat δεῖξιν [*oſtenſionem*]. Verba ſunt, Οὕτω γὰρ ἡ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἔλλαμψις τῆς παρὰ ἡμῶν ὁράσεως αὐτῇ συντρεχούσης γίνεται· ἔργα δὲ τῆς δείξεως, ψυχῆς ἄνεσις καὶ σωτηρία ἀπὸ τῶν τῇδε τούτων, καὶ συναίσθησις τῶν θείων ἀγαθῶν καὶ κοινωνία τῆς πατρικῆς πολιτείας [*Sic à Deo illuſtratio fit concurrente in id viſu noſtro: opera verò oſtenſionis, animæ manumiſſio & à rebus his inferioribus liberatio, tum verò divinorum bonorum conſcientia & paterni regiminis participatio*].

ἀναστήσω αὐτὸν, *reſuſcitabo eum*] Eum qui ad me venerit, ita ut & in me manſerit.

45. ἐν τοῖς προφήταις· *in Prophetis*] Eſaïæ LIV, 13. Ierem. XXXI, 34. in illo loco verba exſtant; in hoc, item apud Ezechielem aliquoties & Micheam IV, 2, ſenſus idem.

ἔσονται πάντες διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. *erunt omnes docti ipſius Dei*] למוד Hebræum non participium eſt, ſed adjectivum, ſignificans *peritum*, *ſapientem*. Conjungitur cum genitivo, ut Eſaïæ VIII, 16. בלמדי, id eſt, *inter peritos meos*, & eo loco qui hîc reſpicitur. At cùm genitivus plures habere poſſit ſignificationes, congruentiſſima huic Eſaïæ loco eſt illa, ut intelligantur *hi qui periti ſunt divina inſtitutione*; ſicut מכה אלהים Eſaïæ LIII, 4. *Percuſſus Dei*, id eſt, *percuſſus à Deo*; εὐλογημένοι τοῦ πατρὸς, Matth. XXV, 34. id eſt, *benedicti à Patre*. Ergo διδακτοὶ Θεοῦ [*docti ipſius Dei*] duabus vocibus, aut διδακτοὶ πνεύματος ἁγίου [*docti Spiritûs ſancti*], ut I Cor. II, 13. ſunt qui una voce Θεοδίδακτοι [*Deidocti*] Paulo I Theſſal. IV, 9. Homerus idem exprimit voce αὐτοδιδάκτου [*ſuidocti*]. nam vocis pars illa prior hominem tantùm magiſtrum excludit: ipſe explicat,

> Αὐτοδίδακτος δ' εἰμὶ, Θεὸς δέ μοι ὤπασεν αὐδήν.
> [*Ipſe à me didici: vocem Deus indidit in me*].

Vide Maximum Tyrium Diſſertatione Εἴ τις γένοιτο θείᾳ μοίρᾳ ἀγαθὸς [*an quis bonus fiat Divino beneficio*], ubi illum Homeri locum expendit. *Omnes* autem intellige apud Prophetam, omnes eos quibus ſermo Euangelii annuntiatur: Hi omnes à Deo docti evadent, nempe ſi velint, ſi avidi ſint, ſi non reſpuant oblatum & ingeſtum ultro beneficium: non opus habebunt adire viros literatos, ut ex iis hauriant myſteria Veteris Teſtamenti. Sic & in 1 Epiſt. II, 27. Adde 1 Theſſ. IV, 9. & Ieremiam XXXI, 34.

ὁ ἀκούσας παρὰ τοῦ πατρὸς καὶ μαθὼν, *qui audivit à Patre & didicit*] Qui ita audit ut docilem ſe præbeat, ut ad diſcendum ſe comparet, ut afflatus Dei admittat in animum. Vetus manuſcriptus poſt μαθὼν [*didicit*] adjicit ἀλήθειαν [*veritatem*].

ἔρχεται πρός με. *venit ad me*] *Se mihi dedit*: quod eſt credere.

46. Οὐχ ὅτι τὸν πατέρα τις ἑώρακε, *Non quia Patrem vidit quiſquam*] Interpretatio antè dictorum, non quòd cum Patre quiſquam ita verſetur familiariter ut ab eo ipſo intelligat quid faciendum ſit. Vide ſuprà I, 18. V, 37.

εἰ μὴ, *niſi*] Rectè verteris *ſed*, ut hîc Syrus אלא: ut ſenſus ſit, Veſtrûm quidem nemo Patrem vidit; at vidit eum Filius: ita enim rectiùs cohærebit quod ſequitur, οὗτος [*hic*], &c.

ὁ ὢν παρὰ τοῦ Θεοῦ· *qui eſt à Deo*] Ὁ μονογενὴς [*Vnigenitus*] ſuprà I, 18. qui Divinitus nobis conceſſus eſt.

οὗτος ἑώρακε τὸν πατέρα. *hic vidit Patrem*] Is ut intimus pernovit Patris voluntatem. quare cùm is eam revelat, tunc Pater trahit; & qui patitur ſe trahi, adducitur ut credat, ut obediat.

47. ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *qui credit in me*] Alibi diximus *credere Ieſu*, eſſe verbis ejus fidem habere: *credere in eum*, eſſe ei confidere: quod Hebræi efferunt per אמן [*credere*] addito ב [*in*], ut Eſaïæ XXVIII, 16. Vbi autem is qui loquitur agit de re quam ipſe nobis præſtiturus eſt, tum hæ duæ locutiones ferme in idem recidunt. *Credere* autem & *confidere* intellige, ita ut oportet, cum animo implendi conditiones propoſitas.

ἔχει ζωὴν αἰώνιον. *habet vitam æternam*] *Ius habet ad vitam æternam*, ut ſuprà III, 16. V, 24. *Qui jus ad rem habet, rem habere videtur*, ajunt Iuriſconſulti.

48. Ἐγώ εἰμι ὁ ἄρτος τῆς ζωῆς. *Ego ſum panis vitæ*] Suprà commate 35. Senſum eundem ſæpe repetit, tum ut infigatur animo, tum ut occaſio detur doceri volentibus interrogandi.

49. τὸ μάννα ἐν τῇ ἐρήμῳ, *Manna in deſerto*] Repetit ipſorum verba, ſuprà 31.

καὶ ἀπέθανον. *& mortui ſunt*] Id eſt, Non potuit illis Manna præſtare vitam, niſi ad breve tempus.

50. ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβαίνων, *de cœlo deſcendens*] Suprà 33. Verbum præſentis temporis uſurpat, quia perpetuò poteſtas ipſius fluit à Patre.

ἵνα τις ἐξ αὐτοῦ φάγῃ καὶ μὴ ἀποθάνῃ. *ut ſi quis ex ipſo manducaverit, non moriatur*] Hebraïſmus pro, *Vt ſi quis ex eo ederit, non moriatur*. Intellige, poſtquam ſemel vitam ipſam (non jus tantum vitæ) adeptus fuerit: nam vita ex hoc pane procedens æterna eſt. ita explicatur mox commate 51, & 54.

51. ὁ ζῶν, *vivus*] Hebræis ſæpe Kal pro Hiphil: itaque חי ipſis eſt & ζῆν [*vivere*] & ζωοποιεῖν [*vivificare*], quo exemplo ζῶν [*vivens*] ſæpe dicunt Helleniſtæ pro ζωοποιῶν [*vivificans*]. Sic Actor. VII, 38. Hebr. IV, 12. 1 Petr. I, 3.

καὶ ὁ ἄρτος δὲ ὃν ἐγὼ δώσω, ἡ σάρξ μου ἐστὶν, *& panis quem ego dabo, caro mea eſt*] Non tantùm Sermo meus eſt pabulum ad vitam æternam (quod ſuprà tractatum), ſed hoc erit & Mors mea. Nam idem quod Sermo docet, docet & Mors, tum Sermonis veritati teſtimonium præbens, tum exemplum eorum quæ Sermo præcipit, Obedientiæ, Patientiæ, Humilitatis, Dilectionis.

ἣν ἐγὼ δώσω, *quam ego dabo*] Et Pater dat, & dat Filius; Pater decreto, Filius voluntario obſequio. Sic & παραδιδόναι [*tradere*] modò de Patre dicitur, Matth. XVII, 22, & alibi; modò de Chriſto, Galat. II, 20. Epheſ. V, 2, 25. Vide infrà X, 17, 18. *Dare corpus* dicitur qui vexandum, qui occidendum præbet, 1 Cor. XIII, 3. nam σὰρξ [*caro*] & σῶμα [*corpus*] promiſcuè ſumuntur apud Interpretes pro Hebræo בשר.

ὑπὲρ τῆς τοῦ κόσμου ζωῆς. *pro mundi vita*] Vt vitam æternam impetrem humano generi. Pro omnibus enim mortuus eſt, Hebr. II, 9. Vide ſuprà I, 29. III, 16.

52. Ἐμάχοντο οὖν, *litigabant ergo*] ריב Hebræum, quod μάχεσθαι [*rixari*] plerunque vertunt Græci, ut Geneſ. XXXI, 36. Nehem. XIII, 11. ſæpe eſt *litigare*, quomodo hîc vertit Interpres Latinus: ἀντιλέγειν [*contradicere*] vertitur Oſ. IV, 4. Alii putarunt ſubeſſe aliquid arcani: Pars major quod Chriſtus dixerat ut planè abſonum rejecerunt. Vide ſupra 41, 43.

λέγοντες, *dicentes*] Pars eorum.

Πῶς δύναται οὗτος ἡμῖν δοῦναι τὴν σάρκα φαγεῖν; *Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum*]? Illud δύναται [*poteſt*] ſume non φυσικῶς [*naturaliter*] ſed ἠθικῶς [*moraliter*]. Sic Iuriſconſulti *impoſſibiles conditiones* vocant quæ honeſtati repugnant. Sic δύνασθαι [*poſſe*] habemus Matth. IX, 15. In hoc impoſſibilium genere eſt veſci humanis carnibus: θοίνη δυσσεβὴς [*epulæ impiæ*] Moſchioni: *impiam dapem* dixit vetus apud Latinos Tragicus.

53. ἐὰν μὴ φάγητε τὴν σάρκα τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, καὶ πίητε αὐτοῦ τὸ αἷμα, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem*] Vt attentionem & diſcendi cupiditatem excitet, ſeriò affirmat id quod illi abſurdum putabant non tantùm honeſtum eſſe ſed & factu neceſſarium, iis ſcilicet qui per Euangelium vocarentur. Quo ſenſu Carnem ſuam *cibum* appellaverit jam diximus. Hîc diſcernit Carnem & Sanguinem, ut ſignificet mortem non quamvis ſed violentam & cruentam. Clemens Alexandrinus Pædagogo primo ipſum Verbum ait vocari *carnem & ſanguinem*; nec aliter Tertullianus libro De reſurrectione carnis: ſed verum eſt quod jam diximus, mortem Chriſti eſſe quaſi verbum viſibile. Duobus modis ſapientiam ait doceri Seneca, præceptis & exemplis. In Chriſti morte perfectiſſimum eſt exemplum tum virtutum aliarum, tum præcipuè dilectionis, quam imitari compendium eſt præceptorum. Vide infrà XIII, 34. XV, 12, 13. 1 Epiſt. II, 6, 9, 10, 11. 1 Cor. XI, 1. Vide & Coloſſ. I, 24. Hoc ergo eſt *edere & bibere*, Vti exemplo; quomodo hunc locum interpretatur

Baſilius Apologiâ ad Cæſarianos. Hoc ipſum Auguſtinus vocat *communicare Paſſioni Domini:* nam ſicut cibus ac potus in corpus admiſſi hominem nutriunt, ita bona exempla in animum admiſſa eum mirabiliter confirmant. Pro *carne*, *corpus* habet Syrus; quæ vox & in Euchariſtiæ inſtitutione legitur, ad quam hîc, ut diximus ſuprà ad caput tertium, tacita quædam alluſio eſt: ibi cibus & potus vocantur *corpus* & *ſanguis*, hîc corpus & ſanguis appellantur *cibus* & *potus*. Nimirum, ut apud veterem eſt Scriptorem, *Significantia & ſignificata iisdem vocabulis cenſentur.* Et mos erat Prophetis ex comparationibus aut tranſlationibus uſitatis ſigna viſibilia ſumere quibus efficaciùs rem animis hominum infigerent.

οὐκ ἔχετε ζωὴν ἐν ἑαυτοῖς. *non habetis vitam in vobis*] Quid ſit *habere vitam*, *æternam* ſcilicet, dictum eſt aliquoties. Illud autem ἐν ἑαυτοῖς [*in vobis*] poſt ἔχειν [*habere*] eſt πλεονασμὸς [*ſermo exuberans*] Hebraïcus, ut Matth. XIII, 21. Marci IX, 50. ſuprà V, 26, 42. I Epiſt. III, 15. Senſus eſt, *Non eſt vobis jus ad vitam æternam.*

54. καὶ ἐγὼ ἀναστήσω αὐτὸν, *& ego reſuſcitabo eum*] Eſt epexegeſis ejus quod præceſſit. *Habet jus ad vitam æternam, quia ego eum excitabo ex morte*, ad vitam ſcilicet & gloriam.

55. ἀληθῶς ἐστι βρῶσις, *verè eſt cibus*] *Eminentiſſimè:* de qua vi hujus vocis diximus jam ſuprà aliquoties. Tale illud,

----- *Qui paſtus pulcherrimus eſt animorum.*

Philo II de Allegoriis, Θεωρίᾳ τῶν θείων τρεφόμενος [*Contemplatione rerum Divinarum alitus*]. Idem, Οὐ γηΐνοις καὶ φθαρτοῖς τρέφεται ἡ ψυχὴ, ἀλλ᾽ οἷς ἂν ὁ Θεὸς ὀμβρήνῃ λόγοις [*Anima non terrenis rebus & corrumpi natis paſcitur, ſed verbis quæ Deus depluerit*].

56. ἐν ἐμοὶ μένει, κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *in me manet, & ego in illo*] *Vnitus eſt mihi, & ego illi*, amore mutuo: nam μένειν [*manere*] ut jam antè notavimus, Iohanni eſt *eſſe*, *habitare in aliquo:* quod figurâ ſatis uſitatâ ad animum transfertur. Amans eſt ubi amat. Quod autem hîc tribuitur manducationi carnis & ſanguinis, id alibi tribuitur dilectioni fraternæ, I Epiſt. III, 2, 3, 24. IV, 16. ut appareat hæc eódem recidere.

57. Καθὼς ἀπέστειλέ με ὁ ζῶν πατὴρ, κἀγὼ ζῶ διὰ τὸν πατέρα· *Sicut miſit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*] Puto hoc eſſe prius membrum comparationis, non comparationem per ſe. Eſt autem Enallage, *Miſit me vivens Pater*, id eſt, Vivit Pater qui me miſit. Paſſim in Sacris Literis Deus dicitur *Deus vivens*, ut Deuter. V, 26. & alibi, quia fontem omnis vitæ in ſe habet: διὰ [*propter*] pro *per* hîc & ſequenti commate, quanquam cum caſu quarto, cauſam efficientem denotat: διὰ τοὺς Θεοὺς [*propter Deos*] apud Demoſthenem, id eſt, *deorum beneficio.* Heſiodus de Iove,

Ὅντε διὰ βροτοὶ ἄνδρες ὁμῶς ἀφατοίτε φατοίτε.

[*Per quem ſunt homines obſcuri & nomine clari*].

Sic ferme ſuprà IV, 41, 42. Et Marci II, 4.

καὶ ὁ τρώγων, *& qui manducat*] Hîc καὶ [*&*] eſt *ſic*, ut infrà X, 15. XV, 9. I Epiſt. II, 18.

δι᾽ ἐμέ. *propter me*] Me ipſi vitam dante, ſicut Pater mihi dedit vitam & jus vivificandi.

58. ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβάς· *qui de cælo deſcendit*] Vide ſuprà III, 13.

οὐ καθὼς, *non ſicut*] Hebraïſmus: pro, *non ſimilis ei pani.* Par locutio, οὕτως [*ſic*] Rom. IV, 18. ſuprà III, 8. & alibi.

καὶ ἀπέθανον. *& mortui ſunt*] Iterum Hebraïſmus copulam ponens pro relativo: *Non talis panis qualis ille, quo manducato patres veſtri mortui ſunt.*

59. ἐν συναγωγῇ διδάσκων, *in Synagoga docens*] Palàm, loco publico, ubi plurimi erant teſtes ſermonis. Facit hoc ad fidem narrationis, ut Actor. XXVI, 26.

60. ἐκ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, *ex Diſcipulis ejus*]. Non ex Duodecim, ſed ex aliis qui frequentiores erant Ieſu ſectatores.

Σκληρὸς, *Durus*] קשיא Syrus hîc, quæ vox paſſim per σκληρὸν [*durum*] vertitur à Græcis, ut Deut. I, 17. Significat autem *perplexum*, *inexplicabile.*

τίς δύναται αὐτοῦ ἀκούειν; *quis poteſt eum audire*]? *Quis patienter audiat?* Hîc verò ſemet accuſant qui de dubiis Magiſtrum non interrogent.

61. σκανδαλίζει; *ſcandalizat*]? *Offendit vos* tanquam incredibile, ut ſuprà 52.

62. Ἐὰν οὖν θεωρῆτε, *Si ergo videritis*] Si aut ipſi videritis aut aliorum certo teſtimonio cognoveritis: nam & *cognoſcendi* ſignificatum habet, ut ſuprà IV, 19. infrà XII, 19, 45. XIV, 17. Actor. XXI, 20. Hebr. VII, 4.

ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν τὸ πρότερον; *aſcendentem ubi erat prius*]? In cœlum, ubi antè fuit ὁ Λόγος [*Verbum*] cùm eſſet πρὸς τὸν Θεὸν [*apud Deum*], ſuprà I, 1. nam Dei regio cœlum. Tribuit Chriſtus ſibi quod τῷ Λόγῳ [*Verbo*] convenit: Quid ni? cùm & Animum & Corpus ſeorſim ſoleamus appellare *hominis* vocabulo. Etiam animis mortuorum Homerus dat propria hominum nomina. Et modò Chriſtus cùm *carnem* & *ſanguinem* ſuum nominaſſet, ſubjunxit *me.* Vide infrà XX, 2, 13. Eſt autem hîc apoſiopeſis, ut ſæpe apud quoslibet auctores, poſt *Quid ſi:* Varia ſupplent Interpretes. Ego ſic ſuppleam, *An tunc ſaltem non percipietis quod nunc non percipitis, verba mea non poſſe ex uſu populari intelligi? nam corpore meo procul in cælum amoto, nulla ſpes erit ejus manducandi ſecundùm ſenſum illum craſſiorem.*

63. Τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν, *Spiritus eſt qui vivificat*] Res ſunt animi, quibus vita æterna comparatur. Diximus ad Matth. XXVI, 41. voce רוח [*ſpiritus*] modò τὸ ἡγεμονικὸν [*vim illam quæ imperat*] ſignificari, modò *animum* totum, ut infrà XI, 33. XIII, 21. Actor. XIX, 21. Atque hoc poſteriore ſenſu hîc ſumere ſimplicius eſt.

ἡ σὰρξ οὐκ ὠφελεῖ οὐδέν. *caro non prodeſt quicquam*] Caro nulla, ne mea quidem, ita ut vos putatis ſumta, poteſt vitam dare æternam: eſt enim pabulum temporarium.

τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, πνεῦμά ἐστι, *verba, quæ ego locutus ſum vobis ſpiritus ſunt*] Præcepta mea, quæ morte mea, quam *carnis* & *ſanguinis* nomine ſignificavi, ſancientur, pertinent ad animi actiones. Ergo πνεῦμα [*ſpiritus*] hîc ſignificat πνευματικὰ [*ſpiritualia*], quomodo ferme πνεῦμα [*ſpiritus*] etiam ſumitur II Corinth. III, 6. ſignificans

Chriſti præcepta cordi inſcripta, id eſt, cor conformatum Chriſti præceptis.

καὶ ζωή ἐστιν. *& vita ſunt*] Καὶ [*Et*] pro *ideò.* ut ſuprà v, 30. Quia ad animi actiones pertinent, ideo ad vitam æternam proficere poſſunt, quæ aliâ re nulla eſt parabilis. Dicitur autem *vita* id quo vita æterna paratur, ut infrà XII, 50. XVII, 3. Hinc mox vocantur ῥήματα ζωῆς αἰωνίου [*verba vitæ æternæ*], ubi genitivus, ut ſæpe, continet Effecti ſignificationem.

64. Ἀλλ᾽ εἰσὶν ἐξ ὑμῶν τινες οἳ οὐ πιστεύουσιν. *Sed ſunt quidam ex vobis, qui non credunt*] Sed non miror perverſè hæc à vobis accipi: Sunt enim veſtrorum non pauci qui fidem mihi non adhibent, idque ob animi ſuperbiam ac contumaciam.

ᾔδει γὰρ ἐξ ἀρχῆς, *ſciebat enim ab initio*] Iam ab initio, ex quo eum ſectari illi cœperant, noverat cujusque animum. Sic ἀπ᾽ ἀρχῆς [*ab initio*] Luc. I, 2.

καὶ τίς ἐστιν ὁ παραδώσων αὐτόν. *& quis eſſet traditurus eum*] Non tantùm in reliqua ſectantium ſe turba, ſed & in numero Duodecim ſciebat unum eſſe qui animum ſibi addictum non haberet, & qui ſcelera ſceleribus cumulando ad Magiſtri proditionem perventurus eſſet.

65. Διὰ τοῦτο εἴρηκα ὑμῖν, *Propterea dixi vobis*] Quia hoc verum eſſe ſciebam, ideo modò dixeram ea quæ exſtant commate 44.

ἐὰν μὴ ᾖ δεδομένον αὐτῷ ἐκ τοῦ πατρός μου. *niſi fuerit ei datum à Patre meo*] Hîc *dare alicui* vocat quod ſuprà *aliquem trahere*, dare ſcilicet ut penitus Chriſto credat; quod non datur niſi piis, modeſtis, diſcendi avidis. Sic Iuriſconſulti notant ſæpe *datum* id intelligi quod & acceptatum ſit.

66. εἰς τὰ ὀπίσω, *retro*] Id eſt, Redierunt unde venerant. Sic ἀποστρέφεσθαι εἰς ὀπίσω [*verti retro*] in Pſalmis & alibi. Sic Luc. XVII, 31. infrà XVIII, 6. ἀπηλλοτριώθησαν εἰς τὰ ὀπίσω [*abalienati ſunt retrorſum*] Eſaiæ I, 4.

οὐκέτι μετ᾽ αὐτοῦ περιεπάτουν. *jam non cum illo ambulabant*] Ne rev[illegible] quidem ſunt ut eum ſectarentur.

67. Μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε ὑπάγειν; *Numquid & vos vultis abire?*] Oſtendit ſe nullius miniſterium ſui causâ quærere, ac ne velle quidem diſcipulos niſi volentes.

68. Σίμων Πέτρος, *Simon Petrus*] Cæteris fervidior ac proinde ſocietatis nomine ſermonem ſuſcipiens.

πρὸς τίνα ἀπελευσόμεθα; *ad quem ibimus?*] Nihil tale docent Scribæ. Matth. VII, 29. Iohannes autem Baptiſta ipſe nos ad te relegavit.

ῥήματα ζωῆς αἰωνίου ἔχεις· *Verba vitæ æternæ habes*] Affirmat idem ſe ſentire quod Chriſtus modò dixerat, Ipſius ſermones duces eſſe ad vitam æternam.

69. Καὶ ἡμεῖς πεπιστεύκαμεν, *Et nos credidimus*] Iampridem Iohanni tibique affirmanti id credidimus.

καὶ ἐγνώκαμεν, *& cognovimus*] Imò certò quaſi perſuaſi ſumus, tum miraculorum conſpectu, tum ſermonis efficaciâ atque auctoritate. Sic & ſuprà IV, 42. poſt πιστεύομεν [*credimus*] ponitur οἴδαμεν [*ſcimus*]. Clemens Stromatum VI, πίστιν γνωστικὴν [*fidem ſcientificam*] ſitam ait ἐν βεβαίᾳ καταλήψει [*in firma comprehenſione*].

ὅτι σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, *te eſſe Chriſtum*] Ac proinde tibi in omnibus tum quæ capimus, tum quæ non capimus fidem habendam. Eodem ſenſu idem mox de Ieſu Martha affirmat XI, 27.

ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. *Filium Dei viventis*] Non Ioſephi, ut modò cæteri dixerant. Vide Matth. XVI, 16.

70. τοὺς δώδεκα ἐξελεξάμην, *duodecim elegi*] In propiorem amicitiæ gradum, in contubernium.

εἷς διάβολός ἐστιν; *unus Diabolus eſt*]? Qui innocentibus malum ſtruunt vocantur διάβολοι [*Diaboli*], ut Matth. XIII, 39. Neque tantum reſpondet hæc vox voci *Satana* quam hîc uſurpat Syrus, de qua egimus Matth. XVI, 23. ſed & voci צר [*hoſtis*], ut cùm Amani hoc nomen tribuitur Eſter. VII, 4. VIII, 1. Indicat Chriſtus meliùs Petrum de ſodalibus ſuis ſentire quam res haberet, & unius exemplo cæteros ſollicitos reddit. Videtur autem Iudas jam tum Ieſu malè voluiſſe, quòd ejus præcepta ab ipſius ſtudiis plurimum diſcreparent.

71. Ἔλεγε δὲ τὸν Ἰούδαν, *Dicebat autem Iudam*] Hoc addidit Iohannes, ne quis de alio quo Apoſtolorum dictum hoc ſuſpicaretur.

CAPVT VII.

1. Καὶ περιεπάτει, *Ambulabat*], id eſt, *verſabatur*] הלך, quod hîc habet Syrus frequentiſſimè ſignificat *in loco aliquo degere atque verſari.* id περιπατεῖν [*ambulare*] vertunt Helleniſtæ, ut Dan. IV, 29. ſuprà VI, 66. infrà XI, 54.

μετὰ ταῦτα, *poſt hæc*], Id eſt, etiam poſtquam acciderant quæ jam narrata ſunt, perrexit vivere in Galilæa ex quo eò venerat; quod narratum eſt ſuprà VI, 1.

οὐ γὰρ ἤθελεν, *non enim volebat*] Videtur antiquiſſima lectio fuiſſe οὐκ ἐδύνατο [*non poterat*]. quod mutatum à delicatis, quaſi Chriſti potentiæ injuriam faceret; cùm nihil aliud ſignificet quàm non potuiſſe eum tutò eo tempore Hieroſolymis verſari, accenſis recente famâ, necdum ſatis reſtinctis odiis.

οἱ Ἰουδαῖοι, *Iudæi*] Plebs incitatu Primorum, per ſeditionem, ut ſæpe. Quod genus mortis ut non aptum Patris inſtituto vitabat Chriſtus.

2. ἡ σκηνοπηγία. *Scenopegia*] ſive *tabernaculorum fixio.* Quoties temporis aut loci nomen proprium diſertè memorat Iohannes, facit id plerunque cum emphaſi. Scenopegia Iudæis in memoriam revocabat tempus illud quo in locis vaſtis atque incultis ſub ſub Dei præſidio militariter habitaverant, Levitici XXIII, 43.

3. οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ, *fratres ejus*] Galilæi cognati Mariæ, quorum poſteros δεσποσύνους [*dominicos*] vocavit ætas poſterior.

μετάβηθι, *tranſi*] Excitantium eſt. *Excede ex his latebris.* Nam Galilæa ignobilis erat regio præ parte Hieroſolymitana, ubi Senatus, ubi tanta populi, tanta exterorum multitudo.

ἵνα καὶ οἱ μαθηταί σου, *ut & diſcipuli tui*] Qui ibi cœperunt auditores tui & fautores eſſe.

τὰ ἔργα σου ἃ ποιεῖς. *opera tua quæ facis*] Hoc ideo, quia majora & plura in Galilæa fecerat quàm in Iudæa.

4. Οὐδεὶς γὰρ ἐν κρυπτῷ τι ποιεῖ καὶ ζητεῖ, *Nemo quippe in occulto quid facit, & quærit*] Eſt Hebraïſmus copulam ponens pro relativo. *Nemo enim clàm ſua agit qui celeber eſſe cupiat:* quod ipſi de Chriſto opinabantur, ex ſuo ingenio metientes alienum. Nam ipſi ex ipſius celebritate ſibi gloriam quærebant,hoc, ut credibile eſt, præcipuè optantes ut Ieſu auctoritas à Synedrio approbaretur. Vide infrà 26.

ἐν παῤῥησίᾳ εἶναι· *in palàm eſſe*] *Clarus eſſe.* Nam vocem παῤῥησίας à Macedonibus acceperunt Iudæi, ſed ſignificatuextenſiore. Sæpe enim ſignificat *ſecuritatem* aut *fiduciam*, ut Levit. xxvi, 13. & infrà xi, 54. Hebr. x, 19. interdum *claritatem nominis* aut *facti*, Coloſſ. ii, 15. ut ab aliis notatum.

εἰ ταῦτα ποιεῖς, *ſi hæc facis*] Ποιεῖν [*Facere*] hîc *poteſtatem perpetuam faciendi* ſignificat. *Si potes*, inquiunt, *& ubi & quoties vis talia facere, aquam mutare in vinum, panes quaſi in infinitum multiplicare.*

Φανέρωσον σεαυτὸν τῷ κόσμῳ. *manifeſta teipſum mundo*] Magnæ hominum multitudini, qualis eſt Hieroſolymis, ut infrà xii, 19.

5. ἐπίστευον, *credebant*] Non omnino, non ut oportebat. Sperabant aliquid magni de illo; ſed nihil certi apud ſe conſtituerant, neque ei parebant.

6. Ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πάρεστιν· *tempus meum nondum advénit*] Dies feſti habent ſuos καιροὺς, מועדים [*ſtata tempora*] Levit. xxiii, 4. Καιρὸς τῆς σκηνοπηγίας [*tempus ſcenopegiæ*] eſt tempus colligendarum in horreum frugum agri, ἐν τῇ συναγωγῇ τῶν ἔργων τοῦ ἀγροῦ [*in congregatione frugum agri*], Exod. xxiii, 16. Mos Chriſti eſt eos qui tentandi cauſâ adveniunt per allegoricas locutiones eludere. Sic de Templo deſtruendo, ſic de manducando Corpore & Sanguine ſuo egit, pluraque ſunt ejuſmodi. Volebant Ieſum adſcendere Hieroſolyma, quia jam ipſum tempus eſſet colligendarum frugum; Chriſtus artificioſè indicat ſuarum frugum colligendarum tempus nondum adveniſſe; οὔπω πάρεστιν, ait, *nondum venit.* Venire enim debebat & poſt Paſcha & poſt Pentecoſten, id eſt, poſt mortem & reſurrectionem, & poſt inſcriptionem legis novæ in cordibus Apoſtolorum per Spiritum. Non multò enim pòſt cœperunt colligi fideles ubique terrarum, & nomen Ieſu cœpit eſſe celebre ἐν παῤῥησίᾳ [*palàm*]. Sic συνάγειν [*congregare*] ſumitur ſuprà iv, 36.

ὁ δὲ καιρὸς ὁ ὑμέτερος πάντοτέ ἐστιν ἕτοιμος. *tempus autem veſtrum ſemper eſt paratum*] Vobis ſemper promptum eſt colligere fructus veſtros, hominum gratiam & hujus vitæ commoda.

7. Οὐ δύναται ὁ κόσμος μισεῖν ὑμᾶς. *Non poteſt mundus odiſſe vos*] Generali quodam odio ſcilicet, quale fuit quo Chriſtus exceptus eſt, & diu Chriſtiani: nam illud non naſcitur, niſi ex dogmate quod maximæ partis hominum affectibus repugnat.

ὅτι ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ αὐτοῦ ὅτι τὰ ἔργα αὐτοῦ πονηρά ἐστιν. *quia ego teſtimonium perhibeo de illo quòd opera ejus mala ſint*] Probitas dogmatis mei collata cum ipſorum vita quàm ea fœda ſit oſtendit. Vide ſuprà iii, 91. Confer Sap. ii, 12.

8. Ὑμεῖς ἀνάβητε εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην. *Vos aſcendite ad diem feſtum hunc*] Ite figite tabernacula veſtra.

Ἐγὼ οὐκ ἀναβαίνω εἰς τὴν ἑορτὴν ταύτην, *Ego autem non aſcendo ad diem feſtum iſtum*]. Omnino fuit hæc vetus ſcriptura; nam ſi οὔπω [*nondum*] fuiſſet Porphyrii tempore, nunquam hinc Chriſtum calumniatus eſſet de mendacio: nam in voce οὔπω [*nondum*] fuiſſet nodi ſolutio: quem ut evaderent, alii οὔπω [*nondum*] ſcripſerunt, alii οὐκ ἀναβαίνω νῦν [*non aſcendo nunc*], alii rurſum deleverunt ταύτην [*iſtum*]: quibus omnibus nihil opus. Dixit hîc ἑορτὴν ταύτην [*feſtum diem iſtum*], ſicut ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου [*de hoc genimine vitis*] Matth. xxvi, 29. utrunque ſenſu myſtico. Feſtum Tabernaculorum Chriſti eſt illud tempus quio conſtitui paſſim Eccleſiæ cœperunt, Apoc. xiii, 6. cùm *habitare* etiam *Iaphet cœpit in tabernaculis Sem*, juxta ſenſum myſticum, Gen. ix, 27.

ὅτι ὁ καιρὸς ὁ ἐμὸς οὔπω πεπλήρωται. *quia meum tempus nondum impletum eſt*] Πληροῦσθαι [*Impleri*] aut συμπληροῦσθαι [*compleri*] propriè dicitur de certo tempore quod exſpectandum eſt, ut Levit. xxv, 20. Num. vi, 5. Actor. ii, 1. vii, 23. Gal. iv, 4. Lucæ xxi, 24. Primùm oportebat Ieſum Regem conſtitui; deinde exire debebat ſceptrum ejus ex Sione; poſtremò figere debebat latiſſimas Regni ſui ſedes.

9. ἔμεινεν ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ. *manſit in Galilæa*] *Subſiſtit aliquandiu*, ut ſequentia oſtendunt.

10. οὐ φανερῶς, ἀλλ' ὡς ἐν κρυπτῷ. *non manifeſtè, ſed quaſi in occulto*] Ne ſi populus magno comitatu à Galilæa uſque Hieroſolyma veniret, concitatos in ſe animos magis accenderet.

11. Οἱ οὖν Ἰουδαῖοι, *Iudæi ergo*] Mos ſæpe eſt Iohanni vocem Ἰουδαίων [*Iudæorum*] ſumere κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] ut *Senatores* ſignificet, ut apparet mox 13. Vide ſuprà v, 16.

ἐζήτουν αὐτὸν ἐν τῇ ἑορτῇ, *quærebant eum in die feſto*] Mirabantur eum latére, qui ſolitu[illegible] erat ſe talibus oſtendere & audiendi ſui copiam facere.

Ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος; *Vbi eſt ille*]? Contemtim ut Matth. xxvii, 63. Sic & infrà 35.

12. γογγυσμὸς πολὺς, *murmur multum*] *Suſurri.*

ὅτι ἀγαθός ἐστιν· *quia bonus eſt*] Hoc dicebant maximè Galilæi, qui & factis & verbis ipſius comitatem erant experti.

πλανᾷ τὸν ὄχλον. *ſeducit turbas*] Quaſi doceret contemnere Sabbatum.

13. Οὐδεὶς μέντοι, *Nemo tamen*] Hoc οὐδεὶς [*nemo*] ad meliùs ſentientes referendum eſt.

παῤῥησίᾳ, *palàm*] *Coram omnibus*, aut *multis*, ita ut ad Senatorum aures renuntiari poſſet.

14. τῆς ἑορτῆς μεσούσης, *medio feſto tempore*] Ἑορτὴν [*Feſtum tempus*] etiam Ioſepho dici totum tempus octo dierum, quorum primus & ultimus propriè ſacri erant, diximus ad Matth. xxvi, 5. Exſpectabat Ieſus id tempus quo Iudæi à ſacrificiis vacui magis poſſent vacare auditioni.

ἀνέβη ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸ ἱερὸν καὶ ἐδίδασκε. *aſcendit Ieſus in templum & docebat*] Tum primùm eò venit ad docendum. Copula pro finali.

15. ἐθαύμαζον, *mirabantur*] Vide Matth. xiii, 55.

Opponuntur γραμματεὺς [*ſcriba*] & τέκτων [*faber*]. Sirach. XXXVIII, 25, 28.

Πῶς οὗτος γράμματα οἶδε, *quomodo hic literas ſcit*] ספרה Syrus, *librum*, Legis ſcilicet, quæ τὰ ἱερὰ γράμματα [*ſacræ literæ*], II Timoth. III, 15. Ideo qui νομοδιδάσκαλοι [*legis doctores*] vocantur iidem & γραμματεῖς [*ſcribæ ſive ſcripturarii*].

μὴ μεμαθηκώς; *cum non didicerit*]? Nemo præceptor in diſcipulorum ſuorum grege eum viderat.

16. Η ἐμὴ διδαχὴ, *Mea doctrina*] Quæ meo ore promitur.

οὐκ ἔστιν ἐμή, *non eſt mea*] Non eſt aliquid quod induſtriâ meâ mihi comparaverim, ut inde, quod homines ſolent, gloriam vener. Vide mox 18.

ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με. *ſed ejus qui miſit me*] Is mihi indidit, quid dicerem. Suprà III, 32.

17. Εάν τις θέλῃ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιεῖν, *Si quis voluerit voluntatem ejus facere*] Si quis ita animo comparatus ſit, ut qualemcunque voluntatem Dei ſibi revelatam, quantumcunque carnis affectibus contrariam, obſequenti animo amplecti velit.

γνώσεται περὶ τῆς διδαχῆς, *cognoſcet de doctrina*] Is demum aptus erit ut judicet de meo dogmate, quippe mentem habens non impeditam; ſicut oculi de coloribus tum demum rectè judicant cùm nullo pravo humore ſuffuſi ſunt. Alioqui enim quæ falſa eſſe vellemus: ea non facilè credimus. Iuſtinus Colloquio cum Tryphone, Εὰν οὖν μὴ τῶν διδαγμάτων τῶν ἑαυτοὺς ὑψούντων καὶ θελόντων Ραββὶ Ραββὶ καλεῖσθαι, καταφρονήσητε, καὶ μετὰ τοιαύτης ἐνστάσεως καὶ νοῦ τοῖς προφητικοῖς λόγοις προσέλθητε, ἵνα τὰ αὐτὰ πάθητε ὑπὸ τῶν ὑμετέρων ἀνθρώπων, ἃ καὶ αὐτοὶ οἱ προφῆται ἔπαθον, οὐ δύνασθε ὅλως οὐδὲν ἀπὸ τῶν προφητικῶν ὠφέλιμον λαβεῖν [*Niſi igitur contemnatis dogmata eorum qui ſemet exaltant ac Rabbi, Rabbi dici volunt, eoque animo ac propoſito ad Propheticos accedatis ſermones, ut parati ſitis eadem à veſtræ ætatis hominibus pati, quæ paſſi ſunt Prophetæ, nihil utilitatis ex ſcriptis Propheticis capere poteſtis*]. Adde quòd Deus illuſtrat eos qui vitiis ſuis non patrocinantur. Platonis eſt, Μὴ καθαρῷ γὰρ καθαροῦ ἐφάπτεσθαι μὴ οὐ θεμιτὸν [*Purum ab impuro tangi nefas*]. Et Socratica erat ſententia: *Quibus ſatis perſuaſum eſt ut nihil vellent ſe eſſe quàm viros bonos, his reliquam facilem eſſe doctrinam.* Meminit Auguſtinus Epiſt. XXI. Adeò & illud verum,

Τῷ γὰρ πονοῦντι καὶ Θεὸς ξυλλαμβάνει.
[*Adjutor ipſe eſt, ſed laboranti Deus*].

Chryſoſtomus in IX ad Rom. cùm προσκόπτειν [*offendere*] interpretatus eſſet ἀπιστεῖν [*incredulum eſſe*], addit, τὸ γὰρ προσκόπτειν ἐκ τοῦ μὴ προσέχειν γίνεται, ἐκ τοῦ πρὸς ἕτερα κεχηνέναι [*offendere naſcitur ex eo quod quis animum non advertit, quod aliis rebus inhiat*].

ἀπ' ἐμαυτοῦ, *à meipſo*] Vide ſuprà V, 30.

18. Ο ἀφ' ἑαυτοῦ λαλῶν, τὴν δόξαν τὴν ἰδίαν ζητεῖ· *Qui à ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit*] Nemo eſt qui ſe à Deo miſſum falſò prædicet, niſi ea re honorem & quæ honorem ſequuntur commoda venetur. Nemo gratis malus eſt. ἀφ' ἑαυτοῦ [*à ſe*], id eſt, ſua cogitata proferens, cùm Dei mandatum præferat.

ὁ δὲ ζητῶν τὴν δόξαν τοῦ πέμψαντος αὐτὸν, *qui autem quærit gloriam ejus qui miſit eum*] Cujus & verba & facta non aliò ſpectant quàm ut Deus honoretur, quique propterea nihil ad gratiam dicit, nihil veri ſalutaris quamvis acerbi ſubticet, honores non ambit, vitâ tenuiſſimâ contentus eſt.

οὗτος ἀληθής ἐστι, *hic verax eſt*] *Hic dignus eſt cui fides habeatur*; ſuprà V, 32.

καὶ ἀδικία ἐν αὐτῷ οὐκ ἔστιν. *& injuſtitia in illo non eſt*] Hìc ἀδικία & ἀλήθεια [*injuſtitia & veritas*] opponuntur I Cor. XIII, 6. & impoſtura vocatur ἀπάτη τῆς ἀδικίας [*ſeductio iniquitatis*], II Theſſal. II, 10. Senſus eſt, Falſi crimen de eo credibile non eſt, cùm abſit mentiendi cauſa.

19. Οὐ Μοσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὸν νόμον, *Nonne Moſes dedit vobis legem*] Deuteron. XXXIII, 4. Redit ad id quod dixerat, Suum dogma ab iis ideo damnari quòd animum non haberent promtum ut Deo obediant. Quod probat ex Lege Moſis, quam à Deo eſſe negare non poterant, quod de Chriſti dogmate negabant. Moſes ille eximius, quo Magiſtro vos jactatis.

οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ποιεῖ τὸν νόμον; *nemo ex vobis facit legem*]? Id eſt, Non eſt vobis ſerium propoſitum vitam vel ad illam Legem inſtituendi. Sic ποιητὰς νόμου [*factores legis*] vocat Paulus eos qui ad Legis normam ſeriò ſe componunt, etiamſi fortè in minutulis lapſent, Rom. II, 13. Vide Matth. VII, 23. Illud autem *nemo* intelligendum ἐπὶ τὸ πολὺ [*ut plerunque*], *de maxima parte*, ut Pſalm. XIV, 3. Rom. III, 10.

20. Τί με ζητεῖτε ἀποκτεῖναι; *Quid me quæritis interficere*]? Vel hoc ipſo apparet quàm longè abſitis ab ipſius Legis obedientia, cùm me popularem veſtrum innocentem, bene de vobis meritum, vultis morte afficere. Tribuit autem populo id quod proprium erat Primorum populi.

Δαιμόνιον ἔχεις· *Dæmonium habes*] Græci dicerent, Δαιμονᾷς, *Inſanis*, *Furiæ te agitant*. Vide Matth. XI, 18. Non fiebat credibile plebi, quenquam in populo eſſe qui necem Ieſu machinaretur. At certè eam ſibi auctoritatem factis pepererat Ieſus, ut nihil ab ipſo affirmatum temerè deberet rejici.

21. Απεκρίθη ὁ Ἰησοῦς, *Reſpondit Ieſus*] Λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει [*Convitiis petitus convitia non reponebat*] I Petri II, 23. Ad convitium docendo reſpondet.

Εν ἔργον ἐποίησα, *Vnum opus feci*] Vnum nec moleſtum opus Sabbato feci, ægrotum voce ſanando.

καὶ πάντες θαυμάζετε. *& omnes miramini*] Quod mox explicat ἐμοὶ χολᾶτε [*mihi indignamini*]: ſic θαυμάζειν pro *offendi* ponitur Eccl. V, 8. Sirach. XI, 21.

22. Διὰ τοῦτο, *Propterea*] Ελλειψις [*Defectus orationis*]; ſupple, *Audite quod dicam. Quia eo facto offendimini, accipite meam purgationem.* Sic ſæpe לכן & על כן [*propter hoc*] apud Hebræos, ut Oſeæ II, 14.

Μωσῆς δέδωκεν ὑμῖν τὴν περιτομὴν, *Moſes dedit vobis circumciſionem*] *Præcepit*, Levit. XII, 3.

οὐχ ὅτι ἐκ τοῦ Μωσέως ἐστὶν, *non quia ex Moſe eſt*] Explicatio ante dicti; *non quòd dicam à Moſe primùm inſtitutam.*

ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων, *ſed ex Patribus*] Ἐκ [*Ex*] pro παρὰ [*ab*]. venit ab Abrahamo, Iſaaco & Iacobo.

καὶ ἐν σαββάτῳ περιτέμνετε ἄνθρωπον. *& in Sabbato circumciditis hominem*] Id eſt *puerum* בן אדם [*filium hominis*]. Sic infra XVI, 21. Illud καὶ [*&*] eſt rationale: quaſi dicat, *propterea, reverentiâ patrii inſtituti opus facitis Sabbato.* Sententia eſt Hebræorum, מילא דוחה את השבת *circumciſio pellit Sabbatum.*

23. Εἰ περιτομὴν λαμβάνει ἄνθρωπος ἐν σαββάτῳ, *Si circumciſionem accipit homo in Sabbato*] Si hoc licet & fas eſt, in quo tam multa concurrunt quæ ſervilia videri poſſent niſi pietatis causâ ſuſciperentur.

ἵνα μὴ λυθῇ ὁ νόμος Μωσέως, *ut non ſolvatur Lex Moſis*] Vt maneat præceptum illud de octavo die facienda circumciſione, à Deo datum, à Moſe perſcriptum, ſuprà 22.

ὅτι ὅλον ἄνθρωπον ὑγιῆ ἐποίησα ἐν σαββάτῳ; *quia totum hominem ſanum feci in Sabbato?*] Paralyſis totum hominem occupaverat, & ego eum liberavi: quod opus non tantum ad Dei honorem magis pertinet quàm Circumciſio, ſed & per ſe beneficum eſt, ac proinde continetur in Naturæ præceptis, quæ antiquiora ſunt ipſa Circumciſione, ſicut Circumciſio eſt antiquior rigido otio Sabbati per Moſem imperato, ac propterea Sabbato præfertur. Si lex ritualis cedit rituali antiquiori, quantò magis legi per naturam cordibus inſcriptæ, ut quavis occaſione miſeros juvemus?

24. Μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, *Nolite judicare ſecundùm faciem*] Sepoſitis perſonis, circa quas favor aut odium naſci ſolent, rem nudam ſpectate: ὄψις [*facies*] hic eſt פנים [*aſpectus externus*], quod πρόσωπον [*facies*] verti ſolet. Senſus deſumtus eſt ex Deut. I, 17. XVI, 19.

ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνετε. *ſed juſtum judicium judicate*] Ex Zach. VII, 9. Ne in me damnate quod vobis permittitis.

25. ἐκ τῶν Ἱεροσολυμιτῶν, *ex Hieroſolymitis*] Sic ſæpe apud Ioſephum vocantur, & Marci I, 5.

ὃν ζητοῦσιν ἀποκτεῖναι; *quem quærunt interficere*]? Nam hi, ut cives, propiùs noſſe poterant odium Procerum in Ieſum quàm qui ex aliis partibus in Vrbem venerant, quos modò ὄχλου [*turbæ*] nomine ſignificavit.

26. παῤῥησίᾳ λαλεῖ, *palàm loquitur*] *Palàm*, ut ſuprà 13.

οὐδὲν αὐτῷ λέγουσι· *nihil ei dicunt*] Ne docere quidem à Synedrio vetatur.

ἀληθῶς ἔγνωσαν, *verè cognoverunt*] Ἀληθῶς [*verè*], id eſt, *certis indiciis.* Sic infrà XVII, 8. quod qui non intellexerunt poſuerunt ἀληθῶς [*verè*] antè ἐστιν [*eſt*], quod ſecutus eſt Syrus: poſtea utrumque in quoſdam codices irrepſit.

οἱ ἄρχοντες, *Principes*] Syrus קששין, id eſt, *Seniores.* Senatores Magni Synedrii, penes quos cognitio erat de Prophetis veris aut falſis. Vide quæ ad Luc. XIV, 1. & Matth. V, 22.

27. ὅταν ἔρχηται, *cum venerit*] *Veniet*; ſic γινώσκει, *ſciet.*

πόθεν ἐστίν· *unde ſit*] Quo patre natus ſit: id enim reſpondetur ad quæſtionem πόθεν [*unde*] I Sam. XXX, 13. II Sam. I, 13. Ex myſtica interpretatione loci, *Ecce virgo pariet*, & aliis fortè ſimilibus apud quoſdam Iudæos fama invaluerat Meſſiæ patrem indicari non poſſe. At hujus patrem noſſe ſe ſibi perſuaſerant, Ioſephum ſcilicet.

28. Ἔκραξεν, *Clamabat*] Intendit vocem ut omnes audirent.

Κἀμὲ οἴδατε, καὶ οἴδατε πόθεν εἰμί· *Et me ſcitis, & unde ſim ſcitis*] Puto legendum cum interrogatione, *Itane verò me noſtis quo ſim patre genitus?* Nec aliter puto legiſſe Tertullianum, qui Ad Praxeam ſic citat: *Neque me ſcitis unde ſim*, interrogationem negativè exponens. Chriſtus ſicut ab Aqua vulgari ad ſpiritualem, à Cibo corporis ad cibum animi, ita à patre terreſtri ad cœleſtem ſermonem traducit.

καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλήλυθα, *& à meipſo non veni*] Καὶ [*&*] pro *at*: *At ſanè ego me huic muneri non ingeſſi, ſed qui me miſit, is Pater eſt meus.* Sic ἐρχόμενος [*qui venit*] ſuprà I, 15. ἐλήλυθας [*qui veniſti*] III, 2. & alibi.

ἀλλ' ἔστιν ἀληθινὸς ὁ πέμψας με, *ſed eſt verus, qui miſit me*] Subintellige πατὴρ [*Pater*], κατὰ τὸ σημαινόμενον *ſecundùm id quod ſignificatur*]: nam in voce πόθεν [*unde*] hoc inerat. Sic ſuprà τὸν ἄρτον τὸν ἀληθινὸν [*panem verum*] VI, 32. Suprà aliquoties voci ὁ πέμψας με [*qui miſit me*] additur πατὴρ [*Pater*] V, 30, 37. VI, 39, 44. *Qui me miſit, is verè eſt Pater meus.*

ὃν ὑμεῖς οὐκ οἴδατε. *quem vos neſcitis*] Neſcitis quo ſit ingenio, quo affectu ergò genus humanum, quo cultu delectetur. Vide ſuprà I, 18. & quæ ibi dicta.

29. Ἐγὼ οἶδα αὐτόν, *Ego ſcio eum*] Ego eum quis ſit, quid velit, quid cogitet, quas leges quibus præferat, intimè novi. Referenda hæc ad ſuperiorem quæſtionem de ſanatione in Sabbato.

ὅτι παρ' αὐτοῦ εἰμι, *quia ab ipſo ſum*] Ab ipſo duco auctoritatem & poteſtatem miracula tanta faciendi: quod infrà X, 36. dicitur à Patre eſſe ſanctificatum. Sic πόθεν ἐστὶ [*unde eſt*] ſumitur Matth. XXI, 25. infrà IX, 29. Alluſio eſt ad illud ſuprà dictum πόθεν ἐστὶν [*unde eſt*] ſenſu alio.

κἀκεῖνός με ἀπέστειλεν. *& ipſe me miſit*] *Ab ipſo & mandata accepi*, ſuprà III, 17, 34. Ratione hujus tum ſanctificationis tum miſſionis Deum rectè Patrem ſuum dici infrà quoque probat X, 37.

30. Ἐζήτουν οὖν αὐτὸν πιάσαι· *Quærebant ergo eum apprehendere*] Quidam ex adſtantibus manus ei injicere volebant, nempe ut eum ad Synedrium adducerent. cui id ſciebant gratum fore.

ἡ ὥρα αὐτοῦ. *hora ejus*] Tempus Paſſionis à Patre electum ut opportuniſſimum ſaluti humanæ. Id ſæpe ὥραν [*horam*] vocat Iohannes VIII, 20. & alibi. Vide Reſponſionem ad Orthodoxos CXXII. in Iuſtini Operibus. Ante id tempus voluntates quamvis malæ ab effectu Divina quadam vi inhibebantur.

31. ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν, *crediderunt in eum*] Non ut in Chriſtum, (nam de eo dubitabant), ſed ut in hominem à Deo miſſum.

πλείονα σημεῖα, *plura ſigna*] Nam plurima ipſe etiam Iohannes ſubticuit: infrà XX, 30. XXI, 25.

32. γογγύζοντος περὶ αὐτοῦ, *murmurantem de illo* Clam hæc muſſitantem. Sic γογγυσμὸς πολὺς περὶ αὐτοῦ [*murmur multum de eo*] ſuprà 12.

ἀπέστειλαν οἱ Φαρισαῖοι καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, *miſerunt Phariſ* *riſæi & ſummi Sacerdotes*] Id eſt, rem urſerunt in Synedrio tum Pontificum primores, tum alii ſectæ Phariſaïcæ, quorum illi dignitatis, hi traditionum ſuarum imminutionem metuebant, quandoquidem populus tam bene de Ieſu ſentire cœperat. Vide infrà XI, 47. Sed Sadducæi iſta non curabant, traditionum contemtores & ad dignitates nixi Romana poteſtate non aura populari.

ὑπηρέτας, *miniſtros*] שוטרים [*executores*] qui Senatorum judicia exſequebantur.

33. Ἔτι μικρὸν χρόνον μεθ' ὑμῶν εἰμὶ, *Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum*] Oſtendit omnia ſua agi diſpoſitu Divino ſpeciali atque eximio, & ſimul vanum eſſe ipſorum conatum, quia & nunc nocere ipſi impedirentur, & poſthac ubi in cœlum ipſe adſcendiſſet multò magis. Mortem ſuam in medio poſitam ſilentio tranſit, quia non pertinebat ad id quod hîc agitur.

καὶ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με. *& vado ad eum qui me miſit*] Renuntiaturus legationem: quaſi dicat, Videte quomodo tractandus ſit vobis Legatus.

34. Ζητήσετέ με καὶ οὐχ εὑρήσετε· *Quæretis me, & non invenietis*] Non eſſe hoc èxprobrantis, ſed communiter dictum bonis & malis apparet infrà XIII, 33. Hebræorum eſt indicativo adjectâ copulâ uti pro ſubjunctivo, quo carent. Senſus ergo eſt, Si me quæratis non comparebo. Hoc ſenſu phraſis hæc reperitur Pſalm. X, 15. XXXVII, 10. Eſaiæ XLI, 12. Oſ. II, 7.

καὶ ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. *& ubi ego ſum, vos non poteſtis venire*] Noli cum Nonno εἶμι [*eo*] legere, quod Poëticum eſt & noſtris Scriptoribus incognitum. Tam εἰμὶ [*ſum*] hîc eſt pro futuro quàm δύνασθε [*poteſtis*]. Vide Matth. XVII, 11. ſic infrà XIII, 33. ubi hic ſenſus repetitur, ὑπάγω [*vado*] eſt pro ὑπάξω [*vadam*]; quanquam alio fine ibi Apoſtolis hoc dicitur quam hîc plebi; ibi ut amicis, hîc ut inimicis.

35. πρὸς ἑαυτοὺς, *adſemetipſos*] *Inter ſe:* ut Matth. XVI, 7. & alibi.

ὅτι ἡμεῖς οὐχ εὑρήσομεν αὐτόν; *quia non inveniemus eum*]? Id eſt, *ut eum invenire non poſſimus*, ut hîc optimè vertit Syrus. Sic II Sam. VII, 18. Græcè, τίς εἰμι ἐγὼ, Κύριέ μου, Κύριε, καὶ τίς ὁ οἶκός μου, ὅτι ἠγάπησάς με ἕως τούτων; [*quis ego ſum Domine Deus, & quæ domus mea, quia amaſti me hucusque*]? *ut me diligeres.*

εἰς τὴν διασπορὰν τῶν Ἑλλήνων, *in diſperſionem Gentium*] Vox διασπορᾶς [*diſperſionis*] Iudæis Græcè loquentibus, quos *Helleniſtas* dici mos habet, ſignificat ea loca in quibus Iſraëlis poſteri exſulabant, נדח [*diſſipatus*], ut videre eſt Deut. XXX, 4. Nehem. I, 9. Pſalm. CXLVII, 2. II Maccab. I, 27. In loco illo Pſalmi LXX. habent τὰς διασπορὰς τοῦ Ἰσραὴλ [*diſperſiones Iſraëlis*]; at Symmachus τοὺς ἐξωσμένους [*ejectos*]. Nobiles autem διασποραὶ [*diſperſiones*] erant duæ, prior Babyloniorum, altera Græcorum; id eſt illa quæ ſub Chaldæis, hæc quæ ſub Macedonibus contigerat: nam Regnum Macedonum Hebræi vocant מלכות יון *Regnum Græcorum*. Vide I Maccab. VI, 2. Senſus eſt, Ibitne Antiochiam aut Alexandriam, quò multi Iſraëlitarum migrarunt ſub Succeſſoribus Alexandri? Hoc autem potiùs quærunt quàm de regionibus ſub Partho, quia Syria & Ægyptus minùs longè aberant à Iudæa, & plurimi inde Hieroſolyma feſtis diebus veniebant; non æquè ex Mediæ partibus.

καὶ διδάσκειν τοὺς Ἕλληνας; *& docturus Gentes*]? Vt dogma ſuum ſpargat non tantùm inter Iſraelitas, ſed etiam inter Græcos, id eſt, eos qui, cùm Iſraëlitæ non ſint, in iis locis habitant, Deum unum non agnoſcentes. לחנפא *impios* habet hic Syrus. Hoc volunt, Fortè ſperat ſuum dogma, quòd ritibus Legis non multum tribuit, gratioſum fore apud alienigenas, ita ut eorum ope facilè ſperet tutum ſe fore adverſùs conatus noſtratium.

36. Τίς ἐστιν οὗτος ὁ λόγος ὃν εἶπε, *Quis eſt hic ſermo quem dixit*] Nam niſi hoc vult, quem ſenſum habet ſermo ipſius? Vbi enim in terra Palæſtina præſidium ſibi ſperat, cùm Romani ipſi in his locis plurimum deferant auctoritati Synedrii, cujus judicium ipſi adverſatur? Sic & Apoſtolos videmus nuſquam minùs tutos fuiſſe quàm in Iudæa. Sed quò ipſi Ieſum iturum putabant ut ipſorum inſidias vitaret, eò, Ieſu jam locum tutum ac glorioſum obtinente, ipſi coacti ſunt fugam capere.

37. Ἐν δὲ τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τῇ μεγάλῃ τῆς ἑορτῆς, *In noviſſimo autem die magno feſtivitatis*] Primus dies & ultimus τῆς ἑορτῆς [*temporis ſolennis*] erant feſti, ſed ultimus quo dabatur ἄφεσις λαοῖς [*dimiſſio populo*] celebrior & cum ſolenni lætitiæ ſignificatione. Nam & palmas ramosque tum geſtantes canebant *Hoſanna*. Vocatur is dies מקרא קדש κλητὴ ἁγία [*celebris ſancta*] Levit. XXIII, 36. item עצרת ἔξοδος [*exitus*] Græcis. Multa de hac lætitiæ ſignificatione in Thalmude titulo *Succah*.

εἱστήκει ὁ Ἰησοῦς, *ſtabat Ieſus*] Non inter deambulandum, ut aliàs, ſermonem hunc habuit, ſed ſtans & intentâ voce, quò magis attentionem excitaret.

Ἐάν τις διψᾷ, ἐρχέσθω πρός με, καὶ πινέτω. *Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat*] Ex rebus obviis ſermonis occaſionem capere Chriſtus ſolebat. Eo autem die populus magnâ pompâ ex fonte Siloæ aquam hauriebat, canticum illud ex Eſaia uſurpans, *Haurietis aquas in gaudio de fontibus ſalutis*. Hoc conſpecto docet eos Chriſtus quis ſit fons verè ſalutaris indicatus à Zacharia XIII, 1. Verba autem hæc ſua ſumit ex Eſaia LV, 1. Senſus eſt, Qui deſiderio felicitatis uritur (nam id *ſitire* vocant Hebræi, ut & aliæ gentes) ad me veniat; ego ſitim ejus reſtinguam.

38. Ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *Qui credit in me*] Qui mihi fidem ita adhibet ut mihi pareat atque vitam inſtituat, quemadmodum ego doceo, & qualem deſcribit aliquatenus Eſaias LVIII, 7. & ſequentibus.

καθὼς εἶπεν ἡ γραφὴ, *ſicut dicit Scriptura*] Ita ſæpe Iohannes, ubi non unum aliquem locum ſed multorum conſenſum indicat. Quare & Syrus pluraliter hîc *Scripturas* poſuit, quomodo & ſuprà habemus V, 39. Pertinent huc omnes loci qui de *effundendo Spiritu agunt:* nam *effuſio* tacitam habet Aquarum comparationem. Sed præcipuè reſpici puto locum Eſaiæ dicto capite LVIII, 11. *Erit ſicut exitus aquarum cujus aquæ non deficient:* hunc enim locum videtur παραφράζειν [*fuſiùs exponere*].

ποταμοὶ ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ ῥεύσουσιν ὕδατος ζῶντος. *flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ*] Apud exitus ſive ſcaturigines aquarum ſolebant *conceptacula lapidea* fieri: ἀγγεῖα vocantur Græcis Proverbiorum v, 15. Hebræis modò בור, modò באר: nam hæc in privatis locis diſtingui ajunt Thalmudiſtæ, in publicis vocabula miſceri. In horum medio erant tubi per quos aqua in publicum exſiliebat. Dicto loco Proverb. *Diſpergantur fontes tui foràs, & fluenta de medio conceptaculi.* Omne autem medium aut intimum Hebræis בטן [*venter*], Græcis κοιλία dicitur, ut I Regum VII, 20. Matth. XII, 40. Dicitur igitur futurum ut ſibi credentes ita repleantur aquâ ut contineri intra ipſos nequeat, ſed undique magnis fluentis exſiliat. *Aquam* autem hîc intelligit Spiritum Sanctum, ut ſtatim Iohannes explicat. *Aqua viva* eſt *aqua jugiter fluens*, ut explicat Servius in codice Fuldenſi, addens *augurale eſſe verbum.* Meritò autem ſic vocatur Spiritus Sanctus, quia arrhabo eſt vitæ æternæ. Ποταμοὶ [*flumina*] vocantur non tantùm *amnes* ſed & *quævis copia aquarum*, Matth. VII, 25, 27. Eſt autem Hebraïſmus, ὁ πιστεύων [*credens*], & deinde αὐτοῦ [*ejus*], pro quo Græci una voce dicerent τοῦ πιστεύοντος [*credentis*].

39. περὶ τοῦ πνεύματος οὗ ἔμελλον λαμβάνειν οἱ πιστεύοντες, *de Spiritu quem accepturi erant credentes*] Non tantùm Apoſtoli, ſed credentium ingens multitudo, cujus rei initium in CXX hominibus factum eſt in Pentecoſte. Vide quæ ad Marcum XVI, 17 & deinceps.

οὔπω γὰρ ἦν Πνεῦμα, *nondum enim erat Spiritus*] Ita puto ſcriptum fuiſſe; nam ἅγιον [*ſanctus*], quod Græci codices, nec omnes, habent & ſequitur Arabs, Syrus & Latinus veteresque Scriptores non agnoſcunt. Itaque explicandi causâ adjectum eſt, ſicut in Græcis quibusdam ἐπ' αὐτοῖς [*ſuper ipſis*], & in nonnullis *datus* ad vitandam calumniam Macedonianorum; quibus tamen minimè opus eſt: ſubintelligendum enim ex prioribus *credentium Chriſto.* Hic Spiritus credentium Chriſto adhuc erat exſpectandus. Alioqui *Spiritus Sanctus* etiam de Prophetis dicitur II Petr. I, 21. & de Eliſabeta Luc. I, 41. & de Zacharia ibidem 67.

ὅτι ὁ Ἰησοῦς οὐδέπω ἐδοξάσθη. *quia Ieſus nondum erat glorificatus*] Nondum in cœlum aſcenderat, ut explicatur Actor. II, 33. & Epheſ. IV, 8, 9, 10. Regis enim eſt jam regnantis dona dare regia. Iuſtinus Colloquio cum Tryphone, πάλιν ὡς ἐπεπροφήτευτο γενήσεσθαι δόματα, ἀπὸ τῆς χάριτος τῆς δυνάμεως τοῦ πνεύματος ἐκείνου τοῖς ἐπ' αὐτὸν πιστεύουσι δίδωσιν, ὡς ἄξιον ἕκαστον ἐπίσταται, ὅτι ἐπεπροφήτευτο τοῦτο μέλλειν γίνεσθαι ὑπ' αὐτοῦ μετὰ τὴν εἰς οὐρανὸν ἀνέλευσιν αὐτοῦ [*Deinde quomodo prædictum ſit dona exſtitura, quæ ille ex gratia potentis Spiritûs ſui daturus eſſet in ſe credentibus, ſicut quemque dignum ſciret, quod & ipſe præſignificaverat ſe facturum poſt ſuam in cælum adſcenſionem*].

40. Πολλοὶ οὖν ἐκ τοῦ ὄχλου, *Multi ergo ex turba*] Moti verborum Majeſtate percellente animos.

ὁ προφήτης, *Propheta*] Vide ſuprà I, 21.

41. Μὴ γὰρ ἐκ τῆς Γαλιλαίας ὁ Χριστὸς ἔρχεται; *Numquid à Galilæa venit Chriſtus*]? De loco ortûs Ieſu nihil niſi rumore ipſis conſtabat, de miraculis & dogmate, viſu atque auditu, quibus excitari debuerant ut de ortu aut ipſum aut cognatos ipſius interrogarent.

42. Οὐχὶ ἡ γραφὴ εἶπεν, ὅτι ἐκ τοῦ σπέρματος Δαβίδ, *Nonne Scriptura dicit: quia ex ſemine David*] Qui hæc dicebant à Doctoribus erant inſtituti apud quos traditiones iſtæ vigebant. Vide Matthæi XXII, 42.

καὶ ἀπὸ Βηθλεὲμ τῆς κώμης ὅπου ἦν ὁ Δαβίδ, *& de Bethlehem caſtello, ubi erat David*] Vide Matth. II, 5. κώμας [*caſtella* aut *vicos*] vocant Scriptores noſtri non raro minora oppida, ut Luc. XXIV, 13. Etiam Græci עיר ſæpe πόλιν [*oppidum*], interdum κώμην [*vicum*] vertunt. Davidis domus paterna Bethleem I Sam. XVI, 4. XVII, 12, 15. atque ibi gentilitia convivia celebrare erat ſolitus, I Sam. XX, 6, 29.

43. Σχίσμα, *Diſſenſio*] *Diverſitas ſtudiorum.* Sic infrà IX, 16. X, 19.

44. Τινὲς δὲ ἤθελον ἐξ αὐτῶν πιάσαι αὐτόν· *Quidam autem ex ipſis volebant apprehendere eum*] Subornati à Senatoribus. Vide ſuprà 30.

45. Ἦλθον οὖν οἱ ὑπηρέται, *Venerunt ergo miniſtri*] Poſtquam per dies aliquot Chriſtum ſectati erant, quaſi eum prehenſuri datâ occaſione.

πρὸς τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ Φαρισαίους· *ad Pontifices & Phariſæos*] Ἀρχιερεῖς [*Pontifices* ſive *ſummos Sacerdotes*] hîc intellige non tantùm Cajapham & Annam, ſed & alios familiarum Sacerdotalium Principes; *Phariſæos*, cæteros è Senatoribus quibus prehenſio cordi erat, quique hoc negotium urgebant.

46. Οὐδέποτε οὕτως ἐλάλησεν ἄνθρωπος, *Nunquam ſic locutus eſt homo*] Ἄνθρωπος איש [*vir*] pro τὶς [*aliquis*], ut & infrà 51. Ingenuè loquuntur: non cauſantur metum turbæ, ſed animi conſcientiam verbis Divinis commotam; tantò Magiſtratibus ſuis meliores. Confer Matth. VII, 29. I Cor. II, 14.

47. Μὴ καὶ ὑμεῖς πεπλάνησθε; *Numquid & vos ſeducti eſtis*]? Etiam vos, qui, cùm in miniſterio noſtro ſitis, facilè poteſtis diſcere ea quæ ad religionem pertinent?

48. Μή τις ἐκ τῶν ἀρχόντων ἐπίστευσεν, *Numquid ex principibus aliquis credidit*] *Ex Senatoribus Magni Synedrii*, qui jus habent cognoſcendi de Propheta. Vide ſuprà III, 1. & hoc capite 26.

ἢ ἐκ τῶν Φαρισαίων; *aut ex Phariſæis*]? *Aut ſaltem ex Phariſæis*, qui & ſanctitatis & eruditionis nomine excellunt. Ita à duplici auctoritate argumentantur, Iudiciali & Magiſtrali.

49. Ἀλλ' ὁ ὄχλος οὗτος, *Sed turba hæc*] *Populus terræ*, ut loquebantur. *fæx populi.*

ὁ μὴ γινώσκων τὸν νόμον, *quæ non novit Legem*] Qui ſtudium non ponit ut exactè Legem diſcat ſecundùm Scholarum interpretationes & traditiones.

ἐπικατάρατοί εἰσι. *maledicti ſunt*] שקץ [*abominatio*], quod ſæpiſſime Rabbini dicunt de populo terræ. Sumtum hoc ex Deuter. XXVII, 26. ubi *maledicti* aut *exſecrabiles* pronuntiantur qui ex Lege vivere noluerint. Quaſi verò hoc ad illos apices pertineret qui niſi in Scholis diſci non poterant: ideoque ſimplex aliquis piſcator aut opifex ſecundùm communem intellectum dans operam ſervandis Dei præceptis Deo placere non poſſet.

50. ὁ ἐλθὼν νυκτὸς πρὸς αὐτὸν, *qui venerat ad eum nocte*] Hoc additur ut intelligatur & Chriſti fautor & timidior. Ideo nec apertè ei patrocinatur.

εἷς ὢν ἐξ αὐτῶν· *qui unus erat ex ipſis*] Vnus è Senatu, ut apparet ſuprà III, 1.

51. Μὴ ὁ νόμος ἡμῶν κρίνει τὸν ἄνθρωπον, *Numquid lex noſtra judicat hominem*] Κρίνει [*Iudicat*], id eſt, *patitur judicari.* Noſtráne Lex, quæ æquitatem ubique Iudicibus commendat, hoc patitur ut præjudicio confodiatur aliquis (quale hoc erat de Ieſu prehendendo) neglectis veri indagandi rationibus commodis, qualis eſt imprimis ut ipſe coràm interrogetur atque audiatur? Vide Præceptorum jubentium CVI. τὸν ἄνθρωπον [*hominem*], *hominem aliquem*, ut ſuprà II, 25. De lege Romana idem dicit Piſo apud Appianum Civilium III. Ὁ νόμος δικαιοῖ τὸν εὐθυνόμενον αὐτὸν ἀκοῦσαί τε τῆς κατηγορίας καὶ ἀπολογησάμενον ὑπὲρ αὐτοῦ κρίνεσθαι [*Vult lex reum audire ea de quibus accuſatur & ubi ſe defenderit judicari*].

ἐὰν μὴ ἀκούσῃ παρ' αὐτοῦ πρότερον, *niſi prius audierit ex ipſo*] Cùm in eadem urbe palàm verſetur, neque de fuga ſuſpectus ſit. ἐὰν μὴ hîc *ſi non* vertendum.

καὶ γνῷ τί ποιεῖ; *& cognoverit quid faciat*]? Καὶ [*&*] pro *ut*: ut ſcilicet eo modo cognoſcatur quam vitam vivat, quem ſe dicat, quibus argumentis.

52. Μὴ καὶ σὺ ἐκ τῆς Γαλιλαίας εἶ; *Numquid & tu Galilæus es*]? Non quòd hoc crederent, ſed quòd ſignificare vellent non alios Ieſum fautores habere quàm populares factione occupatos. Vide Marci XIV, 70. Lucæ XXII, 59.

ἐρεύνησον, *ſcrutare*] *Revolve tecum omnium temporum hiſtoriam.* Loquuntur ut erudito.

καὶ ἴδε, *& vide*] Quaſi dicant, *Certum eſt, Conſtat.*

ὅτι προφήτης ἐκ τῆς Γαλιλαίας οὐκ ἐγήγερται. *quia à Galilæa Propheta non ſurrexit*] Non de uno ſed de quovis Propheta accipe. Nullus, ajunt, Galilæus unquam à Deo donatus eſt Spiritu Prophetico: Gens eſt Deo deſpecta. Vide ſuprà I, 46. Occœcatus odio animus nihil ad illud de æquitate à Nicodemo allatum reſpondet, ſed argumentum arripit, quo nullum fragilius, ab hiſtoria negativè; quaſi nemo eximius naſci poſſet unde non alius talis prior natus ſit. Propriè autem de Propheta dicitur ἐγήγερται [*ſurrexit*], id eſt, *à Deo excitatus & quaſi in ſublimi collocatus eſt.* Notavimus ad Matth. XI, 11.

53. Καὶ ἐπορεύθη ἕκαστος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ. *& reverſi ſunt unusquisque in domum ſuam*] Diſceſſio facta eſt re infecta: quod credibile eſt eveniſſe, quia Sadducæi, pars Senatûs, Nicodemi ſententiam probarunt. Erant enim, ut Ioſephus notat, in jure dicendo exacti ſatis Legis obſervatores, & libenter Phariſæis contradicebant. Videntur autem poſtea hi ceſſiſſe, intellectâ Majeſtatis accuſatione: erant enim cultores Romanæ potentiæ.

CAPVT VIII.

1. Ἰησοῦς δὲ ἐπορεύθη, *Ieſus autem perrexit*] De hiſtoria Adulteræ jam olim fuit quæſtio, & nunc eſt. Ego planè arbitror initio nec à Matthæo ſcriptam in Hebræo Euangelio, nec à Iohanne in Græco; ſed quia & hi & alii Apoſtoli vivâ voce hanc hiſtoriam ſæpe narraverant, attextam à Nazarenis quidem Palæſtinæ Hebræo Euangelio, à Papia autem aliisque Iohannis diſcipulis Græco Iohannis, & ab Eccleſia probatam, ideo quòd ſatis certo teſtimonio conſtaret ab Apoſtolis traditam: Ideo vetuſtiora Græca exemplaria & Syriacum non habent: At habent Latina quædam, ſeriora Græca, & Arabicum. Nam in Nazaræorum Hebræo fuiſſe ſatis ex Hieronymo conſtat. Puto autem omiſſam ſcribi ab ipſis Apoſtolis, quòd facilè inde calumnia arripi poſſet traducendi Chriſtianos apud Magiſtratus quaſi evertentes publica judicia, quibus ſtare videtur reipublicæ ſalus. Nam quod quidam putant à Novatianis eraſam credibile non eſt, cùm ex Euſebio & Hieronymo ſatis appareat ante ea tempora deſideratam.

εἰς τὸ ὄρος τῶν ἐλαιῶν. *in montem Oliveti*] In villam Gethſemane, ubi orare & pernoctare ſolebat, Luc. XXI, 37. Matth. XXVI, 36. Cœnabat autem ſæpe in proximo in Bethania apud Lazarum & ejus ſorores.

2. Ὄρθρου δὲ πάλιν, *diluculo iterum*] Cum diluculo docere incipiebat, Luc. XXI, 38.

καθίσας ἐδίδασκεν, *ſedens docebat*] Qui mos longum ſermonem ordienti.

3. οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *Scribæ & Phariſæi*] Qui doctiſſimi & religioſiſſimi Iudæorum audiebant, quæſtionem ei proponunt captatoriam, qualis illa erat de Tributo Cæſari ſolvendo Matth. XXII, 17.

ἐν μοιχείᾳ κατειλημμένην. *in adulterio deprehenſam*] A duobus teſtibus, ut Lex deſiderat. Quidam μοιχείαν [*mœchiam*] hîc Inceſtum intelligunt, ideo quod negent Adulterium apud Iudæos lapidatione punitum, de quo mox dicemus. Ego plane arbitror retinendam vocis proprietatem.

ἐν μέσῳ, *in medio*] Loco conſpicuo. Sic Matth. XIV, 6. Marc. III, 3.

4. ἐπαυτοφώρῳ, *in ipſo facto*] Tam manifeſtè ut negari non poſſit. Vox eſt Græca forenſis. Indicant non agi hîc de ſuſpicione; in quam conſtituta erat potio aquæ Zelotypæ.

5. Μωσῆς ἡμῖν ἐνετείλατο τὰς τοιαύτας λιθοβολεῖσθαι· *Moſes mandavit nobis hujusmodi lapidare*] Levitici XX, 10. Deuteronomii XXII, 22. Mortis pœna indicitur Adultero & Adulteræ. ' At mortis pœna, ubi lex nihil exprimebat, accipiebatur mitiſſima, id eſt Strangulatio, quam ſpecialiter in Adulteræ ſupplicio agnoſcunt Hebræorum Magiſtri. Lapidationis pœna eſt inter atrociores. Statuebatur vir aut mulier nudi parte aliqua, & manibus vincti in cataſta alta quantum bis fert mediocris hominis ſtatura: inde in locum inferiorem à teſtibus præcipitabantur: & ſi eo caſu interimerentur, ſufficiebat id ſupplicium: ſin minùs, ſuperjiciebatur tergo jacentis ſaxum ingens ab ipſis teſtibus, &, ſi opus eſſet, alia à reliquis adſtantibus. Quo igitur jure hoc graviore ſupplicio affectæ Adulteræ? Ajunt quidam cùm Levit. XX. initio & fine capitis mentio fiat Lapidationis, etiam in medio poſita eódem trahenda. Sed eodem in capite quædam Incendio puniuntur, quædam per Succiſio-

nem כרת, id eſt, per pœnam Divinitus infligendam ſi res lateat; ſin manifeſta ſit res & monitio præceſſerit, per verbera. Alii dicunt, cùm in Deuteronomio ſequentibus verbis Sponſæ corruptæ imponatur pœna lapidationis, ex pari aut majori ratione debere eam & Adulteræ aptari. Sed objici poteſt in ſponſam graviùs animadverſum quia in cuſtodia mariti non erat, ſicut & graviùs punitur furtum de paſcuo quam de ovili. Poteſt fieri ut hæc adultera dicatur ſicut ſponſa uxor dicitur: & ita quæratur an ex ſponſarum lege pœna exigi debeat. Sed & dici poteſt ubi mortis pœna lege exprimitur, non item mortis genus, ibi à Synedrio pro ratione temporum genera pœnarum definita; ut graviores exigerentur ubi occurrendum erat gliſcenti exemplo. Quare ex Ezech. XVI, 40. collato commate 38. notat Kimchi, nonnullis temporibus lapidatas adulteras. Et eò factum, ut qui de Suſanna hiſtoriam ſcripſit, falsò adulterii inſimulatores lege talionis lapidatos dixerit. Similiter & Hyrcani ſequentibusque temporibus in Iudæa putem lapidatas adulteras ob criminis frequentiam. Vide Rom. 11, 22. Sumenda ergo hæc verba quaſi dictum eſſet, *Moſes tales præcepit morte puniri, quam mortem poſtremus uſus fecit lapidationem.*

σὺ οὖν τί λέγεις; *tu ergo quid dicis*]? Romani non ita dudum omnia capitalia ſupplicia eripuerant Iudæis, ut alibi notatum eſt. In lapidatione populus teſtibus præeuntibus judicium exſequebatur, & quidem his temporibus ſæpe citra ſententiam, ut Stephano factum, & Iacobo Ieſu cognato, cujus hiſtoria apud Ioſephum. Vſurpabat ergo interdum populus hoc jus quamvis Romanis nolentibus, ut à Deo conceſſum. Quæritur ex Ieſu quid ſentiat.

6. ἵνα ἔχωσι κατηγορίαν κατ᾽ αὐτοῦ· *ut haberent de quo eum accuſarent*] *Vt eum accuſarent* aut apud Romanos imminutæ Majeſtatis, aut apud populum imminutæ libertatis.

ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν, *ſcribebat in terra*] Sententiam aliquam dignam quæ memoriæ mandaretur. Videtur id moris fuiſſe.

μὴ προσποιούμενος. *diſſimulans*] Sic μὴ προσποιεῖσθαι uſurpat Thucydides, οὐ προσποιεῖσθαι Polybius. Subintellige, *intelligere ſe ſermonem Phariſæorum & Legisperitorum.*

7. Ὁ ἀναμάρτητος ὑμῶν, *Qui ſine peccato eſt veſtrûm*] Verbalia hujus generis non ſemper Potentiam ſignificant, ut videtur ſenſiſſe Hieronymus, ſed plerunque Actum, ut ἄπρακτος [*nihil efficiens*]. Intelligendus autem hîc ἀναμάρτητος [*ſine peccato*] *qui nec adulterii nec paris aut majoris criminis reus eſt.*

πρῶτον τὸν λίθον ἐπ᾽ αὐτῆς βαλέτω. *primum in illam lapidem mittat*] Quia lapidatio illis temporibus erat quaſi judicium populi, ideo quod de judicibus dici ſolet populo aptavit. Eſt enim reipſa idem dictum quod apud Paulum Rom. 11, 1. *Inexcuſabilis es tu qui judicas: quia cùm alterum judicas temetipſum condemnas, cùm tu judex eadem facias.* Venit hoc ex naturali æquitate. Cicero Verrinâ v. *Non modò accuſator ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is, qui quod in alio vitium reprehendit in eo ipſe reprehenditur.* Xenophon, τί προσήκει αὐτὸν ὄντα πονηρὸν πονηρίας ἕνεκα ἢ βλακείας ἄλλους κολάζειν; [*quomodo convenit, ut qui malus ſit ob malitiam aut ſtultitiam aliis pœnas irroget*]? Seneca, *Non poteſt auctoritatem habere ſententia ubi qui damnandus eſt damnat.* Idem alibi, *Neque æquus judex aliam de ſua aliam de aliena cauſa ſententiam fert.* Plinius, *Sic aliorum vitiis iraſcuntur quaſi invideant, & graviſſimè puniunt quos maximè imitantur.* Salvianus De Gub. Divina lib. 11, *Per hoc dum damnare ſe cæteros putant, ipſos ſe magis propriâ animadverſione condemnant. Primum* autem *lapidem* nominat, quia is maximus & plerunque lethalis. Propoſitum autem erat Chriſto oſtendere, non eſſe quòd Iudices aut populus multùm dolerent ereptam ſibi puniendi poteſtatem, cùm ea res valde ſit periculoſa alicujus culpæ ſibi conſciis, ita ut exonerari multò ſit ſatius. Non reſpondet ad illud quod dixerant de lege, quia ſatis conſtabat non obligare eam ad pœnas exigendas niſi ubi populus ſui juris eſſet, aut ubi imperantes ejus rei poteſtatem ipſis facerent. Sed ipſi, ultrà quàm ſub Romano Imperio conceſſum ipſis erat, ultro uſurpabant quaſi amore juſtitiæ: quem prætextum illis eripit, juſſis in ſemet deſcendere, ubi ſatis criminum inventuri eſſent quod vindicare poſſent.

8. πάλιν κάτω κύψας ἔγραφεν εἰς τὴν γῆν. *iterum ſe inclinans ſcribebat in terra*] Oſtendens nihil habere ſe quod adjiceret, neque ſuâ intereſſe quid agerent.

9. ὑπὸ τῆς συνειδήσεως ἐλεγχόμενοι, *à conſcientia convicti*] Erant enim eo tempore corruptiſſimi mores etiam eruditorum, ita ut & adulteria eſſent frequentia. Vide caput ſecundum ad Romanos, & Ioſephum circa hæc tempora.

εἷς καθ᾽ εἷς, *unus poſt unum*] Diximus ad Marci XIV, 19.

ἀρξάμενοι ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων ἕως τῶν ἐσχάτων· *incipientes à ſenioribus usque ad poſtremos*] Ætate provectiſſimi primi convictos ſe ſentiebant; quorum exemplum cæteri ſequebantur.

μόνος ὁ Ἰησοῦς καὶ ἡ γυνή, *ſolus Ieſus & mulier*] *Solus*, id eſt, ſine Phariſæis & Legisperitis. Nam Apoſtoli aderant, fortè & turba aliqua. Sic μόνος [*ſolus*] habuimus ſuprà VI, 22.

ἐν μέσῳ οὖσα. *in medio ſtans*] Conſpicua Apoſtolis, fortè & turbæ.

10. μηδένα θεασάμενος, *neminem conſpiciens*] Eorum qui mulierem adduxerant.

οἱ κατήγοροί σου; *qui te accuſabant*]? Id eſt, qui mea auctoritate videbantur uti velle ad te puniendam.

οὐδείς σε κατέκρινεν; *nemo te condemnavit*]? Quaſi dicat, Si lata eſt in te ſententia, ego ei non contradico. Non eſt iniquum in adulteram mortis judicium.

11. Οὐδὲ ἐγώ σε κατακρίνω. *Nec ego te condemnabo*] Ego auctoritatem meam in hoc non commodo, ut populum, qui ſalvâ conſcientiâ à talis ſupplicii exactione abſtinere poteſt, ad id excitem.

πορεύου, *vade*] Abi, cura res tuas: evaſiſti periculum.

καὶ ἀπὸ τοῦ νῦν μηκέτι ἁμάρτανε. *& jam amplius noli peccare*] Alioqui multò graviùs à Deo damnanda. Hoc ideo adjicit ne commeatum videretur dare peccandi. Auguſtinus, *Nam ſi peccatorum fautor eſſet,*

eſſet, diceret, Nec ego te condemnabo, vade & vive ut vis. De mea liberatione eſto ſecura: ego, quantumcunque peccaveris, te ab omni pœna, etiam Gehennæ, & inferni terroribus liberabo. Non hoc dixit: ſed, Vade, & noli ampliùs peccare. Rectè autem notarunt veteres in hac femina typum eſſe Eccleſiæ ex Gentibus idololatris colligendæ, cui impertitam Dei miſericordiam accuſare Iudæi non poſſent ſi ipſi ſuos mores inſpicerent.

12. Πάλιν οὖν, *Iterum ergo*] *Alio tempore.* Sic ſuprà I, 35. IX, 15. & alibi.

Ἐγώ εἰμι τὸ φῶς τοῦ κόσμου· *Ego ſum lux mundi*] Cùm varii varia de ſe ſentirent, Ieſus quid de ſe ſentiendum ſit, ſed modeſtè, profitetur. De Meſſia dictum erat *futurum eum Lucem Gentium*, Eſaiæ XLIX, *6.* hoc ſibi aptat. Vide quæ ſuprà I, 5. & deinceps; & Luc. II, 32.

ὁ ἀκολουθῶν ἐμοὶ, *qui ſequitur me*] *Qui ductum meum ſequitur:* lux enim præferri ſolet.

οὐ μὴ περιπατήσει ἐν τῇ σκοτίᾳ, *non ambulabit in tenebris*] Videt quà & quò ambulandum ſit: diximus ſuprà I, 4. & Luc. II, 32.

ἀλλ' ἕξει τὸ φῶς τῆς ζωῆς. *ſed habebit lumen vitæ*] Habebit ſibi præviam illam lucem quæ ducit ad vitam æternam. Vide ſuprà dicto loco cap. I.

13. Εἶπον οὖν αὐτῷ οἱ Φαρισαῖοι, *Dixerunt ergo ei Phariſæi*] Superbi & invidi homines.

Σὺ περὶ σεαυτοῦ μαρτυρεῖς· *Tu de teipſo teſtimonium perhibes*] Tam magnifica de te prædicas, & dicenti tibi credi vis.

ἡ μαρτυρία σου οὐκ ἔστιν ἀληθής. *teſtimonium tuum non eſt verum*] *Non digna eſt quæ recipiatur.* Vide ſuprà V, 31.

14. Κἂν ἐγὼ μαρτυρῶ περὶ ἐμαυτοῦ, *Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo*] Etiamſi nulla eſſent de me prægreſſa Prophetarum, nulla Iohannis Baptiſtæ teſtimonia, etiamſi ego primus ac ſolus hæc de me prædicarem.

ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία μου· *verum eſt teſtimonium meum*] *Tamen recipienda eſſent mea dicta.*

ὅτι οἶδα πόθεν ἦλθον καὶ ποῦ ὑπάγω· ὑμεῖς δὲ οὐκ οἴδατε πόθεν ἔρχομαι, καὶ ποῦ ὑπάγω. *quia ſcio unde veni & quò vado: Vos autem neſcitis unde venio, aut quò vado*]. Receptum eſt apud omnes gentes ut teſtimonia admittantur pro ſubjectæ rei qualitate. Itaque in his quæ ſolent clàm fieri, audiuntur qui aliàs non audirentur. Legationis injunctæ conſcius eſt is cui injuncta eſt; reliqui ab ipſo hoc debent diſcere. Quòd ſi is legatus nulla in re ſua commoda captet, ipſe ob legationem multa mala perferat, honorem verò nullum ſibi vindicet, ſed leganti, nec quicquam dicat quod non legante dignum ſit, tunc nulla eſt ratio cur non ei credatur. Illud, πόθεν ἔρχομαι καὶ ποῦ ὑπάγω [*unde veni & quò vado*] eſt circumlocutio legationis, quæ accipi primò, deinde renuntiari ſolet. *Ego ſcio à quo & quæ mihi data ſint mandata: Vos id niſi per me ſcire non poteſtis.*

15. Ὑμεῖς κατὰ τὴν σάρκα κρίνετε, *Vos ſecundùm carnem judicatis*] *Non vera ratione rem dijudicatis, ſed ex affectibus:* quod ſuprà VII, 24. dixit κατ' ὄψιν κρίνειν [*ſecundùm faciem judicare*]. Sic κατὰ σάρκα περιπατεῖν [*ſecundùm carnem ambulare*], *ſequi affectus contemta ratione.* κρίνειν [*judicare*] hîc eſt *profiteri quid de aliquo ſentias:* ſicut iſti profitebantur ſe Ieſum habere pro indigno cui fides habeatur.

ἐγὼ οὐ κρίνω οὐδένα. *ego non judico quenquam*] *Nihil dico quod alicui noxium eſſe poſſit;* in quo dictorum genere meritò majora exſpectantur documenta. κρίνειν [*judicare*] hîc eſt *id dicere unde condemnatio ſequi poſſit.* Sic & Accuſatores & Teſtes *condemnare* Latinè dicuntur.

16. Καὶ ἐὰν κρίνω δὲ ἐγὼ, *Et ſi judicem ego*] *Quòd ſi etiam id faciam.*

ἡ κρίσις ἡ ἐμὴ ἀληθής ἐστι· *judicium meum verum eſt*] Indicativus pro ſubjunctivo, more Hebræo: *mea talis profeſſio non eſſet ſpernenda.*

ὅτι μόνος οὐκ εἰμὶ, *quia ſolus non ſum*] Quod dicerem non habendum eſſet pro meo unius dicto. *Non ſolus ſum*, in tali profeſſione ſcilicet.

ἀλλ' ἐγὼ καὶ ὁ πέμψας με πατήρ. *ſed ego & qui miſit me Pater*] Quod ego dicerem Pater dicere cenſendus eſſet, à quo miſſum me dico, & qui me à ſe miſſum oſtendit, & voce & tot tantiſque miraculis. Legatione autem probata, quicquid legatus affirmat id cenſendus eſt qui legavit affirmare.

17. Καὶ ἐν τῷ νόμῳ δὲ τῷ ὑμετέρῳ γέγραπται, *Et in lege veſtra ſcriptum eſt*] Quod jam dico, non naturali æquitati modò congruit, ſed *ſcriptum quoque eſt in Lege, veſtra* inquam *Lege*, in qua gloriamini. Scriptum autem eſt non totidem verbis, ſed eadem ſententia, Deut. XVII, *6.* cujus loci ipſa verba citantur Matth. XVIII, 16.

ὅτι δύο ἀνθρώπων μαρτυρία ἀληθής ἐστι. *quia duorum hominum teſtimonium verum eſt*] *Pro vero recipitur*, fidem invenit, etiam ad hominis alicujus condemnationem: hoc enim eſt, *ſtabit verbum.* Quod ſi duorum hominum conſenſus tanti eſt, quanti haberi debet conſenſus Dei & à Deo miſſi?

18. Ἐγώ εἰμι ὁ μαρτυρῶν περὶ ἐμαυτοῦ, *Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de meipſo*] Redit ad illud unde digreſſus erat: à profeſſione de ſua qualitate, quæ credi poterat ſine ullo damno cujuſquam. Cùm autem dicit *ego*, ſubintellige, *in cujus vita nihil eſt culpandum, cujus dogmata omnia ad Dei honorem, pietatem ac ſanctitatem promovendam pertinent.*

καὶ μαρτυρεῖ περὶ ἐμοῦ ὁ πέμψας με πατήρ. *& teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater*] *Is mihi fidem adſtruit:* oſtendit me miſſum, eò quo diximus modo. Vide ſuprà III, 2. V, 32, 36.

19. Ποῦ ἐστιν ὁ πατήρ σου; *Vbi eſt Pater tuus*]? Odio excœcati non intelligebant quem *Patrem ſuum* diceret, ut explicatur infrà 27. *Vbi eſt?* demonſtra eum nobis, ut videamus qualis ſit auctoritatis, quid dicat.

Οὔτε ἐμὲ οἴδατε, οὔτε τὸν πατέρα μου· *Neque me ſcitis, neque Patrem meum*] Ita affectibus impedimini, ut nec meam qualitatem intelligatis, nec quem dicam eſſe Patrem meum; cùm tamen utrunque ſatis clarè vobis expoſuerim.

εἰ ἐμὲ ᾔδειτε, καὶ τὸν πατέρα μου ᾔδειτε ἄν. *ſi me ſciretis, & Patrem meum ſciretis*] Si conſiderarетis me Doctorem eſſe ſanctiſſimi dogmatis, facilè & hoc conciperetis animo non alium à me Patrem appellari quàm Deum. Sic ſuprà IV, 10. εἰ ᾔδεις τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ [*ſi ſcires donum Dei*], *ſi intelligeres.* Et infrà XIII, 17.

20. ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, *in gazophylacio*] Loco valde celebri, & in quo etiam Sacerdotum è primoribus quidam verſari erant ſoliti. Vide quæ ad Marcum XII, 41.

διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ· *docens in templo*] Id eſt, *cùm nunc hoc, nunc illo templi loco doceret.*

καὶ οὐδεὶς ἐπίασεν αὐτὸν, *& nemo apprehendit eum*] Καὶ pro *Et tamen.* De ſenſu vide ſuprà VII, 32.

21. Ἐγὼ ὑπάγω, *Ego vado*] Cùm ſciret multos adſtantium perſtare in conſilio ſe capiendi & mortem ipſi procurandi, oſtendit ejus conſilii vanitatem, ut ſuprà VII, 33.

καὶ ζητήσετέ με, *& quæretis me*] Id eſt, ut maximè velitis nocere mihi non poteritis.

καὶ ἐν τῇ ἁμαρτίᾳ ὑμῶν ἀποθανεῖσθε. *& in peccato veſtro moriemini*] Deſumtum eſt ex Ezech. III, 19. ubi in Græco, ἐν τῇ ἀδικίᾳ αὐτοῦ ἀποθανεῖται [*in iniquitate ſua morietur*], ex quo loco ſumenda eſt hujus interpretatio. Meritò eveniet, ut & ego extra periculum ponar, & vos ob culpas veſtras peſſimè pereatis; quia ego quidem monitoris officio probè functus ſum, vos autem monenti auſcultare noluiſtis. Indicatur autem Vrbis & populi excidium: quod univerſalis Iudicii præſagium fuit.

ὅπου ἐγὼ ὑπάγω ὑμεῖς οὐ δύνασθε ἐλθεῖν. *quò ego vado, vos non poteſtis venire*] *Eò non poteſtis pertingere,* ut ſuprà VII, 34.

22. Μήτι ἀποκτενεῖ ἑαυτὸν, *Numquid interficiet ſemetipſum*] Num ſibi manus inferet Samſonis exemplo, ne nos ei illudere aut mortem inferre poſſimus? Nam id Hebræi quidam licitum putabant, ut ex Ioſepho quoque apparet.

23. Ὑμεῖς ἐκ τῶν κάτω ἐστὲ, *Vos de deorſum eſtis*] Hoc ἐκ τῶν κάτω [*de deorſum*] ſtatim explicat ἐκ τοῦ κόσμου [*ex mundo*]: quod non Originem ſignificat, ſed Affectum, ut patet infrà XV, 19. ubi Apoſtoli negantur eſſe ἐκ τοῦ κόσμου [*ex mundo*], *mundi ſtudiis operari.*

ἐγὼ ἐκ τῶν ἄνω εἰμί· *ego de ſupernis ſum*] Id eſt, τὰ ἄνω φρονέω, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς [*quæ ſurſum ſunt curo, non quæ ſuper terram*], ut loquitur Paulus Coloſſenſ. III, 2. Ac proinde non mirum eſt ſi ad ſuperna aſſumar.

24. Εἶπον οὖν ὑμῖν, ὅτι ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν· *Dixi ergo vobis quia moriemini in peccatis veſtris*] Hìc interpretatur quod de pœnis eorum dixerat intelligendum de iis qui vitiis ſuis addicti erant ac tales manebant.

ἐὰν γὰρ μὴ πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι, *ſi enim non credideritis quia ego ſum*] Vbi ἐγώ εἰμι [*ego ſum*] ſimpliciter ponitur, intelligendum id de quo antè agebatur. Sic Lucæ XXIV, 39. infrà XVIII, 5. ſubauditur *Ieſus*: Hìc verò *lux mundi*, ex commate 12. Suprà IV, 26, *Meſſias.*

ἀποθανεῖσθε ἐν ταῖς ἁμαρτίαις ὑμῶν. *moriemini in peccatis veſtris*] Nullus melior morborum veſtrorum Medicus adveniet. Si à me ſanari non vultis, inſanabiles eſtis. Vide infrà XVI, 8. & Hebr. X, 26.

25. Σὺ τίς εἶ; *Tu quis es*]? *Quis es?* id eſt, Qualis es? ideo neutro nomine reſpondet Ieſus.

τὴν ἀρχὴν, *primùm*] בתחלה, quod τὴν ἀρχὴν [*primùm*] vertunt Græci. Hoc autem ideo dicit Chriſtus quia multa alia de ſe prædicare poterat præter id quod dixerat: Sed eo nunc contentus eſt.

ὅ τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. *quod & dico vobis*] *Primùm hoc ſum, quod & dico vobis:* hoc ipſum quod me hoc ipſo tempore eſſe dixi, id eſt, *Lux mundi.* Solet מלל Hebræum, quod & hîc poſuit Syrus, per λαλεῖν [*loqui*] verti: id autem Hebræi explicant *dicere aliquid conciſè*, ἀποφθεγματικῶς, Matth. IX, 18. XIII, 3, 34. Marc. II, 2. Luc. XXIV, 25. Iohann. III, 34. & alibi.

26. Πολλὰ ἔχω περὶ ὑμῶν λαλεῖν καὶ κρίνειν· *Multa habeo de vobis loqui & judicare*] De me hoc tantùm dico quod dixi, *de vobis autem multa poſſem dicere ad vos notandos:* id enim eſt hîc *judicare*, ut ſuprà 15. diximus: quaſi dicat, Poſſem dicere vos eſſe ſeductores & cauſas tenebrarum.

ἀλλ' ὁ πέμψας με ἀληθής ἐστι· *ſed qui me miſit, verax eſt*] Hoc adverſùm vos pro hoc tempore ſufficiat, quòd *ille qui me miſit in omnibus rebus fide eſt digniſſimus.*

κἀγὼ ἃ ἤκουσα παρ' αὐτοῦ ταῦτα λέγω εἰς τὸν κόσμον. *& ego quæ audivi ab eo hæc loquor ad mundum*] Vide ſuprà III, 32. Senſus, *Qui me miſit fide dignus eſt, & ego nihil dico aliud quàm quod ab ipſo dicendum accepi. Quare meritò mihi credere deberetis; quod cùm non faciatis, eſtis inexcuſabiles.* Non dicit autem ſimpliciter *vobis dico*, ſed εἰς τὸν κόσμον [*ad mundum*], ut magis confirmet quod dixerat, *ſe eſſe Lucem mundi.* Nam & quæ ipſis dicebat, in hoc dicebat ut latiùs ſpargerentur. Et locus ipſe gazophylacii erat medius inter ſubdiale in quo erant Iudæi, & ſubdiale in quo erant alienigenæ.

27. Οὐκ ἔγνωσαν ὅτι τὸν πατέρα αὐτοῖς ἔλεγε. *Et non cognoverunt quòd Patrem eis diceret*] Intellige τὸν πατέρα τὸν Θεὸν [*Patrem Deum*], quem *Patrem* κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] Hebræi vocabant: id quod rectè hîc interpretando expreſſit Latinus. *Plerique de auditoribus non intelligebant eum hæc de Deo Patre dicere*, Deum Patrem ab ipſo *mittentis* voce ſignificari. Nam λέγω [*dico*] hîc eſt *ſignifico*, ut Latinis ſæpe.

28. Ὅταν, *Cùm*] Id eſt, *poſtquam*, ut Matth. IX, 15. Luc. XIV, 8.

ὑψώσητε, *exaltaveritis*] *Veſtro incitatu in crucem egeritis.* Vide ſuprà III, 14. infrà XII, 32.

τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *Filium hominis*] Sic ſuprà III, 13, 14.

τότε γνώσεσθε ὅ τι ἐγώ εἰμι, *tunc noſcetis quid ego ſim*] Dixerat primùm *Lucem* ſe eſſe *mundi: quid præterea ſim*, inquit, *cognoſcetis poſt meam paſſionem*, ὅ τι hîc ſumo pro τί [*quid*]. Tunc cognoſcetis me eſſe Victorem Mortis ex Reſurrectione, Dominum cœli & Angelorum ex Aſcenſione, ipſius Spiritûs Miſſorem, ac poſtremò Vindicem rebellium. Cognoſcetis autem alii reſipiſcendo, alii ita convicti ut nulla ſpecie negare poſſitis.

καὶ ἀπ' ἐμαυτοῦ ποιῶ οὐδὲν, *& à meipſo facio nihil*] Καὶ [*&*] pro *certè, etenim.* Quod dixi antehac *me nihil injuſſu Patris facere*, id tunc apparebit.

ἀλλὰ καθὼς ἐδίδαξέ με ὁ πατὴρ ταῦτα λαλῶ. *ſed ſicut docuit me Pater hæc loquor*] Vide ſuprà V, 19. *dictata Patris recito.*

29. Καὶ ὁ πέμψας με μετ' ἐμοῦ ἐστιν. *Et qui me miſit mecum*

mecum eſt] Præſens pro futuro, ut mox 31. & καὶ [*&*] pro *ideo. Ideo*, inquit, *qui me miſit planè res meas promovebit*. Hoc enim ſignificat Hebraïſmus *cum aliquo eſſe*. Vide Matthæi I, 23. & XXVIII, 20.

οὐκ ἀφῆκέ με μόνον ὁ πατήρ, *non reliquit me ſolum Pater*] Explicat id quod jam dixerat. Sic & infrà opponit *ſolum eſſe* & *Patrem eſſe cum ipſo*, XVI, 32. Similiter illud infrà XIV, 18. οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς [*non relinquam vos orphanos: veniam ad vos*].

ὅτι ἐγὼ τὰ ἀρεστὰ αὐτῷ ποιῶ πάντοτε. *quia ego quæ placita ſunt ei facio ſemper*] Ποιῶ [*facio*], id eſt, ἐποίησα [*feci*]. Chriſti perfectiſſima obedientia non hoc tantum in loco, ſed & alibi, ponitur ut cauſa gloriæ ipſi collatæ. Vide Philipp. II, 8. & Eſa. LIII, 10, 11, 12.

30. πολλοὶ ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. *multi crediderunt in eum*] Id eſt, crediderunt à Deo miſſum, ſed fide infirmâ.

31. πρὸς τοὺς πεπιστευκότας αὐτῷ, *ad eos qui crediderunt ei*] Eorum præcipuè cauſâ, quanquam communiter ad turbam ſermonem dirigens.

ἐὰν ὑμεῖς μείνητε ἐν τῷ λόγῳ τῷ ἐμῷ, *ſi vos manſeritis in ſermone meo*] Μένειν ἐν τῷ λόγῳ [*manere in ſermone*] aut ἐν τῇ διδαχῇ [*in doctrina*] *Chriſti*, ut dicitur Epiſtolâ II, 9. eſt obſervare præcepta, cui opponitur παραβαίνειν [*transgredi*].

ἀληθῶς μαθηταί μου ἐστέ. *verè diſcipuli mei eſtis*] *Diſcipuli* dicuntur qui auditum veniunt: verè autem illis *diſcipulorum* nomen competit qui quod docetur ſibi tanquam normam proponunt. Quintilianus de præcoci ingenio, *Non ſubeſt vera vis, nec penitus immiſſis radicibus innititur*. Vide quæ de voce μένειν [*manere*] diximus ſuprà III, 36.

32. Καὶ γνώσεσθε τὴν ἀλήθειαν, *Et cognoſcetis veritatem*] *Experiendo diſcetis qualis ſit veritas*. Vide quæ de voce γινώσκειν [*cognoſcere*] diximus ſuprà VI, 69. Platonici cognitionem quandam ſtatuunt matrem Amoris, alteram filiam.

καὶ ἡ ἀλήθεια ἐλευθερώσει ὑμᾶς. *& veritas liberabit vos*] Profectus ille in cognitione veri dogmatis vos liberos reddet à dominio vitiorum, idque tum præceptorum puritate, tùm promiſſorum præſtantiâ. Hierocles, Ἐν γὰρ τῇ ἀγνοίᾳ τῶν κρειττόνων ἀνάγκη δουλεύειν τοῖς χείροσιν, ὧν ἐλευθερῶσαι ἄλλως οὐχ οἷόν τε ἢ τῇ δι' ἀναμνήσεως εἰς νοῦν καὶ Θεὸν ἐπιστροφῇ [*Dum manet rerum meliorum ignorantia, neceſſe eſt hominem ſervire pejoribus, à quibus liberari aliter non poteſt niſi reminiſcendo ad Mentem & ad Deum convertatur.*] Marinus Proclo, Ἀλήθεια γὰρ πάντων μὲν ἀγαθῶν θεοῖς ἡγεῖται, πάντων δὲ ἀνθρώποις [*Veritas omnium bonorum auctor, tum diis tum hominibus*].

33. Σπέρμα Ἀβραάμ ἐσμεν, καὶ οὐδενὶ δεδουλεύκαμεν πώποτε· *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſervivimus unquam*] Vt de Aqua & Pane, ita & de Servitute dicta κατ' ἀλληγορίαν [*ſecundùm latentem ſenſum*] verba ſumuntur hîc nimiùm κατὰ πόδας [*verbotenus*]. Duobus maximè modis homines ſervi fiebant, naſcendo ex ſervis, aut bellico caſu incidendo in captivitatem. Vtrumque à ſe removent. Non ſumus nati ex Cananæis aliiſve ſervilibus populis, ſed per legitimum tramitem & ingenua capita ab Abrahamo uſque deſcendimus: tum verò nemo nos in ſervitutem bello redegit. Non agitur hîc de libertate ſtatûs publici, ſed privati.

Πῶς σὺ λέγεις· Ὅτι ἐλεύθεροι γενήσεσθε; *Quomodo tu dicis; Quòd liberi fietis*]? Abundat ὅτι [*quòd*], ut alibi ſæpe. Liberum hominem non poſſe manumitti & leges & ratio docent.

34. πᾶς ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας. *omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati*] Ποιεῖν ἁμαρτίαν [*facere peccatum*] quid ſit vide Matth. VII, 23. δοῦλός ἐστι τῆς ἁμαρτίας [*ſervus eſt peccati*], quia ab illo vitio cui ſtudet tanquam captivus fertur atque agitur, אסיר [*vinctus*] Eſaïæ XLII, 7. Horatius de amore,

Vrget enim mentem dominus non lenis, & acres
Subjectat laſſo ſtimulos.

Cicero Paradoxis, *Si ſervitus ſit obedientia fracti animi atque abjecti & arbitrio carentis ſuo, quis neget omnes leves, omnes cupidos, omnes denique improbos eſſe ſervos? An ille mihi liber, cui mulier imperat?* & quæ ibi ſequuntur. Egregiè hoc dictum exſequitur Philo, ὅτι πᾶς ὁ σπουδαῖος ἐλεύθερος [*omnem virum bonum eſſe liberum*]. Adde Rom. VI, 16. II Petr. II, 19. & Prov. V, 22. Elucet autem Chriſti lenitas in eo quòd hæc pronuntiat nondum nominatis perſonis in quas diceret; ſi fortè eâ ratione emendarentur.

35. Ὁ δὲ δοῦλος οὐ μένει ἐν τῇ οἰκίᾳ εἰς τὸν αἰῶνα· *Servus autem non manet in domo in æternum*] לעלם [*in æternum*], id eſt, toto vitæ ſuæ tempore: ut apud Horatium,

Serviet æternùm qui parvo neſciet uti.

Non habitat, id eſt, jus non habet habitandi, *in domo*; ſicut ἔχειν [*habere*] ſumi ſuprà monuimus aliquoties. Nota autem tacitè mutari tralationem. Nam à ſervo affectuum tranſitur ad ſervum reſpectu domûs. Sic Rom. VII. à morte mariti tranſitur ad mortem ejus qui legi quaſi devinctus eſt. Et ſimilia multa in hoc genere ſermonum occurrunt.

ὁ υἱὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα. *filius autem manet in æternum*] *Ius habet in domo habitandi*; nam, ut Iuriſconſulti loquuntur, *eſt quaſi dominus rerum paternarum: herus minor* in comœdiis. Confer Geneſ. XXI, 10. Galat. IV, 30.

36. Ἐὰν οὖν ὁ υἱὸς ὑμᾶς ἐλευθερώσῃ, *Si ergo vos Filius liberaverit*] Erat in Græciæ quibuſdam civitatibus, fortè & alibi, uſitata ἀδελφοθεσία, *adoptio in fratres*, quò hîc videtur alludi. *Si Filius vos ex ſervis faciat liberos, ſimulque ſibi cohæredes*. Tribuitur hîc Filio quod modò Veritati, quia eam profert Filius.

ὄντως ἐλεύθεροι ἔσεσθε. *verè liberi eritis*] Non falſâ perſuaſione, ſed reipſa, Luc. XXIV, 34. II Petri II, 18.

37. Οἶδα ὅτι σπέρμα Ἀβραάμ ἐστε· *Scio quia filii Abrahæ eſtis*] Senſu illo vulgari, non illo καθ' ὑπόνοιαν [*ſecundùm intellectum abſtruſiorem*], quo *nati ex aliquo* dicuntur qui ejus exemplo aut præceptis animum informant. Vide quæ ſuprà cap. III. Σπέρμα [*ſemen*] זרע, pro *ſobole* Hebraïſmus eſt Geneſ. IV, 25. & alibi paſſim.

ἀλλὰ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, *ſed quæritis me interficere*] Emphaſis eſt in με [*me*], *me innocentem, nec niſi beneficiis cognitum.*

ὅτι ὁ λόγος ὁ ἐμὸς οὐ χωρεῖ ἐν ὑμῖν. *quia ſermo meus vos non penetrat*] Χωρεῖν apud Helleniſtas eſt *vadere*, *tranſire*, Sap. x, 23, 24. & ἐν ὑμῖν [*in vobis*] pro εἰς ὑμᾶς [*in vos*], ut ſæpe in his libris, Matth. xvi, 28. Hebr. iv, 11. Proximum huic locutioni eſt illud 1 Theſſ. 1, 8. ἐν παντὶ τόπῳ ἡ πίστις ὑμῶν ἡ πρὸς τὸν Θεὸν ἐξελήλυθεν [*in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt*]. Senſus eſt, *Ideo mihi mortem intentatis quia præcepta mea ſanctiora ſunt quàm ut in animum veſtrum vitiis obſitum penetrent*. Dicit autem hoc Chriſtus toti quidem turbæ, ſed eos notans quos ſibi ſciebat malè velle: & ſic ſolemus quod aliquibus de populo competit, tribuere populo.

38. Ἐγὼ ὃ ἑώρακα παρὰ τῷ πατρί μου, λαλῶ, *Ego quod vidi apud Patrem meum, loquor*] *Ea dico quæ à Patre didici*. Nam ut ὁρᾶν [*videre*] ita ἀκούειν [*audire*] eſt *diſcere*.

καὶ ὑμεῖς οὖν ὃ ἑωράκατε παρὰ τῷ πατρὶ ὑμῶν, ποιεῖτε. *& vos quæ vidiſtis apud patrem veſtrum, facitis*] Quidam libri pro ὃ ἑωράκατε [*quod vidiſtis*] habent hîc ἠκούσατε [*audiſtis*], ſed ex interpretamento, ut arbitror. Non puto hîc certum patrem deſignari, ſed hoc dici, *Facite quæ didiciſtis*, *ut appareat quis ſit pater*, ſive, *doctor veſter; Abrahámne ſcilicet*, *an ſpiritus nequam*.

39. Ὁ πατὴρ ἡμῶν Ἀβραάμ ἐστι, *Pater noſter Abraham eſt*] Quia ambiguè Chriſtus locutus erat de patre ipſorum, repetunt quod dixerant, ſed efficaciùs; quaſi dicant, Nolle ſe alium patrem agnoſcere quàm Abrahamum; eo ſe parente gloriari. Vide Matth. iii, 9. Ideo Chriſtus jam ex hoc conceſſo preſſiùs reſpondet.

Εἰ τέκνα τοῦ Ἀβραάμ ἦτε, τὰ ἔργα τοῦ Ἀβραὰμ ἐποιεῖτε. *Si filii Abrahæ eſſetis, opera Abrahæ faceretis*] Si eum pro patre ac duce agnoſceretis, opera faceretis ipſius operibus ſimilia. Hebræis *Pater* vocatur etiam ex quo quis natus non eſt, ſi hic ita ſe gerat quaſi eum pro patre habeat: qualia & illa,

Nec tibi Diva parens, generis nec Dardanus auctor.

Vide Ezech. xvi, 3.

40. Νῦν δὲ ζητεῖτέ με ἀποκτεῖναι, *Nunc verò quæritis me interficere*] Hoc νῦν δὲ [*nunc verò*] pro *at verò* eſt oppoſitivum. Duo in illis notat opera Abrahami operibus valde adverſa, Odium proximi ad ſuffuſionem uſque ſanguinis, & Contemtum veritatis & quidem Divinæ. Diximus ſuprà communiter hæc dici, quia aut in turba iſta, aut certè in populo multi tales erant.

ἄνθρωπον, *hominem*] Quod ipſum ſatis erat ut me vobis commendaret. Eſt enim inter Homines cognatio quædam à Deo inſtituta; ideo omnes ab uno oriri voluit. Vide Actor. xvii, 26.

ὃς τὴν ἀλήθειαν ὑμῖν λελάληκα, *qui veritatem vobis locutus ſum*] Adſcendit oratio: Non quemvis hominem, ſed *qui veriſſima vos doceo*, ac proinde fidem & gratiam mereor.

ἣν ἤκουσα παρὰ τοῦ Θεοῦ· *quam audivi à Deo*] Adſcendit amplius: Nec quamvis veritatem, ſed *eam quam à Deo didici:* Hoc enim eſt ἤκουσα [*audivi*] ut ſuprà aliquoties. Si omnis veritas per ſe amari digna eſt, quantò magis illa quæ Deum habet auctorem?

τοῦτο Ἀβραὰμ οὐκ ἐποίησεν. *hoc Abraham non fecit*] Τοῦτο [*hoc*], id eſt, *tale quid*. Abrahamus hominum amans fuit, captivos liberavit, peregrinos hoſpitio excepit; veritatem Divino nomine ſibi revelatam, quanquam in ſpeciem minùs credibilem, admiſit in animum. Hæc ſunt Abrahami opera, quibus ejus vera poſteritas cognoſcitur. Rom. iv, 9. ix, 8. Gal. iii, 6. Iuſtinus Colloquio cum Tryphone, Ἐὰν δὲ ὑμεῖς σκληροκάρδιοι μένοντες ἢ ἀσθενεῖς τὴν γνώμην διὰ τὸν ἀφωρισμένον τοῖς Χριστιανοῖς θάνατον τῷ ἀληθεῖ συντίθεσθαι μὴ βούλησθε, ἑαυτοῖς αἴτιοι φανήσεσθε καὶ ἐξαπατᾶτε ἑαυτούς, ὑπονοοῦντες διὰ τὸ εἶναι τοῦ Ἀβραὰμ κατὰ σάρκα σπέρμα, πάντως κληρονομῆσαι τὰ κατηγγελμένα παρὰ τοῦ Χριστοῦ δοθήσεσθαι ἀγαθά· οὐδεὶς γὰρ οὐδὲ ἐκείνων οὐδαμόθεν λαβεῖν ἔχει, πλὴν οἱ τῇ γνώμῃ ἐξομοιωθέντες τῇ πίστει τοῦ Ἀβραὰμ [*Si verò vos, aut quia duri corde eſtis aut quia animo imbecilli ob mortem, quæ in Chriſtianos edictis conſtituta eſt, vero aſſentiri non vultis, ipſi vos in culpa eſtis & vosmetipſos decipitis exiſtimantes quia ſecundùm carnem Abrahæ ſemen eſtis, omnino vos quaſi hæreditario jure conſecuturos ea bona quæ per Chriſtum donanda prædicta ſunt. At de iis nemo quicquam accepturus eſt, niſi qui animo ſimilis factus fuerit fidei Abrahami*].

41. Ὑμεῖς ποιεῖτε τὰ ἔργα τοῦ πατρὸς ὑμῶν. *Vos facitis opera Patris veſtri*] Paulatim procedit caſtigatio. Satis oſtendit Abrahamum moraliter patrem eorum non eſſe. Iam indicat alium longè diverſum eſſe eorum patrem, quem tamen nondum nominat, exſpectans voluntariam reſipiſcentiam.

Ἡμεῖς ἐκ πορνείας οὐ γεγεννήμεθα· *Nos ex fornicatione non ſumus nati*] Ἐκ πορνείας [*ex fornicatione*] hîc dictum eſt ut ἐκ περιτομῆς [*ex circumciſione*] Actor. x, 45. xi, 2. id eſt, ἐκ τῶν περιτεμνομένων [*ex circumciſis*], Gal. ii, 7, 8, 9. Epheſ. ii, 11. Senſus eſt, *Non nati ſumus ex ſcortatoribus*, id eſt, idololatris, quos *ſcortatores* ſenſu tralatitio vocant Moſes & Prophetæ: quaſi dicant, Si non de nativitate corporis ſed animi agis, etiam ſic nihil eſt quod nobis objicias. Non ſumus בני זנונים, τέκνα πορνείας [*filii fornicationis*] ut loquitur Oſeas ii, 4.

ἕνα πατέρα ἔχομεν τὸν Θεόν. *unum Patrem habemus Deum*] Nón plures habemus quos colamus; *unum Deum colimus*, quem etiam hoc nomine *Patris* appellamus, Ierem. iii, 4. Etiam idololatræ Deos ſuos *Patres* vocabant: unde *Iupiter*, *Marspiter*, & ſimilia.

42. Εἰ ὁ Θεὸς πατὴρ ὑμῶν ἦν, *Si Deus Pater veſter eſſet*] Si, ut profitemini, Deum tanquam patrem ſincerè coleretis.

ἠγαπᾶτε ἂν ἐμέ· *diligeretis utique me*] Æquum eſt ut qui aliquem amat, amet & eos quorum operâ ipſe, maximè ad res eximias, utitur.

Ἐγὼ γὰρ ἐκ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον καὶ ἥκω· *Ego enim ex Deo proceſſi & veni*] Id eſt, ἐξελθὼν ἥκω [*procedens veni*], *A Deo miſſus adſum*. Vox ἐξέρχεσθαι [*procedere*] ſæpe apud Iohannem eſt hoc ſenſu, xvi, 27, 28, 30. xvii, 8. Vide quæ ſuprà i, 9. de voce ἔρχεσθαι [*venire*]. Interpretatio ſequitur, ἀλλ᾽ ἐκεῖνός με ἀπέστειλε [*ſed ille me miſit*].

οὐδὲ γὰρ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ ἐλήλυθα, *neque enim à meipſo veni*] Vt qui falsò ſibi Prophetæ munus arrogant. Ierem. xxiii, 21. De locutione ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ [*à meipſo*] ſuprà diximus v, 30.

43. Διατί τὴν λαλιὰν τὴν ἐμὴν οὐ γινώσκετε; *Quare loquelam meam non cognoſcitis*]? Si Deus Pater eſt veſter, cur in me non agnoſcitis ipſius ἰδίωμα *loquendi characterem?* Solent filii agnoſcere linguam paternam. Sic vocat ſuam docendi rationem planè Divinam.

ὅτι οὐ δύνασθε ἀκούειν τὸν λόγον τὸν ἐμόν. *quia non poteſtis audire ſermonem meum*] Vt agnoſcatur dialectus alicujus, attentione aliqua opus eſt, putà שׁבלת [*Schibboleth*] dicatur an שׂבלת [*Sibboleth*] Iudic. XII, 6. *Vos non poteſtis audire*, id eſt, patienter ferre, *me loquentem*. Sic *non poſſe* dicuntur quibus affectus vehemens obſtat. Diximus ad Marci VI, 5. ἀκούειν [*audire*], *attentè audire*, Matth. XI, 15.

44. Ὑμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστὲ, *Vos ex patre diabolo eſtis*] Διάβολον [*diabolum*] ob ea quæ mox ſequentur hîc intelligo *genus diabolorum*, quomodo & ὁ Σατανᾶς [*Satanas*] dicitur Matth. XII, 26. Sic ἄνθρωπος [*homo*] ſæpe eſt *genus humanum*, Matth. IV, 4. pro quo ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου [*filius hominis*] dicitur Matth. XII, 8. Sic Actor. XIII, 10. υἱὲ διαβόλου, ἐχθρὲ πάσης δικαιοσύνης [*fili diaboli, inimice omnis juſtitiæ*] noſter I Epiſt. III, 8. ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν ἐκ τοῦ διαβόλου ἐστίν [*qui facit peccatum ex diabolo eſt*].

καὶ τὰς ἐπιθυμίας τοῦ πατρὸς ὑμῶν θέλετε ποιεῖν. *& deſideria Patris veſtri vultis facere*] Ἐπιθυμίας [*deſideria*], id eſt, *quod ei collibitum eſt.* Sic II Tim. IV, 3. I Petr. IV, 2. ποιεῖν ἐπιθυμίαν [*facere deſideria*] ut τελεῖν ἐπιθυμίαν [*perficere deſideria*] Gal. V, 16.

ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, *ille homicida erat ab initio*] Diximus ſuprà duo à Chriſto in Iudæis maximè notari, Cædis propoſitum, & Veritatis contemtum. Ex his duobus probat eos referre ingenium diaboli. ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*] Helleniſtæ poſuunt ubi in Hebræo eſt מעולם [*à ſeculo*] ut Ioſ. XXIV, 2. Eſaiæ LXIII, 16, 19. Sic Actor. XXVI, 4. & I Epiſt. III, 8. ὅτι ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος ἁμαρτάνει [*quoniam ab initio diabolus peccat*]. Homicida autem fuit eodem actu quo mendax, cùm primos homines dolo malo in peccatum illexit, unde mors erat ſecutura. *Invidiâ diaboli mors intravit in mundum*, Sap. II, 24. At Paulus eòdem reſpiciens: δι' ἑνὸς ἀνθρώπου ἡ ἁμαρτία εἰς τὸν κόσμον εἰσῆλθε, καὶ διὰ τῆς ἁμαρτίας ὁ θάνατος [*per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors*], Rom. V, 12. Adamum quo die erat conditus lapſum in crimen ſentiunt Rabbini, & ipſe Maimonides.

καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν· *& in veritate non ſtetit*] Affirmatio per negationem contrarii. Senſus eſt, *deflexit à veritate.* Sic Pſalm. I, I.

ὅτι οὐκ ἔστιν ἀλήθεια ἐν αὐτῷ. *quia non eſt veritas in eo*] Id eſt, *quia non eſt in ipſo ſtudium veritatis.* Sic I Epiſt. II, 21. πᾶν ψεῦδος ἐκ τῆς ἀληθείας οὐκ ἔστι [*omne mendacium ex veritate non eſt*], *non eſt ex ſtudio veritatis.* I Macc. VII, 18. propiùs ad noſtram phraſin, Οὐκ ἔστιν ἐν αὐτοῖς ἀλήθεια καὶ κρίσις· παρέβησαν γὰρ τὴν στάσιν καὶ τὸν ὅρκον ὃν ὤμοσαν [*Non eſt veritas & judicium in eis: tranſgreſſi ſunt enim conſtitutum & jusjurandum quod juraverunt*].

ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ· *cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur*]. *Loquitur pro ingenio ſuo.*

ὅτι ψεύστης ἐστὶ, *quia mendax eſt*] In more habet fallere: hoc amat: ideo vocatur רוח שקר, πνεῦμα ψευδὲς [*ſpiritus mendax*] I Regum XXII, 22. II Paral. XVIII, 21. Porphyrius de hujus generis ſpiritibus, τὸ γὰρ ψεῦδος αὐτοῖς οἰκεῖον [*mentiri enim illorum eſt proprium*].

καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. *& pater ejus*] *Pater generis diabolorum* eſt ὁ ἄρχων τῶν δαιμονίων [*princeps dæmoniorum*], de quo diximus ad Matth. IX, 34. ὁ ἄρχων τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος [*princeps poteſtatis aëris*], Epheſ. II, 2. Ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου [*princeps mundi hujus*] infrà XII, 31. XIV, 30. XVI, 11. Hic *pater* cæterorum dicitur quia deficiendi initium dedit, quomodo vox *patris* uſurpatur tum alibi, tum Geneſ. IV, 20, 21. Qui Adamum deceperat non fuit ipſe ὁ ἄρχων [*princeps ille*], ſed aliquis ab eo ſubmiſſus, *Angelus Satanæ*, ut II Corinth. XII, 7.

45. Ἐγὼ δὲ ὅτι τὴν ἀλήθειαν λέγω, οὐ πιστεύετέ μοι. *Ego verò quia veritatem dico, mihi non creditis*] Eſt Hebraïſmus qualis Pſalm. LXXIII, 28, & alibi: pro, *Mihi verò non creditis quia verum vobis eloquor.* Adeò alieno & adverſo animo à veritate eſtis: cujus vitii quem patrem habeatis jam indicavi.

46. Τίς ἐξ ὑμῶν ἐλέγχει με περὶ ἁμαρτίας; *Quis ex vobis arguet me de peccato*]? Si cui fides negetur, oportet eam negari aut quia loquens indignus eſt cui habeatur fides, aut quia res per ſe eſt incredibilis. Priorem partem hîc removet, *Nullius culpæ me convincere poteſtis:* hoc enim eſt ἐλέγχειν [*arguere*]. Sic infrà XVI, 8. Tit. I, 9, 13.

εἰ δὲ ἀλήθειαν λέγω, διατί ὑμεῖς οὐ πιστεύετέ μοι; *ſi verò veritatem dico, cur vos non creditis mihi*]? *Si ea dico quæ fide perdigna ſunt:* ſicut vocem ἀληθὴς [*verus*] ſumi diximus aliquoties.

47. Ὁ ὢν ἐκ τοῦ Θεοῦ, *Qui ex Deo eſt*] Qui honeſta amat, ac proinde ingenio Deum refert. Opponitur enim hoc illi, *eſſe ex diabolo:* quare pari modo interpretandum. Nonnus non malè,

Εἰς Θεὸν ἀρχιγένεθλον ἔχων νόον.
[*Cujus ad artificem rerum converſa Deum mens*].

τὰ ῥήματα τοῦ Θεοῦ ἀκούει. *verba Dei audit*] Libenter audit, attentè audit ſermones ad Dei honorem pertinentes, Deo dignos. Suprà III, 34.

διὰ τοῦτο ὑμεῖς οὐκ ἀκούετε, ὅτι ἐκ τοῦ Θεοῦ οὐκ ἐστέ. *propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*] Subauditur, *At verò:* eſt enim oppoſitio. *At vos ideo gravamini quæ dico audire, quia ingenio eſtis averſo à rebus verè Divinis.*

48. Οὐ καλῶς λέγομεν ἡμεῖς, ὅτι Σαμαρείτης εἶ σὺ, *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu*] *Nonne meritò dicere inter nos ſolemus* (nusquam enim hoc palàm dictum narratur) *Samaritam te eſſe?* intellige non gente ſed ſenſu, quia negas veritatem religionis eſſe penes Iudæos. Vide ſuprà IV, 20. & ſequentibus.

καὶ δαιμόνιον ἔχεις; *& dæmonium habes*]? Δαιμονᾷς [*dæmonio afflaris*]. Vide ſuprà VII, 20. infrà 52. X, 20.

49. Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ τιμῶ τὸν πατέρα μου, *Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meum*] *Quæ dixi, non præ inſania dixi, ſed Divino*

ſpiritu ad Dei honorem. De Samarita quod dixerant quaſi merum convitium præterit; ut ſi quis nunc aliquem *hæreticum* vocet.

καὶ ὑμεῖς ἀτιμάζετέ με. *& vos inhonoratis me*] *Et tamen vos me convitiis petitis.*

50. Ἐγὼ δὲ οὐ ζητῶ τὴν δόξαν μου. *Ego autem non quæro gloriam meam*] Quod toties dico & repeto, quæ doceo vera eſſe & à Deo profecta, non id facio cupiditate humanæ gloriæ, quod & ex verbis & ex factis meis facile collectu eſt.

ἔστιν ὁ ζητῶν καὶ κρίνων. *eſt qui quærat & judicet*] Eſt qui me honore afficere velit Deus, & qui vindicaturus eſt has contumelias quibus me afficitis. Vide I Petri II, 23. Sed & Deuteronomii locus reſpicitur XVIII, 19. ubi Deus promittit ſe vindicem futurum contemti Prophetæ. Confer II Paralip. XXIV, 22.

51. ἐάν τις τὸν λόγον τὸν ἐμὸν τηρήσῃ, *ſi quis ſermonem meum ſervaverit*] Locutio quæ Matth. XIX, 17. XXVIII, 20. Marc. VII, 9. infrà IX, 16. XIV, 15. & alibi.

θάνατον οὐ μὴ θεωρήσῃ εἰς τὸν αἰῶνα. *mortem non videbit in æternum*] Sic ἰδεῖν θάνατον [*videre mortem*] Lucæ II, 26. idem ſtatim γεύσαι θανάτου [*guſtare mortem*], ut & Matth. XVI, 28. Marci IX, 1. Senſus eſt, *Eam vitam conſequetur quæ morte careat.* Sic ſuprà expoſuimus VI, 49.

52. Νῦν ἐγνώκαμεν ὅτι δαιμόνιον ἔχεις. *Nunc cognovimus quia dæmonium habes*] Planè inſanis cùm talia polliceris. Locutio ſimilis Geneſ. XXII, 12. infrà XVI, 30.

Ἀβραὰμ ἀπέθανε, καὶ οἱ προφῆται. *Abraham mortuus eſt, & Prophetæ*] Ex Zach. I, 5. Qui ſermonem non hominis ſed Dei obſervarunt, mortui tamen ſunt. Omnia enim intelligunt craſſè & κατὰ πόδας [*verbotenus*], odio faſcinati.

καὶ σὺ λέγεις, *& tu dicis*] Tu neutiquam illis comparandus hæc audes dicere?

Ἐάν τις τὸν λόγον μου τηρήσῃ, *Si quis ſermonem meum ſervaverit*] Ἔμφασις [*efficacia*] eſt in voce μου [*meum*], nam, ut diximus, ſupponit à Moſe & Prophetis religioſè ſervata Dei mandata.

53. Μὴ σὺ μείζων εἶ τοῦ πατρὸς ἡμῶν Ἀβραάμ, ὅστις ἀπέθανε; *numquid tu major es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt*]? Qui vitam aliis daturus eſt, multò magis ſibi. Tu te vitam aliis daturum profiteris: Ergo multò magis te perpetuò victurum pronuntias: quod Abrahamo non contigit.

καὶ οἱ προφῆται ἀπέθανον. *& Prophetæ mortui ſunt*]. *Sicut & Prophetæ mortui ſunt*: nam ad eum modum copula ſumi ſolet. Prov. I, 24, 26.

τίνα σεαυτὸν σὺ ποιεῖς; *quem teipſum facis*]? *Quem te venditas?* ſic infrà X, 33.

54. Ἐὰν ἐγὼ δοξάζω ἐμαυτὸν, *Si ego glorifico meipſum*] Si quod meum non eſt, mihi arrogo. Vide ſuprà III, 27. V, 41.

ἡ δόξα μου οὐδέν ἐστιν· *gloria mea nihil eſt*] Nullius pretii eſt iſta venditatio; ſemet prodet. Sic I Cor. XIII, 2.

ἔστιν ὁ πατήρ μου ὁ δοξάζων με, *eſt Pater meus qui glorificat me*] Miraculis; Baptiſtæ teſtimonio; & ampliùs poſthac.

ὃν ὑμεῖς λέγετε ὅτι Θεὸς ὑμῶν ἐστι. *quem vos dicitis quia Deus veſter eſt*] Deus opifex Vniverſi; Deus Abrahami, Iſaaci, Iacobi, Moſis & Prophetarum: ne quem fortè dæmonem à me *Patrem* appellari cenſeatis.

55. Καὶ οὐκ ἐγνώκατε αὐτόν. *Et non cognoviſtis eum*] Non intelligitis qualem cultum præcipuè deſideret, & quæ præmia promittat. Vide quæ ſuprà I, 18.

ἐγὼ δὲ οἶδα αὐτόν. *ego autem novi eum*] *Penitus pernovi.* Vide dicto loco.

οἶδα αὐτὸν, καὶ τὸν λόγον αὐτοῦ τηρῶ. *ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo*] Et ſcio quæ ei placeant, & ea religioſè obſervo, nusquam mandata excedens.

56. Ἀβραὰμ ὁ πατὴρ ὑμῶν, *Abraham pater veſter*] Quo vos patre jactatis. Sic ſuprà VIII, 33. Modeſtè oſtendit mirari eos non debere ſi ipſe majora adferat quàm Abrahamus.

ἠγαλλιάσατο ἵνα ἴδῃ τὴν ἡμέραν τὴν ἐμὴν, *exſultavit ut videret diem meum*].

------ Ἰδεῖν ἠγάλλετο θυμῷ,
------ [*Geſtivit mente videre*],

Nonnus hîc. Syrus מסוח, *cupiit diem meum*, id eſt, tempora mea. Sic Ioel II, 1. Amos V, 18, & alibi. Confer I Petri I, 12. Senſus eſt, Abraham cùm initio Geneſ. XII, 3. promiſſum à Deo accepiſſet, *futurum ut etiam exteræ gentes per ipſius ſemen bearentur*, valde expetivit propiùs aliquid cognoſcere qualis ea futura eſſet beatitudo. Vide Irenæum IV, 15.

καὶ εἶδε, καὶ ἐχάρη. *vidit & gaviſus eſt*] Et vidit aliquid ejus non ſine magno gaudio, ſed *eminus*, Hebr. XI, 13. Nimirum tunc maximè cùm fiduciæ ſuæ in Deum hoc præmium retulit quòd Iſaacum quaſi è mortuis recepit, Hebr. XI, 19. Hinc enim intellexit quid præcipuè Deus requireret & quantum præſtare poſſet. Atque ex eo facto proverbium illud myſticum manavit, *In nomine Domini providebitur*.

57. Πεντήκοντα ἔτη οὔπω ἔχεις, *Quinquaginta annos nondum habes*] Mos eſt omnium populorum, ubi non eſt cur reſtrictè agamus, numerum ſumere aliquem ex nobilioribus, qualis apud Hebræos Quinquagenarius ob Iubilæum: quaſi dicerent, *Certè nondum ſemiſecularis es.* Nec refert quòd Chriſtus multis annis inde aberat: agunt enim liberaliùs, quia hoc omne nihil ad eos annos qui ab Abrahami ævo numerabantur.

καὶ Ἀβραὰμ ἑώρακας; *& Abraham vidiſti*]? Solet fieri ut qui nos videt eum & nos videamus. Senſus eſt, Quomodo fieri potuit ut tu & Abraham alter alterum conſpiceretis? Sumunt omnia, ut diximus, in ſenſu vulgari.

58. πρὶν Ἀβραὰμ γενέσθαι, *antequam Abraham eſſet*] *Antequam eſſet*. Sic enim hæc vox ſæpiſſime ſumitur, ſuprà I, 6, 30. & hoc capite 33. XX, 27. Act. VII, 38. XIII, 5, & alibi.

ἐγώ εἰμι. *ego ſum*] Id eſt, *eram*: Præſens pro imperfecto. *Eram*, Syrus: ἐγὼ πέλον [*ego eram*], Nonnus. Sic in Græco Pſalm. XC, 2. Πρὶν τὰ ὄρη γενηθῆναι σὺ εἶ [*Antequam fierent montes tu es*]. Fuerat ante Abrahamum Ieſus Divina conſtitutione, infrà XVII, 5. Apocal. XIII, 8. I Petr. I, 20. Conſtat hoc, quia de ipſo ipſiusque Eccleſia myſticè dictum erat, recente humano genere, futurum *ut ſemen* *muliebre contereret caput ſerpentis* ; ut exponitur Rom. XVI, 20. Vnde ſimul intelligitur hunc hominem Ieſum majorem eſſe Abrahamo; quod ipſe innuere quàm prædicare mavult.

59. Ἦραν οὖν λίθους ἵνα βάλωσιν ἐπ᾽ αὐτόν. *Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum*] Furore perciti, ut infrà x, 31. Adeò ægrè ferebant aliquid dici quod Abrahami dignitatem lædere videretur.

ἐκρύβη, *abſcondit ſe*] Miraculo quodam, ut Luc. IV, 30.

ἐξῆλθεν ἐκ τοῦ ἱεροῦ, *exivit de Templo*] Erant enim plures exitus.

διελθὼν διὰ μέσου αὐτῶν· *tranſiens per medium eorum*] Videtur hoc additum ex dicto Lucæ loco interpretamenti cauſâ, ut & quod ſequitur καὶ παρῆγεν οὕτως [*& ſic præteriit*] ex initio capitis ſequentis. Nam & vetuſtiſſimi codices Græci non habent, & in Latinis deeſt: at in Syriaco & Arabico adſcriptum eſt.

CAPVT IX.

1. ΚΑὶ παράγων Ἰησοῦς εἶδεν, *Et præteriens Ieſus vidit*] *Vidit in tranſitu.* Sic παράγειν [*præterire*] ſumitur Matth. XX, 30. Marci XV, 21. Nam cæcus hic ſedebat juxta viam, ut fieri ſolebat, Matth. XX, 30.

τυφλὸν ἐκ γενετῆς. *cæcum à nativitate*] Non fruſtra hoc additur, nam id vitium conſtat humana ope eſſe inſanabile.

2. τίς ἥμαρτεν; οὗτος, *quis peccavit? hic*] Ex traditione habebant cæcitatem & alia ejuſmodi corporis vitia pœnas eſſe peccatorum: quod interdum verum eſt. Vide ſuprà v, 14. Quærunt ergo an ipſe peccaverit, quia multi Iudæorum credebant προΰπαρξιν [*præexiſtentiam*] animarum, imò & גלגול נפשות [*volutationem animarum*] ſive μετενσωμάτωσιν [*tranſitum in corpora*], ut apparet ex Philone, Ioſepho, Thalmudiſtis & aliquot horum librorum locis. Proponunt ergo hoc tanquam controverſum.

ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, *aut parentes ejus*] *Vterque parentum.* Quomodo? Delinquendo contra legem Levit. XX, 18. quod peccatum inter gravia ponit Ezechiel XVIII, 6. Ex tali concubitu ſolent naſci partus imperfecti, quia natura muliebris in egeſtu occupata impeditur formam juſtam dare conceptui; ut notant Hebræi.

3. Οὔτε οὗτος ἥμαρτεν, *Neque hic peccavit*] Antequam naſceretur non exſtitit, quare nec peccavit.

οὔτε οἱ γονεῖς αὐτοῦ. *neque parentes ejus*] Nec tale quid de parentibus eſt quale ſuſpicamini.

ἀλλ᾽ ἵνα, *ſed ut*] Subauditur vocula hujuſmodi, *ſed commodè hoc accidit, ut pateat quàm magnifica ſint Dei opera.* ἵνα [*ut*] ſæpe eſſe ἐκβατικὸν [*eventuale*] alibi notavimus. Sic Pſalm. LI, 6. Rom. I, 11. quæ hîc notata Theophylacto. Sic & infrà 39. Solet autem ἀλλ᾽ ἵνα [*ſed ut*] habere talem ἔλλειψιν [*defectum*], ut infra XIII, 18. XIV, 31. XV, 25.

φανερωθῇ τὰ ἔργα τοῦ Θεοῦ ἐν αὐτῷ. *manifeſtentur opera Dei in illo*] Vt per ipſum pateat qualia & quanta ſint Dei opera. Ideo plurali utitur, quia ex uno exemplo colligitur quanta Deus poſſit.

4. Ἐμὲ δεῖ ἐργάζεσθαι τὰ ἔργα τοῦ πέμψαντός με, *Me oportet operari opera ejus qui miſit me*] Docere per me ipſum, ac plurimis benefacere. Vide ſuprà v, 19. δεῖ, hoc eſt, *par eſt, convenit.*

ἕως ἡμέρα ἐστί. *donec dies eſt*] Alludit ad rem præſentem: nam cæcis perpetua nox eſt. *Diem* vocat conſpicuam ſuam præſentiam plurimis ſalutarem. Sic ſuprà VIII, 56. & infrà XII, 35.

ἔρχεται νύξ, *venit nox*] Tempus abſentiæ corporalis. Confer Matth. IX, 15.

• ὅτε οὐδεὶς δύναται ἐργάζεσθαι. *quando nemo poteſt operari*] *Cùm commodum non eſt operi intendere.* Sic δύνασθαι [*poſſe*] poni notavimus dicto loco Matth. IX, 15. Chriſtus hominum conſpectui abreptus non ampliùs voce ſua docuit, neque per ſe effecit miracula.

5. Ὅταν ἐν τῷ κόσμῳ ὦ, φῶς εἰμι τοῦ κόσμου. *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi*] Perſiſtit in alluſione, & facto confirmat verum eſſe quod dixerat ſuprà VIII, 12. Nam beneficia corporalia ſpiritualium ſunt argumentum: ideo hunc cæcum voluit imaginem gerere mundi, cujus ipſe Lux erat.

6. ἔπτυσε χαμαὶ, καὶ ἐποίησε πηλὸν ἐκ τοῦ πτύσματος, *exſpuit in terram, & fecit lutum ex ſputo*] Quia aqua ad manum non erat, lutum ſalivâ fecit.

καὶ ἐπέχρισε τὸν πηλὸν ἐπὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς τοῦ τυφλοῦ. *& linivit lutum ſuper oculos cæci*] Cauſam hujus facti oſtendere cœpimus. Homini non tantùm ſuapte natura non ineſt vis cognoſcendi per ſe ea quæ Divina ſunt ac ſpiritualia, ſed &, quia ex luto factus eſt, affectus habet luteos, qui ipſum impediunt, 1 Cor. II, 14.

7. νίψαι εἰς τὴν κολυμβήθραν τοῦ Σιλωάμ, *lava in lavacro Siloam*] Εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo]. Et Σιλωὰμ [*Siloam*] ejus ſæculi pronuntiatione pro Σιλωά [*Siloa*]. Sic *Silo* vocatur Σηλώμ [*Selom*] Iud. XVIII, 31. Ex fonte Siloa prodibat aquæductus unde aqua in piſcinam hanc colligebatur; inde verò rivis ſparſa hortos irrigabat: de qua re locus eſt Timocharis apud Euſebium, Προπ. IX.

ὃ ἑρμηνεύεται, Ἀπεσταλμένος. *quod interpretatur Miſſus*] Quoties vocis interpretationem adjungunt Euangeliſtæ, oſtendunt ad ejus ſignificatum alludi. *Siloah* dictum volunt Hebræi quòd inde aqua *emitteretur*. At Chriſtus qui ubique ſe vocat *Miſſum à Patre*, ſuprà III, 17, 34. V, 36, 38. & alibi paſſim, unde & ἀπόστολος [*Apoſtolus* ſive *Miſſus*] dicitur Hebr. III, 1. per hanc κολυμβήθραν τοῦ ἀπεσταλμένου [*hoc lavacrum Miſſi*] intelligit Verbum ſuum, verbum *emundans*, Epheſ. V, 26. Actor. XV, 9. Quod qui contemnerent, iis incumbebant clades ſimiles iis de quibus locutus erat Eſaïæ VIII, 6. id enim vaticinium iterum completum eſt in excidio Hieroſolymorum. Neque incredibile eſt reſpexiſſe Iohannem ſimul ad celebre Iacobi vaticinium, ubi שלח [*Miſſus*], vel cum epentheſi שילח, per ח non per ה in antiquis fuiſſe codicibus, documento eſt Hieronymi verſio, *Qui mittendus eſt.* Sic Armeniæ nomen alibi הרמון [*Harmon*], alibi חרמון [*Charmon*] ſcribitur.

καὶ ἐνίψατο, καὶ ἦλθε βλέπων. *& lavit, & venit videns*]

dens] Sic primùm mundantur homines à pravis affectibus, deinde illuminantur, Epheſ. I, 18. Hinc Baptiſmo nomen φωτισμοῦ [*illuminationis*]. Indicatur hîc obiter obedientia cæci qui nihil recuſat quanquam in ſpeciem inutile; præferendus in hoc Neemani, qui aliquandiu ſpernebat intrare Iordanem. Abiit autem ad domum parentum, unde non longè ſederat. Vide infrà 18.

8. Οἱ οὖν γείτονες, *Itaque vicini*] Qui in proximo habitabant atque eum quotidie viderant.

ὅτι προσαίτης ἦν, *quia mendicus erat*] Cùm in hanc lectionem conſentiant Latinus, Syrus, Arabs & quidam Græci codices, omnino præferendam cenſeo. Sæpe viſus erat, quia in publico miſericordiam omnium implorabat. Vide Marci x, 46. Luc. XVIII, 35.

Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ καθήμενος καὶ προσαιτῶν; *Nonne hic eſt qui ſedebat & mendicabat*]? *Nonne hic ille ipſe eſt?* Vide ſimile Actor. III, 10.

9. Ὅτι οὗτός ἐστιν· *Quia hic eſt*] Quidam planè affirmabant.

Ἄλλοι δὲ, ὅτι ὅμοιος αὐτῷ ἐστιν. *Alii verò, quòd ſimilis illi eſt*] Hæ variæ ſententiæ pertinent ad fidem adſtruendam miraculo & oſtendendam ejus magnitudinem. Nam qui dicebant *ſimillimum ipſi eſſe*, ne eundem crederent, hoc ſolo abſtinebantur quòd non cogitarent fieri poſſe ut cæcus viſum acciperet.

Ἐκεῖνος ἔλεγεν, ὅτι ἐγώ εἰμι. *Ille verò dicebat, quia ego ſum*] *Ego ſum*, nempe ille ipſe quem cæcum vidiſtis: quomodo ſumi hoc ἐγώ εἰμι [*ego ſum*] ſuprà notavimus. Grata profeſſione omnem aliorum diſputationem dirimit certiſſimus teſtis.

10. Πῶς ἀνεῴχθησάν σου οἱ ὀφθαλμοί; *quomodo aperti ſunt tibi oculi*]? *Aperire oculos* eſt facere ut videant. Vide Matth. IX, 30.

11. Ἄνθρωπος λεγόμενος Ἰησοῦς, *Ille homo, qui dicitur Ieſus*] *Quidam qui appellatur Ieſus.* Diſcimus hinc multas facti circumſtantias in ſuperiori narratione omiſſas, ut, compellatum ab Ieſu cæcum ex ipſo aut adſtantibus didiciſſe quis eſſet qui ſe compellaret; &, quod mox adjicitur, Sabbato facta hæc.

νιψάμενος ἀνέβλεψα. *lotus viſum accepi*] *Statim ut lavi accepi viſum.* Eſt autem catachreſis: nam ἀναβλέπειν [*recipere viſum*] propriè eorum eſt qui videndi facultatem aliquando habuerunt: ſed nec malè *recipere* quis dicitur quod communiter tributum humanæ naturæ ipſi abfuit.

12. Ποῦ ἐστιν ἐκεῖνος; Λέγει, Οὐκ οἶδα. *Vbi eſt ille? ait: neſcio*] Solebat Ieſus miraculo edito ſe ex eo loco ſubducere, ne gloriam ex concurſu venari videretur.

13. πρὸς τοὺς Φαρισαίους, *ad Phariſæos*] *Phariſæos* hîc intelligo Synedrium, in quo plurimi Phariſæi. Sic

—— ἀρχιερῆας

[*Primores ſacrificorum*].

dixit Nonnus, quia & illi in Synedrio. Vide ſuprà I, 24. iidem infrà Iudæi 18, & 22. id eſt, primores Iudæorum, ut jam ſuprà aliquoties.

16. Φαρισαίων τινές· *Ex Phariſæis quidam*] Duriores.

Οὗτος ὁ ἄνθρωπος οὐκ ἔστι παρὰ τοῦ Θεοῦ, ὅτι τὸ σάββατον οὐ τηρεῖ. *Non eſt hic homo à Deo, quia Sabbatum non cuſtodit*] *Non eſt à Deo miſſus, quia ſolenne illi eſt operari in Sabbato.* Iam enim aliquoties Sabbato ſanaverat. Linere oculos Phariſaïca ſuperſtitio operibus Sabbato vetitis annumeraverat: quod etſi ita eſſet, tamen quod ad Dei honorem pertinet liberum eſt à lege.

Ἄλλοι ἔλεγον, *Alii autem dicebant*] Hi quibus aliquid bonitatis erat reliquum; qui nondum occalluerant.

ἄνθρωπος ἁμαρτωλὸς, *homo peccator*] Intellige ex verbis antecedentibus, *qui ſe falsò à Deo miſſum prædicat*. Tales enim excellenter *peccatores* vocantur.

τοιαῦτα σημεῖα ποιεῖν; *talia ſigna facere*]? Nota τοιαῦτα [*talia*] & σημεῖα [*ſigna*]. Primùm res *tam eximias*, Divinas ſalutareſque; & quidem in *ſignum* miſſionis ſuæ. Nunquam ſanè id Deus permitteret, ſi falsò ſibi hoc arrogaret. Vide ſuprà III, 2.

σχίσμα, *ſchisma*] Diximus ſuprà VII, 43. ſic & infrà X, 19.

17. τῷ τυφλῷ, *cæco*] Id eſt, Τῷ ποτε τυφλῷ [*Ei qui cæcus fuerat*], ut modò locutus erat Iohannes. De hoc loquendi genere vide quæ ad Matth. XXVI, 6.

Σὺ τί λέγεις περὶ αὐτοῦ, ὅτι ἤνοιξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; *Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos*]? *Nempe in Sabbato:* ita enim perfecta eſt quæſtio.

ὅτι προφήτης ἐστίν. *quia Propheta eſt*] *A Deo miſſus.* Receptum erat inter ipſos mandato Prophetæ ſolvi poſſe Sabbatum.

18. ἕως ὅτου, *donec*] Non inde ſequitur poſteà credidiſſe; ſed, cùm non crederent, voluiſſe eos ex parentibus ſciſcitari rem omnem. Vide quæ ad Matth. I, 25.

19. ὑμεῖς λέγετε, *vos dicitis*] Ipſa percunctatione oſtendunt quale reſponſum deſiderent, nempe Non fuiſſe revera cæcum, aut certè Non natum talem, ut aut everteretur aut minueretur laus ſanationis.

πῶς οὖν ἄρτι βλέπει; *quomodo ergo nunc videt*]? Hoc ſolum negari non poterat.

21. ἡμεῖς οὐκ οἴδαμεν. *nos neſcimus*] Non adfuimus cùm id fieret.

αὐτὸς ἡλικίαν ἔχει, *ætatem habet*] Ætatem quæ ex moribus requiritur ad perhibendum teſtimonium; quæ Hebræis, anni XIII.

περὶ ἑαυτοῦ, *de ſe*] De eo quod ipſi compertum eſt.

22. ἤδη γὰρ συνετέθειντο, *jam enim conſpiraverant*] *Iam major pars in eo convenerat.* Nam antea ob diſſidentes ſententias nihil perrogari potuerat, ſuprà VII, 53.

ἐάν τις αὐτὸν ὁμολογήσῃ Χριστὸν, *ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum*] Quod cæcus ſanatus dixerat huic erat proximum. *Miſſum* enim *à Deo* agnoverat. Quare nihil aliud reſtabat quàm ut ex Ieſu intelligeret, Ieſum ſe profiteri Meſſiam. Nam ſi à Deo miſſus erat, etiam in hoc ei credi debebat. Vide infrà 35, 36, 37, 38.

ἀποσυνάγωγος γένηται. *extra Synagogam fieret*] *Excluderetur à Synagogis & familiari convictu:* nempe per נדוי, quod propriè vertitur ἀφορισμὸς [*ſeparatio*], Luc. VI, 22. nam חרם ἀνάθεμα [*anathema*], qui ſecundus eſt gradus, in

Ieſu ſectatores decerni demum cœpit poſt Reſurrectionem. Vide quæ ad Matth. XXVIII, 15. & Apocal. XXII, 15.

23. Διὰ τοῦτο οἱ γονεῖς αὐτοῦ εἶπον, *Propterea parentes ejus dixerunt*] Hominum quàm Dei metuentiores; quales non mirum eſt ſi ſibi potiùs quàm cariſſimis conſulant: itaque filium obtrudunt odio.

24. ἐκ δευτέρου, *rurſum*] Iam antè enim eum audiverant, ut narratum eſt. Sed preſſiori interrogatione aliquid ſperabant ſe poſſe elicere quod claritatem miraculi obſcuraret.

Δὸς δόξαν τῷ Θεῷ, *Da gloriam Deo*] Explicavimus hanc formulam Matth. XXVI, 63. Vſurpant hanc & Prophetæ & Iudices Magni Synedrii à Deo conſtituti. In Thalmudicis Digeſtis titulo De Synedrio, Simeon Senatorum unus Regem Iannæum ſic alloquitur, *Non ſtas coram nobis, ſed coram eo qui dixit, Fiat, & factus eſt mundus.*

ἡμεῖς οἴδαμεν ὅτι ὁ ἄνθρωπος οὗτος ἁμαρτωλός ἐστιν. *nos ſcimus quia hic homo peccator eſt*] Quò magis eliciant aliquod teſtimonium in Ieſum, ajunt ſibi jam aliunde conſtare eſſe ipſum falſum jactatorem Prophetici muneris. Vide ſuprà 16.

25. εἰ ἁμαρτωλός ἐστιν, οὐκ οἶδα· *ſi peccator eſt, neſcio*] Quod vos vobis conſtare dicitis, de eo mihi non conſtat.

ἓν οἶδα, *unum ſcio*] Hoc unum certò mihi conſtat.

τυφλὸς ὢν, *cæcus cùm eſſem*] Ων, *qui eram*, ut habet hîc Syrus. Simile loquendi genus, vide Epheſ. II, 5.

26. Τί ἐποίησέ σοι; πῶς ἀνέῳξέ σου τοὺς ὀφθαλμούς; *Quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos*]? Ex ipſo ſanationis modo ſperabant aliquid deprehenſuros ſe quo conſtaret non fuiſſe veram ac nativam cæcitatem.

27. καὶ οὐκ ἠκούσατε; *& non audiſtis*]? Sic & Syrus & Arabs: quare hanc lectionem præferendam cenſeo, ſed cum interrogandi nota (ut meliùs cohæreat quod ſequitur), *An non ſatis audiſtis?*

μὴ καὶ ὑμεῖς θέλετε αὐτοῦ μαθηταὶ γενέσθαι; *numquid & vos vultis diſcipuli ejus fieri*]? Poſſetne fieri ut vos, qui omnia ſcire vos venditatis, illo Magiſtro utamini?

28. Σὺ εἶ μαθητὴς ἐκείνου, *Tu diſcipulus illius es*] Tu ſanè ejus fautor es: nam in gratiam ejus loqueris.

τοῦ Μωσέως ἐσμὲν μαθηταί. *Moſis diſcipuli ſumus*] Illo Magiſtro contenti alium non quærimus.

29. τοῦτον δὲ οὐκ οἴδαμεν πόθεν ἐστίν. *hunc autem neſcimus unde ſit*] Oppoſitio membri præcedentis oſtendit πόθεν [*unde*] hîc ſignificare miſſionem: Neſcimus ſuopte impulſu an Dæmonis inſtigatu doceat. Vide ſuprà VII, 29. ideo mox ſequitur: εἰ μὴ ἦν παρὰ Θεοῦ [*niſi eſſet hic à Deo*].

30. Ἐν γὰρ τούτῳ θαυμαστόν ἐστιν, *In hoc enim mirabile eſt*] Illud θαυμαστόν ἐστιν [*mirabile eſt*] imperſonale eſt, quaſi dicas, *Eſt quod hoc miremur.* ἐν [*in*] pro *ob*. Similis conſtructio poſt θαυμάζειν [*mirari*] Luc. I, 21. II Theſſ. I, 10.

ὑμεῖς οὐκ οἴδατε πόθεν ἐστὶ, *vos neſcitis unde ſit*] Vos qui vobis arrogaſtis ſcientiam dijudicandi inter Prophetas veros & falſos.

καὶ ἀνέῳξε, *& aperuit*] Καὶ pro *tamen*, ut ſuprà.

31. ἁμαρτωλῶν ὁ Θεὸς οὐκ ἀκούει. *peccatores Deus non audit*] Eſt quidem hoc ſatis proverbiale, ut videre eſt Pſalm. LXVI, 18. Eſaïæ I, 15. & alibi: ſed & præcedentia & ſequentia exigunt ut intelligatur hoc de eo qui falſò ſe à Deo miſſum aſſeverat: quem Deus non exaudit, ut Divina edat ſigna ad fidem faciendam ſuæ miſſionis. Imò nulla miracula fieri Deus à talibus permittit extra cauſam tentationis ad cultum falſorum deorum, adverſùs quem ſatis muniti eſſe debebant Iſraëlitæ. Et hæc ipſa miracula multùm abſunt ab eo quod Ieſus fecerat. Vide quæ dicta ad Matth. XXIV, 24.

ἀλλ' ἐάν τις θεοσεβὴς ᾖ, καὶ τὸ θέλημα αὐτοῦ ποιῇ, τούτου ἀκούει. *ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem ejus facit, hunc audit*] Eſt & hoc proverbiale, ut videre eſt Pſalm. XXXIV, 16. & alibi: etiam apud Græcos,

Εὐχῆς δικαίας οὐκ ἀνήκοος Θεός.
[*Deus ipſe non eſt ſurdus ad juſtas preces*].

Vnde illud Ovidii primo Metamorphoſeôn,

Si precibus, dixerunt, numina juſtis
Victa remolleſcunt.

Xenophon II de Cyri inſtitutione, Oτι εἰκότως ἂν καὶ παρὰ τῶν θεῶν πρακτικώτερος εἴη, ὥσπερ καὶ παρ' ἀνθρώπων, ὅστις μὴ ὁπότε ἐν ἀπόροις εἴη, τότε κολακεύοι· ἀλλ' ὅτε ἄριστα πράττει, τότε μάλιστα τῶν θεῶν μέμνηται [*Meritò etiam apud deos plurimùm poſſit, ſicut apud homines, non qui cum in rebus eſt adverſis tunc adulari incipit: ſed qui cum maximè floret, tunc maximè deorum meminit*]. Terentius Adelphis,

Tu potiùs deos comprecare: nam tibi eos, certo ſciò,
Quo vir melior multo es, quàm ego ſum, obtemperaturos magis.

Sed & hoc aptandum ad præſentem materiam; ut intelligatur Deus libenter concedere poteſtatem ſignorum his qui pio animo Dei mandata exſequuntur & ad hoc ſignis opus habent.

32. Ἐκ τοῦ αἰῶνος οὐκ ἠκούσθη, *A ſeculo non eſt auditum*] Quaſi dicat, Neque Prophetæ hoc fecerunt, nec ipſe ille quem Magiſtrum profitemini Moſes. Et ſanè quam cauſam Senatores adferre poterant cur Ieſu minùs quàm Moſi crederent, cùm hujus miracula & quidem majora aſpicerent, illius verò à patribus tantùm accepiſſent? *Meſſiam cæcis aperturum oculos* ait Midraſch in Pſalm. CXLVI. Adde Eſaïam XLII, 7.

τυφλοῦ γεγεννημένου. *cæci nati*] Ἐμφατικὸν [*efficaciter dictum*] hoc eſt. nam alioqui morbo multi viſum amittunt qui ſanabiles ſunt nec planè cæci.

33. παρὰ Θεοῦ, *à Deo*] *Miſſus* ſcilicet. Vide ſuprà VII, 29.

οὐκ ἠδύνατο ποιεῖν οὐδέν. *non poſſet facere quicquam*] Subintellige *horum quæ facit*.

34. Ἐν ἁμαρτίαις σὺ ἐγεννήθης ὅλος, *In peccatis natus es totus*] Locutio eſt hyperbolica quæ ſignificat aliquem à prima ætate vitioſum fuiſſe, Pſalm. LI, 7. LVIII, 4. Eſaïæ XLVIII, 8. Et Chryſoſtomus ad hunc locum, ὡσανεὶ ἔλεγον ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐν ἁμαρτίαις εἶ σύ [*quaſi dicerent à prima ætate in peccatis es tu*]. Sic & aliæ res quæ nobis à pueritia adfuerunt dicuntur *ab utero adfuiſſe* Pſalm. XXII, 10. LXXI, 5, 6. Iob. XXXI, 18. ὅλος [*totus*], id eſt, *totus*

quantus es ſcates peccatis. Grave convitium.

διδάσκεις ἡμᾶς; *doces nos*]? Nos Magiſtros & Iudices populi & ſanctitate eximios, unde *Phariſæi* dicebantur.

ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω. *ejecerunt eum foras*] Non dimiſerunt, ſed per apparitores è curia Synedrii ignominioſè ejici juſſerunt. Ita vox hæc uſurpatur Actor. VII, 58. XIII, 50. & alibi.

35. Ἤκουσεν ὁ Ἰησοῦς ὅτι ἐξέβαλον αὐτὸν ἔξω. *Audivit Ieſus quia ejecerunt eum foras*] Volebat hoc ſcire humano more, narrantibus aliis. Præſto autem eſt Ieſus teſtibus ſuis ob id teſtimonium mala ferentibus.

πιστεύεις εἰς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ; *credis in Filium Dei*]? *Fiduciam tuam collocas in Meſſiam*, quod omnes Iudæi facere ſe profitentur? *Filius Dei* cognomen erat uſitatum Meſſiæ, ut notatum ſuprà I, 46. & alibi.

36. ἐκεῖνος, *ille*] *Qui ſanatus erat*, quod hîc addit Syrus.

Καὶ τίς ἐστι, Κύριε, ἵνα πιστεύσω εἰς αὐτόν; *Quis eſt, Domine, ut credam in eum*]? Vbi eſt? jamne venit?

37. Καὶ ἑώρακας αὐτὸν, *& vidiſti eum*] Virtutem ejus expertus es: nam is eſt per quem viſum recuperaſti. Sic ſuprà VI, 36. infrà XIV, 9.

Καὶ ὁ λαλῶν μετὰ σοῦ, ἐκεῖνός ἐστι. *Et qui loquitur tecum, ipſe eſt*] Dixerat Meſſiam eum fuiſſe qui viſum ipſi reddidiſſet: nunc addit *ſemet eum eſſe.*

38. Πιστεύω, Κύριε; *Credo, Domine*]? *Planè in illo ſpem meam colloco.*

καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ. *adoravit eum*] Non modò ut Prophetam, ſed ut Meſſiam, cui ſummus honos debebatur. Quare geſtum eximiæ venerationis hîc expreſſerunt Latinus & Syrus.

39. Εἰς κρίμα ἐγὼ εἰς τὸν κόσμον τοῦτον ἦλθον· *In judicium ego in hunc mundum veni*] *Ex quo in mundum veni*, id eſt, hominibus palàm apparui (ut expoſuimus ſuprà I, 9.) *judicia Dei hac occaſione eluceſcunt:* nam εἰς [*in*] & quod ſequitur, ἵνα [*ut*], ut alibi ſæpe, ſunt ἐκβατικά [*eventus ſignificativa*]. Vide quæ diximus Lucæ II, 34. κρίμα [*judicium*] hîc ſumitur, ut Roman. XI, 33.

ἵνα οἱ μὴ βλέποντες, *ut qui non vident*] More ſuo alludit ad rem geſtam. *Qui non vident*, ſubintellige, *& qui tales ſe eſſe ſentiunt*; qualis ille cæcus fuerat, qui nullam ſibi rerum Divinarum peritiam arrogabat. Vide ſuprà 25, 30.

βλέπωσι, *videant*] *Cognitione donentur.* Confer locum Matth. XI, 25. & quæ inibi dicta.

καὶ οἱ βλέποντες, *& qui vident*] *Qui tales haberi volunt & appellari* פקחים, *videntes*, quod erat nomen Sapientum, quales plerique Phariſæorum habebantur, & quales hi ipſi cum quibus res erat haberi ſe volebant, ut apparet ſuprà 24, 29, 34.

τυφλοὶ γένωνται. *cæci fiant*] Id eſt, *appareant cæci*, ignari rerum Divinarum: ut hi, qui omni modo hoc agebant ne viderent, quod videbant, cæco lucem datam. Sic ἐμωράνθησαν [*ſtulti facti ſunt*] Rom. I, 22. Ex Hebræorum more qui declarationem rei per Hiphil enuntiant.

40. οἱ ὄντες μετ᾽ αὐτοῦ, *qui cum ipſo erant*] Quidam ex Phariſæis qui in hoc ipſum ſectabantur ut ſermones ejus captarent, Lucæ XV, 2.

Μὴ καὶ ἡμεῖς τυφλοί ἐσμεν; *Numquid & nos cæci ſumus*]? Satis intelligebant Chriſtum de animi cæcitate loqui. Sed indignum & incredibile putant ſe in eo numero poni.

41. Εἰ τυφλοὶ ἦτε, *Si cæci eſſetis*] Sicut modò, μὴ βλέποντες [*non videntes*] erant *qui ignorantiam ſuam agnoſcebant*: ita hîc, *ſi cæci eſſetis* eſt: Si vos pro talibus gereretis, Si agnoſceretis ignorantiam quâ tenemini. Oſtendit hoc membrum oppoſitum. Epicurus: *initium eſt ſalutis, notitia peccati.*

οὐκ ἂν εἴχετε ἁμαρτίαν. *non haberetis peccatum*] Id eſt, Eſſetis aliquo modo excuſabiles: nam ἁμαρτία [*peccatum*] hîc ſumitur non pro quavis *culpa*, ſed pro *gravi & incondonabili crimine*, ut infrà XV, 22, 24. XVI, 8, 9. ubi itidem *habere peccatum* eſt *reum eſſe*. Opponitur hic ἁμαρτία [*peccatum*], id eſt, רשע [*improbitas*], ἄγνοια [*ignorantiæ*], id eſt, שגגה [*error*].

νῦν δὲ λέγετε, ὅτι βλέπομεν. *nunc verò dicitis: quia videmus*] Ὅτι abundat more Hebræo: & λέγειν, id eſt, *cogitare*: *Nunc autem exiſtimatis vos ſapere*, etiam poſtquam error veſter vobis apertè monſtratus eſt. Adde Rom. II, 19.

ἡ οὖν ἁμαρτία ὑμῶν μένει. *peccatum igitur veſtrum manet*] Id eſt, *non perit, non aufertur*: ſicut μένειν [*manere*] ſumitur infrà XV, 11. I Cor. III, 14. *Auferri* autem intelligo *condonari*, ob membrum ſuperius huic oppoſitum: קימא habet hîc Syrus, quod ſignificat *firmum eſt*, eo quo diximus ſenſu.

CAPVT X.

1. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen, Amen dico vobis*] Sermoni huic, ut & priori, occaſio ex re naſcitur. Quia enim cæcus ejectus erat & Chriſtus pro ſeductore habitus, hinc de vero Paſtore & Oſtio incipit diſſerere. Sicut autem Chriſtus priori ſermone, ut Meſſiam ſe indicaret, circumlocutione uſus ſe *Lucem mundi* dixerat, quod Meſſiæ eſt epithetum, ita nunc alio epitheto idem ſignificat. Nam apud Ezechielem Meſſias indicatur nomine *unius paſtoris*, XXXIV, 23. Ideo poſt hunc ſermonem abſolutum interrogant Iudæi, *an ſe Chriſtum dicat*, infrà 24. Vide I Petr. V, 4. ubi idem Ezechielis locus reſpicitur. Etiam apud Xenophontem legimus, Παραπλήσια ἔργα νομέως ἀγαθοῦ καὶ βασιλέως ἀγαθοῦ [*Vicina eſſe opera boni paſtoris & boni Regis*].

διὰ τῆς θύρας, *per oſtium*] *Per oſtium villæ* ubi ſtatim apparebat ſubdiale & in eo caula. Euſtathius ad Odyſſeæ Ξ. Πρόδομος ὁ ἔξω, μεθ᾽ ὃν εὐθὺς ἡ αὐλή. [*veſtibulum exterius, poſt quod ſtatim ſubdiale*].

εἰς τὴν αὐλὴν τῶν προβάτων, *in ſeptum* ſive *ſubdiale ovium*] Nam erant & alia ſepta hircorum, ſuum.

ἀλλαχόθεν, *aliunde*] Perrupto pariete.

κλέπτης ἐστὶ καὶ λῃστής. *fur eſt & latro*] Fur, quia venit ut rapiat alienum; latro, quia ut occidat. Sic exponitur infrà 10.

2. Ὁ δὲ εἰσερχόμενος διὰ τῆς θύρας, *Qui autem intrat per oſtium*] Qui ad officium illud electus eſt.

3. Τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, *huic oſtiarius aperit*] Nihil opus eſt in parabolis particulas ſingulas habere cui reſpondeant. Multa ſunt ἐπεισοδιώδη [*adſcita*

ornandi cauſâ]. Sic hoc de Ianitore aperiente deſcriptio eſt noti hominis.

καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει. *& oves vocem ejus audiunt*] Habent paſtores voces quaſdam proprias, ut σίττα [*ſitta*] apud Theocritum, quibus aſſueſcunt pecudes. *Oves* autem in affabulatione intellige eos qui pio ſunt animo ac proinde dociles, infrà 16. Hi & ex Majeſtate verborum & ex ſanctitate dogmatis Chriſtum agnoſcunt.

καὶ τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ᾽ ὄνομα, *& proprias oves vocat nominatim*] *Ipſe viciſſim oves ſuas novit.* Vide Proverb. XXVII, 23. Virgilius,

Bisque die numerant ambo pecus. ---

Vocare nomine ſignum perfectæ notitiæ: Eſaiæ XL, 26. & alibi. ἔγνω Κύριος τοὺς ὄντας αὐτοῦ [*cognovit Dominus qui ſunt ejus*], II Tim. II, 19.

ἐξάγει αὐτά. *educit eas*] *Educit in paſcua.* Ne hoc quidem requirit ſpecialem ἀνταπόδοσιν [*redditionem*]. Pertinet enim ad circumlocutionem curæ paſtoralis.

4. ἐκβάλῃ, *emiſerit*] Quod jam dixerat ἐξάγειν [*educere*] nunc dicit ἐκβάλλειν [*emittere*]. Sic הדיח modò per ἐξάγω [*educo*] vertitur, Ierem. XLVI, 27. modò per ἐκβάλλω [*emitto*], II Paral. XIII, 9. Ierem. XXIX, 18.

ἔμπροσθεν αὐτῶν πορεύεται· *ante eas vadit*] Solent paſtores non modò ſubſequi gregem ſed & præire. Vide Pſalm. LXXX, 1. & quæ diximus Matth. XXV, 32. Sic Chriſtus vitæ exemplo nobis præiit, & veri Chriſti diſcipuli τύποι [*formæ*] ſunt τοῦ ποιμνίου [*gregis*] 1 Petr. V, 3.

5. οὐκ οἴδασι τῶν ἀλλοτρίων τὴν φωνήν. *non noverunt vocem alienorum*] Sic & pii animi agnoſcunt falſorum magiſtrorum arrogantiam, privati commodi ſtudium, & alia à pietate aliena.

6. τὴν παροιμίαν, *proverbium*] משל Hebræum omnem *ſermonem figuratum* ſignificat, Ezech. XX, 49. Diſtinguunt Græci παροιμίαν [*proverbium*] & παραβολὴν [*parabolam*], ſed Helleniſtæ pro eodem uſurpant. Itaque liber Solomonis משלי utroque titulo inſcribitur: & ſicut apud Matth. XV, 15. παραβολὴ [*parabola*] vocatur quæ propriè eſt παροιμία [*proverbium*], ita hîc & XVI, 25, 29. παροιμία [*proverbium*] appellatur quæ propriè eſt παραβολή [*parabola*].

οὐκ ἔγνωσαν τίνα ἦν ἃ ἐλάλει αὐτοῖς. *non cognoverunt quid loqueretur eis*] Quid hac ſimilitudine ſignificaret. Sic λέγειν [*dicere*] habuimus ſuprà 11, 21.

7. ἐγώ εἰμι ἡ θύρα, *ego ſum oſtium*] Superiori ſimilitudine non expoſitâ aliam affinem orditur atque explicat, occaſione ejus quod de oſtio dixerat. Intra oſtium in tuto ſunt oves.

8. Πάντες ὅσοι ἦλθον, *omnes quotquot venerunt*] Πρὸ ἐμοῦ [*ante me*], quod Nonnus & Arabs legerunt puto rectiùs omitti, cùm præter Latinum & Syrum multa Græcorum exemplaria conſentiant. Et credibilius eſt adjectum hoc interpretamentum quam ſine cauſa eraſum. *Omnes qui venerunt*, intellige ſibi arrogantes illud nomen *magni Paſtoris*, id eſt, Meſſiæ.

κλέπται εἰσὶ καὶ λῃσταί· *fures ſunt & latrones*] Id eſt, Fuerunt, Theudas, Iudas Gaulonites & ſi qui his ſimiles impoſtores, qui & ſe ſaginarunt & miſerum populum à ſe faſcinatum cædibus objecerunt. Alluditur ad locum Ierem. XXIII, 1. & Ezechiel. XXXIV, 2, 3.

οὐκ ἤκουσαν αὐτῶν τὰ πρόβατα. *non audierunt eos oves*] Habuerunt ſuos ſectatores Zelotas, humana commoda ſectantes; ſed pietatis amantes alieni ab ipſis fuerunt.

9. δι᾽ ἐμοῦ ἐάν τις εἰσέλθῃ, *per me ſiquis introierit*] Per me inveniet fidum receptum apud Deum. Rom. V, 1. Hebr. X, 19.

σωθήσεται· *ſalvabitur*] *Extra periculum erit.*

καὶ εἰσελεύσεται καὶ ἐξελεύσεται, καὶ νομὴν εὑρήσει. *& ingredietur & egredietur, & paſcua inveniet*] Id eſt, ubicunque fuerit, pabulo non carebit. Sic enim mos eſt loquendi Hebræis, Deut. XXVIII, 6. Pſalm. CXXI, 8. 1 Sam. XXIX, 6. II Sam. III, 25. II Par. I, 10. Eſt autem alluſio ad id quod erat in comparatione: nam oves caulâ exeunt & in eam redeunt. νομὴν [*paſcuum*] נוה.

10. Ὁ κλέπτης, *Fur*] Qui & λῃστὴς [*latro*], quam vocem ſuprà addidit: ſequentibus ſenſum exprimit.

ἵνα ζωὴν ἔχωσι, καὶ περισσὸν ἔχωσιν. *ut vitam habeant, & abundantius habeant*] *Amplius habeant*, Syrus. Oves quæ bene habentur non tantùm habent quæ neceſſaria ſunt ad vitam ſuſtentandam, ſed & delicias herbarum varietate. Vide de caprarum deliciis Eupolidis anapeſtos qui apud Macrobium leguntur, & confer ea quæ ſunt Ezech. XXXIV. Sic Chriſtus ſuis non tantùm vitam dabit æternam ſed & cum ea vita omne genus felicitatis. Sic περισσότερον [*abundantius* ſive *amplius*] habuimus Matth. V, 37. Luc. XII, 4. Hebr. VI, 17.

11. Ἐγώ εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. *Ego ſum paſtor bonus*] Occaſione antedictorum tertiam incipit comparationem, *Paſtoris* vocem jam ſumens non pro ſolo Meſſia, ſed pro quovis populum docente. Neque hîc Paſtorem opponit, ut antè, Furi & Latroni, ſed Paſtorem qui idem dominus ſit ovium, mercenario, quem *alienum* Virgilius vocat,

Hic alienus oves cuſtos bis mulget in hora:
Et ſuccus pecori & lac ſubducitur agnis.

Homerus Odyſſ. Π.

--- Αὐτὰρ μῆλα κακοὶ φθείρουσι νομῆες.
[--- *Perit Paſtorum deſidiâ grex*].

Eſt eadem oppoſitio Paſtoris & Mercenarii apud Rabbinum Abrahamum. Ibi ergo Chriſtus ſe Pſeudochriſtis opponit, hîc quibusvis pravis Doctoribus. Ibi reſpexit Theudam & eos quos diximus, hîc Legisperitos ſuorum temporum & Phariſæos.

τὴν ψυχὴν αὐτοῦ τίθησιν, *animam ſuam ponit*] Ψυχὴν τιθέναι [*Animam ponere*] ſignificat hoc loco *mortem non defugere*, ſive reipſa mors ſequatur, ſive non; quod plenius Hebræi dicunt *vitam ponere in manu ſua*, Iud. XII, 3. 1 Sam. XIX, 5. XXVIII, 21. Sic παραδεδώκασι τὰς ψυχὰς αὐτῶν [*tradiderunt animas ſuas*], Actor. XV, 26. Sic παρθέμενοι κεφαλὰς [*objectant capita*] apud Homerum Odyſſeæ ſecundo, & ψυχὰς παρθέμενοι [*objectant animas*] Odyſſeæ tertio: ubi Scholiaſtes ἀφειδήσαντες ἑαυτῶν [*ſibi non parcentes*]. Plautus Captivis dixit *caput periculo ponere.*

ὑπὲρ τῶν προβάτων· *pro ovibus*] Cujus rei typus fuit in Davide 1 Sam. XVII, 34, & ſequentibus. Alioqui vix eſt ut quis ſe pro pecude magnis periculis objiciat.

12. καὶ οὐκ ὢν ποιμὴν, *& qui non eſt paſtor*] *Qui affectu paſtor non eſt.* Vide Phil. II, 21.

οὗ οὐκ εἰσὶ τὰ πρόβατα ἴδια, *cujus non ſunt oves propriæ*] Quia nec ipſius ſunt pecudes nec paternæ, ut Davidi; neque eſt partiarius, ut loquuntur. Itaque à veri Paſtoris nomine Apoſtoli eorumque ſimiles non excluduntur, quia gregem Chriſti tanquam ſuum curabant. Vide I Cor. XII, 15.

θεωρεῖ τὸν λύκον ἐρχόμενον, καὶ ἀφίησι, *videt lupum venientem & dimittit*] Id eſt, *Si videat lupum venientem, deſerit gregem fugâ. Lupum* intellige ſævitiam imminentem, quam fugere non ſemper vetitum eſt, ſed tum demum cum eo modo grex deſtitutus manet. Vide quæ ad Matth. x, 23.

καὶ ὁ λύκος ἁρπάζει αὐτὰ, καὶ σκορπίζει τὰ πρόβατα, *& lupus rapit eas, & diſpergit oves*] Id eſt, *ita ut lupus partim rapiat oves, partim disjiciat.* Ita vox πρόβατα [*oves*] repetitur ad ſignificandam partitionem, & καὶ [*&*] eſt conſecutionis. Oppoſitio Paſtoris & Lupi hominibus aptata eſt & apud Maximum Tyrium, diſſertatione *Quid ſit ſcientia*, Κῦρος μὲν ἡγεῖτο Περσῶν ὡς ποιμὴν θρεμμάτων, σώζων τὸ αἰπόλιον καὶ τρέφων, καὶ Μήδοις πολεμῶν, καὶ Βαβυλωνίους λαμβάνων, καὶ μηδενὶ ἐφιεὶς λύκῳ βαρβάρῳ καὶ ἀγρίῳ ἀναμιχθῆναι τῇ ἀγέλῃ. Καμβύσης δὲ ἦν καὶ αὖθις Ξέρξης ἐκ ποιμένων ἀγαθῶν πονηροὶ λύκοι. [*Cyrus Perſis imperabat ut Paſtor ovibus, ſervans & alens gregem, nunc in Medos bellans, nunc Babylonios capiens, nec cuiquam lupo fero ac barbaro permittens induere ſe in gregem. Cambyſes vero & rurſus Xerxes ex bonis Paſtoribus orti lupi mali fuere*].

13. οὐ μέλει αὐτῷ περὶ τῶν προβάτων. *non eſt ei cura de ovibus*] *Non ſunt oves ei cordi* : quia res ipſius non agitur, neque tanti putat. Eadem locutio Marci XII, 14. Lucæ x, 40.

14. καὶ γινώσκω τὰ ἐμὰ, *& cognoſco meas*] Πρόβατα [*oves*] ex ſuperioribus intellige. *Novi* autem hîc intellige, *Scio quanti me faciant*, ut ſuprà I, 10.

καὶ γινώσκομαι ὑπὸ τῶν ἐμῶν. *& cognoſcor à meis*] *Sciunt viciſſim quo amore ſe proſequar.*

15. Καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, *Sicut novit me Pater*] *Sicut & Pater ſcit quàm ipſi ſim obſequens*: Matth. XI, 27.

κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα. *& ego agnoſco Patrem*] *Et ego ſcio quanti ſim apud Patrem*, quanta mihi deſtinet. Sæpius Chriſtus amorem inter ſe & Chriſtianos comparat ei amori qui eſt inter ſe & Patrem, ſuprà VI, 56, 57. infrà XVII, 23. Vide Matth. dicto jam loco.

16. Καὶ ἄλλα πρόβατα ἔχω, *Et alias oves habeo*] Non pro his tantùm conſanguineis meis me morti objiciam, ſed & pro extraneis. *Oves* intellige eos qui miti erant animo ac tali ut ſpes eſſet eos Euangelium ſibi patefactum non repudiaturos. Sic & *populi* vox ſumitur ex ſpe futuri Actor. XVIII, 10. & *meſſis* Matth. IX, 37.

ἃ οὐκ ἔστιν ἐκ τῆς αὐλῆς ταύτης. *quæ non ſunt ex hoc ovili*] Non ex hac gente ſunt.

κἀκεῖνά με δεῖ ἀγαγεῖν. *& illas oportet me adducere*] Per miniſtros meos.

καὶ τῆς φωνῆς μου ἀκούσουσι. *& vocem meam audient*] Oſtendit magnam copiam eorum qui in ſe credituri eſſent ex Gentibus.

μία ποίμνη, εἷς ποιμήν. *unum ovile, unus paſtor*] Proverbium fuit, *Grex unus, unus paſtor.* Vide locum ſimilem Ezech. XXXVII, 24. ubi typus eſt ejus rei. Deſcriptio Eccleſiæ undique colligendæ ſub capite Chriſto. Antea erant ſub variis Doctoribus, Iudæi ſub Legisperitis, Græci ſub Philoſophis.

17. Διὰ τοῦτο ὁ πατήρ με ἀγαπᾷ, *Propterea me diligit Pater*] מעמל נפשו [*propter laborem animæ ſuæ*] Eſ. LIII, 11. & ibidem לכן, διὰ τοῦτο [*ideo*] Græcè διʼ ὃ [*propter quod*] Philipp. II, 9.

ἵνα πάλιν λάβω αὐτήν. *ut iterum ſumam eam*] Hoc ἵνα [*ut*] non eſt τελικὸν [*finis ſignificativum*] ſed, ut ſæpe, ἐκβατικόν [*eventus ſignificativum*]. Quaſi repetiiſſet, Objiciam quidem me morti, ſed ita ut vitam ſim recepturus.

18. Οὐδεὶς αἴρει αὐτὴν ἀπʼ ἐμοῦ. *Nemo tollit eam à me.*] Oſtendit Chriſtus aliquid in ſe eximium. Alii etſi periculo ſe non offerre poterant, non tamen quoties volunt ſe periculo poſſunt eximere, quod ipſe poterat. Ideo ait ſibi non eripi vitam, invito ſcilicet.

ἀπʼ ἐμαυτοῦ. *à me ipſo*] *Mea voluntate*, ut hîc rectè Syrus.

ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι αὐτὴν, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. *poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam*] Ἐξουσία hoc loco, ni fallor, *potentiam* ſignificat, ut Actor. I, 7. XXVI, 18. Hunc ſenſum habet ממשלה, & ſic vertitur Pſalm. CXXXVI, 8. πάλιν λαβεῖν αὐτὴν [*iterum ſumere eam*] intellige *vitam periculo jam præſenti eripere*: quod ſæpe fecit, cùm ſe reddidit inconſpicuum, & cùm corda ſatellitum emollivit, & cum in ſe miſſos præcipites dedit.

ταύτην τὴν ἐντολὴν ἔλαβον παρὰ τοῦ πατρός μου. *hoc mandatum accepi à Patre meo*] Pater hoc negotium ovium ſervandarum mihi commendavit. Solet ἐντέλλεσθαι [*mandare*] apud Græcos dici etiam ubi *imperium* propriè dictum locum non habet.

19. Σχίσμα, *Diſſenſio*] Vide ſuprà IX, 16.

20. Δαιμόνιον ἔχει καὶ μαίνεται. *Dæmonium habet & inſanit*] Alterum per alterum exponitur: quaſi dicas, *Furiis agitatus inſanit.* Vide ſuprà VII, 20.

21. μὴ δαιμόνιον δύναται τυφλῶν ὀφθαλμοὺς ἀνοίγειν; *numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?*] Opus hoc eſt poteſtatis rerum Opificis, non ſpiritus minoris. Vita & ſenſus ſolius Dei ſunt munera. Chryſoſtomus, Οὐ γὰρ ἔπλασε μόνον ὀφθαλμοὺς οὓς ἀνέῳξεν, ἀλλὰ καὶ τὸ ὁρᾶν ἐχαρίσατο· ὅπερ τεκμήριόν ἐστι τοῦ καὶ ψυχὴν ἐμφυσῆσαι. ἐκείνης γὰρ μὴ ἐνεργούσης, ὁ ὀφθαλμὸς, κἂν ἀπηρτισμένος ᾖ, οὐκ ἂν ἴδῃ ποτὲ οὐδέν. [*Non enim formavit tantùm oculos quos aperuit, ſed & videndi facultatem eis dedit : quod ſignum eſt eum etiam animam inflaſſe oculis. nam anima non operante, oculus etiam integer nihil unquam videat.*]

22. Ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαίνια, *facta ſunt autem encænia*] Ἡμέραι ἐγκαινισμοῦ [*dies dedicationis* ſive *innovationis*] I Macc. IV, 58. Ioſephus libr. XII Ant. cap. XI. Ἑόρταζε δὲ Ἰούδας μετὰ τῶν πολιτῶν ἀνάκτησιν τῆς περὶ τὸν ναὸν θυσίας ἐφʼ ἡμέρας ὀκτὼ, μηδὲν ἀπολιπὼν ἡδονῆς εἶδος, ἀλλὰ πολυτελέσι μὲν καὶ λαμπραῖς ταῖς θυσίαις κατευωχῶν αὐτοὺς, ὕμνοις δὲ καὶ ψαλμοῖς τὸν Θεὸν μὲν τιμῶν, αὐτοὺς δὲ τέρπων. Τοσαύτη δὲ ἐχρήσαντο τῇ περὶ τὴν ἀνανέωσιν τῶν ἐθῶν ἡδονῇ, μετὰ χρόνον πολὺν ἀπροσδοκήτως ἐν ἐξουσίᾳ γενόμενοι τῆς θρησκείας, ὡς νόμον θεῖναι τοῖς μετʼ

αὐτοῦ, ἑορτάζειν τὴν ἀνάκτησιν τῆς περὶ τὸν ναὸν ἐφ' ἡμέρας ὀκτώ. καὶ ἐξ ἐκείνου μέχρι δεῦρο τὴν ἑορτὴν ἄγομεν καλουμένην φῶτα. [*Egit autem Iudas cum civibus per octo dies instaurationem ſacrificiorum in templo, nullum omittens lætitiæ genus, ſed magnificis ſplendidisque victimis eos excipiens. Deum autem honorans hymnis & pſalmis, ſimulque populares oblectans. Tantum autem gaudii cepere ex hac rituum reſtitutione, libertate religionis poſt multum temporis inexſpectatò recuperata, ut legem inter ſe fecerint, quotannis ſolennes agere dies octo ob res templi reſtitutas. Et ex eo in hunc diem celebramus id ſolenne quod dicitur Lumina*] Vocabatur φῶτα [*Lumina*] quia per totos hos octo dies lucernæ noctibus etiam in domibus accendebantur, ut in titulo Thalmudico, quo de hoc faſto & feſto Sortium agitur, traditum eſt. Ἐγκαινίζειν [*dedicare*], unde eſt nomen ἐγκαίνια [*encænia*], Hebræis eſt חנך : quod de quavis dedicatione ſive prima ſive inſtaurata uſurpatur. Invenitur Deut. xx, 5. 1 Reg. VIII, 64. II Par. VII, 5. Diſcimus hinc poſſe piè à populo Dei etiam ſine ſpeciali mandato Divino in beneficii alicujus memoriam dies feſtos inſtitui.

καὶ χειμὼν ἦν. *& hyems erat*] πέμπτῃ καὶ εἰκάδι τοῦ Χεσλαίου μηνὸς [*viceſima & quinta menſis Cheslæi*], quod in Decembrem incidit.

23. ἐν τῇ στοᾷ τοῦ Σολομῶντος. *in porticu Solomonis*] Bene cohæret cum eo quod dixit *hyemem fuiſſe*. Nam æſtate in ipſo ſubdiali ambulabant: hyeme magis in porticu, ubi & tum denſior erat multitudo: quam occaſionem captant Ieſu inimici. Dicitur autem *Solomonis porticus* aut *regia*, quia eodem loco quo ille ſuam ſtruxerat erat reſtituta, ad Meridiem Templi: deſcribit Ioſephus VIII Antiq. cap. 11. & xx, cap. 8. Sed ibi ἀνατολικὴν [*orientalem*] mendoſè pro νότιον [*auſtralem*] ſcriptum putant viri eruditi.

24. Ἐκύκλωσαν οὖν, *Circumdederunt ergo*] Magnò confluxu, quò plures eſſent teſtes ejus quod Ieſus eſſet dicturus.

Ἕως πότε τὴν ψυχὴν ἡμῶν αἴρεις; *Quouſque animam noſtram tollis?*] Αἴρειν [*tollere*] hîc eſt quod μετεωρίζειν, *in ſublime tollere*, Lucæ XII, 29. *ſuſpenſum tenere in dubio*.

εἰ σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, εἰπὲ ἡμῖν παῤῥησίᾳ. *ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm*] Videbant Ieſum uti circumlocutionibus eò tendentibus, ut cùm ſe *Lucem mundi*, cùm *eximium Paſtorem*, imò & *Dei Filium* vocabat: ſed volunt eum apertè loqui: hoc enim eſt παῤῥησίᾳ [*palàm*], ut apparet infrà XVI, 29. Nimirum *Chriſti* nomine ſciebant *Regem* intelligi, atque ea profeſſione periculum illi creare volebant apud Romanos.

25. Εἶπον ὑμῖν, *dixi vobis*] Reipſa, verbis idem ſignificantibus quanquam minùs invidioſis.

τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, *opera quæ ego facio*] Cæcos illumino, & ſenſu myſtico, &, quò magis excitemini, etiam ſenſu populari; aliaque facio quæ de Meſſia ſunt prædicta.

26. οὐ γάρ ἐστε ἐκ τῶν προβάτων τῶν ἐμῶν, *non enim eſtis ex ovibus meis*] Non eſtis pii ac dociles, quales ſunt apti ut oves meæ fiant. Vide quæ ſuprà 16.

καθὼς εἶπον ὑμῖν. *ſicut dixi vobis*] Dixi *oves eſſe eos qui vocem meam audiunt*. Confer quod ſuprà VIII, 47.

28. Κἀγὼ ζωὴν αἰώνιον δίδωμι αὐτοῖς, *Et ego vitam æternam do eis*] Ne quis putaret qui oves non eſſent oves fieri nullo modo poſſe, adhuc promiſſorum excellentiâ eos allicit ut oves fieri velint.

καὶ οὐ μὴ ἀπόλωνται εἰς τὸν αἰῶνα, *& non peribunt in æternum*] *Nunquam peribunt penitus*. Sic enim locutio hæc ponitur infrà XIII, 8, & alibi ſæpè. Intellige autem loqui Chriſtum de ovibus quà tales ſunt ac manent, ut ſuprà III, 36.

καὶ οὐχ ἁρπάσει τις αὐτὰ ἐκ τῆς χειρός μου. *& non rapiet eos quisquam de manu mea*] Nulla vis, ne ipſe quidem diabolus, qui τὸ κράτος ἔχει τοῦ θανάτου [*mortis habet imperium*] Hebr. II, 14. Spiritus ſanctorum deponuntur in manu Chriſti, Act. VII, 59. Is eos ſervat ad tempus reſurrectionis, quæ prædicta à Daniele, credita à Maccabæis, adumbrata in liberatione populi ab Antiocho. Hæ verò Prophetiæ & hiſtoriæ tempore ἐγκαινίων [*encæniorum*] populo explicabantur.

29. Ὁ πατήρ μου ὃς δέδωκέ μοι, μείζων πάντων ἐστί· *Pater meus qui dedit mihi, major omnibus eſt*] Sic habent non Græci tantùm ſed & Syrus & Arabs. Quare omnino videtur hæc verior lectio. Pater dat credentes Filio ſervandos ac vivificandos. Vide ſuprà VI, 37. Pater autem fortior eſt morte & diabolis.

καὶ οὐδεὶς δύναται ἁρπάζειν ἐκ τῆς χειρὸς τοῦ πατρός μου· *& nemo poteſt rapere de manu Patris mei*] Καὶ [*&*] pro *ideo*, ut ſuprà v, 30. *Quia Pater potentior illis eſt, ideo illi nihil poſſunt eripere Patris poteſtati.*

30. Ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν. *Ego & Pater unum ſumus*] Connectit quod dixerat cum ſuperioribus; Si Patris poteſtati eripi non poterunt, nec meæ poterunt: nam mea poteſtas a Patre emanat & quidem ita ut tantundem valeat *à me*, aut *à Patre, cuſtodiri*. Vide Gen. XLI, 25, 27.

31. Ἐβάστασαν οὖν πάλιν λίθους, *Sustulerunt ergo iterum lapides*] Nimirum quòd intelligerent Ieſum ſibi adſcribere Divinam poteſtatem. Sic ſuprà v, 18.

32. Πολλὰ καλὰ ἔργα, *Multa bona opera*] *Pulchra, laudabilia*: שפירא, *eximia*, Syrus. Sic Matth. v, 16. Marci XIV, 6. 1 Tim. v, 10.

ἔδειξα ὑμῖν, *oſtendi vobis*] *Feci, & quidem palàm*. Hebræi dicunt הראה *facere videre*, Pſal. IV, 7. LX, 5. LXXXV, 8. Eccl. II, 24.

ἐκ τοῦ πατρός μου. *ex Patre meo*] Modeſtiæ cauſâ & imminuendæ invidiæ hoc adjicit: ἐκ [*ex*] pro παρὰ [*à*], ut ſæpe.

διὰ ποῖον αὐτῶν ἔργον λιθάζετέ με; *propter quod eorum opus me lapidatis?*] Eſt mira δεινότης [*vehementia*] in his verbis. ποῖος [*qualis*] pro *quis*, Matth. XIX, 18. Lucæ XII, 39. Apoc. III, 3, & alibi. *Lapidatis*, id eſt, *lapidare vultis*. Nam his verbis Chriſtus quanquam perverſos animos inhibuit ne deſtinatum opus efficerent, reipſa oſtendens quod dixerat, in ſua eſſe poteſtate ſemet eripere periculis quoties vellet.

33. Περὶ καλοῦ ἔργου οὐ λιθάζομέν σε, *De bono opere non lapidamus te*] Quaſi dicant, An bonum aliquod opus feceris jam non quærimus: ſed hæc non eſt cauſa cur tibi malè velimus.

περὶ βλασφημίας, *de blasphemia*] Non tantùm maledicta in Deum hoc nomine veniunt, ſed & quicquid Dei honorem minuit. Matth. IX, 3. XXVI, 65. Marc. XIV, 64.

καὶ, *&*] Id eſt, *nempe*.

ὅτι σὺ ἄνθρωπος ὤν, *quia tu, homo cum ſis*] *Caro & ſanguis*, ut loquuntur Hebræi.

ποιεῖς σεαυτὸν Θεόν. *facis teipſum Deum*] Id eſt, *Dicis*, ut ſuprà VIII, 53. *pro Deo te venditas*. Hoc ideo quia *Patrem ſuum* ſingulari modo *Deum* dixerat, ut diximus ſuprà V, 18. Quare quod ibi dixerant *æqualem Deo*, hîc dicunt *Deum*, id eſt, quaſi alterum Deum: ſicut filii idem cum patre eſſe etiam in Iure dicuntur.

34. Ἀπεκρίθη αὐτοῖς, *Reſpondit eis*] *Replicans*: ut infra XII, 34.

ἐν τῷ νόμῳ ὑμῶν, *in lege veſtra*] Id eſt, In Sacris illis Literis quæ vobis præſcribunt quid credere & facere debeatis, & proinde non malè Legis nomine appellantur, id eſt, תורה, quo ſignificatur *quicquid hominem dirigit*. Sic infrà XV, 25. I Cor. XIV, 21. utitur ſic & Origenes frequenter. Sed & in ipſa Moſis lege non quidem eadem exſtant verba, ſed ſenſus idem cùm Iudices *Dii* vocantur.

Ἐγὼ εἶπα, θεοί ἐστε; *Ego dixi, dii eſtis?*] Pſalm. LXXXII. qui de Iudicibus Synedrii Magni factus eſt ad eos ſui officii commonefaciendos.

35. Εἰ ἐκείνους εἶπε θεοὺς, *ſi illos dixit deos*] Nempe Sacra Scriptura, cui ſolent κατὰ προσωποποιΐαν [*per perſonæ fictionem*] talia tribui, ſuprà VII, 38. Rom. IV, 3. IX, 17. X, 11. XI, 2. Gal. III, 8, 22. IV, 30. I Tim. V, 18. Iac. IV, 5.

πρὸς οὓς ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ ἐγένετο, *ad quos ſermo Dei factus eſt*] Dicitur quidem hoc de omnibus quos aliquo modo Deus affatur, ſed hoc loco aſſentior omnino iis qui λόγον [*ſermonem*] interpretantur *mandatum*; ſicut דבר eodem jure modò λόγον [*verbum*], modò πρόσταγμα [*juſſum*] vertunt Græci I Par. XXVI, 32. & quod Latinè dicimus *mandatu*, Hebræi dicunt בדבר [*in verbo*]. Mandatum autem à Deo acceperant Senatores judicandi populum: ideò *Dei judicia exercere* dicuntur II Par. XIX, 6. & ipſa judicia *res Dei* vocantur I Par. XXVI, 32. II Par. XIX, 11. Vide inſtitutionem ejus judicii Num. XI, 17.

καὶ οὐ δύναται λυθῆναι ἡ γραφή. *& non poteſt ſolvi Scriptura*] *Non poteſt ei contradici*. Sicut qui facit contra præceptum *id ſolvere* dicitur Matth. V, 19. ſuprà V, 18. VII, 23. ſic & qui affirmationi contradicit.

36. Ὃν ὁ πατὴρ, *quem Pater*] Subaudiendum hîc *mihi*, ut ex ſequentibus apparet.

ἡγίασε, *ſanctificavit*] Quod Ieremiæ I, 5. eſt הקדש, in Græco ἁγιάζειν [*ſanctificare*], ut & Eccleſiaſtici XLIX, 7. id Paulus ad eum locum alludens vertit ἀφορίζειν [*ſegregare*] Galat. I, 15. Hebræi dicto loco Ieremiæ rectè exponunt *præparare*, ad Divinum ſcilicet miniſterium. Quod in Chriſti conceptione ineffabili, eximio & admirando modo factum eſt. τὸ γεννώμενον ἐκ σοῦ ἅγιον [*quod naſcetur ex te ſanctum*] ait Angelus matri Lucæ I, 35. Sed magis eſt ut hîc aliquid intelligatur de quo ſatis auditoribus conſtare poterat, attributio ſcilicet poteſtatis tanta prodigia faciendi.

καὶ ἀπέστειλεν εἰς τὸν κόσμον, *& miſit in mundum*] Qui mandatum aliquod à Deo accipit ad aliquem perferendum, is *mitti* ab eo dicitur, ut ſuprà I, 6. III, 17, 34. V, 36, 38. VI, 57. VIII, 42. Eſt autem hîc tacita comparatio: Senatores mandata acceperant ad unum populum pertinentia, ego ad totum genus humanum, ut ſuprà I, 9. III, 17. IV, 42. VIII, 12.

ὑμεῖς λέγετε· Ὅτι βλασφημεῖς, ὅτι εἶπον, υἱὸς τοῦ Θεοῦ εἰμι; *vos dicitis: quia blaſphemas: quia dixi, Filius Dei ſum?*] Refellit calumniam: quaſi diceret, Si quid Divini mihi tribui, non id feci me opponens Deo, ſed eum ut fontem agnoſcens: Quod oſtenditur ipſis vocibus *Patris* & *Filii* quas uſurpavi. Eſt hîc oratio directa pro indirecta. Senſus enim eſt, λέγετέ με βλασφημεῖν [*dicitis me blaſphemare*].

37. τὰ ἔργα τοῦ πατρός μου, *opera Patris mei*] Deo digna, dum omne genus morborum ſano, cogitationes introſpicio, corda flecto ubi libuit, cæcis viſum do, diabolis nutu impero.

μὴ πιστεύετέ μοι. *nolite credere mihi*] Eſt figura quæ Conceſſio dicitur: quaſi dicat, Niſi tanta facio, permittam vobis ne credatis. Sic ſuprà IX, 41.

38. κἂν ἐμοὶ μὴ πιστεύητε, *& ſi mihi non vultis credere*] *Etiamſi verbis meis*, quanquam Divina majeſtate prolatis, *credere non vultis*.

τοῖς ἔργοις πιστεύσατε. *operibus credite*] *Factis habete fidem*: quod alibi dixit διὰ τὰ ἔργα πιστεύετέ μοι [*propter ipſa opera credite mihi*], XIV, 11.

ὅτι ἐν ἐμοὶ ὁ πατὴρ, *quia Pater in me eſt*] Per vim operantem. Sic infrà exponitur dictum illud, πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστιν [*Pater in me eſt*], nempe, ὁ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα [*Pater in me manens, ipſe facit opera*]. XIV, 10.

κἀγὼ ἐν αὐτῷ. *& ego in Patre*] Per obedientiam perfectiſſimam. Sic infrà XIV, 10, ὅτι ἐγώ εἰμι ἐν τῷ πατρὶ [*quia ego ſum in Patre*], exponitur τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ' ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ [*verba quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor*]. Confer XV, 4, 5.

39. πιάσαι. *apprehendere*] Quia blaſphemiæ calumniam ita ſolverat ut ne ſpecies quidem reſtaret, lapidationem tanquam in blaſphemum omittunt, & dant operam ut eum captum tradant Synedrio aliud aliquod crimen reperturo.

ἐξῆλθεν ἐκ τῆς χειρὸς αὐτῶν. *exivit de manibus eorum*] Inconſpicuus; iterum oſtendens poteſtatem ſibi non deeſſe quævis pericula evadendi.

40. πάλιν πέραν τοῦ Ἰορδάνου, *iterum trans Iordanem*] In Bethabara. Expoſuimus ſuprà I, 28.

εἰς τὸν τόπον ὅπου ἦν Ἰωάννης τὸ πρῶτον βαπτίζων. *in eum locum ubi erat Iohannes baptizans primum*] Nempe antequam in Salim veniret. Hoc ideo addit ut ſignificet Chriſtum ex ipſo loco revocare populo in memoriam voluiſſe teſtimonium à Baptiſta ibidem perhibitum. Ideo mox ſequitur: ἐπίστευσαν πολλοὶ ἐκεῖ [*multi crediderunt ibi*].

41. Ἰωάννης μὲν σημεῖον ἐποίησεν οὐδέν. *Iohannes quidem ſignum fecit nullum*] Deo hoc ſic diſpenſante, quò major Meſſiæ eſſet claritas. Hoc autem volunt, Cùm Iohannes nullum ediderit miraculum, nos tamen eum venerati ſumus, & propè pro Meſſia eum habuimus.

πάντα δὲ ὅσα εἶπεν Ἰωάννης περὶ τούτου ἀληθῆ ἦν. *omnia autem quæ dixit Iohannes de hoc, vera erant*] Hunc multò *ſe eſſe majorem*, *Agnum Dei*, id eſt, emundatorem mundi, apparet ex dictis & factis.

42. εἰς αὐτόν. *in eum*] Vt in talem qualem Baptiſta dixerat.

CAPVT XI.

1. HΝ δέ τις ἀσθενῶν, *Erat autem quidam ægrotans*] Ἀσθενεῖν [*ægrotare*] etiam de graviter ægroto dicitur, ut Matth. x, 8. Luc. iv, 40, & alibi. Sic vertitur דאב Hebræum.

Λάζαρος, *Lazarus*] De hoc nomine vide quæ ad Luc. xvi, 20.

ἀπὸ Βηθανίας ἐκ τῆς κώμης, *à Bethania ex vico*] Noli aliud *Bethaniam* putare, aliud *vicum*: eſt enim alterum alterius interpretatio. Neque movere nos quicquam debet interjecta præpoſitio: nam ſic & ſuprà habuimus i, 45. ἀπὸ Βηθσαϊδὰ ἐκ τῆς πόλεως [*à Bethſaïda ex oppido*].

Μαρίας καὶ Μάρθας τῆς ἀδελφῆς αὐτῆς. *Mariæ & Marthæ ſororis ejus*] Habet hîc paulò aliter Syrus: ſed Græcam lectionem præter Latinam Arabs confirmat. Ita hîc Bethania dicitur *vicus Mariæ & Marthæ* quomodo jam dicto loco Bethſaïda *oppidum Andreæ & Petri*. Nominat autem ſorores has quòd ſæpiſſime apud eas divertiſſent Chriſtus & Apoſtoli. Μάρθα [*Martha*] Syriacum nomen etiam apud Plutarchum Mario legitur. Et apud Tacitum pro *Martina* bis ponendum *Martha* in Syræ mulieris nomine. Quæri ſolet, cur hanc tam nobilem hiſtoriam priores Euangelii Scriptores non attigerint. Mihi hoc ſuccurrit, cùm illi ſcriberent vixiſſe reſuſcitatum Lazarum, & periculum ei fuiſſe à Iudæis ſi quod ipſi acciderat palàm vulgaretur. Nam etiam mox narratur, ob hoc ipſum ſtructas ei inſidias xii, 10. Quare viſum illis hoc ad tempus ſubticeri poſſe cùm alia exempla reſuſcitatorum ſuppeterent. At mortuo Lazaro, cùm jam nemini periculum ex rei narratione fieri poſſet, additum hoc à Iohanne in hac quaſi prætermiſſorum collectione. Supervixit autem Lazarus, ſi Epiphanio traditionem referenti credimus, annos xxx, intra quod tempus tres alii Euangeliſtæ ſcripſerunt.

2. ἡ ἀλείψασα, *quæ unxit*] Non quòd hoc ante Lazari morbum eſſet geſtum, ſed quòd geſtum hoc eſſet & notum omnibus cùm hæc ſcriberentur; planè ut Lucæ vi, 16. de Iuda ſcriptum eſt, ὃς καὶ ἐγένετο προδότης [*qui & factus eſt proditor*], & de Simone, τὸν λεγόμενον Πέτρον [*qui dicitur Petrus*] Matth. iv, 18. x, 2. Sic exponunt Theodorus Mopſueſtenus & Leontius. De reipſa vide quæ ad Matth. xxvi, 6.

καὶ ἐκμάξασα τοὺς πόδας αὐτοῦ ταῖς θριξὶν αὐτῆς· *& exterſit pedes ejus capillis ſuis*] Ὕστερον πρότερον [*Præpoſterè*]. nam priùs abſterſit, deinde unguento perfudit, Luc. vii, 38. infrà xii, 3.

3. Ἀπέστειλαν οὖν, *Miſerunt ergo*] *Nuntium miſerunt qui diceret.*

λέγουσαι, *dicentes*] Per nuntium. Vide Matth. viii, 5.

ὃν φιλεῖς, ἀσθενεῖ. *quem amas, infirmatur*] Nimirum ſperantes fore ut Ieſus adveniens eum ſanaret, ut apparet infrà 21. Confer ſuprà iv, 49. Etiam Deo cari ſuis non carent miſeriis.

4. οὐκ ἔστι πρὸς θάνατον, *non eſt ad mortem*] *Mortis* voce hîc intellige permanſionem in morte. Vide Rom. vi, 23. i Corinth. xv, 24. & ſequentibus. Idem alibi ᾅδης [*infernus*] dicitur. Simile quid Matth. ix, 24. Oſtendit Chriſtus notum ſibi quòd tanquam neſcienti indicabatur.

ἀλλ᾽ ὑπὲρ τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, *ſed pro gloria Dei*] Et hîc rectè ſubaudias, *commodè evenit, ut inde illuſtretur Dei gloria.* Vide quæ diximus ſuprà ix, 3.

ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *ut glorificetur Filius Dei*] Cujus omnis gloria ad Patrem redit.

5. Ἠγάπα δὲ ὁ Ἰησοῦς, *diligebat autem Ieſus*] Amabat eos à quibus hoſpitio excipi ſolebat: ut olim Elias i Reg. xvii, 9. Eliſæus ii Reg. iv, 8. Ita non perit beneficium quod ſanctis præſtatur, Matth. x, 41. Nonnus,

— Φιλοξείνους δὲ γυναῖκας
Ἰησοῦς ἀγάπαζε. —
[— *Illas adamabat Ieſus*
Munus ob hoſpitii. —]

Myſticum ſenſum vide Proverb. viii, 17.

6. τότε μὲν ἔμεινεν ἐν ᾧ ἦν τόπῳ δύο ἡμέρας. *tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus*] Eſt hîc μὲν [*quidem*] ſine δὲ [*verò*] ut Actor. xix, 4. Subſtitit autem per duos dies, quanquam amans Lazari, ut de morte minùs dubitari poſſet. Ideo mox notatur eum fuiſſe τεταρταῖον [*quatriduanum*].

7. εἰς τὴν Ἰουδαίαν πάλιν. *in Iudæam iterum*] Introrſum longiùs à Iordane versùs Vrbem.

8. νῦν ἐζήτουν, *nunc quærebant*] *Non diu eſt. Iam modò* dicunt Latini. Sic infrà xxi, 10.

καὶ πάλιν ὑπάγεις ἐκεῖ; *& iterum vadis illuc*]? Inconſulto amore volunt eum à periculo removere, ut Petrus Matth. xvi, 22.

9. οὐχὶ δώδεκα ὧραί εἰσι τῆς ἡμέρας; *Nonne duodecim ſunt horæ diei*]? Id eſt, Vltima hora non minùs quàm prima ad diem pertinet: itaque eâ quoque ſolet iter fieri: ſicut ſuprà de opere dixerat ix, 4. Confer Luc. xiii, 32.

οὐ προσκόπτει· *non offendit*] Tutò ambulat. *Videt quà eundum ſit*, infrà xii, 35. Vide quæ ibi dicta.

ὅτι τὸ φῶς τοῦ κόσμου τούτου βλέπει· *quia lucem hujus mundi videt*] *Illuſtratur à Solis lumine*: ἀνταπόδοσις [*redditio*] non apponitur, ſed facilis intellectu eſt ex illis verbis *Lucem hujus mundi.* Quantò ergo magis tutò ambulo qui prælucentem mihi habeo lucem ſupracœleſtem ac Divinam cognitionem Paterni propoſiti?

10. ὅτι τὸ φῶς οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ. *quia lux non eſt in eo*] In oculis ejus. Receptione enim lucis & ſpecierum fit viſio. Senſus allegoricus, qui obiter & per occaſionem innuitur, eſt, Eos qui Dei voluntatem non reſpiciunt in peccata labi.

11. κεκοίμηται· *dormit*] De hac locutione κατ᾽ εὐφημισμὸν [*per emollitionem*] diximus ad Matth. ix, 24. Apud Syrum eſt שכב, quod pro *mori* uſurpatur non tantùm apud Eſaiam xiv, 8. ut annotatum eſt antehac, ſed & ii Sam. vii, 12. Vtrobique Græci reddunt per κοιμᾶσθαι [*dormire*].

ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν. *ut à ſomno excitem eum*] Modeſtia Chriſti in hoc elucet quod cùm eum dixiſſet *dormire* addidit *ſe experrecturum*, mox cùm *mortuum* dicit nihil adjicit tale. עור vertitur ἐξυπνίζειν [*excitare à ſomno*] Iob. xiv, 12. quanquam alio ſenſu. Sed ſi Hebræis ὑπνῶσαι [*in ſomnum dari*] erat *mori*, nihil à conſueto ſermone abiit Chriſtus cùm dixit ἐξυπνίζειν [*à ſomno excitare*] pro *à morte* *ad vitam reducere*, quod ipſi æquè erat facile atque alii excitare dormientem.

12. εἰ κεκοίμηται, σωθήσεται. *ſi dormit, ſalvus erit*] Ex libro Miſnajoth apparet fuiſſe hoc in ore populi, *Somnum in ægrotante ſignum eſſe ad ſalutem; quia eo oſtenditur remiſiſſe morbum.* Diſcipuli omni modo quærunt Dominum ab iſto itinere avocare: Ideo omnibus utuntur argumentis: *Si dormit, quid eſt quod excitetur?*

13. περὶ τῆς κοιμήσεως τοῦ ὕπνου, *de dormitione ſomni*] Stupore quodam, & quia potentiam Ieſu, utcunque magna ejus effecta viderant, non ſatis animo comprehendebant.

14. παῤῥησίᾳ, *manifeſtè*] Id eſt, *ſermone apertiſſimo & minimè ambigui ſenſus*, ut ſuprà x, 24. infrà xvi, 29. Syrus פשיקאית *apertè, explicatè.*

15. ἵνα πιστεύσητε, *ut credatis*] Eſt παρενθετικόν [*per parentheſin dictum*]· nam quæ ſequuntur cohærent cum prioribus. *Vt credatis*, id eſt, quò magis, quò firmiùs credatis me eſſe vitæ datorem. Sic *credere* uſurpatur ſuprà 11, 11, & alibi.

ὅτι οὐκ ἤμην ἐκεῖ, *quoniam non eram ibi*] Nempe, ut Nonnus explicat,

—— Ὅτε κεῖνος ὁμίλεε γείτονι πότμῳ.
[—— *Tunc cum fato fuit ille propinquus*].

Tacitè ſignificat ſe, ſi in loco fuiſſet, vix honeſtè potuiſſe negare opem ſuam cunctis obviam, ad amicum aut in vita retinendum, aut ſtatim à morte revocandum; quorum utrumvis imminuturum fuerat aut rem ipſam aut rei fidem. Nunc in quatuor dies ſepulto nulla erat tergiverſatio. Ita & nunc ſapientiam oſtendit ſuam, & pòſt potentiam eſt demonſtraturus.

ἄγωμεν πρὸς αὐτόν. *eamus ad eum*] Hoc loco quid facturus erat maluit innuere quàm exprimere, ob eam quam diximus cauſam.

16. Θωμᾶς ὁ λεγόμενος Δίδυμος, *Thomas qui dicitur Didymus*] Id eſt, qui inter Græcos agens ejuſdem ſignificationis vocabulo Δίδυμος [*Geminus*] vocabatur. Nam Iudæorum alii apud Græcos nomen ſumebant alludentis ſoni, alii verò paris ſignificatûs. Itaque Syrus, qui nihil mutare potuit, bis hîc idem poſuit nomen.

ἵνα ἀποθάνωμεν μετ' αὐτοῦ. *ut moriamur cum eo*] Cum Chriſto, an cum Lazaro? Poſterius malo, quia αὐτὸν [*eum*] de Lazaro præceſſerat, quò reſpicit Thomas. Thomam ideo nominaverat Iohannes quod infrà oſtenſurus eſſet ejus in credendo tarditatem, cujus jam nunc indicium dedit: perinde enim eſt quaſi dicat, Eamus ſanè, ut Lazarum jam mortuum ſequamur: quid enim aliud ſperemus? Meminerat periculi in quo nuper fuerat Dominus Hieroſolymis, unde Bethania modicùm diſtabat, quod hac ipſa de cauſa mox exprimitur.

17. Ἐλθὼν οὖν ὁ Ἰησοῦς, *Cum itaque veniſſet Ieſus*] Adjicit manuſcriptus εἰς Βηθανίαν [*in Bethaniam*].

ἔχοντα, *habentem*] Sic ſuprà ſumitur ea vox, v, 5.

18. ὡς ἀπὸ σταδίων δεκαπέντε. *quaſi ſtadiis quindecim*] Quantum erat iter Sabbati.

19. ἐκ τῶν Ἰουδαίων, *ex Iudæis*] Sic κατ' ἐξοχὴν [*ſecundùm excellentiam*] vocantur Hieroſolymitæ.

πρὸς τὰς περὶ τὴν Μάρθαν καὶ Μαρίαν, *ad eas quæ circum Martham & Mariam*] Ex Græciſmo ſatis noto Syrus & Latinus acceperunt quaſi diceretur *ad Martham & Mariam.* Dubitari tamen poteſt an non & ipſæ & ſimul tota ipſarum familia ſignificetur, ut Actorum xiii, 13. οἱ περὶ τὸν Παῦλον [*qui circa Paulum*], *Paulus & qui ei aderant.*

ἵνα παραμυθήσωνται αὐτὰς, *ut conſolarentur eas*] Quod officium per ſeptem dies extendi ſolebat. Sæpe ejus moris mentio in Sacra hiſtoria & apud Ioſephum, & in Thalmudicis libris.

20. ὡς ἤκουσεν ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἔρχεται, *ut audivit, quia venit Ieſus*] Rem familiæ curans huc illuc curſitabat. Itaque prius accepit rumorem quàm Maria ſalutatores excipiens in intima domo. Vide Luc. x, 41.

21. εἰ ἦς ὧδε, *ſi fuiſſes hic*] Fides quidem, ſed infirma, ut quæ nihil ei tribuat niſi præſenti. Sic ſuprà iv, 49.

22. ὅσα ἂν αἰτήσῃ τὸν Θεὸν, *quæcunque popoſceris à Deo*] Et hîc infirmitas apparet. Putat illum gratioſum eſſe apud Deum, non autem in illo eſſe plenitudinem Divinæ poteſtatis.

δώσει σοι, *dabit tibi*] Concedet tuis precibus. Non audet dicere *mortuum reſuſcitabit*, ob voti magnitudinem.

23. Ἀναστήσεται ὁ ἀδελφός σου. *Reſurget frater tuus*] Modeſtè, ut ſolet: nam de ſe nihil prædicat niſi neceſſitate extorquente.

24. ἐν τῇ ἀναστάσει ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ. *in reſurrectione in noviſſimo die*] Syrus ἀνάστασιν [*reſurrectionem*] vocat παράκλησιν [*conſolationem*] locutione recepta. De hac autem generali reſurrectione Martha aliquid quidem à Phariſæis didicerat, ſed confuſum, obſcurum, neque certis nixum teſtimoniis: Ex Chriſti autem habitis antehac ſermonibus certius aliquid cognoverat.

25. Ἐγώ εἰμι ἡ ἀνάστασις, *Ego ſum reſurrectio*] Non eſt quod hæſites. *Ego auctor ſum reſurrectionis:* Quare & repræſentare eam poſſum. Sic ſolent Hebræi cauſis dare nomen effecti, ut ſuprà i, 4. Simili modo Chriſtus dicitur *juſtitia*, *ſanctificatio*, *redemtio*, 1 Corinth. 1, 30. Refellitur hîc tenuis illa Marthæ de Ieſu opinio.

ὁ πιστεύων εἰς ἐμὲ, κἂν ἀποθάνῃ, ζήσεται· *qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet*] Primùm dicit, *in ſe confidentes non manſuros in morte*; ſequente membro adjicit, *eos poſtquam iterum vixerint, nunquam morituros.* Hæc omnia de tota perſona ſunt intelligenda.

26. Καὶ πᾶς ὁ ζῶν καὶ πιστεύων εἰς ἐμὲ, *Et omnis qui vivit & credit in me*] Hebraïſmus hoc ſignificans, *& quiſquis vivens* (vitam hanc mundi ſcilicet) *mihi confidet.* Agitur autem hîc de fiducia operante & conſtante.

οὐ μὴ ἀποθάνῃ εἰς τὸν αἰῶνα. *non morietur in æternum*] Sic ſuprà vi, 49, & ſequentibus.

πιστεύεις τοῦτο; *credis hoc*]? Chriſtus plerunque ante miraculum fidem exigit.

27. Ναὶ, Κύριε· *Vtique, Domine*] Credo tibi hoc jam affirmanti *te eſſe datorem vitæ æternæ:* nam ναὶ præcedentia affirmat.

ἐγὼ πεπίστευκα, *ego credidi*] Rationem reddit; *nam & antehac credidi te eſſe Chriſtum.* Quare æquum eſt ut omnia dicenti tibi credam. Vide ſuprà v, 25.

ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος. *qui in mundum erat venturus*] Id eſt, *qui debebat mundo apparere*; qui exſpectabatur. Sic ſuprà vi, 14. Vide & Matthæum xvii, 11.

28. ἀπῆλθε, *abiit*] Iuſſa à Chriſto, ut ſequentia oſtendunt, Mariam ſororem advocare ad eum locúm ubi Chriſtus ſubſtiterat, qui propior erat ſepulchro extra vicum, ut mos erat, poſito.

Ὁ διδάσκαλος, *Magiſter*] Sic eum illa familia appellabat.

φωνεῖ σε. *vocat te*] Mariam ſolam Chriſtus vocari juſſerat, ne turbam colligere videretur, quam tamen ſponte ſecuturam præviderat.

29. ἐγείρεται ταχὺ, *ſurgit citò*] Promto obſequio.

31. Ἰουδαῖοι, *Iudæi*] Hieroſolymitæ.

παραμυθούμενοι αὐτὴν, *conſolabantur eam*] Vt ſuprà 19.

λέγοντες, *dicentes*] *Cogitantes*, ut rectè hîc exponit Syrus. Hinc in quoſdam Græcos contextus irrepſit interpretamentum δόξαντες.

εἰς τὸ μνημεῖον, ἵνα κλαύσῃ ἐκεῖ. *ad monumentum, ut ploret ibi*] Solebat enim ibi major quidam planctus excitari, velut renovato dolore.

32. ἔπεσεν εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ, *cecidit ad pedes ejus*] Vt Prophetam venerata.

33. ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, *commotus eſt ſpiritu*] Solent lacrymæ lacrymis excitari, præſertim apud animos miſericordes.

—— Ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες,
[— *Virûm ſed flere bonorum eſt*],

eſt apud Homerum. Κλαίειν μετὰ κλαιόντων [*Flere cum flentibus*] eſt Rom. xii, 15. Euripides,

Ἀμουσία τοι μηδ' ἐπ' οἰκτροῖσιν δάκρυ
Στάζειν.
[*Agreſte nullam rebus in lugubribus*
Stillare lacrymam].

Menander,

Μέγιστόν ἐστιν ἄρα τοῖς πεπταικόσιν
Τὸ παρόντας ἐγγὺς τοὺς συναλγοῦντας βλέπειν.
[*Res magna eſt illis quos ſors adverſa opprimit*
Videre juxta, qui dolorem partiant].

Ἐμβριμᾶν [*Commovere*] reſpondet Hebræo זעם [*indignatus fuit*], & ſic vertitur Threnûm ii, 6. זעם, quod & זעף, quemlibet animi motum graviorem ſignificat, ſive ille ex Ira eſt, ſive ex Metu, ſive ut hîc ex dolore. Arabs تنهد, id eſt, *gemuit*.

πνεῦμα [*ſpiritus*] hîc eſt *animus*: nam ſæpe & pars illa in qua ſunt affectus venit hoc nomine, Matth. v, 3. Actor. xix, 21.

καὶ ἐτάραξεν ἑαυτόν. *& turbavit ſeipſum*] Expoſitio eſt formæ Hithphaël, quæ non Actionem ſemper ſignificat, ſed ſæpe & Paſſionem intra nos. Syrus אזיע, id eſt, *commovit ſe*. Arabs تحرك quod idem eſt. Sed ut differat à ſuperiore membro, puto hîc intelligi mutationem in vultu quæ animi affectum indicaret.

34. Ποῦ τεθείκατε αὐτόν; *Vbi poſuiſtis eum*]? Volebat ab ipſis deduci: ideo interrogat.

35. Ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. *Lacrymatus eſt Ieſus*] Lacrymas oborientes non ultrà tenuit conſpecto ſororum fletu graviore. Neque hoc indignum Ieſu. Vide Luc. xix, 41. & xxii, 44. quæ loca malè olim ſolicitata ab iis qui Chriſtum nobis Stoicum effingere voluerunt.

36. Ἴδε πῶς ἐφίλει αὐτόν. *Ecce quomodo amabat eum*] In hoc profuit fletus Ieſu, ut ſpectatores benigniùs de eo ſentirent, ut de homine non neſcio miſereri aliiſque humanis affectibus tangi.

37. Οὐκ ἠδύνατο οὗτος, *Non poterat hic*] Animo dubio. Nam & de ipſius animo in Lazarum bene exiſtimabant, & Cæci illuminatio majus quiddam erat Sanatione. Hæc eò diligentiùs annotata ut plurimis teſtimoniis conſtaret non dubitatum de Lazari morte.

38. πάλιν ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ, *rurſum commotus intra ſe*] Vultu iterum dolorem teſtante: nam quod ante explicatiùs dixit, hîc breviùs. Solet, ut diximus, Aſpectu ſepulchri dolor recrudeſcere.

σπήλαιον, *ſpelunca*] Vide quæ ad Matth. xxvii, 60.

λίθος ἐπέκειτο ἐπ' αὐτῷ. *lapis ſuperpoſitus erat ei*] Quia os hujus ſpeluncæ parte unâ ſublimius, alterâ depreſſius erat, declivi ſpecu.

39. Ἄρατε τὸν λίθον. *Tollite lapidem*] Dicebat hoc miniſtris Martham & Mariam comitantibus: erat enim nonnullius laboris. Marci xvi, 3.

Κύριε, ἤδη ὄζει· *Domine, jam fœtet*] Spem præ rei ſperatæ magnitudine non retinens, quaſi humanè, avocat Dominum ab introitu ſpeluncæ, ne ingrato jam putiſcentis odore offenderetur.

Τεταρταῖος γάρ ἐστι. *Quatriduanus eſt enim*] Sic Ariſtophanes Avibus πεμπταῖον [*quintidianum*] dixit puerum natum dies quinque. At Plutarchus de mortuo itidem agens τριταῖον [*triduanum*] dixit, libro De ſera Numinis vindicta: ut & Philoſtratus Vitâ Apollonii lib. iii, cap. 12. Plato itidem de mortuo δωδεκαταῖον [*duodecimdianum*].

40. Οὐκ εἶπόν σοι, *Nonne dixi tibi*] Non totidem verbis ſed ſenſu, cùm dixerat *reſurrecturum fratrem, & ſe eſſe reſurrectionis dandæ Dominum*, & rogaſſet *an hoc crederet*.

ἐὰν πιστεύσῃς, *ſi credideris*] Fidem hanc in talibus beneficiis requirebat Chriſtus, ut diſceremus ſpiritualia beneficia non niſi in ipſum confidentibus conferri.

τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ; *gloriam Dei*]? Modeſtè non ſuam dixit, ſed *Dei*, cujus majeſtas nunquam magis quàm in admirandis & ſuperantibus naturam operibus conſpicitur.

41. Ἦραν οὖν τὸν λίθον, *tulerunt ergo lapidem*] Miniſtri, ut diximus.

οὗ ἦν ὁ τεθνηκὼς κείμενος. *ubi ſitus erat mortuus*] Latinus hoc non habet, ſed nec Syrus, niſi quòd articulo addito refert ſe ad id quod ſuprà dictum erat. At habent pleraque exemplaria Græca & Arabs: quare retinendum puto.

ἦρε τοὺς ὀφθαλμοὺς ἄνω, *elevatis ſurſum oculis*] Vide quæ diximus Lucæ xviii, 13. Sic & Matth. xiv, 19.

εὐχαριστῶ σοι, *gratias ago tibi*] Pro omni bono adepto debetur תודה, id eſt, *gratiarum actio*, quocunque modo id nobis obtigerit, quando omnium primus auctor eſt Deus. Iac. i, 17.

ὅτι ἤκουσάς μου. *quoniam audiſti me*] *Audire* aliquem

Deus dicitur etiam non rogatus cùm ei benefacit, Pſal. X, 17. Eſaiæ LXV, 24. Agit ergo gratias Chriſtus pro accepta Divina miraculorum quorumvis efficiendorum poteſtate.

42. Ἐγὼ δὲ ᾔδειν ὅτι πάντοτέ μου ἀκούεις; *Ego autem ſciebam quia ſemper me audis*] Non hoc ideo facio quòd novum hoc ſit beneficium, ut vulgus putat, ſuprà 22. ſed quia ſemper mihi ades.

διὰ τὸν ὄχλον τὸν περιεστῶτα, *propter populum qui circumſtat*] Ideo hoc facio ne putent aut me mihi originem hujus poteſtatis adſcribere, aut diabolo uti auctore, aliumve quàm te Deum colere ac monſtrare: te, inquam, quem & populus hic colere ſe profitetur.

ὅτι σύ με ἀπέστειλας. *quia tu me miſiſti*] Vt inde me à te miſſum colligant, quòd videant omnia à me ad tuam laudem referri, nihil me mihi vindicare, diaboli autem & mortis poteſtatem per me deſtrui.

43. φωνῇ μεγάλῃ ἐκραύγασε, *voce magna clamavit*] Non magico ſuſurro, ſed palàm exſerens poteſtatem. Et eſt hîc imago quædam generalis reſuſcitationis Matth. XXIV, 31. I Theſſal. IV, 16.

Λάζαρε, δεῦρο ἔξω. *Lazare, veni foras*] Non dixit tantùm, *Surge*, ut ad puellam Marci V, 41. ſed, quod amplius eſt, *Exi è monumento.* Tales autem voces non agunt, ſed vim agentem ſignificant, ut diximus ad Marcum I, 25. Confer Rom. IV, 17.

44. ἐξῆλθεν, *prodiit*] Non vitâ tantùm ſed & valetudine recuperatâ.

δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις. *ligatus pedes & manus inſtitis*] Præter ſudarium capiti impoſitum cæterum corpus totum perpetuis involucris tegebatur, quod & icones Ægyptiacæ monſtrant, & Nonnus hoc loco,

— -- Καὶ ἐκ ποδὸς ἄχρι καρήνου
Σφιγγόμενον πλεκτῇσιν ὅλον δέμας εἶχε κειρίαις.
[-- — *à vertice ſummo*
Ad calcem totum velarant lintea corpus].

Ideo infrà legimus XIX, 40. ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις [*acceperunt ergo corpus Ieſu, & ligaverunt illud linteis*]. Quare quod hîc dicitur de *vinctis manibus pedibusque*, ita accipe ut illud Plinii de infantibus, *Iacent pedibus manibusque devinctis*. Auguſtinus, *Inſtitæ quibus totum corpus Chriſti alligatum eſt.* Nec aliter ſenſiſſe videtur Baſilius ubi hanc hiſtoriam tractat. Ideo συστέλλεσθαι dicitur mortuus Act. V, 6. id eſt, *involvi, faſciis* ſcilicet, quam vocem Latinam hîc Syrus uſurpat ut Græcum κειρίας [*inſtitas*] interpretetur, ut & infrà, Hebræa vox eſt מרכרים.

σουδαρίῳ περιεδέδετο. *ſudario circumligata erat*] Vide & infrà XX, 7. Nonnus,

Σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων στόμα.
[*Quod Syra vox dicit ſudaria*]

ut & infrà,

Σουδάριον τόπερ εἶπε Σύρων ἐπιδήμιος αὐδή.
[*Vox quod avita Syris ſudarî nomine dicit*].

Rectè: nam in Syriacum & Iudaïcum idioma hæc vox transierat, ut notavimus Lucæ XIX, 20. Nec mirum cum & Græci eam à Latinis accepiſſent, ut docet nos Pollux. Ruth. III, 15. המטפחת *flammeum*, ut David Kimchi eo loco exponit, Chaldæus vertit סודרי [*ſudarium*], ut & Exod. XXXIV, 33. κάλυμμα [*velum*], quod vultûi ſuo impoſuit Moſes מסוה Hebraicè. Alii Rabbini etiam *vexillum conſtare* dicunt *ex pertica* ſive *columna & ſudario.* In Thalmudico titulo De ſepultura refertur *ſapientioribus additum ſudarium non ampliùs denario conſtans.* Meminit *ſudarii* quo caput mortui obvolvebatur & Maimonides. Servius in Æneidos XI. de Pallante mortuo: *Vnam de duabus veſtibus induit juveni, altera caput ejus velavit.* Adde illud Homeri de Patroclo,

Ἐν λεχέεσσι δὲ θέντες ἑανῷ λιτὶ κάλυψαν
Ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς, καθύπερθε δὲ φάρεϊ λευκῷ.
[*In lectis poſito ſubtilia circumvolvunt*
Lina pedum tenus, at candens in vertice velum].

In Odyſſeæ ſecundo Penelope ſic locuta dicitur,

— — -- - Εἰσόκε φᾶρος
Ἐκτελέσω (μή μοι μεταμώλια νήματ' ὄληται)
Λαέρτῃ ἥρωϊ ταφήϊον, εἰς ὅτε κέν μιν
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλῃσι τανηλεγέος θανάτοιο,
Μή τις μοι κατὰ δῆμον Ἀχαιϊάδων νεμεσήσῃ
Αἴκεν ἄτερ σπείρου κεῖται. --- —
[— — — — *Donec amictum*
Perficiam (ne ſint nobis precor irrita fila)
Qui quondam Herois Laertæ funus adornet,
Cum fatalis ei finiverit hora ſenectam,
De nuribus me nequa probro conſpergat Achivis,
Si jaceat corpus velo ſine. — --]

Ad eum locum Didymus: Σπεῖρον, ὕφασμα δυνάμενον σπειροῦν καὶ σπαργανοῦν τὸ αὐτῷ περιτιθέμενον. [*Eſt textum opus, quod involvere & velare undique poſſit id quod ei inditur*]

Λύσατε αὐτὸν, *Solvite eum*] *Solvite faſcias*, quibus involutus prorepſerat.

ἄφετε ὑπάγειν. *ſinite abire*] *Abeat domum.* Noluit Chriſtus cum eo ire, ne quaſi in triumphum ducere videretur.

45. ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν. *crediderunt in eum*] Tracti & magnitudine & certitudine miraculi, crediderunt non tantùm à Deo miſſum, ſed & Meſſiam, ut ſequentia oſtendent. Vide infrà XII, 11, 18.

46. Τινὲς δὲ ἐξ αὐτῶν, *quidam autem ex ipſis*] Refer non ad poſtremas voces, ſed ad illud generale Ἰουδαίων [*Iudæorum*]. Impios hos fuiſſe neceſſe eſt: quod genus hominum ne conſpectâ quidem mortuorum reſurrectione reſipiſcere ſolet, Lucæ XVI, 31. Omnia enim potiùs, etiam abſurdiſſima, comminiſcuntur quàm ſua commoda aut hominum gratiam (quam iſtos venatos apparet) amittant.

πρὸς τοὺς Φαρισαίους, *ad Phariſæos*] Præcipuos ejus ſectæ qui in Synedrio erant; ut docent ſequentia.

47. οἱ ἀρχιερεῖς, *Pontifices*] Pontifex maximus Cajaphas, & ſocer ejus Annas ante eo functus Pontificatu, & cujus conſiliis ferme regebatur Cajaphas. Vide Lucæ III, 2. infrà XVIII, 13, 24. Actor. IV, 6.

καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *& Phariſæi*] Phariſæi impulſu, Annas & Cajaphas auctoritate, Senatum convocarunt.

Τί ποιοῦμεν; *Quid facimus ?*] *Quid agimus?* quomodo & Latini loquuntur ubi deliberant.

οὗτος ὁ ἄνθρωπος, *hic homo*] Contemtim dictum, ut ſuprà v, 12.

πολλὰ σημεῖα ποιεῖ. *multa ſigna facit*] Adeò excæcati erant invidiâ animi, ut quod argumentum eſſe debuerat quo ipſi crederent, eo in ipſius perniciem incitarentur.

48. Ἐὰν ἀφῶμεν αὐτὸν οὕτω, *Si dimittimus eum ſic*] Quaſi humana vis Divinam impedire poſſit.

πάντες πιςεύσουσιν εἰς αὐτόν· *omnes credent in eum*] Vt Meſſiam ac proinde populi hujus Regem.

καὶ ἐλεύσονται οἱ Ῥωμαῖοι, καὶ ἀροῦσιν ἡμῶν καὶ τὸν τόπον καὶ τὸ ἔθνος. *& venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem*] Hebraiſmus: pro, *adventantes Romani delebunt & urbem & gentem.* נשא, quod ſæpe per αἴρειν [*tollere*] redditur, ſignificat *delere* Oſe. 1, 7. Sic αἴρειν ſumitur Lucæ VIII, 12. ſuprà 1, 29. & alibi. τόπος [*locus*] pro *urbe* etiam Act. VI, 13, 14. Vrbs deletur excidio, Gens internecione aut diſperſione. Romanos autem infenſos ajunt fore ob Meſſiam; quaſi non Ieſus apertè docuiſſet obtemperandum qualibuscunque Rectoribus, Regnum autem etiam oblatum defugiſſet. At ipſi Meſſiam & quidem Romani Imperii hoſtem exſpectabant. Et verò Meſſia contemto in id inciderunt quod ſe metuere profitebantur.

49. ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου, *cum eſſet Pontifex anni illius*] Hoc additum non quòd in annos ſed quòd ſubinde mutarentur Pontifices: quem morem ipſorum ambitio contrà Legem invexerat.

Ὑμεῖς οὐκ οἴδατε οὐδέν. *vos neſcitis quicquam*] Quaſi diceret, Stulti eſtis quòd in re tam facili atque expedita hæſitatis.

50. οὐδὲ διαλογίζεσθε ὅτι συμφέρει ἡμῖν, *nec cogitatis quia expedit nobis*] Deſcriptio ingenii ejus generis quos vulgò *Politicos* vocant, qui honeſto atque juſto inſuper habito nihil præter utilitatem ſpectant, nec aliud in ore habent; utilitatem, inquam, quam publicam vocant, cùm revera plerumque merè privata ſit.

ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, *ut unus moriatur homo pro populo*] Id eſt, pro ſalute populi. Praxithea in Euripidis Erechtheo,

Πόλεως δ' ἁπάσης τοὔνομ' ἓν, πολλοῖς δ' ἔνι
Νόμοισι· τούτους πῶς διαφθεῖραί με δεῖ,
Ἐξὸν πρὸ πάντων μίαν ὑπερδοῦναι θανεῖν;
[*Tum civitatis nomen unum, in Legibus*
Res poſita multis: perdere has an fas mihi,
Cùm poſſit una vita pro multis dari?]

Otho Imperator apud Xiphilinum: πολὺ γάρ που καὶ κρεῖττον καὶ δικαιότερόν ἐστιν ἕνα ὑπὲρ πάντων, ἢ πολλοὺς ὑπὲρ ἑνὸς ἀπολέσθαι. [*multò enim & melius & juſtius unum pro omnibus, quàm omnes pro uno interire.*] Apud Virgilium,

Vnum pro cunctis dabitur caput. ----

Eandem ſententiam Muſulmannici magiſtri Selimo dictarunt, ut eſt in Leunclavii Annalibus. Sed ut hoc laudabile ſit in eo qui ſponte ſe pro patria devovet, illud excuſari quî poteſt, ut ob periculum imaginarium homo innocens, beneficus opprimatur, & quidem per calumniam? Hæc eſt illa mundi ſapientia.

καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται. *ne tota gens pereat*] Καὶ μὴ, id eſt, *ne*, ut Hebræis ולא.

51. ἀφ' ἑαυτοῦ, *à ſemetipſo*] Non caſu, non ſine ſpeciali directione Divina, quæ in ſingulis vocibus apparet.

Ἀρχιερεὺς ὢν τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου προεφήτευσεν, *Cum eſſet Pontifex anni illius prophetavit*] Apud Homerum de ſomnio quodam dicitur, contemnendum fuiſſe niſi eveniſſet Ducum Duci Agamemnoni. Et apud Spartanos ſolis Ephoris licebat ſomnia referre. Et Hebræi ajunt ominis loco eſſe quod viro principi etiam ignoranti exciderit: unde proverbium, יהיה כשגגה היוצא מלפני לשליט [*Deus tanquam fortuitum educit ex ore Principis*]. Docet ſcilicet ratio, ſi quid publici negotii ſignificari vellet Deus, id ſignificaturum maximè iis qui populo præſunt. Sic Pharaoni, ſic Nabuchodonoſoro ventura per ſomnium patefacta ſunt. Etiam Vrim & Thumim conſulere Regum erat, aut ſummorum Magiſtratuum in populo Dei. Quia verò Cajaphas in eo populo ſummam obtinebat dignitatem & quaſi Princeps erat populi, ideò ejus ore tanquam inſtrumento utitur Deus. *Inimici noſtri, judices*, Deut. XXXII, 31.

ὅτι ἔμελλεν ὁ Ἰησοῦς ἀποθνήσκειν ὑπὲρ τοῦ ἔθνους. *quod Ieſus moriturus eſſet pro gente*] Deus mortem ipſius erat permiſſurus atque ordinaturus ad ſalutem æternam eorum ex Iudæis quibus aliqua eſſet Dei reverentia. Nam per mortem Chriſti, ſecuta maximè reſurrectione, certi facti ſunt de ejus dogmate, fidem ei habuerunt, & ſe converterunt. Vide Act. 11, & ſequentibus. ἔθνος [*gens*] de Iudæis Lucæ VII, 5. infrà XVIII, 35. Actor. x, 22. XXIV, 3, 10. Hinc Abrahamum Philo vocat τὸν ἐθνοπάτορα [*gentis auctorem*]. *Pro gente* autem *mortuus* dicitur, quia pro parte optima gentis eſt mortuus: nam effectus hîc reſpici videtur, non ſola occaſio, ut alibi.

52. τὰ τέκνα τοῦ Θεοῦ, *filios Dei*] Id eſt, *qui animo ſunt apto ut Dei filii fiant*: ſicut *oves* & *populum Dei* ex præparatione quadam dici ſuprà notavimus x, 16.

τὰ διεσκορπισμένα, *qui erant diſperſi*] Non in uno loco ſed paſſim habitantes. פרד quod eſt *dividere, ſeparare*, διασκορπίζειν [*diſpergere*] interdum vertunt Græci. Et oppoſita ſunt διασκορπίζειν [*diſpergere*] & συνάγειν [*colligere*], Matth. XXV, 24, 26. Vox Hebræa eſt נדחת, quam per πλανώμενον [*palabundum*] vertunt Græci Ezech. XXXIV, 4, 16.

συναγάγῃ εἰς ἕν. *congregaret in unum*] quòd ſuprà dixerat, *ut fiat unum ovile*, una Eccleſia ſub eodem capite Chriſto. Confer Epheſ. 11, 13. Antehac qui extra Iudæos erant σεβόμενοι τὸν Θεὸν [*colentes Deum*] nullos inter ſe cœtus faciebant, nullum conſtituebant corpus.

53. συνεβουλεύσαντο, *cogitaverunt*] Iam planè ac firmè, excmto omni ſcrupulo, conſtituerunt rem non ultrà differendam, ſed omni modo mortem maturandam. Oſtendit Euangeliſta illum obtentum publicæ utilitatis tam bellum ipſis viſum ut ſufficeret ad decernendam Chriſti occiſionem, cui deinde color quærebatur. Ita apparuit verum eſſe quod dicitur,

Grave præjudicium eſt quod judicium non habet.

54. οὐκ ἔτι παῤῥησίᾳ, *non ultrà palàm*] *Aperte, palàm*, 1 Maccab. IV, 18. λήψεσθε τὰ σκῦλα μετὰ παῤῥησίας [*ſumetis ſpolia palàm*].

εἰς τὴν χώραν ἐγγὺς τῆς ἐρήμου, *in regionem juxta deſertum*] Ad partem Iudææ Orientalem, non procul Hierichunte.

εἰς Ἐφραὶμ λεγομένην πόλιν· *in civitatem quæ dicitur Ephrem*] Eadem eſt Ἐφραὶμ [*Ephraim*] & Ἐφρὲμ [*Ephrem*], ut pro ירושלים [*Ieruſalaim*] ſcribitur Ἱερουσαλὴμ [*Ieruſalem*]· & in multis aliis vocibus Patach cum Iod mutatur in Tzere ob vicinitatem pronuntiationis. Non poteſt hæc urbs eſſe *Ephron* cujus mentio in Paralipomenis & Maccabaïca hiſtoria: nam Ephron incipit ab Ayn, *Ephrem* Syro & Arabi per Aleph: ut omnino videatur hoc oppidum dictum ab ipſa Tribu: cujus, credo, reliquiæ illuc ſe contulerant poſt cladem ab Iephta illatam, Iud. XII, 6.

κἀκεῖ διέτριβε, *& ibi morabatur*] Ne ante juſtum tempus ſe odiis objiceret, & ut ipſâ abſentiâ apud non malos deſiderium ſui excitaret; quod oſtendunt ſequentia: itaque introitus poſtea ejus in Vrbem ex ipſa exſpectatione factus eſt auguſtior.

55. τὸ πάσχα τῶν Ἰουδαίων. *Paſcha Iudæorum*] Vt ſupra II, 13.

ἐκ τῆς χώρας, *de regione*] Ex ea regione in quam ſe receperat Ieſus & qui ibi eum reliquerant.

ἵνα ἁγνίσωσιν ἑαυτούς. *ut ſanctificarent ſeipſos*] Maturius iverunt quotquot aut imperatis à Lege ſacrificiis, putà qui culpæ alicujus ſibi erant conſcii, aut ſponte ſuſcepto Nazareatus voto obligabantur: nam & vota talia ſolvi ſolebant ſub aliquem diem feſtum. Sed & alii aliquot dies prævios impendebant precibus. Vide II Par. XXIX.

56. Ἐζήτουν οὖν τὸν Ἰησοῦν, *Quærebant ergo Ieſum*] Cupiditate videndi miracula.

ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*] Vbi conſpiciendum ſe dare & docere populum ſolebat.

ὅτι οὐ μὴ ἔλθῃ εἰς τὴν ἑορτήν; *quia non venit ad diem feſtum*]? Ὅτι [*quia*], ut ſolet, abundat. Dubitabant *venturùs ne eſſet ad diem feſtum*, aliis affirmantibus ob morem ipſius perpetuum, aliis negantibus ob impendens periculum.

57. οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι, *Pontifices & Phariſæi*] Id eſt, Senatus, impellentibus Pontificibus & iis qui Phariſaïcæ erant factionis, cæteris ſe tempori aptantibus.

ἵνα ἐάν τις γνῷ ποῦ ἐστι, μηνύσῃ, *ut ſiquis cognoverit ubi ſit, indicet*] Quod fieri ſolitum in criminibus atrocibus cum diris in non parentes. Vide Sophoclem Oedipode.

ὅπως πιάσωσιν αὐτόν. *ut apprehendant eum*] Vt ita eum in ſua poteſtate haberent, ac deinde conſtituerent de modo interficiendi.

CAPVT XII.

1. Ὁ οὖν Ἰησοῦς, *Ieſus ergo*] Cùm alii jam præiiſſent & ipſe aliquandiu exſpectatus eſſet. Cohæret cum capite ſuperiori 54, & ſeqq.

πρὸ ἓξ ἡμερῶν τοῦ πάσχα, *ante ſex dies Paſchæ*] Omnino eadem eſt locutio quæ reperitur in Græco Amos I, 1. πρὸ δύο ἐτῶν τοῦ σεισμοῦ [*ante duos annos terræmotûs*], id eſt, *duobus annis ante terræmotum*, ut apertè habet ſenſus Hebraïcus. Sic II Corinth. XII, 2. πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων [*ante annos quatuordecim*], id eſt, *annis quatuordecim ante hunc diem*.

ἦλθεν εἰς Βηθανίαν, *venit Bethaniam*] Proſabbato: neque enim Sabbato tantum itineris feciſſet.

ὅπου ἦν Λάζαρος, *ubi Lazarus fuerat*] *Vbi habitabat Lazarus & ubi manſerat:* neque enim Ieſus eum ſecum ducere voluerat, vitandæ oſtentationis.

2. Ἐποίησαν οὖν αὐτῷ δεῖπνον ἐκεῖ, *Fecerunt autem ei cœnam ibi*] Perſonale pro imperſonali. *Parata eſt ei cœna*, nempe apud Simonem Lazari conſanguineum. Solebant Iudæi ante Paſchatis dies cœnis ſolennioribus ſe & amicos excipere, præſertim nonâ, ut notat Theophylactus, quæ tunc incidit in diem Solis. ἐκεῖ [*ibi*], id eſt, in Bethania, ubi domus erat Simonis. Vide quæ ad Matth. XXVI, 6. & ad Lucam VII, 37. ubi pleraque hujus hiſtoriæ explicata.

ἡ Μάρθα διηκόνει· *Martha miniſtrabat*] Non ſolebant in talibus conviviis accumbere feminæ. De Marthæ ſedulitate vide Lucam X, 40.

ὁ δὲ Λάζαρος εἷς ἦν τῶν ἀνακειμένων σὺν αὐτῷ. *Lazarus autem unus erat ex diſcumbentibus cum eo*] Ipſo cibi ſumtu vitæ redditæ veritatem probans. Vide Marci V, 43. infrà XXI, 13.

3. λίτραν, *libram*] Hæc vox, qua & Hebræi utuntur, una eſt earum quas à vicinis Siculis Latini acceperunt, ut & λέπορεν [*leporem*], οὐγκίαν [*unciam*], νούγκιον [*nuncium*], multaque alia. Errant enim qui primitivà origine Latina hæc putant. Iudæi eam acceperunt à Macedonibus.

καὶ ἐξέμαξε, *& exterſit*] Id eſt, *& abſterſerat*, ut diximus ſupra XI, 2.

ταῖς θριξὶν αὐτῆς, *capillis ſuis*]

Quod ſummum formæ decus eſt, ——

ait Latinus Poëta, & quo feminæ maximè ſe ſolent jactare. Vide I Petr. III, 3.

ἐπληρώθη ἐκ τῆς ὀσμῆς, *impleta eſt ex odore unguenti*] Eſt enim valde odorum nardus. Cant. I, 12.

4. Ἰούδας, *Iudas*] Is dolo malo ſermonis fecit initium, quem alii incautiùs ſecuti ſunt.

6. οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ, *non quod ei cura eſſet egentium*] Quippe perfido & immiſericordi. Exemplum eſt Iudas multorum privatis commodis obtendentium nomen pietatis.

κλέπτης ἦν, *fur erat*] Permiſſus tamen à Chriſto inter Apoſtolos vivere; ne unquam ſine malis ſperaremus fore Eccleſiam. Subducebat autem pecuniam, aut divortium meditans, aut periculum prævidens.

καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε, *& loculos habens*] Ita ארון vertitur à Chaldæo & Hieroſolymitano Geneſ. L, 26. à Græcis II Paral. XXIV, 8, & ſeqq. ubi κιβωτὸν [*arcam*] alii poſuerunt. Et creditur propriè fuiſſe arcula oblonga & anguſta quam iter facientes ferre ſecum poterant. Docuit hoc exemplo Chriſtus viris excellentibus non eſſe demandanda ea quæ ad vitæ hujus curam pertinent; Actor. VI, 2. I Corinth. VI, 4. Simul hinc apparet etiam perfectiſſimæ vitæ non obſtare commune aliquod ærariolum unde neceſſaria comparentur.

τὰ βαλλόμενα, *ea quæ mittebantur*] Pecunias quæ iſti marſupio indebantur, & ſi quid aliud ad viam erat neceſſarium.

7. Ἄφες αὐτήν· *Sinite illam*] Id eſt, *agat quod vult*. Vide Matth. XXVII, 49. Marcus optimè exponit: *Quid ipſi moleſti eſtis?* XIV, 6.

εἰς τὴν ἡμέραν τοῦ ἐνταφιασμοῦ μου τετήρηκεν αὐτό. *in diem pollincturæ meæ ſervavit illud*] Id eſt, *ſervavit hoc tanquam ad pollincturam*. Qui hoc loquendi genus non intellexerunt, mutarunt lectionem ut eſſet, *In diem ſepulturæ meæ ſervet illud*, quod non Latini tantùm codices habent ſed & Græci quidam: habuit & codex quo uſus eſt Nonnus. At Syrus rectè. Neque novum eſt perperam intellecta perperam mutari.

8. ἔχετε. *habetis*] Præſens pro futuro, ut infrà XVI, 10. & alibi.

9. Ἔγνω οὖν, *Cognovit ergo*] Cùm hæſiſſet ibi per diem unum aut alterum.

ἐκ τῶν Ἰουδαίων, *ex Iudæis*] *Ex Hieroſolymitis*, ut ſuprà aliquoties.

ἀλλ' ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἴδωσιν, *ſed ut & Lazarum viderent*] Eâdem operâ. Fama adventûs Ieſu famam Lazari in vitam revocati reſuſcitaverat.

10. Ἐβουλεύσαντο δὲ, *Conſtituerunt autem*] Βουλεύεσθαι non eſt hìc *conſultare* ſed *conſtituere*, ut Actor. V, 33. XV, 37. II Corinth. I, 17.

οἱ ἀρχιερεῖς, *principes Sacerdotum*] Cum Senatoribus cæteris.

ἵνα καὶ τὸν Λάζαρον ἀποκτείνωσι. *ut & Lazarum interficerent*] Non Ieſum ſolum. Præceps eſt malitia, & ſemper ultrà rapit. Tam bene jam profecerant in egregia iſta Cajaphæ ſententia, *Pro bono publico quidvis licere*, ut non dubitarent hominem nullius culpæ reum adjectamentum facere ſui ſceleris, ad tuendam dominationem.

11. δι' αὐτὸν ὑπῆγον, *propter illum abibant*] Vrbe relicta Ieſum ſectabantur.

καὶ ἐπίστευον εἰς τὸν Ἰησοῦν. *& credebant in Ieſum*] Non tantùm ut in Prophetam, ſed & ut in Meſſiam; ut ſequens hiſtoria oſtendit.

12. ὄχλος πολὺς ὁ ἐλθὼν εἰς τὴν ἑορτὴν, *turba multa quæ venerat ad diem feſtum*] Nam quò propiores erant dies Paſchatis, eò major turba in Vrbem veniebat.

ὅτι ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς, *quia venit Ieſus*] Ex Bethania. Hiſtoria explicata ad Matth. XXI.

13. τὰ βαΐα, *ramos palmarum*] Signum lætitiæ. Vide dicto loco.

ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ. *Rex Iſraël*] Promiſſus Meſſias. Ita Chriſtus antè mortem & Regni ſui indicia dedit, & quale eſſet Regnum oſtendit, vi Divinâ in ſui cultum animos movens.

14. Εὑρὼν δὲ ὁ Ἰησοῦς, *Et invenit Ieſus*] *Nactus*. Sic enim vox illa ſumitur, ut diximus Luc. I, 30.

ὀνάριον, *aſellum*] *Pullum aſinæ majuſculum*. Vide dicto loco.

ἐκάθισεν, *Inſidebat*] nempe dum fierent quæ jam narrata ſunt.

15. Μὴ φοβοῦ θύγατερ Σιών· *Noli timere filia Sion*] *Secura eſto, civitas Hieroſolymorum*: quod *jubilandi* voce Propheta expreſſerat. Securam autem eſſe debere oſtendit quia *Rex adveniat bonus ac mitis & ipſi ſalutaris*, nihil habens faſtuoſum.

16. οὐκ ἔγνωσαν, *non cognoverunt*] *Non intellexerunt* illud vaticinium ad hanc rem ſpectare. γινώσκειν [*noſcere*] ſæpe eſt *intelligere* Matth. XII, 7. XXI, 45. & alibi.

τὸ πρῶτον· *primùm*] Recenti re.

ὅτε ἐδοξάσθη ὁ Ἰησοῦς, *quando glorificatus eſt Ieſus*] Poſtquam in cœlum adſcendit, ut ſuprà VII, 39. *Tempore Regni cælorum*. Vide Matth. XI, 11.

τότε ἐμνήσθησαν, *tunc recordati ſunt*] Reminiſcendo rem intellexerunt ſenſum Prophetæ; quia ſcilicet Aſcenſio in cœlum & ſecuta Miſſio Spiritûs exemerunt illis opinionem de Regno terreno acceptam, ac docuerunt Regnum hoc in conſpectu hominum humile eſſe omnium ſublimiſſimum, & verè Regnum.

καὶ ταῦτα ἐποίησαν αὐτῷ. *& hæc fecerunt ei*] Id eſt, *hæc illi facta eſſe animo revolverunt*: nam perſonale eſt pro imperſonali. Intelligit acclamationem *Hoſanna*, ſubſtrationem veſtimentorum, inceſſionem aſini, & introitum in Vrbem tantâ turbâ comitante.

17. ὁ ὤν, *quæ erat*] *Quæ fuerat*, ut ſuprà quoque habuimus.

ὅτι, *quando*] Ita Syra editio Fabriciana, ita Latina, & Græci codices vetuſtiores. Qui adfuerant cùm Lazarus excitaretur, apud cæteram turbam teſtimonium perhibebant, hunc eſſe eum qui id feciſſet. Solet μαρτυρεῖν [*teſtimonium perhibere*] abſolutè poni, ubi ex ſequentibus intelligitur quò ſit referendum, ut ſuprà I, 32.

18. Διὰ τοῦτο καὶ ὑπήντησεν αὐτῷ ὁ ὄχλος, *Propterea & obvia ei venit turba*] Eſt ἐπάνοδος [*retrogreſſio*], nam quod narrarat magnam turbam ei obviam factam, id ait maximè eveniſſe ob famam ſparſam de Lazaro.

19. Οἱ οὖν Φαρισαῖοι, *Phariſæi ergo*] Cùm ſectatores ejus in tantum creſcentes viderent.

ὅτι οὐκ ὠφελεῖτε οὐδέν; *quia nihil proficitis*]? Alii aliis hoc dicunt; *nihil promoveri*, imò multùm corrumpi res ſuas cunctando: ita ut jam majora præſidia quærenda ſint ad exſequendum Senatûsconſultum. ὠφελεῖτε [*proficitis*] legit Syrus, Latinus vertit *proficimus*, ſenſum reſpiciens.

ὁ κόσμος, *mundus*] *Vis ingens hominum*: quomodo עולם ſæpe uſurpant Hebræi, & hìc Syrus עלמא.

20. Ἦσαν δέ τινες Ἕλληνες, *Erant autem quidam Gentiles*] Hoc nomine vocantur omnes qui nec Iſraëlitæ erant nec proſelyti, inter quos non pauci erant viri pii, unius Dei cultores, σεβόμενοι Ἕλληνες [*Deum colentes Gentiles*] Actor. XVII, 4. Hebræis Thalmudicis חסידי אמות, *pii ex Gentibus*: qualis Cornelius Centurio & Eunuchus Candaces in Actis Apoſtolicis. Tales Deum adorabant in ſubdiali quod vocabatur *Gentium*, ex inſtituto Solomonis I Reg. VIII, 41. Narrat Ioſephus inter hæc ſubdialia interſepimentum fuiſſe quo alienigenæ interius penetrare vetabantur. Vide Actor. XXI, 28. Pertinet autem hæc hiſtoria ad cognoſcendam amplitudinem Regni Meſſiæ: nam Gentium uberrimæ vocationi præludebatur. Videntur autem hi Gentiles fuiſſe Syrophœnices: nam & alibi notavimus, Marci VII, 26. Ἑλληνίδα [*Gentilem* ſive *Græcam*] vocari quæ aliis eſt *Syrophœniſſa*. Et his ob vicinitatem facilior notitia cum Galilæis Bethſaïdenſibus, quòd illi fortè in partes Tyri & Sidonis ſubinde excurrebant.

ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ex aſcendentibus] Ex his quibus commodum erat ob loci propinquitatem, hoc iter quotannis ſuſcipere.

ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ· ut adorarent in die feſto] Vt preces ſuas cum populo Dei conjungerent.

21. Φιλίππῳ, ***ad Philippum***] Noto fortè, aut quod in eum inciderant.

θέλομεν, ***volumus***] *Vellemus.* Vide quæ diximus Matth. XXVI, 39. Marci X, 35.

τὸν Ἰησοῦν ἰδεῖν. ***Ieſum videre***] Id eſt, propiùs convenire, cum eo colloqui.

22. καὶ λέγει τῷ Ἀνδρέᾳ· *& dicit Andreæ*] Vt qui ordine prior ac proinde familiarior eſſet.

Ἀνδρέας καὶ Φίλιππος λέγουσι τῷ Ἰησοῦ. ***Andreas & Philippus dicunt Ieſu***] Quia antehac in legatione Diſcipulos vetuerat ire in fines Gentium, Matth. X, 5, dubitabant an homines inde venientes incircumciſi admitti ad Chriſti colloquium debeant. Itaque ut in re dubia ipſum conſulunt.

23. *ἀπεκρίνατο αὐτοῖς, reſpondit eis*] Verbis quidem generalibus, ſed unde ſatis intelligeretur ſe hoc colloquium non recuſaſſe.

Ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, *Venit hora*] ***Non longe eſt; adeſt; inſtat tempus illud.***

ἵνα δοξασθῇ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου. ***ut clarificetur Filius hominis***] Vt qualis quantusque ſit non Iudæi tantùm ſed & alienigenæ agnoſcant.

24. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, ***Amen, amen dico vobis***] Iam oſtendit qua via ſibi aliiſque ad veram gloriam eundum ſit, nempe per ignominiam & paſſiones: &, ne offendantur Phariſæorum in ſe conſpiratione, docet pejora adhuc reſtare.

μόνος μένει. ***ſolum manet***] Sine fructu. Sic ſuprà VI, 22. μόνος [***ſolus***] dicitur certo reſpectu.

25. *Ὁ φιλῶν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ*, ***Qui amat animam ſuam***] Nempe ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ [***in mundo hoc***], ut oſtendit membrum oppoſitum. *ψυχὴν αὐτοῦ*, [***animam ſuam***], id eſt, ſe, & ſua commoda & honores hujus vitæ. ***Amat***, nempe præ Divinis. Confer quæ Matthæi X, 39. & ibi dicta.

ἀπολέσει αὐτήν. ***perdet eam***] ***Semet perdet.***

ὁ μισῶν, ***qui odit***] Minoris faciens quàm ea quæ ad Deum pertinent, ut Lucæ XIV, 26. & vide quæ ibi dicta.

εἰς ζωὴν αἰώνιον φυλάξει αὐτήν. ***in vitam æternam cuſtodit eam***] Efficiet ut ad vitam æternam perveniat: *φυλάσσειν* [***cuſtodire***] opponitur τῷ ἀπολλύειν [***ei quod eſt perdere***], etiam infrà XVII, 12.

26. Ἐὰν ἐμοὶ διακονῇ τις, *Si quis mihi miniſtrat*] Oſtendit generalia hæc effata non ad ſe tantùm ſed & ad ſuos pertinere. Hîc tacitè Regem ſe nuncupat, qui miniſtros plurimos habeat ad res Regni ſui promovendas.

ἐμοὶ ἀκολουθείτω. ***me ſequatur***] Imitetur exemplum meum. Sic Marci VIII, 34. Luc. IX, 23. Apoc. XIV, 4.

ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ***ubi ſum ego***] ***Sum*** pro ***ero.*** Intelligit locum ſummæ felicitatis.

τιμήσει αὐτὸν ὁ πατήρ. ***honorificabit eum Pater meus***] Felicitati addit gloriam, ne quid abſit quod deſiderari ab hominibus ſolet. Pro temporali jactura, æterna promittitur reparatio, ſicut ipſe Chriſtus per mortem non modò ad vitam æternam ſed ad perfectam Regni poſſeſſionem pervenit.

27. Νῦν ἡ ψυχή μου τετάρακται. ***Nunc anima mea turbata eſt***] Ne putarent qui ad ipſum imitandum invitantur, in ipſo non eſſe naturalia deſideria vivendi, evitandi dolorem & probra, oſtendit eadem in ſe eſſe revera, quò magis aptus erat ut exemplar noſtrum fieret, Hebr. II, 17. IV, 15. Vtitur hîc voce *ταράσσεσθαι* [***turbandi***], qua & ſuprà vehemens affectus indicatus eſt XI, 33. Hebraicè נפש תהמי עלי [***anima tumultuaris ſuper me***] ut Pſalm. XLII, 6. Confer quæ ad Matth. XXVI, 38. & ſeqq. & Luc. XXII, 44.

καὶ τί εἴπω; Πάτερ, σῶσόν με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης; ***& quid dicam? Pater ſalvifica me ex hora hac?***] Puto rectè etiam poſterius hoc membrum per interrogationem legi. Solemus enim in talibus ſermonibus primùm generaliter interrogare. ***Quid agam?*** Deinde ſubjicere hoc aut illud. *ὥραν* [***horam***] vocat tempus iſtud ſibi periculoſiſſimum inter tam potentes ac crudeles inimicos.

ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην. ***ſed propterea veni in horam hanc***] Oſtendit ſe non facturum quod interrogaverat, non deprecaturum mortem: nam *ἀλλὰ* [***ſed***] hîc valet ***atqui. Ob hoc,*** intellige ***ut moriar***, quod ſuperioribus verbis indicaverat, ***veni*** huc Hieroſolyma, in medios inimicos me conjeci.

28. *Πάτερ, δόξασόν σου τὸ ὄνομα.* ***Pater, clarifica nomen tuum***] Patiar quidvis quod tibi ſit honorificum. *δοξάζειν Θεὸν* [***clarificare Deum***] eximiè dicuntur qui pro Divinæ veritatis teſtimonio moriuntur, infrà XXI, 19.

Ἦλθεν οὖν φωνὴ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ. ***Venit ergò vox de cælo***] Quod ſolum ferme oraculi genus temporibus Templi ſecundi reſtabat. בת קול [***filiam vocis***] vocant.

Καὶ ἐδόξασα, καὶ πάλιν δοξάσω. ***Et clarificavi, & iterum clarificabo***]. Puto ſubaudiendum ***te***: ut Pater oſtendat ſibi cordi eſſe Filii gloriam, ſicut ſua gloria erat Filio. *ἐδόξασα* [***clarificavi***], ut miraculis & nunc nominatim reſuſcitato Lazaro. *δοξάσω* [***clarificabo***] tui ipſius reſuſcitatione & evectione in cœlum.

29. *ἔλεγε βροντὴν γεγονέναι.* ***dicebat tonitruum eſſe factum***] Pars iſta vulgi quæ à Chriſto longiùs aberat.

ἄγγελος αὐτῷ λελάληκεν. ***Angelus ei locutus eſt***] Opinio erat multorum apud Hebræos Deum non loqui niſi Angelorum miniſterio. Itaque Decem præcepta quæ ***Deus*** dicitur ***elocutus***, adſcribuntur ***Angelis.*** Actor. VII, 38. Hebræor. II, 2.

30. *οὐ δι' ἐμὲ αὕτη ἡ φωνὴ γέγονεν*, ***non propter me hæc vox venit***] Qui ſatis certus ſum de Patris in me affectu.

δι' ὑμᾶς. ***propter vos***] Vt videatis quanti me Pater facit, etiamſi pro impio & ſeductore condemner.

31. Νῦν κρίσις ἐστὶ τοῦ κόσμου, ***Nunc judicium eſt mundi***] Κρίνειν [***judicare***] ſæpe apud Hebræos eſt ***in libertatem vindicare.*** id qui faciebant, שפטים [***Iudices***]. Vindicabitur genus humanum ab injuſto poſſeſſore, ut ſequentia explanant.

νῦν ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου ἐκβληθήσεται ἔξω. nunc princeps hujus mundi ejicietur foras ſive *extra*] Id eſt, *De Regno deturbabitur* : nam ἔξω [*extra*] ex voce ἄρχων [*princeps*] interpretandum ἐκ τῆς ἀρχῆς [*extra principatum*]. Ἄρχων κόσμου [*princeps mundi*] hìc & XIV, 30. XVI, 11. ὁ θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου [*deus hujus ſæculi*] II Corinth. IV, 4, eſt diabolus, qui inductâ in maximam mundi partem idololatriâ & quæ idololatriam comitatur vitiorum colluvie, quaſi Deo excluſo, regnabat. Κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου [*mundi principes tenebrarum hujus ſæculi*] dixit Paulus Epheſ. VI, 12. ἑπτὰ ἄρχοντας δαίμονας [*ſeptem principes dæmones*] dixit Celſus memorante Origene. Alterum Principium Manichæorum ἄρχων τῶν ἐπιγείων [*princeps terreſtrium*] Pſello. Significat ergo Chriſtus deſtruendam idololatriam & quæ ei cohærent. Confer locum ſuprà x, 18. & Coloſſ. II, 15. Actor. XXVI, 18.

32. ἐὰν ὑψωθῶ, *ſi exaltatus fuero*] Id eſt, *poſtquam in crucem evectus fuero*, ut ſuprà III, 14. nam ἐὰν [*ſi*] eſt *quando*, ut hìc vertit Syrus. Sic Epiſtolâ III, 10. Sic ſæpe ſumitur Hebræum אם.

πάντας ἑλκύσω πρὸς ἐμαυτόν. omnia traham ad meipſum] Πάντας [*omnes*] habent plerique codices Græci & Syrus. *Omnes* intellige non Iudæos tantùm ſed & alienigenas. *Traham ad me*, abſtraham à diabolo, traham vi reſurrectionis meæ; ſed eos intellige qui non reluctantur.

33. ποίῳ θανάτῳ, *qua morte*] Nempe crucis, quod vox illa ὑψοῦν [*exaltandi*] innuit : vide ſuprà III, 14. & quæ ibi dicta.

34. Ἡμεῖς ἠκούσαμεν ἐκ τοῦ νόμου, *Nos audivimus ex lege*] Ex Sacris Literis, ut vox νόμου [*legis*] ſumta eſt ſuprà x, 34. *didicimus* autem, intellige Legisperitis interpretantibus. Puto autem præcipuè intelligi Pſal. cx. & Dan. VII, 14.

ὅτι ὁ Χριστὸς μένει εἰς τὸν αἰῶνα. quia Chriſtus manet in æternum] Quia ſcilicet in æternum regnaturus dicitur. Quæ ad evectionem Meſſiæ pertinent diligenter annotarant Magiſtri illorum temporum, cæci ad ea quæ de præviis ejus paſſionibus dicebantur, tum alibi, tum maximè Eſaïæ cap. LIII. cujus initium mox citatur. Vide I Petri I, 11.

καὶ πῶς σὺ λέγεις ὅτι δεῖ ὑψωθῆναι τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου· & quomodo tu dicis : oportet exaltari Filium hominis?] Omnino iis accedo qui à Iohanne relatam hìc ajunt ſummam verborum Chriſti, non verba ſingula. Nam hæc plebis dicta oſtendunt Chriſtum ſimul cùm de *evectione* diceret nominaſſe ſe *Filium hominis*. fortè & ipſam evectionem Serpentis ſimilitudine illuſtraverat, ut ſuprà III, 14. quo factum ut mortem eo verbo indicari plebs intelligeret.

τίς ἐστιν οὗτος ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου; quis eſt iſte Filius hominis?] Nos cùm *Filium hominis* dici audimus, eum concipimus de quo dixit Daniel & cujus fore Regnum æternum ipſe vaticinatus eſt, id eſt, Meſſiam. An tu alium *Filium hominis* deſignas?

35. Ἔτι μικρὸν χρόνον τὸ φῶς μεθ' ὑμῶν ἐστι. *Adhuc modicùm, lumen in vobis eſt*]. Cùm eos videret offendi mentione paſſionis ſuæ, contrà oſtendit hoc magis ipſis feſtinandum ut ſui præſentis beneficiis fruantur:

Vt eſſe Solis gratius lumen ſolet
Iamjam cadentis.

Se vocat *Lucem*, ut ſuprà aliquoties; *tempus lucis*, præſentiam ſuam conſpicuam, quam & *diem* dixerat IX, 4.

περιπατεῖτε ἕως τὸ φῶς ἔχετε, ambulate dum lucem habetis] Proficite in cognitione rerum Divinarum. Conjungi ſolent *lux* & *ambulatio*, ut ſuprà VIII, 12.

ἵνα μὴ σκοτία ὑμᾶς καταλάβῃ. ut non vos tenebræ comprehendant] Ne fortè Deus ſermonem ſuum vobis ſubtrahat. Quod jure quidem Deus facere potuit ſtatim poſt Chriſtum crucifixum; ſed pro ſua miſericordia multum adhuc temporis indulſit; quo elapſo Vrbem reliquit ſuæ cæcitati, eductis Chriſtianis.

καὶ ὁ περιπατῶν ἐν τῇ σκοτίᾳ, οὐκ οἶδε ποῦ ὑπάγει. & qui ambulat in tenebris, neſcit quò vadit] Καὶ [*&*] pro *nam*. Ideo utimini luce, quia in tenebris neſcitur quò eundum ſit. Et ſanè Iudæi ab Euangelio derelicti, non in ſuam tantùm Legem, ſed & in mores civiles & naturam ipſam graviſſimè impegerunt, ut docet Obſidionis hiſtoria.

36. πιστεύετε, *credite*] Explicat quod modò dixerat figuratè περιπατεῖτε [*ambulate*].

ἵνα υἱοὶ φωτὸς γένησθε. ut filii lucis ſitis] *Lucis æternæ filii*, id eſt, participes; ut ſolet vox *filiorum* ſumi apud Hebræos. Diximus Matth. IX, 15. Senſus ferme idem qui ſuprà VIII, 12. ubi in luce ambulantibus promittitur fore ut *habeant lucem vitæ*, æternæ ſcilicet.

ἐκρύβη ἀπ' αὐτῶν. abſcondit ſe ab eis] Bethaniam ſeceſſit, ne ante opportunum tempus ſe ingereret periculis, Lucæ XXI, 37.

37. Τοσαῦτα δὲ αὐτοῦ, *cum ille tot*] Hoc eſt quaſi Epiphonema Apoſtoli, ſubnixum non iis quæ proximè præceſſerunt ſed toti hiſtoriæ. τοσαῦτα eſt *tot* ut ſuprà VI, 9. Lucæ XV, 29. Syrus, *Hæc omnia*: ex aqua vinum fecerat, cæcum natum illuminaverat, mortuum excitaverat.

ἔμπροσθεν αὐτῶν, coram eis] Non clam ſed palàm : coram oculis magnæ multitudinis, coram ipſis inimicis.

οὐκ ἐπίστευον εἰς αὐτόν. non credebant in eum] Pars maxima Hieroſolymitarum non agnovit eum à Deo miſſum : nam qui obviam ei proceſſerant pauci erant in tanta multitudine.

38. Ἵνα, *Vt*] Ἵνα [*ut*] hìc eventum ſignificat, ut ſæpe.

πληρωθῇ, *impleretur*] Id eſt, Sic evenit quod Eſaïas dixerat eo in loco quo Chriſti ſtatum deſpectum & mala prædicit.

Κύριε, *Domine*] Hoc rectè ad ſenſûs plenitudinem addiderunt Græci Interpretes.

τίς, *quis*] *Quotusquisque.*

ἐπίστευσε τῇ ἀκοῇ ἡμῶν, credidit auditui noſtro] Ἀκοὴ [*auditus* ſive *auditio*] Helleniſtis eſt *id quod auditur, ſermo* : ut & Homero ἀκουὴ Odyſſeæ quinto. Sic Matth. IV, 24. XXIV, 6. Gal. III, 2. I Theſſ. II, 13. Euangelio hoc vaticinium Eſaïæ aptat, & Paulus Rom. x, 16.

ὁ βραχίων Κυρίου τίνι ἀπεκαλύφθη; brachium Domini cui revelatum eſt?] Ἀποκαλύπτεσθαι [*revelari*] hic intelligitur cum effectu, ut de vocibus *dari* & *trahi* ſuprà notavimus. Senſus eſt, *Quotusquisque ſatis rectè advertit admiranda illa Dei opera?* Sic enim *brachium* ſæpiſſime ſumitur in Veteri Federe & Actor. XIII, 17. Vbi autem verba quædam ex Propheta citantur, ſubintelligenda ſunt & ſequentia quæ continent in ſenſu ſublimiore deſcriptionem ſortis abjectæ ipſius Chriſti, putà quòd pauper erat, quòd à Synedrio prædamnatus.

39. *Διὰ τοῦτο οὐκ ἠδύναντο πιστεύειν, Propterea non poterant credere*] Nempe, ut dixi, ob illa impedimenta quæ memorat Eſaias. *Non poterant*, id eſt, erat ipſis tali ingenio præditis ut externa mirarentur, difficillimum talem Meſſiam amplecti. Sic δύνασθαι [*poſſe*] ſæpe ſumitur Ierem. XIII, 23. Marci III, 20, & alibi. Vide & I Corinth. II, 14.

ὅτι πάλιν εἶπεν Ησαΐας, iterum enim dixerat Eſaias] Id eſt, *nam verè dixerat Eſaias:* malim enim hoc ὅτι per *nam* vertere, ut & infrà 49. quàm per *quia*.

40. Τετύφλωκεν, *Excæcavit*] Nempe Chriſtus, qui feciſſe dicitur id cui ſuâ humilitate occaſionem præbuit; ſicut in Hebræo imperativè dicitur ipſi Prophetæ Chriſti imaginem gerenti, *Impingua cor, aggrava aures, obline oculos*. Tale illud Ezech. XIV, 9. *Ego Dominus ſeduxi eum:* & ſimilia multa. Ideo Syrus hîc vertit paſſivè, quomodo legitur idem hic Prophetæ locus Actor. XXVIII, 27. Vide quæ Matth. XIII, 15.

καὶ ἐπιστραφῶσι, & convertantur] Paſſivum pro activo reciprocante, ut ſuprà ἐκρύβη [*absconſus eſt*]. In Græco Eſaiæ eſt ἐπιστρέψωσι [*convertant*], ſupple, *ſe*, quomodo & apud Matthæum & in Actis.

καὶ ἰάσωμαι αὐτούς. & ſanem eos]. Sic & in Græco Eſaiæ, in Actis, & apud Matthæum: nimirum quia apud Prophetam Deus loquitur (ut notat Paulus Actor. XXVIII, 25.) verterunt Interpretes in perſonale, non ſenſum magis ſecuti quàm verba: nam in Hebræo eſt *ut medicetur ipſi*, quod Marcus egregia paraphraſi explicat IV, 12. καὶ ἀφεθῇ αὐτοῖς τὰ ἁμαρτήματα [*& dimittantur eis peccata*].

41. *ὅτε εἶδε τὴν δόξαν αὐτοῦ, quando vidit gloriam ejus*] Iudicium quod Deus, tanquam throno inſidens, exercet, Angelos ei negotio miniſtrantes, & expoſitam peccatorum remiſſionem: nam hæc omnia, quæ Euangelii tempore perfectiſſimè impleta ſunt, apud Eſaiam præcedunt, quibus conſpectis animatus eſt ne abſtineret Dei mandata eloqui, quanquam pleriſque contemtui futurus. Dicitur Eſaias *vidiſſe gloriam Chriſti*, ſicut Abrahamus *diem ejus* ſuprà VIII, 56.

42. *Ὅμως μέντοι, Veruntamen*] Quanquam plerique aſpernabantur Ieſum; quidam tamen minùs contumaces ſatis intellexerunt eum eſſe Chriſtum.

καὶ ἐκ τῶν ἀρχόντων, & ex principibus] *Etiam ex ipſis Senatoribus*, quos ἄρχοντας [*principes*] ſolere dici notavimus.

ἐπίστευσαν εἰς αὐτόν· crediderunt in eum] Contemplativâ, non activâ fide, convicti de veritate, ſed non ut etiam voluntatem in ejus obſequium redigerent.

διὰ τοὺς Φαρισαίους οὐχ ὡμολόγουν, propter Phariſæos non confitebantur] Ob Phariſæos potentes in Synedrio non audebant profiteri, ne his urgentibus exerceretur adverſùs ipſos decretum jam factum.

ἵνα μὴ ἀποσυνάγωγοι γένωνται· ut è Synagoga non ejicerentur] Quod probroſum valde habebatur.

43. *Ηγάπησαν γὰρ τὴν δόξαν τῶν ἀνθρώπων μᾶλλον ἤπερ τὴν δόξαν τοῦ Θεοῦ. Amarunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei*] Δόξα [*gloria*] cum genitivo apud Iohannem eſt ejus cui exhibetur; itaque δόξαν ἀνθρώπων [*gloriam hominum*] hîc intelligo *ſuum honorem*; quem ei honori qui Deo debetur prætulerunt: quod & ſequentia explanant. μᾶλλον ἤ [*magis quàm*] eſt hîc oppoſitionis, non comparationis, ut & ſuprà III, 19.

44. Ἰησοῦς δὲ ἔκραξε, *Ieſus autem clamavit*] Cùm conſideraret aliorum incredulitatem, aliorum fidem infructuoſam, medicinam ſtudet adhibere.

οὐ πιστεύει εἰς ἐμὲ, non credit in me] Non tam mihi quàm Patri confidit, cujus Legatus ſum. Similis locutio Marci IX, 37. I Sam. VIII, 7. I Theſſ. IV, 8.

45. *ὁ θεωρῶν ἐμὲ θεωρεῖ τὸν πέμψαντά με. qui videt me, videt eum qui miſit me*] Sic & infrà XIV, 9. quaſi dicat, In meis operibus reſplendet Patris majeſtas; Hebr. I, 3. Luciani martyris hæc erat confeſſio, ut ſuprà attigimus, *Ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ οὐσίας καὶ βουλῆς καὶ δυνάμεως καὶ δόξης ἀπαράλλακτος εἰκών* [*Filius & naturæ Dei & voluntatis & virtutis & gloriæ imago nihil differens*].

46. *Ἐγὼ φῶς εἰς τὸν κόσμον ἐλήλυθα, Ego lux in mundum veni*] Ego lux affulſi hominibus: Suprà I, 9. III, 19. VIII, 12. Eſaiæ XLII, 6.

ἐν τῇ σκοτίᾳ μὴ μείνῃ. in tenebris non eſt manſurus] *Non verſatur in tenebris*, in rerum bonarum ignorantia, graviſſimisque erroribus. De voce μένειν [*manere*] diximus III, 36. VIII, 31. Contrarium eſt ἐν φωτὶ μένειν [*in luce manere*], *verſari in luce.* I Epiſt. II, 10.

47. *καὶ μὴ φυλάξῃ, & non cuſtodierit*] Ita habent quidam codices, & ille in Anglia antiquiſſimus. Sequitur Syrus, Latinus, Nonnus. Quare hæc lectio vulgatæ πιστεύσῃ [*crediderit*], quam ſequitur Arabs, præferenda videtur, ut hoc propriè in eos dictum ſit qui *audiebant*, id eſt, verum credebant Chriſti ſermonem, ſed *non obſervabant*, id eſt, ſe ejus diſcipulos non profitebantur. Suprà 42.

ἐγὼ οὐ κρίνω αὐτόν. ego non judico eum] Nihil de illo durius pronuntio; ut ſuprà VIII, 15.

Οὐ γὰρ ἦλθον ἵνα κρίνω τὸν κόσμον, Non enim veni ut judicem mundum] Non id mihi præcipuè propoſitum eſt: οὐκ ἔστι τοῦτο τὸ προηγούμενον [*non eſt hoc principale*]· libenter talibus abſtineo. Sic ſuprà III, 17.

ἀλλ' ἵνα σώσω τὸν κόσμον. ſed ut ſalvificem mundum] Hoc unicè ago, hoc deſidero, ne quiſquam pereat, ſed omnes ad reſipiſcentiam veniant, ut perpetuo ſerventur: II Pet. III, 9.

48. *Ὁ ἀθετῶν ἐμὲ καὶ μὴ λαμβάνων τὰ ῥήματά μου, Qui ſpernit me, & non accipit verba mea*] Alluſio ad locum Deut. XVIII, 19. *Ὃς ἐὰν μὴ ἀκούσῃ ὅσα ἂν λαλήσῃ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου, ἐγὼ ἐκδικήσω ἐξ αὐτοῦ·* [*Qui autem non audierit quæ loquetur Propheta ille in meo nomine, ego de eo ultionem ſumam*]. Eſt autem λαμβάνειν [*accipere*] *amplecti*, ut ſuprà I, 12. III, 11.

ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτόν· *habet qui judicet eum*] Quid dicat explicant ſequentia: *ſecum fert judicem ſuum*, vel me tacente.

ὁ λόγος ὃν ἐλάλησα, ἐκεῖνος κρινεῖ αὐτὸν, *ſermo, quem locutus ſum, ille judicabit eum*] Sicut Ninevitæ dicuntur *teſtes* futuri, Matth. XII, 41. Moſes *accuſator*, ſuprà V, 45. ſic hîc Euangelium *condemnaturum* incredulos, ſpretum ſcilicet, cùm nihil in ſe habeat quod non admiratione ac veneratione ſit digniſſimum. Vide ſuprà IX, 41. infrà XV, 22.

ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ· *in noviſſimo die*] Quo tempore omnium non facta tantùm ſed & cogitata nudabuntur, & perfectiſſimè adimplebitur Eſaiæ viſio ſuprà priore loco memorata.

49. Ὅτι ἐγὼ ἐξ ἐμαυτοῦ οὐκ ἐλάλησα· *Nam ego ex me ipſo non ſum locutus*] Dixi ſæpe ὅτι optimè verti per *nam*, hoc ſenſu, *Nam certè nihil vobis tanquam ex me repertum, ſed tanquam à Patre mandatum loquor:* ſubintellige, *qua in re credi mihi & ob opera & ob præceptorum ſanctitatem oportuit.* ἐξ ἐμαυτοῦ [*ex me ipſo*] ſume ut ſuprà VII, 17. & infrà XIV, 10.

ὁ πέμψας με πατὴρ, αὐτός μοι ἐντολὴν ἔδωκε τί εἴπω καὶ τί λαλήσω. *qui miſit me Pater, ipſe mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar*] Prophetæ & inter eos Eſaias certis temporibus movebantur Divino Spiritu: Ego verò eum ſemper in me habeo, ita ut non tantùm cùm doceo (nam id vox אמר [*dicere*] Hebræis ſignificat) ſed cùm quidvis etiam obiter loquor, ſequar Patris præſcriptum. ἐντολὴν [*mandatum*] ut ſuprà X, 18.

50. ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ ζωὴ αἰώνιός ἐστιν. *mandatum ejus vita æterna eſt*] Effectus pro cauſa: vult enim dicere *Euangelium cauſam eſſe vitæ æternæ.* Sic Chriſtus ſe *vitam* dixit ſuprà XI, 25. & infrà XIV, 6. Sic & verbum Dei *vita* dicitur Deut. XXXII, 47.

ἃ οὖν λαλῶ ἐγὼ, καθὼς εἴρηκέ μοι ὁ πατὴρ, οὕτω λαλῶ. *quæ ergo ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor*] Subaudi, *& ſic à vobis accipienda ſunt.*

CAPUT XIII.

1. Πρὸ δὲ τῆς ἑορτῆς, *Ante diem feſtum*] Erat veſpera illa à qua incipiebat τὸ νυχθήμερον τῆς παρασκευῆς [*noctidium Paraſceues*].

αὐτοῦ ἡ ὥρα ἵνα μεταβῇ, *hora ejus ut transeat*] Tempus illud conveniens nomini Paſchatis, quod διάβασιν [*tranſitum*] ſignificat: tempus opportuniſſimum morti ob maximum populi conventum, quò res eſſet teſtatior.

ἐκ τοῦ κόσμου τούτου πρὸς τὸν πατέρα, *ex hoc mundo ad Patrem*] Per mortem ſcilicet, qui primus erat ad eum tranſitum gradus.

ἀγαπήσας τοὺς ἰδίους τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ, *cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo*] Eos qui diſciplinam ſuam receperant, præcipuè Duodecim illos. Eſt autem efficaciter dictum τοὺς ἐν τῷ κόσμῳ [*qui erant in hoc mundo*], quos relicturus erat in hoc rerum ſalo. ſic infrà XVII, 11.

εἰς τέλος ἠγάπησεν αὐτούς. *in finem dilexit eos*] Id eſt, διετέλει ἀγαπῶν, *perrexit eos diligere.* Sic locutio hæc uſurpatur Pſalm. IX, 18. XLIV, 23. & alibi. Hoc autem præfatur Apoſtolus, ut ſignificet ideo tam vili miniſterio Chriſtum ſe ſubjeciſſe ut amorem ſuum evidentiſſimè oſtenderet. Quod diximus vile eſſe miniſterium apparet 1 Sam. XXV, 41. quem locum Ioſephus explicans, ἀναξία μὲν εἶναι καὶ ποδῶν ἅψασθαι τῶν ἐκείνου [*indignam ſe quæ vel pedes ejus tangeret*]. In oraculo Mileſiis dato apud Herodotum:

> Σαὶ δ' ἄλοχοι πολλοῖσι πόδας νίψουσι κομήταις.
>
> [*Multa comatorum veſtigia pulchra lavabunt*
> *Vxores veſtræ*].

Plutarchus Pompejo Favonium poſt cladem obſequentiſſimum fuiſſe ut oſtendat ſic ait, Καὶ τὸ λοιπὸν ἐκ τούτου περιέπων καὶ θεραπεύων, ὅσα δεσπότας δοῦλοι, μέχρι νίψεως ποδῶν καὶ δείπνου παρασκευῆς διετέλεσεν [*Præterea perpetuò Pompejum obſervavit, & miniſteria ei exhibuit quæ heris ſervi ſolent ad pedum uſque lotionem & cœnæ præparationem*]. Idem De virtutibus mulierum, Διηκονοῦντο ταῖς ἀλλήλων γονεῦσι καὶ ἀδελφοῖς ἄχρι τοῦ καὶ τοὺς πόδας ἀπονίζειν [*Miniſtrabant aliæ aliarum parentibus & fratribus, ita ut & pedes eorum perluerent*]. Catullus,

> *Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore*
> *Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis.*

Tam vile autem miniſterium non detrectare magnæ eſt dilectionis. Luc. VII, 44. 1 Tim. V, 10.

2. Καὶ δείπνου γενομένου, *Cœnâ factâ*] Cœnâ illâ priore, qua non agnum quidem mactatum edit Chriſtus, ſed tamen, ut potuit, ritu Babylonici exſilii memoriam Paſchatis celebravit: quæ cœna non habebat ante ſe lotionem: nam non erat cœna juſta, ſed cœnæ imago. Vide quæ ad Matthæum.

τοῦ διαβόλου ἤδη βεβληκότος εἰς τὴν καρδίαν Ἰούδα, *cum diabolus jam miſiſſet in cor Iudæ*] Hîc quoque illud βεβληκότος [*miſiſſet*] intelligendum cum effectu, nempe ut Iudas hoc conſilium diaboli receperit. Simile loquendi genus ſuprà jam aliquoties obſervavimus. Sic *tentare* Satan dicitur cùm tentationi ſuccumbitur 1 Corinth. VII, 5.

ἵνα αὐτὸν παραδῷ. *ut traderet eum*] Habet & hoc ἔμφασιν [*efficaciam*]. Iam conſilio ſe tradendi capto, tam propinquo periculo, non omiſit teſtari curam ſuam pro diſcipulis, etiam pro illo nefario, ſi fortè adhuc reſipiſceret.

3. Εἰδὼς δὲ ὁ Ἰησοῦς ὅτι πάντα δέδωκεν αὐτῷ ὁ πατὴρ εἰς τὰς χεῖρας, *Sciens Ieſus quia omnia dedit ei Pater in manus*] Hoc dicit, Tam humile obſequium fecit non inconſcius ſuæ dignitatis. Id enim auget facti æſtimationem quod tantus ac talis hoc fecerit. *Dare* autem hîc intellige *promittere daturum:* nam tradita illi ſunt omnia (id eſt, poteſtas in omnia quæ Eccleſiæ conducunt, Matth. XXVIII, 18.) poſt Adſcenſum in cœlum, Actor. II, 36.

καὶ ὅτι ἀπὸ Θεοῦ ἐξῆλθε, *& quia à Deo exivit*] A Deo ad genus humanum miſſum ſe prodiiſſe. Sic ſuprà VIII, 42.

καὶ πρὸς τὸν Θεὸν ὑπάγει. *& ad Deum vadit*] Et ſe receptum iri in Dei regiam, in conſortium Regni. Omnia hæc mirificè deſcribunt ejus dignitatem.

4. Ἐγείρεται ἐκ τοῦ δείπνου, *Surgit à cœna*] Non ſolebat cœna etiam Agni à ſtantibus ſumi poſt Exitûs tempora: In cœna autem memoriali, qualis hæc erat, omnino ſedebatur aut accumbebatur, & nunc etiam ſedetur. Itaque eâ confectâ ſurrexit Chriſtus, & ad cœnam plenam atque ordinariam pedes lavit: quod ante cœnas fieri erat ſolitum.

καὶ τίθησι τὰ ἱμάτια. *& ponit veſtimenta ſua*] Hæc vox ex illis eſt quæ plurali ſono ſingularem habent ſignificatum, ut notavimus ad Matth. XVII, 2. Verti ita ſolet Hebræum שמלה, quo propriè ſignificatur *extimus amictus* qui à miniſtrantibus deponi ſolet. Philo De Sacerdotibus, Ανείμονες γὰρ ἐν μόνοις χιτωνίσκοις τά τε ἱερεῖα καὶ τὰς σπονδὰς καὶ ὅσ' ἄλλα χρήσιμα θυσίαις προσάγουσιν εἰς ἀνυπέρθετον τάχος ἠσκημένοι [*Sine veſtibus enim in ſolis tunicis victimas & libamina & alia ſacrificiis neceſſaria adferunt ad ſummam celeritatem exerciti*].

καὶ λαβὼν λέντιον, *& cum accepiſſet linteum*] Hæc vox a Romanis ut ad Græcos, ita & ad Iudæos pervenerat. Scribitur לנטית. exponunt Grammatici סדין, ut hîc Syrus סדינא *ſindonem*, Arabs منشفة *abſterſorium* : nam ei fini ſerviiſſe hoc linteum ſequentia oſtendunt.

διέζωσεν ἑαυτόν. *præcinxit ſe*] *Lumbos ſuos*, ut loquuntur Hebræi & hîc Syrus. Is habitus miniſtrantium, quò expeditiores eſſent. Lucæ XVII, 8. περιζωσάμενος διακόνει [*præcinge te & miniſtra*]. Et Latinis miniſtri & popæ *ſuccincti* vocantur. Verbum διαζώννυσθαι [*præcingi*] bis hoc loco legitur & infra XXI, 7. Eſt & apud Lucianum.

5. βάλλει ὕδωρ εἰς τὸν νιπτῆρα, *mittit aquam in pelvim*] Nihil miniſterii omittit. *Aquam infundit pollubro*, ſumtam ſcilicet ex hydriis illis quæ pro more adſtabant. Vide quæ diximus ad caput II, ſuprà.

ἤρξατο νίπτειν τοὺς πόδας τῶν μαθητῶν, *cæpit lavare pedes Diſcipulorum*] Primùm dicit generaliter *lotos pedes Diſcipulorum*, deinde ſpecialiter narrat Petri verba. Nam ἤρξατο νίπτειν [*cæpit lavare*] nihil eſt aliud quàm ἔνιψε [*lavit*], ut diximus Lucæ III, 8. ſic Actor. I, I. & alibi ſæpe.

ἐκμάσσειν, *extergere*] Vt moris eſt.

6. Ερχεται οὖν, *Venit ergò*] Οὖν [*ergo*] hîc eſt ſpecialiùs rem enarrantis. Nec impoſſibile eſt à Petro factum initium.

σύ μου νίπτεις τοὺς πόδας; *tu mihi lavas pedes?*] *Tu* Dei Filius, *meos* peccatoris? Vide Matth, XVI, 16. & Lucæ V, 8. & confer Matth. III, 14. ubi oppoſitio non diſſimilis. νίπτεις [*lavas*], id eſt, *vis lavare?* Sicut λιθάζετε [*lapidatis*] ſuprà X, 32.

7. ὃ ἐγὼ ποιῶ, σὺ οὐκ οἶδας ἄρτι, *quod ego facio, tu neſcis modò*] *Nondum capis quid agam*, id eſt, quò tendat quod ago.

γνώσῃ δὲ μετὰ ταῦτα. *ſcies autem poſtea*] Nempe cùm in Apoſtolica functione & in ſimili ſedulitate purgabis quod ſordium in Chriſtianis reſtabit. Vide Lucæ XXII, 32. & adde I Pet. II, I.

8. Οὐ μὴ νίψῃς τοὺς πόδας μου εἰς τὸν αἰῶνα. *Non lavabis mihi pedes in æternum*] Nunquam hoc patiar. Sic ſuprà X, 28. & alibi. Eſt autem hoc profectum ex animo quidem reverente, ſed non ſatis attendente ad id quod Chriſtus dicebat & innuebat.

Εὰν μὴ νίψω σε, *ſi non lavero te*,] Mos Chriſti eſt à rebus quæ adſpiciuntur ad ſenſum ſublimiorem adſcendere. *Niſi te lavero*, id eſt, Niſi & ſermone & Spiritu eluero quod in te reſtat minus puri, putà nimiam de te ipſo Exiſtimationem, Matth. XXVI, 33. Indiligentiam, ibidem 40. Iracundiam, 51. Formidinem, 70, 74. quas ſordes quomodo purgaverit in Petro Chriſtus, videre eſt dictis locis. Sed & quotquot apud Iohannem ſequuntur ſermones ad hanc lotionem pertinent. Vide Matth. III, II.

οὐκ ἔχεις μέρος μετ' ἐμοῦ. *non habebis partem mecum,*] *Non eris particeps meorum bonorum.* Sic hæc locutio ſumitur Deut. XIV, 27. XVIII, I. & alibi. Vt Chriſti coheredes ſimus non ſufficit à vitiis gravioribus animum avertiſſe, niſi & greſſus noſtros quotidie reddamus à terrenis contagiis purgatiores.

9. ἀλλὰ καὶ τὰς χεῖρας καὶ τὴν κεφαλήν. *ſed & manus & caput*] Id eſt, totum me; ſicut *manuum* & *pedum* vocibus totum corpus ſignificari diximus ſuprà XI, 44.

10. ὁ λελουμένος, *qui lotus eſt*] Id eſt, Qui ſemel in animum induxit Euangelio obſequi. Ita hoc explicatur ab ipſo Chriſto infrà XV, 3. Adde locum Actor. XV, 9. ubi Fidei tribuitur quod dicto Iohannis loco cap. XV. tribuitur Euangelio, quia ſermo ita demùm purgat ſi cum fide miſceatur, Hebræor. IV, 2.

οὐ χρείαν ἔχει ἢ τοὺς πόδας νίψασθαι, *non indiget niſi ut pedes lavet*] Hoc tantùm ei opus eſt ut ab iis ſe purget quæ ex occaſione agnaſcuntur. Similitudo ſumta ab his qui à balneo nudis pedibus abeunt. Scriptor De ablutione pedum in operibus Cypriani, *Suprà diximus ſemel lotos baptiſmate, eodem lavacro ulteriùs non egere : Sed hoc lavacrum quotidianis eſt exceſſibus inſtitutum, & jugis retractatio usque ad noviſſima veniens omnia debet opera & cogitatus ſingulos perſcrutari, & affectus per vitia diſcurrentes, vagam inſtabilemque animam per inania evehentes corrigere & lavare ; nec quicquam in hac vita prætermittere indiſcuſſum quod gemitibus & ſuſpiriis non fuerit expiatum.* *Pedes* Philoni ſignificant τὰς ἐπιβάσεις τῶν ἀρεσκόντων [*inceſſus in iis quæ placent*] Alleg. II. De vita Moſis tertio interpretatur pedes τὴν περὶ τὸν βίον διέξοδον [*ambulationem hujus vitæ*]. Cyrillus libro contra Iulianum nono, Ἔθος τῇ θεοπνεύστῳ γραφῇ τὴν τοῦ ποδὸς βάσιν, καὶ ὅλον ἔσθ' ὅτε τὸν πόδα δέχεσθαι πρὸς ἀπόδειξιν αἰνιγματωδῶς τῆς ἐφ' ἑκάστῳ τῶν πρακτέων ὁδοῦ [*Mos eſt Sacræ Scripturæ veſtigium pedis, totumque interdum pedem ſumere in occulta ſignificatione viæ circa ſingula quæ aguntur*]. Confer legem Levit. VIII, 24.

ἀλλ' ἔστι καθαρὸς ὅλος. *ſed eſt mundus totus*] Nempe cætero corpore, exceptis pedibus: nam univerſalitas reſtringitur ex ſuperiori ſermone, ut I Cor. XV, 27.

καὶ ὑμεῖς καθαροί ἐστε, *& vos mundi eſtis*] Animi propoſito : τὸ πνεῦμα πρόθυμον [*Spiritus promtus*] Matth. XXVI, 41. quæ καθαρὰ καρδία [*cor purum*] II Tim. II, 22.

ἀλλ' οὐχὶ πάντες. *ſed non omnes*] Conſcientiam Iudæ vellicat, qui propoſito ipſo animi erat impurus, retinens intra ſe malorum facinorum conſilia.

12. ἀναπεσὼν πάλιν, *cùm recubuiſſet*] Ad cœnam juſtam ſive domeſticam, quam finivit inſtituto Paſſionis ſuæ Sacramento.

Γινώσκετε τί πεποίηκα ὑμῖν; *Scitis quid fecerim vobis?*]

bis ?] An quale hoc ſit ſatis animadvertitis? Agit de humilitate miniſterii : nam myſticum ſenſum non niſi poſt acceptum Spiritum erant intellecturi.

13. Φωνεῖτέ με, Ο διδάσκαλος, *vocatis me, Magiſter*] Sic apud Horatium *Poëta ſalutor* : Φωνεῖν [*vocare*] idem hîc eſt quod *nominare* : & eſt hîc μίμησις [*imitatio ſermonis alieni*] qualis Ierem. XXII, 18. Nam Apoſtoli quoties inter ſe agebant de Chriſto dicebant, *Dominus hoc dixit*; *Magiſter hoc fecit.* רבי מראי [*Magiſter meus. Dominus meus*] ſæpè apud Hebræos.

καλῶς λέγετε· *bene dicitis*] Nihil mihi alienum per adulationem adſcribitis : *Magiſter* ſum docendo, *Dominus* redimendo.

14. Εἰ οὖν ἐγὼ ἔνιψα ὑμῶν τοὺς πόδας, *Si ergo ego lavi pedes veſtros*] Si ego tantò vobis ſuperior non recuſavi hoc vile miniſterium ſubire in gratiam veſtri qui tantò inferiores eſtis. Vide Matth. XI, 29.

ἀλλήλων νίπτειν τοὺς πόδας. *alter alterius lavare pedes*] Multò magis vos qui conſervi eſtis, debetis ſimilia officia deferre, τῇ ταπεινοφροσύνῃ ἀλλήλους ἡγούμενοι ὑπερέχοντας ἑαυτῶν, [*per humilitatem alii alios arbitrantes ſe ſuperiores*] Philipp. II, 3.

15. Ὑπόδειγμα, *Exemplum*] *Exemplum imitandum.* Sic Iac. V, 10.

καθὼς ἐγὼ ἐποίησα, *quemadmodum ego feci*] In genere actûs ; quomodo ſæpe hæc vox ſumitur. In quibusdam Eccleſiis etiam ipſa actûs ſpecies in ſacramentum præcepti retenta eſt, ut Mediolani usque ad Ambroſii tempora.

16. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *Amen, amen dico vobis*] Quia Apoſtoli futuri erant principes Eccleſiæ & muneris auctoritate & donorum eminentiâ, ideò eos munit contra ſuperbiam quæ eminentiam comitari ſolet, & oſtendit quò ſublimiores erunt eô magis ipſorum fore officii ut ſe aliorum uſibus ſubmittant. Vide quæ ad Matth. XX, 26. & Lucæ XXII, 26, & quæ ibi dicta.

οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων τοῦ κυρίου αὐτοῦ, *non eſt ſervus major domino ſuo*] Tritum proverbium, Matth. X, 24. infrâ XV, 20. Repetit tacitè quod dixerat, Se ipſorum eſſe Dominum ipſorum confeſſione ; quare non debere eos quantumvis in loco excellente poſitos ſe indignum ducere quod ipſe non detrectaſſet.

οὐδὲ ἀπόστολος μείζων τοῦ πέμψαντος αὐτόν. *neque Legatus major eo qui miſit eum*] Ἀπόστολος hìc non ſpecialis muneris ſed generale nomen eſt, *miſſum cum mandatis* ſignificans, ut Hebræor. III, 1. Philipp. II, 25. Sic Hebræum שלוח vertitur 1 Reg. XIV, 6. Quod autem modò dixerat *magiſtrum*, nunc dicit *mittentem*, quia in hoc eos inſtituerat ut eorum operâ uteretur.

17. Εἰ ταῦτα οἴδατε, *Si hæc ſcitis*] *Si hæc creditis vera.* Sic ſuprà IV, 25, & alibi.

μακάριοί ἐστε ἐὰν ποιῆτε αὐτά. *beati eritis ſi feceritis ea*] Quia fides non operoſa nocet magis quàm prodeſt, Iac. IV, 17.

18. Οὐ περὶ πάντων ὑμῶν λέγω. *Non de omnibus vobis dico*] *Non de omnibus tam bene ſpero.*

ἐγὼ οἶδα οὓς ἐξελεξάμην· *ego ſcio quos elegerim*] *Novi eos intimè quos mihi in comites delegi.* Hæc enim electio Chriſto adſcribitur ; ea quæ eſt ad fidem, Patri. Sic ἐκλέγειν [*eligere*] uſurpatur Lucæ VI, 13. infrà XV, 16, 19. Actor, I, 2. Quaſi dicat, Et tunc cùm eum Apoſtolum feci ſcivi eſſe levem, & nunc ſcio eſſe perfidum. Vide ſuprà VI, 64.

ἀλλ' ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ· *ſed ut adimpleatur Scriptura*] Ἔλλειψις [*defectus locutionis*]. Commodè hoc accidit, ut iterum & quidem eminentiùs fiat, quod olim ſibi ab Achitophele factum eſt conqueſtus David : nam de eo Pſal. XLI, & Pſal. LV. interpretantur Hebræi & nominatim Chaldæus Paraphraſtes. Tacitè ſimul vaticinatur Iudæ ſimilem fore exitum qualis Achitophelis fuerat.

Ο τρώγων μετ' ἐμοῦ τὸν ἄρτον, *Qui manducat mecum panem*] *Quem menſæ meæ participem feceram* : quod etiam apud Gentes ſacrum amicitiæ ſignum, 1 Cor. V, 11. Vide & Marc. XIV, 18.

ἐπῆρεν ἐπ' ἐμὲ τὴν πτέρναν αὐτοῦ. *levavit contra me calcaneum ſuum*] Pro ἐπᾶραι [*levaſſe*] hîc in Hebræo eſt הגדיל quod eſt *magnificè uſurpavit.* Senſus ergò eſt, *pede ſublimi me preſſit atque calcavit* : id enim rectius quàm ut ad curſores aut luctatores alludi dicatur.

19. Ἀπ' ἄρτι λέγω ὑμῖν πρὸ τοῦ γενέσθαι, *Amodo dico vobis priusquam fiat*] Et cogitationum & rerum futurarum conſcium me oſtendo.

ἵνα ὅταν γένηται, πιστεύσητε ὅτι ἐγώ εἰμι. *ut cùm factum fuerit, credatis quia ego ſum*] Nempe is cujus typum geſſit David. Niſi dixiſſem, poterat ubi eveniſſet hoc vos offendere. At nunc tantò magis confirmari debetis. Nam *credere* hîc, de augmento fidei accipiendum, ut ſuprà II, 11, & alibi ſæpè.

20. Ο λαμβάνων ἐάν τινα πέμψω, *qui accipit ſi quem miſero*] Oſtendit miniſteria ipſis injuncta non caritura ſuis ſolatiis. Nam velle Deum viciſſim, ut Chriſtiani Apoſtolis omnia officia exhibeant, quæ ipſe largè ſit remuneraturus. Vide Matth. X, 41. ἐάν τινα hîc eſt *quemcunque*, ut Actor. IX, 2, & alibi.

ἐμὲ λαμβάνει· *me accipit*] Perinde mihi gratum facit ac ſi me in hoſpitium reciperet. Vide Matthæi XXV, 40.

ὁ δὲ ἐμὲ λαμβάνων, λαμβάνει τὸν πέμψαντά με, *qui autem me accipit, accipit eum qui me miſit*] Quod mihi præſtatur, id Pater ſibi præſtitum interpretatur, Matth. dicto loco X, 41.

21. ἐταράχθη τῷ πνεύματι, *turbatus eſt Spiritu*] *Animo commotus eſt* & periculi conſideratione & ſceleris horrore. Vide ſuprà XI, 33.

καὶ ἐμαρτύρησε, *& proteſtatus eſt*] Palàm profeſſus, quod dixerat tectius, fore ut ab uno Diſcipulorum proderetur. μαρτυρεῖν [*proteſtari* aut *teſtimonium perhibere*] ſolet abſolutè poni ubi aliquid reſpicitur quod præceſſit, ut diximus ſuprà XII, 17.

22. Ἔβλεπον οὖν, *Aſpiciebant ergò*] Perculſi rei atrocitate vix credibili animis probis minimèque ſuſpicacibus.

23. ἐν τῷ κόλπῳ τοῦ Ἰησοῦ, *in ſinu Ieſu*] *In ſinu*, Plinius ; *Complexus gremio* dixit Apulejus.

ὃν ἠγάπα ὁ Ἰησοῦς· *quem diligebat Ieſus*] *Quem fa-*

miliariùs cæteris Ieſus diligebat. Hac modeſta circumlocutione ſe deſignare ſolet Iohannes, ut infrà XIX, 26.

24. Νεύει οὖν τούτῳ, *Innuit ergo huic*] Innuit ei ut interrogaret. Sic νευέτω δίκαια [*juſta innuant*] in Græco Prov. IV, 25. Cupit autem hoc Petrus, tum ut innoxii extra ſuſpicionem ſint, tum ut ſibi caveant ab impuro.

25. Ἐπιπεσὼν δὲ ἐκεῖνος ἐπὶ τὸ στῆθος, *Cùm recubuiſſet ille ſuprà pectus*] Propiùs ſe ad aurem admovens.

26. ᾧ ἐγὼ βάψας τὸ ψωμίον ἐπιδώσω, *cui ego intinctum panem dedero*] Ἐπιδώσω pro δώσω [*dedero*], ut Matth. VII, 9, 10. Luc. IV, 17. XXIV, 30. Actor. XV, 30. Oſtendit Chriſtus ſummam ſuam lenitatem, qui nunc etiam perfidioſum amoris quodam teſtimonio ad reſipiſcentiam provocat.

ἐμβάψας τὸ ψωμίον, *cùm intinxiſſet panem*] Non εἰς τὰς πικρίδας [*in herbas amaras*], quæ erant jam ſublatæ cum cœna rituali, ſed in juſculum cœnæ domeſticæ: מרק Hebræis, Iud. VI, 19, 20. Eſaiæ LXV, 4.

27. τότε εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ Σατανᾶς. *tunc introivit in eum Satanas*] Sic & Lucas de Iuda loquitur XXII, 3. Intelligendum hìc εἰσῆλθε, *penitus intravit*, quod dicitur Actor. V, 3. ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν [*implevit Satanas cor*], ubi nihil amplius eſt quod reſiſtat, lumine rectæ rationis paulatim extincto.

Λέγει οὖν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς, *Dixit ergo ei Ieſus*] Cùm ne ſic quidem eum flecti videret ſed magis magiſque obdureſcere.

Ὁ ποιεῖς, *Quod facis*] *Quod facere vis*, ut ſuprà 6.

ποίησον τάχιον. *fac citiùs*] Eſt hoc proverbiale, *Fac quod facis* in Latino epigrammate; Senecæ, *Fac ſi quid facis*; Plauto in Trinummo, *Age ſi quid agis*: idem Perſa, *Hoc, ſi facturus, face*: δρᾶ γ' εἴ τι δράσεις [*hoc fac quod es facturus*] apud Euripidem Iphigeniâ in Aulide. Significat autem, Non impedio, ferre paratus ſum. Sic II Macc. VII, 30. τίνα μένετε; [*quem exſpectatis*]? nec longè aliter ſuprà II, 19. Λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον· [*Solvite templum hoc*]· τάχιον [*citiùs*] pro *citò*, comparativum pro poſitivo, ut *ociùs* Latinè.

28. οὐδεὶς ἔγνω τῶν ἀνακειμένων πρὸς τί εἶπεν αὐτῷ. *nemo ſcivit diſcumbentium ad quid dixerit ei*] Nemo vim illorum verborum intellexit, ne Iohannes quidem: neque enim exiſtimabat tam propè eſſe facinus.

29. Τινὲς γὰρ ἐδόκουν, *Quidam enim putabant*] Alii quàm Iohannes.

ἐπεὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχεν, *quia loculos habebat*] Suprà XII, 6.

Ἀγόρασον ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτήν· *Eme ea quæ opus ſunt nobis ad diem feſtum*] Victimas. Quanquam enim Chriſtus Paſchaticam cœnam aliquo modo anticipaverat, ut dictum eſt ad Matthæum, ſuſpicabantur tamen aliam quamvis cauſam potiùs quàm quòd tam citò, ante ſequentem veſperam ſcilicet, eſſet moriturus.

τοῖς πτωχοῖς ἵνα τι δῷ. *egenis ut aliquid daret*] Ἵνα [*ut*] poſtpoſitum, ut Rom. XI, 31.

30. ἐξῆλθεν· ἦν δὲ νύξ. *exivit: erat autem nox*] Initium noctis: nam qui ſequuntur ſermones in multam noctem protracti. Vide quæ ad Matthæum.

ὅτε ἐξῆλθε, *cùm exiret*] Ita habent & cum ſuperioribus connectunt Græci codices longè plurimi & Syrus: nam qui habent ὅτε οὖν ἐξῆλθε [*cùm ergo exiret*] non alii ſunt quàm qui toti facti ſunt ad Latinum exemplar.

31. Νῦν ἐδοξάσθη ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*] Satis jam apparuit per hæc documenta & opera, quibus jam finis imponendus eſt, me à Deo miſſum, etiam ipſo judicio latentis proditoris. Vide ſuprà XII, 28. & VIII, 54.

καὶ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ. *& Deus clarificatus eſt in eo*] *Per ipſum*: quia & documenta ad verum Dei cultum excitant, & opera ipſa ſua Ieſus Deo auctori perpetuò adſcripſerat. Vide VII, 18.

32. Εἰ ὁ Θεὸς ἐδοξάσθη ἐν αὐτῷ, *Si Deus clarificatus eſt in eo*] Εἰ [*Si*] pro *quandoquidem*. Sic Matth. XXII, 45, & alibi. Vtitur axiomate noto inter Hebræos, quod exſtat I Sam. II, 30. ubi in Græco Deus ſic loquitur, τοὺς δοξάζοντάς με δοξάσω [*quicunque glorificaverit me; glorificabo eum*].

καὶ ὁ Θεὸς δοξάσει αὐτὸν ἐν ἑαυτῷ, *& Deus clarificabit eum in ſemetipſo*] Non per Angelos ſed *per ſeipſum*, per ſigna in ſole & terra, per reſuſcitationem è mortuis, evectionem in cœlum, & donationem nominis ſuprà omne nomen. Vide dictum locum XII, 28.

καὶ εὐθὺς δοξάσει αὐτόν. *& continuò clarificabit eum*] Statim in ipſo mortis puncto incipiet ei teſtimonium reddere, ita ut qui adſpiciant dicturi ſint, *Hic verè Filius Dei eſt*: neque in morte eum relinquet niſi perpauxillo tempore.

33. Τεκνία, *Filioli*] Chriſtus in morte ſua illud reperiebat triſtiſſimum quòd graviſſimè mœrore ſuos eſſet affectura; itaque omnia illis ſolatia adhibet, etiam verborum blandimenta, quale hoc τεκνία [*filioli*]. Sic Gal. IV, 19. I Iohan. II, 1, 12, 28. III, 7, 18. IV, 4. V, 21.

ἔτι μικρὸν μεθ' ὑμῶν εἰμι. *adhuc modicùm vobiſcum ſum*] Nempe quotidiana hac præſentia: nam poſt reſurrectionem adfuit tantùm οἰκονομικῶς [*diſpenſativè*]. Sic ſuprà VII, 33. XII, 35. infrà XVI, 10.

ζητήσετέ με, *quæretis me*] *Si fortè quæratis me poſtea*: ut expoſuimus ſuprà VII, 34.

καὶ καθὼς εἶπον τοῖς Ἰουδαίοις· *& ſicut dixi Iudæis*] Dicto loco VII, 34.

καὶ ὑμῖν λέγω ἄρτι. *& vobis dico modò*] Locus eſt inacceſſus: non poteſtis eò venire ullâ humanâ ope.

34. Ἐντολὴν καινὴν δίδωμι ὑμῖν, *Mandatum novum do vobis*] Vt ſolent abeuntes mandata ſuis dare. *Novum* autem dicit, quia non agit de dilectione communi omnium, nec de ea quæ ob conſanguinitatem aut beneficia accepta impenditur, ſed de ſpeciali Chriſtianorum inter ſe quà tales ſunt. Itaque infrà hoc *ſuum* quaſi proprium ſibi mandatum vocat XV, 12. *Diligamus invicem, ſicut ipſe dedit mandatum*, I Iohann. III, 23. Huc illud ſpectat Apoſtoli I Theſſal. IV, 9. αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε εἰς τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. [*ipſi enim vos à Deo didiciſtis ut diligatis invicem*]. Hieronymus Commentario ad Epiſtolam Iohannis, *Iohannes Apoſtolus à fratribus admonitus cur ſemper inculcaret dicens, Filioli diligite alterutrum, reſpondit, Quia*

præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Vbi *Domini præceptum* vocat, quia, ut jam diximus, ejus proprium eſt ac peculiare: & *ſolum ſufficit*, quia ſi fiat ut oportet, non poteſt non ex Dei amore proficiſci, cùm noſtri amor inde nos retrahat.

ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους· *ut diligatis invicem*] Vt fratres, ut condiſcipulos.

καθὼς ἠγάπησα ὑμᾶς, ἵνα καὶ ὑμεῖς ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. *ſicut dilexi vos, ut & vos diligatis invicem*] Exponit qualem dilectionem requirat, nempe ut non tantùm in rebus hujus vitæ alii alios nobis præferamus, 1 Corinth. x, 24. verùm etiam ut pro aliorum ſalute æternâ nulla incommoda defugiamus, ne mortem quidem. Hæc enim eſt illa Chriſti dilectio quâ nos dilexit, infrà xv, 13. Quare, *quia ipſe animam ſuam pro nobis poſuit, & nos debemus pro fratribus noſtris animas ponere*, 1 Iohann. iii, 16.

35. Ἐν τούτῳ γνώσονται πάντες ὅτι ἐμοὶ μαθηταί ἐστε, *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis*] Diſcipuli Legisperitorum ex receptis quibusdam ſententiis & interpretationibus Legis noſcebantur, Phariſæorum ex habitu & ceremoniis, Iohannis Baptiſtæ ex vitæ auſteritate & jejuniis: at diſcipuli Chriſti quo cognoſcentur, niſi imitatione Magiſtri, id eſt, mutuâ dilectione? Hac nota inſignis fuit illa primorum temporum Eccleſia, cùm *eſſet credentium cor unum & anima una*, Actor. iv, 32. Tertullianus Apologetico, *Sed ejusmodi vel maximæ dilectionis operatio nobis notam inurit apud quosdam. Vide, inquiunt, ut invicem ſe diligant; ipſi enim invicem oderunt: & ut pro alterutro mori parati ſint; ipſi enim ad occidendum alterutrum paratiores erunt.* mox, *Itaque quia animo animaque miſcemur, nihil de rei communicatione dubitamus. Omnia indiscreta ſunt apud nos præter uxores.* Minutius, *Sic mutuo, quod doletis, amore diligimus, quoniam odiſſe non novimus: Sic nos, quod invidetis, fratres vocamus, ut unius Dei parentis omnes, ut conſortes fidei, ut ſpei coheredes.* Quid nunc illi dicerent Chriſtiani ſi noſtra viderent tempora, ſi, non dicam lites aſperrimas, ſed ſæviſſima bella Chriſtianorum inter ſe, & quas ob recuſas? Si notas Eccleſiæ audirent magnis certantium clamoribus adferri omnes potiùs quam illam quam Magiſter aſſignavit?

ἐὰν ἀγάπην ἔχητε ἐν ἀλλήλοις. *ſi dilectionem habueritis ad invicem*] Id eſt, *inter vos.* Sic Marci ix, 50. εἰρηνεύετε ἐν ἀλλήλοις [*pacem habete inter vos*].

36. ποῦ ὑπάγεις; *quò vadis*]? Exiſtimavit Petrus Dominum iter parare in locos longinquos, plenum incommodis.

Ὅπου ὑπάγω, οὐ δύνασαί μοι νῦν ἀκολουθῆσαι, *Quò ego vado, non potes me modo ſequi*] Tectè indicat Chriſtus nondum illi ſat eſſe animi, ut mortem ſubeat, per quam iter ſit in cœlum.

ὕστερον δὲ ἀκολουθήσεις μοι. *ſequéris autem poſtea*] Spiritu firmatus. Vide infrà xxi, 18. ὕστερον, *tandem, aliquando*, ut hîc vertit Syrus.

37. Διατί οὐ δύναμαί σοι ἀκολουθῆσαι ἄρτι; *quare non poſſum te ſequi modò*]? Quid impedit? putasne ullâ itineris moleſtiâ me terreri?

τὴν ψυχήν μου ὑπὲρ σοῦ θήσω. *animam meam pro te ponam*] Si opus ſit, etiam mortis diſcrimini me pro tuo capite objiciam. De hac phraſi diximus x, 11, & ſequentibus.

38. Τὴν ψυχήν σου ὑπὲρ ἐμοῦ θήσεις; *Animam tuam pro me pones*]? Itáne verò? nihil tam grave eſt quod non pro me ſis ſubiturus? Hoc ita pronuntiatur ut inde intelligi poſſit, minimè eum qui interrogat, id credere.

οὐ μὴ ἀλέκτωρ φωνήσει, *non cantabit gallus*] Cantu illo notiore & qui κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] *gallicinium* dicitur.

ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρίς. *donec ter me neges*] Id eſt, *priùs ter negabis me tibi cognitum quàm gallus cantet.* Iohannes & Lucas hoc narrant ut in domo dictum: quare credibile eſt apud Matthæum & Marcum eſſe ἐπάνοδον [*retrogreſſionem*], ut τότε [*tunc*] ſit *circa illud tempus*, quomodo ad Matthæum notavimus.

CAPVT XIV.

1. ΜῊ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία· *Non turbetur cor veſtrum*] Videbat eos commotos antecedentibus de ſua morte, de periculis, de abnegatione ſermonibus: itaque eos erigit.

πιστεύετε εἰς τὸν Θεόν, *creditis in Deum*] *Sicuti* à prima ætate didiciſtis *fiduciam collocare in Deo*, ut rerum omnium auctore ac conſervatore, ut in Pſalm. lxxviii, 7. Nam *ſicut* hîc ſubauditur ut ſuprà v, 17. & infrà 19.

καὶ εἰς ἐμὲ πιστεύετε. *& in me credite*] *Ita & in me* coràm conſpectum notumque *fiduciam collocate*, ut Eccleſiæ auctorem ac conſervatorem: ego ipſe, adeò amans veſtri, ero adjutor veſter.

2. μοναὶ πολλαί εἰσι· *manſiones multæ ſunt*] Non excludemini.

— *Locus eſt & pluribus umbris.*

Μονὴ [*manſio*] eſt *habitandi locus*, quod ſtatim dicet τόπον [*locum*]. 1 Maccab. vii, 38. μὴ δῷς αὐτοῖς μονήν [*ne des illis manſionem*]. Multitudinem autem locorum non male veteres intelligunt cum graduum differentiis. Clemens Strom. vi, πρόβατα ἄλλης μονης ἀναλόγως τῆς πίστεως κατηξιωμένα [*pecudes dignæ habitæ aliis & aliis manſionibus pro fidei modo*]. Tertullianus Scorpiaco, *Quomodo multæ manſiones apud Patrem ſi non pro varietate meritorum? quomodo & ſtella à ſtella diſtabit in gloria niſi pro diverſitate radiorum?*

εἰ δὲ μή, εἶπον ἂν ὑμῖν. *ſi aliter eſſet, dixiſſem vobis*] Hîc interpungit Syrus, nec dubito quin id rectum ſit: nam εἰ δὲ μὴ ſæpiſſime in his libris eſt, *ni ita eſſet.* Si locus non eſſet vobis, apertè hoc dixiſſem vobis, ut mos meus eſt; ademiſſem vobis ſpem inanem. Nunc autem Petro & in Petro omnibus dixi, futurum tandem ut me illuc ſequamini.

πορεύομαι ἑτοιμάσαι τόπον ὑμῖν. *vado parare vobis locum*] Similitudo ſumta ab uno comitum qui in itinere prægreſſus ad diverſorium ibi cæteris cubicula aſſignat, & efficit ut venientibus parata ſint.

3. ἐὰν πορευθῶ, *ſi abiero*] Ἐὰν [*ſi*] hîc valet *poſtquam*, ut ſuprà xii, 32.

πάλιν ἔρχομαι, καὶ παραλήψομαι ὑμᾶς πρὸς ἐμαυτόν· *iterum venio & accipiam vos ad me ipſum*] Continuatur ſimilitudo: nam ſolent qui primi in diverſorium venerunt cæteris jam adventantibus obviam procedere & eos introducere. Angelus ad Apoſtolos Actor. i, 11. οὗτος ὁ Ἰησοῦς ὁ ἀναληφθεὶς ἀφ' ὑμῶν εἰς τὸν οὐρανὸν, οὕτως ἐλεύσεται ὃν τρόπον ἐθεάσασθε αὐτὸν πορευόμενον εἰς τὸν οὐρανόν [*hic Ieſus qui aſſumtus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum*].

ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, *ut ubi ſum ego*] Εἰμὶ [*ſum*], id eſt, *ero*: ut ſuprà VII, 34.

καὶ ὑμεῖς ἦτε. *& vos ſitis*] Conſortes, participes meæ felicitatis, Rom. VIII, 17.

4. ὅπου ἐγὼ ὑπάγω οἴδατε, *quò ego vado ſcitis*] Mos eſt loquendi cùm dicere volumus ſatis nos dixiſſe: *Habetis quò vadam.* Nam *domum Patris* jam nominaverat.

καὶ τὴν ὁδὸν οἴδατε. *& viam ſcitis*] *Habetis & quâ viâ eò vadam.* Nam quod dixerat, *Se non ampliùs conſpiciendum*, & quod ſtatim addiderat de ſua Dilectione, circumlocutio erat mortis pro ipſis ſubeundæ.

5. Θωμᾶς, *Thomas*] Cæteris tardior ad res fidei.

οὐκ οἴδαμεν ποῦ ὑπάγεις· *neſcimus quò vadis*] Thomas, ſive ingenii tarditate ſive mœſtitiâ impeditus, non intellexerat quid Ieſus ſignificaret, ac proinde de ſe conjecturam faciens nec cæteros intellexiſſe exiſtimabat.

πῶς δυνάμεθα τὴν ὁδὸν εἰδέναι; *quomodo poſſumus viam ſcire*]? Via eſt τῶν πρός τι [*eorum quæ ad aliud referuntur*], nempe à termino ad terminum alterum. Quod ſi ignoretur quæ ſit meta, non poteſt via ſub ratione viæ concipi.

6. Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδὸς, *Ego ſum via*] Chriſtus, ut oſtenderet quantam haberet ſuorum curam, de ſe nihil reſpondet, ſed ipſis pleniùs indicat quomodo ipſi quoque ad Patrem pervenire poſſint. Videtur autem Chriſtus ſe *Viam* dicens alludere ad locum Eſaiæ XXXV, 8. Se autem nominans *Viam*, actiones ſuas intelligit per quarum exemplum tanquam ſtratum iter nobis ambulandum eſt.

καὶ ἡ ἀλήθεια, *& veritas*] Euangelium λόγος ἀληθείας [*ſermo veritatis*] Epheſ. I, 13. ſermo nihil falſi admixtum habens. Chriſtus ſe *veritatem*, id eſt, veri Doctorem vocans, indicat ſibi fidem habendam; eventurum quod pollicetur.

καὶ ἡ ζωή. *& vita*] Id eſt, *dator vitæ æternæ*, ut ſuprà XI, 25. Multum hoc eſt, quòd Chriſtus ipſe vitæ æternæ dandæ jus habet: id enim ut eum imitemur utque ei credamus vim habet maximam.

οὐδεὶς ἔρχεται πρὸς τὸν πατέρα, *nemo venit ad Patrem*] Pro eodem ponit *vitam æternam conſequi* aut *ad Patrem venire*, quia vita illa æterna erit apud Patrem.

εἰ μὴ δι᾽ ἐμοῦ. *niſi per me*] Id eſt, niſi mihi fidem habeat, meque imitetur; ut oſtendunt præcedentia.

7. Εἰ ἐγνώκειτέ με, *Si cognoviſſetis me*] *Si rectè me noſſetis*, proprietates meas quæ in actionibus elucent.

καὶ τὸν πατέρα μου ἐγνώκειτε ἄν· *& Patrem meum utique cognoviſſetis*] *Eadem operâ Patrem noſſetis*, in quo eædem ſunt proprietates Bonitatis, Iuſtitiæ, Sapientiæ. Tale eſt illud,

> *Qui utramvis rectè norit, ambas noverit.*

Vide ſuprà VIII, 19.

καὶ ἀπ᾽ ἄρτι γινώσκετε αὐτὸν, *& jam noſtis eum*] Vt ſi quis dicat ei qui imaginem alicujus vidit, nec ſcit cujus ſit imago, *Iam illum noſti ex lineamentis.*

καὶ ἑωράκατε αὐτόν. *& vidiſtis eum*] Nempe in me, ejus effigie.

8. Δεῖξον ἡμῖν τὸν πατέρα, *Oſtende nobis Patrem*] Legerat Deum variis modis interdum apparuiſſe Patribus; hoc vellet & ſibi concedi.

καὶ ἀρκεῖ ἡμῖν. *& ſufficit nobis*] Non ultrà interrogando moleſti tibi erimus.

9. Τοσοῦτον χρόνον μεθ᾽ ὑμῶν εἰμι, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με; *Tanto tempore vobiſcum ſum, & non cognoviſtis me*]? Id eſt, Cùm tamdiu tam familiariter vobiſcum agam, nondum me noſtis qualis ſim? certè noſſe debebatis: & ſi ſatis noſſetis, jam & ſcire poſſetis qualis ſit Pater.

10. ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, *quia ego in Patre*] Per obedientiæ propoſitum, ut expoſuimus X, 38.

καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί ἐστι; *& Pater in me eſt*]? Per efficaciam.

τὰ ῥήματα ἃ ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν, ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ οὐ λαλῶ· *verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor*] Ratio redditur prioris membri, Nihil loquor non imperatum à Patre: ſuprà VII, 17.

ὁ δὲ πατὴρ ὁ ἐν ἐμοὶ μένων, αὐτὸς ποιεῖ τὰ ἔργα. *Pater autem in me manens, ipſe facit opera*] Ratio membri alterius, Nam Pater per me operatur, atque ita oſtendit ſe eſſe in me. Nam μένειν Iohanni eſt *ineſſe*, ut ſuprà V, 38. Dei proprietates ex operibus cognoſcuntur, quæ nunquam majora ac plura quàm per Chriſtum ſunt edita; ita ut in iſtis Sapientiam Dei, Bonitatem, Potentiam multò apertiùs fuerit concipere quàm in viſionibus illis quæ Prophetis contigerunt, & quibus illæ proprietates tantùm per ſimilitudinum figuras adumbrabantur. Duo quæ diximus membra, quibus conjunctio Patris & Filii indicatur, breviter ſic exprimit Nonnus,

> Ὡς σὺν ἐμοὶ πελέθει γενέτης ἐμὸς, ὅττι καὶ αὐτὸς
> Σύμφυτός εἰμι τοκῆος, ἐγὼ λαλέων, ὁ δὲ ῥέζων·
> [*Nimirum mecum eſſe Patrem: ſum namque Parenti*
> *Connexus: mea vox ſonat: at res efficit ille*].

11. Πιστεύετέ μοι, *Credite mihi*] Verbis meis nihil non Divinum continentibus credite, me Patri eſſe conjunctiſſimum.

εἰ δὲ μὴ, *ſin minus*] Si verbis credere non vultis.

διὰ τὰ ἔργα αὐτὰ πιστεύετέ μοι. *propter opera ipſa credite*] *Saltem credite ob opera* quæ talia ſunt ut niſi à Deo proficiſci nequeant. Suprà III, 2. V, 36. X, 37.

12. Ἀμὴν, ἀμὴν, *Amen, amen*] Pergit conſolari.

τὰ ἔργα ἃ ἐγὼ ποιῶ, κἀκεῖνος ποιήσει, *opera quæ ego facio, & ipſe faciet*] Dæmonas ejiciet, morbos ſanabit, mortuos reſuſcitabit. Intelligenda autem hæc promiſſio ſecundùm ea quæ dicta ſunt ad Marcum XVI, 17.

καὶ μείζονα τούτων ποιήσει· *& majora his faciet*] Omni genere linguarum loquetur ad converſionem omnium gentium. Maximum ſignum, ut Chryſoſtomus notat, gloriæ Chriſti quod per abſentem fierent quæ præſens non effecerat.

13. Ὅτι ἐγὼ πρὸς τὸν πατέρα μου πορεύομαι, καὶ ὅ, τι ἂν αἰτήσητε ἐν τῷ ὀνόματί μου, τοῦτο ποιήσω· ἵνα δο-

ξασθῇ ὁ πατὴρ ἐν τῷ υἱῷ. *Quia ego ad Patrem vado: & quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio*]. Hæc ita uno ſpiritu legenda ſunt, & notandi Hebraïſmi, πορεύομαι καὶ ποιήσω, [*vado & efficiam*] id eſt, *profectus efficiam*. Similitudo ſumta ab eo qui ad Regem profectus coràm commendat amicorum deſideria. Deinde illud ἵνα [*ut*] communiter referendum ad αἰτήσητε [*petieritis*], ut rectiùs cum ſuperioribus cohæreat, *Quicquid poſtulaveritis quo Filius & per Filium Pater inclareſcere poſſint, id ego pro vobis effectum dabo*: ἐν τῷ ὀνόματί μου, [*in nomine meo*] id eſt, *quicquid orabitis Patrem ut meâ causâ faciat*. Solebant Hebræi Deum orantes rogare ut populo benefaceret ob Patres, *ob Abrahamum, ob Iſaacum, ob Iacobum, ob Davidem*: nova nunc docetur orandi ratio, *per Chriſtum*, Roman. I, 8.

14. ἐγὼ ποιήσω, *hoc faciam*] Repetit hoc ut magis ſpem eorum confirmet, quòd ipſe adeò ipſis notus omnia effecta dandi ſit habiturus poteſtatem.

15. Ἐὰν ἀγαπᾶτέ με, *ſi diligitis me*] Ne luctu oſtendite amorem, ſed obedientiâ.

τὰς ἐντολὰς τὰς ἐμὰς τηρήσατε. *mandata mea ſervate*] Præſertim illud de mutua Dilectione. Sic Actor. II, antequam narretur miſſio Spiritûs Sancti præponitur, ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό [*erant omnes concorditer uno in loco*]. Itaque hac præcipuè ratione ad accipiendum eum Spiritum parabantur.

16. Καὶ ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis*] Et hîc poſterior pars in priori repetenda; *Orabo ut Spiritum vobis det: & dabit*, nempe ſi in obedientia præceptorum perſeveraveritis. Ἐρωτᾷν pro *precari* frequens in his libris, Lucæ XIV, 18, & alibi. Precatur autem jam Chriſtus non cum ſupplicibus lachrymis in hac vita, ſed pro ea auctoritate quam ſibi mortis obedientiâ quæſivit. Παράκλητος [*Paracletus*] vox Græca frequens apud Iudæos in verſione Chaldæa & apud Thalmudicos, non pro *conſolatore*, ſed pro *eo qui cauſam agit alterius, & quidem rei*. Nam qui pro accuſatore dicit vocatur alia Græca voce קטגור κατήγορος. [*accuſator*]. *Alium* ergo *Oratorem* Chriſtus pollicetur qui cauſam ſuorum agat apud mundum, ſicut ipſe acturus eſt apud Patrem. Nam hoc ſenſu ipſe eſt παράκλητος [*Paracletus* ſive *Advocatus*] I Ioh. II, I. Et quod modò dixit ſe pro ſuis interpellaturum Patrem, eſt circumlocutio muneris παρακλήτου [*Paracleti*]. Spiritus autem eſt qui pro Apoſtolis apud Reges & Proceres loqui dicitur, Matth. X, 20. qui Chriſti dicta ipſis in memoriam revocat, infrà 26. qui adverſarios ipſorum efficaciter convincit, infra XVI, 8. Ideo veteres Latini *Advocatum* dixerunt. Et notandum Dei Spiritui qui eſt παράκλητος [*Paracletus*] opponi ſpiritum malignum qui eſt κατήγορος [*accuſator*], & ſic dicitur Apocal. XII, 10.

ἵνα μένῃ μεθ' ὑμῶν εἰς τὸν αἰῶνα· *ut maneat vobiscum in æternum*] Non ut aliquot annis apud vos ſit, ut ego fui, ſed *ut maneat perpetuò*. Hoc enim Hebræis eſt εἰς αἰῶνα [*in æternum* ſive *perpetuò*]. Intelligendum autem hoc ſub conditione, jam dicta, obſervationis mandatorum.

17. Τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *Spiritum veritatis*] Id eſt, Spiritus ille Doctor veritatis, ut explicatur infrà XVI, 13. & I Iohan. II, 27. Huic opponuntur πνεύματα πλάνης [*ſpiritus erroris*] I Tim. IV, I.

ὃ ὁ κόσμος οὐ δύναται λαβεῖν, *quem mundus non poteſt accipere*] Nempe quà mundus, quà affixus rebus hujus ſeculi, I Cor. II, 14.

ὅτι οὐ θεωρεῖ αὐτὸ, *quia non videt eum*] Mundus non curat niſi ea quæ oculis corporeis conſpiciuntur; quale non eſt ille Spiritus.

οὐδὲ γινώσκει αὐτό· *nec ſcit eum*] Ac proinde nec expetit: *Ignoti* enim *nulla cupido*. Noſſet autem ſi ſe Divinis ſermonibus docilem ac morigerum præberet. Nam talia pectora quærit ille Spiritus. Irenæus citante Baſilio, Τοὺς δὲ ἀχαλιναγωγήτους καὶ καταφερομένους εἰς τὰς ἑαυτῶν ἐπιθυμίας καὶ μηδεμίαν ἔχοντας ἐπιθυμίαν θείου πνεύματος δικαίως ὁ ἀπόστολος σαρκικοὺς καλεῖ [*Effrænes homines & qui à concupiſcentiis ſuis aguntur, nec ullum habent deſiderium Divini Spiritus, meritò Apoſtolus carnales vocat*] Confer ad Coloſſ. III, 10.

ὑμεῖς δὲ γινώσκετε αὐτὸ, *vos autem noſtis eum*] *Noſtis & curatis, expetitis*. Sic Matth. VII, 23.

ὅτι παρ' ὑμῖν μένει, *nam in vobis manet*] Puto ὅτι [*nam*] hîc poni pro διὰ τοῦτο [*idcircò*], aut pro *certè*, ut Eſaïæ VII, 9. I Ioh. III, 20, & alibi. Videntur enim præcedentia indicare Spiritum, quomodo hîc ſumitur, priùs noſci, deinde in hominem penetrare. μένει eſt *inhabitat*, ut diximus ſuprà V, 38. Sic *eſſe* in aliquo I Ioh. II, 5. exponitur per μένειν [*manere*] ibid. 6, 14, 24. Eſt autem præſens pro brevi futuro.

καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται. *& in vobis erit*] *Et porrò habitabit*. εἶναι [*eſſe*] enim idem eſt quod μένειν [*manere*], ut jam diximus.

18. Οὐκ ἀφήσω ὑμᾶς ὀρφανούς· *Non relinquam vos orphanos*] Tempore ſepulturæ meæ eritis tanquam pupilli. Sed non manebitis tales: nam ego primùm rediens vobis ero pro patre, deinde Spiritum vobis, qui vice patris ac defenſoris ſit, relinquam.

ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. *venio ad vos*] Præſens iterum pro brevi futuro; & *venire* pro *redire*. Sic & infrà 28. & ἐλθὸν [*veniens*] pro *rediens* Matth. XII, 44.

19. Ἔτι μικρὸν, καὶ ὁ κόσμος με οὐκ ἔτι θεωρεῖ· *Adhuc modicùm, & mundus me non ultrà videt*] Hebraïſmus qualis & Oſe. I, 4. Agg. II, 7. pro eo quod diceremus: *poſt aliquod tempus mundo non conſpiciar ampliùs*, poſt mortem ſcilicet. *Mundum* intelligit à ſua diſciplina alienos, quæ pars maxima: θεωρεῖ [*videt*] pro θεωρήσει [*videbit*], ut ſæpe in hoc Scriptore.

ὑμεῖς δὲ θεωρεῖτέ με· *vos autem me videtis*] Veſtris oculis vos me non ſemel videbitis.

ὅτι ἐγὼ ζῶ, *quia ego vivo*] *Nam ſanè vivam*. Eadem enallage. Non videbitis ſpectrum; me, inquam, vivum videbitis.

καὶ ὑμεῖς ζήσεσθε. *& vos vivetis*] Timebant ne cum Chriſto in mortem raperentur, ſuprà XI, 16. nunc illis affirmat futurum ut graviſſimis periculis exempti ſuperſtites ſint.

20. Ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ. *In illo die*] Illo tempore quo jam mortis victor vobis apparebo.

γνώσεσθε ὑμεῖς, *vos cognoſcetis*] Multò quàm antehac perfectiùs, per explicationem apertam veterum vaticiniorum Lucæ XXIV, 45. & per rei ipſius experimentum.

ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρί μου, *quia ego ſum in Patre meo*] Me manſiſſe in omnibus quæ Pater mihi præſcripſerat: quod Pater ipſa reſurrectione oſtendit & evectione in cœlum oſtendet. Vide infrà XVI, 10.

καὶ ὑμεῖς ἐν ἐμοὶ, κἀγὼ ἐν ὑμῖν. *& vos in me, & ego in vobis*] Iterum ϗ [*&*] primum pro *ſicut*: Cognoſcetis tunc me vobis conjunctiſſimum fore præſente auxilio, ſicut vos mihi fuiſtis conjunctiſſimi obedientiâ & fide, Lucæ XXII, 28. De locutione vide ſuprà VI, 56. Adde I Iohan. IV, 15, 16.

21. Ὁ ἔχων τὰς ἐντολάς μου, *Qui habet mandata mea*] Nequis putaret ſolis ſe Apoſtolis promittere quæ dixerat, extendit jam dicta ad omnes ſibi parentes. ἔχειν ἐντολὰς [*habere mandata*], ut ἔχειν λόγον [*habere verbum*] ſuprà V, 38. eſt *intus recipere*, id eſt, credere, fidem habere.

καὶ τηρῶν αὐτὰς, *& ſervat ea*] Alioqui credere nocet magis quàm prodeſt.

ὁ δὲ ἀγαπῶν με ἀγαπηθήσεται ὑπὸ τοῦ πατρός μου· *qui autem diligit me, diligetur à Patre meo*] Subſequente eâque majore ac fervidiore dilectione.

καὶ ἐμφανίσω αὐτῷ ἐμαυτόν. *& manifeſtabo ei meipſum*] Et poſt reſurrectionem illis me oſtendam, ut Magdalenæ, Cleophæ, Nathanieli, quingentis aliis: & participes faciam Spiritûs mei. Vide Pſal. XXV, 13. Epheſ. III, 3.

22. Ἰούδας, (οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης), *Iudas, (non ille Iſcariotes)*] Hoc ideo adjicit quòd de eo locutus antè erat. Ergo Thaddæum deſignat.

τί γέγονεν, *quid factum eſt*] Hebraiſmus pro *quî fit*.

ὅτι ἡμῖν μέλλεις ἐμφανίζειν σεαυτὸν, καὶ οὐχὶ τῷ κόσμῳ; *quia manifeſtaturus es nobis teipſum, & non mundo?*] Miratur hoc, quia cum cæteris Regnum Chriſti coram toto mundo conſpicuum exſpectabat.

23. Ἐάν τις ἀγαπᾷ με, τὸν λόγον μου τηρήσει· *Si quis diligit me, ſermonem meum ſervabit*] Hæc & quæ ſequuntur rurſum uno legenda ſunt ſpiritu. Ait Chriſtus mirari Iudam non debere ſi non omnibus ipſe ſe oſtendat, quando & Patri is mos ſit ſe non patefacere niſi ſui amantibus, id eſt, præcepta ſua obſervantibus: Se autem Patris eſſe imitatorem. Vide quæ ad Matth. XI, 25, & ſuprà VI, 44. Repetit autem quod ſuprà dixerat 15. dilectionem nullam à ſe ac Patre æſtimari ſine præceptorum obſervantia.

καὶ πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα, καὶ μονὴν παρ' αὐτῷ ποιήσομεν. *& ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.*] Multum eſt, ſi Rex aliquis privatum adeat, plus ſi in ejus ædibus velit divertere. Hic honos non niſi bene caris habetur. Sic æquum etiam oſtendit Chriſtus, ut illa propioris familiaritatis indicia à ſe & Patre non exhibeantur quibusvis, ſed ſui amantibus. Vide Zach. II, 10, & ſeqq.

24. Ὁ μὴ ἀγαπῶν με, τοὺς λόγους μου οὐ τηρεῖ· *Qui non diligit me, ſermones meos non ſervat*] Inverſa oratio, pro, *Qui verò præcepta mea non obſervant*, ut mundani homines: *ii me non diligunt*; ſubaudi, *ac proinde tali honore digni non ſunt*.

καὶ ὁ λόγος ὃν ἀκούετε, *& ſermonem quem audiſtis*] *Quem auditis* per hos annos dum me ſectamini.

οὐκ ἔστιν ἐμὸς, ἀλλὰ τοῦ πέμψαντός με πατρός. *non eſt meus, ſed ejus qui miſit me Patris*] Non mirum eſt, ait, ſi & Pater non honoret eos qui præcepta mea ſpernunt, cùm ea non à me originaliter ſint profecta, non meo reperta ingenio, ſed ab ipſo Patre emanent. Vide ſuprà VII, 16. VIII, 28. XII, 49, 50.

25. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν παρ' ὑμῖν μένων· *Hæc locutus ſum vobis, apud vos manens*] Hæc ad vos conſolandos breviter vobis dixi, quoad fert temporis ratio, dum adhuc vobiscum eſſe & colloqui licet.

26. ἐν τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*] Id eſt, in meam gratiam, ut ſuprà 13.

ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα, καὶ ὑπομνήσει ὑμᾶς πάντα ἃ εἶπον ὑμῖν. *ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcunque dixero vobis*] Et hæc legenda uno ſpiritu, ut poſtrema verba ad utrumque membrum referantur. *Docebit*, id eſt, interpretabitur obſcura, *in memoriam revocabit* oblivioni data: exempla vide ſuprà II, 22. XII, 16.

27. Εἰρήνην ἀφίημι ὑμῖν, εἰρήνην τὴν ἐμὴν δίδωμι ὑμῖν· *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,*] Abiturus valedicit. Nam id Hebræi dicebant *relinquere*, aut *dare pacem*, id eſt, ſalutem. Nam id valet שלום. Bis autem eundem ſenſum repetit, ſicut dicere ſolemus, *Vale, vale*.

οὐ καθὼς ὁ κόσμος δίδωσιν, ἐγὼ δίδωμι ὑμῖν. *non quomodo mundus dat, ego do vobis*] *Mundus*, id eſt, major pars hominum, ſalute alios impertit ſono vocis, nihil ſæpe de re cogitans; & ſi cogitet, tamen id alteri nihil prodeſt: At Chriſtus tum ex animo tum efficaciter ſalutat; ſicut εὐλογεῖν [*benedicere*] cùm Deo tribuitur ſignificat *benefacere*. Deeſt ἀνταπόδοτον [*contra redditum*] ut ſuprà 22. οὐχ ὁ Ἰσκαριώτης [*non Iſcariotes*].

μὴ ταρασσέσθω ὑμῶν ἡ καρδία, *non turbetur cor veſtrum*] Miſeratione mei.

μηδὲ δειλιάτω. *neque formidet*] Veſtri periculi reſpectu. Connectenda hæc cum ſequentibus.

28. Ὑπάγω καὶ ἔρχομαι πρὸς ὑμᾶς. *Vado & venio ad vos*] Suprà 12, & 19. ubi diximus ἔρχομαι [*venio*] eſſe, *rediturus ſum*.

Εἰ ἠγαπᾶτέ με, *Si diligeretis me*] Quantum oportet & quomodo oportet cum judicio rectæ rationis.

ἐχάρητε ἄν, *gauderetis utique*] Sicut & gaviſi ſunt poſtea, cùm implementum abitûs ad Patrem conſpexerunt, Lucæ XXIV, 52.

ὅτι ὁ πατήρ μου μείζων μου ἐστί. *quia Pater major me eſt*] Mittens miſſo. Hoc autem ideo dicitur ut intelligatur & ſe ibi tutum fore, & ipſis in Patre plus futurum præſidii quàm in ſua corporali præſentiâ.

29. εἴρηκα ὑμῖν πρὶν γενέσθαι· *dixi vobis priuſquam fiat*] Indicavi vobis his verbis meum Adſcenſum in regionem cœleſtem. Sic XIII, 19. XVI, 4.

ἵνα ὅταν γένηται πιστεύσητε. ut cùm factum fuerit credatis] Vt magis magiſque mihi confidatis, & credatis verè futura & cætera quæ prædixi de auxilio meo perpetuo & veſtri aſſumtione.

30. Οὐκ ἔτι πολλὰ λαλήσω μεθ' ὑμῶν· *Non ultra multa loquar vobiscum*] Quaſi dicat, Temporis anguſtiæ abripiunt verba.

ἔρχεται γὰρ ὁ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχων, venit enim princeps mundi hujus] Diximus ſuprà XII, 31. Venit autem per homines ſui plenos, quorum vis erat ἐξουσία τοῦ σκότους [*poteſtas tenebrarum*] Luc. XXII, 53. Nam is ἄρχων ἐνεργεῖ ἐν τοῖς υἱοῖς τῆς ἀπειθείας [*princeps operatur in filiis inobedientiæ*], Epheſ. II, 2.

καὶ ἐν ἐμοὶ οὐκ ἔχει οὐδέν. & in me non habet quicquam] Ἐν ἐμοὶ [*In me*] idem eſt quod πρός με [*adverſum me*] Actor. XXIV, 19. & XXV, 19. Quod apertiùs ἔχειν κατηγορῆσαι [*habere accuſare*] Actor. XXVIII, 19. Diaboli opus eſt accuſare. In me nihil habet quod culpare poſſit. Vide ſuprà VIII, 46. Vnde ſequitur Ieſum non eſſe mortis debitorem: nam *mors ſtipendium peccati* : & *Diabolus habet imperium mortis*, ut notatum ſuprà. καὶ [*&*] pro *ſed*, ut Actor. X, 28, & alibi. Samuel figura Ieſu, ſuo modo ἀνέγκλητος [*inaccuſabilis*], 1 Sam. XII, 5.

31. Ἀλλ' ἵνα γνῷ ὁ κόσμος ὅτι ἀγαπῶ τὸν πατέρα, *Sed ut cognoſcat mundus, quia diligo Patrem*] Vt generi humano conſtet de eo amore quo Patrem amo.

καὶ καθὼς ἐνετείλατό μοι ὁ πατὴρ, οὕτω ποιῶ. & ſicut mandatum mihi dedit Pater, ſic facio] Καὶ [*&*] hîc eſt *propterea*, ut & alibi. *Propterea*, inquit, *omnia ea facio quæ à Patre mihi commendata ſunt* : propterea & capi me ſinam, & in judicium adduci, & damnari, & ignominioſè interfici, Philip. II, 8. & confer quæ ſuprà X, 18.

ἐγείρεσθε, *ſurgite*] *Surgamus à menſa.* Solebant enim ſermones in accubitu etiam poſt cœnam nonnihil produci. Vide Marci XVI, 14. Lucæ XXIV, 33.

ἄγωμεν ἐντεῦθεν. eamus hinc] Non video quid nos impediat credere ſermones qui ſequuntur ad caput uſque XVIII, habitos à Chriſto in ipſo itinere, non quidem Apoſtolis omnibus exaudientibus, ſed iis qui primi ordine cùm eſſent ipſius lateri propiùs hærebant, Petro ſcilicet, Iacobo & huic noſtro Iohanni.

CAPVT XV.

1. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος ἡ ἀληθινή, *Ego ſum vitis vera*] Mos eſt Chriſti, ex rebus obviis ſermonis ſui occaſionem ſumere. Propinaverat jam poſt cœnam ſuis ultimum calicem, paſſionis ſuæ teſſeram; quam hiſtoriam ab aliis liberaliter tractatam omiſit Iohannes, eò quòd nihil aliud eſſet quàm ſignificatio per res viſibiles ejus quod verbis dixerat Chriſtus ſuprà VI, 51. In hac propinatione Vinum vocarat *ſanguinem ſuum.* Hinc ad affinia delabens (quomodò ſuprà X. ſe *Paſtorem* primùm, deinde *Oſtium* dixit) *Vitem* ſe vocat, & quidem cum articulo, *illam veram Vitem*, ſicut cap. X. ſe dixerat *illum verum Paſtorem*, nimirum deſcriptum locis ſatis notis. Ergo cum ſe *illam veram Vitem* vocat, intelligit ſibi demum excellenter competere iſta epitheta שורק כלה זרע אמת Ierem. II, 21. ἄμπελον καρποφόρον, πᾶσαν ἀληθινήν [*vineam frugiferam, totam veram*], ut eſt in Græco, ubi in Hebræo *ſemen veritatis*, ut hîc *vitis veritatis* in Syriaco, id eſt, genuina, non fera vitis. Gloriatur Vitis in fabula Iud. IX, 13. *ſuo liquore lætificari Deum & homines*, quod de Chriſti ſanguine veriſſimè dicitur. Vinum *ſanguis uvæ*, Geneſ. XLIX, 11. Deut. XXXII, 14. αἷμα σταφυλῆς [*ſanguis uvæ*] 1 Maccab. VI, 34. Clemens Pæd. II de Chriſto, Μετέλαβεν οἴνου καὶ αὐτὸς, καὶ εὐλόγησέ γε τὸν οἶνον, εἰπὼν, Λάβετε, πίετε· τοῦτό μου ἐστὶ τὸ αἷμα, αἷμα τῆς ἀμπέλου [*Etiam ipſe de vino ſumſit, & vino benedixit, dicens, Sumite, bibite, hoc eſt ſanguis meus, ſanguis nimirum vitis*]. Et pauló antè, Μυστικὸν ἄρα σύμβολον καὶ γραφὴ αἵματος ἁγίου οἶνον ὠνόμασεν [*Ergo & ſcriptura vinum nominavit myſticum ſymbolum ſancti ſanguinis*].

καὶ ὁ πατήρ μου ὁ γεωργός ἐστι. & Pater meus agricola eſt] Genus pro ſpecie, γεωργὸς [*agricola*] pro ἀμπελουργὸς [*vinitor*] כרם. Matth. XXI, 33, Deus dicitur οἰκοδεσπότης ὅστις ἐφύτευσεν ἀμπελῶνα [*paterfamilias qui plantavit vineam*]. Philoni quoque ψυχῆς γεωργία τῇ γῆς ἐργασίᾳ [*cultura animæ culturæ agri*] comparatur libro ejus argumenti. Et multæ ſunt apud Prophetas ſimilitudines ab Agricultura deſumtæ.

2. Πᾶν κλῆμα ἐν ἐμοὶ μὴ φέρον καρπὸν, αἴρει αὐτό. *Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollit eum*] Ἐν ἐμοὶ [*In me*], id eſt, ὢν ἐν ἐμοὶ [*cum in me ſit*], id eſt, *mihi adhærens.* Hanc defractionem inutilium palmitum סור Hebræi, Græci κλάσιν vocant, interdum κάθαρσιν, *deputationem* Latini. Vide Varronem libro De ſtudio agricolarum, Theophraſtum III De cauſis Stirpium. Cicero De Senectute, *Vitem ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis & in omnes partes nimia fundatur.* Sic qui Chriſtianismum profitentur ſine factis piis, tolluntur, habentur à Deo pro non Chriſtianis, utcunque frondibus viridibus ſe oſtentent.

καὶ πᾶν τὸ καρπὸν φέρον, καθαίρει αὐτὸ, & omnem qui fert fructum, purgabit eum] Magis magiſque purgat & fœcundius reddit. Hæc eſt βλαστολογία Græcis, Latinis *pampinatio.* Hoc autem facit Deus variis modis, præcipuè per afflictiones.

ἵνα πλείονα καρπὸν φέρῃ. ut fructum plus afferat] In dies magis magiſque.

3. Ἤδη ὑμεῖς καθαροί ἐστε, *Iam vos mundi eſtis*] Propoſito animi, ut explicatum eſt ſuprà XIII, 11. Dicit autem *jam*, quia impurus Iudas jam exierat, nunquam in Apoſtolicum conſortium rediturus, ſarmentum inutile. Tacitè autem ſubintelligi vult Chriſtus ita *puros* eſſe, id eſt, frugiferos, ut tamen magis magiſque purgandi ſint ſollicitâ purgatione, quam *pedum lotionem* ſuprà dixerat. Nam repetens verba tum dicta, etiam connexa cenſendus eſt repetiſſe aut innuiſſe.

διὰ τὸν λόγον ὃν λελάληκα ὑμῖν. propter ſermonem quem locutus ſum vobis] Subintellige piè admiſſum atque receptum: quod innuunt ſequentia, ἐὰν τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ [*ſi verba mea in vobis manſerint*]. Adde quæ infrà XVII, 17, 19.

4. Μείνατε ἐν ἐμοὶ, *Manete in me*] *Curate ut mihi infixi ſitis*, nempe obediendi imitandique propoſito, 1 Epiſtola II, 6. Vide quæ diximus X, 38. & XIV, 10.

κἀγὼ ἐν ὑμῖν· *& ego in vobis*] *Curate ut ego vobis infigar*, per influxum Spiritûs & auxilii quotidiani. Vide dicta jam loca. Hoc autem indicat futurum ſi ipſi retinuerint obediendi imitandique propoſitum: ſunt enim hæc connexa. Simile loquendi genus 1 Tim. IV, 12. Μηδείς σου τῆς νεότητος καταφρονείτω [*Nemo adoleſcentiam tuam contemnat*], id eſt, *Cura ne tui contemnendi occaſionem des.*

οὐ δύναται καρπὸν φέρειν ἀφ' ἑαυτοῦ, *non poteſt fructum ferre à ſemetipſo*] Vi aliqua propria quam habeat extra vitem. Sic ἀπ' ἐμαυτοῦ [*à meipſo*] ſuprà V, 30. VII, 17. VIII, 28.

ἐὰν μὴ μείνῃ ἐν τῇ ἀμπέλῳ· *niſi manſerit in vite*] Ἐὰν μὴ [*niſi*] pro *ſed*, ut ſuprà V, 19. id eſt, *ita demum palmes fructum feret, ſi maneat viti cohærens.*

οὕτως οὐδὲ ὑμεῖς, ἐὰν μὴ ἐν ἐμοὶ μείνητε. *ſic nec vos, niſi in me manſeritis*] Niſi perpetuò illud propoſitum in animo retinueritis. Alioqui delabemini ad ritus inutiles, aut falſò dictas virtutes, tandem ad aperta vitia.

5. Ἐγώ εἰμι ἡ ἄμπελος, *Ego ſum vitis*] Statim ſubjungit planiorem interpretationem, ut Matth. XIII, 49.

κἀγὼ ἐν αὐτῷ, *& ego in eo*] Hebraïſmus pro *& in quo ego maneo.*

οὗτος, *hic*] *Hic demum, non alius.* Sic Iac. I, 25.

χωρὶς ἐμοῦ οὐ δύνασθε ποιεῖν οὐδέν. *Extra me nihil poteſtis facere*] Χωρὶς ἐμοῦ, id eſt, *extra me*; ut oſtendunt præcedentia. Sic Matth. XIV, 21. infrà XX, 7. Sic χωρὶς Χριστοῦ [*ſine Chriſto*] Epheſ. II, 12. Sic vertitur מלבד Gen. XLVI, 26. Num. XVII, 14, & alibi: quod aliis locis καθ' ἑαυτὸν, κατὰ μονὰς, κατ' αὐτό [*per ſe, ſeorſim, ſeparatim*]. Qui à Chriſti præceptis & exemplo diſcedit, ab eo nihil bonæ frugis exſpectandum eſt. Vide ſuprà VI, 68. Actor. IV, 12.

6. ἐβλήθη ἔξω, ὡς τὸ κλῆμα, *mittetur foras, ſicut palmes*] Hi aoriſti ſine deſignatione temporis ſignificant quid fieri ſoleat, pro quo & præſens ſæpe uſurpatur. ἐκβάλλεσθαι ἔξω [*mitti foras*] in comparatione eſt *præcidi à vite*; in ſignificatione, *deſtitui gratiâ ac favore Chriſti.* Vide Matth. VIII, 12. XXII, 13. XXV, 30.

καὶ ἐξηράνθη· *& areſcit*] Apparet ejus inutilitas: quæ egregiè deſcribitur Ezech. XV, 2. Hoc fiet in die Iudicii.

καὶ συνάγουσιν αὐτὰ, *& colligunt eos*] Mutat numerum, quia ſenſus idem eſt. Sic & Pſalm. CXI, 10. Et eſt Hebraïſmus, *colligunt ipſa* imperſonaliter, id eſt, *colligentur.* Hoc Syrus alio idiotiſmo expreſſit, *colligunt colligentes.* Συλλέγεται τὰ ζιζάνια [*colliguntur zizania*] Matth. XIII, 40.

καὶ καίεται. *& ardet*] *Igni datur ad conſumendum.* Ezechiel dicto loco de ſarmentis; ſic de zizaniis dicto Matthæi loco; de arbore inutili, Matth. III, 10. Explicatio eſt apud Matthæum dicto capite XIII. Videtur autem tacitè Iudæ exitus indicari ut ejus exemplo cæteri ſibi caveant.

7. καὶ τὰ ῥήματά μου ἐν ὑμῖν μείνῃ, *& verba mea in vobis manſerint*] Non in memoria tantùm hæreant, ſed & in affectu. Sic ſuprà V, 38. 1 Epiſt. II, 14.

ὃ ἐὰν θέλητε, *quodcunque volueritis*] Nempe ad honorem Dei pertinens: quæ reſtrictio addita eſt ſuprà XIV, 13.

αἰτήσεσθε καὶ γενήσεται ὑμῖν. *petetis & fiet vobis*] Hebraïſmus, pro: *ſi petieritis continget vobis.* Similis locutio Luc. XI, 9. Sic Latini,

Græculus eſuriens in cælum, juſſeris, ibit.

8. Ἐν τούτῳ ἐδοξάσθη ὁ πατήρ μου, *In hoc clarificatus eſt Pater meus*] id eſt, *clarificatur.* Iterum aoriſtus ſenſu quem modò diximus. Ex operibus ſanctis ſuorum inclareſcit Dei gloria: Matth. V, 16. 1 Corinth. VI, 20. ἐν τούτῳ, *per hoc.*

ἵνα καρπὸν πολὺν φέρητε· *ut fructum plurimum afferatis*] Ἵνα [*ut*] hîc eſt modi ſignificativum: quod Latinè interdum per *ut*, interdum per *ſi* enuntiatur. Similis hujus voculæ uſus ſuprà IV, 34. VI, 29. infrà 13. XVII, 3. Quam ſignificationem rectè hîc expreſſit Syrus.

καὶ γενήσεσθε ἐμοὶ μαθηταί. *& eritis mihi diſcipuli*] Sic etiam Syrus legit. Itaque ſenſus eſt, *Si copioſos fructus proferatis, tunc verè eritis*, id eſt, apparebitis eſſe, *mei diſcipuli.* Sæpe enim dicitur eſſe id quod apparet. Vide ſuprà VIII, 31. Rom. III, 4. Iac. I, 12.

9. Καθὼς ἠγάπησέ με ὁ πατὴρ, κἀγὼ ἠγάπησα ὑμᾶς· μείνατε ἐν τῇ ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ. *Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea*] Omnino hæc ita legenda uno ſpiritu: & ſubauditur ante μείνατε [*manete*], οὕτως [*ſic*], ut ſuprà 3. VI, 57. Senſus eſt, *Sicut Pater me dilexit & ego vos, ſic vos me viciſſim diligite.* Quod hîc dixit ἀγάπῃ τῇ ἐμῇ [*dilectione mea*] ſtatim dicet ἀγάπῃ μου [*dilectione mei*]. ἀγάπη μου eſt *amor mei.* Sic ἀγάπη Θεοῦ [*dilectio Dei*] Luc. XI, 42. & ſuprà V, 42. & 1 Epiſt. II, 5. ubi ἀγάπη Θεοῦ [*dilectio Dei*] explicat id quod antè dictum erat ἔγνωκα αὐτόν [*novi eum*]. & ibid. 15. ἡ ἀγάπη τοῦ πατρὸς [*dilectio Patris*] opponitur ei dilectioni qua mundus diligitur: ſic & eâdem Epiſt. III, 16, & 17.

10. Ἐὰν τὰς ἐντολάς μου τηρήσητε, μενεῖτε ἐν τῇ ἀγάπῃ μου· *Si præcepta mea ſervaveritis, manebitis in dilectione mea*] Id eſt, Sic apparebit me à vobis diligi. Sic dicto cap. II. Epiſtolæ commate 5, & ſuprà XIV, 24.

καθὼς ἐγὼ τὰς ἐντολὰς τοῦ πατρός μου τετήρηκα, καὶ μένω αὐτοῦ ἐν τῇ ἀγάπῃ. *ſicut & ego præcepta Patris mei ſervavi, & maneo in ejus dilectione*] Sic oſtendi quantopere ipſum diligam. Sic ſuprà XIV, 31. *Vt norit mundus à me diligi Patrem, prout Pater mihi mandavit, ita facio.*

11. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *Hæc locutus ſum vobis*] Ideo vos excitavi ad multum fructum proferendum.

ἵνα ἡ χαρὰ ἡ ἐμὴ ἐν ὑμῖν μείνῃ, *ut gaudium meum in vobis maneat*] Χαρὰ ἡ ἐμὴ, *gaudium ob me*, quo gaviſi eſtis me præſente ac vos fovente. Vide infrà XVII, 13. quaſi dicat, Hæc mea verba mei abſentis vicem ſupplebunt in vobis conſolandis.

καὶ ἡ χαρὰ ὑμῶν πληρωθῇ. *& gaudium veſtrum impleatur*] Πληροῦσθαι [*impleri*] de gaudio dicitur & ſuprà III, 29. & infrà dicto loco XVII, 13. 1 Epiſt. I, 4. II Epiſt. 12. Philip. II, 2. Non hîc tantùm mea verba vobis ſolatio erunt, ſed vobis quoque ea res perfectiſſimum pariet gaudium in vita futura.

12. Αυτη ἐστὶν ἡ ἐντολὴ ἡ ἐμὴ, *Hoc eſt præceptum meum*] Non Legis Veteris, quæ dilectionem nec tam latè porrigit nec ad eum extendit gradum. Vide quæ ſuprà XIII, 34. Sæpiſſimè hoc inculcat, ut ad Eccleſiam conſtituendam continendamque maximè neceſſarium.

13. Μείζονα ταύτης ἀγάπην οὐδεὶς ἔχει, *Majorem hac dilectionem nemo habet*] Explicat quid ſit illud *ſicut ego vos dilexi.* Affectum ſuum erga amicos nemo majori facto poteſt oſtendere. Erga amicos, inquam: nam ad tales ſermo erat.

ἵνα, *ut*] Eſt expoſitio illius ταύτης [*hac*]. Vide quæ ſuprà 8.

τὴν ψυχὴν αὐτοῦ θῇ ὑπὲρ τῶν φίλων αὐτοῦ. *animam ſuam ponat pro amicis ſuis*] Mortis periculis ſe objiciat. De locutione diximus X, 11, & deinceps. Vitâ nihil carius, Iob. II, 4. Euripides,

> Ψυχῆς γὰρ οὐδὲν ἐστι τιμιώτερον.
> [*Vitâ profectò nulla res pretioſior*]

Notæ ſunt de Pylade & Oreſte, de Damone & Pythia ſive fabulæ ſive hiſtoriæ, ultra quæ amicitiæ exempla progredi non poſſunt.

14. Υμεῖς φίλοι μου ἐστὲ, *Vos amici mei eſtis*] Præſens pro futuro, ut ſuprà VIII, 31. *ita amici mei manebitis*: ita fiet ut ſemper à me diligamini, ac proinde nihil non à tam fideli amante exſpectandum habeatis, Roman. V, 8, 9, 10.

15. Οὐκέτι ὑμᾶς λέγω δούλους. *Iam non dico vos ſervos*] *Dico*, id eſt, habeo. *Non ego nunc vobiſcum ago tanquam cum ſervis*, quanquam meo jure poſſem. Diximus ad Matth. I, 21.

ὅτι ὁ δοῦλος οὐκ οἶδε τί ποιεῖ αὐτοῦ ὁ κύριος· *quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus ejus*] Xenophon, οὐδὲ γὰρ δεσποτῶν φύσιν ἢ πρᾶξιν δούλους δεῖ εἰδέναι, οἷς οὐδὲν πλέον ὑπηρεσίας προσήκει. [*neque enim ſervorum eſt noſſe herorum aut naturam aut actus, cum ad eos nihil niſi miniſterium pertineat.*] Euripides,

> Δοῦλος πέφυκας· οὐ μέτεστί σοι λόγου.
> [*Servi tua eſt fortuna: ratio ad te nihil*].

Ποιεῖ [*faciat*] hîc eſt, *quid facere velit*, ut ſuprà X, 32. Non ſolent heri ſervis ſua conſilia patefacere ſed amicis. Seneca, *Servus herilis imperii non cenſor eſt, ſed miniſter.* Non longè hinc abit quod apud Platonem eſt, *ſervos à Medicis curari ſolis præceptis, at amicos ita ut ſimul præceptorum ratio ipſis reddatur.*

ὑμᾶς δὲ εἴρηκα φίλους, *vos autem dixi amicos*] Et ſic voco, & ut tales tracto.

ὅτι, *quia*] *Nam*; ut & alibi monuimus.

πάντα ὅσα ἤκουσα παρὰ τοῦ πατρός μου ἐγνώρισα ὑμῖν. *omnia quæcunque audivi à Patre meo, nota feci vobis*] *Patris conſilia quæ ex ipſo accepi* (ſic *audire* ſumitur & ſuprà III, 32. & VIII, 26.) *vobis aperta feci*, de mea Reſurrectione, de Adſcenſione in cœlum, de Miſſione Spiritûs Sancti, de Vocatione Gentium, de Iudicio univerſali, de Vita æterna. Horum pleraque Deus antehac adumbraverat quidem, ſed non revelaverat, Epheſ. III, 5. *Omnia* ergo intellige, quæ ullo modo ad conſolationem veſtram pertinere poterant. Sic enim ſæpe univerſalitas ex ſubjecto ſermone reſtringitur. Locus non diſſimilis Actor. XX, 27. Nam quædam, ut Regnum ſuum merè eſſe ſpirituale, Legem Moſis ceſſare, poſtea demum docuit, ut profitetur ſe facturum infrà XVI, 12.

16. Οὐχ ὑμεῖς με ἐξελέξασθε, *Non vos me elegiſtis*] Commendat amorem ſuum quòd à ſe amicitiæ factum ſit initium, nullis ipſorum in ſe benefactis provocato. *Non vos me elegiſtis in amicum, ſed ego vos mihi aſſumpſi.*

ἀλλ᾽ ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς, *ſed ego elegi vos*] Vide ſuprà VI, 70. XIII, 18.

καὶ ἔθηκα ὑμᾶς, *& poſui vos*] Etiam ad Apoſtolicam dignitatem evexi. Sic & uſurpari ſolet τιθέναι [*ponere*], Actor. XIII, 47. XX, 28. Roman. IV, 17. Hebr. I, 2. Hoc alibi eſt καταστῆσαι [*conſtituere*] ut Matth. XXV, 23.

ἵνα ὑμεῖς ὑπάγητε καὶ καρπὸν φέρητε, *ut eatis & fructum afferatis*] Syrus, *ut abeuntes afferatis.* Solent ſæpe hæ particulæ ὑπάγειν [*ire*] & πορεύεσθαι [*vadere*] abundare. Sed hîc rectius eſt ut intelligamus Chriſti verbis excitari Apoſtolos, ut non exſpectent dum homines diſcendi avidi ad ſe veniant, ſed ipſi ultro eos quærant.

καὶ ὁ καρπὸς ὑμῶν μένῃ· *& fructus veſter maneat*] Hebraïſmus pro, *qui fructus maneat*, qui in cœleſte horreum reponatur, non comburatur. Vide ſuprà IV, 36. Matth. XIII, 30.

ἵνα ὅ, τι ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα ἐν τῷ ὀνόματί μου, δῷ ὑμῖν. *ut, quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis*] Δῷ [*det*] in tertia perſona legerunt Syrus & Latinus, & Græcorum nonnulli. ἵνα [*ut*] hîc quoque eſt ἐκβατικόν [*eventûs ſignificativum*]. Nam hoc conſequens eſt diligenti fructificationi ut preces ipſorum Deus impleat. Vide Actor. IV, 30. Vide ſuprà 7. Matth. XXI, 22.

17. Ταῦτα ἐντέλλομαι ὑμῖν, *Hæc indico vobis*] *Hæc omnia inculco vobis*, nempe de amore quo vos præveni, quem ad mortem usque extendi, quo nihil vos celavi. Solet & אמר [*dicere*] verti per ἐντέλλομαι [*mando*] & צוה (quod plerùmque ἐντέλλομαι [*mando*]) per λαλεῖν [*loqui*]. Sic Pſal. XLII, 8. יצוה, ἐντελεῖται ἔλεος αὐτοῦ [*mandabit miſericordiam ſuam*], *indicabit, ſignificabit.*

ἵνα ἀγαπᾶτε ἀλλήλους. *ut diligatis invicem*] Non hæc dico quòd beneficia exprobrem, ſed ut vos tanto exemplo provocati diligatis alii alios.

18. Εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ, *Si mundus vos odit*] Videbant jam Apoſtoli non poſſe ſermonem Euangelii doceri ut non maxima odia incurrerentur. Iam enim conventu prohibiti erant qui Ieſum profiterentur Meſſiam: ipſe petebatur ad mortem. Itaque adverſùs hunc metum Chriſtus eos ſolatur. Eſt autem egregius uſus particulæ *ſi* ubi malo bonum opponimus.

γινώσκετε, *ſcitote*] *Animo recolite.* Sic εἰδότες [*ſcientes*] ſumitur in eodem argumento, I Petr. V, 9.

πρῶτον ὑμῶν, *priorem vobis*] Id eſt πρότερον *antequam vos*, ut exponit Syrus. Vide quæ ſuprà I, 15. Munivi vobis viam: hæc odia prior excepi.

19. Εἰ ἐκ τοῦ κόσμου ἦτε, *Si ex mundo eſſetis*] *Affectu mundano præditi*: quomodo *ex diabolo eſſe* & *ex Deo* ſumtum ſuprà VIII, 44, 47.

ὁ κόσμος ἂν τὸ ἴδιον ἐφίλει· *mundus quod ſuum eſt diligeret*] *Vos ut ſuos diligeret*. Solet enim ad amicitias valere ſtudiorum communitas. κόσμον [*mundum*] accipe pro *univerſitate eorum qui carni & ſeculo ſtudent*, qui generali odio ſolos pietatis & ſanctitatis profeſſores inſectantur. Vide ſuprà vii, 7. & I Epiſt. iii, 13.

ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου, *elegi vos ex mundo*] Secrevi ex illa univerſitate & mihi in peculium ſepoſui. Sic dicuntur Chriſtiani ἀποφυγόντες τὰ μιάσματα τοῦ κόσμου [*qui effugerunt coinquinationes mundi*] II Petr. ii, 20. ἐκλέγειν [*eligere*] ſæpe hoc ſenſu in Veteri Teſtamento uſurpatur, ubi agitur de populo Hebræo, eorumve Patribus. II Macc. i, 25, ὁ ποιήσας τοὺς πατέρας ἐκλεκτοὺς καὶ ἁγιάσας αὐτούς [*qui feciſti Patres electos & ſanctificaſti eos*].

διὰ τοῦτο, *propterea*] Tanquam qui ſua ipſi vitia contrario vitæ inſtituto exprobretis.

20. Μνημονεύετε, *Mementote*] *Memores eſtote*. Sic Lucæ xvii, 32.

τοῦ λόγου, *ſermonis*] *Adagii ſatis noti.*

ὃν εἶπον ὑμῖν· *quem dixi vobis*] Suprà xiii, 16. quanquam alio uſu.

οὐκ ἔστι δοῦλος μείζων, *non eſt ſervus major*] Non debet ægre ferre aut mirari ſi ſibi accidat quod domino. In hunc ſenſum ſimile dictum uſurpapatur Matth. x, 24.

εἰ τὸν λόγον μου ἐτήρησαν, *ſi ſermonem meum ſervaverint*] *Si mihi audientes fuerint, exſpectate ut & vobis ſint:* quaſi dicat, *Non eſt quòd hoc ſperetis.*

21. ταῦτα πάντα ποιήσουσιν ὑμῖν, *hæc omnia facient vobis*] Vt vos odio habeant, vexent, dicta contemnant.

διὰ τὸ ὄνομά μου, *propter nomen meum*] Hoc ſicut alibi eſt *in meam gratiam*, ita hîc eſt *odio mei*, ut & Matth x, 22. quod explicare licet, ἕνεκεν ἐμοῦ, [*propter me*] ut eſt Matth. v, 11. Si ob me hæc patimini, etiam a me auxilium & præmium exſpectate. Hanc conſolationem ſenſerunt poſtea Apoſtoli Actor. v, 41. Vide & I Petri iv, 16.

ὅτι οὐκ οἴδασι τὸν πέμψαντά με. *quia neſciunt eum qui miſit me*] *Non conſiderant à quo miſſus ſim*, excæcati ambitione aliiſque mundanis affectibus. Vide quod paulò antè diximus ad vocem γινώσκετε [*ſcitote*] quaſi dicat, *Quid miramini ſi cæci in vos ruunt?*

22. Εἰ μὴ ἦλθον, *Si non veniſſem*] *Niſi publicè me oſtendiſſem.* Id enim eſt ἔρχεσθαι [*venire*], ut ſuprà diximus aliquoties.

καὶ ἐλάλησα αὐτοῖς, *& locutus fuiſſem eis*] Et niſi ipſis apertè prædicaſſem dogma longè ſanctiſſimum, in quo nihil poteſt reprehendi; idque affirmaſſem mihi à Deo mandatum, ſimulque confirmaſſem non tantùm teſtimoniis Prophetarum ſed & eximia quadam loquendi majeſtate. Suprà vii, 46.

ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· *peccatum non haberent*] *Eſſent extra culpam*, nempe in eo quòd ignorant, à quo miſſus ſim: connectenda enim hæc cum ſuperioribus.

νῦν δὲ πρόφασιν οὐκ ἔχουσι περὶ τῆς ἁμαρτίας αὐτῶν, *nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*] *Nunc nihil habent obtentûs ad ſe purgandum de hac culpa.* In Pſal. cxli, 4. להתעולל עלילות ברשע, τοῦ προφασίζεσθαι προφάσεις ἐν ἁμαρτίαις [*ad excuſandas excuſationes in peccatis*]. Apud Iuvenalem,

— *Dic aliquem, dic, Quintiliane, colorem.*

Color eſt πρόφασις [*excuſatio*].

23. Ὁ ἐμὲ μισῶν καὶ τὸν πατέρα μου μισεῖ. *qui me odit & Patrem meum odit*] Senſus hic eſt, Cùm ſcire potuerint ac debuerint me à Patre miſſum, quicquid in me contumelioſum faciunt, id Pater in ſuam contumeliam factum interpretatur. Mos eſt Sacræ Scripturæ ut facere quis dicatur quod non facit propriè, ſi id facit quod eodem loco habetur Deo judice. Sic I Sam. x, 19. Matth. xxv, 40. Hæc autem culpæ illorum aggravatio mirificè pertinet ad conſolandos Apoſtolos.

24. Εἰ τὰ ἔργα μὴ ἐποίησα, *Si opera non feciſſem*] Alterum adfert argumentum quo adverſarii reddantur inexcuſabiles, Miracula ſua. Hoc autem ita accipiendum eſt ut utrumvis ſufficiat, aut dogmatis ſola propoſitio, aut opera ad probandam miſſionem. Itaque hîc eſt ἔλλειψις [*defectus ſermonis*], *Si nec locutus eſſem ipſis, nec talia opera feciſſem, erant excuſabiles.*

ἐν αὐτοῖς, *in eis*] Supple ὤν, *dum inter ipſos ago.* ἐν μέσῳ αὐτῶν [*in medio ipſorum*] ut Actor. ii, 22. *in conſpectu ipſorum*, Syrus hîc.

ἃ οὐδεὶς ἄλλος πεποίηκεν, *quæ nemo alius fecit*] Præcipuè eò quòd omnia morborum genera, nullis exceptis, etiam naturale cæcitatis vitium, ſolo imperio ac meo jure ſanavi. Hoc non fecit Moſes, non Elias, non Eliſæus, quos à Deo miſſos crediderunt. Quæ autem illi fecerunt, ego quoque feci & potentiùs, ut in Reſuſcitatione mortui quatriduani, in Panum multiplicatione, apparet.

ἁμαρτίαν οὐκ εἶχον· *peccatum non haberent*] Sume ut ſuprà 22.

νῦν δὲ καὶ ἑωράκασι, *nunc autem & viderunt*] Opera illa eximia.

καὶ, *&*] *Et tamen.*

μεμισήκασι καὶ ἐμὲ καὶ τὸν πατέρα μου. *oderunt & me & Patrem meum*] Me quidem directè, Patrem autem Patris interpretatione, quia ipſius mandata atque opera contemnunt nullo probabili prætextu.

25. Ἀλλ' ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος, *Sed ut adimpleatur ſermo*] Iterum ἔλλειψις quæ [*defectus ſermonis, qui*] ſuprà. Et ἵνα [*ut*] eſt ἐκβατικόν [*eventus ſignificativum*]. Commodè evenit ut hoc modo in me impleretur quod olim David, qui typum mei geſſit, ſibi fieri conqueſtus eſt. De voce πληροῦσθαι [*adimpleri*] diximus ad Matth. i, 22.

ἐν τῷ νόμῳ αὐτῶν, *in lege eorum*] Νόμον [*legem*] ſume ut x, 34. eſt enim ex Pſalmo xxxv, 19.

ὅτι, *nempe*] Hoc ὅτι hîc valet *nempe*; & eſt producentis teſtimonium Pſalmi.

ἐμίσησάν με δωρεάν. *odio habuerunt me gratis*] Δωρεὰν [*gratis*] חנם Hebræis eſt, *ſine juſta cauſa.* Itaque alibi vertitur ἀδίκως [*injuſtè*], ut Prov. i, 11, 17. Vide I Sam. xix, 5.

26. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ὁ παράκλητος, *Cùm autem venerit Paracletus*] Oſtendit cauſam ſuam, quanquam tantis odiis obnoxiam, non carituram defenſoribus etiam ſe abſente. Ac primùm dicit

Spiritum Sanctum venturum Παράκλητον, id eſt, *actorem cauſæ ſuæ*, ut ſuprà expoſuimus.

ὃν ἐγὼ πέμψω ὑμῖν, *quem ego mittam vobis*] *Efficiam ut veniat:* ſicut cauſarum oratores mitti ſolent ab eo cujus eſt cauſa.

παρὰ τοῦ πατρὸς, *à Patre*] *Ex domo Patris mei*, ex cœlo. Sic dicimus, *Eamus ad me.*

τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, *Spiritum veritatis*] Qui cùm ex cœlo veniat omnino pro veraci habendus eſt, cui nihil poteſt opponi.

ὃ παρὰ τοῦ πατρὸς ἐκπορεύεται, *qui à Patre procedit*] Si Angelus aliquis mihi teſtimonium præberet, credere deberent: At nunc perhibiturus eſt teſtimonium mihi cauſamque meam acturus non creatus aliquis ſpiritus, ſed *qui de Patris ipſius ſubſtantia procedit & ab ipſo emanat*, ἀπόρροια Θεοῦ [*effluxus Dei*], ut Athenagoras loquitur, ὡς ἀκτὶν ἡλίου, ὡς φῶς ἀπὸ πυρός [*ut radius ſolis, ut lumen ab igne*]. Iuſtinus vocat ἄνωθεν παρὰ Θεοῦ κατιοῦσαν ἐπὶ τοὺς ἁγίους ἄνδρας δωρεάν, ἣν Πνεῦμα ἅγιον ὀνομάζουσιν οἱ ἱεροὶ προφῆται [*deſuper à Deo deſcendens ſuper ſanctos viros donum, quod Sanctum Spiritum vocant ſacri Prophetæ*]. Tertulliano Adverſùs Praxeam dicitur *tertium numen Divinitatis & tertium nomen Majeſtatis.*

ἐκεῖνος μαρτυρήσει περὶ ἐμοῦ. *ille teſtimonium perhibebit de me.*] Donum enim linguarum (ut alia dona omittamus) non alii fini ſerviebat quàm ad agendam Ieſu cauſam; quod cùm non poſſet eſſe niſi à Patre, apertiſſimè Pater hanc cauſam probabat.

27. Καὶ ὑμεῖς δὲ μαρτυρεῖτε, *Et vos teſtimonium perhibetis*] Id eſt, μαρτυρήσετε [*perhibebitis*], receptâ enallagê. Sicut modò dicebat etiam ſine operibus ſermonem ſuum ſufficere ad docendam ſuam miſſionem, ita nunc ait etiam ſine talibus donis credi debuiſſe Apoſtolis, viris bonæ vitæ ac fidei. Nota conjungi teſtimonium Apoſtolorum & ipſius Spiritûs, ut Actor. v, 32.

ὅτι ἀπ' ἀρχῆς μετ' ἐμοῦ ἐστε. *quia ab initio mecum eſtis*] Ἀπ' ἀρχῆς [*ab initio*], nempe ex quo cœpi munus meum agere, Actor. I, 21. Viris bonis credi ſolet ac debet quoties teſtantur de re quam oculis ſuis conſpectam profitentur; quod faciebant Apoſtoli, Actor. II, 32. IV, 20. X, 41. II Petr. I, 16. I Iohann. I, I.

CAPVT XVI.

I. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *Hæc locutus ſum vobis*] De odio & incommodis quæ vobis imminent.

ἵνα μὴ σκανδαλισθῆτε. *ut non ſcandalizemini*] Non ut vos mœſtiores reddam, ſed ut muniam: Præviſa enim mala minùs percellunt: Nec offendi debetis ſi vobis accidit quod ſemper accidit bonis, Matth. v, 12.

2. Ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς· *Extra Synagogas facient vos*] Incipit à nota quaſi cenſoria: *Separabunt vos à ſe* non tantùm per נדוי [*ſeparationem*] ſed & per חרם [*anathema*]. Vide quæ diximus ſuprà IX, 22. XII, 42.

ἀλλ', *ſed*] Hæc particula hîc eſt augentis, ut *imò* apud Latinos. Sic ἀλλὰ ſumitur II Corinth. VII, 11.

ἔρχεται ὥρα, *venit hora*] *Tempus erit*, loquuntur Latini. Sic ſuprà v, 25.

ἵνα, *ut*] Hæc particula hîc valet *quum.*

πᾶς ὁ ἀποκτείνων ὑμᾶς, *omnis qui interficit vos*] De Iudæis præcipuè loquitur, quos ubique ad ſeditionem usque exarſiſſe in necem Apoſtolorum docent Actus Apoſtolici.

δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. *arbitretur cultum ſe præſtare Deo*] Λατρεία [*cultus*] reſpondet Hebræo עברה. Sed ut ſolet genus pro ſpecie poni, valet hîc קרבן, quod habet Syrus, id eſt, προσφοράν [*oblationem*]. Sic Exodi XXXII, 29, ubi Moſes dicit Levitis qui Idololatras interfecerant, *Conſecraſtis manus veſtras*, Chaldæus habet *ſacrificium obtuliſtis*. Et Exodi VII, 16, & VIII, 1, 27. X, 7, 24. apparet eodem ſignificatu poni λατρεύειν [*colere*] & θύειν [*ſacrificare*]. Vide exempla Actuum VIII, I. IX, I. XXIII, 14.

3. Καὶ, *Et*] Valet hîc *ſed:* eſt enim conſolatio adversùs priora; quaſi dicat Chriſtus, *Miſerandi magis erunt qui iſta facient:* ὅτι ζῆλον Θεοῦ ἔχουσιν, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν [*quia zelum Dei habent, ſed non ſecundùm ſcientiam*], Rom. x, 2.

ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα, *quia non noverunt Patrem*] Non intelligunt Deum eſſe amantem humani generis, nec tam ritibus delectari quàm animi puritate.

οὐδὲ ἐμέ. *neque me*] Neque conſiderant ea quibus convinci poſſunt me à Deo miſſum: ſuprà XV, 22, & ſequentibus.

4. Ἀλλὰ ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, ἵνα ὅταν ἔλθῃ ἡ ὥρα, μνημονεύητε αὐτῶν, ὅτι ἐγὼ εἶπον ὑμῖν. *Sed hæc locutus ſum vobis, ut cùm venerit hora, reminiſcamini eorum, quia ego dixi vobis*] Vt fidelitatem meam diſcatis ex tam veridica prædictione, eóque & connexis promiſſionibus confidatis: Matth. XXIV, 25. In manuſcripto illo antiquiſſimo eſt hîc ὥρα αὐτῶν [*hora eorum*], non malè. Vide Lucæ XXII, 53.

ταῦτα δὲ ὑμῖν ἐξ ἀρχῆς οὐκ εἶπον, *hæc autem vobis ab initio non dixi*] Hæc vos paſſuros ab ipſis cognatis veſtris & ſub obtentu pietatis. Nam indiſtinctiùs multa mala prædixerat Matth. x, 16, & ſeq. ἐξ ἀρχῆς [*ab initio*], מן קדים, ut habet Syrus, nihil aliud eſt quàm *olim*, Eccleſiaſtici XXXIX, 38.

ὅτι μεθ' ὑμῶν ἤμην. *quia vobiscum eram*] Ac proinde ipſe, ut hujus negotii caput, omnia odia in me excipiebam.

5. Νῦν δὲ ὑπάγω πρὸς τὸν πέμψαντά με, *Nunc vado ad eum qui miſit me*] Nunc vobis id opus eſt dici, qui me erepto principes eritis hujus legationis.

καὶ οὐδεὶς ἐξ ὑμῶν ἐρωτᾷ με, Ποῦ ὑπάγεις; *& nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis*]? Non ampliùs jam interrogatis, ut deberetis. Videbat enim nondum ſe ſatis intelligi.

6. Ἀλλ' ὅτι ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *Sed quia hæc locutus ſum vobis*] Imminentem abſentiam meam & connexa incommoda.

ἡ λύπη πεπλήρωκεν ὑμῶν τὴν καρδίαν. *triſtitia implevit cor veſtrum*] Obſedit planè animos veſtros. Sic Actor. v, 3. Id impedit quò minùs ut antè interrogetis.

7. τὴν ἀλήθειαν λέγω ὑμῖν, *veritatem dico vobis*] Attentionem & fidem excitat.

συμφέρει ὑμῖν ἵνα ἐγὼ ἀπέλθω· *expedit vobis ut ego vadam*]

vadam] Nempe ut poſſeſſionem accipiam Regni cœleſtis.

ὁ παράκλητος οὐκ ἐλεύσεται πρὸς ὑμᾶς· *Paracletus non veniet ad vos*] Eſt enim hoc inter ea quæ cœleſti meo Regno reſervantur. Vide quæ ſuprà VII, 39.

ἐὰν δὲ πορευθῶ, πέμψω αὐτὸν πρὸς ὑμᾶς. *ſi autem abiero, mittam eum ad vos*] Vbi abiero, ut ſuprà XIV, 3. quaſi ex arce demittam: Actor. II, 33.

8. Καὶ ἐλθὼν ἐκεῖνος ἐλέγξει τὸν κόσμον, *Et cùm venerit ille, arguet mundum*] Diximus παράκλητον [*Paracletum*] eſſe defenſorem cauſæ: ejus munus eſt ἐλέγχειν τοὺς ἀντιλέγοντας [*eos qui contradicunt arguere*] Tit. I, 9. *convincere de cauſæ ſuæ rectitudine.* Reſpondet Hebræo יכח. Sicut autem hoc forenſe eſt, conveniens perſonæ cauſarum actori, ita & quæ ſequuntur. Tria enim ſunt cauſarum genera, Publica judicia de criminibus περὶ ἁμαρτίας [*de peccato*] ſive *facinore*, חטא; Privata ex æquo & bono, צדק, δικαιοσύνη [*juſtitia*] id eſt, *æquitas*, (nam Hebræis ea vox *æquitatem* magis ſignificat quàm *jus* ſtrictè dictum;) Privata certam ex lege formulam habentia, משפט, κρίσις [*judicium*].

9. Περὶ ἁμαρτίας μὲν, ὅτι οὐ πιστεύουσιν εἰς ἐμέ· *De peccato quidem, quia non crediderunt in me*] Cùm evenient omnia quæ prædixi de mittendo Spiritu, apparebit me eſſe Prophetam, ſecundùm regulam Deut. XVIII, 22. ac proinde eos qui mihi non credunt graviſſimis ſuppliciis afficiendos ex lege publici judicii quæ exſtat ibidem XVIII, 19. Et hæc ſupplicia Deus coram oculis mundi de Iudæis exiget excidio gentis.

10. Περὶ δικαιοσύνης δὲ, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα ὑπάγω, καὶ οὐκ ἔτι θεωρεῖτέ με· *De juſtitia verò, quia ad Patrem vado, & jam non videtis me*] Natura æqui & boni, quæ δικαιοσύνης [*juſtitiæ*], id eſt, *æquitatis* nomine intelligitur, hoc exigit ut Rectores, etiamſi lex nulla præceſſerit, bonos mala paſſos aliquibus bonis ſolentur. Δίκαιον παρὰ Θεῷ ἀνταποδοῦναι τοῖς θλιβομένοις ἄνεσιν [*Iuſtum eſt apud Deum retribuere requiem iis qui tribulantur*], II Theſſ. I, 6, 7. οὐ γὰρ ἄδικος ὁ Θεὸς ἐπιλαθέσθαι τοῦ κόπου [*non enim injuſtus Deus ut obliviſcatur laboris*], Hebr. VI, 10. Oſtendet ergo Spiritus Deum æquum eſſe Rectorem, ut qui me extra omnem injuriæ contactum (hoc enim eſt quod ait *non videbitis me*, ut ſuprà VII, 36.) in ſuæ Majeſtatis conſortium receperit. θεωρεῖτε [*videtis*] pro θεωρήσετε [*videbitis*], enallagê tum aliis tum huic imprimis familiari.

11. Περὶ δὲ κρίσεως, ὅτι ὁ ἄρχων τοῦ κόσμου τούτου κέκριται. *De judicio autem, quia princeps hujus mundi jam judicatus eſt*] Inter κρίσεις [*judicia*], id eſt, *judicia quæ inter partes exercentur* eſt eximia illa de Talione, Levit. XXIV, 20, ut qui injuſtè cuiquam nocuit, ipſe tantundem mali ferat. Diabolus cauſa fuit mortis Chriſti; jure igitur ipſe Deo condemnante paſſus eſt quod ipſi eſt pro morte, exutus regno ſuo per deſtructionem idololatriæ aliorumque vitiorum, peragente id Spiritu Sancto. Vide ſuprà XII, 31. Tot igitur modis per Spiritum Sanctum tanquam fideliſſimum patronum probata eſt Chriſti cauſa, non ſine maximo fructu apud pios animos.

12. Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, *Adhuc multa habeo vobis dicere*] *Sunt mihi adhuc quæ vobis dicam.* Ita hîc Syrus optimè.

ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι. *ſed non poteſtis portare modò*] Boni magiſtri eſt non omnia ſimul ingerere ſed ſuis diſpenſare temporibus, & quædam ad majorem diſcipulorum maturitatem reſervare: I Corinth. III, 1, 2, 3. Hebr. V, 11.

13. Ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, *Cùm autem venerit ille*] *Ille* Vicarius meus, meæ cauſæ Patronus. Conſtructio eſt κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ſecundùm id quod ſignificatur*].

ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν· *ducet vos in omnem veritatem*] Vos manu ducet ad perfectam cognitionem eorum quæ ad Eccleſias conſtituendas pertinent. Nam univerſalitas reſtringenda ad id de quo agitur. Tertullianus De præſcriptionibus Hæreticorum, *Adjiciens, Ipſe deducet vos in omnem veritatem, oſtendit illos nihil ignoraſſe quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis promiſerat: & utique implevit repromiſſum, probantibus Actis Apoſtolorum.* Huc pertinet, ut ſuprà diximus, cognitio Regni Chriſti merè ſpiritualis, & ablatio Legis ritualis: & huc reſpicientes Apoſtoli in decreto ajunt, *Viſum eſt nobis & Spiritui Sancto.* Origenes adverſùs Celſum ſecundo, Οὐκ ἄτοπον ἡγοῦμαι παραθέσθαι τοῦ Ἰησοῦ τινα φωνὴν ἀπὸ τοῦ κατὰ Ἰωάννην Εὐαγγελίου, Ἔτι πολλὰ ἔχω λέγειν ὑμῖν, ἀλλ' οὐ δύνασθε βαστάζειν ἄρτι· ὅταν δὲ ἔλθῃ ἐκεῖνος, τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν· οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, ἀλλ' ὅσα ἀκούσῃ, λαλήσει. Καὶ ζητοῦμεν ἐν τῷ τόπῳ, τίνα ἦν τὰ πολλὰ ἃ εἶχε μὲν λέγειν ὁ Ἰησοῦς τοῖς μαθηταῖς ἑαυτοῦ, οὐκ ἠδύναντο δὲ αὐτὰ βαστάζειν τότε· Καὶ φημὶ, μή ποθ' ὡς Ἰουδαίοις καὶ συντραφεῖσι τῷ κατὰ τὸ γράμμα Μωσέως νόμῳ τοῖς ἀποστόλοις εἶχε μὲν λέγειν τίς ὁ ἀληθὴς νόμος, καὶ τίνων ἐπουρανίων ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ ἡ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λατρεία ἐπετελεῖτο, καὶ τίνων μελλόντων ἀγαθῶν σκιὰν περιεῖχεν ὁ περὶ βρώσεων καὶ πόσεων καὶ ἑορτῶν καὶ νουμηνιῶν καὶ σαββάτων νόμος· καὶ πολλὰ ἦν ταῦθ' ἃ εἶχεν αὐτοῖς λέγειν· ὁρῶν δ' ὅτι πάνυ χαλεπόν ἐστιν ἀπὸ ψυχῆς ἀνατρέπειν σχεδὸν συγγεννηθέντα καὶ συντραφέντα δόγματα μέχρι τῆς τοῦ ἀνδρὸς ἡλικίας, καὶ πείσαντα τοὺς ἀνειληφότας αὐτὰ ὅτι ταῦτα μέν ἐστι θεῖα, τὸ δὲ μετασαλεύειν αὐτά ἐστιν ἀσεβὲς· καὶ ἐν τῇ ὑπεροχῇ τῆς κατὰ Χριστὸν, τουτέστι τὴν ἀλήθειαν, γνώσεως ἐλέγχειν αὐτὰ σκύβαλα καὶ ζημίαν ὥστε πεισθῆναι τοὺς ἀκούοντας, ὑπερετίθετο εἰς ἐπιτηδειότερον καιρὸν τὸν μετὰ τὸ πάθος καὶ ἀνάστασιν αὐτοῦ [*Non alienum abs re duco afferre hic dictum Ieſu ex Euangelio ſecundùm Iohannem, Multa adhuc habeo quæ dicam vobis, ſed nondum poteſtis ferre. Vbi autem venerit ille, Spiritus veritatis, ducet vos in veritatem omnem, non enim de ſeſe loquetur, ſed quæ audierit loquetur. Et quærimus in hoc loco quænam ſint illa multa quæ habuit dicenda Ieſus Diſcipulis ſuis, ſed quæ ipſi tunc ferre non potuerint. Et dico, An fortè Apoſtolis ut Iudæis & educatis in illa Lege Moſis quæ eſt ſecundùm literam dicendum habuit quæ eſſet vera Lex, & quibus rebus cœleſtibus Iudaïcus ille cultus quaſi per lineamenta & umbram præminiſtraret, & quam futurorum bonorum umbram in ſe contineret Lex de cibis & potu, & feſtis diebus & interluniis & Sabbatis. Et multa ſane hæc erant quæ ipſis dicenda habebat. Videns autem valde* *eſſe difficile ab animo revellere dogmata velut ſimul nata & educta ad ætatem uſque virilem, & in iis qui ea receperunt opinionem hanc imprimentia, eſſe hæc divina, contra verò ea movere impium: Tum verò per excellentiam illam cognitionis veri quæ eſt in Chriſto, oſtendere eſſe ea retrimenta ac perſuadere audientibus damnoſa potius ea eſſe, diſtulit in tempus magis idoneum, poſt paſſionem ſcilicet & reſurrectionem ſuam*].

οὐ γὰρ λαλήσει ἀφ' ἑαυτοῦ, *non enim loquetur à ſemetipſo*] Nihil quod Deo Patri mihique viſum non fuerit de ſe comminiſcetur. Loquitur ut de Legato. Sic ſuprà VII, 18. XIV, 10. λαλεῖν [*docere*] Spiritûs Sancti eſt inſinuare animis.

ἀλλ' ὅσα ἂν ἀκούσῃ λαλήσει, *ſed quæ audierit loquetur*] Quæ à Patre acceperit. Sic ſuprà V, 30. VIII, 26.

καὶ τὰ ἐρχόμενα ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *& quæ ventura ſunt annuntiabit vobis*] Quæ aut mundo aut populo Iudaïco aut Eccleſiæ eventura ſunt prænuntiabit. Exempla vide Actor. XI, 28. XIII, 1. XX, 28. XXI, 11. I Timoth. IV, 1. II Timoth. III. Epheſ. IV, 11. II Petri I, 14. & per totam Apocalypſin.

14. Ἐκεῖνος ἐμὲ δοξάσει, *Ille me clarificabit*] Hoc ipſo meam gloriam oſtendet quòd per me meis futura præſignificantur.

ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *quia de meo accipiet*] Tanquam ex archivis meis, ut Legati ſolent.

καὶ ἀναγγελεῖ ὑμῖν. *& annuntiabit vobis*] Eſt ἐπεξήγησις [*clarior explicatio*] ejus quod præceſſerat.

15. Πάντα ὅσα ἔχει ὁ πατὴρ ἐμά ἐστι· *omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt*] Etiam præſcientia & decreta de rebus futuris, quatenus Eccleſiam ſpectant.

διὰ τοῦτο εἶπον ὅτι ἐκ τοῦ ἐμοῦ λήψεται, *propterea dixi quia de meo accipiet*] Quod de paterno accipit de me accipit. Filius enim alter dominus rerum paternarum, Luc. XV, 31. Tertullianus *Spiritum Sanctum vocat Villicum* (id eſt, Diſpenſatorem) *Patris, Vicarium Chriſti.* Confer locum Actor. II, 33. Peleus apud Euripidem de Pyrrhi nepotis ſui rebus,

Οὐκοῦν ἐκείνου τἀμά, τἀκείνου τ' ἐμά.
[*Mea cuncta ſunt illius, illius mea.*]

16. Μικρὸν, καὶ οὐ θεωρεῖτέ με· *Modicum, & jam non videbitis me*] Id eſt, *poſt exiguum tempus me non videbitis.* Idem Hebraïſmus ſuprà XIV, 19. Intelligendum hoc de ſpatio quod ad mortem reſtabat.

καὶ πάλιν μικρὸν, *& iterum modicum*] *Et rurſus poſt exiguum intervallum*, nempe quantum inter mortem & reſurrectionem interceſſit.

καὶ ὄψεσθέ με, *& videbitis me*] *Iterum fruemini meo conſpectu:* videbitis me, & ego vos videbo, ut mox explicat. Videbimus alter alterum.

ὅτι ἐγὼ ὑπάγω πρὸς τὸν πατέρα. *quia vado ad Patrem*] Non enim manebo in morte, ſed ad Patrem ibo, tranſitum quaſi per vos faciens. Suprà VII, 33. XIII, 3, 33. XVI, 5.

17. ἐκ τῶν μαθητῶν, *ex diſcipulis*] Subauditur τινές [*aliqui*]· quales locos aliquot notavimus Matth. XXVII, 9.

πρὸς ἀλλήλους, *ad invicem*] Muſſitando ut exaudiri nequirent.

Τί ἐστι τοῦτο ὃ λέγει ἡμῖν; Μικρὸν, *Quid eſt hoc, quod dicit nobis? Modicum*] In animum inducere non poterant mortem tam propinquam inſtare.

19. Ἔγνω οὖν ὁ Ἰησοῦς, *Cognovit autem Ieſus*] Vi ſuâ Divinâ.

20. κλαύσετε καὶ θρηνήσετε ὑμεῖς, *plorabitis & flebitis vos*] Me capto, crucifixo, mortuo. Vide Lucæ XXIII, 27.

ὁ δὲ κόσμος χαρήσεται· *mundus autem gaudebit*] Illudent mihi milites, Matth. XXVII, 27. etiam Iudæi eorumque proceres, ibid. 39, 40, 41. Phariſæi tanquam me devicto triumphabunt, 63.

ἀλλ' ἡ λύπη ὑμῶν εἰς χαρὰν γενήσεται. *ſed triſtitia veſtra fiet in gaudium*] *Mutabitur in gaudium: vertetur in gaudium*, ut hîc Latinus. Eſt Hebraïſmus quem, hîc rectè expreſſit Syrus.

21. Ἡ γυνὴ ὅταν τίκτῃ, λύπην ἔχει, *Mulier cùm parit, triſtitiam habet*] Egregia comparatione rem illuſtrat. Paſſim dolores maximi parturigini comparantur.

ὅτι ἦλθεν ἡ ὥρα αὐτῆς· *quia venit hora ejus*] Tempus dolorum.

ἄνθρωπος, *homo*] Sic dicimus, *Hominem natum te memineris.*

εἰς τὸν κόσμον. *in mundum*] Quod genus humanum nova prole auxerit.

22. λύπην μὲν νῦν ἔχετε· *nunc quidem triſtitiam habetis*] Ad breve tempus, ut puerpera. Antiquus ille in Anglia manuſcriptus pro ἔχετε [*habetis*] habet ἕξετε [*habebitis*].

πάλιν δὲ ὄψομαι ὑμᾶς, *iterum autem videbo vos*] Adero vobis conſpiciens & conſpiciendus.

καὶ χαρήσεται ὑμῶν ἡ καρδία, *& gaudebit cor veſtrum*] Implementum vide infrà XX, 20.

καὶ τὴν χαρὰν ὑμῶν οὐδεὶς αἴρει ἀφ' ὑμῶν. *& gaudium veſtrum nemo tollit à vobis*] Αἴρει pro ἀρεῖ [*tollit* pro *tollet*], qualia jam ſæpe habuimus. Et *gaudium* intellige cauſam gaudii, perpetuam vitam ac poteſtatem Chriſti. Hæc cauſa gaudii non ceſſabit, etiam poſtquam ſecundò ſubtractus erit ipſorum conſpectui: erit enim ubi inimici ei nocere nequeant, ſuprà VII, 34. *Chriſtus à mortuis excitatus non moritur ampliùs*, Rom. VI, 9. Quare Chriſtiani *non videntes quidem eum, ſed credentes, gaudent gaudio inexplicabili*, I Petri I, 7.

23. Καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, *Et in illo die*] Cùm gaudebitis mei cauſâ, quamvis abſentis.

ἐμὲ οὐκ ἐρωτήσετε οὐδέν. *me non rogabitis quicquam*] Quia ἐμὲ [*me*] præcedit, omninò ſentio hoc membrum oppoſitum eſſe ei quod ſequitur. Angebantur Apoſtoli quòd Ieſum non habituri erant præſentem; quia ſi quid eſſet mali aut periculi ad eum recurrebant, ipſum precibus ſollicitabant, Matth. VIII, 25. Sic ſuprà Martha & Maria dicebant, *Domine, ſi fuiſſes hic, frater noſter non eſſet mortuus.*

ὅσα ἂν αἰτήσητε τὸν πατέρα, *quæ petieritis Patrem*] Nihil hoc vos turbet quòd me præſentem implorare non poteritis: ipſum Patrem precibus adite.

ἐν τῷ ὀνόματί μου, *in nomine meo*] Sicut mos eſt Eccleſiæ orare, *Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Vide quæ ſuprà XIV, 13, 14.

δώσει ὑμῖν. *dabit vobis*] Intelligendum hoc ſub tacitis quibuſdam conditionibus: de quibus actum & dicto jam loco & Matth. XVIII, 19. XXI, 22.

24. Ἕως ἄρτι οὐκ ᾐτήσατε οὐδὲν ἐν τῷ ὀνόματί μου· *Vſque*

que modò non petiſtis quicquam in nomine meo] Ignoratus erat ille precandi mos, & vim ſuam præcipuè accepit ex obedientia Chriſti in morte præſtita.

ἀιτεῖτε καὶ λήψεσθε, *petite & accipietis*] Vide exemplum Actorum v, 24. & confer 33.

ἵνα ἡ χαρὰ ὑμῶν ᾖ πεπληρωμένη. *ut gaudium veſtrum ſit plenum*] Vt perficiatur gaudium quod vobis obtigit per meam evectionem. De locutione vide ſuprà xv, 11.

25. Ταῦτα ἐν παροιμίαις λελάληκα ὑμῖν· *Hæc in proverbiis locutus ſum vobis*] Non tantùm figuratus ſermo ſed & qui generalis eſt minùſque diſtinctus vocatur משל, παροιμία [*proverbium*] ſive παραβολὴ [*parabola*] Helleniſtis, ut Ezech. xx, 49. Talia autem erant hæc præcedentia. Nondum enim intelligebant Apoſtoli, cujus generis eſſent illa quæ eſſent impetraturi.

ἔρχεται ὥρα, *venit hora*] Poſt miſſionem Spiritûs Sancti, ut oſtendunt ſequentia.

παῤῥησίᾳ περὶ τοῦ πατρὸς ἀναγγελῶ ὑμῖν. *palàm de Patre annuntiabo vobis*] Apertiſſimè & explicatiſſimè aperiam vobis per Spiritum, quæ ſit Patris voluntas de Regno meo & qualia precari ipſum debeatis. Vide Actor. x.

26. ἐν τῷ ὀνόματί μου αἰτήσεσθε· καὶ, *in nomine meo petetis: &,*] Hoc καὶ [*&*] habet vim conditionis in præcedente membro, ut diximus vii, 34. Sic Ierem. xviii, 8, 10. Deinde eſt ἔλλειψις [*defectiva oratio*] quædam aut potius ἀνανταπόδοτον [*non redditum*]. Senſus eſt, *Si quid petieritis vobis ob me dari, id Pater dabit.*

οὐ λέγω ὑμῖν, ὅτι ἐγὼ ἐρωτήσω τὸν πατέρα περὶ ὑμῶν. *non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis*] Prætereo hoc quaſi minus eo quod jam inferam. Sic ſuprà v, 45.

27. Αὐτὸς γὰρ ὁ πατὴρ φιλεῖ ὑμᾶς, *Ipſe enim Pater amat vos*] Vltro etiam me non commendante amat vos, ac proinde (quod ſubintelligi diximus) dabit quæ petitis.

ὅτι ὑμεῖς ἐμὲ πεφιλήκατε, *quia vos me amaſtis*] Hæc cauſa novæ ac ſpecialis cujuſdam dilectionis qua Pater Chriſtianos proſequitur. Vide ſuprà xiv, 21, 23.

ὅτι ἐγὼ παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξῆλθον. *quod ego à Deo exivi*] *Credidiſtis me verè à Deo miſſum.* Suprà viii, 42. xiii, 3.

28. Ἐξῆλθον παρὰ τοῦ πατρὸς, *Exivi à Patre*] Confirmat eos in eo quod crediderant.

καὶ ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον· *& veni in mundum*] Oſtendi me hominibus ſermone & operibus. Suprà i, 9. iii, 19. vi, 14. ix, 39. xi, 27. xii, 46, 47.

πάλιν, *rurſum*] Vice verſa. Ita ſæpe πάλιν [*rurſum*] non Iterationem ſed Oppoſitionem ſignificat. Vide Matth. iv, 7.

ἀφίημι τὸν κόσμον, *relinquo mundum*] *Subtraham me hominum conſpectui.* Eſt enim præſens pro futuro, & de Adſcenſione agitur.

καὶ πορεύομαι πρὸς τὸν πατέρα. *& vado ad Patrem*] In arcem paternam.

29. νῦν παῤῥησίᾳ λαλεῖς, *nunc palàm loqueris*] Quia nunc addiderat illud ἀφίημι τὸν κόσμον [*relinquo mundum*], incipiunt intelligere de quali profectione ageret.

30. Νῦν οἴδαμεν ὅτι οἶδας πάντα, *Nunc ſcimus quia ſcis omnia*] Vidiſti qua in parte hæſitaremus.

καὶ οὐ χρείαν ἔχεις, ἵνα τίς σε ἐρωτᾷ. *& non opus eſt tibi, ut quis te interroget*] Non opus habes ut qui tua verba non intelligit enuntiet quid ſit quod non intelligat. Eſt hîc indicativus pro ſubjunctivo more Hebræorum.

ἐν τούτῳ πιστεύομεν, *in hoc credimus*] Ἐν τούτῳ, *ob hoc credimus*, id eſt, magis ac firmiùs credimus, ut ſuprà ii, 11. Divinum eſt introſpicere cogitata.

31. Ἄρτι πιστεύετε· *Modò creditis*] Puto rectiùs legi ſine interrogatione & ſumendum non pro imperativo, ut Syrus ſumſit, ſed pro indicativo. Apud Nonnum adſcribitur quidem interrogatio, ἐμῷ πιστεύετε μύθῳ; [*quæ dixi vera putatis*]? ſed malè, ut oſtendit quod ſequitur ἐγγύθι δέ [*at propè*]. *Iam quidem creditis*, id eſt, profitemini vos credere dum tutum eſt. ἄρτι [*jam*] præſens tempūs hîc notat, ut ſuprà v, 17. ix, 25. xiii, 19. & alibi.

32. ἔρχεται ὥρα, *venit hora*] *Imminet.*

καὶ νῦν ἐλήλυθε, *& jam venit*] Præteritum pro futuro proximo, *imò jam nunc adeſt.* Paucarum enim horarum ſpatium intererat.

ἵνα σκορπισθῆτε ἕκαστος, *ut diſpergamini unuſquiſque*] Matth. xxvi, 31.

εἰς τὰ ἴδια, *in propria*] *In ſua quiſque latibula.* Nam ἴδιον [*proprium*] dicitur etiam ubi quis pro tempore divertitur. Vide ſuprà i, 39. & x, 3.

καὶ ἐμὲ μόνον ἀφῆτε. *& me ſolum relinquatis*] Matthæi xxvi, 56.

καὶ, *&*] Id eſt, *attamen.* Eſt enim explicatio ſpeciem habens ἐπανορθώσεως [*correctionis*]. Quid dico me ſolum futurum? Pater mihi aderit.

ὁ πατὴρ μετ' ἐμοῦ ἐστι. *Pater mecum eſt*] Permittet me quidem ad tempus malè tractari, ſed ita ut non abjiciat curam mei neque me ſine ſolatiis relinquat. *Cum aliquo eſſe*, eſt Stare ab ejus partibus, auxilium ei præſtare. Vide ſuprà viii, 29.

33. Ταῦτα λελάληκα ὑμῖν, *Hæc locutus ſum vobis*] Me etiam in graviſſimis malis non cariturum Patris auxilio.

ἵνα ἐν ἐμοὶ εἰρήνην ἔχητε. *ut in me pacem habeatis*] Iterum indicativus pro ſubjunctivo. εἰρήνης [*pacis*] nomine hîc intellige *animum tranquillum*; quod oſtendunt ſequentia: & ἐν ἐμοὶ [*in me*], id eſt, *fiduciâ mearum promiſſionum.* Nam ſi me in media cruce Pater non relinquet ſine auxilio, ne vos quidem relinquet.

ἐν τῷ κόσμῳ θλίψιν ἔχετε· *in mundo preſſuram habetis*] Id eſt, *habebitis.* ἐν τῷ κόσμῳ [*in mundo*] *à mundo*, ex parte multorum hominum.

ἀλλὰ θαρσεῖτε, *ſed confidite*] *Sumite animum* meo exemplo.

ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. *ego vici mundum*] Præteritum rurſus pro proximè futuro. Nam excellentiſſimè mundi furores vicit, cùm mortem patientiſſimè pertulit. Subintelligendum autem, *hoc faciendo vobis vires peperi, quibus armati idem faciatis:* 1 Corinth. xv, 57. 1 Iohan. iv, 4. v, 4, 5. Apoc. xii, 11.

CAPUT XVII.

1. Ταῦτα ἐλάλησεν ὁ Ἰησοῦς, καὶ, *Hæc locutus eſt Ieſus, &*] Id eſt, *his dictis*. Conſolationi addit preces.

ἐπῆρε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ εἰς τὸν οὐρανὸν, *ſublevavit oculos ſuos in cælum*] Ritu Pontificis pro ſe & pro populo oraturus, Hebr. v, 3, 7. Et credibile eſt factum hoc in conſpectu Templi, cum iſtàc Chriſtus tranſiret ac nonnihil ſubſiſteret. Nam pars porticûs Templi Septentrionalis & Orientalis proxima erat valli Cedron, ut nos docet Ioſephus Belli Iudaïci vi, cap. 13.

ἐλήλυθεν ἡ ὥρα, *venit hora*] Tempus, non tantùm quo cruciatus patiar graviſſimos, ſed & quo prodar, damner, illudar, contemnar.

δόξασόν σου τὸν υἱὸν, *clarifica filium tuum*] Nempe celeri reſurrectione & evectione in cœlum. Vide ſuprà xi, 4. xii, 28. xiii, 31.

ἵνα καὶ ὁ υἱός σου δοξάσῃ σε· *ut & filius tuus clarificet te*] Efficiendo ut Euangelium prædicetur per orbem terrarum, xv, 8.

2. Καθὼς ἔδωκας αὐτῷ ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς, *Sicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis*] Oſtendit quomodo per Euangelium clarificandus ſit Pater, quia per illud nullis aliis vita æterna promittitur quàm qui Deum Patrem ſincerè colunt. καθὼς [*ſicut*] hîc rationem reddit præcedentium, & valet *ſiquidem*. ἐξουσίαν πάσης σαρκὸς [*poteſtatem omnis carnis*], id eſt, *in omnem hominem*. Similis conſtructio Matth. x, 1. *Carnem* pro *homine* ſumi Hebræis, notum ſatis. *Dediſti* ſumtum pro *daturum te promiſiſti*, ut in Iure ſæpe. Nam jus hoc ei traditum eſt poſt reſurrectionem, Matth. xxviii, 18. *Poteſtatem*, in homines intellige ſervandos aut damnandos, ſuprà v, 27.

ἵνα πᾶν ὃ δέδωκας αὐτῷ, δώσῃ αὐτοῖς ζωὴν αἰώνιον. *ut omne quod dediſti ei, det eis vitam æternam*] Hebraïſmus πᾶν ὃ [*omne quod*] pro παντί [*omni*]. Et quod ſequitur αὐτοῖς [*eis*] eſt conſtructio κατὰ σημαινόμενον [*ſecundùm id quod ſignificatur*]. Vide ſuprà vi, 39. Explicat modum utendæ poteſtatis, nempe ut vita æterna detur non omnibus ſed credentibus. Sic ſuprà iii, 16. primùm de mundo locutus, reſtringit deinde ſalutem ad *credentes*. ὃ δέδωκας αὐτῷ [*quod dediſti ei*], intellige cum effectu, *ita dediſti, ut re ipſa ad eum pervenerint*, ut diximus ſuprà vi, 37.

3. Αὕτη δέ ἐστιν ἡ αἰώνιος ζωὴ, *Hæc eſt autem vita æterna*] *In hoc ſita eſt*; hoc modo paratur. Metonymia, ut ſuprà vi, 63. xi, 25. xii, 50. xiv, 6. Simile loquendi genus Rom. xi, 12.

ἵνα γινώσκωσί σε τὸν μόνον ἀληθινὸν Θεὸν, *ut cognoſcant te ſolum verum Deum*] Hîc ἵνα [*ut*] eſt εἰδικὸν [*ſpecificativum*]· Deſcribitur enim modus parandæ vitæ æternæ, qui talis eſt ut Dei Patris gloriam maximè ſpectet. γινώσκειν [*cognoſcere*] hîc intelligendum πρακτικῶς [*activè*], ut i, 10. *ut agnoſcant, amplectantur, colant, revereantur te ut ſolum Deum*, excluſis omnibus iis quos falſa Gentium perſuaſio introduxerat. Ignatius ad Magnetas de Ieſu loquens, Τοῖς ἐξοκείλασιν εἰς πολυθεΐαν τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καταγγείλαντα τὸν ἑαυτοῦ πατέρα [*Qui ad multitudinem deorum impactis unum & ſolum verum Deum annuntiavit Patrem ſuum*]. In Clementis Conſtitutionibus ad converſos ex Gentibus, Μεταβάντες γὰρ ἀπὸ τῆς προτέρας ματαιοπόνου συνηθείας καὶ τῶν ἀψύχων εἰδώλων ὑπεριδόντες καὶ τῶν ἐν σκότει δαιμόνων καταφρονήσαντες, προσδραμόντες τε τῷ φωτὶ τῷ ἀληθινῷ καὶ ἐπιγνόντες δι᾽ αὐτοῦ τὸν ἕνα καὶ μόνον ἀληθινὸν Θεὸν καὶ πατέρα, κληρονόμοι τῆς αὐτοῦ βασιλείας ἀνεφάνητε [*Deſerta enim priori in vanum laborante conſuetudine, & contemtis idolis exanimis, ſpretiſque dæmonibus qui in tenebris agunt, poſtquam ad verum Lumen accurriſtis, & per eum cognoviſtis ſolum & verum Deum & Patrem, hæredes regni ejus declarati eſtis*]. Vide 1 Theſſ. i, 9.

καὶ ὃν ἀπέστειλας Ἰησοῦν Χριστόν. *& quem miſiſti Ieſum Chriſtum*] De ſe modeſtè in tertia perſona loquitur. Senſus eſt, *& ut me agnoſcant ut Legatum tuum*. Hac voce oſtendit honorem ſibi habitum ad Patrem redire. Nam Regis intereſt ut Legatus honoretur.

4. Ἐγώ σε ἐδόξασα ἐπὶ τῆς γῆς· *Ego te clarificavi ſuper terram*] Oſtendit non iniquum ſe petere, ut qui omnia ſua dogmata ad Patris honorem retulerit. Vide Matth. ix, 8. xv, 31. Marc. ii, 12. Luc. v, 26. xviii, 43. Sed & Paſſio includi poteſt, quia eam ſubire conſtituerat & de proximo imminebat. Nam ſimili locutione infrà ait *ſe non eſſe in mundo*. Hac autem paſſione eximiè Deus glorificatus eſt. Vide quæ diximus xii, 28. & infrà xxi, 19.

τὸ ἔργον ἐτελείωσα ὃ δέδωκάς μοι ἵνα ποιήσω· *opus conſummavi, quod dediſti mihi ut faciam*] Docui Iudæos & jam me in mortem trado. Polycarpus, interprete Victore Capuano, *Quomodo opus ſalutis humanæ adimpleſſe commemorat, cùm necdum crucis vexillum conſcenderat? Sed definitione voluntatis de qua cuncta venerandæ paſſionis inſignia adire decreverat, jure ſe opus perfeciſſe ſignificat*.

5. Καὶ νῦν, *Et nunc*] *Nunc ergo viciſſim*.

δόξασόν με σὺ, πάτερ, παρὰ σεαυτῷ, *clarifica me Tu, Pater, apud teipſum*] In cœlo. Opponitur enim hoc ei quod præceſſerat, ἐπὶ τῆς γῆς [*in terra*].

τῇ δόξῃ ᾗ εἶχον, *claritate quam habui*] Deſtinatione tua, ut 1 Petr. i, 20. Apocalypſ. xiii, 8. ſic & Epheſ. i, 4. & infrà 24. Simile loquendi genus Epheſ. i, 3, 4. Sic *Legem fuiſſe ante mundum* ajunt Hebræi. Vide Thalmudem De votis.

πρὸ τοῦ τὸν κόσμον εἶναι, *priuſquam mundus eſſet*] Πρὸ καταβολῆς κόσμου [*ante mundi conſtitutionem*], ut Petrus dicto loco loquitur. Chaldæus Paraphraſtes ad Pſalm. lxii. *Ante Solem præparatum eſt nomen Meſſiæ*.

παρὰ σοί. *apud Te*] Refer ad illud εἶχον [*habui*], & intellige, ut diximus, in decreto tuo: Cujus ſignum aliquod jam tum datum eſt cùm mundum & ipſum hominem Deus condidit per τὸν Λόγον [*Verbum*], præſignificans eundem in Ieſu auctorem fore novæ creationis & mundi melioris. Vide quæ ad caput i. Adde Apoc. v, 12, & ſeq.

6. Ἐφανέρωσά σου τὸ ὄνομα τοῖς ἀνθρώποις, *Manifeſtavi nomen tuum hominibus*] Proprietates tuas, Iuſtitiam, Potentiam, Bonitatem pateſeci. Et hoc intellige cum effectu, id eſt, *illi me docente perceperunt*. Vide quæ diximus ſuprà vi, 44. φανέ-

ρωσις [*manifeſtatio*] hæc eſt δεῖξις [*oſtenſio*] Hierocli.

οὓς δέδωκάς μοι, *quos dediſti mihi*] Iterum cum effectu; *qui te trahente ad me venerunt & mei eſſe voluerunt*, ut modò diximus. Agit autem hîc de iis qui jam reipſa crediderant, aget & de credituris.

ἐκ τοῦ κόσμου· *de mundo*] Sic ſuprà xv, 19. ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου [*elegi vos de mundo*]. *Ex mundi univerſitate ſecretos dediſti mihi in peculium.*

σοὶ ἦσαν, *tui erant*] Pietatis quodam affectu *tui erant; ex te*, ut ſuprà viii, 47.

καὶ ἐμοὶ αὐτοὺς δέδωκας, *& mihi eos dediſti*] Operam dediſti ut in me crederent, me Dominum ſuum agnoſcerent; eaque opera effectu ſuo non caruit.

καὶ τὸν λόγον σου τετηρήκασι. *& ſermonem tuum ſervaverunt*] *Patris ſermonem* vocat quem ipſe Patris nomine annuntiavit. Hunc illi *ſervarunt*, id eſt, cordi ſuo impreſſerunt ac retinuerunt: non defecerunt perfidè, ut Iudas.

7. Νῦν ἔγνωκαν, *Nunc cognoverunt*] *Iam nunc hoc credunt*, eousque profecerunt. γινώσκειν [*noſſe*] ſæpe pro *credere*, ut ſuprà vi, 69, & alibi.

ὅτι πάντα ὅσα δέδωκάς μοι, παρὰ σοῦ ἐστιν· *quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt*] Videtur idem per idem dicere: ſed ſenſus eſt, *Omnia quæ eos docui à te ſunt.* Pro eo autem quod diceret *quæ docui*, modeſtè ad honorem Patris ait, *quæ mihi dediſti docenda.* Tu quidem ſcis te mihi dediſſe, illi autem à te data crediderunt.

8. Ὅτι τὰ ῥήματα, *Quia verba*] Explicat quod dixerat, & oſtendit rectè eos crediſſe.

ἔλαβον, *acceperunt*] *Amplexi ſunt*, ut ſuprà i, 11, 12.

ἔγνωσαν ἀληθῶς, *cognoverunt verè*] *Non fictè ſed ſincerè crediderunt.* Sic ἐν ἀληθείᾳ ἐργάζεσθαι [*in veritate operari*] *animo ſincero ſervire*, Eccleſiaſtici vii, 21. Sic & Luc. xx, 21, & alibi.

ὅτι παρὰ σοῦ ἐξῆλθον, *quia à te exivi*] *Me tuo mandatu apparuiſſe*, ut antehac ſæpe. Nam quod ſequitur eſt hujus ἐπεξήγησις [*apertior explicatio*].

9. Ἐγὼ περὶ αὐτῶν ἐρωτῶ· *Ego pro eis rogo*] Cùm ſuos his titulis commendaſſet, oſtendit non ingratas Deo eſſe debere quas pro talibus fundit preces.

οὐ περὶ τοῦ κόσμου ἐρωτῶ, *non pro mundo rogo*] Oravit & pro mundo, ut reſipiſceret & veniam acciperet peccatorum, Luc. xxiii, 34. Imò & mox ut credat, 21. Sed hæc quæ nunc orat, de protectione paterna, de Spiritu, de concordiâ, non niſi ad credentes pertinent. Et habet ἔμφασιν [*efficaciam*] hæc oppoſitio; quaſi filius Regis oret patrem ut ſe exaudiat, non pro omnibus ſubditis, rebellibus non minùs quàm fidelibus orantem, ſed pro iis qui reipſa oſtenderunt quanti Regem facerent.

ὅτι σοί εἰσι. *quia tui ſunt*] Etiam poſtquam eos mihi dediſti tui eſſe non deſinunt. Hoc quoque ad commendandas preces eſt efficax.

10. Καὶ τὰ ἐμὰ πάντα σά ἐστι, καὶ τὰ σὰ ἐμά· *Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt*] Prius hoc καὶ [*&*] poſitum eſt pro *nam*. Cauſam reddit cur ſibi dati non deſinant ad Patrem pertinere, quia omnia inter ipſos ſint communia, ut inter amicos ſolent, maximè inter patrem & filium. Nam & quæ pater habet habet in uſum filii, & quæ filius habet ſimul cum ipſo filio patri ſubjecta ſunt. In Plautino Trinummô filius patri,

> *Nam quod tuum eſt meum eſt: omne meum eſt autem tuum.*

καὶ δεδόξασμαι ἐν αὐτοῖς. *& clarificatus ſum in eis*] Præteritum hoc eſt pro præſente ſive aoriſto, nulla temporis definitione; quaſi dicat, Etiam hoc nomine illi tibi commendati eſſe debent quòd ego illorum operâ & miniſterio & inclaruerim & inclariturus ſim ampliùs: itaque in ipſorum perſona mea res vertitur.

11. Καὶ οὐκ ἔτι εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ, *Et jam non ſum in mundo*] Nova commendandi cauſa, Quòd ipſe ab eis diſcedat; ne videatur, ut ſuprà dixit, relinquere eos orbos, xiv, 18. οὐκ ἔτι pro ἔτι οὐκ, ut vertit Syrus, *Deinceps non ſum in mundo:* & *ſum* pro *ero*, quia proximè futurum erat.

καὶ οὗτοι ἐν τῷ κόσμῳ εἰσὶ, *& hi in mundo ſunt*] Erunt poſt me. Hos relinquam in tantis fluctibus.

καὶ ἐγὼ πρὸς σε ἔρχομαι. *& ego ad te venio*] Ἐπεξήγησις [*clarior explicatio*] ejus quod præceſſerat, *non fore ſe in mundo*; ut appareat *mundi* nomine univerſum hoc inferius intelligi, ut ſæpe.

Πάτερ ἅγιε, *Pater ſancte*] Solent Deo cognomina tribui accommodata ad id quod agitur. Sic Rom. xv, 5. & in Pſalmis ſæpe. Deus *Sanctus* dicitur quòd omnem malitiam abhorreat.

τήρησον αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου, *ſerva eos in nomine tuo*] *Cuſtodi eos auxilio tuo in profeſſione nominis tui*, in cultu tuo. Sic ὄνομα [*nomen*] ſumitur Actor. ix, 27. Apoc. ii, 3, & alibi.

οὓς δέδωκάς μοι, *quos dediſti mihi*] Cum effectu, ut ſuprà 6.

ἵνα ὦσιν ἕν, *ut ſint unum*] Vt in ea profeſſione perſeverantes idem teſtentur, & rem tantam conſentientibus animis peragant, i Corinth. xv, 11. Gal. ii, 9.

καθὼς ἡμεῖς. *ſicut & nos*] Sicut ego idem volui quod tu præceperas, Pater, & tu mea dicta probaſti ac rata habuiſti.

12. Ὅτε ἤμην, *Cùm eſſem*] Anticipat tempus abſentiæ ſuæ.

ἐγὼ ἐτήρουν αὐτοὺς ἐν τῷ ὀνόματί σου· *ego ſervabam eos in nomine tuo*] Ego quotidianis præceptis & exemplo meo operam dedi ut in ea profeſſione permanerent, & quidem ſatis feliciter; quod res hactenus monſtrat.

οὓς δέδωκάς μοι, ἐφύλαξα, *quos dediſti mihi, cuſtodivi*] Etiam hanc curam geſſi ne numerus collegii iſtius minueretur.

καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο, *& nemo ex eis periit*] Nemo aut morte aut voluntaria defectione exemtus eſt huic numero teſtium. Vide infrà xviii, 9.

εἰ μὴ ὁ υἱὸς τῆς ἀπωλείας· *niſi filius perditionis*] Excepto illo qui digniſſimus erat ob ſuam perfidiam exitio, & qui proinde ſegregatus ab Apoſtolis peſſimè peribit. υἱὸς ἀπωλείας [*filius perditionis*] dicitur hîc & ii Theſſ. ii, 3. non ex nuda Dei deſtinatione, ſed ex merito, ut υἱὸς γεέννης [*filius gehennæ*], Matth. xxiii, 15. Sic *filius mortis* ii Sam. xii, 5. Sic ἔθνος ἀπωλείας [*gens perditionis*] Eccleſ. xvi, 10.

ἵνα ἡ γραφὴ πληρωθῇ. *ut Scriptura impleatur*] Quo pereunte implebitur illa imprecatio quam David ſcripſit in eos qui pro benefactis mala rependunt, Pſalm. LXIX. Vide Actorum I, 20. Dicitur enim *Scriptura impleri* quoties tale quid accidit quale ibi dictum eſt. De hoc ſenſu vocis ἵνα [*ut*] diximus aliquoties. Chryſoſtomus ad hunc locum, Ἰδιάζων οὗτος τῆς γραφῆς ἐστιν ὁ τρόπος ὡς αἰτιολογίαν τιθέμενος τὰ ἐκ τῆς ἐκβάσεως συμβαίνοντα [*Proprius hic eſt Scripturæ loquendi modus, quod quæ ex eventu ſequuntur ponat quaſi cauſam antecedentium reddat*].

13. Νῦν δὲ πρὸς σε ἔρχομαι, καὶ ταῦτα λαλῶ ἐν τῷ κόσμῳ, *Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo*] Supple ὢν [*exſiſtens*]· & ἔρχομαι καὶ [*venio &*] pro ἐρχόμενος [*veniens*]. *Nunc, cùm abeundum mihi ſit, hæc illis dico*, id eſt, illis audientibus precor. Nam omnino hæc dicta ſunt οἰκονομικῶς [*diſpenſativè*] ad ſalutem Apoſtolorum.

ἵνα ἔχωσι τὴν χαρὰν τὴν ἐμὴν πεπληρωμένην ἐν αὐτοῖς. *ut habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis*] Χαρὰν τὴν ἐμὴν [*gaudium meum*] hîc intellige gaudium ex me, ut ſuprà XV, 11. & ἀγάπην τὴν ἐμὴν [*dilectionem meam*] ſuprà XV, 9. Senſus eſt, ut gaudium illud quod hactenus conceperunt ex mea præſentia ac cura pro ipſis non minuatur, imò creſcat potiùs me abſente, ubi meminerint harum precum, non dubitantes quin exauditus ſim.

14. Ἐγὼ δέδωκα αὐτοῖς τὸν λόγον σου, *Ego dedi eis ſermonem tuum*] Nova commendatio, quòd ob receptum Euangelium mundo exoſi ſint. Æquum autem eſt ut patrocinio ejus quis foveatur ob quem plurimas incurrit offenſas. δέδωκα [*dedi*] rurſus intellige, *ita ut ab ipſis receptus ſit*, quod expreſſum fuerat ſuprà 8.

καὶ ὁ κόσμος ἐμίσησεν αὐτούς, *& mundus eos odio habuit*] Καὶ [*&*] id eſt, *ideo*, ob receptum eum ſermonem.

ὅτι οὐκ εἰσὶν ἐκ τοῦ κόσμου, *quia non ſunt de mundo*] Quia ex eo tempore deſciverunt a ſecta mundi. Vide ſuprà XV, 19.

καθὼς ἐγὼ οὐκ εἰμὶ ἐκ τοῦ κόσμου. *ſicut & ego non ſum de mundo*] Secuti meum exemplum, cujus vita à vita mundi alieniſſima eſt. Vide ſuprà VIII, 23.

15. Οὐκ ἐρωτῶ ἵνα ἄρῃς αὐτοὺς ἐκ τοῦ κόσμου, *Non rogo ut tollas eos de mundo*] Ad explicationem præcedentium, ob Apoſtolos audientes. Quanquam mundi odiis ſcio fore objectos, *non tamen oro ut nunc eximantur è mundo*, è vita hac; quippe quorum opera adhuc uſui eſſe debet.

ἀλλ' ἵνα τηρήσῃς αὐτούς, *ſed ut ſerves eos*] Singulari curâ atque tutelâ.

ἐκ τοῦ πονηροῦ. *à malo*] *Ab omni malitia mundana.* Nam ὁ κόσμος ὅλος ἐν τῷ πονηρῷ κεῖται [*mundus totus in maligno poſitus eſt*], I Ioh. V, 19. Sic τοῦ πονηροῦ [*mali*] vocem ſumi etiam in orationis Dominicæ formula ad Matthæum probabilius eſſe diximus.

16. Ἐκ τοῦ κόσμου οὐκ εἰσί, *De mundo non ſunt*] Hoc repetit, ut ſignificet eos jam animo alieno eſſe ab omni tali malitia, quanquam non extra infirmitatem.

17. Ἁγίασον αὐτοὺς ἐν τῇ ἀληθείᾳ σου. *Sanctifica eos in veritate tua*] Vitam eorum redde in dies puriorem, Apoc. XXII, 11. Confer quæ ſuprà XIII, 10. *In veritate tua*, id eſt, per tuam veritatem magis magiſque impreſſam eorum animis per Spiritum, XVI, 13. I Ep. II, 20, 21. Non longè hinc abit Plutarchi illud libro De Iſide, Θειότητος ὄρεξίς ἐστιν ἡ τῆς ἀληθείας, μάλιστα δὲ τῆς περὶ θεῶν ἔφεσις, ὥσπερ ἀνάληψιν ἱερῶν τὴν μάθησιν ἔχουσα καὶ τὴν ζήτησιν ἁγνείας τε πάσης καὶ νεωκορίας ἔργον ὁσιώτερον [*Divinitatis appetitus eſt veri, ſed ejus maximè quod ad deos pertinet deſiderium, id quod diſcitur habens pro ſacrorum perceptione & inquiſitionem pro opere ſancto ſuprà omnem purificationem & templorum curam*].

ὁ λόγος ὁ σὸς ἀλήθειά ἐστι. *ſermo tuus veritas eſt*] *Sermo ille tuus* à te mihi mandatus. Sermo Euangelii non falſus eſt, ut Pſeudoprophetarum dicta, non falſo admixtus, ut Phariſæorum & Philoſophorum dogmata, ſed pura ac puta *veritas*. Suprà VIII, 31, 32, 40. XIV, 6.

18. Καθὼς ἐμὲ ἀπέστειλας εἰς τὸν κόσμον, κἀγὼ ἀπέστειλα αὐτοὺς εἰς τὸν κόσμον. *Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum*] Cauſa redditur cur hi ſupra alios auxilio Divino egeant, quia durum munus ſuſcepturi ſint legationis pro Chriſto, II Cor. V, 20. Epheſ. VI, 20. ἀπέστειλα [*miſi*] hîc eſt *conſtitui mittere*, quo ſenſu & vocem *dandi* uſurpari aliquoties monuimus. Illud καθὼς [*ſicut*] aliquam, non omnimodam congruentiam ſignificat, in ipſo ſcilicet dogmate quod erat prædicandum, non in auctoritate. Chriſtus *à Patre ſe miſſum* paſſim in hoc libro prædicat, nec rarò in illo ſenſu docendi. Vide Eſaïæ LXI, 1.

19. Καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐγὼ ἁγιάζω ἐμαυτόν, *Et pro eis ego ſanctifico meipſum*] Repetit vocem ἁγιάζειν [*ſanctificandi*] ſenſu paulùm mutato. Nam קדש ἁγιάζειν [*ſanctificare*] inter cætera etiam valet προσφέρειν [*offerre*], & dicitur tum de victimis tum de aliis rebus quæ Deo conſecrantur, Exod. XIII, 2. Levit. XXII, 2. Eccleſiaſtici XXXV, 8. Idem ergò hîc dicitur quod ad Hebr. IX, 14. ἑαυτὸν προσήνεγκε [*ſeipſum obtulit*]. Vide & X, 10, & 14. ὑπὲρ αὐτῶν [*pro eis*] hîc eſt ut magis confirmentur in ea fide qua ſermonem meum amplexi ſunt. Sic Epheſ. III, 13. Coloſſ. I, 24.

ἵνα καὶ αὐτοὶ ὦσιν ἡγιασμένοι ἐν ἀληθείᾳ. *ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate*] Hîc magis explicat finem illum inter cæteros eximium mortis Chriſti, nimirum ut eo exemplo Apoſtoli vitam ſuam reddant in dies puriorem, confirmati in veritate.

20. Οὐ περὶ τούτων δὲ ἐρωτῶ μόνον, *Non pro eis autem rogo tantùm*] Quanquam pro Apoſtolis ſpecialia quædam precatus eſt, oſtendit tamen multa eſſe quæ cum aliis credentibus habeant communia, ut confirmationem in fide & caritate.

τῶν πιστευόντων, *qui credunt*] Id eſt, *credent*. Pro futuro ſumtum.

21. Ἵνα πάντες ἓν ὦσι, *Vt omnes unum ſint*] *Vt ſint uni* fide & caritate. Agit autem de primis Chriſtianorum: de quibus vide Actor. IV, 32. Confer Rom. XII, 5. Epheſ. IV, 3.

καθὼς σύ, Πάτερ, ἐν ἐμοί, κἀγὼ ἐν σοί, *ſicut tu, Pater, in me, & ego in te*] Sicut nos conjunctis operis Euangelium promovemus. Vide ſuprà X, 38. XIV, 10.

καὶ αὐτοὶ ἐν ἡμῖν ἓν ὦσι· *& ipſi in nobis unum ſint*] Ἐν ὑμῖν [*in nobis*], id eſt, *nobis obediendo*. Sic *eſſe in Chriſto* dicuntur qui ejus regulam ſequuntur.

ἵνα ὁ κόσμος πιστεύσῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας. ut credat mundus quia tu me miſiſti] Vt cæteri illorum exemplo alliciantur ad fidem, admirantes ſummam illam conſtantiam in profeſſione dogmatis & mutuam dilectionem. Vide quæ notavimus ſuprà XIII, 35. Idem autem eſt *credere Ieſum eſſe à Deo miſſum* aut *credere Euangelio.*

22. Καὶ ἐγὼ τὴν δόξαν ἣν δέδωκάς μοι, *Et ego claritatem quam dediſti mihi*] Poteſtatem faciendi miracula, quæ *gloria Chriſti* dicitur, ſuprà II, 11. & *gloria Dei,* ſuprà XI, 40. Exemplo ſuo, qui hanc illis poteſtatem dederit, commendat id quod Patrem rogaverat pro ipſorum ſanctificatione. Solet enim οἰκονομικῶς [*diſpenſativè*] quaſi inter ſe & Patrem operas partiri.

δέδωκα αὐτοῖς· dedi eis] *Conſtitui dare,* ut ſuprà ἀπέστειλα [*miſi*] 18.

ἵνα ὦσιν ἕν, ut ſint unum] Vt eâ quoque ratione, nimirum per illum influxum, mihi connexi ſint. Subaudio enim hîc ἐν ἐμοὶ, *idem mecum.*

καθὼς ἡμεῖς ἕν ἐσμεν. ſicut nos unum ſumus] Per Divinam illam vim quam à te habeo. Vide ſuprà X, 38.

23. Ἐγὼ ἐν αὐτοῖς, καὶ σὺ ἐν ἐμοὶ, *Ego in eis, & tu in me*] Explicatio eſt ejus quod præceſſit : & repetendum ἵνα ὦ [*ut ſim*] & καὶ [*&*] pro καθὼς [*ſicut*], quod poſitum eſt infrà

ἵνα ὦσι τετελειωμένοι εἰς ἕν, ut ſint conſummati in unum] Id eſt, ἵνα ὦσι τετελειωμένοι ἐν τῇ ἀγάπῃ, [*ut ſint perfecti in dilectione*] ut loquitur hîc idem I Epiſtolâ IV, 81. ut illa dona communia ad cauſam communem conferant. Vide Hebr. XII, 23. XI, 40.

ἵνα ὁ κόσμος γινώσκῃ ὅτι σύ με ἀπέστειλας, ut cognoſcat mundus quia tu me miſiſti] Viſis ſignis illis, quemadmodum ſuprà concordiæ Apoſtolorum eundem tribuerat effectum, 21.

καὶ ἠγάπησας αὐτοὺς, & dilexiſti eos] Quandoquidem tuâ voluntate ipſis ea poteſtas conceſſa eſt, nec aliter concedi potuit.

καθὼς ἐμὲ ἠγάπησας. ſicut & me dilexiſti] Quod inter cætera oſtenderas datâ mihi illâ Divinâ miraculorum edendorum poteſtate. Vide quæ ſuprà III, 35. X, 42.

24. Πάτερ, οὓς δέδωκάς μοι, *Pater, quos dediſti mihi*] Cum effectu, *ita ut tradiderint ſe mihi.* Hoc non pro Apoſtolis tantùm precatur ſed pro omnibus credentibus, ut ſuprà 20.

θέλω, volo] *Velim,* ut Marci VI, 25. X, 35. Matthæi XII, 38.

ἵνα ὅπου εἰμὶ ἐγὼ, ut ubi ſum ego] Id eſt, *ubi futurus ſum*; in cœlo ſupremo. Suprà VII, 34. XII, 26. II Tim. II, 12.

κἀκεῖνοι ὦσι μετ' ἐμοῦ· & illi ſint mecum] Poſt reſurrectionem, ſicut ego.

ἵνα θεωρῶσι τὴν δόξαν τὴν ἐμὴν, ut videant claritatem meam] *Vt coram ſpectent quo me honore affeceris.* Eſt enim pars quædam beatitudinis amicos habere ejus conſcios ac teſtes.

ἣν ἔδωκάς μοι, quam dediſti mihi] *Quam conſtituiſti mihi dare.*

ὅτι ἠγάπησάς με πρὸ καταβολῆς κόσμου. quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi] Vide ſuprà 5. & Matthæi XXV, 34.

25. Πάτερ δίκαιε, *Pater juſte*] Compellat Deum hoc nomine quia æquitati ejus ſit conveniens præmiis afficere eos qui mundo relicto ipſum coluerunt.

καὶ ὁ κόσμος σε οὐκ ἔγνω, mundus te non cognovit] Cohæret ſententia cum præcedentibus: ὅτι ἠγάπησας [*quia dilexiſti*]. Itaque non eſt interſtinguendum completè poſt κόσμου [*mundi*]. *Magna hominum pars non oſtendit factis te ſibi eſſe notum.* Agitur enim hîc de cognitione activa, I Epiſt. II, 4. & IV, 8.

ἐγὼ δέ σε ἔγνων, ego autem te cognovi] Oſtendi dogmate meo.

καὶ οὗτοι ἔγνωσαν ὅτι σύ με ἀπέστειλας. & hi cognoverunt quia tu me miſiſti] Factis oſtenderunt ſe id credere.

26. Καὶ ἐγνώρισα αὐτοῖς τὸ ὄνομά σου, *Et notum feci eis nomen tuum*] Proprietates tuas, ut ſuprà 6.

καὶ γνωρίσω· & notum faciam] Magis in colloquiis poſt reſurrectionem, Lucæ XXIV, 45. Actor. I, 3.

ἵνα ἡ ἀγάπη ἣν ἠγάπησάς με ἐν αὐτοῖς ᾖ, ut dilectio quâ dilexiſti me in ipſis ſit] Id eſt, ut eos tam bene inſtitutos de te ames ſicut me amas. Sic I Epiſt. IV, 9. ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ ἐν ἡμῖν [*dilectio Dei in nobis*] eſt *erga nos*, quâ nos proſequitur.

κἀγὼ ἐν αὐτοῖς. & ego in ipſis] Vt mea dogmata & exemplum vitæ tam bene inculcata magis magiſque hæreant eorum mentibus, Galat. IV, 19. & ſuprà XIV, 33.

CAPVT XVIII.

1. Ἐξῆλθε, *Egreſſus*] Extra Vrbem, cujus portæ etiam noctu patebant altâ pace, præſertim feſtis diebus, cùm tantæ multitudini locus ad quietem intra Vrbem non eſſet.

πέραν τοῦ χειμάῤῥου, trans torrentem] Ad eum locum quà pedibus tranſitur, ut hîc Syrus.

τῶν κέδρων, cedrorum] Ita hîc Græci omnes codices: nec aliter in Græca verſione II Sam. XV, 23. I Reg. II, 37. Alibi ut II Reg. XXIII, 4, ſine articulo κέδρων [*cedrorum*], ſed ita ut appellativum eſſe appareat, cùm alioqui Hebræa nomina ſcribantur cum accentu in ultima. Accedit quòd Ioſephus belli Iudaïci ſexto & alibi vallem adſitam κεδρῶνα [*cedronem*], id eſt, *locum cedris conſitum* vocat, quomodo montem Oliveti ἐλαιῶνα [*olivetum*], & ſicut Græci dicunt δαφνῶνα, πλατανῶνα [*daphnona, platanona*], & alia ad eam formam ; ita ut dubitari non debeat quin cedris conſiti fuerint margines hujus torrentis. Nec movere quenquam debet quòd nonnulli monuerunt Cedros Hebræis dici ארזים [*arazim*]. Multa enim ſunt Cedri ita generaliter dictæ genera, & inter ea unum unde nomen Græcum fluxit קדרון [*cedron*], quod exſtat Gen. VI, in Chaldaïca verſione : quod Rabbini Nathan & Ioſua Karchel extulerunt קדרונה [*cedrona*]. Hebræis ergo dicitur *Torrens Cedri*, Græcis eodem ſignificatu χείμαῤῥος τῶν κέδρων [*torrens cedrorum*], quia in his collectivis ſingulare ſumitur pro plurali, ut vidimus ſuprà XV, 16. Solet autem Iohannes ubi nomina propria exprimit ad ſignificationem aliquam aut hiſtoriam alludere, ut hîc ad eam quâ David, typus in pleriſque Chriſti, à filio ſuo bello petitus Vrbe migrans eundem torrentem transiit, bonis tam indignam ejus calamitatem lacrymantibus, II Samuel. xv, 23. Sicut perfidus Achitophel Iudæ, ita Abſolomus ingratus & rebellis filius populi Iudaïci geſſit imaginem.

ὅπου ἦν κῆπος, *ubi erat hortus*] Pars villæ Gethſemani. Vide Matthæi xxvi, 36.

2. ὅτι πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς ἐκεῖ, *quia frequanter Ieſus convenerat illuc*] Solebat Ieſus ſemper precandi causâ loca ſola quærere. His verò feſtis diebus ſemper ibi pernoctare ſolitus erat, Luc. xxi, 37. xxii, 39. Oſtendit & hoc facto Chriſtus ſe inimicos non fugere, ſed locum & tempus eligere opportuna Patris ſuoque conſilio. In loco Orationis quàm in loco Cœnæ capi maluit, & nocte, ut oſtenderetur hoſtium formido qui die illum aggredi auſi non erant.

3. τὴν σπεῖραν, *cohortem*] Illam quæ Paſchatis diebus à Præſide dari ſolebat Senatoribus ad ſervandam Vrbis & Templi quietem. Vide quæ ad Matth. xxvi, 47. Hujus cohortis Præfectus χιλίαρχος [*præpoſitus mille hominibus*] mox vocatur 12. Neque tamen neceſſe eſt totam cohortem adfuiſſe, ſed ejus partem.

καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ Φαρισαίων ὑπηρέτας, *& à Pontificibus & Phariſæis miniſtros*] Ex [*à*], id eſt, *ab ipſis datos. Pontificum* & *Phariſæorum* nomine iterum Senatum deſcribit, quòd illi ob privata ſtudia maximè Ieſu adverſarentur. ὑπηρέται שטרים [*miniſtri*] de quibus dicto Matthæi loco. Aderat his miniſtris ὁ στρατηγὸς [*Prætor templi*], ut ibidem notatum.

μετὰ φανῶν καὶ λαμπάδων, *cum laternis & facibus*] Oſtendit Euangeliſta quanto ardore Chriſtum quæſierint & metuerint ne elaberetur, qui plenâ Lunâ tamen & faces & laternas attulerint, ut omnes latebras perreptarent.

καὶ ὅπλων. *& armis*] Hoc arguit eam quam modò notavimus formidinem.

4. εἰδὼς πάντα τὰ ἐρχόμενα ἐπ' αὐτὸν, *ſciens omnia quæ ventura erant ſuper eum*] Et hoc & ſequentia diligenter annotat Euangeliſta ut oſtendat Chriſtum non impotentiâ ſed voluntate ſuapte in manus veniſſe inimicorum.

ἐξελθὼν εἶπεν αὐτοῖς, Τίνα ζητεῖτε; *proceſſit & dixit eis, Quem quæritis*] ? Vltro prodit & ſe offert. Simile de Eliſæo Ioſephus viii, 2.

5. Ἀπεκρίθησαν αὐτῷ· Ἰησοῦν τὸν Ναζαραῖον. *Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum*] Tantâ luce agnoſcere eum non potuerunt, παταχθέντες ἐν ἀορασίᾳ [*perculſi cæcitate*], ut olim Sodomæ cives Geneſ. xix, 11. in quo præſagium fuit urbis non diſſimilem in modum perituræ.

6. ἐγώ εἰμι, *ego ſum*] *Ego is ſum*, ut alibi hanc locutionem expoſuimus.

ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω, καὶ ἔπεσον χαμαί. *abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram*] Evenit illis κατὰ πόδας [*verbotenus*] quod David adversùs inimicos ſuos à Deo precatur Pſalm. xxxv, 4. ἀποστραφείησαν εἰς τὰ ὀπίσω [*vertantur retro*], ut ibi habet Græca verſio. Sic & Eſaïas xxviii, 13. πέσωσιν ὀπίσω [*cadant retrorſum*]. Videtur autem hîc graphicè exprimi Ieſu potentia, quaſi ſolo halitu ſuos inimicos difflaſſet, quod Deo tribuitur, Iob iv, 19. Vide & Dan. x, 9.

7. Πάλιν οὖν αὐτοὺς ἐρώτησε, *Iterum ergo interrogavit eos*] Cùm iſto miraculo moniti nondum reſipiſcerent. Magnæ contumaciæ character.

8. εἰ οὖν ἐμὲ ζητεῖτε, ἄφετε τούτους ὑπάγειν. *ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire*] Boni Regis ſpecimen, non pro ſe ſed pro ſuis ſolliciti: qua & ipſa in re David ejus typum geſſit, 1 Paralip. xxi, 17. Et potentiam ſuam oſtendit, qui hoc quaſi jure ſuo imperat.

9. Ἵνα πληρωθῇ ὁ λόγος ὃν εἶπεν, *Vt impleretur ſermo, quem dixit*] Hîc manifeſtum eſt quod ſæpe diximus, talibus dictorum citationibus appoſitum ἵνα ἐκβατικὸν [*ut eventûs ſignificativum*], ut & infrà xix, 24.

ὅτι οὓς δέδωκάς μοι οὐκ ἀπώλεσα ἐξ αὐτῶν οὐδένα. *quia quos dediſti mihi non perdidi ex eis quenquam*] Ἀπώλεσα [*perdidi*] hîc ut ἀπολέσω [*perdam*] ſuprà vi, 39. eſt *ſivi perire*; quomodo ſæpe interpretanda ſunt ea quæ habent formam Hiphil apud Hebræos, quâ formâ hîc Syrus utitur: nam verba quæ hîc repetuntur ſuprà ſic habent, καὶ οὐδεὶς ἐξ αὐτῶν ἀπώλετο [*& nemo ex eis periit*], xvii, 12. Voluit Chriſtus, ut ibi diximus, ſingulari quadam cura præſtare, ne duodenario teſtium ſuorum numero præter unum impuriſſimum quiſquam ſubduceretur: ut cæteri omnes acciperent promiſſum Spiritum & munus ſuum cum fructu auſpicarentur, viderentque incrementa Regni Meſſiæ.

10. ἔχων μάχαιραν, *habens gladium*] Pro more peregrinantium in iis locis. Diximus ad Luc. xxii, 38. Cætera vide ad Matthæum.

ἦν δὲ ὄνομα τῷ δούλῳ Μάλχος. *erat autem nomen ſervo Malchus*] Nomen frequens apud Syros: quomodo & patrio ſermone vocabatur Philoſophus is qui ſe Græcè *Porphyrium* dixit. Etiam Arabes uſurparunt, ut apud Ioſephum apparet.

11. εἰς τὴν θήκην. *in vaginam*] Vide ad Matthæum.

τὸ ποτήριον ὃ δέδωκέ μοι ὁ πατὴρ, *calicem quem dedit mihi Pater*] Vide de hac locutione ad Matthæum xx, 22.

οὐ μὴ πίω αὐτό; *non bibam illum*]? Vin' tu prohibere quò minùs impleam quod Patri placet? Vide locum non diſſimilem Matth. xvi, 23.

12. καὶ ὁ χιλίαρχος, *& Tribunus*] Vertas optimè *Præfectus cohortis*: ita enim Latini vocant quem Græci Latinæ hiſtoriæ Scriptores χιλίαρχον [*præpoſitum mille hominibus*], ut & Lucas in Actis ſæpius. *Tribunus* verò plerunque eſt qui toti legioni præeſt. Erant & inter Iudæos χιλίαρχοι [*præpoſiti mille hominibus*], Numeror. xxxi, 14. & ſeqq. 1 Sam. xviii, 13. 1 Paral. xii, 20. Sed hîc de eo agitur qui Romanam cohortem ducebat. Ideo appoſitè ſequitur καὶ οἱ ὑπηρέται τῶν Ἰουδαίων [*& miniſtri Iudæorum*].

καὶ ἔδησαν αὐτόν. *& ligaverunt eum*] Ab Iuda moniti ut cum magna circumſpectione eum ducerent, quod ſolitus eſſet interdum è turba inconſpicuus elabi. Vide Marc. xiv, 44.

13. Καὶ ἀπήγαγον αὐτὸν πρὸς Ἄνναν πρῶτον· *Et adduxerunt eum ad Annam primùm*] Quòd ejus domus in proximo eſſet, & quia is magnæ erat apud generum Cajapham auctoritatis, ex ipſo diſcere voluerunt

runt quónam & quomodo ducendus eſſet Ieſus. Vide quæ infrà dicemus 24.

ἦν γὰρ πενθερὸς τοῦ Καϊάφα, *erat enim ſocer Cajaphæ*] Provectior ætate, affinitate junctus, & cujus gratiâ Cajaphas Pontificatum acceperat.

ὃς ἦν ἀρχιερεὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐκείνου. *qui erat Pontifex anni illius*] Quare quoties infrà ἀρχιερεὺς [*Pontifex*] ſimpliciter dicitur, Cajaphas eſt intelligendus, ut & apud Matthæum aliosque Scriptores. Cur additum ſit *ejus anni*, dictum ſuprà XI, 49. Et cùm modò dixiſſet *primùm ductum ad Annam*, tacitè ſatis indicavit inde ductum ad Cajapham. Quod cùm quidam deeſſe putarent textui addiderunt, ut ex Cyrillo diſcimus, contra omnes qui nunc exſtant codices & interpretes. Adde quod ſatis hoc dictum intelligitur infra 15. Tum verò codex quo uſus eſt Cyrillus alia quoque habebat affictа, ut infrà XIX, 30.

14. Ἦν δὲ Καϊάφας ὁ συμβουλεύσας, *Erat autem Cajaphas qui conſilium dederat*] In memoriam reducit dictum hujus Cajaphæ memoratum capite XI. ut inde intelligatur quanto ille odio in Chriſtum incenſus fuerit, ut qui nullâ aliâ prolatâ causâ, prætextu utilitatis publicæ, & quidem imaginario, interficiendum eum pro ſententia auſus eſſet dicere. Pertinet autem hoc ad elevandam judicii in Chriſtum habiti auctoritatem.

15. Καὶ ὁ ἄλλος μαθητής. *Et alius diſcipulus*] Certum eſt & in aliis & in his libris ſæpe abundare articulum, quem ſenſum & hîc ſecutus eſt Syrus, vertens, *Vnus ex diſcipulis aliis*. Et ſanè non eſt probabile aut ipſum Iohannem hîc intelligi (cur enim Galilæus cùm eſſet minùs interrogaretur ab adſtantibus quàm Petrus?) aut aliquem ex Duodecim, ſed alium quendam Hieroſolymitanum, non æquè manifeſtum fautorem Ieſu: quales multi erant in Vrbe, ut ſuprà didicimus XII, 42. Valde mihi ſe probat conjectura exiſtimantium hunc eſſe eum in cujus domo Chriſtus cœnaverat, ob id quod legitur Matth. XXVI, 18.

ἦν γνωστὸς τῷ ἀρχιερεῖ, *erat notus Pontifici*] Quippe civis ejus urbis, non Galilæus.

16. τῇ θυρωρῷ, *oſtiariæ*] Mos erat Hebræis etiam feminis uti janitricibus: II Sam. IV, 6. in Græco ἡ θυρωρὸς τοῦ οἴκου ἐκάθαιρε πυρούς [*oſtiaria domûs purgans triticum*].

καὶ εἰσήγαγε τὸν Πέτρον. *& introduxit Petrum*] Ipſa janitrix. Eſt enim ſenſus conciſus. Dixit ille janitrici ut intrare pateretur Petrum; quod illa fecit.

17. Μὴ καὶ σὺ, *Nonne & tu*] Affirmantis apud Hebræos. Vide quæ apud Matthæum.

18. οἱ δοῦλοι, *ſervi*] *Privata domûs ſervitia.*

καὶ οἱ ὑπηρέται, *& miniſtri*] Miniſtri publici.

ἀνθρακιὰν πεποιηκότες, *cùm feciſſent ſtruem carbonum*] *Struem carbonum ad excitandum ignem luculentum.* Vide Marcum.

ψῦχος ἦν, *frigus erat*] Vt nocte primi veris.

ἑστὼς, *ſtans*] Interdum ſtans, interdum ſedens, incertus quid ageret, quem habitum præferret.

19. περὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, *de diſcipulis ſuis*] Cur diſcipulos colligeret, & nominatim duodecim primæ admiſſionis.

καὶ περὶ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ. *& de doctrina ejus*] Quænam ea eſſet; tacitè indicans eſſe factioſam & ſeditioſam.

20. Ἐγὼ παῤῥησίᾳ ἐλάλησα τῷ κόσμῳ· *Ego palàm locutus ſum mundo*] Παῤῥησίᾳ eſt *palàm*, ut ſuprà aliquoties. *Palàm*, inquit, *coram omnibus qui audire vellent docui*: quod non faciunt ſeditionum concitatores.

πάντοτε ἐδίδαξα, *ſemper docui*] Quoties ulla ſe dedit occaſio.

ὅπου πάντες οἱ Ιουδαῖοι, *quò omnes Iudæi*] Vulgò & hîc eſt πάντοτε [*ſemper*], repetitum, ni fallor, ex loco ſuperiore. At πάντες [*omnes*] legerunt Syrus, Arabs, Latinus.

καὶ ἐν κρυπτῷ ἐλάλησα οὐδέν· *& in occulto locutus ſum nihil*] Id eſt, nihil ſtudui celare: non aliud domi docui quàm in publico: quod ſignum eſt magnæ fiduciæ.

21. Τί με ἐπερωτᾷς; *Quid me interrogas*]? Quaſi dicat, Iam Synagogâ moviſtis qui mihi credunt, jam me decreviſtis capiendum, & nondum inquiſiviſtis in mea dogmata, ſed nunc demum ex me ea vultis diſcere? Quis hic mos agendi?

ἐπερώτησον τοὺς ἀκηκοότας, *interroga eos qui audierunt*] Hoc jubet Lex, à teſtibus incipi; præſertim ubi multi ſuppetunt, ut hîc. Audierant eum toties Phariſæi.

Ἴδε, οὗτοι οἴδασιν ἃ εἶπον ἐγώ. *Ecce hi ſciunt quæ dixerim ego*] Ipſi veſtri ſatellites ſatis norunt qualia docuerim; ſcitis quid vobis retulerint. Vide VII, 46.

22. εἷς τῶν ὑπηρετῶν, *unus miniſtrorum*] Metuens ne & ipſe pro fautore rei haberetur.

ῥάπισμα, *alapam*] Vide quæ ad Matth. XXVI, 67. *Percuſſit ſuper maxillam* Syrus hîc. Sic ſolent facere qui tyrannis adulantur. Vide hiſtoriam I Reg. XXII, 24. ubi eſt ſimiliter in Hebræo *Percuſſit ſuper maxillam*: ῥαπισθεὶς [*alapis cæſus*] ait eo loco Ioſephus.

οὕτως ἀποκρίνῃ τῷ ἀρχιερεῖ; *Sic reſpondes Pontifici*]? Vt ille Actor. XXIII, 4. qui Paulo dicebat, Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς; [*Pontifici Dei maledicis*]? Debetur quidem Magiſtratibus reverentia, ſed non quæ reis ſe tuendi libertatem tollat.

23. Εἰ κακῶς ἐλάλησα, *Si maledixi*] Si quid dixi contumelioſiùs in Pontificem. Sic οὐκ ἐρεῖς κακῶς [*non maledices*] Actor. XXIII, 5. ut & in Græco Exodi XXII, 28.

μαρτύρησον περὶ τοῦ κακοῦ· *teſtimonium perhibe de malo*] Oſtende me in legem illam Exodi peccaſſe. Μαρτυρεῖν [*teſtimonium perhibere*] eſt *palàm dicere*, ut ſuprà XIII, 21. Fidenter hoc dicere poterat Dominus qui defendit ſe quidem, quod licebat & decebat, ſed λοιδορούμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, πάσχων οὐκ ἠπείλει [*cum malediceretur non remaledicebat, cùm pateretur non comminabatur*].

εἰ δὲ καλῶς, τί με δέρεις; *ſi autem bene, quid me cædis*]? Qui in æquorum Iudicum ſunt poteſtate, iidem & in eorum tutela ſunt contra vim omnem extra judicium, & à miniſtris Iudicum in hoc defendi, non violari debent. Et quæ mox ſequuntur de Pilati cognitione tacitè oſtendunt, ut & Acta Apoſtolorum ſæpe, Romanos Iudæis fuiſſe æquiores, ac proinde juſto Dei judicio accidiſſe ut Romanis parérent.

24. Ἀπέστειλεν αὐτὸν, *Miſit ipſum,*] ſive *miſerat.* Οὖν [*ergo*] abeſt à pleriſque codicibus, & rectiùs, ut opinor. Sed ut nodum ſolvas qui hîc necti ſolet, ἀπέστειλεν verte *miſerat*, ut ἔδησεν Matth. xiv, 3. *vinxerat*: ubi & alia attulimus exempla. Sic ἐκράτησε [*tenuerat*] Marci vi, 17. Sic & pauló infrà οὗ ἀπέκοψε ὁ Πέτρος τὸ ὠτίον, ubi Latinus rectè, *cujus abſciderat Petrus auriculam.* Cur autem hoc quod antè ſuo loco omiſerat Iohannes hîc inſeruerit, ita demum intelligemus, ſi accentum ἐμφάσεως [*efficaciæ*] indicem poſuerimus non in voce ἀπέστειλεν [*miſerat*] ſed in voce δεδεμένον [*vinctum*]. Narraturus enim Iohannes ſecundum Petri lapſum, cauſam præmittit, quòd Petrus jam Ieſum videret manere vinctum: quod Iohannes obiter notat factum fuiſſe ipſius Annæ juſſu, gravi in reum præjudicio, cùm ante id tempus ſatellitum imprudentiæ id potuiſſet adſcribi. Hoc igitur Petro omnem ſpem æquæ cognitionis ademit.

25. ἑστὼς, *ſtans*] Vide quæ ſuprà 18.

26. Οὐκ ἐγώ σε εἶδον ἐν τῷ κήπῳ, *Nonne ego te vidi in horto*] Vt modò ſecundi ita nunc tertii lapsûs cauſa affertur, quòd valde ſentiret ſe premi memoratione horti, & metueret ne violatæ poteſtatis reus ageretur.

28. Ἄγουσιν, *Adducunt*] Imperſonaliter, id eſt, *ducitur Ieſus.* Circumducitur per multa tribunalia, quò magis innocentia ejus innoteſcat.

ἀπὸ τοῦ Καϊάφα, *à Caiapha*] Ab ejus ædibus. Sic Marci v, 35, ἀπὸ τοῦ ἀρχισυναγώγου [*ab Archiſynagogo*]. Vide ſuprà xv, 26.

εἰς τὸ πραιτώριον. *in prætorium*] Vide Matthæi xxvii, 27.

ἦν δὲ πρωΐα· *erat autem manè*] Ne hoc quidem fruſtrà additum. Oſtenditur enim ſumma Senatorum feſtinatio. Iudicari ſolebat poſt nonam. Ante id tempus volebant peragi judicium, ne imminente Sabbato aliquid accideret quô reus elaberetur.

οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον ἵνα μὴ μιανθῶσι, *non introierunt in prætorium ut non contaminarentur*] Cum non poſſent omne cum alienigenis colloquium vitare, ita rem temperaverant, ut diebus ſacris & præparatoriis ad ſacra, eos privatim accedere non liceret, ſed publicè, ſi quod urgeret negotium, alloqui eos poſſent. Petrus quoque in Actis Apoſtolicis à Cornelio miſſos primùm pro foribus alloquitur, nec in ædes introducit niſi cognito eos eſſe de quibus à Deo erat præmonitus, Actor. x, 21, 22, 23. Alii verò exiſtimant ideò Iudæos prætorium non ingreſſos ne damnationis participes viderentur: nam ſtatim à damnatione ſacris veſci non licebat, ut notatum Maimonidæ.

ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. *ſed ut manducarent Paſcha*] Scilicet impolluti, ſalvâ religione; & nota τὸ πάσχα [*Paſcha*] ad ea quæ diximus Matth. xxvi, 2, & 17.

29. Ἐξῆλθεν οὖν Πιλάτος πρὸς αὐτοὺς, *Exivit ergo Pilatus ad eos foras*] Non tam ſuperſtitioſus ut illi, ſed æqui obſervantior, & hôc melior. Omnia enim hæc ſuum habent momentum. Exiit autem in ſtadium ubi tribunal ponere ſolebat.

τίνα κατηγορίαν φέρετε, *quam accuſationem affertis*] Κατηγορίαν [*accuſationem*] vocat *crimen. Quod crimen affertis* quod vos alieno tempore huc adigit?

30. Εἰ μὴ ἦν οὗτος κακοποιὸς, οὐκ ἄν σοι παρεδώκαμεν αὐτόν. *Si non eſſet hic malefactor, non tibi tradidiſſemus eum*] Vide iniquitatem. Quod probationibus deerat, id ſuppleri volunt ſua auctoritate. Simul, ut credibile eſt, aliqua attulerunt de Sabbato, & ſimilia.

31. Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνετε αὐτόν. *Accipite eum vos, & ſecundùm legem veſtram judicate eum*] Loro cædite: nam hucuſque poteſtas illis ſalva permanſerat poſt Iudæam in provinciam redactam. Vide Matth. x, 17. II Cor. xi, 24.

ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα. *nobis non licet interficere quenquam*] Tacitè innuunt Ieſum tantorum criminum teneri ut omnino morte luenda ſint: Id autem non erat ipſorum poteſtatis. Nam ſi qui aliquando à Iudæis ſunt interfecti, id factum eſt motu populari, quanquam interdum præjudicium quoddam præceſſerat Senatûs eos reos declarantis. Vide quæ ad Matth. v, 22.

32. Ἵνα, *Vt*] *Ita factum eſt ut impleretur quod Ieſus dixerat.*

σημαίνων ποίῳ θανάτῳ ἤμελλεν ἀποθνήσκειν. *ſignificans qua morte eſſet moriturus*] Non ſeditione populari, ſed (quod pejus erat) ſententiâ hominis Gentilis quem ipſi abominabantur, ſed ſententiâ à Iudæis extortâ. Vide Matth. xx, 19. & xxvi, 45. Ipſum ſupplicii genus quo ſe afficiendum Chriſtus indicaverat ſuprà iii, 14. xii, 32, Romanum non Iudaïcum.

33. Εἰσῆλθεν οὖν εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν, *Introivit ergo in prætorium iterum*] Πάλιν [*iterum*] hîc non ad actum intrandi refertur (is enim repetitus non eſt) ſed ad locum ubi fuerat antequam exiret. Simile loquendi genus habuimus ſuprà vi, 15. x, 17. Syrus quòd abundaret hæc particula, eam omiſit. Intravit autem in prætorium Pilatus ut reum liberiùs interrogaret.

σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων; *tu es Rex Iudæorum?*] Nam delegati à Synedrio hôc præcipuè crimine eum oneraverant: quod alii Euangeliſtæ narrant. *Tune,* inquit, *es Rex ille quem Iudæi jampridem venturum ſibi pollicentur? aut eum te eſſe prædicas?*

34. Ἀφ' ἑαυτοῦ σὺ τοῦτο λέγεις, ἢ ἄλλοι σοι εἶπον περὶ ἐμοῦ; *A teipſo hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?*] Tot jam annis Præſidem agis, & Imperii Romani majeſtatem non negligenter tutaris, compertúmne tibi eſt aliquid quod me Imperii turbati ſuſpectum faceret? Quod ſi tibi nihil tale compertum eſt, ſed alii hoc ſuggeſſerunt, vide ne vocis ambiguo fallaris. Ita prudenter ex Præſide id vult elicere quod ipſi ad ulteriorem reſponſionem viam paret.

35. Μήτι ἐγὼ Ἰουδαῖός εἰμι; *Numquid ego Iudæus ſum?*] Egóne ſcire poſſum quid Iudæi ex ſuis libris ſperent, aut ſibi promittant?

τὸ ἔθνος τὸ σὸν, *gens tua*] *Populares tui*, ut hîc Syrus.

καὶ οἱ ἀρχιερεῖς παρέδωκάν σε ἐμοί. *& Pontifices tradiderunt te mihi*] Expoſitio ejus quod præceſſerat, *Imo ipſi Pontifices*, proceres populi, iſtarum rerum intelligentes, *te huc adduxerunt* à ſe præjudicatum.

τί ἐποίησας; *quid feciſti?*] Quo facto eos tam graviter offendiſti? Hoc quoque Chriſto occaſionem dat reſpondendi.

36. Ἡ βασιλεία ἡ ἐμὴ οὐκ ἔστιν ἐκ τοῦ κόσμου τούτου· *Regnum meum non eſt de hoc mundo*] *Regnum* à Prophetis promiſſum, *quod mihi vindico*, ſtatum Imperii Romani non lædit; *non eſt enim indolis mundanæ:* quo ferme ſenſu illa locutio ἐκ τοῦ κόσμου [*de mundo*] & ſupra uſurpata eſt VIII, 23. XV, 19. Hoc intereſt, quòd ibi de moribus vitioſis mundi agitur, hîc de poteſtate illa quâ ubique utuntur qui Reges appellantur ſenſu vulgari. Idem mox dicit ἐντεῦθεν [*hinc*]. Narrantur apud Euſebium Ieſu cognati rogati de ipſius Regno reſpondiſſe Domitiano, ὡς ἡ αὐτοῦ βασιλεία οὐ κοσμικὴ μὲν οὐδ᾽ ἐπίγειος, ἐπουράνιος δὲ καὶ ἀγγελικὴ τυγχάνει [*regnum ipſius non eſſe mundanum aut terreſtre, ſed cæleſte & angelicum*].

οἱ ὑπηρέται ἂν οἱ ἐμοὶ ἠγωνίζοντο, *miniſtri mei utique decertaſſent*] Si tale Regnum affectaſſem, quale cavere ad te pertinet, collegiſſem mihi ſtipatores armatos, ut ſolent qui talia conantur. Nunc paucos habui diſcipulos, & pleroſque inermes; quid ad tantam vim inimicorum? & hos ipſos pugnare vetui.

ἵνα μὴ παραδοθῶ τοῖς Ἰουδαίοις· *ut non traderer Iudæis*] Hortatus eſſem meos, ut Imperatores ſolent, ut pro me fortiter dimicarent, ne in poteſtatem venirem inimicorum: quo ſenſu παραδοῦναι [*tradere*] uſurpatur Matth. IV, 12.

37. Οὐκοῦν βασιλεὺς εἶ σύ; *Ergo Rex es tu?*] מדין Syrus, id eſt, *ergo*. Quandoquidem diſtinguis de Regno, aliquod ergo Regnum tibi vindicas?

Σὺ λέγεις, *Tu dicis*] *Rectè dicis:* Hebraïſmus. Rex ſum certo ſenſu. Interrogatio Pilati tacitè hoc ponebat. Noluit Chriſtus ſimpliciter à ſe abdicare Regis titulum, ne videretur præclara illa de venturo Rege vaticinia à ſe alienare. Hæc eſt illa καλὴ ὁμολογία [*bona confeſſio*], I Timoth. VI, 13.

ἐγὼ εἰς τοῦτο γεγέννημαι, *ego in hoc natus ſum*] Solent qui regnum ſibi vindicant dicere ſe cum eo jure natos: Chriſtus quoque ſe oſtendit natum in hoc ut regnaret, Lucæ I, 32.

καὶ εἰς τοῦτο ἐλήλυθα εἰς τὸν κόσμον, *& ad hoc veni in mundum*] *In hoc me oſtendi & notum feci hominibus*, ſuprà III, 17, 19. IX, 39. XI, 27.

ἵνα μαρτυρήσω τῇ ἀληθείᾳ. *ut teſtimonium perhibeam veritati*] Subaudi, *& in hoc ipſo ſitum eſt Regnum meum.* non eſt coactivum, ſed perſuaſivum. De locutione vide V, 33.

πᾶς ὁ ὢν ἐκ τῆς ἀληθείας, *omnis qui eſt ex veritate*] *Qui ingenio ſunt veri amante.* Sic Roman. II, 8. τοῖς ἐξ ἐριθείας, [*iis qui ſunt ex contentione*] *his qui ingenio ſunt contentioſo.* Vide & ſuprà VIII, 47.

ἀκούει μου τῆς φωνῆς. *audit vocem meam*] Hi mihi tanquam Regi ſua ſponte, vi nulla coacti, obediunt. Vide ſuprà X. Ex contrario dat intelligi homines falſi amantes (quales erant Iudæi, ſupra VIII, 49.) alieno à ſe eſſe animo; neque mirum ſi à talibus accuſetur, cùm veritas apud tales odium pariat.

38. Λέγει αὐτῷ ὁ Πιλάτος, Τί ἐστιν ἀλήθεια; *Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?*] Ex Ieſu reſponſo Pilatus concepit Regnum quod Ieſus ſibi tribueret non magis Imperio Romano obeſſe quàm id quod Stoici Sapienti ſuo tribuunt. Obiter autem quærit, cujus generis ſit illa veritas cujus ſe Magiſtrum profiteatur; ſed ita ut non inſtet, quaſi de re ad Iudicis officium nihil pertinente.

πρὸς τοὺς Ἰουδαίους, *ad Iudæos*] Ad Pontifices, adſtante corona populi.

ἐγὼ οὐδεμίαν αἰτίαν εὑρίσκω ἐν αὐτῷ. *ego nullam invenio in eo cauſam*] Αἰτία [*cauſa*] hîc, ut ſæpe apud Græcos, eſt *crimen.* Sic & infrà XIX, 4, & 6. Sic αἰτία θανάτου [*cauſa mortis*] Actorum XIII, 28. *crimen capitale.* Senſus eſt ferme ſimilis ei qui Gallioni tribuitur Actorum XVIII, 15. Video quidem aliquid eſſe inter vos controverſiæ, ſed ejus generis quæ in diſputationibus verſetur, quæ non ſit forenſis cognitionis: non eſt hîc ἀδίκημα ἢ ῥᾳδιούργημα [*injuſtitia aut falſimonia*].

39. Ἔστι δὲ συνήθεια ὑμῖν, *Eſt autem conſuetudo vobis*] *Conſuetudo in veſtri gratiam introducta.* Vide quæ ad Matthæum.

τὸν βασιλέα τῶν Ἰουδαίων; *Regem Iudæorum?*] Contemtim; quaſi dicat, Si qui veſtrûm tales homines regio titulo dignantur, nos Romani id non curamus: nihil ad nos id pertinet: permittimus vobis hæc ſomnia.

40. λῃστής. *latro*] Id eſt φονεὺς [*homicida*], ut Actorum III, 14. caput cruentæ ſeditionis.

CAPUT XIX.

1. Τότε οὖν, *Tunc ergo*] Cùm nihil proficeret Pilatus iſto commento de die feſto.

ἐμαστίγωσε, *flagellavit*] Tanquam quæſtionis habendæ gratiâ, conſilio interim ſatiandi iram populi, ut ad Matthæum eſt annotatum.

2. καὶ ἱμάτιον πορφυροῦν, *Et veſtem purpuream*] *Chlamydem coccineam* alii. Syrus hîc ארגונא, quod reſpondet Hebræo ארגמן, quod πορφύραν [*purpuram*] vertere ſolent Græci. Eſt autem color aut idem qui תולע & שנים dicitur, & Græcis κόκκινον [*coccinum*] vertitur, aut ſanè proximus, ita ut Hebræorum Magiſtri utrumque interpretentur per *cramoſinum.* Et Eſaïæ I, 18, ubi Græcè eſt ὡς φοινικοῦν [*velut purpureum*], Latina verſio habet *ut coccinum* ἱματίου [*veſtis*] autem vox hîc generalem habet notionem, non illam ſpecialem pallii.

3. ῥαπίσματα. *alapas*] Vide ſuprà.

4. οὐδεμίαν αἰτίαν, *nullam cauſam*] Id eſt, ne tantillum quidem ob quod flagris cædi debuerit. Ita ipſe ſe iniquitatis damnat, qui populo irato obſequens donaverat pœnam hominis innocentis.

5. Ἴδε ὁ ἄνθρωπος. *Ecce homo*] Videte ejus miſeriam, & quam ridiculum ſit in ipſo crimen regni affectati. Vide infrà 14.

6 οἱ ἀρχιερεῖς καὶ οἱ ὑπηρέται, *Pontifices & miniſtri*] A quibus initium factum in populum manavit.

ἐκραύγασαν, *clamabant*] Vide quæ ad Matthæum.

Λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς καὶ σταυρώσατε, *Accipite eum vos & crucifigite*] Quaſi dicat, Vos hoc, ſi libet, facite veſtro periculo: meum non eſt damnare inſontem. Non jus concedit, ſed mavult alienum quàm ſuum eſſe crimen.

7. Ἡμεῖς νόμον ἔχομεν, *Nos legem habemus*] Cùm non perſuaderent crimen adverſùs Imperium Romanum, legem ſuam urgent, nempe illam de Pſeudoprophetis Deuter. XVIII, 20.

ὅτι ἑαυτὸν υἱὸν Θεοῦ ἐποίησεν. *quia Filium Dei ſe fecit*] υἱὸν Θεοῦ [*Filium Dei*], id eſt, Meſſiam ut notavimus ſuprà I, 49. X, 36. & ad Matthæum XXVI, 63. Si mori debet qui Prophetam ſe dicit cùm non ſit, mori multò magis debet qui Meſſiam ſe dicit cùm non ſit, cùm Meſſias & Propheta eſſe debeat & plusquam Propheta. Vide ſuprà IV, 25. *ſe fecit*, id eſt, ſe eum eſſe finxit. Sic & ſuprà V, 18. VIII, 53. X, 33. & mox 12.

8. μᾶλλον ἐφοβήθη. *magis timuit*] Metuens ob res miras de eo auditas ne fortè verum eſſet ortum eum Divino ſatu, ſicut Romani & Græci de Heroibus ſuis credebant. Vide quæ diximus ad Matthæum XXVII, 54.

9. εἰς τὸ πραιτώριον πάλιν, *in prætorium iterum*] Novæ accuſationis cauſâ novam inſtituturus interrogationem.

Πόθεν εἶ σύ; *Vnde es tu?*] Id eſt, *Vnde ortus*. Vide quæ diximus ſuprà VII, 27.

ἀπόκρισιν οὐκ ἔδωκεν αὐτῷ. *reſponſum non dedit ei*] Secutus quod ipſe præceperat, *ne margaritæ porcis objicerentur*. Vide quæ ad Matthæum XXVI, 63. Nihil æqui exſpectari poterat ab eo qui verberari in gratiam plebis iratæ juſſerat eum quem noverat & fatebatur innocentem. Nec intelligere poterat Pilatus quæ eſſet vis Hebraïcæ locutionis, *Filius Dei*. Tum verò quantum ſatis eſt jam antè dixerat Ieſus, cùm ſe profeſſus erat *in hoc natum ut Rex eſſet amantium veritatem*, ſuprà XVIII, 37.

10. ὅτι ἐξουσίαν ἔχω σταυρῶσαί σε, *quia poteſtatem habeo crucifigere te*] Ἐξουσία [*poteſtas* ſive *potentia*] hic eſt non *jus* propriè, ſed *efficacia talis quæ quod vult æquum aut iniquum facilè effectum dat*, ut ſuprà X, 18. Sic Eccleſiaſt. IX, 13. Ἄπεχε ἀπὸ ἀνθρώπου ὃς ἐξουσίαν ἔχει τοῦ φονεύειν [*longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidendi*]. Hoc ſenſu vocem *licere* uſurpavit Cicero pro Rabirio, Iudices alloquens, *Si enim quod liceat quæritis, poteſtis tollere è civitate quem vultis.*

ἀπολῦσαί σε; *dimittere te?*] *Impunitum dimittendi*, ut ſuprà XVIII, 39. Pilatus parum memor officii quid valeat jactat; & ſe damnat, qui tam potens, plebi furenti ſerviliter morem gerit.

11. Οὐκ εἶχες ἐξουσίαν οὐδεμίαν κατ' ἐμοῦ, *Non haberes poteſtatem adversùs me ullam*] Non haberes talem *potentiam* ſive *facultatem* quam jactas in me: facilè eam evaderem, ut antehac inſidias & ſeditiones multas.

εἰ μὴ ἦν σοι δεδομένον ἄνωθεν· *niſi tibi datum eſſet deſuper*] Inde ſcilicet unde ortus ſum: tacite enim hoc indicat. ἄνωθεν [*deſuper*] eſt ex *cælo*, מעלה Iob. III, 4. quod & ἐξ ὑψίστων [*ex altiſſimis*] vertitur Iob. XXXI, 2. ſic ſuprà III, 31. Iac. I, 17. III, 15, 17. Cùm autem dicit *datum è locis ſuperis*, non illam communem ſignificat permiſſionem quæ multa relinquit ordini naturali, ſed ex graviſſimis cauſis deliberatam rem in conſilio Divino, quæ omnia impedimenta undique amoverat. Hoc modo nactus eſt Pilatus potentiam in Ieſum. Ita & ſuam indicat dignitatem & Pilatum modeſtiæ admonet. Vide Lucam XXII, 53.

διὰ τοῦτο, *propterea*] Relatio eſt ad aliquid quod ſubticetur, ſed quod facilè ex dictis intelligi poteſt: Ideo quia talis ſum cujus curam tam peculiarem gerat Deus, quod ſcilicet Iudæi ex vaticiniis ſcire poſſunt, tu non æquè potes, nec æquè teneris.

ὁ παραδιδούς με σοί, *qui me tradidit tibi*] Singulare pro plurali. *Quisquis is qui me tibi tradidit*, qui cauſa fuerunt cur ut reus ad te ducerer; Iudas præcipuè, ſecundo loco Senatus, tertio populus.

μείζονα ἁμαρτίαν ἔχει. *majus peccatum habet*] Non cares tu culpâ qui innocentem non modò non defendis ſed oneras: ſed minùs delinquis, quia tibi non tam promtum eſt noſſe in quem delinquas. Atrocitatem injuriæ auget cognita aut cognoſci quita qualitas ejus cui infertur. Damnat Chriſtus ſententiam quæ peccata ſtatuit paria, ut & Lucæ XII, 48. Matthæi X, 15.

12. Ἐκ τούτου. *Exinde*] Ex quo conſcientiam ſuam peccati convictam ſentiebat. *Propter hoc* Syrus: ut & ſuprà VI, 66.

ἀπολῦσαι, *dimittere*] Sume ſenſu quo ſuprà commate 10. Quærebat obtentus quibus eum favorabiliter dimitteret.

οὐκ εἶ φίλος τοῦ Καίσαρος· *non es amicus Cæſaris*] *Non es amicus Cæſaris*, id eſt, oſtendis te non eſſe fidum Cæſari: ut ſæpe εἶναι [*eſſe*] ſumitur pro *oſtendi*.

πᾶς ὁ βασιλέα ἑαυτὸν ποιῶν, *omnis qui ſe Regem facit*] *Quicunque* in provinciis Romanis *Regem ſe aſſerit* injuſſu Imperatoris.

ἀντιλέγει τῷ Καίσαρι. *contradicit* ſive *obſiſtit Cæſari*] Ἀντιλέγειν hîc ut & Lucæ II, 34. eſt *repugnare*. Nam Hebræis *dicere* ſæpe eſt *facere* aut *moliri*. Partes Imperatoris Romani ſibi vindicat qui ſine ejus auctoritate vult regnare.

13. ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον, *cùm audiſſet hos ſermones*] Suſpicaciſſimus erat Tiberius, & ſub illo minima quæque veniebant in crimen Majeſtatis, ut ex Tacito & Suetonio apertiſſimum eſt. Apud talem dominum qualiscunque provincialium accuſatio adferebat periculum: cujus timori ſuccumbens Pilatus, planè ut Cajaphas, injuſtè agere quàm pati mavult: quod ferè eſt ingenium eorum qui rempublicam tractant.

ἐπὶ τοῦ βήματος, *pro tribunali*] In xyſto ſive ſtadio tecto. Vide quæ ad Matthæum.

Λιθόστρωτον, *lithoſtrotum* ſive *cruſtatum*] Pari de cauſa forum Conſtantinopoli dictum πλακωτὸν [*cruſtratum*], quia nimirum, ut Zonaras Conſtantino loquitur, κατέστρωτο λιθίναις πλαξὶ [*ſtratum erat cruſtis è lapide*].

Ἑβραϊστὶ δὲ Γαββαθᾶ. *Hebraïcè autem Gabbatha*] Ἑβραϊστὶ [*Hebraice*] intellige ſermone ejus temporis. Significat βῆμα, *locum excelſum*, qualia erant Romanorum tribunalia. Syri ſæpe ב mutant in פ. Ideò hîc גפיפתא. Differt enim lingua Antiochena ab Hieroſolymitana. Hæc dicit Ioſeph, illa Iauſeph: hæc Ioram, illa Iuram: hæc Ioſias, illa Iuſias: hæc Golgatha, illa Golutha. Mos erat Romanorum Præſidum non pronuntiare niſi pro tribunali, qui locus & Ius dicitur.

14. Ην δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα, *Erat autem paraſceue Paſchæ*] Et ſimul προσάββατον [*proſabbatum*], Marci xv, 42. Vide quæ ad Matthæum. Significat non ſine ſpeciali Dei providentia rem ita directam, quandoquidem & Chriſti mors verè erat præparatio ad tranſitum noſtrum in vitam meliorem.

ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη· *hora verò quaſi ſexta*] Id eſt, tempore צהרים, [*meridiei*], cùm Sol maximè fulget. Non ſignificatur præciſè fuiſſe meridies, ſed illa pars diei quæ eſt inter *mane* בקר & ערב *veſperam*. Vide quæ ad Matthæum. Solet ὡσεὶ [*quaſi*] & apud alios & apud noſtros Scriptores nonnihil habere latitudinis.

Ἴδε ὁ βασιλεὺς ὑμῶν. *Ecce Rex veſter*] Exprobrat illis quòd tam ſtulti multi inter ipſos fuerint qui talem hominem pro Rege habuerint.

15. Ἆρον, ἆρον, *Tolle, tolle*] Vide quæ ad Matthæum.

Οὐκ ἔχομεν βασιλέα εἰ μὴ Καίσαρα. *Non habemus Regem niſi Cæſarem*] Ἔχομεν [*habemus*], id eſt, *agnoſcimus*. Mos erat Græcorum & Helleniſtarum quem Romani vocabant *Imperatorem* appellare βασιλέα [*Regem*], quia poteſtas erat ſimilis. Deo ita res & verba dirigente, Iudæi & ſpem de Meſſia abdicant, & ſe ob bella poſtea excitata rebellionis damnant. Tantum poteſt ira ut ſæpe dicantur quæ maximè nocent. Solebant dicere *non habemus Regem niſi Deum*, quod eſt in Thalmude.

16. παρέδωκεν αὐτὸν αὐτοῖς, *tradidit eis illum*] Non in manus tradit; nam traditus eſt militibus ex more Romano: ſed *largitus eſt ipſum illorum odio*, ἐχαρίσατο [*donavit*] Actor. xxv, 11, 16.

παρέλαβον δὲ, *acceperunt*] Id eſt, *acceptus eſt*: Nam ſubauditur nominativus οἱ παραλαβόντες [*qui acceperunt*], *quorum id erat officium*, milites ſcilicet.

17. ἐξῆλθεν, *exivit*] Extra Vrbem, ut Matthæi xxvii, 32. De cæteris vide quæ eo loco.

19. τίτλον, *titulum*] Τίτλος [*Titulus*], πτυχίον ἐπίγραμμα ἔχον [*tabella inſcriptionem habens*] Heſychio. Latinam vocem hoc ſenſu uſurpat Suetonius. *Tabulam* non malè dixerunt Syrus & Arabs. Hebræis eſt לוח.

20. ἐγγὺς ἦν ὁ τόπος τῆς πόλεως, *prope civitatem erat locus*] In ſuburbano, ut ſolebant eſſe loca ſuppliciorum.

21. Μὴ γράφε, Ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων· *Noli ſcribere, Rex Iudæorum*] Id enim ita accipi poterat quaſi populus Iudæorum eum pro Rege habuiſſet.

ἀλλ' ὅτι ἐκεῖνος εἶπε, *ſed quia ipſe dixit*] Id eſt, quòd id nominis temerè ſibi arrogaverit.

22. Ὃ γέγραφα, γέγραφα. *Quod ſcripſi, ſcripſi*] Id eſt, *ſcribi juſſi*, ut ſupra 1, ἐμαστίγωσε [*flagellavit*]. Secundum γέγραφα [*ſcripſi*] eſt *pro ſcripto habeo, ſcriptum manere volo*. Similis πλοκὴ [*copulatio*] Matth. v, 37. Ageſilaus apud Xenophontem ἀπεκρίνατο, ὅτι μεταγράψει μὲν οὐδὲν ὧν ἀπεγράψατο [*reſpondit nihil ſe mutaturum de iis quæ ſcripſiſſet*]. Vides hîc τὸ ἀκαμπὲς [*ingenium flecti neſcium*] Pilati Philoni notatum.

23. ἔλαβον τὰ ἱμάτια αὐτοῦ, *acceperunt veſtimenta ejus*] Pluralis vox ſenſu ſingulari, ut diximus ad Matth. xxvii, 31. & ſuprà xiii, 4. id autem ideo quia pallium pluribus partibus conſtabat.

καὶ ἐποίησαν τέσσαρα μέρη, *& fecerunt quatuor partes*] Facilè id fieri potuit, quia Iudæorum veſtis exterior quatuor partibus conſtabat, quarum extimæ oræ כנפות Hebræis, πτερύγια [*fimbriæ*] Græcis, Deut. xxii, 12. Hæ partes fibulâ jungebantur.

ἄρραφος, *inconſutilis*] *Sine commiſſura*, continuo textu, non juncta fibulis. Ioſephus de Pontificis tunica, ἔστι δ' ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιτμημάτων ὥστε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι [*erat autem tunica iſta non ex duabus partibus ita ut ſuper humeros confibularetur*], &c.

24. Μὴ σχίσωμεν αὐτὸν, *Non ſcindamus eam*] Inutilem futuram ſi ſcinderetur.

ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτοῦ, *ſed ſortiamur de illa*] Sic Probus apud Vopiſcum cùm equus in commune obtigiſſet in præda, *In urnam milites juſſit nomen ſuum mittere ut aliquis eum ſorte ductus acciperet*. Pro *urna* eſt *galea* apud Virgilium & Papinium.

Διεμερίσαντο, *Partiti ſunt*] Dixit hoc David de ſe proverbialiter Pſalm. xxii, 18. ut indicaret inimicos lætatos ſuis ſpoliis. At Dei providentiâ factum eſt ut hæc & alia ejuſmodi in Chriſto implerentur perfectiùs, non modò ſecundùm ſenſum proverbialem, ſed & κατὰ πόδας [*verbotenus*], ut appareat in ipſo eſſe complementum omnium quæ veteribus contigerant.

25. παρὰ τῷ σταυρῷ, *juxta crucem*] Ita tamen ut intercedente militum turba propiùs ad crucem accedere prohiberentur, Matth. xxvii, 55.

ἡ μήτηρ αὐτοῦ, *mater ejus*] Neque periculo ſuo, neque triſtitia ſpectaculi, neque probris abſterrita quominus Filii ultima mandata exciperet, & reipſa oſtenderet memorem ſe eorum quæ ab Angelo didiciſſet. Præſagium fortitudinis Chriſtianæ etiam in ſexu infirmiore apparituræ.

Μαρία ἡ τοῦ Κλωπᾶ, *Maria Cleopæ*] *Filia Cleopæ*, ut diſertè habet Arabs. Vide quæ ad Matthæum.

26. τὸν μαθητὴν παρεστῶτα ὃν ἠγάπα, *diſcipulum adſtantem quem diligebat*] Vt ſuprà xiii, 23.

Γύναι, *Mulier*] Vt ſuprà ii, 4.

ἰδοὺ ὁ υἱός σου. *ecce filius tuus*] Hic tibi pro me filii erit loco, hic tibi filii officia exhibebit, ut ſic etiam in ipſa adimpleretur id quod Chriſtus piis promiſit Matth. xix, 29. Tertullianus adversùs hæreticos de Iohanne: *quem loco ſuo filium Mariæ demandavit*.

27. Ἰδοὺ ἡ μήτηρ σου. *Ecce mater tua*] Quam tu ut matrem poſthac obſervaturus es. Sic apud Virgilium ix Æneidos, Aſcanius Euryalo de Euryali matre,

Namque erit iſta mihi genitrix. ——

ἀπ' ἐκείνης τῆς ὥρας, *ex illa hora*] Manuſcriptus quem ſæpe jam laudavi habet ἐκείνης τῆς ἡμέρας [*illa ipſa die*].

εἰς τὰ ἴδια. *in ſua*] *In domicilium ſuum*. Vide quæ ad Luc. ii, 49. ſuprà xvi, 32. Sic quod Hebraïcè eſt אל־ביתו [*in domum ejus*] Eſther v, 10. & vi, 12. Græcè vertitur εἰς τὰ ἴδια [*in propria*]. Notavimus alibi Ioſephum Mariæ conjugem cùm hæc gererentur fuiſſe mortuum.

28. ὅτι πάντα ἤδη τετέλεσται, *quia omnia jam conſummata ſunt*] Quæ ad ipſius ſtatum humilem pertinebant & intellige præteritum poni pro proximè

futuro. Vide Matth. xxvi, 28. & quæ ibi notata, & ſuprà xvi, 32, 33.

ἵνα, ut] Ἐκβατικὸν [*Eventûs ſignificativum*], ut jam ſæpe notavimus.

Διψῶ. Sitio] Quippe & cruciatu & ſanguinis fluxu ſitim contraxerat.

29. *ὄξους, aceto*] Puto eſſe vinum illud factitium quod apponi ſolebat ad crucem. Nam id ὄξος [*acetum*] appellari ad Matthæum notavimus. Erat autem is potus & per ſe amarus & eò magis quia in ſupplicio dabatur.

ὑσσώπῳ, hyſſopo] Calamo ejus arboris, ut ad Matthæum.

30. *Τετέλεσται. Conſummatum eſt*] *Finis adeſt paſſionum.* Proverbiale eſt. Homerus,

——— Τὰ δὴ νῦν πάντα τελεῖται.

[—— *Habent nunc omnia finem*].

Philoxenus moriturus apud Comicum:

Τέλος ἔχει τὰ πάντα μοι.

[*Cuncta habent finem mihi*].

κλίνας τὴν κεφαλὴν, inclinato capite] Vt ſolent moribundi. Ovidius,

Sic corpus moriens jacet, & defecta vigore
Ipſa ſibi eſt oneri cervix humeroque recumbit.

παρέδωκε τὸ πνεῦμα. tradidit ſpiritum] Pia eſt locutio apud Hebræos illos qui judicium poſt hanc vitam credebant recepta, quâ qui moritur dicitur *ſpiritum tradere* Deo ſcilicet ejus auctori, ut is de eo ſtatuat. Vide Eccleſiaſtæ xii, 7.

31. *ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ, ut non remanerent in cruce corpora ſabbato*] Quia longa permanſione corporum in patibulo Terra ſancta contaminari dicitur in Lege, Deut. xxi, 23. collegerunt ex ſimilitudine rationis Legisperiti etiam diem præſertim tam ſolennem contaminatum iri tali ſpectaculo. Feſtinant autem ut tollantur, non tantùm ante veſperam quâ Sabbatum inchoatur, ſed etiam ante horas proximas quæ parandis ſacro animis ac corporibus debebantur. Erat quidem depoſitio facienda non per Iudæos ſed per milites Romanos; verùm Iudæi partem *αὐτονομίας* [*juris utendi ſuis legibus*] ſibi conceſſæ in eo ponebant, ne quid publicè etiam à Romanis fieret quod tempus feſtum dedeceret. Vide quæ ad Matth. xxvi, 5.

ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν, quoniam paraſceue erat] Tempus ipſum præparationi deſtinatum jam imminebat, ערב שבת [*veſpera ſabbati*], ex quo tempore tota dies κατὰ συνεκδοχὴν [*per complexionem*] nomen habebat. Vide infrà 42.

ἦν γὰρ ἡ μεγάλη ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου, erat enim magnus dies ille Sabbati] In Sabbatum ſequens incidebat dies maximè feſtus Paſchatis. Itaque feſtinabant non modò ob Sabbatum ſed & ob Paſcha. Vide Matth. xxvi, 2.

ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη, ut frangerent eorum crura] Perſonale pro imperſonali, quod per paſſivum Latinè exprimitur, *ut frangerentur crura.* Ait Lactantius, quem ſequuntur alii, factum hoc ex more Romano. Nimirum qui damnati erant mori in cruce, quæ lenta mors, (ita ut in Martyrologiis reperiamus qui dies quinque, alios qui triduum in cruce vixerunt) iis interdum accidebatur mora ſupplicii, ſed compenſatione non exigui cruciatûs, id eſt, crurifragio, ne de pœnæ gravitate nimium decederet. Erat alioqui crurifragium pœna diſtincta à cruce.

καὶ ἀρθῶσιν. & tollerentur] Vt ita mortua corpora tolli de cruce poſſent.

33. *ὡς εἶδον αὐτὸν ἤδη τεθνηκότα, ut viderunt eum jam mortuum*] Viderunt ex indiciis, aut etiam compererunt ex relatu adſtantis Centurionis, qui ejus mortem obſervaverat. Vide ad Matthæum.

34. *λόγχῃ αὐτοῦ τὴν πλευρὰν ἔνυξε, lanceâ latus ejus aperuit*]. *Percuſſit* vertit Syrus, id eſt, perfodit, nimirum dubitans an verè eſſet mortuus, & experiri volens an ſenſu ictûs ſe eſſet commoturus. Solebant autem ſpeculatores habere lanceas. Suetonius Claudio id docet: & λογχοφόροι [*lancearii*] circa Veſpaſianum, apud Ioſephum Belli Iudaïci iii, cap. viii.

αἷμα καὶ ὕδωρ. ſanguis & aqua] Tacto pericardio, in quo eſt aqua & ſanguis circùm. Nondum autem refrixerat corpus, ita ut fluxum facilè ferret.

35. *Καὶ ὁ ἑωρακὼς μεμαρτύρηκε, Et qui vidit teſtimonium perhibuit*] Locutio inverſa pro eo quod eſſet *qui teſtatur is vidit*, ut ſuprà vii, 28, & alibi. Ideo autem hoc de teſtimonii ſui certitudine tam diſertè inculcat ut etiamſi ex prioribus non conſtaret Chriſtum eſſe mortuum, hinc certè conſtaret; cùm id vulnus, ſi vixiſſet, omnino fuiſſet letale. Quintilianus inter ſigna neceſſaria futuri ponit, mori neceſſe eſſe eum cujus cor eſt vulneratum. Galenus dat certi theorematis exemplum, εἴ τις ἐστὶ καρδιότρωτος, ἐκεῖνος ἀποθανεῖται [*ſiquis in corde vulneratus eſt, is morietur*]. Mos eſt Iohannis de ſe in tertia perſona loqui.

ἵνα ὑμεῖς πιστεύσητε. ut vos credatis] Quò magis vos Chriſtiani credatis verè mortuum eſſe Ieſum, ac proinde etiam verè à mortuis reſuſcitatum. Sic *credere* aliquoties ſuprà uſurpavit de augmento.

36. *Ὀστοῦν οὐ συντριβήσεται ἀπ' αὐτοῦ. Os non conteretur ex eo*] Putant plerique reſpici legem de Agno Paſchali. Potiùs crediderim ſpectari locum Pſalmi xxxiv, 20. ubi ſpecialis Dei cura pro homine pio deſcribitur.

37. *Ὄψονται εἰς ὃν ἐξεκέντησαν. Videbunt in quem transfixerunt*] Sic habuit haud dubiè aliqua Græcarum verſionum: nam & in multis libris ea lectio reperitur, à Symmacho, Aquila, aut Theodotione. Hoc quoque tralatitiè dictum à Deo, de ſe contemto, evenit in Ieſu κατὰ πόδας [*verbotenus*], ut & alia vaticinia. *Videbunt* autem illud, de Ieſu ſumtum, videtur optimè intelligi de die Iudicii. Vide Matth. xxvi, 64. ubi eſt ὄψεσθε [*videbitis*].

38. *ὢν μαθητὴς, diſcipulus exſiſtens*] *Vt qui diſcipulus eſſet:* ita rectè Syrus explicat.

κεκρυμμένος δὲ διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, occultus autem propter metum Iudæorum] Quales multi è primoribus, ſuprà xii, 42. metuebat contumeliam excommunicationis.

ἵνα ἄρῃ, ut tolleret] *Vt de cruce tollere ſibi liceret*, ut ſuprà 31. En ut ſubitò ſupplicii indignitas timidum animaverit, & nullo intervallo ultimum contemtum ſecuta ſit aliqua gloria, viro illuſtri mortui amicitiam profitente, qui vivi diſſimulaverat.

καὶ ἐπέτρεψεν ὁ Πιλάτος. *& permiſit Pilatus*] Facilitate obviâ apud Romanos Præſides. Vide quæ ad Matthæum.

39. ὁ ἐλθὼν πρὸς τὸν Ἰησοῦν νυκτὸς τὸ πρῶτον, *qui venerat priùs ad Ieſum noćte*] Id eſt, *antehac*, ut hîc habet Syrus. πρῶτον [*primùm*] pro πρότερον [*priùs*], ut ſupra I, 15.

μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης, *mixturam myrrhæ & aloës*] Quæ aromata ad hunc uſum optima habebantur. Apud Aëtium eſt νεκροῦ σμύρνισις [*mortui myrrhatio*], & alibi σμυρνισμός· μίγμα [*mixtura*] eſt ין II Paral. XVI, 14. Eadem ad odorandas Regum veſtes adhibita, Pſalm. XLV, 9.

ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν· *quaſi libras centum*] Signum & opulentiæ Nicodemi & non parci affećtûs. Notandum autem in magno aromatum cumulo deponi ſolita magnatum corpora, ut apparet verſu ſequente, & II Paral. XVI, 14. Sic & Iacobi Patriarchæ corpus Hebræi memorant aromatibus induruiſſe, ita ut nullâ manu tangeretur. Quibus locis collatis apparet aliam hanc eſſe pollinćturam & ſumtuoſiorem vulgari illa quæ per unćtionem fiebat. Adde quæ ad Matth. XXVI, 12.

40. καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις, *& ligaverunt illud linteis*] Ὀθόνια [*Lintea*] intellige illas faſcias תכריכין Hebræis, quibus corpus involutum fuiſſe ſuprà diximus XI, 44. Itaque quod hîc eſt ἔδησαν Syrus vertit כרכו id eſt, *involverunt*, verbo utens unde illud Hebræum nomen eſt quod modò dixi. Vide & quæ ad Matthæum.

μετὰ τῶν ἀρωμάτων, *cum aromatibus*] Non unxerunt ob temporis anguſtias, ſed aromata appoſuerunt, unćturi primo commodo tempore.

ἐνταφιάζειν. *pollincire*] Referendum hoc ad ὀθόνια [*lintea*]. ἐνταφιάζειν [*pollincire*] eſt *præparare ad ſepulturam*; ſive involvendo, ut hîc, ſive ungendo, quod propriè חנט, ut apparet ex voce Syriaca & Arabica חונטתא quæ μίγμα [*mixturam*] ſignificat, ſuprà 39.

41. Ἦν δὲ ἐν τῷ τόπῳ, *Erat autem in loco*] Τόπον [*locum*] hîc vocat regionem illam ſuburbanam.

μνημεῖον καινόν, ἐν ᾧ οὐδέπω οὐδεὶς ἐτέθη. *monumentum novum, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat*] Ne quis alius ſurrexiſſe crederetur.

42. διὰ τὴν παρασκευὴν τῶν Ἰουδαίων, *propter paraſceuen Iudæorum*] Refer ad ἔθηκαν [*poſuerunt*]. Feſtinarunt ibi deponere nondum unćtum, quod alioqui faćturi fuerant ni tempus urſiſſet. παρασκευὴ τῶν Ἰουδαίων [*paraſceue Iudæorum*] dićtum ut ſuprà II, 6, 13. & V, 1.

ὅτι ἐγγὺς ἦν τὸ μνημεῖον, *quia juxta erat monumentum*] Per παρένθεσιν [*parentheſin*] legendum, quaſi dicat, Ne miremini ibi tam citò inſtante ipſo punćto feſtæ præparationis potuiſſe deponi : *erat enim in proximo monumentum*; ad quinquaginta aut ſexaginta paſſus, ut ajunt qui ea loca luſtrarunt.

CAPUT XX.

1. ΤΗ δὲ μιᾷ τῶν σαββάτων, *Vnâ autem Sabbati*] Quæ dies more Hebræo cœperat ab occaſu Solis Sabbati.

Μαρία ἡ Μαγδαληνή, *Maria Magdalene*] Vnam præcipuam nominat pro pluribus. Sic Marc. XV, 47. ſi cum Matthæo conferas.

ἔρχεται πρωῒ σκοτίας ἔτι οὔσης, *venit manè cùm adhuc tenebræ eſſent*] Fine nodis exiit, pervénit ubi nonnihil illuxerat. Oſtenditur mulieris ſedulitas, quæ ſublato impedimento legitimo Sabbati & naturali nodis, nullum tempus officio vacare permiſit.

ἠρμένον ἐκ τοῦ μνημείου· *ſublatum à monumento*] Ablatum ab ore ſpecûs & ſeorſim poſitum, Matth. XXVIII, 11. Ergo ἐκ [*ex*] eſt ἀπὸ [*à*], ut & alibi.

2. Τρέχει οὖν, *Currit ergo*] Breviter hîc tantùm narrat quod mox exſequetur fuſiùs. Hîc enim occaſio refertur quæ Petrum & Iohannem ad ſepulchrum perduxit; mox quomodo rei geſtæ ordo ſingulatim cognitus fuerit.

καὶ ἔρχεται πρὸς Σίμωνα Πέτρον, καὶ πρὸς τὸν ἄλλον, *& venit ad Simonem Petrum & ad alium*] Ad omnes quidem Diſcipulos numero undecim, ſed ita ut cum his tanquam eminentibus peculiariter ſermonem conferret.

Ἦραν τὸν Κύριον ἐκ τοῦ μνημείου, *Tulerunt Dominum de monumento*] Hebraïſmus, pro *Sublatus eſt Dominus è monumento.* Viderat quidem ipſum, ſed φάντασμα [*ſpećtrum*] crediderat, ut & ipſâ referente alii, Luc. XXIV, 21, 22, 23, 24, 25.

καὶ οὐκ οἴδαμεν ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. *& neſcimus ubi poſuerunt eum*] Vbi relićtum ſit corpus : in via, an in ſepulchro alio.

3. εἰς τὸ μνημεῖον. *in monumentum*] Laxiùs ſic dićtum; id eſt, *intra ſeptum.* Vide quæ ad Matthæum.

4. προέδραμε τάχιον τοῦ Πέτρου, *præcurrit citiùs Petro*] Ætate velocior.

5. Καὶ παρακύψας, *Et cùm ſe inclinaſſet*] Capite in ſpecum intromiſſo.

τὰ ὀθόνια· *linteamina*] *Faſcias* illas, de quibus ſuprà in Lazari hiſtoria.

οὐ μέντοι εἰσῆλθεν. *non tamen introivit*] Iuvenili quadam ἀπροσεξίᾳ [*incuriâ*].

6. Ἔρχεται οὖν Σίμων Πέτρος, *Venit ergo Simon Petrus*] Ætate prudentior, eóque diligentius omnia explorans.

εἰσῆλθεν εἰς τὸ μνημεῖον, *introivit in monumentum*] Μνημεῖον [*monumentum*] hîc intellige ipſam ſpeluncam.

7. τὸ σουδάριον, *ſudarium*] Vide ſuprà XI, 44.

χωρὶς ἐντετυλιγμένον εἰς ἕνα τόπον. *ſeparatim involutum in unum locum*] Εἰς ἕνα τόπον [*in unum locum*], id eſt, loco proprio & peculiari. Hæc tam accurata collocatio linteorum amovebat furti ſuſpicionem. Fures enim feſtinant, nec agunt aliena à ſuo inſtituto.

8. καὶ εἶδε, καὶ ἐπίστευσεν· *& vidit, & credidit*] Credidit certò abeſſe corpus, quod Mariæ Magdalenæ referenti non crediderat, & de quo conſpećtis faſciis dubitaverat.

9. Οὐδέπω γὰρ ᾔδεισαν τὴν γραφήν, *Nondum enim ſciebant Scripturam*] Eſt αἰτιολογικὸν τοῦ σιωπωμένου [*redditio rationis ad id quod ſubticetur*], quaſi dicat, Corpus illud vitæ redditum nondum credebat Iohannes : nam & ille & Diſcipuli alii nondum ſatis perceperant id quod Scriptura prædixerat de ejus reſurrećtione. Sæpe quidem audiverant Dominum id pollicentem, ſed rei magnitudo & ingenii tar-

ditas obſtabant quò minùs hoc in animum admitterent, Lucæ XXIV, 12.

τὴν γραφὴν, *Scripturam*] Id eſt, ſenſum ſacrorum ſcriptorum qui ſub figuris & typis hoc indicaverant, ut Pſalm. II. & XVI. & apertiùs CX. Vide Lucæ XXIV, 27.

10. Ἀπῆλθον οὖν πάλιν πρὸς ἑαυτοὺς οἱ μαθηταί. *Abierunt ergò iterum diſcipuli ad ſemetipſos*] Οἱ μαθηταὶ [*diſcipuli*] id eſt, Petrus & Iohannes. πάλιν [*iterum*] ſume ut ſuprà XIX, 4. *Redierunt in locum unde venerant.* πρὸς ἑαυτοὺς [*adſe*] *in eam domum in quam diverterant* : de quo loquendi genere vide ſuprà XVIII, 28.

11. Μαρία δὲ εἱστήκει, *Maria autem ſteterat*] *Steterat.* Dicta enim hæc cenſemus per ἐπάνοδον [*Retrogreſſionem*]. Vide quæ ad Matthæum: & ad eum modum interpretanda quæ ſequuntur.

ἔξω, *foris*] *Extra ſeptum.*

παρέκυψεν, *inclinavit ſe*] *Introſpexit intra ſeptum.* Confer Matthæum.

12. ἐν λευκοῖς, *in albis*] Vide Matth. XXVIII, 3. Apocal. I, 14.

Πρὸς τῇ κεφαλῇ, *ad caput*] Qua parte caput ſitum fuerat. Vide ad Matthæum XXVIII, 6.

ὅπου ἔκειτο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. *ubi poſitum fuerat corpus Ieſu*] Explicatio ejus quod dixerat de *capite* & *pedibus*, ut intelligatur locus ſeſſionis ei loco reſpondiſſe; à Septentrione in Auſtrum, ut creditur.

13. τί κλαίεις; *quid ploras?*] Conſolantium eſt: quaſi dicant, *nulla cauſa flendi eſt* : addita ratione quæ apud alios Euangeliſtas legitur.

ἦραν, *abſtulerunt*]. *Sublatus eſt* à furibus, aromatum fortè lucrandorum causâ.

ποῦ ἔθηκαν αὐτόν. *ubi poſuerunt eum*] Vt ſuprà. Confer Cant. III, 1.

14. ἐστράφη εἰς τὰ ὀπίσω, *Converſa eſt retrorſum*] Oculos à monumento ad hortum vertit, ut ſolent anxii.

καὶ οὐκ ᾔδει ὅτι ὁ Ἰησοῦς ἐστι. *& non ſciebat quia Ieſus eſt*] Impediebatur plenus contuitus ad tempus, ut & vocis perceptio, ut Lucæ XXIV, 16.

15. ὁ κηπουρός ἐστι, *hortulanus eſſet*] *Horti illius colonus.*

ποῦ ἔθηκας αὐτόν. *ubi poſuiſti eum*] Illum quem ſcis à me quæri. Valde probabile videbatur ab hoc potiùs quàm ab alio ablatum corpus, quòd nemo liberiorem haberet aditum.

κἀγὼ αὐτὸν ἀρῶ. *& ego eum tollam*] Si hîc locus illi non eſt, inveniam ubi honeſtè ſepeliatur, ne tanti viri corpus inimicis ſit ludibrio.

16. Μαρία. *Maria*] Hoc protulit eo ſono qui facilè cognoſceretur.

Ραββουνί, *Rabbuni*] Quomodo appellare eum ſolebant, Marci X, 51. Erat hoc Hebræum illius temporis.

17. Μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου· *Noli me tangere: nondum enim adſcendi ad Patrem meum*] Similis eſt hic locus, ſi quid rectè judico, illi apud Matthæum XXVI, 29. Nam ut ibi *fructus vitis* ſive vinum, alium habet ſignificatum in priore membro, alium in ſecundo in quo repetitum cenſetur, ita hîc ἅπτεσθαι [*tangere*]. Quaſi dicat Ieſus, Vis me tangere, Maria, id eſt, vis omnino frui amicitiâ meâ: id nunc non licet, cùm tantùm οἰκονομικῶς [*diſpenſativè*] ad fidem veſtram roborandam me do conſpiciendum. At ubi ad Patrem adſcendero, veniet tempus cùm frui meâ amicitiâ perfectiſſimè poteris, non terreſtri contactu, ſed tali qui loco illi, id eſt, cœlo conveniat, ſpirituali. Philo, Τῆς ἀνὰ πᾶν τὸ σῶμα σκιδναμένης δυνάμεως, ἣν ἔθος ὀνομάζειν ἁφὴν [*Facultatis ejus quæ per totum corpus ſpargitur, quam ſolemus tactum nominare*]. Ideò fruitio voce *tactûs* optimè indicatur. Confer Cant. III, 4.

πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, *ad fratres meos*] Hoc nunc honorifico titulo mœrentes Diſcipulos erigit. Vide ad Matthæum XXVIII, 10. Obiter ipſa verba digitum intendere videntur ad vaticinium Pſal. XXII, 23.

καὶ εἰπὲ αὐτοῖς, *& dic eis*] *Hæc mea verba ipſis refer.* Sequitur enim oratio directa.

πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, *Patrem meum & Patrem veſtrum*] In quem fiduciam veſtram tutò ponere poteſtis, ut ego poſui & reſuſcitatus ſum.

18. ὅτι ἑώρακε τὸν Κύριον, *Quòd vidiſſet Dominum*] *Quòd aliquem vidiſſet quem ipſa Dominum crediderat.* Nam dubitabat iterum an non fuiſſet viſio incorporea.

19. Οὔσης οὖν ὀψίας, *Cùm ergo eſſet ſerò.*] *Iam multâ nocte.* Vide quæ ad Marcum & Lucam.

τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *die illa, unâ ſabbatorum*] Eâ die quam modò nominavi: ideo nuncupationem repetit.

καὶ τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, ὅπου ἦσαν οἱ μαθηταὶ συνηγμένοι, *& fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congregati*] Deſignatio eſt ejus quod clàm fit, II Reg. IV, 4. Eſaïæ XXVI, 20. Matth. VI, 6. Actor. XII, 12, 13, 14.

διὰ τὸν φόβον τῶν Ἰουδαίων, *propter metum Iudæorum*] Referendum hoc ad utrumque membrum præcedens. Cauſa enim redditur cur cœtus habuerint nocturnos, & cur clauſis januis: nimirum ne ſi cœtus de die & palàm haberent, Iudæorum odia & pœnas publicas aut ſeditionem in ſe commoverent. Noctu habitos ſæpe, præ metu, Chriſtianorum cœtus ex Plinio & Tertulliano liquet. Etiam januis clauſis convenire ſolitos ob cauſam ſimilem apparet Actor. XII, 13.

ἔστη εἰς τὸ μέσον, *ſtetit in medio*] Subitò inter ipſos adſtitit, ita ut quà veniſſet non appareret. Solutor Quæſtionum ad Orthodoxos, Χρὴ δὲ ὑμᾶς ἐννοῆσαι ὅτι τὰ ἰσοδύναμα τὴν αὐτὴν ἔχει πίστιν συγχωρουμένων αὐτῶν, καὶ τὴν αὐτὴν ἔχει πίστιν ἀναιρουμένων αὐτῶν. ἰσοδυναμεῖ δὲ τὸ περιπατεῖν ἐπὶ τὴν θάλασσαν ἐν ἀτρέπτῳ σώματι, τῷ εἰσελθεῖν πρὸς τοὺς ἀποστόλους ἐν ἀτρέπτῳ σώματι, τῶν θυρῶν κεκλεισμένων [*Cogitandum vobis eſt ea quæ paria ſunt parem habere fidem ſive concedantur, ſive negentur. Paria autem ſunt ambulare ſuper mare corpore non mutato, & corpore non mutato penetrare ad Apoſtolos clauſis januis*]. Cyrillus, *Hîc nullus quærat, quomodo clauſis januis corpus Domini penetravit, cùm intelligat non de homine nudo, ut modò nos ſumus, ſed de omnipotente Filio Dei hæc ſcribi.* Factum hoc ſeptimo die poſt Paſcha, quali die olim mare ceſſerat Iſraëlis populo, qui figura Chriſti.

Εἰρήνη ὑμῖν. *Pax vobis*] *Salvete.* Ea voce trepidos confirmavit.

20. ἔδειξεν αὐτοῖς τὰς χεῖρας καὶ τὴν πλευρὰν αὐτοῦ. *Oſtendit eis manus & latus*] Etiam pedes, quod addidit Lucas: in quibus locis crucifixionis & transfixionis erant veſtigia.

Ἐχάρησαν οὖν οἱ μαθηταὶ, *Gaviſi ergò ſunt Diſcipuli*] Ita impletum eſt quod Chriſtus prædixerat XVI, 22.

ἰδόντες τὸν Κύριον. *videntes Dominum*] Emphaſin hoc habet: non imaginem aliquam ipſius, ſed planè ipſum, eodem corpore.

21. καθὼς ἀπέσταλκέ με ὁ πατὴρ, *ſicut miſit me Pater*] Nempe ad annuntiandum Euangelium: ſuprà XVII, 18. Significat ſe legatione defunctum.

κἀγὼ πέμπω ὑμᾶς. *& ego mitto vos*] *Mittam brevì.* Præſens pro futuro proximo.

22. Καὶ τοῦτο εἰπὼν ἐνεφύσησε, *Hæc cùm dixiſſet inſufflavit*] Sicut paſſionem ſuam futuram ſignis aptis præfiguravit, ita & miſſionem Spiritûs Sancti, qui vento comparatur Actorum II, 2. Sufflando datus erat homini Spiritus vitæ: Sufflando promittitur Spiritus Sanctus.

Λάβετε Πνεῦμα ἅγιον, *Accipite Spiritum Sanctum*] Tam certi eſte vos accepturos Spiritum, quàm ſentitis hunc flatum, Actorum I, 4. Sic interpretatur Chryſoſtomus Homiliâ primâ ad Acta Apoſtolica.

23. Ἄν τινων ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας, *Quorum remiſeritis peccata*] Aliter ἀφίεσθαι dicitur de Apoſtolis, aliter de Deo: nam alterum eſt in conditione, alterum in promiſſione. Remiſerunt Apoſtoli peccata quoties aut profitentes fidem per baptiſma receperunt in Eccleſiam, ut Actor. II, 38, 41. aut quoties lapſos poſt ſeriæ pœnitentiæ teſtimonium receperunt in ſuam communionem, II Corinth. II, 10. Vtrumque in interpretatione hujus loci rectè conjunxit Cyprianus Epiſt. LXXIII.

ἀφίενται αὐτοῖς· *remittuntur eis*] Etiam apud Deum tales recipientur in gratiam, judicio ſcilicet rectè peracto. Et hujus remiſſionis viſibile ſignum erat ſanatio morborum qui ob peccatum inflicti erant, Iacobi V, 14.

ἄν τινων κρατῆτε, *quorum retinueritis*] Aut Baptiſmum non impartiendo, quippe incredulis; aut à communione arcendo, ut contumaces, I Cor. V. Tertullianus, *Summum futuri judicii præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit ut à communicatione orationis & conventûs & omnis ſancti commercii relegetur.* Vide quæ ad Lucam VI, 22.

κεκράτηνται. *retenta erunt*] Etiam Deus tales à ſuo favore alienos habebit. Atque ejus rei ſignum erunt immiſſa cæcitas, Actor. XIII, 11. Diaboli in ipſos viſibile dominium, I Cor. V, 5. I Tim. I, 20. & mala alia.

24. εἷς ἐκ τῶν δώδεκα, *unus ex Duodecim*] Sic poſt mortem Theramenis ii qui Athenas regebant vocantur οἱ τριάκοντα [*triginta viri*] Xenophonti libro II. Sic Iudic. IX, 5, & 24. ſeptuaginta filii Gedeonis dicuntur occiſi, cùm excipiendus ſit Iothamus.

οὐκ ἦν μετ᾽ αὐτῶν ὅτε ἦλθεν ὁ Ἰησοῦς. *non fuerat cum illis quando venit Ieſus*] Negotio aliquo, ut credibile eſt, occupatus. Itaque cùm *Vndecim* nominantur, intelligendum eſt id poſt Iudam ſublatum collegii fuiſſe nomen, ut ante *Duodecim.* Vide Matthæum XXVIII, 16.

25. Ἑωράκαμεν τὸν Κύριον. *Vidimus Dominum*] Haud dubiè ampliori ſermone totam rei hiſtoriam exſecuti ſunt; at Iohanni ſuffecit ſummam tradere.

Ἐὰν μὴ ἴδω ἐν ταῖς χερσὶν αὐτοῦ τὸν τύπον τῶν ἥλων, *Niſi videro in manibus ejus figuram clavorum*] Solebant damnati clavis ad crucem figi; id προσηλοῦσθαι [*adclavari*] dicitur Græcis: quò alludens Paulus eâdem voce utitur Col. II, 14. Hinc Apulejo, *Carnoſi clavi pendentium.* Et huc Seneca alludens, *Cùm refigere ſe crucibus ſuis conentur, in quas unusquisque clavos ſuos adjicit.* *Inſertum manibus chalybem* dixit Lucanus. τύπος [*typus* ſive *figura*] autem vox Græca eſt, ſed qua & Hebræi poſteriores utuntur. Propriè autem admodum hæc vox hoc loco uſurpatur. Sic Plinius, *quibus impreſſa argilla typum fecit.* ἐνδύεται τύπος eſt apud Platonem, *imprimitur typus.*

καὶ βάλω τὸν δάκτυλόν μου εἰς τὸν τόπον τῶν ἥλων, *& mittam digitum meum in locum clavorum*] Puto veram eſſe hanc lectionem quam ſecutus eſt Latinus, & oſtendit vetuſtiſſimus ille in Anglia manuſcriptus, & malè apud alios repeti τύπον [*typum*]· τύπος [*typus*] videtur, τόπος [*locus*] impletur. Syrus autem utroque loco legit τόπον [*locum*], quod itidem non probo.

καὶ βάλω τὴν χεῖρά μου εἰς τὴν πλευρὰν αὐτοῦ, *& mittam manum meam in latus ejus*] Omnem enim Paſſionis hiſtoriam ex Iohanne atque aliis didicerat; & aptè minori vulneri digitum, majori manum deſtinat.

οὐ μὴ πιστεύσω. *non credam*] *Non credam ipſum reſurrexiſſe:* potiùs deceptos putabo omnium oculos, phaſma apparuiſſe. Vide Lucæ XXIV, 37.

26. μεθ᾽ ἡμέρας ὀκτὼ, *Poſt dies octo*] Videntur Diſcipuli ſemel reſurrectionis die Domini experti præſentiam eundem diem in poſterum ſolemnibus conventibus dicaſſe, Actor. XX, 7. I Cor. XVI, 2. Hinc dicta ἡμέρα κυριακὴ [*dies Dominica*] Apocal. I, 10.

ἔρχεται ὁ Ἰησοῦς τῶν θυρῶν κεκλεισμένων, *venit Ieſus januis clauſis*] Omnia quæ ſemel fecerat iterat in Thomæ gratiam: exemplum dans συγκαταβάσεως [*accommodationis*], de qua vide Roman. XV, 1.

27. Φέρε τὸν δάκτυλόν σου ὧδε, *Fer digitum tuum huc*] Repetit Thomæ verba, ut ſe omniſcium oſtendat.

βάλε εἰς τὴν πλευράν μου. *mitte in latus meum*] Omnino quod jubet Chriſtus feciſſe Thomam puto, & tum exclamaſſe. Tertullianus Adversùs Praxeam, *Ipſe & auditus & viſus, &, ne phantaſma crederetur, etiam contrectatus.*

καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, *& noli eſſe incredulus*] Incredulitas aliquid habet de voluntario.

πιστός. *credens*] Hæc vox Græcis *fidelem* aut *conſtantem* ſignificat, at noſtris etiam *eum qui credit*; τὸν πιστεύοντα [*eum qui credit*] itaque hîc videmus opponi ἀπίστῳ [*incredulo*], ut & II Cor. VI, 15. & hoc ſenſu ſæpe occurrit, ut Actorum X, 45. XVI, 1. I Tim. IV, 3. IV, 10, 12. V, 16. VI, 2.

28. Ὁ Κύριός μου, *Dominus meus*] Nominativus pro Vocativo: quod frequens Atticis, ſed & Helleniſtis, ut in hac ipſa voce apparet Pſalm. XXXV, 23. Marci XV, 34. & in alia ſenſûs ejuſdem Pſal.

xxii, 1. xxxv, 23. Sic hâc voce oſtendit Thomas ſe ei parêre velle.

καὶ ὁ Θεός μου. *& Deus meus*] Hîc primùm ea vox in narratione Euangelica reperitur ab Apoſtolis Ieſu tributa, poſtquam ſcilicet ſuâ reſurrectione probaverat, ſe eſſe à quo vita & quidem æterna exſpectari deberet. Vide ſuprà xi, 25. Manſit deinde ille mos in Eccleſia, ut apparet non tantùm in ſcriptis Apoſtolicis, ut Rom. ix, 5. & veterum Chriſtianorum, ut videre eſt apud Iuſtinum martyrem contra Tryphonem, ſed & in Plinii ad Trajanum epiſtola, ubi ait Chriſtianos *Chriſto, ut Deo, carmina ceciniſſe.*

29. Ὅτι ἑώρακάς με, πεπίστευκας· *Quia vidiſti me, credidiſti*] Verbo *videndi* hîc etiam Tactus comprehenditur. Sic & Auditus Exodi xx, 18. Ierem. ii, 31. & Marci xv, 4. & in Græco Ezechielis iii, 13. Alibi Odoratus, Geneſ. xxvii, 27. πεπίστευκας [*credidiſti*], id eſt, *credis*. Frequens enim eſt in verbis Affectuum ut præterita pro præſentibus ponantur:

μακάριοι, *beati*] Id eſt, *præferendi ſunt*. Sic Lucæ xi, 28. Poſitivus pro comparativo, ut 1 Cor. vii, 8.

οἱ μὴ ἰδόντες καὶ πιστεύσαντες. *qui non vident & credunt*] Nam hoc verè eſt de Dei potentia ac bonitate rectè ſentientium, fidem adhibere probabilibus teſtimoniis de ea re quæ ad ſanctiſſimum dogma confirmandum pertinet. Eſt autem & hîc aoriſtus pro præſenti: præſens autem pro quovis tempore. Nam de credituris Apoſtolorum teſtimonio, & quidem longè poſitis à Iudæa hominibus, præcipuè agitur. Similis emphaſis apud Petrum 1 Epiſt. 1, 8. ὃν οὐκ εἰδότες ἀγαπᾶτε [*quem cùm non videritis diligitis*], & quæ ſequuntur.

30. Πολλὰ μὲν οὖν καὶ ἄλλα σημεῖα, *Multa quidem & alia ſigna*] Omninò arbitror quæ hîc ſequuntur concluſionem eſſe totius operis & ibi finiiſſe Iohannem librum quem edidit. At ſicut caput ultimum Pentateuchi & caput ultimum Ioſuæ, poſt Moſis & Ioſuæ mortem, additum eſt à Synedrio Hebræorum: ita & caput quod ſequitur poſt mortem Iohannis additum ab Eccleſia Epheſina, hoc maximè fine, ut oſtenderetur impletum quod de longævitate ac non violenta morte Iohannis Dominus prædixerat. Cætera autem quæ in eo capite narrantur, addita ad demonſtrandum tempus, locum & occaſionem illius oraculi. Argumento eſt quod in fine capitis clauſula huic ſimilis repetitur, & quidem hoc modo, οἴδαμεν ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ [*ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus*]· quibus verbis Eccleſia oſtendit ſe de ſuprà poſitis à Iohanne, & de his etiam quæ ex privatis ipſius commentariis erant depromta minimè dubitare, cùm alioqui ſi Iohannes hoc ſcripſiſſet, dicturus fuiſſet ut ſuprà, κἀκεῖνος οἶδεν ὅτι ἀληθῆ λέγει [*& ille ſcit quia vera dicit*], xix, 35.

ἐνώπιον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ, *in conſpectu Diſcipulorum ſuorum*] Quaſi dicat, Ea miracula narravi quæ magnâ turbâ conſpiciente facta ſunt. Quæ verò coram familiaribus tantùm, pauca, ut quòd bis januis clauſis intraverit. Rationem ſubjicit.

ἃ οὐκ ἔστι γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τούτῳ. *quæ non ſunt ſcripta in libro hoc*] Vt minimè neceſſaria.

31. Ταῦτα δὲ γέγραπται, *Hæc autem ſcripta ſunt*] Hæc non adeò multa, ſed præcipua, & ad locum aliquem Veteris Federis reſpicientia.

ἵνα πιστεύσητε ὅτι Ἰησοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ, *ut credatis quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei*] Ille Abrahamo, Iacobo, Davidi promiſſus: quod ipſe palàm profeſſus eſt addiditque ut id appareret, & miracula à ſe facta vaticiniis congruentia, & ſe reſuſcitatum iri.

ἵνα πιστεύοντες ζωὴν ἔχητε, *ut credentes vitam habeatis*] *Ius ad vitam æternam*. Suprà iii, 15, 36. v, 24. Sic Petri 1 Epiſt. 1, 9. Κομιζόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν, σωτηρίαν ψυχῶν [*Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum*]. Quæ intelligenda ſunt de fide non qualicunque, ſed actuoſa; ad quam ducunt Lex & Prophetæ.

CAPVT XXI.

1. Μετὰ ταῦτα, *Poſtea*] Poſt acta ea quæ Iohannes ſcripto complexus fuerat.

ἐφανέρωσεν ἑαυτὸν, *manifeſtavit ſe*] Sic Marci xvi, 14. Hoc ideo quia non jam, ut antè, perpetuò cum Diſcipulis erat.

πάλιν, *iterum*] Refer ad locum. Nam priores oſtenſiones factæ Hieroſolymis.

ἐπὶ τῆς θαλάσσης τῆς Τιβεριάδος. *ad mare Tiberiadis*] In Galilæa, quò venturum ſe dixerat, Matthæi xxviii, 7.

2. Ἦσαν ὁμοῦ, *Erant ſimul*] In uno contubernio.

καὶ ἄλλοι ἐκ τῶν μαθητῶν δύο. *& alii ex Diſcipulis duo*] Ex numero Septuaginta minùs nobiles, itidem Galilæi ut videtur.

3. Ὑπάγω ἁλιεύειν. *Vado piſcari*] Id eſt, *Volo ire piſcatum*. Dum exſpectabatur Spiritus, nihil erat quod agerent Apoſtoli. Et apud Iudæos inhoneſtum erat otium. Victus quoque, ut credibile eſt, non aliunde ſuppetebat, hactenus ex comitatu Chriſti alimoniam habentibus.

Ἐρχόμεθα καὶ ἡμεῖς, *Venimus & nos*] *Volumus & nos ire.*

ἐξῆλθον, *exierunt*] Huic voci rectiùs præponitur καὶ [*&*], ut eſt in vetere illo manuſcripto.

εἰς τὸ πλοῖον, *in navim*] Relictum aut commodatum antehac.

ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ, *in illa nocte*] Tempus piſcatui opportunum.

ἐπίασαν οὐδέν. *nihil prendiderunt*] Providentiâ Divinâ; ut eo conſtaret fruſtra eſſe humanum laborem ſine Divina gratia, Pſalm. cxxvii. Vox πιάζειν [*prehendere*] eſt & ſuprà vii, 30.

4. ἔστη ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸν αἰγιαλόν. *Stetit Ieſus in littore*] Significans ſe per reſurrectionem jam eſſe in vado, ipſos in ſalo verſari.

οὐ μέντοι ᾔδεισαν οἱ μαθηταὶ ὅτι Ἰησοῦς ἐστι. *non tamen cognoverunt Diſcipuli, quia Ieſus eſt*] Impediti ne eum agnoſcerent, ut ſuprà xx, 14, 15. Crediderunt emtorem eſſe piſcium.

5. Παιδία, *Pueri*] Blanda compellatio; 1 Epiſt. ii, 13, 18.

προσφάγιον, *pulmentarium*] Ὄψον, ὀψάριον [*obſonium*] id quod cum pane editur, præcipuè piſces.

6. Βάλετε εἰς τὰ δεξιὰ μέρη τοῦ πλοίου, *Mittite in dexteram navigii*] Propiùs littus, ut videtur, ubi minor erat ſpes capiendi: quaſi dicat,

Quo minimè reris gurgite, piſcis erit.

Sic apud gentes propè barbaras felicior quàm apud Iudæos captura.

καὶ εὑρήσετε. *& invenietis*] Quantum ſatis.

ἀπὸ τοῦ πλήθους τῶν ἰχθύων. *præ multitudine piſcium*] Præſagium maximæ capturæ hominum per Apoſtolos faciendæ.

7. Ὁ Κύριός ἐστι. *Dominus eſt*] Ipſo miraculo admonitus.

τὸν ἐπενδύτην, *ſuperariam*] Sic vertunt LXX. duobus locis מעיל, quod eſt veſtis genus honoratius; ἐπένδυμα Aquilæ & Symmacho: Hieronymo epiſtolâ CXXX *ſuperior tunica*: Theodoreto in Exodum quæſt. LXVI, χιτὼν ὁ ἔξωθεν [*veſtis exterior*]. In Martyrologio ad XII. Cal. Nov. de Hilarione, *pelliceum habens ependyten*, quod ex Hieronymo deſumtum Vitâ ejusdem Hilarionis. Vertunt ἱμάτιον, στολὴν ποδήρη [*pallium, ſtolam talarem*]. Suidas τὸ ἱμάτιον ἐπάνω [*veſtem ſuperiorem*]. Vtuntur & Hebræi poſteriores אפנדתא. Hanc ergo induit Petrus (id enim *ſuccingendi* vocabulo tacitè innuitur, unde Syrus, *accepit tunicam & cinxit lumbos ſuos*) quò honeſtior apud Chriſtum appareret, nihil veritus ſi eam per aquas gradiendo nonnihil humectaret.

ἦν γὰρ γυμνός, *erat enim nudus*] Sic Hebræi vocant eum qui ſuperiori veſte exutus eſt, qui non habet niſi τὸν ὑποδύτην [*interulam*] כתנת, ut I Samuel. XIX, 24. II Sam. VI, 20. Eſaiæ XX, 3. Actorum XIX, 16. Plutarchus de Phocione, ἐπεὶ κατά γε τὴν χώραν καὶ τὰς στρατείας ἀνυπόδητος ἀεὶ καὶ γυμνὸς ἐβάδιζεν [*& ruri & militiæ incedebat ſine calceis & nudus*]. Germanos Mela *plerunque nudos egiſſe* dicit: interpretatur id Tacitus *rejecta veſte ſuperiore*. Sic apud Iobum XXII, 6. & XXIV, 7, *veſtis* dicitur *nudis detrahi*. In Dionyſii epiſtola apud Euſebium, Ἤμην γυμνὸς ἐν τῷ λινῷ ἐσθήματι [*Eram nudus in veſte lintea*]. Chryſoſtomus Ad baptizandos, Γυμνοὺς μετὰ τοῦ χιτωνίσκου μόνον [*nudos exceptâ interulâ*]. Sic apud Xiphilinum Pſeudantonio, cum γυμνὸς [*nudus*] poſitum eſſet, ſequitur, σινδόνα διασείων [*ſindonem quaſſans*].

8. Οἱ δὲ ἄλλοι μαθηταὶ τῷ πλοιαρίῳ ἦλθον, *Alii autem diſcipuli navigio venerunt*] Sicut Petri promtitudinem laudat, ita excuſat cæteros.

οὐ γὰρ ἦσαν μακρὰν ἀπὸ τῆς γῆς, *non enim longè erant à terrâ*] Brevi navigio erant perventuri ad Chriſtum.

σύροντες τὸ δίκτυον, *trahentes rete*] *Aegrè moventes.*

9. ἀνθρακιὰν κειμένην, *prunas poſitas*] Majorem jam poteſtatem Chriſtus oſtendit res creans ex nihilo.

καὶ ὀψάριον, *obſonium*] ſive *piſces*. Vox ſingulari ſono pluralem ſignificatum comprehendens. Olim piſces paucos auxerat, nunc facit ut ex nihilo exſiſtant.

10. ἀπὸ τῶν ὀψαρίων ὧν ἐπιάσατε νῦν. *de piſcibus quos prendiſtis nunc*] Chriſtus ex piſcibus à ſe factis & aliis quos Apoſtoli ceperant communes facit epulas, ut ſic oſtendat & eos quos ipſe converterat & quos Apoſtolorum miniſterio erat converſurus ad eundem finem deſtinari.

11. Ἀνέβη, *Aſcendit*] In navem. Sic Marci VI, 51. Lucæ VIII, 22.

εἵλκυσε τὸ δίκτυον ἐπὶ τῆς γῆς, *traxit rete in terram*] Quippe nave jam ad littus admotâ, ut faciliùs jam trahi rete poſſet. Intellige autem hoc factum à Petro & ſociis; ſed ipſe ut cæterorum dux nominatur.

ἑκατὸν πεντηκοντατριῶν· *centum quinquaginta tribus*] Notant quidam tot piſcium numerari genera, eôque ſignificari ex omni hominum genere capturam fore. Figura Davidis & Solomonis temporibus, cùm CLIII millia fuere proſelytorum, II Paral. II, 17.

τοσούτων, *tanti*] *Cùm tot eſſent*. Sic ſuprà VI, 9.

οὐκ ἐσχίσθη τὸ δίκτυον. *non eſt ſciſſum rete*] Præſagium miræ unitatis eorum qui per Apoſtolorum operam in Eccleſiam erant colligendi.

12. ἀριστήσατε. *prandete*] Ἄριστον dicitur *cibus* etiam *qui manè ſumitur*. Sic apud Homerum narratur paratum

--- Ἄριστον ἅμ' ἠοῖ φαινομένηφι
--- [*Quod edent ſimul orta fuit lux*].

Intelligendum autem eſt, Chriſtum unà cum ipſis cibum ſumſiſſe in majorem corporis ſui fidem, Actorum I, 4. X, 41.

Οὐδεὶς δὲ ἐτόλμα τῶν μαθητῶν ἐξετάσαι αὐτόν, *Nemo audebat diſcipulorum interrogare eum*] Quanquam conſpectus erat olim viſo auguſtior.

εἰδότες ὅτι ὁ Κύριός ἐστιν. *ſcientes quia Dominus eſt*] Ex vultu, voce, factis.

13. δίδωσιν αὐτοῖς, *dat eis*] Patremfamilias Eccleſiæ ſe oſtendit, cujus eſt ſuum cuique dimenſum dare: quod mox explicatur, ſermone habito ad Petrum & Iohannem. Confer quæ dicta Matthæi XXV, 15.

14. Τοῦτο ἤδη τρίτον, *Hoc jam tertiò*] Refer ad dierum numerum. Primùm apparuit diverſis ipſo Reſurrectionis die, iterum die octavo, nunc tertiùm.

15. Ὅτε οὖν ἠρίστησαν, *Cùm ergo prandiſſent*] Quod tempus eſt colloquendi.

Σίμων Ἰωνᾶ, *Simon Iona*] De hac voce vide ad Matthæum XVI, 17.

ἀγαπᾷς με πλεῖον τούτων; *diligis me plus his?*] Mira Chriſti ſapientia qui tam paucis vocibus efficit ut Petrus & ſibi ſatisfaceret quem ter negaverat, & collegis quibus ſe prætulerat; exemplum dans diſciplinæ Eccleſiaſticæ.

Ναὶ Κύριε, σὺ οἶδας ὅτι φιλῶ σε. *Etiam Domine, tu ſcis quia amo te*] *Suffecit ei*, ut ait Auguſtinus, *teſtimonium perhibere cordi ſuo: noluit judex eſſe cordis alieni.* Non prætulit ſe aliis, ut antè Matth. XXVI, 33. & tamen ex corde ſincero affectûs teſtimonium protulit, quale in Eccleſiæ paſtore requiritur. Promiſcuè hîc uſurpavit Iohannes ἀγαπᾷν [*diligere*] & φιλεῖν [*amare*], ut mox βόσκειν [*paſcere*] & ποιμαίνειν [*cuſtodire*]. Neque hîc quærendæ ſunt ſubtilitates. Et reverenter Petrus ad Chriſti ſcientiàm provocat, cui ſe notiorem eſſe quàm ſibi ipſi, experimento didicerat.

Βόσκε τὰ ἀρνία μου. *Paſce agnos meos*] Docet Chriſtus in principe Apoſtolorum cæteros, quo optimè modo amor in ipſum demonſtretur. *Paſce*, id eſt, ipſis, non tibi conſule: ſuade, non coge: *oves* non tuas, ſed *meas:* quam vocum vim optimè ſe intellexiſſe Petrus demonſtrat 1 Petri v, 2.

16. *πάλιν δεύτερον· iterum ſecundò*] Πλεονασμὸς [*abundans oratio*] qualis Matth. xxvi, 42. Oſtenditur hîc emendati animi notas requiri pro culpæ magnitudine.

Ποίμαινε τὰ πρόβατά μου. *Paſce oves meas*] ſive *pecus meum.* Quod de voce βόσκειν [*paſcendi*] & ποιμαίνειν [*cuſtodiendi*] diximus, idem de vocibus προβάτων [*pecoris*] & ἀρνίων [*agnorum*] intelligendum eſt: nam & hæ promiſcuè uſurpantur, ut apparet ex collatione locorum Matth. x, 16. Luc. x, 3. Confer Zach. xi, 4. & cogita exitium Iudaïcæ gentis, quæ propriè Petro commiſſa, Gal. 11, 9.

17. Ἐλυπήθη ὁ Πέτρος, *Contriſtatus eſt Petrus*] Quòd ter negando meruiſſet ter interrogari.

18. Ἀμὴν, ἀμὴν λέγω σοι, *Amen, amen dico tibi*] Oſtendit paſtori conſiderandum quàm difficile ſuſcipiat munus, ne imparatus deprehendatur, Matth. x, 16. Res eſt quæ conſtat libertatis & vitæ diſpendio.

ὅτε ἦς νεώτερος, *cùm eſſes junior*] Ἦς [*eſſes*] hîc habet indefinitam ſignificationem. Nam nunc quoque eum, ut juvenem alloquitur, reſpectu venturæ ætatis; omnia enim quæ Chriſtus hîc dicit alluſionem habent ad facta præcedentia: interrogatio de majori dilectione ad id quòd Petrus primus per mare Chriſto occurrerat: mandatum eximium Apoſtolici muneris ad id quòd rete pertraxerat: ſic & hæc verba ad id quòd ſuperariam cinctus venerat. Et ærumnas impendentes eò oſtendit graviores fore quòd incubituræ ſint ætati per ſe gravi.

καὶ περιεπάτεις ὅπου ἤθελες· *ambulabas ubi volebas*] Vt modò ex navi & in navem tuopte arbitratu.

ὅταν δὲ γηράσῃς, *cùm autem ſenueris*] Vbi ad hanc ætatem quadraginta ferme annos adjeceris.

ἐκτενεῖς τὰς χεῖράς σου, *extendes manus tuas*] Cogéris extendere ut ſolent captivi.

καὶ ἄλλος σε ζώσει, *& alius te cinget*] Nam & *vincire* eſt *cingere*, ut ad Pſalm. lxxvi, 10. notat Kimchi, ubi & Symmachus περιεζωθέν [*cinctum*]· quod iræ Aſſyrio reſtabit id vincies ac cohibebis ne perdat Hieroſolyma. Confer cum hoc loco Actor. xxi, 11. ἄρας τὴν ζώνην τοῦ Παύλου δήσας τε αὐτοῦ τὰς χεῖρας [*tulit zonam Pauli, & alligans ei manus*] ubi vides cingulum ſumi pro vinculo.

καὶ οἴσει ὅπου οὐ θέλεις. *& ducet quò tu non vis*] Hæc verba, non illa priora, ſupplicii Crucis habent ſignificationem. ὅπου οὐ θέλεις, id eſt, *quò nolles trahi*, indicativus pro ſubjunctivo, ut ſuprà xii, 21. Matth. xxvi, 39. Eſt autem χαριεντισμὸς [*emollita locutio*] *agent te quò nolles*, id eſt, in malam crucem. Quin cruce Petrus, & quidem Romæ obierit dubitandum non arbitror, cùm tot habeamus veterum teſtimonia. Tertullianus tanquam rem apud omnes etiam hæreticos confeſſam adfert, *Statu felix Eccleſia*, (Romana,) *cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſuo ſanguine profuderunt, ubi Petrus paſſioni Dominicæ adæquatur.* Scorpiaco, *Tum Petrus ab altero cingitur cùm cruci adſtringitur.* Clemens Strom. vii. ταύτῃ ἄρα τοὺς πόνους καὶ τὰς βασάνους καὶ τὰς θλίψεις, οὐχ ὡς παρὰ τοῖς φιλοσόφοις οἱ ἀνδρεῖοι, ἐλπίδι δὲ τῶν ἡδέων μετασχεῖν, ὑπομένει· ἀλλ' ἡ γνῶσις αὐτῷ πεῖσμα βεβαιότατον ἐνεγέννησε τῆς τῶν μελλόντων ἐλπίδων ἀπολήψεως. διόπερ οὐ μόνον τῶν ἐνταῦθα κολάσεων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἡδέων ἁπάντων καταφρονεῖ· φασὶν οὖν τὸν μακάριον Πέτρον θεασάμενον τὴν αὑτοῦ γυναῖκα ἀγομένην τὴν ἐπὶ θάνατον, ἡσθῆναι μὲν τῆς κολάσεως χάριν καὶ τῆς εἰς οἶκον ἀνακομιδῆς, ἐπιφωνῆσαι δὲ εὖ μάλα προτρεπτικῶς τε καὶ παρακλητικῶς ἐξ ὀνόματος προσειπόντα, Μέμνησο αὕτη τοῦ Κυρίου. [*Sic ergo labores & cruciatus & anguſtias ille fert, non ut fortes qui à Philoſophis ſic dicuntur, ſpe conſequendi jucunda: ſed cognitio ei firmam perſuaſionem indidit de adipiſcendis illis quæ in futurum ſperantur. Quare non tantùm pœnas quæ hic ſuſtinentur, ſed & jucunda omnia contemnit. Ajunt beatum Petrum cùm uxorem ſuam ad mortem duci vidiſſet, lætatum fuiſſe in eo ſupplicio per quod ad domum dabatur reditus, acclamaſſe autem hortando ſimul & conſolando eam de nomine compellatam, O tu mea, memento Domini*]. ita enim legendum. His adde Cajum qui ſub Zephyrino Epiſcopo vixit, & Dionyſium Corinthi Epiſcopum, quorum teſtimonia apud Euſebium exſtant. Poſteriores auctores qui plurimi id tradiderunt omitto. Si quis tamen eos qui auctoritatis ſunt eximiæ volet videre, legat Ambroſium in Nativitatem Apoſtolorum, Prudentium De paſſione Petri & Pauli, Chryſoſtomum oratione de iiſdem, Theodoretum περὶ ἀγάπης [*de dilectione*].

19. ποίῳ θανάτῳ δοξάσει τὸν Θεόν. *quâ morte clarificaturus eſſet Deum*] Morte ſcilicet violentâ ac cruciabili. Magnificus martyrii titulus, δοξάζειν τὸν Θεόν [*clarificare Deum*]. Vide ſuprà xiii, 31.

Ἀκολούθει μοι. *Sequere me.*] Sicut modò res antè geſtas ſigna dicendorum ſumſit, ita nunc quod dixerat ſigno conſpicuo exprimit: nam *Sequere me* ſenſum habet & illum communem cui etiam Petrus in præſens paruit, & myſticum alterum. Alludit ad id quod dixerat Matth. x, 38.

20. ἀκολουθοῦντα, *ſequentem*] Quia Petrum ſubſequi videbat.

ὃς καὶ ἀνέπεσεν, *qui & recubuerat*] Hæc antehac in deſignatione Iohannis poni non ſolita, (ſolâ enim notâ *Dilecti à Domino Diſcipuli* deſignatus eſt) hoc loco non ſine efficacia adduntur. Nam omnia iſta Petro in animum veniebant, ut crederet hunc Diſcipulum ſibi in diligendo Chriſto parem eſſe aut proximum. Quare cum ipſe poſt amoris profeſſionem accepiſſet prædictionem ferendæ mortis ad Domini exemplum, curioſitate quadam humani ingenii ſcire vult quid de illo ſit futurum.

21. οὗτος δὲ τί; *hic autem quid*]? Ἔλλειψις [*defectus*] pro τί πείσεται; *quid patietur?* quem habebit exitum?

22. Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν, *Si eum volo manere*] In vita hac caduca. Sic Philipp. 1, 21, 22, 23, 24. 1 Corinth. xv, 6.

ἕως ἔρχομαι, *donec veniam*] Quaſi Imperator diceret, *Quid ſi hunc velim in præſidio manere donec ipſe eum revocem?* Ita obſcurè ſignificat Iohannem non, ut Petrum, morte violentâ moriturum, ſed tali quâ ſine hominum vi ſolveretur, ubi Chriſtus tempus idoneum judicaſſet: quod & contigit, ut veterum plures conſentiunt. Sic tempus mortis, *accerſitionem* ſæpe vocant Chriſtiani.

τί πρός σε; *quid ad te*]? Sic & Latinè dicimus, *quid ad te?* quaſi dicat, Quicquid de illo erit, id ad te non pertinet: cura quod te ſpectat. Hæc eſt pars lotionis pedum Petri: quam ipſe rectè intelligens poſtea vetuit Chriſtianos eſſe ἀλλοτριοεπισκόπους [*alienarum rerum introſpectores*], 1 Petr. IV, 15. ut & feminas Paulus eſſe περιέργους [*curioſas*], 1 Tim. V, 13.

23. Ἐξῆλθεν οὖν ὁ λόγος, *Exiit ergo ſermo*] Hebraïſmus. Vide Matth. IX, 26. Adde & Luc. VI, 22.

ὅτι ὁ μαθητὴς ἐκεῖνος οὐκ ἀποθνήσκει· *quia Diſcipulus ille non moritur*] *Non moriturum*, præſens pro futuro. Sumſerunt ſcilicet interrogationem Chriſti pro affirmatione, & *adventum* pro *adventu ad judicium*, de quo ſæpe illis antehac locutus erat, & quidem additâ voce ἔρχεσθαι [*venire*] ut Matth. XVI, 27. & XXIV, 30. Hunc diem de propinquo imminere exiſtimabant, 1 Theſſ. V. Et cùm is dies futurus eſſet dies reſuſcitationis antè mortuorum, qui tum piorum victuri eſſent mortem non ſenſuros rectè exiſtimabant, 1 Corinth. XV, 51. Et credibile eſt Chriſtum colloquiis poſt reſurrectionem de illo die apertiùs quàm antea locutum, ut de complemento Regni ſui, Actor. I, 3.

καὶ, *&*] *Et tamen*, ut alibi ſæpe.

οὐκ εἶπεν αὐτῷ ὁ Ἰησοῦς ὅτι οὐκ ἀποθνήσκει· *non dixit ei Ieſus quod non moritur*] *Non dixerat nunquam moriturum*, ut illi interpretabantur.

ἀλλ', Ἐὰν αὐτὸν θέλω μένειν ἕως ἔρχομαι, *ſed, Si eum volo manere donec veniam*] Hæc repetitio vocum hucusque oſtendit ἔμφασιν [*efficaciam loquendi*] non eſſe in illo ἐὰν θέλω [*ſi volo*], ſed in illo ἔρχομαι [*veniam*], cujus ambiguitate decepti erant Diſcipuli, cùm debuiſſent aut Magiſtrum interrogare, aut quod ambiguè dictum erat pro ambiguo relinquere, donec ſenſum exitus declararet. Tertullianus De anima, *Obiit & Iohannes, quem in adventum Domini fuiſſe remanſurum falſa fuerat ſpes.*

24. ὁ μαρτυρῶν περὶ τούτων, *qui teſtimonium perhibet de his*] Petro jam mortuo & aliis qui ampliùs de his dictis teſtimonium præbere non poterant.

καὶ γράψας ταῦτα· *& ſcripſit hæc*] Qui hæc quoque ſuprà cætera antehac edita in commentariis privatis reliquerat.

καὶ οἴδαμεν, *& ſcimus*] Loquitur Eccleſia Epheſina.

ὅτι ἀληθής ἐστιν ἡ μαρτυρία αὐτοῦ. *quia vera eſt teſtatio ejus*] Ἀληθής [*vera*], id eſt, *fide digna*, ut ſuprà V, 31. VIII, 13. *Scimus*, ajunt, *fide dignum*, ex vitæ ſcilicet perpetua puritate & miraculis ab ipſo editis. Scimus ergo planè qualem habuit mortem prædictam ab Ieſu.

25. καὶ ἄλλα πολλά, *& alia multa*] Miracula, quorum tunc adhuc recens erat memoria, non ita dudum mortuis teſtibus.

ἐὰν γράφηται καθ' ἕν, *ſi ſcribantur per ſingula*] Ita ut nihil eorum omittatur.

οὐδὲ αὐτὸν οἶμαι τὸν κόσμον χωρῆσαι τὰ γραφόμενα βιβλία. *nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt, libros*] Γραφόμενα, id eſt, *quæ ſcribi deberent*. Et hyperbole eſt non infrequens Sacris Literis, ut Geneſ. XI, 4. Num. XIII, 33. Dan. IV, 20. Vide & ſuprà XII, 19. οἶμαι [*arbitror*] hîc dicitur ſingulariter, quia pro Eccleſia hæc ſcripſit Epiſcopus: ſicut & in Apocalypſi literæ pro Eccleſiis ad Epiſcopum diriguntur. Fortè is fuit Iohannes ὁ πρεσβύτερος, [*Presbyter*], cujus ſepulchrum ſe Epheſi diſtinctum ab illo Iohannis Apoſtoli vidiſſe memorat Hieronymus, & cui veterum nonnulli adſcribunt Epiſtolas duas.

FINIS ANNOTATIONVM IN LIBROS EVANGELIORVM.

HVGONIS GROTII

ANNOTATIONES

IN ACTA

APOSTOLORUM.

ANNOTATIONES
AD
ACTA APOSTOLORUM.

Πράξεις τῶν Ἀποςόλων. *Acta Apoſtolorum*] Græcam vocem retinuere Syrus & Arabs, ut ſæpe in vocibus quæ transfuſæ in ſermonem alium vim non eandem habituræ putabantur. Perinde autem eſt, ſive *Acta* vertas, ut hîc Interpres, ſive *Actus*, ut Veterum nonnulli. Idem enim ſignificant *actus* & *acta*, ut *effectus* & *effecta*, *eventus* & *eventa*, *juſſus* & *juſſa*, multaque alia ad eam formam. Eſt quidem receptius ut *Acta* dicantur quæ in publicas tabulas relata ſunt. Sed etiam Cicero quicquid quisquam egit, id modò *acta*, modò *actus* vocat. Et leges Sempronias ait eſſe *acta Gracchorum*. Neque *actus* hôc ſenſu Poëtarum tantùm vox eſt: nam & Cicero primo Legum dixit, *non ſolùm in rectis, ſed etiam in pravis actibus inſignem eſſe humani generis ſimilitudinem*. *Apoſtolorum*, id eſt, Petri & Pauli. Nam cæterorum ferme obiter tantùm fit mentio, & poſtquam Paulum ſectatus eſt Lucas, de eo ſolo pergit loqui. De cæterorum Apoſtolorum actibus vix tenuis ad nos fama manavit. Lucæ nomen unde, ipſe quis qualisve fuerit, diximus ad librum ejus priorem, qui vulgò *Euangelium* dicitur.

Τὸν μὲν πρῶτον λόγον, *Primum quidem ſermonem*] Id eſt πρότερον [*priorem*]. Vide quæ ad Iohan. Euang. I, 15. & 30. λόγον [*ſermonem*], id eſt, *librum*; ſic ἕβδομον λόγον [*ſeptimum librum*] dixit Galenus.

Ὦ Θεόφιλε, *O Theophile*] Vide quæ dicta ad anteloquium Euangelii Lucæ.

ὧν ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς ποιεῖν τε καὶ διδάσκειν, *quæ cœpit Ieſus facere & docere*] Id eſt, ἐποίησε καὶ ἐδίδαξε [*fecit & docuit*]. Sic Geneſ. II, 3. ὧν ἤρξατο ὁ Θεὸς ποιῆσαι [*quæ cœpit Deus facere*]. Sic ἤρξαντο τίλλειν [*cæperunt vellere*], Matth. XII, I. μὴ ἄρξησθε λέγειν [*ne cæperitis dicere*], Lucæ III, 8. adde & quod infra II, 4. Hæc verba brevem Euangelii deſcriptionem continent.

2. Ἄχρι ἧς ἡμέρας, *Vsque in diem*] Sic ſolent Hiſtoriarum Scriptores libros poſteriores cum prioribus connectere. Sic Herodotus Thaliæ principio, Ἐπὶ τοῦτον δὴ τὸν Ἄμασιν [*adversùs hunc verò Amaſin*]. principio Eratus, Ἀρισταγόρης μέν νυν Ἰωνίην ἀποστήσας, οὕτω τελευτᾷ [*Ariſtagoras quidem Ionicæ rebellionis auctor ita oppetiit*]. Initio Vraniæ, Ταῦτα μὲν οὕτως λέγεται γενέσθαι [*Atque hæc quidem ita geſta eſſe dicuntur*]. Thucydides Peloponneſiacôn II. ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη Ἀθηναίων καὶ Πελοποννησίων [*incipit porrò hinc jam Athenienſium & Lacedæmoniorum bellum*], qui pari modo & ſequentes libros præcedentibus connectit. Sic & reſpicit Lucas hîc apertè finem libri ſui prioris.

ἐντειλάμενος τοῖς Ἀποςόλοις, *præcipiens Apoſtolis*] Multa illis præcepta dans quæ brevitatis causâ hîc reticentur. Simile dicendi compendium habes II Sam. XVII, 2.

διὰ πνεύματος ἁγίου, *per Spiritum Sanctum*] Eſt & hæc compendioſa locutio: vult enim dicere, *Mandavit quæ agere deberent per Spiritum Sanctum*, poſtquam ſcilicet eum accepiſſent.

οὓς ἐξελέξατο, *quos elegit*] Vocum Trajectio: nam hoc membrum refertur ad id quod præceſſit Ἀποςόλους [*Apoſtolos*]. Frequentes ſunt tales in Sacris Scriptis Trajectiones.

ἀνελήφθη. *aſſumptus eſt*] Vide quæ dicta ad Marcum XVI, 19.

3. ἐν πολλοῖς τεκμηρίοις, *in multis argumentis*] Ἐν [*in*] hîc valet *cùm*. *cum multis miraculis* quorum quædam referuntur à Iohanne in Euangelio.

καὶ λέγων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. *& loquens de regno Dei*] Quomodo ad omnes Gentes perventurum eſſet Euangelium, per quod Deus in hominibus, etiam Regibus, regnat.

4. Καὶ συναλιζόμενος, *Et congregans*] Supple αὐτοὺς, *ipſos* in unum recolligens, qui diſperſi fuerant: Vide Iohan. XXI, 2. Eſt Attico more paſſivum ſono, ſenſu activum. Herodotus Euterpe, τὰς γυναῖκας συναλίσαντος, *Cùm in unum locum feminas omnes congregaſſet*.

τὴν ἐπαγγελίαν τοῦ Πατρὸς, *promiſſionem Patris*] Lucæ XXIV, 49.

ἣν ἠκούσατέ μου. *quam audiſtis à me*] Tranſitus à ſermone indirecto ad directum, qui in hiſtoriis frequens. ἠκούσατέ μου [*audiſtis à me*], Bene Græca locutio, quales multæ in hoc Scriptore, qui & Medicos & Hiſtoricos legerat. Ita Xenophon: τοῦτο πολλῶν ἔφη ἀκούειν [*hoc dixit ſe à multis audire*].

5. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισεν ὕδατι, *Ioannes quidem baptizavit aquâ*] Vide Matth. III, 11.

ἐν πνεύματι ἁγίῳ, *Spiritu Sancto*] Satis fuerat dixiſſe Πνεύματι ἁγίῳ, quomodo Latinus hîc *Spiritu Sancto*. Sed Helleniſtæ ad modum Hebræi ב addunt ἐν [*in*], quomodo ἐν ὕδατι [*aquâ*] dicto Matthæi loco. βαπτίζεσθαι hîc eſt *largiter profundi*, non *leviter aſpergi*. Multò plus accepêre Apoſtoli quàm olim Prophetæ. Vide Euang. Iohan. III, 34. Hic Spiritus erat πνεῦμα κρίσεως καὶ πνεῦμα καύσεως [*Spiritus judicii & Spiritus ardoris*], Eſaiæ IV, 4.

6. εἰ ἐν τῷ χρόνῳ τούτῳ ἀποκαθιστάνεις τὴν βασιλείαν τῷ Ἰσραήλ; *ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael?*] אם, quod ſæpe *an* ſignificat, ut Græci Interpretes per εἰ, ita Latinus per *ſi* ſæpe vertit. Reſpiciunt Apoſtoli locum Danielis VII, 27. *Reſtituis*, id eſt, *reſtituere paras in veterem dignitatem*.

7. οὐχ ὑμῶν ἐστὶ γνῶναι χρόνους ἢ καιροὺς, *Non eſt veſtrûm noſſe tempora vel momenta*] In Daniele VII, 12. עד־זמן ועדן vertitur ἕως χρόνου καὶ καιροῦ [*ad tempus & occaſionem*]. Eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*], quo ſignificatur *tempus certò conſtitutum*. Id verò tempus fuit trecentis ferme poſt hæc verba annis. Tunc

enim Chriſtus Davidis ſtirps in terris regnare cœpit per Conſtantinum, ac deinceps per alios & alios, non Imperatores tantùm, ſed & Reges, qui regnum ſuum Chriſto ut Regi Regum ſubjecêre. Chriſtiani populus Dei, atque ideo verus *Iſrael*, Galat. VI, 16. Chriſtus eorum caput *Iſraelita* etiam ſecundùm carnem. *Occultum eſſe hominibus, quando Regnum rediturum ſit ad domum Davidis*, ajunt & Hebræi. καιροὺς *tempeſtates* vertit Auguſtinus, epiſtola LXXVIII.

οὓς ὁ πατὴρ ἔθετο ἐν τῇ ἰδίᾳ ἐξουσίᾳ, *quæ Pater poſuit in ſua poteſtate*] Mos eſt Chriſti arcanas diſpenſationes ad Patrem referre, Matth. XX, 23. Marci XIII, 32.

8. Ἀλλὰ λήψεσθε δύναμιν, *Sed accipietis virtutem*] אזרו חיל [*accincti ſunt robore*] I Sam. II, 4.

καὶ ἔσεσθέ μοι μάρτυρες ἔν τε Ἱερουσαλὴμ, καὶ ἐν πάσῃ τῇ Ἰουδαίᾳ καὶ Σαμαρείᾳ, καὶ ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. *& eritis mihi teſtes in Ieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*] Summam hîc proponit tot ſermonum Apoſtolicorum, quos hic liber exhibebit. Confer Marci XVI, 20.

9. ἐπήρθη, *elevatus eſt*] Ἀνεφέρετο [*ſurſum ferebatur*], Luc. Euang. XXIV, 51.

καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν, *& nubes ſuscepit eum*] Elias in cœlum vectus in turbine, II Regum II, 1, 11. Chriſtus in nube placida. Vide Lucæ IX, 54, 55.

10. ἐν ἐσθῆτι λευκῇ. *in albo veſtitu*] Vide quæ dicta ad Matthæi XVII, 2. Manuſcriptus vetuſtiſſimus habet ἐν ἐσθήσεσι λευκαῖς [*in veſtibus albis*], ſed parùm id refert. Eſt autem loquendi genus etiam Latinis uſitatum; ſic, *in auro*, *in purpura*, Cato apud Gellium.

11. οὕτως ἐλεύσεται, *ſic veniet*] Καταβήσεται [*deſcendet*] I Theſſal. IV, 16. Reſurrecturos in monte Olivarum Iſraëlitas ſentit Chaldæus in Canticum, & alii ad Ioël III, 2. Zach. XIV, 4.

12. σαββάτου ἔχον ὁδόν. *Sabbati habens iter*] *Iter Sabbati* plerique Iudæi definiunt bis mille ulnis, id eſt, mille paſſibus; nam paſſus duplex ulna. Stadium Plinio octava pars mille paſſuum lib. II, cap. 23. Ergo *iter Sabbati* eſſent ſtadia octo, quod non longè abit à Syri ſententia, qui hîc poſuit *ſtadia ſeptem.* In Ioſepho explicatur per *ſtadia quinque:* ſed ſuſpecta eſt lectio, cùm Theophylactus Ioſephum citet de *ſtadiis ſeptem.* At ex Bethania ſublatum Chriſtum colligimus ex Lucæ XXIV, 50. à Bethania verò ad urbem *quindecim ſtadia* ponit Iohannes XI, 16. Videtur Iohannes in animo habuiſſe Iudaïcam quandam menſuram, quam *ſtadium* vocat, quanquam Græci ſtadii ferme dimidium tantùm continebat. Sic leucæ alibi majores, alibi minores. Vide quæ habet doctiſſimus Seldenus, libro III, cap. IX De Iure naturali & Gentium ſecundùm Hebræos, poſt Druſium & Bezam hoc loco.

13. εἰς τὸ ὑπερῷον, *in cænaculum*] Vide ex quantillo loco, & hominibus CXX, quantæ rei factum ſit exordium; & confer quæ habuimus Matth. XIII, 31.

ὅ, τε Πέτρος, *Petrus*] Qui primus hîc bono jure nominatur, utpote à Chriſto deſignatus non obſcurè προεστάτης [*Præſes*] Apoſtolici cœtûs: unde & loquendi exordium facit, ut hîc notant Græci Interpretes. Oecumenius de Petro: τὴν προστασίαν τῶν μαθητῶν ἐγκεχειρισμένος [*cui primus inter Apoſtolos locus commiſſus fuit*]. Theophylactus: ὡς κορυφαῖος [*tanquam præcipuus*].

καὶ Ἰούδας Ἰακώβου. *& Iudas Iacobi*] *Frater*, quod hîc addit Arabs. At Syro eſt *Iacobi filius.* Fieri potuit ut pater filium haberet ſibi cognominem.

14. σὺν γυναιξὶ, *cum mulieribus*] De ſexu, non de matrimonio hanc vocem rectè cepere Syrus & Arabs. Intelliguntur mulieres illæ quarum mentio Matth. XXVII, 55. & cum iis Hieroſolymitanæ quædam.

καὶ Μαρίᾳ τῇ μητρὶ τοῦ Ἰησοῦ, *& Maria matre Ieſu*] Quæ ut eximia ſingulariter memorari merebatur. Vide quæ diximus ad Marcum XVI, 7.

15. ὄχλος ὀνομάτων, *turba hominum*] *Nomina* dicere pro *hominibus* receptum fuiſſe inter Iudæos loquendi genus ex Apocalypſi apparet.

ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν. *ferè centum viginti*] Tanquam Satrapæ novi Regni, quod multò majus exſtiturum quàm Nabonidi regnum, cui CXX fuerunt Satrapæ, Dan. VI, 1.

16. ἔδει πληρωθῆναι, *oportet impleri*] Par erat Iudæ ſimile quid evenire quale Achitopheli evenerat, cujus perfidiam Iudas erat imitatus. Sic πληρωθῆναι [*impleri*] ſæpe ſumi diximus ad Matth. I, 22.

17. τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης, *ſortem miniſterii hujus*] Κλῆρος [*ſors*] dicitur quicquid alicui obvenit, ſicut hereditaria ſola ſorte dividebantur. Sunt quidam κλῆροι ἁγίων [*quædam ſortes ſanctorum*], ad quos omnes pertinent Chriſtiani, Coloſſ. I, 12. I Petr. V, 3. Sunt & κλῆροι διακονίας [*ſortes miniſterii*], ad quos Paſtores: inde natum nomen *Clericorum.*

18. ἐκτήσατο χωρίον, *poſſedit agrum*] Id eſt, *monumentum ſceleris ſui reliquit*, ut explicavimus ad Matth. XXVII, 6. Non tamen obſtem, ſi quis putet fundi ad ſepulchra externorum deſtinati uſum quendam conceſſum Iudæ, & ibi eum exſpiraſſe. Vide quæ hîc habet Theophylactus.

καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος, *& ſuſpenſus crepuit medius*] Vide de hac re quæ diximus ad Matth. XXVII, 5.

19. τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ αὐτῶν, *linguâ eorum*] Vocem διαλέκτου [*dialecti*] non tam arctè ſumi à Luca, ut *diſcrimen* aliquod *in lingua* ſignificet, quomodo Græci hac voce uti ſolent, ſed pro ipſa *lingua*, apparet ex locis aliis infra II, 6, 8. XXI, 40. XXII, 2. XXVI, 14.

Ἀκελδαμὰ, *Haceldama*] חקל דמא [*Chakeldama*] quomodo hîc ſcribit Syrus. Hieroſolymitana ejus temporis lingua prope ad Syriacam accedebat.

20. ἔρημος, *deſerta*] In LXX. eſt ἠρημωμένη [*deſolata*]. Citavit hæc Lucas memoriter ex LXX. Id qui faciunt ſæpe verbum verbo commutant.

τὴν ἐπισκοπὴν αὐτοῦ, *epiſcopatum ejus*] Et hoc ex LXX. In Hebræo פקדתו. Eſt autem פקדה Hebræis quodvis *officium* ſive *munus*, ſive perpetuum, ſive temporarium: ut videre eſt Num. III, 32. IV, 16. VII, 2. XIV, 29. XVI, 29. XXVI, 23. I Paralip. XXIII, 11. & alibi.

21. ἐν ᾧ εἰσῆλθε καὶ ἐξῆλθεν ἐφ' ἡμᾶς ὁ Κύριος, *quo intravit & exivit inter nos Dominus*] Id eſt, *coram nobis vixit. Intrandi* & *exeundi* vocabulo omnes vitæ actus, quà publici quà privati, ſignificantur. Vide Zach. VIII, 10.

22. Ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου, *Incipiens à baptiſmate Ioannis*] Id eſt, *ex quo ab Iohanne fuit baptizatus*: id enim initium ei fuit auſpicandi muneris. Et inde incipit Euangelii hiſtoria, cui quædam alia præfationis vice inſerviunt, ut diximus ad inſcriptionem libri Matthæi.

23. τὸν καλούμενον Βαρσαβᾶν, *qui vocabatur Barſabas*] בר שבוע *filium juramenti.*

ὃς ἐπεκλήθη Ἰοῦστος, *qui cognominatus eſt Iuſtus*] Fortè à Romanis id nomen acceperat ob morum integritatem.

καὶ Ματθίαν, *& Matthiam*] Ματθίας [*Matthias*] idem nomen quod pleniùs ſcribitur Ματταθίας [*Matathias*], ut notavit Druſius, & nos ad Maccabaica.

24. Σὺ Κύριε καρδιογνῶστα, *Tu Domine, qui corda noſti*]. חקר־לב [*ſcrutans cor*] Ierem. XVII, 10. De animis hominum certò judicare ſolius eſt Dei.

ἀνάδειξον ὃν ἐξελέξω ἐκ τούτων τῶν δύο ἕνα, *oſtende quem elegeris ex his duobus unum*], *Vtrum magis ames.* Sic enim בחר ſæpe ſumitur apud Hebræos.

25. Λαβεῖν τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης καὶ ἀποστολῆς, *Accipere ſortem miniſterii hujus & Apoſtolatûs*] Λαβεῖν [*accipere*], id eſt, *ut accipiat.* Κλῆρον τῆς διακονίας [*ſortem miniſterii*] habuimus & ſupra 17. Hîc additur ἀποστολῆς [*Apoſtolatûs*], nimirum ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*], pro ἀποστολικῆς [*Apoſtolicæ*]. In manuſcripto illo, τὸν τόπον τῆς διακονίας [*locum miniſterii*].

ἐξ ἧς παρέβη Ἰούδας, *de quo prævaricatus eſt Iudas*] פשע [*defecit*]. *Cujus officii Iudas deſertor fuit.*

πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. *abire in locum ſuum*] Pro εἰς τὸ πορευθῆναι [*ut abiret*]. Significatur eventus ſcelera ipſius juſto Dei judicio conſecutus. *Proprium*, id eſt, qui ipſi meliùs conveniebat, quàm Apoſtolica functio. Manuſcriptus ille quem dixi, habet εἰς τὸν τόπον τὸν δίκαιον [*in locum juſtum*], non malè.

Καὶ ἔδωκαν κλήρους αὐτῶν, *Et dederunt ſortes eorum*] Id eſt, conjecerunt nomina eorum in urnam, & in alteram urnam alteram ſchedam inſcriptum habentem nomen *Apoſtolus*, alteram ſchedam vacuam; deinde ex utraque urna pariter eduxere binas ſchedas, ut in diviſione terræ. Ad eum modum David Sacerdotum functiones ſortibus diſtribuerat, 1 Paralip. XXIV, 5. Ioſephus IV de bello Iudaïco, Κληρωτοὺς ἐπεχείρησαν ποιεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς [*Sorte Pontifices creare aggreſſi ſunt*]. Deinde, ἦν δὲ πρόσχημα μὲν τῆς ἐπιβολῆς ἔθος ἀρχαῖον [*Huic autem incepto mos antiquus obtendebatur*]. Virgilius II Æneidos,

Laocoon ductus Neptuno ſorte Sacerdos.

ubi Servius ex Euphormione, *Laocoon Thymbræi Apollinis Sacerdos ſorte ductus eſt: ut ſolet fieri cùm deeſt Sacerdos certus.* Plato de Legibus VI, Τὰ μὲν τῶν ἱερῶν τῷ Θεῷ ἐπιτρέποντα αὐτῷ τὸ κεχαρισμένον γίγνεσθαι, κληροῦν οὕτω τῇ θείᾳ τύχῃ ἀποδιδόντα [*Quod autem ad Sacerdotum electionem ſpectat ea Deo committenda eſt, ut quemadmodum ei placuerit, ita ſortium eventum Numine ſuo moderetur*].

ἔπεσεν ὁ κλῆρος, *cecidit ſors*] Nomen ejus cum nomine Apoſtolatûs exiit.

καὶ συγκατεψηφίσθη, *& annumeratus eſt*] Συγκατεψηφίσθη, נמנה [*annumeratus eſt*], quod alibi vertitur ἐλογίσθη [*computatus eſt*], alibi ἐξηριθμήθη [*enumeratus eſt*]. Vide ſupra 17. ubi pro eodem dicitur κατηριθμημένος ἦν [*connumeratus erat*].

μετὰ τῶν ἕνδεκα Ἀποστόλων. *cum undecim Apoſtolis*] Vide Matth. XXVIII, 16. Marc. XVI, 14. Luc. I, 9. XXII, 14. XXIV, 33.

AD CAPVT II.

EN τῷ συμπληροῦσθαι τὴν ἡμέραν τῆς πεντηκοστῆς, *Cum complerentur dies Pentecoſtes*] Optimè & Syrus & Latinus hîc legêre τὰς ἡμέρας [*dies*]; agitur enim non de una die, ſed de toto dierum ambitu. Et familiare Hebræis id loquendi genus. Sic ἐπληρώθησαν αἱ ἡμέραι [*impletæ erant dies*] habemus Gen. XXV, 24. Levit. XII, 4. & pro eodem ἐπλήσθησαν ἡμέραι [*conſummati ſunt dies*] Luc. II, 21. Πεντηκοστὴ [*Pentecoſte*] Helleniſtis vocatur non ſemper dies ultima, ſed ſæpe totum illud tempus dierum quinquaginta à Paſchate, שבעות [*Septimanæ*] Hebræis. Sic & Tertullianus Idololatriâ, *Excerpta ſingulas ſolemnitates nationum, & in ordinem exſere, Pentecoſten implere non poterunt.* Sic Canon Nicænus vetat genua flecti ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις [*diebus Pentecoſtes*]. Dies ultimus ſeptem ſeptimanarum erat dies latæ Legis, ut colligitur Exodi XIX, 1, 11. vocabaturque ob id שמחת תורה *feſtum Legis.* Eodem die cœpit prædicari ab Apoſtolis Lex nova, complementum veteris.

ἦσαν ἅπαντες ὁμοθυμαδὸν ἐπὶ τὸ αὐτό. *erant omnes pariter in eodem loco*] Deus dona ſua promiſit unitati. In Manuſcripto veteri, πάντες ὁμοῦ [*omnes ſimul*], *omnes illi* CXX. *in uno loco*; & ſic accepit Heſychius, ἐπὶ τὸ αὐτὸ. ὁμοῦ, εἰς τὸν αὐτὸν τόπον [*eódem: ſimul, in eundem locum*].

2. ὥσπερ φερομένης πνοῆς βιαίας, *tanquam advenientis Spiritûs vehementis*] Πνοὴ [*ſpiritus*] ſignum Divini adventûs, Gen. III, 8. at addita voce βιαίας [*vehementis*] magnitudo donorum ſupra Prophetica ſignificatur.

καὶ ἐπλήρωσεν ὅλον τὸν οἶκον οὗ ἦσαν καθήμενοι. *& replevit totam domum ubi erant ſedentes*] Præſagium ſic etiam implendi totius orbis, per quem Eccleſia diffuſa eſt.

3. διαμεριζόμεναι γλῶσσαι, *diſpertitæ linguæ*] Pœna linguarum diſperſit homines, Geneſ. XI, Donum linguarum diſperſos in unum populum recollegit.

ὡσεὶ πυρός, *tanquam ignis*] Summa efficacia & ſplendor prædicationis ſignificatur. Vide quæ dicta Matth. III, 11. Philo ad Decalogum, Ἐπειδὰν τοῦ πυρὸς τὸ μὲν φωτίζειν, τὸ δὲ καίειν πέφυκεν, οἱ μὲν τοῖς χρησμοῖς ἀξιοῦντες εἶναι καταπειθεῖς ὡς ἐν ἀσκίῳ φωτὶ τὸν ἀεὶ χρόνον βιώσονται, τοὺς νόμους αὐτοὺς ἀστέρας ἔχοντες ἐν ψυχῇ φωσφοροῦντας· ὅσοι δ᾽ ἀφηνιασταὶ, καιόμενοι καὶ κατακαιόμενοι διατελοῦσιν ὑπὸ τῶν ἔνδον ἐπιθυμιῶν, αἳ φλογὸς τρόπον πορθήσουσι τὸν σύμπαντα τῶν ἐχόντων βίον [*Quoniam ignis habet vim geminam, illuſtrandi urendique; præcepta hæc obedientibus erunt per totam vitam pro lumine, legibus ceu ſideribus animæ prælucentibus: quotquot autem contumaces fuerint, æſtuabunt urenturque inteſtinis concupiſcentiis, more flammæ totos homines ſemel occupatos depaſcentibus*]. Confer II Cor. II, 16. & quem ad primum caput citavimus Eſaiæ locum IV, 4.

ἐκάθισέ τε ἐφ᾽ ἕνα ἕκαστον αὐτῶν. *ſeditque ſupra ſingulos eorum*] Significabat hæc ſeſſio perpetuò illis hoc donum adfuturum, quoties negotium ipſis eſſet cum

Gentibus linguæ alterius. Prophetis Prophetia rarò aderat cùm Deus vellet, neque certi erant Prophetæ quando eam eſſent habituri. Exempla habemus in Nathane, Samuele, Eſaia.

4. ἤρξαντο λαλεῖν ἑτέραις γλώσσαις, *cœperunt loqui aliis linguis*] Aliis quàm quas didicerant. Quod hîc eſt ἑτέραις [*aliis*], id eſt, καιναῖς [*novis*] apud Marcum XVI, 17. Noli iis credere, qui miraculum in auribus audientium factum aſſerunt. Manifeſtè omnia eis reſiſtunt quæ ſunt 1 Cor. XII, 10. XII, 28. 30. XIV, 2, 4, 5, 6, 9, 13, 14, 18, 19, 22, 23, 26, 27, 39.

ἀποφθέγγεσθαι. *eloqui*] Solet de Prophetis uſurpari hæc vox, reſpondens Hebræis נבא [*prophetare*], קסם [*divinare*], חרץ [*explicare*] & ſimilibus. Vide infra 14.

5. Ἦσαν δὲ ἐν Ἱερουσαλὴμ κατοικοῦντες, *Erant autem in Ieruſalem habitantes*] Verbum κατοικεῖν [*habitare*], hîc reſpondet Hebræo גור, quod & κατοικεῖν [*inhabitare*] & παροικεῖν [*inquilinum eſſe*] verti ſolet, interdum & διατρίβειν [*commorari*]. Itaque dicitur non tantùm de iis qui ſedem fixerant, ſed & de iis qui ad Paſcha aut ad Pentecoſten celebrandam in Vrbem venerant, ad tempus aliquod ibi ſubſtituri. Id oſtendunt ſequentia: nam Hieroſolymis qui domicilium habebant, eos credibile eſt linguam noviſſe Hieroſolymitanam; non item cæteros. Adde quòd ſub hoc nomine veniant & quibus domicilium in Meſopotamia, & qui Romanorum in Iudæa peregrinabantur, infra 9. 10.

ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri religioſi*] אנשי יראה. Frequens apud Hebræos loquendi genus. Sic vocantur non hi tantùm qui ſe Legi ſubjecerant, verùm etiam viri pii qui idololatria deſerta puriùs vivere inſtituerant: nam tales quoque ad Templum veniſſe apparet, 1 Regum VIII, 41. Ioh. XII, 20.

ἀπὸ παντὸς ἔθνους τῶν ὑπὸ τὸν οὐρανόν. *ex omni natione quæ ſub cælo eſt*] Id eſt, de ſexdecim nepotibus Noæ, unde propagatæ gentes cæteræ.

6. Γενομένης δὲ τῆς φωνῆς ταύτης, *Factâ autem hac voce*] Φωνὴ [*vox*] pro *fama*, ut Num. XVI, 34. 1 Regum 1. 40. & alibi.

καὶ συνεχύθη. *& mente confuſa eſt*] Id eſt, συνεταράχθη, ἐμερίμνα, *animo fuit turbido ac ſollicito*. Omnibus his vocibus reddi ſolet Hebræum רגז, & hoc explicant ſequentia verſu 7, 12.

7. Οὐκ ἰδοὺ πάντες οὗτοί εἰσιν οἱ λαλοῦντες Γαλιλαῖοι; *Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt*]? Id eſt, homines indocti. Vide Iohan. 1, 46.

9. Πάρθοι, *Parthi*] אשפכשר [*Arphaxad*], Gen. X, 23.

καὶ Μῆδοι, *& Medi*] מדי [*Madai*], ibidem 2.

καὶ Ἐλαμῖται, *& Elamitæ*] עילם [*Ælam*], ibidem 22. *Elymæi* vicini Perſis & Medis. Vide Strabonem, Livium, Plinium, noſtra ad Danielem VIII. 2.

καὶ οἱ κατοικοῦντες τὴν Μεσοποταμίαν, *& qui habitant Meſopotamiam*] ארם [*Aram*] dicto commate 23.

Ἰουδαίαν τε, *Iudæam*] Quæ olim terra כנען [*Canaan*], Gen. X, 15.

καὶ Καππαδοκίαν, *& Cappadociam*] משך [*Mazach*]: urbs præcipua *Mazaca*. In omni hoc Aſiæ tractu populos paucos fuiſſe Græcos, Barbaros pleroſque docet nos Strabo libro XII. Illorum Barbarorum erant linguæ illæ duæ & viginti, quas didicerat Mithridates.

Πόντον, *Pontum*] תירס [*Thiras*] 2.

καὶ τὴν Ἀσίαν, *& Aſiam*] גמר [*Gomer*] 2.

10. Φρυγίαν τε, *Phrygiam*] אשכנז [*Aſchenaz*] 3. Vide Annotata noſtra ad librum 1. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

καὶ Παμφυλίαν, *& Pamphyliam*] ריפת [*Riphat*] 3.

Αἴγυπτον, *Ægyptum*] מצרים [*Miſrajim*]. 6. Κοπτος [*Coptus*] Vrbs mercatu jam olim celebris cum articulo & levi mutatione Αἴγυπτος, *Ægyptus*]. Inde terræ & flumini nomen apud Græcos. Ipſi ſe Μεσωρὶ [*Meſori*] vocabant. Vide noſtra quæ jam diximus Annotata.

καὶ τὰ μέρη τῆς Λιβύης τῆς κατὰ Κυρήνην, *& partes Libyæ, quæ eſt circa Cyrenen*] Nomen quidem *Libyum* reſpondet Hebræo להבים [*Lehabim*]. Sed Græci ſic totam Africam vocant quæ פוט [*Phut*] Gen. X. 6. & Auguſtinus hunc locum citans, *Africam* nominat.

καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες Ῥωμαῖοι, *& advenæ Romani*] Orti ex יון [*Iavan*].

Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι, *Iudæi quoque & Proſelyti*] Romæ multi erant Iudæi, ut nos docent Cicero & Horatius. Multæ etiam fœminæ & Libertini ſe eis addebant. Teſtes Tibullus, Ovidius, Philo & alii.

11. Κρῆτες, *Cretes*] Pars יון [*Iavan*], cujus mentio ibidem 2.

καὶ Ἄραβες, *& Arabes*] Pars poſterûm כוש [*Chus*] ibidem 6.

τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ, *magnalia Dei*] *Dei potentiam*, quæ Ieſu reſuſcitato apparuit: id enim præcipuum argumentum fuit, quo converſus eſt Mundus, ſuprà 1, 22. infrà 24. & III, 33.

12. Διηπόρουν, *Stupebant*] *Hæſitabant* vertit Auguſtinus rectè.

Τί ἂν θέλοι τοῦτο εἶναι; *Quidnam vult hoc eſſe?*] מוה [*quidnam*], Hebræis admirantium vox.

13. Ἕτεροι δὲ χλευάζοντες, *Alii autem irridentes*]. מלעבים [*ſubſannantes*] ut eſt II Paral. XXXVI, 16. ubi Græci μυκτηρίζοντες [*deridentes*].

Ὅτι γλεύκους μεμεστωμένοι εἰσί. *quia muſto pleni ſunt iſti*] מלאי עסים [*pleni muſto*]. Eſt autem γλεῦκος [*muſtum*] hîc, γλυκασμὸς [*dulcedo*] Ioel III, 18 Amos IX, 13. *ſapa*, vel *defrutum*, vinum ex muſto decoctum, eoque perpetuam dulcedinem retinens.

14. ἐπῆρε τὴν φωνὴν αὐτοῦ, *levavit vocem ſuam*] Vt gregis non Chriſtiani tantùm, ſed & Apoſtolici paſtor. Hîc incipit nominis ſui à *rupe* dicti meritum implere.

καὶ ἐνωτίσασθε τὰ ῥήματά μου. *& auribus percipite verba mea*] Ἐνωτίζειν [*auribus percipere*] vox eſt Helleniſtica confecta ad exprimendum Hebræum האזין. Ἐνωτίζετε τὰ ῥήματά μου [*verba mea auribus percipite*] habes Iob. XXXII, 10. Pſal. V. 1, & alibi.

15. ἔστι γὰρ ὥρα τρίτη τῆς ἡμέρας. *cum ſit hora diei tertia*] Id eſt, tempus precum matutinarum, ad quas homines, vel mediocriter pii, non ibant niſi jejuni. Imò diebus feſtis ad ſextam usque horam jejunatum docet nos Ioſephus de vita ſua.

16. Ἀλλὰ τοῦτό ἐστι τὸ εἰρημένον διὰ τοῦ Προφήτου Ἰωήλ. *Sed hoc eſt quod dictum eſt per Prophetam Ioel*] Iterum evenit quod Ioel de temporibus ſibi propioribus prædixerat. Antequam Deus judicia ſua per Nabuchodonoſorem exerceret in Iudæos, Eſaiam,

Ieremiam, Ezechielem, feminas etiam nonnullas donavit prophetiâ. Sicut verò judicia, quæ per Romanos Deus erat exerciturus, multò futura erant atrociora, ob diſſipationem Gentis ſine ſpe reſtitutionis, par erat ut majora etiam beneficia præcederent ad convincendam Iudæorum duritiem; id nunc eveniebat. Itaque monet Petrus ſingulos ne tantum beneficium negligant, ut ſic Gente pereunte ipſi ſerventur, ſicut olim illi per ת ſignati apud Ezechielem.

17. ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις, *in noviſſimis diebus*] In Hebræo eſt אחרי—כן, id eſt, *poſt iſta*: Sed idem ſolere ſignificari per באחרית הימים, quod eſt ἐν ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις [*in noviſſimis diebus*], notavimus ad Gen. XLIX, 1, & alibi: LXX hoc loco, ἔσται μετὰ ταῦτα [*erit poſthac*]. Sequitur Lucas in hujus loci, ut & aliorum productione, LXX Interpretes, non tamen ad amuſſim, verbis interdum mutatis aut tranſpoſitis, quod & Moſes fecit Decalogum in Deuteronomio recitans.

ἐπὶ πᾶσαν σάρκα. *ſuper omnem carnem*] *In diverſæ ſortis homines.*

καὶ προφητεύσουσιν, *& prophetabunt*] *Afflatum ſentient*, ut Philippi filia, Agabus.

ὁράσεις ὄψονται, *viſiones videbunt*] Ὀπτασίας, *Viſa divinitùs excitata*, quale eſt quod Petro obvenit de animalibus immundis, & Ananiæ infra IX, 10.

ἐνύπνια ἐνυπνιασθήσονται. *ſomnia ſomniabunt*] *Viſa nocturna à Deo accipient*, ut Paulus infra XVI, 9.

18. ἐπὶ τοὺς δούλους μου, καὶ ἐπὶ τὰς δούλας μου, *ſuper ſervos meos & ſuper ancillas meas*] In Hebræo eſt, *Super ſervos & ancillas*, ſupple *etiam*: contra dictum Hebræorum, *Spiritus Sanctus non requieſcit ſuper animam pauperis.*

ἐκχεῶ, *effundam*] Significatur larga donatio.

19. Καὶ δώσω τέρατα, *Et dabo prodigia*] Reſpondet Hebræo מופתים, quod & hîc & alibi per τέρατα [*prodigia*] vertitur.

καὶ σημεῖα, *& ſigna*] Id non eſt hîc in Hebræo: ſed valet idem quod aliis in locis Hebræum אותות, quod cum מופתים [*prodigiis*] ſæpe junctum invenitur. Sic & τέρατα [*prodigia*] & σημεῖα [*ſigna*] conjunguntur Ioh. IV, 48. hîc infra IV, 30. VII, 36. Roman. XV, 19. & in Eſtheris capite ultimo.

αἷμα, *ſanguinem*] Multas cædes.

καὶ πῦρ καὶ ἀτμίδα καπνοῦ. *& ignem & vaporem fumi*] Multa incendia oppidorum, vicorum, villarum.

20. Ὁ ἥλιος μεταστραφήσεται εἰς σκότος, *Sol convertetur in tenebras*] Per fumum qui cœlum obſidebit.

καὶ ἡ σελήνη εἰς αἷμα, *& Luna in ſanguinem*] Propter aërem qui multum ſanguinem attrahet.

ἐπιφανῆ. *manifeſtus*] Bene vertit הנורא, quomodo & LXX; eſt enim à ירא *Videre*. vertitur eodem modo Iud. XIII, 6. I Paralip. XVII, 21. Hab. I, 7. Malach. I, 14. alibi μέγας [*magnus*], χαλεπὸς [*difficilis*], θαυμάσιος [*admirabilis*], θαυμαστὸς [*admirandus*], φοβερὸς [*terribilis*], κραταιὸς [*potens*], ἔνδοξος [*illuſtris*]. Dixit hoc Ioël de die excidii per Nabuchodonoſorem, Petrus de die excidii per Romanos: omnes enim dies beneficiis aut pœnis illuſtres *dies Domini* vocantur, ut bene notavit Maimonides Doctore dubitantium II, 29.

21. Καὶ ἔσται, Πᾶς ὃς ἂν ἐπικαλέσηται τὸ ὄνομα Κυρίου, σωθήσεται. *Et erit, Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*] Pii eripientur communi exitio. Vide quæ diximus ad Matth. XXIV, 16. & ſequentibus. Idem in altero excidio evenerat, Ezechiel IX. imo & in ipſa captivitate pii in honore fuerunt, ut Daniel & ſocii ejus. Sic & Apollos, Timotheus & alii Apoſtolorum diſcipuli. ἂν pro ἐὰν uſurpant, & alii, & Dionyſius Halicarnaſſenſis.

22. Ἰησοῦν τὸν Ναζωραῖον, *Ieſum Nazarenum*] Appellant eum eo nomine quo vulgò vocatus fuerat. Matth. XXVI, 71. Marci I, 24. X, 47. XIV, 67. XVI, 6. Lucæ IV, 34. XVIII, 37. XXIV, 19. Iohan. XVIII, 5, 7. XIX, 19. hoc libro infra III, 6. IV, 10. VI, 14. XXII, 8. XXVI, 9.

ἀποδεδειγμένον εἰς ὑμᾶς, *approbatum in vobis*] *Conſpicuum vobis.* Sic κοράσια ἀποδεδειγμένα, Eſther. II, 9: נערות הראיות, *puellæ ſpectabiles.*

δυνάμεσι, *virtutibus*] בגבורות.

καὶ τέρασι καὶ σημείοις, *& prodigiis & ſignis*] De his vocibus jam diximus. Hæc tria junctim habes & II Corinth. XII, 12. Mos eſt Hebræorum res magnas pluribus vocibus eloqui.

23. τῇ ὡρισμένῃ βουλῇ καὶ προγνώσει τοῦ Θεοῦ ἔκδοτον λαβόντες, *definito conſilio & præſcientia Dei traditum*] Deus conſtituerat ut *Chriſtus per perpeſſionem in gloriam intraret*, Lucæ XXIV, 26. hoc eſt, τὸ ὡρισμένον [*definitum*] de quo egimus ad Luc. XXII, 22. idem eſt πρόγνωσις hîc, & I Petri I, 2. nam προγινώσκειν in his libris *decretum* ſæpe ſignificat, ſicut & Latinum *ſciſcere*, unde *ſcita*. Roman. VIII, 29. XI, 2. I Petri I, 20. Vt hoc decretum ad exitum perveniret permiſit Deus Iudæos de Chriſto agere quæ vellent, cùm id impedire facillimè poſſet. Matth. XXVI, 53, 54. ἔκδοτον [*traditum*] idem eſt quod alibi ſæpe παραδοθέντα, *permiſſum ipſis.* Matth. XVII, 22. XX, 18. Vide & Lucæ XXII, 53. ἔκδοτοι ſunt propriè *qui deduntur hoſtibus.* Sic Deus Chriſtum dedidit hoſtibus.

διὰ χειρῶν ἀνόμων προσπήξαντες ἀνείλετε. *per manus iniquorum affigentes interemiſtis*] *Interfeciſtis eum crucifigendo per Romanos*, qui ἄνομοι [*iniqui*], quòd Dei legem nullam obſervarent: eodem ſenſu ἁμαρτωλοὶ [*peccatores*], Matth. XXVI, 45. Marci XIV, 41. Lucæ XXIV, 7. In manuſcripto veteri eſt διὰ χειρὸς ἀνόμων, non malè, ביד רשעים [*per manum impiorum*]. Dicuntur per Romanos hoc feciſſe Iudæi, quòd à Romanis importunis flagitationibus ac minis extorſere. Facit, qui facit ut fiat. Προσπήξαντες [*Affigentes*] dictum breviter pro προσπήξαντες σταυρῷ [*affigentes cruci*]. Sic προσηλώσας σταυρῷ [*affigens cruci*] dicitur Coloſſ. II, 14. *Cruci affigere* dixit Curtius: *Cruci ſuffigere* Suetonius.

24. λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου, *ſolutis doloribus mortis*] חבלי מות, ὠδῖνες θανάτου [*dolores mortis*] Græcis Interpretibus non eſt *mors*, aut *ſtatus poſt mortem*, ſed *graviſſimi dolores, quales ſolent eſſe mulierum in partu morientium.* Apparet II Samuel. XXII, 6. Pſalmo XVIII, 5. CXVI, 3. Ab his doloribus Deus Chriſtum liberavit, reſuſcitando eum ad vitam nullis doloribus obnoxiam. Λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ ᾅδου [*ſolvens dolores inferni*] ait Barnabas.

καθότι οὐκ ἦν δυνατὸν κρατεῖσθαι αὐτὸν ὑπ᾽ αὐτοῦ. *juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo*] Arabs legit ὑπ' αὐτῶν [*ab illis*] nempe τῶν ὠδίνων [*doloribus*]. Οὐκ ἦν δυνατὸν, id eſt, *non erat par, non erat æquum*, quomodo δύναται [*poteſt*] ſumitur Matth. IX, 15. & alibi. Non erat æquum ut vir innocens diu ſubjaceret alienæ malitiæ.

25. Δαβὶδ γὰρ λέγει εἰς αὐτόν· *David enim dicit in eum*] *De ipſo.* Rectè hoc dicit, quia Iudæis perſuaſum erat, res Davidis eſſe typos Regis Meſſiæ. Habent quæ ſequuntur ſenſum ſuum in Davide, ſed magis figuratum. Voluit autem Deus in Meſſia eadem impleri magis κατὰ πόδας [*verbotenus*], ne quid cauſari poſſet populus vocularum anceps.

ἐκ δεξιῶν μοι ἐστὶν, *à dexteris eſt mihi*] Id eſt, *opitulatur mihi* tanquam παραστάτης [*adſtes*].

ἵνα μὴ σαλευθῶ. *ne commovear*] Ne dejiciar de regni promiſſo.

26. καὶ ἠγαλλιάσατο γλῶσσά μου· *& exultavit lingua mea*] Lxx ſic poſuere, quia in eorum codicibus fuit לשוני [*lingua mea*], pro כבודי [*gloria mea*], quales in libris veteribus varietates multæ fuere.

ἔτι δὲ καὶ ἡ σάρξ μου κατασκηνώσει ἐπ' ἐλπίδι, *inſuper & caro mea requieſcet in ſpe*] Hoc dixit David Saulis metu latebras ex latebris quærens: Chriſtus ante crucem & in cruce.

27. Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, *Quoniam non derelinques animam meam in inferno*] De Davide ſenſus, Non patieris me interfici à Saule, 1 Samuel. XXII, 1. de Chriſto, Non relinques me diu ſub regno mortis. ψυχήν μου [*animam meam*], id eſt, *me*: frequens Hebraiſmus.

οὐδὲ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν, *nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem*] Δώσεις, *permittes.* נתן Hebræum vertitur per ἀφιέναι [*dimittere*], ut Geneſ. XX, 6. Exod. XII, 23. & per ἐᾶν [*permittere*] interdum, ſæpe & διδόναι [*dare*], ut Geneſ. XXXI, 7. & hîc infra 27. τὸν ὅσιόν σου, חסידיך [*ſanctum tuum*] id eſt, *ſervum tuum pium.* ἰδεῖν διαφθορὰν [*videre corruptionem*] eſt μεταφορὰ [*Translatio*] ab animato ad exanime, id eſt, *perdi, interire.* Senſus idem qui in priori membro. Eſt enim ἐξήγησις [*explicatio*].

28. Ἐγνώρισάς μοι ὁδοὺς ζωῆς· *Notas mihi feciſti vias vitæ*] De Davide, Eximes me his malis quæ morti comparantur: de Chriſto, Eximes me morti.

πληρώσεις με εὐφροσύνης μετὰ τοῦ προσώπου σου. *replebis me jucunditate cum facie tua*] De Davide intellige in templo: de Chriſto in cœlo.

29. ὅτι καὶ ἐτελεύτησε καὶ ἐτάφη, καὶ τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐστιν ἐν ἡμῖν, *quoniam & defunctus eſt & ſepultus eſt, & ſepulchrum ejus eſt apud nos*] Id eſt, in hac urbe, quod ſoli Davidi conceſſum. Non negat verba illa de Davide ullo modo poſſe intelligi, ſed neque tam magnificè, neque tam κατὰ κυριολογίαν [*propriè*], quàm de Ieſu. Vnde ſequitur eum eſſe Meſſiam in Davide præfiguratum. David in ſepulchro manet: Ieſus non manet.

30. ἐκ καρποῦ τῆς ὀσφύος αὐτοῦ, *de fructu lumbi ejus*] Verba ſunt ex Pſalm. CXXXII, 11. ubi in Græco, ἐκ καρποῦ τῆς κοιλίας σου [*de fructu ventris tui*], *ex partu uxoris tuæ.* Senſus eódem recidit.

τὸ κατὰ σάρκα, *quod ad carnem attinet*] Hoc ideo addidit Petrus, quia Chriſtum pro certo habebat conceptum ex Spiritu Sancto.

τὸν Χριστὸν, *Chriſtum*] In hoc miſſum ut Rex eſſet populi Dei.

καθίσαι ἐπὶ τοῦ θρόνου αὐτοῦ, *ſedere ſuper ſedem ejus*] Davidis regnum fuit ſuper populum Dei: ſic & Chriſti. Nec refert quod in Chriſti regno plures ſint è Gentibus; nam in his impletum eſt quod in Iſraële erat adumbratum.

32. οὗ πάντες ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες. *cujus omnes nos ſumus teſtes*] Non ex fama, ſed ex iis quæ viſu, auditu, tactuque percepimus. Hoc teſtamur omnes pariter, nihil inde lucraturi, niſi odia, verbera, carceres, mortes: quare nulla eſt cauſa cur noſtro teſtimonio fidem derogetis.

33. ὑψωθεὶς, *exaltatus*] In cœleſtem regiam ſublatus, Iohan. Euang. XX, 17.

τήν τε ἐπαγγελίαν τοῦ ἁγίου πνεύματος λαβὼν, *& promiſſione Spiritûs Sancti acceptâ*] Id eſt, impetrato à Patre jure mittendi Spiritum Sanctum, quod Pater ei promiſerat. Vide Ioh. Euang. XIV, 26. XV, 26. XVI, 13, 14, 15.

τοῦτο, ὃ νῦν ὑμεῖς βλέπετε, *hunc quem vos videtis*] Id eſt, *auditis.* Hebræi omnem ſenſum & internum & externum *videndi* vocabulo exprimunt. Agitur hîc de ſubito linguarum uſu.

34. Οὐ γὰρ Δαβὶδ ἀνέβη εἰς τοὺς οὐρανούς· *Non enim David adſcendit in cælum*] David in ſepulchrum deſcendit, 1 Regum II, 10. non autem evectus eſt in cœlum ut Elias: quare verba Pſalmi CX. in ipſum congruere non poſſunt. De eis Pſalmi verbis vide quæ diximus tam ad ipſum Pſalmum, quàm ad Matthæum XXII, 44.

36. Ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραήλ, *Certiſſimè ſciat ergo omnis domus Iſrael*] ידע תדע [*ſciendo ſciat*] *Certò norit.*

ὅτι Κύριον καὶ Χριστὸν αὐτὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε, *quia & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus*] *Dominum* rerum omnium, magis quàm Adamus fuerat: *Chriſtum*, id eſt, Regem populi Dei.

37. κατενύγησαν τῇ καρδίᾳ, *compuncti ſunt corde*] Sic vertitur יתעצבו, Geneſ. XXXIV, 7. *dolorem ſenſere.*

Τί ποιήσομεν; *Quid faciemus?*] Quærunt an aliqua ſpes reſtet, & quæ.

38. Μετανοήσατε, *Pænitentiam agite*] שובו, *emendamini.*

καὶ βαπτισθήτω ἕκαστος ὑμῶν ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν· *& baptizetur unusquisque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum*] Non ſatis eſt Chriſto credere, ſed oportet & Chriſtianiſmum profiteri, Roman. X, 10. quod Chriſtus per baptiſmum fieri voluit. Qui hæc præſtat, certus fit de remiſſione peccatorum. Sic Conſtantino dixit Ægyptius quidam, Πάσης ἁμαρτάδος ἀναιρετικὴν εἶναι τὴν τῶν χριστιανῶν δόξαν, καὶ τοῦτο ἔχειν ἐπάγγελμα, τὸ τοὺς ἀσεβεῖς μεταλαμβάνοντας αὐτῆς πάσης ἁμαρτίας ἔξω παραχρῆμα καθίστασθαι [*Religionem Chriſtianorum habere vim abolendi quodcunque peccatum, & id ipſum adeò polliceri, nimirum acceptantes eam homines impios mox omni delicto liberari*], ait Zoſimus. ἄφεσις ἁμαρτιῶν [*remiſſio peccatorum*], סלח.

καὶ λήψεσθε τὴν δωρεὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος· *& accipietis donum Spiritûs Sancti*] Per impoſitionem manuum Apoſtolicarum, infra XIX, 6.

39. Ὑμῖν γάρ ἐστιν ἡ ἐπαγγελία καὶ τοῖς τέκνοις ὑμῶν, *Vobis enim eſt repromiſſio & filiis veſtris*] Nempe remiſſionis peccatorum. Apparet id Ierem. XXXI, 34. Zachar. XIII, 1.

καὶ πᾶσι τοῖς εἰς μακρὰν, *& omnibus qui longè ſunt*] Iam didicerant à Chriſto per eum remiſſionem peccatorum etiam Gentibus dari, Matth. XXVIII, 19. ſupra 18: ſed quibus legibus eam adepturæ eſſent Gentes, id necdum ſciebant.

ὅσους ἂν προσκαλέσηται Κύριος ὁ Θεὸς ἡμῶν. *quoſcumque advocaverit Dominus Deus noſter*] Id eſt, quicunque vocati paruerint. Nam ſæpe in vocibus beneficium ſignificantibus tacitè ſubintelligitur beneficii acceptatio. Sic nomen *vocatorum* ſumitur, I Corinth. I, 24. & Iudæ I, 1. Sic *revelari* ſumitur Eſaiæ LIII, 1. Sic Deus *dare pœnitentiam* dicitur, II Timoth. II, 25. *dare panem de cælo*, Ioh. VI, 32. *dare cor*, Deuter. XXIX, 4. multaque ſunt alibi pari ſenſu poſita.

40. Σώθητε ἀπὸ τῆς γενεᾶς τῆς σκολιᾶς ταύτης. *Salvamini à generatione iſta prava*] Id eſt, deſerite hujus improbæ gentis mores. Γενεὰ σκολιὰ [*generatio prava*] dicitur ex Deuter. XXXII, 20. Reſpondet Hebræo נלוז [*perverſus*].

41. προσετέθησαν, *appoſitæ ſunt*] Nempe diſcipulis Ieſu Chriſti, cœtui illi CXX hominum.

42. προσκαρτεροῦντες τῇ διδαχῇ τῶν Ἀποστόλων, *perſeverantes in doctrina Apoſtolorum*] Vide ſupra I, 14. infra 46. VI, 4. VIII, 13. X, 7. Roman. XII, 12. XIII, 6. Coloſſ. IV, 2. Hebræi dicerent שוקדים [*ſedulò inſtantes*].

καὶ τῇ κοινωνίᾳ, *& communicatione*] Cùm de *communione bonorum* infra demum agere incipiat, videtur hîc vox κοινωνίας [*communicationis*] rectè intelligi pro *colloquio*, quo modo κοινωνεῖν [*communicare*] ſumitur, Galat. VI, 6.

καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου, *& fractione panis*] Frugalibus conviviis, quæ *Euchariſtiæ* ſumptione claudebantur: quare *Euchariſtiæ* mentionem hîc fecit Syrus. Vide quæ diximus ad Matthæum XXVI, 21. κλᾶν ἄρτον, פרס לחם [*frangere panem*], Ierem. XVI, 7. Hebræorum panes tales erant, qui manu facilè frangerentur; inde *fragmenta*, μερίδες, בצועות Hebræis.

καὶ ταῖς προσευχαῖς. *& orationibus*] Supra I, 14. Tertullianus Apologetico, *Coimus ad Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus: Hæc vis Deo grata eſt.* Chryſoſtom. II Sermone, Cur obſcurum ſit Vetus Teſtamentum, Ἐπειδὰν γὰρ καθ' ἑαυτοὺς εὐχόμενοι, καθὼς ἔφθην εἰπὼν, ἀσθενεῖς ἐσμὲν, ἀπὸ τοῦ συνδέσμου τῆς ἀγάπης δυσωποῦμεν τὸν Θεὸν δοῦναι ἡμῖν τὰ αἰτήματα [*Cùm enim ſingulorum, ut ante dixi, parùm valeant preces, charitatis vinculo flectimus Deum, & quæ poſcimus extorquemus*].

43. Ἐγένετο δὲ πάσῃ ψυχῇ φόβος. *Fiebat autem omni animæ timor*] Reverentia magna Apoſtolorum omnes tenebantur, propter ſermonis vim & accedentia ſigna. Vide infra V, 5, 11. Ψυχὴν [*animam*] pro *homine* & alii uſurpant, & Epiphanius.

πολλά τε τέρατα καὶ σημεῖα, *multa quoque prodigia & ſigna*] Habes hæc duo & in Græco Eſtheris X, 10. & infra IV, 30.

44. καὶ εἶχον ἅπαντα κοινά· *& habebant omnia communia*] Nempe quomodo Eſſeni, de quibus erat bona pars Chriſtianorum, quorumque inſtituta Chriſtus nunquam reprehenderat. De illis loquor Eſſenis qui conjuges ac liberos habebant. Philo, Ἓν τὸ ταμεῖον ἐν πάντων καὶ δαπάναι, καὶ κοιναὶ μὲν ἐσθῆτες, κοιναὶ δὲ τροφαὶ, συσσίτια πεποιημένων [*una eſt omnium arca, una impenſa, victus denique & amictus communia: cùm nec cibum ferè niſi unà capiant*]. Hos idem Philo in libro de præmiis & pœnis dicit, Τὰ ἴδια προφέρειν εἰς μέσον ἀγαθὰ εἰς κοινὴν μετουσίαν καὶ ἀπόλαυσιν [*quæ cuique propria ſint bona, ea in medium conferre, communi & uſui futura & fructui*]. Idem de eis tradunt Ioſephus & Zachuth. Theophraſtus de iiſdem, Θαυμάσιον καὶ αὐτοῖς τὸ κοινωνικὸν, οὐδ' ἔστιν εὑρεῖν κτήσει τινὰ παρ' αὐτοῖς ὑπερέχοντα· νόμος γὰρ, τοὺς εἰς τὴν αἵρεσιν εἰσιόντας, δημεύειν τῷ τάγματι τὴν οὐσίαν, ὥστε ἐν ἅπασι μήτε πενίας ταπεινότητα φαίνεσθαι, μήθ' ὑπεροχὴν πλούτου [*Mirére & communionis eorum ſtudium, nec qui plus reliquis poſſideat apud eos invenias. Lege enim hâc utuntur, ut, qui ſe eorum ſectæ dant, bona ordini conferant, ut in univerſo cætu nemo aut ob inopiam deſpectior aut ob divitias elatior appareat*]. Par vita Pythagoriſtarum, quorum multa inſtituta ab Eſſenis, aut eorum auctoribus. Iamblichus de iis, ἴδιον οὐδεὶς οὐδὲν ἐκέκτητο [*nemo proprii poſſidebat quidquam*]. id κοινόβιον [*cænobium*] vocat Gellius I, 9. & explicans ait, *quod quisque familiæ pecuniæque habebat, id dediſſe in medium, & coïtam ſocietatem inſeparabilem.*

45. Καὶ τὰ κτήματα, καὶ τὰς ὑπάρξεις ἐπίπρασκον, *Et poſſeſſiones & ſubſtantias vendebant*] Rerum ſuarum venditarum pretia dabant Apoſtolis in uſus communes. Infra IV, 37.

καὶ διεμέριζον αὐτὰ πᾶσι, καθότι ἄν τις χρείαν εἶχε. *& dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*] Nempe ægrotis ad medicamenta, & alias res neceſſarias, item ad alimenta infantium. Nam cæteri viri fœminæque de publico veſtiebantur, de publico menſam habebant communem κατὰ φρατρίας [*per ſodalitates*].

46. ἐν τῷ ἱερῷ, *in templo*] Quamquam cœtus habebant peculiares, tanquam Synagogas, tamen communes in templo populi cœtus non deſerebant. Vide infra III, 1.

κλῶντές τε κατ' οἶκον ἄρτον, *& frangentes circa domos panem*] Deni aut viceni ſimul ad menſam conveniebant in ædibus ad id commodiſſimis.

ἐν ἀγαλλιάσει, *cum exſultatione*] Ob tanta Dei beneficia.

καὶ ἀφελότητι καρδίας, *& ſimplicitate cordis*] Corde puro. Quod Paulus dixit ἐν ἁπλότητι [*in ſimplicitate*], Rom. XII, 8. II Cor. I, 12. Coloſſ. III, 22. Epheſ. VI, 5. Sic καθαρὰ καρδία [*cor purum*] Geneſ. XX, 5. ὁσιότης καρδίας καὶ εὐθύτης [*ſimplicitas cordis & æquitas*], I Reg. IX, 4. τελειότης [*integritas*] ſecundùm quosdam interpretes Græcos, Proverb. XI, 3. ἁπλότης καρδίας [*ſimplicitas cordis*], I Paralipom. XXIX, 17. ἀλήθεια [*veritas*], Prov. XXVIII, 6.

47. καὶ ἔχοντες χάριν πρὸς ὅλον τὸν λαόν. *& habentes gratiam ad omnem plebem*] Erant gratioſi etiam apud τοὺς ἔξωθεν [*extraneos*], ob bonitatem, modeſtiam, patientiam, quarum virtutum ea vis eſt, ut amorem etiam à diſparis vitæ hominibus extorqueat.

προσετίθει τοὺς σωζομένους, *augebat qui ſalvi fierent*] Τοὺς σωζομένους hîc intellige eos, qui ſe ſegregabant à communi Iudæorum impietate. Vide ſupra 40. Hebræis פליטים [*evadentes*] *quicumque malum aliquod effugiunt*, dicunturque ii Græcè σωζόμενοι, ἀνασεσωσμένοι, ἀνασωθέντες, ἐξαιρούμενοι, διαπεφευγότες. Prius eſt vitia fugere: ſequitur addiſcere virtutes, quod fit in Eccleſia.

AD CAPVT III.

ΕΠὶ τὸ αὐτὸ, *Circa idem tempus.*

ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην. *ad horam orationis nonam*] Quæ hora precationis erat diei nona. Ea precatio *veſpertina* dicebatur, quia veſperi incipiebat Sole declinante. Exempla habes ex Geneſ. XXIV, 63. Iudith. IX, 1. infra X, 30. Vide quæ diximus ad Matth. XIV, 15. & XXVII, 45. Et ſolebat fieri addito מנחה [*oblatione addita*] ut apparet Dan. IX, 21. vocabaturque id מנחה [*Mincha*] ſive μαναὰ [*Manaa*], *parvum*, quia matutina oblatio erat uberior. Precatio matutina dicebatur אור [*ôr*], meridiana צהרים [*Zohorim*], veſpertina ערבית [*Arabith*]. Nihil hac in parte mutarunt Chriſtiani. In Clementis Conſtitutionibus VII, 24. τρεῖς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε [*ter quotidie ità orate*]. *Orationes nonâ horâ concludi* ait Tertullianus de jejuniis. Idem eodem libro, *Porrò cùm in eodem commentario Lucæ & tertia hora orationis demonſtretur, ſub qua Spiritu Sancto initiati pro ebriis habebantur: & ſexta, quâ Petrus adſcendit in ſuperiora: & nona, quâ Templum ſunt introgreſſi; cur non intelligamus, ſalvâ planè indifferentiâ ſemper & ubique & omni tempore orandi, tamen tres iſtas horas, ut inſigniores in rebus humanis, quæ diem diſtribuunt, quæ negotia diſtinguunt, quæ publicè reſonant, ita & ſolenniores fuiſſe in orationibus diurnis? Quod etiam ſuadet Danielis quoque argumentum ter die orantis, utique per aliquarum horarum exceptionem, non aliarum autem quàm inſigniorum; exinde Apoſtolicarum Tertiæ, Sextæ, Nonæ.* Ibidem & libro De Oratione nos docet quarta & ſexta à Sabbato *ſtationes*, id eſt, ſemijejunia protracta ad nonam; quod & Iudæorum religioſioribus factum notat Maimonides.

2. πρὸς τὴν θύραν τοῦ ἱεροῦ, *ad portam templi*] Solent plerumque in deſcriptione Templi πύλαι [*portæ*] dici, ſed interdum & θύραι [*januæ*], ut II Paralipom. IV, 22. Ezech. XL, 13. Voceſque Hebrææ פתח & שער modò vertuntur πύλη [*porta*], modò θύρα [*janua*].

τὴν λεγομένην Ὡραίαν, *quæ dicitur Specioſa*] Quia facta ex ære Corinthio. Ioſephus de Bello Iudaico VII, 12. ubi vir doctiſſimus Ludovicus Capellus ἐξωτέρου [*exterioris*] pro ἐνδοτέρου [*interioris*] legendum putat, non levibus de cauſis.

τοῦ αἰτεῖν ἐλεημοσύνην, *ut peteret eleëmoſynam*], *Ad petendam ſtipem.* Sic loquuntur Cicero, Seneca, & Latinorum alii.

5. Ὁ δὲ ἐπεῖχεν αὐτοῖς, *At ille intendebat in eos*] Vox eſt bene Græca, quales multæ apud Lucam. *Intentus os tenebat.*

6. ἔγειραι, *ſurge*] Vide quæ diximus ad Matthæi XI, 11.

7. Καὶ πιάσας αὐτὸν, *Et apprehendens eum*] Πιάζειν, ſive πιάζειν eſt *manu premere*: quod fieri ſolet inter bene volentes ſibi mutuò.

αἱ βάσεις, *baſes*] כפים ſive כפות, βῆμα [*veſtigium*], Deut. II, 5. nam & Latinis *ſolum*, & *pedis infimum* ſignificat, & *id cui pes imprimitur.* Sic & Hebræis.

καὶ τὰ σφυρά. *& plantæ*] קרסלים. Sic dicitur *pars* illa *circum talos.*

8. Καὶ ἐξαλλόμενος, *Et exſiliens*] Reſpicitur vaticinium Eſaiæ XXXV, 6. Τότε ἁλεῖται ὡς ἔλαφος ὁ χωλός [*Tunc ſaliet claudus ſicut cervus*].

11. ἐπὶ τῇ στοᾷ τῇ καλουμένῃ Σολομῶντος, *ad porticum quæ appellatur Solomonis*] Vide Ioh. X, 23. Quidam viri eruditi putant eam porticum appellari שלכת [*Schallæchat*] I Paralipom. XXVI, 16. Adde I Regum X, 5, 12. II Paralip. IX, 11. & Eſaiæ VI, 4.

12. ὡς ἰδίᾳ δυνάμει, *quaſi noſtra virtute*] Medica facultate.

ἢ εὐσεβείᾳ, *aut pietate*] Aut quaſi Deus nobis hoc ob noſtram pietatem largiretur. Hoc ideo ajunt quia donum hoc acceperant non in ſuo, ſed in Ieſu nomine, ut ejus diſcipuli & teſtes. Vide quæ ſequuntur 15, 16.

πεποιηκόσι τοῦ περιπατεῖν αὐτόν; *fecerimus hunc ambulare*] In hujuſcemodi locutionibus ſubauditur, τὸ πρᾶγμα, *rem hanc*, nempe *ut hic ambularet.* Sic & infra XXVIII, 1.

13. τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, *puerum ſuum Ieſum*] Id eſt, υἱὸν [*filium*], quomodo Deus eum appellaverat Matth. III, 17. Id enim magis hîc reſpicitur quàm admirabilis conceptio, paucis adhuc nota. παῖδα, cùm de Ieſu dicitur, *filium* vertunt etiam Ambroſius & Hilarius, ut notat Eraſmus infra IV, 27.

παρεδώκατε, *tradidiſtis*] Pilato. Hoc propriè ad Senatores pertinet, Matth. XV, 1. Ioh. XVIII, 30.

καὶ ἠρνήσασθε, *& negaſtis*] Hoc ad populum. Senſus eſt, *noluiſtis eum pro Chriſto agnoſcere.* Simile loquendi genus de Moſe infra VII, 35.

κρίναντος ἐκείνου ἀπολύειν. *judicante illo dimitti*] Eſt ἔλλειψις [*defectus ſermonis*]. Senſus, *cùm Pilatus æquum judicaſſet eum dimittere.* Idem eſt, quod Syrus hic ſignificat per הזדיק [*juſtum pronuntiavit*].

14. ἄνδρα φονέα, *virum homicidam*] Auctorem ſeditionis, unde cædes erat orta. Luc. XXIII, 19, 25.

χαρισθῆναι ὑμῖν. *donari vobis*] Id eſt, *in veſtram gratiam dimitti.* Contra χαρίζεσθαί τινα [*donare aliquem*] dicitur & qui in gratiam alterius aliquem damnat, Actor. XXV, 11, 16.

15. Τὸν δὲ ἀρχηγὸν τῆς ζωῆς, *Auctorem verò vitæ*] Reſpicit ad locum Eſaiæ IX, 6. ubi typus Chriſti vocatur אבי־עד [*Pater æternitatis*] quod LXX vertunt πατὴρ τοῦ μέλλοντος αἰῶνος [*Pater futuri ſeculi*]. Iam oſtenderat Ieſus hunc ſibi titulum competere mortuos excitando. Et eſt manifeſtum ἀντίθετον [*oppoſitio manifeſta*] in vocibus φονέα [*homicidam*], & ἀρχηγὸν ζωῆς [*auctorem vitæ*].

ἀπεκτείνατε, *interfeciſtis*] *Occidit* qui necis cauſam dat, ut Iudæi clamando *Crucifige.*

16. τῇ πίστει τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, *fide nominis ejus*] Sequitur mox ἐστερέωσε τὸ ὄνομα [*confirmavit nomen*]. Mos eſt Hebræorum Nomen bis repetere etiam diverſo caſu ut parcant Pronominibus, ut Gen. XIV, 24.

XX, 12. XXIII, 18, 19. XXIV, 1, 2. Num. X, 29. Pſal. LXXXII, 1. 1 Sam. XII, 1. Zach. I, 6. Pſal. XIII, 4. CXIV, 44. *Nomen* hîc eſt vis ac poteſtas.

ἐστερέωσε, *confirmavit*] הכין, quod alibi per στερεοῦν [*confirmare*], alibi per ἀνορθοῦν [*erigere*] vertitur. Vide ſupra 7.

τὴν ὁλοκληρίαν ταύτην, *integram ſanitatem iſtam*] Sic Eſaiæ I, 6. מתם vertitur ὁλοκληρία; bene Latinè vertitur *integritas*: nam *integrum* corpus *vitioſo* opponit Cicero.

17. ὅτι κατὰ ἄγνοιαν ἐπράξατε, *quia per ignorantiam feciſtis*] בשגגה quod κατ' ἄγνοιαν [*per ignorantiam*] vertitur Levit. XXII, 14. alibi ἀκουσίως [*involuntariè*]. Remiſerat Deus interdum & graviora crimina ut Davidi. Sed multô erat facilior ad ea condonanda quæ aliquid trahunt de involuntario, propter admixtam ignorantiam quantumvis craſſam ac ſupinam, quæ culpam non tollit, ſed minuit. Vide 1 Cor. 11, 8. Philo de Abele & Caino, Ἀμαθία ἀκούσιον ὂν καὶ κοῦφον πάθος, θεραπείαν οὐ δύσεργον ἔχει, διδασκαλίαν [*Ignorantia leve malum, quod invitis obrepit, facile habet remedium, nimirum, ut quæ neſcias, doceare*].

ὥσπερ καὶ οἱ ἄρχοντες ὑμῶν. *ſicut & Principes veſtri*] Quorum major erat culpa quàm plebis Senatorum auctoritatem ſequentis. Vide ſupra 13.

18. ἃ προκατήγγειλε, *quæ prænuntiavit*] נבא [*prædixit*]. Idem verbum infra III, 24. VII, 52.

παθεῖν τὸν Χριστὸν, *pati Chriſtum*] Vide quæ diximus ad Euangelium Lucæ XXIV, 26. infra XXVI, 23. Subdubitari poteſt, an hæ voces ſint pars ſenſûs, an gloſſema additum: quia deſunt in vetere illo Manuſcripto.

ἐπλήρωσεν οὕτω. *ſic implevit*] Vos in malum hæc excogitaſtis: ille in bonum direxit. Gen. L, 20.

19. Μετανοήσατε οὖν, *Pœnitemini igitur*] Animo.

καὶ ἐπιστρέψατε, *& convertimini*] Factis.

εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας, *ut deleantur peccata veſtra*] Sic ἀπήλειψα τὰς ἀνομίας [*delevi iniquitates*] eſt Eſaiæ XLIV, 22. ubi in Hebræo מחיתי. Similitudo ſumpta ab iis quæ in tabulis ſcripta delentur.

ὅπως ἂν ἔλθωσι, *ut quum venerint*] *Vt veniant.* Sic ὅπως ſæpiſſimè ſumitur in his libris: & rectè ſenſum aſſecuti ſunt Syrus, Arabs. Tertullianus De reſurrectione carnis citat, *Vt tempora nobis ſuperveniant refrigerii.*

καιροὶ ἀναψύξεως, *tempora refrigerii*] Exod. VIII, 15, הרוחה vertitur ἀνάψυξις [*refrigerium*]. Sicut calamitates æſtui comparantur, ita ab iis liberatio auræ refrigeranti. Senſus eſt, *ut imminenti excidio gentis eximamini.*

20. Καὶ ἀποστείλῃ τὸν προκεχειρισμένον ὑμῖν Ἰησοῦν Χριστὸν, *& miſerit prædeſignatum vobis Ieſum Chriſtum*] *Mittat*, quamprimùm ſcilicet, ad tollenda omnium piorum mala. Tertullianus, *Si ad Dei voluntatem & ad noſtram ſuſpenſionem pertinet regni Dominici repræſentatio, quomodo quidam protractum quendam ſeculi poſtulant, cùm regnum Dei quod ut adveniat oramus ad conſummationem ſæculi tendat? optamus maturius regnare, & non diutius ſervire. Etiamſi præfinitum in oratione non eſſet, de poſtulando regni adventu, ultro eam vocem protuliſſemus, feſtinantes ad ſpei noſtræ complexum. Clamant ad Dominum invidiâ animæ Martyrum ſub altari, Quonam uſque non ulciſceris, Domine, ſanguinem noſtrum de incolis terræ? Nam utique ultio illorum à ſeculi fine dirigitur. Imò quàm celeriter veniat, Domine, regnum tuum, votum Chriſtianorum, confuſio nationum, exſultatio Angelorum, propter quod conflictamur, imò potius propter quod oramus.* προκεχειρισμένον quod Tertullianus vertit *prædeſignatum*, habet etiam vetus ille in Anglia codex. Vide infra XXII, 14. & XXVI, 16. Exod. IV, 13. Ioſuæ III, 12.

21. Ὃν δεῖ μὲν οὐρανὸν δέξασθαι, *Quem oportet quidem cælum recipere*] Nihil redditur ad μὲν [*quidem*] illud: ſed ea ἀποσιώπησις [*reticentia*] facilè ſuppletur ex verbis ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως [*usque in tempora reſtitutionis*]. quaſi dicat, Vbi illud tempus venerit, ex cœlo in terras redibit, Supra I, 1.

ἄχρι χρόνων ἀποκαταστάσεως πάντων ὧν ἐλάλησεν ὁ Θεὸς, *usque in tempora reſtitutionis omnium quæ locutus eſt Deus*] Ἀποκατάστασις Plutarcho, Columellæ, Numenio apud Euſebium, Servio ad Eclogam quartam, Gnoſticis apud Irenæum I, 13. & aliis, eſt *revolutio ſideris in priſtinum locum.* Hiſtoricis, *quies reddita rebus turbidis.* Sed cùm ἀποκαθιστάναι etiam *oſtendere* ſignificet, ſicuti ἀποκαταστατικὸν [*oſtenſivum*] *numerum* Capella vocat *quinarium*, quia cum aliis imparibus ſive cùm ſuo genere ſociatus, ſe ſemper oſtendit, hunc ſenſum hîc præferam. *Aduſque tempus*, inquit, *illud, cùm exhibita rebus erunt ea quæ Prophetæ verbis prædixerant de excidio Iudæorum, de vocatione gentium.* Sic ἀποκαταστήσατε pro καταστήσατε [*conſtituite*], Amos V, 15. Nec aliter ſumitur ἀποκαθιστῶν [*qui reſtitues*] Pſal. XVI, 5. & Oecumenius ſic explicat, ἀποκατασταθῆναι, εἰς πέρας ἐλθεῖν ἅπαντα [*reſtitui, ad finem omnia perduci*].

ἀπ' αἰῶνος. *à ſeculo*] Id eſt, *jam olim*, מעולם, Ierem. XXVIII, 8. Eſaiæ LXIII, 16, 19.

22. Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει ὁ Κύριος, *Prophetam ſuſcitabit vobis Dominus*] Generaliter hæc Dei lex eò pertinet, ut quicunque Propheta in populo Dei ſurrexerit miracula faciens, aut futura incognita certò prædicens, nec abducens populum ad deos falſos, ei pareatur, etiamſi quid contra legem præcipiat. Eximiè autem pertinet ad Ieſum quo nullus illuſtrior, illîs ſignîs, per quæ Prophetas cognoſci Deus voluit. Vide quæ diximus ad citatum hîc locum Deuteronomii XVIII, 15.

23. ἐξολοθρευθήσεται ἐκ τοῦ λαοῦ. *exterminabitur de plebe*] Morte violenta aut immatura: ſed myſticè etiam Rabbini hoc ad pœnas poſt hanc vitam referunt.

24. τῶν καθεξῆς ὅσοι, *deinceps qui*] Hæc ita connectenda ſunt.

κατήγγειλαν τὰς ἡμέρας ταύτας, *annuntiaverunt dies iſtos*] Adventum, miracula & regnum.

25. Ὑμεῖς ἐστε υἱοὶ τῶν προφητῶν, *Vos eſtis filii Prophetarum*] Id eſt, *Vos eſtis ii ad quos miſſi ſunt Prophetæ illi à Samuele deinceps.* Sic υἱοὶ νυμφῶνος [*filii Sponſi*] apud Matth. IX, 15. Marc. II, 19. Luc. V, 34.

καὶ τῆς διαθήκης, *& Teſtamenti*] *Filii pacti* dicuntur Hebræis, ad quos pactum pertinet. Promiſerat Deus Abrahamo, Iſaaco, Iacobo numquam defecturam poſteritatem ipſorum. Hæc cauſa fuit, cur in maximis excidiis aliquos ſemper Deus ſervaverit:

inter illos aliquos nunc eſſe poterant illi quos alloquitur Petrus. Dicere poterant,

Quid vetat in paucis nomen ineſſe meum?

Καὶ ἐν τῷ σπέρματί σου ἐνευλογηθήσονται πᾶσαι αἱ πατριαὶ τῆς γῆς. *Et in ſemine tuo benedicentur omnes familiæ terræ*] Vide quæ dicta ad Gen. XII, 3. Si ille Abrahamo promiſſus benefaciet omnibus Gentibus, quantò magis conſanguineis ſuis, ſi modò hi impedimenta auferant.

26. Ὑμῖν πρῶτον, *Vobis primùm*] Nam Chriſtus primùm Iudæis verbum ſuum propoſuit per ſe: deinde Gentibus per Apoſtolos. Vide Matth. X, 5. XV, 24.

ἀναστήσας τὸν παῖδα αὐτοῦ Ἰησοῦν, *ſuſcitans Filium ſuum Ieſum*] *Excitare* hîc non eſt *è mortuis ad vitam revocare*, ſed *conſpicuum facere Prophetiâ aliiſque donis.* Reſpiciuntur enim ea quæ præceſſere, προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει [*Prophetam vobis ſuſcitabit*]. Sic & *ſurgere* tribuitur Prophetis, Deut. XIII, 1. XXXIV, 10. Sirach XLVII, 1. XLVIII, 1.

ἀπέστειλεν αὐτὸν εὐλογοῦντα ὑμᾶς, *miſit eum benedicentem vobis*] Id eſt, benefacientem populo veſtro per tot ſanationes.

ἐν τῷ ἀποστρέφειν ἕκαστον ἀπὸ τῶν πονηριῶν ὑμῶν. *ut convertat ſe unusquisque à nequitia ſuâ*] Oſtendit quò illa beneficia ſpectaverint, nempe ut auctoritatem Ieſu conciliarent, & per eam quisque ad vitæ emendationem, qualem Ieſus præcipiebat & præmonſtrabat, perduceretur. ἐν τῷ pro εἰς τὸ. Sæpe enim noſtri Scriptores iſtas particulas permutant. Et ſic accepit Latinus.

πονηριῶν. *nequitia*] רעות. Ea vox modò generaliter *omnem vitioſam conſuetudinem* ſignificat, modò ſpecialiter *malitiam*: ut Marc. VII, 22. Luc. XI, 39. Rom. I, 28. I Cor. V, 8. Cicero in Tuſculanis, *Virtuti contraria eſt vitioſitas: ſic enim malo quàm malitiam appellare, quam Græci κακίαν vocant. Nam Malitia certi cujusdam vitii nomen eſt. Vitioſitas omnium.*

CAPVT IV.

Ἐπέστησαν αὐτοῖς οἱ ἱερεῖς, *Supervenerunt illis Sacerdotes*] Vide Luc. XX, 1.

καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, *& Magiſtratus templi*] Cujus erat munus cavere, ne quis tumultus in templo oriretur, qualem videri volebant timere ex nova hac prædicatione. Vide quæ diximus Matth. XXVI, 47. Luc. XXII, 4.

καὶ οἱ Σαδδουκαῖοι, *& Sadducæi*] Rigidi admodum in pœnis exigendis, ut Ioſephus nos docet, qui Phariſæos ait fuiſſe in iis rebus leniores. Nimirum qui omnem ſpem in hac vita collocatam habebant, ſeverè occurrendum putabant omnibus iis quæ turbare poterant quietem populi, in qua & ipſorum quies continebatur. Adde quod ſi Ieſus à mortuis reſurrexiſſet, in ea controverſia quam habebant cum Phariſæis maximam, penes Phariſæos erat victoria. Vide infra XXIII, 6, 7.

3. καὶ ἔθεντο εἰς τήρησιν, *& poſuerunt in cuſtodiam*] Sic & infra V, 18. τήρησις [*cuſtodia*] vocatur quæ plerumque φυλακή [*carcer*]. Vide Ierem. XX, 2.

5. τοὺς ἄρχοντας, *Principes*] Id eſt, eos quibus conſtabat בית דין ſive συνέδριον [*Synedrium*], infra 15. Vide Luc. XIV, 1. Ioh. III, 1. ſupra III, 17.

καὶ πρεσβυτέρους, *& Seniores*] Senatores urbis.

καὶ γραμματεῖς, *& Scribæ*] Adſeſſores utrorumque, viros legis peritos.

6. Καὶ Ἄνναν τὸν Ἀρχιερέα καὶ Καϊάφαν, *Et Annas Princeps Sacerdotum & Cajaphas*] Vide Euang. Lucæ III, 2.

Ἰωάννην, *Ioannes*] יוחנן הכהן [*Ioannes Sacerdos*] in Rabbinorum ſcriptis.

καὶ ὅσοι ἦσαν ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ. *& quotquot erant de genere Sacerdotali*] Quorum Majores ſummo ſacerdotio non ita pridem functi fuerant, quæ magna nobilitas fecerat ut Synedrio magno adſcriberentur.

7. Ἐν ποίᾳ δυνάμει, *In qua virtute*] Arte medica an magica? Nam & hæc inquiſitio erat Synedrii.

ἢ ἐν ποίῳ ὀνόματι, *aut in quo nomine*] *Qua auctoritate?* Si fortè ſe id Prophetico jure feciſſe dicerent.

9. Εἰ ἡμεῖς σήμερον ἀνακρινόμεθα, *Si nos hodie dijudicamur*] *Interrogamur.* Sic Tacitus, *Ne cujus facti in poſterum interrogaretur.* Cicero pro domo, *Quis me unquam lege ulla interrogavit?* Ἀνακρίνεσθαι [*dijudicari*] hoc ſenſu habes apud Platonem VI de Legibus, Plutarchum & alios. Vide infra XII, 19. XXV, 26. XXVIII, 18. *Si* hîc ſumo in ſenſu vulgari; *Si de hac re quæſtio eſt, parata eſt nobis reſponſio.*

ἐπὶ εὐεργεσίᾳ ἀνθρώπου ἀσθενοῦς, *in benefacto hominis infirmi*] Genitivus modò Cauſam efficientem, modò Rem aut Perſonam recipientem notat, ut hîc.

ἐν τίνι, *in quo*] *Per quem.* Simile loquendi genus Pſal. CVIII, 14. II Samuel. XXII, 30.

10. ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Ναζωραίου, ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε, ὃν ὁ Θεὸς ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν, *quia in nomine Ieſu Chriſti Nazareni, quem vos crucifixiſtis, quem Deus ſuſcitavit à mortuis*] Verba ut libera, ita plena gravitatis: unde mox videbimus παῤῥησίαν [*loquendi fiduciam*] tribui Apoſtolis. Quid enim hoc erat aliud quàm ſummum Senatum arguere ſummi parricidii?

παρέστηκεν, *adſtat*] *Adſtat erectus*, ut infra 14.

11. ὁ λίθος ὁ ἐξουθενηθεὶς ὑφ' ὑμῶν τῶν οἰκοδομούντων, *lapis qui reprobatus eſt à vobis ædificantibus*] Vide Matth. XXI, 42.

12. Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία. *Et non eſt in alio aliquo ſalus*] *In nullo*, nempe hominum, ut indicant ſequentia: neque enim Deum excludit Petrus.

ὑπὸ τὸν οὐρανὸν, *ſub cælo*] Eorum qui in terris conſpecti ſunt: non Patriarchæ; non Prophetæ; non Sacerdotis; non Regis.

13. ἀγράμματοι, *ſine literis*] Id eſt, non verſati in doctrinis Thalmudicis quales לא יודעי ספר [*illiterati*] Hebræis. Nam Scripturas Sacras Apoſtoli & legerant & memoriâ tenebant.

καὶ ἰδιῶται, *& idiotæ*] הדיוטים [*idiotæ*] ſunt Hebræis qui neque Magiſtratus ſunt, neque Legisperiti. Sic I Cor. XIV, 16, 23, 24, opponitur *ei qui docet*: & II Cor. XI, 6. ἰδιώτης τῷ λόγῳ, *homo in ſermone nihil ſupra plebeium habens.*

ἐπεγίνωσκόν τε αὐτοὺς ὅτι σὺν τῷ Ἰησοῦ ἦσαν. *Et cognoſcebant eos quoniam cum Ieſu fuerant*] Non mirum, cùm Senatorum quidam interdum Ieſum ſuis diſcipulis comitatum adiiſſent & allocuti eſſent, Matth. XXI, 23. Luc. XVIII, 18. Ioh. XII, 42.

14. οὐδὲν εἶχον ἀντειπεῖν. *nihil poterant contradicere*] אין מענה בפיהם [*non potuiſſent reſpondere*] Iob. XXXII, 5.

15. ἔξω τοῦ συνεδρίου, *extra concilium*] Vox συνεδρίου [*Synedrii*] alibi *collegium* ſignificat, alibi *locum, quò collegæ conveniebant*: ſic & *Eccleſia* interdum *homines*, interdum *locum*.

συνέβαλον πρὸς ἀλλήλους, *conferebant ad invicem*] נועצה יחדו [*ineamus conſilium pariter*] Nehem. VI, 7.

17. ἀπειλῇ ἀπειλησώμεθα, *comminemur*] *Diſtrictè interminemus*.

18. τὸ καθόλου μὴ φθέγγεσθαι μηδὲ διδάσκειν, *ne omnino loquerentur neque docerent*] Neque privatim, neque publicè docere id dogma.

19. Εἰ δίκαιόν ἐστιν ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ὑμῶν ἀκούειν μᾶλλον ἢ τοῦ Θεοῦ, κρίνατε· *Si juſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum, judicate*] Provocant Apoſtoli ſimpliciter ad κοινὴν ἔννοιαν [*communem notionem*], ut & infra V, 29. Eſt hæc ſententia frequens apud Rabbinos. Herodotus, πρεσβύτερα ποιεῖν τὰ τοῦ Θεοῦ ἢ τὰ τῶν ἀνθρώπων [*divina humanis potiora putare*]. Non repetam hîc quæ de hac re collegimus II libro de Iure Belli ac Pacis cap. XXVI, §. 3. & in Annotatis ad eum locum.

20. Οὐ δυνάμεθα γὰρ ἡμεῖς ἃ εἴδομεν καὶ ἠκούσαμεν μὴ λαλεῖν. *Non enim poſſumus quæ vidimus & audivimus non loqui*] Hîc quoque δυνάμεθα [*poſſumus*] ſumitur ſenſu non Phyſico ſed morali, ut ſupra II, 24. Si quis homini teſtimonium veri denegat, peccat: quantò magis qui Deo?

21. ἀπέλυσαν αὐτούς, *dimiſerunt eos*] Apud Hebræos nulla abſolutio erat peremptoria: ſemper repeti poterant rei ex novis probationibus.

μηδὲν εὑρίσκοντες τὸ πῶς κολάσωνται, *non invenientes quomodo punirent*] Eſt ἔλλειψις [*defectus ſermonis*] non diſſimilis ei quam ſupra notavimus III, 13. & Lucæ XXII, 4.

24. Δέσποτα, σὺ ὁ Θεὸς ὁ ποιήσας τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν, *Domine, tu es Deus qui feciſti cælum & terram*] Eſt locutio Helleniſtica, per σὺ [*tu*] interpoſitum ſignificans vocativum, ut Geneſ. XLIX, 8. Pſalm. II, 7. Senſus eſt, *O tu, Domine, opifex cæli, terræ & maris, & omnium quæ in iis*. Vniverſum hoc apud Hebræos modò tribus nominibus ut hîc, modò duobus ut *cæli* & *terræ* exprimitur.

25. Δαβὶδ τοῦ παιδός σου, *David pueri tui*] Παιδός σου hîc valet *ſervi tui*: id apparet ex collatione Hebræi cum Græco Pſal. XVIII, 1, & aliis locis. In veteri illo Manuſcripto eſt, Ὁ, τοῦ πατρὸς ἡμῶν διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαβὶδ παιδός σου, εἰπών [*Qui, Patris noſtri per Spiritum Sanctum oris Davidis pueri tui, dixiſti*], ubi transpoſitæ à ſcriba voces videntur, pro, ὁ διὰ πνεύματος ἁγίου στόματος Δαβὶδ τοῦ πατρὸς ἡμῶν παιδός σου [*qui, per Spiritum Sanctum oris Davidis, Patris noſtri, pueri tui*]. *Spiritus Sanctus oris Davidis*, eſt is qui per os Davidis futura pronuntiabat.

Ἵνα τί ἐφρύαξαν ἔθνη, *Quare fremuerunt Gentes*] Hæc omnia Lucas κατὰ λέξιν [*ad verbum*] deſcripſit ex LXX.

26. οἱ βασιλεῖς, *Reges*] מלכים Hebræis non tantùm illi qui propriè *Reges*, ſed & *Reguli*, & *Præſides*, ut ſæpe notavimus.

27. ἐπ' ἀληθείας, *verè*] In Manuſcripto illo additur hîc: ἐν τῇ πόλει σου ταύτῃ [*in hac civitate tua*].

τὸν ἅγιον παῖδά σου Ἰησοῦν, *ſanctum puerum tuum Ieſum*] Vide ſupra III, 13, 26.

ὃν ἔχρισας, *quem unxiſti*] Quem tanta poteſtate ornaveras, ſanandi morbos, expellendi dæmones, mortuos reſuſcitandi. Vnctio Chriſti, ut & Davidis, ſuos gradus habuit.

σὺν ἔθνεσι, *cum Gentibus*] *Cum Romanis*, qui in conſilio aut miniſterio erant Pilati.

καὶ λαοῖς Ἰσραήλ, *& populis Iſrael*] Iuda & Benjamin, & qui ex aliis tribubus in Iudæa habitabant. Pari modo ἔθνη [*gentes*] & λαὸν [*populum*] oppoſita habes Tobiæ XIV, 8.

28. ὅσα ἡ χείρ σου, καὶ ἡ βουλή σου προώρισε γενέσθαι. *quæ manus tua & conſilium decreverant fieri*] Vide ſupra II, 23. Deus quia omnipotens eſt, ideo quod vult effectum dat: ideo *manus*, id eſt Potentia, præponitur hîc *conſilio*. Hominum, quia talem potentiam non habent, conſilia ſæpe fallunt. προορίζειν [*decernere*], Hebræis כשר קדם.

29. Καὶ τὰ νῦν *Et nunc*] עתה, quod per νῦν [*nunc*] vertitur, apud Hebræos eſt excitantis, Geneſ. XX, 9. XXII, 12. XXVI, 22, 29. XXXI, 13, & alibi ſæpe.

μετὰ παρρησίας, *cum fiducia*] Sine metu.

30. Ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν, *In eo quod manum tuam extendas*] Explicatur ratio per quam Deus maximè illam in Apoſtolis fiduciam loquendi augere poſſit.

31. ἐσαλεύθη ὁ τόπος, *motus eſt locus*] Signum Dei efficaciter agentis. Infra XVI, 26. Vide Hebræor. XII, 26.

32. ἦν ἡ καρδία καὶ ἡ ψυχὴ μία. *erat cor & anima una*] Citat Plutarchus in Catone Vticenſi verſum veterem:

δύο φίλοι, ψυχὴ μία,
[*amici duo, animus unus*,]

Eódem reſpicit Ariſtoteles Nicomach. IX, 8. Erant ut Hebræi loquuntur כאיש אחד [*ſicut vir unus*].

καὶ οὐδ' εἷς τι τῶν ὑπαρχόντων αὐτῷ ἔλεγεν ἴδιον εἶναι, *nec quiſquam eorum quæ poſſidebat aliquid ſuum eſſe dicebat*] Explica ex iis quæ ſupra II, 44.

33. χάρις τε μεγάλη ἦν ἐπὶ πάντας αὐτούς. *& gratia magna erat in omnibus illis*] *Magni ab omnibus fiebant*. Vide ſupra II, 47.

34. τῶν πιπρασκομένων· *eorum quæ vendebant*] Nempe agrorum & domuum, ut præcedentia oſtendunt.

35. Καὶ ἐτίθουν παρὰ τοὺς πόδας, *Et ponebant ante pedes*] Quod ſignum erat pecunias illas ſubjicientium Apoſtolorum arbitrio. Ab eo more ſumpta locutio, Pſalm. VIII, 7.

διεδίδοτο δὲ ἑκάστῳ καθότι ἄν τις χρείαν εἶχεν. *dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat*] Expone ut ſupra II, 45.

36. Ἰωσὴφ δὲ, *Ioſeph autem*] Sic & vetus ille Manuſcriptus. Alii Ἰωσῆς [*Ioſes*] eodem ſenſu. Nam Hebræa vocabula in Græcum transferuntur, aut planè qualia ſunt, ut Ἰωσὴφ [*Ioſeph*], aut addendo, ut Ἰώσηπος [*Ioſepus*], aut detrahendo, ut faciliùs recipiatur declinatio Græca, quale eſt Ἰωσῆς [*Ioſes*], Ἰωσῆτος [*Ioſetus*]. Vide quæ diximus ad Matth. I, 16.

ἐπικληθεὶς Βαρνάβας ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον, υἱὸς παρακλήσεως, *qui cognominatus eſt Barnabas ab Apoſtolis, quod eſt interpretatum, Filius conſolationis*] Apoſtoli ei hoc nomen dederant in omen doni Prophetici. Vide infra IX, 24. itaque dictus fuit Hebraïcè בר נבואה [*filius prophetiæ*], Græco ſermone contractè Βαρνάβας [*Barnabas*]. Nihil mutandum: nam Helleniſtis mos *prophetiam* vocare παράκλησιν [*conſolationem*]. Sic accipe infra XIII, 15.

Λευΐτης, *Levites*] Ex tribu Levi. Quomodo autem Levitæ res aliquas ſoli habere potuerint, diximus id quod nobis videtur ad Ierem. XXXII, 7. potuit etiam fundus hic pertinuiſſe ad uxorem Barnabæ, quomodo Rabbini explicant loca Ioſuæ XXIV, 33. & I Paralip. II, 21.

Κύπριος τῷ γένει, *Cyprius genere*] *Ortus parentibus qui in Cypro habitaverant.* Vide infra XIII, 5.

37. ἤνεγκε τὸ χρῆμα, *attulit pecuniam*] Id eſt, τὴν τιμὴν [*pretium*] ut modò eſt locutus. Sic כסף [*argentum*] Iob XXVII, 17. vertitur χρήματα [*pecunias*]. Oportet autem magnam fuiſſe poſſeſſionem Barnabæ, quod ejus ſpeciatim hîc fit mentio.

CAPUT V.

Ἀνανίας, *Ananias*] Idem nomen quod habemus Ierem. XXVIII, 1.

Σαπφείρη, *Sapphira*] שפירה *pulchra*, ut Pſal. XVI, 6. Iod interpoſitum more Syriaco.

κτῆμα· *agrum*] מקנה, κτῆσις [*poſſeſſio*] vertitur: שדה [*ager*] κτῆμα [*prædium*] Proverb. XXIII, 10.

2. ἐνοσφίσατο, *fraudavit*] Eſt idem verbum II Maccab. IV, 32. Tit. II, 10. in Gloſſis νοσφίζομαι, *peculor, uſurpo*.

3. Διατί ἐπλήρωσεν ὁ Σατανᾶς τὴν καρδίαν σου, *cur implevit Satanas cor tuum*] Id eſt, *cur ſiviſti à Satana impleri cor tuum?* Sic & in Iudam intrâſſe dicitur Satanas Lucæ XXII, 3. Iohan. XIII, 27. Grave crimen eſt rem votam non ſolidam Deo perſolvere, Levit. XXVII, 10. Deut. XXIII, 21, 22, 23. Voti ſpecies eſt חרם [*anathema*], cujus violati pœnam vide in Achanis hiſtoria Ioſuæ VII, 15, 25.

ψεύσασθαί σε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, *mentiri te Spiritui Sancto*] Ψεύδεσθαι quod reſpondet Hebræo כזב [*mentiri*, modò cum dativo conſtruitur, ut Iob XXXIV, 6. Pſalm. LXXVIII, 36. LXXXIX, 35: modò cum accuſativo, ut Proverb. XIV, 5. Sic & διαψεύδεσθαι [*mentiri*] cum accuſativo reperitur II Reg. IV, 16. ita hîc conſtructionem cum accuſativo habemus, ſequenti commate cum dativo. Pari modo εὐλογεῖν [*benedicere*] modò dativum poſt ſe, modò accuſativum habet. Sed & Græci ſic loquuntur ut Ariſtophanes, οὐ ψεύσῃ γέ με [*non me falles*]. Idem eſt *mentiri Deo* vel *Spiritui Sancto*. Vide quæ diximus ad Matth. XII, 32. *Mentiri Deo* aut *Spiritui Sancto* dicitur is qui ſperat ſe Apoſtolos fallere poſſe Spiritu Sancto inſtructos: quod mox dicitur πειράσαι [*tentare*], ut in Pſalm. LXXVIII, 41. ינסו *tentarunt:* quod paulò ante 36 יכזבו *mentiti ſunt*. Sic duplex figura: nam & conatui datur nomen actus, & poſſidens deſignatur ex re poſſeſſa.

4. Οὐχὶ μένον σοὶ ἔμενε, *Nonne manens tibi manebat*] Licebat tibi per nos non vendere prædium & ejus proprietatem retinere.

καὶ πραθὲν ἐν τῇ σῇ ἐξουσίᾳ ὑπῆρχε; *& venundatum in tua erat poteſtate?*] Nempe ἡ τιμή [*pretium*]. Etiam poſtquam vendideras fundum, pretium totum retinere tibi licebat ac de eo nihil Deo vovere.

τί ὅτι, *quare*] Id eſt, *quid fuit cauſa cur hoc in animum tuum induceres?* Sic & infra IX. Loquitur ſic & Pollux. Plena locutio τί γέγονεν ὅτι [*cur factum eſt, ut*] Iohan. XIV, 22.

5. ἐξέψυξε· *exſpiravit*] Sic vertitur יעף Iudicum IV, 21. Vide hoc capite infra 10. & XII, 23. Quia deerant Eccleſiæ Magiſtratus, Tutores & injuriarum Vindices, ideo Deus prodigioſam puniendi poteſtatem attribuit Apoſtolis.

6. συνέστειλαν αὐτὸν, *amoverunt eum*] Περιστέλλειν eſt *mortuum faſciis involvere*, Ezech. XXIX, 5. Tobiæ XII, 14. Vſurpat ſic & Euripides Iphigenia in Tauris & Troadibus, & Homerus ſæpe: item Plutarchus. In gloſſario, *Pollingo*, περιστέλλω νεκρὸν, unde περιστολή [*pollinctura*] apud Dionyſium Halicarnaſſenſem. Pro eodem ponitur συστέλλειν. Sic Euripides ibidem Troadibus,

> — — οὐ δάμαρτος ἐν χεροῖν
> Πέπλοις συνεστάλησαν.
> [- - *non per uxorum manus*
> *Peplo involuti.* - -]

Bene ergo vocem hanc accepit Syrus. Hebræi dicerent אספו [*collegerunt*].

8. τοσούτου· *tanti*] Expreſſa nempe pretii quantitate, quam dixerat Ananias.

9. συνεφωνήθη ὑμῖν, *convenit vobis*] חברתם, *in hoc conſpiraſtis.*

καὶ ἐξοίσουσί σε. *& efferent te*] Hebraïſmus, pro *Iidem te efferent*.

10. πρὸς τὸν ἄνδρα, *ad virum*] Vnà cum viro, in eodem ſepulchro. Hoc ſenſu προσβάλλειν [*projicere*] dixit Poëta Græcus in epigrammate.

12. Διὰ δὲ τῶν χειρῶν τῶν Ἀποστόλων, *Per manus autem Apoſtolorum*] ביד, [*per manum*] id eſt, *per Apoſtolos*. Hebraïſmus frequens.

ἐν τῇ στοᾷ Σολομῶντος. *in porticu Solomonis*] Vide ſupra III, 11.

13. Τῶν δὲ λοιπῶν, *Cæterorum autem*] Eorum qui extra Eccleſiam erant.

οὐδεὶς ἐτόλμα κολλᾶσθαι αὐτοῖς. *nemo audebat ſe conjungere illis*] Metu ne mali aliquid ipſis eveniret ab Apoſtolis. Simile vide I Regum XVII, 18.

14. Μᾶλλον δὲ προσετίθεντο, *Magis autem augebatur*] Multò etiam magis quàm ante. Reſpicitur enim hîc id quod dictum eſt ſupra IV, 4.

15. καὶ κραββάτων, *ac grabbatis*] Vide Marci II, 4.

κἂν ἡ σκιὰ ἐπισκιάσῃ τινὶ αὐτῶν. *ut ſaltem umbra illius obumbraret quenquam illorum*] Chriſtus fimbriæ tactu ſanavit morbos, Petrus etiam umbræ contactu. Ita impletum eſt quod dixerat Chriſtus Ioh. XIV, 12.

17. Ἀναστὰς δὲ ὁ Ἀρχιερεὺς, *Exſurgens autem Princeps Sacerdotum*] Exiens è Synedrio, ut videret quid ageretur.

ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων, *quæ eſt hæreſis Sadducæorum*] In magno Senatu erant & Phariſæi & Sadducæi, infra XXIII, 6. Sed ſummus Sacerdos & conſanguinei ejus, ſectæ erant Sadducæorum; ut procerum pars magna. Αἵρεσις ut Latinè *ſecta*, vox eſt media. Vide infra XXIV, 5. Ciceronem lib. XV, Epiſt. XVI. L. ſi duas §. 2. D. de Excuſ. Tutorum.

ἐπλήσθησαν ζήλου· *repleti ſunt zelo*] קנאה quod ζῆλον [*Zelum*] vertunt Lxx ſæpe *iram* ſignificat. Cauſam iræ Sadducæorum indicavimus ſupra IV, 1.

18. *ἐν τηρήσει, in cuſtodia*] Vide ſupra IV, 3. idem infra δεσμωτήριον 21, 23. & φυλακὴ [*carcer*], 22.

19. *ἤνοιξε τὰς θύρας τῆς φυλακῆς· aperuit januas carceris*] Vt Matth. XXVIII, 2; & infra XII, 10.

σταθέντες, ſtantes] Id eſt, *conſtanti animo*. Qui tales ſunt *ſtare* dicuntur Hebræis, ut 1 Cor. VII, 37. X, 12. II Cor. I, 24. Epheſ. VI, 14. Coloſſ. IV, 12. Philo de Cherubinis, στῆναι [*ſtare*] explicat ἄτρεπτον κτήσασθαι διάνοιαν [*immutabilem obtinere mentem*].

20. *πάντα τὰ ῥήματα τῆς ζωῆς ταύτης. omnia verba vitæ hujus*] Eſt μετωνυμία [*transnominatio*]· nam *vitæ* nomine intelligit doctrinam quæ ad vitam æternam ducit. Sic & Iohan. XII, 50. XVII, 3.

21. *καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ισραήλ· & omnes Seniores filiorum Iſrael*] Id eſt, Senatores urbis Hieroſolymorum, & ſi qui Senatores ex aliis oppidis ad feſtum diem convenerant. Vide ſupra IV, 5. & quæ dicta ad Matth. X, 17. idem eſt γερουσία [*Senatus*] quod ſupra πρεσβύτεροι, זקנים [*Seniores*].

24. *ὅ τε ἱερεὺς, & Sacerdos*] Nempe ὁ μέγας [*magnus*], הכהן [*Pontifex*].

καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, & Magiſtratus Templi] De quo ſupra IV, 1.

καὶ οἱ ἀρχιερεῖς, & Principes Sacerdotum] Principes Sacerdotalium familiarum. Vide Matth. II, 4. & ibi dicta.

τί ἂν γένοιτο τοῦτο. quidnam fieret] Γένοιτο [*fieret*] pro εἴη [*eſſet*]. Mirabantur quid hoc eſſet rei. Ita accepit & Syrus.

26. *οὐ μετὰ βίας. ſine vi*] Non ligatos: ut alioqui fieri ſolebat. Matth. XXVII, 2.

28. *παραγγελίᾳ παρηγγείλαμεν, præcipiendo præcepimus*] Locutio qualis ſupra IV, 17. Iuſtinus Apologetico II, Οἱ Ἀπόστολοι *αὐτοῦ ἐξελθόντες πανταχοῦ ἐκήρυξαν, καίπερ θανάτου ὁρισθέντος κατὰ τῶν διδασκόντων* [*Egreſſi Apoſtoli ejus, ſtatuto licet in eos qui docerent mortis ſupplicio, ubique prædicarunt*]. Notat qui reſponſa ad Orthodoxos ſcripſit, hoc jam non ignorantiæ ſed malitiæ fuiſſe.

καὶ βούλεσθε ἐπαγαγεῖν ἐφ' ἡμᾶς τὸ αἷμα τοῦ ἀνθρώπου τούτου, & vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius] Id eſt, *Vultis nos onerare crimine interfecti hominis iſtius. Sanguis* Hebræis cædes, & crimen cædis, & pœna cædis.

29. *Πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον ἢ ἀνθρώποις. Obedire oportet Deo magis quàm hominibus*] Vide quæ ſupra IV, 19. Πειθαρχεῖν [*obedire*] vox eſt bene Græca, quâ & infra utitur Lucas 32. & XXVII, 21. & ad Titum Paulus III, 1. Reſpondet Hebræo שמע [*auſcultare*].

30. *Ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, Deus Patrum noſtrorum*] Providè hoc addidit, ne quis alium Deum ab Ieſu prædicatum crederet, quàm eum quem coluerant Abraham, Iſaac, Iacob, de quo præceperat Moſes, contra quàm ſibi perſuaſit Marcio. Sic & ſupra III, 13. & infra VII, 32. XXII, 14.

ὃν ὑμεῖς διεχειρίσασθε, quem vos interemiſtis] *Trucidaſtis*. Sic enim vox hæc ſumitur & infra XXVI, 21. Lucas, ut eruditus, multis utitur vocibus purè Græcis, qualis hæc eſt, quæ eodem ſenſu apud Herodotum, & Plutarchum reperitur. Hebraïcè eſt קטל, quod χειροῦν [*occidere*] vertitur Iobi XIII, 15.

κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου. ſuſpendentes in ligno] Ita maluit dicere quàm ἐπὶ σταυροῦ [*in cruce*], ut alluderet ad locum Deuteronomii XXI, 23.

31. *ἀρχηγὸν, Principem*] נגיד, ἡγούμενον [*Ducem*] Dan. IX, 25. Vide ſupra III, 15.

δοῦναι μετάνοιαν τῷ Ισραὴλ, ad dandam pœnitentiam Iſraeli] Vt reſurrectione ipſius & adſcenſu in cœlum intellectis, ineatis eam viam quam ineundam dixit. *Chriſti ſanguis*, ut inquit Clemens, *πάντι τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν* [*univerſo hominum generi pœnitentiæ gratiam obtulit*].

καὶ ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. & remiſſionem peccatorum] Quæ pœnitentiam fide animatam ſequitur.

32. *τῶν ῥημάτων τούτων, horum verborum*] *Harum rerum*, more Hebræo, הדברים אלה.

καὶ τὸ Πνεῦμα δὲ τὸ ἅγιον, & Spiritus Sanctus] Non nos tantùm, ſed & Spiritus Sanctus, virtus divina Matthæi X, 20.

τοῖς πειθαρχοῦσιν αὐτῷ. obedientibus ſibi] Vide ſupra 29.

33. *διεπρίοντο, diſſecabantur*] *Dirumpebantur animis*. Sic infra VII, 54.

34. *Φαρισαῖος, Phariſæus*] Quod genus hominum lenius erat circa pœnas.

Γαμαλιὴλ, Gamaliel] Credibile eſt fuiſſe illum quem Thalmudici ajunt magiſtrum fuiſſe Simeonis ejus, cujus ætate deſtructum fuit Templum. Frequens fuit hoc nomen inter Hebræos, & Patriarcha quidam ejus nominis fuit Honorianis temporibus, cujus meminit lex Honorii in Codice Theodoſiano, Hieronymus ad Pammachium, Marcellus Empiricus cap. 23.

ἔξω βραχύ τι τοὺς Ἀποστόλους ποιῆσαι. puſillum foras Apoſtolos ſecedere] Vt moris erat fieri reis, ubi de eorum negotio conſultabatur, ſupra IV, 15. Eſt autem locutio ſatis Græca. Sic Ariſtoteles Oeconomicôn II dixit, τοὺς ἀποσταλέντας εἰς φυλακὴν ποιήσας [*conjectis in carcerem qui miſſi erant*]. *Huc te fac* apud Terentium, Donatus interpretatur *accede*. Sic & Apulejus, *Intra tamen ſeſe facit*.

36. *Πρὸ γὰρ τούτων τῶν ἡμερῶν ἀνέστη, Ante hos enim dies exſtitit*] Politici in deliberationibus multùm utuntur exemplis, præſertim patriæ ſuæ, & quorum recens memoria.

Θευδᾶς, Theudas] Eſt nomen non Græcum, ſed Hebræum, תודה [*Thoda*] quod Syri enuntiant per diphthongum *Theuda*, quomodo Thomam *Thaumam* vocant, & Ioſephum *Iauſephum*. Frequens erat id nomen apud Hebræos. Itaque non mirum eſt diverſis temporibus plures exſtitiſſe factioſos homines ejusdem nominis. De quo hîc agitur is exſtitit paulo ante finem Herodis, ut notat Caſaubonus Exercitatione XVII, oſtendens ita ſenſiſſe & Origenem.

λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν, dicens ſe eſſe aliquem] Addit Manuſcriptus ille in Anglia, ut & alii quidam μέγαν [*magnum*], ut infra VIII, 9.

διελύθησαν, diſſipati ſunt] Diſperſi ſunt duce amiſſo.

καὶ ἐγένοντο εἰς οὐδέν. & redacti ad nihilum] Id eſt, *omnes illorum conatus evanuere*, juxta proverbium Hebraïcum, de quo diximus ad Matth. XVI, 18.

37. Ἰούδας ὁ Γαλιλαῖος, *Iudas Galilæus*] Puto eſſe Gauloniten. Hujus Iudæ meminit Salmanticenſis, & Rabbini alii.

ἐν ταῖς ἡμέραις τῆς ἀπογραφῆς, *in diebus profeſſionis*] Relegato Archelao.

διεσκορπίσθησαν. *diſperſi ſunt*] Idem quod modò dixerat διελύθησαν [*diſſipati ſunt*]. In Hebræo eſſet נפצו [*diſperſi ſunt*] ut Ezech. XXVIII, 25, & alibi.

38. ἀπόστητε ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων, *diſcedite ab hominibus iſtis*] Id eſt, *nihil vobis ſit cum illis negotii*, ut Matth. XXVII, 19.

ἐξ ἀνθρώπων, *ex hominibus*] *Ex humano commento.*

καταλυθήσεται. *diſſolvetur*] לא תקום [*non ſtabit*], ut eſt in Hebræo proverbio paris ſenſûs.

39. μήποτε καὶ θεομάχοι εὑρεθῆτε. *ne fortè & Deo repugnare inveniamini*] Ante μήποτε [*ne fortè*] hîc ſubintelligitur *cavendum eſt*. Symmachus רפאים [*gigantes*] vertit θεομάχους [*Deo repugnantes*] Iob XXVI, 5. Prov. IX, 18. & XXI, 16. Verbum θεομαχεῖν [*Deo repugnare*] habes II Macc. VII, 19. γλώσσας θεομάχους [*linguas blaſphemantes*], in expoſitione fidei, quæ additur operibus Iuſtini.

40. Ἐπείσθησαν δὲ αὐτῷ. *Conſenſerunt autem illi*] Nempe ne Apoſtolos occiderent, non autem ut intactos dimitterent: quod tamen æquum fuerat & congruens iis quæ dixerat Gamaliel.

δείραντες, *cæſis*] *Cùm loris eos cecidiſſent*, more Hebræo. Confer quæ infra XXII, 19. II Cor. XI, 24. Prædictum id Matth. X, 17. XXI, 35. XXIII, 34. Marci XII, 5. XIII, 9. Luc. XII, 11.

41. ἐπορεύοντο χαίροντες ἀπὸ προσώπου τοῦ συνεδρίου, ὅτι κατηξιώθησαν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Ἰησοῦ ἀτιμασθῆναι. *ibant gaudentes à conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati*] Memores præcepti herilis, Matth. V, 11, 12. Magna virtus ipſam contumeliam honori ducere ob bonam cauſam. In Manuſcripto illo vetere non additur τοῦ Ἰησοῦ [*Ieſu*], parique modo in Epiſtola Iohannis III, 7. Legitur in eodem Manuſcripto, ὑπὲρ γὰρ τοῦ ὀνόματος [*pro nomine enim*], nimirum ἀντονομαστικῶς [*eminenter*].

AD CAPVT VI.

Γογγυσμὸς, *murmur*] Sic verti ſolet vox Hebræa pluralis תלנת Exodi XVI, 7, 8, & alibi.

τῶν Ἑλληνιστῶν, *Græcorum*] Iudæorum religione, ſed qui cùm Alexandriæ & vicinis in locis vixiſſent antea, morem inde retinuerant ſacra ſcripta legendi *Græcè* אלינסתין, Ἑλληνιστὶ, ut ajunt hac de re Thalmudici; qui mos manſit ad Iuſtiniani tempora, ut cognoſcimus ex Novella CXLVI. Talem Alexandrinam Synagogam fuiſſe Hieroſolymis notatur in Gloſſis ad caput II Eſtheris; & Cæſareæ, in Thalmude Hieroſolymitano, & infra IX, 29. Syrus Ἑλληνιστὰς [*Helleniſtas*] interpretatur *Iudæos qui noverant Græcè*: Chryſoſtomus, Oecumenius & Theophylactus τοὺς Ἑλληνιστὶ φθεγγομένους [*Græcè loquentes*]. Horum plerique Hebraïcè non intelligebant, quorum fuit & Philo, quamquam Iudæus ex Iudæis ortus. In talium gratiam librum avi ſui tranſtulit Nepos Sirachides.

παρεθεωροῦντο ἐν τῇ διακονίᾳ, *deſpicerentur in miniſterio*] Nempe aut ægrotæ aut infantibus oneratæ minus accipiebant quàm mulieres in Iudæa natæ. Hæc diſtributio vocatur hîc διακονία [*miniſterium*]. Sic διακονεῖν [*miniſtrare*] Marci I, 31. Luc. IV, 39. VIII, 3. Ioh. XII, 2. Rom. XV, 25. Hebr. VI, 10. Διακονίαν τραπεζῶν [*adminiſtrationem menſæ*] hoc ſenſu dixit etiam Iulianus Imperator. Id accidebat quia non certis hominibus, ſed modò his, modò illis Apoſtoli ad hanc rem utebantur & quidem Iudæis in Iudæa natis. Id correctum inſtituto Diaconorum collegio & allectis etiam Helleniſtis.

2. οἱ δώδεκα, *duodecim*] Propriè, quia Matthias numerum impleverat.

τὸ πλῆθος τῶν μαθητῶν, *multitudinem diſcipulorum*] Erat enim eo tempore Eccleſiæ regimen tale, quale olim Athenis fuiſſe dicit Plato ἀριστοκρατίαν μεθ' εὐδοξίας πλήθους [*Optimatum cum quadam dignitate populi gubernatio*]. Adde & cum principatu.

οὐκ ἀρεστόν ἐστι, *Non æquum eſt*] לא ישר. Nam ישר, ἀρεστὸν vertitur & ſignificat id *quod placere debeat*. Alibi vertitur δίκαιον, εὐθὺ, ὀρθόν [*juſtum, rectum, æquum*].

ἡμᾶς καταλείψαντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ, *nos derelinquere verbum Dei*] Hoc ideo dicit, quia quod aliis negotiis datur, id decedit prædicationi. Itaque καταλείψαντας, hîc eſt, *minùs curantes*, quàm fieret, ſi eo onere levaremur.

διακονεῖν τραπέζαις. *miniſtrare menſis*] Dare ſingulis ſodalitiis quæ ad victum & veſtitum ſunt neceſſaria. Ita διακονία hæc [*miniſterium hoc*] à majore parte deſcribitur. Vide quæ diximus ſupra II, 44.

3. Ἐπισκέψασθε οὖν, ἀδελφοὶ, *Conſiderate ergo fratres*] ברו לכם [*eligite ex vobis*], I Sam. XVII, 8, ubi Græci, ἐκλέξατε ἑαυτοῖς ἄνδρα [*eligite vobis virum*].

ἐξ ὑμῶν μαρτυρουμένους, *ex vobis boni teſtimonii*] Formam dat Eccleſiæ, ut qui ad miniſteria eliguntur teſtimonium habeant eorum quibuscum vixere. Sic infra XVI, 2.

πλήρεις Πνεύματος ἁγίου, *plenos Spiritu Sancto*] *Donis eximiis præditos.* Vide infra 8.

καὶ σοφίας, *& ſapientia*] *Et in Sacris literis inſtitutos*, ut ſi opus eſſet ex iis diſputare poſſent, ſicut fecit Stephanus.

ἐπὶ τῆς χρείας ταύτης. *ſuper hoc opus*] *Ad hunc uſum.* על מלאכת הזאת: exemplo ſcilicet illorum, qui in Synagoga dicebantur חזנים [*miniſtri*], Epiphanio Ἀζανῖται [*Azanitæ*]. Totum primæ Eccleſiæ regimen conformatum fuit ad formam Synagogæ: Quæ bene ſe habebant, nihil opus erat mutari. Habuere tales & Eſſeni, de quibus Philo, ἐλεύθεροι δὲ ὑπηρετοῦσι τὰς διακονικὰς χρείας ἐπιτελοῦντες [*miniſtrant verò ingenui, & quicquid opus eſt faciunt*]. Tales Ioſephus ἀποδέκτας [*apodectas* ſive *pecuniarum coactores*] & χειροτονητοὺς ἐπιμελητὰς [*lectos curatores*] vocat.

4. Ἡμεῖς δὲ τῇ προσευχῇ καὶ τῇ διακονίᾳ τοῦ λόγου προσκαρτερήσομεν. *Nos verò orationi & miniſterio Verbi inſtantes erimus*] *Aſſidui erimus tum in præeundo plebi in precibus ad Deum, tum in plebe inſtituenda.* Quod ſic tamen intelligendum eſt, ut inſpectionem in Diaconos Apoſtoli à ſe non abdicaverint, ſicut nec Epiſcopi poſtea fecere: ſed ea inſpectio minus exigebat temporis, quàm quotidiana adminiſtratio. Ignatius ad Trallenſes, Τί δὲ διάκονοι, ἀλλ' ἢ μιμηταὶ τῶν ἀγγελικῶν δυνάμεων, λειτουργοῦντες αὐτῷ (nempe Epiſcopo)

λειτουργίαν καθαρὰν καὶ ἄμωμον [*Quid verò aliud ſunt Diaconi, quàm imitatores Angelicarum virtutum, qui purum ei & inculpatum miniſterium exhibent*].

5. Στέφανον, ἄνδρα πλήρη πίστεως καὶ πνεύματος ἁγίου καὶ Φίλιππον, καὶ Πρόχορον, καὶ Νικάνορα, καὶ Τίμωνα, καὶ Παρμενᾶν, καὶ Νικόλαον προσήλυτον Ἀντιοχέα. *Stephanum, virum plenum fide & Spiritu Sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenan, & Nicolaum advenam Antiochenum*] Nomina hæc omnia ſunt Græca, quod non mirum in Alexandrinis: in Iudæis verò in Iudæa natis, credo nomina fuiſſe Hebræa, quæ Lucas Græcè extulerit. Sic Apoſtolum *Philippum* credo Hebræis vocatum פי לבא *os cordi congruens*, aut פי פלא *os admirabile*. Nicolaus cùm dicitur fuiſſe *ab Antiochia proſelytus*, intellige גר צדק [*advenam juſtitiæ*], id eſt, *circumciſum*, & *Legi ſua voluntate ſubditum*. Nam tales quin in Eccleſiam recipi poſſent nunquam dubitavere Apoſtoli; ſed an idem fieri deberet de iis qui erant גרי תושב [*advenæ incolæ*] gravior erat quæſtio, & oraculi indigens. Hic eſt *Nicolaus* à quo nomen traxere *Nicolaitæ* in Apocalypſi & Patribus memorati. Alii ipſum accuſant: alii verba ejus in pravum detorta malunt.

6. ἐπέθηκαν αὐτοῖς τὰς χεῖρας. *impoſuerunt eis manus*] Signum mandati miniſterii, 1 Timoth. V, 22. Sic populus eligebat Regem, Prophetæ ungebant Dei nomine. Quod hîc fecere Apoſtoli, idem Epiſcopi poſtea, tum in Presbyteris, tum in Diaconis ordinandis, etiam tunc cùm electio eſſet penes ordinem ac plebem.

7. πολύς τε ὄχλος τῶν ἱερέων, *multa etiam turba Sacerdotum*] Id eſt, *multi ex familia & comitatu Sacerdotum*. Vide ſimilem hiſtoriam Ioh. VII, 46, 47.

ὑπήκουον τῇ πίστει, *obediebat fidei*] Per fidem obedivere Chriſti præceptis: baptizati ſunt.

8. πλήρης πίστεως καὶ δυνάμεως, *plenus fide & fortitudine*] In Manuſcripto quem ſæpe dixi, & in aliis manuſcriptis eſt, πλήρης χάριτος [*plenus gratiâ*]· & ſic legére Syrus & Latinus.

9. Λιβερτίνων, *Libertinorum*] Libertini Romæ multi Iudaïcæ religionis. Eorum fuit Cæcilius ille in quem eſt divinatio Ciceronis, ut nos Plutarchus docet. Tacitus Annalium 11. ait, *quatuor millia Libertini generis ſuperſtitione Iudaicâ infecta miſſa in Sardiniam*. Meminit & Ioſephus. Hi partim erant proſelyti, partim Iudæi origine & bello capti ac manumiſſi. Philo in Legatione, Πῶς οὖν ἀπεδέχετο τὴν πέραν τοῦ Τιβέρεως ποταμοῦ τῆς Ῥώμης ἀποτομὴν, ἣν οὐκ ἠγνόει κατεχομένην καὶ οἰκουμένην πρὸς Ἰουδαίων. Ῥωμαῖοι δὲ ἦσαν οἱ πλείους, ἀπελευθερωθέντες· αἰχμάλωτοι γὰρ ἀχθέντες εἰς Ἰταλίαν, ὑπὸ τῶν κτησαμένων ἠλευθερώθησαν [*Quomodo ergo paſſus eſt magnam illam Romæ partem quæ trans Tiberim eſt habitari & teneri, ſe ſciente, ab Iudæis, quorum plerique adepti libertatem erant cives Romani: quippe bello captos in Italiam advectos, qui emerant, manumiſerunt*]. Horum ſumptu ſtructa Hieroſolymis hæc Synagoga, & poſiti in ea Magiſtri eruditi. Narrant Iudæi Hieroſolymis fuiſſe Synagogas CCCCLXXX.

καὶ Κυρηναίων, *& Cyrenenſium*] Multi in Cyrenaïca Iudæi. Ioſephus XVI, 10.

καὶ Ἀλεξανδρέων, *& Alexandrinorum*] Vbi etiam jus par cum Macedonibus erant adepti. Vide quæ ad Maccabaïcum tertium notavimus.

καὶ Ἀσίας, *& ex Aſia*] Plurimi & in Aſia Iudæi. Ioſephus XII, 3. XIV, 17. XVI, 4. Vide & infra IX.

10. τῇ σοφίᾳ, *ſapientiæ*] Propter Scripturas quas noverat.

καὶ τῷ πνεύματι ᾧ ἐλάλει. *& Spiritui qui loquebatur*] Propter Divinam vim verba ejus dirigentem, ex promiſſo Matth. X, 20.

11. Τότε ὑπέβαλον, *Tunc ſubmiſerunt*] *Subornarunt*. Sic de teſtibus loquuntur Cicero pro Roſcio, & in Panegyrico Plinius.

ῥήματα βλάσφημα, *verba blaſphemiæ*] נאצות [*opprobria*], Ezech. XXXV, 12: ubi in Græco φωνῆς βλασφημιῶν [*vocem contumelioſam*].

12. Συνεκίνησάν τε τὸν λαὸν, *Commoverunt itaque plebem*] קשרו [*factionem fecerunt*], quod Græcè verti ſolet συστρέφειν.

καὶ τοὺς πρεσβυτέρους καὶ τοὺς γραμματεῖς. *& Seniores & Scribas*] Synedrium, ut oſtendunt ſequentia.

ἐπιστάντες, *concurrentes*] *Concurſu facto*.

13. μάρτυρας ψευδεῖς, *falſos teſtes*] Vera falſis miſcentes, ut ii qui in Chriſtum dixerant. Volebant enim credi ea quæ dixerat Stephanus dicta ab eo cum abominatione Templi & Legis. Contra tales teſtes eſt Pſal. LII.

14. Ὅτι Ἰησοῦς ὁ Ναζωραῖος οὗτος καταλύσει τὸν τόπον τοῦτον, *Quoniam Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum*] Id eſt, *Templum*. At idem prædixerat Daniel IX, 26. Olim cùm ſimilia prædiceret Ieremias in periculum venit, ſed immeritò, ut ſapientiores & æquiores judicabant: ut videre eſt Ierem. XXVI, 16. & ſequentibus.

καὶ ἀλλάξει τὰ ἔθη ἃ παρέδωκεν ἡμῖν Μωϋσῆς. *& mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyſes*] Hæc non dixerat Stephanus: ſed fortè allegaverat locum Malachiæ 1, 11. & ſimiles alios.

15. ὡσεὶ πρόσωπον ἀγγέλου. *tanquam faciem Angeli*] Id eſt, habebat gravitatem cum ſumma ſuavitate conjunctam. Vide ſupra 8.

CAPVT VII.

Εἰ ἄρα ταῦτα οὕτως ἔχει; *Si hæc ita ſe habent?*] *Suntne vera quæ iſti de te teſtantur?* εἰ ἄρα, האם [*num igitur*].

2. Ὁ δὲ ἔφη. *Qui ait*] Cùm de duabus rebus accuſaretur Stephanus, quòd Templi excidium prædixiſſet, & quòd vocationem Gentium ad Deum, ut oſtendat nihil in eo eſſe iniqui, omnem hiſtoriam veterem ad ſua tempora percurrens inſinuat κατὰ κρύψιν [*tectè*] Dei favorem nunquam adſtrictum fuiſſe loco ulli, ne Tabernaculo quidem aut Templo: deinde Iudæos, ſi gentis ſuæ & ſua facta bene expenderent, nihil habere cur ſe alienigenis præferrent.

Ἄνδρες ἀδελφοὶ, *Viri fratres*] Hoc populo dicit.

καὶ πατέρες, *& Patres*] Hoc Senatoribus. Sic & Romani Senatores vocabant *Patres*.

Ὁ Θεὸς τῆς δόξης, *Deus gloriæ*] מלך הכבוד [*Rex gloriæ*] Pſal. XXIV, 7.

ὤφθη, *apparuit*] Hoc eſt ex traditione Hebræorum, non ex Scripta hiſtoria. Meminit hujus traditionis Abarbaniel.

ὄντι ἐν τῇ Μεσοποταμίᾳ, quum eſſet in Meſopotamia] Videtur ergo *Vr* fuiſſe in Meſopotamia : nec repugnat Ammianus libro xxv. ubi *Vris* facit mentionem: nam eo tempore Meſopotamiæ poſſeſſio inter Romanos & Perſas diſceptabatur armis. Fieri tamen poteſt ut ארם נהרים [*Meſopotamia*] Hebræis latiùs patuerit, & omnia illa continuerit quæ non Euphrate tantùm & Tigride, ſed & eorum divergiis irrigantur.

ἐν Χαῤῥάν· in Charran] *In Carris*, quæ & ipſæ in Meſopotamia.

3. *Καὶ εἶπε πρὸς αὐτόν· Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου, Et dixit ad illum, Exi de terra tua*] Qui hæc conciliant cum Moſe, Geneſ. xii, i, exiſtimant in Moſe ויאמר [*& dixit*] eſſe plusquamperfectum, & per ἐπάνοδον [*Retrogreſſionem*] ibi referri id, quod in Vre dictum fuerat : qualia ὑστερόπρωτα [*præpoſtera*] multa ſunt & in ſacris & in profanis hiſtoriis. Laudo qui omnes nodos tollunt. Neque tamen ſi in veteris loci aut temporis exacta deſignatione memoria Lucæ titubaverit, ideo hiſtoriæ quam ſcripſit peribit auctoritas. Spiritus Sanctus Apoſtolos & Euangeliſtas confirmavit in doctrina Euangelica : in cæteris rebus, ut hominibus, reliquit quæ ſunt hominum.

εἰς γῆν ἣν ἄν σοι, in terram quam tibi] Longè ergo erat adhuc à Cananæa cùm Deus hæc ei diceret. Amabat ipſum Deus, non locum quò eum ducebat.

4. *μετῴκησεν αὐτὸν, transtulit illum*] Gen. xii, 4.

5. *οὐδὲ βῆμα ποδός· nec paſſum pedis*] Sic Deuter. ii, 5, transfertur כף רגל.

οὐκ ὄντος αὐτῷ τέκνου. quum non haberet filium] Hoc obiter inſpergit, ut fidei vim commendet.

6. *Ὅτι ἔσαι τὸ σπέρμα αὐτοῦ πάροικον, Quia erit ſemen ejus accola*] *Liberi ejus incolæ erunt.* Ita enim loquuntur Latini.

καὶ δουλώσουσιν αὐτοὺς καὶ κακώσουσιν ἔτη τετρακόσια. ſervituti eos ſubjicient & malè tractabunt eos annis quadringentis] Sic in Hebræo Geneſ. xv, 13. in Græco paulò ampliùs, καὶ δουλώσουσιν αὐτοὺς καὶ κακώσουσιν αὐτοὺς, καὶ ταπεινώσουσιν αὐτοὺς τετρακόσια ἔτη [*Et ſervituti eos ſubjicient, & malè tractabunt eos, & humiliabunt eos annis quadringentis*]. Theophylactus hoc loco, καὶ δουλώσουσιν αὐτὸ ἔτη τετρακόσια [*& ſervituti ſubjicient illud annis quadringentis*]. Hæc nata ſunt ex diverſis verſionibus inter ſe permixtis. Eſt autem hîc in Hebræo brevis locutio, non bene percepta ab Interpretibus. Senſus enim eſt, Duraturam eam calamitatem uſque ad annum fermè quadringenteſimum ex quo oraculum Abrahamo obtigerat : ut diximus ad illum Geneſeos locum, ubi quæ prædicuntur omnia ad Ægyptum pertinent.

7. *καὶ μετὰ ταῦτα ἐξελεύσονται καὶ λατρεύσουσί μοι ἐν τῷ τόπῳ τούτῳ. & poſthac exibunt & ſervient mihi in loco iſto*] Hoc magis ſenſu congruit quàm verbis. Nam in Geneſi eſt, ἀποστραφήσονται ὧδε [*revertentur huc*].

8. *Καὶ ἔδωκεν αὐτῷ διαθήκην περιτομῆς· Et dedit illi teſtamentum circumciſionis*] Nempe poſt illa eximia promiſſa. Hoc quoque ad propoſitum Stephani pertinet, ne crederetur circumciſionis obedientia cauſa fuiſſe promiſſorum.

καὶ οὕτως ἐγέννησε τὸν Ἰσαὰκ, & ſic genuit Iſaac] Non propter Iſaacum data ſunt promiſſa : ſed Iſaacus propter promiſſa datus, in umbram gratiæ per Euangelium dandæ.

τοὺς δώδεκα πατριάρχας. duodecim Patriarchas] *Tribuum auctores*, ut & commate ſequente. Sic & Abraham πατριάρχης [*Patriarcha*], Hebr. vii, 4. Confunduntur voces φυλῆς [*tribus*] & πατριᾶς [*familiæ*]. Illi quos diximus propriè φύλαρχαι vel φύλαρχοι [*Principes tribuum*], David propriè πατριάρχης [*Patriarcha*], ut ſupra ii, 27. quia auctor erat familiæ regalis, quæ πατριὰ [*familia*] Lucæ ii, 4.

9. *ζηλώσαντες, τὸν Ἰωσὴφ, æmulantes, Ioſeph*] Eſt κρύψις [*tecta locutio*]. Vult enim dicere, *Vos pari modo Ieſum ex invidia tradidiſtis extraneis.*

ἀπέδοντο εἰς Αἴγυπτον. vendiderunt in Ægyptum] מכרו אתו אל מצרים [*vendiderunt eum in Ægypto*], quod de Madianitis dixit Moſes, Geneſ. xxxvii, 36, hic rectè ad Patriarchas transtulit, qui cauſa ejus mali fuerant: in Græco ibi eſt ut hîc, ἀπέδοντο τὸν Ἰωσὴφ εἰς Αἴγυπτον [*vendiderunt Ioſeph in Ægyptum*], Pari fermè modo ἀγοράζειν εἰς ἀγρὸν [*emere in agrum*] dixit Ariſtophanes, id eſt, *emere ut feratur in agrum.*

καὶ ἦν ὁ Θεὸς μετ' αὐτοῦ· & erat Deus cum eo] Καὶ [*&*] hic valet *tamen*, quaſi dicat, Non eſt ſine exemplo, quòd Deus benefacit iis quibus vos nocetis maximè.

10. *καὶ ἔδωκεν αὐτῷ χάριν καὶ σοφίαν, & dedit ei gratiam & ſapientiam*] Ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. *gratioſum eum fecit apud Regem ſapientiæ nomine.* Geneſ. xli, 39. ἐξέλαμψε [*eluxit*] in ipſo, ut Philo loquitur, καλοκαγαθίας ἐμπύρευμα [*honeſtæ probitatis igniculus*].

ἡγούμενον ἐπ' Αἴγυπτον, præpoſitum ſuper Ægyptum] *Vice Regis cuncta regentem*, Geneſ. xli, 43.

καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ, & ſuper omnem domum ſuam] Fecit illum etiam *aulæ ſuæ Magiſtrum*, quales *Majores domûs* Francis olim, Græcis Conſtantinopolitanis κουροπαλάται, *à cura Palatii.*

11. *χορτάσματα, cibos*] Sicut verbum χορτάζειν [*ſaturare*] etiam de *hominum alimonia* uſurpatur, Matth. v, 6. xiv, 20. xv, 33, 37. Marci vi, 42. vii, 27. viii, 4, 42. Lucæ vi, 21. ix, 17. xvi, 21. Ioh. vi, 26. Philipp. iv, 12. Iacobi ii, 16: ita & χόρτασμα quod hîc reſpondet Hebræo שבר [*annonæ*], quod eſt Geneſ. xlii, 2, 26. xliii, 2. xliv, 2. xlvii, 14. & illico vertetur σῖτα [*frumentum*].

12. *πρῶτον. primùm*] Id eſt, πρότερον [*priùs*] ut ſupra i, i.

13. *Καὶ ἐν τῷ δευτέρῳ, Et in ſecundo*] Supple χρόνῳ [*tempore*]. id eſt, *cum altera vice eos mitteret.*

ἀνεγνωρίσθη Ἰωσὴφ, cognitus eſt Ioſeph] התודע [*cognoſcendum ſe præbuit*] Gen. xlv, i. ubi Græci ἀνεγνωρίζετο [*cognoſcebatur*].

ἐν ψυχαῖς ἑβδομήκοντα πέντε. in animabus ſeptuaginta quinque] Vetus ſatis eſt hæc lectio, ut ex Syro, Arabe, Latino apparet. Et hinc factum, ut, ſicut in *Caïnanis* nomine repetito, libri Græci etiam hîc mutationem reciperent à Chriſtianis exſcriptoribus. Nam Geneſ. xlvi, 27, ubi in Hebræo *ſeptuaginta animæ* nominantur, quomodo habet & Ioſephus & Chaldæi Interpretes, Græca nunc habent ἑβδομήκοντα πέντε [*ſeptuaginta quinque*], additis & vocibus quibusdam, quæ in Hebræo deſunt, & ad explendum hunc numerum pertinent. Quin & in Deuteronomio x, 22. ubi eadem refertur hiſtoria, eadem mutatio in Græcis libris facta poſt tempora Hieronymi: nam is eo in loco exſtitiſſe numerum *ſeptuaginta* apertè ſignificat quæſtionibus ad Geneſim. Sicut autem in nomine *Caïnani* ex uno exemplari Lucæ malè ſcripto error in omnia fluxit quæ habemus, ita & hîc factum arbitror: originemque erroris fuiſſe quòd poſt O, id eſt, *ſeptuaginta*, annotatum fuit E, ad ſignificandam quintam particulam ſectionis ad Stephanum pertinentis.

16. Καὶ μετετέθησαν εἰς Συχὲμ, καὶ ἐτέθησαν ἐν τῷ μνήματι, ὃ ὠνήσατο Ἀβραὰμ τιμῆς ἀργυρίου παρὰ τῶν υἱῶν Ἐμμόρ τοῦ Συχέμ. *Et tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filiis Hemor filii Sichem*] Poſtrema illa τοῦ Συχὲμ [*filii Sichem*] malè hîc adſcripta docent nos & Syrus & Arabs. Optima erit ſententia, ſi pro Ἐμμὸρ [*Hemor*] vicinâ voce ſcribas Ἐφρών [*Ephron*]. Ab Ephrone enim eſt quod monumentum emit Abrahamus, Geneſ. xxiii, 17. & in eodem monumento ſepultus fuit Iacob, Geneſ. l, 13. Ioſephus autem ſepultus fuit in Sichem, Ioſ. xxiv, 32. Hoc ergo dicit, eos de quibus erat locutus, partim in Sichem, partim in agro, qui Ephronis fuerat, ſepultos. *Fratres Ioſephi in Sichem ſepultos* ait Hieronymus in Paulæ Epitaphio: at Ioſephus, *in illo qui Ephronis fuerat agro*, Antiquæ hiſtoriæ ii, iv. Optimam conciliaturam nobis hic locus ſuppeditat, ſi dicamus partim eos cum Iacobo, partim cum Ioſepho ſepultos, quod ipſum argumentum eſt, nullam eis certam fuiſſe ſedem.

17. ὁ χρόνος τῆς ἐπαγγελίας, *tempus promiſſionis*] Finis annorum aliquanto ſupra quadringentos. Vide Exodi xii, 40.

ἧς ὤμοσεν ὁ Θεὸς, *quam juraverat Deus*] Omnem vehementem Dei affirmationem *juramentum* dici ait Moſes Maimonides. Tale eſt, *Certò cognoſce*, Geneſ. xv, 13. At codex ille, qui in Anglia, hîc habet ὡμολόγησεν [*confeſſus erat*], quomodo legit & Latinus.

18. ἀνέστη βασιλεὺς ἕτερος, ὃς οὐκ ᾔδει τὸν Ἰωσήφ· *ſurrexit alius Rex in Ægypto, qui non ſciebat Ioſeph*] Verba ſunt Lxx Interpretum, Exodi i, 8.

19. κατασοφισάμενος τὸ γένος ἡμῶν, *circumveniens genus noſtrum*] Sic Lxx Exod. i, 10: κατασοφισώμεθα αὐτοὺς [*ſapienter opprimamus eos*], ubi in Hebræo נתחכמה לו, *prudenter adverſùs eos agamus*. Pertinet autem hæc vox etiam ad labores eis impoſitos, ut hiſtoria oſtendit, & Iudith v, 9. κατεσοφίσαντο αὐτοὺς ἐν πόνῳ καὶ ἐν πλίνθῳ [*circumvenerunt eos in labore & latere*]. Eundem ſenſum in eadem hiſtoria habes Pſal. cv, 24, להתנכל בעבריו, ubi Græci, τοῦ δολιοῦσθαι ἐν τοῖς δούλοις αὐτοῦ [*ut dolum facerent in ſervos ejus*]. Ezechiel Tragicus,

> Δόλον καθ' ἡμῶν πολὺν ἐμηχανήσατο
> Βασιλεὺς Φαραώ· τοὺς μὲν ἐν πλινθεύμασιν,
> Οἰκοδομίαις τε βάρεσιν αἰκίζων βροτοὺς,
> Πόλεις τε πύργους σφῶν ἔκτι δυσμόρων.
> Ἔπειτα κηρύσσει μὲν Ἑβραίων γένει
> Τ' ἀρσενικὰ ῥίπτειν ποταμὸν εἰς βαθύρροον.
> [*At Rex Pharao texta multiplicis doli*
> *Orditur in nos: plurimos mortalium*
> *Dum laſſat operis coctilis molimine*
> *Vrbes labore muniens miſeri gregis.*
> *Poſt hæc Hebræis imperat, ſexûs maris*
> *Natum quod eſſet, amnibus rapidis dare*].

Sic de Antiocho Daniel viii, 23, συνιῶν προβλήματα [*verſutiarum intelligens*].

τοῦ ποιεῖν ἔκθετα τὰ βρέφη αὐτῶν, *ut exponerent infantes ſuos*] Ita ut ipſi cogerentur exponere infantes ſuos mares, ne à regiis ſatellitibus interficerentur. Hunc ſenſum ſuggerit nobis vox eadem ἐκτεθέντα [*expoſitum*], quæ repetitur mox 21.

εἰς τὸ μὴ ζωογονεῖσθαι. *ne vivificarentur*]. Hoc refertur ad illud ἐκάκωσε [*afflixit*]. Propoſitum Pharaonis erat gentem exſtinguere. ζωογονεῖν [*vivificare*] Helleniſtæ uſurpant pro *in vita relinquere*, החיה, ut videre eſt Iud. viii, 19. 1 Sam. ii, 6. xxvii, 9, 11. ii Regum vii, 4. id hîc ad totam gentem refertur. Nam interemptis aut diſperſis infantibus, neceſſe erat gentem perire. Contrarium hujus verbi eſt Exodi i, 17 de obſtetricibus, ותחיין את־הילדים, ubi in Græco, καὶ ἐζωογόνουν τὰ ἄρσενα [*& conſervabant mares*].

20. καὶ ἦν ἀστεῖος τῷ Θεῷ, *& fuit gratus Deo*] Illud ἀστεῖος [*gratus*] eſt ex Græco Exodi ii, 2. ubi in Hebræo טוב [*elegans*]. illud τῷ Θεῷ [*Deo*], quod hîc additur eſt Hebraiſmus, לאלהים [*Deo*] id eſt, *valde*. Sic Νινευὴ ἦν πόλις μεγάλη τῷ Θεῷ [*Ninive erat civitas magna Deo*], Ion. iii, 3. Sic & in Genitivo נפתולי אלהים נפתלתי [*luctationibus Dei luctata ſum*], Geneſ. xxx, 8. ſic *cedri Dei*, & ſimilia.

21. Ἐκτεθέντα δὲ αὐτὸν, *Expoſitum autem illum*] Meliùs manuſcriptus, ἐκτεθέντος δὲ αὐτοῦ [*expoſito autem illo*], ob id quod ſequitur.

ἀνείλετο αὐτὸν, *ſuſtulit eum*] Terentius,

> *Quicquid peperiſſet, decreverunt tollere.*

id eſt, *non pati interire.*

ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱόν. *nutrivit eum ſibi in filium*] Exodi ii, 10. Hebr. xi, 24.

22. Καὶ ἐπαιδεύθη Μωϋσῆς πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *Et eruditus eſt Moyſes omni ſapientiâ Ægyptiorum*] Non ſcripſit hoc de ſe Moſes: ſed res per ſe eſt credibilis & traditione firmata. Ezechiel Tragicus,

> Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
> Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ' ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἑῶν.
> [*Sic diſciplinis imbuit regaliter*
> *Aluitque, tanquam natus ex ipſa foret*].

Certè Aſtrologiæ & Medicinæ peritia paſſim in ejus legibus apparet. Quæ fuerint Ægyptiorum diſciplinæ, diſcere eſt ex Clemente Alexandrino Strom. vi. Adde quæſtionem ad Orthodoxos xxv.

23. Ὡς δὲ ἐπληροῦτο αὐτῷ τεσσαρακονταετὴς χρόνος, *Quum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus*] Hoc non eſt in Sacra Scriptura, ſed hauſtum eſt ex traditione, quæ reperitur in Midraſch Rabba Bereſchit.

24. Καὶ ἰδών τινα ἀδικούμενον, *Et quum vidiſſet quendam injuriam patientem*] Durè tractatum verberibus.

ἠμύνατο, *vindicavit*] Tutatus eſt innocentem.

πατάξας τὸν Αἰγύπτιον, *percuſſo Ægyptio*] Ad mortem uſque, ut apparet infra 28. Ius naturæ & innocenti & innocentem tutanti jus dat adverſùs nocentem. Vide quæ diximus libro ii. de Iure Belli ac Pacis cap. xx, 8.

25. Ἐνόμιζε δὲ συνιέναι τοὺς ἀδελφοὺς αὐτοῦ, *Exiſtimabat*

mabat autem intelligere fratres] Ex tam prompto ipſius animo ad eos tutandos.

26. μαχομένοις, *litigantibus*] Διαπληκτιζομένους [*pugnantes*] habent hîc Lxx Senes: in Hebræo נצים [*rixantes*], quod & alibi per μάχεσθαι [*pugnare*] vertitur, ut Exodi xxi, 22. Levit. xxiv, 10. Deut. xxv, 2. II Sam. xiv, 6.

καὶ συνήλασεν αὐτοὺς, *& reconciliabat eos*] Conatui datur nomen effectûs: deinde vox quaſi vim ſignificans agentis inſtantiam ſignificat, ut ἀναγκάζειν [*compellere*] Luc. xiv, 23. & παραβιάζεσθαι [*cogere*], Luc. xxiv, 29.

εἰπών· *dicens*] Non ipſa verba poſuit quæ ſunt in Exodo, ſed ſenſum bene expreſſit. Nam ibi ὁ πλησίον [*proximus*], qui hîc ἀδελφὸς [*frater*], *popularis, eisdem ortus Majoribus.*

27. Ὁ δὲ ἀδικῶν, *Qui autem injuriam faciebat*] Sic & Lxx verterunt in hac hiſtoria Hebræum רשע. In Euangelio eodem ſenſu dicitur ὁ πονηρὸς, is *qui injuriam facit*, ὁ ἀρξάμενος χειρῶν ἀδίκων [*qui non jure aggreſſus eſt*], ut Græci loquuntur. Vide libro III de Iure Belli ac Pacis, cap. xi, 4.

Τίς σε κατέστησεν ἄρχοντα καὶ δικαστὴν ἐφ' ἡμᾶς; *Quis te conſtituit Principem & Iudicem ſuper nos?*] Eadem verba ſunt in verſione Lxx, niſi quod ibi eſt ἐφ' ἡμῶν, ſenſu eodem.

29. Ἔφυγε δὲ Μωσῆς, *Fugit autem Moſes*] Nempe ſatis intelligens cædem illam Ægyptii malum ſibi creaturam, quod Ægyptii Hebræos ſervorum, imò pecudum haberent loco, in quos nullam cadere injuriam credi volebant.

ἐν γῇ Μαδιὰμ, *in terra Madiam*] Semper urget propoſitum. Deus ſicut in Meſopotamia & Ægypto, ita & in terra Madianis adfuit piis. Eſt ubique idem.

30. Καὶ πληρωθέντων ἐτῶν τεσσαράκοντα, *Et expletis annis quadraginta*] Et hoc eſt ex traditione.

ἄγγελος Κυρίου, *angelus Domini*] Verè Angelus, ſed divinis mandatis & extraordinaria poteſtate inſtructus. Vide quæ diximus ad initium Decalogi.

ἐν φλογὶ πυρὸς, *in flamma ignis*] Manuſcriptus ille ἐν πυρὶ φλογὸς [*in igne flammæ*], quomodo legit Latinus. Tam φλὸξ πυρὸς, quàm πῦρ φλογὸς II Theſſalon. I, 8, eſt *ignis flammans.*

31. ἐθαύμασε τὸ ὅραμα· *admiratus eſt viſum*] Breviter ſignificat, quod non exprimit, rubum arſiſſe, nec uſtum tamen: quæ imago erat populi Hebræi in ſummis calamitatibus futuri ſuperſtitis.

ἐγένετο φωνὴ Κυρίου πρὸς αὐτόν· *facta eſt ad eum vox Domini*] Hîc quoque aliqua eſt ordinis inverſio, ſed ad ſummam rei nihil pertinens. Nam in Exodo Moſes priùs jubetur *calceos ſolvere*, quàm Deus ei dicit *ſe Deum eſſe Abrahami, Iſaaci, & Iacobi.*

32. οὐκ ἐτόλμα κατανοῆσαι. *non audebat conſiderare*] Id eſt, *inſpicere*, ut eſt in Hebræo Exodi, ubi Græci κατεμβλέψαι [*inſpicere*]. Sed κατανοεῖν eodem ſenſu, pro verbo נבט [*inſpicere*] quod hîc in Hebræo eſt, ſæpe ponitur, ut Exodi xxxiii, 8. Pſal. x, 14. xxii, 18. xci, 8. xciv, 9. cxix, 15, 18. cxlii, 5. Simili modo Exodi xix, 21. לראות [*ad videndum*] in Græco vertitur κατανοῆσαι [*ad conſiderandum*]. Nimirum ſenſuum internorum & externorum vocabula inter ſe commutari ſolent.

33. Λῦσον τὸ ὑπόδημα, *Solve calceamentum*] Vide quæ ad hunc Exodi locum attulimus.

34. Ἰδὼν εἶδον τὴν κάκωσιν τοῦ λαοῦ μου τοῦ ἐν Αἰγύπτῳ, *Videns vidi afflictionem populi mei qui eſt in Ægypto*] Eadem verba ſunt in Græco Lxx. *Videns vidi*, id eſt, penitus pervidi.

καὶ τοῦ στεναγμοῦ αὐτῶν ἤκουσα, *& gemitum eorum audivi*] In verſione Lxx eſt τῆς κραυγῆς [*clamorem*]. צעקה plerumque κραυγὴ [*clamor*] vertitur: at Iobi xxvii, 9. δέησις [*precatio*].

καὶ κατέβην ἐξελέσθαι αὐτούς· *& deſcendi liberare eos*] Hoc quoque ex verſione Lxx Senum. Dicitur Deus *deſcendere*, ubi aut protegit ſuos, aut hoſtes ulciſcitur: *adſcendere*, ubi id facere deſinit.

καὶ νῦν δεῦρο, *& nunc veni*] Sic quoque eſt in Græco Lxx. in Hebræo לכה, id eſt, *adesdum.*

35. ὃν ἠρνήσαντο, *quem negaverunt*] *Quem noluerunt agnoſcere.* Vide ſupra III, 13.

καὶ λυτρωτὴν, *& redemptorem*] גאל hac voce verti ſolet uſurpaturque & de hominibus & de Deo, etiam cùm nullo pretio accepto aliquem liberat, ut videre eſt Pſal. xix, 14. lxxviii, 35. Nec durior erit metaphora, ſi Latinè *redemptorem* hoc ſenſu dicas, quàm ſi Græcè λυτρωτὴν, quod venit ἀπὸ τοῦ λύτρου [*à pretio*]. Nimirum ad translationis elegantiam ſufficit par effectus.

ἐν χειρὶ ἀγγέλου, *cum manu angeli*] Hoc referendum eſt ad ἀπέστειλεν [*miſit*]. *Mandata ei per Angelum dedit.*

36. Οὗτος ἐξήγαγεν αὐτοὺς, *Hic eduxit illos*] Latè prædicat & beneficia quæ Moſes populo præſtitit, & honores quos à Deo accepit; ut eò turpior ſit populi in ipſum contumacia, minusque mirum, ſi talibus orti parentibus in Ieſum ingrati & immanes fuerint.

37. ὁ εἰπὼν τοῖς υἱοῖς Ἰσραήλ· Προφήτην ὑμῖν ἀναστήσει Κύριος, *qui dixit filiis Iſrael: Prophetam ſuſcitabit vobis Deus*] Ille vobis Ieſum commendavit, verbis ad Prophetas quidem alios aliquatenus, ſed ad Ieſum eximiè pertinentibus. Vide quæ ad locum Deuteronomii dicta, & quæ ſupra III, 22.

38. Οὗτός ἐστιν ὁ γενόμενος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ, *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine*] Qui in omni iſto perdifficili itinere adfuit populo Iſraelitico, qui קהל Hebraïcè, Græcè ἐκκλησία [*Eccleſia*].

μετὰ τοῦ ἀγγέλου τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ, *cum Angelo qui loquebatur ei in monte Sina*] Nempe Dei nomine & mandato ſpeciali. Vide quæ diximus ad initium Decalogi.

ὃς ἐδέξατο λόγια ζῶντα, *qui accepit verba vitæ*] Reſpicitur locus Deuter. xxxii, 47. ubi Lex dicitur eſſe *vita*, id eſt, cauſa vitæ felicis, quæ eximiè *vita* Hebræis. Hîc ζῶντα [*viva*] eſt ζωοποιοῦντα [*vivifica*]: ſicut βασιλεύειν [*regnare*] *facere regnare*. Frequens hoc Helleniſtis.

39. καὶ ἐστράφησαν ταῖς καρδίαις αὐτῶν εἰς Αἴγυπτον, *& averſi ſunt cordibus ſuis in Ægyptum*] Rediêre ad mores quos in Ægypto didicerant.

40. Ποίησον ἡμῖν θεοὺς, *Fac nobis deos*] Ægyptii, ut ex Iamblicho & aliis diſcimus, ſtatuebant deorum gradus; & per minores deos etiam majores attrahi in ſimulacra: ideo pluralis ponitur hîc & in Exodo.

οἱ προπορεύσονται ἡμῶν· *qui præcedant nos*] *Qui nobis iter monſtrent ac proſperent.*

ὁ γὰρ Μωσῆς οὗτος ὃς ἐξήγαγεν ἡμᾶς ἐκ γῆς Αἰγύπτου, οὐκ οἴδαμεν τί γέγονεν αὐτῷ. *Moſes enim hic qui eduxit nos de terra Ægypti, neſcimus quid factum ſit ei*] Eſt Hebraica locutio, pro τῷ γὰρ Μωσῇ τούτῳ οὐκ οἴδαμεν τί γέγονε [*Moſi enim huic neſcimus quid contigit*]. Sic & in verſione Lxx. ſed ibi amplius eſt Μωσῆς οὗτος ὁ ἄνθρωπος [*homo ille Moſes*], & in Hebræo משה האיש [*vir ille Moſes*]: quaſi dicerent, *Mortalem Ducem nolumus, immortalem volumus.*

41. ἐμοσχοποίησαν, *vitulum fecerunt*] Hanc vocem Lucas confinxit ad exemplum multarum quas ad eum modum finxere Lxx. Reſpondet Hebræis duabus יעשו עגל [*fecerunt vitulum*]. Fecere autem juvencum ad imitationem Ægyptiorum, apud quos *Apidis* cultus valde eſt vetus. Vide Tacitum hiſtoriarum v. & Herodotum libro ii.

τῷ εἰδώλῳ, *ſimulacro*] *Iſti juvenco fuſili*, tanquam in quem deducti eſſent Divini ſpiritus.

καὶ εὐφραίνοντο ἐν τοῖς ἔργοις τῶν χειρῶν αὐτῶν. *& lætabantur in operibus manuum ſuarum*] Læti ſaltarunt ejus rei causâ. יקמו לצחק, ἀνέστησαν παίζειν [*ſurrexerunt ludere*] Exod. xxxii, 7.

42. Ἔστρεψε δὲ ὁ Θεὸς, *Convertit autem Deus*] *Averſans eos.* Sicut Virgilius dixit,

— — *averſa deæ mens.*

& eſt verbum activum pro reciproco.

παρέδωκεν αὐτοὺς λατρεύειν τῇ στρατιᾷ τοῦ οὐρανοῦ· *tradidit eos ſervire militiæ cæli*] Permiſit eos ab uno malo cultu in alterum delabi: nec uni aut alteri, ſed plurimis diis ſe proſternere. Hoc autem non eſt referendum ad illud tempus in deſerto, ſed ad tempora poſteriora. Nam, ut jam videbimus, propter hæc peccata frequentia & diuturna traditi ſunt in manus Chaldæorum. Vide ii Regum xvii, 16. xxi, 3. xxiii, 5.

Μὴ σφάγια, *Numquid victimas*] Verba ſunt ex Lxx quæ ad Amoſum ſic interpretati ſumus, *Nonne in deſerto quotidie mihi ſacra obtuliſtis, & tamen vos averſatus ſum, propter contumaciam? quantò magis nunc, cùm ad contumaciam adjeceritis hos novos cultus novorum deorum?*

καὶ θυσίας, *& hoſtias*] מנחות [*oblationes*]. Vide quæ dicta ad Marci ix, 49.

43. ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολὸχ, *ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch*] Σκηνὴν [*tabernaculum*] ad Amoſum diximus eſſe ναΐσκον [*formulam templi*] in quo ſedebat imago Regis quondam Ammonitarum, ex quo nomine Ammonitæ *Saturni ſtellam* nominabant.

καὶ τὸ ἄστρον τοῦ θεοῦ ὑμῶν Ῥεμφὰν, *& ſidus dei veſtri Remphan*] Sic habent multi codices. Et hæc lectio videtur reſtituenda etiam in libris Lxx. Nam Ῥεμφὰν [*Remphan*] eſt רמון *Remuan*, Syriaca pronuntiatione, pro quo Maſoritæ legunt רמון Ῥιμμὼν [*Rimmon*] ii Regum v, 18. Sic *Saturnum* vocabant Syri, colebantque non in forma Regis, ſed in forma ſtellæ. Nomen inde ſumptum, quod ea ſtella ſit *altiſſimo orbe*, ut Tacitus loquitur. In Hebræo eſt כיון [*Kiun*] quod eandem *Saturni ſtellam* ſignificat, ſed Arabibus: res eadem.

καὶ, *&*] Id eſt, *propterea*.

μετοικιῶ ὑμᾶς ἐπέκεινα Βαβυλῶνος. *transferam vos trans Babylonem*] In Amoſi Hebræo & Græco, ἐπέκεινα Δαμάσκου [*trans Damaſcum*]; Sed ſenſus bene expreſſus eſt: minus enim dixit Amoſus, plus ſignificavit. Aſſyria & Media quæ ultra Babylonem ſunt, multò magis ſunt ultra Damaſcum. Sic Eſaiæ x, 9. ubi in Hebræo eſt, כרכמיש [*Carchemiſch*], Lxx vertunt, ἐπάνω Βαβυλῶνος [*ultra Babylonem*].

44. Ἡ σκηνὴ τοῦ μαρτυρίου, *Tabernaculum teſtimonii*] Redit ad alteram partem argumenti ſui, quod eſt de loco cultûs: & oſtendit eum variaſſe. Eodem argumento pugnat Ieremias vii, 12.

κατὰ τὸν τύπον, *ſecundùm formam*] Sic in verſione Lxx, Exodi xxv, 40. ubi in Hebræo תבנית [*exemplar*].

45. διαδεξάμενοι, *ſuſcipientes*] Acceptam ab iis qui cum Moſe vixerant.

ἐν τῇ κατασχέσει τῶν ἐθνῶν, *in poſſeſſionem Gentium*] Frequens Helleniſtis permutare ἐν [*in* cum ablativo] & εἰς [*in* cum accuſativo], quia Hebræi pro utraque, ב [*Beth*] literam ponunt. κατάσχεσις ἐθνῶν [*poſſeſſio Gentium*] eſt *terra à Gentibus poſſeſſa*. Sic vox κατασχέσεως [*poſſeſſionis*] plerunque ſumitur, reſpondens Hebræo אחוזה.

ὧν ἔξωσεν ὁ Θεὸς, *quas expulit Deus*] הוריש [*poſſeſſione expulit*], ut Exodi xxxiv, 24. Num. xxi, 32. Deuter. xi, 23. ubi in Græco ἐκβάλλειν [*ejicere*].

ἀπὸ προσώπου τῶν πατέρων ἡμῶν, *à facie Patrum noſtrorum*] *Ad eorum adventum.* Eſt hoc loquendi genus Deuter. ii, 21, 22, & alibi ſæpe. Imitati ſunt hanc locutionem ii qui inſcriptionem eam fecere, quam in Africa vidit Procopius, Ἡμεῖς ἐσμὲν οἱ φυγόντες ἀπὸ προσώπου Ἰησοῦ τοῦ λῃστοῦ υἱοῦ Ναυῆ [*Nos ſumus illi qui ad adventum Ieſu latronis, filii Nun, fugimus*].

46. Ὃς εὗρε χάριν, *qui invenit gratiam*] מצא [*conſecutus eſt*]. Vide Lucæ I, 30.

ᾐτήσατο εὑρεῖν σκήνωμα τῷ Θεῷ Ἰακώβ. *petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob*] *Permanentem ſedem.* Illud εὑρεῖν [*invenire*], eſt ſumptum ex Pſalmo cxxxii, 5. ᾐτήσατο, שאל, id eſt, *deſideraverit*. Sic שאל per ἐπιθυμεῖν [*deſiderare*] vertitur Deuteron. xiv, 26. σκήνωμα, Hebræis אהל eſt *quælibet habitatio*.

48. Ἀλλ᾽ οὐχ ὁ ὕψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ, *Sed non Excelſus in manufactis templis habitat*] Depromptum ex Solomonis verbis, I Regum viii, 27. ubi κατοικήσει, in Hebræo ישב, ſignificat *contineri poterit*. Euripides,

Ποῖος δ᾽ ἂν οἶκος τεκτόνων πλασθεὶς ὕπο
Δέμας τὸ θεῖον περιβάλοι τοίχων πτυχαῖς;
[*Qui poſſet ædes ſtructa fabrili manu*
Tenere vim parietibus incluſam Dei?]

Zeno citante Clemente Alexandrino & Origene, Ἱερά τε οἰκοδομεῖν οὐδὲν δεήσει· ἱερὸν γὰρ μὴ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οὐδὲν χρὴ νομίζειν· οὐδὲν δὲ πολλοῦ ἄξιον καὶ ἅγιον οἰκοδόμων ἔργον καὶ βαναύσων [*Nec ædes ſacras exſtruere attinebit. Nec enim quicquam ſacrum eſſe putandum eſt quod non idem & magni pretii & ſanctum ſit. Sanctum porrò magnive pretii nihil eſt quod quidem à fabris atque operariis factum ſit*]. Habes ναὸν χειροποίητον [*templum manufactum*] etiam Marci xiv, 58. & ἐν χειροποιήτοις ναοῖς [*in manufactis templis*] infra xvii, 24. Manuſcriptus tamen quem dixi, vocem ναοῖς [*templis*] hîc non habet. Origenes contra Celſum iii, vii, VIII, pari loco ponit *ſimulacra* & *templa*: dicitque ea primùm dicata dæmonibus, qui aut carminibus inducti, aut per ſe locis quibusdam aſſueti, ob nidores iis adhærefcerent. Sic & Cæcilius de Chriſtianis, *Cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota ſimulacra?* & agnoſcit M. Octavius, *Templum quod ei exſtruam, cùm totus hîc Mundus ejus opere fabricatus eum capere non poſſit?* & Arnobius *templorum conſtructionibus Deum à Chriſtianis honorari* negat. Apparet eos Chriſtianorum conventuum loca *templa* dici noluiſſe; quod *templum Chriſtianis* ſit corpus purum, *altare* animus ſanctus, *ſimulacra* verò omnis generis virtutes. Senſit Origenes Deum, cùm Templum ſibi fieri permiſit à Solomone, pari id feciſſe propoſito, quo & Altare & Victimas indulſit, nempe ut ſe populi ingenio aptaret ac eos ritus ſibi vindicaret, quos alioqui populus falſis diis erat impenſurus. Loca Origenis ea de re digna ſunt lectu, & ab his quæ hîc dicit Stephanus, non aliena. Imperatores etiam Chriſtiani *templorum* nomen uſurpant ubi de paganis agitur, ut C. de paganis, ſacrificiis & templis, non ubi de Chriſtianis. Sic & Zeno Veronenſis, *Quò tibi Eccleſia, ſi adeunda ſint templa?* Hieronymus adversùs Vigilantium, *Baſilicas aut deſtrueret aut in templa converteret.* Vocabant ergo Chriſtiani ſuorum conventuum loca, modò *Eccleſias* κατὰ συνεκδοχὴν [*per Complexionem*], modò *baſilicas*, & eodem ſenſu *domos Dei*: *Templi* autem appellatione deſtinatò abſtinebant.

καθὼς ὁ Προφήτης λέγει· *ſicut Propheta dicit*] Eſaïas LXVI, 1.

49. Ὁ οὐρανός μοι θρόνος, *Cælum mihi ſedes eſt*] Ex LXX.

ἢ τίς τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; οὐχὶ ἡ χείρ μου ἐποίησε ταῦτα πάντα; *aut quis locus requietionis meæ eſt? Nonne manus mea fecit hæc omnia?*] In LXX verbis paulùm diverſis, Καὶ ποῖος τόπος τῆς καταπαύσεώς μου; πάντα γὰρ ταῦτα ἐποίησεν ἡ χείρ μου [*Et qualis locus requietionis meæ? hæc enim omnia fecit manus mea*].

51. Σκληροτράχηλοι, *Dura cervice*] Hoc elogium Hebræis datur, Exodi XXXIII, 3. XXXIV, 9. Deuter. IX, 6, 13. Nehem. IX, 16. Adde Bar. II, 30.

καὶ ἀπερίτμητοι τῇ καρδίᾳ, *& incircumciſis cordibus*] Cor habentes plenum vitioſis affectibus. Levit. XXVI, 41. Ierem. IX, 26.

καὶ τοῖς ὠσὶν, *& auribus*] Quibus pruriunt aures ad ea audienda quæ vitiis favent. Ierem. VI, 10.

ἀεὶ τῷ πνεύματι τῷ ἁγίῳ ἀντιπίπτετε, *ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis*] Id eſt, *Dei monitis per Prophetas transverſos vos opponitis*, ut qui iter impediunt: quod eſt ילך קרי, πορεύεσθαι πλάγιον [*ambulare ex adverſo alicui*] Levit. XXVI, 21, 23, 24, 40, 41.

καὶ ὑμεῖς. *& vos*] Eſt hîc geminatio vocis ὑμεῖς [*vos*], quales multæ apud Hebræos.

52. Τίνα τῶν προφητῶν οὐκ ἐδίωξαν οἱ πατέρες ὑμῶν; *Quem Prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri?*] Matth. V, 12. XXI, 35. XXIII, 31, 37. Lucæ XIII, 34.

τοῦ δικαίου, *juſti*] Ieſu, cui eximiè hoc nomen competit. Vide ſupra III, 14.

οὗ νῦν ὑμεῖς προδόται καὶ φονεῖς γεγένησθε· *cujus vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis*] Veſtrûm fuerat eum tueri, quia Prophetæ veſtræ tutelæ commiſſi ſunt: contra verò nihil omiſiſtis, quo ejus mors procurari poſſet. Vide ſupra III, 13.

53. εἰς διαταγὰς ἀγγέλων, *in diſpoſitione Angelorum*] Εἰς [*In*] pro *inter*. Oſtendit quàm magnificè data ſit Lex inter multas Angelorum turmas. Reſpicitur enim locus Deuter. XXXIII, 2. διατάσσειν [*diſponere*] vox eſt militaris, ut patet Iudicum III, 23. in Græco: I Maccab. VI, 35: II Maccab. XIII, 20.

54. διεπρίοντο ταῖς καρδίαις αὐτῶν, *diſſecabantur cordibus ſuis*] Vide ſupra V, 33.

καὶ ἔβρυχον τοὺς ὀδόντας ἐπ' αὐτόν· *& ſtridebant dentibus in eum*] חרקו שנימו [*frenduerunt dentibus ſuis*], Pſalm. XXXV, 16. XXXVII, 12. CXII, 10. Thren. II, 16. Geſtus vehementer iraſcentium.

55. δόξαν Θεοῦ, *gloriam Dei*] Fulgorem quendam quo Dei Majeſtas repræſentabatur. Vide Exodi XXIV, 17. XXXIII, 18, 22. Ezech. II, 1.

56. καὶ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου, *& Filium hominis*] Vide quæ diximus ad Matth. VIII, 20.

ἐκ δεξιῶν ἑστῶτα τοῦ Θεοῦ· *ſtantem à dextris Dei*] *Non ſedentem*, quomodo alibi deſcribitur ad oſtendendam regiam dignitatem, ſed *ſtantem*, quaſi paratum in opem ſuorum. Nam & *auxiliatores* Græcis παραστάται [*adſtites*], & עמד [*ſtare*] apud Hebræos ſæpe eum habet ſenſum.

57. Κράξαντες δὲ φωνῇ μεγάλῃ, *Exclamantes autem voce magna*] Hæc intellige non de Senatoribus, ſed de adſtante plebe. Facta enim hæc omnia per ſeditionem, quam comitari ſolet clamor.

συνέσχον τὰ ὦτα αὐτῶν, *continuerunt aures ſuas*] Συνέσχον [*continuerunt*], id eſt, ἔβυσαν [*obturaverunt*], אספו [*retraxerunt*].

καὶ ὥρμησαν ὁμοθυμαδὸν ἐπ' αὐτόν. *& impetum fecerunt unanimiter in eum*] Quaſi ex judicio zeli, quod ſtante Republica uſurpare ſolebant, ſed tantùm in eos qui Iudæis auctores eſſent ad falſos cultus. Solebant autem tales lapidari, Deuter. XIII, 6. Vide quæ diximus ad eum locum & de Iure belli II, cap. XX, §. 9. Exempla habes aliquot in Maccabaïcis & infra XXIII, 13. Meminit ejus juris Ioſephus Albo. Philo de Monarchia, Καὶ ἐπιτετράφθαι δὲ καλὸν ἅπασι τοῖς ζῆλον ἔχουσιν ἀρετῆς, ἐκ χειρὸς ἀναπράττειν ἀνυπερθέτως τὰς τιμωρίας, μήτ' εἰς δικαστήριον, μήτ' εἰς βουλευτήριον, μήτε συνόλως ἐπ' ἀρχὴν ἄγοντας, ἀλλὰ τῷ παραστάντι μισοπονήρῳ πάθει καὶ φιλοθέῳ καταχρῆσθαι πρὸς τὰς τῶν ἀσεβῶν ἀπαραιτήτους κολάσεις, νομίσαντας αὐτοὺς ὑπὸ τοῦ καιροῦ τὰ πάντα γεγενῆσθαι, βουλευτὰς, δικαστὰς, στρατηγοὺς, ἐκκλησιαστὰς, κατηγόρους, μάρτυρας, νόμους, δῆμον, ἵνα μηδενὸς ὄντος ἐμποδὼν, ἄφοβοι συνόδῳ πολλῇ προαγωνίζωνται ὁσιότητος [*Eſt verò hoc quoque præclarum, omnibus qui virtutem ardentiore ſtudio proſequantur, licere, ſtatim nullâ injectâ morâ pœnas ſumere, non in jus, non ad Senatum non ad magiſtratum ullum ducto reo: ſed affectui, quem & erga Deum amor & vitiorum odium excitat, in hoc indulgere, ne ſupplicia evadant impii: ſibi denique, ſi quando acciderit ut ita neceſſe ſit, omnia delata putare, ſe ſenatum, ſe judices, ſe duces, concionem, accuſatores, teſtes, legem, populum denique exiſtimare, ne quid impediat quominus intrepidi ac frequentes pro pietate decertent*]. Solebant autem Sacerdotes, etiam cùm ſub Romanis eſſent, ad talia connivere: Vide Ioſephum XV, 8. qui & alibi hujus moris meminit. Verùm duplici modo hîc peccabant iſti homines: primùm in Legem, quæ etiam liberâ Republicâ judicium illud populare exerceri noluit, niſi in auctores idololatriæ, qualis non erat Stephanus; deinde in Romanos, qui ipſis ademerant jus omne capitalium ſuppliciorum. Atque iſtorum hominum, quos ζηλωτὰς [*Zelotas*] Ioſephus vocat, creſcens in dies audacia tandem & iram excitavit Romanorum, & urbi temploque exitium attulit.

58. *καὶ οἱ μάρτυρες, & teſtes*] Quanquam per ſeditionem hæc, ut diximus, agebantur, tamen aliquid de legitimo more retinebant. Teſtium enim erat primos jacere lapides, ac ſic ſemet, ſi quid falſi ſubeſſet, ſontes facere cædis; populum verò, qui ipſorum auctoritatem ſequebatur, abſolvere. Vide Deuter. XVII, & Moſem de Kotzi præcepto jubente XCIX.

ἀπέθεντο τὰ ἱμάτια αὐτῶν, depoſuerunt veſtimenta ſua] Nempe quò expeditiores eſſent. Ingentia enim ſaxa jaci à teſtibus ſolebant.

καλουμένου Σαύλου, qui vocabatur Saulus] Qui tum ſcholam Gamalielis frequentare ſtudiorum causâ ſolebat, Actor. XXII, 3. Sed æſtu abreptus, à lenitate Magiſtri ad atrociora multorum exemplis patiebatur ſe trahi, Philipp. III, 6.

59. *ἐπικαλούμενον, invocantem*] Nempe τὸν Ἰησοῦν [*Ieſum*], quod ex ſequentibus hîc ſubintelligitur.

καὶ λέγοντα, Κύριε Ἰησοῦ, & dicentem, Domine Ieſu] Non dubium eſt quin *Ieſu* hîc ſit vocativus; quomodo Apocalypſi XXII, 20.

δέξαι τὸ πνεῦμά μου, ſuſcipe ſpiritum meum] Magiſtrum diſcipulus imitatur, Lucæ XXIII, 46.

60. *Θεὶς δὲ τὰ γόνατα, Poſitis autem genibus*] Vt ſolebat fieri in precibus intenſioribus, maximè in periculis.

μὴ στήσῃς αὐτοῖς τὴν ἁμαρτίαν ταύτην. ne ſtatuas illis hoc peccatum] Et hoc Domini exemplo, Lucæ XXIII, 34. Μὴ στήσῃς, ad verbum, *ne appendas*. Sic Eſdræ VIII, 25, 33. Iob. XXVIII, 15. Ierem. XXXII, 9, 10. Zachar. XI, 12. Eſt verbum hoc ἱστάναι [*ſtatuere*] pro Hebræo שקל quod I Reg. XX, 39. vertitur τίσειν [*pendere*]; Exodi XXII, 17. ἀποτίσειν [*reddere*]; Eſaïæ LV, 2. τιμᾶσθαι [*appendere*]. Olim pecuniæ erant æs grave, quod pendi & ſic ſolvi ſolebat. Inde σταθμὸς Græcis, Romanis *libripens, impendia, expenſæ, pendere, penſiones*, & ſimilia. Quia autem in rationibus æquandis, quod alteri imputo id non minùs me liberat quàm ſi penderem, id eſt, ſolverem, hinc factum eſt ut ἵστασθαι ſit *imputare*. Et propter ſimilitudinem quam crimina cum debitis pecuniariis habent, (qua de re egimus libro II de Iure Belli ac Pacis cap. XX, §. 2.) ſicut *ſolvere* dicitur *pœnas* qui eas patitur, ita *imputare* qui eas exigere vult, *non imputare* qui exigere non vult. Hîc autem, *ne impendas* aut *imputes*, hoc valet, Ne tanti hoc crimen facias, ut viam illis ad converſionem obſtruas, quemadmodum & in dicto Chriſti, de quo ad Lucæ locum modò à nobis indicatum, egimus.

ἐκοιμήθη. obdormivit] Hebræorum eſt שכב [*dormire*] dicere pro *mori*, ut Eſaïæ XIV, 1: ubi in Hebræo שכבת [*dormiſti*], in Græco κεκοίμησαι [*obdormiviſti*]. Sic & Matth. XXVII, 52. Ioh. XI, 11. infra XIII, 36. I Corinth. VII, 39. XI, 30. XV, 6, 18, 20, 51. I Theſſal. IV, 13, 14, 15. II Petri III, 4. Vide quæ diximus ad Matth. IX, 24.

CAPVT VIII.

Σαῦλος δὲ ἦν συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, Saulus autem erat conſentiens neci ejus] Probabat hoc Zelotarum facinus, animo, verbis, factis, infra XXII, 20. Hoc & alia quæ ſequuntur de Saulo non temerè referuntur, ſed ut cogitemus, οἷος ἐξ οἵου [*qualis è quali*].

2. *Συνεκόμισαν δὲ, Curaverunt autem*] Vox eſt ſepulchralis. Sophocles Ajace,

> Οὗτος, σὲ φωνῶ, τόνδε τὸν νεκρὸν χεροῖν
> Μὴ συγκομίζειν. -- —
> [*Heus, te alloquor, manibus tuis hunc mortuum*
> *Ne componas.* -- --]

Reſpondet Hebræo אסף [*collegit*].

ἄνδρες εὐλαβεῖς, viri timorati] Vide ſupra II, 5.

καὶ ἐποιήσαντο κοπετὸν μέγαν ἐπ᾽ αὐτῷ. & fecerunt planctum magnum ſuper eum] Verba deſumpta ex Geneſ. L, 10. Vide & Zach. XII, 10. I Macc. II, 70. IV, 39. IX, 20. Erat id genus honoris habiti mortuo apud illas gentes. Majorem ei Deus honorem habuit, cùm pòſt ad ipſius, ut Martyrum primi, reliquias plurimos morbos ſanari voluit, qua de re ſi quis dubitet, legat Auguſtinum de Civitate Dei XXII, 8. ubi conſpicua reperies ejus quod dico documenta: quare nec mirum ſi eas reliquias pii convenienter honoraverint, ut loquitur idem Auguſtinus Epiſtola CIII. Ab hoc experimento ad aliorum quoque Martyrum reliquias concurri cœpit pari ſucceſſu, eaque pars eſt regni ejus quod Martyribus tribuit Apocalypſis XX, 4. ubi qui memorantur *mille anni* à Conſtantino incipiunt.

3. *κατὰ τοὺς οἴκους εἰσπορευόμενος, per domos intrans*] *Irrumpens in ædes.*

σύρων τε ἄνδρας καὶ γυναῖκας, trahens viros & mulieres] Quaſi bello captos. Tale illud in Troadibus Euripidis,

> Οἶδ᾽ ἡνίκ᾽ Αἴας εἷλε Κασσάνδραν βίᾳ.
> [*Cum Phœbadem vi traxit Ajacis manus*].

Virgilius Æneidos II,

> *Ecce trahebatur ſparſis Priameia virgo*
> *Crinibus.*

Seneca Thebaïde,

> *Matres ab ipſo conjugum raptas ſinu*
> *Sævus catenâ miles impoſitâ trahes?*

Ideo Paulus horum facinorum poſtea ſe damnans, ait ſe fuiſſe non διώκτην [*perſecutorem*] modò, ſed & ὑβριστὴν [*contumelioſum*] I Timoth. I, 13.

παρεδίδου εἰς φυλακήν· tradebat in cuſtodiam] In carcerem templi. Vide ſupra IV, 3. V, 18, 19, 22, 25. juſſu nimirum Synedrii, quod in Iudæos non prehenſionem tantùm, ſed & verberum jus habebat.

4. *Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες διῆλθον, Igitur qui diſperſi erant pertranſibant*] Id eſt, non ſubſiſtebant in Iudæa & Samaria, ſed longiùs etiam ibant ut à periculo abeſſent. Vide infra XI, 19.

5. *Φίλιππος δὲ, Philippus autem*] Diaconus, ut cenſent veteres, rectè. Nam ſi Apoſtolus fuiſſet, impoſuiſſet & manus baptizatis. Vide infra 14. In tali

circumſtantia Euangelium prædicare non Diaconorum tantùm eſt, ſed & privatorum. Infra XI, 20.

κατελθὼν εἰς πόλιν τῆς Σαμαρείας, *deſcendens in civitatem Samariæ*] Σαμαρεία [*Samaria*] eo tempore de regione ſæpiſſime dicebatur, Luc. XVII, 11. ſupra I, 8. infra VIII, 9. XV, 3. Itaque rectè hîc & Ioh. IV, 5. dicitur πόλις τῆς Σαμαρείας [*civitas Samariæ*] *urbs Sebaſte*, olim anathemate devota per Eſdram & Nehemiam, nunc in communem gratiam recepta.

6. ἐν τῷ ἀκούειν αὐτοὺς, *audientes*] Quia audiebant tam ſeriò ac conſtanter aſſeverantem res actas.

καὶ βλέπειν τὰ σημεῖα ἃ ἐποίει. *& videntes ſigna quæ faciebat*] Quæ ipſi auctoritatem conciliabant maximam.

7. βοῶντα, *clamantes*] Nempe αὐτὰ τὰ πνεύματα [*ipſi ſpiritus*]. Frequens enim eſt Hebræis ut ſubintelligatur novus caſus nominis quod præceſſit. Solent impuri ſpiritus non exire ſine clamore, Matth. VIII, 29. Marc. I, 26. III, 11. V, 7. IX, 26. Luc. IV, 41.

9. λέγων εἶναί τινα ἑαυτὸν μέγαν, *dicens ſe eſſe aliquem magnum*] Potentem & efficacem. Scholiaſtes Horatii ad epiſtolam I. libri II, *Quaſi magus promittat ſe agere magna.* Vide ſupra V, 36.

10. Οὗτός ἐστιν ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ ἡ μεγάλη, *Hic eſt virtus illa Dei magna*] In Manuſcripto cujus ſæpe memini, ἡ καλουμένη μεγάλη [*quæ vocatur magna*]. Quomodo legit Latinus. Iuſtinus, Καὶ σχεδὸν πάντες μὲν Σαμαρεῖς, ὀλίγοι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις ἔθνεσιν, ὡς τὸν πρῶτον Θεὸν ἐκεῖνον ὁμολογοῦντες προσκυνοῦσι [*Ac Samaritani prope omnes, ex aliis autem nationibus etiam perpauci, illum, quaſi primum Deum eſſe confitentes, adorant*]. *Dicebat Simon ſe eſſe ſublimiſſimam virtutem, hoc eſt, eum qui ſit ſuper omnia Pater;* Irenæus I, 20. Tertullianus, aut quisquis eſt ſcriptor ejus particulæ quæ ſubjici ſolet libro Tertulliani De præſcriptione adverſùs hæreticos, de Simone hoc agens, *Hic auſus eſt ſummam ſe dicere virtutem, id eſt, ſummum Deum.* Senſus eſt, Dicebat Simon ſe eſſe id Numen quod in quaque gente ſummum creditum variis vocabulis appellaretur; ut apud Samaritanos יהוה [*Adonai*], apud Græcos Δία, apud Latinos *Iovem*, & ita deinceps.

11. ταῖς μαγείαις, *magiis*] Satanæ præſtigiis.

12. τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ, *de regno Dei*] De regno illo quod hîc inchoatur, conſummabitur poſt reſurrectionem.

ἐβαπτίζοντο ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες. *baptizabantur viri & mulieres*] Niſi baptiſmus aquæ creditus fuiſſet præcepti eſſe Divini, abſtinuiſſent ab eo feminæ.

13. αὐτὸς ἐπίστευσε, *ipſe credidit*] Credidit Chriſtum feciſſe miracula & reſurrexiſſe à morte: non autem propoſitum addidit vivendi ſecundùm Chriſtum, quæ fidei eſt perfectio.

ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ, *adhærebat Philippo*] *Aſſiduus apud eum erat.* Vide ſupra I, 14. II, 42, 46. VI, 4. infra X, 7. Rom. XII, 12. Coloſſ. IV, 2.

15. προσηύξαντο περὶ αὐτῶν, ὅπως λάβωσι πνεῦμα ἅγιον. *oraverunt pro ipſis, ut acciperent Spiritum Sanctum*] Promiſſus quidem erat Spiritus Sanctus iis qui baptizabantur, ſed non illico atque baptizati eſſent, ſed ubi Deo id videretur. Voluit autem Deus ordinariè non contingere baptizatis dona illa admiranda, niſi per Apoſtolos, ut ea ratione teſtibus ſuis auctoritatem quàm maximam conciliaret, quod ipſum ſimul ad retinendam Eccleſiæ unitatem pertinebat.

16. Οὔπω γὰρ ἦν ἐπ' οὐδενὶ αὐτῶν ἐπιπεπτωκὸς, *Nondum enim in quenquam illorum ſupervenerat*] Vide Ioh. VII, 39.

17. Τότε ἐπετίθουν τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτοὺς, *Tunc imponebant manus ſuper illos*] Vide quæ diximus ad Matth. IX, 18.

20. Τὸ ἀργύριόν σου σὺν σοὶ εἴη εἰς ἀπώλειαν, *pecunia tua tecum ſit in perditionem*] In hoc commate & quatuor ſequentibus eſt περίφρασις [*circumlocutio*] ejus devotionis quæ fiebat per חרם אתה [*anathema*] ſine definitione temporis: Senſus autem eſt, *pecunia iſta tibi maneat tuo cum malo.*

ὅτι τὴν δωρεὰν τοῦ Θεοῦ ἐνόμισας διὰ χρημάτων κτᾶσθαι. *quoniam donum Dei exiſtimaſti pecuniâ poſſideri*] *Speraſti comparare pecuniis id quod donum eſt Dei.* Vide Matth. X, 8.

21. οὐκ ἔστι σοι μερὶς, οὐδὲ κλῆρος ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ. *Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto*] Vitæ iſtius æternæ, quam nos prædicamus, *Tibi neque pars neque miniſterium debetur.* μερὶς [*pars*], ut II Cor. VI, 15. κλῆρος [*ſors*] nempe διακονίας [*miniſterii*], ut ſupra I, 17.

ἡ γὰρ καρδία σου οὐκ ἔστιν εὐθεῖα ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *cor enim tuum non eſt rectum coram Deo*] Tu enim non Dei honorem quæris: & id Deus videt.

22. Μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας ταύτης, καὶ δεήθητι τοῦ Θεοῦ, εἰ ἄρα ἀφεθήσεταί σοι ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου. *Pænitentiam itaque age ab hac nequitia tua, & roga Deum ſi fortè remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui*] Hæſitanter loquitur, ut Ioel. II, 14. Ion. III, 9. Dan. IV, 27. Poterat Deus vitam illi ſtatim poſt crimen abſcindere: poterat & dare dolorem aliquem ſine vera animi emendatione. Philo allegoriis, Πολλαῖς γὰρ ψυχαῖς μετάνοια χρῆσθαι βουληθείσαις οὐκ ἐπέτρεψεν ὁ Θεὸς, ἀλλ' ὥσπερ ὑπὸ παλιρροίας εἰς τοὔμπαλιν ἀνεχώρησαν [*Multis enim animabus pænitentiam expetentibus non conceſſit Deus, ſed tanquam æſtu refluo abreptæ ſunt retrorſum*]. Eadem eſt ſententia Moſis Maimonidæ De pœnitentia cap. VI, §. 4. Chriſtiani primorum ſæculorum in graviſſima crimina poſt baptiſmum lapſos non reſtituebant communioni, neque tamen deſperare jubebant de Dei miſericordia. ἡ ἐπίνοια τῆς καρδίας σου, [*cogitatio cordis tui*] Conſilium quod cepiſti. Habes vocem ἐπινοίας [*cogitationis*] Sap. VI, 16. IX, 14. XIV, 12. XV, 4. Sir. XL, 3. II Macc. XII, 46.

23. Εἰς γὰρ χολὴν πικρίας, καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὁρῶ σε ὄντα. *In felle enim amaritudinis & obligatione iniquitatis video te eſſe*] Εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo]. χολὴ πικρίας [*fel amaritudinis*], quæ χολὴ καὶ πικρία [*fel & amaritudo*] Deut. XXIX, 18. eſt *fel amariſſimum.* Id verò ſignificat animi conſtitutionem perquam vitioſam, & talem, quales ſunt cibi felle corrupti. Idem eſt σύνδεσμος ἀδικίας, *nodi vitiorum vix extricabiles.* σύνδεσμος ἀδικίας [*obligatio iniquitatis*] eſt in Hebræo Eſaiæ LVIII, 6.

24. Δεήθητε ὑμεῖς ὑπὲρ ἐμοῦ πρὸς τὸν Κύριον, *Precamini vos pro me ad Dominum*] Senſit ſe talem eſſe intus,

qualem

lem Apoſtoli dixerant. Itaque cùm ipſos judicet Deo charos, eorum deprecatione uti vult, ut Iobi deprecatione qui eum læſerant.

ὅπως μηδὲν ἀπέλθῃ ἐπ' ἐμὲ ὧν εἰρήκατε. *ut nihil veniat ſuper me horum quæ dixiſtis*] Reſpicit ad illa verba Petri ſupra 20.

25. πολλάς τε κώμας τῶν Σαμαρειτῶν εὐηγγελίσαντο, *& multis regionibus Samaritanorum euangelizabant*] Εὐαγγελίζεσθαι [*euangelizare*] cum accuſativo perſonæ ad quam defertur nuntius, habes etiam in Græco Ioel II, 32. Luc. III, 18. Apoc. XIV, 16.

26. εἰς Γάζαν· αὕτη ἐστὶν ἔρημος. *in Gazam*; *hæc eſt deſerta*] Hebraiſmus, pro, *quæ eſt deſerta*. Gaza vetus ab Alexandro disjecta, adhuc Strabonis tempore erat μένουσα ἔρημος, quæ ſunt ipſius Strabonis verba. Sed alia ſub ejus nomine ædificata eſt in proximo, ut ex libro locorum, qui Hieronymi eſſe creditur, notavit Druſius.

27. ἀνὴρ Αἰθίοψ, *vir Æthiops*] Eunuchi *viri* dicuntur, quòd virorum habeant ſpeciem.

εὐνοῦχος, *Eunuchus*] Terentius,

Eunuchum porrò dixti velle te,
Quia ſolæ utuntur his Reginæ.

nempe ad evitandas ſuſpiciones. Impletum hîc myſticè id quod dixit Eſaias LVI, 4, 5, & quod eſt in Pſal. LXXII, 10.

Δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης Αἰθιόπων. *Potens Candaces Reginæ Æthiopum*] Meroes quæ Æthiopiæ accenſetur, & erat γυναικοκρατουμένη [*feminarum imperio ſubjecta*]. Nomen *Candaces* ab Auguſti ævo ad Veſpaſiani ævum ad Meroes Reginas tranſiit, ut diſcimus ex Strabone XVII, Plinio VI, 29.

ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς, *qui erat ſuper omnes gazas ejus*] Dynaſtæ vocem generalem ſpecialiùs explicat, ſignificans fuiſſe Γαζοφύλακα [*Gazæ cuſtodem*], quod inter præcipua eſt munera.

ὃς ἐληλύθει προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ. *qui venerat adorare in Ieruſalem*] Tempore Pentecoſtes. Venit autem ut proſelytus. Nam incircumciſorum primitiæ Cornelius.

28. Ἦν τε ὑποστρέφων, *& revertebatur*] Sacris confectis redibat ad Meroen.

καὶ καθήμενος ἐπὶ τοῦ ἅρματος αὐτοῦ, *ſedens ſuper currum ſuum*] Vt mos viris magnis, Eſaiæ XXII, 18.

29. κολλήθητι τῷ ἅρματι, *adjunge te ad currum*] Tam propè accedit, ut illum in curru ſedentem alloqui poſſit. Sic κολλήθητι [*adjunge te*], Ruth II, 8.

30. ἀναγινώσκοντος τὸν Προφήτην Ἡσαΐαν, *legentem Eſaiam Prophetam*] Clara voce.

Ἆρά γε γινώσκεις ἃ ἀναγινώσκεις; *Putasne intelligis quæ legis*] ? Alluſio qualis in illo ἀνέγνων ἔγνων [*poſtquam legiſſem intellexi*]. *Satisne percipis quò tendant quæ legis?*

31. Πῶς γὰρ ἂν δυναίμην, ἐὰν μή τις ὁδηγήσῃ με; *Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi?*] Non putabat tam perſpicuam ubique eſſe Scripturam & expoſitum omnibus habere ſenſum, ut nunc faciunt non ſellularii tantùm, ſed & feminæ: qui rectiùs facerent, ſi duce ſibi opus eſſe agnoſcerent.

Παρεκάλεσέ τε τὸν Φίλιππον ἀναβάντα καθίσαι σὺν αὐτῷ, *Rogavitque Philippum ut adſcenderet & ſederet ſecum*] Impletum & hîc myſticè quod dixit Eſaias LXVI, 20.

32. Ἡ δὲ περιοχὴ τῆς γραφῆς, *Locus autem Scripturæ*] Περιοχὴ [*Periocha*] idem eſt quod περίοδος [*periodus*]: nec quicquam commune habet cum Hebræo פרשה [*Paraſcha*], præter fortuitam ſoni vicinitatem. Cicero ad Atticum, *Ne Tironi quidem dictavi, qui totas periochas perſequi ſolebat.*

Ὡς πρόβατον, *Tanquam ovis*] Locum hunc totum ex LXX protulit Lucas; niſi quod in LXX eſt κείροντος αὐτὸν [*tondente ſe*], & poſt στόμα [*os*] non adſcribitur αὐτοῦ [*ſuum*], nec poſt ταπεινώσει [*humilitate*], & τὴν γενεὰν [*generationem*] ibi eſt ſine δὲ [*autem*]; ſed hæ duæ poſtremæ varietates non ſunt in Manuſcripto, qui hîc conſonat verſioni Græcæ. Vtitur eodem loco, ſed longiùs producto Clemens in epiſtola. Ipſum Eunuchum puto Prophetæ locum legiſſe in ſermone Hebræo, quem faciliùs addiſcere potuit à multis Iudæis qui in Æthiopia erant, à quibus & religionem acceperat.

33. Ἐν τῇ ταπεινώσει ἡ κρίσις αὐτοῦ ἤρθη. *In humilitate judicium ejus ſublatum eſt*] Legerunt LXX בעצר משפטו לקח [*in anguſtia judicium ſuum accepit*]. Senſus tunc eſſet, *Poſtquam depreſſus fuit, ablata eſt ab eo pœna.*

Τὴν δὲ γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; *generationem ejus quis enarrabit?*] Γενεὰ Græcis, ut דור Hebræis *durationem* ſignificat ſive *tempora*, quæ menſuræ ſunt durationis. Vide Eſaiæ XXXIV, 10, 17. LI, 8. Explica ex Hebr. VII, 24.

ὅτι αἴρεται ἀπὸ τῆς γῆς ἡ ζωὴ αὐτοῦ. *quoniam tollitur de terra vita ejus*] Propter mala tolerata honorabitur ſummis illis præmiis.

34. περὶ ἑαυτοῦ, *de ſe*] Nam & Eſaias multa pertulit mala Manaſſis tempore.

ἢ περὶ ἑτέρου τινός; *an de aliquo alio?*] Fortè de Ieremia cogitavit.

35. εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν, *euangelizavit illi Ieſum*] In quem omnia iſta verba congruunt, eximio modo.

36. κατὰ τὴν ὁδὸν, *per viam*] *Per viam ſtratam.* Sic כברת Gen. XXXV, 16. vertit Aquila καθ' ὁδὸν τῆς γῆς [*per viam terræ*]. Meminit Hieronymus in locis Hebraïcis & ad Geneſin, interpretaturque *in itinere*, & *juxta viam.*

ἦλθον ἐπί τι ὕδωρ. *venerunt ad quandam aquam*] Ad fontem qui eſt in vico Bethſora, in tribu Iuda, euntibus ab Ælia ad Hebron in vigeſimo lapide. Ita Ado in Martyrologio.

τί κωλύει με βαπτισθῆναι; *quid prohibet me baptizari?*] Hinc intelligimus Eunuchum etiam de Baptiſmi neceſſitate inſtitutum. Sic multa præcedentium ex ſubſequentibus ſupplentur.

37. Εἶπε δὲ Φίλιππος, *Dixit autem Philippus*] In Manuſcripto illo, cujus ſæpe memini, deeſt hoc comma, non minùs quàm in aliis tum codicibus, tum verſionibus antiquiſſimis: quare nihil probabilius, quàm ab aliquo additum, ex eo quod geſtum credi par erat.

38. καὶ ἐβάπτισεν αὐτόν. *& baptizavit eum*] Ergo & Diaconis jus baptizandi, nempe quia Apoſtoli ipſis id permiſerant, ubi ipſi non adeſſent. Ignatius ad Smyrnenſes, οὐκ ἐξόν ἐστι χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε προσφέρειν [*nec baptizare licet ſine Epiſcopo, nec offerre*]. Tertullianus de Baptiſmo, *Supereſt ad concludendam materiolam, de obſervatione quoque dandi & accipiendi*

Baptiſmum commonefacere. Dandi quidem habet jus Summus Sacerdos, qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate, propter Eccleſiæ honorem, quo ſalvo, ſalva pax eſt. Alioqui etiam Laicis jus eſt: quod enim ex æquo accipitur, ex æquo dari poteſt, niſi Epiſcopi jam aut Presbyteri aut Diaconi vocantur diſcentes. Domini ſermo non debet abſcondi ab ullo. Proinde & Baptiſmus, æquè Dei cenſus, ab omnibus exerceri poteſt: ſed quantò magis Laicis diſciplina verecundiæ & modeſtiæ incumbit? Cum ea Majoribus competant, ne ſibi adſumant dicatum Epiſcopis officium Epiſcopatûs. Æmulatio ſchiſmatum mater eſt. Omnia licere dixit ſanctiſſimus Apoſtolus, ſed non omnia expedire. Sufficiat ſcilicet in neceſſitatibus utaris, ſicubi aut loci, aut temporis, aut perſonæ conditio compellit. Tunc enim conſtantia ſuccurrentis excipitur, cùm urget circumſtantia periclitantis.

39. Πνεῦμα Κυρίȣ ἥρπασε τὸν Φίλιππον, ϗ οὐκ εἶδεν αὐτὸν οὐκέτι ὁ Εὐνȣ̃χος. *Spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus*] Manuſcriptus ille vetus ſic habet, πνεῦμα ἅγιον ἐπέπεσεν ἐπὶ τὸν Εὐνȣ̃χον, ἄγγελος δὲ Κυρίȣ ἥρπασε τὸν Φίλιππον ϗ οὐκ εἶδεν [*Spiritus Sanctus cecidit ſuper Eunuchum; Angelus autem Domini rapuit Philippum & non vidit*], &c. quomodo & alios quosdam habere codices notatum Eraſmo & Bezæ: & ſic citat ipſe Hieronymus Dialogo Orthodoxi & Luciferiani. Difficile eſt dicere utra lectio ſit verior, cùm receptam ſequantur & Syrus & Arabs. Si Manuſcriptos, quos dixi, ſequimur, ſenſus erit, Ante ullam manuum impoſitionem anticipatum in Eunucho donum Spiritûs Sancti, planè ut in Cornelio Centurione & domeſticis ejus ante Baptiſmum infra xx, 44, Philippum autem ab Angelo fuiſſe aliò deportatum, quale quid Abacuco eveniſſe credidit Scriptor acceſſionis ultimæ ad Danielem.

ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτȣ̃ χαίρων. *ibat autem per viam ſuam gaudens*] Illud ἐπορεύετο γὰρ τὴν ὁδὸν αὐτȣ̃ [*ibat autem per viam ſuam*], cauſam reddit cur Philippum Eunuchus ultra non viderit, quia ſuam viam inſiſtebat Eunuchus: Philippus aliò auferebatur. Illud autem χαίρων [*gaudens*] obiter tantùm additur, ſignificatque tranquillitatem animi quam Eunuchus ille ex Euangelii notitia erat conſecutus.

40. Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον. *Philippus autem inventus eſt in Azoto*] Rurſum εἰς [*in* cum accuſativo] pro ἐν [*in* cum ablativo], ut ſupra 23. εὑρέθη [*inventus eſt*], id eſt, *conſpectus fuit*. Sic מצא pro *conſpicere* habemus Gen. IV, 14, 15. & alibi ſæpe. Itaque & per ἰδεῖν [*videre*] vertitur Ierem. XXIII, 11 Thren. II, 9.

εὐηγγελίζετο τὰς πόλεις πάσας, *euangelizabat civitatibus cunctis*] Eadem conſtructio quæ ſupra 25.

ἕως τȣ̃ ἐλθεῖν εἰς Καισάρειαν. *donec veniret Cæſaream*] Cæſaream quæ Stratonis dicitur, & non longè abeſt ab Azoto. Vide Ptolemæum.

CAPVT IX.

ETι ἐμπνέων ἀπειλῆς ϗ φόνȣ, *Adhuc ſpirans minarum & cædis*] Ἐμπνέων, נשם [*reſpirans*].

προσελθὼν τῷ Ἀρχιερεῖ, *acceſſit ad Principem Sacerdotum*] Qui eo tempore erat נשיא, id eſt, *Princeps Synedrii*.

2. Ἠτήσατο παρʼ αὐτȣ̃ ἐπιστολὰς, *petiit ab eo epiſtolas*] Ab ipſo ut Synedrii principe. Patet id infra XXII, 5.

εἰς Δαμασκὸν πρὸς τὰς συναγωγὰς, *in Damaſcum ad Synagogas*] Romani Synedrio permittebant jus prehenſionis & verberum, non tantùm in Iudæos Palæſtinæ, verùm etiam extra Palæſtinam, ubi erant Synagogæ quæ ſponte ſua jurisdictionem Synedrii in rebus ad religionem ſpectantibus agnoſcebant.

τῆς ὁδȣ̃ ὄντας. *hujus viæ*] מדרך הוא [*de via illa*], *illius inſtituti*.

3. περιήστραψεν αὐτὸν, *circumfulſit eum*] ברק עלו [*fulguravit ſuper illum*].

φῶς ἀπὸ τȣ̃ οὐρανȣ̃. *Lux de cælo*] Vide infra XXII, 6. & XXVI, 13. Adde infra XII, 7.

4. Καὶ πεσὼν ἐπὶ τὴν γῆν, *& cadens in terram*] Vt Daniel VIII, 17. & X, 9.

Σαȣ̃λ, Σαȣ̃λ, *Saul, Saul*] Ipſam vocem Hebræam hîc poſuit ſine caſu Græco.

τί με διώκεις; *quid me perſequeris?*] Quia Chriſtus & Eccleſia unum faciunt corpus: & qui regnum lædit, lædit Regem.

5. Ὁ δὲ Κύριος εἶπεν, *Dominus autem dixit*] In Manuſcripto illo, Ὁ δὲ, ἐγώ εἰμι ὁ Ἰησȣ̃ς ὁ Ναζαραῖος ὃν σὺ διώκεις· ἀλλὰ ἀνάστηθι [*Ille verò, Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris: At ſurge*]. Quomodo & multos alios habere codices obſervatum eſt ab aliis, qui non malè notarunt à librariis hæc ad hunc locum addita ex eo quod infra eſt partim, XXII, 10, partim XXVI, 14. quibus in locis hæc ipſa hiſtoria pleniùs recitatur.

εἰς τὴν πόλιν, *in civitatem*] Damaſcum.

καὶ λαληθήσεταί σοι τί σε δεῖ ποιεῖν. *& dicetur tibi quid te oporteat facere*] Sicut Sauli olim Regi dictum הורעתי לך את אשר תעשה, γνωρίσω σοι ἃ ποιήσεις [*cognitum tibi faciam, quid facies*].

7. Οἱ δὲ ἄνδρες οἱ συνοδεύοντες αὐτῷ εἱστήκεισαν ἐνεοὶ, *Viri autem illi qui comitabantur cum eo ſtabant ſtupefacti*] Ita attoniti ut vocem perderent: quomodo accepit Syrus. Simile vide Gen. XLV, 3. Præ ſtupore primùm defixi, deinde delapſi ſunt, ut diſcimus infra XXVI, 14.

ἀκȣ́οντες μὲν τῆς φωνῆς, *audientes quidem vocem*] Sonum confuſè audientes, non autem intelligentes verba; planè ut illi Ioh. XII, 29. quod & populo ad montem Sinai eveniſſe putat Maimonides ex loco Exodi XIX, 9. collato cum Deut. IV, 12. V, 23. Infra XXII, 9. φωνὴν οὐκ ἤκȣσαν [*vocem non audiverunt*] eſt, *non intellexerunt*. Nam שמע Hebræum ſæpe ponitur pro *intelligere*.

μηδένα δὲ θεωροῦντες. *neminem autem videntes*] Planè ut illi qui cum Daniele erant, Dan. X, 7.

8. Ἠγέρθη δὲ ὁ Σαῦλος ἀπὸ τῆς γῆς. *Surrexit autem Saulus de terra*] Vt Daniel VIII, 18.

ἀνεῳγμένων δὲ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτȣ̃, οὐδὲν ἔβλεπε, *apertisque oculis nihil videbat*] Sic legit Syrus, non οὐδένα [*neminem*], multique libri ſic habent. Senſus eſt, *quanquam oculis erat apertis, nihil tamen conſpiciebat:* & is ſenſus clarè exprimitur infra XXII, 11, ubi eadem hiſtoria refertur, Ὡς δὲ οὐκ ἐνέβλεπον ἀπὸ τῆς δόξης [*& quum non viderem præ claritate*]. Ea fuit imago Sauli qualis antehac fuerat, ſpeciem habens hominis eruditi in Lege, cùm planè animo cæcus eſſet.

χειραγωγοῦντες δὲ αὐτὸν, *ad manus autem illum trahentes*] Vt cæcis fieri ſolet. Sic Antigone ποδηγὸς Oedipodis in Phœniſſis, *cæci parentis regimen* apud Senecam.

9. καὶ οὐκ ἔφαγεν οὐδὲ ἔπιεν. *& non manducavit neque bibit*] Pœnitentiam ſic oſtendens ſævitiæ in Eccleſiam exercitæ. Hoc eſt quod Hebræi dicunt, ταπεινοῦν τὴν ψυχὴν αὐτοῦ, [*humiliare animam ſuam*].

10. Ἀνανίας, *Ananias*] Tam amicus Saulo futurus, quàm alter Ananias fuerat Danieli, Dan. I, 6, & ſequentibus.

ἐν ὁράματι. *in viſu*] Apparuit illi non in ſomnio, ſed ἐν ὀπτασίᾳ [*in viſione*] Angelus aliquis Chriſti ſpeciem referens. Viderat ergo antehac Chriſtum Ananias, quippe unus Diſcipulorum LXX, ſi Veteribus credimus.

Ἰδοὺ ἐγὼ, Κύριε, *Ecce ego, Domine*] Id eſt, *paratus ſum juſſa accipere & facere.* De hoc loquendi genere diximus Matth. XXI, 30.

11. τὴν ῥύμην, *vicum*] Sic Eſaiæ XV, 3. vertitur רחב quod alibi πλατεῖα [*platea*]· & Pollux illam vocem per hanc exponit. In Gloſſario ῥύμη, *vicus.*

ἐν οἰκίᾳ Ἰούδα, *in domo Iudæ*] Cum quo vetus hoſpitium Saulo videtur fuiſſe.

Θαρσέα. *Tarſenſem*] Myſticè impletum quod eſt Eſaiæ LXVI, 19. ubi in Hebræo תרשיש [*Tharſchiſch*], in Græco Θαρσὶς [*Tarſis*].

12. Καὶ εἶδεν ἐν ὁράματι, *Et vidit in viſione*] Syrus accepit ut continuata Dei verba: nec obſtat quod ſequitur *virum nomine Ananiam*; quia Paulo, qui illum non noverat, in viſo id ipſum nomen indicatum fuit.

καὶ ἐπιθέντα αὐτῷ χεῖρα, ὅπως ἀναβλέψῃ. *& imponentem ſibi manus ut viſum reciperet*]. Vide dicta ſupra VIII, 17.

13. τοῖς ἁγίοις σου, *ſanctis tuis*] Veris Nazarenis. Sic & infra 32, & 41.

14. Καὶ ὧδε ἔχει ἐξουσίαν, *Et hîc habet poteſtatem*] Oſtendit Ananias quàm non tutum ſibi ſit, eum accedere qui poteſtatem acceperat in ipſa urbe Damaſco capiendi homines ejus profeſſionis, cujus erat Ananias.

παρὰ τῶν ἀρχιερέων, *à Principibus Sacerdotum*] Eſt συνεκδοχὴ [*Complexio*]. Ex parte enim nobiliſſima deſignatur totum Synedrium.

ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομά σου. *qui invocant nomen tuum*] Sicut Stephanus fecerat VII, 58. Plinius de Chriſtianis ſui temporis, *Quòd eſſent ſoliti ſtato die ante lucem convenire, carmenque Chriſto, quaſi Deo dicere ſecum invicem.*

15. σκεῦος ἐκλογῆς μοί ἐστιν οὗτος, *vas electionis eſt mihi iſte*] Hebraiſmus. σκεῦος ἐκλογῆς [*vas electionis*] pro σκεῦος ἐκλεκτὸν, *inſtrumentum exquiſitiſſimum. Vas uſûs Dei* ait Rabbi Iſraël ad Pſalm. LI, nec aliter vocem σκεῦος [*vas*] uſurpat Polybius de Damocle loquens, Ὁ δὲ ἦν ὑπηρετικὸν σκεῦος καὶ πολλὰς ἔχον ἀφορμὰς εἰς πραγμάτων οἰκονομίαν [*erat autem ille vas miniſterio perutile, tractandisque negotiis peropportunum*].

ἐνώπιον ἐθνῶν, καὶ βασιλέων, υἱῶν τε Ἰσραήλ. *coram Gentibus & Regibus & filiis Iſrael*] Reſpicitur ad locum Eſaiæ XLIX, 6, & Ierem. I, 10.

16. ὅσα δεῖ αὐτὸν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματός μου παθεῖν. *quanta oporteat eum pro nomine meo pati*] Odia popularium, furorem Gentium, carcerem, flagra, famem, ſitim, naufragia, mortem. Hæc illi oſtendam, & tamen prædicabit nomen meum: quæ aliis fecit, libenter feret.

17. εἰς τὴν οἰκίαν. *in domum*] Illius Iudæ de quo ſupra 11.

Σαοὺλ ἀδελφὲ, *Saul frater*] *Fratrem* eum vocat ut fidei conſortem. Sic ſupra VI, 3.

καὶ πλησθῇς Πνεύματος ἁγίου. *& implearis Spiritu Sancto*] Quod ei evenit ſimul atque viſum recuperavit, ut ad externum ſignum res interna accederet. Hæc fuit anticipatio gratiæ, qualem ſupra notavimus VIII, 39. & habebimus infra X, 44.

18. ὡσεὶ λεπίδες, *tamquam ſquamæ*] Adumbrantes velum illud de quo agit Paulus II Cor. III, 14.

ἐβαπτίσθη. *baptizatus eſt*] Vſus eſt pari jure Ananias, quo ante Philippus Diaconus.

19. Καὶ λαβὼν τροφὴν ἐνίσχυσεν. *& quum accepiſſet cibum confortatus eſt*] Eſt ſono activo, ſenſu reciproco: התחזק [*confortavit ſe*] Gen. XLVIII, 2. Sic & ἰσχύειν [*validum eſſe*], ἐνισχύειν [*invaleſcere*], κατισχύειν [*roborari*] ſæpe in Interpretibus Veteris Teſtamenti, & Sirach. XLVIII, 25. & I Macc. I, 38. VII, 25. Sic & ἐπίσχυον [*invaleſcebant*], Luc. XXIII, 5.

μετὰ τῶν ἐν Δαμασκῷ μαθητῶν, *cum diſcipulis qui erant Damaſci*] Μαθηταὶ [*Diſcipuli*] hîc ut ſupra I, 15. qui Ieſum Magiſtrum agnoſcebant, non Hillelem, aut Sameam, aut alios. Damaſci autem tales aliquam multi erant à tempore diſperſionis illius de qua ſupra VIII, 1, 3.

20. ἐν ταῖς συναγωγαῖς, *in Synagogis*] Semper enim Apoſtoli primùm Iudæos affati ſunt, ut aut eos converterent, aut omnem eis excuſationem adimerent.

ἐκήρυσε τὸν Χριστὸν, ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. *prædicabat Chriſtum quoniam hic eſt Filius Dei*] Melius in Manuſcripto, ἐκήρυσε τὸν Ἰησοῦν ὅτι [*prædicabat Ieſum quoniam*]: nam *Chriſtus* & *Dei Filius* pro eodem ponitur, ut diximus. Quæſtio erat, An Ieſus Nazarenus eſſet ille *Chriſtus* ſive *Dei Filius.*

21. Οὐχ οὗτός ἐστιν ὁ πορθήσας ἐν Ἱερουσαλὴμ τοὺς ἐπικαλουμένους τὸ ὄνομα τοῦτο. *Nonne hic eſt qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui invocabant nomen iſtud*] Quaſi dicerent, *An etiam Saul inter Prophetas*, I Sam. X, 11. πορθεῖν hîc eſt *vexare.* Vtitur eodem vocabulo in eadem hac hiſtoria Paulus Gal. I, 13, 23.

καὶ ὧδε εἰς τοῦτο ἐλήλυθεν, *& huc ad hoc venit*] Ὧδε [*huc*] Græcis etiam motionem ad locum ſignificat. Matth. VIII, 29. XIV, 8. Luc. XIV, 21. Ioh. XX, 27. Apoc. IV, 1.

ἐπὶ τοὺς ἀρχιερεῖς; *ad Principes Sacerdotum?*] Vide ſupra 14.

22. ἐνεδυναμοῦτο, *convaleſcebat*] *Fortior fiebat in dies.* Sic Rom. IV, 20. Eph. VI, 10, II Timoth. II, 1. Hebræor. XI, 34. Reſpondet Hebræo עז [*corroboratus eſt*], ut apparet Pſalm. LII, 9.

καὶ συνέχυνε τοὺς Ἰουδαίους, *& confundebat Iudæos*] *Pudefaciebat argumentis.*

συμβιβάζων, *affirmans*] *Docens eos*: reſpondet enim Hebræo הודיע [*cognitum fecit*], Exod. XVIII, 16. Deut. IV, 9. Eſaiæ XL, 13. ſic & infra XVI, 10. I Cor. II, 16.

23. συνεβουλεύσαντο οἱ Ἰουδαῖοι ἀνελεῖν αὐτόν. *conſilium*

fecerunt in unum Iudæi ut interficerent eum] Velut judicio zeli, de quo diximus ſupra VII, 57. Vide quàm citò impletum ſit quod Saulo Deus prædixerat ſupra 16.

24. παρετήρουν τε, *cuſtodiebant autem &*] Nempe Iudæi, quod nomen, quanquam ex remotiore loco, hîc ſubauditur, ut ſæpe alibi.

τὰς πύλας, *portas*] *Vrbis portas* ne elabi poſſet.

25. καθῆκαν διὰ τοῦ τείχους χαλάσαντες, *per murum dimiſerunt eum ſubmittentes*] Vt olim Rahab exploratores κατεχάλασε διὰ τῆς θυρίδος [*dimiſit de feneſtra*], Ioſuæ II, 15. Apoſtoli corda explorant, ut illi urbes. Sic & David dimiſſus per feneſtram. I Sam. XIX, 12. χαλᾷν vel χαλάζειν, *funibus dimittere*, ut Ieremiæ XXXVIII, 6.

ἐν σπυρίδι. *in ſporta*] Sic Salluſtius, *E muris carnes ſportis dimittebant*. Sporta à ſparto.

26. ἐπειρᾶτο κολλᾶσθαι τοῖς μαθηταῖς· *tentabat ſe jungere Diſcipulis*] *Familiariter cum illis converſari*, ut infra X, 28. ubi κολλᾶσθαι [*jungere ſe*] id eſt, quod συγχρᾶσθαι [*couti*] dicit, Ioh. IV, 9.

27. Βαρνάβας δὲ, *Barnabas autem*] De quo ſupra Actor. IV, 36. Fortè Barnabas Saulum ante converſionem noverat, credebatque ei ut minimè mendaci.

καὶ διηγήσατο αὐτοῖς, *& narravit illis*] Hæc Græci ad Barnabam referunt, & rectiùs, ni fallor, propter illa quæ ſequuntur de Damaſco. Conveniebat enim id potius narrari ab aliis qui id ſcirent, quàm ab ipſo Saulo prædicari.

ἐπαῤῥησιάσατο, *fiducialiter egerit*] *Apertè & palàm locutus eſt*. Ioh. VII, 13, 26. XI, 54.

28. εἰσπορευόμενος καὶ ἐκπορευόμενος, *intrans & exiens*] Coram eis vivens, ut ſupra I, 21.

29. πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς· *cum Græcis*] *Etiam cum Iudæis Græco ſermone utentibus*, ut hîc Syrus. Vide ſupra VI, 1. & quæ ibi dicta.

οἱ δὲ ἐπεχείρουν αὐτὸν ἀνελεῖν. *illi autem quærebant occidere eum*] Nihilo meliores Iudæis Damaſcenis.

30. εἰς Καισάρειαν, *Cæſaream*] Eam de qua ſupra VIII, 40.

εἰς Ταρσόν. *Tarſum*] Vbi inter multos ſibi propinquos, & notos tutior ab inſidiis eſſe poſſet.

31. εἶχον εἰρήνην, *habebat pacem*] Multis in exſilium egreſſis deflagraverat vexatio; id eſt, quod Chriſtiani *pacem* vocabant. Vide annotata noſtra ad I. librum de Iure Belli ac Pacis, cap. II, circa finem.

οἰκοδομούμεναι, *ædificabatur*] Eſt hæc vox ſimili modô translata, quo Latinum *inſtruere*. Vide I Corinth. VIII, 10. X, 23. XIV, 4.

καὶ πορευόμεναι τῷ φόβῳ τοῦ Κυρίου, *ambulans in timore Domini*] Similis conſtructio I Maccab. VI, 23. πορεύεσθαι τοῖς ὑπ᾽ αὐτοῦ λεγομένοις [*ambulare in præceptis ejus*]. & 59. πορεύεσθαι τοῖς νομίμοις αὐτῶν [*ambulare in legitimis ſuis*].

32. τοὺς κατοικοῦντας Λύδδαν. *qui habitabant Lyddæ*] Eſt is vicus Palæſtinæ ad occaſum Iordanis. Vide Plinium & Ptolemæum. In Syriaco לוד [*Lod*] ut & in Hebræo I Paral. VIII, 12. Ioſephus Antiquæ hiſtoriæ XX, 5. vocat κώμην πόλεως τὸ μέγεθος οὐκ ἀποδέουσαν [*vicum nihilo minorem oppido*]. Vide quæ dicta ad Marcum I, 38.

33. Αἰνέαν ὀνόματι, *Nomine Æneam*] Idem eſt nomen Αἰνέας [*Æneas*] & Αἰνείας [*Æneas*], ſed illud genuinum, ut hîc eſt poſitum, hoc poëticum; quia aliter ea vox Heroïcum intrare non poterat. Ideo in Iambicis ſcribitur Αἰνέας [*Æneas*]. Sophocles Laocoonte,

Νῦν δ᾽ ἐν πύλαισιν Αἰνέας ὁ τῆς θεοῦ.
[*Nunc autem in portis Deâ natus Æneas*].

Et hinc etiam Heroïci dicunt Αἰνεάδας, & Latini *Æneadas*, ſecundâ correptâ. Æneas, de quo hîc agitur non dubito, quin fuerit Iudæus, dictus inter Græcos, quibus Lucas hîc ſe accommodat, Αἰνέας [*Æneas*], Hebræis הלל *Hillel*, ut ille Hieroſolymis nobilis Magiſter.

34. ἰᾶταί σε ὁ Κύριος Ἰησοῦς Χριστός· *ſanat te Dominus Ieſus Chriſtus*] Ἰᾶται [*ſanat*] habet & Manuſcriptus ille, & ſic legit Syrus. Non precatur: ſed certò promittit.

ἀνάστηθι, *ſurge*] קום לך [*ſurge, vade*].

στρῶσον σεαυτῷ. *ſterne tibi*] *Lectum*, quem antehac tibi ſtraverunt alii, *tute tibi ſterne*, in ſignum reſtitutæ valetudinis. Simile, non idem, habes Marci II, 9. Iohan. V, 8.

35. καὶ τὸν Σαρωνᾶν, *& Sarona*] In Manuſcripto τὸν Σάῤῥωνα [*Sarona*]. Neutrum malè; hoc eſt Hebræum, illud Syriacum. *Saron* eſt ager paſcuus latè patens. Vide I Paral. V, 16. XXVII, 29. Eſaiæ XXXIII, 9.

36. Ταβιθὰ, *Tabitha*] In Syriaco טביתא [*Thabitha*]. Rectè monent eruditi Syris ſæpe ט poni ubi in Hebræo eſt צ. Hebræis צבי eſt δορκὰς [*caprea*], Deuteron. XII, 15, 22. XIV, 5. XV, 22. II Samuel. II, 18. I Regum IV, 23. I Paral. XII, 8. Proverb. VI, 5. Cantic. II, 9. IV, 5. VII, 3. VIII, 14.

ἣ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς. *quæ interpretata dicitur Dorcas*] Sic vocabatur inter Græcos, quomodo Thomas Δίδυμος [*Didymus*], Cephas Πέτρος [*Petrus*]. Vide infra 39.

πλήρης ἔργων ἀγαθῶν, *plena operibus bonis*] Locutio Hebræa, qualis Eſaïæ I, 21. Iohan. I, 14. infra XIII, 10.

37. λούσαντες δὲ αὐτὴν, *quam quum laviſſent*] *Lavare cadavera proximis concedebatur*: Servius ad IV. Æneidos, ad illud Virgilii,

-- -- *Date, vulnera lymphis*
Abluam. -- --

Idem Virgilius IV,

-- *Corpusque lavant frigentis & ungunt.*

38. Ἐγγὺς δὲ οὔσης Λύδδης τῇ Ἰόππῃ, *Quum autem prope eſſet Lydda ab Ioppe*] Apparet id ex Ptolemæo.

39. κλαίουσαι, *flentes*] Vt Marci V, 38.

ἐπιδεικνύμεναι χιτῶνας καὶ ἱμάτια, ὅσα ἐποίει μετ᾽ αὐτῶν οὖσα ἡ Δορκάς. *oſtendentes ei tunicas & veſtes quas Dorcas faciebat, cum unà cum ipſis eſſet*] Vides verum eſſe quod dixit Euripides,

Ἀρετὴ δὲ, κἂν ἀποθάνῃ τις, οὐκ ἀπόλλυται.
[*Poſt funera virtus permanet, nec interit*].

χιτὼν *interior veſtis*, ἱμάτιον *exterior*.

40. Ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος, *Ejectis omnibus foras Petrus*] Ne famam aucupari videretur. Didicerat & hoc à Magiſtro Marci V, 40.

θεὶς τὰ γόνατα, *ponens genua*] Vide ſupra VII, 60.

πρὸς τὸ σῶμα, *ad corpus*] Propriè. Nam Homerum σῶμα [*corpus*] non uſurpare niſi de *corpore mortuo* obſervant Veteres.

ἀνάστηθι, *ſurge*] קומי ut Marci v, 41. ὁμοιώθητι τῇ δορκάδι [*ſimilis eſto capreæ*]; Cantic. viii, in fine.

Ἡ δὲ ἤνοιξε τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτῆς· *At illa aperuit oculos ſuos*] Signum reviviſcentis.

41. παρέστησεν αὐτὴν ζῶσαν. *aſſignavit eam vivam*] *Exhibuit.*

42. Γνωστὸν δὲ ἐγένετο καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης· *Notum autem factum eſt per univerſam Ioppen*] Celebratus Ioppe Barjonas plusquam Ionas. Ionas è ceto reſuſcitatus; Barjonas Tabithæ ex orco reſuſcitator.

καὶ πολλοὶ ἐπίστευσαν ἐπὶ τὸν Κύριον. *& crediderunt multi in Domino*] *In Chriſto fiduciam ſuam poſuere.*

43. παρά τινι Σίμωνι βυρσεῖ. *apud Simonem quendam coriarium*] In Gloſſario, βυρσεὺς, *coriarius.* Græci elegantiores βυρσοδέψην dicerent.

CAPVT X.

ΟΝόματι Κορνήλιος, *nomine Cornelius*] Romanus Romano nomine, ex Scipionibus, aut Sullis fortè.

ἑκατοντάρχης, *Centurio*] In Gloſſario, *Centurio* ἑκατόνταρχος.

ἐκ σπείρης, *cohortis*] Σπεῖραν in his libris eſſe non *legionem*, ſed *cohortem* apparet ex Matth. xxvii, 27. Marci xv, 16. Iohan. xviii, 3, 12. ubi qui ei præeſt χιλίαρχος [*præpoſitus mille hominibus*] vocatur, ut & infra xxi, 31.

τῆς καλουμένης Ἰταλικῆς, *quæ dicitur Italica*] Id eſt, *legionis Italicæ. Legio Italica* eſt in veteri lapide cujus meminit Lipſius ad Tacitum Hiſtor. ii. & ipſe Tacitus ſæpe.

2. Εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν, *Religioſus ac timens Deum*] Incircumciſus, ſed qui idololatriâ relictâ uni Deo ſe dederat, & quæ pietati conſentanea judicabat, ſequebatur, quales חסידי אומות [*pii ex gentibus*] dicuntur Thalmudicis, σεβόμενοι Ἕλληνες [*Græci religioſi*] infra xvii, 4. Multi olim tales in Iudæa vixerant, ſed certis adſtricti regulis, de quibus plurima lectu utilia prodidit vir maximæ eruditionis Seldenus. Poſtquam Iudæi Gentium jugum ferre coacti, ægrè ſervata ſibi ſacrorum libertate, juriſdictionem in alienigenas ſecum habitantes amiſerant, ideoque eos intra illas regulas coërcere non poterant, inſtituére Sapientes ut Iudæi planè alienigenarum commercium devitarent, quia aut idololatræ erant, aut certè Noæ præcepta non putabantur ſervare. Et hoc perpetuò ſecuti eſſent Apoſtoli, neque ullum non Iudæum gente, aut proſelytum Legis admiſiſſent ad ſuam familiaritatem, niſi Deus diſertè Petro primùm, deinde & Paulo oſtendiſſet, id fieri ſibi placere. Et ceſſabat cauſa inſtituti illius Sapientum: quia tales alienigenæ aggregantes ſe Eccleſiæ per Baptiſmum, eo ipſo teſtabantur ſe non modò ab idololatria, ſed ab omnibus flagitiis longè diſcedere, vitamque pollicebantur multò puriorem, quàm illa Noæ præcepta ſequentium fuerat.

ποιῶν τε ἐλεημοσύνας πολλὰς τῷ λαῷ, *faciens eleemoſynas multas plebi*] Iudæis, quos ideo amabat, quòd unum Deum colerent.

καὶ δεόμενος τοῦ Θεοῦ διαπαντός. *& deprecans Deum ſemper*] Aſſiduus in fundendis precibus ad unum & verum Deum.

3. ὡσεὶ ὥραν ἐννάτην, *quaſi horâ nonâ*] Circa tempus ſacrificii veſpertini. Vide ſupra iii, 1.

ἄγγελον τοῦ Θεοῦ, *Angelum Dei*] Vide quàm bonus ſit Deus, qui tam bene utenti datis & Angelum mittit & Apoſtolum, ut eum doceat eam viam; quæ poſthac unica erat ad ſalutem, verbum Crucis.

4. Τί ἐστι Κύριε; *Quid eſt Domine?*] Sic eum appellat honorificè ut homine majorem.

ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον, *adſcenderunt in memoriam*] Eſt ſimilitudo ſumpta à *ſuffitu legali*, nam is propriè vocatur אזכרה, Græcè μνημόσυνον Levitici ii, & alibi. Et de ſuffitu dicitur ἀναβαίνειν [*adſcendere*] Apocal. viii, 4: is autem ſuffitus ſymbolum erat precum; Apoc. v, 8. viii, 3. Precationem ſubvehi alis duabus ajunt Veteres, Iejunio & Miſericordiæ operibus.

ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ. *in conſpectu Dei*] Non malè: ſed nec malè Manuſcriptus, ἔμπροσθεν τοῦ Θεοῦ [*coram Deo*].

5. καὶ μετάπεμψαι Σίμωνα, *& accerſe Simonem*] Major erat legatio Apoſtolica quàm Angelica. Angelus Apoſtolum monſtrat, Apoſtolus Chriſtum. Tantum honorem teſtibus ſuis habuit Chriſtus.

7. στρατιώτην εὐσεβῆ, *militem metuentem Dominum*] Rarum ἐπίθετον [*agnomen*].

τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ, *ex iis qui illi parebant*] *Iis qui illi apparebant.* Et ſic ſcripſiſſe puto Latinum Interpretem.

9. ἐπὶ τὸ δῶμα, *in ſuperiora*] Vnde liber conſpectus eſſet Templum verſùs. Talibus enim in locis precari ſolebant Iudæi, Daniel. vi, 11.

περὶ ὥραν ἕκτην. *circa horam ſextam*] Quæ una horarum dicatarum precationi, ut diximus ſupra iii, 1.

10. Ἐγένετο δὲ πρόσπεινος, *Et cùm eſuriret*] Eſuriiſſe non mirum eſt meridie eum, qui manè ſummo, ut credibile eſt, ſurrexerat.

ἤθελε γεύσασθαι· *voluit guſtare*] Γεύεσθαι [*guſtare*], non addito accuſativo habemus & Ionæ, iii, 7. Infra xx, 11. γευσάμενος [*guſtans*] poteſt eodem modo ſumi, aut referri ad ἄρτον [*panem*], quæ vox præceſſit.

ἔκστασις· *mentis exceſſus*] Hæc vox interdum *horrorem*, interdum *inſaniam* ſignificat: Hoc loco *conſtitutionem hominis extra ſe rapti.* Sic de Apolline Lucanus,

> -- -- *mentemque priorem*
> *Expulit atque hominem toto ſibi cedere juſſit*
> *Pectore.* -- -- --

11. τὸν οὐρανὸν ἀνεῳγμένον, *cœlum apertum*] Vide quæ dicta ſupra vii, 56. & Matth. iii, 16.

σκεῦός τι ὡς ὀθόνην μεγάλην, *vas quoddam velut linteum magnum*] כלי Hebræis, quod σκεῦος vertunt Græci, Syri מאנא, ſignificat *omne id quod in uſu eſt domeſtico*, etiam *è lino* aut *lana.* Ὀθόνης vel ὀθονίου [*lintei*] vox ſatis generalis ut apparet Oſeæ ii, 5, 9. *Sindonem* dixit Scriptor Reſponſorum ad Orthodoxos, & hoc loco Oecumenius.

τέσσαρσιν ἀρχαῖς δεδεμένον, *quatuor initiis devinctum*] Ἀρχὰς vocat *angulos*, ut explicat Syrus. Videbatur autem linteum illud à cœlo pendere, ut ſignificaretur libertas cœlitus indulta.

12. πάντα τὰ τετράποδα τῆς γῆς, *omnia quadrupedia terræ*] בהמות ubi nullo addito ponitur, ſignificare ſolet *animantia ex Lege munda.*

καὶ τὰ θηρία, *& feræ*] חיות, quorum multa immunda, Levit. xi, 27.

καὶ τὰ ἑρπετὰ, & ſerpentia] שרץ, quo nomine etiam *piſces* comprehenduntur apud Hebræos. Horum multa immunda, ut dicto loco Levitici apparet.

καὶ τὰ πετεινὰ τοῦ οὐρανοῦ. & volatilia cœli] עוף, cujus generis multa item immunda.

13. *θῦσον καὶ φάγε. occide & manduca*] Id eſt, *macta omnia iſta & de omnibus ede.*

14. Μηδαμῶς Κύριε, *Abſit Domine*] Sic verti ſolet חלילה, quod alibi μὴ γένοιτο [*ne fiat*], alibi ἵλεως [*propitius*]; de qua voce diximus ad Matth. XVI, 22.

πᾶν κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον. omne commune & immundum] Alterum per alterum explicat, nam *ſus* dicitur טמא, quod vertitur ἀκάθαρτος [*immundus*], Levitic. XI, 7. Eadem inter κοινὰ [*communia*] I Maccab. I, 50, 65. *Commune* eſt quo vulgò utuntur Gentes, non etiam populus Deo ſanctificatus. Narrat Seneca *Tiberii tempore vetita Romæ ſacra externa. Signum fuiſſe, abſtinentiam à certis animalibus.*

15. Ἃ ὁ Θεὸς ἐκαθάρισε, σὺ μὴ κοίνου. *Quod Deus purificavit, tu commune ne dixeris*] Verbum טמא, quod hîc vertitur κοινοῦν, propriè eſt *polluere*, impropriè *pro polluto habere.* Frequens id in verbis Hebræis. Potuerat credere Petrus hoc viſo indicari tantùm, permitti jam cibos Lege vetitos, quos extra terram Iudæam licitè ſumi etiam Iudæi quidam credidere, quia ratio valetudinis id in Iudæa exigebat, & in vicinis quibusdam locis: unde & Ægyptii à ſue abſtinuere olim, & Æthiopes non Iudaïzantes à cibis ferme illis omnibus, quos Lex vetat. Sed Petrus quòd *linteum illud de cœlo veniſſet, & in cœlum receptum eſſet*, primùm ſuſpicatus eſt majus aliquid latere, infra 17. Deinde, cùm eodem tempore à Cornelio accerſeretur, & à Deo juberetur ad eum ire μηδὲν διακρινόμενος [*nihil dubitans*], intellexit quid hîc eſſet myſterii. Nempe Iudæis perſuaſum planè erat, per *animalia immunda* ſignificari homines impios, ut oſtendit Barnabæ epiſtola, producta nobis ad IV librum De veritate Religionis Chriſtianæ, Clemens Stromatôn II, 5. Eleazar apud Euſebium Præparatione Euangelica, Origenes contra Celſum, & Ioſephus Albo; ac ſicut de animali, ita de tali homine dicebant טמא הוא [*immundus hic eſt*]. Hinc intellexit *linteum illud de cœlo delapſum* eſſe Eccleſiam cœlitus collectam, Apocal. XXI, 2, & in cœlum redituram. In hanc Eccleſiam colligi debent non tantùm *animalia munda*, quomodo ſe Iudæi vocabant, ſed & *immunda*, quo nomine Iudæi appellabant alienigenas; ſed nempe poſtquam cœleſti ope ab idololatria & pravis moribus reſipuiſſent, ac pietati ſe dediſſent, quod fecerat Cornelius, ampliusque facturus erat, & poſt eum multi alii Euangelio fidem habentes. Hi ſunt quos Deus mundavit: nec in Eccleſiam involvuntur niſi jam mundati. Vide infra 34, 35. *occidere* eſt tollere in eis quod reſtat de veteri homine; *manducare*, ſibi adunare.

16. Τοῦτο δὲ ἐγένετο ἐπὶ τρίς· *Hoc autem factum eſt per ter*] Solent viſa & oracula quæ penitus animo infigi Deus vult, repeti. Ternarius autem numerus proprius Chriſtianorum infra XI, 10. II Corinth. XII, 8.

17. *τὴν οἰκίαν Σίμωνος, domum Simonis*] Nempe *coriarii*, ut ſupra 6. Ideo in ſequenti commate dicitur, Σίμων ὁ ἐπικαλούμενος Πέτρος [*Simon qui cognominatur Petrus*].

ἐπὶ τὸν πυλῶνα· ad januam] De hac voce ad Matthæi XXVI, 71.

19. *εἶπε αὐτῷ τὸ πνεῦμα· dixit Spiritus ei*] Id eſt, Deus non per viſum, ſed per afflatum.

20. *μηδὲν διακρινόμενος· nihil dubitans*] Sic & infra XI, 12. *Nihil hæſitans*, nempe ideo quòd illi ad quos accerſeris, Iudæi non ſunt. Ita διακρίνεσθαι [*dubitare*] ſumitur Matth. XXI, 21. Marci XI, 23. Roman. IV, 20. Iacobi I, 6. II, 4.

ἐγὼ ἀπέσταλκα αὐτούς. ego miſi illos] Activum pro duplici activo: id eſt, *feci ut mitterentur.*

21. *πρὸς τοὺς ἄνδρας, ad viros*] Quæ ſequuntur, ἀπεσταλμένους ἀπὸ τοῦ Κορνηλίου [*miſſos à Cornelio*], ſicut in multis aliis libris deſunt, ita & in Manuſcripto, nec habet Syrus. Articulus ſcilicet τοὺς [*illos*] ſatis indicat de quibus agatur.

22. *ἀνὴρ δίκαιος, vir juſtus*] *Vir probus.* Vide quæ dicta ad Matth. I, 19.

καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, & timens Deum] Verum Deum, quem & vos Iudæi colitis, non deos Gentium.

μαρτυρούμενός τε ὑπὸ ὅλου τοῦ ἔθνους τῶν Ἰουδαίων, & teſtimonium habens ab univerſa Gente Iudæorum] Vt alter ille Centurio huic non diſſimilis, Lucæ VII, 5.

ἐχρηματίσθη, reſponſum accepit] Vide quæ dicta Matthæi II, 12. χρηματίζω reſpondet Hebræo דבר [*dicere*] apud Ieremiam ſæpe.

23. *ἐξένισε. recepit hoſpitio*] *Participes fecit hoſpitii ſui*, volente Simone coriario.

24. *καὶ τοὺς ἀναγκαίους φίλους. & neceſſariis amicis*] Id eſt, *affines*: nam & hi dicuntur *neceſſarii*, teſte Feſto. Et ita hîc ſumenda ea vox, cùm *cognatorum* mentio præceſſerit.

25. *εἰσελθεῖν τὸν Πέτρον, quum introiſſet Petrus*] *Cùm in eo eſſet ut fores intraret.*

προσεκύνησεν. adoravit] Iudæi quidem & aliæ Gentes Orientis eum honorem exhibebant, non Regibus tantùm, ſed & aliis in dignitate poſitis. At Græcis & Romanis is mos deorum honori reſervatus. Vnde intellexit Petrus ſe Cornelio Angelum putari, quomodo Lyſtrenſes pro diis habuere Paulum & Barnabam XIV, 12, 13, in fine: ideo eum honorem Petrus averſatur, quod oſtendunt quæ ſequuntur ejus verba.

26. *κἀγὼ αὐτὸς ἄνθρωπός εἰμι. & ego ipſe homo ſum*] Tibi ὁμοιοπαθής [*in affectionibus ſimilis*].

27. *εἰσῆλθε, intravit*] In partem interiorem domûs.

28. *ὡς ἀθέμιτόν ἐστιν ἀνδρὶ Ἰουδαίῳ, quomodo abominatum ſit viro Iudæo*] Vocem ἀθεμίτου [*nefas*] habes, II Maccab. VI, 5. & VII, 7. Reſpondet Rabbinico אסור, *illicitum*, non Lege Moſis, ſed decreto Sapientum, quod pari loco cum Lege habebatur. Sed præterquam quòd Deus non talium tantùm decretorum, ſed & ſuæ Legis eſt Dominus, ceſſabat hîc ratio decreti. Decretum factum erat contra idololatras malæque vitæ homines, qualis non erat Cornelius. Et poſthac aggregatio ad Eccleſiam, apertiſſima futura erat nota, quâ alienigenæ boni à malis discernerentur.

ἀλλοφύλῳ, ad alienigenam] Sub hoc nomine non comprehendebantur proſelyti Legis (ii namque erant cives adſcititii), ſed alii omnes extra Iudæos ortu & tales proſelytos. Vox ἀλλόφυλος [*alienigena*] reſpondet Hebræo נכר [*extraneus*], Eſaïæ II, 6. VI, 5. II Maccab. X, 2, 5. Vnde ἀλλοφυλισμὸς [*vita ſecundùm inſtituta alienigenarum*] II Macc. IV, 13. VI, 24.

κολλᾶσθαι, *conjungi*] *Familiariter convivere*, ut ſupra IX, 26.

ἢ προσέρχεσθαι, *aut accedere*] *Imò etiam adire*, extra neceſſarios uſus. Προσέρχεσθαι, נגש [*advenire*].

μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον. *neminem communem aut immundum dicere hominem*] Nempe à Deo mundatum, ut explicat infra 35. Hæc erat ἀλληγορία [*occultus ſenſus*] animalium.

29. ἀναντιῤῥήτως, *ſine dubitatione*] אין—פתגם, Eccleſiaſtæ VIII, 11.

τίνι λόγῳ, *quam ob cauſam*] באשר דבר, *qua de cauſa.*

30. Ἀπὸ τετάρτης ἡμέρας μέχρι ταύτης τῆς ὥρας, *à nudiusquarta die usque ad hanc horam*] Ἀπὸ [*à*] hîc eſt poſitum pro מ Hebræo. Sic ממחרת *poſtridie*, Levit. XXIII, 11. Senſus eſt, *die ante hoc tempus quarta jejunaveram.*

καὶ τὴν ἐννάτην ὥραν προσευχόμενος, *orans eram horâ nonâ*] Imitatus in hoc Iudæos. Vide ſupra III, 1, & hoc capite 3, & infra X, 30.

ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ· *in veſte candida*] Qui mos Angelis. Supra I, 10.

31. ἐμνήσθησαν, *commemoratæ ſunt*] Quod ſupra dictum ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον [*adſcenderunt in memoriam*]. Simile loquendi genus, Geneſ. VIII, 1. XIX, 29. XXX, 22, & ſæpe alibi.

33. Ἐξαυτῆς, *Confeſtim*] *Illico.* Hîc uſurpatur hæc vox, & infra XI, 11. XXIII, 30. Marci VI, 25. Philipp. II, 23. Vtitur & Philo De transnominatis, & Procopius Vandalicis.

σύ τε καλῶς ἐποίησας παραγενόμενος, *& tu bene feciſti veniendo*] Eſt gratias agentis, ut *benignè* apud Horatium, notante bis Scholiaſte ad Epiſtolam I, 7. Sic καλῶς ἐποιήσατε [*bene feciſtis*], Philipp. IV, 14. καλῶς ποιήσεις [*bene facies*], Iohan. Epiſt. III, 6. Ariſtophanes Acharnenſibus,

> Καλῶς ποιῶν ὅστις περ ἦν.
>
> [*Pulchrè facit iſte, quisquis eſt*].

Vtuntur & Architas apud Laërtium, Demoſthenes & Dionyſius Halicarnaſſenſis. Sic quod Ariſtophanes dixit Pluto,

> Νὴ Δία καλῶς τοίνυν ποιῶν ἀπόλλυται.
>
> [*Meritò ergo, per Iovem, perierit*].

Plinius dixit VI Epiſtola, *Bene fecit Regulus quod eſt mortuus.* Notavit hoc genus loquendi etiam Donatus ad Terentium.

ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ πάρεσμεν, *in conſpectu Dei adſumus*] Cùm & Syrus & Latinus legerint ἐνώπιόν σου [*in conſpectu tuo*], puto eam lectionem eſſe vetuſtiorem. Ἐνώπιόν σου [*in conſpectu tuo*], id eſt, *in tua ſumus poteſtate.* Idem loquendi genus Geneſ. XIII, 9. לפניך [*ante faciem tuam*], ubi Græci ἐναντίον σου [*coram te*], eodem ſenſu.

34. Ἀνοίξας δὲ Πέτρος τὸ στόμα, *Aperiens autem Petrus os*] Magni aliquid dicturus. Sic Matth. V, 2.

Ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι, *In veritate comperi*] Agnoſcas ex his verbis Petri ingenium promptum atque ſincerum.

ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεός· *quia non eſt perſonarum acceptor Deus*] לא ישא פנים, οὐ θαυμάζει πρόσωπον [*non accipit perſonam*], Deuter. X, 17. אין עם יהוה אלהינו משא פנים, Οὐκ ἔστι μετὰ Κυρίου Θεοῦ ἡμῶν θαυμάσαι πρόσωπον [*Non eſt apud Dominum Deum noſtrum perſonarum acceptio*] II Paral. XIX, 7. Non curat unde quis ortus ſit. Vide Ezech. XVIII.

35. Ἀλλ' ἐν παντὶ ἔθνει, *Sed in omni Gente*] Etiam inter Romanos.

φοβούμενος αὐτὸν καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστι. *qui timet eum & operatur juſtitiam, acceptus eſt illi*] Δεκτὸς, יתן Proverb. X, 24. לרצין Exodi XXVIII, 38. Lucæ IV, 24. Philipp. IV, 18. *gratus, acceptus.* Senſus in illo Pſalm. XXXIII, 18. Illud ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, [*qui operatur juſtitiam*] eſt ex Pſalm. XV, 2. פעל—צדק [*operans juſtitiam*], in deſcriptione ejus qui habitaturus eſt in tabernaculo Domini, quod myſticè ad Eccleſiam refertur.

36. Τὸν λόγον ὃν ἀπέστειλε τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, *ſermonem quem miſit filiis Iſraël*] Hebraïſmus pro ὃν λόγον ἀπέστειλε [*quem miſit ſermonem*], *quem nuntium nuntiavit Iſraëlitis* Deus per Ieſum ; ut ſequitur. Olim quidem id innuerat exemplis Melchiſedeci, Iobi, Naamanis, Cyri: ſed per Ieſum decretum hoc ſuum generale aperuit ipſis Iſraëlitis. Apparet id Matth. VIII, 12. Iohan. XII, 32. quæ tamen verba ipſi Apoſtoli non plenè aſſecuti ſunt ante has revelationes.

εὐαγγελιζόμενος εἰρήνην διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ· *annuntians pacem per Ieſum Chriſtum*] Quam Angeli prædixerant Lucæ II, 14. & Chriſtus dedit, Ioh. XIV, 27. Nempe Chriſti Diſcipuli inter ſe in ſumma pace, imò & dilectione debent vivere, & ad id Chriſtus dat Spiritum ſuum. *In uno linteo*, id eſt, in una Eccleſia eſſe debent.

οὗτός ἐστι πάντων Κύριος. *hic eſt omnium Dominus*] Matth. XXVIII, 18. Oſtendit impletum Danielis vaticinium de imperio æterno.

37. Ὑμεῖς οἴδατε τὸ γενόμενον ῥῆμα, *Vos ſcitis quod factum eſt verbum*] Ῥῆμα vocat *famam de Ieſu.*

μετὰ τὸ βάπτισμα ὃ ἐκήρυξεν Ἰωάννης· *poſt Baptiſma quod prædicavit Iohannes*] Vide ſupra I, 22.

38. Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ ὡς ἔχρισεν αὐτὸν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ, *Ieſum à Nazareth quomodo unxit eum Deus Spiritu Sancto*] Hebraïſmus pro ὡς Ἰησοῦν τὸν ἀπὸ Ναζαρὲθ ἔχρισεν ὁ Θεὸς πνεύματι ἁγίῳ [*quomodo Ieſum à Nazareth unxit Deus Spiritu Sancto*]. Hæc eſt ἐξήγησις [*enarratio*] illius famæ, de qua loqui cœperat. Reſpicitur autem locus Eſaïæ LXI, 1, citatus Lucæ IV, 18.

καὶ δυνάμει, *& virtute*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*] *Spiritu & virtute*, id eſt, Spiritu potentiſſimo. Similis Lucæ I, 17, 35. Sic & alibi δύναμις [*virtus*] pro *Spiritu*, ut ſupra I, 8.

ὃς διῆλθεν εὐεργετῶν, *qui pertranſiit benefaciendo*] Pari ſenſu nomen εὐεργεσίας [*benefacti*] habuimus ſupra IV, 9.

καὶ ἰώμενος πάντας τοὺς καταδυναστευομένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου, *& ſanando omnes oppreſſos à Diabolo*] Ideo à dæmonibus corporaliter poſſeſſos liberavit, ut intelligeretur etiam genus humanum à diabolo ſpiritualiter poſſeſſum liberaturus, & verè futurus עשה משפט לעשוקים, ποιῶν κρίμα τοῖς ἀδικουμένοις [*qui facit judicium injuriam patientibus*], ut eſt in Pſalm. CXLVI, 7. Vide Matth. XII, 29. Lucæ X, 19.

ὅτι ὁ Θεὸς ἦν μετ' αὐτοῦ. *quoniam Deus erat cum illo*] Deus eum ſemper amabat, Matth. III, 17. ſemper exaudiebat, Ioh. XI, 42.

39. Καὶ ἡμεῖς ἐσμὲν μάρτυρες πάντων ὧν ἐποίησεν, *Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit*] Manuſcriptus ille, ὑμεῖς μάρτυρες πάντων [*vos teſtes omnium*], non malè: ut Petrus diſtinguat facta ante reſurrectionem & facta poſt reſurrectionem, & horum quidem Apoſtolos dicat eſſe teſtes, illorum verò populum omnem.

κρεμάσαντες ἐπὶ ξύλου· *ſuſpendentes in ligno*] Vide ſupra V, 30. Eò minùs Iudæi querendum habent de vocatione Gentium quod ipſi Ieſum tam crudeliter tractaverint.

40. καὶ ἔδωκεν αὐτὸν ἐμφανῆ γενέσθαι· *& dedit eum manifeſtum fieri*] *Fecit eum cognoſci*, viſu, auditu, tactu, Ioh. I Epiſt. I, I. Hoc eſt quod ἐφανέρωσε [*manifeſtavit*] dicitur Ioh. XXI, I.

41. Οὐ παντὶ τῷ λαῷ, *Non omni populo*] Non illis crudelibus Iudæis Ioh. XIV, 22. ubi eſt verbum ἐμφανίζειν [*manifeſtare*].

μάρτυσι τοῖς προκεχειροτονημένοις, *teſtibus præordinatis*] Χειροτονεῖν [*ordinare*] vox eſt nata quidem in Græciæ civitatibus, ubi manibus ſublatis fiebant electiones Magiſtratuum: ſed cœpit paulatim produci longiùs ad quamvis electionem, ita ut Ioſephus ὑπάρχους [*Proprætores*] dicat χειροτονουμένους [*electos*] à Cæſare. Et Philo περὶ ἄθλων [*de Præmiis*], Moſem dicit ὑπὸ Θεοῦ χειροτονηθέντα [*à Deo electum*].

42. ὅτι αὐτός ἐστιν ὁ ὡρισμένος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κριτὴς ζώντων καὶ νεκρῶν. *quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo Iudex vivorum ac mortuorum*] Matth. XXV, 31. Iohan. V, 27, 28. Actor. I, II. II Timoth. IV, I, 8. I Petri IV, 5.

43. Τούτῳ πάντες οἱ προφῆται μαρτυροῦσιν, *Huic omnes Prophetæ teſtimonium perhibent*] Vide Lucæ XXIV, 25, 26, 27. ſupra III, 18, 24.

ἄφεσιν ἁμαρτιῶν λαβεῖν διὰ τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ πάντα τὸν πιστεύοντα εἰς αὐτόν. *remiſſionem peccatorum accipere per nomen ejus omnes qui credunt in eum*] Vide quæ dicta ad Matth. XXVI, 28. Ioh. III, 18.

44. ἐπέπεσε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ πάντας τοὺς ἀκούοντας τὸν λόγον. *cecidit Spiritus Sanctus ſuper omnes qui audiebant verbum*] Anticipata rurſus gratia, ut ſupra VIII, 39. IX, 17. Erat autem hæc diſpenſatio planè neceſſaria, ut diſceret Petrus & per Petrum Apoſtoli, non negandum illis aquæ baptiſmum, quibus etiam Spiritûs Baptiſmum Deus impartiret. Minori auctoritate res tam nova obtineri non poterat: docet id nos comma ſequens. Ἐπιπίπτειν [*ſupervenire*] dicitur de Spiritu Sancto ſupra VIII, 16. XI, 15. dicitur περὶ ἐκστάσεως [*de mentis exceſſu*] ut ſupra 10. ſic & de timore, Lucæ I, 12.

45. οἱ ἐκ περιτομῆς, *ex circumciſione*] Περιτομὴ [*circumciſio*] per transnominationem *homines circumciſi*, Roman. III, 30. IV, 9. Gal. II, 7, 8, 9. οἱ ἐκ περιτομῆς, *qui nati ex circumciſis*, Gal. II, 12. Coloſſ. IV, II. Tit. I, 10. Sic Tryphon Iuſtino, Εἰμὶ δὲ Ἑβραῖος ἐκ περιτομῆς [*Sum verò Hebræus ex circumciſis natus*].

ἐκκέχυται· *effuſa eſt*] Eadem vox quæ ſupra II, 17, & 33. reſpondet Hebræo שפך Ioël. II, 28. & copiam ingentem donorum ſignificat.

46. λαλούντων γλώσσαις, *loquentes linguis*] *Variis linguis*, ut Apoſtoli & alii in primo cœtu. Supra II, 6, II.

47. τὸ ὕδωρ κωλῦσαι, *aquam prohibere*] Id ſic dicitur, ſicut *prohibetis aquas* apud Ovidium, κωλύειν ὕδωρ [*prohibere aquam*] apud Iobum XII, 15. Et κωλύειν [*prohibere*] hoc modo cum accuſativo rei poſitum habes Geneſ. XXIII, 6. Sirach. IV, 26. Lucæ VI, 29. *prohibet aquam* Deus cùm imbrem negat: *prohibet aquam* qui non ſinit bibi, & qui non ſinit lavari. De quali autem lotione hîc agatur, exponunt ſequentia.

48. Προσέταξέ τε αὐτοὺς βαπτισθῆναι, *Et juſſit eos baptizari*] Apoſtoli ad baptizandos homines, etiam aliorum utebantur operâ. Facit & qui per alium facit.

ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. *in nomine Domini Ieſu*] Ex nomine *Chriſti* tacitè intelligitur, & *qui unxit* Pater, & Spiritus *quô unctus eſt*. Vide ſupra II, 38. infra XIX, 5. Roman. VI, 3. Galat. III, 27.

Τότε ἠρώτησαν αὐτὸν ἐπιμεῖναι ἡμέρας τινάς. *Tunc rogaverunt eum ut maneret apud eos aliquot diebus*] Cornelius, & qui cum eo, Petrum rogarunt ut & hoſpes ipſorum & conviva eſſet. Qua in re obſecutus eſt eis Petrus infra XI, 3. Et ſic oſtendit Petrus ſe à Deo ſolutum præceptis illis Sapientum de vitanda familiaritate cum incircumciſis. Cibis tamen Lege vetitis eum uſum non puto: neque enim id ei objicitur capite ſequente. Nec puto quemquam Iudæum ad Chriſtum converſum id feciſſe, dum patriâ illis frui licuit.

CAPVT XI.

Τὰ ἔθνη, *Gentes*] *Homines incircumciſi*, quos Iudæi גוים [*Gentes*] vocant.

2. διεκρίνοντο, *diſceptabant*] רנו *diſputabant.*

3. Ὅτι, *Quare*] Subintellige, *Hoc querimur.*

εἰσῆλθες, καὶ συνέφαγες αὐτοῖς. *introiiſti & manducaſti cum illis*] Contra decretum Sapientum. Petrus autem non ſpernit talium decretorum auctoritatem, ſed diſertum Dei mandatum opponit.

4. Ἀρξάμενος δὲ ὁ Πέτρος ἐξετίθετο αὐτοῖς καθεξῆς, *Incipiens autem Petrus exponebat illis ordine*] Ab initio revelationis, quæ ſibi contigerat, omnia deinceps ordine expoſuit.

5. ἤμην, *eram*] Frequens vox huic Scriptori, ut ſupra X, 30. infra II, 17.

6. κατενόουν καὶ εἶδον, *conſiderabam & vidi*] Κατανοεῖν hîc eſt *conſpicere*, ut ſupra VII, 31. ἰδεῖν, *diligentiùs contemplari.*

10. ἀνεσπάσθη, *recepta ſunt*] נעלה. Sic עלה, ἀνέσπασε, [*ſublevavit*], Abac. I, 15. ſupra X, 16. pro eodem poſitum ἀνελήφθη, נלקח [*receptum eſt*].

12. καὶ οἱ ἓξ ἀδελφοὶ οὗτοι, *& ſex fratres iſti*] Qui teſtari poterant à Deo dona Spiritûs Sancti in Cornelium & domeſticos ejus effuſa.

14. ἐν οἷς σωθήσῃ σὺ καὶ πᾶς ὁ οἶκός σου. *in quibus ſalvus eris tu & univerſa domus tua*] Poſt miſſum Chriſtum noluit Deus aliam eſſe viam ad ſalutem quàm per ejus cognitionem. Ideo Cornelium in illo ſtatu Noahidarum non reliquit. Et nota non ipſi tantùm, ſed & domui ipſius bene à Deo fieri. Sic Philo in hiſtoria Angelorum qui ad Abrahamum

diverterant, Νομιστέον μέν τοι κατὰ τὴν εἴσοδον αὐτῶν ἔπι μᾶλλον ἐπιδοῦναι πάντα τὰ μέρη τῆς οἰκίας πρὸς τὸ βέλτιον, αὔρᾳ τινὶ τελειοτάτης ἀρετῆς ἐπιπνευσθέντα [*Certè ſic æſtimandum eſt, ad eorum introitum partes omnes domûs profeciſſe in melius, afflatas aurâ quadam virtutis abſolutiſſimæ*].

15. Ἐν δὲ τῷ ἄρξασθαί με λαλεῖν, *Cùm autem cæpiſſem loqui*] Id eſt, ἐν τῷ με λαλεῖν, *dum loquor*, ut ſupra I, 1.

16. τοῦ ῥήματος Κυρίου, *verbi Domini*] Sunt propriè quæ ſequuntur Iohannis Baptiſtæ verba, Matth. III, 11. Marc. I, 8. Luc. III, 16. Ioh. I, 26. Sed quæ Iohannes dixerat, probavit Chriſtus, Matth. XI, 9.

17. ἐγὼ δὲ τίς ἤμην δυνατὸς κωλῦσαι τὸν Θεόν; *ego quis eram qui poſſem prohibere Deum?*] Pro ἵνα δυνατὸς ὦ [*ut poſſim*]· *quis ego eram, ut Deo poſſim obſiſtere?* Deus eos tales vocavit ad ſalutem, non ego.

18. ἡσύχασαν, *tacuerunt*] Nihil ultra conqueſti ſunt, victi verô.

ἄραγε, *Ergo.*

τὴν μετάνοιαν ἔδωκεν, *pœnitentiam dedit*] *Dare pœnitentiam*, hîc eſt velle ignoſcere, dare effectum pœnitentiæ.

19. Οἱ μὲν οὖν διασπαρέντες, *Et illi quidem qui diſperſi fuerunt*] Illi de quibus ſupra VIII, 1. & 4.

διῆλθον ἕως Φοινίκης καὶ Κύπρου καὶ Ἀντιοχείας, *perambulaverunt usque Phœnicem & Cyprum & Antiochiam*] Latiùs explicat, quod breviter dixerat dicto loco VIII, 4. Ex his locis quosdam porrò Silæ & Timothei propinquos in Macedoniam veniſſe diximus in ſecundam ad Theſſalonicenſes.

μηδενὶ λαλοῦντες τὸν λόγον εἰ μὴ μόνον Ἰουδαίοις. *nemini loquentes verbum niſi ſolis Iudæis*] Quia ſermonem Græcum non didicerant.

20. Κύπριοι καὶ Κυρηναῖοι, *Cyprii & Cyrenæi*] Noti illis in locis in quibus frequens ſermo Græcus. Nam Cyprus & Cyrene connexa diu regno Ægyptio, in quo multus ille ſermo, præſertim Alexandriæ.

ἐλάλουν πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, *loquebantur ad Græcos*], Certò legendum πρὸς Ἕλληνας [*ad Græcos*], quomodo habet ille in Anglia Manuſcriptus. Et ita legit Syrus; vertit enim *cum Græcis*: non *cum Græcè loquentibus*, ut ſupra IX, 29. Legit eodem modo & Latinus & Arabs. Ἕλληνες [*Græci*] jam à tempore imperii Græci, id eſt, Macedonici, dicebantur Iudæis omnes incircumciſi à parte prædominante. Sic ſumitur ea vox II Mac. IV, 36. Et hinc ἑλληνικὸς χαρακτὴρ [*inſignia Græcæ religionis*] II Macc. IV, 10. ἑλληνικαὶ δόξαι [*Græcæ gloriæ*] 15. τὰ ἑλληνικά, II Macc. VI, 9. XI, 24. *inſtituta* ſcilicet *extranea*: & apud Paulum ſæpe. Cæterùm hîc propriè ſumi rectè poteſt; nam Antiochiæ multi erant Græcæ originis. Vide II Macc. VI, & ibi dicta.

εὐαγγελιζόμενοι τὸν Κύριον. *annuntiantes Dominum*] Ejus res narrantes ut ſupra V, 42.

21. ἐπέστρεψεν, *converſus eſt*] *Converterunt ſe.* Activum pro reciproco.

23. ἰδὼν τὴν χάριν τοῦ Θεοῦ, *cùm vidiſſet gratiam Dei*] Per *gratiam Dei* intellige hîc incrementum Eccleſiæ.

τῇ προθέσει τῆς καρδίας, *in propoſito cordis*] *Firmo propoſito*, quomodo πρόθεσις [*propoſitum*] ſumitur etiam II Timoth. III, 10.

25. ἀναζητῆσαι Σαῦλον. *ut quæreret Saulum*] Amicum veterem & beneficio à ſe affectum. Supra IX, 27.

26. χρηματίσαι τε πρῶτον, *ita ut cognominarentur primùm*] Χρηματίζειν pro *nominari* eſt vox melioris Græcitatis, quam & Polybius non ſemel uſurpat, Scriptor Lucæ lectus, & Paulus Rom. VII, 3.

ἐν Ἀντιοχείᾳ, *Antiochiæ*] Vbi ſedes fuerat regni ejus quod *Magog* Ezechieli, *Septentrionale* Danieli, & everſum erat ante adventum Chriſti ſecundùm oracula.

Χριστιανούς. *Chriſtiani*] Græcorum more qui à Magiſtris diſcipulos nominabant, ut *Pythagoreos*, *Platonicos*, *Ariſtotelicos*, *Epicureos*.

28. Ἄγαβος, *Agabus*] עגב [*adamavit*] unde Græcum ἀγάπη [*amor*].

ὅστις καὶ ἐγένετο ἐπὶ Κλαυδίου Καίσαρος. *quæ facta eſt ſub Claudio Cæſare*] Meminére Suetonius & Dion Claudio, & Ioſephus XX, 2.

29. Καθὼς ηὐπορεῖτό τις, *prout quis habebat*] כמצאה ידו די [*prout invenerit manus ejus ſufficientiam*]. Levit. XXV, 28.

εἰς διακονίαν, *in miniſterium*] *Ad levamentum pauperum.* Id διακονία [*miniſterium*] dicitur ſupra VI, 1. Rom. XII, 7. II Cor. VIII, 4. IX, 1, 12, 13. XI, 8.

τοῖς κατοικοῦσιν ἐν τῇ Ἰουδαίᾳ ἀδελφοῖς. *habitantibus in Iudæa Fratribus*] Qui pauperes ferme erant. Quare ſæpe eos Paulus modò Achæis, modò Macedonibus commendat.

30. πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους, *ad Seniores*] Hæc prima eſt *Presbyterorum* in Eccleſia mentio. Iudæis זקנים [*Seniores*] dicti, non ſolùm qui judiciis publicis, ſed & qui Synagogis ſingulis præerant. *Presbyteros* vertit lex ſecunda Codice Theodoſiano de Iudæis: in alia lege dicuntur *Patres Synagogarum.* Totum autem regimen Eccleſiarum Chriſti conformatum fuit ad Synagogarum exemplar. Sed & apud Græcos πρεσβυτέρους καὶ τοὺς ἀρίστους καὶ τοὺς γέροντας εἰώθασιν οἱ παλαιοὶ λέγειν [*Presbyteros antiqui & optimates appellare ſoliti erant & Senes*] ait Halicarnaſſenſis Dionyſius libro II.

διὰ χειρὸς Βαρνάβα καὶ Παύλου. *per manus Barnabæ & Pauli*] *Per Paulum & Barnabam eò miſſos.* Pro *per* Hebræi dicunt ביד [*per manum*].

CAPVT XII.

Ἐπέβαλεν Ἡρώδης ὁ βασιλεὺς τὰς χεῖρας, *Miſit Herodes Rex manus*] Hebræum eſt שלח יד, quod ſæpe vertitur ἐπιβάλλειν χεῖρα, [*injicere manum*], nonnunquam ἐκτείνειν [*extendere*], & ſignificat *ſtudium alicui rei impendere*, Gen. III, 22. Deut. XII, 7. & alibi. *Herodem* hîc rectè Syrus explicat *Agrippam*, filium nempe magni Herodis, ex qua familia quotquot erant, communi nomine *Herodes* vocabantur.

κακῶσαί τινας, *ut affligeret quosdam*] Solet ſic verti ענה Hebræum.

2. Ἀνεῖλε δὲ Ἰάκωβον τὸν ἀδελφὸν Ἰωάννου μαχαίρᾳ. *Occidit autem Iacobum fratrem Iohannis gladio*] Filium Zebedæi, υἱὸν βροντῆς [*filium tonitru*], id eſt, *eximium inter Apoſtolos*, eoque Herodi ſuſpectiorem. Ita contigit ei calix ille de quo Chriſtus erat locutus Matth. XX, 23. *Gladio* autem, quia antiquitus Reges hoc ſolo

ſupplicio in ſontes utebantur. Hæc Hieroſolymis acta ſunt. Nam præter alias tetrarchias etiam Iudæam propriè dictam à Claudio Agrippa accepit, teſte Ioſepho XIX, 4. Vide infra 19.

3. Καὶ ἰδὼν ὅτι ἀρεςόν ἐςι τοῖς Ἰουδαίοις, *Videns autem quia placeret Iudæis*] Herodis poſteri, Herodis magni exemplo, omnes actus ſuos in id dirigebant, partim ut Cæſaribus, partim ut populo Iudaïco grati eſſent, rectúmne eſſet quod agerent, an non, planè ſecuri.

προσέθετο συλλαβεῖν καὶ Πέτρον· *appoſuit apprehendere & Petrum*] Locutio Hebræa, qualis Lucæ XX, 12. & alibi.

ἦσαν δὲ ἡμέραι τῶν Ἀζύμων. *erant autem dies Azymorum*] Initium τῆς ἑορτῆς [*feſtæ diei*] ſive octo dierum. Azyma incipiunt ante Paſcha, ut diximus ad Matth. XXVI, 18.

4. τέσσαρσι τετραδίοις, *quatuor quaternionibus*] In Gloſſis, τετράδιον, *quaternio*. Quaterni per vices eum ſervabant.

βουλόμενος μετὰ τὸ Πάσχα ἀναγαγεῖν αὐτὸν, *volens poſt Paſcha producere eum*] Poſt diem eum, quo agnus edebatur, qui ob lætitiam exemptus ſuppliciis. Vide quæ ad Matth. XXVI, 5. Ἀναγαγεῖν hîc, & mox προάγειν, eſt *producere*, *publico oſtendere*.

6. κοιμώμενος μεταξὺ δύο ςρατιωτῶν, *dormiens inter duos milites*] Vides quàm anxiè ſit cuſtoditus, ut cui ne cubare quidem ſoli licuerit, quique non unâ catenâ vinctus fuerit, ſed duabus: & præter hæc ad fores aliis appoſitis cuſtodibus.

7. ἐπέςη, *adſtitit*] Idem loquendi genus quod Luc. II, 9. & XXIV, 4.

καὶ φῶς ἔλαμψεν ἐν τῷ οἰκήματι. *& lumen refulſit in habitaculo*] Vt ſupra IX, 3.

πατάξας δὲ τὴν πλευρὰν τοῦ Πέτρου, *percuſſoque latere Petri*] Vt ſolent qui aliquem volunt excitare.

8. Περίζωσαι, *Præcingere*] *Adſtringe tunicam*, ut erat moris, Ierem. XIII, 1. Cubaverat Petrus in tunica.

καὶ ὑπόδησαι τὰ σανδάλιά σου. *& calcea te caligas tuas*] Vide quæ diximus ad Marcum VI, 9.

Περιβαλοῦ τὸ ἱμάτιόν σου, *circumda tibi veſtimentum tuum*] *Iam & pallium impone tunicæ*: ut exituri ſolent.

9. οὐκ ᾔδει ὅτι ἀληθές ἐςι τὸ γινόμενον διὰ τοῦ ἀγγέλου· ἐδόκει δὲ ὅραμα βλέπειν. *neſciebat quia verum eſt quod fiebat per Angelum*; *exiſtimabat autem ſe viſum videre*] Admetus apud Euripidem,

> Ὦ θεοὶ, τί λέξω; θαῦμ' ἀνέλπιςον τόδε·
> Γυναῖκα λεύσσω τὴν δ' ἐμὴν ἐτητύμως,
> Ἢ κέρτομός με θεοῦ τις ἐμπλήσσει χαρά;
> [*Dî, quid profabor? hoc enim inſperabile*;
> *Verène thalami video conſortem mei*,
> *Aut fata fatuum gaudium objiciunt mihi?*]

Deinde,

> Ὅρα γε μή τι φάσμα νερτέρων τόδε.
> *Ne viſa ſint hæc ſede ab æterna vide.*

10. Διελθόντες δὲ πρώτην φυλακὴν, *Transeuntes autem primam cuſtodiam*] *Cuſtodiam* Latinus, rectè: Suidas, Κουςωδία τὸ τῷ δεσμωτηρίῳ ἐπικείμενον ςράτευμα [*cuſtodia cohors eſt carceri ſervando prapoſita*]. Nec aliter Heſychius.

τὴν φέρουσαν εἰς τὴν πόλιν, *quæ ducit ad civitatem*] E carcere in ipſam urbem Hieroſolymorum.

ἥτις αὐτομάτη ἠνοίχθη αὐτοῖς· *quæ ultro aperta eſt eis*] Αὐτομάτως fieri dicitur quod fit *ſine labore humano*. Vide Marci IV, 28. Levit. XXV, 5, 11. II Reg. XIX, 29. Sic αὐτοδίδακτον vocat Homerus eum, *quem Deus docuit*. Sic αὐτομάτη πυρά [*ortus ſine cauſâ apparente rogus*] Sap. XVII, 6.

11. γενόμενος ἐν ἑαυτῷ. *ad ſe reverſus*] *Vbi ad ſe redierat*, ſtupore excuſſo.

Νῦν οἶδα ἀληθῶς, ὅτι ἐξαπέςειλεν ὁ Κύριος τὸν ἄγγελον αὐτοῦ, καὶ ἐξείλετό με ἐκ χειρὸς Ἡρώδου, *Nunc ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis*,] Sentiebat in ſe impletum, quod dixerat Eſaias XXI, 14.

καὶ πάσης τῆς προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ἰουδαίων. *& de omni exſpectatione plebis Iudæorum*] Non eorum tantùm qui Hieroſolymis habitabant, ſed & qui Paſchatis cauſâ eò convenerant.

12. Συνιδών τε, *Conſiderans que*] Conſiderato ubi locorum eſſet, quæſivit proximam domum fidorum ſibi.

ἐπὶ τὴν οἰκίαν Μαρίας τῆς μητρὸς Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Μάρκου, *ad domum Mariæ matris Iohannis qui cognominatus eſt Marcus*] Mater hîc à filio ut notiore appellatur. Sic Matth. XX, 20. XXVII, 56. Marci XV, 40. Iohannem autem hunc Marcum cur alium eſſe putem ab eo qui ſcripſit Euangelium, dixi ad initium illius Euangelii.

οὗ ἦσαν ἱκανοὶ συνηθροισμένοι καὶ προσευχόμενοι. *ubi erant multi congregati & orantes*] Multi enim cœtus & multis in domibus habebantur.

13. τὴν θύραν τοῦ πυλῶνος, *oſtium januæ*] Oſtium illud quo area domui præjacens claudebatur. Vide ſupra X, 17. Matth. XXVI, 71.

προσῆλθε παιδίσκη ὑπακοῦσαι, *proceſſit puella ad audiendum*] Venit ut ex voce cognoſceret quis eſſet, ne quem temerè admitteret.

ὀνόματι Ῥόδη. *nomine Rhode*] Hebraicè חבצלת Cant. II, 1. Multa mulierum nomina à floribus, herbis, arboribus, ut *Suſanna*, *à lilio*, *Hadeſſa*, *à myrto*. Græcum nomen Ῥόδη [*Rhode*] eſt etiam in Menandri fragmentis.

15. Ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐςιν. *Angelus ejus eſt*] Ex opinione Magiſtrorum, de qua diximus ad Matth. XVIII, 10. Vide Gen. XLVIII, 16.

17. Καταςείσας δὲ αὐτοῖς τῇ χειρὶ, *Annuens autem eis manu*] Vox eſt bene Græca, quam & alibi Lucas uſurpat XIII, 16. XIX, 33. XXI, 40. Ovidius autem ita circumſcribit,

> —: *qui poſtquam voce manuque*
> *Murmura compreſſit.*

Perſius, — *Calidæ feciſſe ſilentia turbæ*
> *Majeſtate manûs.*

Heliodorus, τὴν χεῖρα προτείνας πρὸς ἡσυχίαν τὸ κλυδώνιον τοῦ δήμου κατέςελλε [*imperato manu ſilentio turbam populi compeſcuit*].

σιγᾶν, *tacere*] Id eſt, εἰς τὸ σιγᾶν [*ut tacerent*].

Ἀπαγγείλατε Ἰακώβῳ, *Nuntiate Iacobo*] Fratri, id eſt, *conſanguineo Domini*, cujus eſt quam habemus epiſtola. Ioſephus hunc vocat, τὸν ἀδελφὸν τοῦ Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου Χριςοῦ. Ἰάκωβος ὄνομα αὐτῷ [*fratrem illius Ieſu, qui Chriſtus dicebatur, Iacobus nomen ei*], Antiquæ hiſtoriæ XX, 8.

17. καὶ τοῖς ἀδελφοῖς, *& fratribus*] Iis qui in eo

loco tunc non aderant. Multis enim in locis cœtus habebant, ne nimia multitudo in unum conglobata ſuſpectiores eos faceret.

Καὶ ἐξελθὼν ἐπορεύθη εἰς ἕτερον τόπον. *Et egreſſus abiit in alium locum*] Ne fortè ibi, quò multi convenerant, quæreretur.

19. ἀνακρίνας τοὺς φύλακας, *inquiſitione facta de custodibus*] *Quæſtione de eis habita.* Vide ſupra IV, 9. & infra XXVIII, 18. & XXV, 26.

ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι. *juſſit eos duci*] Romano more hoc dixit Lucas: *duci juſſit*, nempe *ad ſupplicium.* Seneca de Ira, I, 16. *Confundit tribunal furens Piſo, ac jubet duci utrumque.*

καὶ κατελθὼν ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἰς τὴν Καισάρειαν, *deſcendensque à Iudæa in Cæſaream*] Hujus itineris meminit & Ioſephus XIX, 7.

20. θυμομαχῶν, *iratus*] Hanc quoque vocem de Polybio ſumpſit Lucas. Vtitur & Diodorus Siculus, & alii, ſignificatque *pugnaturire.*

Τυρίοις καὶ Σιδωνίοις. *Tyriis & Sidoniis*] Quæ civitates tunc ſub Romanis erant, ſed cum umbra aliqua libertatis.

ὁμοθυμαδὸν δὲ παρῆσαν πρὸς αὐτὸν, *unanimes venerunt ad eum*] Legati ex communi utriusque civitatis decreto.

τὸν ἐπὶ τοῦ κοιτῶνος τοῦ βασιλέως, *qui erat ſuper cubiculum Regis*] Hoc officio fungentes Suetonius & in Nerone & in Domitiano *Cubicularios* vocat, quo nomine etiam de privata domo agentes utuntur Cicero & Iurisconſultus Alfenus. Dicunt & Græci poſteriores κουβικουλάριον [*Cubicularium*], ut Leontius Scholaſticus in Epigrammate, Cedrenus, Menander Protector, Etymologici Scriptor. Codinus dixit κοιτωνάριον.

διὰ τὸ τρέφεσθαι αὐτῶν τὴν χώραν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς. *eò quod alerentur regiones eorum ex Regis agro*] Territorium Sidonis & Tyri anguſtius erat, quàm ut illas civitates populoſas alere frumento ſuo & vino poſſet. Itaque opus habebant ex Iudæa, Galilæa, & aliis regionibus quæ Herodis erant, talia coëmere. Vide quæ diximus ad Eſaiam XXIII, 18.

21. Τακτῇ δὲ ἡμέρᾳ, *Statuto autem die*] *Die ad hoc conſtituta*, ſecunda nempe ludorum, quos exhibebat in honorem Claudii Cæſaris. Ita Ioſephus XIX, 7.

ἐνδυσάμενος ἐσθῆτα βασιλικὴν, *veſtitus veſte regia*] Ex argento rara arte textam, quæ Solis radiis in eam incidentibus ſplendorem de ſe edebat admirabilem: idem Ioſephus.

καὶ καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, *& ſedens pro tribunali*] Βῆμα hîc eſt *ſuggeſtum poſitum in theatro*, ut ex Ioſepho diſcimus. *Omnis locus editior* βῆμα Græcis dicitur, ut & Syris בים, qua voce Syrus interpres hîc utitur.

ἐδημηγόρει πρὸς αὐτούς. *concionabatur ad eos*] Singulari quadam facundiâ.

22. Ὁ δὲ δῆμος ἐπεφώνει. *Populus autem acclamabat*] Principium facientibus aulæ aſſentatoribus.

Θεοῦ φωνὴ καὶ οὐκ ἀνθρώπου. *Dei vox & non hominis*] Hebræi eam revelationem quæ per vocem fiebat, vocabant בת קול [*filiam vocis*], qua voce hîc Syrus utitur: id his verbis Herodi tribuunt aſſentatores, Θεὸν προσαγορεύοντες [*Deum appellantes*], ait Ioſephus. Non erat Hebræis mos Reges deos appellare ob periculum vocis, cunctis ferme circum populis Reges, partim vivos partim mortuos, colentibus honore eo, qui diis erat proprius. In collegio toto Senatorum, non idem erat periculi. Itaque eos, non autem Reges, invenimus dictos אלהים [*deos*].

23. Παραχρῆμα δὲ ἐπάταξεν αὐτὸν Ἄγγελος Κυρίου, *Confeſtim autem percuſſit eum Angelus Domini*] Gravi dolore circa cor & per ventrem omnem: ſic Ioſephus. In morbis immittendis ſæpe Angelorum miniſterio Deus utitur, Exod. XII, 27. II Sam. XXIV, 16.

ἀνθ᾽ ὧν οὐκ ἔδωκε τὴν δόξαν τῷ Θεῷ. *eò quod non dediſſet honorem Deo*] Non reliquit Deo illibatum ſuum honorem. Non fecit quod Petrus ſupra X, 26: & Paulus & Barnabas infra XIV, 14, 15.

καὶ γενόμενος σκωληκόβρωτος, *& conſumptus à vermibus*] Ad exemplum Antiochi, II Macc. IX, 9. Oſtendit ſic Deus iis qui plus homine ſpirant, homines eos eſſe, id eſt, vermium eſcam.

ἐξέψυξεν, *exſpiravit*] יעף, ut ſupra V, 5.

24. Ὁ δὲ λόγος τοῦ Θεοῦ ηὔξανε καὶ ἐπληθύνετο. *Verbum autem Domini creſcebat & multiplicabatur*] Multa hominum fruge: verbum enim Euangelicum *germini* comparatur.

25. πληρώσαντες τὴν διακονίαν, *expleto miniſterio*] Cùm ſubveniſſent pauperibus Iudææ ex pecunia Antiochiæ collecta. Supra XI, 29, 30.

Ἰωάννην τὸν ἐπικληθέντα Μάρκον. *Iohanne qui cognominatus eſt Marcus*] De quo ſupra 12.

CAPVT XIII.

Κατὰ τὴν οὖσαν ἐκκλησίαν, *In Eccleſia quæ erat*] *In ea quæ ibi erat Eccleſia Chriſtianorum.*

Προφῆται, *Prophetæ*] *Inſtructi Prophetico dono*, quod à Malachiæ temporibus ad tempora Chriſti ceſſaverat. Tales, qualis Cæſareæ Agabus.

καὶ διδάσκαλοι, *& Doctores*] Sicut in Synagogis primus Senum is erat, qui docebat populum & רבי [*Magiſter*] aut ממנה [*Præpoſitus*] vocabatur, ita in Eccleſia Chriſtiana τοῦ προεστῶτος [*Præſidis*] idem erat munus: iidem ſunt πρεσβύτεροι οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ [*Presbyteri qui laborant in verbo*], I Tim. V, 17. In magnis urbibus, qualis Antiochia, ſicut multæ erant Iudæorum Synagogæ, quia omnes in unum locum coire non poterant tantis ſpatiis diviſi, ita plures Chriſtianorum conventus: ſingulis ſuus Magiſter, qui & κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*] dictus ὁ ἐπίσκοπος [*Epiſcopus*], ſicut Hebræis הזקן הגדול [*Senior magnus*]. In rebus magnis Magiſtri ex omnibus urbis regionibus coibant: ut hîc.

Συμεὼν ὁ καλούμενος Νίγερ; *Simeon qui vocabatur Niger*] Cognomen Latinum ei à Romanis datum. Habes nomen idem in Dioſcoridis initio. Etiam imperii affectator quidam ſic dictus.

Μαναὴν τε, *& Manahen*] מנחם [*Menachem*] in libro Iuchaſim. Græca vox nulla in μ terminatur. Non obſervarunt id LXX qui Iudæis ſcribebant. At Lucas qui etiam ortu Græcis ſcribebat, μ mutavit in ν vicini ſoni literam.

Ἡρώδου τοῦ τετράρχου, *Herodis Tetrarchæ*] Agrippæ minoris, qui, filius illius Agrippæ, cujus mors jam narrata, non Iudææ, ut puto, ſed Chalcidi primùm, deinde & aliis quibusdam regionibus præfuit, Tetrarchæ nomine.

σύντροφος, *collactaneus*] Σύντροφος hîc *collactaneus* vertitur à Latino interprete, ut & in Gloſſis. Exſtat vox *collactanei* apud Vlpianum in L. LI. *Collactaneus* D. de Manumiſſis vindicta. De femina, *collacteam* dixere Iuvenalis & Capella. At vocabulum συντρόφου latiùs patet, ſignificatque *eum qui à prima ætate cum altero educatus eſt*, ut II Macc. IX, 29. Atque ita utuntur Plato, Plutarchus, & alii. Nec aliter hîc accepit Syrus.

2. Λειτουργούντων δὲ αὐτῶν, *Miniſtrantibus autem illis*] Verbum λειτουργεῖν [*miniſtrare*] ſatis latè patet, ſed cùm addatur *jejunium*, rectè puto Syrum & Arabem hoc loco hanc vocem ſumpſiſſe in *precandi* ſenſu: conjungi enim ſolent *preces* & *jejunium*, Matth. XVII, 21. Marci IX, 29. Lucæ II, 37. infra XIV, 23. I Cor. VII, 5. Ideoque צבא Hebræum modò vertitur λειτουργεῖν [*miniſtrare*], modò νηστεύειν [*jejunare*].

εἶπε τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· *dixit Spiritus Sanctus*] Per Prophetas iſtos.

Ἀφορίσατε δή μοι, *Segregate mihi*] Tanquam primogenitos. Nam in Lege de primogenitis Exodi XIII, 12. eſt ἀφοριεῖς [*ſeparabis*].

εἰς τὸ ἔργον ὃ προσκέκλημαι αὐτούς. *in opus ad quod aſſumpſi eos*] Id eſt, πρὸς ὃ κέκλημαι αὐτοὺς [*ad quod vocavi eos*]. *Vocare* hîc eſt *deſtinare*.

3. ἐπιθέντες τὰς χεῖρας αὐτοῖς, *imponentes eis manus*] Invocantes Dei opem ad impoſitum ipſis miniſterium. Vide ſupra VI, 6.

ἀπέλυσαν. *dimiſerunt*] Id eſt, *vale illis dixerunt*. Sic Matth. XIV, 15, 22, 23. XV, 23.

4. κατῆλθον εἰς τὴν Σελεύκειαν, *abierunt Seleuciam*] Ibi quoque viſuri exſtinctum regnum Magog. Vt ſupra diximus XI, 25.

5. ἐν Σαλαμῖνι, *Salaminam*] In urbe quam Teucer ex patriæ ſuæ dixit nomine,

Ambiguam tellure nova Salamine futuram,

ut canit Horatius.

ἐν ταῖς συναγωγαῖς τῶν Ἰουδαίων· *in Synagogis Iudæorum*] Multi in Cypro Iudæi. Hieronymus in Chronico Euſebii ad tempora Trajani, *Salaminam Cypri, interfectis in ea gentibus, ſubvertére Iudæi.*

εἶχον δὲ καὶ Ἰωάννην, *habebant autem & Ioannem*] *Marcum* cognomine, de quo ſupra XII, 25.

ὑπηρέτην. *in miniſterio*] Obeuntem munera minora, ut in Eccleſia Diaconi. Vide quæ ad Lucam IV, 20.

6. Διελθόντες δὲ τὴν νῆσον, *Et quum perambulaſſent inſulam*] In Manuſcripto ὅλην τὴν νῆσον [*univerſam inſulam*], quia ab Oriente ad Occidentem uſque venerant.

ἄχρι Πάφου, *usque ad Paphum*] Deſtructuri Veneris cultum.

ᾧ ὄνομα Βαριησοῦς, *cui nomen erat Bar-Ieſu*] *Filius Ieſu* ſive *Ioſuæ* alicujus. Talia nomina ſunt *Barjonæ*, *Bartholomæi*, aliaque facta πατρωνυμικῶς [*per denominationem à Patre*].

7. τῷ ἀνθυπάτῳ, *Proconſule*] eſt κατάχρησις [*Abuſio*]. Propriè enim qui Cypro præerat vocabatur ἀντιστράτηγος [*Proprætor*]. Sed non mirum eſt Græcos iſta permiſcuiſſe, aut potiùs, ut egregii erant adulatores, nomen quàm honorificentiſſimum dediſſe provinciarum Rectoribus. Generale nomen eſt *Præſidis*: quo & hîc Latinè uti licet.

8. Ἐλύμας, *Elymas*] Hoc alterum erat nomen illi, qui modò dictus *Barieſus*.

ὁ μάγος, (οὕτω γὰρ μεθερμηνεύεται τὸ ὄνομα αὐτοῦ), *Magus (ſic enim interpretatur nomen ejus)*] Id eſt, Ἐλύμας [*Elymas*] ſignificat μάγον [*magum*], nempe Arabum linguâ: nam علما, *magi*. Vnde Arabem hunc fuiſſe non malè conjeceris. Vide quæ diximus ad Matth. II, 1.

ζητῶν διαστρέψαι τὸν ἀνθύπατον ἀπὸ τῆς πίστεως. *quærens avertere Proconſulem à fide*] Impedire ne crederet Euangelio.

9. Σαῦλος δὲ ὁ καὶ Παῦλος, *Saulus autem qui & Paulus*] Id eſt, qui, ex quo cum Romanis converſari cœpit, hoc nomine à ſuo non abludente, cœpit à Romanis appellari. Sic qui *Ieſus* Iudæis, Græcis *Iaſon*: Hillel, *Pollio*: Onias, *Menelaus*: Iakim, *Alcimus*. Apud Romanos Silas, *Silvanus*, ut notavit Hieronymus; Paſides, *Panſa*, ut Suetonius in Craſſitio: Diocles, *Diocletianus*: Biglinitza, ſoror Iuſtiniani, Romanè *Vigilantia*: Sic & nomina Perſica à Græcis nonnihil immutari dixit Strabo libro XII. idemque nunc facere Turcas Leunclavius.

καὶ ἀτενίσας εἰς αὐτὸν, *intuens in eum*] Vide ſupra III, 12. VI, 15.

10. καὶ πάσης ῥᾳδιουργίας, *& omni fallacia*] In Gloſſario, ῥᾳδιουργία, *falſum*. Infra XVIII, 14. habemus ῥᾳδιούργημα [*facinus peſſimum*], quo nomine Plutarchus vocat *falſi teſtamenti fabricationem*.

υἱὲ Διαβόλου, *fili Diaboli*] Diaboli ingenium referens. Vide Ioh. VIII, 44.

οὐ παύσῃ διαστρέφων τὰς ὁδοὺς Κυρίου τὰς εὐθείας; *non deſinis ſubvertere vias Domini rectas?*] *Transvertere* Tertullianus: id verò eſt *ex transverſo aliquid objicere*, quò minùs iter peragi poſſit. Vide quæ diximus ſupra 8.

11. ἡ χεὶρ τοῦ Κυρίου ἐπὶ σε· *manus Domini ſuper te*] *Manus Domini* quamvis potentem actionem ſignificat in bonum vel malum; ſed hîc in malum: & ἐπὶ valet idem quod particula ב, Ruth. I, 13.

ἐπέπεσεν ἐπ᾽ αὐτὸν ἀχλὺς καὶ σκότος· *cecidit in eum caligo & tenebræ*] Duabus vocibus expreſſit Hebræam סנורים [*Sanverim*] Gen. XIX, 11. II Sam. VI, 18.

ἐζήτει χειραγωγούς. *quærebat qui ei manum darent*] Vide ſupra IX, 8.

ἐπίστευσε, *credidit*] *Credidit Euangelio*; neque tamen ſe abdicavit magiſtratu: quod ſi factum fuiſſet, non reticuiſſet id Lucas.

13 εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας. *Pergen Pamphyliæ*] Celebrem Dianæ templo, ut Mela nos docet. Ita ubique manum cum idolis conſerebant Apoſtoli.

ἀποχωρήσας ἀπ᾽ αὐτῶν, *diſcedens ab eis*] Nempe laboris & periculorum fugiens, ut hîc ajunt Græci ſcriptores. Vide infra XV, 38.

14. εἰς Ἀντιόχειαν τῆς Πισιδίας, *Antiochiam Piſidiæ*] Non illam Syriæ de qua ſupra. De hac vide Strabonem libro XII. Hîc Apoſtolus intrare incipit eas partes in quibus Gog regnaverat & deſtructus fuerat.

15. Μετὰ δὲ τὴν ἀνάγνωσιν τοῦ νόμου καὶ τῶν προφητῶν, *Poſt lectionem autem Legis & Prophetarum*] More recepto ab Eſdræ temporibus, ut præter particulas de Lege, quod vetus erat, etiam de Prophetis particula aliqua Sabbatis ſingulis legeretur.

οἱ ἀρχισυνάγωγοι, *Principes Synagogæ*] פרנסים [*Paſtores*] ſive זקנים [*Seniores*], quorum princeps κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*], ὁ ἀρχισυνάγωγος, ראש הקהל [*Princeps Synagogæ*].

εἰ ἔστι λόγος ἐν ὑμῖν παρακλήσεως, *ſi quis eſt in vobis ſermo exhortationis*] Id eſt, *Prophetiæ*. Vide quæ diximus ſupra IV, 36.

16. καὶ κατασείσας τῇ χειρὶ, *& manu ſilentium indicens*] Repete quæ dicta ſupra XII, 17.

καὶ οἱ φοβούμενοι τὸν Θεὸν, *& qui timetis Deum*] Id eſt, οἱ σεβόμενοι τῶν Ἑλλήνων [*religioſi ex Græcis*], infra XVII, 4.

17. Ὁ Θεὸς τοῦ λαοῦ τούτου, *Deus plebis hujus*] Hoc dicit Piſidis, Iudæos digito monſtrans.

ἐξελέξατο τοὺς πατέρας ἡμῶν, *elegit Patres noſtros*] Non vulgaribus beneficiis affecit.

καὶ τὸν λαὸν ὕψωσεν, *& plebem exaltavit*] Id eſt, in gratia apud Regem eos conſtituit per Ioſephum.

ἐν τῇ παροικίᾳ, ἐν γῇ Αἰγύπτῳ, *quum eſſent incolæ in terra Ægypti*] Durante incolatu ipſorum in Ægypto. παροικία Hebraicè מגור [*peregrinatio*], ut Geneſ. XXVIII, 4.

καὶ μετὰ βραχίονος ὑψηλοῦ ἐξήγαγεν αὐτοὺς ἐξ αὐτῆς· *& in brachio excelſo eduxit eos ex ea*] Ex verbis Dei, Exodi VI, 6.

18. τεσσαρακονταετῆ χρόνον, *per quadraginta annorum tempus*] Idem ſenſus Pſalm. XCV, 10.

ἐτροποφόρησεν αὐτοὺς, *mores eorum ſuſtinuit*] *Ingratos eorum mores pertulit*. Vox hæc eſt ex LXX. Deut. I, 31. ubi Lucas rectè legit ἐτροποφόρησέ σε [*portavit te*], & non τροποφορήσει σε [*portabit te*]. In Hebræo enim eſt נשאך, id eſt, *pertulit te*: in Chaldæo סוברך [*portavit te*]. Eſt vox τροποφορεῖν bene Græca: Cicero ad Atticum XIII, 29. *In hoc* τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον [*Per Deos perfer faſtum meum*].

19. ἔθνη ἑπτὰ, *gentes ſeptem*] Sex nominantur, Exodi III, 8. *Cananæi*, *Hitthæi*, *Amorrhæi*, *Perizæi*, *Hevæi*, *Iebuſæi*. Sed addendi his *Girgazeni*, גרגשי ex Nehem. IX, 8. quos in Africam iviſſe ajunt Hebræi. Et eos nominat in Africanis rebus Procopius Vandalicorum II.

κατεκληρονόμησεν αὐτοῖς τὴν γῆν αὐτῶν. *ſorte diſtribuit eis terram eorum*] Sic habent libri antiquiores, etiam ille in Anglia. Alii κατεκληροδότησεν [*ſorte dedit*]. Nihil refert. Nam נחל in Piel, aut הנחיל in Hiphil, modò vertitur κατακληρονομεῖν [*ſorte diſtribuere*], ut Deuter. III, 28. Ioſuæ XIV, 2. & alibi; modò κατακληροδοτεῖν [*ſorte dare*], ut Deut. I, 38. Ioſ. XIX, 51.

20. Καὶ μετὰ ταῦτα ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα, *& poſtea annis circiter quadringentis & quinquaginta*] Rectiùs codex ille in Anglia, & alii quibus uſus eſt interpres Latinus, illa ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα [*quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos*] connectunt cum præcedentibus: & deinde ponunt μετὰ ταῦτα [*poſthæc*]. Anni autem illi *ferme quadringenti & quinquaginta* incipiunt ab exitu ex Ægypto, deſinunt in illud tempus quò David ex Sione ejecit Iebuſæos. Tantum temporis impenſum fuit ad collocandam gentem Hebræam in illis ſedibus. Solomon anno ab exitu quadringenteſimo octuageſimo Templum condidit, I Reg. VI, 1. Regnavit autem David per annos ferme quadraginta, II Sam. V, 5.

ἔδωκε κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου, *dedit Iudices uſque ad Samuel Prophetam*] Quaſi Dictatores cum poteſtate, non & cum pompa regia. Vide quæ ad librum Iudicum diximus.

21. Κἀκεῖθεν, *Et exinde*] *Et inde*, id eſt, *ab ipſo*. Sic Cicero, *fore unde diſcerem neminem*, pro *à quo diſcerem*: & Virgilius, *genus unde Latinum*, id eſt, *à quo*: apud Terentium, *unde petitur*, id eſt, reus *à quo petitur*.

ᾐτήσαντο βασιλέα, *poſtulaverunt Regem*] Hoc voluerunt, idque cùm adhuc Prophetam haberent, id eſt, Deum ipſum, à quo regerentur.

ἄνδρα ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν, *Virum de tribu Benjamin*] Ex qua erat & hic, melior illo Saul, regnum ſub Chriſto adeptus maximum, deſtructor myſticus Amalecitarum, mori paratus pro populo Dei, rejectus, non ut ille à Deo, ſed à ſuis popularibus Dei nomen obtendentibus.

ἔτη τεσσαράκοντα. *annis quadraginta*] Hoc referendum eſt ad id quod præceſſit ἕως Σαμουὴλ τοῦ προφήτου [*uſque ad Samuelem Prophetam*], cæteris velut per parentheſim interjectis: ut intelligatur Samuel munere ſuo Prophetico functus, partim ante Saulis regnum, partim dum conſiliis Saulem rexit, ſimul annis XL. nam quatuor tantùm ante mortem Saulis menſibus creditur Hebræis mortuus Samuel. Ita Samuel velut alter Moſes curando populum Moſis æquavit tempora.

22. Καὶ μεταστήσας αὐτὸν, *Et amoto illo*] Id eſt, *amoto è rebus humanis*: non enim ante Davidi regnum promiſſum tradere Deus voluit, quàm mortuus eſſet Saul. Sic μεταστὰς dicitur *qui obiit*, II Macc. XI, 23. & μετατίθεται, *qui ex rebus humanis aufertur*, Heb. XI, 5.

ἤγειρεν αὐτοῖς τὸν Δαβὶδ, *ſuſcitavit illis David*] הקים *erexit*, *conſpiciendum dedit*.

Εὗρον Δαβὶδ, *Inveni David*] Pſalm. LXXXIX, 21.

ἄνδρα κατὰ τὴν καρδίαν μου, *virum ſecundùm cor meum*] Id eſt, *mihi gratiſſimum*. Vide ſupra VII, 46. Aliis verbis exprimit quod in Pſalmo præceſſerat, *electum de populo*.

ὃς ποιήσει πάντα τὰ θελήματά μου. *qui faciet omnes voluntates meas*] Nempe in regendo populo. Idem eſt quod dicitur Pſalm. LXXVIII, 72.

23. Τούτου ὁ Θεὸς ἀπὸ τοῦ σπέρματος, *Hujus Deus ex ſemine*] Matth. I, 1. Lucæ I, 32.

κατὰ τὴν ἐπαγγελίαν, *ſecundùm promiſſionem*] II Samuel. VII, 12, 13, 14. Pſalm. LXXXIX, 37. Ierem. XXIII, 5. Mich. V, 2.

ἤγειρε, *ſuſcitavit*] Hoc exſcriptores poſuere ex eo quod anteceſſit de Davide: at Manuſcriptus in Anglia & alii libri perveteres habent ἤγαγε [*eduxit*], quomodo Hebræum הביא eſt, *fecit venire*.

τῷ Ἰσραὴλ, *Iſrael*] Illis primo loco: quia inter eos vixit.

σωτῆρα, *Salvatorem*] Sic vocatur Lucæ II, 11. Iohan. IV, 42. ſupra V, 31. & apud Paulum ſæpe. Eſt autem explicatio ejus quod ſequitur Ἰησοῦν [*Ieſum*]. Vide Matth. I, 21.

24. Προκηρύξαντος Ἰωάννου, *Prædicante Iohanne*] Matth. III, 1.

πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ, *ante faciem adventûs ejus*] Id eſt, antequam Ieſus munus ſuum auſpicaretur. Sic *ingredi conſulatum* dicunt & Iuriſperiti.

βάπτισμα μετανοίας, *baptiſmum pœnitentiæ*] Marci I, 4. Lucæ III, 3.

25. ὡς δὲ ἐπλήρου ὁ Ἰωάννης τὸν δρόμον, *Cùm impleret autem Iohannes curſum*] Id eſt, *cùm in curſu ſuo pergeret*. Sic *implere poſt aliquem*, in Hebraiſmo eſt *aliquem ſequi*.

Τίνα με ὑπονοεῖτε εἶναι; *Quem me arbitramini eſſe?*] *Quem me exiſtimatis eſſe*. Subintelligitur, Meſſiam. Non verba ipſa, ſed ſenſum retulit, qui eſt Ioh. I, 20.

οὐκ εἰμὶ ἐγώ, *non ſum ego*] *Is non ſum.*

ἀλλ᾽ ἰδοὺ ἔρχεται μετ᾽ ἐμέ, *ſed ecce venit poſt me*] *Poſt me munus ſuum auſpicabitur.*

οὗ οὐκ εἰμὶ ἄξιος τὸ ὑπόδημα τῶν ποδῶν λῦσαι, *cujus non ſum dignus calceamenta pedum ſolvere*] Vide quæ ad Matth. III, II. Ioh. I, 27.

26. καὶ οἱ ἐν ὑμῖν φοβούμενοι τὸν Θεόν, *& qui in vobis timent Deum*] Vide ſupra 16.

ὑμῖν ὁ λόγος τῆς σωτηρίας ταύτης ἀπεστάλη. *vobis verbum ſalutis hujus miſſum eſt*] Non alienum hîc negotium agitur. Nuntius is quem adferimus tam ad veſtram, ô Iudæi, quàm ad veſtram, pii Piſidæ, ſalutem pertinet.

27. Οἱ γὰρ κατοικοῦντες ἐν Ἱερουσαλήμ, *Qui enim habitabant Ieruſalem*] Plebs.

καὶ οἱ ἄρχοντες, *& Principes*] Senatores magni Synedrii.

τοῦτον ἀγνοήσαντες, *hunc ignorantes*] Neſcientes illum Ieſum eſſe Meſſiam promiſſum. Vide ſupra III, 17. I Cor. II, 8.

καὶ τὰς φωνὰς τῶν Προφητῶν τὰς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκομένας, *& voces Prophetarum quæ per omne Sabbatum leguntur*] Φωνὰς [*voces*] dixit פטרות [*dimiſſiones*], ita enim vocantur, partes Prophetarum in ſua Sabbata diſtributæ, ſicut Legis פרשות [*ſectiones*]. Vide infra XV, 21. Audiebant harum rerum vaticinia Sabbatis, inquit, & non intelligebant. Nam ἀγνοήσαντες [*ignorantes*] & ad *Ieſum*, & ad *propheticas voces* ſive *lectiones* refertur.

κρίναντες ἐπλήρωσαν· *judicantes impleverunt*] Hoc ad Senatores refertur, qui præjudicio ſuo Ieſum confoderunt, Matth. XXVI, 66. Lucæ XXIII, 2. Iohan. XVIII, 30. & ſic impleruntprædicta Eſaïæ LIII, & alibi. Eſt hîc ἔλλειψις [*defectus*] duplex: κρίναντες [*judicantes*] nempe αὐτόν [*eum*]· & ἐπλήρωσαν [*impleverunt*] nempe τὰς φωνάς [*voces*]· deinde κρίναντες pro κατακρίναντες [*condemnantes*], ut Matth. VII, I. Ioh. XII, 47.

28. Καὶ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου εὑρόντες, ᾐτήσαντο Πιλάτον ἀναιρεθῆναι αὐτόν. *& nullam cauſam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato ut interficerent eum*] Hoc jam ad plebem pertinet, Matth. XXVII, 22. Nullam cauſam veram habebant: neque enim in Legem, neque in ipſos peccaverat. Legem bene explicaverat, ipſos plurimis affecerat beneficiis.

29. Ὡς δὲ ἐτέλεσαν ἅπαντα τὰ περὶ αὐτοῦ γεγραμμένα, *Quumque conſummaſſent omnia quæ de eo ſcripta erant*] Poſſis exponere, *poſtquam finem habuere omnia*, ut reſpiciatur id quod dixit ipſe Chriſtus Iohan. XIX, 28, 30. Nam ſæpe activa ſenſum habent paſſivum vel abſolutum. Vide quæ dicta ad præceptum quartum Decalogi.

καθελόντες ἀπὸ τοῦ ξύλου, *deponentes eum de ligno*] Deeſt articulus ut ſæpe. Vult enim dicere, Οἱ καθελόντες ἀπὸ ξύλου, *qui eum de cruce detulerunt*, Ioſephus Arimathenſis & comites ejus. Matth. XXVII, 58, 59.

ἔθηκαν εἰς μνημεῖον, *poſuerunt in monumento*] Matth. dicto loco XXVII, 60. Marci XV, 46. Lucæ XXIII, 53. Ioh. XIX, 41.

31. τοῖς συναναβᾶσιν αὐτῷ ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας εἰς Ἱερουσαλήμ, *qui ſimul adſcenderant cum eo de Galilæa in Ieruſalem*] Non Apoſtolis tantùm, ſed & mulieribus Galilæis, quæ cum ipſo Hieroſolyma venerant, Matth. XXVII, 55.

οἵτινές εἰσι μάρτυρες αὐτοῦ πρὸς τὸν λαόν. *qui uſque nunc ſunt teſtes ejus ad plebem*] Supra X, 41. Adde ſupra I, 22, 32. III, 15. V, 32. X, 39.

32. ὑμᾶς εὐαγγελιζόμεθα τὴν πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίαν γενομένην, ὅτι ταύτην ὁ Θεὸς ἐκπεπλήρωκε τοῖς τέκνοις, *vobis annuntiamus eam quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt; quoniam hanc Deus adimplevit filiis*] Εὐαγγελίζεσθαι [*annuntiare*] hîc rurſum habemus cum accuſativo perſonæ, ut ſupra VIII, 25, 40. In ſequentibus eſt Hebraica circumductio, pro qua liceat dicere, Ὅτι τὴν ἐπαγγελίαν πρὸς τοὺς πατέρας γενομένην ἐκπεπλήρωκεν ὁ Θεός [*Quoniam repromiſſonem ad Patres factam implevit Deus*]. *Hic eſt nuntius quem adferimus vobis, impleta illa promiſſa.*

ἀναστήσας Ἰησοῦν· *reſuſcitans Ieſum*] Id eſt, *exhibens*, ut ſupra II, 30. III, 26. nam infra diſtinctè ſequitur ἀναστήσας ἐκ νεκρῶν [*ſuſcitans à mortuis*].

33. Ὡς καὶ ἐν τῷ ψαλμῷ τῷ δευτέρῳ γέγραπται. *Sicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt*] Vetus ſcriptum fuit τῷ πρώτῳ [*primo*], ut plures ex Hieronymo monuere, additâ causâ, quia olim in Hebræis codicibus Pſalmi, qui nunc primus & ſecundus dicuntur, cohærebant. Idem in aliis etiam Pſalmis evenit.

Υἱός μου εἶ σύ· ἐγὼ σήμερον γεγέννηκά σε. *Filius meus es tu; ego hodie genui te*] *O Fili mi, hodie te genui*, id eſt, *Regem te feci*, ut diximus ad Pſalmum. Hoc in Chriſto impletum, cùm *ei data omnis poteſtas & in cælo & in terra*, Matth. XXVIII, 18. Iuſtinus colloquio cum Tryphone, Τότε γένεσιν αὐτοῦ λέγων γενέσθαι, ἐξότου ἡ γνῶσις αὐτοῦ ἔμελλε γενέσθαι [*Natum eum exinde dicens, ex quo futurum erat ut noſceretur*]. Rectè: nam ſicut qui naſcuntur noſci incipiunt, ita & qui in magnum honorem evehuntur. Similia ſimilium occupant nomina. Iudæos antiquitus hunc locum ad Meſſiam retuliſſe, apparet & ex eo ipſo Iuſtini loco, & ex Davide Kimchi.

34. Ὅτι δὲ ἀνέστησεν αὐτὸν ἐκ νεκρῶν, *Quòd autem ſuſcitavit eum à mortuis*] Retro redit ad id quod de reſurrectione dixerat, oſtendens & hoc vaticiniis congruere.

μηκέτι μέλλοντα ὑποστρέφειν εἰς διαφθοράν, *ampliùs non reverſurum in corruptionem*] Non iterum moriturus, ut illi quos Elias & Eliſæus ſuſcitavére. Vide ſupra II, 27.

Ὅτι δώσω ὑμῖν τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά. *Quia dabo vobis ſancta David fidelia*] LXX in Eſaiæ LV, 3, Διαθήσομαι ὑμῖν διαθήκην αἰώνιον, τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστά [*feriam vobis pactum ſempiternum, miſericordias David fideles*]· Senſus eſt, Miſericordiam meam vobis tam conſtantem exhibebo, quàm exhibui Davidi. Genitivus hîc eſt Δαβὶδ [*David*] ſignificatque objectum, & ſubintelligitur ὡς [*tanquam*].

35. Διὸ καὶ ἐν ἑτέρῳ λέγει· *Ideoque & aliàs dicit*] *Alibi dicit*, *David* ſcilicet, quod ex remotiore loco repetitur, ut ſæpe.

Οὐ δώσεις τὸν ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*] Eſt idem locus qui ſupra II, 27.

36. Δαβὶδ μὲν γὰρ τῇ ἰδίᾳ γενεᾷ ὑπηρετήσας τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ, *David enim in ſua generatione cùm adminiſtraſſet voluntati Dei*] *Cùm per ſuam ætatem inſervisſet Dei conſiliis*, nempe in populo regendo. Vide ſupra 22.

ἐκοιμήθη, καὶ προσετέθη πρὸς τοὺς πατέρας αὐτοῦ, *dormivit & appoſitus eſt ad Patres ſuos*] Sepultus eſt. Vide ſupra II, 29.

καὶ εἶδε διαφθοράν. *& vidit corruptionem*] Aliquo tempore ſervatus fuit à morte, quæ via eſt ad diſſolutionem corporis, non in perpetuum. Eſt ἐξήγησις [*explicatio*] præcedentium, eò tendens, ut pateat locum modò productum excellentiùs in Chriſtum quàm in Davidem convenire.

37. Ὃν δὲ ὁ Θεὸς ἤγειρεν, *Quem verò Deus ſuſcitavit*] Tertio ſcilicet die.

οὐκ εἶδε διαφθοράν. *non vidit corruptionem*] Mors eum effectum in eo non habuit, ut corpus diſſolveret. Eſt duplex κατάχρησις [*Abuſio*]· nam & *videre* ponitur pro *experiri*, & *experiri* de mortuo non niſi impropriè dicitur.

38. διὰ τούτου ὑμῖν ἄφεσις ἁμαρτιῶν καταγγέλλεται. *per hunc vobis remiſſio peccatorum annuntiatur*] Vide ſupra x, 43.

39. Καὶ ἀπὸ πάντων ὧν οὐκ ἠδυνήθητε ἐν τῷ νόμῳ Μώσεως δικαιωθῆναι, ἐν τούτῳ πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. *Et ab omnibus, quibus non potuiſtis in Lege Moyſis juſtificari, in hoc omnis qui credit, juſtificatur*] Non eſt idem quod præceſſit, ſed aliud beneficium. Nam הצדיק, quod plerumque Græcè eſt δικαιοῦν [*juſtificare*] ſignificat & *purgare*: vertiturque צדק καθαρὸς ἔσται [*purus erit*], Iob. IV, 17. καθαρισθήσεται [*purificabitur*], Dan. VIII, 14. Purgatur à criminibus qui à peccandi conſuetudine liberatur. Id ἐπὶ τὸ πολὺ [*ut plurimùm*] per Legem non fiebat, Hebr. x, 1, 2. Cauſa eſt quia lex promiſſa non habebat cœleſtia. Hæc autem attulit Chriſtus, ideoque corda purificavit.

40. τὸ εἰρημένον ἐν τοῖς προφήταις. *quod dictum eſt in Prophetis*] In eo volumine quod ab Hebræis dicitur נביאים [*Prophetæ*]. Videte ne idem vobis eveniat, quod olim parentibus veſtris Vrbe & Templo exciſo, ipſis deportatis ob contemptum beneficiorum Dei. Vide Abacucum & ibi dicta.

41. Ἴδετε οἱ καταφρονηταὶ, *Videte comtemptores*] Abacuc. I, 5. *Videbitis vos qui tot monita contemnitis*, quid ſim facturus. Verum eſt quod conjecit Beza Lxx Senes pro בגוים [*in gentibus*] legiſſe בגדים [*contemptores*]: nam & in eodem Abacuco II, 5. בוגד vertitur καταφρονητής [*contemptor*].

καὶ θαυμάσατε, *& admiramini*] Contraxit Lucas ſalvo ſenſu Græca quæ ſic habent, Καὶ ἐπιβλέψατε καὶ θαυμάσατε θαυμάσια [*& inſpectate & admiramini mirabilia*].

καὶ ἀφανίσθητε. *& deformate*] Nempe τὰ πρόσωπα [*facies*], ut Matth. VI, 16. *expalleſcite*. Quomodo Lxx Senes hîc in Hebræo legiſſe videantur, diximus ad Prophetam ipſum.

ὅτι ἔργον ἐγὼ ἐργάζομαι, *quia opus operor ego*] In Lxx pro ὅτι [*quia*] eſt διότι [*quoniam*]. Apparet à Luca hæc non ex codice ſcripta, ſed quantum memoria ſuppeditabat.

ἔργον, *opus*] Hæc repetitio vocis in Græco non eſt, ſed rem efficaciter exponit.

ᾧ οὐ μὴ πιστεύσητε, *cui non credetis*] Alii codices habent ὃ [*quod*], quomodo & codex Lxx Interpretum.

42. παρεκάλουν τὰ ἔθνη, *rogabant Gentes*] Piſidæ iſti.

εἰς τὸ μεταξὺ σάββατον, *ut ſequenti ſabbato*] Omnino legendum εἰς τὸ μεταξὺ σαββάτων, *medio tempore inter duo ſabbata*. Id ideo dicunt, quia videbant Apoſtolos per ſabbata Iudæis inſtituendis vacare, ut patet ſupra XIII, 14. infra 44. XVI, 13. Olim o longum & o breve ad eandem aut ſupparem formam ſcribebatur.

43. τῶν σεβομένων προσηλύτων, *colentium advenarum*] Non τῶν ἑλλήνων [*Græcorum*], ſed eorum qui Legi Moſis ſe ſubdiderant, גרי צדק [*advenæ juſtitiæ*].

οἵτινες, *qui*] Paulus & Barnabas.

προσλαλοῦντες αὐτοῖς, *loquentes eis*] Illis Iudæis & Proſelytis.

ἐπιμένειν τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ. *ut permanerent in gratia Dei*] Ita per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] vocatur doctrina Euangelica, quæ ſummo Dei beneficio nobis contigit. Sic Heb. XII, 15. I Petr. V, 12.

44. Τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ, *ſequenti verò ſabbato*] Meliùs Manuſcriptus, τῷ δὲ ἐχομένῳ σαββάτῳ, id eſt, *ſabbato proximo*. Sic τῇ ἐχομένῃ [*ſequenti*] infra XX, 15.

45. Ἰδόντες δὲ οἱ Ἰουδαῖοι τοὺς ὄχλους, *Videntes autem turbas Iudæi*] Illos ex Gentibus, quibus ferre non poterant ſe æquari. Hoc eſt quod ζῆλον [*zelum*] vocat.

ἀντέλεγον τοῖς ὑπὸ τοῦ Παύλου λεγομένοις ἀντιλέγοντες καὶ βλασφημοῦντες. *contradicebant iis quæ à Paulo dicebantur contradicentes & blaſphemantes*] Illa ἀντιλέγοντες καὶ [*contradicentes &*] ſicut in multis aliis libris deſunt, ita & in illo optimo Manuſcripto. Pariter habentibus codicibus uſi ſunt Syrus, Latinus, Arabs.

46. Παῤῥησιασάμενοι, *conſtanter*] Nihil territi ipſorum contumeliis.

Ὑμῖν ἦν ἀναγκαῖον πρῶτον λαληθῆναι τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ. *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei*] Ἀναγκαῖον ἦν, id eſt, *oportebat*, ex Chriſti præcepto & exemplo, Matth. x, 6. XV, 24. Luc. XXIV, 47. ſupra I, 8.

ἐπειδὴ δὲ ἀπωθεῖσθε αὐτὸν, *ſed quoniam repellitis illud*] מאסתם *faſtiditis*. מאס plurimis in locis Veteris Teſtamenti vertitur ἀπωθεῖν [*repellere*], interdum ἐξουθενεῖν [*contemnere*], φαυλίζειν [*flocci facere*], aliiſque verbis. Vide ſupra VII, 39. I Tim. I, 19.

καὶ οὐκ ἀξίους κρίνετε ἑαυτοὺς τῆς αἰωνίου ζωῆς, *& indignos vos judicatis æternæ vitæ*] Eſt idem loquendi genus, L. Iudices Cod. de dignitatibus libro XII, *Nec ſibi poſthac de eo honore blandiantur, quo ſe ipſos indignos judicaverunt*. id eſt, oſtenderunt non minus clarè, quàm Iudex qui ſententiam pronuntiat. Solent actionibus nomina tribui aliarum actionum, quarum pares ſunt effectus. Vide quæ dicta libro II de Iure Belli ac Pacis XX, 2. Matth. XXVI, 12. Vide & Pſalm. CVI, 24. Prov. VIII, 36. XVII, 19.

47. Οὕτω γὰρ ἐντέταλται ἡμῖν ὁ Κύριος. *Sic enim præcepit nobis Dominus*] Chriſtus dicto loco ſupra I, 8.

Matth. XXVIII, 19. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47.

Τέθεικά σε εἰς φῶς ἐθνῶν τοῦ εἶναί σε εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς. *Poſui te in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem usque ad extremum terræ*] In verſione LXX Eſa. XLIX, 6. Δέδωκά σε εἰς διαθήκην γένους εἰς φῶς ἐθνῶν τοῦ εἶναί σε, εἰς σωτηρίαν ἕως ἐσχάτου τῆς γῆς [*Dedi te in teſtamentum generis, in lucem Gentium, ut ſis in ſalutem usque ad extremum terræ*]. Hoc de Eſaia dictum, multò magis Chriſto convenit, qui feciſſe dicitur quod fecit per Apoſtolos. Eſt autem allegatio hæc abſolutè poſita, ita ut ante eam ſubaudiatur, *ſicut ſcriptum eſt*, quod rectè ſupplent Syrus & Arabs.

48. Ἀκούοντα δὲ τὰ ἔθνη, *Audientes autem Gentes*] Piſidæ, parem ſibi à Deo honorem haberi cum Iudæis, qui ſe ſolos populum Dei vocabant.

καὶ ἐδόξαζον τὸν λόγον τοῦ Κυρίου. *& glorificabant verbum Domini*] Laudarunt Dei bonitatem in Euangelio apparentem.

καὶ ἐπίστευσαν ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. *& crediderunt quotquot erant ordinati ad vitam æternam*] Non eſt hîc προωρισμένοι, quod eſſet *prædeſtinati*, ſed nec προτεταγμένοι [*præordinati*]: verùm τεταγμένοι [*ordinati*]. Et manifeſtè hi τεταγμένοι [*ordinati*] *ad vitam æternam*, opponuntur eis, *qui ſe eâ vitâ indignos judicaverant*, id eſt, oſtenderant. Τάττειν valet שום, quod & per τιθέναι [*ponere*] ſæpe vertitur, & inter alia ſignificat *parare*. Tum verò frequens eſt Hebræis ut forma paſſiva ponatur pro reciproca, Niphal pro Hithpael: notant id Hebræorum Grammatici, Levit. XXV, 29. II Sam. XX, 10. & ſequuntur Helleniſtæ. Sic II Macc. XIV, 3. μεμολυμένος eſt *qui ſe polluerat*. Sic Rom. X, 3. οὐχ ὑπο[illegible]ησαν, *ſe non ſubjecerunt*, & Hebr. XII, 9. ὑποταγησόμεθα, *ſubjiciemus noſmet*, Iacobi IV, 7. & I Petr. V, 5. ὑποτάγητε, *ſubjicite voſmet*, & 10. ταπεινώθητε, *humiliate voſmet*, quod verbum pari ſenſu habes, I Petr. V, 6. *Parant ſe vitæ æternæ*, qui, ſi ejus ſpes detur, graviſſima ob id velint facere ac pati. Tales ſunt εὔθετοι εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, [*apti regno Dei*], ut Lucas loquitur IX, 62. & facilè credunt Euangelio, Ioh. VII, 17. Cùm hæc dicimus, non excludimus prævenientem gratiam: facere enim homines dicuntur id quod faciunt per Dei gratiam excitati, ſicut ſe dicuntur *convertere*. Eſt enim quædam gratia etiam ante fidem, quæ *Patris tractio* vocatur. Nihil vident qui ad *prædeſtinationem*, & quidem *abſolutam*, ut loquuntur, hæc verba referunt. Nam neque *prædeſtinati* omnes unius loci credunt eodem tempore, neque omnes qui credunt, ſunt eo ſenſu *prædeſtinati*. Neque id arcanum de ſingulis, qui ad ſalutem perventuri eſſent, qui non, Lucæ erat revelatum.

49. Διεφέρετο δὲ ὁ λόγος τοῦ Κυρίου, *Diſſeminabatur autem verbum Domini*] Ille ſermo de quo locutus erat Lucas ſupra 48.

50. τὰς σεβομένας γυναῖκας, *mulieres religioſas*] Proſelytas. Nam erant & proſelyti in ea urbe, ut audivimus ſupra 43.

καὶ τὰς εὐσχήμονας, *& honeſtas*] Illæ proſelytæ alias fœminas honoratas, notas ſibi, concitabant. Nomen εὐσχήμονος [*honeſti*] hoc ſenſu habuimus & Matth. XV, 43. & habebimus rurſum de fœminis, infra XVII, 12. Græci hoc loco εὐσχήμονας γυναῖκας [*mulieres honeſtas*] Romano vocabulo *matronas* interpretantur: non malè. Clemens de rebus Petri, Τῶν εὐγενῶν τὰς ἐπιφανεστάτας καὶ ἃς ὁ λόγος ματρώνας οἶδε καλεῖν [*Quæ erant inter ingenuas illuſtriores & quas matronas vulgò appellant*] Cedrenus, τὰς σώφρονας γυναῖκας ματρώνας ἐκάλουν [*honeſtas mulieres matronas appellabant*].

καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως, *& primos civitatis*] Illæ matronæ maritos ſuos incitabant. Τοὺς πρώτους τῆς πόλεως [*Primos civitatis*] habes & in Novella Iuſtiniani CXXIII. Ita vocantur Decurionum primi, Latinè *Principales*, ut apud Tertullianum & Cod. Theodoſiano. Hi erant alibi quinque, alibi decem, alibi viginti.

καὶ ἐπήγειραν διωγμὸν, *& excitaverunt perſecutionem*] Vide Matth. V, 10, 11, 12. XIII, 21. ſupra VIII, 1.

καὶ ἐξέβαλον αὐτοὺς ἀπὸ τῶν ὁρίων αὐτῶν. *& ejecerunt eos de finibus ſuis*] Exire juſſerunt pro imperio. Sic verbum id ſumitur Matth. IX, 25.

51. Οἱ δὲ ἐκτιναξάμενοι τὸν κονιορτὸν τῶν ποδῶν αὐτῶν, *At illi excuſſo pulvere pedum ſuorum*] Non rem tantùm, ſed & rei ſymbolum obſervarunt, juxta Domini verba, Matth. X, 14. ubi dicta vide.

ἐπ᾽ αὐτοὺς, *in eos*] *Adverſus ipſos: in teſtimonium contra ipſos*, ut eſt Luc. IX, 5.

εἰς Ἰκόνιον. *Iconium*] Vrbem Lycaoniæ. Strabo XII.

52. Οἱ δὲ μαθηταὶ, *Diſcipuli quoque*] Qui Pergis Euangelio crediderant.

ἐπληροῦντο χαρᾶς, *replebantur gaudio*] Ob acceptam peccatorum remiſſionem & promiſſa cœleſtia.

καὶ πνεύματος ἁγίου. *& Spiritu Sancto*] Donis ad obſignandam fidem.

CAPVT XIV.

Ἐγένετο δὲ ἐν τῷ Ἰκονίῳ, *Factum eſt autem in Iconio*] Hîc Paulo adfuit Timotheus II Timoth. III, 10, etiam antè Paulo notus & ſæpe itinerum ejus comes, adhuc puer aut adoleſcens cùm eſſet. Latinus interpres *in Iconio* hîc dixit, Græcum ſecutus. Sic *in Berenice*, *in Hiſpali*, apud Plinium, ſed ubi vox *urbis* aut *oppidi* ſequitur.

κατὰ τὸ αὐτὸ, *ſimul*] Vt ſupra II, 1. nempe Paulus & Barnabas & eorum comites, in quibus Timotheus, pariter ingreſſi ſunt Synagogam.

2. ἐκάκωσαν τὰς ψυχὰς τῶν ἐθνῶν, *ad iracundiam concitaverunt animas Gentium*] Κακοῦν [*ad iracundiam concitare*] dixit quod alii κακώσειν. Loquitur ſic & Dioſcorides aliquoties.

3. τῷ μαρτυροῦντι τῷ λόγῳ, *teſtimonium perhibente verbo*] *Auctoritatem Deo dante ſermoni*. Sic & infra XV, 8. Ioh. V, 37.

τῆς χάριτος, *gratiæ*] Sic & infra XX, 24, 32. εὐαγγέλιον χάριτος [*Euangelium gratiæ*]. Et breviùs διὰ τῆς χάριτος [*per gratiam*], id eſt, *per Euangelium*, infra XVIII, 27. quòd ex ſumma Dei bonitate is nuntius proceſſit.

4. Ἐσχίσθη δὲ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως. *Diviſa eſt autem multitudo civitatis*] Simile Ioh. VII, 43.

5. ὁρμὴ, *impetus*] Reſpondet Hebræo שאון quod *tumultum* ſignificat.

σὺν τοῖς ἄρχουσιν αὐτῶν, *cum Principibus ſuis*] Supra XIII, 50.

ὑβρίσαι καὶ λιθοβολῆσαι αὐτοὺς, *ut contumeliis afficerent & lapidarent eos*] Simile illud Matth. XXII, 6. ὕβρισαν ϗ ἀπέκτειναν [*contumeliis affectos occiderunt*]. Vide & I Theſſ. II, 2.

6. κατέφυγον εἰς τὰς πόλεις, *confugerunt ad civitates*] Non tam ſuæ vitæ cauſâ, quàm ne tempus inutiliter periret, quod alibi fructuoſiùs impendi poterat. Vide Matth. x, 23.

Λύστραν ϗ Δέρβην, *Lyſtram & Derben*] Derbes meminit Ptolemæus. Λύστρια [*Lyſtria*] habet Stephanus in urbibus. Hic modò Λύστρα Λύστρας [*Lyſtra Lyſtræ*], modò Λύστρα Λύστρων [*Lyſtra Lyſtrorum*] declinat.

8. ἀδύνατος τοῖς ποσὶν, *infirmus pedibus*] Nihil peccavit qui vertit *debilis*. Mæcenas,

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxâ.

Vide controverſiam Senecæ, quæ inſcribitur *Debilitans expoſitos*.

χωλὸς ἐκ κοιλίας μητρὸς αὐτοῦ, *claudus ex utero matris ſuæ*] Simile loquendi genus Matth. XIX, 12, & ſupra III, 2. Incurabilia ſunt humanâ ope vitia quæ cum aliquo nata cum eo adoleverunt.

ὃς οὐδέποτε περιεπεπατήκει. *qui nunquam ambulaverat*] Manuſcriptus περιεπάτησε [*ambulavit*].

9. ὅτι πίστιν ἔχει τοῦ σωθῆναι, *quia fidem haberet ut ſalvus fieret*] Nempe *à malo ſuo*. Vide Matth. IX, 28. & ibi dicta.

10. Ἀνάστηθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου ὀρθός. *Surge ſuper pedes tuos rectus*] Similis locutio ſupra III, 6.

καὶ ἥλλετο, *& exſilivit*] Vide ſupra III, 8.

Λυκαονιστὶ, *Lycaonicè*] Linguâ Cappadocum.

λέγοντες, Οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς. *dicentes, Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos*] Id interdum factum credebant Gentes. Homerus,

Καί τε θεοὶ ξείνοισιν ἐοικότες ἀλλοδαποῖσι
Παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστρωφῶσι πόληας.
[*Sæpe etiam ſimiles errantibus hoſpitibus dî*
Sub variis formis hæc atque illa oppida viſunt.

Catullus,

Præſentes namque antè domos inviſere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cœlicolæ nondum ſpretâ pietate ſolebant.

Iupiter apud Ovidium primo Metamorphoſeon,

Et deus humana luſtro ſub imagine terras.

12. τὸν δὲ Παῦλον Ἑρμῆν· *Paulum verò Mercurium*] Solebat enim Iupiter Mercurium ſecum ducere, ut vides in Amphitruone Plauti. Ariſtides de Demoſthene, Ὃν ἐγὼ φαίην ἂν Ἑρμοῦ τινος λογίου τύπον εἰς ἀνθρώπους κατελθεῖν [*Quem ego dicere auſim facundi cujusdam Mercurii expreſſam imaginem ad homines deſcendiſſe*]. Themiſtius oratione I, Ὡς ἄρα ὁ Ἑρμῆς καταλιπὼν τὸν Δία τε καὶ τὸν οὐρανὸν σαρκία μικρὰ περιθέμενος ἐν τῇ πόλει ἡμῶν περινοστεῖ [*Non aliter ergo ac ſi Mercurius cœlo & Iove relicto exigua quadam carnalitate circumdatus in urbe noſtra perambulat*].

ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. *quoniam ipſe erat Dux verbi*] Id eſt, *plurimùm loquebatur*. Alluſum videri poteſt ad cognomen Mercurii, ἡγεμὼν [*Dux*]. Philo de Mercurio, Τὸν ἑρμηνέα ϗ προφήτην τῶν θείων, ἀφ᾽ οὗ καὶ Ἑρμῆς ὠνόμασται [*Deorum internuncium atque interpretem, unde illi Hermetis nomen eſt*]. Iuſtinus Apologetico ſecundo, Ἑρμῆν μὲν λόγον τὸν ἑρμηνευτικὸν καὶ πάντων διδάσκαλον [*Mercurium quidem ſermonem interpretem ac doctorem omnium*].

13. τοῦ Διὸς τοῦ ὄντος πρὸ τῆς πόλεως αὐτῶν, *Iovis, qui erat ante civitatem eorum*] More Gentium Iovis ſimulacro Iovis nomen dedit. πρὸ τῆς πόλεως [*ante civitatem*], id eſt, *ad portam*. παρὰ τὴν θύραν τῆς πόλεως [*ad portam civitatis*], II Reg. VII, 3, 10. Sic Venus *extra urbem*, in Rudente Plautina.

ταύρους, *tauros*] ---- *Et maxima taurus*
Victima. --- Virgilius.

ϗ στέμματα, *& coronas*] *Coronas*, quas ipſis diis imponerent. Epiſtola Ieremiæ 9, Κατασκευάζουσι στεφάνους ἐπὶ τὰς κεφαλὰς τῶν θεῶν αὐτῶν [*Fabricant coronas ſuper capita deorum ſuorum*]· ad quem locum allata à nobis vide. Etiam Dianam Epheſiam fuiſſe coronatam teſtes ſunt Pauſanias & Dionyſius Halicarnaſſenſis.

ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, *ante januas*] Ante fores ædium, in quibus Paulus & Barnabas diverſabantur.

ἤθελε θύειν. *volebat ſacrificare*] *Immolare, mactare, porricere*, quomodo diis fieri ſolebat.

14. διαρρήξαντες τὰ ἱμάτια αὐτῶν, *conſciſsis tunicis ſuis*] Vt in ſummo dolore. Vide dicta ad Matth. XXVI, 65.

εἰσεπήδησαν εἰς τὸν ὄχλον, *exſilierunt in turbam*] Intrare cum illa pompa volentibus ivere obviam.

15. Ἄνδρες τί ταῦτα ποιεῖτε; *Viri quid hæc facitis?*] Non hoc feciſſet Empedocles qui ſtuduit, ut ait Horatius, *Deus immortalis haberi*, & de ſe ſcripſit,

--- Ἐγὼ δ᾽ ὑμῖν θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός.
[--- *Sum immortalis Deus, & non morte peribo*].

καὶ ἡμεῖς ὁμοιοπαθεῖς ἐσμεν ὑμῖν ἄνθρωποι, *& nos mortales ſumus ſimiles vobis homines*] Sic Iacob. V, 17. Ἠλίας ἄνθρωπος ἦν ὁμοιοπαθὴς ἡμῖν [*Elias erat homo ſimilis nobis paſsibilis*]· id eſt, *cibi & potûs indigi, morbis mortique obnoxii*. Sic ὁμοιοπαθῆ γῆν [*terram ſimiliter factam*] dixit Sapiens Hebræus VII, 3. Vtunturque eadem voce, Plato, Ariſtoteles, Theophraſtus.

ἀπὸ τούτων τῶν ματαίων, *ab his vanis*] Μάταια אלילים [*res nihili*] Zachar. XI, 17. הבלים [*vanitates*] I Reg. XVI, 13. & alibi ſæpe: כזבים [*mendacia*] Amos II, 4. Quibus nominibus Hebræi deos Gentium vocant, quippe inania hominum commenta, deos ſine re.

ἐπὶ τὸν Θεὸν τὸν ζῶντα, *ad Deum vivum*] Qui non moritur, ut Reges illi in deos conſecrati, ſed ſemper vivit agitque.

ὃς ἐποίησε τὸν οὐρανὸν ϗ τὴν γῆν ϗ τὴν θάλασσαν ϗ πάντα τὰ ἐν αὐτοῖς. *qui fecit cælum & terram & mare & omnia quæ in eis ſunt*] Vt ſupra IV, 24. Hâc notâ Deus optimè diſtinguitur à diis falſis, Ieremiæ X, 11. Egregiam hîc habemus formam orationis, quam imitari debeant qui apud populos in idololatria educatos Euangelium prædicant.

16. Ὃς ἐν ταῖς παρῳχημέναις γενεαῖς, *Qui in præteritis generationibus*] Longo jam tempore, ex quo vixit Ioſephus Iacobi filius.

εἴασε πάντα τὰ ἔθνη πορεύεσθαι ταῖς ὁδοῖς αὐτῶν. *dimiſit omnes Gentes ingredi vias ſuas*] Hoc comparatè dictum, ut ſequentia oſtendunt. Nec Legem illis dedit, quibus pravos cultus compeſceret, nec Prophetas.

17. Καὶ τοίγε οὐκ ἀμάρτυρον ἑαυτὸν ἀφῆκεν, *Et quidem non ſine teſtimonio ſemetipſum reliquit*] Dedit tamen unde diſcerent, quanquam non tanta quanta Hebræis. Scriptor egregius de vocatione Gentium, I, 5, *Quamvis ergo hæc & multa ſimilia veritatis Scriptura pronuntiet, ſecundùm tamen ipſam credimus & piiſſimè confitemur, quòd nunquam univerſitati hominum Divinæ Providentiæ cura defuerit: quæ licet exceptum ſibi populum ſpecialibus ad pietatem direxerit inſtitutis, nulli tamen nationi hominum Bonitatis ſuæ dona ſubtraxit, ut Propheticas voces & præcepta Legalia convincerentur in elementorum obſequiis ac teſtimoniis accepiſſe; unde & inexcuſabiles facti ſunt, quia deos ſibi dona fecerunt, & quæ creata ſunt ad utendum, venerati ſunt ad colendum,* & II, 4: *Quamvis enim ſpeciali curâ atque indulgentiâ Dei, populum Iſraëliticum conſtat electum, omneſque alias nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam permiſſæ ſunt vivere voluntatem, non ita tamen ſe æterna Creatoris Bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret. Cœlum quippe ac terra ac mare omniſque creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis utilitatem, ut natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur Auctoris, implente omnia Spiritu Dei, in quo vivimus, movemur & ſumus.* & 10: *Manifeſtarunt enim Divinorum eloquiorum multæ auctoritates, & continua omnium ſeculorum experimenta docuerunt, juſtam Dei miſericordiam miſericordemque juſtitiam, nec alendis unquam corporibus hominum nec docendis juvandiſque eorum mentibus defuiſſe. Semper enim pluit ſuper bonos & malos, ſemper Solem ſuum oriri fecit ſuper juſtos & injuſtos, ſemper vitales auras præbuit, ſemper diei & noctis viciſſitudines miniſtravit, ubertatem agris, multiplicationem ſeminibus, fœcunditatem generandis hominibus ſemper impendit.* & 15: *Adhibita enim ſemper eſt univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ: quæ parcioris occultioriſque gratiæ, ſufficit tamen, ſicut Dominus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium.* Ait Plotinus, *Si Mundi vocem audiremus, nihil aliud eum dicere, quàm Deus me fecit: non Cretenſis Iupiter, aut Arcas Mercurius, ſed Deus ille* ἄγνωστος [*ignotus*], *de quo Paulus ad Athenienſes.*

ἀγαθοποιῶν, *benefaciens*] מטיב. Nam הטיב vertitur per ἀγαθοποιεῖν [*benefacere*] Num. x, 32. Iud. xvii, 13. Exſtat idem verbum Tob. xii, 14. i Macc. xi, 33. ii Macc. i, 2. Marci iii, 4. Lucæ vi, 9, 33: apud Petrum etiam & Iohannem. Pro eodem ἀγαθουργεῖν [*bene agere*], i Timoth. vi, 18. & hîc Manuſcriptus ille habet ἀγαθουργῶν [*bene agens*]; Optimè autem hæc vox connectetur cum ſuperioribus. Satis enim memoriam ſui inſculpſit illorum animis, qui non ceſſat perpetuò eis benefacere.

οὐρανόθεν ἡμῖν ὑετοὺς διδοὺς, *de cœlo dans pluvias*] Aratus,

Ὕδατος ἐρχομένοιο Διὸς πάρα. --
[*Cùm nobis imber venit ab Iove.* --]

καὶ καιροὺς καρποφόρους, *& tempora fructifera*] Ver, æſtatem, autumnum.

ἐμπιπλῶν τροφῆς, *implens cibo*] Frumento.

καὶ εὐφροσύνης, *& lætitia*] Id eſt, *vino*, Sirach. xxxi, 35, 36.

19. ἀπὸ Ἀντιοχείας καὶ Ἰκονίου, *ab Antiochia & Iconio*] Ab Antiochia Piſidiæ & Iconio Lycaoniæ urbibus venére aliqui eorum qui jam hoſtilem animum in Apoſtolos induerant. Supra xiii, 50. xiv, 2. Adde ii Timoth. iii, 11, ubi hujus capitis hiſtoria attingitur.

καὶ λιθάσαντες τὸν Παῦλον, *& lapidato Paulo*] In Manuſcripto, λιθοβολήσαντες. Perinde eſt utrum legas: nam & λιθάζειν [*lapidare*] & λιθοβολεῖν in uſu eſt Græcorum, etiam in his libris. Quod hîc narratur id eſt cujus meminit Paulus ii Corinth. xi, 25.

20. ἀναστὰς, *ſurgens*] De eo loco ubi pro mortuo jacuerat.

εἰς Δέρβην. *in Derben*] De qua ſupra 6.

22. καὶ ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. *& quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*] Rom. viii. & ii Cor. paſſim. Hoc præfiguraverant moleſtiæ itineris per deſertum Moſis tempore.

23. Χειροτονήσαντες, *Cùm conſtituiſſent*] Solet quidem χειροτονεῖν [*conſtituere*] ſumi de quavis electione, etiam quæ ab uno vel paucis fit. Sed & electioni, de qua agitur, acceſſiſſe conſenſum plebis credibile eſt, ob id quod in re minori ſupra habuimus vi, 2, 8.

παρέθεντο αὐτοὺς τῷ Κυρίῳ, *commendaverunt eos Domino*] Ieſu optimo cuſtodi.

24. ἦλθον εἰς Παμφυλίαν. *venerunt in Pamphyliam*] Sua veſtigia retro legentes. Vide ſupra xiii, 13.

κατέβησαν εἰς Ἀττάλειαν· *deſcenderunt in Attaliam*] Attaliam Ptolemæus in ora maritima Pamphyliæ ponit poſt Lyciam. Sic & Strabo. Alii Lyciæ attribuunt. Sed provinciarum fines à Romanis ſæpe mutati. Nomen habet ab Attalo uno Regum regni Gog, ut Hebræi loquuntur.

26. εἰς Ἀντιόχειαν· *Antiochiam*] Nempe *Syriæ*, ut ſequentia oſtendunt, collata cum iis quæ ſupra xiii, 1, 2, 3, 4, 13, 14.

27. ὅσα ἐποίησεν ὁ Θεὸς μετ᾽ αὐτῶν, *quanta feciſſet Deus cum illis*] Id eſt, quanto honore eos affeciſſet Deus per tot hominum converſionem. Similis locutio Pſalm. cxix, 123. Lucæ i, 72, & alibi.

καὶ ὅτι ἤνοιξε τοῖς ἔθνεσι θύραν πίστεως. *& quia aperuiſſet Gentibus oſtium fidei*] Id eſt, *occaſionem dedit in ſe credendi.* Idem loquendi genus i Corinth. xvi, 9. ii Cor. ii, 12. Coloſſ. iv, 3.

CAPVT XV.

Καί τινες, *Et quidam*] Quidam ex Iudæis Antiochenſibus. Quidam Iudæi, non omnes, ita ſentiebant, *neminem hominum ſervari poſſe niſi circumcideretur, totique Moſis Legi, ut unicæ ad ſalutem viæ, ſe ſubjiceret*, quomodo hic locus explicatur in Conſtitutionibus quæ dicuntur Clementis vi, 12. Alii tamen ſentiebant etiam eos qui erant חסידי אומות [*pii ex Gentibus*] poſſe ſervari, nimirum quia ipſa circumciſio non erat imperata, niſi Abrahami poſteris, Geneſ. xvii, 10, 11, 12. nec lex Moſis, niſi Iſraëlitis. Ananias Iudæus Izati Adiabeno apud Ioſephum xx, 2. δυνάμενον γὰρ αὐτὸν ἔφη καὶ χωρὶς τῆς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν [*poſſe eum dixit & ſine circumciſione Deum colere*].

colere]. Tryphon hæſitanter loquitur apud Iuſtinum, Μένοντι γάρ σοι ἐν ἐκείνῳ τῷ τῆς φιλοσοφίας τρόπῳ καὶ ζῶντι ἀμέμπτως ἐλπὶς ὑπελείπετο ἀμείνονος μοίρας [*Nam ſi in illo Philoſophiæ perſtitiſſes genere atque extra reprehenſionem vixiſſes, reliqua tibi eſſet ſpes ſortis melioris*]. Ex his duabus ſententiis leniorem Deus probavit.

τῷ ἔθει Μωσέως, *ſecundùm morem Moſis*] כדרך משה, *ſecundùm Moſis inſtituta*. Erat quidem circumciſio antiquior, ſed à Moſe etiam præcepta, Iohan. VII, 22.

2. Γενομένης οὖν στάσεως, *Facta ergo ſeditione*] Ex acerbatione animorum orta. Ita ריב modò στάσις [*ſeditio*] vertitur, modò παραπικρασμός [*exacerbatio*].

καὶ συζητήσεως οὐκ ὀλίγης τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Βαρνάβᾳ, *& diſquiſitione non minima Paulo & Barnabæ*] Hi dativi ad συζήτησιν [*diſquiſitionem*] pertinent, non ad στάσιν [*ſeditionem*]. Paulo & Barnabæ impoſita neceſſitas cum illis hominibus diſputandi. Vti potuit Paulus iis quæ Prophetæ dixerant Nehemani, Nabuchodonoſori, Cyro.

ἔταξαν, *ſtatuerunt*] Nempe οἱ ἀδελφοὶ [*fratres*], tota Eccleſia.

πρὸς τοὺς Ἀποστόλους καὶ πρεσβυτέρους, *ad Apoſtolos & Presbyteros*] Apoſtoli, quanquam in ſe juris ſatis haberent & donorum Dei & auctoritatis, exemplo ſuo docebant Epiſcopos nihil agere ſine Presbyterorum conſilio, probantes laudabilem Synagogæ morem.

περὶ τοῦ ζητήματος τούτου. *ſuper hac quæſtione*] Si qua inter Iudæos quæſtio oriretur, unde juſtus erat ſchiſmatis metus, adibatur Synedrium inſtructum viris doctiſſimis, idque ex Lege quæ eſt Deut. XVII, & ſequentibus. Sic Chriſtiani, ubi tale quid inter ipſos ortum eſſet, ibant conſultatum Hieroſolyma, ubi Petrus erat & Iohannes & Iacobus, fortè & alii quidam Apoſtolorum & Seniores egregii. Quod tunc fuit urbs Hieroſolyma, id deſtructis Hieroſolymis facta eſt Roma, ubi magna copia eruditorum, tum qui in urbe habitabant, tum qui aliunde eò adventabant; ita ut Synodus Romana Concilii univerſalis (quale niſi ſub Imperatoribus Chriſtianis haberi non potuit, nec ſub illis ſemper) vim aliquatenus in ſe contineret: eóque magis quòd ab ea Synodo etiam aliarum regionum Epiſcopi per epiſtolas cõnſuli ſolerent.

3. Οἱ μὲν οὖν προπεμφθέντες ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας, *Illi ergo deducti ab Eccleſia*] Id eſt, *aliquouſque deducti à fidelium quibuſdam*. Nam προπέμπειν non eſt *comitem ſe dare itineri*: ſed *honoris cauſâ aliquouſque proſequi*, unde nomen habent carmina προπεμπτικά.

τὴν ἐπιστροφὴν τῶν ἐθνῶν· *converſionem Gentium*] *Ad Deum*: nempe Cornelii, Antiochenſium, Cypriorum, Piſidarum, Pamphyliorum, Lycaoniorum, Lyciorum.

καὶ ἐποίουν χαρὰν μεγάλην πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς. *& faciebant gaudium magnum omnibus fratribus*] Ob tanta Eccleſiæ incrementa.

4. ὅσα ὁ Θεὸς ἐποίησε μετ᾽ αὐτῶν. *quanta Deus feciſſet cum illis*] Vide ſupra XIV, 27.

5. Ἐξανέστησαν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς αἱρέσεως τῶν Φαρισαίων τῶν πεπιστευκότων, *Surrexerunt autem quidam de hæreſi Phariſæorum qui crediderunt*] Sicut Antiochiæ quidam è Iudæis facti Chriſtiani, ita & Hieroſolymis quidam duriorem illam defendebant ſententiam.

6. Συνήχθησάν τε οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι, *Conveneruntque Apoſtoli & Seniores*] Sedentes plebe adſtante, qui & poſtea mos Chriſtianis. Confer quod eſt infra 12.

7. ἀφ᾽ ἡμερῶν ἀρχαίων, *ab antiquis diebus*] Pari ſenſu Aſaph uſurpat ימים מקדם, ubi LXX ἡμέρας ἀρχαίας [*dies antiquos*], pro iis quæ ante annos aliquot evenerant.

ἐν ἡμῖν ἐξελέξατο, *in nobis elegit*] Eſt Hebræa conſtructio, qualis I Sam. XVI, 9, 10. I Reg. VIII, 16. II Paral. VI, 5. VIII, 6. *Nos ipſi placuimus. Nos*, modeſtè, id eſt, *ego*: ut,

-- *Et nos aliquod nomenque decuſque*
Geſſimus.

διὰ τοῦ στόματός μου ἀκοῦσαι τὰ ἔθνη τὸν λόγον τοῦ εὐαγγελίου, *per os meum audire Gentes verbum Euangelii*] *Vt alienigenæ ex me diſcerent Euangelicam doctrinam.*

8. Καὶ ὁ καρδιογνώστης Θεὸς ἐμαρτύρησεν αὐτοῖς, *Et qui novit corda Deus teſtimonium perhibuit illis*] *Teſtimonium ipſis reddidit corda illorum eſſe purgata*, ut jam ſequetur; alioqui Spiritum Sanctum illis non daturus.

καθὼς καὶ ἡμῖν· *ſicut & nobis*] Qui circumciſi ſumus, & Moſis inſtituta obſervamus.

9. τῇ πίστει καθαρίσας τὰς καρδίας αὐτῶν, *fide purificans corda eorum*] Cùm ergo mundati ſint, non debent ampliùs immundis accenſeri, Vide ſupra X, 15, 28. Iuſtinus contra Tryphonem de Chriſtiana Religione, διὰ ταύτης τῆς ὁδοῦ, δίδοσθαι παντὶ ἀνθρώπινον νοῦν [*per hanc viam, unicuique dari humanam mentem*].

10. Νῦν οὖν τί πειράζετε τὸν Θεὸν, *Nunc ergo quid tentatis Deum*] *Cur Deum offenditis?* ut ſupra V, 9. Qui Deum offendit, patientiam ejus tentat: offendit autem qui voluntati ejus ſufficienter revelatæ obſtrepit.

ἐπιθεῖναι ζυγὸν ἐπὶ τὸν τράχηλον, *imponere jugum ſuper cervices*] Dicitur hoc de ſervitute, ut Ieremiæ XXVIII, 14. Rabbini uſurpant de doctrina quæ aliquid omnino faciendum inculcat. Vide quæ diximus ad Matth. XXIII, 4. Dicunt pro eodem Rabbini טרח, id eſt, βαρύνειν [*aggravare*], cui contrarium eſt קלל, κουφίζειν [*allevare*], pro *docere aliquid non eſſe neceſſarium*.

ὃν οὔτε οἱ πατέρες ἡμῶν, οὔτε ἡμεῖς ἰσχύσαμεν βαστάσαι; *quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus?*] Id eſt, Tulimus, ſed cum moleſtia, ob ingentem illum numerum præceptorum ritualium, quem videre potes apud Moſem de Kotzi. Dicimur *non poſſe*, quod perdifficile eſt, ut Matth. VI, 24. Marci I, 45. Lucæ XI, 7. Iohan. VI, 60. Oſtendit quàm durum ſit, onus tam moleſtum iis imponi, quos Deus velit ab eo eſſe liberos.

13. ἀπεκρίθη, *reſpondit*] *Loqui cœpit*, ut ſupra III, 12, & alibi.

Ἰάκωβος, *Iacobus*] Quia non minùs Petrus ob Cornelium, quàm Paulus ob alios ad Eccleſiam admiſſos accuſabatur: Iacobi, qui proximam Petro habebat auctoritatem, erat primam ſententiam dicere.

14. Συμεών, *Symeon*] Hebræum nomen eſt שמעון [*Schimeon*], Geneſ. XXIX, 33. Id Græcis litteris ſcribitur Συμεὼν [*Symeon*], ut Lucæ II, 25: poſito υ, pro *Hiric* & ε pro *Scheva*. Græci verò pro eo uſurparunt

parunt nomen Græcum ſoni ſimilis Σίμων [*Simon*], ut Sirach. L, 1. Ioſephus & noſtri ſcriptores. Sed hîc Lucas Hebraïcam pronuntiationem ſecutus eſt, quia Hebræum inducit loquentem Hebræis. Syrus & hîc & alibi eodem modo id nomen expreſſit. Errant qui de Simeone illo agi putant, cujus Lucas meminit dicto cap. 11. Breviter repetit Iacobus à Petro dicta.

πρῶτον, *primùm*] Nempe in perſona Cornelii.

ἐπεσκέψατο λαβεῖν, *viſitavit ſumere*] Similis eſt locutio Ierem. XXXII, 41. Καὶ ἐπισκέψομαι τοῦ ἀγαθῶσαι αὐτούς [*Et viſitabo ad beneficiendum eis*]· ubi in Hebræo, וששתי עליהם להטיב אותם, *gaudebo de ipſis, benefaciendo ipſis.*

ἐξ ἐθνῶν λαὸν ἐπὶ τῷ ὀνόματι αὐτοῦ. *ex Gentibus populum nomini ſuo*] Ante erant quidam in Gentibus, qui Deum invocabant, & Dei timentes dicebantur, ſed cœtum non faciebant.

16. Μετὰ ταῦτα ἀναστρέψω, καὶ ἀνοικοδομήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀνοικοδομήσω, *Poſthac revertar & reædificabo tabernaculum David quod decidit, & diruta ejus reædificabo*] Locutio Hebraïca, quæ hoc ſignificat, *reponam domum Davidis collapſam.* Nam Hebræis omne habitaculum σκηνὴ dicitur, quia ea habitatio vetuſtiſſima. Clarius explicare voluit quod ſic verterunt LXX, Ἐν τῇ ἡμέρᾳ ἐκείνῃ ἀναστήσω τὴν σκηνὴν Δαβὶδ τὴν πεπτωκυῖαν, καὶ τὰ κατεσκαμμένα αὐτῆς ἀναστήσω [*In die illo ſuſcitabo tabernaculum Davidis collapſum, & diruta ejus ſuſcitabo*].

καὶ ἀνορθώσω αὐτήν. *& erigam illud*] In LXX eodem ſenſu, propiùs ad verba Hebraïca, καὶ οἰκοδομήσω αὐτὴν καθὼς αἱ ἡμέραι τοῦ αἰῶνος [*& ædificabo illud ſicut dies antiquos*]. *Reſtituam eam, qualis olim fuit.* Deus minus promittit, plus facit. Reſtituit enim domum Davidis in Ieſu, & ad ſplendorem multò majorem.

17. Ὅπως ἂν ἐκζητήσωσιν οἱ κατάλοιποι τῶν ἀνθρώπων τὸν Κύριον, *Vt requirant cæteri hominum Dominum*] Addidit ἂν purioris ſermonis, & Κύριον [*Dominum*] majoris perſpicuitatis causâ ad verſionem LXX Senum. Pro eo quod Maſoretici poſuerunt אדום [*Edom*, id eſt, *Idumæa*] LXX Senes legerunt אדם [*Adam*, id eſt, *homo*] & ſumpſerunt ſingulare pro plurali: quod non rarum eſt ubi de genere toto agitur.

καὶ πάντα τὰ ἔθνη ἐφ' οὓς ἐπικέκληται τὸ ὄνομά μου ἐπ' αὐτούς· *& omnes Gentes ſuper quas invocatum eſt nomen meum*] Hæc verbotenus ex LXX; apparet conſtructionem eſſe κατὰ τὸ σημαινόμενον [*ad ſignificatum relatam*], ἔθνη, ἐπ' αὐτοὺς [*Gentes, ſuper illos*], quaſi dixiſſet ἀνθρώπους [*homines*]. *Qui vocantur de nomine in eo*, id eſt, qui erunt σεβόμενοι Θεόν [*colentes Deum*]. Vide quæ ad Matth. v, 9.

λέγει Κύριος ὁ ποιῶν ταῦτα πάντα. *dicit Dominus faciens hæc omnia*] Hæc, ait Amoſus, ſunt Dei ipſius dicta, qui & ea dabit effecta.

18. Γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ. *Nota à ſeculo ſunt Deo opera ſua*] Non mirum eſt Deum Amoſi temporibus prænoſſe quod facere decreverat, atque id præfiguraſſe, tum rebus illis de quibus agit Amoſus, tum ipſius verbis, eminentiùs implendis Meſſiæ temporibus, quàm unquam ante. Deus cùm exiguam terram dedit Iacobi poſteris, cùm primùm decem, deinde duas tribus ſpargi ſivit in oras longinquas, majus aliquid animo agitabat: Volebat latiùs & noſci & coli. In Manuſcriptis quibusdam & illo in Anglia eſt γνωστὸν [*notum*] & ἔργον [*opus*].

19. Διὸ ἐγὼ κρίνω, *Propter quod ego judico*] Id eſt, *ita cenſeo*, quomodo Romani Senatores ſententiæ dictionem concludebant. Vide Philippicam Ciceronis, tertiam, quintam, octavam, nonam, decimam, undecimam, decimam tertiam, decimam quartam, omnes circa finem.

μὴ παρενοχλεῖν τοῖς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεόν· *non inquietari eos qui ex Gentibus convertuntur ad Deum*] Non imponendas illis moleſtias non neceſſarias, ne ſic multis aditus ad Chriſtianiſmum præcluderetur.

20. Ἀλλ' ἐπιστεῖλαι αὐτοῖς, *Sed ſcribere ad eos*] Ea auctoritate, de qua diximus ſupra.

τοῦ ἀπέχεσθαι ἀπὸ τῶν ἀλισγημάτων τῶν εἰδώλων, *ut abſtineant ſe à contaminationibus ſimulachrorum*] Non cenſet monendos pios ex Gentibus de iis, quæ ſatis didicerant: Deum colendum, unum, & verum, non falſos: ei omnem exhibendam reverentiam: abſtinendum à cædibus, rapinis, injuriis, adulteriis, & inceſtis jure Gentium cognitis: jus cuique reddendum: ſed de iis monet quæ diſputationem recipere videbantur, & quæ Iudæos poterant offendere, & impedire quò minùs pii ex Gentibus cum piis Hebræis in unam Eccleſiam coaleſcerent. In his primum locum obtinent τὰ ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων [*contaminationes ſimulachrorum*], id eſt, ea quæ infra vocantur εἰδωλόθυτα [*res idolis immolatæ*]. Malach. 1, 7, in Græco LXX Senum eſt, ἄρτους ἠλισγημένους [*panes pollutos*], ubi Aquila & Symmachus, μεμολυσμένους [*inquinatos*]. Sirach. XL, 31. Ἀλισγήσει τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν ἐδέσμασιν ἀλλοτρίοις [*contaminabit animam ſuam cibis alienis*]. Vide ad Daniel. 1, 8. Scriptor Conſtitutionum, quæ Clementis nomen præferunt, VI, 12, ἀλισγήματα [*contaminationes*] exponit per εἰδωλόθυτον [*rem idolis immolatam*]. *Chriſtiani*, ut ait Iuſtinus cum Tryphone diſputans, Πᾶσαν αἰκίαν καὶ τιμωρίαν μέχρις ἐσχάτου θανάτου ὑπομένουσι περὶ τοῦ μήτε εἰδωλολατρῆσαι, μήτε εἰδωλόθυτα φαγεῖν [*Cruciatum & ſupplicium omne potius ad extremam uſque mortem toleraverint, quàm vel ſimulachra colant, vel ſimulachris immolata edant*]. Et cùm Trypho dixiſſet, *eſſe quoſdam qui Chriſtiani dicerentur, & ederent* εἰδωλόθυτα [*res idolis immolatas*], *dicerentque ea re animum non obſtringi*, dicit *eos id quidem nomen uſurpare, ſed ea docere quæ ſunt à Spiritu ſeductore.* Εἰδωλόθυτα [*idolis immolata*], à quibus abſtineri vult Iacobus, duûm ſunt generum: alia, ubi ad ipſam menſam pars de pane & extis in focum porricitur (ea enim vox huic rei propria) & vinum igni inſpergitur, dei alicujus nomine in id advocato: alia, ubi qui diis in templo ſacra fecit, id amicis ſignificans, eos vocat ad exta, cujus moris apud Plautum aliquoties eſt mentio. Theocritus iter facientibus,

— — καὶ τὺ ἢ θύσας
Ταῖς νύμφαις Μύρσωνι καλὸν κρέας αὐτίκα πέμψον.
[— — *ſacriſque peractis*
Tu Myrſoni bonam ne tardes mittere carnem].

Ovidius Metam. xii,

Sacra tulere ſuam: pars eſt data cætera menſis.

Huc illud pertinet Iuvenalis,

Et natalitium cognato ponere lardum
Accedente nova, ſi quam dabat hoſtia, carne.

Pars illa extorum quæ in aram vel focum dabatur, Græcis dicitur ἀκροθίνια, Latinis *proſecta* aut *proſiciæ*: per eam partem cætera quoque diis ſacra erant. Vtro horum modorum quis de immolatitiis edat, ea res idololatriæ deputatur. Tertullianus de Idololatria, *Si propter ſacrificium vocatus aſſiſtam, ero particeps idololatriæ.* Eodem libro, *Propterea Spiritus Sanctus conſultantibus tunc Apoſtolis, vinculum & jugum nobis relaxavit, ut idololatriæ devitandæ vacaremus.* Et de Corona, *Verbo nudo conditio* (id eſt, creatura Dei) *polluitur, ut Apoſtolus docet: ſi quis autem dixerit, Hoc idolothytum eſt, ne contigeris.* Idem de Spectaculis, *Neque de ſacrificato & parentato edimus.* Apud Minutium Cæcilius, *Præcerptos cibos & delibatos altaribus potus abhorretis.* Mox Octavius, *Sacrificiorum reliquias & pocula delibata contemnimus.* Clemens Alexandrinus Pædag. ii, 1. Ἐνταῦθα ὑπομνηστέον καὶ περὶ τῶν εἰδωλοθύτων καλουμένων, ὅπως ποτὲ ἄρα παραγγέλλεται ἀποσχέσθαι δεῖν τούτων. μιαρὰ δοκεῖ μοι καὶ βδελυρὰ ἐκεῖνα ὧν ἐφίπτανται τοῖς αἵμασι

ψυχαὶ ὑπὲξ ἐρέβευς νεκύων κατατεθνειώτων.

Οὐ γὰρ θέλω ὑμᾶς κοινωνοὺς δαιμονίων γίνεσθαι, ὁ Ἀπόστολος λέγει. Ἀφεκτέον τοίνυν τούτων οὐ δεδιότας· οὐ γάρ ἐστί τις ἐν αὐτοῖς δύναμις· διὰ δὲ τὴν συνείδησιν τὴν ἡμετέραν, ἁγίαν οὖσαν, καὶ τῶν δαιμονίων διὰ τὴν βδελυρίαν, οἷς ἐπικατωνόμασται, μυσαττομένους [*Hîc autem de idolothytis quoque, hoc eſt, de iis quæ idolis immolantur, mentio facienda eſt, quonam modo præcipiat ab iis abſtinendum. Illa mihi videntur execranda & abominanda quorum ſanguinem ſupervolant*

Defunctorum animæ tetrico Plutonis ab antro.

Nolo enim vos fieri participes dæmoniorum, dicit Apoſtolus. Ab his ergo abſtinendum eſt, non quòd pertimeſcamus, (non eſt enim in eis aliqua poteſtas) ſed quòd propter noſtram conſcientiam, quæ ſancta eſt, & propter Dæmonum odium, quibus illa ſunt dedicata, averſemur]. Abſtineri ab immolatitiis, non ſimpliciter, quod res illæ malæ ſint factæ, ſed ob juſtas cauſas, dicit Origenes contra Celſum viii.

καὶ τῆς πορνείας, *& fornicatione*] Inter præcepta Adamo & Noæ data Iudæi non ponunt interdictum ſcortandi; & qui inter Gentes putabantur ſapientiſſimi, non negabant quidem *meretrices turpiter facere, quòd meretrices eſſent*, ut loquitur Vlpianus. L. idem D. de condict. ob turpem cauſam: & *pænam eſſe in ipſa profeſſione flagitii*, ut loquitur Tacitus Annalium ii, attamen non putabant peccare, qui feminis ad hoc venalibus uterentur, ut apparet ex Catonis ſententia quæ apud Horatium eſt, & Solonis lege, quam Philemon laudat in Comœdia Delphis, iis verſibus quos in Excerpta retulimus, ut & Eubuli in Nannio verſus paris argumenti, quibus addi poteſt Argentarii Epigramma, in Anthologia iii, 6. Cicero pro M. Cælio hac de re agens, *Quando enim hoc factum non eſt? Quando reprehenſum? Quando non permiſſum?* At Lex Chriſti, dilectionem in omnes fraternam imperans, non ſinit quenquam alienâ uti turpitudine, & ſic eam fovere: quippe cùm & lex Moſis omnibus Hebræis feminis id vitæ genus interdixiſſet. Lactantius vi, 23. *Nec tantùm alienis toris, quos attingere non licet, verùm etiam publicis vulgatiſque corporibus abſtinendum eſſe præcepit.* Multum pertinebat ad illos ex Gentibus cum Hebræis conſociandos, ſi viderent Hebræi ipſorum puellas, caſtitatis laude Hebræis puellis nihil concedere, viros quoque, ſibi ab omni Venere extra nuptias temperare.

καὶ τοῦ πνικτοῦ καὶ τοῦ αἵματος. *& ſuffocatis & ſanguine*] Fuere jam olim codices, in quibus deerat πνικτοῦ [*ſuffocatis*]; fuere & in quibus poſt αἵματος [*ſanguine*] additum & hîc & infra in epiſtola 29, καὶ ὅσα μὴ θέλωσιν αὐτοῖς γενέσθαι, ἑτέροις μὴ ποιεῖν [*& quæ nolunt ſibi fieri, aliis non faciant*]. Sed in plurimis codicibus, inque verſionibus omnibus & apud Origenem libro vii contra Celſum, aliosque hoc abeſt, illud verò adeſt. Et certè prius illud huc pertinet, ut mox oſtendemus, non & alterum. Nam ſi quis dicere velit hâc verborum ſummâ comprehendi omnia Euangelii præcepta, fallitur, cùm præceptum de uno Deo colendo per Chriſtum, de abnegatione ſui, & ſubeunda cruce, non ſint intra hunc ambitum: alia etiam non niſi obſcurè admodum huc referri poſſint. Sed id quærebatur à quibus rebus, præter nota omnibus ſcelera, cavere ſibi deberent incircumciſi, ut ſine offenſa Iudæorum cum Iudæis in unam Eccleſiam coaleſcerent. Legem quæ eſt Gen. ix, 4, poſt diluvium datam humano generi, quam vulgò nunc interpretantur Iudæi de *membro animalis vivi non edendo*, vetuſtiores intellexere de *non edenda carne ſimul cum ejus carnis ſanguine.* Manifeſtum id facit Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ i, 4. & verſiones lxx Senum, Aquilæ & Symmachi. Et ſic ſenſiſſe Rabbinum Ananiam Gamalielis filium & alios quoſdam, ait Gemara Babylonica ad titulum De Synedrio. Nec obſtat quod incolæ incircumciſo permittit Lex morticino veſci, Deut. xiv, 21. Id enim fieri poterat, detracto ſanguine, non minùs quàm in eis animalibus, quæ victûs cauſâ occidebantur. Hanc Legem non minùs quàm alias Adamo & Noæ datas obſervavêre diu populi alii extra Hebræum; donec ad idololatriam ſunt prolapſi. Ideo Scriptor Conſtitutionum Clementis ait *pios hîc remitti ad imitationem Melchiſedeci, Iobi & ſimilium.* Seriore ævo, Legis illius obſervatio redacta eſt ad incolas terræ Iudææ, qui non niſi ſub conditione ejus Legis inter cæteras obſervandæ jus hoſpitii & amicitiæ impetrabant: & ad paucos pios, qui, quamvis idololatris cohabitantes, ab idololatria tamen ſe abſtinebant. Ex quo verò Macedones, deinde Romani ſummo imperio Iudæam tenuere, aut Iudæa Reges habuit Romanis obnoxios, Iudæi ſapientes cùm viderent ſibi ultra jus non eſſe cogendi incolas ad obſervanda ea quæ Adamo & Noæ præcepta à Deo fuerant, non aliud remedium, ne iſta licentia ad Iudæos ſerperet, invenêre quàm ut ab omni propiore conſuetudine cum incolis omnibus (neque enim pii ampliùs ab impiis diſtingui poterant) Iudæos arcerent. Hinc illud μὴ συγχρῆσθαι [*non conti*], μὴ συγκολλᾶσθαι [*non conjungere ſe*], μὴ συνεσθίειν [*non manducare*] cum talibus: quæ ſæpe habes & in Sacris Scriptis, & apud

Ioſephum. Poſtquam novam Eccleſiam ex Chriſti præcepto Apoſtoli colligere cœperunt, potuere jam iterum, ut olim, peregrini pii ab idololatris diſtingui, eo ipſo quòd ſe illi addebant Eccleſiæ. Cauſa autem cur Iacobus voluerit, hos ex Gentibus vocatos *abſtinere à ſanguine*, hæc credita eſt à veteribus Chriſtianis, quod illi Moſis quidem præceptis, quæ Iſraëlitis data erant, non tenebantur, neque circumciſionis Lege, quæ ſolos Abrahami obſtringebat poſteros, liberi autem non erant ab iis quæ Adamo & Noæ Deus præceperat, ad quæ addidit quædam Chriſtus, demſit nihil. Tertullianus de Monogamia, *Et adeò in Chriſto omnia revocantur ad initium, ut & fides reverſa ſit à circumciſione ad integritatem carnis illius, ſicut ab initio fuit: & libertas ciborum, & ſanguinis ſolius abſtinentia, ſicut ab initio fuit: & matrimonii individuitas, ſicut ab initio fuit: & repudii cohibitio, quod ab initio non fuit, & poſtremò totus homo in paradiſum revocatur, ubi ab initio fuit.* Et in libro de jejuniis, *Æquè poſt diluvium in reformatione generis humani ſuffeciſſe unam interim Legem à ſanguine abſtinendi, permiſſo uſu cæterorum.* Huc reſpiciens Leo Imperator, ubi vetat ſanguinem edi inteſtinis velut tunicis infarctum, ait *tum veteris tum novæ Gratiæ tempore, rem illam habitam nefariam.* Et certè præcepti illius, ſicut obſervatio, non nimis ſuperſtitioſa, eſt facilis, ita cauſæ honeſtæ admodum. Nam ſi quod naturale eſt ſpectamus, ſolent quæ tali alimento utuntur Gentes efferari, quod in America maximè perſpectum eſt: ſi verò id quod morale eſt, optima & apertiſſima ſignificatio eſt, à vindicta abſtinendum. Nam qui ſe vindicat, *paſci ſanguine* dicitur. Addit Origenes aliam cauſam, quòd dæmones paſci ſanguine crederentur. Neque verò Chriſtiani Veteres hoc præceptum accepêre tanquam datum ea una ex cauſa, ut Iudæorum offenſa vitaretur. Nam ſi id eſſet, non obſervaſſent id præceptum cum certo vitæ periculo, etiam ubi non aderant Iudæi: at hoc feciſſe eos conſtat. Biblis, apud Euſebium, Hiſtoriæ v, 1. Πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι, οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν; [*Quomodo infantes comederent illi, quibus ne brutorum quidem ſanguinem comedere fas eſt*]? Teſtis & Tertullianus Apologetico, *Erubeſcat error veſter Chriſtianis, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus: qui propterea quoque ſuffocatis & morticinis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur, vel intra viſcera ſepulto. Denique inter tentamenta Chriſtianorum, botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porrò quale eſt, ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis?* Octavius apud Minutium, *Tantumque ab humano ſanguine cavemus, ut nec edulium pecorum in cibis ſanguinem noverimus.* In canonibus Apoſtolicis, qui liber antiquiſſimos Chriſtianorum mores continet, legimus, Εἴ τις ἐπίσκοπος, ἢ πρεσβύτερος, ἢ διάκονος, ἢ ὅλως τοῦ καταλόγου τοῦ ἱερατικοῦ φάγῃ κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ, ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, καθαιρείσθω· τοῦτο γὰρ ὁ νόμος ἀπεῖπεν· εἰ δὲ λαϊκὸς εἴη, ἀφοριζέσθω [*Si quis Epiſcopus, Presbyterve, aut Diaconus, aut quivis denique ſacri ordinis, carnem in ſanguine animæ ejus ederit, morticinumve aut à feris captum, deponitor; Lex enim hoc prohibuit: ſin Laicus ſit, communione excluditor*]. Neque verò initiis Chriſtianiſmi incluſa fuit hæc obſervatio, ſed magnâ ſollicitudine ad ſequentia ſecula tranſmiſſa eſt. Pro Oriente teſtis ſit Gangrenſis Synodus Canone 11, Εἴ τις ἐσθίοντα κρέα, χωρὶς αἵματος καὶ εἰδωλοθύτου καὶ πνικτοῦ, μετ᾽ εὐλαβείας καὶ πίστεως, κατακρίνοι ὡς ἂν διὰ τὸ μεταλαμβάνειν ἐλπίδα μὴ ἔχοντα, ἀνάθεμα ἔστω [*Si quis aliquem, qui cum pietate & fide comederit carnem ſanguine, idolorum immolatione aut ſuffocatione non infectam, condemnaverit tanquam talem, qui poſt participationem ſpem non habeat, anathema ſit*]. Renovavit hoc interdictum Synodus in Trullo, Canone LXVIII, & Leo Imperator, ut modò cœpi dicere, Novella LVIII. Pro Occidente teſtimonium habemus Synodi Wormatienſis ſub Ludovico Pio cap. 65. Et Papæ Zachariæ epiſtolam ad Bonifacium, Archiepiſcopum Moguntinum: Adamum Bremenſem cap. 20. & libros pœnitentiariorum complures, qui ſanguine veſcentibus pœnas imponunt canonicas. Et hæc quidem de ſanguine. Sed cur πνικτὸν [*ſuffocatum*] additur? Nimirum quia ſolebant Græci, & Gentes aliæ, ut ex Athenæo duobus in locis diſcimus, in deliciis habere τὰ πνικτὰ [*ſuffocata*], id eſt, carnes in quibus exactâ diligentiâ aſſervatus erat ſanguis, ut ita cum eo ſanguine intus retento, coquerentur, quod & ipſum erat contra Legem de ſanguine non edendo. Hac de cauſa & in Gangrenſi Synodo πνικτοῦ [*ſuffocati*] diſertè fit mentio, ut & εἰδωλοθύτου [*idolis immolati*], ex hoc ſcilicet Apoſtolorum præcepto. Magìs mirum videri poteſt quòd θνησιμαῖον [*morticinum*] additur in Apoſtolico qui dicitur Canone: & quod Iuſtinus ait πλὴν κρέας ἐν αἵματι ὅπερ ἐστὶ νεκριμαῖον [*præter carnem in ſanguine, quæ eſt morticina*], cùm ut modò ex Deuteronomio oſtendimus, pio incircumciſo licuerit edere נבלה, quod θνησιμαῖον vertunt LXX, quod idem eſt cum νεκριμαίῳ [*morticino*], ita ut θνησιμαῖα apud Ariſtophanem Avibus Scholiaſtes interpretetur νεκριμαῖα [*morticina*]. Sed intelligenda eſt hæc prohibitio de *morticino* aut etiam *à feris rapto* (nam & θηριόβρωτα [*à feris adeſa*] adjicit dictus canon) quibus adhæreret non deductus ſanguis, ut plerunque fieri ſolebat. Tertullianus Apologetico cap. 4. cùm de ſanguine locutus eſſet, *qui propterea quoque ſuffocato & morticinis abſtinemus*: quæ duo ut paria ponit & Hebræus liber dictus *Chulin*. Quæ ſunt de ſanguine edicta in Lege per Moſem tradita, huc non adfero, quia ea nullos, niſi Iſraëlitas, aut qui ſponte ſe Legi ſubjicerent, obligabat. Hunc Canonem ſi Eccleſia, Apoſtolorum & antiquitatis reverentiâ, in uſum revocare velit, non reluctabor, ſi abſit ſuperſtitio, & id caveatur, ne de induſtria magna ſanguinis copia, aut in carne aut extra carnem ad victus delicias aſſervetur. Nam rigidè illud de ſuffocato non obſervatum in Africa ſuo tempore teſtis eſt Auguſtinus contra Fauſtum XXXII, 13. Et Zonaras ad Gangrenſem Canonem, ſanguinem interpretatur ἐξεπίτηδες ἑψόμενον ἢ πηγνύμενον [*de induſtria coctum ac concretum*]. Balſamo, χωρὶς ἐπιτηδεύτου αἵματος [*abſque ſanguine deditâ operâ aſſervato*].

21. Μωσῆς γὰρ ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος. *Moſes enim à temporibus antiquis habet in ſingulis civitatibus qui eum prædicent in Synagogis, ubi per omne Sabbatum legitur*] Senſus mihi hîc videtur eſſe per ἀνθυποφορὰν [*Subjectionem*]. Nam quod ad Moſem attinet, non poſſunt qui ex Iudæis ſunt queri eum ſperni ab alienigenis noſtri gregis, quando in noſtris non minùs quàm in Iudaïcis conventibus, Moſes, ita ut ab antiquo factum eſt, legitur, & quidem Sabbatis. Συναγωγῶν [*Synagogarum*] nomine veniunt etiam Chriſtianorum Eccleſiæ, ut & Iacobi II, 2. Theophilo Antiocheno, Συναγωγαὶ αἱ καλούμεναι ἐκκλησίαι [*Synagogæ, quas Eccleſias dicimus*]. Chriſtianorum mos vetus, qui diutiſſimè manſit in Oriente, convenire non minùs Sabbati quàm Dominicis diebus. Clemens Conſtitutionum VII, 24. Τὸ σάββατον μέν τοι καὶ τὴν κυριακὴν ἑορτάζετε· ὅτι τὸ μὲν δημιουργίας ἐστὶν ὑπόμνημα, ἡ δὲ ἀναστάσεως [*Diem Sabbati & diem Dominicam feſtas habete, quoniam illa Creationis, altera Reſurrectionis memoriæ dicata eſt*]. Paria habet VIII, 33, & 67. Aſterius Amaſeæ Epiſcopus in Homilia de repudio, καλὴν συνωρίδα [*pulchram bigam*] vocat τοῦ σαββάτου καὶ τῆς κυριακῆς [*Sabbati & Dominicæ diei*]. Gregorius Nyſſenus ἡμέρας ἀδελφάς [*dies fratres*]. Balſamo, παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἐξισώθησαν δι᾽ ὅλου σχεδὸν ταῖς κυριακαῖς τὰ σάββατα [*à ſanctis Patribus penè per omnia æquati ſunt dies Sabbati Dominicis diebus*]. Ideo Conſtantinus Chriſtianos non minùs in Sabbatum, quàm in diem Dominicam vadari vetuit, teſte Euſebio. Hinc etiam ortum illud, ut ſicut diebus Dominicis tanquam lætitiæ diebus non jejunabatur, ſicut docet Gangrenſis Synodus Canone XVIII: ita nec Sabbatis, excepto uno ante Paſcha. Sic ἑορτὰς [*dies feſtos*] interpretatur Zonaras ad Canonem Apoſtolicum 53. Ignatius ad Philippenſes, Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει, πλὴν ἑνὸς σαββάτου, χριστοκτόνος ἐστίν [*Si quis aut Dominicâ aut Sabbato jejunet, excepto uno Sabbato, is Chriſtum occidit*]. *Sabbatum nunquam niſi in Paſcha jejunandum* ait Tertullianus De jejuniis: qui & adverſùs Marcionem IV, *Privilegium donatum Sabbato à primordio mundi*, dicit, *veniam jejunii.* Quare cùm Iuſtinus & Tertullianus Patres illos ante Moſem negant ſabbatizaſſe, id intelligendum, non de conventibus, ſed de rigido per totum diem otio. Ignatius ad Magneſios, Μηκέτι οὖν σαββατίζωμεν Ἰουδαϊκῶς ὡς ἀργίαις χαίροντες [*Ne igitur ſabbatizemus Iudaïco more velut otio gaudentes*]. Sabbatis autem in illis primorum Chriſtianorum conventibus, non Euangelia legebantur, ſed Moſis פרשות [*ſectiones*], planè ut apud Iudæos Iudaïzantes. Primò id mutavit Synodus Laodicena, voluitque Sabbatis Euangelia non minùs, quàm veteres ſcripturas legi, Canone XIX. Manet & nunc ex antiquo mos apud Chriſtianas Eccleſias, ut in Sabbato ante Paſcha legatur hiſtoria creationis, planè ut apud Hebræos. Dicit ergo Iacobus hac in parte non habere quod querantur Iudæi, cùm in ſingulis urbibus, ubi conventus erant Chriſtianorum, in Sabbatis legeretur Moſes ἐκ γενεῶν ἀρχαίων [*à temporibus antiquis*], id eſt, *ut olim*, nihil in hoc immutato more. Creditur à Moſe fuiſſe inſtitutum ut Lex in Sabbato legeretur. Κηρύσσειν [*prædicare*], eſt *alta voce pronuntiare*, ut Exodi XXXII, 5. Matth. III, 1, & alibi ſæpe.

τοῖς Ἀποστόλοις καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, *Apoſtolis & Senioribus*] Vide ſupra II.

σὺν ὅλῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, *cum omni Eccleſia*] Approbante Apoſtolorum & Presbyterorum ſententiam. Sic Laïci Synodorum Actis ſubſcribebant, hoc modo, *Conſentiens ſubſcripſi.* Vide infra XVI, 4. ubi ſoli *Apoſtoli* cum *Presbyteris* nominantur.

Ἰούδαν τὸν ἐπικαλούμενον Βαρσαβᾶν, *Iudam, qui cognominabatur Barſabas*] Fratrem illius Ioſephi, de quo ſupra I, 23.

καὶ Σίλαν, *& Silam*] Fuit hic inter primos Chriſtianorum Hieroſolymis, dictus & Silvanus, ut notavimus ſupra XIII, 9.

ἄνδρας ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς· *viros primos in fratribus*] Viros eximios. ראשים [*primarios*].

23. Γράψαντες διὰ χειρὸς αὐτῶν τάδε, *Scribentes per manus eorum*] Eſt & hîc rectus pro obliquo, de quo loquendi genere diximus ad Marcum IV, 40.

τοῖς ἐξ ἐθνῶν, *ex Gentibus*] Incircumciſis. Ad Iudæos fideles nihil hæc pertinent.

χαίρειν. *ſalutem*] Ita vertit Lucas Hebræum שלום [*pacem*].

24. ἀνασκευάζοντες τὰς ψυχὰς ὑμῶν, *evertentes animas veſtras*] Ἀνασκευάζειν [*evertere*] dixit, quod Hebræi הניא לב [*frangere cor*] quod LXX vertunt διαστρέφειν διανοίας [*ſubvertere mentes*] Num. XXXII, 7. ἀφίστασθαι καρδίαν [*ſubvertere cor*] Num. XXXII, 9. Senſus eſt, *labefactantes animos.*

λέγοντες περιτέμνεσθαι, *dicentes circumcidi*] Infinitivus pro gerundio, *dicentes circumcidendos*, nempe fideles.

καὶ τηρεῖν τὸν νόμον, *& ſervare Legem*] *Et obſervandam ipſis Legem*, id eſt, illa præcepta, quæ Moſes addidit ad præcepta vetera: de iis enim ſolis querebantur.

οἷς οὐ διεστειλάμεθα, *quibus non mandavimus*] *Mandata talia non dedimus.* Auctoritatem Apoſtolorum falsò illi ſuis dogmatibus præſcribebant.

γενομένοις ὁμοθυμαδὸν, *collectis in unum*] Vide ſupra II, 1. V, 12. Non parum ponderis addit decreto concors ſententia.

26. Ἀνθρώποις παραδεδωκόσι τὰς ψυχὰς αὐτῶν ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. *Hominibus qui tradiderunt animas ſuas pro nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti*] Παραδιδόναι ψυχὰς [*tradere animas*], id eſt, מסר נפשות eſt *vitam periculis exponere*, quod τιθέναι ψυχὴν [*ponere animam*] dixit Iohannes X, 11, & alibi. Efficaciter commendant Paulum & Barnabam, ut qui nihil credendi ſint facere ſui causâ, cùm propter Chriſtum & Eccleſiam tot pericula ſubierint & ſubeant quotidie.

27. καὶ αὐτοὺς διὰ λόγου ἀπαγγέλλοντας τὰ αὐτά. *qui & ipſi vobis verbis referent eadem*] Præſens pro futuro. Ἀπαγγέλλοντας [*referentes*] pro ἀπαγγελοῦντας [*relaturos*]: ut verbis eadem vobis dicant quæ continet epiſtola, & certos vos faciant epiſtolam hanc non eſſe ſuppoſitam.

28. Ἔδοξε γὰρ τῷ ἁγίῳ πνεύματι καὶ ἡμῖν, *Viſum eſt enim Spiritui Sancto & nobis*] Id eſt, *nobis per Spiritum Sanctum.* ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*].

μηδὲν πλέον ἐπιτιθέναι ὑμῖν βάρος, *nihil ultra imponere*

nere vobis oneris] Βάρος [*onus*] hîc dicitur quod ζυγὸς [*jugum*], ſupra 10. Vbi dicta vide.

πλὴν τῶν ἐπάναγκες τούτων· *quàm hæc neceſſaria*] *Præter hæc quæ omnino opus eſt fieri.* Eſt ἐπάναγκες [*neceſſarium*] vox purè Græca: diciturque apud Demoſthenem & Plutarchum de *iis rebus quæ Lege fieri oportet.* Subauditur ὄντων [*quæ ſunt*]. Sic dicimus, τὰ λίαν [*ea quæ valde ſunt*].

29. Ἀπέχεσθαι εἰδωλοθύτων, *Vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum*] Immolatitia ea vocant Chriſtiani Latinè ſcribentes, Hebræi זבחי מתים [*victimas hominum*]. Vide ſupra 20.

καὶ πνικτοῦ, *& ſuffocato*] Πνικτοῦ [*ſuffocato*] hîc non legit Irenæus, ut nec Cyprianus, & in multis exemplaribus defuiſſe teſtatur Hieronymus: fortè, quòd quantum ejus neceſſe eſſet, id ſub vocabulo *ſanguinis* ſatis intelligeretur.

ἐξ ὧν διατηροῦντες ἑαυτοὺς, *à quibus cuſtodientes vos*] Hebraïſmus. Nam apud Hebræos מ litera propriè valet ἐξ [*ex*], nonnunquam ἀπὸ [*à*].

εὖ πράξετε, *bene agetis*] *Rectè agetis.* Sic Tertullianus de Pudicitia. Vide quæ dicta ſupra x, 33.

Ἔρρωσθε. *Valete*] התחזק [*vale*]. Sicut Latini epiſtolam claudunt verbo *vale* aut *valete*, ſic Græci verbo ἔρρωσο vel ἔρρωσθε. Sed vetuſtiſſimi codices hoc loco ſic non habuere, ſed φερόμενοι ἐν πνεύματι ἁγίῳ, quod Irenæi interpres III, 12, vertit *ambulantes in Spiritu Sancto*; Tertullianus De pudicitia rectiùs, *vectante vos Spiritu Sancto.* Simili modo πνευματοφορεῖσθαι [*Spiritu afflari*] dicunt Patres Græci.

30. Οἱ μὲν οὖν ἀπολυθέντες, *Illi ergo dimiſſi*] Paulus, Barnabas, Iudas, Silas.

31. Ἀναγνόντες δὲ, *Quam cùm legiſſent*] Chriſtiani Antiochenſes.

ἐπὶ τῇ παρακλήσει. *ſuper conſolatione*] Multum ipſis placebat, quòd viderent libertatem, quâ utebantur, ab Apoſtolis probari.

32. καὶ αὐτοὶ προφῆται ὄντες, *& ipſi cùm eſſent Prophetæ*] Donis Spiritûs inſtructi.

διὰ λόγου πολλοῦ παρεκάλεσαν τοὺς ἀδελφοὺς, *verbo plurimo conſolati ſunt fratres*] Sermone Prophetico. Vide ſupra IV, 36. XIII, 15.

καὶ ἐπεστήριξαν. *& confirmaverunt*] Supra XIV, 22. infra 41. XVIII, 23. סמכו.

33. Ποιήσαντες δὲ χρόνον, *Facto autem ibi tempore*] Nempe τινὰ [*aliquanto*]. Ποιεῖν χρόνον Ciceroni eſt *tempus ponere.* Vide quæ dicta ad Matth. XX, 12. & ad Apoc. XIII, 5.

ἀπελύθησαν, *dimiſſi ſunt*] Id eſt, *poteſtas eis facta abeundi*, ſi vellent. Abiit autem primùm Iudas ſolus, poſtea cum Paulo & Barnaba Silas.

μετ' εἰρήνης, *cum pace*] *Cum fauſtis precibus.* Sic εἰρήνη [*pax*] ſumitur Matth. x, 13.

πρὸς τοὺς Ἀποστόλους. *ad Apoſtolos*] Manuſcriptus ille, ut multi alii rectiùs, πρὸς τοὺς ἀποστείλαντας αὐτοὺς [*ad eos qui miſerant illos*].

34. Ἔδοξε δὲ τῷ Σίλᾳ ἐπιμεῖναι αὐτοῦ. *Viſum eſt autem Silæ ibi remanere*] Hoc comma Manuſcriptus ille non habet, ut nec interpres Syrus. Habent tamen Latinus, Arabs & libri alii.

35. διέτριβον ἐν Ἀντιοχείᾳ, *demorabantur Antiochiæ*] Aliquot dies poſt Iudæ abitum ſubſtitêre.

36. Ἐπισκεψώμεθα τοὺς ἀδελφοὺς ἡμῶν κατὰ πᾶσαν πόλιν ἐν αἷς κατηγγείλαμεν τὸν λόγον τοῦ Κυρίου, πῶς ἔχουσι. *viſitemus fratres per univerſas civitates, in quibus prædicavimus verbum Domini, quomodo ſe habeant*] Hebraïca locutio, pro Ἐπισκεψώμεθα πῶς ἔχουσιν οἱ ἀδελφοὶ [*viſitemus quomodo ſe habeant fratres*], &c. Sic infra XVI, 4. Κατὰ πᾶσαν πόλιν [*per univerſas civitates*], per Syriam, Pamphyliam, Piſidiam, Lycaoniam, Lyciam.

37. Βαρνάβας δὲ ἐβουλεύσατο συμπαραλαβεῖν τὸν Ἰωάννην τὸν καλούμενον Μάρκον· *Barnabas autem volebat ſecum aſſumere & Iohannem qui cognominabatur Marcus*] Cognatum ſuum, ut cenſent Veteres ex loco Coloſſ. IV, 10. Manuſcriptus ille vetus ut multi alii, pro ἐβουλεύσατο [*conſultum duxit*] habet ἐβούλετο [*volebat*]· quomodo legit & Syrus.

38. Παῦλος δὲ ἠξίου, *Paulus autem rogabat*] *Æquum judicavit.* Sic Lucæ VII, 7.

τὸν ἀποστάντα ἀπ' αὐτῶν ἀπὸ Παμφυλίας, *eum ut qui diſceſſiſſet ab eis de Pamphylia*] Hominem qui labores & pericula defugiſſet, minùs aptum putabat tali itineri, & mores potiùs reſpiciendos quàm ſanguinis cognationem, quæ multùm ſæpe rebus ſacris obſtitit.

39. Ἐγένετο οὖν παροξυσμὸς, *Facta eſt autem diſſenſio*] קצף, quod verti ſolet θυμὸς [*excandeſcentia animorum*], ὀργὴ [*iracundia*], χόλος [*ira*], item παροξυσμὸς [*exacerbatio*]. Culpa fuit penes Barnabam. Ὁ Παῦλος ἐζήτει τὸ δίκαιον, ὁ Βαρνάβας τὸ φιλάνθρωπον [*Paulo id quòd erat juſtius, Barnabæ, quòd benignius, placuit*], ajunt hîc Græci, qui & illud notant, Severitatem hanc Pauli profuiſſe Marco, qui per eam monitus, fortior in poſterum ſit factus, & ut talis, à Paulo ſalutetur dicto ad Coloſſenſes loco.

ὥστε χωρισθῆναι αὐτοὺς ἀπ' ἀλλήλων· *ita ut diſcederent ab invicem*] Vt olim Abrahamus & Lothus, ſalvâ amicitiâ, Gen. XIII, 9.

παραδοθεὶς τῇ χάριτι τοῦ Θεοῦ ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. *traditus Gratiæ Dei à fratribus*] *Commendatus Divino favori*, ut ſupra XIV, 26.

41. καὶ Κιλικίαν, *& Ciliciam*] Nempe ubi fratres erant aliqui, ex illa poſt Stephanum diſperſione. Supra XI, 19. XV, 23. Ex Syria ſcilicet in Ciliciam iverant quidam, ut alii in Cyprum & Macedoniam.

CAPVT XVI.

Κατήντησε δὲ εἰς Δέρβην καὶ Λύστραν· *Pervenit autem in Derben & Lyſtram*] Vide ſupra XIV, 6, 8, 20, 21.

μαθητής τις ἦν ἐκεῖ ὀνόματι Τιμόθεος, *Diſcipulus quidam erat ibi nomine Timotheus*] Lucæ non ante viſus, Paulo autem à pueritia notus, II Timoth. I, 5. & in multis itineribus ei comes, II Timoth. III, 10.

υἱὸς γυναικός τινος Ἰουδαίας πιστῆς, *filius mulieris cujusdam Iudææ fidelis*] Fœminæ ex illis quæ in Iudæa primæ in Chriſtum crediderant. Nomen ei *Eunice*, II Timoth. I, 5.

πατρὸς δὲ Ἕλληνος· *patre gentili*] Viri boni incircumciſi. Lex vetabat ex Iudæis ducere extraneas Legi non ſubjectas: feminis autem Iudæis non vetabat nubere extraneo pio, ſicut Eſther nupſit Aſſuero. Iudæi multùm erant mulieroſi.

2. Ὃς ἐμαρτυρεῖτο ὑπὸ τῶν ἐν Λύστροις καὶ Ἰκονίῳ ἀδελφῶν,

Huic teſtimonium bonum reddebant qui in Lyſtris erant & Iconio fratres] Bonæ vitæ teſtimonium habebat ab iis quibuscum vixerat. Id, quanquam in viro ſibi noto, præire volebat Paulus, priusquam ei munus Euangeliſtæ mandaret, exemplum dans Epiſcopis, ne quid in Presbyterorum electione faciant ſuis affectibus ducti, ſed ſequantur normam.

3. Τοῦτον ἠθέλησεν ὁ Παῦλος σὺν αὐτῷ ἐξελθεῖν. *Hunc voluit Paulus ſecum proficiſci*] Nempe in Macedoniam, ubi Timotheus & Silas propinquos quosdam habebant Iudæos gente, fide Chriſtianos, ex illis poſt Stephanum longè latéque diſperſis.

καὶ λαβὼν περιέτεμεν αὐτὸν, *& aſſumens circumcidit eum*] Non fuerat circumciſus, quia, ut Thalmudici tradunt, non erat jus matri filium circumcidere patre invito: Patris enim poteſtas prævalebat.

διὰ τοὺς Ἰουδαίους τοὺς ὄντας ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις. *propter Iudæos qui erant in illis locis*] In Macedonia quò ire volebat. Sperabat ipſius operâ multos ex Iudæis nondum converſos ad Chriſtum poſſe converti, quorum nonnulli rigidioribus illis ſententiis occupati conſuetudinem ſermonemque ejus declinaturi fuerant, ſi ſciſſent incircumciſum. Paulus circumciſionis & uſum & omiſſionem ex temporum locorumque utilitate metiri noverat. Et in his rebus dijudicandis lumine fuit perfuſus majore quàm alii Apoſtoli.

ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες τὸν πατέρα αὐτοῦ ὅτι Ἕλλην ὑπῆρχεν. *ſciebant enim omnes quòd Pater ejus erat gentilis*] Conſtructio Hebraïzans, qualem ſæpe habuimus & proximè xv, 36. Cùm Græcum ſcirent parentem ejus fuiſſe, ipſum quoque ſuſpicati eſſent religionis eſſe Græcanicæ. Manuſcriptus ſimpliciùs habet, ᾔδεισαν γὰρ ἅπαντες ὅτι Ἕλλην ὁ πατὴρ αὐτοῦ ὑπῆρχε [*Sciebant enim omnes quòd Gentilis Pater ejus erat*].

4. παρεδίδουν αὐτοῖς, *tradebant eis*] De hac voce vide Matth. xv, 2.

φυλάσσειν τὰ δόγματα, *cuſtodire dogmata*] *Decreta.* In Græco Danielis ſæpe invenitur δόγμα pro *decreto regio.* Sic & Luc. II, I. infra XVII, 7. Sumitur de *præceptis per Moſem datis* Eph. II, 15. Coloſ. II, 14. Apoſtolorum decreta erant quidem leniora quàm illa Moſis, & ſalutaria magis, quàm quæ à Regibus ſolent proficiſci, non minùs tamen obligantia.

τὰ κεκριμένα ὑπὸ τῶν Ἀποστόλων καὶ τῶν πρεσβυτέρων τῶν ἐν Ἱερουσαλήμ. *quæ erant decreta ab Apoſtolis & Senioribus in Ieruſalem*] *Quæ conſtituta erant.* Sic κρίνειν ſæpe ſumitur, ut infra XX, 16. I Cor. V, 3.

5. καὶ ἐπερίσσευον τῷ ἀριθμῷ, *& abundabant numero*] רבו, *aucti ſunt numero.*

6. Διελθόντες δὲ τὴν Φρυγίαν καὶ τὴν Γαλατικὴν χώραν, *Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem*] Hæ partes erant Aſiæ minoris.

κωλυθέντες ὑπὸ τοῦ ἁγίου πνεύματος λαλῆσαι τὸν λόγον ἐν τῇ Ἀσίᾳ, *vetati ſunt à Spiritu Sancto loqui verbum in Aſia*] *A Spiritu Sancto*, id eſt, per afflatum. τὸν λόγον [*verbum*] id eſt *Euangelium* κατ᾽ ἐξοχὴν [*per excellentiam*], ut ſupra VIII, 4. XI, 19. in Aſia, nempe minore. Erant provinciæ iſtæ vicinæ Bithynis & Piſidis, apud quos jam magnæ erant conſtitutæ ex Gentibus Eccleſiæ, unde facilè Euangelii cognitio per Aſiam minorem ſpargi poterat.

7. Ἐλθόντες κατὰ τὴν Μυσίαν ἐπείραζον κατὰ τὴν Βιθυνίαν πορεύεσθαι· *Cùm veniſſent autem in Myſiam tentabant ire in Bithyniam*] *Iter inire Bithyniam verſus*, quæ & ipſa cum Myſia pars Aſiæ minoris, regni Gog. In Manuſcripto eſt εἰς τὴν Βιθυνίαν [*in Bithyniam*].

8. κατέβησαν εἰς Τρωάδα. *deſcenderunt Troadem*] Phrygiæ partem maritimam.

9. ὅραμα, *viſio*] חזון.

Ἀνήρ τις ἦν Μακεδὼν ἑστὼς, *Vir Macedo quidam erat ſtans*] Angelus Macedoniam curans. Confer quæ ſunt apud Danielem x, 12, 13, 20, 21.

βοήθησον ἡμῖν, *adjuva nos*] Angelus curator Macedonum ſe Macedonibus accenſet.

10. εὐθέως ἐζητήσαμεν ἐξελθεῖν εἰς τὴν Μακεδονίαν, *ſtatim quæſivimus proficiſci in Macedoniam*] Erat quidem Pauli jam antè conſilium ire in Macedoniam, ſed volebat eò ire longo ambitu, transeundo Bosphorum.

συμβιβάζοντες, *certi facti*] *Argumentum inde trahentes:* nempe ex illo viſo nocturno.

11. εὐθυδρομήσαμεν εἰς Σαμοθρᾴκην, *recto curſu venimus Samothraciam*] Quæ inſula non longè à Troade. Itaque à Samothrace Germanicus in Troada venit apud Tacitum Annalium II, εὐθυδρομεῖν eſt *ſecundo vento navigare*, ut infra XXI, I.

τῇ τε ἐπιούσῃ εἰς Νεάπολιν. *& ſequenti die Neapolin*] Vrbs eſt Edonidis partis Macedoniæ, in qua & Philippi. Sed Neapolis in ipſo ſinu Strymonico: introrſum Philippi. Vide Ptolemæum.

12. Ἐκεῖθέν τε εἰς Φιλίππους, ἥτις ἐστὶ πρώτη τῆς μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις κολώνια. *Et inde Philippos, quæ eſt prima partis Macedoniæ civitas colonia*] Ita hæc legenda, nec interſtinguendum inter πόλις [*civitas*] & κολώνια [*colonia*]. Hoc enim dicit, *venienti à ſinu Strymonico primam urbem quæ ſit colonia eſſe Philipppos.* Paulus colonias maximè ſequebatur, quòd ibi & plus eſſet hominum & gentes variæ. Celſus in L. Colonia. D. de Cenſibus. *Colonia Philippenſis juris Italici eſt.* Vlpianus in L. in Luſitania eod. titulo, *In Provincia Macedonia Dyrracheni, Caſſandrenſes, Philippenſes, Dienſes, Stobenſes juris Italici ſunt.*

13. ἐξήλθομεν ἔξω τῆς πόλεως παρὰ ποταμὸν οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. *egreſſi ſumus foras portam juxta flumen ubi videbatur oratio eſſe*] Iuvenalis,

Ede ubi conſiſtas: in qua te quæro proſeucha.

ubi Scholiaſtes, *locus Iudæorum in quo orant.* Philo Synagogas vocat προσευχὰς, quia in illis & legebatur Lex & orabatur. Sed etiam quibus in locis Synagogæ non erant, putà ob exiguum Iudæorum numerum, aut quòd Magiſtratus non permitterent, habebant Iudæi loca orationibus deſtinata, procul à turba, & maximè ad amnes aut mare. Vide infra XXI, 5. Philippis non fuiſſe Synagogam colligimus & infra XVII, I.

14. ὀνόματι Λυδία. *nomine Lydia*] Ita dicta à ſolo natali: nam Thyatira, unde hæc erat, Lydiæ adſcribit Stephanus. Fœminæ è Lydia veſtium textu nobiles.

πορφυρόπωλις, *Purpuraria*] In Gloſſis, πορφυροπώλης, *purpurarius.*

ἧς ὁ Κύριος διήνοιξε τὴν καρδίαν, *cujus Dominus aperuit cor*] Activæ voces interdum ſic ſumuntur, ut tacitè includant effectum, quanquam is effectus aliquatenus in humana eſt poteſtate. *Aperuit Deus,* illâ ſinente aperiri, imò etiam aperiente ſuo modo, ut apparet Apoc. III, 20. Sic *trahi* dicitur qui trahentem volens ſequitur. Sic *dari* id quod accipitur. Vide quæ diximus ad Ioh. VI, 37, 44.

προσέχειν τοῖς λαλουμένοις ὑπὸ τοῦ Παύλου. *intendere iis quæ dicebantur à Paulo*] *Vt fidem haberet Pauli dictis.* Eſt μετωνυμία [*Transnominatio*]. Nam τὸ προσέχειν [*intendere*] cauſa credendi.

15. Ὡς δὲ ἐβαπτίσθη, *Cùm autem baptizata eſſet*] Vide ſupra VIII, 12.

Εἰ κεκρίκατέ με πιστὴν τῷ Κυρίῳ εἶναι, *Si judicaſtis me fidelem Domino eſſe*] *Si me putatis ex animo credere quod profiteor.*

Καὶ παρεβιάσατο ἡμᾶς. *Et coëgit nos*] Habes hoc verbum, eodem ſenſu apud hunc ipſum ſcriptorem, Euangelio XXIV, 29.

16. πορευομένων ἡμῶν εἰς προσευχὴν, *euntibus nobis ad orationem*] Illam de qua ſupra 13.

ἔχουσαν πνεῦμα Πύθωνος, *habentem Spiritum Pythonis*] Plutarchus de defectu oraculorum, Ὥσπερ τοὺς ἐγγαστριμύθους Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας προσαγορευομένους [*Vt ventriloquos, quos olim Eurycleas, nunc Pythones vocant*]. Lxx Interpretes ubi in Hebræo nominantur אובים ab אוב, quod eſt *uter*, vertunt, ἐγγαστριμύθους, Latinus *Pythones*. Horum nominum eadem ſignificatio, quam explicat Galenus in Gloſſis Hippocratis, Ἐγγαστρίμυθοι οἱ κεκλεισμένου τοῦ στόματος φθεγγόμενοι, διὰ τὸ δοκεῖν ἐκ τῆς γαστρὸς φθέγγεσθαι [*Ventriloqui, qui clauſo ore loquuntur, quod è ventre loqui videantur*]. Ariſtophanes Veſpis,

Μιμησάμενος τὴν Εὐρυκλέους μαντείαν καὶ διάνοιαν,
Εἰς ἀλλοτρίας γαστέρας ἐνδὺς κωμῳδικὰ πολλὰ χέασθαι.
[*Simulque fatidici morem Euryclis mentemque imitatus,*
Aliena in pectora ſe inſinuans diffudit comica multa].

Vbi Scholiaſtes ad illud Εὐρυκλέους, Οὗτος ὡς ἐγγαστρίμυθος λέγεται Ἀθήνησι τὰ ἀληθῆ μαντευόμενος διὰ τοῦ ἐνυπάρχοντος αὐτῷ δαίμονος [*Euryclis. Hunc tanquam ventriloquum Athenis vera vaticinatum ferunt Dæmonis ope qui ei inerat*]. Deinde, Ἐγγαστρῖται δὲ καὶ Εὐρυκλεῖται ἐκαλοῦντο ἐντεῦθεν πάντες οἱ μαντευόμενοι, ἀπὸ Εὐρυκλέους, πρῶτον τοῦτο ποιήσαντος [*Hinc ventriloqui & Euryclitæ dicti vates omnes, ab Eurycle primo ejus rei auctore*]. Pytho eſt urbs Delphorum ut ad Lucanum diximus. Qui ibi vaticinabantur vocabantur πύθωνες [*Pythones*], πυθόληπτοι [*Pythonem habentes*], πυθομάντεις [*Pythonii vates*]· inde vox ſerpſit ad ſimilia facientes. Manuſcriptus tamen πνεῦμα πύθωνα [*ſpiritum Pythonem*], quod non probem.

ἥτις ἐργασίαν πολλὴν παρεῖχε τοῖς κυρίοις, *quæ quæſtum magnum præſtabat dominis*] Ἐργασία propriè *opificium*, per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *quæſtus omnis*, ut infra 19.

17. λέγουσα, Οὗτοι οἱ ἄνθρωποι, δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσὶν, οἵτινες καταγγέλλουσιν ὑμῖν ὁδὸν σωτηρίας. *dicens, Iſti homines ſervi Dei excelſi ſunt, qui annuntiant vobis viam ſalutis*] Vide ſimilem hiſtoriam Marci V, 7.

Malus bonum cùm ſimulat, tum eſt peſſimus.

18. Διαπονηθεὶς δὲ ὁ Παῦλος, *dolens autem Paulus*] Nolens teſtem ſibi ſpiritum mendacem.

Παραγγέλλω σοι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς. *Præcipio tibi in nomine Ieſu Chriſti exire ab ea*] Vtens jure dato, Marci XVI, 17.

19. Ἴδοντες δὲ οἱ κύριοι αὐτῆς, *Videntes autem domini ejus*] Poſſunt unius plures eſſe domini, non tamen in ſolidum.

εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν, *perduxerunt in forum*] *Obtorto collo*, ut loquuntur Latini.

ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας. *ad Principes*] *Ad duumviros coloniæ*, quos jam dicet στρατηγοὺς [*Magiſtratus*] honoratiori vocabulo, ſicut Capuæ duumviri *Prætores* ſe dici volebant. Pari modo ſupra qui erat *Proprætor* dictus eſt ἀνθύπατος [*Proconſul*]. Sic Decuriones, *Senatores*.

21. καταγγέλλουσιν ἔθη ἃ οὐκ ἔξεστιν ἡμῖν παραδέχεσθαι οὐδὲ ποιεῖν Ῥωμαίοις οὖσι. *annuntiant morem, quem non licet nobis ſuſcipere neque facere, cùm ſimus Romani*] Cicero de legibus II, *Suos deos, aut novos, aut alienigenas coli, confuſionem habet religionum.* Tertullianus *vetus* ait *decretum fuiſſe, ne quis deus conſecraretur, niſi à Senatu probatus.* Mæcenas ad Auguſtum, narrante Dione Caſſio, Τὸ μὲν θεῖον, πάντη πάντως αὐτός τε σέβου κατὰ τὰ πάτρια, καὶ τοὺς ἄλλους τιμᾶν ἀνάγκαζε· τοὺς δὲ ξενίζοντας τι περὶ αὐτὸ καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ' ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ' ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεισφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν· κἀκ τούτου καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαι τε γίγνονται, ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει [*Divinum Numen prorſus & tu conſueto more cole, & alios colere coge: & qui quid hac in re innovant, hos & odio habe & ſupplicio affice; non ſolùm deorum ergo, quos qui contemnet, is nec hominis cujusquam rationem ullam habiturus ſit, verùm eò quoque, quòd iſti, dum novos deos in antiquorum locum ſubdunt, multis quò externis legibus vivant, auctores ſunt. Atque hinc & conjurationes, & coitiones, & factiones oriuntur, quæ in Monarchiâ eſſe minimè expediat*].

22. καὶ οἱ στρατηγοὶ περιρρήξαντες αὐτῶν τὰ ἱμάτια ἐκέλευον ῥαβδίζειν, *& Magiſtratus ſciſſis tunicis eorum, juſſerunt eos virgis cædi*] Sic & Dionyſius Halicarnaſſenſis, Τοῖς ῥαβδούχοις ἐκέλευσαν τήν τ' ἐσθῆτά τε περικαταρρῆξαι καὶ ταῖς ῥάβδοις τὸ σῶμα ξαίνειν [*Lictoribus demandabant & veſtem diſcindere & corpus virgis cædere*]. Pro quo Livius libro II, *Conſules ſpoliari hominem & virgas expediri jubent.* Eodem modo loquitur idem Livius libro VII. pro eodem dixit Plutarchus in Cicerone ἐσθῆτα περισχίσαι [*veſtem ſcindere*]· in Publicola περιρρηγνύειν τὰ ἱμάτια· in Camillo καταρρηγνύναι τὰ ἱμάτια· in Mario περιρρῆξαι τὸν χιτωνίσκον. Valerius alibi ait, *nudari juſſit:* alibi addit, *veſte ſciſſa ſpoliatoque corpore.* Cicero ſeptimâ Verrinâ, *Hominem proripi, atque in foro medio nudari, ac deligari & virgas expediri jubet.* Seneca in controverſiis ut verba legitima refert, *Summove lictor, deſpolia, verbera.* In hiſtoria de beato Apollinari, *Exuite eum & cædentes dicite*, &c. Livius XXVIII. *lacerantibus veſtem lictoribus.* Seneca de Ira I, 16. lictorem deſcribit veſtimenta ſcindentem. Tacitus Hiſtoriarum IV, de Herennio, *Protractum è tentorio ſciſſa veſte, lacerato corpore.*

23. τῷ δεσμοφύλακι, *cuſtodi*] Paulus Iuriſconſultus *carceri præpoſitum* appellat L. carceri. D. de cuſtodia reorum : *optionem carceris* Ambroſius. *Commentarienſem* vocat L. de his. C. de cuſtodia reorum: & Græci ex Latino κομμενταρήσιον [*commentarienſem*] in Novella Iuſtiniani XIII : & in Edicto XIII. Hunc commentarienſem dictum fuiſſe *Stephanam*, & eundem eſſe cujus Paulus meminit I Corinth. I, 16. XVI, 15, 17. putant Græci ad hunc locum.

24. Ὃς παραγγελίαν τοιαύτην εἰληφὼς, *Qui cùm tale præceptum accepiſſet*] *Præceptum* : nam παραγγέλλειν inter alia *præcipere*, Matth. X, 5, & alibi ſæpe.

εἰς τὴν ἐσωτέραν φυλακὴν, *in interiorem carcerem*] Auguſtinus ad Iohannem, *Alii mittuntur in carcerem, & in ipſo carcere non omnes, ſed pro meritis cauſarum in imo carceris detruduntur. Sedis intimæ tenebras* dixit L. I. C. de cuſtodia reorum.

καὶ τοὺς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον. *& pedes eorum ſtrinxit ligno*] Scholiaſtes ad nebulas Ariſtophanis, εἶδος δεσμωτηρίου τὸ ξύλον, ἣν ποδοκάκην λέγουσι καὶ ποδοστράβην [*erat lignum ea cuſtodiæ ſpecies, quam* ποδοκάκην *&* ποδοστράβην *vocant*]. Fuit tamen diſcriminis aliquid inter ξύλον [*lignum*] & ποδοκάκην· nam in veteri lege Attica habemus, δησάντων ἐν τῷ ξύλῳ οἱ ἕνδεκα, ἢ ἐν τῇ ποδοκάκῃ [*vinciant undecimviri in ligno aut podocacâ*]. Puto ποδοκάκην eſſe quas *ligneas ſoleas* appellat Cicero : ξύλον autem quod *ligneam cuſtodiam* appellat Plautus. In L. Si hominem. D. depoſiti, legimus *vinctum vel ad malam manſionem extenſum*. Hîc Græci Scholiaſtæ *malam manſionem* exponunt, ξύλον εἰς ὃ ἐμβάλλουσι τοὺς πόδας [*lignum cui pedes indunt*]. Euſebius dixit τὰς ἐν τῷ ξύλῳ διατάσεις τῶν ποδῶν [*diſtenſiones pedum in lignea cuſtodia*]· quod Prudentius,

Lignoque plantas inſerit
Divaricatis cruribus.

Lucianus, τὰ μέλη ἐν τῷ ξύλῳ κατακεκλεισμένα [*membra in ligneam cuſtodiam concluſa*]. Iobi XXXIII, 11, ubi in Græco, ἔθετο δὲ ἐν ξύλῳ μου τὸν πόδα [*poſuit in ligno pedem meum*], in Hebræo eſt סד, quod ejuſdem libri XIII, 27, alii κώλυμα [*impedimentum*] vertunt, alii ταλαιπωρίαν [*miſeriam*], alii ξύλον εἰρκτῆς [*lignum carceris*], alii ξυλοπέδην [*pedicam ligneam*], Chaldæis סדיא aut סדן eſt *cippus*. Quod apud Cedrenum eſt κακουχία, id latiùs patet & omnia carceris incommoda complectitur. ἠσφαλίσατο hîc eſt *cuſtodiit* : μετωνυμία [*Transnominatio*]· cuſtodia enim ſecuros nos facit.

25. Κατὰ δὲ τὸ μεσονύκτιον, *Mediâ autem nocte*] Quod Varro dixit *noctis meridiem* audaci translatione.

ὕμνουν τὸν Θεόν· *laudabant Deum*] *Laudes Deo canebant*, & gratias agebant pro honore ſibi habito, in eo quod pro Chriſto pati poſſent. Supra V, 41.

26. Ἄφνω δὲ σεισμὸς ἐγένετο μέγας, *Subitò verò terræ motus factus eſt magnus*] Signum ſecuturæ rei magnæ, ut Matth. XXVIII, 2.

ὥστε σαλευθῆναι τὰ θεμέλια τοῦ δεσμωτηρίου, *ita ut moverentur fundamenta carceris*] Simile loquendi genus Pſalm. XIX, 8. LXXXII, 5. Eſaïæ XXIV, 18.

ἀνεῴχθησάν τε παραχρῆμα αἱ θύραι, *& ſtatim aperta ſunt oſtia*] Vt ſupra XII, 9.

καὶ πάντων τὰ δεσμὰ ἀνέθη. *& univerſorum vincula ſoluta ſunt*] Non uni, ut ſupra XII, 7: ſed vinctis omnibus, ut ſcirent Apoſtolos & ſibi & aliis eſſe utiles, & per eos ſolvi animorum vincula.

27. σπασάμενος μάχαιραν ἔμελλεν ἑαυτὸν ἀναιρεῖν, *evaginatô gladiô volebat ſe interficere*] Metu gravioris ſupplicii. Solebant enim commentarienſes, ſi effugiſſent vincti, eandem pati pœnam quam vincti paſſuri fuerant, L. ad commentarienſem. C. de cuſtodia reorum. αὐτοχειρία [*interfectio ſui ipſius*] autem frequens Græcis & Romanis, neque improbata aut Stoïcis aut Epicureis, ne Platonicis quidem & Ariſtotelicis, omni modo & ſine exceptione. Σπᾶν μάχαιραν, eſt *gladium de vagina educere.* Numer. XXII, 23, 31. Ioſ. V, 13. Iud. VIII, 20. IX, 54. XX, 2, 15. XXV, 35. I Sam. XXXI, 4. II Sam. XXIV, 9. II Regum III, 26. Ezech. XXI, 28. XXVI, 15. Pſalm. XXXVII, 14. I Paral. X, 4. XXI, 5, 16. plena locutio eſt I Sam. XVII, 51. Dixit & Ariſtophanes, ξίφος γ᾽ ἐσπᾶτο [*eduxit enim enſem*]. Et Strabo IV, ἐσπασμένος τὸ ξίφος [*gladium cùm evaginaſſet*].

28. Μηδὲν πράξῃς σεαυτῷ κακόν· *Nihil tibi mali feceris*] Inter Hebræos quæſtionem fuiſſe dubiam, An ſe interficere liceret, diximus libro II de Iure Belli ac Pacis cap. XIX, 5. Chriſtiani majoris patientiæ debitores, & exempla Chriſti Apoſtolorumque ejus habentes ob oculos, pro certo ſemper habuere potiùs quamvis mortem exſpectandam, quàm ſponte ſumendam, niſi quod de mulieribus, quarum pudor periclitatur, nonnihil dubitatum eſt. Iuſtinus Apologetico I, Εἰ οὖν πάντες ἑαυτοὺς φονεύσομεν, τοῦ μὴ γεννηθῆναί τινα καὶ μαθητευθῆναι εἰς τὰ θεῖα διδάγματα, ἢ καὶ μὴ εἶναι τὸ ἀνθρώπειον γένος, ὅσον ἐφ᾽ ἡμῖν αἴτιοι ἐσόμεθα· ἐναντίον τῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ καὶ αὐτοὶ ποιοῦντες ἐὰν τοῦτο πράξωμεν [*Quamobrem ſi ipſi nos occidemus cuncti, efficiemus, quantum quidem in nobis erit, ne quis naſcatur, neve ſe in divinam diſciplinam det, atque adeò ne ſit humanum genus : quod ſi faciemus, conſilio Dei ipſi quoque adverſabimur*]. Clemens Strom. IV. Λέγομεν δὲ καὶ ἡμεῖς τοὺς ἐπιπηδήσαντας τῷ θανάτῳ· εἰσὶ γάρ τινες οὐχ ἡμέτεροι, μόνου τοῦ ὀνόματος κοινωνοὶ, οἳ δὴ αὑτοὺς παραδιδόντες σπεύδουσι, τῇ πρὸς τὸν δημιουργὸν ἀπεχθείᾳ, οἱ ἄθλιοι θανατῶντες· τούτους ἐξάγειν ἑαυτοὺς ἀμαρτύρως λέγομεν, κἂν δημοσίᾳ κολάζονται· οὐ γὰρ τὸν χαρακτῆρα σώζουσι τῆς μαρτυρίας τῆς πιστοῦ, τὸν ὄντως θεὸν μὴ γνωρίσαντες, θανάτῳ δὲ ἑαυτοὺς ἀποδιδόασι κενῷ, καθάπερ καὶ οἱ τῶν Ἰνδῶν Γυμνοσοφισταὶ ματαίῳ πυρί [*Dicimus autem & nos, qui in mortem inſiluére (ſunt enim nonnulli non noſtri, nomine tantùm eodem, qui ipſi ſe properant tradere, ſuo in Creatorem odio, miſeri, cupientes mori) hoſce nos vitæ ſe, dicimus, abſque martyrio ſubducere, utut publicè puniantur. Neque enim fidelis martyrii ſervant characterem, cùm verum Deum ignorent, & vanam ſe in mortem dant, ut inanem in ignem Indorum Gymnoſophiſtæ*].

29. Αἰτήσας δὲ φῶτα, *Petitoque lumine*] *Plures lucernas.* φῶτα [*lumina*] in plurali uſurpant Helleniſtæ, ut Pſalm. CXXXVI, 7. Hinc dies φώτων [*luminum*], qui & ἐγκαινίων [*encæniarum*].

προσέπεσε τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ. *procidit Paulo & Silæ ad pedes*] Mos hic ab Oriente in Macedoniam venerat cum aliis multis, ab Alexandri Magni temporibus. Vide Marci III, 11. V, 33. VII, 25. Lucæ V, 8. VIII, 28, 47.

30. Καὶ προαγαγὼν αὐτοὺς ἔξω, *Et producens eos foras*] In locum aliquem carceris ſub dio poſitum, ut liberiùs reſpirarent. *Veſtibula carcerum & ſalubria loca* dixit L. 1. C. de cuſtodia reorum.

κύριοι, *Domini*] Dominos vocare eos quos honorare velimus, receptum tum erat & apud Græcos & apud Romanos. Teſtis Martialis & alii.

τί με δεῖ ποιεῖν ἵνα σωθῶ; *quid me oportet facere ut ſalvus fiam?*] Spem aliquam vitæ melioris ex antiqua traditione, aut ex Philoſophorum doctrina acceperat.

31. Πίστευσον ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, *Crede in Dominum Ieſum Chriſtum*] Nempe ea fide, quæ ad obedientiam flectat animum. Sæpe enim generis nomina pro ſpecie quadam eximia ponuntur.

καὶ σωθήσῃ σὺ καὶ ὁ οἶκός σου. *& ſalvus eris tu & domus tua*] *Vives*, hîc Syrus: id eſt, *pervenies ſic ad eam vitam quam expetis.*

33. Καὶ παραλαβὼν αὐτοὺς, *Et tollens eos*] Adductos ad κολυμβήθραν [*piſcinam*] aliquam, quæ erat intra ſepta carceris.

ἔλουσεν ἀπὸ τῶν πληγῶν· *lavit plagas eorum*] Abluit ſanguinem virgis excitatum.

καὶ οἱ αὐτοῦ πάντες, *& omnis domus ejus*] Manuſcriptus, Καὶ οἱ οἰκεῖοι αὐτοῦ πάντες [*Et domeſtici ejus omnes*].

παραχρῆμα. *continuò*] Similia exempla dati ſine mora Baptiſmi habemus ſupra VIII, 38. X, 47. XVI, 15.

34. Ἀναγαγών τε αὐτοὺς εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ, *Cùmque perduxiſſet eos in domum ſuam*] *In domum ſuam* vicinam carceri, ut ſolent eſſe domus commentarienſium.

παρέθηκε τράπεζαν, *appoſuit menſam*] Παρατιθέναι [*apponere*] propriè dicitur de convivatore, Lucæ X, 8. XI, 6. 1 Cor. X, 27. Cicero ad Atticum, *Hæc ad te ſcripſi appoſitâ menſâ ſecundâ.* Idem alibi dixit *apponere in vaſis fictilibus*: *apponere quod ſatis eſt.* Helena Paridi,

-- -- *Appoſitâ quæ nunc facis improbe menſâ.*

ἠγαλλιάσατο πανοικὶ πεπιστευκὼς τῷ Θεῷ. *lætatus eſt cum omni domo ſua credens Deo*] Participium hîc cauſam reddit. Ideo gaviſus eſt quòd non ipſe tantùm, ſed & totâ ejus familia tanta luce perfuſa eſſet.

35. οἱ στρατηγοὶ, *Magiſtratus*] De quibus ſupra 19, 20, 22.

τοὺς ῥαβδούχους, *lictores*] Cenſeam in verſione retinendam vocem *rabduchi*. Quanquam enim & Plutarchus & gloſſaria *lictores* Græcè ῥαβδούχους [*rabduchos*] vocant, ipſa tamen vox Græca quosvis *Magiſtratuum miniſtros* ſignificat, quod bacillum, qui Græcè ῥάβδος dicitur, in miniſterii ſui ſignum geſtarent.

λέγοντες· Ἀπόλυσον τοὺς ἀνθρώπους ἐκείνους, *dicentes, Dimitte homines illos*] Subierat duumviros pœnitentia, quod in plebis commotæ gratiam, indictâ cauſâ, cædi juſſiſſent homines advenas contra morem Romanum. Paulum autem jus habuiſſe civitatis Romanæ nondum videntur ſciſſe.

37. Δείραντες ἡμᾶς δημοσίᾳ, *Caſos nos publicè*] Dicuntur Duumviri feciſſe quod fieri juſſerant. Et multum auget injuriam, quòd facta erat in publico. Vide L. Prætor in fine D. de injuriis.

ἀκατακρίτους, *indemnatos*] Contra jus Gentium & Romanorum. De jure Gentium audi Heſiodum,

Μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.
[*Nî prius audieris ambos, ne judicium fer*].

& Senecam Medeâ,

Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

De jure Romano teſtis Cicero, *Cauſâ cognitâ poſſunt multi abſolvi, incognitâ nemo condemnari poteſt*: & Tacitus Hiſtoriarum I, *Inauditi atque indefenſi tanquam innocentes perierant*: & Hiſtoriarum III, *Quamvis inviſum & nocentem, more tamen audiendum.* Teſtis & Tertullianus peritus ſanè Romani juris in Apologetico, *Inauditum ſi damnant, invidiam iniquitatis merebuntur.* Idem adverſùs nationes, *Quando non licet indefenſos & inauditos omnino damnari.* Apulejus IX. Mileſiarum, *Nec ad inſtar barbaricæ feritatis, vel tyrannicæ impotentiæ damnaretur aliquis inauditus.* Salvianus fine libri VIII, *Sed in urbe illa non tam hominum fuerunt hæc beneficia, quàm legum: interfici enim indemnatum quemcunque hominem, etiam XII. tabularum decreta vetuerunt.*

ἀνθρώπους Ῥωμαίους ὑπάρχοντας, *homines Romanos*] Eſt Synecdoche, qualis Matth. XXVII, 44. Nam jus civitatis Romanæ ſolus habebat Paulus, ut videbimus infra XXII, 25. Civem Romanum omnino virgis cædere non licebat per leges Porcias & Sempronias: quantò minus causâ indictâ? Norat Paulus ad innocentiæ & cauſæ bonæ præſidium etiam legibus uti.

Οὐ γὰρ, *Non ita*] Ἀποσιώπησις [*Reticentia*]. *Non enim ita agi rectum eſt.*

ἡμᾶς ἐξαγαγέτωσαν, *nos ejiciant*]. Tanquam innoxios. Sic Magiſtratus Apulejum ſolatum veniunt, Mileſiarum III.

38. καὶ ἐφοβήθησαν ἀκούσαντες ὅτι Ῥωμαῖοί εἰσι. *timueruntque auditô quod Romani eſſent*] Simile vide infra XXII, 29. Metuebant Majeſtatis crimen, quod Verri minatur Cicero circa finem Verrinæ ultimæ. Ita enim conſtituerant Leges, ut in cive Romano læſo, ipſa Populi Romani Majeſtas læſa crederetur.

39. παρεκάλεσαν αὐτοὺς, *deprecati ſunt eos*] *Conſolati ſunt eos*, dicentes, indignos eos eſſe eâ, quam accepiſſent, injuriâ. Vide Terentium Adelphis Act. II, Sc. I.

ἠρώτων ἐξελθεῖν ἐκ τῆς πόλεως. *rogabant ut egrederentur de urbe*] Hoc obtentu, ne quid triſte ab irata plebe paterentur.

40. εἰσῆλθον εἰς τὴν Λυδίαν· *introierunt ad Lydiam*] Id eſt, *in Lydiæ domum.* Sic in Comœdiis, *Eamus ad me.*

παρεκάλεσαν αὐτοὺς, *conſolati ſunt eos*] Hortati eos ſunt ut in fide conſtantes manerent, quanquam ſe abeuntibus.

καὶ ἐξῆλθον. *& profecti ſunt*] Nempe tum ne periculis ſe ingererent non neceſſariis, tum quia Macedonia, quam ipſis Deus commendaverat, latiùs patebat.

CAPVT XVII.

Διοδεύσαντες δὲ τὴν Ἀμφίπολιν, *Cùm autem perambulaſſent Amphipolim*] Vrbem vicinam Philippis, ut ex Ptolemæo liquet.

καὶ Ἀπολλωνίαν, *& Apolloniam*] Eam quam *Mygdoniam* vocat Ptolemæus. Erat mari adſita, Corinthiorum & Corcyræorum Colonia: quam deſcribit Cæſar III Belli civilis, & Strabo libro VII.

ἦλθον εἰς Θεσσαλονίκην, *venerunt Theſſalonicam*] Eſt urbs præclara Macedoniæ ad ſinum Thermaicum, ut ex Strabone & Ptolemæo cognoſcere eſt, condita à Philippo Amyntæ filio poſt victoriam de Theſſalis, unde urbi nomen.

ὅπου ἦν ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων. *ubi erat Synagoga Iudæorum*] Articulus additus ſignificat Philippis, Amphipoli & Apolloniæ nullas fuiſſe Synagogas: ſed ſi qui ibi eſſent Iudæi, eos Synagogam adiiſſe Theſſalonicenſem.

2. Κατὰ δὲ τὸ εἰωθὸς τῷ Παύλῳ εἰσῆλθε πρὸς αὐτοὺς, *Secundùm conſuetudinem autem Paulus introivit ad eos*] Hebraïſmus, pro ὁ δὲ Παῦλος κατὰ τὸ εἰωθὸς αὐτῷ εἰσῆλθε [*Paulus autem ſecundùm conſuetudinem ſuam introivit*]. Mos erat Paulo primùm adire Iudæos & ipſis afferre Euangelii ſermonem, ſupra XIII, 46.

3. διελέγετο αὐτοῖς ἀπὸ τῶν γραφῶν, Διανοίγων καὶ παρατιθέμενος ὅτι τὸν Χριστὸν ἔδει παθεῖν καὶ ἀναστῆναι ἐκ νεκρῶν, *diſſerebat eis de Scripturis, Adaperiens & inſinuans, quia Chriſtum oportuit pati & reſurgere à mortuis*] Puto rectiùs diſtingui, διελέγετο αὐτοῖς, ἀπὸ τῶν γραφῶν διανοίγων καὶ παρατιθέμενος [*diſſerebat eis, de Scriptura adaperiens & inſinuans*]: *Multa cum illis diſſerebat, & ex Scripturis apertum faciebat, & ob oculos ponebat Chriſtum debuiſſe pati.* παρατιθέμενος [*proponens*] intellige ἐνώπιον αὐτῶν [*coram illis*], quæ plena locutio reperitur Exodi XIX, 7. XXI, 1. Deut. IV, 44. Locis Scripturæ iiſdem uſus eſt Paulus, quibus Chriſtus in eadem re, Lucæ XXIV, 26, 27.

ὃν ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *quem ego annuntio vobis*] Tranſitio ab oratione obliqua ad directam, frequens & aliis & noſtris maximè Scriptoribus.

4. καὶ προσεκληρώθησαν τῷ Παύλῳ καὶ τῷ Σίλᾳ, *& adjuncti ſunt Paulo & Silæ*] נלוו, *additi fuere Paulo & Silæ.* Sed in προσεκληρώθησαν [*adjuncti ſunt*] plus aliquanto eſt, & ſignificat planè illos addictos fuiſſe Paulo & Silæ, ſicut res hæreditariæ apud Hebræos. Vtitur hoc verbo & Lucianus: συγκληροῦσθαι pro eodem dixit Ariſtides.

τῶν τε σεβομένων Ἑλλήνων πολὺ πλῆθος, *& de colentibus Gentibus multitudo magna*] Hîc σεβόμενοι Ἕλληνες [*colentes Gentes*] ſunt iidem quos Hebræi vocant חסידי אומות, *pii ex Gentibus*, qui legem quidem Moſis non ſuſceperant, ſed idololatria & pravis moribus relictis, unum colebant Deum & nemini faciebant injuriam; qui gradus erat ad Chriſtianiſmum.

γυναικῶν τε τῶν πρώτων, *& mulieres nobiles*] *Ex Matronis.* Vide ſupra XIII, 50.

5. τῶν ἀγοραίων τινὰς, *de vulgo quoſdam*] Ammonius, Ἀγόραιος ἐὰν προπαροξυτόνως, σημαίνει τὸν πονηρὸν τὸν ἐν ἀγορᾷ τεθραμμένον· ἐὰν δὲ προπερισπωμένως, σημαίνει τὸν ἐν ἀγορᾷ τιμώμενον [Ἀγόραιος, *cùm antepenacuitur, malum hominem in foro educatum, penultimâ circumflexâ, eum cui in foro honor habeatur, denotat*]. Hi ſunt quos *circumforaneos* vocant Latini, Livius libro IX *forenſem factionem*, Plautus *ſcurras* Trinummo, quos ſic graphicè depingit,

> *Nihil eſt profectò ſtultius neque ſtolidius,*
> *Neque mendaciloquius, neque argutum magis,*
> *Neque confidentiloquius, neque perjurius,*
> *Quàm urbani aſſidui cives, quos ſcurras vocant.*

ἀγόραιοι σύρφακες, [*viles ſcurræ*] Clementi Alexandrino: ἤθη ἀγόραια [*ſcurrarum mores*] Theophraſto.

ὀχλοποιήσαντες, *turbâ facta*] Ὀχλοποιεῖν eſt קשר, quod συστροφὴν ποιεῖν [*ſeditionem concitare*] vertitur apud Amoſum.

τῇ οἰκίᾳ Ἰάσονος, *domui Iaſonis*] Iudæi, qui Hebraïcè ישוע [*Ieſchua*]. Hic fuit ex Iudæis illis Chriſtianis, qui ex Iudæa in Syriam, ex Syria in Macedoniam venerant.

6. ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας, *ad principes civitatis*] Vox Græca eodem modo facta quomodo Βοιωτάρχαι· illi *urbis Præfecti*, hi *gentis Bæoticæ.*

οἱ τὴν οἰκουμένην ἀναστατώσαντες, *qui orbem concitant*] *Qui terrarum orbem ad res novas excitarunt.* Sic ἀναστατοῦν [*concitare*] & infra ſumitur XXI, 38. Politici qui ſæpe dogmata vera à falſis, ſalubria à noxiis non norunt diſtinguere, omnia nova ſuſpecta habent; id Euangelio vehementer obſtitiſſet, niſi Deus ingenti Spiritu diſſlaſſet iſta conſilia.

7. Οὓς ὑποδέδεκται, *Quos ſuſcepit*] In Gloſſis ὑποδέχομαι, *ſuſcipio, excipio.* Sic uſurpatur hæc vox Tobiæ VII, 9. I Macc. XVI, 15. Frequens vox hoc ſenſu & apud Poëtas, & apud Hiſtoriarum ſcriptores Græcos.

ἀπέναντι τῶν δογμάτων Καίσαρος πράττουσι, *contra decreta Cæſaris faciunt*] Neque enim aut olim Populus Romanus, aut poſtea Cæſares permiſére in regionibus devictis quenquam Regem dici, niſi ſuo permiſſu. Livius commemorat à Maſiniſſa gratias actas Senatui, quòd Scipio eum Regem appellaſſet: & Cicero pro Deiotaro, & in Aruſpicum reſponſis, & in Epiſtolis, non ſemel Deiotarum ait à Senatu Regem appellatum. Salluſtius in bello Iugurthino narrat Maſiniſſæ nepoti à Metello non conceſſum ut ſellam juxta eum poneret, quòd is honos eorum modò foret, quos Populus Romanus Reges appellaviſſet. Arioviſtum à Populo Romano Regem appellatum docet nos in Commentariis ſuis Cæſar: in qua hiſtoria Dion, Τὴν κύρωσιν τῆς βασιλείας παρὰ τῶν Ῥωμαίων εἰλήφει [*Populus Romanus ratum ei regnum fecerat*]: qui & de Iuba, βασιλεὺς προσηγορεύθη [*Rex appellatus eſt*]. Valerius Maximus refert à Pompejo Ariobarſanis filium Regem appellatum.

βασιλέα λέγοντες ἕτερον εἶναι Ἰησοῦν. *Regem alium dicentes eſſe Ieſum*] Non Iudææ tantùm, de quo apud Pilatum accuſatus Ieſus fuerat, ſed totius humani generis. Nam Chriſtiani Ieſum vocabant κύριον [*Dominum*], quod in hoc libro ſæpe; ſæpiſſimè verò in Paulinis literis occurrit. Hoc autem idem valet quod βασιλεὺς [*Rex*], Apocal. I, 8. XV, 3. XVII, 14. Non magis quam Pilatus intelligebant iſti Macedones regnum Chriſti ejus eſſe ingenii ut Regibus mundi hujus non obſtaret, imò & illorum firmaret imperia multis modis. Simile vide Ioh. XVIII, 36, 37. ἕτερον, id eſt, *alium à Cæſare*, qui ſe κόσμου κύριον [*mundi Dominum*] dicebat, ut eſt in L. Ἀξίωσις [*deprecatio*] D. ad legem Rhodiam.

8. Ἐτάραξαν δὲ τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας, *Concitaverunt autem plebem & Principes civitatis*] Id eſt, *animos & populi & Magiſtratuum non parùm commoverunt*, metu ne quid in Imperium Romanum committerent.

9. Καὶ λαβόντες τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος, *Et accepta ſatisfactione à Iaſone*] Eſt vox Romani juris, *ſatis accipere*, cui reſpondet *ſatisdare*, unde *ſatisdatio*, ἱκανοδοσία Theophilo : ſicut *ſatisfacere* ἱκανὸν ποιῆσαι, Marci xv, 15. Sunt enim hæc pari modo dicta. L. 1. D. qui ſatisdare cogantur. *Satis accipere* frequens in jure, ut initio L. 1. D. ut in poſſeſſionem legatorum. *Satis accipit*, cui cavetur, quantum Legi aut Iudici aut viro bono ſatis eſt. Iaſon hic & amici ejus ſatis dederunt judicio ſiſti Paulum & Silam, ſi opus eſſet, quod non evénit. Ita interpretati ſunt hunc locum rectè & Syrus & Arabs.

10. εἰς Βέροιαν, *in Beræam*] Eſt urbs Macedoniæ non procul à Pella, Plin. iv, 10. Ptolemæus in *Macedonia*.

οἵτινες, *qui*] Paulus & Silas.

παραγενόμενοι, *cùm veniſſent*] Vbi Berœam venerant.

11. Οὗτοι δὲ, *Hi autem*] Nempe Iudæi Berœenſes: nam præceſſit τῶν Ἰουδαίων [*Iudæorum*] poſt *Beræa* mentionem. Huc ergo refertur illud οὗτοι [*hi*].

εὐγενέστεροι ἄλλων τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, *nobiliores eorum qui ſunt Theſſalonicæ*] Genitivus hîc ſignificat alterum membrum comparationis. εὐγενέστεροι [*nobiliores*] autem Patres Græci interpretantur ἐπιεικέστεροι [*æquiores*]. Non æquè duro erant animo: audiebant patienter; cogitabant de re; inquirebant. Erant εὐθετώτεροι πρὸς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, [*magis apti ad regnum Dei*]. Erant magis τεταγμένοι πρὸς τὴν ζωὴν αἰώνιον [*ordinati ad vitam æternam*]. *Volebant facere voluntatem Patris*, eoque meliùs *cognoſcebant de verbo*, Ioh. vii, 17. In Gloſſario, εὐγενὴς, *ingenuus*. Vtrumque primitivam ſignificationem habet de origine translatam ad animum. Sic & Latini dicunt *ingenium liberale*. Ioſephus de iis qui Antiochi impiis juſſis non obſequebantur xii, 7. οἱ δὲ δοκιμώτατοι καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ, [*Eminentiſſimi autem & qui generoſo erant animo ipſum non curabant*]. Plutarchus in Homericis quæſtionibus, Ἔστι δὲ τῶν αὐτῶν φιλοσόφων δόγμα, καὶ τὸ διδακτὴν εἶναι τὴν ἀρετὴν, ἔχουσαν μὲν ἀρχὴν τὴν εὐγένειαν, ὑπὸ δὲ παιδείας εἰς τὸ τέλειον προαγομένην [*Eſt porrò eorundem Philoſophorum hoc quoque dogma, doceri poſſe virtutem: quam incipere à bonâ indole, à diſciplinâ perfici volunt*].

οἵτινες, *qui*] Qui Iudæi Berœenſes.

ἐδέξαντο τὸν λόγον, *ſuſceperunt verbum*] Id eſt, *crediderunt verbo*, ut hîc explicant Græci. Eadem locutio ſupra xi, 1.

μετὰ πάσης προθυμίας, *cum omni aviditate*] בכל לבב, *animo alacri*. Sic προθυμία ſumitur Sirac. xlv, 32. ii Cor. viii, 11, 19. ix, 2.

ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως. *ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent*] Non quod dubitarent de veracitate Pauli & Silæ, ſed ut Prophetica ſcripta cum illorum verbis conferendo, magis magiſque in veritate confirmarentur, & haberent unde alios convincerent. Ἀνακρίνειν [*ſcrutari*] hîc eſt quod ἐρευνᾶν [*inveſtigare*], Ioh. v, 39. חקר : nam id utraque illa Græca voce vertitur.

12. Πολλοὶ μὲν οὖν ἐξ αὐτῶν ἐπίστευσαν, *Et multi quidem crediderunt ex eis*] Ex Iudæis alii aliorum exemplo.

καὶ τῶν Ἑλληνίδων γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων, *& mulierum gentilium honeſtarum*] Quædam etiam ex Macedonicis matronis. Vide ſupra xiii, 50.

13. σαλεύοντες τοὺς ὄχλους. *turbantes multitudinem*] Σαλεύειν [*turbare*] multis vocibus Hebræis reſpondet : hîc tantundem valet quantum σείειν, הסית, *concitare, irritare adversùs aliquem.*

14. πορεύεσθαι ὡς ἐπὶ τὴν θάλασσαν· *ut iret usque ad mare*] Habet quidem Manuſcriptus ille & alii, ἕως [*usque*], ſed ὡς [*velut*] veriùs arbitror, & deductum quidem Paulum ad oram maris tanquam navigaturum, & famam ita ſparſam ; cæterùm reipſa properaſſe eum terreſtri itinere Athenas.

ὑπέμενον δὲ ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος ἐκεῖ. *Silas autem & Timotheus remanſerunt ibi*] In Macedonia ubi conſanguineos habebant.

15. Οἱ δὲ καθιστῶντες τὸν Παῦλον, *Qui autem deducebant Paulum*] Qui Paulum deducebant mandatu Theſſalonicenſium. In Manuſcripto eſt καθιστάνοντες.

καὶ λαβόντες ἐντολὴν, *& accepto mandato*] A Paulo.

16. παρωξύνετο τὸ πνεῦμα ἑαυτοῦ ἐν ἑαυτῷ, *incitabatur Spiritus ejus in ipſo*] Commotus ei fuit animus, ישתומם לב Pſalm. cxliii, 4. ubi Græci ἐταράχθη ἡ καρδία [*turbatum eſt cor*]. Similis locutio Ioh. xii, 27. xiii, 21. xiv, 1.

κατείδωλον οὖσαν τὴν πόλιν. *idololatriæ deditam civitatem*] Vocem κατείδωλον [*deditam idololatriæ*] finxit Lucas, ad exemplum vocis κατάθεος, quod eſt interprete Polluce λατρεύων θεοῖς [*Deos colens*]. Quos deos vocabant Græci, eos Chriſtiani εἴδωλα [*idola*]. Paulus Hebraïcè dixerit עובדה עבדה זרה { *ſervientem cultui extraneo*]. Athenæ urbs fanorum referta, teſte Cicerone de Aruſpicum reſponſis.

17. καὶ τοῖς σεβομένοις, *& religioſis*] Nempe τῶν Ἑλλήνων [*Græcorum*], ut ſupra 4.

καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ, *& in foro*] Vbi res erant venales, & quò maximè populus coibat. Ἀγορὰ τόπος ἔνθα πιπράσκεται τὰ ὤνια [*Forum, locus ubi proſtant res venales*], ait Scholiaſtes ad Acharnenſes.

18. Τινὲς δὲ τῶν Ἐπικουρείων, *Quidam autem Epicurei*] Duo genera Philoſophorum nominat, maximè alienorum à Chriſtiana religione : nam Epicurei neque Mundum conditum à Deo credebant, neque Deo curam eſſe rerum humanarum, neque ulla præmia aut pœnas poſt mortem, neque bonum aliud quàm quod ſenſibus perciperetur.

καὶ Στωϊκῶν, *& Stoïci*] Stoïci verò erant,

----- κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί
----- [*Vanis inflati faſtibus utres*].

Negabant *ſapientem ſuum quicquam Iovi cedere: nihil eum Deo debere ob id quod ſaperet : Iovem plus non poſſe quàm bonum virum: Iovem diutius bonum eſſe, at ſapientem nihilo minoris ſe æſtimare, quod virtutes ejus ſpatio breviori clauduntur* : quæ habes apud Senecam Epiſtola lxxiii. *Manu quærendam mortem potius quàm ferendam ſervitutem, contumelias aut graves morbos.*

συνέβαλλον αὐτῷ· *diſſerebant cum eo*] *Congreſſi ſunt cum eo.* Translatio eſt de præliis ſumpta, ut apparet Luc. xiv, 31. Vtitur ita ſæpe Polybius, quem ſequi amat Lucas. Tertullianus De Hæreticorum præſcriptionibus de Paulo locutus, *Fuerat Athenis, &*

iſtam ſapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis, de congreſſibus noverat.

ὁ σπερμολόγος οὗτος, *ſeminator verborum hic*] Σπερμολόγοι propriè *aves quæ ſata depaſcuntur*, ut ait Scholiaſtes ad aves Ariſtophanis. Cœpit hinc transferri ad eos, *qui aris impoſita auferrent*, ut ait Vlpianus ad Demoſthenis Orationem de Corona, ubi Æſchini hoc nomen datur. Longiùs transferri cœpit ad omnes *inhoneſto quæſtu ſe ſuſtentantes.* Hinc Σπερμολόγα ῥήματα [*futilia verba*], & σπερμολογία ναυτικὴ [*nautica dicacitas*] apud Plutarchum. Euſtathius ad Ε Odyſſeæ. Ἰστέον δὲ ὅτι ὥσπερ ἐνταῦθα τροπικῶς ἐρρέθη, Σπέρμα πυρὸς, οὕτω τέτραπται καὶ τὸ Σπερμολογεῖν ἐπὶ τῶν ἀλαζονευομένων ἀμεθόδως ἐπὶ μαθήμασιν ἔκ τινων παρακουσμάτων. Καθὰ ἐμφαίνειν Εὔπολις λέγεται, τὸν φυσικὸν Πρωταγόραν διακωμῳδῶν ἐν τῷ· ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χθαμάθεν ἐσθίει. Ὁ δὲ κυρίως, φασὶ, σπερμολόγος καὶ σπερμονόμος εἶδός ἐστιν ὄρνεου λωβώμενον τὰ σπέρματα, ἐξ οὗ Ἀττικοὶ σπερμολόγους ἐκάλουν τοὺς περὶ ἐμπόρια καὶ ἀγορὰς διατρίβοντας, διὸ τὸ ἀναλέγεσθαι τὰ ἐκ τῶν φορτίων, φασὶν, ἀπορρέοντα καὶ διαζῆν. Ἐκ τούτου δὲ τὴν αὐτὴν ἐλάγχανον κλῆσιν καὶ οἱ οὐδενὸς λόγου ἄξιοι [*Sciendum autem, ut hîc figuratè dictum eſt,* ignis ſemen: *ita* τὸ σπερμολογεῖν *de iis quoque figuratè dictum, qui, cùm nonnihil fortè quod de ſcientiâ aliquâ aut arte deſumptum ſit inaudierint, neque idipſum tamen rectè perceperint, immodeſtè eruditionem ſuam jactant. Id quod Eupolis oſtendere dicitur, dum Protagoram Phyſicum perſtringit hoc ſcommate: Qui quæ in cælo ſunt jactat, ſcelus; at quæ humi ſunt vorat. Eſt autem* σπερμολόγος *&* σπερμονόμος *propriè, ut ajunt, avicula quædam quæ ſemina depaſcit: unde Attici* σπερμολόγους *vocabant eos, qui fora eaque ferè loca ubi res væneunt, pervagantur, quòd hi ſoleant ea quæ ex oneribus, ut vocant, decidunt colligere eaque re victum quærere. Hinc eadem voce appellati fuere & qui nullius pretii ſunt*]. Tatianus conjungit φλυάφους καὶ σπερμολόγους [*nugatores & ſpermologos*].

Ξένων δαιμονίων δοκεῖ καταγγελεὺς εἶναι. *Novorum dæmoniorum videtur annuntiator eſſe*] Non rarum id Athenis, publico ſcito extranea numina admittere. Strabo de Athenienſibus, πολλὰ τῶν ξενικῶν ἱερῶν παρεδέξαντο [*multa extranea ſacra admiſerunt*]. Privatim id non licebat. Ideo Socrates accuſatus, tanquam ἕτερα καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος [*alios ac novos deos introducens*], ut Laërtius loquitur.

ὅτι τὸν Ἰησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο. *quia Ieſum & reſurrectionem annuntiabat eis*] Sub *reſurrectione* intellige etiam omnem poteſtatem in cœlo & in terra, & judicandi mortuos & vivos, quam Ieſu Paulus tribuebat. Vide infra 31.

19. Ἐπιλαβόμενοί τε αὐτοῦ, *Et apprehenſum eum*] Manu leniter prehenſum.

ἐπὶ τὸν Ἄρειον πάγον ἤγαγον, *ad Areopagum duxerunt*] Non ad judicium, ſed quod ibi multi eſſe ſolerent homines eruditi, Senatores, Oratores & alii. Vide infra 34.

Δυνάμεθα γνῶναι, *Poſſumus ſcire*] Licétne nobis per te diſcere, quod ſit tuum dogma, cujus ſis in Philoſophia ſectæ?

20. Ξενίζοντα γάρ τινα, *Nova enim quædam*] Non audita. Sic ξενιζούσαις συμφοραῖς βασανίσαντα [*qui novis cruciatibus torſerat*] dixit Scriptor II Macc. IX, 6.

τί ἂν θέλοι ταῦτα εἶναι; *quidnam velint hæc eſſe?*] Idem loquendi genus habuimus ſupra II, 12.

21. καὶ οἱ ἐπιδημοῦντες ξένοι, *& advenæ hoſpites*] *Peregrini qui ibi ad tempus diverſabantur*; facile & hi imbibebant civium vitia.

εἰς οὐδὲν ἕτερον εὐκαίρουν, *ad nihil aliud vacabant*] *Vacabant.* Sic & Marc. VI, 31.

ἢ λέγειν τι καὶ ἀκούειν καινότερον. *niſi aut dicere aut audire aliquid novi*] Demoſthenes Philippica IV, Τοσοῦτον χρόνον σπουδάζετε, ὅσον ἂν κάθησθε ἀκούοντες ἢν προσαγγελθῇ τι νεώτερον [*Eouſque operam navatis, dum audiatis ecquid annuncietur novi*]. Idem in reſponſo ad Epiſtolam Philippi, Ἡμεῖς δὲ, εἰρήσεται γὰρ τἀληθὲς, οὐδὲν ποιοῦντες ἐνθάδε καθήμεθα, μέλλοντες ἀεὶ καὶ ψηφιζόμενοι, καὶ πυνθανόμενοι κατὰ τὴν ἀγορὰν εἴ τι λέγεται νεώτερον [*Nos interea, dicetur enim id quod res eſt, ſedemus hîc otioſi, cunctamur æternùm, decernimus, ſciſcitamur denique ecquid in foro novi*]. Vides illic dici νεώτερον, quomodo hîc καινότερον, comparativum pro poſitivo. Sic & apud Platonem, Τί καινότερον, ὦ Σώκρατες; [*quid novi, ô Socrates*]?

22. κατὰ πάντα ὡς δεισιδαιμονεστέρους ὑμᾶς θεωρῶ· *per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video*]. Δεισιδαίμων [*ſuperſtitioſus*] vox eſt media. Δεισιδαιμονία ἥψατο τῆς πόλεως, Plutarchus, *religio civitatem invaſit.* Laudare voluit Athenienſes, quòd pro copia cognitionis ſuæ religioſi eſſent, ut ea inſinuatione aditum ſibi pararet ad eos docendos rectiora. Erat autem hæc laus propria Athenienſium, religionis ſtudio alios populos vincere. Ioſephus adversùs Appionem II, Μιμεῖσθαι γὰρ οὐ προσῆκε τὴν Ἀπίωνος ἀπαιδευσίαν, ὃς οὔτε τὰς Ἀθηναίων τύχας οὔτε τὰς Λακεδαιμονίων ἐνενόησεν, ὧν τοὺς μὲν ἀνδρειοτάτους, τοὺς δὲ εὐσεβεστάτους τῶν Ἑλλήνων ἅπαντες λέγουσιν [*Non enim convenit ſtultitiam nos indocti Apionis imitari, qui neque caſus Athenienſium neque Lacedæmoniorum animo ſuo concepit, quorum hos quidem fortiſſimos, illos religioſiſſimos Græcorum omnes affirmant*]. Sophocles Oedipode Coloneo,

Ὃθ' οὕνεκ' εἴ τις γῆ θεοὺς ἐπίσταται
Τιμαῖς σεβίζειν, ἥτε τοῦδ' ὑπερφέρει.
[*Nam ſi qua novit terra venerari Deos*
Et honore colere, principem hæc laudis tenet].

Lycurgus Orator adversùs Leocratem, Εὖ γὰρ ἴστε, ὦ Ἀθηναῖοι, ὅτι τῷ πλεῖστον διαφέρετε τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τῷ πρός τε τοὺς θεοὺς εὐσεβῶς ἔχειν [*Scitis enim profectò Athenienſes, vos, quâ re maximè reliquos mortales antevertitis, erga Deos quidem pietate*]. &c. Pauſanias I, Λέλεκται δέ μοι καὶ πρότερον, ὡς Ἀθηναίοις περισσότερόν τι ἢ τοῖς ἄλλοις εἰς τὰ θεῖά ἐστι σπουδῆς [*Iam enim & ſuprà dixi, plus eſſe Athenienſibus circa divinum cultum quàm aliis ſtudii*]. Philoſtratus IV, Ἐπειδὴ φιλοθύτας τοὺς Ἀθηναίους εἶδεν [*Poſtquam Athenienſes immolandis ſacrificiis cognovit eſſe deditos*].

23. Διερχόμενος γὰρ, *Præteriens enim*] *Tranſiens per urbem.*

τὰ σεβάσματα ὑμῶν, *ſimulacra veſtra*] Σεβάσματα [*ſimulacra*], Philoni σεβασμοὶ, ſunt *ea per quæ dii coluntur*, unde *culturas* hîc non malè vertit Latinus. Diximus de hoc vocabulo in alteram ad Theſſalonicenſes.

Ἀγνώστῳ Θεῷ. *Ignoto Deo*] Lucianus, νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις [*per eum, qui eſt Athenis, ignotum*].

& τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον [*per ignotum, qui Athenis eſt, Deum*]. Quare dubitari non debet quin fuerint inſcriptiones quædam in ſingulari, Θεῷ ἀγνώστῳ [*Deo ignoto*]· ſicut Laërtius originem hujus rei narrans dicit ab Epimenide monitos Athenienſes, ut ſacra facerent τῷ προσήκοντι Θεῷ, id eſt, *ei Deo ad quem ea res pertineret*, non addito nomine. Sic Romani, *Si Deus, ſi dea es*, Macrob. III, 9. Cùm Pauſanias ait aras Athenis fuiſſe θεῶν ἀγνώστων [*ignotorum Deorum*], hoc vult, multas fuiſſe aras tali inſcriptione, Θεῷ ἀγνώστῳ [*Deo ignoto*]· quanquam potuere & aliæ eſſe pluraliter inſcriptæ, aliæ ſingulariter.

Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, *Quem ergo ignorantes colitis*] Nota εὐσεβεῖν [*colere*] activè. Sic apud Plutarchum ex Poëta vetere,

Οὐδεὶς κάματος εὐσεβεῖν θεούς.
[*Nullus eſt pietas labor*].

Simili conſtructione, ſenſu paulùm inclinato, εὐσεβεῖν τὸν ἴδιον οἶκον [*regere domum ſuam*] dixit Paulus 1 Timoth. v, 4.

τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *hunc ego annuntio vobis*] Lucanus,

---- *Et dedita ſacris*
Incerti Iudæa Dei. ----

id eſt, Θεοῦ ἀγνώστου [*ignoti Dei*]. Samaritani in Epiſtola ad Antiochum Epiphanem, Ἱδρυσάμενοι δὲ ἀνώνυμον ἐν τῷ Γαριζὶν λεγομένῳ ὄρει ἱερόν [*collocavimus autem nomine non inſignitum in monte Garizitano templum*]. Dion Caſſius Iudæorum Deum vocat ἄρρητον καὶ ἀειδῆ [*ineffabilem & inviſibilem*]. Ioſepho Deus Iudæorum ἀγένητος [*ingenitus*], ἀΐδιος [*æternus*], ἄχρονος [*temporis expers*], ἀναλλοίωτος [*immutabilis*], κατ' οὐσίαν ἄγνωστος [*quoad ſubſtantiam incognitus*]. Nullum habebat nomen cognitum gentibus: quo verò à Iudæis appellabatur, id vulgo pronuntiare non licebat. Deum eſſe qui mundum creaſſet aut non credebant Gentes, aut quis is eſſet ignorare ſe fatebantur. Ovidius,

Sic ubi diſpoſitam, quiſquis fuit ille deorum
Congeriem ſecuit.

Vide quæ jam ſequentur, & quæ ſupra XIV, 15. Sicut illa, ita & hæc oratio egregiam præſcribit formam iis quibus negotium eſt idololatras ad rectam viam revocare.

24. οὐκ ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ. *non in manufactis templis habitat*] Vide ſupra VII, 48. & ibi dicta.

25. οὐδὲ ὑπὸ χειρῶν ἀνθρώπων θεραπεύεται προσδεόμενός τινος, *Neque manibus humanis colitur indigens aliquo*] Senſus eſt, Non ideo à piis colitur, quòd eo cultu ipſe opus habeat, ſed quia id noſtri eſt officii. Idem ſenſus in Pſalm. L. 10, 11, 12, 13. Euripides Hercule Furente,

Δεῖται γὰρ ὁ Θεός, εἴπερ ἔστ' ὄντως Θεός
Οὐδενός. ἀοιδῶν οἵδε δύστηνοι λόγοι.
[*Deus aut eget nullius, aut non eſt Deus*
Quare iſta vatum miſera ſunt mendacia].

αὐτὸς διδοὺς πᾶσι ζωὴν καὶ πνοὴν καὶ τὰ πάντα. *cùm ipſe det omnibus vitam & inſpirationem & omnia*] Ζωὴν καὶ πνοὴν [*vitam & inſpirationem*], id eſt, πνοὴν ζωῆς [*inſpirationem vitæ*], ut apparet ex Gen. II, 7. & diximus ad Ioh. III, 5. Deus *Pater* πνευμάτων [*ſpirituum*] Num. XVI, 22. id eſt, omnibus animantibus cauſa vivendi; eximiè verò hominum, ut qui & ſui & aliarum rerum dominium ad inſtar Dei acceperint.

26. Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος, *Fecitque ex uno ſanguine omne genus humanum*] Ex ſemine unius Adami, ut eo quoque modo nos omnes quodam naturalis cognationis vinculo colligaret. Miſna præter hanc cauſam adfert & alias, Vt oſtenderet Deus totum mundum poſſe eſſe in uno homine: Vt ſic rectiùs Deum eſſe unum intelligeretur: Vt major eſſet admiratio in tanta formarum ac vocum diverſitate.

κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, *inhabitare ſuper univerſam faciem terræ*] Ex Gen. XI, 8. Eſt autem πρόσωπον τῆς γῆς [*facies terræ*] id quod vulgo dicimus *ſuperficiem terræ*, cùm Iuriſconſulti id quod inædificatur vocent *ſuperficiem*, τὸ πρόσωπον verò γῆς, *ſolum*.

Ὁρίσας προστεταγμένους καιρούς, *definiens ſtatuta tempora*] Magnâ quâdam providentiâ curavit, ut ubi gens aliqua cœpiſſet exundare, terræ ei novæ pateſcerent, nemine prohibente.

καὶ τὰς ὁροθεσίας τῆς κατοικίας αὐτῶν. *& terminos habitationis eorum*] Ὁροθεσίαι [*termini*] גבלות, Deut. XXXII, 9. ubi Græci ὅρια [*fines*]. Ita ſufficientes cuique fines attribuit, ut non neceſſe haberent alienos fines invadere; neque verò id permiſſæ fuiſſent facere, niſi Deus populos quoſdam ob gravia facinora punire voluiſſet.

27. Ζητεῖν τὸν Κύριον, *Quærere Dominum*] In Manuſcripto τὸν Θεὸν [*Deum*], quia Κύριος [*Dominus*] in his libris plerunque eſt Ieſus.

εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν αὐτὸν καὶ εὕροιεν· *ſi fortè attrectent eum & inveniant*] Iterum ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*], pro ψηλαφήσαντες εὕροιεν [*attrectantes inveniant*]. Fecit hæc omnia, ut occaſionem illis daret *ſe inveniendi velut palpando*. Et per εἰ ἄραγε ψηλαφήσειαν [*ſi fortè inveniant*], oſtendit aliquam rei difficultatem: nam *palpare* aut cæcorum eſt, (vide Parietem palmatum Quintiliani) aut noctu incedentium.

καίτοιγε οὐ μακρὰν ἀπὸ ἑνὸς ἑκάστου ἡμῶν ὑπάρχοντα. *quamvis non longè ſit ab unoquoque noſtrûm*] Nempe vi potentiæ ſuæ. Neque enim ad ſubtiles diſputationes de præſentia eſſentiali Dei, de qua variæ fuere & Philoſophorum & Iudæorum & Chriſtianorum ſententiæ, Athenienſes vocat Paulus, ſed ad ea quæ rebus ſentiebantur. Porphyrius oraculum citat,

Πάντα Θεοῦ πλήρη· πάντη Θεός ἐστι Φανήθη.
[*Omnia plena Deo, namque eſt is ubique Phanethe*].

Ioſephus ubi verba Solomonis de templo explicat, Σὺ γάρ, εἶπεν, οἶκον μὲν αἰώνιον ἔχεις, ὦ Δέσποτα, καὶ ἐξ ὧν σαυτῷ εἰργάσω γεγονότα τὸν οὐρανὸν οἴδαμεν καὶ ἀέρα, καὶ γῆν καὶ θάλασσαν, δι' ὧν ἁπάντων, οὐδὲ τούτοις ἀρκούμενος κεχώρηκας [*Tu quidem, inquit, ſempiternam domum habes, Domine, nec ignoramus, te tibi ipſi hanc univerſi molem condidiſſe, quæ cœlo, aëre, terrâ & mari conſtat, quam totam imples nec tamen ab eâ caperis*]. Apud eundem Ioſephum Ariſtæus, Τὸν γὰρ ἅπαντα συστησάμενον Θεὸν καὶ οὗτοι (Iudæi ſcilicet) καὶ ἡμεῖς (Græci) σεβόμεθα, Ζῆνα καλοῦντες αὐτόν, ἐτοίμως ἀπὸ τοῦ σύμπασιν ἐμφύειν τὸ ζῆν, τὴν ἐπικλησιν αὐτοῦ νοήσαντες [*Conditorem enim hujus univerſitatis eundem quem illi nos quoque colimus, Iovem nominantes, nimirum quod juvet vitam omnium*]. Zenonis ſententia apud Diogenem Laërtium, Εἰς ἅπαν τοῦ κόσμου μέρος διήκειν τὸν νοῦν καθάπερ ἐφ' ἡμῶν [*Mentem per omnes mundi partes æquè atque in nobis ipſis commeare*]. Seneca Epiſtola XLI, *Prope eſt à te Deus: tecum eſt: intus eſt.* LXXIII, *Miraris hominem ad Deos ire? Deus ad homines venit: imò quod propius eſt, in homines venit.* LXXXIII, *Nihil Deo cluſum eſt: intereſt animis noſtris, & cogitationibus mediis intervenit.* Dion Chryſoſtomus, Ἅτε γὰρ οὐ μακρὰν οὐδ' ἔξω τοῦ Θεοῦ διῳκισμένοι, ἀλλ' ἐν αὐτῷ μέσῳ πεφυκότες ἐκείνῳ [*Quippe nec procul nec omnino extra Deum quaſi domo ab eo disjuncti, ſed in medio eo nati*]. Mox, Πανταχόθεν ἐμπιπλάμενον τῆς θείας φύσεως [*undique divinâ naturâ repletum*]. Proclus ad Timæum, Οὐδενὸς γὰρ ἀφέστηκε τὸ θεῖον, ἀλλὰ πᾶσιν ἐξ ἴσου πάρεστιν [*A nulla enim re abeſt Deus, ſed omnibus ex æquo adeſt*]. Idem ſenſus apud ſcriptores Chriſtianos. Minutius Felix, *Non ſolùm in oculis Dei, ſed & in ſinu vivimus.* Idem, *Vbique non tantùm nobis proximus, ſed infuſus eſt.* Clemens Strom. II de Deo, ἐγγυτάτω βέβηκεν [*proximè adiit*]. Arnobius I, *Non quod incedimus, quod ſpiramus & vivimus, ab eo ad nos venit?* Idem VII, *Deo longum nihil omnino eſt, cui punctum terra eſt, & ſub nutu omnia conſtituta.* Salvianus II, *Docens inſitam inter virtutes ſacras noſtram eſſe ſubſtantiam.* Si quis plura velit, conſulat Arrianum Epicteteorum I, 14, Nazianzenum oratione I, Ambroſium in Pſalm. XVIII.

28. ἐν αὐτῷ γὰρ ζῶμεν, καὶ κινούμεθα, καί ἐσμεν. *in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus*] Eſt Hebraiſmus. *In ipſo*, id eſt, per ipſum, ipſius beneficio. *Per ipſum exſiſtimus:* ipſe nobis *vitam* homini congruentem, & *motus* tali vitæ reſpondentes dedit.

ὡς καί τινες τῶν καθ' ὑμᾶς ποιητῶν εἰρήκασι. *ſicut & quidam veſtrorum Poëtarum dixerunt*] Non mirum ſi Cilix Paulus Cilicem Aratum, vel in patriæ communis honorem, legerat.

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. *Ipſius enim & genus ſumus*] Animo ſcilicet. Loci hujus Aratei paraphraſin habes apud Feſtum Avienum, ubi hæc inter alia,

Flos & flamma animæ qui diſcurrente meatu
Mentis primigenæ penetralia dia reſolvens
Implevit largo venas operatus amore.

Quod de Iove dixerat Aratus, id vero Deo aptat Paulus, quia & ſapientiores Græci per Iovem Deum ſummum intelligebant. Sic Ariſtæus apud Ioſephum ait Deum Iudæorum eſſe Deum univerſi, quem Ζῆνα [*Iovem*] vocant Græci.

29. Γένος οὖν ὑπάρχοντες τοῦ Θεοῦ, *Genus ergo cùm ſimus Dei*] Accommodat ſe poëticæ locutioni Paulus. Significat autem nos mente potiſſimum ad Deum accedere, ac propter hanc ſimilitudinem filios ejus dici. Vide quæ diximus ad finem III Lucæ. In Novo verò Teſtamento graviore de cauſa filii ejus dicimur, quòd bonitatem ejus imitemur: rurſum aliter per reſurrectionem ejus filii erimus, beatitudinis conſortio.

οὐκ ὀφείλομεν νομίζειν, χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον. *non debemus æſtimare auro, aut argento, aut lapidi, ſculpturæ artis & cogitationis hominis Divinum eſſe ſimile*] Duo ſpectantur in ſimulacris: materia & opus. Materia etiam præſtantiſſima, ut aurum, argentum, marmor, multò inferiora ſunt homine. Opus non poteſt non ignobilius eſſe opifice. Multum ergo falluntur qui putant talia ad honorem Dei eſſe idonea, cùm puriſſimus Dei honos ſit in cultu abducto ab omnibus rebus ſub ſenſum cadentibus. Vide quæ de ea re attulimus ad Deut. IV. Λίθος [*lapis*] hîc eſt *marmor*, ut Eſaïæ XXXVII, 19. Ierem. II, 27. III, 9. De marmoreis ſimulacris vide Plinium. Χάραγμα [*ſculptura*] eſt id *quod ſculpitur*: nam χαράσσειν, *ſculpere*, II Regum XVII, 11, in Græco. Exprimere voluit Hebræum פתח. Τέχνης [*artis*], qualia opera Praxitelis vel Polycleti. τέχνης ἐμμελέτημα [*artis inventionem*] Sap. XIII, 10. ἔργον χειροτεχνίτου [*opus manuum artificis*] Deut. XXVII, 15. Καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου [*& cogitationis hominis*], Quædam non ex arte ad aliquod exemplar ficta, ſed facta pro libitu, quales illæ perſonæ ſine corpore, de quibus dicto loco Arnobius. Quod hîc ἐνθύμησις [*cogitatio*] dicitur, id in Græco Ezechielis ἐνθύμημα [*conceptus animi*] multis in locis, ubi in Hebræo גלול [*idolum*]. Τὸ θεῖον εἶναι ὅμοιον [*Divinum eſſe ſimile*], Nàm multæ gentes putabant tales in cœlo eſſe deos, quales ſimulacra exhibebant. Arnobius libro VI. *Simulacra hæc omnia ſuperiorum ſunt imagines Numinum: ergo & in cœlo habitare dicendus eſt Deus talis, ad cujus formam & ſpeciem ſimulacri hujus ſimilitudo directa eſt.*

30. τοὺς μὲν οὖν χρόνους τῆς ἀγνοίας, *Et tempora quidem hujus ignorantiæ*] Sic vocat tempora priora, comparata ad lucem Euangelii.

ὑπεριδὼν ὁ Θεός, *deſpiciens Deus*] Ὑπεριδεῖν eſt *diſſimulare quaſi non videas*, התעלם, Deut. XXII, 1, 3, 4. Dicitur Deus *diſſimulaſſe idololatriam*, quia eam ſectantibus non minabatur pœnam gehennæ, ut in Euangelio.

Τανῦν παραγγέλλει τοῖς ἀνθρώποις πᾶσι πανταχοῦ μετανοεῖν. *Nunc annuntiat hominibus ut omnes ubique pœnitentiam agant*] *Diſtrictè omnibus denuntiat ut ſe corrigant.*

31. Διότι ἔστησεν ἡμέραν, *Eò quòd ſtatuit diem*] *Apud ſe conſtituit:* homines verò certos fecit aliquam diem judicii fore, etſi quando ea futura eſſet, etiam amiciſſimos celaverit.

ἐν ἀνδρὶ, *in viro*] *Per eum hominem.*

πίστιν παρασχὼν πᾶσιν, *fidem præbens omnibus*] Quia res erat vix credibilis, argumentum adfert eximium. Sic הודעתי נאמנה [*oſtendi fidem*], Oſeæ V, 9.

ἀναστήσας αὐτὸν ἐκ νεκρῶν. *ſuſcitans eum à mortuis*] Deus *Ieſum reſuſcitando è mortuis*, maximum quod potuit doctrinæ ejus teſtimonium præbuit. In ea autem doctrina & hoc erat, ſe fore judicem humani generis, Matth. XXV, 31, & ſeq. Ioh. V, 25.

32. οἱ μὲν ἐχλεύαζον. *quidam quidem irridebant*] Non dubium quin Epicurei.

οἱ δὲ εἶπον· Ἀκουσόμεθά σου πάλιν περὶ τούτου. *quidam verò dixerunt: Audiemus te de hoc iterùm*] Nempe Stoïci qui hominis mortui reſtitutionem non putabant impoſſibilem, ut oſtendimus ad librum II. de Veritate Religionis Chriſtianæ.

33. Καὶ οὕτως ὁ Παῦλος ἐξῆλθεν ἐκ μέσου αὐτῶν. *Sic Paulus exivit de medio eorum*] Dilatus in alium diem.

34. Τινὲς δὲ ἄνδρες κολληθέντες αὐτῷ, *Quidam verò viri adhærentes ei*] Cùm in propiorem ſe ejus familiaritatem inſinuaſſent. Sic κολλᾶσθαι ſumitur ſupra V, 13. IX, 26. X, 28.

ἐν οἷς καὶ Διονύσιος, *in quibus & Dionyſius*] Non ille qui in Gallia martyrium paſſus eſt: id enim Decio Romanis imperante contigit, ut perſpicuum fecit vir doctiſſimus Iacobus Sirmondus.

ὁ Ἀρεοπαγίτης, *Areopagita*] Vnus ex illo nobiliſſimo Senatu, qui & in republica multum habebat auctoritatis, & de cædibus & vulneribus judicabat. Græci vocant σεμνότατον καὶ δικαιότατον δικαστήριον [*graviſſimum & juſtiſſimum conſilium*]· *Sanctiſſimum conſilium* Valerius Maximus II, 6. qui & ſapientiam ejus prædicat VIII, 1. *Areum judicium* dixit Tacitus Annalium II. Multùm procul dubio profuit Euangelio viri tam gravis & publico teſtimonio probati converſio.

ὀνόματι Δάμαρις, *nomine Damaris*] Dubito an legendum Δάμαλις [*Damalis*], quod Atticum eſſe mulieris nomen diſcimus ex Anthologia III, 12.

CAPVT XVIII.

Χωρισθεὶς ὁ Παῦλος, *Egreſſus Paulus*] *Cùm abiiſſet.* Reſpondet Hebræo פרד [*diſceſſit*], ut apparet Iud. IV, 1. Sic & commate ſequente & ſupra Actor. I, 4.

ἦλθεν εἰς Κόρινθον. *venit Corinthum*] *Græciæ* quondam *lumen*, ut eam Cicero vocat, exciſam quidem à Mummio, ſed cum tempore refloreſcentem.

2. ὀνόματι Ἀκύλαν, *nomine Aquilam*] Hebræum nomen נשר [*næſchær*] Latini vertére *Aquilam*; ſcribitur & עקילה [*Aquila*] & אקילס [*Aculas*]. Quidam putant idem nomen fuiſſe nobili interpreti Chaldæo, qui interpoſito נ, quod frequens Chaldæis, dicitur אנקלוס [*Onchelos*].

Ποντικὸν τῷ γένει, *Ponticum genere*] *Ortum parentibus Ponticis.* Nam in Ponto multi Iudæi. Vide Petrum II, 1.

προσφάτως, *nuper*] *Recens*, בקרב [*proximè*] Ezech. XI, 3.

Πρίσκιλλαν, *Priſcillam*] Hebraïcè קרמה [*priſcam*].

διὰ τὸ διατεταχέναι Κλαύδιον χωρίζεσθαι πάντας τοὺς Ἰουδαίους ἐκ τῆς Ῥώμης, *eò quod præcepiſſet Claudius diſcedere omnes Iudæos à Roma*] Meminit Suetonius, Ioſephus non meminit: unde apparet non diu Romæ obſervatum illud edictum, quod & ex fine hujus libri colligere eſt.

3. καὶ εἰργάζετο· *& operabatur*] Quem morem ab initio prædicationis Paulus ſibi indixerat I Cor. IV, 12. I Theſſ. II, 9. II Theſſ. III, 8.

ἦσαν γὰρ σκηνοποιοὶ τὴν τέχνην. *erant autem ſcenofactoriæ artis*] *Tentoriorum opifices in uſum militarem.* Mos erat etiam doctiſſimis Iudæorum opificium aliquod diſcere, unde, ubi res ferret, ſe ſuſtentarent. Erant pelliones, ſutores, στεφανοπλόκοι [*ſertorum textores*], piſtores, librarii: nimirum Heſiodeum illud cogitantes,

——- Ἔργον δ᾽ οὐδὲν ὄνειδος.
------ [*Dedecus non eſt operari*].

De Aſinæo & Aſilæo in Babylonia Iudæis Ioſephus XVIII, 12. Αὐτοὺς ἡ μήτηρ προσέταξεν ἱστῶν μαθῆσαι, ποιήσεως οὐκ ὄντος ἀπρεποῦς τοῖς ἐπιχωρίοις, ὥστε τοὺς ἄνδρας ταλασιουργεῖν παρ᾽ αὐτοῖς [*Eos mater ad textrini opificium diſcendum adhibuerat, quod non indecorum habetur illis gentibus, ubi & viri exercent lanificium*]. Sic Apoſtoli poſt reſurrectionem Chriſti piſcatores. Et Minutius de Chriſtianis, *expertes artium niſi ſeſſilium.* & de Octavio, *piſtorum præcipuus.* Epiphanius hæreſi LXXX. Πάντων τῶν τοῦ Θεοῦ δούλων τῶν εἰς δικαιοσύνην καμνόντων ταῖς ἰδίαις χερσὶν εἰς τὸ ἐπαρκεῖν καὶ τοῖς ἐνδεομένοις [*Omnium Dei ſervorum manibus juſtè operantium, ut habeant quo & egenorum ſublevent neceſſitatem*]. Theodoretus ſermone VII. Σκυτέας, καὶ ὑφάντας, καὶ χαλκοτύπους, καὶ τοὺς ἄλλους ὅσοι τὰς τέχνας μεταχειρίζουσι [*Cerdones, textores, ærarios fabros, aliosque artem mechanicam exercentes*].

4. Διελέγετο ἐν τῇ συναγωγῇ κατὰ πᾶν σάββατον, ἔπειθέ τε Ἰουδαίους καὶ Ἕλληνας. *Et diſputabat in Synagoga per omne ſabbatum ſuadebatque Iudæis & Græcis*] Nam etiam Græci ſabbato diſputare ſolebant, Suetonius Tiberio XXXII.

5. Ὡς δὲ κατῆλθον ἀπὸ τῆς Μακεδονίας ὅ τε Σίλας καὶ ὁ Τιμόθεος, *Cùm veniſſent autem de Macedonia Silas & Timotheus*] Quos Paulus ſequi ſe juſſerat, XVII, 15. Significaverat autem illis Paulus per eos, qui ſe Athenas deduxerant, quò porrò iter dirigeret.

συνείχετο τῷ πνεύματι ὁ Παῦλος, *conſtringebatur Spiritu Paulus*] Plenus Divino Spiritu agitabatur. Sic συνεχόμενος οἴνῳ [*captus à vino*] Ierem. XXIII, 9. עבר, id eſt, *velut extra ſe poſitus.* συνεχόμενος φόβῳ [*coarctatus metu*] Iob. III, 24. Sic Plutarchus feminas ſuperſtitioſas συνέχεσθαι ait τῷ βαρβαρικῷ [*Barbarorum more quaſi abripi*] in Solone. Rectius autem legi puto πνεύματι [*ſpiritu*] quàm λόγῳ [*verbo*], quanquam λόγῳ [*verbo*] habet ille Manuſcriptus.

διαμαρτυρόμενος τοῖς Ἰουδαίοις εἶναι τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν. *teſtificans Iudæis eſſe Chriſtum Ieſum*] Sic habet & Manuſcriptus. Eſt autem transpoſitio pro τὸν Ἰησοῦν εἶναι Χριστὸν [*Ieſum eſſe Chriſtum*]. Similis infra 28.

6. ἐκτιναξάμενος τὰ ἱμάτια, *excutiens veſtimenta*] Nempe ne quid pulveris adhæreſceret. Vide ſupra XIII, 51.

Τὸ αἷμα ὑμῶν ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ὑμῶν. *Sanguis veſter ſuper caput veſtrum*] Sic II Sam. I, 16. in Græco, Τὸ αἷμά σου ἐπὶ τὴν κεφαλήν σου [*Sanguis tuus ſuper caput tuum*], id eſt, *luis pœnam debitam homicidio.* Propriè enim de homicidio dicitur, ut & Matth. XXVII. 25. impropriè de peccatis aliis. Senſus eſt, *Si quid vobis mali evenerit, ſcitote id veſtrâ culpâ eveniſſe.*

καθαρὸς ἐγὼ, *mundus ego*] Steti in ſpecula & clamavi. Reſpicitur locus Ezechielis XXXIII, 4. ubi in Græco, τὸ αἷμα αὐτοῦ ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ ἔσται [*ſanguis ipſius ſuper caput ejus erit*]. Et 9. σὺ τὴν ψυχὴν σαυτοῦ ἐξῄρησαι, [*tu animam tuam liberaſti*].

ἀπὸ τοῦ νῦν εἰς τὰ ἔθνη πορεύσομαι, *ex hoc ad Gentes vadam*], Vt ſupra XIII, 46.

7. τινὸς ὀνόματι Ἰούστου, *cujuſdam nomine Iuſti*] Τίτου [*Titi*] legére & Syrus & Arabs. Quidam codices habent utrumque nomen, Τίτου Ἰούστου [*Titi Iuſti*], Romano more.

οὗ ἡ οἰκία ἦν συνομοροῦσα τῇ συναγωγῇ, *cujus domus* *erat conjuncta Synagogæ*] Cujus domus contigua erat Synagogæ.

8. Κρίσπος δὲ, *Crispus autem*] Hebræum fortè nomen fuit קרץ באש [*excisor mali*].

ὁ Ἀρχισυνάγωγος, *Archiſynagogus*] ראש כנסת [*Princeps Synagogæ*]. Vide quæ ad Matth. IX, 18.

9. Εἶπε δὲ ὁ Κύριος, *Dixit autem Dominus*] Per Angelum in Chriſti figura.

δι᾽ ὁράματος ἐν νυκτὶ, *nocte per viſionem*] Vt ſupra XVI, 9.

Μὴ φοβοῦ, ἀλλὰ λάλει, καὶ μὴ σιωπήσῃς· *Noli timere, ſed loquere, & ne taceas*] Fac ut olim Eſaias LXII, 1.

10. Διότι ἐγώ εἰμι μετὰ σοῦ, *Propter quod ego ſum tecum*] Id eſt, *ſum tibi auxilio.* Vide quæ dicta Matth. XXVIII, 28. Reſpicitur id quod Deus dixerat Ieremiæ I, 19. διότι μετὰ σοῦ ἐγώ εἰμι [*quia ego tecum ſum*].

καὶ οὐδεὶς ἐπιθήσεταί σοι, *& nullus imponet tibi*] Nempe χεῖρας [*manus*]. Sic Achilles apud Homerum Iliados A,

> Οὔτις ἐμεῦ ζῶντος καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο
> Σοὶ κοίλης παρὰ νηυσὶ βαρείας χεῖρας ἐποίσει.
> [*Nemo, ego dum vivam, dumque in tellure videbor,*
> *Te duris manibus Danaum de Claſſe prehendet*].

τοῦ κακῶσαί σε· *nocere tibi*] *Vt tibi noceat.* Simile dicto loco Ierem. I, 18, 19.

διότι λαός ἐστι μοι πολὺς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ. *quoniam populus eſt mihi multus in hac civitate*] *Populus* hîc dicuntur ii qui facilè Chriſti populus fieri poterant, ut *oves* Ioh. X, 16. Vt hîc ex futuro, ita alibi ex præterito dantur nomina, ut Matth. XXI, 31. Reſpici videtur vaticinium Eſaiæ LIV, 15.

11. Ἐκάθισέ τε ἐνιαυτὸν καὶ μῆνας ἕξ, *Sedit autem annum & ſex menſes*] Id eſt, *moram fecit:* nam ita ſumitur Hebræum ישב, cui reſpondet καθίζω [*ſedeo*], quod & alibi vertitur διατρίβω [*dego*], μένω [*maneo*], διαμένω [*permaneo*], καταμένω [*remaneo*], παραμένω [*commoror*], παύω [*quieſco*], ἀναπαύω [*requieſco*]. Habes hîc vocem ἐνιαυτοῦ [*anni*] qua & alibi Lucas utitur, IV, 19. & Iohannes & Paulus & Scriptor ad Hebræos & Iacobus. Exſtat & ſæpiſſime in Græcis verſionibus Veteris Teſtamenti. Vtuntur &, præter Poëtas, Plato, Xenophon, Ariſtophanes.

12. Γαλλίωνος δὲ ἀνθυπατεύοντος τῆς Ἀχαΐας, *Gallione autem Proconſule Achajæ*] Erat hîc frater magni Senecæ dictus cùm junior eſſet *Novatus*, ſed adoptatus poſtea à Iunio Gallione. Statius de hoc noſtro,

> *Et dulcem generaſſe Gallionem.*

Hic eſt frater, quem honores conſecutum dicit Seneca ad matrem his ipſis temporibus ſcribens. Achaia erat provincia proconſularis ſub Auguſto. Tiberius Macedoniæ adjunxit, & Cæſarianam fecit. Sed Claudius has provincias *Senatui reddidit*, id eſt, rurſus fecit proconſulares, teſte Suetonio in vita Claudii 25. & Dione LX.

κατεπέστησαν ὁμοθυμαδὸν, *inſurrexerunt uno animo*] Id eſt, ἀντετάξαντο [*contradixerunt*], ut ſupra 6.

ἐπὶ τὸ βῆμα, *ad tribunal*] *Ad tribunal proconſulare,* ut gravis criminis reum.

13. παρὰ τὸν νόμον οὗτος ἀναπείθει τοὺς ἀνθρώπους σέβεσθαι τὸν Θεόν. *contra legem hic perſuadet hominibus colere Deum*] Hoc volunt, Iudæis conceſſum eſt à Romanis etiam in Græcia vivere ſecundùm legem Moſis: hic verò neque vobis Romanis in religione ſe addit, neque legem Moſis ſequitur, & turbat Iudæos. Hæc accuſatio inde obtentum ſumebat, quòd Apoſtoli, qui Iudæi erant, incircumciſos ad ſuum cœtum admittebant. Ideo autem Proconſulem accedunt Iudæi, quia in Achaia animadverſiones in populares ſuos non habebant, qualem habebant in Iudæa & vicinis regionibus.

14. Εἰ μὲν οὖν ἦν ἀδίκημά τι, *Si quidem eſſet iniquum aliquid*] Putà homicidium, vulneratio, furtum, quæ veniunt ſub nominibus עון, עול, עשק, פשע, quæ omnia per ἀδίκημα [*iniquitatem*] reddi ſolent.

ἢ ῥᾳδιούργημα πονηρὸν, *aut facinus peſſimum*] Quale eſt falſimonium. Vide ſupra XIII, 10.

κατὰ λόγον ἂν ἠνεσχόμην ὑμῶν. *rectè vos ſuſtinerem*] *Meritò vos ferrem.* Æquum eſſet ut vos paterer quantum velletis dicere: fuiſſet hoc mei officii. Vſurpat ſic ferme κατὰ λόγον Plato Epiſtola VII.

15. εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου, *ſin verò quæſtiones ſunt de verbo*] Id eſt, *de rebus quæ diſputationem recipiunt.* Sic λόγου vocem uſurpant Demoſthenes, Theophraſtus & alii.

καὶ ὀνομάτων, *& nominibus*] Putà an Ieſus dicendus ſit *Chriſtus.*

καὶ νόμου, *& Lege*] An lex veſtra omnes incircumciſos damnet.

ὄψεσθε αὐτοί· *vos ipſi videritis*] *Vos videritis.* Idem loquendi genus quod Matth. XXVII, 4.

κριτὴς γὰρ ἐγὼ τούτων οὐ βούλομαι εἶναι. *judex ego horum nolo eſſe*] Bene reſponſum ut ab homine dulci: quaſi dicat, Romani quidem libertatem religionis Iudæis etiam in Græcia conceſſere, ſed ſi quæ inter ipſos de religione oriuntur controverſiæ, aut eas componant inter ſe, aut diſputent quantum libet. Romanorum Magiſtratuum non eſt eis ſe immiſcere, non magis quàm Stoïcorum & Epicureorum inter ſe diſceptationibus.

16. Καὶ ἀπήλασεν αὐτοὺς ἀπὸ τοῦ βήματος. *Et minavit eos à tribunali*] *Removit eos à limine judicii,* tanquam nihil adferentes quod ſui eſſet fori.

17. Ἐπιλαβόμενοι, *Apprehendentes*] Hæc vox media eſt. Hoc loco eam prehenſionem quæ cum vi fiat, ſignificat.

πάντες οἱ Ἕλληνες, *omnes Græci*] Non eſt Ἕλληνες [*Græci*] in illo Manuſcripto: neque Latinus in ſuis legit. Puto eſſe additamentum alicujus interpretis, rei ſatis conveniens. Nam Corinthii homines qui tribunali adſtabant, cùm viderent Iudæos ideo à tribunali cum contemptu abigi, quòd ſuæ Legis quæſtiunculis obſtrepuiſſent Proconſuli aliis rebus occupato, ipſi quoque velut Proconſuli gratum facturi, verbera ingeſſere Iudæis, quò abirent celeriùs. Ita mos erat provincialium, præſertim Græcorum, actus ſuos aptare ad ea quæ placerent Potentibus. Cicero in epiſtola ad fratrem, *Græcos* ait *diuturna ſervitute ad nimiam aſſentationem eruditos.*

Σωσθένην τὸν ἀρχισυνάγωγον, *Soſthenem Principem Synagogæ*] Nempe Synagogæ alterius ab ea cui præerat Criſpus: nam in magnis urbibus plures erant Synagogæ, & ſingulis ſui Archiſynagogi. Eadem de cauſa olim Romæ, Antiochiæ & aliis magnis in urbibus, exceptâ Alexandriâ, ubi morem alium ſemper obtinuiſſe ait Epiphanius, plures fuere Epiſcopi pro diverſis urbium regionibus conventibusque Chriſtianorum. Id in poſterum vetuit Synodus Nicena. Soſtheni nomen Hebræum videtur fuiſſe שוש [*Sus*], unde & feminæ nomen *Suſanna.*

18. ἀποταξάμενος, *valefaciens*] *Valedicto.* Habes hanc vocem Marci VI, 46. Lucæ IX, 61. II Corinth. II, 13.

καὶ σὺν αὐτῷ Πρίσκιλλα καὶ Ἀκύλας, κειράμενος τὴν κεφαλὴν ἐν Κεγχρεαῖς· εἶχε γὰρ εὐχήν. & cum eo Priſcilla & Aquila qui ſibi totonderat in Cenchris caput: habebat enim votum] Ideo Priſcillam priùs nominavit, quia de Aquila aliquid addendum habebat: nempe *eum antequam iter aggrederetur voto ſe ſolviſſe Cenchreæ, raſo capite.* Votum intellige Nazareatûs ex Lege Num. VI, 18. Cùm in deſerto eſſet populus, capillus radi debebat apud tentorium, & poſt terram poſſeſſam Hieroſolymis, accedente victima: ſed hæc præcepta ut alia de ſacrificiis, eos non obligabant qui extra Iudæam agebant. Εὐχὴ per excellentiam dicitur *votum Nazareatûs.* εὐχὴ μεγάλη [*votum magnum*] Philoni, ut diximus ad Matth. II, 23. *Cenchreæ* portus eſt Corinthiorum, ut *Piræeus* Athenienſium. Eſt autem is portus ad ſinum Saronicum. Apparet ibi Eccleſiam fuiſſe Chriſtianorum Rom. XVI, 1. *Cenchrîs* pro *Cenchreis* contractè dixit Ovidius Triſtium I, 10.

19. κἀκείνους κατέλιπεν αὐτοῦ. *& illos reliquit ibi*] Syrus rectè, ni fallor, hæc verba trajecit poſt illa ἀνακάμψω πρὸς ὑμᾶς [*revertar ad vos*].

20. Ἐπερωτώντων δὲ αὐτῶν, *Rogantibus autem eis*] Aquila & Priſcilla.

21. ἑορτὴν τὴν ἐρχομένην, *diem feſtum qui inſtat*] Vbi ἑορτὴ [*dies feſtus*] ſimpliciter dicitur, intelligitur Paſcha.

ποιῆσαι, *agere*] Loquendi genus quale ſupra XV, 33. & infra 23.

εἰς Ἱεροσόλυμα· *Hieroſolymis*] Εἰς pro ἐν Ἱεροσολύμοις [*Hieroſolymis*].

πάλιν δὲ ἀνακάμψω, *iterum revertar*] Πάλιν [*iterum*] abundat ut apud Platonem Timæo, Πάλιν ἐπανελθεῖν [*iterum rediiſſe*].

τοῦ Θεοῦ θέλοντος. *Deo volente*] Egregia cautio Chriſtianorum, nihil futuri promittere niſi expreſſè addito, *Si Deus velit*, ut ita ſignificarent omnibus rebus, ſed piorum maximè, intervenire Dei providentiam. Sic & Paulus I Corinth. IV, 19. Et de eo omnes Chriſtianos admonet Iacobus IV, 15.

Καὶ ἀνήχθη ἀπὸ τῆς Ἐφέσου. *Et profectus eſt ab Epheſo*] Ἀνήχθη hoc quidem loco eſt *navigavit*, quomodo explicat Syrus. Sic & Lucæ VIII, 22.

22. Καὶ κατελθὼν εἰς Καισάρειαν, *Et deſcendens Cæſaream*] Nempe è navi. Eſt enim Cæſarea maritima urbs. Sic & infra XXVII, 5 ſumitur κατήλθομεν [*venimus*].

ἀναβὰς, *adſcendit*] Nempe Hieroſolyma: quod ſemper intelligitur quoties de itinere per Iudæam Hebræi loquuntur. Ioh. VII, 8, 10. XII, 20.

καὶ ἀσπασάμενος τὴν Ἐκκλησίαν, *& ſalutavit Eccleſiam*] Apoſtolos & fideles qui erant Hieroſolymis.

κατέβη εἰς Ἀντιόχειαν. *deſcendit Antiochiam*] Syriæ ad Orontem.

23. τὴν Γαλατικὴν χώραν, *Galaticam regionem*] Vbi aliquos jam diſcipulos fecerat Paulus XVI, 6.

καὶ Φρυγίαν, *& Phrygiam*] Supra XVI, 6. & II.

ἐπιστηρίζων πάντας τοὺς μαθητὰς, *confirmans omnes diſcipulos*] Supra XIV, 21. XV, 32, 41. Etiam bene ſata interdum irrigari utile eſt.

24. Ἀπολλὼς ὀνόματι, *Apollos nomine*] Idem nomen *Apella* apud Horatium: Ἀπελλῆς [*Apelles*], Rom. XVI, 10: & quod hîc eſt Ἀπολλὼς [*Apollos*], Hebraïce אפלא [*Apella*].

Ἀλεξανδρεὺς τῷ γένει, *Alexandrinus genere*] Cujus parentes aut Majores Alexandriæ habitaverant. Idem loquendi genus quod ſupra habuimus IV, 36.

δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς. *potens in Scriptura*] Par loquendi genus ſupra VII, 22. גבור [*validus*].

25. Οὗτος ἦν κατηχημένος τὴν ὁδὸν Κυρίου. *Hic erat edoctus viam Domini*] Prima elementa Chriſtianiſmi acceperat. Vide Lucæ I, 4. & quæ diximus ad Matth. XXVIII, 19, 20. Adde Galat. VI, 6.

ζέων τῷ πνεύματι, *fervens ſpiritu*] Idem loquendi genus Rom. XII, 11.

καὶ ἐδίδασκεν ἀκριβῶς τὰ περὶ Κυρίου, *& docebat diligenter ea quæ ſunt Domini*] Nempe pro modo cognitionis quem acceperat. ἀκριβῶς [*diligenter*] *optima fide.*

ἐπιστάμενος μόνον τὸ βάπτισμα Ἰωάννου. *ſciens tantùm baptiſma Iohannis*] Ἐπιστάμενος, id eſt, *expertus*, quomodo ab Hebræis ſumitur ידוע, Eſaiæ LIII, 3. Chriſtiano more non fuerat baptizatus, ideoque nec Spiritûs Sancti dona acceperat.

26. ἤρξατο παῤῥησιάζεσθαι ἐν τῇ συναγωγῇ. *cæpit fiducialiter agere in Synagoga*] *Liberiùs quàm ante etiam in publicis conventibus loquebatur.*

καὶ ἀκριβέστερον αὐτῷ ἐξέθεντο τὴν τοῦ Θεοῦ ὁδόν. *& diligentiùs expoſuerunt ei viam Dei*] Maximè de ſalute incircumciſorum.

27. εἰς τὴν Ἀχαΐαν, *Achajam*] Corinthum.

προτρεψάμενοι οἱ ἀδελφοὶ, *exhortati fratres*] Vltrò hortantes ad implendum tam forte propoſitum.

διὰ τῆς χάριτος. *per gratiam*] Refert Syrus ad συνεβάλετο [*contulit*]; & rectè. Multum profuit Eccleſiæ per dona quæ poſt baptiſmum in nomen Chriſti ſibi collatum acceperat, præveniente Dei gratiâ Apoſtolicas manus.

28. εὐτόνως γὰρ, *vehementer enim*] Hanc vocem Lucas uſurpat & in Euangelio XXIII, 10. Exſtat & in Græco Ioſuæ VI, 8. rectè verteris *acriter.* Heſychius exponit per ἰσχυρῶς [*validè*].

διακατηλέγχετο, *revincebat*] הוכיח quod vertitur per ἐλέγχειν [*arguere*], διελέγχεσθαι [*convincere*], ἐξελέγχειν [*refutare*].

ἐπιδεικνὺς διὰ τῶν γραφῶν, *oſtendens per Scripturas*] Ἐπιδεικνὺς [*oſtendens*] hîc quod ſupra παρατιθέμενος [*ob oculos ponens*], XVII, 3.

CAPVT XIX.

Τὸν Ἀπολλῶ, *Apollos*] Accuſativus antiquus quartæ apud Græcos declinationis. Sic Theocritus, ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπην. Et Virgilius ex eo,

Aut Atho aut Rhodopen:

& Livius, *montem Atho.*

τὰ ἄνω.

τὰ ἀνωτερικὰ μέρη, *ſuperioribus partibus*] Septentrionaliora, Pontum & Bithyniam.

2. Εἰ Πνεῦμα ἅγιον ἐλάβετε πιστεύσαντες; *ſi Spiritum Sanctum accepiſtis credentes?*] *Spiritus Sanctus* hîc & in ſequentibus, ita ut Iohannis VII, 34, ſunt dona iſta Eccleſiæ Chriſtianæ reſervata: quæ Paulus haud dubium quin pluribus vocibus deſcripſerit.

Ἀλλ᾽ οὐδὲ εἰ Πνεῦμα ἅγιόν ἐστιν, ἠκούσαμεν. *Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus*] *Non audivimus dari nunc talia dona.*

3. Εἰς τί οὖν ἐβαπτίσθητε; *In quo igitur baptizati eſtis*]? Εἰς τί [*in quid*] pro ἐν τίνι [*in quo*]. *quomodo baptizati eſtis?*

Οἱ δὲ εἶπον, εἰς τὸ Ἰωάννου βάπτισμα, *Qui dixerunt, in Iohannis baptiſmate*] Id eſt, ἐν τῷ Ἰωάννου βαπτίσματι, *baptiſmate Iohannis.*

4. Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε βάπτισμα μετανοίας, *Iohannes quidem baptizavit baptiſmo pœnitentiæ*] Non cohæret hoc μὲν [*quidem*] cum eo quod ſequitur ἀκούσαντες δὲ [*his auditis*], ut multi putarunt: ſed poſitum eſt κατ᾽ ἀποσιώπησιν [*per Subticentiam*] ut ſupra III, 21. Sic contra apud Terentium Donatus notat, *ſed tamen* poni, ubi *quidem* non præceſſit. Senſus eſt, Baptizavit ille quidem in pœnitentiam, id eſt, hortatus eſt eos quos baptizavit, ut ſe emendarent, & ſic mala imminentia evaderent, ſed non in promiſſum Spiritûs Sancti: quæ diſtinctio inter utrumque baptiſma innuitur & Matth. III, II. hoc libro I, 5. Scriptor Reſponſionum ad Orthodoxos, Τὸ βάπτισμα τοῦ Ἰωάννου προοίμιον ἦν τοῦ εὐαγγελίου τῆς χάριτος [*Baptiſma Iohannis proœmium erat Euangelii gratiæ*].

τῷ λαῷ λέγων, εἰς τὸν ἐρχόμενον μετ᾽ αὐτὸν ἵνα πιστεύσωσι, *dicens populo, in eum qui venturus eſſet poſt ipſum ut crederent*] Vt plena præcepta regni cœleſtis acciperent ab eo qui poſt ipſum populo Iſraëlitico apparituros eſſet. Hac enim notâ Iohannes Baptiſta Chriſtum depinxerat, Matth. III, II. ubi dicta vide. Perfectius dogma perfectiorem exigebat baptiſmum. Vide Græcos Patres hoc loco, & Tertullianum de baptiſmo, ubi *baptiſmum Iohannis* ait *nihil cæleſte præſtitiſſe, ſed cæleſtibus præminiſtraſſe*, & addit, *Adeò poſtea in Actis Apoſtolorum invenimus, quoniam qui Iohannis baptiſmum habebant, non accepiſſent Spiritum Sanctum, quem ne auditu quidem noverant. ergo non erat cæleſte, quod cæleſtia non exhibebat.*

5. Ἀκούσαντες δὲ, *His auditis*] Nempe illi ad quos Paulus loquebatur: ſunt enim hæc Lucæ verba. Sic accepére Latinus, Syrus, Arabs, & veteres omnes ante Marnixium.

εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. *in nomen Domini Ieſu.*] Id eſt, *In nomen Patris & Filii & Spiritûs Sancti.* Vide quæ diximus ad Matth. XXVIII, 19.

6. Καὶ ἐπιθέντος αὐτοῖς τοῦ Παύλου τὰς χεῖρας, ἦλθε τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπ᾽ αὐτούς. *Et cùm impoſuiſſet illis manus Paulus, venit Spiritus Sanctus ſuper eos*] Baptizati erant ab alio Chriſtiano: ſed Deus ad commendandum munus Apoſtolicum, non ante eis Spiritûs ſui dona communicare voluit, quàm Apoſtolica manus eos tetigiſſet. Hoc plerumque ita factum eſt. Deus tamen illi legi non adſtrictus, ſicut Apollo illa dona ante impoſitionem Apoſtolicarum manuum contulerat, ita Cornelio ante ipſum baptiſma.

ἐλάλουν τε γλώσσαις καὶ προεφήτευον. *& loquebantur linguis & prophetabant*] Non vulgaria dona, ſed & complura & maxima accepére, utiles futuri ad fundandas per Aſiam Eccleſias. Vide Eſaiam LIV, 13, 14. LXII, 1.

8. καὶ πείθων τὰ περὶ τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ. *& ſuadens de regno Dei*] Vide ſupra XVIII, 4. ubi idem verbum πείθειν [*ſuadere*], ſed cum accuſativo perſonæ. Significatur multos tractos in aſſenſum, etſi non omnes, ut oſtendunt ſequentia.

9. Ὡς δέ τινες, *Cùm autem quidam*] Iudæorum.

κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν, *maledicentes viæ*] Dogma Chriſti XVIII, 25, 26. infra 23. XXII, 4. XXIV, 23.

ἀποστὰς ἀπ᾽ αὐτῶν, ἀφώρισε τοὺς μαθητὰς, *diſcedens ab iis ſegregavit diſcipulos*] Et ipſe è Synagoga exiit & eos qui crediderant abduxit, eò quòd in Synagoga tuti non erant futuri.

ἐν τῇ σχολῇ Τυράννου τινός. *in ſchola Tyranni cujuſdam*] Sophiſtæ ſive Declamatoris, cui nomen *Tyranno.* ita Suidas. Fuit hoc nomen & cuidam ſatelliti Herodis, ut videre eſt apud Ioſephum XVI, 16.

10. πάντας τοὺς κατοικοῦντας τὴν Ἀσίαν, *omnes qui habitabant in Aſia*] Qui ſacrorum cauſâ Epheſum venire ſolebant. Erat enim templum illud commune Aſiæ, unde & nomen Ἀσιαρχῶν [*Aſiarcharum*]. Iudæi quoque ex aliis Aſiæ urbibus ſæpe eò veniebant mercatûs cauſâ aut judiciorum.

11. Δυνάμεις τε οὐ τὰς τυχούσας, *virtutesque non quaslibet*] Locutio bene Græca. Dionyſius Longinus de Moſe, οὐχ ὁ τυχὼν ἀνήρ [*non vulgaris homo*]. Illud autem δυνάμεις [*virtutes*] eſt גבורות [*miracula*] ut ſupra II, 22.

12. σουδάρια, *ſudaria*] De hac voce diximus Luc. XIX, 20. Ioh. XI, 44.

σιμικίνθια, *ſemicinctia*] Eſt apud Martialem Lemma, *ſemicinctium*, cum hoc diſticho,

Det tunicam dives: ego te præcingere poſſum:
Eſſem ſi locuples, munus utrumque darem.

In Gloſſis, *ſemicinctum* ἡμιζώνιον. Alibi, *ſemicinctum* ὑπόζωμα. Suidas, σιμικίνθιον, φακεώλια, ζωνάρια, [*ſemicinctium, faſciolæ, zonaria*]. Illud φακεώλια vult dicere *faſciolas.* Eſt vox σιμικινθίου [*ſemicinctii*] & in Catecheſi Cyrilli, & in Niceta Paphlagone.

καὶ ἀπαλλάσσεσθαι ἀπ᾽ αὐτῶν τὰς νόσους, *& recedebant ab eis languores*] Ita præſtitum quod dixerat Chriſtus, Ioh. XIV, 12. Vide & ſupra V, 15.

13. ἀπὸ τῶν περιερχομένων Ἰουδαίων ἐξορκιστῶν, *de circumeuntibus Iudæis exorciſtis*] De quibus vide quæ attulimus ad Matth. XII, 27. Περιερχομένους [*circumeuntes*] autem vocat quod non uno in loco ſubſiſterent, ſed huc illuc curſitarent quæſtui aucupando, quales apud Græcos ἀγύρται, apud Latinos *circulatores.*

Ὁρκίζομεν ὑμᾶς τὸν Ἰησοῦν, ὃν ὁ Παῦλος κηρύσσει. *Adjuramus vos per Ieſum quem Paulus prædicat*] Simile vide Marc. IX, 38. Luc. IX, 49.

14. υἱοὶ Σκευᾶ, *filii Scevæ*] שבעא, ut hîc Syrus, *à jurejurando* dictum nomen.

Ἰουδαίου ἀρχιερέως, *Iudæi principis Sacerdotum*] Filii principis familiæ alicujus ſacerdotalis: nam & tales dici ἀρχιερέας [*Principes Sacerdotum*] oſtendimus Matth. II, 4.

15. Ἀποκριθὲν δὲ τὸ πνεῦμα τὸ πονηρὸν εἶπε· Τὸν Ἰησοῦν

γινώσκω, καὶ τὸν Παῦλον ἐπίσταμαι· *Reſpondens autem Spiritus nequam dixit eis, Ieſum novi, & Paulum ſcio*] Deo cogente. Tertullianus in Apologetico. *Credite illis cùm verum de ſe loquantur, qui mentientibus creditis. Nemo ad ſuum dedecus mentitur, quin potius ad honorem.* Vide ſi placet totum locum.

ὑμεῖς δὲ τίνες ἐστέ; *vos autem qui eſtis?*] Quaſi dicat, *Vos certè nihil ad illos pertinetis.*

16. καὶ κατακυριεύσας αὐτῶν, *& dominatus eorum*] Ἀμφοτέρων [*amborum*] pro αὐτῶν [*eorum*] habet & ille Manuſcriptus. Ergo de ſeptem Scevæ filiis duo ibi adfuere. Mirè autem tranſit oratio ab homine ad ipſum ſpiritum, quia quod ille homo agebat, id agebat non ſua ſed Spiritûs impuri vi. Vide Matth. VIII, 28.

17. καὶ ἐπέπεσε φόβος ἐπὶ πάντας αὐτούς, *& cecidit timor ſuper omnes illos*] Vt ſupra V, 11.

καὶ ἐμεγαλύνετο τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ. *& magnificabatur nomen Domini Ieſu*] Solet de Deo dici Μεγαλυνθείη τὸ ὄνομά σου [*Magnificetur nomen tuum*]. ut II Sam. VII, 26.

18. ἤρχοντο ἐξομολογούμενοι, *veniebant confitentes*] Venerunt ad Apoſtolos, confitentes quàm malè vitam hactenus traduxiſſent, commemoratis etiam criminibus gravioribus, ut illi qui ad Iohannem Baptiſtam venerant, Matth. III, 6. ubi dicta vide. Græci hoc loco. Δεῖ πάντα πιστὸν λέγειν τὰς ἑαυτοῦ ἁμαρτίας, καὶ ἀποτάττεσθαι, διὰ τοῦ ἑαυτὸν διελέγχειν, τοῦ ἔτι μὴ ποιεῖν τὰ αὐτά· κατὰ τὸ εἰρημένον, Λέγε σὺ τὰς ἁμαρτίας σου πρῶτος, ἵνα δικαιωθῇς· καὶ τὸ, Δίκαιος ἑαυτοῦ κατήγορος ἐν πρωτολογίᾳ [*Vnumquemque fidelium ſua ipſum peccata proferre oportet, ſeque ita arguere ut ſimul & peccato valedicat ne quid iſtiuſmodi porrò committat, juxta dictum, Dic tu peccata tua prior ipſe, quò juſtificere. & item hoc, Iuſtus ipſe ſui primus ante alios accuſator*].

19. Ἱκανοὶ δὲ τῶν τὰ περίεργα πραξάντων, *Multi autem ex eis qui fuerant curioſa ſectati*] Περίεργα [*curioſa*] quæ ſint intelliges ex Irenæo I, 2. de Simonianis, *Amatoria quoque, & agogima, & qui dicuntur paredri, & oniropompi, & quæcunque ſunt alia perierga* (malè ſcribitur *parerga*) *apud eos ſtudioſè exercentur.* Hæc Philoſophi vocabant περίεργα & γοητείας & τερατουργίας [*artes præſtigioſas & prodigioſas*], ut Porphyrius II. de abſtinendo ab animatis, ubi & φίλτρα [*pocula amatoria*] & ἐρωτικὰ [*venena amatoria*] ponit in hac claſſe. Γοητικὰς βίβλους [*libros magicos*] habent hîc Patres Græci. Chriſtiani verò *Diabolica* hæc vocarunt. Sed Lucas recepta Epheſi voce uti contentus eſt. Epheſus ante alias civitates his pravis ſtudiis dedita. Magorum qui erant Epheſi meminit Plutarchus Alexandro. Menander παιδίῳ [*Puero*],

> Ἐφέσια τοῖς γαμοῦσιν οὗτος περιπατεῖ
> Λέγων ἀλεξιφάρμακα.
> [*Cantus Epheſios nuptias facientibus*
> *Hic averruncos cantat*].

quod interpretare ex Apuleio in Herbario, *Si quis devotus defixuſque fuerit in ejus nuptiis eum ſic reſolves.* Anaxilaus apud Athenæum, Καὶ πρὸς τούτοις ἐν σκυταρίοις ῥαπτοῖσι φορῶν Ἐφεσήια γράμματα καλά [*literas præterea Epheſias, ſcitas ſanè, in conſutis pellibus geſtans*]. Plutarchus Sympoſiacôn VII, Οἱ μάγοι τοὺς δαιμονιζομένους κελεύουσι τὰ Ἐφέσια γράμματα πρὸς αὑτοὺς καταλέγειν καὶ ὀνομάζειν [*Magi eos qui à Dæmone obſideantur Epheſias literas ſecumipſis ordine recitare ac pronuntiare jubent*]. Clemens Alexandrinus Strom. I, Τινὲς δὲ μυθικώτερον τῶν Ἰδαίων καλουμένων δακτύλων, σοφούς τινας πρώτους γενέσθαι λέγουσιν, εἰς οὓς ἥ τε τῶν Ἐφεσίων λεγομένων γραμμάτων καὶ ἡ κατὰ μουσικὴν εὕρεσις ῥυθμῶν ἀναφέρεται [*Quidam autem fabuloſius, ex iis qui Idæi appellantur dactyli, ſapientes quoſdam primos exortos eſſe dicunt, ad quos & Epheſiarum, quæ dicuntur, literarum, & eorum quæ ſunt in Muſica numerorum, refertur inventio*]. Et Strom. V, Ἀνδροκύδης γοῦν ὁ Πυθαγορικὸς τὰ Ἐφέσια καλούμενα γράμματα, ἐν πολλοῖς δὴ πολυθρύλλητα ὄντα, συμβόλων ἔχειν φησὶ τάξιν· σημαίνειν δὲ Ἄσκιον μὲν τὸ σκότος, μὴ γὰρ ἔχειν τοῦτο σκιάν· φῶς δὲ Κατάσκιον, ἐπεὶ καταυγάζει τὴν σκιάν. Λίξ τέ ἐστιν ἡ γῆ κατὰ ἀρχαίαν ἐπωνυμίαν· καὶ Τετρὰς ὁ ἐνιαυτὸς, διὰ τὰς ὥρας· Δαμναμενεὺς δὲ ὁ ἥλιος ὁ δαμάζων· τὰ Αἴσιά τε ἡ ἀληθὴς φωνή [*Androcydes certè Pythagoricus literas, quæ vocantur Epheſiæ, vulgò autem valde ſunt celebres, dicit locum tenere ſymbolorum; ſignificare autem* ἄσκιον *quidem tenebras, eas enim non habere umbram:* κατάσκιον *autem lucem, quoniam illuſtrat umbram:* λὶξ *autem priſcâ appellatione eſt terra: &* τετρὰς, *hoc eſt quaternio, annus, propter horas:* δαμναμενεὺς *autem Sol qui domat: &* αἴσια, *vox vera*]. Meminere & Euſtathius ad Odyſſeæ φ, qui etiam pedibus & zonæ & coronæ ipſius Dianæ Epheſiæ inſcriptas ait fuiſſe litteras Epheſias ἀσαφῶς καὶ αἰνιγματωδῶς [*obſcurè & ænigmaticè*], & Heſychius & Suidas.

συνενέγκαντες τὰς βίβλους κατέκαιον ἐνώπιον πάντων. *contulerunt libros & combuſſerunt coram omnibus*] Non ſatis eſt pœnitentiam animo concipere, factis quoque oſtendenda eſt, Matth. III, 8.

καὶ εὗρον ἀργυρίου μυριάδας πέντε. *& invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium*] Puto Lucam hoc pretium non ad Romanum, aut Græcum, aut Aſiaticum, ſed ad Iudaïcum redegiſſe, & ἀργυρίου [*argenti*] reſpondere Hebræo כסף quod pro *ſiclo argenteo* ponitur. Atque ita vertitur Num. VII, 85. Deuter. XXII, 19. II Regum XV, 20. Eſaiæ VII, 23. Ierem. XXXII, 9. Vſſerunt iſti fideles libros illos, non vendiderunt, ut pretium ad Apoſtolos afferrent: fuiſſet enim id velut pretium ſcorti, quod offerri non debet. Deut. XXIII, 18.

21. ἔθετο ὁ Παῦλος ἐν τῷ πνεύματι, *propoſuit Paulus in Spiritu*] Bene notant eruditi eſſe locutionem Hebraïcam שם על לבו quod Græci vertunt ἔθετο ἐν τῇ καρδίᾳ [*propoſuit in corde*]. Non mirum autem πνεῦμα [*Spiritum*] cum articulo poni pro *animo.* Vide I Cor. II, 11. V, 5. VI, 20. Eph. IV, 23. Hebr. IV, 12.

δεῖ με καὶ Ῥώμην ἰδεῖν. *oportet me & Romam videre*] Quærebat eas urbes Paulus, ubi maximam ſperabat meſſem.

22. καὶ Ἔραστον, *& Eraſtum*] Non eum cujus mentio Rom. XVI, 23, ſed alterum cujus mentio II Timoth. IV, 20. Fortè Hebræus fuerit cui nomen *Davidi.*

ἐπέσχε χρόνον εἰς τὴν Ἀσίαν, *remanſit ad tempus in Aſia*] Pro ἐν τῇ Ἀσίᾳ [*in Aſia*], quæ mutatio frequens Helleniſtis.

23. τάραχος οὐκ ὀλίγος, *turbatio non minima*]

Non levis tumultus. τάραχος & ταραχὴ & θόρυβος poni ſolent pro Hebræo מהומה [*tumultus*].

περὶ τῆς ὁδοῦ. *de via*] Occaſione Euangelii.

24. ἀργυροκόπος, *argentarius*] Hæc vox in Gloſſario rectè vertitur *faber argentarius.*

ποιῶν ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, *faciens ædes argenteas Dianæ*] Id eſt, *exiguas ædiculas argenteas*, & in iis ſimulacrum Dianæ ad effigiem veri templi & ſimulacri. Talis ædiculæ Veneris Cnidiæ meminit Plinius XXXVI,5. Ναΐδια [*ædiculas*] vocat Polybius. Dion Νεὼς μικροὺς [*templa exigua*], quorum fabros ναοποιοὺς [*templifabros*] vocat Ariſtotelis interpres, ut obſervavit Salmaſius ad Solinum.

παρείχετο τοῖς τεχνίταις ἐργασίαν οὐκ ὀλίγην. *præſtabat artificibus non modicum quæſtum*] Τεχνίτας [*artifices*] hîc vocat *operas* Demetrii quibus ille dabat quod agerent. *Filios artis ſuæ* dixit Syrus.

25. τοὺς περὶ τὰ τοιαῦτα ἐργάτας, *eos qui hujuſmodi erant opifices*] Alios ſibi ſimiles & quæſtûs ejuſdem.

ὅτι ἐκ ταύτης τῆς ἐργασίας ἡ εὐπορία ἡμῶν ἐστι· *quia ex hoc artificio eſt nobis acquiſitio*] *Ex hoc opificio quæſtus eſt nobis:* hinc ditamur. Nolebat falſum videri quod ipſi proderat.

26. λέγων ὅτι οὐκ εἰσὶ θεοὶ οἱ διὰ χειρῶν γινόμενοι. *dicens quoniam non ſunt Dii qui manibus fiunt*] Negabat ullam eſſe vim Divinam in ſimulacris. Dicebat congruentia Pſalmo cxv, 4. & ſequentibus, & Ieremiæ x, 3. & ſequentibus.

27. Οὐ μόνον δὲ τοῦτο κινδυνεύει ἡμῖν τὸ μέρος εἰς ἀπελεγμὸν ἐλθεῖν, *Non ſolùm autem hæc periclitabitur nobis pars in redargutionem venire*] Omnino legendum eſt ἡμῶν [*noſtra*] quomodo & Syrum & Arabem arbitror legiſſe. Senſus eſt, *Periculum eſt non modò ne id quod nos contingit* (id eſt, ars noſtra) *in contemptum veniat:* τὸ ἡμῶν μέρος [*pars noſtra*], *id quod nos tangit*; nota locutio. Ἀπελεγμὸς autem, idem quod ἐλεγμὸς [*reprehenſio*] per μετωνυμίαν [*Transnominationem*] *contemptum* ſignificat: ideoque ὀνειδισμὸς [*probrum*] & ἐλεγμὸς [*reprehenſio*] ſe mutuò interpretantur Eſai. xxxvii, 3.

ἀλλὰ καὶ τὸ τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος ἱερὸν εἰς οὐδὲν λογισθῆναι, *ſed & magnæ Dianæ templum in nihilum reputabitur*] Quaſi dicat parum eſt de noſtro quæſtu: tota religio hîc periclitatur. Templum Dianæ fuiſſe Epheſi ante Liberi Patris & Amazonum tempora, docent nos Epheſii apud Tacitum Annalium III. Majus factum communiter ab Aſiæ civitatibus Livius auctor eſt libro I. Ideo Martialis,

Nec Triviæ templo molles laudentur Iones.

Ariſtophanes,

Ἡ τ' Ἐφέσου μάκαιρα πάγχρυσον ἔχεις οἶκον, ἐν ᾧ
Κόραι σε Λυδῶν μεγάλως σέβουσιν.

[*Quæque Epheſi beata habes ex ſolido tecta domus*
Obryzo; ubi Lydæ nurus te honorant].

Magna Diana hîc dicitur illa Epheſia, ut Pauſaniæ πρωτοθρονία.

τὴν μεγαλειότητα αὐτῆς, *majeſtas ejus*] Bene Latinus *Majeſtatem.* Gloſſarium μεγαλειότης, *Majeſtas.* Poſſes & *Numen* vertere.

ἣν ὅλη ἡ Ἀσία καὶ οἰκουμένη σέβεται. *quam tota Aſia & orbis colit*] Non falsò hoc dicit. Nam & inter paucos deos qui à Romanis teſtatoribus heredes inſtitui poterant, erat hæc Diana Epheſia, ut nos docet Vlpianus Inſtitutionum tit. xxii.

28. ἔκραζον λέγοντες· Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων. *exclamaverunt dicentes, Magna Diana Epheſiorum*] Quaſi abominantes id quod Paulus efficere conabatur.

29. Καὶ ἐπλήσθη ἡ πόλις ὅλη συγχύσεως· *Et impleta eſt civitas tota confuſione*] Idem quod ſupra τάραχος [*turbatio*]· nam מהומה ſicut τάραχος [*turbatio*] vertitur, ita & σύγχυσις [*confuſio*]. Et mox dicetur ἐκκλησία συγκεχυμένη [*Eccleſia confuſa*].

ὥρμησάν τε ὁμοθυμαδὸν εἰς τὸ θέατρον, *& impetum fecerunt uno animo in theatrum*] Quò concurrere populus ſolebat. Diodorus Siculus libro xvi, Ὁ δὲ δῆμος ἅπας ἅμ' ἡμέρᾳ συνέδραμεν εἰς τὸ θέατρον [*Vniverſus verò populus orto ſtatim diluculo concurrebat ad theatrum*] Plutarchus Arato, Κατέβαινεν εἰς τὸ θέατρον ἀπὸ τῆς ἄκρας, πλήθους ἀπείρου ἐπιρρέοντος, ἐπιθυμίᾳ τῆς ὄψεως αὐτοῦ καὶ τῶν λόγων [*Deſcendebat ex arce in theatrum, confluente eòdem infinitâ populi multitudine, videndi eum cupidâ orationemque ejus audiendi*]. Iuvenalis de Demoſthene,

— — *Et pleni moderantem vela theatri.*

Meminit ejuſdem moris idem Plutarchus in Timoleonte, & is qui vitam ſcripſit Latinè. Vide & alia loca quæ in hanc rem congeſſit Heraldi diligentia in Adverſariis.

Γάϊον καὶ Ἀρίσταρχον Μακεδόνας, *Gajo & Ariſtarcho Macedonibus*] Cajus hîc erat quidem Theſſalonicenſis ſed origine Derbæus, ut diſcimus infra xx, 4. Mentio & aliorum hujus nominis inter Romanos perfrequentis, in ſcriptis Pauli & Iohannis. Ariſtarchi hujus mentio infra xx,4. xxvii,2. Coloſſ. iv, 10. Philem. 24. Nomen eſt apud Græcos celebre ac commune multis etiam ſcriptoribus.

30. οὐκ εἴων αὐτὸν οἱ μαθηταί. *non permiſerunt diſcipuli*] Precibus eum dimovebant.

31. τῶν Ἀσιαρχῶν, *de Aſiæ Principibus*] Sicut *Phœnicarchia* & *Syriarchia* ſacerdotia fuere, Codice de Nat. lib. l, 1: ſic & *Aſiarchia*, quod *ſacerdotium Aſiæ* vocatur L. in honoribus. D. de vacatione & excuſatione munerum: ita ut Vlpianus in L. ſi duas. §. Gentium. D. de excuſ. dignitatem hanc *præſidatum Aſiæ* vocet: & Aſiarchas πρωτεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν [*primores provinciæ*] dicat Strabo: qui & hoc nos docet, lectos ex præcipuis Aſiæ civitatibus, inter quas fuiſſe & Tralles. Sic & Latinus interpres hoc loco *Aſiarchas* vocat Aſiæ principes. Poſtquam Chriſtiani facti ſunt Imperatores, manſit Sacerdotibus illis provincialibus, ſine ſacrificiis, honos & inſignia vetera: functio autem unica eis manſit ludos edere ſuo ſumptu; unde Aſiarchas *munerarios* interpretatur Ruffinus in Polycarpi martyrio apud Euſebium. Horum impendia magna erant nec adſtricta legibus ludorum aliorum ſumptus ad modum redigentibus L. cunctos. C. Theod. de expenſis ludorum. Et ideo patrimoniorum oneribus accenſentur L. Nec protoſtaſiæ. C. de muneribus patrimoniorum. & L. 1. Cod. de periculo ſucceſſionum parentis. Dabaturque de eis excuſatio artium profeſſoribus L. ſi duas. §. eſt autem. D. de Excuſat. Tutorum. Eſt *Aſiarcharum* mentio & in marmoribus Arundelianis.

μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. ne ſe daret in theatrum] Ne populi concitati ira ei noceret.

32. *ἦν γὰρ ἡ ἐκκλησία συγκεχυμένη, erat enim Eccleſia confuſa*] Ἐκκλησία [*Eccleſia*] hîc קהל *cætum* quemvis ſignificat, cùm *concio* Latinè non ſit niſi à Magiſtratu ſecundùm leges convocata multitudo. Plutarchus in Coriolano dixit ἐκκλησίαν θορυβώδη [*cætum tumultuarium*], & in Phocione ἐκκλησίαν παμμιγῆ καὶ ἄτακτον [*turbam miſcellaneam & confuſam*].

33. Ἐκ δὲ τοῦ ὄχλου προεβίβασαν Ἀλέξανδρον, *De turba autem detraxerunt Alexandrum*] Subauditur τινὲς [*quidam*], ut Matth. XXIII, 34. Iohan. XVI; 17, & alibi. Προεβίβασαν [*detraxerunt*], id eſt, promoverunt eum extra turbam in eum locum, unde ab omnibus exaudiri poſſet.

προβαλλόντων αὐτὸν τῶν Ἰουδαίων· propellentibus eum Judæis] Iudæi eum proponebant tanquam idoneum Pauli accuſatorem, ut qui ipſius dogmata noſſet omnia, & ab iis deſciviſſet. Videtur enim hîc eſſe Alexander faber ærarius de quo queritur Paulus I Timoth. I, 20. II Timoth. IV, 14. Hoc autem modo Iudæi volebant odium omne hoc à ſe amovere, cùm ſcirent ſe quoque inviſos eſſe tanquam inimicos deorum.

κατασείσας τὴν χεῖρα, manu ſilentio poſtulato] Vide ſupra XII, 17. XIII, 16.

ἤθελεν ἀπολογεῖσθαι τῷ δήμῳ. volebat reddere rationem populo] Iudæorum cauſam à Pauli cauſa ſegregare.

35. Καταστείλας δὲ ὁ γραμματεὺς τὸν ὄχλον, *Et cùm ſedaſſet ſcriba turbas*] Γραμματεὺς eſt hîc *ſcriba civitatis*, ὁ εἰωθὼς ἐν τῷ δήμῳ τὰ τοῦ δήμου γράμματα ἀναγινώσκειν [*qui ſcripta populi populo legere ſolebat*] ait Scholiaſtes Thucydidis. Apud Romanos, ut ait is qui vitas Imperatorum Latinè ſcripſit, *ſcribæ mercenarii* exiſtimabantur: at apud Grajos nemo ad id officium admittebatur, niſi honeſto loco & fide & induſtriâ cognitus.

τὴν Ἐφεσίων πόλιν νεωκόρον εἶναι τῆς μεγάλης θεᾶς Ἀρτέμιδος, *Epheſiorum civitatem cultricem eſſe magnæ Deæ Dianæ*] De Enna Cicero, *Vt mihi non cives illius civitatis, ſed omnes Sacerdotes, omnes accolæ atque Antiſtites Cereris viderentur.* Eſt νεωκόρος vox hoc ſenſu etiam in marmoribus Arundelianis, & in nummis ſæpe; ut in illo Μαγνήτων νεωκόρων Ἀρτέμιδος [*Magneſiorum ædilium Dianæ*]. In alio, Ἐφεσίων δὶς νεωκόρων καὶ τῆς Ἀρτέμιδος [*Epheſiorum bis & item Dianæ ædilium*]· ubi bis νεωκόροι [*ædiles*] vocantur Epheſii ob bis editos ludos in honorem Cæſaris, Dianæ autem perpetuos.

καὶ τοῦ Διοπετοῦς. *& à Iove delapſi*] Nempe ἀγάλματος [*ſimulacri*]. Erat id ex vite factum, ut Muciano auctore tradidit Plinius: ſed quia fabricatio ejus omnem memoriam excedebat, ideo facilè Sacerdotes plebi perſuaſere eſſe de cœlo delapſum, ut Suidas notat in voce Διοπετές [*à Iove delapſum*]. Sic de Tauricæ Dianæ ſimulacro Euripides,

> Λαβεῖν τ᾽ ἄγαλμα θεᾶς ὅ φασιν ἐνθάδε
> Εἰς τούς δε ναοὺς οὐρανοῦ πεσεῖν ἄπο
> [*Simulque magnæ capere ſimulacrum deæ*
> *Quod eſſe lapſum fama de cælo refert*].

idem poſtea vocat Διοπετὲς ἄγαλμα [*ſimulacrum à Iove delapſum*]. Sic & de ancili Plutarchus, Διοπετοῦς πέλτης [*ancilis à Iove delapſi*]. Eſt & apud Herodianum Διοπετὲς ἄγαλμα [*ſimulacrum à Iove delapſum*]. *Iovem* pro *cælo* dici frequens Græcis. Sic & Horatius, *Sub Iove frigido.*

36. Ἀναντιῤῥήτων οὖν ὄντων τούτων, *Cùm ergo his contradici non poſſit*] Hoc vult, Qui περὶ τῶν χειροποιήτων [*de manufactis*] loquuntur, ii nihil lædunt hoc ſimulacrum quod conſtat eſſe non χειροποίητον [*manufactum*], ſed Διοπετές [*à Iove delapſum*].

κατεσταλμένους ὑπάρχειν, *ſedatos eſſe*] Bene Latinus *ſedatos* vertit. Gloſſarium καταστέλλω, *ſedo*, ut ſupra 35. ſic Virgilius,

> *Olli reſpondit ſedato corde Latinus.*

καὶ μηδὲν προπετὲς πράσσειν· & nihil temerè agere] Latinus, *nihil temerè agere:* bene. Sic, προπετῶς μὴ ὄμνυε, *temerè ne jura.* L. ſi dicit. D. de jurejurando. In Gloſſario προπετὴς, *temerarius.* Plutarchus Camillo, προπετῶς μάχῃ χρησάμενος, *cùm temerè pugnaſſet.*

37. οὔτε ἱεροσύλους, *neque ſacrilegos*] Quia ne intraverant quidem Templum.

οὔτε βλασφημοῦντας τὴν θεὰν ὑμῶν. neque blaſphemantes Deam veſtram] Quia Dianam Epheſiam ſpeciatim non nominaverant. Ioſephus ſecundo contra Appionem, Τὰ γὰρ αὐτῶν ἡμῖν φυλάττειν πάτριόν ἐστιν, οὐ τῶν ἀλλοτρίων κατηγορεῖν, καὶ περί γε τοῦ μήτε χλευάζειν, μήτε βλασφημεῖν τοὺς νομιζομένους θεοὺς παρ᾽ ἑτέροις, ἄντικρυς ἡμῖν ὁ νομοθέτης ἀπείρηκεν [*Eſt enim nobis, noſtra ſervare, non aliena accuſare, patrium: at ridere quidem quos alii Deos putant, iisve maledicere, id verò expreſſè Legislator noſter vetuit*]. Nempe Iudæi nominatim non maledicebant huic vel illi Gentium deo, quia nomina ipſa eorum deorum non pronuntiabant. Aliud tamen vult lex, aliud Ioſephus Romanis perſuadere conatur, ut diximus III de Iure Belli ac Pacis V, 2.

38. *πρός τινα λόγον ἔχουσιν, habent adverſùs aliquem cauſam*] Nempe μομφῆς [*querelæ*]. Sic, Ἐάν τις πρός τινα ἔχῃ μομφὴν [*Si quis adverſùs aliquem habet querelam*], Coloſſ. III, 13. Sic דבר, quod propriè λόγον [*ſermonem*] ſonat, vertitur ἀντιλογία [*diſceptatio*] Exodi XVIII, 16. & κρίμα [*judicium*] Exod. XVIII, 22.

ἀγοραῖοι ἄγονται, conventus forenſes aguntur] Ἀγόραιοι ſcribendum, ſi Suidam ſequimur & Gloſſarium, ubi legimus, *Cùm lex agitatur*, ὅτε ἡ ἀγόραιός ἐστιν, [*cùm faſtus eſt*], ubi ſubaudiri ἡμέρα [*dies*] notavit Caſaubonus. *Sunt*, inquit, *dies quibus lege agitur, quos faſtos Romani vocant.*

καὶ ἀνθύπατοί εἰσιν, & Proconſules ſunt] Eſt κατάχρησις [*Abuſio*]· nam Proconſules cùm dixit, intelligit & eum qui verè Proconſul & Legatum ejus. Sic Magiſtratibus nomina data majora oſtendimus ſupra XIII, 7. & XVI, 20. de Legato Proconſulis vide L. omnes. §. apud Legatum. L. ſolent. §. Legatos, L. Legati. D. de officio Proconſulis.

ἐγκαλείτωσαν ἀλλήλοις· accuſent invicem] *Lege inter ſe agant.* Ἐγκαλεῖν propriè de accuſatore dicitur: ſed hîc valet *diſceptare*, quomodo & apud Plutarchum ſumitur Alcibiade.

39. Εἰ δέ τι περὶ ἑτέρων ἐπιζητεῖτε, *Si quid autem alterius rei quæritis*] Si quicquam deſideratis eorum, quæ ad civitatis regimen pertinent, ſub quo & templi cura comprehendebatur. Civitates multæ ſub

Romanis habebant quandam reſtrictam αὐτονομίαν [*libertatem ſuis utendi legibus*], ut ex Plinii epiſtolis videre eſt.

ἐν τῇ ἐννόμῳ ἐκκλησίᾳ ἐπιλυθήσεται. *in legitima Eccleſia poterit abſolvi*] Ἔννομος ἐκκλησία [*legitima Eccleſia*] *legitimus cœtus* eſt, qui à magiſtratu civitatis convocatur & regitur: *concio*, ut modò diximus.

40. κινδυνεύομεν ἐγκαλεῖσθαι στάσεως, *periclitamur argui ſeditionis*] *Periclitamur omnes*, qui hîc ſumus *rei fieri ſeditionis* apud Proconſulem P. Suilium.

τῆς συστροφῆς ταύτης. *concursûs iſtius*] Vtitur & Seneca hac voce hoc ſenſu. Sulpitius Victor, *Secundùm legem illam, qui cœtum & concurſum fecerit capite puniatur*. Erant exceptiones quædam, ut in adventu hoſtium, incendio & rebus ſimilibus. Ideo dicit *nullam hujus concursûs cauſam poſſe reddi.*

ἀπέλυσε τὴν ἐκκλησίαν. *dimiſit Eccleſiam*] Iuſſit quemque domum ire.

CAPVT XX.

KAὶ ἀσπασάμενος, *Et exhortatus*] Syrus transtulit, *& oſculatus*, ex more illarum gentium, Luc. VII, 45. Rom. XVI, 16. I Cor. XVI, 20. II Cor. XIII, 12. I Theſſ. V, 26.

2. εἰς τὴν Ἑλλάδα. *ad Græciam*] In illam partem ubi Athenæ. Vide Ptolemæum in Achaia.

3. Ποιήσας τε μῆνας τρεῖς, *Vbi cùm feciſſet menſes tres*] Locutio quæ ſupra XV, 33. XVIII, 21, 23.

γενομένης αὐτῷ ἐπιβουλῆς ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, *factæ ſunt illi inſidiæ à Iudæis*] Vt ſæpe evenit: ſupra IX, 23. XIII, 45. XIV, 2, 5. XVII, 5. II Cor. XI, 26. Impletum ſæpe circa Paulum id quod dicitur Pſalm. XXVII, 12, 13.

4. ἄχρι τῆς Ἀσίας, *usque in Aſiam*] Quidam & ultra: neque enim ἄχρι [*usque*] excludit ulteriora. Similia vide Matth. I, 25.

Σώπατρος Βεροιαῖος. *Sopater Beræenſis*] Idem nomen eſt Σώπατρος [*Sopater*] & Σωσίπατρος [*Soſipater*]. Ac fuere hoc nomine etiam Hiſtorici, Rhetores, Grammatici. In Manuſcripto illo vetere, ut in multis aliis, eſt hîc Σώπατρος Πύῤῥου Βεροιαῖος [*Sopater Pyrrhi Beræenſis*]. *Pyrrhus* nomen eſt frequens in Theſſalia & vicinis regionibus. Σώπατρος [*Sopater*] eſt אבישע [*Pater ſalutem adferens*] ut dicemus ad Rom. XVI, 21. Berœa urbs Macedoniæ eſt, de qua ſupra XVII, 10, 13.

Θεσσαλονικέων δὲ Ἀρίσταρχος, *Theſſalonicenſium verò Ariſtarchus.*] De quo ſupra XIX, 29. Hos duos tantùm Theſſalonicenſes fuiſſe putat Syrus: mihi videtur hoc ad quatuor quæ ſequuntur nomina pertinere. Vide quæ ſupra XIX, 29.

καὶ Γάϊος Δερβαῖος, *& Cajus Derbæus*,] Qui origine Derbæus, natus in Macedonia.

καὶ Τιμόθεος, *& Timotheus*] Hic Theſſalonicenſibus accenſetur, quia majores ejus ex Iudæis erant, qui Theſſalonicæ quondam vixerant. Vide quæ diximus in Appendice de Antichriſto.

5. Ἀσιανοὶ δὲ, *Aſiani verò*] Id eſt, ex Epheſo, ut infra de Trophimo dicitur, & de Tychico colligitur. II Timoth. IV, 12.

Τυχικὸς, *Tychicus*] Qui nominatur non tantùm dicto ad Timotheum loco, ſed & Epheſ. VI, 21. Tit. III, 12. Coloſſ. IV, 7.

καὶ Τρόφιμος. *& Trophimus*] Hujus mentio infra XXI, 28. & II Timoth. IV, 20.

ἔμενον ἡμᾶς, *ſuſtinuerunt nos*] Hîc obiter Lucas ſignificat, quod non exprimit, ſe Paulo comitem fuiſſe hujus itineris & ſequentium Romam usque.

ἐν Τρωάδι. *Troade*] Dubitari interdum poteſt, ſitne nomen regionis an urbis: nam Τρωὰς [*Troas*] etiam urbs, Plinio teſte. Ἐν Τρωάδι [*Troade*] ut ἐν Ἐφέσῳ [*Epheſi*] Epheſ. I, 1. I Timoth. I, 3. II Timoth. I, 18. ἐν Κορίνθῳ [*Corinthi*] ſupra XIX, 1. I Cor. I, 2. II Cor. I, 1. II Tim. IV, 20.

6. ἐξεπλεύσαμεν, *navigavimus*] Amne primùm, deinde mari.

μετὰ τὰς ἡμέρας τῶν Ἀζύμων, *poſt dies Azymorum*] Paulus vocatorum ex Gentibus libertatem tuebatur: Ipſe tamen dies Iudæorum feſtos obſervabat. Vide ſupra XVIII, 21. infra 16. I Cor. XVI, 8.

ἀπὸ Φιλίππων. *à Philippis*] De qua urbe ſupra XVI, 12.

ἄχρις ἡμερῶν. πέντε, *in diebus quinque*] Subauditur πλεύσαντες [*navigantes*], ex eo quod præceſſit ἐξεπλεύσαμεν [*enavigavimus*]: ita ſæpe conſtructio magis fit ad ſenſum quàm ad verba.

οὗ, *ubi*] *In qua urbe*, nempe Troade,

7. Ἐν δὲ τῇ μιᾷ τῶν σαββάτων, *Vnâ autem Sabbati*] Vide Matth. XXVIII, 1. Is dies conventûs Chriſtianis proprius I Cor. XVI, 2. dies κυριακὴ [*Dominica*], Apoc. I, 10. Iuſtinus de eadem die Apologetico II. Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται [*Solis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit*].

συνηγμένων τῶν μαθητῶν τοῦ κλάσαι ἄρτον, *cùm conveniſſent diſcipuli ad frangendum panem*] *Euchariſtiam*, Syrus. Intellige *agapas*, quæ *Euchariſtiâ* claudebantur. In Manuſcripto συνηγμένων ἡμῶν [*cùm conveniſſemus*], & mox, οὗ ἦμεν συνηγμένοι, [*ubi eramus congregati*], non malè.

ὁ Παῦλος διελέγετο αὐτοῖς, *Paulus diſputabat cum eis*] Poſt cœnam, ut Chriſtus Ioh. XIII, 31. & ſequentibus. Marci XVI, 14. Luc. XXII, 33.

μέλλων ἐξιέναι τῇ ἐπαύριον· *profecturus in craſtinum*] *Poſtridie exiturus ex urbe Troade.*

8. ἐν τῷ ὑπερῴῳ, *in cœnaculo*] In quo erat conventus: ut ſupra I, 13.

9. ὀνόματι Εὔτυχος, *nomine Eutychus*] Rectiùs & ἀναλογικώτερον [*regularius*] ſcriberetur Εὐτυχής [*Eutyches*]· id enim nomen non rarum in Græcia.

ἀπὸ τοῦ τριστέγου, *de tertio cœnaculo*] Τρίστεγον vocat *tertiam contignationem* incipiendo ab imo. Contra in Geneſi à ſummo incipitur & imum vocatur τρίστεγον, ut diximus VI, 16.

10. ἐπέπεσεν αὐτῷ, *incubuit ſuper eum*] Sicut de Eliſæo dicitur II Reg. IV, 34. συνέκαμψεν ἐπὶ τὸ παιδάριον [*incubuit ſuper puerum*]. ubi alii interpretes ἐνεγύρισεν [*curvatus incubuit*].

ἡ γὰρ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν αὐτῷ ἐστιν. *anima enim ipſius in ipſo eſt*] Id eſt, *jam nunc cùm loquor vita ei rediit.*

11. καὶ γευσάμενος, *& guſtans*] Vide ſupra X, 10. Hic erat cibus matutinus.

13. *ἀνήχθημεν, navigavimus*] Vide ſupra XVIII, 21.

πεζεύειν. per terram iter facere] *Pedare*, ut loquebantur veteres Latini: *peditare*, ut Gloſſarium.

14. *εἰς τὴν Ἆσσον, in Aſſon*] Vrbem Troadis, Strabo XIII. Huc Troade urbe tam terrâ quàm mari breve erat iter.

εἰς Μιτυλήνην. Mitylenen] Lesbi inſulæ urbem præcipuam, unde Pittacus, Alcæus, Sappho.

15. *ἀντικρὺ Χίου· contra Chium*] Nota eſt inſula inter Lesbum & Samum.

εἰς Σάμον· Samum] Ioniæ: nam eſt altera ejus nominis inſula in Ambracio ſinu, & alia apud Thraciam.

καὶ μείναντες ἐν Τρωγυλλίῳ, & cùm diverſati eſſemus apud Trogyllium] Quod Ioniæ eſt promontorium, non longè à Samo. Teſtes Strabo & Ptolemæus.

εἰς Μίλητον. Miletum] Ioniæ urbem, unde Thales, Anaximander, & alii. Hinc *Mileſiaca*, de amoribus ſcripta.

16. *χρονοτριβῆσαι, mora fieret*] Vtitur hoc verbo Ariſtoteles. Hebræi dicerent התמהמה [*cunctari*].

17. *Ἀπὸ δὲ τῆς Μιλήτου πέμψας εἰς Ἔφεσον, A Mileto autem mittens Epheſum*] Non ita longè diſtant hæ urbes, ut ex Ptolemæo apparet.

μετεκαλέσατο, vocavit] *Ad ſe vocavit*. Sic ſupra VII, 14. X, 32. XXIV, 25.

τοὺς πρεσβυτέρους τῆς ἐκκλησίας. Majores natu Eccleſiæ] זקנים [*Seniores*]. Vide ſupra XI, 30. XIV, 23. XV, 4, 6, 22, 23. XVI, 4. Vocantur iidem & ἐπίσκοποι [*Epiſcopi*], nempe quia *inſpectores* erant *gregis*, ut infra dicitur 28. Sed is qui princeps erat, excellenter vocabatur ὁ ἐπίσκοπος [*Epiſcopus*], cui reſpondebat Summus Sacerdos in Templo, in Synagoga verò Archiſynagogus. Hic eſt Angelus Epheſi in Apocalypſi, quia Dei nomine verba faciebat ad populum, & pro populo ad Deum. Videtur autem hoc tempore Epheſini presbyterii princeps fuiſſe Timotheus, & cum Compresbyteris veniſſe ad Paulum.

18. *εἶπεν αὐτοῖς· dixit eis*] Eſt hîc egregia forma, quâ uti poſſit bonus Epiſcopus ex cauſis neceſſariis valedicens Eccleſiæ ſuæ.

πῶς μεθ' ὑμῶν πάντα χρόνον ἐγενόμην· qualiter vobiſcum per omne tempus fuerim] Id eſt, *quomodo me erga vos geſſerim*. Pari ferè modo habes ἐγενήθημεν [*fuimus*] I Theſſ. II, 5. & 10. ſic *γίνομαί σοι διʼ ἔχθρας* [*ſum tibi hoſtis*] apud Thucydidem.

19. *Μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης, Cum omni humilitate*] Apoſtoli in tanto vocationis culmine poſiti nihil tamen grande præ ſe ferebant, ſed cum minimis etiam æquabiliter verſabantur. Ne hoc quidem de ſe prædicaſſet Paulus niſi ſucceſſoribus formam vitæ relinquere debuiſſet.

20. *Ὡς οὐδὲν ὑπεστειλάμην τῶν συμφερόντων Quomodo nihil ſubtraxerim vobis utilium*] Nihil eorum quæ ad vitam æternam parandam credi, ſperari, fieri debent. ὑποστέλλειν hîc & infra 27. eſt *ſubducere*: ponitur ea vox Græca pro Hebræo נשא & pro עפל.

τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν, quò minùs annuntiarem vobis] *Ne id vobis annuntiarem*. De hac locutione diximus aliquoties.

καὶ διδάξαι ὑμᾶς δημοσίᾳ, & docerem vos publicè] *In conventu*. Supra XVIII, 29.

καὶ κατ' οἴκους· & per domos] Singulos occaſione data.

21. *Διαμαρτυρόμενος Ἰουδαίοις τε καὶ Ἕλλησι τὴν εἰς τὸν Θεὸν μετάνοιαν, Teſtificans Iudæis atque Gentibus in Deum pœnitentiam*] Διαμαρτύρεσθαι [*teſtificari*] ſupra habuimus, modò ſine adjuncto, modò infinitivo, aut ὅτι [*quòd*] ſubſequente. Hîc cum accuſativo, ut & mox 24. & XXIII, 11. & XXVIII, 23. & Exod. XVIII, 20. Ezech. XVI, 2. XX, 4. ubi in Hebræo הודיע [*notum facere*]. Senſus eſt, *Certò affirmavit illis eſſe locum pœnitentiæ*, (id eſt, pœnitentiam non fore inutilem. Sic διδόναι μετάνοιαν [*pœnitentiam dare*] XI, 18.) *& fidem in Chriſtum eſſe veram ac ſalutarem*.

22. *δεδεμένος τῷ πνεύματι, alligatus Spiritu*] *Spiritu vincula præſentiens*. Nam quæ futura ſunt, ea Prophetis tanquam præſentia menti obverſantur. Id in ſequentibus fuſiùs explicat.

τὰ ἐν αὐτῇ συναντήσοντά μοι μὴ εἰδώς· quæ in ea ventura ſint mihi ignorans] Quæ cauſa, qui modus, quis exitus futurus ſit vinculorum, adhuc me latet. τὰ συναντήσοντά μοι, מה יפגע לי. [*quæ eventura ſunt mihi*], nam פגע *evenire* Ruth. I, 16.

24. *Ἀλλ' οὐδενὸς λόγον ποιοῦμαι, Sed nihil horum vereor*] Non tanti ſunt mihi iſta mala, ut ea me ab Euangelii prædicatione deterreant.

οὐδὲ ἔχω τὴν ψυχήν μου τιμίαν ἐμαυτῷ, nec facio animam meam pretioſiorem quàm me] Subauditur hîc οὕτως [*tam*], cui reſpondet quod ſequitur ὡς [*quàm*]. Tantum abeſt vincula metuam, ne mortem quidem defugio. Hebræis *pretioſam habere vitam* dicitur qui ei parcit, II Regum I, 13, 14. Contra *nullo pretio habere* qui non parcit, Ezech. XXXVI, 5.

ὡς τελειῶσαι τὸν δρόμον μου, dummodo conſummem curſum meum] *Non tam vitam curo, quàm complere curſum*. Curſus laborem magnum & aſſiduum ſignificat ſupra XIII, 25. I Cor. IX, 24. τελεῖν τὸν δρόμον [*curſum conſummare*] habes & II Tim. IV, 7.

μετὰ χαρᾶς, cum gaudio] Sæpe Paulus hoc nomine appellat *animi ex bona conſcientia tranquillitatem*, ut Rom. XV, 13. II Cor. VII, 4. I Theſſ. V, 16. & alibi.

καὶ τὴν διακονίαν ἣν ἔλαβον, & miniſterium quod accepi] Vide ſupra I, 17, 25. VI, 4.

τὸ εὐαγγέλιον τῆς χάριτος τοῦ Θεοῦ. Euangelium gratiæ Dei] Vide ſupra XIV, 3.

25. *ὅτι οὐκέτι ὄψεσθε τὸ πρόσωπόν μου, quia ampliùs non videbitis faciem meam*] Quaſi diceret,

--- *Extremum fato quod te alloquor, hoc eſt.*

ὑμεῖς πάντες, vos omnes] *Vos omnes Aſiatici*. Hebraïſmus. *Non videbitis vos omnes*, id eſt, nemo veſtrûm.

ἐν οἷς διῆλθον κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. per quos transivi prædicans regnum Dei] Vide ſupra VIII, 12.

26. *μαρτύρομαι ὑμῖν, teſtor vobis*] Id eſt, *coram vobis teſtificor*. Sic Gal. V, 3. Μαρτύρομαι δὲ πάλιν παντὶ ἀνθρώπῳ περιτεμνομένῳ [*Teſtificor autem rurſus omni homini circumcidenti ſe*].

ὅτι καθαρὸς ἐγὼ ἀπὸ τοῦ αἵματος πάντων. quia mundus ſum à ſanguine omnium] Vide ſupra XVIII, 6. & Matth. XXVII, 24. & ibi dicta.

27. Οὐ γὰρ ὑπεστειλάμην τοῦ μὴ ἀναγγεῖλαι ὑμῖν, *Non enim ſubterfugi quò minùs annuntiarem vobis*] Subauditur τὶ [*quid*]. Vide ſupra 20.

πᾶσαν τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ. *omne conſilium Dei*] *Voluntatis* nomine μετωνυμικῶς [*per Transnominationem*] hîc ſignificat omne id quod à ſingulis præſtari vult Deus, ut ad ſalutem perveniatur. Vſus non diſſimilis Lucæ VII, 30. Idem hîc vocat τὴν βουλὴν τοῦ Θεοῦ [*conſilium Dei*] quod modò τὰ συμφέροντα [*utilia*].

28. Προσέχετε οὖν ἑαυτοῖς καὶ παντὶ τῷ ποιμνίῳ, *Attendite vobis & univerſo gregi*] Non poteſt gregi attendere qui non ſibi attenderit.

ἐν ᾧ ὑμᾶς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔθετο ἐπισκόπους, *in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*] Explicat nomen muneris, quod erat פרנסים [*Paſtores*]; nam paſtores ſunt ἐπίσκοποι ποιμνίου, פקידי עדר [*inſpectores gregis*]. Dicit autem eos *conſtitutos à Spiritu Sancto*, quia conſtituti erant ab Apoſtolis plenis Spiritu Sancto, quanquam approbante plebe. Vide ſupra XIV, 23.

ποιμαίνειν, *paſcere*] Breviloquium frequens Hebræis pro εἰς τὸ ποιμαίνειν [*ad paſcendum*].

τὴν ἐκκλησίαν τοῦ Θεοῦ, *Eccleſiam Dei*] Manuſcriptus ille habet τοῦ Κυρίου [*Domini*], ut & multi alii. Et Syrus ſic legit qui vertit *Chriſti*. Facilis lapſus compendioſæ ſcriptionis θῦ pro χῦ. Apoſtoli plerunque Chriſtum κύριον [*Dominum*] vocant, Patrem verò *Deum*.

ἣν περιεποιήσατο, *quam acquiſivit*] *Fecit ut exiſteret*, qui juſtiſſimus acquirendi modus. Vide Epheſ. I, 14.

διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος. *ſuo ſanguine*] Nam per mortem cruentam Chriſtus illam poteſtatem colligendæ ſibi Eccleſiæ adeptus eſt, ſecundùm vaticinium Eſaiæ LIII, 10.

29. μετὰ τὴν ἄφιξίν μου, *poſt diſceſſionem meam*] *Poſt meam profectionem*. ἄφιξις, *profectio*, in Gloſſario.

λύκοι βαρεῖς, *lupi graves*] *Lupi veſpertini*, Ierem. V, 6. Abac. I, 8. Sophon. III, 3. Βαρεῖς [*graves*] hîc idem valet quod חדי [*acuti*] dicto Abacuci loco, ubi LXX ὀξύτεροι ὑπὲρ τοὺς λύκους [*lupis acutiores*]. Vult dicere *rapaces*. Perſecutio hîc indicatur illa ſub Nerone. Ob hanc laudatur Epheſiorum perſeverantia, Apocal. II, 2.

μὴ φειδόμενοι τοῦ ποιμνίου· *non parcentes gregi*] *Qui nulla ducentur gregis commiſeratione*. Ita חוס & Græcè φείδεσθαι ſumitur, Deuter. VII, 16. XIII, 8. XIX, 13, 21. Dicit ſimpliciùs quod figuratè Sophonias, *Non rodent oſſa usque ad mane*.

30. Καὶ ἐξ ὑμῶν αὐτῶν ἀναστήσονται ἄνδρες, *Et ex vobis ipſis exſurgent viri*] Nicolaitæ, Apoc. II, 6.

λαλοῦντες διεστραμμένα, *loquentes perverſa*] *Docentes ea quæ à recto deflectunt*. Sic διαστρέφειν ſumitur Lucæ XXIII, 2. ſupra XIII, 8, 10: Sic γενεὰ διεστραμμένη [*generatio perverſa*], Matth. XVII, 17. Lucæ IX, 41. Philipp. II, 15. Dogma Nicolaitarum erat, Matrimonium inſtitutum eſſe merè humanum, & tale quod conſcientias non obligaret: Immolatitiis ſine diſtinctione licere veſci. Vide Irenæum I, 27: Tertullianum De præſcriptione adverſùs Hæreticos: Clementem Alexandrinum Strom. II, & III, qui Nicolai Diaconi verba in pravum ab eis ait detorta: Epiphanium Hæreſi 25: Theodoretum lib. III.

τοῦ ἀποσπᾶν τοὺς μαθητὰς ὀπίσω αὐτῶν. *ut abducant diſcipulos poſt ſe*] Subauditur ἕνεκα [*eum in finem*]. Ideo docent carni placentia, ut eos quos Eccleſiæ diſciplina offendit, ab Eccleſia abductos ſibi faciant ſectatores. Ὀπίσω [*poſt*] eſt vox propria diſcipulis. Matth. IV, 19. X, 38. XVI, 24. Marci VIII, 34. Lucæ IX, 23. XIV, 27. XXI, 8. ſupra V, 37.

31. Διὸ γρηγορεῖτε, *Propter quod vigilate*] Cavete vobis & facite ut & alii eos caveant. Non excidit illis hoc monitum, Apoc. II, 5.

τριετίαν, *per triennium*] Vide ſupra XIX, 10, ubi *biennii* mentio. Cum eo biennio conjungendum tempus prioris adventûs Paulini Epheſum XVIII, 19. & annus ille unus interpretandus *pars anni*.

32. παρατίθεμαι, *commendo*] הפקדתי.

τῷ Θεῷ καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, *Deo & verbo gratiæ ipſius*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Senſus enim eſt, *Commendo vos Deo per ſermonem bonitatis ejus*. Itaque ad Deum oratio redibit, planè quaſi illa καὶ τῷ λόγῳ τῆς χάριτος αὐτοῦ, [*& verbo gratiæ ipſius*] interjecta non fuiſſent.

τῷ δυναμένῳ ἐποικοδομῆσαι, *qui potens eſt ædificare*] Supple *vos*, quod addit hîc Syrus. *Ædificare* eſt efficere ut in fide creſcant, ſicut domus quæ paulatim ſurgit: Epheſ. II, 20. Coloſſ. II, 7. Iudæ 20.

καὶ δοῦναι ὑμῖν κληρονομίαν, *& dare vobis hereditatem*] Sic vocatur vita æterna, quia firma eſt ejus poſſeſſio, ut rerum ſoli apud Hebræos. Vide ad Epheſ. I, 14, 18.

ἐν τοῖς ἡγιασμένοις πᾶσιν. *in ſanctificatis omnibus*] Ἐν [*in* cum ablativo] hîc, ut ſæpe apud Hebræos ב valet *inter*. *In ſocietate omnium qui ad ſanctitatem pervenére.*

33. Ἀργυρίου ἢ χρυσίου ἢ ἱματισμοῦ οὐδενὸς ἐπεθύμησα. *Argentum aut aurum aut veſtem nullius concupivi*] Præclarior de ſe prædicatio, quàm illa Samuelis I Sam. XII, 5. Samuel teſtificabatur nihil ſe judicandi causâ accepiſſe. Paulus nec laboris in docendo aſſidui repenſationem ullam accipere voluerat.

34. ταῖς χρείαις μου καὶ τοῖς οὖσι μετ᾽ ἐμοῦ ὑπηρέτησαν αἱ χεῖρες αὗται. *ad ea quæ mihi opus erant & iis qui mecum ſunt miniſtraverunt manus iſtæ*] Vt ſupra XVIII, 3. & II Theſſ. III, 8. Adde I Cor. IV, 12. I Theſſal. II, 9. Idem loquendi genus apud Xenophontem, αἱ χεῖρες ἑκάστῳ ὑπηρετοῦσι [*manus unicuique miniſtrant*].

35. Πάντα ὑπέδειξα ὑμῖν, *Omnia oſtendi vobis*] Id eſt, πάντως [*in omnibus*]. Obſervaverunt alii par loquendi genus I Cor. IX, 25. X, 33. Epheſ. IV, 15.

οὕτω κοπιῶντας, *ſic laborantes*] Etiam cum moleſtia aliqua. Sic κοπιῶμεν [*laboramus*] uſurpat idem Paulus in eadem hac re, I Cor. IV, 12. Reſpondet Hebræis vocibus חלה [*infirmus fuit*] & יגע [*defatigatus fuit*] & לאה [*laboravit*] & aliis moleſtiæ ſignificationem habentibus.

δεῖ ἀντιλαμβάνεσθαι τῶν ἀσθενούντων, *oportet ſuſcipere infirmos*] *Infirmos ſuſtentandos*, ne cadant ſcilicet. *Infirmos* vocat qui ſuſpicari poterant Paulum commodi ſui causâ comminiſci doctrinam Euangelii. Omnes tales anſas præcidere Paulus voluit.

ὅτι αὐτὸς εἶπε· Μακάριόν ἐστι διδόναι μᾶλλον ἢ λαμβάνειν. *quoniam ipſe dixit, Beatius eſt magis dare quàm accipere*] Hoc eſt inter illa quæ Paulus didicerat non ex ſcripto, ſed relatu eorum qui Dominum noverant. Non diſſimile dictum Ariſtotelis Nicom. III, Τῆς ἀρετῆς μᾶλλον τὸ εὖ ποιεῖν ἢ τὸ εὖ πάσχειν [*Virtutis magis dare beneficium eſt quàm accipere*]· & Salluſtii in Catilinario, *Magis dandis quàm accipiendis beneficiis amicitias parabant:* & in Iugurthino de Sulla, *Multis rogantibus aliis per ſe ipſa dare beneficia, invitus accipere.* Plutarchus ex Epicuro, εὖ ποιεῖν ἥδιόν ἐστι τοῦ πάσχειν [*dare beneficium jucundius eſt quàm accipere*].

36. θεὶς τὰ γόνατα αὐτοῦ, *poſitis genibus ſuis*] Vt in triſti tempore. Vide quæ diximus ad Matth. VI, 5. Nondum ergo introductus erat mos genua non flectendi intra Paſcha & Pentecoſten: nam quæ hîc narrantur, in id tempus inciderunt. Vide ſupra XX, 16.

37. καὶ ἐπιπεσόντες ἐπὶ τὸν τράχηλον τοῦ Παύλου, *& procumbentes ſuper collum Pauli*] Hunc morem habes Gen. XLV, 14. XLVI, 30.

κατεφίλουν αὐτόν· *oſculabantur eum*] Vide ſupra I.

38. προέπεμπον δὲ αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον. *deducebant eum ad navem*] *Proſecuti eum ſunt ad navem uſque.* Vide ſupra XV, 3. Talem προπομπὴν [*deductionem*] deſcribit Ovidius,

Terra tibi, nobis adſpiciuntur aquæ.

Et,

Iamque ratem terris dimiſit fune ſoluto
Navita, & anguſtum dejecit in æquora pontem;
Sævus ubi à puppi longo clamore Magiſter
Diſſipat amplexus, atque oſcula fida revellit,
Nec longum chara licet in cervice morari.

CAPVT XXI.

Ἀναχθῆναι ἡμᾶς, *Vt navigaremus*] Sume ut ſupra XIII, 13. XVI, 11. XVIII, 21. XX, 3, 13.

ἀποσπασθέντας ἀπ' αὐτῶν, *abſtracti ab eis*] Quaſi vi avulſi. Significanter exprimit affectus mutuos.

εὐθυδρομήσαντες, *recto curſu*] *Vento ſecundo,* ut ſupra XVI, 11.

εἰς τὴν Κῶν, *Coum*] *Con* dixit Ariſtoteles: *Coon* Plinius. Priores illas duas deſinentias agnoſcit Stephanus: Lucas eam prætulit quam & ſupra habuimus XIX, 1. Inſula eſt inter Cycladas celeberrima tum Æſculapii cultu tum Iunonis æde, de qua ſcriptum Theodori librum memorat Vitruvius.

τῇ δὲ ἑξῆς εἰς τὴν Ῥόδον, *& ſequenti die Rhodum*] Solis cultu & Coloſſo nobilem.

2. διαπερῶν εἰς Φοινίκην, *transfretantem in Phœnicem*] Nempe Tyrum, ut mox dicet.

3. Ἀναφανέντες δὲ τὴν Κύπρον, *Cùm apparuiſſemus autem Cypro*] Eſt vox nautica, *Cùm detexiſſemus Cyprum.* Etiam nunc ſic loquuntur nautæ cùm volunt dicere aliquem locum priùs latentem ſibi in conſpectum veniſſe.

καὶ καταλιπόντες αὐτὴν εὐώνυμον, *relinquentes eam ad ſiniſtram*] Similis locutio,

— At illi læva jacebat
Bellua.

ἐκεῖ γὰρ ἦν τὸ πλοῖον ἀποφορτιζόμενον τὸν γόμον. *ibi enim navis expoſitura erat onus*] Præſens pro futuro. *Ibi navis exponere debebat onus* Epheſi receptum.

4. ἔλεγον διὰ τοῦ πνεύματος, μὴ ἀναβαίνειν εἰς Ἱερουσαλήμ. *dicebant per Spiritum, ne adſcenderet Hieroſolymam*] Brevis locutio, ſubintelligendum enim, *niſi vinciri vellet.* Eadem illi prædicebant, quæ mox Agabus.

5. Ὅτε δὲ ἐγένετο ἡμᾶς ἐξαρτίσαι τὰς ἡμέρας, *Et expletis diebus*] Ἐξαρτίσαι, id eſt, πληρῶσαι, מלא [*explere*].

προπεμπόντων ἡμᾶς πάντων, *deducentibus nos omnibus*] Vt ſupra XV, 3. XX, 38.

καὶ θέντες τὰ γόνατα ἐπὶ τὸν αἰγιαλὸν, *& poſitis genibus in littore*] Ex occaſione quidem itineris à Paulo ſuſcepti, ſed ſimul congruenter mori Iudæorum. Tertullianus de Iejuniis, *Iudaïcum certè jejunium ubique celebratur, cùm omiſſis templis, per omne littus, quocunque in aperto aliquando jam preces ad cælum mittant.* Idem adverſùs Nationes I, *Iudæi enim feſti, ſabbata & cœna pura, & Iudaici ritus lucernarum, & jejunia cum azymis, & orationes littorales.* Philo adverſùs Flaccum, Πάννυχοι δὲ διατελέσαντες ἐν ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς ἅμα τῇ ἕῳ διὰ πυλῶν ἐκχυθέντες, ἐπὶ τοὺς πλησίον αἰγιαλοὺς ἀφικνοῦνται [*Atque ita nocte totâ exactâ in hymnis & canticis, ſummo manè portis ſe in proxima littora effundunt*]. Vide quæ ſupra XVI, 13.

6. Καὶ ἀσπασάμενοι ἀλλήλους, *Et cùm valefeciſſemus invicem*] Vt ſupra XX, 1. In Manuſcripto eſt, προσευξάμενοι ἀπησπασάμεθα ἀλλήλους [*precati valediximus invicem*].

εἰς τὰ ἴδια. *in ſua*] Vide quæ diximus ad Lucæ II, 49.

7. κατηντήσαμεν εἰς Πτολεμαΐδα. *pervenimus Ptolemaïdem*] Vrbem Phœnices, quam Plinius dicit olim *Acen* dictam, id eſt עכו [*Aco*] Iud. I, 31. In Manuſcripto, κατέβημεν εἰς Πτολεμαΐδα [*deſcendimus Ptolemaïdem*].

8. εἰς Καισάρειαν· *Cæſaream*] *Stratonis*, quæ in Iudæa, ſive Syria Palæſtina. Vide Ptolemæum.

Φιλίππου τοῦ εὐαγγελιστοῦ, τοῦ ὄντος ἐκ τῶν ἑπτὰ, *Philippi Euangeliſtæ qui erat de ſeptem*] Id eſt, qui cùm olim de numero VII Diaconorum fuiſſet, factus erat Presbyter περιοδευτὴς [*circumiens*], nulli certæ Eccleſiæ affixus: quales *Euangeliſtæ* vocabantur Eph. IV, 11. II Tim. IV, 5. Id eſt מבשרים [*Euangelizantes*] Eſaiæ XL, 9. LII, 7. Ita ſolebant promotiones fieri κατὰ βαθμὸν [*per gradus*], I Timoth. III, 13.

9. θυγατέρες παρθένοι, *filiæ virgines*] Ex propoſito & ſuo & Patris, ut credibile eſt. Vide quæ dicta ad Lucæ II, 37. Matth. XIX, 12. adde I Cor. VII, 37.

προφητεύουσαι. *prophetantes*] Vide hîc impletum id quod habuimus ſupra II, 18. ἐπὶ τὰς δούλας μου [*ſuper ancillas meas*].

10. ὀνόματι Ἄγαβος. *nomine Agabus*] Is de quo ſupra XI, 28.

11. καὶ ἄρας τὴν ζώνην τοῦ Παύλου, *tulit zonam Pauli*] Notus Prophetarum mos, ipſis etiam rebus conſpicuis futura præſignandi. Sic zonam ſuam defodere juſſus Ieremias XIII. Imitati id & falſi prophetæ, ut apparet Ieremiæ XXXVIII, Dionyſius Thrax, Ἐσήμαινον γοῦν οὐ διὰ λέξεως μόνον, ἀλλὰ καὶ διὰ συμβόλων [*Futurum quippe portendebant non verbis ſolùm, verùm etiam ſignis*].

δήσας τε αὐτοῦ τὰς χεῖρας καὶ τοὺς πόδας, *& alligans ſibi pedes & manus*] Sic Chriſtus Petro dixerat, ἄλλος σε ζώσει [*alius te cinget*] Iohan. xxi, 18.

καὶ παραδώσουσιν εἰς χεῖρας ἐθνῶν. *& tradent in manus Gentium*] Ita diſcipulo eventurum erat quod olim Magiſtro, Matth. xx, 19.

12. καὶ οἱ ἐντόπιοι, *& qui illius loci erant*] Cæſareenſes Chriſtiani, humano ducti affectu.

13. καὶ συνθρύπτοντές μου τὴν καρδίαν; *& affligentes cor meum?*] *Frangentes animum*, nempe quantum in ipſis erat: verba enim interdum intelliguntur etiam ſine effectu. Eſt locutio eadem Num. xxxii, 9. יניאו את־לב, *fregerunt cor*, ubi LXX ἀπέστησαν τὴν καρδίαν [*ſubverterunt cor*]. Paulò ante, ubi idem verbum eſt, διαστρέφετε τὰς διανοίας [*ſubvertitis mentes*].

ἑτοίμως ἔχω, *paratus ſum*] Eadem locutio II Cor. xii, 14. I Pet. iv, 5. & Dan. iii, 18.

14. εἰπόντες· Τὸ θέλημα τοῦ Κυρίου γενέσθω. *dicentes, Domini voluntas fiat*] Et hoc ad exemplum Magiſtri, Matth. xxvi, [illegible].

15. ἐπισκευασάμενοι, *præparati*] Sic & Manuſcriptus, non ἀποσκευασάμενοι [*ſarcinas amoliti*], quod hîc locum non habet. ἐπισκευάζεσθαι hîc eſt *ſarcinas jumentis imponere*. Vtuntur ſic Xenophon & Ariſtoteles.

16. Συνῆλθον δὲ καὶ τῶν μαθητῶν, *Venerunt autem & ex diſcipulis*] Nempe τινὲς [*quidam*], ut Matth. xxiii, 34. & alibi.

ἄγοντες παρ᾽ ᾧ ξενισθῶμεν, *adducentes ſecum apud quem hoſpitaremur*] Brevis locutio pro ἄγοντες ἡμᾶς πρός τινα παρ᾽ ᾧ ξενισθῶμεν, *ducentes* (id eſt *ducturi*, præſens pro futuro) *nos ad eum apud quem diverteremur*. Nam Mnaſon ille ex Cypro videtur habitatum iviſſe Hieroſolyma. Ei nomen Hebræum fuerit יזכר [*jiſachar*].

ἀρχαίῳ μαθητῇ. *antiquum diſcipulum*] Ex eo tempore quo Paulus & Barnabas in Cypro fuerant, ſupra xiii, 4.

18. πρὸς Ἰάκωβον. *ad Iacobum*] Abſente Petro, primum Apoſtolici cœtûs.

οἱ πρεσβύτεροι. *Seniores*] Vt ſupra xv, 6. qui Apoſtolorum Hieroſolymis erat, is munere fungebatur quo poſtea Epiſcopi, ideoque Presbyteros convocabat: niſi fortè Iacobus hic fuit frater Domini, non Apoſtolus, ſed Epiſcopus.

19. διὰ τῆς διακονίας αὐτοῦ. *per miniſterium ejus*] Vide ſupra xx, 24. & ibi notata.

20. πόσαι μυριάδες εἰσὶν Ἰουδαίων, *quot millia ſunt in Iudæis*] Vide quo modo auctum fuerit granum illud ſinapis intra annos xxv.

καὶ πάντες ζηλωταὶ τοῦ νόμου ὑπάρχουσι. *& omnes æmulatores ſunt Legis*] *Magno ſtudio tenentur ſervandæ Legis*, etiam de ſacrificiis, de cibis vetitis, aliiſque rebus ejuſmodi. Nec id mirum: nam decretum quod fecerant Apoſtoli, tantùm ex gentibus vocatos tangebat. Neque dum Paulus quicquam Iudæos ea de re docere cœperat: quod fecit aliquantò ſeriùs, & quidem extra Iudæam. Nam intra Iudæam qui erant Iudæi χριστιανίζοντες [*Chriſtianam Religionem amplexi*], hi ante diſſperſionem illam quæ per Adrianum evenit, libertatem ab Legis onere non percepére, ut intelligimus ex Euſebio & Severo Sulpicio circa illa tempora. Et ad tales ſcripta eſt epiſtola ad Hebræos.

21. Κατηχήθησαν δὲ περὶ σοῦ, *Audierunt autem de te*] *De te hoc intellexerunt*, nempe ſermone & literis illorum in Aſia Iudæorum qui tot moleſtias Paulo exhibuerant.

ὅτι ἀποστασίαν διδάσκεις ἀπὸ Μωσέως τοὺς κατὰ τὰ ἔθνη πάντας Ἰουδαίους, *quia diſceſſionem doceas à Moyſe eorum qui per Gentes ſunt Iudæorum*] Iudæos qui erant ἐν διασποραῖς [*in diſperſionibus*]. Ἀποστασία, סרה [*defectio*] Ierem. xxix, 32. *defectio à Lege* I Maccab. ii, 15.

λέγων μὴ περιτέμνειν αὐτοὺς τὰ τέκνα, *dicens non debere eos circumcidere filios ſuos*] Id eſt, *ſuadens eis ne liberos circumcidant* : quod antiquiſſimum erat præceptum, omnes Abrahami poſteros obſtringens.

μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν. *neque ſecundùm conſuetudinem ingredi*] Ἔθη [*conſuetudo*] hîc ſunt חקות *præcepta ritualia* : & περιπατεῖν [*ingredi*] reſpondet Hebræo הלך, ut Prov. viii, 20, & alibi. Pro eo mox habebimus στοιχεῖν [*ambulare*].

22. πάντως δεῖ πλῆθος συνελθεῖν· *utique oportet convenire multitudinem*] In rebus majoribus, præcipuè ex quibus ſchiſma metuebatur, Apoſtoli & ſucceſſores eorum Epiſcopi, non Presbyterorum tantùm utebantur conſilio, ſed & plebem advocabant, ut vidimus ſupra xv, 23, 30. Vide Epiſtolam Cypriani xxxiii, xxxiv, xxxv, xl.

23. εὐχὴν ἔχοντες ἐφ᾽ ἑαυτῶν. *votum habentes ſuper ſe*] Id ita dicitur, quia votum eſt velut onus quoddam, ut ad Num. vi, diximus. Votum intellige magnum, id eſt, Nazaræatûs.

24. ἁγνίσθητι σὺν αὐτοῖς, *ſanctifica te cum illis*] Ἁγνίζεσθαι in verſione LXX, dicto loco Num. vi, verbo נזר, & ἁγνισμὸς nomini נזר reſpondet : ſignificat autem *abſtinere à vino, rebuſque aliis quæ interdictæ ſunt Nazaræis*. Sic & infra xxiv, 18.

καὶ δαπάνησον ἐπ᾽ αὐτοῖς, *& impende in illis*] Id eſt, non ipſe tantùm offer, quæ oportet, ſed & illis aliis da pecunias, unde habeant, quæ offerant, agnum, agnam, arietem, placentas & lagana. Talem enim liberalitatem fuiſſe non inſolitam, ex Maimonide diſcimus. Vult autem hoc Paulum facere Iacobus, quo plebi abundantiùs ſatisfaciat.

ἵνα ξυρήσωνται τὴν κεφαλήν· *ut radant capita*] Id eſt, *ut illi voti liberentur eò faciliùs*. Eſt μετωνυμία [*Transnominatio*] ſigni pro ſignato. Nam ſicut obligatio votiva exprimebatur demiſſo capillo, ita liberatio comâ abrasâ, Num. vi, 18. quæ coma ſupponebatur urenda ollis, in quibus coquebantur carnes de ſacro εὐχαριστικῷ [*ob gratias agendas*] : ita enim nos docent Hebræi. Diximus ſupra xviii legem hanc de victimis & de raſura in Templo facienda, vim habuiſſe in Iudæa, non extra eam. Non longè abit hinc mos Græcorum comam libandi diis, de quo Homerus, Statius in Achilleide & Coma Earini, & Cenſorinus de natali.

καὶ γνῶσι πάντες ὅτι ὧν κατήχηνται περὶ σοῦ οὐδέν ἐστι, *& ſcient omnes quia quæ de te audierunt, falſa ſunt*] *Falſam eſſe famam quæ de te ſparſa eſt*, quaſi Iudæos a Legis obſervatione averteres.

ἀλλὰ στοιχεῖς καὶ αὐτὸς τὸν νόμον φυλάσσων. *ſed ambulas & ipſe cuſtodiens Legem*] Στοιχεῖν, ut modò diximus, hîc eſt הלך, & ſignificat *vitæ inſtitutum aliquod perſequi*.

25. Περὶ δὲ τῶν πεπιστευκότων ἐθνῶν, *De iis autem qui*

crediderunt ex Gentibus] Quaſi diceret Iacobus, *Alia eſt ratio vocatorum ex Gentibus*: illos enim à Legis onere liberos communi decreto pronuntiavimus.

κρίναντες μηδὲν τοιοῦτον τηρεῖν αὐτούς, *judicantes nequid hujusmodi obſervent*] Infinitivus pro gerundio: *nihil talè ſervandum ipſis*, nempe eorum quæ Moſes præſcripſit.

εἰ μὴ φυλάσσεσθαι αὐτοὺς τό τε εἰδωλόθυτον, καὶ τὸ αἷμα, καὶ πνικτὸν, καὶ πορνείαν. *niſi ut abſtineant ſe ab idolis immolato, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione*] Supra XV, 20. XX, 9.

26. Τότε ὁ Παῦλος παραλαβὼν τοὺς ἄνδρας, *Tunc Paulus aſſumptis viris*] Se eis ſocians.

τῇ ἐχομένῃ ἡμέρᾳ, *poſtera die*] Poſtridiè quàm advenerat, ut colligimus infra XXIV, 1, & 11.

διαγγέλλων τὴν ἐκπλήρωσιν τῶν ἡμερῶν τοῦ ἁγνισμοῦ, *annuntians expletionem dierum purificationis*] Omnibus edicens ſe caſtimonium ſuſcipere in dies ſeptem, ita ut dies ipſius pariter exirent cum diebus aliorum, qui aliquanto ante, ac in majus tempus ſe obligaverant. Licebat enim cuique eum quem vellet votivæ obligationi præſtituere terminum, Num. VI, 5. Sic Paulus in dierum hebdomada ſe obligavit: illi alii in duas, tres, aut quatuor hebdomadas. Illud ἐκπλήρωσις [*expletio*] verba Legis reſpicit. ἣ ἂν ἡμέρᾳ πληρώσῃ ἡμέρας εὐχῆς αὐτοῦ [*quacunque die impleverit dies voti ſui*], Num. VI, 13.

ἕως οὗ προσηνέχθη ὑπὲρ ἑνὸς ἑκάστου αὐτῶν ἡ προσφορά. *donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*] Aoriſtus hîc ſignificat rem quæ fieri debebat, *usque dum offerenda eſſet pro unoquoque* (eorum qui ſe obligaverant) *oblatio*: id eſt, ita tempus ſumpſit, ut pariter cum illorum tempore deſineret.

27. Ὡς δὲ ἔμελλον αἱ ἑπτὰ ἡμέραι συντελεῖσθαι, *Dum autem ſeptem dies conſummarentur*] Hinc colligimus, quod ſupra tacuit Lucas, Paulum caſtimonio ſuo præfiniviſſe dies ſeptem.

οἱ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, *ii, qui de Aſia erant Iudæi*] Ex Epheſo & aliunde.

συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον, *concitaverunt omnem populum*] Vide ſupra XIX, 29. συνέχεον, רגשו [*tumultuati ſunt*].

καὶ ἐπέβαλον τὰς χεῖρας ἐπ' αὐτόν. *& injecerunt ei manus*] Per ſeditionem, ſine publica auctoritate.

28. Ἄνδρες Ἰσραηλῖται, *Viri Iſraelitæ*] Vt Romæ dicebatur, *Porrò Quirites*.

βοηθεῖτε· *adjuvate*] Ita Scipio apud Appianum, ἐπικουρεῖτε, ὦ Ῥωμαῖοι [*ferte opem, Quirites*]: *Adeſte cives*, eſt duobus locis apud Livium. Et cùm fides Quiritium imploratur, opem atque auxilium fidei nomine ſignificari ait Servius ad X. Æneidos.

ὁ κατὰ τοῦ λαοῦ καὶ τοῦ νόμου καὶ τοῦ τόπου τούτου, *qui adverſùs populum ac legem & locum hunc*] Eadem accuſatio quæ in Stephanum intenta, ſupra VI, 14. ubi dicta vide.

ἔτι τε καὶ Ἕλληνας εἰσήγαγεν εἰς τὸ ἱερὸν, *inſuper & Gentiles induxit in templum*] Quod planè non licebat. Vide Moſem de Cotſi, præcepto jubente XXI. Nempe intra ſeptum illud lapideum, quod in tres cubitos attollebatur inſcriptumque columnis habebat, Μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι [*in locum ſanctum transire alienigenam non debere*], Ioſephus Belli Iudaïci VI, 14. Si quis alienigena, etiam Romanus, id ſeptum transgrederetur, is occidi poterat, teſte eodem Ioſepho Belli Iudaïci VI, & Philone De legatione.

καὶ κεκοίνωκε τὸν ἅγιον τόπον τοῦτον [illegible] *& violavit ſanctum locum iſtum*] *Eo facto Templum polluit*: id enim κοινοῦν Matth. XV, 11, 18, 20. Marc. VII, 15, & ſequentibus.

29. Τρόφιμον τὸν Ἐφέσιον, *Trophimum Epheſium*] Quem illi Iudæi Aſiatici optimè noverant.

30. καὶ ἐγένετο συνδρομὴ τοῦ λαοῦ. *& facta eſt concurſio populi*] Exſtat hæc vox Iudith. X, 19. Idem quod συστροφὴ [*concurſus*] ſupra XIX, 40. קשר [*ſeditio*].

καὶ εὐθέως ἐκλείσθησαν αἱ θύραι. *& ſtatim clauſæ ſunt januæ*] Nempe à janitoribus Templi, metuentibus ne qua in Templo ſeditio oriretur, aliis Paulum malè tractare, aliis tueri volentibus.

31. ἀνέβη φάσις, *nuntiatum eſt*] *Indicium*. Ita eam vocem uſurpant Attici, Iſocrates, Demoſthenes & alii: μήνυσιν [*indicium*] interpretatur Pollux.

τῷ χιλιάρχῳ τῆς σπείρης, *Tribuno cohortis*] Præfecto ejus cohortis quæ temporibus feſtis, ac proinde etiam in Pentecoſte, præſidium habebat in porticibus Templi ad prohibendos tumultus, ſi qui orirentur: quam *cohortem* σπεῖραν etiam Iohannes dixit XVIII, 3. τάξιν Ioſephus, ut oſtendimus ad Matth. XXVI, 5. & 45. Eos qui cohorti præerant Tacitus modò *præfectos* vocat, modò *tribunos*: *præfectos* puto cùm in legione ſua erant, *tribunos* ubi extra eam. Hoc addendum eis quæ diximus ad Ioh. XVIII, 12.

32. ἐπαύσαντο τύπτοντες τὸν Παῦλον. *ceſſaverunt percutere Paulum*] A vi abſtinebant in conſpectu Romani Præfecti.

33. ἁλύσεσι δυσί. *catenis duabus*] Quibus manus ambæ ſtringerentur, ut ſupra XII, 6, 7.

καὶ ἐπυνθάνετο τίς ἂν εἴη, καὶ τί ἐστι πεποιηκώς. *& interrogabat quis eſſet, & quid feciſſet*] Tum ex ipſo, tum ex plebe.

34. μὴ δυνάμενος δὲ γνῶναι τὸ ἀσφαλὲς διὰ τὸν θόρυβον, ἐκέλευσε, *& cùm non poſſet certum cognoſcere præ tumultu, juſſit*] In Manuſcripto, Μὴ δυναμένου δὲ αὐτοῦ γνῶναι [*cùm non poſſet ſcire*], quæ constructio & infra eſt XXII, 17.

εἰς τὴν παρεμβολήν. *in caſtra*] Ad Maccabaica diximus παρεμβολὴν [*caſtra*] his ſcriptoribus dici *ipſam militum multitudinem*. Ea autem extra dies feſtos omnes, in diebus feſtis bona pars, erant in Antonia, ut & alii, & nos diximus.

35. ἐπὶ τοὺς ἀναβαθμοὺς, συνέβη βαστάζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν διὰ τὴν βίαν τοῦ ὄχλου. *ad gradus contigit ut portaretur à militibus propter vim populi*] Cicero ad Atticum, *Gradus templorum ab infima plebe completi erant*. Idem pro Cluentio *gradus concitatis hominibus completos* narrat.

37. εἰ ἔξεστί μοι εἰπεῖν τι πρός σε, *ſi licet mihi loqui aliquid ad te*] Plena honoris præfatio. Sic apud Livium, *Cum bona venia, quæſo, audiatis, Patres conſcripti*.

Ἑλληνιστὶ γινώσκεις; *Græcè noſti?*] Curtata locutio, Subauditur enim λαλεῖν [*loqui*]. Plena locutio exſtat Nehemiæ XIII, 24, Καὶ οὐκ εἰσὶν ἐπιγινώσκοντες λαλεῖν Ἰουδαϊστί [*& neſciebant loqui Iudaicè*]. Lingua

Græca poſt Macedonum imperium facta erat quaſi communis populorum Aſiæ & Ægypti. Vide quæ diximus ad Matth. XXVII, 37.

38. οὐκ ἄρα σὺ εἶ ὁ Αἰγύπτιος; *nonne tu es Ægyptius?*] Hæc oſtendunt geſta hæc ſub Neronis imperio. Neque enim dubitandum quin Ægyptius de quo hîc agitur, ſit ille de quo Ioſephus Veteris Hiſtoriæ XX, *6*: & Belli Iudaïci II, 23. Hic Ægyptius Prophetam ſe dicebat.

ἀναστατώσας, *qui tumultum concitaſti*] Vide ſupra XVII, *6*.

εἰς τὴν ἔρημον, *in deſertum*] Solebant enim impoſtores illi, initia colligendæ multitudinis armatæ facere in locis deſertis, ut diximus ad Matth. XXIV, *26*. Ioſephus Antiquæ Hiſtoriæ XX, *6*. ἔπειθον αὐτοὺς εἰς τὴν ἐρημίαν ἕπεσθαι [*perſuadebant illis ut ſe ſequerentur in ſolitudinem*].

τοὺς τετρακισχιλίους ἄνδρας, *quatuor millia virorum*] Hæc, ut dixi, nebulonis illius initia fuere. Poſtquam multitudo illi ad triginta millia creverat, ex locis deſertis ad Olivarum montem proceſſit, ibique copiæ ejus per Felicem diſſipatæ ſunt: ſed hæc iis quæ hîc narrantur ſeriora ſunt, legique poſſunt apud Ioſephum Belli Iudaïci II, 23.

τῶν σικαρίων. *ſicariorum*] Sic & Ioſephus vocat indicato jamjam loco illos homines publico injuſſu arma capientes. Qua de re diximus ad Matth. XXVII, 16. & 38.

39. Ἰουδαῖος Ταρσεὺς, *Iudæus à Tarſo*] *Natus Tarſi, ortu Iudæus.*

τῆς Κιλικίας οὐκ ἀσήμου πόλεως, *Ciliciæ non ignotæ civitatis*] Imò ἐπισημοτάτης [*celeberrimæ*], ut de ea loquitur Stephanus. Recte: erat enim Ciliciæ totius caput, teſte Strabone, condita à Perſeo, ut Lucanus vult, aut heroïbus, aut gigantibus, ut alii apud Dionem Chryſoſtomum. Tum verò facta urbs libera: de quo dicemus infra XXII, 28.

ἐπίτρεψόν μοι λαλῆσαι πρὸς τὸν λαόν. *permitte mihi loqui ad populum*] Prudenter populum allocutus non eſt, niſi accepta poteſtate, ne ſeditionem accendere crederetur. Vide infra XXVI, I.

40. ἐπὶ τῶν ἀναβαθμῶν, *in gradibus*] *In gradibus Antoniæ*, de quibus ſupra 35.

κατέσεισε τῇ χειρὶ τῷ λαῷ· *annuit manu ad plebem*] Vide ſupra XII, 17. XIII, 16. XIX, 33.

πολλῆς δὲ σιγῆς γενομένης, *& magno ſilentio facto*].

Conticuere omnes, intentique ora tenebant.

τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ, *linguâ Hebræâ*] Id eſt, linguâ Hieroſolymitanâ, magna ex parte Syriacâ, quâ tum Iudæi utebantur. Sic διάλεκτον poſuit Lucas, & ſupra I, 19. II, 6, 8. in Manuſcripto eſt τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ [*propriâ eorum linguâ*] ut ſupra I, 19. II, 6, 8.

CAPVT XXII.

ΑΝδρες ἀδελφοὶ καὶ πατέρες, *Viri fratres & Patres*] Vide ſupra VII, & ibi dicta. *Patrum* nomen addit, ſi qui fortè Senatorum adeſſent.

τῆς πρὸς ὑμᾶς νῦν ἀπολογίας· *quam ad vos nunc reddo rationem*] Ἀπολογία rectè cum Cicerone dicetur *defenſio*. *Defenſio* eſt etiam, ubi factum negatur. *Purgatio* ejus eſt ſpecies, ubi facto conceſſo, culpa removetur. Latinus interpres hîc non malè, *Reddo rationem*. In Gloſſario ἀπολογοῦμαι, *rationem reddo.*

2. παρέσχον ἡσυχίαν. *præſtiterunt ſilentium*] *Fecere ſilentium*. Ita loquitur Plautus.

3. ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, *in iſta civitate*] Vbi præcipua ſedes ſtudiorum Legis.

παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιήλ, *ſecus pedes Gamaliel*] Ejus de quo ſupra V, 34. *Ad pedes* dicit, ideo quòd diſcipuli ſedebant multùm infra Magiſtros: proximi verò Magiſtro ii quorum maximi profectus. Vide Deuter. XXXIII, 3. & Philonem de Eſſenis. Scriptor commentariorum quæ nomen præferunt Ambroſii ad primam ad Corinthios, *Hæc traditio Synagogæ eſt, ut ſedentes diſputent, ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas.* Quod igitur eſt in Thalmudicis titulo מגילה [*Megilla*] *ad tempora Gamalielis ſtantes didiciſſe Legem*, interpretare ſtetiſſe omnes dum ipſa Legis verba legebantur. Vide quæ ad Lucam IV, 20.

πεπαιδευμένος κατὰ ἀκρίβειαν τοῦ πατρῴου νόμου, *eruditus juxta exquiſitam formam paternæ Legis*] *Secundùm ſectam exquiſitiorem*. Sic infra XXVI, 5, κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς ἡμετέρας θρησκείας [*ſecundùm exquiſitiſſimam noſtræ religionis ſectam*]. Ioſephus Belli Iudaïci I, 4. de Phariſæis, Τάγμα τι Ἰουδαίων δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ τοὺς νόμους ἀκριβέστερον ἀφηγεῖσθαι [*Quædam Iudæorum factio, qui præter alios pietatem colere putarentur, & peritiùs Leges interpretari*]. Idem Veteris Hiſtoriæ XVII, 3. Ἦν γὰρ μόριόν τι Ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις. Φαρισαῖοι καλοῦνται [*Erat enim quædam Iudæorum ſecta exactiorem Patriæ Legis cognitionem ſibi vindicans, quibus tanquam Deo, ut videri volebant, charis, addictum erat hoc mulierum ſodalitium. Hi Phariſæi vocantur*]. Et in ſua vita, Τῆς δὲ Φαρισαίων αἱρέσεως, οἳ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκοῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν [*Phariſæus ſectâ, quæ quidem videtur exactiùs quàm aliæ, tenere Leges patrias*].

ζηλωτὴς ὑπάρχων τοῦ Θεοῦ, *zelo accenſus Dei*] Ex Numer. XXV, 13. habebant quidem Phariſæi ζῆλον [*zelum*] Phineæ, ſed non cum veri ſcientia conjunctum, Rom. X, 2.

4. Ὃς ταύτην τὴν ὁδὸν, *Qui hanc viam*] Sectam hanc. Vide ſupra XVII, 17. XIX, 9, 23.

ἐδίωξα ἄχρι θανάτου, *perſequutus ſum usque ad mortem*] Quantum ſcilicet in me erat.

παραδιδοὺς εἰς φυλακὰς ἄνδρας τε καὶ γυναῖκας. *tradens in cuſtodias viros & mulieres*] Vide ſupra IX, 1, & 2.

5. Ὡς καὶ ὁ ἀρχιερεὺς μαρτυρεῖ μοι, καὶ πᾶν τὸ πρεσβυτέριον· *Sicut Princeps Sacerdotum mihi teſtimonium reddit & omnes Majores natu*] Id eſt, *Synedrium magnum*. Vide quæ dicta ad dictum caput IX.

πρὸς τοὺς ἀδελφοὺς, *ad fratres*] Ita hîc vocat Iudæos ob communem ex Iacobo originem.

ἵνα τιμωρηθῶσιν. *ut punirentur*] *Vt verberibus cæderentur.*

Ἔπεσόν τε εἰς τὸ ἔδαφος, *Et decidens in terram*] Hebraïcè ארצה, quod χαμαὶ [*in terram*] reddi ſolet.

9. τὴν δὲ φωνὴν οὐκ ἤκουσαν τοῦ λαλοῦντός μοι. *vocem autem non audierunt ejus qui loquebatur mecum*] Nempe diſtinctè. Sonum confuſim audiebant, non ipſa verba: ſicut diximus ſupra IX, 7.

10. ὧν τέτακταί σοι ποιῆσαι. *quæ te oporteat facere*]

Quæ à me tibi imperantur ut facias. Supra IX, 7: τί σε δεῖ ποιεῖν [*quid te oporteat facere*].

11. ἀπὸ τῆς δόξης τοῦ φωτὸς, *præ claritate luminis*] Δόξα כבוד *eximium quendam fulgorem* ſignificat: ſupra VII, 55. II Corinth. III, 7.

12. ἀνὴρ εὐσεβὴς κατὰ τὸν νόμον, *vir timoratus ſecundùm Legem*] Pius, non quovis modo, ſed etiam ſecundùm Legis noſtræ præſcripta, ut Zacharias & Elizabet. Hoc multum pertinet ad rem de qua agebatur. In Manuſcripto tantùm eſt ἀνὴρ κατὰ τὸν νόμον, *vir legi congruens*.

ὑπὸ πάντων τῶν κατοικούντων, *ab omnibus habitantibus*] Nempe Damaſci.

13. καὶ ἐπιστὰς, *& ſtans*] Vt Lucæ IV, 39. Stabat ſuperior ut ei manus imponeret, quemadmodum narratum dicto capite IX.

14. Ὁ δὲ εἶπεν· *At ille dixit*] Referens ſcilicet viſum quod ſibi divinitùs obtigerat.

Ὁ Θεὸς τῶν πατέρων ἡμῶν, *Deus Patrum noſtrorùm*] Et hoc appoſitè, ne crederetur à Deo Abrahami, Iſaaci, & Iacobi defectionem docere.

προεχειρίσατό σε γνῶναι, *præordinavit te ut cognoſceres*] Sic & infra XXVI, 16. Προχειρίζεσθαι [*præordinare*] habes pro שלח [*mittere*] Exodi IV, 13. pro לקח [*aſſumere*] Ioſ. III, 12. Eodem ſenſu habuimus προχειροτονεῖν ſupra X, 41.

καὶ ἰδεῖν τὸν δίκαιον, *& videres juſtum*] Ieſum illum ſummè innocentem ac bonum I Ioh. II, 1. III, 7.

16. καὶ ἀπόλουσαι τὰς ἁμαρτίας σου, *& ablue peccata tua*] Fidei & profeſſioni fidei, quæ per baptiſmum fit, ſimul conjunctis promittitur remiſſio peccatorum. Vide Marci XVI, 16. Sicut ablutio facit ne maculæ appareant, ita remiſſio ne peccata, Eſaias I, 18.

ἐπικαλεσάμενος τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου. *invocato nomine Domini*] In Manuſcripto illo & aliis, τὸ ὄνομα αὐτοῦ [*nomine ipſius*]· quomodo & Syrus legit. Id alii ad *Ieſum* referunt: ego rectiùs ad *Deum Patrem*. Sæpe enim demonſtrativa & relativa reſpiciunt aliquid remotius. Cur ita cenſeam cauſam vide in iis, quæ diximus ad Matth. XXVIII, 19. ubi agimus de precibus in baptiſmo.

17. καὶ προσευχομένου μου ἐν τῷ ἱερῷ γενέσθαι με ἐν ἐκστάσει, *& orante me in templo fieri in ſtupore mentis*] Hæc eſt una revelationum de quibus agit II Cor. XII, 1. Eſt autem constructio, qualis ſupra XXI, 34. Rectus enim ſermo fuerat, Καὶ προσευχομένῳ ἐν τῷ ἱερῷ γενέσθαι ἐν ἐκστάσει. [*& oranti in templo fieri in ſtupore mentis*].

18. Καὶ ἰδεῖν αὐτὸν, *Et videre illum*] Angelum vice Chriſti, ut in Veteri Federe Dei vice. Vide ſupra IX, 10. XVIII, 9.

ἔξελθε ἐν τάχει ἐξ Ἱερουσαλήμ· *exi velociter ex Ieruſalem*] Tacitè hîc ſubintelligitur, *& abi aliò prædicatum*. Nam ad id reſpondet Paulus.

διότι οὐ παραδέξονταί σου τὴν μαρτυρίαν περὶ ἐμοῦ. *quoniam non recipient teſtimonium tuum de me*] Quaſi dicat Dominus, Sanabiles qui ſunt, jam ſanati ſunt: cæteri jam obduruere, quos ſua pœna exſpectat. Vide ſupra IX, 29.

19. Κἀγὼ εἶπον· Κύριε, αὐτοὶ ἐπίστανται, *Et ego dixi, Domine, ipſi ſciunt*] Quaſi non univerſaliter intelligendum eſſet quod Dominus dixerat. Oſtendit Paulus ſibi nonnihil eſſe ſpei, quod Hieroſolymitæ qui ſe pridem noviſſent, tantam mutationem non poſſent niſi magnæ veræque cauſæ attribuere.

ἤμην φυλακίζων, *eram concludens in carcerem*] *In carcerem dabam.* Exſtat hoc verbum in Βατραχομυομαχίᾳ [*ranarum & murium pugna*]· item Sapient. XVIII, 4.

καὶ δέρων κατὰ τὰς συναγωγὰς τοὺς πιστεύοντας ἐπὶ σέ. *& cædens per Synagogas eos qui credebant in te*] Ex juſſu Synedrii, cui ea coërcitio permiſſa intra Iudæam & regiones quaſdam vicinas. Vide ſupra IX, 2. & infra XXVI, 11. & quæ diximus ad Matth, X, 17.

20. καὶ συνευδοκῶν τῇ ἀναιρέσει αὐτοῦ, *& conſentiebam interfectioni ipſius*] Ipſa verba quæ ſupra habuimus VIII, 1.

καὶ φυλάσσων τὰ ἱμάτια τῶν ἀναιρούντων αὐτόν. *& cuſtodiebam veſtimenta interficientium illum*] Nempe teſtium, qui primi ad lapidandum. Vide ſupra VII, 58.

21. Πορεύου· ὅτι ἐγὼ εἰς ἔθνη μακρὰν ἀποστελῶ σε. *Vade, quoniam ego in nationes longè mittam te*] Nempe in Arabiam, Syriam, Lyciam, Lycaoniam, Bithyniam, Myſiam, Aſiam, Græciam, Macedoniam, Illyricum, & quidem magno cum fructu. Vide ſupra IX, 15. Rom. XV, 19.

22. ἄχρι τούτου τοῦ λόγου, *usque ad hoc verbum*] Vt qui pati non poſſent Gentes fieri participes communis ſalutis.

Αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον· *Tolle de terra hominem hujuſmodi*] Sic Lucæ XXIII, 18: αἶρε τοῦτον [*tolle hunc*]. ſupra XXI, 36.

οὐ γὰρ καθῆκον αὐτὸν ζῆν. *non enim fas eſt eum vivere*] οὐ καθῆκον, אין משפט [*juſtum non eſt*].

23. καὶ ῥιπτούντων τὰ ἱμάτια, *& projicientibus veſtimenta*] Vt expeditiores eſſent ad vim faciendam. Simile habuimus ſupra VII, 58.

καὶ κονιορτὸν βαλλόντων εἰς τὸν ἀέρα, *& pulverem jactantibus in aërem*] Nempe terrâ pedibus concuſſâ, ut ab iratis fieri ſolet. Ita accepit Syrus.

24. ἄγεσθαι εἰς τὴν παρεμβολὴν, *induci eum in caſtra*] In partem interiorem Antoniæ ubi erant milites.

εἰπὼν μάστιξιν ἀνετάζεσθαι αὐτόν· *dicens flagris cædi eum*] Mos Romanus quæſtionem habendi per flagra, de quo diximus ad Matth. XXVII, 19. Sed & ante is mos apud alias Gentes fuerat. Hinc factum ut ἐτασμὸς ſumatur pro *flagris* II Macc. VII, 37. & ἐξετάζειν pro *torquere*, Sap. XI, 10. Sunt autem flagra virgis ſæviora. Cicero pro Rabirio, *Porcia lex virgas ab omnium civium Romanorum corpore amovet; hic miſericors flagella retulit.*

ἵνα ἐπιγνῷ, *ut ſciret*] Ex ipſius confeſſione.

δι᾽ ἣν αἰτίαν οὕτως ἐπεφώνουν αὐτῷ. *propter quam cauſam ſic acclamarent ei*] Qua re eos tam graviter offendiſſet.

25. Ὡς δὲ προέτεινεν αὐτὸν τοῖς ἱμᾶσι, *Et cùm adſtrinxiſſet eum loris*] *Poſtquam eum* (præfectus cohortis) *expoſuerat loris.* προτείνειν eſt προβάλλειν, *exponere*. ἱμάντες hîc quod modò μάστιγες [*flagella*]. In Gloſſario ἱμᾶς, *lorum*. *Loris cædi* apud Ciceronem & Comicos ſæpe. Ea eſt *cenſio bubula* apud Plautum: cujus eſt & hoc alibi,

Vbi vivos homines mortui incurſant boves.

πρὸς τὸν ἑστῶτα ἑκατόνταρχον, *adſtanti ſibi centurioni*] Alii codices habent ἐφεστῶτι [*adſtanti*], & ſic legiſſe videtur Syrus. *Adſtantem*, nempe quæſtioni à Præfecto imperatæ. Vide quæ diximus ad Matth. XXVII, 31.

Εἰ ἄνθρωπον Ρωμαῖον καὶ ἀκατάκριτον ἔξεστιν ὑμῖν μαστίζειν; *Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare?*] Vtrumque habuimus & ſupra XVI, 37. Illud *Romanum*, eſt contra leges, Porciam & Semproniam: illud *indemnatum*, & contra Romanas & contra omnium bene moratarum Gentium leges, ut ſupra diximus. De Porcia lege diximus modò. Cæſar apud Salluſtium, *Quamobrem in ſententiam non addidiſti, uti prius verberibus in eos animadverteretur? an quia lex Porcia vetat?* Cicero Verrinâ Quintâ, *O nomen dulce libertatis! ô jus eximium noſtræ civitatis! ô lex Porcia legesque Semproniæ!* Et mox, *Facinus eſt vinciri civem Romanum, ſcelus verberari.* Proclamavit Paulus itidem, ut ille de quo ibi Cicero, *Civis Romanus ſum.*

26. Ορα τί μέλλεις ποιεῖν; *Quid acturus es?*] Vide ne in majeſtatem populi Romani pecces. Diximus ea de re ſupra XVI, 38.

28. Εγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. *Ego multâ ſummâ civitatem hanc conſequutus ſum*] *Per avaritiam Claudianorum temporum*, ut loquitur Tacitus Hiſtoriarum V. Et nominatim *jus Civitatis Romanæ ab eo venditum* dicit Dion. *Nomen civium Romanorum magno emptum* dicit Salvianus. κεφάλαιον Græci ponunt pro *ſorte* quæ *uſuris* opponitur. At Helleniſtæ pro *quavis pecuniæ ſumma* ponunt, ut Levit. VI, 4. Num. V, 7. XXXI, 26, 49. Syrus hîc בכספא סגיאא, *multo argento.*

Εγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. *Ego autem & natus ſum*] Atqui Tarſus non colonia erat ſed libera urbs, Plinio teſte V, 27. *Conceſſam Tarſenſibus libertatem ab Antonio* dicit Appianus Civilium quinto. Et Dion Chryſoſtomus priore oratione Tarſenſi multa privilegia recitat ab Auguſto tributa Tarſenſi civitati, non autem jus coloniæ aut municipii, qualibus jus civitatis Romanæ competebat, ut diximus D. ad Municipalem: & Vlpianus inter Ciliciæ colonias Tarſum non nominat. Reſtat ergo ut aliquis Majorum Pauli bellis civilibus, quæ inter Cæſarem Auguſtum & Brutum Caſſiumque, aut etiam inter eundem Cæſarem & Antonium interceſſere, jus illud ſibi comparaverit. Vnde colligas ex opulenta familia fuiſſe Paulum, neque vana eſſe quæ veteres Græci ad hunc locum dixere.

29. οἱ μέλλοντες αὐτὸν ἀνετάζειν, *qui eum torturi erant*] Quos Latini *lorarios* vocant, Græci μαστιγοφόρους.

ὅτι Ρωμαῖός ἐστι, καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς. *quia civis Romanus eſſet, & quia alligâſſet eum*] Nam vel hoc ſolum, *vincire civem Romanum*, crimen erat, ut modò oſtendimus.

30. βουλόμενος γνῶναι τὸ ἀσφαλές, *volens ſcire diligentius*] *Certi aliquid ſcire volens.* Sic & ſupra XXI, 34. & infra XXV, 26. ἀσφαλές τι γράψαι [*quid certum ſcribam*].

τὸ τί κατηγορεῖται παρὰ τῶν Ιουδαίων, *qua ex cauſa accuſaretur à Iudæis*] Τὸ τί ſimiliter habemus Luc. I, 62. τὸ eſt δεικτικὸν [*demonſtrativum*] ſensûs ſequentis.

ἔλυσεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δεσμῶν, *ſolvit eum è vinculis*] Vt ſine præjudicio cauſam diceret.

καὶ ἐκέλευσεν ἐλθεῖν τοὺς ἀρχιερεῖς καὶ ὅλον τὸ συνέδριον αὐτῶν. *& juſsit Sacerdotes venire & omne concilium*] Meliùs Manuſcriptus, συνελθεῖν [*convenire*]; non enim eos ad ſe vocavit, ſed in loco Majorum eos convenire juſſit: nam quia intellexerat de religione controverſiam eſſe, explorare voluit Synedrii ſententiam, cujus erat de religione cognitio. *Principes* autem *ſacerdotalium familiarum* ſpecialiter nominantur, quia in eo conſeſſu dignitate eminebant, ut Matth. XXVI, 3, 59. XXVII, 1, 3, 12. Marci VIII, 31. XIV, 55. Luc. XXIV, 20. ſupra IV, 23. infra XXIII, 14.

ἔστησεν εἰς αὐτοὺς, *ſtatuit inter illos*] Pro ἐν αὐτοῖς, *in medio eorum conſeſſu.*

CAPVT XXIII.

Ἀτενίσας δὲ ὁ Παῦλος τῷ συνεδρίῳ, *Intendens autem in concilium Paulus*] De hoc verbo vide Lucam IV, 20. XXII, 56. ſupra III, 4, 12. VI, 15. XI, 6. XIII, 9. XIV, 9.

ἐγὼ πάσῃ συνειδήσει ἀγαθῇ πεπολίτευμαι τῷ Θεῷ, *ego omni conſcientia bona converſatus ſum ante Deum*] Nunc quidem ſecundùm Chriſtum: ante verò quantum ex Phariſæis Magiſtris haurire potueram. Hoc illis opponit, à quibus pro impio Deique hoſte habebatur. Πολιτεύεσθαι Græcis ſcriptoribus eſt *vitæ genus ſequi.* Sic II Macc. VI, 1. XI, 25. paſſivo ſenſu ſumitur Canone XIV. Sardicenſis Synodi. Τῷ Θεῷ eſt *coram Deo*, ut vertit Syrus. Teſtem citat mentium introſpectorem.

2. Ο δὲ ἀρχιερεὺς Ἀνανίας, *Princeps autem Sacerdotum Ananias*] *Nebedæi filius* juxta Ioſephum Antiquæ Hiſtoriæ VIII, 3. Fortè apud Ioſephum XX, 6. pro πρὸς τὸν Ἀρχιερέα τὸν Ἰωνάθην [*ad Pontificem maximum Ionathan*], ſcribendum Ἀνανίαν [*Ananiam*]. Nam à Roma, quò cum Cumano miſſus fuerat, rediiſſe Ananias videtur. Alius ab hoc eſt Ananias qui Ioſepho Cabæi ſucceſſit.

ἐπέταξε τοῖς παρεστῶσιν αὐτῷ, *præcepit adſtantibus ſibi*] *Apparitoribus*, qui שוטרים Hebræis.

τύπτειν αὐτοῦ τὸ στόμα, *percutere os ejus*] In hoc quoque par fortuna Diſcipuli cum Magiſtro, Ioh. XVIII, 22.

3. Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεός, *Percutiet te Deus*] Vtitur jure Prophetæ. Vide quæ diximus ad Luc. XIII, 32. & adde reſponſum ad Orthodoxos 125. Simile illud Eſaiæ L, 11. *In dolore cubabitis.* Vide & quæ Sobnæ prædicit Eſaias XXII, 17, 18. & quæ ibi à nobis notata, & quæ de Rege Iechonia Ieremias XXII, 30. Ananiæ, incertum mortuo an amoto, non multò poſt hoc tempus ſuffectus eſt Iſmaël Phabi.

τοῖχε κεκονιαμένε, *paries dealbate*] Egregia ſimilitudo ad exprimendos homines impios, qui honoris aut commodi cauſâ pios ſe ſimulant,

Introrſum turpes, ſpecioſi pelle decora.

Pari comparatione utitur Seneca, *Miſeri ſunt, ſordidi, turpes, & ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti.* Etiam hoc Prophetarum eſt liberè reprehendere non viros tantùm Principes, ſed & Reges. Exempla vide I Regum XVIII, 18. II Reg. III, 13.

καὶ σὺ κάθῃ κρίνων με κατὰ τὸν νόμον, *& tu ſedes judicans* *me ſecundùm legem*] Manebat lex judicialis quamdiu manebat Reſpublica : & ſecundùm eam judicare tenebantur Hebræi Iudices intra eos cognitionis limites quos Romani ipſis concedebant.

καὶ παρανομῶν κελεύεις με τύπτεσθαι; *& contra legem jubes me percuti?*] Nondum dictâ cauſâ. Vide quæ diximus ad dictum Iohannis locum & ſupra XVI, 37. Παρανομῶν eſt מעול [*peccator*] Pſalm. LXXI, 4.

4. Τὸν ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ λοιδορεῖς; *Summum Sacerdotem Dei maledicis?*] Acrem ſui ſenſum relinquebat multum de vero trahens exprobratio. Simile vide Luc. XI, 45. Hîc λοιδορεῖς [*maledicis*] quod ibi ὑβρίζεις [*contumeliâ afficis*].

5. Οὐκ ᾔδειν, ἀδελφοί, ὅτι ἐστὶν ἀρχιερεύς· *Neſciebam fratres quia princeps eſt Sacerdotum*] Benignis verbis lenire hominem ferocem voluit, ut Nathan apud Ioſephum, Ἀστεῖος ὢν καὶ συνετὸς ἀνὴρ, λογισάμενος ὡς οἱ βασιλεῖς ὅταν εἰς ὀργὴν ἐμπέσωσι, ταύτῃ πλέον ἢ τῷ δικαίῳ νέμουσι [*Vir comis & prudens, hoc conſiderans, Reges, ſi quando iraſcantur, iram præ juſtitia ſequi ſolere*]. Hæc Pauli verba Ananias & apparitores ſic accipiebant, quaſi excuſaret Paulus quod ſibi in iſtis malis conſtituto non ſatis in mentem veniſſet quîcum ſibi res eſſet. Nam ידע ſæpe eſt *conſiderare*, ἐπισκοπεῖν, ut Eſther. II, 11. Verùm latentior ſenſus ſuberat, *Non eſſe eum Sacerdotem aut principem Senatûs, qui eas dignitates pretio comparâſſet.* Didicerat enim hoc à Gamaliele Paulus, *Iudicem qui honoris conſequendi causâ pecunias dederit, revera neque Iudicem eſſe, neque honorandum, ſed aſini habendum loco*: ut eſt in titulo Thalmudico de Synedrio. Iudæi peculiariter tales Magiſtratus vocant *deos aureos & argenteos*, eoſque adorandos negant. Veram defenſionem non attulit Paulus, *Prophetico jure ſe uſum*, quia id ei non fuiſſet creditum, nec id quicquam iſto loco profuiſſet.

γέγραπται γάρ· *ſcriptum eſt enim*] Quaſi dicat, Scio ex Scripturis in eo honore poſitis deberi hanc reverentiam, ne maledictis, etiam veris, laceſſantur. Vide quæ diximus lib. I. de Iure Belli ac Pacis IV, 7.

Ἄρχοντα τοῦ λαοῦ σου οὐκ ἐρεῖς κακῶς. *Principem populi tui non maledices*] Verba ipſa LXX. Exod. XXII, 28. ubi in Hebræo eſt נשיא, quomodo vocari ſolebat *princeps Senatûs*, quem locum iſtis temporibus plerumque occupabat Sacerdos Summus. Habes hîc ἐρεῖς κακῶς [*maledices*] cum accuſativo, ut & κακολογεῖν [*malè loqui*] II Macc. IV, 1.

6. Γνοὺς δὲ ὁ Παῦλος ὅτι τὸ ἓν μέρος ἐστὶ Σαδδουκαίων, τὸ δὲ ἕτερον Φαρισαίων, *Sciens autem Paulus quia una pars eſſet Sadducæorum & altera Phariſæorum*] Phariſæos fuiſſe in Synedrio apparet, Matth. XXI, 45. Sadducæos quoque ſupra IV, 1. & V, 17. Non deerat Paulo humana etiam prudentia, quâ in bonum Euangelii utens, columbæ ſerpentem utiliter miſcebat, & inimicorum diſſidiis fruebatur.

ἐγὼ Φαρισαῖός εἰμι, υἱὸς Φαρισαίου· *ego Phariſæus ſum, filius Phariſæi*] *Accuratioris ſectæ*, ut dixit ſupra XXII, 3. In Manuſcripto eſt υἱὸς Φαρισαίων [*filius Phariſæorum*], id eſt, Ex patre & matre natus ejus inſtituti. Sic Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων, κατὰ νόμον Φαρισαῖος [*Hebræus ex Hebræis, ſecundùm legem Phariſæus*], Philipp. III, 5.

περὶ ἐλπίδος καὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι. *de ſpe & reſurrectione mortuorum ego judicor*] Eſt ἓν διὰ δυοῖν [*unum per duo*]. Rectum fuerat, περὶ ἐλπίδος ἀναστάσεως, [*de ſpe reſurrectionis*], *ob ſpem de reſurrectione in judicium vocor.* Vide quæ diximus ſupra XVII, 25. & Ioh. III, 5.

7. ἐγένετο στάσις, *facta eſt diſſenſio*] Id eſt, *diſſidium*, ut ſupra XV, 2.

καὶ ἐσχίσθη τὸ πλῆθος, *& ſoluta eſt multitudo*] Idem quod apud Iohannem VII, 43. & X, 19. σχίσμα ἐγένετο [*diſſenſio facta eſt*]. Simili locutione Virgilius dixit, *Scinditur vulgus.* Πλῆθος [*multitudo*] hîc eſt עדה, *ipſe cœtus Senatorum* cum ſuis adſeſſoribus.

8. Σαδδουκαῖοι μὲν γὰρ λέγουσι μὴ εἶναι ἀνάστασιν, μηδὲ ἄγγελον, μηδὲ πνεῦμα· *Sadducæi enim dicunt non eſſe reſurrectionem, neque Angelum, neque ſpiritum*] Deum eſſe credebant, ſed præter eum nihil quod non ſenſibus perciperetur, non Angelos ὑφίστασθαι [*exiſtere*], non ſupereſſe corporibus animos, ideoque nec fore ἀνάστασιν [*reſurrectionem*]. Vide quæ diximus ad Matthæum XXII, 28.

Φαρισαῖοι δὲ ὁμολογοῦσι τὰ ἀμφότερα. *Phariſæi autem utraque confitentur*] Conjunxit hîc opinionem de Angelis & de ſpiritu tanquàm unam.

9. οἱ γραμματεῖς, *Scribæ*] Legisperiti adſeſſores Senatorum. Vide quæ ad Matth. II, 4.

διεμάχοντο, *pugnabant*] *Contendebant cum aliis*, רבו.

εἰ δὲ πνεῦμα ἐλάλησεν αὐτῷ, *quid ſi ſpiritus loquutus eſt ei*] Afflatus quidam in animum miro modo penetrans, qui & ἐπίπνοια Græcis. Vide ſupra X, 19. XI, 12, 28. XVI, 7. XX, 23.

ἢ ἄγγελος; *aut Angelus?*] Vt Matth. I, 20. II, 13. Luc. I, 11. ſupra V, 19. VIII, 26. X, 3, 7, 22. XII, 7, 8, 9, 10.

μὴ θεομαχῶμεν. *ne repugnemus Deo*] Vox eſt bene Græca quæ exſtat & II Macc. VII, 19. Sic & nomen θεομάχος [*Deo repugnans*] ſupra V, 39. ubi dicta à nobis vide.

10. μὴ διασπασθῇ ὁ Παῦλος ὑπ' αὐτῶν, *ne diſcerperetur Paulus ab ipſis*] *Ne eum diſcerperent*, ut Orphea Threſſæ, in qua hiſtoria vocem διασπασθεὶς [*diſcerptus*] uſurpat Iſocrates. Lucianus, Μικροῦ γοῦν με διεσπάσαντο [*Parum abfuit quin me diſcerperent*]. Atrocis iræ eſt hæc deſcriptio.

ἐκέλευσε τὸ στράτευμα καταβῆναι, *juſsit milites deſcendere*] Totam militum manum ab Antonia deduxit in conclave illud apud Templum, in quo Senatus habebatur.

εἰς τὴν παρεμβολήν. *in caſtra*] *In Antoniam*, ut ſupra.

11. ἐπιστὰς αὐτῷ ὁ Κύριος, *adſiſtens ei Dominus*] De hoc verbo vide Luc. II, 9. XXIV, 4. ſupra XII, 7. Dominus ei apparuit per Angelum, ut ſupra aliquoties.

Θάρσει Παῦλε· *Conſtans eſto Paule*] Certum eum facit Dominus, omnem iſtam commotæ plebis violentiam nihil ipſi nocituram. *Cùm improbus adversùs juſtum cogitat frenditque dentibus, Deus eum irridet*, Pſalm. XXXVII, 12. *& mala conſilia non provehit*, Pſalm. CXL, 9. *Sed pios tutatur contra inſidiatores*, Pſalm. XII, 6.

οὕτω σε δεῖ καὶ εἰς Ῥώμην μαρτυρῆσαι. *ſic te oportet*

&

& Romæ teſtificari] Δεῖ [*oportet*] illud rem futuram hîc ſignificat, ut Matth. XVI, 21. ubi dicta vide. Nec aliter hîc interpretatur Syrus.

12. ποιήσαντές τινες τῶν Ἰουδαίων συστροφὴν, *collegerunt ſe quidam ex Iudæis*] Συστροφὴ ſupra XIX, 40. *concurſus*, hîc potius *coitio* eſt, ſicut mox explicatur συνωμοσία [*conjuratio*]. Sic συστρέφεσθαι eſt *conjurare*, II Sam. XV, 31. I Reg. XVI, 8, 16. II Regum IX, 14. X, 8. XIV, 18. XV, 10, 15, 25, 30. XXI, 22, 23. pro quo συστροφὰς ποιεῖσθαι [*ſeditionem concitare*] Amos VII, 10. in quibus locis in Hebræo eſt קשר.

ἀνεθεμάτισαν ἑαυτοὺς, *devoverunt ſe*] Voto addiderunt diras, id eſt, *peſſima ſibi imprecati ſunt*, nî id implerent. Vide quæ ad Matth. XXVI, 74. impletum hîc quod de ſe dixit David, inſanientibus inimicis, Pſalm. CII, 9. בי נשבעו, κατ᾽ ἐμοῦ ὤμνυον [*adverſum me jurabant*].

μήτε φαγεῖν μήτε πιεῖν ἕως οὗ ἀποκτείνωσι τὸν Παῦλον. *neque manducaturos, neque bibituros donec occiderent Paulum*] Non fuiſſe ſine exemplo talia inter Iudæos juramenta, docet nos Philo de legibus ſpecialibus, Εἰσὶ γὰρ οἳ ὀμνύουσιν, ἐὰν τύχῃ, τραύματα καὶ σφαγάς [*Sunt qui jurant, ſi ita res tulerit, vulnera aut cædes*].

14. τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς πρεσβυτέροις, *ad Principes Sacerdotum & Seniores*] Quibuſdam ex Synedrio. Vide ſupra XXII, 30. & IV, 5. Matth. XVI, 21. XXI, 23.

Ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτοὺς, *Devotione devovimus nos*] בחרם התחרמנו.

15. ἐμφανίσατε τῷ χιλιάρχῳ, *notum facite Tribuno*] *Significate*. Nam הודיע vertitur ἐμφανίζειν [*notum facere*] Exod. XXXIII, 13. Sic & infra 22. Hebr. XI, 14.

σὺν τῷ συνεδρίῳ, *cum concilio*] Id eſt, *Non vos ſoli, ſed unà cum collegis veſtris*, quò major ſignificationi ſit auctoritas.

ὅπως αὔριον αὐτὸν καταγάγῃ πρὸς ὑμᾶς, *ut cras producat illum ad vos*] Nempe ex Antonia in conclave in quo Senatus habebatur.

ὡς μέλλοντας διαγινώσκειν ἀκριβέστερον τὰ περὶ αὐτοῦ· *tanquam aliquid certius cognituri de eo*] *Exactiùs quàm in prima cognitione.* Solent enim rei per intervalla temporum ſæpius audiri, ſive quod novi aliquid Iudici innotuerit, ſive ut exploretur an ſibi conſtent.

πρὸ τοῦ ἐγγίσαι αὐτὸν, *priusquam appropinquet*] *Antequam ad vos veniat*, Syrus. Sed amplius ſignificatur, Velle ſe cædem perpetrare in via, ſatis longè ab eo loco, in quo Senatus habebatur, ne Senatus eo nomine argui poſſet.

ἕτοιμοί ἐσμεν τοῦ ἀνελεῖν αὐτόν. *parati ſumus interficere illum*] Hîc quoque τοῦ abundat, ut aliquoties: nam ſupra dixit, ἑτοίμως ἔχω ἀποθανεῖν [*mori paratus ſum*]. Sic & infra 20. συνέθεντο τοῦ ἐρωτῆσαι [*conſtituerunt rogare*].

16. ὁ υἱὸς τῆς ἀδελφῆς τοῦ Παύλου, *filius ſororis Pauli*] Paulum habens avunculum.

τὸ ἔνεδρον, *inſidias*] Infra dixit ἐνέδραν XXV, 3. Vtrumque Græcum eſt, & apud interpretes Græcos ſæpe reperitur. ἐνέδρα etiam I Macc. I, 38. ἔνεδρον Sapient. XIV, 2. I Maccab. IX, 40. X, 8. XI, 8, 69.

παραγενόμενος, *venit*] *Ideo quod adfuiſſet conſilio*, nimirum ignorantibus Iudæis illis neceſſitudinem juvenis hujus cum Paulo.

καὶ εἰσελθὼν εἰς τὴν παρεμβολὴν, *& intravit in caſtra*] In eum locum in quo Paulus aſſervabatur. Supra 10.

17. ἕνα τῶν ἑκατοντάρχων, *unum ex Centurionibus*] Quales decem erant ſub illo Præfecto, ſi cohors eſſet millenaria, alioqui pauciores. Vide ſupra XXII, 26.

ἀπάγαγε πρὸς τὸν χιλίαρχον· *perduc ad Tribunum*] Nihil petiit à Præfecto: ſed credidit eum pro æquitate Romana facilè reperturum malo illi imminenti remedium.

18. Ὁ μὲν οὖν παραλαβὼν αὐτὸν, *Et ille quidem aſſumens eum*] Ipſum juvenem ſecum deduxit, ut Præfectus ex ipſius ore cuncta certiùs cognoſceret.

19. Ἐπιλαβόμενος δὲ τῆς χειρὸς αὐτοῦ, *Apprehendens autem manum illius*] *Manu prehenſum*, ut iis ſolemus facere, quos ex turba abducimus.

21. Σὺ οὖν μὴ πεισθῇς αὐτοῖς· *Tu verò ne credideris illis*] Hoc juvenis addidit, ex pio in avunculum affectu.

καὶ νῦν ἕτοιμοί εἰσι, *& nunc parati ſunt*] *Parati ſunt*, nempe *ad eum occidendum.* Supra 15.

προσδεχόμενοι τὴν ἀπό σου ἐπαγγελίαν. *exſpectantes promiſſum tuum*] *Nuntium abs te.* Sic enim ἐπαγγελία ſumitur Eſther. IV, 7. & Ezech. VII, 26. & ἐπαγγέλλειν, *annuntiare*, Sirach. XVI, 26.

22. ἀπέλυσε τὸν νεανίαν, *dimiſit adoleſcentem*] *Dimiſit à ſe juvenem.*

παραγγείλας μηδενὶ ἐκλαλῆσαι ὅτι ταῦτα ἐνεφάνισας πρός με. *præcipiens ne cui loqueretur, quoniam hæc nota ſibi feciſſet*] Transitio ab indirecta oratione ad directam, frequens Hebræis, ſed & aliis ſcriptoribus.

23. δύο τινὰς τῶν ἑκατοντάρχων, εἶπεν, Ἑτοιμάσατε στρατιώτας διακοσίους, *duobus Centurionibus, dixit illis, Parate milites ducentos*] Quiſque centum milites qui ſub ſe erant. Martialis,

Vare, Parætonias Latiâ modò vite per urbes
Nobilis, & centum dux memorande viris.

καὶ ἱππεῖς ἑβδομήκοντα, *& equites ſeptuaginta*] Solent peditibus equites attribui qui eis præſidio ſint. Hic numerus paulò plus quàm duas turmas facit.

καὶ δεξιολάβους διακοσίους, *& lancearios ducentos*] Manuſcriptus, δεξιοβόλους διακοσίους [*jaculatores ducentos*]. Legionibus Romanis aderant auxilia è milite externo, armata leviùs. In iis præter funditores, erant *qui tela manu mitterent*; Hi videri poſſent dicti δεξιοβόλοι, nec aliter legére & accepere Syrus & Arabs. Verùm Suidas & Etymologiæ ſcriptor δεξιολάβους interpretantur παραφύλακας [*ſtipatores*]. Putat Meurſius intelligi eos qui carceri datos aſſervabant, & prehendebant eos qui prehendi jubebantur. Conſtantinus Porphyrogenneta, Οἱ δὲ λεγόμενοι τουρμάρχαι εἰς ὑπουργίαν τῶν στρατηγῶν ἐτάχθησαν· σημαίνει δὲ τοιοῦτον ἀξίωμα τὸν ἔχοντα ὑφ᾽ ἑαυτὸν στρατιώτας τοξοφόρους πεντακοσίους, καὶ πελταστὰς τριακοσίους καὶ δεξιολάβους ἑκατόν [*Qui turmarum appellantur Præfecti ad exſequenda Prætorum juſſa conſtituti ſunt. Denotat autem hæc dignitas eum qui quingentos ſub ſe ſagittarios, trecentos peltatos, ſtipatores centum habet*].

habet]. Sed fieri poteſt ut ex hoc loco Lucæ malè lecto & intellecto id nomen in ſerioris ævi militiam penetraverit.

ἀπὸ τρίτης ὥρας τῆς νυκτός. *à tertia hora noctis*] Frequens eſt in Syria noctibus iter facere ob calores diurnos. Verùm hîc hoc conſilium eò pertinebat, ne in ipſo itinere inſidiæ fierent, ante deducto Paulo quàm ad conjuratos ejus rei notitia perveniret.

24. Κτήνη τε παραστῆσαι, *Et jumenta præparate*] Contra quàm modò transit hîc oratio à directa in indirectam.

ἵνα ἐπιβιβάσαντες τὸν Παῦλον· *ut imponentes Paulum*] Vide Lucæ x, 34. xix, 35.

πρὸς Φήλικα τὸν ἡγεμόνα· *ad Felicem Præſidem*] Felix hic Pallantis, qui apud Claudium omnia potuit, frater fuit, *Iudææ impoſitus, & cuncta malè facta ſibi impunè ratus tantâ potentiâ ſubnixo*, ut ait Tacitus Annalium xii, qui de eodem Hiſtoriarum v, *Antonius Felix, per omnem ſævitiam ac libidinem, jus regium ſervili ingenio exercuit.* Nihil minùs quàm Arcadiæ Regibus ortus, quod illorum adulatores plebi perſuadere volebant. Et hic tamen homo, ſervili & ortu & ingenio, non *cohortibus* tantùm *aliſque, & provinciæ Iudææ præpoſitus* fuit, ſed & *trium Reginarum maritus*, teſte Suetonio in Claudii vita 28. quod intellige non eodem tempore, ſicut quidam malè interpretantur illud μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα [*unius uxoris virum*] apud Paulum; ſed aliâ mortuâ aliam: & *reginas* intellige Regum filias & neptes, quomodo Antigone & Electra ἄνασσαι [*Reginæ*] apud Tragicos. Harum Reginarum una fuit Druſilla infra nominata xxiv, 24, Agrippæ Regis ſoror, cui ad adipiſcendam Cæſarum gratiam nomen datum ex ea familia quæ tum imperabat, unde & Agrippa ipſe habebat nomen.

τὸν ἡγεμόνα. *Præſidem*] Iudææ Procuratorem vice Præſidis. Vide quæ dicta ad Matth. xxvii, 2.

25. περιέχουσαν τὸν τύπον τοῦτον. *continentem hæc*] *Hoc tenore*, ut loquitur Cicero. Hinc τύπους pro *epiſtolis* uſurpat Zonaras ad Canonem xxxix Concilii in Trullo. In Gloſſario τύπος, *formata, forma*. Sumitur pro *exemplari* 1 Petri v, 3.

26. τῷ κρατίστῳ ἡγεμόνι, *optimo Præſidi*] Κράτιστος [*optimus*] titulus poſitorum in dignitate. Vide ad Luc. 1, 3.

27. καὶ μέλλοντα ἀναιρεῖσθαι ὑπ' αὐτῶν, *& incipientem interfici ab eis*] Id eſt, *cùm jam prope eſſet ut ab eis interficeretur.* Hoc ſenſu μέλλειν invenitur etiam apud Thucydidem, Demoſthenem & alios.

ἐπιστὰς σὺν τῷ στρατεύματι, *ſuperveniens cum exercitu*] Bene vertitur *ſuperveniens*, ut ſupra iv, 1.

μαθὼν ὅτι Ῥωμαιός ἐστι. *cognito quia Romanus eſt*] Aoriſtus hîc nullum certum tempus deſignat; & tantum valet quantum καὶ ἔμαθον [*& cognoveram*].

28. εἰς τὸ συνέδριον αὐτῶν. *in concilium eorum*] Vide ſupra xxii, 30.

29. περὶ ζητημάτων τοῦ νόμου αὐτῶν, *de quæſtionibus Legis ipſorum*] Vide ſupra xviii, 15.

μηδὲν δὲ ἄξιον θανάτου ἢ δεσμῶν ἔγκλημα ἔχοντα. *nihil verò dignum morte aut vinculis habentem crimen*] Nullius criminis reum quod Romanæ leges morte puniant aut vinculis coërceant: non ſigniferum rebellionis, non homicidam, non ſeditioſum.

30. Μηνυθείσης δέ μοι ἐπιβουλῆς εἰς τὸν ἄνδρα μέλλειν ἔσεσθαι, *Et cùm mihi perlatum eſſet de inſidiis quas paraverunt illi*] Sermonem ita incepit quaſi dicturus eſſet μελλούσης [*eventuris*]· dixit autem μέλλειν [*evenire*] quaſi præceſſiſſet μηνυθέντος δέ μοι ἐπιβουλῶν [*cùm verò indicatæ eſſent mihi inſidiæ*]. Ita ſæpe conſtructio fit ad ſenſum magis quàm ad verba, ut diximus Epheſ. 1, 13.

παραγγείλας καὶ τοῖς κατηγόροις λέγειν τὰ πρὸς αὐτὸν ἐπὶ σοῦ. *denuntians & accuſatoribus ut dicant apud te*] Ex more Romano. infra 35. xxv, 16.

Ἔρρωσο, *vale*] Quæ ſolennis epiſtolarum clauſula. Vide ſupra xv, 29.

31. εἰς τὴν Ἀντιπατρίδα, *in Antipatridem*] Vrbs eſt Iudææ ad Occidentem Iordanis. Vide Ptolemæum.

32. ὑπέστρεψαν, *reverſi ſunt*] Pedites ducenti gravioris armaturæ, & totidem jaculatores. Neque enim opus tam multis erat, cùm jam longiùs abitum eſſet ab Hieroſolymis, ubi erant conjurati. Adverſùs vulgaria itinerum pericula ſufficiebat equeſtre præſidium.

εἰς τὴν παρεμβολήν. *in caſtra*] In Antoniam.

33. οἵτινες, *qui*] Hoc ad remotius, id eſt, ad equites referendum.

εἰσελθόντες εἰς Καισάρειαν, *cùm veniſſent Cæſaream*] Vbi tum fortè erat Felix, ut ſolebant Præſides provinciam perambulare. *Cæſaream*, nempe *Stratonis*.

παρέστησαν καὶ τὸν Παῦλον αὐτῷ. *ſtiterunt coram eo & Paulum*] Bene vertitur *ſtiterunt*. Sic ubi in Digeſtis eſt *judicio ſiſtere*, Græca Baſilica habent παριστᾶν. Paulus non dixit Centurionibus aut equitibus illicitum eſſe quod agebant, ſed uſus eſt beneficio publicæ tutelæ. Patres in Africano Concilio cap. 83, *Quorum contra furorem poſſimus non inſolita nec à Scripturis aliena impetrare præſidia; quomodo Apoſtolus Paulus, ſicut in Apoſtolorum Actibus fidelibus notum eſt, factioſorum conſpirationem militari etiam ſubmovit auxilio.*

34. ἐκ ποίας ἐπαρχίας ἐστὶ, *de qua provincia eſſet*] Ἐπαρχία eſt *provincia* etiam infra xxv, 1. Nec aliter *provinciam* appellant Græci qui Romanas res ſcripſere. In Gloſſario quoque ἐπαρχία, *Provincia*.

35. Διακούσομαί σου, ἔφη, ὅταν καὶ οἱ κατήγοροί σου παραγένωνται. *Audiam te, inquit, cùm & accuſatores tui venerint*] Iuxta dictum vetus,

> Μηδὲ δίκην δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.
> [*Ni priùs audieris ambos, ne judicium fer*].

Eſt autem διακούειν idem quod ἀκούειν [*audire*], ut apparet Deut. 1, 16. Iob. ix, 33. Vtuntur ſic & Plato & Plutarchus.

ἐν τῷ πραιτωρίῳ τοῦ Ἡρώδου, *in prætorio Herodis*] Nempe quod erat Cæſareæ. Vide ſupra xii, 19. & ſequentibus. *Prætorium* à *Prætore* Romano, id eſt, Imperatore nomen habet: ſed, ut fieri ſolet, cœpit proferri latiùs ejus vocis uſus ad *omnes domos virorum illuſtrium*. Vide Matth. xxvii, 27. Marc. xv, 16. Ioh. xviii, 28. 33. xix, 9. Philip. 1, 13. Et apud ruſticæ rei ſcriptores *prætorium* eſt pars villæ in qua dominus habitat.

CAPVT XXIV.

Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας, *Poſt quinque autem dies*] In Manuſcripto, μετὰ δέ τινας ἡμέρας, [*poſt dies aliquot*].

κατέβη, *deſcendit*] Ab Hieroſolymis mare verſus qui eunt, *deſcendere* dicuntur.

Ἀνανίας μετὰ τῶν πρεσβυτέρων, *Ananias cum Senioribus*] Meliùs Manuſcriptus, Μετὰ πρεσβυτέρων τινῶν, *cùm aliquibus è Senatu*. Supra XXIII, 14.

καὶ ῥήτορος Τερτύλλου τινὸς, *& Tertullo quodam Oratore*] Homine Romano, qui & linguam Romanam & actionum formulas meliùs noſſet. Ῥήτωρ Græcis eſt *Orator*: Latini eam vocem Græcam magis de *dicendi magiſtris* uſurpant, quos Græci σοφιστὰς vocant.

ὅιτινες ἐνεφάνισαν τῷ ἡγεμόνι, *qui adierunt Præſidem*] Ἐμφανίζειν, eſt *indicium facere*, ut vidimus ſupra XXIII, 15, 22. & Eſther II, 22. In Gloſſario, ἐμφανίζω, *allego, intimo*. Quare hîc ſenſum eſſe arbitror, *Accuſationem attulere*, *Reum egere Paulum*, *Inſcripſere in crimen more Romano*.

2. Κληθέντος δὲ αὐτοῦ, *& citato eo*] Id eſt, *adduci juſſo*. Nam ſub militari cuſtodia ſervabatur.

3. Πολλῆς εἰρήνης τυγχάνοντες διὰ σοῦ, *Cùm in multa pace agamus per te*] Inter præcepta Rhetorica eſt Iudicem laudando ſibi benevolum reddere, quod nec Paulus ignoravit, ut apparet infra 10, & XXVI, 2, 3. Vide Ciceronis exordia pro Roſcio Amerino, pro Milone, & alia. Ambroſius libro VI. de Sacramentis capite ultimo, *Vnde & Oratores iſti ſapientes hanc habent diſciplinam, ut Iudicem fautorem ſibi præſtent: incipiunt enim à laudibus ejus, ut benevolum ſibi faciant cognitorem.*

καὶ κατορθωμάτων γινομένων τῷ ἔθνει τούτῳ διὰ τῆς σῆς προνοίας, *& præclara opera fiant in Gente hac per tuam providentiam*] Meliùs Manuſcriptus, διορθωμάτων. Κατόρθωμα apud Philoſophos, ut Cicero nos docet, eſt *factum exactum ad perfectiſſimam ſapientiæ regulam*; ſed voce διορθωμάτων ſignificatur, *multa à Felice in rebus ad Iudæos pertinentibus fuiſſe in melius reſtituta*: nam hoc eſt διορθοῦν, Hebræis כון [*rectè diſponere*] & ita accepit Syrus.

4. Ἵνα δὲ μὴ ἐπὶ πλεῖόν σε ἐγκόπτω, *Ne diutius autem te protraham*] In Gloſſario, ἐγκόπτω, *impedio*: & ita ſumit Paulus Rom. XV, 22. Gal. V, 7. I Theſſ. II, 18. Impedit autem à negotiis Præſidem, qui diu alloquendo eum detinet. Eſt & hoc inter Rhetorica artificia, polliceri ſe brevem fore, præſertim apud occupatos.

τῇ σῇ ἐπιεικείᾳ. *pro tua clementia*] *Ea humanitate quâ ſoles*. Solent conjungi ἐπιείκεια [*æquitas*] & πραότης [*clementia*]. Intelligitur hîc *facilitas & patientia in audiendo*.

5. Εὑρόντες γὰρ τὸν ἄνδρα τοῦτον λοιμὸν, *Invenimus enim hunc hominem peſtiferum*] Sic Cicero dixit, *peſtem civitatis*, pro Rabirio: *peſtem patriæ*, pro Seſtio: *ſtes imperii*, pro Deiotaro.

καὶ κινοῦντα στάσιν πᾶσι τοῖς Ἰουδαίοις τοῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην, *& concitantem ſeditiones omnibus Iudæis in univerſo orbe*] Idem ſenſus qui ſupra XVII, 6.

πρωτοστάτην τε, *& auctorem*] In Gloſſario πρωτοστάτης, *princeps*. Sic vocantur qui in arte, qui in convivio, qui in judicio aut re quavis alia primarium locum obtinent. Sic Cyprianus in ſententia proconſulari dicitur *auctor iniqui nominis & ſignifer*.

τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, *ſectæ Nazarenorum*] Ita in Iudæa vocabantur qui extra Iudæam Chriſtiani, nempe à Domino ipſorum Ieſu *Nazareno*. Et ſic hodie quoque Iudæi & Mahumetiſtæ Chriſtianos appellant. Vide quæ diximus ad initium Matthæi.

6. Ὃς καὶ τὸ ἱερὸν ἐπείρασε βεβηλῶσαι, *Qui etiam templum violare conatus eſt*] Introductis alienigenis. Falſum crimen.

ὃν καὶ ἐκρατήσαμεν, *quem & apprehenſum*] Recta locutio fuerat, αὐτὸν ἐκρατήσαμεν [*ipſum apprehendimus*]. Alioqui eſt ἀνακόλουθον [*inconſequens*], nec illud εὑρόντες [*invenimus*] verbum habet quod ei reſpondeat. Sed ſimilia paſſim apud bonos auctores reperiuntur, maximè verò apud noſtros. Simile quid notavimus Eph. I, 13.

καὶ κατὰ τὸν ἡμέτερον νόμον ἠθελήσαμεν κρίνειν. *voluimus ſecundùm legem noſtram judicare*] Nempe tanquam eum qui alienigenas in Templum induxiſſet: in quo crimine capitalis pœnæ ipſis permiſſa erat exſecutio, ut diximus ſupra XXI, 28.

7. Παρελθὼν δὲ Λυσίας, *Superveniens autem Lyſias*] Idem quod ἐπιστὰς ſupra XXIII, 27. Scholiaſtes Thucydidis, Ἐπελθόντες, ἐπὶ ξένων· παρελθόντες, ἐπὶ ἰδίων [*Advenientes, de hoſpitibus; accedentes, de ſuis dicitur*]. Alibi, Ἐπέρχεται ὁ ξένος. παρέρχεται ὁ πολίτης [*Advenit peregrinus, accedit civis*]. Idem, Τὸ παρελθεῖν, τὸ αὐτίκα δηλοῖ [*Acceſſiſſe, hoc denotat extemplo acceſſiſſe*]. Sic & Athenæus, Αὐλῳδοὶ δὲ παρῆλθον [*Ingreſſi ſunt autem tibicines*].

βίᾳ πολλῇ ἐκ τῶν χειρῶν ἡμῶν ἀφείλετο. *cùm vi magna eripuit eum de manibus noſtris*] Vim vocant opem vim prohibentis.

8. Κελεύσας καὶ τοὺς κατηγόρους αὐτοῦ ἔρχεσθαι, *Iubens accuſatores ejus venire*] Supra XXII, 30.

παρ' οὗ, *à quo*] Nempe Paulo.

δυνήσῃ αὐτὸς ἀνακρίνας, *poteris ipſe judicans*] *Quæſtione habita per tormenta*: ita rectè accepit hîc Syrus.

9. Συνέθεντο δὲ καὶ οἱ Ἰουδαῖοι, *Adjecerunt autem & Iudæi*] Ananias & Senatores Oratoris ſui dicta approbabant. in Gloſſario συντίθημι, συναινῶ [*approbo*]. Pauſanias, Ἀρριανῷ μὲν οὖν ἔγωγε οὐδαμῶς κατά γε τοῦτο συνθήσομαι [*Arriano equidem hac in parte nullatenus aſſentior*].

10. νεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἡγεμόνος λέγειν· *annuente ſibi Præſide dicere*] Poteſtate loquendi ei facta. Vide ſupra XXI, 39. XXVI, 1.

Ἐκ πολλῶν ἐτῶν, *Ex multis annis*] Geſta enim hæc ſub finem procurationis hujus Felicis: ut patet infra XXVI.

ὄντα σε κριτὴν, *te eſſe Iudicem*] Id eſt, *Rectorem*. Nam שפט, κρίνειν Hebræis eſt etiam *regere*.

τῷ ἔθνει τούτῳ, *genti huic*] Iudææ, Galilææ, Samariæ, Perææ, Ioſephus Belli Iudaïci II, 21. Nam Agrippa habebat Batanæam, Trachonitidem, Gaulonitidem, & regnum Lyſaniæ & præfecturam, quam Varus addiderat.

εὐθυμότερον τὰ περὶ ἐμαυτοῦ ἀπολογοῦμαι· *bono animo pro me ſatisfaciam*] Reo convenit, vultu ac verbis præ ſe ferre fiduciam.

11. Δυναμένου σοῦ γνῶναι, *Potes enim cognoſcere*] Ex teſtibus.

ὅτι οὐ πλείους εἰσί μοι ἡμέραι ἢ δεκαδύο, *quia non plus ſunt mihi dies quàm duodecim*] Vide ſupra XXI, 27.

ἀφ' ἧς ἀνέβην, ex quo adſcendi] Ab hac urbe Cæſareæ.

προσκυνήσων εἰς Ἱερουσαλήμ. adorare in Ieruſalem] Non profanaturus Templum, ſed Deum veneraturus cum Iudæis cæteris.

12. Καὶ οὔτε ἐν τῷ ἱερῷ εὗρόν με πρός τινα διαλεγόμενον, *Et neque in templo invenerunt me cum aliquo diſputantem*] Non hoc dicit, quod crimen eſſet in Templo, poſtquam à ſacrificiis vacabatur, aut in Synagogis, aut inter eundum per vias publicas de Legis & Prophetarum ſenſu diſputare: ſed quò longius omnem criminis ſpeciem à ſe amoveat.

ἢ ἐπισύστασιν ποιοῦντα, aut concurſum facientem] *Concurſum*, contra Leges Romanas. Συστροφὴν ſupra XIX, 40: nam עדה vertitur συστροφή, Iud. XIV, 8. & ἐπισύστασις, Numeror. XVI, 40. Sic & Numeror. XXVI, 9. בהצותם vertitur ἐν ἐπισυστάσει αὐτῶν [*in conjuratione eorum*].

13. Οὔτε παραστῆσαι δύνανταί περὶ ὧν νῦν κατηγοροῦσί μου. *Neque probare poſſunt tibi de quibus nunc me accuſant*] Παρίστασθαι propriè eſt, *hominem exhibere*, ut ſupra IX, 41. XXIII, 33. Impropriè ad res transfertur, & ſignificat *oſtendere*. Sic ἀνδρείαν παρίστασθαι apud Plutarchum: δόξαν παρίστασθαι apud Platonem. *Non poſſunt probare quod intendunt*, nempe aut *ſeditionem à me excitatam*, aut *alienigenas deductos in Templum*. Quod hîc eſt παραστῆσαι [*probare*] infra eſt ἀποδεῖξαι [*demonſtrare*]. XXV, 7. Accuſatore autem non probante, reum abſolvi neceſſe eſt.

14. Ὁμολογῶ δὲ τοῦτό σοι, *Confiteor autem hoc tibi*] Id fatetur quod ad Dei honorem maximè pertinebat, & apud æquum Iudicem nocere ei non poterat, Nempe *eſſe ſe ſectæ ejus quæ Nazaræorum dicebatur*, non tamen contemptorem aut Dei, aut Legis, aut popularium.

κατὰ τὴν ὁδὸν, ſecundùm viam] דרך [*inſtitutum vitæ*].

ἣν λέγουσιν αἵρεσιν, quam dicunt hæreſin] Eſt enim hæc vox non minùs quàm illa Hebræa ſignificationis mediæ, ut apparet ſupra V, 17. XV, 5. & infra XXVI, 5. Ita Ioſephus uſurpat de *Iudæorum ſectis*: de *Philoſophorum* Græci: de *Medicorum* Galenus.

λατρεύω, deſervio] עובד.

τῷ πατρῴῳ Θεῷ, patrio Deo] Deo Patrum, Abrahami, Iſaaci, Iacobi, & cæterorum à quibus ortum duco. Vide ſupra III, 13. V, 30. VII, 32. XXII, 14.

πιστεύων πᾶσι τοῖς κατὰ τὸν νόμον καὶ ἐν τοῖς Προφήταις γεγραμμένοις· credens omnibus quæ in Lege & Prophetis ſcripta ſunt] Vide infra XXVI, 22.

15. Ἐλπίδα ἔχων εἰς τὸν Θεὸν, ἣν καὶ αὐτοὶ οὗτοι προσδέχονται, ἀνάστασιν μέλλειν ἔσεσθαι· *Spem habens in Deum, quam & ii ipſi exſpectant, reſurrectionem futuram*] Vide ſupra XXIII, 6. Ἐλπὶς Helleniſtarum reſpondet ſæpe Hebræo בטח vel מבטח [*fiduciæ*]: ideoque poſt ſe recipit εἰς vel ἐπὶ [*in*] cum accuſativo. *Fiduciam hanc in Deo habeo, futuram reſurrectionem eam quam & iſti exſpectant.*

δικαίων τε καὶ ἀδίκων, juſtorum & iniquorum] Quæ melior erat inter Iudæos ſententia, à Chriſto probata Ioh. V, 29. Matth. XXV, 31, & ſequentibus. Nota præcipuum hoc eſſe fidei objectum.

16. Ἐν τούτῳ δὲ αὐτὸς ἀσκῶ, *In hoc & ipſe ſtudeo*] *Propter hoc*, id eſt, propter hanc fiduciam. Ἀσκῶ, *exerceo*, nempe *memetipſum*: quod apud Helleniſtas ſæpe ſubauditur, quia Hebræi ſæpe pro reciprocis uſurpant modò activa, modò paſſiva.

ἀπρόσκοπον συνείδησιν ἔχων πρὸς τὸν Θεὸν καὶ τοὺς ἀνθρώπους, ſine offendiculo conſcientiam habens ad Deum & ad homines] Meliùs alii codices ἔχειν [*habere*]. *Exerceo me propter illam ſpem, ut conſcientiam ſervem eam quæ nec Deum nec homines offendat.* Vide ſupra XXIII, 1. Vox ἀπρόσκοπος [*ſine offendiculo*] eſt & apud Sirachiden XXXII, 22. apud Paulum 1 Cor. X, 32. Philipp. I, 10. προσκοπὴ & πρόσκομμα reſpondent Hebræis מוקש & נגף quæ id ſignificant, quod Latinum *offenſa*.

17. Δι' ἐτῶν δὲ πλειόνων, *Poſt annos autem plures*] *Poſt annorum aliquot abſentiam*: ſic διὰ [*poſt*] habemus Galat. II, 1. & alibi.

παρεγενόμην, veni] *Veneram Hieroſolyma.*

ἐλεημοσύνας ποιήσων εἰς τὸ ἔθνος μου, eleëmoſynas facturus in gentem meam] Tantum abeſt ut nocere, ultro prodeſſe ipſis volui.

καὶ προσφοράς. & oblationes] Tantum abeſt ut Deum aut Legem contempſerim, obtuli victimas & alia legitimo ritu.

18. Ἐν οἷς, *in quibus*] *In quibus dum occupor.*

εὗρόν με ἡγνισμένον, invenerunt me purificatum] נזיר, *in caſto*, abſtinentem à vino aliiſque rebus à quibus Nazaræi abſtinent. Vide ſupra XXI, 24, 26.

οὐ μετὰ ὄχλου, non cum turba] Sine concurſu. Vide ſupra 12.

οὐδὲ μετὰ θορύβου, neque cum tumultu] Sine vi. In Gloſſario, θόρυβος, *tumultus, turba*. Vide Matth. XXVI, 5. XXVII, 24. Marci V, 38. XIV, 2. Act. XXI, 24. Reſpondet Hebræo מהומה & פחא. *Nec de vi publica, nec de privata teneor.*

τινὲς δὲ ἀπὸ τῆς Ἀσίας Ἰουδαῖοι, quidam autem ex Aſia Iudæi] Supra XXI, 27.

19. Οὓς ἔδει ἐπὶ σοῦ παρεῖναι καὶ κατηγορεῖν εἴ τι ἔχοιεν πρός με· ἢ αὐτοὶ οὗτοι εἰπάτωσαν, *Quos oportebat apud te præſto eſſe & accuſare, ſi quid haberent adverſùm me; aut hi ipſi dicant*] Hæc poſtrema per parentheſin legenda.

20. εἴ τι εὗρον ἐν ἐμοὶ ἀδίκημα, *ſi quid invenerunt in me iniquitatis*] In Manuſcripto, τί εὗρον [*quid invenerunt*], interrogativè. Optimè ſic ſenſus cohæret, *Quid maleficii*, inquit, *in me probarunt, cùm apud Synedrium res acta eſt?*

Ἢ περὶ μιᾶς ταύτης φωνῆς, ἧς ἔκραξα ἐν αὐτοῖς· Ὅτι περὶ ἀναστάσεως νεκρῶν ἐγὼ κρίνομαι σήμερον ὑφ' ὑμῶν. *Niſi de una hac ſolummodo voce quâ clamavi inter eos ſtans, Quoniam de reſurrectione mortuorum ego judicor hodie à vobis*] Niſi hoc crimen eſſe volunt, quod palàm profeſſus ſum credere me mortuos à Deo poſſe reſuſcitari.

22. ἀνεβάλετο αὐτοὺς, *diſtulit illos*] Optimè vertunt qui vertunt, *Ampliavit eos*. Loquitur ſic Cicero pro Cæcinna, & tertiâ Verrinâ. Livius libro IV. Solennis vox Iudicis diffindentis erat *Ampliùs*, ſupple *cognoſcendum*. Meminit Cicero Bruto, Aſconius ad tertiam Verrinam, Donatus ad Eunuchum.

ἀκριβέστερον εἰδὼς τὰ περὶ τῆς ὁδοῦ, εἰπών· Ὅταν Λυσίας ὁ χιλίαρχος καταβῇ διαγνώσομαι τὰ καθ' ὑμᾶς. Certiſſimè ſciens de via hac dicens, Cùm Tribunus Lyſias deſcenderit audiam vos] Sequor eos qui εἰπὼν hîc inter media verba cenſent interponi, hoc ſenſu, *Vbi exactiùs didicero quid ſit de hac ſecta, & ubi Lyſias venerit, cauſam iſtam terminabo.* Nam διαγινώσκειν eſt *definire cauſam*; διὰ enim in compoſitione ſæpe *conſummationem* ſignificat. Statum hujus controverſiæ videbat Felix partim eſſe legalem, partim inficialem. Legalis erat, An ſecta Nazarena eſſet contra Legem Iudæorum: Inficialis, An Paulus concurſum aut tumultum concitâſſet. De priore audiendi erant complures viri eruditi, præter accuſatores: at de altero teſtis certus erat ipſe Lyſias. Quare meritò interlocutus eſt Felix.

23. Διαταξάμενός τε τῷ ἑκατοντάρχῃ, *Iuſſitque Centurioni*] Alicui centurioni ex Cæſarcenſibus.

τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον, *cuſtodire Paulum*] Neque enim ante abſolutionem planè dimitti poterat. L. Neque. D. de cuſtodia reorum.

ἄνεσιν ἔχειν, *& habere requiem*] Nempe à vinculis. In Gloſſario ἄνεσις, *laxatio.*

καὶ μηδένα κωλύειν τῶν ἰδίων αὐτοῦ ὑπηρετεῖν ἢ προσέρχεσθαι αὐτῷ. *nec quenquam de ſuis prohibere miniſtrare ei*] Hoc pro dignitate perſonæ conſtituit, quia civem Romanum eſſe intellexerat. L. 1. D. de cuſtodia reorum, dicto jam titulo.

24. παραγενόμενος ὁ Φῆλιξ, *veniens Felix*] Nam exierat ad uxorem accerſendam.

σὺν Δρουσίλλῃ τῇ γυναικὶ αὐτοῦ οὔσῃ Ἰουδαίᾳ, *cum Druſilla uxore ſua quæ erat Iudæa*] Hæc ſoror Agrippæ, relicto contra Legem marito Azizo Emeſenorum Rege circumciſo, Felicem hominem incircumciſum, ſui amore tactum, ſecuta, nuptias cum eo fecerat. Ioſephus xx. Annalium 6. Erat autem hæc ipſa Druſilla neptis Antonii & Cleopatræ, teſte Tacito Hiſtoriarum v. Vide quæ dicta ſupra xxiii, 24.

μετεπέμψατο τὸν Παῦλον, *vocavit Paulum*] *Adduci juſſit*, ut ſupra 2.

περὶ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως. *fidem quæ eſt in Chriſtum*] Vt priorem partem ſui in hac re officii exſequeretur.

25. Διαλεγομένου δὲ αὐτοῦ περὶ δικαιοσύνης καὶ ἐγκρατείας, *Diſputante autem illo de juſtitia & caſtitate*] Quæ duo, præter Dei cultum, Religio Chriſtiana exigit in ſummo gradu, Tit. 1, 8. 11, 12.

καὶ τοῦ κρίματος τοῦ μέλλοντος ἔσεσθαι, *& judicio futuro*] Etiam in malos: ſupra 15.

ἔμφοβος γενόμενος ὁ Φῆλιξ, *tremefactus Felix*] *Metuens ſibi*, ſi res ſic ſe haberet: conſcius ſibi vitæ flagitioſæ, ut Tacitus nos docet Annalium xii. Non erat juſti hominis, *ſervili ingenio*, id eſt, *per omnem ſævitiam ac libidinem exercere jus regium*: quod de eodem Felice dicit Tacitus Hiſtoriarum v: non erat continentis, à marito nolente uxorem abducere.

Τὸ νῦν ἔχον πορεύου· *Quod nunc attinet, vade*] Id eſt, *ut nunc ſe res habent, abeas.* Non vaco nunc ejuſmodi diſſertationibus.

26. Ἅμα δὲ καὶ ἐλπίζων ὅτι χρήματα δοθήσεται αὐτῷ ὑπὸ τοῦ Παύλου, *Simul & ſperans quòd pecunia ei daretur à Paulo*] Nempe quia & civem Romanum eſſe intellexerat, & principem ſectæ multorum millium. Pertinebat & hoc ad ſervile illud ingenium, eratque contrarium tum Hebræis legibus, Exod. xxiii, 8. Deut. xvi, 19, tum & Romanis, Lege 1, 3. & 4. D. ad Legem Iuliam Repetundarum.

διὸ καὶ πυκνότερον αὐτὸν μεταπεμπόμενος, *propter quod & frequenter accerſens eum*] *Sæpius ad ſe adduci jubens*: ut ſupra xxiv, 24. infra xxv, 6.

ὡμίλει αὐτῷ. *loquebatur cum eo*] *Colloquebatur cum eo.* מלל אליו.

27. Διετίας δὲ πληρωθείσης, *Biennio autem expleto*] *Biennio reatûs Pauli expleto.*

ἔλαβε διάδοχον ὁ Φῆλιξ Πόρκιον Φῆστον· *accepit ſucceſſorem Felix Porcium Feſtum*] Vide Ioſephum Antiquæ Hiſtoriæ xx, 7. & Belli Iudaïci ii, 24.

Θέλων τε χάριτας καταθέσθαι τοῖς Ἰουδαίοις ὁ Φῆλιξ, *Volens autem gratiam præſtare Iudæis Felix*] *Gratificari volens Iudæis*, ut innocentis incommodo iras populi redimeret. Qua de cauſa Pilatus quoque Chriſtum ſupplicio affecit. Multa ſæva & iniqua in Iudæos patraverat Felix, quorum accuſatus apud Neronem, per fratris Pallantis potentiam pœnæ ereptus eſt, teſte Ioſepho Antiquæ Hiſtoriæ xx, 7. χάριν καταθέσθαι [*gratiam præſtare*], locutio eſt bene Græca, Demoſtheni quoque uſitata & Xenophonti: quales locutiones non paucas habet Lucas, ubi non alios inducit loquentes, ſed ipſe loquitur, & quidem de rebus ad religionem non pertinentibus.

CAPVT XXV.

Ἐπιβὰς τῇ ἐπαρχίᾳ, *Cùm veniſſet in provinciam*] *Cùm in provinciam perveniſſet*, ut loquitur Trajanus ad Plinium 27: *ingreſſus fines provinciæ*, ut Vlpianus L. obſervare. §. aliquam. D. de officio Proconſulis: *ingreſſus provinciam*, ibidem §. poſt hæc.

ἀνέβη εἰς Ἱεροσόλυμα ἀπὸ Καισαρείας. *adſcendit Ieroſolymam à Cæſarea*] Nam & hoc obſervare debebant Præſides in quam primùm civitatem venirent vel applicarent, d. L. §. ingreſſus.

2. Ἐνεφάνισαν δὲ αὐτῷ ὁ ἀρχιερεὺς καὶ οἱ πρῶτοι τῶν Ἰουδαίων κατὰ τοῦ Παύλου, *Adieruntque eum Princeps Sacerdotum & primi Iudæorum adversùs Paulum*] Id eſt, *accuſationi in Paulum cœptæ inſtitere.* ut xxiv, 1. οἱ πρῶτοι [*primi*] hîc, qui ſupra πρεσβύτεροι [*Seniores*].

καὶ παρεκάλουν αὐτόν. *& rogabant eum*] In Gloſſario, παρακαλῶ, *oro, obſecro, rogo.*

3. Αἰτούμενοι χάριν, *Poſtulantes gratiam*] Χάρις hîc eſt *beneficium*, ut apud Græcos ſæpe, ut

Ἁ χάρις ἁ βραδύπους ἄχαρις χάρις ----
[*Gratia quæ tarda eſt ingrata eſt gratia ----*].

ἐνέδραν ποιοῦντες ἀνελεῖν αὐτὸν κατὰ τὴν ὁδόν. *inſidias tendentes ut interficerent eum in via*] Clandeſtinâ ſicariorum uſuri operâ, ita, ut auctoritatem poſſent defugere.

ἀπεκρίθη τηρεῖσθαι τὸν Παῦλον ἐν Καισαρείᾳ, *reſpondit ſervari Paulum in Cæſarea*] Id eſt, Bene cum ibi ſervari, nec quicquam cauſæ eſſe cur transferretur, cùm ibi non minùs, quàm Hieroſolymis accuſari poſſit. Romani Præſides non ſemper in una urbe jus dicebant, ſed ubicunque erant.

ἑαυτὸν δὲ μέλλειν ἐν τάχει ἐκπορεύεσθαι. *ſe autem maturius profecturum*] Hieroſolymis nempe Cæſaream.

5. Οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν, *Qui ergo in vobis potentes ſunt*] *Quibus commodum erit.* Ita hîc accepit Syrus. Sic dici ſolebat, *Queis commodum eſt, exſequias, te.* δυνατοὶ, אשר יכלו [*qui poſſunt*].

συγκαταβάντες, *deſcendentes ſimul*] *Mecum deſcendentes.* Ita loquitur, quia Cæſarea eſt ad mare.

εἴ τι ἐστιν ἐν τῷ ἀνδρὶ τούτῳ, *ſi quid eſt in hoc viro*] Nempe quod accuſare velint, ex ſequentibus. Nam vox ἄτοπον [*crimen*] non eſt in plerisque libris, & videtur adſcripta ex Gloſſemate. Sic Latinè dicimus, *Si quid habes.*

6. Διατρίψας δὲ ἐν αὐτοῖς, *Demoratus autem inter eos*] Ἱεροσολύμοις [*Hieroſolymis*] ſcilicet.

ἡμέρας οὐ πλείους ἢ ὀκτὼ, *dies non ampliùs quàm octo*] Alii libri οὐ πλείους ἢ δέκα [*non ampliùs quàm decem*]: At Manuſcriptus, οὐ πλείους ὀκτὼ ἢ δέκα [*non ampliùs quàm octo vel decem*], quod verum puto. Nam & Latinus ſic legit, & Syrus, & Arabs. Solemus ſic loqui ubi ad numerum exactè definiendum notitia aut memoria non ſuppetit. Sic ὡσεὶ [*ferè*] ſæpe uſurpant ſancti Scriptores: ut Matth. XIV, 21. Marci VI, 44. Luc. IX, 14. XXII, 41. XXIII, 44. Ioh. VI, 10. ſupra II, 41. V, 36. X, 3.

καθίσας ἐπὶ τοῦ βήματος, *ſedit pro tribunali*] Erant quæ de plano fieri poterant, majora non niſi pro tribunali. Hæc enim inter ſe opponuntur apud Suetonium, Paulum & Papinianum.

ἐκέλευσε τὸν Παῦλον ἀχθῆναι. *& juſſit Paulum adduci*] *Ad ſe duci.*

7. Περιέστησαν, *circumſteterunt*] *Circumſtetére tribunal.*

οἱ ἀπὸ Ἱεροσολύμων καταβεβηκότες, *qui ab Hieroſolymis deſcenderant*] Legati à Senatu.

αἰτιάματα, *cauſas*] Rectè ſic, non ut alii libri habent αἰτιώματα. Dicitur αἰτίαμα [*cauſa*] eâ formâ quâ θέμα [*thema*], ἀκρόαμα [*acroama*], & ſimilia.

ἃ οὐκ ἴσχυον ἀποδεῖξαι. *quas non poterant probare*] Supra παραστῆσαι [*probare*] XXIV, 13. Vetus eſt dictum, *Si accuſaſſe ſufficiet, quis innocens erit?*

8. ἀπολογουμένου αὐτοῦ, ὅτι, *eo rationem reddente, Quoniam*] Illud ὅτι [*quoniam*] hîc abundat Helleniſtarum more. Sequitur enim directa oratio.

οὔτε εἰς τὸν νόμον τῶν Ἰουδαίων, *neque in legem Iudæorum*] Legem enim perpetuò obſervavi.

οὔτε εἰς τὸ ἱερὸν, *neque in Templum*] Templum piè adii, nec quenquam in eo induxi alienigenam.

οὔτε εἰς Καίσαρά τι ἥμαρτον. *neque in Cæſarem quicquam peccavi*] Non docui rebellionem: nihil feci dixive contra Cæſaris imperium.

9. θέλων χάριν καταθέσθαι, *volens gratiam præſtare*] Eadem locutio, quæ ſupra XXIV, 27.

ἀποκριθεὶς τῷ Παύλῳ, *reſpondens Paulo*] *Alloquens Paulum*: nam ſic ἀποκρίνεσθαι [*reſpondere*] ſæpe ponitur & apud hos & apud alios Scriptores. Vide ſupra III, 12.

ἐκεῖ περὶ τούτων κρίνεσθαι ἐπ' ἐμοῦ; *ibi de his judicari apud me?*] *Viſne à Synedrio judicari me præſente?* Sic ἐπὶ & infra ſumitur XXVI, 2. Habebat Synedrium juriſdictionem quandam in Iudæos, ſed civitatis Romanæ jus validius erat jure Synedrii. Itaque invitus cogi non poterat illos agnoſcere Iudices. Solebant Præſides interdum adeſſe ordini civitatis. L. 1, §. ſed etſi. D. quando appellandum ſit.

Εἶπε δὲ ὁ Παῦλος. *Dixit autem Paulus*] Et Iudices illos, & urbem, & iter ipſum reformidans.

10. Ἐπὶ τοῦ βήματος Καίσαρος ἑστώς εἰμι, *Ad tribunal Cæſaris ſto*] Rectè *Tribunal Cæſaris* vocat id quod Procurator habebat nomine ac mandato Cæſaris. Vide ad Matth. XXVII, 2. Vlpianus L. 1. D. de officio Procuratoris Cæſaris, *Quæ acta geſtaque ſunt à Procuratore Cæſaris, ſic ab eo comprobantur, atque ſi à Cæſare geſta ſint.*

οὗ με δεῖ κρίνεσθαι· *ubi me oportet judicari*] Nam de cive Romano Præſidum Romanorum erat cognoſcere.

Ἰουδαίους οὐδὲν ἠδίκησα, *Iudæis non nocui*] Ideo judicium tuum non reformido, quia certus ſum nihil à me læſos Iudæos; iniquè eos de me queri.

ὡς καὶ σὺ κάλλιον ἐπιγινώσκεις. *ſicut tu meliùs noſti*] *Meliùs noſti*, ſcilicet *quàm ut opus ſit me ea de re te docere.* Scis id ex Felice & ex eis qui Felici in cognitione adfuerunt.

11. Εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ, *Si enim nocui*] Si id inſtitutum quod ſequor Iudæos injuriâ afficit.

καὶ ἄξιον θανάτου πέπραχά τι, *aut dignum morte aliquid feci*] Et ſi ea injuria talis eſt quæ ſecundùm leges Romanas mortem mereatur.

οὐ παραιτοῦμαι τὸ ἀποθανεῖν· *non recuſo mori*] Simile illud Demetrii apud Livium libro L, *Ego ſi quid impiè in te Pater, ſi quid ſceleratè in fratrem admiſi, nullam deprecor pœnam.*

εἰ δὲ οὐδέν ἐστιν ὧν οὗτοι κατηγοροῦσί μου, *ſi verò nihil eſt eorum quorum hi accuſant me*] *Si nihil in re eſt eorum, de quibus me accuſant.*

οὐδείς με δύναται αὐτοῖς χαρίσασθαι. *nemo poteſt me illis donare*] *Nemo jus habet ut me illis donet.* Sic Herodes apud Ioſephum Belli Iudaïci II, 5. accuſatur, Τὸ τῆς Ἰουδαίας αἷμα κεχαρίσθαι τοῖς ἔξωθεν δήμοις [*populis alienis Iudææ ſanguinem condonaſſe*]. Philo eundem ſenſum ſic eloquitur, Παρακλητεύσει δὲ τυχοῦσά τινος παρὰ σοῦ δωρεᾶς· μεῖζον δ' ἀγαθὸν οὐδὲν αὐτῇ παρέξεις, ἢ τοὺς Ἰουδαίους ἐκδοὺς καὶ προέμενος [*Suſcipiet autem advocationem conſecuta à te aliquod beneficium: ſed nihil potes illi gratius facere, quàm ſi Iudæos dedas ipſiuſque arbitrio permittas*]. Δύναται [*poteſt*] enim hîc ad *facultatem legitimam* refertur. Donat reum inimicis, qui eum ipſorum judicio tradit.

Καίσαρα ἐπικαλοῦμαι. *Cæſarem appello*] Id eſt, *Si me vis Synedrio judicandum tradere* (id enim videbatur agere Feſtus) *ad Cæſarem Neronem appello.* Licebat hoc Romanis legibus in tali caſu: nam ante ſententiam appellari poteſt, ſi quæſtionem in civili negotio habendam Iudex interlocutus ſit, vel in criminali contra leges hoc faciat. L. Ante. D. de Appellationibus recipiendis. Erat autem contra leges Romanas civem Romanum provincialibus hominibus judicandum tradere, & id nolentem. Plinius in Epiſtola de Chriſtianis, *Fuerunt alii ſimilis amentiæ, quos, quia cives Romani erant, annotavi in urbem remittendos.*

12. Τότε ὁ Φῆστος συλλαλήσας μετὰ τοῦ συμβουλίου, *Tunc Feſtus cum conſilio loquutus*] Vt mos erat Romanis Præſidibus agere res magnas de conſilii ſententia. Vide quæ diximus ad Matth. XXVII, 19. μετὰ συμβουλίου, vertendum eſt *cum conſilio*, ut vetus interpres fecit; non ut alii, *cum concilio.*

Καίσαρα ἐπικέκλησαι, ἐπὶ Καίσαρα πορεύσῃ. *Cæſarem appellaſti, ad Cæſarem ibis*] Non opus eſt hîc interrogatione: meliùs enim procedit ſermo, *Cæſarem appellaſti*, id eſt, *quandoquidem ad Cæſarem provocaſti, ad Cæſarem ibis.* Provocatio non erat ſimpliciter facta, ſed ſub conditione: verùm Feſtus libenter arripiebat occaſionem, quâ ſe ab hac moleſtia & invidia liberaret.

13. Ἡμερῶν δὲ διαγενομένων τινῶν, *Et cùm dies aliquot transacti eſſent*] *Cùm dies interceſſiſſent aliquot.* Eadem locutio, Marci XVI, 1. infra XXVII, 9.

Ἀγρίππας ὁ βασιλεὺς, *Agrippa Rex*] Filius ejus Herodis Agrippæ cujus mors ſupra recitata eſt XII. Fuit autem hic Rex Chalcidis primùm, deinde Batanææ, Trachonitidis & Gaulonitidis, quibus addidit Nero Abilam, Iuliada, Tarichæas & Tiberiada. Ioſephus Bello Iudaïco I, 21, 22. Meminit hujus Agrippæ etiam Thalmud Hieroſolymitanum.

καὶ Βερνίκη, *& Bernice*] Soror Agrippæ illius, nupta (quod per legem licebat) patruo ſuo dicto Herodi, & poſt ejus mortem Polemoni Ciliciæ Regi. Vide Ioſephum Ant. hiſt. XIX, 7. de Bello Iudaïco II, 26. & 28. Βερνίκη eſt nomen Macedonicum pro Φερενίκη [*Pherenice*]; nam Macedones φ in β mutabant. Sic & βρύγας [*Bryges*] dicebant pro φρύγας [*Phryges*]. Ita quæ *Berenice* Valerio Maximo VIII, 6. eadem Plinio *Pherenice* VII, 41. Fuit hæc femina infamis in fratre, ut nos docet Ioſephus XX, 5. eóque referendum illud Iuvenalis,

---- Deinde adamas notiſſimus & Berenices
In digito factus pretioſior: hunc dedit olim
Barbarus, inceſtæ dedit hunc Agrippa ſorori.

Falluntur enim Scholiaſtæ, qui aliò hæc trahunt.

14. ἀνέθετο, *indicavit*] Græca vox facta ad modum Latinæ *retulit*. Hebræi dicerent הגיד.

15. ἐνεφάνισαν, *adierunt me*] *Accuſationem attulere.* Vide ſupra XXIV, 1. hoc capite 2.

αἰτούμενοι κατ' αὐτοῦ δίκην. *poſtulantes adversùs illum damnationem*] In Manuſcripto eſt καταδίκην [*condemnationem*].

16. Ὅτι οὐκ ἔστιν ἔθος Ῥωμαίοις χαρίζεσθαί τινα ἄνθρωπον εἰς ἀπώλειαν, πρὶν ἢ ὁ κατηγορούμενος κατὰ πρόσωπον ἔχοι τοὺς κατηγόρους, τόπον τε ἀπολογίας λάβοι περὶ τοῦ ἐγκλήματος. *Quia non eſt Romanis conſuetudo aliquem hominem in exitium donare, priusquam is qui accuſatur præſentes habeat accuſatores, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina*] Quid ſit χαρίζεσθαι ſupra vidimus II. Eſt autem curtata locutio: plena eſſet, *Non eſt Romani moris quenquam in exitium donare alteri, damnando eum antequam & accuſator contra conſtiterit, & ipſe ſui defendendi acceperit copiam.* Idem de Romanis Appianus, Οὐ πάτριον σφίσιν ἀκρίτους καταδικάζεσθαι [*Non ſolent illi inauditos damnare*]. Philo de Præſidibus Romanis, Τότε γὰρ κοινοὺς παρέχοντες ἑαυτοὺς δικαστὰς, ἐξ ἴσου καὶ τῶν κατηγόρων καὶ τῶν ἀπολογουμένων ἀκροώμενοι, μηδενὸς ἀκρίτου προκαταγινώσκειν ἀξιοῦντες, ἐβράβευον οὔτε πρὸς ἔχθραν, οὔτε πρὸς χάριν, ἀλλὰ πρὸς τὴν φύσιν τῆς ἀληθείας τὰ δόξαντα εἶναι δίκαια [*Tum enim illi, auditis ex æquo & accuſatore & reo, æqui judices, cùm ante cauſam cognitam præjudicandum nil putarent, nihil odio aut amore, ſed quod verius & æquius ſibi videretur, id judicabant*]. Attulimus plura huc pertinentia ad titulum Digeſtorum de requirendis vel abſentibus damnandis. κατὰ πρόσωπον eſt *in conſpectu:* ita vertitur לפני Exodi XXX, 6.

17. ἀναβολὴν μηδεμίαν ποιησάμενος, *ſine ulla dilatione*] Ἀναβολὴν ποιεῖν eſt aliquoties apud Plutarchum pro *moram interponere.*

18. οὐδεμίαν αἰτίαν ἐπέφερον, ὧν ὑπενόουν ἐγώ· *nullam cauſam deferebant, de quibus ego ſuſpicabar malum*] De rebellione, de vi armata, de ſeditione.

19. Ζητήματα δέ τινα, *Quæſtiones verò quasdam*] Vide ſupra XXIII, 29.

περὶ τῆς ἰδίας δεισιδαιμονίας, *de ſua ſuperſtitione*] Sic Quintilianus III, 8. *Primus Iudaicæ ſuperſtitionis auctor.* Sic Vlpianus in Lege qui ad tempus. D. de Decurionibus, *Eis qui Iudaicam ſuperſtitionem ſequuntur Divi Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt, ſed & neceſſitates eis impoſuerunt, quæ ſuperſtitionem eorum non læderent.*

ὃν ἔφασκεν ὁ Παῦλος ζῆν. *quem affirmabat Paulus vivere*] Reſuſcitatum eſſe.

20. Ἀπορούμενος δὲ ἐγὼ εἰς τὴν περὶ τούτου ζήτησιν, *Hæſitans autem ego de hujusmodi quæſtione*] Cùm ego in rei iſtius inquiſitione hærerem, ignarus ſcilicet diſputationum quæ ſunt inter Iudæos, & ex quibus normis eæ ſint dijudicandæ. Manuſcriptus non habet εἰς. Et ſolet ἀπορέω [*hæſito*] ſæpe conſtrui cum accuſativo.

κἀκεῖ κρίνεσθαι περὶ τούτων. *& ibi judicari de iſtis*] A Synedrio, ut ſupra diximus.

21. ἐπικαλεσαμένου τηρηθῆναι αὐτὸν εἰς τὴν τοῦ Σεβαστοῦ διάγνωσιν, *appellante ut ſervaretur ad Auguſti cognitionem*] Eſt ἔλλειψις [*defectus*] pro εἰς τὸ τηρηθῆναι [*ut ſervaretur*]. *in hoc appellavit ut Cæſaris cognitioni ſervaretur. Cæſar* & *Auguſtus* principatûs vocabula Tacito Hiſtor. II.

ἐκέλευσα τηρεῖσθαι αὐτὸν, ἕως οὗ πέμψω αὐτὸν πρὸς Καίσαρα. *juſſi ſervari eum, donec mittam eum ad Cæſarem*] Manere debebat Paulus in cuſtodia donec Cæſar cognoſceret. Nihil enim novandum appellatione interpoſita. Vide quæ ad titulum ejus argumenti in Digeſtis diximus. Pro πέμψω [*mittam*] Manuſcriptus habet ἀναπέμψω [*transmittam*].

22. Ἐβουλόμην καὶ αὐτὸς τοῦ ἀνθρώπου ἀκοῦσαι. *Volebam & ipſe hominem audire*] Curioſitate ducebatur, quali olim Herodes, Luc. XXIII, 8.

23. μετὰ πολλῆς φαντασίας, *cum multa ambitione*] Vtitur hac voce eodem ſenſu & Polybius, & Hipparchus, & Chronicon vetus, & Chryſoſtomus aliquoties: Sopater quoque, πομπικῶς καὶ μετὰ πολλῆς φαντασίας. [*cum apparatu ſolemni & faſtu*]. Bardeſanes apud Euſebium de Bactrorum mulieribus, Ὑπηρετούμεναι ὑπὸ παιδισκῶν καὶ νεανίσκων μᾶλλον ἢ οἱ ἄνδρες προερχόμεναι μετὰ πολλῆς φαντασίας ἔφιπποι, κοσμοῦσαι πολλῷ χρυσῷ καὶ λίθοις βαρυτίμοις τοὺς ἵππους [*Pluribus, quàm viri, ancillarum ac puerorum obſequiis officiisque coli ſolent, prodeunt in equis, quos multo auro gemmisque pretioſiſſimis phaleratos habent, ingenti ſpecie atque pompâ*]. Hinc φαντασιοσκοπεῖν [*torvum ac ſuperbum intueri*], Sir. IV, 30.

καὶ εἰσελθόντων εἰς τὸ ἀκροατήριον, *& introiſſent in auditorium*] Græca vox facta ad exemplum Latinæ. Eſt enim in jure Romano frequens hoc ſenſu vox *auditorii.* Syrus bene vertit בית דינא [*prætorium*].

σύν τε τοῖς χιλιάρχοις, *cum Tribunis*] *Cum Præfectis cohortium.*

καὶ ἀνδράσι τοῖς κατ' ἐξοχὴν οὖσι τῆς πόλεως, *& viris principalibus civitatis*] *Cæſareenſium primis.*

τοῖς κατ᾽ ἐξοχὴν οὖσι, pro τοῖς ἐν ἐξοχῇ οὖσι. Quomodo Paulus dixit τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων [*qui in ſublimitate ſunt*], 1 Timoth. II, 2.

ἤχθη ὁ Παῦλος. *adductus eſt Paulus*] Vt ſupra 6.

24. ἐνέτυχόν μοι, *interpellavit me*] Bene Latinus interpres *interpellavit me*. Gloſſa, ἐντυγχάνω, *interpello*.

ἐπιβοῶντες μὴ δεῖν ζῆν αὐτὸν, *acclamantes non oportere eum vivere*] *Vt hominem peſtilentem*. Vide ſupra XXIV, 5.

25. Ἐγὼ δὲ καταλαβόμενος, *Ego verò comperi*] Καταλαμβάνειν & Atticè καταλαμβάνεσθαι, inter alia eſt *invenire*, *deprehendere*. Ita ſupra IV, 13. X, 34.

ἔκρινα πέμπειν αὐτὸν, *judicavi mittere eum*] *Conſtitui eum mittere*. Sic habuimus κρίνειν [*judicare*] & ſupra XX, 16.

26. τῷ Κυρίῳ, *Domino*] Domini nomen ab Auguſto & Tiberio recuſatum poſteriores Imperatores recepere.

προήγαγον αὐτὸν, *produxi eum*] In publicum produxi. Vt ſupra XII, 6.

ὅπως τῆς ἀνακρίσεως γενομένης, *ut interrogatione facta*] Ἀνάκρισις [*interrogatio*] hîc eſt *prævia quædam inquiſitio*, *non judicandi ſed judicis edocendi cauſâ*. Sumitur eo ſenſu ἀνάκρισις à Marciano L. Divus Hadrianus, D. de cuſtodia & exhibitione reorum: cap. 2. Novella de his qui Eunuchos faciunt. Hanc ἀνάκρισιν, *elogium* appellat Marcianus eadem lege, & Tertullianus ad Scapulam: *notoria*, lex Ab accuſatione. D. ad Sc. Turpillianum. L. ea quidem C. de accuſationibus. L. ſiquis in hoc. C. de Epiſcopis & Clericis, & Auguſtinus Epiſtola 159. & 160. Marcianus etiam *interrogationes*.

27. Ἄλογον γάρ μοι δοκεῖ, *Sine ratione enim mihi videtur*] *Abſurdum mihi videtur*.

μὴ καὶ τὰς κατ᾽ αὐτοῦ αἰτίας σημᾶναι. *& cauſas ejus non ſignificare*] *Et non ſignificare crimina ipſi objecta*. Vt aliquid certi exploratique poſſit ſcribere, vult præſente Rege Agrippa Iudaïcarum legum ac quæſtionum non ignaro audire quid illud eſſet, de Ieſu Nazareno quod ei pro crimine objiciebatur. Αἰτίας [*cauſas*] hîc dixit quod ſupra 7. αἰτιάματα.

CAPVT XXVI.

Ἐπιτρέπεταί σοι ὑπὲρ σεαυτοῦ λέγειν. *Permittitur tibi loqui pro temetipſo*] Vt ſupra XXIV, 10.

ἐκτείνας τὴν χεῖρα· *extenta manu*] Vt ſolent dicturi.

2. ἐπὶ σοῦ, *apud te*] *Te præſente*: non enim judex erat Agrippa. Vide ſupra XXV, 9.

3. Μάλιστα γνώστην ὄντα σε, *Maximè te ſciente*] Attici pro genitivis abſolutè poſitis uſurpant accuſativos. Frequens id apud Thucydidem.

ἐθῶν τε, *& conſuetudines*] An Gentes teneantur noſtris inſtitutis.

καὶ ζητημάτων. *& quæſtiones*] Vt de Divino afflatu, de Reſurrectione, de Meſſia.

5. Προγινώσκοντές με ἄνωθεν, *Præſcientes me ab initio*] Idem eſt ἄνωθεν, quod modò ἀπ᾽ ἀρχῆς [*ab initio*], מאז [*abinde*].

ἐὰν θέλωσι μαρτυρεῖν, *ſi velint teſtimonium perhibere*] Si modò quod norunt teſtari velint.

κατὰ τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν, *ſecundùm certiſſimam ſectam*] Vidē quæ allata ſupra XXII, 3.

τῆς ἡμετέρας θρησκείας, *noſtræ religionis*] Vox hæc à *Thracibus* venit, ut nos docet Plutarchus. Eſt autem ſignificatio ejus media, Iac. I, 26, 27. Coloſſ. II, 18.

6. ἐπ᾽ ἐλπίδι τῆς πρὸς τοὺς πατέρας ἐπαγγελίας γενομένης, *in ſpe quæ ad Patres noſtros repromiſſionis facta eſt*] Intelligit ſpem reſurrectionis, ut ſupra XXIII, 6. XXIV, 15. Promiſit Deus *ſe futurum Deum Abrahami*, *Iſaaci & Iacobi*; illi autem in hac vita nihil ſupra cæteros habuere, nec res ſoli poſſederunt præterquam ad ſepulturam: inde colligebatur majora illis bona poſt hanc vitam reſervari. Vide quæ dicta ad Matth. XXII, 32.

ἕστηκα κρινόμενος. *ſto judicio ſubjectus*] Quaſi dicat *ob id reus ſum*: ut ſupra XXIII, 6. & infra 7. *Stare* eſt reorum.

7. τὸ δωδεκάφυλον ἡμῶν, *duodecim tribus noſtræ*] Græca libertate novam vocem finxit Lucas, concinnè admodum: quomodo & δωδεκάσκηπτρον [*duodecim ſceptra*] de re eadem dixit in epiſtola Clemens. Ioſephi autem tribum bipartitam pro una Paulus ſumpſit, ne præteritos putemus Levitas.

ἐλπίζει καταντῆσαι. *ſperant devenire*] Id eſt, *pervenire*, ut ſupra XVI, 1. XVIII, 19, 24. XX, 15. XXI, 7. XXV, 13. Eſt vox apud Polybium frequens.

Τί; ἄπιστον κρίνεται παρ᾽ ὑμῖν, *Quid? incredibile judicatur apud vos*] מה פלא בעיניכם [*an hoc mirum in oculis veſtris*]? Habes id loquendi genus apud Zach. VIII, 6.

εἰ ὁ Θεὸς νεκροὺς ἐγείρει; *ſi Deus mortuos ſuſcitat?*] Εἰ [*Si*] pro ὅτι [*quòd*] ad modum Hebræi אם. Gen. XLVII, 9. Pſalm. LXIII, 7. CXXXIX, 10. Num. III, 30. Eſaiæ IV, 5.

9. Ἐγὼ μὲν οὖν ἔδοξα ἐμαυτῷ πρὸς τὸ ὄνομα Ἰησοῦ τοῦ Ναζωραίου δεῖν πολλὰ ἐναντία πρᾶξαι. *Et ego quidem exiſtimaveram me adversùs nomen Ieſu Nazareni debere multa contraria agere*] *Videbar mihi debere multa hoſtilia facere adversùs religionem Ieſu Nazareni*. ὄνομα [*nomen*] pro *religione* habuimus aliquoties.

καὶ πολλοὺς τῶν ἁγίων ἐγὼ φυλακαῖς κατέκλεισα τὴν παρὰ τῶν ἀρχιερέων ἐξουσίαν λαβών· *& multos ſanctorum ego in carceribus incluſi à Principibus Sacerdotum poteſtate acceptâ*] Supra IX, 2. XXII, 5.

ἀναιρουμένων τε αὐτῶν κατήνεγκα ψῆφον. *& cùm occiderentur detuli ſententiam*] Ψῆφον φέρειν [*ſententiam ferre*] per κατάχρησιν [*Abuſionem*] etiam Æſchines uſurpat pro *comprobare*, à re fori ad alias tranſlato ſignificatu. Hoc dicit *ſe Stephani interfectionem toto animo*, *verbis geſtiſque approbâſſe*. Vide ſupra XXII, 20. & eſt plurale pro ſingulari, ut ſæpe. Vide ad Matth. IX, 8.

11. Καὶ κατὰ πάσας τὰς συναγωγὰς πολλάκις τιμωρῶν αὐτοὺς, *Et per omnes ſynagogas frequenter puniens eos*] *Faciens eos flagris cædi*. Supra XXII, 19.

ἠνάγκαζον βλασφημεῖν· *compellebam blaſphemare*] *Cogebam eos Chriſto maledicere*.

περισσῶς τε ἐμμαινόμενος αὐτοῖς, *& ampliùs inſaniens in eos*] *In eos velut furore accenſus*.

ἕως καὶ εἰς τὰς ἔξω πόλεις. *usque in exteras civitates*] Pro ἐν ταῖς ἔξω πόλεσι [*in exteris civitatibus*]· *In urbibus extra Iudæam*, qualis erat Damaſcus.

12. καὶ ἐπιτροπῆς, *& permiſſu*] In Gloſſario, ἐπιτροπὴ, πραγμάτων φροντὶς, *procuratio*.

13. Ἡμέρας μέσης, *Die media*] Supra XXII, 6.

ὑπὲρ τὴν λαμπρότητα τοῦ ἡλίου, *ſupra ſplendorem Solis*] Si Chriſti in terris agentis vultus ut Sol luxit, Matth. XVII, 2. æquum fuit magis eum lucere jam in cœlo regnantis. Et ſi *juſti ut Sol ſplendebunt*, Dan. XII, 3. Matth. XIII, 43. quantò magis omnium juſtorum Princeps?

14. τῇ Ἑβραΐδι διαλέκτῳ· *Hebraïcâ linguâ*] Sume ut ſupra XXI, 40. XXII, 2.

σκληρόν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν. *durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*] Pleniùs hiſtoriam recitat, quàm ſupra capite IX. recitata fuerat. Proverbium autem hoc, de his qui res ſibi malè ceſſuras moliuntur, ad Iudæos à Græcis venerat. Primus Æſchylus Agamemnone,

> Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε, μὴ πήσας μογῇς
> [*Ne calce ſtimulum inceſſe: nam vanus labor*].

Idem Prometheo,

> Πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς
> [*Stimulum laceſſas calce*].

Euripides Bacchis,

> Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον, ἢ θυμούμενος,
> Πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ
> [*Sacra facere melius, calce quàm ſtimulum velut*
> *Si verberem, certare mortalem Deo*].

Idem Peliaſi,

> Πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου
> [*Stimulis potentum ne recalcitres cave*].

Zenobius in Proverbiis, πρὸς κέντρα λακτίζειν [*contra ſtimulum calcitrare*]. Iulianus ad Salluſtium, μηδὲ, ὅ φησιν ἡ παροιμία, πρὸς κέντρα λακτίζειν [*neque, quod ait proverbium, contra ſtimulum calcitrare*]. Secuti Latini. Terentius Phormione I, 2.

> --- *nam quæ inſcitia eſt,*
> *Adversùs ſtimulum calces?*

Habet & Soſipater Chariſius libro IV. Ammianus Marcellinus libro XVIII. *ne contra acumina calcitraret*. Hebræi dicerent בעט על קטב. [*recalcitrare in excidium*]. Syrus hîc למבעטו לעוקסא [*calcitrare in ſtimulos*].

16. καὶ στῆθι ἐπὶ τοὺς πόδας σου· *& ſta ſuper pedes tuos*] Vt Dan. XII, 1.

προχειρίσασθαί σε, *conſtituere te*] Id eſt, ἵνα σε προχειρίσω [*ut te conſtituam*]. Vide ſupra XXII, 14.

ὧν τε ὀφθήσομαί σοι· *quibus apparebo tibi*] Id eſt, *eorum per quæ tibi apparebo*. Reſpiciuntur viſa Pauli plurima, ſupra XVIII, 9. XXIII, 11. II Cor. XII, 2.

17. Ἐξαιρούμενός σε, *Eripiens te*] Præſens pro futuro, id eſt, *exempturus te manibus Iudæorum & Gentium*. Ita verbum hoc habuimus ſupra VII, 10, 34. XII, 11.

18. Ἀνοῖξαι ὀφθαλμοὺς αὐτῶν, *Aperire oculos eorum*] Præſtabis in ipſis ſpiritualiter, quod tibi corporaliter eveniet.

τοῦ ἐπιστρέψαι, *ut convertantur*] Subauditur ἕνεκα [*ut*].

ἀπὸ σκότους εἰς φῶς, *à tenebris ad lucem*] Quod illo Chriſti fulgore ſignificatur.

καὶ τῆς ἐξουσίας τοῦ Σατανᾶ, *& de poteſtate Satanæ*] Sic vocat idololatriam. Vide Luc. X, 18.

τοῦ λαβεῖν αὐτοὺς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *ut accipiant remiſſionem peccatorum*] Vide ſupra X, 43. Significat peccata ipſorum priora, quamvis gravia, nihil obſtitura ipſorum ſaluti.

καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, *& ſortem inter ſanctos*] *Ius ad vitam æternam cum piis cæteris*. ἐν pro *inter*, ut Matth. XX, 26.

πίστει τῇ εἰς ἐμέ. *per fidem quæ eſt in me*] Per quam purgantur corda.

19. οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς, *non fui incredulus*] Tam potens illa vocatio, tamen non adimebat ei obſiſtendi potentiam. Deus libera vult obſequia, non coacta. οὐκ ἐγενόμην ἀπειθὴς [*non fui incredulus*], *non obſtiti contumaciter*: ita hîc Syrus. Reſpicitur locus Eſaiæ L, 5. ἡ παιδεία τοῦ Κυρίου ἀνοίγει μοι τὰ ὦτα, ἐγὼ δὲ οὐκ ἀπειθῶ, οὐδὲ ἀντιλέγω [*doctrina Domini aperit mihi aures, ego autem nec diffido nec contradico*].

τῇ οὐρανίῳ ὀπτασίᾳ· *cœleſti viſioni*] Ὁράσει Θεοῦ [*viſioni Dei*], Ezech. VIII, 3. nam *cælum* pro *Deo* poni notum eſt. Danielis interpres Theodotion ubique ponit ὀπτασίαν, alii ὅραμα aut ὅρασιν.

20. καὶ ἐπιστρέφειν ἐπὶ τὸν Θεὸν, *& converterentur ad Deum*] Rectè: nam Gentes falſos coluerant deos; Iudæi verum Deum, ſed non ſicut oportebat.

ἄξια τῆς μετανοίας ἔργα πράσσοντας. *digna pœnitentiæ opera facientes*] Vide Matth. III, 8.

21. ἐπειρῶντο διαχειρίσασθαι· *tentabant interficere*] Vt ante Dominum, ſupra V, 30. ubi idem verbum.

22. Ἐπικουρίας οὖν τυχὼν τῆς παρὰ τοῦ Θεοῦ, *Auxilio autem adjutus Dei*] Pſalm. XVIII, 18. καὶ ἐγένετο Κύριος ἀντιστήριγμά μου [*& factus eſt Dominus protectio mea*].

μαρτυρούμενος μικρῷ τε καὶ μεγάλῳ, *teſtificans minori atque majori*] Inſtituens omnis generis homines. Genus loquendi Hebraïcum Deut. I, 17. I Sam. V, 8. XXX, 2, 19. II Reg. XXXIII, 2. XXV, 26.

ὧν τε οἱ Προφῆται ἐλάλησαν μελλόντων γίνεσθαι καὶ Μωσῆς. *quæ Prophetæ loquuti ſunt futura eſſe & Moyſes*] Vide Luc. XXIV, 26.

23. Εἰ παθητὸς ὁ Χριστὸς, *Si paſſibilis Chriſtus*] Duplex improprietas; nam & εἰ [*ſi*] pro ὅτι [*quòd*], ut ſupra 18. & παθητὸς [*paſſibilis*] pro eo *qui debebat pati*, ut apparet dicto loco Euangelii Lucæ. Vide Dan. IX, 2. Tryphon Iudæus cum Iuſtino diſputans planè agnoſcit quod nunc Iudæi negant: ait enim παθητὸν μὲν τὸν Χριστὸν, ὅτι αἱ γραφαὶ κηρύσσουσι, φανερόν ἐστι [*Scripturam prædicare paſſurum Chriſtum, patet*].

εἰ πρῶτος ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν, *ſi primus ex reſurrectione mortuorum*] *Primus reſuſcitatus ad vitam immortalem*. Ideo dictus πρωτότοκος ἐκ νεκρῶν [*primogenitus ex mortuis*] Col. I, 18. Apoc. I, 5.

φῶς μέλλει καταγγέλλειν τῷ λαῷ καὶ τοῖς ἔθνεσι. *lumen annuntiaturus eſt populo & Gentibus*] Ex Eſaia XLII, 6. Lux eſt doctrina apertiſſima ad ſalutem. Luc. II, 32.

24. τὰ πολλά σε γράμματα εἰς μανίαν περιτρέπει. *multa te literæ ad inſaniam convertunt*] Sic Theognetus Comicus,

> Ἐπαρίστερ' ἔμαθες, ὦ πόνηρε, γράμματα·
> Ἀντέστροφέν σου τὸν βίον τὰ βιβλία
> [*Miſer, perverſas edidiciſti literas,*
> *Vitam corrupit tibi librorum lectio*].

Eruditus erat Paulus non in Lege tantum, ſed & in traditionibus, quæ reſurrectionem & bona vitæ alterius apertiùs docebant. Norat linguas, Hebræam, Syriacam, Græcam, Latinam; legerat & Poëtas.

25. κράτιστε Φῆστε, *optime Feſte*] Vt ſupra XXIV, 3.

ἀλλ' ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. *ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor*] Quæ dico, ea dico & ſincera fide & bene animi compos. Sic Homerus,

Ἀλλὰ σαοφροσύνῃσι νοήματα πατρὸς ἔκευθεν.

[*Sed prudente animo genitoris ſenſa tegebat*].

Et convenit origo; nam σώφρων [*ſobrius*] eſt ὁ σώζων τὴν φρένα [*qui mentis eſt compos*].

26. Ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς, *Scit enim de his Rex*] De miraculis factis per Ieſum & diſcipulos ejus.

πρὸς ὃν καὶ παῤῥησιαζόμενος λαλῶ· *ad quem & conſtanter loquor*] *Cum fiducia loquor.*

οὐδὲ γὰρ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτό ἐστι. *neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt*] Id eſt, in locis occultis, ut hìc interpretatur Syrus. Sic Terentius Adelphis,

Interea in angulum aliquò abeam.

27. Πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις. *Credis Rex Agrippa Prophetis? ſcio quia credis*] Non Oratores tantum, ſed & Paulus hunc habet morem, ut ſæpe alios interrogent, & mox ſibi reſpondeant.

28. Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι. *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*] *Parum abeſt quin mihi perſuadeas ut fiam Chriſtianus.* Eſt locutio bene Græca. Nam & Plato dixit in Apologetico, ἔγνων οὖν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο. *prope idem de Poëtis cognovi:* in Manuſcripto, Χριστιανὸν ποιῆσαι, *ut me Chriſtianum facias.*

29. καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ, *& in modico & in magno*] Id eſt, *non propemodum tantùm ſed planè.* Ideò addit ἐν πολλῷ [*in multo*], quia alter ἐν ὀλίγῳ [*in modico*] dixerat. Servat enim idem dicendi genus. In Manuſcripto, ὀλίγῳ καὶ μεγάλῳ [*modico & magno*] ſine ἐν [*in*].

ὁποῖος κἀγώ εἰμι, παρεκτὸς τῶν δεσμῶν τούτων, *qualis & ego ſum, exceptis vinculis his*] Omnia illis opto, quæ in me ſunt, præter incommoda. *Vincula* autem vocat cuſtodias ſibi circumdatas. Popularis enim ſermo *vincula* non tam ſtrictè ſumit quàm Iuriſconſulti. L. Verum eſt, D. de verbor. ſignif. Tale eſt illud Virgilii,

— *Et vinclis innaret Clœlia ruptis.*

non enim obſides unquam ligantur, ait Servius.

30. καὶ ὁ ἡγεμὼν, *& Præſes*] Feſtus. Vide ſupra XXIII, 24.

καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς, *& qui aſſidebant eis*] Conſilium Præſidis. ſupra XXV, 12.

31. ἀναχωρήσαντες, *cùm ſeceſſiſſent*] *Cùm in ſuas domos ſe recepiſſent.*

πράσσει, *facit*] *Agit de vitæ inſtituto.* Tale & illud ſupra XXV, 11: εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ [*ſi enim nocui*].

32. Ἀπολελύσθαι ἐδύνατο, *Dimitti poterat*] Potuiſſet abſolvi.

εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα. *ſi non appellâſſet Cæſarem*] Nam appellatione poteſtas Iudicis à quo appellatum eſt, ceſſare incipit ad abſolvendum, non minùs quam ad condemnandum. Crimina enim integra ſervanda ſunt cognitioni Superioris.

CAPVT XXVII.

Ὡς δὲ ἐκρίθη, *Vt autem judicatum eſt*] *Conſtitutum fuit*, ut ſupra XX, 16. XXV, 25.

τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, *navigare nos*] Conſtructio qualis ſupra III, 12. 1 Corinth. II, 2.

παρεδίδουν τόν τε Παῦλον, *& tradi Paulum*] Nempe Feſtus & qui ab eo id mandatum acceperant. Frequens eſt apud Hebræos ſubaudire nominativum verbo congruentem. At Manuſcriptus, παρεδίδου [*tradebat*], ut ad unum *Feſtum* ſe referat oratio.

καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *cum reliquis cuſtodiis*] Latinus vertit *cuſtodias*, bene admodum. Sic vocem *cuſtodiæ* uſurpant Suetonius Domitiano, Paulus in L. Carcer, & Venulejus L. ne quis, D. de cuſtodia & exhibitione reorum.

ἑκατοντάρχῃ, *Centurioni*] Vide ſupra X, 1.

ὀνόματι Ἰουλίῳ, *nomine Iulio*] Liberto, credo, Iuliæ domûs. Vide quæ ad Lucam. Sic Earinus dictus *Flavius*. In Manuſcripto tamen infra eſt Ἰουλιάνος [*Iulianus*].

σπείρης Σεβαστῆς. *cohortis Auguſtæ*] Bene Latinus, *cohortis Auguſtæ.* Sed intellige *cohortem* fuiſſe *ex legione Auguſta*, quomodo illa Cornelii *ex legione Italica*, ſupra X, 1. Nam *Auguſta* nomen legionis in Antiquo lapide apud Lipſium ad Taciti ſecundum Hiſtoriarum.

2. πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, *navem Adramyttenam*] Multæ ſunt urbes dictæ חצר מות [*Chazer-Muth*]. Ἀδράμυττος, Ἀδράμυττα, Ἀτράμυττος, Ἀτραμύττειον [*Adramyttus, Adramytta, Atramyttus, Atramyttæum*]. Nam tot modis hoc nomen ſcribitur apud Stephanum & apud alios. Celeberrima omnium eſt urbs Africæ maritima, de qua Procopius Vandalicorum II, quam hîc indicari rectè cenſet Hieronymus. Navis hæc videtur Africanas merces in Syriam, deinde Syriacas in Lyciam portâſſe, ut ibi acciperet

Vina Syra reparata merce.

ut loquitur Horatius. Sic ſolebant Athenis ire naves primùm Menden aut Scionen, deinde in Boſphorum: idque etiam nunc fieri ſolet ut onera bis terve aut ſæpius mutentur.

μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, *incipientes navigare circa Aſiæ loca*] Manuſcriptus μέλλοντι πλεῖν [*incipienti navigare*]. Ab Africa veniebat navis. Legebat oram Aſiæ, & urbes quaſdam maritimas negotiorum ſuorum causâ adibat. Πλεῖν τόπους [*navigare loca*], quomodo Virgilius,

— *Tyrrhenum navigat æquor.*

Sic πλέω τὴν θάλασσαν [*navigo mare*] Demoſthenes. Τόπους [*loca*], id eſt, μέρη [*partes*], *maris* nempe.

ἀνήχθημεν, *ſuſtulimus*] Vt ſupra XVI, 11. XVIII, 21. XX, 3, 13. & infra 4.

ὄντος σὺν ἡμῖν Ἀριστάρχου Μακεδόνος Θεσσαλονικέως. *perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi*] Hic Ariſtarchus Chriſtianus factus Paulum ex Macedonia in Iudæam usque comitatus fuerat, ſupra XIX, 29. XX, 4. Idem Paulum jam cuſtodiæ datum ex amore in ipſum & veritatem comitari ſponte voluit, Romæque primùm adjutor ejus, Philemon. 24, deinde vinculorum particeps fuit, Coloſſ. IV, 10.

3. εἰς Σιδῶνα. *Sidonem*] Quæ ſatis propinqua Cæſareæ. Apparet id ex Ptolemæo.

Φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, humanè autem tractans Iulius Paulum] Exemplo Felicis, ſuprà XXIV, 23.

πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντα, ad amicos ire] Cùm milite.

ἐπιμελείας τυχεῖν, curam ſui agere] Cùm cura haberi. Sic ἐπιμέλειαν σώματος [*curam corporis*] dixit Galenus.

4. ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κύπρον, διὰ τοὺς ἀνέμους εἶναι ἐναντίους. *ſubnavigavimus Cyprum : propterea quòd eſſent venti contrarii*] Accuratè admodum totam hanc navigationem deſcribit Lucas. *Navigavimus*, inquit, *ita ut à Cypro non longè abeſſemus : non quòd rectum iter eò ferret, ſed quòd ventus adverſus cogeret & ſinus & iter obliquare*. Sic & infrà 7.

5. Τό, τε πέλαγος τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν διαπλεύσαντες, *Et pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ navigantes*] Πέλαγος [*pelagus*] hìc ſignificat *altum mare quod procul à terra eſt*, ut & Matth. XVIII, 6. & II Maccab. v, 21.

κατήχθημεν, venimus] Κατάγειν eſt *appellere*, Luc. v, 11. ſupra IX, 30. XXI, 3. infrà XXVIII, 12. In Gloſſario, *καταγωγὴ*, *advectio*, *κατάγω*, *advehor*.

εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. *Myra quæ eſt Lyciæ*] Manuſcriptus & alii, Λύστρα [*Lyſtra*]. Vox utraque corrupta, videlicet pro Λίμυρα [*Limyra*], quod nomen & amni & urbi ad amnem ſitæ in Lycia. *Myra* interiùs jacet, *Lyſtra* in Lycaonia eſt.

6. πλοῖον Ἀλεξανδρῖνον πλέον εἰς τὴν Ἰταλίαν, *navem Alexandrinam navigantem in Italiam*] Multæ naves ex Alexandria Italiam petebant, advehebantque frumentum ab Ægypto & Perſicas Indicasque merces. Ideo ſoli jus habebant ad oram appellere non demiſſis ſupparis. Appellebant autem plerumque Puteolos. Et ad Pharum Puteolanam reficiendam fovendamque Alexandrina civitas contulit, ut ex inſcriptionibus diſcimus. Claſſis Alexandrina, *Niliacus cataplus* Martiali.

ἐνεβίβασεν ἡμᾶς εἰς αὐτό. *transpoſuit nos in eam*] Ἐμβιβάζειν eſt vox bene Græca, & Platoni etiam in Epiſtolis uſitata, pro *imponere in navem*.

7. βραδυπλοοῦντες. *tardè navigaremus*] Ob multum onus, ut accipit Syrus.

μόλις γινόμενοι κατὰ τὴν Κνίδον, vix deveniſſemus contra Gnidum] Inſulam Cariæ objectam & Veneris ſimulacro ac cultu nobilem.

μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου, probibente nos vento] *Non ſinente vento*, nempe *rectum nos tenere curſum*, εὐθυδρομεῖν : ita hanc ἔλλειψιν [*defectum*] ſupplet hìc Syrus.

ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην, *adnavigavimus Cretæ*] Vide ſuprà 4.

κατὰ Σαλμώνην· *juxta Salmonem*] *In eam partem in qua vicus eſt Salmone*, unde promontorium *Salmonium* Straboni & Ptolemæo. Dionyſius Periegetes,

> Ἐκ δ' ὀρέων Σικελῶν Κρήτης ἀναπέπταται ὄδμα,
> Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην, Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνου.
> [*Montibus à Siculis ſe Creta expandit, in Ortum*
> *Longè ſe extendens, caput ad Salmonidis usque*].

8. Μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτὴν, *Et vix juxta navigantes*] *Cùm difficulter locum eum præternavigaſſemus*. Μόλις difficultatem ſæpe ſignificat, ut 1 Petri IV, 18. Sirach. XXVI, 24. παραλέγεσθαι hìc & infrà 13. eſt *prætervehi*. Virgilius,

> — *& crebris legimus freta concita terris*.

id eſt, *præterimus*, ait Servius.

καλούμενον Καλοὺς λιμένας, *qui vocatur Boniportus*] Manet hodieque id nomen. Stephano eſt καλὴ ἀκτὴ [*bona ora*], eodem ſenſu ; nam *bona ora* nautis dicitur ea quæ eſt *portuoſa*.

ᾧ ἐγγὺς ἦν πόλις Λασαία, *cui juxta erat civitas Laſæa*] In Manuſcripto ᾧ ἐγγὺς πόλις ἦν Ἄλασσα [*cui juxta erat civitas Alaſſa*]. Et puto hanc veram eſſe lectionem, nec aliter legiſſe Arabem & Latinum, quanquam in illo *Alaſia*, in hoc *Thaleſta*, mutatione non multùm à recto abeunte, legitur.

9. καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *& cùm jam non eſſet tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam præteriiſſet*] Νηστεία [*jejunium*] per excellentiam dies כפרים ἐξιλασμοῦ [*expiationis*], decima Tiſri. Vide Levit. XXIII. Tiſri partim cum Septembri, partim cum Octobri congruit. *Menſe Novembri claudi maria* notat Vegetius.

παρῄνει ὁ Παῦλος. *conſolabatur Paulus*] A Deo monitus.

10. μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας, *cum injuria & multo damno*] Hæc duo conjuncta & infrà habentur 21. ὕβρις [*injuria*] ad perſonam, ζημία [*damnum*] ad res magis refertur. Et eſt κατάχρησις [*Abuſio*] ſatis elegans, quomodo Latini dicunt, *cæli injuriam*.

τοῦ φόρτου, *oneris*] Id eſt, γόμου [*mercis*]. Νηὸς φόρτον [*onus navis*] dixere & Athenagoras & Euſtathius, *onus* Latini : unde illud Iuliæ inverecundum, *Nunquam niſi nave plenâ tollo vectorem. Plenâ*, ſupple *oneris*.

ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *ſed etiam animarum noſtrarum*] Id eſt, *perſonarum*, quæ magnis malis affectæ. Sic hoc nomen habuimus & ſuprà II, 41. & habebimus infrà 37.

11. τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ, *Gubernatori & Nauclero*] Κυβερνήτης eſt *qui navem gubernaculo regit*. Ναύκληρος verò in Gloſſario rectè vertitur *navicularius*, qua voce aliquoties utitur Cicero. Græcam Plautus retinuit. Latiùs patet *navicularii* nomen quàm *magiſtri*. Nam *magiſter* is demum eſt quem exercitores navi præfecere ; *Navicularius* etiam qui ſuæ navi præeſt. *Gubernator* ſuas conjecturas ſequebatur, hujus auctoritatem *navicularius*.

12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, *Et cùm aptus portus non eſſet ad hyemandum*] Sicut εὔθετος eſt *idoneus*, Pſalm. XXXII, 6. Luc. IX, 62. XIV, 32. Ita ἀνεύθετος, *non idoneus*, *incommodus*. Χειμάζεσθαι eſt *jactari tempeſtatibus* : παραχειμάζεσθαι, *vitare tempeſtates*. Hoc igitur dicit, *Non erat portus ille idoneus ad vitandam tempeſtatem*.

εἰς Φοίνικα, *Phœnicen*] Habet in Auſtrino Cretæ latere Ptolemæus urbem *Phœnica*, portum *Phœnicunta*.

βλέποντα κατὰ Λίβα, *reſpicientem ad Africum*] Λίψ, Latinè *Africus*, flat ab Occaſu brumali.

καὶ κατὰ Χῶρον, *& ad Chorum*] Χῶρος vox eſt non Græca origine, ſed Latina, *Corus* vel *Caurus*, Græcis ἀργέστης. Flat ab Occaſu æſtivo, aut, ut alii volunt, ſolſtitiali. Portus ergò iſte in angulo ſitus duo mari ventisque diverſis objiciebat cornua.

13. Ὑποπνεύσαντος δὲ Νότου, *Adſpirante autem Auſtro*] Ὑπὸ ſæpe in compoſitione rem imminuit. Itaque

traditionibus, quæ reſurrectionem & bona vitæ alterius apertiùs docebant. Norat linguas, Hebræam, Syriacam, Græcam, Latinam; legerat & Poëtas.

25. κράτιστε Φῆστε, *optime Feſte*] Vt ſupra XXIV, 3.

ἀλλ᾽ ἀληθείας καὶ σωφροσύνης ῥήματα ἀποφθέγγομαι. *ſed veritatis & ſobrietatis verba loquor*] Quæ dico, ea dico & ſincera fide & bene animi compos. Sic Homerus,

Ἀλλὰ σαοφροσύνῃσι νοήματα πατρὸς ἔκευθεν.

[*Sed prudente animo genitoris ſenſa tegebat*].

Et convenit origo; nam σώφρων [*ſobrius*] eſt ὁ σώζων τὴν φρένα [*qui mentis eſt compos*].

26. Ἐπίσταται γὰρ περὶ τούτων ὁ βασιλεὺς, *Scit enim de his Rex*] De miraculis factis per Ieſum & diſcipulos ejus.

πρὸς ὃν καὶ παῤῥησιαζόμενος λαλῶ· *ad quem & conſtanter loquor*] *Cum fiducia loquor.*

οὐδὲ γὰρ ἐν γωνίᾳ πεπραγμένον τοῦτό ἐστι. *neque enim in angulo quicquam horum geſtum eſt*] Id eſt, in locis occultis, ut hîc interpretatur Syrus. Sic Terentius Adelphis,

Interea in angulum aliquò abeam.

27. Πιστεύεις βασιλεῦ Ἀγρίππα τοῖς προφήταις; οἶδα ὅτι πιστεύεις. *Credis Rex Agrippa Prophetis? ſcio quia credis*] Non Oratores tantum, ſed & Paulus hunc habet morem, ut ſæpe alios interrogent, & mox ſibi reſpondeant.

28. Ἐν ὀλίγῳ με πείθεις Χριστιανὸν γενέσθαι. *In modico ſuades me Chriſtianum fieri*] *Parum abeſt quin mihi perſuadeas ut fiam Chriſtianus.* Eſt locutio bene Græca. Nam & Plato dixit in Apologetico, ἔγνων οὖν καὶ περὶ τῶν ποιητῶν ἐν ὀλίγῳ τοῦτο. *prope idem de Poëtis cognovi:* in Manuſcripto, Χριστιανὸν ποιῆσαι, *ut me Chriſtianum facias.*

29. καὶ ἐν ὀλίγῳ καὶ ἐν πολλῷ, *& in modico & in magno*] Id eſt, *non propemodum tantùm ſed planè.* Ideò addit ἐν πολλῷ [*in multo*], quia alter ἐν ὀλίγῳ [*in modico*] dixerat. Servat enim idem dicendi genus. In Manuſcripto, ὀλίγῳ καὶ μεγάλῳ [*modico & magno*] ſine ἐν [*in*].

ὁποῖος κἀγώ εἰμι, παρεκτὸς τῶν δεσμῶν τούτων, *qualis & ego ſum, exceptis vinculis his*] Omnia illis opto, quæ in me ſunt, præter incommoda. *Vincula* autem vocat cuſtodias ſibi circumdatas. Popularis enim ſermo *vincula* non tam ſtrictè ſumit quàm Iuriſconſulti. L. Verum eſt, D. de verbor. ſignif. Tale eſt illud Virgilii,

— *Et vinclis innaret Clœlia ruptis.*

non enim obſides unquam ligantur, ait Servius.

30. καὶ ὁ ἡγεμὼν, *& Præſes*] Feſtus. Vide ſupra XXIII, 24.

καὶ οἱ συγκαθήμενοι αὐτοῖς, *& qui aſſidebant eis*] Conſilium Præſidis. ſupra XXV, 12.

31. ἀναχωρήσαντες, *cùm ſeceſſiſſent*] *Cùm in ſuas domos ſe recepiſſent.*

πράσσει, *facit*] *Agit de vitæ inſtituto.* Tale & illud ſupra XXV, 11: εἰ μὲν γὰρ ἀδικῶ [*ſi enim nocui*].

32. Ἀπολελύσθαι ἐδύνατο, *Dimitti poterat*] Potuiſſet abſolvi.

εἰ μὴ ἐπεκέκλητο Καίσαρα. *ſi non appellâſſet Cæſarem*] Nam appellatione poteſtas Iudicis à quo appellatum eſt, ceſſare incipit ad abſolvendum, non minùs quam ad condemnandum. Crimina enim integra ſervanda ſunt cognitioni Superioris.

CAPVT XXVII.

ΩΣ δὲ ἐκρίθη, *Vt autem judicatum eſt*] *Conſtitutum fuit*, ut ſupra XX, 16. XXV, 25.

τοῦ ἀποπλεῖν ἡμᾶς, *navigare nos*] Conſtructio qualis ſupra III, 12. I Corinth. II, 2.

παρεδίδουν τόν τε Παῦλον, *& tradi Paulum*] Nempe Feſtus & qui ab eo id mandatum acceperant. Frequens eſt apud Hebræos ſubaudire nominativum verbo congruentem. At Manuſcriptus, παρεδίδου [*tradebat*], ut ad unum *Feſtum* ſe referat oratio.

καί τινας ἑτέρους δεσμώτας, *cum reliquis cuſtodiis*] Latinus vertit *cuſtodias*, bene admodum. Sic vocem *cuſtodiæ* uſurpant Suetonius Domitiano, Paulus in L. Carcer, & Venulejus L. ne quis, D. de cuſtodia & exhibitione reorum.

ἑκατοντάρχῃ, *Centurioni*] Vide ſupra X, 1.

ὀνόματι Ἰουλίῳ, *nomine Iulio*] Liberto, credo, Iuliæ domûs. Vide quæ ad Lucam. Sic Earinus dictus *Flavius*. In Manuſcripto tamen infra eſt Ἰουλιανὸς [*Iulianus*].

σπείρης Σεβαστῆς. *cohortis Auguſtæ*] Bene Latinus, *cohortis Auguſtæ*. Sed intellige *cohortem* fuiſſe *ex legione Auguſta*, quomodo illa Cornelii *ex legione Italica*, ſupra X, 1. Nam *Auguſta* nomen legionis in Antiquo lapide apud Lipſium ad Taciti ſecundum Hiſtoriarum.

2. πλοίῳ Ἀδραμυττηνῷ, *navem Adramyttenam*] Multæ ſunt urbes dictæ חצר מות [*Chazer-Muth*]. Ἀδραμύττιος, Ἀδραμύττα, Ἀτραμύττιος, Ἀτραμύττειον [*Adramyttus, Adramytta, Atramyttus, Atramyttæum*]. Nam tot modis hoc nomen ſcribitur apud Stephanum & apud alios. Celeberrima omnium eſt urbs Africæ maritima, de qua Procopius Vandalicorum II, quam hîc indicari rectè cenſet Hieronymus. Navis hæc videtur Africanas merces in Syriam, deinde Syriacas in Lyciam portâſſe, ut ibi acciperet

Vina Syra reparata merce.

ut loquitur Horatius. Sic ſolebant Athenis ire naves primùm Menden aut Scionen, deinde in Boſphorum: idque etiam nunc fieri ſolet ut onera bis terve aut ſæpius mutentur.

μέλλοντες πλεῖν τοὺς κατὰ τὴν Ἀσίαν τόπους, *incipientes navigare circa Aſiæ loca*] Manuſcriptus μέλλοντι πλεῖν [*incipienti navigare*]. Ab Africa veniebat navis. Legebat oram Aſiæ, & urbes quaſdam maritimas negotiorum ſuorum causâ adibat. Πλεῖν τόπους [*navigare loca*], quomodo Virgilius,

— *Tyrrhenum navigat æquor.*

Sic πλέω τὴν θάλασσαν [*navigo mare*] Demoſthenes. Τόπους [*loca*], id eſt, μέρη [*partes*], *maris* nempe.

ἀνήχθημεν, *ſuſtulimus*] Vt ſupra XVI, 11. XVIII, 21. XX, 3, 13. & infra 4.

ὄντος σὺν ἡμῖν Ἀριστάρχου Μακεδόνος Θεσσαλονικέως. *perſeverante nobiſcum Ariſtarcho Macedone Theſſalonicenſi*] Hic Ariſtarchus Chriſtianus factus Paulum ex Macedonia in Iudæam usque comitatus fuerat, ſupra XIX, 29. XX, 4. Idem Paulum jam cuſtodiæ datum ex amore in ipſum & veritatem comitari ſponte voluit, Romæque primùm adjutor ejus, Philemon. 24, deinde vinculorum particeps fuit, Coloſſ. IV, 10.

3. εἰς Σιδῶνα. *Sidonem*] Quæ ſatis propinqua Cæſareæ. Apparet id ex Ptolemæo.

φιλανθρώπως τε ὁ Ἰούλιος τῷ Παύλῳ χρησάμενος, *humanè autem tractans Iulius Paulum*] Exemplo Felicis, ſuprà XXIV, 23.

πρὸς τοὺς φίλους πορευθέντα, *ad amicos ire*] Cùm milite.

ἐπιμελείας τυχεῖν, *curam ſui agere*] Cùm cura haberi. Sic ἐπιμέλειαν σώματος [*curam corporis*] dixit Galenus.

4. ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κύπρον, διὰ τοὺς ἀνέμους εἶναι ἐναντίους. *ſubnavigavimus Cyprum : propterea quòd eſſent venti contrarii*] Accuratè admodum totam hanc navigationem deſcribit Lucas. *Navigavimus*, inquit, *ita ut à Cypro non longè abeſſemus : non quòd rectum iter eò ferret, ſed quòd ventus adverſus cogeret & ſinus & iter obliquare*. Sic & infrà 7.

5. Τό, τε πέλαγος τὸ κατὰ τὴν Κιλικίαν καὶ Παμφυλίαν διαπλεύσαντες, *Et pelagus Ciliciæ & Pamphiliæ navigantes*] Πέλαγος [*pelagus*] hîc ſignificat *altum mare quod procul à terra eſt*, ut & Matth. XVIII, 6. & II Maccab. v, 21.

κατήχθημεν, *venimus*] Κατάγειν eſt *appellere*, Luc. v, 11. ſupra IX, 30. XXI, 3. infrà XXVIII, 12. In Gloſſario, καταγωγὴ, *advectio*, κατάγω, *advehor*.

εἰς Μύρα τῆς Λυκίας. *Myra quæ eſt Lyciæ*] Manuſcriptus & alii, Λύστρα [*Lyſtra*]. Vox utraque corrupta, videlicet pro Λίμυρα [*Limyra*], quod nomen & amni & urbi ad amnem ſitæ in Lycia. *Myra* interiùs jacet, *Lyſtra* in Lycaonia eſt.

6. πλοῖον Ἀλεξανδρῖνον πλέον εἰς τὴν Ἰταλίαν, *navem Alexandrinam navigantem in Italiam*] Multæ naves ex Alexandria Italiam petebant, advehebantque frumentum ab Ægypto & Perſicas Indicasque merces. Ideo ſoli jus habebant ad oram appellere non demiſſis ſupparis. Appellebant autem plerumque Puteolos. Et ad Pharum Puteolanam reficiendam fovendamque Alexandrina civitas contulit, ut ex inſcriptionibus diſcimus. Claſſis Alexandrina, *Niliacus cataplus* Martiali.

ἐνεβίβασεν ἡμᾶς εἰς αὐτό. *tranſpoſuit nos in eam*] Ἐμβιβάζειν eſt vox bene Græca, & Platoni etiam in Epiſtolis uſitata, pro *imponere in navem*.

7. βραδυπλοοῦντες. *tardè navigaremus*] Ob multum onus, ut accipit Syrus.

μόλις γινόμενοι κατὰ τὴν Κνίδον, *vix deveniſſemus contra Gnidum*] Inſulam Cariæ objectam & Veneris ſimulacro ac cultu nobilem.

μὴ προσεῶντος ἡμᾶς τοῦ ἀνέμου, *probibente nos vento*] *Non ſinente vento*, nempe *rectum nos tenere curſum*, εὐθυδρομεῖν : ita hanc ἔλλειψιν [*defectum*] ſupplet hîc Syrus.

ὑπεπλεύσαμεν τὴν Κρήτην, *adnavigavimus Cretæ*] Vide ſuprà 4.

κατὰ Σαλμώνην· *juxta Salmonem*] *In eam partem in qua vicus eſt Salmone*, unde promontorium *Salmonium* Straboni & Ptolemæo. Dionyſius Periegetes,

> Ἐκ δ' ὀρέων Σικελῶν Κρήτης ἀναπέπταται ὄδμα,
> Μακρὸν ἐπ' ἀντολίην, Σαλμωνίδος ἄχρι καρήνου.
> [*Montibus à Siculis ſe Creta expandit, in Ortum*
> *Longè ſe extendens, caput ad Salmonidis usque*].

8. Μόλις τε παραλεγόμενοι αὐτὴν, *Et vix juxta navigantes*] *Cùm difficulter locum eum prætérnavigaſſemus.* Μόλις difficultatem ſæpe ſignificat, ut I Petri IV, 18. Sirach. XXVI, 24. παραλέγεσθαι hîc & infrà 13. eſt *prætervehi*. Virgilius,

> — *& crebris legimus freta concita terris.*

id eſt, *præterimus*, ait Servius.

καλούμενον Καλοὺς λιμένας, *qui vocatur Boniportus*] Manet hodieque id nomen. Stephano eſt καλὴ ἀκτὴ [*bona ora*], eodem ſenſu; nam *bona ora* nautis dicitur ea quæ eſt *portuoſa*.

ᾧ ἐγγὺς ἦν πόλις Λασαία, *cui juxta erat civitas Laſæa*] In Manuſcripto ᾧ ἐγγὺς πόλις ἦν Ἄλασσα [*cui juxta erat civitas Alaſſa*]. Et puto hanc veram eſſe lectionem, nec aliter legiſſe Arabem & Latinum, quanquam in illo *Alaſia*, in hoc *Thaleſta*, mutatione non multùm à recto abeunte, legitur.

9. καὶ ὄντος ἤδη ἐπισφαλοῦς τοῦ πλοὸς, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι, *& cùm jam non eſſet tuta navigatio, eò quòd & jejunium jam prætériiſſet*] Νηστεία [*jejunium*] per excellentiam dies כפרים ם ἐξιλασμοῦ [*expiationis*], decima Tiſri. Vide Levit. XXIII. Tiſri partim cum Septembri, partim cum Octobri congruit. *Menſe Novembri claudi maria* notat Vegetius.

παρῄνει ὁ Παῦλος. *conſolabatur Paulus*] A Deo monitus.

10. μετὰ ὕβρεως καὶ πολλῆς ζημίας, *cum injuria & multo damno*] Hæc duo conjuncta & infrà habentur 21. ὕβρις [*injuria*] ad perſonam, ζημία [*damnum*] ad res magis refertur. Et eſt κατάχρησις [*Abuſio*] ſatis elegans, quomodo Latini dicunt, *cœli injuriam*.

τοῦ φόρτου, *oneris*] Id eſt, γόμου [*mercis*]. Νηὸς φόρτον [*onus navis*] dixere & Athenagoras & Euſtathius, *onus* Latini : unde illud Iuliæ inverecundum, *Nunquam niſi nave plenâ tollo vectorem. Plenâ*, ſupple *oneris*.

ἀλλὰ καὶ τῶν ψυχῶν ἡμῶν, *ſed etiam animarum noſtrarum*] Id eſt, *perſonarum*, quæ magnis malis affectæ. Sic hoc nomen habuimus & ſuprà II, 41. & habebimus infrà 37.

11. τῷ κυβερνήτῃ καὶ τῷ ναυκλήρῳ, *Gubernatori & Nauclero*] Κυβερνήτης eſt *qui navem gubernaculo regit*. Ναύκληρος verò in Gloſſario rectè vertitur *navicularius*, qua voce aliquoties utitur Cicero. Græcam Plautus retinuit. Latiùs patet *navicularii* nomen quàm *magiſtri*. Nam *magiſter* is demum eſt quem exercitores navi præfecere; *Navicularius* etiam qui ſuæ navi præeſt. *Gubernator* ſuas conjecturas ſequebatur, hujus auctoritatem *navicularius*.

12. Ἀνευθέτου δὲ τοῦ λιμένος ὑπάρχοντος πρὸς παραχειμασίαν, *Et cùm aptus portus non eſſet ad hyemandum*] Sicut εὔθετος eſt *idoneus*, Pſalm. XXXII, 6. Luc. IX, 62. XIV, 32. Ita ἀνεύθετος, *non idoneus, incommodus*. Χειμάζεσθαι eſt *jactari tempeſtatibus* : παραχειμάζεσθαι, *vitare tempeſtates*. Hoc igitur dicit, *Non erat portus ille idoneus ad vitandam tempeſtatem*.

εἰς Φοίνικα, *Phœnicen*] Habet in Auſtrino Cretæ latere Ptolemæus urbem *Phœnica*, portum *Phœnicunta*.

βλέποντα κατὰ λίβα, *reſpicientem ad Africum*] Λίψ, Latinè *Africus*, flat ab Occaſu brumali.

καὶ κατὰ χῶρον, *& ad Chorum*] Χῶρος vox eſt non Græca origine, ſed Latina, *Corus* vel *Caurus*, Græcis ἀργέστης. Flat ab Occaſu æſtivo, aut, ut alii volunt, ſolſtitiali. Portus ergò iſte in angulo ſitus duo mari ventisque diverſis objiciebat cornua.

13. Ὑποπνεύσαντος δὲ Νότου, *Adſpirante autem Auſtro*] Ὑπὸ ſæpe in compoſitione rem imminuit. Itaque

ὑποπνεῖν eſt *leniter flare.* Talia ſunt ὑπόκουφος, ὑποκρέκω, ὑπολαλέω [*aliquantùm levis, levem ſonum edo, mußito*], & ſimilia.

δόξαντες τῆς προθέσεως κεκρατηκέναι, æſtimantes propoſitum ſe tenere] Nautæ ſcilicet. Κρατεῖν προθέσεως eſt *voto potiri.* Id ideo exiſtimabant, quia Auſtrale Cretæ littus legere volentibus Auſter obtigerat.

ἄραντες, cùm ſuſtuliſſent] *Cùm ſolviſſent*, nempe à Phœnice aut Phœnicunte portu.

ἆσσον παρελέγοντο τὴν Κρήτην. propius præterlegebant Cretam] Ita diſtinguendum eſt. Id eſt, *quàm proximè oram Cretæ legebant.* חדרי קרטא [*circa Cretam*] hîc Syrus. Non metuentes ſcilicet ne in littus impingerentur, ideo quòd lenis admodum eſſet Auſter, ut ex antedictis cognovimus. Non repetam multis quod alii rectè hîc oſtenderunt, malè à nonnullis putatum nomen hoc eſſe proprium loci *Aſſon.*

14. *ἄνεμος τυφωνικός, ventus typhonicus*] Τυφῶν quid ſit, ſupra notavimus ex iis qui meteora deſcripſere. At Iudæis Helleniſtis τυφὼς eſt *quævis violentior procella.* Nam ſic interpretes quidam vertunt in Pſalm. CXLVIII, 8. רוח סערה, ubi alii *πνεῦμα καταιγίδος, ventus procelloſus.* Sicut & idem nomen סערה vertitur *καταιγὶς* [*procella*] Pſalm. LV, 9. LXXXIII, 16. CVII, 27, 29. Eſaiæ XXIX, 6. XL, 24. XLI, 16, alibi *κλύδων* [*turbo*], ut Ionæ I, 4, 11, 12.

ὁ καλούμενος Εὐροκλύδων. qui vocatur Euroaquilo] Manuſcriptus Εὐρακύδων, haud obſcura commutatione λ in δ, quarum litterarum perquam vicini ſunt ductus in Manuſcriptis. Vera lectio eſt, quam ſecutus eſt Latinus interpres, Εὐροακύλων. Pari modo dicitur *Euronotus* & *Eurocercius* apud Vitruvium. Nec novum vocabula Græcæ originis cum Latinis coaleſcere. Talia ſunt, *biclinium, epitogium, Anticato*, notata Quintiliano I, 5. Quod multò faciliùs procedit, ubi vox illa Græca in Latium adoptata eſt, ut *Eurus.* Non fruſtra autem Lucas, non contentus dixiſſe *coortum ventum procelloſum*, adjicere voluit unde is flaret, quod nullus eſſe poſſet *Euroaquilone* magis adverſus Italiam petentibus. Dici poterat vento tam procelloſo flante ab Ortu & Septentrione id quod apud Lucanum eſt,

Nec ratis Heſperias tanget neque naufragus oras.

15. *Συναρπασθέντος δὲ τοῦ πλοίου, Cùmque abrepta eſſet navis*] *Abrepta* à Creta.

καὶ μὴ δυναμένου ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀνέμῳ, & non poſſet conari in ventum] Egregia Translatio. Ἀντοφθαλμεῖν propriè eſt *contrà tueri*, impropriè *obniti*: ut cùm Plutarchus negat Demoſthenem potuiſſe *ἀντοφθαλμεῖν τῷ ἀργυρίῳ* [*tueri contrà argentum*], & cùm Polybius non uno loco negat hos aut illos potuiſſe hoſtibus *ἀντοφθαλμεῖν* [*contrà tueri*]: quo ſenſu hoc verbo utitur & Sirachides XII, 14. Sic & *ἀντιβλέπειν* uſurpat Ioſephus, ut Antiquæ hiſtoriæ VI, *παθήμασιν οἷς οὐκ ἔτι ἦν ἀντιβλέψαι* [*malis, quibus reſiſti jam non poterat*]: & ſecundo contra Appionem, *τοῖς προστάγμασι τοῖς περὶ διαίτης οὐκ ἀντίβλεψαν* [*ordinationibus de vivendi ratione non reluctabantur*]. Syrus rectè vertit *vento obſiſtere.*

ἐπιδόντες ἐφερόμεθα. data nave ferebamur] Ἐπιδόντες [*data nave*], nempe *τῷ ἀνέμῳ* [*vento*] quod nomen præceſſit. *Cedentes vento ferebamur.* Sic & Ovidius tempeſtatem deſcribit I Triſtium 3,

Navita confeſſus gelidum pallore timorem,
Iam ſequitur victus, non regit arte ratem.
Sic non quò voluit, ſed quò rapit impetus undæ,
Aurigam video vela dediſſe rati.

16. *Νησίον δέ τι ὑποδραμόντες, In inſulam autem quandam decurrentes*] Id eſt, *cùm prope inſulam veniſſemus.* quo ſenſu verbum ὑποπλεῖν [*ſubnavigare*] habuimus ſupra XXVII, 4, & 7.

καλούμενον Κλαύδην, quæ vocatur Clauda] Quæ Κλαῦδος [*Claudus*] Ptolemæo, Κλαύδιον [*Claudium*] Athenæo. In Syro eſt קורא [*Cora*], ſed creditur ſcriptum pro קודא [*Coda*]: nam Γαυδὲν [*Gaudon*] eandem, ut creditur, inſulam dixit Strabo; & Suidas Καυδὼ [*Caudo*] legit hoc loco: *Gaudon* Plinius, Solinus, Stephanus, Procopius nominant: quam hanc ipſam eſſe cenſent eruditi, variante, ut ſolet, pronunciatione.

μόλις ἰσχύσαμεν περικρατεῖς γενέσθαι τῆς σκάφης. potuimus vix obtinere ſcapham] *Ægrè potuimus ſcapham ex mari in navem attollere.* Vide infrà 30. Factum id nè ſcapha incuſſa navi eam læderet.

17. *Ἣν ἄραντες, Quâ ſublatâ*] *Quâ ſubductâ.* Contraria ſunt *αἴρειν σκάφην* [*ſcapham tollere*] & *χαλᾷν* [*demittere*].

βοηθείαις ἐχρῶντο, adjutoriis utebantur] Βοηθείας vocat quas Latini *miniſteria.* Ea enim vox *plebem navalem* ſignificat. Vtitur ſic Germanicus in Capricorno, ubi à nobis dicta videant, ſi queis vacat.

ὑποζωννύντες τὸ πλοῖον· accingentes navem] *Funibus navem ligantes*, ne vi ventorum & fluctuum diſſiliret.

φοβούμενοί τε μὴ εἰς τὴν Σύρτιν ἐκπέσωσι, & timentes ne in Syrtim inciderent] *Ne navis unà cum ipſis impingeretur in Syrtim.* Sic vocantur loca omnia vadoſa à duobus in Africa arenoſis ſinibus dictis hoc nomine. ἐκπέσωσι [*inciderent*], ex mari profundo ſcilicet in brevia.

χαλάσαντες τὸ σκεῦος, ſubmiſſo vaſe] *Demiſſo malo.* Nam *malus* hîc *κατ᾽ ἐξοχὴν* [*per excellentiam*] dicitur *σκεῦος* [*vas*], ut obſervatum Heraldo. Sic & Syrus accepit. Solet demitti malus aut etiam in repentino periculo abſcindi, ne ventus ea parte navem urgeat. *Arborem dejicere* dixit Papinianus L. Cùm arbor. D. ad legem Rhodiam.

οὕτως ἐφέροντο. ſic ferebantur] Nempe *ſine malo.* Similis uſus voculæ οὕτως [*ſic*], Ioh. IV, 6.

18. *Σφοδρῶς δὲ χειμαζομένων ἡμῶν, Validè autem nobis tempeſtate jactatis*] Χειμάζεσθαι eſt, ut modò diximus, *tempeſtate jactari.*

τῇ ἑξῆς ἐκβολὴν ἐποιοῦντο· ſequenti die jactum fecerunt] *Iactum fecere*, nautæ ſcilicet. ἐκβολή, *jactus* in Gloſſario; & ſic ſumitur Ionæ I, 5. Vox utraque propria huic rei. Vide titulum Digeſtorum ad legem Rhodiam de jactu. *Iactum facere* Harmenopulus vertit ἐκβάλλειν, ἀποβάλλειν, ῥίπτειν. Fit id *levandæ navis gratiâ*, ut loquitur lex prima dicto titulo. Solet autem hic ordo ſervari, quem & in hac hiſtoria habemus. Primùm jaciuntur merces, ut hoc loco; deinde armamenta, ut ſtatim ſequitur; poſtremò & cibaria, ut infra 38.

19. *αὐτόχειρες τὴν σκευὴν τοῦ πλοίου ἐρρίψαμεν, noſtris manibus armamenta navis projecimus*] Ἔρριψαν [*projecerunt*] habet Manuſcriptus ille, nec aliter Latinus

legit. ἡ σκευὴ eſt id *quo res quæque inſtruitur*. Bene hoc loco Latinus vertit *armamenta*. In Gloſſario *Armamenta*, ἄρμενα. Vtuntur hac voce eo ſenſu non Poëtæ tantùm, ſed & Hiſtorici, ut ecce Tacitus Hiſtoriarum v, *Armamenta liburnicis ſolita*. Iulianus Iuriſconſultus L. Navis. D. de lege Rhodia.

20. Μήτε δὲ ἡλίου, μήτε ἄστρων ἐπιφαινόντων ἐπὶ πλείονας ἡμέρας, *Neque autem Sole, neque ſyderibus apparentibus per plures dies*] Solennis deſcriptio graviorum tempeſtatum: ſic apud Virgilium,

— — Ponto nox incubat atra.

Apud Lucanum,

Non cœli nox illa fuit; latet obſitus aër
Infernæ pallore domûs: nimbisque gravatus
Deprimitur, fluctusque in nubibus accipit imbrem:
Lux etiam metuenda perit, nec fulgura currunt
Clara, ſed obſcurum nimboſus diſſilit aër.

Apud Statium,

— Inde horror aquis, & raptus ab omni
Sole dies miſcet tenebras.

De verbo ἐπιφαίνειν [*apparere*] vide quæ diximus ad Matth. XXVIII, 1.

χειμῶνός τε οὐκ ὀλίγου ἐπικειμένου, *& tempeſtate non exigua imminente*] Χειμὼν interdum *hiems*, interdum *tempeſtas*, ut hîc & Matth. XVI, 3. Id imitantes Latini Poëtæ *hiemis* vocem ponunt pro *tempeſtate*. ἐπικεῖσθαι hîc eſt *incumbere*, *incubare*, quomodo ex Virgilio jam habuimus,

— Ponto nox incubat atra.

Et alibi,

— Venti velut agmine facto,
Quà data porta ruunt & terras turbine verſant,
Incubuere mari.

Quintilianus lib. v. *Cùm magna vis venti in mare incubuit.*

λοιπὸν περιῃρεῖτο πᾶσα ἐλπὶς τοῦ σώζεσθαι ἡμᾶς. *jam ablata erat ſpes omnis ſalutis noſtræ*] Dictum hoc κατὰ φάσιν, *ſecundùm id quod videbatur*, qualia multa & in communi & in ſacro ſermone. In Syriaco, *abſciſſa ſpes*.

21. Πολλῆς δὲ ἀσιτίας ὑπαρχούσης, *& cùm multa jejunatio fuiſſet*] Non quòd alimenta deeſſent, ut mox videbimus, ſed quòd ingens illa jactatio omnem adimat appetitum ac contra cibi faſtidium pariat.

πειθαρχήσαντάς μοι, *audito me*] *Mihi*, nempe nihil hac in re non divinitus dicenti.

μὴ ἀνάγεσθαι ἀπὸ τῆς Κρήτης, *non tollere à Creta*] *Non ſolvere à Creta.* Vide ſupra 2, 4, 12.

κερδῆσαί τε τὴν ὕβριν ταύτην καὶ τὴν ζημίαν. *lucrique facere injuriam hanc & jacturam*] Locutio bene Græca. Nam ſimili modo loquuntur Epigrammatici Græci & Lucianus. Latinus quoque interpres eruditè transtulit *lucrifacere*. Sic *quàm ille injuriam lucrifecit*, Plin. VII, 39. Sic *lucrationem malorum* dixit Tertullianus. Tale & illud, *Lucri fac cenſoriam notam.* Cauſa loquendi inde, quod *lucrum facere* videtur, & qui damnum evitat, auctore Ariſtotele. De vocibus ὕβρεως [*injuriæ*] & ζημίας [*jacturæ*] vide ſupra 10.

22. ἀποβολὴ γὰρ ψυχῆς οὐδεμίας ἔσται ἐξ ὑμῶν, *amiſſio enim nullius animæ erit ex vobis*] Nempe, *ſi me audiatis*. Quæ conditio ex ſuperiori oratione ſatis intelligitur. Tales paſſim in Sacra Scriptura ſunt locutiones quæ tacitam in ſe conditionem habent ex antecedentibus & conſequentibus aut ex ipſa rei natura intelligi facilem 1 Sam II, 30. XIII, 13, 14.

πλὴν τοῦ πλοίου. *præterquam navis*] Particula exceptiva loco adverſativæ, ut Luc. XXIII, 28. Ioh. VIII, 10. in Græco 1 Cor. XI, 11. Philipp. 1, 8. III, 16. IV, 12. Apoc. II, 25.

23. τοῦ Θεοῦ οὗ εἰμι, ᾧ καὶ λατρεύω, *Dei cujus ſum ego, & cui deſervio*] Multò rectiùs hoc de ſe Paulus potuit dicere quàm in ſimili periculo Ionas 1, 9. Et propterea Ionæ comites eo ſervati ſunt ejecto; Pauli comites per eum retentum.

Καίσαρί σε δεῖ παραστῆναι. *Cæſari te oportet aſſiſtere*] Δεῖ [*oportet*] ſume ut ſupra XXIII, 11. παραστῆναι autem hîc judiciale eſt, *ſtare*. Rom. XIV, 10. pro quo ſupra ἑστώς εἰμι [*ſto*] XXV, 13. Activum παραστῆσαι [*ſiſtere*] ſupra XXIII, 33. Horatius,

--- dispeream ſi
Aut valeo ſtare aut novi civilia jura.

Vbi Scholiaſtes, *Si habeo vires ut ſtem in judicio.*

24. κεχάρισταί σοι ὁ Θεὸς πάντας τοὺς πλέοντας μετά σου. *donavit tibi Deus omnes qui navigant tecum*] Senſu contrario hîc habemus χαρίζεσθαι ei qui bis ſupra XXV, 11, 16. ibi *in pernitiem tradere*, hîc *in vita ſervare*. *Tibi dat*, id eſt, tui cauſâ eos ſervat. Vnus interdum navem perdit, unus interdum navem ſervat. Idem contingit in Republica.

25. εὐθυμεῖτε, *bono animo eſtote*] Vt ſupra 22. Hoc eſt quod alibi dicitur θαρσεῖν [*conſtans eſſe*], ut ſupra XXIII, 11.

πιστεύω γὰρ τῷ Θεῷ ὅτι οὕτως ἔσται, *credo enim Deo quia ſic erit*] Fidem Deus etiam ad conſequenda hujus vitæ beneficia ſæpe requirit, ut oſtendat eam multò magis ad conſequendam æternam eſſe neceſſariam.

Εἰς νῆσον δέ τινα, *In inſulam autem quandam*] Non νησίον [*inſulam parvam*] qualis Claude, ſed juſtam inſulam, qualis Melite.

δεῖ ἡμᾶς ἐκπεσεῖν. *oportet nos devenire*] Δεῖ [*oportet*] rurſum ut modò 42. ἐκπεσεῖν [*incidere*] ut ſupra 17.

27. Διαφερομένων ἡμῶν, *navigantibus nobis*] Διαφέρεσθαι pro *huc & illuc ferri* uſurpavit & Plutarchus.

ἐν τῷ Ἀδρίᾳ, *in Adria*] Quod notarunt hîc viri eruditi ex Strabone, Ovidio, Statio & Ptolemæo, *Adriam cœpiſſe dici pro toto Ionio*, verum eſt. Itaque Procopius mare à Methone ad Siciliam, & alibi à Cephalenia ad Calabriam, *Adriam* vocat; & alio loco partem *Adriæ* facit ſinum; & diſertè Vandalicorum primo tam Gaulon quàm Meliten in *Adria* locat.

προσάγειν τινὰ αὐτοῖς χώραν. *apparere ſibi aliquam regionem*] *Accedere ſibi terram aliquam.* Ita ſolent nautæ loqui. Tale illud apud Virgilium III. Æneidos,

Provehimur portu: terræque urbesque recedunt.

28. βολίσαντες, *ſubmittentes bolidem*] Βολὶς [*bolis*] quæ καταπειρητηρία Herodoto Euterpe, *funis cum plumbo, quo dejecto nautæ maris altitudinem explorant*, quod βολίζειν dicitur. *Catapiraten* dixit Lucillius illis verſibus qui corrupti apud Iſidorum XIX, 14.

Hinc Catapiraten puer eodem deferat, unctum
Plumbi pauxillum raudus linique metaxam.

Vbi vocem nauticam non omnibus notam expoſuit verbis popularibus.

εὗρον ὀργυιὰς εἴκοσι. *invenerunt paſſus viginti*] Ὀργυιὰ [*paſſus*] eſt *quantum patent paſſæ manus*, unde *paſſui* nomen. Hac menſura uti nautæ ſolent.

εὗρον ὀργυιὰς δεκαπέντε. *invenerunt paſſus quindecim*] Id ſignum erat propius accedere terram. Omnia hæc navalia accuratè & nitidè deſcribit Lucas.

29. εἰς τραχεῖς τόπους, *in aſpera loca*] *Aſpera loca* vocat *ſaxoſa*, ut hîc rectè explicat Syrus, qualia multa eſſe circa inſulas ſolent. χοιράδας dicunt alii.

ἐκ πρύμνης ῥίψαντες ἀγκύρας τέσσαρας, *de puppi mittentes anchoras quatuor*] Sic Virgilius,

Anchora de prora jacitur —

Pluribus autem opus anchoris, ubi ſævit mare.

ηὔχοντο ἡμέραν γενέσθαι. *optabant diem fieri*] Vt faciliùs deſpicere poſſent ubi eſſent locorum.

30. χαλασάντων τὴν σκάφην εἰς τὴν θάλασσαν, *cùm miſiſſent ſcapham in mare*] Nimirum ut in eam delapſi derelicta navi ſaluti ſuæ conſulerent. Cicero II. de Inventione, *Poſtea aliquantò ipſos quoque tempeſtas vehementiùs jactare cœpit, usque adeò ut dominus navis, cùm idem gubernator eſſet, in ſcapham confugeret.*

προφάσει ὡς ἐκ πρώρας μελλόντων ἀγκύρας ἐκτείνειν, *ſub obtentu quaſi inciperent à prora anchoras extendere*] *Hoc utebantur prætextu, velle ſe ſcapha uti, ut anchoras longiùs à prora figerent fune eousque prolato.* Nota locutionem προφάσει μελλόντων ἐκτείνειν ἀγκύρας, *ſpecie longiùs tenſurorum anchoras.*

31. τῷ ἑκατοντάρχῃ, *Centurioni*] De quo ſupra I.

Ἐὰν μὴ οὗτοι, *Niſi hi*] Dixit hoc nautas digito monſtrans.

ὑμεῖς σωθῆναι οὐ δύνασθε. *vos ſalvi fieri non poteſtis*] Quomodo hoc non pugnet cum iis quæ dicta ſupra 22, vide illo loco.

32. ἀπέκοψαν τὰ σχοινία τῆς σκάφης καὶ εἴασαν αὐτὴν ἐκπεσεῖν. *absciderunt milites funes ſcaphæ & paſſi ſunt eam excidere*] *Abſciſsis funibus ſivere ſcapham auferri.* Ἐκπίπτειν [*excidere*] hîc dicitur reſpectu navis: ſupra bis reſpectu maris. Sic ἐκπίπτειν τῆς ἀγορᾶς [*è foro elabi*], ἐκπίπτειν τῆς πόλεως [*excidere civitate*] apud Plutarchum.

33. ἄσιτοι διατελεῖτε, *jejuni permanetis*] Sic dictum quomodo I Maccab. III, 17. ἐκλελύμεθα ἀσιτοῦντες σήμερον [*fatigati ſumus jejunio hodie*]. id ita intelligendum, *quod vix quicquam alimenti cepiſſent plerique*; rectè notatum aliis.

34. παρακαλῶ ὑμᾶς προσλαβεῖν τροφῆς. *rogo vos accipere cibum*] Nempe ut firmiores eſſent ad perferendos labores quibus erat opus. Vide I Sam. XIV, 28, 29.

οὐδενὸς γὰρ ὑμῶν θρὶξ ἐκ τῆς κεφαλῆς πεσεῖται. *quia nullius veſtrûm capillus de capite peribit*] Proverbialis locutio, ſicut Latinè dici poſſet, *Ne hilum quidem vobis nocebitur.* Vide Luc. XXI, 18. Intellige hoc rurſus ſub conditione, *ſi conſilia mea ſequamini.*

35. εὐχαρίστησε τῷ Θεῷ, *gratias egit Deo*] Vide Matth. XV, 36. Marci VIII, 6. Ioh. VI, 11.

ἐνώπιον πάντων, *in conſpectu omnium*] Exemplum dans quod imitarentur.

καὶ κλάσας, *& cùm fregiſſet*] ut Matth. XIV, 19. XV, 36. Marci VIII, 6, 19. Luc. XXIV, 30.

ἤρξατο ἐσθίειν. *cepit manducare*] Id eſt, *edit*, ut ſupra I, I.

36. Εὔθυμοι δὲ γενόμενοι πάντες, *Animæquiores autem facti omnes*] Ex iſta tam ſeria Pauli, viri non levis, aſſeveratione.

37. αἱ πᾶσαι ψυχαὶ, *univerſæ animæ*] *Perſonæ*, ut ſupra II, 41. & hoc capite 10, 22.

38. Κορεσθέντες δὲ τροφῆς, *Et ſatiati cibo*] Id eſt,

Poſtquam exempta fames epulis, —

ut Virgilius loquitur.

ἐκούφιζον τὸ πλοῖον, *alleviabant navem*] *Levârunt navem*, ut loquuntur Paulus Iuriſconſultus & Calliſtratus.

ἐκβαλλόμενοι τὸν σῖτον, *jactantes triticum*] *Iactando cibaria.* Nam & hoc fieri ſolet. Vide L. ſi laborante. §. cùm in eadem. D. ad L. Rhodiam. Hic tertius fuit jactus, ut modò obſervavimus.

39. τὴν γῆν οὐκ ἐπεγίνωσκον. *terram non agnoſcebant*] Neſciebant terra eſſet continens, an inſula, & quæ.

κόλπον δέ τινα κατενόουν, *ſinum verò quendam conſiderabant*], Id eſt, *conſpexere*, ut ſupra VII, 31. κόλπος Græcè, Latinè *ſinus*, modò de terra, modò de mari dicitur, ut hîc. Diſtinguitur enim à *littore*.

ἔχοντα αἰγιαλὸν, *habentem littus*] Non fruſtra hoc additur. Sunt enim ſinus quidam maris qui littus non habent, ſed præruptis rupibus cinguntur.

ἐξῶσαι τὸ πλοῖον. *ejicere navem*] *Appellere.* Vtitur ſic Thucydides.

40. Καὶ τὰς ἀγκύρας περιελόντες, *Et cùm anchoras ſuſtuliſſent*] Id eſt, *anchoris undique ſublatis.* Id verò ideo dixit, quia plures erant, ſupra 29. Volebant vento uti, quod non poterant niſi ſublatis anchoris.

εἴων εἰς τὴν θάλασσαν, *commitebant ſe mari*] Eſt brevis locutio pro εἴων τὸ πλοῖον ἰέναι εἰς τὴν θάλασσαν, *ſiverunt navem ire in mare*, illud ſcilicet quod inter locum in quo defixa fuerat navis & littus intererat.

ἅμα ἀνέντες τὰς ζευκτηρίας τῶν πηδαλίων. *ſimul laxantes juncturas gubernaculorum*] In antiquis navibus bina erant gubernacula, ſuum cuique lateri, ut oſtendimus in imaginibus Arateis. Cratinus Ὀδυσσεῦσι· Ὡς ἂν μᾶλλον τοῖς πηδαλίοις ἡ ναῦς ἡμῖν πειθαρχῇ [*Vlyſsibus: quò magis noſtra navis gubernaculis obediat*]. Ea gubernacula vinculis quibusdam annectebantur navi, quas hîc Græcè Lucas ζευκτηρίας vocat, Latinus *juncturas*, quomodo in Gloſſario ζεῦξις, *Iunctura.* Cùm laxantur ea vincula, tunc gubernacula multum in aquas deſcendunt & pondere ſuo navem retinent, quominus à ventis evertatur.

καὶ ἐπάραντες τὸν ἀρτέμονα τῇ πνεούσῃ, *& levato artemone ſecundùm auræ flatum*] *Artemonem* vocat hîc Lucas ἀπὸ τοῦ ἀρτᾶσθαι [*à ſuſpendendo*] velum illud proræ proximum, quod *dolona* Pollux vocat; & Livius duobus locis. *Artemo adjectamentum potius quam pars navis eſt*, ait Iavolenus L. Malum. D. de verborum ſignif. Eo uti ſolent nautæ ubi metuunt ne vela majora plus ſatis venti concipiant navemque nimis urgeant. Erat autem id hîc eò magìs neceſſarium quòd arborem dejectam jam ſupra audivimus. Ad illud τῇ πνεούσῃ [*flanti*] ſubintelligi putem αὔρᾳ [*auræ*] vel πνοιῇ; nec magis mirum dici πνοὴν πνεῖν [*flare flatum*], quàm πλοῖον πλεῖν [*navigare navem*].

κατεῖχον εἰς τὸν αἰγιαλόν. *tendebant ad littus*] Κατέχειν pro *tendere* uſurpant & Herodotus & Plutarchus.

41. εἰς τόπον διθάλασσον, *in locum dithalaſſum*] *Tæniam* intelligit, quales multæ ſolent eſſe non procul à littore, ita tamen ut inter eas & littus mare interluat.

ἐπώκειλαν τὴν ναῦν· *impegerunt navem*] Bene Latinus, *impegit*. Sic Lucanus,

— — *Laborque*
Fortunæ, quod te noſtris impegit arenis.

καὶ ἡ μὲν πρῶρα ἐρείσασα, *& prora quidem fixa*] *Cùm hæſiſſet in tænia.*

ἔμεινεν ἀσάλευτος, *manebat immobilis*] *Manſit inconcuſſa.* Ἐσάλευσεν αὐτοὺς ὡς κῦμα θαλάσσης [*commovit illos quaſi fluctus maris*], Sirach. XXIX, 24.

ἡ δὲ πρύμνα ἐλύετο, *puppis verò ſolvebatur*] *Diſſoluta eſt à fluctibus puppis*, quia in terram ſubvehi non potuerat. Simile de Argo canit Lucanus,

Rapta puppe minor ſubducta eſt montibus Argo.

42. Τῶν δὲ στρατιωτῶν βουλὴ ἐγένετο, *Militum autem conſilium fuit*] Βουλὴν dicit *voluntatem*, quod ſtatim βούλημα. Sic & bello captos in ſimili periculo trucidatos ſæpe legimus.

μή τις ἐκκολυμβήσας, *ne quis cùm enatâſſet*] Nempe è navi in littus non longè abſitum.

43. βουλόμενος διασῶσαι τὸν Παῦλον, *volens ſervare Paulum*] Vt civem Romanum.

τοὺς δυναμένους κολυμβᾶν, *qui poſſent natare*] Vt nautas, & ſi qui alii nare didicerant.

ἀποῤῥίψαντας πρώτους, *emittere primos*] Dejectis è navi in mare corporibus.

ἐξιέναι· *exire*] *Exire è mari in littus.*

44. οὓς μὲν ἐπὶ σανίσιν, *alios in tabulis*] Cicero II. Officiorum, *Si tabulam de naufragio arripuerit.* & ad Atticum, *Hæc una me ex hoc naufragio tabula delectat.*

ἐπί τινων τῶν ἀπὸ τοῦ πλοίου. *ſuper ea quæ de navi erant*] Putà remis arreptis.

Ὁ δεύτερος πλοῦς ἐστι δήπου λεγόμενος,
Ἂν νηὸς ἀποτύχῃ τις, ἐν κώπαισι πλεῖν
[*Secunda quæ vocatur navigatio,*
Eſt fractâ nave, tabulâ arreptâ evadere].

CAPVT XXVIII.

ΚΑὶ διασωθέντες, *Et cùm evaſiſſemus*] *Cùm evaſiſſent.*

ὅτι Μελίτη ἡ νῆσος καλεῖται. *quia Melite inſula vocabatur*] Illa *Melite* quæ non longè ab Africa.

2. Οἱ δὲ βάρβαροι, *Barbari verò*] Afri, qui mari potentes vicinas inſulas tenuere.

οὐ τὴν τυχοῦσαν φιλανθρωπίαν, *non modicam humanitatem*] De hac locutione vide ſupra XIX, 11.

ἀνάψαντες γὰρ πυρὰν, *accendentes enim pyram*] *Lignorum ſtruem.*

προσελάβοντο πάντας ἡμᾶς, *reficiebant nos omnes*] אספו *hoſpitio excepére.* Id enim ſic verti ſolet, ut & לקח & ſimilia.

διὰ τὸν ὑετὸν τὸν ἐφεστῶτα, *propter imbrem qui imminebat*] *Propter imbrem qui ſupervenerat.* Poſt ingentes ventos ſolent imbres ſequi.

καὶ διὰ τὸ ψῦχος, *& propter frigus*] Frigus & ex anni tempore aderat, & vento atque imbribus augebatur. Et non poterant non frigere qui per mare nataverant. Plautus,

Edepol, Neptune, es balneator frigidus:
Cum veſtimentis poſtquam abs te abii, algeo.

3. Συστρέψαντος δὲ τοῦ Παύλου φρυγάνων πλῆθος, *Cùm congregâſſet autem Paulus ſarmentorum multitudinem*] In Manuſcripto, φρυγάνων τι πλῆθος [*ſarmentorum aliquam multitudinem*], *Cùm virgulta quædam collegiſſet*, nempe quæ in proximo parata jacebant. Φρύγανον, *fomes*, in Gloſſario. *Fomes* eſt quicquid ignem alit.

ἔχιδνα ἐκ τῆς θέρμης ἐξελθοῦσα, *vipera è calore cùm proceſſiſſit*] In Gloſſario, θέρμη, *calor, fervor, æſtus.* Vtitur ſic Thucydides in peſtilentiæ deſcriptione. Ignis calorem ut ſenſerat vipera, effugere volebat. In Manuſcripto eſt, ἀπὸ τῆς θέρμης [*à calore*], quod clariùs. Sic ἀπὸ τοῦ ἰοῦ, ἀπὸ τῆς λύπης [*à veneno, à mærore*] in cauſæ ſignificatu ſæpe apud Græcos.

4. τὸ θηρίον, *beſtiam*] Sic ſolent vocari beſtiæ, quæ veneno nocent, in quibus excellunt viperæ, unde θηριακὴ ἀντίδοτος [*Theriaca antidotus*] nomen habet. Ambroſius in Hexaëmero, *Vipera nequiſſimum genus beſtiæ.* Inde

Vipeream inſpirans animam — —

apud Virgilium.

Πάντως φονεύς ἐστιν ὁ ἄνθρωπος, *Vtique homicida eſt homo*] Putabant convictum criminis, ob quod cuſtodiæ erat datus.

ἡ δίκη ζῆν οὐκ εἴασεν. *ultio non ſivit eum vivere*] Δίκη hîc *Divina ultio*, de qua illud vetus,

— — ὁρῶ γὰρ ἐν χρόνῳ
Δίκην ἅπαντ᾽ ἄγουσαν εἰς φάος βροτοῖς.
[— — *Ius ſed, ut video, Dei*
In lucis oras cuncta fert mortalium].

Et alia multa apud Stobæum de rerum natura, titulo VII. Heſiodus,

— — Δίκη δ᾽ ὑπὲρ ὕβριος ἴσχει
Ἐς τέλος ἐξελθοῦσα· παθὼν δέ τε νήπιος ἔγνω.
[— — *malefactis eſt comes ultrix*
Iuſtitia: hoc ſtultos docet experientia tandem].

ζῆν οὐκ εἴασεν [*vivere non ſivit*]. Sic in epigrammate Græco Sarapis dicit homicidæ,

Εἰ μὴ νῦν σε μεθῆκα θανεῖν, θάνατον μὲν ἄλυπον
Νῦν ἔφυγες. σταυρῷ δ᾽ ἴσθι φυλασσόμενος.
[*Non eſt iſta ſalus tanti, quod morte negatur*
Defungi, crux eſt ponè parata tibi].

6. Οἱ δὲ προσεδόκων αὐτὸν μέλλειν πίμπρασθαι, *At illi exiſtimabant eum in tumorem convertendum*] *Inflammari.* Nicander deſcribens læſum à vipera,

— — αἱ δὲ θαμιναὶ
Πομφόλυγες τῶς ἔν γε πυρὶ, φλύκταιναι ἀραιαὶ,
Οἷα πυρικμήτοιο χροὸς πλαδόωσιν ὕπερθεν
[— — *aſt illi puſtula multa,*
Quales ſæpe ſolent ex igne exiſtere bullæ,
Erumpit, tanquam flammanti corpore toto].

Deinde,

Πᾶν δ᾽ ἐπί οἱ δερμεῖα δέμας καταβόσκεται ἄτη
Ὀξέα πυρπολέουσα. — —

[Illi corpus edit totum vis ſæva veneni
Æſtu flammifero — —].

ἢ καταπίπτειν ἄφνω νεκρόν. *aut ſubitò caſurum & mori*] Venenum enim viperæ quibuſdam in locis valde rapidum eſt.

μηδὲν ἄτοπον, *nihil mali*] *Nihil incommodi.* Hoc ſenſu vox ἄτοπον eſt in Græca verſione Iobi IV, 8. & apud Theophraſtum IV, 15.

μεταβαλλόμενοι, *convertentes ſe*] *Mutatâ ſententiâ*, ut mos vulgi,

— *Sequitur fortunam, ut ſemper, & odit*
Damnatos. ——— ———

ἔλεγον θεὸν αὐτὸν εἶναι. *dicebant eum deum eſſe*] Herculem puto ἀλεξίκακον [*Alexicacum*], qui in Melite inſula colebatur.

7. ὑπῆρχε χωρία τῷ πρώτῳ τῆς νήσου, ὀνόματι Ποπλίῳ, *erant prædia Principis inſulæ, nomine Publii*] Romani divites in provinciis fundos habebant, maximè in Africa. Fortè hic libertus fuerit Auguſti. Nam & Syrus ille Mimus, itidem libertus, dictus *Publius* ſine alio nomine. Eſt autem πρῶτος Μελιταίων [*Melitenſium Princeps*] nomen Magiſtratûs. Apparet id ex inſcriptione in Inſula Melite repertâ, Λ. Κ. ΚΙΟΣ. ΚΥΡ. ΠΡΟΥΔΗΝΖ. ΙΠΠΕΥΣ. ΡΩΜ. ΠΡΩΤΟΣ. ΜΕΛΙΤΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΠΑΤΡΩΝ. ΑΡΞΑΣ. ΚΑΙ. ΑΜΦΙΠΟΛΕΥΣΑΣ. ΘΕΩ. ΑΥΓΟΥΣΤΩ. [L. C. CIVS. DOM. PRVDENS. EQVES. ROM. PRINCEPS. MELITENSIVM. ET. PATRARVM. GVBERNATOR. ET. MINISTER. DIVI. AVGVSTI].

ὃς ἀναδεξάμενος ἡμᾶς, *qui nos ſuſcipiens*] Nempe juſſos tranſire ex diverſorio publico in ſuam domum.

φιλοφρόνως ἐξένισεν. *benignè exhibuit*] Iam tum τεταγμένος εἰς ζωὴν αἰώνιον [*ordinatus ad vitam æternam*], & umbras quaſdam habens virtutum Chriſtianarum. Vide Matth. XXV, 35.

8. πυρετοῖς καὶ δυσεντερίᾳ, *febribus & dyſenteria*] Δυσεντερίαν *tormina* vertit Celſus IV, 15. Is morbus, ſi duret, plerumque & febres adfert.

συνεχόμενον, *vexatum*] Matth. IV, 24. Luc. IV, 38. Vtitur hac locutione & Galenus. Rectè. Nam συνέχειν eſt *vincire*. Et morbi *vincula* quædam; Luc. XIII, 16.

κατακεῖσθαι· *jacere*] *Cubat, id eſt, ægrotat*, Scholiaſtes ad illud Horatii,

— *Cubat hic in valle Quirini.*

καὶ προσευξάμενος ἐπιθεὶς τὰς χεῖρας αὐτῷ, *& cùm oràſſet & impoſuiſſet ei manus*] Vide Matth. IX, 18. XIX, 13. Marci VI, 5. VII, 32. XVI, 18. Luc. IV, 40. XIII, 13.

9. ἔχοντες ἀσθενείας, *qui habebant infirmitates*] Vt Luc. XIII, 11, 12. Ioh. V, 5. XI, 4.

10. ἀναγομένοις ἐπέθεντο τὰ πρὸς τὴν χρείαν, *& navigantibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant*] Permiſcuit locutiones de navigantibus & de navi, ut fieri ſolet. Nam ἀναγομένοις ad navigantes, ἐπέθεντο ad navim pertinet. Τὰ πρὸς τὴν χρείαν, *ea quæ erant opus*, cibaria ſcilicet. In Manuſcripto τὰ πρὸς τὰς χρείας pluraliter, ut ſupra XX, 34.

11. παρακεχειμακότι ἐν τῇ νήσῳ, *quæ in inſula hyemaverat*] *Quod in Melite tempeſtatem vitaverat*, ut ſupra XXVII, 12. nam hyems nondum exierat.

Ἀλεξανδρίνῳ, *Alexandrina*] Vide que dicta ſuprà XXVII, 6.

παρασήμῳ Διοσκούροις. *cui erat inſigne Caſtorum*] Aliud eſt παράσημον [*inſigne*], aliud *tutela*. *Tutela* in puppi, ut Minerva in Argo: παράσημον ſive *inſigne* in prora. Sic in navi quâ vectus Ovidius, tutela erat Minerva, inſigne Caſſis, & inde nomen, quomodo *Piſtrix*, *Centaurus*. Eruditè Latinus vertit, *Cui erat inſigne Caſtorum.* Sic Plinius X, 43. *Supra Caſtorum ædem.* Tertullianus, *Phantaſmata Caſtorum.* Arnobius libro II, *Tyndaridæ Caſtores.* Libro IV, *Tria genera Caſtorum.* Minutius, *Vt & cum equis Caſtores viderentur.* Et Cyprianus de Idolorum vanitate, *Caſtores alternis moriuntur.*

12. Καὶ καταχθέντες εἰς Συρακούσας, *Et cùm veniſſemus Syracuſam*] Nempe ad exponendas merces quaſdam Alexandrini navigii.

13. εἰς Ῥήγιον. *Rhegium*] Ῥήγυον [*Rhegyum*] ſcribunt Græci, & populum Ῥηγυῶους [*Rhegynos*], adduntque omnes originem eſſe nominis, quòd ibi ab Italiæ latere abſciſſa eſſet Sicilia. *Regium* verò, Latino nomine, oppidum eſt Galliæ Ciſalpinæ.

δευτεραῖοι, *ſecunda die*] Locutio bene Græca, quâ & Herodotus & Xenophon utuntur. Tribuitur perſonæ quod eſt rei. Tale illud, *Stare ſolitus Socrates dicitur pertinaci ſtatu perdius & pernox*, apud Gellium II, 1.

εἰς Ποτιόλους. *Puteolos*] *Puteolos* enim appellere ſolebant naves Alexandrinæ: docet id nos Seneca Epiſtola 77. & decretum in Gruteri inſcriptionibus. Statius,

— *modò nam trans æquora terris*
Prima Dicarcheis Pharium gravis intulit annum.

Puteolis enim vetus nomen Δικαιάρχεια, unde Poëtæ faciunt *Dicarcheam.*

14. οὗ εὑρόντες ἀδελφοὺς, *ubi inventis fratribus*] Ergò non Romæ tantùm, ſed & Puteolis jam erant Chriſtiani.

παρεκλήθημεν,] *Rogati ſumus.* Sic hoc verbum & ſuprè ſumitur XVI, 15. XXI, 12. XXV, 3.

ἐπ' αὐτοῖς ἐπιμεῖναι, *manere apud eos*] Manuſcriptus παρ' αὐτοῖς [*apud eos*].

εἰς τὴν Ῥώμην ἤλθομεν. *venimus Romam*] *Romam ibamus.* Ita hîc bene accepit Syrus. Iudæi Helleniſtæ בוא modò per πορεύεσθαι [*ire*], modò per ἔρχεσθαι [*venire*] vertunt promiſcuè.

15. ἄχρις Ἀππίου Φόρου καὶ Τριῶν Ταβερνῶν· *ad Appii Forum & Tres Tabernas*] Id eſt, *alii obviam venerunt ad Forum Appii, alii ad Tres Tabernas:* illi priùs, hi ſeriùs. Nam Tres Tabernæ propiores Romæ, ut apertum fit ex tabulis & epiſtolâ Ciceronis ad Atticum II, 11. Multa tum loca in Romano Imperio habebant nomen alia *fori*, alia *tabernæ*: *fori*, ab omnium rerum mercatu, *tabernæ*, quòd ibi vinum & eſculenta venum propoſita eſſent.

16. Ὅτε δὲ ἤλθομεν εἰς Ῥώμην, *Cùm autem veniſſemus Romam*] Manuſcriptus εἰσήλθομεν [*introiviſſemus*]: quod planius.

τῷ στρατοπεδάρχῃ· *Præfecto exercituum*] *Burro.* Rectè enim viri docti interpretantur *Præfectum Prætorio.* Nam à Tiberii temporibus Prætorianus miles in caſtris habitus, teſte Tacito Annalium IV. Et ſub hujus cura fuiſſe reorum cuſtodias multis ejuſdem Taciti locis evincitur.

σὺν τῷ φυλάσσοντι αὐτὸν στρατιώτῃ. cum cuſtodiente ſe milite] Ex more Romano. Scholiaſtes Iuvenalis *caſtrenſem carcerem* dici ait, quando captivi traduntur catenati. Sed intellige ita, ut eadem catena & militem conſtringeret. Ioſephus XVIII, de Agrippa poſtea Rege, Εὑρίσκετο δ' αὐτῷ παρὰ τοῦ Μάκρωνος στρατιωτῶν τε, μετρίων ἀνδρῶν, οἳ παραφυλάξειαν αὐτὸν ἐν φροντίσιν, καὶ ἑκατοντάρχου ἐφεστησομένου τε ἐκείνοις καὶ συνδέτου ἐσομένου, λουτρά τε καθ' ἡμέραν συγχωρεῖσθαι καὶ ἀπελευθέρων καὶ φίλων εἰσόδους, τήν τε ἄλλην ῥαστώνην ἣ τῷ σώματι γένοιτ' ἄν [*Apud Macronem tamen & milites, commodos ſanè viros, qui eum aſſervaturi erant, tum & apud Centurionem hiſce præfuturum, illi copulandum, obtinuit, ut & quotidie lavacris uteretur, & pateret ad eum libertis atque amicis aditus, quorum ſublevaretur officiis*]. Seneca huc reſpexit de Tranquillitate I, 10. *Eadem cuſtodia univerſos circumdedit, alligatique ſunt etiam qui alligaverunt, niſi tu fortè leviorem in ſiniſtra catenam putas.* Et Ep. V. *Quemadmodum eadem catena & cuſtodiam & militem copulat, ſic iſta quæ tam diſſimilia ſunt, pariter incedunt.* Sic de Manio Aquilio Athenæus, Συνδέτον ἔχων ἁλύσει μακρᾷ Βαστάρνην πεντάπηχυν, πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται [*Baſtarnæ, quinque cubitorum homini, longa catenâ copulatus, pedes ipſe ab equite trahitur*]. Hæc eſt *catena* cujus mox meminit eam monſtrans Paulus 20. & Epheſ. VI, 20. Cùm catena longa fuerit, quæ & militem & Paulum tenebat, facilè jam intelligimus, quomodo Paulus, quanquam vinctus, huc illuc ambulare potuerit. Hoc eſt, quod δεσμῶν [*vinculorum*] nomine Paulus intelligit, Coloſſ. IV, 18. Philipp. I, 7, 13, 14, 16. II Tim. II, 9. Philem. 10, 13.

μένειν καθ' ἑαυτὸν, manere ſibimet] *Sine aliis.* Ita vertitur מלבר Gen. XXX, 41. XLIII, 32. Zach. XII, 12. XIII, 14. quod alibi vertitur καταμόνας [*ſeorſim*].

17. *τῶν Ἰουδαίων πρώτους· primos Iudæorum*] *Eminentiores.* Neque enim Synagogam Romæ videntur habuiſſe Iudæi eo tempore.

οὐδὲν ἐναντίον ποιήσας τῷ λαῷ ἢ τοῖς ἔθεσι, nihil adversùs plebem faciens aut morem] Supra XXV, 8, 10.

ἐξ Ἱεροσολύμων, ab Ieroſolymis] *Avectus* ſcilicet. Similis ἔλλειψις [*defectus*] ſupra VII, 9.

παρεδόθην, traditus ſum] Vt ante Chriſtus. Supra XXI, 11, ubi dicta vide. Traditus autem eſt Romanis, cùm à Iudæis apud Felicem accuſatus eſt.

18. *ἀνακρίναντές με, cùm interrogationem de me habuiſſent*] Prævio quodam examine. Vide ſupra XXV, 26.

ἐβούλοντο ἀπολῦσαι, voluerunt dimittere] *Voluerunt me dimittere*, nempe niſi appellâſſem. Similis locutio Matth. XXVI, 39. ubi de ea diximus.

διὰ τὸ μηδεμίαν αἰτίαν θανάτου ὑπάρχειν ἐν ἐμοί. eò quòd nulla eſſet cauſa mortis in me] Supra XXV, 25. XXVI, 31. Sic ſervus non minùs quàm Dominus ab incredulis teſtimonium retulit ſuæ innocentiæ.

19. Ἀντιλεγόντων δὲ τῶν Ἰουδαίων, *Contradicentibus autem Iudæis*] Cùm illi hoc agerent, ut me ad Synedrii cognitionem traherent, videreturque Feſtus illis velle gratificari.

ἠναγκάσθην ἐπικαλέσασθαι Καίσαρα· coactus ſum appellare Cæſarem] Nempe ne hoc fieret.

οὐχ ὡς τοῦ ἔθνους μου ἔχων τι κατηγορῆσαι. non quaſi Gentem meam habens aliquid accuſare] Accuſor, non accuſo: nec contra totam gentem ulla lis mihi eſt.

20. *παρεκάλεσα ὑμᾶς ἰδεῖν, rogavi vos videre*] *Vocavi ut vos viderem.*

καὶ προσλαλῆσαι. & alloqui] *Loqui ut cum amicis.*

ἕνεκεν γὰρ τῆς ἐλπίδος τοῦ Ἰσραὴλ, propter ſpem enim Iſraël] Propter fidem de reſurrectione. Vt ſupra XXIII, 6. XXIV, 15. XXVI, 6, 7.

τὴν ἅλυσιν ταύτην περίκειμαι. catenâ hac circumdatus ſum] Vide ſupra 16..

21. *οὔτε γράμματα περί σου ἐδεξάμεθα, neque literas accepimus de te*] Nempe quæ de te nominatim agerent & nos monerent, ut tibi adverſaremur.

οὔτε παραγενόμενός τις τῶν ἀδελφῶν, neque adveniens aliquis fratrum] *Aliquis de gente noſtra.* Iudæi enim alii alios fratres vocabant. Vide ſupra VII, 2, 37. XIII, 26, 38. XXIII, 1, 5, 6.

22. *περὶ μὲν γὰρ τῆς αἱρέσεως ταύτης, nam de ſecta hac*] Nazaræorum, ſupra XXIV, 5. cujus ſcilicet ſectæ te eſſe profiteris.

γνωστόν ἐστιν ἡμῖν ὅτι πανταχοῦ ἀντιλέγεται. notum eſt nobis quia ubique ei contradicitur] Nimirum propter literas iſtas ſcriptas à Synedrio paulò poſt Chriſti abitum ex terris, de quibus diximus ad Matth. XXVII, 63. Ajunt Iudæi earum litterarum exemplum aſſervari apud Synagogam vetuſtiſſimam quæ eſt Borbetomagi Vangionum.

23. Ταξάμενοι δὲ αὐτῷ ἡμέραν, *Cùm conſtituiſſent autem illi diem*] Condicta die.

ἧκον πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν ξενίαν, Venerunt ad eum in hoſpitium] *Domum in qua divertebat.* Vtitur ſic voce ξενίας [*hospitii*] & Ioſephus.

ἐξετίθετο διαμαρτυρόμενος τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, exponebat teſtificans regnum Dei] Exponebat futurum Dei regnum, adhibitis probationibus, tum ex ſacris literis, tum ex iis quæ in Domino Ieſu erant conſpecta. Ita διαμαρτύρεσθαι [*teſtificari*] habuimus ſupra X, 42, & alibi. Pro διαμαρτυρόμενος [*teſtificans*] in Manuſcripto eſt παρατιθέμενος [*inſinuans*], quomodo ſupra XVII, 3.

πείθων τε αὐτοὺς, ſuadensque eis] Πείθειν [*ſuadere*] hîc de conatu ſumitur, ut ſupra XIX, 8. In Gloſſario, *Suadeo* παραινῶ, πείθω, συμβουλεύω.

τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ, ἀπό τε τοῦ νόμου Μωσέως καὶ τῶν Προφητῶν, de Ieſu ex lege Moyſis & Prophetis] Oſtendebat enim omnes res Ieſu prædictas aut præfiguratas à Moſe & Prophetis, Luc. XXIV, 27. ſupra III, 18, 24. XIII, 27. XV, 15. XXII, 14. XXVI, 22.

24. *οἱ μὲν ἐπείθοντο τοῖς λεγομένοις, οἱ δὲ ἠπίστουν. quidam credebant iis quæ dicebantur, quidam verò non credebant*] Vt plerumque evenit, ut ſupra XIV, 4. XVII, 34. XIX, 9.

25. *ἀπελύοντο, diſcedebant*] Ἀπολύεσθαι pro *diſcedere* eſt locutio Polybiana. Invenitur & Exod. XXXIII, 11.

ῥῆμα ἓν, unum verbum] Id eſt, *abeuntibus hoc unum dixit.*

27. Ἐπαχύνθη γὰρ, *Incraſſatum eſt enim*] Sequitur Lucas LXX Interpretes Eſaiæ VI, 10. ut ſolet: tantum poſt τοὺς ὀφθαλμοὺς [*oculos*] addidit αὐτῶν [*ſuos*]. De ſenſu vide quæ dicta ad Matthæum XIII, 15. Quantum verò induruerint Iudæi poſt rejectum Euangelium vide ad Rom. II.

28. *ὅτι τοῖς ἔθνεσιν ἀπεστάλη τὸ σωτήριον τοῦ Θεοῦ, quoniam Gentibus miſſum eſt ſalutare Dei*] In Manuſcripto, τοῦτο τὸ σωτήριον [*hoc ſalutare*]. Σωτήριον [*ſalutare*] ſubſtantivè, eſt Helleniſtica vox ut Eſaiæ XII, 3. XXVI, 1. XXXIII, 20. XXXVIII, 11. LX, 6, 18. LXI, 10. LXII, 1. LXIII, 1. 1 Sam. II, 1. 1 Paral. XVI, 23. in Pſalmis ſæpiſſime. Refertur interdum ad perſonam, ut Lucæ II, 30. modò ad rem, ut hîc ad ſermonem Euangelii. Potuerat Deus ad Gentes eum ſermonem mittere, etiamſi nihil peccâſſent Iudæi: ſed omnem illis querelam præcidit, cùm id non fecit, niſi poſtquam Iudæi plurimi id beneficium ſibi oblatum contempſerant. Vide ſupra XIII, 46. XVIII, 6.

αὐτοὶ καὶ ἀκούσονται. & ipſi audient] *Ipſi non audient tantùm, ſed & obedient.* Nam ἀκούειν [*audire*] *obediendi* ſenſu hîc ponitur, ut ſæpiſſimè שמע apud Hebræos, quod modò per ἀκούειν [*audire*], modò per ὑπακούειν [*obedire*] vertitur. Sic ἀκούειν [*audire*] habemus cum accuſativo Matth. XI, 4. alibi cum genitivo, ut Matth. XVIII, 15, 16. Luc. VI, 47. Pet. 1, epiſt. IV, 6. Quod expertus erat Paulus in multis Aſiæ & Europæ urbibus, ut apud Gentes ſermonis felicior eſſet ſeges, idem & nunc futurum proſpiciebat.

29. *πολλὴν ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς ζήτησιν. multam habentes inter ſe quæſtionem*] Ἐν ἑαυτοῖς, id eſt, *inter ſe.* ζήτησιν, id eſt, *diſputationem*, alio defendente quod alius accuſabat. Ζήτησις ſic ſumitur, 1 Tim. I, 4. VI, 4. II Tim. II, 23. Tit. III, 9. quod συζήτησις [*diſquiſitio*] Act. XV, 2, 7. Sed comma hoc totum, ſicut non fuit in codicibus Græcis, quibus uſi ſunt Syrus & Arabs, ita nec in vetere illo Manuſcripto comparet.

διετίαν ὅλην, biennio toto] Hanc vocem habuimus & ſupra XXIV, 27. & τριετίαν [*per triennium*] ſupra XX, 31. Vtuntur & alii.

ἐν ἰδίῳ μισθώματι in ſuo conducto] *Suum* dicitur ratione uſûs. *Conducti* vox in hoc ſenſu eſt in L. 1. §. Si filiusfamilias, & §. Habitare. D. de his qui effuderint. Sic in lege Cornelia verbum *domus ſuæ* Vlpianus extendit ad conductum. L. lex Cornelia. D. de Injuriis, quod ſequuntur Inſtitutiones, titulo de Injuriis. §. ſed & lex. Sic & hoſpitium, *domus alicujus* dicitur L. 1. §. 2. D. de agnoſcendis liberis. Et *domus ſua* eſt omne domicilium L. Nec in ea. D. ad legem Iuliam de adulteriis. §. Ius.

30. *καὶ ἀπεδέχετο πάντας τοὺς εἰσπορευομένους πρὸς αὐτόν· & ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum*] Neminem excludebat, Dei exemplo.

31. *Κηρύσσων τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, Prædicans Regnum Dei*] Regnum illud, quod adveniet fine ſeculorum.

καὶ διδάσκων τὰ περὶ τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, & docens quæ ſunt de Domino Ieſu Chriſto] Vt ſupra 23. τὰ περὶ τοῦ Ἰησοῦ [*quæ ſunt de Ieſu*]. Miracula ejus & Præcepta & Mortem & Reſurrectionem & Miſſionem Spiritûs Sancti: per quæ certi fiebant homines de Regno illo cœleſti.

μετὰ πάσης παῤῥησίας, cum omni fiducia] *Animo intrepido.*

ἀκωλύτως. ſine prohibitione] In Gloſſario, ἀκωλύτως, *improhibitò.* Evenit hoc primo Neronis quinquennio, intra quod Principem egit probabilem.